Guil. Freem

HISTORIÆ
ANGLICANÆ
SCRIPTORES X,

Simeon Monachus *Dunelmenſis.*
Johannes Prior *Haguſtaldenſis.*
Ricardus Prior *Haguſtaldenſis.*
Ailredus Abbas *Rievallenſis.*
Radulphus de Diceto *Londonienſis.*

Johannes Brompton *Jornallenſis.*
Gervaſius Monachus *Dorobornenſis.*
Thomas Stubbs *Dominicanus.*
Guilielmus Thorn *Cantuarienſis.*
Henricus Knighton *Leiceſtrenſis.*

EX
VETUSTIS MANUSCRIPTIS,
Nunc primùm in lucem editi.

ADJECTIS
Variis Lectionibus, Gloſſario,
Indicéque copioſo.

LONDINI,
Typis *Jacobi Fleſher,* ſumptibus CORNELII BEE, apud quem
proſtant vœnales in vico vulgò vocato Little Britaine.
M DC LII.

By3 014

9d/

LECTORI.

A*NTE decem annos* Cornelius Bee, *Bibliopola* Londinenſis, *& ſibi & rei literariæ prodeſſe cupiens, egit mecum de nonnullis* Hiſtoriis Anglicanis, *privatis Bibliothecis latitantibus, publicè edendis, eâq; in re operam meam qualem qualem efflagitavit; Cujus deſiderio ſine reluctatione ſtatim aſſenſum præbuiſſem, ni tanto oneri me imparem perſenſiſſem; elapſo verò tertio & quarto anno, & ab eo denuo interpellatus, neq; alium quempiam provinciam hanc ſuſcepturum animadvertens, amicorm tandem ſuaſionibus, & librarii ſollicitationibus victus, quantum mihi temporis privatis negotiis diſtracto, pene & obruto, impertire liceret, huic operi deſtinare mecum conſtitui.*

Hiſce igitur totus intentus ſtudiis, cum ſex majores codices quos è bibliotheca Cottoniana *doctiſſimus* Seldenus *(cui hoc opus plurimum debet) nobis ſuppeditavit, prælo paratos vidi ruri me continendi neceſſitas incubuit, operis curâ diligenti viro & in antiquis membranis admodum verſato demandatâ, qui cum intellexiſſet Academiæ* Cantabrigienſis *bibliothecis, & præcipuè apud* Benedictinos, *(quibus privatis legibus cautum eſt, ne quid iſtiuſmodi extra Collegii ſui cancellos evagari concederent) plures eſſe manu exaratos libros luce digniſſimos,* Cantabrigiam *conceſſit, ibiq; ab Academicis ſummâ cum humanitate tractatus, omnes bibliothecas apertas invenit, libros quoſdam integrè tranſcripſit, alios olim examinatos, ad incudem revocat, & corrigit; variáſq; lectiones ſeorſim annotat, & in hoc opere promovendo adeo fœliciter invigilavit, ut nihil unquam apud nos tanti ſaltem conaminis (non quòd aliorum laboribus aliquid detraherem) primo intuitu (abſit dicto invidia) adeo omnibus numeris abſolutum, prodiiſſe memini: ſemper enim aut accurata collatio, & librorum* Variæ Lectiones, *aut obſoletorum verborum* Gloſſarium, *iteratam editionem præſtolabantur, quæ omnia doctorum virorum vigiliæ tibi hîc exhibenda curarunt.*

De ſingulis tractatibus (è quibus hoc opus quaſi variis centonibus conflatum eſt) & unde ad manus noſtras pervenerunt, & quid in iis præſtitimus, tuâ cauſâ, & gratitudinis ergô, ne nomina eorum poſteritatem laterent, quibus præſentes & futuri tam inſigne beneficium acceptum ferent, hic aliquid dicere non gravabor.

SIMEON Dunelmenſis de eccleſia Dunelmenſi, *p.* 1.

Horum igitur agmen ducat Simeon Dunelmenſis de Eccleſia Dunelmenſi, *cujus duo extant exemplaria, utraq; antiqua & ſatis eleganter ſcripta, unum viz. à Pagina prima ad Col. 58. dudum ad monaſterium* Sanctæ Mariæ de Fontibus *in comitatu* Richmondiæ *pertinebat, jam verò nobiliſſimum Baronettum* Thomam Cotton *dominum ſibi vendicat, & à* Turgoto *compoſitum aliqui credunt, cujus nomen, recenti tamen manu, ei affixum vidi; at cum dictus liber cum Additamentis quæ in fronte & in calce reperiuntur, in bibliotheca publica* Cantabrigienſi Simeoni Dunelmenſi *attribuitur, non potui alium auctorem conſtituere.*

Ejus Hiſtoriæ *Col.* 75. 79. 85. *continuata per JOHANNEM Haguſtaldenſem col.* 257. *RICHARDUM, una cum de ſtatu & Epiſcopis Haguſtaldenſis Eccleſiæ* 285.

Ad hiſtorias ejus quod attinet tam Archiepiſcoporum Eboracenſium de obſidione Dunelmi, *quàm* Regum, *una cum additionibus* Johannis & Richardi Haguſtaldenſis, *eas nobis dedit codex* Benedictinus, *neq; aliam uſpiam in membranis reperimus, licet & iſte non parum diſcrepat in temporum periodis, ab eo quo uſus eſt* Balæus; *vide Cent.* 2. *Script.* 98. *Cent.* 3. *Script.* 31. 32. *& ad finem Cent.* 13. *p.* 169.

Richardi *autem liber de ſtatu & Epiſcopis Eccleſiæ* Haguſtaldenſis, *& ille de Eccleſia* Dunelmenſi *in unum volumen in publica bibliotheca compinguntur.*

Serlo. *col.* 331.

Quod ad Serlonem *monachum, quem &* Johannem Serlonem *vocatum reperi, &*

AILREDUS de bello Standardi co. 337. *et de Sanctimoniali apud Watton col.* 415.

De vita Regis Edwardi col. 369.

Ethelredum *ſive* Ailredum *ac* Ealredum *de bello Standardi, & de Sanctimoniali apud* Watton, *non niſi unicum nobis occurrebat exemplar, idq; apud* Benedictinos, *unde* Haguſtaldenſium *Hiſtorias deſcripſimus: neque plura ejuſdem auctoris de vita Regis* Edwardi *nanciſci potuimus, quod & digniſſimo Archiepiſcopo Armachano debemus, in quo, cum incredibili doctrina & rara purioris antiquitatis cognitione, quam*

—norunt

Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes:

morum eximius candor, & in inſtruendo imperitiores mira ſuavitas, ſeriâ quadam et epiſcopali mixta gravitate, certare dignoſcuntur, à quo non parùm me in hoc opere provehendo adjutum profiteor, utpote qui luto hærentem ſæpius extraxit, et deviantem in viam reduxit.

In genealogia Regum Angliæ *binis uſi ſumus codicibus; quorum unum idem Antiſtes; alterum bibliotheca* Cottoniana *(noviſſimis Radulphi de Diceto aſſutum foliis) nobis contulerunt.*

De genealogia regum Angliæ col. 347.

Radulphum de Diceto *decanum* Londinenſem *ad fidem quatuor Manuſcriptorum prælo commiſimus. Horum primum è theſauro* Cottoniano *exſcripſimus, exſcriptum cum alio optimæ notæ, & fidei, & (ut videtur) olim in poſſeſſione Monaſterii ſancti* Albani, *nuperrime Regis, in ædibus ſancti Jacobi nomine inſignitus, contulimus: Si quid autem inextricabile apparebat, ad duos alios codices* Cottonianos *defleximus.*

RADULPHUS *de Diceto Hiſt. col.* 415.

Series cauſarum inter Henricum ij. et Thomam Cant. ſive à Diceto ſive ab alio quopiam ejus cultore collecta, in illo tantùm quem ſancti Albani *fuiſſe codicem diximus, invenitur.*

Series cauſarum &c. col. 711.

Johannem Brompton *abbatem* Jornalenſem *ſive potius* Jorvalenſem, (*erat enim* Jorval *non ignobile cœnobium ordinis* Ciſterciensis *in agro* Richmondenſi, *dudum* Eboracenſi *nuper* Ceſtrenſi *Epiſcopatu) è duobus Manuſcriptis erutum habes,* Cottoniano, *&* Benedictino, *auctorem à multis deſideratum, à paucis viſum, at luce certè non indignum, ſi non aliàs, quod apud eum leges Saxonicæ, verſione Latina, tempore ſaltem* Edwardi *iij. ſub quo ſcripſit, & de quo meminit Col.* 967.42. *conſervatæ reperiuntur.*

JOHANNES *Brompton col.*721.

Proximus ſequitur Gervaſius Dorobernenſis, *licet ætate longè præceſſit, utpote qui ad monachatum circa annum Mclxij. & non multò poſt ad clericatum evectus erat; Cum verò* Gulielmum Thorn *ei finitimum, &* Thomam Stubs, *res cum eo ejuſdem argumenti tractare obſervavimus, eorum labores connectendos non incongruum duximus; Chronicorum autem ejus tres antiquos habuimus codices,* Cottonianum

unum,

GERVASIUS *Dorobernenſis col.* 1285.

unum, è libris publicis Academiæ Cantabrigienſis *alium, è Collegio ſanctæ & individuæ* Trinitatis *tertium, at de vitis Archiepiſcoporum non niſi unum eúmque in collegio* Corporis Chriſti *quod & ſancti* Benedicti *dicitur, nobis videre contigit.*

De vitis Archiepiſcoporum col.1685.

His adjunximus vitas Archiepiſcoporum Eboracenſium, Thoma Stubs *ut ferunt auctore, quarum duos antiquos libros inſpexi, unum ſcil. in privatis bibliothecis* Johannis Moore, *viri docti, & in Academia* Cantabrigienſi *Collegii* Caii *&* Gon: *olim alumni, & alterum in D.* Simondz D'Eux, *venerandæ antiquitatis cultoris eximii, à me non ſine honore nominandi; ejus enim libri, collectiones, chartæ, imò tabularia ipſa mihi ſemper patebant, &, præter eruditiſsimum equitem* D. Henricum Spelmann. *(ex humanis ſublatum anno MDCxlj. tot ingenii ſui monumentis clarum, & ob ſummam in Deum pietatem, in pauperes charitatem, in amicos benevolentiam nunquam ſatis laudatum) à nemine me hiſce ſtudiis magis adjutum lubens agnoſco, cujus mortem (fatis enim conceſsit die mensis Aprilis anni MDCl.) tu lector nunquam defleto, exactam enim de hujus gentis re nummaria diſceptationem, huic operi addendam inchoaverat, ubi de valore, ſpeciebus, mutationibus, proportione (apud nos) auri ad argentum, quis aurum primus percuſsit, & alia plura recondita nobis ſe patefacturum ſpondebat, ſed morte præventus vix inceptam reliquit.*

THOMAS Stubs de vitis Archiepiſcoporum Ebor. col. 1685.

Inter hujus membranas Thomas Stubbs *de vitis Archiepiſcoporum* Eboracenſium *(ſuppreſſo tamen auctoris nomine) repertus erat, cujus collatione liber* Johannis Moore *emendatior & auctior prodiit.*

Epiſtolam Radulphi Cant. *Archiepiſcopi ab eo circa annum MCxx. ad* Calixtum *ij. datam, non alibi extare deprehendimus, quàm in bibliotheca publica* Cantabrigienſi, *unde eam jam publicandam curavimus.*

Epiſtola Radulphi Cantuar. Calixto ij. Col.1735.

At de Decretis Papalibus *non eſt par judicium, probè enim novimus ea ab* Eadmero *memorari, & à* Malmesburienſi *citari, cum tamen in eodem volumine huic conjuncta inveniuntur, hìc etiam non incongruè interſerenda cenſuimus.*

Decreta Papalia col.1749.

Domus

De ſcriptoribus Monaſterii S. Auguſtini,

ſcil.

De Chronologia col. 2229.

Domus S. Auguſtini *tres habuit cœnobii ſui Hiſtoricos,* Thomam Sprot, (*quem in prologo affirmat* Willielmus *noſter ad annum MCClxxij. hiſtorias ſuas continuaſſe, in Chronicis tamen col.* 1881. *ad annum tantùm MCCxxviij.*) *hunc licet alicubi extare non dubito, à me tamen dum hiſce rebus operam navarem, nullo modo acquiri potuiſſe aſſero, neque ubi ſit ſcio: auctorémq; ſubſequentis* Chronologiæ, *de quo igitur pauca dicenda ſunt. Hic omnium fuſiſſimus, opus ſuum in* 61. titulos *diſtribuit,* (*uti ex annis MCCCxc. MCCCxcj. MCCCxciv.* colligere licet) *cujus pars prima, cui Chronologia noſtra annectitur,* (*quæ tanquam epitome totius inſtituti formata videtur*) *poſt Monaſterii demolitionem,* pervenit ad manus magiſtri *Roberti Haer,* qui dedit eundem Collegio ſive Aulæ ſanctæ *Trinitatis Cantabrig.* ibidem tutò & ſecurè cuſtodiendum, hac tamen conditione, ut ſi inpoſterum, favente Deo, monaſterium illud reædificari contingeret, tunc Magiſter & ſocii Collegii ſive Aulæ ſanctæ *Trinitatis* prædictæ, eundem librum monachis ejuſdem cœnobii reſtitui facerent, quoniam ad eos de jure pertinere debet.

Hoc autem tam nobile à monacho non illiterato inceptum, in quo Bullæ, Epiſtolæ, Chartæ *Regum, Epiſcoporum, &c.* (*nonnunquam literis ipſius ſeculi quo datæ dicuntur characterem imitantibus*) *continentur, licet fortè digeſtum, nunquam tamen abſolutum opinor, horum enim* titulorum *quatuordecem* (*ſcil.* 1. de fundatione, 2. de dotatione, *& poſt* Petrum *primum Abbatem, duodecem aliorum vitis, totidem* titulis *diſpoſitis*) *tantùm integros retinemus, & tunc tit.* 15. de Cunredo *Abbate xiv. agere inſtituit, ſed rem ultra titulum parum aut nihil proſequitur, licet folia aliquot vacua relinquuntur, unde ſive morte præpeditus, vel aliter diſtractus, ibi ſcribendi rationem dirupiſſe arbitror. Hujus verò ſpecimen ſi quis videre cupit, conſulat conciliorum* D.Hen. Spelmanni *tom.* 1. *à pag.* 112. *ad pag.* 124.

De WILLIELMO Thorn. col. 1757.

Hunc non multum præceſſit Willielmus Thorne, *de quo & in principio iſte meminit, omnium* (*meo ſaltem judicio*) *accuratiſſimus, utpote qui monaſterii ſui monumenta, non tantùm probè callebat, ſed quibus ſcripſit interfuit, & de rebus domus*

ſuæ

Col.2184.22. *ſuæ cum* Urbano *vj. agens, ſolerter admodum ſe geſſit, & Chronica ſua debito fine claudebat. In edendo hoc auctore binis uſi ſumus exemplaribus, quorum unum in* Benedictina, *alterum in privata mea bibliotheca remanet, quod tamen ultra Col.* 2202. *lin.*50. *non excurrit, ita ut quicquid ab ea linea ſuperadditur omnino* Benedictino *tribuatur.*

HENRICUS *Knighton col.*2311. *Poſt* Willielmum Thorn (*& illam Chronologiam*) Henricus Knighton *coætaneus collocatur, cujus duo ſuperſunt exemplaria,* Cottoniana *ambo, alterum alteri adeo ſimile, ut ab eo deſumptum credatur. Decem enim annorum res geſtas, quæ col.*2629. *deſiderantur, non modò non ſupplet, ſed leviora & quæ ſcriptoris vitio irrepſiſſe putantur, in eo non emendatiora ponuntur errata: horum ego uno tantum uſus ſum, quod magis authenticum volunt, neque à vero fortè aberrabit qui illud auctoris authographum fuiſſe aſſeveraverit, in orâ enim prioris paginæ, hanc inveni epigraphen cum lemmate, ab ipſo (ut videtur) poſt opus exactum addito.*

LAMENTUM COMPILATORIS.

Sum cæcus factus ſubita caligine tactus
Non opus inceptum jam corrigo forſan ineptum
Me metuo dubium pro veris ſæpe locutum
Plus audita loquor quam {mihi / modo} viſa ſequor

LAMENTUM COMPILATORIS.

Lector velle meum penſes componere verum
Si minus eſt actum {non velle meum fore factum / de me perpendito factum}
Me Deus alliſit cum vult ſanare valebit
In Domino ſemper ſtat quod relevabitur æger.

Depoſitio Richardi 2. *col.*2745. *De actione illa in* Richardum *ſecundum nihil eſt quod addam, niſi eam in Mſſ° quodam* Bodleiano *extare ferunt, & à* Thoma Barlow, *viro docto, inde tranſcriptam, bibliopolæque communicatam, à quo jam publici juris factam vides, quam etiam tabulis Parliamentariis concordare aſſerunt.*

Apologia Adami Orleton *Wintonienſis epiſcopi col.* 2763. *Apologia* Adæ *Wigornienſis epiſcopi antiquo Mſſ° extrahitur, diverſas rerum narrationes ante* Edwardum *iij. & eo imperante geſtarum, continente; unde illius ævo librum collectum liquet, cujus & manus quâ ipſa acta exarantur teſtis eſt, & quondam ad fratrem* Willielmum de Byhalt *pertinuiſſe conſtat, ab eo monaſterio* ſancti Auguſtini *donatum, eoq; ſubverſo, poſt proavum avumq; in manus meas tandem deveniſſe: Cumque aliud ejus exemplar nuſquam extare ſciam, libentiùs evul-*

gari

gori curavi, ne Antiſtitis juſta defenſio pereundi ſubeat periculum, & ne diutius celatum maneat, quare potentiſſimus princeps paternæ necis ſeverus ultor, huic non tantùm quietè vivere, ſed oratoris poſtea apud Gallum *munere fungi, & in opulentiorem epiſcopatum provehi permiſerit.*

Jam vides Lector ſingulos fontes, è quibus hoc opus in unum jam corpus digeſtum tibi exhauſimus; quod ideo expoſuimus, ut ſi quid emerſerit dubii, ipſos ſcrutari poſſis. Hoc interim affirmare non dubito, nos de induſtria ab antiquis codicibus ne unico ἰῶτα *vel apice receſſiſſe, imò eorum ſcripturam adeo preſſè ſecuti ſumus, ut* ſet, aput, capud, ymago, *atq; iſtiuſmodi plura contra receptam modò ſcribendi conſuetudinem retinuimus, & hoc ne nobis vitio vertas, qui auctores integros, non à nobis reformatos tibi exhibere profitemur.*

Reſtaret jam ut de eorum vitis & ſcriptis aliquid adjicerem, ſed penſum iſtud à viro longè doctiſſimo, clariſſimo Seldeno, *abſolvi ſperamus, quem vel nominare eſt omnimodam ea in re tibi polliceri ſatisfactionem.*

Gloſſarium.

De Gloſſario verbum. Sine quo hoc jejunum & parum utile prorſus extitiſſet opus, illud à Guilielmo Somnero, *priſtinæ probitatis & candoris viro, patriarúmq; antiquitatum indagatore ſagaciſſimo, & ad hoc linguæ Anglo-Saxonicæ peritiſſimo, in tuam gratiam elaboratum intelligas. Quod ſi voculæ quædam gloſſatæ, his ſcriptoribus minimè repertæ, in eo tamen tibi occurrunt, ſcias illud non oſtentationis, aut ex ſcientiæ indicandæ affectata gloria, ſed à ſummæ modeſtiæ & ingenuitatis viro, inſtantiſſimis amicorum conceſſum precibus, ut cum in aliis gentis noſtræ hiſtoricis illæ tibi fiant obviæ, & à nemine quod ſcio explicatæ, hinc earum ſenſum eruere poſſis, in quo tuæ utilitati, non ejus moleſtiæ conſulere ſtuduimus. Iſtiuſmodi ſunt* Culvertagium, Witereden, Tenmantale, *(quarum intellectum non alii quàm ei ego acceptum refero:) ac iſtiuſmodi nonnullæ.*

Hæc ſunt quorum notitiam tibi acceptam fore, atq; ideo præmittenda, judicavi. Te verò, Lector, exoratum velim, ut ſi quid habeas unde ſecundus harum Hiſtoriarum *tomus (pro fato prioris in lucem jam emittendus) auctior prodeat, & emen-*

emendatior, ne graveris * *Librario candidè impertire: cujus ſingularem induſtriam, & expenſas, nec vulgares, nec modicas, in perquirendis, tranſcribendis, corrigendis, antiquis manu exaratis codicibus, hic omnino tacere non potui, nec opinor debui. Vale & fruere.*

ROGER. TWYSDEN.

Ex ædibus meis Cantianis, 4. Non. Feb.
M DC L$^{\mathrm{I}}_{\mathrm{II}}$.

---

* Cornel. Bee.

Ad Lectorem,

Ioannes Seldenus,

De Scriptoribus hiſce nunc primum editis.

Turgoto *Epiſcopo Sanctandreano* Hiſtoria Eccleſiæ Dunelmenſis, Simeonis *dicta, aſſeritur. Jus, per* Scotiam *veterem univerſam, perquam ſingulare* Keledeorum *ſeu* Presbyterorum *oſtenditur, idémque in Epiſcopatum illum,* Turgoti *avo, ſeu annis abhinc ampliùs 530, tranſiviſſe adeóque illis tunc prorſus eſſe ademtum.* Scotichronicon *à Quo & Quando ſcriptum, Cœnobii* Jorevallenſis *Origo, Comitum veterum* Richmondiæ *ſeries, id genus, è re nata, alia, ut Parerga, ſubinde intertexuntur.*

SCriptorum de rebus Anglicanis veterum inſequentium, qui hactenus in ſupellectile bibliothecarum manuſcripta obſcuriùs omninò delituêre, Editioni huic, præclaræ illi ſanè meritiſſimóque æſtimandæ, utpote, ni fallor nimiùm, rerum antè actarum Civiliſque inde, tam circa Sacra quàm Profana, Diſciplinæ liberiùs & ſeriò eliciendæ amantioribus univerſis gratiſsimæ acceptiſsimæque, Ego quidem nec præfui ipſe neque aliter interfui adfuive, quàm, horis ſubinde obitèr ſubſecivis, incidentes fortè in manus typorum Schedas aliquot, animi gratiâ, percurrendo & Codices nonnullos veteres ei inſervientes, in Deſcriptionem Collationémque cum aliis petitos, indicando communicandóque; ex inſtructiſsima ſcilicet maximè bibliotheca illa Viri undiquaque Nobiliſsimi *Thomæ Cottoni* Baronetti, *Roberti* Equitis & Baronetti, nominiſque, ut apprimè meruit ipſe, paſsim celebratiſsimi, Filii. Eam dico quæ ex MSS. omnigenis, iiſque optimæ notæ, conſtat, atque ex ſumma tam Patris quàm Filii Humanitate & Indulgentia, mihi nunquam non agnoſcendâ, haud minùs uſui meo ſemper patuit quàm ſi mei ipſius planè fuiſſet. Simulac autem Typographus deſtinatos Tomo huic abſolverat, inſtantiùs efflagitare à me cœpit Bibliopola cujus ſumtibus eduntur, ut de eis eorúmque Scriptis hiſce ac Seculis aliquid præfarer ipſe. Officiolo hujuſmodi, utpote Homini profectò in quolibet mercis Literariæ genere indies, nec infeliciter, verſatiſsimo, indéque de Literatorum gente haud parùm revera merenti præſtando ut deeſſem, ſuſtinere nequibam. De ſingulis igitur, ordine ſuo.

I. Simeon Dunelmenſis, monachus ibi Benedictinus & eccleſiæ Præcentor, atque viris illius ævi doctioribus meritò connumerandus, circa partem ſeculi duodecimi mediam floruit. Quæ de eo aliiſve heic conjunctis habent Balæus[a], Pitſeus[b], Voſsius[c] huc deſcribere viſum non eſt, cum nempe biographi illi ſtudioſis ſint paſsim ſatis obvii. Nondum autem typis editam ejuſdem vitam à Joanne Lelando conſcriptam prætermittere noluimus. Ea ad hunc modum ſe habet[d].

Simeon Præcentor Dunelmenſis, cum primariis ſeculi ſui monachis jure conferendus, optimè intelligens res Tranſabrinorum geſtas tum ſcriptorum negligentia ſocordiaque, prævalentibus tot Danicis bellis, tum iniquitate temporis ita obſcuras & in ſilentio preſſas delitere ut brevi ad oblivionem interitúmque, niſi eas diligentis aliqua docti inveſtigatoris cura repararet, colligeret, in ordinem referret, pervenirent; quare

---

[a] *Cent.2. Script.98.*

[b] *Ætat.12. Script.226.*

[c] *De Hiſtoricis Latinis lib.2.cap.51.*

[d] *Ms. de Vitis ſcript. Anglic. in Bibliotheca publica Oxonienſi.*

rationem ſollicitus apud ſe inibat, quâ malo inſtituti occurreret. Multa tandem cogitanti hoc ſuccurrit, inprimis & neceſſarium & utile, ut reliquias bibliothecarum à Danis ſpoliatarum anxiè diſquireret. Nam monachi Lindiſfarnenſes, Coquedani, Tinomuthenſes, Girovenſes, Veromutenſes, Hagulſtadenſes, Sinuſpharenſes, Vetandunenſes, Leſtingani, Ripodunenſes, Deiro-Sylvani, denique Eboracenſes, Danorum tyrannidem miſerè fugientes, aliquam veteris hiſtoriæ ſupellectilem & cognitionis rerum ſui temporis ſecum detulerant & in dies conſervaverant quas feliciùs aliquando futuras ſperabant. Hæc omnia perquiſivit, invenit, excuſsit curioſa Simeonis diligentia, atque adeò, ut, antè ardorem ſtudii nulla ex parte remiſerit, quàm Hiſtoriam gentis Nortabrinæ à tempore Bedæ Girovienſis, ad Stephani tyranni regnum accuratè perduxiſſet. Non heic decrevi Simeonis encomiaſtes eſſe. Ejus immortale opus eſt, atque adeo erit me reticente. Tantùm interim Lectorem admonitum volo, fuiſſe quendam Rogerium Hovedenum, hominem non indoctum, qui eâdem quâ ille ſerie, Hiſtoriam deduxit à Beda ad Joannis Regis imperium, quem ob hiſtoriam avitam ut meritò probandum putem, ita improbandum, quòd, picta Simeonis prata, nullâ ejus nominis mentione prorsùs habitâ, compilaverit.

Sic ibi ille. Etiam alibi plagii ſimiliter incuſat hujuſmodi Hovedenum. De Simeone verba faciens, *Hujus ego*, inquit[a], *aliquando Hiſtoriam de rebus regis Anglorum legi quam & inchoavit commodè à morte Bedæ, perſtringens illuſtria facta & Anglorum & Danorum ſpatio quadringentorum & viginti novem annorum ac quatuor menſium, cui & alii viginti anni appendebant autore Joanne Hagulſtadenſi. Hic mihi non placet Rogerius Hovedenus, vir alioquin laudandus, qui ſcrinia Simeonis, ſuppreſſo ejus nomine, ſtrenuè compilavit, & aliena pro ſuis, gloriæ avidulus, ſuppoſuit.* In ore etiam & ſcriptis aliorum ſubinde occurrit, Hovedenum adeo Simeonem hunc, tacito nomine, deſcripſiſſe compilaſſéque, ut priorem Annalium ejus partem uti etiam cætera uſque in annum, quo finitur Simeon, in parte ſecunda, cum Simeonis Annalibus velut planè eadem eſſe velint. Atque ita fieri ſolet ab hominibus qui libentiùs de rebus ejuſmodi temerè ac oſcitantiùs pronuntiant, nec rem ipſam penitiùs introſpicere ac verum ſic aſſequi cordatiùs cupiunt. Id quidem certum eſt, Simeonis Annalibus uſum fuiſſe Hovedenum, uti & aliis tum Latinè tum Angloſaxonicè conſcriptis, inchoare etiam ipſum ubi deſinit Beda, quemadmodum & Simeonem. Sed interim manifeſtius utroſque conſulenti nihil erit quàm innumera paſſim ab Hovedeno inſerta quibus caret Simeon, atque apud hunc itidem perplurima haberi quæ Hovedenus prætermiſit. Adeóque planè non tam plagii, quà Simeonem ſpectat, reus is habendus, quàm ſcriptor perquam diligens qui ex compluribus qui anteceſſerant autoribus, quorum unus erat Simeon hic, unicum opus copioſiùs ſeligeret conflarétque; id ſanè quod ab optimis omnium ſeculorum hiſtoricis fieri, ſtudioſis eſt notiſſimum. Quid quod etiam ipſe Lelandus, licet in Simeonis vita (ut jam oſtenſum eſt) tantilli eum feciſſet atque ſub nomine *cujuſdam Rogerii Hovedeni*, plagii arguiſſet, in eodem tamen Scriptorum vitarum corpore ubi vitam Hovedeni ipſius poſtmodùm inter alias exhibet, nihil omninò ejuſmodi memorat? Imò eum, Hiſtoriæ ſuæ nomine,

laudi-

[a] *Comment. in Cygneam Cantionem verb. Dunolmenſis.*

[b] *MS. in biblioth. publica Oxonienſi.*

laudibus effert peregregiis. *Mortuo*, inquit, *Henrico* (Rege ſecundo cujus in aula ut domeſticus diu fœliciùs egerat) *omne ſtudium ſuum ad Hiſtoriam ſcribendam contulit, in quo negotio, ſi diligentiam, ſi antiquitatis cognitionem, ſi ſanctam fidem ſpectes, non modò quotquot ſeculis rudibus quidem illis præceſſerant Scriptores, verumetiam ſeipſum ſuperavit. Quod ſi adjunxiſſet Fidei, quæ prima pars Hiſtoriæ eſt, pluſculum Elegantiæ Romanæ, facilè palmarium obtinuiſſet.* Etiam quod in Simeonis vita habet Lelandus de Hiſtoria ejus, de geſtis Regum Anglorum, in Stephani Regis tempora perductâ, benè ab ipſo corrigitur in commentario illo ſuo ad Cantionem ſuam Cygneam, ubi, ut vides, à Bedæ fine, quo incipit ille, numerantur anni 400. & menſes 4. Hiſtoria Bedæ terminatur anno Chriſti 731[a]. De vero anno mortis ejus, unde ſua contexuiſſe Simeonem hunc perperam nonnulli aiunt, non ſatis conveniunt Scriptores[b]. Pauculis autem ab Hiſtoriæ fine annis aut non diu inde pòſt, obiiſſe illum, certum eſt. Utcunque verò, nemo non videt, 400 annos & 4 menſes exitum hiſtoriæ Bedæ ſequentes, annos ſatis complere 1130. Adeóque finis ejus hiſtoriæ in poſteriora Henrici Regis primi tempora incidit, ſeu circa quinquennium ante initia Stephani Regis. Lapſus igitur erat heic etiam planè Lelandus in vita ejus, utcunque poſtmodum in Commentario illo ſic à ſeipſo emendatus. Paginas aliquot è Beda & de eo præfixit hiſtoriæ huic ſuæ Simeon[c]. Incipit hiſtoria ipſa col. 98. *His peractis gaudiis ex ſanctiſſimi doctoris*, unde ſumtum eſt Balæo atque Pitſeo *Peractis ex ſanctiſsimi Doctoris* pro initio ejus. Faciunt quidem illi, neſcio cur, duos heic Simeonis libros. Qui verò apud illos dicitur, ut alter, per ſe, ejuſdem liber, *Abbreviationes Malmesburienſis*, Annalibus hiſce[d] per digreſsionem ab autore inſeritur, ubi initium earum idem quod Biographis, *Non indecens opinor ſi quiddam* &c. Sed mirus intereà Balæi memoriæ, in ejuſdem vita, lapſus. Cum enim primò ibi verè indicaſſet (quod & alibi[e] paritèr meminit) eum res ſuas hiſtoricas uſque in annum 1130 protendiſſe, pauculis interjectis lineis, *claruit*, inquit (ídque etiam in editione utraque[f]) *anno ab apparente in carne Dei filio* 1164 *quo primam finivit hiſtoriam, ſub Henrico rege Anglorum ſecundo.* Et quantum ad annum quo ſic ab eo claruiſſe dicitur, ſequaces ſunt heic, Geſnerus, Simlerus, Poſſevinus, Pitſeus, Wion[g]. Certè eum tamdiu ſuperſtitem fuiſſe nondum didici. Nec ſatis capio illud Balæi, *finiviſſe* tunc *hiſtoriam*, aliud ſignificare quàm eam illuc pertextam eſſe. Sed ita anni 34 ſupra verum hiſtoriæ ejus terminum malè excreſcunt. Atque hactenus de Simeonis hujus ſcripto de Geſtis Regum Anglorum.

Quod autem ad *Hiſtoriam* ejus *de Dunelmenſi Eccleſia* attinet; tametſi, in Apologia ſua præfixa, non ſolùm *majorum autoritate juſſum* eam ipſum ſe contexuiſſe fidentiùs profiteatur, verùm etiam *ea quæ ſparſim in Schedulis invenire potuit ordinatim collecta digeſſiſſe*, Præfationem item, Diſtinctiones Librorum & Capitum, aliáque aliquot, velut in prævium ei apparatum, adjiciat, quaſi citra controverſiam opus illud integrum ſui ipſius planè fuiſſet atque ex disjectis Schedis ab ipſo, ut autore ſolo, formatum

[a] *Beda Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 24.*

[b] *Videſis Baron. Tom. 9. ann.* 731. §. 23. *& Annales ac Biographos hac de re obvios.*

[c] *Vide Col. 86. uſque in 98.*

[d] *Col.* 135.

[e] *Cent.* 3. *Script.* 31.

[f] *Edit. Prioris anno* 1548. *fol.* 87.

[g] *In Ligno Vitæ lib. 2. cap. 77.*

congeſtúmque, unde etiam *Hiſtoria Simeonis* ab exſcriptoribus atque in editione hac alibique ſecuriùs vocitatur; monendus nihilominùs es, Lector, omninò credendum eſſe, opus illud integrum, eodem ipſo ordine à Libri Primi initio uſque in finem Quarti, totidémque etiam ubique Verbis Syllabíſque (modò excipias variantes ſubinde, ut in librariorum opera fieri aſſolet, apices aliquot leviuſculos, & Bedæ librorum recenſionem apud Simeonem contractiorem[a], & Capitum lemmata, ac demùm periocham unicam, ſed perinſignem, quæ apertiſſimè malâ fide, ob rationem ſtatim oſtendendam, ab ipſo Simeone ſuam in rem plagiíque commodiùs celandi causâ prætermiſſa eſt & expuncta) idem, inquam, ipſum opus anteà diligenter compoſitum fuiſſe à *Turgoto* illo, monacho Dunelmenſi percelebri, qui tum Prioris ejuſdem Eccleſiæ per annos viginti, etiam Archidiaconi, Vicarii, Decani, Vicedomini[b] ubique Epiſcopo ſuo, ſeu ut ipſius[c] ſunt verba, *Chriſtianitatis curam per totum Epiſcopatum agentis*, tum poſteà Sanctandreani in Scotia Epiſcopi per Septennium, dignitatibus claruit. Is enim ab Oſwaldo Rege ſeu fundamentis Eccleſiæ Dunelmenſis hiſtoriam illam ſuam in tempora Gulielmi Rufi Regis media aut circitèr ſeu annum 1097, ut Simeon, deducens, idem ipſum perfecerat, & in Henrici primi annum decimum quintum, ſeu Chriſti 1115 (ut mox oſtenditur) ſuperſtes tunc mortuus eſt. Audax nimiùm facinus, ne quid gravius dicam, Simeonis ſanè qui ſcriptoris adeò ſibi nuperi viciníque ac ejuſdem Eccleſiæ tum Collegæ tum Præfecti tantíſque dignitatibus clariſſimi, opus integrum (demtis quæ diximus) ſibi ipſi quaſi planè novum idque velut ſuâ ſolùm Minervâ congeſtum ſic arrogaret. Habetur ſcilicet in bibliotheca Cottoniana Codex *Turgoti*, ipſius tempore manifeſtò conſcriptus, cui titulus *Libellus de exordio atque procurſu iſtius, hoc eſt, Dunelmenſis Eccleſiæ*. Adjicitur in ora libri, manu non ita multùm recentiore, *Liber Sanctæ Mariæ de Fontibus*. In Bibliotheca enim cœnobii illius Fontanenſis, in agri Eboracenſis parte, Richmondia dicta, ſiti, olim ſervabatur & poſtmodùm Cottonianæ, cum aliis optimæ notæ codicibus, donatus eſt à viro illo præſtantiſſimo Thoma Alleno Oxonienſi, à quo, ut benè etiam memini ipſe, pro opere Turgoti genuino ſemper ſumebatur. In ipſa item fronte, manu quidem recenti, ſed interim Roberti Cottoni, viri ut aliàs undiquaque eximii, ita in ſcriptoribus ejuſmodi ritè feliciterque diſcernendis verſatiſſimi, annotatur, *Turgotus Prior Dunelmenſis autor hujus libri*; ad quod aſſerendum loci in eo aliqui breviter ibi indicantur. Incipit *Turgotus* à verbis illis *Glorioſi quondam Regis Northanhymbrorum & precioſi martyris Oſwaldi* &c. quemadmodum, poſt Apologiam & reliqua in apparatum antecedentia, quæ ad *Turgotum* nullatenus ſpectant, incipit Simeon. Eadem dein (ſed cum temperamentis quæ diximus) ipſa Vocabula, eædem Syllabæ quæ apud Simeonem, nec omninò aliæ uſque in paginam 161, ut numerus ibi habetur, id eſt uſque ad Capitis 22 libri tertii medium aut circiter, juxta diſtinctionem in editis ſeu Simeone ipſo, ubi nimirùm de *Turgoto* fit mentio. Primæ Perſonæ itidem, ab altero

ſine

[a] *Lib.1.cap.14.*

[b] *Malmesbur. de geſtis Pontific. lib.3. cap. de Epiſcopis Lindisfarnenſibus.*

[c] *Lib.4.cap.8. infra col.54.*

ſine injuriâ nullibi ullatenus aſſumendæ, uſus & frequens & parilis, adeo ut quicquid nomine ſuo dixiſſet alter, alter ſibi ipſi tribuat, veluti bini Soſiæ. Exempli causâ, in præfationis fine; *quæ defectu ſcriptorum literis non fuerant tradita, ſeniorum autem veraciſſima relatione qui ea vel viderant vel à patribus ſuis, viris religioſis fideque digniſſimis qui interfuere ſæpius, audierant ad* NOSTRAM *noticiam pervenerunt, vel quæ &* NOS IPSI VIDIMUS, *his quæ ex aliorum ſcriptis collecta, adjungenda credimus,* verba planè ſunt, ut ex ſui natura alteri non communicanda, ita nec honeſtè uſurpanda alteri. Sic AUDIVIMUS ſæpius occurrit, ubi auditionem illam Simeonis fuiſſe, neutiquam admittendum. Sed verò hujus generis præ aliis eſt eximium hîc illud de contrectato S. Cuthberti corpore[a]. Id quod impensè miror ſanè haud expunxiſſe aut præteriiſſe Simeonem, ſed ita ſecurè ac oſcitanter retinuiſſe, ut de ſe, alterius perſonam induens, illud oſtenderet permitteretve velut in ſuo ibi dictum, cujus, ob temporis rationem, eum capacem fuiſſe haud omninò videtur exiſtimandum. Scilicet narratur ibi Cuthbertum moribundum, corpus ſuum Dunelmenſibus permiſſione & conſilio quaſi legâſſe, eóque nomine gratias ei flexis genibus egiſſe monachos. *Cui permiſſione* (inquit ſcripti autor) NOS *quoque illi gratias referamus, quibus incorruptum corpus ejus quadringenteſimo & octavo decimo dormitionis ejus anno, quamvis indignis, divina gratia videre & manibus quoque contrectare donavit.* Dormitionis ejus annus erat Chriſti 687, quibus adjectis 418 fiunt 1105, quo tempore quidem maximè floruit Turgotus, utpote diu antè Prior Dunelmenſis. Sed ægrè nimis concoquendum videtur, Simeonem hunc tunc temporis ex ætate exceſſiſſe puerili aut ephebis. Et provectioribus tantùm gravioribúſque viris corpus illud contrectare etiam tunc permiſſum, idque rariſsimè, certum eſt. Loco autem libri tertii jam dicto[b], ubi narratur Turgotum itineris à monaſterio Gyrvuenſi Dunelmum, Aldwino, primo ibi Priori, comitem fuiſſe, Dunelmique benignè eſſe exceptum, nec habitum clericalem in monaſticum mutare diu voluiſſe, ſed ſub magiſterio Aldwini degiſſe, poſt verba illa, *non enim habitum monachicum priùs ſuſcipere audebat quàm majori ac diuturniori ſeſe diſtrictione probaſſet* (quæ quidem ut à viro modeſto humilique de ſe dicta ſonant) ſequitur in codice illo MS. *Ipſe eſt qui in locum magiſtri, videlicet Aldwini, ſuccedens, hodie in hac, id eſt Dunelmenſi eccleſia, dudum ſibi traditum à Willielmo Epiſcopo Prioratum tenet.* Totum hoc conſultò prætermittitur à Simeone, ut ſanè in artificioſiori ratione plagii, cui locus hic perinſignis & Index & Clavis eſt, neceſſariò oportuit. Et poſt verba illa *diſtrictione probaſſet*, proximè ita ſequitur apud Simeonem, *Hic magiſtrum de Monaſterio* &c. Certè etiam in codice alio pervetuſto, Turgoto itidem in bibliotheca Cottoniana[c] tributo, qui acephalus nihil habet poſteriora capitis Quarti libri ſecundi antevertens, ſed tum omnia uſque ad finem, quemadmodum Simeon, inſequentia, tum Epiſcoporum Dunelmenſium, Ranulphi, Gaufridi, ac Willielmi de Sancta Barbara inde ſucceſsiones, in eo inquam pericha pariter illa de *Prioratum tunc tenente* omninò prætermittitur. Non

per

[a] *Lib.1.cap.10.*

[b] *Col.45.l.23.*

[c] *MS. in 4. Cujus faciei inſcribitur* **Durham, Ely, Pontfort,** *fol.62.*

per Libros diſtinguitur codex ille ſed per Capita 96 quorum Lemmata, idem cum Simeonianis ſatis denotantia, verbis paſſim ab illis diſcrepant. Jam verò ex loco illo ſic fide peſſimâ prætermiſſo, Hiſtoriæ hujus Dunelmenſis ſcriptionis tempus manifeſtò oſtenditur; dum tenebat nimirum *Turgotus* Prioratum Dunelmenſem poſt Aldwini mortem ſibi dudum traditum. *Hodie* inquit *tenet.* Adeóque tempus illud incidit intra vicennium à tempore quo in Priorem electus eſt. Etenim obiit Aldwinus anno Chriſti 1087 (ſeu circa exitum Willielmi Regis primi) cujus in locum ſuffectus *Turgotus* dignitatem tenuit per annos viginti. Hiſtoria Dunelmenſis altera, quæ *Turgoto* quidem & Simeone multò recentior eſt ſed ex vetuſtis monimentis ejuſdem eccleſiæ ſedulò congeſta[a], poſt Aldwini obitum ſic collocatum, *Aldwino,* inquit, *primo Priore monaſterii Dunelmenſis mortuo, Turgotus ejus diſcipulus omnium fratrum conſenſu electus in Prioratu ſucceſſit, & totius monaſterii curam intus & foris, cum Dei tremore, viginti annis nobilitèr agebat.* Tantundem, ſi vicennium Prioratus ejus demas, habetur in hiſce[b] editis. Dein autem inde tranſlatus eſt in Sanctandreanum in Scotia Epiſcopatum. Jam dicta hiſtoria recentior; *Anno ab incarnatione Domini Milleſimo CVIII ac tempore Regis Malcolmi & S. Margaretæ* (id eſt ſub Prioratûs ejus vicennii exitum) *electus fuit Turgotus, Prior Dunelmenſis, in Epiſcopum S. Andreæ, conſecratúſque eſt Eboraci III. kalendas Auguſti* (à Thoma Archiepiſcopo Eboracenſi, ut expreſſim etiam codex Mailroſenſis[c], aliique; profeſſione[d] eidem ſubjectionis ſolenni factâ, ut, ſeculis in illis, ab epiſcopis reliquis fieri ſolitum Scoticanis) *& ſtetit per annos ſeptem. In diebus illis totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ tranſivit in Epiſcopatum S. Andreæ. Iſte ſepultus fuit apud Dunelmum in domo capitulari.* Keledei illi (quod obiter notare liceat) fuere quos *Culdeorum* & *Keldeorum* nomine vocitant ſcriptores Scoticani[e], id eſt *Dei Cultores.* Vox quidem vetuſtiſſimis, ut aiunt illi, in Scotia Monachis & Presbyteris Chriſtianiſmi etiam Primitivi & deinceps univerſis tributa. Et de eis expreſſim Hector; *Invaluit id nomen, apud vulgus, in tantum ut Sacerdotes omnes ad noſtra penè tempora,* vulgò Culdei, i. *Cultores Dei ſine diſcrimine vocitarentur.* Dein adjicit, *Pontificem inter ſe communi ſuffragio deligebant penes quem divinarum rerum eſſet poteſtas. Is multos deinceps annos* SCOTORUM EPISCOPUS, *uti noſtris traditur Annalibus, eſt appellatus,* quod vertit interpres ejus Joannes Bellendenus, **Thir Preſts be generall votis cheſit ane Biſchop to have auctoritie and Jurisdiction above them. And he was callit the Biſchop of Scotland.** Nomen illud, idem denotans tam in Hibernia, aliiſque maris occidui inſulis, quàm in Scotia obtinuit. *Jacet,* inquit Giraldus Cambrenſis[f], *extra Lhyn inſula modica quam monachi inhabitant religioſiſſimi quos Cœlibes vel Colideos vocant.* Inſula illa eſt quæ **Berdſey**[g] jam Anglis vocatur. Et de inſula Lacûs Momoniæ borealis, in Hibernia, minori, *capellam,* eſſe ait idem[h], *cui pauci Cœlibes, quos Cœlicolas vel Colideos vocant, devotè deſerviunt.* De iis vide plura apud Jacobum Uſſerium Armachanum[i], & Henricum Spelmannum[k]. Thomas

---

[a] *Ms. in bibliotheca Cottoniana anno* 1087. *fol.*44.2.

[b] *Lib.*4. *cap.*7.

[c] *Ms. in biblioth.Cottoniana, ſed ann.*1109.

[d] *Thomas Stubbs, in Act. Pontif. Eborac. col.* 1712.& 1713.

[e] *Hector Boethius Hiſt. Scot. lib.*6. *fol.*92.& 99.1. *Buchanan. lib.*4. *reg.* 35. *Dempſter. in Apparatu ad Hiſtoriam Scoticam lib.* 1. *cap.*13. & *in Hiſt. Eccleſiaſtic. Scot. lib.*1. *num.*45.

[f] *Itinerar. Cambriæ lib.*2. *cap.*6.

[g] *Camden. Brit. pag.*838.

[h] *Topograph. Hiberniæ Diſt.* 2. *cap.*4.

[i] *De Britannicarum Eccleſiarum primordiis cap.*15. *pag.*636 &c. & 659.

[k] *Gloſſario, verb.*Coldei.

Dempſterus; *Et ſanè ſecundus iis poſt Regem ipſum hoc regno honor habebatur. Illi Epiſcopum è ſuo corpore eligendi poteſtatem habebant.* Sic in Apparatu. Atque in Hiſtoria Eccleſiaſtica, *Penes hos ab initio receptæ fidei, ſtabat Epiſcoporum electio, nec illos antiſtes eſſe poterat, qui non ex eorum corpore aut per eos electus eſſet.* Sed, in Mantiſſa Apparatui ſubjuncta[a], exiſtimat ille eos primò revera fuiſſe non tam Monachos quàm Canonicos Regulares ſeu Presbyteros monachatu nondum indutos, idque ex eo quòd in Occidente illo Monachatum ſeculis in illis primitivis haud ita in uſum receptum eſſe autumat. Quid verò heic *totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ diebus in illis*, ſeu Turgoti, ut videtur, Epiſcopi Sanctandreani tempore, *tranſiviſse in Epiſcopatum S. Andreæ* denotet, ex jam dictis fortè haud ita eſt obſcurum. Nempe, anteà per ſecula complura competierat eis, ex Uſu ſeu Confœderata inter ſe Diſciplina atque per gentem illam, quà Chriſtianiſmum induerat, admiſſa, Jus ſibi Epiſcopum ſive Unicum ſive Plures, pro temporis locive diſcrimine, eligendi, ordinandi, conſtituendique (non diſſimili modo ab eo quo præfectos ſibi ſive corporati ſive cœtus qualeſcunque corporatorum inſtar qui ſunt, eligere, ordinare, conſtituere variatim pro arbitrio ſoliti) idque ſine Epiſcopi alicujus, quà talis, ope ſingulari velut neceſſaria; quale quidem in Orientis Eccleſia illa, per ſecula itidem Chriſtianiſmi primitiva, Alexandrina, Presbyterorum ibi cœtui, in Epiſcopo ſibi ſic conſtituendo parilique, quantum ad Ordinem, Presbyterorum ac Epiſcoporum poteſtate admittenda, uſitatum eſt, uti tum ex S. Hieronymo[b], ac commentariis S. Ambroſio[c] tributis, tum ex Eutychio Patriarcha Alexandrino[d] ſatis apertè quidem videtur ediſcendum, atque à viris aliquot[e] ſummis Reformatorum ultrò inde & inſtantiùs nuper aſſertum eſt. Sed acritèr circa hanc rem, quà hiſtorica eſt, reluctantur tum ex ipſis Reformatis alii, ordinis utpote per ſe Epiſcopalis aſſertores perquam ſeduli, tum Pontificii aliquot, in quibus ſummas agit partes Dionyſius Petavius[f], vir quidem doctiſſimus, qui autoritatem Eutychii elevans *omninò bene credulum lectorem* eum *poſtulare* dixerat[g], & poſtmodùm, in Appendice Tomi tertii[h] de Eccleſiaſtica Hierarchia viros illos inſignes Claudium Salmaſium & Davidem Blondellum pluribus, Eutychii cauſâ, exagitat, me etiam ejuſdem editorem ſimul molliùs perſtringens; atque ex vitis Patriarcharum ſeu Epiſcoporum Alexandriæ, à Severo Ben Maſphaho è variis Ægypti monaſteriis collectis & ex Coptica lingua & Græca Arabicè anno Martyrum 494 ſeu Chriſti 777, id eſt ſub centeſimum ante Eutychium annum redditis (ubi paulò alitèr ſcilicet de dignitate Alexandrina ſeculis in illis Epiſcopali fit narratio) atque ex aliis ab ipſo diſputatis, Eutychio fidem ſatis minutam eſſe ſibi habet perſuaſum. Sed perpendat judicétque lector æquus. Horridulo ſerræ Contentionis Literariæ ſtridore haud mihi quidquam eſt inſuavius. Abrahamus item Ecchellenſis Maronita[i] qui Severum illum Petavio, hanc in rem, communicavit, ſcripſiſſe profitetur ſe Reſponſionem ad Eutychium quam lucem hactenus vidiſſe nondum mihi diligentiùs ſciſcitanti compertum. Certè

---

[a] *Pag.146. Et vide eum Hiſt. Eccleſiaſt.lib.4. cap.386.*

[b] *Epiſt.84. ad Evagrium.*

[c] *In Epiſt. ad Epheſ.cap.4.*

[d] *In Originibus Eccleſiæ ſuæ.*

[e] *Claudius Salmaſius lib. de Epiſc. & Presb. & in Apparatu ad Lib. de Primatu Papæ, David Blondellus, alii.*

[f] *In lib. de Epiſcopis & Presbyteris, & in Theologic. Dogmat. Tom.3. in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia.*

[g] *De Eccleſ. Hierarchia lib.1. cap.13. §.18.*

[h] *Subjuncta Tom.4. Theologic. Dogmat. lib.2. cap.2. §.3. &c.*

[i] *In Hiſtoria ſua Arabum pag.166. Chronico Orientali Pariſiis 1651. inſerta.*

Culdeorum heic in Occidente vetuſtiſſimum jus, Alexandrinorum illorum in Oriente Presbyterorum juri morique item vetuſtiſsimo videtur planè ſuppar, ídque ut inter Scotos veteres ubique fermè locorum perquam diu receptiſsimum. Quinimò licet apud Bedam ipſum Scotiæ priſcæ Chriſtianiſmi, ut Angliæ ſuæ, mores diligentiùs enarrantem, Culdeorum nomen haud ſatis habeatur expreſſum, attamen reliquias aliquot ſeu veſtigia ejuſmodi Epiſcopalis juris, veluti ex eorum tunc Presbyterio ut Autore ſolùm legitimo &, pro conſtituentium arbitrio, Gubernatore perpetuò pendentis, haud ita obſcura exhibet ille, non modò ubi Epiſcopos, quaſi ſic creatos aliquot ſubinde ſine locis quibus præeſſent ſingularibus inter Scotos memorat, verùm etiam ubi Epiſcopalem vulgò dictam ſeu ſummam in Sacris tum Perſonis tum Rebus regundis, Abbatibus aliiſve ex ſimplici presbyterii ſeu Abbatiæ jure, ac ſine titulo Epiſcopali, Epiſcopíve, notione vulgari, alicujus indultu aliquo, poteſtatem ibi competiiſſe ſcribit. Inde enim de parili Epiſcoporum & Presbyterorum, nec diverſo ordine, aliiſque inde conſequentibus ſeculorum illorum illic obtinentibus, ſententia apertiſſimè cernitur. Etenim ubi de S. Columba agit ille[a], Hiberno illo, Presbytero & Abbate qui Pictos Septentrionaliores Chriſtianiſmo imbuit, & ſub finem ſeculi ſexti mortuus, in Iona inſula Scoticana maris occidui, ubi monaſterium ſibi conſtruxerat, ſepultus eſt, perplurima ait & in Britannia & in Hibernia per diſcipulos ejus propagata eſſe monaſteria, *in quibus omnibus idem monaſterium inſulanum* (jam dictæ inſulæ Hebridum celeberrimæ, Hii[b] illi nominatæ, unde & monaſterium illud ſcriptoribus *Huenſe* nuncupatum ſeu *Hiienſe*, nec omninò diverſæ ab ea quæ in editis Adamanni Scoti libris[c] de S. Columbæ vitæ toties IOVA pro IONA malè exaratur) *in quo ipſe requieſcit corpore, principatum tenet. Habere autem ſolet ipſa inſula* (quod etiam tum de Bedæ ipſius tempore tum de ſeculis anterioribus dictum) *Rectorem ſemper Abbatem presbyterum cujus juri & omnis provincia, & ipſi etiam Epiſcopi, ordine inuſitato, debeant eſſe ſubjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus ſed Presbyter exſtitit & Monachus.* Inde in Chronologia Saxonica Bedæ ab viro eruditiſsimo Abraha Wheloco nuper ex codicibus MS. priſcis ſubjuncta[d], legitur Nu ꞅceal beon æꝼꞃe on Ii Abboꝺ ⁊ na Biꞅcop. ⁊ þan ꞅculon beon unꝺeꞃþeoꝺꝺe ealle Scoꞇꞇa Biꞅcopaꞅ. ꝼoꞃðan ꝥ Columban ƿaꞅ Abbaꝺ, na Biꞅcop; id eſt, *Hinc, præeſſe ſemper debet in Hii inſula, Abbas, non autem Epiſcopus; cui porrò omnes Scotorum Epiſcopi ſubjici debent, quoniam Columbanus* (ſic enim Columba hic etiam ſæpius nuncupatur) *Abbas fuit, non Epiſcopus.* Et in inſula Hii *plurimorum,* ait Beda[e], *caput & arcem habuere Scoti Cœnobiorum,* velut exemplar reliquis imitandum. Ita verò Abbati Presbytero ſubjecti Epiſcopi. *Ordine* quidem, ait Beda, *inuſitato,* ſed qui, ex more ibi vetuſtiſſimo ſeculorúmque illic anteriorum diſciplina, receptus. Non defuere qui Abbatem hunc Primatem inde Epiſcoporum omnium Hibernenſium habitum eſſe ſcripſerint[f]. Certè & Carolus à S. Paulo Bedæ locum illum, ut de Hibernia inſula dictum perperàm capit[g]. De eadem itidem Inſula & jure

[a] *Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 4.*

[b] *Vide Camden. in Inſulis Brit. pag. 848. Iac. V[illegible]. Arm[illegible]anum in Britannicarum Eccleſ. Antiq. cap. 15. pag. 697. & 701.*

[c] *Apud Caniſium Antiq. lection. tom. 5. part. 2.*

[d] *Anno 563.*

[e] *Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 21.*

[f] *Notkerus in Martyrolog. 5. Id. Iunii. & vide Iacobi Armachani locos antè indicatos.*

[g] *Geographia Sacra pag. 170.*

jure monaſterii ejuſdem jam dicto ſingulari, idem paulò ante[a]; *Hujus monaſterium in cunctis penè Septentrionalium Scotorum* (tam Hibernenſium[b] quàm qui in Britannia Magna Septentrionaliori) *& omnium Pictorum monaſteriis non parvo tempore, arcem tenebat regendiſque eorum populis præerat* (cum omnimoda quæ circa Sacra verſabatur ſive Juriſdictione ſive Ordinis ratione; Thomas Stapletonus in verſione ſua Bedæ Anglicana[c], **had the ſoveraintie in ruling of their people**) *quæ videlicet inſula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto diſcreta, ſed donatione Pictorum qui illas Britanniæ plagas incolunt jamdudum monachis Scotorum* (Hibernenſium) *tradita, eò quod illis prædicantibus fidem Chriſti perceperunt*. Saxonica verſio ibi illud *cunctis penè* facit ſimpliciter *cunctis*. ꝥ mynſter, inquit, on eallum norþ Scottum ⁊ eallum Peohta mynſtrum mycelne tide Ealdordom (quod planè heic Presbyterium eſt) ⁊ heaneſſe onfeng. Etiam Henricus archidiaconus Huntindonienſis[d]; *ejus monaſterium Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum arcem tenebat*. Et dein, de Monaſteriis in Hibernia & Anglia etiam plurimis propagatis locutus, *in quibus omnibus*, adjicit, *monaſterium* Hii *principatum tenet. Abbati autem illius inſulæ omnis provincia, & etiam Epiſcopi, ordine inuſitato, ſolent eſſe ſubjecti, quia Columba prædicator, non Epiſcopus fuit, ſed Presbyter & Monachus.* Et ſubjungit, *Cujus ſucceſſores, ejus imitatione, valdè claruerunt.* Scripſit autem Henricus hic, probatiſſimæ fidei hiſtoricus, ſub annum 1140[e], id eſt diu poſt tempus illud quo Keledeorum jus tranſiiſſe traditur, ut ſuprà, in Eccleſiam Sanctandreanam, & de monaſterio hoc loquitur, ut ſuo in ævo, veteri illo, etiam in Epiſcopos, jure utente, quod quidem advertendum eſt. Nec fortè jure illo hactenùs ſatis ceſſerant Abbas ibi & Monachi Presbyteri, tametſi per totum regnum Scotiæ jus illud tranſactione aliqua publicâ ſic tranſiviſſe tempore Turgoti aut circitèr, in hiſtoria illa Dunelmenſi tradatur. Quid quod etiam autor, quiſquis ille fuerit, Hiſtoriæ Jornalenſis perperam dici ſolitæ & Joanni Bromptono tributæ (qua de re mox plura) totidem cum Huntindonienſi verba[f] de Inſula hac atque Monaſterio ejuſque jure ſingulari adhibet verba? ubi[g] legendum pro *artem tenebat*, *arcem tenebat*, & pro *de Ariano*[h], *de Armach*[i]. Sed pariter ille ibi tempore ſibi præſente utitur, ac *principatum*, inquit, *tenet*, & *Epiſcopi ordine inuſitato ſolent eſſe ſubjecti*, quaſi dum vixit ille, illud in more retentum. Porrò de Presbyterii ibi ac Abbatiæ quantum ad hanc rem jure, etiam Beda[k]; *Ab hac ergo inſula, ab horum collegio monachorum, ad provinciam Anglorum inſtituendam in Chriſto miſſus eſt Aidanus, accepto gradu Epiſcopatus, quo tempore eidem monaſterio Segenius Abbas & Presbyter præfuit.* Atque expreſſiùs in eodem capite liquet, *in conſeſſu* ac *Concilio Seniorum*, id eſt Presbyterorum quales diximus (verſio Saxonica habet gemote heora ƿitena, *conventu ſapientum eorum*, quos Beda ipſe[l] aliique[m] *majores Scotorum natu* appellant; Stapletonus, **the Peers of Scotland**, *Pares Scotiæ*) atque ex eorum decreto, Epiſcopum, ab eis petente Oſwaldo rege Northanhymbrorum, Aidanum pro more apud ipſos, ſub Segenio Abbate & Presbytero, S. Columbæ ſucceſſore, obtinente

[a] *Hiſt. Eccleſ. 3. cap. 3.*

[b] *Vide Iacob. Uſſerium Armachan. de Brit. Eccleſ. primordiis cap. 15. pag. 700.*

[c] *Antwerpia* 1565.

[d] *Hiſt. lib. 3. ann. 565.*

[e] *Balæus Cent. 2. Script. 82.*

[f] *Infrà col. 786.*

[g] *Lin. 17.*

[h] *Lin. 41.*

[i] *Beda lib. 3. cap. 4. Huntingdon. loco citato &c.*

[k] *Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 5.*

[l] *Ibi cap. 3.*

[m] *Florentius Wigornienſis anno 635.*

eſſe creatum. Ibidem Beda, *Omnium*, inquit, *qui conſidebant, ad ipſum ora & oculi converſi, diligenter quid diceret diſcutiabant & ipſum eſſe dignum Epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt. Qui gratiâ diſcretionis, quæ virtutum mater eſt, ante omnia probatur imbutus; ſicque illum Ordinantes, ad prædicandum miſerunt.* Id eſt, planè Epiſcopum eum illi, ſeu Presbyterorum & Abbatis Segenii conventus, Ordinabant. Saxonica, Hine to Biſceop ᵹehalᵹodon, *illi Epiſcopum eum conſecrabunt*. Idem paulò antè de Monachis illis verba faciens, *Monachus*, inquit, *ipſe Epiſcopus Aidanus, utpote de inſula, quæ vocatur Hii, deſtinatus*; ubi editiones puto cunctæ, eæque ſane numeroſæ, ante Latino-Saxonicam viri doctiſſimi Abrahæ Wheloci[b], prodigioſum inſulæ habent, ex librariorum incuria, nomen *Hydeſtinatus*. Atque inde Nicolao Harpsfeldio[c] *Hideſtinatus* & Thomæ Dempſtero[d] *Hydeſtinatus* fit inſula ac monaſterium unde prodiit Aidanus, quaſi planè aliud omnino fuiſſet ab *Hii*. Sed hallucinatio egregia eſt[e]. Planiſſimè legendum *Hii, deſtinatus*, id eſt inde ab Abbate & Monachis Presbyteris ibi Conſtitutus, Ordinatus, in Epiſcopi Gradum creatus miſſúſque. Ita expreſſim etiam legitur periocha illa è Bedæ MSS. in Hiſtoria quam diximus Dunelmenſi recentiori[f]. Et Alfredi Regis Saxonica, Eac munuc ſe ylca Biſceop Aidan ƿæſ he ſended of ðam ealande ⁊ of þam mynſtre ðe Hii ys nemed. Adeóque error eſt manifeſtiſſimus, utcunque diu etiam a viris doctis ita receptus. Thomas Stapletonus vertit, **And the Biſhop himſelf was a monk of the yle which is called Hydeſtinate.** Planè dicendum fuiſſet, **And the Biſhop himſelf Aidan was a monk, Appointed or Ordained [to be a Biſhop] from the Ile called** *Hii*. Alii autem (ut maximè Hector) *conventum*[g] illum *ſeniorum*, â quibus deſtinatus eſt ſeu creatus Aidanus, expreſſim pro Epiſcopis ſeu eorum Synodo perperàm ſumunt. Poſtmodum item de ſucceſſore ejus Finano, *Succeſſit ei*, ait Beda[h], *in Epiſcopatum* (Lindisfarnenſem ſcilicet) *Finan, & ipſe illò ab Hii Scotorum inſula ac Monaſterio deſtinatus* (ubi vocabuli illius idem qui ante uſus) *ac tempore non pauco in Epiſcopatu manſit*. Atque alibi in eundem ſenſum dicitur ille Bedæ[i], *gradum Epiſcopatus, à Scotis Ordinatum ac Miſſum, accepiſſe*. Paritèr Finanus creatus eſt ut Aidanus, atque alios in Anglia etiam ille ordinavit[k] epiſcopos. *Trumhere* item Anglus, epiſcopus Merciorum, ſimul & Lindisfarnenſis & mediterraneorum Anglorum, *edoctus* Bedæ[l] dicitur *& Ordinatus à Scotis*, ubi Alfredi regis verſio ᵹehalᵹad ƿram Scottum, *conſecratus à Scottis*. Hæc jam dicta ad ſeculum ſeptimum attinent, cujus ſub medium ſeu annum 660, ut expreſſim Beda[m], *non erat tunc ullus excepto illo Wine* (Occidentalium Saxonum ſeu Wintoniæ epiſcopo) *in tota Britannia Canonicè Ordinatus*. In Gallia[n] enim, juxta canones receptiores, Ordinatus fuerat ille. Undenam verò nullus præter eum *Canonicè in tota Britannia Ordinatus*? Planè quoniam ex Seminario illo Hiienſi ſeu Presbyterii jure tunc Scotico, ſecundum jam oſtenſa, per ſucceſſiones reliqui omnes tum ſuperſtites creati fuerant. Quæ ſanè res tandem Anglis haud parùm ſeculis in illis diſplicuit, unde Oſwius

Northan-

[a] *Lib.3.cap.3.*

[b] *Londini* 1643.

[c] *Hiſt.Eccleſ. Secul.7.cap.* 31.

[d] *Apparat. lib.* 1. *cap.*15.

[e] *Videſis Iacob. Uſſerium Armachanum de Brit.Eccleſ. primordiis cap.* 15.*pag.*697.

[f] *MS.in bibliotheca Cottoniana fol.*3.1.

[g] [illegible] *Hiſt.lib.* 9.*fol.*175 *&c.*

[h] *Lib.cap.*17.

[i] *Ibid.cap.*25.

[k] *Ibid.cap.*21. *&* 22. *& vide Hiſt.Eccleſ. Dunelm.lib.*1. *cap.*4.

[l] *Ibid.cap.*24.

[m] *Lib.*3.*cap.*28.

[n] *Malmesbur. de geſt. Pontif. lib.*2.

orthanhymbrorum & Ecgbertus Cantuariorum reges à Roma pe-
erunt[a] viros ejuſmodi qui Canonicas Sanctiones hac in re aliiſque
tis obſervarent. Hinc tandem Theodorus archiepiſcopus Cantuarien-
circa annum 670 à Vitaliano Pontifice Romano miſſus, eas ita in-
exit obſervariſque curavit, ut Scoticana illa ſeu Presbyteralis Cul-
torum Ordinatio apud Anglos diutius neutiquam admitteretur.
d verò apud Scotorum Culdeos, maximè in Monaſterio illo in-
lano ſeu Hiienſi, quod velut caput & ſedes primaria eorum erat,
priſtinum vetúſque retinebatur. Nec omninò antè mutatum fu-
t ex eo quòd, paulò poſt annum 420, Palladius à Cœleſtino Pon-
ice Romano *ad Scotos*[b] *in Chriſtum credentes miſſus*, *primus* ibi factus eſt
de *Epiſcopus*, generatim item *Epiſcopus* & *Apoſtolus Scotorum* dictus, &
anonicè Ordinatus. Unde Hector Boethius[c], *Erat Palladius primus*
nium qui ſacrum inter Scotos egêre magiſtratum à ſummo Pontifice Epiſcopus
eatus; quum antea populi ſuffragiis ex Monachis & Culdeis Pontifices aſſu-
erentur. Etiam Buchananus[d], *Creditur Palladius primus, Epiſcopos creaſſe.*
am ad id uſque tempus, Eccleſiæ abſque Epiſcopis per Monachos (ſeu Culdeos
los) *regebantur, minore quidem cum faſtu & externa pompa.* Et Mariano,
igeberto[e], aliis, *Primus* Scotorum *epiſcopus* vocatur. Etenim diſciplina
Palladio canonica ſic introduci cœpta mores, hanc circa rem, adeo
i receptos, nec abolere quibat nec impedire, ut ex oſtenſis etiam, ſi
mpora animadvertas, palàm liquet. Et ſignantiùs quidem *Abbas &*
resbyter vocitari ſolebat Præfectus monaſterii illius Hiienſis, uti aliorum
tidem per Scotiam, ut inde denotaretur ampliſſima ex nominibus
llis, juxta jus ejuſdem ſingulare, poteſtas. Inde etiam Adamannus
ub annum 700 *Presbyter & Abbas monachorum qui erant in inſula Hii*, ut
x Columbæ ſucceſſoribus, Bedæ nuncupatur[f], & Sigeberto[g], *Presbyter*
& Abbus Scotorum, quod generale apud illos nomen dignitati ejus ſin-
gulari conſonum. Plerique eundem illum faciunt cum eo qui, uti
lii monachi, vixit in ſanctimonialium monaſterio *quod*[h] *Coludi urbem*
gnominant, urbem item *Colodanam*, *Coludanam*, & Coluꝺeꞅ buꞃhᵹ; unde
tiam *Coludius* dictus, ut Balæo, Geſnero, Poſſevino, aliis[i]. Etiam *ordi-*
s eum vocant interdum *Apoſtolici* & *monachum ſine votis*. Sed Arnol-
us Wion[k] binos facit Adamannos, alterum Abbatem Hiienſem, alte-
um Coludium hunc. Dictum autem eum ſic eſſe ait Thomas Demp-
ſterus, *ab urbe Scotiæ in Mæatis ſeu Merchia, Ptolemæo Colana* (Colania)
Bedæ Coldana, & Coludi. Hodie verò eſt **Coldinghame**, *& non ſine ſan-*
ctitatis opinione, multorum Monachorum pater. Certè non ſuſpicari nequeo
in *Coludi urbe*, quæ id genus etiam aliis heic ejuſmodi vocibus denota-
tur, latere ſeu obſcuriùs exhibere ſe veterum Culdeorum nomen, ut-
pote eorum frequentiâ aut ſolenniori forſan conventu, præ locis aliis,
nobilitatâ. Nec ita Colaniæ Ptolemæi (quam etiam alii[l] pro **Col-**
dingham heic accipiunt) ratio ex ſono habenda ulla. Beda autem
etiam Nyniæ (qui *Nimas* aliis[m] dictus & *Ninianus*[n]) velut nomine qui-
dem Epiſcopi Ad Candidam Caſam, meminit; loci ſcilicet in occiduo

---

[a] *Beda lib.3. cap.29. lib.4. cap.1 &c.*

[b] *Beda lib.1. cap.13. videſis Th. Dempſter. Hiſt. Eccleſ. lib.15. ca.998. et Baron. tom.5. ann.429. §.1. &c.*

[c] *Scot. Hiſt. lib.7.*

[d] *Rer. Scotic. lib. 5. Rege 42. addeſis Thom. Dempſter. hiſt. Eccleſ. lib.3. cap.313.*

[e] *Ann.432.*

[f] *Beda lib.5. [illegible].16.*

[g] *De [illegible]criptoribus Ecc[illegible]aſti. cap.64.*

[h] *Beda lib.4. cap.25. & 19.*

[i] *Vide Th. Dempſter. hiſt. Eccleſ. lib.1. cap.3.*

[k] *In Ligno Vitæ li.3. pa.408.*

[l] *Camden. Brit. pag 682. & Ptolemæi editores &c.*

[m] *Alcuin. apud Malmesb. de geſt. Pontif. lib.3. in Epiſc. Candidæ Caſæ.*

[n] *Martyrolog. Rom.16. Septembris. Hector. Boeth. Hiſt. Scot. lib.7. &c.*

Angliæ & Scotiæ confinio ſic nominati, *eò quòd ibi Eccleſiam de lapide, inſolito Britonibus more* (Nynias) *ille fecerit*, ut Bedæ verba ſunt; unde & Scotis & Anglis eâdem notione **White-hearne** etiamnum vocitatur quemadmodum olim Saxonibus æt Hƿitan Ærne[a] unde Epiſcopi illic etiam *Witternenſes* dicti[b]. Nec alium eſſe conjectat vir doctiſsimus[c] ab Novantarum urbe Λευκοπιβία Ptolemæo[d] ſic dicta quæ, pro *Luguvallum* apud Antoninum[e] ſumta, ab aliis Carleolum eſſe exiſtimatur. Conjectura illa maximè nititur ſecurâ nimis lectionis Ptolemaicæ (de qua etiam obitèr monere liceat) mutatione. Non ſolùm enim legit ille Λευκοπίδια, quaſi ſic in Ptolemæi legeretur exemplaribus, ſed dum de urbe illa diſquirit, *Quid ergo*, inquit, *ſi Candidam Caſam, quam Britanni dixerunt, Ptolemæus ſuo more Græcè Λευκ' οἰκίδια converterit? id eſt domicilia candida, pro quo Librarii Leucopidiam nobis obtruſerunt.* Sed verò Ptolemæi codices editi conſtanter habent heic Λευκοπιβία non Λευκοπίδια uti etiam codex ejuſdem pervetuſtus optimúſque MS. Bibliothecæ Arundellianæ. Conjecturam etiam hanc in Theſauro ſuo Ortelius ut advertendam exhibet. Atqui, cum certum ſit ex ipſo Beda, nomen illud Candidæ Caſæ ſub Niniano ob ædes ibi ab eo candidas extructas, primò ortum eſſe, id eſt non ante annos poſt Ptolemæum 450 aut circitèr elapſos, quî fieri poſſit ut in nomine Ptolemaico domiciliorum illorum candidorum inde ratio fuerit habenda ulla? Adeóque lectio apud eum recepta proculdubiò retinenda. Tametſi autem Nynias heic vocetur Epiſcopus veluti per prolepſin ex ſede ibi, dum Beda ſcripſit, epiſcopali adhibitam, uti etiam ab Alcuino[f] aliíſque; unde Hectori[g], *Epiſcopus* dicitur *ſanctitate & miraculis clariſſimus ac Caſæ Candidæ pontificalis in Galdia* **(Galloway)** *ſedis primus inſtitutor, ubi & ædem condidit divo Martino ſuo avunculo ſacram*, atque Bellendenus ejus interpres, **Saint Niniane the firſt biſchop of Galloway quhair he biggit ane kirke in the honour of S. Martyne his eyme**; atque etiam in vita ejus inter ſanctos *Epiſcopus*, & in Martyrologio Romano[h] *In Scotia Epiſcopus* nuncupatur, & de eo Joannes Leſlæus[i], Hectoris ſequax, *ſedem epiſcopalem in Galdia primus fixit*; nihilominùs nomen illud ei ſic tributum, neutiquam in Epiſcopalem, notione vulgari, dignitatem ſeu Canonicè evectum illum, aut Abbatis aut Presbyteri Ordine ſuperiorem fuiſſe, indicare ſaltem apud Bedam, videtur, ſed ex Presbyterii & Abbatiæ jure illo ibi ſingulari Epiſcopali neutiquam inferiori, uti etiam Columbam, tantùm præfuiſſe. Nam expreſsim poſtmodùm Beda, de Loci illius aliorúmque epiſcopatibus ſui temporis verba faciens[k], atque epiſcopos ipſos recenſens, *Pechthelm*, inquit, *in ea, quæ Candida Caſa vocatur; quæ nuper, multiplicatis fidelium plebibus, in ſedem pontificatus addita, ipſum Primum habuit Antiſtitem*, ubi Saxonica verſio, ⁊ he ƿæs ðære ſtoƿe ſe æreſta biſcop, *Et is erat loci illius epiſcopus primus*, quod ad annum ſpectat 723 adeóque tempora Nyniâ multo recentiora. Et expreſsim Hiſtoria Dunelmenſis[l] recentior quam diximus; ſub annum 664 id eſt diu poſt Nyniam, *Candida Caſa necdum epiſcopum habuerat*. Etiam Malmeſburienſis

ſis

---

[a] *Verſ. Sax. Bed. hiſt. Eccleſ. lib. 5. ca. 24.*

[b] *Malmeſb. de geſt. Pontif. lib. 3.*

[c] *Camden. Britan. pag. 693.*

[d] *Geograph. 2. cap. 3.*

[e] *In Itin. Londinio Luguvallum.*

[f] *Apud Guil. Malmeſbur. de geſtis Pontif. in Epiſc. Candidæ Caſæ. Chronolog. Sax. Bedæ ſubjunct. anno 563. Henri[illegible] Huntin[illegible] lib. 3. [illegible] 565.*

[g] *Hiſt. Scot. lib. 7.*

[h] *Septemb. 16.*

[i] *De rebus geſtis Scot. lib. 4. pag. 133.*

[k] *Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 24.*

[l] *MS. in biblioth. Cotton. fol. 6. 1.*

in epiſcopis Candidæ Caſæ, licet, apud ipſum, ex Alcuino Ninyas
Nynas ibi legitur) Epiſcopus generatim vocetur, tamen *Ibi*, inquit[a], *ſub*
tremo Bedæ tempore primus factus eſt Epiſcopus Pethelmus, id eſt ſecundum
ra Epiſcopalia ſingularia & receptiora & Canonica quæ alibi plerum-
ue in Chriſtianiſmo obtinere tunc ſolebant; utcunque aliis antè,
bbatum & Presbyterorum nomine, aut ſaltem Epiſcopi in dignita-
m ita ſingularem, non omninò Canonicè, ſed interim pro more loci
uliíque, evectis, eadem quæ ad Epiſcopum vulgò ſic dictum indéque
ſcriminatum ſpectare exiſtimabantur, perficere eſſet in more poſitum;
ue tum quoad Juriſdictionem tum Ordinem. Et quidem poſtmo-
m etiam inolevit, ut Abbates illi quales diximus & Presbyteri, in re-
nſione Epiſcoporum[b], locum, illo nomine pariter, licet reverà ex di-
rſâ, juxta jam dicta, Origine & Notione, ſortirentur; id eſt, per pro-
pſin ex fama poteſtatis eorum per anteriora tempora, non ſatis ani-
adverſa, ut Epiſcopi illic vulgares accepti, nominatíque. Certè de epi-
opis illis Scoticanis vetuſtioribus haud ita juxta Canones receptos, ſed
Presbyterio, ut dictum eſt, ſimpliciùs ordinatis, nec ſedibus, ut aliàs
itum, affixis ſed *vagantibus qui parochiam non habent, nec ſcimus* (ut de
uſmodi etiam alibi aliis loquuntur Patres Synodi Vernenſis[c] anno
riſti 755 celebratæ) *de ordinatione eorum qualiter fuit*, mentio expreſ-
r inſuper habetur in Concilio Cabilonenſi[d] ſecundo, anno 813 Chri-
habito, ubi legitur, *ſunt in quibuſdam locis Scoti qui ſe dicunt Epiſcopos*
, & multos negligentes, abſque licentia dominorum ſuorum ſive magiſtrorum
sbyteros & diaconos Ordinant: quorum Ordinationem, quia plerunque in Si-
oniacam incidit hæreſim, & multis erroribus ſubjacet, modis omnibus irri-
m fieri debere omnes uno conſenſu decrevimus. Et de hiſce videſis eti-
m plura apud Carolum à S. Paulo[e]. Quinimò ſanè ex jam di-
tis conjicere non eſt abſonum, ideò, ſaltem alias inter rationes, Wil-
idum, cum in Archiepiſcopum Eboracenſem, anno 720, ab omnibus
ectus eſſet, primò *perſtitiſſe* (ut Malmesburienſis[f] verba ſunt) *negare,*
ab epiſcopis Scottis, vel ab iis quos Scotti Ordinaverant, conſecrationem ſuſcipe-
, quorum communionem ſedes aſpernaretur Apoſtolica. Sejunxerat ab illis
uidem eum alióſque ſchiſma eorum de Paſchate illud notiſſimum.
d acceſſiſſe etiam incertam illam ac minimè, juxta ſententias alibi re-
ptiores, Canonicam eorum Ordinationem, quâ terræ etiam alienæ ni-
mium ut vides ex Synodo Cabilonenſi illa turbarentur, neceſſum eſt ut
cenſeamus. Expreſſim Beda, eos qui Scotos ſequebantur, tradit[g] Ri-
ponenſi monaſterio ab Alfrido Rege eis tunc dato maluiſſe cedere
quam Paſcha Catholicum ceteróſque ritus Canonicos, juxta Romanæ & Apoſtolicæ
Eccleſiæ conſuetudinem, recipere; in quibus *Ritibus Ceteris* dubitandum non
eſt ſingularem illam Epiſcoporum Presbyteralem Ordinationem, juxta
antè oſtenſa, locum habuiſſe planè primarium. Summa demùm eſt,
penes Keledeos illos ſeu Presbyteros ejuſmodi fuiſſe, per Scotiam veterem,
us, ut tum ſine Titulo Epiſcopali, tum Titulo illo, pro ſuo inter ſe
arbitrio, ab ipſorum aliquot variatim tributo indutóque, ſed ex Preſ-

---

[a] *De geſt. Pontific. lib. 3.*

[b] *Vide Ultonienſ. Annal. apud Jacob. Uſſerium Armach. in Brit. Eccleſ. Primord. cap.* 15. *pag.* 701.

[c] *Cap.* 13. *Binius tom.* 3. *part.* 1. *ſect.* 1. *pag.* 398. *edit.* 1618. *Sirmondus Concil. Gallican. Tom.* 2. *pag.* 32.

[d] *Cap.* 43. *Binius tom.* 3. *part.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 195. *Sirmondus Tom.* 2. *pag.* 317.

[e] *Geograph. Sacra pa.* 167.

[f] *De geſtis Pontif. lib.* 3.

[g] *Lib.* 5. *cap.* 20.

byterii ſui ſimplici jure præeunte apud illos omninò, neque ex Epiſcopali aliunde petita conſecratione, ullatenus pendente, tam quæ Ordinis quàm quæ Juriſdictionis Epiſcopalis dici ſolent liberè præſtandi perficiendíque; quale quidem etiam Chorepiſcopi in Germania, Galliis, alibíque, ſibi ſæpiùs arrogare ſolebant[a]; utcunque eo nomine non ſemel eò quòd in Canones de Ordinatione Epiſcopali ab Hominibus introductos, licet non in ipſum jus Divinum, deliquiſſent, à Pontificibus Romanis damnati fuerint. Certè in Paganiſmo Romanorum veteri è cujus exemplis, maximè circa Sacra, non pauca in Chriſtianiſmum variatim deſumpta ſunt, Sacerdotes omnimodi, quaſi nunc diceres Presbyteri, Pontificum itidem ac Ἀρχιερέων nomine, quaſi etiam Epiſcoporum diceres, ex more fruebantur; ita tamen ut juxta Populi Jus Nominationis atque Jus Collegii ſingulare Inſtitutionis ſeu Canonicæ (ut juxta mores noſtros dicere liceat) Ordinationis ſeu Cooptationis aut demùm ſecundum Jura Principum, in quos jus jam dictum Populi tranſiit, ab eiſdem Pontifex Maximus ſeu Ἀρχιερεὺς Μέγας uti & collegæ adſciti crearentur. Adeóque Ordo paritèr illis univerſis ipſique Pontifici Maximo communis idémque erat, licet Gradu ſeu Dignitate hic ita à Populo ſeu Principe ac Collegio creatus præcelleret. Compluribus obſervatu, hanc circa rem, in Roma veteri digniſſimis tantundem apertiùs oſtendit vir doctiſſimus Jacobus Gutherius Juriſconſultus egregius[b], quem, ſi placet, conſulas, ubi etiam quod habetur de Pontificum ſeu Sacerdotum ejuſmodi διὰ βίου *ad vitam* ſeu perpetuorum jure animadvertendum. Jam verò ſub tempora quibus Turgotus in Epiſcopatum S. Andreæ evectus eſt, ſeu circa annum 1110 Jus illud totum (ſi hiſtóriæ Dunelmenſi jam allatæ fides) Keledeis ademtum eſt tranſlatúmque in Epiſcopatum illum Canonicè undiquaque inſtitutum, adeò ut ſecundum vim & ſenſum ejuſmodi Ademtionis Tranſlationíſque, Keledeorum conventus nullus, quà ſimplicitèr talis, jura illa priſtina Epiſcopalia ex Presbyterii jure pendentia indéque ortum ſortita, dein legitimè exercere poſſet, ſed jura illa priſtina eorúmque appendices univerſi, aut in Epiſcopali S. Andreæ ſede illa Canonicâ velut immergerentur, aut ab ea poſtmodùm ſemper ſibi, ſed Canonicè, aut quaſi in Canonica ſic verſa, retinenda eſſent uſurpandáque. *Tranſire* enim *Jus* ſeu *Dominium* apud Juriſconſultos[c] eſt ſic legitimè *Transferri* ut ejus ad quem transfertur omnino fiat. Verùm, ut in rebus hujuſmodi fieri aſſolet, quemadmodum tum Chorepiſcopi jam memorati, utcunque damnati, juribus Epiſcopalibus dictis omnimodis nihilominùs ſe, pluribus in locis, audaciùs poſteà immiſcebant, tum Abbates[d] etiam, licet non Exemti, parilia ſibi, utcunque inhibiti, ex Abbatialis Presbyterii facultate, ſibi jura ſubinde vendicabant (& ſanè etiam abſque Epiſcopali dignitate Abbates, quà tales, ex indulto Pontificis Romani, quod planè jus Humanum eſt, nec aliter atque alia quæcunque jura Humana Divino fundatur, pari cum Epiſcopis ſeu pleno tam Ordinis interdum quàm Juriſdictionis ſemper jure ritè frui, à Juriſconſultis[e] ſatis

[a] *Epiſt.4. Damaſo tributa, Leo Magn. Epiſt.88. Nicolaus 1. in Epiſt. ad Rudolphum Bituricenſem cap.1. Diſt.68. c.4. & 5. & videſis Anton. Auguſtin. in Juris Pontificii Epitome lib.6. tit.1.*

[b] *De vetere Iure Pontificio lib.1. cap.6, 7, 8 &c.*

[c] *L.80. D. tit. de legatis 2. L.14. D. tit. de rebus creditis l.7. §. ult. tit. de rebus eorum qui &c.*

[d] *C.12. Extr. tit. de Exceſſibus Pralatorum, Innocent. 3. in Concil. Lateran. ca.60.*

[e] *Videſis Aſcan. Tamburinium de Iure Abbatum Diſp. 1. 2. & 19. & Tom. 2. Diſp. 14.*

atis conceditur) ita ſanè compluribus poſt Turgoti Epiſcopatum San- ſtandreannm annis, ſexaginta aut circitèr, haberi videtur Keledeorum ranſlationi illi per Scotiam juris ſui aut renitentium aut illam non ſatis admittentium, ſed jus ſuum priſtinum aut mordicùs retinentium ut enixiùs revocantium, luculentiſſimum veſtigium apud Petrum Ble- enſem, ſub Henrico ſecundo ſeu anno 1170 florentem, ubi inſeritur piſtola ab ipſo opinor conſcripta[a], nomine Richardi tunc Cantuari- nſis Antiſtitis ad Epiſcopos Angliæ de non admittendis Epiſcopis illi- ſmodi exteris ac vagantibus, in qua legitur, *Sed & diebus iſtis quidam pſeu- piſcopi Hibernienſes aut Scoticæ linguæ ſimulantes barbariem, cum à nullo im- ſitionem manus acceperint, Epiſcopalia populis adminiſtrant.* Et paulò poſt, *oniam igitur ex talium adminiſtratione in Eccleſia Anglicana multiplex occaſio andali jam emerſit, eóſque, quorum ordinatio dubia eſt, Sacri Canones non ad- ittunt, univerſitati veſtræ mandamus atque præcipimus quatenùs per veſtras di- ceſes generalitèr prohibere curetis ne tales miniſtrare permittantur Epiſcopalia qui arbaræ Nationis ſunt atque Ordinationis incertæ.* Sanè apud hoſce, Kelede- rum jus ipſum vetus aut ſimile aut demum ejuſdem obtentus ſuperſtes idetur diu poſtquam ſic tranſiviſſe narratur totum eorum jus in Ec- eſiam Sanctandreanam. Sed verò Dempſterus, de Jure eorum illo ve- re locutus, id *primùm*, ait in Apparatu[b], *in electione Sanctandreani Epiſcopi lachi II abrogatum, tranſlato jure ab iis ad Clerum, Scotichron. lib. VI. cap. XXIV.* poſtmodùm, in Hiſtoria Eccleſiaſtica[c] gentis Scotorum, remanſiſſe ait nes illos jus illud, *donec Guilielmus Lambertonus à Canonicis electus S. Andreæ piſcopatum tenuit, ut in titulis Memorabilibus lib. VII. cap. III. dixi. Sed huic electioni clamarunt Keldei & maximè Aiminus eorum princeps Romam provocavit & eò ſe ntulit, ſed incaſſum. Nam non modò electus approbatus à Pontifice ſed omne jus inceps Keldeis abrogatum, Scotichronicon lib. VI.* Anno ſcilicet 1298. Certè enobitarum ſeu Monachorum cœtum in Eccleſia illa, uti in aliis, per ſe- ula vetuſtiſſima ex Keledeis ſic dictis conſtitiſſe verum eſt, ſi fides ſcri- toribus Scoticanis qui etiam ſcribunt Conſtantinum III, Ethi ſeu Heddi lium, Scotiæ Regem circa annum 940, *ſummo depoſito magiſtratu in pi- um cœtum qui in divi Andreæ Apoſtoli tum ædibus erant* (Cultores Dei ea ætate; eſt Keledei) *migrantem, tonſum ſe cœnobio ſacrâſſe*, ut Hectoris verba nt[d], pro quibus ſubſtituit Bellendenus, **he paſt to the Abbay of inct Andros and ſcheaf him thair ane chanon.** Joannes au- em Fordunius, in Scotichronico MS.[e] *regno ſponte dimiſſo, religionis in abitu Deo ſerviens apud Sanctum Andream, Kellideorum Abbas effectus, annis uinque vixit.* Scilicet poſt excidium illud Broningfeldiæ graviſſimum, b Anglis ſub Athelſtano rege illatum. Habetur etiam Chronicon rythnicum MS.[f] à Scoto mihi anonymo linguâ vernaculâ congeſtum, idque ſeculis vetuſtiſſimis uſque ad Robertum tertium Regem ſeu annum 405, ſed tam in capite quàm calce mutilum, ubi, de Conſtantino oc habitum apud S. Andream Keledeorum ſumente, legitur,

Heddis ſon, callit Conſtantin,
Kyng was thretty yheris and nine.

---

[a] *Petr. Bleſenſis Epiſt.* 53.

[b] *Cap.* 13.

[c] *Lib.* 1. *cap.* 45. *& videſis Iacob. Uſſerium Armachanum de Britannic. Eccleſ. primordiis cap.* 15. *pag.* 659.

[d] *Hiſt. Scot. lib.* 11. *fol.* 217. 48.

[e] *In bibliotheca Cottoniana lib.* 4. *cap.* 23.

[f] *Ibidem lib.* 8. *fol.* 97. 2.

Kyng he ceſſit for to be
And in Sanct Androis a KYLDE.
And thar he liffit yhers five
And Abbot made, ended his lyve.
Of him thar war thir Verſe
In Latyne wrytten to rehers:
Conſtantinus idem cujus pater HED *fuit Abbas*;
Bis deca Rex annis vixerat atque decem.
Andreæ Sancti fuit quinquennis in orbe
Religioſus ibi &c.

Atque pro Latinis interſerta hujuſmodi Apollinis carmina heic illic habet autor hic perplurima. De Rege illo Buchananus[a], *Ejerato ſponte magiſtratu ad Culdeos hoc eſt Dei Cultores (ita enim illius ætatis homines monachos vocabant) ſe velut in portum recepit ac reliquos vitæ annos quinque inter eos ad Fanum Andreæ tranſegit.* Adeóque, quantum video, jus illud à Keledeis per univerſum regnum Scotiæ tranſlatum in Eccleſiam Sanctandreanam, ita debet intelligi ut quicquid ad reliquos alibi Keledeos, juxta priſtina eorum jura attineret, id totum jam ad Keledeos Sanctandreanos ſeu illorum cœtum ibi cum Epiſcopo ſuo conjunctum transfunderetur. Sed verò dum non ſecundum hiſtoriam quam citavimus Dunelmenſem de *diebus illis* in quibus ſic tranſlatum eſt jus illud, id eſt Turgoti Epiſcopi ævo ſeu circa annum 1115, tranſlationis ſeu ceſſationis ejuſmodi juris collocat ex Scotichronico ſuo Dempſterus, ſed ſub annum 1298, perquam mirum mihi videtur, ſi modo eouſque Keledeorum per Scotiam jus priſtinum illud ſingulare durâſſet, quòd nullam eorum mentionem nedum res juxta jus illud geſtas ullas comperiamus apud ſcriptores Scoticos ubi diligentiùs Interdictum illud Scotiæ univerſæ, uti & Angliæ, ab hirudine illa nummorum nequiſſima, Gualone Cardinale, Innocentii tertii circa annum 1218, ſeu tempore Alexandri Regis ſecundi diúque, ut vides, ante annum illum 1298, in Britanniam legato illatum, Excommunicationéſque tam Cleri totius, excepto Guilielmo Epiſcopo Sanctandreano in Galliis tunc agente, quàm Populi conjunctas uti & Abſolutiones enarrant[b]. De *prælatis & clericis & omnibus clericis tam Religioſis quàm ſecularibus* tyrannide Gualonis, etiam Rege & Laicis univerſis, graviſſimâ oppreſſis; de hiſce per ſe ab Archiepiſcopo Eboracenſi & Epiſcopo Dunelmenſi, ut alii, alii Sariſburienſi, impetratâ priùs à Gualone, uti legato, veniâ, Berwici Abſolutis; de illis in ampliorem nebulonis prædam, uſque dum ſe nummorum vi redimerent, Interdicto & Excommunicatione conſtringi juſſis; Et demùm de ſingulis ob intolerabilem rei nequitiam conquerentibus affatim loquuntur. Et Chronicon-Scoticum MS.[c] quod diximus Rhythmicum.

The Archebuſchoppe of york that yher
Be autorite and power
Off the Pope aſſoiled then
Alexander our king and his lawit men.

Bot

[a] *Rer. Scotic. lib.6. Rege 75.*

[b] *Hector. Boeth. Scot. Hiſt. lib.* 13. *fol.*282. *Io. de Fordun in Scotichron. lib.6. cap.*23. *&c. Buchanan. Rer. Scotic. lib.7. Rege* 94. *Chronic. Melroſenſe Ms. in biblioth. Cottoniana anno* 1217 *&c.*

[c] *In biblioth. Cottoniana lib.7. fol.*131.2.

Bot the Biſchopis and the Clergy
Yhit he leit in Curſing ly
Al bot of Saint Andrewis ſe
The biſchop Wilyam; for cauſe that he
In the kynrik was of Frawns
Al the time of this diſſans
That was betwyn the rewmys twa
Scotland and Inglande bath war ya
Of this diſſeſe, But tretis paſt
To this legat at the laſt
His power he commytted then
Tyl twa commendyt famous men;
The tane was Priour of Durame
The tother Archedeyn of York, Gawter be name
Was the tother, and to thir twa
Furme and power he gaf alſwa
That the Clergi of Scotland
That in this Curſing was lyande,
Tham til bring til his preſens
That had but litil til their diſpens.
Qwhen thai herde qwhar the Depputis war,
Bathe hewid and fut and ſhanks bar
Sulde kneyl and ask in thar preſens
To be aſſoilyende of thar ſentens,
And bind them til halykirkys law,
Than fyrſt the Deputis ſulde til them ſcaw
That fra them in furtheryng mar
Thay ſulde never be contrar
To the kynrik of Inglande
Na to the kyng in it regnande,
In makyn, helpe, nor in counſayle,
Favor, rede, nor ſuppowale,
Bot gif it war in thar defens
Under the payne of Reincidens,
To this thai fande a cawtion
And tuke thar abſolution;
The Deputis al thus chargit paſt
Into Scotlande alſſa faſt
Northe attour the wattyr of Tay
Til Abbyrbrothoke, and thar bad thai,
And thar gaf abſolution
As thai had in commiſſion
To the clerks that come of the Northlandis
That to them ſoucht in thar erandis

That thai pure and ſympil thoucht
And litil had to gif, or noucht,
The biſchopis and the gret prelatis
And rentyt clerks of gret ſtatis
And the kyngs famyliers,
Clerks gret, in to thai caſes
That bundyn war in that ſentens,
He bad them cum til his preſens,
Sin thai war bettyr bowyn to pay,
He aſſignyt thaim a ſet day
And ſtode, that was at Allerton
To take thar Abſolution.
Sum of tha that riche he kende,
For malis to the cowrt he ſende,
And part he aſſoilyende thar
That tyl hym moſt pleaſſand war
Be gifts or be othir thyngs
As acquyntans, flyches or flechings.
Al thus he oyſſit his malice
Agayne Scotlande mony wiſſe.

Cleri per Scotiam tunc univerſi, ejúſque generum ſingulorum, in jam dictis gerendis, graviſſimè turbatorum ſic mentio ampliſsima apud Scriptores illos habetur; nihilo omninò de Keledeorum Jure aut More intereà adjecto, utpote diu, ut oſtenſum eſt, antè ademto & in eccleſiam Sanctandreanam tranſlato. Haud pauca in Hiſtoriis Scotorum occurrunt alia, per intervallum illud à Turgoti ævo ad annum illum 1298, quæ tantundem manifeſtò ſatis exhibere videntur; maximè verò quæ ſæpiùs in Chronico Melroſenſi[a] præ aliis reperiuntur de Epiſcoporum Sanctandreanorum, Glaſcuenſium, Candidæ Caſæ, aliorum complurium uti & Abbatum Priorúmque per Scotiam electionibus ac circa eas ſubinde controverſiis aliquot ſubortis, idque per annos tunc retroactos quamplurimos, nullâ omninò Keledeorum interventûs obtentûſve mentione habitâ, nec aliter ſanè quàm ut inde planè ſit eliciendum Canonicas tunc ſanctiones, cum Jure Regio, circa electiones ejuſmodi publicè illic per intervallum illud receptas eſſe, ſpreto prorſus, ſi quid è contrà obtenderetur ex veteri illo Keledeorum jure quod ſic diu antè diſparuiſſet. Verbi gratia Anno 1253 *David*, inquit Chronicon illud, *Epiſcopus S. Andreæ ex hac luce tranſivit, poſt cujus tranſitum facta eſt diſſenſio in electione, unde facta appellatione Prior Sancti Andreæ ex una parte legatos cum ſuis Canonicis & Rex ex altera parte ſuos nuncios cum magiſtro Abel ad Curiam Romanam tranſmiſerunt. Sed magiſter Abel ut fertur magis diligens ſuam promotionem quàm Regis aut Regni honorem à ſummo Pontifice ſeipſum in Epiſcopum conſecrari fecit & ſic à curia diſceſſit. Obiit dominus Gillebertus Epiſcopus Candidæ Caſæ poſt quem electus eſt dominus Henricus*

Abbas

[a] *Ms. in bibliotheca Cottoniana.*

as de Sancta Cruce; & de Sancta Cruce factus eſt Abbas dominus Radul-
ejuſdem domus Canonicus. Et dein Anno 1254. *Magiſter Abel; Regis con-*
inprimis contradicente, ſed poſteà annuente, Scotiam ingreditur & in Epiſcopatu
honorificè ſuſcipitur qui eodem anno ex hac luce eripitur, poſt quem Magiſter
melinus Regis Cancellarius à Priore & Conventu Sancti Andreæ eligitur & à Re-
& Conſiliariis ejus in Epiſcopatu confirmatus. De Jure tunc tam Regio quàm
nonico, in Electionibus Conſecrationibúſque, obtinente teſtimonium
luculentum. Nec omnino Keledeorum juris, quoniam antè publicè
nuerat, veſtigium aliquod ibi cernitur. Et ejuſmodi ſunt in Chronico
alia perplura. Imò etiam in Joannis Fordunii Scotichronico
[a] ubi Guilielmus Lambertonus cujus electioni in Epiſcopatum San-
ndreanum reclamaſſe Keledeos ait è Scotichronico ſuo Dempſterus,
moratur, hoc tantum de Electione ejus habetur, *Obiit reverendæ me-*
riæ Dominus Willielmus Fraiſar, Epiſcopus Sancti Andreæ, &c. eodem anno
nonas Novembr. Electus eſt Willielmus de **Lambirton** *ad eandem ſedem*
ſcopalem. Nec quid omninò de Keledeorum aut Aumini provoca-
ne habet is adjectum. Qualinam Dempſterus ſit heic uſus Scoti-
ronico, fateor me neſcire paritèr atque neſcio planè, uti & mecum
o alii, unde non pauca ei temerè nimis effuſa habeantur. Joannis
idem Fordani (ſic eum vocat) ut autoris Scotichronici meminit[b],
s continuatorem etiam & exſcriptorem facit Magnum Macullo-
um[c], qui à ſecretis Guillielmo **Shewes** Archiepiſcopo S. Andreæ
ruit Edinburgi anno 1482. Vixiſſe autem ait Fordanum ſuum ſub
num 1210 ſeu tempore Joannis Regis. Pitſeus[d] item, uti ex eo Do-
iſsimus Voſsius[e] habet Johannem de Forda vel **Fordeham**, vel
Fordon, cœnobii nempè Fordenſis in Devonia Abbatem, eidem tem-
ori aſsignatum, cui etiam Scotichronicon MS. in bibliotheca Collegii
ud Cantabrigienſes Benedictini expreſsim tribuunt. Sed verò hallu-
natio eſt manifeſta. Joannem de Forda, ſeu Abbatem illum Forden-
m tunc vixiſſe & Joanni Regi ab Confeſsionibus fuiſſe ſatis eſt me-
tò receptum. Et opera ejus recenſentur à Lelando, Balæo[f], Geſnero,
ſſevino tum Theologica tum Hiſtorica aliquot, quibus Scotichro-
con rectè non connumerant illi. Etenim ejus planè alius & ſeculis ali-
ot recentior autor erat *Johannes de Fordun* (nec dubitandum quin
cotus fuerit) qui ab origine in Britannia Scotorum ſuorum hiſtori-
m ſuam libris ſex uſque in annum 1360 aut circiter deducit ſeu Ed-
wardi tertii tempora pluſquam media & Vincentium Bellovacenſem
tiam & Polychronicon Ranulphi Geſtrenſis citat[g], unde etiam palam
iquet de eorum errore qui ſub Joanne rege eum collocant. Ini-
tium in MS. Cottoniano eſt, *Ex variis quippe veterum ſcriptis Chronographo-*
rum intelligitur quod gentis antiquiſsimæ natio Scotorum à Græcis & Ægyptiorum
eliquiis cæteris mari rubro cum rege ſubmerſis primum ceperat exordium. De au-
toris nomine præfigitur triſtichon ad hunc modum,

Incipies opus hoc Adônai; nomine noſtri
Exceptum ſcriptis dirigat Emanuel.

---

[a] *In biblioth. Cottoniana libr 6. cap. 71.*

[b] *Hiſt. Eccleſ. Gent. Scot. lib. 6. cap. 543. & in ſcriptorum Scot. nomenclatura.*

[c] *Hiſt. Eccleſ. lib. 12. ca. 911.*

[d] *Ætat. 13. ſcript. 297.*

[e] *De Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 56.*

[f] *Cent. 3. Script. 66.*

[g] *Lib. 4. cap. 36. &c.*

Fauces ornatè ructent, dum verbula nectant.

Et adpoſita ſic hujus explicatio,

J. o. h. a. n. n. e. s. d. e. f. o. r. d. u. n. Subjungitur item,

Compilatoris nomen ſuperis elementis
Conſtrue, quem, lector, precor ora ſcandere cœlum
Atque Pater Noſter offer amore Dei.

In triſticho priori vides literas cujuſque vocis initiales compactas *Johannes de Fordun* reddere. Adeóque de nomine ejus planè ſecuri, de ætate qua ſcripſit haud ita incerti ſumus. Sub Edwardo noſtro tertio aut Richardo ſecundo, ne quidem ambigendum. Locus unde nomen ſumſit, haberi dicitur in Marni regiuncula Scotiæ mari Orientali obverſa. Guilielmus Camdenus[a]; *A mari remotior* **Fordon** *locatur cui à Joanne de* **Fordon** (maluit ipſe **Fordun**) *aliqua gloria qui hinc oriundus Scotichronicon magno labore ſedulò congeſsit. Cujus ſtudio recentiores Scotorum hiſtorici plurimum debent.* Codex ille Fordunii Cottonianus, non manu Unica exaratus, in fronte prima, ut poſſeſſoris nomen, adſcriptum habet **Scheves** uti etiam in pagina una & altera ſequente, quod ſanè mihi pro eodem accipiendum videtur ipſo Guilielmo **Schewes**, Seveſio Buchanano[b] dicto, qui Archiepiſcopus Sanctandreanus ſub annum 1480 ſeu ſub Richardo Angliæ & Jacobo Scotiæ Regibus tertiis quaſi Primus (nam vix dici poteſt Patricius Grahamus, qui anteceſſit, Archiepiſcopus, licet nomen illud Romæ primò impetraſſet) à ſecretis ſibi habuit Magnum illum Machullonem Scotichronici hujus exſcriptorem & continuatorem Dempſtero, dictum. Habetur etiam penes virum præſtantiſsimum Jacobum Uſſerium Armachanum, codex Scotichronici ejuſmodi MS. acephalus quidem, ſed pariter in Edwardi noſtri tertii ſeu Davidis II Regis Scotorum tempora deducti; ita tamen ut liber in Fordunio jam dicto ſextus qui à rebus Malcolmi III. incipit, heic velut per ſe operis ſingularis initium, utcunque antecedentibus conjunctus, faciat. Neque enim ibi carmen illud librariis in codicum initiis ſolenne, *Aſsit principio Sancta Maria meo*, ſolùm habetur, verùm etiam titulus adjicitur, *Incipit liber Cronicorum regni Scotiæ incipiens ad Malcolmum Canmor maritum Sanctæ Margaritæ Reginæ Scotiæ.* Certè ævo illo Turgoti id eſt Malcolmi tertii & S. Margaretæ tempore complura momenti planè graviſsimi quæ receptis alibi in Chriſtianiſmo canonibus moribúſque adverſarentur reformata fuiſſe legitur tum in obviis de eis Scotorum hiſtoriis tum in S. Margaretæ vita, licet in illis de Keledeorum jure vetuſto tunc ademto nihil uſſatenus compareat, quale quidem omninò agnoſcendum, ſive editos ſive MS. quos mihi videre contigit, Scoticarum rerum ſcriptores ſpectes, modò Dempſteri nimis incerta excipias; ut de Annalibus aliorum Eccleſiaſticis, qui prorſus itidem heic ſilent, nihil adjiciamus. Adeóque Hiſtoriæ illi Dunelmenſi, quam diximus, terminum priſci Keledeorum juris legitimum, utcunque poſtmodùm mordicùs à nonnullis retineretur, omninò debemus. Cæterùm à Keledeis, quorum cauſâ, digreſsione tantâ non ita opinor aut contemnendâ aut intempeſtivâ uſi ſumus, ad Turgotum ipſum Hiſtoriámque ejus ita ei plagio ſurreptam redeamus. Dignitatem ejus in Scotia Epiſcopalem memorat Hector Boethius[a] cui dicitur *Vir Sanctiſſimus eruditiſſimúſque.* Biographi[b] etiam & hiſtorici alii ſimiliter de dignitate illa loquuntur, ac elogiis eum ſubinde non imparibus ornant. Idem eſt qui Florentio Wigornienſi dicitur *Thurgodus*, ubi[c] eum in Epiſcopatum illum narrat conſecratum. Mortuum igitur eſſe eum ex ſuperiùs oſtenſis liquet anno Chriſti 1115 & per complures ante annos cum primis ſui ſeculi claruiſſe. Etiam Simeoni[d] dicitur *Epiſcopus Scottorum* (apud quem itidem eodem moritur anno) & pariter Hovedeno[e]; qui planè titulus ante erat ipſe Epiſcopi Keledeorum ſeu Culdeorum jam memorati, quoties nempe unicum vellent ordinare, velut nationis Primatem. Et ſanè titulus ille ſingularis, Juris Keledeorum ſuperiùs oſtenſi in Epiſcopatum illum tranſlationem, haud parùm ſapere videtur. Atque inde ſumitur quidem, nec immeritò, viris doctiſsimis, illo in ævo ſeu Malcolmi tertii ac Turgoti ſeculo, id eſt *diebus in illis*, ut verba ſunt Hiſtoriæ Dunelmenſis recentioris, primùm Epiſcopos Scoticanos ſuas habuiſſe diſtinctas diœceſes, quum anteà qui Epiſcopi, quales diximus, ex Jure Keledeorum eſſent, locis ut Sedibus aſſignati, nedum affixi, reperirentur nulli. Guilielmus Camdenus[f]; *Scotorum Epiſcopi munera Epiſcopalia, quocunque fuerant loco ſine diſcrimine obierunt uſque ad Malcolmi tertii tempora, circa annum ſcilicet reſtauratæ ſalutis* MLXX, *cum ſuis finibus & limitibus Diœceſes eſſent conſcriptæ. Poſteà decurſu temporis hæc conſtabilita fuit in Scotia hierarchia.* Scilicet ea quam ibi recenſet Archiepiſcoporum & Epiſcoporum per Scotiam diſpoſitorum. Epiſcopatus autem ille Sanctandreanus qui, ut alii per Scotiam, Antiſtiti ut Metropolitano ſuberant Eboracenſi idque uſque in Jacobi tertii tempora ſeu annum quaſi 1480, tandem non ſolùm in Archiepiſcopatum ſed & in *Primatum totius Scotiæ*, titulum ſanè tranſlationi in illum veteris Keledeorum juris apprimè conſonum, ex indulto Regio & Sixti quarti Pontificis Romani, migravit[g]. Sed verò demùm ex eo quod dictum eſt, ipſum tenuiſſe Prioratum Dunelmenſem tempore quo conſcripta eſt hæc Eccleſiæ illius Hiſtoria, manifeſtum ſatis ſit, intra Prioratus ejus vicennium, id eſt inter annum 1087 & 1108 conſcriptam eam fuiſſe; quo ſanè tempore Simeonem ſcriptorem fuiſſe non videtur omninò admittendum; maximè ſi, ut recipi ſolet biographis, floruerit ipſe anno 1164. Quid quod verba illa, *qui dudùm ſibi traditum Prioratum tenet*, id eſt *hodie, jam nunc, dum ſcribuntur hæc, tenet*, ſeorſim ſumta, ſatis innuere poſſent, annis Prioratus ejus prioribus ſeu etiam ante annum 1090, hiſtoriam illam eſſe ſaltem inchoatam atque ad locum illum perductam. *Dudùm* enim Electionis tempus heic deſignans, de tempore paulò ante elapſo uſurpari ſolet. Cæterùm palàm eſt ex illo quod antè de contrectati S. Cuthberti corporis tempore advertitur, annum 1105 aut cucurriſſe aut velut præteriiſſe dum ſcriptum hoc molitus eſt autor, quiſquis is fuerit. Adeóque intra Vicennii Prioratus ejus triennium poſtremum, abſolutum eſt, quod ſanè Simeonis

---

[a] Britannia pag. 712.

[b] Rer. Scotic. lib. 12.

[a] *Hiſt. Scotorum lib.* 12. *fol.* 259. 2.

[b] *Balæus Cent.* 2. *ſcript.* 60. *Pitſeus Ӕt.* 12. *ſcript.* 178. *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 2. *cap.* 48. *Arnoldus Wion Ligno Vitæ lib.* 2. *cap.* 18. *Tho. Dempſter. Hiſt. Eccleſ. gentis Scot. lib.* 18. *cap.* 1143. *Jo. Leſlæus Roſſenſis de Geſtis Scotorum lib.* 6. *Reg.* 86.

[c] *Chronic. ann.* 1109.

[d] *De geſtis Regum ann.* 1115.

[e] *Anno* 1073.

[f] *Britannia pag.* 683.

[g] *J. Fererius in App. ad Hectorem fol.* 389. 2. *Io. Leſlæus de Reb. geſtis Scotiæ lib.* 8. *rege* 103. *Buchanan. rerum Scotic. lib.* 12.

Simeonis ſcribendi tempus haud parùm videtur antevertere. Haud igitur omninò poſtmodùm in ſchedulis ſparſim disjectæ jacuere res Dunelmenſes Simeonis tempore, nedum ab ipſo, ut autore primo, digeſtæ ſunt (ut loquitur ipſe in Apologia ſua) ſed compluribus ante annis, planè ab alio, atque, ut non credere nequeo, ab ipſo *Turgoto* conſcriptæ & dein à Simeone, ſui in gloriam, nomine ſuo falſò inſignitæ. Accedat, licet *Turgoti* nomen ejúſque res ſingulares heic aliquoties occurrant, ut in loco jam antè allato, de eo quod eſt comitem illum fuiſſe Aldwino, ac ſub magiſterio ejus in Prioratu diu degiſſe, etiam Prioratum poſtea, idque tempore hiſtoriæ hujus conſcriptionis eum tenuiſſe, & alibi[a] ſolenni more in dignitatem illam eſſe evectum, & demùm ampliſsimam illam Archidiaconalem &, quantum ad Juriſdictionem, planè Epiſcopalem dignitatem per Dunelmenſem diœceſim ab Willielmo Epiſcopo ei conceſſam eſſe, aliáque, ut illud de Boſonis Viſione, ad eum ſpectantia inſerantur; elogia nihilominus aut laudes aliquas ei nullibi adjectas eſſe, ſed narrationem ſimpliciorem eis omninò, velut de ſcriptoris ipſius induſtria, carentem paſsim haberi; cum interim nomina alia illic non rarò occurrentia ob Sanctitatem, Mores, Doctrinam alitérve haud parum laudentur elogiiſque evehantur. Quod ſanè mihi eſt character inter alios admodùm luculentus, unde facilè elici cerníque queat, ſcriptorem ipſum fuiſſe, qui ita ſolus non laudatur. Certè ſi quis alius de *Turgoto* eadem ſcripſiſſet, illum opinor abſtinere non potuiſſe ab encomiis, ut fieri ſolet, in hiſtoria hac ei, quemadmodum reverà meruit, tribuendis. Nec, ut vides, in ſui tempora, uti Hiſtoriam Regum, Dunelmenſem hanc ſic ab alio ſurreptam deducit Simeon, ſed in annum tantum 1096 qui in Turgoti codice eſt 1097. Diſcriminis leviculi genus in Monachorum aliorúmque chronologia, etiam dum idem ipſum, pro ſupputandi diverſitate innuitur, ſolenne. Id autem certum eſt, mortuo Willielmo Epiſcopo Dunelmenſi cui chariſsimus erat Turgotus, ſucceſsiſſe in Epiſcopatum Ranulphum, tyrannum illum ex aula inſignem, cui planè tam pietas ſanctitáſque Turgoti quàm juriſdictio ab Willielmo indulta ejúſque in ea ſeveritas adeo erat exoſa ut ipſe in cauſa eſſet primaria Epiſcopalis illius in Scotia dignitatis acceſsionis, unde nempè Prioratu ſubmoveretur adeóque etiam famam ibi priſtinam exiſtimationémque deperderet. Conſulas ea de re Gulielmum Malmesburienſem[b]. Tametſi autem intra Prioratus ejus vicennium conſcriptus eſſet codex ille Cottonianus (ſanè ni conjectura me fallat, etiam autographus ipſe, aut tunc unicus) nihilominùs in ſcriniis pluteiſve autoris, quamdiu vixit *Turgotus*, diúque poſt delituiſſe illum, nec per exemplaria deſcripta, juxta edendi tunc morem, omninò publici juris factum eſſe aut cuiquam fermè cognitum, æquum eſt ut autumemus. Tantundem certè ſuadet Simeonis in cujus manus ita deliteſcens incidit, ingens plagii ſecuritas. Atque ita unicus videtur tunc codex hic, nec inter deſcriptos in editionem, alitérve atque à Simeone ſibi compilatus eſt, cenſitus, ut quaſi ſemper inter deliteſcentes, quantum

---

[a] *Vide lib.*4. *cap.*7, 8, & 9.

[b] *De geſtis Pontificum lib.*3.

tum ad autorem verum, forſan etiam in ſeculum noſtrum, locum habuiſſe illum ſit meritò dicendum. Fato quidem feliciori tandem evenit ipſum codicem ſimplicem phaleriſque apparatûs ornatûſque Simeoniani carentem, ſed ſine Nomine autoris præfixo (quæ itidem modeſtia Turgoti erat) è tenebris priſtinis ita emerſiſſe ut bibliothecæ cœnobii illius *S. Mariæ de Fontibus* ordinis Ciſtercienſis à Thurſtano Archiepiſcopo Eboracenſi fundato donatus eſſet, ibique dum ſtetit ipſum cœnobium, puto, ſervatus. Fundationis illius annus erat 1132[a] ſeu decimusſeptimus ab obitu Turgoti. Et ſatis eſt credibile, haud ita diu poſt Simeonis mortem, codicem autoris nomine ſic in fronte carentem, in lucem è ſcriniis ſive ipſius ſive alterius cujuſpiam apud quem celandum voluit, ut Anonymi opus exiiſſe, de quo juxta morem ſeculi, diſquiſitio accuratior nulla. Sanè manus vetuſta, quâ librum fuiſſe monaſterii illius in fronte adnotatur, ſatis indicat, in ipſo fundationis illius ſeculo, illum monachis ibi donatum. Sed verò & mirum eſt illud, Hiſtoriæ MS. quam ſuprà memoravimus Dunelmenſi recentiori & ſeculis à Turgoto & Simeone aliquot elapſis conſcriptæ, eandem præfationem ipſam quæ Turgoti eſt, ſeu caput primum Simeonis libri primi, præfigi, vocabulis primæ perſonæ, ut reliquis ubique eiſdémque illic ſyllabis, etiam ut in Simeone, retentis. Vocatur ibi præfatio illa, *Prologus in librum de exordio & ſtatu Eccleſiæ Cathedralis quondam Lindiſfarnenſis, poſt Concheſtrenſis, demùm Dunelmenſis de geſtis Pontificum ejuſdem.* De *Concheſtrenſis* heic titulo conſulas Turgotum ipſum[b], Rogerum Hovedenum[c] & vitam S. Cuthberti heic[d] & in Legendis. Prologum ſtatim ſequitur initium hoc hiſtoriæ ipſius, *Ad ampliorem noticiam ſupra in prologo dictorum & etiam infra dicendorum, ſunt hic aliqua de Northumbriæ provincia, necnon de Regibus qui, ante Sanctum Oſwaldum & ſedis Epiſcopalis Lindiſfarnenſis exordium, in eadem regnabat provincia, præmittenda.* E Beda dein, Turgoti hiſtoria hac (ſed interim nec ipſum nec Simeonem, quantum obſervavi, ejuſdem autorem agnoſcens) Henrico etiam Huntindonienſi, Joanne Eboracenſi, Ranulphi Polychronico, aliis, compluria in rem ſuam fuſius deſcribens, res quidem Angliæ, maximè Septentrionales, nec ſolum Dunelmenſes, diligenter exhibet uſque in annum 1194.

Atqui apud Scriptores nuperos recipitur, Turgotum nihil aut parum ſcripſiſſe Lingua alia quàm vernacula. Inde Balæus editione in utraque, *Vernacula quidem Lingua coacervavit De Scotorum Regibus lib.* 1. *Chronica Dunelmenſia lib.* 1. (quo forſan ex fama aliqua innuitur codex ipſe jam dictus *de Exordio Dunelmenſis Eccleſiæ*, qui planè Chronicon eſt Dunelmenſe) *Annales ſui temporis* lib. 1. *Vitam Malcolmi Regis lib.* 1. *Vitam Margaretæ Reginæ.* Citat quidem ille autorem Hectorem Boethium, quaſi eadem tradidiſſet ipſe. Certè apud Hectorem, tantùm hæc de re legitur[e], cum S. Andreæ Epiſcopum factum *vitam Sanctæ Margaretæ & Malcolmi Regis conſcripſiſſe vernacula quidem lingua* (Joannes Bellendenus vertit **in vulgare language** quæ planè Turgoto Anglicana erat) *ſed non minori elegantiâ quàm pietate veritatéque.* Attamen etiam Pitſeus ſcripſiſſe, *Si Hectori*

---

[a] *Eulredus Rievallenſis infra col.* 338. *Iohannes Hagulſtadenſis anno* 1132. *Hiſt. Iornallenſis dicta col.* 1028. *Guil. Nubrigenſ. lib.* 1. *cap.* 14.

[b] *Infrà lib.* 2. *cap.* 13, 16, 20. *& lib.* 3. *cap.* 1.

[c] *Part. priore anno* 882.

[d] *In Hiſt. Cuthberti col.* 73.

[e] *Hiſt. Scotorum lib.* 12, *fol.* 259. 2.

Boethio credimus, linguâ quidem maternâ, ſed elegantia quadam Demoſthenianâ, veritate ſincerâ. Et libros jam è Balæo memoratos ſubjungit, ut ſic ſcriptos. Inde etiam Voſſius[a] de Hiſtoricis Anglicanis verba faciens; *Etſi præclarè de hiſtoria patria meritus ſit* (Turgotus) *tamen vix ei hic locus eſſe poteſt quia Britannicâ Linguâ* (quæ plerunque pro Cambrica ſeu Wallica ſumitur) *ſcripſit ut Hector Boethius ait, nec quod ſciam interpretem Latinum hactenus eſt nactus, niſi quatenus eum Boethius atque alii exſcribunt.* Certè Joannes Fordunius ille[b] ita Turgotum ſibi autorem adhibet de S. Margareta aliiſque ei coævis, id eſt, ita non ſemel eorum res ex Turgoto ut ab eo congeſtas deſcribit, ut vix ſit exiſtimandum hunc non Latinè, ſeu non ipſa quæ affert Fortunius illic vocabula, in Annalibus puto ſui temporis, ſcripſiſſe. Verbi gratiâ, ubi capitis lemma eſt, *De felici applicatione Edgari* **Ethlin** *in Scotia & ſororis ſuæ Margaretæ,* incipit caput, *Turgotus; Cernens autem Edgarus* **Etheling** *res Anglorum undique perturbari, aſcenſa navi cum matre & ſororibus in patriam reverti quâ natus erat conabatur. Sed ſummus imperator qui ventis imperat & mari, mare commovit &c.* Lemma capitis proximi eſt, *De conjugio Malcolmi regis & Sanctæ Margaretæ,* quod incipit, Item *Turgotus; Rex igitur utcunque Margaretam viderat eámque de regio ſemine ſimilitèr & imperiali genitam eſſe didicerat, ut eam in uxorem ducere petiit & obtinuit tradente Eadgaro &c.* Dein *De filiis & filiabus quos de Margareta genuit,* cujus Lemmatis caput incipit, *Turgotus; Huic illuſtriſſimo viro Regi Scotorum Malcolmo ab incarnationis Dominicæ anno MLXX. ſuæque regenerationis* (ſic nuncupatur ibi tempus quo *regnum paternum* unde pulſus erat fugatúſque *reparavit*[c]) *XIIII, quidam tamen ſcripſerunt anno Domini MLXVII, Margareta, ſicut præmiſſum eſt, matrimonio copulatur. Genuit autem ex ea ſex filios, Edwardum &c.* atque ibi quidem interſeritur, ut inter Turgoti verba, *Qualis verò & quanti meriti fuerat illa beata regina Margareta apud Deum & Homines, vitam ejus laudabilem & mortem ac miracula, Liber inde confectus legentibus declarabit.* Hæc ille. Hiſtoriam igitur ſeu Annales Latinè conſcripſit, de Malcolmo, Eadgaro, Margareta, aliis, quâ ſic uſus eſt Fordunius, à Margaretæ vitæ ſeu Legendæ diverſam. Nam & idem paulò pòſt, *De illius Magnifici regis Malcolmi virtutum operibus & eleemoſynarum largitione ſicut in Legenda vitæ beatæ Reginæ Turgotus teſtatur, hic aliqua brevitèr recitabo.* Et tunc pauculis interjectis, *Fateor, inquit Turgotus, fateor, magnum miſericordiæ Dei miraculum. Mirabar cum viderem interdum tantam orandi Regis intentionem, tantam inter orandum, in pectore viri ſecularis, compunctionem.* Aliis ſimilibus ſubjunctis, adjicit ibi *Hæc Turgotus,* uti & in ſequentibus aliquot pariter ejuſdem nomen præfigit ut tam linguæ ipſius ibi exhibitæ quàm rerum narratarum autoris. Etiam Dempſtero[d] dicitur eum Vitam Malcolmi & S. Margaretæ (juxta Hectorem) vernaculè edidiſſe & eleganti ſtylo, ſed *Annales ſui temporis* Latinè. Voſſius autem operibus ejus adjicit, *Chronica Dunelmenſia quæ orditur ab anno DCXXXV, & perducit ad annum MXCVII,* quod planè indicat codicem quem diximus (cujus idem initium & finis) ab eo, Turgoto indubitanter tribui, quo nomine itidem aliis[e], à viris apud nos ſummis edoctis, & demùm etiam

---

[a] *De Hiſtoricis Latinis lib.* 2. *cap.* 48. *edit. ſecunda.*

[b] *Scotichronic. Ms. in bibliotheca Cottoniana lib.* 5. *cap.* 14, 15, 16, 18, 19, 20, 21.

[c] *Hector. Boeth. lib.* 12.

[d] *Hiſt. Eccleſiaſtic. gentis Scotorum lib.* 18. *cap.* 1143.

[e] *Brianus Twinus Antiquitatis Oxonienſ. Apologia lib.* 2. *pag.* 237. locus ibi memoratus habetur in editis ad initium lib. 4.

am incomparabili viro Jacobo Uſſerio Armachano, expreſſim[a] ac non ſemel citatur, ut præteream heic quod ſuperiùs de Roberti Cottoni & Thomæ Alleni ſententiis memoravimus. Antonio Poſſevino, Scotus dicitur. Etiam Thomæ Dempſtero Bini fiunt *Turgoti*, alter Monachus Mailroſenſis, alter hic noſter (ni fallor ita in binos temere ab illo diſſectus) quorum utrunque inter Scotorum Sanctos atque velut Scotos citra controverſiam ſibi ſimilis recenſet[b]. Etiam utrique idem dies feſtus ſeu Octobris XXII in Menologio Scotico aſſignatur. Sed Anglum eum planè nec ignobilem, etiam in juventute clariſsimum fuiſſe dubitare nequeo. Rogerus Hovedenus, ubi de compluribus, maximè ex regionibus ſeptentrionalibus accitis, loquitur qui per Angliam Eccleſias ac Monaſteria Danorum irruptionibus diruta & ferme in nihilum paſsim redacta, enixiùs *Turgoti* ævo inſtauratum ibant, *Horum Turgotus*, inquit[c], *erat unus, poſteà Scotorum Epiſcopus. Is proſapiam de genere Anglorum non infimo trabens unus erat inter alios obſides qui nuper, ſubjugatâ Normannis Angliâ, pro tota Lindiſſeia in Lindicollnio caſtro cuſtodiebantur. Ille pecunia emolliens cuſtodem cum magno ſuorum periculo fugit clanculo ad Norwegenſes* &c. Summa denique eſt, ex hiſtoriâ ejus Dunelmenſi ſic illi vindicatâ, ipſam etiam in hac Simeonis haberi integram, exceptis ut antè paucisſimis aliquot, quæ ex eis quæ ſuprà attulimus dignoſcere ſatis & ſupplere cuilibet fas eſt. Præterire autem locum in ea de S. Cuthberti Evangeliorum codice libentèr nequivimus, utpote è quo obiter monendum, quod curioſioribus forſan haud fuerit ſcitu injucundum. Codicem illum in mari diu demerſum poſtmodum, non ſine miraculo, recedente modo inſolito æſtu, juxta Candidam Caſam repertum eſſe narratur[d], atque ab aquarum injuria omnino illæſum manſiſſe, etiam in Eccleſia Dunelmenſi ſic poſteà ſervatum. Atque memoratur Eadfridus Epiſcopus Lindisfarnenſis, qui *in honorem Cuthberti manu propria ſcripſerat*, etiam Ethelwoldus hujus ſucceſſor qui *auro gemmiſque perornari juſſerat*, & demùm Sanctus Bilfridus anachorita *qui vota jubentis manu artifici proſecutus egregium opus compoſuerat*. Totidem fermè ſyllabis idem traditur in hiſtoria quam diximus Dunelmenſi[e] recentiori. Hæc omnia perfecerant illi codici jam dicto, ſuperſtite Cuthberto, & honoris ejus cauſa; dum ſcilicet Eccleſiæ illius monachi erant Eadfridus & Ethelwoldus, ſeu ſub annum 680. Adeóque ſcriptus eſt ac ſic ornatus annis abhinc 970 aut circitèr. Jam verò monere heic viſum eſt, codicem hunc ipſum, tam vetuſtum tantique ſemper ibi pretii habitum, proculdubiò etiamnum inter bibliothecæ Cottonianæ Cimelia eſſe viſendum. Nempe habetur ibi perpulcherrimus Evangeliorum illius ſeculi codex, ſplendidiſsimè ſcriptus ornatúſque, cui Euſebii & Hieronymi præfationes & Canones præfiguntur, interſertâ etiam Saxonicâ inter lineas verſione Aldredi presbyteri, ut ex Saxonicis ſtatim allatis liquet. In calce codicis, ſeu ad Joannis Evangelii finem, adjicitur manu coæva;

> ✠ *Litera me pandat Sermonis fida miniſtra,*
> *Omnes alme meos fratres voce ſaluta.*

---

[a] *Britannicarum Eccleſiarum Antiquit. cap. 15. pag. 718. 931 &c. loca ibi ex eo addncta ſunt in Simeonis editis lib. 3. cap. 9, 15, 22.*

[b] *Nomenclatura Scotorum ſcriptorum pag. 21. Menologium Scoticum pag. 27.*

[c] *Part. priori ad ann. 1073.*

[d] *Lib. 2. cap. 12. & 13.*

[e] *Ms. in bibliotheca Cottoniana fol. 18. 1.*

Ita claudicat verſus ſecundus. Et dein,

✠ *Trinus & Unus Deus Evangelium hoc ante ſecula conſtituit.*
✠ *Mattheus ex ore Chriſti ſcripſit.*
✠ *Marcus ex ore Petri ſcripſit.*
✠ *Lucas de ore Petri Apoſtoli ſcripſit.*
✠ *Johannes in prochemio deinde eructavit verbum; Deo donante & Spiritu ſancto, ſcripſit.*

Sequitur ibi ſcriptum Saxonicum in quo expreſſa operæ jam dictæ Eadfridi, Ethelwoldi, & Bilfridi in codice illo ſcribendo ornandóque, juxta quæ Turgotus narrat, mentio, uti & Aldredi presbyteri, tum verſionis tum ſcripti hujus Saxonici reliquorúmque conjunctorum, ſed poſt Cuthberti ac Eadfridi obitum, autoris, Saxonica idem indicantia ad hunc modum ſe habent.

✠ Ealdfrið Biscop Lindisfearnensis æcclesiæ he þis Boc aƿritt æt fruma Gode ⁊ sancte Cuðberhte ⁊ allum ðæm halgum ða ðe in eolonde sint. ⁊ Eðilƿald Lindisfearneolondingu hit uta giðrýde ⁊ gibelde sƿa he ƿel cuðe; ⁊ Bilfrið se oncre he gismodade þa gihrino ða ðe utun on sint ⁊ hit gihrinade mið golde ⁊ mið gimmum æc mið sýlfre of gýlded fuconleusfeh; ⁊ Aldred presbýter indignus ⁊ miserrimus (ubi in ora paginæ, *Alfredi natus Aldredus vocor; Bonæ mulieris filius eximius loquor*) mið godes fultume ⁊ sancti Cuðberhtes hit of gloesade on englisc ⁊ hine gehamadi mið ðæm ðrim dælum. Matheus dæl Gode ⁊ sancte Cuðberhti, Marcus dæl ðæm Bisc. ⁊ Lucas dæl ðem hiorode ⁊ æhtora seolfres mið to in lade; ⁊ sancti Iohannis dæl fhine seolfre ⁊ feouer ona seolfres mið Gode ⁊ sancti Cuðberhti. ꝥ te he hæbbe onfong ðerh godes milsse on heofnum seel ⁊ sibb on eorðo forðgeong ⁊ giðýngo ƿisdom ⁊ snýttro ðerh sancti Cuðberhtes earnunga.

✠ *Eadfrid, Oethilwald, Billfrith, Aldred, hoc evangelium Deo & Cuthberto conſtruxerunt & ornaverunt.* Ex hiſce puto nemo dubitabit hunc eundem eſſe ipſum Cuthberti codicem à Turgoto & Simeone ſic memoratum, quod, monimentum adeo venerandum quiſquis introſpexerit, facilè ſatis ut concedat neceſſe eſt. Et demum de Simeone Dunelmenſi, hactenus.

II De Joanne Priore Hagulſtadenſi ſeu de **Herham**, quem elogiis efferunt biographi obvii[a], non eſt quòd plura dicamus quàm quòd Annalium ſuorum, quibus Simeonis Hiſtoriam de geſtis regum per annos viginti quinque continuavit, rebus eum ſatis fuiſſe ſive coævum ſive vicinum adeóque earundem teſtem eſſe perquam idoneum. Floruit ſub Henrico ſecundo Rege, etiam, ut interdum volunt, ſub Ricardo primo. Sed mirum intereà eſt viro longè præſtantiſſimo aliáſque diligentiſſimo[b], ſaltem alicui cujus poſt obitum ejus opera jam prodiit Editio ejus altera de Hiſtoricis Latinis, excidiſſe[c], Joannem hunc Balæo & Pitſeo præteritum, cum uterque eorum vitam ejus inter alios exhibeat, & Balæus in editione[d] utrâque. Etiam in editione prima[e] inter Anglicanos ſcriptores eum ejúſque opera memorans, expreſſim ipſe dixerat,

---

[a] *Balæus Cent. 3. Script. 31. Pitſeus Æt. 12. 261.*

[b] *Gerard. Jo. Voſſius de Hiſtoricis Latinis.*

[c] *Lib. 3. parte altera pag. 709.*

[d] *Priori fol. 94.*

[e] *Lib. 2. cap. 52. pag. 374.*

Alia quoque edidiſſe ex Balæo cognoſces. Imò quod mirum magis eſt, in ipſius editionis ſecundæ[a] libro & capite heic adnotatis eadem ipſa retinentur, ſed ut debuere, vocabula, licet alio ibi in loco ſic dicatur eum à Balæo præteritum. Hallucinatus autem eſt Geſnerus cui dicitur, *Scripſiſſe rerum in Anglia geſtarum hiſtorias à nono anno Henrici ſecundi, uſque in Richardum primum*, cum ſcilicet haud ultra Stephanum Regem ſcripſiſſe eum palàm ſit.

III. Ricardus itidem Prior Hagulſtadenſis ævi ſui hiſtorica hæc ſua conſcripſit[b]. Floruit ſub Henrico Rege ſecundo. Sub Richardo primo mortuus eſt, ſeu ſub annum 1190.

IV. De Serlone hoc, Boſtonus Burienſis MS.[c] *Serlo* (ſcripſit) *de Oratione Dominica, de Dictionibus diſſyllabis lib.* 1. Lelandus[d] cui quatuor inter Scriptores Angliæ Serlones enumerantur, hunc facit quartum; *Serlo denique quartus*, inquit, *ex Canonico Eboracenſi factus monachus Fontanus* (cœnobii quod ſuprà memoravimus S. Mariæ de Fontibus) *deinde & Kirchſtallenſis* (**Kirchſtede** item locus dicitur in agro Eboracenſi) *quo dictante, Hugo Kirchoſtallenſis perſcripſit res geſtas Fontani monaſterii, ac originem unà cum incremento Bernardinæ in Anglia ſectæ.* Sic Lelandus, quem citans Balæus[e] quaſi ipſius tranſcriberet verba, alia quæ apud Lelandum non habentur, intermiſcet. Claruit ſub Henrico ſecundo ſeu circa annum 1160. Conſulas de eo Chryſoſtomum Henriquez in Faſciculo Sanctorum[f] Ordinis Ciſtercienſis.

V. Ailredi ſeu Ealredi Abbatis cœnobii in agro Eboracenſi Rivallenſis (is pariter Ethelredus, Aluredus, Adilredus, Elredus, Valredus, aliterque ſubinde nuncupatur) vitam item ſcripſit Lelandus[g]. *Ealredus* (ſic nomen ejus illi, & benè, exaratur) *monachus Rhevesbienſis in provincia Lindiorum* (Cœnobium intelligit agri Lincolnienſis **Revesby** dictum, à Guilielmo de Romara Lincolniæ olim comite Monachis[h] fundatum, ubi cœnobitas fuiſſe ſanctimoniales malè traditur in Joannis Spedi Catalogo, quod nec in Latina ejuſdem Nicolai Harpsfeldii verſione[i] corrigitur) *educatus fuit neſcio certè quo caſu in Scotia cum Henrico Davidis Scotorum principis filio, uſque ad ipſos adoleſcentiæ annos, quo tempore ad ſuos in Angliam reverſus divertebat ad Rhevesbienſes monachos Ciſtercienſis ordinis, ubi cœleſtis vitæ ardore totus inflammatus novæ Religionis jugo ſponte collum ſubdebat, in qua talis tantúſque evaſit, ut brevi ſocios ejuſdem profeſſionis omnes, omnibus vitæ ornamentis ſuperaret. Acceſſit ad hæc literarum cognitio quam unà cum Henrico Davidis Scotti filio imbiberat. Quæ res tanto illi poſteà ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, ut nullum ſcientiæ genus intactum relinqueret. Jámque Abbas ſolo virtutis nomine factus, tanquam clariſſimum ſuæ religionis Sydus, inter minora Lumina eminuit, monachos exemplo docens, literis purioribus informans; quo factum eſt ut regni nobilibus non minùs quàm ſuis charus eſſet, & Abbas ſecundus Rievallenſis deſignaretur. Atque ne ſuos tandem abiens deſereret, egregia apud illos eruditionis monimenta reliquit, in quibus ſcribendis præcipuâ uſus eſt operâ Gualterii Danielis Diaconi*[k], *ejuſdem*

[a] *Pag.* 422.

[b] *Bal. Cent.* 3. *ſcript.* 32. *Geſnerus, Pitſeus æt* 12. *ſcript.* 282. *Voſſius De hiſtoricis Lat. lib.* 2. *cap.* 52.

[c] *Penes Jacobum Uſſerium Armachanum.*

[d] *Ms. in bibliotheca publica Oxonienſi.*

[e] *Cent.* 2. *ſcript.* 91. *& vide Cent.* 3. *ſcript.* 81. *& Pitſeum Æt.* 13. *ſcript.* 322.

[f] *Lib.* 2. *Diſtinct.* 26. *cap.* 52.

[g] *Ms. in bibliotheca publica Oxonienſi.*

[h] *Videſis Rot. Patentium* 9 *Edwardi* 2. *part.* 1. *menb.* 5. *Rot. Patentium* 24 *Hen.* 6. *part.* 2. *membrana* 21 *&c.*

[i] *Subjuncta Hiſtoriæ ejus Eccleſiaſticæ.*

[k] *Videſis Balæum Cent.* 3. *ſcript.* 3. *Pitſeum Æt* 12. *ſcript.* 233.

Collegii monachi, de quo mox plura dicemus, interim connumeraturi libros quos ſcripſit. Adjectâ dein librorum ejus recenſione, quæ & Balæana[a] & Pitſeana amplior eſt, pergit Lelandus; *Fuit in maximo pretio regnantibus Stephano & Henrico ſecundo regibus, claruitque poſt obitum miraculis & in Sanctorum catalogum relatus. Sepulchrum ejus vidi, in eccleſia Rhievallenſis cœnobii, auro & argento exornatum. Cum hæc ſcripſiſſem incidit mihi ſuſpicio Ealredum in Scotia fuiſſe natum ac deinde in Angliam perveniſſe. At interim nihil temere adfirmo, veritate nondum excuſſâ.* De eo quod eſt utrum Scotus fuerit an Anglus, conſulas Thomam Dempſterum[b]. Ut Sancti[c], vita ejus, nomine Alredi habetur in Legenda Sanctorum Anglicanorum Capgravii. Et in menologiis aliquot dies ei aſſignatur 12 Januarii. Chryſoſtomus Henriquez[d]; *In Anglia Sanctus Aelredus Rie-vallis Abbas, qui poſtquam dignitates ſibi oblatas humiliter contempſiſſet, omnium virtutum genere decoratus, migravit à ſeculo, ſanctorum numero poſtmodum aſcriptus.* Memoratur item Molano[e], Arnoldo Wion[f], aliis. Confundi autem illum à nonnullis benè ibi notat Chryſoſtomus ille cum Ethelredo Abbate itidem Ciſtercienſi cœnobii Wardonenſis[g] in agro Bedfordienſi; quod ex nominis & ſeculorum utriuſque vicinitate evenit. Nec Adilredus Tritemio[h] ac Sixto Senenſi[i] memoratus alius eſt à Wardonenſi illo, qui ſub Henrico Rege tertio ſeu anno 1220 floruit. Hic autem Rhievallenſis ſub Henrico ſecundo ſeu anno 1166 quo mortuus eſt. Videſis de eo etiam Voſſium[k], & Chryſoſtomi Henriquez Phœnicem reviviſcentem[l], à quo laudibus perquam eximiis effertur, adjecto etiam è Nicolao Rivallenſi monacho veteri qui ſub annum 1220 fuit ſui ſeculi poeta, & habetur MS. in S. Victoris bibliotheca Pariſiis, encomio ejuſdem rythmico,

Inclitus Aelredus conditus aromate morum,
Et mellis favus & dulcedo fuit Monachorum,
*Flore juventutis hunc Regis * Regia fovit*
Quæque nociva, procul animóque manúque removit &c.

Hæc & reliqua ejuſmodi de illo ibi occurrentia, è jam dicto Nicolao, cum ejuſdem de Ealredo aliis aliquot, antè evulgaverat etiam Joannes Picardus in notis ad Guilielmum Nubrigenſem de rebus Anglicis ſcriptorem. Guilielmus ille Ealredo coævus epiſtolam præfigit ad *E. Abbatem Rievallis* qui hic ipſe eſt Ealredus noſter. Ejuſdem Theologica quædam, circa annos abhinc viginti, typis edidit[m] Richardus Gibbonius è Societate Jeſu. Et ſanè vita quædam Edwardi Confeſſoris autore Ealredo Anglo monacho & Abbate in Rhievalle (qui ipſe eſt hic noſter) habetur apud Capgravium & Surium[n]. Sed verò tum in principio & fine tum ſæpiùs in mediis adeò illa curta & manca eſt, ut primæ Confeſſoris illius Vitæ ab Ailredo conſcriptæ editionis nomen hæc quæ jam prodit ſatis mereatur.

VI. Radulphus de Diceto, Dicetenſis itidem nuncupatus, Decanus Londini Paulinus claruiſſe dicitur etiam ſub Joanne Rege ſeu circa annum 1210. Vir erat ſui ſeculi tum ob doctrinam tum ob pietatem ſingularem percelebris. Præter biographos editos[a], memorat eum Boſtonus Burienſis MS. *Radulphus de Diceto Decanus eccleſiæ Sancti Pauli London. Floruit anno Chriſti* 1197, *& ſcripſit librum Cronicorum qui dicitur Imagines Hiſtoriarum. Cronica ſunt Imagines Hiſtoriarum* (quod pro initio, ut fieri ſolet, adnotatum in editis heic habetur col. 434. atque etiam in MS. Abbreviationum ejus initium idem eſt, uti & Balæo & Pitſeo, quod quidem ab eo ſumtum ex Caſsiodoro[b]) *& finit anno Chriſti* 1195, qui numerus biennio eſt major fine ejus in editis[c] hiſce cum nomine ejuſdem inter alios ſcriptores memorato, etiam & quinquennio eo qui in optimis MSS. ſic reperitur, ſed demùm quadriennio minor ipſo hiſtoriæ ejus fine. Inter primarios Angliæ hiſtoricos habitus eſt ſub Edwardo primo Rege, quando ſimul cum Mariano, Guilielmo Malmeſburienſi, Hovedeno, Huntingdonio, ad Regum Angliæ in Regno Scotiæ, ut ejuſdem dominorum ſupremorum, jus avitum aſſerendum, inter alia rei tam explorati juris teſtimonia, adhibitæ ſunt ejus pariter hiſtoriæ, qua de re Thomas Walſinghamius[d]; in cujus tum Londini tum Francofurti editis perperàm vocatur *Radulphus de Luzeto,* uti & apud Poſſevinum è *Rizeto*, in MSS. aliquot Polychronici Ranulphi Ceſtrenſis[e] *de Byzeto*, & in verſione Polychronici Anglicanæ veteri Joannis de Treviſa typis editæ **Ralf le Bruys**, Joanni Roſſo Warwicenſi[f] non ſemel *de Duceto*, & in Codice veteri[g] cui titulus eſt, *Suppletio Hiſtoriæ regum Angliæ quantum ad Reges Saxonum, Danorum & Normannorum extracta per Johannem* **Pyke** *de compendio Brevi*, dicitur *Radulphus de Doiceto*; ubi legitur, *commendatur ipſa provincia à quodam hiſtoriographo, ſcilicet Magiſtro Radulpho de Doiceto Decano de Londonienſi eccleſia; qui compoſuit librum qui dicitur Imagines Hiſtoriarum, in hunc modum; Britannia, ſicut legitur, inter inſulas omnes eſt vel prima vel maxima; quam natura benignior à Deo reddidit ad inhabitandum acceptam, ut quicquid uſus deſiderat vel appetit luxus, ex ea proveniat aut aliunde tranſvehatur ad eam. Advenas etiam quovis deſiderio accedentes ad eam allicit, conſque quod ſi moram in ea faciendi nacti fuerint, qualibet ratione vix ulterius animum repatriandi concipiant.* Quod quidem initium eſt Imaginum Hiſtoriarum Radulphi in MSS. aliquibus[h]. Laus quidem ut egregia ita & vera ſatis. Atque ob adeò ſingulares inſularum Britannicarum dotes, ingentémque earundem etiam apud exteros famam, olim à compluribus iiſque viris magnis exiſtimatum eſt, *Fortunatarum inſularum* nomine eas veniſſe. *Cum enim, ut eſt apud Robertum Aveſburienſem* (ſic Guilielmus Camdenus[i]; nec verò mihi præſtò eſt Aveſburienſis ipſe) *Clemens* $\overline{VI}$ *Pontifex Romanus Ludovicum de Hiſpania Fortunatarum Inſularum Principem deſignaſſet* (Comitem ſcilicet Claromontis[k], ſub annum 1344, & Philippi Valeſii Galliarum Regis apud Pontificem legatum[l]; aliis dicitur[m] Comes *de Telamon*, *Princeps Fortunæ* item inde vocitatus) *& in ejus ſubſidium delectus in Gallia & Italia haberet, perſuaſiſſimum noſtris erat, illum Britanniæ principem deſignatum eſſe, & in Britanniam quaſi unam de Fortunatis, ut inquit ille, omnem*

---

[a] *Cent.2.ſcript. 99. Pitſ. Æt. 12.ſcript. 227.*

[b] *Apparatu ad hiſtoriam Scoticam, Menologio Januarii 5. Hiſt. Eccleſiaſtic. lib.5. cap.457.*

[c] *De Hiſtoric. Latinis lib.2. cap.51.*

[d] *In Menologio Ciſtercienſium Jan.12.*

[e] *In Annotat. ad Uſuvardum.*

[f] *Ligno Vitæ lib.2.cap.48.*

[g] *Bal.Cent.3. ſcript.80. Pitſ. Æt.13.ſcript. 318.*

[h] *De Scriptor. Eccleſiaſticis.*

[i] *Bibliothec. ſanct. lib.4. in A.*

[k] *De Hiſtoricis Latinis lib.2. cap.51.*

[l] *Cap.7.*

* *Scotiæ*

[m] *Duaci Anno 1631.*

[n] *Tom.1.Jan.5.*

---

[a] *Bal. Cent. 3. ſcript. 62. Pitſ. Æt. 13. ſcript. 300. Voſſius de Hiſtoricis Lat. lib. 2. cap. 56.*

[b] *Divinarum Lectionum lib. cap. 17.*

[c] *Col. 432. & vide col. 403.*

[d] *Anno 1292.*

[e] *Lib. 7. cap. 39.*

[f] *Ms. in Bibliothec. Cottoniana fol. 76. 2. 232. 2.*

[g] *Ms. in Bibliotheca Arundelliana, C. 54. fol. 91.*

[h] *In bibliotheca Cottoniana vol. ampliori.*

[i] *Brit. pag. 3.*

[k] *Mariana de rebus Hiſpaniæ lib. 16. cap. 14.*

[l] *Tho. Walſingham ann. 1344.*

[m] *Hieronym. Surita Annal. Aragon. lib. 8. cap. 4.*

iſtum apparatum fieri. Ipſique viri prudentiſſimi, noſtri apud Pontificem legati ita hanc opinionem imbiberunt, ut ſtatim ſe Româ ſubduxerint, & in Angliam, ut ſuos certiores facerent, advolarint. Nec aliud nunc judicarit, qui Fortunatas & beatas Britanniæ dotes penitùs noverit. Legati illi ad Pontificem miſſi ſunt ab Edwardo tertio ſub annum 1344 ut de Jure ejus in Regno Gallico induciiſque cum Philippo Valeſio prorogandis finiendiſve ab eis illic ageretur. Quin ſane & numeroſi erant illi & viri perquam illuſtres qui ſic opinionem illam imbiberant. Comites quatuor, Barones ſex, adjectis inſuper quatuor pluribúſque è primariis adeóque pro doctioribus habitis tum Theologis tum Juriſconſultis. Nomina eorum in tabulis illius ævi publicis[a] ita habentur; Henricus de Lancaſtria comes Derbiæ, *conſanguineus noſter chariſſimus*, Richardus Arundelliæ, Thomas Warwici, Robertus Suffolciæ, Willielmus Huntingdoniæ Comites, Hugo **le Deſpenſer**, Radulphus de **Nevill**, Bartholomæus de **Burgherſhe**, Johannes **le Grey** de **Ruffin** (ſic exaratur; ſed proculdubio pro **Ruthin**) *conſanguineus noſter*, Reginaldus de **Cobham**, Thomas de **Bradeſton**, Barones, Magiſtri Willielmus de Norwico Decanus Lincolnienſis, Johannes de **Offord** Elienſis, Henricus de **Chaddiſden** Stowenſis, & Robertus **Herward** Tantonienſis Archidiaconi. Alii etiam hiſce adjuncti. Certè mirum ſatis eſt tot tantóſque viros de nomine Inſularum Fortunatarum in conceſſione Pontificia ita ſenſiſſe, indéque ſe ut ex Aveſburienſi narratur ſic geſſiſſe. Sed verò etiam celebratiſſimas fuiſſe olim apud Græcos veteres Latinóſque τὰς Μακάρων νήσους, *Beatorum*, *Felicium*, ſeu *Fortunatorum inſulas*, nemo neſcit, quæ ita variatim illis intellectæ ut interdum etiam locis, quæ inſulæ non eſſent, ob felicitatem aliquam ſingularem ſuſpiciendis, nomen illud tribueretur, ſicut à Lycophrone in Alexandra, in veteri Epigrammate[b], & à Parmenide aliíſque, ut ex Heſychio & Suida liquet, Thebæ Bœotorum ſeu urbis illius arx νῆσος & νῆσοι μακάρων nominantur, ob Jovis natales ibi creditos. Aliis inſulæ aliquot maris Ægæi ſic appellatæ[c]. Alii Elyſium idem, cum eis faciunt[d], quod in medio inferorum collocabant alii, alii in Lunari circulo, ut Theologi. Nimirùm *Fortunata* Virgilio dicta *memora ſedéſque beatæ*, atque *arva beata & inſulæ divites* Horatio[e], pro Inſulis Fortunatis, ut beatiſſimis mortuorum ſedibus[f], ſumtæ. Ut autem inoleverat apud perplurimos ſententia, ſedes illas haberi in occiduis telluris partibus ſeu in Oceano circa πείρατα γαίης, *ultima Terræ*, ubi Elyſium ſuum collocat Homerus[g] & Inſulas Fortunatas, ſeu Beatorum eadem in notione, Heſiodus[h], ita partes illas occiduas ipſiſſimas eo nomine fuiſſe Britannias antiquitùs exiſtimatum eſt, eáſque inſulas ſeu in eis fuiſſe ipſum Elyſium ſeu Paradiſum. Inde apud Iſacium Tzetzem in commentariis ad Lycophronem, uti & Joannem fratrem ad Heſiodum, Fabula quidem, ingenii planè Græcanici, habetur de eis inſignis ſimul & perquam ridicula, ſed ejuſmodi, ut ex ea opinio apud Græcos admodum hanc circa rem recepta apertè cerni poſſit. Lycophronem ſuum qui Thebarum urbem hoc nomine indigitâſſet, ideo refutat Iſacius Tzetzes tes quia insulæ illæ Beatorum sunt παρ' *Ὠκεανὸν βαθυδίνην*, *ad Oceanum profundum*, juxta Hesiodum aliósque Græcorum scriptores vetustos quos ibi citat. Et dein, [illegible] γὰρ, inquit, ἐν Ὠκεανῷ ἐστὶν ἡ Βρεττανία νῆσος, μεταξὺ τῆς τε ἐν δύσει κειμένης Βρεττανίας, καὶ Θούλης τῆς πρὸς ἀνατολὰς μᾶλλον, *Est enim in Oceano insula illa Brettania, inter Brettaniam illam quæ sita est in Occidente & Thulen quæ ad Orientem magis vergit.* Id est, Britannia Magna seu Albion, quam sic collocat ille inter Britanniam alteram seu Parvam, quæ Hibernia est, & Thulen, de cujus situ haud parùm discrepant Chorographi tum veteres tum recentiores. Sed Tzetzi puto heic cum Procopio[a] sumitur pro Scandinavia. Et de Thule copiosè nuper præ aliis Isacius Pontanus[b]. Hiberniam autem heic alteram esse Britanniam, palàm est, utpote quæ sic itidem Ptolemæo & Dionysio Afro nominatur aliisque tum Græcis Latinis & Arabibus (qua de re alibi[c] item diximus) tum Ebræis; unde Rabbi Abraham Ben Chaija in Sphæra sua mundi[d] habet, inter האיים שבים אוקינוס *insulas maris Oceani*, בריטניא רבה ובריטניא זעירה *Britanniam Magnam & Britanniam Parvam*, id est planè Albionem & Hiberniam, pro quibus satis infeliciter substituit Oswaldus Schreckenfuchsius interpres, *Parthaniam Magnam & Parthanian Parvam.* Atque illinc etiam insulæ minores innumeræ circumjacentes tam Magnæ quàm Parvæ, Britannicæ dictæ. Joannes autem Tzetzes[e] Hiberniam Bretanidum (ut ille cum aliis vocat) Primam, & Albionem, quæ Ἀλουΐων illi dicta, secundam seu ut Minorem facit. Pergit autem Isacius Tzetzes; Λέγονται δὲ τὰς τῶν ἀποθνησκόντων ψυχὰς ἐκεῖσε διακομίζεσθαι. Παρὰ γὰρ τὴν ἀκτὴν τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ περὶ τὴν Βρεττανίαν ταύτην νῆσον, ἰχθυοθῆραι ἄνθρωποι κατοικοῦσιν, ὑπήκοοι μὲν Φράγγοις, φόρον δὲ μὴ τελοῦντες αὐτοῖς διὰ τὸ παραπέμπειν τὰς τῶν τελευτώντων ψυχάς, ὥς φασιν. Οὗτοι γὰρ ἀπελθόντες ἐν ταῖς τῶν αὐτῶν οἰκίαις περὶ ἑσπέραν καθεύδουσιν. Ἀρασσομένην δὲ μετὰ μικρὸν αἰσθάνονται τὴν θύραν, καὶ φωνῆς ἀκούουσιν ἐπὶ τὸ ἔργον καλούσης αὐτούς. Ἀναστάντες δὲ πρὸς τὸν αἰγιαλὸν βαδίζουσιν, οὐκ εἰδότες ποία ἄγει αὐτοὺς ἀνάγκη. Ὁρῶσι δὲ ἀκάτους παρεσκευασμένας, ἀλλ' οὐ τὰς αὐτῶν, κενὰς μέντοι ἀνθρώπων, ἐν αἷς εἰσελθόντες κωπηλατοῦσι, καὶ αἰσθάνονται βάρους τῶν πλοίων, ὡς ἐκ ἐπιβατῶν, οὐδένα δὲ ὁρῶσι. Ῥοπῇ δὲ μιᾷ καταίρουσιν εἰς τὴν Βρεττανίαν νῆσον, μόλις ἐπιχειροῦνται ταῖς ἰδίαις ναυσὶ νυχθημέρῳ καταίρειν διανυόμενοι. Καταίροντες δὲ πρὸς τὴν νῆσον, πάλιν οὐδένα ὁρῶσι. Φωνῆς δὲ ἀκούουσι τῶν δῆθεν ὑποδεχομένων, τοὺς αὐτῶν ἐπιβάντας ἀπαριθμουμένων, αὐτοὺς καὶ πατρόθεν καὶ μητρόθεν, ἔτι δὲ καὶ ἐξ ἀξίας καὶ τέχνης καὶ ὀνομαζομένων τῶν καθ' ἕνα καλούντων. Οἱ δὲ τούτων δῆθεν ἀποφορτισάμενοι πάλιν ἐλαφροτέροις τοῖς σκάφεσι μιᾷ ῥοπῇ πρὸς τὰς οἰκείας αὐτῶν ὑποστρέφουσι. Ἐκ τούτου πολλοῖς ἔδοξεν, εἶναι τὰς μακάρων νήσους ἐκεῖσε καὶ τοὺς ἀποβιώσαντας ἐκεῖσε διαπεραιοῦσθαι. *Fertur autem Mortuorum Animas illuc transvehi. Nam juxta litus Oceani Brettaniam illam alluentis, homines degunt piscatui assueti qui Francis quidem* (Græci recentiores eo nomine Celtas veterum seu Europæ populos indigetare solent) *subditi sunt. Tributum autem eis non pendunt, ideo quod transmittant Mortuorum animas, ut ferunt. Hi enim à piscatu redeuntes, sub vesperam in domiciliis suis dormiunt. Et paulò post, fores pulsari sentiunt, & vocem audiunt eos ad opus præstandum invocantem. Surgentes verò ad litus se conferunt, nescientes qualisnam eos urgeat necessitas. Ibi vident naves instructas,*

---

[a] *Rot. Romæ anno 17 Ed. 3. membran. 2. & 3. & Rot. Francia 17 Ed. 3. membran. 12. & vide Rot. Romæ 18 Ed. 3. membran. 2. & Th. Walſingham ann. 1343.*

[b] *Iſacius Tzetzes ad Lycophronem pag. 155. edit. Baſil.*

[c] *Mela lib. 2. cap. 7. Diodorus Siculus lib. 5. cap. 83.*

[d] *Servius ad Æneid. 5. & 6.*

[e] *Epod. 16.*

[f] *Lucian. de vera conſcribend. hiſt. lib. 2. Scholiaſt. ad Ariſtoph. Ranas act. 1. ſcen. 2. Schol. vet. in Horatii Epod. 16 &c.*

[g] *Odyſſ. δ. & videſis Salluſt. apud Servium in Æneid. 5.*

[h] *In* Ἔργ. καὶ ἡμέρ.

---

[a] *Gothic. lib. 2.*

[b] *Chorographic. Daniæ descript. pag. 882. & c. 741 & c.*

[c] *In Mari Clauso lib. 2. cap. 1.*

[d] *Cap. 6.*

[e] *Chiliad. 8. cap. 218.*

ſed non ſuas, hominibúſque vacuas, in quas ingreſſi remigant, & ſentiunt gravitatem navigiorum, perinde atque ſi ea eſſet ex vectoribus. Sed neminem interim vident. Impetu autem unico deferuntur ad Brettaniam inſulam quò, cùm ſuis utuntur navigiis, vix deferri poſſunt viginti quatuor horarum ſpatio. Ad inſulam verò delati, rurſus neminem vident. Vocem autem audiunt, familiariter eorum vectores excipientium, qui enumerant ipſos & Patres eorum & Matres, & dignitates, & artes & nominatim ſingulos indicant. Illi autem inde eis exonerati, levioribus navigiis, unico itidem impetu, ad propria redeunt. Hinc eſt quod compluribus ſit exiſtimatum, ibi haberi Beatorum inſulas, atque illuc homines cum vitam hanc exuunt, ſic tranſvehi. Parilem habet, ut apud Græcos receptiſſimam, de Inſulis fortunatis narrationem Joannes Tzetzes[a]. Ἐκεῖσε δέ φασι, inquit, καὶ τὰς τῶν ἀποβεβιωκότων ψυχὰς διαπορθμεύεσθαι, γράφοντες τοιάδε. *Illuc aiunt etiam Mortuorum animas tranſvehi, ad hunc modum ſcribentes,* & dein eadem quæ ex Iſacio allata ſunt de Britannia ſubjungit. Ita incolas maritimos ſeu Piſcatores Britanniæ Magnæ, Charontis officium mortuis univerſis præſtare facit prodigioſa hæc narratio, haud paucis tamen Græcorum credita. Atque inde Fortunatarum inſularum nomen Britannicis, ſeu inter eas nonnullis, ab illis tributum. Et ſanè ſi Tzetzes hoſce intelligo, in litore Britanniæ magnæ volunt reperiri navigia illa animabus onuſta, indéque illa cum remigibus rapta, impetu unico, ad Hiberniam adpelli, tunc Scotiam itidem vocitatam. Atque huc ſpectare videtur illud Claudiani[b],

Eſt locus extremum pandit quà Gallia litus
Oceani prætentus aquis, quo fertur Ulyſſes
Sanguine libato populum moviſſe ſilentum.
Illic Umbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus &c.

Et Natalis Comes[c]; *cum Fortunatæ inſulæ, campíque Elyſii in ea parte Britanniæ (de communi omnium propè præſtantiorum ſcriptorum ſententia) quæ eſt inter occidentem Britanniam & Thulem ad ortum Solis dicerentur; piſcatores quidam fuiſſe in litore maris Oceani narrantur juxta hanc Britanniam inſulam &c.* Quæ reliqua illic adjicit, uti etiam quæ habet hac de re Antonius Muretus[d], ex Joanne Tzetze in Heſiodum ſumta ſunt. Floruere Tzetzes illi ſub finem ſeculi duodecimi[e]. Et forſan ex Græcorum illa de nomine opinione quam proculdubiò didicerant Angli in bello Orientis Sacro inter eos verſantes atque ad poſteros tranſmiſerant, orta eſt Legatorum illorum de Inſulis Britannicis ſententia. Sed verò in conceſſione illa Pontificia neutiquam Britannicas Fortunatarum nomine intellectas volunt meritò alii. Thomas Walſinghamius[f]; *Illæ inſulæ ſunt in mari mediterraneo, valde fertiles, quarum incolæ nec ſunt Chriſtiani, nec de ſecta Machometi. Donum utique laude dignum, ſi poſſeſſionem pacificam contuliſſet.* Adnotatur in editorum margine, *creatur novus princeps Inſularum Balliarum,* proculdubio pro *Balearium.* Sed puto potius illum *Mediterraneum,* in quo ſitæ Baleares, heic adhibuiſſe pro Atlantico, de cujus inſulis Fortunatis ſtatim. Nam certum eſt tum diu antè Chriſtianiſmum in Balearibus receptum eſſe, tum Fortunatarum voce eas non denotatas. Atqui etiam annalium autor anonymus[a], *anno*, inquit, *Domini MCCC XLIIII Pontificis Clementis Papæ VI anno III & Edwardi tertii poſt conqueſtum XVIII, XVII die Novembris, dominus Papa creavit unum novum principem qui fuit ambaſſador domini Philippi de* **Valeys** *deſtinatus domino Papæ & nominatus dominus Lodovicus de Hiſpania Miles & Soldarius prædicti Philippi, quem idem Papa in ipſius creatione vocavit Principem Inſularum Fortunatarum, quarum, ſeu ad quem effectum hujuſmodi facta fuit creatio neſcitur adhuc. Utinam ad honorem Anglicorum, quorum proſperitatem idem Papa, ut creditur, intimè non affectat.* Ita hic Papæ ipſi & conceſsioni illi contemporaneus ſuſpicari videtur id de quo legati jam dicti vix dubitare quidem ſunt viſi. Sed rectiùs proculdubiò illi qui de celebratiſsimis Inſulis Fortunatis in mari Atlantico Africæ obverſis ſeu *Canariis* (à maxima ſimul ſic omnibus dictis) donationem illam Pontificiam indubitantèr ſumunt. Ita ſcriptores Hiſpanici[b], Gallici[c], alii, ut & Abraham Bzovius[d] qui eam in rem Clementis VI epiſtolam nonam citat. Et mirum ſanè dictu, in conceſsionis illius tot ſolennibus palàm & publicè, nec ſine Papæ in conſiſtorio oratione ea de re habitâ[e] (cujus thema erat *Faciam principem ſuper gentem magnam*) factæ ſenſu intelligendo, dubium ejuſmodi aut incertum tunc manſiſſe, ut cujuſnam loci Princeps is factus eſſet adeò ignoraretur. Etiam Franciſcus Petrarcha ſatis conceſsionis tempori vicinus coævúſque, non dubitat de Atlantici maris inſulis eam tunc captam eſſe. De illis loquens, *nuper*, inquit[f], *Clemens VI illi patriæ principem dedit, quem vidimus Hiſpanorum & Gallorum regum mixto ſanguine, generoſum quendam virum* (Ludovicum illum quem diximus) *qui cum eo die Corona ac ſceptro per urbem* (Avenionem) *ſpectandus incederet, repentè tantus cœlo imber effluxit, atque ita domum madidus rediit, ut omen eſſet incubuiſſe illi verè Pluvialis & aquoſæ patriæ principatum. Cui quidem in dominio extra orbem ſito, qualiter ſucceſſerit non novi. Scio tamen quod multa ſcribuntur & feruntur, propter quæ non plenè Fortunatarum cognomini fortuna conveniat.* Sic ille. Lapſu autem memoriæ Henricus Spondanus Apamiarum Epiſcopus, velut ex Joanne Mariana, ait[g] Pontificem Fortunatas inſulas, ſive Canarias, dictas Alfonſo XI Caſtellæ Regi donâſſe, ea lege ut ibi Chriſtianam legem inſtitueret. De nomine demùm illo & τῶν μακάρων νήσων inſulis illis antiquitùs ſignantiúſque tributo, obvia ſatis ſunt atque expreſsiſsima apud Strabonem[h], Salluſtium[i], Florum[k], Plinium[l], Solinum[m], Ptolemæum[n], Plutarchum[o], Philoſtratum[p], Euſtathium[q], Iſidorum[r], teſtimonia. Sed in codice Ptolemæi optimo MS. Bibliothecæ Arundellianæ, ita denotantur illæ,

---

[a] *In Heſiod.* Ἐργ. καὶ ἡμερ.

[b] *In Rufinum lib.1.*

[c] *Mytholog. lib.3.cap.19.*

[d] *Var. lect. lib.5. cap.1.*

[e] *Videſis Joann. in Chiliade 11. cap. 385. & Voſſium de Hiſtoricis Græcis lib. 2. cap.27.*

[f] *Anno 1344.*

Ἀπρόσιτος νῆσος	α	ιϛ	
Ἥρας νῆσος	α	ιε	δ'
Πλυϊτάλα νῆσος	α	ιδ	δ'
Κασπερία νῆσος	α	ιϛ	C'
Κανάρια νῆσος	α	ια	
Πιντυεία[s] νῆσος	α	ι	C'

ubi diſcrepantia eſt tum in aliquarum nominibus, tum in longitudinibus

---

[a] *Ms. in Biblioth. Cottoniana Otho C. 2. pag. 253. 2.*

[b] *Mariana de Reb. Hiſp. lib. 16. cap. 14 Hieronym. Surita Annal. Aragon. lib. 8. ca. 4. Garibay lib. 14. cap. 21.*

[c] *Nic. Vignier. tom. 3. pag. 510.*

[d] *Annal. tom. 14. ann. 1344. §. 16.*

[e] *Walſingham. ann. 1344.*

[f] *De vita ſolitaria lib. 2. ſect. 6. cap. 3.*

[g] *Auctarium Chronolog. ad Epiſt. Baronii anno 1346.*

[h] *Lib. 1. & 3.*

[i] *Citat. Acroni in Horat. Epod. 16. & Servio in Æneid 6.*

[k] *Lib. 3. cap. 22.*

[l] *Lib. 6. cap. 32.*

[m] *Polyhiſt. cap. 59.*

[n] *Lib. 4. cap. 6.*

[o] *In Sertorio.*

[p] *De Vita Apollonii lib. 5. cap. 1.*

[q] *Ad Odyſſ. 4. pag. 1509.*

[r] *Orig 14 ca. 6.*

[s] *Vide Claud. Salmaſium in Plinianis pag. 1297. & Ortel. in Theſauro Geograph. verb.* Fortunatæ Inſulæ.

bus latitudinibúſque, ab editis etiam qui pro correctiſsimis habentur, nec ea omnino contemnenda. Editorum longitudines ſunt ٥, ٥, ٥, ٥, ٥, ٥, licet verſiones habeant 1, 1, 1, 1, 1, 1. Illinc enim putari locorum ibi longitudines nemo neſcit. Sed non pauca ſunt in numeris Ptolemaicis quæ ex codice illo emendari poſſent. Adſcribitur ibi manu vetuſta جزاير السعدا *Inſulæ Beatorum.* Ita ſcilicet & جزاير السعادات tantundem denotans, Arabum Geographis, ut Abulfedæ, Achmedi Ben Magad, Chalcaſendio, aliis interdum vocitantur; uti etiam ſæpiſsimè جزاير الخالدات quas innuit Geographiæ Nubienſis autor (is eſt, Alſheriph Aldriſius, quo nomine aliquoties citatur Abulfedæ & Chalchaſendio) ubi ait[a] in بحر الظلمات *mari Tenebrarum* (ita Oceanum occidentalem ſeu Atlanticum Arabes nominant) haberi جزيرتان تسميان بالخالدات quod vertunt Maronitæ *duas inſulas Perennes vocatas* ſeu *Alchalidath.* Idem ex Abulfeda *Fortunatas* rectiùs vertit Jacobus Chriſtmannus[b]. Nec numerum earum alium habuit Plutarchus[c], nec, ut puto, Salluſtius[d]. Sed poſtmodum ipſe Aldriſius[e] etiam Sex eas expreſsim facit, duabus tantùm interim ut inſignioribus (*Maſſahan* & *Lacos* vocat) atque unde Longitudines juxta Ptolemæum menſurari ſolent, nominatim memoratis. Nimirùm, neutiquam ab earum meridiano cum Ptolemæo ejúſque vulgo ſequace metiuntur Arabes longitudines locorum, ſed ab ipſo maris Atlantici ſeu Africæ litore maximè occiduo, decem Gradibus orientaliori, ut etiam ex Alfragano[f] & Abulfeda[g] & inde à Jacobo Chriſtmanno[h], & Roberto Hueſio[i] adnotatis liquet. Atque Arabes alii, ſex itidem cum Græcis aliis & Latinis agnoſcunt. Sic Albategnius. *In Oceano occidentali*, inquit[k], *ſunt 6 inſulæ, in oppoſito Terræ Nigrorum, ex inhabitatis inſulis, quæ vocantur Inſulæ Fortunatorum*, quas paulò ante interpres ejus (neque enim eum hactenus Arabicum vidi) appellari ait *Alchalidec* ut in editione vetuſtiore[l] & *Alchalider* ut in nupera[m]. Dubitandum non eſt ſcripſiſſe Albategnium الخالدات quod nomen Arabibus uſitatiſsimum. Ubi verò paulò pòſt legitur *in Oceano occidentali quod Amphiterios appellatur*, perſuaſum habeo ſcripſiſſe illum ببحر الغربي ويقول اوقيانوس *in mari occidentali quod appellatur Oceanus.* Prodigium eſt nominum illud *Amphiterios*. Et videtur ſanè, malâ τοῦ اوقيانوس quæ امفيتريوس forſan ſimularet ſcriptione interpretem ibi deceptum eſſe. Neque enim Arabibus nomen aliquod ejuſmodi Mare illud denotat. Quod verò ad nominis Beatorum inſularum harum, ſic dictarum, rationem attinet, advertendum eſt quod habet vir ſummus Iſaacus Caſaubonus[n]; *Ferè fit, ut inſulæ vicinæ continenti in poteſtate ſunt eorum*[o] *qui oppoſitam oram habent. Itaque* Μακάρων νήσους *quum dicimus, intelligimus inſulas eorum qui extremas continentis partes ad Oceanum occiduum incolunt* (quemadmodum ferè olim ex Jure Cæſareo, *Præſides Inſularum* generatim nominati[p], Cycladum in Mari Ægæo & Ionio inſularum Præſides tantùm, ob excellentiam, ſignificaſſe volunt Juriſconſulti) *quorum quia nota erat fœlicitas & rerum omnium copia ideò propinquas ipſis inſulas veteres vocarunt Beatorum inſulas.* Atque ita explicat illud Strabonis qui de

[a] *Part.1. Climatis 1.*

[b] *Ad Alfragani cap. 11. pag.53.*

[c] *In Sertorio.*

[d] *Fragment. Hiſtor.6.*

[e] *Part.1. Clim.2.*

[f] *Chronolog. Element. cap.3.*

[g] *In præfat. &c.*

[h] *Ad Alfragan. cap.3.*

[i] *De Globis part.4. cap.1.*

[k] *De Scientiis ſtellarum cap.6.*

[l] *Norimbergæ* 1537.

[m] *Bononiæ* 1645.

[n] *Ad Strabonis lib.1.*

[o] *L.9. D. tit. de Judiciis.*

[p] *L.4. aliàs 6. C. tit. de Navicularius, & Novell.8. edict. Conſtantinopolit.* §.46.

de locis Africæ & Hiſpaniæ occiduis beatioribúſque atque inſulis Fortunatis locutus, adjicit, ἐκ δὲ τοῦ ὀνόματος δῆλον. ὅτι καὶ ταύτας ἐνόμιζον εὐδαίμονας διὰ τὸ πλησιάζειν τοιούτοις χωρίοις, *ex nomine conſtat eas Fortunatas eſſe ideò creditas, quòd iſtis eſſent locis vicina.* Sed miſsis tandem hiſce Parergis, in liberiore diſquirendi ſcribendíque otio ſe ultrò ſatis offerentibus, ad Radulphum Dicetenſem redimus. In eodem volumine, quod in bibliotheca Arundelliana Johannem illum **Pyke** antè memoratum habet[a], Chronicon occurrit ſanè non contemnendum, ac Radulpho huic manu antiquâ tributum, cujus initium eſt *Willielmus Baſtardus Dux Normannorum, ſubjugatis Anglis* &c. finis verò in ipſo Joannis Regis exitu. Certè hoc ipſum exiſtimo meritò fuiſſe adhibitum inter ea quæ de Jure illo Angliæ Regum in Regno Scotiæ[b], ſub Edwardo primo Rege, ut dictum eſt, conſulebantur. Nam ea de re in Chronico illo MS. teſtimonia ſunt luculentiſsima. Admittitur autem à biographis, præeunte Balæo, Radulphum hunc citari Joanni Bachoni, ſeu Baconthorpio[c], in Sententias. Is quidem, ad problema illud reverà ſatis mirandum, *Chriſtianis deberi Terram ſanctam multiplici de cauſa & ideò Papam poſſe illam recuperare*, ſtabiliendum, affert quædam ex *Chronica Hieroſolymitana quæ incipit, Terra Sancta* (id eſt planè ex Hiſtoria Hieroſolymitana Jacobi de Vitriaco) de Heraclii aliorúmque tempore uſque in Godefridum Bolonienſem (*de Boylom* ibi & paulò poſt *Boylon* dictum) & ſtatim ſubjungit, *Hæc in Chronicis de domo Sanctæ fidei Norwicenſis diœceſis quæ vocantur Imagines Hiſtoriarum poſt medium, ubi agitur de Vullo rege* (*Willielmo* ſcripſerat proculdubio Bachon, ſed in rebus hujuſmodi negligens erat nimis Chryſoſtomus Maraſca ejus editor) *Cap. Quod autem.* Certè quid ſibi velit illud *Hæc in Chronicis de domo* &c. nondum didici. Nec ibi innui Dicetenſis Imagines, facilè concedet, opinor, quiſquis locum illum ſive cum Imaginibus ejus heic editis ſive Abbreviationibus ejus (nam & illæ Imaginum nomine etiam apud Scriptores ſubinde veniunt) omninò comparaverit.

VII De Joanne Bromtono (ſcriptoribus non rarò, Bramptono paritèr dicto) Abbate, ut vocari ſolet, *Jornallenſi*, breviter quidem loquitur Joannes Pitſeus[d], atque inde Voſſius[e]. Scilicet Autoris & Abbatiæ ejus nomen afferunt (quod Pitſeo eſt *Jornalenſis*, aliàs *Jarnauxenſis*, ſed Voſsio tantùm *Jornalenſis*) Chronicónque ejus, in Joanne Rege deſinens, memorant, temporis quo floruit planè ignari. Nec mihi de Bromtono ipſo hactenus quid ſatis compertum. Frequentiùs in *Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ*, Joanni Caio, aliíſque citatur codex hic nomine *Hiſtoriæ Jornallenſis*; qua voce ſic exaratâ atque in ſtudioſorum ore paſsim uſurpatâ ſæpius etiam cum vulgo, ſed oſcitantiùs fateor quàm par erat, hiſtoriam hanc citans, uſus ſum ipſe. *Jorvallenſis* planè Bromtonus dici debuit à **Joreuall**, ſeu ut itidem vocatur, **Jereuall** & **Jereuaux**, monaſterio Ciſtercienſi in agro illo qui **Richmondſhire** nuncupatur, cujus Abbas hic Joannes. Rectè Chryſoſtomus Henriquez in *Phœnice Reviviſcente ſeu Ordinis Ciſtercienſis ſcriptorum Angliæ & Hiſpaniæ ſerie*[f], Jervalla,

---

[a] *Fol.*123.

[b] *Et vide hujus Abbreviat. Chron. ejus anno* 1088 *&c.*

[c] *Prolog. in lib. 4. ſentent. Artic.* 4.

[d] *In Appendice Centuria* 2. *num.*88.

[e] *De Hiſtoric. Lat. lib.*3. *cap.* 12. *pag.*634. *edit. alterâ pag.*708.

[f] *Cap.*47.

valla, inquit, *Titulo S. Mariæ. Fundator Stephanus comes Britanniæ & Richmundiæ. Abbatia in Richmundia.* Id quod accepit à Nicolao Harpsfeldio qui Joannis Spedi Monaſteriorum catalogum in Henrico ejus octavo inſertum, tranſtulit Latinè. Chryſoſtomus autem ille ſtatim, *Jornallenſis Abbatia, alii Jarvaxenſem vocant, in qua Joannes Bromptonus diu egit, & Abbatiale munus exercuit, de quo in noſtro Faſciculo, tomo ſecundo.* Et tunc, *Joravallis diœceſis Eboracenſis. Jornallenſis* verò ibi haud omnino eſt aliud quàm quod vulgò à *Jorvallenſi, Joravallenſi*, aut ejuſmodi voce aliqua vicina depravatum. Eam in ſe facillimè librariis commutari, nemo non videt. In actis veteribus publicis[a] ſæpiùs nominatur *Abbatia de* **Jorevall**, à fluvio **Jor**, **Yor**, Uro, interlabente, & recentiùs[b] illic **Jorevaux**. Adeóque tria illa Nomina apud illum ibi idem ipſum, ſeu eundem locum & nihil præterea denotant. Idem Chryſoſtomus in Faſciculo illo ſuo[c], nihil omninò novum de Joanne Bromtono affert, ſed tantùm illud ipſum, eiſdémque verbis, quod à Pitſeo didicerat, interſerit, excepto quod ei dicitur *Jornalenſis aliàs Jarvaxenſis*, quo quidem lectio Pitſei, qui ſic puto ſcripſerat, benè corrigitur. Sed & alibi in Phœnice[d] ſuo Chryſoſtomus ille caput habet integrum *de Joanne Bromptono Abbate Jornallenſi*, ubi, *Joannes Bromptonus*, inquit, *ordinis Ciſtercienſis habitum in Anglia ab adoleſcentia ſuſcepit qui virtutum & eruditionis meritis factus eſt Abbas* Jornallenſis *aliàs* Jarvaugenſis *cœnobii. Fama eſt hunc multa ſcripſiſſe, quorum tamen nihil, quod ſciam, extat præter* Hiſto*riarum opus, quod compoſuit & ſuo monaſterio dicavit, cui titulum præfixit,*

Chronicorum Librum unum; *Poſtquam contigit Britones. Extat Manuſcriptus Cantabrigiæ, in collegio Sancti Benedicti. Quando autem autor claruerit, ignoratur.* Sic ille ibi. Id verò quod dixit ab Joanne Spedo edoctus, de Stephano Comite Britanniæ & Richmondiæ fundatore cœnobii illius, ita intelligendum, ut neutiquam pro cœnobitarum fundatore primario ſumendus ſit Stephanus ille ſed Acharias filius Bardolfi vir dignitatis Equeſtris qui alio in viciniæ loco **Fors** dicto primò ejuſdem ordinis cœnobitis monaſterium inſtituerat, quos in Jorevallem poſteà, adeóque ipſum inde monaſterium transferri voluit Stephanus ille Comes circa annum 1160. Sic enim legitur in tabularii priſci Comitum & Comitatus Richmondiæ, Comitum veterum tum Britanniæ Minoris tum Richmondiæ ſerie, quam, cum ſcriptoribus pleriſque de eis editis haud parùm ſit diſſona, integram interſerere ſimul heic viſum eſt. In Tabulario jam dicto[e] habetur,

Genealogia Comitum Richmundiæ poſt Conqueſtum Angliæ.

Eudo Comes Britanniæ ante Conqueſtum Angliæ, filius Galfridi Ducis, genuit tres filios ſucceſſivè poſt ejus mortem in comitatu Britanniæ præſidentes, Alanum ſcilicet dictum Rufum, vel **Fergaunt**, *qui primò venit in Angliam cum Willielmo* **Bastard** *Duce Normanniæ cui idem Willielmus, poſtquam coronatus fuit in Regem Angliæ per Conqueſtum, auxilio Matildis Reginæ ſuæ dedit honorem & Comitatum Comitis Edwini in Eborakſhira* (Edwini ſcilicet Merciorum Ducis & Comitis in Annalibus noſtris dicti) *qui modò vocatur* **Richmundshire** *& qui adtunc extitit* **Geldable**, *& poſteà,*

---

[a] *Rot. Chartarum* 35 *Ed.* 1. *numero* 15. *Rot. Patentium* 5 *Rich.* 2. *part.* 1. *membrana* 14. *alibique ſæpius.*

[b] *Inquiſit.* 29. *Henrici* 8. *in actis Curiæ Augmentationis.*

[c] *Lib.* 2. *diſtinct.* 26. *cap.* 50.

[d] *Cap.* 20.

[e] *Ms. in biblioth. Cottoniana. fol.* 72.

Regum privilegio, in Libertatem eſt mutatum.

Hic Alanus primo incepit facere Caſtrum & munitionem juxta Manerium ſuum capitale de **Gilling** *pro tuitione ſuorum contra infeſtationem Anglorum tunc ubique exhæredicatorum, ſimiliter & Danorum, & nominavit dictum Caſtrum* **Richemont** *ſuo ydiomate Gallico quod ſonat Latinè Divitem Montem, in editiori ac fortiori loco ſui territorii ſituatum. Et obiit ſine exitu de corpore ſuo & apud Sanctum Edmundum ſepultus eſt.*

Alanus Niger frater ſuus eidem ſucceßit in Honorem Richmundiæ, cujus anno gubernationis XVI, *quidam Miles Acharias* (memoratur etiam in Actis ſeculorum vetuſtiorum publicis[a] Akarias hic) *filius Bardulfi fundavit Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis* apud **Fors** in **Wendeſlaydale**, *quod poſteà tranſlatum eſt uſque in territorium de* **Wucton**, *& vocatur Jorevallis, per Stephanum poſteà Comitem Richmundiæ. Et obiit ſine liberis.*

Stephanus frater dicti Alani eidem ſucceßit in honorem prædictum qui tranſtulit Abbatiam de **Fors**[b] *uſque locum qui nunc Jorevallis dicitur, genuitque filium nomine Alanum. Et obiit idus Aprilis, anno gratiæ Milleſimo* $\overline{\text{CLXIIII}}$ *& ſepultus apud Begar,* monaſterium nempe Britanniæ Minoris.

Alanus filius Stephani Comitis eidem ſucceßit, qui obiit in Britannia tertio kal. Aprilis, anno gratiæ Milleſimo $\overline{\text{CLXVI}}$.

Conanus filius Alani Comes Britanniæ & Richmundiæ ſucceßit in Honorem Richmundiæ & deſponſavit Margaretam ſororem Willielmi Regis Scociæ, ex qua genuit unicam filiam & hæredem nomine Conſtantiam; quam Galfridus frater Richardi Regis Angliæ deſponſavit. Iſte Conanus ædificavit turrim magnam infra Caſtellum Richmundiæ. Et obiit in Britannia. Begaræ ſepelitur anno $\overline{\text{MCLXX}}$.

Conſtantia filia Conani tenuit honorem prædictum & ex Galfrido fratre Regis habuit filium nomine Arthurum quem Johannes Angliæ Rex occidi fecit & Alienoram incarceratam apud **Corf** *poſt mortem Arthuri fratris ſui. Poſteà duxit eam Ranulphus Comes Ceſtriæ quæ ab eo propter adulterium divortiata & ſine prole generata nupſit cuidam Guidoni de Tearcho ex quibus proceßit filia nomine Adelicia quæ poſt mortem parentum remanſit in cuſtodia Regis Franciæ, quam Rex dedit in matrimonio Domino Petro* **Mauclerc** *Militi ſuo cum Britannia. Et obiit in Britannia ſepulta apud Begar, anno* $\overline{\text{MCCI}}$.

Adelicia obiit in Britannia & ſepulta apud **Plonarmel**, *anno gratiæ* $\overline{\text{MCCXX}}$.

Johannes filius Adeliciæ obiit in Britannia, anno Milleſimo $\overline{\text{CCXXIIII}}$. *Nunquam fuit Comes Richmundiæ.*

Johannes filius Johannis Comes Richmundiæ deſponſavit Beatricem filiam Henrici Regis (Tertii) *de qua genuit Arthurum, Petrum & Johannem. Occiſus fuit apud Lugdunum in coronatione Domini Clementis Papæ, anno Domini* $\overline{\text{MCCCV}}$, *ibidémque ſepultus fuit.*

Arthurus Dux, ſed non Comes Richmundiæ filius ſuus obiit in Britannia & ſepultus apud **Plonarmel**, *anno gratiæ Milleſimo* $\overline{\text{CCCXI}}$. *Johannes frater Arthuri Comes obiit in Britannia & ſepultus apud* **Plonarmel**, *anno* $\overline{\text{MCCCXLI}}$.

Hiſce paginâ in alterâ conſcriptis, in alterâ proximè ſequente, ductu quidem vetuſto nec adeò inelegante ſedens in campo viridante Guili-

elmus

---

[a] *Anno 15 Hen. 3. in Inſpeximus Rot. pat. 5 Rich. 2. part. 2. membrana 14.*

[b] *Thomas Milleſius in Catalogo Honoris pag. 590. Auguſtin. Vincentius pag. 5*

elmus Rex primus undique armatus coronatúſque & ſago rubro binis Leonibus auratis depicto indutus, atque copiis militaribus, velut in Eboraci obſidione[a], ſtipatus tradit diploma Latifundiorum Edwini Comitis Alano Britanniæ Comiti armato itidem & Coronulâ inſignito ſagóque depicto, pro inſignibus Britanniæ Minoris gentilitiis, Quadratis alternatim Aureis & Cæruleis cum angulari, ejuſdem figuræ, muris pontici (*Ermins* dici ſolet) parte induto, & vexillum ſimilitèr ornatum dextrâ tenenti genibúſque provoluto. Diploma autem, cui ſigillum viride appenditur, vetuſtum illic legitur; idem ſcilicet ipſum quod à ſcriptoribus tum Angliæ[b] tum Britanniæ minoris[c] exhibetur. Sed demùm operæ pretium, puto, erit ſtudioſis qui Dignitatum ejuſmodi ſucceſsionibus oblectari ſolent, allata diligentiùs comparare cum eis quæ eiſdem de Comitibus ſatis diverſimodè etiam inter ſe occurrunt apud Holinſhedum[d] ex Joanne Lelando, Camdeno[e], Bertrando Argentræo[f], Auguſtino *du Paz*[g], id genus aliis, ut minorum gentium apud nos recenſiones eorundem ſucceſsionum, nec illis nec inter ſe conſonas, prætermittam. Sed hæc extra callem. Hiſtoriam autem ſeu Chronicon, Bromtono tributum, ex jam dictis liquet non dicendum *Jornallenſe* ſed *Jorvallenſe*, idque potiùs à cœnobio qui ejuſdem poſſeſſor erat, ut ſtatim dicetur, quàm ab Abbate aut aliquo alio cœnobii ſcriptore. Fateor equidem olim mihi cum aliis, Joannem illum, Bromtonum ſeu Bramtonum, Abbatem heic pro Autore etiam ſecurè nimis admiſſum eſſe. Cæterùm, re accuratiùs perſpectâ, tum alium omninò fuiſſe autorem non exiſtimare nequeo, tum Joannis Bromtoni nomen in codice Benedictino repertum, non quidem pro Autore ſed pro eo qui, dum Abbas erat, monaſterio ſuo Chronicon illud comparaverat, in cauſa fuiſſe cur velut pro Autore ipſo Abbas ille divulgaretur. Scilicet ibi, ſed manu non antiquâ, legitur; *Liber Monaſterii Jorenallenſis* (pro *Jorevallenſis*) *ex procuratione domini Johannis* **Bromton** (vicus ſic dicitur in Richmondia unde nomen illud natum) *Abbatis ejuſdem loci. Si quis hunc librum alienaverit, delebitur de libro Vitæ.* Quod ſolenne eſt Anathematis quo donationes hujuſmodi munire in more erat, carmen. Jam verò hinc diſcimus ex procuratione ejus, Librum hunc nactum eſſe cœnobium illud, neutiquam omninò, illum ſcripſiſſe. In fronte autem exemplaris Cottoniani circa annos abhinc ducentos ampliùs conſcripti, manu alterâ, etiam ſeculi noſtri ſcribitur *Joralanenſis hiſtoria*, cui alterâ adjicitur à *Johanne Bramton Abbate Jornalenſi*. Hinc puto adeò fidentèr ſcriptoribus receptum eſt, hunc Chronici fuiſſe autorem. Et adjectum illud de Bromtoni nomine, videtur quidem illuc acceſſiſſe ex illo tantùm quòd de Bromtoni Abbatis procuratione dictum eſt, perperam ſumto. Quid quod, quum Chronicorum Scriptoribus Monaſticis ſolennius nihil fuerit quàm ipſius, in quo degebant, cœnobii ſingularia aliquot locis opportunis inſerere, ne veſtigium quidem inſertionis ejuſmodi in Chronico hoc reperitur? Ordinis quidem Ciſtercienſis (cujus erat hoc cœnobium) origo illa notiſsima anni 1098, *in Burgundia in loco qui dicitur Ayliſmus* (legendum planè *Moliſmus*) *in diœceſi*

---

[a] *Anno 1069.*

[b] *Jo. Leland. apud Holinſhedum tom.3. pag.7. Guil. Camden. Brit. pag.591. Thom. Milleſius Catalog. Honoris pag. 588.*

[c] *Bertrand. Argentræus Hiſt. Britann. lib.4.cap.38. Gallicè.*

[d] *Loco antè citato.*

[e] *Britann. pag. 596.*

[f] *Hiſt. Britann. lib.4.cap.38. &c.*

[g] *In Genealog. illuſtrium Britanniæ familiarum Gallicè Pariſiis 1619.*

Cabilonenſi memoratur ſciptori huic[a], quiſquis ille fuerit, uti etiam non modò initium ejuſdem in Anglia circa annum 1130 in *valle Regali* ſeu *Rivalle* ſed etiam complurium quæ ſub id tempus orta ſunt ejuſdem ordinis apud nos, maximè in agro Eboracenſi, monaſteriorum fundatio; cum interim nullibi Jorevallenſis Abbatiæ, ejuſdem itidem Ordinis, originis fundatoríſve nominis, cujus tamen tempora ipſa tractat, apud eum mentio. Unde ſanè decernendum videtur ſcriptorem illum non Jorevallenſem omninò, nedum Abbatem fuiſſe. Nec quidem aut Boſtono Burienſi, aut Lelando, aut Balæo, nec veterum puto alicui, memoratur hic Joannes ut ſcriptor. Adeóque potius Autor Anonymus dicendus, nec Liber quidem Jorevallenſis aliter quam quà cœnobii illius bibliothecæ donatus ibi aſſervatus eſt, indéque poſteritati depromtus. Nec Joannes Bromtonus Abbas pro Autore ſed Procuratore, cujus beneficio nactum eſt cœnobium Anonymum illum, duntaxat agnoſcendus. Pertexere autem hiſtoriam ſuam inſtituerat Scriptor hic uſque in Edwardum primum, ſicut ipſe expreſsim ait, licet codices ejus ſub initia Joannis deſinant. Nec quidem Cottonianus quidquam habet poſt illa de Richardo rege carmina. Corrigendi autem ſunt illic[b] tum MSS. tum editi in nomine Galfridi qui vocatur in eis *Galfridus de Nine ſalvo.* Legendum planiſsimè *de Vino ſalvo*, qui Gallis Anglíſque ſuis (nam Anglus erat, unde etiam ſubinde *Galfridus Anglicus* dicitur) *Vinſauſe* & *Vineſalf* nominari ſolet. Percelebris is ſui ſeculi poeta fuit, ſub Ricardo & Joanne Regibus[c], ſeu ſub annum 1200. Nomen illud ſortitum eum eſſe à libro de Vitibus, Vinis, Fructibus, &c. tutò conſervandis inter alios ab ipſo diligentiùs conſcripto, qui etiamnum extare dicitur Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii[d], benè quidem conjectavit Joannes Pitſeus[e]. Habentur autem hexametri verſus illi, non in libro aliquo ſingulari de Richardo Rege, ſed in opere penes me alióſque non rarò MS. necdum opinor typis edito, cui titulum dedit ipſe *De Nova Poetria* (ſic enim artem Poeticam vocitabant) id eſt novo, ſeu reformato terſióréque poeticè ſcribendi genere, reſpectu ſcilicet habito ad rythmicum & perquam barbarum genus alterum quod diù antè in uſu fuerat. Opus illud, interdum etiam *de artificio loquendi* dictum, dum Romæ agebat, dedicavit Innocentio tertio, è quo ut hominis ingenii Muſæque ſpecimina plura cernas, nonnulla huc tranſcribimus. Innocentium ad hunc ſcilicet modum ſalutat;

Papa ſtupor mundi! ſi dixero Papa Nocentî
Acephalum nomen tribuam tibi, ſi caput addam
Hoſtis erit nomen metri; tibi vult ſimilari.
Nec nomen metro, nec vult tua maxima virtus
Claudi menſurâ; nihil eſt quo metiar illam.
Tranſit menſuras hominum. Sed divide Nomen,
Divide ſic nomen. In præfer, & adde Nocentî,
Efficitúrque comes metri ſic & tua virtus
Pluribus æquatur diviſa, ſed integra nulli.

---

[a] *Col.* 994. *l.*37.

[b] *Col.* 1280. *l.*12.

[c] *Bal. Cent.*3. *ſcript.*38.

[d] *Vide Eclog. Oxonio-Cantabrig. Archiv. Coll. Caii num.* 74.

[e] *Ætat.*12. *ſcript.*275.

Egregius Sanguis te confert Bartholomæo,
Mite cor Andreæ, pretioſa juventa Johannis,
Firma fides Petro, perfecta ſcientia Paulo;
Iſta ſimul nulli. Supereſt de dotibus una
Quam nulli fas eſt pertingere, Gratia Linguæ.
Auguſtine tace, Leo Papa quieſce, Johannes
Deſine, Gregori ſubſiſte; quid eloquar omnes?
Eſto quod in verbis aut hic aut ille ſit ore
Aureus & totus reſplendeat; os tamen ejus
Impar eſt, oriſque tui præjudicat aurum.
Trans hominem es totus. Ubi corporis iſta juventus
Tam grandis ſenii? vel cordis tanta ſenectus
Inſita tam juveni? Quam mira rebellio rerum!
Ecce ſenex juvenis! Fidei ſub tempora primæ
Cum dominus Petro præferret amore Johannem,
Papatu Petrum voluit præferre Johanni.
In te, Papa modò, nova res hiis accidit annis.
Papa ſenex Petrus, & Papa juventa Johannis.*
Súntque tui quales talem decuere. Relucent*
Et circumlucent Papam, quaſi ſidera Solem.
Tu ſolus mundo quaſi Sol, illi quaſi Stellæ,
Roma quaſi Cœlum. Me tranſtulit Anglia Romam,
Tanquam de Terris ad Cœlum tranſtulit, ad Vos
A tenebris velut ad lucem. Lux publica mundi,
Digneris lucere mihi. Dulciſſima rerum,
Dulce tuum partire tuo. Dare grandia ſolus
Et potes, & debes, & vis, & ſcis; Quia prudens,
Scis; quia clemens, vis; quia magnus origine, debes;
Et quia Papa, potes, quia talis es & quia tantus.
Hic mens ſubſedit cum fecerit undique gyrum
Inque ſuis dandis te prætulit, omnibus unum.
Totum poſſe ſuum tibi deſtinat, accipe Magne
Hoc opus exiguum, breve corpore, viribus amplum.

* Sic Ms.

* Cardinales.

Dein vero orditur opus ipſum quod velut Poetices etiam & Rhetorices ſtudioſis ſpeculum ſed omninò metricum facit, Inventionem, Diſpoſitionem Compoſitionémque Muſæ ſuæ exemplis copioſiùs docens. Et pro carminis exemplo lugubris tantùm verſus illos de Richardo Rege inſerit, cum hoc lemmate,

Temporibus luctûs his verbis exprime luctum;
Neuſtria ſub clypeo regis &c.

Et poſt horum finem ſeu verba illa *quam longa eſt* (nam ſic ſupplendam nemo non videt) *lacrima mundi*, ſtatim ſequitur,

Contra ridiculos ſi vis inſurgere, plenè
Surge ſub hac ſpecie, ſed lauda ridiculoſè;
Argue, ſed lepidè; gere te ſed in omnibus aptè;

Sermo tuus dentes habeat; ſimpliciter illos
Tange, ſed irriſor geſtus plus mordeat ore.

Atque ad hunc modum reliqua exhibet de arte loquendi monita. Lugubre autem illud ejus carmen admodum eſt paſſim hyperbolicum; & proculdubiò eo nomine ſuggillatur à Galfredo Chaucero, ubi in Monialis Presbyteri fabulâ illâ ingenioſâ de Gallo gallinaceo à Vulpe die quodam Veneris ſurrepto, inſtituitur ad Venerem, inter alias, querela quod die ſuô rem adeo atrocem patrari permiſerit. Ideo autem quia vulnus mortiferum etiam acceperat Richardus Rex die Veneris, Galfridus, ut vides, hic noſter,

O Veneris lacrimoſa dies! O Sidus amarum!
Illa dies tua nox fuit, & Venus illa Venenum.
Illa dedit vulnus.

Atque inde Chaucerus, quaſi parilis planctûs ejuſmodi, in Galli hæc cauſa, ratio lepidè habenda fuiſſet;

O Venus that art goddeſſe of pleaſance!
Since that thy ſervant was this Chanticlere,
And in thy ſervice did all his powere
More for delite, then the world to multiplie,
Why woldeſt thou ſuffer him on thy day to die?
O Gaulfride, deer maſter Soveraine,
That when that worthy king Richard was ſlaine
With ſhot, compleinedſt his death ſo ſore!
Why ne had I now thy ſcience and thy lore,
The Friday for to chide, as did ye?
For on a Friday, *ſhortly ſlaine was he,
Than wold I ſhew you how that I could plaine,
For Chaunteclere's drede and for his paine.

Nempè locum illum Galfridi illius reſpexiſſe ibi Chaucerum dubitari nequit, quemadmodum nec dubitavit eruditiſſimus Camdenus[a]. Quod autem ad Chronici hujus autoris tempus attinet; Certè poſt Edwardi tertii initia floruiſſe eum, quiſquis fuerit, palàm eſt. Nam obiter memorat ipſe[b] Joannæ Edwardi ejuſdem Regis Sororis & Davidis Regis poſteà Scotorum ſecundi ſponſalia ex fœdere inter Anglum & Robertum Bruſium Regem Davidis patrem inita, quæ ad annum attinent Edwardi Regis ſecundum ſeu Chriſti 1328 adeóque ad Parlamentum nimis, ob fœdus illud cum Scotis, infame, tunc Northamptoniæ habitum. In Buchanani editis[c], depravatè vocatur Joanna illa *Soror Henrici*. Certè nec de Edwardo tertio nec de aliis ibi ſimul commemoratis loqui videtur ſcriptor hic, quaſi non etiam tempore jam dicto, aliquot ſaltem annis, recentior fuiſſet ipſe. Plurima ex Hovedeno ſumſit. Et locus ille[d] qui Sigillo Willielmi Siciliæ Regis caret ſupplendus eſt ex Hovedeno[e], etiam & inde corrigenda ibi[f] ſcriptio (& *Logotheta* ſubſtituendum pro *Logoteca*) quemadmodum etiam è Gervaſio Dorobernenſi[g]. Alia in ſubſcriptionibus illis tum ut heic habentur tum ut in Ludovici

---

* *L.* ſothly *ex Ms.*

[a] *In Reliquiis Anglicè Londini* 1614. *pag.* 322.

[b] *Anno* 1069. *Col.* 967. *l.* 42.

[c] *Rer. Scotic. lib.* 8. *Reg.* 97. *Francof.* 1592.

[d] *Col.* 1114.

[e] *Anno* 1176.

[f] *Lin.* 31.

[g] *Col.* 1437. *lin.* 34.

Parutæ Siciliam[a] ex Hovedeno, cum ſigilli figurâ, ſumuntur, benè invicem collata corrigi hinc itidem queunt.

VIII. Gervaſius Dorobernenſis ſeu Cantuarienſis, monachus ibi Benedictinus, floruit ſub Joanne Rege, ſeu anno Chriſti 1200, biographis[b] editis ſatis laudatus. Clariſſe cum anno 1328 hallucinatus ſcripſit Geſnerus. Lelandus[c] autem de eo, *Gervaſius Dorobernenſis monachus Fanum Servatoris, eruditione inſignis multâ, illuſtravit. Studuit, ſuprà quam cuiquam credibile, antiquariam rerum cognitioni, quo nomine ingentem hiſtoriographorum numerum collegit, præcipuè vero eorum qui res Britannicas & Saxonicas accuratè tractabant. Unde & ipſe tandem in harenam deſcendens periculum ingenii fecit edito volumine planè egregio, in quo tum Britannorum ab origine hiſtoriam tum Saxonum & Nortomannorum fortia facta uſque ad imperium Joannis Regis Angliæ deduxit, diligentia quidem inexhauſta. Deinde, induſtria non minori, vitas Archiepiſcoporum Cantianorum perſcripſit. Præterea, ad cumulum addidit librum de Regiunculis Britanniæ primæ atque ſedibus Pontificiis in ea conſtitutis ac denique de monaſteriis in eadem à Nobilitate conſtructis. Hactenùs de Gervaſiani ingenii fœtura.* Sic Lelandus. Locus verò apud Gervaſium habetur perquam ſingularis, Eadmeri, ſcriptoris decadibus aliquot annorum eo antiquioris ac celeberrimi, maximè animadvertendus, nec adeò facilè forſan ritè intelligendus, quem præterire heic nequibam. Eadmerum deſcripſiſſe ait in opuſculis ſuis (ubi nimirùm de Combuſtione & reparatione Dorobernenſis Eccleſiæ agit[d]) veterem Eccleſiæ illius, igne, bis ante combuſtionem de qua Gervaſius, etiam & antequam de ea ſcriberet Eadmerus, conſumta. In deſcriptione illa, quam verbatim ex Eadmero affert, inter reliqua, *Sub medio*, inquit ille, *longitudinis aulæ ipſius* (Eccleſiæ; Navis ex Jure Pontificio nuncupari ſolitæ) *duæ turres erant prominentes ultra Eccleſiæ alas. Quarum una quæ in auſtro erat ſub honore beati Gregorii papæ altare in medio ſui dedicatum habebat, & in latere principale hoſtium Eccleſiæ quod antiquitùs ab Anglis & nunc uſque* **Suthdure** *dicitur. Quod hoſtium in antiquorum Legibus Regum ſuo nomine ſæpiùs exprimitur. In quibus etiam omnes Querelas Totius Regni, quæ in Hundredis vel Comitatibus uno vel pluribus, vel certè in Curia Regis non poſſent legaliter diffiniri, finem inibi, ſicut in Curia Regis ſummi, ſortiri debere diſcernitur. Alia verò turris in plaga aquilonali è regione illius condita fuit, in honorem beati Martini, clauſtra in quibus monachi converſabantur hinc inde habens. Et ſicut in alia Forenſes lites & ſecularia placita exercebantur, ita in iſta adoleſcentiores fratres in diſcendo eccleſiaſtica officia die ac nocte, pro temporum vicibus, inſtituebantur* &c. *Hic ſitus fuerat*, inquit, *eccleſiæ Cantuarienſis veteris.* Suo verò tempore, ſeu ſub Henrico primo, omnia ibi nova fuiſſe ait, utpote à Lanfranco inſtaurata, poſtquàm incendio perierant. Adeóque etiam inſtauratum tunc Oſtium illud Auſtrale cujus an tunc idem quem memorat ille uſus forenſis maneret, non ſatis ex eo liquet. Quonam in opuſculo ſcripſerit hoc Eadmerus, mihi nondum conſtat. Certè nec in hiſtoria ejus Novorum, nec in Anſelmi vita *Edmeri* nomine edita[e] reperitur. Suſpicor equidem S. Wilfridi Archiepiſcopi Eboracenſis

---

[a] *Originale delle medaglie pag. 36.*

[b] *Bal. Cent. 3. ſcript. 48. Pitſeus Æt. 13. ſcript. 285. Voſſius de Hiſtoricis Lat. lib. 2. cap. 56.*

[c] *Ms. in bibliotb. publica Oxonienſi.*

[d] *Col. 1291.*

[e] *A Joanne Picardo ante Anſelmi opera Col. Agrip. 1612.*

cenſis vitæ ab eo conſcriptæ illud eſſe inſertum. Vitam illam nondum vidi. Sed ibi haberi hoc ſuadet illud quod paulò ante apud eum occurrit de Wilfridi corporis Cantuariam tranſlatione, unde occaſio ei ſumpta jam allata ſcribendi. Sed interim perquam mirum videtur illud, *Oſtium hoc* ſeu **Suthdure**, *in antiquorum legibus Regum ſub nomine ſæpe exprimi.* Certè *Leges*, quà nomine illo ſupremarum Poteſtatum, in Regimen futurum, Conſtitutiones ac Sancita denotari ſolent, quamplurimæ habentur & Angloſaxonicè & Latinè ſcriptæ editæque, Regum nempe qui Eadmero heic antiqui dicti, ſeu Inæ, Alfredi, aliorum etiam uſque in Willielmum Primum. Atqui in illis tantum abeſt ut ſæpe nomen Oſtii illius exprimatur, ut planè nullibi, ſic opinor, illic reperiatur. Adeò fidelis tamen ac gravis mihi ſcriptor eſt Eadmerus, ut de re ipſa, quomodocunque intelligi debeat, dubitare nequeam. Nonne igitur alia heic, dum *in Legibus exprimi* ait, *Legum* vocis conſideratio ineunda? alia ejuſdem notio quærenda? quali quidem admiſſa, *In legibus*, juxta notionem ejuſmodi, quas plurimis abhinc ſeculis periiſſe, nullibique in voluminibus ſuis jam comparere certum eſt, nomen hujus Oſtii, in rem quam innuit Eadmerus, ſæpe exprimi potuerat. Nemo ſcilicet neſcit *Legum* nomine ſæpius venire non ſolum Sanctiones ac Conſtitutiones, verùm etiam virorum prudentum Conſulta[a], unde etiam inolevit ut Juriſconſultis Cæſareis, ad Digeſta & Codicem ſcribentibus aut inde quidquam citantibus, ſolenne olim fuerit hodiéque ſit, non magis Codicis Conſtitutiones quàm tot veterum Prudentum Conſultorum, Deciſionum, Opinionum, id genus aliorum fragmenta in Digeſtis reperta, nec tamen pro Legibus ſeu Conſtitutionibus confirmata, ſed utcunque illuc à Juſtiniano traducta, *Leges* nuncupare, tametſi quidem doctis aliquot[b] eo nomine neutiquam fuerint irreprehenſi. Sed intereà nonne cum ratione exiſtimari poteſt, etiam hac notione, fortè Eadmeri ævo ſatis receptâ, Deciſiones forenſes ac Judiciorum formulas ſub *antiquis* ſic illi dictis *Regibus*, ſive in actis tunc ipſis publicis ſive in Commentariis Privatorum inde deſcriptis ſive in utriſque habitas, ab eo intelligi per verba illa *in Legibus*, quarum ſanè, hac notione ſumtarum, codices qualeſcunque compluria ante ſecula funditus periere, atque cum eis Oſtii illius expreſſio ejuſmodi? Quaſi dixiſſet juxta linguam noſtram jam uſitatam **in the Rolls or Records of the ordinary Courts of Justice, or in the Reports, or Yeerbooks, or Lawbooks of the ancient Kings**, quâ notione **the Laws** etiamnum uſurpatur. Deciſionum, Formularum & Commentariorum id genus illorum temporum veſtigia aliqua quidem ſed raro ſatis habentur in libro illo percelebri **Domeſday** dicto ac interdum etiam in Schedis aliquot aliis ubi lites coævæ Regibus illis antiquis memorantur. Sed Oſtii hujus in illis, ni fallor, nondum reperta mentio. Nec ſanè quidquam quod pro ſatis integra forenſi illiuſmodi per ſecula illa apud Angloſaxones formula ſumendum videatur, hactenus vidiſſe me memini. Conjectare autem, etiam & credere par eſt, ſub *Antiquis* illis *Regibus* ſeu tam Angloſaxonicis quàm Normannis, Eadmeri

---

[a] *Papinian. l. 1. D. de legibus.*

[b] *Laur. Valla Elegant. lib. 4. cap. 48. Vaconius à Vacuna lib. 6. Declaratione* 79. §. 21

meri ſcriptionem hanc antevertentibus, ſuperſtites fuiſſe Formulas ejuſmodi & Deciſiones ac in Codicum ſeu Voluminum qualiumcunque corpora, temporum ſerie, diſpoſitas eſſe, juxta atque poſtmodum, ídque, ut videtur, exemplo vetuſtiorum illorum ſeu more majorum, uſque in ævum noſtrum uſus obtinuit in Annalibus Deciſionum ac Diſputationum, in Tribunalibus ſummis habitarum, digerendis, quos non ſolum **Yeerbooks** ſeu *Annales* ut Regum nomine diſtingui ſolitos vocitamus ſed etiam ſignantiùs **Lawbooks** *Legis libros*, ubi planè *Legis* notio haud propriè alia quam ea quâ Deciſio, Formula, Diſputatio forenſis ſignificatur. Neque enim libris in illis Conſtitutiones, Sanctiones, Statuta, aut quid ejuſmodi, quà tale, aliter atque Judiciis ac Diſputationibus ſubinde neceſſariò adhibetur, omninò reperitur. Atque ut Juriſconſultis jam noſtris habentur codices ejuſmodi aut eorundem fragmenta aliquot paſſim proſtantia, ídque ab Henrico tertio Rege uſque in tempora noſtra, éaque ſive continuata ſive variatim interciſa, ita temporum ab Henrico illo retrò putatorum uſque in Willielmum primum, ſeu per annos 140 actorum, codicibus ejuſmodi uſi ſunt Juriſconſulti apud nos veteres, ídque etiam Richardi ſecundi Regis ſeculo, ſeu circa annos abhinc 250, niſi velut hyperbolâ poeticâ fallat Galfredus Chaucerus, vir planè ut aliàs ſcientiſſimus ita tum Juris Anglicani peritus tum ejuſdem conſultiorum moribus, libris, ſtudiorúmque rationi, maximè in collegio Juriſconſultorum quod *Interius Templum* dicimus, cujus ſocius ipſe erat, perquam adſuetus. In elegantiſſimis nempè eorum quos fabularum ſuarum Cantuarienſium, ſub tempus jam dictum conſcriptarum, facit Autores, characteribus, *Servientis ad Legem*, quo nomine primaria Juris Anglicani conſultorum dignitas, cis eam quæ eorum eſt qui pro Tribunali ut Judices ſummi ſedent, veluti Doctoris aut Anteceſſoris denotatur (licet *Judices* noſtros *Doctoribus* & *Servientes Bacalariis* reſpondere, temerè nimis velit Joannes Roſſus Warwicenſis[a]) mores ac doctrinam deſcribens, interſerit,

In tearmes had he caſe and domes all
That fro the time of King William was fall,

id eſt *Temporibus ſtatis*, ſeu diebus *pro more faſtis* (quos **Terms** dicimus) *diſtinctas cauſas habuit univerſas ac Judicia quæ à tempore Willielmi Regis evenère*. Certè æquum eſt ut itidem ſentiamus, tempore Guilielmi Regis ſeu Eadmeri ſeculo, Cauſas ejuſmodi Antiquorum tunc Regum, id eſt, Judicia in tribunalibus eorum lata, è Codicibus qualibuſcunque aut Actis Tribunalium illorum publicis ediſci potuiſſe. Et certè notione jam dictâ ſumendum illud ibi Eadmeri *in legibus Regum antiquorum* ſuadet id quod in eis *diſcerni* dicitur de *Querelis, quæ legalitèr non poſſent alibi diffiniri, finem inibi ſortiri debentibus*, qualis locutio non tam Conſtitutiones Regias ſeu Leges notione magis vulgari, quàm acta eorum forenſia, juxta jam dicta, ſapere videtur. Sed verò impenſè miranda eſt Juriſdictionis heic prodigioſa amplitudo, nec ſanè minor, ut verba ſonant, quàm ſi dixiſſet ſummum ibi, quoad Cauſas etiam totius

---

[a] *Ms. in bibliotheca Cottoniana fol.* 90. 2.

Regni omnimodas, imò & Regiis ſuperius Tribunal Archiepiſcopale ibi locum tunc habuiſſe, idque *in legibus*, quas diximus, *diſcerni*. Res quidem aliunde perquam inaudita & Juri, apud majores noſtros, tum Regio tum Populi, quale tunc & ſemper poſteà viguiſſe recipitur, undiquaque diſſona. At nihilominùs habetur etiam, apud Petrum Bleſenſem, Juriſdictionis ejuſmodi Cantuarienſis, ſaltem ejuſdem reliquiarum imaginiſve ſub Henrico ſecundo Rege ac Thoma Archiepiſcopo veſtigium ſanè luculentum. Degebat Petrus ille, ut miniſter ac famulus etiam & Archidiaconus[a] Cantuarienſis, in ædibus Archiepiſcopi illius, quod vitæ genus omninò aulicum tunc erat ſplendidiſſimúmque. Eo nomine eum acerbiùs literis inſectabatur neſcio quis Ludimagiſter, inſtantiùs illum nec ſine convitio urgens, ut in Scholas umbratiles & meditandi contemplandíque ſeceſſus, inde ſe quantociùs reciperet. Quod ſanè indigniſſimè ferens Petrus[b], illum ut procacem nimis ac intempeſtivum viriliter redarguit. Atque inter reliqua à nobis alibi[c] ex eo adducta, collegium ibi florere oſtendit etiam Juriſconſultorum, quorum pars ipſe magna, & *omnes*, inquit, *quæſtiones Regni nodoſæ referuntur ad nos*. Videſis ibi cætera. Sed de hiſce porrò viderint perſpicaciores. Certè neque in Epiſtolis Lanfranci, nec Anſelmi, nec Joannis Sarisburienſis (in quibus, utpote ſatis coævis ac generis itidem hieratici hominibus atque res tunc forenſes ſubinde tractantibus, Juriſdictionis, ſi qua ſeculis illis iſtiuſmodi fuiſſet, ſive teſtimonia expreſſa ſive veſtigia ut occurrerent, cum ratione eſſet expectandum) nec quantum ſcio alibi omninò comperta ſunt qualia ſive hoc loco Eadmerus ſive Petrus Bleſenſis, veluti ſibi ſeculiſque ſuis notiſſima, tradidere. Atque adverſiſſima hiſce habentur in Conſtitutionibus illis notiſſimis Parlamentariis Henrici ſecundi, ſeu temporis quo etiam floruit Bleſenſis, Clarendonenſibus[d] dictis, ut id genus alia prætermittam. Locus etiam apud Gervaſium ſingularis de *Legibus* & *Cauſidicis* primò in Angliam vocatis, digniſſimus eſt qui heic advertatur explicetúrque. Notiſſima eſt ex hiſtoricis obviis, controverſia graviſſima ſub Stephano Rege, inter Theobaldum Archiepiſcopum Cantuarienſem & Henricum, fratrem Regis, Epiſcopum Wintonienſem de Jure & Commodo Legationis à latere heic continuo. Eâ Romæ acerrimè agitatâ, *oriuntur hinc inde*, ut ſcribit Gervaſius, *Diſcordiæ graves, Lites & Appellationes anteà inauditæ. Tunc LEGES & CAUSIDICI in Angliam primò vocati ſunt, quorum primus erat magiſter Vacarius. Hic in Oxoneſordia legem docuit* &c. De juris tantùm Cæſarei, Canonico ſive conjuncti ſive potiùs nimiùm immerſi complicatique peritis, eorúmque in Anglia tunc Origine locus planè capiendus, uti & de juris ejuſdem librorum uſu publico, qua de re & de Rogerio illo Vacario heic memorato, fuſiùs nos alibi[e]. Adjicere heic liceat, quaſi ſtatim poſteà cœptum eſſe codices, ſummâ cum diligentiâ, utriuſque Juris jam dicti, Monaſteriorum in Anglia aliorúmque ibi comparari bibliothecis, quod ſatis elicere eſt ex hiſtoria MS. Monaſterii Petroburgenſis

---

[a] *Bal. Cent. 13. ſcript. 21.*

[b] *Epiſt. 6.*

[c] *Diſſertat. ad Fletam cap. 8. §. 1.*

[d] *Matth. Pariſius anno 1164. Ad finem Quadrilogi ſeu Vitæ Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, Jo. Sarisburienſ. Epiſt. 159. Goldaſtus Conſtit. Imperial. tom. 3. pag. 346. etiam in Chronic. Gervaſii col. 1386. Et videſis eum col. 1389. &c. & compara cum Rogero Hovedeno part. 2. ann. 1165. & Gervaſium itidem col. 1409.*

[e] *Diſſert. ad Fletam cap. 7. §. 3. 4. &c.*

burgenſis à Roberto de **Swapham** (ut credi ſolet) tempore Henrici tertii aut circiter conſcripta. Scilicet Benedicti Abbatis Petroburgenſis, qui cœpit anno 1177 ſeu 23 Henrici ſecundi & mortuus eſt 1194 ſeu Richardi primi ſexto, eximiam dignitatem (chariſsimus enim erat Richardo Regi conſiliarius atque ab eo Pater dici ſolitus) atque res in Abbatiæ commodum ab eo geſtas is enarrans, deſcribi eum feciſſe ait plurimos libros, quos enumerans, partim Theologicos, partim Juridicos alióſque, Juridicos ad hunc modum recenſet, *Decreta Gratiani, Item Decreta Gratiani, Summa Ruffini de Decretis, Summa Johannis Faguntini de Decretis* (fortè Joannes Faventinus innuitur, apud Geſnerum è Matthæo Dreſſero memoratus; qui tamen in Nevizani, Gomeſii, Fichardi, Ziletti, Freymonii, Antonii Auguſtini, Guidi Panzirolli diligentioribus Juriſconſultorum nominum collectionibus, ni fallor, non omninò reperitur) *Decretales Epiſtolæ, Item Decretales Epiſtolæ, Item Decretales Epiſtolæ, cum ſumma ſic incipiente, OLIM, Inſtitutiones Juſticiani* (Juſtiniani) *cum Antenticis & Infortiato, Digeſtum vetus, Tres partes, cum Digeſto Novo, Summa Placentini, Totum Corpus Juris in duobus voluminibus.* Certè haud parùm tunc apud Anglos creviſſe ſtudia Juris utriuſque, quæ paulò antè heic incepta ſunt, ex hiſce difficile non eſt conjectare. Et de Gervaſio, hactenùs.

IX. Sequitur Thomas **Stubbes**, Stobæus itidem interdum dictus. Is ſuum in ævum, ſeu in Edwardum tertium annúmve quaſi 1360, Pontificum Eboracenſium ſucceſſionem & actus deduxit. Lelandus[a]; *Thomas Stobæus aliàs* **Stobbes** *à Leandro Alberto, libro quarto de illuſtribus Prædicatoriæ ſectæ viris, luculentè celebratus eſt. Scripſit librum cui titulus, Statutum contra impugnantes Eccleſiaſticas conſtitutiones; De ſtipendiis Prædicatoribus verbi Dei; de Perfectione vitæ ſolitariæ; De arte moriendi.* Plura de eo habes apud Balæum[b], cujus in librorum illius recenſione, is qui heic editus de Archiepiſcopis Eboracenſibus memoratur. Celebratur itidem à Geſnero, atque ex eo à Poſſevino, uti & ab Antonio Senenſi in Prædicatorum bibliotheca, & demùm à Gerardo Voſsio[c] in editione Hiſtoricorum Latinorum ſecunda.

X. Guilielielmus **Thorne** monachus cœnobii Cantuariæ Auguſtiniani Benedictinus à Lelando MS. Balæo[d], Pitſeo[e], Voſsio[f], celebratur. Eadem quæ Lelandus habet verba ex eo affert heic Balæus, excepto tamen, mutandum eſſe ex Lelando illud Balæi, *Eum tanta uſum fuiſſe diligentiâ in illuſtrandis ſui cœnobii rebus, quo vix clarius aut antiquius ullum habet Britannia noſtra monimentum &c.* in *eum tanta uſum fuiſſe diligentiâ in illuſtrandis cœnobii ſui quo vix clarius aut antiquius ullum habet Britannia noſtra, monimentis &c.* Ita Lelandi ſenſum & verba ipſa habes. Idem eſt qui Geſnero & exſcriptori ejus frequenti Poſſevino dicitur Guilielmus **Thorney** & tribuitur anno 1334, qui eſſe debuit 1380 aut circitèr.

---

[a] *Ms. in Bibliothec. publica Oxonienſi.*

[b] *Cent. 6. ſcript. 36.*

[c] *Lib. 3. cap. 2.*

[d] *Cent. 6. ſcript. 63.*

[e] *Æt. 14. ſcript. 660.*

[f] *De Hiſtoric. Lat. lib. 2. cap. 61. & lib. 3. cap. 3.*

XI. Henricus Knighton (ſic ſcribi ſolitus) Canonicus Abbatiæ Leiceſtrenſis, ſub tempora claruiſſe dicitur Richardi ſecundi Regis, in cujus fermè exitum hiſtoriam ſuam ab Willielmo primo, præmiſſo libri primi compendio de rebus aliquot Saxonicis & Normannicis, ſeu in annum 1395 deduxit. Citatus Joanni Roſſo Warwicenſi[a] unde ſolùm tum Lelando, tum Balæo notus, nec eorum alterutri viſus. Ipſiſſima, quibus uterque [illegible] fatetur, verba de eo Lelandi leguntur apud Balæum[b], è quo etiam eum memorat Geſnerus. Exemplaria ejuſdem MSS. habentur bina in bibliotheca Cottoniana, quorum alteri nec ornatus in fronte ullus nec titulus, alteri verò titulus in fronte antiquitùs minio conſcriptus eſt *Cronica Leyceſtrenſis*, ubi in ora libri itidem adjicitur, *Compilatio Henrici de* Knyghton *Canonici Abbatiæ Leyceſtrenſis, de Eventibus Angliæ*. Profitetur in præfatione ſe *Ciſtrenſis laudiſſimi Cronographi, Libri ſeptimi ſeriem de verbo ad verbum inſcribere proponere*, ſuáque aliunde allata, quæ quidem fuſiſſima ſunt, intermixturum adjecturúmque. Id eſt, Ranulfi monachi Ceſtrenſis Polychronici quod ſatis univerſalis eſt ab initio rerum Hiſtoria. Ejus autem liber ſeptimus in Willielmo Rege primo incipiens, in exemplaribus aliquot extenditur etiam in poſtrema Edwardi Regis tertii tempora ſeu annum 1377, ut in codicibus Bibliothecæ Arundellianæ aliarúmque ac peroptimo penes me ejuſdem Codice, cui antiquitùs ſubjicitur, *Explicit liber ſeptimus, Hiſtoriæ Policronicæ ultimus*, & dein *Præſentem Cronicam compilavit frater Ranulphus Ceſtrenſis monachus*, quæ verba quomodo ab ipſo autore ſibi primo in libro deſignata ſunt, ſtatim indicabimus. Sed verò in eodem codice ad annum 1344 inceptum, antiquitùs adnotatur, *Uſque huc ſcripſit R. ſeu Ranulphus.* Sic enim antè ſæpius Ranulphus ipſe ſe in opere illo innui voluit. Exit autem ejuſdem liber ſeptimus Knightono[c], annis aliquot antè. Videſis quæ de eo hiſtoriæque ejus tempore habent variatim biographi[d]. Certè maximo eum apud majores noſtros fuiſſe præ cæteris in pretio, inde ſatis liquet quòd tot ejuſdem codices veteres MSS. ac etiam perpulchrè exarati, in bibliothecis tum publicis tum privatis etiamnum reperiantur, & quòd præ aliis dignus habitus ſit annis abhinc quamplurimis qui in Linguam verteretur Anglicanam. Verſio illa typis etiam ſuperioribus ſeculis bis edita eſt, & ab interprete, Joanne ſcilicet de Treviſa, etiam in Edwardi quarti initia continuata. Etiam Lelandus in MS. ejus vita laudibus illum impensè efferens & in Polydorum Vergilium velut minoris multo æſtimandum & qui veteribus Britanniarum Anglorúmque ſcriptoribus fœdè abuſus fuerat acritèr, dum vixit ille, invectus, *Plura hìc dicerem*, inquit, *de Polydori arrogantia niſi ſtomachum ejus timerem, quem tamen non uſque adeò timeo quin apertè auſim adfirmare Ranulphum in eruendis myſteriis antiquitatis Britanniæ* δὶς διὰ πασῶν *illo ſuperiorem fuiſſe, ſi ſpectes provincias in quibus verſatus fuit; nempe Salapiam, Davaniam, Luniam, Doroventaniam.* Sic ille. Quòd vero ad nomen ſcriptoris hujus verum attinet; id quidem ediſcendum monuit ipſe è literis initialibus capitum ſexdecem Libri primi, ſatis imitatus etiam hac in re

---

[a] *Ms. in biblioth. Cotton. fol.* 112.2.

[b] *Cent.6. ſcript.*48.

[c] *Lib.*4. *col.* 2569.

[d] *Balæus edit. priori fol.*141. 2. *Cent.*6. *ſcript.*12. *Geſnerus, Pitſeus Æt.*14. *ſcript.* 641. *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.*3. *cap.* 2. *Arnoldus Wion in Ligno Vitæ lib.*2. *cap.*77.

Ranulphum Ceſtrenſem cujus adeò eſt aliàs ſequax. Ranulphi nempè mei, ut ſæpiùs aliorum, elegantiùs auro coloribuſque variis ornati frons minio exhibet carmen hoc, ſeculi ſui barbariſmo conſonum,

Grammata dant prima capitalia nomen Agentis.

Nimirum initiales literæ cujuſque Capituli libri primi, uſque ad 52, in verba coactæ ita leguntur, *Præſentem Cronicam compilavit frater Ranulphus Ceſtrenſis,* unde tum illud quod antè memoravimus ad codicis mei finem, tum quod verbis totidem apud Pitſeum habetur ex codicis alicujus veteris fronte ſumtum. Haud ita diſpari modo Knightonus literis initialibus capitum XVI libri ſecundi (nam primus velut apparatûs tantum locum ſequentibus obtinet) nomen ſuum ad hunc modum deſignat, *Henricus Cnitton*, unde etiam Lelandus in vita ejus MS. *Knightoduno* ſuo ſuprà ſcriptum habet *Cnitiodunus*, ut aliam nominis lectionem. Et de hiſce tandem ſatis ſupérque.

Ex ædibus Carmeliticis
Londini X Maii Juliani
MDCLII.

INDEX

INDEX AUTHORUM ET TRACTATUUM in hoc volumine.

Simeonis Dunelmenſis

Hiſtoria *Dunelmenſis* Eccleſiæ Pag. 1
De archiepiſc. *Eboraci* Col. 75
De obſidione *Dunelmi* Col. 79
Hiſtoria de geſtis regum *Anglorum* Col. 85

Johannis Prioris Haguſtaldenſis

Hiſtoria xxv. annorum Col. 257

Ricardi Prioris Haguſtaldenſis

Tractatus de ſtatu & epiſcopis *Haguſtaldenſis* eccleſiæ Col. 285
De Geſtis Regis *Stephani* & de bello Standardii Col. 310

Serlonis monachi

Deſcriptio belli inter regem *Scotiæ* & Barones *Angliæ* Col. 331

Ailredi Abbatis Rievallenſis

Deſcriptio belli Standardii Col. 337
Genealogia regum *Anglorum* Col. 347
Vita *Edwardi* Regis & Confeſſoris Col. 369
Hiſtoria de ſanctimoniali de *Wattun* Col. 415

Radulphi de Diceto Decani Londonienſis

Abbreviationes Chronicorum Col. 429
Imagines Hiſtoriarum Col. 525
Series cauſæ inter *Henr.* regem & *Thom.* archiep. Col. 711

Johannis Brompton Abbatis Jornallenſis

Chronicon ab anno Domini 588. ad ann. Domini 1198. Col. 725

Gervasii monachi Dorobornenſis

Tractatus de Combuſtione & reparatione *Cant.* Eccleſiæ Col. 1289
Imagines de diſcordiis inter monachos *Cant.* & *Baldew.* arch. Col. 1303
Chronica, &c. Col. 1338
Vitæ Pontificum *Cant.* Eccleſiæ Col. 1629

THOMÆ Stubbs Dominicani

Vitæ *Eboracenſium* Archiepiſcoporum Col. 1683

Radulphi archiep. Cant.

Epiſtola Calixto papæ de primatu Col. 1735
Decreta papalia de primatu *Cant.* Col. 1749

GUILIELMI Thorn monachi S. Aug. Cant.

Chronica de rebus geſtis abbatum S. *Aug. Cant.* Col. 1757

Incerti auctoris

Evidentiæ eccleſiæ Chriſti *Cant.* Col. 2207
Chronologia S. *Auguſtin. Cant.* Col. 2229
Surſum redditio abbathiæ S. *Aug. Cant.* Col. 2293

HENRICI Knighton Canonici Leiceſtrenſis

Chronica de eventibus *Angliæ*, &c. Col. 2311
Depoſitio Regis *Ricardi* ſecundi Col. 2743

Adæ epiſcopi Herefordenſis

Apologia Col. 2764

Simeon

c†

SIMEON
MONACHUS DUNELMENSIS

De { *Dunelmenſi* Eccleſia.
Geſtis Regum *Anglorum*:

Cum continuatione *Joh.* Prioris *Haguſtaldenſis.*

RICHARDUS
PRIOR HAGUSTALDENSIS

De { Statu & epiſcopis *Haguſtaldenſis* Eccleſiæ. i e Hexham
Geſtis Regis *Stephani* & bello Standardi.

Nunc primum edita ex MSS. codicibus fideliter collatis.

Incipit Apologia *Simeonis* monachi.

Exordium Dunelmenſis *eccleſiæ deſcribere majorum authoritate juſſus, ingenii tardioris & imperitiæ mihi conſcius, non obedire prius cogitaveram: ſed rurſus obedientia hoc præcipientium pluſquam meis viribus confidens, juxta ſenſus mei qualitatem ſtudium adhibui. Ea ſcilicet quæ ſparſim in ſcedulis invenire potui, ordinatim collecta digeſſi: ut eo facilius peritiores, ſi mea non placent, unde ſua peritia opus conveniens conficiant, in promptu inveniant. Præterea lectorem petimus, ut tam pro illo qui hoc opus fieri juſſerat, quam pro illo qui obediendo juſſis id ſtudio & labore perfecerit, Domino* Jeſu Chriſto *preces fundere dignetur. Sed & pro omnibus, quorum hic nomina viderit, divinæ pietatis abundantiam invocare meminerit. Vivis quidem poſtulans ſanctæ profeſſionis augmentum, et bonæ perſeverantiæ in futuro præmium; & defunctis, ut percepta venia peccatorum, mereantur videre bona Domini in terra viventium. Veruntamen quibus non vacat, vel legere plurima non valent: Hoc ſi voluerint, legant opus, compendioſa brevitate poterunt ſcire.*

Explicit Apologia *Simeonis* monachi.

INCIPIT PRÆFATIO REVERENDI *Simeonis* monachi & præcentoris eccleſiæ ſancti *Cuthberti* *Dunelmi*, in hiſtoria de exordio Chriſtianitatis & religionis totius *Northumbriæ*, de fide & origine ſancti *Oſwaldi* regis & martyris, & de prædicatione ſancti *Aidani* epiſcopi.

REgnante apud *Northimbros* Chriſtianiſſimo rege & poſtea martyre *Oſwaldo*, vir eximiæ ſanctitatis *Aidanus*, primus in regno ejuſdem regis verbum fidei prædicans, primus *Lindisfarnenſis* ſive *Dunelmenſis* eccleſiæ fuit epiſcopus, ſedemque epiſcopalem ſimul & monachicam, ut venerabilis presbiter, & monachus, *Beda* in hiſtoria *Anglorum* atteſtatur, in ipſa eccleſia habitationem jubente rege præfato & cooperante inſtituit, anno ab incarnatione Domini 635. Ex hac eccleſia omnes eccleſiæ & monaſteria provinciæ *Berniciorum* ſumpſerunt exordium. Regio enim *Northanhymbrorum* in duas dividitur provincias, *Deirorum* ſcilicet & *Berniciorum*. Permanſit autem in præfata eccleſia monachorum congregatio nobilis & religioſa, per 240. annos. Exinde crudelis barbarorum manus innumeris navibus in *Angliam* tranſvecta, omnia quaquaverſum depopulans, etiam reges qui tunc plures erant *Anglorum*, inter quos & *Edmundum* martyrem glorioſum interfecit. *Northanhymbrorum* autem provincias atrocius devaſtans, omnes eccleſias, omnia monaſteria ferro & incendio delevit, adeo ut nullum pene Chriſtianitatis ſignum poſt ſe diſcedens reliquerit. Vix epiſcopus ſupradictæ eccleſiæ *Eardulfus* cum incorrupto ſancti *Cuthberti* confeſſoris corpore fugiens, evaſit mortem cum paucis. Porro monachi qui loci reverentiæ confidentes remanſerant de eccleſia extracti, alii in mare ab hoſtibus ſubmerſi, alii captivi abducti, alii detruncati, alii aliis tormentis miſerabiliter affecti, omnes ſimul interierunt. Tali modo monachica congregatio defecit apud corpus ſancti *Cuthberti*. Porro jam memoratus epiſcopus & poſt eum aliquot ſui ſucceſſores, dominantibus per multos annos in provincia barbaris, cum ſacri corporis theſauro incertis huc illucque ſedibus vagabantur, nuſquam ante faciem barbarorum & gladii imminentis habentes requiem, donec pace reddita, & facta divinitus revelatione, in *Dunelmum*, ubi nunc requieſcit, perlatum ſit. Peremptis autem, ut dictum eſt, memoratæ eccleſiæ monachis, parvuli qui inter illos nutriebantur & inſtituebantur ſub diſciplina diligenter, quoquo modo evadentes manus hoſtium, corpus quidem ſancti Confeſſoris comitati ſunt: ſed tradita ſibi diſtrictione paulatim poſtpoſita, eccleſiaſticam diſciplinam odio habuerunt, remiſſioris vitæ illecebras ſequuti. Nec erat qui eos ſub eccleſiaſtica cenſura coerceret, utpote cultura Dei deſtructis monaſteriis & eccleſiis pene deficiente. Seculariter itaque omnino viventes, carni & ſanguini inſerviebant, filios & filias generantes. Quorum poſteri per ſucceſſionem in eccleſia *Dunelmenſi* fuerunt nimis remiſſe viventes, nec ullam niſi carnalem vitam quam ducebant, ſcientes nec ſcire volentes. Clerici vocabantur, ſed nec habitu, nec converſatione clericatum prætendebant. Ordinem pſalmorum in canendis horis ſecundum regulam ſancti *Benedicti* inſtitutum tenuerunt. Hoc ſolum à primis inſtitutoribus monachorum per paternam traditionem ſibi tranſmiſſum ſervantes. At *Willielmo* majore regnum *Angliæ* adepto, cum eccleſiarum & monaſteriorum recaleſceret religio, *Walcherus* de clero *Leodienſis* eccleſiæ in præſulatum eccleſiæ *Dunelmenſis* ſullimatur, vir natu nobilis, ſed prudentia & honeſtate nobilior. Videns in eccleſia nec ſui ordinis clericos, nec monachos, graviter indoluit. Quippe quos nec ad emendatiorem vitam, nec ad mores eccleſiaſticos corrigibiles invenit Relegens autem hiſtoriam *Anglorum* & vitam ſancti *Cuthberti*, quæ utraque venerabilis *Beda* compoſuit, repperit monachorum congregationem à primo ipſius eccleſiæ præſule *Aidano*, & *Oſwaldo* rege, ut ſupradictum eſt, ibidem locatam, & ante præſulatum ſancti *Cuthberti*, & poſt, ad corpus ipſius Deo deſerviſſe, donec, ſicut dictum eſt, hoſtilis impietas eam funditus extinxiſſet. Cogitans ergo antiquum in eccleſia reſtaurare ſervitium, Deum oravit, ut actiones ſuas aſpirando præveniret, & adjuvando proſequeretur. Nec multo poſt quidam ſpiritu pauperes monachi in auſtralibus *Angliæ* partibus divinitus commoniti, ut Deo ſerrvituri in provincia *Northanhymbrorum* peregrinarentur, ad epiſcopum venerunt *Walcherum*, rogabantque ut in ſuo eis epiſcopatu ubi poſſent habitare, & ſi quos forte valerent ſervituros Deo ſibi liceret aggregare. Lætior ſolito fit epiſcopus, eoſque quaſi à Deo ſibi miſſos dulciter amplectitur, & reddita Deo gratiarum actione, benigniſſime ſuſcipit. Mittenſque illos in *Gyruum* & *Wiramuthe*, duo ſui epiſcopatus loca ubi ſanctorum quondam fuerant habitationes, ibi præcepit interim manere, ſibique quos poſſent in Dei famulatum aſſociare, donec proceſſu temporis & maturo conſilio conſtructis habitaculis, eos monachos monachi ſimul & epiſcopi *Cuthberti* corpori vicinius adjungeret. Fecerunt ut juſſerat, & reædificantes deſtructa Sanctorum habitacula, exemplo vitæ, & doctrina nonnullis profuerunt ut mundo abrenunciantes, eos propoſiti ſui comites haberent. Exultat in his vehementer epiſcopus, quoniam per hos ſperabat ſacræ religionis augmentum, ubi pene totius honeſtatis & pietatis invenerat defectum. Interim circa parietes *Dunelmenſis* eccleſiæ jactis fundamentis, cœpit ædificare habitacula monachorum habitationi congrua. Sed priuſquam ea perficeret, crudeli ſuorum manibus morte præventus eſt. Cui ſuccedens in epiſcopatum *Guilielmus*, vir, ut omnes qui eum noverant atteſtantur, magnæ prudentiæ & conſilii, locum eccleſiaſtica & monaſtica deſtitutum obſervatione ingemuit. Revolvens & ipſe antiquorum ſcripta, eccleſiam illam à monachis, videlicet *Aidano* monacho & pontifice, & à monachis quos ſecum adduxerat, in primis fundatam repperit, & perfectam: ſed à paganis monachos interficientibus primæva ſervitute deſtitutam. Itaque decrevit Deo authore antiqua reſtaurare, quæque prædeceſſor ſuus inceperat, ad effectum perducere. Alloquitur primo illos quos in eccleſia invenerat, ut vel clerici regulares, vel monachi fierent, ut quovis ordine diſciplinati vitam ducerent. Sed quoniam durum eis erat aſſueta relinquere, & in veteri mente nova meditari, neutrum admiſerunt. Epiſcopus regi magno *Guilielmo* univerſa replicans, & quæ in libris ſcripta de eccleſia ſæpedicta, & quæ nunc in ea invenerat, mox ab ipſo rege ad beatæ recordationis *Gregorium* ſeptimum papam mittitur, tam de his eum conſulturus quam de aliis quæ ſibi mandaverat. Cui cum de beati patris *Cuthberti* ſanctitate quædam licet pauca dixiſſet, illius per omnia ſibi placuit conſilium, ut videlicet monachos quos in duobus epiſcopatus locis *Guiramuthe*, & *Girwe* invenerat, in unum coram ſancto illius corpore congregaret, quia epiſcopatus parvitas ad tria monachorum cœnobia non ſufficeret. Hoc quoque Apoſtolica confirmando authoritate, regi, archiepiſcopis & epiſcopis *Angliæ*, ſuam ſuper hoc voluntatem remandavit, & conſenſum. Unde rex valde gaviſus, aſſiſtentibus totius regni primatibus, præcepit, ut rem quantocius ad effectum perduceret epiſcopus. Quod factum eſt. Evocatis namque de prædictis locis monachis, qui jam Spiritu ſancto filios Dei qui erant diſperſi in unum congregante, plures commanebant, *Dunelmum* tranſtulit, ubi morum ſuorum ſicut eſt conſuetudo converſionem profitentes, & ſtabilitatem, tam præſentes, quam ſucceſſores eorum inſeperabiliter beati *Cuthberti* corpori aſtrinxit. Sicque ad illum monachicæ converſationis ordinem non novum inſtituit, ſed antiquum Deo renovante reſtituit.

Explicit Præfatio.

Incipiunt capitula libri primi.

I. DE *fide & origine ſancti* Oſwaldi, *& prædicatione ſancti* Aidani, *quæ ſunt primitiva fundamenta eccleſiæ* Dunelmi.

II. *Quo anno beatus* Oſwaldus *eccleſiam* Lindisfarnenſem *fundaverit, & quo de hoc ſeculo migraverit, & de præſulatu* Aidani, *& integritate brachii ſancti* Oſwaldi.

III. *De obitu ſancti* Aidani, *cujus animæ exitus revelatus eſt oculis beati* Cuthberti, *& quo tempore* Cuthbertus *ſuſceperit habitum monachi.*

IV. *De* Finano *epiſcopo, quomodo regem* Merciorum *baptizaverit, & eis epiſcopum de ſuis ordinaverit, &* Ced *ab eo conſecratus quid fecerit.*

V. *Qualiter* Colmannus *epiſcopatum dimiſerit, & epiſcopus* Tudda *obierit, & ſibi* Eatam *ſucceſſurum impetraverit.*

VI. *Quo tempore* Eata *epiſcopatum perceperit, & beati* Cuthberti *converſio facta ſit, & quanta ſpirituali perfectione vitæ ſuæ profectum inſtituerit.*

VII. *Quando beatus* Cuthbertus Lindisfarnenſis *eccleſiæ prioratum acceperit, & qua dulcedine in anachoreſi vixerit.*

VIII. *Quo tempore ſanctus* Beda *natus ſit, & de monaſterio illius, & quanta ſcientia tunc in* Anglia *claruerit.*

IX. *De electione ſancti* Cuthberti, *& quomodo de* **Farne** *eductus ſit, & ubi conſecratus, & quæ rex ei* Egfridus *eo die dederit.*

X. *Qualiter in epiſcopatu ſanctus* Cuthbertus *vixerit, & quomodo de mundo emigraverit, & ſe ad* Lindisfarnenſem *eccleſiam reduci permiſerit.*

XI. *Quomodo poſt undecim ſepulturæ annos corpus ejus incorruptum repertum ſit, & de* Eadberto *epiſcopo &* Ethelwoldo, *qui uterque ei in anachoreſi ſucceſſit, & qua ætate* Beda *ejus vitam ſcripſerit.*

XII. *De* Ethelwoldo *epiſcopo, & cruce lapidea quam fecit.*

XIII. *De* Ceulfi *Regis proſapia, & vita ejus, & patientia.*

XIV. *Quo ævo vel tempore ſanctus* Beda *obierit, qualiter vixerit, & quanta ſcripſerit.*

XV. *Epiſtola de tranſitu ſancti* Bedæ, *& ejus converſatione.*

Expliciunt capitula libri primi.

Incipiunt capitula libri ſecundi.

I. *Quando & ubi* Ceolfus *rex monachus factus ſit, & quanta ſecum dederit, & à quo apud* **Northam** *corpus illius delatum ſit.*

II. *Qualiter quidam de regio genere ad pacem beati* Cuthberti *confugerit, & inde abſtractus ſit, & quomodo* Kinewlf *epiſcopus pro eo in carcere truſus ſit, & de morte ſancti* Baltherii.

III. *De induſtria & converſione regis* Edberti, *& fratris ejus præſulatu, atque ipſius obitu.*

IV. *De occiſione regis* Oſulfi, *& quo tempore* Kinewlf *epiſcopatum* Higbaldo *dimiſerit, & obierit, & quomodo vel ubi rex* Elwoldus *peremptus ſit.*

V. *De deſtructione Eccleſiæ* Lindisfarnenſis *& celeri ultione, & de* Higbaldo, Egberto *&* Egredo *epiſcopis, & terris per illos acquiſitis.*

VI. *De ſecunda per* Danos Lindisfarnenſis *eccleſiæ, &* Northimbriæ *depopulatione, & quo tempore, vel quare* Eardulfus *epiſcopus corpus ſancti* Cuthberti *de inſula tulerit, & quale ſervitium deinceps celebratum ſit à clericis.*

VII. *Quare feminæ in eccleſia ſancti* Cuthberti *non intrent, & de exceſſu ſanctimonialium quondam in* **Collingaham**.

VIII. *De femina quæ Cimiterium ſancti* Cuthberti *introiit, quam celeri vindicta punita ſit.*

IX. *Item de alia quæ per cimiterium cucurrit, quæ morte ſeipſam extinxerit.*

X. *De peſte per* Danos *illata, & de ſeptem portitoribus ſancti* Cuthberti, *et de viſione regis* Elfredi.

XI. *Quomodo corpus ſancti* Cuthberti *ad* Hy[illegible]niam *transferri debuit, ſed unda in ſanguinem converſa tempeſtate ſubita redactum ſit.*

XII. *De portitoribus ſacri corporis ex diutino labore pertæſis. Quæ nomina eis fuerint. Et qualiter equum, frænum carrumque prædicente S.* Cuthberto *invenerint, & textum Evangeliorum in mare triduo dimerſum illæſum receperint.*

XIII. *Quomodo juſſu ſancti* Cuthberti Guthredus *ſit rex effectus, & de donis ejus, privilegiis & largitionibus.*

XIV. *Item de dignitatibus, & eccleſiæ privilegiis.*

XV. *Quid rex* Elfredus *moriens* Edwardo *filio ſuo præceperit.*

XVI. *De epiſcopo* Cutheardo, *& quomodo* Eadvard *monarchiam perceperit, & de* Onlafbald *qualiter in limite eccleſiæ ſancti* Cuthberti *interierit.*

XVII. *De* Tilredo *epiſcopo, & de mandato regi* Ethelſtano *per avum ſuum facto.*

XVIII. *De epiſcopo* Wigredo, *& quanta* Ethelſtanus rex *ſancto* Cuthberto *dedit, quando in* Scotiam *perrexit.*

XIX. *Quomodo ſanctus* Cuthbertus Sexelmum *epiſcopum pepulit, & de terra ſua fugaverit.*

XX. *De morte* Edmundi *regis, & epiſcopatu* Elſig.

Expliciunt capitula libri ſecundi.

Incipiunt capitula libri tertii.

I. *Quomodo* Aldunus *corpus ſancti* Cuthberti *in* Rippum *tulerit, & de* Werdelau *poſtea in* Dunelmum *venerit.*

II. *Qualiter locus ille habitabilis factus ſit.*

III. *De contracta quadam ſanata in loco ubi beati* Cuthberti *corpus requieverat.*

IV. *Quo tempore* Aldunus *epiſcopus eccleſiam in* Dunelmo *dedicaverit, & quot donariis à potentibus ditata ſit.*

V. *De* Cnut *rege, & oratione* Alduni *epiſcopi, & morte.*

VI. *Qualiter voce ter de ſepulchro ſancti* Cuthberti *emiſſa,* Edmundus *ipſius eccleſiæ clericus ad epiſcopatum ſit provectus, & monachus factus.*

VII. *De* Elfredo *presbitero, quomodo in eccleſia ſancti* Cuthberti *claruerit, & de capillo quem in igne poſuit, & de reliquiis ſacris pluribus, quas beato* Cuthberto *revelante in* Dunelmum *comportavit.*

VIII. *Quanta* Cnut *rex ſancto* Cuthberto *dederit.*

IX. *De obſeſſione* Dunelmi, *& celeri vindicta regis & epiſcopi Simoniaci, & de* Egelrico *epiſcopo, qui theſauros beati* Cuthberti *ſuſtulit, quomodo punitus ſit.*

X. *De presbitero nocte fornicante, & in craſtino miſſam celebrante, quomodo particulam corporis cum ſanguine in nigredinem converſam viderit, & percipiendo nimiam amaritudinem ſenſerit.*

XI. *Quomodo uxor* Toſti *comitis puellam in cimiterium beati* Cuthberti *miſerit, & mox infirmata in proximo obierit, et de imaginibus deargentatis.*

XII. *De quodam in campo obdormiente, cujus collum ſerpens conſtrinxit, ſed in introitu eccleſia ſancti* Cuth. *ſemper ab eo diſſiliit, qualiter liberatus ſit.*

XIII. *De quodam ad ſepulchrum in ore denarios furante, qualiter ſit punitus & reſtitutus.*

XIV. *De donis* Copſi *comitis.*

XV. *De* Edwardo *rege, & W. & de* Rodberto Cumin *apud* Dunelmum *occiſo, & quomodo aquæ maris irrigua ceſſerint beati* Cuthberti *corpore ad inſulam adveniente.*

XVI. *De apparitione ſancti* Oſw. *& beati* Cuthb. *& ſubita morte* Gillonis, *& ab eis predicta pena ultionis.*

XVII. *De* Egelwino *epiſcopo qui partem theſauri tulit, quomodo reductus ſit & captus.*

XVIII. *De electione* Walkeri *epiſcopi, ſed tamen clerici.*

XIX. *De rege* Willielmo, *qui beati* Cuthberti *corpus an* Dunelmi *quieſceret, explorare voluit, qualiter punitus & fugatus ſit.*

XX. *Quomodo rex* W. Ranulfum *miſerit, ut terram ſancti* Cuthberti *ſub tributo redigeret: ſed beato* Cuthberto *vindicante, furioſus ſit effectus, & reſtitutus, & de privilegiis* W. *regis.*

XXI. *Qualiter* Aldunus *de* Wincelcumb *cum duobus fratribus de* Eoveſham *in* Northymbriam *advenerint, & quomodo ab epiſcopo* Walkero *ſuſcepti ſint, & fructificaverint.*

XXII. *De fratre ad* Streoneſhalch *pergente, & de fundamine eccleſia beatæ* Mariæ Eboraci, *& quomodo* Walkerus *iterum* Aldunum *revocaverit, &* Wiremuthe *cum cæteris terris eis adjecerit.*

XXIII. *De provectu epiſcopi, & ſuorum rapina feroci, et qualia tunc quidam de morte reviviſcens, de epiſcopo et cæteris multis viderit, et prædixerit.*

XXIV. *Qualiter epiſcopus* Walkerus, *& ubi occiſus & ſepultus ſit, & quomodo pro eo vindicatum, & eccleſia beati* Cuthberti *ſpoliata ſit.*

Expliciunt capitula libri tertii.

Incipiunt capitula libri quarti.

I. *Qualiter* W. *epiſcopus electus, & ſacratus ſit, & quanta vir ſcientiæ, probitatis & gratiæ fuerit.*

II. *Quomodo clericos de eccleſia beati* Cuthberti *ejecerit, & authoritate papæ, & regis monachos præfatos introduxerit.*

III. *Quo die et tempore monachos* Dun. *duxerit, & eos benedixerit, & officia ſingula eis diſtribuerit.*

IV. *De corpore ſancti* Oſwini, *& de poſſeſſione eccleſiæ de* Tinemuthe *& illius violenta ablatione.*

V. *Quanta* W. *epiſcopus acquiſierit, & qualem ſe ſubditis exhibuerit.*

VI. *Epiſtola* W. *epiſcopi ad monachos* Dunelmenſes.

VII. *De obitu prioris* Alduni; *& ſucceſſione* Turgoti.

VIII. *De exilio* W. *epiſcopi, et quando poſuerit fundamenta in* Dun. *novi monaſterii.*

IX. *Qualia* Boſo *miles de cœnobitis* Dunelmenſibus *viderit; et quanta de obitu* W. *epiſcopi prædixerit.*

X. *Ubi idem* W. *epiſcopus obierit; & quomodo* Dun. *corpus ejus delatum ſit.*

AB hoc *Anglorum* cronica ſurſum verſus uſq; ad *Adam*, lineam generationis regum texunt, ſicut *Lucam* Evangeliſtam à Domino *Jeſu* factitaſſe cognovimus. Quod ſi etiam ego fecero, fortaſſe non erit ſupervacaneum, quanquam timendum ſit, ne barbaricorum nominum hiatus vulneret aures deſuetorum in talibus. *Ethelwlfus* fuit filius Egbirhti, *Egbirhtus* Elmundi, *Elmundus* Eafæ, *Eſa* Eoppæ, *Eoppa* Ingildi, fratris Inæ regis, qui ambo filii fuere Kenredi, *Kenredus* Celwaldi, *Celwaldus* Cudæ, *Cuda* Cudwini, *Cudwinus* Ceaulini, *Ceaulinus* Cinricii, *Cinricus* Cerdicii, qui fuit primus rex *Weſtſaxonum*; *Cerdicius* Eleſii, *Eleſius* Eſlii, *Eſlius* Giwi, *Giwius* Wigii, *Wigius* Frewini, *Frewinus* Fridegarii, *Fridegarius* Brondii, *Brondius* Beldegii, *Beldegius* Wodenii: De iſto, ut ſæpe diximus, proceſſere reges multarum gentium. *Wodenius* fuit filius Fridewoldi, *Fridewoldus* Frelafii, *Frelafius* Finni, *Finnus* Godwlfi, *Godwlfus* Getii, *Getius* Tectii, *Tectius* Beowii, *Beowius* Sceldii, *Sceldius* Sceaf. Iſte, ut fertur, in quandam inſulam Germaniæ *Scandzam*, de qua *Jordanes* hiſtoriographus *Gothorum* loquitur, appulſus navi ſine remige puerulus poſito ad caput frumenti manipulo dormiens, ideoque *Sceaf* nuncupatus, ab hominibus regionis illius pro miraculo exceptus, & ſedulo nutritus, adulta ætate regnavit in oppido quod tunc *Slaſwic*, nunc vero *Haitheby* appellatur. Eſt autem regio illa *Anglia* vetus dicta, unde *Angli* venerunt in *Britanniam*, inter *Saxones* & *Gothos* conſtituta. *Sceaf* fuit filius Heremodii, *Heremodius* Stermonii, *Stermonius* Hadræ, *Hadra* Gualæ, *Guala* Bedwegii, *Bedwegius* Streſii: Hic, ut dicitur, fuit filius *Noe* in archa natus.

Anno Dominicæ incarnationis 857. duo filii *Ethelwlfi* regnum paternum partientes, *Ethelbaldus* in Weſtſaxonia, *Ethelbirhtus* in Cantia regnaverunt. *Ethelbaldus* ignavus & perfidus patri, ejus thorum polluit, in conjugium *Judith* novercæ poſt obitum patris devolutus. Sed poſt quinquennium, eo defuncto, & *Scireburnia* condito, totum regnum ad alterum derivatum. Hujus tempore manus piratarum appulſa *Hantunam*, *Wintoniam* urbem populoſam direptioni dedit.

Anno ab incarnatione Domini 547. *Ida* regnare cœpit, à quo regalis *Northanhymbrorum* proſapia tenet originem. *Eoppa* genuit Idam, pater Eoppæ fuit *Eſa*, pater Eſæ *Ingui*, pater Ingui *Angenwi*, pater Angenwi *Aloth*, pater Alothi *Benoc*, pater Benoci *Brond*, pater Brondi *Beldeg*, pater Beldegi *Wode*, pater Wodeni *Freothlaf*, pater Freothlæ *Freothwulf*, pater Freothwulfi *Fum*, pater Fumi *Godewulf*, pater Godewulfi *Beoda*.

Ida genuit duodecim filios, ſex legitimo connubio, ſex concubinis. Adda, Ethelric, Edric, Tendhi, Oſmer, Theodoric: hii filii reginæ. Ocga, Alric, Ecca, Osbald, Scor, Scootheri: hii filii concubinarum.

Ida regnavit 12. annis.
Ada filius Idæ 3. annis.
Ethelric filius Idæ 7. annis.
Theodoric filius Idæ 7. annis.
Ethelfrith filius Ethelrici filii Idæ 24.
Athelfrith ſeptem filios habuit, Eanfridum, Oſwaldum,

waldum, Oſwinum, Oſlac, Oſmudu, Oſlaf, Offa. Poſt *Ethelfridum* regnavit *Edwinus* 17. *Edwinus* erat filius *Ella*, qui *Ella* non erat de ſtirpe *Idæ*. Iſte eſt *Ella* de cujus nomine ſanctus *Gregorius* alludens, Bene, inquit, vocatur *Ella*, Alleluja enim oportet ibi ad laudem Dei cantari. Interfecto *Edwino*, regnum *Northanhymbrorum* diviſum eſt. *Oſricus* qui fuit filius patrui *Edwini Elfrici* vocabulo tenuit provinciam *Deirorum* uno anno.

Porro *Eanfridus* filius *Ethelfridi* nepotis Idæ regnum *Berniciorum* tenuit uno anno.

Oſwaldus filius Ethelfridi 9. annis.

Oſwin filius Ethelfridi 28.

Iſte *Oſwin* inprimis regni ſocium habuit *Oſwinum*, de ſtirpe regis *Edwini*, hoc eſt, filium Oſrici, de quo ſupradictum eſt. Præfuit *Oſwinus* provinciæ *Deirorum* 7. annis. Poſt *Oſwinum* regnavit filius ejus *Egfridus*, qui ſanctum *Cuthbertum* conſtituit epiſcopum, regnavit 15.

Alfrid frater Egfridi 19.

Oſred filius Alfridi 11.

Coenred conſanguineus 2.

Oſric filius Aldfridi 11.

Ceolwlf 8.

Iſte *Ceolwlf* fuit filius Cuthwine. *Cuthwine* filius Leodwaldi. *Leodwald* filius Egwaldi. *Egwald* filius Aldhelmi. *Aldhelm* filius Ocgæ. *Ocga* filius Idæ regis. Iſte *Ceolwlf* dimiſſo regno monachus factus eſt in **Lindisfarne**. Poſt *Ceolfum*, *Eadbert* filius patrui Ceolwlfi tenuit regnum 20. annis.

Oſwlf filius Eadberti uno anno.

Ethelwld Moll 6. annis.

Alcred filius de proſapia Idæ 9. annis.

Ethelred filius Ethelwoldi 4. annis.

Elfwold filius Oſwlfi nepos Eadberti regis expulſo *Ethelredo* tenuit regnum 10. annis. Iſte *Ethelwold* injuſte à ſuis occiſus, requieſcit in **Hertildeſham**. Sed in loco quo eſt occiſus, lux cœlitus ſæpe viſa eſt, *Oſred* filius Alchredi uno anno. Iſte Oſred poſt annum expulſus eſt de regno dolo circumventus, & poſtea *Ethelred* filius *Ethelwoldi* de exilio liberatus, regnavit iterum 7. Iſte *Ethelred* filios Elfwoldi ab *Eboraco* extractos peremit.

Oſbaldus regnavit 27. diebus.

Eardulfus 10. annis.

Elfwold duobus annis.

Eanred 33. annis.

Ethelred filius Eanredi 9. annis.

Illo occiſo regnum tenuit *Oſbryht* 13. annis.

Quo poſtea de regno expulſo, *Northumbrani* conſtituerunt ſibi regem non de regia ſtirpe, vocabulo *Ella*. Quo tempore *Danis* oppugnantibus *Eboracum*, *Northymbri* reducentes *Oſbrihtum* in regnum, ſimul cum illo, & cum *Ella* duobus regibus, contra *Danos* pugnant: ſed ambo reges ibi occiſi ſunt. qui ſancto *Cuthberto* ſuas terras abſtulerunt, Werkew, Tillemuthe, Billingaham, Ileclif, & Wigeclif.

Poſtea regnavit *Egbert* 6. annis.

Ricſi duobus annis.

Egbert duobus annis.

Guthred rex ex ſervo 14. annis.

Poſtea *Reingwold* occupavit terram ſancti *Cuthberti* per *Sculam*, & *Onlafbal*. Tunc 22. regnabat *Edwardus* filius Elfredi regis. Poſt Eadwardum regem regnavit *Ethelſtanus*, qui primus totius Angliæ regnum obtinuit 20. annis.

Poſt eum frater ejus *Eadmundus* reg. 9. annis.

Poſt Eadmundum frater ejus *Eadred* reg. 10. annis.

Poſt Eadredum *Eadwi* filius Eadm. regis uno anno.

Poſt Eadwi *Eadgar* frater ejus 18. annis.

Poſt Eadgarum filius ejus *Edwardus* in **Sceftesbiri** 5. annis.

Poſt Edwardum frater ejus *Ethelredus* 39. annis.

Poſt Ethelredum *Edmund* **Irneſide** 9. menſ.

Poſt eum *Cnut* 19. annis.

Poſt Cnut *Heraldus* filius ejus 5. annis.

Poſt eum *Hardecnut* 3. annis.

Poſt hunc *Eadwardus* 24.

Poſt hunc *Harald* ad Epiphaniam D. uſque ad feſtum ſancti Calixti.

Willielmus major 21. annis.

Willielmus minor 13. annis.

Henricus anno ætatis ſuæ 68. obiit. Regnavit glorioſe annis 35. & menſibus 4.

Anglia habet in longitudine 800. miliaria à loco **Penwithſtert** vocato, qui ſitus eſt 15. leugis ultra **Michael Stowe** in *Cornewalas*, uſque ad *Cathenes* trans *Scotiam*. In latitudine habet 300. miliaria à **Depeſtowe** uſque **Doſre**. Habet ſedes metropolitanas duas, *Cantuariam* & *Eboracam*. Sedes epiſcopales 15. Roveceſtriam, Londoniam, Northwic, Ciceſtriam, Winceſtriam, Searesbiri, quam Heremannus epiſcopus permittente rege Edw. de duobus epiſcopatibus, Ramesbiri & Sciretburn, unam fecit. Execeaſtre quam Leofricus epiſcopus permittente Rege Edw. de 2. epiſcopatibus in **Cornewale** ad ſanctum *Germanū*, & *Brideport*, unam fecit. Bathun. cujus ſedes fuit apud Welle, uſq; ad dies Will. regis ſecundi, & epiſcopi Johannis. **Wireceſtre**, **Hereford**, Ceaſtria, cujus ſedes fuit apud **Lichefeld** uſque ad dies *Will.* regis primi, & *Lanfranci* archiepiſcopi, & *Petri* epiſcopi. *Lincolnia*, cujus ſedes fuit apud **Dorkeceſtre**, fuitque dudum diviſa in tres epiſcopatus. Sunt enim in eo octo Sciræ, & dimidia. **Hely** quam *Henricus* rex primus fecit ſumpta parte de epiſcopatu *Lincolniæ*. *Dunelmum*, cujus ſedes fuit apud Haguſtaldenſem eccleſiam, & alia ſedes apud **Halieland**, **Karleol**, cui rex *Henr.* primus, & *Turſtinus* archiepiſcopus, *Aldulfum* epiſcopum primum præfecit. Anglia habet 32. Sciras extra **Cumberland** & *Cornwalas*. In Cornwalas ſunt 7. parvæ ſciræ. **Scotland**, **Bretland** & **Wict** excipiuntur. Sunt hæ 32. ſciræ diviſæ per tres leges, Weſtſexenalaga, Denelega, Merchenelaga. WESTSEXENALAGA habet 9. ſciras. Suthſexia, Suthrei, Kent, Berocſcire, Wilteſcire, in qua ſunt IV. & 8. Hydæ, Sudamteſcire, Somerſeteſcire, Dorſeteſcire, Devenaſcire. DENELAGA habet 15. ſciras, Eboraci ſcira, Snotingahamſcira, Deorbiſcira, Leorceſtreſcira, Lincolneſcira, Northamtunſcira, Hunteduneſcira, Grantebrige ſcire, Northfolc, Sudfolc, Eaſtſaxe, Bedeford ſcira, Hereford ſcira, Midleſexa, Bukingeham ſcira. MERCHENALAGA habet 8. ſciras, Hereford ſcira, Glouceſtre ſcira, Wireceſtre ſcira, Scrob ſcira, Ceſtre ſcira, Steadford ſcira, Warewic ſcira, Oxeneford ſcira. Anglica Britannia Oceani inſula climatis occidui extremo pene ſitu ab orbe ſecluſa, in frigida plaga Aquilonis poſita, in ultimo ferme orbis margine ſita, inter omnes vel prima vel maxima: à quibuſdam quia oceano circumgirata eſt, *alter orbis* appellatur. Inſula ſingulari amplitudine, omniumque aliarum decus & gloria; quam olim *Karolus* magnus provinciam omnium bonorum fertilitate & copia cameram ſuam vocabat.

INCIPIT

INCIPIT HISTORIA SANCTÆ ET ſuavis memoriæ *Simeonis* monachi ſancti *Cuthberti Dunelmi*, de exordio Chriſtianitatis & religionis totius *Northumbriæ*, & de exortu & proceſſu *Lindisfarnenſis* ſive *Dunelmenſis* eccleſiæ.

CAP. I.

De fide & origine ſancti Oſwaldi, *& predicatione ſancti* Aidani, *quæ ſunt primitiva fundamenta eccleſia* Dunelmi.

GLorioſi quondam regis *Northanimbrorum* & precioſi martyris *Oſwaldi*, ferventiſſima in Chriſto fide hæc ſancta Eccleſia, *viz.* quæ in Dei laudem & perpetuam ſui tutelam ipſas ſacræ venerationis reliquias, incorruptum ſcilicet ſanctiſſimi patris *Cuthberti* corpus, & ejuſdem regis ac martyris caput venerandum intra unius loculi conſervat hoſpitium, ſui ſtatus ac religionis ſacræ ſumpſit exordium. Licet enim cauſis exiſtentibus alibi quam ab ipſo ſit locata, nihilominus tamen ſtabilitate fidei, dignitate quoque & auctoritate cathedræ Pontificalis, ſtatu etiam monachicæ habitationis quæ ab ipſo rege & *Aidano* pontifice ibidem inſtituta eſt, ipſa eadem eccleſia deo auctore fundata permanet. Quoniam igitur de ipſa quædam veritate ſubnixa ſcribere decrevimus, congruum videtur, ut de fundatoris ipſius præfati ſcilicet regis ingenita ſecundum carnem nobilitate pauca præmittamus. Siquidem claris admodum natalibus eſt ortus, non ſolum patre ſed etiam avis dignitate regia præcellentibus, fratre quoque uno ante, altero vero poſt illum regni apice pollentibus: erat namque filius potentiſſimi regis *Ethelfridi*, cujus pater *Æthelricus* rex, cujus pater *Ida* rex, à quo (ut *Beda* refert) regalis *Northanymbrorum* proſapia cepit originem. Nec tantum paterna ſed & materna quoque origine clariſſimam duxit genealogiam, ex ſorore viz. *Edwini* regis procreatus, ſed progenitoribus fidei Chriſtianæ penitus ignaris, ille ut roſa de ſpinis effloruit, ſalutari utique fonte Chriſto regeneratus, atque ipſa ſacroſancta regeneratione digniſſime vivens. Regno enim potitus, gentem ſibi ſubditam ſecum mox Chriſto ſubdidit, utpote in verbo fidei, pontifici *Aidano* ſocius & cooperator exiſtens egregius. Prædicante namque in ſua, id eſt, Scottorum lingua epiſcopo, ille qui hanc æque ut ſuam perfecte noverat, rex utique regis æterni miniſter devotus aſſiſtere, & fidus interpres fidei ducibus ſuis, ac miniſtris miniſtrare ſolebat verba ſalutis: verum qualis quantuſque fuerit, quantæ erga fidei religionem devotionis, quantæque in pauperes miſericordiæ ac benignitatis, & quam maxime inter curas regni deditus orationi, quæ & quanta poſt mortem illius ad indicium ejus jam cum Chriſto viventis claruerint miracula, eccleſiaſtica gentis Anglorum *Beda* deſcribente declarat hiſtoria. Porro hic nos id ſtudii occupat ut ex hujus ſanctæ, hoc eſt, eccleſiæ Dunelmenſis exordio, procurſu, quæque in præfata hiſtoria, aliis quoque opuſculis inveniri poterant, ad memoriam poſterorum in unum ex ordine compacta, quoddam libelli corpuſculum perficiant. Nonnulla etiam quæ defectu ſcriptorum litteris non fuerant tradita, ſeniorum autem veracium relatione qui ea vel viderant vel à patribus ſuis viris religioſis fideque digniſſimis qui interfuere ſæpius audierant, ad noſtram notitiam pervenerunt, vel quæ & nos ipſi vidimus, his quæ ex aliorum ſcriptis collecta ſunt adjungenda credimus.

CAP. II.

Quo anno beatus Oſwaldus *eccleſiam* Lindisfarnenſem *fundaverit, & quo de hoc ſeculo migraverit, & de præſulatu* Aidani, *& integritate brachii ſancti* Oſwaldi.

ANno igitur Dominicæ incarnationis DC. xxxvº qui eſt annus adventus Anglorum in Britanniam 188. adventus vero ſancti Auguſtini triceſimus nonus, piiſſimus rex *Oſwaldus* ſecundo imperii ſui anno venienti ad ſe *Aidano* ſedem epiſcopalem in inſula *Lindisfarnenſi* conſtituit, ubi & ipſe antiſtes jubente, ſuffragante & cooperante rege, monachorum qui ſecum venerant habitationem inſtituit, hoc illis rege ſcilicet & epiſcopo procurantibus, ut & pontificali auctoritate fides roboraretur novella, & monachica inſtitutione ſemper in poſterum caperet augmentum religionis obſervantia, unde ſicut legimus & ſeniorum traditione percepimus, ad ipſius eccleſiæ præſulatum monachi ſolebant eligi, exemplo nimirum primi antiſtitis *Aidani*, qui & monachus erat, & monachicam vitam cum ſuis omnibus agere ſolebat. Quod ab anno incarnationis Dominicæ 635º obſervatum eſt uſque annum incarnationis ejuſdem 1072. quando de clericali ordine in epiſcopatum conſecratus eſt vir religioſus de *Lothariorum* gente *Gualcherus*. Nam inter epiſcopos nec commemorandum arbitror illum qui multo ante de clero per Symoniacam hereſim ordinatus, ſed morte præventus nullum epiſcopale officium eſt facere permiſſus. At ut ad propoſitum redeatur, *Aidanus* ipſius eccleſiæ primus & præſul & monachus omnibus ſibi ſucceſſuris & epiſcopis & monachis, in via Domini qua præceſſerat ſe ſequendum præmonſtravit. Cujus vitam cum multa laude venerabilis *Beda* proſequutus eſſet, Ut multa, inquit, breviter comprehendam, quantum ab eis qui illum novere didicimus, nihil ex omnibus quæ in evangelicis ſive apoſtolicis ſive propheticis literis facienda cognoverat prætermittere, ſed cuncta pro ſuis viribus operibus explere curabat. Hujus præſulatus anno octavo, regni autem ſui nono ſanctiſſimus ac piiſſimus rex *Oſwaldus* primus in tota Berniciorum gente ſignifer fidei Chriſtianæ & fundator eccleſiæ *Lindisfarnenſis*, ex qua omnium ejuſdem provinciæ eccleſiarum manarunt primordia, à paganis in bello proſtratus occubuit. Cujus caput in cœmiterio eccleſiæ præfatæ, manus vero cum brachiis quas rex interfector à corpore præcidi juſſerat, in urbe regia conditæ ſunt: dextera cum brachio votum benedictionis *Aidani* epiſcopi, per incor-

An.Dñi 635.

ruptionem præferente, quæ etiam ad noſtram uſque ætatem utriuſque meritum, regis ſcilicet atque pontificis gratia ſuæ incorruptionis oſtendit, ſicut noſtræ hoc eſt *Dunelmenſis* eccleſiæ monachus venerandæ caniciei & multæ ſimplicitatis, vocabulo *Swardebrandus*, qui nuper epiſcopatum *Willielmo* adminiſtrante defunctus eſt, ſæpius ſe vidiſſe atteſtatus eſt. Nam ut *Beda* narrat, die ſancto Paſchæ ſedente ad menſam rege, cum diſcus illi argenteus eſſet appoſitus epulis regalibus refertus, ſubito nunciatur multitudinem pauperum in platea ſedere & eleemoſinam aliquid à rege expectare. Nec mora, dapes ſibimet appoſitas pauperibus deferri, & eundem diſcum inter eos præcepit minutatim dividi. Quo facto pietatis pontifex qui aſſidebat delectatus apprehendens dexteram ejus ait, Nunquam inveteraſcat hæc manus. Porro oſſa illius in monaſterium quod in provincia *Lindiſſi* ſitum eſt, tranſlata ſunt.

CAP. III.

De obitu ſancti Aidani, *cujus animæ exitus revelatus eſt oculis beati* Cuthberti, *& quo tempore* Cuthbertus *ſuſceperit habitum monachi.*

PEractis in epiſcopatu decem & ſeptem annis præſul *Aidanus* viam patrum eſt ingreſſus, cui mors temporalis lætum vitæ alterius pandebat introitum. Cujus in Chriſto ſublimium meritorum gloriam, etiam miraculorum quibus & ante & poſt mortem ſublimiter effulſerat tertio ſuperius memoratæ hiſtoriæ declarante libro teſtantur indicia. Hujus ad cœlos felicem triumphum, cœleſtium agminum choris eximia cum claritate deducentibus, ille Iſraelita in quo dolus non erat, in carne non ſecundum carnem vivens, ille cujus à puero tota converſatio erat in cœlis, ille inquam converſationis angelicæ juvenis egregius, ſanctiſſimus viz. *Cuthbertus* videre promeruit. Nam cum paſtor futurus animarum agens in montibus cuſtodiam pecorum juxta fluvium *Leder* ſolus ſecretis pernoctaret in orationibus, jamque ſtudio & amore totus in cœlum raperetur, tantæ gloriæ ac beatitudinis contemplatione dignus habebatur. Qua viſione dilectus deo adoleſcens incitatus, ad ſubeundum arctioris propoſiti gradum, ad promerendam inter magnificos altioris præmii gloriam, mane facto ſtatim commendans ſuis pecora quæ paſcebat dominis, perfectioris vitæ gratia monaſterium petere decrevit. 651. Anno enim Dominicæ incarnationis 651, ab adventu ſancti *Auguſtini* in Britanniam 55, ex quo autem provincia Berniciorum induſtria regis *Oſwaldi* fidem Chriſti perceperat anno 17, quo pontifex *Aidanus* ad cœleſtia tranſiit, qui eſt annus imperii regis *Oſwin* 9, juvenis ille ſanctiſſimus Chriſto ſoli famulaturus monaſterium *Mailroſenſe* intravit, ſuſceptus à reverentiſſimo abbate *Eata*, ſuggerente eidem *Cuthberto Boiſilo* eximiæ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viro, qui ipſum monaſterium ſecundus ab abbate præpoſiti jure gubernabat. Junctus fratrum conſortio qualis quantuſque fuerit, quam majoris ſuper cæteros virtutis, per obſervantiam diſciplinæ regularis, per inſtantiam legendi, operandi, vigilandi, ab omni quod inebriare poteſt abſtinendi & per exercitia cujuſque pii laboris, in libro vitæ ipſius luculento ſermone *Beda* proſequitur. Et ut nos plura paucis comprehendamus, factus eſt monachus, plane monachus, monachus inquam venerabilis ac per cuncta digne laudabilis, corpore, mente, habitu, caſtris aſſociatus Dominicis. Hunc beatus *Boiſilus* pro inſita ſibi puritate ac pia intentione præ cæteris dilexit, & ſcripturarum ſcientia erudivit, ſicut in hac eccleſia ſervatus codex, in quo eo docente ipſe didicerat, per tanta annorum curricula priſca novitate ac decore mirabilis hodieque demonſtrat. Tranſlato ad cœleſtia *Boiſilo*, vir Domini *Cuthbertus* in præpoſiti officium magiſtro ſucceſſit, & quotidiano virtutum profectu æquiparare vel etiam ſupergredi contendit. Qui quam ſtudioſe verbo & exemplo univerſos ad cœleſtia vocaverit, quam ſublimiter miraculorum gloria coruſcaverit, quanta gratiæ prophetalis luce præfulſerit, qui noſſe deſiderat, præfatum vitæ ipſius librum legat.

CAP. IV.

De Finano *Epiſcopo, quomodo Regem Merciorum baptizaverit & eis Epiſcopum de ſuis ordinaverit,* & Ced *ab eo conſecratus quid fecerit.*

SUcceſſit autem *Aidano* in epiſcopatum *Finan* ab eadem gente & monaſterio unde & prædeceſſor ejus fuerat miſſus. Qui in inſula *Lindisfarnenſi* fecit eccleſiam ſedi epiſcopali congruam, quam tempore ſequente reverentiſſimus archiepiſcopus *Theodorus* in honore beati *Petri* apoſtoli dedicavit, ſed epiſcopus loci illius *Eadbertus* de quo in ſequentibus dicemus, ablata arundine plumbi laminis eam totam, hoc eſt & tectum & ipſos quoque parietes ejus cooperire curavit. Ab hoc epiſcopo ſcilicet *Finano* princeps mediterraneorum Anglorum *Peada* in provincia *Northanimbrorum* baptizatus eſt, & acceptis quatuor presbiteris qui ad docendam baptizandamque gentem illius eruditione & vita videbantur idonei, multo cum gaudio reverſus eſt. Nec multo poſt rex Orientalium Saxonum *Sigbertus* ab eodem epiſcopo lavacrum ſalutis accepit; ſiquidem provincia illa fidem quam olim expulſo *Mellito* antiſtite abjecerat, induſtria regis *Oſwin*, converſo ad fidem Chriſti rege præfato, recepit, prædicante ibi verbum Chriſti de natione Anglorum presbitero & *Lindisfarnenſis* eccleſiæ monacho *Cedd* à rege *Oſwin* illuc in hoc ipſum miſſo, qui prius etiam apud mediterraneos *Anglos* verbo prædicationis multum fructificaverat. Cum ergo in provincia Orientalium Saxonum multam Domino eccleſiam congregaſſet, contigit quodam tempore ut ad *Lindisfarnenſem* eccleſiam propter colloquium *Finani* epiſcopi rediret. Qui ubi proſperatum ei opus evangelii comperit, fecit eum epiſcopum in gente Orientalium Saxonum. Qui accepto gradu epiſcopatus rediit ad provinciam & in civitate quæ *Ythanceſter* appellatur ſed & in illa quæ *Tilaburg* cognominatur, quarum prior eſt in ripa *Pente* amnis, ſecunda in ripa *Tamenſis*, collecto examine famulorum Chriſti diſciplinam vitæ regularis cuſtodire docuit. Tertium quoque monaſterium in provincia *Northanimbrorum* in *Leſtingaben* conſtruxit & religioſis moribus juxta ritus *Lindisfarnenſium* ubi educatus erat, inſtituit. In quo ipſe moriens dedit illud regendum *Ceaddæ* fratri ſuo. Qui & ipſe monachus erat eccleſiæ *Lindisfarnenſis*, unus viz. de diſcipulis *Aidani*, qui poſtea jubente rege *Oſwin* Eboracenſis eccleſiæ ordinatus eſt epiſcopus. Nec multo poſt *Theodoro* archiepiſcopo præcipiente, provinciæ Merciorum prælatus in loco qui *Licethfeld* nuncupatur ſedem habuit pontificalem.

CAP. V.

Qualiter Colmannus Epiſcopatum dimiſerit, & Epiſcopus Tudda obierit, & ſibi Eatam ſucceſſurum impetraverit.

DEfuncto autem Finano decimo ſui Epiſcopatus anno, Colmannus & ipſe à Scotia miſſus ad Eccleſiæ regimen ſucceſſit. Qui tribus annis in Epiſcopatu exactis, orta diſſenſione de obſervatione Paſchæ, malens ipſe morem ſuæ gentis ſequi, relicto Epiſcopatu patriam reverſus eſt, anno ſcilicet pontificatus Scottorum quem geſſerunt in provincia Anglorum triceſimo. Quantæ autem parſimoniæ, cujus continentiæ fuerint, teſtabatur etiam locus ille quem regebant, ubi abeuntibus eis excepta Eccleſia pauciſſimæ domus repertæ ſunt. Nil pecuniarum abſque pecoribus habebant, ſiquid enim pecuniæ à divitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Nam neque ad ſuſceptionem potentum ſeculi, vel pecunias colligi, vel domos provideri neceſſe fuit, qui nunquam ad Eccleſiam niſi orationis tantum & audiendi verbi Dei cauſa veniebant. Rex ipſe cum opportunitas exegiſſet, cum quinque tantum aut ſex miniſtris veniebat, & expleta oratione diſcedebat. Quod ſi forte eos ibi refici contingeret, ſimplici tantum & quotidiano fratrum cibo contenti nihil ultra quærebant. Tota enim fuit ſollicitudo tunc doctoribus illis Deo ſerviendi, non ſeculo, tota cura cordis excolendi, non ventris. Qui in tantum erant ab omni avaritiæ peſte caſtigati, ut nemo territoria ac poſſeſſiones ad conſtruenda monaſteria niſi à poteſtatibus ſeculi coactus acciperet. Quæ conſuetudo per omnia aliquanto poſt hæc tempore in Eccleſiis Northanhymbrorum ſervata eſt. Abiens autem domum Colmannus aſſumpſit ſecum partem oſſium reverentiſſimi patris Aidani, partem verò in Eccleſia cui præerat reliquit, & in ſecretario ejus condi præcepit. Quo patriam reverſo ſuſcepit pro illo pontificatum Northanhymbrorum, famulus Chriſti Tuda, qui apud Scottos auſtrinos eruditus erat atque ordinatus Epiſcopus, vir quidem bonus ac religioſus, ſed eodem anno ſuperveniente peſtilentia, ac provinciam Northanhymbrorum depopulante raptus eſt de mundo. Porro fratribus qui in Lindisfarnenſi eccleſia etiam Scottis abeuntibus remanere maluerunt, præpoſitus eſt abbatis jure vir reverentiſſimus ac manſuetiſſimus Eata, qui erat Abbas in monaſterio quod vocatur Mailros, quod aiunt Colmannum abiturum petiiſſe & impetraſſe à rege Oſwio, eo quod eſſet idem Eata unus de duodecim pueris Aidani, quos primo Epiſcopatus ſui tempore de natione Anglorum erudiendos in Chriſto acceperat. Multum namque eundem Epiſcopum Colmannum rex pro inſita illi prudentia diligebat.

CAP. VI.

Quo tempore Eata Epiſcopatum perceperit, & beati Cuthberti converſio facta ſit; & quanta ſpirituali perfectione vita ſua profectum inſtituerit.

664. ANno ab incarnatione Domini DC.lxiiii. ex quo autem ſedes Epiſcopatus in inſula Lindiſfarnenſi & monachorum habitatio à ſtudioſiſſimis Chriſti cultoribus, rege Oſwaldo & pontifice Aidano inſtitutæ ſunt anno triceſimo, quo Scotti domum redeuntes ipſam Eccleſiam reliquerant: Abbas Eata ut dictum eſt cura ipſius Eccleſiæ ſive monaſterii ſuſcepta, beatum Cuthbertum cum in Mailroſenſi monaſterio in monachicæ vitæ perfectione jam quartum decimum ageret annum illo tranſtulit, ut ibi quoque fratribus cuſtodiam diſciplinæ regularis, & auctoritate præpoſiti intimaret, & exemplo virtutis præmonſtraret. Cur autem idem locus & ſupra ſub Epiſcoporum & nunc ſub Abbatis regimine fuerit, vel cur ad ipſius Eccleſiæ curam de monachica ut ſupradictum eſt, magis quam de clericali profeſſione conſuetudo fuerit Epiſcopos eligendi, in præfato libro quem de vita & virtutibus ipſius patris Cuthberti componit, venerabilis presbiter & monachus Beda commemorat. His enim verbis inter alia loquitur; Neque aliquis, inquit, miretur quod in eadem inſula Lindisfarnea cum permodica ſit, & ſupra Epiſcopi & nunc Abbatis & monachorum eſſe locum diximus, revera enim ita eſt. Namque una eademque ſervorum Dei habitatio utroſque ſimul tenet, imò omnes monachos tenet. Aidanus, quippe qui primus ejuſdem loci Epiſcopus fuit monachus erat, & monachicam cum ſuis omnibus vitam ſemper agere ſolebat. Unde ab illo omnes loci ipſius Antiſtites uſque hodie ſic Epiſcopale exercent officium, ut regente monaſterium Abbate quem ipſi cum conſilio fratrum elegerint, omnes presbiteri, diacones cantores, lectores, cæterique gradus eccleſiaſtici monachicam per omnia cum ipſo epiſcopo regulam ſervent. Sed de hoc ſatis dictum. Vir Domini autem Cuthbertus ad Lindisfarnenſem eccleſiam ſive monaſterium adveniens, mox inſtituta monachica fratribus vivendo pariter & docendo tradebat, ſed & morantem circumquaque vulgi multitudinem, more ſuo crebra viſitatione ad cœleſtia quærenda ac promerenda ſuccendebat. Nec non etiam ſignis clarior effectus, plurimos variis languoribus & tormentis comprehenſos orationum inſtantia priſcæ ſanitati reſtituit, nonnullos ab immundorum ſpirituum vexatione non ſolum præſens, orando, tangendo, imperando, exorcizando, ſed & abſens vel tantum orando, vel certe eorum ſanationem prædicendo curavit. Erant quidam in monaſterio fratres qui priſcæ ſuæ conſuetudini quam regulari mallent obtemperare cuſtodiæ. Quos tamen ille modeſta patientiæ ſuæ virtute ſuperabat, & quotidiano exercitio paulatim ad melioris præpoſiti ſtatum convertebat. Erat namque patientiæ virtute præcipuus, atque ad perferenda fortiter omnia quæ vel animo vel corpori adverſa ingerebantur invictiſſimus, nec minus inter triſtia quæ contigiſſent faciem prætendens hilarem, ut palam daretur intelligi quia interna Spiritus ſancti conſolatione preſſuras contemneret extrinſecas. His & hujuſmodi ſpiritualibus exercitiis vir venerabilis & bonorum quorumque ad ſe imitandum provocabat affectum, & improbos quoſque ac rebelles vitæ regulari à pertinacia ſua revocabat erroris. Legant qui ſcire volunt ipſius vitam, & in uno ſancti Spiritus vaſculo omnium virtutum conſiderent exuberare gratiam. Diſcant tanti viri authoritate & ſubjecti & prælati ordinis obſervantiam doctrinæ ac pietatis excellentiam, manſuetudinis ac ſeveritatis temperantiam. Diſcant inquam ejus exemplo. Diſcant qui ei nunc deſerviunt monachi ſibi præpoſitis humilitatem exhibere, obedientiam, dilectionem, reverentiam, & omnem ex cordis puritate ſubjectionem. Diſcant

ejus magiſterio qui illius in prioratu ſucceſſores ſunt, contradicentium injurias modeſta virtute patientiæ ſuperare: diſcant & juſtitiæ zelo fervere ad arguendum peccantes, & ſpiritu manſuetudinis modeſtos eſſe ad ignoſcendum penitentibus. Ipſe enim nonnunquam confitentibus ſibi peccata ſua his qui deliquerant, prior miſerans infirmos lachrimas fudit, & quid peccatori eſſet agendum, ipſe juſtus ſuo præmonſtravit exemplo. Nullus ab eo ſine gaudio conſolationis abibat, nullum dolor animi quem ad illum attulerat redeuntem comitatus eſt.

CAP. VII.

Quando beatus Cuthbertus Lindisfarnenſis Eccleſiæ prioratum acceperit, & qua dulcedine in anachoreſi vixerit.

676. ANno incarnationis Dominicæ DC. lxxvi. qui eſt annus imperii regis Egfridi ſextus, cum vir Domini Cuthbertus in Lindisfarnenſis monaſterii prioratu duodecimum & eo amplius annum tranſegiſſet, tandem comitante præfati abbatis ſui ſimul & fratrum gratia anachoreticæ quoque contemplationis ſecreta ſilentia petiit, ibi ſicut ubique contendens ut ex bono melior, ex meliore fieret optimus. Ibi quanto ab ſtrepitu mundanæ ſollicitudinis liberior, tanto Deo vicinior. O pater dulciſſime, ſanctiſſime, reverentiſſime, ſedebas cum Maria ſecus pedes Domini, optimam partem eligens, quæ à te non auferetur in æternum. Ibi ſitiens anima tua ad Deum fontem vivum concupivit & defecit in atria Domini, ibi cor tuum & caro tua exultaverunt in Deum vivum, ibi guſtaſti & vidiſti quam ſuavis eſt Dominus, beatus es quoniam ſperaſti in eo. Qua ibi meditatione, quo amoris ſuſpirio, quanto ſtudio, quanta compunctione, quantis lachrimarum effuſionibus cogitaſti, optaſti, requiſiſti, petiſti, & cum propheta conclamaſti, Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Poſtpoſitis namque aliis omnibus, tota vita tua hoc ſolum clamabat. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ecce jam beatus cum beatis habitas in domo Domini, in ſecula ſeculorum laudabis illum. Ubi vero talia vir Domini promeruerat, eſt inſula Farne, quæ hinc altiſſimo, inde infinito clauditur oceano, tunc aquæ prorſus inops, frugis quoque & arboris, malignorum etiam ſpirituum frequentia, humanæ habitationi minus accommoda. Verum illo quoque virum Dei comitante miraculorum gloria, de rupe ſaxoſa precibus fontem elicuit, de tellure duriſſima ſegetem produxit, hoſte antiquo cum ſatellitum turba fugato locum ipſum habitabilem fecit. Poſtquam enim inhabitator ſancti Spiritus ſuam ibidem inhabitationem inſtituit, in tantum ſpiritus nequam deinceps ipſam inſulam exhorruit, ut qui eam Chriſto famulaturus ingreditur, nullas ex phantaſiis dæmonum inquietudines ſuſtinere dicatur.

CAP. VIII.

Quo tempore ſanctus Beda natus ſit, & de monaſterio illius, & quanta ſcientia tunc in Anglia claruerit.

677. HUjus ſanctiſſimi patris ſolitariæ vitæ anno ſecundo, qui eſt incarnationis DC. lxxvii. imperii vero regis Egfridi ſeptimus, ex quo vero Theodorus archiepiſcopus Britanniam venerat, nonus, Beda natus eſt in provincia Northanimbrorum, in territorio monaſterii Apoſtolorum Petri & Pauli quod eſt ad Wiramura & in Giruum. In quod monaſterium cura propinquorum cum eſſet ſeptem annorum, datus eſt educandus reverentiſſimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, anno ſcilicet decimo poſtquam idem monaſterium ſancti Petri Apoſtoli fundatum eſt, ex quo autem ſancti Pauli monaſterium fuerat inceptum anno tertio. Quæ utraque monaſteria tanta pace & concordia, & eadem familiaritate & fraterna ſocietate fuerant conjuncta, ut ſicut ipſe Beda poſtea deſcribit, pro uno in duobus locis poſito haberentur monaſterio. Unde ipſe in hiſtoria Anglorum unius mentionem faciens, monaſterium, inquit, Petri & Pauli quod eſt ad hoſtium Wiri amnis & juxta amnem Tina in loco qui vocatur in Giruum. Hic itaque infantulus bonæ ſpei & divina, & ſeculari litteratura diligenter imbuitur, quandoque Spiritus ſancti organum futurus, quo ejus præcordia irradiante in ſanctæ univerſalis Eccleſiæ munimentum, plurimos in Novi & Veteris Teſtamenti expoſitionem libros erat compoſiturus. Et cum in Latina erudiretur lingua, Græcæ quoque peritiam non mediocriter percepit. Quippe per id temporis in monaſterio præfato deditus erat ſtudio, quando Theodorus archiepiſcopus & Adrianus abbas, qui literis ſacris ſimul & ſecularibus abundanter ambo erant inſtructi, peragrata tota Britannia congregantes diſcipulorum catervam ſcientiæ ſalutaris cotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, aſtronomiæ, & arithmeticæ eccleſiaſticæ diſciplinam inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Sic enim de his Beda ipſe loquitur, deinde & iſtud ſubjungit. Indicio eſt (inquit) quod uſque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis qui Latinam Græcamque linguam æque ut patriam in qua nati ſunt norunt. Tranſeunte autem ad cœleſtia patre Cuthberto, ille vitæ ipſius egregius quandoque ſcriptor futurus Beda, ætatis jam tunc undecim, ſtudii vero in monaſterio quatuor habebat annos. Verum de illo latius in ſequentibus dicemus, nunc ad ea unde digreſſi ſumus narrando redeamus.

CAP. IX.

De electione ſancti Cuthberti, & quomodo de Farne eductus ſit, & ubi conſecratus, & quæ rex ei Egfridus eo die dederit.

678. ANno Dominicæ Incarnationis DC.lxxviii. qui eſt annus imperii regis Egfridi octavus, Wilfridus qui totius Northanimbrorum provinciæ pontificatum non parvo tempore amminiſtraverat, orta inter ipſum & præfatum regem diſſenſione ab epiſcopatu pulſus eſt, & duo in locum ejus epiſcopi ordinati ſunt Eboraci ab archiepiſcopo Theodoro qui Northanimbrorum genti præeſſent. Boſa viz. qui Deirorum, & ſæpe memoratus abbas Eata qui Berniciorum provinciam gubernaret: hic in civitate Eboraci, ille in Haguſtaldenſi & Lindisfarnenſi eccleſia cathedram habens epiſcopalem, ambo de monachorum collegio, in epiſcopatus gradum aſcend. Igitur Eata cum quatuordecim annis eccleſiæ Lin-

diſfarnenſi abbatis jure præfuiſſet, duarum eccleſiarum ſuſcepit præſulatum, tertio anno ex quo pater Cuthbertus anachoreticæ ſedis adierat ſolitudinem. Poſt tres autem annos abſceſſionis Wilfridi, Theodorus ordinavit Tunbertum ad Haguſtaldenſem eccleſiam, Eata ad Lindisfarnenſis eccleſiæ præſulatum per quatuor annos remanente. Quadriennio vero exacto, contigit ut congregata ſynodo non parva ſub præſentia piiſſimi ac Deo dilecti regis Egfridi juxta fluvium Alnæ in loco qui dicitur Ettwiforda, quod ſignificat ad duplex vadum, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiſcopus præſidebat, unanimo omnium conſenſu ad epiſcopatum eccleſiæ Lindisfarnenſis beatus pater Cuthbertus eligeretur. Qui cum multis legatariis ac literis ad ſe præmiſſis nequaquam ſuo loco poſſet erui, tandem rex ipſe præfatus una cum ſanctiſſimo antiſtite Trumwino, nec non & aliis religioſis ac potentibus viris inſulam navigavit. Conveniunt & de ipſa inſula Lindisfarnenſi in hoc ipſum multi de fratribus, genu flectunt omnes, adjurant per Dominum, lachrymas fundunt, obſecrant, donec ipſum quoque lachrymis plenum dulcibus extrahunt latebris, atque ad ſynodum pertrahunt. Quo dum perveniret, quamvis multum renitens unanima cunctorum voluntate ſuperatur, atque ad ſuſcipiendum epiſcopatus officium collum ſubmittere compellitur, eo maxime victus ſermone, quo famulus domini Boiſilus cum ei mente prophetica cuncta quæ eum eſſent ſuperventura patefecit, antiſtitem eum futurum prædixerat. Nec ſtatim ordinatio ejus decreta, ſed peracta hyeme quæ imminebat completa eſt. Cum ergo per novem annos in ſolitaria vita ſoli Deo vacaſſet, in pontificatus honorem authore Deo levatur, conſecratus Eboraci vii. Kal. Aprilis, in ipſo die ſancto Paſchæ, ſub præſentia regis Egfridi, convenientibus ad conſecrationem ejus ſeptem epiſcopis, in quibus beatæ memoriæ Theodorus ordinator ejus primatum tenebat,
685. anno Dominicæ Incarnationis DC. lxxxv. regni Egfridi XII. Electus eſt autem primo in epiſcopatum Haguſtaldenſis eccleſiæ pro Tunberto qui ab epiſcopatu fuerat depoſitus, ſed quoniam plus Lindisfarnenſi eccleſiæ in qua converſatus fuerat dilexit præfici, placuit, ut Eata reverſo ad ſedem eccleſiæ Haguſtaldenſis cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cuthbertus eccleſiæ Lindisfarnenſis gubernacula ſuſciperet. Cui rex præfatus & Theodorus in civitate Eboraca dederunt totam terram à muro eccleſiæ ſancti Petri uſque magnam portam verſus occidentem, & à muro ipſius eccleſiæ uſque murum civitatis verſus auſtrum. Villam quoque Crecam & tria in circuitu ipſius villæ milliaria ei dederunt, ut haberet Eboracum iens, vel inde rediens, manſionem ubi requieſcere poſſet. Ubi monachorum habitationem inſtituit; & quia illa terra minus ſufficiens erat, Lugubaliam quæ Luel vocatur in circuitu quindecim milliaria habentem in augmentum ſuſcepit. Ubi etiam ſanctimonialium congregatione ſtabilita, reginam dato habitu religionis conſecravit, & in profectum divinæ ſervitutis ſcholas inſtituit. Aliæ quoque terrarum poſſeſſiones ei donatæ ſunt, quas hic longum eſt, & non neceſſarium ponere, ſcriptæ ſunt enim in cartulis eccleſiæ. At rex Egfridus anno quo fecerat hunc venerabilem patrem ordinari epiſcopum, cum maxima parte copiarum quas ad devaſtandam terram Pictorum ſecum duxerat, ſecundum prophetiam ejuſdem patris Cuthberti extinctus eſt apud Nechtaneſmere, quod eſt ſtagnum Nechtani, die xiii. Kal. Juniarum, anno regni ſui xv. cujus corpus in Hii inſula columbæ ſepultum eſt.

CAP. X.

Qualiter in epiſcopatu ſanctus Cuthbertus vixerit, & quomodo de mundo emigraverit, & ſe ad Lindisfarnenſem eccleſiam reduci permiſerit.

VEnerabilis autem Cuthbertus ſuſceptum epiſcopatus gradum ad imitationem beatorum Apoſtolorum virtutum ornabat operibus. Commiſſam namque ſibi plebem, & orationibus aſſiduis protegebat, & admonitionibus ſaluberrimis ad cœleſtia vocabat, & quod maxime doctores juvat, ea quæ agendo docebat, ipſe prius agendo præmonſtravit. Ut enim patri ſpirituali quondam ſubjectus exemplum ſubjectis dederat humilitatis & obedientiæ, Præpoſitus quoque monaſteriorum præpoſitis formam in ſe magiſterii expreſſerat, ſic epiſcopus etiam epiſcopis imitandam vitæ pontificalis normam reliquit. Quapropter qui ei in culmen honoris ſuccedit, vitam quoque imitari ſtudeat, ut dignus ſucceſſor tanti prædeceſſoris placita Deo converſatione vices digne peragat. Sollicitus hinc illius vitam conſideret, illinc ſuam: Conſideret inquam, ne peccatis oneratus occupet cathedram quam ille univerſarum effulgens decore virtutum effecerat glorioſam. Namque ut in illius laudem Deo gratias agens eccleſia canit, Caſtitate angelica, dignitate prophetica, virtute apoſtolica, omniumque juſtorum ſanctitate inſignis enituit. Erat quippe ante omnia divinæ charitatis igne fervidus, patientiæ virtute modeſtus, orationum devotioni ſolertiſſime intentus, affabilis omnibus qui ad ſe conſolationis gratia veniebant, hoc ipſum quoque orationis loco ducens, ſi infirmis fratribus opem ſuæ exhortationis tribueret, ſciens quia qui dixit, Diliges Dominum Deum tuum, dixit, & diliges proximum tuum. Erat abſtinentiæ caſtigatione inſignis, erat gratia compunctionis ſemper ad cœleſtia ſuſpenſus. Denique cum ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerret, non elata in altum voce, ſed profuſis ex imo pectore lachrymis, Domino ſuo vota commendabat. Duobus autem annis in epiſcopatu peractis, repetiit inſulam ac monaſterium ſuum, mox peracto die ſolemni Nativitatis Dominicæ, divino admonitus oraculo, quia dies ſibi mortis, vel vitæ magis illius quæ ſola vita dicenda eſt, jam appropiaret introitus. Qui cum duos ferme menſes in magna repetitæ ſuæ quietis exultatione tranſigeret, correptus infirmitate ſubita, temporalis igne doloris, ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari. Tribus enim Hebdomadibus continuis infirmitate decoctus, ſic ad extrema pervenit. Siquidem quarta feria cœpit ægrotare, & rurſus quarta, finita ægritudine migravit ad Dominum. Qui infirmatus, hæc per Erefridum devotæ religionis presbiterum qui tunc Lindisfarnenſi monaſterio abbatis jure præfuit, demandavit, dicens, Cum Deus ſuſceperit animam meam, ſepelite me in hac manſione juxta oratorium meum ad meridiem contra orientalem plagam ſanctæ crucis quam ibidem erexi. Eſt autem ad aquilonalem ejuſdem

oratorii partem ſarcophagum terræ ceſpite abditum, quod olim mihi Cudda venerabilis abbas donavit. In hoc corpus meum reponite, involventes in ſyndone quam invenietis iſtic. Nolui quidem ea vivens indui, ſed pro amore dilectæ Deo fœminæ quæ hanc miſit, Vercæ viz. abbatiſſæ ad obvolvendum corpus meum reſervare curavi. At fratribus eum rogantibus ut ejus corpus in Lindiſfarnenſium eccleſia tumulandum transferre, ac ſecum habere ſibi liceret: reſpondens ille, Et meæ, inquit, voluntatis erat hic requieſcere corpore, ubi quantulumcunque pro Domino certamen certavi, ubi curſum conſummare deſidero, unde ad coronam juſtitiæ ſullevandum me à pio judice ſpero. Sed & vobis quoque commodius eſſe arbitror, ut hic requieſcam propter incurſionem profugorum vel noxiorum quorumlibet. Qui cum ad corpus meum forte confugerint, quia qualiſcunque ſum, fama tamen exivit de me quia famulus Chriſti ſim, neceſſe habetis ſæpius pro talibus apud potentes ſeculi intercedere, atque ideo de præſentia corporis mei multum tolerare laborem. At fratribus multum diuque precantibus laboremque hujuſmodi gratum ſibi ac levem fore aſſeverantibus, tandem cum conſilio locutus vir Domini, Si meam, inquit, diſpoſitionem ſuperare, & meum corpus illo reducere vultis, videtur mihi optimum ut in interioribus Baſilicæ veſtræ illud tumuletis, quatenus & ipſi cum vultis meum ſepulchrum viſitare poſſitis, & in poteſtate ſit veſtra an aliqui illo de advenientibus accedant. Gratias egerunt fratres permiſſioni & conſilio illius flexis in terra genibus. Cui permiſſioni & conſilio nos quoque gratias agamus, non ſolum flexis genibus ſed & totis corporibus pariter & cordibus ei ſuppliciter proſtratis. Nos, inquam, illi gratias referamus, quibus incorruptum corpus ejus quadringenteſimo & octavo decimo dormitionis ejus anno, quamvis indignis divina gratia videre & manibus quoque contrectare donavit. Agamus inquam gratias, laboremque defendendi confugientes ad illius ſepulchrum, dulcedine amoris ejus gratum ac levem ducamus, & omne quicquid nutante ſeculi ſtatu adverſum ingruerit deſpectui habeamus, dummodo talem ac tantum ſacri corporis theſaurum in medio noſtri nos habere gaudeamus. Cum vero increſcente languore videret tempus ſuæ reſolutionis inſtare, hunc hæreditarium ſermonem, hoc ultimum vale fratribus reliquit, diſſerens pauca ſed fortia de pace & humilitate, cavendiſque eis qui his obluctari quam oblectari mallent. Pacem, inquit, inter vos ſemper, & charitatem cuſtodite divinam, & cum de veſtro ſtatu conſilium vos agere neceſſitas popoſcerit, videte attentius ut unanimes exiſtatis in conſiliis. Et cætera quæ in vita illius leguntur, ad fidei charitatiſque cuſtodiam, ad vitæ regularis obſervantiam ſalubria monita. At ubi conſuetum nocturnæ orationis tempus aderat, acceptis ſacramentis ſalutaribus exitum ſuum munivit, atque elevatis ad cœlum oculis, extenſiſque in altum manibus, intentam ſupernis laudibus animam, ad gaudia regni cœleſtis emiſit, biennio in epiſcopatu ſuo exacto, anno
687. DC.lxxxvii Dominicæ incarnationis, ex quo autem rex Oſwaldus & Aidanus pontificalem ſedem, & monachorum habitationem in ſæpe dicta inſula inſtituerant quinquageſimo tertio, ex eo vero quo monachicum in Mailros habitum ſumpſerat xxxvii anno, quamvis ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore monachus mente ſemper & actu vixerit. Impoſitum autem navi venerabile corpus patris, ad inſulam Lindiſfarnenſium fratres retulerunt. Quod magno occurrentium agmine choriſque canentium ſuſceptum eſt, atque in eccleſia beati Petri Apoſtoli ad dexteram altaris petrino in ſarcophago repoſitum. Sepulto autem viro Dei tanta eccleſiam illam temptationis aura concuſſit, ut plures è fratribus loco magis cedere quam talibus vellent intereſſe periculis, epiſcopatum eccleſiæ illius anno ipſo ſervante venerabili antiſtite Wilfrido, donec eligeretur qui pro Cuthberto antiſtes ordinari deberet. Ordinatus eſt autem poſt annum Eadbertus in epiſcopatum, vir ſcientia ſcipturarum divinarum, ſimul & præceptorum cœleſtium obſervantia, ac maxime eleemoſinarum operatione inſignis, ita ut juxta legem omnibus annis decimam non ſolum quadrupedum, verum etiam frugum omnium, atque pomorum nec non & veſtimentorum partem pauperibus daret. Eo itaque in pontificatum ſullimato, præfatæ temptationis tempeſtate ſedata, ut ſcriptura loquitur, ædificavit Hieruſalem, id eſt, viſionem pacis Dominus, & diſperſiones Iſraelis congregavit. Qui ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum.

CAP. XI.

Quomodo poſt undecim ſepulturæ annos corpus ejus incorruptum repertum ſit, & de Eadberto epiſcopo & Ethelwoldo qui uterque ei in anachoreſi ſucceſſit, & qua ætate Beda ejus vitam ſcripſerit.

TRanſactis autem ſepulturæ ipſius annis undecim, aperientes ſepulchrum ejus fratres, invenerunt corpus ejus totum quaſi adhuc viveret integrum, & flexibilibus artuum compagibus multo dormienti quam mortuo ſimilius. Sed & veſtimenta omnia quibus indutum erat non ſolum intemerata, verum etiam priſca novitate & claritate miranda parebant. Quod ubi viderunt fratres nimio mox timore & tremore ſunt perculſi, adeo ut vix aliquid loqui, vix intueri auderent miraculum quod apparebat, vix ipſi quid agerent noſſent. Extremam autem indumentorum ejus partem pro oſtendendo incorruptionis ſigno tollentes, nam quæ carni illius proxima aderant prorſus tangere timebant, feſtinarunt referre antiſtiti quod invenerant. Quæ cum ille & munera gratanter acciperet, & miracula libenter audiret: nam & ipſa indumenta quaſi patris adhuc corpori circumdata, miro deoſculabatur affectu. Nova inquit indumenta corpori pro his quæ tuliſtis circumdate, & ſic reponite in thecam quam paraſtis. Scio autem certiſſime, quia non diu vacuus remanebit locus, qui tanta cœleſtis miraculi virtute conſecratus eſt, & quam beatus eſt, cui in eo facultatem quieſcendi Dominus totius beatitudinis auctor atque largitor præſtare dignabitur. Hæc & hujuſmodi plura ubi multis cum lachrymis & magna compunctione antiſtes, lingua etiam tremente complevit, fecerunt fratres, ut juſſerat. Et involutum novo amictu corpus, novaque in theca reconditum, ſupra pavimentum ſanctuarii dignæ venerationis gratia poſuerunt. Tulerunt autem fratres partem de capillis ejus, quam more reliquiarum rogantibus amicis dare vel oſtendere in ſignum miraculi poſſent. Nec mora, Deo dilectus antiſtes Eadbertus morbo correptus eſt acerbo, ac per dies creſcente ardore languoris, non multo poſt (id eſt) pridie Nonas Maias, etiam ipſe migravit ad Dominum, impetrato ab eo munere quod diligentiſſime petierat, viz, ut non repentina morte ſed longa excoctus ægritudine migraret è corpore. Cujus corpus in ſepulchro beati patris Cuthberti ponentes, appoſuerunt deſuper arcam in qua incorrupta ejuſdem patris membra locaverant. Hujus vero ſcilicet beati Cuthberti glorioſiſſimæ converſationis exordium, progreſſum, terminum ſicut ab his qui cum eo converſati fuerant fratribus indubiis teſtibus didicerat, puro ac ſimplici ſermone Beda explicat, gratia Dei hoc providente ut angelicam vitam quam in extremis mundi partibus vir tantus duxerat, vir tantæ in eccleſia quaque diffuſæ auctoritatis ſcribendo propalaret. Unde convenienter ordinante Deo actum eſt, ut oſſa ipſius defuncti cum corpore ejuſdem patris quandoque requieſcerent, cujus corporis pios pro Chriſto labores & incorruptionem poſt undecim ſepulturæ annos, ſecuturis temporibus manifeſtando deſcripſerat. Poſt obitum vero patris Cuthberti, Wilfridus, ut ſupra dictum eſt, uno anno eccleſiæ illius epiſcopatum tenuit. Jam enim Alfrido rege invitante, qui poſt fratrem Egfridum regnavit, ſedem & epiſcopatum receperat. Deinde Eadbertus per decem annos, poſt quem Eadfridus per xxii. duo ſancti ac digni præſules eccleſiæ præfuerunt. Cujus Eadfridi tempore Beda triceſimo ætatis ſuæ anno gradu presbiteratus accepto libros ſuos incepit facere; in quibus faciendis per viginti novem annos, id eſt, ad finem vitæ in lege Domini meditans die ac nocte indeſinenter laboravit. Fecit inter alia & ſæpe dictum librum vitæ patris Cuthberti ad præfatum epiſcopum ita ſcribens. Domino ſancto ac beatiſſimo patri Eadfrido epiſcopo, ſed & omni congregationi fratrum qui in Lindisfarnenſi inſula Chriſto deſerviunt, Beda fidelis veſter conſervus ſalutem. Quia juſſiſtis dilectiſſimi ut libro quem de vita beatæ memoriæ patris noſtri Cuthberti veſtro rogatu compoſui, præfationem aliquam juxta morem præfigerem: & cætera quæ in proemio ejuſdem opuſculi ipſe proſequitur. Ejus vero oſtenſa in alios beneficia prædicaturus ipſe primum in ſe per curationem linguæ dum ejus miracula caneret, eſt expertus, ſicut in præfatione libelli quem de vita ipſius metro compoſuit ad Johannem presbiterum ipſemet affirmat. Prædictus itaque reverentiſſimus pontifex Eadfridus multum fervens amore ſui prædeceſſoris beati Cuthberti, oratorium in ſuæ anachoreticæ converſationis inſula longa jam vetuſtate diſſolutum à fundamentis reſtauravit, Felgildo tunc ibidem in vita ſolitaria poſt Ethelwoldum converſante. Qui videlicet Ethelwoldus cum jam multis annis in monaſterio quod dicitur in Hripum acceptum presbiteratus officium condignis gradu condecoraſſet actibus, ſucceſſit viro domini Cuthberto in exercenda vita ſolitaria in inſula Farne, manſitque ibidem duodecim annis, ubi & defunctus eſt, ſed in inſula Lindisfarnenſium juxta præfatorum epiſcoporum corpora in eccleſia beati Petri apoſtoli ſepultus eſt.

CAP. XII.

De Ethelwoldo epiſcopo, & cruce lapidea quam fecit.

Defuncto Eadfrido epiſcopo, religioſæ ac modeſtæ vitæ abbas & presbiter monaſterii Mailroſenſis Ethelwoldus ſucceſſit in epiſcopatum, prædeceſſorum ſuorum cathedram per ſedecim annos & ipſe condignis honore actibus ſervans. Hic plane antequam monaſterium præfatum jure abbatis regeret, beati patris Cuthberti ut in ejus vita legitur, dignus miniſter extiterat. Fecerat iſte de lapide crucem artifici opere expoliri, & in ſui memoriam ſuum in eo nomen exarari. Cujus ſummitatem multo poſt tempore dum ipſam eccleſiam Lindisfarnenſem pagani devaſtarent, fregerunt, ſed poſt artificis ingenio reliquæ parti infuſo plumbo, ipſa fractura eſt adjuncta; ſemperque deinceps cum corpore ſancti Cuthberti crux ipſa circumferri ſolebat, & à populo Northanimbrorum propter utrumque ſanctum in honore haberi: quæ etiam uſque hodie in hujus, id eſt, Dunelmenſis eccleſiæ cœmiterio ſtans ſullimis, utrotumque pontificum intuentibus exhibet monumentum.

CAP. XIII.

De Ceolvulfi regis proſapia, & vita ejus, & patientia.

729. Anno Dominicæ incarnationis DCC.xxix. pontificatus vero Ethelwoldi quinto, Oſricus rex Northanimbrorum filius Alfridi regis vita deceſſit, cum ipſe regni quod undecim annis gubernabat, ſucceſſorem pro ſe Ceolvulfum decreviſſet, fratrem illius qui ante ſe regnaverat Coenredi regis. Qui videlicet Ceolvulfus de ſtirpe quidem Idæ primi regis Northanimbrorum fuerat, ſed non de filio ejus Ethelrico rege, de quo glorioſiſſimi reges Oſwaldus & Oſwin deſcenderant, genealogiam duxit: ſed de fratre ipſius Ethelrici nomine Oega originem traxiſſe invenitur. Fuerat quippe Ceolvulfus filius Cuthæ, cujus pater Cuthwine, cujus pater Liodwal, cujus pater Eggwald, cujus pater Aldhelm, cujus pater Ocga, cujus pater Ida rex. Duodecim namque filios habuit Ida, ex quibus reges Northanimbrorum exorti ſunt: Addas, Ethelricum, Theodoricum, Edricum, Theudheri, Oſmet, Alticum, Eccam, Osbaldum, Scor, Sceotheri, Ocga, ex cujus propagine fratres, ambo reges, Coenred ſcilicet & Ceolvulf proceſſerunt. Cujus Ceolvulfi regni principia & proceſſus multis redundavere rerum adverſantium motibus, ſed poſt arridente pace ac ſerenitate temporum, plures in gente Northanimbrorum tam nobiles quam privati ſe ſuoſque liberos depoſitis armis ſategerunt magis accepta tonſura monaſterialibus aſcribere votis, quam bellicis exerceri ſtudiis, quod etiam ipſe rex ut poſt dicemus facere curavit. Qui quoniam ſtudiis liberalibus erat imbutus, ejus diligentiam legendi & audiendi ſcripturas ſacras, & geſta priorum Beda laudibus commendans, hiſtoriam gentis Anglorum quam fecerat ei dicavit, ad eum ita ſcribens. Glorioſiſſimo regi Ceolvulfo, Beda famulus Chriſti & presbiter, hiſtoriam gentis Anglorum eccleſiaſticam quam nuper edideram, libentiſſime tibi deſideranti rex, & prius ad legendum ac pro-

bar.dum

An.Dñi bandum tranſmiſi, & nunc ad tranſcribendum, ac plenius ex tempore meditandum retranſmitto, ſatiſque tuæ ſtudium ſinceritatis amplector, quo non ſolum audiendis ſcripturæ ſacræ verbis aurem ſedulus accommodas, verumetiam noſcendis priorum geſtis ſive dictis, & maxime noſtræ gentis virorum illuſtrium curam vigilanter impendis: & cætera.

Cap. XIV.

Quo ævo vel tempore ſanctus Beda obierit, qualiter vixerit, & quanta ſcripſerit.

735. ANno autem Dominicæ incarnationis DCC. xxxv. imperii autem Ceolvulfi vij. epiſcopatus vero Ethelwoldi, anno xi. illa eccleſiæ catholicæ lucerna ad eam quæ ſe illuminaverat lucem, illa vena aquæ ſalientis in vitam æternam ad fontem vivum Deum pervenit, ſacrorum ſcilicet librorum compoſitor venerabilis presbiter & monachus Beda, defunctus anno ætatis ſuæ quanquageſimo nono, ex quo autem rex Oſwaldus & antiſtes Aidanus pontificalem cathedram & monachorum habitationem in Lindisfarnenſi inſula inſtituerant anno centeſimo primo, à conſtructione vero monaſterii Petri apoſtoli in Wiramuthe lxij. porro à patris Cuthberti tranſitu lxix. anno. Qui videlicet Beda in extremo quidem mundi angulo vivens latuit, ſed poſt mortem per univerſas mundi partes omnibus in libris ſuis vivens innotuit. In quibus terrarum regionumque diverſarum ſitus, naturas, qualitates, ſubtiliter ac ſi cuncta ipſe peragraſſet, plerumque deſcribit, cum ab infantia in monaſterio nutritus, totam ibidem uſque ad evocationis ſuæ diem vitam tranſegerit. Ne vero quiſquam aliud quam eſt de illo nos dicere ſuſpicetur, ipſius de ſemetipſo dicta congruum ſubjungere videtur. Ego inquit Beda famulus Chriſti & presbiter monaſterii beatorum apoſtolorum Petri & Pauli quod eſt ad Wiramura & in Gyruum natus in territorio ejuſdem monaſterii, cum eſſem annorum ſeptem cura propinquorum datus ſum educandus reverentiſſimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in ejuſdem manaſterii habitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dedi, atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis & quotidianam cantandi in eccleſia curam, ſemper aut dicere, aut docere, aut ſcribere dulce habui. Nonodecimo autem vitæ meæ anno diaconatum, triceſimo gradum presbiteratus, utrumque per miniſterium reverentiſſimi epiſcopi Johannis, jubente Ceolfrido abbate ſuſcepi. Ex quo tempore ſuſcepti presbiteratus uſque ad annum ætatis meæ quinquageſimum nonum. hæc in ſcripturam ſanctam meæ, meorumque neceſſitati ex opuſculis venerabilium patrum breviter annotare, ſive etiam ad formam ſenſus & interpretationis eorum ſuperadjicere curavi. In principium Geneſis uſque ad nativitatem Iſaac, & ejectionem Iſmaelis libros tres. In primam partem Samuelis, id eſt, uſque ad mortem Saulis, libros quatuor. De ædificatione templi allegoricæ expoſitionis ſicut & cætera, libros duos. De tabernaculo, & vaſis ejus, ac veſtibus ſacerdotum, libros tres. Item in Regum librum triginta queſtionum, in Proverbia Salomonis libros tres, & alios tractatus qui in hiſtoria Anglorum attitulati ſunt. Cum ergo hos libros pervigili ſtudio edidiſſet, obiit vii. Kal. Junii in Gyruue, ibique ſepultus eſt, ſed poſt multa annorum curricula, oſſa illius inde tranſlata, & cum incorrupto ſanctiſſimi patris Cuthberti corpore ſunt collocata. In cujus videlicet Bedæ honorem, porticus ad aquilonalem plagam eccleſiæ ſancti Pauli in Gyruue conſecrata, venerandam fidelibus hominis ejus ibidem præſtat memoriam. Oſtenditur etiam locus hodie ubi de lapide manſiunculam habens, ab omni inquietudine liber ſedere, meditari, legere, dictare conſueverat & ſcribere. Tranſiit autem ipſo die ſolemni Aſcenſionis Dominicæ. Cujus nos tranſitum melius verbis ipſius ſcribendum putamus, qui ejus diſcipulus vocabulo Cuthbertus præſens affuit, ad condiſcipulum taliter ſcribens.

Cap. XV.

Epiſtola de tranſitu Bedæ, & ejus converſatione.

DIlectiſſimo, inquit, in Chriſto Collectori Cuthwino Cuthbertus condiſcipulus in Deo æternam ſalutem. Munuſculum quod miſiſti multum libenter accepi, multumque gratanter literas tuæ devotæ eruditionis legi. In quibus quod maxime deſiderabam, miſſas videlicet & orationes ſacroſanctas, pro Deo dilecto patre ac noſtro magiſtro Beda, à vobis diligenter celebrari reperi. Unde dilectat magis pro ejus charitate quantum fruor ingenio paucis ſermonibus dicere, quo ordine migraret è ſeculo, cum etiam hoc te deſideraſſe & popoſcere intellexi. Gravatus quidem eſt infirmitate maxima creberrimi anhelitus, ſine dolore tamen, ante diem reſurrectionis Dominicæ, id eſt, fere duabus ebdomadibus, & ſic poſtea lætus & gaudens gratiaſque agens omnipotenti Deo omni die & nocte, imo horis omnibus uſque ad diem Aſcenſionis Dominicæ, id eſt, ſeptima Kal. Junii vitam ducebat, & nobis ſuis diſcipulis quotidie lectiones dabat, & quicquid reliquum erat diei in pſalmorum decantatione occupabat, totam quoque noctem in lætitia & gratiarum actione pervigil ducebat, niſi tantum modicus ſomnus impediret. Evigilans autem ſtatim conſueta repetivit, & expanſis manibus Deo gratias agere non deſinit. O vere beatus vir! canebat ſententiam beati Pauli apoſtoli, Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Et multa alia de ſancta ſcriptura, & in noſtra lingua, hoc eſt Anglica, ut erat doctus in noſtris carminibus nonnulla dixit. Nam & tunc hoc Anglico carmine componens, multum compunctus aiebat. Foꞃþam neoꝺꝼeꞃe nenıᵹ ƿẏꞃþeð þanceꞅ ꞅnoꞇꞇꞃa þonne hım þeaꞃꝼ ꞅẏꞇo ᵹe hıᵹᵹene æꞃ hıꞅ heonen ᵹanᵹe. hƿeꞇ hıꞅ ᵹaꞅꞇe ᵹoꝺeꞅ oððe ẏueleꞅ, æꝼꞇeꞃ ꝺeaþe heonen ꝺemeꝺ ƿuꞃðe ; Quod ita latine ſonat, Ante neceſſarium exitum prudentior quam opus fuerit nemo exiſtit, ad cogitanduin; videlicet antequam hinc proficiſcatur anima, quid boni vel mali egerit, qualiter poſt exitum judicanda fuerit. Cantabat etiam Antiphonas ſecundum noſtram conſuetudinem & ſui, quarum una eſt. O rex gloriæ, domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum patris in nos ſpiritum veritatis, Alleluiah. Et cum veniſſet ad illud verbum, ne derelinquas nos orphanos, prorupit in lachrimas, & multum flevit, & poſt horam cœpit repetere quæ inchoaverat. Et nos hæc audientes luximus cum illo. Altera vice legimus, altera ploravimus, imo ſemper cum fletu legimus. In tali lætitia quinquageſimales dies uſque ad diem præfatum deduximus, & ille multum gaudebat Deoque gratias agebat quia ſic meruiſſet infirmari. Referebat & ſæpe dicebat, Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et multa alia de ſancta ſcriptura; ſententiam quoque ſancti Ambroſii. Non ſic vixi ut me pudeat inter vos vivere, ſed nec mori timeo, quia bonum Deum habemus. In iſtis autem diebus duo opuſcula multum memoria digna, exceptis lectionibus quas accepimus ab eo, & cantu pſalmorum facere ſtudebat, Evangelium ſcilicet ſancti Johannis, in noſtram linguam ad utilitatem eccleſiæ convertit: & de libris rotarum Yſidori epiſcopi exceptiones quaſdam, dicens, Nolo ut diſcipuli mei mendacium legant, & in hoc poſt obitum meum ſine fructu laborent. Cum veniſſet autem tertia feria ante Aſcenſionem Domini, cœpit vehementius ægrotare in anhelitu, & modicus tumor in pedibus apparuit. Totum autem illum diem ducebat & hilariter dictabat, & nonnunquam inter alia dixit, Diſcite cum feſtinatione, neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus. Nobis autem videbatur quod ſuum obitum bene ſciret; & ſic noctem in gratiarum actione pervigil duxit. Et mane illuceſcente, id eſt, quarta feria præcepit diligenter ſcribi quæ cœperamus. Et hoc facto, uſque ad tertiam horam, ambulavimus deinde cum reliquiis ſanctorum, ut conſuetudo illius diei poſtulat. Unus vero erat ex nobis cum illo, qui dixit illi, Adhuc magiſter dilectiſſime capitulum unum deeſt, videturne tibi difficile plus te interrogari? At ille, facile eſt, inquit. Accipe tuum calamum, & tempera, & feſtinanter ſcribe. Quod ille fecit. Nona autem hora dixit mihi, Quædam precioſa in mea capſella habeo, id eſt, piperem, oraria & incenſa: ſed curre velociter, & presbiteros noſtri monaſterii adduc ad me, ut & ego munuſcula qualia Deus donavit illis diſtribuam. Divites autem in hoc ſeculo aurum, argentum, & alia quæque precioſa dare ſtudent, ego autem cum multa charitate & gaudio fratribus meis dabo quod Deus dederat. Et allocutus eſt unumquemque monens, & obſecrans pro eo miſſas & orationes diligenter facere. Quod illi libenter ſpoponderunt. Lugebant autem & flebant omnes, maxime quod dixerat, quia amplius faciem ſuam in hoc ſeculo non eſſent viſuri. Gaudebant autem quia dixit, tempus eſt, ut revertar ad eum qui me fecit, qui me creavit, qui me ex nihilo formavit. Multum tempus vixi, bene mihi pius judex vitam meam prævidit, tempus reſolutionis meæ inſtat, quia cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto: ſic & alia multa locutus, in lætitia diem uſque ad veſperum duxit. Et præfatus puer dixit, Adhuc una ſententia magiſter dilecte non eſt deſcripta. At ille, Scribe, inquit, cito. Poſt modicum dixit puer, Modo ſententia deſcripta eſt. At ille, Bene, inquit, veritatem dixiſti, conſummatum eſt. Accipe meum caput, quia multum me delectat ſedere ex adverſo loco ſancto meo in quo orare ſolebam, ut & ego ſedens poſſim invocare patrem meum. Et ſic in pavimento ſuæ caſulæ decantans, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; cum Spiritum ſanctum nominaſſet, ſpiritum è corpore exalavit ultimum, ac ſic regna migravit ad cœleſtia. Omnes autem qui videre beati patris obitum, nunquam ſe vidiſſe ullum alium in tam magna devotione atque tranquillitate vitam finiſſe dicebant, Quia ſicut audiſti, quouſque anima in corpore fuit, Gloria Patri, & alia ſpiritualia quædam expanſis manibus Deo vivo & vero gratias agere non ceſſabat. Scito autem frater chariſſime, quod multa narrare poſſem de eo, ſed brevitatem ſermonis ineruditio linguæ facit.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Quando & ubi Ceolvulfus rex monachus factus ſit, & quanta ſecum dederit, & à quo apud Northam corpus illius delatum ſit.

POſt dormitionem ejus in Chriſto anno tertio, rex Ceolvulfus relicto regno & curis mundialibus, voluntaria paupertate ſecutus eſt pauperem Chriſtum, ut cum illo quandoque ditaretur in gloria. Eadberto filio patrui ſui in regnum Northanimbrorum ei ſuccedente. Intravit autem Lindisfarnenſe monaſterium, ſancto Cuthberto ſecum conferens theſauros regios & terras, id eſt, Bregeſne & Wereworde, cum ſuis appendiciis, ſimul & eccleſiam quam ibidem ipſe ædificaverat. Alias quoque quatuor villas, Wudeceſtre, Hutittingaham, Eadſingham, Eagvulfigham. Accepta itaque tonſura in præfato monaſterio monachicam cum monachis vitam ducere, & poſt imperium regni terreſtris, cœleſti regno gaudebat militare. Vbi glorioſæ converſationis conſummans terminum, ſepultus eſt, ſed ſuccedente tempore ab Ecgfrido ejuſdem loci antiſtite, ut poſt dicemus, ad Northam tranſlatus: decurſis poſthæc multorum annorum curriculis, caput illius Dunelmum tranſlatum una cum aliis ſanctorum reliquiis, in eccleſia ſancti Cuthberti, quem ſemper amaverat, venerabiliter eſt locatum.

CAP. II.

Qualiter quidam de regio genere ad pacem beati Cuthberti confugerit, & inde abſtractus ſit; & quomodo Cynevulf epiſcopus pro eo in carcere truſus ſit; & de morte ſancti Baltherii.

REgnante poſt Ceolvulfum quem prædiximus Eadberto, Cynevulf epiſcopatum eccleſiæ Lindisfarnenſis ſuſcepit, quem non parvo quidem tempore ſed multis rerum adverſantium moleſtiis vexatus tenuit. Denique Offa de genere regio perſequentibus inimicis ad corpus ſancti Cuthberti confugerat, indeque poſt vi abſtractus nefanda eſt nece peremptus. Unde offenſus rex Eadbertus epiſcopum cepit, captum in Bebbamburch teneri præcepit, Friothuberto Haguſtaldenſi epiſcopo Lindisfarnenſem epiſcopatum amminiſtrante, donec placato rege de captione relaxatus Cynevulf ad ſuam rediret eccleſiam. Hujus pontificatus anno xvii. regni vero Eadberti viceſimo vir Domini & presbiter Balthcrus qui vitam anachoreticam in Tiningaham duxerat, viam ſanctorum patrum ingreſſus eſt, migrando ad eum qui ſe reformavit ad imaginem Filii ſui pridie Nonas Martias.

Cap. III.

De induſtria & converſione regis Eadberti, & fratris ejus præſulatu, atque ipſius obitu.

VErum intermiſſa paululum de epiſcopis narratione, de ipſo rege Eadberto breviter aliquid dicendum videtur congruum. Patrui, ut dictum eſt, Ceolvulfi regis vocabulo Eata filius erat, qui ſuſcepto regno efficacem ſe valde ac ſtrenuum ad tenendum regendumque imperium exhibebat. Omnibus itaque adverſariis, vel ſibi ſubjectis, vel bello proſtratis, reges circumquaque morantes Anglorum, Pictorum, Britonum, Scottorum, non ſolum cum eo pacem ſervabant, ſed & honorem illi deferre gaudebant. Cujus excellentiæ fama, ac operum virtutis longe lateque diffuſa, etiam ad regem Franciæ Pipinum pervenit, propter quod ei amicitia junctus, multa ei ac diverſa dona regalia tranſmiſit. Anno autem imperii ſui viceſimo primo, cum undique pace ac dignitate cum omnium amore ac gratia floreret, filio nomine Oſulfo regnum contradidit, ſeque in clericatu omnipotentis Dei ſervitio mancipavit, rogatus multum antea ne id faceret à regibus Anglorum, & partem regni ſui ejus regno adjicere volentibus, dummodo retinens honorem ſuo in regno reſideret. At ille omnibus divitiis & regnis ſervitutem Dei prætulit; in qua per decem annos uſque ad finem vitæ permanſit, ſepultuſque eſt Eboraci in eadem porticu qua & frater ejus Ecgbertus qui tribus annis ante illum obierat. Iſte ſiquidem Ecgbertus in infantia à patre Eata in monaſterium traditus fuerat. Qui provectiori ætate cum fratre Ecgredo Romam profectus, diaconatus gradum ſuſcepit, mortuoque ibi fratre patriam reverſus, regnante Ceolvulfo, atque jubente, primus poſt Paulinum accepto ab apoſtolica ſede pallio, genti Northanimbrorum in archiepiſcopatum confirmatus eſt, & xxxij. annos tenuit.

Cap. IV.

De occiſione regis Oſulfi, & quo tempore Cynevulf epiſcopatum Higbaldo dimiſerit, & obierit; & quomodo vel ubi rex Elwoldus peremptus ſit.

760. ANno ab incarnatione Domini DCC.lx. præſulatus vero Cynevulfi xxj. Oſulf cum poſt patrem uno anno regnaſſet, impia nece à ſua familia peremptus, Ethelwoldum Mol ſucceſſorem habuit. Qui ubi ſex annis regnaverat, Alchred de ſtirpe Etrici, filii Idæ regis, in imperium ſucceſſit. Nono autem anno regni fraude ſuorum primatum exilio imperium mutavit, pro quo Ethelred filius Ethelwoldi Mol in regnum ſubſtitutus eſt. Quo imperii quarto anno in exilium fugato, Aelfwold filius Oſulfi regnum adeptus Northanimbrorum decem annis tenuit. Hujus regni tertio anno qui eſt ab
780. incarnatione Domini DCC.lxxx. Cynevulf, de quo ſupra diximus, quadrageſimo primo ſui epiſcopatus anno, ſenio ac labore confectus, cum conſenſu totius congregationis vices ſuas in eccleſiæ regimine Higbaldo viro ſtrenuo delegavit, ipſe vero liber ab hujuſmodi curis, tribus poſthac annis quieti & orationi operam dedit. Quarto autem ſuæ quietis anno, eo migrante ad Dominum, Higbald aſcendens cathedram pontificalem per viginti annos gubernavit. Anno præſulatus ejus ſexto, præfatus rex Ethelwoldus à duce ſuo Siega miſeranda morte peremptus, in loco qui dicitur Scydeſceſter juxta murum, ſepultus eſt in Haguſtaldenſi eccleſia, fuerat quippe pietatis eximiæ ac juſtitiæ, unde in loco occiſionis ejus lux cœlitus emiſſa ſæpe à plurimis viſa eſt: cui ſuus nepos Oſred Alchredi quondam regis filius ſucceſſit, ſed poſt unum pulſus regno in Euphoniam inſulam quæ Man vocatur, aufugit: & Ethelred de exilio revocatus regnum quod dudum amiſerat recepit.

Cap. V.

De deſtructione eccleſiæ Lindisfarnenſis, & celeri ultione; & de Higbaldo, Egberto & Egredo epiſcopis & terris per illos acquiſitis.

793. ANno ab incarnatione Domini DCC.xciij. à tranſitu vero patris Cuthberti, cvij. pontificatus autem Higbaldi xj. qui eſt annus imperii impiiſſimi regis Ethelredi quintus, vaſtatio miſerrima Lindisfarnenſem eccleſiam ſanguine & rapina replens, pene uſque ad internicionem delevit. Sed antequam de ipſa vaſtatione dicamus, de ipſo loco antiquorum dicta paucis ponenda putavimus. Sic enim ſcriptum invenimus; Lindisfarnenſis inſula octo milliariis ſe extendit per ambitum, in qua eſt nobile monaſterium quo eximius antiſtes Cuthbertus cum aliis præſulibus, qui ejus ſucceſſores digniſſimi extiterant, corpore requievit, de quibus apte dici poteſt quod canitur, Corpora eorum in pace ſepulta ſunt, & vivent nomina eorum in æternum. Vocatur autem Lindisfarne à fluviolo ſcilicet Lindis excurrente in mare qui duorum pedum habens latitudinem non niſi cum receſſerit mare videri poteſt. Hæc de ipſa inſula, cujus cladem & aliorum quoque ſanctorum necem futuram præſignantia, horrenda fulmina, & dracones igneis jactibus per aera vibrantes & volitantes videbantur. Mox eodem anno Pagani ab aquilonali climate navali exercitu Britanniam venientes, hac illacque diſcurrentes, prædantes, interficiunt non ſolum jumenta, verum etiam ſacerdotes, Levitas, choroſque monachorum atque ſanctimonialium. Veniunt ſeptimo Iduum Juniarum ad Lindisfarnenſem eccleſiam, miſerabili prædatione cuncta vaſtant, ſancta pollutis veſtigiis calcant, altaria ſuffodiunt, omnia theſauraria eccleſiæ rapiunt. Quoſdam è fratribus interficiunt, nonnullos ſecum vinctos aſſumunt, plurimos opprobriis vexatos nudos projiciunt, aliquos in mare demergunt. Verum non impune illa fecerunt, Deo injurias quas ſancto Cuthberto irrogaverant maturius vindicante. Denique anno ſequente dum portum Egfridi regis, id eſt, Gyruum vaſtantes, monaſterium quoque ad hoſtium Doni amnis deprædarentur: dux eorum ibidem crudeli nece interiit, nec multo poſt vi tempeſtatis eorum colliſæ contritæque naves perierunt. Illorum vero quidam fluctibus abſorpti, alii qui ad terram vivi quoquomodo fuerant ejecti, mox indigenarum gladio ſunt interfecti. Taliter eccleſia Lindisfarnenſi vaſtata, & ſuis ornamentis ſpoliata, nihilominus tamen

in ea ſedes Epiſcopalis, & qui barbarorum manus effugere potuerunt, monachi apud ſacrum corpus beati Cuthberti, multo poſt tempore permanſerunt. A cujus eccleſiæ depopulatione, nono anno, Higbald completis in epiſcopatu xxij. annis, defunctus eſt viij. Kal. Junii, & Egbertus in locum ejus electus & conſecratus Eanbaldo archiepiſcopo, & Eanberto, & Baldulpho, aliis quoque epiſcopis in locum qui dicitur Bigwella, iij. Idus Junii, ad ejus ordinationem convenientibus, ſeptimum tunc annum imperii agente filio Eardulfi Eardulfo, qui occiſo regi Ethelredo ſucceſſerat. Sed eo decimo regni ſui anno de provincia fugato, Aelfwold per biennium illud tenuit. Deinde Eanred filius Eardulfi regis, xxxiij. annis imperavit. At Egberto peractis in epiſcopatu decem & octo annis, defuncto, Heathured ſucceſſit, & in officio regiminis novem annos tranſegit. Poſt quem Egredus viceſimo ſecundo anno imperii Eanredi regis in præſulatum eſt ſublimatus, vir natu nobilis, & operum efficacia ſtrenuus, qui patris Cuthberti eccleſiam amplius prædeceſſoribus ſuis rerum ac terrarum largitionibus locupletare ſtuduerat & honorare. Ædificata namque in Northam eccleſia, eaque in honorem ſanctorum Petri apoſtoli, & Cuthberti pontificis, necnon & Ceolvulfi regis, & poſt monachi dedicata, tranſtulit illo corpus ejuſdem Deo dilecti Ceolvulfi, ipſamque villam cum duabus aliis quas ipſe condiderat, eodem nomine nuncupatis Geddeword cum ſuis apendiciis, eccleſiam quoque & villam quam ædificaverat in loco qui Geinford appellatur, & quicquid ad eam pertinet à flumine Teiſa uſque Weor, ſancto confeſſori Cuthberto contulit. Duas quoque villas Eleclif & Wigeclif, ſed & Billingham in Heorterneſſe, quarum ipſe conditor fuerat, locis ſuperioribus quæ prædicto confeſſori donaverat, perpetuo poſſidendas adjecit. Sexto decimo autem epiſcopatus ſui anno qui eſt quintus annus regni Ethelredi, qui patri Eanredo ſucceſſerat, defunctus eſt, pro quo Eanbertus electus, octo annis eccleſiam gubernavit. Poſt quem anno ab incarnatione Domini, DCCC. liiij. imperii autem Osberti, qui occiſo Ethelredo in regnum ſucceſſerat, anno quinto, Eardulfus, vir magni meriti, cathedræ pontificalis gubernacula ſuſcepit, nec minorem quam proximis Lindisfarnenſium, quibuſque longe poſitis epiſcopatus ſui locis paſtoralis curæ ſollicitudinem impendebat. Quorum Luel quod nunc Carleol appellatur, non ſolum proprii juris ſancti Cuthberti fuerat, ſed etiam ad ſui epiſcopatus regimen ab Egfridi regis temporibus ſemper adjacebat. Nemo ſane prædeceſſorum ſuorum vel ſucceſſorum uſque in præſens in tantum ſanctiſſimi corporis Cuthberti præſentia laboravit: qui cum illo de loco ad locum per ſeptem annos fugitando, inter gladios ubique ſævientes, inter barbarorum impetus feroces, inter monaſteriorum concremationes, inter rapinas & hominum ſtrages, ejus obſequio amore inſeparabili adhæſit, ſicut in conſequentibus dicetur.

54.

CAP. VI.

De ſecunda per Danos Lindisfarnenſis eccleſia, & Northymbria depopulatione, & quo tempore vel quare Eardulfus epiſcopus corpus ſancti Cuthberti de inſula tulerit, & quale ſervicium deinceps à clericis celebratum ſit.

His temporibus coadunati undecumque infinita multitudine populi, Danorum ſcilicet & Freſonum, aliarumque gentium Paganarum multa claſſe advecti, hiſque regibus ducibus, Halfdene, Hingwar, Hubba, Beicgſeeg, Guthrum, Oſcytello, Amundo, Sidroc, cum alio ejuſdem nominis duce, Oſberno quoque & Frana, nec non Haraldo adducti, Angliam occupant, cunctamque pervagantes incendio, rapinis, & ſtrage devaſtant. Subactis ac perditis auſtralium Anglorum pene omnibus provinciis, Northanimbrorum quoque regionem expugnare aggrediuntur. Anno enim ab incarnatione Domini DCCC. lxvij. præſulatus vero Æardulphi, anno quarto decimo, qui eſt quintus imperii regis Ællæ Northanimbrorum, quem expulſo Osberto in regnum ſubſtituerant: prædictus paganorum exercitus Kal. Novembris, capta Eboraca hac illacque diſcurrit, cruore atque luctu omnia replevit, eccleſias longe lateque & monaſteria ferro atque igne delevit, nil præter ſolos ſine tecto parietes abiens reliquit, in tantum ut illa quæ in præſenti eſt ætas ipſorum locorum vix aliquod, interdum nullum antiquæ nobilitatis poſſit reviſere ſignum. In hac quidem vice ultra Tini fluminis oſtium non proceſſerant barbari, ſed inde Eboracum ſunt reverſi. At Northanimbrorum populi in tanta neceſſitate placatis alterutrum regibus ſuis, ſcilicet Osberto & Ella, congregatoque exercitu non parvo, hoſtium vires quoquomodo debilitare conantur. Igitur duobus regibus & octo comitibus præditi Eboracum duodecimo Kal. Aprilis irrumpunt, quorum quidam intus, alii vero intrinſecus ſatis pertinaciter agunt. Quorum repentino adventu hoſtibus aliquantulum perterritis, ſed poſt acriter reſiſtentibus, ex utraque parte atrociter pugnatur. Tandem cum maxima parte ſuorum ambo præfati reges occubuerunt, & injurias quas eccleſiæ ſancti Cuthberti aliquando irrogaverant, vita privati & regno perſolverunt. Denique Osbertus Werceword, & Tillemuthe, Ella vero Billingham, Ilecliſ & Wigeclif, Crecam quoque ſacrilego auſu ipſius eccleſiæ abripuerant. Quibus ut dictum eſt interfectis, regem Northumbris qui ſupererant Egbertum Dani conſtituerunt, qui eis tantum qui ad ſeptentrionalem plagam fluminis Tini habitabant, ſub eorum dominio imperaret. His ita geſtis, ab Eboraco ad regnum Merciorum exercitus proficiſcitur, ſed poſt annum reverſus Eboracum, ſolita crudelitate graſſatur. Inde altero anno divertens duce omnium crudeliſſimo Inguar, orientales Anglos invadit, ſanctiſſimumque regem Eadmundum diverſis pœnis laceratum cum ſuo pontifice Humberto peremit. Inter hæc Northumbrani regem ſuum Egbertum & archiepiſcopum Vulfhere de provincia expellunt, & quendam vocabulo Ricſig in regnum ſibi conſtituunt. Nec multo poſt Haldene rex Danorum aſſumpta de Reoppandune ubi tunc ſederat plurima parte prædicti exercitus, multa cum claſſe Tinam ingrediens, circa Tomenuthe hyematurus applicuit, totam ad aquilonalem plagam prædicti fluminis provinciam, quæ pacem eatenus habuerat peracta hyeme depopulaturus. Cujus adventu audito memoratus antiſtes Eardulfus futuram cladem eccleſiæ Lindisfarnenſis, & totius epiſcopatus ultimam depopulationem prævidens, fugam cum ſuis arripere meditabatur, ſed quid de ſacratiſſimo patris Cuthberti corpore fieret ſollicitabatur. Sine illo enim theſauro nuſquam eſſe volebat, ſive in ſua eccleſia reſidens, ſive inde diſcedens. Aſcito ergo probandæ ſanctitatis viro Eadredo, qui ab eo quod in Luel in

An. Dñi

867.

monaſterio

An.Dñi monaſterio dudum ab ipſo Cuthberto inſtitutus educatus officium abbatis geſſerit, Luliſc cognominabatur, dum quid potiſſimum agerent, invicem tractarent, dictorum ipſius patris Cuthberti quæ ultima ab vita hac migraturus filiis contradiderat, recordantes, loco magis eligunt cedere quam barbaris collum ſubmittere. Sic enim inter alia ſuis paterna ſollicitudine conſuluit, dicens: Si vos unum è duobus adverſis eligere neceſſitas coegerit, multo plus diligo, ut eruentes de tumulo, tollenteſque vobiſcum mea oſſa recedatis ab his locis, & ubicunque Deus providerit incolæ maneatis, quam ut ulla ratione conſentientes iniquitati ſchiſmaticorum jugo colla ſubdatis. Hæc illi relegentes, patrem Cuthbertum cum iſta diceret, futurum ſui temporis periculum prophetiæ ſpiritu prævidiſſe, ſibique reputabant talia mandaſſe. Tollentes ergo ſacrum illud & incorruptum patris corpus, & una cum eo in ejuſdem thecæ loculo (ut in veteribus libris invenerunt) collocatas ſanctorum reliquias, videlicet, caput Deo dilecti regis ac martiris Oſwaldi, antea in ejuſdem eccleſiæ cœmiterio ſepultum, partem quoque oſſium ſancti Aidani, nam ut ſupradictum eſt, alteram partem Colmannus ad Scotiam rediens ſecum tulerat; præterea etiam ſucceſſorum ejuſdem patris Cuthberti venerabilium ſacerdotum oſſa veneranda, ſcilicet Eadberti, Eadfridi, Ethelwoldi, quorum ſupra mentionem fecimus. Hæc ergo tollentes, illam nobilem & primam in gente Berniciorum eccleſiam, in qua plurimorum fuerat converſatio ſanctorum, illam inquam barbaros fugiendo relinquunt, anno ſcilicet ab incarnatione 875. Domini, DCCC.lxxv. ex quo autem rex Oſwaldus & pontifex Aidanus ipſam eccleſiam fundantes ſedem in ea pontificalem cum monachorum congregatione locaverant, CC.xlj. à tranſitu vero patris Cuthberti, Clxxxix. epiſcopatus vero Eardulfi anno xxij. Hic eſt octogeſimus tertius annus, ex quo à pyratis eccleſia illa, ut ſupra dictum eſt, ſub Higbaldo epiſcopo devaſtata, omneſque monachi varia ſunt morte necati, præter pauciſſimos qui quoquomodo evaſerant. Qui etiam hac clade de qua nunc agimus ſuperveniente omnes defecerunt; ſed qui inter eos ab ætate infantili in habitu clericali fuerant nutriti atque eruditi, quocunque ſancti patris corpus ferebatur ſecuti ſunt, moremque ſibi à monachis doctoribus traditum in officiis duntaxat diurnæ vel nocturnæ laudis ſemper ſervarunt. Unde tota nepotum ſuorum ſucceſſio magis ſecundum inſtituta monachorum, quam clericorum conſuetudinem canendi horas uſque ad tempus Walcheri epiſcopi, paterna traditione obſervavit, ſicut eos canentes ſæpe audivimus, & uſque hodie nonnullos de illa progenie narrantes audire ſolemus. Nec tamen corpori patris ejuſdem Cuthberti pontificis ſimul & monachi, monachorum unquam uſque ad prædicti Walcheri tempora ſedulitas defuit vel obſequium. Eardulfus denique pontifex & ſicut prædeceſſores ejus monachus, Eadredus quoque monachus & abbas, quoad vixerant, individuo comitatu ſemper adhærebant. Poſt quos epiſcopi ſequentes uſque ad ſæpe dictum Walcherum monachi, ſine duobus vel tribus monachis nunquam fuiſſe noſcuntur. Cum ergo epiſcopus una cum venerandis reliquiis fugiens inſulam præfatam & eccleſiam deſeruiſſet: mox & ipſius loci, & totius Northanimbrorum provinciæ ſæva depopulatio eſt ſecuta, exercitu Danorum ductu Haldene regis crudeliter ubique debacchante, qui etiam monaſteria paſſim & eccleſias ignibus contradidit, ſervos quoque Dei ludibriis affectos interfecit, & ut breviter dicam, ab orientali mare uſque ad occidentale, cædem & incendium continuavit. Unde antiſtes & qui cum illo ſancti patris corpus comitabantur, nuſquam locum requieſcendi habere poterant, ſed de loco ad locum huc atque illuc euntes, & redeuntes, ante crudelium barbarorum faciem diſcurrebant.

Cap. VII.

Quare fœminæ in eccleſia ſancti Cuthberti non intrent, & de exceſſu ſanctimonialium quondam in Collingaham.

In nullam autem pene eccleſiarum quas Confeſſor beatus, ſive ante ſive nunc in tempore fugæ vel poſt, ſui ſacri corporis præſentia illuſtravit, illa uſque hodie fœminis eſſe conſtat intrandi licentia. Cujus rei conſuetudo, ut qua de cauſa oriri cœperit indicemus, intermiſſo paulum narrandi ordine, breviter ſuperiora replicemus. Ante paucos ſane ſui epiſcopatus annos monaſterium in Coldingham per culpam incuriæ flammis abſumptum eſt, quod tamen à malitia inhabitantium in eo contigiſſe, omnes qui novere, facillime potuerunt advertere. Erant ſiquidem in eodem loco diverſis tamen ſeparatæ manſionibus monachorum ſanctimonialiumque congregationes, qui paulatim à regularis diſciplinæ ſtatu defluentes inhoneſta invicem familiaritate decipiendi occaſionem inimico præbuerant. Nam & domunculas quæ ad orandum vel legendum factæ fuerant, in comeſſationum, potationum, confabulationum, & cæterarum cubilia illecebrarum convertebant. Virgines quoque Deo dicatæ contempta reverentia ſuæ profeſſionis, texendis ſubtilioribus indumentis operam dabant, quibus aut ſeipſas ad vicem ſponſarum in periculum ſui ſtatus adornarent, aut externorum ſibi virorum amicitiam compararent: unde merito loco illi & habitatoribus ejus gravis de cœlo vindicta flammis ſævientibus facta fuerat. Sed non defuit puniendis admonitio præmiſſa divinæ pietatis, qua aliquantulum correcti paucis poſt diebus timere, & ſeipſos intermiſſis facinoribus cœperunt caſtigare. Verum poſt obitum religioſæ abbatiſſæ Ebbæ redierunt ad priſtinas ſordes, imo ſceleratiora fecerunt, & cum dicerent Pax & ſecuritas, divinæ ultionis pœna ſunt mulctati. Nec multo poſt vir Domini Cuthbertus epiſcopali ſullimatus cathedra, ne ſui vel præſentes vel futuri quandoque tali exemplo Dei ſuper ſe iram provocarent, omne ab eis fœminarum ſeparavit conſortium, ne indiſcreta illarum ſocietas ſervis Dei aliquod ſui propoſiti periculum, & ex eorum ruina inimico generaret gaudium. Omnibus ergo & viris & fœminis conſentientibus, omne ſuis & in præſenti & poſt futuris temporibus muliebre interdixit conſortium, earumque ab eccleſiæ ſuæ ingreſſu penitus amovit introitum. Unde in inſula ſedis epiſcopalis ejus facta eccleſia quæ lingua indigenarum Grenechirche, id eſt, viridis eccleſia appellatur, eo quod in campi virentis planitie ſita ſit, juſſit ut illo miſſas & verbum Dei audituræ mulieres convenirent; ne propius eccleſiæ in qua ipſe cum monachis converſabatur unquam accederent. Quæ conſuetudo uſque hodie diligenter obſervatur, in tantum, ut niſi metus hoſtilis vel concrematio loci compellat, nec in cœmiteria quidem ipſarum eccleſiarum ubi ad tempus corpus ejus requieverat mulieribus introire liceat.

Cap. VIII.

De fœmina quæ cœmiterium ſancti Cuthberti introiit quam celeri vindicta punita ſit.

FUerant autem quæ temerario auſu hæc inſtituta infringere temptaverunt, ſed quantum ſcelus admiſerint, mox pœna vindice ſenſerunt. Harum quædam vocabulo *Sungeova*, filii *Benonis*, qui *Gamelo* vocabatur uxor, quæ nocte quadam cum de convivio domum redire vellet, querebatur marito quod viam propter lutoſas platearum voragines nuſquam mundam habere potuiſſet. Ad ultimum utriſque placuit, ut per cœmiterium hujus, id eſt, Dunelmenſis eccleſiæ tranſitum facerent, atque poſtea hoc peccatum eleemoſinis expiarent. Cum ergo ſimul irent, repente cœpit ipſa neſcio quid exhorrere, & ſe jam jamque extra ſenſum fore clamare. Increpata à marito ut tacens abſque ullo timore pergeret, cum jam extra ſepem quæ cœmiterium eccleſiæ ambierat, pedem poneret, illico repente cecidit, domumque portata ipſam noctem hujus vitæ terminum habuit.

Cap. IX.

Item de alia quæ per cœmiterium cucurrit, qua morte ſe ipſam extinxerit.

SEquitur & aliud non diſſimiliter factum. Erat namque uxor cujuſdam divitis qui poſtea nobiſcum in hac eccleſia in monachico habitu converſatus eſt, quæ audiens narrari à pluribus variam eccleſiæ ornamentorum pulchritudinem, fœminea aviditate videndi nova ſuccenditur. Nec valens impetum animi refrænare, quæ ſe præ cæteris mariti potentia extulerat, arripuit iter per eccleſiæ cœmiterium, ſed non impune. Poſtea enim ſenſum perdidit, ſuam morſibus linguam præcidit, nec prius inſaniam quam propria manu inciſo ſibi gutture vitam amiſit. Nam in domo non facile retineri valens, dum incertis ſedibus vagaretur, die quadam inventa eſt, ſub arbore cruentato gutture mortua jacere, & cultellum quo ſemetipſam extinxerat in manu retinere. Plura quidem contra ſimilem aliarum fœminarum audaciam divinitus oſtenſa adhuc narrari poterant, ſed quoniam ad alia nobis tranſeundum eſt, hæc brevitatis cauſa de his dicta ſufficiant.

Cap. X.

De peſte per Danos illata, & de ſeptem portitoribus ſancti Cuthberti, & de viſione regis Elfredi.

HIs interpoſitis ad ea quæ inceperamus ordine narrationis redeamus. Diſcurrentibus undique Paganis, & per multos annos *Northanimbrorum* provinciam inhabitantibus, Chriſtianus indigenarum populus cum liberis & conjugibus ſacrum beati confeſſoris corpus comitabatur, omnia quæ amiſerat, patriam, domos, ſupellectilem, in uno ipſius corpore ſe reputans conſervaſſe, dummodo ſecum illud habere mereretur. Itaque omnes *Northanimbrorum* partes incertis ſemper ſedibus percurrebant, & tanquam oves ora luporum fugientes, ſolo ſui paſtoris ductu & patrocinio confidebant. Nec tamen ſacri corporis loculum, nec in quo ferebatur vehiculum paſſim cuilibet attingere licitum fuerat, ſed obſervata tantæ ſanctitatis reverentia, ex omnibus ſpecialiter ſeptem ad hoc ipſum conſtituti fuerant, ut ſi quid in his cura vel emendatione indigeret, præter ipſos nemo auderet manum apponere. Unde ſinguli eorum ex officiis quibus deputati fuerant, poſitis ſibi agnominibus vocari ſolebant. Inter hæc rex occidentalium Saxonum *Elfredus*, immanes hoſtium vires ferre non valens, tribus annis in *Gleſtingienſibus* latitavit paludibus. Sed qualiter ibi manifeſta viſione ſanctus ei *Cuthbertus* apparuerit, & ejus ſuffragante auxilio ſubactis hoſtibus regnum receperit, quoniam alibi plene per ordinem ſcriptum habetur, hic non eſſe repetendum videtur. Breviter tamen hic memoretur, quod inter admonitiones cæteras & promiſſa, regnum *Britanniæ* ei ſuiſque filiis pollicetur. Miſericordiam, inquit, & juſtitiam præcipue diligas moneo, eademque filios tuos ſervare præ omnibus ſemper doceto, quoniam me impetrante, Deoque donante, totius *Britanniæ* imperium vobis concedetur diſponendum. Si autem Deo mihique fideles extiteritis, me poſthac ad conterendum robur omne inimicorum, inexpugnabile defenſionis ſcutum habebitis. Igitur in craſtino juxta promiſſum ſancti de melioribus amicis quingenti circa horam nonam bene armati ad eum venerunt, & poſt ſeptem dies apud Æthandune *Anglorum* exercitus concurrit. Ubi de hoſtibus victoria *Elfredus* potitus, per filium ſuum *Edwardum* regalia dona tranſmiſit ſancto *Cuthberto*. Cujus monita ipſe *Elfredus*, poſtque ipſum filii ejus, Deo, & ipſi ſancto confeſſori fideles exiſtendo exequentes, imperii fines latius quam ullus progenitorum ſuorum extendendo, promiſſorum ejus effectibus potiti ſunt. Quæ tamen in nepote ipſius *Elfredi*, *Ethelſtano* maxime ſunt completa, qui primus regum *Anglorum* ſubactis ubique hoſtibus, totius *Britanniæ* dominium obtinuit. Cujus quanta erga ſanctum *Cuthbertum*, quantave illius erga eccleſiam ejus munificentia extiterit, ſuo loco in ſequentibus dicemus.

Cap. XI.

Quomodo corpus S. Cuthberti *ad* Hiberniam *transferri debuit, ſed tempeſtate reductum ſit.*

VErum ut ad ſuperiora redeamus, epiſcopus *Eardulfus*, & abbas *Eadredus* tota pene provincia cum theſauro corporis ſacri pervagata, propter diuturnum laborem nimio tandem confecti tædio, ut ſuis finem laboribus & ſancto corpori ſedem in *Hibernia* quærerent, mutuo inter ſe conſilio diu ventilabant, præſertim quia nullam in tota hac terra remanendi ſpem habebant. Proinde adhibitis ad hoc quoque de omnibus qui ſapientiores erant, & ætate provectiores ſui ſecreta conſilii eis pandebant. Placuit itaque illis hoc conſilium, & evidenter (inquiunt) in terra peregrina requieſcendi locum quærere monemur, quia niſi hoc Dei fuiſſet voluntas, ipſiuſque ſancti, proculdubio jampridem & ſuæ ſanctitati locus ad requieſcendum condignus, & nobis ad manendum opportunus fuiſſet proviſus. Ergo ad hoſtium fluminis quod *Dyrwenta* vocatur, omnes ſimul, epiſcopus, & abbas, & populus conveniunt. Ibi navis ad tranſponendum paratur, venerabile patris corpus imponitur, cum epiſcopo & abbate pauci quibus hoc innotuerat conſilium ingrediuntur, cæteris omnibus quid agere vellent ignorantibus. Quid plura? Sociis à littore ſe ſpectantibus valedicunt, ſecundis vela flatibus expediunt, recto verſus *Hyberniam* ductu proram dirigunt. Quis tunc planctus reſidentium? Heu, inquiunt, miſeri! nos in hæc miſera cur nati ſumus tempora? Tu pater & patrone noſter, en tanquam captivus in exilium duceris, nos tanquam oves luporum dentibus, ita miſeri & captivi adverſariis exponimur ſævientibus. Nec illi plura, Continuo venti mutantur, fluctus intumeſcentes elevantur, & quod nunc erat tranquillum, mare fit tempeſtuoſum: naviſque jam non valens gubernari, huc & illuc inter fluctivagas jactabatur undas. Qui enim intus erant, velut mortui obriguerant. Interea tres miræ magnitudinis undæ horrifico cum murmure ſupervenientes, navem medias pene uſque ad tabulas impleverunt, atque terribili miraculo poſtque *Ægipti* plagas inaudito, protinus in ſanguinem convertebantur. Qua tempeſtate dum navis verteretur in latera, cadens ex ea textus Evangeliorum auro gemmiſque perornatus, in maris ferebatur profunda. Ergo poſtquam ſenſu aliquantulum recepto ſemetipſos qui vel ubi eſſent recordantur, genua flectunt, veniamque ſtulti auſus, toto corpore ad pedes ſancti corporis proſtrati, petunt. Arrepto itaque gubernaculo, navem ad littus & ad ſocios retorquent, & continuo flantibus à tergo ventis illuc ſine aliqua difficultate perveniunt. Tunc qui prius fleverant dolendo, verſa vice plus jam flebant gaudendo: epiſcopus vero cum ſociis ſuis pudore ſimul & dolore non minus lachrimans, toto corpore in terram proſternitur, ſibique indulgeri obnixius precatur.

CAP. XII.

De portitoribus ſacri corporis ex diuturno labore pertæſis, quæ nomina eis fuerint, & qualiter equum, frænum carrumque prædicente ſancto Cuthberto invenerint, & textum Evangeliorum in mare triduo dimerſum illæſum receperint.

INterea populus longo per annorum ſpacia labore, famis neceſſitate cunctarumq; rerum egeſtate compulſus, à comitatu ſancti corporis dilabitur, & per loca inhabitata, ut qualitercumque vitam ſuſtentarent diſpergitur. Exceptis enim epiſcopo & abbate cum ſuis admodum paucis omnes diſceſſerunt, præter illos ſeptem, qui ejus obſequio corporis familiarius ut dictum eſt adhærere ſemper conſueverunt. Hii nimirum fuerunt illi qui deficientibus monachis, nutriti ab eis & educati, ut ſuperius diximus, de inſula *Lindisfarnenſi* venerandum ſancti confeſſoris corpus ſunt ſecuti, nunquam illud quouſque viverent relicturi. Quorum quatuor qui tribus aliis majores eſſe videbantur, hæc fuerunt nomina, *Hunred*, *Stithard*, *Edmund*, *Franco*, de quorum ſtirpe multi in *Northanimbrorum* provincia tam clerici quam laici ſe deſcendiſſe tanto magis gloriantur, quanto progenitores ſui ſancto *Cuthberto* fidelius deſerviſſe narrantur. Cum ergo cunctis diſcedentibus ſoli cum tanto theſauro relicti eſſent, adverſis undique rebus maximas ſuſtinuerunt anguſtias, nec tamen quo conſilio evaderent, quove ſolatio reſpirarent excogitare potuerunt. Quid, inquiunt, facturi ſumus? Quo patris reliquias ferentes ibimus? Barbaros fugientes per ſeptem annos totam provinciam luſtravimus, jamque nullus in patria fugæ ſupereſt locus. Ne vero peregrinantes alicubi requiem quæramus, manifeſta flagelli caſtigatione prohibiti ſumus. Super hæc omnia fames dira incumbens quacunque ſolatium vitæ quærere compellit, ſed gladius Danorum ubique ſæviens, nobis cum hoc theſauro tranſitum non permittit. Porro ſi illo relicto nobiſipſis providerimus, inquirenti poſtmodum ejus populo ubinam ſit paſtor & patronus eorum, quid reſpondebimus? furto an violentia nobis ablatum dicemus? In exilium tranſportatum, an ſolum in deſertis nunciabimus relictum? Profecto manu illorum juſta confeſtim morte interibimus, omnibuſque poſt futuris ſeculis infamiam noſtri relinquemus, cunctorum maledicta lucrabimur. Tanta rerum anguſtia gementibus tandem conſuetum piiſſimi patroni affuit auxilium, quo & animos eorum mœrore & corpora relevavit labore, quia factus eſt Dominus refugium pauperum, adjutor in opportunitatibus in tribulatione. Cuidam namque illorum, videlicet *Hunredo* per viſum aſſiſtens, juſſit ut æſtu maris recedente, codicem qui de navi, ut ſuperius dictum eſt, medias ceciderat in undas quærerent, fortaſſis enim contra hoc quod ipſi ſperare poſſent, Deo miſerante invenirent. Nam & de illius libri amiſſione, maxima illorum mentes perturbaverat mœſtitia. Quibus verbis hæc quoque adjungens, Tu, inquit, citius ſurgens frænum quod in arbore videbis pendere, equo quem non longe hinc invenies oſtendere, moxque ad te ſponte accurrentem curabis frænare, quem deinceps carrum in quo meum corpus circumfertur trahentem, vos levigato labore ſequi valebitis. His perceptis, confeſtim ſomno expergefactus, viſionem ſe vidiſſe narravit, moxque aliquos è ſociis ad mare quod erat vicinum, librum quem amiſerant quæſituros miſit. Per id quippe temporis, in locum qui candida caſa, vulgo autem *Witerna* vocatur, devenerant. Itaque pergentes ad mare, multo quam conſueverat longius receſſiſſe conſpiciunt, & tribus vel eo amplius milliariis gradientes, ipſum ſanctum Evangeliorum codicem reperiunt, qui ita forinſecus gemmis & auro ſui decorem, ita intrinſecus literis & foliis priorem præferebat pulchritudinem, ac ſi ab aqua minime tactus fuiſſet. Quæ res animos eorum anxios non parum gaudio replevit, virumque memoratum de cæteris quæ audierat, minime dubitare permiſit. Pergens ergo frænum ſicut per ſomnium didicerat in arbore ſuſpenſum invenit, deinde hac illacque circumſpiciens, paulo remotius caballum rufi coloris conſpexit, qui unde vel quomodo in illum ſolitudinis locum pervenerit, ſciri nullatenus potuit. Cui ſicut juſſus fuerat dum manu elata frænum oſtenderet, concite adveniens manibus illius ſeſe frænandum obtulit. Quo ad ſocios perducto, pro patris *Cuthberti* corporis præſentia tanto libentius poſtmodum laborare gaudebant, quanto ejus ſuffragia nunquam in neceſſitate ſibi defutura pro certo ſciebant. Adjungentes itaque caballum vehiculo, quod illum cœleſtem theſaurum theca incluſum ferebat, eo ſecurius per quælibet loca ſequebantur, quo à Deo ſibi proviſo equo ductore utebantur. Porro liber memoratus in hac eccleſia quæ corpus ipſius ſancti patris habere meruit, uſque hodie ſervatur, in quo nullum omnino ut diximus per aquam læſionis ſignum monſtratur. Quod plane & ipſius ſancti *Cuthberti*, & ipſorum quoque meritis qui ipſius libri authores extiterant, geſtum creditur, *Eadfridi* videlicet venerandæ memoriæ epiſcopi, qui hunc in honorem beati *Cuthberti* manu propria ſcripſerat, ſucceſſoris quoque ejuſdem venerabilis *Ethelwoldi*, qui auro gemmiſque perornari juſſerat, ſancti etiam *Bilfridi* anachoritæ, qui vota jubentis manu artifici proſecutus, egregium opus compoſuerat. Erat enim aurificii arte præcipuus. Hii pariter amore dilecti Deo confeſſoris & pontificis ferventes, ſuam erga ipſum devotionem poſteris omnibus innoteſcendam hoc opere reliquerunt.

Cap. XIII.

Quomodo juſſu ſancti Cuthberti Guthredus *ſit rex effectus; & de donis ejus, privilegiis & largitionibus.*

CUm ergo & corpori ſuo ſedem providere, & ſervientes ſibi à longo per ſeptem annos labore vellet reſpirare, rex impius *Haldene* crudelitatis ſuæ quam in eccleſiam ipſius ſancti, cæteraque ſanctorum loca exercuerat, vindictam Deo vindice perſolvit. Nam cum inſania mentis graviſſimus corpus ejus invaſit cruciatus, unde etiam fætor exhalans intolerabilis, toti eum exercitui reddidit exoſum. Contemptus ergo ab omnibus & projectus cum tribus tantum navibus de *Tina* profugit, nec multo poſt cum ſuis omnibus periit. His ita geſtis, ad monaſterium quod in ſua quondam villa vocabulo *Creca* fuit, illud venerabile corpus deferunt, ibique ab abbate cui nomen *Geve* benigniſſime ſuſcepti, velut in proprio quatuor menſibus reſidebant. Interea cum exercitus, & qui ſupererant de indigenis ſine rege nutarent, ſæpe nominato abbati *Eadredo*, religioſæ converſationis viro ipſe beatus *Cuthbertus* per ſomnium aſtitit, jamque ſuorum quieti providens, ei hæc facienda injunxit. Pergens, inquit, ad exercitum *Danorum*, mea te ad illos miſſum legatione dices, ut ſcilicet puerum quem viduæ illi vendiderant vocabulo *Guthredum*, filium *Hardecnut*, ubinam ſit tibi oſtendant. Quo invento & precio libertatis ejus viduæ perſoluto, ante totius exercitus frequentiam producatur, atque ab omnibus me volente ac jubente, in **Oswiesdune** hoc eſt monte *Oſwin* electus, poſita in brachio ejus dextro armilla in regnum conſtituatur. Evigilans ergo abbas rem ſociis retulit, moxque profectus juſſa per ordinem complevit. Productoque in medium juvene, tam barbari quam indigenæ, reverenter juſſa ſancti *Cuthberti* ſuſcipiunt, atque unanimi favore puerum ex ſervitute in regnum conſtituunt. Quo cum gratia cunctorum & amore regni ſede potito, cum ſopitis jam perturbationum procellis tranquillitas redderetur, ſedes epiſcopalis quam in *Lindiſfarnenſi* inſula ſuperius diximus, in **Cuncacestre** reſtauratur. Tranſlato itaque illuc poſt quatuor menſes de *Creca* beatiſſimi patris incorrupto corpore, ſimul & qui Deo ſervirent ibidem inſtitutis, eximius antiſtes *Eardulphus*, vir ubique in proſperis et adverſis ſancto *Cuthberto* adhærens, primus ibi cathedram pontificalem conſcendit: nec parum honoris et donorum illi eccleſiæ rex *Guthredus* contulit; eique qui ex ſervo ſe in regem promoverat, devota deinceps humilitate ſubditus fideliter ſervivit. Unde cuncta quæ pro privilegiis eccleſiæ ſuæ ac libertate, atque pro ſibi miniſtrantium ſuſtentatione mandaverat; ille ut promptus miniſter mox adimplere feſtinavit. Denique memorato abbati per viſum aſtans ipſe ſanctus, Dicito, inquit, regi ut totam inter **Weor** et **Tyne** terram, mihi et in mea eccleſia ſervientibus, perpetuæ poſſeſſionis jure largiatur, ex qua illis ne inopia laborent, vitæ ſubſidia procurentur. Præcipe illi præterea ut eccleſiam meam tutum profugis locum refugii conſtituat, ut quicunque qualibet de cauſa ad meum corpus confugerit, pacem per triginta et ſeptem dies, nulla unquam infringendam occaſione habeat. Hæc per fidelem internuntium abbatem audita, tam ipſe rex *Guthred* quam etiam potentiſſimus, cujus ſuperius mentio facta eſt, *Elfredus*, declaranda populis propalarunt, eaque toto non ſolum *Anglorum* ſed et *Danorum* conſentiente ac collaudante exercitu in perpetuum ſervanda conſtituerunt. Eos autem qui inſtitutam ab ipſo ſancto pacem quoquomodo irritare præſumpſerint, damno pecuniæ mulctandos cenſuerunt, ut ſcilicet quantum regi *Anglorum* pace ipſius fracta debeant, tantundem ipſi ſancto violata ejus pace perſolvant, videlicet ad minus octoginta et ſedecim libras. Terra quoque quam præceperat, inter memorata duo flumina mox ei donata, communi regum ſupradictorum et totius populi ſententia decretum eſt, Ut quicunque ſancto *Cuthberto* terram donaverit, vel pecunia ipſius empta fuerit, nemo deinceps ex ea cujuſlibet ſervitii aut conſuetudinis ſibi jus aliquod uſurpare audeat, Sed ſola eccleſia inconcuſſa quiete ac libertate cum omnibus conſuetudinibus, et ut vulgo dicitur, cum **saca** & **socna** & **infangentheof** perpetualiter poſſideat. Has leges et hæc ſtatuta quicunque quolibet niſu infringere præſumpſerint, eos in perpetuum niſi emendaverint *Gehenna* ignibus puniendos, anathematizando ſententia omnium contradidit. Interjecto tempore aliquanto gens Scottorum innumerabili exercitu coadunato, inter cætera ſuæ crudelitatis facinora *Lindiſfarnenſe* monaſterium ſæviens et rapiens invaſit. Contra quos dum rex *Guthredus* per ſanctum *Cuthbertum* confortatus pugnaturus ſtaret, ſubito terra dehiſcens hoſtes vivos omnes abſorbuit, renovato ibi miraculo antiquo, quando aperta eſt terra et deglutivit *Dathan*, et operuit ſuper congregationem *Abiron*. Qualiter autem geſtum ſit, alibi conſtat eſſe ſcriptum.

Cap. XIV.

Item de dignitatibus & eccleſia privilegiis.

ANno ab incarnatione Domini DCCC. xciiij. 894.
rex *Guthredus* cum non paucis annis proſpere regnaſſet, moriens, privilegia eccleſiæ patris *Cuthberti*, de quiete, de libertate ipſius, de pace confugientium ad ſepulchrum ejus à nullo unquam irritanda. Alia quoque in eccleſiæ ipſius munimentum ſtatuta, omnibus poſt ſe regibus, epiſcopis et populis in æternum conſervanda reliquit, quæ etiam

An.Dñi uſque hodie ſervantur. Denique ea nemo unquam impune conabatur infringere. Quorum *Scotti* ut præfati ſumus cum pacem ejus violaſſent, ſubito terræ hiatu abſorpti in momento diſparuerunt. Alios quoque in ſimili præſumptionis ſcelere, quam terribilis vindicta percuſſerit, in ſequentibus dicetur. Mortuo *Guthredo*, rex *Elfredus Northanimbrorum* regnum ſuſcepit diſponendum. Poſtquam enim ſanctus *Cuthbertus* ei apparuerat, paterno regno, id eſt, Occidentalium *Saxonum*, et provinciam Orientalium *Anglorum*, et *Northanimbrorum* poſt *Guthredum* adjecit.

CAP. XV.

Quid rex Elfredus *moriens*, Edwardo *filio ſuo præceperit.*

899. ANno ab incarnatione Domini DCCC. xcix. idem piiſſimus rex *Anglorum Elfredus* peractis in regno viginti octo annis et dimidio, defunctus eſt, *Edwardo* filio in regnum patri ſuccedente: qui ab ipſo diligentiſſime admonitus fuerat, ut ſanctum *Cuthbertum*, ejuſque eccleſiam quam maxime diligendo ſemper honori haberet, recolendo ex quantis anguſtiis et calamitatibus patrem eripiens regno reſtituerit, et plus quam anteceſſores ejus habuerant, ei ſubactis hoſtibus augmentaverit.

CAP. XVI.

De epiſcopo Cutheardo, *& quomodo* Edwardus *monarchiam perceperit, & de* Onlafbald *qualiter in limine eccleſiæ ſancti* Cuthberti *interierit.*

EOdem anno, quo rex *Elfredus* mortuus eſt, ille ſæpe memoratus antiſtes *Eardulfus* in ſenectute bona ſuorum præmia laborum recepturus ab hac vita migravit, anno ſcilicet nonodecimo, ex quo ſacrum beati patris *Cuthberti* corpus in **Cuncaceſtre** tranſlatum fuerat, ſui vero epiſcopatus anno quadrageſimo ſexto. In cujus loco *Cutheardus*, et ipſe coram Deo et hominibus vita probabili commendatus, omnium electione cathedram epiſcopalem ſuſcepit regendam. Qui magna ſollicitudine rerum ſufficientiam Deo coram incorrupti corporis præſentia ſervituris providens, quas et quot villas ipſius ſancti pecunia comparatas, prioribus regum donariis adjecerit, eccleſiæ cartula quæ antiquam regum et quorumque religioſorum munificentiam erga ipſum ſanctum continet, manifeſte declarat. Itaque *Edwardo* non ſolum occidentalium *Saxonum*, verum etiam orientalium *Anglorum*, *Northanimbrorum* quoque regna diſponente, et *Cutheardo Berniciorum* adminiſtrante præſulatum, rex quidam paganus vocabulo *Reingwald*, multa cum claſſe *Northanimbrorum* partibus applicuit. Nec mora, irrupta Eboraca, indigenas quoſque meliores vel occidit, vel extra patriam fugavit. Occupavit quoque totam mox terram ſancti *Cuthberti*, villaſque ipſius duobus ſuis militibus, quorum unus *Scula*, alter *Onlafbald* appellabatur, diſtribuit. Horum *Scula*, à villa quæ vocatur **Iodene** uſque **Billingham** ſortitus dominium, miſeros indigenas gravibus tributis et intolerabilibus afflixit. Unde uſque hodie *Eboracenſes*, quoties tributum regale ſolvere coguntur, ei parti terræ ſancti *Cuthberti*, quam *Scula* poſſederat, in levamentum ſui mulctam pecuniæ imponere nituntur. Scilicet legem deputant, quam paganus per tirannidem fecerat, qui non legitimo regi *Anglorum*, ſed barbaro & alienigenæ, & regis *Anglorum* hoſti militabat. Nec tamen quamvis multum in hoc laboraverint, pravam conſuetudinem huc uſque ſancto *Cuthberto* reſiſtente introducere potuerunt. Aliam vero partem villarum *Onlafbald* occupavit, qui multo quam ſocius ejus immaniorem & crudeliorem ſe in ſui perniciem omnibus exhibebat. Denique cum multis ſæpe injuriis epiſcopum, congregationem, atque populum ſancti *Cuthberti* moleſtaret, prædiaque ad epiſcopium jure pertinentia ſibi pertinaciter uſurparet, epiſcopus volens eum Deo lucrari, Quæſo, inquit, pertinacis animi rigorem deponas & ab illicita rerum pervaſione eccleſiaſticarum jam te cohibeas; Nam ſi hæc monita ſpreveris, ipſum confeſſorem ſuas ſuorumque injurias per te irrogatas graviter vindicaturum eſſe non dubites. At ille contra hæc diabolico ſpiritu inflatus, Quid, inquit, hujus hominis mortui minas quotidie mihi objicitis? Quid contra me vobis valebit ipſius in quo ſperatis auxilium? Deorum meorum potentiam conteſtor, quod tam ipſi mortuo, quam vobis omnibus deinceps inimiciſſimus ero. At epiſcopus, omneſque fratres in terram proſtrati, à Deo & ſancto confeſſore, ſuperbas illius minas adnullari flagitabant. Jam miſer ille ad hoſtium venerat, jam alterum intra limen, alterum extra pedem poſuerat, & ibi tanquam clavis per utrumque pedem confixus, nec egredi, nec regredi valebat, ſed immobilis ibi prorſus manebat. Ubi diutius tortus, beatiſſimi confeſſoris ſanctitatem palam confitebatur, ſicque impiam animam eodem in loco reddere compellebatur. Quo exemplo alii omnes conterriti, neque terras, neque aliud quid quod eccleſiæ jure competebat, quoquomodo ulterius pervadere præſumpſerunt.

CAP. XVII.

De Tilredo *epiſcopo, & de mandato regi* Ethelſtano *nunc à patre & prius per avum ſuum facto.*

DEfuncto autem *Cutheardo* cum jam quintum decimum ſuo in epiſcopatu ageret annum, ſubſtitutus eſt ad eccleſiæ regimen bonæ actionis vir *Tilredus*. Cujus pontificatus ſeptimo anno *Edwardo* rege defuncto, filius ejus *Ethelſtanus*, ſuſcepta regni gubernacula glorioſiſſime rexit, primuſque regum totius *Britanniæ* quaquaverſum adeptus eſt imperium, adjuvante atque imperante hoc apud Deum B. *Cuthberto*, qui avo illius *Elfredo* quondam apparens promiſerat: Totius, inquiens, *Britanniæ* regnum filiis tuis me impetrante concedetur diſponendum. Denique huic *Ethelſtano* pater moriturus univerſa replicare cœpit, quæ & quanta ſuo patri pietatis beneficia beatus *Cuthbertus* impenderit, qualiter ex latibulis ad quæ metu hoſtium confugerat, ad bellandum contra hoſtem prodire juſſerit, moxque ad illum totius *Angliæ* exercitum congregaverit, nec difficulter hoſte proſtrato, patrio illius regno plurimam *Britanniæ* partem adjecerit, ſemperque deinceps promptus illi adjutor extiterit. Idcirco, inquit, fili, tanto patrono tamque benigno liberatori noſtro devotum te ſemper & fidelem exhibe, memor quid filiis *Elfredi* ſi pietatem & juſtitiam

tiam fecerint, ſi ei fideles extiterint, ipſe promiſerit. Hæc pii patris monita *Ethelſtanus* libenter ſuſcipiens, libentius regno potitus, eſt executus. Denique ante illum nullus regum eccleſiam ſancti *Cuthberti* tantum dilexit, tam diverſis tamque multiplicibus regiis muneribus decoravit. Unde hoſtibus paſſim emergentibus ubique prævalens, omnibus illis vel occiſis, vel ſervitio ſibi ſubactis, vel extra terminos *Britannia* fugatis, majori quam ullus regum *Anglorum* ante illum gloria regnabit. Hujus imperii primo anno qui eſt annus Dominicæ incarnationis, DCCCC. xix. natus eſt ſanctus *Dunſtanus*, qui lxx. ætatis ſuæ anno regnante *Ethelredo* rege tranſivit ad Dominum.

Cap. XVIII.

De epiſcopo Wigredo, *& quanta* Ethelſtanus *rex ſancto* Cuthberto *dedit, quando in Scotiam perrexit.*

22. ANno incarnationis Dominicæ DCCCC.xxij. *Tilredus* cum in epiſcopatu jam tredecem annos & quatuor menſes egiſſet defunctus eſt, & in ejus locum *Wigredus* eligitur epiſcopus & conſecratur. Cujus pontificatus anno decimo *Ethelſtanus* rex dum *Scotiam* tenderet, cum totius *Britannia* exercitu, ſancti *Cuthberti* patrocinia quærens ejus ſepulchrum expetiit, ſuffragia poſtulavit, eique diverſis ſpeciebus in eccleſiæ ornamentum multa quæ regem deceret donaria contulit, quæ in hac *Dunelmenſi* eccleſia uſque hodie ſervata, piam ipſius regis erga eccleſiam ſancti patris *[illegible]thberti* devotionem, & æternam repreſentant memoriam. Quæ & quanta ſint, deſcripta per ordinem cartula comprehendit. His ornamentorum donariis, villarum quoque non minus quam duodecem poſſeſſiones ad ſufficientiam inibi ſervientium ſuperadjecit. Quorum nomina quoniam alibi ſcripta tenentur, hic ea ponere neceſſarium non habetur. Leges quoque & conſuetudines ipſius Sancti quas avus ejus rex *Elfredus* & *Guthredus* rex inſtituerant, ipſe approbavit, & inviolabili firmitate in perpetuum ſervandas cenſuit. Oblatione autem facta, eos ſi qui aliquid ex his auferre vel quoquomodo minuere præſumpſiſſent, graviſſimæ maledictionis anathemate percuſſit, Ut ſcilicet in die judicii cum *Juda* traditore Domini damnationis ſententia feriantur. Exercitus quoque juſſu regis ſepulchrum ſancti confeſſoris xc.vj. & eo amplius libris argenti honoravit. Ita ſe ſuiſque ſancti confeſſoris patrocinio commendatis, diſpoſito itinere profectus eſt, fratrem *Eadmundum* multum obteſtatus, ut ſi quid ſiniſtri in hac ſibi expeditione eveniret, corpus ſuum in eccleſiam ſancti *Cuthberti* ſepeliendum referret. Fugato deinde *Oſwino* rege *Cumbrorum*, & *Conſtantino* rege *Scottorum*, terreſtri & navali exercitu *Scotiam* ſibi ſubjugando perdomuit.
937. Quarto poſt hæc anno, hoc eſt, DCCCC. xxxvij Dominicæ nativitatis anno, apud **Weondune** quod alio nomine **Etbrunnanwerch**, vel **Brunnanbyrge** appellatur, pugnavit contra *Onlaf Guthredi* quondam regis filium, qui DC. & xv. navibus advenerat, ſecum habens contra *Ethelſtanum* auxilia regum præfatorum, ſc. *Scottorum* & *Cumbrorum*: At ille ſancti *Cuthberti* patrocinio confiſus, proſtrata multitudine infinita reges illos de regno ſuo propulit, ſuiſque glorioſum reportans triumphum, hoſtibus circumquaque tremendus, ſuis erat pacificus, & in pace poſtmodum vitam terminavit, fratri *Eadmundo* imperii monarchiam relinquens. Hujus regni anno tertio, *Wigredus* cum decem & ſeptem annos in epiſcopatu habuiſſet, defunctus, *Uthredum* habuit ſucceſſorem. Interim rex *Edmundus* & ipſe in *Scotiam* cum exercitu tendens, ſancti *Cuthberti* ſuffragia poſtulaturus, ad ejus ſepulchrum divertit, & ut frater ejus quondam *Ethelſtanus* regalibus donis illud honoravit, auro ſcilicet & palliis, leges quoque illius ſicut unquam meliores fuerant firmavit.

An. Dñi

Cap. XIX.

Quomodo ſanctus Cuthbertus Sexhelmum *Epiſcopum* Simoniacum *pepulit, & de terra ſua fugaverit.*

DEfuncto autem *Vhtredo* epiſcopo, *Sexhelm* loco ejus eſt ordinatus, ſed vix aliquot menſibus in eccleſia reſidens Sancto *Cuthberte* illum expellente aufugit. Cum enim à via prædeceſſorum ſuorum aberrans populum ipſius ſancti et eos qi in eccleſia ejus ſerviebant avaritia ſuccenſus affligeret, exterritus à ſancto per ſomnium juſſus eſt quantocius diſcedere. Dum ille differret, ſecunda nocte vehementius eum increpans feſtinanter abire juſſit, pœnam ei intentans ſi tardaret. Nec ſic quidem ille obedire voluit, cum ecce tertio multo quam ante ſeverior illum aggreditur, et quam citius eum aufugere præcepit, nec quicquam de rebus eccleſiæ ſecum aſportare præſumeret, Si aliquandiu tardaret, mortem illi citius affuturam minabatur. Expergefactus de ſomno cœpit infirmari, et ne mortem mox incurreret abire quamvis ægrotans feſtinavit. Dum autem fugiens circa *Eboracum* veniſſet ſanitatem recepit, pro quo *Aldredus* cathedram epiſcopalem conſcendit.

Cap. XX.

De morte Eadmundi *Regis & epiſcopatu* Elfſig.

ANno ab incarnatione Domini DCCCC. xlviij. *Edmundo* rege mortuo frater ejus *Eadredus* ſolium regni conſcendit, vir pietatis cultor et juſtitiæ, qui etiam ſicut et fratres ejus eccleſiam ſancti *Cuthberti* regalibus donariis viſitavit. Mortuo autem *Aldredo* epiſcopo *Elfſig* pro eo ipſius eccleſiæ gubernacula in **Cunecaceſtre** ſuſcepit ordinatus *Eboraci* ab *Oſcetillo* archiepiſcopo tempore *Eadgari* regis qui *Edwio* fratri in regnum ſucceſſerat. Tranſactis autem in epiſcopatu ſuo xxij. annis *Elfſig* defunctus eſt, pro quo electus eſt et conſecratus epiſcopus vir eximiæ religionis *Aldhunus* anno ab incarnatione domini DCCCC. lxxxx. qui eſt duodecimus annus imperii regis *Ethelredi*, qui poſt mortem fratris *Edwardi* fraude novercæ ſuæ miſeranda nece perempti, ſceptrum regni obtinuit. Erat autem idem antiſtes proſapia nobilis, ſed placita Deo converſatione multo nobilior, habitu ſicut omnes prædeceſſores ejus et actu probabilis monachus. Cujus probitatis laudem à majoribus ſibi traditam indigenæ pene omnes acſi eum hodie viderent, prædicare ſolent. 948. 990.

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

Quomodo Aldunus *corpus S.* Cuthberti *in* Rippun *tulerit, & de* Werdelau *poſtea in* Dunelmum *venerit, & de nominibus portitorum.*

995. ANNO autem ab incarnatione Domini DCCCC. lxxxxv. imperii vero *Ethelredi* regis xvij. idem antiſtes incipiente jam accepti præſulatus vj. anno, cœleſti præmonitus oraculo, ut cum incorrupto ſanctiſſimi patris corpore quantocius fugiens ſuperventuram pyratarum rabiem declinaret, tulit illud Cxiij. anno ex quo in Cunecaceſtre locatum fuerat, et inde cum omni qui ejus dicitur populo in Rippun tranſportavit. In qua fuga illud memorabile fertur, quod in tanta multitudine nemo à minimo uſque ad maximum ulla infirmitatis moleſtia affligebatur, ſed ſine ullo labore, ſine ullo incommodo viam gradiendo peragebant. Nec ſolum homines ſed etiam animalia tenera, et nuper quoque nata, (erat enim tempus veris) ſana et incolumia ſine difficultate et vexatione toto itinere gradiebantur. Poſt tres autem vel quatuor menſes pace reddita, cum venerandum corpus ad priorem locum reportarent, jamque prope *Dunelmum* ad Orientalem plagam in locum qui Werdelau dicitur veniſſent, vehiculum quo ſacri corporis theca ferebatur, ulterius promoveri non poterat. Accedunt plures, ſed nil quamvis multum laborantes proficiunt. Quibus adhuc multo plures conjunguntur, ſed illud movere nequaquam valebant. Itaque incorrupti corporis theca veluti mons quidam manſit immota. Quo facto, omnibus aperte clarebat, quod ad eum ubi prius fuerat locum ſe tranſportari nollet: quo autem transferre deberent ignorabant. Nam ubi tunc fuerunt, medio ſcilicet in campo, locus erat inhabitabilis. Alloquens ergo populum epiſcopus, præcepit ut omnes ſimul per triduum jejunio, vigiliis ac precibus cœleſtis oſtenſionem indicii expeterent, quo cum ſacro patris corpore divertere deberent. Quo facto, cuidam religioſo nomine *Eadmero* revelatum eſt, ut in *Dunelmum* illud transferre, ibidemque requieſcendi ſedem debuiſſent præparare. Qua revelatione omnibus patefacta, relevati gaudio gratias cuncti egerunt Chriſto, moxque accedentes pauciſſimi corporis ſancti loculum levaverunt, quod tota prius multitudo nec movere poterat. Itaque ad locum cœlitus oſtenſum viz. *Dunelmum*, cum lætitia et laude corpus ſanctum detulerunt, factaque citiſſime de virgis eccleſiola, ibidem illud ad tempus locarunt. Ex his autem qui tunc cum ſancti confeſſoris corpore in hunc locum convenerant erat quidam vocabulo *Riggulfus*, qui omne tempus vitæ ſuæ CC. et decem annos habuerat, quorum quadraginta in monachico habitu ante mortem duxerat. Erat autem nepos *Franconis*, qui ut ſuperius dictum eſt unus erat de ſeptem qui venerandum patris corpus individuo comitatu ſunt ſequuti. *Franco* quippe pater erat *Reingualdi*, à quo illa quam condiderat villa Reiningtun eſt appellata. *Reingualdus* vero pater extitit *Riggulfi*, cujus filius *Ethric*, ex cujus *Ethrici* filia progenitus eſt presbiter *Alchmundus* pater ejus qui nunc uſque ſupereſt *Elfredi*. Hujus *Franconis* ſocius erat ut ſupra dictum eſt, *Hunred*, cujus filius *Eadulf*, cujus filius *Eadred* fuerat, qui ut fertur ſex annis ante finem vitæ extra eccleſiam nunquam loqui poterat, cum in eccleſia nemo ad cantandum vel pſallendum expeditior et promptior eſſe potuiſſet. Fuerant nonnulli qui hoc ei putaverant propterea eveniſſe, ut nulla inutili vel noxia locutione ipſius lingua macularetur, quæ tam ſtudioſe in precibus et pſalmodia exercebatur. Hujus *Eadredi* filius erat *Collanus*, cujus filius *Eadred*, cujus filius *Collanus*, ex cujus ſorore progeniti ſunt *Eilafus*, et qui nunc uſque ſuperſunt *Hemmingus* et *Vulfkillus* presbiteri. De his tantum dixiſſe ſufficiat. Nunc ad ea unde digreſſus eſt ſermo redeat.

Cap. II.

Qualiter locus ille habitabilis factus ſit.

COmitans ſanctiſſimi patris *Cuthberti* corpus univerſus populus in *Dunelmum*, locum quidem natura munitum ſed non facile habitabilem invenit, quoniam denſiſſima undique ſilva totum occupaverat. Tantum in medio planicies erat non grandis, quam arando et ſeminando excolere conſueverant: ubi epiſcopus *Aldhunus* non parvam de lapide poſtea eccleſiam ere[illegible] ſicut in conſequentibus apparebit. Igitur præf[illegible]s antiſtes totius populi auxilio et comitis *Northanimbrorum Vhtredi* adjutorio totam extirpans ſilvam ſuccidit, ipſumque locum brevi habitabilem fecit. Denique à flumine Coqued uſque ad *Teiſam* univerſa populorum multitudo tam ad hoc opus quam ad conſtruendam poſtmodum eccleſiam prompto animo acceſſit, et donec perficeretur devota inſiſtere non ceſſavit. Eradicata itaque ſilva, et unicuique manſionibus ſorte diſtributis, præſul antedictus amore Chriſti et ſancti *Cuthberti* fervens, eccleſiam honeſto nec parvo opere inchoavit, et ad perficiendam omni ſtudio intendit. Interea ſanctum corpus de illa quam ſuperius diximus eccleſiola in aliam tranſlatum quæ *albæeccleſia* vocabatur, tribus ibidem annis dum major eccleſia conſtrueretur requievit.

Cap. III.

De contracta quadam ſanata in loco ubi beati Cuthberti *corpus requieverat.*

UBI autem prius jacuerat miracula coruſcare et infirmi ſanitatem cœperunt recuperare. Tranſacto namque tempore non parvo, fœmina quædam de natione *Scottorum* toto corpore ab infantia debilis *Dunelmum* fuerat perducta. Cujus miſeriæ nemo tam inhumanus qui non poſſet condolere. Pedes namque et crura poſt tergum retorta poſt ſe trahebat, atque ita manibus reptando de loco ad locum ſe miſeranda ferebat. Contigit autem ut ad præfatum locum ubi ſanctum corpus paucis diebus requieverat, miſerabilis illa ſe trahendo perveniret. Ubi ſe in ſuum officium retorquentibus nervis ſubito illa exilire cœpit et rurſus ad terram cadere, et clamore univerſos perturbare. Quæ poſt paululum erecta pedibus ſuis ſaniſſima conſtitit, et ſalvatori ſuo *Chriſto* per interceſſionem ſancti *Cuthberti* gratiarum actiones retulit. Hoc audito, civitas tota feſtinat ad eccleſiam, ſigna pulſantur, clerus *Te Deum laudamus* perſonat, populus ſuis vocibus in Dei laudem concrepat, *Cuthbertum* vere magnum et Deo dilectum prædicat. Illa vero quæ ſanata fuerat, per multas regiones ac nationes diſcurrit, et iter omne pedes incedendo peregit. Nam et *Romam* gratia orationis adiit, & inde revertens, in *Hyberniam* profecta eſt, omnibus per factum in ſe miraculum Dei gloriam & ejus dilecti confeſſoris ſanctitatis ubique prædicans excellentiam. Hoc ſane ita factum quemadmodum deſcripſimus, à quibuſdam presbiteris qui viderunt religioſis & ætate provectis & omnino ſimplicibus frequenter audivimus.

CAP. IV.

Quo tempore Aldunus *Epiſcopus eccleſiam in* Dunelmo *dedicaverit, & quot donariis à potentibus ditata ſit.*

VErum ut ad ſuperiora ſermo redeat, venerandus antiſtes *Aldhunus* eccleſiam tertio ex quo eam fundaverat anno pridie Nonas *Septembris* ſolenniter dedicavit, cunctiſque gaudentibus, & Deum collaudantibus ſanctiſſimi patris *Cuthberti* incorruptum corpus in locum quem paraverat tranſlatum debito cum honore locavit. Taliter uſque in præſens cum ſancto corpore ſedes epiſcopalis hoc in loco permanſit, quæ à rege quondam *Oſwaldo* & pontifice *Aidano* primitus in inſula *Lindiſfarnenſi* fuerat inſtituta. A quo anno ſcilicet quo *Aidanus* in ipſa inſula cathedram conſcenderat pontificalem uſque annum quo *Aldhunus* eandem in *Dunelmo* aſcenderat CCC, lxj. à tranſitu vero patris *Cuthberti* CCC. ix. computantur anni. Igitur antiſtes vehementer cum univerſo populo hujus loci habitatione delectatus exultavit, ubi omnipotens Deus famuli ſui corpus requieſcere voluit, atque voluntatem ſuam ſicut ſupradictum eſt ſigni oſtenſione manifeſtavit & revelatione. Erat ſane idem epiſcopus multæ religionis & humilitatis, verbo & actu bonis omnibus amabilis. Fuerunt per id tempus plurimi qui diverſa dona in ornamentum eccleſiæ, & ad ſufficientiam inibi ſancto confeſſori miniſtrantium terras contulerunt. Inter quos unus ex nobilibus vocabulo *Styr* filius *Vlfi* à rege *Ethelredo* impetravit, ut **Derningtun** cum ſuis appendiciis ſancto *Cuthberto* donaret. Atque coram rege & præſentibus archiepiſcopo *Eboracenſi Wlſtano* & epiſcopo *Dunelmenſi Aldhuno* & aliis principalibus viris qui cum rege *Eboracum* convenerant, ita hoc donum firmatum eſt, ut qui ſancto *Cuthberto* auferret æterno anathemate damnaretur. Alias quoque terras ſupradictus vir adjecit quas alibi deſcriptas pagina oſtendit. His donariis alias terras æterno jure poſſidendas *Snaculf Cykelli* filius ſuperaddit, ſcilicet **Bradbirig, Mordun, Socceburg, Griſeby**, cum ſaca & ſocna. Sunt autem non nullæ terrarum poſſeſſiones quas *Aldhunus* epiſcopus ſui temporis comitibus *Northanimbrorum* dum neceſſitatem paterentur ad tempus quidem præſtitit. Sed violentia comitum qui eis ſucceſſerunt, pene omnes eas à dominio eccleſiæ alienavit.

CAP. V.

De Cnut *Rege, & oratione* Alduni *epiſcopi & morte.*

An. Dñi 1018.

ANno incarnationis Dominicæ M. xviij. *Cnut* regnum *Anglorum* diſponente, *Northanimbrorum* populis per xxx. noctes cometa apparuit, quæ terribili præſagio futuram provinciæ cladem præmonſtravit. Siquidem paulo poſt, id eſt, poſt triginta dies univerſus à flumine *Teſa* uſque *Twedam* populus dum contra infinitam *Scottorum* multitudinem apud *Carrum* dimicaret, pene totus cum natu majoribus ſuis interiit. Epiſcopus audita populi ſancti *Cuthberti* miſeranda nece, alto cordis dolore attactus graviter ingemuit, &, O me, inquit, miſerum! ut quid in hæc tempora ſervatus ſum? An ideo huc uſque vixi, ut tantam viderem cladem populi? Jam in priſtinum ſui ſtatum amplius terra non reformabitur. O, inquit, ſanctiſſime, ô dilecte Deo confeſſor *Cuthberte*, ſi quid unquam tibi placitum feci, nunc quæſo mihi vicem repende. Illam dico vicem, ut tuo populo mortuo non ſim ego diutius ſuperſtes. Nec multo poſt conſecutus eſt, quod deſiderans oraverat. Poſt paucos etenim dies morbo correptus obiit, peractis in epiſcopatu viginti novem annis. Quorum quinque in **Ceſtre**, xxiv. autem in *Dunelmo* tranſegit, qui de eccleſia quam inceperat ſolam turrim occidentalem imperfectam reliquit. Cujus perfectionem, & dedicationem ejus ſucceſſor adimplevit.

CAP. VI.

Qualiter voce ter de ſepulchro ſancti Cuthberti *emiſſa,* Eadmundus *ipſius eccleſiæ clericus ad Epiſcopatum ſit provectus, & monachus factus.*

DEfuncto *Aldhuno* epiſcopo, tribus pene annis eccleſia paſtorali deſtituebatur ſolatio. Cujus longam deſtitutionem hi qui in ea fuerant moleſte ferentes, facto in unum conventu tractabant quem ex ſeſe ad epiſcopatum eligere poſſent. Et dum illorum unicuique durum eſſet mundi gaudia deſerere, blandimenta ſeculi relinquere, voluptates abjicere, grave erat ad ſuſcipiendum ſanctitatis officium conſentire. Nam ſecundum inſtituta canonum non niſi ex eadem eccleſia pontifices eligi conſueverant & niſi honeſtæ ac religioſæ converſationis eſſet, ſedem ſancti *Aidani* & ſancti *Cuthberti* aliorumque ſanctorum epiſcoporum nemo facile auſus fuerat conſcendere. De hoc itaque illis conferentibus, ſupervenit ex eorum numero quidam bonæ actionis presbiter vocabulo *Eadmundus*, & unde agerent vel cur tam triſtes eſſent requiſivit. Et cum didiciſſet quod de epiſcopi electione tractarent, jocoſe alloquens, Cur me, inquit, epiſcopum non eligitis? At illi ſcientes eum virum religioſum ac idoneum, jocum illius non jocoſe accipiebant, ſed in ejus electionem omnes concorditer intendebant. Ipſe autem primo putavit illos ſecum jocari, ſed ubi eos ſerio agnovit agere, graviter tulit, ſeque in nullo, tanto gradu dignum reclamavit. Illis vero ut hoc ſuſciperet inſiſtentibus, Ego, ait, omnino me non eſſe idoneum agnoſco, veruntamen Deo nihil impoſſibile ſcio, ipſius & ſancti *Cuthberti* voluntas ut de me fiat exoro. Igitur cum ad tumbam ſancti confeſſoris triduo precibus & jejuniis ſicut ante ſemper conſueverant intentius orarent, ut quem ad epiſcopatum vellet eligi aperto declararet indicio, religioſus quidam preſbiter, cum miſſam propter hoc ipſum indictam celebraret, in medio canone quaſi de ipſo patris ſepulchro vocem audivit, quæ tribus vicibus *Eadmundum* epiſcopum nominavit. Mox presbiter genua ſuppliciter ante altare flexit, deinde ſe erigens, nihilominus eandem vocem quam prius, *Eadmundum* ter epiſcopum nominantem audivit. Miſſa peracta, quæſivit à diacono qui ad altaris ſacrificium ei aſtiterat, utrumne aliquid inter ipſa miſſæ ſecreta audiſſet. Reſpondens ille, Ter, inquit, nominare *Eadmundum* epiſcopum audivi, ſed à quo vox illa facta fuerit, ſcire non potui. Presbiter ergo mirantibus & percunctantibus univerſis, cur in canone contra morem eccleſiæ genua flexiſſet, rem cum diacono ſicut erat aperuit. Tunc omnes pariter Deum in ſancto *Cuthberto* collaudantes & gratias agentes *Eadmundum* eccleſiæ ſuſcipere gubernacula compellunt. Hæc ſane de illius electione quidam provectæ ætatis presbiter ſolet referre, quemadmodum ab avo ſuo ipſo ſcilicet diacono, qui tunc Evangelium ad miſſam legerat, atque ipſam vocem audierat, ſæpius ſe audiſſe teſtatur. Igitur *Eadmundus* multo cum honore ad regem *Cnut* deducitur, cujus electioni & ipſe congaudens, ſolenniter eum ordinari præcepit. At ille cathedram prædeceſſorum ſuorum qui monachi fuerant, nullo modo ſe poſſe aſcendere fatebatur, niſi illos & ipſe monachico habitu indutus imitaretur. Quapropter religioſo habitu ſuſcepto, honorifice à *Vulſtano Eboracenſi* archiepiſcopo apud *Wintoniam* epiſcopus conſecratur, multumque ab ipſo rege diligitur & honoratur. Rediens autem domum, ad monaſterium Burch divertit, indeque poſtulans ab abbate accepit quendam monachum in eccleſiaſticis officiis ſimul & regularis diſciplinæ obſervantia excellenter inſtitutum, qui ei ſemper individuo comitatu adhæreret, & monachicæ vitæ diſciplinam edoceret. Vocabatur autem *Egelricus*, qui poſtea ejuſdem, hoc eſt, *Dunelmenſis* eccleſiæ fuerat epiſcopus. Igitur *Eadmundus* nobili proſapia oriundus perſona ſimul & converſatione honorabilis, nemini de ſua vita ullam pravæ ſuſpicionis occaſionem dederat, & in eccleſiæ regimine valde ſtrenuum ſe exhibuerat. Eccleſiæ namque hoſtibus & pravis quibuſque multum erat metuendus, bonis vero omnibus humilis & amandus. Nulli potentum timoris cauſa adulabatur, nullius violentia res eccleſiaſticas peſſundari patiebatur.

CAP. VII.

De Elfredo *presbitero quomodo in eccleſia ſancti* Cuthberti *claruerit, & de capillo quem in igne poſuit, & de Reliquiis ſacris pluribus quas beato* Cuthberto *revelante in* Dunelmum *comportavit.*

Sub hoc antiſtite in ipſa eccleſia claruit quidam presbiter, qui piis & religioſis operibus magnæ apud ſanctum *Cuthbertum* familiaritatis extiterat, vocabulo *Elfredus*, filius *Vueſtou*, qui uſque tempus *Egelwini* epiſcopi permanſit. Erat in omnibus ſancto *Cuthberto* devotus, vir multum ſobrius, eleemoſinis deditus, in orationum ſtudio aſſiduus, laſcivis & impudicis terribilis, honeſtis vero & Deum timentibus venerabilis, cuſtos eccleſiæ fideliſſimus. Hunc etiam epiſcopi timuerunt offendere, quem ipſi ſancto Confeſſori tam familiarem noverant. Nam cum *Egelricus* epiſcopus, & qui ei ſucceſſit frater *Egelwinus*, ſed & illi qui cum eis erant monachi cum rebus eccleſiæ quas rapuerant, etiam ſacras ſanctorum reliquias vellent auferre, & ad ſua monaſteria tranſmittere, timor præfati ſacerdotis eos ab hac injuria noſcitur refrenaſſe. Singulis noctibus pſalterium decantare, quo completo, ad vigilias nocturnas ſolebat ſignum pulſare. Sed & in pueris in Dei ſervitium educandis multum erat ſtudioſus, quos quotidie cantu & lectione inſtruere, & eccleſiaſticis officiis curabat informare. Hic habuerat unum de capillis ſanctiſſimi patris *Cuthberti*, quem advenientibus ſæpe amicis oſtendere, & ex illo ſanctitatem ejus mirantibus plus admirationis conſuevit adicere. Solebat namque impletis prunis ardentibus turibulo, ſuper eas ipſum capillum ponere, ubi diutius jacens, nequaquam conſumi poterat: ſed candeſcere, ac velut aurum in igne conſueverat rutilare, indeque poſt longas moras ſublatus, in propriam formam paulatim redire. Hoc ſane miraculum multi diſcipulorum ejus, ſed & quidam hujus monaſterii frater, multæ ſimplicitatis & humilitatis, nomine *Gamelo*, qui nunc in Chriſto dormit, ſæpius ſe vidiſſe atteſtati ſunt. Cum ergo presbiter præfatus honeſtam ac religioſam ageret vitam, juſſus per viſionem per antiqua monaſteriorum & eccleſiarum loca in provincia *Northanimbrorum* diſcurrere, oſſa ſanctorum, quæ in illis ſepulta noverat, de terra levavit, ac declaranda populis, ac veneranda ſupra humum locata reliquit, oſſa videlicet *Baltheri*, & *Bilfridi* anachoritarum, *Acca* quoque & *Alcmundi* epiſcoporum *Haguſtaldenſium* & regis *Oſwini*, nec non etiam abbatiſſarum venerabilium *Ebba* & *Ethelgitha*. De quorum omnium reliquiis aliquam ſecum partem in *Dunelmum* aſportavit, & cum patris *Cuthberti* corpore locavit. Ad *Mailroſenſe* quoque monaſterium per revelationem admonitus proficiſcens, oſſa ſancti *Boiſili* qui beati *Cuthberti* magiſter quondam in eodem monaſterio extiterat, inde in ipſius diſcipuli eccleſiam tranſtulit, & juxta illius corpus in altero ſcrinio decenter ſicut hactenus habentur condidit. Ad monaſterium quoque quod eſt in *Gyruum*, ubi *Bedam* doctorem converſatum, defunctum & ſepultum noverat, ſingulis annis adveniente anniverſaria dormitionis ejus die venire, ibique precibus & vigiliis ſolebat inſiſtere. Quodam tempore juxta morem illo pergens cum aliquot ibidem dies ſolus in eccleſia orando & vigilando tranſegiſſet, neſcientibus ſociis ſummo diluculo ſolus, quod ante nunquam conſueverat *Dunelmum* rediit, ſui videlicet ſecreti nullum volens teſtem habere. Nam cum multis poſtea vixiſſet annis, ad præfatum monaſterium tanquam jam adeptus id quod concupiverat amplius venire non curavit. Unde ſæpius à ſuis familiariter requiſitus, ubinam venerabilis *Bedæ* oſſa requieſcerent, certus de re inquiſita ſic erat ſolitus reſpondere. Hoc, inquit, nemo me certius novit. Firmum, ô dilectiſſimi, & procul omni dubio certum habeatis, quod eadem theca quæ ſacratiſſimum corpus patris *Cuthberti* ſervat, etiam oſſa venerandi doctoris & monachi *Bedæ* contineat. Extra hujus loculi hoſpitium, nemo quærat portionem ejus reliquiarum. Hæc dicens, familiares ſuos ſilentio præcepit tegere, ne ſcilicet extranei qui tunc in eccleſia ipſa converſabantur, injurias aliquas machinarentur, quorum ſummum erat ſtudium reliquias ſanctorum, & maxime *Bedæ*, ſi quas poſſent auferre. Unde cum ipſe ſanctorum oſſa cum ſancti *Cuthberti* corpore, ut ſupradictum eſt, locaret: id omnino occulte facere ſtudebat. Cujus de *Beda* ſententiæ concordat etiam illud Anglico ſermone compoſitum carmen: ubi cum de ſtatu hujus loci, & de ſanctorum reliquiis quæ in eo continentur agitur, etiam reliquiarum *Beda* una cum cæteris ibidem memoria habetur. Cujus nimirum ea oſſa fuiſſe noſcuntur, quæ multis poſt annis cum incorrupto patris *Cuthberti* corpore, à cæteris reliquiis ſegregata in lineo ſacello inveniebantur locata. Alia quoque multa memoriæ digna de ſupradicto viro narrantur, quæ ſpecialiter illi ſancto *Cuthberto* per manifeſtam viſionem præcipiente faciebat, vel etiam ventura prænunciabat. Innocentia enim & pia illorum ſimplicitas qui per id temporis erant, plurimum apud ipſum ſanctum confeſſorem valebat, unde illos ſemper ab hoſtibus defendere, & ab adverſariis illatas injurias maturius ſolebat vindicare.

CAP. VIII.

Quanta Cnut *rex ſancto* Cuthberto *dederit*.

HUjus ſancti præſulis & Deo digni confeſſoris *Cuthberti* eccleſiam etiam pius & religioſus rex *Anglorum Cnut* multo venerabatur honore, in tantum, ut ad ipſius ſacratiſſimum corpus nudis pedibus à loco qui via *Garmundi* dicitur, id eſt, per quinque milliaria incedens veniret, & ei ſuiſque ſervitoribus manſionem *Standrope* cum omnibus ſuis appendiciis libere in perpetuum poſſidendam donaret, id eſt, *Cnapatun*, *Scottun*, *Rabi*, *Vuacharfeld*, *Eſenwda*, *Alclit*, *Lutteringtun*, *Elledun*, *Ingeltun*, *Ticceham*, *Middeltun*. Hæc itaque ea quidem ratione dedit, ut præter eos qui ipſi ſancto in eccleſia deſervirent, nemo ſe intromitteret. Eum autem qui aliter faceret, vel auferre, vel inde minuere præſumeret, rex ipſe cum *Edmundo* epiſcopo excommunicavit, & excommunicando diſceſſuris in die judicii in ignem æternum aſſociavit. Simili ratione idem rex & villam quæ *Brontun* appellatur, ſæpe dicto ſancto donavit.

CAP. IX.

De obſeſſione Dunelmi, *& celeri vindicta regis, & epiſcopi Symoniaci, & de* Egelrico *epiſcopo qui theſauros beati* Cuthberti *ſuſtulit, quomodo punitus ſit*.

35. ANno ab incarnatione Dom. M. xxxv. defuncto *Cnut* cum filius ejus *Haroldus* jam quintum annum in regno, *Edmundus* xx. in pontificatu gereret, *Dunecanus* rex *Scottorum* cum immenſis copiis adveniens *Dunelmum* obſedit, & ad eam expugnandam multum quidem ſed fruſtra laboravit. Nam magna parte equitum ſuorum ab his qui obſidebantur interfecta, confuſus aufugit, fugiens pedites omnes interfectos amiſit, quorum capita in forum collata, in ſtipitibus ſunt ſuſpenſa. Nec multo poſt, ipſe rex cum jam in *Scotiam* rediiſſet, à ſuis occiſus interiit. Cum autem *Edmundus* xxiij. annum ſui pontificatus ageret, defunctus eſt in **Gloceſtre** cum apud regem ibidem moraretur, ſed à ſuis corpus ejus *Dunelmum* perlatum, honorificæ ſepulturæ eſt traditum. Quo facto, *Eadredus* qui poſt epiſcopum ſecundus erat, præſulatum illius eccleſiæ primus ex ordine clericali feſtinabat obtinere. Siquidem ſurrepta ex theſauris eccleſiæ pecunia non modica, à rege ſcilicet *Hardecnut* epiſcopatum emit, ſed epiſcopale officium facere illum divina ultio non permiſit. Intratus quippe eccleſiam ſubita infirmitate corripitur, decidenſque in lectum, decimo menſe moritur. Quo anno ſcilicet incarnationis Dominicæ 1042, & ipſe rex mortuus eſt, ſuccedente 1042. illi in imperium piiſſimo *Edwardo Ethelredi* regis & *Emmæ* filio, epiſcopatum vero *Dunelmenſem* ille cujus ſuperius mentio facta eſt, *Egelricus* ſuſcepit, *Siwardo* cum jam *Eadulfum* comitem interfeciſſet, totius provinciæ *Northanhymbrorum* comitatum ab *Humbra* uſque *Twedam* amminiſtrante. Tertio autem anno accepti epiſcopatus *Egelricus* à clericis, eo quod extraneus eſſet, & contra voluntatem illorum electus, de eccleſia expulſus *Siwardum* comitem expetiit, & munere oblato ejus gratiam & auxilium contra obſtinatos obtinuit. Illius enim timore ac potentia exterriti ac dejecti, ſive volentes ſive nolentes, compulſi ſunt epiſcopo reconciliari, & in ſedem ſui pontificatus recipere. Habuerat autem epiſcopus ſecum fratrem ſuum monachum vocabulo *Egelwinum* qui ſub eo totius epiſcopatus curam gerebat, & cum eo alios monachos qui omnes una cum epiſcopo pecunias & ornamenta eccleſiæ minuere, & inde ſtuduerant abſtrahere. Placuerat eidem antiſtiti eccleſiam in **Conceſtre**, quæ corrupte nunc **Ceſtre** vocatur, de ligno factam deſtruere, & pro eo quod aliquando beati *Cuthberti* corpus ibidem quieverat, aliam de lapide fabricare. Cum ergo altius terra foderetur, grandis ibidem theſaurus eſt inventus, quem dudum propter avaritiam & tirannidem *Sephelmi*, de quo ſupra dictum eſt, ſecretarius, & pauci cum eo ibidem dicuntur abſcondiſſe. Epiſcopus itaque tollens ipſam pecuniam, ad monaſterium unde ipſe fuerat miſit, quam illuc ſequi omnino deliberavit. Præmiſſis enim auro & argento, aliiſque rebus quas de eccleſia tulerat, decrevit epiſcopatum dimittere, & fratrem *Egelwinum* in locum ſuum ſubſtituere. Itaque piiſſimo rege *Edwardo* quintumdecimum annum in imperio habente, auxilio & favore comitis *Toſtii*, qui *Siwardo* ſucceſſerat, *Egelwinus* in epiſcopatum ſublimatur. Et *Egelricus* cum jam quindecim annos in pontificatu egiſſet, ad monaſterium ſuum revertitur, ibique in locis paluſtribus lapide & ligno vias conſtravit, & eccleſias, aliaque multa ex præfata pecunia fabricavit. Regnante autem poſtmodum *Willielmo*, accuſatus apud illum quod multas de eccleſia *Dunelmenſi* pecunias tuliſſet reddere noluit: unde *Londoniam* perductus, & cuſtodiæ deputatus, in captione regis eſt defunctus.

CAP. X.

De presbitero nocte fornicante, & in craſtino miſſas celebrante, quomodo particulam corporis cum ſanguine in nigredinem converſam viderit, & percipiendo nimiam amaritudinem ſenſerit.

QUo adhuc pontificatum regente, res inuſitate facta terribili exemplo miniſtris altaris proculdubio iram Dei oſtendit imminere, ſi ad ſacroſanctum miſterium ſine caſtitate præſumant accedere. Quidam etenim presbiter vocabulo *Feoccher* non longe ab urbe habens eccleſiam habitabat: ſed cum uxori copulatus eſſet, indignam ſacerdotis officio vitam ducebat. Quadam die multi tam nobiles quam privati primo mane ad ipſum locum placitaturi convenerunt, ſed ante placitum ut presbiter eis miſſam celebraret, rogaverunt. At ille qui ipſa nocte cum uxore dormierat, ad ſacrum altaris officium accedere formidabat. Itaque negavit ſe id facturum. Illis autem ſemel, bis, terque rogantibus ſibi miſſam celebrari, presbyter nimis ex utraque parte anguſtiabatur, hinc verecundia, inde timore. Si enim eis non obediret, verecundabatur illos cauſam ſuſpicari: ſi obediret, judicium timebat juſti judicis Dei. Vicit tamen humana verecundia divinum timorem; Itaque miſſam celebravit. Hora vero qua ſacroſancta miſteria ſumere deberet, in calicem introſpexit, & ecce particulam Dominici corporis, quæ juxta morem miſſa fuerat in calicem, ita cum ſanguine in teterrimam ſpeciem commutatam vidit, ut ſicut poſtea fatebatur, magis in calice picis colorem, quam panis & vini conſpiceret. Illico reatum intelligens presbiter pallere, & quaſi jam tunc flammis ultricibus tradendus cœpit nimium pavere. Præterea multum anxius erat, quid de hoc quod in calice viderat, facere deberet. Exhorrebat illud velut ſuam mortem ſumere. Volebat in terram effundere, ſed quoniam conſecratum erat, id metuebat facere. Reputans ergo quoniam quicquid faceret, omnipotentis judicium effugere non valeret, magno cum tremore ac formidine illud ſumpſit: ſed tantæ amaritudinis fuit, ut nil ad guſtandum amarius eſſe potuiſſet. Vix miſſa peracta, confeſtim equum aſcendens ad epiſcopum feſtinavit, cujus pedibus proſtratus, rem ex ordine retulit. Cui indicta pœnitentia, præcepit ut ſi Deum ſibi propitium habere vellet, ſinceram deinceps & caſtam ei vitam offerre ſtuderet. Quod presbiter libenter promiſit, & promiſſum uſque finem vitæ caſte ac religioſe vivendo cuſtodivit. Hoc ſane ita factum ſicut retulimus, ab ipſius presbiteri filio presbitero & duobus capellanis epiſcopi qui poſtea nobiſcum in hac eccleſia in monachili habitu converſati ſunt, ſicut ab ipſo in quo factum eſt, presbitero didicerant, frequenter referentibus, audivimus.

CAP. XI.

Quomodo uxor Toſti *comitis puellam in cœmiterium beati* Cuthberti *miſerit, & mox infirmata in proximo obierit, & de imaginibus deargentatis.*

Suſcepto epiſcopatu *Egelwinus*, nihilominus eccleſiæ nihil inferre, imo multo magis quam frater ejus ante illum ornamenta, reſque alias ſatagebat auferre. Verum ſicut exitus rerum edocuit, nec ipſe hoc impune fecit. Sed de hoc paulo poſt dicemus. Illo pontificatum regente, ſupra dictus comes *Toſti* cum *Northanimbrorum* diſponeret comitatum, in veneratione ſemper eccleſiam ſancti *Cuthberti* habuit, & donariis non paucis quæ inibi adhuc habentur, ornavit. Ipſa quoque conjux illius *Judith* filia comitis *Flandrenſium Bladwini*, honeſta valde ac religioſa, multo plus ſanctum *Cuthbertum* diligens, diverſa eccleſiæ illius ornamenta contulerat, & adhuc plura cum multis terrarum poſſeſſionibus ſe donaturam promiſerat, ſi ejus eccleſiam intrare & ad ipſius ſepulchrum ſibi liceret adorare. Sed tantam rem per ſe non auſa temptare, unam de pediſſequis ſuis cogitaverat præmittere, ut ſi hoc ipſa impune facere poſſet, domina poſt ſequens ſecurior ingredi auderet. Puella ergo dominæ ſuæ voluntate agnita, hora ſecretiori ad hoc temptandum conata eſt aggredi. Jam pedem intra cymiterium erat poſitura, cum ſubito velut ventorum violentia repelli cœpit, & viribus deficere, & graviter infirmata vix ad hoſpitium valuit redire, decidenſque in lectum, gravi torquebatur cruciatu, tandem dolore cum vita caruit. Hoc facto comitiſſa vehementer exterrita contremuit, atque humiliter ſatisfaciendo imaginem crucifixi quæ ſicut in ſequentibus dicetur à raptoribus ſuo fuerat ſpoliata ornatu, imaginem quoque ſanctæ Dei genitricis *Mariæ*, & *Johannis* Evangeliſtæ ipſa & ejus conjux fieri juſſerunt, & auro argentoque veſtierunt, aliaque perplura ad decorem eccleſiæ obtulerunt. Quo tempore & illud quod alibi plenius legitur ſuper *Barcwid* miraculum contigit, qui dum pacem ſancti perſtringere vellet, repente vindicta percuſſus interiit.

CAP. XII.

De quodam in campo obdormiente cujus collum ſerpens conſtrinxit, ſed in introitu eccleſiæ ſancti Cuthberti *ſemper ab eo diſſiliit, qualiter liberatus ſit.*

Fuit & alius pravæ actionis vir *Oſulfus* vocabulo, in quo factum eſt quod narrabimus, ſicut à multis qui viderant quam ſæpe audivimus. Quadam namque die ubi in campo obdormiens expergefactus fuerat, ſerpentem ſibi collum ſtringere ſentiebat. Quem manu comprehendens in terram eliſit, ſed mox iterum collum ejus complexus circundedit. Rurſum eum ad terram projecit. Sed eodem mox momento ab eodem conſtringebatur. Ita ſerpentem ſive in ignem, ſive in aquam vel in terram ſemper projicere potuit, ſed qualiter mox in ejus collum redierit, ſcire non valuit. Aliquotiens etiam in particulas ferro conſuevit dividere, ſed protinus idem ipſe ſerpens collum ejus videbatur conſtringere. Et imprimis quidem admodum parvus erat, ſed paulatim in majus & majus excreverat, nec tamen ulla eum veneni infuſione lædebat. Quotiens autem eccleſiam quam ſanctiſſimi Confeſſoris *Cuthberti* præſentia illuſtrat, intravit, mox in ipſo introitu ſerpens illum dimittebat, nec quamdiu in eccleſia morabatur, ad eum accedere audiebat. Cum vero exiret, protinus collum ejus complectens ſtringebat. Itaque dum per multum tempus tale ſuſtinuiſſet incommodum, invento tandem ſalubri conſilio, tribus continue diebus ac noctibus in eccleſia orans perſtitit, & poſtmodum exiens, à ſerpentis complexu deinceps liberatus in peregrinationem profectus eſt, nec unquam poſtea viſus in patria.

Cap. XIII.

De quodam ad ſepulchrum in ore denarios furante, qualiter ſit punitus & reſtitutus.

EOdem tempore quidam ad ſolenne ſanctiſſimi confeſſoris feſtum cum domino ſuo venerat; qui cum ſuper ſepulchrum oblatione advenientium multitudinem denariorum conſpiceret, furtum animo concepit. Itaque acceſſit & aſtantes fallendo, dum quaſi ſepulchrum oſcularetur, quatuor vel quinque nummos ore attraxit. Nec mora, os illius cœpit intus vehementer ardere, adeo ut ſicut poſtea fatebatur ferrum ex igne candens in ore portare ſibi videretur. Reſpuere nummos volebat, ſed nec aperire os poterat. Cum itaque intolerabili cruciatu torqueretur, huc atque illuc per eccleſiam mutus diſcurrebat, atque omnes dum inſaniæ putabatur, in pavorem convertebat. Tandem per medium populi prorumpens de eccleſia, de loco ad locum ſe ineffabiliter curſibus ferebat: & cum ore non poſſet, horrendis motibus & nutibus graviter ſe cruciari cunctis oſtendebat. Ad ultimum reverſus in ſe, ad ſepulchrum concite recucurrit, & proſtrato corpore tota cordis intentione veniam à ſancto quæſivit, res quaſcunque habuerat obtulit. Cumque jam ſuam oblationem ſuper ſepulchrum ponens illud oſcularetur, cum ipſo oſculo de illius ore nummi ſuper ſepulchrum ceciderunt. Taliter ab illo cruciatu liberatus, confeſtim equum aſcendens quantocius abire feſtinavit, nec unquam poſtea *Dunelmum* rediit. Nam cum ſæpius ei à domino ſuo multa fuiſſent oblata, ut ſecum illo veniret, non ſolum non venire, ſed nec tam prope, ut eccleſiam videret, auſus fuerat accedere.

Cap. XIV.

De donis Copſi *comitis.*

NEc ſolum comes ſupradictus & illius uxor, ſed etiam familiares illorum erga ſancti *Cuthberti* eccleſiam multum devoti extiterant & munifici. Quorum quidam vocabulo *Copſi* qui ſub *Toſti* totius comitatus curam gerebat, Eccleſiam ſancti *Germani* in Merſcum, ab *Egelrico* epiſcopo dedicatam, & ipſam villam aliaſque infra ſubſcriptas terras ſancto *Cuthberto*, & ad ſepulchrum ejus ſervituris in perpetuum donavit, atque illos qui eis aliquid ex his auferrent, cum epiſcopo & aliis qui affuerant cum diabolo damnandos excommunicavit. In Merſcum decem carucatas terræ & dimidiam. In Thorntun duas carucatas terræ. In Theoſtcota decem bovatas terræ. In Remecliue dimidiam carucatam terræ. In Giſburnham unam carucatam terræ. In cujus donationis ſignum etiam ſciphum argenteum optulit, qui in hac eccleſia ſervatus, æternam illius facti memoriam retinet. Hic idem *Copſi* poſtea, quamvis brevi tempore, provinciæ *Northanimbrorum*, ſcilicet illorum qui ad ſeptentrionalem plagam fluminis *Tini* habitant, jubente *Willielmo* rege procurator eſt factus.

Cap. XV.

De Edwardo *rege, &* W. *& de* Rodberto Cumin *apud* Dunelmum *occiſo, & quomodo aqua maris irrigua obſtiterit beati* Cuthberti *corpore ad inſulam adveniente.*

An. Dñi 1066.

ANno Dominicæ incarnationis M.lxvj. piiſſimus rex *Edwardus*, xxiiij. regni ſui anno Nonas Januarii defunctus eſt, pro quo *Haroldus* regni ſolium aſcendit: ſed parvo tempore gubernavit. Ingruentibus enim undique adverſis contra fortiſſimum regem *Norwegenſium* primo per duos comites ſed mox terga vertentes, deinde per ſeipſum non longe ab Eboraco iniit bellum. Ibi quidem victoria potitus, ſed inde divertens contra potentiſſimum *Normannorum* comitem, qui jam in *Angliam* cum multo exercitu advenerat, dimicavit: ſed cum toto pene Anglorum exercitu occubuit. *Willielmus* autem regnum adeptus Anglorum, populos *Northanimbrorum* diu rebelles ſuſtinuit: quibus tertio regni ſui anno quendam *Rodbertum* cognomine *Cumin* comitem præfecit. Quem illi ubi advenientem audierant, omnes relictis domibus fugere parabant. Sed ſubito nivis tanta nimietas tantaque hyemis obveniens aſperitas, ut omnem eis fugiendi poſſibilitatem adimeret. Quapropter omnibus idem fuit conſilium, ut aut comitem extinguerent, aut ſimul ipſi caderent. Quod epiſcopus comiti occurrens, nunciavit, atque ut reverteretur, admonuit. At ille qui ſuos rapinis & cædibus ſævire permiſerat, jam enim plures eccleſiæ ruſticos interfecerant, datum eſt illi ne tunc conſilium ſalutis audiret. Intravit ergo *Dunelmum* cum ſeptingentis hominibus, ubique per domos hoſtiliter agentibus. Summo autem diluculo *Northanimbrenſes* congregati per omnes portas irrumpunt, totaque urbe diſcurſantes, ſocios comitis interficiunt. Tanta denique fuit interfectorum multitudo, ut omnes plateæ cruore atque cadaveribus replerentur. Supererant adhuc non pauci qui hoſtium domus, in qua comes erat, defendentes, oppugnantium prohibebant acceſſum. Illi ergo igne injecto, domum cum his qui intus erant, conati ſunt incendere. Itaque flammarum globis altius volitantibus, turris occidentalis quæ juxta ſtabat, jam jamque ab igne cremanda videbatur. Populis ergo genua flectentibus, & ſanctum *Cuthbertum* ut eccleſiam ſuam à flammis illæſam ſervaret, rogantibus: continuo ſurgens ab oriente ventus, globos flammarum ab eccleſia rejecit, atque longius omne abinde periculum repulit. Attamen domo ut cœperat ardente, qui intus erant, quidam concremati, alii vero dum foras prorumperent, protinus ſunt obtruncati. Ita comite 2. Kal. Feb. cum ſuis omnibus præter unum qui vulneratus evaſerat deleto, rex *Willielmus* graviter offenſus, ducem quendam cum exercitu ut ejus mortem ulciſceretur, direxit. Cum autem ad *Alvertoniam* veniſſent, & jam mane facto *Dunelmum* profecturi eſſent, tanta nebularum denſitas orta eſt, ut vix aſtantes ſeſe alterutrum videre, viam vero nullo modo valerent invenire. Stupentibus illis cur hoc eſſet, & conferentibus invicem quidnam facerent, affuit quidam qui diceret homines illos quendam in ſua urbe ſanctum habere, qui eis ſemper in adverſis protector adeſſet, quos nemo impune illo vindicante lædere unquam valeret. Quibus auditis, mox ad propria ſunt reverſi. Hii vero ad quos interficiendos miſſi fuerant, nihil ex hoſtibus antequam reverſi fuiſſent, agnoverunt. Atque ita factum eſt, Deo eos per ſanctum *Cuthbertum* miſerante, ut prius inimicorum abſceſſum quam adventum audirent. Attamen eodem anno rege *Willielmo* cum exercitu *Eboracum* veniente, & omnia circum circaque vaſtante, epiſcopus *Egelwinus* & majores natu habito invicem conſilio, incorruptum ſanctiſſimi patris *Cuthberti* corpus lxxv. anno ex quo ab *Alduno* in *Dunelmum* perlatum eſt, tollentes, ad eccleſiam *Lindisfarnenſem* fugere cœperunt. Et prima quidem nocte in eccleſia ſancti *Pauli* in **Gyruum**, ſecunda in **Beðlingtun**, tertia in loco qui *Tughala* dicitur, manſit, quarto die ad ipſius inſulæ aditum comitante omni ejus populo pervenit. Sed quoniam illo venerant circa veſperam, qua videlicet hora ſecundum tempus ſuum circumquaque plenum erat mare, epiſcopus & quique majores ſexui infirmiori & ætati teneriori, ne frigore hyemis quæ ſolito aſperior ingruerat omnes nocte periclitarentur, erat enim paulo ante natale Dominicum, condolentes & condolendo gementes, Quid, inquiunt, faciemus? Ne modo inſulam intremus, fluctuum altitudine prohibemur. Nec quo tantam frigoris aſperitatem declinemus, manendi locum habemus. Illis ita gementibus, ſubito mare ſiccum eis introeundi aditum illo tantum loco recedens permiſit, cum circumquaque pleniſſimum fluctuaret. Mox omnes ingreſſi, Deo laudes & beatiſſimo confeſſori decantantes, ſiccis pedibus cum ſacro ſui patroni corpore inſulæ littus attingebant. Hoc quoque in illo facto valde fuit mirabile, quod ſicut illi qui feretrum tunc portabant, atteſtari ſolent, ſe præcedentes continuo fluctus marini ſequerentur, ita ut nec paulatim euntibus præcurrerent, nec concite pergentibus diutius remanerent. Inſtante autem Quadrageſima, tranquillitate reddita, ſacrum corpus *Dunelmum* reportaverunt, atque reconciliata ſolenniter eccleſia viij. Idus *Aprilis*, cum laudibus intrantes eccleſiam ſuo in loco illud repoſuerunt. Invenerunt autem imaginem crucifixi in ſolum dejectam, & à ſuo ornatu quo à comite ſupradicto videlicet *Toſti* & ejus conjuge fuerat veſtita, omnino ſpoliatam. Hanc enim ſolam ex ornamentis poſt ſe in eccleſia reliquerant, ob hoc videlicet quod difficile in fuga portari poterat, ſimul ſperantes quod propter illam majorem loco reverentiam hoſtes exhibere vellent. Verum quidam illorum ſupervenientes, quicquid in ea auri & argenti vel gemmarum invenerant, penitus abſtrahentes abierunt. Quo facto rex graviter indignatus, juſſit eos perquiſitos comprehendi, & comprehenſos ad epiſcopum & presbiteros eorum judicio puniendos perduci. At illi nihil triſte eis facientes, permiſerunt illæſos abire. Nec multo poſt, epiſcopatum regente *Walchero* rex prædictus magnam auri argentique quantitatem, gemmas quoque perplures pretioſas ad ipſius imaginis ornatum tranſmiſit, quibus epiſcopus partim ipſam ſicut hodie cernitur, veſtiri fecit, partem pro rerum penuria in ſuos uſus expendit.

CAP. XVI.

De apparitione ſancti Oſwaldi, *& beati* Cuthberti, *& ſubita morte* Gillonis, *& ab eis prædicta pœna ultionis.*

SEd ut parumper ad ſuperiora redeatur, in fuga memorata, qua cum ſancti patris corpore ad prædictam inſulam fugerant, quidam ultra amnem *Tinam* præpotens *Gillomichael* per contrarium, id eſt, puer *Michaelis* appellatus, nam rectius puer diaboli nuncuparetur, multas fugientibus injurias irrogavit, iter eorum impediendo, ipſos affligendo, prædas ex eis agendo, & quodcunque mali poterat faciendo. Sed non impune. Locato enim in inſula ſancto corpore, quidam ex clero provectæ ætatis ab epiſcopo domum remittebatur, ut videlicet qualiter ſe res circa *Dunelmum* & illam eccleſiam haberet, diligenter exploraret. Ubi aliquantulum viæ peregerat, incumbente jam nocte paululum medio in campo requieſcens, obdormivit, ubi manifeſtam de interitu præfati viri viſionem vidit, quam ſicut ipſius verbis frequenter audivimus, ita ex ordine hic ſcribendam eſſe judicavimus. Ductus, inquit, *Dunelmum* in eccleſia, ut mihi videbatur, aſtabam, ubi duos ſummæ authoritatis viros ante altare verſis ad orientem vultibus aſſiſtere vidi. Alter ætatis mediæ vir, epiſcopalibus ſolenniter veſtimentis indutus, habitu venerando, & vultu venerabili magnæ reverentiæ pontificem ſe monſtrabat. Alter à dextris ejus aſſiſtens rubicundi coloris pallio circumamictus, facie paululum producta, barba admodum tenui, ſtatura procera, pulcherrimi juvenis formam gerebat. Poſt aliquod temporis intervallum, reflectentes ab altari oculos per eccleſiam verſum, cujus deſertionem quaſi graviter ferens, epiſcopus ait, Væ tibi *Goſpatrice*, Væ tibi *Goſpatrice*, eccleſiam meam ſuis rebus evacuaſti, & in deſertum convertiſti. Hic enim *Goſpatricus* hoc maxime dederat conſilium, ut fugientes eccleſiam relinquerent, & ipſe maximam ornamentorum ejus partem ſecum abduxerat. Interea dum cupiens ad illos accedere, nequaquam tamen auderem, juvenis ille digito innuens, moderata voce me nomine meo advocavit, & an noſſem quæ eſſet illa pontificalis perſona interrogavit. Cui dum me neſcire reſponderem, Iſte eſt, ait, tuus dominus, ſanctus videlicet antiſtes *Cuthbertus*. Confeſtim ad ejus pedes procidi, obſecrans, ut ſuæ eccleſiæ atque ſuis miſeriis ſubveniret. Aliquanto poſt, inclinatis reverenter ad altare capitibus, lento inde maturoque inceſſu ſimul procedebant. Atque ubi ad hoſtium pervenerant, juvenis ille prior egrediens, paululum proceſſit, ſed epiſcopus in ipſo hoſtio ſubſtitit. Qui reſpiciens, meque qui à longe ſequebar, advocans, Dic, inquit, *Ernane*, an noſti quis ſit juvenis ille? Cui ego: Domine, inquam, non novi. Et ille: Hic, inquit, eſt ſanctus *Oſwaldus*. Inde ſimul ad auſtralem plagam urbis paulo longius progredientes, ſubſiſtunt, quo & ego vocatus ab epiſcopo veni: juſſuſque deorſum reſpicere, vallem infinitæ profunditatis plenam animabus hominum vidi. Ubi & memoratus *Gillomichael* pœnis atrocibus torquebatur, & in locis teterrimis proſtratus jacebat, & fænaria falce præacuta ultra citraque tranſfoſſus, intolerabiles patiebatur cruciatus. Clamabat miſer, & diros ululatus ac flebiles miſerabiliter voces ſine intermiſſione emittebat. Nulla erat miſero temporis intercapedo, qua vel ad horam à pœna reſpirare potuiſſet. Similes cruciatus & cæteri omnes patiebantur. Inquiſitus à ſancto *Cuthberto* an aliquam ibi agnoſcerem: reſpondi me ibidem agnoviſſe *Gillonem*. Et ille: Vere, ait, hic eſt ipſe. Mortuus namque his miſeriis & doloribus eſt deputatus. At ego, Domine, inquam, non eſt mortuus. Sero namque ſanus & incolumis in domo ſua ſuus quidam eſt, grandeque convivium nunc illis & illis locis præparatum eum expectat. At ille, Et ego, inquit, dico, verè nunc mortuus eſt. Ipſe enim & alii quos cum eo vidiſti, quoniam pacem meam fregerunt, & mihi in meis injurias fecerunt, hos cruciatus & hæc tormenta compelluntur ſuſtinere. His dictis evigilavi, ſtatimque aſcendens equum, hortatus ſum ſocios, ut iter feſtinarent. Mirantibus illis cauſam tam ſubitæ feſtinationis, præfatum hominem mortuum, & à quo illius mortem didiciſſem, indicavi. Quod illi credere noluerunt, & me quia credidi deriſerunt. Itaque tota nocte pergentes, mane facto, divertimus paululum de via ad proximam eccleſiam audituri miſſam. Interrogatus, ut ſolet, à popularibus quos rumores afferrem, prædicti hominis mortem annunciavi. Illi vero ipſum pridie ſanum noverant, falſum me dicere reſponderunt. Sed mox quidam ex illius familia advenientes, dominum ſuum ipſa nocte mortuum nunciabant. Ego diligenter coram omnibus horam mortis ejus inquirens, eadem noctis hora eum mortuum agnovi, qua illum horrendis cruciatibus traditum, ſancto mihi oſtendente *Cuthberto*, conſpexi. Cujus tormenta intolerabilia comiti *Coſpatrico*, ſed & ea quæ de illo à prædicto Sancto audieram dum referrem, pavens ille intremuit; moxque nudis pedibus ad inſulam ubi ſanctum corpus fuerat, incedens, veniam eorum quæ in eum deliquerat, precibus & muneribus petivit. Verumtamen poſtea nunquam ei fuerat idem qui prius ſtatus honoris: expulſus enim de comitatu, multas, quamdiu vixit, adverſantium rerum importunitates & afflictiones pertulit.

Cap. XVII.

De Egelwino *epiſcopo qui partem theſauri tulit, quomodo reductus ſit & captus.*

REportato in *Dunelmum*, ſicut jam dictum eſt, beatiſſimi Confeſſoris corpore, *Egelwinus* xv. ſui epiſcopatus anno partem theſaurorum eccleſiæ ſecum aſportans, *Angliam* relicturus navem aſcendit. Sed cum jam cupito itinere verſus *Coloniam* navigaret, vento repulſus in *Scotiam* ibidem hyemavit. Inde proficiſcens, apud *Elig* ab hominibus regis capitur, & uſque *Abendunam* perductus ex præcepto regis diligenti cuſtodia tenetur. Admonitus frequenter reddere ea quæ de eccleſia tulerat, nihil ſe inde accepiſſe juramento affirmabat. Sed dum quadam die manducaturus manus lavaret, ex illius brachiis armilla uſque manum cunctis intuentibus delabens, manifeſto perjurio epiſcopum notabat. Itaque jubente rege in carcerem detruditur, ubi dum ex nimia cordis anxietate comedere nollet, fame ac dolore moritur.

Cap. XVIII.

De electione Walcheri *Epiſcopi, ſed tamen clerici.*

CUM vero poſt illius deceſſum eccleſia per annum pontificali miniſterio vacaſſet, anno ab incarnatione Domini M. lxxxij. qui eſt annus regni *Willielmi* 7. *Walcherus* de gente *Hlothariorum* natu nobilis, divina & ſeculari ſcientia non mediocriter inſtitutus, ab ipſo rege eligitur, & ad pontificatum eccleſiæ ſancti *Cuthberti* conſecratur: vir venerandæ canitiei, ſobrietate morum & honeſtate vitæ tali dignus honore. Ipſe quidem excepto illo, de quo ſupradictum eſt, *Aldwino*, & poſt aliquos menſes mortuo, primus poſt *Aldunum* in clericali ordine ipſius Eccleſiæ ſuſcepit pontificatum; ſed vitæ laudabilis converſatione [illegible] profeſſus monachum. Qui cum clericos ibidem invenerit, clericorum morem in diurnis & nocturnis officiis eos ſervare docuit. Nam antea magis conſuetudines monachorum in his imitati fuerant, ſicut à progenitoribus ſuis, ut ſupra dictum eſt, qui inter monachos nutriti & educati extiterant, hæreditaria ſemper traditione didicerant.

082,

Cap. XIX.

De rege W. *qui ſancti Cuthberti corpus in Dunelmo quieſcere ſuſpicatus eſt, qualiter perterritus & fugatus ſit.*

EX hoc tempore aliquanto, rex ſupradictus de *Scotia* quo cum exercitu venerat, rediens *Dunelmum* intravit: & diligenter, inquirere cœpit an corpus beati *Cuthberti* ibidem requieſceret, cunctis vociferantibus & jurantibus illud ibi haberi, credere noluit. Decrevit ergo rem viſu explorare, habens ſecum epiſcopos & abbates, qui eo jubente, id deberent perficere. Jam enim diſpoſuerat, ut ſi ſanctum ibi corpus inventum non eſſet, nobiliores & natu majores univerſos obtruncari præciperet. Omnibus itaque paventibus, & Dei miſericordiam per ſancti *Cuthberti* merita implorantibus, in ipſa omnium Sanctorum feſtivitate prædicto epiſcopo miſſam celebrante, rex cum id quod animo conceperat, jamjamque perficere vellet, repente nimio calore cœpit æſtuare, & æſtuando fatigari, ut vix tolerare tantum calorem potuiſſet. Feſtinans ergo de eccleſia exire, relictoque quod ingenti copia præparatum fuerat convivio, equum confeſtim aſcendit, & quouſque ad *Teſam* veniret, in curſum urgere non ceſſavit. Quo indicio magnum Dei confeſſorem *Cuthbertum* ibi requieſcere fatebatur, & populum, Deo prohibente, lædere non permittebatur.

Cap. XX.

Quomodo rex W. Ranulphum *miſerit ut terram* ſancti Cuthberti *ſub tributo redigeret, ſed beato* Cuthberto *vindicante furioſus ſit effectus, & reſtitutus, & de privilegiis* W. *regis.*

POST tempus aliquod quendam vocabulo *Ranulphum* illo miſerat, qui ipſius Sancti populum regi tributum ſolvere compelleret. Quod illi graviter ferentes, ſcilicet quod novas conſuetudines cogerentur ſubire, conſuetum in adverſis ſancti *Cuthberti* auxilium ſtudebant inquirere. Nocte igitur qua finita tributum populo erat impoſiturus, beatus *Cuthbertus* ei per ſomnium aſſiſtens, baculo paſtorali quem manu geſtabat, illum impulit, & authoritate pontificali & vultu minaci increpavit quod illuc ad populum ſuum affligendum auſus fuerit venire, dicens quod non impune hoc præſumpſerit; et niſi cito recederet, pejora paſſurus eſſet. Itaque de ſomno evigilans, tanta detinebatur infirmitate, ut nullo modo de ſtratu valeret reſurgere. Mox coram omnibus quæ viderat & audierat, narravit;

An. Dñi

ravit, & ut pro se apud sanctum confessorem intercederent, humiliter rogavit, deinceps nil tale in ejus populum præsumpturus, si modo evaderet vivus. Mittens ergo ad ejus sepulchrum pallium, quod huc usque in hac ecclesia in hujus facti memoriam servatur, se illi & suis omnibus fidelem ac devotum servum fore promisit, si tantam culpam & culpæ pœnam sibi dimittere dignarentur. Veniam convalescente infirmitate, per diversa episcopatus loca in feretro se circumferri fecit, reatumque suum & vindictam ubique ostendit omnibus. Qui quamdiu in locis ad episcopatum pertinentibus morabatur, gravi jugiter ægritudine laboravit: cum vero ea derelinquens, ad propria remeare cœpisset, confestim ab infirmitate convaluit. His & aliis virtutum miraculis per sanctum *Cuthbertum* declaratis, rex ipse *Willielmus* sanctum confessorem & ipsius ecclesiam in magna semper veneratione habuit, & regiis muneribus honoravit, terrarum quoque illius possessiones augmentavit. Nam & Billingham quam olim ab *Ecgredo* episcopo conditam sancto *Cuthberto* diximus, quam violentia malignorum abstulerat ipse rex ecclesiæ restituit, & pro sua suorumque filiorum salute ad victum in ipsa ecclesia sancto *Cuthberto* ministrantium quietam, & ab omni aliorum consuetudine liberam in perpetuum possidendam donavit. Leges quoque, & consuetudines ipsius Sancti sicut antiqua regum authoritas stabilierat, ipse quoque suo consensu & authoritate confirmavit, & illibatas ab omnibus servari præcepit.

Cap. XXI.

Qualiter Aldwinus *de* Wincelcumb *cum duobus fratribus de* Evesham *in* Northanhymbriam *advenerint, & quomodo ab Episcopo* Walchero *suscepti sint & fructificaverint.*

HIS temporibus quidam in provincia Merciorum presbiter, ac prior in monasterio, quod in Wincelcumbe situm est, habitu & actione monachus vocabulo *Aldwinus* habitabat, qui voluntariam paupertatem & mundi contemptum cunctis seculi honoribus ac divitiis prætulerat. Hic didicerat ex historia *Anglorum* quod provincia *Northanymbrorum* crebris quondam choris monachorum ac multis constipata fuerit agminibus sanctorum, qui in carne non secundum carnem viventes, cœlestem in terris conversationem ducere gaudebant. Quorum loca, videlicet monasteria, licet jam in solitudinem sciret redacta, desideravit invisere, ibique ad imitationem illorum pauperem vitam ducere. Perveniens ergo ad *Eoveshamense* monasterium, desiderium suum quibusdam ex fratribus patefacit, è quibus duos mox in sui propositi societatem sibi adjunxit, quorum alter diaconus, postea presbiter *Elfwius*, alter ignarus literarum vocabatur *Reinfridus*. Quibus abbas ipsorum non aliter abeundi licentiam dare voluit, nisi prius *Aldwinum* eis præponeret, & curam animarum illorum ipsi commendaret. Pervenerunt itaque simul pedibus incedentes tres monachi, unum tantummodo secum ducentes asellum, quo libri necessarii & vestimenta sacerdotalia ad divinum celebrandum mysterium ferebantur. Et primo quidem super ripam *Tini* fluminis ad plagam septentrionalem in loco qui dicitur Munecaceastre, quod monachorum civitas appellatur, habitare cœperunt. Qui locus licet ad episcopatum *Dunelmensem* pertineat, juris tamen *Northanhymbrorum* comitis habebatur. Quos ergo venerandus pontifex *Walcherus* ad illos direxit, rogavit, ut ad se venirent, sibi suo jure potius habitandum, quam sub jure secularium manendi locum acciperent. Quos advenientes multa cum honoris diligentia suscepit, magnasque Deo gratiarum actiones retulit, quod in hac provincia monachicæ professionis viros ad habitandum suscipere, & sub suo regimine meruisset habere. Dedit ergo eis monasterium beati *Pauli* Apostoli à *Benedicto* quondam abbate constructum in Gyrwum, quod semirutis adhuc solis sine culmine parietibus vix aliquod antiquæ nobilitatis servaverat signum. Quibus culmen de lignis informibus & fœno superponentes, divini servitii officia ibidem celebrare cœperunt. Habitaculaque sub ipsis parietibus casulas, ubi dormirent, & manducarent, religiosorumque eleemosynis pauperem victum sustentabant. Ibi pariter in frigore & fame, & rerum omnium penuria pro Christo residentes degebant, qui in monasteriis quæ reliquerant omnium rerum affluentiam habere poterant. Interea multi exemplo illorum provocati, seculo abrenunciantes, monachicum ab eis habitum susceperunt, & sub disciplinæ regularis institutione Christo militare didicerunt. Quorum pauci de ipsa *Northanhymbrorum* provincia, plures vero de australibus *Anglorum* partibus fuerant, qui exemplo *Abrahæ* de terra sua & de cognatione sua, & de domo patrum suorum egredientes, terram repromissionis, id est, supernam patriam ingredi desiderabant, religiosæ conversationis magistrum habentes *Aldwinum*. Erat namque mundi contemptor egregius, habitu & mente humillimus, patiens in adversis, modestus in prosperis, ingenio acutus, consilio providus, sermone gravis & actione, Humilibus socius, contra contumaces justitiæ zelo fervidus, semper cœlestia desiderans, & secum quoscunque poterat illuc provocans. Igitur episcopus videns numerum Deo ibidem servientium quotidie augeri, & jam per multa annorum curricula in illis partibus extinctam monachicæ conversationis reviviscere suo tempore lucernam, gratias agens Deo vehementer exultavit, & pastoralem illis sollicitudinem, & paternam cum omni affectu impendebat benignitatem. Cum enim eos ecclesiam ipsam reædificare & destructa monachorum habitacula videret velle restaurare, dedit eis ipsam villam Gyrwum cum suis appenditiis, scilicet Preostun, Munecatun, Heathewrthe, Heabyrn, Wiuestou, Heaselden, ut & opera perficere, & sine indigentia illi possent vivere. Taliter illi ex diversis locis Christo pastore congregante in unum ovile adducti, didicerunt quam bonum sit & quam jocundum, habitare fratres in unum.

Cap. XXII.

De fratre ad Streneshalch *pergente, & de fundatione ecclesiæ beatæ* Mariæ Eboraci, *& quomodo* Walcherus *iterum* Aldwinum *revocaverit &* Tillemuthe *cum cæteris terris eis adjecerit.*

CUM autem famulus Christi *Aldwinus* ibidem, sicut jam dictum est, aliquantenus fructificasset, ad alia quoque loca cogitavit transire, & simile opus Domino adjuvante perficere. Igitur constituto fratribus quem communiter ipsi elegerant Priore, proficiscens inde reliquit ibidem socium suæ peregrinationis, de quo supradictum est, *Elfwinum*, virum simplicitatis & innocentiæ merito prædicandum, orationibus & lachrymis jugiter intentum. Tertius vero illorum socius videlicet *Reinfridus* ad **Streoneshals**, quod **Hwitby** appellatur secessit, ubi advenientes suscipiens, monachorum habitationem instituere cœpit, qui post ejus obitum migrantes *Eboracum*, monasterium in honore sanctæ *Mariæ* semper virginis, quod nunc abbas *Stephanus* strenue regit, construxerunt. At *Aldwinus* de *Gyrwensi* monasterio egrediens, comitem itineris & propositi in clericali adhuc habitu *Turgotum* habuit, amore tamen & actu vitam monachorum imitantem. Veniens enim *Dunelmum*, benigne ab episcopo susceptus est; et cum ejus intentionem agnovisset, ad præfatum monasterium ab eo missus est, ibiq; submagisterio *Aldwini* clericus inter monachos degebat. Non enim habitum monachicum prius suscipere audebat, quam majori ac diuturniori sese districtione probasset. Hic magistrum de monasterio, ut dictum est, proficiscentem, secutus individuo illi comitatu semper adhærebat. Igitur ad *Mailrosense* quondam monasterium, tunc autem solitudinem, pervenientes, secreta illius loci habitatione delectati, Christo ibidem servientes, cœperunt conversari. Sed cum regi *Scottorum Malcolino*, ad quem locus ipse pertinebat, eorum ibi conversatio innotuisset, graves ab illo injurias pertulerunt & persecutiones, pro eo quod Evangelicum præceptum servantes, jurare illi fidelitatem noluerunt. Inter hæc venerabilis episcopus *Vualcherus* frequentibus eos literis & mandatis rogavit, monuit, adjuravit, ad ultimum cum clero & omni populo coram sacratissimo sancti *Cuthberti* corpore sese illos excommunicaturum minatur, nisi ad se sub sancto *Cuthberto* mansuri reverterentur. Illi ergo excommunicationem magis quam iram regis, quæ mortem eis minabatur, formidantes: nam mori tunc omnino statuerant, locum illum relinquunt, & ad episcopum perveniunt. Quibus statim monasterium beati *Petri* Apostoli in *Wiramutha* donavit, olim sicut habitator ejus ab infantia *Beda* describit, egregium satis ac nobile: tunc autem quid antiquitus fuerit, vix per ruinam ædificiorum videri poterat. Ubi de virgis facientes habitacula, quoscunque poterant arctam & angustam viam, quæ ducit ad vitam, secum ingredi docere studebant. Ibi *Aldwinus Turgoto* monachicum habitum tradidit, & ut charissimum in Christo fratrem diligens, verbo & exemplo jugum Christi suave illum portare docuit. Quos episcopus familiari charitate amplectens, sæpius ad colloquium suum evocavit: & interdum suis adhibens consiliis, libentissime illorum dictis dignatus est obedire. Donaverat autem illis ipsam villam *Wiramutham*, cui postea successor ejus *Willielmus* aliam proximam, videlicet **Suthewic** adjecit, ut cum his qui secum erant fratribus, sine magna difficultate ibidem in Christi famulatu possent perseverare. Nam etiam de remotis *Anglorum* partibus illuc aliqui advenientes, monachicam cum eis vitam agere, & uno corde ac una anima *Christo* didicerunt servire. Tunc ecclesiam sancti *Petri*, cujus adhuc soli parietes semiruti steterant, succisis arboribus, eradicatis vepribus & spinis, quæ totam occupaverant, curarunt expurgare: & culmine imposito, quale hodie cernitur, ad agenda divinæ laudis officia satagerant restaurare. Plane à tempore quo à paganis ecclesiæ in provincia *Northanhymbrorum* eversæ, & monasteria sunt destructa atque incensa, usque tertium annum præsulatus *Vualcheri* quando per *Aldwinum* in ipsam provinciam venientem, monachorum cœpit in illa habitatio reviviscere, 208. computantur anni. Igitur episcopo protegente placidam & quietam vitam monachi duxerunt; quos ille, ut pater benignissimus, toto affectu fovere, & sæpius per semetipsum dignatus est invisere, & ea quibus indigebant sibi largius præbere. Hic quoque si diuturniora hujus vitæ tempora extitissent, monachus fieri, & monachorum habitationem ad sacrum corpus beati *Cuthberti* stabilire decreverat. Unde positis fundamentis, monachorum habitacula ubi nunc habentur *Dunelmi* construere cœpit: sed heu, proh dolor! morte præventus, quod disposuerat perficere nequivit, quod tamen ejus successor, sicut in consequentibus demonstrandum est, perfecit.

Cap. XXIII.

De provectu Episcopi, & suorum rapina feroci, & qualia tunc quidam de morte reviviscens de Episcopo & cæteris multis viderit & prædixerit.

Hujus strenuitas pontificis, videlicet *Walcheri*, non solum nullum rerum ecclesiasticarum passa est detrimentum, verum etiam in earum augmentum dante sibi rege locum egregium, scilicet **Waltham** cum ipsius nobili ecclesia, quæ canonicorum congregatione pollet, adquisivit. Comitatum quoque *Northanhymbrorum*, capto à rege comite **Waltheof**, ipse susceperat disponendum. Et ille quidem per vitæ honestatem, & morum sobrietatem, atque mansuetudinem omnium amore dignus erat; Veruntamen, quoniam suos licenter quæ voluissent, & hostiliter nonnulla facientes non refrænabat, indigenarum animos offendebat. Denique archidiaconus illius multa ex ornamentis ecclesiæ, & pecunias auferens, consanguineis & amicis distribuebat. Milites quoque nimis insolenter se in populo habentes, multos sæpius violenter diripiebant, aliquos etiam ex majoribus natu interficiebant. Quorum pravitates episcopus cum negligeret, & nulla censuræ pontificalis authoritate coerceret, sicut *Hely* quondam propter culpas filiorum interiit, sic & iste propter peccata suorum una die cum illis prostratus occubuit. Sed paulo ante illius mortem idem pene miraculum in provincia *Northanhymbrorum* contigit, quod olim ibidem evenisse *Beda* in historia *Anglorum* describit, ut videlicet quidam de morte resurgeret ad vitam. Qui vocabulo *Eadulphus* non longe à *Dunelmo* in villa quæ **Ravenesworthe** dicitur habitans, in ægritudinem decidit, qui sabbato quidem jam die in noctem declinante mortuus est: sed mane ante solis ortum de morte reviviscens, ac subito residens, omnes qui ad suas exequias assederant, pavore nimio ac tremore perculsos in fugam vertit. Sed ille fugientes revocans: Nolite, inquit, timere, vere à morte resurrexi. Signo sanctæ crucis signate vos & domum istam. Quo dicto, innumera mox multitudo avicularum de exteriori æde per ostium irrumpens, totam domum in qua sederunt, replevit, quæ nimia importunitate huc atque illuc volitantes, ipſis pene oculis intuentium ſe ingerebant. Currens ergo diaconus, quem presbiter ad eccleſiam rediens, ibi dimiſerat, aqua benedicta ipſos & domum reſperſit: nec mora, omnis illa monſtruoſa volucrum multitudo ut fumus ex oculis diſparuit. Is autem qui de morte ſurrexerat multa de beatitudine juſtorum, & de pœna damnatorum quæ de corpore ductus viderat, retulit. Denique aliquos quos ante noverat, cum beatis in ſedibus florigeris lætantes ſe recognoviſſe dicebat, quibuſdam quos adhuc præſens vita retinebat gehennalis tormenti æternos cruciatus jam paratos nunciabat. Horum unus *Waltheſus* habebatur, qui poſtea cædis epiſcopi author fuerat, de quo ille quæ viderat, referens, Væ, inquit, væ illi. In ipſius infernalis camini medio præparata eſt ei manſio. Sedile ferreum æterno igne ignitum eum expectat, quod ſtridentibus undique flammis multo fragore inextinguibiles jugiter ſcintillas crepitat. Stant hinc & inde cum cathenis ferreis horribiles miniſtri, ſpiritus videlicet maligni, in illam ſedem *Waltheſum* jam jamque ſuſcepturi, & in æterni ignis incendium atrocius miſerum vinculis inſolubilibus coartaturi. His dictis, ubinam epiſcopus & archidiaconus ejus cum ſuis eſſent, requiſivit. Cui cum dictum eſſet, in *Dunelmo*: Ille reſpondens, Omnes, inquit, illi jam perierunt. Epiſcopus jam defecit, ſuique omnes qui nunc extolluntur ſuperbia, jam non eſſe reputati ſunt. At hi qui aſſederant, ſcientes epiſcopum cum ſuis omnibus incolumem, putabant illum hæc non ſana mente dicere. Quos iterum alloquens, Ego, ait, ſanum ſapio, atque hoc ſigno an vera ſint quæ dico probare poteritis. Si ante vel poſt proximam feriam tertiam mortuus fuero, ſcitote univerſa eſſe falſa quæ à me audiſtis: Sin autem in ipſa feria moriar, vera me loquutum proculdubio noveritis. Itaque inſtante feria tertia, ille defunctus eſt. Nec multo poſt, repentina epiſcopi & ſuorum omnium interfectione, ea quæ ille prædixerat, vera eſſe manifeſtius rerum effectus edocuit. Sed & ille miſerabilis, cui tanta gehennæ tormenta jam præparata viderat, ſcilicet *Waltheſus*, poſt impiam tanti pontificis occiſionem, & ipſe à ſuæ uxoris fratre pœnas inferni ſubiturus occiditur.

CAP. XXIV.

Qualiter Epiſcopus Walcherus *& ubi occiſus atque ſepultus ſit, & quomodo pro eo vindicatum & eccleſia beati* Cuthberti *ſpoliata ſit.*

Ut autem qualiter nefanda epiſcopi ſedes peracta ſit, ex ordine retexatur, ſtatuto die, quo & hii, ſcilicet milites antiſtitis qui fecerant injurias, & qui paſſi fuerant, in pacem redirent & concordiam, epiſcopus ipſe cum ſuis ad locum qui *ad caput capre* dicitur, convenit, cui qui ultra *Tinam* habitaverant univerſi natu majores cum infinita totius populi multitudine in peſſimum adunati conſilium occurrerunt. Declinans epiſcopus tumultum, eccleſiolam ipſius loci intravit, ubi convocatis ad ſe populi primatibus, de utriuſque partis utilitate, ac mutua amicitia tractavit. Quo facto, epiſcopo cum pauciſſimis ſuorum in eccleſia remanente, omnes qui advocati fuerant quaſi conſilio loquuturi, egrediuntur: & poſt paululum clamore tumultuantis turbe exorto, fit ſubito ſine ullo humanitatis reſpectu miſerabilis ubique cædes hominum. Alii namque milites epiſcopi ſparſim per loca ſedentes vel jacentes, utpote nihil mali ſuſpicantes, repente circumdantes interficiunt. Alii aſcendentes eccleſiam incendunt, alii evaginatis gladiis, & vibrantibus haſtis conglobatim ad oſtium ſtantes, neminem vivum exire permittunt. Nam qui intus erant, cum jam vim flammarum ſuſtinere non poſſent, humiliter peccata ſua confeſſi percepta benedictione cum jam egrederentur, in ipſo egreſſu mox trucidabantur. Ultimus omnium reſtabat epiſcopus, graviores ipſa morte ſuſtinens in corde dolores. Intolerabile illi fuit quod ſuos cum presbiteris & diaconibus ante ſe vidit extinctos, ſciebat, quod nec ſibi manus hoſtium parceret. Inter hæc diverſa mortis pœna coartatur, ut quam magis eligat, ipſe neſciat. Ignis eum ad arma hoſtium fugere compellebat, arma repellebant ad ignem. Mors dilata, fuerat ei gravior pœna; Levamentum doloris videbatur ferre, quicquid mortem citius poſſet inferre. Cum ergo ſævientium flammarum vires jam ulterius ferre nequiviſſet, precibus Deo animam commendans, ad hoſtium proceſſit, factoque digitis è contra ſigno crucis, cum jam pallio quo erat indutus, oculos & caput velaret, in ipſo hoſtio, heu, proh dolor! lanceis confoditur, cui etiam mortuo crebra gladiis vulnera infliguntur. Tanta namque fuerat eorum beſtialis crudelitas, ut nec eo mortuo ſatiari potuiſſet. Hæc deteſtanda omnibus cædes antiſtitis, pridie Idus *Maii* feria quinta ante rogationes facta eſt, peractis in epiſcopatu ſuo ix. annis, & duobus menſibus. Cujus occiſione audita, fratres *Gyrwenſis* monaſterii aſcendentes naviculam, ad locum navigarunt, & corpus patris ſui & antiſtitis, vix propter vulnerum frequentiam agnitum, & penitus omni tegmine ſpoliatum, cum gravi luctu impoſitum navi ad monaſterium detulerunt. Quod *Dunelmum* inde perlatum, non eo quo pontificem decebat funeris obſequio ſepulturæ eſt traditum. Tota namque urbe diſcurſantes illius interfectores furebant, ſtatim enim poſt illam abhominandam cædem illo advenerant, ut expugnato caſtello homines epiſcopi qui ſupererant, perimerent. At his viriliter ſe defendentibus, illi non ſine ſuorum detrimento fruſtrato labore oppugnantes, fatigabantur. Quarto die obſidionis abſcedentes, per diverſa diſperguntur, & univerſi quos nefanda cædes antiſtitis Deo & hominibus deteſtabiles fecerat, aut varia clade conſumuntur, aut relictis domibus & poſſeſſionibus incertis profugi cædibus exules vagantur. Nec mora, ea quæ geſta fuerant, fama ubique divulgante, *Odo Baiocenſis* epiſcopus qui tunc à rege ſecundus fuerat, & multi cum eo primates regni cum multa armatorum manu *Dunelmum* venerunt, & dum mortem epiſcopi ulciſcerentur, terram pene totam in ſolitudinem redegerunt. Miſeros indigenas, qui ſua confiſi innocentia domi reſederant, pleroſque ut noxios aut decollari, aut membrorum detruncatione præceperunt debilitari. Nonnullis ut ſalutem & vitam pretio redimerent, crimen falſo imponebatur. Quædam etiam ex ornamentis eccleſiæ, inter quæ & baculum paſtoralem materia & arte mirandum, erat enim de ſaphiro factus: præfatus epiſcopus abſtulit, qui poſito in caſtello militum præſidio, protinus abſceſſit.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Qualiter W. epiſcopus electus & ſacratus ſit, & quanta vir ſcientia, probitatis & gratia fuerit.

TRanſactis poſt occiſionem *Walcheri* epiſcopi ſex menſibus & decem diebus, anno imperii *Willielmi* xv. abbas monaſterii ſancti martyris *Vincentii*, *Willielmus* ab ipſo rege electus, epiſcopatum *Dunelmenſis* eccleſiæ quinta Id. *Novembr.* ſuſcepit regendum: ordinatio vero illius aliquanto poſt, id eſt, tertio Nonas *Januarii*, videlicet in octavis ſancti *Johannis* Evangeliſtæ die Dominica, præſente rege & epiſcopis totius *Angliæ* aſtantibus, ab archiepiſcopo *Eboracenſi Thoma* ſolenniter eſt adimpleta. Hic quidem *Willielmus* in ipſo ſuæ juventutis tempore, cum eſſet de clero *Baiocenſis* eccleſiæ, in monaſterium ſancti *Carilefi*, patrem jam multo ante monachum effectum ſecutus, ſuſcepto habitu monachico, in monaſtici ordinis obſervantia ſingulariter præ cæteris amore ac ſtudio ſtrenuus habebatur, ideoque ad ſuperiores gradus paulatim aſcendens promovebatur. Primo enim Prior clauſtri, deinde ſecundus ab abbate major ſcilicet Prior conſtituitur, inde ad vicinum præfati martiris monaſterium abbas eligitur. Nec multo poſt nominatus rex, quia ejus induſtriam in rebus ſæpe difficillimis probatam habuit, etiam ad epiſcopatum ſicut jam dictum eſt, ordinante Deo promovit. Erat enim pontificali miniſterio ſatis idoneus, eccleſiaſticis & ſecularibus literis nobiliter eruditus, in divinis & humanis rebus multum induſtrius, morum honeſtate ita compoſitus, ut per id temporis nemo in hac ei putaretur eſſe præferendus. Inerat illi etiam tanta ingenii ſubtilitas, ut non facile quis occurreret, qui profundius conſilium inveniret. Cum gratia ſapientiæ, multa ei ſuppetebat facultas eloquentiæ. Erat & memoriæ tam tenacis, ut in hoc etiam nimium eſſet admirabilis. Strenuitate ſua atque prudentia non ſolum ad prædicti regis *Anglorum*, & ad regis *Francorum*, ſed etiam ad Apoſtolici Papæ notitiam pervenerat, & gratiam. Gratum erat illis virum talem interdum ſuſcipere: eloquenter ſimul & ſapienter loquentem audire. Cibo ac potu ſatis erat ſobrius, veſtimentis ſemper mediocribus uſus, fide catholicus, corpore caſtus: & quoniam magnæ familiaritatis locum apud regem habuerat, monaſteriorum & eccleſiarum libertatem in quantum potuit, defendere ſemper ac tueri curabat.

CAP. II.

Quomodo clericos de eccleſia beati Cuthberti *ejecerit, & auctoritate papæ & regis monachos præfatos introduxerit.*

IGitur ſedem epiſcopatus ſancti *Cuthberti* gratia Dei adeptus, terram illius pene deſolatam invenit, locumque quem ſacri corporis ſui præſentia illuſtrat, negligentiori quam ejus deceret ſanctitatem ſervitio deſpicabiliter deſtitutum conſpexit. Nam neque ſui ordinis ibi monachos, neque regulares reperivit canonicos. Unde gravi mœrore confectus, Deum & ſanctum *Cuthbertum* ſedulo & ſuppliciter rogavit, ut ſibi ad emendandum, quæ minus convenientia viderat, conſulendo ſuccurrerent, & ſuccurrendo perficerent. Igitur ſenes & prudentiores totius epiſcopii homines, qualiter in initio apud ſanctum *Cuthbertum* ageretur ab illo exquiſiti, ſedem illius epiſcopalem in inſula *Lindisfarnenſi* fuiſſe, monachoſque tam vivo quam ibidem ſepulto venerabiliter ſerviſſe reſponderunt, quorum quoque aſſertioni vitæ illius libellus & eccleſiaſtica gentis *Anglorum* concordat hiſtoria. Longo dehinc tempore tranſacto, crudelis barbarorum manus non hunc ſolum, ut ſupra dictum eſt, ſed & alia circumquaque loca vaſtantes, nobilem illius cœnobii cœtum auſu ſacrilego neci tradiderunt. Sed non impune. Nam omnes in brevi juſta Dei vindicta terribiliter percuſſi, à temporalibus ad æterna cruciandi tormenta ſunt prærepti. His ergo perceptis, priſtinum ad illius ſacrum corpus reſtaurare pertractans ſervitium, ne quis quæ ſui ſolius molimine feciſſet irritanda putaret, regis *Willielmi* & conjugis ſuæ *Mathildis* reginæ, & *Lanfranci Cantuarienſis* archiepiſcopi conſilium petivit. Rex ſtatim ut ex omni parte tam utilis conſilii roboraretur conſenſus, ad papam *Gregorium* tam de his eum conſulturum quam de aliis quæ mandaverat ſibi loquuturum eum miſit. Cui cum de beati patris *Cuthberti* ſanctitate quædam licet pauca dixiſſet, illius per omnia ſibi placuit conſilium, ut viz. monachos, quos in duobus epiſcopatus locis Wiramutha & Gyruum invenerat, in unum coram ſancto illius corpore congregaret, quia epiſcopatus parvitas ad tria monachorum cœnobia non ſufficeret. Hoc quoque Apoſtolica devotiſſime confirmando authoritate, ſuas per memoratum epiſcopum literas regi *Willielmo* & *Lanfranco* archipræſuli direxit, ſuam ex parte Domini & ſancti *Petri* benedictionem illis omnibuſque hujuſmodi propoſitum adjuvare conantibus largiens; eos vero, ſi qui niſu contrario talia debilitare præſumerent, perpetuo eorundem ex parte anathemate, niſi digna ſatisfactione reſipiſcerent, feriens. Talem papæ conſenſum cum rex audiſſet, non mediocriter gaviſus, ſub teſtimonio *Mathildis* reginæ, *Lanfranci* archiepiſcopi, cæterorumque baronum ſuorum ad hoc peragendum licentiam dedit, imo propere ut perageret epiſcopo præcepit. Inſuper etiam leges ſancti *Cuthberti*, quas ipſe coram ſancto illius corpore ſicut unquam meliores ſub aliquo priorum fuerant, fide ſua ſancierat, denuo tunc renovando confirmavit.

CAP. III.

Quo die & tempore monachos Dunelmum *duxerit & eos benedixerit, & officia ſingula eis diſtribuerit.*

ANno ab incarnatione Domini M.lxxxiij. à transitu vero patris *Cuthberti* 397. ex quo autem ab *Aldhuno* epiſcopo incorruptum ejuſdem patris corpus in *Dunelmum* eſt perlatum 89. qui eſt 1083.

eſt annus regni *Willielmi* 18. ex quo autem *Aldwinus* cum duobus ſociis in provinciam *Northanimbrorum* venerat 10. epiſcopatus vero *Willielmi* tertio, 7. Kal. Junii, feria ſexta memoratus epiſcopus monachos ex ſupradictis duobus monaſteriis, videlicet Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, in **Wiremutha** & in **Gyrwum** ſimul congregatos in *Dunelmum* perduxit. Quibus tertio die poſt, id eſt, ipſo ſancto die Pentecoſtes in eccleſiam ſancti *Cuthberti* perductis, Apoſtolici papæ juſſionem per auctoritatem ſancti *Petri* Apoſtolorum principis factam, atque excellentiſſimi regis *Willielmi* voluntatem populis qui convenerant manifeſtavit. Quo facto, beatiſſimæ Dei genitrici *Mariæ*, & ſanctiſſimo ſuo patrono *Cuthberto* monachos commendans, eccleſiam illis & illos eccleſiæ contradidit. Denique mox inter ipſa ſacræ miſſæ ſolennia, ſecundum morem illos monachicum propoſitum profitentes, & in eodem loco ſtabilitatem promittentes benedixit, & ad ſacrum ſanctiſſimi patris *Cuthberti* corpus inſeparabiliter aſtrinxit. Eis vero qui prius inibi habitaverant nomen tantum canonicorum habentes, ſed in nullo canonicorum regulam ſequentes, præcepit, ut ſi in ipſa eccleſia reſidere vellent, deinceps in monachico propoſito cum monachis vitam agerent. At illi de eccleſia exire quam taliter ingredi maluerunt, præter unum videlicet decanum illorum, cui à filio monacho, vix, ut monachus fieret, perſuaderi poterat. Tribus ergo poſt monachorum profeſſionem factam evolutis diebus, epiſcopus omnibus illis in unum convocatis, communi conſilio monaſterii officia, ſive negotia his quos graviores, & prudentiores, & ad hoc idoneos perſpexit, cum magno Dei timore ac diſcretione diſtribuit. Et congruo quidem ordine, à capite, id eſt, ab altari incipiens, cuidam illorum, ſcilicet *Leofwino* viro prudenti, & Deum valde timenti, eccleſiæ curam & ſancti *Cuthberti* corporis incorrupti cuſtodiam commiſit, ſecretariumque conſtituit. Deinde *Aldwino*, quem pro inſita illi prudentia, & magnæ diſcretionis moderamine ac morum honeſtate valde ſtrenuum noverat, intus & foris totius monaſterii curam & diſpenſationem delegavit, & ut ſine illius conſilio vel prudentia nil ageretur, ſtatuit. Denique terrarum poſſeſſiones illorum ita à ſuis poſſeſſionibus ſegregavit, ut ſuas omnino ab epiſcopi ſervitio, & ab omni conſuetudine liberas & quietas ad ſuum victum & veſtitum terras monachi poſſiderent. Antiqua enim ipſius eccleſiæ hoc exigit conſuetudo, ut qui Deo coram ſancti *Cuthberti* corpore miniſtrant, ſegregatas à terris epiſcopi ſuas habeant. Atque ideo rex *Willielmus* & antea ſicut jam ſupradictum eſt, & nunc cum monachi *Dunelmum* veniſſent, **Billingham** cum ſuis appendiciis ad victum ſpecialiter eorum qui in ipſa eccleſia Deo & ſancto Confeſſori miniſtrant, pro ſua filiorumque ſalute donavit. Epiſcopus quoque aliquantulum quidem terræ monachis largitus eſt, veruntamen ut ſine indigentia, & penuria Chriſto ſervirent, ſufficientes ad victum illorum & veſtitum terras eis una cum rege ipſe providerat, & jam jamque daturus erat. Sed ne id ad effectum perveniret, primo regis ac poſtea epiſcopi mors impedimento fuerat.

Cap. IV.

De corpore ſancti Oſwini, *& de poſſeſſione eccleſiæ de* **Tinemuthe**, *& illius violenta ablatione.*

ECcleſiam ſane ſancti *Oſwini* in **Tinemuthe** jamdudum donantibus *Northymbria* comitibus monachi cum adhuc eſſent in **Gyrwum** poſſederant, unde etiam ipſius ſancti oſſa ad ſe transferentes, in eccleſia ſancti *Pauli* ſecum non parvo tempore habuerunt, quæ poſtmodum ad priorem locum retulerunt. Deinde præfati antiſtitis *Willielmi* tempore comes *Northanimbrorum Albricus* hoc domum renovavit, ipſamque eccleſiam cum ſuo preſbitero eccleſiæ ſancti *Cuthberti* perpetuo poſſidendam adjecit. Quæ cum jam per quindecim annos velut deſerta ſine tecto duraſſet, eam monachi culmine impoſito renovarunt, & per tres annos poſſederunt. Cum vero poſtea *Robertus* de *Mulbreio* in comitatum *Albrio* ſucceſſit, propter inimicitias quæ inter epiſcopum & ipſum agitabantur, ſancti *Cuthberti* monachos de ipſa eccleſia expulit, eamque *Paulo* abbati monaſterii ſancti *Albani* martyris tradidit. Qui videlicet abbas à *Dunelmenſibus* monachis frequenter admonitus, rogatus & prohibitus ne aliena invaderet, audire noluit quin potius ſuos illuc ad habitandum miſit. Quos non multo poſt ipſe ſecutus, repente ibi infirmitate corripitur: & dum domum redire tentaret, moritur. Ipſe quoque comes poſtea in eadem eccleſia quam ſancto *Cuthberto* abſtulit, res omnes & honorem cum ſui corporis libertate amiſit.

Cap. V.

Quanta W. *epiſcopus acquiſierit, & qualem ſe ſubditis exhibuerit.*

AT vero epiſcopus *Willielmus* nihil unquam de eccleſia auferebat, quin potius ſemper inferre, & multis eam ac pretioſis ornamentorum ſpeciebus ſtudebat exornare. Jura quoque eccleſiæ, leges & privilegia ſtrenuitate ſua atque prudentia ita Deo adjuvante defendebat & conſervabat, ut eo vivente nullius temeritate, nullius violentia infringi vel violari poſſent. Nam & quaſdam terras de quibus ſemper inter epiſcopum *Dunelmenſem* & comitem *Northanymbrenſium* contentio fuerat, ita eccleſiæ liberas & quietas reliquit, ut deinceps aliquas ex his conſuetudines præter epiſcopum exigere nemo debeat vel poſſit, quod cartulæ eccleſiæ oſtendunt. Monachos ipſos ut pater dulciſſimus filios chariſſimos amplectebatur, protegebat, fovebat, ac ſumma diſcretione regebat. Sive enim arguebat, ſive blandiebatur, amabilis omnibus illis erat, quia illius neque diſtrictio rigida, neque manſuetudo ſoluta, ita ex altero alterum temperabat, ut ſeveritas illius jocunda, & jocunditas eſſet ſevera. Nimium eos diligens, nimium ab eis diligebatur. Ad ſui habitus reverentiam, & ad ordinis obſervantiam, præcipue illos hortabatur. Hoc præſens verbo, hoc abſens, miſſis ſæpius ad eos literis agere curabat. Hanc illius diligentiam, hoc ſtudium teſtantur etiam illæ, quæ in illius memoriam ſervantur in hac eccleſia ſacræ admonitionis literæ, quas cum regiis impeditus negotiis venire non poſſet, ipſe ad eos direxerat, quarum hic aliquas inſerere congruum videtur.

Cap. VI.

Epiſtola W. *epiſcopi ad monachos* Dunelmenſes.

WIllielmus *Dunelmenſis* epiſcopus ſuis in Chriſto fratribus, & filiis *Dunelmenſibus* cœnobitis, ſalutem & vivificam benedictionem. Non credo vos diſcredere quantum mihi diſpliceat quod vobiſcum ut deceret morari non poſſum. Sed qualicunque modo vel loco peccando laborem, mens tamen in vobis aſſidue delectata quieſcit. Precor ergo ut & vos tribulationes noſtras mente quotidie videatis, & imbecillitatem meam devotis orationibus & eleemoſinis charitative & ſine faſtidio ſuſtentetis. Hoc autem præcipiendo precor, & precando præcipio, ut in amorem ordinis veſtri ſervando creſcatis, & ordinem pro nulla neceſſitate vel cauſa declinare permittatis, & nulli parcatis in ordine. In eccleſia vero non properando, ſed licenter & honeſte pſalmos & cætera decantetis. Confeſſiones veſtras frequenter Priori faciatis; conventus firmiter & abſque ulla retentione ab omnibus teneatur, præter ægrotos & eos qui exterioribus negotiis ſunt regulariter deputati. Et quia præſens vobis quæ deberem dicere non valeo, literas iſtas unaquaque ſeptimana ſemel in capitulo recitate, ut & hæc firmius teneatis, & me in his literis loquentem audiendo Deo diligentius commendetis. Et quia charitas operit multitudinem peccatorum, non ſolum peregrinis & hoſpitibus, ſed omnibus omnino gentibus veram facite charitatem. Per hæc & per alia bona opera faciat vos & hic ſane temporaliter vivere, & perennem gloriam æternaliter poſſidere, qui vivit & regnat Deus per immortalia ſecula ſeculorum.

Cap. VII.

De obitu Prioris Aldwini, *& ſucceſſione* Turgoti.

1087. ANno Dominicæ incarnationis M.lxxxvij. quarto anno adventus monachorum in *Dunelmum* pene tranſacto, venerandus Prior *Aldwinus* pridie Idus Aprilis terminum vitæ præſentis habuit, anno 14. ex quo primum in *Northanimbrorum* provinciam venerat. De cujus obitu epiſcopus cum fratribus multum contriſtatus indoluit, quia erat vir bonus, & modeſtus, prudentia & conſilio eccleſiæ valde neceſſarius, & in quocunque, ne Deum offenderet, negotio maxime ſollicitus. Cujus memoriam ut in ſuis orationibus monachi *Dunelmenſes* indeſinenter agant, ipſe meritis ſuis omnino exigit, quem prævium in ipſam provinciam ducem habuerunt, ubi exemplo illius & magiſterio habitantes, Chriſto ſervire cœperunt. In cujus locum jure prioratus diſcipulum illius, videlicet *Turgotum* communi fratrum conſilio epiſcopus ſurrogavit; & totius monaſterii curam intus & foris cum Dei timore illum agere imperavit. Eodem anno quo *Aldwinus* eſt defunctus, rex *Willielmus* cum adhuc de xxij. regni ejus anno v. ſeptimanæ reſtarent, v. Id. Sept. moriens, *Willielmo* filio reliquit imperium.

Cap. VIII.

De exilio W. *epiſcopi, & quando poſuerit fundamenta in* Dunelmo *novi monaſterii.*

HUjus ſicut & antea patris amicitiis antiſtes præfatus adjunctus, familiariter ei ad tempus adhærebat: unde etiam *Alvertoniam* cum ſuis appendiciis rex illi donavit. Poſt non multum vero temporis per aliorum machinamenta orta inter ipſos diſſenſione epiſcopus ab epiſcopatu pulſus ultra mare ſeceſſit, quem comes *Normannorum* non ut exulem, ſed ut patrem ſuſcipiens, in magno honore per tres annos quibus ibi moratus eſt, habuit. Ita monachi *Dunelmenſes* ſui antiſtitis deſtituti ſolatio, cum multa ſe adverſa paſſuros formidarent, nec ab aliquo refovendos ſperarent: ita è contrario Deo per ſancti *Cuthberti* merita ſe miſerante protegebantur, ut nulla eis adverſitas noceret, & ipſum regem erga ſe ſatis humanum invenirent. Licet enim in alia monaſteria & eccleſias ferocius ageret, ipſis tamen non ſolum nihil auferebat, ſed etiam de ſuo dabat, & ab injuriis malignorum ſicut pater defendebat. Sed & Priori ad ſe venienti humiliter aſſurgens, benigne eum ſuſcepit, & ita per omnia ſub ſe quemadmodum ſub epiſcopo curam eccleſiæ cum omni libertate agere præcepit. Hoc tempore refectorium, quale hodie cernitur, monachi ædificaverunt. Tertio anno expulſionis epiſcopi, cum homines regis quoddam in *Normannia* caſtellum tenentes obſiderentur, & jam jamque capiendi eſſent, eos epiſcopus à periculo liberavit, & conſilio ſuo ut obſidio ſolveretur, effecit. Unde rex placatus, univerſa quæ in *Anglia* prius habuerat, ei reſtituit. At ille nequaquam vacuus rediit, ſed non pauca ex auro & argento ſacra altaris vaſa & diverſa ornamenta, ſed & libros plurimos ad eccleſiam præmittere curavit. Nec multo poſt eccleſiam 98. anno ex quo ab *Alduno* fundata fuerat, deſtrui præcepit, & ſequenti anno poſitis fundamentis nobiliori ſatis & majori opere aliam conſtruere cœpit. Eſt autem incepta M.xciij. 1093. Dominicæ incarnationis anno, pontificatus autem *Willielmi* 13. ex quo autem monachi in *Dunelmum* convenerant xj. tertio Idus Auguſti, feria 5. Eo enim die epiſcopus, & qui poſt eum ſecundus erat in eccleſia Prior *Turgotus* cum cæteris fratribus primos in fundamento lapides poſuerunt. Nam paulo ante, id eſt, quarto Kal. Auguſti feria ſexta idem epiſcopus & prior facta cum fratribus oratione ac data benedictione fundamentum cœperant fodere. Igitur monachis ſuas officinas ædificantibus, ſuis epiſcopus ſumptibus eccleſiæ opus faciebat. ¶Quo tempore memoratum Priorem *Turgotum* ante totius epiſcopatus populos producens, vices ſuas etiam ſuper illos ei injunxit, ut ſcilicet per archidiaconatus officium, Chriſtianitatis curam per totum ageret epiſcopatum, ita ſtatuens, ut quicunque illi ſucceſſores fuerint in prioratu, ſimiliter ſuccedant & in archidiaconatu. Quod non ſine authoritate vel exemplo fecit, legitur enim in vita ſancti *Cuthberti* quod beatus *Boiſilus* cum eſſet præpoſitus monaſterii, de monaſterio frequenter exire & populo prædicare conſuevit. Cui defuncto diſcipulus ejus, beatus ſcilicet *Cuthbertus* ſucceſſit in præpoſiti, id eſt, Prioris officium. Nam qui nunc Prior, à beato *Benedicto* præpoſitus monaſterii appellatur. Secutus ergo exemplum magiſtri pater *Cuthbertus*, ſæpiſſime propter animarum lucra de monaſterio egredi ſolebat, ut ſæpe ebdomada integra, aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam menſe pleno domum non rediret: ſed demoratus in montanis plebem ruſticam verbo prædicationis ſimul & exemplo virtutis ad cœleſtia vocaret.

Quapropter memoratus antiſtes ita conſtituiſſe dinoſcitur, ut quicunque ſancti *Cuthberti* in ipſius eccleſia ſucceſſores in prioratu fuerint, etiam in prædicationis officium curam agentes Chriſtianitatis eidem ſuccedant.

Cap. IX.

Qualia Boſo miles de cœnobitis Dunelmenſibus viderit, & quanta de obitu W. epiſcopi prædixerit.

Quo tempore quidam militum epiſcopi vocabulo *Boſo*, infirmitate correptus, ad extrema perveniſſe viſus eſt. Permodicum enim ore & naribus trahens flatum, per tres dies raptus ab humanis rebus quaſi mortuus ſine ullo ſenſu permanſit: ſed die tertio contra hoc quod ſperari poterat ad præſentia rediit. Dicebat itaque multa ſe vidiſſe, nec tamen quæ illa fuerint, donec ſicut juſſus fuerat, Priori retuliſſet, cuiquam indicare volebat. Recuperata ergo ſanitate concitus ad illum venit, ſecretum ab omnibus loquendi cum eo locum petiit. Ubi projectis veſtibus virgas manu geſtans nudus ad ejus veſtigia procidit, cum lachrimis exclamans, Ad te, inquit, venire, tibi juſſus ſum peccata confiteri, & meam deinceps, quæ tamen longa non erit, vitam tuo imperio ordinare. Suſcipe quæſo pœnitentem, & plagis verberum medelam adhibe meorum vulneribus criminum, ut diſtrictum Dei mereat evadere judicium. Itaque multo cum gemitu peccata confeſſus eſt, ſuſceptaque pœnitentia, talia cœpit narrare. Ductore, inquit, præeunte, per horrenda ſimul & amœna loca ſequebar. Erant omnes hujus eccleſiæ monachi quodam in loco congregati, ante quos multum ex ſeſe ſplendoris emittens veneranda crux portabatur, quam omnes veſtiti, ordinata ſolenniter ſicut ſolent proceſſione incedentes & cantantes ſequebantur. Omnes in directum nuſquam declinantes incedebant, præter duos, qui à recti ordinis linea aliquantulum exorbitabant. Ibant autem omnes contra oppoſitum ſibi immenſæ altitudinis murum, in quo nec oſtium nec feneſtra ulla videbatur. Cogitante me ac mirante cur illo tenderent ubi aditus nullus patebat, ecce repente neſcio qualiter omnes intra murum erant. Ego autem foris remanens, huc illucque reſpexi, ſi alicubi introſpicere poſſem, & inventa feneſtrella, contemplatus ſum per illam campum latiſſimum & vernantium floſculorum mira varietate pulcherrimum ex quibus admirandi ſuavitas odoris emanabat. Interrogatus à ductore meo, ſi eos quos ibi vidi, agnoſcerem, aio etiam, monachos noſtros hic recognoſco. Et ille, Dicito, inquit, priori, ut eos ad animarum ſuarum ſalutem diligentius hortetur, illos vero duos quos ab ordine ſuo declinare vidiſti, nominatim illi oſtende. Re enim vera non parum à via rectitudinis aberrant, quibus magna incumbit neceſſitas, ut peccata ſua purius confeſſi, emendatiorem vitam ducere feſtinent. Hucuſque etenim puram ac rectam peccatorum ſuorum confeſſionem nunquam fecerant. Inde ductus, aſpexi per campum latiſſimum totius hujus provinciæ indigenas congregatos, qui equis admodum pinguibus ſedentes, & longas ſicut ſoliti ſunt haſtas portantes, earumque colliſione magnum facientes ſtrepitum, multa ferebantur ſuperbia. Is ergo qui me ducebat, an iſtos recognoſcerem inquiſivit. Cui dum illum atque illum & poſtremo univerſos me recognoſcere reſpondiſſem, Omnes, ait, iſti, jam in proximo peribunt. Nec mora, omnis illa multitudo velut fumus ex oculis evanuit. Quo facto, multo majori quàm priores ſuperbia ſecuti ſunt Francigenæ, qui & ipſi frementibus equis ſubvecti, & univerſo armorum genere induti, equorum frementium ſonitu & armorum colliſione immanem late faciebant tumultum: ſed poſt paululum cum omni ipſorum gloria velut ſubito terræ hiatu abſorpti nuſquam comparuerunt. Deinde per extenſum aliquot miliariis campum innumeram fœminarum multitudinem intueor, quarum tantam turbam dum admirarer, eas presbiterorum uxores eſſe, à ductore meo didici. Has, inquit, miſerabiles, & illos qui ad ſacrificandum Deo conſecrati ſunt, nec tamen illecebris carnalibus involvi metuerunt, Væ ſempiternum & gehennalium flammarum atrociſſimus expectat cruciatus. Inde in loco vaſtæ ac tetræ ſolitudinis, magna altitudine domum totam ex ferro fabrefactam aſpexi, cujus janua dum ſæpius aperiretur, ſæpiuſque clauderetur; ecce ſubito epiſcopus *Willielmus* efferens caput ubinam *Goſfridus* monachus eſſet, à me quæſivit. Hic enim, inquit, hic ad placitum mecum adeſſe deberet. Hunc namque procuratorem ſui epiſcopatus conſtituerat. Tunc is à quo ducebar, me alloquens, Certe, inquit, ſcias, epiſcopum citiſſime finem vitæ habiturum. Ille quoque quem ipſe nominavit tametſi aliquanto tardius eum moriendo ſequetur. Tu quoniam adhuc licet brevi tempore in mundo vivere debes, ut iram Dei evadas, confeſſione peccatorum facta vitam ſecundum quod Prior tibi oſtenderit, corrige, eique univerſa quæ tibi ſunt oſtenſa, ne dubites manifeſtare. Hæc & alia quamplura prædictus miles ſe audiſſe & vidiſſe retulit: quæ quam vera ſint, paulo poſt & epiſcopi & aliorum multorum quos jam finiendos prænunciaverat mors ſecuta teſtimonium perhibet. Duo quoque illi qui ab ordine proceſſionis deviare viſi ſunt fratres, ejus verbis fidem præbent, quorum vitam Prior ſubtiliter diſcutiens, hoc quod miles de illis occulte audierat, verum eſſe ipſe invenit.

Cap. X.

Ubi idem W. epiſcopus obierit, & quomodo Dunelmum corpus ejus delatum ſit.

Dum ergo viſionis ſuæ ordinem jubente priore miles epiſcopo retuliſſet, ille talia contremiſcens, vehementer expavit, atque ſtudioſius deinceps ſuæ ſalutis curam gerere cœpit, largiores videlicet eleemoſinas faciendo, prolixius & intentius orando, nullius negotii gratia privata orationum quotidianarum ſtatuta prætermittendo. Et quidem multo ante ſuum obitum tempore non parum infirmabatur, verum ipſo die nativitatis Dominicæ apud *Uuindeleſoram* acriori correptus dolore, graviſſime per octo dies lethali morbo fatigabatur. Interim multi ad illum venerunt: alii ut in ſua neceſſitate ipſius conſilium quærerent, erat enim magni conſilii; nonnulli, ut vexatum infirmitate piæ viſitationis verbo conſolarentur. Quod maxime venerabilis *Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopus *Anſelmus* fecit, cujus ſecreto colloquio de ſalute animæ ille diu potitus, conſolationis & benedictionis gratiam ſe ab eo percepiſſe gratulabatur. Tanta infirmitate vexatus, nequaquam tamen longiorem vitam plus quam mortem quæſivit: ſed hoc Deum intentius deprecatus eſt, ut quod ſibi ſciret magis expedire, ſcilicet vel diutius vivere, vel tunc vitam finire, id ſibi dignaretur concedere. Die autem octavo, quo circumciſio Dominica celebratur, cum jam inſtante veſpera irrecuſabilem mortis ſententiam jam jamque adeſſe ſentiret, ea quæ fidelium morientium ſalus expoſcit, ſibi poſtulans, venerandæ memoriæ *Eboracenſi* archiepiſcopo *Thoma* cum *Walchelino Wintonienſi*, & *Johanne Bathonienſi* epiſcopo multum devote officium adminiſtrante, ipſe catholicam confitens fidem percepit. Quibus & ſe & filios ſuos, videlicet hujus eccleſiæ monachos quos multum ſemper dilexerat, fovendos & protegendos quam maxime commendare ſtudebat. Jacente illo atque ſuæ evocationis horam expectante, epiſcopis invicem de loco ſepulturæ ejus conferentibus, id conveniens videbatur, ut in ipſa ſancti *Cuthberti* eccleſia ejus corpus jure ſepeliri deberet, qui ad ipſum Confeſſoris & epiſcopi ſacrum corpus congregatione monachorum ſtabilita, ut dignum & placitum Deo ſervitium ibidem jugiter fieret, quam maxime ſemper ſollicitus fuerat. Quod contra ille clamans, hoc fieri multum prohibuit. Abſit, inquiens, abſit, ut ſancti *Cuthberti* eccleſiæ conſuetudo quæ ab antiquis temporibus tam ſolicite hactenus ſervatur, mei corporis cauſa ſolvatur. Nunquam enim in loco quo ejus incorruptum corpus requieſcit, alicujus defuncti corpus non ſolum non ſepeliri, ſed nec ad horam inferri licuit. Placuit ergo illis ut in capitulo tumulari deberet, quatenus in loco in quo fratres quotidie congregantur, viſo ejus ſepulchro chariſſimi patris memoria in eorum cordibus quotidie renovaretur. Interea ille acrius dolore coactus in mortem palleſcere cœpit, jamque inſtante hora gallicantus, quarto Nonas Januarii, feria quarta, vitæ terminum habuit. Cujus corpus pontificalibus ſecundum morem veſtimentis obvolutum, fratres qui cum eo fuerant, *Dunelmum* tranſtulerunt. Quod occurrentes monachi, & clerus, omniſque populus, cum mœrore multo & planctu ſuſceptum, uſque in eccleſiam ſancti *Michaelis* deportaverunt. Ibi namque prima nocte à clero & populo exequiæ illius agebantur. Mane autem facto, ad ſe monachi corpus transferentes, ipſum diem cum nocte ſecuta in precibus & pſalmorum decantationibus pervigiles tranſegerunt, atque ſequenti die, hoc eſt ſeptendecem Kal. Febr. in loco quem, ut ſupradictum eſt, epiſcopi providerant, congruo cum honore ſepulturæ tradiderunt. Quorum ex tanti patris amiſſione quantus mœror, quantus luctus, quantuſque fuerit fletus, puto hic melius taceatur, quam ſupra id quod cuiquam credibile ſit, aliquid dicatur. Nullus enim, ut reor, tunc inter illos erat, qui non illius vitam, ſi fieri poſſet, ſua morte redimere vellet. 1096. Defunctus eſt autem M. xcvj. Dominicæ incarnationis anno, cum in epiſcopatu xv. annos & duos menſes minus tribus diebus peregiſſet, quando & tertius decimus, ex quo in *Dunelmum* congregati fuerant monachi, annus agebatur.

Explicit Hiſtoria Simeonis.

Villa datæ per Ecgfridum *regem* Northanimbrorum S. Cuthberto *& ſucceſſoribus ejus.*

685. ANno Dominicæ incarnationis DC. lxxxv. congregata ſynodo juxta fluvium *Alne* in loco qui dicitur Ætetuiſord, cui *Theodorus* archiepiſcopus *Dorvernenſis* præſidebat, cum *Cuthbertus* multis legatariis ac literis ad ſe præmiſſis, nequaquam ſua inſula poſſet erui, tandem ego *Egfridus* rex *Northanimbrorum* cum antiſtite *Trumwine* & aliis religioſis viris inſulam navigavi, & invitum ad ſynodum pertraxi, ubi omnium juſſione epiſcopatus officium ſuſcipere compellitur. Cui & omnibus ſucceſſoribus ejus conſilio *Theodori* archiepiſcopi & *Trumwini*, & totius concilii pro ſalute animæ meæ & ſucceſſorum meorum donavi villam quæ vocatur Creic, & tria milliaria in circuitum ipſius villæ. Donavi etiam civitatem quæ vocatur *Lugubalia*, & in circuitu ejus quindecim milliaria, ut hæc tam ipſe quam ſucceſſores ejus ad Dei ſervitium in perpetuum habeant, ita ſicut ego habui, libera & quieta, & ſecundum voluntatem ſuam diſponenda. Ego *Theodorus* archiepiſcopus *Dorvernenſis* ſubſcripſi. Ego *Boſa* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Cedd* orientalium *Saxonum* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Sexulf Merciorum* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Eata Haguſtaldenſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Trumwine Pictorum* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Ceadda Licefeldenſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Eadhac Lindiſſi* epiſcopus ſubſcripſi. Hæc donatio firmata eſt tempore *Agathonis* papæ, anno ætatis regis *Egfridi* 40. regni ejus autem 15.

De *Ranulpho* Epiſcopo, tempore *W.* Conq. & de aliis aliquot Epiſcopis *Dunelmenſibus.*

De Ranulpho *Epiſcopo.*

TRibus dehinc annis eccleſia vacante paſtore, trecentas annuatim libras rex *W.* in ſuum de epiſcopatu tranſtulit ærarium. A monachis vero nil accipiens, imo largus & beneficus, nil oppreſſionis & injuriæ illis à quoquam irrogari permiſit. Evolutis de quarto anno ab obitu epiſcopi quinque menſibus, rex *W.* dedit epiſcopatum *Ranulfo*, qui propter quandam apud regem excellentiam ſingulariter nominabatur Capellanus regis. Fuerat autem primo cum *Mauricio Londonienſi* epiſcopo, ſed propter decaniam ſibi ablatam orto diſſidio ſpe altioris loci ſe tranſtulit ad regem. Nec eum fefellit ſpes. Admixtus enim cauſis regalium negotiorum, cum eſſet acrioris ingenii & promptioris linguæ, brevi in tantum excrevit, ut adepta apud regem familiaritas totius *Angliæ* potentes, & natu quoſque nobiliores illum ſuper ferret. Totius namque regni procurator conſtitutus, interdum inſolentius accepta abutens poteſtate, cum negotiis regis pertinacius inſiſteret, plures offendere parvi pendebat. Quæ res multorum ei invidiam & odium contraxerat. Crebris accuſationibus ſerenum animi regalis ei obnubilare, & locum familiaritatis conabantur interrumpere. Sed cum hic caſſo labore deficerent, dolis circumventum etiam extinguere machinabantur. Quidam *Geraldus* aliorum, ut dicitur, audacia ſimul & dolo armatus, aſcenſa cum paucis navicula, convenit capellanum *Londoniæ*, ſuppliciter orans ut ad dominum ſuum *M.* epiſcopum infirmantem quantocius properaret, qui in villa ſua ſuper ripam Tameſi fluminis extremum pene ſpiritum agens, illius magnopere deſideraret colloquium. In argumentum veritatis dixit ſe naviculam à domino miſſam adduxiſſe, qua ad illum velocius tranſveheretur. Ille nil mali ſuſpicatus, cum paucis ſuorum intravit navem, quam *G.* recto per alveum fluminis curſu ad mare dirigebat. Quærente capellano, cur tam diu navigantes nuſquam diverterent ad littora, fingebant portum paulo longius abeſſe, ubi aptior eſſet de navicula egreſſus in terram. Interea proſpiciens majorem medio in flumine navem anchoris ſtabilitam, quaſi ſuum, ut ſibi videbatur, operiri adventum; illico malignæ deceptionis intellexit molimina. Quid plura? In navem ſuſpectam tranſponitur numeroſiorem armatorum manum habentem. Jam nulla uſpiam evadendi ſpes. Ipſe annulum quem digito geſtabat, & notarius ſuus ſigillum illius medium projecerunt in flumen, ne per hæc ubique locorum per *Angliam* cognita, ſimulataque præcepta hoſtibus decipientibus tranſmiſſa rerum perturbarent ſtatum. Tunc & homines ſui emittuntur in terram, valido prius ſacramento obligati, ut nulli mortalium quicquam de abducto domino dicerent. Jam navis relicto flumine alta maris ingreditur, & ſuſpenſis velis proſpero aliquandiu curſu verſus meridiem dirigitur. Interea remotius in prora ſedente capellano, de genere mortis illius fit inter nautas conſpiratio. Eliguntur duo filii *Belial*, qui eum vel in fluctus projicerent, vel fracto fuſtibus cerebro enecarent; habituri precium ſceleris optimas, quibus tunc indutus fuerat, veſtes. Quorum alter cum negante altero mantellum illius ſibi vellet ſortiri, protracta inde contentio, intentatam viro diſtulit mortem. Jamque die altero favens ad votum ceſſerat navigatio, cum ecce ventus turbinis à meridie ſurgens totum à profundis finibus conturbavit mare, noxque repentina obduxit caligine cœlum. Jactatur hinc & inde procellis carina, jam non gubernaculo, ſed ventis obediens & fluctibus. Nec ulterius procedere, nec littora valebat attingere. Jam rudentibus ruptis, fractoque malo, non tam ferebatur aquis, quam ipſa ferebat aquas. Nihil certius quam mortem expectabant. Sola hæc quantulacunque maris erat licentia, ut unde venerat navis rediret. Quo repellentibus eam undis, deliberata eſt in *Ranulfum* mortis ſententia, ne evadens illatas ulciſcatur injurias. Porro quidam ſecundus in navi à *Geraldo* tantum exhorrens ſcelus, repente aſtans, vultuque triſti & lachrimis ſuffuſo, Proh dolor, inquit, *Ranulfe*, jam morieris noſtro ſcelere peſſimo. Sed ſi mihi veniam dederis pravæ conſpirationis, hic tui defenſor aſtabo, tuæ vel vitæ vel mortis comes. Tunc ille ſicut magnanimus ſemper erat in periculis, ingenti clamore vociferans, Quid tu, inquit, *Geralde* cogitas? Quid de nobis machinaris? Homo meus es, fidem mihi debes, hanc violare, non tibi cedet in proſperum. Reſipiſce, & à pernicie facti ad quod intendis, animum revoca. Quin potius accipe profuturum tibi per omne tempus vitæ tuæ conſilium. Pete quantum volueris, ego ſum qui plura petitis præſtare potero. Et ne diſcredas promiſſis, ecce manu affirmo quod polliceor. Ille non tam promiſſis illectus, quam potentia viri exterritus, conſenſit: eductumque de navi jam in portum repulſa, honorifico in ſua domo quæ littori prominebat procuravit apparatu. Sed nequaquam credulus promiſſorum, fugæ præſidium iniens, æterno diſparuit exilio. *Ranulfus* vero accitis undecunque militibus, multa armatorum manu grandique ſtrepitu deducitur *Londoniam*, omnibus in ſtuporem verſis, ut quem fama divulgaverat extinctum, ſubito quaſi redivivus regalium negotiorum executor reſideret. Acceptior dehinc regi, omnes invidorum conatus caſſavit, ita undique circumſpectus, ut nullorum rege vivo pateret inſidiis. Anno ab incarnatione Domini M.xcix. 9. Non. 1099. Junii oct. Pentecoſtes, ſuſcepto epiſcopatu conſecratus eſt in eccleſia ſancti *Pauli Londoniæ*, à *Thoma* majore *Eboracenſi* epiſcopo, ſine ulla exactione profeſſionis, ſicut & *Willielmus* quondam prædeceſſor ipſius. Poſt annum autem & tres eoque amplius menſes accepti epiſcopatus, rege in venatu ſagitta interfecto, circumventus ab inſidiantibus epiſcopus, juſſu *Henrici* qui fratri ſucceſſerat 18. Kal. Septembr. capitur, diligentique cuſtodia in turre *Londonienſi* arctatur.

Sed non multo poſt, ſcil. tertio nonis Febr. magnæ calliditatis arte & ingenio clandeſtino auxilio fugiens noctu, omnem ſeſe tuentium omniumque perſequentium eluſit diligentiam. Veniens ergo Normanniam honorifice à duce Roberto fratre regis ſuſceptus eſt, à quo Lexovienſem eccleſiam, quæ tunc epiſcopo vacabat, ad ſui ſuorumque commodum ſubſidia accepit. Poſt non multum temporis cum duce præfato armis cum fratre congreſſuro, multa claſſe revehitur in Angliam, ubi ſtrenuis mediatoribus, pace inter fratres reformata, utriuſque partis transfugis ex conditione pacis liber in ſua permittitur reditus. Inter quos & Rannulphus epiſcopatum quidem ſuſcepit, verum gratiam regis licet magnis & continuis muneribus ad plenum ſibi redintegrare nequaquam valuit: ſed ut hanc qualitercunque vel ſimulatitiam mereretur, aggravavit nimium ſuper epiſcopatum, immoderatius inde exigens pecunias, quibus & regis familiarium ſibi tueretur gratiam. Qua de cauſa fragili fretus juvamine, ſuæ dioceſeos appenditia, ſcilicet Carlel & Heſtaldeſham revocare nequibat, quæ illo exulante, cum eccleſia non haberet defenſorem, ad ſuas quidam epiſcoporum applicaverant. Rex etiam ipſe odio ipſius cartam eccleſiæ diſcindi & annichilari præceperat, quam ad confirmationem poſſeſſionum eccleſiæ à rege Willielmo impetraverat. Cæterum inerat ei epiſcopo magnanimitas, quam quondam procurator regni contraxerat ex potentia, ut in conventu procerum, vel primus, vel cum primis ſemper contenderet eſſe, & inter honorificos honoris locum magnificentius obtineret, vaſtiori ſæpius clamore & vultu minaci, magis ſimulare indignationem quam exhibere. Ad hæc facunda ei verborum inventio, quam ſeriis admiſcens jocularia, dubios veri & falſi ſuſpendit auditores. Motus animi quoque interdum levis, nec diutius iram retinens nec lætitiam, ex altero in alterum permutari facilis. Inter hæc plurimum circa ſuos eminebat beneficiis. Jura libertatis epiſcopii, ſecundum vires contra extraneos defendebat. Circa opus eccleſiæ modo intentius, modo remiſſius agebatur, ſicut illi ex oblatione altaris & cœmiterii vel ſuppetebat pecunia vel deficiebat. His namque ſumptibus navem eccleſiæ circumductis parietibus, ad ſui uſque teſtudinem erexerat. Porro prædeceſſor illius, qui opus inchoavit, id decernendo ſtatuerat, ut epiſcopus ex ſuo eccleſiam, monachi vero ſuas ex eccleſiæ collectis facerent officinas. Quod illo cadente cecidit. Monachi enim omiſſis officinarum ædificationibus, operi eccleſiæ inſiſtunt, quam uſque navem Rannulphus jam factam invenit. Addit etiam ornamentis eccleſiæ dorſalia, pallia, cappas, caſulas, tunicas quoque & dalmaticas, anguſtias curiæ monachorum, porrecto in longum & latum ſpacio dilatavit. Pauperibus modo rogatus, modo ultroneus, larga manu fuit beneficus. Urbem hanc licet natura munierit, muro ipſe reddit fortiorem & auguſtiorem. A cancello eccleſiæ ad arcem uſque caſtelli producta murum conſtruxit longitudine. Locum inter eccleſiam & caſtellum, quem multa occupaverant habitacula, in patentis campi redegit planitiem, ne vel ex ſordibus contaminatio, vel ex ignibus eccleſiam attingerent pericula. Diverſas *Wiri* fluminis ripas continuavit ſtructo de lapide magni operis ponte arcuato. Condidit caſtellum in excelſo præruptæ rupis ſuper *Twedam* flumen, ut inde latronum incurſus inhiberet, & *Scottorum* irruptiones. Ibi enim utpote in confinio regni *Anglorum* & *Scottorum*, creber prædantibus ante patebat excurſus, nullo ibidem quo hujuſmodi impetus repelleretur, præſidio locato. Taliter impulſu quodam impatiente otii de opere tranſibat ad opus, nil reputans factum, niſi factis nova jam facienda ſuccederent. Vivacis animi, & vegeti fuit corporis, in eodem incolumitatis ſtatu uſque biennium ante mortem perdurans. Abhinc enim & ſalus ei paulatim langueſcere, & acumen ſenſus cœpit retundi. Aggravatus tandem lethali morbo, ortu dierum canicularium in lectum decidit, eorundemque occaſu moriens occidit. Aſſederant ægrotanti aſſidue majores eccleſiæ, exhortantes ut præoccuparet faciem Domini in confeſſione, & faceret ſibi amicos de mammona iniquitatis, atque quibus deberet, juſta cuique perſolveret. Dehinc fit inter pauperes & debitores diſtributio pecuniæ. Sed quicquid debitoribus, quicquid pecuniarum alicubi vel diſtributum fuerat, vel repoſitum, niſi quantum eccleſiæ quædam & pauperes acceperant, totum rex poſt obitum epiſcopi per exactores in ſuos theſauros recolligi juſſit. Uno ferme antequam moreretur menſe, ſe in eccleſiam juſſit tranſportari: ubi reſidens contra altare, ex profundo cordis erumpens in gemitum, circumſtantibus modo clericis, & pluribus epiſcopii hominibus, cœpit altius pœnitere malorum quæ geſſerat contra eccleſiam, ſcilicet quod ejus priſtinam libertatem redegerit in ſervitutem, quod ingenuas illius conſuetudines & terras quaſdam abſtulerit. Et hoc, inquit, non coactus inopia feci: ſed cupiditate illectus, plus volui illis nocere, quam potui. Nunc autem & libertatem quam inveni, & quæcunque abſtuli, reddo: ut mihi peccatorum meorum pœnitenti veniam indulgeat Deus. Dehinc per annulum altari impoſitum, omnia reſtituit eccleſiæ ablata, cartaque ſua & ſigillo confirmavit reſtituta.

De Gaufrido *Epiſcopo.*

ANNO Dominicæ incarnationis M. CXXIX. 1129. *Rannulfus* epiſcopus *Dunelmenſis* moritur, epiſcopatus ſui anno 29. regni regis *Henrici* 28. Eo defuncto committitur epiſcopatus *Dunelmenſis* duobus baronibus ad opus regis cenſum colligentibus. Vacavitque epiſcopatus per quinquennium. Eo tempore navis eccleſiæ *Dunelmenſis* monachis operi inſtantibus peracta eſt.

Anno Dominicæ incarnationis M. CXXXIIJ. 1133. in epiſcopum *Dunelmenſem* eligitur *Gaufridus* regis Cancellarius, qui *Rufus* dicebatur, conſecratus *Eboraci* à *Turſtino* archiepiſcopo *Eboracenſi*. Cujus anno tertio Rex *Henricus* moritur, anno Dominicæ incarnationis M. CXXXVJ. Cui mox in regnum ne- 1136.
pos ipſius regis ex ſorore, *Stephanus* ſucceſſit, qui laborioſiſſime regnum *Anglorum* 19. annis tenuit, diſſidentibus inter ſe primatibus totius regni. Diſſenſionis autem cauſa hæc erat; quod tempore regis *Henrici*, regnum filiæ ipſius regis juraverant, quæ dudum imperatrix *Alemannorum*, ea tempeſtate, comiti *Andegavenſium* matrimonio copulata erat. Hac de cauſa *David* rex *Scottorum*, & comites quique *Angliæ*, à rege *Stephano* diſſidentes dum ſibi invicem adverſantur, iniquis quibuſque maliciæ exercendæ facultatem tribuerunt, ut major pars regni deſolata relinqueretur. Epiſcopus ſane *G.* primo epiſcopatus ſui tempore depravatus à quibuſdam ſeverius cum monachis agere compellitur. Sed non

multo poſt in ſe reverſus, libertates & conſuetudines tam eccleſiæ quam monachis more prædeceſſorum ſuorum indulſit, & Priori eccleſiæ quæcunque vel patrum eccleſiæ authoritas, vel probata ſervaverat antiquitas, & priſca conſuetudo benigne conceſſit. Ipſius tempore capitulum monachorum, quale hodie cernitur, inchoatum & conſummatum eſt. Moriens vero ornamenta eccleſiæ non mediocria contulit.

De invaſore tempore Willielmi 2di *Epiſcopi.*

SEd in ipſius obitu contigit eccleſiam graviſſimas tempeſtatum procellas incurrere. Erat enim clericus quidam regis *Scotia* Cancellarius jam pridem eidem ante epiſcopatum notus, & à ſecretis, ſiquidem & eum ab annis adoleſcentiæ educaverat. Qui paululum ante obitum ejuſdem *Dunelmum* veniens, & cum eo familiariter converſatus, cum finem epiſcopi appropinquare cerneret, familiares quoſque clericos, caſtellanos etiam ſibi fide vel ſacramentis aſſociat, ut mortuo epiſcopo eidem caſtellum committerent. Eo igitur mortuo, ab eiſdem extorſit, ut epiſcopus celaretur donec cum rege *Scotia* loqueretur, ut ipſius adjumento epiſcopatum acquireret. Proinde quia cadaver aliter teneri non potuit, eviſceratus eſt à ſuis epiſcopus, & à monachis abſconditus, ne rem cognoſcerent, à tertia feria uſque ad ſextam feriam. Tunc enim eodem à curia reverſo, Prior & monachi admittuntur caſtello jam ad voluntatem ipſius diſpoſito. Erat eo tempore maxima regni turbatio. Siquidem rex *Stephanus* dum comitem *Ceſtria* in *Lincolnia* obſideret, idem comes furtim egreditur, & ſociato ſibi comite *Gloceſtria*, cæteriſque imperatricis fautoribus ad urbem regreditur, ubi inter eos prælio facto rex milite deſtitutus capitur, non tamen abſque detrimento capientium. Erat ſiquidem robuſtus viribus, & rebus bellicis eo tempore incomparabilis. Eo igitur incarcerato, imperatrix regis *Henrici* filia cum magno favore à *Londonienſibus* excipitur. Quo comperto, rex *Scotia David* ad Curiam ejuſdem proficiſcitur, ſecum cancellarium ſuum ducens, qui pretio ab eodem exegerat, ut ejus cauſa erga imperatricem ageret. Jamque ſe *Dunelmenſem* electum vocari volebat, quod facile adulatoribus undecunque concurrentibus perſuaſum eſt. Denique in curia jam conſtitutus, tam à rege *Scotia* quam cæteris mediantibus tandem in aſſenſum imperatrix inducitur. Factoque conſenſu, cum jam jamque ſe baculo epiſcopali ab imperatrice inveſtiendum ſperaret, in ipſa curiæ coadunatione, ſubito turba exoritur, à regiis commota fautoribus, & imperatrix cum ſuis omnibus aufugit, *Londonienſium* conſpiratione comperta. Nec multo poſt cum imperatrix *Wintonia* moraretur, ibidem à gente *Londonienſium* obſidetur, qui reginam evocaverant, & ei *Londoniam* tradiderant. Illic congreſſione facta à baronibus hinc inde pro partis utriuſque favore confluentibus, *Rodbertus* comes *Gloceſtria* capitur, rex *Scotia* fugatur, cæteri quique huc illucque diſperguntur. Hac vero captione contigit, ut rex liber dimitteretur. Rege *Scotia* repatriante, Cancellarius prædictus *Dunelmi* remanſit per tres annos quibus vacabat epiſcopatus, operibus prætendens, quo reſpectu epiſcopatum deſideraverit, niſi quantum eum ſpes honoris adipiſcendi refrænabat. Multa in epiſcopatu cupiditatis, imo crudelitatis ſigna reliquit. Monachis tamen jocundus ſemper & affabilis erat, à quibus ſe promovendum ſperabat. Sed eum ſua ſpes fefellit. Secundo ſiquidem anno, ex conſilio capituli Prior eccleſiæ *Eboracum* proficiſcitur, communicato primitus conſilio, ut quem ipſe cum majoribus eccleſiæ eligeret, ad hunc cæteri domi reſidentes animum intenderent excommunicatis primitus ex ſententia capituli *Willielmi* fautoribus. Deinde vero legati *Romam* diriguntur, domino papæ cauſam indicaturi. A quo accepto eligendi quem vellent, præcepto, convenientes in eccleſia *Eboracenſi*, quia in *Dunelmenſi* convenire non poterant, convocatis religioſis quibuſdam de epiſcopatu perſonis, prior & ejuſdem eccleſiæ archidiaconus cum cæteris ejuſdem eccleſiæ decanum in epiſcopum eligunt anno Dominicæ incarnationis M. Cxliv. Erat eo tempore Dominus 1144. *Wintonienſis*, Apoſtolicæ ſedis legatus, cujus ope & conſilio maxime innitebantur *Dunelmenſes* contra invaſorem epiſcopatus. Qui & ab eodem pridem excommunicatus eſt cum fautoribus ſuis. Præſentatum itaque ſibi electum *Dunelmenſem*, ſuſcepit honorifice, regemque fratrem ſuum ſcilicet ad aſſenſum electionis inclinavit, & comitante gratia ejuſdem debito cum honore conſecravit ſeptem epiſcopis aſtantibus xij. Kal. Julii. Conſecratus vero *Eboracum* rediit, & in invaſores eccleſiæ ſuæ ſententiam excommunicationis propalavit. Mox vero quidam de baronibus epiſcopatus ſe eidem ut domino ſubdiderunt. E quibus *Rogerus* quidam *de Coinariis* continuo munitionem quandam in epiſcopatu firmavit, ubi ſi opus eſſet, epiſcopus reciperetur, ad ſui ſuorumque tuitionem. Quo non multo poſt epiſcopus à ſuis venire compellitur, ſi forte invaſores eccleſiæ reſipiſcere voluiſſent. Nec interim vacabant caſtellani *Dunelmenſes* quin prædas ducerent, militibus qui ad epiſcopum confluebant, occurrerent, & ad eum tranſeuntibus impedimento forent. Si qui vero locupletiores inde conjuncti fuiſſent, qui ad epiſcopum ſuum confugere voluiſſent, tormentis continuo afficiebantur donec ſe pecuniis redemiſſent. Fiebat itaque diebus ſingulis perſcrutatio ingens, & quicunque ditior, calumniæ vicinior erat. Conducti enim ab invaſore milites pro libidine cuncta faciebant, & dum cupiditati modis omnibus ſatisfacere ſatagunt, pecunias ſingulorum tormentis & pœnis exquiſitas extorquent. Miſeranda tunc erat urbis facies, cum per domos ſingulas urbis tormenta innumera cerneres, tanquam ſi diverſorum temporum tiranni quique in unum confluxiſſent. Cerneres alios eculeis diſtendi, alios per verenda ſurſum trahi, alios techis parviſſimis lapidibus ſubſtratis includi, & pene quaſſari. Alios vero in hyeme validiſſima nudos extra domos vinciri, pedibus infra domos trunco incluſis. Inter hos & ipſe qui caſtellum tradiderat, pœnis immaniſſimis ab eodem extinctus eſt, nepos ſcilicet epiſcopi, debitum ſancto *Cuthberto* perſolvens ſupplicium, qui invaſorem ipſius eccleſiæ infra caſtellum ad ipſius eccleſiæ detrimentum recepit. Adjecit & hæc invaſoris impietas, ut quoſcunque monachos erga epiſcopum benevolentiores ab eccleſia removeret. Quod ex hujuſmodi cepit occaſione. Confluentibus enim ad epiſcopum undecunque militibus, ſive ſpe lucri ſeu etiam ipſius epiſcopi exhortationibus & reverentia honeſtatis illius & religionis, erat enim & religione præcipuus, & præcellens prudentia, à baronibus totius epiſcopatus invitus compellitur vires experiri confluentium, ſi forte vel seniore humano cederet, qui divino dedignabatur cedere. Subito igitur *Dunelmi* astantes cum militum valida manu, in proximo *Dunelmi* municipium firmare statuunt, unde cominus hostibus infra urbem consistentis congrederentur. Quod ne perficeretur, impedimento fuit comes de Richemund, qui mercede conductus ab ecclesiæ invasore, egit nunciis clandestinis ne episcopus abscederet; alioquin se superventurum minabatur. Cessit episcopus, quia ei vires ad resistendum Comiti non supperterent, & alibi munitio à suis firmata est vj. ab urbe miliario. Ubi militibus congregatis per aliquantum temporis resedit, militibus quotidie ad urbem recurrentibus, & vires hostium infirmare certantibus. Nec multum proficere poterant militibus *Dunelmensibus* occurrentibus, & satis superque strenue agentibus, qui quocunque divertissent, vel superiores vel pares existebant. Perseveravit hæc rerum turbatio inter episcopum *Dunelmensem* & episcopatus invasorem per annum integrum & menses quatuor. Quibus completis, cum jam virtus deficeret humana, nec spes adversarios subigendi restaret, nisi ope & auxilio divino, subito ostensione divini miraculi terrentur adversarii, unde suæ vitæ metu & divinæ terrore animadversionis invasa relinquere compelluntur. Dum enim prioribus facinoribus nova cumulantes super ecclesiam in honorem beati *Iohannis* evangelistæ fabricatam castellum ad munimentum partis suæ firmare satagunt, subito nepos ejusdem miles egregiæ virtutis in ipsa operis inchoatione, ultione divina imminente, & beati Evangelistæ, infirmitate correptus vix ad urbem revertitur, ubi dæmonio traditus vexari cœpit, quousque animam miserabiliter exhalaret. Alter etiam nepos ejus jam pridem infirmitate subitanea diem clauserat ultimum. Nec multo post milites quique totius episcopatus cum baronibus congregati castellum illud quod supra ecclesiam firmatum erat obsident: nec multo post, injecto igne, obsessos quosdam igne conflagrarunt, quosdam ad deditionem compulerunt. Multi præterea ipsi invasori familiarius adhærentes subitis intercepti casibus, utraque morte præventi sunt. Ex his vero qui ecclesiam sancti *Cuthberti* violaverant, pene nullus evasit, quin infra breve terminum pacis violatæ debitas sibi pœnas persolverent. Ecclesiam enim hac occasione violari contigit. Cum majores totius episcopii ipsum secum ducentes episcopum urbi, sicut præmisimus, vicinarentur, ut in proximo municipium facerent ad urbis obsidionem, quia ecclesia supra vallem qua urbs cingitur collocata videtur, metuentes ne forte clanculo milites in ecclesiam admitterentur, utpote monachis episcopo suo faventibus, primo per alios monachos convenit, ut suos in Ecclesia custodes admitterent. Sed hoc monachis durissimum videbatur, excommunicatis ecclesiæ delegare custodiam. Proinde se infra ecclesiam recipientes valvas ecclesiæ claudunt, excommunicatis introitum interdicentes ecclesiæ, ipsi vero in oratione prosternuntur. Cum ecce sonitus aures eorum pulsat militibus januas excidentibus. Alii vero per scalas adeuntes fenestras effractis fenestris introeunt, & valvas sociis aperiunt. Deinde ecclesia duobus militibus ab ipso violatore committitur, monachis se infra officinas proprias cohibentibus, nec in ecclesia vel psallere præsumentibus, vel orare propter excommunicatorum præsentiam. Miseranda prorsus & deflenda rerum facies, ecclesiam illam celeberrimam in solitudinis vastitatem redactam, ut nec orandi monachis locus pateret, sed istius desolationem repræsentaret, de qua scriptura commemorat. *Et Jerusalem non inhabitatur, sed erat sicut deserta, nec erat qui ingrederetur & egrederetur de natis ejus.* Perseveravit hæc desolatio anno uno & hebdomadibus septem. Denique sinistris suorum eventibus territus invasor ecclesiæ, cœpit occasionem quærere iram potius divinam evadere, quam ecclesiæ quam læserat, satisfacere. Veniente itaque in provinciam illam archiepiscopo *Eboracensi*, eum mox ille excepit, & castellum cuidam ex baronibus *Rogerio* scilicet de *Coineriis* in fidelitatem sancti *Cuthberti* servandum commisit, ipse munitionem, quam dudum ut præmisimus idem *Rogerius* firmaverat, ad sui suorumque tuitionem suscipiens. Taliter in sedem suam episcopus admittitur, & in statum pristinum redintegratur ecclesia, anno Dominicæ incarnationis M.Cxliv. 1144 secundo anno consecrationis ejusdem episcopi *W.* secundi. Novem deinceps in episcopatu vixit annis, multa in episcopatu adversa sustinens, tam propter regis *Scotiæ* exactiones non justas, quam propter vicinorum latrocinia, & depredationes non tam crebras quam pene continuas. Ipsius temporibus dormitorium monachorum perfectum est. Vixit in episcopatu annis 9, mensibus quatuor, diebus quinque. Transiit Idus *Decembris* tam annis plenus quam moribus: vir & religione & prudentia plurimum laudabilis, posteris quoque imitabilis, in divinis rebus à pueritia exercitatus, & ad officium episcopatus sufficienter idoneus: canitie quidem venerabilis, sobrietate tamen victus & vitæ continentia morumque gravitate venerabilior.

De electione & ordinatione Hugonis *episcopi.*

ANno Dominicæ incarnationis M.Cliv. anno 1154 regis *Stephani* 18. papatus *Eugenii* 9. adventus *Anglorum* in *Angliam* 703. Indict. 1. Epactæ 23. Concurrentes 3. Reg. 5. Ciclo decennio vº 14. 79 die post obitum *Willielmi* episcopi, 11 Kal. *Februar.* electus est in Episcopum *Hugo Eboracensis* ecclesiæ thesaurarius & archidiaconus, convenientibus quibusque religiosis personis totius episcopatus, in capitulum *Dunelmensem*. Qui regi *Stephano* præsentatus suscipitur electione capituli concessa, ordinatio tamen paululum remorata est zelo domini *Eboracensis* archiepiscopi tunc *Henrici*, qui non solum electioni assensum non adhibuit, quinimo sententiam maledictionis in priorem & archidiaconum nimis inconsulte intorsit. Quod tamen quia & præcipitanter & irrationabiliter nimis egerat in irritum cessit: siquidem prior & archidiaconus dominum papam tunc temporis *Anastasium* adeuntes honorifice concessa & confirmata electione suscipiuntur, & ordinato à domino papa episcopo cum gaudio remearunt ad propria. Nactus episcopatum ad munitionem sui suorumque castellum super *Twedam* fluvium contra *Scottorum* irruptiones præcepto regis ædificavit, quod pridem à *Ranulpho* quondam *Dunelmensi* episcopo ædificatum à *Scottorum* exercitu destructum fuerat. Plura vero ædificia in episcopatu fecit; necnon in ipsa urbe sedis suæ, veteribus destructis, nova & insignia fecit ædificia. In ecclesia sane sedis suæ in qua corpus beatissimi *Cuthberti* requiescit, ornamenta multa dedit, ecclesiam quoque insigni

An.Dñi

ſigni opere produxit, & tam longiorem quam clariorem reddidit, addito de longinquo marmore quo totum decoraretur ædificium, multiplicatis inſigni pictura feneſtris vitreis circa altaria. Præterea vero quoddam feretrum nimis ſpecioſum, auro puriſſimo & argento mundiſſimo optime fabricatum, lapidibuſque pretioſis opere mirifico adornatum conſtruxit, in quo viri venerabilis *Bedæ* presbiteri, & *Girwenſis* monachi oſſa, cum multorum aliorum ſanctorum reliquiis collocavit.

Hæ reliquiæ in Dunelmenſi *continentur eccleſia.*

Corpus ſancti patris *Cuthberti* cum carne & oſſibus totum integrum, quaſi adhuc eſſet vivus. Caput ſancti *Oſwaldi* regis & martyris, quod locatum eſt in ſcrinio cum corpore ſancti *Cuthberti*. Inventa ſunt quoque cum corpore ipſius ſancti patris, *Oſſa* ſancti *Aidani*, *Edberti*, *Edfridi*, *Ethelwaldi* epiſcoporum, *Balterii* & *Bilfridi* anachoritarum. Corpus venerabilis *Bedæ* presbiteri & doctoris, *Oſſa* ſanctarum fœminarum *Ebbæ* & *Elfgithæ*. Corpus & veſtimenta ſancti *Boiſili*, qui fuerat magiſter ſancti *Cuthberti*. *Oſſa* & capilli ſancti *Ethelwoldi* presbiteri qui ſucceſſit S. *Cuthberto* in anachoreſi. Caput *Ceolwlfi* regis & poſtea monachi in *Lindisfarnenſi* eccleſia.

An.Dñi

Incipit hiſtoria de ſancto *Cuthberto*, & de commemoratione locorum regionumque ejus priſcæ poſſeſsionis, à primordio uſque nunc temporis.

In nomine Dei ſummi de ſancto *Cuthberto*, & de commemoratione locorum, regionumque ejus priſcæ poſſeſſionis, à primordio uſque nunc temporis, hoc modo incipit. In prima ſua juventute quando ſanctus *Cuthbertus* erat vigilans ſuper pecora domini ſui prope aquam quæ vocatur **Leder**, in ſpiritu orabat ad Dominum, ſicut ei mos erat ſemper ab infantia ſua, & ſemper ei fuit, quamdiu vixit cum hominibus. Erat autem etiam ſibi mos ſemper intrare in frigidiſſimam aquam ſecreto, & ſuo ſolo conſilio. Et hoc primum fuit miraculum ſibi divinitus oſtenſum, quod cum dormientibus ſociis ſuis ſuper pecora vigilaret, & in modum crucis poſitus oraret, vidit animam beati *Aidani Lindiſfarnenſis* epiſcopi ab angelis in cœlum deferri. Et ſtatim mane facto, noluit amplius cuſtodire pecora, ſed domino ſuo reddidit, & ad monaſterium quod **Meilros** vocatur ivit, & ad pedes ſancti abbatis *Boiſili* cum magna devotione cecidit, & ei quicquid viderat de anima beati epiſcopi diligenter indicavit: & ſtatim tonſo & coronato capite, monachus effectus eſt, & poſtea theoricam actualemque vitam uſque in finem vitæ ſuæ bene cuſtodivit. Tunc ſanctus abbas *Boiſil* ſtatim notum fecit regi *Oſvingio* ſanctam viſionem beati *Cuthberti*, & quod plenus eſſet ſpiritu ſancto. Tunc rex & omnes meliores *Angli* dederunt ſancto *Cuthberto* omnem hanc terram quæ jacet juxta fluvium *Bolbenda* cum his villis **Suggariple**, & **Hesterhoh**, & **Giſtatadun** & **Waquirtun**, & **Cliftun**, & **Scerbedle**, & **Coſwela**, & **Eltherburna**, & **Thornburnum**, & **Scotadun**, & **Gathan**, & **Minethrun**. Et ipſe ſanctus abbas ſub teſtimonio ipſius regis monaſterium **Meilros** cum omnibus ſuis appendentiis ut haberet illud proprium poſt diem obitus ſui. Quo mortuo idem ſanctus *Cuthbertus* poſt eum abbas extitit, & diu ibi vixit, verbum Dei evangelizans, & multitudinem magnam baptizans. Tandem diſponens arctius vivere inde exivit, & in quandam remotam inſulam nomine *Pharne* ſe contulit, & ibi per novem annos ſe quaſi in carcere concluſit pugnans contra humani generis hoſtem, ne mens ſua à Deo averteretur: & ibi erat cum eo Spiritus ſanctus, ſicut nunc eſt, & ſemper erit. In hac eadem inſula diu moratus eſt ſanctus *Aidanus* epiſcopus tempore *Pendæ* regis filii *Wibbindri*, quibus ſucceſſit rex *Oſvingius*. Eodem tempore defunctus rex *Oſpegius* eſt, & regnavit pro eo filius ejus *Egfridus*. Quo regnante *Theodorus* archiepiſcopus *Eboracenſis* & omnis populus communi conſilio, & una concordia, ſanctum *Cuthbertum* fieri epiſcopum apud **Hestaldesham** acclamaverunt. Ille vere omnibus modis renitebatur, ſe peccatorem, & epiſcopatu indignum aſſerens, & ſe in ſua inſula arctiſſime concludens exemplo beati *Gregorii* papæ, qui cum peteretur epiſcopus à *Romanis*, fugit, & non niſi per vim rediit, ſecundum illud Evangelicum, *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Tunc rex *Ecgfridus* & archiepiſcopus *Theodorus*, & omnis populus congregata ſynodo communi conſilio decreverunt, ut eum vellet nollet de inſula educerent, & in epiſcopatu ſubrogarent. Quod & factum eſt. Raptus enim à populo juxta *Eboracam* civitatem ad villam quæ vocatur *Alna* deductus. Ubi accepto ab omnibus fidelitatis ſacramento ad *Eboracam* civitatem honorifice eſt perductus, & in eccleſia beati *Petri* Apoſtoli à *Theodoro* archiepiſcopo eſt ordinatus. In qua ordinatione fuerunt ſeptem epiſcopi, *Ceadde* & *Cedde*, & quatuor alii ſancti Epiſcopi. Eadem die *Eata* Epiſcopus *Lindisfarnenſis*, & ſanctus *Cuthbertus* communi conſilio *Egfridi* regis & archiepiſcopi & illorum ſeptem epiſcoporum, & omnium majorum ſedes ſuas commutaverunt. Sicque *Eata* apud **Hestaldesham** ſedit, ſanctus vero *Cuthbertus* propter priorem converſationem *Lindisfarnenſem* cathedram obtinuit. Et hic eſt *Lindisfarnenſis* terræ terminus; A fluvio *Tweoda* uſque ad Phanamuthe, & inde ſuperius uſque ad illum locum ubi hæc aqua quæ vocatur **Pharned** oritur juxta montem **Hybberndune**, & ab illo monte uſque ad fluvium qui vocatur **Bromic**, & inde uſque ad fluvium qui vocatur **Till**: & tota terra quæ jacet ex utraque parte ipſius fluminis **Bromic**, uſque ad illum locum ubi oritur. Et illa terra ultra

Tweoda; ab illo loco ubi oritur fluvius *Edre* ab aquilone, uſque ad illum locum ubi cadit in *Tweoda*, & tota terra quæ jacet inter iſtum fluvium *Edre*, & alterum fluvium qui vocatur **Leder** verſus occidentem, & tota terra quæ jacet ab orientali parte illius aquæ, quæ vocatur **Leder**, uſque ad illum locum ubi cadit in fluvium *Tweoda* verſus auſtrum: & tota terra quæ pertinet ad monaſterium ſancti *Balthere* quod vocatur **Tiningahame** à **Lambermore** uſque ad **Eskemuthe**. Et rex *Ecgfridus* & *Theodorus* archiepiſcopus dederunt ſancto *Cuthberto* in *Eboraca* civitate totam terram quæ jacet à muro eccleſiæ ſancti *Petri*, uſque ad magnam portam verſus occidentem, & à muro eccleſiæ ſancti *Petri*, uſque ad murum civitatis verſus auſtrum. Dederunt etiam ei villam quæ vocatur *Creca*, & tria milliaria in circuitu ipſius villæ, ut ibi manſionem haberet quotiens ad *Eboracam* civitatem iret, vel inde rediret. Et ibi ſanctus *Cuthbertus* congregationem monachorum poſuit, & abbatem ordinavit. Et quia videbatur parva terra, adjecit civitatem quæ vocatur *Luel*, quæ habet in circuitu quindecim milliaria, & in eadem civitate poſuit congregationem ſanctimonialium, & abbatiſſam ordinavit, & ſcolas conſtituit. Poſtquam vero ſanctus *Cuthbertus* ſuſcitavit puerum à mortuis in villa quæ vocatur *Exanforda*: dedit ei rex *Egfridus* terram quæ vocatur **Cartmel** & omnes *Britanni* cum eo, & villam illam quæ vocatur **Suthgedluit**, & quicquid ad eam pertinet. Hæc omnia ſibi à ſancto *Cuthberto* commiſſa bonus abbas *Cineferth* filius *Cygincg* ſapienter ordinavit, ſicut voluit. Ea tempeſtate pugnavit *Egfrid* rex contra regem *Merciorum Vulfhere* filium *Pendici*, & cæſo exercitu illius ipſum vicit, & in fugam uno tantum comitante puerulo convertit. Et hoc obtinuit per auxilium ſancti *Wilfrithi*, qui cum eo fuit, maxime vero per orationes ſancti *Cuthberti* qui abſens erat. Poſt hoc bellum dedit *Egfridus* rex ſancto *Cuthberto Carrum*, & quicquid ad eam pertinet. Et habuit eum in ſumma veneratione quamdiu vixit, ipſe & tota ſua cognatio, donec eo defuncto venerunt *Scaldingi*, & *Eboracam* civitatem fregerunt, & terram vaſtaverunt. Poſt hoc ſucceſſit in regnum *Ceolvulf* filius *Cuthwining*, qui etiam ſe ſancto *Cuthberto* ſubdidit, & dimiſſo regno cum uxore pro amore Dei ſe cum magno theſauro ad monaſterium *Lindisfarnenſe* contulit, barbam depoſuit, coronam accepit, & S. *Cuthberto* villam nomine **Wercewurthe** cum ſuis appendiciis dedit. Et hii ſunt termini iſtius villæ. Ab aqua quæ vocatur *Lina*, uſque ad *Cocwuda*, & inde uſque ad civitatem quæ vocatur *Brincewele*, & à *Cocwuda* uſque ad *Hfodſcelfe* verſus orientem, & ab *Alna* uſque in dimidiam viam inter *Cocwud* & *Alna*. Hoc tempore obiit ſanctus *Cuthbertus*, & ſucceſſit *Ecred* epiſcopus, qui tranſportavit quandam eccleſiam olim factam à beato *Aidano* tempore *Oſwaldi* regis, *Lindisfarnenſis* inſula ad *Northam*, ibique eam re-ædificavit, & illuc corpus ſancti *Cuthberti* & *Ceolfvulfi* regis tranſtulit, ipſamque villam ſancto Confeſſori dedit cum duabus aliis villis, *Gedwearde*, & altera *Gedwearde*, & quicquid ad eas pertinet, *Adunaque* uſque ad *Teſegedmuthe*, & inde ad *Wiltuna*, & inde ultra montem verſus auſtrum. Poſtea idem ſanctus epiſcopus *Ecgred* ædificavit eccleſiam apud villam quæ vocatur **Geinford**, & dedit eam ſancto *Cuthberto*, & quicquid ad eam pertinet, à flumine *Teſe* uſque ad *Wheor*, & à via quæ vocatur **Deorestrete** uſque ad montem verſus occidentem. Et ultra fluvium *Teſa* tria milliaria verſus auſtrum: & ſex verſus occidentem. Et idem epiſcopus ædificavit duas villas, **Aclif**, & **Wigeclif** ultra *Teſe* & **Billingham** in Heorternesse, & dedit eas ſancto *Cuthberto*. Poſt hæc *Hosbertus* rex abſtulit ſancto *Cuthberto* duas villas **Wercewurthe** & **Tillemuthe**. Sed poſt ſpacium unus anni eripuit Deus ab eo vitam & regnum. Cui ſucceſſit rex *Elle* qui bene promiſit ſancto Confeſſori, ſed male egit: nam abſtulit ab eo **Billingham**, & **Aclif**, & **Wigeclif**, & *Creca*, & ideo ira Dei & ſancti Confeſſoris accenſa eſt ſuper eum. Nam *Ubba* dux *Freſiorum* cum magno *Danorum* exercitu in regnum ejus venit, & in ſancto die Palmarum apud *Eboracam* civitatem applicuit. Quod cum audiſſet *Elle*, qui tunc propter odium ſancti *Cuthberti* in *Creca* morabatur, cum magna ſuperbia ſurrexit, exercitum cum fratre ſuo *Osberto* congregavit, in hoſtem irruit: ſed mox ira Dei & ſancti Confeſſoris perterritus, cæſo exercitu corruit, vitamque & regnum perdidit, ſicut olim contigit *Sauli* regi filio *Cis*, qui cum bene promiſiſſet Deo & *Samueli* prophetæ, mentitus eſt, & male egit: & idcirco in pugna contra *Philiſteos* cum filio ſuo *Jonatha*, & melioribus filiorum *Iſrael* cecidit. Idcirco caveant reges & principes, ne mentiantur, & ne quid auferant ſancto *Cuthberto*, nec conſentiant auferentibus. Quia, ut ait ſanctus *Paulus*, *Non ſolum peccant qui faciunt, ſed qui conſentiunt*. Priuſquam *Scaldingi* venirent in *Anglicam* terram dederunt *Ceolwulfus* rex & epiſcopus *Eſdred* ſancto *Cuthberto* quatuor villas, **Wudecestre**, & **Hwitingham**, & **Eadwulfincham**, & **Ecgwulfingham**, & eccleſias harum villarum conſecravit idem epiſcopus. Occiſo *Elle*, & fratre ejus *Osberto* nullus de cognatione eorum regnavit, obtinente hoc apud Deum ſancto *Cuthberto* in quem multum peccaverant, quia *Scaldingi* omnes prope *Anglos* in meridiana, & in aquilonali parte occiderunt, eccleſias fregerunt & ſpoliaverunt. Igitur *Haldene* rex *Danorum* in *Tinam* intravit, & uſque Wyrcesorda navigavit, omnia vaſtans, & contra ſanctum *Cuthbertum* crudeliter peccans. Sed mox ira Dei & ſancti Confeſſoris ſuper eum venit. Nam adeo cœpit inſanire ac fœtere, quod totus exercitus ſuus eum à ſe expulit, & longe in mare fugavit, nec poſtea comparuit. Eo tempore ſanctus *Cuthbertus* apparuit in nocte ſancto abbati **de Luercestre** nomine *Eadred*, talia ei injungens firmiter: Vade, inquit, ſuper *Tinam* ad exercitum *Danorum*, & dic eis ut ſi volunt mihi obedientes eſſe, oſtendant tibi emptitium quendam puerum cujuſdam viduæ nomine *Guthred*, filium *Hardacnut*, & ſummo mane tu da, & totus exercitus pro eo precium viduæ. Et hora tertia legale precium, hora vero ſexta duc eum ante totam multitudinem, ut eum regem eligant. Hora vero nona duc eum cum toto exercitu ſuper montem qui vocatur **Oswigesdune**, & ibi pone in brachio dextro armillam auream, & ſic eum omnes regem conſtituant. Dic etiam ei poſtquam rex effectus fuerit, ut det mihi totam terram inter *Tinam* & *Wirram*;

& quicunque ad me confugerit, vel pro homicidio, vel pro aliqua neceſſitate, habeat pacem per 37. dies & noctes. Hac viſione certus, & rationabili beati Confeſſoris præcepto roboratus, ad barbarum exercitum ſanctus ille abbas confidenter properavit, à quo honorifice exceptus eo ordine quo ſibi injunctum fuerat fideliter executus eſt. Nam & puerum illum invenit, redemit, & magno totius multitudinis favore, regem conſtituit, terram & pacem accepit. Tunc *Eardulfus* epiſcopus detulit ad illum exercitum, & ad illum montem corpus ſancti *Cuthberti*, ſuper quod juravit ipſe rex: & totus exercitus pacem & fidelitatem, donec viverent, & hoc jusjurandum bene ſervaverunt. Igitur exercitus ille quem *Ubba* dux *Freſonum*, & *Healdena* rex *Danorum* in *Anglicam* terram adduxit, in tres partes diviſus eſt: una *Eboracam* civitatem re-ædificavit, terram in circuitu coluit, & ibi remanſit. Alia vero quæ terram *Merciorum* occupavit, & tertia, quæ terram auſtralium *Saxonum* invaſit, per tres annos multa mala egerunt, omneſque regii generis interfecerunt, præter ſolum *Elfredum* patrem *Eadvardi* regis, qui his tribus annis in *Gleſtigienſi* palude latuit, in magna penuria. Quadam igitur die cum totam familiam ſuam miſiſſet piſcatum, præter uxorem, & unum familiarem miniſtrum, peregrinus quidam affuit, ad eum intravit, cibum petiit. Quod cum ex humana condeſcenſione ei charitative largiri præcepiſſet, & nihil ibi eſſe ad totum diurnum victum, præter unum panem, & parum vini à miniſtro didiciſſet, Deo gratias egit, & utriuſque medietatem ei libenter impartiri juſſit. Quod cum miniſter devote impleſſet, & de gratiarum actione illius domino ſuo retuliſſet, citiſſime reverſus, panem quidem integrum, & vinum repperit: illum vero non invenit, nec quomodo per paludes illas veniſſet, vel rediſſet, maxime cum ibi navis non eſſet, inveſtigare potuit. Super hoc autem non parum admirante *Alfredo*, & cogitante, ecce hora diei nona reverſa eſt piſcatu familia, cum tribus navibus omnino plenis piſcibus, aſſerentes plus illa die cepiſſe, quam tribus annis quibus morati ſunt in palude. Lætus igitur, & de hoc eventu ſollicitus, diem iſtum lætius & abundantius ſolito tranſegit. Factaque nocte cum uxore ſua dormitum ivit. Illa vero ſomno occupata, dum *Elfredus* de diurno eventu ſollicitus vigilaret, ecce lumen magnum ſicut ſol refulſit, & in ipſo lumine ſenex ſacerdos infulatus nigris quidem capillis habens in dextera manu Evangelii textum auro gemmiſque ornatum, apparuit, vigilantem benedixit, & ab eo diligenter inquiſitus quis eſſet, & quomodo nominaretur, Chare, inquit, *Elfrede*, lætus eſto: ego ſum ille cui hodie cibum præbuiſti charitative, vocor autem *Cuthbertus* Chriſti miles. Eſto robuſtus, & attende diligenter quæ dixerim tibi, & læto animo: nam ego deinceps ero ſcutum tuum, & amicus tuus. & defenſor filiorum tuorum. Et nunc dicam tibi quid poſt hoc ſit agendum. Surge ſummo diluculo, ſona fortiter cornu tribus vicibus, ut inimici tui audiant & expaveſcant, & circa horam nonam habebis quingentos viros armatos: & hoc ſigno credas, quod poſt ſeptem dies habebis Dei dono, & meo auxilio totum hujus terræ exercitum apud montem **Aſſandune**, in auxilio tuo paratum. Sicque contra hoſtes tuos pugnabis, & ſine dubio eos ſuperabis. Poſt hæc eſto lætus & robuſtus ſine timore, quia Deus tradidit inimicos tuos in manibus tuis, & totam iſtam terram, & regnum hæreditarium tibi & filiis tuis, & filiis filiorum tuorum. Eſto fidelis mihi, & populo meo, quia tibi & filiis tuis data eſt tota *Albion*. Eſto juſtus, quia tu es electus rex totius *Britanniæ*. Sit tibi Deus miſericors, & ego ſic tibi ero amicus tuus, ut nullus adverſarius adverſum te poſſit prævalere. Et hæc omnia acta ſunt ſecundum hoc quod Spiritus ſanctus dixit per os *David* prophetæ, *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges.* Et alibi. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Tunc *Elfredus* gratias egit Deo, & ſancto *Cuthberto* propter miſericordiam eorum, & perpetuum auxilium, ſecundum hoc quod dixit Deus ad *David* per os *Samuelis* prophetæ. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Et alibi. *Filii tui, & filii filiorum tuorum ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Sic viſitavit, confortavit, docuit, juvit iſte ſanctus Confeſſor Chriſti *Cuthbertus Elfredum*, ſicut olim, ut in *Anglica* hiſtoria legitur, ſanctus *Petrus Eadwino* regi pagano crucem auream dextra geſtans apparuit, ſe *Petrum* principem eſſe Apoſtolorum aſſeruit, coronam oſtendit, & ut paganiſmum relinqueret, præcepit, & ſic eum ubique victorem futurum prædixit, ſicut etiam *Samuel David* regi fecit. Deinceps *Elfredus* rex fuit fortis, & lætus, quia ſciebat ſe ubique fore victorem, quam diu viveret, per donum Dei, & auxilium patroni ſui ſancti *Cuthberti*. Itaque facto mane ſurrexit, ad terram navigavit, cornu ſuo tribus vicibus ſignum dedit, quo ſonitu omnes amici ejus ſunt exaltati: inimici vero humiliati. Itaque ſecundum verbum Dei circa nonam ipſius diei horam, congregatis ad eum quingentis de melioribus & charioribus amicis ſuis publice narravit, quid præcedenti nocte vidiſſet, & à ſancto Confeſſore audiſſet, & qualiter ab eo confortatus eſſet. Aſſeruit etiam illis quod per donum Dei, & auxilium ſancti *Cuthberti*, cui deinceps deberent merito obedire, hoſtes vincerent, & terram hæreditario jure obtinerent. Ammonuit eos etiam, ut ſecundum doctrinam beati *Cuthberti*, fugerent avaritiam, invidiam, longam iram, adulteria, perjuria, homicidia, et omnia mala: et ut eſſent Deo fideles, patientes, humiles, hoſpitales, eleemoſinarii, miſericordes, modeſti, et ut haberent inter ſe ſanctam fidem, et juſtitiam, et veritatem. Ammonuit etiam filium ſuum *Eadwardum* qui ibi erat, quod ſi vellet eſſe fidelis Deo et ſancto *Cuthberto*, non ei eſſet timendum de inimicis ſuis. Tunc ſecundum verbum viri Dei, *Elfredus* in hoſtes irruit, eoſque ſuperavit, et regnum *Britanniæ* accepit, ſancteque, et juſte omnibus in commune bonus, pauperibus et divitibus, bonis et malis, amicis et inimicis, ſecundum Evangelicum præceptum. Hiis et aliis quamplurimis virtutibus inſignitus, poſtquam intellexit finem vitæ ſibi adeſſe, diu regnans, et bona confectus ſenectute, vocavit hunc eundem filium ſuum *Eadwardum*, et per eum tranſmiſit ſancto *Cuthberto* duas armillas, et aureum thuribulum, monuitque eum diligenter, ut amaret Deum, et ſanctum *Cuthbertum*, et ſperaret in eis, ſicut et ipſe ſemper ſperavit, et adhuc maxime ſperabat. Igitur antequam Deus hunc fidelem ſibi regem de hac vita vocaret, addita ſunt quædam prædia eccleſiæ ſancti Confeſſoris. Nam *Ethred* ſupradictus dus abbas emit à præfato rege *Gudred*, et à *Danorum* exercitu, qui ſibi ſub eo terram diviſerant, has villas, **Seletun**, **Horetun**, duas **Geodene**, **Holum**, **Hotun**, **Twillingatun**, et eas ſancto *Cuthberto* commiſit. Eodem quoque tempore bonus epiſcopus *Eardulfus* et abbas *Eadred* tulerunt corpus ſancti *Cuthberti* de *Lindisfarnenſi* inſula, et cum eo erraverunt in terra, portantes illud de loco in locum, per ſeptem annos, et tandem pervenerunt ad fluvium qui vocatur **Dyruuentamuthe**, et illud ibi in navi poſuerunt, ut ſic per proximum mare in *Hyberniam* transveherent. Tunc omnis populus ejus, qui eum diu erat ſecutus dolens quod eripiebatur pius eorum patronus, ſtans in littore flebat, et ululabat, eo quod et ipſi relinquebantur captivi, et captivus adducebatur eorum dominus. Tunc Deus magnum miraculum oſtendit pro amore dilecti ſui Confeſſoris: Orta ſiquidem in mari horribili tempeſtate, maximæ tres undæ in navim ceciderunt, et ſtatim, mirabile dictu, aqua illa in ſanguinem eſt converſa. Quo viſo, epiſcopus et abbas ad pedes ſancti viri ceciderunt, et timore perterriti, ad littus quantocius ſunt reverſi, et ſanctum illud corpus ad *Crecam* detulerunt, et ibi à bono abbate, nomine *Geve*, charitative excepti quatuor menſibus manſerunt, et inde ſanctum corpus ad **Concecaſtre** tranſtulerunt. Eo tempore obiit rex *Elfredus*, et *Eardulfus* epiſcopus. Tunc *Eadwardus* diu ſapienter à patre edoctus in regnum ſucceſſit, et illud ſapienter rexit, et *Cutheard* epiſcopalem cathedram apud **Cuncecaſtre** accepit. Eodem tempore *Cutheardus* epiſcopus fidelis emit de pecunia ſancti *Cuthberti* villam quæ vocatur **Ceddeſfeld**, et quicquid ad eam pertinet, præter quod tenebant tres homines, *Aculf*, *Edelbbrich*, *Frieblaf*. Super hoc tamen habuit epiſcopus et *Sacam* et *Socnam*. Emit etiam idem epiſcopus de pecunia ſancti *Cuthberti* villam quæ vocatur **Bedlingtun**, cum ſuis appendentiis, **Nedertun**, **Grubba**, **Twiſle**, **Cebbingtun**, **Sliceburne**, **Commer**. Tempore ejuſdem *Edwardi* regis *Tilred* abbas de **Heteſham** villam quæ vocatur **Jodene** auſtralem emit. Cujus dimidiam partem dedit ſancto *Cuthberto*, ut eſſet frater in ejus monaſterio, alteram apud *Northam*, Ut ibi abbas eſſet. Eodem tempore *Bernardus* presbiter dedit villam ſuam nomine **Twinlingatun**, ſancto *Cuthberto*, ut eſſet frater in ejus monaſterio. Hiis diebus *Elfred* filius *Biritulfinci* fugiens piratas venit ultra montes verſus occidentem, et quæſivit miſericordiam ſancti *Cuthberti*, et epiſcopi *Cutheardi*, ut præſtarent ſibi aliquas terras. Tunc epiſcopus *Cutheardus* pro charitate Dei, et amore ſancti *Cuthberti* præſtitit illi has villas, **Eſingtun**, **Seletun**, **Thorep**, **Horedene**, **Jodene**, duas **Seatun**, **Jodene** auſtralem, **Holum**, **Hotun**, **Twilingtun**, **Billingham**, cum ſuis appendiciis, **Scurufatun**. Has omnes villas, ſicut dixi, præſtitit epiſcopus *Elfredo*, ut ſibi & congregationi fidelis eſſet, & de his plenum ſervitium redderet. Quod & fideliter fecit, donec *Regenwaldus* rex venit cum magna multitudine navium, occupavit terram *Aldredi* filii *Eadulfi*, qui erat dilectus regi *Eadwardo*, ſicut & pater ſuus *Eadulfus* dilectus fuit regi *Elfredo*. Fugatus igitur *Eldredus* in *Scotiam* ivit, *Conſtantini* regis auxilium quæſivit, illum contra *Regenwaldum* regem apud **Corebrige** in prælium adduxit. In quo prælio, neſcio quo peccato agente, paganus rex vicit, *Conſtantinum* fugavit, *Scottos* fudit, *Elfredum* ſancti *Cuthberti* fidelem, & omnes meliores *Anglos* interfecit, præter *Ealdredum*, & fratrem ejus *Uhtred*. Quibus fugatis & tota terra ſuperata, diviſit villas ſancti *Cuthberti*, & alteram partem verſus auſtrum dedit cuidam potenti militi ſuo qui vocabatur *Scula*, à villa quæ vocatur **Jodene**, uſque ad **Billingham**. Alteram vero partem dedit cuidam qui vocabatur *Onalafbalda*, **Jodene**, uſque ad fluvium *Weorram*. Et hic filius diaboli inimicus fuit, quibuſcunque modis potuit, Deo & ſancto *Cuthberto*. Quadam itaque die cum plenus immundo ſpiritu cum furore intraſſet eccleſiam ſancti Confeſſoris, aſtante epiſcopo *Cuthbeardo*, & tota congregatione, Quid, inquit, in me poteſt homo iſte mortuus *Cuthbertus*, cujus in me quotidie minæ opponuntur? Juro per Deos meos potentes *Thor*, & *Othan*, quod ab hac hora inimiciſſimus ero omnibus vobis. Cumque epiſcopus, & tota congregatio genua flecterent ante Deum & ſanctum *Cuthbertum*, & harum minarum vindictam, ſicut ſcriptum eſt, *Mihi vindictam, & ego retribuam*, ab eis expeterent: converſus ille filius diaboli cum magna ſuperbia & indignatione voluit egredi. Sed cum alterum pedem poſuiſſet jam extra limen, ſenſit quaſi ferrum in altero pede ſibi altius infixum. Quo dolore diabolicum cor ejus transfigente, corruit, ſuamque peccatricem animam diabolus in infernum truſit. Sanctus vero *Cuthbertus* ſicut juſtum erat, terram ſuam recepit. Tempore ſupradicti *Eadwardi* regis, dedit *Wulfear* filius *Hwetrdinci* ſancto *Cuthberto* villam, quæ vocatur **Bynnetwhalle**. Eodem tempore *Edred* filius *Rixinci* equitavit verſus occidentem ultra montes, & interfecit *Eardulfum* principem, ejuſque uxorem rapuit contra pacem & voluntatem populi, & ad patrocinium ſancti *Cuthberti* confugit. Et ibi tribus annis manſit, cum pace colens terram ſibi à *Cuthbeardo* epiſcopo, & à congregatione præſtitam, à **Concecaſtre**, uſque ad **Dyrwenta** fluvium, & inde uſque ad *Werram* verſus auſtrum, & inde uſque ad viam quæ vocatur **Doreſtrete** in occidentali & auſtrali parte, & villam ſuper **Teſe**, quæ vocatur **Geagenforda**, & quicquid ad eam pertinet. Hanc terram idem *Edred* cum fidelitate ſancti *Cuthberti* tenuit, & cenſum fideliter reddidit, donec ſupradictus *Regenwaldus* rex congregato iterum exercitu apud **Corebrigge** pugnavit, ipſumque *Edred*, & maximam *Anglorum* multitudinem interfecit, et victor effectus, totam illam terram quam *Edred* tenuerat ſancto *Cuthberto* abſtulit, et dedit *Esbrido* filio *Edred*, et fratri ſuo *Elſtano* comiti, qui in hoc prælio robuſti bellatores fuerunt. Tandem maledictus ipſe rex cum filiis, et amicis ſuis periit, nihil de his quæ ſancto Confeſſori abſtulerat ſecum præter peccatum tulit. Eo tempore *Eadwardus* rex plenus dierum, et confectus bona ſenectute filium ſuum *Ethelſtanum* vocavit, eique regnum ſuum tradidit, et ut ſanctum *Cuthbertum* diligeret, et ſupra omnes ſanctos honoraret, diligenter inculcavit, notificans ei qualiter patri ſuo regi *Elfredo* in paupertate, et in exilio miſericorditer ſubveniſſet, et qualiter eum contra omnes hoſtes viriliter juviſſet, et quomodo ſibimet ipſi in omnibus neceſſitatibus ſuis evidentiſſime promptiſſimus ſemper adjutor fuiſſet. Qua ammonitione facta feliciter obiit. Igitur *Ethelſtanus* rex magnum exercitum de auſtrali parte eduxit, et verſus aquilonalem plagam in *Scotiam* illum ſecum trahens ad oratorium ſancti *Cuthberti* divertit, eique regia munera dedit, et inde hoc ſcriptum teſtamento compoſuit, et ad caput ſancti *Cuthberti* poſuit.

Carta regis Ethelſtani.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego *Ethelſtanus* rex, do ſancto *Cuthberto* hunc textum Evangeliorum, 2. caſulas, et unam albam, et unam ſtolam, cum manipulo, et unum cingulum, et tres altaris cooperimenta, et unum calicem argenteum, et duas patenas, alteram auro paratam, alteram Græco opere fabrefactam, et unum thuribulum argenteum, et unam crucem auro et ebore artificioſe paratam, et unum regium pillium auro textum, et duas tabulas, auro et argento fabrefactas, et duo candelabra argentea, auro parata, et unum miſſalem, et duos Evangeliorum textus, auro et argento ornatos, et unam ſancti *Cuthberti* vitam, metrice et proſaice ſcriptam, et ſeptem pallia, et tres cortinas, et tria tapetia, et duas coppas argenteas cum cooperculis, et quatuor magnas campanas, et tria cornua, auro et argento fabrefacta, et duo vexilla, et unam lanceam, et duas armillas aureas, et meam villam dilectam **Wyremuthe** auſtralem cum ſuis appendentiis, id eſt, **Weſtun**, **Uffentun**, **Sylces**, **Wyrthe**, duas **Weſtehoppas**, **Byrdene**, **Seham**, **Setun**, **Daltun**, **Daldene**, **Heſeldene**. Hæc omnia do ſub Dei et ſancti *Cuthberti* teſtimonio, ut ſiquis inde aliquid abſtulerit, damnetur in die judicii cum *Juda* traditore, et trudatur in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo et angelis ejus. Implevit etiam prædictas cuppas pecunia optima, et juſſu ipſius obtulit totus exercitus ejus ſancto *Cuthberto* 12. **hundred**, et eo amplius. Fratrem vero ſuum *Eadmundum* de ſanctitate et fideli patrocinio ſancti Confeſſoris diligenter prius edoctum fraterne commonuit, ut ſi quid ſiniſtri ſibi in hac expeditione eveniret, corpus ſuum ſancto *Cuthberto* referret, et ei illud in die judicii depræſentandum commendaret. Poſt hæc abiit, feliciter pugnavit, proſpere rediit, ſapienter multis annis poſtea regnavit, tandem feliciter obiit. Quo defuncto *Eadmundus* frater ejus in regnum ſucceſſit, magnum exercitum rurſus congregavit, et in *Scotiam* properavit. In eundo tamen ad oratorium ſancti *Cuthberti* divertit, ante ſepulchrum ejus genua flexit, preces fudit, ſe et ſuos Deo et ſancto Confeſſori commendavit, exercitus ſexaginta libras obtulit: ipſe vero manu propria duas armillas aureas, et duo pallia Græca, ſupra ſanctum corpus poſuit: pacem vero et legem quam unquam meliorem habuit, omni terræ ſancti *Cuthberti* dedit, datam confirmavit: et factus quaſi alter *Abraham*, qui properans in hoſtes panem et vinum *Melchiſedech* obtulit, Finita oratione multotiens ſe et totum exercitum beato Confeſſori commendans abiit.

De ſitu Dunelmi, *& de ſanctorum reliquiis quæ ibidem continentur carmen compoſitum.*

IS ðeos burch, Breome, geond breotenrice steppa gestaþolad stanas ẏmbutan wundrum; ge wæxen, weor, ẏmbeor nad, eaẏþum, stronge, ⁊ ðer inne wunaþ feola fisca, Kin, Onflođa ge monge ⁊ ðærge wexen is wuda fæstern, micel, winnad in ðem ẏcum wẏlda deor monige in deopedalum deora nugerum; Is inþere bẏrieac bearnum gecẏþed, ðe arfersta eadig Cutberch ⁊ ðes clene cẏnninges heafud Osƿaldes engle leo, ⁊ aidan biscop, Eadberch ⁊ Eadfriþ ⁊ ðelegeferes; Is ðere nine midd heom; ⁊ þelƿold biscop, ⁊ Breoma bocera, Beda ⁊ Boril abbot, ðe clene Cuþbert on gecheþe lerde, lustun, ⁊ hewis lara wel genom, Eardreþ ⁊ ðem eadige inuþem minẏstre un. arimeda reliquia ðe monia wundrum ge wurþaþ, ðes ðe writ, segeþ mid ðene drihnes werdomes bẏdeþ;

Incipit Epiſtola *Simeonis* monachi Eccleſiæ ſancti *Cuthberti* *Dunelmi* ad *Hugonem* Decanum *Eboracenſem* de Archiepiſcopis *Eboraci.*

HÆc chariſſime pater & domine *Hugo* eccleſiæ S. *Petri* decane, ego *Simeon* ſervorum S. *Cuthberti* ſervulus ſicut in veteribus libris hinc & inde invenire potui, de ſucceſſione pontificum *Eboracenſis* eccleſiæ breviter annotavi, juſſa veſtræ paternitatis utinam tam efficaciter proſecutus quam libenter. Præterea quod vos ſcire delectat, iſtos virtutum viros ſimul contemporaneos in eccleſia fuiſſe legimus *Northanimbrorum*. *Wilfridum* qui ætatis ſeptuaginta annos habuit, epiſcopatus autem xlv. *Ceadda*, *Boſan*, *Eathan*, *Cuthbertum*, *Iohannem*, præclaræ ſanctitatis pontifices. Præter hos ejuſdem temporis erat beatus *Benedictus* conſtructor monaſteriorum *Petri & Pauli* in **Wiramuthe** & in **Gyrwum**, idem nutritor ab infantia & abbas venerabilis *Beda* doctoris. *Hilda* quoque abbatiſſa hoc tempore claruit. Ut autem aliquanto latius nobis noſter *Beda* innoteſcat. Natus eſt anno ab incarnatione Domini DC. ſeptuageſimo ſeptimo anno qui eſt nonus annus adventus *Theodori* in *Britanniam*, uno anno poſt primam expulſionem beati *Wilfridi*, ſancto *Cuthberto* tunc ſolitariam vitam agente. Natus eſt autem in territorio monaſterii præfati, & cum eſſet ſeptem annorum, traditus eſt à parentibus præfato abbati *Benedicto*, atque ut ipſe de ſe atteſtatur, omnem uſque ad finem vitæ in ejuſdem monaſterii habitatione peregit ætatem. Videtur autem quibuſdam incredibile, quod in extremo mundi angulo vir qui nunquam maria transfretaverit ob addiſcendam ſapientiam, ſcolas philoſophorum non frequentaverit, tanta eruditione clareat, tanta librorum compoſitione ubique mundo innoteſcat: ſed hoc non eſſe mirandum, ipſe docet qui inter DC. beatæ vitæ & mirabilis ſcientiæ monachos enutritus, quicquid ſcientiæ ſinguli habuerant, omne hoc ipſe in unum ſui cordis vaſculum Spiritu ſancto illuminante contraxerat. Habuerat præ oculis & copiam omnis generis librorum quos abbas ſuus *Benedictus* inter alia diverſa ornamenta donatione apoſtolicorum *Vitaliani*, & *Agathonis* in monaſterium ſuum contulerat. Præterea erat & eo tempore quo magna ſcientiæ ſtudia floruerant in *Anglia*, quando *Theodorus* archiepiſcopus & *Adrianus* abbas, peragrata inſula, quaquaverſum *Anglorum* gentes commorabantur ſcolas ſacrarum ſimul & ſecularium literarum inſtituebat, ut quicunque cuperent eruditi haberent in promptu magiſtros qui docerent. Unde ipſe *Beda* loquens de his: Indicio eſt, inquit, quod uſque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis qui Latinam Græcamque linguam æque ut propriam in qua nati ſunt norunt. Ab his eorum diſcipulis prudens inſtitutus adoleſcens in lege Domini meditabatur die ac nocte, ut etiam ſuos doctores ipſe doctior ſupergrederetur. Oſtendit ipſe quod nec *Franciam*, nec *Italiam*, nec *Graciam* diſcendi gratia adierit, dicens ubi & à quibus quæ ſcripſerat didicerit. Scribit enim in primo libro expoſitionis ſuper *Cantica Canticorum*, In hoc opere lectorem admoneo, ne me ſuperfluum judicet qui de natura arborum ſive herbarum aromaticarum quæ in hoc volumine plurimæ continentur, juxta quod in literis antiquorum didici latius explicare voluerim; feci namque hoc non arrogantiæ ſtudendo ſed meæ meorumque imperitiæ conſulendo, qui longe extra orbem, hoc eſt, in inſula maris oceani nati ſumus & nutriti: & quæ in primis partibus orbis, *Arabia* dico, & *India*, *Iudea*, & *Ægypto* geruntur, non niſi per eorum qui interfuerunt ſcripta noſſe valemus. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo nono langueſcens die Aſcenſionis Dominicæ, cum jam exitus ejus inſtaret, cœpit in oratione dicere antiphonam, *O rex gloriæ! Domine virtutum*, &c. uſque ad finem. Adjunctaque laude ſanctæ Trinitatis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, cum nominatione Spiritus ſancti, ſuum emiſit ſpiritum, Anno Dominicæ incarnationis DCC. xxxv. qui eſt ſeptimus annus *Ceolvulſi* regis, ad quem nuper ediderat hiſtoriam gentis *Anglorum*. Sepultus eſt eodem in loco quo glorioſe converſatus, ſcilicet in **Gyruum**: ſed poſtea oſſa illius ad corpus ſancti *Cuthberti* ſunt tranſlata.

627. ANno ab incarnatione Domini DC. xxvij. Rex *Eadwinus* prædicante *Paulinó* baptizatus eſt. Qui *Paulinus* per ſex annos continuos verbum Dei in *Northanimbrorum* provincia prædicabat. Anno enim DC.xxxiij. occiſo rege *Cantiam* unde venerat rediit. Ipſe *Eboracenſis* primus præſul ab *Honorio* papa pallium acceperat ordinatus à *Juſto* archiepiſcopo. Recedente *Paulino Eboracenſis* eccleſia per triginta annos proprium non habuit epiſcopum, ſed *Lindisfarnenſis* eccleſiæ præſules *Aidanus*, *Finanus*, *Colmannus* & *Tuda Northanimbrorum* provinciæ adminiſtraverunt pontificatum. Tertio autem anno epiſcopatus *Colmanni*, qui eſt triceſimus annus pontificatus *Scottorum* in *Anglia*, finito conflictu de obſervantia Paſchali, miſſus eſt *Wilfridus* ab *Alfrido* rege in *Gallias*, ut ordinaretur epiſcopus cum eſſet annorum circiter triginta. Quo adhuc tranſmarinis in partibus demorante conſecratus eſt in epiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ, jubente rege *Oſwino*, *Ceadda* vir ſanctus & tribus annis ſublimiter regens eccleſiam. Dehinc ad monaſterium ſuum in **Læſtingaen** receſſit accipiente *Wilfrido* pontificatum totius *Northanimbrorum* provinciæ. Interea mortuo rege *Oſwino* ſucceſſit filius ejus *Ecgfridus* in regnum. Qui poſt beatam *Etheldridam* quam nomine tenus conjugem primo duxerat, *Ermenburgam* ſortitus eſt in matrimonium. In cujus corde malignus hoſtis ſibi hoſpitium fecerat, ubi odiorum & invidiæ contra beatum *Wilfridum* conficiens fomenta, per linguam mulieris accendit animum regis ad expulſionem uſque pontificis. Sed quia rex pontificem de ſua ſede præter conſenſum *Theodori* archiepiſcopi pellere nequibat, mandavit archiepiſcopo ut adeſſet. Auditis quas accuſatores finxerant cauſis pulſus eſt ab epiſcopatu *Wilfridus* anno ab incarnatione Domini DC.lxxviij. qui eſt annus ſui epiſcopatus duodecimus, & per decennium exulavit. Secundo autem anno regni *Alfridi*, qui poſt fratrem *Ecgfridum* regnavit, ſedem & epiſcopatum recepit. Sed poſt quinque annos denuo accuſatus ab eodem rege & plurimis epiſcopis præſulatus pulſus eſt. Tertio decimo ſecundæ expulſionis ſuæ anno *Haguſtaldenſis* eccleſiæ recepit epiſcopatum, beato *Johanne* jam pro defuncto *Boſan Eboraci* ſubſtituto. Quatuor poſt hæc annis ſupervixit beatus *Wilfridus* habens in epiſcopatu xlv. annos. Poſt quem ſuſcepit præſulatum *Hanguſtaldenſis* eccleſiæ venerabilis ejus presbiter *Acca*. Beatus vero *Johannes* cum majore ſenectute minus epiſcopatui adminiſtrando ſufficeret, ordinato in epiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ *Wilfrido* presbitero ſuo, ipſe ad monaſterium quod in ſilva *Deirorum* eſt receſſit, ibique in pace vitam terminavit, manſit autem in epiſcopatu xxxiij. annis. At *Wilfridus* peractis ſui epiſcopatus xv. annis, ſucceſſorem habuit *Ecgbertum*, virum de regio ſemine nobilem & induſtrium. Qui poſt *Paulinum* primus ab apoſtolica ſede accepit pallium ſeptimo, anno regni *Ceolvulſi* regis, centeſimo tertio anno poſt diſceſſum *Paulini*, hoc eſt anno Dominicæ incarnationis DCC.xxxv. quo anno venerabilis Doctor *Beda* obiit in **Gyruum**. Porro archiepiſcopus *Ecgbertus* xxxij. anno accepti epiſcopatus defunctus ſucceſſorem habuit *Albertum*, qui ſeptimo accepti epiſcopatus anno ab *Adriano* papa acceperat pallium ſeptimo anno *Alcredi* regis. Quo videlicet *Alberto* xiiij. anno ſui præſulatus obeunte, *Eanbaldus* ordinatur pro illo anno Dominicæ incarnationis DCC.lxxx. regnante *Aelfwaldo*. Anno autem Dominicæ incarnationis DCC.xcvj. *Eanbaldus* xvij. ſui archiepiſcopatus anno moriens, alterum *Eanbaldum* qui ejuſdem eccleſiæ presbiter fuerat ſucceſſorem reliquit regnante rege *Oſredo*: Poſt *Eanbaldum Vulſius* rexit archiepiſcopatum, *Eanredo* regnante: moriens autem *Vulſius*, *Wimundum* habuit ſucceſſorem præfato rege regnante. Cui xvj. epiſcopatus ſui anno morienti, *Vulfhere* ſucceſſit in archiepiſcopatum. His temporibus infinita barbarorum manus, *Inguar* ſcilicet, & *Vbba*, & *Haldana*, cum omni exercitu *Danorum* & *Noragenorum* navibus adducta in *Angliam*, ferro & igne omnia vaſtaverunt. *Eberacum* veniens ob-

pugnabat civitatem, vaſtantes omnia per circuitum. Paulo ante adventum illorum *Northanimbrani* expulerant regem ſuum, ſubſtituto in regnum *Ella* quodam regii ſeminis extraneo. Sed inſtante neceſſitate revocaverunt expulſum, & tam ille quam alius qui pro eo ſubſtitutus fuerat coadunatis totis viribus *Northanimbrorum* apud *Eboracum* bella contra hoſtes agentes, non ſine magna inimicorum ſtrage. Reliquis qui ſuperfuerant, pagani præfecerunt ſub dominio ſuo regem *Ecgbertum* reconciliatis ab eis hoſtibus. Inter has ſtrages remotius ſe agebat epiſcopus *Vulferius* apud **Addingham** in occidentali parte *Eboraci* in valle quæ vocatur **Hwerverdale**, ſuper ripam fluminis **Hwerf**, inter *Otleiam* & caſtellum de **Cliptun**. Hac tempeſtate paſſus eſt ſanctus martyr *Eadmundus*. Poſt ſeptem annos *Northanimbrani* uno conſpirantes conſilio regem ſuum *Ecgbertum* cum epiſcopo *Vulfere* de finibus ſuis propulerunt, & quendam *Richſig* in regnum reſtituunt. Deinde poſt annum *Ecgberto* rege defuncto in ſedem ſuam & eccleſiam revertitur epiſcopus. Qui xlvij. accepti epiſcopatus anno vita diſcedens *Ethelbaldum* habuit ſucceſſorem, anno incarnationis Dominicæ DCCCC. *Ethelbaldus* vero quarto poſtquam acceperat pontificatum anno pallium accepit regnante *Eadwardo* filio *Elfridi* regis. Defuncto autem *Ethelbaldo* ſucceſſit *Lothewardus*: poſt quem *Vulſtanus* rexit eccleſiam regnante *Ealdredo* fatre *Ethelſtani* regis. Obiit autem DCCCC.lv. Dominicæ incarnationis anno. Cui ſucceſſit *Oſcbitellus*, & per ſexdecim annos eccleſiam regens habuit ſucceſſorem *Edwaldum*, regnante *Eadgara* regis *Eadmundi* filio. Obiit DCCCC.lxx. Dominicæ incarnationis anno. Sed cum idem *Edwaldus* quietiorem vitam diligeret, *Oſwaldus* ſuſcepit eccleſiæ regimen anno incarnationis Dominicæ DCCCC.lxxj. ſequenti autem anno *Romam* veniens, à papa *Benedicto* pallium accepit. Poſt *Oſwaldum* iſti ſibi ordine ſucceſſerunt, *Aldulfus*, *Vulſtanus*, *Eelfricus*, *Kinſius*, *Aldredus*, *Thomas*, *Girardus*, *Thomas*, *Turſtinus*, *Willielmus*, *Henricus*, *Rogerus*.

Simeon *de obſeſſione* Dunelmi, *& de probitate* Ucthredi *Comitis, & de Comitibus qui ei ſucceſſerunt.*

ANno ab incarnatione Domini DCCCC.lxix. regnante rege *Anglorum Ethelredo*, *Malcolmus* rex *Scottorum* filius *Kynedi* regis congregato totius *Scotiæ* exercitu provinciam *Northanimbrorum* cædibus & incendiis devaſtans, *Dunelmum* obſidione circumdedit. Quo tempore *Alduno* epiſcopatum ibidem regente, *Waltheof* qui Comes fuerat *Northanimbrorum* ſeſe in **Bebbanburc** incluſerat. Fuerat enim nimiæ ſenectutis, ideoque in hoſtes nihil virtutis facere poterat. Cujus filio ſcilicet *Ucthredo* magnæ ſtrenuitatis juveni & militiæ aptiſſimo filiam ſuam nomine *Ecgfridam*, *Aldunus* epiſcopus dederat uxorem, & has villas de terris eccleſiæ ſancti *Cuthberti*, ſcilicet, **Bermetun**, **Skirningheim**, **Eltun**, **Carltun**, **Heaclif**, **Heſeldene**, cum ea ſub illa conditione donavit, ut ejus filiam quamdiu viveret in conjugio cum honore ſemper ſervaret. Videns juvenis præfatus terram ab hoſtibus devaſtatam, & *Dunelmum* obſidione circumdatam, & contra hos patrem ſuum nihil agere, adunato exercitu *Northimbrorum* & *Eboracenſium* non parva manu, *Scottorum* multitudinem pene totam interfecit, ipſo rege vix per fugam cum paucis evadente. Interfectorum vero capita elegantiora crinibus, ſicut tunc temporis mos erat, perplexis fecit *Dunelmum* tranſportari, eaque à quatuor mulieribus perlota per circuitum murorum in ſtipitibus præfigi, mulieribus autem quæ ea laverant mercedem dederant vaccas ſingulis ſingulas. His auditis, rex *Ethelredus* vocato ad ſe juvene præfato, vivente adhuc patre *Waltheof*, pro merito ſuæ ſtrenuitatis & bello quod tam viriliter peregerat, dedit ei comitatum patris ſui, adjungens etiam *Eboracenſium* comitatum. Reverſus autem *Ucthredus* domum filiam *Alduni* epiſcopi dimiſit, & quia eam contra hoc quod promiſerat & juraverat abjecit, pater puellæ, videlicet epiſcopus, terras ſupradictas eccleſiæ quas cum ea donaverat ab *Ucthredo* recepit. Dimiſſa ſicut dictum eſt epiſcopi filia, *Ucthredus*, civis divitis nomine *Styr* filii *Ulf* filiam nomine *Sigen* duxit uxorem, quam pater ſuus ideo ei dedit ut *Turbrandum* ſibi inimiciſſimum interficeret. Poſtea vero illo, ſcilicet *Ucthredo*, proficiente magis & magis in re militari, rex *Ethelredus* filiam ſuam *Elfgivam* ei copulavit uxorem. Ex qua habuit filiam *Aldgitham*, quam pater in conjugium dedit *Maldredo* filio *Crinan Tein*, ex qua *Maldredus*, *Coſpatricum* patrem *Dolphini* & *Walteofi*, & *Coſpatrici*. Filiam autem *Alduni* epiſcopi quam Comes *Ucthredus* dimiſerat, quidam *Tein* in **Overvicſhire**, *Kilvert* filius *Ligulfi* accepit uxorem, de qua genuit filiam nomine *Sigridam*, quam accepit uxorem *Arkil* filius *Ecgfrido*; ex qua genuit filium nomine *Coſpatricum*. Qui *Coſpatricus* accepit uxorem filiam *Dolfini* filii *Tarfini*, de qua genuit *Coſpatricum*, qui nuper debuerat pugnare contra *Walteof* filium *Eilſi*. *Kilvert* filius *Ligulfi* dimiſit filiam *Alduni* epiſcopi ſcilicet *Ecgfridam*, quam epiſcopus pater ejus juſſit ſtatim *Dunelmum* venire. Quæ patris ſui juſſis obtemperans cum **Bermetun**, & **Skirningheim**, & **Eltun**, quas in propria manu habebat, rediit, & eccleſiæ, & epiſcopo ſuas proprias terras ſecum reddit, & poſtea velamen accepit, quod & bene ſervavit uſque ad extremum ſui diem, & ſepulta in cœmiterio *Dunelmenſi* diem retributionis expectat. Ut autem de morte *Ucthredi* Comitis dicatur aliquid paululum ad ſuperiora redeundum eſt. *Swein* rex *Danorum* fugato in *Normanniam* rege *Anglorum Ethelredo* regnum ipſius invaſit. Sed poſt breve tempus illo mortuo, rex *Ethelredus* in regnum ſuum rediit, copulata ſibi in conjugium *Emma Ricardi* Comitis *Normannorum* filia. Poſt aliquantulum temporis *Cnut* filius ſupradicti regis *Danorum Swein*, cum infinita multitudine veniens in *Angliam* regnaturus, ad ſupradictum Comitem miſit *Ucthredum*, rogans, ut ad ſuum auxilium contra regem *Ethelredum* cum omnibus quos poſſet ſibi occurreret, totum honorem ſuum & multo majorem ſub ipſo habiturus ſi eum adjuvaret. Erat enim idem Comes magnæ potentiæ, utpote comitatum *Eboracenſium* & *Northanimbrorum* habens. At ille nullo modo id facere volens reſpondit: peſſimi hominis eſſe talia contra dominum & generum ſuum facere. Nullius rei gratia, inquit, hoc agere volo, quia nec debeo; *Ethelredo* regi quamdiu vixerit fidem ſervabo.

vabo. Eſt enim dominus meus & ſocer, cujus dono divitias & honores ſatis habeo. Illius traditor nunquam ero. Itaque *Cnut* nullum de *Vcthredo* auxilium habuit. Defuncto autem rege *Ethelredo*, cum totius *Angliæ* regnum *Cnut* arripuiſſet, ad prædictum Comitem miſit præcipiens, ut ad ſe ſicut ad dominum ſuum veniret. Ille accepta ſecuritate eundi & redeundi perrexit. Die ſtatuto cum intraſſet ad regem de pace locuturus, per inſidias cujuſdam potentis nomine *Turebrant* cognomento *Hold*, milites regis qui poſt velum extenſum per tranſverſum domus abſconditi fuerant, ſubito proſilientes loricati in **Wiltheal** Comitem cum ſuis xl. viris principalibus qui ſecum intraverant obtruncaverunt. Quo occiſo, frater ipſius *Eadulf* cognomento *Cudel*, ignavus valde & timidus ei ſucceſſit in comitatum. Timens autem ne *Scotti* mortem ſuorum quos frater ejus, ut ſupradictum eſt, occiderat, in ſe vindicarent, totum *Lodoneium* ob ſatisfactionem & firmam concordiam eis donavit. Hoc modo *Lodoneium* adjectum eſt regno *Scottorum*. Sed *Eadulfo* poſt modicum mortuo, *Aldredus* quem prædictus Comes *Vcthredus* genuerat ex *Ecfrida Alduni* epiſcopi filia de qua ſupradictum eſt, ſolius *Northumbriæ* comitatum ſuſcepit, patriſque ſui interfectorem interfecit *Turebrandum*. Hujus *Turebrandi* filius *Carl* & *Aldredus* Comes gravibus exagitati calumpniis, dum hinc & inde utrinque inſidiarentur, tandem amicorum inſtantia reducti in concordiam, alterna ſeſe ſatisfactione mediantibus amicis placabant: atque adeo in amorem alterutrum ſunt adunati, ut fratres adjurati *Romam* ſimul tenderent. Sed diutina maris tempeſtate impediti, cœptum iter relinquentes domum ſunt reverſi. *Carl* magnifice ſatis & accurate Comitem ſuſcepit in domum ſuam, ſed poſt exhibita convivia dum eum nihil mali ſuſpicantem quaſi honoris gratia deduceret, in ſilva quæ **Riſewde** vocatur interfecit, ubi uſque hodie locum occiſionis ejus parvula de lapide crux oſtendit. Interjecto tempore nepos *Aldredi* Comitis Comes *Waltheof*, erat enim filius filiæ illius, miſſa multa juvenum manu avi ſui interfectionem graviſſima clade vindicavit. Erant namque filii *Carl* convivantes ſimul in domo fratris ſui majoris in **Seteringetun** non longe ab *Eboraco*; quos inopinate qui miſſi fuerant præoccupantes ſæva clade ſimul peremerunt præter *Cnutonem*, cui pro inſita illi bonitate vitam permiſerunt. *Sumerlede* qui uſque hodie ſupereſt ibi non aderat. Deletis filiis & nepotibus *Carli* reverſi ſunt, multa in variis ſpeciebus ſpolia reportantes. Sed ut ad ſuperiora redeat ſtilus. Comes *Aldredus* genuit quinque filias, quarum tres eodem nomine *Ælfleda* vocabantur, quarta *Aldgitha*, quinta *Ethelditha* nominabatur. Ex una *Elfledarum Siwardus* Comes genuit Comitem *Waltheofum*. Et cum ipſa *Elfleda* eſſet Comitiſſa quoniam erat filia *Aldredi* Comitis, & ipſe filius *Vcthredi* Comitis & filiæ *Alduni* epiſcopi, acclamavit ipſa jure hæreditario has ſupradictas terras, **Bernetun**, **Kyrningeim**, **Eltun**, **Carltun**, **Heaclif**, **Heſeldene**, quas Comes *Siwardus* maritus ſuus ei donavit, & filio ſuo *Waltheofo* comitatum *Northymbrorum* dedit, ſicut ipſius *Waltheofi* avus ſcilicet Comes *Aldredus* habuerat. Mortuo *Siwardo* Comite & Comitiſſa *Ælfleda* filia *Aldredi* Comitis werra ſurgente terræ illæ vaſtatæ ſunt. Poſt multum tempus *Arkil* filius *Ecgfrida* de quo ſupra dictum eſt, qui acceperat uxorem *Sigridam* filiam *Kilverti*, & *Ecgfrida* filiæ *Alduni* epiſcopi, ſibi arripuit illas terras jam vaſtatas & inhabitavit. Uxor vero illius *Sigrida* moriens, dedit **Heſeldene** ſancto *Cuthberto*, & **Heaclif**, & **Carltun**, quas adhuc eccleſia poſſidet. *Arkil* filius *Fridegiſti*, & *Eadulf* Comes, *Arkil* filius *Ecgfrith*, hi tres habuerunt *Sigridam*. Poſtea *Willielmo* rege veniente in *Angliam*, ipſe *Arkillus* fugiens exul factus eſt. Sicque iterum terra ipſa vaſtata remanſit. His ita peractis, quidam *Tein* in **Eoverwicſchire** nomine *Orm*, filius *Gamellonis* accepit uxorem unam ex quinque filiabus *Aldredi* Comitis *Etheldritham*, ex qua genuit filiam nomine *Ecgfridam*, ex qua *Eilſi* de *Teiſe* genuit *Waltheof*, & duos ejus fratres, & *Edam* ſororem eorum. Et quia illa *Ecgfrida* erat de genere *Aldredi* Comitis, & filiæ *Alduni* epiſcopi, hæreditario jure ipſa *Ecgfrida* cum marito ſuo *Eilſi* arripuit **Bermetun** & **Skirningeim**.

INCIPIT

INCIPIT HISTORIA SANCTÆ ET ſuavis memoriæ *Simeonis* monachi & præcentoris eccleſiæ ſancti *Cuthberti Dunelmi* de regibus *Anglorum* & *Dacorum*, & creberrimis bellis, rapinis & incendiis eorum; poſt obitum venerabilis *Bedæ* presbyteri fere uſque ad obitum Regis primi *Henrici* filii *Willielmi Nothi* qui *Angliam* adquiſivit, id eſt CCCC.xxix. annorum & iv. menſium.

Incipit paſſio ſanctorum Ethelberti *atque* Ethelredi *regiæ ſtirpis puerorum.*

An.Dñi 616. ANno ab incarnatione Dominica DC.xvj. qui eſt xxj. ex quo ſanctiſſimus *Auguſtinus* cum ſociis ad prædicandum miſſus eſt, *Ethelbert* rex *Cantuariorum* poſt regnum temporale quod L. & vj. annis glorioſiſſime tenuerat, æterna cœleſtis regni ſubiit gaudia. Erat autem idem rex filius *Irmirici*, cujus pater *Octa*, cujus pater *Oiric*, cujus pater *Hengeſt*, qui cum filio ſuo *Oiſc* à *Wirtigerno* rege invitatus *Britanniam* primus intravit, ut *Beda* luculento deſcribit ſermone. *Eadbaldus* vero filius *Ethelbyrhti* regni gubernacula ſuſcepit, qui genuit duos filios *Eormenredum* atque *Erconbyrhtum*. *Eadbaldus* rex tranſiens ex hac vita, *Erconberto* ſceptra dereliquit imperii. Hic primus regum *Anglorum* in toto regno ſuo idola relinqui ac deſtrui præcepit; ſimul & jejunium quadraginta dierum obſervari principali auctoritate juſſit, cui natus eſt filius nomine *Ecgbertus*. Natique ſunt *Eormenredo Ethelbertus* atque *Ethelredus*; Quorum vitam & paſſionis triumphum in exordio noſtræ hiſtoriæ placet inſerere, & gloriam ſanctitatis eorum demonſtrare.

ERat namque rex *Ethelbyrhtus* perfectus in imperio glorioſæ poteſtatis, qui delectatus ſummopere verbis divinæ agnitionis, tinctus eſt baptiſmate ſalutis. Cujus ſtudio vel ſagaci auxilio ubique eccleſiarum Dei diffuſus eſt ſtatus, & rerum ſuarum collatione fidelium roboratus extitit conventus. Unde regni monarchia ſolertiſſime pro ſibi illato poſſe diſpoſita, vocante (ſequi enim inter omnia fecerat) juſti remuneratoris clementia, carnalibus privatur, & ad ardua ætheris cum ſanctis regnaturus ſuſtollitur. Huic vero in regiminis ſumminiſtratione ſuccedit filius *Eadbaldus*, ſicut ſuperius præfati ſumus, de quo procreantur bini regalis ſtirpis filii, *Eormenredus* & *Erconbyrhtus*, quorum junior imperialis principatum regni patre diſponente ſuſcepit. Poſt autem *Erconbyrhti* deceſſum, filius ipſius nomine *Ecgbyrhtus* illud potenter gubernavit. *Eormenredus* vero major abſque imperii dominio in hujus caducalis vitæ permanſit volubili ſtadio: cui juſto ex juſtiſſima conjuge nati ſunt filii duo, qui [illegible] in herili cœleſtis regis palatio, multimodis ſunt ditati æternæ gloriæ munere regio, quorum unus onomate nituit *Ethelredus*, alter vero vocabulo fulſit *Ethelbyrhtus*. Namque in eorum natali ſanctiſſimo, cuncti ut remur lætati ſunt beatorum ſpirituum ordines in cœlo, quia quos in terris deſtinari conſpiciebant, ipſos fortiores poſt hujus vitæ gravia certamina ad ſe redituros videbant. Gaviſa eſt telluris ſublimitas, ſe ornari ſentiens duplicis doni gratia, & quia ex nimio multatur contrariorum infortunio, ſe ſemper ſperat inmeliorari tali ſubſidio. Gratulatur inſuper & mater ſancta eccleſia, dum ſub tanto ſponſi illuſtratur dotalicio, quo & meritorum luce melius reſplendeat, & ſemper in ſanctioris rectiſſimum æquitatis culmen creſcat. Hujus nempe præcellentis doctrinæ utero traditi, ut ſine accuratis diſciplinæ magiſtralis loquamur eloquentiis, primo omnium in ſereniſſimo ſanctæ meditationis illius ſacrario, nitido ſalutaris aquæ ſunt abluti baptiſterio, in cujus puri ſeptem gradibus liquoris, ſeptem ſunt ſortiti dona Spiritus ſancti, epiſcopali benedictione perfuſi, & ſancto criſmate delibuti. Quibus undique decentiſſime fulti, vivere ſtuduerunt virgines & corpore ſancto tenerrimi, ſeptenis dierum curriculis, ut ſeptem ſepties agmentatis & monade ſuppoſito, ſingularis in præſenti vita adquirerent fructum jubelei, hoc eſt annum æternæ felicitatis. Hoc deinde inſignium illuſtri cura virtutum duplicato corpore & anima, poſt peractum vitæ curſum, fructum caperent centeſimum ſacratiſſimis virginibus conſecratum. Egregia namque inſignes forma ſanctitatis, aptiſſimis devincti caſtitatis radiis, cernuæ locupletes humilitatis officiis, inevincibilis ter beati patientiæ titulis, largis pro poſſe fungentes elemoſinarum ſtudiis, indeficientis præcordialibus orationis compti privilegiis, & plurimis patris ſpirituum debriantur bonitatum ſpeculis. Quia ergo plantaria virtutum naturaliter eis inſita pro noſtra capacitate prælibavimus, nunc brevi novationis ſerie aggredi temptamus, qualiter ad gaudia cœleſtis patriæ per coronam martyrii vocantur.

IGitur utriſque eorum parentibus ab hujus vitæ miſeria decedentibus cum adhuc juvenilis potirentur imbecillitate ætatis, *Ecgberhto* regi germano conſobrino ſuo ſunt traditi, qualiter & ſolertis prudentiæ educarentur exercitiis, & humanæ infirmitatis ſuſtentarentur ſolatiis. Talibus vero piorum conaminibus non defuere iniquæ venena jaculationis, quæ ſemper adverſus filios Dei per filios diffidentiæ telis invidiæ armatur. In regali namque palatio homo quidam peccati & filius inventus eſt perditionis, membrum diaboli necnon domus *Zabuli*, qui ſeculi vanis tumidus pompis, munificentiaque regali redimitus, nec Deum timebat nec hominem reverebatur. Hic cum principe cum pro nimia ambitione honoris ſuper omnes conſiliis frueretur, tum pro fœtido humanæ levitatis favore in vanum tollebatur. *Aman* ſuper *Mardochæum* ignicomis mortiferæ vexationis furcis ſtimulabatur, quibus ipſe poſtmodum inſperate vinctus ſuſpenderetur. Vocabatur porro convenienti ſibi nomine *Thunur*, quod Latina interpretatione ſonat, tonitrus. Furiis namque teterrimorum ſpirituum morbidis indeſinenter vexabatur, quorum horridis fragoribus in inferni tartarum demergeretur. Videns ergo felices quos ſupra taxavimus vivere feliciter, ſordidarum ſcabenti deturpatus meditationum prurigine, in cœnoſo mentis impiæ volutabro cœpit cogitare, quibus adinventionum ruderibus eos neci poſſet tradere. Unde canino dente apud plurimos aulicorum eorum præconia præſumebat rodere, vecordique in calumpnia ipſorum duci talia proferre. *Cum rex ſereniſſime ſtrenua mente, ſollerti opere, perſpicacis ſenſus valitudine ac vigorabili tui potentatus lance, largiſſima regnorum tuæ majeſtati ſubjacentium ſinuamina prudentiſſimo æquitatis diſponantur libramine, eſt quam precioſum, ut non tantum ſtabili nunc virga regni recte moderatur, ſceptrumque orbis ſtatus gubernetur, quam pulcherrima tuæ propagini proſpiciat incolume pacis decus. Non enim tantum tui cura ſollicitationum nebulis agitareris, niſi clariſſimorum tuæ dignitatis ſucceſſurorum ſpeciebus natorum optimis delectareris. Quapropter opera precium ducimus, ut ſemita tranquillitatis eis proſpera redimatur, quo & res publica ipſis ſucceſſura nullo turbinum fluctu quatiatur, nullis diſcordiarum angoribus vacilletur. Cuncta eis bonis omnibus exuberans arrideat felicitas, lætitia pleniter inditis perſeverabilis affluat jocunditas. Videre autem videor, ut magna hujus ſalubritatis oriatur penes te injuria, quia nutris cum diligentia qui aliquando ſibi uſurpare præſument tui regni faſtigia, nutabuntque; diligenter eis exhibes talia, in tui tuorumque poſterorum inutilia. Ex aſſiſtentibus tuæ celſitudinis loquor* Ethelredo *&* Ethelbythto *tyrunculis, qui magis in augmento tuæ liberorumque creſcunt damnationis quam cujuſlibet tuæ provectionis. Ergo perquiſita directi omnimis ſcientiola qua æqua promoveatur in eos rationis ſententiola; conſultum commune credentem eſſe militaris tuæ, ut aut eos in longinquum dirigi exilium jubeas regionis, aut citiſſime tradi mihi ſinas jugulis.* Rege hæc diſſimulante, utraque ſe nolle denegante, illo tamen obnixe ut fieri permitteret ſtimulante, & hoc ſæpius repetente, dum tepide & non argute prohibuit, audaciæ temeritatem ut perderentur intulit. O quam ſubdola ſemper in inſontes perfidorum calliditas! O quam inmitis fraudulentorum in innocentes ſævicia! Nulla lenis gratiatiſſima pietatis cura, non eis ulla manſuetudinis interſunt viſcera. Sola quæ meditantur acerba, quæ portant venenis ſimilia. Quid plura? mortifera idem in ſe ipſum armatur peſtifer turbo nequitia, qua abſente regis præſentia manus niſus eſt extendere in Deo cernua innocentium colla.

HAC igitur invidi perſecutoris inſectatione martyres Chriſti coronati ſunt palma victoriæ, & à Chriſto ſuſcepti in prædio perhennis vitæ lætantur cum angelis cœleſtis patriæ. Precioſa vero tantorum membra agoniſtarum juſſit inhoneſtis ſubſelliorum locis humo contegi regalium, credens latere diu cunctis quod peregerat ſtupidæ commentum perverſitatis nequitia ſceleſti interemptoris. Porro nullo eis indulto fletus ſuſpirio, nullo decem cordarum reboante officio, non hymnorum pulcherrimo *Ambroſiano* titulo, nec *Gregoriano* potitis dulcis armoniæ organo; non defuere ſummæ deitatis tamen multiplicis virtutis exenia.

ET enim intempeſta noctis quiete viſa eſt divinitus choruſca ſuper aulam palatii regis fulſiſſe luminis columpna, quæ illuſtratione inſolita plures turbavit ex regis familia. Danteſque fragorem clamoris in admiratione nimia, expergefactus eſt rex, & hoc minime cognoſcens ſurrexit à ſtratus ſui cubiculo, & iter paravit ad noctumales matutinorum hymnos. Cum digreſſus à domo, videt orbem novi ſplendoris incanduiſſe albedine, cujus procreatio diffluebat à præfato lucis mirabili ſolio. Enimvero tam recentis ſtupefactus intuitu, mentis agitari cœpit ſollicitus Rex cogitationibus, & ubi eſſent quos pridie præviderat, & de confabulatione perdendorum martyrum quam miniſter iniquitatis cum eo jamdudum habuerat, movebatur ſiquidem meditatione acerrima. Tunc celerrime aſcito tanti criminis auctore ſciſcitatur qua forent propinqui ſui poſiti regionis longinquitate, quorum non fruebatur præſentiæ inclita pulchritudine. Iniquiſſimo ſane ſurdas his punctionibus aures præbente carnifice, atque *Cain* voce ſuperbo mentis ſupercilio ſe neſcire turpiore grunniente, minaci vultu quippe ut perterritus divinæ lucis claritate, ei fertur talia inculcaviſſe, *Tu mihi plurima de eis ſemper ſermocinatus es bonis contraria, tu de eorum exilio mala, tu de internicione nefaria, tu adverſus eos multa mordebaris inſania. Tibi pleniter enarrare noſtræ ſollertiæ oportet nequiſſime, qualiter inveniantur quos gravi inſectabaris odii zelo, corrupta mente.* Ad hæc ille furcifer ſentina malitiæ fœtidus: *Sub tua*, inquit, *mortua eorum jacent cadavera loco ſedis domus.* Princeps quid ageret? Perculſus namque timoris ingenti turbine, quia in parte torquebatur mordaci macula alis conſcientiæ, dum fortiter non reſtitit bonitatis hoſti, & quia vindicare nequibat quod peractum injuſte fuerat, ſtupens inhærebat, in quantumque poterat pœnitebat. Aurora itaque diei terris illuceſcente, convocatis quibus ad præſens innitebatur comitibus regnique ſui principibus cum epiſcopis, in quibus ſupereminebat archipræſul *Dorovernenſis* multæ beatitatis vir, vocabulo *Deus dedit*, ad locum præfatorum innocentum conſiſtens pergit, terram ſuffoſſorio avellit, corporaque ſanctiſſima indecenter jugulata ac inhoneſte condita detegit. Heu quam ſurda aure tunc mentis conſtitit ſi non flevit, cum filios avunculi ſui innocentes perditos conſpexit! Heu quam ferreo uſus eſt pectore ſi dum propinquos carnis ſuæ felici ſanguinis vidit tinctos rubore, non tangitur cordis dolore! Heu quam gravi lacrimarum potuit ſuffundi imbre, dum tantæ nobilitatis flores inclitos tam ſuſili vidit traditos ſepulturæ!

IGitur cum hominum exequiis etiam non defuerunt magnalia perpetuæ deitatis. Conditor namque in regni æternitatis ſolio etiam hic viſitare dignatur miro potentiæ ſuæ miraculo. Talia gerebantur in villa regali quæ vulgari dicitur [illegible] pronunciatione. Cum ergo ſanctorum precioſiſſima innocentum corpora terræ ſecreto forent ſuperſtra ta ferretro poſitorum eſt ut delata in urbem Cantiæ, Chriſti ſepelirentur in monaſterio; & moveri non quiverunt ab illo in quo ſtatim fuerant loco. Propoſitum eſt et ad S. Auguſtini ferrentur eccleſiam, ſiquidem levari nequiverunt. Ad plurima quoq; & honorabilia portare decreverunt loca de tumbis apoſtolorum manuum deficiebant brachia. Tandem ſalubri reperto conſilio, ut ad famoſiſſimum geſtarentur monaſterium *Wacrinenſe* vocitatum, tam diſſimili agilitatis inſperato levantur officio, ut nihil honoris videretur in geſtamine diu deſiderato. Quo cum perventum fuiſſet, cum pulcherrimis hymnorum canticis, lenibuſque pſalmorum melodiis, multis reſonantibus choris & jubilationum cymbalis ſuſcipiuntur, traduntur que principaliori recto aræ ſepulturæ decenti. Hic multis annorum curriculis eis poſitis, mauſit Dominus qui humilia reſpicit & alta à longe cognoſcit, eos crebertimis ditare miraculis voluit, de quibus duo poſterorum notitiæ nunc populare præſenti ſermone [ſtatuit.]

ACcidit ut quidam alterius bonis deditus ovem cujuſdam pauperis tolleret ſecretius, quam geſtans in humeris, ligatis pedibus, deferre gliſcebat ſecus monaſterium ſanctorum martyrum, ſed non potuit. Portari ibidem potuit, ſed dehinc vehi non valuit. Reus itaque hujus ſceleris continuo fruſtratur flatu vitali, proſternitur que mortuus, humi ovem viventem habens in manibus, eo inſequente cui furtum fuerat illatum. Recipit innocens propriam, dimittit reum morte præventum, jubilans ſanctorum ultione innocentum. Continuo cunctis ad æditimum ſciſcitatur ſi peremerit latronem illum: à nullo mortali didicit jugulatum. Acceptaque licentia reportandi quod ſuum fuerat, lætus & hilaris revertitur in ſua, Deo ac ſanctis ejus multas gratias agens.

IGitur quoniam paſſiones ſanctorum martyrum prout potuimus ſtrictim prælibavimus, reſtat quomodo divina ultio ſuper iniquiſſimum Judicem piiſſimæ necis eorum auctorem pervenerit, breviter tangamus. Fuerat eis ex paterno maternoque ſoror procreata ſemine *Eormenburga* vel *Domneva* nomine, quam habebat in conjugium copulationis legitimæ Rex *Merciorum Mearwaldus* nomine, quam *Ecgberhtus* rex ad ſe miſſo legationis ſuæ gerulo diſpoſuit vocare. Quæ veniens, ſuſcipitur ab omnibus primatibus illius regionis uti dignum erat honorabili perſpicuæ ambitionis dignitate. Decernens itaque eam honorare, ut quodcunque vellet honeſtatis ſibi competentis in poteſtatis ſuæ ditione rogaret, & ſine mora acciperet, ſancta mulier humili reſponſione ſubinfert, ut tantum terræ illi concederet quantum cerva quam ſibi nutrierat, in una die divino inſtinctu pede peragraret. Rex vero gratanter continuo jubet in craſtinum præparari comitum agmen, quo freti, navibus ad inſulam Tenet dictam facerent callem. Quo poſiti, ipſaque cum cerva inſulam navigio ingreſſa, viam cervæ luſtrandi arripit, à principeque & Chriſti famula cum plebe militari inſequitur equis. Jam ex parte quam plurima circuita, nefandus carnifex turbatur invidia, & quaſi pro fidelitate Regis cui nichil remanere videbatur ex ipſius vaſtitate amens, cœpit quaſi in viis ejus compatiens garrire talis, *Cum cuncta peragas perſpicacis prudentiæ gubernaculo, quare hoc brutum animal ſicut aliquid magni gerat ſequeris inceſſu devotiſſimo?* His dictis, divinis fulminis perculſus jaculis, ex ſonipede ruit. Continuo ſuſcipitur cum armis equoque nimis [illegible] infelix *Thunor* novo terræ hiatu, ac nimio terrore rex cum omnibus ſuis commilitonibus correptus, operiri concite jubet horrendo lapidum acervo ipſius corpus, anima perhenni ſervata incendio, baratri cenoſis ignibus, de quibus dictum eſt pœnis, *Tranſibunt animæ de pœnis nivium ad calorem nimium.* Qui locus à tranſeuntibus Thunerhleaw vocatur taliq; vocabulo potitur. Talibus ſtupidæ mortis officiis inſano laniſta utente, ac pro deliciis tormentorum pœnas luente, prædicta fera quantum divina voluntas conceſſit, eis comitantibus iter fecit, & ſic gradum fixit mirantibus cunctis. Rex quod ſpoponderat, viſo territus miraculo fecit, manu propria formavit, ſicque domum rediit.

MUlier vero ſanctæ virtutis amica ac Deo valde electa, in hac inſula eccleſiam almæ Dei genitricis *Mariæ* perpetuæ virginis in memoria innocentum *Chriſti* martyrum fratrum ſuorum conſtituit, filiamque ſuam bonæ indolis virginem *Mildrydam* appellatam, eccleſiaſticis in tranſmarinis partibus diſciplinis eruditam, poſtmodum ibi conſtituit, cum ſeptuaginta ſanctimonialibus à ſancto archiepiſcopo *Deuſdedit* conſecratis, inibique congregavit. Ibi ergo beatæ genitrix *Mildritha* poſt excurſum plurimorum annorum, poſt exhibitionem bonarum virtutum, poſt ædificationem plurimarum mentium virorum & virginum quas in Chriſto confortavit, cum lampade juſtitiæ à Chriſto meruit audire, *Surge, propera amica mea, veni de* Libano, *veni, coronaberis.* Cujus anima ad cœli deducta palatium, à Chriſto percipit immarceſcibilia victoriæ dona, cum eo ſanctiſque ejus regnatura in perhenni gloria. Sane in monaſterii regimine ſuccedit inclita ejus ſoboles, quam educaverat decentiſſime, nobilis & in Chriſti ſervicio non deficiens *Mildrytha* prædicta, ſanctiſſima virgo, multa fulgens miraculorum gratia.

UNde unum narramus miraculum, quod ſine dubio confirmat quia fecerat ei Dominus plurima quæ ſunt mortalibus inedicibilia. Quadam namque temporis ſerie laſſeſcentibus membris pro nimia laboris diuturnitate quieſcebat in lectulo, modico gravata ſopore: cui aſtitit angelus Domini in columbæ ſpecie reſidens in ejus capite, ut eam tueretur à malignorum ſpirituum illuſione. Hæc beata virgo, ſicut ejus felix genitrix, bona relinquens ſequacibus veſtigia, omnipotente ſpirituum patre ejus animam ſumente, terra plorante, cœlo gaudente, vivit in æterna beatitudine, ſacratiſſimo ipſius corpore in templo beatæ Dei genitricis *Mariæ* perpetuæ virginis digniter in condigno loco tradito ſepulturæ. Præterea dum ſpurciſſimi perſecutoris piorum martyrum ſubitum mortis interitum ſtatuimus deſcribere, poſtmodum inflex imus oculos ad veneranda ſororis neptiſque eorum geſta, quibus inſimul Chriſtus fuit vivere, & mori lucrum, cujus gratia ad alia narranda eo ſuccurrente eſt properandum, retinentes ordinem narrationum.

IN exordio hujus operis genealogiam regum *Cantuariorum* ſtrictim prælibavimus, nunc *Northanhymbrorum* liber demonſtrare, ut ad eorum tempora valeamus pervenire de quibus non eſt narratum poſt obitum reverendiſſimi ſacerdotis *Bedæ*.

I*Da* rex annis regnavit xj. quo abſtracto *Glappa* uno regnavit anno, quem ſecutus *Adda* octo annis tenuit regni faſtigia. Illo vero penetrante ima pro meritis, *Ethelric* regnum adeptus eſt terrenum, quod tenuit vij. annis. Is ſecreta inferni viſitans *Theoderico* imperia dereliquit, qui bis binis annis regnum tenens, regnum ſimul perdidit & vitam, tendens in æternas ire tenebras, quo preſſus gravidis colla catenis cogitur nunc miſerum cernere regnum. Poſt hunc *Frithuwold* adeptus eſt ſceptrum regni vij. annis, qui ſubtractus à ſeculo monarchiam regni dereliquit Regi *Huſſo*. Ipſe vero vij. annis jura imperii tenens, didicit per ſe verum eſſe quod ſequitur,

Mors ſpernit altam gloriam,
Involvit humile pariter & celſum caput,
Æquatque ſummis infima.

Octavus in regno refulſit *Ethelfryth* fortiſſimus regum; qui xx. & viij. annis regno potitus vita & regno eſt privatus. Huic ſucceſſit *Edwinus* rex, qui fidem Chriſtianitatis percipiens, rex & martyr cœlos penetravit pro meritis, xvij. annis regnum conſervans cum honore ſummæ poteſtatis. *Oſwaldus* vero poſt hunc regnum *Northanhymbrorum* Chriſtianiſſimus ſuſcepit, quod & octo annis tenuit: qui ſupernæ civitatis gaudia petens, & cœli ſecreta ſcandens, regnum poſt ipſum *Oſwius* rex ſuſcepit ad tuendum xx. & viij. annis. Quo ablato ab imis ad ſupera, *Egfrido* commiſit terrena imperia, qui regnum xv. annis tenuit. Quo à *Pictis* interfecto, quia injuſte vaſtaverat *Hiberniam*, regnavit pro eo *Alfridus* frater ejus xix. annis. *Alfrido* vero ſucceſſit filius ejus *Oſredus* xj. annis. Quo occiſo, *Coenredus* regni gubernacula ſuſcepit xj. annis. Cui in regnum ſucceſſit *Oſricus* xj. annis. *Oſrico* vero ſucceſſit *Ceolwlfus* frater *Coenredi* viij. annis. Huic *Beda* hiſtoriographus *Anglorum* hiſtoriam deſtinavit. In regni ſtatu regis prædicti *Egfridi* anno iv. conſtructum eſt quoddam nobile monaſterium in **Wiremuthe**, & anno vij. regni ejuſdem natus eſt *Beda* magnus. Sed qualiter id factum ſit veriloquus *Beda* teſtatur in vita beatiſſimi abbatis ſui *Benedicti* atque *Ceolfridi*, quam ipſe lenibus exaravit verbis, quæ in pleriſque habetur deſcripta locis. Ædificatus eſt idem locus & in honore Principis apoſtolorum *Petri* conſecratus. Sed & aliud eſt cœnobium conſtructum in veneratione Doctoris gentium *Pauli* in loco qui dicitur **Et Gyrwum**. His dictis, libet huic noſtro operi inſerere quædam quæ geſta ſunt in diebus iſtorum abbatum, ut hi qui vitam illorum non legerunt, audiant quanta Chriſtianitatis flamma refulſit illis diebus in his ipſis regionibus, ut ait *Beda* in ſuis dictionibus.

FUit vir vitæ venerabilis gratia *Benedictus* & nomine, ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile, ætatem quippe moribus tranſiens nulli animum voluptati dedit. Nobili quidem ſtirpe gentis *Anglorum* progenitus, ſed non minori nobilitate mentis ad promerenda ſemper angelorum conſortia ſuſpenſus. Denique cum eſſet miniſter *Oſwii* Regis, & poſſeſſionem terræ ſuo gradui competentem illo donante perciperet, annos natus circiter xx. & v. faſtidivit poſſeſſionem caducam ut adquirere poſſet æternam. Deſpexit militiam cum corruptibili donativo terreſtrem, ut vero regi militans regnum in ſuperna felicitate mereretur habere perpetuum. Reliquit domum, cognatos & patriam propter Chriſtum & propter evangelium, ut centuplum acciperet & vitam æternam poſſideret. Reſpuit nuptiis ſervire carnalibus, ut ſequi valeret agnum virginitatis gloria candidum in regnis cœleſtibus. Abnuit liberos carne procreare mortales, prædeſtinatus à Chriſto ad educandos ei ſpirituali doctrina filios cœleſti in vita perhennes. Dimiſſa ergo patria *Romam* adiit, beatorum apoſtolorum quorum deſiderio ſemper ardere conſueverat adorare curavit, ac patriam mox reverſus, ſtudioſius ea quæ viderat eccleſiaſticæ vitæ inſtituta, diligere, venerari & quibus potuit prædicare non deſiit. Profectus eſt dehinc ad limina ſanctorum apoſtolorum tempore *Vitaliani* papæ, qui inde egrediens ad *Lirinenſem* inſulam ſe monachorum cœtui tradidit, tonſuram accepit, ubi per biennium inſtitutus, rurſus beati *Petri* amore devictus ſacra ejus limina repedare ſtatuit. His diebus apoſtolicus papa *Theodorum* epiſcopum atque *Adrianum* abbatem cum viro Dei *Benedicto* ad *Anglicam* direxit gentem. Quot vero *Benedictus* divina volumina, quantas beatorum apoſtolorum ſive martyrum Chriſti reliquias attulit, quis annunciet? Rex vero *Egfrid* his diebus regnum *Northanhymbrorum* pio moderamine tenuit. In cujus conſpectu tantam invenit gratiam ſummæ clementiæ, ut confeſtim ei terram ſeptuaginta familiarum de ſuis largiretur prædiis, & monaſterium inibi primo paſtori eccleſiæ facere præciperet ad hoſtium fluminis *Wiri* ad lævam, anno ab incarnatione Domini DC. lxxiv. indictione ſecunda, anno autem iv. imperii ejuſdem regis. Deinde cementarios adquiſivit, vitrique factores invitavit, & omnia quæ neceſſaria erant copioſe eſt adeptus. Qui quinquies, ut liber vitæ ejus demonſtrat, eſt profectus ultra maris ſalſi gurgites, qui tanta munera, & tanta attulit dona in omnibus ſpeciebus, ut præ multitudine nequeant referri.

IGitur venerabilis *Benedicti* virtute, induſtria ac religione rex *Egfridus* non minimum delectatus, terram quam ad conſtruendum monaſterium ei donaverat, quia bene ac fructuoſe ordinatam conſpexit, quadraginta adhuc familiarum data poſſeſſione augmentare regali munere curavit. O benigna clementia Chriſti, ô clemens pietas Regis, quæ non ſolum libens contulit ſua bona bonis, verumetiam data poſſeſſione augmentare curavit, ut illud impleretur quod legitur, *Nonne cor noſtrum ardens erat in eo!* Væ inimicis Chriſti, væ qui deſtruunt, qui comburunt templa Dei. Comburuntur & ipſi ubi vermes eorum non moriuntur, & ignis non extinguitur. De his nunc taceamus, & quid geſtum ſit læti dicamus. Peractis biſſenis menſibus, coadunati ſunt monachi numero ferme decem & vij. præpoſito ac presbytero eis conſtituto *Ceolfrido*.

BEnedictus vero Jeſu Chriſti famulus conſultu, imo etiam juſſu præfati regis *Egfridi*, aliud conſtruxit monaſterium in honore ſanctiſſimi *Pauli* apoſtoli non procul ab altero conſtitutum; ea duntaxat ratione, ut una utriuſque loci pax & concordia, eadem perpetuo familiaritas conſervaretur & gratia, ut ſicut, verbi gratia, corpus à capite per quod ſpirat non poteſt avelli, caput corporis ſine quo non vivit nequit oblivisci: ita nullus hæc monaſteria primorum apoſtolorum fraterna ſocietate conjuncta, aliquo, ab invicem temptaret diſturbare conatu. Conſtituit denique religioſus vir Domini *Benedictus* reverentiſſimum *Ceolfridum* monaſterio ſancti *Pauli* apoſtoli, & *Eoſterwinum* præfecit abbatem in cœnobio ſancti *Petri* apoſtoli. Ipſe vero *Benedictus* iccirco hoc geſſit, ut regularis cuſtodia ſemper ſervaretur, ne propter illius laboris profectionem minus cuſtodiretur ſanctæ diſciplinæ monarchia. Et ipſe magnus abbas *Benedictus*, ſicut de illo beatus papa *Gregorius* ſcribit, xij. abbates ſub ſe præfecit ſine caritatis detrimento, imo pro augmento. Suſcepit igitur *Eoſterwinus* curam monaſterii regendi nono ex quo fundatum eſt anno, permanſitque in ea uſque ad obitum ſuum annis iiij. vir ad ſeculum nobilis. Sed inſigne nobilitatis non ad jactantiæ materiem ut quidam deſpectumque aliorum, ſed ad majorem, ut Dei ſervum decet, animi nobilitatem convertens. Patruelis quippe erat abbatis ſui *Benedicti*. Sed amborum tanta ingenuitas, talis mundanæ ingenuitatis fuit pro nihilo contemptus, ut neque iſte monaſterium ingreſſus aliquem ſibi præ cæteris ob intuitum conſanguinitatis aut nobilitatis honorem quærendum, neque ille putaret offerendum, ſed æquali cum fratribus lance boni propoſiti juvenis gloriabatur ſe ſingularem per omnia ſervare diſciplinam. Et quidem cum fuiſſet miniſter *Egfridi* regis, relictis ſemel negotiis ſecularibus, depoſitis armis, aſſumpta militia ſpirituali, tantum manſit humilis fratrumque ſimillimus aliorum, ut ventilare cum eis & triturare, oves vitulaſque mulgere, in piſtrino, in orto, in coquina, in cunctis monaſterii operibus jocundus & obediens gauderet exerceri. Sed & abbatis nomine aſſumpto, idem animo qui prius manebat ad omnes, juxta id quod quidam ſapiens admonet, dicens, *Rectorem te conſtituerunt, noli extolli; ſed eſto in illis quaſi unus ex illis*. Erat enim mitis, affabilis & benignus omnibus, & quidem ubi opportunum competebat, peccantes regulari diſciplina coercens, ſed magis tamen ingenita diligenti conſuetudine ſedulus admonens, ne quis peccare vellet, & limpidiſſimam vultus ejus lucem, nubilo ſibi ſuæ iniquitatis abſcondere. Sæpe procurandis monaſterii negotiis alicubi digrediens, ubi operantes invenit fratres, ſolebat eis confeſtim in opere conjungi, vel aratri greſſum ſtiva regendo, vel ferrum malleo domando, vel ventilabrum manu concutiendo, vel aliud quid gerendo. Erat enim & viribus fortis juvenis, & lingua ſuavis, ſed animo hilaris & beneficio largus, & honeſtus aſpectu. Eodem quo fratres cæteri cibo, ſemper eadem veſcebatur in domo. Ipſo quo priuſquam abbas eſſet, communi dormiebat in loco, adeo ut etiam morbo correptus, & obitus ſui certis ex ſignis jam præſcius, duos adhuc dies in dormitorio fratrum quieſceret. Nam quinque reliquos uſque ad exitus horam, dies, in ſecretiore ſe æde locabat; Qua die quadam egrediens & ſub divo reſidens, accitis ad ſe fratribus cunctis, more naturæ miſericordis oſculum pacis eis flentibus ac de abſceſſu tanti patris & paſtoris mœrentibus dedit. Obiit autem per nonas Martias noctu, fratribus matutinæ pſalmodiæ laude vacantibus: viginti quatuor annorum erat cum monaſterium peteret, xij. in eo vixit annis, vij. presbyteratu functus eſt annis, iiij. ex eis monaſterii regimen agebat, ac ſic terrenos artus moribundaque membra relinquens, cœleſtia regna petivit, ut duo diademata capiti imponeret ſecundum nominis ſui palmam, hoc eſt **Eaſter & Wine**, verum Paſcha ipſe inclitus percipiendo, quod eſt verum epinicion. Verum his de vita venerabilis *Eaſterwini* breviter prælibatis, redeamus ad ordinem narrationis.

COnſtituto illo abbate monaſterio beati *Petri* apoſtoli, conſtituto & domino *Ceolfrido* monaſterio beati *Pauli*, non multo poſt temporis ſpacio *Benedictus* impiger miles Domini quinta vice de *Britannia Romam* accurrens, innumeris ſicut ſemper eccleſiaſticorum donis commodorum locupletatus rediit.

Nec multo poſt etiam felix *Benedictus* morbo cœpit ingruente fatigari, quo per triennium languore paulatim accreſcente, paraliſi diſſolutus eſt infirmitate, ut ab omni prorſus factus ſit parte præmortuus inferiorum membrorum, ſuperioribus ſolum, ſine quorum vita vivere nequit homo, ad officium patientiæ virtutemque reſervatis. Studebant in dolore ſemper auctori gratias referre utrique abbates, *Benedictus* ſcilicet atque *Sigfridus*, ſemper Dei laudibus fraterniſve hortatibus vacare.

Multa quidem fratribus colloquebatur, ſed & hoc ſedulus eiſdem ſolebat iterare mandatum, Ne quis in electione abbatis generis proſapiam, & non magis vivendi docendique probitatem putaret eſſe quærendam. At ubi uterque abbas laſſatus infirmitate diutina jam ſe morti vicinum, nec regendo monaſterio idoneum fore conſpexiſſet, tanta eos namque affecit infirmitas carnis ut perficeretur virtus Chriſti in eis.

Cum vero quadam die deſideratus eis, ſe invicem priuſquam de hoc ſeculo migrarent, videre & alloqui, *Sigfridus* in feretro deportaretur ad cubiculum ubi *Benedictus* & ipſe ſuo jacebat in grabato, eiſque uno in loco miniſtrorum manu compoſitis, caput utriuſque in eodem cervicali locaretur lacrimabili ſpectaculo, nec tantum habuere virium ut propius poſita ora ad oſculandum ſe alterutrum conjungere poſſent. Inito *Benedictus* cum eo cumque univerſis fratribus ſalubri conſilio, acciit abbatem *Ceolfridum*, quem monaſterio beati *Pauli* apoſtoli præfecerat, virum videlicet ſibi non tam carnis neceſſitudine quam virtutum ſocietate propinquum, & eum utrique monaſterio cunctis faventibus atque hoc utiliſſimum judicantibus præpoſuit patrem, ſalubre ratus per omnia ad conſervandum pacis unitatem concordiamque locorum, ſi unum perpetuo patrem rectoremque tenerent; commemorans ſæpius *Iſraelitici* regni exemplum, quod inexterminabile ſemper exteris nationibus inviolatumque perduravit, quamdiu unis eiſdemque ſuæ gentis regebatur à ducibus. At poſtquam præcedentium cauſa peccatorum inimico ab invicem eſt certamine direptum, periit pauliſper, & à ſua concuſſum ſoliditate defecit.

IGitur poſtquam cuncta compleſſent quæ Dei erant, revolutis menſibus duobus, primo venerabilis ac Deo dilectus abbas *Sigfridus* pertranſito igne & aqua tribulationum temporalium, inductus eſt in ſempiternæ quietis refrigerium, introivit in domum regni cœleſtis in holocauſtis perpetuæ jubilationis.

B*Enedictus* vero victor vitiorum deinde adjunctis aliis menſibus quatuor, victus infirmitate carnis ad extrema pervenit. Tunc virtutum patrator egregius ut purpuraret terminum ſui exitus, catervas contempſit inimicorum funditus. Qui ſacræ fidei militiam proferens, qui diſpenſationis ſuæ talenta ſuſtollens, qui egregiæ caſtitatis fructus in manibus retinens, qui oleum recondidit in thalamo cordis, ut dignus exiſteret ſancta ſanctorum intrare, jubeleique anni remiſſionem percipere.

Nox ruit hybernis algida flatibus,

Die mox ſancto, naſcitura æternæ felicitatis ſerenitatis & lucis.

Suſcepit ſanctus Domini ſervus Dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, hora exitus ſui inſtante pro viatico & ſic anima illa ſancta longis flagellorum felicium excocta atque examinata flammis, luteam carnis fornacem deſerit, & ſupernæ beatitudinis libera pervolat ad gloriam. Sextodecimo poſtquam monaſterium fundavit anno quievit in Domino pius Confeſſor, pridie Iduum Januariarum.

C*Eolfridus* vero abbas illuſtris per omnia vir acutus ingenio, actu impiger, maturus animo, religionis fervens zelo, pius ſicut & ſupra meminimus, ju-

An. Dñi

bente pariter & juvante *Benedicto*, monaſterium beati *Pauli* apoſtoli vij. annis fundavit, perfecit, rexit, ac deinde utrique monaſterio, vel, ſicut rectius dicere poſſumus, in duobus locis poſito uni monaſterio beatorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, xxviij. annis ſolerti regimine præfuit, & cuncta quæ ſuus prædeceſſor egregia virtutum opera incepit, ipſe non ſegnius perficere curavit. Statuit igitur plurima altaria, fecit & oratoria, & veſtimenta omnis generis ampliavit, treſque bibliothecas adquiſivit, duas utriq; monaſterio reliquit. Privilegium monaſterio à papa *Sergio* accepit, quod perlatum & coram ſynodo patefactum, magnifici regis *Alfridi* ſubſcriptione eſt confirmatum. At ubi poſt multam regularis obſervantiæ diſciplinam, poſt incomparabilem orandi pſallendique ſolertiam, poſt mirabilem & coercendi improbos fervorem & modeſtiam conſolandi infirmos, poſt inſolitam rectoribus eſcæ potuſque parcitatem, & habitus vilitatem, vidit ſe jam ſenior & plenus dierum non ultra poſſe ſubditis ſpiritualis exercitii vel docendo, vel vivendo præfigere formam, multa diu ſecum mente verſans, utilius decrevit, dato fratribus præcepto, ut juxta ſui ſtatuta privilegii, juxtaque regulam ſancti abbatis *Benedicti*, de ſuis ſibi ipſi patrem qui aptior eſſet eligerent. Obnitentibus licet primo omnibus & in lacrimas ſingultuſque genua cum obſecratione crebra flectentibus, factum eſt quod pius pater deſideravit.

ELigitur igitur *Hwætberhtus*, vir bonus & juſtus, qui erat diſcipulus abbatis *Sigfridi*, ad cujus conſecrationem *Acca* epiſcopus invitatus eſt, qui illum ſolita in abbatis officium benedictione confirmavit. Profectus eſt beatus vir *Ceolfridus* ad limina ſanctiſſimi principis apoſtolorum, ſed priuſquam ibidem pervenire potuiſſet, tactus eſt infirmitate, qua & mortuus eſt. Pervenit autem *Lingonas* miles emeritus circa horam diei tertiam vij. Kal. Octob. ut diximus, applicavitque in pratis ejuſdem civitatis. Contigit autem Dei diſpoſitione, ut ipſo die circa horam decimam migraret ad Dominum. Cujus beatum corpus ſepultum eſt in eccleſia ſanctorum martyrum *Speuſippi*, *Eleuſippi*, & *Meleuſippi*, ubi multa ſigna & ſanitates patratæ dinoſcuntur, donante eo qui ſanctos ſuos & in præſenti certantes juvare, & in futuro conſuevit victores coronare.

HÆc autem quæ ſcripta ſunt ex dictis beatiſſimi *Bedæ* excerpſimus. Jam ratum videtur ut de eo quid loquamur, reminiſcentes memoriam ſanctitatis ejus, & gratias ei referentes pro ſuis laboribus. Ait enim de annalibus, hoc eſt de rebus ſingulorũ annorum.

Me legat annales cupiat qui noſcere menſes,
Tempora dinumerans ævi vitæque caducæ.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,
Alternant elementa vices, & tempora mutant.
Accipiunt augmenta dies noctesque viciſſim,
Tempora ſunt florum, retinet ſua tempora meſſis.
Sic iterum ſpiſſo veſtitur gramine campus.
Tempora gaudendi, ſunt tempora certa dolendi.
Tempora ſunt vitæ, ſunt triſtia tempora mortis.
Tempus & hora volat. Momentis labitur ætas.
Omnia dat, tollit minuitque volatile tempus.
Ver, æſtas, autumnus, hyems, redit annus in annum.
Hos claros verſus venerabilis edidit auctor
Beda *ſacer, multum nitido ſermone coruſcans.*

VErſus quoque quos de die judicii compoſuit ad epiſcopum *Accam*, hoc in loco libet caraxare. De quorum poſitione ſtrictim neſcientes inſtruere, obſecro ſcientibus oneri non ſit.

BEDA

Lamentatio Bedæ presbyteri.

INter florigeras fecundi ceſpitis herbas,
Flamine ventorum reſonantibus undique ramis,
Arboris umbriferæ, mœſtus ſub tegmine ſolus
Dum ſedi, ſubito planctu turbatus amaro,
Carmina præ triſti cecini hæc lugubria mente,
Utpote commemorans ſcelerum commiſſa meorum,
Et maculas vitæ, mortiſque inamabile tempus,
Judiciique diem horrendum examine magno,
Perpetuamque reis diſtricti judicis iram,
Et genus humanum diſcretis ſedibus actum,
Gaudia ſanctorum, nec non pœnaſque malorum.
Hæc memorans mecum, tacito ſub murmure dixi,
Nunc rogo, nunc venæ fontes aperite calentes.
Dumque ego percutiam pugnis rea pectora, vel dum
Membra ſolo ſternam meritoſque ciebo dolores,
Vos precor effuſis lacrimis non parcite ſtatim,
Sed mœſtam ſalſis faciem perfundite guttis,
Et reſerate nefas Chriſto cum voce gementi.
Nec lateat quicquam culparum cordis in antro,
Omnia quin luci verbis reddantur apertis
Pectoris & linguæ, carnis vel crimina ſæva,
Hæc eſt ſola ſalus animæ & ſpes certa dolendi,
Vulnera cum lacrimis medico reſerare ſuperno,
Qui ſolet alliſos ſanare & ſolvere vinctos,
Quaſſatos nec vult animos infringere dextra,
Nec lini tepidos undis extinguere fumos.
Nonne exempla tibi pendens dabat in cruce latro,
Peccati quantum valeat confeſſio vera,
Qui fuit uſque crucem ſceleratis impius actis,
Mortis in articulo ſed verba precantia clamat,
Et ſolo meruit fidei ſermone ſalutem
Cum Chriſto, & portas paradiſi intravit apertas?
Cur rogo mens tardas medico te pandere totam,
Vel cur lingua taces veniæ dum tempus habebis?
Auribus omnipotens te nunc exaudit apertis:
Ille dies veniet judex dum venerit orbis,
Debebis qua tu rationem reddere de te.
Suadeo prævenias lacrimis modo judicis iram.
Quid tu in ſorde jaces ſcelerum caro plena piaclis?
Cur tua non purgas lacrimis peccata profuſis,
Et tibi non quæras placida fomenta medelæ,
Fletibus aſſiduis, eſt dum data gratia flendi?
Pœnituiſſe juvat tibi nunc & flere ſalubre eſt:
Æternus fuerit placidus te vindice judex,
Nec Deus alterius bis crimina vindicat ullo,
Spernere tu noli veniæ tibi tempora certa.
Quanta malis maneant etiam tormenta memento,
Vel quod celſithronus metuendus ab arce polorum
Adveniet judex rationem reddere cunctis,
Præcurrent illum vel qualia ſigna, repente
Terra tremet, monteſque ruent, colleſque liqueſcent,
Et mare terribili confundet murmure mentes,
Triſtius & cœlum tenebris obducitur atris,
Aſtra cadunt, rutilo & Tytan teneſcit in ortu,
Pallida nocturnam nec præſtat Luna lucernam,
De cœlo venient & ſigna minantia mortem;
Tum ſuperum ſubito veniet commota poteſtas,
Cœtibus angelicis regem ſtipata ſupernum.
Ille ſedens ſolio fulget ſublimis in alto,
Ante illum rapimur collectis undique turmis,
Judicium ut capiat geſtorum quiſque ſuorum.
Sis memor illius, quis tum pavor ante tribunal
Percutiet ſtupidis cunctorum corda querelis,
Dum ſimul innumeris regem comitata polorum
Angelica advenient cœleſtibus agmina turmis

Atque omnes pariter homines cogentur adeſſe,
Qui ſunt, qui fuerant, fuerint, vel quique futuri,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt,
Quod cor, lingua, manus tenebroſis geſſit in antris,
Et quod nunc aliquem verecundans ſcire vetebat,
Omnibus in patulo pariter tunc ſcire licebit.
Inſuper implebitur flammis ultricibus aër,
Ignis ubique ſuis rapidis regnabit habenis,
Et quo nunc aër gremium diffundit inane,
Ignea tunc fluctus perfundet flamma feroces,
Feſtinans ſcelerum ſævas ulciſcere cauſas:
Nec vindex ardor cuiquam tunc parcere curat,
Sordibus ablutis veniat niſi ab omnibus ille.
Tunc tribus & populi ferient rea pectora pugnis;
Stabit uterque ſimul timidus pauperque potenſque,
Et miſer & dives ſimili ditione timebunt.
Fluvius ignivomus miſeros torquebit amare,
Et vermes ſcelerum mordebunt intima cordis.
Nullus ibi meritis confidit judice præſens,
Singula ſed nimius percurrit pectora terror,
Obſtupet attonito ſimul impia turma timore.
Quid caro, quid facies illa quid flebilis hora,
Quæ modo væ miſera ſervire libidine gaudes,
Luxuriaque tuis ſtimulis te agitabis acutis?
Ignea tu tibimet cur non tormenta timebis
Dæmonibus dudum fuerant quæ parta malignis?
Quæ ſuperant ſenſus cunctorum & dicta virorum,
Nec vox ulla valet miſeris edicere pœnas.
Ignibus æternæ nigris loca plena gehennæ,
Frigora mixta ſimul ferventibus algida flammis.
Nunc oculos nimio flentes ardore camini,
Nunc iterum nimio ſtridentes frigore dentes,
His miſeris vicibus miſeri volvuntur in ævum,
Obſcuras inter piceæ caliginis noctes,
Vox ubi nulla ſonat durum niſi fletus ubique;
Non niſi tortorum facies ibi cernitur ulla,
Non ſentitur ibi quicquam niſi frigora, flamma,
Fœtor & ingenti complet putredine nares.
Os quoque flammivomo lugens implebitur igne,
Et vermes lacerant ignitis dentibus oſſa,
Inſuper & pectus curis torquetur amaris,
Cur caro luxurians ſibimet ſub tempore parvo,
Atro perpetuam meruiſſet carcere pœnam,
Lucis ubi miſeris nulla ſcintilla relucet,
Nec pax, nec pietas, imo ſpes nulla quietis
Flentibus arridet, fugiunt ſolatia cuncta,
Auxilium nullus rebus præſtabit amaris,
Lætitia facies jam nulla videbitur illic,
Sed dolor & gemitus, ſtridor, pavor, & timor horrens,
Tædia, triſtitiæ, truxque indignatio, languor,
Errantesque animæ flammis in carcere cæco.
Noxia tunc hujus ceſſabunt gaudia ſecli,
Ebrietas, epulæ, riſus, petulantia, jocus,
Dira cupido, tenax luxus, ſcelerata libido,
Somnus iners, torporque gravis, deſidia pigra,
Illicita & quæcquid modo delectatio carnis,
Et cæca ſeductum vertit vertigine mentem,
Tunc tamen merget flammis ſine fine miſellos.
O felix, ô nimium ſemperque in ſecula felix!
Qui illas effugiet pœnarum proſpere clades,
Cum ſanctiſque ſimul lætatur in omnia ſecla,
Conjunctus Chriſto cœleſtia regna tenebit,
Nox ubi nulla rapit ſplendorem lucis amœnæ,
Non dolor aut gemitus veniet, nec feſſa ſenectus,
Non ſitis, eſuries, non ſomnus, non labor ullus,
Non febres, morbi, clades, non frigora, flammæ,
Tædia, triſtitiæ, cura, torpedo, ruina,
Fulmina, nimbus, hiems, tonitrus, nix, grando, procel-
Angor, paupertas, mæror, mors, caſus, egeſtas: (læ,
Sed pax & pietas, bonitas, opulentia regnant,
Gaudia, lætitia, virtus, lux, vita perennis,
Gloria, laus, requies, honor & concordia dulcis,
Inſuper omne bonum cunctis Deus ipſe miniſtrat,
Semper adeſt, præſtans cunctos fovet, implet, honorat,
Glorificat, ſervat, veneratur, diligit, ornat,
Collocat altithrono, lætoſque in ſede polorum
Præmia perpetuis tradens cœleſtia donis,
Angelicas inter turmas ſanctaſque cohortes,
Vatidicis junctos Patriarchis atque Prophetis,
Inter Apoſtolicas animis lætantibus arces,
Atque inter roſeis ſplendentia caſtra triumphis,
Candida virgineo ſimul inter & agmina flore,
Quæ trahit alma Dei genitrix, pia virgo Maria,
Per benedicta patris fulgenti regna paratam,
Inter & eccleſiæ ſanctos natoſque patreſque,
Inter & æternum cœleſti pace fruentum.
Quid rogo quid durum ſeclo cenſetur in iſto,
Utque illas inter liceat habitare cohortes
Sedibus & ſuperum ſemper gaudere beatis,
Ac Dominum benedicere ſecla per omnia Chriſtum?
Incolumem mihi te Chriſtus, chariſſime frater,
Protegat, & faciat ſemper ſine fine beatum.
En, tua juſſa ſequens cecini tibi carmina flendi,
Tu tua fac promiſſa precor, ſermone fideli
Commendans precibus Chriſto modo meque canentem.
Vive Deo felix, & dic vale fratribus almis,
Acca pater, trepidi & pavidi reminiſcere ſervi,
Meque tuis Chriſto precibus commenda benignis.

His peractis gaudiis, ex ſanctiſſimi doctoris *Anglorum* rivulis, libet ex ipſius hiſtoria fundamentum aſſumere hujus operis, incipientes ab ultima ipſius prædicti viri ſententia, & ſic annos Domini conſignantes, & regum tempora certa ratione diſponentes, cæterorumque fidelium vitam & miracula breviter pro poſſe deſcribentes optamus ſummopere cum ipſis æternæ retributionis palmam à Chriſto percipere, ſic enimvero in calce ſuæ hiſtoriæ, ait beatus & veriloquus *Beda*, ut in exordio hujus libri conſtat conſcriptum.

732. Anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo xxxij. *Byrthwaldus* archiepiſcopus longa conſumptus ætate, defunctus eſt die v. Iduum Januariarum, qui ſedit annos xxxvij. menſes vj. dies xiiij. & in eccleſia ſancti *Petri* ſepultus. Pro quo anno eodem factus eſt archiepiſcopus vocabulo *Tatwine* de provincia *Merciorum*, cum fuiſſet presbyter in monaſterio quod vocatur *Briudun*. Conſecratus eſt autem in *Doroverni* civitate à viris venerabilibus *Daniele Ventano*, & *Ingualdo Lundonienſi*, & *Aldwino Licetfeldenſi*, & *Adulfo Rofenſi* antiſtitibus, die x. Junii menſis dominica; vir religione & prudentia inſignis.

Itaque in præſenti eccleſiis *Cantuariorum Tatwine*, & *Hrofenſi Ealdulfus* epiſcopi præſunt. Porro provinciæ orientalium *Anglorum Ealdbertus* & *Headulac* epiſcopi. Provinciæ occidentalium *Saxonum*, *Daniel* & *Forthere* epiſcopi. Provinciæ *Merciorum*, *Aldwine* epiſcopus. Et eis populis qui ultra amnem *Sabrinam* ad occidentem habitant, *Walestod* epiſcopus. Provinciæ *Wicciorum*, *Wilfridus* epiſcopus. Provinciæ *Lindisfarorum*, *Cynibertus* epiſcopus præeſt. Epiſcopatus *Vecta* Inſulæ ad *Danielem* pertinet epiſcopum *Venta* civitatis. Provincia auſtralium *Saxonum* jam aliquot annis abſque epiſcopo manens, miniſterium ſibi epiſcopale ab occidentalium *Saxonum* antiſtite quærit. Et hæ omnes provinciæ cæteræque auſtrales ad confinium uſque **Humbre** fluminis, cum ſuis quæque regibus *Merciorum* regi *Ethilbaldo* ſubjectæ ſunt. At vero provinciæ *Northanhymbrorum* cui rex *Ceolvulfus* præeſt, quatuor nunc epiſcopi præſulatum tenent, *Wilfred* in *Eboracenſi* civitate, *Ethelwaldus* in *Lindisfarnenſi* eccleſia, *Acca* in *Haguſtaldenſi*, *Wecthelmus* in ea quæ *Candida caſa* vocatur; quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus in ſedem pontificatus addita, ipſum habet primum antiſtitem. *Pictorum* quoque natio [tempore] hoc fœdus habet pacis cum gente *Anglorum*, & catholicæ pacis, ac veritatis cum univerſali eccleſia particeps exiſtere gaudet. *Scotti* qui *Britanniam* incolunt ſuis contenti finibus, nil contra gentem *Anglorum* inſidiarum moliuntur aut fraudium. *Brittones* quamvis & maxima ex parte domeſtico ſibi odio gentem *Anglorum* & totius catholicæ eccleſiæ ſtatum Paſcha minus recte moribuſque improbis impugnent, tamen & divina ſibi & humana prorſus reſiſtente virtute, In neutro cupitum poſſunt obtinere propoſitum, quippe qui quamvis ex parte ſui ſint juris, nonnulla tamen ex parte *Anglorum* ſunt ſervitio mancipati. Qua arridente pace ac ſerenitate temporum, plures in gente *Northanhymbrorum*, tam nobiles quam privati, ſe ſuoſque liberos depoſitis armis ſatagunt, magis accepta tonſura monaſterialibus aſcribere votis, quam bellicis exercere ſtudiis.

HÆc quæ diximus ex dictis beatiſſimi *Bede* ſacerdotis & hiſtoriæ hujus gentis ſcriptoris ſtrictim aſſumpſimus. Is denique cum eſſet vij. annorum, cura propinquorum datus eſt educandus reverentiſſimo abbati *Benedicto* ac deinde *Ceolfrido*, quorum vitam ipſe adultus poſtmodum glorioſo explicuit titulo. Cunctum vero vitæ ſuæ tempus in ejuſdem monaſterii, hoc eſt in **Gyruum** habitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dedit, atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis & quotidianam cantandi in eccleſia curam, ſemper ipſe ter beatus aut diſcere, aut docere, aut ſcribere, dulce habuit. Si cuilibet ejus geſta peramplius & perfectius cognoſcere voluerit, legat capitulum xxv. hiſtoriæ *Anglorum* gentis, quo quibit diligenter inveſtigare quam ſollers, quam prudenter erat eruditus. Nos vero opus ac negotium ſollerti cura, Chriſti clementia ſuccurrente, peragemus ſic exorando,

Spiritus alme veni, ſine te non diceris unquam,
Munera da lingua qui das in munere linguas.

732. ANno ab incarnatione Domini DCC. xxxij. ut præfati ſumus, *Berthwaldus* archiepiſcopus eſt defunctus. Eodem anno *Tatwine* eſt conſecratus archiepiſcopus nonus *Dorovernenſis* eccleſiæ, *Ethilbaldo* rege *Merciorum* quintumdecimum agente annum imperii. Ipſo quoque anno *Ceolvulfus* rex captus, attonſus & remiſſus eſt in regnum. Erat vero miro ſcripturarum ſtudio imbutus, ut *Beda* teſtatur in exordio ſui prohemii veridicus. *Acca* epiſcopus eodem anno de ſua ſede eſt fugatus, & *Cyneberht* *Lindisfarorum* eccleſiæ antiſtes obiit. Ipſo autem anno *Alric* & *Eſc* cum aliis plurimis occiſi ſunt die x. Kal. Septemb. v. feria.

733. ANno DCC. xxxiij. *Tatwine* archiepiſcopus accepto ab apoſtolica authoritate pallio, ordinavit *Alwig* & *Sigfrid* epiſcopos. Eccliſis facta eſt ſolis xix. Kal. Septemb. circa horam diei tertiam, ita ut pene totus orbis ſolis quaſi nigerrimo & horrendo ſcuto videretur eſſe cohopertus.

734. ANno DCC. xxxiiij. luna ſanguineo rubore eſt perfuſa, quaſi hora integra ij. Kal. Februarii circa gallicantum. Dehinc nigredine ſubſequente ad lucem propriam eſt reverſa. Eodem anno *Tatwine* archiepiſcopus nonus *Dorovernenſis* civitatis in *Cantia* obiit die iij. Kal. Auguſti. Primus ipſius civitatis epiſcopus erat *Auguſtinus* glorioſus doctor totius regni, ac egregius fundator Chriſtianitatis, vel Chriſtianæ fidei & religionis. Qui ad ſupernæ civitatis gaudia ſublevatus, ſceptra tanti faſtigii dereliquit *Laurentio*. Is pro meritis ſupernis allectus civibus, diſpenſationem catholicæ eccleſiæ commendavit *Mellito* epiſcopo. *Mellitus* denique poſt laborum ſuorum certamina tanquam miles emeritus cœleſtium donorum conſecutus eſt præmia. Poſt eum quarto in loco *Juſtus* ſuccedit, qui in Domino Deo confiſus ad montem virtutum ſecundum nominis ſui palmam tranſmigravit victorioſus. Secutus eſt ipſum *Honorius*, hoc eſt honore plenus, qui officium ſibi commiſſum bene miniſtrans, poli culmina conſcendit pro meritis. *Deuſdedit* cathedram aſcendit ſexto in loco, qui patrum ſecutus veſtigia, hæres factus eſt in cœleſti curia. Deinde *Theodorus* doctiſſimus exurgens, ſeptimum locum glorioſe exornavit. *Berthwaldus* octavo ſuccedit loco, quem ſecutus eſt *Tatwine* epiſcopus ſicut præfati ſumus. Eodem anno ordinatus eſt *Friothuberht* *Hanguſtaldenſis* eccleſiæ epiſcopus ſub die vj. Idus Septembris.

735. ANno DCC. xxxv. *Nothelmus* archiepiſcopus ordinatus eſt, & *Egberhtus Eboraci* antiſtes primus poſt *Paulinum* accepto ab apoſtolica ſede pallio genti *Northanhymbrorum* in archiepiſcopatum confirmatus eſt. *Beda* doctor obiit in *Gyruum*.

736. ANno DCC. xxxvj. *Nothelmus* pallio à Romano pontifice ſuſcepto, ordinavit tres epiſcopos; *Cuthbertum* videlicet, *Heordwaldum* & *Ethelfridum*.

737. ANno DCC. xxxvij. *Aldwine* qui & *Wor* epiſcopus defunctus eſt; & pro eo *Hwicca* & *Tocca Mercis* & *Midilanglis* ſunt conſecrati antiſtites. Eodem anno regnum *Northanhymbrorum* *Celwlfus* dimiſit, & monachus apud *Lindisfarnenſem* inſulam factus eſt, & pro eo *Eadberht* filius patrui ejus ſucceſſit.

738. ANno DCC. xxxviij. *Swebriht* orientalium *Saxonum* Rex obiit.

739. ANno DCC. xxxix. *Ethelheard* rex occidentalium *Saxonum* defunctus eſt, & pro eo *Cuthred* frater ejus rex conſtituitur. Ipſo quoque anno *Nothelm* archiepiſcopus poſt annos iv. accepti epi-

ſcopatus diem obiit in pace, & *Aldulf Hrofenſis* eccleſiæ epiſcopus diem clauſit ultimum.

740. ANno DCC, xl. *Ethelwald Lindisfarnenſis* eccleſiæ antiſtes migravit ad Dominum & *Kynwlf* in epiſcopatum ſubrogatus eſt. Eodem vero anno reverendæ memoriæ *Acca* epiſcopus ſublevatus eſt in regionem viventium. Erat ipſe beatus ſtrenuiſſimus actu, & coram Deo & hominibus magnificus. In eccleſiaſticæ quoque inſtitutionis regulis ſollertiſſimus extiterat, & uſque dum præmia piæ devotionis capiat exiſtere non deſiſtit. Utpote qui à pueritia in clero ſanctiſſimi atque Deo dilecti *Boſa Eboracenſis* epiſcopi nutritus atque eruditus eſt. Deinde ad *Wilfridum* epiſcopum ſpe melioris propoſiti adveniens, omnem in ejus obſequio uſque ad obitum ejus explevit ætatem. Cum quo etiam *Romam* veniens, multa illic quæ in patria nequiverat eccleſiæ ſanctæ inſtituta utilia didicit, & ſuis ſubjectis tradidit. Subſtollitur ſanctus de præſenti ſeculo xiiij Kal. *Novembris*, cujus perducitur ſpiritus ab Angelis ad bravium ſupernæ felicitatis, corpus vero ejus ad orientalem plagam extra parietem eccleſiæ *Haugnſtaldenſis*, quam xxiv. annis pontificali rexit dignitate, ſepultum eſt. Duæque cruces lapideæ mirabili celatura decoratæ poſitæ ſunt, una ad caput, alia ad pedes ejus. In quarum una, quæ ſcilicet ad caput eſt, literis inſculptum eſt, quod in eodem loco ſepultus ſit. De quo loco poſt annos pluſquam CCC. depoſitionis ſuæ à quodam presbytero divina revelatione tranſlatus eſt, ac in eccleſia intra feretrum condigno honore poſitus eſt. Ubi uſque hodie in magna veneratione habetur. Ob cujus ſanctitatis meritum omnibus demonſtrandum caſula & tunica & ſudarium, quæ cum ſanctiſſimo ejus corpore in terra poſita erant, non ſolum ſpeciem ſed etiam fortitudinem priſtinam uſque in hodiernum diem ſervant. Inventa eſt etiam ſuper pectus ejus tabula lignea in modum altaris facta ex duobus lignis clavis argenteis conjuncta, ſculptaque eſt in illa ſcriptura hæc: *Almę Trinitati. agię. ſophię. Sanctę Marię.* Utrum vero reliquiæ in ea poſitæ fuerint, vel qua de cauſa cum eo in terra poſita ſit ignoratur. Attamen abſque rationabili devotionis cauſa, ſummæ venerationis cultu cum ſancto ejus corpore nequaquam eſſe condita creditur. Veſtimenta vero ejus prædicta fratres ejuſdem *Haguſtaldenſis* eccleſiæ aliquotiens populo monſtrare ſolent, à quo cum omni devotione deoſculantur. Plurima vero miracula de ſancto *Acca* etiam vulgo narrantur, quæ omnia ſcripto explicare perlongum eſt. Aliqua tamen de illis memoriæ breviter commendare libet, videlicet quam mirabiliter ac terribiliter adverſarios ſuos pacem eccleſiæ in qua requieſcit infringere temptantes, vel ipſam eccleſiam funditus evertere molientes, crebro cohercuerit, & qualiter reliquias de corpore ſuo furtim auferre volentibus ſæpius obſtiterit. Fuit frater quidam in præfata *Haguſtaldenſi* eccleſia *Aldredus* nomine, qui nunc in Chriſto requieſcit, vir veraciſſimus & morum probitate conſpicuus, ſed & in ſcripturis ſanctis bene eruditus, qui tale miraculum de ſancto *Acca* in ſemetipſo patratum fratribus ejuſdem eccleſiæ narrare ſolebat. Cum ipſe adhuc eſſet adoleſcens, nutrireturque in domo fratris ſui cujuſdam presbyteri qui ſæpe fatam *Haguſtaldenſem* regebat eccleſiam, antequam donatione venerabilis memoriæ *Thomæ* ſecundi *Eboracenſis* archiepiſcopi canonicis regularibus qui ibidem uſque hodie Deo ſerviunt tradita eſſet, placuit eidem fratri ſuo oſſa reverenda ſancti *Acca* adhuc cum pulvere corporis mixta ſeparare, ſeparatimque in theca quam in hoc paraverat recondere. Prolatas ergo venerabiles reliquias ſuper altare ſancti *Michaelis* in auſtrali porticu eccleſiæ ſitum depoſuit, ibique oſſa de pulvere collegit & in ſyndone munda involuta in theca recondidit, & dum eam in chorum ubi ſtare debebat deferret, porticum illam cum reliquiis quæ remanſerant, prædicto fratri ſuo tuendam delegavit. Qui ſolus ibi remanens cœpit inter ſe cogitare, quia magno munere etiam præcelſa quælibet eccleſia ſe ditatam crederet, ſi vel unum de oſſibus tam glorioſi confeſſoris haberet. Propoſuit ergo ad altare accedere, & perquirere ſi forte aliquid de minutis oſſibus in pulvere relictum invenire poſſet, quod penes ſe reponens alicui eccleſiæ ad honorem Dei & ſancti *Acca* donaret. Sed id irreverenter perpetrare non auſus, prius humi procumbens ſeptem pœnitentiales pſalmos devote cantavit, Deum exorans quatinus tale furtum ei non diſpliceret, quod non ſacrilega mente ſed piæ devotionis & venerationis gratia facere cogitabat. Poſt hanc orationem ſe erigens, quod propoſuerat explere temptabat. Cumque hoſtio interioris porticus in qua erant venerandæ reliquiæ, appropinquaſſet, ecce ſubito calor quidam quaſi ignis vaporantis de ore clibani ardentis, ei obvius fuit, eumque magno timore perculſum retroire coegit. Ille vero credens hoc ei ideo contigiſſe, quod cum minori devotione quam deberet tantam rem aſſequi vellet, ſolo tenus iterum proſtratus, multo uberiores & devotiores preces quam antea fecerat Domino fudit, quatinus quod devote deſiderabat digne adipiſci valeret. Poſt aliquantum itaque intervallum ſurgens, cum timore & reverentia magna ad hoſtium porticus acceſſit, ſed multo ardentiore calore quam antea de illa egrediente, repercuſſus eſt. Quo facto intelligens non eſſe voluntatem Dei ut aliquid de reliquiis ſancti *Acca* furtim aſportaret, tertio id temptare non auſus eſt. Sed & aliud miraculum de eodem Deo dilecto confeſſore non eſt ſilentio prætereundum, quod multi qui uſque hodie ſuperſunt per reliquias ejus patratum eſſe teſtantur. Cum veniſſet ad præfatam *Haguſtaldenſem* eccleſiam quidam canonicus regularis & ſacerdos, ſcilicet *Edricus*, qui illuc primus canonicorum à viro venerabili *Thoma* archiepiſcopo miſſus eſt, invenit acervum de terra congeſtum juxta majus altare quod infra cancellos eccleſiæ erat, quem inde auferre volens, effodere eum cœpit. De quo cum aliquam partem fodiſſet, reperit thecam ligneam non admodum magnam. Quam aperiens, invenit duo ſigilla plumbea, inſculptis literis quid intus continerent intimantia. In quorum altero ſcriptum erat, quod de ſancto *Acca* reliquiæ intro haberentur. Mox ergo illud confringens, invenit pulverem cineri ſimillimum, nonnullaque oſſa de ſancto ejus corpore pulveri immixta, quæ inde tollens in honeſtiori theca repoſuit. Erat tunc temporis paupercula quædam ſanctimonialis femina in ipſa villa, quam prædictus frater pro ſimplicitate ejus & innocentia vitæ oppido diligebat. Iſta multo tempore extiterat cæca, ita ut ad eccleſiam, & ubicumque neceſſe ire habebat, ſemper ab alio duceretur. Quadam die repente venit in cor fratris præfati talis cogitatio, Ut unum de oſſibus illis quæ nuper invenerat, in aqua benedicta

abluere deberet. mulierique de ipſo lavacro dare, ut inde oculos ſuos lavaret, ſi forte Deus meritis ſancti Confeſſoris ſui *Acca* intercedentibus, lumen oculorum hoc venerando lavacro ei reſtituere dignaretur. Fecitque ille quod divino inſtinctu ammonitus, ſicut poſtea claruit, faciendum cogitaverat. Abluenſque unum de oſſibus in aqua benedicta, mulieri dedit, præcipiens ei quatinus de illa oculos ſuos lavaret. Quæ cum ita feciſſet, quaſi poſt duarum horarum ſpacium per merita & interceſſiones ſancti *Acca* viſum recepit. Fuit alter quidam homo pauper in eadem villa cujus guttur intercutaneo morbo in tantum intumuerat, ut nec loqui nec manducare poſſet. In cujus ore cum idem frater de ipſa aqua parum infudiſſet, repente poſt unius horæ ſpatium diſrupta eſt cutis ex inferiori parte tumoris, ſicque exeunte tumore ſanatus eſt. Qualiter vero *Malcolmus* rex *Scottorum* ab invaſione paciſque violatione eccleſiæ *Haguſtaldenſis*, ſancto *Acca* cæteriſque ſanctis qui in ea requieſcunt, meritorum ſuorum præſidiis illam conſervantibus cohercitus ſit, ſilentio tegere nimis impium eſt. Licet enim vulgo etiam notiſſimum ſit, tamen ne penitus cum tempore à memoria hominum tranſeat, notitiæ poſterorum ſcripto tradendum eſt. *Malcolmus* igitur rex *Scottorum* homo ſcilicet ferociſſimus mentemque beſtialem gerens, *Northumbrenſem* provinciam crebra irruptione miſerè devaſtare ſolebat, plurimoſque de illa viros & mulieres captivos in *Scotiam* deducere. Qui cum quadam vice cum numeroſiore ſolito exercitu fines provinciæ illius, eam devaſtaturus, ingreſſus fuiſſet, provinciales ejus adventum audientes, fere omnes ad eccleſiam *Haguſtaldenſem* cum rebus ſuis quas ſecum portare poterant ſub protectione ſanctorum in illa quieſcentium confugerunt. Quod ut *Malcolmus* comperit, propoſuit illo pergere, omneſque qui eo confugerant expoliare: ipſamque eccleſiam funditus evertere. Quod audiens presbyter ejuſdem eccleſiæ, perrexit obviam ei, ammonuitque illum ne tantum nefas in ſanctos Dei eccleſiæ illius patronos committere præſumeret. At ille ejus ſpernens monita, eum à ſe cum injuria projecit. Qui ad eccleſiam feſtinato rediens, omnes qui ibidem confugerant in commune exhortatus eſt, glorioſos ſanctos Dei, ſub quorum præſidium confugerant, inſtanter deprecari, quatinus illos ſolita pietate ſua à tam immani hoſte Scottiſque beſtiis crudelioribus protegere dignarentur. Et fecerunt ita. Nocte vero ſequenti cum idem presbyter præ triſtitia in ſoporem decidiſſet, apparuit ei vir quidam vultu & habitu venerandus, qui ab eo ſciſcitabatur quaſi ignorans cauſam tantæ triſtitiæ. Cumque pro hoſtium imminentium ſævitia ſe pavere reſpondiſſet. Ait illi, Ne timeas, quoniam antequam illuceſcat, rete meum in fluvium mittam, per quod omnino *Scottorum* tranſitus impedietur. Hæc cum dixiſſet evanuit. Mane autem facto, inventus eſt amnis qui *Tyna* dicitur, abſque pluviarum inundatione & ventorum violentia, in tantum excreviſſe, ut abſque navis amminiculo minime tranſiri poſſet. Præterea eadem nocte & die ſequenti tanta repente nebula accidit, ut maxima pars exercitus ſupradicti Regis per tenebras diſperſa à ſe invicem dilaberetur, ita ut plures ad aquilonem, multi ad orientem, nonnulli quoque ad meridiem, aperte miraculo divino confuſi per interceſſionem ſanctorum *Haguſtaldenſis* eccleſiæ, cum magna feſtinatione tenderent. Rex vero *Malcolmus* cum illa particula exercitus ſui quæ cum eo remanſerat veniens, omnem tranſmeandi copiam ſibi negatam vidit. Reſedit ergo ſupra ripam fluminis, expectare volens donec aqua diminueretur ut tranſire poſſet. Sed cum tribus diebus expectaſſet, aquamque abſque omni pluviæ amminiſtratione cotidie magis ac magis creſcere videret, tam evidenti miraculo perterritus, cum magna feſtinatione receſſit: ſicque ab ejus crudelitate omnes qui ad præfatam *Haguſtaldenſem* eccleſiam confugerant, meritis ſanctorum in illa requieſcentium erepti ſunt.

Sed nunc ad hiſtoricam narrationem prætermiſſam redeamus. Ipſo vero anno quo ſanctus *Acca* epiſcopus ad cœleſtia migravit, *Arwine* filius *Eadulfi* occiſus eſt, die x. Kal. *Jan.* feria vij. Refert hiſtoria vel cronica hujus patriæ, quod eodem anno *Cuthberht* undecimus *Dorovernenſis* eccleſiæ archiepiſcopatum ſuſceperit. At vero poſt *Aldulfum* *Hrofenſis* eccleſiæ *Dun* ſacerdotium aſſumpſit.

ANno DCC. xlj. monaſterium in *Eboraca* civitate ſuccenſum eſt ix. Kal. *Maii*, feria i. 741.

ANno DCC. xliv. factum eſt prælium inter *Pictos* & *Brittones*. 744.

ANno DCC. xlv. viſi ſunt in aere ictus ignei 745. quales nunquam ante mortales illius ævi viderunt; & ipſi pene per totam noctem viſi ſunt, Kal. ſcilicet *Januarii*. Eodem quoque anno, ut quidam refert, dominus *Wilfridus* ſecundus *Eboraca* civitatis epiſcopus migravit ad Dominum iij. Kal. *Maii*. Nos vero dicimus quod priuſquam *Beda* ſuam hiſtoriam explicuiſſet, tranſlatus ſit ille primus *Wilfridus* ex hoc mundo ad celſitudinem æternæ viſionis. Ipſis quoque diebus *Lundoniæ* civitatis epiſcopus nomine *Ingwald* de *Egypto* hujus ſeculi tranſlatus eſt. Eadem tempeſtate antiſtes in *Wiccum* defunctus eſt. Etiam anno eodem *Herebald* abbas obiit. His temporibus floruit ſanctus anachorita *Guthlacus*.

ANno DCC. xlix. *Elfwald* rex orientalium *An*- 749. *glorum* defunctus eſt, regnumque *Hunbeanus* & *Alberht* ſibi diviſerunt.

ANno DCC. l. *Eadberht* rex *Kynewlfum* epiſco- 750. pum in urbem *Bebban* captivum adduxerat, baſilicamque beati *Petri* obſidere fecit in *Lindisfarnea*. *Offa* filius *Aldfridi* quoque [ad] reliquias ſancti *Cuthberti* pontificis innocens coactive accurrebat, pene defunctus fame de eccleſia ſine armis abſtractus eſt. Eodem anno *Alwih* epiſcopus tranſlatus eſt ad alterius vitæ contemplationem, & *Aldulf* diaconus ejus ordinatur in epiſcopum. *Cuthred* autem rex occidentalium *Saxonum* ſurrexit contra *Ethilbaldum* regem *Merciorum*.

ANno ab incarnatione Dominica DCC. lij. ec- 752. lypſis Lunæ facta eſt pridie Kal. *Auguſti*. Quia mentio facta eſt de hac re, libet ignorantibus pandere quid ſit eclypſis, id eſt deliquium vel defectus Lunæ. Eclypſis Lunæ eſt quotiens in umbram terræ Luna incurrit, non enim ſuum lumen habere dicitur, ſed à ſole illuminari putatur. Eclypſis Lunæ non niſi plena id eſt xv. erit. Defectus ſolis nunquam niſi ortu Lunæ fieri ſolet. Certum eſt,

inquit

An. Dñi

inquit *Plinius*, defectum ſolis non niſi noviſſimam, id eſt xxx. primamve fieri lunam, quod coitum vocant. Omnibus autem annis fieri utriuſque ſideris defectus ſtatutis diebus, horis, ſub terra. Nec tamen cum ſuperne ſunt ubique cerni poſſunt, aliquando propter nubilum, ſæpius globo terræ obſtante convexitatibus mundi. Eclypſis ſolis eſt quotiens Luna xxx. ad eandem lineam qua ſol vehitur pervenit, eique ſe objiciens Solem obſcurat. Nam deficere nobis Sol videtur dum illi orbis lunæ opponitur.

754. ANno DCC. liv. *Bonifacius* archiepiſcopus qui & *Winfridus*, *Freſonibus* martyrio coronatus eſt cum l. iii.

755. ANno DCC. lv. *Cuthred* rex occidentalium *Saxonum* obiit, cujus regni ſceptra *Sigberht* accepit.

756. ANno ab incarnatione Dominica DCC. lvj. *Eadberht* rex xviij. anno regni ſui, & *Unuſt* rex *Pictorum* duxerunt exercitum ad urbem Alcwith. Ibique *Brittones* inde conditionem receperunt, prima die menſis *Auguſti*. Decima autem die ejuſdem menſis interiit exercitus pene omnis quem duxit de *Ouania* ad Niwanbirig, id eſt ad novam civitatem. Eodem anno *Balthere* anachorita viam ſanctorum patrum eſt ſecutus migrando ad eum qui ſe reformavit ad imaginem filii ſui. Luna autem xv. ſanguineo rubore ſuperducta viij. Kal. *Decembris* xv. ætate, id eſt, plena luna. Sicque paulatim decreſcentibus tenebris ad lucem priſtinam pervenit. Nam mirabiliter ipſam lunam ſequente lucida ſtella & pertranſeunte, tanto ſpacio eam antecedebat illuminatam, quanto ſequebatur antequam eſſet obſcurata.

757. ANno DCC. lvii. *Ethelbald* rex *Merciorum* à ſuis tutoribus fraudulenter interfectus eſt. Eodem vero anno *Merci* bellum inter ſe civile inierunt. *Bearnred* in fugam verſo, *Offa* rex victor extitit.

758. ANno DCC. lviij. *Eadberht* rex *Northymbrorum* ſponte contulit filio ſuo regnum ſibi à Deo collatum, nomine *Oſulfo*, qui uno anno regnum tenuit, amiſit, perdidit. Quia occiſus eſt nequiter à ſua familia juxta Mechil Wongtune ix. Kal. *Auguſti*.

759. ANno DCC. lix. *Ethelwald*, qui & *Moll* dictus erat, regnare incipit nonas *Auguſti*. Cujus tertio anno inchoante, graviſſimum juxta *Eldunum* ſecus Melros geſtum eſt bellum viij. idus *Auguſti*, in quo cecidit *Oſwine* poſt triduum prima feria. *Ethelwald* vero Rex, qui *Moll* eſt nominatus, victoriam ſumpſit in bello. Ipſo quoque anno *Unuſt* *Pictorum* rex defunctus eſt.

762. ANno DCC. lxij. *Ethelwald* rex præfatus accepit reginam *Etheldrytham* Kal. *Novembris* in *Cataracta*.

764. ANno DCC. lxiv. nix ingens gelu ligata omnibus retro ſeculis incomparabilis, à principio hiemis pene uſque ad medium veris terram oppreſſit. Cujus vi arbores oleraque magna ex parte aruerunt, ac marina animalia multa inventa ſunt mortua. Eodem quoque anno *Ceolwlf*, quondam rex tunc domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus monachuſque obiit. Huic vero regi *Beda* hiſtoriographus veridicus direxit epiſtolam, ſic inchoando, *Glorioſiſſimo Regi Ceolwlfo Beda famulus Chriſti & presbyter. Hiſtoriam gentis Anglorum quam nuper ediderem, libentiſſime tibi deſideranti rex, & prius ad legendum & nunc ad ſcribendum ac plenius ex tempore meditandum tranſmiſi.* Anno eodem multæ urbes, monaſteriaque atque villæ per diverſa loca, necnon & regna repentino igne vaſtata ſunt, verbi gratia Stretburg, *Venta* civitas, Tomuic, *Londonia* civitas, *Eboraca* civitas, Donaceſter, aliaque multa loca illa plaga concuſſit, ut illud impleretur quod ſcriptum eſt, *Erit terræ motus*. Eodem anno *Frehelm* presbyter & abbas obiit, & epiſcopus *Merciorum* gentis nomine *Totta* defunctus eſt. Et *Eadberht* pro eo ordinatus eſt epiſcopus. His quoque temporibus *Frithwald* epiſcopus *Candidæ caſæ* ex hoc ſeculo migravit, pro quo *Phectwine* loco illius epiſcopus ſubrogatur.

ANno DCC. lxv. ignei ictus in aere viſi ſunt, quales quondam apparuerunt tempore nocturno Kal. *Januar.* ut ſuperius prænotavimus. Eodem anno *Ethelwald* regnum *Northanhymbrorum* amiſit in Winchanheale iij. Kal. *Novembris*. Cui *Alcred* proſapia *Idæ* regis exortus, ut quidam dicunt, ſucceſſit in regnum. Quo anno *Hemeli Merciorum* epiſcopus obiit, cujus vice *Cuulfrid* ordinatus eſt epiſcopus in *Liccetfeldan*. Eademque tempeſtate *Bregwine* archiepiſcopus *Cantiæ* civitatis ex hac vita ſubtractus eſt, cui *Lamberht* ſucceſſit vice regiminis. *Aldulf* quoque antiſtes in *Lindiſſe* eodem anno hanc vitam dereliquit, aliamque petivit. Poſt quem *Ceolwlf* electus & conſecratus eſt. 765.

ANno DCC. lxvj. *Egberht* archiepiſcopus *Eboracæ* civitatis in pace Chriſti requievit xiij. Kal. *Decembris*, xxxiv. anno epiſcopatus ſui: & *Frithuberht Haguſtaldenſis* eccleſiæ antiſtes eodem anno de hac mortali carne migravit ad veræ lucis perennitatem x. Kal. *Januarii*, epiſcopatus ſui anno xxxiij. 766.

ANno DCC. lxvij. *Alberht Eboracæ* civitatis & *Alchmund Haguſtaldenſis* eccleſiæ ordinati ſunt epiſcopi viij. Kal. *Maii*. Eodem tempore *Aluberht* ad *Ealdſexos* ordinatus eſt epiſcopus, & *Ceolwlf* in *Lindiſſi* antiſtes conſecratus eſt. Ipſo quoque anno *Etha* anachorita feliciter in Cric obiit, qui locus diſtat ab *Eboraca* civitate x. miliariis. 767.

ANno DCC. lxviij. *Eadberht* quondam rex, tunc autem clericus, decimo anno amiſſionis regni ſui in clericatu Deique omnipotentis ſervicio apud *Eboracum* feliciter ſpiritum emiſit ad ſuperos xiij. Kal. *Septembris*. Eodem anno *Pipin* Rex *Francorum* mortuus eſt, & *Hadwine* ordinatus eſt epiſcopus ad *Machui*. Atque *Alcred* rex eodem tempore accepit reginam *Oſgearn*. 768.

ANno DCC. lxix. *Ceteracte* ſuccenſa eſt ab *Earnredo* tyranno, & ipſe infelix eodem anno incendio periit Dei judicio. 769.

Anno

An.Dñi
771. ANno DCC. lxxj. *Sibald* abbas obiit & *Egric* & *Lector* de hoc inſtabilis vitæ curſu migravit ad conſortium electorum quo percipit epinicion perpetuum. His diebus *Offa* Rex *Merciorum* *Heſtingorum* gentem armis ſubegerat. Eodem quoque anno *Karlmon* famoſiſſimus Rex *Francorum* ſubita præventus infirmitate defunctus eſt. Sed & frater ejus *Karl* cum dimidium prius patris obtinuit principatum, totius regni monarchiam & *Francorum* faſtigium populorum dehinc eſt indeptus invicta fortitudine.

772. ANno DCC. lxxij. *Pictel* dux & *Swithulf* abbas obierunt in Domino. *Carl* quoque *Francorum* rex collecta manu valida & bellicoſis ſuæ majeſtatis viris conjunctis, *Saxonum* gentem eſt ingreſſus. Multiſque ex principibus ac nobilibus viris ſuis amiſſis, in ſua ſe recepit.

773. ANno ab incarnationis Dominica DCC. lxxiij. *Hadwinus Migenſis* eccleſiæ antiſtes ſublatus eſt, & *Leuthfriht* pro eo eſt ſubrogatus epiſcopus. *Wlſbaeth* quoque hoc anno abbas *Beverlacenſis* diem Domini videre deſideravit, cui & conceſſum eſt, quem ſubſecutus eſt. Eodem tempore *Alberht Eboraca* antiſtes eccleſiæ pallii miniſterium ab *Adriano* papa ſibi directum accepit.

774. ANno DCC. lxxiv. *Eadwlf* dux ex hujus vitæ naufragio ſubtrahitur, & eodem tempore *Alcredus* rex conſilio & conſenſu ſuorum omnium, regiæ familiæ ac principum deſtitutus ſocietate, exilio imperii mutavit majeſtatem. Primo in urbem *Bebban*, poſtea ad regem *Pictorum* nomine *Cynoht*, cum paucis fugæ comitibus ſeceſſit. *Bebba* vero civitas urbs eſt munitiſſima, non admodum magna, ſed quaſi duorum vel trium agrorum ſpatium, habens unum introitum cavatum, & gradibus miro modo exaltatum. Habet in ſummitate montis eccleſiam præpulchre factam, in qua eſt ſcrinium ſpecioſum & precioſum. In quo involuta pallio jacet dextera manus ſancti *Oſwaldi* regis incorrupta, ſicut narrat *Beda* hiſtoriographus hujus gentis. Eſt in occidente & in ſummitate ipſius civitatis fons miro cavatus opere, dulcis ad potandum & puriſſimus ad videndum. *Ethelredus* quoque filius *Ethelwaldi* pro eo regnum ſuſcepit: qui tanto honore coronatus vix quinque annos tenuit, veluti declarat ſubſequens ſermo ſcriptoris. Eadem tempeſtate *Karl Francorum* rex invictiſſimus nobiliſſimam *Longobardorum* urbem *Ticinam* longa obſidione vexatam, ſimul cum ipſo rege *Deſiderio* ac totius *Italiæ* imperio, cepit.

775. ANno DCC. lxxv. Rex *Pictorum Cynoth* ex voragine hujus cœnulentis vitæ eripitur & *Eadwlf* dux per inſidias fraudulenter captus, poſt ſpacium exigui temporis occiditur, ſepelitur, obliviſcitur. *Ebbi* quoque abbas vectigal morti dedit, egrediens & pergens ad eum qui mortuus vitam perpetuam concedit. *Karl* denique rex ut præfati ſumus bellicoſiſſimus *Francorum* cum omni exercitus ſui virtute vallatus, confortatus, glorificatus, gentem *Saxonum* eſt ingreſſus centuriatus atque legionibus ſtipatus, quam magnis & inedicibilibus regionem præliis graviſſimis vaſtavit, igne ferroque debacchans, quia erat conſternatus animo. Urbes denique duas *Sigiburh* & *Ereſburh* atque provinciam *Bahweri* olim à *Francis* oppreſſam ſuo potenter ſubjecit ſummo imperio.

777. ANno DCC. lxxvij. *Pechtwine* epiſcopus *Candida caſa* xiij. Kal. *Octobris* migravit ex hoc ſeculo ad æternæ ſalutis gaudium, qui eidem eccleſiæ xiv. annis præfuit. Cui *Ethelbyrht* ſucceſſit.

778. ANno iv. *Ethelredi* Regis, ſcilicet anno DCC. lxxviij. tres duces, *Aldwlf* videlicet, *Cynwlf* & *Ecga* eodem rege præcipiente fraude necati ſunt ab *Ethelbaldo* & *Heardberhto* principibus iij. Kal. *Octobris*. Quid geſtum ſit anno DCC. lxxix. ſequens declarabit ſermo.

779. ANno igitur DCC. lxxix. *Ethelredo* expulſo de regali ſolio & in exilium fugato, cogitur meſtos inire modos, miſeraſque habere querelas. *Elfwald* vero filius *Oſwlfi Ethelredo* expulſo regnum *Northanhymbrorum* ſuſcepit, tenuitque x. annis. Erat enim iſte rex pius & juſtus, ut ſequens demonſtrabit articulus.

780. ANno DCC. lxxx. *Oſbald* & *Athelheard* Duces congregato exercitu *Bearn* patricium *Elfwaldi* regis in **Seletune** ſuccenderunt ix. Kal. *Januarii*. Eodem anno *Alberht* archiepiſcopus ex hac luce migravit ad æternæ lucis perennitatem, *Eanbaldo* ſe adhuc vivente, ad eandem ſedem ordinato. *Cynwlf* quoque epiſcopus eodem anno relictis ſecularibus curis, *Higbaldo* gubernacula eccleſiæ cum electione totius familiæ commiſit. Eodem etiam anno *Eanbald* epiſcopus pallium ab apoſtolica ſede ſibi directum accepit; qui eo ſuſcepto in epiſcopatum ſolenniter eſt confirmatus.

781. ANno DCC. lxxxj. *Hibaldus* conſecratus eſt epiſcopus. *Alchmundus Haguſtaldenſis* eccleſiæ præſul, eximiæ religionis & magnarum vir virtutum, poſtquam xiij. annis ſulliniter præfatam rexiſſet eccleſiam, regnante glorioſiſſimo *Northanhymbrorum* rege *Elfwaldo*, anno iij. regni ejus, vij. idus *Septembris* huic vitæ modum fecit, qui pro meritis æternæ beatitudinis eſt particeps factus. Sepultus vero eſt juxta prædeceſſorem ſuum reverendæ memoriæ ſanctum *Accam* epiſcopum. De quo loco poſt annos pluſquam CCL. divina revelatione tranſlatus eſt hoc modo. Tempore illo fuit quidam *Dregmo* in territorio *Haguſtaldenſis* eccleſiæ, Deum valde timens, & elemoſinarum operibus, prout facultas ſibi ſuppeditabat, haut ſegniter deditus, ac per omnia à comprovincialium moribus vita diſcordans. Erat enim miræ ſimplicitatis & innocentiæ homo, ac erga ſanctos Dei devotionis & venerationis immenſæ. Quapropter eum omnes vicini ſui in magno honore habebant, illumque verum Dei cultorem appellabant. Huic itaque quadam nocte in ſtratu ſuo quieſcenti apparuit quidam vir pontificali infula decoratus, virgamque paſtoralem in manu tenens. Cum qua eum pulſans, ſic ait illi, Surge, vade & dic *Elfredo* filio *Weſtneor* presbytero *Dunelmenſis* eccleſiæ, quatinus plebe coadunata territorii *Hanguſtaldenſis*, transferat corpus meum de loco illo ubi ſepultus ſum, ac intra eccleſiam in honeſtiori loco reponat. Dignum eſt enim illos venerationem ab omnibus in terris accipere, quos rex regum dignatus

tus eſt in cœlis ſtola gloriæ & immortalitatis induere. Quem cum ille interrogaſſet, Domine tu quis es? Ille reſpondit, Ego ſum *Alchmundus* eccleſiæ *Haguſtaldenſis* epiſcopus, qui eidem loco quartus poſt beatum *Wilfredum* gratia Dei præſul. Corpus vero meum juxta prædeceſſorem meum venerandæ memoriæ ſanctum *Accam* epiſcopum poſitum eſt. Ad quod transferendum tu quoque cum presbytero ſimul adeſto. Hæc cum dixiſſet, diſparuit. Mane autem facto, homo ille cum magna feſtinatione ad præfatum presbyterum perrexit, quicquid vidiſſet, quodve mandatum ei deferre juſſus eſſet, per ordinem ei indicavit. Qui lætus admodum effectus, convocavit plurimam populi multitudinem, rem notam eis faciens, diemque ſtatuit quo venerabiles reliquias transferrent. Die ergo ſtatuta presbyter præfatus ad ſepulchrum accedens, illud à terra denudari præcepit. Quod cum factum eſſet, adjuvante ſe viro illo cui revelatio facta fuerat, populorum turbis hinc inde ſtantibus, veneranda oſſa de tumulo collegit, lintheoque involuta ac in ſcrinio recondita ſuper feretrum collocavit. Et quia pro tantæ veneratione diei ſacroſanctas hoſtias Domino offerendi hora tranſierat, poſuerunt eum nocte illa in porticu ſancti *Petri* ad orientalem plagam ipſius eccleſiæ *Haguſtaldenſis*. Sequenti die cum canticis, & hymnis, & miſſarum ſolempniis in eccleſiam illum transferre ſtatuentes. Nocte vero illa prædictus ſacerdos excubias circa venerabiles reliquias cum clericis ſuis celebrans, cæteris alto ſomno depreſſis, accedens ipſe ſcrinium aperuit, unumque de minutis oſſibus, partem videlicet digiti unius, clanculo auferens penes ſe repoſuit, cupiens illud eccleſiæ ſancti *Cuthberti Dunelmenſi* ad honorem Dei & ſancti *Alchmundi* conferre. Luce itaque terris reddita, ad transferendum corpus almificum plurima populi multitudo convenit. Cumque jam hora tertia appropinquaret, jubente preſbytero, manus apponentes feretrum levare conati ſunt, ſed illud movere minime valebant. Repulſis igitur his qui primi acceſſerant, judicatiſque quaſi indignis tanti patris reliquias ſuis humeris deferre, acceſſerunt alii, qui ſicut & priores caſſo labore defecerunt. Deinde aliis & aliis ſe ingerentibus, à nullo penitus moveri valebat. Animo vero conſternati ſeſeque mutuo intuentes omnes qui aderant, mirabantur rei novitatem ſtupentes. Tunc ſacerdos illius reatus ſe ipſum cauſam eſſe neſciens, exhortatus eſt omnes Deum deprecari, quatinus illis revelare dignaretur pro qua culpa hoc eis contigiſſet. Et factum eſt. Illis autem in eccleſia pernoctantibus, Deumque pro jam dicto negotio exorantibus, apparuit iterum ſanctus *Alchmundus* eidem homini, cui prius apparuerat forte tunc infra eccleſiam irruente ſubito ſopore prægravato, & cum aliquantum ſevero vultu ait ad eum. *Quid eſt quod facere voluiſtis? Putaſtis membris defectum me in eccleſiam referre, in qua Deo & ſancto* Andreæ *apoſtolo ejus integro corpore & ſpiritu ſervivi? Surge ergo, & conteſtare coram omni populo ut corpori meo citius reſtituatur quod inconſulte inde ablatum eſt, alioquin me de loco in quo nunc ſum nullatenus movere poteritis.* Et cum hæc dixiſſet, oſtendit ei manum ſuam medietate unius digiti carentem. Facta autem die, vir ille in medio populi aſtans, quid ſibi nocte illa revelatum fuiſſet univerſis propalavit, vehementi verborum invectione multari dignum eſſe indicans quicumque hoc facere præſumpſiſſet. Tunc ſacerdos ſe deprehenſum cernens, in medium proſiluit, & qua de cauſa quave intentione hoc perpetraſſet, omnibus patefecit. Reſtituenſque ſancto *Alchmundo* quod pie devotionis gratia ei abſtulerat, congrua ſatisfactione veniam illico impetravit. Et accedentes clerici qui aderant, abſque ulla vi levaverunt eum, ac in eccleſia tranſtulerunt iiij. Nonas Auguſti, ubi uſque hodie à fidelibus condigno honore veneratur, ad laudem & honorem domini noſtri Jeſu Chriſti. *Tilberhtus* namque ſanctus pro eo in epiſcopatum ſubrogatur, conſecratur elevaturque in ſolio epiſcopalis cathedræ in loco qui appellatur Wulfeſwelle, hoc eſt fons lupi. Actum eſt hoc vj. Non. Octobris.

783. ANno DCC.lxxxiij. qui eſt annus quintus *Elfwaldi* regis, *Werburhg* quondam regina *Merciorum*, tunc vero abbatiſſa, defuncta eſt, ſemper cum Chriſto ut credi fas eſt victura. Ipſo quoque tempore *Kinewlf* epiſcopus de quo ſupra diximus, anno pontificatus ſui quadrageſimo dereliquit terreſtria, qui ad ſupernam feliciter migravit patriam.

786. ANno DCC.lxxxvj. qui eſt annus *Elfwaldi* regis octavus, *Botwine* venerabilis abbas *Ripenſis* eccleſiæ in conſpectu aſtantium fratrum ergaſtulum hujus laborioſæ vitæ deſeruit, mercedem jubelei anni percipiendo. Ipſo quoque obeunte, *Alberht* pro eo abbas prælectus & conſecratus eſt. Eodem anno *Aldulf* conſecratus epiſcopus ab *Eanbaldo* archiepiſcopo, *Tilberhto*que, & *Hygbaldo* præſulibus, in monaſterio quod dicitur Et-Corabrige, multiſque muneribus ac donis ditatus, honorifice ad ſuam eccleſiam eſt remiſſus. His diebus *Ricthryth* regina dudum, jam tunc abbatiſſa, optata percepit munera alterius vitæ, deferens coram ſacris optutibus Domini oleum cum lampadibus. Ea tempeſtate *Kinwulf* occidentalium *Saxonum* rex à perfido tyranno *Kynheardo* lugubri interfectus eſt morte, & ille crudelis interemptor ab *Oſredo* duce in ultione Domini ſui immiſericorditer interemptus eſt, regnumque occidentalium *Saxonum* *Brihtric* accepit. Tempore illo legati ab apoſtolica ſede à domino *Adriano* papa ad *Britanniam* directi ſunt, in quibus venerabilis epiſcopus *Georgius* primatum tenuit, qui antiquam inter nos amicitiam & fidem catholicam quam ſanctus *Gregorius* papa per beatum *Auguſtinum* docuit innovantes, honorifice ſuſcepti ſunt à regibus & à præſulibus ſive à principibus & primatibus hujus patriæ, & in pace domum reverſi ſunt cum magnis donis, ut juſtum erat.

787. ANno DCC.lxxxvij. Synodus congregata eſt in *Pincahala* iiij. Non. Septembris. In quo tempore *Alberht* abbas *Hripenſis* ex rapidis flatibus hujus ſeculi ſpiritum emiſit ad ſuperos æternæ felicitatis jubilos. Mox vero ablato ipſo *Sigred* ordinatur pro eo.

788. ANno DCC.lxxxviij. *Elfwaldus* rex conjuratione facta ab ejus patricio *Siggan* nomine, miſerabili occiſus eſt morte ix. Kal. Octobris in loco qui dicitur Scythleceſter juxta murum. Corpus vero eximii regis ad Haguſtaldeſige cum magnis monachorum cuneis & clericorum cantilenis

perlatum eſt, & in eccleſia ſanctiſſimi *Andreæ* apoſtoli honorifice ſepultum eſt, quam conſtruxit digniſſimus pater *Wilfridus* archiepiſcopus ad laudis præconium ſupradicti apoſtoli. Præcellit opus ipſius cœnobii cætera ædificia in gente *Anglorum*, licet multa ſint & inedicibilia in pleriſque locis; ſed in eo loco longitudines latitudineſque atque pulchritudines excellunt. In quo cœnobio ſunt parietes variis coloribus exornati, & hiſtoriæ depictæ, ſicut ſupradictus *Wilfridus* epiſcopus inſtituit. Veruntamen etiam domnus *Acca* qui poſt ipſum illum locum gubernavit, glorioſo complevit ornatu. Sepulto rege ut prædiximus regnavit *Oſred* filius *Alcredi* regis nepos ejus pro eo unum annum. In loco vero quo *Elfwaldus* rex juſtus interfectus eſt, cœlitus lux emiſſa dicitur videri à plurimis. Conſtructa eſt ibidem eccleſia à fidelibus illius loci, atque in honore Dei & ſanctorum *Cuthberti* epiſcopi, & *Oſwaldi* regis & martyris conſecrata.

790. ANno DCC. xc. *Ethelredus* de exilio liberatus eſt, & iterum per gratiam Chriſti regni ſolio eſt ſubthronizatus. *Oſredus* autem rex dolo ſuorum principum circumventus & captus ac regno privatus, attonſus eſt in *Eboraca* civitate, & poſtea neceſſitate coactus exilium petit. Cujus anno ſecundo *Eardulf* dux captus eſt & ad Ripum perductus, ibique occidi juſſus extra portam monaſterii à rege præfato. Cujus corpus fratres cum *Gregorianis* concentibus ad eccleſiam portantes, & in tentorio foris ponentes, poſt mediam noctem vivus eſt in eccleſia inventus. Eodem anno *Badwlf* ad *Candidam caſam* ordinatur epiſcopus in loco qui dicitur Hearrahalch, quod interpretari poteſt, locus dominorum. Anno vero priori *Ethelberht* epiſcopus ſua ſede relicta, ſancto *Tilberhto* epiſcopo jam obeunte, prædictus præſul epiſcopatum *Hanguſtaldenſis* eccleſiæ accepit in propriam dominationem.

791. ANno DCC. xcj. filii *Elfwaldi* regis ab *Eboraca* civitate vi abſtracti, & de eccleſia principali per promiſſa fallaciæ abducti, miſerabiliter ſunt perempti ab *Ethelredo* rege in Wonwaldremere, quorum nomina *Oelf* & *Oelfwine* fuere. Eo quoque anno *Lamberhtus Dorovernenſis* eccleſiæ archiepiſcopus ex hac lucis tenebroſitate tranſmigravit ad veræ lucis beatitudinem. Abbas vero *Ethelherdus Hludenſis* monaſterii ad eandem ſedem eſt electus & ordinatus epiſcopus.

792. ANno DCC. xcij, *Karolus* rex *Francorum* miſit ſinodalem librum ad *Britanniam* ſibi à *Conſtantinopoli* directum; In quo libro, heu, pro dolor! multa inconvenientia & veræ fidei contraria reperientes, maxime quod pene omnium orientalium doctorum non minus quam treſcentorum vel eo amplius epiſcoporum unanima aſſertione confirmantium imagines adorare debere, quod omnino eccleſia Dei execratur. Contra quod ſcripſit *Albinus* epiſtolam ex authoritate divinarum ſcripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro, et perſona epiſcoporum, ac principum noſtrorum regi *Francorum* attulit. Ipſo denique anno *Oſredus* de exilio ſacramentis & fide quorundam principum clam de *Eufania* venit, ibique deficientibus ab eo ſuis militibus captus eſt à rege præfato, ſcilicet *Ethelredo*, atque eo jubente occiſus in loco qui dicitur Aynburg xviij. Kal. Octobris. Corpus vero ejus ad hoſtium *Tyni* fluminis perlatum eſt, & in baſilica ejuſdem eximii cœnobii ſepultum. Eodem anno *Ethelred* rex accepit reginam *Elfledam* filiam *Offa* regis *Merciorum* iij. Kal. Octob. apud *Cataractam*.

793. ANno DCC. xciij. qui eſt annus *Ethelredi* regis quartus, dira prodigia miſeram *Anglorum* terruere gentem. Si quidem fulmina abhominanda, & dracones per aera, igneique ictus ſæpe viſi ſunt & volitare videbantur; quæ ſcilicet ſigna famem magnam, & multorum hominum ſtragem peſſimam atque inedicibilem, quæ ſubſecuta eſt, demonſtravere. Ipſo quoque anno *Sicga* dux qui interemit *Elfwaldum* regem interiit propria nece, cujus corpus ad inſulam *Lindisfarnenſem* perlatum eſt ix. Kal. Maii. *Lindisfarnenſis* inſula magna eſt per ambitum, verbi gratia viij. vel amplius miliariis ſe extendens. In qua eſt nobile monaſterium quo eximius *Cuthbertus* antiſtes poſitus erat cum aliis præſulibus qui ejus ſucceſſores digniſſimi extiterant. De quibus dici congruenter poteſt quod canitur, *Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt*. *Lindis* dicitur flumen quod excurrit in mare duorum pedum latitudinem habens, quando *ledon* fuerit, id eſt, minor æſtus, & videri poteſt: quando vero *malina* fuerit, id eſt, major æſtus maris, tunc nequit *Lindis* videri. Oeſtus oceani lunam ſequitur, tanquam ejus aſpiratione retrorſum trahatur in acceſſum, ejuſque impulſu retracto refundatur. Qui quotidie bis affluere & remeare unius ſemper horæ dodrante & ſemiuncia quæ eſt dimidia tranſmiſſa videtur, ut *Beda* teſtatur. Sicut enim luna quatuor punctis ſpatio quotidie tardius oriri, tardius occidere, quod pridie orta eſt vel occiderat, ſolet: ita etiam maris uterque æſtus ſive diurnus ſit & nocturnus, ſeu matutinus & veſpertinus, ejuſdem pene temporis intervallo tardius quotidie venire, tardius redire non deſinit. Punctus vero, quinta pars eſt horæ. Quinque enim puncti horam faciunt. De concordia maris & lunæ ſic quidam cecinit rhetor, id eſt, *Aldelmus* præſul.

Nunc ego cum pelago fatis communibus inſto,
Tempora reciprocis convolvens menſtrua curſis,
Ut mihi luciflua decreſcit gloria forma,
Sic augmenta latex cumulato gurgite perdit.

Farne autem inſula, qua beatiſſimus *Cuthbertus* hereniticam duxit vitam, non tanta eſt ut *Lindisfarne*; ſed eſt poſita in mare, magnis exturbata fluctibus diebus & noctibus.

His ſtrictim dictis, ad ordinem revertamur narrationis. Eodem ſane anno pagani ab aquilonali climate navali exercitu ut aculeati crabones *Britanniam* venientes, hac illacque ut diriſſimi lupi diſcurrentes, prædantes, mordentes, interficientes non ſolum jumenta, oves & boves, veruntetiam ſacerdotes Levitaſque choroſque monachorum atque ſanctimonialium, veniunt, ut præfati ſumus, ad *Lindisfarnenſem* eccleſiam, miſerabili prædatione vaſtant cuncta, calcant ſancta pollutis veſtigiis, altaria ſuffodiunt, & omnia theſauraria ſanctæ eccleſiæ rapiunt. Quoſdam è fratribus interficiunt, nonnullos ſecum vinctos aſſumunt, perpluriinos opprobriis vexatos nudos projiciunt, aliquos in mare demergunt. Apte de illis dicitur quod ſequitur.

Fortuna vices premit inſontes,
Debita facinoris merito pœna,
At perverſi reſident celſo nunc ſolio,
Sanctaque calcant injuſta vice colla nocentes,
Læti abſconſis, manditur virtus clara tenebris,
Juſtoſque tollit crimen iniqui.

Illis vero recedentibus, & de præda vel militibus gratulantibus, quid eis fortuna ſequentis quieti adveniret ſtilus fidelis demonſtrabit.

794. ANno DCC. xciiij. prædicti pagani portum *Ecgfridi* regis vaſtantes, monaſterium ad hoſtium *Doni* amnis prædantur. Sed ſanctus *Cuthbertus* non ſine punitione eos ſinebat abire. Princeps quippe eorum ibidem crudeli nece occiſus eſt ab *Anglis*, & poſt exigui temporis ſpacium vis tempeſtatis eorum naves quaſſavit, perdidit, contrivit, & perplurimos mare operuit. Nonnulli itaque ad littus ſunt ejecti, & mox interfecti abſque miſericordia. Et recte illis hæc contigerunt, quoniam ſe non lædentes graviter læſerunt. His diebus *Colcu* presbyter & lector ex hac luce migravit ad Dominum, quo percipit laudem felicitatis pro laboribus terrenis. Ea tempeſtate *Ethelheard* quondam dux, tunc autem clericus, in *Eboraca* civitate defunctus eſt Kal. Auguſti. *Adrianus* papa venerandus eodem anno ſublevatus eſt ad dei viſionem vij. Kal. Januarii, qui ſedit annos xxvj. menſes x. dies xij. Eſt quoque in eccleſia ſancti principis apoſtolorum *Petri* ſepultus, & ſuper ſepulchrum platoma parieti infixa, geſta bonorum ejus aureis literis & verſibus ſcripta. Hoc marmor ibi *Karolus* rex ob amorem & memoriam prædicti patris facere juſſit, regali fretus diademate.

795. ANno DCC. xcv. idem rex fortiſſimus *Karolus* cum manu valida *Hunorum* gentem armis vaſtando ſubegerat, eorum principe fugato, & ipſius exercitu ſuperato vel perempto, ſublatis inde xv. plauſtris auro argentoque palliiſque oloſericis precioſis repletis, quorum quodque quatuor trahebant boves. Quæ omnia idem rex propter victoriam à Domino ſibi conceſſam Chriſti eccleſiis atque pauperibus dividere præcepit, grates Deo referens cum omnibus ſecum pugnantibus.

796. ANno DCC. xcvj. qui eſt annus vij. *Ethelredi* regis, *Alric* quondam dux, tunc clericus, in *Eboraca* civitate defunctus eſt. Et paulo poſt, id eſt, v. Kal. Aprilis ecclypſis lunæ facta eſt inter gallicinium & auroram. Eodem vero anno *Ethelredus* rex occiſus eſt apud **Cobre** xiiij. Kal. Maii, anno vij. regni ſui: *Osbald* vero patricius à quibuſdam ipſius gentis principibus in regnum eſt conſtitutus, & poſt xxvij. dies omni regiæ familiæ ac principum eſt ſocietate deſtitutus, fugatuſque & de regno expulſus, atque ad inſulam *Lindisfarnenſem* cum paucis ſeceſſit, & inde ad regem *Pictorum* cum quibuſdam è fratribus navigio pervenit. *Eardulf* enim, de quo ſupra diximus, filius *Eardulfi* de exilio vocatus, regni infulis eſt ſublimatus, & in *Eboraca* in eccleſia ſancti *Petri* ad altare beati apoſtoli *Pauli*, ubi illa gens primum perceperat gratiam baptiſmi, conſecratus eſt vij. Kal. Junii. Et non multo poſt, id eſt, vij. Kal. Auguſti, *Offa* rex potentiſſimus *Merciorum*, poſtquam xxxix. annos regnavit, defunctus eſt; Cui ſucceſſit in regno filium ejus *Ecgferth*, qui eodem anno morte ſuperveniente debitum ſorti invitus conceſſit. *Coenwlf* quoque pater ſancti *Kenelmi* martyris dehinc diadema regni *Merciorum* ſuſcepit glorioſe, tenuitque invicta virtute potenti vigore ſui potentatus. Ipſo quoque anno *Ceolwulf* in *Lindiſſe* vitæ hujus tempora contempſit, futuri ſeculi conſolationem expectans. Et paulo poſt, id eſt, iiij. Idus Auguſti, *Eanbaldus* archiepiſcopus obiit in monaſterio quod dicitur **Ætlete**, corpuſque ejus magno comitante agmine ad *Eboracum* civitatem portantes, in eccleſia beati *Petri* apoſtoli ſepultum eſt honorifice. Statim vero alter *Eanbaldus* ejuſdem eccleſiæ preſbyter in epiſcopatum eſt electus, convenientibus ad ordinationem ejus *Ethelberto* & *Hygbaldo*, atque *Badwlfo* epiſcopis in monaſterio quod dicitur **Sochasburg** xviij. Kal. Septemb. die Dominica.

ANno DCC. xcvij. *Eanbaldus* ille poſterior accepto ab apoſtolica ſede pallio in archiepiſcopatum genti *Northanhymbrorum* ſolempniter confirmatus eſt vj. Idus Septembris, qua die celebratur ſolempnitas, id eſt, nativitas ſanctæ *Mariæ*, de qua poeta ait, 797.

Splendet honore dies, eſt in quo virgo Maria
Stirpe David *regis procedens edita mundo.*

Eodem anno *Ethelbertus Haguſtaldenſis* epiſcopus defunctus eſt xvij. Kal. Novemb. in loco qui dicitur **Heartun**, cujus corpus ad **Hagustaldesige** eſt perlatum, & venerabiliter à fratribus ipſius cœnobii ſepultum. Electus vero eſt pro eo *Heardred* in epiſcopatum, & poſt excurſum paucorum dierum, hoc eſt, iij. Kal. Novembris ab *Eanbaldo* archiepiſcopo, & *Hygbaldo* epiſcopo ſpirituali honore ordinatus eſt in loco qui nuncupatur *Wdesfurda*.

ANno DCC. xcviij. conjuratione facta ab interfectoribus *Ethelredi* regis, *Wada* dux in illa conjuratione cum eis bellum inierunt contra *Eardwlfum* regem in loco qui appellatur ab *Anglis* **Billingahoth** juxta **Walalege**, & ex utraque parte plurimis interfectis *Wada* dux cum ſuis in fugam verſus eſt, & *Eardwlfus* rex victoriam regaliter ſumpſit ex inimicis. Eodem anno *Lundonia* igne repentino cum magna hominum multitudine conſumpta eſt. His tempeſtatibus *Kenwlf* rex *Merciorum* cum omni exercitus ſui virtute provinciam *Cantuariorum* ingreſſus, miſerabili prædatione penè uſque ad internecionem potenter vaſtavit. Captus eſt eodem tempore *Eadberht* rex *Cantuariorum*, cujus oculos præcepit avelli rex *Merciorum*, & manus inmiſericorditer præcidi, præ ſuperbia & fraude ipſorum. Deinde Domini ſuffragio potitus, adjecit imperium ipſius regni ſuo imperio, imponens ſibi coronam in capite, ſceptrumque in manu. Eodem quoque anno qui eſt annus iij. *Cenwlfi* prædicti regis, ſynodo congregata in loco qui appellatur **Pincanhalth** præſidente *Eanbaldo* archiepiſcopo aliiſque quamplurimis principalibus & eccleſiaſticis viris, multa de utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ gentiſque *Northanhymbrorum* omniumque provinciarum conſiliati ſunt, & de obſervatione Paſchalis feſti, & Judiciorum divinorum atque ſecularium, quæ in diebus juſtorum regum & ducum bonorum atque ſanctorum epiſcoporum aliorumque ſapientum, monachorum ſcilicet atque clericorum, quorum prudentia, & juſtitia, atque divinis artibus 798.

ſtatus regni *Northanhymbrorum* ſuaviter & inedicibiliter redolebat his temporibus. Rationabili vero conſilio providebant, ut de honore eccleſiarum Dei ſervorumque ejus neceſſitatibus diſputarent, & ſervitium Domini augerent, ut pro his mercedem æternæ retributionis bonam perciperent. Præcepit domnus antiſtes *Eanbaldus* recitari quinque ſynodorum fidem, de quibus in hiſtoria *Anglorum* ſic habetur.

SUſcipimus ſanctas & univerſales quinque ſynodos beatorum & Deo acceptabilium patrum ſicut præſentis libri continet textus. Glorificamus ſane & adoramus atque veneramur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſicut iſti glorificaverunt, nihil addentes vel ſubtrahentes. Et anathematizamus corde & ore quos anathematizaverunt prædicti patres, glorificantes Deum Patrem omnipotentem ſine initio, & Filium ejus unigenitum ex Patre generatum ante ſecula, & Spiritum ſanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter, ſicut prædicaverunt hii quos ſupra memoravimus, ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores, & nos credimus, propter quod & locuti ſumus. Hos itaque prædictos patres nos pie atque orthodoxe juxta divinitus inſpiratam doctrinam eorum profeſſi credimus conſtanter, & confitemur ſecundum ſanctos patres proprie, & veraciter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem in Unitate conſubſtantialem, & Unitatem in Trinitate, hoc eſt, unum Deum in tribus ſubſiſtentibus perſonis conſubſtantialibus, æqualis gloriæ & honoris. His dictis & confirmatis reverſi ſunt ad propria, laudantes Deum pro omnibus beneficiis ſuis.

Hujus fidei integritatem ſic alibi eſſe deſcriptam legimus, per quam ſalvari ſperamus ſicut cæteri juſti confidebant.

CUm Pater in Verbo ſit ſemper & in Patre Verbum,
Sitque unus Verbi Spiritus atque Patris:
Sic de Perſonis tribus eſt tibi non dubitandum,
Unum ut tota fide confiteare Deum.
Et infra:
Corde Patris genitum creat, & regit omnia Verbum,
Nec tamen eſt aliquid quod ſine Patre gerat.
Unus enim amborum motus, ratio una, voluntas,
Par virtus, idem ſpiritus, unus amor.
Et juxta:
Sic magnus Deus eſt de ſe, valet, & manet in ſe,
Cui ſummum & proprium eſt ſemper id eſſe quod eſt.
Splendet enim verum vere de lumine lumen,
Ut genitum agnoſcens noverit ingenitum.

Una trium deitas, una eſt eſſentia ab uno;
Idem eſt cum Verbi Spiritus atque Patris.
Nullum opus abjunctum, nulla eſt non æqua poteſtas:
In cunctis unum ſunt tria principium.

De orthodoxa Fide hæc pertractantes ad hiſtoriæ noſtræ narrationem redeamus.

799. ANno DCC. xcix. naves plurimæ in mari *Britannico* vi tempeſtatis quaſſatæ ſunt atque concuſſæ vel colliſæ, & cum magna multitudine hominum ſunt dimerſæ. Eodem anno *Brorda Merciorum* princeps qui & *Hildegils* vocatur, defunctus eſt. Abbas vero vocitatus *More Atilthegno* præfecto ſuo lugubri morte interemptus eſt. *Moll* quoque dux paulo poſt juſſione urgente *Eardwlfi* regis occiſus eſt. Ipſo quoque tempore *Osbald* quondam dux & patricius & ad tempus rex, tunc vero abbas, diem fungens ultimum, cujus corpus in eccleſia *Eboraca* civitatis ſepultum eſt. *Aldred* vero dux interfector *Ethelredi* regis à *Thorbrando* duce in ultionem domini ſui ejuſdem regis interfectus eſt. Quid geſtum ſit eodem anno, refert liber. *Romani* quoque inter ſe diſſidebant, & magnam diſſenſionem habebant, in qua *Leonem* papam ſanctiſſimum apprehenderunt ligaveruntque, cujus lingua inter maxillas diutius protracta & in gutture crudeliter excuſſa præciſa eſt ab ipſis. Eruerunt & oculos prædicti pontificis radicitus, quæ res cunctis cernentibus crudele ſpectaculum eſt factum. Dehinc abſque ulla humanitate ſemivivum eum relinquentes, inconſulte domum reverſi ſunt. Sed magnus conditor orbis ex alto cuncta intuens, quem quia reſpicit omnia ſolus verum poſſumus dicere ſolem, non ſic ſuum contempſit fidelem famulum. Omnipotens igitur Dominus poſt pauci temporis interſtitium ſic eum ſalutifero ſanavit antidoto, ut poſtmodum videre clare & loqui poſſet, prorſus ab eo expellens caligines oculorum, & concedens ei priſtinæ ſanitatis linguam, ut penitiſſima edere verba prædicationis valuiſſet, & omnia officia honorifice implere.

Ceſſet inſcitia nubilus error,
Ceſſent profecto mira videri ——univerſa opera Domini. Hoc miraculum repente diffuſum eſt per cardines quadrati orbis, ad gloriam & laudem Chriſti nominis ut ab omnibus ubique prædicetur & laudetur quia mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis.

800. ANno DCCC. *Headred Haguſtaldenſis* eccleſiæ præſul, anno tertio epiſcopatus ſui tegiminis diem vidit extremum, pro quo *Eanbryth* electus eſt & ordinatus epiſcopus in loco qui dicitur apud **Cettingaham**. Eodem anno *Alchmund* filius *Alcredi* regis, ut dicunt quidam, à tutoribus *Eardwlfi* regis eſt apprehenſus, ejuſque juſſione cum ſuis profugis occiſus eſt. Tempore quoque eodem ante natale Domini ix. Kal. Januarii ventus ingens ab *Affrico* vel à *Favonio* exurgens, ſuo inenarrabili flatu urbes, multæ domus, ac villæ perplurimæ per diverſa loca ſunt deſtructæ & ad ſolum dirutæ: arbores quoque innumeræ radicitus evulſæ, & ad terram proſtratæ ſunt. Quo anno inundatio maris ultra terminos ſuos profluxit, illud ſecum obliviſcens quod dicit Pſalmus, *Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur.* Facta eſt & magna pecorum ſtrages in locis diverſis. *Carolus* quoque eximiæ virtutis rex *Francorum* paulo ante ipſo anno cum magna exercitus ſui multitudine *Romulea* urbis mœnia ingreditur, ibique per aliquot menſes demoratus eſt, locaque ſancta frequenti viſitatione adorat, ditat, exornat munere regali. Præcipue vero eccleſiam beati *Petri* apoſtoli necnon & ſancti *Pauli* donis exornavit regalibus, auro ſcilicet & argento, gemmiſque precioſis. *Leonem* quoque venerabilem papam magnifice muneravit, ejuſque adverſarios diſperſit; quoſdam extinxit vel exilio damnavit, nonnullos interfecit qui contra eum impie conjurationem promoverunt. His atque aliis quamplurimis rebus ordinatis, ipſe armipotens imperator quæ ad honorem & correptionem eccleſiarum Chriſti Chriſtianorumque po-

pulorum pertinebant, in die natalis domini noſtri Jeſu Chriſti ingreditur cum ducibus & magiſtratibus & militibus in eccleſiam ſanctiſſimi principis apoſtolorum *Petri*, in qua à Domino *Leone* papa purpura regaliter induitur, cui corona aurea capiti imponitur & regale ſceptrum in manibus datur. Hanc dignitatem ipſo die meruit ab omni populo percipere, ut imperator totius orbis appellaretur & eſſet. Eo quoque tempore legati *Græcorum* cum magnis muneribus à *Conſtantinopoli* directi ad eum veniebant, rogantes ut illorum ſuſciperet regnum & imperium. Similiter legati ab *Hieroſolimis* à *Chriſtianis* populis ibi manentibus miſſi, Romamque venientes, vexillum argenteum inter alia munera regi ferentes, clavesque locorum ſanctorum Dominicæ reſurrectionis aliorumque ei optulerunt, obnixe flagitantes ipſorum eſſe ſuſceptorem & defenſorem. Rogabant eum ut Chriſtianæ religioni ſubdita ſancta cœnobia conſervaret, regeret ac defenderet, & contra inſurgentes gentes exurgeret bellica virtute & regali majeſtate. Annuit benigniſſimus Rex beatis precibus qui ad ſe confluxerant, & non ſolum ſe paratum eſſe ad devincendos inimicos in terra, verumetiam in mari, ſi neceſſitas compuliſſet. Intellexit beatas fore res publicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel ſi earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. Is ad urbem *Ravennam* perveniens, ad *Aquas* deinde perrexit, de his omnibus cum ſuis optimatibus tractaturus.

801. ANno DCCC.j. *Edwine*, qui & *Eda* dictus eſt, quondam dux *Northanhymbrorum*, tunc vero per gratiam ſalvatoris mundi abbas in Dei ſervitio roboratus velut miles emeritus diem clauſit ultimum in conſpectu fratrum xviij. Kal. Febr. Sepultus eſt quoque in monaſterio ſuo quod appellatur *Et Gegenforda* honorifice in eccleſia. His temporibus *Eardulf* rex *Northanhymbrorum* duxit exercitum contra *Kenwlfum* regem *Merciorum* propter ſuſceptionem inimicorum ejus. Qui & ipſe congregans exercitum ſecum aliarum promovit auxilia provinciarum plurima, longa inter eos expeditione facta. Tandem cum conſilio epiſcoporum ac principum *Anglorum* ex utraque parte pacem inierunt per gratiam regis *Anglorum*. Factaque firmiſſimæ pacis concordia inter eos, quam ſub jurejurando in evangelio Chriſti ambo reges confirmaverunt, Deum teſtem atque fidejuſſorem interponentes, ut in diebus eorum quam diu vita potirentur præſenti & regni eſſent inſulis ſuffulti, pax firma veraque inter eos amicitia inconcuſſa & inviolata perſiſteret. Contigit in illis eſſe completum quod legitur,

Gratius aſtra nitent, ubi nothus
Deſinit imbriferos dare ſonos;
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roſeos agit equos.

Aſtra ſplendebant gratius; hoc eſt, principes gaudebant profuſius dum reges pacem dabant inter ſe clementius. *Nothus* ventus eſt calidus qui ſolet imbriferos dare ſonos. *Ut dies roſeos agit equos*; id eſt, totius regni ſtatus exultabat dum ſerena redierunt tempora illius ævi mortalibus, gratia Domini largiente, qui tempeſtatibus & choruſcis præſtat quietudinis ſerenitatem,

Et numeris elementa ligat, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras.

Eodem anno *Hathuberht Lundoniæ* civitatis antiſtes vitæ hujus contempſit tempora. Et paulo poſt magna pars vici ipſius repentino igne conſumpta eſt.

ANno DCCC.ij. ab incarnatione Dominica *Brichtric* occidentalium rex qui eidem genti x. & vij. annis nobiliſſime præfuit, defunctus eſt, cujus imperium & regnum poſt eum *Ecgberht* ex regali illius gentis proſapia ſuſcepit ac tenuit. Rex autem *Brichtric* occidentalium *Saxonum* accepit ſibi in conjugium *Eadburgam* quæ erat filia Regis *Merciorum* nomine *Offa*, qui vallum magnum inter *Britanniam* atque *Merciam*, id eſt de mari uſque ad mare facere imperavit. Cumque filia Regis eſſet multis ſuffulta honoribus, miris ſe extollebat ambitionibus, quæ more paterno tyrannice vivere cœpit, & omnem hominem execrari. Sicque ut omnibus eſſet peroſa, non ſolum ducibus & magiſtratibus, verumetiam cunctis populis. Omnes religioſos viros ad Regem ſemper accuſare non ceſſavit, & ita maledicta virum ſuum conſtrinxit blanditiis, ut illos quos accuſare cœpit, aut vita aut regno privaret; & ſi à rege impetrare non poſſet, veneno eos clam diſperdere non diſtulit. Erat eodem tempore quidam prædives adoleſcens, præamabilis regi prædicto & carus, quem cum accuſare vellet ad regem & minime prævaleret, veneno ipſum ipſa malivola necavit. De quo veneno cum ipſe rex inſcienter guſtaſſet, periit. Neque etiam illa venenum regi propoſuerat dare ſed puero, quem princeps ducum præoccupans, ambo necis poculum biberunt, ambo guſtu amariſſimo perierunt. Quo ex hoc ſeculo perempto venefica illa nequiſſima timore perterrita fugiendo ultra mare eſt egreſſa, cum innumerabilibus theſauris, Regem adiens *Francorum* famoſiſſimum *Karolum*. Ad quem cum ante ſolarium aſtaret & regi deferret munera precioſa, ſic eſt eam affatus. *Elige Eadburg quem velis, me aut filium meum qui mecum in ſolario aſtat.* At illa ſine deliberatione ſtulte reſpondit, dicens, *Si mihi optio daretur filium tuum magis eligerem quam te, quia junior eſſe videtur.* Cui rex *Carolus* ita reſpondiſſe fertur, *Si me eligeres haberes filium meum; ſed quia illum elegiſti, nec me nec illum propitium habebis.* Contulit tamen illi propter improbitatem ejus optimum monaſterium, in quo depoſito ſeculari habitu ſub ſpecie hypocriſſima indumento ſanctimonialium aſſumpto perpaucis fungebatur annis; ſicut enim execrabilis & flebilis ipſa nequiter & irrationabiliter in propria vixit regione: ita multo nequius, miſerabilius & irrationabilius in terra aliena vixiſſe deprehenditur.

Æſtas (ut quidam ait) *Cererem fervida ſiccat,*
Remeat pomis gravis autumnus,
Hiemem defluus irrigat imber:

ſed hujus peſſimæ reginæ mentem nec pulchritudo æſtatis, nec algor hiemis valuit à libidine cohibere. Namque interſtitio peracto, dum quæ ſancta erant exerceret, ut quidam æſtimabant, à quodam ſuæ propriæ gentis ignobili viro conſtuprata eſt.

Cedat inſcitiæ nubilus error,
Ceſſent profecto mira videri
Mulierem, inquit, *in adulterio deprehenſam.*

Nichil itaque eſt quod admirere, nichil occultum quod non ſciatur. Poſt hæc præcipiente magno *Carolo* Imperatore projecta eſt cum magno mentis tædio & angore à ſuo ſancto monaſterio: quæ in paupertate & miſeria vitæ ſuæ tempora vituperabiliter ad finem perduxit. Quæ ad ultimum uno ſervulo 802.

An.Dñi comitata, cotidie mendicans per domos & per civitates atque caſtella, in *Pavia* miſerabiliter obiit. Defuncto rege glorioſo *Brichtrico*, occidentalis regni ſuſcepit poſt ipſius obitum regnum & imperium *Egberht* Rex, qui ex regali illius gentis proſapia exortus, diadema totius regni capiti impoſuit maximo ſceptro redimitus. Erat enim ſtrenuiſſimus vir & potens, multaque regna ſuo ſubjecit imperio. Regnavit annis xxxvj. Et *Ecgberto* ſucceſſit *Ethelwlfus* filius ejus potentiſſimus. Cui ſucceſſit filius ejus *Ethelbaldus*. Deinde frater ſuus *Ethebyrtus*. Poſt quem frater ſuus *Ethelredus*. Poſt hunc frater eorum *Elfredus*. Denique *Ethelwlf* habuit ex conjuge ſua nobili iv. filios, ſcilicet *Ethelbaldum* & *Ethelbirtum* & *Etelredum* & *Alfredum*, qui omnes ſibi invicem in regnum ſucceſſerunt.

803. ANno DCCC. iij. *Hibaldus* epiſcopus obiit, & *Egbertus* ei ſucceſſit.

830. ANno DCCC. xxx. *Celnodus* conſecratus eſt epiſcopus & *Felgildus* abbas obiit, & *Egredus* epiſcopus factus eſt.

846. ANno DCCC. xlvj. *Eanbertus* epiſcopatum ſuſcepit.

849. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. xlix. exortum eſt lumen è tenebris, *Elfredus* rex *Anglorum* natus eſt in regali villa quæ ab Anglis **Wanetinge** appellatur, cujus genealogia tali ſerie contexitur. *Elfred* rex filius erat *Ethelwlfi* regis, qui fuit *Egberhti*, qui fuit *Alhmundi*, qui fuit *Affa*, qui fuit *Eoppa*, qui fuit *Ingild*. *Ingild* & *Ine* fratres fuerunt. *Ine* rex famoſiſſimus erat per totius fines gentis *Anglorum*, qui occidentalium regionum regna regaliter regebat, & peractis in regno plurimis annis *Romam* perrexit, relinquens patriam & regnum præſens ut cum Chriſto poſſideret æternum, quod ei conceſſit divinæ majeſtatis imperium. Hii fuerunt filii *Coenredi*, qui fuit *Ceolwold*, qui fuit *Cuda*, qui fuit *Cuderwine*, qui fuit *Ceawlm*, qui fuit *Cinric*, qui fuit *Creoda*, qui fuit *Cerdic*, qui fuit *Elesa*, qui fuit *Gewis*, à quo *Britones* totam illam gentem *Gewis* nominant, qui fuit *Brand*, qui fuit *Belde*, qui fuit *Woden*, qui fuit *Frithuwald*, qui fuit *Frealaf*, qui fuit *Fridrenwulf*, qui fuit *Geta*, quem jam dudum pagani pro Deo venerabantur. Cujus *Sedulius* poeta inſignis mentionem faciens in Paſcali carmine, ita exorſus eſt.

> *Cum ſua Gentiles ſtudeant figmenta poetæ*
> *Grandiſonis pompare modis tragicoque boatu*
> *Ridiculove Geta ſeu qualibet arte canendi, &c.*

Qui *Geta* fuit *Cetwa*, qui fuit *Beaw*, qui fuit *Seldwa*, qui fuit *Heremod* qui fuit *Itermod*, qui fuit *Hatra*, qui fuit *Wala*, qui fuit *Bedwig*, qui fuit *Sem*, qui fuit *Noe*, qui fuit *Lamech*, qui fuit *Matuſalem*, qui fuit *Enoch*, qui fuit *Malaleel*, qui fuit *Canaan*, qui fuit *Enos*, qui fuit *Seth*, qui fuit *Adam* primi hominis. Mater vero Regis *Elfredi Oſburg* appellata eſt, quæ erat religioſa nimium fœmina nobiliſque ingenio, quam nobilitatem exornavit prudentia mentis. Erat quoque pater ejus *Oſlac* vocitatus, qui fuit pincerna *Ethelwlfi* regis devotus atque fideliſſimus. Ortus enim fuit de *Gothis* & *Iutis* de ſemine *Stuph* & *Wihtgar* duorum fratrum. His ſic prælibatis jam pro poſſe ſuſceptum exequamur negotium ſuſcepti operis.

An.Dñi 851. ANno Dominicæ incarnationis DCCC.lj. nativitatis *Elfredi* iij. *Ceorl* Comes pugnavit contra *Danos*, & Chriſtiani victoriam de inimicis adepti ſunt. *Dani* quoque hiemaverunt in inſula quæ vocatur **Scepige**, id eſt inſula ovium. Eodem anno magnus exercitus paganorum venit cum treſcentis quinquaginta navibus in hoſtium *Tamenſis* fluminis. Qui *Doroberniam*, id eſt *Cantuariorum* civitatem depopulati ſunt, & *Berhtulfum Merciorum* Regem cum omni exercitu ſuo qui ad præliandum contra illos venerat, in fugam verterunt. Poſt hæc audaciores *Dani* effecti, exercitus omnis ipſorum ad **Suthrige** eſt congregatus. Quod audiens bellipotens *Ethelwlfus* rex *Saxonum*, congregavit & ipſe exercitum copioſum, & filius ſuus *Ethelbaldus* cum eo in loco qui dicitur *Aclea*, id eſt, in campo quercus. Cumque decus Angligenæ gentis armis ſplendeſceret reſultantibus, diutiſſime pugnaverunt *Angli* cum *Danis*, fortiter repugnantes quia viderunt atrociter regem bellare ipſorum, ideo fortiores hoſtibus facti ſunt in bello. Cumque diutiſſime viriliter decertarent, & acerrime animoſeque ex utraque parte pugnatum eſſet, maxima pars paganæ multitudinis funditus deleta atque occiſa eſt, ita ut numquam in aliqua regione in una die ante nec poſt tanti occubuerunt in morte. Chriſtiani vero ipſo die victoriam honorifice tenuerunt, & loco funeris dominati ſunt, grates reddentes Domino in hymnis & confeſſionibus.

852. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lij. *Ethelſtanus* Rex & *Alchere* Comes magnum paganorum exercitum invenerunt in *Cantia* in loco qui dicitur **Et Sandwic**, quem ibidem Deo auxilium concedente prope occiderunt, & ex navibus eorum novem rapuerunt, cæteri per fugam terrore perculſi fugerunt.

853. ANno Dominicæ incarnationis DCCC.liij. nativitatis *Elfredi* v°. *Burhred Merciorum* rex per nuncios deprecatus eſt *Ethelwlfum* occidentalium *Saxonum* Regem ut ei auxilium conferret, quo mediterraneos *Brittones* qui inter *Merciam* & mare occidentale habitabant dominio ſuo ſubdere poſſet; qui contra eum frequenter reluctabantur. Rex autem *Ethelwlf* legatione ejus accepta exercitum movit, ſtipendia diſtribuit, cum *Burhredo* rege intrepidus ad bellum exiit. Mox ut ingreſſus eſt ad gentem illam devaſtandam, cepit, occidit ſubdiditque Regi *Burhredo*, qui gratias agens dimiſit eum cum gaudio ad propria remeare. Eodem anno *Ethelwlfus* rex filium ſuum *Elfredum* cum magno nobilium militum agmine conſtipatum *Romam* tranſmiſit. Quo tempore beatus papa *Leo* apoſtolicæ ſedi præerat; qui præfatum infantem ordinans unxit in regem, & in filium adoptionis ſibimet accipiens confirmavit, & ad patriam atque ad patrem cum benedictione ſancti *Petri* apoſtoli direxit. Ea tempeſtate *Alchere* Comes & *Wada* cum *Canenariis* & *Suthrigiis* contra paganorum exercitum duriter pugnavit in inſula quæ Saxonica lingua **Tenet** dicitur, Britannico ſermone *Ruim* appellatur. Primitus Chriſtiani victoriam habuerunt, ſed prolongato diu prælio ex utraque parte plurimi corruerunt, multique in flumine ſuffocati ſunt & occiſi, inedicibilis multitudo. Duces vero prædicti ambo ibidem occubuerunt

pro gentis ſuæ liberatione. *Ethelwlfus* rex glorioſæ poteſtatis ipſo anno poſt feſtivitatem ſanctæ reſurrectionis Chriſti, filiam ſuam *Burhrede* regi *Merciorum* tradidit cum magna gloria, ut regibus mos eſt, in villa quæ dicitur *Ec Cippanhama*, quo nuptiis peractis reginæ præcepit nominis dignitatem.

854. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. liv. *Wlfere* archiepiſcopus pallium ſuſcepit, & *Eardulf* ſuſcepit epiſcopatum *Lindisfarnenſem*.

855. ANno DCCC. lv. nativitatis præfati regis vij. paganorum exercitus tota hieme in inſula **Scepige** hiemaverunt. Quo tempore *Ethelwlfus* rex decimavit totum regni ſui imperium pro redemptione animæ ſuæ & antecessorum ſuorum. Ipſo vero anno cum magno honore ad limina principis apoſtolorum profectus eſt, habens ſecum *Elfredum*, eo quod illum magis diligeret quam cæteros. Suſceptus eſt rex *Anglorum* ab apoſtolico viro decenter, quo moratus eſt anno integro orationibus & eleemoſinis inſiſtens diligenter. Eo quoque ad patriam revertente, filio ſuo *Ethelbaldo* & *Scirburnenſi Ealhaſtano* epiſcopo & plurimis aliis peroſus erat. Vixit ergo *Ethelwlfus* rex clementiſſimus annis duobus poſtquam *Romuleas* adire ſedes cœpit. Qui inter alia præſentis vitæ bona & ſtudia regalis operis, de ſuo tranſitu præmeditatus eſt, ne filii ſui poſt obitum ſuæ vitæ diſceptarent, epiſtolam ſatis eleganti compoſitione compoſuit, quæ omnia quæ ſui juris erant diſtribuit. Per omnem hæreditatem ſuæ terræ ſemper in decem menſis unum pauperem aut indigenam vel peregrinum cibo & potu ſive veſtimento juſſit adjuvari vel paſci, pro ſe & pro omnibus ſucceſſoribus ſuis. *Romam* quoque pro redemptione animæ ſuæ treſcentas mancuſas portari præcepit, centum ad limina ſancti *Petri* ſpecialiter ad emendum oleum, & centum ad honorem ſancti *Pauli*, centum univerſali papæ apoſtolico. Defuncto igitur *Ethelwlfo* rege glorioſo, filius ejus *Ethelbald* contra Jeſu Chriſti interdictum & Chriſtianorum traditionem, ac contra omnium Paganorum conſuetudinem thorum patris ſui aſcendens, *Iuditham Karoli Francorum* Regis filiam cum magna infamia in matrimonium duxit, effræniſque duobus & dimidio annis occidentalium *Saxonum* poſt nobiliſſimi patris ſui obitum imperii gubernacula rexit.

860. ANno DCCC. lx. nativitatis *Elfredi* clitonis inſignis xij. *Ethelbald* defunctus eſt atque in *Sciretburna* ſepultus. Quo ablato è ſeculo, *Ethelbyrht* ipſius frater has provincias ſuo regno adjunxit, hoc eſt *Cantiam* & *Suthrigam*, *Suthſexam* quoque cum omnibus villis & territoriis ut juſtum erat. In ipſius quoq; regni ſtatu magnus paganorum exercitus de mari adveniens *Wintoniam* civitatem hoſtiliter invadens depopulatus eſt. Exercitus vero prædictus cum reverteretur cum ingenti præda ad naves, *Oſric* digniſſimus dux *Hantunnenſium* cum ſuis populis advenit, & *Ethelwlf* Comes inſignis cum *Bearrocenſibus* viriliter occurrit cum inmenſo exercitu, conſertoque prælio pagani paſſim trucidantur ab *Anglis* ſuffultis à ſpiritibus angelicis. Cumque diutius hoſtes diriſſimi ſtare nequirent præ vulneribus, cadebat crudeliter perplurima multitudo, alii per latibula denſarum veprium ſe abdentes, nonnulli muliebriter fugam arripientes. *Angli* vero loco funeris fortuna arridente dominati ſunt. *Ethelbyrht* itaque rex quinque annis regnum ſibi commiſſum pacifice & amabiliter atque honorabiliter gubernavit, qui cum magno ſuorum principum, epiſcoporum omniumque populorum dolore viam univerſitatis adiit, relinquens terreni regni monarchiam alterius cœpit eſſe particeps. Sepultus eſt igitur juxta fratrem ſuum in *Scireburnan*, quo expectat conſolationem futuræ reſurrectionis.

864. ANno DCCC. lxiv. pagani hiemaverunt in inſula quæ appellatur **Tenet**, quæ circumdatur undique maris flumine. Qui firmum cum *Cantuariis* pepigerunt fœdus, quibus *Cantuarii* pecuniam pro fœdere ſervato reddere promiſerunt. Interea tamen *Dani* vulpino more noctu clam caſtris erumpentes, fœdereque dirupto, & promiſſionem pecuniæ ſpernentes, paucis diebus extiterunt quieti. Sed ô nefas! totam orientalem plagam *Cantiæ* gentis depopulati ſunt. Sciebant majorem pecuniam ſe furtiva præda quam pace adepturos, quod & factum eſt.

866. SEquenti vero anno, hoc eſt DCCC. lxvj. nativitatis autem *Elfredi* xviij. *Ethelred* frater *Ethelbyrti* regis occidentalium *Saxonum* regni gubernacula ſuſcepit. Eodem anno magna paganorum claſſis de *Danubia Britanniæ* fines introiit, & ſic ad regnum orientalium *Anglorum*, quod *Saxonico* dicitur eloquio **Eaſtengle** hiemavit, ibique ipſe copioſus exercitus equeſtris factus eſt, equitantes & diſcurrentes hac illac, prædam diripientes enormem, non parcentes viris vel feminis vel viduis nec virginibus. His diebus *Elfredus* clito jugi meditatione cœpit divinis imbui doctrinis, qui miro patris matriſque amore ſupra omnes fratres ſuos ab ipſis diligebatur cunabulis. Creſcente denique illo corpore in puerili ætate, forma cæteris ſuis fratribus decentior videbatur, vultuque inſignis renitebat & verbis refulſit egregiis. Cervino quoque deſiderio æſtuabat ſui cordis penitralia ſuffundi, & thalamum pectoris ſacris literis imbui. Sed pro dolor! parentum ac nutritorum incuria illiteratus permanſit uſque ad duodecimum ſuæ ætatis annum. *Saxonica* quoque poemata glorioſus adoleſcens & futurus rex die noctuque diſcere ſtuduit, eratque docilis, in arte venatoria induſtris, in omni peritia incomparabilis. Cum ergo quadam die ejus digniſſima genitrix, ſibi & fratribus ſuis quendam *Saxonicum* poematicæ artis librum oſtenderet, ait eis, Quiſquis cariſſimi filii veſtrum iſtum potuerit codicem citius diſcere, dabo ei ipſum. At ille divina inſpiratione inſtinctus & pulchritudine principalis literæ exhilaratus, ita matri reſpondit. Verene, ſic ait matri ſuæ, dabis? Ad hæc illa arridens & gaudens atque affirmans, Dabo, inquit, dabo. Mox autem tulit librum de manu ſuæ genitricis, magiſtrum adiit, libellum oſtendit, & legit præceptore oſtendente. Poſt ſpatium non longi temporis venit ante præſentiam dilectæ matris, librumque memoriter recitavit. Ipſa vero grates inmenſas reddit ſalvatoris gratiæ, agnoſcens gratiam Dei eſſe in mente juvenis. Poſt hæc inflammatus divini amoris deſiderio pſalmos perplurimos curſumque diurnum, id eſt celebrationes horarum, didicit ipſe devotus, quos in uno volumine congregatos die noctuque in ſinu ſuo inſeparabiliter portabat. O felix hominum genus! ô rex prudens! geſtas geſtantem, ſapientiæ claves vehis; ſapientiam

tiam diligis, ſapiens eris, faciens judicium & juſtitiam in terris. O clerici, attendite & videte regem in ſinu librum deferre die noctuque; vos vero nec legem Dei ſcitis nec ſcire vultis. Præcipue idem, rex factus, lugebat filium ſuum, id eſt animum, quod liberalibus non fuerat artibus inſtructus.

867. ANno DCCC. lxvij. nativitatis *Elfredi* Regis xix. prædictus paganorum exercitus de orientalibus *Anglis* ad *Eboracam* Civitatem migravit, quæ in aquilonali ripa *Humbrenſis* fluminis ſita eſt. Eodem tempore maxima inter *Northanhymbrorum* populos diſcordia erat ſuccenſa, & apte, quia qui odium diligit odium inveniet. His diebus *Northanhymbrorum* gens legitimum ſuæ gentis regem, *Oſbryht* vocitatum onomate, de regno hoſtiliter expulerunt, & tyrannum quendam nomine *Alla* ſuper apicem regni conſtituerunt; venientibus ſuper regnum paganis, conſilio divino & optimatum adminiculo diſcordia illa ſedata eſt. Rex vero *Oſbryht* & *Alla* adunatis viribus congregatoque exercitu *Eboracum* adeunt opidum: Quibus advenientibus claſſica multitudo confeſtim fugam arripiunt; quorum fugam & pavorem Chriſtiani cernentes, fortiores ipſis inventi ſunt. Pugnatum eſt ſatis crudeliter ex utraque parte, quo ambo reges occubuerunt. Reliqui vero qui evaſerunt, pacem cum *Danis* pepigerunt. Ipſo autem anno *Ealhſtan Sciremburnenſis* eccleſiæ epiſcopus viam & vitam deſeruit temporalis ſeculi, poſtquam epiſcopatum per annos quinquaginta honorabiliter rexerat, qui in pace eccleſiæ requieſcit, ſepultus decenter in ſede ſui epiſcopatus.

868. ANno DCCC. lxviij. *Elfredi* regis xx. uxorem accepit de *Mercia*, nobilem ſcilicet genere, filiam *Ethelredi Gainorum* Comitis qui cognominabatur ab *Anglis* **Mucel**, eo quod erat corpore magnus & prudentia grandævus. Ea tempeſtate prædictus paganorum exercitus *Northanhymbros* reliquit, **Snotingaham** peſſimo adventu viſitavit & adiit, quæ civitas *Britannico* ſermone **Tigguocobauc** interpretatur, Latina interpretatione ſpeluncarum domus dicitur. Quo in loco hoſpites inſidioſi eodem anno hiemavere, quorum adventus omnibus populis ſatis erat ingratus. Audiens autem eorum adventum armipotens rex *Merciorum Burhred* appellatus, & omnes optimates, conſilium habuit cum ſuis comitibus & commilitonibus & omni populo ſibi ſubjecto, qualiter inimicos bellica virtute exuperaret ſive de regno expelleret. Direxit & nuncios veloci curſu ad *Elfredum* inſigniſſimæ virtutis virum, & ad *Ethelredum* fratrem ejus, ut ei fraternum oſtenderent adminiculum quo poſſent victrici fortitudine eos debellare. Quod ipſi quaſi intrepidi leones agere non diſtulerunt. Tunc incitus *Elfredus* rapidis cœpit præceptis exercitum congregare, illud corde tenus recordans. *Nunquam dives agit qui trepidus gemens ſeſe credit egentem.* Nequaquam potens vir agit quod deſiderat qui trepidus conſtat, & qui ſe putat egentem, id eſt miſerum, ſi agat quod optat viriliter decertando. Frater ejus ſimili ſuccenſus furore uſque ad **Snotingaham** perveniunt parati adverſus temptamina ſtare. Pagani vero munitione arcis muniti bellum promittunt, acies ſtruunt, numeroſum exercitum oſtendunt, ſed tremebundi claris cernentes viſibus Chriſtianum populum in centenis & millenis millibus adverſariis reſiſtere ſacris ducibus exhortantibus. Tandem per gratiam omnipotentis Domini ceſſavit ventus turbinis, fracta ſunt corda iniquorum, pacem rogantes & fœdus à Chriſtianis, ac ſi ipſi tali propitio Chriſto amore exorarent.

Rapidos Rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immenſum
Firma ſtabiles fœdere terras.

Facta eſt inter Reges & paganos pax, & ſegregati ab invicem, ſicut oves ab hœdis ſequeſtrantur.

869. ANno DCCC. lxix. ætatis vero *Elfredi* xxj. præfatus exercitus rurſum ad gentem *Northanhymbrorum* profectus eſt, ibique anno integro permanſit debacchans & inſaniens, occidens & perdens perplurimos viros ac mulieres.

870. SEquenti vero anno dum Solis jubar mundi perluſtraret orbes & annus adveniſſet DCCC. lxx. ab incarnatione Domini, tunc refulſit tempus quo *Elfred* rex viceſimum primum habuit annum. *Danorum* vero enormis multitudo, & ut ita dicam, legionum catervæ congregatæ ſunt, ita ut multa viderentur milia affore, & ſicut de mille in xx. miriades excreviſſent. Pervenit dehinc per *Merciam* in orientales *Anglos*, & in civitate quæ dicitur **Theodford**, intrepidus hyemavit. Rex autem *Eadmundus* ipſis temporibus regnavit ſuper omnia regna orientalium *Anglorum*, vir ſanctus & juſtus, ſicut finis ejus ſanctiſſimæ vitæ probavit eventus. Eodem vero anno rex prædictus contra ipſum exercitum atrociter & viriliter cum ſuis pugnavit. Sed quia miſericors Deus eum præſcivit per martyrii coronam ad cœleſtis gloriæ coronam pervenire, ibidem glorioſe occubuit. De cujus paſſionis honore libet aliqua hiſtoriæ noſtræ inſerere, ut ſciant & agnoſcant filii hominum quam terribilis eſt *Chriſtus* filius Dei in conſiliis hominum, & quam glorioſo triumpho exornat quos hic paſſionis titulo excruciat, ut illud impleatur, *Non coronatur quis niſi legitime certaverit.* Rex autem *Eadmundus* imperium orientalium *Anglorum* ſuſcepit devotus, quod & tenuit dextra forti potentiæ, Deum omnipotentem ſemper adorans ac glorificans pro omnibus bonis ſuis quibus uſus fuerat. Eodem anno quo rex & martyr inſignis per coronam martyrii ſupernæ felicitatis gaudia ſubiit, *Ceolnoth* archiepiſcopus *Dorobernia* civitatis viam veritatis adiit, qui in eadem civitate eſt ſepultus à clericis.

871. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxj. nativitatis *Elfredi* glorioſi regis *Saxonum* xxiij. exoſæ memoriæ paganorum exercitus orientales *Anglos* deſeruit, qui regnum occidentalium *Saxonum* adiit, veniens ad villam regiam quæ dicitur **Readingum** in meridianam, *Tamenſis* fluminis ripam, in illa plaga quæ nuncupatur ab incolis ipſius patriæ **Bearrucſcire**. Tertio vero die quo ibi advenerunt inimici *Anglorum* comites eorum cum magna multitudine in parte illius fluminis equitaverunt, prædamque immenſæ multitudinis acceperunt. Quidam autem ex ipſis vallum inter *Tamenſe* & *Kenetan* flumina facere ſtuduerunt; ſed conſilium eorum & opus *Danorum* diſſipatum eſt per auxilium *Anglorum*, ut impleretur in eis illud ſcolaſtici;

Quamvis ſe Tyrio ſuperbus oſtro,
Comeret & niveis [tamen] lapillis,
Inviſus tamen omnibus patet.

Et aliud.

Quis illos igitur putet beatos,
Quos miſeri tribuunt honores?

Cumque perverſi ſupradicti viriliter operibus deſudarent, advenit protinus *Ethelwlf Barrocenſis* regionis incliti vigoris dux cum ſuis agminibus centuriatis, & ſilicis torneis circumdatus. Cernens autem multitudinem barbarorum princeps Chriſtianorum populorum, dixit ſuis, *Horum numeroſus eſt exercitus, ſed tamen eſt ſpernendus. Qui ſi aliquando contra nos aciem ſtrinxit validior incubuerit, noſter quidem dux, qui Chriſtus eſt, fortior illis eſt.* Obviant denique Chriſtiani *Danis* confidentes in tuitione *Chriſti* nominis, dux præfatus ſuos hortatus præcipue ut reſiſterent adverſariis, conſtituens cum ſuis inclitis legionibus in loco qui appellatur **Englafeld**. Ubi dimicatum eſt ſatis atroci bello, quo ex utraque parte ceciderunt vulnerati multi & occubuerunt. Occubuit ibidem quidam princeps *Danorum* cum magna multitudine ſui exercitus; cæteris fuga elapſis, Chriſtiani victoriæ palmam adepti ſunt, & loco funeris dominati ſunt.

His ita peractis, poſt, bis binis dierum curriculis expletis rex præpotens *Ethelredus* ac frater ejus *Elfred* adunatis exercitibus copioſis, ut regum eſt poteſtas & virtus, ad *Readingum* venerunt, deſiderantes aut glorioſe vivere in regno, aut in bello occumbere pro *Chriſto*. Cumque armipotens rex *Ethelred* cum fratre dilectiſſimo ad portam arcis perveniſſent, cædendo & proſternendo hoſtes ante & retro, pagani econtra cædebant hoſtica rabie reſiſtentes. Sed heu pro dolor! victoriam eo die inimici *Anglorum* aſſumebant. *Ethelwlfus* quoque *Barrocenſis* qui prius ut leo fremuit in bello, tunc cum cæteris fidelibus occubuit in *Chriſto*. Quo dolore & verecundia *Anglorum* populus commotus, auxilium implorabant angelorum, ut eis dignarentur impendere adminiculum divini adjutorii. Iterum enimvero poſt quatuor dies contra præfatos inimicos exercitum commovent, arma arripiunt, ſtatuunt legiones in loco qui dicitur **Eſceſdun**, quod Latine *mons fraxini* poteſt reverenter interpretari. Ibi autem totis viribus & plena voluntate ad prælium prodeunt viri famoſi ad bella fortiſſimi. *Dani* quoque ut ſunt aſtuti in duas ſe turmas dividentes viriliter pugnare cum ſuis. Habebant & ipſi duos reges multoſque duces, qui cauta ratione utentes, mediam partem exercitus duobus regibus concedebant, dimidiam vero omnibus ducibus. Quod *Angli* cernentes conſtituunt & ipſi duas turmas, & conſtruunt machinas & machinathorum propugnacula. *Elfred* autem rex promptiſſime cum ſuis legionibus procedit ad bellum, ſciens proculdubio non in multitudine hominum affore victoriam, ſed Dei in miſeratione & miſericordia. Rex quioque *Ethelred* in tentorio erat in oratione conſtitutus, miſſam & quæ Dei ſunt ſollicite audiendo. Quæ ſancta myſteria regi & Chriſtiano populo multum proficiebant, uti in ſequentibus oſtendetur.

Decreverant ergo Chriſtiani populi & *Angli* devotiſſime audacter committere contra inimicos bellum, & ut *Ethelred* rex fortiſſimus principum contra legiones dimicaret cum ſuis miriadis, unus videlicet rex *Anglorum* contra duos *Danorum*. *Elfred* vero rex cum ſuis ducibus & commilitonibus, ſatrapis & populis debuit contra omnes paganorum duces belli ſortem ſumere, ut decretum eſt. Quibus res publica utriſque regibus & populis ſat latis bene complacuit. Quibus ita ſimiliter ab utraque parte diſpoſitis, cum rex *Ethelred* in oratione diutius moraretur, & pagani parati ad locum diri certaminis citius adveniſſent, *Elfred* tunc ſecundus in regno non potuit hoſtiles diutius acies ſufferre, niſi eos aut bello ſuperaret aut morte. Repente vero conſternatus animo irruit ſuper aggregatas multitudines *Danorum* cum ſacris agminibus *Anglorum*: venit autem rex præcinctus armis & orationibus, qui intuitus exercitum fratris ſatis eleganter eſſe ordinatum, quaſi *Judas* bellicoſus proceſſit ad bellum. Dimicatum eſt virili intentione ab utriſque partibus, quo in loco ceciderunt quinquageni & centeni necnon milleni. Qui pro patriis legibus & patria ceciderunt, perducti ſunt, ut credi libet, ad patriam æternæ felicitatis. Alii vero ad eum perducti ſunt, de quo dictum eſt, *Ipſe eſt caput omnis injuſtitiæ.* Reges autem non ſolum verbis populum conſtantem hortabantur, verumetiam armis hoſtes bellica virtute proſternebant. Tandem *Dani* videntes ſuorum corruiſſe ſociorum agmina, turbati ſunt, admirati ſunt, commoti ſunt, timorque immenſus apprehendit eos. Erant enim divino perculſi *Dani* timore infra cordis cubicula, impetus *Anglorum* diutius non ferentes in ipſo concilio. Qui opprobrioſam arripientes fugam, laxatis gladiis dextras dederunt, pacemque petierunt. Extendentes reges gladios vix ſedaverunt populum bellicantem. Fugerunt hac illac ignobile vulgus, quos per totius diei horas *Angligenus* perſecutus eſt populus. Multa milia proſtrata ſunt in illa die; quorum interitum pii reges cernentes, gloriam dixerunt Deo immenſam qui eis talem ipſo die contulit victoriæ palmam. Cecidit quoque ibi *Bergſecg* rex & hii duces cum eo, dux *Sidroc* veteranus comes, de quo illud aptatur, *Inveterate dierum malorum.* Corruit ibidem dux *Sidroc* junior atque *Oſbern* dux militiæ, duxque *Frana*, duxque *Harald* cum ſuis agminibus; qui latam & ſpacioſam viam arripientes deſcenderunt in profundum laci. Viam diſciplinæ neſcierunt, nec intellexerunt ſemitas ejus, à facie illorum longe facta eſt.

Bello peracto glorioſo, reges & omnis populus immenſo repletus eſt tripudio, videntes *Danorum* fugam & *Anglorum* conſtantiam. Poſt quatuordecim dierum excurſum, rex *Ethelred* præſtantiſſimus ignorans annum jubilei habere remiſſionem, adjutus fideliſſimo auxilio fratris ſui coadunavit exercitum, congregavit ſpolia, diviſitque arma & dona perplurima ſuis commilitonibus. Sciebant pro certo ipſi principes populorum beatas fore res publicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel ſi earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. Congregati ſunt rurſum ad bellum *Angli* atque *Dani*, quibus cum duriſſimum eſſet illatum robur, pagani victoriam prope aſſumpſerunt. Eodem vero anno rex *Ethelred* plenus ætate & perfectus in bonitate, poſt perpetrationem inſignium bellorum futuræ vitæ & perpetui regni felicitatem cœpit videre cum rege ſeculorum in terra viventium. Subtracto ab hoc ſeculo rege prædicto, mox *Elfredus* à ducibus

&

An.Dñi & à præſulibus totius gentis eligitur, & non ſolum ab ipſis. verum etiam ab omni populo adoratur ut eis præeſſet ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Adepto regni gubernaculo totius gentis ſemper bellicoſus refulſit, & victor in omnibus bellis, fortuna arridente Chriſtoque faciente. Rebellavit contra eum prædictus exercitus ſatis acerrime, qui *Anglorum* intuentes auſteritatem, & ſuam cognoſcentes imbecillitatem, terga in fugam verterunt. Sed proh dolor! per audacitatem perſequentium reverſi rurſum ad prælium ſunt provocati, capientes victoriæ munus, & loco funeris ſunt dominati. Ipſo quoque anno *Saxones* cum iiſdem paganis pacis concordiam pepigerunt, ea ratione ut ab eis diſcederent.

872. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxij. nativitatis *Elfredi* regis xxiiij. præfatus paganorum exercitus *Londoniam* adiit, ibique hiemavit, cum quo *Mercii* pacem pepigerunt.

873. ANno DCCC. lxxiij. nativitatis autem *Elfredi* regis *Anglorum* xxiiij. ſæpe memoratus exercitus *Londoniam* deſerens ad *Northanhymbrorum* regionem profectus eſt, ibique hiemavit, cum quo iterum *Mercii* pacem pepigerunt.

874. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxiiij. nativitatis autem *Elfredi* regis *Anglorum* xxv. ſupra memoratus exercitus *Lindiſſem* provinciam deſeruit, *Merciam* adiit, & in **Hrypadun** hiemavit. *Burhredum* quoque *Merciorum* Regem de regno depulerunt, & ad *Romam* exire compulerunt xxij. regni ſui anno. Qui poſtquam *Romam* adierat, non diu vixit ſeculo, quoniam pervenit ad eum qui eſt vera vita, ſepultuſque honorifice eſt in eccleſia ſanctæ *Mariæ* genitriciſque Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper virginis, expectans ejus adventum ſecundum, quando bonis juſta præmia largiter concedit, malis dira diſpenſat ſupplicia. *Dani* quoque poſt hujus expulſionem regnum *Merciorum* ſuo dominio ſubdiderunt. Commendaverunt illud cuidam militi ipſius gentis nomine *Ceolwlfo*, ea ratione ut quando vellent, rurſum abſque dolo, abſque malo haberent.

875. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxv. nativitatis autem *Elfredi* regis xxvj. prædictus exercitus **Repadun** deſeruit, ſeſeque in duas partes diviſit. Una pars cum *Haldene* ad regionem *Northanhymbrorum* ſeceſſit, & eam vaſtavit, & hiemavit juxta flumen quod dicitur **Tyne**, & totam gentem ſuo dominatui ſubdidit, & *Pictos* atque *Stretduccenſes* depopulati ſunt. *Eardulfus* epiſcopus & abbas *Eadredus* de *Lindisfarnenſi* inſula corpus ſancti *Cuthberti* tollentes per ix. annos ante faciem barbarorum de loco ad locum fugientes, cum illo theſauro diſcurrerunt. Altera quoque pars ipſius claſſis cum *Gutthrum*, & *Oſcytel*, & *Amund* regibus paganorum, ad locum qui dicitur **Grantabric** pervenit, ibique hyemavit. Rex vero *Elfred* navali prælio confortatus ſex naves invenit in mari, cum quibus fortiter debellans, unam cepit, cæteri fugerunt timore perculſi.

876. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxvj. nativitatis autem *Elfredi* regis xxvij. præfatus exercitus nocte de **Grantabric** exiens, caſtellum quod dicitur **Werham** intravit. Quorum ſubitum adventum rex *Saxonum* pertimeſcens, fœdus cum eis pepigit, ea conditione ut ab ejus regno diſcederent, obſides accipiendo. Ipſi vero more ſolito obſides & juramenta non ſervantes, nocte quadam fœdere dirupto ad *Exanceſtriam* diverterunt, quod *Britannice* dicitur **Cairwiſc**, Latine, *Civitas aquarum*. An.Dñi

877. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxvij. nativitatis autem *Elfredi* xxvij. exercitus ipſe nefandus **Exanceſter** dereliquit, **Cippanham** regiam villam adiit, ibique hiemavit. *Elfred* vero rex his diebus magnas ſuſtinuit tribulationes & inquietam vitam agebat. Rex *Elfredus* aperto confortatus oraculo per ſanctum *Cuthbertum*, contra *Danos* pugnavit, & quo ipſe ſanctus juſſerat tempore & loco, victoria potitus eſt, ſemperque deinceps hoſtibus terribilis & invincibilis erat, ſanctumque *Cuthbertum* præcipue honori habuerat. Qualiter hoſtes vicerit paulo poſt hic legitur.

Eodem denique anno *Inguar* & *Healfdene* cum bis denis ac ternis navibus, de *Demetica* regione in qua hiemaverant egreſſi ut lupi feroces, poſt multas ibi Chriſtianorum ſtrages patratas, poſt combuſtiones cœnobiorum ad *Domnaniam* enavigaverunt, & ibi à regis miniſtris fortiſſimis cum mille ducentis viris occiſi ſunt ante arcem **Cynwith**, quia in eadem arce perplurimi regis famuli, ut dictum eſt, ſe concluſerant cauſa refugii. Rex autem *Elfred* in Domino Deo confiſus, cum paucis agminibus ſtipatus, fecit arcem in loco qui appellatur **Ethelingalge**, in quo habitans cum ſuis commilitonibus hoſtes frequenter infatigabiliter contrivit ab arce. Hoc egit tempore reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti; qui egreſſus ab arce, viribuſque ſuſceptis, poſt, ſeptem videlicet ſeptimanis dierum & monade, hoc eſt quinquaginta diebus ſuppletis, venit ad petram *Ecgberti* quæ eſt in orientali parte ſaltus qui *Anglico* eloquio dicitur **Mucelpudu**, Latine vero *magna ſilva*, *Britannico* more *Coitmapur*. Ibi ergo obviaverunt regi dilectiſſimo omnes accolæ *Sumortunenſes* ac *Wiltunenſes*, necnon *Hantunenſes*, viſoque lætati ſunt immenſo cordis tripudio, quaſi redivivum ipſum ſuſcipientes. Poſt tertium vero diem venit cum immenſo exercitu ad locum qui dicitur **Edderandun**, quo juxta immenſas paganorum phalanges invenit paratas cum denſa multitudine ad bellum. Exorto ſolis jubare limpidiſſimo, rex & omne decus ſuæ plebis induerunt ſe bellicis ornatibus, ſcilicet trilici toraca fidei, ſpei, charitatiſque Dei. Hii exurgentes à ſolo audacter provocabant in celebres ad bellum, de clementia conditoris ſperantes ſecuri ac vallo minuti aſtantis regis, cujus vultus ut angeli ſplendentis refulſit. Commiſerunt ergo bellum per longa tempora diei utrique populi, quorum voces & colliſiones armorum per longa terrarum ſpatia audita ſunt.

Cernens igitur ſpeculator inſignis deſuper penetral ſui terreni regis deſiderium, conceſſit ei angelicæ poteſtatis ſuffragium. Is denique potitus victoria hoſtes ſuos proſtravit, gratias reddens ſummo ſalvatori cum cordis lætitia. Cumque ibidem rex cum ſuis legionibus arrideret, inimici qui remanſerant ipſius magnis ejulatibus deflerent ob famis & frigoris auſteritatem atque tanti regis timorem, rogant pacis clementiam qui eam ſemper impugnabant. Promittunt obſides, & juramenta in dextris extendunt. Auſcultans hæc omnia rex, ſuatim motus clementia concedit cuncta petita. Rex vero ipſorum *Gutthrum* onomate, Chriſtianum ſe velle fore teſtatus eſt: qui ſub manu piiſſimi regis in baptiſmatis purgatione regaliter ſuſceptus eſt. Tinctus eſt idem *Gutthrum* baptiſmate ſalutis cum aliis viris electis xxx. quem rex *Saxonum* in filium adoptionis accepit. Qui poſtquam baptizatus eſt duodenis noctibus cum ipſo manſit in magna gloria, cui ſpiritualis pater multa & inedicibilia largitus eſt dona, ac omnibus qui Chriſtianitatis fidem perceperunt.

879. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxix. nativitatis *Elfredi* regis xxviij. prædictus paganorum exercitus de **Cippanham** ut promiſerat conſurgens **Cirenceſtre** adiit, quæ *Britannico* appellatur elogio *Cairceri*, ibique per unius anni curſum manſit. Ipſo quoque anno immenſus venit paganorum exercitus de ultramarinis climatibus in *Tamenſi* fluvio: qui adunatus eſt ſupradicto cuneo, complices effecti, quod pravorum eſt. Eclypſis inter nonam & veſperam facta eſt eodem anno.

880. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxx. nativitatis autem *Elfredi* regis glorioſi xxix. ſæpe memoratus paganorum exercitus à **Cirenceſtre** egreſſus ad orientales acceſſit *Anglos*; ipſamque regionem dividentes inhabitare cœperunt. Pagani qui in **Fulanhame** hiemaverant, *Britannicam* deſeruerint inſulam, *Franciam*que viſitare cœperunt peſſima agnitione, quo uno anno permanſerunt.

881 ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxxj. nativitatis autem *Elfredi* regis xxx. præfatus exercitus equis aſcenſis in *Francorum* finibus devenit, quod mirabile videri poteſt quod inſibiles hoſtes contra tam fortem bellicoſumque populum auderent inſurgere. At tunc feroces *Franci* invicta fortitudine à caſtellis, & opidis, & civitatibus atque turribus viriliter progredientes, more leonum ſuccenſi ſunt ira, videntes nefarias ſceleratorum poteſtates emergere, gaudio lætitiaque exultare malos, jacere bonos terrore proſtratos, innocuos flere, nocentes exultare. Inito conſilio prudenti audaces *Franci* bellum inire duriſſimum cum paganis. Finito prælio *Franci* cum triumpho reverſi ſunt. Pagani equis acquiſitis hac illac equitabant. His diebus plurima in eadem gente monaſteria concuſſa ſunt ac deſolata. Nam & fratres cœnobii ſanctiſſimi *Benedicti*, ipſius reliquias à tumulo quo locata fuerant immenſa pulchritudine ſecum auferentes, hac illac diſcurrebant.

882. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxxij. nativitatis autem *Elfredi* glorioſi regis xxxj. paganorum exercitus ſuas naves per flumen quod dicitur **Mese** in *Francigena* gentis regionem pertraxit, & ibi hiemavit uno anno. Eodem denique anno, *Elfred* rex *Saxonum* audaciſſimus ducum navali prælio ſuffultus, contra paganicas naves in mari congreſſus eſt. Ex quibus ipſe equilocus duas potenti virtute naves exuperavit, occiſis omnibus qui in eis erant. His exuperatis principum princeps grates reddidit dignas ſoſpitatis auctori. Quid deinde geſtum ſit referre libet. Principes duarum navium poſt hæc cum omnibus ſociis valde vulneravit, qui depoſitis enerviter armis, curvis poplitibus precibuſque ſupplicibus dedere ſe regi magno, quamdiu ſcintillula vitalis caloris eis arrideret.

883. SEquenti anno, hoc eſt, DCCC. lxxxiij. nativitatis vero *Elfredi* famoſiſſimi regis xxxij. ipſe nec nominandus exercitus naves ſuas per flumen quod appellatur **Scald** pertraxit, ibique uno manſit anno. *Gutbred* ex ſervo factus eſt rex, & ſedes epiſcopalis in *Cunkeceſtra* reſtauratur.

884. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxxiiij. nativitatis denique *Elfredi* famoſiſſimi regis xxxiij. indigniſſimus exercitus in duas ſe turmas ſegregavit. Una quidem in orientalem *Franciam* perrexit, altera ad *Britanniam* veniens *Cantiam* adiit quæ **Roſeceſtret** dicitur. Ante hujus portam caſtellum pagani fecerunt, nec tamen civitatem expugnare potuerunt, quia cives illius civitatis ſe viriliter defenderunt, quoadusque defenſor totius regni *Elfred* rex cum magno exercitu ſupervenit. Adveniente ſubito rege, ad naves ſuas *Dani* confeſtim confugiunt concuſſi terrore, relicta ſua arce & equis quos de *Francia* ſecum adduxerant, necnon captivis quos de *Francia* de eadem gente ceperant. Eodem tempore & anno ipſe armipotens rex claſſem ſuam de *Cantia* plenam bellatoribus in orientales direxit *Anglos*. Cumque ad hoſtium **Sture** fluminis adveniret, confeſtim tredecim naves paratæ ad bellum paganorum obviaverunt eis, qui hinc inde acriter pugnantes, pagani omnes occiſi, omneſque naves cum omni pecunia eorum captæ ſunt. Qui autem fugere poterant ex *Danis*, catervatim congregavere undique naves, conſertoque navali prælio cum *Anglis* ubi dormiebant ſompno inerti, occiſi ſunt, inermis multitudo: quibus illud aptatur congruenter quod legitur, *Multi claudunt viſus cum aſpicere deberent.*

Ipſo nempe anno magnus exercitus paganorum de *Germania* in regionem antiquorum *Saxonum* ſupervenit, contra quos adunatis undique bellicis viris, id eſt, *Saxones* atque *Frixones* viriliter atque fortiter pugnavere, in quibus duobus bellis Chriſtiani populi divinæ pietatis clementia concedente victoriam habuere.

Ea tempeſtate ſanctiſſimæ memoriæ præſul *Marinus* univerſitatis viam arripuit tranſmittendo ſpiritum unde prius venerat. Is denique ſcolam *Saxonum* in *Romana* urbe pro amoris affectu benigniſſimi regis *Elfredi* conſtituit ab omni tributo [liberam] qui etiam multa dona ipſi tranſmiſit, inter quæ dedit illi partem ſanctiſſimæ crucis in qua Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* pro univerſali hominum ſalute pependit. Nati ſunt ergo regi filii & filiæ ſatis perſpicui ac decoræ formæ, quorum quarumque nomina hic ſunt deſlorata. *Eadward* & *Ethelward*, *Ethelfled* & *Ethelgifu*, atque *Elfthrid*. *Eadward* vero filius regis, & *Ealfthrid* ſoror ejus, ſemper in curia regis cum magna nutritorum atque nutricum diligentia ſunt nutriti. Nam & pſalmos, & *Saxonicos* libros & carmina ſtudioſe didicere. *Ethelward* itaque junior filius ejus ludis literariæ diſciplinæ ſubditus enicuit cum plurimis militum puerulis, nobilibus ſcilicet & ignobilibus. *Ethelfled* ſoror eorum *Eadredo Merciorum* principi in matrimonio copulata eſt; ſoror quoque ipſorum *Ethelgyſa* monaſticæ vitæ ſerulis ſubjuncta eſt. Hiis temporibus fideliter glorioſeque regimine rexit eccleſiam Chriſti *Plegmundus* archiepiſcopus, qui venerandus vir ſapientiæ fructibus renidebat, præditus bis binis columpnis, juſtitiæ videlicet, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis. *Warfridus* vero regni ſceptra *Wigornenſis* civitatulæ eodem tempore purpurabat devotiſſimo cordis ingenio. Qui imperio regis juſſus atque expetitus librum dialogorum *Gregorii* in *Saxonicam* linguam evertit, aliquando ſenſum ex ſenſu elegantiſſime interpretatus eſt. *Ethelſtanum* quoque & *Werwlfum* ſacerdotes inſignes de *Mercia* ad ſe invitarat, eo quod hi præſtantius atque perfuſius in divinæ legis eruditione pollebant: Hos præcipuo amoris honore dilexit, honoravit; quorum doctrina & eruditione magnificatus eſt rex pacificus ſuper omnes reges terræ.

886. ANno Dominicæ incarnationis DCCC.lxxxvj. nativitatis vero *Elfredi* regis glorioſi xxxv. nec nominandus exercitus *Danorum* iterum in occidentalium *Francorum* regionem venit, qui applicuerunt in flumine quod *Sigene* dicitur. *Pariſium* quoque civitatem adiit ibique hiemavit: tranſitum pontis civibus prohibuit. Sed Deo adminiculum veri auxilii concedente, & civibus viriliter ſe protegentibus munitionem irrumpere non potuit. Eodem tempore rex *Anglorum* poſt incendia urbium ſtrageſque populorum, *Londoniam* permaximam civitatem honorifice reſtauravit & habitabilem fecit, quam *Ethelredo* præcipuo duci *Merciorum* commendavit ſervandam. Omnes vero *Angli* & *Saxones* qui prius ubi ubi erant diſperſi cum paganis aut à captivitate liberati venerunt ſponte ad regis præſentiam, ſponte ſe ſuo Domino inclinantes. Ipſe autem ut erat clementiſſimæ mentis cunctis indulſit patrocinium ſuæ benignitatis.

887. ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxxvij. nativitatis autem *Elfredi*, incliti regis .xxxvj. ſupradictus exercitus *Pariſium* civitatem relinquens venit ad *Sigene*, deinde ad hoſtium fluminis quod *Materre* nominatur, exhinc ad locum qui **Cazenneſt** villa regia pervenerunt: in quo loco hiemaverunt integro anno. Sequente vero ſane anno in hoſtio fluminis quod appellatur *Jona* intraverunt, non ſine magno regionis dampno, & illic morati ſunt uno anno. Ipſo denique tempore *Elfredus* rex *Saxonum* divino inſtinctus munere legere & interpretari ſacros apices potuit. Erat itaque multis tribulationibus hujus mundi afflictus, quamvis in regia foret poteſtate conſtitutus. Nam etiam de *Jeroſolima* à *Bel* patriarcha epiſtolas & dona illi diverſa directa vidimus & legimus. Qualiter dilatavit regni ſui imperia, & renovavit urbium mœnia, atque civitatum munitiones roboravit quæ erant dirutæ, & quæ non erant fecit, quis urbana facundia ſuffultus poſſit labiis exultationis edicere? Sancta quoque loca qualiter ditavit ornamentis & regalibus donis quis enunciet? Perturbatus erat frequenter animo contra principes & pentecomarchos & omne genus perverſorum, quoniam ipſi noluerunt eum ſequi in ſtudiis quibus ipſe deſudabat. Sed tamen ille ſolus divino ſuffultus amminiculo, regni gubernacula velut præcipuus gubernator navim ſuam, hoc eſt, vitam ſuæ glorioſæ mentis ad portum pacifici paradiſi ſtuduit transferre. Solebat frequenti memoria hoc retinere quod canitur,

Quiſquis volet perhennem
Cantus ponere ſedem,
Stabiliſque nec ſonori
Sterni flatibus Euri.
Et infra:
Quam tenet ruinis hujus ſeculi ſtatus,
Miſcens æquora ventus.
Tu conditus quieti,
Felix robore valli,
Duces ſerenus ævum,
Ridens ætheris iras.

Hæc ſpirituali indagine ſecum rex piiſſimæ mentis revolvens, inedicibilibus bonitatum fructuum actibus redolebat. Diebus ſolempnibus feſtis quanta munera ſuis epiſcopis & ducibus atque militibus contulit, quis enarret? Tunc pauperes jubilando exultabant; tunc orphani & viduæ nimio gaudio cordis applaudebant. Noverat illud ſcolaſtici. *Tunc eſt precioſa pecunia cum tranſlata fuerit in alios; largiendi uſu deſinit poſſideri.* Cœpit denique aſſidue non ſolum epiſcopos ætherea claritate nitentes admonere, ut populi delicta corrigerent, & vulgarem ſtultitiam caſtigando acrius cohercerent: & non ſolum paſtores admonuit populorum, verumetiam ducibus & dilectiſſimis miniſtris præcepit, ut ſemet ipſos ad communem totius regni utilitatem ſapientiſſime ſuppeditarent.

Fecerat idem rex monaſterium præpulchrum in loco qui dicitur **Ethelingaige**, [cui] vicina occidentali limite arx munitiſſima præfati regis imperio & operatione confita eſt. In quo cœnobio diverſi generis monachos undique congregavit, & in eodem loco collocavit. Aliud quoque conſtituit monaſterium juxta orientalem portam civitatis quæ **Sceſteſburg** appellatur, ſatis habitationi ſanctimonialium habile, in quo filiam ſuam *Ethelgyſam* devotam Deo virginem abbatiſſam conſtituit. Tanta enim dona & poſſeſſiones ambobus conceſſit monaſteriis, ut ſufficeret eis ad victum & ad veſtitum quamdiu vita comes afforet.

His quæ ſupra retulimus pleniter firmiterque peractis, ſæpe nominatus rex *Elfredus* ſolito ſuo more intra ſuæ mentis thalamum cœpit ſagaci ingenio pertractare, & pertractando ruminare illud quod in divinis ſcriptum eſt literis. Si, inquit, recte offeras, & recte non dividas, peccaſti. Et illud medullitus eſt præmeditatus quod ait *Salomon* ſapientiſſimus regum: *Cor ſane regis in manu Domini eſt omnipotentis.* Cenſum quoque ſuum trifarie diviſit, ita ut iſtic libet prætitulari. Primæ partis ſectionem ſui cenſus, bellatoribus annualiter largitus eſt. Secundam, operatoribus quos ex multis gentibus aggregaverat. Tertiam, advenis undique ad ſe venientibus; ſciens illud corde tenus, *Hilarem datorem diligit Deus.* Erat enimvero in multis & in multifariis tribulationum ſtimulis conſtitutus quamvis in regia eſſet poteſtate ſubtronizatus.

ANno Dominicæ incarnationis DCCC.lxxxviij. 888.
Beocca princeps *Romam* detulit eleemoſynam regis *Elfredi*. Illo itinere obiit *Ethelſwith* ſoror ejuſdem regis, & ſepulta eſt in *Pavia*.

890. ANno DCCC. xc. Beornelmus abbas eleemosynam Regis Elfredi & occidentalium Saxonum Romam pertulit. Eodem anno Guthrum rex Northanhymbrorum obiit. Hunc, sicut superius legitur, Rex Elfredus elevavit de baptismate, & vocavit eum Ethelstan. Quo anno paganorum exercitus à Sigene perrexit Sanlaudan quod est situm inter Britanniam & Galliam. Sed à Britannibus in fugam versi, plures in amne proximo submersi sunt.

891. ANno DCCC. xcj. Heahberd suscepit episcopatum.

892. ANno DCCC. xcij. Eboracensis episcopus Wulfhere obiit anno sui archiepiscopatus xxxix.

893. ANno DCCC. xciij. orientales Saxones & Northanhymbrenses obsides dederunt, & juraverunt Regi Elfredo fidelitatem contra prædictos paganos qui jam in Angliam reversi fuerant.

894. ANno DCCC. xciv. exercitus prædictus qui obsedit Exancestre vastavit omnia circa Cissacestre. Sed non multo post ab his qui erant in civitate in fugam versi sunt, multi occisi & multæ ex navibus eorum captæ. Hoc anno Guthred Rex obiit.

899. ANno DCCC. xcix. Elfredus rex obiit cum regnasset annis xxviij. cui filius Edwardus successit, diligenter à patre admonitus ut præcipue sanctum Cuthbertum honoraret. Eardulfus quoque episcopus in Cuncacestre obiit, quo corpus sancti Cuthberti transtulerat, cum quo per ix. annos ante paganorum exercitum multo cum labore & penuria de loco ad locum fugerat. Huic Cuthbertus in episcopatum successit.

oo. ANno DCCCC. Ethelbald ordinatus est in episcopatum Eboracensis ecclesiæ.

o1. ANNO DCCCC. j. Osbrith regno pulsus est.

o2. ANNO DCCCC. ij. Brehtsig occisus est.

o6. ANno DCCCC. vj. Rex Edwardus necessitate compulsus pacem firmavit cum orientalibus Anglis & Northanhymbrensibus.

1o. ANno DCCCC. x. Angli & Dani pugnaverunt apud Teontanhale. Rex Edwardus Londoniam & Oxnaforda & quæ ad eam pertinent suscepit, quo anno multa piratarum manus circa Sabrinam flumen crudeliter vastando grassata est, sed ibi citius tota pene interiit.

12. ANno DCCCC. xij. Reingwald rex & Oter Comes & Osvul Cracaban irrupérunt & vastaverunt Dunbline.

14. ANno DCCCC. xiv. Niel rex occisus est à fratre Sihtrico.

19. ANno DCCCC. xix. Rex Inguald irrupit Eboracum.

920. ANno DCCCC. xx. Rex Edwardus instruxit Badecanwillan.

923. ANno DCCCC. xxiij. Edwardus rex mortuus est, relinquens imperium filio suo Ethelstano.

925. ANno DCCCC. xxv. Wigredus episcopus consecratur ad episcopatum sancti Cuthberti.

927. ANno DCCCC. xxvij. Ethelstanus rex de regno Britonum Gudfridum regem fugavit.

933. ANno DCCCC. xxxiij. Rex Ethelstanus jussit Edwinum fratrem suum submergi in mare.

934. ANno DCCCC. xxxiv. Rex Ethelstanus cum multo exercitu Scotiam tendens, ad sepulcrum sancti Cuthberti venit, illius patrocinio se suumque iter commendavit, multa ac diversa dona quæ regem decerent ei optulit & terras, æterno igni contradens cruciandos quicunque ei aliquid ex his subtraxerint. Deinde hostes subegit, Scotiam usque Dunfoeder & Wertermorum terrestri exercitu vastavit, navali vero usque Catenes depopulatus est.

937. ANno DCCCC. xxxvij. Ethelstanus rex, apud Wendune pugnavit, regemque Onlafum cum DC. & xv. navibus, Constantinum quoque regem Scottorum, & regem Cumbrorum, cum omni eorum multitudine in fugam vertit.

939. ANno DCCCC. xxxix. Ethelstanus rex obiit, cui frater suus Edmundus in regnum successit, quo anno rex Onlaf primo venit Eboracum, deinde ad austrum tendens, Hamtunam obsedit. Sed nichil ibi proficiens, vertit exercitum ad Tameweorde, & vastatis omnibus per circuitum, dum rediens ad Legracestre perveniret, occurrit ei rex Edmundus cum exercitu. Nec erat pugna difficilis, quoniam duo archiepiscopi Odo & Wlstan placatis alterutrum regibus pugnam sedaverunt. Pace itaque facta, terminus utriusque regni erat Wætlingastrete, Edmundus ad australem partem, Onlaf ad aquilonalem regnum tenuerunt.

941. ANno DCCCC. xlj. Olilaf vastata ecclesia sancti Balteri & incensa Tiningaham, mox periit. Unde Eboracenses Lindisfarnensem insulam depopulati sunt, & multos occiderunt. Filius vero Sihtrici nomine Onlaf regnavit super Northanhymbros.

943. ANno DCCCC. xliij. Northumbri regem suum Onlaf de regno expulerunt.

945. ANno DCCCC. xlv. Edmundus rex expulsis duobus regibus regnum optinuit Northanhymbrorum.

948. ANno DCCCC. xlviij. Edmundus rex occisus est & frater ejus Edredus regnum suscepit, cultor justitiæ & pietatis. Moxque Northumbriam circuiens totam possedit, sed post juratam ei fidelitatem Northymbrenses quendam Danum, Yricum præfecerunt regem.

An. Dñi

950. ANno DCCCC. l. *Eadredus* Rex vaſtata *Northymbria* cum jam rediret, *Northymbrenſes* erumpentes extremos exercitus regis peremerunt. Statuit rex reducto exercitu provinciam penitus delere, ſed indigenæ abjecto quem conſtituerant rege, *Eadredum* citius muneribus placarunt.

951. ANno DCCCC. lj. *Ouvel* rex *Brittonum* obiit.

952. ANno DCCCC. lij. defecerunt hic reges *Northanhymbrorum*; & deinceps ipſa provincia adminiſtrata eſt per Comites.

953. ANno DCCCC. liij. Comes *Oſulf* ſuſcepit comitatum *Northanhymbrorum*.

955. ANno DCCCC. lv. *Eadredo* rege defuncto ſucceſſit *Edwinus* filius *Edmundi* qui ante eum regnavit.

956. ANno DCCCC. lvj. Beatus *Dunſtanus* abbas ab *Edwino* expellitur.

957. ANno DCCCC. lvij. Mortuo *Edwino* frater ejus *Eadgarus* ſucceſſit in regnum, qui magnæ devotionis extitit erga Dei cultum, ideoque in pace & honore ſervientibus ſibi octo regibus regnum tenuit xvij. annis. Poſt quem filius ejus *Edwardus* regnavit, qui dolo novercæ ſuæ interfectus *Seeſtoniæ* requieſcit. Cui ſucceſſit frater ſuus *Ethelredus* pater *Edwardi* regis quem ſuſceperat ex *Emma*.

Sequitur recapitulatio ſuperiorum de rege *Elfredo*. Deinde ſucceſſio regum per ordinem qui & qualiter ad regnum pervenerunt *Anglorum*, de hiſtoria *Willielmi Malmesbiriæ*.

NON indecens opinor ſi quiddam quod regi *Eadgaro* divinitus oſtenſum eſt, ſtilo commendem. Venerat in ſaltum venationis feracem, utque fit plerumque, ſociis ad inſequendas feras per devia diſperſis, ſolus remanſerat. Itaque continuatione curſus ad egreſſum nemoris perveniens, conſtitit, ſodales operiens. Nec mora, gravante nutantia lumina ſompno pedes efficitur, ut tranſacti laborem diei temperaret modicæ quietis voluptas. Jacebat ergo ſub mala ſilvatica ſtratus, ubi penduli per circuitum rami foliatam effecerant cameram. Laſſitudine itaque ſuadente, rivus ſubter ſcatebris loquacibus fluens ſoporem invitabat, cum canis femina, cui cura ferarum veſtigia inſequi, pregnans & juxta pedes accubans, dormitantem exterruit. Namque matre tacente catuli alvo incluſi latratus multiformes & ſonoros reddidere, quodam nimirum ſui carceris gaudio incitati. Hoc monſtro attonitus, dum ad cacumen arboris oculos intendit, videt poma unum & alterum delapſa in fluvium. Quorum colliſione bullis aquatilibus inter ſe criſpantibus, vox articulata inſonuit **Wel bis the**, id eſt, bene eſt tibi. Nec multo poſt, undarum voluminibus agentibus, urceolus ſuper aqua apparuit, & poſt urceolum urceus exundans aqua. Nam alter vacuus. Et quamvis crebro gurgitis impulſu major minorem urgeret, ut ſcilicet aquas ſuas in illum infunderet, nunquam tamen optinere potuit quin urceolus vacuus recederet, lentuſque quaſi ſuperbo geſtu victor victum impeteret. Domum itaque regreſſus, ut dicit pſalmiſta, exercitabatur & ſcopebat ſpiritum ſuum. Sed convenit eum mater ut ſerenaret frontem & animum, ſibi ſtudio futurum ut à parte Domini qui noſſet ænigmata inſpiratione ſua patefaceret. Quo ammonitu, retulit illi mœſtitiam, & ſolvit in otia curas, conſcius maternæ ſanctitatis cui ſolebat Deus multa revelare. Erat ea vocabulo *Elfgifa* bonis operibus intenta, pietate & dulcedine prædita, ut etiam reos quos triſtis ſententia judicum publicum dampnaverat ipſa occulte redimeret. Precioſus amictus qui pleriſque mulieribus eſt leno ſolvendi pudoris, illi erat ſuppellex munificentiæ, ut quamlibet operoſam veſtem conſpecto ſtatim largiretur pauperi. Speciem corporis & artificium manuum in ea quoque livor laudaret, cum nichil reprehendere poſſet. Hæc igitur intimis medullis vaticinium combibens poſtero mane filio dixit. Latratus catulorum quem matre quieſcente dedere, ſignificat, quod poſt obitum tuum quieſcentibus illis qui modo valent & vivunt, nondum nati nebulones contra Dei latrabunt eccleſiam. Sane quod unum pomum ſecutum eſt alterum, ita ut ex colliſione ſecundi in prius videretur vox ſonuiſſe **Wel bis the**, hoc innuit, quod ex te qui modo arbor es totam inumbrans *Angliam*, duo procedent filii, fautores ſecundi extinguent primum. Tunc diverſæ partiũ indeſinentes dicent pueris utriſque **Wel bis the**, quia mortuus regnabit in cœlo, vivus in ſeculo. Jam vero quod urceus major minorem implere non poterat, hoc deſignat, quod gentes aquilonales quæ numeroſiores ſunt quam *Angli*, *Angliam* poſt mortem tuam impetent. Et quamvis crebro compatriotarum adventu ruinas ſuas ſuppleant, nunquam hunc angulum mundi poterunt implere, quin potius *Angli* noſtri cum maxime victi videbuntur, eas expellent, eritque ſub ſuo & Dei arbitrio uſque ad præfinitum tempus à Chriſto. Hujus vaticinii veritatem lectio poſterior patefaciet. Conſiderari ergo debet parentis & prolis indubitata ſanctitas, quod alter viderit ænigma vigilans ſine obſtaculo, & altera ſolverit problema de longe porrecto prophetiæ oculo.

Viderat quondam ſompnii revelatione ſeculi illius felicitatem *Brihtwoldus Wiltunenſis* epiſcopus, viderat & annunciaverat. Nam dum tempore Regis *Cnutonis* cœleſtibus apud *Gleſtoniam* lucubraret excubiis, ſubiiſſetque illum cogitatio, quæ frequenter angebat, de regia ſtirpe *Anglorum* pene deleta, hæc meditanti ſopor irrepſit. Et ecce in ſuperna raptus videt apoſtolorum principem *Petrum*, ipſum *Edwardum* qui tunc in *Northmannia* exulabat, in regem conſecrare, celibe deſignata vita, & certo xxiv. annorum numero regni computato. Eidemque conquerenti de poſteritate reſpondere, Regnum *Anglorum* eſt Dei, poſt te providit regem ad placitum ſui.

Tempore hujus ultimi *Edwardi* Regis *Angliæ* in confinio *Britanniæ* & *Normanniæ* portentum viſum eſt in una vel potius duabus mulieribus. Duo erant capita, quatuor brachia, & cætera gemina omnia uſque ad umbilicum. Inferius duo crura, duo pedes, & cætera omnia ſingula. Ridebat, comedebat, loquebatur una, flebat, eſuriebat, tacebat altera. Ore gemino manducabatur, ſed uno meatu digerebatur. Poſtremo una defuncta ſupervixit altera, portavit pene triennio viva mortuam, donec & mole ponderis & nidore cadaveris ipſa quoque defecit. Putatum eſt à quibuſdam & literis etiam traditum, quod hæ mulieres *Angliam* & *Normanniam* ſignificaverunt. Quæ licet ſpaciis terrarum ſint diviſæ, ſunt tamen ſub uno dominio unitæ. Hæ quicquid pecuniarum avidis faucibus inſorbuerint, in unam lacunam deſluit, quæ ſit vel principum avaritia, vel circumpoſitarum gentium ferocia. Mortuam & pene exhauſtam *Normanniam* ingentibus pecuniis ſuſtentat *Anglia*, donec & ipſa fortaſſis ſuccumbat exactorum violentia: felix ſi unquam in libertate reſpirare poterit, cujus inanem jamdudum perſequitur umbram, nunc gemit calamitatibus afflicta, penſionibus addicta.

Hanc prophetiam idem rex *Edwardus* moriens exhibuit, quam hic per anticipationem dicam. Cum enim biduo elinguis jacuiſſet, die tertio poſt ſoporem gravit? & profunde ſuſpirans; Deus, inquit, omnipotens, ſi non eſt fantaſtica illuſio ſed verax viſio quam vidi, da mihi facultatem eam aſtantibus exponendi; aut è converſo. Ita mox expedita loquela; Duos, inquit, modo monachos vidi mihi aſſiſtere, quos adoleſcens olim in *Normannia* videram religioſiſſime vixiſſe & Chriſtianiſſime obiiſſe. Hi ſe Dei nuntios præfati, talia ingeſſere. *Quoniam primores* Angliæ, *duces, epiſcopi & abbates non ſunt miniſtri Dei ſed diaboli, tradidit Deus hoc regnum poſt obitum tuum anno uno & die uno in manu inimici, pervagabunturque dæmones totam hanc terram.* Cumque ego hæc me oſtenſurum populo dicerem, illumque pœnitentia facta liberandum præmiſſo exemplo *Ninivitarum* promitterem. *Neutrum*, aiunt, *erit, quia nec ipſi pœnitebunt, nec Deus eis miſerebitur.* Et quando, inquam, tantarum calamitatum remiſſio ſperari poterit? *Tunc*, inquiunt, *quaſi ſi arbor viridis ſuccidatur in medio, & pars abſciſa deportetur à ſtipite trium jugerum ſpatio, cum ſine qualibet amminiculo ſuo iterum connexa trunco cœperit & floribus pubeſcere & fructus protrudere ex coaleſcentis ſucci humore priſtino, tunc demum poterit ſperari talium malorum remiſſio.*

Hujus vaticinii veritatem quamvis cæteris timentibus tunc *Stigandi* archiepiſcopi riſus excepiſſet dicentis, *Vetulum accedente morbo nugas delirare.* Hujus ergo vaticinii veritatem nos experimur. Quod ſcilicet *Anglia* exterorum facta eſt habitatio & alienigenarum dominatio. Nullus hodie *Anglus* vel dux, vel pontifex, vel abbas. Advenæ quique divitias & viſcera corrodunt *Angliæ*, nec ulla ſpes eſt finiendæ miſeriæ.

848. ANno ab incarnatione Domini DCCC. xlviij. *Angulſaxonum* rex *Elfredus* in illa plaga quæ nominatur **Berrocſcire** naſcitur, cui genealogia tali ſerie contexitur. *Elfredus* rex erat regis occidentalium *Saxonum* filius *Athelvulfi*. Qui fuit *Ecgberti*. Qui fuit *Ealhmundi*. Qui fuit *Eafa*. Qui fuit *Eoppa*. Qui fuit *Ingles*, *Ingles* & *Ine* ille famoſus occidentalium rex *Saxonum*, germani duo fuerunt. Qui *Ine Romam* perrexit, & ibi vitam præſentem finiens, cœleſtem patriam cum *Chriſto* regnaturus adiit, ſicut *Beda* in geſtis *Anglorum* narrat. Qui fuerunt filii *Coenred*. Qui fuit *Ceolwald*. Qui fuit *Cutha*. Qui fuit *Cuthwine*. Qui fuit *Ceaulin*. Qui fuit *Cinric*. Qui fuit *Creoda*. Qui fuit *Cerdic*. Qui fuit *Eleſa*. Qui fuit *Eſla*. Qui fuit *Gewis*, à quo *Britones* totam illam gentem *Gewis* nominant. Qui fuit *Wig*. Qui fuit *Freawine*. Qui fuit *Freothegar*. Qui fuit *Brand*. Qui fuit *Bealdeag*. Qui fuit *Woden*. Qui fuit *Frithewald*. Qui fuit *Frealaf*. Qui fuit *Frithevulf*. Qui fuit *Fingoldvulf*. Qui fuit *Geta*. Quem *Getam* jamdudum pagani pro Deo venerabantur. Cujus *Sedulius* poeta inſignis mentionem faciens in paſcali carmine ita exorſus eſt,

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poëtæ,
Grandiſonis pompare modis tragicoque boatu,
Ridiculove Getæ, *ſeu qualibet arte canendi*, &c.

Qui *Geta* fuit *Ceatuna*. Qui fuit *Beau*. Qui fuit *Sceldwa*. Qui fuit *Heremod*. Qui fuit *Itermod*. Qui fuit *Hatra*. Qui fuit *Wala*. Qui fuit *Beaduing*. Qui fuit *Sem*. Qui fuit *Noe*. Qui fuit *Lamech*. Qui fuit *Matuſſalam*. Qui fuit *Enoch*. Qui fuit *Malaleel*. Qui fuit *Cainan*. Qui fuit *Enos*. Qui fuit *Seth*. Qui fuit *Adam*. Mater quoque *Elfredi Osburh* nominabatur, religioſa nimis fœmina, nobilis, ingenio nobilis & genere, quæ erat filia *Oſlac* famoſi pincernæ regis *Athelvulfi*. Qui *Oſlac Gothus* erat natione, ortus enim erat de *Gothis* & *Jutis* de ſemine ſcilicet *Stuf* & *Withgar* duorum fratrum & etiam comitum, qui accepta poteſtate *Vectæ* inſulæ ab avunculo ſuo *Cerdic* rege & *Cinric* filio ſuo conſobrino eorum, paucos *Britones* ejuſdem inſulæ accolas quos in ea invenire potuerunt in loco qui dicitur **Withgaraburh** occiderunt. Cæteri enim accolæ ejuſdem inſulæ aut occiſi erant, aut exules, aut fugerant.

ANno DCCC. lj. *Karl Domnania* Comes contra paganos pugnavit in loco qui dicitur **Wincanbeorh**, & Chriſtiani victoriam habuerunt. *Dani* quoque hiemaverunt in inſula quæ vocatur **Scepige**, id eſt, inſula *Ovium*. Eodem anno magnus exercitus paganorum venit cum treſcentis quinquaginta navibus in hoſtium *Tamenſis* fluminis; qui *Doroberniam*, id eſt, *Cantuariorum* civitatem depopulati ſunt, & *Berthulfum Merciorum* regem cum omni exercitu ſuo qui ad præliandum contra illos venerat in fugam verterunt. Poſt hæc audaciores *Dani* effecti, exercitus omnis ipſorum ad **Suthrige** eſt congregatus. Quod audiens bellipotens *Athelvulfus* rex *Saxonum* congregavit & ipſe exercitum copioſum; & filius ejus *Ethelbaldus* cum eo, in loco qui dicitur **Aclea**, id eſt, in *campo quercus*. Cumque decus *Angligenæ* gentis armis ſplendeſceret reſultantibus, diutiſſime pugnaverunt *Angli* cum *Danis*, fortiter repugnantes, quia viderunt fortiter regem ſuum bellare, ideo fortiores hoſtibus facti ſunt in bello. Cumque diutiſſime viriliter decertarent, & acerrime animoſeque ex utraque parte pugnatum eſſet, maxima pars paganæ multitudinis funditus deleta atque occiſa eſt, ita ut nunquam in aliqua regione in una die, nec ante, nec poſt tanti occubuerunt in morte. *Chriſtiani* vero ipſo die victoriam honorifice tenuerunt, & loco funeris dominati ſunt; grates reddentes Domino in hymnis & confeſſionibus. 851.

ANno DCCC. lij. rex *Merciorum Berthulfus* vita deceſſit, cui in regnum *Burhredus* ſucceſſit. Ipſo anno *Ethelſtanus* rex, & *Alchere* Comes 852.

An. Dñi

magnum paganorum exercitum invenerunt in *Cantia* in loco qui dicitur **Sandwic**, quem ibidem Deo auxilium concedente prope totum occiderunt, & ex navibus eorum novem rapuerunt, cæteri per fugam terrore perculſi fugerunt.

853. ANno DCCC. liij. nativitatis *Elfredi* 5. *Burhredus* rex *Merciorum* per nuncios deprecatus eſt *Athelvulfum* occidentalium *Saxonum* regem ut ei auxilium conferret, quo mediterraneos *Britones*, qui inter *Merciam* & mare occidentale habitant, dominio ſuo ſubdere potuiſſet, qui contra eum immodice reluctabantur. Nec ſegnius *Athelvulfus* rex legatione ejus accepta exercitum movens *Britanniam* cum *Burhredo* rege adiit, ſtatimque ut ingreditur gentem illam devaſtans dominio *Burhredi* ſubdit. Quo facto, domum redit. Eodem anno *Athelvulfus* rex præfatum filium ſuum *Elfredum* cum eſſet annorum quinque, magno nobilium & etiam ignobilium numero conſtipatum honorifice *Romam* tranſmiſit. Quem ſanctus *Leo* papa ſui patris rogatu ordinans unxit in regem, & in filium adoptionis ſibimet accipiens, confirmavit, & ad patrem cum benedictione remiſit.

854. ANno DCCC. liiij. nativitatis regis *Elfredi* vj. *Wlfere*, regnante rege *Osberto* ſuper *Northimbros*, ſuſcepto pallio confirmatus eſt in archiepiſcopatum *Eboracenſem*, & *Eardulf* ſuſcepit epiſcopatum *Lindisfarnenſem*. Quo pertinebant *Lugubalia*, id eſt, **Luel**, nunc dicitur **Carleol**, & **Norham** quæ antiquitus **Ubbanford** dicebatur. Omnes quoque eccleſiæ ab aqua quæ vocatur *Tweda* uſque *Tinam* auſtralem, & ultra deſertum ad occidentem pertinebant illo tempore ad præfatam eccleſiam, & hæ manſiones **Carnham** & **Culterham**, & duæ **Geddewrd** ad auſtralem plagam *Teineta* quas *Ecgredus* epiſcopus condidit: & **Mailros**, & **Tigbrethingham**, & **Eoriercorn** ad occidentalem partem, **Edwineſburch**, & **Pefferham**, & **Aldham**, & **Tinningaham**, & **Coldingaham**, & **Tillemuthe**, & **Norham** ſupradictam. **Wercheworde** quoque ipſius eccleſiæ poſſeſſio erat, donante rege *Ceolwlfo* cum omnibus appendentiis ſuis. Hanc enim manſionem ipſe rex abrenuntians mundo, ſecum eccleſiæ *Lindisfarnenſi* contulit, in qua monachus effectus cœleſti regno militavit. Cujus corpus poſtea delatum in eccleſiam ſupradictæ villæ **Norham** multis ibidem, ut fertur ab habitatoribus ipſius loci, claruit miraculis. Hoc rege jam monacho facto efficiente, data eſt *Lindisfarnenſis* eccleſiæ monachis licentia bibendi vinum vel cerviſiam: ante illud tempus non niſi lac vel aquam bibere ſolebant, ſecundum antiquam traditionem ſancti *Aidani* primi ejuſdem eccleſiæ antiſtitis & monachi, qui cum illo de *Scotia* venientes, ibidem donante rege *Oſwaldo* manſionem acceperant, & cum magna diſtrictione futuræ vitæ ſervientes degere gaudebant. Præterea memoratus *Ecgredus* epiſcopus ædificans eccleſiam in loco qui dicitur **Geineforde**, donavit eam ſancto *Cuthberto*. Condidit etiam **Billingeham** in **Heorternyſſe**, & duas alias villas, **Ileclife** & **Wiggeclife** ad auſtralem plagam fluminis *Taiſæ*, quas ſancto *Cuthberto* ad victum ſibi ſervientium dedit: ſimiliter & **Wudacestre**, & **Hwitingeham** & **Eadwulfingaham**, **Ecgwulfingeham**, donante rege *Ceolwlfo* antiquitus S. *Cuthberti* fuerunt. Quo anno *Ealchere* Comes cum *Cantuariis* & *VVada* dux cum *Suthriis* in inſula **Tenet** acriter bellum gerunt contra paganos. Et primo quidem congreſſu Chriſtiani victores extiterunt; ſed prolongato diu prælio, plurimis ex utraque parte pereuntibus gladio, nonnullis etiam in mari ſuffocatis, tandem utrique duces occubuerunt. Hoc anno *Athelwulfus* occidentalium *Saxonum* rex tradidit nuptum filiam ſuam *Merciorum* regi *Burhredo* in villa regia quæ vocatur **Cippanhamme**, cum affluentia rerum omnium.

855. ANno DCCC. lv. magnus paganorum exercitus tota hieme in inſula **Sceapige**, id eſt, inſula ovium, hiemaverunt. Eodem anno *Athelwulfus* rex decimam totius regni ſui partem ab omni regali ſervitio & tributo liberavit, & in ſempiterno graphio in cruce Chriſti pro animæ ſuæ redemptione & anteceſſorum ſuorum uni & trino deo immolavit. Sicque magno cum honore *Romam* perrexit, filiumque ſuum *Elfredum*, quem plus cæteris dilexit, quem ut antea *Romam* miſerat, etiam tunc ſecum illo deducens, anno ibidem integro commoratus eſt. Quo peracto, ad patriam ſuam remeavit, afferens ſecum *Juditham Karoli Francorum* regis filiam. Vixit ergo *Athelwulfus* rex duobus annis poſtquam *Romam* rediit. Qui inter cætera bona quæ geſſit opera, omni anno treſcentas mancuſas denariorum *Romam* portare præcepit. Centum in honore ſancti *Petri* ad emendum oleum quo implerentur omnia luminaria illius eccleſiæ in veſpera Paſcæ, & ſimiliter in gallicantu. Centum etiam in honore ſancti *Pauli* Apoſtoli eadem de cauſa. Centum quoque mancuſas univerſali Papæ Apoſtolico.

Defuncto autem iſto & apud *Wintoniam* ſepulto *Ethelbaldus* filius ejus duobus ac dimidio annis occidentalium *Saxonum* poſt patrem regni gubernacula rexit, qui contra *Jeſu Chriſti* interdictum & *Chriſtianorum* traditionem ac contra omnium paganorum conſuetudinem, thorum patris ſui aſcendens *Juditham Karoli Francorum* regis filiam cum magna infamia in matrimonium duxit. Sanctiſſimus Deoque acceptus eadem tempeſtate *Edmundus* ex antiquorum *Saxonum* proſapia oriundus, fidei Chriſtianæ cultor veraciſſimus, *Eaſtangle* provinciæ nactus eſt culmen regiminis.

860. ANno DCCC. lx. rex *Ethelbaldus* defunctus & in *Sciréburna* ſepultus, & *Ethelbertus* frater ſuus *Cantiam* & *Suthregiam*, *Suthſexiam* quoque ſuo dominio, ut juſtum erat, ſubjunxit. In cujus diebus magnus paganorum exercitus de mari adveniens, *Wintoniam* civitatem hoſtiliter invadens, depopulatus eſt. Cui cum ad naves cum ingenti præda reverterentur *Oſric Hamtunenſium* Comes cum ſuis, & *Ethelvulfus* Comes cum *Bearrocenſibus*, viriliter obviaverunt, conſertoque prælio pagani paſſim trucidantur, & cum diutius reſiſtere non poſſent, muliebrem fugam arripiunt, & Chriſtiani loco funeris dominati ſunt.

Ethelberht itaque quinque annis regno pacifice & amabiliter atque honorabiliter gubernato, cum magno ſuorum dolore viam univerſitatis adiit, & in *Scireburnam* juxta fratrem ſuum honorifice ſepultus requieſcit.

Anno

An. Dñi 863. ANno DCCC. lxiij. ſanctus *Swithunus* epiſcopus *Wintonienſis* hoc anno tranſivit ad Dominum.

864. ANno DCCC. lxiiij. pagani hiemaverunt in inſula **Thanet**, firmumque fœdus cum *Cantuariis* pepigerunt, quibus *Cantuarii* pecuniam pro fœdere ſervando reddere promiſerunt. Interea tamen vulpino more pagani noctu clam caſtris erumpentes, fœdere dirupto & promiſſionem pecuniæ ſpernentes, ſciebant enim majorem pecuniam ſe furtiva præda quam pace adepturos, totam orientalem *Cantiæ* plagam depopulati ſunt.

866. ANno DCCC. lxvj. *Ethered* regis *Ethelberti* frater occidentalium *Saxonum* regni gubernacula ſuſcepit. Eodem anno magna paganorum claſſis, ducibus rege *Haldano, Inguar* & *Hubba*, de *Danubia Brittaniam* advenit, & in regno orientalium *Anglorum* quod *Saxonice* **Eaſtangle** dicitur, hiemavit, ibique ille exercitus maxima ex parte equeſter factus eſt, equitantes & diſcurrentes hac illac, prædam diripientes enormem, non parcentes viris vel fœminis, viduis nec virginibus. His diebus *Elfredus*, id eſt, clito *Atheling*, jugi meditatione cœpit divinis imbui doctrinis; qui miro patris matriſque amore ſupra omnes fratres ſuos ab ipſis diligebatur cunabulis. Creſcente denique illo corpore in puerili ætate, forma cæteris fratribus ſuis decentior videbatur, vultuque inſignis renitebat, & verbis refulſit egregiis. Cervino quoque deſiderio æſtuabat ſui cordis penetralia ſuffundi, & thalamum pectoris ſacris literis imbui: ſed proh dolor! parentum ac nutritorum incuria illiteratus permanſit uſque ad duodecimum ſuæ ætatis annum. *Saxonica* quoque poemata glorioſus adoleſcens & futurus rex die noctuque diſcere ſtuduit, eratque docilis, in arte venatoria induſtris, in omni peritia incomparabilis. Cum ergo quadam die ejus digniſſima genitrix ſibi & fratribus ſuis quendam *Saxonicum* poematicæ artis librum oſtenderet, ait eis, *Quiſquis chariſſimi filii veſtrum iſtum potuerit codicem citius diſcere, dabo ei ipſum.* At ille, divina inſpiratione inſtinctus & pulchritudine principalis literæ exhilaratus, ita matri reſpondit, *Verene*, ſic ait matri ſuæ, *dabis?* Ad hæc illa arridens & gaudens atque affirmans, *Dabo*, inquit, *dabo*. Mox autem tulit librum de manu ſuæ genitricis, magiſtrum adiit, libellum oſtendit, & legit, præceptore oſtendente. Poſt ſpatium non longi temporis venit ante præſentiam dilectæ matris, librumque memoriter recitavit. Ipſa vero grates immenſas reddit gratiæ Salvatoris, agnoſcens gratiam Dei eſſe in mente juvenis. Poſt hæc inflammatus divini amoris deſiderio, pſalmos perplurimos, curſumque diurnum, id eſt, celebrationes horarum, didicit ipſe devotus, quos in uno volumine congregatos, diu noctuque in ſinu ſuo inſeparabiliter portabat. O felix hominum genus! O rex prudens! geſtas geſtantem, ſapientiæ claves vehis, ſapientiam diligis, ſapiens eris, faciens judicium & juſtitiam in terris. O clerici attendite & videte regem in ſinu librum deferre die noctuque; vos vero nec legem Dei ſcitis, nec ſcire vultis. Præcipueque idem rex factus lugebat filium ſuum, id eſt, animum, quod liberalibus non fuerit artibus inſtructus.

An. Dñi 867. ANno DCCC. lxvij. prædictus paganorum exercitus de orientalibus *Anglis* ad *Eboracum* civitatem migravit, quæ in aquilonali ripa *Humbræ* fluminis ſita eſt, omniaque vaſtaverunt uſque *Tinemutham*. Eo tempore maxima inter *Northumbros* diſcordia diabolico inſtinctu orta fuerat, ſicut ſemper populo qui odium incurrerit evenire ſolet. Nam *Northumbri* eo tempore legitimum regem ſuum *Osbryth* nomine, regno expulerant, & tyrannum quendam *Ella* nomine non de regali proſapia progenitum, ſuper regni apicem conſtituerant. Sed advenientibus paganis, conſilio divino & optimatum amminiculo pro communi utilitate diſcordia illa aliquantulum ſedata eſt. *Osbryth* & *Ella* adunatis viribus congregatoque exercitu *Eboracum* opidum adeunt. Quibus advenientibus, pagani confeſtim fugam arripiunt, & intra urbis mœnia ſe defendere procurant. Quorum fugam & pavorem *Chriſtiani* cernentes, etiam intra urbis mœnia eos perſequi, & murum frangere inſtituunt. Quod & fecerunt. Non enim tunc adhuc illa civitas firmos & ſtabilitos muros illis temporibus habebat. Cumque *Chriſtiani* murum, ut propoſuerant, fregiſſent, eorumque magna pars in civitatem ſimul cum paganis intraſſent, pagani dolore & neceſſitate compulſi ſuper eos atrociter irrumpunt, cedunt, fugant, proſternunt intus & extra. Hoc factum eſt xij. Kal. Aprilis, feria vj. ante Dominicam palmarum. Illic maxima ex parte omnes *Northumbrenſium* cæſi occiſis duobus regibus deleti occubuerunt: reliqui vero qui evaſerunt pacem cum paganis pepigerunt. Quibus peractis, prædicti pagani ſub ſuo dominio regem *Egbertum* præfecerunt. *Egbertus* vero regnavit poſt hæc ſuper *Northumbros* ultra **Tine** vj. annis. Eodem anno *Ealhſtan* epiſcopus *Scireburnenſis* eccleſiæ eſt defunctus, & in *Scireburna* ſepultus.

868. ANno DCCC. lxviij. Cometis viſa eſt manifeſtiſſime hoc anno. Venerabilis rex *Elfredus* ſecundarii tamen tunc ordine fretus, uxorem de *Mercia*, nobilem ſcilicet genere, filiam *Athelredi Gamorum* Comitis qui cognominabatur *Mucil* ſubarravit & duxit. Cujus fœminæ mater *Eadburg* nominabatur, de regali genere *Merciorum* regum; venerabilis ſcilicet fœmina & per multos annos poſt obitum viri ſui caſtiſſima vidua leto tenus permanſit. Eodem anno prædictus paganorum exercitus *Northumbros* relinquens, in *Merciam* venit, & **Snotingaham** adiit, quod *Britannice* **Tigguocabauc** interpretatur, Latine autem *Speluncarum domus*, & in illo loco eodem anno hiemaverunt. Quibus illic advenientibus, confeſtim *Buthred Merciorum* rex, omneſque gentis ejuſdem optimates, nuntios ad *Etheredum* occidentalium *Saxonum* regem, & ad fratrem ejus *Elfredum* dirigunt, ſuppliciter obſecrantes, ut ſibi auxiliarentur, quo poſſent contra præfatum pugnare exercitum. Quod & facile impetraverunt. Nam illi fratres non ſegnius promiſſione congregato ex omni parte ſui immenſo exercitu, *Merciam* adeunt, & uſque ad **Snotingaham** bellum unanimiter quærentes perveniunt. Cumque pagani tuitione arcis muniti, bellum dare negarent, & *Chriſtianis* frangere murum non ſuppetebat, pace inter *Mercios* & paganos facta, duo illi fratres *Etheredus* rex & *Elfredus*, cum ſuis cohortibus domum reverſi ſunt.

An.Dñi 869. ANno DCCC. lxix. præfatus paganorum exercitus iterum ad *Northanhumbros* equitans, adiit civitatem *Eboracam*, ibique anno integro manſit.

870. ANno DCCC. lxx. ſupra memoratus paganorum exercitus per *Merciam* in orientales *Anglos* tranſivit, & in loco ibi qui dicitur **Theodford** hiemavit. Eodem anno ſanctiſſimus orientalium *Anglorum* rex *Eadmundus*, ut in ſua legitur paſſione, ab *Inguaro* rege paganiſſimo Indictione ij. xij. Kal. Decembris die dominico martyrizatus eſt. Cum quo & *Humbertus* epiſcopus occiditur. Quo etiam anno *Ceolnothus Doruburnenſis* archiepiſcopus defunctus eſt, cui ſucceſſit *Etheredus*.

871. ANno DCCC. lxxj. exoſæ memoriæ paganorum exercitus orientales *Anglos* deſerens, regnumque occidentalium *Saxonum* adiens, venit ad villam regiam quæ dicitur **Readingum** in meridiana *Tameſis* fluminis ripa ſita, in illa paga quæ dicitur *Bearrocſcira*. Tertioque adventus ſui die, duo Comites eorum cum magna illius parte in prædam equitaverunt, aliis vallum inter duo flumina *Tameſem* & *Cynetam* à dextra parte ejuſdem villæ regiæ facientibus. Quibus *Athelvulf Bearrocenſis* pagæ comes cum ſuis in loco qui *Anglice* **Englafeld**, Latine *Anglorum campus* dicitur, obviavit. Ubi animoſe pugnatum eſt ex utraque parte. Cumque ibi diu utrique reſiſterent, altero paganorum Comite occiſo, & maxima exercitus parte deleta, cæteriſque fuga elapſis, *Chriſtiani* victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. His ita ibi geſtis, poſt quatuor dies *Ethered* rex & *Alfred* frater ejus adunatis viribus congregatoque exercitu, **Readingum** adierunt. Cumque uſque ad portam arcis perveniſſent, cædendo & proſternendo quoſcumque de paganis extra arcem inveniſſent, pagani non ſegnius certabant lupino more: totis portis erumpentes, totis viribus bellum perquirunt, ibique diu & atrociter ex utraque parte dimicatum eſt. Sed proh dolor! *Chriſtianis* demum terga vertentibus, pagani victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. Ibique *Ethelvulfus* præfatus Comes inter cæteros occubuit. Quo dolore & verecundia *Chriſtiani* commoti, iterum poſt quatuor dies contra præfatum exercitum in loco qui dicitur **Eſcendun**, quod Latine *mons fraxini* interpretatur, totis viribus & plena voluntate ad prælium prodeunt. Sed pagani in duas ſe turmas dividentes, æquali teſtudine bellum parant. Habebant enim tunc duos reges multoſque Comites, concedentes mediam partem exercitus duobus regibus, & alteram omnibus Comitibus. Quod *Chriſtiani* cernentes, etiam ipſi exercitum in duas turmas dividentes, teſtudines non ſegnius conſtruunt, ſed *Elfred* citius & promptius cum ſuis ad locum prælii venit. Nimirum erat enim tunc ſuus frater *Ethered* rex in tentorio in oratione poſitus, audiens miſſam, nimiumque affirmans ſe inde non diſceſſurum, antequam ſacerdos miſſam finiret, & divinum pro humano nolle deſerere ſervitium. Et ita fecit. Quæ regis *Chriſtiani* fides multum apud Deum valuit, ſicut apertius declarabitur in ſequentibus. Decreverant ergò *Chriſtiani*, ut *Ethered* rex cum ſuis copiis contra duos paganos reges ſumeret prælium: *Elfred* vero frater ſuus cum ſuis cohortibus contra omnes paganorum duces belli ſortem ſumere debere ſciret. Quibus ita ſimiliter ab utraque parte diſpoſitis, cum rex diutius in oratione moraretur, & pagani parati ad locum certaminis citius adveniſſent, *Elfred* tunc ſecundarius, cum diutius hoſtiles acies ferre non poſſet, niſi aut bello retrorſum cederet, aut contra hoſtiles copias ante fratris adventum in bellum prorumperet, demum viriliter aprino more Chriſtianas copias contra hoſtiles exercitus, ut ante propoſuerant, quamvis rex adhuc non venerat, dirigens, divino fretus conſilio & fultus adjutorio, teſtudine ordinabiliter condenſata, confeſtim contra hoſtes vexilla movet. Tandem rex *Etheredus*, finitis quibus occupatus erat orationibus, advenit, & invocato magno mundi principe, mox ſe certamini dedit. Sed hoc in loco neſcientibus intimandum eſt, quod ille locus certaminis belligerantibus inæqualis erat. Nam pagani editiorem locum præoccupaverant, *Chriſtiani* ab inferiori loco aciem dirigebant. Erat quoque in eodem loco una ſpinoſa arbor, brevis admodum, circa quam hoſtiles inter ſe acies cum ingenti omnium clamore, illi perperam agentes, iſti pro vita & dilectis atque patria pugnaturi, hoſtiliter conveniunt. Cumque aliquandiu animoſe nimiumque atrociter hinc & inde utrique pugnarent, pagani divino judicio *Chriſtianorum* impetum diutius non ferentes, maxima parte ſuorum occiſa, opprobrioſam fugam cepere. Quo in loco alter de duobus paganorum regibus, & quinque Comites occiſi occubuerunt, & multa millia illorum in eodem loco, & inſuper per totam campeſtrem **Aſcendun** latitudinem ubique diſperſa & occiſa corruerunt. Ceciderunt ergo illic *Bagſeg* rex, *Sidroc* ſenex Comes, *Sidroc* junior Comes, *Osbern* Comes, *Freana* Comes, *Harold* Comes, & totus paganorum exercitus uſque ad noctem, & etiam uſque ad diem ſequentem, quouſque ad arcem qui evaſerant pervenerunt, in fugam verſus eſt. His ita ibi geſtis, iterum poſt quatuordecim dies *Ethered* rex una cum fratre *Alfredo* adunatis viribus contra paganos pugnaturus *Baſengas* adiit. Quibus hoſtiliter convenientibus, & diu ſimul certantibus, pagani victoria potiuntur. Rurſus duobus evolutis menſibus rex *Etheredus* & frater ejus *Elfredus* cum paganis qui ſe in duas diviſerant turmas, apud **Meretun** pugnantes, diu victores exiſtunt, adverſariis omnibus in fugam verſis. Sed illis in prælium redeuntibus, multi ex his & ex illis corruunt, & pagani victoriam accipientes loco funeris dominantur. Eodem anno poſt Paſca rex *Etheredus* regno quinque annis per multas tribulationes ſtrenue atque honorabiliter cum bona fama gubernato, viam univerſitatis adiit. Quo defuncto, germanus ſuus *Elfredus* regnare cœpit.

ANno ab incarnatione Domini DCCC.lxxj. hic poetarum *Saxonicorum* peritiſſimus, in ſervitio Dei vigilantiſſimus, & in exequendis judiciis indagator erat diſcretiſſimus. Cui regina ſua *Elfſwitha* duos filios, *Eadwardum* & *Egelwardum*, & tres filias, *Egelfledam Merciorum* dominam, *Ethelgevam* ſanctimonialem, & *Ethelſthritham* peperit. Expleto uno menſe quo regnare cœpit, in monte qui dicitur **Wiltun** contra paganos cum paucis acerrime belligeravit. Sed proh dolor! hoſtes victoria potiuntur. Nil enim mirandum quod *Chriſtiani*

parvum

An. Dñi parvum in prælio numerum habebant. Erant enim in uno anno octo præliis contra paganos attriti, in quibus unus rex paganorum & novem duces cum innumeris cohortibus occiſi ſunt.

872. ANno DCCC. lxxij. defuncto *Hwicciorum* epiſcopo *Alchuno*, ſanctæ *Wigornenſis* eccleſiæ nutritus, & vir in divinis ſcripturis doctiſſimus, *Werefrithus* vij. Idus Junii die Pentecoſtes ab *Atheredo Dorobernia* archiepiſcopo antiſtes eſt ordinatus. Qui juſſu regis *Elfredi* libros dialogorum beati papæ *Gregorii* de Latinitate in *Saxonicam* linguam tranſtulit. *Northumbri* ſuum regem *Egbertum* & ſuum archiepiſcopum *Wlfere* expulerunt. Præfatus exercitus paganorum *Londoniam* adiit, ibique hiemavit, cum quo *Mercii* pacem pepigerunt.

873. ANno DCCC. lxxiij. ſæpe memoratus exercitus *Londoniam* deſerens in *Northanhymbrorum* regionem primum perrexit, & ibi hiemavit in pago quæ dicitur **Lindeſig**, apud *Torchaſiam*, cum quo iterum *Mercii* pacem pepigerunt. *Egbertus* rex *Northanhymbrorum* moriens ſucceſſorem habuit *Ricſig*, qui regnavit tribus annis; & *Wlfere* in ſuum archiepiſcopatum receptus eſt.

874. ANnno DCCC. lxxiiij. ſupra memoratus exercitus *Lindiſſi* deſerens *Merciam* adiit, & hiemavit in loco qui dicitur **Reopedun**. *Burhredus* rex *Merciorum* *Romam* adiens expulſus ab eis anno regni ſui xxij. ibi defungitur, & in ſcola *Saxonum* in eccleſia ſanctæ *Mariæ* ſepelitur.

875. ANno DCCC. lxxv. ſupra memoratus exercitus **Reopedune** deſerens, in duas ſe diviſit turmas. Cujus altera pars cum *Halfdene* in regionem *Northanhymbrorum* perrexit, & totam *Northymbrorum* regionem ſuo dominio ſubdidit, ac omnia monaſteria deſtruxit.

Eardwlfus epiſcopus *Lindisfarnenſis* & abbas *Eadredus* corpus ſancti *Cuthberti* de inſula *Lindisfarnenſi* tollentes, per ſeptem annos paſſim vagabantur. Altera pars exercitus cum *Guthrum* & *Oskitel* & *Amundo* tribus regibus apud **Granthebrige** hiemavit. Rex vero *Elfredus* navali prælio confortatus, ſex naves in mari invenit; cum quibus fortiter debellans unam cepit, cæteri fugerunt timore perculſi.

876. ANno DCCC. lxxvj. rex paganus *Halfdene* *Northymbrorum* regionem ſibimet & ſuis diviſit. Rex *Ricſig Northanhymbrorum* moritur, & ſecundus *Ecgbertus* regnat ſuper *Northumbros* ultra amnem *Tyna*.

Rollo primus *Normannorum* dux, qui & *Rodbertus*, cum ſuis *Normanniam* penetravit xv. Kal. Decembris. Præfatus paganorum exercitus nocte de **Granthebrige** exiens, caſtellum quod dicitur **Werham** intravit. Quorum ſubitum adventum rex *Saxonum* cognoſcens, fœdus cum eis pepigit, ea conditione ut ab ejus regno diſcederent, obſides accipiendo. Ipſi vero ſolito more obſides & juramenta non ſervantes, nocte quadam, fœdere dirupto, ab **Exanceſtre** diverterunt, quod *Britannice* dicitur **Cairwiſc**, Latine, *Civitas aqua*.

ANno DCCC. lxxvij. exercitus ipſe nefandus An. Dñi 877. *Exanceſtriam* dereliquit, **Cippanham** villam regiam adiit, ibique hiemavit. *Elfredus* vero rex his diebus magnas ſuſtinuit tribulationes, & inquietam vitam agebat. Tandem aperto confortatus oraculo per ſanctum *Cuthbertum*, contra *Danos* pugnavit, & quo ipſe Sanctus juſſerat tempore & loco victoria potitus eſt, ſemperque deinceps hoſtibus terribilis & invincibilis erat, ſanctumque *Cuthbertum* præcipue honori habebat. Qualiter hoſtes vicerit paulo poſt hic legitur.

Eodem denique anno *Inguar* & *Haldene* reges cum bis denis ac ternis navibus de *Demetica* regione in qua hiemaverant, egreſſi ut lupi feroces, poſt multas ibi ſtrages *Chriſtianorum* patratas, poſt combuſtiones cœnobiorum, ad *Domnaniam* enavigaverunt, & ibi à miniſtris regis *Elfredi* fortiſſimis cum mille ducentis viris occiſi ſunt ante arcem **Cynuuith**, quia in eadem arce perplurimi regis famuli ſe concluſerant cauſa refugii. Rex autem *Elfred* in Domino Deo confiſus, cum paucis agminibus ſtipatus, fecit arcem in loco qui appellatur **Ethelingalge**, in quo habitans cum ſuis commilitonibus, hoſtes frequenter infatigabiliter contrivit ab arce. Hoc egit tempore reſurrectionis Domini noſtri *Jeſu Chriſti*; qui egreſſus ab arce viribuſque ſuſceptis, poſt, ſeptem videlicet ſeptimanis dierum & monade, hoc eſt, quinquaginta diebus ſuppletis, venit ad petram *Ecgberti*, quæ eſt in orientali parte ſaltus, qui *Anglico* eloquio dicitur **Mucel wudu**, Latine vero *magna ſilva*; *Britannico* more **Coitmawr**. Ibi vero obviaverunt regi dilectiſſimo omnes accolæ *Summertunenſes* ac *Wiltunenſes*, necnon *Hamtunenſes*, viſoque eo lætati ſunt immenſo cordis tripudio, quaſi redivivum ipſum ſuſcipientes. Poſt tertium vero diem venit cum immenſo exercitu ad locum qui dicitur **Ederandun**, quo juxta immenſas paganorum phalanges invenit paratas cum denſa multitudine ad bellum. Commiſerunt ergo bellum per longa tempora diei utrique populi, quorum voces & colliſiones armorum per longa terrarum ſpatia audita ſunt. Rex denique *Elfredus* Dei adjutorio potitus victoria, hoſtes ſuos fortiter proſtravit, gratias reddens ſummo ſalvatori cum magna cordis lætitia. Cumque ibidem rex cum ſuis legionibus arrideret, & inimici qui remanſerant magnis ejulatibus deflerent, ob famis & frigoris auſteritatem atque tanti regis timorem, rogant pacis clementiam qui eam ſemper impugnabant, promittunt obſides & juramenta in dextris. Auſcultans hæc omnia rex ſuatim motus clementia concedit cuncta petita.

878. ANno DCCC. lxxviij. paganorum rex *Guthrum* cum xxx. electiſſimis de exercitu ſuo viris ad *Elfredum* regem in loco qui dicitur **Aalr** pervenit, quem rex in filium adoptionis ſuſcipiens de fonte ſacri baptiſmatis elimavit, multiſque muneribus ditavit: eique poſt interfectionem ſancti *Eadmundi* *Eaſtangliam* tradidit.

879. ANno DCCC. lxxix. ſæpe memoratus paganorum exercitus à **Cirenceaſtre** ut promiſerat egreſſus, ad orientales acceſſit *Anglos*, ipſamque regionem dividentes, inhabitare cœperunt. Ipſo quoque anno immenſus venit paganorum exercitus de ultramarinis climatibus in *Tamenſi* fluvio, qui adunatus eſt

An. Dñi ſupradicto cuneo, complices effecti quod pravorum eſt. Eclipſis ſolis inter nonam & veſperam facta eſt eodem anno. Prædictus paganorum exercitus eodem anno transmarinas quoque regiones adiit, & apud **Gant** uno anno demoratus eſt.

881. ANno DCCC. lxxxj. Paganorum exercitus invadens *Franciam* bellum iniit cum indigenis. Poſt quod bellum equis undecunque raptis hac illacque advehuntur, omnia devaſtantes, quod mirabile videri poteſt, quod viſibiles hoſtes contra tam fortem bellicoſumque populum auderent inſurgere. Inito conſilio prudenti, audaces *Franci* bellum iniere duriſſimum cum paganis, victoreſque extiterunt. Finito prælio, *Franci* cum triumpho reverſi ſunt, pagani equis acquiſitis hac illacque equitabant. His diebus plurima in eadem gente monaſteria concuſſa ſunt ac deſolata. Nam & fratres cœnobii ſanctiſſimi *Benedicti*, quod *Floriacum* dicitur, ipſius reliquias à tumulo quo locatæ fuerant immenſa pulchritudine, ſecum auferentes hac illacque diſcurrebant.

882. ANno DCCC. lxxxij. exercitus prædictus in ulteriora *Francia* per flumen *Meſe* navibus traducitur, & uno anno ibi hiemavit. Eodem anno rex *Elſred* navali prælio confligens contra paganorum naves, vicit, & duas cepit, occiſis omnibus qui in eis fuerant. Poſt hæc etiam principes duarum navium multis vulneribus afflixit, donec armis depoſitis cum ſupplici prece ſeſe illi dederent.

883. ANno DCCC. lxxxiij. præfatus paganorum exercitus occupans **Cundoth**, ibidem per annum graſſatur. Exercitus vero qui ducente rege *Halfdene Northanbriam* invaſerat, pereunte Dei judicio ipſo tyranno, ſine duce remanſerat, occiſo ſicut ſupradictum eſt, ipſo *Halfdene* & *Inguar* cum xxiij. navibus apud *Domnaniam* à miniſtris *Elfredi* regis. Jam ſubactis ſibi indigenis terræ, dominium uſurpavit, ibique manere paravit, & vaſtatas *Northanbriæ* provincias incolere. Tunc ſanctus *Cuthbertus* abbati *Eadredo* (qui pro eo quod in **Luel** habitavit *Luliſc* cognominabatur) aſſiſtens per viſionem præcepit, ut epiſcopo & omni exercitui *Anglorum* atque *Danorum* diceret, quatinus *Guthredum* filium *Hardecnut*, quem *Dani* vendiderant in ſervum cuidam viduæ apud **Twittingaham**, dato precio, redimerent, & redemptum ſibi in regem levarent: regnavitque ſuper *Eboracum*; *Egbert* vero ſuper *Northimbros*. Quod factum eſt tredecimo anno regni *Elfredi* regis. *Guthredo* itaque ex ſervo omnium conſenſu in regem promoto, ſedes epiſcopalis quæ prius erat in *Lindisfarnenſi* inſula inſtauratur in **Ceſtre**, quæ antiquitus vocabatur **Cuneceſtre**, poſt ſeptem annos transmigrationis ex inſula *Lindisfarnenſi*. Eſt autem locus ille inter *Dunelmum* & *Extoldeſam*, ſex milibus paſſuum diſtans à *Dunelmo*. Tunc & legem pacis quam ipſe ſanctus *Cuthbertus* per prædictum abbatem mandaverat, ut ſcilicet quicunque ad corpus illius confugerit, pacem à nullo infringendam per xxxvij. dies habeat, tam rex *Guthredus* quam rex *Alfredus* perpetuo conſervandam confirmarunt. Quam ſi quiſquam quoquo modo violaverit, ſicut pacem regis fractam, nonaginta ſex libris multandum cenſuerunt. Ad hoc in augmentum prioris epiſcopatus, totam inter **Tyne** & *Teiſam* præfati duo reges omnium conſenſu ſancto *Cuthberto* terram perpetuo poſſidendam addiderunt. Quicumque autem hæc ſtatuta quocumque ingenio infringere temptaverit, hunc infernalibus pœnis tradendum perpetuo anathemate dampnarunt. Jam enim multo ante defecerat epiſcopatus *Hagustaldenſis* eccleſiæ.

ANno DCCC. lxxxiiij. *Marinus* papa ſcolam *Saxonum* in *Roma* morantium pro amore & deprecatione *Elfredi* regis ab omni tributo & telone liberavit benigne, qui etiam multa dona prædicto regi tranſmiſit. Inter quæ dedit ei non parvam illius ſanctæ crucis partem in qua Dominus noſter *Jeſus Christus* pro hominum ſalute pependit. Eadem tempeſtate idem præſul ſanctiſſimus viam univerſitatis adiit, tranſmittendo ſpiritum ad Deum qui dedit illum. Prædictus paganorum exercitus per flumen **Sunne** adiens *Embenam*, ibi per annum graſſatur. 884.

Hujus regis *Alfredi* tempore venit *Angliam Johannes Scottus* vir perſpicacis ingenii & multæ facundiæ, qui dudum relicta patria *Franciam* ad *Carolum Calvum* tranſierat. A quo magna dignatione ſuſceptus, familiarium partium habebatur. Tranſigebatque cum eo tam ſeria quam joca, individuuſque comes & menſæ, & cubiculi erat. [Erat] multæ facetiæ ingenuique leporis, quorum exempla hodieque conſtant, ut ſunt iſta. Aſſederat ad menſam contra regem ad aliam menſæ partem. Procedentibus poculis conſumptiſque ferculis, *Carolus* fronte hilarior poſt quædam alia, cum vidiſſet *Johannem* quiddam feciſſe quod *Gallicanam* comitatem offenderet, urbane increpuit & dixit, *Quid diſtat inter Sottum & Scottum?* Retulit ille ſollempne convitium in auctorem, & reſpondit, *Hac menſa tantum*. Quid hoc dicto facetius? Interrogaverat rex de differenti morum ſtudio, reſpondit *Johannes* de loci diſtante ſpacio. Nec vero rex commotus eſt, quia miraculo ſcientiæ ipſius captus, adverſus magiſtrum nec dicto inſurgere vellet, ſic enim eum uſitate vocabat. Item cum regi convivanti miniſter patinam obtuliſſet, quæ duos piſces prægrandes adjecto uno minuſculo contineret, dedit ille magiſtro, ut accumbentibus duobus juxta ſe clericis departiretur. Erant illi giganteæ molis, ipſe perexilis corporis. Tum qui ſemper aliquid honeſti comminiſcebatur, ut lætitiam convivantium excitaret, retentis ſibi duobus majoribus, unam minorem duobus diſtribuit. Arguenti iniquitatem partitionis regi, Imo, inquit, bene feci & æque. Nam hic eſt unus parvus, de ſe dicens, & duo grandes, piſces tangens. Itemque ad eos converſus, Hic ſunt duo magni, clericos innuens, & unus exiguus, piſcem nihilominus tangens. *Caroli* ergo rogatu ierarchiam *Dionyſii Areopagitæ* in Latinum de Græco, verbum è verbo tranſtulit. Quo fit ut vix intelligatur Latina litera, quæ volubilitate magis Græca quam poſitione conſtruitur noſtra. Compoſuit etiam librum, quem *peri phyſion merimnoi*, id eſt, de naturæ diviſione, titulavit, propter perplexitatem quarundam quæſtionum ſolvendam bene utilem, ſi tamen ignoſcatur ei in quibuſdam, quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Quare & hæreticus putatus eſt, ſcripſitque contra eum quidam *Florus*.

Sunt enim revera in libro *periphyſion* perplurima, quæ niſi diligenter diſcutiantur, à fide catholicorum abhorrentia videantur. Hujus opinionis particeps fuiſſe cognoſcitur *Nicholaus* papa, qui ait in Epiſtola ad *Carolum*. *Relatum eſt apoſtolatui noſtro, quod opus beati* Dionyſii Areopagitæ, *quod de divinis nominibus vel cœleſtibus ordinibus Græco deſcripſit eloquio, quidam veſter* Johannes *genere Scottus nuper in Latinum tranſtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, & noſtro judicio debuit approbari; præſertim cum idem* Johannes, *licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur.* Propter hanc ergo infamiam tæduit eum *Francia*, venitque ad Regem *Elfredum*. Cujus munificentia illectus & magiſterio ejus, ut ex ſcriptis Regis intelligitur, *Melduni* reſedit. Ubi poſt aliquot annos, à pueris quos docebat graphiis foratus animam exuit, tormento gravi & acerbo, ut dum iniquitas valida & manus infirma ſæpe fruſtraretur & ſæpe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquamdiu inhonora ſepultura in beati *Laurentii* eccleſia, quæ fuerat nefandæ necis conſcia. Sed ubi divinus favor multis noctibus ſuper eum lucem indulſit igneam, ammoniti monachi in majorem tranſtulerunt eccleſiam, & ad ſiniſtram altaris poſuerunt.

885. ANno DCCC. lxxxv. exercitus prædictus in duas ſe turmas diviſit, una in orientalem *Franciam* ſeceſſit, altera rediens in *Cantiam*, civitatem *Roveceaſtra* obſedit. Sed viriliter repugnantibus civibus, donec rex *Elfredus* cum manu valida ſuperveniens ſcilicet paganos eos ab obſidione compulit ad naves, qui eodem anno æſtate redeunt in *Galliam*. Quo anno claſſis ab *Elfredo* rege miſſa ad defenſionem locorum circa *Eaſtangliam* xvj. navibus piratarum captis ad hoſtium fluminis **Stur**, univerſos interfecerunt. Sed dum reverterentur domum, obviam habuerunt barbarici exercitus infinitam navium multitudinem, cum qua diutius cum dimicatum eſſet, *Dani* victores extiterunt. Quo anno *Carlemannum Alemannorum* occidentalium *Francorum* regem in venatione ſingulari congreſſu aper dente dilacerans occidit. Cujus frater *Lodowicus* præcedenti anno defunctus fuerat, etiam ipſe Rex *Francorum*. Fuerant enim ambo filii *Lodowici* Regis *Francorum*, qui ſupra memorato anno quo eclipſis ſolis facta eſt deceſſit. Ipſe quoque filius *Caroli Calvi* regis *Francorum* erat, cujus filiam *Juditham* rex occidentalium *Saxonum Ethelwlfus* duxit reginam. Quo anno magnus paganorum exercitus de *Germannia* in regionem antiquorum *Saxonum* navibus advehitur: Contra quos adunatis viribus *Saxones* & *Friſones* bis uno anno inierunt bella, & victoria ſunt potiti. Eodem anno *Carolus Alemannorum* Rex occidentalium *Francorum* regnum, & omnia regna quæ ſunt inter mare *Tirrenum* & ſinum maris qui antiquos Saxones & Gallos dividit, voluntario omnium conſenſu, præter *Armoricanum* regnum accepit. Hic *Carolus* filius erat *Lodowici* regis, *Lodowicus* germanus *Caroli* regis *Francorum* patris prædictæ *Judithæ*, qui duo germani fuerunt filii *Lodowici*. *Lodowicus* vero ille filius fuit *Caroli* magni illius famoſi atque ſapientiſſimi, qui fuit filius *Pipini* regis.

886. ANno DCCC. lxxxvj. *Marinus* papa obiit. Memoratus exercitus qui prius in orientalium *Francorum* regionem ſeceſſerat, iterum ad occidentales *Francos* rediens, per flumen *Sequanam* pervenit *Pariſium*; ubi per annum obſidens civitatem, civibus viriliter defendentibus, munitionem irrumpere non potuit. *Elfredus* rex poſt incendia urbium ſtragesque populorum, *Londoniam* honorifice reſtauravit, & habitabilem fecit, quam etiam *Etheredo Merciorum* Comiti commendavit ſervandam. Ad quem regem omnes *Angli & Saxones* qui prius ubique diſperſi fuerant, aut cum paganis ſine captivitate erant, venerunt, & voluntarie dominio ſuo ſe ſubdiderunt.

887. ANno DCCC. lxxxvij. ſupradictus exercitus *Pariſium* deſerens, nichil ibidem agere prævalens, claſſem per *Sequanam* uſque locum qui *Cazici* dicitur direxit, ubi per annum graſſantes, anno ſequente hoſtium fluminis *Iona* ſubintrarunt, magnoque regionis dampno per annum ibi morati ſunt. Hoc anno *Karolus* Rex *Francorum* ſexta poſtquam ab *Earnulfo* filio fratris ſui de regno expulſus fuerat ebdomada moritur. Quo defuncto, regnum in quinque diviſum eſt, ſed principalior pars provenit *Earnulfo*, cui alii quatuor fidelitatem ſponte ſua juraverint, ſubjectionemque exhibuerunt, quia nullus eorum ex paterna progenie legitimus regni illius poterat eſſe hæres præter ſolum *Earnulfum*, apud illum enim remanſit imperium. Talis autem erat regni diviſio. *Earnulfus* optinuit regiones ad orientem *Hreni* fluminis, *Hrodulfus* mediterraneum regnum, *Odo* occidentale, *Beorngarius* & *Vuido Longobardiam*, omneſque regiones quæ ex illa montis ſunt parte. Sed hæc inter ſe ita diviſa regna magnis ſeſe mutuo concuſſerunt bellis, alterque alterum ſe regno pepulerunt reges. Hoc anno *Ethelhelm* Comes *Wiltunenſium* elemoſinam Regis *Elfredi* detulit *Romam*.

888. ANno DCCC. lxxxviij. Inter alia multa bona quæ rex *Elfredus* geſſit, duo monaſteria conſtruit nobilia; unum monachorum in loco qui dicitur **Etheling aege**, id eſt nobilium inſula, ubi diverſi generis monachis coadunatis, primitus *Johannem* presbyterum & monachum, genere *Ealdſaxonum*, abbatem conſtituit. Aliud quoque monaſterium juxta orientalem portam **Sceafteſbyrig** habitationi ſanctimonialium habile idem rex ædificare imperavit, in quo propriam filiam *Ethelgeofam* devotam Deo virginem abbatiſſam conſtituit. Quæ duo monaſteria terrarum poſſeſſionibus omnibuſque divitiis locupletatim ditavit.

889. ANno DCCC. lxxxix. *Etheredus Dorobernenſis* archiepiſcopus obiit, cui *Pleigmundus* ſucceſſit.

891. ANno DCCC. xcj. *Guthrum* rex, quem ut præfati ſumus, de ſacro fonte rex *Elfredus* ſuſcipiens nomen ei *Healſtan* impoſuit, hoc anno obiit. Hic in orientali *Anglia* cum ſuis habitavit, & provinciam illam poſt martyrium ſancti Regis *Eadmundi* primitus incoluit & poſſedit.

892. ANno DCCC. xcij. *Wlfere* archiepiſcopus *Eboracenſis* obiit anno ſui archiepiſcopatus xxx.

An. Dñi

893. ANno DCCC. xciij. Rex paganus *Heſten* cum lxxx. partionibus hoſtium *Tamenſis* fluminis intrans, munitionem ſibi in regia villa quæ **Mideltun** dicitur ædificavit.

894. ANno DCCC. xciv. *Guthred* rex *Northymbrorum* obiit. Pagani qui *Northymbriam* incoluere cum *Elfredo* rege pacem juramentis ſtabiliere.

895. ANno DCCC. xcv. pagani naves ſuas per fluvium *Tamenſem* & poſtmodum per amnem *Ligean* ſurſum traxerunt, ſibique munitionem prope ipſum amnem xx. miliariis à *Londonia* ædificare cœperunt.

896. ANno DCCC. xcvj. æſtatis tempore magna pars civium *Lundonienſium* & de vicinis locis quamplures munitionem quam ſibi pagani ædificaverant deſtruere moliuntur. Sed illis fortiter reſiſtentibus, *Chriſtiani* in fugam vertuntur, quatuorque de miniſtris Regis *Elfredi* occiduntur.

897. ANno DCCC. xcvij. Paganorum exercitus in *Eaſtanglia* & *Northymbria* reſidentium furtivam prædam circa maris ripas agentes, terram occidentalium *Saxonum* graviter vexabant, maxime longis celeribuſque navibus, quas ipſi ante plures annos fabricaverant. Adverſum quos bis longiores, altiores, celeriores minuſque nutantes ex præcepto regis *Elfredi* fabricantur naves, quarum violentia prædictæ hoſtium ſuperari poſſent. Quibus in mare miſſis, mandat rex, ut quos capere poſſent vivos caperent, & quos vivos capere nequirent occiderent. Unde actum eſt ut, eodem anno xx. naves *Danicorum* piratarum caperentur. Quorum quidam occiduntur, quidam ad regem vivi ducuntur, & in patibulo ſuſpenduntur.

898. ANno DCCC. xcviij. *Rollo* primus *Normannorum* dux cum exercitu ſuo *Carnotenſem* civitatem obſedit. Sed epiſcopus ejuſdem urbis *Waltelinus* *Ricardum* *Burgundia* ducem & *Ebalum* *Pictavenſem* Comitem in ſuum advocans auxilium, tunicam ſanctæ *Maria* in manibus ferens, *Rollonem* ducem divino nutu fugavit, & civitatem liberavit.

899. ANno DCCC. xcix. *Angul-ſaxonum* rex *Elfredus* piiſſimi regis *Athelvulſi* filius xxix. annis ſexque menſibus regni ſui peractis, Indictione iv. mortem obiit v. Kal. Novembris, & *Wintonia* in novo monaſterio ſepultus eſt. Huic filius ſucceſſit *Eadwardus*, cognomento ſenior, litterarum cultu patre inferior, ſed dignitate, potentia pariter & gloria ſuperior. Nam, ut in ſequentibus clarebit, multo latius quam pater fines regni ſui dilatavit. Siquidem civitates & urbes multas ædificavit, nonnullas vero deſtructas reædificavit. Totam *Eaſtſaxoniam*, *Eaſtangliam*, *Northymbriam*, pluresque etiam *Mercia* provincias quas *Dani* multo poſſederant tempore, manibus illorum extorſit. *Merciam* poſt obitum ſuæ germanæ *Egelfleda* totam optinuit & poſſedit. *Scottorum*, *Cumbrorum*, *Stretgledunalorum* omneſque occidentalium *Brittonum* reges in deditionem accepit. Reges & duces ab eo prælio victi cæſique quamplurimi. Ex muliere nobiliſſima *Egcuuinna* filium ſuum primogenitum *Ethelſtanum*, ex regina autem ſua *Edgiva* filios tres, *Edwinum*, *Eadmundum*, *Edredum*, filiamque Deo devotam virginem *Eadburgam*, treſque inſuper habuit filias. Quarum unam *Otto* *Romanorum* imperator octogeſimus nonus, alteram vero in conjugem habuit rex occidentalium *Francorum* *Carolus*. Cujus amitam *Juditam* *Caroli* ſcilicet Imperatoris filiam uxorem duxit rex occidentalium *Saxonum* *Ethelwlfus*. Tertiam autem filiam in uxorem habuit rex *Northanhymbrorum* *Sithricus*. Hoc anno *Erdulfus* epiſcopus *Lindiſfarnenſis* obiit, cui *Tutbred* ſucceſſit. Pulſus eſt etiam *Oſbrit* à regno.

ANno Domini DCCCC. *Ethelbald* archiepiſcopus *Eboracenſis* ordinatur. 900.

ANno DCCCC. iij. ſtrenuiſſimus dux *Athulfus* *Ealhſwitha* reginæ matris regis *Edwardi* germanus, & venerabilis abbas de *Scotia* *Virgilius* obierunt. Sanctus etiam presbyter *Grimboldus* magnæ ſanctitatis vir, unuſque magiſtrorum *Elfredi* regis, gaudia ſcandit regni cœleſtis. 903.

ANno DCCCC. iv. *Cantuarienſes* cum multitudine piratarum *Danicorum* in loco qui **Holme** dicitur pugnaverunt, & victores extiterunt. 904.

ANno DCCCC. v. Religioſa Chriſti famula *Ealhſwitha* regina mater regis *Eadwardi* vita deceſſit, quæ ſanctimonialium monaſterium *Wintonia* conſtruxit. 905.

ANno DCCCC. vj. paganorum exercitus de *Eaſtanglia* & *Northymbria* invictum eſſe regem *Eadwardum* ſcientes, pacem cum eo faciunt, in loco qui lingua *Anglorum* **Ytingaford** dicitur. Eodem anno *Rollo*, qui & *Robertus*, primus dux *Normannorum* deceſſit. Cui *Willielmus* filius ejus *Longa ſpata* ſucceſſit. 906.

ANno DCCCC. viij. Civitas quæ **Karleit** Brittannice, & **Legaceſtre** dicitur Saxonice, juſſu *Etheredi* ducis & *Egelfleda* reſtaurata eſt. 908.

ANno DCCCC. x. ſancti *Oſwaldi* regis & martyris oſſa de **Bardonig** in *Merciam* tranſlata ſunt. Rex invictiſſimus *Eadwardus*, quia pactum quod ſecum *Dani* pepigerant prævaricati ſunt, *Weſt-Saxonum* & *Merciorum* exercitum in *Northymbriam* miſit. Qui cum illò veniſſent, per quadraginta ferme dies eam devaſtare non ceſſantes, quamplures *Danorum* occiderunt, & reges duceſque eorum cum rege *Eadwardo* pacem quam fregerant redintegrare compulerunt. 910.

ANno DCCCC. xj. in provincia *Sterffordenſi* in loco qui dicitur **Teotenhale** inter *Anglos* & *Danos* inſigne prælium actum eſt; ſed *Angli* potiti ſunt victoria. 911.

ANno DCCCC. xij. eximiæ vir probitatis, dux & patritius, dominus & ſubregulus *Merciorum* *Etheredus* poſt nonnulla quæ egerat bona deceſſit. Poſt cujus mortem uxor illius *Egelfleda* regis *Elfredi* filia, regnum *Merciorum*, (exceptis *Lundonia* & *Oxenaforda*, quas ſuus germanus rex *Eadwardus* 912.

wardus ſibi retinuit) haud brevi tempore ſtrenuiſſime viij. annis tenuit.

913. ANno DCCCC. xiij. *Egelſleda Merciorum* Domina iij. Non. Maii, cum exercitu ad locum qui **Sceargete** dicitur venit, ibidemque arcem munitam conſtruxit, dehinc in occidentali plaga *Sabrinæ* fluminis in loco qui dicitur **Bricge** aliam ædificavit.

914. ANno DCCCC. xiv. æſtatis initio *Egelſleda Merciorum* domina cum *Mercenſibus* ad **Tamweorthig** perrexit, ipſamque urbem reſtauravit. Deinde *Stefordam* tetendit, & in ſeptentrionali plaga *Stowe* amnis arcem conſtruxit.

915. ANno DCCCC. xv. defuncto *Hwicciorum* epiſcopo *Werfertho* magnæ ſanctitatis & ſcientiæ viro, *Ethelbunus* ſucceſſit. *Egelſleda Merciorum* domina urbem condidit quæ **Eadesbirig** vocatur, & in fine autumpni alteram quæ **Warwic** nominatur.

916. ANno DCCCC. xvj. rex invictiſſimus *Eadwardus* ante feſtivitatem ſancti *Martini* *Bedefordam* adiit, & eam cum inhabitatoribus ejus in deditionem accepit, ibidemque per xxx. dies moratus, urbem in auſtrali plaga amnis *Uſe* condi præcepit.

17. ANno DCCCC.xvij. *Egelſleda Merciorum* domina in terra *Brittonum* ad expugnandam arcem apud **Brecenanmere** miſit exercitum. Qui expugnata arce, uxorem regis *Brittonum* cum xxxiv. hominibus captivos in *Merciam* adduxerunt.

18. ANno DCCCC. xviij. *Egelſleda Merciorum* domina ante Kal. Auguſti *Derbeiam* infringendo expugnavit, ipſumque provinciam tenuit. Cujus miniſtri iv. de carioribus in porta urbis fortiter pugnantes occiſi ſunt.

19. ANno DCCCC. xix. *Egelſleda Merciorum* domina, inſignis prudentiæ & juſtitiæ virtutiſque eximiæ femina, viij. anno ex quo ſola regnum *Merciorum* ſtrenuo juſtoque rexit moderamine, xix. Kal. Julii obiit, & unicam filiam ſuam *Elwinnam* ex *Ethelredo* ſubregulo ſuſceptam, hæredem regni reliquit. Cujus corpus *Glawornam* delatum in eccleſia ſancti *Petri* eſt honorifice tumulatum.

20. ANno DCCCC. xx. rex *Eadwardus* miſit in *Northanhymbrorum* regionem *Merciorum* exercitum ut urbem **Mammeceaſter** reſtaurarent, & in ea fortes milites collocarent. Poſt hæc *Elwinna* neptæ ſuæ poteſtatem regni *Merciorum* penitus ademit, & in *Weſtſaxoniam* duci præcepit. Eodem anno rex *Northanhymbrorum Sihtricus* occidit *Niellum* fratrem ſuum, & infregit **Devennport**.

21. ANno DCCCC. xxj. rex *Scottorum* cum tota gente ſua & *Regnaldus* rex *Danorum* cum *Anglis* & *Danis Northymbriam* incolentibus, rex etiam *Streddedwalorum* cum ſuis Regem *Eadwardum* ſeniorem ſibi in patrem & dominum elegerunt, firmumque fœdus cum eo pepigerunt.

922. ANno DCCCC. xxij. Clito *Ethelwardus* regis *Eadwardi* germanus xvij. Kal. Novembris defunctus *Wintoniam* defertur & ſepelitur. *Hwicciorum* epiſcopo *Athelhuno* defuncto *Wilferthus* ſucceſſit.

924. ANno DCCCC. xxiv. invictiſſimus rex *Anglorum Eadwardus* ſenior, qui cunctis *Britanniam* incolentibus *Anglorum, Scottorum, Cumbrorum, Danorum* pariter & *Brittonum* populis glorioſiſſime præfuit, poſt multas res egregie geſtas, regni ſui anno xxiv. in regia villa quæ **Fearndun** nominatur, Indictione xv. ex hac vita tranſiens, *Ethelſtano* filio regni gubernacula reliquit. Cujus corpus *Wintoniam* delatum, in novo monaſterio regio more ſepelitur. *Ethelſtanus* vero in **Kingestune**, id eſt in villa regia, in regem levatur, & honorifice ab *Ethelmo Dorobernenſi* archiepiſcopo conſecratur. Cujus temporibus oritur puer ſtrenuus *Dunſtanus* in *Weſtſaxoniæ* finibus.

925. ANno DCCCC. xxv. ſtrenuus & glorioſus rex *Anglorum Ethelſtanus* ſororem ſuam cum magno honore & gloria *Northymbrorum* regi *Sithrico Danica* ſtirpe progenito in matrimonium dedit. Eodem anno *Wigred* epiſcopus *Lindiſfarnenſis* conſecratur.

916. ANno DCCCC xxvj. *Northanhymbrorum* rex *Sithricus* vita deceſſit, cujus regnum rex *Ethelſtanus*, filio illius expulſo *Guthfertho*, qui patri in regnum ſucceſſerat, ſuo adjecit imperio. Omnes etiam reges totius *Albionis*, regem ſcilicet occidentalium *Brittonum Huual*, dehinc regem *Scottorum Conſtantinum*, regemque *Wentorum Wuer* prælio vicit & fugavit. Hii omnes ubi ſe viderunt non poſſe ſtrenuitati illius reſiſtere, pacem ab eo petentes, in loco qui dicitur **Eamotun** iv. idus Julii convenerunt, datoque ſacramento firmum cum eo fœdus pepigerunt.

929. ANno DCCCC. xxix. *Hwicciorum* epiſcopo *Wilfertho* defuncto ſucceſſit *Kinewoldus*.

932. ANno DCCCC. xxxij. vir eximiæ ſanctitatis *Fritheſtanus* epiſcopus *Wintonienſis*, ordinato pro ſe in epiſcopatum viro religioſo *Brinſtano*, *Wintoniæ* reſedit.

933. ANno DCCCC. xxxiij. ſanctus *Fritheſtanus* obiit. Rex *Ethelſtanus* juſſit fratrem ſuum *Edwinum* in mare ſubmergi.

934. ANno DCCCC. xxxiv. ſtrenuus rex *Anglorum Ethelſtanus*, quia rex *Scottorum Conſtantinus* fœdus quod cum eo pepigerat diſrupit, claſſica manu pervalida & equeſtri exercitu non modico, ad *Scotiam* proficiſcitur. Qui prius ſepulchrum ſancti *Cuthberti* adiens. eumque terrarum & aliarum rerum regali donatione honorans, *Scotiam* uſque **Dunfoeder** & *Wertermorum* terreſtri exercitu vaſtavit, navali vero uſque **Catheneſ**, eamque maxima ex parte depopulatur. Unde vi compulſus rex *Conſtantinus* filium ſuum obſidem cum dignis muneribus illi dedit, paceque redintegrata rex in *Wexſaxoniam*

An. Dñi

niam rediit. Sanctus *Byrnſtanus* eodem anno obiit.

935. ANno DCCCC. xxxv. religioſus monachus *Elſegus* cognomento *Calvus*, beati *Dunſtani* propinquus, ſuſcepit epiſcopatum *Wintanienſis* eccleſiæ.

937. ANno DCCCC. xxxvij. *Hibernienſium* multarumque inſularum rex paganus *Anlafus* à ſocero ſuo rege *Scottorum Conſtantino* incitatus, hoſtium *Humbræ* fluminis valida cum claſſe ingreditur. Cui rex *Ethelſtanus* fraterque ſuus Clito *Eadmundus* in loco qui dicitur **Brunanburh** cum exercitu occurrerunt, & prælio à diei principio in veſperum tracto, quinque regulos ſeptemque duces, quos adverſarii ſibi in auxilium conduxerant, interfecerunt, tantumque ſanguinis quantum eatenus in *Anglia* nullo in bello eſt fuſum, fuderunt, & reges *Anlafum* & *Conſtantinum* ad naves fugere compellentes, magno reverſi ſunt tripudio. Illi vero ſummam infelicitatem de interitu ſui exercitus conſecuti, cum paucis redeunt in ſua.

940. ANno DCCCC. xl. ſtrenuus & glorioſus rex *Anglorum Ethelſtanus*, xvi. regni ſui anno, Indictione xiiii, vi. kal. Nov. feria quarta, apud *Glavornam* vita deceſſit, & ad *Maidulfi* urbem delatus, honorifice eſt tumulatus. Cui frater ſuus *Eadmundus* xviii. ætatis ſuæ anno in regnum ſucceſſit.

941. ANno DCCCC. xli. *Northimbrenſes* fidelitati quam magnifico regi *Anglorum Eadmundo* debebant infidelitatem præferentes, regem *Noreganorum Anlafum* ſibi in regem elegerunt. Eodem anno *Ricardus* vetus ſuſcepit comitatum *Normanniæ*, & tenuit lii. annis. Fuit ipſe filius *Willielmi* Comitis, cujus pater fuit *Rollo* primus *Normannorum* Dux. *Wigredus* epiſcopus obiit, & *Getredus* ſucceſſit.

942. ANno DCCCC. xlij. magnificus rex *Anglorum Eadmundus* quinque civitates, *Lindicolniam*, *Snothingaham*, *Deorbeiam*, *Leogareceſtram*, & *Stanfordam* manibus *Danorum* penitus excuſſit, totamque *Merciam* in ſui poteſtatem redegit. Hic dei ſervo *Dunſtano* ſummus, & ejus conſiliis fuit glorioſus, à quo diverſis honoribus ſullimatus, *Gleſtonia* in qua educatus eſt, abbatis jure præficitur.

943. ANno DCCCC. xliij. magnifico Regi *Eadmundo* cum ſua regina ſancta *Elſgiva* filium peperiſſet *Eadgarum*, ſanctus abbas *Dunſtanus* audivit quaſi in ſullimi voces pſallentium, atque dicentium, *Pax Anglorum eccleſiæ exorti nunc pueri noſtrique Dunſtani tempore.* Eodem anno idem rex *Anlafum* regem cujus ſupra meminimus, de lavacro ſanctæ regenerationis ſuſcepit, regioque munere donavit; & parvo poſt tempore *Reingnoldum Northanhymbrorum* regem dum ab epiſcopo confirmaretur tenuit, ſibique in filium adoptavit.

944. ANno DCCCC. xliiij. magnificus rex *Anglorum Eadmundus* duos reges, *Anlafum* regis videlicet *Sihtrici* filium, & *Reignoldum Guthferti* filium, de *Northymbria* expulit, eamque ſuæ ditioni ſubegit.

945. ANno DCCCC. xlv. magnificus rex *Anglorum Eadmundus* terram *Cumbrorum* depopulatus eſt, illamque Regi *Scottorum Malcolmo* eo tenore dedit, ut terra marique ſibi fidelis exiſteret.

946. ANno DCCCC. xlvj. magnificus rex *Anglorum Eadmundus*, die feſtivitatis ſancti *Auguſtini Anglorum* doctoris, dum in regia villa quæ Anglice **Puclecirce** dicitur, ſuum dapiferum è manibus peſſimi cleptoris *Leonem*, ne occideretur, vellet eripere, v. annis viique menſibus regni ſui peractis, Indictione iiij. vij. kal. Junij, feria iij. ab eodem interficitur & *Glaſtoniam* delatus à beato *Dunſtano* abbate ſepelitur. Cui *Edredus* frater ſuus in regnum ſucceſſit, & à ſancto *Odone* archiepiſcopo in **Kingeſtune** rex eſt conſecratus.

948. ANno DCCCC. xlviij. *Aldredus* qui poſt *Vchtredum* fuit epiſcopus, obiit, & *Ailſi* ei ſucceſſit.

949. ANno DCCCC. xlix. *Wlſtanus Eboracenſis* archiepiſcopus proceresque *Northymbrenſes* omnes in villa quæ dicitur **Taddenesclyf** egregio regi Anglorum *Edredo* fidelitatem juraverunt; ſed non illam diu tenuerunt, nam quendam *Danica* ſtirpe progenitum, *Eyricum* nomine, ſuper ſe regem levaverunt.

950. ANno DCCCC. l. per infidelitatem *Northymbrenſium* egregius rex *Anglorum Eadredus* totam *Northymbriam* devaſtat, in qua devaſtatione monaſterium quod dicitur in **Rypum** à ſancto *Wilfrido* epiſcopo quondam conſtructum, igne eſt combuſtum. Redeunte vero domum rege, exercitus de *Eboraca* erumpens civitate in loco qui dicitur **Cateſſord** de extrema parte exercitus regis multam ſtragem dedit. Unde rex nimis offenſus voluit illico redire, & totam illam terram penitus delere. Verum hoc cognito, *Northymbrenſes* timore perterriti, *Yrcum* quem ſibi regem præfecerant, abjecerunt, regis injurias honoribus, detrimenta muneribus expleverunt, ejuſque offenſam pecunia non modica placaverunt.

951. ANno DCCCC. lj. ſanctus *Elfegus* cognomento *Calvus Uventanus* epiſcopus, qui beatum *Dunſtanum* Monachatus & presbyteratus gradu decoravit, huic vitæ modum fecit; cui *Elfſinus* in epiſcopatum ſucceſſit. *Owel* quoque rex *Brittonum* obiit.

952. ANno DCCCC. lij. inclitus rex Anglorum *Eadredus Eboracenſem* archiepiſcopum *Wlſtanum* in **Juthanbyrig** artam poſuit in cuſtodiam, quia frequenter apud eum certis ex cauſis accuſabatur.

954. ANno DCCCC. liiij. *Wlſtano Eboracenſi* archiepiſcopo à cuſtodia ſoluto, epiſcopalis honor apud **Dorceceaſtre** reſtituitur.

955. ANno DCCCC. lv. egregius rex *Anglorum Eadredus* x. anno regni ſui ægrotavit, & deſperatus eſt. Qui miſſa celeri legatione, confeſſionum ſuarum patrem beatum ſcilicet *Dunſtanum* abbatem acceſſivit, quo feſtine ad palatium tendente, & medium jam iter peragente, vox deſuper clare ſonuit, ipſo audiente, Rex *Eadredus* nunc in pace quieſcit.

Ad hanc vocem equus cui inſedit pondus vocis Angelicæ ferre non valens, abſque ulla ſeſſoris læſione cum interitu ſuo in terram corruit. Regis igitur corpus *Wintoniam* defertur, & ab abbate ipſo *Dunſtano* in veteri monaſterio ſepulturæ honeſtiſſime traditur. Cujus fratruelis Clito *Edwius*, regis ſcilicet *Eadmundi* & ſanctæ *Elgivæ* reginæ filius, Monarchiam imperii ſuſcepit, & eodem anno in *Kingeſtune* ab *Odone Doroberniæ* archiepiſcopo rex conſecratus eſt.

956. ANno DCCCC. lvj. Beatus *Dunſtanus* abbas à rege *Anglorum Edwio* pro juſtitia proſcriptus, mare tranſivit, & in monaſterio quod *Blandinium* dicitur, ſub exilii ſui tempore manſionem accepit. *Wlfſtanus Eboracenſis* archiepiſcopus vij. kal. Jan. defunctus in *Undalum* ſepelitur. Cui vir venerabilis ſucceſſit *Oſkytellus*.

957. ANno DCCCC. lvij. Rex *Anglorum Edwius*, quoniam in commiſſo regimine inſipienter egit, à *Mercenſibus* & *Northymbrenſibus* contemptus, relinquitur, & ſuus germanus Clito *Eadgarus* ab eis rex eligitur, ſicque regnum ſejunctum eſt, ut flumen *Tameſis* regnum determinaret amborum. Mox rex *Mercenſium Eadgarus* beatum *Dunſtanum* abbatem cum honore & gloria de exilio revocavit. Excurſo dehinc parvi ſpacii tempore, paſtor *Wigornenſis* eccleſiæ *Coenwaldus* vir magnæ humilitatis & monaſticæ profeſſionis defungitur. Pro quo beatus *Dunſtanus* ad epiſcopatum eligitur, & ab *Odone Doroberniæ* archiepiſcopo conſecratur.

958. ANno DCCCC. lviij. Sanctus *Odo Doroberniæ* archiepiſcopus regem *Weſtſaxonum Edwium* & *Elgivam*, vel quia ut fertur propinqua illius extitit, vel quia illam ſub propria uxore adamavit, ab invicem ſeparavit. Eodem anno idem archipræſul, vir quidem clarus ingenio & virtute laudabilis, ſpiritu quoque prophetiæ pollens, humanis exceſſit rebus, angelorum manibus ad paradiſum deductus. Huic ſucceſſit *Wentanus* epiſcopus *Elfſinus*; & pro ipſo ad epiſcopatum *Wintonienſis* eccleſiæ ordinatus eſt *Brithelmus*.

959. ANno DCCCC. lix. *Elfſinus Dorobernenſis* archiepiſcopus dum *Romam* pro petendo pallio tenderet, in Alpinis montibus gelu niveque obſtrictus defecit. Rex *Weſtſaxonum Edwius* iiij. annis regni ſui peractis, defunctus, *Wintoniæ* in novo monaſterio eſt ſepultus. Cujus regnum ſuus germanus rex *Mercenſium Eadgarus*, ab omni Anglorum populo electus, anno ætatis ſuæ ſextodecimo, adventus vero *Anglorum* in *Britanniam* quingenteſimo decimo, trecenteſimo autem ſexageſimo ſeptimo ex quo Sanctus *Auguſtinus* & ſocii ejus *Angliam* venerunt, ſuſcepit, diviſaque regna in unum copulavit. *Brithelmus Dorſetenſium* epiſcopus ad patriarchatum *Cantuariæ* ſedis eligitur. Sed quia ad tantam rem minus erat idoneus, juſſus à rege *Cantuaria* diſcedit, atque ad relictam nuper eccleſiam ſuam redit. Dehinc beatus *Dunſtanus* eccleſiæ *Wigornenſis* epiſcopus, ex reſpectu divino & ſapientum conſilio, primæ metropolis *Anglorum* primas & patriarcha inſtituitur. A quo & cæteris ſapientibus ipſe rex Anglorum *Eadgarus* decenter inſtructus, paſſim improbos oppreſſit, rebelles ſub aſperitatis correctione redarguit, juſtos & modeſtos dilexit, deſtructas dei eccleſias renovavit, & ditavit; abjectis ex cœnobiis clericorum nævis, ad laudem ſummi creatoris monachorum & ſanctimonialium catervas aggregavit, & pluſquam xl. monaſteria cum eis conſtitui præcepit; quos omnes ut fratres honorabat, & ut filios chariſſimos diligebat, ammonentes per ſe paſtores quos ipſis præpoſuit, ut illos regulariter & irreprehenſibiliter vivere ammonerent, quatinus *Chriſto* & Sanctis ejus in omnibus placerent.

ANno DCCCC. lx. Sanctus *Dunſtanus* ad *Romuleam* urbem profectus Indictione iij. pallium à *Johanne* papa ſuſcepit, ſicque per pacis itinera ad patriam remeavit. Paucis exinde menſibus interjectis, regalia petit limina, ſeque regiæ pietatis ſuggeſtione preceque pulſat humilima, ut religioſum, mitem humilemque monachum ſui prædeceſſoris *Odonis* fratruelem beatum *Oſwaldum*, quem in timore divino ſanctiſque virtutum operibus veriſſime probaverat excreviſſe, promoveret ad pontificale decus *Wigornenſis* eccleſiæ. Annuit rex *Eadgarus* quod ſanctus petebat *Dunſtanus*, & ab ipſo intronizatur ad ſummum ſacerdotium beatus *Oſwaldus*. 960.

ANno DCCCC. lxiij. Sanctus *Ethelwoldus* venerabilis abbas à beato *Dunſtano* educatus, mortuo *Brithelmo* epiſcopatum *Wintonienſis* eccleſiæ ſuſcepit. Et eodem anno juſſu regis expulſis clericis vetus monaſterium cum monachis inſtituit. Hic namque regem cujus eximius erat conſiliarius ad hoc maxime provocavit, ut clericos à monaſteriis expelleret, & monachos ſanctimonialeſque in eis collocari juberet. 963.

ANno DCCCC. lxiiij. Rex *Anglorum* pacificus *Eadgarus Ordgari* ducis *Domnaniæ* filiam poſt mortem viri ſui *Elfwoldi* glorioſi ducis orientalium *Anglorum* in matrimonium accepit, ex qua duos filios *Eadmundum* & *Egelredum* ſuſcepit. Habuit etiam prius ex *Egelfleda* candida *Ordmeri* ducis filia *Eadwardum* poſtea regem & martyrem, & de ſancta *Wlfritha* virginem deo devotiſſimam *Eadgitham*. Eodem anno rex idem monachos in novo monaſterio, & in *Middeltune* collocavit, & illis *Ethelgarum*, iſtis *Cynewardum* abbates conſtituit. 964.

ANno DCCCC. lxvij. Rex *Anglorum* pacificus *Eadgarus* in monaſterio *Rumeſige* quod avus ſuus rex *Anglorum Eadwardus* ſenior conſtruxerat ſanctimoniales collocavit, ſanctamque *Merwinnam* ſuper eas abbatiſſam conſtituit. 967.

ANno DCCCC. lxviij. *Aldredus* epiſcopus apud ſanctum *Cuthbertum* in *Cunecaceſtre* vita deceſſit. Cui *Elfſius* in epiſcopatum ſucceſſit. 968.

ANno DCCCC. lxix. Rex *Anglorum* pacificus *Eadgarus* ſancto *Dunſtano Dorobernenſi*, & beato *Oſwaldo Wigornenſi*, & ſancto *Ethelwoldo Wintonienſi* eccleſiæ epiſcopis præcepit, ut expulſis clericis in majoribus monaſteriis per *Merciam* conſtructis monachos collocarent. Unde ſanctus *Oſwaldus* ſui voti compos effectus, clericos *Wigornenſis* eccleſiæ monachilem habitum ſuſcipere renuentes de monaſterio expulit; conſentientes vero hoc anno ipſo teſte monachizavit; eiſque *Winſinum* magnæ religionis virum loco decani præfecit. 969.

Anno

An. Dñi

970. ANno DCCCC. lxx. ſanctæ ac venerabiles antiſtitis *Suithuni* reliquiæ, peractis à ſepultura ejus centum & decem annis, Indictione xiij, idus Julii, feria ſexta, ſullatæ ſunt de monimento à ſancto *Ethelwoldo* venerabili præſule, & ab *Elfſtano Glaſtonienſis*, & ab *Ethelgaro* Novi monaſterii abbatibus, & in baſilica apoſtolorum *Petri* & *Pauli* decentiſſime ſunt reconditæ.

971. ANno DCCCC. lxxi. Clito *Eadmundus* regis *Eadgari* filius obiit, & in monaſterio **Rumeſige** honorifice eſt ſepultus. Non multum poſt *Ordgarus* dux *Domnania* ſocer regis *Eadgari* deceſſit, & in **Cranceſtre** eſt ſepultus.

972. ANno DCCCC. lxxij. Rex Anglorum pacificus *Eadgarus* Novi monaſterii eccleſiam à patre ſuo *Eadmundo* inceptam, à ſe vero perfectam honorifice dedicari præcepit. Defuncto *Eboracenſi* archiepiſcopo *Oſkytello*, ſuus propinquus ſanctus *Oſwaldus VVigornenſis* epiſcopus pro eo in archiepiſcopum eligitur.

973. ANno DCCCC. lxxiij. Rex *Anglorum* pacificus *Eadgarus* anno ætatis ſuæ xxx. Indictione v. idus Mai, die Pentecoſtes, à beatis præſulibus *Dunſtano* & *Oſwaldo* & à cæteris totius Angliæ antiſtitibus in civitate *Acamanni* benedicitur, & cum maximo honore & gloria conſecratur, & in regem inunguitur. Interjecto deinde tempore, ille cum ingenti claſſe ſeptentrionali *Britannia* circumnavigata, ad *Legionum civitatem* appulit. Cui ſubreguli ejus octo, *Kynath* ſcilicet rex *Scottorum*, *Malcolm* rex *Cumbrorum*, *Maccus* plurimarum rex inſularum, & alii v. *Dufnald, Siferth, Huval, Jacob, Nichil*, ut mandaverat occurrerunt, & quod ſibi fideles & terra & mari cooperatores eſſe vellent juraverunt. Cum quibus die quadam ſcapham aſcendit, illiſque ad remos locatis, ipſe clavum gubernaculi arripiens, eam per curſum fluminis **De** perite gubernavit, omnique turba ducum & procerum ſimili navigio comitante, à palatio ad monaſterium ſancti *Johannis Baptiſtæ* navigavit. Ubi facta oratione, eadem pompa ad palatium remeavit. Quod dum intraret, optimatibus fertur dixiſſe, *tunc demum quemque ſuorum ſucceſſorum ſe gloriari poſſe regem Anglorum fore, cum, tot regibus ſibi obſequentibus, potiretur pompa talium honorum.* Sanctus *Oſwaldus* pallium à *Stephano* centeſimo xxxiiij. papa ſuſcepit.

974. ANno DCCCC. lxxiiij. Hoc anno terræ motus per totam *Angliam* factus eſt maximus.

975. ANno DCCCC. lxxv. *Anglici* orbis baſileus, flos & decus anteceſſorum regum, pacificus Rex *Eadgarus*, non minus memorabilis *Anglis* quam *Romulus* Romanis, *Cirus* Perſis, *Alexander* Macedonibus, *Arſaces* Parthis, *Karolus magnus* Francis, poſtquam cuncta regaliter conſummavit, anno ætatis ſuæ xxxij. regni autem illius in *Mercia* & *Northymbria* xix. ex quo vero per totam *Angliam* regnavit xvi. Indictione iij. viij. idus Julii, feria quinta ex hac vita tranſiens, filium ſuum *Eadwardum* & regni & morum hæredem reliquit. Corpus vero illius *Glaſtoniam* delatum, regio more eſt tumulatum. Is itaque dum viveret iiij. DC. robuſtas ſibi congregaverat naves. Ex quibus Paſchali emenſa ſollempnitate omni anno mille CC. in orientali, mille ducentas in occidentali, mille CC. in ſeptentrionali inſulæ plaga coadunare, & ad occidentalem cum orientali claſſe, & illa remiſſa ad borealem cum occidentali, ipſaque remiſſa cum boreali ad orientalem claſſem remigare, eoque modo totam inſulam omni æſtate conſueverat circumnavigare, viriliter hoc agens ad defenſionem contra exteros regni ſui, & ſuum ſuorumque ad bellicos uſus exercitium. Hieme autem & vere infra regnum uſquequaque per omnes provincias *Anglorum* tranſire, & quomodo legum jura & ſuorum decretorum ſtatuta à principibus obſervarentur, neve pauperes à potentibus præjudicium paſſi opprimerentur, diligenter ſolebat inveſtigare. In uno fortitudini, in altero juſtitiæ ſtudens, in utroque rei publicæ & regni utilitatibus conſulens. Hinc hoſtibus circumquaque timor, & omnium ſibi ſubditorum erga eum excreverat amor. Cujus deceſſu totius regni ſtatus eſt perturbatus, & poſt tempus lætitiæ, quod illius tempore ſtabat pacifice, cœpit tribulatio undique advenire. Nam princeps *Merciorum Elfere* quampluresque regni primates magnis obcæcati muneribus, abbates cum monachis de monaſteriis in quibus rex pacificus *Eadgarus* eos locaverat, expulerunt, & clericos cum uxoribus ſuis introduxerunt. Sed huic veſaniæ viri timorati dux orientalium Anglorum *Ethelwinus* dei amicus, & ſuus germanus *Elfwoldus*, & *Brithnothus* Comes vir religioſus reſtiterunt, & in ſynodo conſtituti, *ſe nunquam ferre poſſe*, dixerunt, ut *monachi eicerentur de regno qui omnem religionem tenuerunt in regno.* Congregato dein exercitu, monaſteria orientalium *Anglorum* maxima ſtrenuitate defenderunt. Dum hæc aguntur, de rege eligendo magna inter regni primores oborta eſt diſſenſio. Quidam namque Regis filium *Eadwardum*, quidam vero fratrem illius elegerunt *Egelredum*. Quam ob cauſam archipræſules *Dunſtanus* & *Oſwaldus* cum coepiſcopis, abbatibus ducibuſque quamplurimis in unum convenerunt, & *Eadwardum*, ut pater ſuus præceperat, elegerunt, electum conſecraverunt, & in regem unxerunt, Cometis ſtella autumnali tempore viſa eſt.

ANno DCCCC. lxxvi. fames valida *Angliam* invaſit. 976.

ANno DCCCC. lxxvij. in *Eaſtanglia* apud villam quæ **Cirting** nominatur maxima ſynodus celebratur. Dehinc apud **Kalne** regiam villam dum alia celebraretur, totius Angliæ majores natu qui ibidem congregati fuerant, excepto ſancto *Dunſtano*, de ſolario quodam corruerunt. Quorum quidam mortui ſunt, quidam vero mortis periculum vix evaſerunt. 977.

ANno DCCCC. lxxviij. Rex *Anglorum Eadwardus* juſſu novercæ ſuæ *Elfthridæ* reginæ in loco qui **Corveſgeate** dicitur à ſuis injuſte occiditur, & apud **Werham** non regio more ſepelitur. Cujus frater *Egelredus* Clito egregius, moribus elegans, pulcher vultu, decorus aſpectu, Indictione vi. die Dominica xviij. kal. Mai poſt Paſchalem feſtivitatem à ſanctis archipræſulibus *Dunſtano* & *Oſwaldo* & decem epiſcopis in **Kyngeſtune** ad regni faſtigium 978.

faſtigium eſt conſecratus. Nubes per totam *Angliam* media nocte, nunc ſanguinea, nunc ignea viſa eſt; dehinc in radios diverſos & colores varios mutata circa auroram diſparuit.

979. ANno DCCCC. lxxix. dux *Merciorum Elferus* cum multitudine populi **Werham** venit, ſanctumque corpus precioſi regis & martyris *Eadwardi* de tumulo ſullevari præcepit. Quod dum eſſet nudatum, ſanum atque incolume ab omni clade & contagione eſt inventum. Lotum deinde noviſque veſtimentis indutum, ad *Sceftoniam* eſt delatum, & honorifice tumulatum.

980. ANno DCCCC. lxxx. *Suthamtonia* à *Danicis* piratis devaſtatur, & ejus cives omnes fere vel occiſi, vel captivi ſunt abducti. Nec multo poſt **Teneland** inſulam idem devaſtavit exercitus. Quo etiam anno civitatis *Legionum* provincia à *Norwegenſibus* piratis devaſtatur.

981. ANno DCCCC. lxxxj. Sancti *Petroci* Confeſſoris monaſterium in *Cornubia* devaſtatum eſt à piratis qui anno præterito *Suthamtoniam* devaſtarunt. Qui deinde in *Domnania* & in ipſa *Cornubia* circa ripas maris frequentes prædas agebant.

982. ANno DCCCC. lxxxij. ad provinciam *Dorſetenſium* tres naves applicuerunt piratarum, & **Portland** devaſtaverunt. Civitas *Londonia* igne cremata eſt.

983. ANno DCCCC. lxxxiij. Dux *Merciorum Elferus* regis *Anglorum Eadgari* propinquus deceſſit, ejuſque ducatum filius ſuus *Alfricus* ſuſcepit.

984. ANno DCCCC. lxxxiiij. Sanctus *Ethelwoldus Wintonienſis* epiſcopus Indictione ij. Kal. Auguſti è ſeculo migravit. Cui ſucceſſit *Bathonicus* abbas *Elfegus*. Hic in monaſterio cui **Deorhyrſt** vocabulum eſt, religionis ſuſceperat habitum.

986. ANno DCCCC. lxxxvj. Rex *Anglorum Egelredus* propter quaſdam diſſenſiones civitatem *Hroſi* obſedit. Et viſa capiendi illam difficultate, iratus diſceſſit, & terras ſancti *Andreæ* Apoſtoli devaſtavit. Dux *Merciorum Alfricus Alferi* ducis filius ab *Anglia* expellitur.

987. ANno DCCCC. lxxxvij. Hoc anno duæ retro ſeculis *Anglorum* genti incognitæ peſtes, ſcilicet febris hominum, & lues animalium quæ Anglice **Scitta** vocatur, Latine autem fluxus interraneorum dici poteſt, totam *Angliam* plurimum vexaverunt, & clade pervalida tam homines afficiendo quam animalia penitus conſumendo per omnes fines *Angliæ* inedicibiliter deſævierunt.

988. ANno DCCCC. lxxxviij. **Wecedport** à *Danicis* piratis devaſtatur. A quibus etiam ſatrapa *Domnaniæ Goda* nomine & miles fortiſſimus *Strenwoldus* cum aliis nonnullis perimuntur. Sed tamen ex illis plurioribus occiſis *Angli* loco dominantur funeris. Beatus *Dunſtanus* archiepiſcopus Indictione prima xiiij. Kal. Junii ſabbato ex hac vita tranſivit, & ſupernæ civitatis ſedem petivit, pro quo *Ethelgarus Sealeſigenſis* epiſcopus archipræſulatum ſuſcepit, unoque anno tribuſque menſibus tenuit.

990. ANno DCCCC. xc. defuncto *Elfſio Lindiſfarnenſi* epiſcopo, *Aldunus* ſuccedit.

991. ANno DCCCC. xcj. *Ethelgaro* archiepiſcopo *Cantiæ Siricus* ſucceſſit. Hoc anno **Gippeſwic** *Dani* depopulati ſunt. Quorum duces fuerunt *Juſtin* & *Guthmund* filius *Steytan*: cum quibus non multo poſt ſtrenuus dux orientalium *Saxonum Brithnodius* juxta *Meldunam* prælium commiſit. Sed utrinque infinita multitudine occiſa, ipſe dux occubuit, *Danica* vero fortuna vicit. Quo inſuper anno *Sirici Dorobernenſis* archiepiſcopi, & ducum *Ethelwardi* & *Alfrici* conſilio, *Danis* tributum quod erat decem millia librarum primitus datum eſt, ut à crebris rapinis, cremationibus & hominum occiſionibus quas circa ripas maris frequenter agebant, deſiſterent, pacemque firmam cum eis tenerent. Sanctus *Oſwaldus* archiepiſcopus monaſterium **Rameſege**, quod ipſe & Dei amicus dux orientalium *Anglorum Ethelwinus* conſtruxerunt, divino adjutus auxilio & conſortatus amminiculo, vj. Idus Novem. feria iij. conſecravit.

992. ANno DCCCC. xcij. Sanctus *Oſwaldus* archiepiſcopus Indictione v. ij. Kal. Martii, feria ſecunda, tranſiens ex hac vita regni cœleſtis gaudia conſcendit, & *Wigornæ* in eccleſia ſanctæ *Mariæ*, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, requieſcit. Cui venerabilis *Medeſhamſtudenſis* abbas *Aldulfus* ſucceſſit. Nec diu poſt exceſſum beati *Oſwaldi* egregiæ dux memoriæ *Ethelwinus* Dei amicus defunctus eſt, & **Rameſege** honorifice ſepultus.

993. ANno DCCCC. xciij. Hoc anno prædictus exercitus *Danorum* **Bebbanburh** infregit, & omnia quæ in ea ſunt reperta ſecum aſportavit. Dehinc ad hoſtium *Humbræ* fluminis curſum ſuum dirigens, in **Lindeſege** & in *Northymbria* multis villis incenſis hominibuſque cæſis, magnam prædam cepit. Contra quos provinciales quamplures conglobati properanter aſcenderunt. Sed cum prælium eſſent commiſſuri, duces exercitus, *Frana* videlicet, *Frithegiſt* & *Godwinus*, quia ex paterno genere *Danici* fuerunt, ſuis inſidiantes, auctores fugæ primitus extiterunt.

994. ANno DCCCC. xciiij. *Anlafus* rex *Norreganorum*, & *Suanus* rex *Danorum*, die nativitatis ſanctæ *Mariæ* xciiij. trieribus *Londoniam* advehuntur: quam mox effringere & incendere conantur, ſed Dei ſuæque genitricis *Mariæ* juvamine non ſine parvo ſui exercitus detrimento à civibus repelluntur. Unde furore ſimul & triſtitia exaſperati, eadem die receſſerunt inde, & primitus in *Eaſtſaxonia* & *Cantia* circaque ripas maris, deinde in *Suthſaxonia Suthamtunenſi*que provincia villas incendunt, agros devaſtant, & ſine reſpectu ſexus quamplures ferro & flamma abſumunt, prædamque ingentem agunt. Ad poſtremum vero equos ſibi rapientes, multaſque per provincias debacchando diſcurrentes, ne ſexui quidem muliebri

vel innocuæ parvulorum pepercerunt ætati, quin univerſos atrocitate ferina contraderent morti. Tunc rex *Egelredus* procerum ſuorum conſilio ad eos legatos miſit, promittens tributum & ſtipendium ea conventione illis ſe daturum, ut à ſua crudelitate omnino deſiſterent. Qui petitioni regis acquieſcentes, ad ſuas reverſi ſunt naves, & ſic ad **Suthamtun** totus congregatus exercitus ibidem hiemaverunt. Quibus de tota *Weſtſaxonia* ſtipendium dabatur, de tota vero *Anglia* tributum quod erat xvj. librarum dependebatur. Interea juſſu regis *Egelredi Wintonienſis* epiſcopus *Elfegus*, nobiliſque dux *Ethelwardus* regem *Anlafum* adierunt, obſidibuſque datis illum ad regiam villam **Andeaſaran** ubi rex manebat, cum honore deduxerunt. Quem rex honorifice ſuſcepit, confirmari ab epiſcopo fecit, ſibi in filium adoptavit, regioque munere donavit. Ille vero ſe non amplius ad *Angliam* cum exercitu venturum regi *Ethelredo* promiſit, & ad naves poſtea rediit, æſtateque imminente ad patriam devectus, ſua promiſſa bene cuſtodivit. *Ricardus* primus dux *Normannorum* obiit, cujus filius *Ricardus* uno anno ſucceſſit. Poſt quem frater ejuſdem *Rodbertus*.

995. ANno DCCCC. xcv. *Aldunus* epiſcopus tranſtulit de **Ceſtre** in **Dunholm** corpus ſancti *Cuthberti*.

996. ANno DCCCC. xcvj. *Elfricus Dorobernia* archiepiſcopus conſecratus eſt.

997. ANno DCCCC. xcvij. *Danorum* exercitus qui remanſerat in *Anglia*, circumnavigata *Weſtſaxonia* hoſtium *Sabrinæ* fluminis intravit, & nunc ſeptentrionalem *Britanniam*, nunc *Cornubiam*, nunc in *Domnaniam* **Wecedporth** devaſtavit, villiſque quampluribus incenſis multas hominum ſtrages dedit. Deinde **Penwithſteort** regirato, in hoſtium fluminis *Tamira Domnaniam* & *Cornubiam* ſequeſtrantis devectus, navibus proſiluit, nulloque prohibente uſque ad *Lideſordam* ſuum incendium continuavit, & cædes hominum reiteravit. Ad hæc etiam *Ordulfi Domnaniæ* primatis monaſterium quod **Taviſtoce** nominatur combuſſit, ingenti præda onuſtus ad naves repedavit, eodemque in loco hiemavit.

998. ANno DCCCC. xcviij. memoratus paganorum exercitus hoſtium fluminis quod dicitur **Frome** appulſus, *Dorſetaniam* maxima ex parte devaſtavit. Dein frequenter inſulam *Vectam* adiit, ſæpe *Dorſetaniam* repetiit, moreque ſolito prædæ inſtitit, & quotienſcunque in *Vecta* jacuit, de *Suthſaxonia* & *Suthamtunenſi* provincia ſibi victum accepit. Adverſus tantam tempeſtatem multociens congregatus eſt exercitus; ſed quotienſcunque prælium eſſent commiſſuri, *Angli*, aut inſidiis aut aliquo infortunio impediti, terga verterunt, & hoſtibus victoriam dederunt.

999. ANno DCCCC. xcix. ſæpedictus exercitus paganorum hoſtium *Tamenſis* fluminis ingreſſus, per flumen **Medewege** *Roveceſtra* advehitur, eamque paucis diebus obſidione cinxit. Ad quos repellendos conglobati *Cantuarienſes*, aſperum cum eis prælium ineunt; ſed multis ex his & illis cæſis, *Dani* loco dominantur funeris. Hinc equites effecti, occidentalem *Cantiæ* plagam ferme totam ſunt demoliti. Qua re cognita, rex *Anglorum Egelredus* ſuorum primatum conſilio, & claſſem, & pedeſtrem congregavit exercitum. Verum dum paratæ eſſent naves, duces exercitus de die in diem moram cœptis innectentes, populum graviter vexabant. Ad ultimum vero nec claſſica, nec pedeſtris manus quicquam communis utilitatis agebat præter populi laborem, pecuniæ perditionem, hoſtium incitationem.

ANno ab incarnatione Domini milleſimo, *Danorum* claſſis præfata, hoc anno *Normanniam* petit, & ſequenti anno ad *Angliam* reverſa pejora prioribus egit. Rex *Ethelredus* terram *Cumbrorum* fere totam depopulatus eſt. Hic ſuæ claſſi mandavit, ut circumnavigata ſeptentrionali *Britannia*, in loco conſtituto ſibi occurreret. Sed vi ventorum præpedita, non potuit. Inſulam tamen quæ **Monege** dicitur devaſtavit. 1000.

ANno M. j. memoratus paganorum exercitus de *Normannia Angliam* revectus, hoſtium fluminis **Exe** ingreditur, & mox ad expugnandum urbem *Exanceſtram* egreditur. Sed dum murum illius deſtruere molitetur, à civibus urbem viriliter defendentibus repellitur. Unde nimis exaſperatus [more] ſolito villas ſuccendendo, agros depopulando, homines cædendo per *Domnaniam* vagatur. Quare *Domnanienſes* & *Summerſeatunenſes* in unum congregati in loco qui dicitur **Penho** certamen cum eis ineunt. Sed *Angli* pro militum paucitate *Danorum* multitudinem non ferentes, fugam capeſſunt, illi vero multa ſtrage facta victores exiſtunt. Deinde adeptis caballis, per totam fere *Domnaniam* pejora prioribus mala geſſerunt, ingentique præda capta naves repetierunt. Inde ad *Vectam* inſulam curſum direxerunt, & modo in ea, modo in *Suthamtonia*, modo in *Dorſetania*, nullo obſiſtente diu ſolitæ prædæ inſtiterunt; & in homines ferro, & in villas igne ſunt in tantum graſſati, ut cum illis nec claſſica manus navali, nec pedeſtris exercitus certare auderet prælio terreſtri. Icciroo & regi non parva mœſtitia, & populo inedicibilis inerat triſtitia. 1001.

ANno M. ij. Rex *Anglorum Egelredus* habito conſilio cum regni ſui primatibus utile duxit à *Danis* dextras accipere, illiſque ut à malis ceſſarent ſtipendium dare, & placabile tributum ſolvere. Hujus rei gratia dux *Leoffius* ad eos eſt tranſmiſſus. Qui cum veniſſet, ſtipendium & tributum ut acciperent flagitavit. Illi vero legationem ejus libenter amplectentes, petitis adquieverunt, & pro tenenda pace quantum tributi ſibi dependeretur, ſtatuerunt. Nec diu poſt xxiiij. librarum illis perſolvebantur. Interea idem dux *Leoffius* nobilem virum *Eafic* ſummum regis præpoſitum occidit. Unde rex ira ſuccenſus, patria illum expulit. Eodem anno *Emmam*, *Saxonice Elgivam* vocatam, ducis *Normannorum* primi *Ricardi* filiam, rex *Egelredus* duxit uxorem, de qua idem rex *Eadwardum* regem, necnon *Alfredum Godwini* Comitis longo poſt tempore dolis interemptum procreavit. *Aldulfus* archipræſul *Eboracenſis* coepiſcopis, abbatibus, preſbyteris, monachis religioſis quoque viris aggregatis ſancti *Oſwaldi* archipræſulis oſſa anno regis *Anglorum Ethelredi* xxv. Indictione xv. xvij. Kal. Maii, feria 1002.

feria iiij. è tumulo levavit, & in ſcrinio quod paraverat honorifice locavit. Et non multo poſt, id eſt, pridie nonas Maias ipſe defunctus, in eccleſia ſanctæ *Maria Wigorna* eſt ſepultus. Cui ſucceſſit abbas *Wlſtanus*. Quo etiam anno rex *Egelredus* omnes *Danos Angliam* incolentes majores & minores utriuſque ſexus occidere juſſit, quia illum ſuoſque primates vita regnoque privare, & totius *Angliæ* dominium ſuæ ditioni conati ſunt ſubdere.

1003. ANno M. iij. Hoc anno rex *Danorum Suanus* per inſilium, incuriam, & traditionem *Normannici* Comitis *Hugonis* quem regina *Emma Domnania* præfecit, civitatem *Execeſtram* infregit, ſpoliavit, murum ab orientali uſque ad occidentalem portam deſtruxit, & cum ingenti præda naves repetiit. Poſt hæc autem, cum *Wiltunienſem* provinciam devaſtaret, fortis exercitus de *Suthamtunenſi* & *Wiltunenſi* congregatus provinciis, viriliter & conſtanter adverſus hoſtes pugnaturus aſcendit. Sed cum tam prope eſſent exercitus ut alter alterum videre quiviſſent, *Alfricus* dux ſupra memoratus qui loco ducis *Anglis* tunc extitit, antiquas artes ſtatim prodidit, & ſimulata infirmitate vomere cœpit, dicens ſe infirmitatem magnam incurriſſe, & ob hoc cum hoſtibus dimicare nequiviſſe. Cujus inertiam & timiditatem ut vidit exercitus, à ſuis inimicis ſine pugna divertit mœſtiſſimus. Unde dictum eſt in antiquo proverbio. *Tremiſcente duce in prælio cæteri omnes præliatores efficiuntur pavidiores.* *Suanus* autem videns *Anglorum* inconſtantiam ad civitatem *Wiltoniam* ſuum duxit exercitum, eamque devaſtavit & incendit: ſimili quoque modo *Serasbyriam* conſumpſit; & poſt, ſuas naves repetiit.

1004. ANno M. iiij. rex *Danorum Suanus* cum ſua claſſe *Northwic* advectus, illam devaſtavit & incendit. Tunc magnæ ſtrenuitatis dux *Eaſtanglorum Vlfketel* quia ex improviſo venit, nec contra eum ſpatium congregandi exercitum habuit, cum majoribus *Eaſtanglia* habito conſilio pacem cum eo pepigit. Verum ille diſrupto fœdere tertia poſt hæc ebdomada cum copiis ſuis latenter è navibus proſiliens *Theofordam* invaſit, devaſtavit, nocte una in ea manſit, diluculo incendit. Quo cognito, dux *Vlfketel* quibuſdam de provincialibus mandavit ut hoſtium naves confringerent. At illi vel non audebant, vel juſſa perficere negligebant. Ipſe vero interim quam citius potuit clam ſuum congregans exercitum, adverſus hoſtem audacter aſcendit. Quibus ad naves repedantibus, non æqua manu militum illis occurrit, duriſſimumque cum eis prælium commiſit. Multiſque ex his & ex illis cæſis, nobiliores quique de *Eaſtanglia* corruerunt, *Dani* vero vix evaſerunt. Sed ſi vires *Eaſtanglorum* jam adeſſent, nullo modo naves ſuas repeterent. Ut enim ipſi teſtati ſunt, durius & aſperius bellum in *Anglia* nunquam experti ſunt quam illis dux *Vlfketel* intulerat.

1005. ANno M. v. Hoc anno dura magnaque fames *Angliam* invaſit. Quapropter rex *Danorum Suanus Danubiam* revertitur, poſt non longum tempus reverſurus.

1006. ANno M. vj. *Alfricus Dorobornenſis* archiepiſcopus obiit, cui *Wintonienſis* epiſcopus *Elfegus* ſucceſſit; & pro illo *Kenulfus* epiſcopatum ſuſcepit. Menſe *Julio Danorum* claſſis innumera *Angliam* advecta, portum *Sandicum* ſubiit; & cæde & incendio quæque conſumens, modo in *Cantia*, modo in *Suthſaxonia* maximam prædam egit. Ob hoc rex *Egelredus* de *Mercia* & *Weſtſaxonia* exercitum congregavit, & cum eis fortiter dimicare ſtatuit. Sed illi cum eo palam confligere nullatenus voluerunt, verum nunc in his, nunc in illis locis rapinas frequentes exercuerunt, & mox ad naves ſolito repedabant, eoque modo per totum autumpnum *Anglorum* vexabant exercitum. Quo domum redeunte nam hiems imminebat, illi cum enormi præda *Vectam* inſulam adiere, & ibidem uſque ad nativitatem Domini manſere. Qua adveniente, quia rex tunc temporis in *Scrobesbyrienſi* provincia morabatur, per *Suthamtunenſem* provinciam ad **Barrocſcire** venerunt, & *Radingum*, *Walingafordam*, *Ceoleſegiam*, vicoſque complures combuſſerunt. Inde moventes, **Eaſceſdune** tranſito **Cwichelmeſlawe** adierunt. Unde per aliam viam revertentes, juxta **Kenetan** incolas loci paratos ad prælium offenderunt, ſtatimque cum eis commiſerunt, illoſque fugaverunt, & poſtmodum cum præda quam ceperant, ad naves repedarunt.

ANno M. vij. Hoc anno rex *Anglorum Egelredus* cum conſilio primatum ſuorum nuncios ad *Danos* legans, eis nuntiare mandavit, quod ſumptus & tributum eo tenore illis dare vellet, ut à rapinis deſiſterent, & pacem cum eo firmam tenerent. Cujus poſtulationi conſenſerunt; & ex eo tempore de tota *Anglia* ſumptus illis dabatur, & tributum quod erat $\overline{\text{xxxvj}}$. librarum perſolvebatur pro pace tenenda. Quo etiam anno rex *Ethelredus Edricum* quendam cognomento *Streone Merciorum* conſtituit ducem. 1007.

ANno M. viij. rex *Anglorum Ethelredus* de treſcentis & decem caſſatis unam trierim, de novem vero loricam & caſſidem fieri, & per totam *Angliam* naves intente præcepit fabricari. Quibus paratis, electos milites in eis cum alimentis poſuit, &, ut ab exterorum irruptionibus fines regni ſui defenderent, illas ad *Sandicum* portum congregavit. Eo tempore frater perfidi ducis *Edrici Streone Brithricus* homo lubricus, ambitioſus & ſuperbus, apud regem injuſte accuſavit *Suthſaxonicum* miniſtrum *Wlnothum*. Qui ne caperetur mox fugam iniit, & viginti navibus acquiſitis, circa ripas maris rapinas frequentes exercuit. Ubi autem regiæ claſſi nunciatum eſt, quod ſi quis vellet, illum facile capere poſſet, lxxx. trieribus aſſumptis, ad perſequendum illum *Brithricus* profectus eſt. Sed cum diu proſpere navigaſſet, ſubito validiſſima tempeſtas obhorta naves diverberavit, conquaſſavit, & in aridam projecit, quas *Wlnothus* non multo poſt exuſſit. Ea re cognita, rex cum ducibus & proceribus domum rediit, claſſis vero juſſu illius *Londoniam* adiit, ſicque totius populi maximus labor periit. 1008.

ANno M. ix *Danicus* Comes *Turkillus* ſua cum claſſe ad *Angliam* venit. Exinde menſe Auguſto alia claſſis *Danorum* innumerabilis, cui præerant duces *Hemmingus* & *Eilafus* ad **Tene-** 1009.

land inſulam applicuit, & prædictæ claſſi ſine dilatione ſe junxit. Deinde ambæ *Sandicum* portum ſubeunt, & è navibus proſilientes civitatem *Cantuariam* hoſtiliter adeunt, eamque infringere cœperunt. A quibus mox cives *Cantuarienſes* cum orientalibus *Cantuariis* dextras petentes acceperunt, & eis i̅i̅j̅. libras pro firma pace dederunt. Illi autem naves repetentes, ad *Vectam* inſulam curſum direxerunt. Deinde in *Suthſaxonia* & *Suthamtunenſi* provincia circa ripas maris uti conſueverant frequenter prædam egerunt, & villas quamplures incenderunt. Quocirca rex *Egelredus* de tota *Anglia* exercitum congregavit, & per provincias mari vicinas adverſus illorum irruptiones locavit. Sed illi pro hoc non deſtiterunt quin pro ſitu ubique locorum rapinas agerent. Quadam igitur vice dum illi ſolito longius à mari prædatum deſcenderent, & onerati præda redirent, viam qua ad ſuas naves reverſuri erant rex præoccupavit, multis armatorum milibus inſtructus, & ut totus erat exercitus, mori vel vincere paratus. At perfidus dux *Edricus Streone* gener regis (habuit enim in conjugio filiam ejus *Egitham*) & inſidiis & perplexis orationibus ne prælium inirent, ſed ea vice ſuos hoſtes abire permitterent, modis omnibus allaboravit. Suaſit & perſuaſit, & à manibus *Anglorum Danos* ut patriæ proditor eripuit, & abire permiſit. Illi vero ab eis divertentes, magno cum gaudio ad ſuas regreſſi ſunt naves. Poſt hæc, emenſa ſancti *Martini* feſtivitate in *Cantiam* devecti, in *Tamenſi* flumine hyemalem ſtationem elegerunt, & ſumptus de *Eaſtſaxonia*, aliiſque provinciis utrique ripæ fluminis vicinis ſibi rapuerunt. Sæpe etiam civitatem *Londoniam* aggreſſi expugnare moliti ſunt. Sed à civibus non ſine parvo ſuorum detrimento repulſi ſunt.

1010. ANno M.x. memoratus *Danorum* exercitus menſe *Januario* navibus exilientes, per ſaltum qui dicitur **Ciltern** *Oxenefordam* adeunt, eamque devaſtantes incendunt, & ſic in utraque parte *Tamenſis* fluminis in revertendo prædam agunt. Quibus cum nunciatum fuiſſet exercitum adverſus illos *Londonia* congregatum, & cum eis prælium commiſſurum, pars exercitus per ſeptentrionalem ripam gradientis, in loco qui dicitur **Stans** tranſivit, & in unum collecti, prædæque ubertate ditati, per *Suthregiam* ad ſuas repedarunt naves, quas tempore quadrageſimali, dum conſiſterent in *Cantia*, refecerunt. Poſt Paſcha *Eaſtangliam* advecti, & juxta **Gipeſwic** navibus egreſſi, ad locum qui **Ringemere** dicitur, ubi ducem *Vlfketellum* cognovere cum exercitu conſediſſe, perrexerunt, & durum cum eo prælium iij. non. Mai commiſerunt. Sed cum pugna vehemens eſſet, *Eaſtangli* terga verterunt, quodam *Danico* miniſtro *Turkillo* **Snitenheafed** cognomento fugam primitus incipiente. Verum *Grantebrycgenſes* viriliter pugnantes diu reſtiterunt, victi demum fugerunt. In eo prælio gener regis *Ethelredi*, *Ethelſtanus*, nobilis miniſter *Oſwinus* cum filiis, *Wlfricus Leofwini* filius, *Edwinus Elfici* germanus, & multi alii nobiles miniſtri, populuſque innumerabilis corruerunt. *Dani* vero loco funeris dominati, *Eaſtangliam* optinuerunt, & equites effecti tribus menſibus per totam provinciam diſcurrere, prædas agere, villas cremare, homines & animalia non ceſſabant trucidare. In paludibus etiam id idem per omnia fecerunt. Exhin *Theodfordam*, & **Grantebrigge** devaſtantes cremavere. His geſtis, pedites navibus devecti, equites vero equis ſubvecti, *Tamenſem* fluvium repetierunt. Paucis diebus interjectis, iterum deprædaturi exierunt, & recto tramite ad *Oxenefordenſem* provinciam tetenderunt, eamque primitus, deinde *Buccingahamenſem*, *Bedefordenſem*, *Heortfordenſem* provincias villaſque cremando, homines & animalia trucidando depopulati ſunt, & poſt ad naves ſuas cum ingenti præda regreſſi ſunt. Poſt hæc circa feſtivitatem ſancti *Andreæ* Apoſtoli *Northamtoniam*, & in circuitu ejus quantum volebant, igni tradiderunt, & inde *Tamenſem* fluvium tranſeuntes, *Weſtſaxoniam* adierunt, & **Caningmerſe**, majorique parte *Wiltonienſis* provinciæ cremata, ſolito more cum præda magna ſuas ad naves circa nativitatem Domini reverſi ſunt.

ANno M.xj. in boreali parte *Thamenſis*, *Eaſtanglia*, *Eaſtſaxonia*, *Midleſaxonia*, *Heortfordenſi*, *Buccingahamenſi*, *Oxenefordenſi*, *Bedefordenſi*, *Grantebrycgenſi* provinciis, medietate quoque *Huntendonenſis* provinciæ, magnaque parte *Northamtunenſis* pagi: in auſtrali vero plaga *Tamenſis* fluminis, *Cantia*, *Suthregia*, *Suthſaxonia*, *Suthamtunenſi*, *Wiltonienſi*, *Barrocſcirenſi* provinciis à memorato *Danorum* exercitu ferro flammaque demolitis, rex *Anglorum Egelredus* & regni ſui primates ad illos miſerunt legatos, pacem ab eis petentes, & ut à depopulatione deſiſterent ſtipendium & tributum eis promittentes. Quibus auditis (ut rei probavit exitus,) non ſine dolo & ſimulatione, oblatis conſenſerunt. Licet enim eis affluenter ſumptus pararetur, & ad ſua vota tributum penderetur, non tamen deſtiterunt, quin turmatim per provincias ubivis diſcurrentes villas devaſtarent, rebus ſuis miſeros quoſdam ſpoliarent, quoſdam vero necarent. Ad ultimum inter nativitatem ſanctæ *Maria* & ſancti *Michaelis* feſtivitatem *Cantuariam* circumvallantes, obſederunt. Viceſimo autem obſidionis die per inſidias *Almeri* archidiaconi, quem ſanctus *Alfegus* ne morti traderetur prius eripuit, pars civitatis incenditur, exercitus ingreditur, urbs capitur. Alii ferro jugulantur, alii flammis conſumuntur, plures quoque de muris præcipites dantur, nonnulli per verenda ſuſpenſi deficiunt. Matronæ crinibus per plateas civitatis diſtractæ demum flammis injectæ moriuntur. Parvuli à matrum uberibus avulſi aut lanceis excipiuntur, aut ſuperacto carro minutatim conteruntur. Interea archipræſul *Alfegus* capitur, vincitur, tenetur, & variis modis afficitur. *Almarus* abbas monaſterii ſancti *Auguſtini* abire permittitur. Capiuntur *Godwinus Hrofenſis* epiſcopus, *Leofruna* abbatiſſa monaſterii ſanctæ *Mildrythæ*, *Elfredus* regis præpoſitus, monachi quoque & clerici, populuſque utriuſque ſexus innumerabilis. Exhin eccleſia *Chriſti* ſpoliata comburitur; grex monachilis, & turba virilis, ſed & muliebris, necnon infantilis decimatur. Novem trucidantur, decimus vitæ reſervatur. Quatuor monachis, & Dccc. viris decimatorum ſumma perficitur. Populo cæſo, urbe ſpoliata, & tota cremata archipræſul *Alfegus* vinctus extrahitur, impellitur, graviter ſauciatur, ad claſſem ducitur, poſt in carcerem retruditur, ibique vij. menſibus affligitur. Interea ira Dei in homicidam populum deſæviens, ex eis duo milia per diros internorum cruciatus proſtravit. Cæteri quoque ſimili 1011.

modo percuſſi, à fidelibus commonentur ut pontifici ſatisfaciant. Sed differunt. Prævaluit interim clades, & nunc denos, nunc vicenos, nunc plures abſumpſit.

1012. ANno M. xij. perfidus dux *Edricus Streone*, & omnes *Angliæ* primates utriuſque ordinis, ante Paſcha *Londoniæ* congregati ſunt, & ibi tam diu morati ſunt quouſque tributum *Danis* promiſſum, quod erat $\overline{\mathrm{xlviij}}$. librarum, perſolveretur. Interea ſacroſancto Dominicæ requiei ſabbato archipræſuli *Alfego* à *Danis* proponitur conditio, ut ſi vita & libertate velit potiri, $\overline{\mathrm{iij}}$. librarum perſolvat. Illo nolente, necem ejus uſque ad aliud ſabbatum protelant. Quo adveniente, adverſus illum exarſerunt ira magna, & quia vino nimis inebriati fuerant, & quia prohibuerat ne quis pro ſua redemptione quicquam eis daret. Proinde de carcere ducitur, ad eorum concilium pertrahitur. Mox illi de ſedibus proſiliunt, averſis ſecuribus illum dejiciunt, lapidibus, oſſibus, bovinis capitibus obruunt. Ad ultimum quidam *Thrum* nomine quem confirmarat pridie, impia motus pietate ſecurim capiti illius infixit. Qui ſtatim in Domino xiij. Kal. Mai obdormivit, & victorem ſpiritum cum triumpho ad cœlum direxit. Cujus corpus die ſequenti *Londoniam* defertur, à civibus honorifice ſuſcipitur, & ab epiſcopis *Eadnotho Lindicolnienſi*, & *Albſuno Londonienſi*, in eccleſia ſancti *Pauli* ſepelitur. Poſt hæc tributo ſoluto & pace juramentis firmata, *Danica* claſſis ut prius erat congregata longe lateque diſpergitur. Sed cum rege xlv. naves remanſere, eique fidelitatem juravere, & adverſus exteros *Angliam* ſe defenſuros eo tenore promiſere, ut eis victum tegimenque præberet.

1013. ANno M. xiij. *Lifingus* archiepiſcopatum *Dorobernia* ſuſcepit. Menſe Julio rex *Danorum* *Suanus* cum valida claſſe ad *Sandicum* portum eſt appulſus, ibique paucis diebus moratus diſceſſit, & *Eaſtanglia* circumnavigata hoſtium *Humbræ* fluminis intravit: de quo in flumen *Trentam* intravit, & **Gainesburh** navigavit, ubi & caſtra poſuit. Cui ſine cunctatione Comes *Uthredus*, & *Northymbrenſes*, & *Lindiſienſes* primitus, deinde *Fuburgenſes*, mox etiam omnis populus qui habitabat in ſeptentrionali plaga **Wetlingaſtrete**, id eſt, ſtrata quam filii *Wetle* regis ab orientali mari uſque ad occidentale per *Angliam* ſtraverunt, deditionem optulerunt, & pace cum illo ſtabilita obſidibuſque datis fidelitatem ei juraverunt. Quibus præcepit, ut equos & alimenta ſuo exercitui pararent. His expletis, & claſſe cum obſidibus *Canuto* filio ſuo commendata, ſibi electos auxiliarios de deditis ſumens, adverſus auſtrales *Mercios* expeditionem movit, & pertranſita **Wetlingſtrete** ſuis edictum poſuit, videlicet, ut agros devaſtarent, villas cremarent, eccleſias ſpoliarent, quicquid maſculini ſexus in manus veniret, ſine reſpectu miſericordiæ jugularent, fœminas ad ſuam libidinem explendam reſervarent, & omnia quæ poſſent mala peragerent. Quibus ita facientibus & rabie ferina debacchantibus, venit *Oxenefordam*, & illam citius quam putavit optinuit, obſidibuſque acceptis feſtinato *Wintoniam* properavit. Quo cum veniſſet, crudelitatis ejus magnitudine cives *Wintonienſes* perterriti, pacem cum eo ſine mora fecerunt, & obſides quos vel quot expetiit dederunt. Quibus acceptis, verſus *Londoniam* movit exercitum. De quo multi in *Tamenſi* fluvio ſummerſi interierunt, quia nunquam pontem neque vadum quærere voluerunt. Cumque *Londoniam* veniſſet, multis modis illam vel dolo capere, vel vi expugnare conatus eſt. Sed rex *Anglorum* *Egelredus* cum civibus & juvamine *Danici* Comitis *Turchilli* ſæpe memorati, qui ſecum tunc temporis intus erat, muros urbis viriliter defendit & illum abegit. Qui repulſus, primo *Walingafordam*, dein *Batam*, obvia quæque more ſolito rapiendo & demoliendo adiit, ibique exercitum ſuum refrigerando conſedit. Tunc venit ad eum *Ethelmarus Domnaniæ* Comes, & cum eo occidentales miniſtri, & pace cum illo facta, obſides illi dederunt. Quibus omnibus ad velle peractis, ad ſuam claſſem reverſus, ab omni *Anglorum* populo rex (ſi jure queat rex vocari qui fere cuncta tyrannice faciebat) & appellabatur, & habebatur. Cives etiam *Londonienſes* obſides illi miſerunt, & pacem cum eo fecerunt. Metuebant enim furorem illius in tantum ſuper ſe exardeſcere, ut omnibus rebus ſuis ablatis vel oculos illorum erui, vel manus vel pedes detruncari juberet. Quod cum vidiſſet rex *Egelredus*, reginam *Emmam* cum theſauris *Normanniam* ad ſuum fratrem ſecundum *Ricardum Normannorum* Comitem, & filios ſuos *Eadwardum* & *Elfredum* cum magiſtro illorum *Elfhuno Londonienſi* epiſcopo, & *Alſium Medeſhamſtedenſem* abbatem naviter miſit. Ipſe vero cum *Danica* claſſe quæ in *Tamenſi* jacebat in loco qui **Grenewic** nominatur aliquantiſper manſit, & poſt ad inſulam *Vectam* devectus, nativitatem Domini in illa celebravit. Qua peracta, *Normanniam* devehitur, & à *Ricardo* Comite honorifice ſuſcipitur, cum quo *Rothomagi* omnem incolatus ſui exegit tempus cum magnis opum apparatibus. Interea *Suanus* tyrannus ſuæ claſſi ſumptus affluenter parari, & tributum fere importabile ſolvi præcepit, ſimiliter per omnia Comes *Turchillus* claſſi quæ apud **Grenewic** jacebat ſolvi mandavit. Et ſuper hæc omnia uterque illorum quotienſcumque eis libuerat prædas egerunt, & multa mala fecerunt.

ANno M. xiiij. *Suanus* tyrannus poſt innumerabilia & crudelia mala quæ vel in *Anglia* vel in aliis terris geſſerat, ad cumulum ſuæ dampnationis ex opido ubi corpus precioſi martyris *Eadmundi* incorruptum requieſcit (quod nemo prius audebat facere ex quo id opidum datum fuerat memorati Sancti eccleſiæ) grande tributum auſus eſt exigere. Quod ſi cito non penderetur, ſe proculdubio ipſum opidum cum opidanis concrematurum, ipſius martyris eccleſiam funditus everſurum, clericos variis modis cruciaturum minatus eſt ſæpiſſime. Inſuper frequenter ipſi martyri multis modis detrahere, & illum nil ſanctitatis habere fuit auſus dicere. At quia modum ſuæ malitiæ noluit ponere, ultio divina non permiſit blaſphemum diutius vivere. Denique imminente veſpera diei qua in generali placito quod apud **Gainesburh** tenuerat hæc eadem minitans reiteravit, cum *Danorum* cuneis circumvallatus eſſet denſiſſimis, ſanctum *Eadmundum* ex adverſo venientem ſolus vidit armatum. Quem cum vidiſſet expavit, & nimio cum clamore vociferari cœpit, *Succurrite*, inquiens, *commilitones*, *ſuccurrite*, *ecce ſanctus Eadmundus me venit occidere*. Et hæc dicendo acriter à Sancto confoſſus 1014.

An. Dñi

cuſpide, de emiſſario qui inſederat decidit, & uſque ad noctis crepuſculum magno cruciatus tormento iij. Non. Februarii miſerabili morte vitam finivit, & apud *Eboracum* ſepultus fuit. Quo mortuo, filium ejus *Canutum* ſibi regem conſtituit claſſica manus *Danorum*. At majores natu totius *Angliæ* ad regem *Ethelredum* pari conſenſu nuncios feſtinanter miſere, dicentes, ſe nullum plus amare vel amaturos eſſe quam ſuum naturalem dominum, ſi ipſe vel rectius gubernare, vel mitius eos tractare vellet quam prius tractaverat. Quibus auditis, *Eadwardum* filium ſuum cum legatis ſuis ad eos dirigens, majores minoreſque gentis ſuæ amicabiliter ſalutavit, promittens ſe illis mitem devotumque dominum futurum, in omnibus eorum voluntati conſenſurum, conſiliis acquieturum, & quicquid ſibi vel ſuis ab illis probroſe vel dedecoroſe dictum vel contrarie factum fuerat, placido animo condonaturum, ſi omnes unanimiter & ſine perfidia illum recipere vellent in regnum. Ad hæc cuncti benigne reſponderunt. Dein amicitia plenaria ex utraque parte & pacto & verbis confirmatur. Ad hæc principes ſe non amplius *Danicum* regem admiſſuros in *Angliam* unanimiter ſpoponderunt. His geſtis, ab *Anglis* in *Normanniam* mittitur; rex feſtinato quadrageſimali tempore reducitur, & ab omnibus honorabiliter excipitur. Interea *Canuto* & *Lindiſienſibus* convenit, ut caballis exercitui ſuo paratis, prædatum ſimul deſcenderent. Sed antequam eſſent parati, venit illo rex *Egelredus* cum exercitu valido, & *Canuto* cum claſſica manu expulſo *Lindeſegiam* totam depopulans flammiſque conſumens omnes incolas quos poterat occidit. Ille vero fugæ præſidio celeriter arrepto, verſus auſtrum curſum dirigens, brevi *Sandicum* ad portum eſt appulſus, & obſides qui de tota *Anglia* patri ſuo dati fuerant in terram expoſuit, illorumque manibus truncatis, auribus amputatis, naribus præciſis abire permiſit, & deinceps profectus eſt *Danemarchiam* anno ſequenti reverſurus. Super hæc omnia mala rex *Egelredus* claſſi quæ apud **Grenewic** jacuit, tributum quod erat xxx. librarum pendi mandavit. Mare littus egreditur iij. Kal. Octobris, & in *Anglia* villas quampluſimas innumerabilemque populi multitudinem ſummerſit.

1015. ANno M.xv. Hoc anno cum apud *Oxenefordam* magnum haberetur placitum, perfidus dux *Edricus Streone* digniores & potentiores miniſtros ex *Seovenburgenſibus Sigeferthum* & *Morkarum* filios *Earngrimi* in cameram ſuam dolo ſuſcepit, & occulte illos ibi necare juſſit. Quorum facultates rex *Ethelredus* accepit, & derelictam *Sigeferti Algitham* ad *Maidulfi* urbem deduci præcepit. Quæ cum ibi cuſtodiretur, venit illuc *Eadmundus* Clito, & contra voluntatem ſui patris illam ſibi uxorem accepit, & inter aſſumptionem & nativitatem ſanctæ *Mariæ* profectus ad *Fifburhgintos*, terram *Sigefertbi* & *Morkari* invaſit, ac populum illarum ſibi ſubjugavit. Eodem tempore *Canutus* rex *Danorum* cum magna claſſe ad *Sandicum* portum venit, & mox *Cantia* circumnavigata hoſtium *Fromæ* fluminis introivit & in *Dorſetania* & *Summerſeatania Wiltonienſique* provincia magnam prædam egit. Tunc quia rex *Ethelredus* apud **Coſham** ægrotavit, *Eadmundus* Clito filius ejus in ſua parte, & dux inſidiis & dolo plenus *Edricus Streone* in ſua magnum congregaverunt exercitum. Sed cum in unum convenissent, multis comes inſidias Clitoni tetendit, illumque dolo perimere temptavit. Quibus cognitis, mox ab invicem diſceſſerunt, & locum ſuis inimicis dederunt. Non diu poſt idem dux de regia claſſe xl. naves *Danicis* militibus inſtructas ſibi allexit, & *Canuto* adiens ipſius dominio ſe mancipavit. Idem *Weſtſaxones* datis obſidibus fecerunt; & poſt exercitui caballos paraverunt.

1016. ANno M.xvj. rex *Danorum Canutus* & perfidus dux *Edricus Streona* cum multo equitatu amnem *Tamenſem*, in loco qui *Crecgelade* dicitur, tranſeuntes ante Epiphaniam Domini *Merciam* hoſtiliter intraverunt, & multas villas in *Warwicenſi* provincia populantes incenderunt, & omnes quos invenerant occiderunt. Quod ut audivit Clito *Eadmundus*, cognomine *Ferreum latus*, exercitum feſtinato congregavit. Sed cum congregatus eſſet, cum *Weſtſaxonicis* & *Danis* nolebant congredi *Mercenſes*, niſi cum illis eſſent rex *Egelredus* & cives *Lundonienſes*. Quapropter expeditione dimiſſa, unuſquiſque redit in ſua. Feſtivitate vero tranſacta, iterum *Eadmundus* Clito majorem congregavit exercitum. Quo congregato, nuncios *Lundoniam* miſit, rogans patrem ſuum, ut cum omnibus quos habere poterat, ſibi quam citius poſſet occurreret. Qui, multis pugnatoribus coadunatis, illi feſtinanter occurrit. Sed cum exercitus in unum conveniſſent, intimatum eſt regi, quod niſi præcaveret ſibi, quidam ex ſuis auxiliariis eſſent illum tradituri. Idcirco mox, exercitu dimiſſo, *Londoniam* rediit, Clito vero in *Northymbriam* ivit. Unde putabant nonnulli, quod adhuc adverſus *Canutum* congregare majorem vellet exercitum. Sed ſicut *Canutus* & *Edricus* ex una parte, ita ille & *Uthredus Northymbrorum* Comes provincias ſunt populati nonnullas. Nam prius *Staffordenſem*, deinde *Scrobesbyrienſem* & *Legaceſtrenſem* provincias devaſtavere, quia adverſus *Danorum* exercitum ad pugnam exire noluere. Interea *Canutus* & *Edricus Streone* primitus *Buccingahamenſem*, *Bedefordenſem*, *Huntendunenſem*, *Northamtunenſem*, *Lindicolnenſem*, *Snotingahamenſem* provincias, dein *Northymbriam* depopulantur. Quo cognito, Clito *Eadmundus* populatione dimiſſa ad patrem ſuum *Londoniam* properavit. Comes vero *Uthredus* domum feſtinanter rediit, & neceſſitate compulſus ad *Canutum* cum omnibus *Northymbrenſibus* ſe contulit, & obſides ei dedit, & tamen ejus juſſu vel permiſſu à *Turebrando* nobili & *Danico* viro eſt peremptus, & cum eo *Turketellus Navena* filius. Quo patrato, *Canutus Iricum* pro **Uthredo* Comitem poſuit, & poſt alacer verſus auſtrum per aliam viam regreſſus, ante Paſchalem feſtivitatem ſuas cum omni exercitu naves repetiit. Eo tempore rex *Anglorum Egelredus*, xiv. Indictione, ix. Kal. Maj. feria ij. *Lundoniæ* defunctus eſt, poſt labores magnos & multas vitæ ſuæ tribulationes, quas ſuper eum venturas regalis conſecrationis ſuæ die poſt impoſitam coronam prophetico ſpiritu ſanctus ei prædixerat *Dunſtanus*. Quoniam, inquit, aſpiraſti ad regnum per mortem fratris tui innocentis quem occidit ignominioſa mater tua, propterea audi verbum Domini, Hæc dicit Dominus, *Non deficiet gladius de domo tua ſæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de ſemine tuo, quouſque regnum tuum transferatur in regnum*

alit-

[illegible], cujus [illegible] & lingua gens [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] conſilio ejus [illegible]. Corpus autem illius in eccleſia ſancti Pauli apoſtoli honorifice ſepultum eſt. Cujus poſt mortem epiſcopi, abbates, duces & quique nobiliores Angliæ in unum congregati pari conſenſu in dominum & regem ſibi Canutum elegere, & ad eum in Suthamtoniam venientes omnemque progeniem Regis Egelredi coram illo abnegando repudiantes, pacem cum eo compoſuere, & fidelitatem illi juravere. Quibus & ille juravit, quod & ſecundum Deum & ſecundum ſæculum fidelis eis eſſe vellet dominus. At cives Londonienſes & pars nobilium qui eo tempore conſiſtebant Londoniæ, Clitonem Eadmundum unanimi conſenſu in regem levavere. Qui ſolii regalis ſublimatus culmine intrepidus Weſtſaxoniam adiit ſine cunctatione, & ab omni populo magna ſuſceptus gratulatione, ſuæ ditioni eam ſubegit citiſſime. Quibus auditis, multi Anglorum populi magna cum feſtinatione illi ſe dederunt voluntarie. Canutus autem interim cum tota claſſe circa Rogationes Londoniam devehitur. Quo cum veniſſent, in auſtrali parte Tamenſis magnam ſcrobem foderunt, & naves ſuas in occidentalem plagam pontis traxerunt. Dein urbem, alta lataque foſſa & obſidione cingentes, ingreſſum & egreſſum cunctis intercluſerunt, ac eam frequenter expugnare moliti ſunt. Sed à civibus illius viriliter reſiſtentibus procul à mœnibus repelluntur. Quapropter obſidione ad tempus dimiſſa, exercitusque parte ad naves cuſtodiendas relicta, Weſtſaxoniam abierunt propere, & regi Eadmundo Ferreo Lateri ſpacium congregandi exercitum non dederunt. Quibus tamen ille cum exercitu quem in tantillo ſpacio congregarat Dei fretus auxilio audacter in Dorſetania occurrit, & in loco qui Peonnum vocatur juxta Gillingaham cum eis congreſſus vicit, & eos in fugam vertit. Poſt hæc media æſtate tranſacta, denuo majori quam prius exercitu congregato, fortiter confligere ſtatuit cum Canuto. Cui occurrit in Hwicciis in loco qui Sceorſtan nominatur. Ubi exercitum pro loco & copiis inſtruit, optimum quemque in primam aciem ſubducit, cæterum exercitum in ſubſidiis locat, unumquemque nominatim appellat, hortatur, rogat ut meminerint ſe pro patria, pro liberis, pro conjugibus atque ſuis domibus certare, & optimis ſermonibus militum animos accendebat. Deinde tubicines canere & cohortes paulatim incedere jubet. Idem facit hoſtium exercitus. Ubi eo ventum eſt ubi ab illis prælium committi poſſet, maximo clamore cum infeſtis ſignis occurrunt, lanceis & gladiis pugna geritur, maxima vi certatur. Interea rex Eadmundus Ferreum latus in prima acie comminus acriter inſtabat, omnia providebat, multum ipſe pugnabat, ſæpe hoſtem feriebat, ſtrenui militis & boni Imperatoris officia ſimul exequebatur. Sed quia Edricus Streone dux perfidiſſimus, & Almarus dilectus, Algaruſque filius Men, qui ei auxilio eſſe debuerant cum Suthamtonienſibus & Wiltonienſibus provincialibus, innumeraque populi multitudine hic in parte Danorum fuerant, ejus exercitus nimis laborabat. Attamen primo die belli, Lunæ ſcilicet die, tam durum tamque cruentum excitit prælium, ut uterque exercitus præ laſſitudine diutius non valens pugnare, ſole jam deficiente & occiderent, ab invicem ſunt digreſſi ſponte voluntate. Sed poſtera die Rex Danos protereret omnes, ſi perfidi ducis Edrici Streonæ non eſſent inſidiæ. Siquidem cum pugna vehemens eſſet, & Anglos fortiores eſſe cerneret, cujuſdam viri regi Eadmundo facie capilliſque ſimillimi, Oſmeari nomine, capite amputato, & in altum levato, exclamat, Anglos fruſtra pugnare, dicens, *Vos Dorſetenſes, Domnani, Wiltonienſes, amiſſo capite præcipites fugite. En domini veſtri caput* Eadmundi *baſilei hic in meis manibus, cedite quantocius.* Quod ubi Angli accepere, magis atrocitate rei quam fide nuncii terrentur. Unde factum eſt, ut inconſtantiores quique paululum à fuga abeſſent. Sed illico quod rex viveret comperto, animos tollebant, & in Danos acrius incedebant, ex illiſque multos proſternebant, ſummis certantes viribus uſque ad crepuſculum noctis. Qua adveniente, ut pridie ſunt digreſſi ſponte. At ubi plerumque noctis proceſſit, Canutus è caſtris ſuos cum ſilentio juſſit, & verſus Londoniam iter arripiens, ad naves repedavit, ac non multo poſt Londoniam reobſedit. Ubi autem dies advenit, & rex Eadmundus Ferreum latus Danos fugiſſe comperit, majorem congregaturus exercitum, in Weſtſaxoniam revertitur. Cujus ſtrenuitatem videns ſororius ejus perfidus dux Edricus, ut [illegible] dominum illum requiſivit, & pace cum eo redintegrata ſe fidelem ei permanſurum juravit. Itaque exercitu vice tertia congregato, Londonienſes cives ab obſidione rex liberavit, Danos ad ſuas naves fugavit, poſt biduum Tamenſem in loco qui Brentford nominatur transfretavit, cum Danis tertio prælium commiſit, & fugatis eis victor extitit. Ea vice multi Anglorum populi, dum incautius flumen tranſeunt, demerguntur. Exinde rex numeroſiorem congregaturus exercitum in Weſtſaxoniam properat, Dani vero Londoniam repetunt, obſidione illam cingunt, & ex omni parte oppugnant, ſed Deo juvante nil omnino proficiunt. Ob quam rem cum ſua claſſe recedentes inde, amnem qui Arewe dicitur, intrant, & navibus exilientes prædatum in Merciam pergunt, obvios quoſque cædunt, more ſolito villas incendunt, prædam agunt, poſt ad naves redeunt. Pedeſtres in flumen, quod Meodewege nuncupatur, navibus develuntur; equeſtres vero vivam prædam per terram minant. Interea rex Eadmundus Ferreum latus exercitum fortem de tota Anglia quarto congregavit, & in loco ubi prius Tamenſi fluvio tranſmeato, in Cantiam citius intravit, ac juxta Ottafordam cum Danis pugnam iniit. At illi non ferentes impetum ejus terga verterunt, & cum ſuis equis in Sceapege fugerunt. Ex quibus tamen omnes quos comprehendere potuit, occidit, & ni perfidus dux Edricus Streone ſuis inſidiis & inſiliis eum apud Eaglesforde ne ſuos perſequeretur hoſtes retineret, eo die plena potiretur victoria. Quo in Weſtſaxoniam reverſo, Canutus ſuas copias in Eaſtſaxoniam trajecit, & iterum prædandi cauſa Merciam repetiit, & pejora prioribus exercitum facere juſſit. Illi autem ſatis impigre juſſa peragunt, & omnibus qui in manus venerant obtruncatis, villis quam plurimis incenſis, agris depopulatis, prædæ ubertate ditati ad naves repedant feſtini. Quos rex Anglorum Eadmundus Ferreum latus cum exercitu quem de tota Anglia contraxerat inſecutus, in monte qui Aſſandun, id eſt mons aſini, nominatur, abeuntes eſt conſecutus. Ibi feſtinus

triplicibus ſubſidiis aciem inſtruit. Deinde ſingulas turmas circuiens monet atque obteſtatur, uti memores priſtinæ virtutis atque victoriæ, ſeſe regnumque ſuum à *Danorum* avaritia defendant; Cum his certamen fore quos antea vicerunt. Interea *Canutus* paulatim in æquum locum ſuos deducit: at contra rex *Eadmundus* aciem ſicuti inſtruxerat velociter movet, & repente ſigno dato *Danos* invadit. Summa vi utrinque dimicatur. Ex his & illis multi cadunt. Verum perfidus dux *Edricus Streone* videns aciem *Danorum* inclinatam, & *Anglos* habituros victoriam, ut prius *Canuto* promiſerat, cum *Mageſetenſibus* & exercitus parte cui præerat, fugam capeſſit, & dominum ſuum regem *Eadmundum* & *Anglorum* exercitum dolis circumvenit, & *Danis* victoriam ſuis inſidiis dedit. Occiſus eſt in ea pugna *Alfricus* dux, *Godwinus* dux, *Ulfketellus Eaſtanglorum* dux, *Ethelwardus* dux filius ducis *Eaſtanglorum Ethelwini* Dei amici, totuſque fere globus nobilitatis *Anglorum*, qui nullo in bello majus unquam vulnus quam ibi acceperunt. *Eadnothus* quoque *Lindicolienſis* epiſcopus & *Wlſius* abbas qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, interfecti ſunt. Interjectis poſt hæc paucis diebus, cum rex *Eadmundus Ferreum latus* cum *Canuto* adhuc vellet congredi, perfidus dux *Edricus* & quidam alii id nullo modo ſinebant fieri, ſed illi conſilium dabant, ut pace facta cum *Canuto* regnum divideret. Quorum ſuggeſtionibus licet invitus ad poſtremum cum conſentiret, recurrentibus internuntiis & obſidibus ad invicem datis ambo reges ad locum qui **Deorhirſt** nominatur in unum convenerunt. *Eadmundus* cum ſuis in occidentali ripa *Sabrinæ*, *Canutus* vero in orientali cum ſuis conſedit. Deinde uterque rex in inſulam quæ **Olanege** appellatur & eſt in ipſius fluminis medio ſita, trabariis advehitur. Ubi pace, amicitia, fraternitate & pacto & ſacramentis confirmata, regnum dividitur. Deinde armis mutuatis & veſtibus, tributoque quod claſſicæ manui penderetur ſtatuto, abinvicem diſceſſerunt. *Dani* tamen cum præda quam diripuerant ſuas ad naves redierunt, cum quibus pacem dato precio cives *Londonienſes* fecerunt, & eos ſecum hyemare permiſerunt. Poſt hæc rex *Eadmundus Ferreum latus* circa feſtivitatem ſancti *Andreæ* apoſtoli xv. Indictione deceſſit *Londoniæ*, ſed cum avo ſuo rege pacifico *Eadgaro* ſepultus eſt *Glaſtoniæ*. Cujus poſt mortem Rex *Canutus* omnes epiſcopos & duces necnon & principes cunctoſque optimates gentis *Angliæ Londoniæ* congregari juſſit. Qui cum veniſſent ante eum, quaſi neſciens interrogavit eos ſagaciſſime qui fuerunt teſtes inter eum & *Eadmundum* quando conventionem amicitiæ & diviſionem regni inter ipſos fecerunt, qualiter ipſe & *Eadmundus* de fratribus & filiis ejuſdem inter ſe locuti fuiſſent, utrum fratribus & filiis ejus liceret in regno occidentalium *Saxonum* poſt patrem eorum regnare, ſi *Eadmundus* moreretur vivente illo. At illi cœperunt dicere, ſe proculdubio ſcire, quod rex *Eadmundus* fratribus ſuis nullam portionem regni ſui nec ſe ſpirante neque moriente commendaſſet. Dixeruntque hoc ſe noſſe, *Eadmundum* regem velle *Canutum* adjutorem & protectorem eſſe filiorum ejus donec regnandi ætatem habuiſſent. Verum illi teſtante Deo falſum perhibuerunt teſtimonium, & fraudulenter mentiti ſunt; æſtimantes illum ſibi & mitiorem eſſe propter mendacium eorum, & ſe ab eo precium ſumere magnum. Ex quibus falſis teſtibus quidam non poſt multum tempus ab eodem rege interfecti ſunt. Tunc rex *Canutus* poſt ſupradictam interrogationem conatus eſt à præfatis optimatibus fidelia juramenta recipere. At ipſi juraverunt illi, quod eum regem ſibi eligere vellent, eique libenter obedire, & ſuo exercitui vectigalia dare, & accepto pignore de manu ſua nuda cum juramentis à principibus *Danorum*, fratres & filios *Eadmundi* omnino deſpexerunt, eoſque reges eſſe negaverunt. Unus autem ex ipſis præfatis Clitonibus erat *Edvius* egregius ac reverentiſſimus regis *Eadmundi* germanus, quem ibidem cum conſilio peſſimo exulem eſſe debere conſtituerunt. Et cum audiſſet *Canutus* rex adulationem ſupradictorum & deſpectionem quam fecerunt in *Edvium*, gaudens introivit in cameram ſuam, vocanſque ad ſe perfidum ducem *Edricum*, ſciſcitatur ab eo quomodo decipere valuiſſet *Edvium*, ut mortis ſubiret periculum. Qui reſpondens dixit, ſcire ſe quendam virum nomine *Ethelwardum* qui ſe facilius eum in mortem tradere quiviſſet, cum quo colloquium habere poſſet, illique nimiam mercedem promittere. Cognito autem viri nomine, vocavit eum rex ad ſe, aſtutiſſime dicens. Sic & ſic allocutus eſt me dux *Edricus*, dicens, te poſſe ſeducere *Edvium* Clitonem ut occidatur. Modo acquieſce conſiliis noſtris, & potieris omni honore & dignitate patrum tuorum, & quære mihi caput ejus, & eris mihi carior fratre germano. Ille vero dicebat ſe velle eum quærere ut interficeretur ſi ullo modo valuiſſet. Veruntamen nondum illum necare volebat, ſed propter excuſationem hoc promittebat. Erat enim ille ex nobiliſſimo genere *Anglorum* ortus.

ANno M. xvij. hoc anno rex *Canutus* totius *Angliæ* ſuſcepit imperium, & xix. annis potenter tenuit, idque in quatuor partes diviſit: *Weſtſaxoniam* ſibi, *Eaſtangliam Turkillo* Comiti, *Merciam Edrico* duci, *Northymbriam Irco* Comiti. 1017. Fœdus etiam cum principibus & omni populo ipſe & illi cum ipſo percuſſerunt, & amicitiam firmam inter ſe juramentis ſtabilierunt, omneſque veteres inimicitias poſtponentes ſedaverunt. Deinde conſilio perfidi ducis *Edrici* rex *Canutus* Clitonem *Edvium* regis *Eadmundi* germanum qui rex appellabatur ruſticorum exlegavit. Verum ſequenti tempore cum rege pacificatus eſt *Edvius*. *Edvius* vero Clito deceptus illorum inſidiis quos eatenus amiciſſimos habuit, juſſu & petitione regis *Canuti* eodem anno innocenter occiditur. Dedit etiam conſilium *Edricus*, ut Clitunculos *Eadwardum* & *Eadmundum* regis *Eadmundi* filios necaret. Sed quia magnum dedecus ſibi videbatur ut in *Anglia* perimerentur, parvo elapſo tempore ad regem *Suavorum* occidendos miſit; qui, licet fœdus eſſet inter eos, precibus illius nullatenus acquieſcere voluit, ſed illos ad regem *Ungariorum Salomonem* nomine miſit nutriendos, vitæque reſervandos. Quorum unus ſcilicet *Eadmundus* proceſſu temporis ibidem vitam finivit. *Eadwardus* vero *Agatham* filiam *Germani* Imperatoris *Henrici* in matrimonium accepit, ex qua *Margaretam Scottorum* reginam, & *Chriſtinam* ſanctimonialem virginem & Clitonem *Eadgarum* ſuſcepit. Menſe Julio rex *Canutus* derelictam regis *Egelredi* reginam *Emmam* in conjugium

Dñi giam accepit, ex qua genuit *Ardecnutum* regem, & filiam *Gunildam*, quæ nupſit *Henrico Romanorum* Imperatori, ac in nativitate Domini cum eſſet *Londoniæ*, perfidum ducem *Edricum* in palatio juſſit occidere, quia timebat inſidiis ab eo aliquando circumveniri, ſicut domini ſui priores *Egelredus* & *Eadmundus* frequenter circumventi ſunt; & corpus illius ſuper murum civitatis projici ac inſepultum præcepit dimitti. Cum quo dux *Northmannus* filius *Leofwini* ducis, frater ſcilicet *Leofrici* Comitis, & *Ethelwardus* filius *Agelmari* ducis, & *Brihtricus* filius *Elfegi Domnanienſis* ſatrapæ ſine culpa interfecti ſunt. *Leofricum* pro *Northmanno* ſuo germano rex conſtituit ducem, & eum poſtmodum valde carum habuit.

018. ANno M. xviij. Hoc anno de tota *Anglia* $\overline{\text{lxxij}}$. & de *Londonia* $\overline{\text{xv}}$. libræ exercitui *Danorum* ſunt perſolutæ. *Aldunus* epiſcopus *Dunholmenſis* obiit. Ingens bellum apud *Carrum* geſtum eſt inter *Scottos* & *Anglos*, inter *Huctredum* filium *Waldef* Comitem *Northymbrorum*, et *Malcolmum* filium *Cyneth* regem *Scottorum*. Cum quo fuit in bello *Eugenius Calvus* rex *Lutinenſium*. *Angli* & *Dani* apud *Oxenefordam* de lege regis *Eadgari* tenenda concordes ſunt effecti.

19. ANno M. xix. Hoc anno rex *Anglorum* & *Danorum Canutus Danemarchiam* adiit, & ibi per totam hiemem manſit.

0. ANno M. xx. *Canutus* rex *Anglorum Angliam* rediit, & in Paſchali feſtivitate apud *Cyrenceſtram* magnum Concilium habuit. *Eadmundus* ſuſcepit epiſcopatum *Dunelmenſem*. *Livingus Dorobernia* archiepiſcopus vita deceſſit, cui *Agelnothus* qui *Bonus* appellabatur nobilis viri *Agelmari* filius ſucceſſit. Eodem anno eccleſia quam rex *Canutus* & Comes *Turkillus* in monte qui **Aſſandun** dicitur conſtruxerant, illis præſentibus à *Wlſtano Eboracenſi* archiepiſcopo & multis aliis epiſcopis cum magno honore & gloria dedicata eſt.

1. ANno M. xxj. *Canutus* rex *Anglorum* & *Danorum* ante feſtivitatem ſancti *Martini Turkillum* ſæpedictum Comitem cum uxore ſua *Egitha* expulit *Anglia*. *Algarus* orientalium *Anglorum* epiſcopus obiit, cui *Aldwinus* ſucceſſit.

2. ANno M. xxij. *Agelnothus Dorobernia* archiepiſcopus *Romam* ivit, quem *Benedictus* papa magno cum honore ſuſcepit, & pallium illi dedit.

3. ANno M. xxiij. corpus ſancti *Elfegi* martyris de *Londonia Doroberniam* eſt tranſlatum. *Wlſtanus Eboracenſium* archiepiſcopus *Eboraci* v. Kal. Junii feria iij. defungitur, ſed corpus ejus **Eli** defertur, & ibi ſepelitur. Cui ſucceſſit *Alfricus Wintonienſis* præpoſitus.

6. ANno M. xxvj. *Alfricus Eboracenſis* archiepiſcopus *Romam* ivit, & à *Johanne* papa pallium ſuſcepit. Obiit *Ricardus* ſecundus dux *Normannorum*. Cui ſucceſſit *Ricardus* iij. qui eodem anno mortuus eſt: cui *Robertus* frater ejus ſucceſſit.

An. Dñi.

1027. ANno M. xxvij. cum regi *Anglorum* & *Danorum* intimatum fuiſſet quod *Norregani* regem ſuum *Olavum* propter ejus ſimplicitatem & manſuetudinem, æquitatem & religioſitatem nimis vilipenderent, multum auri & argenti quibuſdam illorum miſit, multis rogans petitionibus, ut illo ſpreto & abjecto deditionem illi facerent, ac illum ſuper ſe regnare permitterent. Qui cum ea quæ miſiſſet aviditate magna ſuſcepiſſent, ei remandari juſſerunt, ad illum ſuſcipiendum ſe paratos fore quandocunque vellet venire.

1028. ANno M. xxviij. *Canutus* rex *Anglorum* & *Danorum* l. navibus magnis *Norregam* devectus, *Olavum* regem de illa expulit, ſibique eam ſubjugavit.

1029. ANno M. xxix. *Canutus* rex *Anglorum*, *Danorum* & *Norreganorum* ad *Angliam* rediit, & poſt feſtivitatem ſancti *Martini Danicum* Comitem *Hacun*, qui nobilem matronam *Gunildam* ſororis ſuæ & *Wyrtgeorni* regis *Winidorum* filiam in matrimonium habuit, quaſi legationis cauſa in exilium miſit. Timebat enim ab illo vel vita privari, vel regno expelli.

1030. ANno M. xxx. prædictus Comes *Hacun* in mari periit. Quidam tamen dicunt, eum fuiſſe occiſum in *Orcada* inſula. Sanctus *Olavus*, quem *Canutus* rex expulerat, rex & martyr, *Haroldi* regis *Norreganorum* filius, in *Norrega* injuſte perimitur à *Norreganis*.

1031. ANno M. xxxj. *Canutus* rex *Anglorum* & *Danorum* & *Norreganorum* de *Danemarchia* magno cum honore *Romam* ivit, & ſancto *Petro* apoſtolorum principi ingentia dona in auro & argento aliiſque rebus precioſis optulit, & à *Johanne* papa, ut ſcolam *Anglorum* ab omni tributo & telone liberaret, impetravit, & in eundo et redeundo largas pauperibus elemoſinas erogavit, ac multas per viam clauſuras, ubi telon à peregrinis exigebatur, ingenti precio dato diſſipavit, vitæque ſuæ & morum emendationem ante ſepulchrum apoſtolorum Deo devovit.

1032. ANno M. xxxij. Eccleſia ſancti *Eadmundi* regis & martyris hoc anno dedicata eſt. In qua rex *Canutus* monachos poſuit ejectis presbyteris. Ignis multis in locis per *Angliam* deſævit. *Elfſige Wintonienſis* epiſcopus obiit. *Elfwinus* presbyter Regis ſucceſſit.

1033. ANno M. xxxiij. magnæ religionis & modeſtiæ vir, *Leofſius Hwicciorum* epiſcopus in epiſcopali villa *Kemeſin* xiv. Kal. Septembris feria iij. obiit, & ut credi fas eſt ad cœlica regna migravit. Cujus corpus in eccleſia ſanctæ *Maria Wigorna* tumulatur honorifice. In cujus ſedem *Perſcorenſis* abbas *Brithtegus*, filius videlicet ſororis *Wlſtani Eboracenſis* archiepiſcopi, levatus eſt.

1034. ANno M. xxxiv. *Malcolm* rex *Scottorum* obiit, cui *Macbethad* ſucceſſit.

An. Dñi 1035. ANno M.xxxv. *Canutus* rex *Anglorum* ante ſuum obitum ſuper *Norreganos Suanum* filium ſuum regem conſtituit. Super *Danos* vero *Hardecnutum* ſuum et *Emmæ* reginæ filium regem locavit. *Haroldum* vero filium ſuum ex *Hamtunenſi Ælgiva* procreatum regem *Anglorum* conſtituit, & poſtea hoc anno ij. idus Novembris feria iv. apud *Sceftesbiriam* vita deceſſit. Sed *Wintonia* in veteri monaſterio ſatis honorifice ſepelitur. Quo tumulato, regina *Algiva* ibidem reſedit. *Haroldus* vero adepta regia dignitate, miſit *Wintoniam* conſtipatores ſuos celerrime, & gazarum opumque quas rex *Canutus* ei reliquerat majorem melioremque partem ademit illi tyrannice, ſpoliatamque dimiſit ibidem ut cœperat reſidere, atque conſentientibus quamplurimis majoribus natu *Angliæ* quaſi juſtus hæres cœpit regnare, non tamen ita potenter ut *Canutus*, quia juſtior hæres expectabatur *Hardecnutus*. Unde brevi poſt tempore regnum ſorte dividitur *Angliæ*, et *Haraldo* pars ſeptentrionalis, *Hardecnuto* provenit auſtralis. Obiit *Rodbertus* dux *Normannorum*, cui ſucceſſit *Willielmus baſtard* filius ejus in puerili ætate.

1036. ANno M. xxxvj. innocentes Clitones *Alfredus* et *Eadwardus Agelredi* quondam regis *Anglorum* filii, de *Normannia* ubi cum *Ricardo* avunculo ſuo manſerant tempore longo, multis *Normannicis* militibus ſecum aſſumptis, in *Angliam* paucis tranſvecti navibus ad ſuæ matris colloquium, quæ morabatur *Wintoniæ*, venere. Quod indigne graviterque ferebant potentes nonnulli, quia, licet injuſtum eſſet, *Haraldo* multo devotiores extiterunt quam illis, maxime ut fertur Comes *Godwinus*. Hic quidem *Alfredum*, cum verſus *Londoniam* ad regis *Haroldi* colloquium, ut mandarat, properaret, retinuit et artam in cuſtodiam poſuit. Sociorum vero illius quoſdam diſturbavit, quoſdam catenavit, & poſtea cæcavit, nonnullos cute capitis abſtracta cruciavit, et manibus ac pedibus amputatis multavit, multos etiam vendere juſſit, et mortibus variis ac miſerabilibus apud *Gildefordam* ſexcentos viros occidit. Sed illorum nunc animas in paradiſo creditur gaudere cum ſanctis, quorum corpora tam crudeliter ſine culpa perempta ſunt in arvis. Quo audito, regina *Elgiva* filium ſuum *Eadwardum* qui ſecum remanſit, cum magna feſtinatione *Normanniam* remiſit. Deinde *Godwini* et quorundam aliorum juſſione ad inſulam Elig Clito *Alfredus* ſtrictiſſime vinctus ducitur. Sed ut ad terram navis applicuit, in ipſa mox eruti ſunt oculi ejus cruentiſſime, et ſic ad monaſterium ductus monachis traditur cuſtodiendus. Ubi brevi poſt tempore de hac migravit luce, et in auſtrali porticu in occidentali parte eccleſiæ corpus ejus ſepelitur debito cum honore, anima vero paradiſiaca fruitur amœnitate.

1037. ANno M. xxxvij. *Haroldus* rex *Merciorum* et *Northymbrorum* ut per totam regnaret *Angliam* à principibus et omni populo rex eligitur. *Hardecanutus* vero quia in *Danemarcia* moras innexuit, et ad *Angliam* ut rogabatur venire diſtulit, penitus abicitur. Cujus mater *Algiva Anglorum* quondam regina hiemis initio ſine miſericordia expellitur *Angliâ*, quæ rate mox parata in *Flandriam* tranſvehitur, et à nobili Comite *Baldwino* cum honore ſuſcipitur. Is ut talem virum decuit, quamdiu neceſſitas popoſcerat ei neceſſaria gratanter miniſtrare curavit. Eodem anno paulo ante magnæ religionis vir *Avicus Eoveſhamnenſis* decanus obiit.

103 ANno M. xxxviij. *Agelnothus Dorubernenſis* archiepiſcopus iv. Kal. Novembris vita deceſſit; cujus obitus die viij. *Agelricus Suthſaxoniæ* præſul obiit. Petierat enim à Deo ne poſt mortem dilectiſſimi ſui patris *Agelnothi* in hac luce diu viveret. Cui *Grimketel* in epiſcopatum, *Agelnotho* vero regis capellanus *Edſius* in archiepiſcopatum ſucceſſit. Deceſſit etiam eodem anno *Wigornenſis* epiſcopus *Brihtegus* xiij. Kal. Jan. feria quarta, cui ſucceſſit *Livingus*.

1039 ANno M. xxxix. Hoc anno hiems extitit duriſſima. *Brithmarus Licetfeldenſis* epiſcopus obiit, cui *Wlſius* ſucceſſit. *Hardecanutus* rex *Danorum* *Flandriam* devectus ad matrem ſuam *Elgivam* venit. Obiit *Haroldus* rex *Anglorum* filius *Canuti* regis.

10 ANno M. xl. *Haroldus* rex *Anglorum* obiit *Londoniæ* et in *Weſtmonaſterio* ſepelitur. Quo ſepulto, proceres ferme totius *Angliæ* legatos ad *Hardecanutum Brugæ* ubi cum matre ſua morabatur mittentes, et ſe bene facere putantes, rogaverunt eum ut *Angliam* veniret et ſceptra regni ſuſciperet. Qui, lx. navibus paratis et *Danicis* militibus inſtructis, ante mediam æſtatem *Angliam* advehitur, et gaudenter ab omnibus ſuſcipitur, regnique ſolio mox ſullimatur. Sed ſui imperii tempore nil egit dignum poteſtati regiæ. Nam mox ut regnare cœpit, injuriarum quas vel ſibi vel ſuæ genitrici ſuus anteceſſor fecerat rex *Haroldus*, (qui frater ſuus putabatur) non inmemor, *Alfricum Eboracenſem* archiepiſcopum, *Godwinum* Comitem, *Stir* majorem domus, *Edricum* diſpenſatorem, *Tronbd* ſuum carnificem et alios magnæ dignitatis viros, *Londoniam* miſit, et ipſius *Haroldi* corpus effodere et in gronnam prohicere juſſit. Quo cum projectum fuiſſet, id extrahere et in flumen *Tamenſe* mandavit proicere. Brevi autem poſt tempore à quodam captum eſt piſcatore, et ad *Danos* adlatum ſub feſtinatione, in cimiterio quod habuerunt *Londoniæ* ſepultum eſt ab ipſis cum honore. Quibus actis, octo marcas unicuique ſuæ claſſis remigi, & duodecim unicuique gubernatori de tota *Angliâ* præcepit dependi, tributum videlicet tam grave ut vix aliquis id poſſet perſolvere. Quapropter omnibus qui prius adventum ejus deſiderabant magnopere, factus eſt exoſus ſummopere. Ad hæc etiam pro nece ſui fratris *Alfredi* adverſus *Godwinum* Comitem et *Wigornenſem* epiſcopum *Livingum*, accuſantibus illos *Alfrico Eboracenſi* archiepiſcopo et quibuſdam aliis, exarſit ira magna. Idcirco epiſcopatum *Wigornenſem Livingo* abſtulit, & *Alfrico* dedit. Sed ſequenti anno ablatum *Alfrico Livingo* ſecum pacificato benigne reddidit. *Godwinus* autem regi pro ſua amicitia dedit trierem fabrefactam, roſtrum deauratum habentem, armamentis optimis inſtructam, decoris armis electiſque octoginta militibus decoratam; quorum unuſquiſque habebat duas in ſuis brachiis aureas armillas ſedecim uncias pendentes, loricam trilicem, indutam in capite caſſidem

dem ex parte deauratam, gladium deauratis capulis renibus accinctum, *Danicam* ſecurim auro argentoque redimitam in ſiniſtro humero pendentem, in manu ſiniſtra clipeum, cujus umbo clavique etiam deaurati, in dextra lanceam quæ lingua Anglorum Ætegar appellatur. Inſuper etiam non ſui conſilii nec ſuæ voluntatis fuiſſe, quod frater ejus cæcatus fuiſſet, ſed dominum ſuum regem *Haroldum* illum facere quod fecit juſſiſſe, cum totius fere Angliæ principibus & miniſtris dignioribus, regi juravit.

041. ANno M. xlj. Hoc anno rex *Anglorum Hardecanutus* ſuos huſcarlas miſit per omnes regni ſui provincias ad exigendum quod indixerat tributum. Ex quibus duos *Feadar* ſcilicet & *Turſtan Wigornenſes* provinciales cum civibus ſeditione exorta, in cujuſdam turris *Wigornenſis* monaſterii ſolario (quo celandi cauſa confugerant) iiij. non. Maii feria ij. peremerunt; unde rex ira commotus, ob ultionem necis illorum *Thuri* mediterraneorum, *Leofricum* Merciorum, *Godwinum* Weſtſaxonum, *Siwardum* Northymbrorum, *Roni* Mageſetenſium, & cæteros totius *Angliæ* comites, omneſque ferme ſuos huſcarlas cum magno exercitu, *Alfrico* adhuc *Wigornenſem* pontificatum tenente, illo miſit, mandans ut omnes viros ſi poſſent occiderent, civitatem deprædatam incenderent, totamque provinciam devaſtarent. Qui die veniente veſpere iduum Novembrium & civitatem & provinciam devaſtare cœperunt, idque per iiij. dies agere non ceſſavere; ſed paucos vel è civibus vel provincialibus ceperunt aut occiderunt, quia præcognito adventu eorum provinciales quoquo locorum fugerant. Civium vero multitudo in quandam modicam inſulam in medio *Sabrinæ* fluminis ſitam, quæ Beverege nuncupatur, confugerant, & munitione facta tam diu ſe viriliter adverſus ſuos inimicos defenderunt, quoad pace recuperata, libere domum licuerit eis redire. Quinta igitur die, civitate cremata, unuſquiſque magna cum præda rediit in ſua, & regis ſtatim quievit ira. Non multo poſt *Eadwardus Egelredi* quondam regis *Anglorum* natus, de *Normannia* ubi multis exulabat annis, venit *Angliam*, & à fratre ſuo *Heardecanuto* rege ſuſceptus honorifice, in curia ſua manſit.

42. ANno M. xlij. Rex *Anglorum Heardecanutus*, dum in convivio in quo *Oſgodus Clapa* magnæ vir potentiæ filiam ſuam *Githam Danico* & præpotenti viro *Tovio*, *Prudan* cognomento, in loco qui dicitur Lamhithe, magna cum lætitia tradebat nuptui, lætus, ſoſpes & hylaris cum ſponſa prædicta & quibuſdam viris bibens ſtaret, repente inter bibendum miſerabili caſu ad terram corruit, & ſic mutus permanens vj. idus Junii feria iij. expiravit, & in *Wintoniam* delatus juxta patrem ſuum regem *Canutum* eſt tumulatus. Cujus frater *Eadwardus* annitentibus maxime Comite *Godwino* & *Wigornenſi* præſule *Livingo*, *Lundoniæ* levatur in regem. Cujus pater *Egelredus*, cujus pater *Eadgarus*, cujus pater *Eadmundus*, cujus pater *Eadwardus* ſenior, cujus pater *Elfredus*. *Eadmundus* epiſcopus obiit. Cui *Edredus* per pecuniam in epiſcopatum ſucceſſit, & decimo menſe moritur.

43. ANno M. xliij. *Eadwardus* ab archipræſulibus *Edſio* Dorobernienſi & *Alfrico* Eboracenſi, aliiſque ferme totius *Angliæ* præſulibus, prima die Paſchæ, iij. nonas Aprilis unguitur in Regem *Wintoniæ*. Eodem anno xiiij. diebus ante feſtivitatem ſancti *Andreæ* apoſtoli feſtinato rex cum comitibus *Leofrico*, *Godwino* & *Siwardo* de civitate *Glawornia Wintoniam* venit inproviſo, & ut illi conſilium ei dederant, ſuæ genitrici quicquid in auro & argento, gemmis, lapidibus aliiſve rebus pretioſum habuerat, abſtulit, vel quia priuſquam rex eſſet effectus, vel poſt, minus quam volebat illi dederat, & ei valde dura extiterat. Defuncto Eadmundo *Egelricus* ſuſcepit epiſcopatum *Dunelmenſem*, *Siwardo* amminiſtrante comitatum *Northanhymbrorum*.

1044. ANno M. xliiij. *Alwoldus Londonienſis* præſul, qui & ante epiſcopatum & in epiſcopatu abbatis jure *Eoveſhamnenſi* cœnobio præfuit, cum pontificatum amminiſtrare pro ſua infirmitate minus ſufficeret, *Eoveſhammi* reſidere voluit, ſed fratres loci illius ad id omnino conſentire noluerunt. Quapropter ablatis ex maxima parte libris & ornamentis quæ ipſe eidem contulerat loco, & quibuſdam ut fertur quæ alii contulerant, ad monaſterium Rameſege ſeceſſit, & omnia quæ attulit ſancto contulit *Benedicto*, ibique reſedit, & hoc anno viij. kal. Auguſti feria iiij. defungitur, ibidemque ſepelitur. In generali Concilio quod eodem tempore celebratum eſt *Lundoniæ*, religioſus *Eoveſhamnenſis* monachus *VVlmarus*, qui & *Manni*, ut abbatis jure ſuo monaſterio præeſſet, eligitur, & iiij. idus Auguſti feria vj. ordinatur. Eodem anno nobilis matrona *Gunhilda* regis *VVortgerni* & ſororis *Canuti* regis filia, & Comitum *Hacun* & poſt *Haroldi* morte viduata, cum duobus filiis *Hemmingo* & *Turkillo* expellitur *Anglia*. Quæ *Flandriam* devecta, in loco qui Bruge dicitur aliquandiu reſedit, & ſic *Danemarchiam* adiit.

1045. ANno M. xlv. *Brithwoldus VViltonienſis* epiſcopus obiit, cui regis capellanus *Hermannus* de *Lotharingia* oriundus ſucceſſit. Quo anno rex Anglorum *Eadwardus* ad *Sandicum* portum congregavit claſſem prævalidam contra *Magnum Norreganorum* regem *Angliam* adire diſponentem, ſed bellum à *Suano* rege *Danorum* illi illatum iter impedivit.

1046. ANno M. xlvj. *Livingus Hwicciorum*, *Domnaniæ* & *Cornubiæ* præſul x. kal. Aprilis die Dominica obiit. Cujus poſt deceſſum regis Cancellario *Leofrico* Britannico mox *Cridiatunenſis* & *Cornubienſis* datus eſt præſulatus, & *Aldredus* qui primo monachus *VVintonienſis*, poſt abbas *Taviſtokenſis* extitit, *Hwicciorum* pontificatum ſuſcepit. *Oſgodus Clapa* expellitur *Anglia*. *Magnus Norreganorum* rex ſancti *Olavi* regis filius fugato rege *Danorum Suano*, ſibi *Danemarchiam* ſubjugat.

1047. ANno M. xlvij. nix in occidente tanta cecidit ut ſilvas quoque frangeret. *Alwinus VVintonienſis* epiſcopus obiit, in cujus ſedem *Stigandus* ſublimatur. *Suanus* rex *Danorum* ſuos legatos miſit ad *Eadwardum* regem *Anglorum*, & rogavit ut ſibi claſſem mitteret contra regem *Magnum Norreganorum*. Tunc Comes *Godwinus* conſilium regi dedit, ut ſaltem 50. naves militibus inſtructas ei mitteret: ſed quia *Leofrico* Comiti & omni populo id non videbatur conſilium, nullum ei mittere voluit. Poſt hæc *Magnus* rex *Norreganorum* claſſe multa & valida conſtipatus, cum *Suano* prælium commiſit, & multis milibus utrimque occiſis, illum de *Danubia* expulit, & poſt in illa etiam regnavit, atque tributum ſibi non modicum pendere *Danos* coegit, ac non multo poſt obiit.

1048. ANno M. xlviij. *Suanus Danubiam* recepit & *Haroldus Harvager Siwardi* regis *Norreganorum* filius, & ex parte matris frater ſancti *Olavi*, patruus ſcilicet *Magni* regis *Norregam* repetiit, brevique poſt tempore ſuos nuncios ad regem *Eadwardum* miſit, & pacem amicitiamque illi optulit & recepit. Terræmotus kal. Mai die Dominica extitit magnus *VVigorna*, *Wic*, *Deorbeia*, & multis aliis locis. Mortalitas hominum & animalium multas occupavit Angliæ provincias, & ignis aerius, vulgo dictus ſilvaticus, in *Devbernenſi* provincia & quibuſdam aliis provinciis villas & ſegetes multas uſtulavit.

1049. ANno M. xlix. *Leo* papa 145. Iſte eſt *Leo* ille qui novum cantum de ſancto *Gregorio* papa fecit. *Henricus* imperator innumerabilem congregavit exercitum contra *Flandrenſium* Comitem *Baldwinum*, maxime eo quod apud *Neomagum* ſuum palatium combuſſiſſet atque fregiſſet pulcherrimum. In qua expeditione fuit *Leo* papa, & de multis terris nobiles, & magnifici viri quam plurimi. *Suanus* etiam rex *Danorum* ut Imperator illi mandarat, cum ſua claſſe ibi aderat, & ea vice fidelitatem Imperatori juravit. Miſit quoque ad regem *Anglorum Eadwardum*, & rogavit illum, ne *Baldwinum* permitteret effugere ſi vellet ad mare fugere. Iccirco cum magna claſſe rex *Sandicum* portum adiit, & ibi tamdiu manſit quoad Imperator de *Baldewino* omnia quæ voluit habuiſſet. Interea *Suanus* comes *Godwini* Comitis & *Gytha* filius, qui relicta prius *Anglia*, eo quod *Eggivam Leonenſis* monaſterii abbatiſſam quam corruperat in matrimonium habere non licuerit, *Danemarchiam* adierat, navibus octo rediit, dicens cum ſimulatione ſe cum rege fideliter amodo remanſurum. Cui *Beorn* comes filius avunculi ſui *Danici* comitis *Vlſi* filii *Spraclingi* filii *Vrſi* ac frater Suani Danorum regis promiſit, ſe à rege impetraturum ut ſuus ei comitatus redderetur. Pacificato itaque cum Imperatore *Baldwino* Comite, comites *Godwinus* & *Beorn* xlij. navibus *Peveneſea* regis licentia ſunt devecti. Reliquam vero claſſis partem domum redire juſſit, paucis ſecum navibus ibi retentis. Cui cum nunciatum fuiſſet quod *Oſgodus Clapa* cum xxix. navibus in *Vlpe* jaceret, de navibus quas remiſit quot potuit revocavit. *Oſgodus* autem uxore ſua quam apud *Bricge* commiſerat recepta, vi. navibus *Danemarchiam* rediit. Aliæ vero *Eaſtſaxoniam* adeuntes, præda circa promontorium *Eadulſi* rapta non modica redibant: verum eas in redeundo ſæva corripuit tempeſtas, omneſque ſummerſit, exceptis duabus quæ in tranſmarinis partibus captæ ſunt, occiſis omnibus qui in illis erant. Dum hæc agebantur, *Suanus* comes *Peveneſea* venit, & conſobrinum ſuum *Beorn* Comitem cum dolo rogavit, ut ad *Sandicum* portum ſecum iret, & ut illi promiſerat eum cum rege pacificaret. Qui confiſus in conſanguinitate, tribus tantum ſociis aſſumptis cum illo proficiſci cœpit. At ille ad **Boſanham** ubi naves ejus erant eum duxit, & in navim introductum duris mox loris vinciri juſſit, ac ſecum tamdiu habuit donec ad hoſtium *Derte* veniret. Ubi illo occiſo & in altam foſſam projecto terraque obruto dimiſerunt illum; ſex naves, quarum duas paulo poſt ceperunt *Heaſtingenſes*, & occiſis qui fuerunt in eis naves ad **Sandwick** conducentes regi optulerunt. *Suanus* vero ad *Flandriam* duabus fugiens navibus ibi manſit quoad *Wigornenſis* epiſcopus *Aldredus* illum reduxit & cum rege pacificavit. Eodem anno ſanctus *Leo* papa rogatu eximiæ religionis abbatis *Hermari* in *Franciam* venit, habens in comitatu ſuo præfectum & digniores quoſque Romuleæ urbis, & ſancti *Remigii Francorum* apoſtoli monaſterium *Remis* conſtitutum maximo cum honore dedicavit, & poſtmodum in ipſa urbe magnam ſynodum archiepiſcoporum, epiſcoporum & abbatum ſex diebus celebravit. In qua fuit *Aldwinus Rameſigenſis* abbas & abbas monaſterii ſancti *Auguſtini* à rege Anglorum *Eadwardo* illo directi.

1050. ANno M. l. rex *Scotia Machethad Roma* argentum ſpargendo diſtribuit. *Edſinus Dorobernenſis* archiepiſcopus obiit, cui *Rodbertus Londonienſis* epiſcopus genere *Normannus* ſucceſſit. *Hermannus Wiltonienſis* epiſcopus & *Aldredus Wigornenſis* epiſcopus *Romam* iverunt.

1051. ANno M. li. *Elfricus Eboracenſis* archiepiſcopus **Suthwelle** defunctus, in monaſterio **Burh** ſepelitur. Cui regis capellanus *Kinſinus* ſucceſſit. Rex *Eadwardus* abſolvit Anglos à gravi vectigali ſcilicet lxxx. librarum xxxviij. anno ex quo pater ſuus rex *Egelredus* primitus id *Danicis* ſolidariis ſolvi mandavit. Poſt hæc menſe Septembri *Bononienſis* Comes *Euſtacius* ſenior qui ſororem *Eadwardi* regis *Godam* nomine in conjugium habuerat, paucis *Doruverniam* applicuit navibus. In qua milites ejus cum ſtolide & inſipienter ſibi hoſpitia quærerent, unum è civibus peremerunt. Quod videns ejus concivis ulciſcitur illum occiſo milite uno. Ob quam cauſam Comes & ſui nimis irati, viros & mulieres quam plures armis interfecerunt, pueros & infantes ſuorum pedibus equorum contriverunt. Sed ubi cives ad obſiſtendum concurrere viderunt, turpem fugam ineuntes vix evaſerunt, ſeptem ex ſociis illorum peremptis, & ad regem *Eadwardum* qui tunc temporis *Glaworna* morabatur, fugerunt. Talia geri in ſuo comitatu comes *Godwinus* graviter ferens, nimiaque commotus ira, de toto ſuo comitatu, ſcilicet de *Cantia*, *Suthſaxonia* & *VVeſtſaxonia*, & filius ejus primogenitus *Suanus* de ſuo, id eſt de *Oxenefordenſi*, *Glavornenſi*, *Herefordenſi*, *Summerſeatunenſi*, *Bearrucſcirenſi* provinciis, alterque filius ejus *Haroldus* de ſuo comitatu, videlicet de *Eaſtſaxonia*, *Eaſtanglia*, *Huntendunenſi* & *Grantebrigenſi* provinciis innumerum congregaverunt exercitum. Quod regem *Eadwardum* non latuit. Iccirco nunciis ad *Leofricum Mercenſium* & *Siwardum Northymbrorum* Comites feſtinato miſſis, rogavit ut ad ſe in magno periculo conſtitutum cum omnibus quos habere poterant venire accelerarent. Illi autem primo cum paucis venerunt. Sed ubi cognoverunt quomodo ſe habuit res, per ſuos comitatus celeres miſerunt veredarios, & magnum congregaverunt exercitum. Similiter & *Rodulphus* Comes *Goda* ſororis *Eadwardi* regis filius de ſuo comitatu quot potuit congregavit. Interea *Godwinus* & filii ejus cum ſuis exercitibus poſt nativitatem ſanctæ *Maria* in *Glawornenſem* provinciam venientes in loco qui dicitur **Langetreo** caſtra metati ſunt, & legatis *Glawornam* ad regem directis Comitem *Euſtachium* & ſocios ejus, inſuper & *Normannos* & *Bononienſes* qui caſtellum in *Dorubernia* dominio tenuerunt, ſub denunciatione belli reposcebant. Ob id autem ad tempus rex perterritus & in angore magno conſtitutus, quid ageret ignorabat penitus: ſed ubi exercituum Comitum *Leofrici*, *Siwardi* & *Radulfi* adventare comperit, ſe nullatenus *Euſtachium* alioſque requiſitos traditurum conſtanter reſpondit. Quo audito, vacui redeunt legati. Quibus abeuntibus, exercitus *Glawornam* intravit, ita inflammatus & concordi animo ad pugnam paratus, ut ſtatim ſi rex permitteret, cum exercitu *Godwini* pugnam inire vellet: at quia de tota *Anglia* quique meliores in ſua & illorum parte erant coadunati, Comiti *Leofrico* & quibuſdam aliis magnum videbatur inſilium, ut ipſi cum ſuis compatriotis bellum inirent, ſed obſidibus ad invicem datis, rex & *Godwinus* die conſtituto ad placitandum *Londonia* convenirent. Probato conſilio & nunciis intercurrentibus, obſidibus datis & acceptis, dux in *Vexſaxoniam* rediit. Rex vero de tota *Mercia* & *Northymbria* copioſiorem exercitum congregavit, & ſecum *Londoniam* duxit. *Godwinus* autem & filii ejus ad **Suthweorce** venere cum magna *Veſtſaxonum* multitudine: ſed quia ſuus ab eo paulatim defluxerat exercitus, placitum inire cum Rege non audebat, verum nocte ſuperveniente fugam iniit. Quare mane facto, rex in ſuo concilio & omnis exercitus unanimi conſenſu illum & quinque filios ejus exules fore decreverunt. Qui mox cum conjuge ſua *Gytha* & *Toſti* cum uxore ſua *Juditha*, filia videlicet *Baldwini Flandrenſium* Comitis, ac duo alii ejus filii *Suanus* & *Gyrth*, ad **Thornege** ubi navis ejus parata fuerat venerunt. In qua tantum auri & argenti aliarumque rerum pretioſarum quam illa portare potuit feſtinanter imponentes, eamque citatim conſcendentes, ad *Flandrenſium* Comitem *Baldwinum* curſum direxerunt. Porro *Haroldus* & *Leofwinus* filii ejus *Brycſtowam* adeuntes, navem quam frater illorum *Suanus* ſibi paraverat, conſcenderunt, & in *Hiberniam* tranſvecti ſunt. Reginam vero *Eadgitham* rex propter iram quam adverſus patrem ſuum *Godwinum* habuerat, repudiavit, & cum una pediſſequa ad *VVarewellam* eam ſine honore miſit, & abbatiſſæ cuſtodiendam commendavit. His geſtis, *Normannicus* Comes *VVillielmus* cum multitudine *Normannorum Angliam* venit. Quem rex & ſocios ejus honorifice ſuſcepit, & magnis multiſque donatum muneribus ad *Normanniam* remiſit.

1052. ANno M. lij. *Elgiva* Emma conjux regum *Egelredi* et *Kanuti* ij. non. Marcii *Wintoniæ* obiit, & ibi ſepulta eſt. Eodem anno *VValenſium* rex *Gryffinus* magnam partem *Herefordenſis* provinciæ depopulatus eſt. Contra quem provinciales illi et de caſtello quamplures *Normanni* aſcenderunt. Sed multis ex illis occiſis, ille victoriam habuit, et ſecum prædam magnam abduxit. Hæc pugna facta eſt eodem die quo ante tredecim annos fratrem Comitis *Leofrici Edwinum VValenſes* per inſidias interfecerunt. Parvo poſt hæc tempore *Haroldus* Comes et frater ejus *Leofwinus* de *Hybernia* redeuntes, et hoſtium *Sabrinæ* navibus multis intrantes, in confinio *Summerſeataniæ* et *Dorſetaniæ* applicuerunt, et illis in partibus villas ac agros deprædati ſunt multos. Adverſus quos et de *Domnania* et *Summerſeatania* quamplures congregati aſcenderunt: ſed eos vicit *Haroldus*, cæſis ex illis pluſquam xxx. nobilibus miniſtris cum aliis multis. Deinde ad naves cum præda rediit, et mox **Penwithſteort** circumnavigavit. Tunc rex *Eadwardus* xl. naves alimentis electiſque militibus inſtructas ad *Sandicum* portum feſtinato miſit, et eos adventum *Godwini* Comitis operiri et obſervare juſſit; ſed tamen ignorantibus omnibus ille cum paucis navibus reverſus in *Cantia* applicuit, et miſſis latenter nunciis primitus *Cantuarienſes*, deinde *Suthſaxones*, *Eaſtſaxones*, *Suthregienſes* et omnes buthſecarlas de *Heaſtinga* et ubicumque circa ripas maris alioſque nonnullos in adjutorium ſibi allexit. Hii omnes uno ore aut vivere aut mori ſe paratos fore ſibi promiſerunt. Quod ubi regiæ claſſi quæ ad *Sandicum* portum jacebat innotuit, illum inſequuntur. Verum ipſe fugiens evaſit, et quo in loco potuit ſe occultavit. Illi vero ad *Sandicum* portum ſunt revecti, et inde *Londoniam* ſunt reverſi. Hoc cognito, Comes *Godwinus* ad *Vectam* inſulam revehitur, et circa ripas maris tam diu vagabatur, donec ad illum filii ejus *Haroldus* et *Leofwinus* ſua cum claſſe venirent. Sed ex quo in unum convenerant, à deprædatione et populatione deſiſtebant, victum tamen exercitui ſuo cum res expoſceret ſumebant. Circa ripas autem maris et ubicumque locorum omnes quos poterant ſibi in adjutorium allicientes, et buthſecarlas omnes quos obvios invenerant ſecum legentes, verſus *Sandicum* portum curſum direxerunt. Quo cum veniſſent, Regi *Eadwardo* tunc temporis *Lundoniæ* demoranti, illorum adventus nunciatur. Qui nunciis propere miſſis omnibus qui à ſe non defecerant mandavit, ut in adjutorium ſui venire maturarent, at illi nimis tardantes, ad tempus non venerunt. Interea cum ſua claſſe *Godwinus* Comes adverſus curſum *Tamenſis* devectus, die exaltationis ſanctæ crucis feria ij. ad **Suthweorce** venit, et ibi tam diu expectavit quoad maris acceſſus veniret. Interim quoſdam per internuncios cives *Londonienſes* quos variis pollicitationibus prius illexerat convenit, & ut omnes fere quæ volebat omnino vellent facere, effecit. Inde rebus omnibus diſpoſitis & ordinatis, reumate adveniente, feſtinanter anchoras ſuſtulerunt, ac nullo in ponte obſiſtente per auſtralem fluminis crepidinem ſurſum navigaverunt. Venit & pedeſtris exercitus, ac ſe per oram fluvii ordinatim diſponens ſpiſſam terribilemque fecit teſtudinem. Deinde claſſem verſus aquilonalem ripam vertit, quaſi regis claſſem circumdare vellet. Habebat enim & rex claſſem ac numeroſum pedeſtrem exercitum, ſed quia ibi & cum rege & cum *Godwino* erant perpauci qui fortitudinis aliquid haberent, niſi tantum *Angli*, pugnare adverſus ſuos propinquos & compatriotas pene omnes abhorrebant. Unde quique ſapientiores ex utraque parte inter regem & ducem pacem redintegrantes exercitum ab armis diſcedere juſſerunt. Mane autem facto, concilium rex habuit, priſtinumque honorem pleniter reddidit *Godwino* & uxori ſuæ filiiſque omnibus excepto *Suano*. Ille enim ductus pœnitentia, eo quod ut prælibavimus conſobrinum ſuum *Beorn* occiderat, de Flandria nudis pedibus *Jeruſalem* jam adierat; indeque rediens invalitudine ex nimio frigore contracta, mortuus eſt in *Licia*. Filiam quoque ducis *Edgitham* reginam digniter rex recepit, ac priſtinæ dignitati reſtituit. Facta igitur concordia paceque firmata, omni populo rectam legem promiſerunt, & omnes *Normannos* qui leges iniquas adinvenerant & injuſta judicia judicaverant multaque regi inſilia adverſus *Anglos* dederant, exlegaverunt. Paucos tamen, ſcilicet *Rodbertum* diaconem, An.Dñi & generum ejus *Ricardum* filium *Scrob*, *Alveredum* regis ſtratorem, *Aufridum* cognomento *Ceckesfot*, & quoſdam alios quos plus cæteris rex dilexerat, eique & omni populo fideles exſtiterant, in *Anglia* remanere permiſerunt. Porro *Rodbertus Dornbernia* archiepiſcopus, & *Lundonia* præſul *Willielmus*, & *Ulf Lincolnienſis* antiſtes cum ſuis *Normannis* vix evadentes mare tranſierunt. Sed *Willielmus* propter ſuam bonitatem parvo poſt tempore revocatus in ſuum epiſcopatum recipitur. *Oſbernus* vero cognomento *Pentecoſte* & ſocius ejus *Hugo* ſua reddiderunt caſtella, & Comitis *Leofrici* licentia per ſuum comitatum *Scotiam* adeuntes, à rege *Scottorum Macbeotha* ſuſcepti ſunt. Eodem anno in nocte feſtivitatis ſancti *Thomæ* apoſtoli tantus tamque vehemens extitit ventus, ut multas eccleſias domuſque dirueret, & innumerabiles arbores frangeret vel radicitus eruerit.

1053. ANno M. liij. *Griſini* regis auſtralium *Walenſium* frater *Res* nomine, propter frequentes prædas quas egit, in loco qui **Bulendun** dicitur juſſu Regis *Eadwardi* occiditur, & *Glawornam* caput ejus ad regem in vigilia Epiphaniæ domini eſt allatum. Eodem anno dum ſecunda Paſchalis feſtivitatis celebraretur feria *Wintoniæ*, *Godwino* Comiti ſolito regi ad menſam aſſidenti, ſuprema evenit calamitas. Gravi etenim morbo ex inproviſo percuſſus mutus in ipſa ſede declinavit. Quod filii ejus, Comes *Haroldus*, *Toſti* & *Gyrth*, videntes, illum in regis cameram portabant, ſperantes eum poſt modicum de infirmitate convaleſcere: ſed ille expers virium quinta poſt hæc feria vita deceſſit xvij. kal. Mai, & in veteri monaſterio ſepultus eſt. Cujus ducatum ſuſcepit *Haroldus* filius ejus, & ejus Comitatus datus eſt *Algaro Leofrici* Comitis filio.

1054. ANno M. liiij. ſtrenuus dux *Northymbrorum Siwardus* juſſu regis *Eadwardi* et equeſtri exercitu et claſſe valida *Scottiam* adiit, et cum rege Scottorum *Macbeotha* prælium commiſit, ac multis milibus *Scottorum* et *Normannis* omnibus quorum ſupra mentionem fecimus occiſis, illum fugavit, et *Malcolmum* regis *Cumbrorum* filium ut rex juſſerat regem conſtituit. In eo tamen prælio ſuus filius et multi *Anglorum* et *Danorum* ceciderunt. Mortuo *Godwino Wincelcumbenſi* abbate *Aldredus Wigornenſis* epiſcopus in feſtivitate ſancti *Kenelmi Godricum Godmanni* regis capellani filium loco ejus abbatem conſtituit. Deinde magnis cum exenniis idem epiſcopus regis fungitur legatione ad Imperatorem. A quo ſimul et *Hermanno Colonienſi* archipræſule, magno ſuſceptus honore, ibidem per annum integrum manſit, et regis ex parte Imperatori ſuggeſſit, ut legatis *Ungariam* miſſis inde fratruelem ſuum *Eadwardum*, regis videlicet *Eadmundi Ferrei lateris* filium, reduceret, *Angliamque* venire faceret.

1055. ANno M. lv. *Siwardus* dux *Northymbrorum* *Eboraci* deceſſit, et in monaſterio **Galmanho** quod ipſe conſtruxerat ſepultus eſt. Cujus ducatus *Toſtio Haroldi* ducis germano datus eſt. Non multo poſt rex *Eadwardus* habito *Lundonia* concilio *Algarum* Comitem filium *Leofrici* Comitis ſine culpa exlegavit. Qui mox *Hiberniam* petiit et xviij. piraticis navibus acquiſitis, rediit et *Griffinum* regem *Walenſium* adiit, eumque petivit, ut contra regem *Eadwardum* ſibi eſſet in auxilium. Ille ſtatim de toto regno ſuo copioſum exercitum congregans, *Algaro* præcepit, ut loco conſtituto ſibi et exercitu cum ſuis copiis occurreret. Quibus in unum convenientibus, fines *Anglorum* depopulaturi *Herefordenſem* provinciam intraverunt. Contra quos timidus dux *Rodulphus* regis *Eadwardi* ſororis filius, exercitum congregans, et duobus miliariis à civitate *Hereforda* ix. kal. Novembris illis occurrens, *Anglos* contra morem in equis pugnare juſſit. Sed cum prælium eſſent commiſſuri, Comes cum ſuis *Francis* et *Normannis* fugam primitus capeſſit; quod videntes *Angli*, ducem ſuum fugiendo ſequuntur. Quos adverſarii fere omnes inſecuti CCCC. vel quingentos viros ex eis peremerunt, multoſque vulneraverunt. Deinde victoria potiti, rex *Griffinus* & Comes *Algarus Herefordam* intraverunt, & vij. canonicis qui valvas principalis baſilicæ defenderant occiſis, ac monaſterio quod vetus Chriſticola antiſtes *Ethelſtanus* conſtruxerat cum omnibus ornamentis & reliquiis ſancti *Agelberti* regis & martyris aliorumque ſanctorum combuſto, & nonnullis è civibus necatis, multiſque captivatis, civitate etiam ſpoliata & cremata prædæ ubertate ditati redierunt. Quod ubi regi innotuit, de tota mox *Anglia* exercitum congregari juſſit. Cui *Glaworna* congregato, ſtrenuum ducem *Haroldum* præfecit. Qui devote juſſis obtemperans, *Griffinum* & *Algarum* impigre inſequitur, ac fines *Walanorum* audacter ingreſſus, ultra **Stradale** caſtra metatus eſt. Sed illi quia virum bellicoſum & fortem ipſum ſciebant, cum eo committere bellum non audentes in *Suthwaliam* fugerunt. Quo comperto, majorem exercitus partem ibi dimiſit, mandans eis, ut ſuis adverſariis ſi res expoſceret viriliter reſiſterent. Cum cætera vero multitudine *Herefordam* rediens vallo lato & alto illam cinxit, portis & ſeris munivit. Interea legatis intercurrentibus *Griffinus* & *Algarus* & *Haroldus* & qui cum illis fuerant, in loco qui **Byligeſleage** dicitur convenerunt, & pace data & accepta firmam amicitiam inter ſe pacti ſunt. Quibus patratis, claſſis *Algari* Comitis *Legaceaſtram* devecta, ſtipendium quod eis promiſerat expectavit. Ipſe vero ad Regem venit, & ab eo ſuum comitatum recepit. Eo tempore religioſus vir *Tremerin Walonicus* antiſtes deceſſit. Hic multo tempore vicarius *Ethelſtani Herefordenſis* præſulis extitit, poſtquam ipſe miniſterium epiſcopale per ſe implere nequivit. Erat enim per annos xiij. oculorum lumine privatus. *Hermannus Wiltoniæ* provinciæ præſul offenſus quia ei ſedem epiſcopalem transferre de villa quæ **Reamneſbyrig** dicitur ad abbatiam *Mealmeſbirienſem* rex nollet concedere, epiſcopatum dimiſit, marique transfretato apud ſanctum *Bertinum* monachicum habitum ſuſcepit, ibique in ipſo monaſterio tribus annis manſit.

1056. ANno M. lvj. obiit *Henricus Romanorum* Imperator, cui ſucceſſit *Henricus* filius ejus. Magnæ vir ſanctitatis *Herefordenſis* epiſcopus, *Ethelſtanus* iiij. Idus Febr. in epiſcopali villa quæ **Boſanbyrig** vocatur deceſſit. Cujus corpus *Herefordam* delatum, in eccleſia quam ipſe à fundamentis conſtruxerat eſt tumulatum. Cui *Leofgarius* ducis *Haroldi* capellanus ſucceſſit. Qui eodem anno xvj. Kal. Julii à *Griffino Walanorum* rege in loco qui **Glaſbyrig** vocatur cum clericis ſuis & vicecomite *Agelnotho* & multis aliis occiſus eſt. Manſit autem in epiſcopatu iij. ſeptimanis & quatuor diebus. Quo perempto, *Aldredo Wigornenſi* præſuli donec antiſtes conſtitueretur, commiſſus eſt epiſcopatus *Herefordenſis*. Poſt hæc idem epiſcopus & Comites *Leofricus* atque *Haroldus* cum rege *Eadwardo Walanorum* regem *Griffinum* pacificaverunt. Eccleſiarum amator, pauperum recreator, viduarum & pupillorum defenſor, oppreſſorum ſubventor, virginitatis cuſtos Comes *Agelwinus* ab *Aldredo Wigornenſi* epiſcopo ante ſuum obitum monachizatus iij. Kal. Septembris apud **Deorhyrſte** deceſſit, ſed in monaſterio *Perſcorenſi* honorifice ſepultus quieſcit. *Dunholmenſis* epiſcopus *Agelricus* epiſcopatu ſponte relicto, ad monaſterium ſuum quod dicitur **Burh**, ubi nutritus & monachus eſt factus, ſeceſſit, ibique annis xij. degit. Cui ejuſdem monaſterii monachus frater ipſius *Agelwinus* in epiſcopatum ſucceſſit.

57. ANno M.lvij. Clito *Eadwardus* regis *Eadmundi ferrei lateris* filius, ut ei mandarat ſuus patruus rex *Eadwardus*, de *Ungaria* quo multo ante ut prædiximus in exilium miſſus fuerat, *Angliam* venit. Decreverat enim rex illum poſt ſe regni hæredem conſtituere. Sed ex quo venit, parvo poſt tempore vita deceſſit *Londoniæ*. Excellentis viri memoriæ, laudabilis Comes *Leofricus* ducis *Leoffini* filius, in propria villa quæ **Bromleage** dicitur ij. Kal. Septembris in bona ſenectute deceſſit, & *Covantreo* ſepultus eſt honorifice. Quod monaſterium inter cætera bona quæ in ſua vita geſſit opera, ipſe & uxor ejus Dei cultrix ſanctæque *Mariæ* ſemper virginis amatrix devota nobilis Comitiſſa *Godiva* de ſuo patrimonio à fundamentis conſtruxerunt, & id terris ſufficienter locupletaverunt, ornamentis variis adeo ditaverunt, ut in *Anglia* tanta copia auri & argenti, gemmarum lapidumque pretioſorum in nullo inveniretur monaſterio, quanta tunc temporis habebatur in illo. *Leonenſe* etiam & *Wanlocenſe* cœnobium, ſanctique *Johannis Baptiſtæ*, ac ſanctæ *Wereburgæ* virginis monaſteria in **Leogereceaſtre** ſita, & eccleſiam quam *Lincolnienſis* præſul *Eadnothus* in loco famoſo qui ſanctæ *Mariæ* **Stou** Anglice, Latine vero ſanctæ *Mariæ* locus appellatur, conſtruxit, pretioſis ditaverunt ornamentis. *Wigornenſe* quoque monaſterium terris, & *Eoveſhamnenſe* ædificiis, ornamentis variis terriſque locupletaverunt. Hujus itaque Comitis ſapientia quamdiu vixit, regibus omnique *Anglorum* populo multum profecit. Cujus ducatum filius ſuus *Algarus* ſuſcepit. *Heca* præſul auſtralium *Saxonum* obiit: pro quo *Agelricus* monachus eccleſiæ *Chriſti Cantuarienſis* eligitur.

1058. ANno M. lviij. *Algarus* Comes *Merciorum* à rege *Eadwardo* ſecundo exlegatus eſt, ſed regis *Walanorum Griffini* juvamine & *Norreganicæ* claſſis amminiculo quæ ad illum venerat ex improviſo, cito per vim ſuum comitatum recuperavit. *Aldredus Wigornenſis* epiſcopus eccleſiam quam in civitate *Glaworna* à fundamentis conſtruxit, in honore principis Apoſtolorum *Petri* honorifice dedicavit, & poſtea regis licentia *Wlſtanum Wigornenſem* monachum à ſe ordinatum abbatem conſtituit ibidem. Deinde præſulatu *Wiltonienſis* eccleſiæ qui ſibi ad regendum commiſſus fuerat dimiſſo, & *Hermanno* cujus ſupra meminimus reddito, mare tranſiit, & per *Pannoniam* quæ nunc *Ungaria* dicitur profectus eſt *Hieroſolymam*, quod nullus archiepiſcoporum vel epiſcoporum *Angliæ* hactenus dinoſcitur feciſſe.

1059. ANno M. lix. *Nicolaus* civitatis *Florentinæ* epiſcopus papa eligitur, & *Benedictus* ejicitur. *Kinſi Eboracenſis* archiepiſcopus, & *Egelwinus Dunelmenſis* epiſcopus, & *Toſti* Comes *Eboraci* deduxerunt regem *Malcolmum* ad regem *Eadwardum*.

1060. ANno M. lx. *Henricus* rex *Francorum* obiit, cui filius ejus primogenitus *Philippus* ſucceſſit. *Wyllenſis* epiſcopus *Duduc* obiit, cui ſucceſſit *Giſa* regis capellanus, ambo de *Lotharingia* oriundi. *Eboracenſium* archiepiſcopus *Kinſius* xj. Kal. Januarii *Eboraci* obiit, cujus corpus ad monaſterium quod **Burh** dicitur delatum honorifice eſt tumulatum. Pro quo *Wigornenſis* epiſcopus *Aldredus* ad archiepiſcopatum in nativitate Domini eligitur, & *Herefordenſis* præſulatus qui ei propter ſuam induſtriam fuerat commiſſus, capellano *Egithæ* reginæ *VValtero Lotharingo* eſt datus.

1061. ANno M. lxj. *Aldredus Eboracenſis* archiepiſcopus cum *Toſtio* Comite *Romam* ivit, & à *Nicolao* papa pallium ſuſcepit. Interim rex *Scottorum Malcolmus* ſui conjurati fratris, ſcilicet Comitis *Toſtii* comitatum ferociter depopulatus eſt, violata pace ſancti *Cuthberti* in *Lindisfarnenſi* inſula. Eodem anno *Nicolaus* papa obiit, *Alexander* papa 149. ſucceſſit.

1062. ANno M. lxij. *VVlſtanus* vir venerandus, pontifex *VVigornenſi* eccleſiæ præficitur. Hic Deo amabilis regione *Merciorum* in provincia *VVarvicenſi* parentibus religioſis oriundus, patre videlicet *Eaſtano*, matre vero *VVlfgeova* nomine, in nobili autem monaſterio quod **Burh** nominatur, literis & eccleſiaſticis officiis optime extitit imbutus. Qui ambo, ſcilicet parentes ejus, in tantum religioni ſtudebant, ut longe ante finem vitæ caſtitatem profeſſi, ſe abinvicem ſeparantes, ſub ſanctæ converſationis habitu vitam conſummare gauderent. Quorum exemplo ipſe adoleſcens incitatus, matre id maxime perſuadente, ſeculum reliquit, atque in eodem *VVigornenſi* monaſterio, quo & ante pater Deo ſervierat, monachicum habitum & ordinem à venerabili *Brihtego* ejus eccleſiæ epiſcopo ſuſcepit, à quo etiam in gradum tam diaconatus quam presbyteratus ordinatus eſt; ſtatimque in ipſo initio arduam & omni religioſitate plenam vitam arripiens, in vigiliis, jejuniis, orationibus, omnique virtutum genere ſubito admirandus apparuit. Hinc ob morum diſciplinam primo magiſter & cuſtos infantium aliquandiu conſtituitur. Deinde ob ſollertiam eccleſiaſtici officii cantor ſimul & theſaurarius eccleſiæ ex præcepto ſeniorum efficitur. Nactus vero occaſionem liberius Deo ſerviendi ex commiſſa ſibi cuſtodia eccleſiæ, totum ſe contemplativæ vitæ dedit, die noctuque in ea aut orationi, aut divinæ lectioni inſiſtens, bidui triduique jejunio aſſidue corpus macerans, ſacris vigiliis in tantum deditus, ut non modo diem & noctem, ſed & aliquando (quod à nobis vix crederetur ſi non ab ipſius ore hoc audiſſemus,) iiij. dies cum noctibus abſque ſomno tranſigens, fere exſiccato cerebro, An. Dni. periculum incurreret, niſi ſopore prægravatus naturæ ſatisfaceret, minitabatur. Denique ſi cum eum naturæ dormitio compelleret, non in lecto aut lectiſterniis membra ad ſoporem fovebat, ſed ſuper aliquod ſcamnum eccleſiæ libro in quo orabat ſive legebat capiti ſuſtentando paulliſper ſe reclinabat. Poſt aliquod autem temporis defuncto *Agelwino* Priore monaſterii, ipſe vir reverendus Prior & pater congregationis ab *Aldredo* epiſcopo ponitur. Quod officium valde laudabiliter adimplens, priſcæ converſationis auſteritatem minime reliquit; imo ut cæteris exemplum bene vivendi daret, multipliciter addidit. Deinde poſt aliquot annos, mortuo *Kinſio*, electo ad archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ ipſo *Aldredo VVigornenſis* eccleſiæ epiſcopo, fit unanimis conſenſus tam cleri quam etiam totius plebis in ejus electione, rege videlicet *Eadwardo* annuente ut quem ſibi vellent præſulem eligerent. Contigit namque eo tempore & legatos ſedis *Apoſtolicæ* ejus electioni intereſſe, *Armenfredum* ſcilicet *Sedunenſem* epiſcopum, & alium qui à domno Papa *Alexandro* pro reſponſis eccleſiaſticis ad regem *Anglorum Eadwardum* miſſi regio præcepto *VVigornæ* per totam fere quadrageſimam degebant, expectantes reſponſum ſuæ legationis uſque ad curiam regalem proximi Paſchæ. Hi videntes dum ibi morabantur ejus laudabilem converſationem, in ejus electione non tantum conſentiebant, imo tam clerum quam populum maxime ad hoc inſtigabant, ſuaque auctoritate ejus electionem firmabant. Illo vero obſtinatiſſime renuente, ſeque indignum acclamante, & cum ſacramento etiam affirmante, ſe multo libentius decollationi quam tam altæ ordinationi ſuccumbere velle; cum ſæpe & frequenter à pluribus viris religioſis & venerabilibus perſonis ſuper his circumventus ad conſentiendum nullatenus perſuaderi poſſet, tandem à viro Dei *VVulſio* incluſo, qui tunc plus xl. annis ſolitariam vitam ducens noſcebatur, acriter pro inobedientia & obſtinatia correptus, divino etiam miraculo territus, conſentire cum maximo cordis dolore compulſus eſt, atque die decollationis ſancti *Johannis Baptiſtæ* electione canonice confirmata & epiſcopatu ſuſcepto, Dominico die quo nativitas ſanctæ *Mariæ* ab eccleſia celebrabatur, conſecratus, vita & virtutibus clarus, *VVigornenſis* eccleſiæ præſul effulſit. Conſecratus eſt igitur epiſcopus ab *Aldredo Eboracenſium* archiepiſcopo, eo quod *Stigando Dorobernæ* archiepiſcopo officium epiſcopale tunc à domno Apoſtolico interdictum erat, quia *Roberto* archiepiſcopo vivente archiepiſcopatum ſuſcipere præſumpſit: canonica tamen profeſſione præfato *Dorobernenſi* archiepiſcopo *Stigando* non ſuo ordinatori *Aldredo* facta. Inſuper & ipſe *Eboracenſis* archiepiſcopus ordinator ejus, coram rege & regni optimatibus ipſo *Stigando* factitante, propter ſubſequentium calumnias profiteri juſſus eſt, ſe nullum jus eccleſiaſticæ ſeu ſecularis ſubjectionis ſuper eum deinceps velle clamare, nec propter quod ab eo conſecratus eſt, nec quia ante conſecrationem ejus monachus factus eſt. Facta eſt autem hæc illius ordinatio anno ætatis ſuæ plus quinquageſimo, regni vero regis *Eadwardi* anno xx. indictione xv.

1063. Anno M. lxiij. ſtrenuus dux *VVeſtſaxonum Haroldus*, juſſu regis *Eadwardi*, poſt nativitatem Domini equitatu non multo ſecum aſſumpto, de *Glaworna*, ubi tunc rex morabatur, ad *Ruthlan* properavit, ut *Griffinum* regem *VValanorum*, propter frequentes depopulationes quas in *Anglorum* finibus agebat, ac verecundias quas domino ſuo regi *Eadwardo* ſæpe faciebat, occideret. At ille adventum ejus præſciens, cum ſuis fugam iniit, ac navem aſcendens vix evaſit. *Haroldus* vero, ut eum fugiſſe comperit, palatium illius incendi, & naves ejus cum armamentis comburi juſſit, ac eodem die redire cœpit. Circa rogationes de *Bricſtowe* claſſe cum navali exercitu profectus, magnam ei partem terræ *VValanorum* circumnavigavit. Cui frater ſuus comes *Toſtius*, ut rex mandarat, cum equeſtri occurrit exercitu, & junctis viribus regionem illam depopulari cœperunt. Unde *VValani*, cogente *Britanniæ*, coacti, datis obſidibus ſe dederunt, & ſe tributum illi penſuros promiſerunt, regemque ſuum *Griffinum* exlegantes abjecerunt.

Anno M. lxiiij. rex *Britonum Griffinus* Non. Auguſti à ſuis interficitur, & caput ejus caputque navis ipſius cum ornatura Comiti *Haraldo* mittitur. Quæ mox ille regi detulit *Eadwardo*. Quibus geſtis, ſuis fratribus *Blethgento* & *Rithwalano* rex terram *Britonum* dedit. Cui & *Haraldo* Comiti fidelitatem illi juraverunt, & ad imperium illorum mari terraque ſe fore paratos, ac omnia quæ prius de terra illa regibus anterioribus fuerant penſa, obedienter ſe penſuros ſpoponderunt. 1064.

Anno M. lxv. reverendus vir *Agelwinus Dunhelmenſis* epiſcopus, ſancti *Oſwini* regis quondam *Berniciorum* oſſa in monaſterio quod juxta hoſtium *Tinæ* fluminis ſitum eſt, de tumulo levavit, tranſactis à ſepultura ejus CCCC. & xv. annis, & in ſcrinio cum magno honore locavit. Strenuus dux *VVeſtſaxonum Haraldus* in terram *Britonum* in loco qui *Portaſcith* nominatur menſe Julio magnum ædificari juſſit ædificium, & multa quæ pertinent ad cibum & potum illuc congregari mandavit, ut dominus ſuus rex *Eadwardus* illic aliquandiu venationis cauſa degere poſſet. Sed *Caradoc* filius regis *Suthwalanorum Griffini*, quem ante paucos annos *Griffinus* rex *Northwalanorum* occiderat, ejuſque regnum invaſerat, cum omnibus quos habere poterat, die feſtivitatis ſancti *Bartholomæi* Apoſtoli illuc venit, & operarios fere cunctos cum illis qui eis præerant peremit, & omnia bona quæ ibi congregata fuerant abſtulit. Deinde poſt feſtivitatem ſancti *Michaelis archangeli* v. non. Octobris feria ij. *Northymbrenſes* miniſtri *Ganielbarn*, *Dunſtanus*, filius *Agelnothes*, *Gleinearn* filius *Heardulfi* cum CC. militibus *Eboracum* venerunt, & pro execranda nece nobilium *Northymbrenſium* miniſtrorum *Goſpatrici*, quem regina *Egitha* germani ſui *Toſtii* cauſa in curia regis quarta nocte Dominicæ nativitatis per inſidias occidi juſſit, & *Gamelis* filii *Orm*, ac *Ulfi* filii *Dolfini*, quos anno præcedenti *Eboraci* in camera ſua ſub pacis fœdere per inſidias Comes *Toſtius* occidere præcepit, nec non pro immenſitate tributi quod de tota *Northymbria* injuſte acceperat, eodem die primitus illius *Danicos* huſcarlos, *Amundum*, & *Reavenſwartum* de fuga retractos, extra civitatis muros, ac die ſequenti pluſquam CC. viros ex curialibus illius 1065.

in

Dñi in boreali parte fluminis *Humbra* peremerunt. Ærarium quoque ipſius fregerunt, ac omnibus quæ ipſius fuerant ablatis, receſſerunt. Omnis dehinc fere comitatus illius in unum congregati, *Haroldo VVeſtſaxonum* duci & aliis quos rex *Toſtii* rogatu pro pace redintegranda ad eos miſerat, in *Northamtonia* occurrerunt. Ubi prius, & poſt apud *Oxeneforda* die feſtivitatis apoſtolorum *Simonis* & *Juda*, dum *Haroldus* & alii quamplures Comitem *Toſtinum* cum eis pacificare vellent, omnes unanimi conſenſu contradixerunt, ac eum cum omnibus qui legem iniquam ſtatuere illum incitaverant, exlegaverunt, & poſt feſtivitatem omnium Sanctorum cum adjutorio Comitis *Edwini* de *Anglia Toſtinum* expulerunt. Qui mox cum uxore ſua *Baldwinum Flandrenſium* Comitem adiit, & apud ſanctum *Audomarum* hiemem exegit: & juſſu regis *Morkarus Northumbris* eſt prælectus Comes. Poſt hæc, rex *Eadwardus* paulatim ægrotare cœpit. In Nativitate vero Domini curiam ſuam ut potuit *Londoniæ* tenuit, & eccleſiam quam ipſe à fundamentis conſtruxerat die ſanctorum Innocentium in honore ſancti *Petri* apoſtolorum principis cum magna gloria dedicari fecit.

066. ANno M. lxvj. *Anglorum* decus pacificus rex *Eadwardus Ethelredi* regis filius, poſtquam xxiij. annis, menſibus vj. & xxvij. diebus poteſtate regia præfuit *Anglis Saxonibus*, Indictione iiij. pridie nonas Januarii, *Epiphaniæ* Domini vigilia, feria v. mortem obiit *Londoniæ*, et in craſtino ſepultus regio more, ab omnibus qui tunc affuere non ſine lacrimis plangebatur amariſſime. Quo tumulato, ſubregulus *Haroldus Godwini* ducis filius, quem rex ante ſuam deceſſionem regni ſucceſſorem elegerat, à totius *Angliæ* principibus ad regale culmen electus, die eodem ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo in regem eſt honorifice conſecratus. Qui mox ut regni gubernacula ſuſceperat, leges iniquas deſtruere, æquas cœpit condere, eccleſiarum ac monaſteriorum patronus fieri; epiſcopos, abbates, monachos, clericos colere ſimul ac venerari; pium, humilem, affabilemque ſe bonis omnibus exhibere; malefactores exoſos habere: nam ducibus, ſatrapis, vicecomitibus, & ſuis in commune præcepit miniſtris fures, raptores, regni diſturbatores comprehendere, & pro patriæ defenſione ipſemet terraque marique deſudare. Eodem anno viij. Kal. Mai, ſtella cometis non ſolum in *Anglia*, ſed etiam ut fertur per totum mundum viſa, per vij. dies ſplendore nimio fulgebat. Non multo poſt Comes *Toſtius* de *Flandria* rediens ad *Vectam* inſulam applicuit, & poſtquam inſulanos ſibi tributum & ſtipendium ſolvere coegerat, diſceſſit, & circa ripas maris donec ad *Sandicum* portum veniret, prædas exercuit. Quo cognito, rex *Haroldus* qui tunc *Londoniæ* morabatur, claſſem non modicam & equeſtrem exercitum congregari præcepit. Ipſe vero *Sandicum* portum adire parabat. Quod dum *Toſtio* nunciatum fuiſſet, de buthſecarlis quoſdam volentes, quoſdam nolentes ſecum aſſumens, receſſit, & curſum ad *Lindoriam* direxit. In qua villas quamplures incendit, multoſque homines neci tradidit. His cognitis, dux *Merciorum Edwinus*, & *Northymbrorum* Comes *Morkarus* cum exercitu advolant, illumque de regione ipſa extrudunt. Ille autem inde diſcedens, regem *Scottorum Malcolmum* adiit, & cum eo per totam æſtatem manſit.

An. Dñi

Interea rex *Haroldus* ad *Sandicum* portum venit, ibique claſſem ſuam expectavit. Quæ cum fuiſſet congregata, *Vectam* inſulam adiit. Et quia *Normannorum* Comes *Willielmus*, *Eadwardi* regis conſobrinus in *Angliam* cum exercitu venire parabat, tota æſtate & autumno adventum illius obſervabat. Ad hæc etiam pedeſtrem exercitum locis oportunis circa ripas maris locabat. Adveniente itaque nativitate ſanctæ *Mariæ*, victu deficiente, & claſſicus, & pedeſtris exercitus domum rediit. Quibus geſtis, cum claſſica manu pervalida, ſcilicet plus quingentis magnis navibus *Haroldus Harvager* rex *Norreganorum* frater ſancti *Olavi* regis, in hoſtio *Tinæ* fluminis inproviſe applicuit. Ad quem Comes *Toſtius* ut prius condixerat ſua cum claſſe venit, & citato curſu hoſtium *Humbræ* fluminis intraverunt, & ſic adverſus curſum *Uſæ* fluminis navigantes, in loco qui **Richale** dicitur applicuerunt, & *Eboracum* gravi pugna optinuerunt. Quod ubi regi, *Haroldo* innotuit, verſus *Northymbriam* expeditionem propere movit. Sed priuſquam rex illuc veniret, duo germani Comites, videlicet *Edwinus* & *Morkarus* cum ingenti exercitu in vigilia ſancti *Mathæi* apoſtoli feria iiij. in boreali ripa *Uſæ* fluminis juxta *Eboracum* apud **Fulford** cum *Norreganis* prælium commiſere, & in primo belli impetu viriliter pugnantes, multos proſtraverunt. At poſtquam diu certatum eſt, *Angli Norreganorum* impetum non ſufferentes, haud ſine parvo detrimento ſuorum terga dedere, multoque plures ex illis in fluvio demerſi fuere quam in acie cecidere. *Norregani* vero loco dominantur funeris, & obſidibus D. de *Eboraca* ſumptis, ad naves repedarunt, relictis in ea de ſuis Cl. obſidibus. Verum quinto poſt hunc die, id eſt, vij. Kal. Octobris, feria ij. rex *Anglorum Haroldus* multis milibus pugnatorum armis bellicis inſtructorum *Eboracum* veniens, & *Norreganis* in loco qui **Stanfordbrige** dicitur occurrens, in ore gladii regem *Haroldum* Comitemque *Toſtium* cum majori parte ſui exercitus occidit, ac plenam victoriam licet acerrime repugnatum fuiſſet, habuit. Filium autem ejus *Olavum* & Comitem de *Orcada* inſula *Paulum* nomine, qui ad naves cuſtodiendas cum exercitus parte fuerant dimiſſi, acceptis prius ab eis obſidibus & ſacramentis, cum xx. navibus & reliquiis exercitus in patriam redire libere permiſit. Interea dum hæc agerentur, & rex omnes inimicos ſuos autumaret detritos fuiſſe, nunciatum eſt ei, *VVillielmum* conſobrinum regis *Eadwardi* & Comitem gentis *Normannicæ*, cum innumera multitudine equitum, fundibalariorum, ſagittariorum, peditumque adveniſſe, utpote qui de tota *Gallia* ſibi fortes auxiliarios conduxerat, & in loco qui **Pevenesea** dicitur ſuam claſſem appulſiſſe. Unde rex ſtatim verſus *Londoniam* ſuum movit exercitum magna cum feſtinatione, & licet de tota *Anglia* fortiores quoſque præliis duobus bene ſciret jam cecidiſſe, mediamque partem ſui exercitus nondum veniſſe, quam citius tamen potuit in *Suthſaxonia* ſuis hoſtibus occurrere non formidavit, & novem miliariis ab *Heaſtinga* ubi ſibi caſtellum firmaverant priuſquam tertia pars ſui exercitus ordinaretur, xj. Kal. Novembris, ſabbato, cum eis prælium commiſit. Sed quia arto in loco conſtituti fuerant *Angli*, de acie ſe multi ſubtraxere, & cum eo perpauci conſtantes corde remanſere. Ab hora tamen diei tertia uſque noctis crepuſculum ſuis adverſariis reſtitit fortiſſime, & ſeipſum pugnando tam fortiter defendit & tam ſtrenue, ut vix ab hoſtili interimi poſſet agmine. At poſtquam ex his & ex illis quamplurimi corruere, heu ipſemet cecidit crepuſculi tempore! Comites etiam *Gyrth* & *Leofwinus* fratres illius cecidere, & fere nobiliores totius *Angliæ*. *VVillielmus* vero Comes cum ſuis *Haſtingam* rediit. Regnavit autem *Haroldus* menſibus novem & diebus totidem. Cujus morte audita, Comites *Edwinus* & *Morkarus* qui ſe cum ſuis certamini ſubtraxerunt *Londoniam* venere, et ſororem ſuam *Aldgitham* reginam ſumptam ad civitatem *Legionum* miſere. *Aldredus* autem *Eboracenſis* archiepiſcopus, et idem Comites cum civibus *Londonienſibus* et buthſecarlis clitonem *Eadgarum Edwini* regis *ferrei lateris* nepotem in regem levare voluere, et cum eo ſe pugnam inituros promiſere. Sed dum ad pugnam deſcendere ſe multi paravare, Comites ſuum auxilium ab eis retraxere, et cum ſuo exercitu domum rediere. Interea Comes *VVillielmus Suthſaxoniam, Cantiam, Suthamtunenſem* provinciam, *Suthregiam, Middelſaxoniam, Herefordenſem* provinciam devaſtabat, et villas cremare, homineſque interficere non ceſſabat donec ad villam quæ **Beorcham** nominatur veniret. Ubi *Aldredus* archiepiſcopus, *Wlſtanus Wigornenſis* epiſcopus, *Walterus Herefordenſis* epiſcopus, Clito *Eadgarus*, Comites *Edwinus* et *Morkarus*, et de *Londonia* quique nobiliores cum multis aliis ad eum venerunt, et datis obſidibus illi deditionem fecerunt fidelitatemque juraverunt. Cum quibus et ipſe fœdus pepigit, et nichilominus exercitui ſuo villas cremare, et rapinas agere permiſit. Appropinquante igitur Dominicæ nativitatis feſtivitate, cum omni exercitu *Londoniam* ut ibi in regem ſullimaretur, adiit. Et quia *Stigandus Cantuarienſis* archiepiſcopus ab apoſtolico papa calumpniatus eſt pallium non ſuſcepiſſe canonice, ipſa nativitatis die, quæ illo anno ij. feria evenit, ab *Aldredo Eboracenſium* archiepiſcopo in *Weſtmonaſterio* conſecratus eſt honorifice, prius ut idem archipræſul ab eo exigebat, ante altare ſancti *Petri* apoſtoli coram clero & populo jurejurando promittens, ſe velle ſanctas Dei eccleſias ac rectores illarum defendere, necnon & cunctum populum ſibi ſubjectum juſte ac regali providentia regere, rectam legem ſtatuere & tenere, rapinas injuſtaque judicia penitus interdicere.

Ut autem ſciatur origo cauſæ qua *Willielmus Angliam* bello appetiit, breviter quæ paulo ante geſta ſunt repetantur. Orto inter regem *Eadwardum* & Comitem *Godwinum* gravi, ut ſupra dictum eſt, diſcidio, exul ab *Anglia* cum ſuis omnibus Comes expellitur. Cui poſtmodum gratiam regis requirenti ut ei repatriare liceret, nullo modo rex concordari voluit, niſi primo, quibus ſibi ſecuritas pararetur, obſides haberet. Qua de cauſa *Wlnothus* filius ipſius *Godwini*, & *Hacun* filius *Suani*, filii ſui obſides dantur, ac in *Normanniam Willielmo* **baſtardo** Comiti filio *Rodberti* filii *Ricardi* fratris matris ſuæ cuſtodiendi deſtinantur. Elapſo dehinc tempore cum jam *Godwinus* Comes eſſet mortuus, *Haroldus* filius ejus petiit à rege ire *Normanniam*. & fratrem ſuum atque nepotem qui obſides ibidem tenebantur liberare, & liberatos ſecum patriam reducere. Cui rex, *Hoc*, inquit, *non fiet per me, verumtamen ne videar te velle impedire, permitto ut eas quo vis, & experiaris quid poſſis; præſentio tamen te in nihil aliud tendere, niſi in detrimentum totius Anglici regni & opprobrium tui. Nec enim ita novi Comitem mentis expertem ut eos aliquatenus velit concedere tibi, ſi non præſcierit in hoc magnum proficuum ſui.* Aſcendit itaque *Haroldus* navem, quæ tempeſtate valida impulſa cum omnibus quæ ſecum ferebat in *Pontivum* fluvium qui *Maia* vocatur, à Domino terræ illius pro ritu loci captivitati illius addicitur. Conſtrictus ergo *Haroldus* quemlibet ex vulgo promiſſa mercede illectum clam ad Comitem *Normanniæ* dirigit exponere quid illi contigerit. Hoc ille audito, protinus feſtinato per nuncios mandat domino *Pontivi*, *Haroldum* cum ſuis ab omni calumpnia liberum ſibi quantocius mitti, ſi priſtina illius amicitia modo ſicut hucuſque vellet potiri. Sed cum ille hominem dimittere nollet, iterum à *Willielmo* in mandato accepit ſe neceſſario *Haroldum* miſſurum, alioquin certiſſimum ſciret, *Willielmum Normanniæ* Comitem armatum pro eo abducendo cum ſuis uſque noviſſimum quadrantem *Pontivum* quantocius aditurum. Talibus ille minis exterritus, mittit virum cum ſociis, qui à *Willielmo* multum honorifice ſuſcipitur, & audito cur patria exierit, Bene quidem rem proceſſuram ſi in ipſo non remaneret *Willielmus*, reſpondit. Tenuit ergo virum aliquot diebus circa ſe, ſatiſque humanum ſe ac familiarem illi exhibuit, ut hujuſmodi re animum ejus in ſuos conatus alliceret. Cui tandem aperuit quod in mente habuit. Dicebat itaque regem *Eadwardum* quando ſecum juvene olim juvenis in *Normannia* demoraretur, ſibi interpoſita fide ſua pollicitum fuiſſe, quia ſi rex *Angliæ* foret, jus regni in illum jure hæreditario poſt ſe transferret. Et ſubdens ait, Tu quoque ſi mihi te in hoc ipſo amminiculaturum ſpoponderis, & inſuper caſtellum *Dofris* cum puteo aquæ ad opus meum te facturum, ſororemque tuam quam uni de principibus meis dem uxorem, te ad me, tempore quo nobis conveniet, deſtinaturum, necne filiam meam te in conjugem accepturum promiſeris, tunc & modo nepotem tuum, & cum in *Angliam* regnaturus venero, fratrem tuum incolumem recipies. In quo regno ſi tuo favore fuero confirmatus, ſpondeo quia omnia quod a me rationabiliter tibi petieris obtinebis. Senſit *Haroldus* periculum undique, nec intellexit qua evaderet niſi in omnibus voluntati *VVillielmi* acquieſceret. Acquievit itaque. At ille ut omnia rata forent, prolatis Sanctorum reliquiis ad hoc *Haroldum* perduxit, quatinus ſuper illas jurando teſtaretur, ſe cuncta quæ convenerant inter eos opere completurum. His ita geſtis, *Haroldus* recepto nepote reverſus eſt patriam. Ubi vero quid acciderit, quid egerit regi percunctanti narravit, *Nunne dixi tibi*, ait, *me Willielmum noſſe, & in illo itinere tuo plurima mala huic regno contingere poſſe? Magnum in hoc tuo facto calamitates præſentio genti noſtræ venturas, quas concedat mihi quaſo pietas ſuperna ne diebus meis veniant.* In brevi poſt hæc obiit rex *Eadwardus*, & juxta quod ipſe ante mortem ſtatuerat, in regnum ei ſucceſſit *Haroldus*. Cui *VVillielmus* mandavit, ut, quamvis violata fide cætera non ſervaſſet, ſi tamen filiam ſuam duceret uxorem, leviter ferret, alioquin ſe promiſſam regni ſucceſſionem armis ſibi vindicaturum procul dubio ſciret.

At ipſe, nec illud quidem facere ſe velle, nec hoc formidare, dixit. Unde VVillielmus indignatus, magna ſpe vincendi ex hac Haroldi injuſtitia eſt animatus. Parata igitur claſſe non modica cum nongentis navibus Angliam petit, conſertoque gravi prælio Haroldus in acie concidit, & Willielmus victor regnum optinuit. De quo prælio teſtantur adhuc Franci qui interfuerunt, quoniam licet variis caſibus hinc inde extiterit, tamen tanta ſtrages ac fuga Normannorum fuit, ut victoria qua potiti ſunt, vere & abſque dubio Dei judicio ſit aſcribenda, qui puniendo ſcelus perjurii oſtendit ſe non Deum volentem iniquitatem.

An.Dñi 1067. ANno M. lxvij. adveniente quadrageſima rex Willielmus Normanniam repetiit, ducens ſecum Dorobernenſem archiepiſcopum Stigandum, Gleſtonienſem abbatem Agelnothum, Eadgarum clytonem, Comites Edwinum & Markarum, Waltheuum Siwardi ducis filium, nobilem ſatrapam Agelnothum Cantuarienſem, & multos alios de primatibus Angliæ; fratremque ſuum Odonem Baiocenſem epiſcopum, & Willielmum filium Osberni quem in Herefordenſi provincia Comitem conſtituerat, Angliæ cuſtodes relinquens, caſtella per loca firmari præcepit. Wlſius Dorkeceſtrenſis qui & Lincolnienſis epiſcopus deceſſit Wintoniæ, ſed ſepultus eſt Dorkeceſtre. Eo tempore extitit quidam præpotens miniſter Edricus cognomento Silvaticus filius Alfrici fratris Edrici Streone. Cujus terram quia dedere ſe regi dedignabatur, Herefordenſes caſtellani & Ricardus filius Scrob frequenter vaſtaverunt. Sed quotienſcumque ſuper eum irruerant multos è ſuis militibus & ſcutariis perdiderunt. Iccirco aſcitis ſibi in auxilium regibus Walanorum, Bleihgento videlicet & Ritwalo, idem vir Edricus circa aſſumptionem ſanctæ Mariæ Herefordenſem provinciam uſque ad pontem amnis Lugge devaſtavit, ingentemque prædam reduxit. Poſt hæc hieme imminente rex Willielmus de Normannia Angliam rediit, & Anglis importabile tributum impoſuit. Dein in Domnaniam hoſtiliter profectus, civitatem Exeaceſtram quam cives & nonnulli Anglici miniſtri contra illum retinebant, obſedit, & cito infregit. Githa vero Comitiſſa ſcilicet mater Haroldi regis Anglorum, ac ſoror Suani regis Danorum cum multis de civitate fugiens evaſit, & Flandriam petiit. Cives autem dextris acceptis regi ſe dedebant.

1068. ANno M. lxviij. duo papæ in Roma facti ſunt, id eſt, epiſcopus Parmenſis qui expulſus eſt, & epiſcopus de Luca, qui papa permanſit. Poſt Paſcha Comitiſſa Matildis de Normannia venit Angliam, quam die Pentecoſtes Aldredus Eboracenſis archiepiſcopus conſecravit in reginam. Poſt hæc, Marleſwen, & Goſpatric, & quique Northumbranæ gentis nobiliores regis auſteritatem devitantes, & ne ſicut alii in cuſtodiam mitterentur formidantes, aſſumptis ſecum Eadgaro Clitone & matre ſua Agatha, duabuſque ſororibus ſuis Margareta & Chriſtina, navigio Scotiam adierunt, ibidemque regis Scottorum Malcolmi pace hiemem exegerunt. Rex autem Willielmus cum exercitu ſuo Snotingaham venit, ubi caſtello firmato Eboracum perrexit, ibidemque duobus caſtellis firmatis quingentos milites in eis poſuit, & in civitate Lincolnia aliiſque locis caſtella firmari præcepit. Dum hæc agerentur, Haroldi regis filii Godwinus, Eadmundus, Magnus de Hibernia redeuntes in Sumerſetania applicuerunt. Quibus Eadnothus qui fuit Haroldi regis ſtallarius occurrit cum exercitu, & cum eis prælio commiſſo cum multis aliis occiſus eſt. Illi vero potiti victoria, de Domnania & Cornubia præda rapta non modica in Hiberniam redierunt.

An.Dñi 1069. ANno M. lxix. Cœnobium ſancti Germani de Selebi ſumpſit exordium. Miſit rex Willielmus Northymbris ad aquilonalem plagam Tine Comitem Rodbertum cognomento Cumin tertio regni ſui anno. At illi omnes in unam coacti ſententiam ne alienigenæ dominio ſubderentur, ſtatuerunt, aut illum interficere, aut ipſi ſimul omnes in ore gladii cadere. Cui appropinquanti Dunelmenſis epiſcopus Agelwinus occurrens, inſidias ſibi præcavere præmonuit; ſed ille neminem hoc audere æſtimans deſpexit ammonentem. Dunelmum cum multa militum manu ingreſſus permiſit ſuos hoſtiliter ubique agere, occiſis etiam nonnullis eccleſiæ ruſticis. Suſceptus eſt autem ab epiſcopo cum omni humanitate & honore. At Northymbri tota nocte feſtinantes Dunelmum, ſumma vi diluculo per portas irrumpunt, & ſocios Comitis imparatos ubique locorum interficiunt. Atrociter nimis res geritur, proſtratis per domos & plateas militibus, domum epiſcopi in qua Comes fuerat ſuſceptus, aggrediuntur pugnantes, ſed cum non ferrent jacula defendentium domum cum inhabitantibus concremaverunt. Tanta fuit interfectorum multitudo, ut omnia pene urbis loca replerentur cruore. Nam de ſeptingentis hominibus nemo præter unum evaſit. Hæc cædes facta eſt v. Kal. Februarii feria iiij. Quo anno, ante nativitatem ſanctæ Mariæ Suani regis Danorum filii Haroldus, Canutus, & patruus eorum Osbernus Comes, & epiſcopus eorum Chriſtianus, Comeſque Turkillus CC & xl. navibus de Danubia venientes, in hoſtio Humbriæ fluminis applicuerunt. Ubi eis Clito Eadgarus, Comes Waltheuus, & Marleſſvein multique alii cum claſſe quam paraverant occurrerunt. Affuit & Coſpatricus Comes cum totis viribus Northymbrorum, unanimiter omnes contra Normannos congregati. De quorum omnium adventu Eboracenſis archiepiſcopus Aldredus valde triſtis effectus, in magnam decidit infirmitatem, & decimo anno ſui archiepiſcopatus iij. Idus Septembris feria vj. ut Deum rogaverat, vitam finivit, & in eccleſia ſancti Petri eſt ſepultus. Octavo poſt hunc die, ſcilicet xiij. Kal. Octobris, ſabbato, Normanni qui caſtella cuſtodiebant, timentes ne domus quæ prope caſtella erant, adjumenta Danis ad implendas foſſas caſtellorum eſſent, igne eas ſuccendere cœperunt. Qui nimis excreſcens totam civitatem invaſit, monaſteriumque ſancti Petri cum ipſa conſumpſit. Sed ultione divina citiſſime vindicatum eſt in eis graviſſime. Nam priuſquam tota civitas eſſet combuſta, Danica claſſis ſupervenit feria ij. & hinc Dani, illinc Northymbrani expugnantes caſtella eadem die infregerunt. Et plus tribus millibus ex Normannis trucidatis, Willielmo Malet qui tunc vicecomitatum gerebat, cum ſua conjuge & duobus liberis, & Gileberto de Gant aliiſque perpaucis vitæ reſervatis, naves Dani cum innumeris manubiis, ſuaſque ſedes

repetie-

WILLIEL-MUS I. Rex.

repetierunt *Northymbri.* Quod ubi regi *Willielmo* innotuit, exercitu mox congregato in *Northymbriam* efferato properavit animo, eamque per totam hiemem devaſtare, hominesque trucidare, & multa alia non ceſſabat agere. Interea nunciis ad *Danicum* Comitem *Osbernum* miſſis, ſpopondit ſe clanculo daturum illi non modicæ ſummam pecuniæ, & permiſſurum licenter exercitui ſuo victum circa ripas maris rapere, ea tamen interpoſita conditione, ut ſine pugna diſcederet peracta hieme. Ille autem auri argentique cupidus, non ſine magno dedecore ſui petitis conceſſit.

Normannis Angliam vaſtantibus, in *Northimbria* & in quibuſdam aliis provinciis anno præcedenti, ſed præſenti & ſubſequenti fere per totam *Angliam*, maxime per *Northymbriam*, & per contiguas illi provincias, adeo fames prævaluit, ut homines humanas, equinas, caninas, & catinas carnes, & quicquid uſus abhorret, cogente inedia comederent, alii vero in ſervitutem perpetuam ſeſe venderent, dummodo qualitercumque miſerabilem vitam ſuſtentarent, alii extra patriam profecturi in exilium medio itinere deficientes, animas emiſerunt. Erat horror ad intuendum per domos, plateas & itinera cadavera humana diſſolvi, & tabeſcentia putredine cum fœtore horrendo ſcaturire vermibus. Neque enim ſupererat qui ea humo cooperiret, omnibus vel extinctis gladio & fame, vel propter famem paternum ſolum relinquentibus. Interea ita terra cultore deſtituta, lata ubique ſolitudo patebat per novem annos. Inter *Eboracum* & *Dunelmum* nuſquam villa inhabitata, beſtiarum tantum & latronum latibula, magno itinerantibus fuere timori. Cum hæc *Eboraci* circum circaque rex ageret, *Agelwinus Dunelmenſis* epiſcopus & optimates populi timentes ne propter occiſionem & Comitis, & *Normannorum* apud *Eboracum* gladius regis innocentes æque ut nocentes pari clade involveret, unanimi conſilio tollentes ſancti patris *Cuthberti* incorruptum corpus, fugam ineunt iij. Idus Decembris feria vj. Primam manſionem habuerunt in **Girwum**, ſecundam in **Betlingetun**, tertiam in *Tuggahala*, quartam in **Healande.** Sed circa veſperam, cum plenum undique mare advenientibus prohiberet ingreſſum, ecce ſubito ſui receſſu liberum præſtitit introitum, ita ut nec feſtinantes aliquanto tardius ſequerentur fluctus marini, nec tardantes aliquanto citius præcurrerent. Cum autem terram attigiſſent, ecce refluum mare ſicut ante totas arenas operuerat. Interea regis exercitus etiam per loca quæque inter *Teſam* & **Tine** diffuſus, vacuis ubique domibus ſolam invenit ſolitudinem, indigenis fugæ præſidium quærentibus, vel per ſilvas & abrupta montium latitantibus. Tunc & eccleſia ſancti *Pauli* in **Girwum** flammis eſt conſumpta; *Dunelmenſis* eccleſia omni cuſtodia & eccleſiaſtico ſervitio deſtituta ſpelunca erat pauperum & debilium, & ægrotantium, qui cum fugere non poterant, illuc declinantes fame ac morbo deficiebant. Inſtante vere, redeunte ad *Suthymbriam* rege, *Agelwinus* epiſcopus cum omni populo tranſactis in **Ealande** tribus menſibus & aliquot diebus, regreditur cum theſauro ſancti corporis, diſpoſitis in redeundo quas habuerant in exeundo manſionibus, atque viij. Kalend. Aprilis expurgata prius ab omni contaminatione eccleſia, ac pontificalibus officiis, & benedictione reconciliata, cum hymnis & laudibus intrantes ſacrum ſuo in loco corpus reponunt.

An. Dñi 1070.

ANno M. lxx. *Willielmi Herefordenſis* Comitis & quorundam aliorum conſilio tempore quadrageſimali rex *Willielmus* monaſteria totius *Anglia* perſcrutari, & pecuniam quam ditiores *Angli* propter illius auſteritatem & depopulationem in eis depoſuerant, auferri & in ærarium ſuum juſſit deferri. *Egelwinus* epiſcopus rediens de fuga, perpetuam animo meditabatur fugam. Videns namque res *Anglorum* undique turbari, exteræ gentis cujus nec linguam, nec mores noverat, grave ſibi metuens dominium, decrevit epiſcopatu dimiſſo quaqua poſſet advena ſibi providere. Itaque navis ei præparata rebus neceſſariis impoſitis proſperum expectabat ventum in portu *Weremuthenſi.* Fuerant ibidem eo tempore & aliæ naves nonnullæ, quarum ductores erant Clito *Eadgarus* cum matre *Agatha* & duabus ſororibus *Margareta* & *Criſtina*, *Siward*, *Barn*, *Marleſſwein*, *Alfwinus* filius *Normanni*, & alii quamplures, qui poſt expugnationem caſtellorum *Eboraci*, *Danis* in ſua revertentibus, quoniam eis auxilio fuerant, indignationem regis ſibi metuerant, *Scotiam* ire profugi parabant; ibique navigationem proſperam præſtolabantur. Per idem tempus infinita *Scottorum* multitudo ducente *Malcolmo* rege per **Cumbrelant** traducta, verſus orientem divertens, univerſam **Teisdale** & ejus finitima loca ultra citraque feroci vaſtavit depopulatione. Ubi autem ventum eſt ad locum qui dicitur Anglice **Hundredeſkelde**, Latinè autem *Centum fontes*, trucidatis ibidem quibuſdam gentis *Anglicæ* nobilibus, rex parte exercitus retenta, partem per viam qua venerant, cum infinita præda domum remiſit. Hac ſcilicet calliditate ut cum totus hoſtis putaretur abiiſſe, miſeros indigenas qui ſeſe ſuaque propter hoſtilem metum latibulis quibus poterant tute conſervaverant, ſecure in villas ſuas domoſque regreſſos, ipſe ſubito præoccuparet incurſu inproviſos. Quod & factum eſt. Nam depopulata **Clyvelande** ex parte, repentina depopulatione occupat **Heorternisse**, indeque per terras ſancti *Cuthberti* ferociter diſcurrens, omnes omnibus rebus, nonnullos etiam ipſis privat animabus. Tunc & eccleſiam ſancti *Petri* apoſtolorum principis in *Weremuthe*, flamma ſuorum ipſo inſpectante conſumpſit. Alias quoque eccleſias cum his qui in eas confugerant concremavit. Ubi cum circa ripas fluminis equitaret, deque altiori loco ſuorum crudelia in miſeros *Anglos* facinora proſpiciens, tali ſpectaculo animos & oculos paſceret, nuntiatum eſt illi Clitonem *Eadgarum* ſuaſque ſorores regiæ ſtirpis puellas decoras, pluresque alios prædivites de ſuis ſedibus profugos in illum portum applicuiſſe navibus. Datis ergo dextris venientes ad ſe benigne alloquitur, eiſque cum ſuis omnibus regni ſui habitationem quamdiu vellent cum pace donavit firmiſſima. Inter has *Scottorum* vaſtationes ac rapinas, *Goſpatricus* Comes (qui ut ſupradictum eſt, à rege *Willielmo* comitatum *Northanhymbrorum* precio aſſecutus fuerat) accitis auxiliatoribus ſtrenuis atroci depopulatione **Cumbrelant** invadit. Peracta cæde & incendio cum magna præda revertitur, ſeque cum ſociis in munitionem **Babbanburch** firmiſſimam concluſit. Ex qua ſæpius prorumpens, vires hoſtium debilitavit. Erat

enim

erat eo tempore Cumbrelanda ſub regis Malcolmi dominio, non jure poſſeſſa, ſed violenter ſubjugata. Audito illo (cum adhuc flammas eccleſiæ ſancti Petri [illegible] ſpectaret) quid Goſpatricus in ſuos fecerat, vix præ ira ſe capiens, juſſit ſuis ut nulli Anglicæ gentis parcerent, ſed omnes vel ad terram trucidando ſternerent, vel captivando ſub jugum perpetuæ ſervitutis abducerent. Quibus licentia accepta, horrendum erat videre quæ in Anglos faciebant. Senes & anus alii gladiis obtruncabantur, alii ut porci ad eſum deſtinati lanceis confodiebantur. Rapti ab uberibus matrum parvuli in altum aera projiciebantur, unde recidentes lancearum acuminibus excipiebantur, haſtilibus denſiſſime ſolo infixis. Hoc [illegible] ludo [illegible] Scotti. [illegible] inter [illegible] exhalavit. Juvenes vero & juvenculas, & quicunque operibus & laboribus idonei videbantur, ante faciem hoſtium vincti compellebantur, ut perpetuo exilio in ſervos & ancillas redigerentur. Harum quædam dum plus quam vires ſinerent, currendo [illegible] compellerentur, [illegible] illico corruentes [illegible] perierunt. [illegible] Malcolmus conſiderans, nullis miſerorum lacrimis, nullis gemitibus flectebatur ad miſericordiam, ſed potius juſſit ut amplius perurgerentur curſu. Repleta eſt ergo Scotia ſervis & ancillis Anglici generis, ita ut etiam uſque hodie nulla, non dico villula, ſed nec domuncula ſine his valeat inveniri.

Reverſi Scotiam *Malcolmo*, *Egelwinum* epiſcopum verſus Coloniam incipientem navigare, motu venti ſurgentis contrarius in *Scotiam* reppulit. Quo etiam Clitonem *Eadgarum* cum ſociis ſupranominatis proſpero pervenit curſu. Cujus *Eadgari* ſororem *Margaretam* rex *Malcolmus*, conſenſu propinquorum illius, matrimonio ſibi junxit, feminam regali proſapia nobilem, ſed prudentia & religione multo nobiliorem. Cujus ſtudio & induſtria rex ipſe, depoſita morum barbarie, factus eſt honeſtior atque civilior. Ex qua ſex filios ſuſcepit, *Eadwardum*, *Eadmundum*, *Eadgarum* regem, & *Alexandrum* regem, *Ethelredum*, *David* regem, & duas filias *Mahtildam Anglorum* reginam, & *Mariam* quam *Euſtachius* Comes *Bononiæ* in conjugium accepit. Concilium magnum in octavis Paſchæ *Wintoniæ* celebratum eſt, jubente & præſente rege *Willielmo*, domino *Alexandro* papa conſentiente, & per ſuos legatos *Hermenfredum* Sedunenſem epiſcopum, & presbyteros *Johannem* & *Petrum* Cardinales ſedis apoſtolicæ ſuam auctoritatem exhibente. In quo Concilio *Stigandus Doroberniæ* archiepiſcopus degradatur tribus ex cauſis, ſcilicet quia injuſte epiſcopatum *Wintoniæ* cum archiepiſcopatu poſſidebat; & quia vivente archiepiſcopo *Rodberto* non ſolum archiepiſcopatum ſumpſit, ſed etiam ejus pallio quod *Cantuariæ* remanſit, dum vi & injuſte ab *Anglia* pulſus eſt, in miſſarum celebratione aliquandiu uſus eſt; & poſt, à *Benedicto* quem ſancta *Romana* eccleſia excommunicavit, eo quod pecuniis ſedem apoſtolicam invaſit, pallium accepit. Ejus quoque frater *Agelmarus Eaſtanglorum* epiſcopus eſt degradatus. Abbates etiam aliqui ibi degradati ſunt, operam dante rege, ut quamplures ex *Anglis* ſuo honore privarentur, in quorum locum ſuæ gentis perſonas ſurrogaret, ob confirmationem ſcilicet ſui quod noviter adquiſierat regni. Hinc & nonnullos tam epiſcopos quam abbates, quos nulla evidenti cauſa, nec Concilia, nec leges ſæculi damnabant, ſuis dignitatibus privavit, & uſque ad finem vitæ cuſtodiæ mancipatos detinuit, ſuſpicione ut diximus tantum inductus novi regni. Interea in hoc Concilio dum cætera pro voluntate regis agerentur, [illegible] a ſuis honoribus privarentur, [illegible] vir *Wlſtanus Wigornenſis* epiſcopus poſſeſſiones quamplures ſui epiſcopatus ab *Aldredo* archiepiſcopo, dum à *Wigornenſi* eccleſia ad *Eboracenſem* transferretur, ſua potentia retentas, quæ tunc eo defuncto in regiam poteſtatem devenerant, conſtanter proclamabat, repetebat, juſtitiamque inde fieri non ab ipſis qui Concilio præerant quam à rege flagitabat. At quia *Eboracenſis* eccleſia non habens paſtorem qui pro ea loqueretur mutteſcebat, judicatum eſt ut ipſa querela ſic remaneret quouſque archiepiſcopo ibi conſtituto qui eccleſiam defenderet, eſſet qui ejus querelæ reſponderet, & ex objectis & reſponſis poſſet evidentius ac juſtius judicium fieri. Sicque tunc ea querela ad tempus remanſit. Die autem Pentecoſtes rex apud *Windeſoram* venerando *Baiocenſi* canonico *Thomæ Eboracenſis* eccleſiæ archiepiſcopatum, & *Walchelino* ſuo capellano *Wintonienſis* eccleſiæ dedit præſulatum. Cujus juſſu mox in craſtino prædictus Sedunenſis epiſcopus *Hermenfridus* ſynodum tenuit, *Johanne* & *Petro* præfatis Cardinalibus *Romam* reverſis. In qua ſynodo *Agelricus Suthſaxonum* pontifex non canonice degradatur, quem rex ſine culpa mox apud Mearleberge in cuſtodiam poſuit. Abbates etiam degradati ſunt quamplures. Quibus degradatis, rex ſuis capellanis *Arfaſto* orientalium *Anglorum* præſulatum, & *Stigando Suthſaxonum* dedit epiſcopatum. Nonnullis etiam *Normannicis* monachis dedit abbatias. Et quia *Dorobernenſis* archiepiſcopus depoſitus, & *Eboracenſis* erat defunctus, juſſu regis in octavis Pentecoſtes ab eodem *Armenfredo* Sedunenſi epiſcopo ſedis Apoſtolicæ legato ordinatus eſt *Walcelinus*. Imminente autem feſtivitate ſancti *Johannis Baptiſtæ*, Comes *Oſbernus* cum claſſe quæ in *Humbra* flumine hiemaverat, *Danemarchiam* adiit, ſed frater ſuus rex *Danorum Suanus* illum propter pecuniam quam contra voluntatem *Danorum* à rege *Willielmo* acceperat, exlegavit. Vir ſtrenuiſſimus *Edricus* cognomento *Silvaticus*, cujus ſupra meminimus, cum rege *Willielmo* pacificatur.

Poſt hæc rex de *Normannia* accito *Lanfranco Cadomenſi* abbate, genere *Longobardo*, viro undecunque doctiſſimo, omnium liberalium artium divinarumque ſimul ac ſecularium literarum ſcientia peritiſſimo, conſiliis quoque ac gubernatione rerum mundialium æque prudentiſſimo die Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* archiepiſcopum conſtituit *Cantuarienſis* eccleſiæ, & in feſtivitate ſancti *Johannis Baptiſtæ* die dominica conſecrari fecit *Cantuariæ*. Conſecratus eſt autem ab epiſcopis *Gyſone Willenſi*, & *Waltero Herefordenſi*, qui ambo *Romæ* à *Nicholao* papa ordinati ſunt, quando *Aldredus Eboracenſium* archipræſul pallium ſuſcepit. Vitabant enim à *Stigando* qui tunc archiepiſcopatui *Doroberniæ* præſidebat ordinari, quia illum noverant non canonice pallium ſuſcepiſſe. *Hermannus* autem *Searesbyrienſis* epiſcopus cum quibuſdam aliis ejus interfuit conſecrationi. Deinde *Lanfrancus Thomam Ebora-*

cenſem

Willielmus I. Rex. *cenſem* conſecravit epiſcopum. His geſtis reverendi *Wlſtani* Wigornenſis epiſcopi mota eſt iterum querela, epiſcopo jam conſecrato *Thoma* qui pro Eboracenſi loqueretur eccleſia, & in Concilio in loco qui vocatur *Pedreda* celebrato coram rege ac Dorobherniæ archiepiſcopo *Lanfranco*, & epiſcopis, abbatibus, Comitibus & primatibus totius Angliæ terminata eſt. Siquidem non ſolum vir dei *Wlſtanus* proclamatas & expetitas poſſeſſiones recepit, ſed & ſuam eccleſiam deo donante ac rege concedente ea libertate liberam ſuſcepit qua primi fundatores ejus eorumque ſucceſſores ipſam liberaverant.

An. Dñi 1071. Anno M. lxxj. *Lanfrancus* & *Thomas* Romam iverunt & ab *Alexandro* papa pallium ſuſceperunt. Comites *Edwinus* & *Morkarus*, quia rex *Willielmus* eos in cuſtodiam ponere voluit, latenter è curia ejus fugerunt, & aliquandiu contra illum rebellaverunt. Verum ubi quod cœperunt, ſibi non proſpere ceſſiſſe viderunt, *Edwinus* regem Scottorum *Malcolmum* adire decrevit, ſed in ipſo itinere à ſuis inſidias perpeſſus, occiditur: *Morkarus* vero & *Herewardus* vir ſtrenuiſſimus cum multis aliis Eli inſulam navigio petierunt, in ea hiemare volentes. *Agelwinus* quoque Dunelmenſis epiſcopus & *Siwardus* cognomento *Barn* de Scotia renavigantes illo advenerant: ſed hoc audito, rex cum buthſecarlis in orientali plaga inſulæ omnem illis exitum obſtruxit, & pontem in occidentali duum miliariorum longum fieri juſſit. At illi ubi ſe viderunt ſic eſſe incluſos, repugnare deſiſtebant, & omnes, excepto *Herewardo*, qui per paludes cum paucis evaſit, regi ſe dedebant. Qui mox epiſcopum *Agelwinum* *Abbandoniam* miſſum in cuſtodia poſuit, ubi in ipſa hieme vitam finivit. Comitem vero cæteroſque per Angliam diviſos partim cuſtodiæ mancipavit, partim manibus truncatis vel oculis erutis abire permiſit. *Walcherum* vero Dunelmenſi eccleſiæ rex præfecit epiſcopum, de clero Leodicenſis eccleſiæ. Invitatus namque ab ipſo rege venerat ad illum, proſapia clarus, honeſtus moribus, divinæ ac ſecularis ſcientiæ gratia præditus. Quem *Eilaf* huſcarl apud regem præpollens honore, cum aliis principalibus viris perduxit *Eboracum*, ubi juſſu regis occurrens Comes *Coſpatricus* ſuſcepit pontificem perducendum uſque *Dunelmum*: venit autem in eccleſiam ſuæ ſedis media quadrageſima.

1072. Anno M. lxxij. poſt aſſumptionem ſanctæ *Mariæ* rex *Willielmus* habens in comitatu ſuo *Edricum* cognomento *Silvaticum*, cum navali & equeſtri exercitu *Scotiam* profectus eſt ut eam ſuæ ſubjugaret ditioni. Graviter namque rex Scottorum *Malcolmus* eum offenderat, quia ut ſupradictum eſt anno præterito regni ſui terminos atrociter depopulatus fuerat. Sed ubi rex Anglorum *Scotiam* intraverat, rex *Malcolmus* ei in loco qui dicitur *Abernithi* occurrit, & homo ſuus devenit. Rediens autem inde *Willielmus* *Coſpatricum* comitatus honore privavit, inponens illi quod conſilio & auxilio affuiſſet eis qui Comitem cum ſuis in *Dunelmo* peremerant, licet ipſe ibidem præſens non fuiſſet, & quia in parte hoſtium fuiſſet cum *Normanni* apud *Eboracum* necarentur.

Sed hic paulatim redeamus ad ſuperiora, gratia Comitum Northymbrenſium, quatinus ſtatu regum Northanthymbrorum deficiente, à quibus cœperit provincia illa amminiſtrari Comitibus, agnoſcatur.

Ultimus regum provinciæ illius fuit *Eiricus*, quem Northymbrenſes violata fide quam Regi *Eadredo* juraverant, ſibi regem fecerunt. Quare offenſus rex juſſit ut tota provincia funditus vaſtaretur. Illico Northymbrenſes expulſo rege ſuo, atque occiſo à *Maccus* filio *Onlafi*, juramentis & muneribus placaverunt regem *Eadredum*, commiſſa provincia *Oſulfo* Comiti. Qui poſtea regnante *Eadgaro* ſocium accepit *Oſlacum*. Deinde *Oſulfus* ad aquilonalem plagam Tinæ, *Oſlacus* vero ſuper *Eboracum* & ejus fines curas amminiſtrabat. His ſucceſſit *Walthef* ſenior, qui ſucceſſorem habuit filium *Uchtredum*. Is cum regnante *Agelredo* rex *Canutus* hoſtiliter invaderet *Northymbriam*, neceſſitate compulſus ſe cum ſuis ad *Canutum* contulit, factoque juramento & obſidibus datis, peremptus eſt à quodam Dano prædivite *Thurebrando* cognomento *Hold*, permittente *Canuto*. In cujus locum frater ejus *Eadulf Cutel* ſubſtituitur. Reliquerat autem Comes *Uchtredus* tres filios, *Aldredum*, *Eadulfum*, *Coſpatricum*, quorum duo primi Comites fuerunt Northymbrorum, alter poſt alterum. Tertius vero ſine Comitatus honore habuit filium *Uchtredum*, cujus filius erat *Eadulfus* cognomento *Rus*, qui poſtea ducem ſe exhibuit eorum qui *Walcherum* epiſcopum occiderunt; ipſoque dicitur ſua illum interfeciſſe manu: ſed mox & ipſe à femina occiſus, ſepultus eſt in eccleſia apud Tinemuthe; ſed poſt à *Turgoto* quondam Priore Dunelmenſis eccleſiæ & archidiacono talis inde ſpurcitia projecta. Poſt *Eadulfum Cudel* *Aldredus* filius præfati Comitis *Uchtredi* ſuſcepto comitatu in vindictam patris occiſi homicidam *Thurebrandum* occidit. Cujus *Thurbrandi* filius *Carl* & præfatus Comes *Aldredus*, dum vitæ ſuæ invicem inſidiarentur, tandem repacificantur: ſed non multo poſt *Aldredus* nil mali ſuſpicans, dolo in ſilva quæ Riſewde vocatur, à *Carl* conjurato ſibi fratre occiditur. Poſt fratris interitum *Eadulfus* Comes efficitur Northymbrenſium, qui, cum ſuperbia extolleretur, Brittones ſatis atrociter devaſtavit: ſed tertio poſt anno cum ad *Hardecanutum* reconciliandus in pace veniſſet, interfectus eſt à *Siwardo*, qui poſt illum totius provinciæ Northanhymbrorum, id eſt ab *Humbra* uſque *Tuedam*, comitatum habuit. Cui mortuo ſucceſſit *Toſti*. Quo, propter graves injurias quas intulerat, à Northymbrenſibus de Anglia expulſo, ducatus illius *Morkaro* committitur à rege *Eadwardo*, & poſtmodum à Rege *Willielmo*. *Morkarus* vero quoniam aliis gravibus negotiis impeditus fuerat, comitatum ultra *Tynam* tradidit *Oſulfo* adoleſcenti filio præfati Comitis *Eadulfi*. Capto poſtmodum & cuſtodiæ mancipato *Morkaro*, rex *Willielmus* comitatum *Oſulfi* commiſit *Copſio* qui erat partis *Toſtii* Comitis, viro conſiliario & prudenti. Pulſus à *Copſio* de comitatu *Oſulfus*, in fame & egeſtate ſilvis latitans & montibus, tandem collectis quos eadem neceſſitas compulerat ſociis *Copſium* in Nyweburne convivantem concludit. Qui inter tumultuantes turbas lapſus dum lateret in eccleſia proditus, incendio eccleſiæ compellitur uſque ad hoſtium procedere, ubi in ipſo hoſtio manibus *Oſulfi* detruncatur, quinta ebdomada commiſſi comitatus, iiij. idus Martii. Mox ſequenti autumpno, & ipſe *Oſulfus* cum in obvii ſibi latronis lanceam præceps irrueret, illico confoſſus interiit. Quo mortuo, *Coſpatricus* filius *Maldredi* filii *Crinani* *Willielmum* regem adiens, multa emptum pecunia adeptus eſt comitatum Northymbrenſium

ILLIEL- I. Rex.

brenſium. Nam ex materno ſanguine attinebat ad eum honor illius comitatus. Erat enim ex matre *Algitha* filia *Uchtredi* Comitis, quam habuit ex *Algiva* filia *Agelredi* Regis. Hanc *Algitham* pater dedit in conjugium *Maldredo* filio *Crinani*. Tenuit autem comitatum donec rex cauſis ex ſupradictis ei auferret. Fugiens ergo ad *Malcolmum* non multo poſt *Flandriam* navigio petit. Cui poſt aliquantum tempus *Scotiam* reverſo, donavit ei rex ſupradictus **Dunbar** cum adjacentibus terris in *Lodoneio*, ut ex his, donec lætiora redirent tempora, ſe ſuoſque procuraret. Iſte *Coſpatricus* eſt pater *Dolfini*, *Walthevi* & *Coſpatrici*. Poſt *Coſpatricum* datus eſt comitatus *Walthevo Siwardi* Comitis filio. Quo poſtmodum capto, commiſſa eſt cura Comitatus *Walchero* epiſcopo uſque in diem occiſionis ſuæ. Inde rex dedit illum honorem *Albrico*. Quo in rebus difficilibus parum valente, patriamque reverſo, idem rex *Rodberto* de *Mulbreio* dedit comitatum *Northymbrenſem*, ſed eo capto rex junior *Willielmus*, hodieque rex *Henricus* Northymbriam in ſua tenet manu.

His ad notitiam perſonarum per exceſſum interpoſitis, ad continuandam interrupti ordinis ſeriem ſtilus revertatur. Dejecto ab honore *Coſpatrico*, *Waltheovus* in comitatum ſuſtollitur, ei ex patris ac matris proſapia debitum. Fuerat enim *Siwardi* Comitis filius ex filia quondam Comitis *Aldredi Elfleda*.

Eodem tempore, ſcilicet quo rex reverſus de *Scotia* fuerat, in Dunelmo caſtellum condidit, ubi ſe cum ſuis epiſcopus tute ab incurſantibus habere potuiſſet. Fuerunt autem amiciſſimi ſibique mutuo acclives *Walcherus* epiſcopus & *Waltheovus* Comes. Unde una cum epiſcopo & in ſynodo presbyterorum reſidens, humiliter & obedienter proſequebatur quicquid pro corrigenda in ſuo comitatu Chriſtianitate ſtatutum ab epiſcopo fuiſſet.

Dñi 73.

ANno M. lxxiij. In hoc anno omnia juxta curſum ſolis & lunæ habentur ſicut in anno xv. *Tiberii* in quo baptizatus eſt Dominus, id eſt dies baptiſmatis viij. idus Januarii, die Dominico Epiphaniæ, & ſecunda feria, initium iejunii ejus xl. diebus. A baptiſmate itaque Domini in anno xv. *Tiberii* hucuſque ſunt revoluti duo magni cicli, hoc eſt mille lxiiij. anni. Rex Anglorum *Willielmus* civitatem quæ vocatur *Cinomannis*, & provinciam ad illam pertinentem, maximo *Anglorum* auxilio quos de *Anglia* ſecum duxerat ſibi ſubjugavit. Clito *Eadgarus* de *Scotia* per Angliam venit in *Normanniam*, & cum rege ſe repacificavit. Comes *Waltheovus* miſſa manu valida *Northymbrenſium*, necem avi ſui *Aldredi* Comitis crudeliter ulciſcitur: ſiquidem filios *Carl* qui eum occidi fecerat, apud **Seteringetun** ſimul convivantes gladius inſidiantium conſumpſit.

74.

ANno M. lxxiiij. *Hildebrandus*, qui & *Gregorius*, Romanus archidiaconus papa eſt electus & factus. Iſte papa ſynodo celebrata, ex decreto ſancti *Petri* apoſtoli & ſancti *Clementis* aliorumque ſanctorum patrum & banno interdixit clericis, maxime divino miniſterio conſecratis, uxores habere vel cum mulieribus habitare, niſi quas *Nicena* ſynodus vel alii canones exceperunt. Decrevit quoque ſub ſententia ſancti *Petri* ut cum *Simone* mago damnaretur non ſolum emptor & venditor cujuſcumque officii, utputa epiſcopatus, abbatiæ, præpoſituræ, decaniæ vel decimationis eccleſiæ, ſed & quicunque conſentiret eis. Dominus enim dixit, *Gratis accepiſtis, gratis date.*

WILLIELmus I. Rex.

Tres de provincia *Merciorum* monachi pauperes ſpiritu, divinitus miſſi in provinciam *Northanhymbrorum*, venerunt *Eboracum*, petentes ab *Hugone* filio *Baldrici*, qui tunc vicecomitatum gerebat, ut eis ducem itineris inveniret, uſque locum qui **Munkeceaſtre**, id eſt monachorum civitas appellatur, qui nunc *Novum caſtellum* nominatur. Quo per conductum venientes, ad tempus ibidem morati, cum nullum antiquæ ſervorum *Chriſti* ibi congregationis reperirent veſtigium, diverterunt ad *Girvum*, ubi ruinis vix oſtendentibus quid antiquitus fuerint, monachorum cum ſemirutis eccleſiis viſebantur ædificia multa, epiſcopo *Walchero* ſumma cum gratulatione illos ſuſcipiente, & neceſſaria præbente. Horum nomina fuerunt. Prior eorum ætate & moribus erat *Aldwinus*: ſecundus *Ealfwius*: tertius *Rinfridus*. Ex his tribus tria in regione *Northymbrorum* inſtaurata ſunt monaſteria. Unum *Dunelmi* apud patris *Cuthberti* ſacrum & incorruptum corpus in honorem ſanctæ *Mariæ* virginis. Aliud *Eboraci* in honorem ejuſdem dei genitricis *Mariæ*, ubi de eccleſiola factum nobile cœnobium. Primum abbatem habuit *Stephanum*; ſecundum *Ricardum*; tertium *Gaufridum*; quartum *Severinum*; quintum *Clementem*, qui & in præſenti. Tertium autem in loco qui quondam **Streoneſhalh**, id eſt ſinus fari, nunc **Witebi** appellatur. Ibi ſedit primus abbas *Willielmus*, ij. *Nicholaus*, iij. *Benedictus*, iiij. *Ricardus*, qui nunc ſupereſt. Denique poſtquam ſæviſſima paganorum devaſtatio gladio ac flamma eccleſias ac monaſteria in cineres redegerat, deficiente pene Chriſtianitate, vix aliquæ eccleſiæ, & hæ virgis fœnoque contextæ, ſed nulla uſpiam monaſteria per CC. annos reædificabantur, tepeſcente paulatim fidei religione, cultu vero religionis penitus deficiente; Monachorum nomen erat provincialibus inauditum. In ſtuporem vertebantur cum quemlibet monachilis habitus & vitæ forte conſpicerent. Sed prædictis tribus viris inter illos habitare incipientibus, incipiebant & ipſi de beſtiali vita mores in melius commutare, illis ad reſtauranda ſancta loca operam impendere, ipſi per ſe ſemirutas eccleſias reſtaurare & renovare, vel etiam in quibus antea non erant locis novas ædificare; Multi de ſeculari vita etiam in monachilem militiam concurrere. Sed hic pauci ex comprovincialibus, plures vero de remotis *Angliæ* partibus fama illorum acciti eis adjungebantur unanimes. Horum *Turgotus* erat unus, poſtea *Scottorum* epiſcopus. Is proſapiam trahens de genere *Anglorum* non infimo, unus erat inter alios qui nuper ſubjugata Normannis Anglia, obſides pro tota *Lindeſia* in *Lindicolino* caſtro cuſtodiebantur. Ille pecunia emolliens cuſtodiam, cum magno ſuorum periculo fugit clanculo ad *Norwegenſes*, qui tunc apud **Grimeſbi** navem mercatoriam uſque *Norwegiam* oneraverant. In qua navi etiam legati *Willielmi* regis *Norwegiam* mittendi ſubvectionem ſibi paraverant: jamque navis illa totis avolans velis terras aſpectibus ſubſtraxerat, cum ecce fugitivus obſes regis ab inferioribus navis partibus ubi *Norwegenſes* eum abſconderant, in medium erumpens, legatos eorumque ſocios in ſtuporem vertit. Nam ubique locorum perquiſitus fuerat, etiam in navi eadem exactores regis ſcrutinia fecerant, ſed calliditas abſcondentium deluſit oculos perſcrutantium. Itaque

WILLIELMUS I. REX.

que legati inſtabant, ut depoſitis velis navem cum fugitivo regis ad *Angliam* quoquo modo reflecterent. *Norwegenſes* acrius repugnabant ut cœptis velificatio proſpero navem curſu in antea perferret. Fit partium altercatio, ita ut adverſus ſe invicem armarentur: ſed quod major vis erat *Norwegenſium* citius compreſſa eſt audacia legatorum, quantoque magis terræ propinquabant, tanto magis illis ſe humiliabant. Veniens autem illo juvenis fugitivus quam honeſte ſe & caſte agebat, nobilibus & optimatibus gratus apparebat. Pervenit & ad notitiam regis *Olavi*; qui quoniam valde religioſus erat, ſacros codices inter manus tractare, & litteras inter regni curas ſæpe conſuevit addiſcere; ſæpe etiam ſacerdoti ad altare aſſiſtere, & induentem veſtimenta ſacra adjuvare, aquam manibus fundere, & cætera hujuſmodi devote peragere. Audito itaque quod clericus de *Anglia* veniſſet, quod magnum tunc temporis videbatur, eum ad diſcendos pſalmos quaſi magiſtrum ſibi exhibuit. Inter hæc ſatis ſuperque habundabat rebus, regis virorumque nobilium largitate, proaffluentibus. Compungebatur ſæpe animus illius ad contemptum mundi, & ubi poterat convivia lætantium declinans ſolitariis delectatur in lacrimis, orans deum ut eum dirigeret in viam ſalutis. Sed quia religioſa deſideria dum differuntur ſæpe mutantur, ab illo ſtatu paulatim animus defluebat, quem iocunditas ſeculi ex ſucceſſu rerum ad ſe trahebat. Sed quia invitatus ſponte venire noluit, quandoque compulſus domum cœleſtis patrisfamilias intravit. Poſt aliquot namque annos patriam cum multa pecunia renavigabat, ſed medio in mari navi prævalida tempeſtate diſſoluta, rerum omnium jacturam pereuntibus ſociis ſuſtulit, ſolam vitam cum v. vel vi. aliis vix cum multo labore ſervavit. Veniens *Dunelmum* ad orationem, *Walchero* epiſcopo omnia circa ſe acta expoſuit, & quia monachilis propoſiti animum gereret indicavit. Quod epiſcopus ſatis hilariter ſuſcepit, mittenſque ad *Aldwinum* de quo ſupradictum eſt, Hunc, inquit, filium meum precor & jubeo ſuſcipias, atque monachili habitu indutum vitam quoque monachilem ſervare doceas. Quem ſuſceptum ille regulariter probavit. & probato monachicum quandoque habitum tradidit, atque ita verbo informavit & exemplo, ut eidem defuncto jubente *Willielmo* epiſcopo in *Dunelmenſis* eccleſiæ ſuccederet prioratum, quem per xx. annos ſtrenue amminiſtravit, xij. diebus minus; anno enim epiſcopatus *Ranulfi* qui *VVillielmo* ſucceſſit viij. impetrante *Alexandro* rege *Scottorum*, ab *Henrico* rege *Anglorum* aſſumitur ad epiſcopatum eccleſiæ ſancti *Andrea* in *Scotia*; in qua eſt ſedes primatis totius gentis *Scottorum*. Sed per annum & eo amplius dilata eſt ejus ordinatio propter diſſenſiones *Eboracenſis* eccleſiæ atque eccleſiæ ſancti *Andrea Scotia*. Illa namque ordinationem & ſubjectionem primatis *Scottorum* ſibi ex quodam quaſi jure exigit, iſta vero è diverſo affirmat ex nullo antiquitatis vel conſuetudinis jure aliquid ſe debere. Sed ne diutius paſtore [viduata] vacillaret eccleſia, rogatus à rege *Scottorum* rex *Henricus* præcepit, ut *Eboracenſis* archiepiſcopus *Thomas* junior hunc ſine ulla ſubjectionis exactione conſecraret, ſalva utriuſque eccleſiæ auctoritate, ut poſtea ubi & quando & à quibus ratio exigeretur, debitus finis controverſiam utriuſque partis dirimeret. Veniens ergo ſic conſecratus *Scotiam*, cum cauſis emergentibus digne non poſſet epiſcopale officium exercere,

Romam ire diſpoſuit, ubi conſilio & judicio
papæ *Paſchalis* vitam ſuam tranſigeret. Sed
effectum perduceret, invaleſcentibus inter
regem cauſis, præ anguſtiis ſpiritus decidit in
choliam. Unde accepta licentia remorandi
pus *Dunelmi* propter infirmitatem, vigilia ap
rum *Petri* & *Pauli* venit ad *W*[illegible]
dam ab *Aldwino* habitum monachi ſuſcep
mane ut poterat miſſa celebrata, ad *ſanctum Cuth-*
bertum proficiſcitur, ibique in lectum decid
do lentis, modo nimiis præparatur febribus
tum, & hoc per duos menſes & quatuor di
ſtante autem hora exitus cum diceret ſæpe
orando *in pace factus eſt locus ejus & habita*
in Syon, & *laudate Dominum in ſanctis ejus*
nus fratrum ſuorum animam exhalavit ij. Kal
lis feria tertia hora tertia, Anno epiſcopatus
tranſacto & duobus menſibus & x. diebus,
to munere à deo quod ſedulo rogaverat, ut
crum *Cuthberti* corpus animam redderet. Sep
antem in Capitulo. Cujus corpus interpoſit
pus *Walcheri* epiſcopi habet ad auſtrum; *R*
epiſcopi ad aquilonem. Obiit autem anno
natione Dominica M. C. xv.

His per exceſſum dictis revertatur ad ordi
termiſſum ſtilus.

Eodem anno quo *Hildebrandus* papa pr
celebravit Concilium, *Herefordenſis* Comes
filius *Willielmi* Comitis Eaſtanglorum *Ro*
dulfo contra præceptum regis *Willielmi* ſu
conjugem tradidit, nuptiaſq; permagnificas
ma multitudine optimatum in *Grantebrycgenſi*
cia in loco qui *Txninga* dicitur, celebrantes,
conjurationem plurimis aſſentientibus contra
Willielmum ibi fecerunt, Comitemque *Walt*
ſuis inſidiis præventum ſecum conjurare comp
Qui mox ut potuit *Lanfrancum Dorobernen*
chiepiſcopum adiit, pœnitentiamque ab eo p
licet non ſponte ſacramento accepit, ejuſque
regem *Willielmum* in *Normannia* degentem
eique rem ex ordine pandens, illius miſericor
tro ſe dedit. Verum illi ſupra memorati princip
jurationis cœptis operam daturi ſua caſtella
rebellationemque adoriri omni conatu cum
toribus cœpere. Sed *Herefordenſi* Comiti
tranſvadata *Rodulfo* Comiti ad locum
cum ſuo exercitu occurreret, reſtitit *Wlſtan*
gornenſis epiſcopus cum magna militari manu
gelwinus abbas *Eoveſhamnenſis* cum ſuis,
bi in adjutorium *Urſone* vicecomite *VVig*
VValtero de *Laceio* cum copiis ſuis & cetera
tudine plebis. At vero *Rodulfo* Comiti
Grantebrygge caſtra metanti *Odo Baiocenſis*
pus frater regis & *Goffridus Conſtantienſis*
pus congregata magna copia tam *Anglorum*
Normannorum ad bellum parati occurrerunt
autem ſuos conatus infirmari cernens, mult
reſiſtentium veritus, ad **Norðwic** clanculo
& caſtello ſuæ conjugi & militibus ſuis comm
aſcenſa navi de *Anglia* ad *minorem Brit*
git. Quem fugientem adverſarii illius inſe
nes quos de ſuis comprehendere poterant,
merunt, vel diverſis modis debilitaverunt.
principes caſtellum tam diu obſidentes
data permiſſu Regis Comitiſſæ cum ſuis
glia liceret. His geſtis, rex autumpnali
Normannia rediens Comitem *Rogerum* in

am poſuit. Comitem etiam *Waltheovum* licet ab eo miſericordiam petierit cuſtodiæ tradidit. *Egitha* quondam *Anglorum* regina Decembri menſe deceſſit *Wiltoniæ*, cujus corpus juſſu Regis *Lundoniam* delatum, juxta corpus domini ſui regis *Eadwardi* honorifice eſt in *Weſtmonaſterio* tumulatum. Ubi rex proxima nativitate Domini curiam ſuam tenuit, & ex eis qui contra illum cervicem erexerant, de *Anglia* quoſdam exlegavit, quoſdam erutis oculis vel manibus truncatis deturpavit. Comites vero *Waltheovum* & *Rogerum* judiciali ſententia dampnatos artiori cuſtodiæ mancipavit.

075. ANno M. lxxv. Dum clerici magis eligerent anathemati ſubjacere quam uxoribus carere, *Hiltibrandus* papa, ut per alios ſi poſſet eos caſtigaret, præcepit ut nullus audiret miſſam conjugati presbyteri, ſic.

Gregorius papa, qui & Hiltibrandus, ſervorum dei ſervus, per totum Italicum regnum & Teutonicum debitam ſancto Petro obedientiam exhibentibus, apoſtolicam benedictionem. Si qui ſunt presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis dei & auctoritate ſancti Petri introitum eccleſiæ uſque dum emendent & pœniteant: ſi qui autem in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrum officium eorum auſcultare præſumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante Domino per prophetam, Maledicam, *inquit,* benedictionibus veſtris.

Comes *VValtheovus* juſſu regis *VVillielmi* extra civitatem *VVintoniam* ductus, indigne & crudeliter ſecuri decapitatur, & in eodem loco terra obruitur; ſed proceſſu temporis deo ſic ordinante, corpus ejus de terra levatur & magno cum honore **Crulant** deportatur, & in eccleſia honorifice tumulatur. Hic cum adhuc temporali frueretur vita, arta poſitus in cuſtodia, ea quæ geſſerat inique inceſſanter deflevit & amariſſime, vigiliis, orationibus, jejuniis & elemoſynis deum ſtuduit placare. Cujus memoriam voluerunt homines in terra delere, ſed creditur vere illum cum ſanctis in cœlo gaudere, prædicto archipræſule piæ memoriæ *Lanfranco*, à quo confeſſione facta pœnitentiam acceperat, fideliter atteſtante, qui & impoſiti criminis, ſupradictæ ſcilicet conjurationis, illum immunem affirmabat eſſe, & quæ in cæteris commiſiſſet, ut verum Chriſtianam pœnitentialibus lacrimis defleviſſe, ſeque felicem fore ſi poſt exitum vitæ illius felici poteretur requie. Poſt quem cura comitatus committitur *VValchero* epiſcopo. Poſt hæc mari tranſito, rex in *minorem Britanniam* ſuam movit expeditionem, & caſtellum *Radulfi* Comitis quod *Dol* nominatur, tam diu obſedit, donec *Francorum* rex *Philippus* illum inde fugaret.

76. ANno M. lxxvi. rex Danorum *Suanus* bene literis imbutus obiit, cui filius ſuus *Haroldus* ſucceſſit.

7. ANno M. lxxvij. *Rodbertus VVillielmi* Regis primogenitus, eo quod *Normanniam*, quam ſibi ante adventum ipſius in *Angliam*, coram *Philippo* rege Francorum dederat, poſſidere non licebat, *Franciam* adiit, & auxilio *Philippi* regis in *Normannia* magnam frequenter prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, & patri ſuo non parvam moleſtiam & anxietatem inferebat.

ANno M. lxxviij. fundata eſt abbatia ſanctæ *Mariæ Eboraci*. 1078.

ANno M. lxxix. rex *Scottorum Malcolmus* poſt aſſumptionem ſanctæ *Mariæ Northymbriam* uſque ad magnum flumen *Tyne* devaſtavit, multos occidit, plures captivavit, cum præda magna rediit. Rex *VVillielmus* filio ſuo *Rodberto* ante caſtellum *Gerbothret*, quod ei rex *Philippus* præſtiterat, dum pugnam intulerit, ab ipſo vulneratus in brachio, de ſuo ejectus eſt emiſſario. Sed mox ut illum per vocem cognoviſſet, feſtinus deſcendit, ac illum ſuum caballum aſcendere juſſit, & ſic illum abire permiſit. Ille autem multis ſuorum occiſis, nonnulliſque captis, ac filio ſuo *VVillielmo* cum multis aliis vulnerato, fugam iniit. Venerandus vir *Rodbertus*, qui per miniſterium reverentiſſimi *VVigornenſis* epiſcopi *VVlſtani* gradum presbyteratus ſuſcepit, à *Lanfranco* archipræſule *Dorobernia*, ad *Herefordenſem* eccleſiam iiij. kal. Januarii die dominica epiſcopus ordinatur *Cantuariæ*. 1079.

ANno M. lxxx. *Dunholmenſis* epiſcopus *VValcherus* genere *Lotaringus* in loco qui dicitur **Cotesheved** id eſt ad caput capræ, ij. idus Mai, feria v. à *Northymbrenſibus* eſt occiſus, in ultionem necis *Ligulfi* nobilis generoſique miniſtri. Hic itaque vir late per *Angliam* poſſeſſiones multas ex hæreditario jure poſſedit. Sed quia ubique locorum *Normanni* inceſſanter ea tempeſtate operam dabant ſuæ feritati, cum ſuis omnibus ad **Dunholme** ſe contulit, quia ſanctum *Cuthbertum* corde ſincero dilexit. Habuit autem in conjugio *Algitham* filiam *Aldredi* Comitis, ex qua procreavit filios *Uchtredum* & *Morekarum*. Hujus *Algitha* ſoror fuit *Elfleda* mater *VValtheovi* Comitis. Unde ipſe Comes conſobrinum ſuum parvulum prædictum *Morkarum* deo nutriendum monachis in *Girva* dedit. Quo tempore ipſe Comes erat apud **Tinemuthe**, quem locum ſimul cum prædicto parvulo ipſis monachis commiſit diſponendum. Cujus pater *Ligulfus* ab epiſcopo in tantum diligebatur, ut abſque illius conſilio majores ſecularium negotiorum cauſas nullatenus agere vellet aut diſponere. Ob quam rem ſuus capellanus *Leobwinus*, quem in tantum exaltaverat, ut in epiſcopatu & in comitatu fere nil ſine illius arbitrio agitaretur, invidiæ ſtimulis ſuccenſus, & propter ſuam potentiam tedis ſuperbiæ nimis inflatus, ſe contra prædictum virum arroganter erexit; quapropter nonnulla ejus judicia atque conſilia floccipendebat, omnibuſque modis annullare ſudabat. Frequenter etiam coram epiſcopo non ſine minis cum eo litigans, illum verbis probroſis ſæpius ad iracundiam provocabat. Quadam itaque die cum idem vir *Ligulfus* ab epiſcopo vocatus ad conſilium, legalia quæque & recta decerneret, obſtinatius ei *Leobwinus* obſtitit, & loquelis illum contumelioſis exacerbavit. Sed quia ille reſpondit ei durius ſolito, de placiti loco diſceſſit ilico, & evocans ad ſe *Gilebertum*, cui præſul quia ſuus propinquus erat, comitatum Northymbrenſium ſub ſe regendum commiſerat, ut ſe vindicaret obnixe rogavit, & *Ligulfum* quam citius poſſet morti tradere maturaret. Ille autem confeſtim iniquis petitionibus acquieſcens, ſuis & epiſcopi & ejuſdem *Leobſwini* militibus in unum coadunatis, ad villam ubi tunc *Ligulfus* mo- 1080.

rabatur, nocte quadam pertexit, ac illum cum ſua familia fere tota in domo propria injuſte peremit. Quo cognito, graviter antiſtes ex corde ſuſpiravit intimo, & capitio de capite extracto, & in terram projecto, *Leobwino* qui tunc præſens aderat, triſtis dixit continuo. *Tuis* Leobwine *factionibus doloſis acta ſunt hæc & inſiliis ſtolidiſſimis. Idcirco volo te ſcire pro certo, quia & me, & te, omnemque familiam meam tua lingua peremiſti gladio.* Hoc dicto, in caſtellum ſe proripuit feſtinato, confeſtimque nunciis per totam *Northymbriam* miſſis, omnibus nunciari curavit, ſe necis *Liulfi* conſcium non fuiſſe, quin potius ejus occiſorem *Gilebertum*, omneſque ſocios ejus de *Northymbria* penitus exlegaſſe, ac paratum fore ſemet ipſum purgare ſecundum judicium Pontificale. Deinde miſſis intercurrentibus, ille parenteſque occiſorum pace adinvicem data & accepta, locum & diem quo convenire & inter ſe pacem firmiorem facere poſſent ſtatuere. Quo adveniente, loco conſtituto in unum convenere. Verum cum illis epiſcopus ſub divo placitare noluit, ſed in eccleſiam quæ ibi erat, cum ſuis clericis ac honorabilioribus militibus intravit. Et conſilio habito, ſemel & iterum de ſuis quos voluit pro pace facienda forâs ad eos miſit. At illi nequaquam petitis adquieſcebant, quia *Liulfum* illius juſſione peremptum fuiſſe pro certo credebant. Nam *Gilebertum* ejuſque ſocios nocte poſt necem propinqui ſui proxima, non ſolum in domum ſuam *Leobwinus* familiariter & amicabiliter ſuſcepit, verumetiam epiſcopus ipſe illum ut prius in ſuam gratiam familiamque recepit. Unde omnes qui [ex] parte antiſtitis foris inventi ſunt, primitus occiderunt, paucis fuga reſervatis. Quo viſo, ut hoſtium furori ſatisfaceret, propinquum ſuum præfatum *Gilebertum*, cujus anima quærebatur, præſul de eccleſia juſſit exire. Quem egredientem milites repugnaturi è veſtigio ſunt ſecuti. Sed mox ab hoſtibus undique gladiis et lanceis appetiti, in momento ſunt perempti. Duobus tamen *Anglicis* miniſtris propter conſanguinitatem pepercerunt. *Leobwinum* quoque *Dunelmenſem* decanum, quia ſæpius epiſcopo adverſus illos multa dederat inſilia, et clericos alios ſtatim ut egreſſi ſunt, occiderunt. Epiſcopus autem ut intellexit illorum furorem nulla ratione iri mitigatum quiviſſe, niſi caput et auctor totius illius calamitatis occideretur *Leobwinus*, rogavit illum egredi foras. Sed cum penitus ut egrederetur ab illo extorquere nequiret, ad eccleſiæ januas ipſemet acceſſit, ſibique vitam concedi popoſcit. Quibus renuentibus, caput ſuæ clamidis limbo cooperiens foras exivit, & mox inimicorum gladiis percuſſus occubuit. Deinde *Leobwinum* egredi juſſerunt. Quo nolente, eccleſiæ tecto parietibuſque ignem impoſuere. At ille potius uſtulatione quam occiſione vitam eligens finire, flammas aliquandiu ſuſtulit. Sed cum ſemiuſtus eſſet exilivit, et fruſtatim conciſus nequitiæ ſuæ pœnas exſolvendo, miſer interiit. Ob quorum deteſtandæ necis vindictam, rex *Willielmus* eodem anno devaſtavit *Northymbriam*, miſſo illuc *Odone Baiocenſi* epiſcopo cum multa militari manu. Quo anno idem rex *Willielmus* autumnali tempore *Rodbertum* filium ſuum *Scotiam* contra *Malcholmum* miſit. Sed cum perveniſſet ad **Egglesbreth**, nullo confecto negotio reverſus, caſtellum novum ſuper flumen *Tyne* condidit. *Willielmus* ſuſcepit epiſcopatum *Dunelmenſem* v. idus Novembris, ſed iv. nonas Januarii à *Thoma Eboracenſi* archiepiſcopo conſecratur apud **Gloeceſtre**.

Henricus Imperator *Hiltibrandum* papam in Pentecoſten *Mogontia* decrevit deponendum, et *Wibertum Ravenna* urbis epiſcopum in natali ſancti *Johannis Baptiſtæ* pro eo fecit papam.

An. Dñi 1081. ANno M. lxxxj. *Henricus* rex hoſtiliter *Romam* adverſus *Hiltibrandum* papam adiit, oppugnans eam, non tamen intravit.

1082. ANno M. lxxxij. multis homicidiis & prædationibus inter *Henricum* regem et *Hiltibrandum* papam actis, in nocte Palmarum multi ſunt occiſi. Rex *Willielmus* fratrem ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum, *Normannia* in cuſtodia poſuit.

1083. ANno M. lxxxiij. *Henricus* rex urbem *Romam* infregit et cepit, *Wibertum* in ſede apoſtolica conſtituit. *Hiltibrandus* vero *Beneventum* adiit, ubi uſque ad obitum ſuum deguit. *Henricus* autem in *Teutonicam* patriam rediit. Seditio nefanda inter monachos et indigne nominandum abbatem *Turſtinum Glaſtoniæ* facta eſt, quem rex *Willielmus* de monaſterio *Cadomi* nulla prudentia inſtructum eidem loco abbatem præfecerat. Hic inter cætera ſtultitiæ ſuæ opera, *Gregorianum* cantum aſpernatus, monachos cœpit compellere, ut illo relicto cujuſdam *Willielmi Fiſcamnenſis* cantum diſcerent et cantarent. Quod dum ægre acciperent, quippe qui jam tam in hoc quam in cætero eccleſiaſtico officio ſecundum morem *Romana* eccleſiæ inſenuerant, ſubito armata militari manu illis ignorantibus, quadam die in capitulum irruit, monachos nimio terrore fugientes in eccleſiam, ad altare uſque perſequitur, jaculiſque et ſagittis cruces et imagines ac feretra ſanctorum manus militaris transfigens, unum etiam monachum ſacrum amplexantem altare lancea tranſverberans interemit, alium ad altaris crepidinem ſagittis confoſſum necavit. Cæteri vero neceſſitate compulſi ſcamnis et candelabris eccleſiæ fortiter ſe defendentes, licet graviter vulnerati, milites omnes retro chorum abegerunt. Sicque factum eſt, ut duo occiſi, quatuordecim vulnerati, ex monachis, nonnulli etiam de militibus ſauciati exiſterent. Hinc moto judicio, dum maxima abbatis eſſe culpa patuit, rex eundem abbatem ſummovit, et in monaſterio ſuo in *Normannia* poſuit. De monachis vero quamplures per epiſcopatus et abbatias juſſu regis cuſtodiendi diſperguntur. Cujus poſt mortem idem abbas iterum abbatiam ſuam à filio ejus rege *Willielmo* quingentis libris argenti emit, et per eccleſiæ poſſeſſiones aliquot annis pervagatus, longe ab ipſo monaſterio, ut dignus erat, miſer vitam finivit. Regina *Mathildis* iv. Non. Novembris feria v. deceſſit in *Normannia*, et *Cadomi* eſt ſepulta. Hoc anno monachi primum in *Dunelmum* convenerunt.

1084 ANno M. lxxxiv. *Hiltibrandus*, qui et *Gregorius*, papa obiit. Rex *Anglorum Willielmus* de unaquaque hida per *Angliam* vj. ſolidos accepit.

1085. ANno M. lxxxv. eximiæ vir probitatis et venerationis *Perſcorenſis* abbas *Eadmundus* xvij. Kal. Julii die Dominica in ſenectute bona deceſſit, et à venerabili *Glauornenſi* abbate *Serlone* eſt ſepultus.

pultus. Cui ſucceſſit *Glawornenſis* monachus *Turſtinus*. Eodem anno rex *Danorum Canutus* filius *Suani* cum claſſe valida et auxilio ſoceri ſui *Rodberti Flandrenſis* Comitis (habuit enim filiam ejus uxorem) in *Angliam* venire paratus erat. Unde rex *Willielmus* de tota *Gallia* ſolidariis pedonibus et ſagittariis multis milibus conductis, et nonnullis de *Normannia* ſumptis, autumpnali tempore *Angliam* rediit, et eis per totum regnum diviſis, epiſcopis, abbatibus, Comitibus, Baronibus, vicecomitibus ac regiis præpoſitis victum præbere mandavit. Sed ubi cognovit ſuos inimicos impeditos fuiſſe, partem exercitus remiſit, partem ſecum per totam hiemem retinuit, et in nativitate Domini *Glawornia* curiam ſuam tenuit. Ubi tribus ſuis capellanis *Mauricio Lundonienſem*, *Willielmo Theodfordenſem*, *Rodberto Ceſtrenſem* dedit præſulatum.

An. Dñi 1086.

ANno M.lxxxvj. *Willielmus* rex fecit deſcribi omnem *Angliam*, quantum terræ quiſq; baronum ſuorum poſſidebat, quot feudatos milites, quot carrucas, quot villanos, quot animalia, imo quantum vivæ pecuniæ quiſque poſſidebat in omni regno ſuo, à maximo uſque ad minimum, & quantum redditus quæque poſſeſſio reddere poterat; & vexata eſt terra multis cladibus inde procedentibus. Et in ebdomada Pentecoſtes ſuum filium *Henricum* apud *Weſtmonaſterium*, ubi curiam ſuam tenuit, armis militaribus honoravit. Nec multo poſt mandavit, ut archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, Comites, barones, vicecomites cum ſuis militibus die Kalendarum Auguſtarum ſibi occurrerent *Searesbyriæ*. Quo cum veniſſent, milites illorum ſibi fidelitatem contra omnes homines jurare coegit. Eo tempore Clito *Eadgarus* licentia à rege impetrata, cum CC. militibus, mare tranſiit & *Apuliam* adiit. Cujus germana virgo *Chriſtina* monaſterium quod *Rumeſiu* nuncupatur intravit, & veſtem ſanctimonialis habitus ſuſcepit. Eodem anno animalium peſtis, & magna extitit aeris intemperies.

1087.

ANno M.lxxxvij. Hoc anno reliquiæ ſancti *Nicholai* de *Mirrea* in *Barenſem* transferuntur civitatem. *Aldwinus* Prior *Dunelmenſis* deceſſit. Ferox flamma urbes multas, eccleſiam quoque ſancti *Pauli* apoſtoli cum majore & meliori parte *Lundoniæ* conſumpſit. *Dani* ſuum dominum regem *Canutum* vj. idus Julii ſabbato in quadam eccleſia martyrizaverunt. *Ciceſtrenſis* epiſcopus *Stigandus*, abbas ſancti *Auguſtini Scolandus*, abbas *Bathonienſis Alſius*, & abbas *Perſcorenſis Turſtinus* deceſſerunt. Ante aſſumptionem ſanctæ *Mariæ* rex *Willielmus* in *Franciam* cum exercitu venit, & oppidum quod *Mathun* nuncupatur & omnes eccleſias in eo ſitas, duoſque recluſos igne ſuccendit, indeque in *Normanniam* rediit. Sed in ipſo reditu dirus viſcerum dolor illum apprehendit, & magis ac magis de die in diem gravabat. Cum autem ingraveſcente ægritudine diem ſibi mortis imminere ſenſiſſet, fratrem ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum, Comites vero *Morkarum* & *Rogerum*, *Sivardum* cognomento *Barn*, & *Wlnothum* regis *Haroldi* germanum, quem à pueritia tenuerat in cuſtodia, & omnes quos vel in *Anglia* vel in *Normannia* cuſtodiæ manciparat, laxavit. Deinde filio ſuo *Willielmo* regnum tradidit *Angliæ*, & *Rodberto* filio ſuo primogenito, qui tunc exulabat in *Francia*, comitatum conceſſit *Normanniæ*. Et ſic cœleſti viatico munitus, poſtquam xx. annis, menſibus x. & xxviij. diebus genti *Anglorum* præfuit, v. iduum Septembrium regnum cum vita perdidit, & *Cadomi* in eccleſia ſancti *Stephani* prothomartyris, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat boniſque ditaverat, ſepultus requieſcit. *Willielmus* autem filius ejus *Angliam* feſtinato adiit, ducens ſecum *Morkarum* & *Wlnothum*. Sed mox ut *Wintoniam* venit, illos ut prius fuerant, cuſtodiæ mancipavit, & vj. Kal. Octobris die Dominico in *VVeſtmonaſterio* à *Lanfranco Doruberniæ* archiepiſcopo in regem conſecratus eſt. Deinde *VVintoniam* rediens, theſauros ſui patris, ut ipſe juſſerat, per *Angliam* diviſit, ſcilicet quibuſdam principalibus eccleſiis x. quibuſdam vj. marcas auri, quibuſdam minus. Eccleſiis etiam in civitatibus vel villis ſitis per ſingulas denarios lx. dari; Cruces, altaria, ſcrinia, textos, candelabra, ſitulas, fiſtulas, ac ornamenta varia gemmis, auro, argento lapidibuſque precioſis redimita, per eccleſias digniores ac monaſteria juſſit dividi. Ejus quoque germanus *Rodbertus* in *Normanniam* reverſus, theſauros quos invenerat, monaſteriis, eccleſiis, pauperibus pro anima patris ſui largiter diviſit: & *Ulfum Haroldi* quondam regis *Anglorum* filium, *Dunechaldumque* Regis *Scottorum Malcholmi* filium, à cuſtodia laxatos, & armis militaribus honoratos, abire permiſit.

An. Dñi 1088.

ANno M.lxxxviij. Hoc anno inter primates *Angliæ* orta eſt diſcordia. Pars etenim nobilium *Normannorum* favebat regi *Willielmo*; ſed minima: pars vero altera favebat *Rodberto* Comiti *Normannorum*, & maxima, cupiens hunc ſibi aſciſcere in regnum; fratrem vero ejus aut fratri tradere vivum, aut regno privare peremptum. Hujus execrandæ rei principes extiterunt *Odo* epiſcopus *Baiocenſis* qui & erat Comes *Cantuarienſis*, & *Goffridus* epiſcopus *Conſtantinenſis*, & *Rodbertus* Comes *Moritunenſis*, & *Rogerus* Comes *Scrobbesbyrienſis*, & excellentiores principes totius *Angliæ*, excepto *Lanfranco* archiepiſcopo. Execrabile hoc factum tractaverunt clam in quadrageſima, ſtatimque poſt Paſcha cœpit quiſque circa ſe vaſtare, rapere, omnia deprædare, caſtella munire foſſo & victu. *Goffridus* epiſcopus *Conſtantinenſis* & *Rodbertus de Mulbrei* iverunt **Brycstowe**, ubi habebant caſtrum fortiſſimum, & omnia devaſtabant uſque locum qui vocatur **Bathan**. Proceresque de *Hereforda* & de *Scrobbesbyria* cum multitudine *Walenſium* pertexerunt uſque *Wigornam*, omnia ante ſe vaſtantes, & igne conſumentes. Cogitaverunt etiam quod caſtrum & eccleſiam vellent accipere, quod videlicet caſtrum tunc temporis commendatum erat *Wlſtano* venerabili epiſcopo. Quando epiſcopus iſta audivit, valde contriſtatur, & cogitans quid conſilii inde haberet, vertit ſe ad Deum ſuum, & rogat ut reſpiciat eccleſiam ſuam & populum ſuum ab hoſtibus oppreſſum. Hæc eo meditante, familia ejus exiliit de caſtro, & acceperunt & occiderunt ex eis quingentos viros, & alios in fugam verterunt. *Rogerus Bigot* intravit caſtrum de **Northwic**, & omnes vicit in malum. *Odo* epiſcopus per quem iſta mala cœperunt, perrexit *Cantium*, & villas regias vaſtavit, necnon & omnium qui regi fidem tenuerunt terras depopulatus eſt, & caſtrum *Hrofenſe* obfirmavit. Hoc audito, rex fecit convocare

Willielmus II rex. care *Anglos*, & oſtendit eis traditionem *Normannorum*, & rogavit ut ſibi auxilio eſſent, eo tenore, ut ſi in hac neceſſitate ſibi fideles exiſterent, meliorem legem quam vellent eligere, eis concederet, & omnem injuſtum ſcottum interdixit, & conceſſit omnibus ſilvas ſuas & venationem. Sed quicquid promiſit, parvo tempore cuſtodivit. *Angli* tamen fideliter eum juvabant. Congregavit igitur rex exercitum ut iret *Hrovecestram*, ubi putabat *Odonem* epiſcopum eſſe. Venientes autem ad **Tonebrigge** invenerunt caſtrum obſirmatum contra regem. Sed viriliter *Angli* inſilientes in illud, deſtruxerunt totum caſtrum, & qui intus erant manus regi dederunt. His ita actis, rex cum exercitu vertit iter verſus caſtrum de *Peveneſeia*, jam enim *Odo* epiſcopus receſſit à *Roveceſtria*, & intrabat caſtrum illud. Quem rex ſecutus, obſidebat caſtrum per ſex integras ſeptimanas cum magno exercitu. Dum hæc fiunt in *Anglia*, *Rodbertus* Comes *Normanniæ* congregat magnum exercitum, & parat eum in *Angliam* mittere, mox ſecuturus, quaſi de *Anglia* per *Odonem* epiſcopum & cæteros qui ex ſua parte ibi erant ſecurus. Sed Rex *Willielmus* jam mare munierat ſuis piratis, qui venientes in *Angliam* tot occiderunt & in mare merſerunt, ut nullus ſit hominum qui ſciat numerum pereuntium. Interim dum hæc fiunt in mare, *Odo* epiſcopus & qui cum eo erant, fame coacti, reddentes caſtrum de *Peveneſea* promiſerunt cum jurejurando ſe *Angliam* exituros, nec amplius intraturos niſi rege *Willielmo* præcipiente, caſtrum quoque *Hrofenſe* ante redditutos. Sed cum veniſſet **Hrovecestre** cum hominibus regis, qui ex parte regis deberent caſtrum recipere, ſtatim cum eiſdem ab his qui in caſtello erant ponitur in vinculis. Quidam aſſerebant hoc factum eſſe calliditate epiſcopi. In hoc certe caſtro erant ſtrenui milites, & pene tota nobilitas *Normanniæ*. Erat ibi *Euſtachius* juvenis *Bolonienſis* Comes, & multi nobiles *Flandrenſes*. His itaque à Rege auditis, venit cum exercitu *Hroveceſtram*, & obſedit civitatem; & parvo peracto ſpatio, hii qui intus fuerunt ſe reddiderunt, & cum dedecore ejecti ſunt de *Anglia*, & ita epiſcopus qui fere fuit ſecundus rex *Angliæ*, honorem amiſit irrecuperabiliter. Sed epiſcopus veniens *Normanniam* ſtatim à *Rodberto* Comite totius provinciæ curam ſuſcepit: Cujus ordinem cauſæ libellus in hoc deſcriptus aperte oſtendit. Etiam *Dunholmenſis* epiſcopus *Willielmus* viij. anno ſui epiſcopatus & multi alii de *Anglia* exierunt.

An. Dñi 1089. ANno M. lxxxix. *Dorobernenſis* archiepiſcopus *Lanfrancus* ix. Kal. Junii, feria v. obiit. Eodem anno iij. idus Auguſti ſabbato circa horam diei tertiam, terræmotus permaximus extitit per *Angliam*.

1090. ANno M. xc. Rex *Anglorum* *Willielmus* junior fratri ſuo *Rodberto* *Normanniam* adimere, & ſuæ ditioni cupiens ſubicere, primo caſtellum *Walteri* de ſancto *Walerico*, & caſtellum quod vocatur *Albamarle*, deinde alia caſtella ſibi conduxit, & in eis milites ut *Normanniam* devaſtarent, poſuit. Qua re viſa, & ſuorum infidelitate cognita, Comes *Rodbertus* legatis ad regem *Francorum* *Philippum* dominum ſuum miſſis, illum in *Normanniam* venire fecit, unumque de caſtellis in quo milites fratris ſui fuerunt, ipſe & rex obſederunt. Quod cum regi *Willielmo* nunciatum eſſet, non modica pecuniæ quantitate regi *Philippo* occulte tranſmiſſa, ut obſidione dimiſſa domum rediret, flagitavit & impetravit.

An. Dñi 1091. ANno M. xcj. menſe Februario rex *Willielmus* junior *Normanniam* petit, ut eam fratri ſuo *Rodberto* abriperet. Sed dum ibi moraretur, pax inter illos ea conventione facta eſt, ut Comes Regi Comitatum de *Owe*, *Feſcamnum* abbatiam in *monte* ſancti *Michaelis* ſitam, & *Kereſburch*, & caſtella quæ à ſe defecerant, bono animo concederet. *Cinomannicam* vero provinciam & caſtella quæ tunc Comiti in *Normannia* reluctabantur, illius dominio rex ſubjugaret. Omnibus etiam *Normannis* terras quas in *Anglia* ob fidelitatem Comitis perdiderant, redderet, & tantum terræ in *Anglia* quantum conventionis inter eos fuerat, Comiti daret. Ad hæc etiam inter ſe conſtituerunt, ut ſi Comes abſque filio legali matrimonio genito moreretur, hæres ejus eſſet rex, modoque [ſimili] per omnia ſi Regi contigiſſet mori, hæres illius fieret Comes. Hanc conventionem xij. ex Regis & xij. ex parte Comitis Barones juramento firmaverunt. Interim germanus eorum *Henricus* *montem* ſancti *Michaelis* cum omnibus militibus quos habere poterat, intravit, Regiſque terram devaſtavit, & ejus homines quoſdam captivavit, quoſdam expoliavit. Ea propter rex & Comes exercitu congregato per totam quadrageſimam montem obſederunt, & frequenter cum eo prælium commiſerunt, & homines & equos nonnullos perdiderunt. At rex cum obſidionis diutinæ pertæſus fuiſſet, impacatus receſſit. Et non multo poſt *Eadgarum* Clitonem honore quem ei Comes dederat privavit, & de *Normannia* expulit. Interea menſe Maio rex *Scottorum* *Malcholmus* cum magno exercitu *Northymbriam* invaſit, ſi ſucceſſus ſucceſſiſſet ulterius proceſſurus, & vim *Angliæ* incolis illaturus. Noluit Deus, et ideo ab incepto eſt impeditus. Quo rex audito, cum fratre ſuo *Rodberto* rediit *Angliam* menſe Auguſti. Nec multo poſt cum claſſe non modica et equeſtri exercitu *Scottiam* profectus eſt, ut *Malcolmum* debellaret. Veniens *Dunelmum*, epiſcopum *Willielmum* reſtituit in ſedem ſuam, ipſo poſt annos tres die quo eam reliquit, ſcilicet iij. idus Septembris. Sed antequam rex intraſſet *Scotiam*, paucis diebus ante feſtivitatem ſancti *Michaelis*, fere tota demerſa eſt claſſis, multique de equeſtri exercitu fame et frigore perierunt. Cui rex *Malcholmus* cum exercitu in provincia *Loidis* occurrit. Quod videns Comes *Rodbertus*, Clitonem *Eadgarum* quem rex de *Normannia* expulerat et tunc cum rege *Scottorum* degebat, ad ſe accerſivit. Cujus auxilio fretus, pacem inter Reges fecit, ea conditione, ut *Willielmo* ſicut patri ſuo obedivit *Malcholmus* obediret, et *Malcholmo* xij. villas quas in *Anglia* ſub patre illius habuerat *Willielmus* redderet, et xij. marcas auri ſingulis annis daret. Sed pax inter eos facta non multo tempore duravit. Ipſum etiam *Eadgarum* cum rege *Willielmo* Comes pacificavit. Idibus Octobris feria iv. turrim *Wincelcumbenſis* eccleſiæ vehemens ictus fulminis concutiens, parietem juxta culmen ample perforavit, unamque de trabibus diſcidit, caputque imaginis Chriſti fortiter percuſſum in terram dejecit, & crus ejus dextrum fregit. Imago etiam ſanctæ

Williel- II rex.

ctæ *Maria* quæ juxta crucem ſtabat, ictu percuſſa ad terram decidit. Magnus deinde fumus cum nimio fœtore ſubſecutus, totam eccleſiam replevit; & tam diu duravit, quoad loci illius monachi, cum aqua benedicta & incenſu & reliquiis ſanctorum officinas monaſterii, pſalmos decantando, circumirent. Nec minus xvj. Kal. Novembris feria vj. turbo veniens ab affrico pervalidus, *Londonia* pluſquam ſexcentas domos & eccleſias quamplures concutiendo diverberavit. In eccleſia quoque ſanctæ *Maria* quæ dicitur *ad arcum* irruens, in ea duos homines occidit, & tectum cum tignis in altum levans, & huc illucque diu per aera ferens, tandem ſex de tignis eo ordine quo tecto prius infixa erant, tam alte in terram defixit, ut de quibuſdam eorum ſeptima, de quibuſdam vero octava pars appareret. Erant enim xxvij. vel xxviij. pedum longitudinis.

Poſt hæc rex de *Northymbria* per *Merciam* in *Weſtſaxoniam* rediit, & ſecum fere uſque ad nativitatem Domini Comitem retinuit. Sed conventionem inter eos factam illi perſolvere noluit. Quod Comes graviter ferens, x. Kal. Jan. die cum Clitone *Eadgaro Normanniam* repetiit.

Erant duo, ut in *Anglia* ferebatur, qui dicebantur *Romani* pontifices à ſe invicem diſcordantes, & eccleſiam Dei inter ſe diviſam poſt ſe trahentes, *Urbanus* ſcilicet qui primum vocatus *Odo* fuerat epiſcopus *Oſtienſis*, & *Clemens* qui *Wibertus* vocatus fuerat archiepiſcopus *Ravennenſis*. Quæ res ut de aliis mundi partibus ſileamus, per plures annos eccleſiam *Anglia* in tantum occupavit, ut ex quo *Gregorius*, qui & *Hiltibrandus*, defunctus fuit, nulli loco papæ uſque ad hoc tempus ſubdi vel obedire voluerit. Sed *Urbanum* pro vicario beati *Petri Italia Galliaque* jam receperat.

n.Dñi 1092.

ANno M. xcij. Civitas *Londonia* maxima ex parte incendio conflagravit. *Oſmundus Searesbyrienſis* epiſcopus eccleſiam quam *Searesbyria* in caſtello conſtruxerat, cum adjutorio epiſcoporum *Walcelini Wintonienſis* & *Johannis Bathonienſis* non. Aprilis feria ij. dedicavit. Antiſtes etiam *Remigius* qui licentia regis *Willielmi* ſenioris epiſcopalem ſedem de **Dorkeceaſtre** mutaverat ad *Lindicolniam*, conſtructam in ea eccleſiam pontificali cathedra dignam dedicare volebat, quia ſibi diem mortis imminere ſentiebat. Sed *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus illi contradicendo reſiſtebat, affirmans eam in ſua parochia eſſe conſtructam. At rex *Willielmus* junior pro pecunia quam ei *Remigius* dederat, fere totius *Anglia* epiſcopis mandavit, ut in unum convenientes ſeptenis idibus Mai eccleſiam dedicarent. Sed biduo ante diem ſtatutum occulto Dei judicio ipſe epiſcopus *Remigius* migravit è ſeculo, & eccleſiæ per hoc remanſit dedicatio. His actis, rex in *Northimbriam* profectus, civitatem quæ Britannice **Cairleil**, Latine *Lugubalia* vocatur, reſtauravit, & in ea caſtellum ædificavit. Hæc enim civitas, ut illis in partibus aliæ nonnullæ, à *Danis* paganis ante CC. annos diruta, & uſque ad tempus id manſit deſerta.

1093.

ANno M. xciij. Rex *Willielmus* junior in regia villa quæ vocatur **Alveſtan** vehementi percuſſus infirmitate, civitatem *Glawornam* feſtinanter adiit, ibique per totam quadrageſimam languoſus jacuit. Qui, cum ſe putaret cito moriturum, ut ei Barones ſui ſuggeſſerunt, vitam ſuam corrigere, eccleſias non amplius vendere nec ad cenſum ponere, ſed illas regia tueri poteſtate, irrectas leges deſtruere, ac rectas ſtatuere, Deo promiſit. Archiepiſcopatum *Cantuaria*, quod ipſe in manu ſua tenuit, *Anſelmo Beccenſi* abbati qui tunc in *Anglia* morabatur, & Cancellario ſuo *Rodberto*, *Bloet* cognomento, *Lindicolnienſem* dedit præſulatum. Eccleſia nova *Dunelmi* eſt incepta iij. idus Auguſti feria v. epiſcopo *Willielmo*, & *Malcholmo* rege *Scottorum*, & *Turgoto* Priore ponentibus primos in fundamento lapides. Rex *Scottorum Malcholmus* die feſtivitatis ſancti *Bartholomai* apoſtoli regi *Willielmo* juniori, ut prius per legatos inter eos ſtatutum fuerat, in civitate *Glaworna* occurrit, ut, ſicut quidam primatum *Anglia* voluerunt, pace [illegible]integrata ſtabilis inter eos amicitia firmaretur. Sed impacati abinvicem diſceſſerunt. Nam *Malcholmum* videre, aut cum eo colloqui, præ nimia ſuperbia & potentia *Willielmus* deſpexit. Inſuper etiam illum, ut ſecundum judicium tantum Baronum ſuorum in curia ſua rectitudinem ei faceret, conſtringere voluit, ſed id agere niſi in regnorum ſuorum confiniis, ubi reges *Scottorum* erant ſoliti rectitudinem facere regibus *Anglorum*, & ſecundum judicium primatum utriuſque regni, nullo modo *Malcholmus* voluit. Poſt hæc in ſole ſignum apparuit valde mirabile: Et Comes *Scrobbesbyrienſis Rogerus*, & *Wido* abbas ſancti *Auguſtini*, & *Paulus* abbas monaſterii ſancti *Albani* deceſſerunt. Iſte *Paulus* contra interdictum monachorum *Dunelmenſium* eccleſiam de **Tynemuthe** quam ipſi poſſederant, per violentiam *Rodberti* Comitis ingreſſus, tactus ibidem infirmitate, rediens in itinere in **Seteringtun** juxta *Eboracum* moritur. Rex *Scottorum Malcholmus* & primogenitus filius ejus *Eadwardus* cum multis aliis, in *Northymbria* die feſtivitatis ſancti *Bricii*, à militibus *Rodberti Northimbrorum* Comitis occiſi ſunt. In cujus morte juſtitia judicantis Dei aperte conſideratur, ut videlicet in illa provincia cum ſuis interiret, quam ſæpe ipſe vaſtare avaritia ſtimulante conſuevit; quinquies namque illam atroci depopulatione attrivit, & miſeros indigenas in ſervitutem redigendos abduxit captivos. Semel *Eadwardo* regnante, quando *Toſti* Comes *Eboracenſis* profectus *Romam* fuerat. Iterum regnante *Willielmo*, quando etiam *Clivelandam* depopulatus eſt. Tertio regnante eodem rege *Willielmo* uſque *Tynam* progreſſus, poſt cædes hominum & concremationes locorum multa cum præda revertitur. Quarto regnante *Willielmo* juniore, cum ſuis copiis infinitis uſque *Ceaſtram*, non longe à *Dunelmo* ſitam, pervenit, animo intendens ulterius progredi. Sed adunata contra eum militari manu non multa metu ipſo citius revertitur. Quinto cum omni quo potuit exercitu in ultimam deducturus deſolationem, *Northymbriam* invaſit, ſed juxta flumen *Alne* perimitur cum primogenito ſuo *Eadwardo*, quem hæredem regni poſt ſe diſpoſuerat. Exercitus illius vel gladiis confoditur, vel qui gladios fugerunt inundatione fluminum, quæ tunc pluviis hiemalibus plus ſolito excreverant, abſorti ſunt. Corpus vero regis cum ſuorum nullus remaneret qui terra illud cooperiret, duo ex indigenis carro impoſitum in **Tynemuthe** ſepelierunt. Sicque factum eſt ut ubi multos vita & rebus & libertate privaverat, ibidem ipſe Dei judi-

Willielmus II rex.

cio vitam ſimul cum rebus amitteret. Cujus morte cognita, regina *Scottorum Margareta* tanta affecta eſt triſtitia, ut ſubito magnam incideret infirmitatem. Nec mora, presbyteris ad ſe accerſitis, eccleſiam intravit, eiſque peccata ſua confeſſa, oleo ſe perungi cœleſtique muniri viatico fecit, Deum aſſiduis & precibus intentiſſimis exorans, ut in hac ærumnoſa vita diutius illam vivere non permitteret. Nec multo tardius exaudita eſt. Nam poſt tres dies occiſionis regis, ſoluta carnis vinculis, ut creditur ad gaudia tranſivit æternæ ſalutis. Quippe dum viveret, pietatis, juſtitiæ, pacis & caritatis cultrix extitit devota, frequens in orationibus corpus vigiliis & jejuniis maceravit, eccleſias & monaſteria ditavit, ſervos & ancillas Dei dilexit & honoravit, eſurientibus panem frangebat, nudos veſtiebat, omnibus peregrinis ad ſe venientibus hoſpitia, veſtimenta & alimenta præbebat, & Deum tota mente diligebat. Qua mortua, *Duſenaldum* Regis *Malcholmi* fratrem *Scotti* ſibi in regem elegerunt, & omnes *Anglos* qui de curia Regis extiterunt, de *Scotia* expulerunt. Quibus auditis, filius regis *Malcholmi Dunechan* regem *Willielmum* cui tunc militavit, ut ei regnum ſui patris concederet, petiit, & impetravit, illique fidelitatem juravit. Et ſic ad *Scotiam* cum multitudine *Anglorum* ac *Normannorum* properavit, & patruum ſuum *Duſenaldum* de regno expulit, & in loco ejus regnavit. Deinde nonnulli *Scottorum* in unum congregati, homines illius pene omnes peremerunt. Ipſe vero vix cum paucis evaſit. Veruntamen poſt hæc illum regnare permiſerunt, ea ratione, ut amplius in *Scotiam* nec *Anglos* nec *Normannos* introduceret, ſibique militare permitteret. Duo ſoles in cœlo viſi ſunt longe à ſe invicem diſtantes.

Convenientibus ferme totius *Anglia* epiſcopis, in quibus *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus primatum tenebat, *Anſelmum Beccenſem* abbatem ij. Non. Decembris conſecraverunt antiſtitem. Eodem anno *Willielmus* Comes de *Owe* auri ingenti victus cupiditate, & promiſſi honoris captus magnitudine, à naturali domino ſuo *Rodberto Normannorum* Comite cui fidelitatem juraverat, defecit, & in *Angliam* ad Regem *Willielmum* veniens, illius ſe dominio ut ſeductor maximus ſubjugavit.

An. Dñi 1094. ANno M. xciv. Comes *Normannorum Rodbertus* fratri ſuo regi *Willielmo* juniori per legatos mandavit, pacem quam inter ſe firmaverant ſe non diutius eſſe ſervaturum. Inſuper illum vocavit perfidum & perjurum, niſi conventionem inter illos in *Normannia* factam eſſet ei perſoluturus. Ob hanc cauſam rex circa Kal. Febr. *Heaſtingas* adiit, & dum ibi moraretur eccleſiam de *Bello* in honorem ſancti *Martini* dedicari fecit. Ubi etiam *Herbertum Theotfordenſem* epiſcopum paſtorali baculo privavit: latenter enim *Urbanum* papam adire, & ab eo pro epiſcopatu quem ſibi, & abbatia quam patri ſuo *Rodberto* ab ipſo rege *Willielmo* mille libris emerat, abſolutionem quærere voluit. Dein media quadrageſima rex *Normanniam* petiit, ad fratris colloquium ſub pace ſtatuta venit, ſed impacatus ab eo receſſit. Denuo in campo *Marcii* convenere, ubi illi qui ſacramentis inter illos pacem confirmavere, regi omnem culpam impoſuere. At ille nec culpam agnoſcere, nec conventionem voluit perſolvere. Iccirco nimis irati diſceſſerunt impacati. Comes quidem *Rotomagum* perrexit, Rex vero ad *Owe* rediit & in illo reſedit, ſolidarios undique conduxit, aurum, argentum, terras quibuſdam primatum *Normanniæ* dedit, quibuſdam promiſit, ut à germano ſuo *Rodberto* deficerent, & ſe cum caſtellis ſuæ ditioni ſubicerent. Quibus ad velle ſuum patratis, per caſtella quæ vel prius habuerat, vel quæ tunc conduxerat, ſuos milites diſtribuit. Interea caſtellum quod *Bures* vocatur expugnavit, Comitis milites in illo captos partim in *Angliam* cuſtodiendos miſit, partim in *Normannia* cuſtodiæ mancipavit, & fratrem ſuum multis modis vexans, exhæredare laboravit. At ille neceſſitate compulſus, dominum ſuum regem *Francorum Philippum* cum exercitu *Normanniam* adduxit, qui *Argentinum* caſtellum obſedit, & ipſo die obſeſſionis DCC. milites regis *Willielmi* cum bis totidem ſcutariis & caſtellanis omnibus qui intus erant, ſine ſanguinis effuſione cepit, captoſque in cuſtodia tam diu cuſtodire mandavit, donec quiſque ſe redimeret: Et poſthæc in *Franciam* rediit. Comes vero *Rodbertus* caſtellum quod **Holm** nuncupatur, obſedit, donec *Willielmus Peverel* & DCCC. homines qui id defendebant illi ſe dederent. Quod cum regi innotuit, nunciis in *Angliam* miſſis, x̄x̄. pedonum in *Normannia* ſibi juſſit in auxilium mitti. Quibus ut mare tranſirent **Haſtinge** congregatis, pecuniam quæ data fuerat eis ad victum, *Rannulfus Flambart* præcepto Regis abſtulit, ſcilicet unicuique x. ſolidos, & eos domum repedare mandavit, pecuniam vero regi tranſmiſit. Interea gravi & aſſiduo tributo, hominumque mortalitate præſenti & anno ſequenti tota vexabatur *Anglia*. Ad hæc etiam primitus *Northwalani*, deinceps *Weſtwalani* & *Suthwalani* ſervitutis jugo quo diu premebantur excuſſo, & cervice erecta, libertatem ſibi vendicare laborabant. Unde collecta multitudine caſtella quæ in *VVeſtwalania* firmata erant frangebant, & in *Ceſtrenſi*, *Scrobberienſi* & *Herefordenſi* provincia frequenter villas cremabant, prædas agebant, & multos ex *Anglis* & *Normannis* interficiebant. Fregerunt & caſtellum in *Menania* inſula, eamque ſuæ ditioni ſubiciebant. Interim *Scotti* regem ſuum *Dunechan*, & cum eo nonnullos, ſuaſu & hortatu *Duſenaldi* per inſidias peremerunt, omnes *Anglos* de *Scotia* eicientes, & illum ſibi regem rurſus conſtituerunt. Poſt hæc rex *Willielmus* iv. Kal. Januarii *Angliam* rediit, & ut *VValanos*, id eſt *Brittones*, debellaret mox exercitum in *VValoniam* duxit, ibique homines & equos perdidit multos.

An. Dñi 1095. ANno M. xcv. vir venerabilis & valde ammirabilis vitæ *VVlſtanus* epiſcopus ſanctæ *VVigornenſis* eccleſiæ, ab adoleſcentia divinis mancipatus ſerviciis, poſt multos ſancti ſudoris agones, quibus pro gloria regni cœleſtis adipiſcenda magna mentis devotione & humilitate ſedulus Deo ſervivit intentiſſime, die menſis Januarii xviij. migravit è ſeculo, luſtro ſuæ ætatis xviij. ſui vero pontificatus ſeptimi luſtri anno tertio. Miroque modo ipſa ſui tranſitus hora, ſuo quem ſpecialiter dilexerat amico *Rodberto Herefordenſi* epiſcopo, in oppido quod **Criccelad** vocatur, in viſione apparuit, illique ad ſe tumulandum *VVigornam* properare mandavit. Annulum etiam cum quo pontificalem ſuſceperat benedictionem, neminem Deus paſſus eſt digito extrahere, ne poſt mortem vir ſanctus ſuos videretur fallere, quibus prædixerat ſæpiſſime, nec illum vita comite ſe velle perdere, nec etiam ſepulturæ ſuæ die.

Pridie Non. Aprilis in nocte viſæ ſunt ſtellæ quaſi de cœlo cadere. *VValterus Albinenſis* epiſcopus ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ legatus ab *Urbano* papa miſſus ante Paſcha venit *Angliam*, pallium, pro quo rex *VVillielmus* anno præcedente miſerat, illi deferens. Quod juxta condictum die Dominica, quæ erat iv. Idus Junii, ab eodem *Cantuariam* ſuper altare Salvatoris delatum, ab *Anſelmo* aſſumptum eſt, atque ab omnibus pro reverentia ſancti *Petri* ſuppliciter deoſculatum.

Vir magnæ religionis *Herefordenſis* epiſcopus *Rodbertus* vj. Kal. Julii feria iiij. obiit. Huic prædictus *VVigornenſis* epiſcopus *VVlſtanus* xxx. die poſtquam de hoc ſeculo migravit denuó in viſione apparuit, eumque pro ſui negligentia & ignavia acriter corripuit, ammonuitque ut tam de ſuæ vitæ quam ſibi ſubjectorum emendatione quam vigilantiſſime poſſet ſtuderet. Quod ſi faceret, dicebat eum omnium peccaminum à Deo poſſe veniam cito promereri, adjunxitque quod non diu in cathedra qua tunc ſedebat ſedem haberet, ſed ſecum ſi vigilantior eſſe vellet coram Deo convivari deberet. Fuerant enim hii ambo patres nimia caritate in Dei dilectione, & ad ſe invicem conjuncti, ideoque credi fas eſt ipſum qui prius de hoc ſeculo ad Deum migravit, ſollicitudinem ſui dilectiſſimi egiſſe quem in hoc ſeculo reliquit, & ut quamtocius ſimul ante Deum gauderent, operam dediſſe.

Northymbrenſis Comes *Rodbertus* de *Mulbrei* & *Willielmus* de *Owe* cum multis aliis regem *Willielmum* regno vitaque privare, & filium amitæ illius *Stephanum* de *Albamario* conati ſunt regem conſtituere. Sed fruſtra. Nam ea re cognita, rex exercitu de tota *Anglia* congregato, caſtellum prædicti Comitis *Rodberti* ad hoſtium *Tina* fluminis ſitum per duos menſes obſedit, & interim quadam munitiuncula expugnata, ferme omnes meliores Comitis milites cepit, & in cuſtodiam poſuit. Dein obſeſſum caſtellum expugnavit, & fratrem Comitis & equites quos intus inveniebat, cuſtodiæ tradidit. Poſt hæc ante **Bebbanbyrig**, id eſt, urbem *Bebba* reginæ, in quam Comes confugerat, caſtellum firmavit, idque *Malveiſin* nominavit, & in illo militibus poſitis in *Suthymbriam* rediit. Poſt cujus diſceſſum Comiti *Rodberto* vigiles novi caſtelli promiſere in id ſe permiſſuros illum intrare, ſi veniret occulte. Ille autem lætus effectus, quadam nocte cum xxx. militibus ut id perageret, exivit. Quo cognito, equites qui caſtellum cuſtodiebant illum inſequentes, ejus exitum cuſtodibus novi caſtelli per nuncios intimaverunt. Quod ille neſciens, die quadam Dominica temptavit peragere cœpta. Sed nequivit, deprehenſus enim erat. Eapropter ad monaſterium ſancti *Oſwini* Regis & martyris fugit. Ubi ſexto die obſeſſionis ſuæ graviter in crure eſt vulneratus dum ſuis adverſariis repugnaret, quorum multi perempti, multi ſunt vulnerati. De ſuis quoque nonnulli vulnerati, omnes ſunt capti: ille vero in eccleſiam fugit. De qua extractus, in cuſtodiam eſt poſitus. Interea *Walenſes* caſtellum *Muntgumeri* fregerunt, & *Hugonis Scrobbesbiria* Comitis homines in illo nonnullos occiderunt. Unde rex iratus, expeditionem cito mandavit, & poſt feſtivitatem ſancti *Michaelis* exercitum in *Walaniam* duxit, ibique homines & equos quamplures perdidit. Qui inde reverſus, Comitem *Rodbertum* ad **Bebbanburgh** duci, & ejus oculos erui juſſit, niſi uxor illius ac propinquus ejus *Moreal* caſtrum redderent. Qua neceſſitate compulſi caſtellum reddiderunt: Comes autem forti cuſtodiæ mancipandus ad *VVindleſoram* eſt ductus. *Moreal* vero factæ traditionis cauſam regi detexit.

An. Dñi 1096.

ANno M. xcvj. *Dunelmenſis* epiſcopus *VVillielmus* apud *VVindleſoram* in curia Regis iv. Non. Januarii feria ij. obiit, ſed *Dunholma* eſt ſepultus. Octavis Epiphaniæ apud *Serasberiam* celebrato Concilio, *VVillielmi* de *Owe* in duellio victi oculos eruere, & teſticulos abſcidere, & dapiferum illius *VVillielmum* de *Aldri* filium amitæ illius traditionis conſcium, juſſit rex ſuſpendi. Comitem vero *Odonem* de *Campania*, prædicti ſcilicet *Stephani* patrem, *Philippum Rogeri Scrobberesbirienſis* Comitis filium, & quoſdam alios traditionis participes in cuſtodiam poſuit.

Urbanus papa venit in *Galliam* & apud *Clarum montem* quadrageſimali tempore ſynodo celebrata, ad *Turcos*, *Saracenos*, *Turcopolos* alioſque paganos debellandos, **Jeruſalem** proficiſci hortatus eſt *Chriſtianos*. Cujus hortatu mox in ipſa ſynodo Comes ſancti *Ægidii Raimundus* & cum eo multi alii Chriſti cruce ſignati peregrinationem ſe pro Deo ſubituros, & quod ſuaſerat peracturos, ſpoponderunt. Quibus auditis, de *Italia*, *Germania*, *Gallia*, *Anglia* cæteri Chriſtiani ad eandem profectionem certatim ſe paravere. Quorum duces & primates extitere *Podienſis* epiſcopus cum aliis epiſcopis quampluribus, *Petrus* monachus & heremita, *Hugo magnus Philippi Francorum* Regis germanus, dux *Lotharienſis Godefridus*, *Carnotenſis* Comes *Stephanus* de *Blanio*, *Normannorum* Comes *Rodbertus*, *Flandrenſis* Comes *Rodbertus*, duo germani *Godefridi* ducis *Bononienſis* Comes *Euſtachius* & *Baldwinus*, prædictus Comes *Raimundus*, *Boamundus Rodberti VViſcardi* filius.

Sanſon VVigornenſis epiſcopus ab *Anſelmo Dorobernia* archiepiſcopo *Lundonia* in eccleſia ſancti *Pauli* apoſtoli xvij. Kal. Julii dominica die conſecratur. Poſt hæc Comes *Normannorum Rodbertus* cum **Jeruſalem** proficiſci cum aliis animo proponeret, nunciis in *Angliam* miſſis germanum ſuum regem *Willielmum* petiit, ut inter ſe pace redintegrata illi $\overline{x}$ marcas argenti præſtaret, & ab eo *Normanniam* in vadimonium acciperet. Qui mox petitioni ejus ſatisfacere geſtiens, indixit majoribus *Angliæ*, ut quiſque illorum pro poſſe ſibi pecuniam feſtinanter accommodaret. Iccirco epiſcopi, abbates, abbatiſſæ aurea & argentea eccleſiæ ornamenta fregerunt. Comites, barones, vicecomites ſuos milites & villanos ſpoliaverunt, & regi non modicam ſummam auri & argenti detulerunt. Ille autem menſe Septembris mare tranſiit, pacem cum germano fecit $\overline{vj}$. DC. lxvj. libras illi præſtitit, & ab eo *Normanniam* in vadimonium accepit.

Willielmus II. rex.

An. Dñi 1097. ANno M.xcvij. Rex *Anglorum Willielmus* quadrageſimali tempore *Angliam* rediit, & poſt Paſcha cum equeſtri & pedeſtri exercitu ſecundo profectus eſt in *Waloniam*, ut omnes maſculini ſexus internicioni daret. At de eis vix aliquem capere aut interimere potuit, ſed de ſuis nonnullos, & equos perdidit multos. Poſt hæc Clitonem *Eadgarum* ad *Scotiam* cum exercitu miſit, ut in ea conſobrinum ſuum *Eadgarum Malcolmi* regis filium, patruo ſuo *Duſenaldo* qui regnum invaſerat expulſo, regem conſtitueret. Chriſtiani ceperunt *Niceam* civitatem xiij. Kal. Julii ſabbato. Stella quæ cometis dicitur iij. Kal. Octobris per xv. dies apparuit. Nonnulli ſignum mirabile, & quaſi ardens in modum crucis eo tempore ſe vidiſſe in cœlo afſirmabant. Mox inter regem & *Dorobernenſem* archiepiſcopum *Anſelmum* orta diſſenſione, quia ex quo archipræſul effectus eſt, ſynodum tenere, & prava quæ per *Angliam* pullulaverant non licuit corrigere, mare tranſivit, & ad tempus in *Gallia* manſit, & poſt ad papam *Urbanum Romam* perrexit. Rex autem circa feſtivitatem ſancti *Andreæ* de *Anglia Normanniam* profectus eſt. Eximiæ vir religionis monaſterii ſancti *Eadmundi* abbas *Baldwinus*, genere Gallus, ij. Kal. Jan. obiit. *Ciſtercienſe* cœnobium ſumpſit exordium.

1098. ANno M. xcviij. *Wintonienſis* epiſcopus *Walcelinus* iij. Non. Jan. die Dominica obiit. Æſtatis tempore rex *Anglorum Willielmus* junior civitatem quæ *Cinomannis* vocatur, magnamque partem illius provinciæ per vim ſuæ ditioni ſubegit. Interea Comes *Hugo* de *Scrobbesberia Menaviam* inſulam, quæ conſuete vocitatur **Angleſege**, & cum eo Comes *Hugo* de *Ceſtre* cum exercitu adierunt, & multos *Walanorum* quos in ea ceperant, occiderunt, quoſdam vero manibus vel pedibus truncatis teſticuliſque abſciſis excæcaverunt. Quendam etiam provectæ ætatis presbyterum nomine *Cenredum*, à quo *Walani* in his quæ agebant conſilium accipiebant, de eccleſia extraxerunt, & ejus teſticulis abſciſis, & uno oculo eruto, linguam illius abſciderunt. Sed die iij. miſeratione divina illi reddita eſt loquela. Eo tempore rex *Norreganorum Magnus* filius regis *Olavi* filii regis *Haroldi Harvagi*, *Orcadas* & *Menavias* inſulas cum ſuo adjeciſſet imperio, paucis navibus advectus illuc venit. At cum ad terram rates appellere vellet, Comes *Hugo* de *Scrobbesberia* cum multis armatis militibus in ipſa maris ripa illi occurrit, &, ut fertur, mox ab ipſo rege ſagitta percuſſus, vij. die quo crudelitatem in præfatum exercuerat presbyterum, interiit. *Antiochia* civitas à *Chriſtianis* iij. Non. Junii feria iiij. capta eſt: in qua, paucis diebus tranſactis, lancea qua mundi ſalvator in crucis pendens patibulo vulneratus fuit, *Andrea* apoſtolo ſanctorum mitiſſimo revelante, in eccleſia ſancti *Petri* apoſtoli inventa eſt. Cujus inventione Chriſtiani animati, iiij. Kal. Julii feria ij. ſecum illam deferentes, de civitate exierunt, & cum paganis prælio commiſſo, *Curbaram* principem militiæ *Soldani Perſiæ*, & *Turcos*, *Arabas*, *Sarracenos*, *Publicanos*, *Azimatos*, *Perſas*, *Agulanos*, & alias multas gentes in ore gladii fugantes, multis milibus ex eis occiſis, Dei virtute plenam victoriam habuerunt. Splendor inſolitus per totam fere noctem v. Kal. Octobris emicuit. Eodem anno oſſa regis & martyris *Canuti* à *Danis* de tumulo levata, in ſcrinio honorifice ſunt collocata. *Rogerus* dux *Apuliæ* adunato grandi exercitu *Capuanam* civitatem à ſua ditione reſilientem obſedit. *Urbanus* papa comitante ſecum *Doruberneuſi* archiepiſcopo *Anſelmo*, ut illi mandarat, ad Concilium quod apud *Barum* Kal. Octobris celebrari conſtituit, proficiſcitur. In quo Concilio plurima de fide Catholica ab Apoſtolico diſſerta ſunt facunda ratione. Ubi etiam mota quæſtione ex parte *Græcorum* evangelica auctoritate probare volentium Spiritum ſanctum proceſſionem non habere niſi tantum à Patre, præfatus *Anſelmus* ſic de negotio tractavit, diſſeruit, abſolvit, ut in ipſo conventu nemo exiſteret qui non inde ſibi ſatisfactum conſentiret.

An. Dñi 1099. ANno M.xcix. *Urbanus* papa iij. ebdomada Paſchæ magnum Concilium tenuit *Romæ*. In quo reciſis recidendis, & ſtatutis ſtatuendis, in adverſarios ſanctæ eccleſiæ excommunicationis ſententiam in omnes laicos inveſtituras eccleſiarum dantes, & omnes eaſdem inveſtituras de manibus illorum accipientes, necnon omnes in officium ſic dati honoris hujuſmodi conſecrantes, cum toto Concilio papa intorſit. Eoſque anathematis vinculo colligavit, qui pro eccleſiaſticis honoribus laicorum hominum homines fiunt, dicens, *Nimis execrabile videri ut manus quæ in tantam eminentiam excreverant, ut quod nulli angelorum conceſſum eſt, Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eundem ipſum pro redemptione & ſalute totius mundi ſummi Dei patris optutibus offerunt, in hanc ignorantiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum quæ die ac nocte obſcænis contactibus inquinantur, ſive rapinis, ac injuſta ſanguinum effuſioni addictæ, commaculantur.* Fiat, Fiat, ab omnibus eſt acclamatum, & in his Concilium conſummatum. Poſt hæc archiepiſcopus *Lugdunum* perrexit. Rex *Anglorum Willielmus* junior in *Angliam* de *Normannia* rediit, & in feſtivitate Pentecoſtes *Londonia* curiam ſuam tenuit, ac *Rannulfo*, quem negotiorum totius regni exactorem conſtituerat, *Dunelmenſem* epiſcopatum dedit, quem *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus ibi mox conſecravit in eccleſia ſancti *Pauli* in octavis Pentecoſtes Non. Junii. Idus Julii feria vj. **Jeruſalem** à *Chriſtianis* capta eſt; & poſt hæc xj. Kal. Aug. eadem feria *Lotharienſis* dux *Godefridus* ab omni exercitu in regem eſt electus. *Urbanus* papa iiij Kal. Auguſti feria v. obiit. *Chriſtiani* cum *Amiraviſſo* principe militiæ & ſecundo in poteſtate regia totius regni regis *Babiloniæ*, ante civitatem *Aſcalonam* ij. Idus Auguſti eadem feria bellum habentes maximum, Chriſto largiente potiti ſunt victoria. *Paſchalis* vir venerandus qui ab *Hiltibrando* papa presbyter fuerat ordinatus, à *Romano* populo Idus Auguſti electus, die ſequenti, id eſt, xix. Kal. Septemb. feria j. in papam eſt conſecratus. Tertio Non. Novembris mare littus egreditur, & villas & homines quamplures, boves & oves innumeras demerſit. *Oſmundus Searesbirienſis* epiſcopus iij. Non. Decemb. feria vj. obiit.

1100. ANno M. C. *Clemens* papa, qui & *Wibertus*, obiit. Conſtituuntur in **Jeruſalem** canonici xxxiij. in monaſterio in quo ſepulchrum Domini continetur, à *Godefrido* rege ejuſdem urbis & patriarcha

Willielmus II. rex.

triarcha *Wiberto*. Idibus Julii die Dominica eccleſia quam venerandæ memoriæ abbas *Serlo* à fundamentis conſtruxerat *Glawornæ*, ab epiſcopis *Samſone Wigornenſi*, *Gundulfo Hrofenſi*, *Gerardo Herefordenſi*, & *Herveio Bangornenſi* dedicata eſt magno cum honore. Deinde iiij. Non. Auguſti feria v. Indictione viij. rex *Anglorum Willielmus* dum in nova forreſta quæ lingua *Anglorum* **Ytene** nuncupatur venatu fuiſſet occupatus, à quodam *Franco Waltero* cognomento *Tirello* ſagitta incaute directa percuſſus vitam finivit; & *Wintoniam* delatus in veteri monaſterio in eccleſia ſancti *Petri* eſt tumulatus. Nec mirum, ut populi rumor affirmat, hanc proculdubio magnam Dei eſſe virtutem & vindictam. Antiquis enim temporibus, *Eadwardi* ſcilicet regis & aliorum *Angliæ* regum prædeceſſorum ejus, eadem regio incolis Dei cultoribus & eccleſiis nitebat uberrime, ſed juſſu regis *Willielmi* ſenioris, hominibus fugatis, domibus ſemirutis, eccleſiis deſtructis, terra ferarum tantum colebatur habitatione, & inde ut creditur cauſa erat infortunii. Nam & antea ejuſdem *Willielmi* junioris germanus *Ricardus* in eadem forreſta multo ante perierat; & paulo ante ſuus fratruelis *Ricardus*, Comitis ſcilicet *Normannorum Rodberti* filius, dum & ipſe in venatu fuiſſet, à ſuo milite ſagitta percuſſus interiit. In loco quo rex occubuit priſcis temporibus eccleſia fuerat conſtructa, ſed patris ſui ut prædiximus tempore erat diruta. Ejuſdem regis tempore, ut ex parte prætitulatum eſt, in ſole, luna, & ſtellis multa fiebant ſigna. Mare quoque litus perſæpe egrediebatur, & homines, & animalia ſummerſit, villas & domos quamplures ſubvertit. In pago qui **Barrocſcire** nominatur, ante occiſionem illius, ſanguis de fonte tribus ſeptimanis emanavit. Multis etiam *Normannis* diabolus in horribili ſpecie ſe frequenter in ſilvis oſtendens, palam cum eis de rege, & *Ranulfo*, & quibuſdam aliis locutus eſt. Nec mirum. Nam illorum tempore fere omnis legum ſiluit juſtitia, cauſiſque ſub juſtitio poſitis, ſola in principibus imperabat pecunia. Denique eadem tempeſtate nonnullis regis voluntati magis quam juſtitiæ obedientibus, *Ranulfus* contra jus eccleſiaſticum & ſui gradus ordinem, (presbyter enim erat) ad cenſum primitus abbatias, dehinc epiſcopatus quorum patres è vita diſceſſerant, noviter accepit à rege, & inde ſingulis annis illi perſolvit non modicam ſummam pecuniæ. Cujus aſtutia & calliditas tam vehemens extitit, & parvo tempore adeo excrevit, ut placitatorem ac totius regni exactorem rex illum conſtitueret. Qui tanta poteſtate accepta, ubique locorum per *Angliam* ditiores ac locupletiores quoſdam rerum terrarumque ablatione multavit, pauperiores autem gravi injuſtoque tributo inceſſanter oppreſſit, multiſque modis & ante epiſcopatum, & in epiſcopatu majores minoreſque communiter afflixit, & hoc uſque ad regis ejuſdem obitum. Nam eo die quo occiſus periit, *Dorubernenſem* archiepiſcopatum *Wintonienſem* & *Searesbirienſem* præſulatus in manu ſua tenuit. Regnavit idem rex xiij. annis minus xxxviij. diebus. Cui ſucceſſit junior frater ſuus *Henricus*, & mox Non. Auguſti die Dominico in *Weſtmonaſterio* à *Mauricio Londonienſi* epiſcopo in regem eſt conſecratus. Qui conſecrationis ſuæ die, ſanctam Dei eccleſiam, quæ fratris ſui tempore vendita & ad firmam erat poſita, liberam fecit, ac omnes malas conſuetudines & injuſtas exactiones quibus regnum *Angliæ* injuſte opprimebatur, abſtulit, pacem firmam in toto ſuo regno poſuit & teneri præcepit, legem regis *Eadwardi* omnibus in commune reddidit cum illis emendationibus quibus pater ſuus illam emendavit, ſed foreſtas quas ille conſtituit & habuit, in manu ſua retinuit. Nec multo poſt *Dunelmenſem* epiſcopum *Ranulfum Londoniæ* in turri cuſtodiæ mancipavit, & *Dorubernenſem* archiepiſcopum *Anſelmum* de *Gallia* revocavit.

Henricus I. rex.

Interea ab **Jeruſalem** domum redierunt Comites, *Rodbertus Flandrenſis*, & *Euſtachius Bononienſis* primitus, dein *Northmannorum* Comes *Rodbertus* cum uxore quam ſibi in *Sicilia* deſponſaverat, repatriavit. Interim rex *Anglorum Henricus* majores natu *Angliæ* congregavit *Londoniæ*, & regis *Scottorum Malcolmi* & *Margaretæ* reginæ filiam, *Matildem* nomine, in conjugium accepit; quam *Dorubernenſis* archiepiſcopus *Anſelmus* die Dominica feſtivitatis ſancti *Martini* reginam conſecravit & coronavit. Venerandæ memoriæ & vir religionis eximiæ, affabilis omnibuſque amabilis *Eboracenſis* archiepiſcopus *Thomas* xiiij. Kal. Decembris die Dominica ex hac vita deceſſit *Eboraci*. Cui ſucceſſit *Herefordenſis* epiſcopus *Gerardus*.

An. Dñi 1101.

ANno M. Cj. *Henricus* rex tenuit curiam ſuam *Londoniæ* in nativitate Domini, ubi interfuit *Lodowicus* electus rex *Francorum*. *Dunelmenſis* epiſcopus *Ranulfus* poſt nativitatem Domini de cuſtodia magna calliditate evaſit, mare tranſiit, *Normannorum* Comitem *Rodbertum* adiit, eique ſuaſit, ut *Angliam* hoſtiliter adiret: nec minus perplures hujus terræ principes, miſſis ad eum legatis, rogaverunt ut *Angliam* feſtinato veniret, coronam & regnum illi promittentes. Civitas *Glaworna* cum principali monaſterio & aliis viij. Idus Junii feria v. incendio conflagravit. Comes *Normannorum Rodbertus* equitum ſagittariorum & peditum non parvam congregans multitudinem, in loco qui *Normannica* lingua dicitur *Ultreſport* naves coadunavit. Quibus rex cognitis, buthſecarlis præcepit mare cuſtodire & obſervare, ne quis de partibus *Normanniæ* fines adiret *Angliæ*. Ipſe vero innumerabili exercitu congregato de tota *Anglia*, non longe ab *Heaſtinga* caſtra poſuit in *Suthſaxonia*. Autumabat enim pro certo, fratrem ſuum illis in partibus nave appulſurum. At ille conſilio *Ranulfi* epiſcopi, quoſdam de regis buthſecarlis adeo rerum diverſarum promiſſionibus fregit, ut fidelitate quam regi debebant poſtpoſita, ad ſe transfugerent, & ſibi ad *Angliam* duces exiſterent. Paratis igitur omnibus, cum exercitu navim conſcendit, & circa ad vincula ſancti *Petri* in loco qui **Portheſmuth** dicitur appulit, ſtatimque verſus *Wintoniam* exercitum movens, apto in loco caſtra poſuit. Cujus adventu cognito, quidam de primoribus *Angliæ* mox ad eum, ut ante propoſuerant, transfugere; quidam vero cum rege ficta mente remanſere. Sed epiſcopi, milites gregarii & *Angli* animo conſtanti cum illo perſtitere, unanimiter ad pugnam parati cum ipſo deſcendere. Verum ſapientiores utriuſque partis, habito inter ſe ſalubri conſilio, pacem inter fratres ea ratione compoſuere, ut iij. marcas argenti ſingulis annis rex perſolveret Comiti, & omnibus ſuos priſtinos honores, quos in *Anglia* pro Comitis fidelitate perdiderant, reſtitueret gratuito;

Henri-cus I. Rex.

tuito, & cunctis quibus honores in *Normannia* cauſa regis fuerant ablati, Comes redderet ſine pretio. Quibus pacatis, regis exercitus domum, Comitis vero pars in *Normanniam* rediit, pars in *Anglia* ſecum remanſit. Filius *Euſtachii* ſenioris Comitis *Bononienſium Godefridus* rex *Jeroſolimorum*, qui præpotens extiterat dux *Lotharienſium*, diem clauſit ultimum, & in eccleſia *Golgothana* ſepultus requieſcit. Cujus poſt obitum *Chriſtiani* unanimi conſilio ejus germanum ſibi in regem elegerunt *Baldwinum*. Arcem, quam in occidentali *Sabrinæ* fluminis plaga, in loco qui **Brige** dicitur lingua *Saxonica*, *Agelſleda Merciorum* Domina quondam conſtruxerat, fratre ſuo *Eadwardo* ſeniore regnante; *Scrobbesberienſis* Comes *Rodbertus* de *Beleſmo Rogeri* Comitis filius contra regem *Henricum* (ut exitus rei probavit) muro lato & alto reſtaurare cœpit. Cœpit etiam in *Walonia* ædificare aliam in loco qui *Carrocone* dicitur.

An. Dñi 1102.

ANno M. Cij. ſupradictus Comes *Rodbertus* de *Beleſmo*, qui comitatum etiam *Pontivenſis* pagi rexit eo tempore, ac in *Normannia* caſtella poſſedit quamplurima, civitatem *Scrobbesbiriam* & caſtellum in ea ſitum, caſtella quoque **Arundel** & **Tychill** alimentis, machinis, armis, militibus ac peditibus contra regem *Henricum* firmiter munivit. Muros quoque ac turres caſtellorum, videlicet **Brige** & *Carrocone* die noctuque laborando & operando perficere modis omnibus feſtinavit. *Walanos* etiam ſuos homines ut promptiores ſibique fideliores ac paratiores eſſent ad id perficiendum quod volebat, honoribus, terris, equis, armis incitavit, variiſque donis largiter donavit, ſed conatus illius & opera nimis cito ſunt impedita. Inſidiis enim & conatibus ejus per certa indicia detectis, publicum hoſtem rex illum pronunciavit. Iccirco mox *Brittonibus* & *Normannis* quos tunc habere potuit in unum congregatis, ipſe & ſuus germanus *Arnoldus* partem *Steadfordenſis* pagæ vaſtaverunt, ac inde jumenta & animalia multa homineſque nonnullos in *VValoniam* abduxerunt. At rex ſine dilatione caſtellum ejus **Arundel** primitus obſedit, & caſtellis ante illud firmatis receſſit. Deinde *Rodbertum Lincolnienſis* civitatis epiſcopum cum parte exercitus **Tychill** obſidere juſſit. Ille autem **Brige** cum exercitu pene totius *Angliæ* obſedit, machinas ibi conſtruere & caſtellum firmare cœpit. Interim *Brittones*, in quibus fiduciam magnam *Rodbertus* habuerat, ut juramenta quæ illi juraverant irrita fierent, & ab illo penitus deficerent in illumque conſurgerent, donis modicis facile corrupit. Infra xxx. dies civitate omnibuſque caſtellis redditis, inimicum ſuum *Rodbertum* ſuperavit, & ignominioſe de *Anglia* expulit. Germanum quoque illius *Arnoldum* paulo poſt pro ſua perfidia ſimili ſorte dampnavit. Poſt hæc, in feſtivitate ſancti *Michaelis* rex fuit *Londoniæ* apud *Weſtmonaſterium*, & cum eo principes omnes regni ſui eccleſiaſtici & ſecularis ordinis. Ubi duos de clericis ſuis duobus epiſcopatibus inveſtivit, *Rogerum* videlicet Cancellarium ſuum epiſcopatu *Seaſresberienſi*, & *Rogerum* Larderarium ſuum pontificatu *Herefordenſi*. Ubi etiam *Anſelmus* archiepiſcopus tenuit magnum Concilium de his quæ ad Chriſtianitatem pertinent, conſidentibus ſecum archiepiſcopo *Eboracenſi Gerardo*, *Mauricio Londonienſi*, *VVillielmo* electo epiſcopo *VVintonienſi*, *Rodberto* epiſcopo *Lincolnienſi*, *Samſone VVigornenſi*, *Rodberto Ceſtrenſi*, *Johanne Bathonienſi*, *Herberto Norwicenſi*, *Radulfo Ciceſtrenſi*, *Gundulfo Hroſenſi*, *Herveio Bancorenſi*, & duobus inveſtitis *Ro.* & *Ro.* *Osbernus* autem epiſcopus *Exonienſis* infirmitate detentus intereſſe non potuit. Sed & *Rannulfus Dunelmenſis* huic Concilio non interfuit. In hoc Concilio plures abbates *Francigenæ* & *Angli* ſunt depoſiti, & honoribus privati quos injuſte acquiſierunt, aut in eis inhoneſte vixerunt. Scilicet *VVido Perſcorenſis*, *Aldwinus Rameſenſis*, & ille de *Taviſtoca*, *Haimo* de **Cernel**, & ille de **Micelenet**, *Agelricus* de *Mideltuna*, *Godricus* de **Buth**, *Ricardus* de **Heli**, & *Rodbertus* de ſancto *Eadmundo*. Presbyteris quoque concubinæ interdictæ ſunt. Unde plures eorum oſtia eccleſiarum obſeraverunt, omittentes omnia officia eccleſiaſtica. Præfatus *Rogerus Herefordenſis* eccleſiæ epiſcopus electus, *Londoniæ* infirmitate percuſſus mortuus eſt, & cancellarius reginæ *Reinelmus* nomine loco illius pari inveſtitura ſubrogatus eſt. Rex *Anglorum Henricus Mariam Matildis* reginæ ſororem *Euſtachio Bononienſium* Comiti nuptum tradidit.

An. Dñi 1103.

ANno M. Ciij. magna diſcordia facta eſt inter regem *Henricum* & *Anſelmum* archiepiſcopum, eo quod archiepiſcopus nollet conſentire ut rex daret inveſtituras eccleſiarum, neque conſecrare neque communicare iis, quibus jam rex dederat eccleſias, quia Apoſtolicus ſibi & omnibus hoc interdixerat. Unde rex præcepit *Gerardo* archiepiſcopo *Eboracenſi* quatinus conſecraret epiſcopos quibus ipſe rex dederat inveſtituras, ſcilicet *VVillielmum Giffardum*, & *Rogerum* qui fuit capellanus ejus cui jam dederat *Searesberienſem* eccleſiam. *Gerardus* præceptum regis ſuſcepit, ſed *VVillielmus* cauſa juſtitiæ illud & benedictionem archiepiſcopi *Gerardi* ſprevit. Quare regis judicio ſuis omnibus expoliatus, eliminatur à regno, cæteri vero inconſecrati remanſerunt. *Reinelmus* autem paulo ante epiſcopatum *Herefordenſem* regi reddidit, quia intellexit ſe Deum offendiſſe in hoc quod de manu laici alicujus inveſtituram eccleſiæ ſuſcepiſſet. Poſt hæc, rex tenuit curiam ſuam in Paſcha *VVintoniæ*. *Anſelmus* archiepiſcopus poſt multas injurias & diverſas contumelias quas paſſus eſt, rogatus à rege perrexit *Romam* v. Kal. Maii, ſicut ei & regi convenit, habens in comitatu *VVillielmum VVintonienſi* eccleſiæ electum antiſtitem, & abbates de abbatia depoſitos, *Ricardum Helienſem* & *Aldwinum Rameſenſem*. *Rodbertus* Comes *Normanniæ* venit in *Angliam* loqui cum fratre ſuo, & antequam rediſſet de *Anglia* pardonavit ter mille marcas argenti quas rex ſibi omni anno per conventionem debuit. In provincia etiam quæ nominatur *Bearrocſcira* in loco qui dicitur **Heamſtede** viſus eſt à multis ſanguis effluere de terra. Eodem anno iij. Idus Auguſti magna intemperies venti facta eſt, quæ tantum dampnum fecit in fructibus terræ per *Angliam*, quantum qui tunc vixerunt retroactis temporibus nunquam viderunt.

1104

ANno M. Ciiij. venerandi abbates *Walterus Eoveſhamnenſis* xiij. Kal. Febr. & *Serlo Gloceſtrenſis* iiij. Non. Marcii obierunt. Rex *Anglorum Henricus* tenuit curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium* in Pentecoſten. Tertia feria, id eſt, vij.

Idus Junii, quatuor circuli viſi ſunt circa ſolem albi coloris circa horam vj. quiſque circulus ſub alio quaſi eſſent picti. Mirati ſunt omnes qui tunc viderunt, quia nunquam antea talia viſa ſunt ab aliquo illorum. *Willielmus* Comes de *Moreton* exhæredatus eſt de tota terra ſua quam habuit in *Anglia*. Non facile poteſt narrari miſeria quam ſuſtinuit iſto tempore terra *Anglorum* propter exactiones regias. Corpus ſancti *Cuthberti* epiſcopi ob quorundam incredulitatem ablatum, pontificante *Ranulfo* epiſcopo, oſtenſum eſt, & à *Radulfo Sagienſi* abbate poſtmodum *Hrofenſi* epiſcopo, & deinde *Cantuarienſi* archiepiſcopo, & à fratribus *Dunelmenſis* eccleſiæ certo indicio incorruptum inventum eſt, & ita flexilibus artubus ut magis dormienti quam mortuo ſimilis videretur, præſente *Alexandro* Comite poſtea *Scottorum* rege & multis aliis, poſt annos depoſitionis ſuæ CCCC. & xviij. & v. menſes, & xij. dies, qui eſt annus quintus *Henrici* regis, & epiſcopatus *Ranulfi* vj. ab origine mundi fuerant tranſacti V̄ CCCviij.

Dñi 105.

ANno M. Cv. rex *Anglorum Henricus* tranſivit mare. Omnes autem pene *Normannorum* majores ad ejus adventum ſpreto Comite domino ſuo & fide quam ei debebant, in aurum & argentum regis, quod ipſe de *Anglia* illuc portaverat, cucurrerunt, eique caſtra munitaſque civitates & urbes tradiderunt. Ille vero *Baiocas* cum eccleſia ſanctæ *Maria* quæ intus erat combuſſit, & *Cadomum* fratri ſuo abſtulit, & poſt *Angliam* rediit, quia *Normanniam* totam ſibi ſubjugare nequiverat, ut copioſiori pecunia fretus rediens anno ſequenti quod reſiduum erat exhæredato fratre ſuo ſibi ſubiceret. Comes *Willielmus* de *Moreton* ubicunque potuit nocuit rebus & hominibus regis propter honorem ſuum quem in *Anglia* perdiderat.

106.

ANno M. Cvj. *Rodbertus* Comes *Normannia* venit in *Angliam* ut loqueretur fratri ſuo *Henrico* regi, quem invenit apud **Northamtun**. Tunc Comes quæſivit ab eo, ut redderet ſibi ea quæ acceperat ſuper eum in *Normannia*. Cui rex omnia contradixit. Quare Comes iratus receſſit, & mare tranſivit. In prima autem ſeptimana quadrageſimæ, vj. feria, xiiij. Kal. Martii in veſpera oſtenſa eſt quædam inſolita ſtella, & per xxv. dies eodem modo eademque hora viſa eſt lucere inter auſtrum & occidentem. Parva enim viſa eſt & obſcura, ſed ſplendor qui de ea exivit valde erat clarus, & quaſi ingens trabes de orientali & aquilonali parte claritas ingeſſit ſe in eandem ſtellam. Quidam dixerunt ſe plures inſolitas ſtellas eo tempore vidiſſe. In cœna autem Domini nocte viſæ ſunt duæ lunæ paulo ante diem, una in oriente, altera in occidente, & utraque plena, & erat eo die xiiij. luna. Quo anno facta eſt nimis execrabilis contentio inter *Henricum* Imperatorem *Romanorum* & filium ejus *Henricum*. Et eodem anno mortuus eſt idem Imperator cum L. annis regnaſſet; cui ſucceſſit filius ejus *Henricus*. Rex *Anglorum Henricus* ante Auguſtum menſem tranſivit mare, vadens in *Normanniam*, cui fere omnes primi *Normannorum* ſe dederunt, excepto *Rodberto* de *Beleſmo*, *Willielmo* de *Moreton* & paucis aliis qui ſe tenebant cum Comite *Rodberto*. Rex *Anglorum Henricus* in aſſumptione ſanctæ *Maria Beccum* venit, ubi ipſe & *Anſelmus* archiepiſcopus in unum convenerunt, & tandem omnia quæ in diverſa trahebant pacem invenerunt. Non multo poſt idem archiepiſcopus juſſu & rogatu regis *Angliam* rediit. Congregato exercitu rex ad quoddam caſtrum Comitis de *Moreton* quod vocatur *Tenercebrei* porrexit, & obſedit illud. Interim dum ibi moraretur venit Comes frater regis *Rodbertus* ſuper eum cum exercitu ſuo in vigilia ſancti *Michaelis*, & cum eo *Rodbertus* de *Beleſmo*, & Comes *Willielmus* de *Moreton*; ſed jus & victoria facta eſt regis. Ibi captus eſt *Rodbertus* Comes *Normannia*, & *Willielmus* Comes de *Moreton* & *Rodbertus* de *Stutavilla*. *Rodbertus* autem de *Beleſmo* in fugam verſus eſt, *VVillielmus Criſpinus* captus & plures alii cum eo. His ita geſtis, rex ſubegit ſibi totam *Normanniam*, & ſecundum ſuam voluntatem dictavit, & hoc per litteras *Anſelmo* archiepiſcopo indicavit.

An. Dñi 1107.

ANno M.Cvij. *Eadgarus* rex *Scottorum* vj. Idus Januarii obiit, cui *Alexander* frater ſuus ſucceſſit. *Normannia* ſub regia pace diſpoſita, ducemque *Normannorum Rodberto* & Comite *Moretonii VVillielmo* in *Angliam* ſub captione præmiſſis, rex ipſe ante Paſcha in regnum ſuum reverſus eſt. In Kal. Auguſti conventus omnium epiſcoporum, abbatum & procerum regni *Londoniis* in palatio regis factus eſt, & per tres dies abſente *Anſelmo* archiepiſcopo inter regem & epiſcopos ſatis actum eſt de eccleſiarum inveſtituris, quibuſdam ad hoc nitentibus, ut rex eas faceret more patris ſui & fratris ſui, non juxta præceptum & obedientiam Apoſtolici. Nam papa *Paſchalis* in ſententia quæ inde promulgata fuerat firmus ſtans, conceſſerat omnia, quæ *Urbanus* papa æque ut inveſtituras interdixerat; ac per hoc regem ſibi de inveſtituris conſentaneum fecerat. Dehinc præſente *Anſelmo* aſtante multitudine annuit rex & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per dationem baculi paſtoralis, vel anuli quiſquam de epiſcopatu aut abbatia per regem vel quamlibet laicam manum in *Anglia* inveſtiretur: concedente quoque *Anſelmo*, ut nullus in prælationem electus pro hominio quod regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris privaretur. *Gerardus Eboracenſis* archiepiſcopus ſua manu impoſita manui *Anſelmi* pollicitus eſt, ſe illam ſubjectionem & obedientiam ipſi in archiepiſcopatu exhibiturum, quam *Herefordenſi* eccleſiæ ab eo ſacrandus epiſcopus promiſerat. *Willielmus Wintonienſi*, *Herefordenſi Reinelmus*, *Searesberienſi Rogerus*, *Willielmus Execeſtrenſi*, & *Urbanus Glamorgaenſi* eccleſiæ quæ in *Walonia* eſt, electi epiſcopi ſimul *Cantuariam* venerunt, & in die Dominica quæ fuit iij. Idus Auguſti pariter ab *Anſelmo* conſecrati ſunt, miniſtrantibus ſibi in hoc officio ſuffraganeis ipſius ſedis. *Gerardus* etiam *Eboracenſis* archiepiſcopus eorum conſecrationi, rogatu *Anſelmi*, interfuit. Nullus fuit certe tunc temporis qui meminiſſet retroactis temporibus tot ſimul paſtores electos & ordinatos in *Anglia*, niſi regis *Eadwardi* ſenioris tempore, quando *Plegmundus* archiepiſcopus vij. epiſcopos vij. eccleſiis in una die ordinavit. Hoc etiam anno *Mauricius Londonienſis* epiſcopus, *Ricardus* abbas *Helyenſis*, *Rodbertus* abbas de ſancto *Edmundo*, *Milo Criſpin*, *Rodbertus* filius *Hamonis*, *Rogerus Bigot*, & *Ricardus de Redvers* vita deceſſerunt.

Anno

Henricus I. Rex.

An. Dñi 1108.

ANno M. Cviij. *Hroſenſis* epiſcopus *Gundulfus* obiit Non. Martii. Rex *Anglorum Henricus* pacem firmam legemque talem conſtituit, ut ſiquis in furto vel latrocinio deprehenſus fuiſſet ſuſpenderetur. Monetam quoque corruptam & falſam ſub tanta animadverſione corrigi ſtatuit, ut nullus qui poſſet deprehendi falſos denarios facere, aliqua redemptione, quin oculos & inferiores corporis partes perderet, juvari valeret. Et quoniam ſæpiſſime dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, reſpuebantur, ſtatuit, ut nullus denarius vel obulus, quos & * rotundos eſſe inſtituit, aut etiam quadrans, integer eſſet. Ex quo facto magnum bonum toti regno creatum eſt, quia ipſe rex hæc in ſecularibus ad relevandas terræ ærumpnas agebat. *Gerardus Eboracenſis* archiepiſcopus obiit, pro quo *Thomas Beverlacenſis* eccleſiæ præpoſitus, & prædeceſſoris ſui *Thomæ* fratruelis eligitur. *Philippus* rex *Francorum* obiit, cui *Lodowicus* filius ſuus ſucceſſit. Rex *Anglorum Henricus* mare tranſivit. *Anſelmus* archiepiſcopus, ut rex rogaverat, *Ricardum Londonienſi* eccleſiæ electum pontificem in capella ſua apud **Paggaham** conſecravit, miniſtrantibus ei in hoc officio iiij. aliis epiſcopis, (accepta ab eo prius conſueta profeſſione de obedientia & ſubjectione ſua,) *Willielmo* ſcilicet *Wintonienſi, Rogero Searesberienſi, Radulfo Ciceſtrenſi, Willielmo Execeſtrenſi*. Poſt hæc *Cantuariam* venit, & *Radulfum Sagienſem* abbatem virum religioſum pro *Gundulfo* ad *Hroſenſem* eccleſiam iij. Idus Auguſti conſecravit. *Ricardus* vero *Londonienſis* anteceſſorum ſuorum more honoravit ipſo die matrem ſuam eccleſiam *Cantuarienſem* honeſto munere.

Hæc ſunt ſtatuta de archidiaconibus, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & canonicis ſecularibus, quæ anno Dominicæ incarnationis M.Cviij. ſtatuerunt, *Anſelmus* archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Thomas* electus archiepiſcopus *Eboracenſis* cum eo, omneſque alii *Angliæ* epiſcopi in præſentia *glorioſi* regis *Henrici* aſſenſu baronum ſuorum.

Statutum eſt ut presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, caſte vivant, & fœminas in domibus ſuis non habeant præter proxima conſanguinitate ſibi junctas, ſecundum hoc quod ſancta *Nicena* Synodus definivit. Illi vero presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui poſt interdictum *Londonienſis* Concilii fœminas ſuas tenuerunt, vel alias duxerunt, ſi amplius miſſam celebrare voluerint, eas à ſe omnino ſic facient alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipſi in domos earum intrent. Sed neque in aliqua domo ſcienter conveniant, neque hujuſmodi fœminæ in territorio eccleſiæ habitent. Si autem propter aliquam honeſtam cauſam eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis teſtibus extra domum colloquantur. Si vero in duobus, aut in tribus legitimis teſtibus, vel publica parochianorum fama aliquis eorum accuſatus fuerit, quod hoc ſtatutum violaverit, purgabit ſe adjunctis ſecum ordinis ſui idoneis teſtibus, vj. ſi presbyter, iiij. ſi diaconus, ij. ſi ſubdiaconus fuerit. Cui autem hæc purgatio defecerit, ut tranſgreſſor ſacri ſtatuti judicabitur. Illi autem presbyteri qui divini altaris & ſacrorum ordinum contemptores præelegerint cum mulieribus habitare, à divino officio remoti, omnique eccleſiaſtico beneficio privati extra chorum ponantur, infames pronunciati. Qui vero rebellis & contemptor fœminam non reliquerit, & miſſam celebrare præſumpſerit, vocatus ad ſatisfactionem ſi neglexerit, viij. die excommunicetur. Eadem ſententia archidiaconos & canonicos omnes complectitur, & de mulieribus relinquendis, & de vitanda earum converſatione, & de diſtrictione cenſuræ, ſi ſtatuta tranſgreſſi fuerint. Jurabunt archidiaconi omnes quod pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione hujus ſtatuti, nec tolerabunt presbyteros quos ſcient fœminas habere, miſſam cantare, vel vicarios habere: ſimiliter decani facient. Qui vero archidiaconus vel decanus hoc jurare noluerit, archidiaconatum vel decaniam perdet. Presbyteri vero qui relictis mulieribus, Deo & ſacris altaribus ſervire elegerint, xl. dies ab officio ceſſantes, pro ſe interim vicarios habebunt, injuncta eis pœnitentia ſecundum hoc quod epiſcopis eorum viſum fuerit.

An. D
110

ANno M. Cix. *Dorubernenſis* archiepiſcopus *Anſelmus* xj. Kal. Maij feria iiij. *Cantuariæ* obiit, & ſequenti die, quæ fuit cœna Domini, honorifice ſepelitur. Rex *Anglorum Henricus* circa Rogationes *Angliam* rediit, & curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium* in Pentecoſten tenuit. *Thomas Eboracenſi* eccleſiæ archiepiſcopus electus, à *Ricardo Londonienſi* epiſcopo v. Kal. Julii *Londoniæ* conſecratur, & poſt ab *Ulrico* Cardinali pallium quod ſibi Papa miſerat iij. Kal. Auguſti die Dominica *Eboraci* ſuſcepit, & ipſo eodem die *Turgotum Dunelmenſem* Priorem ad epiſcopatum ſancti *Andreæ* de *Scotia* qui dicitur *Cenrimunt* conſecravit. Eodem anno rex abbatiam *Helienſem* ad epiſcopalem mutavit ſedem; & *Herveium Bancornenſem* epiſcopum eidem eccleſiæ præfecit. Stella cometa viſa eſt menſe Decembris circa lacteum circulum, crinem in auſtralem cœli dirigens plagam.

111

ANno M. Cx. Rex *Anglorum Henricus* filiam ſuam *Henrico* Imperatori in conjugem dedit; & miſit eam à **Dovere** uſque ad **Witſand** in initio quadrageſimæ, quod fuit iiij. Idus Aprilis. Eodem anno diverſa per *Angliam* ſigna monſtrata ſunt. Terræmotus *Scrobberesberia* factus eſt maximus. Fluvius qui *Trenta* dicitur apud **Snotingaham** à mane uſque ad horam diei tertiam ſpatio unius miliarii exſiccatus eſt, ita ut homines ſicco veſtigio per alveum incederent. Stella cometa vj. Idus Junii apparuit, & per iij. ebdomadas viſa eſt lucere.

111

ANno M. Cxj. *Henricus* rex *Tentonicorum Romam* venit, *Paſchalem* papam cepit, & in cuſtodia poſuit. Sed poſtmodum ad pontem via *Salaria* ubi Paſchalem feſtivitatem in campo celebraverunt, pacem cum eo fecit. Hoc autem modo reconciliatio inter regem & dominum papam facta eſt. Et hoc eſt juramentum regis.

Ego *Henricus* rex liberos dimittam iiij^{ta}. vel v. feria proxima dominum papam, & epiſcopos & Cardinales, & omnes captivos, & obſides qui pro eo vel cum eo capti ſunt, ſecuros perduci faciam intra portas *Tranſtiberinæ* civitatis, nec ulterius capiam, aut capi permittam eos qui in fidelitate Domini papæ *Paſchalis* permanent, & populo *Romano* & *Tranſtiberinæ* & *Inſulæ civitatis* pacem & ſecuritatem ſervabo tam per me quam per meos, et in perſonis, & in rebus, qui pacem mihi ſervaverint.

Domnum

dominum papam *Paſchalem* fideliter adjuvabo ut papatum quiete & ſecure teneat. Patrimonia & poſſeſſiones *Romanæ* eccleſiæ quæ abſtuli reſtituam, cuncta quæ habere debet more anteceſſorum meorum recuperare & tenere adjuvabo bona fide, & domno papæ *Paſchali* obediam, ſalvo honore regni & imperii, ſicut catholici imperatores catholicis pontificibus *Romanis*. Hæc omnia ſervabo bona fide ſine fraude & malo ingenio. Et iſti ſunt juratores ex parte ipſius regis. *Fredericus Colonienſis* archiepiſcopus. *Gebehardus* epiſcopus *Tridentinus*. *Burchardus Monaſterienſis* epiſcopus. *Bruno Spirenſis* epiſcopus. *Albertus* Cancellarius. Comes *Herimannus*. *Fredericus* Comes Palatinus. *Berengarius* Comes. *Fredericus* Comes. *Bonefacius* Marcio. *Albertus* Comes de *Blandriaco*. *Fredericus* Comes. *Godefridus* Comes. *Warnerius* Marcio.

Conventio 2. inter Papam & Regem.

DOminus papa *Paſchalis* ſecundus concedet domino regi *Henrico*, & regno ejus, & privilegio ſuo ſub anathemate confirmabit & corroborabit, epiſcopo vel abbate libere electo ſine ſymonia aſſenſu regis, quod dominus rex cum anulo & virga inveſtiat. Epiſcopus autem vel abbas à rege inveſtitus libere accipiat conſecrationem ab epiſcopo ad quem pertinuerit. Siquis vero à clero & populo eligatur, niſi à rege inveſtiatur, à nemine conſecretur: & archiepiſcopi, & epiſcopi libertatem habeant conſecrandi à rege inveſtitos Super his etiam domnus papa *Paſchalis* non inquietabit regem *Henricum*, nec ejus regnum & imperium.

Hoc Sacramentum eſt ex parte Papæ.

DOminus papa *Paſchalis* non inquietabit dominum regem *Henricum*, nec ejus imperium vel regnum de inveſtitura epiſcopatuum vel abbatiarum, neque de injuria ſibi illata & ſuis, neque aliquod malum reddet ſibi vel alicui perſonæ pro hac cauſa. Et penitus in perſonam regis *Henrici* nunquam anathema ponet; nec remanebit in domino papa quin coronet eum ſicut in ordine continetur, & regnum & imperium officii ſui auxilio eum tenere adjuvabit pro poſſe ſuo, & hoc adimplebit domnus papa ſine fraude & malo ingenio. Hæc ſunt nomina illorum epiſcoporum & cardinalium qui præcepto domni papæ *Paſchalis* ſecundi privilegium & amicitiam ſacramento confirmaverunt domino imperatori *Henrico*. *Petrus* Portuenſis epiſcopus. *Centius* Sabinienſis epiſcopus. *Rodbertus* cardinalis ſancti Euſebii. *Bonefacius* cardinalis ſancti Marci. *Anaſtaſius* cardinalis ſancti Clementis. *Gregorius* cardinalis ſanctorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Item *Gregorius* cardinalis ſancti Criſogoni. *Johannes* cardinalis ſanctæ Potentianæ. *Riſus* cardinalis ſancti Laurentii. *Reinerus* cardinalis ſanctorum Marcellini & Petri. *Vitalis* cardinalis ſanctæ Balbinæ. *Dnizo* cardinalis ſancti Martini. *Teodbaldus* cardinalis ſancti Johannis et Pauli. *Johannes* diaconus ſanctæ Mariæ in ſcola Græca.

Iſtud eſt Privilegium domni Papæ quod fecit Imperatori de inveſtituris epiſcopatuum.

PAſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio *Henrico* glorioſo *Teutonicorum* regi, et per Dei operis gratiam *Romanorum* imperatori Auguſto, ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Regnum veſtrum ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ ſingulariter cohærere diſpoſitio divina conſtituit. Prædeceſſores veſtri probitatis cum prudentiæ amplioris gratia *Romanæ* urbis coronam et imperium conſecuti ſunt. Ad cujus videlicet coronæ & imperii dignitatem tuam quoque perſonam, fili chariſſime *Henrice*, per ſacerdotii noſtri miniſterium divina majeſtas provexit. Illam igitur dignitatis prærogativam quam prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus catholicis Imperatoribus conceſſerunt, & privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus, Ut regni tui, epiſcopis vel abbatibus libere præter violentiam & ſymoniam electis inveſtituram virgæ & anuli conferas; poſt inveſtitutionem vero canonice conſecrationem accipiat ab epiſcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero & populo præter tuum aſſenſum electus fuerit, niſi à te inveſtiatur, à nemine conſecretur. Sane epiſcopi vel archiepiſcopi libertatem habeant à te inveſtitos epiſcopos vel abbates canonice conſecrandi. Prædeceſſores enim veſtri eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipſorum epiſcoporum maxime vel abbatum præſidiis oporteat communiri, & populares diſſenſiones quæ in electionibus ſæpe contingunt, regali oporteat majeſtate compeſci. Quamobrem prudentiæ & poteſtativæ curæ debes ſollicitius imminere, ut *Romanæ* eccleſiæ celſitudo & cæterarum ſalus præſtante Domino beneficiis & ſerviciis conſervetur. Si qua igitur eccleſiaſtica vel ſecularis perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam temerario auſu pervertere temptaverit, anathematis vinculo niſi reſipuerit innodetur, honoris quoque ac dignitatis ſuæ periculum patiatur. Obſervantes autem miſericordia divina cuſtodiat, & perſonam poteſtatemque tuam ad honorem ſuum & gloriam feliciter imperare concedat.

His conventionibus & juramentis inter dominum Papam & Imperatorem in Paſchali feſtivitate facta eſt concordia. Deinde *Romam* idus Aprilis Imperator venit. Quem Papa in eccleſia ſancti *Petri* miſſam celebrans Imperatorem conſecravit, & ei omnibuſque ſuis abſolutionem fecit, & omnem injuriam ſibi factam condonavit. Rex *Anglorum Henricus Flandrenſes* qui *Northymbriam* incolebant cum tota ſupellectili ſua in *Waloniam* tranſtulit, & terram quæ *Ros* nominatur incolere præcepit. Novum autem monaſterium quod infra murum *Wintonia* erat, agente *Willielmo Wintonia* epiſcopo, rex extra murum conſtrui juſſit, & non multo poſt mare tranſiit. Hoc anno hiemps aſperrima, fames valida, mortalitas hominum, peſtis animalium agreſtium ſimul & domeſticorum, & ſtrages avium extitit permaxima.

Actio Concilii contra hæreſim de inveſtitura.

An. Dñi 1112.

ANno M. Cxij. Anno pontificatus domni papæ *Paſchalis* ſecundi xiij. Indictione quinta, menſe Martio, xv. Kal. Aprilis celebratum eſt *Romæ* Concilium *Lateranis* in baſilica *Conſtantiniana*. In qua cum domnus papa reſediſſet cum archiepiſcopis, epiſcopis, & cardinalibus, & varia multitudine clericorum & laicorum, ultima die Concilii

HENRI-cus I. Rex. facta coram omnibus profeſſione catholicæ fidei, ne quis de fide ipſius dubitaret, dixit: *Amplector omnem divinam Scripturam, ſcilicet Veteris ac Novi Teſtamenti, legem à* Moyſe *ſcriptam, & à ſanctis Prophetis. Amplector iiij. Evangelia, vij. canonicas Epiſtolas. Epiſtolas glorioſi doctoris beati* Pauli *Apoſtoli, ſanctos canones Apoſtolorum, iiij. Concilia univerſalia ſicut iiij. Evangelia*, Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Calcedonenſe. Antiochenum *Concilium, & decreta ſanctorum patrum* Romanorum *pontificum, & præcipue decreta domini mei papæ* Gregorii vij. *& beatæ memoriæ papæ* Urbani. *Quæ ipſi laudaverunt laudo; quæ ipſi tenuerunt teneo; quæ confirmaverunt confirmo; quæ dampnaverunt dampno; quæ repulerunt repello; quæ interdixerunt interdico; quæ prohibuerunt prohibeo in omnibus & per omnia, & in his ſemper perſeverabo.* Quibus expletis ſurrexit pro omnibus *Gerardus* Engoliſmenſis epiſcopus legatus in *Aquitania*, & communi aſſenſu domini papæ *Paſchalis* totius Concilii coram omnibus legit hanc Scripturam.

Privilegium illud quod non eſt privilegium ſed vere debet pravilegium dici, pro liberatione captivorum, & eccleſiæ à domino Paſchali *papa per violentiam regis* Henrici *extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio cum domino papa congregati canonica cenſura & eccleſiaſtica auctoritate judicio ſancti Spiritus dampnamus, & irritum eſſe judicamus atque omnino quaſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat penitus excommunicamus.* Et hoc ideo dampnatum eſt quia in eo privilegio continetur, quod electus à clero & populo à nemine conſecretur niſi prius à rege inveſtiatur, quod eſt contra ſanctum Spiritum & canonicam inſtitutionem.

Perlecta vero hac Carta, acclamatum eſt ab univerſo Concilio, Amen. Amen. Fiat. Fiat. Archiepiſcopi qui cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt hii ſunt. *Johannes* patriarcha Veneticus. *Sennes* Capuanus. *Landulfus* Beneventanus. *Almaphitanus. Regitanus. Hidrontinus. Brundulſinus. Capſanus. Girontinus* & *Græci. Roſanus* & archiepiſcopus ſanctæ *Severinæ*. Epiſcopi quoque *Petrus* Portuenſis. *Leo* Hoſtienſis. *Cono* Præneſtinus. *Gerardus* Engoliſmus. *Galo* Leonenſis. Legatus pro *Bituricenſi* & *Vienenſi* archiepiſcopis. *Rogerus* Wulturnenſis. *Gaufridus* Senenſis. *Rollandus* Populienſis. *Gregorius* Terracinenſis. *Willielmus* Trojanus. *Gibinus* Siracuſanus, Legatus pro omnibus *Siculis*, & alii fere C. epiſcopi. *Signinus* & *Johannes* Tuſculani epiſcopi cum eſſent Romæ illa die Concilio non interfuerunt, qui poſtea lecta dampnatione pravilegii conſenſerunt & laudaverunnt. Hoc anno, ſcilicet M. Cxij. *Thomas* archiepiſcopus *Haguſtaldenſem* eccleſiam pene in ſolitudinem redactam, & in portionem cujuſdam præbendæ eccleſiæ *Eboracenſi* datam doluit. Hanc ut honeſtaret frequentia religioſorum Kalend. Novembris poſuit in ea canonicos regulares, quibus præfuit primus Prior *Aſchatillus* canonicus de *Huntedona*, vir omnibus amabilis. *Samſon Wigornenſis* epiſcopus iij. Non. Mai die Dominica obiit. Rex *Anglorum Henricus* Comitem *Rodbertum* de *Beleſmo* captum in *Keresburga* menſe Octobri in cuſtodia poſuit.

ANno M. Cxiij. monachi *Tironenſes* in *Angliam* venerunt x. annos antequam *Savinienſes* venerunt in *Angliam*. Monachi *Tironenſes* in terra *David* regis *Scotiæ* apud *Seleſchirche* venerunt, & ibi per annos xv. manſerunt. Civitas *Wigornia* cum principali eccleſia, & omnibus aliis, & caſtello xiij. Kal. Julii feria v. igne cremata eſt. De monachis unus monaſterio aptiſſimus cum duobus ſervientibus & xv. de civibus igne combuſti ſunt. Rex *Anglorum Henricus* menſe Julio *Angliam* rediit, & Comitem *Rodbertum* de *Beleſmo* de *Normannia* ductum apud **Werham** in artiſſima poſuit cuſtodia. *Teulfus* regis capellanus *Wigornenſem* epiſcopatum apud *Windeſſoram* ſuſcepit.

ANno M. Cxiiij. *Henrico Romanorum* Imperatori *Mathildis* filia regis *Anglorum Henrici* viij. Idus Januarii *Mogontia* deſponſata et in Imperatricem eſt conſecrata. *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus vir eximiæ religionis vj. Kal. Martii feria iij. obiit. Qui cum cæteris ſanctarum virtutum operibus, etiam in virginitatis puritate perrexit ad Dominum. Quanta vero morum probitate et vitæ innocentis puritate ante epiſcopatum et in epiſcopatu enituerit, nullis humanis verbis digne explicari poſſe arbitror. *Hroſenſis* epiſcopus *Radulfus* vj. Kal. Mai die Dominica ad archiepiſcopatum *Cantuarienſem* apud *Windelſſoram* eligitur. Civitas *Ciceſtra* cum principali monaſterio per culpam incuriæ iij. Non. Mai, feria iij. flammis aſſumpta eſt. *Turſtinus* regis capellanus ad *Eboracenſem* archiepiſcopatum die Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* eligitur *Wintoniæ*, et *Arnulfus* abbas de **Burh** ad *Hroſenſem* eccleſiam eligitur epiſcopus. Rex *Anglorum Henricus* poſtquam exercitum in *Waloniam* duxit, ante feſtivitatem ſancti *Michaelis* mare tranſiit. Fluvius **Medewage** vocatus per nonnulla miliaria vj. Idus Octobris ita à ſe defecit, ut in medio alveo ſui etiam parviſſimæ naves ob penuriam aquæ elabi aliquatenus minime poſſent. *Tamiſia* nihilominus illa die eidem defectui patuit. Nam inter pontem et regiam turrim ſub ponte etiam in tantum fluminis ipſius aqua diminuta eſt, ut non ſolum equis, ſed et innumera hominum et puerorum multitudo illud pedibus tranſvaderent, aqua vix genua eorum attingente. Duravit hic aquæ defectus à medio noctis præcedentis uſque in profundas tenebras noctis ſubſequentis. Similem quoque aquarum defectum ipſo die apud *Germuntham*, et in aliis locis per *Angliam* certo relatu contigiſſe didicimus.

ANno M. Cxv. Hoc anno hiemps extitit aſperrima, ita ut omnes fere per *Angliam* pontes glacie frangerentur. Imperator *Henricus* poſtquam *Coloniam* diu obſedit, et multos ſuorum campeſtri prælio perdidit, pacem apud civitatem miſſam juramento fecit. *Radulfus Dorubernenſis* archiepiſcopus ab *Anſelmo* ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ legato v. Kal. Julii die Dominica pallium ſuſcepit *Cantuariæ*, ubi fuere congregati epiſcopi totius *Angliæ*. Ipſoque die magno cum honore conſecratus eſt *Teoulfus Wigornenſis* eccleſiæ epiſcopus. *Wilfridus* epiſcopus de ſancto *David* in *VValonia* obiit. Uſque ad illum epiſcopi extiterunt *Brittonici*. In octavis apoſtolorum magnum Concilium à *Cono Romanæ* eccleſiæ

Cardinali *Catalaunis* celebratum eſt. In quo excommunicavit epiſcopos qui Concilio non interfuere, quoſdam vero degradavit, & plurimos abbates baculis privatos depoſuit de ſedibus, eccleſiaſticum illis interdicens officium. Rex *Anglorum Henricus* mediante Julio menſe *Angliam* rediit. *Turgotus* quondam *Dunelmenſis* eccleſiæ Prior, nunc autem epiſcopus *Scottorum*, rediens *Dunelmum* ibidem vitam finivit. *Bernardus* reginæ Cancellarius ad eccleſiam ſancti *David* in *Walonia* præſul eligitur. *Reinelmus Herefordenſis* epiſcopus circa feſtivitatem omnium Sanctorum obiit. Pro quo *Goffridus* regis capellanus eligitur. *Radulfus* archiepiſcopus *Cantuarienſis Arnulfum* abbatem de Burh ad *Hrofenſem*, & *Gaufridum* ad *Herefordenſem* eccleſiam die ſancti *Stephani* Martyris epiſcopos ordinavit in eccleſia *Chriſti Cantuaria*.

n.Dñi 1116. ANno M. C. xvi. *Griffinus* filius *Res* verno tempore *Walonia* prædam egit & caſtella incendit, quoniam rex Angliæ *Henricus* particulam de terra patris ſui ei dare noluit. Conventio optimatum & baronum totius *Anglia* apud *Searesberium* xiiij. kal. Aprilis facta eſt. Qui in præſentia regis *Henrici* homagium filio ſuo *Willielmo* fecerunt, & fidelitatem ei juraverunt. Habita eſt ibi cauſa de querela quæ inter archiepiſcopum Cantuarienſem *Radulfum* & electum pontificem *Eboracenſem Turſtinum* per integrum annum verſata fuerat. Hic electus cum ab ipſo pontifice moneretur, ut eccleſiæ *Cantuarienſi* faceret quod debebat, & benedictionem ſuam eccleſiaſtico more ſuſciperet, reſpondit, Benedictionem quidem ſe libenter ſuſcipere velle, ſed profeſſionem quam exigebat nulla ratione facturum præter quam beatus papa *Gregorius* conſtituit. Nam ipſe talem legem inter duos archiepiſcopos *Anglia* poſuit, ſed & *Honorius* papa vi. poſt eum ſimiliter, ut neuter alteri ſubjectionis profeſſionem faceret, niſi tantum ut qui prior ordinatus eſſet quandiu viveret prior haberetur: quod proprium eſt ſervorum dei, ut vera humilitate ſibi invicem acclives ſint, & nullus ſuper alium primatus ambitionem exercere velit, ſicut Dominus noſter veræ humilitatis prædicator & amator, diſcipulos ſuos de hac re litigantes redarguens, dixit eis, *Qui major eſt veſtrum erit omnium miniſter*. Nullus ſiquidem poſt beatum *Auguſtinum* (qui non tam archiepiſcopus quam apoſtolus Anglorum dicendus eſt) archiepiſcoporum *Cantuarienſium* primatum totius *Anglia* ſibi vendicare præſumpſit uſque ad *Theodorum* archipræſulem, cui propter ſingularem in eccleſiaſtica diſciplina ſollertiam omnes *Anglia* epiſcopi ſubici conſenſerunt, ſicut *Beda* in eccleſiaſtica hiſtoria *Anglorum* teſtatur, ita ſcribens de eo. *Is primus in archiepiſcopis cui omnes Britannia epiſcopi manus dare conſenſerunt*. Quamobrem *Turſtinus* nullam aliam ſubjectionis profeſſionem Cantuarienſi pontifici facere voluit, niſi quam beatus papa *Gregorius* inſtituit. Rex autem *Henricus* ubi advertit *Turſtinum* in ſua ſententia ſtare, aperte proteſtatus eſt, illum aut morem anteceſſorum ſuorum tam in profeſſione facienda quam in aliis dignitati eccleſiæ *Cantuarienſis* ex antiquo jure competentibus executurum, aut epiſcopatu *Eboracenſi* cum benedictione funditus cariturum. His auditis, ille ſui cordis conſilio inpræmeditatius credens, renunciavit pontificatui, ſpondens regi & archiepiſcopo ſe dum viveret illum non reclamaturum, nec aliquam calumpniam inde moturum quicunque ſubſtitutus fuiſſet. *Owinus* Rex *Brittonum* occiditur, & rex *Anglorum Henricus* mare tranſiit, comitante ſecum *Turſtino* electo *Eboracenſi* archiepiſcopo, ſperante ſe reveſtituram ſui pontificatus recuperaturum, & ex regio juſſu benedictionem ab archiepiſcopo ſine exactione profeſſionis adepturum. Circa menſem Auguſti reverſus à *Roma Anſelmus*, qui pallium archiepiſcopo Cantuariæ *Roma* detulerat, venit *Normanniam* ad Regem *Henricum* litteras Apoſtolici deferens, quæ illi vices apoſtolicas in *Anglia* amminiſtrare concedebant. Quod regno *Anglia* brevi innotuit. Unde communi conſilio reginæ & nobilium quorumlibet *Angliæ*, *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Radulfus* emenſa feſtivitate nativitatis ſanctæ *Mariæ* mare tranſiit, regem adiit, illumque *Rotomagi* conſiſtentem reperit, & cum ipſo de negotiis pro quibus venerat juxta rerum ordinem diligenter agens, ad conſilium ejus *Romani* itineris viam ingreditur.

ANno M. C. xvij. ſecundum regis *Henrici* præceptum apud *Cirenceſtram* novum opus eſt inceptum. Apud *Longobardiam* magno terræ motu facto, &, ut teſtati ſunt qui novere, xl. dierum ſpacio durante, plurima domorum ædificia corruere, & quod viſu dictuque conſtat mirabile, villa quædam pergrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, jamque ab omnibus in longe remoto conſiſtere cernitur loco. *Mediolani* dum patriciæ dignitatis viri de re publica tractantes ſub una reſiderent turri, auribus omnium vox foras inſonuit, unum ex illis nomine vocans, & feſtinato exire rogans. Quo tardante, perſona quædam coram apparuit, quæ vocatum virum ut egrederetur prece optinuit. Exeunte illo, turris repente cecidit, & omnes qui ibidem aderant caſu miſerabili oppreſſit. In kal. Decembris extiterunt nimia tonitura & fulgura: quæ ſecuta ſunt magna pluviarum inundatio & grandinis congelatio, & iij. idus Decembris luna quaſi ſanguinea & poſtea obtenebrata apparuit. *Rodbertus Ciſtrenſis* epiſcopus obiit, & *Gilebertus* abbas *Weſtmonaſterii*. An. Dñi 1117.

ANno M. C. xviij. ſacræ memoriæ *Paſchalis* papa xiiij. kal. Febr. defungitur, & loco ejus *Johannes* quidam *Caita* natus ſubſtituitur, & mutato nomine *Gelaſius* eſt nuncupatus. Hic in monaſterio montis *Caſſini* ab infantia monachus nutritus, & adultus in miniſterio venerabilium apoſtolicorum *Deſiderii*, *Urbani* & *Paſchalis* aſſiduus fuerat Cancellarii officio functus. Rex vero *Teutonicus*, qui & *Romanus* Imperator, audito papam huic vitæ deceſſiſſe, *Romam* advolat, & *Bracarenſem* epiſcopum jam anno præterito ab eodem papa *Beneventi* excommunicatum, cedente ab urbe *Gelaſio*, papam inſtituit, & ex *Burdino Gregorium* nominat. *Mahtildis* regina *Anglorum* apud Weſtmonaſterium kal. Maii obiit, & in ipſo monaſterio decenter ſepulta eſt. Comes de *Mellant Rodbertus* obiit. Plures *Normannorum* quam Regi *Henrico* juraverant fidelitatem poſtpoſuerunt, & ad regem *Francia Lodowicum* principeſque ejus adverſarios, ſcilicet ipſius naturalis domini ſui non veriti juſtitiam ſe tranſtulerunt. Præfatus papa *Gelaſius* per mare *Burgundiam* venit, & adventus ejus mox toti *Gallia* innotuit. Cujus in *Gallias* miſſa hæc eſt epiſtola. 1118.

Henricus I. Rex. Gelaſius *epiſcopus ſervorum dei ſervus venerabilibus fratribus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, clericis, principibus & cæteris per* Galliam *fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia vos Romanæ eccleſiæ membra eſtis, quæ in ea nuper acta ſunt dilectioni veſtræ ſignificare curavimus. Siquidem poſt electionem noſtram dominus Imperator furtive & inopinata velocitate* Romam *veniens, nos egredi compulit. Pacem poſtea minis & terroribus poſtulavit, dicens ſe facturum quæ poſſet ubi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos iſta reſpondimus. De controverſia quæ inter eccleſiam & regnum eſt, vel conventioni vel juſtitiæ libenter acquieſcimus loco & tempore competenti, videlicet vel* Mediolani *vel* Cremonæ *in proxima beati Lucæ feſtivitate, & fratrum noſtrorum judicio vel conſilio, qui à deo ſunt judices in eccleſia conſtituti, & ſine quibus hæc cauſa tractari non poteſt. Et quoniam dominus Imperator à nobis ſecuritatem quærit, nos verbo & ſcripto iſta promittimus, niſi ipſe interim impediat: alias enim ſecuritates promittere nec honeſtas eccleſiæ, nec conſuetudo eſt. Ille enim die videlicet poſt electionem noſtram quadrageſimo quarto* Bracarenſem *epiſcopum anno præterito à domino prædeceſſore noſtro* Paſchali *papa in Concilio* Beneventi *excommunicatum, in matris eccleſiæ invaſionem ingeſſit. Qui etiam dum per manus noſtras olim pallium accepiſſet, eidem domino noſtro & catholicis ſucceſſoribus ejus, quorum primus ego ſum, fidelitatem juravit. In hoc tanto facinore nullum de* Romano *clero, deo gratias, Imperator ſocium habuit. Sed* Guibertini *ſoli,* Romanus *de ſancto* Marcello, Centius *qui dicebatur ſancti* Griſogoni, *&* Euzo *qui per* Daciam *multo tempore debacchatus eſt, tam infamem gloriam celebrarunt. Veſtra igitur experientiæ litterarum præſentium præcepto mandamus, ut ſuper his communi per dei gratiam deliberatione tractantes, ad matris eccleſiæ ultionem communibus præſtante deo auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis, accingamini. Data* Caitæ *xvii. kal. Febr.*

His diſcurrentibus per provincias litteris, excitati potentes quique cum mediocribus occurrere Apoſtolico, & certatim parabant intereſſe concilio quod ipſe diſpoſuit ſe media Quadrageſima *Remis* celebraturum. Hoc anno eccleſia quædam in *Anglia* apud villam quæ vocatur *Momerfeld* à *Goffrido Herefordenſi* epiſcopo dedicata, omnes qui ad dedicationem venerant domum redibant. Verum poſt aeris ſerenitatem quæ prius extiterat nimia, repente cum tonitruo orta eſt tempeſtas nimia. Qua perculſi quidam in itinere, dum loco in quem venerant cedere non valerent, ſubſiſtebant. Erant numero 5. tres viri & duæ feminæ. Quarum una ictu fulmineo percuſſa occubuit, altera vero ab umbilico uſque veſtigia pedum miſere percuſſa & ignita decidit, viris duntaxat vix vitæ reſervatis. Quinque etiam caballi eorum fulmine perculſi interierunt.

An. Dñi 1119. ANno M. Cxix. *Gelaſius* papa apud *Cluniacum* obiit, ibidemque ſepelitur. In cujus locum Cardinales aliique *Romani* qui eum illuc ſecuti fuerant, *Guidonem Viennenſem* archiepiſcopum ſubſtituunt, eumque *Calixtum* nominant. Dumque in *Burgundia* hæc geruntur, apoſtolatus Romanæ eccleſiæ à ſupradicto *Gregorio* amminiſtratur. Super his duobus ita in papatum ſullimatis, orbis concuſſus in ſtudia partium dividitur, atque aliis hunc, aliis iſtum favore proſequentibus, gravi eccleſia ſcandalo percellitur. *Goffridus Herefordenſis* epiſcopus iiij. non. Febr. & *Herbertus Northwicenſis* xi. kal. Aug. obierunt. Terræ motus in pluribus locis per *Angliam* factus eſt iiij. kal. Octobris, die dominica circa horam diei tertiam. *Calixtus* papa xiij. kal. Novembris generale Concilium inſtituit *Remis*. Ad hoc Concilium multiplex factus eſt archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum & principum diverſarum provinciarum concurſus, cum clericorum ac laicorum plebium numeroſa multitudine. Numeratæ ſunt ibi perſonarum paſtoralium virgæ CCCC. xxiiij. Inter quos & *Turſtinus Eboracenſis* eccleſiæ archiepiſcopus electus, vix quandoque licentia à rege impetrata, propter ſuum proficiſcitur negotium. Præmiſerat autem rex legatum ſuum ad Apoſtolicum, quatinus inter alia & hoc ei diceretur, ne *Eboracenſem* electum aut ipſe conſecraret, aut ab alio niſi ab archiepiſcopo *Cantuarienſi*, uti moris eſſe ſolebat, ſacrari aut juberet aut permitteret. Ad hoc Apoſtolicus; *Ne putet*, inquit, *rex me de negotio de quo agit ſecus acturum quam ratio exigit. Nec enim me ad hoc mea fert voluntas, ut Cantuarienſis eccleſiæ juſtam dignitatem humiliem.* Sed mane facto dominici diei præcedentis diem præſtituti Concilii, *Turſtino* ad benedictionem pontificatus parato, legati *Cantuarienſis* archiepiſcopi præſumptuoſe calumpniati ſunt, conſecrationem *Eboracenſis* archiepiſcopi à *Cantuarienſi* debere fieri archipræſule. Ad quod Apoſtolicus; *Nullam*, inquit, *injuſtitiam eccleſiæ Cantuarienſi facere volumus, ſed ſalva illius dignitate, quod propoſuimus, exequemur.* Conſecratus eſt itaque ab apoſtolico. Poſtera die reſidentibus ordine in Concilio eccleſiaſticorum graduum perſonis, aſſidente quoque Rege *Francorum Ludowico* multiſque aliis principalibus viris, ex conſenſu cunctorum renovantur patrum ſtatuta de ſtatuendis, & reciſa de recidendis, quorum hic ſunt quinque capitula.

Quæ ſanctorum patrum ſanctionibus de pravitate ſymoniaca ſtabilita ſunt, nos quoque ſancti Spiritus judicio & auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit aut emerit vel per ſe vel per quamlibet ſummiſſam perſonam, epiſcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, presbyteratum, præpoſituram, præbendam, altaria vel quælibet eccleſiaſtica beneficia, promotiones, ordinationes, conſecrationes, dedicationes eccleſiarum, clericalem tonſuram, ſedes in choro, aut quælibet eccleſiaſtica officia, & vendens & emens dignitatis & officii ſui ac beneficii periculo ſubjaceat. Quod niſi reſipuerit, anathematis mucrone perfoſſus ab eccleſia dei quam læſit modis omnibus abſcidatur.

Epiſcopatuum, abbatiarum aut quarumlibet eccleſiaſticarum poſſeſſionum inveſtituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicunque igitur laicorum deinceps inveſtire præſumpſerit, anathematis ultioni ſubjaceat. Porro qui inveſtitus fuerit, honore quo inveſtitus eſt abſque ſpe recuperationis omnimodis careat.

Univerſas eccleſiarum poſſeſſiones quæ liberalitate regum, largitione principum vel oblatione quorumlibet fidelium eis conceſſæ ſunt, inconcuſſas in perpetuum & inviolatas eſſe decernimus. Quod ſi quis eas abſtulerit, aut invaſerit, aut poteſtate tyrannica detinuerit, juxta illud beati *Symmachi* capitulum anathemate perpetuo feriatur.

Nullus epiſcopus, nullus presbyter, nullus omnino de clero eccleſiaſticas dignitates vel beneficia cuilibet & quaſi jure hæreditario derelinquat. Illud etiam adicientes præcipimus, ut pro baptiſmatis, criſmatis, olei ſacri & ſepulturæ acceptione & infirmorum viſitatione vel unctione nullum omnino precium exigatur.

Presbyteris, diaconibus & ſubdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia prorſus interdicimus. Si qui autem hujuſmodi reperti fuerint, eccleſiaſticis & officiis priventur & beneficiis. Sane ſi neque [ſic] inmunditiam ſuam correxerint, communione careant Chriſtiana.

Hæc Concilii decreta Imperatori *Henrico* cum non longe abeſſet ex Concilio, primum per honeſtas perſonas, ad ultimum per ipſum Apoſtolicum mandantur, ut ante ſeparationem Concilii notum eſſet, utrum eccleſiis per regnum & ſingulas quaſque ſibi ſubjectas provincias conſentiat *Canonicas electiones*, videlicet ut epiſcopi & abbates eligantur ab eccleſia, & *liberas conſecrationes*, ut ubi & à quibus oporteat electi conſecrentur, & *inveſtituram eccleſiarum*, ut per inveſtituram paſtoralis virgæ & anuli per hoſtium Chriſtum ingrediantur, & *inveſtituram rerum eccleſiaſticarum*, ut de rebus ad eccleſias pertinentibus nichil omnino ſibi laicalis exigat perſona. Ad hæc ille reſpondit, nichil in his ſe prætermiſſurum quod ſui juris eſſe ſuorum ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus auctoritate generalis Concilii, tria illa priora conceſſit, ultimum vero, ſcilicet *inveſtituram rerum eccleſiaſticarum*, concedere noluit. Quapropter reverſo ad Concilium papa, excommunicatus decernitur. Quod cum quidam in Concilio ægre ferrent, ſententiam protulit Apoſtolicus, ut, qui in hoc ſcandalizentur, exeuntes à fratrum conſortio ſepararentur: propoſito de illis ſeptuaginta exemplo, qui cum de carne Domini manducanda & ſanguine bibendo ſcandalizarentur, retro abierunt, & jam cum illo non ambulabant. Et quoniam, inquit, qui non colligit cum Domino ſpargit, & qui non eſt cum eo adverſus illum eſt, illam inconſutilem tunicam deſuper contextam, ſcilicet ſanctam eccleſiam, qui nobiſcum ſentiendo indiſciſſam ſervare nolunt, diſſentiendo à nobis diſcindere contendunt. Talia ſermocinante Apoſtolico, illico omnes in eundem cum cæteris conſenſum reducti, in Imperatorem *Henricum* excommunicationis ſententiam jaculantur. Tandem poſt dies aliquot diſſoluto Concilio, offenſus rex *Anglorum* *Turſtino* archiepiſcopo, quod præter conſenſum ſuum ſe ab Apoſtolico conſecrari feciſſet, interdixit ei reditum in omnem ſuæ dominationis locum. Poſt hæc papa *Calixtus* *Giſortium* venit; quo ad ejus colloquium rex *Anglorum* occurrit. Acta ſunt multa inter illos, quorum gratia par erat tantas conveniſſe perſonas. Inter quæ rex à papa impetravit, ut omnes conſuetudines quas pater ſuus in *Normannia* & in *Anglia* habuerat ſibi concederet, & maxime ut neminem aliquando legati officio in *Anglia* fungi permitteret, ſi non ipſe, aliqua præcipua querela exigente quæ ab epiſcopis regni ſui terminari non poſſet, hoc fieri à papa poſtularet. Quibus omnibus pro ſtatu temporis definitis, papa rogat regem *Turſtino* amicum fieri, eumque pontificatui ad quem ipſum ſacraverat pro amore ſuo reſtitui. At rex hoc ſe dum viveret non facturum in ſua fide ſpopondiſſe confeſſus eſt. Ait. *Ego Apoſtolicus ſum, & ſi feceris quod poſtulo ab hac fidei ſponſione te abſolvam.* Tractabo de hoc ait, & quod conſilii mei tenor invenerit tibi notificabo. Hinc à papa receſſit. Cui per internuncios de negotio ita reſpondit. *Pro amore veſtro qui tantopere poſtulatis, ea conditione Turſtinum admitto in pontificatum, ut ſubjectionem quam prædeceſſores ejus fecerant, eccleſia Cantuarienſi faciat, aliter me regnante Eboracenſi eccleſia non præſidebit.* His ita geſtis abeunte Apoſtolico *Turſtinus* remanſit in *Gallia*. *Willielmus* filius Regis *Henrici* & *Mahtildis* reginæ accepit uxorem filiam Comitis *Andegavenſium*.

An. Dñi 1120.

ANno M. C. xx. Rex *Anglorum* *Henricus* & rex *Francorum* *Ludowicus*, poſt multa ſuarum partium detrimenta, die præſtituta ineunt colloquia. Quo ex conſenſu concordiæ peracto, juſſu regis *Henrici* filius ejus *Willielmus* facto regi *Francorum* hominio *Normannia* ſub illo ſuſcipit principatum. Ita redeuntibus in pacem regibus, tota tumultuantis *Normannia* ſeditio comprimitur, & qui contra dominum ſuum *Henricum* regem arma levaverant, curvata ſub ejus dominium cervice redeunt; & quoniam in concordia Regum facienda archiepiſcopus *Turſtinus* vigilantem ſe ac diligentem exhibuit, hac ſui efficacia proniorem ad ſeſe recipiendum regis animum inflexit. Ad hoc epiſtola apoſtolici ad regem jam parantem redire in *Angliam* directa, *Turſtinum* archiepiſcopum ſuſcipere & in ſuam præcepit eccleſiam omni poſtpoſita excuſatione reſtituere. Sed ad hoc præceptum quid potiſſimum reſpondeat rex diſtulit donec rediſſet in *Angliam*; ubi congregato Concilio quid facto opus eſſet, maturius perquireret. Normanniæ principes, jubente rege, filio ſuo *Willielmo* jam tunc xviij. annorum hominium faciunt, & fidelitatis ſecuritatem ſacramentis affirmant. Itaque rex omnibus qui contra ſe inſurrexerant vel devictis vel repacificatis, cunctiſque ad votum proſpere peractis, quinto profectionis ſuæ anno necdum completo, lætior ſolito, in *Angliam* multo [navigio] revehitur. Delegaverat autem filio cunctoque illius comitatui navem qua nulla in tota claſſe videbatur melior, ſed ut eventus oſtendit, nulla infelicior. Patre namque præeunte, paulo tardius ſed infelicius ſequebatur filius. Nave quippe non longe à terra in ipſo velificationis impetu ſuper ſcopulos in ipſo exitu delata ac diſſoluta, filius regis cum omnibus qui ſecum erant interiit vi. kal. Decembris, feria v. noctis initio apud *Barbafflot*. Mane facto, theſaurus regis qui in navi fuerat invenitur per harenas, corpora vero pereuntium nulla. Perierunt cum filio regis frater ſuus *Ricardus* nothus Comes, cum filia Regis quæ fuerat uxor *Rotronis*, & *Ricardus* Comes *Ceſtrenſis* cum uxore ſua nepte Regis, ſorore *Theobaldi* Comitis nepotis regis. Periit & *Othoel* magiſter filii regis, & *Goffridus Ridel*, & *Rodbertus Malduit* & *Willielmus Bigot*, multique alii principales viri. Nobiles quoque feminæ quamplures cum regiis pueris non paucis, militaris numeri C. xl. & nautarum L. cum tribus gubernatoribus navis. Solus quidam macellarius tabula naufragii pendens evaſit. Rex vero proſpero curſu *Angliam* attingens, alium portum intraſſe putabat filium, ſed die tertio de illius interitu triſti perturbatur nuncio. Et quidem primo ſubito caſu veluti puſillanimis deficiebat; ſed mox diſſimulato dolore, regios animos ex contemptu reſumpſit fortunæ. Illum quippe ſolum ex legitimo conjugio ſuſceptum regni poſt ſe hæredem conſtituerat.

Henricus I. Rex. An. Dñi 1121.

ANno M. Cxxj. Concilio totius *Anglia* ante purificationem ſanctæ *Maria* apud *Windereſoram* adunato, *Henricus* rex filiam *Godefridi* Ducis *Luvania Adelinam* matrimonio ſibi junxit. *Ricardus* capellanus regis ad *Herefordenſis*, & *Rodbertus Peccator* alius capellanus ad *Coventrenſis* eccleſiæ præſulatum eligitur. *Herbertus* elemoſynarius *Weſtmonaſterii* ſancti *Petri* [in abbatem] ejuſdem loci eligitur. *Edmerus* Cantuarienſis eccleſiæ monachus præcedenti anno electus ad epiſcopatum eccleſiæ ſancti *Andrea* gentis *Scottorum*, depoſita intentione regendi epiſcopatum, revertitur ad locum ſuum. *Guilielmus* de *Campellis Catalawenſis* epiſcopus viij. diebus ante exitum ſuſcepto habitu monachico vita decedit xv. Kal. Februarij. Eodem anno *Henricus* rex facto longa terræ interciſione foſſato à **Torkeſeie** uſque *Lincolniam* per dirivationem *Trentæ* fluminis fecit iter navium. *Ranulfus Dunelmenſis* epiſcopus murum incepit à boreali parte cancelli eccleſiæ, & perduxit ad arcem uſque caſtelli. Tunc & caſtellum apud **Norham** incepit, ſuper ripam *Twedæ*, in loco qui *Ethamesforda* dicitur.

Monachi *Dunelmenſes* facta de eccleſia quæ eſt in *Tynemutha* proclamatione in capitulo ſancti *Petri Eboraci* præſentibus epiſcopis *Turſtino* prædicto, *Ranulfo Dunelmenſi* & *Homo* ſancti *Ebroini* aliiſque multis, hanc ſui juris fuiſſe conqueſti ſunt ex conceſſione *Waltheofi* Comitis, quando conſobrinum ſuum, ſcilicet materteræ ſuæ filium, *Morkarum* puerum parvulum eis ad nutriendum Deo in *Gyrwenſi* monaſterio contradidit. Quem ſic eis in ipſa eccleſia de *Tynemutha* commendatum, inde ad *Gyruum* navigio ipſi monachi perducentes, diligenter nutrire, & in Dei ſervicium educare ſtuduerunt. Ab hoc, inquiunt, tempore noſtri fratres monachi *Gyrwenſes* curam illius loci ſuſceptam geſſerunt, *Edmundo* ac poſtmodum *Eadredo* monachis illorum ipſi eccleſiæ deſervientibus cum preſbytero *Elwaldo*, qui & Canonicus *Dunelmenſis* eccleſiæ fuerat, unde & ad *Dunelmum* quotiens ſuæ vicis ebdomada imminebat, ad celebrandas per ebdomadam miſſas tranſire conſueverat. *Wlmarum* quoque noſtræ congregationis monachum alioſque per vices fratres qui ibidem officia divina peragerent, illuc de *Girwa* tranſmiſſos meminimus. Oſſa ſancti *Oſwini* etiam ut placuit pro tempore ad ſe in *Giruum* fratres noſtri tranſtulerunt, indeque in priorem locum cum voluerunt reportarunt. Poſtremo cum *Albrius* honorem comitatus ſuſcepiſſet, ipſe quoque nobis in *Dunelmum* tranſlatis, eundem locum donavit. Unde mox ex capituli totius ſententia monachus noſter *Turchillus* illuc mittitur, qui renovato eccleſiæ ipſius culmine, per multum tempus habitavit ibidem, donec poſtea à *Rodberto* de *Mulbreio* Comite, propter odium quod contra epiſcopum *Willielmum* habuerat, per miniſtros ipſius Comitis *Gumerum* & *Rodbertum Taca* violenter expelleretur. Non multo poſt abbas monaſterii ſancti *Albani Paulus* prædictam eccleſiam à Comite impetravit, quam viſurus cum veniſſet *Eboracum*, *Turgotus* qui tunc *Dunelmenſis* eccleſiæ prioratum gerebat, miſſis illuc monachis & clericis, in præſentia archiepiſcopi *Thoma* ſenioris, multarumque magnæ reverentiæ perſonarum, canonica illum auctoritate prohibuit, ne locum juris eccleſiæ *Dunelmenſis* ſibi uſurparet, & ſic ſacrorum canonum & fraternæ caritatis violator exiſteret. At ille indigna reſpondens, illud prohibitum nichili pendit. Sed cum illo perveniſſet, correptus infirmitate, dum rediret, non longe ab *Eboraco* in **Seterintun** vitam terminavit. Taliter eccleſiam de *Tinemutha* amiſimus.

Hæc querimonia facta *Eboraci* media ferme Quadrageſima, replicatur paulo poſt in ebdomada paſchali feria iv. idus Aprilis *Dunelmi* coram magno conventu principalium virorum, qui tunc forte propter negotia quædam illuc confluxerunt, ſcilicet *Rodbertus* de *Brys*, *Alanus* de *Perceio*, *VValterus Eſpec*, *Forno* filius *Sig:* *Rodbertus* de *VVitnila*. *Odardus* vicecomes *Northymbrenſium* cum majoribus ejuſdem comitatus, aliique quamplures. Coram horum frequentia cum ſuas monachi depromerent querelas, ecce *Harnoldus* de *Perceio*, vir genere & divitiis notus, & in veritate aſſerenda conſtans, exurgens, in teſtimonium veritatis affirmabat coram omnibus, & audiſſe ſe & vidiſſe Comitis pœnitentiam ſuper hanc injuriam quam ſancto *Cuthberto* violenter irrogaverat. Cum, inquit, captus Comes in loco quem ſancto *Cuthberto* abſtulerat, propter inflicta ſibi vulnera in feretro delatus eſſet *Dunelmum*, rogavit ut ſibi liceret ad orandum eccleſiam intrare. Quod cum ſibi à baronibus non permitteretur, in lacrimas reſolutus, & ad eccleſiam reſpiciens cum gemitu, ait. *O ſancte* Cuthberte, *juſte has calamitates patior, quia in te & in tuos peccavi. Hac eſt tua ſuper meam vita nequitiam vindicta. Precor te ſancte Dei miſerere mei.* His auditis, omnes injuſte actum eſſe contra *Dunelmenſem* eccleſiam dicebant: & licet res in præſenti corrigi nequiverit, tamen prudenter hanc calumpniam pro futuro tempore coram tot virorum frequentia factam aſſerebant.

Epiſtola *Calixti* papæ ſuper *Turſtinum* directa ad regem *Henricum* & *Radulfum Cantuarienſem* archiepiſcopum, ipſi epiſcopale atque ſacerdotale interdicit officium, & tam in matrice *Cantuarienſi* quam *Eboracenſi* eccleſiis cum ſuis parochiis, divina omnia officia celebrari, cum ſepultura mortuorum prohibet, præter baptiſma infantum & pœnitentias morientium, niſi infra unum menſem poſt acceptionem ipſius epiſtolæ *Turſtinus* ſine exactione profeſſionis in ſuam reſtituatur eccleſiam Quare à rege revocatus in *Angliam*, mox in ſuum reducitur archiepiſcopatum.

Hoc anno peracto paſchali feſto *Calixtus* papa cum multa manu ab urbe digreſſus tamdiu *Sutrinam* civitatem obſedit, donec & *Burdinum* & locum ipſum cepiſſet: ſic epiſtola ſubdita planius edocet.

Calixtus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis fratribus & filiis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, & cæteris tam clericis quam laicis beati* Petri *fidelibus per* Gallias *conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia derelinquit populus Domini legem ejus & in judiciis ejus non ambulat, viſitat Dominus in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Paterne tamen conſervans viſcera pietatis, de ſua confidentes miſericordia non relinquit. Diu ſiquidem peccatis exigentibus per illud* Teutonicorum *regis idolum,* Burdinum *videlicet, fideles eccleſiæ conturbati ſunt, & alii quidem capti, alii uſque ad mortem carceris maceratione afflicti ſunt. Nuper autem feſtis paſchalibus celebratis, cum peregrinorum & pauperum* *clamores nos ferre penitus non poſſemus, cum eccleſiæ fidelibus ab urbe digreſſi ſumus, & tamdiu* Sutrinam *civitatem obſedimus, donec divina potentia & ſupradictum eccleſiæ inimicum* Burdinum *qui diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipſum in noſtram omnino tradidit poteſtatem. Rogamus itaque caritatem veſtram, ut pro tantis beneficiis una nobiſcum regi regum gratias referatis, & in catholicæ matris eccleſiæ obedientia & ſervitio conſtantiſſime maneatis, retributionem debitam in præſenti & in futuro ab omnipotente Domino per ejus gratiam recepturi. Rogamus etiam ut has litteras noſtras alter alteri præſentari, omni remota negligentia, faciatis. Data* Sutrii *vj. Kal. Mai.*

Uxor quondam *Willielmi* ſummerſi filii regis *Henrici* filia *Fulconis* Comitis *Andegavenſis*, rogante patre, remittitur patriam à Rege. Filii regis *Walanorum* audita ſummerſione *Ricardi* Comitis *Ceſtrenſis*, incenſis duobus caſtellis multiſque interfectis, quædam in illo comitatu loca graviter depopulati ſunt. Unde rex indignatus de tota *Anglia* producto exercitu infinito ad devaſtandam *Waloniam* intendit, ſed cum ad *Snawedun* perveniſſet, rex *Walanorum* muneribus & obſidibus petitis regi *Anglorum* placato reconciliatur, moxque exercitus domum remittitur.

An. Dñi 1122.

ANno M. Cxxij. in vigilia natalis Domini ventus validus & inſolitus non ſolum domos, ſed etiam turres dejecit lapideas. *Turſtinus* archiepiſcopus exigens à *Johanne Glaſguenſi* epiſcopo profeſſionem & ſubjectionem; cum hoc ille facere nollet, eum ſuſpendit ab officio epiſcopali. Mox ille *Romam* proficiſcitur, ubi cum ſeſe in cauſa ſua non videret procedere, *Jeroſolymam* profectus, per aliquot ibidem menſes benigno patriarchæ hoſpitio demoratur, ejuſque ſæpius vices in pontificiali miniſterio exequitur.

Abbas *Cluniacenſis Pontius*, qui divinitus ad regimen monaſterii eſt aſſumptus, vir ut fertur optimæ converſationis, à ſibi commiſſa congregatione criminatus apud apoſtolicum *Calixtum* libentiſſime accepit ab illo regimine deponi: ordinato autem in ejus locum alio abbate, ilico ſeſe ultro expurgans ſacramento, ante ſacrum corpus beati *Petri* accuſatores falſa ſibi objeciſſe convicit. Graviter tulit Apoſtolicus tantum virum inconſulte ſine culpa depoſitum, moxque præcepit, ut ſua auctoritate recepta ad priſtinum monaſterii ſui regimen reverteretur. At ille reſpondit, ipſam mortem ſe malle eligere quam *Cluniacenſis* monaſterii curam repetere. Hinc dolente etiam Apoſtolico *Jeroſolimam* profectus, honorifice magno cunctorum gaudio excipitur: ubi ſupra portam quæ dicitur *Aurea*, ſibi faciens manſionem, ſecretam in divina contemplatione gaudet ducere vitam. Porro qui pro eo fuerat abbas ſurrogatus, non multo poſt ut *Cluniacum* venit mortuus eſt. *Pontius* vero legatariis & litteris ab Apoſtolico miſſis jubetur redire ad gubernationem monaſterii ſui. Sed nullo modo à ſua ſingulari poterat abſtrahi converſatione. *Sibilla* regina *Scottorum* filia *Henrici* regis ſubita morte decedit iv. idus Julii.

Calixtus papa & *Henricus* imperator diſcurrentibus inter illos maturis & fidelibus viris, poſt longas diſſenſiones & rerum detrimenta in pacem & concordiam redierunt, Sicut literæ per regna & provincias directæ conteſtantur; quarum exemplaria hic in præſenti ſubduntur.

Ego Calixtus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, tibi dilecto filio* Henrico *Dei gratia* Romanorum *Imperatori Auguſto concedo electiones epiſcoporum & abbatum* Teutonici *regni qui ad regnum pertinent in præſentia tua fieri abſque ſymonia & omni violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & provincialium judicio vel conſilio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia à te accipiat, & quæ ex his jure tibi debet faciat. Ex aliis vero partibus imperii conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat, & quæ ex his jure tibi debet faciat, exceptis omnibus quæ ad eccleſiam* Romanam *pertinere noſcuntur. De quibus vero querimoniam mihi feceris & auxilium poſtulaveris, ſecundum officii mei debitum auxilium præſtabo. Do tibi veram pacem & omnibus qui in parte tua ſunt vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ego Henricus *Dei gratia* Romanorum *Imperator Auguſtus pro amore Dei & ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ & domni* Calixti *papæ, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis Dei apoſtolis* Petro *&* Paulo *ſanctæque catholicæ eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus eccleſiis quæ in regno vel imperio meo ſunt canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati* Petri *quæ à principio hujus diſcordiæ uſque hodiernam diem ſive tempore patris mei ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ eccleſiæ* Romanæ *reſtituo, Quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter juvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum & principum & aliorum tam clericorum quam laicorum quæ in werra iſta amiſſa ſunt, conſilio principum vel juſtitia, quæ habeo reddam, quæ non habeo ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem domno papæ* Calixto *& ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus ſancta* Romana *eccleſia auxilium poſtulaverit fideliter juvabo. Et de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam ſibi juſtitiam faciam.* Hæc omnia acta ſunt conſenſu & conſilio principum quorum nomina ſubſcripta ſunt. *Alberti* Moguntienſis archiepiſcopi. *Frederici* Colonienſis archiepiſcopi. *Brunonis* Treverenſis archiepiſcopi. *Arduini* Ratiſbonenſis epiſcopi. *Ottonis* Bavemburgenſis epiſcopi. *Brunonis* Spirenſis epiſcopi, & aliæ multæ eccleſiaſticæ perſonæ ac ſeculares.

Hac concordia per gentes & populos ubique divulgata, mittuntur etiam litteræ ab Apoſtolico omnibus archiepiſcopis epiſcopis per regiones & provincias, ut omni excuſatione poſtpoſita feſtinent occurrere ad Concilium quod domnus Apoſtolicus *Romæ* celebraturus erat xv. Kal. Aprilis.

Hoc anno rex *Henricus* poſt feſtum ſancti *Michaelis Northymbranas* intrans regiones ab *Eboraco* divertit verſus mare occidentale, conſideraturus civitatem antiquam quæ lingua *Brittonum Cairleil* dicitur, quæ nunc **Carleol** Anglice, latine vero *Lugubalia* appellatur, quam data pecunia caſtello & turribus præcepit muniri. Hinc rediens *Eboracum*, poſt graves civium & conprovincialium inplacitationes reverſus eſt *Suthymbriam*. *Radulfus Cantuarienſis* archiepiſcopus obiit xiij. Kal. Octobris.

An. Dñi 1123.

ANno M.Cxxiij. *Stephanus* Comes *Bononicenſis*, poſtea rex *Anglia*, dedit abbati *Gaufrido Savinnienſi* villam ſcilicet **Tulket** in provincia quæ vocatur **Agmundernes** ſuper ripam fluminis *Ribble* ad abbatiam conſtruendam ordinis ſui, tempore *Calixti* papæ ; & ibi fere per tres annos permanſerunt. Rex **Jeruſalem** *Baldewinus* ſecundus apud *Antiochiam* dolo à paganis capitur, & tribus fere annis tenetur ſub cuſtodia. Comes *Andegavenſium Fulco* repoſcit à Rege *Anglorum Henrico* terras, urbes & caſtella quæ in dotem fuerant data filiæ ipſius Comitis quando eam filius regis, qui jam ſummerſus eſt, acceperat uxorem. Quod cum rex non libenter annueret, aliam filiam ſuam dedit uxorem *Willielmo* filio *Rodberti* Comitis *Normannorum* fratris regis, promittens juveni auxilium, ut quacumque in parte paterni honoris fieret hæres. Rex autem ne quid adverſi ex hoc ſibi pararetur, habito cum ſuis apud **Wudeſtoc** quod Latine dicitur ſilvarum locus conſilio, filium ſuum nothum *Rodbertum* & Comitem *Ceſtrenſem Ranulfum* cum multa militari manu tranſmiſit in *Normanniam* propter locorum cuſtodias.

Johannes Bathonienſis epiſcopus in die natalis Domini ſubito poſt prandium dolore cordis correptus ſequenti die moritur. Non multo poſt, id eſt tertio die poſt Epiphaniam, *Rodbertus Bloet Lincolnienſis* epiſcopus cum ſeorſum à cæteris rex & ipſe incolumis equitantes colloquerentur conſilio, ſubito quaſi moriens decidit equo. Quem cadentem dum Rex exciperet, undique accurritur, & epiſcopus jam nichil loqui prævalens, ad hoſpitium deportatus poſtera die moritur.

Deinde cum apud *Glawornam* in purificatione ſanctæ *Maria* Curiam ſuam rex teneret, ex præcepto regis initur à majoribus *Anglia* conſilium de conſtituendo ad eccleſiam *Cantuarienſem* archiepiſcopo. Sed cum ad hanc diverſas diverſi perſonas eligerent, diſſenſio innexuit moram electioni. Prior namque *Cantuarienſis* eccleſiæ cum honeſtioribus perſonis aderat qui electionem eccleſiæ ſuper quaſdam ex ordine monachico perſonas conveniſſe nunciabant, quarum quæcumque regi & ejus conſilio placeret, eam eccleſiæ præfici poſtulabant. At epiſcopis totius *Anglia*, qui omnes fuerant ex clericali ordine, reclamantibus nolle ſe monachum habere primatem, cum æque probos & idoneos ad eccleſiaſticum regimen haberent clericos : reſponderunt legati *Cantuarienſium*. A tempore, inquiunt, ſancti *Auguſtini*, qui utique monachus hujus eccleſiæ primus fuerat præſul, ad regimen illius uſque in præſens ſemper monachi eligebantur pontifices. Deinceps quoque annuente Deo conſuetudo ſervabitur antiqua. Sed rege favente epiſcopis ut non monachi eligerentur, quatuor clerici proponuntur in medio, ut in quemcunque illorum electio *Cantuarienſium* conveniat, is ex præcepto Regis ad archiepiſcopatum aſcendat. Ergo quoniam antiquum electionis morem eis ſervare non licuit, neceſſitate impellente ad unum illorum quatuor clericorum ſe conferunt, ſcilicet *Willielmum* de *Curbellio*, quem modeſtæ vitæ virum ac litteris bene eruditum familiarem habuerant, utpote cum venerandæ memoriæ archiepiſcopo *Anſelmo* ſæpiſſime ac familiariter converſatum. Fuerat autem primo *Dunelmenſis* eccleſiæ epiſcopi *Rannulfi* clericus, poſtea meliorandæ vitæ gratia apud **Cice** regularis Canonicus effectus, tandem ad archiepiſcopatum promovetur. Electus eſt itaque à monachis, cui dum *Turſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus ſecundum conſuetudinem offerret ut eum ipſe ordinaret ; *Si me*, inquit, *ut primatem totius* Angliæ *volueris ordinare, libenter me manibus veſtris inclinabo, ſin autem, inconſulte contra morem antiquum nolo ordinari.* Qui non multo poſt, id eſt 5 Kal. Marcii, jubente rege conſecratus eſt *Cantuariæ* à ſuis ſuffraganeis. Statimque poſtea tam ipſe quam *Turſtinus* Romam proficiſcuntur, quiſque pro ſua cauſa acturus. Rex autem miſit *Bernardum* epiſcopum de ſancto *David*, & abbatem monaſterii ſancti *Eadmundi Anſelmum* nepotem *Anſelmi* archiepiſcopi & *Polochinum* abbatem *Glaſtonienſem* fratrem *Radulfi* archiepiſcopi cum *Willielmo* archiepiſcopo, & in ſua legatione ad Apoſtolicum, & ut ipſius archiepiſcopi ſi quid adverſi oboriretur parti adeſſent. Interea *Johannes Glaſguenſis* epiſcopus ab Apoſtolico revocatus ab *Jeroſolymis Romam*, præcipitur redire ad ſuum epiſcopatum. *Godefridus* capellanus reginæ qui cum illa de *Teutonia* venerat in *Angliam*, à rege *Henrico* eligitur epiſcopus ad eccleſiam *Bathonienſem*, & *Alexander* nepos *Rogeri Saleſberienſis* epiſcopi ad *Lincolnienſem* eccleſiam.

Celebratum eſt *Romæ* Concilium CCC. epiſcoporum xv. Kal. Aprilis, præſidente papa *Calixto* ſecundo. Renovata ſunt ibi ſtatuta majorum de agendis & prohibendis : Quorum capitula ſcire volentibus ſubſcripta inveniuntur.

Sanctorum patrum exempla ſequentes, & officii noſtri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in eccleſia Dei vel promoveri auctoritate ſedis apoſtolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis vero in eccleſia ordinationem vel promotionem taliter adquiſierit, acquiſita careat prorſus dignitate.

A ſuis epiſcopis excommunicatos, ab aliis epiſcopis, abbatibus & clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.

Nullus in epiſcopum niſi canonice electum conſecret, quod etſi præſumptum fuerit, & conſecratus & conſecrator abſque recuperationis ſpe deponatur.

Nullus omnino archidiaconus aut archipresbyter ſive præpoſitus vel decanus, animarum curam vel præbendas eccleſiæ ſine judicio vel conſenſu epiſcopi alicui tribuat. Immo ſicut ſanctis canonibus conſtitutum eſt, animarum cura & rerum eccleſiaſticarum diſpenſatio in epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hoc facere, aut poteſtatem quæ ad epiſcopum pertinet ſibi vendicare præſumpſerit, ab eccleſiæ liminibus arceatur.

Ordinationes quæ à *Burdino* hæreſiarcha poſtquam à *Romana* eccleſia eſt dampnatus, Quæque etiam à ſeudo-epiſcopis per eum poſtea ordinatis factæ ſunt, nos eſſe irritas judicamus. Nullus etiam in præpoſitum, nullus in archipresbyterum, nullus in decanum niſi presbyter, nullus in archidiaconum niſi diaconus ordinetur.

Presbyteris, diaconibus & ſubdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem præter quas *Nicena* ſynodus propter ſolas neceſſitudines habitare permiſit, videlicet matrem, ſororem, amitam vel materteram, aut alias hujuſmodi, de quibus nulla juſte valeat otiri ſuſpicio.

Præterea juxta beatiſſimi papæ *Stephani* ſanctionem ſtatuimus, ut laici quamvis religioſi ſint nullam tamen de eccleſiaſticis rebus aliquid diſponendi habeant facultatem; ſed ſecundum apoſtolorum canones omnium eccleſiaſticorum negotiorum curam epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet. Si quis ergo principum vel aliorum laicorum diſpoſitionem ſeu donationem rerum ſive poſſeſſionum eccleſiaſticarum ſibi vendicaverit, ut ſacrilegus judicetur.

Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & divinæ & ſeculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes & eos qui ex eis prodeunt non ſolum eiciunt, ſed etiam maledictos appellant. Leges vero ſeculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos itaque patres noſtros ſequentes infamia eos notamus, & infames eſſe cenſemus.

Eis qui *Jeroſolimam* proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam & tirannidem infidelium deſtruendam efficaciter auxilium ſuum præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, familias atque omnia bona eorum in beati *Petri* & *Romanæ* eccleſiæ protectionem ſicut à domino noſtro *Urbano* papa ſtatutum fuit ſuſcipimus. Quicunque ergo ea diſtrahere vel auferre quamdiu in via illa morantur præſumpſerint, excommunicationis ultione plectantur. Eos autem qui vel pro *Jeroſolimitano*, vel pro *Hiſpanico* itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur & poſtea dimiſiſſe, cruces iterate aſſumere & viam inſtanti Paſcha uſque ad proximum ſequens Paſcha perficere apoſtolica auctoritate præcipimus, alioquin ex tunc eos ab eccleſiæ introitu ſequeſtramus, & in omnibus terris eorum divina officia, præter infantium baptiſma & morientium pœnitentias, interdicimus.

Quicunque monetam falſam ſe ſciente fecerit aut ſtudioſe expenderit, tanquam maledictus & pauperum oppreſſor virorum & turbator civitatis à fidelium conſortio ſeperetur.

Si quis Romipetas & peregrinos apoſtolorum limina & aliorum ſanctorum oratoria viſitantes capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare, & mercatores novis teloneorum & pedaticorum exactionibus moleſtare temptaverit, donec ſatisfecerit communione careat Chriſtiana.

His ſynodalibus decretis ſubſcriptis & confirmatis, Imperatorem *Henricum* per legatos ſuos & ſcripta, ſecundum præmiſſum ſcriptorum tenorem promittentem ſe ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ juſta ſervaturum, generalis Concilii ſententia ab excommunicationis abſolvit vinculo, quo in *Remenſi* Concilio fuerat ligatus.

Peracto Concilio, memorati duo *Anglorum* archiepiſcopi ingrediuntur *Romam*. Sed *Eboracenſis* prævenit *Cantuarienſem*. Paucis poſt diebus *Cantuarienſis* ſuperveniens difficilem ad pallii impetrationem habuit acceſſum, impeditus ex his quæ ſibi ibidem oppoſita fuerant; ſcilicet, Quod in curia quæ à cruore dicitur, ibi enim ſanguinum judicia fiunt, ſit electus; Quod non communi conſenſu eccleſiæ *Cantuarienſis* ſit ad ejus regimen promotus; Quod ſe ab *Eboracenſi* archiepiſcopo *Turſtino*, ſicut mos antiquus exigebat, non paſſus ſit ordinari; Quod primus ex ordine clericali monachis ejuſdem eccleſiæ conſenſerit præponi; *Auguſtinus* enim monachus omnes ſuos ſucceſſores uſque ipſum *Willielmum* habuit monachos. Sed his objectionibus tandem gratia Imperatoris præfati & *Henrici* regis *Anglorum*, qui per legatos ſuos ſtrenui interceſſores erant, repreſſis, ſuſcepto ſollempniter pallio querebatur in audientia totius Senatus *Romanæ* eccleſiæ, *Cantuarienſem* eccleſiam à ſua dignitate per ſurreptionem archiepiſcopi *Eboracenſis* degeneratam, quæ à primo ejuſdem epiſcopo *Auguſtino* uſque ad *Radulfum* qui ante ipſum *Willielmum* fuerat, totius *Angliæ* primatum gerebat, quem nunc obnixe orabat eccleſiæ, cui & antiqua conſuetudo & ſervata per tot annos privilegiorum auctoritas hunc conceſſerat. Ad hoc *Turſtinus* ex conſulto reſpondit, ſe ad Concilium licet occurrere non potuerit *Romam* evocatum, nec tunc congruenter poſſe reſpondere, ad quod non fuerat ſummonitus, præſertim cum *Eboracenſis* eccleſiæ ibidem privilegia ſecum non haberet, ſine quibus ratio non permitteret diſceptandi inde ſuſcipere negotium. Quapropter infectis negotiis utrique redeunt domum, quos ex juſſu domini papæ legati *Romanæ* eccleſiæ ſecuturi eſſent in *Angliam*; quibus præſentibus congregato totius *Angliæ* Concilio, memoratis archiepiſcopis eccleſiarum ſuarum privilegia propalantibus, ſua utrique parti decernente juſtitia reformarentur jura. *Willielmus* electum *Lincolnienſis* eccleſiæ *Alexandrum* & electum *Bathonienſis Godefridum* conſecravit *Cantuariæ*. Rex *Henricus* hoc anno proxima poſt Dominicam Pentecoſtes ij. feria tranſfretavit in *Normanniam*, ut ſi quid adverſi per *Willielmum* fratris ſui filium oboriretur, ſicut jam futurum ei nunciabatur, ipſe regia reprimeret virtute. Interjectis autem non omnino iv. menſibus *Galerannus* Comes de *Mellant* & ſui omnes, relicto rege, caſtella ſua munientes ea contra regem tenuerunt. Rex vero convocato exercitu, oppido Comitis quod *Brionna* vocatur combuſto turrem ſolam quam capere non valuit relinquens, aliud ejus oppidum, ſcilicet *pontem Audomari* quod vulgo vocatur *Puntaldemer*, flammis combuſſit, omnibus in circuitu per xx. & eo amplius miliaria vaſtatis & incenſis, ut hoſtes quid mali facerent non invenirent. Caſtellum autem illius oppidi ſepties viginti milites per vij. ebdomadas obſeſſi contra regis exercitum defenderunt. Videns autem rex ſe non ut diſpoſuerat proficere, ligneam turrim quam *Berfreit* vocant erexit. Qua ad caſtellum arte deducta, deſuper præliatores ſagittas & ingentes lapidum moles ſuper incluſos jaciebant. Altitudine xxiv. pedum ſuper murum præſidii eminebat machina, unde ſagittarii & alabaſtarii præliabantur. Obſeſſi non valentes ulterius ferre vires deſuper pugnantium, deditione facta exierunt: quos rex quemque quo voluit abire permiſit. Milites vero quos rex de *minori Britannia* conduxerat, incenſo oppido prædicto terram ſuffodientes, invenerunt in ciſtis multa quæ cives prævidentes periculum in ſubterraneis recondiderant, aurum, argentum, veſtes precioſas, pallia, piper, gingiberum, & alia hujuſmodi. Quæ univerſa ſibi tollentes abierunt. Habitatores autem illius oppidi reconciliato ſibi rege, cum jam ruinas oppidi cœpiſſent reædificare, Comes præfatus ſubito quicquid fuerat igne injecto in favillas vertit. Præter ſupradictos & alii procerum nonnulli diſcedentes à Rege ſuas munitiones contra illum ope firmiori & numero pugnatorum inſtaurant. Quarum quaſdam rex vi aggrediens recepit, quaſ-

Henricus I. Rex. dam vero velut inexpugnabiles reliquit. Crebras irruptiones à *Willielmo* ſui fratris filio ſuſtinuit, qui plus *Fulconis Andegavenſium* Comitis ſoceri ſui viribus nitebatur quam propriis. Rex autem magis ſuorum ſuſpectus eſt proditionem, quam extraneorum expavit incurſus. Ob iſtiuſmodi diſſenſiones & rerum difficultates, gravibus *Anglia* eſt attrita exactionibus pecuniarum, quæ ad negotia regis peragenda omni populo indicebantur. *Teodulfus Wigornenſis* epiſcopus, & *Radulfus Ciceſtrenſis* epiſcopus obierunt. Habitum eſt Concilium apud *Bituricas* v. Idus Decembris.

An. Dñi 1124. ANno M. Cxxiiij. *Alexander* rex *Scottorum* obiit vj. Kal. Mai, cum regnaſſet xviij. annis, & tribus menſibus. Cui frater ejus *David* ſuccedens, regnum quod frater ſuus laborioſiſſime tenuit, mox ille ſine contradictione ſuſceptum quaquaverſum inclinum ſibi & quietum tenuit. Ipſo autem anno *Alexander*, iiij. ante ſuam mortem menſibus in epiſcopatum eccleſiæ ſancti *Andreæ* quæ in *Scotia* eſt, fecit eligi *Rodbertum* priorem Canonicorum regularium apud *Sconam*. Sed ejus ordinatio multo eſt tempore dilata propter ſubjectionem debitam quam ab illo ſecundum conſuetudinem exigebat *Turſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus. *Scotti* autem econtra dicebant ſtulta garrulitate, hoc nulla debere fieri auctoritate vel conſuetudine. Comes de *Mellant* prædictus dum paſſim inconſulte caſtella quæ contra regem munierat circumiret, captus ab inſidiantibus cum ſuis non paucis diligenti artatur cuſtodia. *Calyxtus* papa Idus Decembris obiit, pro quo *Oſtienſis* epiſcopus mutato juxta morem priorum de *Lamberto* in *Honorium* nomine in papatum ſubſtituitur. Magna fuit per *Angliam* fames, ut paſſim per urbes, per villas, & viarum tranſitus exanimata miſerabili horrore cadavera inhumata reſolverentur in tabem.

1125. ANno M. Cxxv. Imperator *Henricus* cum imperaſſet xx. annis, ſine filiis obiit. Unde tres à primatibus regni ſunt propoſiti, ut quilibet eorum eligeretur in regnum. *Lipoldus* ſororius Imperatoris defuncti, & nepos ejus *Fretbericus*, & *Lotharius* dux Saxonum. *Lipoldus* opponens ſenectutem & filiorum numerum, ne per illos ſi ipſe promoveretur in regnum regni fieret diviſio, à ſe repulit imperium. *Fretbericus* cum ſe velut regni hæredem ex debito ingereret, eo magis abicitur quo ejus avunculus omnibus exoſus habebatur. *Lotharius* vero concorditer ab omnibus eligitur. Quod ipſe quaſi ratiocinando & etiam lacrimando dum niteretur repellere, apud *Aquaſgrani* unctus in regem, *Fretbericum* magna vi ſeſe impugnantem bello fugavit, & ejus quaſdam munitiones cepit. Is magno moderamine & juſtitia diſpoſuit regnum & imperium.

Imperatrix defuncto marito, amiſſis quibuſdam quas in dotem acceperat munitionibus, ad patrem rediit in *Normannia*. *Johannes Cremenſis* accepta ab Apoſtolico ſuper *Britanniam* legatione, cum diu in *Normannia* retentus eſſet à rege, tandem permiſſus in *Angliam* tranſvehitur, & ab eccleſiis honorifice excipitur, juxta quod ipſe commendaticias in hoc ipſum ad illas ab Apoſtolico acceperat litteras, quarum inferius exemplaria hic ponuntur.

Honorius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio* Johanni *presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quemadmodum honorum filiorum eſt ſubjecta devotionis humilitate patribus obedire, ita patrum intereſt benigne caritatis affectu filiis providere. Curam igitur & ſollicitudinem tibi à prædeceſſore noſtro felicis memoriæ papa* Calyxto *in* Angliæ *regno commiſſam providentiæ dilectionis tuæ committimus. Obſecramus autem in Domino ut tanquam ſapiens & diſcretus* Romanæ *eccleſiæ filius, quæ ad honorem Dei & ſedis Apoſtolicæ pertinent honeſtatem ſtudioſius opereris.* Data Laterani Idibus Aprilis.

Honorius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus & filiis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, proceribus, & cæteris tam clericis quam laicis per* Angliam *conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamvis in extremis terrarum poſitos, ad* Petri *tamen Apoſtoli curam Chriſtianæ fidei vos facit univerſalitas pertinere. Cum enim* Petro *dictum eſt, Paſce oves meas, paſce agnos meos, profecto nulla ovium, nullus agnorum exceptus eſt ad Chriſti conſortium pertinentium qui non* Petri *commiſſus ſit paſtioni: ſpeciali præter hoc ſorte regnum* Angliæ *beato* Petro *&* Romanæ *eccleſiæ pertinere ſanctiſſimi patris noſtri* Gregorii *papæ auctoritas, & beati* Auguſtini *prædicatio manifeſtat. Hoc igitur diſpoſitionis debito provocamur vobis ſcilicet longe poſitis ſollicitiore diligentia providere. Quamobrem chariſſimum filium noſtrum* Johannem *cardinalem ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ ſacerdotem in partem noſtræ ſollicitudinis evocantes vices ei noſtras in partibus veſtris commiſimus. Qui nimirum de eccleſiarum correctione ac ſtabilitate, de religionis augmento, & de cæteris quæ probanda vel improbanda viſa fuerint, cum veſtræ dilectionis auxilio, cooperantibus ſanctorum Apoſtolorum patrociniis, pertractabit. Rogamus ergo vos, & monemus, atque præcipimus, ut eum tanquam ſancti* Petri *vicarium reverenter ſuſcipiatis, humiliter audiatis, atque ad ipſius vocationem ſynodales cum eo conventus ſollempniter celebretis, quatenus per ipſius & veſtram induſtriam in regno veſtro quæ corrigenda ſunt corrigantur, quæ firmanda ſunt ſancto inſpirante Spiritu firmentur.* Data Laterani ij. Idus Aprilis.

Super *Scotiæ* quoque regnum idem *Johannes* legati ſuſcepit officium, Apoſtolico ſuper hoc regi ipſius gentis has litteras mittente.

Honorius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* David *illuſtri* Scottorum *regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Oportet devotos & humiles beati* Petri *filios quæ ad honorem ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ ſpectare cognoverint attentius operari. Unde nobilitati tuæ rogando mandamus, ut dilectum filium noſtrum* Johannem *cardinalem cui vices noſtras in partibus illis commiſimus reverenter ſuſcipias & honores. Epiſcopos etiam terræ tuæ cum ab eo vocati fuerint, ad Concilium ſuum facias convenire. Controverſia quæ inter* Turſtinum Eboracenſem *archiepiſcopum, & epiſcopos terræ tuæ diu agitata eſt, eidem legato noſtro diligentius indagandam diſcutiendamque committimus, finitam vero ſententiam apoſtolicæ ſedis judicio reſervamus.* Data Laterani Idibus Aprilis.

Hac auctoritate *Johannes* prædictus circuiens

Angliam, etiam ad regem *Scottorum David* pervenit apud fluvium *Twedam*, qui *Northymbriam* & *Loidam* diſcriminat in loco qui **Rochesburh** nominatur. Ubi officio legationis peracto, rediens apud *Londoniam* celebravit Concilium, quod de capitulis ſubter anneſis habetur in hunc modum.

An. Dñi 1126. ANno ab incarnatione Dominica M. Cxxvj. pontificatus autem domni papæ *Honorii* ſecundi, anno primo regnante piiſſimo & glorioſo *Henrico Anglorum* rege *VVillielmi* magni filio, anno vero regni ipſius xxv. celebrata eſt ſynodus *Londoniæ* in eccleſia beati *Petri* Apoſtolorum principis apud *VVeſtmonaſterium* menſe Septembri nona die ejuſdem menſis, ubi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum promulgata ſunt hæc capitula & ab omnibus confirmata, numero xvij. Præfuit autem illi ſynodo *Johannes de Crema* ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ eccleſiæ de titulo ſancti *Griſogoni* preſbyter, cardinalis, & prædicti domni papæ *Honorii* in *Angliam* legatus, cum *Turſtino Eboracenſi*, & *VVillielmo Cantuarienſi* archiepiſcopis, & cum epiſcopis diverſarum provinciarum numero xx. & abbatibus circiter xl. & cum innumera cleri, & populi multitudine.

Sanctorum patrum veſtigiis inhærentes quemquam in eccleſia per pecuniam ordinari auctoritate Apoſtolica prohibemus.

Interdicimus etiam ut pro criſmate, pro oleo, pro baptiſmate, pro pœnitentia, pro viſitatione infirmorum ſeu unctione, pro communione corporis Chriſti, pro ſepultura nullum omnino precium exigatur.

Statuimus præterea, & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut in conſecrationibus epiſcoporum vel abbatum benedictionibus ſeu in dedicationibus eccleſiarum non cappa, non tapete, non manutergium, non baccinia, & nil omnino per violentiam niſi ſponte oblatum fuerit, penitus exigatur.

Nullus abbas, nullus Prior, nullus omnino monachus, vel clericus eccleſiam, ſive decimam ſeu quælibet beneficia eccleſiaſtica de dono vel manu laici ſine proprii epiſcopi auctoritate & aſſenſu ſuſcipiat. Quod ſi præſumptum fuerit irrita erit donatio hujuſmodi, & ipſe canonicæ ultioni ſubjacebit.

Sancimus præterea ne quis eccleſiam ſibi ſive præbendam paterna vendicet hæreditate, aut ſucceſſorem ſibi in aliquo eccleſiaſtico conſtituat beneficio. Quod ſi præſumptum fuerit, nullas vires habere permittimus dicentes, cum Pſalmiſta, *Deus meus, pone illos ut rotam qui dixerunt, Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.*

Adicientes quoque, ſtatuimus ut clerici qui eccleſias ſeu beneficia habeant eccleſiarum & ordinari quo liberius vivant ſubterfugiunt, cum ab epiſcopis invitati fuerint, ſi ad ordines promoveri contempſerint, eccleſiis ſimul & beneficiis earum priventur.

Nullus in decanum, nullus in Priorem niſi preſbyter, nullus in archidiaconum niſi diaconus promoveatur.

Nullus in preſbyterum, nullus in diaconum niſi ad certum titulum ordinetur: Qui vero abſolute fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.

Nullus abbas, nullus omnino clericus vel laicus quemquam per epiſcopum in eccleſia ordinatum abſque proprii epiſcopi judicio præſumat eicere. Qui autem ſecus facere præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat.

Nullus epiſcoporum alterius parochianum ordinare vel judicare præſumat; unuſquiſque enim ſuo domino ſtat aut cadit, nec tenetur aliquis ſententia à ſuo non judice prolata.

Nemo excommunicatum alterius præſumat in communionem ſuſcipere: quod qui ſcienter fecerit, & ipſe communione careat Chriſtiana.

Præcipimus etiam ne uni perſonæ in eccleſia archidiaconatus aut diverſi tribuantur honores.

Preſbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, canonicis, uxorum, concubinarum, & omnium omnino feminarum contubernia auctoritate Apoſtolica inhibemus, præter matrem, aut ſororem, vel amitam, ſive illas mulieres quæ omnino careant ſuſpicione. Qui decreti hujus violator extiterit, confeſſus vel convictus, ruinam proprii ordinis patiatur.

Uſuram & turpe lucrum clericis omnimodis prohibemus. Qui vero ſuper crimine tali confeſſus fuerit aut convictus, à proprio gradu deiciatur.

Sortilegos, ariolos, & auguria quæque ſectantes eiſque conſentientes excommunicari præcipimus, perpetuaque damnamus infamia.

Inter conſanguineos ſeu affinitate propinquos uſque ad ſeptimam generationem matrimonia contrahi prohibemus: ſi qui vero aliter conjuncti fuerint, ſeperentur.

Interdicimus etiam ut viri proprias uxores de conſanguinitate impetentes, & teſtes quos adducunt, non ſuſcipiantur, ſed priſca patrum in omnibus ſervetur auctoritas.

His taliter ſinodali decreto confirmatis, *Johannem Romam* revertentem comitantur ab ipſo evocati *Turſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus, & *Willielmus Cantuarienſis*, de ſuis cauſis in Apoſtolica audientia acturi. Monetarii totius *Angliæ* principales deprehenſi adulterinos ſcilicet non puros ex argento feciſſe denarios, juſſu regis ſimul *Wintoniæ* congregati omnes una die amputatis dextris evirantur.

An. Dñi 1127. ANno M. Cxxvij. *Henricus* rex cum filia Imperatrice iij. idus Septembris rediit in *Angliam*. *Turſtinus Eboracenſis*, & *VVillielmus Cantuarienſis* archiepiſcopi redeunt *Roma*. *VVillielmus* quidem legatus Apoſtolici per *Angliam*, ſed *Turſtinus* in ſtatu quo fuerat revertitur.

1128. ANno M Cxxviij. mutata eſt abbatia de **Selechirche** ad **Kelchou** juxta **Rochesburc**, & fundata eſt eccleſia ſanctæ *Mariæ* prædictis monachis *Turonenſibus*, ubi eam pius rex *David* magnis muneribus ditavit, multis ornamentis ornavit, prædiis & poſſeſſionibus amplis nobiliter dotavit. Rex *Anglorum Henricus* tenuit curiam ſuam apud *Windereſoram* in nativitate Domini. Tranſiit inde *Londoniam*, ubi in circumciſione Domini jubente illo archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, rexque *Scottorum David*, Comites & Barones totius *Angliæ* juraverunt, ut filiæ ſuæ Imperatrici fide ſervata regnum *Angliæ* hæreditario jure poſt eum ſervarent, niſi ipſe moriens filium de legitimo matrimonio ſui hæredem relinqueret. Reginæ quoque juraverunt, ut quæcunque rex illi donaſſet, rata ſemper cuſtodirent ac immutata.

Carlo Comes *Flandrenſis* in Quadrageſima dum miſſam audiens in oratione procumberet, circum-

Henricus I. Rex.

ventus ab inſidiantibus ante morte præventus eſt, quam mortem inferentes noſſe poterat. Cui fratrueli regis *Henrici Willielmus*, filius ſcilicet *Rodberti* fratris ejus, in comitatus honorem ſucceſſit *Ludowici* regis *Francorum* adjutus quam maximo auxilio. Antea quidem *Fulco Andegavenſium* Comes prædicto juveni ſuam deſponſaverat filiam, ſed propter conſanguinitatem quam rex *Henricus* eis ineſſe jurari fecerat, divortio facto timentem inſidias regis *Anglorum* patrui ſcilicet ſui juvenem rex *Francorum* ſuſcipiens, data ſibi in conjugium ſorore reginæ affinitate ſibi aſſociavit, & ob id in prædictum comitatum ſuſtulit, jure ſibi à parte matris paternæ attinentem. Siquidem *Baldwini Flandrenſium* Comitis filiam rex *Willielmus* duxerat, ex qua *Willielmum* & *Henricum* reges procreavit, & *Rodbertum* Comitem *Normannorum*, cujus filius erat *Willielmus* prædictus. Rex *Henricus* intendens animum ad obtinendum comitatum præfatum quaſi hæreditario ſibi jure debitum, à nepote, ſicut jam diximus, eſt præventus. Quare ne quid adverſi ex nepote ſibi aboriretur, Comitis *Andegavenſium*, cui prius fuerat inimicus, expetiit amicitias, cupiens filiam ſuam quondam Imperatricem filio ejus matrimonio jungere. Quod ubi tandem utriſque complacuiſſet, præmiſſam filiam in *Normanniam* ipſe paulo poſt vij. Kal. Septembris ſubſecutus eſt, remque ad effectum perduxit, eo tenore, ut regi de legitima conjuge hæredem non habenti mortuo gener illius in regnum ſuccederet.

An. Dñi 1128.

ANno M. Cxxviij. prædictus Comes *Flandrenſis* bis in una ſeptimana congrediens cum hoſtibus parva manu ſuperavit plurimos. Sed paulo poſt obſidens caſtellum ſibi repugnantium, dum ſucceſſu vincendi inſolens crebrius victos fugienteſque repeteret, vulneratus letaliter in confinio brachii & manus, triduo ſupervivens, moritur vj. Kal. Auguſti. Cujus ex placito regis *Francorum* rex *Henricus* hæres ex debito conſanguinitatis factus, comitatum ſub ſe diſponendum tradidit *Theodoro* lineam affinitatis ducenti ex Comitibus *Flandrenſium*. *Ranulfus Dunelmenſis* epiſcopus peractis in epiſcopatu xxix. annis, & tribus menſibus, & vij. diebus, finem fecit vitæ Non. Septemb.

An. D 1129.

ANno M. Cxxix. *Willielmus Giffard VVintonienſis* epiſcopus obiit. Rex *Henricus* abſoluto de captione Comite de *Mellant Gualarammo*, cunctiſque ſibi quæ ſua fuerant præter munitiones redditis, redintegrata inter ſe & regem *Francorum* concordia, accepto *Flandrenſium* comitatu, filia quoque ſua eximperatrice Comiti *Andegavenſium* copulata, omnibuſque quaquaverſum hoſtibus vel victis, vel repacificatis, arridente ſibi undique proſperitate, multo navigio idus Julii in *Angliam* eſt reverſus. Fluxerant dies pauci, cum ecce nunciatur regi filiam ſuam à marito repudiatam, abjectamque ſine honore paucis admodum comitibus rediſſe *Rothomagum*. Quæ res animos regis acriter perturbavit. Poſt feſtum autem ſancti *Michaelis* comitantibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & pene totius *Angliæ* primatibus venit *VVintoniam*, ibique filio ſororis ſuæ *Henrico* qui apud *Cluniacum* ab infantia nutritus erat monachus, *VVintonienſis* eccleſiæ dedit epiſcopatum, adjuncta ei in augmentum honoris abbatia *Glaſtoniæ*, quam prius ad procurationem ſui à rege acceperat. Datus eſt & epiſcopatus *Conventrenſis* qui & *Ceſtrenſis Rogerio* nepoti *Goffridi Dedintun*, qui ut dignior tanto eſſet honore tribus hunc marcarum milibus promeruit. Ordinati ſunt autem xv. Kal. Dec. *Cantuariæ* à *Willielmo* ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopo.

Explicit Hiſtoria ſuavis & ſanctæ memoriæ Simeonis *monachi & præcentoris eccleſiæ ſancti* Cuthberti Dunelmi *annorum CCCC. xxix. & menſium quatuor.*

INCIPIT

Incipit Hiſtoria *Johannis* Prioris *Haguſtaldenſis*

Eccleſiæ xxv. annorum.

. Dñi 130. ANno M. Cxxx. *Aſchetillus* primus Prior eccleſiæ *Haguſtaldenſis* obiit xv. Kal. Aprilis. In quem pro urbana morum elegantia; honeſtate, tam clericorum quam laicorum confluxerant vota. Qui & eundem locum ſub vaſtitate hoſtili in ſolitudinem redactum, operoſis officinis, Canonicos ſuos rebus neceſſariis, clauſtrum quoque honeſtis inſtitutis plene procuraverat. Subſtituit loco ejus *Turſtinus* archiepiſcopus eodem anno electum à fratribus Camerarium ejuſdem loci *Rodbertum Biſeth*, litteratum & diſciplinatum.

131. ANno M. Cxxxj. *Henricus* rex aſcivit ad epiſcopatum *Herefordenſem Rodbertum* Priorem de *Lantonia*. Qui in canonica prius profeſſione regulari inſiſtens diſciplinæ, eandem domum regularibus inſtitutis aliis domibus fecit imitandam. In epiſcopatu quoque cauſis epiſcopalibus epiſcopalis ſolicitudinis inſtantia invigilans, ſingularem ſanctæ actionis auctoritatem & reverentiam in regno promeruit.

132. ANno M. Cxxxij. *VValterus Eſpec* vir magnus & potens in conſpectu regis & totius regni, monachos *Ciſtercienſis* obſervantiæ directos à *Bernardo* abbate *Clarevallis* recepit & poſuit in ſolitudine **Blachoumor** ſecus aquam **Rie**, à qua cœnobium eorum *Rievallis* dicitur. Cum quibus miſſus eſt *VVillielmus* primus abbas eorum, vir conſummatæ virtutis & excellentis memoriæ apud omnes poſteros. Horum æmulantes arduum propoſitum inſolitæ converſationis, *Ricardus* Prior cœnobii ſanctæ *Mariæ Eboraci* & ſeniores ejuſdem loci cum eo, non ſine ſeditioſa contradictione ſui abbatis *Galfridi* & conventus, egreſſi ſunt eodem anno vj. Kal. Januarii, & conſtruxerunt cœnobium de *Fontibus* juxta *Ripum*, dante eis poſſeſſionem *Turſtino* archiepiſcopo. In qua præfuit primus eorum abbas prædictus Prior *Ricardus*, vir in eccleſiaſticis negotiis experientiſſimus.

133. ANno M. Cxxxiij. menſe Auguſto ante aſſumptionem ſanctæ *Mariæ* apud *Eboracum* à *Turſtino* archiepiſcopo conſecrati ſunt epiſcopi *Galfridus* cancellarius regis *Henrici* ad epiſcopatum *Dunelmenſem*; *Aldulfus* Prior de *Noſtlia* ad urbem **Karleol**, quam rex *Henricus* initiavit ad ſedem epiſcopalem, datis ſibi eccleſiis de **Cumberland** & **Weſtmariland**, quæ adjacuerunt archidiaconatui *Eboracenſi*. Dedit etiam ſimul *Henricus* rex epiſcopatum de **Heli** *Nigello* nepoti *Rogeri* epiſcopi de **Searesbiri**, iij. Non. ejuſdem menſis Auguſti circa meridiem fere dimidiæ horæ ſpacio facta eſt eclypſis ſolis, luna xxvij. feria iiij. rege *Henrico* transfretante in *Normanniam*, ubi & mortuus eſt.

134. ANno M. Cxxxiiij. *Rodbertus* dux *Normanniæ* obiit, quem rex *Henricus* frater ejus ſub cuſtodia tenuit uſque ad diem mortis ſuæ.

ANno M. Cxxxv. ab adventu *Normannorum* in *Angliam* lxix. *Henricus* rex anno ætatis ſuæ lxviij. de quadam murena comedens ægrotavit, & mortuus eſt in quadam forreſta *Normanniæ* quod dicitur *Leuns* apud ſanctum *Dionyſium* iiij. Non. Decembris feria ij. Regnavit autem glorioſe annis xxxv. & menſibus iiij. Corpus vero ipſius ſicut præceperat in *Angliam* tranſvectum, apud *Radingas* ſepultum eſt. Quod monaſterium ipſe conſtruxit, & cum munificentia regali reddituum conventu monachorum ornavit. Conſtruxit & aliud cœnobium, id eſt *Cireceſtram*, quarto ante obitum ſuum anno, in quo cum opulentia rerum neceſſariarum canonicos regulares inſtituit. Poſt quem princeps non ſurrexit alius qui ſic injuſtas regni exactiones interdiceret, ſubjectos in pace & modeſtia ſapientiæ diſponeret, perſonas eccleſiaſticas reverenter excoleret, pauperes & religioſos ſumptuoſis eleemoſynis foveret. Quo mortuo, continuo emerſerunt homines ſceleſti & peccatores, cuncta jura juſtitiæ & pacis diſſipantes, & ad direptiones, & cædes, incendia, & alia flagitia hoſtiliter proruentes. An. Dñi 1135.

ANno M. Cxxxvj. *Stephanus* Comes *Bononienſis*, filius ſororis *Henrici* regis, frater *Teotbaldi* Comitis de *Blavio* & *Henrici* epiſcopi *Wintoniæ*, ſumpſit inſulas regni kal. Jan. conſentientibus in ejus promotionem *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo, & clericorum & laicorum apud *Londonias* univerſitate. In cujus conſecrationis celebritate omiſſum eſt dari oſculum pacis. Indignatus ſuper ejus imperio *Galfridus* Comes *Andegavenſis*, qui filiam regis *Henrici* habuit uxorem, & hæredem ex ea nomine *Henricum*, plurima in *Normannia* perturbare cœpit. *David* quoque rex *Scotiæ* avunculus ejuſdem Imperatricis, non inmemor ſacramenti quod ipſe & univerſitas regni *Henrico* regi ſuper ſucceſſione ejus juraverat, continuo inſurrexit in regnum *Angliæ*, & citius munitiones *Cumberlandiæ* & *Northimbriæ* cum populis adjacentibus optinuit uſque *Dunelmum*, præter **Babhanburch**. Accepit etiam fidelitates & obſides à nobilioribus, quod conſervarent fidem nepti ſuæ. Occurrit ei rex *Stephanus* in capite jejunii Non. Febr. apud *Dunelmum*, ibi commoratus diebus xv. *David* quoque rex in *Novo caſtello* ſe recepit. Habita igitur collocutione de pace inter eos, *Henricus* filius regis *Scotiæ* fecit homagium regi *Stephano* apud *Eboracum*, in augmentum Honoris de **Huntedun** datis ei *Dunecaſtra* & **Karleol**. Cæteras munitiones & terras quas occupavit rex *David*, reſtituit. In paſchali vero feſtivitate rex *Stephanus* heundem *Henricum* in reverentia præferens, ad dexteram ſuam ſedere fecit. Iccirco *Willielmus* archiepiſcopus *Cantiæ* & quidam proceres cum *Ranulfo* Comite *Ceſtriæ* in juvenem contumelioſa locuti, à curia regis ſe amoverunt. Rex autem *David* receptum filium ſuum noluit ad regem *Stephanum* remittere. *Walani* etiam finitima loca *Angliæ* devaſtantes, duos barones *Ricardum Filium Rogeri* & *Paganum Filium Johannis* occiderunt; 1136.

STEPHANUS REX. qui tamen citius pacem cum rege *Stephano* fecerunt. *Ranulfus* quoque Comes *Ceſtriæ* expeditionem faciens in regionibus *Walanorum* interceptus ab eis cum quinque militibus vix ſaluti reſervatus eſt, reliquis omnibus trucidatis. *Baldwinum* quoque de *Redvers* rebellantem in *Execeſtra* opido ſuo obſedit, & ad deditionem coegit rex *Stephanus*, & à regno exlegavit. Eodem anno *Innocentius* papa litteris ab Apoſtolica ſede directis eundem regem *Stephanum* in negotiis regni confirmavit. Harum tenore litterarum rex inſtructus, generali convocato Concilio bonas & antiquas leges, & juſtas conſuetudines præcepit conſervari, injuſtitias vero caſſari. Interfuerunt huic Concilio *Willielmus* archiepiſcopus *Cantuariæ*. *Hugo* archiepiſcopus *Rothomagenſis*. *Henricus* epiſcopus *Wintoniæ*. *Rogerus* epiſcopus *Searesberiæ*. *Alexander* epiſcopus *Lincolnienſis*. *Nigellus* epiſcopus **Heli**. *Everardus* epiſcopus *Norwicenſis*. *Simon* epiſcopus *Wirecestrenſis*. *Bernardus* epiſcopus ſancti *David*. *Audoenus* epiſcopus *Ebroicenſis*. *Ricardus* epiſcopus *Abrincenſis*. *Rodbertus* epiſcopus *Herefordenſis*. *Johannes* epiſcopus *Rovecestriæ*. *Aldulfus* epiſcopus **Karleol**. Menſe Auguſto rex *Stephanus* transfretavit, inimicitiis *Galfridi* Comitis *Andegavenſis* commonitus. Eodem anno menſe Novembri *Willielmus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* defunctus, in ſua civitate ſepultus eſt.

An. Dñi 1137. ANno M.Cxxxvij. *David* rex *Scotiæ Northymbriam* devaſtare propoſuit. Convenit citius multitudo Comitum & procerum *Angliæ* ad Novum caſtellum ejus conatibus occurſura. *Turſtinus* quoque archiepiſcopus *Eboracenſis* quamvis multo confectus ſenio locutus eſt cum rege *Scotiæ*, & filio ejus apud **Rochesburch**, & impetravit inducias uſque ad reditum regis *Stephani* de *Normannia*. Facta itaque pace cum Comite *Andegavenſi* rex *Stephanus* per biennium in adventu Domini reverſus eſt in *Angliam*. Veneruntque legati regis *Scotiæ* poſtulantes *Northymbriam* dari filio ejus *Henrico*: quod abnuente rege *Stephano*, ſolutæ ſunt induciæ.

1138. ANno M. Cxxxviij. fundata & facta eſt illa inclita abbatia ſanctæ *Mariæ* de *Bechlanda* ante nativitatem Domini à nobili viro *Rogerio* de *Molbreio*, qui eam prædiis & poſſeſſionibus magniſque paſturis & ſilvis optime fundavit. Quarto idus Januarii *Willielmus* filius *Dunechan* nepos regis *David* antelucana præruptione conſtanter partem exercitus cui præfuit, effudit circa opidum **Werk**, & cœpit expugnare & perſequi. Rex vero *David* cum majori veniens comitatu cum baliſtis & machinis multis, in virtute magna expugnavit opidum tribus ebdomadis. *Jurdanus* vero de *Buſſei* nepos *Walteri Eſpec* magiſter militum opidanorum invicta conſtantia animorum militarium omnes conatus regis ſprevit & contrivit. Signiferum enim regis & multos alios ſingulis diebus mactaverunt. Rex igitur *David* diſpoſitis qui obſidioni inſiſterent, præmiſit *Willielmum* filium *Dunecan* cum *Scottis* in *Northymbriam*, qui in die converſionis ſancti *Pauli* veniens in villa **Waredun**, quæ eſt conterminа locis *Haguſtaldenſibus*, cum ſuis copiis conſedit. Progreſſus vero de agminibus cum ſuis quidam *Scottus*, homo potens & dives in terra nativitatis ſuæ, per *Tinam* fluvium ſpe prædæ ad eccleſiam *Haguſtaldenſem* pertendere velle viſus eſt. Irruerunt in eum juvenes *Haguſtaldenſes*, & ſociis ejus in fugam actis, eundem per corpus transfixum acriter reluctantem ruere compulerunt. Mota eſt ſuper hoc indignatio per cunctum exercitum *Scottorum*, qui in ultione cædis ejus feſtinabant irruere ſuper eccleſiam *Haguſtaldenſem*, & extirpare eam funditus cum habitatoribus ejus. Revocavit autem eos *Willielmus* filius *Duncan* ſollicitus pro loci illius tuitione. Subſecutus eſt rex *David* cum filio & copiis ſuis, & in **Chorebrige** uſque poſt Purificationem ſanctæ *Mariæ* conſiſtens, res provinciæ perturbare non omiſit. Deferens tamen dignitati & antiquitati eccleſiæ *Haguſtaldenſis* pacem ei, & omnibus qui confugerant ad eam conſervavit, ſ. *Scottos* illuc dirigens, ne quis hoſtili animo irrumpere præſumeret. Incredibile relatu eſt quæ ſceleſta & flagitioſa & blaſphema in Deum, & abuſiva ipſius humanitatis exercitus ille *Scottorum* egerit. Plena erant omnia cædibus, direptionibus & incendiis. Non miſerta eſt barbaries illa pupillo, aut orphano, ſeni, aut pauperi. Non pepercit ſexui, ætati aut ordini, conditioni cujuſquam vel profeſſioni. Prægnantes cum parvulis diſſecuerunt, virgines & viduas, occiſis cunctis maribus, funiculis colligatas nudas catervatim ſub jugo ſervitutis in *Scotiam* abegerunt. Veruntamen rex quotquot ſibi in partem de præda obvenerunt, *Rodberto* Priori *Haguſtaldenſi* reſtituit in pignus libertatis. Sanctuaria quoque Domini *Scotti* confregerunt, & in ſacratis locis violenta, obſcœna, & abhominanda intemperanter perpetraverunt. Ex quibus duo hoſtis confracto oratorii ſancti *Michaelis* ex boreali parte *Tinæ* fluminis extulerunt quæ reppererunt. Adjacet autem baſilica hæc eccleſiæ *Haguſtaldenſi*. Qui continuo exagitati furiis coram exercitu per avia diſcurrentes, unus ſibimet os lapidibus conterens, alter in *Tina* fluminis natatoriis ſe ſuffocans, uterque fœdo interitu perierunt. Perſecuti ſunt poſtea trans *Tinam* provinciales qui confugerant ad ſolitudines, & in loco qui dicitur **Tamefeld** irruentes in multitudinem totius provinciæ quietam & ſecuram, omnes trucidaverunt, & prædam copioſam abduxerunt. Reverſus eſt tandem rex cum ſuis in ſua, & *Stephanus* rex in Quadrageſima cum militaribus copiis adveniens ad **Werk** in terram regis *Scotiæ* præcepit ſuos cædere & perſequi. Rex vero *David* colligens ſe & ſuos haud procul intra quandam paludem minutam valde & prorſus inacceſſibilem circumquaque, niſi per anguſtias cujuſdam ſemitæ, præcepit civibus de **Rochesburch** magnanimiter excipere regem *Angliæ* intra urbem ſi adveniret. Obſervavit enim tempus & nocturnas oportunitates ut irrueret in eum. Certus quippe fuit ſocios ſibi fore condictæ proditionis plurimos de proceribus *Anglorum* exercitus, qui & ad conflictum clandeſtinis conſiliis conſpirantes concitaverunt eum. Notæ autem factæ ſunt inſidiæ regi *Stephano*, qui parans reditum iratus coegit *Euſtachium* reconſignare in manu ſua munitionem de **Bahanburch**; & in *Angliam* feſtinus regreſſus eſt.

Poſt Paſchalis ebdomadæ ſollempnitatem iterum rex *David Scotiæ* in *Northymbriam* expeditionem movit, & circa maritima, quæ erant reſervata à priori exterminio, cuncta diſperdidit. Progreſſus etiam uſque ad *Novum caſtellum* præmiſit ſuas copias circa *Dunelmum* erga *Teiſam* crudelia & hoſtilia agere. Inde divertens ad **Norham** caſtrum epiſcopi *Dunelmenſis*, quod obſideri fecit, & citius oppidanos ad deditionem compulit, ipſumque oppidum ſubrui præcepit. Interim *Willielmus* filius *Duncan* circa **Clitherhou** cædens & perſequens, procinctum militiæ *Anglorum* in turmis quatuor, ſibi occurrentem excepit. Quem prima congreſſionis conſtantia in fugam actum internicioni dedit, multamque prædam & multitudinem captivitatis adduxit. Hoc bellum factum eſt inter *Anglos*, *Pictos* & *Scottos* apud **Clitherhou** feria vj. die xv. ante nativitatem ſancti Johannis Baptiſtæ anno prædicto, id eſt M. C. xxxviij.

Poſt hos dies milites de **Werch** egreſſi miniſtros & vehicula cum victualibus regis rapuerunt intra oppidum retrudentes. Sed & in filium Regis *Henricum* impetum facientes & in ſocios ejus, quoſdam occiderunt, quoſdam vulneraverunt ſive ad redemptionem expoſuerunt. Rex ea moleſte ferens iterata eos obſidione dampnavit, ſegetes eorum in agris vaſtans & cuncta ſolatia denegans. Quibus prorſus non niſi per inopiam victualium prævalere potuit, hac enim coacti neceſſitate ex præcepto Domini ſui *Walteri Eſpec* circa feſtum ſancti Martini per Dominum *Willielmum* primum abbatem *Rievallenſes* oppidum dediderunt: in quo reſiduum ad eſum nichil repertum eſt, niſi unus caballus vivus, & alter in ſale. Eos rex xxiiij. caballis donatos cum armis ſuis dimiſit liberos, oppidum funditus evertens.

Eodem anno & eodem tempore, ſcilicet in autumpno, rex *David* junctis viribus ad *Eboraci* ſciriam iter direxit, duobus baronibus ſuis ad obſidendum **Werch** cum multitudine interim dimiſſis. Adjunxit ſe ei commilitonem cum ſua militari manu *Euſtachius filius Johannis*, cui Rex *Stephanus* **Bahanburch** abſtulerat. Habuit autem idem in *Northymbria* caſtrum munitiſſimum **Alnewich** & aliud in *Eboraci* ſciria, ſcilicet **Maaltun**. Profecti ſunt itaque per **Bahanburch**. Et juvenes ejuſdem loci temere præſumentes de munitione valli quod extruxerant ante caſtrum, conviciis exagitabant *Scottos* pertranſeuntes. Applicuerunt ſe ilico *Scotti* animo concitati ad vallum diruendum, & citius intus proruentes quotquot apprehenderunt occiderunt. Præfuit per idem tempus eccleſiæ *Eboraci* ſanctæ memoriæ *Turſtinus* archiepiſcopus, animi conſtantia inter adverſa & proſpera invincibilis, annis gravis, corpore debilis, ut lecto geſtatorio eveheretur quo occaſio rerum urgeret. Qui evocatos ad ſe proceres *Eboraci* ſciriæ ad inſtantiam reſiſtendi paſtoralis prudentiæ providentia animavit. Venit etiam *Bernardus* de *Baillolio* in exercitiis militaribus vir experientiſſimus, directos à rege *Stephano* ducens ſecum milites in hoc opus. Sumpta perinde magnanimitate ex communi deliberatione per ſacramenta ad conſtantiam & ſecuritatem ſeſe invicem obligaverunt. Triduano igitur jejunio & elemoſynis Domino repropiciati, & archiepiſcopali abſolutione & benedictione communiti, omnes pari propoſito animi inſtructi uſque ad oppidum **Treſc** progreſſi ſunt. Inde *Rodbertus* de *Brus* & *Bernardus* de *Baillolio* ad Regem *Scottiæ* ſuper *Teiſam* profecti ſunt, *Henrico* filio ejus comitatum *Northymbriæ* pollicentes, & eum ab hac inpugnatione ceſſare commonentes. Noluit acquieſcere rex. Iccirco *Rodbertus* abſolvit ſe ab homagio quod ei fecerat pro baronia quam tenuit de eo in *Galewegia*, & *Bernardus* à fide quam ei dudum promiſit, ſicque ad ſocios regreſſi ſunt. Qui omnes procedentes ſecus **Alvertun** in campo quodam de feudo ſancti *Cuthberti* **Standart**, id eſt malum navis erexerunt, vexillum ſancti *Petri* & ſancti *Johannis* de *Beverlaco* & ſancti *Wulfridi Ripum* in eos ſuſpendentes & corpus Domini ſuper inponentes, ut eſſet ſignifer & dux prælii eorum. Miſit ergo cum eis archiepiſcopus *Turſtinus* *Radulfum Nouellum* epiſcopum ſuffraganeum ſuum, & viros diſciplinatos qui ad pœnitentiam ſuſciperent, & de ſpe futuræ vitæ per ſatisfactionem inſtruerent. Ipſe archiepiſcopus à principibus ab hac profectione ad pugnam conſultius revocatus, orationibus & obſecrationibus in afflictione magna & contritione cordis inſtabat cum ſuis clericis, donec renunciatum ei fuit, quantum ereptionis gratiam populo ſuo præſtitit deus. Igitur in octavis aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* xi. kal. Septembris feria ij. univerſus exercitus circa **Standard** convenit, ne quis de fuga præſumeret, equis procul amotis: omnes autem mori aut vincere pro patria unanimiter decernentes. Fuerunt autem principes hii in honoribus & dignitatibus præminentes. *Willelmus* de *Albamarla*. Comes *Walterus* de *Gant*. *Rodbertus* de *Brus*. *Rogerus* de *Mulbrai*. *Walterus Eſpec*. *Willielmus* de *Perci*. *Bernardus* de *Baillolio*. *Ricardus* de *Curceio*. *Willielmus Foſſard*. *Robertus* de *Stuthavilla*. *Ilbertus* de *Leſceio*. Hunc ipſum & patrem ipſius *Rodbertum* de *Leſceio Henricus* rex ejecit à regno *Angliæ*. Mortuo rege, *Willielmum Tranſverſum* qui ex datione regis Honori ſcilicet *Pontifracto* præſedit, miles quidam paganus de Honore illo occidit, & iſte *Ilbertus* Honorem jure patrimonii poſſedit. Affuit etiam cum ſuis copiis de **Nothingaham** ſcira *Willelmus Peverel* & *Rodbertus de Ferers* de *Derbiſcira*. *Galfridus Halſalin*. Acceſſit etiam rex *Scottiæ* cum ſuis legionibus ſtipatus in prælium. *Scottis* in prima acie diſpoſitis, id ſibi ex nativa dignitate reclamantes quaſi unus. Nudi ipſi & pene inermes progreſſi adverſus cuneos loricatos, & iccirco invulnerabiles. Circa regem ſteterunt equeſtres ordines militaribus armis inſtructi. Fide dignum rex arbitratus eſt vincere vel mori pro ſacramento quod juravit hæredibus *Henrici* Regis, & univerſitas Angliæ cum eo. *Scotti* itaque & *Picti* vix à prima hora initi conflictus uſque ad tertiam perſtiterunt, videntes ſe confodi & conſui ſagittis, & obrui & opprimi. Qui omnes à campo dilapſi ſunt ſarcinas ſuas à ſe reicientes. In ignominiam hujus rei vocatus eſt locus ille **Baggamor**. Continuo conſtantia reſidui exercitus proturbata & infirmata eſt. Propterea ſeniores feſtinantes compulerunt regem equos repoſcere & cum ſua conſerta acie diſcedere, ne & ipſe cum ſuis cederet in ruinam. Exercitus quoque *Eboraci* non eſt perſecutus recedentes, ſed unuſquiſque ad propria regredi feſtinavit. Plurimi vero *Scottorum* ignari locorum aberrantes, ubicunque reperti ſunt jugulati ſunt. Ipſæ etiam acies *Scottorum* & *Pictorum* ubi ad invicem in reditu concurrerunt, infelici hoſtilitate concertantes ſeſe ſuffocaverunt. Rex igitur in regnum ſuum receptus convocatos ad ſe *Scottos* & *Pictos* multa maſſa pecuniarum multavit, acceptis obſidibus & ſacramentis ab eis, quod in omni conflictu & periculo fideliter cum eo & pro eo perſiſterent. Rex etiam *Angliæ* lætatus ſuper his ſucceſſibus ſuis *Willielmum* de *Albamarla* Comitem in *Eboraci ſciria* fecit, & *Rodbertum* de *Ferers* Comitem in *Derbiſcira*.

ANno M. C. xxxiij. ſtella Cometis octavo idus Octobris ſere per vij. dies apparuit. Maxima pars *Lundonia* civitatis in ebdomada Pentecoſtes igne combuſta eſt anno xxxiij. ex quo rex *Anglorum Henricus* regnare cœpit feria iiij. Die etiam ipſo ſecundum anni revolutionem quo frater & prædeceſſor illius *Henrici Willielmus* ſcilicet *Ruffus* rex interfectus eſt, & ipſe *Henricus* primo regni ſui ſuſcepit gubernacula, iiij. non. Auguſti tale conſtat ſpectaculum. Cum igitur rex prædictus *Henricus* circa maris litus transfretandi cauſa moraretur vento perſæpe ad transfretandum exiſtente ſecundo, tandem die præfato circa meridiem cum ad mare tranſiturus perrexiſſet, ſuorum, ut mos eſt regibus, conſtipatus militum turmis, ſubito in aere nubes apparuit, quæ tamen ejuſdem quantitatis per univerſam *Angliam* non comparuit. In quibuſdam enim locis quaſi dies obſcurus videbatur, in quibuſdam vero tantæ obſcuritatis erat ut lumine candelæ ad quodlibet agendum ipſa protecti homines indigerent. Unde rex latuſque regium ambientes & alii quamplures mirantes, & in cœlum oculos levantes, ſolem ad inſtar novæ lunæ lucere conſpexerunt, qui tamen non diu ſe uno modo habebat. Nam aliquando latior, aliquando ſubtilior, quandoque incurvior, quandoque erectior, nunc ſolito modo firmus, modo movens, & ad modum vivi argenti motus & liquidus videbatur. Aſſerunt quidam ecclipſim ſolis factam fuiſſe; quod ſi verum eſt, tunc ſol erat in capite draconis & luna in cauda, vel ſol in cauda & luna in capite in 5. ſigno, id eſt leone, in xvii. gradu ipſius ſigni. Erat autem tunc luna xxvii. Eodem etiam die & eadem hora ſtellæ plurimæ apparuere. Necnon die eodem cum naves ad prædicti regis tranſitum paratæ in litore anchoris firmarentur, mari pacatiſſimo ventoque modico perſiſtente, cujuſdam navis magnæ anchoræ à terra quaſi vi aliqua ſubito avulſæ ſunt, naviſque commota multis mirantibus eamque tenere nitentibus nec valentibus ſibi proximam navim commovit, & ſic octo naves vi ignota commotæ ſunt, ut nulla illarum illæſa remanſiſſet. Multi etiam dixerunt ſe eodem die & circa eandem horam vidiſſe in *Eboracenſi* provincia eccleſias quamplures quaſi ſudore pervalido madefactas. Hæc omnia iiij. non. Auguſti quarta etiam feria, ut dictum eſt, contigerunt. Sexta etiam feria ejuſdem ſeptimanæ, ſcilicet pridie non. ejuſdem menſis, ſummo mane in pluribus *Anglia* partibus terræ motus factus eſt magnus. Fuerunt etiam qui dicerent ſe in ſubſequenti ebdomada feria ij. vj. videlicet idus menſis ejuſdem, cum luna foret iij. ipſam vidiſſe primam qualis in tali ætate eſſe ſolet, parvoque intervallo veſpere ejuſdem ſe ipſam vidiſſe magnam, ad modum ſcuti rotundi valdeque rutilantis. Dicebant quoque plures ſe ipſa nocte vidiſſe duas lunas inter ſe quaſi longitudine haſtæ unius diſtantes. Rex autem *Henricus* mare tranſiens reliquit *Angliam*, petiit *Normanniam*, non ulterius vita comite rediturus vel viſurus *Angliam*. Menſe Novembri civitas *Wigórnia*, ut crebro ſolet, incendio conflagravit.

Eodem anno mortuus eſt *Petrus Leo*, qui in inimicitias *Innocentii* papæ factione ſua à quibuſdam intruſus apoſtolicus in urbe, per viij. annos *Romanam* incubabat eccleſiam. *Innocentius* vero libera auctoritate in urbe ſicut prius in orbe eccleſiaſticæ monarchiæ præſedit dignitati. Qui & generali decreto omnes *Petri Leonis* ſciſmatis complices ab omni eccleſiaſtico ordine & honore depoſuit, & ne quis ſedem Apoſtolicam ſimili præſumptione in poſterum uſurparet ſub anathemate interdixit. Directus eſt autem ab eodem papa legatus *Anglia* & *Scotia Albericus Hoſtienſis* epiſcopus, natione Gallicus, profeſſione monachus *Cluniacenſis*, & in eodem cœnobio, ſupprioris officio ad diſponendas regulares obſervationes prælatus monachis cunctis, excellentia virtutis & plenitudine eruditionis inſtructus. Veniens vero in *Angliam* adjunxit ſibi ſocios ſui laboris *Rodbertum* epiſcopum *Herefordenſem* & *Ricardum* primum abbatem de *Fontibus*. Profectuſque ad regem *Scotia* reverenter receptus eſt à fratribus *Haguſtaldenſis* eccleſiæ, & *Aldulfus* epiſcopus cum eo. Ante triduum autem adventus ejus ad locum illum *Eadgarus* filius *Coſpatrici* Comitis cum ſatelliciis ſuis eruperat è caſtris regis *Scotia*, prædam agens de quadam villa territorii *Haguſtaldenſis*. Irruerunt etiam in quandam villam fratrum *Haguſtaldenſis*, interfectiſque tribus hominibus fratrum & capta præda ejuſdem vici, Priorem *Haguſtaldenſem* quem contigit eadem nocte ibi adeſſe, contumeliis & ludibrio dehoneſtaverunt. Super injuria hac ſatis compatienti animo legatus regem expoſtulavit apud **Carlel**, & ad correctionem violentiæ hujus animos regios adduxit. Per triduum vero cum epiſcopis & principibus regni *Scotia* qui ei ex regio præcepto ibi occurrerant, quæ corrigenda erant correxit, & quæ ſtatuenda erant ſtatuit. *Aldulfum* epiſcopum in gratiam ejuſdem regis & in ſedem ſuam de **Carlel** recipi impetravit. *Johannem Glaſguenſem* epiſcopum qui omiſſo epiſcopali officio apud *Tironas* monachatui ſe contradiderat, ex Apoſtolica auctoritate revocavit. *Scottos* quoque & *Pictos* in hoc ſibi acquieſcentes habuit, ut infra feſtum ſancti Martini omnem captivitatatem ad **Carlel** reducerent & libertati donarent, nulluſque eorum eccleſias violare, femineo ſexui vel pueris vel ſenibus cædem inferre ulterius præſumeret. Ipſius etiam regis genibus provolutus ab hoſtilitate eum uſque ad feſtum ſancti Martini ceſſare compulit. His ibi ita diſpoſitis, in die ſollempni ſancti Michaelis ad *Haguſtaldenſem* eccleſiam reverſus, in *Suthangliam* profectus eſt. Siquidem *Northymbria* univerſa inculta & in ſolitudinem redacta fuit. Quotquot enim ſupererant, vel ad aſylum monaſteriorum confugerant, vel per ſolitudines delituerant, potentes intra oppida ſe concluſerant. Igitur ex auctoritate Apoſtolici præcepti ad feſtum S: Nicholai apud *Lundonias* in *Weſtmonaſterio* convenerunt ad eundem legatum *Albericum* epiſcopi, abbates & primores regni, anno pontificatus *Innocentii* papæ ix. & regni *Stephani* regis tercio, vacabat eccleſia *Cant*: & dominus *Turſtinus* archiepiſcopus *Eboracenſis* infirmatus pro ſe direxit *Willelmum* decanum ſuum. Interdicenſque legatus quæ interdici, & ſanciens quæ ſanciri eccleſiaſticæ neceſſitatis expoſcebat ratio, ſummonuit eos *Roma* aſtare domino papæ media Quadrageſima. Depoſito etiam abbate de **Cruland** *Godefridum* Priorem de *Sancto Albano* loco ejus & *Adam* electum ad *Bellum* juxta *Haſtingas* benedixit abbates. Ventilata eſt & cauſa electionis *Cantuarienſis* eccleſiæ, cujus electum ſcilicet *Theodbaldum* Abbatem *Beccenſem* in eandem ſedem conſecravit archiepiſcopum circa epiphaniam Domini. Regem quoque *Anglia* ſuper reformanda pace cum Rege *Scotia* plurima

prece

TEPHA- us Rex.

prece ſollicitavit. Cooperata eſt votis ejus domeſtica inſtantia *Matildis* regina *Anglorum*, lege conſanguinitatis avunculo ſuo regi *Scotiæ* ſalva pace mariti ſui nequaquam ingrata: ſiquidem rex *David* duas ſorores habuit *Mariam* & *Matildem* quæ nupſit *Henrico* regi, *Mariam* vero Comes *Bononienſis* accepit in matrimonium, & genuit ex ea hanc *Matildem* hæredem ſuam. Hanc enim cum comitatu *Bononienſi* *Stephanus* rex duxit uxorem: habuitque ex ea filios *Euſtachium* & *Willielmum*, qui inmatura morte abſque liberis defuncti ſunt. Eodem anno quidam vir potens in *Northymbria* recepit in ſua poſſeſſione apud caſtrum quod dicitur **Morthpath** monachos de *Fontibus* viij. non. Jan. qui conſtruxerunt cœnobium ſcilicet *Novum monaſterium* vocatum. Quibus hoc ipſo anno circa Epiphaniæ diem, *Galfridus* epiſcopus *Dunelmi* benedixit abbatem *Rodbertum* ſanctum virum. Quos libenter fovit prædictus vir ſcilicet *Rannulfus* de *Merlai*.

An. Dñi 1139.

ANno M. Cxxxix. præfatus legatus *Albericus* poſt octabas Epiphaniæ reverſus eſt, proſequentibus iter ejus uſque *Romam* *Theodbaldus* archiepiſcopus *Cantiæ* pro pallio & epiſcopus *Rofenſis* & *Simon Wigornenſis*, *Rogerus Coventrenſis*, *Rodbertus Exceceſtrenſis*. Reliquos epiſcopos rex ab hac profectione excuſatos habuit propter perturbationes regni undique emergentes. Inſtantia vero reginæ Anglorum pax convenit inter duos reges, *Henrico* filio regis *Scotiæ* apud *Dunelmum* accipiente comitatum *Northymbriæ*. Confirmata eſt hæc concordia per reginam & *Henricum* filium regis *Scotiæ* apud *Dunelmum* v. idus Aprilis coram Comitibus & Baronibus *Angliæ* datis obſidibus à *Scotis* in firmamentum fidei. Profectus eſt autem cum regina *Henricus* Comes ad regem *Angliæ* ad **Notingaham**, & obſequens ei per æſtatem inpenſas munificas fecit. Qui & accepit conjugem *Ada* ſororem *Willielmi* Comitis de *Warene* & *Walaran* Comitis de *Mellant* & *Rodberti* Comitis de *Legeceſtria*, habuitque ex ea filios *Melcolmum*, *Willielmum* & *David*. Reverſo itaque *Theodbaldo* archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis à domino Apoſtolico, *Henricus Wintonienſis* epiſcopus confirmatus eſt ſedis Apoſtolicæ legatus. *Romæ* vero defunctus eſt vir approbatæ virtutis *Ricardus* primus abbas de *Fontibus*, quem *Turſtinus* archiepiſcopus ad Apoſtolicum pro ſe direxit legatum. Obiit etiam *Audoenus Ebroicenſis* epiſcopus frater ejuſdem *Turſtini* archiepiſcopi apud **Meretun** ſumpto habitu canonicorum ſepultus. Mortui ſunt & *Walterus* de *Gant* & *Rodbertus* de *Ferers*. Accidit eodem anno ut ad curiam regis convenirent *Rogerus* epiſcopus de **Searesberie**, *Alexander* epiſcopus *Lincolniæ* & *Nigellus* epiſcopus de **Heli** ſcilicet nepotes ejuſdem *Rogeri*, ortaque ſeditione miniſtri epiſcoporum inter cæteram turbam ceciderunt quendam nepotem *Alani* Comitis de **Richmunt**, qui & mortuus eſt. Devoluta eſt iccirco ab eodem Comite coram Rege calumpnia in epiſcopos, factione eorum ſeditionem excitatam in inſidias ſalutis regiæ. Dilapſus eſt citius à curia clandeſtina fuga *Nigellus* epiſcopus ad ſuas munitiones. Et aggravata manus regis ad ulciſcendum in epiſcopos *Rogerum* & *Alexandrum*, quos interdicto eis prorſus cibo coegit ad deditionem caſtrorum ſuorum cum theſauris ſuis copioſis in eis confertis. Sed & alia indigna contra honeſtatem pontificalis excellentiæ irreverenter egit in eos. Factumque eſt eo tempore ut laici inſurgerent in magnam contumaciam & contumeliam adverſus ſanctam eccleſiam & eccleſiaſticas perſonas. Iccirco *Henricus* legatus convocatis ad *Wintoniam* archiepiſcopo *Theodbaldo* & epiſcopis *Angliæ* cum cæteris Chriſtianæ ſollicitudinis miniſtris, circa menſem Septembrem decreta omnino neceſſaria & in cunctis ſeculis valde utilia ſtatuit. His enim uſque in hodiernum diem eccleſiaſtica ſeveritas potenter ulciſcitur in eos, qui vel in læſionem clericorum manus nepharie iniciunt, vel res eccleſiæ diripiunt ſive excommunicationi ſubjacent, vel in ea obeunt, quoniam quidem his provulgatis decretis, multorum inſolentia & præſumptio rebellis ſpiritus manſueſcere didicit & ſanctuario Domini deferre. Eodem anno mortuus eſt *Rogerus* epiſcopus *Searesberiæ*, cujus filium ſcilicet Cancellarium regis rex in inimicitias patris à regno ejecerat. Sic in noviſſimis in eo humiliata eſt gloria priſtinarum rerum; ad cujus arbitrium in diebus *Henrici* regis ſpectaverat omne regni negotium. Secundus enim à Rege in regno præminebat univerſis judicibus & principibus. Succeſſit ei in ſede *Salesberienſi* *Joſcelinus* archidiaconus *Wintonienſis*. Et factum eſt, applicuit in *Angliam* *Aaliz* imperatrix filia *Henrici* Regis uxor *Galfridi* Comitis *Andegavenſis*. Quam rex *Stephanus* citius obſeſſam intra quoddam caſtellum & ad deditionem coactam, ex indiſcreta animi ſimplicitate ad *Briſtowam* libere ire permiſit, ſuſcepit eam frater ejus *Rodbertus* Comes & milites qui erant in munitionibus ſcilicet *Glouceſtra*, & *Milo* in **Hereford** & *Brien* filius Comitis in **Walingaford** cum adjacentibus populis ejus opere obſecuti ſunt. Emerſitque per eam in *Anglia* perturbatio valde gravis, & infirmatum eſt firmamentum regni *Stephani* regis.

Stephanus Rex.

An. Dñi 1140.

ANno M. Cxl. ſanctæ memoriæ *Turſtinus* archiepiſcopus diſſolutionem ſui corporis imminere præſenſit, ſenio confectus & laboribus longis confractus. Aſſumptus enim ad regimen *Eboracenſis* eccleſiæ anno M. Cxiiij. in aſſumptione ſanctæ *Mariæ* bonum certamen conſtanter certavit pro ea, fidem perſeveranter ſervavit, curſum victorioſe conſummavit, quoniam à rege non exiguis eſt afflictus inimicitiis propter profeſſionem quam *Cantuarienſibus* facere non acquievit, maluitque ipſi electioni renunciare quam eccleſiæ ſuæ antiquam libertatem caſſare. Egreſſuſque à facie Regis, apud exteras nationes crevit in turbam magnam amicorum ſcilicet procerum & honeſtarum mulierum officioſe peregrinationi ejus obſequentium. In quibus & præ quibus majori devincta ei devotione animi fuit *Adela* Comitiſſa *Carnotenſis* ſoror *Henrici* Regis & mater *Stephani* Regis & *Theotbaldi* Comitis.

1141.

ANno M. Cxli. *Calixtus* papa Concilium *Remis* inſtituit xiij. kal. Novembris. Fuit autem dominus cum præfato *Turſtino*, unde & omnes adverſariorum conatus adverſus eum ſanioris ſententiæ conſultu prævertit, ſiquidem Apoſtolicus intercedentibus Cardinalibus eum in archiepiſcopum ſollempni conſecratione & liberi pallii datione confirmavit; Qui & regis contradictionem omnemque *Cantuarienſium* reclamationem irritam duxit. Datis etiam ei ad votum privilegiis, interdixit in poſteris ſeculis, ne *Cantuarienſis* exigere, neve *Eboracenſis* profeſſionem facere præſumeret. Directaque eſt domini Apoſtolici epiſtola anno M. Cxxi. ad regem & ad *Radulfum* archiepiſcopum *Cantiæ*, ne quis divini miniſterii cultus in eccleſiis *Cantiæ* & *Eboraci* ſive in parrochiis eis adjacentibus celebraretur, præter baptiſma parvulorum & pœnitentiam morientium, niſi *Turſtinus* infra unum menſem poſt acceptam epiſtolam hanc ſine exactione profeſſionis in Eboracenſem reciperetur ſedem. Iccirco citius in *Angliam* eſt à Rege revocatus, & in eccleſiam ſuam ſullimiter intronizatus. Qui receptus, præ faſtu honoris nichil remiſit à diſciplina ſanctæ converſationis & propoſito mentis; In victu enim & veſtitu & cæteris regularis vitæ inſtitutis ubique prætulit frugalitatem pontificalis honeſtatis. In diſtribuendis elemoſynis & miſericordiis pauperum, in diebus ſacerdocii ejus, rarus fuit inventus ſimilis ipſius. Qui & frequens in orationibus gratiam lachrimarum in celebratione miſſarum habuit à Domino. Idem cilicio ad carnem indutus, inter crebras confeſſiones à corporali vindicta ſibi non pepercit. Inſtantia ejus cotidiana ſollicitudo animarum fuit. Viros diſciplinatos & eruditos officiis eccleſiaſticis præficere, per eos eccleſiaſtica negotia diſponere, vicioſorum lenocinia zelo paſtorali demetere. Hoſpitalis in hilaritate, exorabilis in ſubjectos cum rectitudine, rigidus in repugnantes ſine crudelitate. Biennio ante electionem ejus ad inſtituta regularis ordinis initiatam *Haguſtaldenſem* eccleſiam tertiis, poſſeſſionibus & donariis magnis auctam ad bonum ſtatum divini miniſterii promovit. Qui & monachis cœnobii de *Fontibus*, cujus fundator fuit, ſimili ſedulitate munificentiæ deſervivit. In eccleſia *Eboracenſi* & in aliis eccleſiis ob recordationem ejus in magna veneratione habentur repoſita exennia quæ illis contulit larga manu plurima & precioſa. Sic homines ſuos terras & domum ſuam diſpoſuit in tranquilla pace & rerum opulentia, ſic eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum libertates, dignitates, immunitates conſervavit, provexit ad cotidiana religioſa incrementa, ut plane dixerim divinam ſapientiam ei cooperatam. Rarus in his diebus qui ſic religioſas perſonas reverenter excolat, beneficiis provehat, locis indignis ſumptuoſis elemoſynis frequenter ſubveniat. Sentiens igitur in ſe vitalem tepeſcere virtutem, diſpoſuit ſapienter domui ſuæ, mercedes miniſtrantibus ſibi perſolvendo, ablata reſtituendo, de ſingulis quibuſque rebus prudenti procuratione recogitando. Convocatiſque in ſua capella *Eboracenſis* eccleſiæ ſacerdotibus, facta coram eis ſollempniter confeſſione, coram altari ſancti *Andreæ* nudus humi expoſitus, corporalis vindictæ diſciplinam profuſis lacrimis ex contrito corde ab eis ſuſcepit, memorque voti ſui quod juvenis apud *Cluniacum* fecerat, ad monachos *Cluniacæ* profeſſionis apud *Pontemfractum* profectus eſt, proſequentibus eum ſenioribus eccleſiæ *Eboracenſis* & laicis plurimis: ſiquidem in die converſionis ſancti *Pauli* habitum & benedictionem monachi ſollempniter ſuſcepit & reſiduis diebus quibus ſupervixit, de ſalute animæ remiſſus non fuit. Anno igitur ab incarnatione Domini M. Cxl. & ab adventu *Normannorum* in *Angliam* lxxv. & regni *Stephani* 5. & archiepiſcopatus ſui xxvi. & menſe vi. viij. idus Febr. feria 5. circumſtantibus majoribus eccleſiæ *Eboracenſis* & aliis religioſis viris, imminente hora ſuæ vocationis, ipſe vigilias pro defunctis celebravit ix. lectionem ipſe legit: verſum reſponſi; *Dies illa dies iræ* ſubjunxit, ſignanter expreſſe ad ſingula verba ingemiſcens; Terminatiſque laudibus, convocatis monachis univerſis & orantibus, reddit ſpiritum, & in eccleſia ſancti *Johannis* Evangeliſtæ ante magnum altare condigno honore ſepultus eſt. Evolutis poſt hæc aliquot diebus cuidam archidiacono ſuo *Galfrido Turcople* viro celebris peritiæ in ſcolari eruditione in ſompnis quieſcenti aſtitit, pontificalibus ſollempniter præcinctus infulis: cui ſciſcitanti, Eſtne ſpes ſalvationis tuæ pater mi? reſpondit.

Vivere carne mori fuerat, ſed carne reſolvi
Eſt modo vera ſalus, vita beata mihi.

Poſt plurimos etiam annos monachis volentibus corrigere quippiam circa locum ſepulturæ ejus, remotus eſt lapis ſuperpoſitus, nullumque ſignum corruptionis inventum eſt in carne ejus ſive veſtimentis. Poſt mortem ejus continuo emerſit inſolentia & indiſciplinatæ diſſenſionis vaga licentia in clericos impudenſque contemptus, irreverentia laicorum adverſus eccleſiaſticas leges & perſonas, Regnique integritas diſſoluta eſt, quia unicuique quod libuit licuit. Eodem anno *Henricus* Comes cum conjuge ſua ad regem *Angliæ* profectus eſt. Inſurrexit in inimicitias in eum *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* propter **Carlel** & **Cumberland** quam jure patrimonii ſibi repoſcebat, voluitque eum in reditu cum armata manu involvere. Rex vero reginæ precibus commonitus ab intentato periculo tutatum eum patri & patriæ reſtituit, tranſpoſitaque eſt indignatio hæc in inſidias regiæ ſalutis. *Ranulfus* enim Comes omnes munitiones *Lincolniæ* occupavit ſibi. *Alanus* Comes nocturno furto aſcendens per murum irrupit cum ſuis in caſtellum de *Galclint*, poſſeditque caſtellum ipſum cum theſauro copioſo ejecto *Willielmo* de *Albania* cum ſuis. Idem *Alanus* Comes *Rikemundia* firmavit caſtrum ad **Hotun**, ſcilicet terram epiſcopi *Dunelmi*, & aggravata eſt manus ejus ſuper **Ripun** & homines loci illius. Ipſe enim & alii quique potentes viri tulerunt quæcunque in horreis, & in aliis rebus *Turſtinus* archiepiſcopus reſervaverat ſucceſſori ſuo neceſſaria prout quiſque conterminus fuit terris archiepiſcopalibus.

1142 ANno M. Cxlij. Poſt mortem *Turſtini* archiepiſcopi clerici *Eboracenſes* ſecundum deſideria cordis ſui varia & vaga ſententia circumacti fuerant toto anno ſuper electione facienda. Elegerant autem perſuadente legato *Henrico Wintoniæ* nepotem regis *Stephani Henricum* de *Coilli*. Qui quia præfuit abbatiæ *Kadomenſi*, noluit dominus apoſtolicus eum præfici archiepiſcopatui niſi renunciaret priori honori. Menſe Januario iterum de electione tractantes, in perſonam *Willielmi* Theſaurarii, plurimi conſenſerunt. Interfuit *Willielmus* Comes *Eboracenſis* ſollicitus ſuper promotione ejus. Apparuit autem hora eadem ſuper eos in aere magnum ſignum crucis per longitudinem & latitudinem eccleſiæ ſancti *Petri* protenſum. Adverſatus eſt electioni huic magiſter *Walterus Lundonienſis* archidiaconus cum ſociis ſuis archidiaconibus, quem proficiſcentem ad regem idem comes interceperat & in caſtro ſuo de **Bitham** incluſerat. Perductum itaque electum ad *Lincolniam* rex libenter ſuſcepit, & in terris & poſſeſſionibus *Eboracenſibus* confirmavit. Siquidem eodem menſe Januario in *Lincolnia Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* cum ſuis conjuratione facta obfirmavit animum ſuum in perſecutionem regis & regni. Auditus autem fuerat ter terræ motus in eadem urbe infra natale Domini.

Innotuit

EPHA- s Rex.

Innotuit regi *Stephano* citius conſpiratio hæc. Qui feſtinus improviſus affuit, & Comitem obſedit. Egreſſus eſt Comes nocte de turre in qua incluſus fuit, & profectus ad *Rodbertum* Comitem *Glaoceſtriæ* cujus filiam habuit uxorem, cum & familiam Imperatricis ſibi contraxit in auxilium, & *Walanos* pariter. Perſuaſerunt regi Seniores viri congregare exercitum, ſeſe inermes ad regis colloquium occurriſſe, non ad prælii procinctum profitentes. Aſpernabatur Rex clamans eos pueros imbelles, nichil hujuſmodi auſuros in eum. Delinitus enim erat juvenum Comitum favoribus regi verbo faventium, vires adverſariorum conſilio & auxilio foventium. Igitur in die Purificationis ſanctæ *Mariæ* acceſſerunt *Rodbertus* Comes *Glaoceſtriæ*, *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ*, *Willielmus* de *Romar* frater ejus in manu valida: Fuitque *Rodbertus* dux & diſpoſitor prælii. Rex quoque produxit ſuos ſocios in pugnam. *Alanus* Comes de *Richemund* cum ſuis conflictu nondum inito regi & prælio renunciavit. *Willielmus* Comes *Eboraci* à pugna elapſus Regem periculo expoſuit. Adverſarii iccirco ſumpta fidenter audacia reſiſtentes trucidaverunt. Capti ſunt autem *Bernardus* de *Baillel*. *Rogerus* de *Mulbrai*. *Ricardus* de *Carceio*. *Willielmus Foſſart*. *Willielmus Peverel*. *Willielmus Clerfeith*, & multi alii. Multi cæſi, diſperſi tandem univerſi, etiam & *Waleran* Comes de *Mellant*. Stetit autem rex in acie quaſi leo fortiorum fortiſſimus ad nullius perterritus occurſum. Diſſecuitque omnes ad congreſſum ſeſe opponentes donec comminueretur gladius in manibus ejus. Poſuit vero in manu ejus ſecurem *Danicam* quidam civis *Lincolniæ*. Nec facile dictu eſt quanto ſpiritu fortitudinis ipſe imminuit adverſariis. Viditque tandem omnibus ſociis ſuis pene diſperſis ſe ſolum reſiduum fore, nemo tamen ut comprehenderetur præſumpſit manus inicere in eum. *Ranulfum* Comitem aliquid intentare volentem in eum ipſe ſecuri in capite impetiit, genibuſque in terra ſeſe excipientem non plus ſapere debere quam oportuit ſapere docuit. Ad arbitrium itaque ejus vocatus eſt *Rodbertus* Comes conſanguineus ipſius, cui filio regis *Henrici* ipſe rex ſui corporis deditionem facere adquievit. Ductus eſt igitur ad **Briſtou**, ibique ſub cuſtodia poſitus eſt. *Willielmus* de *Clerfeith* prudenter elapſus de manibus Comitis *Ranulfi*, in **Thicchehill** caſtrum ſuum ſe recepit, frequentique procinctu proturbavit Comitem ipſum & ſocios ejus. *Gilebertum* de *Gant* tunc adoleſcentulum captum cum rege compulit idem Comes ducere neptem ſuam uxorem. *Alanum* Comitem de *Richemunt* evocatum ad colloquium ſuum *Ranulfus* Comes apprehendit, & caſtrum de **Galdint** & theſaurum in eo repertum ſibi reconſignare coegit multa famis afflictione, & alia egit in eum moleſta. Caſtrum de **Notingaham** Imperatrix *Adela* exegit à *Willielmo Peverel*, & impoſuit cuſtodem in eo *Willielmum Pamel* cum militibus ſuis. Alios potentes viros captos cum rege abſolvit ſub pecuniariæ redemptionis ſponſione. Tradiditque ſe plurima regni portio, acquieſcentibus *Henrico* legato & *Theodbaldo* archiepiſcopo dominio ejuſdem Imperatricis; pariter & *Lundonia* & *Wintonia* civitas. Vacavit ſedes *Lundoniæ*, & ad ipſius favorem *Rodbertus* de *Sigillo* qui fuit Cancellarius regis *Henrici*, tunc monachus de *Redingas* vir bonus ad regimen illius ſedis accitus eſt. Poſt Paſcha *Galfridus* epiſcopus *Dunelmi* defunctus eſt. Super quo parentes ejus tacitum habentes, eviſceratum & ſale conſperſum & infuſum eum inhumatum reſervaverunt, donec ſub auctoritate *David* Regis *Scotiæ* in munitionibus *Dunelmi* reciperent *Willielmum Cumin* Cancellarium ejuſdem regis. Fuerat enim idem *Willielmus* clericus & alumpnus ejuſdem *Galfridi* epiſcopi in obſequiis *Henrici* Regis. Videns itaque *David* rex multa competere in Imperatricis neptis ſuæ promotionem, poſt aſcenſionem Domini ad eam in *Suthangliam* profectus eſt. Divertenſque ad *Dunelmum* receptus eſt in oppidum, præcipitque omnia arbitrio Imperatricis reſervari; *Willielmumque Cumin* rerum gerendarum curam interim gerere. Venit itaque rex ad neptem ſuam, plurimoſque ex Principibus ſibi acquieſcentes habuit ut ipſa promoveretur ad totius regni faſtigium. Illa vero nequaquam ſecuta conſilium regis, feminea levitate erecta in quoddam regii animi faſtidium, contumacibus comminationibus principes contriſtavit. In regem quoque *Stephanum* truculenta ſe acturam profeſſa eſt. Iccirco *Henricus* legatus *Wintonienſis* epiſcopus frater regis *Stephani* averſus eſt ab ea, plurimique in inimicitias adverſus eam concitati ſunt. *Lundonienſes* etiam eam ex urbe ejecerunt, plurimuſque in regno tumultus exortus eſt, diſſidentibus adverſus ſe alterutrum his qui cum Imperatrice perſeveraverunt, & qui ei renunciaverant. Rexit autem familiam regis *Stephani Willielmus Dipre* homo *Flandrenſis*, & *Pharamus* nepos reginæ *Matildis* & iſte *Bononienſis*. Regina omnibus ſupplicavit, omnes pro ereptione mariti ſui precibus, promiſſis & obſequiis ſollicitavit. Et Deus ſuperbæ reſtitit, humili vero dedit gratiam. Etenim imperatrix collectis viribus ſuis cum rege *Scotiæ* & *Rodberto* Comite aſcendit in *Wintoniam*. Audiens milites ſuos incluſos in regia munitione expugnari à militibus legati, qui erant in mœnibus illius. Quam receptam in civitate regina adveniens cum ſuis obſedit: adjunxitque ſe ei in hoc opus *Henricus* legatus & *Lundonienſes*, & de die in diem conveniens principum regni multitudo, cum quibus & *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ*. Adverſus quem concitatum eſt murmur in exercitu timentium dolum, iccirco aufugit ad obſeſſos. Cumque obſidio in dies protraheretur, fame afflicta eſt multitudo. Emiſſi ſunt autem ducenti milites cum *Rodberto* filio *Edæ* & *Henrici* regis notho & *Johanne* Maraſcaldo, ut conducerent in urbem eos qui comportabant victualia in miniſterium Imperatricis & eorum qui obſeſſi fuerant. Quos perſecuti *Willielmus Dipre* & pars exercitus uſque ad **Warewella** (ubi eſt congregatio ſanctimonialium) & milites, & omnem apparatum qui erat copioſus abduxerunt. Nota facta ſunt hæc his qui in urbe erant. Qui jam non in concertatione ſed in fuga ſpem ſalutis gerentes, egreſſi ſunt, ne forte victores cum *Willielmo Dipre* ad ſocios regreſſi ſumpta fiducia ex cotidianis ſucceſſibus aliquid ſubitum in eos excogitarent. Et Imperatrix quidem non ſine magno conflictu & plurima difficultate erepta eſt. Emeruit in propugnatione ejus *Galfridus Boterel* frater *Alani* Comitis de *Richemunt* celebrem laudem, extremos ſociorum recolligens & incurſus hoſtium magnanimiter excipiens & potenter reſidens. Rex vero *Scotiæ* amiſſis pene univerſis ſociis imminens periculum evaſit, & in regnum ſuum feſtinanter ſe recepit. Abſcondit enim

STEPHANUS Rex.

eum

Stephanus Rex.

eum quidam filiolus ſuus *David Holiſard* commilito eorum qui urbem *Wintoniam* obſederant. Icirco qui regem anxie requiſierunt non invenerunt. *Rodbertus* Comes in anguſtiis cujuſdam pontis interceptus & retentus eſt. Et non multo poſt, id eſt circa feſtum ſancti *Martini* habito ad alterutrum deliberativo conſenſu Rex *Stephanus* regno reſtitutus eſt, & *Rodbertus* Comes liber dimiſſus eſt ſuis.

Henricus epiſcopus *Wintoniæ* legatus ad audientiam domini Apoſtolici direxit *Willielmum* electum *Eboracenſem*. Interpellabant enim eum *Willielmus* abbas *Rievallis* & *Ricardus* abbas de *Fontibus* ſecundus, *Cuthbertus* Prior de **Giſeburn**, *Walleſus* Prior de **Cirkaham** & *Rodbertus Hoſpitalis*, quod pecuniaria ſponſione ambierit ad honorem hunc. *Rodbertus* quoque *Biſech* Prior *Haguſtaldenſis* audita electione ejus ſtatim domum ſuam expoſuit & fratres, & ſub *Bernardo* Abbate *Claræ vallis* monachatui ſe contradidit.

An. Dñi 1143.

ANno M. Cxliij. *Ricardus* confirmatus eſt Prior *Haguſtaldenſis* ſecundum electionem fratrum per manum *Willielmi* decani & capituli *Eboracenſis*. Siquidem his diebus *VVillielmi* electi *Eboracenſis* cauſa audita eſt in conſiſtorio papæ *Innocentii*. Affuit & magiſter *Walterus Lundonienſis* archidiaconus præ manibus ſcriptas gerens allegationes abbatum & Priorum in eum. Tandem datum eſt præceptum, ut in dominica tertia quadrageſimæ ſequenti anno, ſuper quæſtione hac, & qui affuerant tunc & qui abſuerant, illuc concurrerent. *Willielmus Painel* magiſter militum in **Notingaham** movit militarem manum ad *Suthwellam*, volens irrumpere vallum quo conſepta eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* muniebantur, & prædam agere. Viriliter egit multitudo provinciæ quæ confugerat illuc in propugnatione loci. Periit etiam in ictu ſagittæ miles quidam ex hoſtili numero quiddam arrogans adverſus locum hunc locutus. Profectus eſt itaque idem *Willielmus* ad Imperatricem, ut cum numero militum revertens locum ipſum expugnaret. Et ecce ſub nocturnis tenebris ſecundum adinventionem duorum juvenum qui molendiniis præerant, milites *Willielmi Peverel* conſcendentes per clivum arcis, oppidum optinuerunt, omneſque qui Imperatrici faverunt de **Notingaham** ejecerunt. Poſt Paſcha rex *Stephanus* proſequente eum regina ſua *Mathilde* venit *Eboracum*, militareſque nundinas à *Willielmo* Comite *Eboraci* & *Alano* Comite de *Richemunt* adverſus alterutrum conductas ſolvit; habuitque in votis priſtinas ſuas injurias ultum ire, & regnum ad antiquam dignitatem & integritatem reformare, Præventus vero infirmitate copias militum quas contraxerat remiſit ad propria. His diebus *Rodbertus* de *Brus* obiit. *Willielmus* quoque *Cumin* ex datione imperatricis dominatus in rebus epiſcopalibus *Dunelmenſibus* plurimos plurimum afflixit. Poteſtas ejus quiddam tyrannicum ſapuit. *Ranulfus* archidiaconus *Dunelmenſis* nepos *Ranulfi* epiſcopi *Dunelmi*, vir præclaræ probitatis, in eccleſiaſticis neceſſitatibus egreſſus eſt, malens exulare quam intruſioni qua *Willielmus Cumin* ad epiſcopalem dignitatem ſpiravit acquieſcere. Secutus eſt eum citius *Rogerus* Prior ejuſdem eccleſiæ, vir ſanctiſſimi meriti, à primævis annis enutritus in clauſtralibus inſtitutis. Nec multo poſt in eccleſia *Dunelmenſi* interdictum eſt divinum officium, ceſſavitque in ea omne divinum canticum.

Step
nus

An. D
1144.

ANno M. Cxliv. ſecundum tenorem præcepti Apoſtolici *Willielmus* abbas *Rievallis*, *Ricardus* abbas ſecundus de *Fontibus*, *Cuthbertus* Prior **Giſeburne**, *Wallevus* Prior de **Kirchaham** & *Rodbertus Hoſpitalis Romæ* convenerunt, cum quibus *Walterus Lundonienſis* archidiaconus & *VVillielmus* Cantor *Eboracenſis*. Aſtitit & *VVillielmus* electus cum ſuis coadjutoribus. Adverſus quem coram apoſtolico proceſſerunt in cauſam hi qui eum appellaverant. Summa vero querelæ eorum in hoc niti videbatur, quod *VVillielmus* Comes *Eboracenſis* in Capitulo *Eboracenſi* præcepit ex ore regis hunc *VVillielmum* eligi. Iccirco decrevit apoſtolicus, ut ſi decanus *Eboracenſis VVillielmus* juraret hoc Regis præceptum ad Capitulum per Comitem nequaquam perlatum, hunc ad conſecrationem ſollempniter poſſe admitti, ſi tamen & ipſe pro ſe fidem daret, datione pecuniæ hunc honorem ſe non appetiſſe. Impetratum etiam fuit vice decani aliam approbatam perſonam ad ſacramentum poſſe ſubſtitui. *Rogerus* Prior *Dunelmenſis* & *Ranulfus* archidiaconus directa legatione ad Apoſtolicum, ei afflictiones eccleſiæ *Dunelmi* expoſuere. Cujus auctoritate freti convocaverunt ad ſe apud *Eboracum* in capella ſancti *Andreæ* quæ eſt ſita ſecus eccleſiam ſancti *Petri*, paucos de perſonis dioceſis *Dunelmenſis*, quos vix habere poterant propter perſecutionem *VVillielmi Cumin* in media Quadrageſima. Conſenſerunt ergo omnes in electione *VVillielmi* decani *Eboracenſis*, qui his diebus cuidam Concilio apud *Lundoniam* intererat. Erat enim grandævus, ſcientia litterarum, prudentia animi, & honeſtate converſationis epiſcopali dignus officio. Remeanti vero occurrentes apud **Wintringaham** ſuper flumen *Humbram* in eccleſiam eum aſſumentes, conſilii ſui negotium manifeſtarunt, & quamvis multum renitente & adverſante in eo conſenſum ſuæ electionis confirmaverunt invocatione divinæ gratiæ. Super promotione ejus facta eſt dilatio, quia *Henricus* epiſcopus *VVintonienſis* legatus in *Normanniam* transfretavit. Ad cujus reditum circa pentecoſten ipſe electus cum perſonis *Dunelmenſibus VVintoniam* adierunt. Impetrato igitur aſſenſu legati, & per eum regis ſuper eo, in octabis ſancti *Johannis Baptiſtæ* cum ſollempni reverentia, cooperantibus novem epiſcopis, conſecratus eſt in eccleſia ſancti *Swithini*. Apoſtolicus vero poſuit *VVillielmum Cumin* ſub anathemate; & archidiaconatus ejus quem habuit in *VVigornenſi* eccleſia ſine ſpe repoſcendi alii datus eſt. Qui ſuper his exaſperatus, in clericos & laicos quoſcunque comprehendit inſtar immaniſſimi prædonis graſſatus eſt, totamque pecuniam exhauſit provinciæ. Non erat princeps neque dux qui ejus violentias comprimeret. Erat autem miles quidam *Rogerus* de *Coincueriis* vir bonus & fidelis, hic non acquievit communicare actibus *VVillielmi Cumin*. Unde in poſſeſſione ſua ſcilicet in **Biſcoptun** firmavit ſibi munitiunculam, quia locus congruebat circumcinctus palude. In hac receptus eſt *VVillielmus* epiſcopus, fuitque poſitus in mœrore, quia vidit homines & res epiſcopales affligi. *Henricus* Comes filius regis *Scotiæ* & *Alanus* Comes *Richemundi* pecuniis *VVillielmi Cumin*

corrupti

TEPHA-
us Rex.

corrupti epiſcopum caſſis obſequiis ſæpe deluſerant. Venit idem epiſcopus cum multitudine ad *Dunelmum*, eccleſiam ſancti *Ægidii* vallo circumcingere elaborans, ut haberet locum illum ad munimen ſui. Et monachi qui incluſi erant occultum aditum paraverant, per quem epiſcopum cum ſuis introducere propoſuerant. Innotuit res *VVillielmo Cumin*; qui cum ſatellitiis ſuis armatis irruens, violenter irrupit in monaſterium, monachoſque circa corpus beati *Cuthberti* proſtratos in anguſtia ſpiritus reperiens juſſit trucidari, licet nullus acquieſceret. Repoſuitque illic cuſtodes & arma. His etiam temporibus plurimi plurimis in locis ſimiles intulere violentias eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis. *Galfridus* enim de *Magna villa* ejectis monachis monaſterio de **Rameſbi** abuſus eſt vice caſtri. Comes *Eboracenſis Willielmus* inimicitiis afflictus *Rannlfi* Comitis *Ceſtriæ* & *Gileberti* de *Gant*, monaſterium ſanctæ *Mariæ* de **Wiellintun** caſtrum ſibi fecit. *Alanus* etiam Comes de *Richemunt*, apud **Ripun** armatus cum armatis irrumpens in eccleſiam, *VVillielmum* archiepiſcopum ſecus corpus beati *VVilfridi* irreverenter dehoneſtavit. Qui *VVillielmus* à tranſmarina regreſſus profectione menſe Septembris apud *VVintoniam* ſecundum Apoſtolici decretum legati conſtitit judicio, conſidentibus cleri *Angliæ* nobilibus. Inſtabat pro eo multitudinis deſiderium non tam depoſcentis, quam exigentis eum conſecrari. Non apparuit ibi quiſquam qui adverſus eum mutire præſumeret. Mandatus ad hunc conventum *VVillielmus* epiſcopus *Dunelmenſis*, directo reſponſali excuſavit ſe per urgentes *Willielmi Cumin* perturbationes. Vice ejus ſurrexerunt *Radulfus Nuel* epiſcopus de *Orcadis*, *Severinus* abbas *Eboracenſis*, & *Benedictus* abbas de **Witebi**, ſatisfacturi cum electo & pro electo. Conſecratus eſt itaque à legato, ſcilicet *Henrico* epiſcopo *Wintonienſi*, vj. Kal. Octobris *Willielmus* archiepiſcopus *Eboracenſis*, multis collætantibus ſuper ejus promotione. Hoc anno obiit papa *Innocentius*: ſubſtitutus eſt pro eo *Celeſtinus* vir grandævus, ſupra vires quædam animo concipiens adverſus *Rogerum* Regem *Siciliæ* propter eandem *Siciliam* quæ juri Apoſtolici competebat. Fuerat autem alumpnus *Andegavenſium*, eorumque manus corroborare in depreſſionem regis *Stephani* propoſuerat. Qui & hac de cauſa in inimicitias *Henrici* epiſcopi *VVintonienſis* concitabatur. Obiit *Milo* Comes *Herfordiæ* in vigilia natalis Domini, venatui inſiſtens & ſagitta transfixus. Obiit & *Adam* de *Brus*.

Dñi
45.

ANno M. Cxlv. *Henricus* epiſcopus *VVintonienſis Romam* profecturus apud *Cluniacum* moratus eſt. Interim *Celeſtinus* papa obiit, cui *Lucius* ſucceſſit, non adeo auſterum ſpiritum animi gerens. In conſpectu ejus prædictus *Henricus* epiſcopus gratiam reperit, & eorum quos Imperatrix adverſus eum direxit illuc allegationes accuſationum infirmavit. Legati tamen nomen & officium non optinuit. His diebus juvenis miles *VVillielmus* nepos *VVillielmi Cumin* cum favore multorum edoctus res militares diſponere & negotia populi amminiſtrare, apud **Werringtun** eccleſiam ſancti *Johannis* Evangeliſtæ vallo circumcinxit, & cuſtodiam militum ibi diſpoſuit. Perdidit autem ſenſum juvenis quidam cementarius & periit, qui propugnacula in muris eccleſiæ conſtruxit. Percuſſus eſt & ipſe miles paſſione, & morte ſubſequente citius multatus eſt. Quo mortuo, concidit ſpes & fiducia *VVillielmi Cumin*. Jamque modeſtius ſapere didicit, & velle reconciliari epiſcopo priuſquam de eo ſimilis expeteretur vindicta. Mediante ergo *Willielmo* archiepiſcopo *VVillielmus* epiſcopus & *VVillielmus Cumin* convenerunt in fœdus pacis, ut *Ricardus Cumin* teneret de epiſcopo *Alvertun* & totum illum honorem, cætera de integro reſignarentur in manu epiſcopi. Erat autem iſte *Ricardus* nepos *VVillielmi Cumin* frater illius *VVillielmi* defuncti. Die itaque ſancti *Lucæ* Evangeliſtæ epiſcopus in ſedem epiſcopalem intronizatus per manum *VVillielmi* archiepiſcopi, & *VVillielmus Cumin* cum multitudine ſua abſolutus eſt. Proſecuta eſt tamen eum debitæ ultionis pœna à Domino. Poſt aliquot enim dies miles quidam *Rodbertus* de *Mundavilla*, in quem & in uxorem ejus, ſcilicet filiam *Galfridi* epiſcopi *Dunelmenſis*, idem *VVillielmus Cumin* nequiter egerat, percuſſit nepotem ejuſdem *VVillielmi Oſbertum* adoleſcentem militem amantiſſimum omnibus qui in obſequio *Henrici* Comitis filii Regis *Scotiæ* fuerunt, & militem cum eo *Stephanum* potentem viribus & ſtrenuum inter ſocios *VVillielmi Cumin*. Ipſum etiam *VVillielmum Cumin Ricardus de Luvetot* comprehendit, & per multos dies in carcere tormentis gravibus & pœnis afflixit. *Stephanus* rex Imperatricem in **Oxeneford** obſedit, ipſius deditionem potius quam oppidi appetens. Ipſa vero in nivibus niveis involuta linteis beneficio noctis adjuta effugit, & in *Walingaforda* ſalvata eſt.

STEPHA-
NUS Rex.

An. Dñi
1146.

ANno M. Cxlvj. *Hicmarus* epiſcopus Cardinalis directus ab apoſtolico *Lucio* legatus venit in *Angliam*, habens pallium *VVillielmo* archiepiſcopo deſtinatum. Moram autem fecit per negligentiam idem *VVillielmus* occurrere ei, circa alia minus neceſſaria occupatus, ut conſuetudinem habuit; Fuerat enim filius *Herberti VVintonienſis* Theſaurarii *Henrici* Regis, enutritus ſemper in deliciis & divitiis, & raro labori aſſuetus; benignitate tamen animi innocentis & liberalitate plebi valde karus. Obiit itaque *Lucius* papa, rexitque apoſtolicam ſedem *Eugenius*, abbas obſervationis *Ciſtercienſis*, prius vocatus *Bernardus*. Defunctus eſt etiam *VVillielmus* primus abbas *Rievallis*, uſque in hodiernum diem pro meritis conſummatæ virtutis apud poſteros reverendæ memoriæ habitus. Præfuit pro eo *Mauricius*, à puero educatus in clauſtro *Dunelmenſi* monachus, & ad diſciplinam rigoris *Ciſtercienſis* voto perfectionis ſe transferens. Quo poſt modicum officio abbatis eodem fervore perfectionis renunciante, ſubſtitutus eſt pro eo *Ethelredus* abbas, præminentem gratiam in ſermone ſapientiæ adeptus à Domino. Defunctus eſt & *Ricardus* ſecundus abbas de *Fontibus*. Tranſtulit ad regimen illius loci *Bernardus* abbas *Claræ vallis*, *Henricum Murdac* abbatem *Vallis claræ*, excellentia quidem generis ſed potius præcellentem frugalitate converſationis, ante monachatum, ſub venerabili archiepiſcopo *Turſtino* tam in *Eboracenſi* eccleſia quam in circumjacenti provincia ex dono parentum honoribus & divitiis locupletatum. Reſumpta itaque confidentia convenerunt qui adverſati fuerant *VVillielmo* archiepiſcopo, & cum eis iſte *Henricus* plurimum præſumens ſibi de gratia Apoſtolici. Quibus inſtantibus in appellatione adverſus eundem archiepiſcopum *Eboraci*, *Hicmarus* revocatus *Romam* rediit, palliumque reportavit.

An. Dñi 1147. ANno M. Cxlvij. *VVillielmus* archiepiſcopus *Eboracenſis* apoſtolicum *Eugenium* adiit, officii ſui plenitudinem, id eſt pallium poſtulaturus. Aſtipulabantur ei inſtanter ſuffragia *Romani* ſenatus. Scripſit vero adverſus eum *Bernardus* abbas *Claræ vallis*, cui apoſtolicus quaſi peccatum arriolandi reputavit repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Fuitque in anguſtia animi poſitus dum fruſtrata *Romanorum* ſententia abbatis conſulto præfert ſatisfacere. Præcepit itaque tandem eundem *Willielmum* ab officio epiſcopali ceſſare, donec *Willielmus* epiſcopus *Dunelmi* decanus quondam *Eboracenſis* ſecundum decretum *Innocentii* papæ ſacramento ſuo huic controverſiæ finem daret. Videns ergo idem *Willielmus* conatus ſuos nequaquam proſperari, ad *Rogerum* Regem *Siciliæ* cognatum ſuum divertit, & cum *Rodberto* Cancellario ejuſdem regis oriundo de *Anglia*, ſcilicet in *Salesberia*, plurimis diebus commoratus eſt. Erat autem *Rodbertus* idem potentiſſimus inter amicos Regis, pecunioſus & donatus honoribus magnis. Afflictione ejuſdem *Willielmi* permoti quidam milites conſanguinei ejus, quandam poſſeſſionem monachorum de *Fontibus* cum copiis opum quæ ibi congeſtæ conſervabantur incenderunt. Facta eſt ſuper hoc querela coram Apoſtolico, qui plurimum voluit poſſe manus in eundem *Willielmum* inicere & ulciſci. His temporibus orta ſimultate inter *Theobaldum* archiepiſcopum *Cantiæ* & *Henricum* epiſcopum *Wintoniæ*, ipſi adverſum alterutrum Apoſtolicum appellaverunt; ſcriptiſque directis & exeniis ſumptuoſis papam & ſenatum quiſque pro ſe prævenire ſtuduit. Interdixit etiam archiepiſcopus epiſcopo epiſcopale & ſacerdotale officium. Induſtria tamen Regis *Stephani* epiſcopus frater ejus in gratiam archiepiſcopi receptus eſt. Super quo archiepiſcopus præſens offenſam Apoſtolici incurrit, quia eo inconſulto hoc factum eſt; animus enim Apoſtolici cum Rege *Stephano* & fratre ejus *Henrico* epiſcopo non fuit. Præminuit his diebus in clero *Romano* *Rodbertus Pullanus* Cancellarius Apoſtolicæ ſedis, in omni ſapientia & doctrina experientiſſimus, *Britannia* oriundus, ab ineunte ætate philoſophiæ deditus, ejuſque optentu epiſcopalem honorem ab *Henrico* Rege oblatum reſpuens, victum & veſtitum habens his contentus fuit.

1148. ANno M. Cxlviij. *Ludovicus* rex *Franciæ* zelo Chriſtianæ fidei paganam multitudinem expugnaturus *Jeroſolymam* profectus eſt, peregre proficiſcente cum eo regina ſua *Alienora* filia *Willielmi* Ducis *Aquitanniæ*. Profecta eſt cum eo pene infinitas quædam ex univerſitate regnorum & provinciarum Chriſtiani cultus, pari propoſito ducta.

Periit in hac profectione *Willielmus* de *Waren* Comes à paganis interceptus, qui cuſtodiam poſteram Chriſtiani exercitus obſervabat. Perieruntq́ & nobiles principes de tranſmarinis partibus, & multitudo plurima cum eo. Promeruit celebrem gloriam *Rogerus* de *Mulbrai*, ſingulari certamine de quodam pagano tyranno triumphans. *Eugenius* papa in *Galliis* Concilio præſidens *Willielmum Eboracenſem* generali edicto ab archiepiſcopatus *Eboracenſis* officio & beneficio ammovendum cenſuit. Qui etiam directa epiſtola ad *Willielmum* epiſcopum *Dunelmi* & capitulum *Eboracenſem*, infra dies xl. acceptæ epiſtolæ loco ejus virum litteratum, diſcretum, religioſum eligendum decrevit. Eundem itaque *Willielmum* de *Sicilia* reverſum *Henricus* epiſcopus *VVintoniæ* ad ſe tulit, eique non niſi quaſi archiepiſcopo officioſiſſime cotidianum miniſterium prærogavit. Qui in toto tempore humiliationis ſuæ non protulit murmur, non querimoniam, ſed corde tacito mens ſibi conſcia conſervavit patientiam. Adverſus æmulos non oblocutus eſt, immo ab obloquentibus animum & auditum avertit. Nullus ex ſociis adeo frequens & continuus aſſedit lectioni, inſtitit orationi, totus enim immutatus eſt in virum alterum. Igitur ſecundum Apoſtolici decretum in ſuburbio de **Richemund** apud eccleſiam ſancti *Martini* in vigilia S. *Jacobi* apoſtoli convenerunt majores cleri *Eboracenſis* eccleſiæ & dioceſeos, de electione archiepiſcopi tractaturi. Noluit enim *Willielmus* epiſcopus *Dunelmi Eboracum* venire, quia infeſtus ei fuit *Willielmus* Comes *Eboraci*, à quo ſub vi anathematis epiſcopus exigebat **Ovenden** & alias poſſeſſiones eccleſiæ *Dunelmenſis* ſibi præreptas à Comite. Factaque eſt diſſenſio inter eos de qualitate perſonæ eligendæ. *Rodbertus* enim de *Gant* cancellarius regis & decanus, & *Hugo Putheacenſis* nepos regis, & theſaurarius, quos *Willielmus* archiepiſcopus promoverat ad honores in eccleſia *Eboracenſi* & pars cum eis conſenſerunt in electione magiſtri *Hylarii* clerici Apoſtolici. *Willielmus* autem epiſcopus *Dunelmenſis*, *Aldulfus* epiſcopus de **Karleol**, *Willielmus* de *Ango* Cantor *Eboraci* & archidiaconi & pars reſidua cum eis *Henricum Murdac* abbatem de *Fontibus* prætulerunt in electione. Litem hanc eorum diremit Apoſtolicus conſecrans *Henricum* archiepiſcopum *Eboracenſem* apud civitatem *Treveris* in octabis ſancti *Andreæ* dominica ſecunda Adventus Domini. *Hylarius* vero ex Apoſtolici præcepto jam fuit conſecratus epiſcopus eccleſiæ *Ciceſtriæ*. Qui *Hylarius* in miniſterio *Henrici Wintoniæ* epiſcopi plurimum gloriæ precium emeruit. Poſtea ad miniſterium Apoſtolici tranſlatus, in reddendis & proſequendis cauſis advocatus diſertiſſimus & juris conſulti peritus in curia *Romana* fuit. Defunctus eſt eodem anno *Johannes* epiſcopus *Glaſguenſis*, propter excellentiam virtutis *David* regis *Scotiæ* familiariſſimus, ſepultuſque eſt in eccleſia de **Geddewirth**. In qua Conventum regularium clericorum ipſe diſpoſuit. Electus pro eo *Herbertus* Abbas de *Ralceio*, vir & ipſe ſtrenuus, conſecratus eſt à papa *Eugenio* apud *Antiſiodorum*. Obiit *Alexander* epiſcopus *Lincolniæ*. Obiit & *Rodbertus* Comes *Glaworniæ* filius nothus *Henrici* Regis.

An. D 114 ANno M. Cxlix. *Malachias* archiepiſcopus *Hyberniæ* plenus fide & Spiritu ſancto mandatus ab Apoſtolico venit, iter faciens per *Angliam*, benefaciens multis conſilio ſalutari in verbo doctrinæ: profectuſque ad *Claram vallem*, infirmatus iiij. Nonas Novembris ſanctiſſimo fine quievit in Domino.

Qui

phanus Rex.

Qui qualiter ab ineunte ætate vixerit, quia gregem Domini pavit in innocentia cordis ſui, & intellectibus manuum ſuarum deduxit, *Bernardus* abbas *Clara vallis* fideli ſcribit relatu. *Rodbertus* quoque epiſcopus *Herefordenſis* in tranſmarinis partibus cum Apoſtolico conſiſtens infirmatus obiit, quem clerici ejus propter reverentiſſimum vitæ ipſius meritum inde reportatum ad ſedem epiſcopalem ſepelierunt. His temporibus civitas *Heliſiponis* in *Hyſpania* circumcincta obſidione & expugnatione à *Chriſtianis* capta eſt. In qua ejectis idolatris ſedem epiſcopalem reſuſcitaverunt. *Henricus* archiepiſcopus *Eboracenſis* in *Angliam* venit; quem recipere rex *Stephanus* & civitas *Eboracenſis* non acquievit; factaque eſt confuſio maxima infidelitatis in ea. Quiſquis enim ad eum egredi præſumeret, à civitate, ſi in manus civium recideret, cum tormento & dampno rerum quas habebat ejectus eſt. Præbendæ in fiſcum regium redactæ ſunt, & homines ſancti *Petri* violentiis & direptionibus expoſiti. In **Ripun** *Henricus* archiepiſcopus ſe recepit, & in *Hugonem Putheacenſem* theſaurarium anathematis ſententiam dedit, & in omnes in civitate *Eboraci* conſiſtentes. *Willielmum* quoque Comitem *Eboracenſem*, & omnes à ſe diſſidentes pari pœna multavit. *Hugo* vero theſaurarius in *Eboracenſi* eccleſia principans, nichil de eccleſiaſticis ſervicils omitti permittens, *Henricum* archiepiſcopum & ei obſequentes pari inſtantia excommunicari fecit. Facta eſt fœda in archiepiſcopatu ſuper hac re diſſenſio & zeli contentio. *Willielmus* epiſcopus *Dunelmi* *Henricum* archiepiſcopum ſollempniter excepit. Cui venienti ad regem *David* in *Karleolum*, *Addulfus* epiſcopus ejus urbis parem reverentiam exhibuit. His temporibus *Henricus* epiſcopus *Wintonia*, in expenſis opulentis, & gloria divitiarum multa *Romam* profectus, à minis adverſariorum coram Apoſtolico potenter ſe evolvit. A quo poſtulatus papa ſcripſit *Henrico* archiepiſcopo, ut in *Hugonem Putheacenſem* nepotem ejus mitius ageret. Qui *Hugo* theſaurarius interim epiſcopales poſſeſſiones *Wintonia*, & caſtra cum militari manu ipſe militans defenſabat. Cujus complicum contentio in hac ejus remotione quietius egit in *Henricum* archiepiſcopum.

. Dñi 150.

ANno M. Cl. *Henricus* filius *Galfridi* Comitis *Andegavis* & *Adela* Imperatricis, ad Pentecoſten venit **Karleol**. Excepit eum rex *David* cum reverentia magna & ſumptuoſa præparatione opulentæ munificentiæ. Militiæ enim cingulo donavit eum, cooperantibus ſibi *Henrico* filio ſuo & *Ranulfo* Comite *Ceſtriæ*. Remiſit autem idem *Ranulfus* indignationem qua **Karleol** ſub patrimoniali jure repoſcere conſueverat, fecitque homagium eidem regi *David*. Convenit enim ſermo inter eos ut pro **Karlel** haberet honorem de **Lanecaſtre**; filiuſque *Ranulfi* Comitis ducturus foret uxorem unam de filiabus *Henrici* filii regis *Scotiæ*. His diebus rex *Stephanus* venit *Eboracum*, munitiunculamque **Coldric** in manus civium diruendam tradidit. Pollicitatione enim magnarum pecuniarum adventum regis illuc impetravere, terrore opidanorum, ex illa parte urbe ingredi vel egredi non præſumentes. Et rex *David* & tyro *Henricus* dux *Normanniæ*, & *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* in unam ſententiam convenerunt, junctis viribus in regem *Stephanum* pergere. Proceſſitque rex *David* cum copiis ſuis ad *Lanacaſtra*, & *Henricus* prædictus cum eo, ibi enim *Ranulfus* Comes promiſit eum collectis agminibus ſuis occurrere illis. Qui nichil eorum quæ condixerat proſecutus, avertit propoſitum eorum. Iccirco *Henricus* dux in patriam ſuam reverſus, in militaribus ſe exercuit diſciplinis; viribus corporis prævalidus, moribus quiddam ſenile præferens. Fuitque inter eum & *Euſtachium* filium regis *Stephani* æmulatio alternæ probitatis, erant enim ambientes ad ejuſdem regni honorem. Quem *Euſtachium* pater ſuus rex ad militiæ faſces celebriter extulit, adjutus favore & munificentiis *Henrici* epiſcopi *Wintonienſis* fratris ſui. Et *Stephanus* rex ſuggerentibus civibus *Eboracenſibus* ad *Beverlacum* divertens, pecuniaria pœna in homines loci illius ultus eſt, qui *Henricum* archiepiſcopum eo inconſulto in villam recipere præſumpſerunt. Revocatus eſt autem ne caſtrum ibi conſtrueret, beati *Johannis* evidenti revelatione conterritus & comminatione. Reverſus vero ad *Eboracum*, ab optimatibus ſingillatim ſecundum uniuſcujuſque perſonæ qualitatem exegit & pecuniæ quantitatem. Fuit etiam in regno magnum diſpendium, unuſquiſque enim ad adinventionis ſuæ libitum corrupit monetæ & numiſmatis precium.

STEPHANUS REX.

Poſt regis abſceſſum venit filius ejus *Euſtachius* *Eboracum*, divinaque officia in eo ceſſare reperiens, clericos de divinis miniſteriis nil omittere coegit. Scripſit ſuper hoc *Henricus* archiepiſcopus papæ anxie querelam. Eodem anno *Rodbertus* de *Chennebai* archidiaconus eccleſiæ de *Lincolnia* aſſumptus ad regimen ejuſdem eccleſiæ, epiſcopus conſecratus eſt. Rex etiam *Franciæ Lodowicus* à *Jeroſolimitana* profectione in ſedem regni reverſus eſt.

An. Dñi 1151.

ANno M. Clj. *Rodbertus* de *Sigillo* epiſcopus *Londonienſis* in epiſcopalibus officiis ſancte converſatus inter reficiendum guſtans uvas veneno illitas obiit. Defuncti ſunt & in eadem refectione ei adjuncti plurimi eruditi, magni nominis viri. Succeſſit pro eo *Ricardus* archidiaconus *Londoniæ*, eloquentia præditus valde commendanda: cujus noviſſima plena erant mœrore; obmuteſcens enim plurimis annis tandem triſti fine periit. *Gilebertus* epiſcopus *Oliſiponis* prædicans in *Angliam* plurimos ſollicitavit in *Hyſpaniam* proficiſci *Iſpalim* obſeſſuros & expugnaturos. Circa hæc tempora, *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* quiddam priſcarum inſidiarum renovare velle in regem *Stephanum* deprehenſus, artiſſimæ cuſtodiæ eſt traditus. Qui & expoſitus plurimo tormento & afflictione *Lincolniam* & alias munitiones ſuas regi reſtituit. Poſt multos autem dies dato pro ſe obſide *Gileberto* de *Clara* Comite nepote ſuo, à vinculis ipſe ſolutus, omnia quæ promiſerat irrita fecit, obſidemque periculo expoſuit. Qui & anxius ſuper ablatis ſibi munitionibus id ſumm adinvenit remedium, de *Normannia* revocare *Henricum* ducem in *Angliam*, cui etiam ad optinendum regnum pollicitus fuit ſuam operam & multorum conſenſum. Applicuit igitur in *Angliam* dux *Normanniæ Henricus*, divertitque in eccleſiam littori contiguam oraturus. Ingredienſque baſilicam ſubito obvium habuit miniſtrum altaris, acceptumque à presbytero celebrante divina miſteria oſculum pacis oblatum ab eo primus omnium ipſe accepit. Contulit ſe ad eum *Rodbertus* Comes de *Legaceſtria*, & ſanioris conſilii quidam proceres regni, videntes in eo ſapientiam Dei ad faciendum judicium. Qui vero volebant ſibi poſſe licere quæ temere libebant, ab eo declinabant. *Hugo Putheacenſis* theſaurarius *Eboracenſis* apud *Jarum* ab anathemate abſolutus, in gratiam *Henrici* archiepiſcopi receptus eſt. Filius quoque Regis *Stephani Euſtachius* ſolus cum ſolo *Henrico* archiepiſcopo locutus omnem inimicitiam remiſit.

An. Dñi 1152. ANno M. Clij. *Stephanus* rex & *Henricus* archiepiſcopus convenerunt in gratiam: remiſſaque eſt in alterutrum adverſus omnes cuncta querela. Idemque archiepiſcopus in die Converſionis ſancti *Pauli* in ſede ſua *Eboracenſi* magnifice receptus eſt. Privilegia dignitatum, libertatum, immunitatum ab Apoſtolicis eccleſiæ *Eboracenſis* antiquitus collata ipſe redempta ſuper altare optulit. Qui & ſub anathemate interdixit, ne quis ea denuo ab eccleſia illa alienare præſumeret. *Willielmus* enim archiepiſcopus & privilegia, & multa alia precioſa de theſauro eccleſiæ *Eboracenſis* pro pecuniis quas in profectionibus ſuis ad *Romam* inſumpſerat, nummulariis expoſuerat. Igitur quæ propoſuit, in eccleſia *Eboracenſi* diſpoſitis, *Henricus* archiepiſcopus citius *Romam* adiens, cum *Eugenio* papa Paſchale feſtum celebravit, directus interceſſor ad eum ſuper negotiis regis & regni. In quibus præcipuum fuit, ut *Euſtachius* filius regis Apoſtolica auctoritate confirmaretur hæres regni. His diebus appulit apud *Tynamutha* in *Northymbria Johannes* presbyter Cardinalis directus Apoſtolicæ ſedis legatus cum palliis *Hybernienſibus* directis. Excepit eum *Willielmus* epiſcopus *Dunelmi* cum reverentia. Scripſit autem *David* regi *Scotiæ* ſignificans de ſe & de cauſa adventus ſui, expetens conductum ejus in *Hyberniam*. Et rex tunc cum exercitu ſuo confirmavit *Willielmum* filium *Dunecani* nepotem ſuum in honorem de **Sciptun**, & *Crafna*, munitiunculamque ab hoſtibus conſtructam effregit, ejectiſque militibus diruit. Peccaverunt ibi *Scotti* in direptionibus eccleſiarum, pro quibus rex dato unicuique eccleſiæ calice argenteo ſatisfecit. Auditis litteris domini Cardinalis, rex feſtinanter occurrit apud **Karlel**, præmittens ad eum Cancellarium ſuum apud *Haguſtaldenſem* eccleſiam; in ea enim idem Cardinalis excellenter ſuſceptus eſt, & cum eo quidam epiſcopus *Hyberniæ*. Venientem itaque ad ſe Cardinalem circa feſtum ſancti *Michaelis*, rex & filius ejus *Henricus* Comes officioſe ſuſceperunt, ejuſque favorem expenſis & obſequiis devotis emeruerunt. Profectus inde in *Hyberniam* quatuor pallia certis ſedibus diſtribuit, gentemque in ea legi nuptiarum non aſſuetam plurimum correxit. Venerat autem idem Cardinalis presbyter in præcedenti anno ad regem *Angliæ*, cui non acquievit rex conductum præſtare niſi fidem daret ſe in hac profectione regno *Anglorum* nullum dampnum quærere. Reverſus eſt ob hunc ſermonem cardinalis ad Apoſtolicum indignans; fuitque ſuper hoc *Romana* Curia ingrata regi. *Galfridus* Comes *Andegavenſis*, princeps potens & prudens valde in diſponenda republica ſua, obiit, filium ſuum *Henricum* ducem *Normanniæ* hæredem ſuæ virtutis & honoris dimittens. Cui in augmentum divitiarum additus eſt ducatus *Aquitanniæ*. Cauſa enim conſanguinitatis facto divortio inter *Ludowicum* regem *Franciæ* & *Alienoram* reginam ſuam, iſte *Henricus* accepit eam uxorem cum ducatu ſupradicto. Erat enim ipſa hæres unica *Willielmi* ducis patris ſui.

An. Dñi 1153. ANno M. Cliij. *Johannes* presbyter cardinalis legatus, in *Hybernia* propter quæ miſſus fuerat diſpoſitis, poſt Paſcha reverſus eſt ad regem *Scotiæ* propter devotiſſimum reverentiæ obſequium plurimo ſibi dilectionis affectu devinctum. *Stephanus* vero rex prioris repulſæ ſuæ pœnitens, eundem cardinalem ad ſe rogavit venire, pollicens ei de priori injuria ſe velle ſatisfacere. Eiſdem diebus *Matildis* regina *Angliæ* uxor *Stephani* regis obiit, ſepultaque eſt in villa regia **Fefresham**, in qua conventum monachorum & manſionem eorum ipſa diſpoſuerat. Poſt Pentecoſten defunctus eſt cognatus ejus *Henricus* Comes filius *David* regis *Scotiæ*, modeſtiſſimi ſpiritus princeps, homo diſciplinatus, & timoratus, & devotus in miſericordiis pauperum; ſepultuſque eſt in monaſterio monachorum apud *Calcehon* ſecus **Rochesburh**, quod *David* pater ejus conſtruxerat. Rex autem *David* diſſimulato mœrore ſuper interitu reginæ *Angliæ* neptis ſuæ & filii ſui unici tulit continuo *Melcholmum* primogenitum filii ſui, & dato ei rectore *Dunecan* Comite cum exercitu copioſo, juſſit eundem puerum per provincias *Scotiæ* circumduci & proclamari hæredem regni. Juniorem vero filium *Willielmum* ipſe aſſumens venit ad *Novum caſtellum*, acceptiſque obſidibus à principibus *Northymbriæ* omnes ejuſdem pueri dominio ſubditos fecit. Deceſſit & *Theobaldus* Comes *Palatinus* nepos *Henrici* regis & frater *Stephani* regis, multorum cœnobiorum conſtructor, munificus in peregrinos & pauperes, princeps pacis & juſticiarum, utiliſſimus in moderanda republica totius regni *Franciæ*. *Henricus Eboracenſis* archiepiſcopus venit ad *Haguſtaldenſem* eccleſiam, moratuſque eſt ibi in poſſeſſione ſua per plurimos dies æſtatis. Querelam etiam fecit apud **Karleol** regi *David* ſuper foreſtam ſuam quam vaſtaverunt homines regis qui operabantur in argentaria. Zelo etiam legis ductus, dum eſſet ibi, canonicis in eadem eccleſia plurimam auſteritatem quarundam inſtitutionum ſuperaddere ſtuduit. Idem in præbendis eccleſiæ ſancti *Oſwaldi* apud *Glauoceſtria* canonicos regulares induxit, prælato eis Priore *Unfredo* litterato & religioſo de conventu *Lantoniæ*. Qui & de præbendis eccleſiæ ſancti *Johannis Beverlaci* idem propoſitum animi mortuo *Turſtino* præpoſito geſſit, quod tamen cita morte præventus conſummare non potuit. Eodem anno *VVillielmus* epiſcopus *Dunelmi* ſanctæ memoriæ obiit, idus Novembris. Poſt cujus obitum continuo emerſerunt incrementa tribulationum adverſus clericos & laicos in epiſcopatu *Dunelmenſi*. Clerici enim prorſus eluctabantur omne præceptum & mandatum *Henrici* archiepiſcopi diſſimulare, & abſque ejus præjudicio quod valde pertimeſcebant epiſcopum ſibi prævidere. *Rogerus* etiam de *Conigneriis* vice patris ſui *Rogeri* jam defuncti munitionis *Dunelmenſis* & terrarum poteſtatem agens, in procinctu militari augmentum gloriæ juveniliter ſibi quærens, homines epiſcopatus pecuniaria exactione ſæpe gravavit, eiſque cauſa direptionis apud alios frequentius fuit.

n. Dñi
1154.

ANno M.Cliiij. apud *Dunelmum* in die ſancti *Vincentii* martyris *Laurentius* Prior, *Wazo* & *Ranulfus* archidiaconus univerſitaſque cleri conſenſerunt in electione *Hugonis* theſaurarii *Eboracenſis*, & per reſponſales ſuos *Wazonem* archidiaconem, & *Nicholaum* Priorem de **Brincaburch** rem geſtam citius *Henrico* archiepiſcopo apud *Beverlacum* denunciaverunt. Archiepiſcopus vero electionem improbans, acceſſumque reſponſalium ad ſe præveniens, diluculo ipſe miſſam de Spiritu ſancto celebravit, Prioremque, & archidiaconos anathemate dampnavit. Exortuſque eſt tumultus multus adverſus archiepiſcopum ſuper repulſa hac. Siquidem in capite jejunii apud *Eboracum* convenerunt ad archiepiſcopum Prior & archidiaconi *Dunelmi*, & magiſter *Laurentius* & *Nicholaus* Prior, quos pariter excommunicaverat, ſeſe abſolvi poſtulantes electionemque ſuam canonum firmitate niti conſtanter aſtruentes. Inſurrexerunt etiam in murmur cives *Eboraci* cum eis, contumelias regiæ majeſtatis vociferantes in eum. Iccirco archiepiſcopus feſtinavit egredi ab urbe, & non eſt regreſſus in eam uſque ad diem mortis ſuæ. Qui nec propter preces *Euſtachii* filii regis venientis ad eum apud *Beverlacum* de ſententia hac aliquid remiſit. Dum hæc gererentur, *Hugo* electus in *Suthanglia* moratus non ſe immiſcuit jurgio huic. Et clerici quidem *Dunelmi* videntes Apoſtolici gratiam archiepiſcopo arridere, neque de rege neque de quoquam alio ad munimen ſui præſumpſere. Verumtamen poſt multas difficultates abſoluti ſunt, adjuti mandatis *Theodbaldi* archiepiſcopi *Cantuarienſis* legato ſedis Apoſtolicæ. Menſe Auguſto *Hugo* venit *Eboracum*, & archiepiſcopum ſibi propitium non habuit, cui capitulum *Eboracenſe* conſilium vel auxilium ferre non præſumpſit. Fretus itaque ſcriptis *Theodbaldi* archiepiſcopi & aliarum approbatarum perſonarum *Angliæ* ipſe cum clericis *Dunelmi* præſentiam papæ adiit. Magiſter vero *Laurentius* divertens ab eis, apud ſanctum *Albanum* monachorum ſe contradidit inſtitutis, poſt paucos annos à rege *Henrico* monachis *Weſtmonaſterii* ſullimiter prælatus, amoto abbate *Gervaſio* filio regis *Stephani*, qui res loci illius juveniliter diſſipavit. Eodem anno *David* rex *Scotiæ* apud **Karlel** preſſus infirmitate ix. Kal. Junii obiit, cujus memoria per omnes generationes in benedictione eſt. Similis illius principis in diebus noſtris non fuit; divinis devotus officiis, ſingulis diebus omnes canonicas horas, etiam vigilias defunctorum audire non prætermittens. Prædicabile quidem in eo, quod in ſpiritu conſilii & fortitudinis barbaræ gentis ſuæ feritatem ſapienter moderatus eſt: quod in abluendis pedibus pauperum frequens, alendiſque eis & veſtiendis miſericors fuit: quod cœnobia **Saltehou**, **Maſlros**, **Neubothle**, **Holmcoltran**, **Jeddewerth**, **Crag**, & hæc quidem cis mare *Scotiæ* ſita, terris & redditibus ad ſufficientiam locupletata ipſe conſtruxit; præter ea quæ in *Scotia* & in aliis locis bona operatus eſt. Qui etiam apud exteras nationes, peregrinos, religioſos & ſeculares ſuis munificentiis donavit. Glorioſius dixerim, quod frugalitate cotidiana victus & veſtitus, ſanctitate honeſtæ converſationis, diſciplina morum etiam viris cœnobialibus ſe imitabilem præbuit. Regnavit autem xxix. annis, corpuſque ejus ad *Dunfermelin* delatum in ſepulchro regum *Scotiæ* ſepultum eſt, ubi & ſancta *Margareta* regina mater ejus requieſcit. De quo fertur, quia mare quod adjacet *Dunfermelin* procelloſis ventorum æſtuavit fragoribus, naufragium minitans transfretare cum corpore volentibus: poſito vero corpore regis in navi, mare quievit à fervore ſuo. Cumque corpus in aliud litus à navi exponeretur, mare iteratis agitatum eſt æſtibus tempeſtatum. Tollens igitur omnis populus terræ *Melcholmum* filium *Henrici* Comitis filii ipſius *David* regis apud *Scotiam* ſicut conſuetudo illius nationis eſt, puerum admodum duodennem conſtituerunt regem pro *David* avo ſuo. De quo veraciter dici poteſt, *Cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum. Northymbria* vero ſubjecta fuit *Willielmo* fratri ejus. Obiit *Euſtachius* filius regis *Stephani*; & *Henricus* epiſcopus *Wintoniæ* inſtantius promotiones *Henrici* ducis excoluit. Quo mediante, frater ejus *Stephanus* rex & *Henricus* dux datis acceptiſque ſacramentis abinvicem convenerunt in fœdus ſub vinculo pacis. Confirmatumque eſt inter eos, quod *Henricus* dux negotia regni diſponeret, hæreſque regni poſt regem *Stephanum* haberetur, idemque *Henrico* epiſcopo *Wintoniæ* ut patri acquieſceret de cauſis agendis in regno. Qui & *Willielmo* filio regis *Stephani* cum comitatu de *Waren* conſervatis ei quæ ex hæreditario jure ei competebant, ſcilicet comitatus duo in *Anglia* principatum ſuper negotia regni ei contraderet. Conſenſerunt in hoc omnes principes regni, humiliatique ſunt ſub manu regis *Stephani* qui adverſati ſunt ei. Continuo exiit edictum ab eis per omnes provincias violentias comprimi, direptiones interdici, milites conductitios & ſagittarios exterarum nationum à regno eici, munitioneſque quas quiſque in ſua poſſeſſione poſt mortem *Henrici* regis conſtruxerat dirui. Juſtitia ergo & pax ubique in regno revocata eſt. Obiit *Simon Silvanectenſis* Comes *Northamtoniæ*, & *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ*. Obiit *Eugenius* papa, ſucceſſit ei *Anaſtaſius* vir grandævus. *Bernardus* quoque abbas *Claræ vallis*, quem unctio ſpiritus docuit de omnibus, defunctus eſt. *Henricus* etiam archiepiſcopus *Eboracenſis* apud *Beverlacum* pridie idus Octobris obiit, cujus corpus ad *Eboracum* delatum, in ſepulchro pontificum ejuſdem eccleſiæ conditum eſt. De quo in hoc opere quoddam miraculum mirabile, & in his diebus fere fatu & relatu incredibile, inſerere volumus, ſicut vir vitæ venerabilis *Ethelredus* abbas *Rievallis* ſtilo veraci & lenibus exaravit verbis. *Vide poſt pag.*

Explicit opus Johannis *Prioris xxv. annorum.*

Ricardus Prior *Haguſtaldenſis*, de ſtatu & Epiſcopis *Haguſtaldenſis* Eccleſiæ.

Incipit Prologus operis ſequentis.

De tempore Regum.

GEnerali nomine regio *Northanhymbrorum* tempore regum vocabatur quicquid erat ab *Humbra* flumine uſque ad alium fluvium qui vocabatur *Tweda*. Hæc autem ſubdiviſa erat in duas provincias, ſcilicet in *Deiram* quæ ab *Humbra* incipiens, ad *Teſam* fluvium terminabatur; & in *Berniciam* quæ à *Teſa* uſque ad *Twedam* protendebatur. Unde etiam quidam reges *Northanhymbrorum* regnabant ſuper ſolos *Deiros*, ſicut *Elle*; quidam ſuper ſolos *Bernicios*, ſicut *Adda* filius ejuſdem *Elle*; quidam ſuper utroſque, ſicut *Edwinus* filius ejuſdem *Elle*, & ſanctus *Oſwaldus*, & poſt eum frater ejus *Oſwius*. A tempore cujus *Oſwii* utraque regio ſub uno regno remanſit.

De tempore Conſulum.

DEinde tempore Conſulum cœpit vocari *Northumbria*, terra illa quæ erat inter *Tinam* & *Twedam*. Hodierno vero tempore provincia *Northanhymbrorum* appellatur terra illa quæ à fluminibus *Tina* & *Derewentione* incipit. Sunt etenim illi fluvii metæ ex illa parte inter terram ſancti *Cuthberti* & comitatum *Northumbriæ*, quæ uſque ad *Twedam* perveniens, ab occidentali parte habet **Weſtmerland & Cumberland**, & ab orientali, mare, quod Occeanus dicitur. Illæ autem ſupradictæ provinciæ diverſis temporibus *Chriſti* fidem ſuſceperunt. Namque anno Dominicæ incarnationis DC. xxvij. regni vero ſui xj. rege *Edwino* in die Paſchæ *Eboraci* baptizato per beatum *Paulinum* ſancti papæ *Gregorii* diſcipulum, *Deira* ad fidem *Chriſti* catholicam converſa eſt, & ab eiſdem eodem anno eccleſia in honore ſancti *Petri* Apoſtoli in *Eboraco* fundata eſt. At deinde vij. annis tranſactis, hoc eſt, Dominicæ incarnationis anno DC. xxxiiij. per prædicationem ſanctorum *Oſwaldi* regis ac martyris, & *Aidani* epiſcopi *Bernicia* Chriſtianitatem ſuſcepit. Mox autem eodem anno ipſi fundaverunt eccleſiam *Lindiſfarnenſem* in honore ſancti *Petri* Apoſtolorum principis. Deinde xl. annorum curriculo tranſcurſo circa Dominicæ incarnationis DC. lxxiiij. annum, à beatæ memoriæ *Wilfrido Eboracenſi* epiſcopo, in honore S. *Andreæ* Apoſtoli *Haguſtaldenſis* eccleſia fundata eſt. Igitur hæ ſolæ ſupradictæ tres eccleſiæ in tota gente *Northanhymbrorum* epiſcopali dignitate primitus in antiquo tempore celebres fuerunt. Inter quas *Haguſtaldenſis* licet erat tempore poſterior, non tamen in poſſeſſionum habundantia, vel in ornamentorum copia, vel in dignitatum gloria inferior habebatur, excepto quod *Eboracenſis* ſemper erat metropolitana; quoniam prædictus pater *Wilfridus* & beata *Etheldrida* regina, cum & in terrenarum divitiarum opulentia ditiſſimi & in Dei cultu devotiſſimi eſſent, ſumma mentis intentione ac tota animi alacritate hanc magnificare & exaltare ſategerunt. Igitur ſanctus *Wilfridus* epiſcopalem ſedem in ea ſedit primus. Quo expulſo & exulante, *Tunbertus*, *Eata*, *Johannes* in eadem ſibi per ordinem ſucceſſerunt. Deinde ipſe pater rediens, plene illam recuperavit. In qua poſt mortem ſuam ſanctum *Accam* presbyterum ſuum ſucceſſorem habuit. Iſti igitur & alii ſancti ac venerabiles viri qui prædictæ eccleſiæ epiſcopali jure præfuerunt, glorioſa vita atque converſatione ſua prædicabili illam illuſtrem ac laudabilem reddiderunt. Quinetiam de factis & dictis ſuis quam plurima memorabilia, & in ea & in aliis locis poſt ſe reliquerunt. Quæ fere omnia tam regionis crebra vaſtitas, quam temporis longa vetuſtas delevit. Pauca tamen quæ in antiquorum ſcriptis ſparſim invenimus, prout potuimus in unum collegimus. In quibus quanta & qualis illa eccleſia antiquitus fuerit, qui ex minimis majora perpendere exercitati ſunt, ſaltem aliqua ex parte cognoſcere poſſunt.

Explicit præfatio operis ſequentis.

Incipiunt Capitula.

Cap. I.

Q*Uomodo, & à quibus, & quando* Haguſtaldenſis *eccleſia ſit ædificata; & quare* **Heſtoldeſham** *ſit appellata.*

II.

Quare quibuſve cauſis in tempore beati Wilfridi *duo epiſcopi ad eccleſiam* Eboracenſem *conſecrati fuerunt, ad quam ipſe electus & conſecratus fuit.*

III.

De conſtructione & mirabili opere Haguſtaldenſis *eccleſiæ.*

IIII.

De aliis eccleſiis ejuſdem loci: de ſurdo muto & tineoſo per miraculum ſancti Johannis *ſanato.*

V.

De pace inviolabili per unum miliare circumquaque ipſius eccleſiæ, & de auctoritatibus & de confirmationibus archiepiſcoporum & epiſcoporum, de privilegiis apoſtolicorum, & de libertatibus regum, de largitionibus principum eidem eccleſiæ collatis, & de terminis epiſcopatus eccleſiæ ipſius.

VI.

Quomodo beatus Wilfridus *ad epiſcopatum acceſſerit, ſive in epiſcopatu ſe habuerit.*

VII.

Quod ſancta Etheldrida *dedit ſancto* Wilfrido, *quem familiariter & ſpecialiter diligebat,* **Heſtoldeſham** *cum circumjacente regione quam à rege* Ecfrido *in dotem acceperat, ut ibi epiſcopatum ſibi faceret.*

VIII.

De prima expulſione ſancti Wilfridi Eboracenſis *archiepiſcopi.*

IX.

Quoto anno ab incarnatione Domini ſanctus Cuthbertus *ad converſionem venit, & quomodo abbas* Eata *eccleſiam* Lindisfarnenſem *ad regendum ſicut* Melroſenſem *recepit, & qualiter ſanctum* Cuthbertum *de* Melros *ad* Ripum *tranſtulit, ac deinde ad* Lindisfarnenſem *eccleſiam ut in Prioris auctoritate praeſſet redire fecit.*

X.

Quomodo ſanctus Cuthbertus *ad eccleſiam* Haguſtaldenſem *electus fuit, & quare* Lindisfarnenſem *recepit, & de* iiij. *ſanctis epiſcopis qui contemporanei fuerunt.*

XI.

Quomodo ſanctus Wilfridus *poſt expletionem octo annorum primæ expulſionis ſua epiſcopatum* Haguſtaldenſem *recepit; ſanctus vero* Johannes *de* Haguſtaldenſi *eccleſia tranſlatus* Eboracenſem *ſuſcepit.*

XII.

De ſecunda ſancti Wilfridi *exulatione & revocatione, ac ejus felici morte.*

XIII.

Recapitulatio annorum prædictorum ſanctorum epiſcoporum Johannis & Wilfridi.

XIIII.

Quando ſanctus Acca *presbyter, vir ſtrenuiſſimus, coram Deo & hominibus magnificus, cantator peritiſſimus, in litteris ſacris doctiſſimus, eccleſiam* Haguſtaldenſem *ſuſcepit, & quam mirifico ac multifario decore adornavit, & magnificis muneribus ampliavit, & multimoda largitate ditavit.*

XV.

Quomodo ſanctus Acca *epiſcopus de ſede ſua fugatus eſt, & quod in teſtimonium ſanctitatis ejus ſudarium, caſula & tunica, quibus corpus ejus involutum fuerat, cum priſtina pulchritudine & fortitudine poſt multa temporum curricula reperta ſunt.*

XVI.

De temporibus trium epiſcoporum, ſcilicet Frendberto, Alcmundo, *&* Tilberto.

XVII.

De miſerabili morte Elfwaldi *regis* Northumbriæ, *& regno regis* Oſredi, *& de ſynodo apud* **Aclech.**

XVIII.

De curriculo annorum trium epiſcoporum, videlicet Ethelberto, Headredo, *&* Eanberto: *& quomodo* Ethelbertus *ſedem ſuam in* Candida caſa *reliquit, & eccleſiam* Haguſtaldenſem *ſuſcepit.*

XIX.

De ordine, & numero, & annorum curriculo Haguſtaldenſium *epiſcoporum ante devaſtationem miſerrimam & deſolationem maximam regionis* Northumbriæ *factam à rege* Haldano Danamarchiæ.

Expliciunt Capitula libri primi.

Incipiunt Capitula libri ſecundi.

Cap. I.

Quomodo Eardulfus *epiſcopus & abbas* Eadredus *de inſula* Lindisfarnenſe *incorruptum corpus ſancti* Cuthberti *exportaverunt, & per* vij. *annos de loco ad locum cum illo diſcurrerunt.*

II.

Quomodo per Eardulfum Lindisfarnenſem *epiſcopum,* Haguſtaldenſis *epiſcopatus apud* Ceſtriam *reſtauratur, & qualiter poſtea per* Aldunum *epiſcopum ad* Dunelmum *corpus ſancti* Cuthberti *tranſportatur.*

III.

Quod Haguſtaldenſis *eccleſia ex illa antiqui honoris prærogativa hanc libertatem optinet, quod nec propter ſynodum, nec propter criſma, nec propter aliquam cauſam epiſcopo* Dunelmenſi *aliquod debitum debet, niſi forte ob aliquam eccleſiaſticam cauſam diſcutiendam ipſe epiſcopus eccleſiæ mandaverit, & tunc Prior vel frater aliquis ipſius eccleſiæ veniet.*

IIII.

Quod eccleſia Haguſtaldenſis *nunquam patronorum ſuorum, epiſcoporum ſcilicet ſanctorum* Eatæ, *&* Accæ, *&* Alchmundi, *& cæterorum venerabilium præſulum* Fredberti *&* Tilberti *divina pietate protegente ſit deſerta, nec unquam eorum ſacris reliquiis ſit deſtituta.*

V.

Quomodo illa quondam inclita & multiplici cultu poſſeſſionis & religionis magnifica, Haguſtaldenſis *videlicet eccleſia eccleſiæ* Eboracenſi *cum quadam villa nomine* **Holm** *in prabenda ſit data.*

VI.

De quadam re digna memoriæ archiepiſcopi Thomæ, *& de eo quod Deus non per offenſionem ad iram eſt provocandus, ſed potius per bonam operationem ad miſericordiam inclinandus, ut ſua creatura miſereatur propiciatus.*

VII.

De electione ſecundi Thomæ Eboracenſis *archiepiſcopi.*

VIII.

Quando Haguſtaldenſis *eccleſia poſt ſecundam devaſtationem à rege* Danorum Haldano *factam, ut prædictum eſt, ad religionem eſt converſa.*

IX.

Quomodo Ailanus *presbyter pater* Etheldredi *abbatis* Rievallis *prædictam eccleſiam liberam & quietam Deo obtulit; in manu Prioris* Rodberti Biſet, *per pulchrum philaterium cum magna devotione reddidit.*

X.

Quomodo prædictus presbyter apud ſanctum Cuthbertum Dunelmi *habitum monachilem ſuſcepit, & qualia dona ad decorem domus Domini ſecundus* Thomas Eboracenſis *archiepiſcopus prædictis canonicis donavit.*

XI.

De morte piæ memoriæ prædicti Thomæ Eboracenſis *archiepiſcopi, & de ejus ſucceſſore* Turſtino, *& de bonis quæ præfatis canonicis fecit.*

XII.

De libertatibus regum & largitionibus principum, ac de eleemoſynis aliorum fidelium.

XIII.

XIII.

Quanta venerationis ac dignitatis Haguſtaldenſe *monaſterium apud antiquos fuerit, quam mirifice fundatum, quam magnifice ornatum, & quam glorioſiſſime exaltatum extiterit.*

XIIII.

De pace quæ à regibus & principibus Haguſtaldenſi *eccleſiæ & omnibus ad eam confugientibus antiquitus data fuerit, & quæ vindicta illis ſit injuncta qui eam infregerint.*

Expliciunt Capitula.

Incipit quædam brevis Annotatio bonæ memoriæ *Ricardi* Prioris *Haguſtaldenſis* eccleſiæ, de antiquo & moderno ſtatu ejuſdem eccleſiæ, & de pontificibus ejuſdem eccleſiæ.

CAP. I.

Quomodo, & à quibus, & quando Haguſtaldenſis *eccleſia ſit ædificata, & quare* **Heſtoldeſham** *ſit appellata.*

EST in *Northanhymbrorum* provincia haud procul à *Tina* flumine ad auſtrum ſita villa quædam, nunc quidem modica & raro cultore habitata, ſed ut antiquitatis veſtigia teſtantur, quondam ampla & magnifica. Hæc autem à rivulo ibi decurrente, & quandoque ad modum torrentis exuberante **Heſtild** nomine, **Heſtoldeſham** quaſi prædium **Heſtild** vocatur. Beata vero regina *Etheldreda, Annæ* regis orientalium *Anglorum* filia, primo auſtralium *Girviſorum* principi nomine *Tunberto*, ſed illo poſt modicum defuncto, deinde *Ecfrido Northanhymbrorum* regi deſponſata fuit. Quæ tamen integritatis virginalis gloriam ſemper intactam Deo protegente ſervavit. Hæc itaque ſancto *Wilfrido* quem plurimum dilexit, illi inquam jam exiſtenti *Eboracenſi* epiſcopo prædictam villam cum circumjacente regione, circa annum Dominicæ incarnationis DC. lxxiiij. in perpetuam eleemoſinam dedit, ut eam epiſcopali cathedra ſullimaret, quam ipſe primus, & poſt eum alii jure eccleſiaſtico ſederent.

CAP. II.

Quare quibuſve cauſis in tempore beati Wilfridi *duo epiſcopi ad eccleſiam* Eboracenſem *conſecrati fuerunt, ad quam ipſe electus & conſecratus ſit.*

IGitur *Eboracenſem* eccleſiam ad quam primo electus & conſecratus fuerat, ſed illo demorante vel potius exulante in transmarinis partibus, alii pro eo in eadem conſecrati ſunt antiſtites, illis eam tandem conceſſiſſe creditur. Ipſe vero tum ob amorem dilectiſſimæ dominæ ſuæ, prædictæ ſcilicet reginæ, tum propter ſecretiorem & quietiorem vitam quam ibi agere poterat, tum quia in illis partibus Chriſtianitatis religio rudis adhuc & novella erat, tum etiam quia ex decretis patrum noverat, abſque magna neceſſitate non licere unum epiſcopum duos epiſcopatus ſimul poſſidere, tum quia *Agatho* papa in *Romano* Concilio ei laudaverat, ut ipſius conſilio in *Eboracenſi* eccleſia alius pro eo epiſcopus ſubſtitueretur, & ipſe novum epiſcopatum ſuum poſſideret & reſtauraret, ad prædictum locum conſtruendum & ædificandum omnem curam & operam ſuam impendit. Quod autem cultus fidei Chriſtianæ tener adhuc in partibus illis erat, ex hoc maxime manifeſtum eſt, quia quaſi circa xl. annos antea, fidem *Chriſti* regio illa ſuſceperat; Gens quippe *Berniciorum* per prædicationem ſanctorum *Oſwaldi* regis & martyris, & *Aidani Lindisfarnenſis* epiſcopi anno Dominicæ incarnationis DC. xxxiiij. ad fidem Chriſti converſa eſt.

CAP. III.

De conſtructione & mirabili opere Haguſtaldenſis *eccleſiæ.*

SAnctus igitur *Wilfridus* circa Dominicæ incarnationis annum DC. lxxiiij. & ætatis ſuæ quaſi xl. & epiſcopatus ſui quaſi x. & regni *Ecfridi* quaſi iiij. in prædicta villa eccleſiam in honorem Dei & ſancti *Andreæ* Apoſtoli ad rependendum beneficium quod ejus interceſſione conſecutus eſt, artificioſiſſima ſtructura conſtruxit. Nam cum primo *Romam* veniſſet, ejus eccleſiam frequentans de remiſſione peccatorum ſuorum pro qua inſtantius orabat, per hoc certificari poſtulabat, ſi de ingenii ſui tarditate & linguæ ſuæ ruſticitate ipſius interventu abſolvi mereretur. Nec mora, precibus dilecti Apoſtoli ſui tantam gratiam fideli ſuo contulit propicia Dei bonitas, ut ad quælibet diſcenda promptiſſimam ingenii vivacitatem, & ad quælibet intellecta explicanda congruam ſermonis fecunditatem ſe habere ſentiret, ut poſtea per innumerabilium animarum ſalutem quas Deo lucratus eſt, efficaciſſime in ſancta eccleſia claruit.

Deſcriptio Haguſtaldenſis *Eccleſiæ.*

IGitur profunditatem ipſius eccleſiæ criptis & oratoriis ſubterraneis, & viarum anfractibus, inferius cum magna induſtria fundavit. Parietes autem quadratis, & variis, & bene politis columpnis ſuffultos, & tribus tabulatis diſtinctos immenſæ longitudinis & altitudinis erexit. Ipſos etiam & capitella columpnarum quibus ſuſtentantur, & arcum ſanctuarii hiſtoriis, & imaginibus, & variis celaturarum figuris ex lapide prominentibus, & picturarum, & colorum grata varietate mirabilique decore decoravit. Ipſum quoque corpus eccleſiæ appenticiis & porticibus undique circumcinxit, quæ miro atque inexplicabili artificio per parietes, & cocleas inferius & ſuperius diſtinxit. In ipſis vero cocleis, & ſuper ipſas aſcenſoria ex lapide & deambulatoria, & varios viarum amfractus modo ſurſum, modo deorſum artificioſiſſime ita machinari fecit, ut innumera hominum multitudo ibi exiſtere, et ipſum corpus eccleſiæ circumdare poſſit, cum à nemine tamen infra in ea exiſtentium videri queat. Oratoria quoque quam plurima ſuperius et inferius ſecretiſſima et pulcherrima in ipſis porticibus cum maxima diligentia et cautela conſtituit, in quibus altaria in honore beatæ dei genitricis ſemperque. virginis *Mariæ* et ſancti *Michaelis* archangeli ſanctique *Johannis* Baptiſtæ et ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum atque virginum, cum eorum apparatibus honeſtiſſime præparari fecit. Unde etiam uſque hodie quædam illorum ut turres et propugnacula ſupereminent. Quas autem et quorum Sanctorum reliquias, et quas et quam religioſas perſonas, et quantam miniſtrorum copiam deo devote ſervientium ibi congregaverit, et quam magnifice et religioſe precioſis theſauris librorum, veſtimentorum et quorumcumque utenſilium et cæterorum ornamentorum uſui ſanctæ eccleſiæ congruentium ipſam baſilicam interius ornaverit, noſtræ exiguitatis ſermociunculus explicare non ſufficit. Atrium quoque templi magnæ ſpiſſitudinis et fortitudinis muro circumvallavit. Præterquam in alveo lapideo aquæductus ad uſus officinarum per mediam villam decurrebat. Multiplicem autem et copioſiſſimam ædificiorum ſtructuram quæ vaſtatio & vaſtitas delevit ſuperſedemus, cum tamen fundamenta plurima adhuc ibi paſſim reperiantur; ſicut enim antiquæ hiſtoriæ et cronica teſtantur, inter ix. monaſteria quibus prædictus præſul pater et patronus præerat, et inter omnia alia totius *Angliæ* artificioſa compoſitione et eximia pulchritudine hoc præcellebat. Denique citra Alpes nullum tale tunc temporis reperiri poterat.

CAP. IV.

De aliis eccleſiis ejuſdem loci, de ſurdo muto & tineoſo per miraculum ſancti Johannis *ſanato.*

Sunt autem præterea in eadem villa duæ adhuc aliæ eccleſiæ, una haud procul à muro matris eccleſiæ mirandi operis, et ipſa ſcilicet in modum turris erecta et fere rotunda, à quatuor partibus totidem porticus habens, in honorem ſanctæ *Mariæ* ſemper virginis dedicata. Altera in honore ſancti *Petri* Apoſtoli, aliquantulum remotior. Eſt etiam oratorium quoddam in veneratione ſancti *Michaelis* archangeli dedicatum ultra flumen *Tinæ* in monte ripæ ejuſdem amnis imminenti, qui Anglice **Erneſhou**, Latine mons aquilæ dicitur, ad ſeptentrionem ſitum. Ubi etiam ſanctus *Johannes* primo prædictæ, deinde *Eboracenſis* eccleſiæ epiſcopus, mutum et tineoſum ſanaſſe legitur. Ibi quoque dei miſeratione et Sanctorum ſuorum interceſſione virtutes et miracula et morborum curationes uſque hodie crebro fiunt. Unde etiam moderno tempore dum *David* rex *Scociæ* graves inimicitias exercens contra *Stephanum* regem *Angliæ Northumbriam* devaſtaret, duo *Picti* de ejus exercitu forte ad idem oratorium venientes, hoſtium ejuſdem fregerunt, et quod ibi invenerunt ſecum abſtulerunt; ſed vindicta dei non defuit, nam mox dæmoni traditi ſenſu privantur, et prout furor eorum illos exagitabat, in conſpectu omnium paſſim per nemora et rura diſcurrentes, alter ipſe ſibi os primo lapidibus conterens, deinde amputatis femoribus, alter ſeipſum in *Tinæ* fluvium ſubmergens, uterque miſerabiliter utraque morte dampnati perierunt. Igitur idem locus in magna veneratione habetur, & cum creberrime aliis temporibus, præcipue tamen in vigilia & natali ſancti *Johannis* Baptiſtæ innumeris tam ſanorum quam infirmorum hominum turbis frequentatur. A prædicta autem villa quaſi per unum miliare diſtat. Has vero tres eccleſias ſanctus *Wilfridus* incepiſſe creditur, ſed beatæ memoriæ *Acca* pontifex ſucceſſor ejus illas conſummavit. Unam, ut ſupradictum eſt, ad honorem ſanctæ *Mariæ* ſemper virginis, & aliam ad honorem ſancti *Michaelis*; quia ejuſdem Dominæ interceſſione & ipſius archangeli viſitatione, de quadam ſua maxima infirmitate quam in *Gallia* apud *Meldun* paſſus eſt convaluit. Tertium vero ad ſancti *Petri* apoſtoli honorem, quia tociens ad ejuſdem ſedem pro neceſſitatibus ſuis remeans, per ipſum ab ipſius ſucceſſoribus honorifice ſuſceptus, de omnibus injuſte ſibi adverſantium calumpniis cum magno honore eſt liberatus. Præter has autem multas alias & hoſtilis crebra deſtructio, & plurima temporum revolutio conſumpſit.

CAP. V.

De pace inviolabili per unum miliare circumquaque ipſius eccleſiæ, & de auctoritatibus & de confirmationibus archiepiſcoporum & epiſcoporum, & de privilegiis Apoſtolicorum, de libertatibus regum, de largitionibus Principum eidem eccleſiæ collatis, & de terminis epiſcopatus eccleſiæ ipſius.

Hoc quoque monaſterium ſæpedictus pater ex liberalitate & auctoritate Regum ac Principum pace excellenter nobilitavit; Omnibus namque venientibus & redeuntibus circumquaque per unum miliare ab ipſa eccleſia pacem inviolabiliter cuſtodiri & ſuo tempore fecit, & poſteris contuendam conſtituit. Quod inſtitutum auctoritate & privilegiis *Romanæ* ſedis Apoſtolicorum & archiepiſcoporum & epiſcoporum & Regum & Principum tam *Scociæ* quam *Angliæ* confirmatum, quæ privilegia in eadem ſunt eccleſia, hodierno quoque [tempore] immutabiliter conſervat, & deo propitio perpetualiter conſervabit. Sunt etiam ibi quædam loca à quatuor partibus ipſius eccleſiæ, quæ quaſi ſigna & metæ ipſius pacis publicæ à populo ex nomine deſignantur, infra quæ nulli licet aliquem temerario auſu invadere. Quam inſtitutionem ſi forte aliquis temerarius infringere audebit, & magnæ pecuniæ dampno obnoxius erit, & perpetuo anathematis gladio ab eccleſia ſeperabitur, niſi per ipſam eccleſiam ad congruam ſatisfactionem venerit. Unde ut in geſtis antiquorum & modernorum reperiri poteſt, tempore pacis & belli innumeras hominum catervas cum eorum ſubſtantiis ab hoſtili invaſione & gladio conſervavit. Ut autem quidam ferunt, ab oriente mare, à meridie *Teſa* fluvius, ab occidente *Wetherhala*, à ſeptentrione *Alna* fluvius, *Hanguſtaldenſis* epiſcopatus termini fuerunt. Prædicto vero patri facile erat in dei opere tot & tantas impenſas facere. Nam cum ix. monaſteriorum pater, & plurimarum & amplarum & regionum & divitiarum poſſeſſor eſſet, in tanto honore & reverentia habebatur, ut quam plurimi abbates & abbatiſſæ ſe ſuaque cœnobia ſuæ cuſtodiæ ſubicerent & commendarent; alii vero poſt mortem ſuam eum ſibi ſucceſſorem ſuiſque rectorem ſubſtituerent. Inſuper etiam inſigniſſimorum principum nobilitas filios kariſſimoſque parentes ſuos ejus urbanitati & ſanctitati committebant, ut inſtitutionis ſuæ eruditione nobilitati in provectiore ætate, aut ſecundum doctrinam & conſilium ſanctiſſimi præſulis deo imperpetuum ſervirent, aut ad anteceſſorum ſuorum dignitates jure ſucceſſionis promoverentur. De *Roma* quoque & *Italia* & *Francia* & de aliis terris ubicumque invenire poterat, cementarios & quoſlibet alios induſtrios artifices ſecum retinuerat, & ad opera ſua facienda ſecum in *Angliam* adduxerat. Ad majorem autem evidentiam, quomodo prædictus pater ad epiſcopatum acceſſerit, & in epiſcopatu ſe habuerit, breviter & ſummatim repetatur.

CAP. VI.

Quomodo beatus Wilfridus ad epiſcopatum acceſſerit, ſive in epiſcopatu ſe habuerit.

ANno igitur Dominicæ incarnationis DClxiiij. regnante *Oſwio*, *Colmanno Northanhymbrorum* epiſcopo, de Paſchali obſervantia in communi Concilio à ſancto *Wilfrido* qui tunc temporis preſbyter erat, ſuperato, & ideo ad patriam ſuam reverſo, *Tuda* pro eo ordinatur epiſcopus, ſed mox defunctus eſt. Eodem igitur, id eſt DClxiiij. Dominicæ incarnationis & regni *Oſwii* viceſimo ſecundo & ætatis ſuæ quaſi xxx. anno, unanimi conſenſu prædicti regis & filii ejus *Alfridi* & ſapientum regni, in id idem concordante clero & populo, ad *Eboracenſem* eccleſiam ſanctus *Wilfridus* eligitur, & ab *Alfrido Gallias* mittitur, ut ibi quod tunc in *Anglia* non poterat, canonice epiſcopalem conſecrationem ſuſciperet. Qui juſſu Regis *Franciæ* ad quem miſſus erat, ab *Agilberto* olim *Gewiſorum* ſed tunc *Pariſiacæ* civitatis epiſcopo, cum eo convenientibus aliis undecim epiſcopis, in *Compendio* regio opido cum magno honore conſecratus eſt. Cumque redire tardaret, quidam invidentes beato *Wilfrido* ob victoriam quam de *Colmanno* habuit, *Oſwio* Regi perſuaſerunt, ut alium loco ejus epiſcopum conſecrari faceret. Quorum inſilio Rex infatuatus, *Ceddam* abbatem cœnobii de **Leſtingaham** ad ſe vocavit, et eum *Cantiam* ordinandum miſit. Sed archiepiſcopo *Deuſdedit* defuncto, divertens ad occidentales *Saxones*, et à *Wino* eorum epiſcopo epiſcopus ordinatus eſt, rediensque Eboracenſem eccleſiam tribus ſublimiter annis rexit. Verum ſancto *Wilfrido* ſecundo poſt electionem ſuam anno revertenti, ut rumor innotuit, *Ceddam* ſedis ſuæ cathedram præoccupaſſe nichil omnino turbatus, ſed placito vultu et hylari pectore cœnobium ſuum in **Ripun** repetiit, ibique cum magna mentis ſtabilitate ſecretius deo devote tribus annis ſervivit, niſi quod quandoque à *Wlfario* rege *Merciorum* et *Egberto* rege *Cantuariorum* ad epiſcopalia officia in eorum regionibus, quæ tunc epiſcopis carebant, exercenda, magnis precibus invitabatur. Expleto vero quadriennio, hoc eſt Dominicæ incarnationis DC. lxix. et regni *Oſwii* viceſimo ſeptimo et epiſcopatus ſancti *VVilfridi* ſexto anno, à *Vitaliano* Papa ad *Cantuarienſem* archiepiſcopatum conſecratus *Theodorus* in *Angliam* venit. Ex cujus juſſu eodem anno *Cedda* ab epiſcopatu depoſito, et ad cœnobium ſuum in **Leſtingaham** redeunte, ſanctus *Wilfridus* ſuæ, hoc eſt Eboracenſis, necnon et omnium *Northanhymbrorum* epiſcopatuum ſuſcepit curam. Itaque eo tempore ille ſolus pontifex erat in toto regno Regis *Oſwii*, id eſt in tota gente *Deirorum* et *Berniciorum*, et etiam ſuper *Britones* et ſuper *Scottos* de *Lindisfarnenſi* inſula, et ſuper *Pictos*, quia *Candida Caſa* nondum epiſcopum proprium habuerat.

CAP. VII.

Quod ſancta Etheldrida dedit ſancto Wilfrido, quem familiariter & ſpecialiter diligebat, **Heſtoldeſham** *cum circumjacente regione, quam à Rege Ecfrido in dotem acceperat, ut ibi epiſcopatum ſibi faceret.*

INterea vero Dominicæ incarnationis DClxx. & epiſcopatus ſancti *Wilfridi* vij. & regni ſui xxix. anno, mortuus eſt Rex *Oſwius*, cui eodem anno filius ejus Rex *Egfridus* in regnum ſucceſſit. Hic beatam *Etheldridam*, ut prædictum eſt, nomine tenus conjugem duxerat. Hæc vero aſſenſu Regis mariti ſui circa regni ejuſdem iij. & circa Dominicæ incarnationis DClxxiiij. & circa epiſcopatus ſui decimum annum dedit ſancto *Wilfrido*, quem familiariter & ſpecialiter diligebat, **Heſtoldeſham** cum circumjacente regione, quam à Rege *Egfrido* in dotem accepiſſe creditur, ut ibi epiſcopatum ſibi faceret. Quod & ipſe ſicut ſupradictum eſt fecit. Ipſa vero perpetuæ virginitatis integritate ſervata, poſtquam duodecim annis præfato Regi ſic copulata fuerat, vix impetrata licentia ab eo, ſuſcepto habitu religionis à ſancto *Wilfrido*, effecta eſt ſanctimonialis in cœnobio *Ebba* ipſius Regis amitæ. Poſt hanc autem accepit Rex *Ermenburgam* in conjugem. In cujus corde ſathanas contra prædictum Epiſcopum odiorum & invidiæ fomenta conflans, per linguam ipſius uſque ad expulſionem pontificis animum Regis accendit.

CAP. VIII.

De prima expulſione ſancti Wilfridi Eboracenſis archiepiſcopi.

ANno igitur Dominicæ incarnationis DClxxviij. & regni *Egfridi* viij. & ſui pontificatus xv. ab *Egfrido* Rege de epiſcopatu ſuo ſanctus *VVilfridus* pulſus eſt, & viij. annis exulavit. Interim vero in loco ejus à *Theodoro* duo epiſcopi ordinantur, *Boſa* ad *Eboracenſem* & *Eata* ad *Haunguſtaldenſem* & pariter ad *Lindisfarnenſem*, & utraſque ſimul tribus annis rexit. Sed expleto triennio, ad ſolam *Lindisfarnenſem* remanſit, & eam tribus annis & dimidio gubernavit. Iſte vero *Eata* magnæ ſanctitatis & religionis vir erat, & abbas cœnobii *Mailroſenſis*, & in magna veneratione & auctoritate & inter ſervos dei & inter potentes ſeculi habebatur. Erant quoque in conſorcio cui ille præerat quam plurimi ſancti viri, ſed *Boiſilus* ſub eo Præpoſiti officio fungens, virtutum culminibus & ſpiritu prophetiæ pollens, inter cæteros fratres præeminebat.

CAP. IX.

Quoto anno ab incarnatione Domini ſanctus Cuthbertus ad converſionem venit, & quomodo ſanctus abbas Eata eccleſiam Lindisfarnenſem ad regendum

dum ſicut Mailroſenſem recepit, & qualiter ſanctum Cuthbertum de Melros ad Ripum tranſtulit, ac deinde ad Lindisfarnenſem eccleſiam ubi in Prioris auctoritate præeſſet, redire fecit.

IGitur fama bonitatis eorum cognita, ſanctus *Cuthbertus* anno Dominicæ incarnationis DClj. & regni *Oſwii* ix. eorum exemplo & doctrina imbui cupiens, in *Mailroſenſi* monaſterio factus eſt monachus. Huic quoque *Eata* pro bonitatis & ſanctitatis reverentia rex *Oſwius* poſt mortem *Tuda* epiſcopi fratres *Lindisfarnenſis* eccleſiæ commendaverat, ut ſicut *Mailroſenſi* ita & *Lindisfarnenſi* monaſterio abbatis jure præeſſet. Unde & ſanctum *Cuthbertum* utpote monachum ſuum primo tranſtulit de *Mailros* ad eccleſiam ſuam quam ei Rex *Alfridus* dederat in *Ripum*, deinde ad *Lindisfarnenſem* eccleſiam ut Prioris auctoritate præeſſet, ſicut in vita ejus legitur. Hic igitur beatus pater & epiſcopus *Eata* venerandus, poſtquam ut ſupradictum eſt ad ſolum *Lindisfarnenſem* epiſcopatum regendum remanſit, ad *Hauguſtaldenſem* ordinatus eſt pro eo *Tunbertus*, cui cum tribus annis præfuiſſet depoſitus eſt.

Cap. X.

Quomodo ſanctus Cuthbertus ad eccleſiam Haguſtaldenſem electus ſit, & quare Lindisfarnenſem recepit, & de iiij. ſanctis epiſcopis qui contemporanei fuerunt.

ANno igitur Dominicæ incarnationis DClxxxiiij. regni vero *Egfridi* xiiij. monachatus ſui xxxv. anachoreſeos ix. hoc eſt anno proximo poſt depoſitionem *Tunberti*, electus eſt pro eo circa hyemem ad eandem, i.e. ad *Hauguſtaldenſem* eccleſiam S. *Cuthbertus*; ſed quia ille maluit ei præfici in qua converſatus fuerat, venerabili *Eata* epiſcopo & abbate ſuo reverſo ad *Hauguſtaldenſem*, ad quam primo, ut prædictum eſt, epiſcopus ordinatus fuerat, in Paſchali ſollempnitate *Eboraci* in præſentia Regis *Egfridi* à *Theodoro* ad *Lindisfarnenſem* eccleſiam ordinatur. Hoc eodem anno Rege *Egfrido* circa Pentecoſten occiſo, mox frater ſuus nothus *Alfridus* pro eo regnavit. Hujus autem regni principio, id eſt Domini incarnationis DClxxxv. defuncto venerabili *Eata* & in *Hauguſtaldenſi* eccleſia honorifice ſepulto, epiſcopatum ejus ſuſcepit ſanctus *Johannes*, cui uno anno præfuit; ſecundo autem anno regni *Alfridi* qui eſt etiam ſecundus annus ordinationis ſancti *Cuthberti*, contemporanei pontifices fuerunt idem ſanctus *Cuthbertus* & ſanctus *Wilfridus*. Uno enim tempore iſti quatuor ſancti pontifices fuerunt, *Wilfridus* Eboracenſis, *Cuthbertus* Lindisfarnenſis, *Eata* Hauguſtaldenſis & ei ſuccedens *Johannes*.

Cap. XI.

Quomodo ſanctus Wilfridus poſt expletionem viij. annorum primæ expulſionis ſuæ epiſcopatum Haguſtaldenſem recepit, ſanctus vero Johannes de Haguſtaldenſi eccleſia tranſlatus Eboracenſem ſuſcepit.

IGitur eodem anno expletis octo annis primæ expulſionis ſuæ à *Roma*, *Britanniam* reverſus ſanctus *Wilfridus*, auditis epiſtolis Apoſtolici *Agathonis* ſedem & epiſcopatum ſuum *Hauguſtaldenſis* eccleſiæ recepit. Sanctus vero *Johannes* de *Hauguſtaldenſi* tranſlatus *Eboracenſem* eccleſiam regendam pro defuncto *Boſan* ſuſcepit, eamque laudabiliter xxxiij. annis rexit. Deinde cum pro majore ætate epiſcopali officio minus ſufficeret, ordinato in epiſcopatu *Eboracenſis* eccleſiæ *Wilfrido* presbytero ſuo, ipſe ad monaſterium ſuum quod apud **Beverli** in ſilva *Deirorum* eſt ſeceſſit, ibique deo digna converſatione iiij. annis in pace majori vivens, anno ab incarnatione Domini DCCxxi. regni vero *Oſrici* iiij. nonas Mai beato fine quievit in Domino, ſepultuſque eſt in eodem monaſterio in porticu ſancti Petri.

Cap. XII.

De ſecunda expulſione ſancti Wilfridi, exulatione & revocatione, ac ejus felici morte.

AT beatæ recordationis ſupradictus *Wilfridus* poſt quinque annos præfato rege ſcilicet *Alfrido* & plurimis epiſcopis eum falſo accuſantibus de tranſgreſſione præceptorum *Theodori Cantuarienſis* archiepiſcopi item de præſulatu ſuo pulſus eſt. Interim vero ſanctus *Johannes* utramque eccleſiam, ſcilicet *Eboracenſem* & *Hauguſtaldenſem*, procuravit: ſed poſtquam tredecim annis ſecundo exulavit, à *Romana* ſede item *Angliam* remeans, lectis litteris *Johannis* papæ, *Alfrido* mortuo & *Oſredo* filio ſuo pro eo regnante, primo anno regni ipſius præſulatum ſuum in *Hauguſtaldenſi* eccleſia honorifice recuperavit, ſicque quatuor annis in pace tranſactis, xlv. annos in epiſcopatu habens in monaſterio ſuo in provincia *Undalum* anno Dominicæ incarnationis DCCix. & regni *Oſredi* v. feliciter agonem ſuum conſummavit in Domino, corpuſque ejus ad eccleſiam ſuam in *Ripum* perlatum ibidem juxta altare beati Petri apoſtoli ad auſtrum poſitum eſt.

Cap. XIII.

Recapitulatio annorum prædictorum ſanctorum epiſcoporum Johannis & Wilfridi.

FUerunt itaque anni vitæ ſancti *Wilfridi* circiter lxxv. annos, præceſſitque in epiſcopatu ſanctum *Johannem* ſupramemoratum xxij. annis, manſeruntque ſimul in epiſcopatu xxiij. annis. Poſtquam vero defunctus eſt ſanctus *Wilfridus*, ſupervixit ſanctus *Johannes* in epiſcopatu quidem x. annis & vi. menſibus & xiii. diebus, de quibus nulla mentio fit in compoto annorum in hiſtoria *Anglorum*. Forſitan ideo quia non conficiunt annum. Poſtquam vero epiſcopatum dimiſit ut prædictum eſt, tribus annis privatam egit vitam. Quod autem ſic ſe habuerint iſti patres, & per annos epiſcopatuum ſuorum & regum, & per annos de ordinatione ſancti *VVilfridi* & de morte ſancti *Johannis* ſuprapoſitos & in hiſtoria *Anglorum* annotatos, evidentiſſime probari poteſt. Si quis autem eorum vitas plenius noſſe deſiderat, vel hiſtorias *Anglorum* vel libellos de vita ipſorum conſcriptos legere vel audire ſtudeat.

CAP. XIV.

Quando ſanctus Acca presbyter, vir ſtrenuiſſimus, coram deo & hominibus magnificus, eccleſiam Haguſtaldenſem ſuſcepit, & quam mirifico ac multifario decore adornavit, & magnificis muneribus ampliavit.

SUſcepit vero eodem, id eſt DCCix. Dominicæ incarnationis & regni *Offridi* v. anno pro ſancto *VVilfrido* epiſcopatum *Haunguſtaldenſis* eccleſiæ *Acca* presbyter ejus, vir & ipſe ſtrenuiſſimus, & coram deo & hominibus magnificus, qui & ipſius eccleſiæ ſuæ quæ in beati *Andreæ* apoſtoli honorem conſecrata eſt, ædificium multifario decore ac magnificis ampliavit operibus. Dedit namque operam ut acquiſitis undecunque reliquiis beatorum Apoſtolorum & martyrum *Chriſti*, in veneratione illorum poneret altaria, diſtinctis porticibus in hoc ipſum intra muros ejuſdem eccleſiæ. Sed & hiſtorias paſſionis eorum, una cum cæteris eccleſiaſticis voluminibus, ſumma induſtria congregans, ampliſſimam ibi ac nobiliſſimam bibliothecam fecit; necnon & vaſa ſancta & luminaria aliaque hujuſmodi quæ ad ornatum domus dei pertinent, ſtudioſiſſime paravit. Cantorem quoque nomine *Maſan*, qui à ſucceſſoribus diſcipulorum beati Papæ *Gregorii* in *Cantia* fuerat cantandi ſonos edoctus, ad ſe ſuoſque inſtituendos accerſivit, ac per annos xij. tenuit, quatenus & ea quæ illi non noverant carmina eccleſiaſtica doceret, & ea quæ quondam cognita longo uſu vel negligentia inveterare cœperunt, hujus doctrina priſtinum renovarentur in ſtatum. Nam & ipſe venerabilis epiſcopus *Acca* cantator erat peritiſſimus, quomodo etiam in litteris ſacris doctiſſimus & in catholicæ fidei confeſſione caſtiſſimus, in eccleſiaſticæ quoq; inſtitutionis regulis ſollertiſſimus extiterat, & uſq; dum præmia piæ devotionis acciperet exiſtere non deſtitit, utpote qui à pueritia in clero ſanctiſſimi ac deo dilecti *Boſan Eboracenſis* archiepiſcopi nutritus atq; eruditus fuit. Deinde ad *VVilfridum* epiſcopum ſpe melioris propoſiti adveniens, omnem in ejus obſequio uſque ad obitum illius explevit ætatem. Cum quo etiam *Romam* veniens, multa illic quæ in patria nequiverat, eccleſiæ ſanctæ inſtitutioni utilia didicit, & ſuis ſubjectis tradidit. Hucuſque verba venerabilis *Beda* presbyteri de eo quem miro venerationis & dilectionis affectu excolebat & amplectebatur. Unde etiam precibus & epiſtolari exortatione ipſius epiſcopi provocatus, & propter ipſum & ad ipſum explanationem ſuper *Lucam* & *Marchum* evangeliſtas & quædam alia ſcripſiſſe cognoſcitur. Rexit autem prædictam eccleſiam xxiiij. annis.

CAP. XV.

Quomodo ſanctus Acca epiſcopus de ſede ſua effugatus ſit, & quod in teſtimonium ſanctitatis ejus ſudarium, caſula & tunica, quibus corpus ejus involutum fuerat, cum priſtina pulcritudine & fortitudine poſt multa temporum curricula reperta ſunt.

ANno vero Dominicæ incarnationis DCC.xxxij. & regni *Ceolvulfi* iiij. & epiſcopatus ſui xxiiij. de ſede ſua fugatus eſt, & ut quibuſdam videtur poſtea viij. annis vixit. Nam anno Dominicæ incarnationis DCCxl. & Regni *Eadberti* iiij. ſicut hiſtoriæ teſtantur, xiij. kal. Novembris de præſenti ſeculo ſublatus eſt, cujus ſpiritus ab angelis perductus eſt ad bravium ſupernæ felicitatis. Qua autem urgente neceſſitate pulſus ſit, vel quo diverterit, ſcriptum non reperi. Sunt tamen qui dicunt quod eo tempore epiſcopalem ſedem in *Candida* inceperit & præparaverit. Hujus vero ſacrum corpus cum honore tanto patri congruo traditum eſt ſepulturæ juxta ſecretarium ſuæ, id eſt *Haunguſtaldenſis* eccleſiæ. Deo autem volente declarare merita dilecti famuli ſui, cum poſt multa temporum curricula ejus ſepulchrum aperiretur, in argumentum magnæ ſanctitatis & teſtimonium incommutabilis gloriæ ejus, ſudarium lineum & caſula & tunica ſericæ, quibus illud ſacrum corpus indutum & involutum fuerat, non ſolum pulcritudinem, ſed quod multo mirabilius eſt, priſtinam fortitudinem incommutabiliter conſervaſſe reperta ſunt. Hæc autem dei magnalia videre deſiderantibus, in eadem ſpecie & decore quaſi incorruptibilia perſeverantia etiam uſque hodie in eadem eccleſia oſtenduntur. Virtutes autem & miracula quæ per eum & per alios fideles ſervos ſuos, quorum reliquiæ ibidem continentur, deus crebro operatur, hic ſuperſedemus, alibi dicturi prout ipſe nobis dederit.

CAP. XVI.

De temporibus trium epiſcoporum, ſcilicet Frethberto, Alcmundo & Tilberto.

POſt illum autem anno Dominicæ incarnationis DCCxxxiiij. & regni *Ceolvulfi* vi. vi. idus Septembris ordinatus *Fredbertus Haunguſtaldenſis* eccleſiæ præſulatum ſuſcepit. Anno vero Dominicæ incarnationis DCClxvj. & regni *Alcredi* ij. & epiſcopatus ſui xxxiiij. x. kal. Januarii glorioſo fine migravit ad Dominum. Hunc autem ſubſecutus ſanctus *Alcmundus* anno Dominicæ incarnationis DCClxvij. & regni *Alcredi* ſecundo, octavo kal. Maii conſecratur in antiſtitem. Qui Dominicæ incarnationis DCClxxxi. & regni *Elfwaldi* iiij. & epiſcopatus ſui xiij. anno, vij. idus Septembris extremum diem clauſit in Domino. Poſt hunc vero dilectus pater *Tilbertus* in epiſcopatum ſubrogatur, anno eodem, hoc eſt Dominicæ incarnationis DCClxxxj. & regni *Elfwaldi* iiij. & ſexto nonas Octobris conſecratur, elevaturque in ſolio epiſcopalis cathedræ in loco qui appellatur **Wlfeſwelle**, hoc eſt fons lupi. Hic cum *Eanbaldo* archiepiſcopo & *Higbaldo* præſule in monaſterio quod **Corabrige** dicitur *Aldulfum* epiſcopum conſecravit.

CAP. XVII.

De miſerabili morte Elfwaldi Regis Northumbriæ, & regno Regis Oſredi, & de ſynodo apud Aclech.

EPiſcopatus quoque hujus anno viij. & Dominicæ incarnationis DCClxxxviij. *Elfwaldus* rex *Northanhymbrorum* poſtquam decem annis regnavit, conjuratione facta ab ejus patricio *Siga* nomine, miſerabili morte xi. kal. Octobris occiſus eſt juxta murum in loco qui **Cithleſceſter** dicitur. Et regnavit *Oſredus Alcredi* Regis filius ejuſdem *Elfwaldi* nepos uno pro eo anno. Quo etiam anno iij. kal.

Octobris ſynodus fuit in loco qui dicitur **Acleth**. In loco vero quo præfatus Rex occiſus eſt lux cœlitus emiſſa ſæpiſſime à plurimis viſa eſt. Unde à fidelibus illius loci ibidem eccleſia eſt conſtructa, & in honore dei & ſanctorum *Cuthberti* epiſcopi & *Oſwaldi* Regis & martyris conſecrata. Corpus vero eximii Regis cum magnis monachorum & clericorum cuneis ad **Heſtoldeſham** perlatum eſt, & in eccleſia ſancti *Andreæ* apoſtoli cum magno honore ſepultum. Præfuit igitur *Hanguſtaldenſi* eccleſiæ *Tilbertus* viij. annis, & Dominicæ incarnationis DCClxxxix. & regni *Oſredi* primo anno migravit de hac vita, ſepultuſque eſt in eadem eccleſia.

CAP. XVIII.

De curriculo annorum trium epiſcoporum, videlicet Ethelberto, Headredo & Anberto, & quomodo Ethelbertus ſedem ſuam in Candida Caſa reliquit & eccleſiam Haguſtaldenſem ſuſcepit.

EOdem anno, hoc eſt DCClxxxix. Dominicæ incarnationis anno, *Ethelbertus* ſede ſua in *Candida Caſa* relicta, *Hanguſtaldenſem* epiſcopatum ſuſcepit, cui octo annis præfuit, & Dominicæ incarnationis DCCxcvij. & ſecundo anno poſtquam *Eardulfus* item eſt redditus regno xvij. kal. Novembris mortuus eſt in loco qui dicitur **Bartun**, cujus corpus ad **Heſteldeſham** perlatum eſt, & à fratribus ipſius cœnobii venerabiliter ſepultum. Eodem anno electus eſt pro eo *Headredus* in *Hanguſtaldenſem* epiſcopatum, & poſt excurſum paucorum dierum iij. kal. Novembris ab *Eanbaldo* archiepiſcopo & *Higbaldo* epiſcopo ordinatus eſt in loco qui *Wudaforda* dicitur, & prædictam eccleſiam tribus annis regens Dominicæ incarnationis DCCC. & iiij. anno poſtquam item regnavit *Eardulfus* defunctus eſt. Pro quo *Eadbertus* vel *Oſbertus* electus & ordinatus eſt in loco qui **Ethingaham** dicitur anno Dominicæ incarnationis DCCC. ac eidem eccleſiæ xiiij. annis præfuit.

CAP. XIX.

De ordine & numero & annorum curriculo Haguſtaldenſium epiſcoporum ante devaſtationem miſerrimam & deſolationem maximam regionis Northymbriæ factam à Rege Haldano Danamarchiæ.

ORdo *Hauguſtaldenſium* epiſcoporum, & quot annis fuerunt epiſcopi.

Primus *Wilfridus* ——— xlv. annis
Secundus *Eata* ——— vij.
Tunbertus ——— iij.
Quartus *Johannes* ——— j.

Hi autem tres ſibi mutuo ſucceſſerunt dum ab *Egfrido* Rege pulſus ſanctus *Wilfridus* prima vice viij. annis exulavit.

Quintus ſanctus *Acca* ——— xxiiij.
Sextus *Fredbertus* ——— xxxiiij.
Septimus ſanctus *Alcmundus* ——— xiij.
Octavus *Tilbertus* ——— viij.
Nonus *Ethelbertus* ——— vij.
Decimus *Headredus* ——— iij.
Undecimus *Eanbertus* vel *Oſbertus* - xiij.
Duodecimus *Tilferdus*. Sed tempus epiſcopatus hujus ignoratur.

Itaque epiſcopatus *Haugaſtaldenſis* eccleſiæ incipiens circa DClxxiiij. Dominicæ incarnationis annum duravit Cxliiij. annis, excepto ultimo epiſcopo cujus tempus ignoratur, ſcilicet uſque ad DCCC. xiiij. annum Dominicæ incarnationis. Et nota quod liiij. annis ceſſavit ante devaſtationem provinciæ *Northanhymbrorum*, quæ DCCClxxv. anno Dominicæ incarnationis ab *Haldene Dano* facta eſt: qui ſumpta tercia parte exercitus paganorum qui totam *Angliam* occupaverant, cum multa claſſe *Tinam* ingrediens, circa **Tinamuthe** applicuit, & inde proſiliens flamma & ferro in exterminium omnia duxit.

Explicit liber primus.

Incipit Secundus Liber.

CAP. I.

Quomodo Eardulfus *epiſcopus & abbas* Eadredus *de inſula* Lindiſfarnenſi *incorruptum corpus ſancti* Cuthberti *exportaverunt, & per vij. annos de loco ad locum cum illo diſcurrerunt.*

ANno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxv. & ex fundatione *Lindiſfarnenſis* eccleſiæ CCxlj. ab obitu ſancti *Cuthberti* Clxxxix. & ex quo *Haguſtaldenſis* eccleſiæ epiſcopi defecerunt liiij. & prioris vaſtationis lxxxiij. & epiſcopatus *Heardulfi* xxij. à Rege *Danorum Haldane* ut prædictum eſt *Northumbria* devaſtata, prædictus *Eardulfus* epiſcopus & Abbas *Eadredus* de inſula *Lindiſfarnenſi* incorruptum corpus ſancti *Cuthberti* cum maxima parte theſauri illius eccleſiæ exportaverunt, et ante faciem barbarorum per vij. annos de loco ad locum cum illo diſcurrerunt. Deinde in villam nomine *Crecam* venientes ibi iiij. menſibus reſederunt. Tandem vero redeuntes ad villam olim *Kunkaceſtram* ac nunc *Ceſtram* vocatam deveniunt, ibique cum reliquiis quieverunt. Et quia ſicut ſupradictum eſt jam multo tempore *Hauguſtaldenſis* eccleſiæ ſedes vacaverat, quippe ut quidam ferunt *Tilferdus* ultimus ejus epiſcopus in itinere verſus *Romam* defunctus erat, et propter violentiam perſecutionum non erat qui in illa regione illi ſuccederet, et epiſcopatum ejus pro eo ſuſciperet, in parochia ipſius præfatus *Eardulfus* epiſcopalia officia exercere cœpit; ſicque ibi xvij. annis ſupervixit. Cui defuncto viij. epiſcopi ibidem ex ordine ſucceſſerunt.

CAP.

CAP. II.

Quomodo per Eardulfum Lindisfarnenſem *epiſcopum* Haguſtaldenſis *epiſcopatus apud* Ceſtram *reſtauratur, & qualiter poſtea per* Aldunum *epiſcopum corpus ſancti* Cuthberti *tranſportatur.*

ITaque anno Dominicæ incarnationis DCCC. lxxxiij. & ab obitu ſancti *Cuthberti* Cxcvij. regnante *Guthredo*, per *Eardulfum Lindisfarnenſem* epiſcopum & ejus ſucceſſores *Haguſtaldenſis* epiſcopatus apud *Ceſtram* reſtauratur, & Cxv. annis ibidem manſit. Anno vero Dominicæ incarnationis DCCCC. xcv. ab obitu ſancti *Cuthberti* CCCxj. regni vero *Ethelredi* xvij. pontificatus vero ſui vj. *Aldwinus* epiſcopus per viſionem ammonitus propter ſuperventuram pyratarum rabiem, cum populo loci illius corpus ſanctiſſimi Confeſſoris inde ad Ripum tempore veris tranſportavit. Poſt iij. autem vel iiij. menſes pace reddita cum ad *Ceſtram* remeare proponerent, ad orientalem plagam *Dunelmi* de loco qui Wrdelau dicitur, vehiculum ſanctarum reliquiarum nullo modo promovere potuerunt. Sed poſt triduanum jejunium per viſionem eis revelatum eſt, ut ad locum ubi nunc *Dunelmum* eſt divertentes ibi requieſcerent. Sicque factum eſt. Hoc igitur modo cum ſancto corpore epiſcopalis ſedes quæ apud Heſtaldeſham fuerat per ſucceſſores *Lindisfarnenſium* epiſcoporum primo apud *Ceſtram*, deinde apud *Dunelmum* uſque ad præſens permanſit. Si quis autem hæc plenius noſſe deſiderat, in geſtis *Dunelmenſium* epiſcoporum reperire poterit.

CAP. III.

Quod Haguſtaldenſis *eccleſia ex illa antiqui honoris prærogativa hanc libertatem optinet, quod nec propter ſynodos, nec propter criſma, nec propter aliquam cauſam epiſcopo* Dunelmenſi *aliquod debitum debet, niſi forte ob aliquam cauſam diſcutiendam ipſe epiſcopus eccleſiæ mandaverit, & tunc Prior vel frater aliquis ipſius eccleſiæ veniet.*

AB anno itaque quo pontifex *Aidanus* epiſcopalem cathedram apud *Lindisfarnen* primus ſedit, uſque ad annum quo *Aldunus* epiſcopus apud *Dunelmum* epiſcopatum incepit, computantur anni CCCLxj. à tranſitu ſancti *Cuthberti* CCCix. Ex quo vero *Haguſtaldenſis* epiſcopatus per ſanctum *Wilfridum* incoavit uſque ad annum quo *Aldunus* eundem apud *Dunelmum* primo inſtauravit, circiter CCCxxxij. annos fuiſſe creditur. Hæc igitur, id eſt *Haguſtaldenſis* eccleſia ex illa antiqui honoris prærogativa hanc libertatem & auctoritatem optinet, quod nec propter ſynodum, nec propter criſma, nec propter aliquam eccleſiaſticam cauſam epiſcopo *Dunelmenſi*, vel ejus archidiacono, vel illorum miniſtris, aliquod debitum ſive aliquam conſuetudinem debet, niſi forte ob aliquam eccleſiaſticam cauſam diſcutiendam ipſe epiſcopus eccleſiæ mandaverit, & tunc Prior, vel aliquis frater ipſius eccleſiæ ad illum veniet. Quod ſi epiſcopus *Dunelmenſis*, ſive archidiaconus forte propter aliquam cauſam ad Paſcha prædictæ eccleſiæ ſacrum oleum dare renuerit, ex decreto *Eboracenſis* metropolitani licet illi ab *Eboracenſi* eccleſia illud accipere; licet etiam illi clericos ſuos ad ordinandum quocumque vult mittere. Hoc quoque privilegium ex antiquo tempore eam habere conſtat, quod de quolibet *Dunelmenſis* vel alterius epiſcopatus loco quorumlibet defunctorum corpora cum juſtis oblationibus illorum tumulanda ſuſcipere poſſit, qui dum viverent ſe fratribus eccleſiæ tradiderunt, & apud eos locum quieſcendi elegerunt. Ex regum quoque, & archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & principum liberalitate, & confirmatione hanc libertatem optinet, quod nuſquam pro traductione vel commercio propriarum rerum ſuarum aliquod tributum ſive aliquam conſuetudinem ſolvit. Igitur, ſive in civitatibus & urbibus, ſive in opidis & villis, & portibus, miniſtri ejus ad opus ipſius eccleſiæ, vel fratrum illius aliquid vendant ſive emant, vel cum pecunia eorum de loco ad locum tranſeant, ſine omni exactione & conſuetudine id agere ſolent & debent.

CAP. IIII.

Quomodo eccleſia Haguſtaldenſis *nunquam patronorum ſuorum epiſcoporum, ſcilicet ſanctorum* Eatæ *&* Accæ *&* Alchmundi, *& cæterorum venerabilium præſulum* Frethberti *&* Tilberti *divina pietate protegente ſit deſerta, nunquam eorum ſacris reliquiis ſit deſtituta.*

ANno M.Cxiij. Dominicæ incarnationis eccleſia ſancti *Andreæ* Apoſtoli *Haguſtaldenſis* ad religionem converſa eſt. Nam cum multis annorum curriculis cum circumjacente regione ſæpius deprædata & depopulata & diu deſerta manſiſſet, nunquam tamen patronorum ſuorum ejuſdem eccleſiæ epiſcoporum, ſc. ſanctorum *Eata*, & *Acca*, & *Alchmundi*, & cæterorum venerabilium præſulum *Fredberti* & *Tilberti* divina pietate protegente, nunquam, inquam, eorum ſacris reliquiis deſtituta eſt. In quadam enim porticu juxta ſecretarium ejuſdem eccleſiæ verſus auſtralem partem reliquiæ ſancti *Eata* decenter in una theca collocatæ quieſcebant. A quo autem, vel quo tempore de terra elevatæ fuerint, à nobis ignoratur. De ſanctis autem *Acca* & *Alchmundo* legitur, quod *Elferdus* filius *Weſton*, vir quidem ſtrenuus, & *Dunelmenſis* eccleſiæ ſecretarius tempore *Egelwini* ejuſdem eccleſiæ epiſcopi, divino præmonitus oraculo de terra levaverit eos, & intra eccleſiam in remotioribus partibus collocaverit. Poſtea vero procedente tempore, in ſecretario ejuſdem eccleſiæ *Acca* quidem ad dextrum cornu altaris, & *Alchmundus* ad ſiniſtram honeſtius ac decentius in duobus arcubus poſiti ſunt. Deinde creſcente devotione fidelium, ambo ſimul multo convenientius & honorabilius retro & juxta altare, ut in præſenti cernitur, in una theca ſunt collocati. Venerabilium quoque patrum *Fredberti* & *Tilberti* reliquiæ in eodem loculo cum illis continentur. Quis autem eos de terra levaverit non eſt in noſtra noticia. Sed quia cum prædictis patribus ubique inventi ſunt, pariter cum illis levatos fuiſſe creditur. In illa autem theca quæ ad auſtrum ſita eſt ſunt reliquiæ ſancti *Eata*. In alia vero verſus aquilonem poſita ſanctorum corporum *Acca* & *Alchmundi* pulvis conſervatur. Sunt etiam ibi multæ aliæ reliquiæ cum ſuis inſcriptionibus, quæ poſtea eidem eccleſiæ ſunt datæ.

Cap. V.

Quomodo illa quondam inclita, & multiplici [cultu] poſſeſſionis, & religionis magnifica, Haguſtaldenſis *videlicet eccleſia eccleſia* Eboracenſi *cum quadam villa nomine* **Holm** *in præbenda ſit data.*

Hujus autem eccleſiæ tanto cœleſti theſauro ditatæ ſub primo *Thoma Eboracenſi* archiepiſcopo, quidam ſecularis presbyter nomine *Eillanus* curam egit. Sed non multo poſt idem archipræſul eam cum quadam villa nomine **Holm** dedit in præbendam *Eboracenſi* eccleſiæ cuidam canonico eccleſiæ ſancti *Johannis Beverlacenſis* qui *Ricardus* de *Maton* vocabatur. Sub quo quidem presbyter nonime *Eillanus* prædicti *Eillani* filius eidem eccleſiæ ſumminiſtravit, et pro ſuo ſervicio quandam partem beneficiorum habuit. Manſit itaque in hoc miſerabili ſtatu uſque ad obitum ejuſdem *Girardi* illa quondam inclita & multiplici cultu poſſeſſionis & religionis magnifica, ſed tunc ob incolarum perfidiam & malitiam gravi ſecularium & carnalium hominum oppreſſione divulſa ac peſſundata. Succeſſit autem prædicto *Girardo* in *Eboracenſi* archiepiſcopatu ſecundus *Thomas*, vir quidem magna generis nobilitate præclarus, ſed multo præclarior eleganti morum probitate. Namque pater ejus *Samſon* fuit de nobiliſſima *Normannorum* proſapia oriundus, vir & ipſe magnificus, & primo *Willielmi* regis *Anglorum* capellanus, & *Baiocenſis* eccleſiæ theſaurarius. Cui etiam *Ricardus* filius ejuſdem *Samſonis* poſtea pontificali dignitate præfuit, deinde idem *Samſon Wigornenſis* epiſcopus extitit. Supradictus vero primus *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus multimoda urbanitatis laude famoſiſſimus, egregiaque ſtrenuitatis & prudentiæ gloria digniſſimus, prædicti *Samſonis* frater & prænominati ſequentis *Thomæ* patruus fuit.

Cap. VI.

De quadam re digna memoriæ archiepiſcopi Thomæ, *& de eo quod Deus non per offenſionem ad iram eſt provocandus, ſed potius per bonam operationem ad miſericordiam inclinandus, ut ſua creatura miſereatur propitiatus.*

IN hoc igitur ſecundo *Thoma* viro perſpicuo laudabilem naturæ dotem multimoda virtutum inſignia affatim exornabant. Ingenii naturalem vivacitatem, litterarum ſcientia & ſermonis facundia commendabant. Largiendi dapſilitatem, grata vultus hylaritas ac promta animi benignitas magnificabant. Super egenorum inopia, mœſtorum triſtitia, afflictorum miſeria, quam ineffabiliter totus viſceribus compaſſionis & charitatis effluebat, ac de eximia morum ejus elegantia æſtimavi potius ſilere quam parum dicere. Cumque præpotentum & prædivitum parentum, & amicorum non modica copia præemineret, & dulci juventutis gratia floreret, ac dignitatem & honorem ingenti gloria præluceret, & divitiarum magna habundantia præpolleret, ſupra graves & frequentes epatis moleſtias quas longo tempore patiebatur, prudentiam medicorum conſulit. At illi complexionis ejus conſperſionem, & cauſam, & modum morbi diligentiſſime explorantes, niſi pudicitiæ fræno ſoluto naturalem carnis explendo voluptatem frequentaret, eum nullo modo ſanitatem recuperare poſſe conſtanter confirmabant. Quorum conſilium prorſus abiciens, & ne quis tale quid ei amplius ſuggerere auderet, cum anathemate interdicens, tale reſponſum memoria dignum eis cum magna mentis conſtantia reddidiſſe fertur. *Abſit*, inquit, *abſit à me, ut pro hac momentanea corruptibilis carnis ſalute æterna ſalutis auctorem ac datorem ſcienter offendam. Non enim per offenſionem ad iram eſt provocandus, ſed potius per bonam operationem ad miſericordiam inclinandus, ut ſua creatura miſereatur propiciatus.* Tunc præcepit largas eleemoſinas dari, & ipſe copioſiſſimo lacrimarum imbre faciem perfuſus, ad orationem cum magna devotione ſe convertit, quod & more ſolito facere conſuevit, & toto mentis affectu quem inter ſanctos Dei præcipue diligebat & excolebat, in ſuum auxilium ſanctum *Johannem* Confeſſorem *Beverlacenſis* eccleſiæ patronum ſæpius iterando invocavit. In hac autem præpoſituræ dignitate eo fungebatur tempore, apud quam tunc eum ægrotaſſe contigerat, ſed mox per interceſſionem ſanctiſſimi Confeſſoris Deo auxiliante ſanitatem recuperavit: ſicque pudicitia conſervata, in puritate virginitatis de hac vita migraſſe pro certo creditur. Cum prædictis autem virtutum inſignibus tantam gratiam illi propicia Dei contulerat pietas, ut tam divitibus quam pauperibus gratiſſimus, & chariſſimus eſſet. Unde quocumque adveniebat, miro favore & gaudio ſuſcipiebatur, venerabatur, diligebatur.

Cap. VII.

De electione ſecundi Thomæ Eborac. *archiepiſcopi.*

ANno igitur Dominicæ incarnationis M. Cviij. & regni *Henrici* ix. quo deſiderante & unanimi conſenſu, & deſiderio cleri & populi in *Eboracenſem* archiepiſcopatum electus, pontificalis officii dignitatem quantum potuit bonis operibus adimplere cum magna cura & diligentia ſatagebat. Cumque archiepiſcopatus monaſteria frequenter viſitaret, & in eis pro ſuis viribus, & pro locorum congruentia Dei ſervitium exaltaret, contigit quoque eum ſæpius viſitandi gratia ad *Haguſtaldenſe* monaſterium devenire. Unde Deo inſpirante cœpit crebrius ad memoriam reducere, illud quondam poſſeſſionum, & dignitatum magnificentia opulentiſſimum, & cultu religionis notiſſimum, ad quam miſerrimum ſtatum deveniſſet. Igitur ob ſanctorum ibi quieſcentium merita declaranda, Deo miſerante ſuper ejuſdem dejectione magno compaſſionis dolore condoluit, ac de ipſius reſuſcitatione ipſe ſedulo excogitare, & cum ſuis diligenter tractare ac retractare cœpit. Cognita autem ipſius voluntate quamplures, & maxime quidam de ſuis clericis ei dilectiſſimi & familiariſſimi, omnibus modis quibus poterant ad hoc perficiendum ipſius animum accenderunt.

Cap. VIII.

Quando Haguſtaldenſis *eccleſia poſt ſecundam devaſtationem à rege* Danorum Haldano *ut prædictum eſt factam, ad religionem eſt converſa.*

ANno igitur ab origine mundi V̄ CCCxv. ab incarnatione Domini M. Cxiij. ex quo vero

Eboracenſis eccleſia per prædicationem ſancti *Paulini* archiepiſcopi fundata archiepiſcopalem cathedram ſuſcepit CCCC. lxxxvj. ex quo autem per prædicationem ſanctorum *Oſwaldi* regis & martyris, & *Aidani* epiſcopi *Bernicia* ſuſcepit fidem CCCClxxx. ab adventu *Normannorum* in *Angliam* xlviij. regni *Henrici* xiiij. qui eſt archipræſulatus ipſius quintus, ſæpedictus *Thomas* conſilio & auxilio capituli ſui, videlicet eccleſiæ ſancti *Petri Eboracenſis*, de manu prædicti *Ricardi* de *Muton* præfatam eccleſiam *Haguſtaldenſem* liberavit. Conſenſu quoque ipſorum canonicorum in prædicta *Eboracenſi* eccleſia unam portionem de communi eorum pro liberatione ipſius illi dedit. Nec mora, eodem anno ad kal. Novembris duxit illuc canonicos regulares, quibus cum ſuis conſuetudinibus & cum omnibus ad eam pertinentibus, quietam & liberam, ſicut ipſe eam in ſuo dominio habuerat, eccleſiam tradidit, ſicut cartæ ipſorum teſtantur. Supradictus vero presbyter junior *Eilanus* curam parochiæ cum maxima parte beneficiorum, & unam carrucatam terræ cum quibuſdam manſis in ipſa villa de **Heſtaldaſham**, & vj. bovatas terræ in **Eilnewic**, ſcilicet dotem ipſius eccleſiæ cum magna pace & honore de ipſis canonicis longo tempore tenuit. Nam quamvis ſæpe & jure poli & fori ei ſupradicta auferre poſſent, & quamvis multociens magnis penuriis etiam victualium anguſtiarentur, nunquam tamen hoc facere voluerunt, ne ipſe de illis ſive juſte ſive injuſte conqueri, & famam eorum in aliquo violare poſſet. Unde divina pietas, apud quam ſuorum patientia nunquam periit, tandem illorum inopiæ miſerta, abſque omni ſcandalo & cum magno honore illis ſua reſtituit.

CAP. IX.

Quomodo Ailanus *presbyter pater* Ethelredi *abbatis* Rievallis *prædictam eccleſiam liberam & quietam Deo optulit: in manu* Rodberti *Prioris* Biſet *per pulchrum philacterium cum magna devotione reddidit.*

QUadam enim vice apud *Dunelmum* ægrotare incipiens, quorundam ſapientum conſilio *Rodbertum* Priorem ipſorum canonicorum mandavit. Cui mox ut venit, prædictam eccleſiam & quicquid de ipſa tenuerat liberum & quietum de ſe, & de omnibus hominibus ad ſe pertinentibus, ſponte ſua & cum magna devotione reddidit. Multiplices etiam gratiarum actiones ipſi & ejus canonicis pro innumeris beneficiis egit, quia non ut capellanum ſed ut patrem ſuum eum inter ſe familiariter tractaverant. Sed quia pœnituit illum eccleſiaſticis rebus diu abuſum fuiſſe, quibus Dei ſervi rectius ſuſtentari debuerant, quomodo melius hanc redditionem facere poſſet excogitavit. Fecit igitur illam cum quodam pulchro filaterio, ſcilicet cruce argentea in qua ſanctorum Confeſſorum & epiſcoporum *Accæ* & *Alchmundi* reliquiæ continebantur. Obnixe quoque deprecatus eſt, ut hujus rei gratia perpetuum memoriale in ipſa eccleſia conſervaretur. *Willielmus* quoque abbas de *Rieſvalle*, & *Ethelredus* monachus ejus & filius ipſius *Eilani*, & de eccleſia ſancti *Cuthberti Mauricius* ſupprior, & *Aldredus* ſecretarius, & *Henricus* monachus, & de ipſa *Haguſtaldenſi* eccleſia quidam canonicus nomine *Ricardus*, & duo filii ejuſdem *Eilani*, *Sumuel* & *Ethewoldus*. Hi omnes ad hoc ibi convenerant, ut in eorum præſentia, & teſtimonio hæc fierent, & ſic abſque omni reclamatione & contradictione factum eſt.

CAP. X.

Quomodò prædictus Ailanus *presbyter apud ſanctum* Cuthbertum Dunelmi *habitum monachilem ſuſcepit, & qualia dona ad decorem domus Domini ſecundus* Thomas Eboracenſis *archiepiſcopus prædictis canonicis donavit.*

ANno autem Verbi incarnati M. Cxxxviij. ex quo autem canonici ipſam eccleſiam habuerant xxvj. & *Turſtini* archiepiſcopi xxv. facta ſunt hæc. Deinde ingraveſcente morbo apud ſanctum *Cuthbertum*, quem ſemper in mira veneratione habuerat, habitum monachilem ſumpſit. Exinde per aliquot dies in magna & ſui recognitione, & cordis contritione, & peccatorum deploratione Dominici corporis perceptione munitus vitam ſuam ibidem finivit. Præterea prædictus *Thomas* archiepiſcopus dedit canonicis iiij^{or}. villulas & unum molendinum ſuper *Tinam* fluvium, cum omnibus ad ea pertinentibus ſicut ea in ſuo dominio habuerat, & unum miliare anguillarum per annum, & quædam alia ut privilegia eorum facta ab ipſo archiepiſcopo & à capitulo ſancti *Petri Eboracenſis* eccleſiæ teſtantur. Conceſſit quoque eis ad veſtitum ipſorum centum ſolidos per annum. Dedit quoque eis libros, & veſtimenta, & plurima alia ad decorem domus Dei neceſſaria; & ſi diutius vivere poſſet multa plura dediſſet. Quippe eos & eorum eccleſiam, quantum ratione poterat, ardenti deſiderio ſullimare proponebat.

CAP. XI.

De morte piæ memoriæ prædicti Thomæ Eboracenſis *archiepiſcopi, & de ejus ſucceſſore* Turſtino, *& de bonis quæ præfatis canonicis fecit.*

ANno igitur Dominicæ incarnationis M.Cxiiij. & regni *Henrici* xv. & archiepiſcopatus ejus vij. ſæpe prænominato *Thoma* xiiij. kal. Marcii, feria iij. apud *Beverlacum* viam univerſæ carnis ingreſſo, & apud *Eboracum* cum digno honore ſepulto, *Turſtinus Henrici* regis capellanus, eodem anno, die Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* apud *Wintoniam* electus in archiepiſcopum ſucceſſit. Hic autem inter innumeras & graviſſimas adverſitates quibus diu & creberrime pulſatus eſt, animum invictiſſimum & conſtantiſſimum gerebat. His igitur tandem ſuperatis & optato fine conſummatis, celebrem cognitionis famam & magnæ venerationis laudem apud plurimas gentes merito probitatis ſuæ adeptus eſt. Erat quippe vir magnæ caſtitatis, & prudentiæ, honeſtatis & juſtitiæ, & multarum virtutum fulgore perſpicuus, & in eccleſiaſticarum cauſarum negotiis, ac in ſuorum tuitione defenſor optimus, & in eleemoſinarum largitionibus diſpenſator prudentiſſimus. Præterea cujuſque religionis homines magno devotionis affectu & auctoritatis rigore adjuvabat & protegebat. Cum igitur omnes eccleſias religionis diligeret, ſpecialius tamen prædictam *Haguſtaldenſem* eccleſiam diligebat & protegebat, unde & poſſeſſiones, & conſuetudines, & dignitates illius non ſolum ſua auctoritate confirmavit, verum etiam ſua liberalitate auxit. Nam præter reliquias plurimorum ſanctorum, & libros, & veſtimenta, & duo paria candelabrorum, unum argenteum, & aliud cupreum & deauratum, & præter multa alia ornamenta ſanctæ eccleſiæ, & cætera plurima dona; dedit illi eccleſiæ & canonicis ejuſdem in perpetuam eleemoſinam, conſilio & conſenſu capituli ſancti *Petri Eboracenſis*, unam præbendam in eadem *Eboracenſi* eccleſia, & ad veſtitum eorum centum ſolidos per annum de archidiaconatu de **Weſcubinc**, & in ipſa villa de **Heſtoldeſham** quandam partem terræ in qua homines eorum manent, & unum agrum inter *Acundam* & *Tinam* fluvium, & aliam partem terræ ibidem ad dilatandam ſuam propriam manſionem, & terram ubi hoſpitale factum eſt, & villam unam, ſcilicet **Dotoland**, & utranque *Grottendunam*, & quietum paſtum porcis ipſorum, & villicorum ſuorum de terra ſancti *Andreæ*. Præterea quaſdam decimas eis conceſſit. De quibus omnibus tam ipſius quam capituli eccleſiæ S. *Petri Eboracenſis*, & duorum regum *Angliæ Henrici* & *Stephani* privilegia facta ſunt, quæ cum ſuis bullis in ipſa eccleſia conſervantur. Habetur quoque ibi de confirmatione ejuſdem eccleſiæ privilegium *Calixti* papæ & *Eugenii* papæ.

Cap. XII.

De libertatibus regum, & largitionibus principum, ac de eleemoſinis aliorum fidelium.

Sunt etiam ibidem plurimæ cartæ & alia inſignia de terris quæ liberalitate et eleemoſinis hominum eidem eccleſiæ ſunt datæ. Inter quos *David* rex *Scotiæ* et *Henricus* filius ejus dederunt eis unum manſum in **Carlel**, et in eadem villa, aliud manſum. *Rodbertus* de *Setun* cum *Richald* matre ſua dedit eis dimidium cujuſdam villæ quæ vocatur **Achewic**. Et *Wallevus* et *Alanus* filius ejus iiij. bovatas terræ et unum manſum ad piſcationem halecium in *Eltadala*; et *Forno*, et *Ivo* filius ejus duas bovatas terræ; et *Sunnulfus* presbyter, unum manſum in *Eboraco*. *Willielmus* filius *Ulfi* iiij. bovatas terræ in *Geveldala*. *Randulfus* de *Merlai* unoquoque anno x. ſolidos donec eos in terra ponat. *Riched* mater *Rodberti de la Val* dedit iterum Deo et eccleſiæ ſancti *Andreæ Haguſtaldenſis*, et canonicis ibi Deo ſervientibus, aliam medietatem de **Achewic** in perpetuam eleemoſinam liberam et quietam de ſe et de omnibus qui ad eam pertinent, cum omni illo jure quod ipſa habebat ſuper eam. *Stephanus* rex *Angliæ* unoquoque anno xl. ſolidos ad emendum vinum.

Cap. XIII.

Quanta venerationis ac dignitatis Haguſtaldenſe *monaſterium apud antiquos fuerit, quam mirifice fundatum, quam magnifice ornatum, & quam glorioſiſſime exaltatum extiterit.*

Illud nobile *Haguſtaldenſe* monaſterium quantæ venerationis ac dignitatis apud antiquos fuerit, qui et hiſtoriam *Anglorum*, et geſta veterum *Northanhymbrorum* ſtudioſe legerit vel audierit, evidentiſſime ſcire poterit. Namque glorioſiſſimi atque potentiſſimi *Northanhymbrorum* regis *Egfridi* conſilio, et auxilio, ac ſanctæ *Etheldredæ* petitione atque donatione à beatæ memoriæ *Wilfrido Eboracenſis* pariter et ipſius *Haguſtaldenſis* eccleſiæ pontifice mirifice fundatum, magnifice ornatum atque glorioſiſſime exaltatum fuit. Ab illo igitur tempore et ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ auctoritate, et archiepiſcoporum, et epiſcoporum donatione et atteſtatione, et regum, et conſulum, ac principum liberalitate atque confirmatione inter cætera prærogativarum ſuarum inſignia quibuſlibet reis ad ejus defenſionem confugientibus firmam pacem conferre et conſervare cognoſcitur. Sunt etenim ab orientali et auſtrali, ab occidentali et aquilonali parte ipſius eccleſiæ, quædam certa loca, et quidam termini evidentes antiquitus inſtituti, et ab incolis bene cogniti, infra quos pacem adeuntes, et de pace redeuntes, vel eos, vel quicquam de ſubſtantia eorum nulli licet infeſtare ſive temerario auſu contingere.

Cap. XIIII.

Quam pacem dederunt reges eccleſiæ Haguſtaldenſi.

Si quis igitur quemlibet cujuſcunque facinoris aut flagitii reum et convictum infra quatuor cruces quæ ſunt extra ipſam villam de **Heſtaldaſham** capit et retinet, universali judicio ij. **hundredh** emendabit. Si vero infra villam, iiij. **hundredh**. Si vero infra muros atrii eccleſiæ, vj. **hundredh**. Si autem infra eccleſiam, xij. **hundredh**. Si vero infra valvas chori, xviij. **hundredh**. Pœnitentia quoque de ſingulis ſicut de ſacrilegiis injuncta. In **hundredh** viij. libræ continentur. Quod ſi aliquis veſano ſpiritu agitatus diabolico auſu quemquam capere præſumpſerit in cathedra lapidea juxta altare quam Angli vocant **Fridſtol**, id eſt, cathedram quietudinis vel pacis, vel etiam ad feretrum ſanctarum reliquiarum quod eſt poſt altare, hujus tam flagitioſi ſacrilegii emendatio ſub nullo judicio erit, ſub nullo pecuniæ numero claudetur, ſed apud Anglos **botolos**, id eſt, ſine emendatione vocatur. Hæ emendæ nichil ad archiepiſcopum niſi ipſe præſens in villa fuerit dum hujuſmodi foriſfacturæ contigerint, ſed potius ad ipſius eccleſiæ canonicos pertinent. Sciendum autem quod quamvis ſupradicta loca pacis metas eſſe diximus, tamen piæ memoriæ *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus bis, ſcilicet ſemel cum *Hudard* vicecomite, et alia vice contra *Walterum de Biwella* quendam capellanum *Bernardi de Ballol*, in conſpectu et audientia multorum ſapientum et nobilium virorum dirationavit, quod ex illa parte qua prædicta villa à *Tina* fluvio circumdatur, à medio impetu ipſius fluminis incipit pax præfatæ eccleſiæ; unde duo prædicti viri judicio coacti ſunt quoſdam homines cum ſua ſubſtantia ipſi archiepiſcopo reddere, quos ad pacem eccleſiæ fugientes in ſupra nominato loco amnis capere ac retinere auſi fuerant. Quo facto, emendas eccleſiæ, et archiepiſcopo, et canonicis fecerunt: ſed quia propter frequentes et nimias inundationes in medio fluminis infigi non poterant, quæ ibi poni debuerant, in ripa ipſius cruces poſitæ ſunt.

Explicit deſcriptio Haguſtaldenſis *Eccleſiæ*.

INCIPIT

INCIPIT HISTORIA PIÆ MEMORIÆ *Ricardi* Prioris *Haguſtaldenſis* eccleſiæ, *De Geſtis regis Stephani, & de bello Standardii.*

An. Dñi 1135.

ANNO Verbi incarnati M.CXXXV. ab adventu vero *Normannorum* in *Angliam* lxix. *Henricus* Rex *Angliæ* anno ætatis ſuæ lxviij. de quadam murena comedens ægrotavit, & mortuus eſt in quadam foreſta *Normanniæ* quæ *Leuns* dicitur apud ſanctum *Dionyſium* iv. non. Decembris feria ij. Regnavit autem glorioſe annis triginta v. & menſibus iv. Corpus vero ipſius, ſicut præceperat, in *Angliam* tranſvectum, apud *Radingas* ſepultum eſt. Unde ſtatim juſtitia & pax, quæ cum eo diu regnaverant, in *Normannia* & *Anglia* pariter cum illo occubuerunt. Et juſtitiæ patrocinante quod ſolum tunc ubique regnabat, violentiæ & rapinæ, cædes & deprædationes, inauditæ crudelitates & innumeræ calamitates loco pacis ac juſtitiæ ſuam tyrannidem latenter & patenter exercuerunt. Hæc autem omnia mala poſt mortem ejus tanto exuberantius & vehementius prævaluerunt, quanto majori potentia & diſtrictiori juſtitia in vita ſua plures depreſſerat, aggravaverat, ſpoliaverat, exhæreditaverat, exiliaverat. Unde nacti occaſionem quam ardenter deſideraverant, ſinguli ſe vindicare feſtinabant, dum quicquid mali agere poterant eis impune facere licebat. Ea tempeſtate *Willielmus* cognomento *Tranſverſus* qui honorem *Fracti pontis* (ſic enim quoddam oppidum nominatur) ex dono *Henrici* regis habuerat, à quodam milite homine ſuo *Pagano* nomine, apud ipſum oppidum letali vulnere percuſſus, poſt triduum in habitu monachili mortuus eſt. Et quem patri ſuo *Roberto* de *Leſci* rex *Henricus* abſtulerat, *Ilbertus* de *Leſceio* filius ejus mox eundem honorem recuperavit. Et per *Angliam* & per *Normanniam* ſimiliter pluribus eadem tempeſtate contigit. Rex autem nobilis *Henricus* in juvenili ætate magna virtutis probitate laudabilis, in adverſitatum periculis ſæpe vexatus, in militaribus congreſſionibus optime exercitatus fuit. Erat namque vir conſilii & providentiæ, ſagacitatis ac prudentiæ, mente conſtans, animo audax, in ſermone verax, in promiſſis efficax, in minis pertinax, in amicitia perſeverans, in odio perdurans, in adverſis patiens, in proſperis temperans, facundia diſertus, juſtitia rigidus; in judicio æquus, inimicis peſſimus, amicis optimus. Igitur poſt fratrem ſuum *Willielmum* regnum *Angliæ* adeptus, ducatumque *Normanniæ* à germano ſuo *Roberto* Comite mira arte acquiſivit, & utriuſque negotia magna ſapientia diſpoſuit, ac omnes ſibi adverſantes ineffabili calliditate ſuperavit. Nobiles pleroſque propter eorum perfidiam depreſſit; ignobiles vero multos quos probos ac ſibi fideles invenit, amplis honoribus ſullimavit. Bonas quoque leges & conſuetudines regis *Edwardi* prædeceſſoris ac cognati ſui reſtauravit, & prout ei videbatur ſua ſapientia & auctoritate emendatas & corroboratas, in regno ſuo rigide & conſtanter tam à divitibus quam à pauperibus obſervari fecit. Raptores quoque ac fures & latrones ac maleficos atque falſæ monetæ factores & ſtudioſos expenſores gravi animadverſione puniri fecit. Igitur in diebus ejus tempora pacis floruerunt, ac plura monaſteria in quibus antea non erant, ad religionem monachorum, ac præcipue canonicorum regularium converſa ſunt. Unde & ipſe duo cœnobia, unum monachorum apud *Radingas*, ubi & ipſe ſepeliri voluit, & alterum Canonicorum apud *Cireceſtram* inſtituit, & regali munificentia ditavit, ac utriſque juxta ordines ſuos abbates præfecit. Monaſterium vero *Radingas* ipſe favore ſuo provexit, & in lumine baſilicam pulcherrimi operis erexit, & cum regali poteſtate reddituum, conventu & numeroſitate monachorum ornavit. Conſtruxit etiam cœnobium *Cireceſtræ* quarto ante obitum ſuum anno, in quo cum opulentia rerum neceſſariarum Canonicos regulares collocavit. In religioſos & in pauperes laudabili largitate & congrua veneratione enituit. Poſt quem non ſurrexit princeps alius qui ſic injuſtas regni exactiones interdiceret, omnes ſibi ſubjectos in pace & modeſtia ſapientiæ diſponeret, perſonas eccleſiaſticas reverenter excoleret, pauperes & inopes ſumptuoſis eleemoſinis foveret. Duas reginas habuit, primam nomine *Matildam* filiam *Malcolmi* Regis *Scotiæ*, ex qua unam filiam genuit: quæ primo Imperatori *Henrico Alemanniæ* ac deinde *Gaufrido Andegavenſium* Comiti in conjugium data eſt. Unum quoque filium nomine *Willielmum* ex eadem habuit, qui cum maxima nobilitate *Angliæ* & *Normanniæ* in mari ſummerſus eſt. Alteram vero Reginam poſt mortem *Matildis* nomine *Adelizam* filiam *Godefridi* Ducis *Luvaniæ* accepit, ſed hæc ſterilis permanſit. In fornicatione autem & adulterio plures liberos habuit. Namque hæc duo vicia, ſcilicet luxuria & amor pecuniæ, in eo nimis dominabantur. Unde ejus exemplo plurimi corrupti ſunt. Hic autem, ſicut prædictum eſt, paulo antequam moreretur in *Normannia* exiſtens, de quadam murena comedit, unde mox ægrotare cœpit & mortuus eſt. Quo mortuo, continuo emerſerunt homines ſceleſti & peccatores, cuncta jura juſtitiæ & pacis diſſipantes, & ad direptiones & cædes, incendia & alia flagitia hoſtiliter proruentes. Ipſe enim in principio regni ſui, ſicut prædiximus, leges juſtas & libertates populo dedit, carta confirmavit, ſigillo corroboravit, & in ærario ſuo apud *Wintoniam* conſervari præcepit, ſicut ſequens articulus aperte demonſtrabit.

Henricus *Dei gratia rex* Anglorum, *omnibus fidelibus ſuis tam* Francigenis *quam* Anglicis *totius* Angliæ *ſalutem. Sciatis me miſericordia Dei & communi conſilio baronum regni* Angliæ *ejuſdem regni regem coronatum eſſe. Et quia regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus, ego reſpectu Dei & amore quem erga vos omnes habeo, ſanctam Dei eccleſiam inprimis liberam concedo. Ita quod nec eam vendam nec ad firmam ponam, nec mortuo archiepiſcopo vel epiſcopo vel abbate aliquid accipiam de dominio eccleſiæ vel de hominibus donec ſucceſſor in eam ingrediatur. Et omnes malas conſuetudines quibus regnum* Angliæ *injuſte opprimebatur, inde aufero. Quas malas conſuetudines expono hic parte.* Si aliquis Baronum meorum vel Comitum ſive aliorum qui de me tenent mortuus fuerit, hæres ſuus non redimat terram ſuam ſicut faciebat tempore fratris mei, ſed legitima & juſta relevatione relevabit eam. Similiter homines baronum meorum legitima & juſta relevatione relevabunt terras ſuas de dominis ſuis. Et ſi quis baronum vel aliorum hominum meorum filiam ſuam nuptui tradere voluerit, ſive ſororem ſive neptem ſive cognatam, mecum inde loquetur. Sed neque ego aliquid de ſuo pro hac licentia accipiam, neque defendam ei quin eam det, excepto ſi eam jungere vellet inimico meo. Et ſi mortuo barone vel alio homine meo filia hæres remanſerit, illam dabo conſilio baronum meorum cum terra ſua. Et ſi mortuo marito uxor remanſerit ejus, & ſine liberis fuerit, dotem ſuam & maritationem habebit, & eam non dabo marito niſi ſecundum velle ſuum: ſi vero uxor cum liberis remanſerit, dotem quidem & maritationem ſuam habebit dum corpus ſuum legitime ſervaverit, & eam non dabo niſi ſecundum velle ſuum, et terræ liberorum cuſtos erit, ſive uxor ſive alius propinquorum qui juſtius eſſe debebit. Et præcipio ut barones mei ſimiliter ſe contineant erga filios vel filias vel uxores hominum ſuorum. Monetagium commune quod capiebatur per civitates & per comitatus, quod non fuit tempore Regis *Edwardi*, hoc ne amodo ſit omnino defendo. Si quis captus fuerit ſive monetarius ſive alius cum falſa moneta, juſtitia recta inde fiat. Omnia placita & omnia debita quæ fratri meo debebantur condono, exceptis rectis firmis meis, & exceptis illis quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus, vel pro eis rebus quæ juſte aliis contingebant. Et ſi quis pro hæreditate ſua aliquid pepigit illud condono, & omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pactæ erant. Et ſi quis baronum vel hominum meorum infirmabitur, ſicut ipſe dabit vel dare diſponet pecuniam ſuam, ita datam eſſe concedo. Quod ſi ipſe præventus vel armis vel infirmitate pecuniam ſuam non dederit vel dare diſpoſuerit, uxor ſua ſive liberi aut parentes & legitimi homines ejus eam pro anima ejus dividant, ſicut melius eis viſum fuerit. Quod ſi perfidiæ vel ſceleris convictus fuerit, ſic emendet. Et ſi quis baronum vel hominum meorum foriſfecerit, non dabit vadium in miſericordia pecuniæ ſuæ ſicut faciebat tempore patris mei vel fratris, ſed ſecundum foriſfacti modum ita emendabit ſicut emendaſſet retro à tempore patris mei in tempore aliorum anteceſſorum meorum. Murdra etiam retro ab illa die qua in regem coronatus fui omnia condono. Et ea quæ amodo facta fuerint, juſte emendentur ſecundum lagam regis *Edwardi*. Foreſtas communi conſenſu baronum meorum in manu mea ita retinui ſicut pater meus eas habuit. Militibus qui per loricas terras ſuas deſerviunt, terras dominicarum carrucarum ſuarum quietas ab omnibus geldis & ab omni opere proprio dono meo concedo, ut ſicut tam magno gravamine alleviati ſunt, ita equis & armis ſe bene inſtruant, ut apti ſint & parati ad ſervitium meum & ad defenſionem regni mei. Pacem firmam in toto regno meo pono, & teneri amodo præcipio. Lagam Regis *Edwardi* vobis reddo cum illis emendationibus quibus pater meus eam emendavit conſilio baronum ſuorum. Si quis aliquid de meo vel de rebus alicujus poſt obitum regis *Willielmi* fratris mei cepit, totum cito reddatur abſque emendatione. Et ſi quis inde aliquid retinuerit, ille ſuper quem inventum fuerit graviter mihi emendabit. Teſte *Mauricio* Lundonienſi epiſcopo, & *Willielmo* electo Wint. epiſcopo, et *Gyrardo* Herfordenſi epiſcopo, et *Henrico* Comite, et *Simone* Comite, & *Waltero* Comite, *Giſardo* et *R.* de *Muntfort*, et *Eudone* dapifero, et *Rogero Bigoto*. Valete.

Hæc autem de eo ſuccincte dicta ad præſens ſufficiant; ſi quis autem plenius noſſe deſiderat actus ejus, & quomodo ſe in regno habuerit, in cronicis de geſtis *Anglorum* invenire poterit. *Henrico* autem regi mox *Stephanus* Comes *Bononia* nepos ejus ex ſorore ſua Comitiſſa de *Blois*, & frater *Theobaldi* Comitis, in regnum ſucceſſit.

An. Dñi 1136.

ANno igitur Dominicæ incarnationis M.Cxxxvj. à primoribus regni cum favore cleri ac populi *Stephanus* Comes *Bononia* electus, à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo in natali Domini apud *Lundonias* in regem conſecratur. Hujus autem regni primordia & proceſſus tot ac tantis redundavere rerum adverſantium turbationibus, ut quid de eis ſcribi debeat, quæve habitura ſint ſingula finem, nondum ſciri valeat. Ipſe autem rex licet innumeris & maximis adverſitatibus undique coartatus, ſemper tamen animo conſtans, vultu hilaris & quaſi de victoria jam ſecurus, hoſtium ſuorum conatus & minas, ſubdolorum verſutias ac perfidorum fraudes, & temporalium rerum licet maximarum amiſſiones, quaſi non ſentiret vel parum perpenderet, deridebat. Quæ ejus confidentia & ſecuritas adverſariis ſuis ſtuporem & confuſionem, ſuis vero vigorem & audaciam & conſolationem conferebat. Erat quoque vir tantæ manſuetudinis & benignitatis, ut etiam inimici ejus ad ipſum converſi præter ſpem ſuam in illo miſericordiam invenirent. Maximas igitur familias de militibus ſtipendiariis collegit, per quos negotia ſua in *Normannia* & *Anglia* ageret. Nam *Galfridus* Comes *Andegavenſis* qui Imperatricem ſcilicet filiam *Henrici* regis, quæ ſic vocata eſt poſtquam Imperatori nupſit, in conjugio habebat, cujus filio *Anglia* ac *Normannia* jurata fuit, mox ut eum in regem electum eſſe cognovit, plurimas regiones deprædavit ac deſtruxit, & multa caſtella in *Normannia* contra illum cepit ac tenuit. Similiter & *David* rex *Scotia* ejuſdem dominæ avunculus, in provincia *Northanhymbrorum* v. oppida, ſcilicet *Lugubaliam* quod Anglice **Carlel** dicitur, & *Carrum* quod ab Anglis **Werch** dicitur, & **Alnawic** & **Norham** & *Novum caſtellum* mox circa natale Domini cum magno exercitu præoccupavit ac tenuit. Sed **Babanburch** minime habere potuit. Fidelitates quoque & obſides de potentioribus & nobilioribus ejuſdem regionis ad conſervandam fidem Imperatrici nepti ſuæ accepit. Propoſuit etiam *Dunelmum* aggredi :· ſed *Stephanus* rex ad caput Jejunii quod illo anno nonis Febr. contigit, cum maximo exercitu illuc veniens, xv. diebus ibi moratus eſt. Tandem vero in eadem provincia habita collocutione & pace facta inter duos reges, *Henricus* filius *David* regis *Scotia* homagium *Stephano* regi apud *Eboracum* fecit. Deditque rex illi cum conſulatu patris ſui **Huntadun**, **Carlel** & *Donacaſtriam* cum omnibus quæ ad ea pertinent; &, ut quidam aiunt qui ſe huic conventioni interfuiſſe teſtantur, promiſit illi quod ſi comitatum *Northanhymbria* alicui dare vellet, prius calumpniam *Henrici* filii Regis *Scotia* ſuper eo juſte in ſua curia judicari faceret. Reddidit quoque *David* rex *Scotia*

Stephano Regi *Anglia* iv. prædicta caſtella ſua quæ invaſerat; nam quintum ſcilicet **Carlel** datum erat ei, redditis obſidibus & utriuſque partis hominibus in eadem pace concordatis. Fuit quoque *Henricus* filius regis *Scotia* ad curiam *Stephani* Regis *Anglia* in proxima paſcha quam apud *Lundoniam* feſtive tenuit, cum maximo honore ſuſceptus, atque ad menſam ad dexteram ipſius regis ſedit. Unde & *Willielmus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſe à curia ſubtraxit, & quidam proceres *Anglia* erga regem indignati coram ipſo *Henrico* calumpnias intulerunt. De qua re *David* rex *Scotia* valde indignatus recepto filio ſuo noluit eum quamvis ſæpius mandatum ad curiam regis remittere. Eodem autem anno *Walani* multum de terra *Stephani* Regis *Anglia* devaſtaverunt, & duos de baronibus ſuis, *Ricardum Filium Rogerii*, & *Paganum Filium Johannis*, in regione illorum inſidioſe occiderunt. Sed mox cum eo concordati ſunt. Eodem quoque anno *Baldewinus* de *Redvers*, quia non potuit quendam honorem habere quem à Rege poſtulaverat, *Execeſtram* oppidum ſuum contra illum firmavit. Rex vero devaſtata terra ejus, poſt diutinam obſidionem oppidum per vim cepit, & illum captum de *Anglia* & *Normannia* exlegavit. At ille ad *Ganfridum Andegavenſem* Comitem & ad Imperatricem ejus uxorem confugit. Eodem quoque anno *Innocentius* Romanæ ſedis Apoſtolicus *Stephano* Regi *Anglia* litteras ſuas tranſmiſit, quibus eum Apoſtolica auctoritate in regno *Anglia* confirmavit. Quarum exemplar hoc eſt.

Innocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* Stephano *illuſtri* Anglorum *Regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Rex regum & dominus dominantium in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnia jura regnorum, ex incomprehenſibili ſuperne providentia diſpenſatione quando vult mutat tempora & transfert regna. Sicut enim atteſtatur propheta,* Dominatur excelſus in regno hominum, & cui voluerit dat illud. *Quot commoditates, quanta jocunditatis tranquillitas, quantumque juſtitia cenſura in regno* Angliæ *& ducatu* Normanniæ *regnante filio noſtro glorioſa memoria* Henrico *rege viguerunt, eo humanis rebus exempto oculata fide perclaruit. Cum enim idem eſſet religioſorum virorum amator, pacis & juſtitia cultor, viduarum & orphanorum propitius conſolator, & eorum qui impotentia defendere ſe non poterant pius defenſor: Ipſo ſublato de medio, prout accepimus, turbata eſt religio in regno* Angliæ, *& nullum mandatum pacis ſeu juſtitia in adjutorio regali vigebat, atque atrocitatem tantorum ſcelerum comitabatur impunitas. Ne autem diutius graſſando in populum Dei debachari poſſet dira feralitas, inclinata eſt ad preces religioſorum virorum divina miſeratio pietatis, & tantis flagitiis potenter occurrens, quemadmodum venerabilium fratrum noſtrorum, archiepiſcoporum, epiſcoporum earundem regionum & amatorum ſancta* Romanæ *eccleſia, glorioſi* Francorum *Regis & illuſtris viri Comitis* Theodbaldi *ſcripta teſtantur, & induſtrium virorum nobis indicavit aſſertio, communi voto & unanimi aſſenſu tam procerum quam etiam populi, te in regem eligere & à præſulibus regni conſecrari providit. Nos cognoſcentes vota tantorum virorum in perſonam tuam præeunte divina gratia conveniſſe, pro ſpe etiam certa & beato* Petro *in ipſa conſecrationis tuæ die obedientiam & reverentiam promiſiſſe, & quia de præfati regis proſapia prope poſito gradu originem traxiſſe dinoſceris, quod de te factum eſt gratum habentes, te in ſpecialem beati* Petri *& ſancta* Romanæ *eccleſia filium affectione paterna recipimus, & in eadem honoris & familiaritatis prærogativa qua prædeceſſor tuus egregia recordationis* Henricus *à nobis coronabatur, te propenſius volumus retinere.*

Igitur *Stephanus* his & aliis modis in regno *Anglia* confirmatus, epiſcopos & proceres ſui regni regali edicto in unum convenire præcepit; cum quibus hoc generale Concilium celebravit.

Ego Stephanus *Dei gratia aſſenſu cleri & populi in regem* Angliæ *electus, et à* Willielmo Cantuarienſi *archiepiſcopo & ſancta* Romanæ *eccleſia legato conſecratus, & ab* Innocentio *ſancta* Romanæ *ſedis Pontifice confirmatus, reſpectu & amore Dei ſanctam eccleſiam liberam eſſe concedo, & debitam reverentiam illi confirmo.* Niehil me in eccleſia vel rebus eccleſiaſticis ſimoniace acturum vel permiſſurum promitto. Eccleſiaſticarum perſonarum & omnium clericorum & rerum eorum juſtitiam & poteſtatem & diſtributionem bonorum eccleſiaſticorum in manu epiſcoporum eſſe perhibeo & confirmo. Dignitates eccleſiarum privilegiis earum confirmatas, & conſuetudines earum antiquo tenore habitas inviolate manere ſtatuo & concedo. Omnes eccleſiarum poſſeſſiones & tenurias quas illa die habuerunt qua *Willielmus* Rex *Anglia* avus meus fuit vivus & mortuus, ſine omni calumpniantium reclamatione eis liberas & abſolutas eſſe concedo. Si quid vero de habitis vel poſſeſſis ante mortem ejuſdem regis quibus modo careat eccleſia deinceps reſederit, indulgentiæ & diſpenſationi meæ vel reſtituendum vel diſcutiendum reſervo. Quæcunque vero poſt mortem ipſius Regis liberalitate regum, largitione principum, oblatione vel comparatione vel qualibet tranſmutatione fidelium eis collata ſunt confirmo. Pacem & juſtitiam me in omnibus facturum & pro poſſe meo conſervaturum eis promitto. Foreſtas quas *Willielmus* rex avus meus & *Willielmus* ſecundus avunculus meus inſtituerunt & habuerunt mihi reſervo. Cæteras vero omnes quas *Henricus* rex ſuperaddidit eccleſiis & regno, quietas reddo & concedo. Si quis epiſcopus vel abbas vel alia eccleſiaſtica perſona ante mortem ſuam rationabiliter ſua diſtribuerit vel diſtribuenda ſtatuerit, firmum manere concedo. Si vero morte præoccupatus fuerit, pro ſalute animæ ejus eccleſiæ conſilio eadem fiat diſtributio. Dum vero ſedes propriis paſtoribus vacuæ fuerint, ipſæ & omnes earum poſſeſſiones in manu et cuſtodia clericorum vel proborum hominum ejuſdem eccleſiæ committantur, donec paſtor canonice ſubſtituatur. Omnes exactiones et injuſtitias et meſchenningas, ſive per vicecomites vel per alios quoſlibet male inductas, funditus extirpo. Bonas leges et antiquas et juſtas conſuetudines in hundris et placitis et aliis cauſis obſervabo, et obſervari præcipio et conſtituo. Hæc omnia concedo et confirmo ſalva regia et juſta dignitate mea. Teſte *Willielmo* Cantuarienſi archiepiſcopo, et *Hugone* archiepiſcopo Rotomagenſi, et *Henrico* epiſcopo Wintonienſi, et *Rogero* epiſcopo Saresberienſi, et *Alexandro* epiſcopo Lincolnienſi, et *Nigello* epiſcopo Helienſi, et *Erbr.* epiſcopo Norwicenſi, et *Simone* epiſcopo Wirecœſtrenſi, et *Bernardo* epiſcopo ſancti Davidis, et *Audoeno* epiſcopo Ebr. et *Ricardo* epiſcopo Abrincenſi, et *Roberto* epiſcopo Herefordenſi, et *Johanne* epiſcopo Rovenceſtrenſi, et *Adelwlfo* epiſcopo Carleolenſi, et *Rogero* Cancellario, et *Henrico* nepote Regis, et *Roberto* Comite Gloceſtriæ, et *Willielmo* Comite Warennæ, et *Radulfo* Comite Ceſtriæ, *Rogero* Comite Warawicenſi, *Ro:* de Ver, *Milone* de Gloc. *Roberto* de Olli, *Briano* filio Comitis Conſtabil. *Willielmo* Martel, *Hug:* Bigot, *Hunfrido* de Buhun, *Simone* de Belloc: dapiferis, *Willielmo* de Alb.? *Martel* de Alb: pincernis, *Roberto* de Fer: *Willielmo* Peverel, *Sim:* de Silvanecti, *Willielmo* de Albania, *Hugone* de S. Claro, *Ilberto* de Leceio, apud Oxenford anno ſcilicet ab Incarnatione Domini M. Cxxxvj. ſed regni mei primo. His et aliis modis ſtatim in primo anno confirmatus *Stephanus* in regno *Angliæ* etiam hujuſmodi leges et conſuetudines regno ſuo dedit et conceſſit, et conſtanter promiſit quod eas cum ſuis firmiſſime ſervaret. Eodem anno propter bellum Comitis *Andegavenſis* menſe Auguſti in *Normanniam Stephanus* rex transfretavit. Et *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus menſe Novembris defunctus in ſua civitate ſepultus eſt.

An. Dñi 1137. ANno igitur proximo, id eſt M. Cxxxvij.. pacis fœdere rupto, ſtatim poſt Paſcha *David* rex *Scotiæ* exercitum ſuum congregans *Northymbriam* devaſtare propoſuit. Sed ex præcepto regis *Stephani* tunc in *Normannia* exiſtentis, maxima pars Comitum & Baronum *Angliæ* cum magno exercitu militum ad *Novum caſtellum* quod eſt in *Northumbria* venit, illi reſiſtere parata, ſi regnum *Angliæ* invaderet. Tandem per internuncios datis & acceptis induciis, uſque ad proximum adventum Domini poſt xl. dies ad propria redierunt. In adventu autem Domini *Stephano* regi redeunti de *Normannia*, poſtquam data magna pecunia à Comite *Andegavenſi* biennii inducias acceperat, legati *David* regis *Scotiæ* & *Henrici* filii ejus mox affuerunt illi ſuas inducias reddentes, niſi *Henrico* comitatum *Northymbriæ* daret. At rex petitioni illorum minime annuit.

1138. ANno igitur M. Cxxxviij. iv. idus Januarii *Willielmus* filius *Dunecan* nepos *David* Regis cum parte exercitus ipſius *David* Caſtellum quod *Carrum* dicitur in terra Regis *Angliæ* antelucanis inſidiis invaſit, deprædataque circumquaque regione, illud expugnare cœpit. Deinde ipſe rex cum *Henrico* filio ſuo & cum majore exercitu illuc adveniens, & omnium virium ſuarum conatus explorans, baliſtis & aliis machinis & variis aſſultibus oppidum expugnare aggreſſus eſt, ac deinde illud iij. ebdomadis obſedit. Sed nichil profecit, immo Deo auxiliante omnis ejus conatus in contrarium illi converſus eſt. Nam milites & alii qui in caſtello erant, ſe & oppidum optime defendentes, ſigniferum ejus & alios multos de hominibus ſuis in conſpectu ejus interfecerunt, & multos plures vulneraverant. Cernens autem rex laborem ſuum illic caſſari, & ſibi ſuiſque grave dampnum de die in diem creſcere, indignatione et ira inflammatus, tandem oppido relicto ad *Northymbriam* devaſtandam cum omni multitudine ſua properavit. Igitur ille deteſtandus exercitus, omni paganorum genere atrocior, nec Deo nec hominibus reverentiam deferens, tota provincia deprædata, utriuſque ſexus cujuſque ætatis & conditionis homines paſſim trucidavit, villas, eccleſias, domos deſtruxit, ſpoliavit, accendit. Namque languentes in grabatis, ac mulieres prægnantes & parturientes, & in cunis infantes, & alios innocentes inter ubera & in ſinibus matrum ſuarum cum ipſis matribus, & decrepitos ſenes & defectas anus & cæteros qualibet occaſione debiles, ubicunque inveniebant, in ore gladii trucidaverunt, vel lanceis ſuis confixerunt. Et quanto miſerabiliore mortis genere illos diſperdere poterant, tanto plus gratulabantur. Unde apertiſſime ibi impletum eſſe videtur quod pſalmiſta conquerendo deflebat, dicens, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt* Jeruſalem *in pomorum cuſtodiam :* et cætera quæ in illo pſalmo ſequuntur. Fertur etiam quod in quodam loco multos parvulos congregatos occiderunt, eorumque ſanguinem in quendam rivum quem antea præcluſerant effundendo collegerunt, ſicque ipſam aquam cruentatam, immo jam ex maxima parte cruorem biberunt. Dicunt etiam quod in eccleſiis crucifixos quanto turpius poterant in *Chriſti* ignominiam & ipſorum confuſionem demembraverunt, & altaria ſuffoderunt, & juxta & ſuper ipſa clericos & innocentes laceraverunt. Unde non inmerito iterum cum propheta gemendo proclamare poſſumus, *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es, ſed nondum miſertus es nobis* ; et cætera quæ ibi ſunt. Coadunatus autem erat iſte neſandus exercitus de *Normannis*, *Germanis*, *Anglis*, de *Northymbranis* et *Cumbris*, de *Teſwetadala*, et *Lodonea*, de *Pictis* qui vulgo *Galleweienſes* dicuntur et *Scottis* ; nec erat qui eorum numerum ſciret. Infiniti enim abſque omni mandato aut deprædandi amore, aut occaſione ulciſcendi, aut ſola voluntate nocendi qualibet regio illa habundabat ſe ſupradictis commiſcuerunt. Igitur per provinciam diſcurrentes & nemini parcentes, exceptis oppidis & maritima regione quæ ex orientali parte eſt, fere totam *Northymbriam* uſque ad *Tinam* fluvium hac vice ferro & flamma vaſtaverunt. Illam autem in reditu ſuo deſtruere propoſuerant. Quædam etiam pars exercitus illius pertranſiens *Tinam* & in ſolitudinibus innumeros homines perimens, maximam partem terræ ſancti *Cuthberti* ad occidentalem plagam eodem modo devaſtavit. Dum autem hæc à ſuis fierent, rex *Scotiæ* cum multitudine non modica apud *Corabrigham* morabatur. Hac tempeſtate in terra *Ranulfi* de *Merlai* de obſervantiis *Ciſtercienſium* deſtructum eſt quoddam cœnobium eodem anno conſtructum, & plurima alia graviſſimis vexationibus ſunt oppreſſa. Unde & illud cœnobium quod ad *Tinæ* fluminis hoſtium ſitum eſt quod Anglice Tinemuthe dicitur, ut ſibi & illic exiſtentibus pro præſenti neceſſitate pacem redimeret, Regi *Scotiæ* & ſuis xxvij. marcas argenti perſolvit. In hac autem proceloſæ tempeſtatis rabie illud nobile monaſterium *Hanguſtaldenſe*, quamvis in medio concurſu & quaſi in via illius neſandi exercitus & ſupradictorum malorum ſitum undique ab eis coanguſtaretur, tamen ob declaranda merita ſanctorum *Andreæ* apoſtoli & *Wilfridi* epiſcopi & confeſſoris advocatorum ejus, & cæterorum patronorum ſcilicet ſanctorum *Accæ* et *Alcmundi* et *Eatæ* epiſcoporum et confeſſorum, et aliorum ſanctorum in eadem eccleſia quieſcentium, Deo auxiliante, ſuis et omnibus ad illud refugientibus pacem firmiſſimam exhibuit, et omnibus illis contra omnes hoſtiles impetus tutiſſimum aſilum extitit. Verumptamen primo *Picti* ad *Tinam* fluvium juxta eandem villam fluentem cum maximo impetu irruentes, ipſam ſicut et alia deſtruere propoſuerant. Sed mox antequam prædictum amnem tranſirent, à compatriotis duo de numero illorum ſunt interfecti. Quod cæteri cernentes, exterriti retrorſum abierunt. Præterea duo de eadem gente *Pictorum* devenerunt ad quoddam oratorium ſancti *Michaelis* archangeli ex eadem boreali parte *Tinæ* fluminis ſitum, quod ad prædictam *Hanguſtaldenſem* eccleſiam pertinebat. Frangentes igitur ejus hoſtium, quod ibi repererunt ſecum abſtulerunt. Sed vindicta Dei non defuit. Nam mox dæmoni traditi, ſenſu privantur, et prout furor illos exagitabat, in conſpectu omnium per nemora et rura nocte et die paſſim diſcurrentes, alter ipſe ſibi os primo lapidibus conterens, deinde à quodam abſciſis femoribus, alter ſeipſum in *Tina* ſubmergens, uterque miſerabiliter utraque morte dampnati perierunt. His ita factis, alii de exercitu pavefacti, prædictæ *Hanguſtaldenſis* eccleſiæ poſſeſſiones non ſunt amplius auſi invadere. Igitur *David* rex *Scotiæ* et *Henricus* Comes filius ejus illi monaſterio et fratribus illius et omnibus ad illud pertinentibus, ſuam perpetuam pacem de ſe et de omnibus ſuis conceſſerunt, idque per ſua privilegia quæ in eadem eccleſia conſervantur confirmaverunt. Hoc tantummodo interjecto, ut ipſi ſibi et ſuis mutuam pacem ſervarent. Illa itaque nobilis baſilica à ſancto *Wilfrido* fundata, antiquæ conſuetudinis dignitatem retinens, in hac et in aliis bellorum et diſcordiarum tempeſtatibus, innumeris tam pauperibus quam divitibus facta eſt tutiſſimum aſilum, quibus vitæ ſubſidium et rerum ſuarum conſervationem contulit. Interea circa purificationem S. *Mariæ Stephanus* rex *Angliæ* cum ingenti multitudine Comitum et Baronum, et cum maximo exercitu equitum et peditum venit. Quod ubi rex *Scotiæ* cognovit, relicta *Northymbria* cum exercitu ſuo ad terram ſuam properavit; divertitque ad *Carrum*, et poſtea intravit terram ſuam, et in quibuſdam ſolitudinibus haud procul à *Rochaſburgh* cum exercitu ſuo latuit, inſidiis regi *Angliæ* præparatis. Speravit enim quod ille in *Rochaſburgh* hoſpitaretur. Præceperatque ejus civibus, ut quaſi fidem illi ſervaturi eum benigne ſuſciperent: ſed et præcepit, ut quando ipſe noctu cum ſuo exercitu ſuperveniret, et multitudo militum quos in oppido poſuerat ſubito erumperet, et cum civibus ei occurreret, omnes in unum congregati undique regem *Angliæ* incautum circumvallantes, eum cum ſuis omnibus extinguerent. Sed Deus qui videt cogitationes quam vanæ ſunt, has inſidias ad nichilum redegit. Nam rex *Angliæ Twedam* tranſiens fluvium, ad *Rochaſburgh* non divertit, ſed magna parte terræ Regis *Scotiæ* deprædata atque ſuccenſa, tum quia multi ex militibus ſuis nec armis indui volebant nec bella gerere; erat enim initium Quadrageſimæ; tum quia rex *Scotiæ* et ſui ei in bello occurrere non audebant, tum quia exercitui ſuo victus deficiebat, cum ſuis ad *Suthangliam* rediit. Verum peracta paſchali ſollempnitate, mox in proxima ebdomada feria vj. ſæpedictus rex *Scotiæ* cum nefando exercitu ſuo iterum in *Northumbriam* rediit, et primo maritimam provinciam quam alia vice intactam reliquerat, et præter hanc ſi quid aliud alibi illæſum præterierat, ac deinde maximam partem terræ S. *Cuthberti* in orientali plaga inter *Dunelmum* et mare, non minori furore et crudelitate quam ſupradictum eſt deſtruxit. Plurima quoque prædia monachorum Deo ac S. *Cuthberto* die et nocte ſervientium, et hac et alia vice pariter cum ſuis cultoribus ſimiliter conſumpſit. Sed ſanctus *Cuthbertus* tandem ſuorum miſertus eſt. Nam dum ſui hæc agerent, rex cum ſuis militibus haud procul à *Dunelmo* perhendinabat. Ubi gravi ſeditione propter quandam feminam orta, *Picti* ipſum Regem cum ſuis extinguere minabantur. Quo pavore dum valde anxiaretur, ecce falſo rumore divulgatur maximum exercitum de *Suthanglia* adventare. Igitur cibis ſuis relictis qui tunc parati erant, nemine perſequente verſus terram ſuam cum omnibus ſuis fugit, & ad oppidum de *Northam* quod in terra S. *Cuthberti* eſt divertit, illudque obſidens, variis modis & machinis expugnare & capere temptavit. Dumque ibi in obſidione moraretur, *Willielmum* filium *Duncan* nepotem ſuum cum *Pictis* et parte exercitus ſui in expeditionem ad *Eboracenſem* ſcyram tranſmiſit. Quo pervenientes, & propter peccata populi victoriam optinentes, poſſeſſiones cujuſdam nobilis cœnobii quod in *Suththerneſſa* ſitum eſt, et provinciam quæ *Craſna* dicitur, ex magna parte ferro & flamma deſtruxerunt. Igitur nulli gradui, nulli ætati, nulli ſexui, nulli conditioni parcentes, liberos & cognatos in conſpectu parentum ſuorum, & dominos in conſpectu ſervorum ſuorum & è converſo, & maritos ante oculos uxorum ſuarum quanto miſerabilius poterant prius trucidaverunt, deinde, proh dolor! ſolas nobiles matronas & caſtas virgines mixtim cum aliis feminis & cum præda pariter abduxerunt. Nudatas quoque & turmatim reſticulis & corrigiis colligatas & copulatas lanceis & telis ſuis compungentes, ante ſe illas abegerunt. Hoc idem in aliis bellis, ſed in hoc copioſius fecerunt. Deinde illis cum præda diſpartitis, quidam eorum miſericordia commoti aliquas ex eis eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* in **Carlel** liberas tradiderunt. Verum *Picti* & multi alii illas quæ eis obvenerunt ſecum ad patriam ſuam duxerunt. Denique illi beſtiales homines adulterium & inceſtum ac cætera ſcelera pro nichilo ducentes, poſtquam more brutorum animalium illis miſerrimis abuti pertæſi ſunt, eas vel ſibi ancillas fecerunt, vel pro vaccis aliis barbaris vendiderunt. Hæc autem ut rex *Scotiæ* cognovit, ipſe cum ſuis magno exultavit gaudio, ac prædictum caſtrum ſolito acrius impugnare aggreſſus eſt. Oppidani vero primo optime ſe defenderunt; verum deinde, tum quia pauci erant, et plures ex illis vulnerati fuerant, quippe ix. tantum milites erant, tum quia à domino ſuo *Gaufrido Dunelmenſi* epiſcopo nullum auxilium ſperabant, tum quia in talibus conflictibus parum exercitati erant, attoniti deditionem regi fecerunt, cum & vallum optimum eſſet, & turris fortiſſima, & eis victualia habundarent. Igitur milites & alii qui erant in oppido magnum vituperium incurrerunt, quia caſtrum male cuſtodientes nimis cito defecerunt. Nec ſolum illi, ſed & dominus illorum, quia non pro ſua opportunitate & temporis neceſſitate caſtrum ſuum munierat. Milites cum ſuis *Dunelmum* redierunt. Rex igitur recepto oppido & ſumpto cibo, qui ſatis copioſe ibi repertus eſt, mandat epiſcopo *Dunelmenſi*, quod ſi relicto *Stephano* rege *Angliæ* vellet ſuæ parti fidelitatem jurare, caſtrum ſuum illi redderet, & dampna quæ ei fecerat reſtauraret. Abnegat epiſcopus. Fecit ergo rex oppidum deſtrui. Dum autem circa Rogationes hæc ibi agerentur, milites de oppido *Carrum* exeuntes, quæ juxta illos advehebantur & revehebantur, victualia regis *David* una cum vehiculis & miniſtris infra oppidum ſuum rapuerunt. Rex ergo nimia inflammatus ira, illos obſidere cum omni multitudine ſua feſtinavit, & oppidum machinis & quibuſcunque potuit modis expugnare iterum aggreſſus eſt. Sed Deo auxiliante, omnis conatus ejus incaſſum cecidit. Inſuper etiam perplures ſuorum vulnerati & læſi ſunt ab eis, & nonnulli interfecti. Similiter & in congreſſionibus quas ante hanc obſidionem cum *Henrico* filio regis conſeruerant, quoſdam occiderant, alios vulneraverant vel retinuerant, & de eis redemptionem acceperunt. Benedictus Deus per omnia, qui protegit pios, & tradidit impios. Videns autem rex ſe fruſtra circa oppidum laborare, ſegetes per agros conſumi fecit. Deinde de ſua & de quibuſcumque terris potuit copioſiorem quam unquam antea habuerat, coadunari exercitum fecit. *Euſtachius* quoque *Filius Johannis* unus de Baronibus regis *Angliæ*, quoddam munitiſſimum caſtellum quod **Alnewic** dicitur in *Northumbria* habens, qui diu clanculo regi *Scotiæ* faverat, hac vice manifeſte perjurus, naturali domino ſuo ſcilicet rege *Angliæ* abnegato, ipſe cum omni virtute ſua contra regnum *Angliæ Scottis* auxilium ferebat; unde non minimam multitudinem belligerantium ſecum ducens, ad deſtruendam *Eboracenſem* ſcyram cum rege *Scotiæ* profectus eſt, & ſuum alterum caſtellum nomine **Maltun** munitiſſimum & in eadem provincia juxta fluvium *Derewentionem* haut procul ab *Eboraco* ſitum, de quo in ſequentibus dicendum eſt, Regi *Scotiæ* & ſuis tradere diſpoſuerat. Rex igitur *David* duobus tegnionibus, id eſt baronibus ſuis cum gente eorum obſidione *Carrum* commendata, cum maxima parte ſui exercitus ad oppidum quod **Bahanburg** dicitur profectus eſt. Ubi ante caſtrum quodam vallo capto fere centum homines interemit. Deinde circa illud & circa **Milford** oppidum *Willielmi Bertram*, et in pluribus locis per *Northumbriam* ſegetibus vaſtatis fluvium *Tinæ* pertranſiit. Intranſque in terram S. *Cuthberti*, quæ nondum ad eum venerat ſui exercitus partem expectavit. Nec mora, ex ejus edicto *Picti* & *Cumbri* & homines de **Carlel** & de circumjacente regione ad illum convenerunt. Congregato igitur toto exercitu ſuo, quia nimius & inſuperabilis ei videbatur, revera enim grandis erat, pluſquam xxvj. milia hominum habens, nimio exultavit gaudio. Elevatumque eſt cor ejus & ſuorum, ac in ſe & in ſua multitudine ſpem ſuam ponentes, nec ad Deum ullum reſpectum habentes, nimis indignanter ac ſuperbe locuti ſunt. Nec ſolum *Eboracenſem* ſcyram, ſed et maximam portionem *Angliæ* in exterminium dare et meditabantur et minabantur. Non enim aliqua numeroſitate præſumere vel poſſe ſibi reſiſtere æſtimabant. His autem infra octabas nativitatis ſanctæ *Mariæ* ita geſtis, rex cum ſuo exercitu *Dunelmum* præteriens uſque ad *Teſam* fluvium ſegetes depopulari, villas et eccleſias quas alia vice intactas reliquit, more ſuo frangi, deprædari, ſuccendi fecit. Pertranſiens quoque *Teſam* idem factitare cœpit. Verum divina pietas lacrimis innumerabilium viduarum, orphanorum & miſerorum pulſata, illum tantam impietatem diutius impune exercere non eſt paſſa. Quippe dumque ſe ſuoſque ad hujuſmodi nequitiam præpararet, omnis ejus apparatus et quid agere et quo tendere propoſuerat, et fama præconante et certis nuntiis intercurrentibus, homines *Eboracenſis* ſcyræ non latuit. Igitur barones illius provinciæ, ſcilicet *Turſtinus* archiepiſcopus, qui, ut conſequenter apparebit, maxime ſe de hoc negotio intromiſit, et *Willielmus* de *Albamarla*, *Walterus* de *Gant*, *Robertus* de *Brus*, *Rogerus* de *Mulbrai*, *Walterus Eſpec*, *Ilbertus* de *Leſceio*, *Willielmus* de *Perci*, *Ricardus* de *Curci*, *Willielmus Foſſard*, *Robertus* de *Stutavilla* & cæteri potentes & ſapientes viri *Eboracum* convenerunt, & quid conſilii in hac tempeſtate habere deberent, inter ſe diligenter tractaverunt. Cumque plurimi propter proditionem in qua multi eſſe æſtimabantur de ſeſe mutuo diffidentes hæſitarent, & cum principem et conductorem belli non haberent, (nam *Stephanus* rex dominus eorum ea tempeſtate non minoribus anguſtiis in *Suthanglia* circumventus ad præſens ad eos venire non poterat) cum paucis tantæ numeroſitati occurrere formidarent, pene à ſua ac patriæ ſuæ defenſione omnino deficere videbantur, niſi *Turſtinus* eorum archiepiſcopus, magnæ conſtantiæ atque probitatis vir, ſermone ac conſilio ſuo illos animaſſet. Quippe cum eſſet paſtor animarum illorum, non more mercenarii infeſtante lupo de fuga ſibi præſidium ſperabat, ſed potius ſuper gregis ſui diſperſione ac pernicie atque patriæ ſuæ deſtructione graviſſimo compaſſionis dolore ſauciatus, omni ſtudio & conatu tantis malis remedium quærebat. Unde & ex divina auctoritate quæ ei commiſſa fuerat, & ex regia poteſtate quæ illi tunc in hoc negotio tradita erat, & de illorum fidelitate ac probitate eos fideliter admonuit, ne à peſſima barbarie per ignaviam ſe omnes una die proſterni finerent, ſed potius cuncti pariter cum ſuis per veram pœnitentiam Deo reconciliati, & ad eum toto corde converſi, cujus iram ſe promeruiſſe tot ac tanta mala teſtabantur, fiducialiter ac viriliter pro tanta neceſſitate agerent. Quod ſi devote facerent, de miſericordia Dei præſumens, eos victores fore prænunciabat. Namque illa peſſima gens potius Deo ac ſanctæ eccleſiæ quam ipſis quantum poterant adverſabantur, & ideo injuſtam, immo ſceleratam cauſam pugnandi habebant. Ipſorum vero cauſa juſta ac piiſſima erat, quippe pro ſanctæ eccleſiæ ac ſuæ patriæ defenſione periculo ſe obiciebant. Et ſi forte Deo placeret ſine aliquorum illorum occaſu hoc diſcrimen non poſſe peragi, tali intentione pugnantibus non mors formidanda, ſed potius optanda erat. Promiſit etiam eis quod ſuæ dioceſis presbyteros ſingulos cum crucibus & parochianis ſuis pariter cum illis in bellum procedere faceret, & quod ipſe cum ſuis bello intereſſe, Deo diſponente, cogitabat. Circa eundem tumultum temporis *Bernardus de Baiol* quidam de proceribus ejuſdem provinciæ cum multitudine equitum à rege *Angliæ* miſſus ad eos venit. Qui & ex parte regis & ſua ad idem animos eorum multum accendit. Igitur mandato regis & archiepiſcopi ſui ammoniti, omnes unanimiter ad unum conſilium confirmati, ſinguli ad ſua revertuntur. Poſt modicum vero unuſquiſque cum ſuis munitis ac bellicis armis inſtructi iterum *Eboracum* conveniunt. Itaque poſt acceptam privatam pœnitentiam, illis pariter & omni populo archipræſul triduanum cum eleemoſinis indixit jejunium, ac deinde abſolutionem, & benedictionem Dei & ſuam eis ſollempniter tribuit. Et quamvis præ nimia infirmitatis & ætatis debilitate ubi neceſſe erat in lecto geſtaretur geſtatorio, ipſe tamen ad animos eorum accendendos in prælium cum illis ire voluit. At illi ipſum remanere fecerunt, obſecrantes ut in orationibus & eleemoſinis, vigiliis & jejuniis, & in cæteris quæ ad Deum pertinent pro eis intercedere ſatageret; ipſi vero pro eccleſia Dei, & pro illo qui ejus miniſter erat, prout ipſe eos adjuvare dignaretur, & ſicut illorum ordo exigebat, libenter contra hoſtes pugnarent. Tunc crucem ſuam, & ſancti *Petri* vexillum, ac ſuos homines tradidit eis. At illi ad opidum quod **Treſc** vocatur iverunt. Inde vero *Robertum de Brus*, & *Bernardum de Baiol*, ad regem *Scotiæ* terram ſancti *Cuthberti*, ut ſupradictum eſt, jam devaſtantem miſerunt; qui cum ſumma humilitate ac benignitate eum obſecraverunt, ut ſaltem extunc à ſua crudelitate ceſſaret. Quod ſi illorum conſilio adquieſceret, quem poſtulaverat comitatum *Northumbriæ Henrico* filio ſuo ſe impetraturos à rege *Angliæ* firmiſſime promiſerunt. At ille corde obſtinato cum ſuis pariter & eorum verba ſprevit, & eos indignanter deriſit. Itaque *Robertus* reddito homagio quod ei fecerat, & *Bernardus* fidelitate quam una vice ab eo deprehenſus illi juraverat, ad ſuos ſocios reverſi ſunt. Omnes igitur proceres illius provinciæ, & de **Notingaham** ſcyra, *Willielmus Peverel*, & *Gaufridus Halſalin*, & de *Derbia* ſcyra *Robertus de Ferers*, & alii principales & ſapientes viri ſeſe adinvicem ſacramentorum obligatione aſſecurant & confirmant, quod nullus eorum quamdiu eum adjuvare poſſet in hoc negotio alium deſereret, & ita cuncti aut ſimul morerentur aut vincerent. Eodem tempore miſit archiepiſcopus eis *Radulfum* cognomento *Novellum Orcadenſium* epiſcopum cum quodam de archidiaconibus ſuis & aliis clericis, qui populis cotidie ad eos undique catervatim confluentibus, vice ſua & pœnitentiam injungeret, & abſolutionem daret. Miſit quoque eis presbyteros cum parochianis ſuis ſicut eis promiſerat. Dum itaque adventum *Scottorum* expectarent, ecce redeuntibus prænunciis quos ad explorandum præmiſerant, regem cum exercitu ſuo jam *Teſam* fluvium pertranſiſſe, & more ſuo jam ſuam provinciam deſtruentem cognoſcunt. Ergo cum ſumma feſtinatione eis occurrunt. Pertranſeunteſque villam quæ **Alvertun** dicitur, ad campum qui duobus miliariis ab ea diſtabat ſummo mane pervenerunt. Mox autem aliqui eorum in medio cujuſdam machinæ quam ibi adduxerant, unius navis malum erexerunt, quod **Standard** appellaverunt: Unde *Hugo Sotevagina Eboracenſis* archidiaconus,

Dicitur à ſtando ſtandardum, quod ſtetit illic
Militiæ probitas vincere ſive mori.

In ſummitate vero ipſius arboris quandam argenteam pixidem cum corpore *Chriſti*, & ſanctorum *Petri* Apoſtoli, & *Johannis Beverlacenſis*, & *Wilfridi Ripenſis* Confeſſorum ac pontificum vexilla ſuſpenderunt. Hoc autem ideo fecerant, ut *Jeſus Chriſtus* Dominus noſter per præſentiam ſui corporis eis dux belli eſſet, quod pro ejus eccleſia ac ſua patria defendenda ſuſceperant. In hoc quoque ſuis providentes, ut ſi aliquo caſu à ſe disjungerentur & elongarentur, evidens & certum ſignum haberent quo ad ſuos ſocios reverterentur, & ubi auxilium recuperare poſſent. Deinde vix ſe bellicis armis inſtruxerant, cum ecce rex *Scotiæ* cum toto exercitu ſuo ad præliandum paratiſſimo ac promptiſſimo cominus adeſſe nunciatur. Itaque maxima pars equitum equis relictis fiunt pedites. Horum electiſſimi mixti cum ſagittariis in prima acie præordinantur. Cæteri vero præter prælii ordinatores & incentores, cum baronibus juxta & circum **Standard** in pectore belli condenſantur. Reliqua autem multitudo undique conglomerata eos circumvallabat. Equeſtris vero cohors & equi militum ne à clamore et ſtrepitu *Scottorum* exterrerentur, paulo longius abducti erant. Similiter vero ex parte adverſariorum ipſe rex et pene omnes ſui ſunt effecti pedites, equi eorum remotius ſervabantur. In fronte belli erant *Picti*, in medio rex cum militibus et *Anglis* ſuis; cætera barbaries undique circumfuſa fremebat. Dumque tali ordine ad præliandum procederent, ecce **Standard** cum vexillis haud procul aſpicitur, moxque ipſius regis ac ſuorum corda ingenti pavore et horrore obſtupuerunt. Obſtinati tamen in malitia ſua cœpta mala perficere ſategerunt. Igitur in octabis Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* xj. kal. Septemb. feria ij. inter primam et tertiam hujus prælii conflictus initus et finitus eſt. Nam ſtatim in primo congreſſu innumeris *Pictis* interfectis cæteri projectis armis turpem fugam inierunt. Campus cadaveribus repletur, quamplurimi capiuntur, rex et alii omnes terga dederunt. Denique de tanto exercitu, omnes aut cæſi ſunt, aut capti, aut ſicut oves percuſſo paſtore diſperſi. Mirumque in modum quaſi ſenſu alienati non minus in circumjacentes regiones hoſtium ſuorum à patria ſua elongando, quam adverſus patriam ſuam revertendo fugerunt. Sed ubicumque ſunt reperti, tanquam oves occiſionis ſunt interfecti. Juſtoque Dei judicio qui multos miſerabiliter interemerant ac inſepultos reliquerant, ipſi multo miſerabilius trucidati, nec patrio, nec peregrino more ſepulchri uſi, canibus, avibus, ac feris expoſiti, aut lacerati et diſcerpti ſunt, aut ſub divo contabuerunt et computruerunt. Rex quoque qui paulo ante præ nimia mentis elatione et exercitus ſui numeroſitate cœli ſidera vertice tangere videbatur, et ideo vel totam, vel maximam partem *Angliæ* in exterminium ducere minabatur, mox inglorius ac paucis comitatus cum ſumma confuſione & ignominia vix vivus evaſit. Itaque divinæ ultionis virtus in hoc quoque manifeſtiſſime claruit, quod victorum exercitus inæſtimabiliter major erat quam vincentium. Nec interfectorum numerus ab aliquo æſtimari poteſt. Nam, ſicut plures teſtantur, de illo exercitu qui de ſola *Scotia* exiit, pluſquam x. millia defuiſſe à reverſis recenſiti ſunt. Nam per diverſa loca *Deirorum*, *Berniciorum*, *Northanhymbrorum*, *Cumbrorum*, & aliarum provinciarum, poſt bellum multo plures ſunt interempti quam in bello ſunt interfecti. At *Anglorum* exercitus paucis de ſuis amiſſis Deo auxiliante victoria expedite potitus, ſumpta præda quæ ſatis copioſa ibi reperta eſt, brevi fere totus diſſolvitur, & unuſquiſque ad propria revertens, vexilla quæ acceperant, cum gaudio & gratiarum actione eccleſiis ſanctorum reconſignant. Quippe cum cultioribus veſtibus, & omnibus divitiis ſuis ad hoc bellum quaſi ad regales nuptias proceſſerant. Deinde quidam baronum ad opidum *Euſtachii* quod **Walltun** vocatur, de quo ſupradictum eſt, cum parte exercitus diverterunt, villaque deſtructa illud obſederunt. Tempore namque belli ex præcepto prædicti domini ſui milites ex illo eruperant, atque plurimas villas flamma conſumpſerant. Tandem datis & acceptis viij. dierum induciis obſidio remanſit: ſolus autem ille locus in quo prædictum prælium factum eſt, ſancti *Cuthberti* erat, cum totus circumjacens campus alterius juris eſſet. Quod divina diſpenſatione, ſed tamen præter intentionem belligerantium, accidit. Namque facile datur intelligi, quod divina pietas noluit diutius eſſe inultum ſcelus quod in terra ſanctiſſimi ac dilectiſſimi Confeſſoris & pontificis ſui commiſerant, immo more conſueto citius vindicavit. Hujus autem facti rumor ubi aures regis *Angliæ* attigit, valde lætus effectus eſt. Unde etiam quia audivit eos ſe viriliter in hoc negotio habuiſſe, *Willielmum* de *Albamarla* in *Eboracenſi*, & *Robertum* de *Ferrers* in *Derbienſi* ſcyra Comites fecit. Notandum quoque quod & ſibi, & ſuis, & in *Suthanglia* & in *Normannia*, contra ſuos adverſarios pugnantibus circa idem tempus ſimiliter optime contigit. Rex autem *Scotiæ* recepto *Henrico* filio ſuo, & recollectis ſuis qui ſparſim de pugna, non ut conſortes, ſed potius ſicut hoſtes inimiciſſimi fugerant, obſidionem apud *Carrum* corroboravit. Namque *Angli*, & *Scotti*, & *Picti*, & cæteri barbari ubicumque caſu ſe inveniebant, quicumque prævalebant alios mutuo vel trucidabant, vel vulnerabant, vel ſaltem ſpoliabant, & ita juſto Dei judicio æque à ſuis ſicut ab alienis opprimebantur. Rex igitur his cognitis, graves calumpnias & exactiones in ſuos intorſit, & infinitam pecuniam ex eis extorſit. Necnon firmius quam unquam antea fecerat ſacramentis & obſidibus illos ſibi obligavit, quod nunquam amplius eum in bello deſererent. Deinde opidum *Carrum* machinis, ac novis inſtrumentis, & pluribus modis capere temptavit. At opidani machinis machinas frangentes, ex regis hominibus multos variis mortibus peremerunt, & plurimos vulneraverunt, unum tantum de militibus ſuis amittentes. Quippe de caſtello exiens, & in ſua probitate nimium confidens, & ideo temerarie audax, dum incautus circa fractionem cujuſdam machinæ moraretur, à multitudine *Scottorum* oppreſſus & extinctus eſt. Videns itaque rex omnem conatum ſuum nichil prævalere, ſed potius ſibi ſuiſque multum nocere, machinis remotis, & congreſſionibus dimiſſis, ſuos licet invitos, opidum diligenter obſidere coegit. Quippe propter magna dampna, & anguſtias, ac penurias quæ ſæpe ibi perpeſſi fuerant, diuturnæ obſidionis pertæſi erant.

Ea tempeſtate quidam peſtilentes quibus omne ſtudium & gaudium erat ſcelera excogitare ac perpetrare, ut malignitatis ſuæ deſideria efficacius conſummarent, deteſtabili concordia in unum convenerunt. Hujus vero execrabilis ſodalitii *Eadgarus* filius nothus *Coſpatrici* Comitis, & *Robertus* & *Uctred* filii *Meldred* principales ac duces erant. Igitur rapacitate ſtimulante, & impunitate patrocinante, ac furore exagitante, more luporum quæritantes prædam quam devorarent, per *Northymbriam* diſcurrerunt. Pertranſeuntes quoque *Tinam* fluvium, in terram ſancti *Cuthberti* pervenerunt. Sed non invento ibi quod poſſent vel auderent rapere, vacua manu reverſi ſunt. Ergo in quadam villa parochiæ *Haguſtaldenſis* eccleſiæ quæ **Berintun** dicitur, prædam quam invenerunt abſtulerunt. Deinde interpoſitis duabus noctibus idem prædones aliam villam **Digentun** vocatam invaſerunt. Hæc autem propria villa erat canonicis prædictæ eccleſiæ, & ab **Heſtaldaſham** verſus orientem viij. miliariis diſtabat. Igitur interfectis ibi iiij. de ſervientibus ipſorum Canonicorum, & multis convitiis Priori illorum illatis, qui forte eadem nocte ibidem ſupervenerat, cum præda diſceſſerunt. Et hoc præter ſpem eorum ipſis canonicis accidit: Namque rex *Scotiæ*, ut ſupradictum eſt, ipſis & omnibus hominibus, & omnibus rebus, & parochiæ illorum, & nominatim huic villæ ipſorum de ſe & de omnibus ſuis firmiſſimam pacem dederat. Circa idem tempus quidam *Albericus Hoſtienſis* epiſcopus in illas partes venit, quem *Innocentius Romanæ* ſedis Apoſtolicus ut legationis officio in *Anglia* & *Scotia* fungeretur miſerat. Erat autem vir iſte natione *Gallicus*, profeſſione monachus, obſervatione *Cluniacus*, divina ac ſeculari eruditione perſpicuus, in eccleſiaſticis negotiis optime exercitatus, facundia præclarus, conſilio providus, & quod his omnibus majus eſt, in habitu et vultu, denique in omni converſatione et actione ſua, magnæ manſuetudinis ac religionis documentum præferebat. Hic igitur primo apud *Cluniacum* ad converſionem veniens, propter prudentiam ac religionem ſuam ſupprior ibi effectus eſt. Unde ad ejus providentiam omnis regularium obſervationum diligentia maxime pertinebat. Deinde in *Francia* apud *Pariſius* in cella quæ dicitur ad S. *Martinum de campis* Prioris officium ſtrenue aliquandiu explevit. Poſt aliquot vero annos quia fratribus ſuis valde neceſſarius ac dilectus erat, iterum ad ſupprioratus dignitatem domum revocatus eſt. Exinde vero ad *Vergelenſe* cœnobium electus eſt, ut ei abbatis jure præeſſet. Deinde ad *Hoſtienſis* eccleſiæ præſulatum canonica electione ſublimatus eſt. Hujus autem eccleſiæ epiſcopis ex ſpeciali antiqui honoris prærogativa conſtitutum eſt ipſum Apoſtolicum conſecrare. Iſte igitur, ut ſupra dictum eſt, in *Angliam* veniens, de ſtatu ſanctæ *Romanæ* matris eccleſiæ omnibus ejus fidelibus filiis magnum gaudium attulit. Namque domnus papa ſupranominatus univerſis catholicæ eccleſiæ filiis cartam ſuam per illum direxit. In hac autem referebat quomodo dum navis S. *Petri* diutiſſime ac graviſſime fluctibus inimicorum occupata et operta præcipitaretur, atque ſcopulis ſciſmaticorum conquaſſata ac dilacerata peſſundaretur, de ſalutis ſuæ reparatione jam pene deſperare cogebatur, quia ineffabilis deſolatio atque deteſtabilis abominatio, qua à primogenito ſathanæ, ſcilicet *Petroleone* et ejus fautoribus, miſerabiliter afflicta eſt viij. annis continuis duravit. Nec opus eſt eam deſcribere, cum fere ab univerſo orbe cognita ſit atque defleta. Verumptamen immenſa *Chriſti* pietas, quæ quaſi dormire atque eam peccatis noſtris exigentibus penitus neglexiſſe videbatur, à ſuis fidelibus precum & lacrimarum inſtantia pulſata ac tandem excitata, omnem pelagi furorem, ventorum ſævitiam, tempeſtatum rabiem potenti virtutis ſuæ imperio compeſcuit:

peſeuit: mutans itaque procellam ejus in auram lenitatis, in portu tranquillitatis, & in gaudio ſecuritatis illam requieſcere fecit. Porro omnium inimicorum ſuorum ſuperbiam, & gloriam in conculcationem & ignominiam convertit, ac omnium ſibi adverſantium colla ſuæ poteſtatis imperio ſubjecit. Unde non immerito cum Pſalmiſta proclamare poſſumus: *Domine Dominus noſter, quam ammirabile eſt nomen tuum in univerſa terra; quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* Exceptis autem his litteris quæ in hunc modum de recuperatione pacis & unitatis ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, & de reparatione Apoſtolicæ poteſtatis & dignitatis loquebantur, alias litteras regibus *Angliæ*, & *Scotiæ*, & *Turſtino* archiepiſcopo *Eboracenſi*, (quippe tunc temporis *Cantuarienſis* metropolis proprio paſtore carebat) & epiſcopis, atque abbatibus, ac prælatis ſanctæ eccleſiæ utriuſque regni à prædicto papa directas, de auctoritate ſuæ legationis attulit. Igitur ab his omnibus honorifice ſuſceptus eſt. Abbatem etiam *Molelmiſmi* cœnobii cum pluribus monachis de tranſmarinis partibus ſecum adduxit, & quendam alterum nomine *Ricardum* illius monaſterii abbatem quod dicitur *ad Fontes*, magnæ religionis & auctoritatis virum, mox ut in *Angliam* venit ad ſe convocavit. Hos igitur egregiæ diſcretionis, & virtutis viros viæ & vitæ ſuæ comites ac teſtes inſeperabiliter habuit, ut & illorum conſilio & auxilio quæ tractanda erant tractaret, ac eorum teſtimonio converſationis ejus honeſtas commendabilior redderetur. Eccleſias igitur epiſcopatuum & cœnobia tam clericorum quam monachorum fere per totam *Angliam* viſitando pertranſivit, & à ſingulis ſollempniter receptus eſt. Tandem vero uſque ad *Dunelmum* pervenit. Eodem tempore *Willielmus Cumin*, *David* regis *Scotiæ* cancellarius, de ſupradicto bello fugiens captus, et incarceratus ibidem detinebatur. Quem mox de carcere eripiens, domino ſuo liberum reddidit. Igitur habens ſecum duos epiſcopos, *Rodbertum Herefordenſem*, et *Adthelwlfum Carlelenſem*, et iij. abbates, ac plurimos clericos per ſolitudinem ad *Haguſtaldenſe* cœnobium pervenit. A fratribus autem loci illius ſatis honorabiliter ſuſceptus, de dampno quod in occiſione hominum ſuorum et in deprædatione terræ ſuæ, ut prædiximus, illis recenter acciderat, multum diligenter eos conſolatus eſt. Deinde per *Northymbriam* et **Cumberland** iiij. die ante feſtum ſancti *Michaelis* ad **Carlel** pervenit, ibique regem *Scotiæ* cum epiſcopis, abbatibus, Prioribus, baronibus ſuæ terræ reperit. Illi vero diu à *Ciſalpina*, imo fere ab univerſa eccleſia diſcordantes, exoſæ memoriæ *Petroleoni* et apoſtaſiæ ejus nimium faviſſe videbantur. Tunc vero divina gratia inſpirati, mandata *Innocentii* papæ et legatum ejus omnes unanimiter cum magna veneratione ſuſceperunt. Igitur triduo cum eis de ſuæ legationis negotiis diligenter tractavit. Et quoniam cognovit quod *Johannes Gleſguenſis* epiſcopus curam animarum quam habuerat nulli commiſerat, et ſine licentia ac clanculo epiſcopatum ſuum reliquerat, et nulla evidente neceſſitate cogente apud *Tironam* monachus effectus eſt, de illo definivit, ut regius nuncius cum ipſius et regis pariter litteris pro eo mitteretur, et ſi redire nollet, ſententia ſuper illum daretur. Et ita factum eſt. Convenit quoque regem de reformanda pace inter eum et regem *Angliæ*, et hujus rei gratia ad ejus pedes cecidit, ſcilicet ut ſanctæ eccleſiæ, et ſui ipſius, et ſuorum miſereretur, quibus tot et tanta mala fecerat. Sed vix inducias impetravit, quod nullum exercitum et nullum malum, excepta obſidione quæ circa *Carrum* erat, ante feſtum ſancti *Martini* in terram regis *Angliæ* induceret. Hoc etiam apud *Pictos* impetravit, quod omnes puellas ac mulieres captivas quas habere poſſent, ante eundem terminum ad **Carlel** reducerent, et eas ibi libertati redderent. Ipſi quoque et omnes alii firmiſſime ei promiſerunt, quod nullo modo eccleſias amplius violarent, et quod parvulis, et fœmineo ſexui, et ex infirmitate et ætate debilibus parcerent, et omnino neminem niſi ſibi reſiſtentem amplius occiderent. Rex quoque cum Priore de **Heſtaldaſham** qui illuc cum legato venerat, antequam illum interpellaret de dampno ipſius et fratrum ſuorum locutus, illud multum planxit, et promiſit quod totum reſtitui faceret, et inſuper de injuria quæ illis et eorum eccleſiæ facta fuerat, et de interfectione hominum ſuorum eis rectum facere ſuos cogeret. Quod et ex magna parte fecit. Nam et eorum, et hominum ſuorum pecunia fere tota reddita eſt. His ita factis, legatus ipſo die feſtivitatis ſancti *Michaelis* inde diſcedens, per **Heſtaldeſham** et *Dunelmum*, in *Suthangliam* rediit, narravitque *Stephano* regi *Angliæ* ſuiſque quid apud *David* regem *Scotiæ* et ſuos profecerat. Rex autem *Scotiæ* poſt paucos dies per quoſdam qui de opido *Carrum* exierant cognovit, quod illi qui in opido erant graviſſima ciborum penuria jam anguſtiabantur. Unde eos arctius cuſtodiri præcepit. Nec hoc falſum erat. Namque milites qui intus erant præ inopia victualium equos ſuos interfecerant, ac ſale conditos jam ex maxima parte eos comederant, nec tamen adhuc opidum reddere volebant, imo cibo eorum jam penitus deficiente, armati de caſtello exire, et per medios hoſtes irrumpere, ſeque quamdiu poſſent defendere cogitaverant, niſi Deus interim eis aliud conſilium providiſſet. Igitur circa feſtum ſancti *Martini*, *Willielmus* abbas de *Rieſvalle* in provinciam illam veniens, ex parte *Walteri Eſpec*, cujus illud, ut ſupradictum eſt, opidum erat, eis certiſſime dixit, quatinus regi *Scotiæ* illud traderent. Noverat enim bene quomodo præ penuria victualium jam nimia anguſtia macerati fuerant. Rex igitur interveniente abbate xxiiij. equos eis dedit, ac illos cum armis ſuis abire permiſit, opidumque receptum mox deſtrui fecit. Supranominatus vero legatus, ut prædictum eſt, per epiſcopatus, ac monaſteria ad curiam regis *Angliæ* reverſus quendam alium legatum qui nuperrime à domno Papa *Innocentio* venerat ibidem repperit. Igitur *Turſtinum Eboracenſem* archiepiſcopum, & omnes epiſcopos, atque abbates, ac Priores canonicorum per totam *Angliam* ſummoneri fecerunt, ut ad feſtum ſancti *Nicholai* in civitate *Lundonia* ad generale Concilium convenirent. Quibus præfinito tempore ac loco cum *Stephano* rege *Angliæ* congregatis, de eccleſiaſticis cauſis cum illis ambo legati tractare cœperunt. *Albricus* tamen priorem locum optinuit. Fuit autem Concilium hujuſmodi.

ANno ab incarnatione Domini M. Cxxxviij. pontificatus autem domni papæ *Innocentii* ſecundi anno ix. regnante piiſſimo & illuſtriſſimo *Stephano* rege *Anglorum H.* magni regis nepote, An. Dñi 1138.

anno vero regni ipſius tertio, celebrata eſt ſynodus *Lundoniæ* in eccleſia ſancti *Petri* apoſtolorum principis apud *Weſtmonaſterium* menſe Decembris, tertia decima die ejuſdem menſis; ubi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum, promulgata ſunt hæc Capitula & ab omnibus confirmata, numero xvij. Præfuit autem illi ſynodo *Albricus Hoſtienſis* epiſcopus, & prædicti domni papæ *Innoc.* in *Angliam* & *Scotiam* legatus, cum epiſcopis diverſarum provinciarum xviij. & abbatibus circiter xxx. & cum innumera cleri & populi multitudine. Vacabat autem tunc temporis *Cantuarienſis* eccleſia, & infirmabatur *Turſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus, *Willielmum* tamen eccleſiæ ſancti *Petri Eboracenſis* decanum, cum quibuſdam clericis ſuis illuc direxit. Sunt autem hæc Capitula.

Sanctorum patrum canonica inſtituta ſequentes auctoritate Apoſtolica interdicimus, ut pro criſmate, pro oleo, pro baptiſmate, pro pœnitentia, pro viſitatione infirmorum, ſeu deſponſatione mulierum, ſeu unctione, pro communione corporis *Chriſti*, pro ſepultura, nullum omnino precium exigatur. Quod qui præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat.

Sancimus etiam ut ultra octo dies corpus *Chriſti* non reſervetur, neque ad infirmos, niſi per ſacerdotem, aut per diaconem, aut neceſſitate inſtante per quemlibet cum ſumma reverentia deferatur.

Item, Apoſtolica auctoritate ſancimus, ut in conſecrationibus epiſcoporum, vel abbatum benedictionibus, non cappa, non indumentum eccleſiaſticum, neque quicquam ab epiſcopo vel à miniſtris ejus exigatur. Et in dedicationibus quoque eccleſiarum, non tapetæ, non manutergium, non bacinia, nichilque omnino præter procurationem ſacris canonibus inſtitutam requiratur.

Si quis epiſcopus in dioceſi ſua per alium epiſcopum eccleſiam conſecrari fecerit, Apoſtolica auctoritate prohibemus ne quid inde ultra procurationem ejuſdem epiſcopi exigat.

Nullus omnino de manu laici eccleſiam ſeu quæcumque eccleſiaſtica beneficia accipiat. Cum autem inveſtituram per epiſcopum aliquis acceperit, præcipimus ut ſuper Evangelium juret, ſe nichil propter hoc per ſe, vel per aliquam aliam perſonam dediſſe alicui vel promiſiſſe. Si autem præſumptum fuerit, irrita hujuſmodi donatio erit, & tam dator quam acceptor ultioni canonicæ ſubjaceat.

Sancimus præterea ne quis eccleſiam, ſeu quælibet beneficia eccleſiaſtica paterna ſibi vendicet hæreditate, aut ſucceſſorem ſibi in eccleſiaſtico conſtituat beneficio. Quod ſi præſumptum fuerit irritum fore decernimus, cum Pſalmiſta dicentes, *Deus meus, pone illos ut rotam qui dixerunt, Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.*

Clericos à non ſuis epiſcopis abſque literis proprii epiſcopi ordinatos, à ſuſceptorum officiis ordinum inhibemus: ſolique *Romano* pontifici eorundem plenaria reſtitutio reſervetur niſi religionis habitum ſuſceperint.

Sanctorum patrum veſtigiis inhærentes, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, uxoratos, aut concubinarios, eccleſiaſticis officiis & beneficiis privamus, ac ne quis eorum miſſam audire præſumat Apoſtolica auctoritate prohibemus.

Fœneratores clericos, & turpia lucra ſectantes, & publica ſecularium negotia procurantes, ab officio & beneficio eccleſiaſtico nichilominus removendos eſſe cenſemus.

Si quis clericum, aut monachum, vel ſanctimonialem, vel quamlibet eccleſiaſticam perſonam occiderit, incarceraverit, vel nefarias ei manus intulerit, niſi tertio ſummonitus ſatisfecerit, anathemate feriatur. Neque quiſquam ei præter *Romanum* pontificem, niſi mortis urgente periculo modum pœnitentiæ finalis injungat. Si autem impœnitens mortuus fuerit, corpus ejus inhumatum remaneat.

Si quis res eccleſiarum mobiles vel immobiles violenter uſurpare præſumpſerit, niſi poſt canonicam vocationem emendaverit, eum excommunicari præcipimus.

Apoſtolica auctoritate prohibemus, ne quis abſque licentia epiſcopi ſui in poſſeſſione ſua eccleſiam, vel oratorium conſtituat.

His ſubjungimus quoque auctoritatem *Nicholai* papæ dicentis, Cum diſcreti ſint milites Chriſti à militibus ſeculi, non convenit militem eccleſiæ ſeculo militare per quod ad effuſionem ſanguinis neceſſe ſit pervenire. Denique, ſicut turpe eſt laicum miſſas facere, ſacramenta corporis & ſanguinis *Chriſti* conficere, ita ridiculum & inconveniens eſt clericum arma ſuſtollere, & ad bella procedere, cum *Paulus* apoſtolus dicat, *Nemo militans Deo implicat*, &c.

Item adicimus hoc decretum *Innocentii* papæ dicentis *Victrico Rotomagenſi* archiepiſcopo; monachi diu morati in monaſteriis ſi poſtea ad clericacum pervenerint, non debent aliquatenus à priore propoſito deviare: ſicut in monaſteriis poſiti fuerunt, ita & in clericatus ordine degere debent, & quod diu ſervaverunt, id in altiori gradu poſiti amittere non debent.

Prohibemus etiam Apoſtolica auctoritate ſanctimoniales, variis ſeu griſiis, ſabellinis, martetinis, hereminis, beverinis pellibus & anulis aureis uti, ſive torturam capillorum & compoſitionem capillorum facere. Hujus decreti quæ inventa fuerit violatrix anathemati ſubjaceat.

De omnibus primitiis rectas decimas dari Apoſtolica auctoritate præcipimus; quas qui reddere noluerit, anathematis in eum ſententia proferatur.

Sancimus præterea, ut ſi magiſtri ſcolarum aliis ſcolas ſuas pro precio legendas locaverint, eccleſiaſticæ vindictæ ſubjaceant.

In hoc autem concilio tractatum eſt de archiepiſcopo ad *Cantuarienſem* eccleſiam eligendo, quæ, ut ſupradictum eſt, tunc proprio paſtore carebat. Tandem vero poſt proximam Epiphaniam hæc cauſa finem habuit, cum *Beccenſis* cœnobii abbas nomine *Theobaldus* electus præfatæ eccleſiæ archipræſul à ſupradicto *Alberico* conſecratus eſt. In eodem autem Concilio depoſitus eſt abbas de Culand, & Prior eccleſiæ ſancti *Albani* martyris nomine *Godefridus*, & alter in loco ejus reſtitutus, & abbatiæ quæ eſt juxta *Haſtingas* quæ dicitur *ad bellum* abbas nomine *Adam* electus eſt: quos utroſque prædictus *Albericus* benedixit. Invitavit quoque omnes epiſcopos & abbates plurimos *Angliæ* ad generale Concilium quod domnus papa *Innocentius* ad medium Quadrageſimæ *Romæ* celebraturus erat. Dum autem hæc agerentur, de pace reformanda inter duos reges ſæpiſſime ac diligentiſſime cum pluribus, & maxime cum regina

Angliæ tractavit. Poſtquam vero ipſius reginæ mentem ad hanc rem perficiendam valde eſſe accenſam intellexit, ipſa mediante, ac feminea calliditate, atque protervitate inſtante, ipſum regem crebro de eadem re interpellavit, quem primo durum & quaſi hanc reconciliationem aſpernentem invenerunt. Quippe plures de baronibus ſuis quibus ex diſcordia eorum gravia dampna contigerant, ſollicite ei perſuaſerant, ut nullo modo pacem cum rege *Scotiæ* faceret, imo ſe viriliter de illo vindicaret: verumptamen feminei pectoris ardor vinci neſcius, quibuſcumque potuit modis nocte ac die ſtimulando non deſtitit, donec regium animum ad ſuam voluntatem detorſit. Namque avunculum ſuum *David* regem *Scotiæ*, & *Henricum* filium ejus atque ſuum cognatum vehementer amavit, ac ideo tantopere marito ſuo regi *Angliæ* eos pacificare curavit. Præfatus itaque legatus ubi rem eo modo procedere vidit, audacius regem convenit de illa meliore ſpe concepta, ac de cæteris cauſis ſuis ſe intromiſit.

. Dñi 139. ANno igitur M.Cxxxix. perfectis negotiis ſuis in *Anglia* ſæpedictus legatus, mox poſt octabas Epiphaniæ cum ſuis ad mare reverſus transfretavit. Nam ad prædictum Concilium domni papæ tempore congruo pervenire properavit. *Theobaldus* quoque *Cantuarienſis* archiepiſcopus, & *Earnulfus Roſenſis*, & *Simon Wigornenſis*, *Rogerus Coventrenſis*, *Robertus Execeſtrenſis*, Iſti v. epiſcopi, & cum illis iiij. abbates, pro omnibus epiſcopis & abbatibus *Angliæ* ad idem Concilium iverunt. Namque rex *Stephanus* propter turbationem regni ſui, quæ gravis tunc imminebat, plures illuc mittere noluit. Præterea bonæ memoriæ *Turſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus, & propter Concilium, & propter quædam alia privata negotia quæ per illum facere diſponebat, *Ricardum* abbatem de *Fontibus* eximiæ virtutis virum, de quo ſuperius mentionem fecimus, illuc direxit. Namque ſicut vulgo dicebatur, de ſede ſua ſeipſum deponere, & germanum fratrem ſuum *Audoenum* nomine *Ebroicenſem* epiſcopum pro ſe archiepiſcopum *Eboraci* conſtituere cogitaverat. Sed interim dum hæc parabantur, & nuncius ejus infectis negotiis *Romæ* defunctus eſt, & frater ipſius ſumpto ante mortem ſuam religioſo habitu canonicorum apud **Peretun** ibidem de hac vita migravit. Verum *Cantuarienſis* archiepiſcopus cum ſuo pallio, & prædicti epiſcopi, & abbates finito Concilio, & confectis negotiis ſuis ſani & incolumes redierunt. Mox autem poſtquam ſæpenominatus legatus ab *Anglia* diſceſſit, intercurrentibus nuntiis inter duos reges pax facta eſt hoc modo. *Stephanus* rex *Angliæ*, cum omnibus terris ſuis quas antea habebat *Henrico* filio *David* regis *Scotiæ*, comitatum *Northumbriæ*, exceptis duobus opidis, ſcilicet *Novo caſtello* & **Bahanburg**, conceſſit; hæc enim in manu ſua retinuit. Sed pro ipſis opidis quantum urbes eorum valebant, in *Suthanglia* illi dare debebat. Præcepit quoque ut barones qui de comitatu tenebant, quicunque vellent, de Comite *Henrico* terras ſuas recognoſcerent, & ſalva fidelitate quam ei juraverant, illi homagia facerent. Quod & plerique fecerunt. Rex autem *Scotiæ*, & *Henricus* filius ejus, cum omnibus ſuis, extunc quamdiu viverent *Stephano* regi *Angliæ* per omnia pacifici & fideliſſimi exiſtere debebant. Et ut de fidelitate eorum ſecurior eſſet, filium *Coſpatrici* Comitis, & filium *Hugonis* de *Morvilla*, & filium *Ferguſi* Comitis, & filium *Mel:* & filium *Mac:* ſcilicet quinque Comitum de *Scotia* ei obſides dare debebant. Leges quoque, & conſuetudines, & ſtatuta quæ rex *Henricus* avunculus ejus in comitatu *Northumbriæ* ſtatuerat, per omnia ibi inmobiliter cuſtodire debebant. Hæc autem concordia ab *Henrico* filio regis *Scotiæ*, & ab eorum baronibus coram *Matilde* regina *Angliæ*, & multis Comitibus & Baronibus de *Suthanglia*, v. idus Aprilis *Dunelmi* confirmata eſt. Hoc quoque diligenter diſtinctum eſt, quod *Henricus* Comes, neque ſuper terram ſancti *Cuthberti*, neque ſuper terram ſancti *Andreæ* de **Heſtaldaſham ſcyre**, quia ad archiepiſcopatum *Eboracenſem* pertinebat, ullum jus habere debebat. Deinde cum regina ad curiam regis *Stephani* profectus, apud **Notingaham** eum invenit. Confirmatiſque ab illo quæ apud *Dunelmum* fecerant, per totam æſtatem in *Suthanglia* demorans, & curiam regis frequentans, in ſervicio ejus magnas impenſas fecit. Eodem anno *Walterus* de *Gant*, ſumpto habitu monachili apud *Barthanaiam*, & *Robertus* de *Ferrers* qui fuit Comes de *Derbia* ſcyra, defuncti ſunt.

Explicit bellum Standardii.

INCIPIT DESCRIPTIO *SERLONIS* Monachi fratris *Radulfi* Abbatis de *Parcho*, de bello inter Regem *Scotiæ* & Barones *Angliæ*.

DAvid *ille manu fortis ſceptrum tenens* Scoticum,
Armatorum multa manu regnum intrat Angli-
Sed cum Tyſan *contra ſuum tranſit infortuniũ* (cum,
Quem invadit vix evaſit Stephani *Standardium.*
Ex adverſo namque ſitus belliger Standardius,
Eminebat circumſeptus ſtrenuis militibus.
Scotti *vero dum graſſando efferant immaniter,*
Ad congreſſum belli primum terga vertunt pariter.
Truces quoque Gawedenſes *tremebundi fugiunt,*
Et quas prius extulerunt caudis nates comprimunt.
Solus ille manu fortis paucis cum militibus
Confidenter haſit campo tanquam leo Parthicus.
Nam hoſtili ferro mori ratus eſt honeſtius,
Quam cruore non effuſo dare tergum hoſtibus.
Unde moras cedere uſque dimicando nexuit,
Donec ſuis paſſim caſis pene morti patuit; (dus,
Et tunc quamvis Martis dextram non fugit ut timi-
Sed cum hoſtes prævalerent vitavit ut providus.
Sic, ſic Judas Machabeus *divertit à prælio,*
Cum Liſias *prævaleret pugnans pro* Antiocho:
Supra vires quippe ſuas volens pugnam ducere,
Par eſt ut quis ultus velit mortis pœnam ſolvere.
Refert Maro *quod cum* Dares *viribus non parceret,*
Hunc Entellus *fractus ſenex cum cautela vinceret,*
Corporales quoque vires cum mentis audacia,
Minus erunt efficaces ſine Dei gratia.
Nam cum Deus nuncupetur Deus exercituum,
Ejus ope qui non pugnat fruſtra vibrat gladium.
Ergo nullus aſſcribendum imputet ignavia,
Quod rex David *bello ceſſit* Chriſto *belli judice.*
Verum Angli *fugientes ut amentes barbaros*
Inſequuntur, atque ſternunt ut canes lepuſculos.
Tunc abjecta manticarum mole cum viatico,
Plus timore ſunt repleti quam pane vel caſeo.
Seminantur hinc per agros panes atque caſei,
Crudæ carnes & illota velut canis uſui.
Utrum enim crudam carnem ſive coctam comedant,
Nil differre ſed utramque licitam exiſtimant.
Nec equina carne veſci minus ducunt licitum,
Quam eorum quæ mugitum præbent animalium.
Porro locum competenter Baggamorum *nuncupant,*
In quo Scotti *mendicoſas ſarcinas exuerant,*
Decem ferme dilatatur campus miliariis,
Quem repleſſe perhibetur manticarum ſarcinis.
Et revera res monebat ſarcinas deponere,
Quo perniciori curſu poſſent Anglos *fugere.*
O non virtus hæc humana ſed Dei potentia,
Per quam pauci plane viri C. *fugant milia!*
Huc accedit quod in libro legitur Levitico,
Cum præcepta percepiſſet Moyſes *à Domino.*
Alienos, inquit, C. *quinque veſtrum abigent,*
Decieſque mille viros veſtri C. *arguent.*
Quod & noſtris accidiſſe liquido temporibus,
Triumphalis proteſtatur Anglorum *Standardius,*
O Pſalmiſta in veritate præpollens eloquium!
Deum dicens eſſe juſtum, & ejus judicium.
Nam qui prius jactitabant Angliam *ſubvertere,*
Verſa vice ſunt ab Anglis *caſi triſti funere,*
Et Anglorum *affectantes opibus ſubſtitui,*
Hiis ſuiſque Dei nutu contigit deſtitui:
Set quot erant fugientes mortem vix evaſerant,
Opes certe reputabant quod non occubuerant.
Hiique via, fame, ferro feſſi, preſſi, ſaucii,
Vivi ſuis diffidebant domibus reſtitui.
Quidam tamen lento pede venerunt ad propria,
Sed nil ſecum attulere niſi fata triſtia.
Quam ob cauſam ſingulorum uxor cum familia,
Luxit virum cladem paſſum, nec adeptum ſpolia.
Prohibentque viros ſuos præliari denuo,
Malobt patric imprecantes Anglis *& Standardio.*
Cum Borea flatus Anglis *foret immoderatus,*
Illius eſt flatus aura meliore fugatus.

AILREDI
ABBATIS RIEVALLENSIS
HISTORIA,

DE

Bello Standardii tempore *Stephani* Regis.
Genealogia Regum *Anglorum*.
Vita & miraculis *Edwardi* Regis & Confeſſoris, &c.

Nunc primum edita ex Mss. fideliter collatis.

INCIPIT DESCRIPTIO VIRI VENERAbilis *Ethelredi* abbatis *Rievallenſis*, de bello inter Regem *Scotiæ* & Barones *Angliæ* apud *Standardum* juxta *Alvertonam*.

An. Dñi 1138.

ANno Dominicæ incarnationis M.Cxxxviij. rege *Stephano* circa partes auſtrales occupato, rex *Scottorum* innumerabilem coegit exercitum, non ſolum eos qui ejus ſubjacebant imperio, ſed & de inſulanis & *Orcadenſibus* non parvam multitudinem accerſiens. Qui cum maxima ſuperbia & ferocitate progrediens, omnem borealis *Angliæ* partem aut ſubdere ſibi, aut cæde incendioque depopulari propoſuit. Non latuit proceres *Tranſhumbranos* ejus adventus, qui hortatu, & ſummonitione & *T.* archiepiſcopi, & *Walteri Eſpec* (de quo poſtea dicemus) in unum convenientes, ejus conatui reſiſterere decreverunt. Igitur parvum quidem numero, ſed armis & viribus robuſtiſſimum exercitum adunarunt, regiumque ſignum quod vulgo **Standard** dicitur, in campo latiſſimo juxta *Alvertonam* conſtituentes, illic hoſtes excipere decreverunt. Sed & *Turſtinus* archiepiſcopus per totam dioceſim ſuam edictum epiſcopale propoſuit, ut de ſingulis parochiis, preſbyteris cum cruce & vexillis reliquiiſque ſanctorum præeuntibus, omnes qui poſſent ad bella procedere, ad proceres properaſſent, eccleſiam *Chriſti* contra barbaros defenſuri. Erant itaque in auſtrali exercitu primi principes *Willielmus* Comes *Albemarum* juvenis tunc ſtrenuiſſimus & in armis multum exercitatus, habens ſecum tam de *Ponciis* quam de *Morinis* milites plurimos non minus aſtutia militari quam animi virtute præſtantes. *Waltherus* quoque de *Gant* morti jam ultima ſenectute vicinus, vir manſuetus & pius, qui & ipſe validiſſimam manum de *Flandrenſibus* & *Normannis* adducens, tam ſapientia quam pondere ſermonum reliquam multitudinem plurimum animavit. *Ilbertus* ſane de *Laci* non ſegnis, nec cum paucis advolavit, qui tempore regis *Henrici* exulans, quanto fuerat laboribus ærumpniſque aſſuefactus, tanto ſtabat in hac neceſſitate ſecurus. Sed & *Rodbertus* de *Brus* licet regem *Scotiæ* plurimum dilexiſſet, gentibus tamen ſuis in hac neceſſitate non defuit, qui cum optimo juvene filio ſuo *Adam* tam validam manum adduxit, ut non ſolum viribus, ſed & decore ſimul, ac juventute omnem multitudinem plurimum decorarent. Tantus autem fervor reſiſtendi *Scotis* cunctos arripuit, ut etiam *Rogerum de Molbrai* adhuc puerulum exercitui intereſſe feciſſent, tam decenter tamen ut tali ætati conveniebat, inter cæteros ſapientiſſime collocatum. Cum quo univerſa terræ ſuæ militia, quæ profecto nec ſapientia, nec virtute, nec numero cæteris videbatur inferior, cum tanta devotione convenit, ut minor ætas domini ſui nullum exercitui videretur afferre diſpendium.

Affuit & *Walterus Eſpec* vir ſenex & plenus dierum, acer ingenio, in conſiliis prudens, in pace modeſtus, in bello providus, amicitiam ſociis; fidem ſemper regibus ſervans. Erat ei ſtatura ingens, membra omnia tantæ magnitudinis, ut nec modum excederent & tantæ proceritati congruerent. Capilli nigri, barba prolixa, frons patens & libera, oculi grandes & perſpicaces, facies ampliſſima, tracticia tamen, vox tubæ ſimilis; facundiam quæ ei facilis erat, quadam ſoni majeſtate componens. Erat præterea nobilis carne, ſed Chriſtiana pietate nobilior. Nempe cum liberis careret hæredibus, licet ei nepotes ſtrenui non deeſſent, de optimis tamen quibuſque poſſeſſionibus ſuis *Chriſtum* fecit hæredem. Nam in loco amœniſſimo **Kircham** nomine monaſterium regularium condidit clericorum, multis illud donariis ornans & ditans poſſeſſionibus: inſuper & palatia ſua, thalamos ſuos, cellaria ſua, in ſervorum *Chriſti* habitacula commutans. *Ciſtercienſem* quoque ordinem, cujus vix famam audierat *Anglia*, favente ſibi glorioſo rege *Henrico* in has partes advexit, ſuſcipiens fratres de monaſterio nobiliſſimo *Clarevallis* per manum Deo dilecti abbatis *Bernardi*. Qui venientes in *Angliam* anno ab incarnatione Domini M.Cxxxij. nacti locum in valle profundiſſima ſuper ripam *Ria* fluminis, unde ipſum monaſterium *Rievallis* nomen accepit, multos ſuæ religionis fama ad optimorum ſtudiorum æmulationem incitaverunt, unde in brevi multiplicati ſuper numerum, plurima in regno utroque, *Angliæ* ſcilicet & *Scotiæ*, cœnobia condiderunt. Nam prædictus *Walterus* nec dum tantis ſatiatus beneficiis, in territorio *Wardunenſi* famoſiſſimum per eoſdem fratres fundavit monaſterium. Porro eodem anno adventus eorum in *Angliam* quidam monachi de eccleſia beatæ *Mariæ Eboracenſi Ciſtercienſem* puritatem & paupertatem zelantes, auxilio freti venerabilis *Turſtini* archiepiſcopi, relinquentes divitias & delicias monaſticæ puritati contrarias, maxima paupertate, miro fervore vj. kalend. Januarii *Fontanenſe* cœnobium creaverunt. Deinde prædictorum ſe fratrum ordini plenius conjungentes plura & ipſi per inſulam *Britannicam* nobilia monaſteria fundaverunt. *Waverlenſes* quoque fratres qui hactenus quaſi in angulo latuerant, cognito quod ejuſdem eſſent ordinis, *Ciſtercienſium* monaſteriorum numerum auxerunt. Ita alii ab ipſis *Rievallenſibus* procreati, alii eorum exemplo provocati, multis cœnobiis clariorem inſulam reddiderunt. Unde non inmerito cœnobium *Rievallenſe*, cæteris quæ in *Anglia* ſunt ejuſdem ordinis, fama & religione præcellit. Hæc autem omnia bona quis dubitet viro illi ſtrenuiſſimo aſcribenda, tantorum fructuum ſemen deprocul advexit, & locum in quo ſeminaretur invenit. Hic igitur cum ab univerſo exercitu, tum propter ætatem tum propter ſapientiam, patris more coleretur, aſcendens machinam quam circa





regium Signum fabricaverant, ſuperemineus univerſo populo ab humero & ſurſum, hac oratione dejectos quadam formidine erexit animos, promptos acrius inflammavit. « Non inutile eſt (inquit) viri fortiſſimi ſi ſenem juvenes audiatis; me dico qui multorum temporum viciſſitudine, mutatione regum, & diverſis bellorum eventibus didici & præterita revolvere, & æſtimare præſentia, & ſecundum præterita de præſentibus, ſecundum præſentia de futuris capere conjecturam. Et certe ſi omnes qui me audiunt, ſaperent, & intelligerent, & ea quæ nobis hodie ventura ſunt, præviderent, ſilerem libentius, & ſompno meo requieſcerem, vel luderem aleis, aut confligerem ſcacis, vel ſi ea ætati meæ minus congruerent, legendis hiſtoriis operam darem, vel more meo veterum geſta narranti aurem attentius commodarem. Nunc autem video pleroſque de prælio certos, incertos de victoria fluctuare animo, timere vehementer ne paucitatem noſtram immenſæ copiæ *Scottorum* abſorbeant; cum non ex multitudine victoria pendeat, ſed vel viribus adquiratur, vel juſtis votis, cauſaque honeſta ab omnipotente impetretur. Ego ſane conſiderans qua ratione, qua cauſa, qua neceſſitate, qui adverſus quos hodie dimicamus, ſto intrepidus, tam ſecurus de victoria quam de prælio certus. Cur enim de victoria deſperemus, cum victoria generi noſtro quaſi in feudum data ſit ab altiſſimo? Nonne proavi noſtri maximam *Galliæ* portionem cum paucis invaſere militibus, & ab ea cum gente etiam ipſum *Galliæ* nomen eraſerunt? Quotiens ab eis *Francorum* eſt fuſus exercitus, quotiens à *Cenomanenſibus*, *Andegavenſibus*, *Aquitanenſibus* pauci de multis victoriam reportarunt? Certe patres noſtri & nos hanc inſulam quam quondam victorioſiſſimus *Julius* non ſine multa ſuorum ſtrage poſt multos annos vix tandem optinuit, in brevi edomuimus, in brevi noſtris ſubdidimus legibus, noſtris obſequiis mancipavimus. Vidimus, vidimus oculis noſtris, regem *Franciæ* cum univerſo ſuo exercitu nobis terga vertentem, optimos quoſque regni ejus proceres à nobis captos, alios redimi, alios mancipari vinculis, alios carcere condempnari. Quis *Apuliam*, *Siciliam*, *Calabriam*, niſi noſter *Normannus* edomuit? Nonne uterque Imperator eadem die eadem fere hora terga vertit *Normannis*, cum alter adverſus patrem, alter adverſus filium dimicaret? Quis igitur non rideat, potius quam timeat, quod adverſus tales vilis *Scottus* ſeminudis natibus pugnaturus occurrit? Iſti ſunt, iſti ſunt utique qui nobis quondam non reſiſtendum ſed cedendum putarunt, cum *Angliæ* victor *Willielmus* *Laodoniam*, *Calatriam*, *Scotiam*, uſque ad *Abernith* penetraret, ubi bellicoſus ille *Malcolmus* deditione factus eſt noſter, & nunc victores ſuos, Dominos bello provocant; lanceis noſtris, gladiis noſtris, telis noſtris nudum objiciunt corium; pelle vitulina pro ſcuto utentes; irrationabili mortis contemptu, magis quam viribus animati. Quid ergo haſtarum illarum quas eminus intuemur nimia longitudo nos terret? Sed lignum fragile eſt, ferrum obtuſum, dum ferit perit, dum impingitur frangitur, vix ad unum ictum ſufficiens. Excipe illud ſaltem baculo, & inermis *Scottus* aſtabit. An multitudinem expaveſcimus? Sed quanto vincendorum major numerus, tanto vincentibus gloria major. Taceo quid de ipſo numero ſentiam, ne futuræ gloriæ noſtræ detrahere aliquid videar. An pro cauſa diffidimus? Sed non injuſtum bellum pro rege noſtro ſuſcipimus, qui regnum non ut hoſtes calumpniantur invaſit debitum, ſed ſuſcepit oblatum, quem populus petiit, quem clerus elegit, quem unxit pontifex, quem in regnum Apoſtolica confirmavit auctoritas. Sed ut interim de rege taceamus, nullus certe juſtum negabit quod pro patria arma ſuſcipimus, quod pro uxoribus noſtris, pro liberis noſtris, pro eccleſiis noſtris dimicantes imminens periculum propulſamus. Urget enim neceſſitas.

“Recolite quid in *Tranſtinanis* partibus egerint, nec mitiora ſperate ſi vicerint *Scotti*. Taceo cædes, rapinas, incendia, quæ humano quodammodo more exercentur ab hoſtibus, talia dicam, qualia nec fabulæ ferunt, nec narrant hiſtoriæ à crudeliſſimis acta tyrannis. Dicam, inquam, ſi non præ nimio horrore ſermo defecerit, aut auditor aufugerit. Nulli ætati, nulli ordini, nulli omnino ſexui pepercerunt. Nobiles tam pueri quam puellæ ducti ſunt in captivitatem. Pudica matrimonia incredibili libidine vexata ſunt. Parvuli jactati in aera, & aculeis lancearum excepti delectabile ſpectaculum *Galwenſibus* præbuerunt; prægnans mulier per medium ſecabatur, tener fœtus extractus ab utero, impia manu ad ſaxum allidebatur. Laſſati innocentium cæde, illotis cultellis quibus miſerorum effuderant viſcera, carnes quas vorarent incidebant, humanumque ſanguinem miſcentes aqua, crudeli poculo ſitim ſedabant, dicentes ſe feliciſſimos quos in illud tempus fortuna ſervaverat quo *Gallorum* ſanguinem bibere potuiſſent. Caſu inventi ſunt in eadem domo plures parvuli. Stabat *Galwenſis*, & unum poſt unum utroque pede arripiens caput allidebat ad poſtem. Quos cum in unum coegiſſet acervum ridens verſus ſocium, *Ecce*, inquit, *quot hodie Gallos ſolus occidi*. Horreo dicere quomodo ingreſſi ſunt templum dei, quomodo polluerunt ſanctuarium ejus, quomodo ſalutis Chriſtianæ ſacramenta pedibus conculcaverunt. Quid agitis, ô viri fortiſſimi? Non adverſus homines dimicatis ſed adverſus beſtias, quibus nihil humanitatis, nihil ineſt pietatis; quos cœlum horret, quos abominatur terra, quos execrantur maria, quos ipſa mundi lumina deteſtantur; quos non ob aliud terra non abſorbuit, nec fulminavit cœlum, nec maria ſubmerſerunt, niſi ut veſtris victoriis ſervarentur, veſtris manibus interirent. Conſecrate manus veſtras in ſanguine peccatorum: felices quorum hodie manus ad ſuas ulciſcendas injurias *Chriſtus* elegit. Feſtinate, & nefandum hoc ſanguinum hominum genus terris obruite, inferis ſepelite, ne ſi diutius vixerint, ſol lumen abſcondat, cœlum neget pluvias, fruges quadam ariditate marceſcant. Cogitate regem abſentem, quantumque veſtræ accedat gloriæ, cum reportaveritis de rege ſine rege triumphum; Veſtra erit curia, veſtrum erit regnum, veſtris conſiliis omnia tractabuntur, per quos hodie regi regnum, regno pax, paci gloria perquiretur, fatebitur rex ſe hodie manibus veſtris iterum coronatum. Secure igitur congrediamur, cum nobis ſit cauſa juſtior, manus fortior, quos urget neceſſitas, quos gloria provocat, quibus divinum auxilium præſto eſt, cum quibus tota cœleſtis curia dimicabit. Aderit *Michael* cum angelis ſuam ulturus injuriam, cujus eccleſiam humano ſanguine fœdaverunt, cujus altare ſuperpoſito capite humano polluerunt. *Petrus* cum Apoſtolis pugnabit pro vobis, quorum baſilicas nunc in ſtabulum, nunc in proſtibulum converterunt. Sancti martyres veſtra præcedent agmina, quorum incenderunt memorias, quorum alta cædibus impleverunt. Virgines ſanctæ licet pugnæ dubitent intereſſe, pro nobis tamen oratione pugnabunt. Amplius dico, ipſe *Chriſtus* apprehendet arma & ſcutum, & exurget in adjutorium nobis. Ipſi enim veniunt ad nos in ſuperbia, nos cum humilitate procedimus. Illi carnes raptas quas voraverunt eructant, nos poſt ſacra jejunia *Chriſti* carne & ſanguine ſaginamur. Illos hiſtriones, ſaltatores & ſaltatrices, nos crux Chriſti & reliquiæ Sanctorum antecedunt. Sed quid moror? Certe aut vincendum nobis eſt, aut moriendum. Quis enim victoriæ *Scottorum* ſe velit eſſe ſuperſtitem, ut videat uxorem ſuam *Scottorum* ſubjacere libidini, parvulos ſuos lanceis perforari?

Hæc dicens vertit ſe ad Comitem *Albemarum*, dataque dextera, Do, inquit, fidem, quia hodie aut vincam *Scottos*, aut occidar à *Scottis*. Quo ſimiliter voto cuncti ſe proceres conſtrinxerunt. Et ut ſpes fugæ cunctis penitus tolleretur, equos omnes longius amoventes, pedeſtri more congredi decreverunt, aut mori aut vincere cupientes. Rex interim coactis in unum Comitibus, optimiſque regni ſui proceribus cœpit cum eis de belli ratione tractare; placuitque plurimis, ut quotquot aderant armati milites & ſagittarii cunctum præirent exercitum quatinus armati armatos impeterent, milites congrederentur militibus, ſagittæ ſagittis obviarent. Reſtitere *Galwenſes*, dicentes ſui eſſe juris primam conſtruere aciem, primum in hoſtes impetum dare, ſua probitate reliquum animare exercitum. Periculoſum dicebant alii, ſi in primo aggreſſu inermes armatis occurrerent, quoniam ſi belli vim non ſuſtinens, primus cuneus laberetur in fugam, etiam fortium corda facile ſolverentur. *Galwenſes* nichilominus inſiſtebant, jus ſuum ſibi concedi poſtulantes.

“Quid enim, inquiunt, O rex formidas, & tunicas illas ferreas quas eminus cernis nimium expaveſcis? Nobis certe ſunt latera ferrea, pectus æreum, mens timoris vacua, quorum nec pedes fugam, nec unquam vulnus terga ſenſere. Quid Gallis apud **Clitherhou** profuere loricæ? Nunquid non inermes iſti ut dicunt, illos & loricas proicere, & negligere galeas & ſcuta relinquere coegerunt? Videat igitur prudentia veſtra O rex, quale ſit in his habere fiduciam, quæ in neceſſitate magis ſunt oneri quam conſolationi. Nos apud **Clitherhou** de loricatis victoriam reportavimus, nos hodie & iſtos animi virtute pro ſcuto utentes lanceis proſternemus.

His dictis, cum rex militum magis conſiliis adquieſcere videretur, *Maliſſe* Comes *Strudernie* plurimum indignatus, *Quid eſt*, inquit, *O rex quod Gallorum te magis committis voluntati, cum nullus eorum cum armis ſuis me inermem ſit hodie præceſſurus in bello?* Quæ verba *Alanus de Perci* magni *Alani* filius nothus, miles ſtrenuiſſimus & in militaribus negotiis probatiſſimus, ægre ferens, converſus ad Comitem, *Grande*, inquit, *verbum locutus es, & quod hodie pro vita tua efficere non valebis*. Tunc rex utroſque compeſcens, ne tumultus hac altercatione ſubito naſceretur, *Galwenſium* ceſſit voluntati. Alteram aciem filius regis & milites ſagittariique cum eo, adjunctis ſibi *Cumbrenſibus* & *Tevidalenſibus* cum magna ſagacitate conſtituit. Erat autem adoleſcens pulchra facie, & decorus aſpectu, tantæ humillitatis ut omnibus inferior videretur; tantæ auctoritatis ut ab omnibus timeretur; tam dulcis, tam amabilis, tam affabilis, ut ab omnibus diligeretur. Tam caſtus corpore, in ſermone tam ſobrius, in cunctis moribus tam honeſtus, tam aſſiduus in eccleſia, orationi tam intentus, tam benivolus circa pauperes, contra malefactores tam erectus, ſacerdotibus & monachis ſic proſtratus, ut & in rege monachum & in monacho regem prætendere videretur. Erat præterea tantæ probitatis, ut in illo exercitu nullus fuerit ſimilis ei ſive hoſtes impetendo, ſive impetentes magnanimiter ſuſtinendo, cæteris ad inſequendum fortior, ad repellendum acrior, ad fugam tardior. Conjunxerat ſe ei ejuſque interfuit aciei *Euſtacius filius Johannis* de magnis proceribus *Angliæ*, regi quondam *Henrico* familiariſſimus, vir ſummæ prudentiæ & in ſecularibus negotiis magni conſilii, qui à rege *Anglornm* ideo receſſerat, quod ab eo in curia contra patrium morem captus, caſtra quæ ei rex *Henricus* commiſerat, reddere compulſus eſt; ob quam cauſam offenſus, ut illatam ſibi ulciſceretur injuriam, ad hoſtes ejus ſeſe contulerat. Tercium cuneum *Laodonenſes* cum inſulanis & *Lavernanis* fecerunt. Rex in ſua acie *Scotos* & *Muranenſes* retinuit, nonnullos etiam de militibus *Anglis* & *Francis* ad ſui corporis cuſtodiam deputavit. Et ſic quidem aquilonalis ordinatur exercitus.

Et auſtrales quoniam pauci erant in unum cuneum ſapientiſſime glomerantur. Nam ſtrenuiſſimi milites in prima fronte locati lancearios & ſagittarios ita ſibi inſeruerunt, ut militaribus armis protecti tanto acrius quanto ſecurius vel in hoſtes irruerent, vel exciperent irruentes. At proceres qui maturioris ætatis fuerunt, ut cæteris præſidio forent, circa ſignum regium conſtituuntur, quibuſdam altius cæteris in ipſa machina collatis. Scutis ſcuta junguntur, lateribus latera conſeruntur, laxatis vexillis eriguntur lanceæ, ad ſolis ſplendorem loricæ candeſcunt, ſacerdotes ſacris veſtibus candidati, cum crucibus reliquiiſque Sanctorum exercitum ambiebant, & ſermone ſimul & oratione populum decentiſſime roborabant. Tunc *Rodbertus de Brus* vir grandævus & magnarum opum, moribus gravis, ſermone rarus, qui cum dignitate quadam & pondere loquebatur, qui cum eſſet de jure regis *Anglorum*, à juventute tamen regi *Scotiæ* adhærens, ad maximam ejus familiaritatem profecerat. Ipſe igitur ut vir veteranæ militiæ, & talium negotiorum ſatis gnarus, naturali ſagacitate periculum quod regi imminebat proſpiciens, antiquæ amicitiæ intuitu accepta à ſociis licentia regem adiit, aut bellum diſſuaſurus, aut ab eo more patrio legitime receſſurus. Erat enim obligatus ei non ſolum amicitia ſed & fidei neceſſitate. Cum igitur regem cominus aſpexiſſet,

“Aſſum, inquit, O rex, fidelis tuus, daturus nunc
“ conſilium honorabile tibi, regno tuo utile, liberis
“ tuis inpoſterum profuturum. Non enim ſapientis
“ eſt, O rex, rerum tantum initia, non etiam exitus
“ fineſque proſpicere, & pro ſolis præſentibus præte-
“ ritorum memoriam vel futurorum providentiam a-
“ bolere. Adverſum quos hodie levas arma, & hunc
“ innumerum ducis exercitum? Adverſum *Anglos*
“ certe & *Normannos*. O rex, nonne iſti ſunt quo-
“ rum ſemper & conſilium utile, & auxilium prom-
“ ptum gratum inſuper obſequium inveniſti? ex quo
“ rogo te, domine mi, tantam fidem inveniſti in *Scot-*
“ *tis*, ut tam ſecure tibi tuiſque *Anglorum* demas
“ conſilium, auxilium abroges *Normannorum*, quaſi
“ ſoli tibi ſufficiant *Scotti* etiam contra *Scottos*. No-
“ va tibi eſt in *Walenſibus* iſta ſecuritas, qui eos ho-
“ die armis petis per quos hactenus amabilis *Scottis*,
“ terribilis *Galwenſibus* imperaſti. Putaſne igitur O
“ rex, quod æquis oculis aſpiciet cœleſtis illa maje-
“ ſtas, quod illos inſiſtis abſumere per quos tibi tuiſq;
“ regnum procuratur, & ſecuritas in regno? Quibus
“ copiis quibuſve auxiliis frater tuus *Dunecanus*
“ *Donenaldi* proſtravit exercitum, & regnum quod
“ invaſerat tyrannus recepit? Quis *Eadgarum* fra-
“ trem tuum, immo pluſquam fratrem, niſi noſter ex-
“ ercitus, regno reſtituit? Tuipſe rex cum portionem
“ regni quam idem tibi frater moriens delegavit, à
“ fratre *Alexandro* repoſceres, noſtro certe terrore,
“ quidquid volueras ſine ſanguine impetraſti. Reco-
“ le præterito anno cum adverſus *Malcolmum* pater-
“ ni odii & perſecutionis hæredem *Anglorum* auxili-
“ um flagitares, quam læti, quam alacres, quam ad
“ auxilium prompti, quam proni ad periculum *Wal-*
“ *terus Eſpec* aliique quamplures *Anglorum* proce-
“ res tibi apud *Carleolum* occurrerint, quot parave-
“ rint naves, quæ arma intulerint, qua juventute mu-
“ nierint, quomodo omnes tuos terruerint hoſtes, do-
“ nec ipſum *Malcolmum* proditum caperent, captum
“ vincirent, vinctum traderent. Ita terror noſter ip-
“ ſius quidem membra ſed magis *Scottorum* animos
“ vinxit, omnique ſpe preficiendi fruſtrata audaciam
“ abſtulit rebellandi. Quicquid igitur odii, quicquid
“ inimicitiarum adverſum nos habent *Scotti*, tui tuo-
“ rumque eſt cauſa, pro quibus contra eos totiens di-
“ micavimus, quibus ademimus ſpem rebellandi, ti-
“ bi & tuæ per omnia ſubdidimus voluntati. Ride-
“ ant proinde *Scotti*, quod tu eis de nobis ultionem
“ procuras, cum nihil aliud habeant quod ulciſcantur
“ in nobis, niſi quod te tuoſque dileximus, tibi tu-
“ iſque fidem ſervavimus, quod armis noſtris, ſcutis
“ noſtris, ipſis etiam corporibus noſtris tua protexi-
“ mus viſcera, tibi regnum ſervavimus. Parce itaque,
“ O rex, parce tibi, parce regno tuo, parce præ omni-
“ bus juvenum ſplendidiſſimo filio tuo, cui hodie nu-
“ datum conſilio & cunctis auxiliis ſpoliatum prodi-
“ tioni *Scottorum* exponis & obicis furori. Cave præ-
“ terea ne involvaris peccatis hominum impiorum,
“ de quorum manibus cædes parvulorum, prægnanti-
“ um luctus, ſacerdotum injuria, ipſius etiam divinita-
“ tis contemptus exquiritur. Adverſus quos non unius
“ *Abel*, ſed innumerabilium innocentium ſanguis
“ clamat de terra. Vidiſti, O rex, abominationes peſ-
“ ſimas quas fecerunt hi. Vidiſti inquam, vidiſti,
“ horruiſti, fleviſti, pectus tutudiſti, clamaſti contra
“ tuum id fieri præceptum, contra tuam voluntatem,
“ contra tuum decretum. Oſtende nunc vera te di-
“ xiſſe ut eos à ſimili revoces iniquitate, ut reverſi ſine
“ te puniantur ſi ſine te talia commiſerint. Et hæc ſatis
“ eſſent, ſi conatui tuo nullus obſiſteret, vel de victo-
“ ria certitudo conſtaret. Nunc autem ſtat contra
“ te non contempnendus exercitus, quanto tuo nu-
“ mero minor, tanto armis viribuſque robuſtior.
“ Neſcis, O rex, quam ſit periculoſa deſperatio, quan-
“ do & mors certa eſt, ſed ſtat adhuc de genere mor-
“ tis electio. Certe ſi viceris moriemur. Moriemur
“ inquam nos, morientur parvuli noſtri; ſacerdotes
“ noſtri in altaribus jugulabuntur; uxores noſtræ
“ turpi libidine fœdabuntur. Elegimus proinde vel
“ vincere vel mori glorioſe, quamvis nulla nobis ſit
“ de victoria dubitatio. Hinc dolor meus, hinc lacri-
“ mæ, quod dulciſſimum dominum meum, aman-
“ tiſſimum amicum meum, antiquum ſocium meum,
“ in cujus amicitia ſenui, cujus munificentiam in mu-
“ nerum multimodorum largitione, in prædiorum
“ quoque & multarum poſſeſſionum collatione ex-
“ pertus ſum, poſt juveniles ludos quibus ſimul exer-
“ citati ſumus, poſt armorum negotia quibus nobis
“ in multis periculis ſemper affuimus, poſt ſplendida
“ convivia quæ utrique unius regnum miniſtravit,
“ poſt delicias quas utriſque avium ferarumque ve-

« natio contulit, aut mori periculoſe aut indecenter « fugere contemplabor.

His dictis, lacrimis & ſingultibus interceptus eſt ſermo loquentis. Et rex naturali pietate commotus in lacrimas ſolvebatur, jam jamque ibat in pactum. Sed *Guillielmus* regis nepos, vir magni animi, & belli præcipuus incentor ſuperveniens, ipſum *Rodbertum* cum maximo furore arguit proditionis, regemque à ſententia flexit. At ille nichil moratus, vinculum fidei quo eatenus regi aſtrictus fuerat, patrio more diſſolvens, ad ſuos non ſine dolore revertitur, & ſtatim ſoluta ſtatione erectis lanceis aquilonalis procedit exercitus. Sequitur lituum ſtridor, tubarum crepitus, fragor lancearum percutientium alteram ad alteram; tremit terra, fremit cœlum, eccho vicini montes colleſque reſultant. Interea *Radulfus* epiſcopus *Orcadenſis*, quem illo miſerat archiepiſcopus *Turſtinus*, ſtans in eminentiori loco, cum populo præliandi neceſſitatem in remiſſionem peccatorum indixiſſet, tundentes pectora, erectis manibus divinum auxilium precabantur. Factaque ſuper eos abſolutione, epiſcopus benedictionem ſollempni voce adjecit, cunctis alta voce reſpondentibus amen, amen. At *Galwenſium* cuneus more ſuo ter ululatum diræ vocis emittens, tanto impetu irruunt in auſtrales, ut primos lancearios ſtationem deſerere compellerent, ſed vi militum iterum repulſi, in hoſtes animum viresque recipiunt. Ubi vero ferri lignique ſoliditate *Scoticarum* lancearum eſt deluſa fragilitas, eductis gladiis cominus decertare temptabant. Sed auſtrales muſcæ de cavernis pharetrarum ebullientes, & inſtar denſiſſimæ pluviæ convolantes, & in obſtantium pectora, vultum, oculos quoque importunius irruentes, conatum illorum plurimum retardabant. Videres ut hericium ſpinis, ita *Galwenſem* ſagittis undique circumſeptum, nichilominus vibrare gladium, & cæca quadam amentia prorumpentem nunc hoſtem cædere, nunc inanem aerem caſſis ictibus verberare. Et jam jam percuſſi pavore extremi quique diſſolvebantur in fugam, cum inclitus adoleſcens filius regis cum ſua ſuperveniens acie in adverſum ſibi cornu leonina ſe ferocitate proripuit, ipſaque globi auſtralis parte inſtar caſſis araneæ diſſipata, obſtantes quoſque cædendo ultra regium ſignum progreſſus eſt, ratuſque reliquum exercitum ſecuturum iri, ut hoſtibus fugæ præſidium tolleret, equorum ſtationem invaſit, diſperſit, ac retro uſque ad duo ſtadia redire coegit. Hujus igitur admirabili impetu plebs inermis perterrita labebantur. Sed cujuſdam prudentis viri figmento, qui caput unius occiſi in altum erigens regem clamabat occiſum, revocati, vehementius ſolito irruunt in obſtantes. Tunc *Galwenſes* imbrem ſagittarum, gladios militum ulterius non ſuſtinentes, fugam ineunt, occiſis prius duobus eorum ducibus *Wlgrico* & *Dunenaldo*. Porro *Laodenſium* cuneus primum vix impetum expectans ſtatim diſſolutus eſt. Tunc rex diſſiliens equo, & proceres qui cum eo erant, adverſus hoſtes proceſſerunt. Sed *Scotti* ob cæterorum fugam pavidi ex omni lapſi parte regali aciei fugere cœperunt, ita ut in brevi lapſis cæteris pauci circa regem perſiſterent. Procedit contra eos *Anglorum* exercitus, ipſum certe regem cum omnibus ſuis vel occiſurus vel capturus, niſi milites regem fugam omnimodis abjurantem, vi ſublatum equo regredi compuliſſent. Tunc hi qui fugerant videntes regale vexillum, quod ad ſimilitudinem draconis figuratum facile agnoſcebatur, reverti, ſcientes regem non cecidiſſe ſed redire, ad ipſum reverſi terribilem inſequentibus cuneum creaverunt. Interea ille adoleſcentum decus, militum gloria, ſenum deliciæ, filius regis reſpiciens retro, vidit ſe cum paucis in mediis relictum hoſtibus, vertenſque ſe ad unum de ſociis & ſubridens, *Fecimus*, inquit, *quod potuimus, & certe quantum in nobis eſt vicimus. Nunc conſilio non minus opus eſt quam virtute. Nec eſt aliud majus animi conſtantis indicium quam in adverſa fortuna non frangi, & quando non potes viribus, conſilio ſuperes inimicum. Projectis itaque ſignis quibus à cæteris dividimur, ipſis nos hoſtibus inſeramus quaſi inſequentes cum ipſis, donec prætergreſſi cunctos ad paternum cuneum quem eminus video in ſuo vigore manentem cedere neceſſitati, quantocius veniamus.* His dictis, calcaribus ſonipedem urgens medios interſecat hoſtes, donec anteriores tranſgreſſus, mitiori inceſſu equum allevat. Et ut noveris quam ſecurum in adverſis & providum geſſit animum, cæteris militibus armorum onera ubiubi proicientibus, optimus juvenis laboris patiens ſuſtinuit, donec ad pauperis cujuſdam tugurium veniens, evocato pauperculo exuit ſe torace, proiciensque ad pedes hominis, *Accipe*, inquit, *vir quod mihi eſt oneri, tuæ conſulat neceſſitati.* At rex jam longe proceſſerat, jam ordinate terribiliter incedens ut quoſdam de inſequentibus capiens, cæteros qui inſtabant plurimum deterreret, ſicque ad *Carleolum* uſq; perveniens, ibi de ſe jam ſecurus, ſed de filio pavidus per biduum nil aliud agens expectabat. Tertia tandem die diu deſideratum ſanum & incolumem filium recepit. *Anglorum* ſane proceres diu inſequentes, innumerabiles tam *Scottos* quam *Galwenſes* interfecerunt, de militibus vero multos ceperunt. De ſingulis autem partibus ſinguli milites corruerunt. Sane Anglorum duces omnes ſani incolumeſque reverſi, & circa *Walterum Eſpec*, quem ducis & patris loco venerabantur conglobati, immenſas gratias deo omnipotenti pro inſperata victoria retulerunt.

Explicit deſcriptio Ethelredi abbatis.

Incipit

Incipit Epiſtola Abbatis *Rievallenſis* *Ailredi* ad illuſtrem Ducem H. ſet poſtmodum *Anglorum* regem.

ILluſtriſſimo Duci *Normannorum* & *Aquitanorum* & Comiti *Andegavenſium Henrico*, frater *A.* ſervus ſervorum Chriſti qui in *Rievalle* ſunt, ſalutes & orationes. Adeo ſecundum naturam virtus eſt, vicium contra naturam, ut virtutem laudet & approbet etiam vicioſis, vicium vero ſi humanæ rationis ſequatur judicium nec vicioſus excuſet. Nam & vicium quaſi ſemetipſum ob innatam ſibi turpitudinem erubeſcens, ſemper latebras quærit & optat ſecretum: cum econtra virtus ſuæ ſibi pulcritudinis & honeſtatis conſcia ad omnem tripudiet & exultet aſpectum, ob ſolam humilitatem publicum fugiens & humanum teſtimonium horrens. Quoniam igitur animæ rationali naturaliter ineſt amor virtutum, odium viciorum, quicumque bonis moribus virtutique ſtuduerit, facile ſibi omnium illicit & indinat affectum. Hinc eſt, vir illuſtriſſime, quod te multorum qui te oculis non viderunt mentibus inpreſſit fama virtutis, cum admirationi ſis univerſis nec minus delectationi; in tali ætate tanta ſapientia, in tantis deliciis tanta continentia, in tantis negotiis tanta providentia, in tali ſullimitate talis ſeveritas, in tali ſeveritate talis benignitas.

Quis enim non obſtupeat juvenem pro regno certantem abſtinere rapinis, cædibus parcere, cavere incendia, nullum gravamen inferre pauperibus, pacem & reverentiam eccleſiis & ſacerdotibus conſervare? Unde non inmerito *Andegavenſium* gloria, *Normannorum* tutela, ſpes *Anglorum*, *Aquitanorum* decus ab omnibus prædicaris. Hoc tantum ſupereſt, ut *JheſumChriſtum* horum munerum largitorem agnoſcas & exoptes conſervatorem Ego vero conſiderans de quorum progenie originem duxeris, gratias[ago] Domino deo meo quod pro talibus talis nobis filius, quaſi novus quidam ſplendor, illuxit, in quo cum omnium anteceſſorum virtutes convenerint, maxime tamen in te ſpiritum Chriſtianiſſimi regis *David* gaudeo quieviſſe; unde divina providentia actum exiſtimo, ut illius mundiſſimæ manus baltheo te cinxerunt militari, per quas Chriſti gratia virtutem tibi caſtitatis illius, humilitatis & pietatis infunderet. Quoniam autem recenti morte illius contriſtatus, vitam ejus & mores ſicut nunc amor, nunc timor, nunc ſpes, nunc dolor meum variant affectum, non hyſtoriando ſed lamentando, brevi ſtilo collegi, te quaſi pietatis illius hæredem intimi cordis dilectione ſuſcipiens, ipſam tibi lamentationem deſtinare curavi. In qua cum laudabilem ejus vitam & precioſam legeris mortem, illam imiteris ut iſta conſequi merearis. Omnis enim laus in fine canitur, nec inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeverantibus datur. Omnipotens deus conſervet in te & augeat gratiam ſuam, excellentiſſime & illuſtriſſime Domine.

De ſancto Rege Scottorum David.

REligioſus & pius rex *David* migravit è mundo; qui licet dignum tali animæ locum invenerit, mors tamen ejus planctum nobis indicit. Quis enim non lugeat virum tam neceſſarium mundo rebus humanis exemptum, niſi is qui rebus humanis pacem invidet & profectum? Rex enim iſte manſuetus, rex juſtus, rex caſtus, rex humilis, quis facile dixerit, quid utilitatis humanæ vitæ contulerit; quem manſuetudo amabilem, juſticia terribilem, caſtitas compoſitum, humilitas communem fecerat? Quæ omnia ſi in privato quolibet laude digniſſima judicantur, quanto magis in rege cui poteſtas dat licere quodlibet; cujus viciis facile favent inferiores, proni ad imitandum, promti ad adulandum, cum & inpunitas præſtet audaciam, libido vero acuat & accendat luxuriam? Scimus enim eum regnum non appetiviſſe ſed horruiſſe, magiſque illud ob alienam neceſſitatem ſuſcepiſſe quam dominandi libidine victum avide invaſiſſe, unde & obſequia illa quæ à gente *Scottorum* in novella regum promotione more patrio exhibentur ita exhorruit, ut ea vix ab epiſcopis ſuſcipere cogeretur.

Sublimatus vero in regem, nichil ſuperbum in moribus, nichil in verbis crudele, nichil inhoneſtum præferebat in factis, unde tota illa gentis illius barbaries manſuefacta tanta ſe mox Regi benivòlentia & humilitate ſubſtravit, ut naturalis oblita ſævitiæ, legibus quas regia manſuetudo dictabat colla ſubmitteret, & pacem quam eatenus neſciebat gratanter exciperet, unde non inmerito dilectus à deo & hominibus videbatur; dilectus à deo plane, qui ſtatim in ipſis regni ſui iniciis ea quæ dei ſunt diligenter exercuit, in eccleſiis conſtruendis, in monaſteriis fundandis, quæ & ampliavit poſſeſſionibus & honoribus cumulavit. Cum enim ipſe in toto *Scottorum* regno tres vel quatuor tantum inveniret epiſcopos, eccleſiis cæteris ſine paſtore tam morum quam rerum diſpendio fluctuantibus, ipſe tam de antiquis quas reparavit, quam de novis quas ipſe erexit decedens novem reliquit. Monaſteria autem ordinis *Cluniacenſis*, *Ciſternicenſis*, *Tyronicenſis*, *Aroenſis*, *Premonſtracenſis*, *Belvacenſis*, non pauca, non parva plena fratribus dimiſit. Inter quos ſic fuerat quaſi unus ex ipſis & bona laudans, & ſi qua minus laudanda emergebant verecundiæ diſſimulans, ſubtractus omnibus, ſollicitus pro omnibus, multa largiens & nichil exigens. O dulcis anima quo abiſti? quo receſſiſti? Ubi oculi illi pleni pietatis & gratiæ, quibus & congaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus conſueviſti?

Vidi ego oculis meis cum aliquando paratus in venatum pede in ſcanſili poſito equum vellet aſcendere, ad vocem pauperis audientiam ſibi dari poſtulantis, quod pedem retraxerit, relictoque equo & regreſſus in aulam, eadem die ad propoſitum non reverſurus, cauſam pro qua fuerat appellatus benigne & pacienter audierit. Conſueverat præterea ad oſtium aulæ regiæ ſedens pauperum & vetularum, quæ certis diebus de ſingulis quocumque veniebat regionibus vocabantur, cauſas diligenter audire, & ſingulis cum multo ſæpe labore ſatisfacere. Nam ſæpe litigabant cum illo, & ipſe cum illis, cum ipſe nollet contra juſticiam perſonam pauperis accipere, & ipſi nollent rationi quod oſtendebat adquieſcere. Denique ſi contingeret ut ſacerdos, vel miles, vel monachus,

chus, vel dives vel pauper, vel civis vel peregrinus, vel negotiator vel ruſticus cum eo haberet ſermonem, ita cum ſingulis de ſuis negotiis & officiis conveniente & humiliter diſſerebat, ut ſingulus quiſque ſua eum tantum curare putaret, & ſic omnes jocundos & ædificatos dimitteret. Tactus quippe infirmitate qua fuerat carne ſolvendus, feria quarta, id eſt terciodecimo kalendas Junii, cum intellexiſſet diſſolutionem ſui corporis imminere, vocatis familiaribus ſuis quod de ſe ipſe ſentiebat incunctanter expoſuit. At illi more humano conſolabantur ægrotum, vitam illi & ſanitatem penitus promittentes. Sed cum feria ſexta morbus ingraveſceret, & ei ſtandi ſimul & incedendi facultatem vis languoris adimeret, accerſitis clericis viriſque religioſis, Dominici corporis ſacramentum ſibi dari poſtulavit. Parantibus illis efferre quod juſſerat, prohibuit ille, dicens, ſe ante ſacroſanctum altare ſacroſancta miſteria percepturum. Igitur clericorum ac militum manibus in oratorium deportatus, poſt miſſarum ſollempnia venerandam ſibi crucem, quam nigram vocant, produci ſibi petiit adorandam.

Eſt autem crux illa longitudinem habens palmæ de auro puriſſimo mirabili opere fabricata, quæ in modum techæ clauditur & aperitur. Cernitur in ea quædam Dominicæ crucis portio, (ſicut ſæpe multorum miraculorum argumento probatum eſt) Salvatoris noſtri ymaginem habens de ebore denſiſſime ſculptam, & aureis diſtinctionibus mirabiliter decoratam. Hanc religioſa Regina *Margareta* hujus Regis mater, quæ de ſemine regio *Anglorum* & *Hungariorum* extitit oriunda, allatam in *Scotia* quaſi munus hæreditarium tranſmiſit ad filios. Hanc igitur crucem omni *Scottorum* genti non minus terribilem quam amabilem cum Rex devotiſſime adoraſſet, cum multis lacrimis peccatorum confeſſione præmiſſa, exitum ſuum cœleſtium miſteriorum perceptione munivit. Deinde relatus in thalamum, venientibus ſacerdotibus ut ſacræ unctionis ſacramenta complerent, aſſurrexit ut potuit, ac de lectulo in terram ſe deiciens, ſalutare illud officium cum tanta devotione ſuſcepit, ut clericos paulo feſtinancius pſallentes, manu ſimul ac ſermone compeſceret, ſingulis verbis ipſe intenderet, ipſe ſingulis orationibus reſponderet. Omnibus igitur rite peractis, cum maxima carnis ac mentis quiete diem expectavit extremum, ſuos diligenter obteſtans, quatenus mox ut ipſe decederet mortem ſuam omnibus propalarent. Quanto citius enim, inquit, mors mea innotuerit, tanto citius amicorum meorum beneficiis aliquid michi conſolationis pietas divina præſtabit. In hac ei devotione dies clauditur, cui ſequentem in magna tranquillitate continuavit & noctem.

Die autem Dominica quæ Chriſti aſcenſionem præcedebat, id eſt nono kal. Junii illuceſcente, cum ſol iſte noctis tenebras emergens radiis ſuæ lucis abigeret, ipſe à corporis tenebris ad veræ lucis gaudia commigravit, cum tanta tranquillitate ut videretur non obiiſſe ſed obdormiſſe, cum tanta devotione ut inventus ſit utraſque manus junctas ſimul ſupra pectus ſuum verſus cœlum erexiſſe. Subvenite Sancti dei, occurrite angeli Domini, ſuſcipite animam veſtro dignam conſortio, collocate eam in ſinu *Abrahæ* cum *Lazaro* quem non deſpexit ſet fovit, cum ſanctis Apoſtolis & martyribus, quorum memorias diligenter extruxit & coluit, cum Chriſti ſacerdotibus & Confeſſoribus quos in ſuis ſucceſſoribus & baſilicis veneratus eſt, cum ſanctis virginibus quarum pudicitiam imitatus eſt, cum mundi contemptoribus quos ſibi mammona iniquitatis conſtituiſit, quibus ſe Chriſti nomine cum omni humilitate ſubſtravit. Aſſit ei illa miſericordiæ mater quæ quanto cæteris conſtat eſſe potentior, tanto ipſius pietas ſit efficacior. Ego autem licet peccator & indignus memor tamen beneficiorum tuorum, dulciſſime Domine & amice, quæ michi ab ineunte ætate mea impendiſti, memor gratiæ in qua me nunc ultimo ſuſcepiſti, memor benivolentiæ qua me in omnibus petitionibus exaudiſti, memor munificentiæ quam exhibuiſti, memor amplexuum & oſculorum in quibus me non ſine lacrimis omnibus qui aderant admirantibus dimiſiſti, libo & pro te lacrimas meas reſolvo, affectum meum & totum ſpiritum meum refundo. Hoc pro te Deo meo ſacrificium offero. Hanc beneficiis tuis viciſſitudinem rependo. Et quia hoc minimum eſt, ibi mens mea ex intimis medullis tui recordabitur, ubi pro ſalute omnium Patri cotidie Filius immolatur.

De genealogia Regum Angliæ, *&* *Regis* David Scotiæ,

QUoniam de optimis moribus religioſi regis *David* pauca deſcripſimus, dignum duxi genealogiam, quæ & tua eſt Dux illuſtriſſime *Henrice*, breviter veraciterque ſubtexere, ut cum videris quanta fuerit anteceſſorum tuorum probitas, qualis in eis virtus innituerit, qualis ſplenduerit pietas, agnoſcas etiam quam naturale tibi ſit abundare divitiis, florere virtutibus, victoriis illuſtrari, & quod his omnibus præſtat, Chriſtiana religione & juſticiæ prærogativa fulgere. Eſt enim ad optimos mores optinendos maximum incentivum, ſcire ſe ab optimis quibuſque nobilitatem ſanguinis meruiſſe, cum ingenuum animum ſemper pudeat in glorioſa progenie degenerem inveniri, & contra rerum ſit naturam de bona radice fructus malos pullulare. Sicut igitur in veraciſſimis & antiquiſſimis hyſtoriis vel cronicis potui reperire, à te ipſo virorum clariſſime exordium ſumens, & per glorioſiſſimam matrem tuam aviamque clariſſimam aſcendens breviter uſque ad ipſum *Adam* patrem cunctorum mortalium lineam tibi tuæ cognationis oſtendam, ut poſtmodum omiſſis antiquiſſimis quorum hyſtorias vetuſtas ipſa delevit, per excellentiores Angliæ reges, eorum ſullimiora quæque geſta ſummatim tangendo redeamus, ut cum videris tantam eorum gloriam morte ac vetuſtate periſſe, eoſque pro vitæ meritis cœleſte præmium quod perire non poteſt meruiſſe, diſcas ſemper divitiis gloriæque mundiali præferre juſticiam, ut poſt vitam temporalem pervenias ad æternam. Amen.

Tu igitur vir optime, filius es glorioſiſſimæ Imperatricis *Matildis*, cujus fuit mater Chriſtianiſſima & excellentiſſima Anglorum regina *Matildis* filia ſanctiſſimæ feminæ reginæ Scottorum *Margaretæ*, quæ nominis ſui ſplendore morum ſanctitatem præferebat. Hujus pater *Edwardus*, qui fuit filius *Edmundi* regis invictiſſimi, cujus pater *Edelred*, cujus pater *Aedgarus* pacificus, cujus pater *Eadmundus*, cujus pater *Edwardus* ſenior, cujus pater nobilis *Alnredus*, qui fuit filius *Adelwlfi* regis, qui fuit regis *Egbrichti*, cujus pater *Alchmundus*, cujus pater *Effa*, cujus *Eppa*, cujus pater *Ingles*; cujus frater fuit famoſiſſimus rex *Ine* nomine; quorum pater *Ceonred*, qui fuit filius *Ceolwald*, qui fuit *Cutha*, qui fuit *Cuthwine*, qui fuit *Ckenlin*, qui fuit *Chenric*, qui fuit *Creoda*, qui fuit *Ceordic*, qui fuit *Eleſa*, qui fuit *Eda*, qui fuit *Gewis*. Iſte fuit caput gentis ſuæ, à quo & tota gens illa nomen accepit. Hujus pater fuit *Wig*, cujus pater fuit *Frewine*, cujus pater *Freodgar*, cujus pater *Brand*, cujus pater *Bealdag*, cujus pater *Woden*. Qui fuit filius *Fredewald*, qui fuit *Freolof*, qui fuit *Frederewlf*, qui fuit *Fingondwlf*, qui fuit *Geta*, qui fuit *Gearwa*, qui fuit *Ben*, qui fuit *Celdwa*, qui fuit *Heremod*, qui fuit *Itermod*, qui fuit *Hathra*, qui fuit *Wala*, qui fuit *Beadwig*, qui fuit *Sem*, cujus pater *Noe*, cujus pater *Lamech*, cujus pater *Matuſale*, cujus pater *Ennoc*, qui fuit filius *Malaleel*, qui fuit *Cainan*, qui fuit *Enos*, qui fuit *Seth*, qui fuit filius *Adam* patris omnium.

Seth natus eſt pro *Abel* quem occidit *Cain*. Sicut autem in *Abel Chriſti* paſſio, ita & in *Seth Chriſti* eſt reſurrectio figurata. *Seth* enim Ebraicum nomen eſt, & lingua Latina dicitur, *reſurrectio*. Ab hoc igitur *Seth* ducitur generatio uſque ad *Enoch*, qui vivus à Deo tranſlatus cum ſancto *Helya* Antichriſti præſtolatur adventum. Inde venitur ad *Noe*, qui ſolus cum filiis & uxoribus meruit mundo pereunte ſalvari, cujus primogenitus *Sem* à patre meruit benedici. Dicunt *Judai* hunc fuiſſe ſacerdotem ſummi Dei, & poſtea *Melchiſedech* fuiſſe vocatum, qui in figura ſacerdotii noſtri panem offerebat & vinum, unde in pſalmis *Chriſto* dicitur, *Tu es ſacerdos in aternum ſecundum ordinem* Melchiſedech. Ab iſto igitur *Sem* genealogia ducitur uſque ad *Woden*, qui tantæ auctoritatis fuit apud ſuos, ut feriam quartam quam *Romani* gentiles diem *Mercurii* appellabant, ejus nomini conſecrarent; quæ conſuetudo ab *Anglis* hodieque ſervatur, vocant enim eundem diem **Wonneſdei**, id eſt diem *Woden*.

Porro à *Woden* linea cognationis tuæ tenditur uſque ad *Getam*; qui & ipſe tantæ ſapientiæ & virtutis habitus eſt, ut à paganis pro Deo coleretur. Unde proceditur ad Chriſtianiſſimos reges *Anglia*, *Ingles* & *Ine*. Quorum *Ine* cum potentiſſimus regum *Anglia* eſſet, relicto regno peregrinus profectus eſt *Romam*, ibique feliciter peregrinans, tandem ad cœleſtem manſionem felicius conſcendit. Ab *Ingles* vero linea cognationis tuæ tenditur uſque ad *Ebrictum*, qui tantæ fuit probitatis, ut univerſam *Angliam* ex Auſtrali parte *Humbra*, quæ pluribus regibus eatenus diviſa ſubjacuerat, ſuo ſubjugaret imperio, & ita primus omnium monarcha *Anglia* diceretur.

De Edelwlfo *Rege*.

Cujus filius fuit *Edelwlf* futuri certe generis ſui ſplendiſſimum caput, & de qua ſanctiſſimi fructus orirentur precioſiſſima radix. Hic in regno terreno ſemper meditabatur cœleſte, ut manifeſte daretur intelligi, eum non victum cupiditate ſet caritate provocatum, alienæ neceſſitati regnando conſulere, non ſuæ voluntati dominando ſatisfacere. Erat enim pater orphanorum & judex viduarum, eccleſiarum defenſor, propagator monaſteriorum. Elemoſinis ſane ſic operam dabat ut totam terram ſuam pro *Chriſto* decimaret, & partem decimam per eccleſias monaſteriaque divideret. Tandem cum multo apparatu *Romam* profectus integro anno ibi perendinavit, loca ſancta frequentans, vigiliis & orationibus vacans, elemoſinas multas pauperibus erogans. Set & eccleſiis beatiſſimorum *Petri* & *Pauli*, ipſique ſummo pontifici pro regia munificentia plurima largitus eſt munera. Et ſic cum multarum virtutum ſtipendiis reverſus in *Angliam*, poſt biennium regnum inter filios ſapienter diviſit. Per ſingula territoria ſua pauperes alendos ac veſtiendos diſtribuit, theſauros ſuos miſericorditer diſperſit & dedit pauperibus; ex quibus non modicam portionem eccleſiis apoſtolorum *Roma* & ſummæ ſedis epiſcopo delegavit, & ſic in ſenectute bona collectus eſt ad patres ſuos, regnum certe non amittens ſet mutans, temporale deſerens & æternum adipiſcens.

De piiſſimo Rege Alfredo.

Cujus filius fuit illud *Anglorum* decus, regum gemma, virtutum exemplar *Aluredus*, cæteris fratribus ſuis junior ætate ſed annoſior virtute, unde & à patre plus cunctis fratribus amabatur, ob morum ſcilicet ſuorum ſimilitudinem, & ſpiritalis cujuſdam gratiæ privilegium quæ in eo adhuc puero mirabiliter refulgebat. Unde eum pater cum adhuc puerulus eſſet, cum multis militibus maximiſque donariis *Romam* miſit, ut ſanctiſſimorum apoſtolorum precibus commendaretur, & à ſummo pontifice benediceretur: venerabilis autem ſummus ſacerdos *Leo* qui tunc eccleſiæ *Romana* præfuit, vultum & ſtatum pueri contemplatus, cum in eo divinæ præſentiam majeſtatis ſcintillantium virtutum indiciis perſenſiſſet, tempus & ætatem regnandi regiæ unctionis ſacramento præveniens, ſicut quondam ſanctus *Samuel* puerum *David*, ita eum in Regem ſanctiſſimus præſul devotiſſime conſecravit. Verum poſtmodum cum patre *Romam* repetens, paternorum bonorum in omnibus cooperator & adjutor eſſe promeruit. Hic ab ipſa pene infantia ſua legere & diſcere dulce habuit, circa eccleſias aſſiduus, in orationibus frequentiſſimus, obediens parentibus, ſociis humilis ac devotus. Ita meditabatur in ætate puerili quod ſenex devotus impleret. Denique portionem pſalterii in qua maxime delectabatur parvo volumine ſcriptam in ſinu ſemper circumferebat, ut quod pectus illud interius ruminabat, ab exterioris ſui hominis pectore non recederet.

Cum vero poſt mortem fratrum ſuorum, cum quibus aliquo tempore regnavit, ad eum totum regnum hæreditario jure tranſiſſet, ſullimior omnibus factus eſt omnium ſervus, ut poſſet dicere cum propheta, *Exaltatus autem humiliatus ſum, & non ſum confuſus.* Ita ſe bonis amabilem, impiis terribilem, eccleſiarum miniſtris pavidum, amicis & ſociis jocundum, pauperibus mitem & largum exhibuit, ut videretur omnium hominum moribus ac naturæ congruere, omnibus utilis ac neceſſarius eſſe. Et quod nunc raro invenitur in terris, illam maximam regis credidit dignitatem, nullam in eccleſiis Chriſti habere poteſtatem. Illa, inquit, regnantis dignitas ſi ſe in regno Chriſti quæ eſt eccleſia, non regem ſed civem cognoſcat, ſi non in ſacerdotes legibus dominetur, ſet Chriſti legibus quas promulgaverunt ſacerdotes humiliter ſubjiciatur. Porro *Conſtantini* imperatoris piiſſimi imitabatur exemplum, qui cum urbi præfuiſſet & orbi, ad *Chriſti* fidem converſus tantam ſacerdotibus reverentiam exhibebat, ut cum ad eum aliquando epiſcopi ſcriptas cartulis querimonias adverſus invicem dediſſent convolvens eas in ſinu juſſerit igne conſumi, « Non eſt meum, inquiens, de ſacerdotibus judicare, vocanſque epiſcopos, inquit, Patres ſanctiſſimi nolite judicio contendere, præſertim apud nos, de quorum erratibus veſtrum eſt judicare. Sed ſi quid inter vos ortum fuerit quæſtionis, modeſte tractetur in eccleſia, ne aliquid quod veſtram ſanctitatem dedeceat ad eorum qui foris ſunt notitiam transferatur. Ego quempiam certe ſi de ordine veſtro cernerem cum muliere peccantem, proprio eos pallio operirem ne qua religioni veſtræ inpiis detrahendi daretur occaſio. Hujus itaque aliorumque regum ſanctorum beatus *Aluredus* ſecutus exemplum, ipſius mundi principis adverſum ſe provocavit invidiam. Denique ſicut quondam ſanctum *Job*, ita hunc Satan petiit ad tentandum, Nunquid, inquiens, *Aluredus* fruſtra colit Deum? Et Dominus ad eum, Ecce in manu tua ſunt cuncta quæ poſſidet, tantum ne in eum extendas manum tuam.

Egreſſus itaque Satan à facie Domini immiſit ei inimicos peſſimos, *Dacos* ſcilicet & *Friſones*, à fide *Chriſti* alienos: qui cum multa claſſe venientes in *Angliam*, maximam regni portionem rapinis incendiiſque conſumunt. Quos cum rex ſtrenuiſſimus ſæpius repuliſſet, permiſſi ſunt tandem prævalere, totamque in tantum occupare provinciam, ut rex Chriſtianiſſimus fuga ſibi conſulens, exutus regno cum pauciſſimis familiarium ſuorum in ſilvis ac paludibus deliteſceret, ac ſuam ſuorumque vitam piſcium captura tranſigeret. In omnibus his non peccavit *Aluredus* labiis ſuis, nec ſtultum quid contra Deum locutus eſt. Nec tantum triſtabatur quod regnum amiſerat, quantum gratulabatur quod vacandi Deo tempus congruum & locum oportunum invenerat. Sed hactenus Chriſti miles fuerat comprobandus. Quadam igitur die cum ſociis in præda piſcium occupatis, in tuguriunculo reſidens meditaretur in lege Dei, ymniſque Davidicis proſcriptionis ſuæ ſolaretur injuriam, affuit quidam in habitu peregrino vir venerandi vultus ſtipem humiliter petens. At rex ut erat vultu hilaris animoque jocundus, utraſque ad cœlum erigens manus Gratias, inquit, Deo, qui pauperem ſuum in paupere viſitavit, qui licet dat omnibus affluenter, & non inproperat, dignatur tamen & quod dedit exigere, & quod exegerit reſtituere cum uſura. Set quid ageret ſervus Dei? Nichil præter unum panem & in amphora vini modicum habebat: vocat itaque miniſtrum, &, Heus, inquit, ô puer, quid faciemus? *Chriſtus* adeſt, qui quondam theſauros regios in ſuis pauperibus viſitabat, hujus paniculi noſtri poculique parviſſimi non dedignatur anguſtias. Frange itaque, cito frange eſurienti panem iſtum & vinum divide; totius victus noſtri partem mediam Chriſtus accipiat, michi ac familiolæ meæ pars media reſervetur. Gratias egit regiæ munificentiæ pauper, nullumq; paludibus impreſſum relinquens veſtigium vel diſceſſit vel evanuit.

Inventus in conclavi panis integer, vinique in amphora priſtina quantitas regem erigit in ſtuporem, cum ecce hii qui piſcatum ierant redeuntes, tantam piſcium multitudinem attulerunt, ut præcedens miraculum ſequentis magnitudine augeretur. Sequenti nocte cum pſalmis & orationibus ac ſalubri meditatione vigilias protelaſſet, in ſomnum tandem reſolutus, videt virum prope aſſiſtere, facie ſplendidiſſima, nigro capillo, oculis lucentibus, quem pontificalia illuſtrabant inſignia, librum auro gemmiſque fulgentem in pectore præferentem. Qui cum ei de diligendo Deum, de ſervanda juſtitia, de miſericordia in pauperes, de reverentia in ſacerdotes monita ſacra dediſſet, ipſe iterum adjecit. Patientiam tuam ô mi *Alurede*, Chriſtus ex alto proſpiciens, laboribus tuis & ærumnis finem impoſuit. Mane itaque facto cum ad proximum navigaveris litus, cornuque proprio ter inſonueris, aderunt tibi fortes auxiliarii de amicis tuis optimis, quorum conſilio cum reliquum exercitum congregaveris, aggredere hoſtes, victoria ſine dubio illuſtrandus. Sic Sanctus.

At rex palpitantibus oculis in eum reſpiciens, Quiſnam es tu, inquit, ô beatiſſime, qui exuli huic tam boni nuntii bajulus adveniſti? Et ſanctus *Cuthbertus* ait, Vocor *Lindisfarnenſis* quondam epiſcopus, tui tuæque gentis curam gerens: cui die heſterna ut tuæ mentis propoſitum devotionemque probarem, tuum hoſpiciolum viſitanti panem vinumque, totum ſcilicet victum tuum, miſericorditer diviſiſti. Scias igitur te tuoſque filios me patrocinante, ſi tamen ambulaveritis in viis Domini, totius *Angliæ* monarchiam obtenturos. Memento autem mei cum bene tibi fuerit. Et his dictis lux cum loquente diſparuit. Mane autem cum amicorum occurſu, reliqui quoque exercitus qui ſequebatur adventu, rex nocturnæ promiſſionis ſenſiſſet effectum, poſt amplexus & oſcula & fuſas ſuper invicem lacrimas, rex in medio ſtans tali oratione ſuum animavit exercitum.

« Gratias ago Deo meo, commilitones, qui non amovit orationem meam & miſericordiam ſuam à me. Ipſe enim percutit & ſanat, mortificat & vivificat, pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat, ipſe Dominus faciens pacem & creans malum, ipſe Dominus faciens omnia hæc: hactenus pro peccatis noſtris flagellans flagellavit nos Deus, ſet morti non tradidit nos. Reſpexit iterum in orationem humilium & non ſprevit precem eorum. Ecce illo miſerante reliquiæ *Anglorum* ſalvæ fient. Quis dubitet? Quis nos de tot latibulis evocavit, de tot regionibus congregavit, & inter paganorum frementes copias timore depoſito ad hoc colloquium quoſdam ſingillatim, quoſdam cum ſociis venire coegit? Agnoſcite ergo quia hoſtes noſtri conturbati ſunt & commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Non enim in virtute ſua aut fortitudine manuum ſuarum prævaluerunt ſuper nos, ſet dextera Dei & virga furoris ejus non tam in nos quam in noſtra peccata deſæviens, paganorū uſus eſt crudelitate, in purgationem & non in deſtructionem. Ecce iterum oculi Domini ſuper nos, & aures ejus ad preces noſtras. Viriliter proinde agite & confortetur cor veſtrū, quoniam ſecundum multitudinem dolorum noſtrorum quos hactenus perpeſſi ſumus, conſolationes ejus lætificabunt animas noſtras. Cogitate qui adverſum quos qua ratione, qua inſuper neceſſitate pugnamus. Chriſtiani contra paganos, pii contra impios, contra ſuperbos, contriti corde & humiles ſpiritu dimicamus. Et qua ratione, Eccleſias certe deſtruxerunt, altaria ſuffoderunt, non ætati, non ordini, non denique ſexui pepercerunt. Præterea non aliena petimus, ſed noſtra repetimus. Noſtra nobis eripuerunt, noſtra poſſident, noſtra luxurioſe conſumunt, noſtra in idolorum ſuorum ſacrificiis expendunt. Certe ſi neceſſitatem quæris pugnandi, audi breviter. Ne ulterius gentes

“ Chriſtiano nomini irreverenter inſultent, ne Deo vero idola præferant, ne quod noſtris peccatis exigentibus de noſtris totiens victoriam reportarunt, dæmonum quos colunt virtuti aſcribant. Poſtremo ne diripiantur uxores noſtræ, ne captiventur filii, ne virgines violentur, ne impii & perverſi totam *Anglorum* nobilitatem ad degenerem transferant ſervitutem. Quoniam igitur ſuſcepimus de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis noſtris jam probati, jam examinati, jam purgati congrediamur ſecure, cum nobis ſit & fides certior & cauſa juſtior, quos Chriſtus invitat, quos pietas provocat, quos urget neceſſitas, quibus Chriſtus adeſt, quibus favent angeli, quibus ſancti præſto ſunt, quibus de cœlo oracula divina reſultant.

Hæc cum dixiſſet, nocturnæ viſionis cunctis audientibus retexit oraculum. Quo audito, acclamavit populus: Dominus dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. Statimque correptis armis in hoſtes ruunt. Et mox ſicut fluit cera à facie ignis, ſic perierunt pagani à facie Dei. Sternuntur, fugantur, diſſipantur. Relictoque nominatiſſimo vexillo ſuo quod quia dæmoniaco inſtinctu corvina effigie deformaverant **Raven** vocabant: quotquot manus perſequentium evadere potuerunt, ſilvarum quæſiere latibula. Ab illa die deinceps erat *Aluredus* vir in cunctis proſpere agens, quoniam Dominus erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat, donec fugatis hoſtibus vel ſubactis requieſceret terra poſt Dominum & poſt *Aluredum* ſervum ejus. In diebus autem pacis non ocio torpuit, aut vanis ſpectaculis ocioſiſve diſcurſibus tempus perdidit, ſed legere, & ſcribere, & ſacros apices in linguam *Anglicam* vertere laborabat. Extant parabolæ ejus plurimum habentes ædificationis, ſed & venuſtatis & jocunditatis. Leges Chriſtianiſſimas & ſcripſit & promulgavit, in quibus fides ejus & devotio in Deum, ſollicitudo in ſubditos, miſericordia in pauperes, juſtitia circa omnes cunctis legentibus patet. In reſtaurandis eccleſiis quas inpia manus everterat, in reparandis, ditandis, ornandis monaſteriis deſudabat. Inter quæ duo nobiliſſima monaſteria, unum monachis in loco qui dicitur **Evelingeheie**, alterum fœminis in civitate quæ **Sceftebyrig** dicitur, multis ſumptibus condidit, multis poſſeſſionibus ditavit, multis donariis adornavit. Permaximam præterea curam gerebat, ne à Vicecomitibus & miniſtris pauperes opprimerentur, & indebitis exactionibus gravarentur. Unde celebre factum eſt nomen ejus per univerſum orbem, etiam in magna urbe *Roma*: quippe qui donaria multa ac largiſſimas eleemoſinas ſæpe mittebat Apoſtolorum eccleſiis, & ipſi ſummo pontifici. Summus vero pontifex tantam devotionem gratanter amplectens, piis precibus ejus inclinatus ſcolam *Saxonum* ab omni tributo & telonio abſolvit. Sed & donaria plurima, inſuper & partem ligni Dominici regi tranſmiſit. Audiens etiam famam ejus *Jeroſolimitanus* patriarcha, & ipſe regem precioſis exeniis muneravit. Sane de annuo cenſu qui ei pendebatur juſtiſſima diſtributione ordinavit, ut pars tercia bellatorum deputaretur ſtipendiis pars tercia in mercedem & victum operariis cederet, pars vero tercia regiis muneribus quæ munificentiſſime advenientibus tam divitibus quam pauperibus largiri conſueverat, ſervaretur. Qualiter autem ſui meminerit peregrini, *Dunelmenſis* eccleſiæ libertas & poſſeſſio hodieque demonſtrat. Rex igitur *Aluredus* cum regnaſſet xxix. annis & menſibus ſex, de regno terreno ad regnum cœleſte tranſcendit: *Aedwardum* filium ſuum, regni morumque ſuorum relinquens hæredem.

De rege Edwardo *ſeniori.*

Erat autem in ſcientia litterarum patre minor, ſanctitate vero non multum inferior, ſed ſuperior poteſtate. Multo enim latius quam pater regni ſui fines dilatavit, urbes & novas condidit, & dirutas renovavit. Impiiſſimam *Dacorum* gentem quam pater ejus non expulerat, rebellantem ſibi multis contritam præliis vel fugavit penitus, vel miſera ſervitute compreſſit, & inſulæ faciem in antiquæ pulchritudinis ſpeciem reformavit. Adjecit etiam decoris plurimum ſoror regis *Aelfleda*, ſexu quidem fœmina, ſed animo ac virtute plus viro, quæ exceptis his quas rex ædificaverat urbes conſtruxit, **Brunesburch**, **Bruge**, **Scergate**, **Thamewrthe**, **Stafford**, **Edesbirith**, **[illegible]**, **Cheribirith**, **Warebirich**, **Runcouere**, **Liecestre**. Ipſa pugnavit contra *Walenſes* & vicit, & **Derebi** expugnavit & cepit. Tantaque fortitudine emicuit, ut à pluribus rex diceretur. Igitur rex *Edwardus* vir manſuetus & pius, omnibus amabilis & affabilis, adeo omnium in ſe provocabat affectum, ut *Scotti*, *Cumbri*, *Walenſes*, *Northumbri*, & qui remanſerant *Daci*, eum non tam in dominum & regem quam in patrem cum omni devotione eligerent. Tanta dehinc modeſtia regebat ſubditos, tanta juſtitia inter proximum & proximum judicabat, ut contra veritatem non dico nichil velle ſed nec poſſe videretur: unde fertur quibuſdam iratus dixiſſe, *Dico vobis, ſi poſſem vicem vobis reddidiſſem*. Quid non poſſet rex in ſubditos, dominus in ſervos, potens in infirmos, dux in milites? Sed quicquid non dictabat æquitas, quicquid veritati repugnabat, quicquid non permittebat juſtitia, quicquid regiam manſuetudinem non decebat, ſibi credebat impoſſibile. Ipſe novum monaſterium *Wintoniæ* fundavit, & mater ejus ſanctiſſima fœmina *Elſwida* monaſterium virginum in eadem civitate conſtruxit. Vixit autem rex *Aedwardus* in regno viginti quatuor annis: & genuit filios & filias. Ex nobiliſſima fœmina *Egwina* filium ſuum primogenitum *Adelſtanum*. Ex regina *Aedgiva*, *Aedmundum*, *Edredum*, & quatuor filias; quarum prima *Edburga* in Dei ſponſam eligitur & conſecratur. Altera ab *Ottone Romanorum* imperatore in matrimonium ſumitur. Tertia ad *Karolum* regem *Francorum* ab eo ducenda deſtinatur. Quartam rex *Northanhymbrorum* in matrimonium ſortitur.

Ferunt quidam regem aliquando inter miſſarum ſolempnia factum in exceſſum mentis contra morem ſuum riſiſſe. Mirantibus qui aderant, & tempore oportuno cauſam ſciſcitantibus, ait rex: Convenit *Dacis* & *Northgenſibus* prædatum venire in *Angliam*. Congregata in portu magna navium multitudine, illatis quoque armis comportatiſque cibariis navigaturis neceſſaria parabantur. Et jam navigandi tempus advenerat; jam ventis vela, velis naves fuerant committendæ, cum ecce unuſquiſpiam de domo vicina portui cum calice pleno medo egrediens, proceres invitat ad potum. Renuunt illi, inſtat ille. Tandem probroſum eis nomen ſi non vel ſemel biberent imprecatus, cunctos pellexit à navi. Dumque calix ſuccederet calici, aſſiduiteque bibendi ſuccenderetur aviditas, ebrietas in loquacitatem, loquacitas prorupit in litem, lis *Dacos* provocat & armat in pugnam. Fit tumultus inter convivas; dum cæca quadam amencia quiſque in ſocium irruit, neſciens cui parceret, & quem feriret ignorans. Inter mutuas igitur cædes dum alii ſternerentur, alii vulnerarentur, quidam fuga vitam reſervant, quidam aſcenſis navibus maria ſecant, ſicque diſperſi omnes, ab intentione propoſitoque deficiunt. Hæc riſus mei cauſa, quoniam riſum fecit michi Dominus, & quicunque audiet corridebit michi. Spero autem in Deo meo, quoniam temporibus meis *Angliam* alienigenæ non gravabunt. Cerne quæſo regiam mentem quanta lux divinitus illuſtraverit: longe poſita ſenſit, præſentia neglexit, & futura proſpexit.

De rege Edelſtano.

DOrmivit autem cum patribus ſuis rex *Edwardus*, & regnavit *Edelſtannus* filius ejus pro eo; ambulavitque in viis patrum ſuorum, non declinavit ad dextram neque ad ſiniſtram; eandem in Deo fidem, in ſubditos gratiam, circa eccleſias devotionem, circa pauperes miſericordiam, circa Dei ſacerdotes retinens reverentiam. Contra hunc reliquiæ *Dacorum* more ſuo nefandum erigunt caput, ſed contriti ſunt ſub pedibus ejus & redacti in pulverem. Rebellaverunt ei *Northymbri* & *Scotti*; & fœdus quod cum eo pepigerant prævaricati ſunt. Rex vero cum maximum congregaſſet exercitum, terra marique inpios expugnaturus progreditur. Cum autem veniſſet in provinciam *Lindiſſe*, obviam habuit pauperum & mediocrium turbam non modicam. Sciſcitanti unde veniſſent, reſpondent de *Beverlaco*, ubi ad viſitandas beati *Johannis* reliquias ſpe obtinendæ ſalutis advenerant. Quæſivit rex, ſi quem voti ſui obtinuiſſent effectum: & unus illorum, Ego, inquit, cæcus natus ad ſanctiſſimi viri corpus lumen recepi. Et alter: Ego claudus ex utero matris ſancti *Johannis* orationibus ut ipſe vides ſanus incedo. Audiens autem hæc & his ſimilia rex Chriſtianiſſimus, Magnus eſt, inquit, iſte *Johannes*. Et utile credo in hoc magno negotio tanti viri nobis conciliare gratiam & auxilium implorare. Quoniam igitur fas non eſt talem nos regni noſtri inviſitatum præterire patronum, præcedat exercitus noſter via regia, ego cum paucis ſepulcrum ejus de quo tanta audio, ejus miſericordiam invocaturus adire curabo. Veniens deinde ad Sancti tumulum rex illuſtriſſimus, poſt excubias more patrio celebratas, poſt orationes corde ſupplici fuſas, cum pavimentum devotiſſimis lacrimis perfudiſſet, protractum è vagina cultellum ſacris inpoſuit altaribus, Ecce, inquiens, beatiſſime *Johannes*, ſponſionis meæ vadimonium, ut cum auxilio tuo ſubactis hoſtibus cum proſperitate rediero, digno illud precio redimam, & quoad vixero, tibi gratus & devotus exiſtam. Revertitur deinde ad exercitum ſuum rex, & mox hoſtium fines potenter invadit. Et jam tempus advenerat præliandi, cum præcedenti nocte rex oppreſſus ſompno, ſanctum *Johannem* ſibi aſpicit aſſiſtentem, & ut ſecure congrederetur hortantem. Devotionem, inquiens, tuam quam circa ſepulcrum meum exhibuiſti, gratanter amplectens, oravi pro te Deum meum, & exaudivit vocem meam. Obſerva igitur, & audi vocem meam; ut ambules in viis patrum tuorum, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & cuſtodiet te gratia Dei. Hæc dicens, diſparuit. Mane autem facto, rex in hoſtes irruit, potituſque victoria regem *Scotia* ad deditionem coegit. Cumque ſitum terræ illius non parvo tempore exploraſſet, accepto obſide regis filio, reverſus eſt *Eboracum*. Inde tendens *Beverlacum*, cultellum ſuum multarum poſſeſſionum maximæque libertatis largitione redemit. Cum autem vixiſſet poſtea ſexdecim annis regnando mortuus eſt; & regnavit *Edmundus* frater ejus pro eo.

De nobili rege Edmundo.

ERat autem patris *Edwardi* in omnibus imitator; homo ſimplex & rectus, & timens Deum, & uſque ad finem vitæ ſuæ permanens in innocentia ſua. Promotus vero in regnum zelo zelatus eſt pro fide *Chriſti*, nimiſque ægre ferens paganorum reliquias cultura idolorum regni ſui fœdare decorem, quinque nobiliſſimas civitates, *Lincolniam*, *Leiceſtriam*, *Stanfordiam*, **Snotingaham**, **Derebi**; quas eatenus incoluerant, de manibus eorum extorſit, omnique infidelitate abraſa Chriſtianæ fidei lumine illuſtravit. Purgato autem ab alienigenis regno, & ſibi in omni parte ſubjecto, monaſteriorum & eccleſiarum maxime curam habuit, conſilio ſanctiſſimi *Dunſtani*, & ſtatuenda ſtatuit, & corrigenda correxit. Hic **Glaſtingberi** beato *Dunſtano* ut in monachorum habitationem fundaretur commiſit, & multa alia bona ſancto *Dunſtano* cooperante diſpoſuit. Cum igitur *Anglia* ſub tanto patre magis quam rege pace magna & gloria floreret, inmatura ejus morte, quam exactis in regno quinque annis & ſeptem menſibus nefanda proditione incurrit, ſubito dolore & timore emarcuit.

De Edredo *rege.*

SUcceſſit ei in regnum frater ſuus *Edredus*, & ambulavit in viis fratris ſui; beati *Dunſtani* conſiliis in omnibus obediens, & juſtiſſimis legibus ſubditos regens. Erat enim tantæ probitatis, ut rebellantes ſibi *Northymbros* & *Scottos* facile vicerit, & in priſtinam ſubjectionem ſine magno labore redegerit. Hujus laudabilem vitam mors precioſa concluſit. Cum enim ad regem ægrotantem beatus *Dunſtanus* vocaretur, in ipſo itinere audivit vocem angelorum in cœlo dicentium, Rex *Edredus* nunc obdormivit in Domino.

De Edwino *rege.*

POſt quem ſuſcepit regnum *Anglorum Edwinus* filius *Edmundi* regis, nec ambulavit in viis patrum ſuorum, ſed in ſancta illa progenie novus quidam *Herodes* emerſit, qui cujuſdam *Herodiadis* mulieris, videlicet impliſſimæ contra Deum, contra leges, contra ipſius jura naturæ adulterinis abutebatur amplexibus, & conſilia nequiſſima ſequebatur. Nec defuit ſpiritus *Johannis* qui in ſancto viro *Dunſtano* & regem argueret adulterantem, & adulteram dignis invectionibus verberaret. Quæ *Jezabelitico* ſpiritu incitata noſtri *Helyæ* moliebatur interitum, fuiſſetque voti ſui compos ſi non Sanctus præmunitus à Spiritu exilium patriæ prætuliſſet. Rex vero cum hujus nequiſſimæ deceptus conſiliis, nec juſte, nec prudenter regnaſſet, maxima regni ſui parte exuitur, quæ mox ad fratrem ejus *Edgarum* transfertur. Tandem compunctus renunciavit adulteræ, & conſiliis ſanioribus utebatur. Recordatus enim eſt Dominus patrum ſuorum regum, ſcilicet Chriſtianiſſimorum, & ne quis de ſacra illa ſtirpe periret, occaſionem qua ſalvaretur invenit. Cum enim defunctus ab inmundis ſpiritibus traheretur ad pœnam, quidam dæmonum mortem ejus quaſi de infelicitate perſecutoris ſui gaviſuro ſancto nuntiat *Duneſtano*. Qui mox reſolutus in lacrimas tam diu ante miſericordem *Iheſum* pro eo ſupplicans, & plorans procubuit, donec à dæmonibus liberatus veniam quoniam Sanctus petiit obtineret.

De Edgaro *rege pacifico*.

DEfuncto igitur rege *Edwino*, frater ejus *Edgarus* ſucceſſit. Erat enim filius *Edmundi* nobiliſſimi regis, qui fuit *Edwardi* ſenioris Chriſtianiſſimi principis, qui fuit *Elfredi* victorioſiſſimi ducis. Iſte *Edgarus* cunctis prædeceſſoribus ſuis felicior, nulli ſanctitate inferior, omnibus morum ſuavitate præſtantior, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis luxit. Iſte *Anglis* non minus memorabilis quam *Cirus Perſis*, *Karolus Francis*, *Romulusve Romanis*. Hic enim regnum *Anglorum* cœleſti quadam pace compoſuit, & multarum linguarum gentes, unius fœdere legis conjunxit, unde ei cum *Salomone* commune vocabulum fuit, ut Pacificus quod *Salomon* interpretatur communi omnium voce diceretur. Nec mirum. Ipſo enim nativitatis ſuæ tempore angelos concinentes beatus *Duneſtanus* audivit; Pax *Anglorum* eccleſiæ hujus pueri qui nunc natus eſt tempore. Sicut igitur aurora tranſactæ noctis tenebras radiis ſuæ claritatis depellit, ita hujus ſanctiſſimi regis promotione per omnem *Angliam* nox infidelitatis expellitur, irarum & diſcordiarum tenebræ propelluntur. Tanta enim in verbis, in vultu, in moribus, interioris ſuavitatis indicia præferebat, ut Deo cooperante tota ei inſula ſine ſanguine manus daret, & ad ſubdendum ſe ei *Scotia*, *Cumbria*, *Wallia* libens accurreret. Eo namque regnante ſol videbatur eſſe ſerenior, maris unda pacatior, terra fæcundior, & totius regni facies abundantiori decore venuſtior. In diebus illius non tormenta, non cruces, non exilium, nec proſcriptio quantum boni principis vel levis timebatur offenſa. Omnibus igitur per *Angliam* in eundem dilectionis ſpiritum concurrentibus, rex in eccleſiis conſtruendis & ornandis, in monaſteriis fundandis & ditandis, curam & operam inpendebat. Denique per regnum *Anglorum* quadraginta conſtrui fecit monaſteria, & alia monachis, & alia virginibus deputavit. **Glaſtingebiri** quod pater ejus fundaverat ipſe perfecit. **Abbendune**, **Burch**, **Tornei**, **Rameſeie**, & in **Wiltune** monaſterium virginum magno ſtudio condidit, multa diligentia illuſtravit. Hyeme & vere infra regnum ſuum uſquequaque per ſingulas provincias tranſire ſolebat, judicia, mores, actus miniſtrorum & principum diligentius explorare, quomodo legum jura & ſuorum ſtatuta decretorum ſervarentur ſubtilius inveſtigare, ne pauperes à potentibus præjudicium paſſi opprimerentur, ſollicite præcavere. Præparaverat naves robuſtiſſimas, numero tria milia, ſexcentas; quibus redeunte æſtate omnem inſulam ad terrorem extraneorum, & ad ſuorum exercitationem cum magno apparatu circumnavigans provincias conſueverat. Inter hæc ſemper cum epiſcopis viriſque doctiſſimis, de lege Dei & ſacris litteris conferebat, & quod ipſe dicere poterat, ſubditos docere non ſolum verbo ſet etiam exemplo ſatagebat. Cumque diligenter epiſcoporum, clericorum, monachorum, vitam & mores inveſtigatione prudentiſſima didiciſſet, vocatis ad ſe eccleſiarum & monaſteriorum patribus, cum eis hujuſmodi ſermonem habuit.

Sermo Regis Edgari *ad Clerum*.

“ QUoniam magnificavit Dominus facere mi-
“ ſericordiam ſuam nobiſcum, dignum eſt, pa-
“ tres reverentiſſimi, ut innumeris beneficiis illius
“ dignis reſpondeamus operibus. Neque enim in
“ gladio noſtro poſſidemus terram, & brachium
“ noſtrum non ſalvavit nos, ſet dextra ejus & bra-
“ chium ſanctum ejus, quoniam conplacuit illi in
“ nobis. Juſtum proinde eſt, ut quia omnia ſub-
“ jecit ſub pedibus noſtris, ſubiciamus illi & nos
“ animas noſtras; & ut hii quos nobis ſubdidit,
“ ejus ſubdantur legibus non ſegniter elaboremus.
“ Et mea quidem intereſt laicos cum æquitatis jure
“ tractare, inter virum & proximum ſuum juſtum
“ judicium facere; punire ſacrilegos, rebelles com-
“ primere, eripere inopem de manu fortiorum ejus,
“ egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed
“ & meæ ſollicitudinis eſt, eccleſiarum miniſtris,
“ gregibus monachorum, choris virginum, & ne-
“ ceſſaria procurare, & paci eorum & quieti con-
“ ſulere. De quorum omnium moribus ad vos
“ ſpectat examen; ſi vivunt continenter, ſi honeſte
“ ſe habent ad eos qui foris ſunt, ſi in divinis of-
“ ficiis ſolliciti, ſi ad docendos populos aſſidui, ſi
“ victu ſobrii, ſi habitu moderati, ſi in judiciis
“ ſunt diſcreti. Pace veſtra loquor, reverendi pa-
“ tres, ſi iſta ſollerti ſcrutinio curaſſetis, non tam
“ horrenda & abhominanda ad aures noſtras de
“ clericis perveniſſent. Taceo quod nec illis eſt
“ corona patens, nec tonſura conveniens, quod in
“ veſte laſcivia, in geſtu inſolentia, in verbis turpi-
“ tudo, interioris hominis loquuntur inſaniam.
“ Præterea in divinis officiis quanta ſit negligentia,
“ cum ſacris vigiliis vix intereſſe dignentur, cum
“ ad ſacra miſſarum ſollempnia ad ludendum
“ magis quam pſallendum congregari videantur.
“ Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident,
“ dicam dolens (ſi tamen dici poteſt) quomodo
“ diffluant in commeſſationibus & ebrietatibus, in
“ cubilibus & impudicitiis, ut jam domus cleri-
“ corum putentur proſtibula meretricum, & conci-
“ liabulum hyſtrionum. Ibi aleæ, ibi ſaltus &
“ cantus, ibi uſque ad medium noctis ſpatium pro-
“ tractæ cum clamore & horrore vigiliæ. Sic, ſic
“ patrimonia regum, eleemoſinæ pauperum, immo
“ quod magis eſt, illius precioſi ſanguinis precium
“ profligatur. Ad hoc igitur exhauſerunt patres
” noſtri theſauros ſuos; ad hoc fiſcus regius detra-
“ ctis redditibus multis detumuit; ad hoc eccleſiis
“ *Chriſti* agros & poſſeſſiones regalis munificentia
“ contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornen-
“ tur, luxurioſa convivia præparentur, canes & aves
“ ac talia ludicra comparentur? Hæc milites cla-
mant,

« mant, plebs ſubmurmurat, mimi cantant & ſaltant; & vos negligitis, vos parcitis, vos diſſimulatis? Ubi gladius *Levi* & zelus *Symeonis* qui ut ſcorto abutentes filia *Jacob Sichimitas*, eorum habentes figuram qui *Chriſti* eccleſiam pollutis actibus fœdant, etiam circumciſos ſucciderunt? Ubi ſpiritus *Moyſi* qui caput vituli adorantibus etiam domeſticis ſui ſanguinis non pepercit? Ubi pugio *Finees* ſacerdotis qui fornicantem cum *Madianita* confodiens, ſancta hac æmulatione Deum placavit iratum? Ubi ſpiritus *Petri* cujus virtute perimitur avaritia, hæreſis ſimoniaca condempnatur? Æmulamini ô ſacerdotes, æmulamini vias Domini & juſtitias Dei noſtri. Tempus faciendi contra eos qui diſſipaverunt legem Dei. Ego *Conſtantini*, vos *Petri* gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras, gladium gladio copulemus, ut eiciantur extra caſtra leproſi, ut purgetur ſanctuarium Domini, & miniſtrent in templo filii *Levi*, qui dixit patri & matri, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro vos. Agite quæſo ſollicite ne pœniteat nos feciſſe quod fecimus, dediſſe quod dedimus, ſi viderimus illud non in Dei obſequium ſet in peſſimorum luxuriam inpunita libertate conſumi. Moveant vos ſanctorum reliquiæ, quibus inſultant: veneranda altaria, ante quæ inſaniunt. Moveat vos anteceſſorum noſtrorum mira devotio, quorum eleemoſinis veſania clericorum abutitur. Proavus meus, ut ſcitis, totam terram ſuam eccleſiis & monaſteriis decimavit. Sanctæ memoriæ attavus meus *Aluredus* ut eccleſiam ditaret, non theſauris ſuis, non patrimonio, non ſumptibus, non redditibus parcendum putavit. Avus meus *Edwardus* ſenior quanta contulerit eccleſiis veſtram paternitatem non latet. Pater meus & frater ejus quibus donariis *Chriſti* altaria cumulaverunt, meminiſſe vos decet. O pater patrum *Duneſtane!* contemplare quæſo patris mei oculos ab illa lucida cœli plaga in te radiantes, audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus reſonantes. Tu michi pater *Duneſtane*, tu michi de conſtruendis monaſteriis, de eccleſiis ædificandis, conſilium ſalubre dediſti, tu michi adjutor in omnibus & cooperator extitiſti: te quaſi paſtorem & epiſcopum animæ meæ, morumque meorum cuſtodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam theſauros tuis conſiliis prætuli? Quas poſſeſſiones te præcipiente non ſprevi? Si quid pauperibus dandum exiſtimabas, præſto fuit. Si quid conferendum eccleſiis judicabas, non diſtuli. Si quid monachis clericiſve deeſſe querebaris, ſupplevi. Æternam dicebas eſſe eleemoſinam, nec aliam fructuoſiorem quam quæ monaſteriis eccleſiiſve confertur, qua & Dei ſervi ſuſtentantur, & quod ſupereſt pauperibus erogatur. O præclara eleemoſina! O dignum precium animæ! O peccatis noſtris ſalubre remedium, quod à ſinu *Sibillæ* in peregrini muris pellicula fætet, quod aures ejus ornat, quod componit digitulos, quod corpus dedicatum in byſſo ſtringit & purpura. Hiccine eſt eleemoſinarum mearum fructus? Hiccine eſt deſiderii mei tuæque promiſſionis effectus? Quid huic patris mei querimoniæ reſpondebis? Scio, ſcio, Cum videbas furem non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguiſti, obſecraſti, increpaſti. Contempta ſunt verba: veniendum eſt ad verbera. Habes hic tecum venerabilem patrem *Edelwaldum Wintonienſem* epiſcopum, habes reverentiſſimum præſidem *Wigornienſem Oſwaldum*: vobis iſtud committo negotium, ut epiſcopali cenſura & auctoritate regia turpiter viventes de eccleſiis eiciantur, & ordinate viventes introducantur.

Scientes igitur beati præſides manum regis bonam ſecum, ab eccleſia *Wintonienſi*, *Wigornienſi* pluribuſque aliis inhoneſte viventes expulerunt, introducentes viros religioſos, qui novo quodam ſplendore univerſam inſulam illuſtrarunt. O vere tunc beata *Anglorum* eccleſia, quam innumerabilium monachorum & virginum adornabat integritas, quam devotio plebium, moderatio militum, æquitas judicum, terræ fœcunditas lætificabat! Exultabat rex beatiſſimus ſuis temporibus ordinem ſuum rerum omnium inveniſſe naturam, cum homines Deo, terra homini, cœlum terræ, juſtitia, fructu, aerum temperie debitum præſtaret officium. Et ut noverimus quanta eum Deus, etiam in hac vita, bonorum operum mercede donaverit, cum aliquando ad maximam ejus feſtivitatem Reges, Comites multarumque provinciarum proceres conveniſſent, quadam die naves juſſit parari, gratum habens eccleſiam beati *Johannis Baptiſtæ* orationis obtentu navigio petere. Cum igitur Comitibus & ſatrapis naves plurimas delegaſſet, ipſe cum octo regibus ſibi ſubditis navem unam intravit: ad octo autem remos regibus totidem collatis, ipſe in puppe ſedens gubernatoris officio fungebatur. Dici ſane non poteſt cum quanta gloria, cum quibus divitiis celebrata eſt illa feſtivitas, cum viderentur ipſa elementa ejus nutui deſervire, quem creatoris ſui cernebant cum maxima devotione imperiis obedire: ſet heu! nichil in terrenis æternum, nichil in caducis ſtabile, nichil in mortalibus immortale. Tranſlato enim ad cœleſtia regna rege *Aedgaro*, in regno terreno filius ejus *Edwardus* ſucceſſit, qui injuſte ab inpiis interfectus, tum ob vitæ ſanctitatem, tum ob mortis acerbitatem Sancti nomen & meritum Deo donante promeruit.

De rege Ethelredo.

Cui frater ejus *Edelredus*, filius, ſcilicet *Edgari* & reginæ, in regnum ſucceſſit, & à ſancto *Duneſtano* aliiſque *Anglorum* epiſcopis inungitur & conſecratur. Qui à beato *Duneſtano* tale fertur accepiſſe oraculum: *Quoniam Angli in ſanguinem fratris ſui regis ſanctiſſimi conſpiraverunt, non deficiet ab eis ſanguis & gladius, donec ſuperveniens populus ignota lingua eos in exterminium & in ultimam redigat ſervitutem. Noviſſime tamen viſitabit eos Dominus.* Regnante igitur rege prædicto *Daci* ſupervenientes magnam terræ partem igne ferroque vaſtaverunt. Tunc rex miſſis in *Normanniam* nuntiis *Emmam* filiam *Ricardi* ducis ſibi in uxorem dari & petiit, & accepit, cum jam de filia *Torethi* nobiliſſimi Comitis filium ſuſcepiſſet *Edmundum*. Ex *Emma* deinde duos habuit filios, *Edwardum* & *Alfredum*, de quibus poſtea dicemus. Tunc rex fortior ſolito, omnes per *Angliam* *Dacos* una die eademque hora miſſis epiſtolis juſſit interfici. Quod *Daci* tranſmarini audientes in furorem verſi, duce *Suano* cum innumerabili exercitu *Angliam* intrantes, diffuſi ſunt per provincias &

diſperſi, non ordini, non ſexui, non ætati parcentes, nec ab eccleſiarum, vel monaſteriorum ſacris & ſanctuariis manus ſacrilegas continentes. Quibus cum rex ſtrenuiſſimus ſæpius reſtitiſſet, proditione tandem ſuorum factus inferior, reginam cum parvulis ſuis *Normanniam* miſit, quos ipſe poſtmodum exutus regno ſecutus eſt. Sed *Suanus Dacus* vel ſubita morte præventus, vel à ſancto *Edmundo* inviſibili pœna percuſſus, cum apud inferos crudelitatis ſuæ ſtipendia recepiſſet, revocatus ab *Anglis Edelredus* regni infulis ſublimatur, & iterum contra *Dacos* viriliter potens erigitur. Contra quem *Cnuth* filius *Suani* rex *Dacorum* paternum odium exercere non deſiit. *Edelredus* autem cum laborioſiſſime ſet ſtrenuiſſime regnaſſet triginta & ſeptem annis, *Lundoniis* obiit, *Edmundum* filium ſuum laboris & regni relinquens hæredem.

De rege Edmundo *cognomento Ferreo latere.*

DE cujus mirabili fortitudine quicquid dicerem minus eſſet; unde ob invincibile robur corporis **Yrenſyde**, id eſt *Ferrei lateris*, nomen accepit. Sagitta ejus nunquam abiit retrorſum, & gladius ejus non eſt reverſus inanis. Contra hoſtes leoninæ feritatis, erga ſuos columbinæ ſimplicitatis; quo nemo fortior, ſet quo nemo ſuavior; quo nullus audacior, ſet quo nemo cautior; quo in adverſis nemo ſecurior, ſet quo in proſperis nemo temperantior. Porro *Dani*, & qui à rege defecerant *Angli*, *Cnuthum* ſibi in regem elegerunt, ſet ſtrenuiſſimus rex *Edmundus* cum exercitu ſuo ſicut leo rugiens terram circuiens, regiones plurimas quas occupaverat *Cnuth* in deditionem nullo obſiſtente recepit: verum quotiens cum eo pugnaverit, quotiens ejus fugaverit exercitum, quotiens vocatam à partibus tranſmarinis validam manum cum paucis, imo pene ſolus proſtraverit, quotiens denique nefandam gentem exterminaſſet, & in nichil redegiſſet, niſi quidam patriæ proditores obſtitiſſent, nimium eſt huic operi inſerere; cum non dico meus, ſed & *Virgilianus*, vel etiam *Homericus* ſub tanta materia ſenſus deficeret. Sæpiſſime enim convenientibus cum magno exercitu utriſque regibus in pugnam, vel *Edmundus* ſemper vicit vel nullus. Nonnunquam quippe à mane uſque ad veſperam Marcio campo certantes, cum *Cnuth* multitudine, viribus præſtaret *Edmundus*, irruentibus tenebris cæſis utrimque innumerabilibus ſine victoria recedebant, ad ſimilem ludum eundemque exitum die craſtina reverſuri. Pertæſus tandem uterque exercitus, cum viderentur cotidie vires *Edmundo*, numerus ex partibus tranſmarinis accreſcere *Cnutho*, qui & hoc ipſum ſibi timens aſtute machinabatur, utriuſque proceres ad colloquium cogunt. Inter quos cum quidam cæteris major natu ſurrexiſſet, dari ſibi ſilentium poſtulavit.

« Cupio, inquiens, ô viri cordati, his periculis
« noſtris præbere conſultum; qui quidem vobis
« ſapientia minor ſum, ſet ut hæ rugæ & hii cani
« teſtantur ætate ſuperior; & forte quod ingenium
« non habuit, uſus docuit; & quod negavit ſcien-
« tia, contulit experientia. Multa certe vidimus &
« cognovimus, multa inſuper patres noſtri narra-
« verunt nobis, & non immerito exigimus audienti-
« am, ut de certis & apertis non dubiam profera-
« mus ſententiam. Periculoſa res agitur; mala
« patimur, pejora cernimus, peſſima formidamus.
« Quotidie pugnamus nec vincimus, ſed nec vinci-
« mur, immo vincimus & nemo vincit. Quomodo
« enim non vincimur, qui vulnerati, qui oppreſſi,
« qui fatigati, qui viribus deſtituti, qui armis ſpo-
« liati; nec fugimus cum non ſit qui impellat, nec
« impetimus cum utrimque virtus deficiat? Uſque-
« quo finis horum mirabilium? quando ab hoc
« labore requies, ab hac tempeſtate tranquillitas,
« ab hoc timore ſecuritas? Invincibilis eſt certe
« *Edmundus* ob mirabilem ejus fortitudinem. In-
« vincibilis & *Cnut* propter fortunæ favorem. Nos
« conterimur, nos jugulamur, nos diſſipamur, nos
« amittimus pignora dulcia, nos ſuaves neceſſitu-
« dines morti exponimus. At hujus laboris quis
« fructus, quis finis, quod precium, quod emolu-
« mentum, quod quæſo niſi ut cæſis utrimque mi-
« litibus duces compulſi neceſſitate componant, vel
« certe ſoli ſine milite pugnent? Quare non modo?
« Certe dum vivimus, dum ſpiramus, dum ſupereſt
« exercitus, id ageretur utilius, honeſtius, ſecurius.
« Rogo quæ eſt iſta inſolentia, immo violentia,
« immo inſania? *Anglia* quondam multis ſubje-
« cta regibus, & gloria floruit, & divitiis abunda-
« vit. O ambitio! quam cæca ſemper, quæ totum
« cupiens totum amittit! Quare rogo non duobus
« ſufficit quod quinque olim regibus ſatis fuit?
« Quod ſi eis tanta ineſt dominandi libido, ut *Ed-*
« *mundus* parem, *Cnuth* dedignetur ſuperiorem,
« pugnent, quæſo, ſoli qui ſoli cupiunt dominari,
« certent pro corona ſoli qui ſoli cupiunt inſigniri.
« Ineant ipſi duces duelli diſcrimen, ut vel ſic alter
« vincatur, ne ſi ſæpius pugnent exercitus, omni-
« bus interfectis non ſint quibus imperent mili-
« tes, non ſint qui adverſum extraneos regnum
« defendant.

Parante illo adhuc plura proferre, in mediis, ut ita dicam, faucibus totus ei populus verbum obcludit, vociferans & dicens, *Aut pugnent ipſi aut componant*. Delatam ad ipſos ſententiam procerum reges probant. Convenientibus itaque utriſque cum exercitu ſuo ſuper ripam *Sabrinæ* fluminis, *Edmundus* cum ſuis in occidentali, *Cnuth* cum ſuis in orientali ripa conſedit. Eſt autem inſula in ipſius fluminis medio ſita quæ **Olonghege** appellatur, ad quam reges tranſvecti ſplendidiſſimis procinctu armis utroque ſpectante populo ineunt ſingulare certamen. At ubi haſtarum robur tam virorum ingentium quam fortiſſimorum objectu clipeorum deperiit, extractis gladiis ſeſe cominus impetunt. Pugnatum eſt acriter dum *Edmundum* virtus, *Cnuth* fortuna juvaret; circa galeata capita gladii tinniunt, colliſione metallorum ſcintillæ prorumpunt; ubi vero robuſtiſſimum illud pectus *Edmundi* ex ipſo ut aſſolet bellandi motu ira incanduit, ſanguine incaleſcente fit robuſtior, dexteram elevat, vibrat enſem, ac tanta vehementia in caput obſiſtentis ictus iterat, ut ſpectantibus non tam percutere quam fulminare videretur. Ad ſingulos enim ictus inter enſem & galeam ignis erumpens, non modo apparere ſed inſuper accendere videbatur. Sentiens autem *Cnuth* breviori halitu ſibi vires deficere cogitat de pace juvenem convenire: ſed ut erat aſtutus timens ne ſi defectus ſuus innoteſceret juveni, pacis verbum nec audiret quidem; totum intra ſe colligens ſpiritum, & quicquid habuit virium uni conatu intendens, virtute mirabili uno impetu irruit in *Edmundum*, & mox ſe paululum retrahens regem juvenem ſubſiſtere modicum, & ſibi dicere volenti præſtare auditum.

Ille ut erat ſuavis animi, demiſſa ad terram ſcuti parte inferiori, leniter in ſuperiori procubuit, ac ſupinato in dextera gladio ad verba loquentis attendit. Tunc *Cnuth*, « Hactenus, inquit, regni tui cupidus, nunc virorum fortiſſime tui certe ipſius cupidior ſum, quem non dico regno *Anglorum* ſed univerſo utique orbi video præferendum. Michi *Dacia* ceſſit, michi ſuccubuit *Norwegia*, michi rex *Suavorum* manus dedit, & mei conatus impetum quem nullum mortalium ſuſtinere poſſe credebam, tua mirabilis virtus jam plus ſemel eluſit. Quocirca, licet me ubique victorem futurum fortuna promiſerit, ita tamen me tua mirabilis probitas illexit ad gratiam, ut ſupra modum te & amicum cupiam & regni conſortem exoptem; utinam & tu mei cupidus ſis, ut ego tecum in *Anglia*, tu mecum in *Dacia* regnes. Certe ſi fortunæ meæ tua virtus acceſſerit, pavebit *Norwegia*, tremebit *Suavia*, ipſa aſſueta bellis *Gallia* trepidabit. Quid plura? Annuit *Edmundus*, & *Cnutho* de regni diviſione conſentit. Ceſſit enim verbis qui non ceſſerat gladiis, & oratione flectitur qui armis flecti non poterat. Depoſitis itaque armis in oſcula ruunt, utroque exercitu exultante, Clero etiam *Te deum laudamus* clara voce perſonante. Deinde in ſignum fœderis veſtem mutant & arma, reverſique ad ſuos modum amicitiæ paciſq; præſcribunt, & ſic cum gaudio ad ſua quiſq; revertitur. His ita geſtis, quidam proditor partis *Danicæ* volens ſe gratum *Cnutho* præſtare, regi *Edmundo* molitur inſidias. Nec oportunum quo regem occideret locum inveniens, nefandiſſimum ac turpiſſimum inſidiarum excogitat genus. Sub purgatoria namque domo ſeſe occultans, regem ad requiſita naturæ nudatum inter celanda percuſſit, relictoque ferro ſceleſtiſſimus ac turpiſſimus homicida confugit. Stanſque ante regem *Cnuthum*, *Salve* inquit, *Rex ſolus*. Sciſcitanti cur eum tali ſalutatione ſalutaſſet, rem intulit. Cui rex, Quoniam, inquit, me tali obſequio gratificandum putaſti ſuſtollam caput tuum ſuper omnes proceres *Angliæ*. Juſſitque abſcidi caput ejus & in ſublimiori porta *Lundoniæ* ſuſpendi. Mortuus eſt itaque ſtrenuiſſimus rex *Edmundus* & in Glaſtingebiri cum avo ſuo *Edgaro* ſepelitur. Volens deinde *Cnuth* tam fratres *Edmundi* qui in *Normannia* exulabant quam filios ejus puerulos *Edmundum* & *Edwardum* ſpe regni penitus privare, jubet adeſſe ſummos regni proceres, quæritque ab eis quæ fuerit inter ipſum & *Edmundum* in regni diviſione conventio, quem ſcilicet ſibi deſignaverit rex *Edmundus* hæredem, quem filiis adhuc infantibus cuſtodem deputaverit, quid de fratribus ſuis *Alvredo* & *Edwardo* præceperit. At illi ut regi placerent mendacium prætulerunt veritati, oblitique juſticiæ oblitique naturæ inſurrexerunt in innocentes teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Itaque proprii ſanguinis proditores dicunt regem *Edmundum* ſibi potius curam regni filiorumque ſuorum delegaſſe, cum ipſe fratres ſuos hæredes deſignaverit & eis puerulorum cuſtodiam deputaverit. Quoniam igitur adulantes regi mentiti ſunt in caput ſuum, gladius eorum intravit in corda eorum, & à *Cnutho* quem alienigenam naturalibus dominis prætulerunt, confractus eſt arcus eorum. Cum enim monarchiam inſulæ faventibus illis obtinuiſſet, omnes qui primi in illo ſunt conſilio exterminavit, & quotquot de regio ſemine ſuperſtites reperit, vel regno pepulit vel occidit. At puerulos filios *Edmundi* ſuis parcens per pudore, ad regem *Suavorum* eos interficiendos tranſmiſit. Rex vero *Suavorum* nobilium puerorum miſertus, ad *Hungariorum* regem eos deſtinavit nutriendos. Quos ipſe benigne accepit, benignius fovit, benigniſſime ſibi in filios adoptavit. Porro *Edmundo* filiam ſuam dedit uxorem; *Edwardo* filiam germani ſui *Henrici* imperatoris in matrimonium junxit. Sed paulo poſt *Edmundus* de temporalibus ad æterna transfertur; *Edwardus* ſoſpitate & proſperitate fruitur.

De ſancto Edwardo *Rege Confeſſore ac virgine*.

INterea mortuo *Cnuth* & filiis ejus qui regnaverunt poſt eum, acceſſitur ad regnum *Anglorum* *Edwardus* frater *Edmundi*, filius *Edelredi*, qui ſicut diximus in *Normannia* exulabat. Nam frater ejus *Alfredus* proditione, ut putatur, *Godwini* in *Anglia* crudeli morte perierat. Veniens igitur in *Angliam* *Edwardus* ab univerſo clero & populo cum maxima exultatione ſuſcipitur, & *Wintoniæ* die ſancto Paſchæ ab archiepiſcopis *Cantuarienſi* & *Eboracenſi* cunctiſque fere regni epiſcopis in regem ungitur & conſecratur, & ambulavit viis patris ſui *Edgari*, homo manſuetus & pius, magis pace quam armis regnum protegens, habebat animum iræ victorem, avaritiæ contemptorem, ſuperbiæ expertem. Qui cum pacem tam à ſuis quam ab extraneis obtinuiſſet, & vicinis regibus & principibus gratus & amabilis extitiſſet, dirigit nuntios ad Romanum Imperatorem, rogans, ut nepotem ſuum ſcilicet, filium fratris ſui *Edmundi ferrei lateris*, debiti ſibi regni futurum heredem mittere dignaretur. Imperator autem regis nuntios gratanter excipiens, non parvo tempore ſummo cum honore detinuit. Tandem paratis navibus & omnibus quæ navigaturis neceſſaria videbantur allatis, *Edwardum* cum uxore ſua *Agatha* germani ſui filia liberiſque ejus, *Edgaro* Edeling, *Margareta* atque *Chriſtina*, cum magna gloria ac divitiis ſicut rex petierat ad *Angliam* mittit. Qui proſpero curſu in *Angliam* veniens tam regem quam populum ſuo lætificabat adventu. Sed poſt paucos dies vita diſcedens, gaudium in luctum, riſum mutavit in lacrimas. Nec multo poſt ipſe rex cum nobile monaſterium quod in occidentali parte *Lundoniæ* in honore beati *Petri* fundaverat cum maxima gloria dedicari feciſſet, exactis in regno viginti tribus annis & menſibus ſex & viginti ſeptem diebus, in vigilia Epiphaniæ felici morte vitam laudabilem terminavit, totamque inſulam lacrimis ac dolore replevit. Quo in prædicto monaſterio ut tantum virum decebat tumulato, quidam *Edgarum* Edeling cui regnum jure hæreditario debebatur, regem conſtituere moliuntur. Sed quia puer tanto honore minus idoneus videbatur, *Haraldus* Comes de genere proditorum, cujus ætas & mens aſtutior & crumena fæcundior & miles copioſior, ſiniſtro omine regnum obtinuit.

Quomodo rex Willielmus *ſucceſſit Haraldo*.

AUdiens itaque *Willielmus* Dux *Normannorum* nullum de regio ſemine ſed *Haraldum* conſobrini ſui regis *Edwardi* regnum invaſiſſe, quod ei & jure conſanguinitatis & antiquæ inter ipſum & *Edwardum* conventionis, ſed & ipſius *Haraldi* cum ſacramento ſponſionis juſtius debebatur, contracto à partibus tranſmarinis innumerabili excercitu in *Angliam* venit, & dei judicio ipſum *Haraldum* regno ſimul & vita privavit. Cernens autem *Edgarus* Edeling res *Anglorum* undique perturbari, accenſa navi cum matre & ſororibus reverti in patriam qua natus fuerat conabatur, ſet orta in mari tempeſtate in *Scotia* applicare compellitur. Hac occaſione actum eſt ut *Margareta* regis *Malcolmi* nuptiis traderetur, cujus laudabilem vitam & mortem precioſam liber inde editus ſatis inſinuat: ſoror ejus *Chriſtina* in Chriſti ſponſam benedicitur. Cujus ſane cordis fuerit rex iſte *Malcolmus*, unum ejus opus quod nobili rege *David* referente cognovi, legentibus declarabit. Delatum eſt ei aliquando, quendam de ſuis proceribus ſummis de eo occidendo cum ſuis hoſtibus conveniſſe: imperat rex delatori ſilentium, ſiluit & ipſe, proditoris qui forte tunc abierat expectans adventum. Qui cum ad curiam cum magno apparatu regi inſidiaturus veniſſet, jubet ſummo mane rex omnes venatores adeſſe cum canibus. Et jam aurora noctem abegerat cum rex vocatis ad ſe cunctis proceribus & militibus, venatum ire feſtinat, venitque ad latam quamdam planiciem quam in modum coronæ denſiſſima ſilva cingebat. In cujus medio colliculus quidam quaſi turgeſcere videbatur, qui diverſorum colorum floribus pulcra quadam varietate depictus, fatigatis venatu militibus gratum ſingulis diebus præbebat accubitum. In quo rex cum cæteris ſuperior conſtitiſſet, ſecundum legem venandi quam vulgus *triſtam* vocat, ſingulis proceribus cum ſuis canibus ſingula loca delegat, ut obſeſſa undique beſtia ubicumque eligeret exitum, inveniret exitium. Ipſe vero ſuum ſecum retinens proditorem ſeceſſum ab aliis ſolus cum ſolo abceſſit. Ab omnium vero remotus aſpectu, ſubſtitit rex, & aſpiciens in eum, « Ecce, inquit, ego & tu mecum ſolus cum ſolo, ſimilibus protecti armis, equis vecti ſimilibus. Non eſt qui videat, non eſt qui audiat, non eſt qui alteri noſtrum ſuffragium ferat; ſi igitur vales, ſi audes, ſi cor habes, imple quod propoſuiſti, redde hoſtibus meis quod promiſiſti; ſi me occidendum putas, quando melius, quando ſecurius, quando liberius, quando tandem virilius? An venenum paraſti? ſet muliercularum hoc eſt, quis neſciat. An inſidiaris lectulo? hoc poſſunt & adulteræ. An ferrum ut occulte ferias occultaſti? hoc ſicariorum, non militis eſt, nemo eſt qui dubitet. Age potius quod militis, age quod viri, & ſolus cum ſolo congredere, ut ſaltem proditio tua turpitudine careat quæ infidelitate carere non poterat. Hactenus vix ille ſuſtinuit, & mox verbis ejus quaſi gravi percuſſus fulmine de equo corruit, projectiſque armis ad pedes regios cum lacrimis ac tremore cucurrit. Cui rex, *Noli*, inquit, *timere, nichil à me patieris mali.* Qui cum ei de cætero fidelem ſe & amicum præſtito ſacramento nominatiſque obſidibus promiſiſſet, tempore oportuno revertuntur ad ſocios, quæ fecerant vel dixerant nulli loquentes. Set ad propoſitum revertamur. Nati ſunt reginæ *Margareta* ſex filii & duæ filiæ. Quorum tres, *Edgarus* ſcilicet, *Alexander*, & generis ſui ſplendor *David*, reges fuerunt. *Edgarus* homo erat dulcis & amabilis, cognato ſuo regi *Edwardo* per omnia ſimilis, nichil tyrannicum, nichil durum, nichil avarum in ſuos exercens, ſed cum maxima caritate & benivolentia ſubditos regens. Porro *Alexander* clericis & monachis ſatis humilis & amabilis erat, cæteris ſubditorum ſupra modum terribilis, homo magni cordis, ultra vires ſuas ſe in omnibus extendens. Erat autem litteratus, & in ordinandis eccleſiis, in reliquiis ſanctorum perquirendis, in veſtibus ſacerdotalibus libriſque ſacris conficiendis & ordinandis ſtudioſiſſimus, omnibus etiam advenientibus ſupra vires liberaliſſimus; circa pauperes vero ita devotus ut in nulla re magis delectari, quam in eis ſuſcipiendis, lavandis, alendis veſtiendiſque videretur.

Quid vero de rege *David* ſentiamus in deſcriptione præmiſſa utcumque digeſſimus. Horum ſoror *Matildis* glorioſiſſimo regi *Anglorum* nupſit *Henrico*. De cujus admirabili gloria animique virtute, quamque fuerit in officiis divinis ſacriſque vigiliis aſſidua ac devota, in tanta inſuper poteſtate quam humilis, qui ſcribere voluerit, alteram nobis *Heſter* noſtris temporibus declarabit. Quod nos facere omiſimus & propter materiæ magnitudinem, & propter harum rerum minorem adhuc cognitionem; Unum tamen illius referam opus quod ex ore ſæpe nominandi & nunquam obliviſcendi *David* regis audivi, per quod qualis fuerit circa pauperes *Chriſti*, ſatis ut arbitror eluceſcet. Cum, inquit, adoleſcens in curia regia ſervirem, nocte quadam in hoſpicio meo cum ſociis meis neſcio quid agens, ad thalamum reginæ ab ipſa vocatus acceſſi. Et ecce domus plena leproſis & regina in medio ſtans, depoſitoque pallio cum ſe lintheo præcinxiſſet, poſita in pelvi aqua cœpit lavare pedes eorum & extergere, exterſoſque utriſque conſtringere manibus & devotiſſime oſculari. Cui ego, Quid agis, inquam, O Domina mea? Certe ſi rex ſciret iſta, nunquam os tuum leproſorum pedum tabe pollutum ſuis dignaretur labiis oſculari. Tunc ipſa ſubridens, Pedes, ait, regis æterni quis neſciat labiis regis morituri eſſe præferendos? Ego certe iccirco vocavi te frater kariſſime, ut meo exemplo talia diſcas operari; ſumpta proinde pelvi fac quod me facere intueris. Ad hanc vocem vehementer expavi, & nullo modo id me pati poſſe reſpondi. Necdum enim ſciebam Dominum, nec revelatus fuerat michi ſpiritus ejus. Illa igitur cœptis inſiſtente, ego mea culpa ridens ad ſocios remeavi. Soror hujus beatiſſimæ *Maria* nomine *Euſtacio Bolonienſi* Comiti traditur in uxorem. De hac igitur excellentiſſima & Chriſtianiſſima regina nata eſt *Matildis*, quæ primum imperatori *Romano*, deinde nobiliſſimo *Andegavenſium* Comiti nupſit *Gaufrido*. De *Maria* vero orta eſt *Matildis* quæ nuptui traditur tunc Comiti *Mauritaniæ*, nunc vero regi *Anglorum Stephano*. Porro rex *David* tradente rege *Henrico* uxorem duxit *Matildam* filiam *Wallevi* Comitis & *Juditha* quæ fuit neptis primi Regis *Willielmi*, de qua ſuſcepit filium *Henricum* virum manſuetum & pium, hominem ſuavis ſpiritus & lactei cordis, & dignum per omnia qui de tali patre naſceretur. Cum quo ab ipſis cunabulis vixi & puer cum puero crevi, cujus etiam adoleſcentiam adoleſcens agnovi, quem juventutis flores pulſantem ſicut patrem ſuum quem præ cunctis mortalibus dilexi, jam ſenili flore fulgentem ut *Chriſto* ſervirem corpore quidem ſet nunquam mente vel affectu reliqui. Hæ ſunt autem quæ adhuc ſuperſunt de hac ſancta generatione reliquiæ. De imperatrice *Matildi* tu vir ſplendidiſſime, quem nunc *Normannorum* & *Aquita-*

norum Ducem, *Andegavenſium* Comitem, *Anglia* vero gaudemus hæredem. Fratres etiam tui *Gaufridus* & *Willielmus*, de quibus bona ſperamus, quibus etiam bona optamus. De regina *Matildi* & pio Rege *Stephano Willelmus*, *Guarennia* & *Bolonia* Comes. De *Henrico Malcolmus*, *Willelmus* & aviti nominis hæres *David*. Quorum infantiæ miſereatur deus, miſerearis & tu, quem totius generis tui caput nobiliſſimum pietas divina conſtituit. Sit tuus ſuper eos pius aſpectus, dulcis affectus, & in quibuſcunque tui indiguerint operis effectus. Tibi enim ab avo ſuo, qui te præ cunctis dilexit hominibus, derelicti ſunt orphani, pupillis tu eris adjutor cui eſt & ætas robuſtior, & manus validior, & ſenſus exercitatior. Ego autem in calce libri obſecro deum meum, ut ex munere miſericordiæ ejus tales tibi ſint mores, actus tam ſancti, vita tam caſta, mens tam libera cupiditatis, tam expers ſuperbiæ, tam crudelitatis ignara, erga pauperes tam humilis & jocunda, circa dei cultum tam devota, ut habeamus aliquid æterna memoria dignum quod miniſterio litterarum de te ad poſteros tranſmittamus. Omnipotens deus conſervet in te & augeat gratiam ſuam, excellentiſſime & illuſtriſſime Domine.

Explicit liber bonæ memoriæ A. Abbatis de Rievalle de proſapia Regis Henrici editus.

VITA SANCTI EDWARDI REGIS ET CONFESSORIS.

Incipit prologus dompni *Aelredi* abbatis *Rievallenſis* in vitam ſancti *Edwardi* Regis & Confeſſoris.

Multis veterum ſtudio fuiſſe didicimus, illuſtrium virorum qui ſuis floruere temporibus actus vitamque diſcribere, ſtiloque illorum perpetuare memoriam, quorum beatitudo perpetua putabatur. Sed & plurimum poſteris profuturum arbitrabantur, ſi nec eos laterent, qui eſſent imitandi. Nichil enim magis ad æmulationem perfectionis animum humanum provocat & accendit, quam quorumlibet perfectorum legere vel audire virtutes, mores addiſcere, gloriam æſtimare; cum impoſſibile ſibi nullus debeat arbitrari, quod alium feciſſe cognoverit; nec poſſit hæſitare de præmio ſi bene vixerit, quod alium qui bene vixerat, legerit aſſequutum. Hinc eſt quod Dominus ac Salvator noſter ex quo mundus ſalutarem ſuſcepit fidem, inter multos infirmos quoſdam voluit eſſe perfectos, quorum induſtria alii traherentur ad fidem, vel ad mores optimos incitarentur. Ita uſque ad hæc infelicia tempora in quibus crebreſcunt vicia, & rareſcunt virtutes, ſemper pro patribus tales nati ſunt filii, doctrina quorum indocti quique inſtruerentur, auctoritate fulcirentur, informarentur exemplo. Verum præ cunctis civitatibus regniſve terrarum, de ſanctitate Regum ſuorum *Anglia* gloriatur, quorum alii coronati martyrio, de terreno ad cœleſte regnum migraverunt; alii exilium patriæ præferentes, mori pro *Chriſto* peregre delegerunt; nonnulli poſito diademate, diſciplinis ſe monaſticis ſubdiderunt; quidam in juſtitia & ſanctitate regnantes, prodeſſe ſubditis quam præeſſe maluerunt. Inter quos velut ſydus eximium glorioſus rex *Edwardus* emicuit, qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis luxit. Hujus vitam miraculis inſignem, à mea parvitate, jubente venerabili patre *Laurencio Weſtmonaſterii* abbate, utcumque literis traditam, tibi glorioſiſſime rex *Henrice* credidi deſtinandam, ut ſcias quanti ſit apud deum meriti, cum quo regnat in cœlis, quem tuis temporibus te regiam auctoritatem præbente, ſancta mater eccleſia ſullimius extollendum judicavit in terris. Imitanda enim eſt tanti regis tanta juſticia; mirari dulce eſt in tot diviciis & diliciis tanta continentia: de ſancta ejus progenie traxiſſe carnis originem, *Henrici* noſtri ſpecialis eſt gloria. Ipſum te nobis in totius *Angliæ* conſolationem credimus promiſiſſe, ipſum te prophetica parabola jam in extremis agentem didicimus deſignaſſe, in quem velut lapidem angularem *Anglici* generis & *Normannici* gaudemus duos parietes conveniſſe. Sed hæc alias. Nunc autem, rex illuſtriſſime, qui tanti patris regnum duplici jure ſumpſiſti, de cujus patre ſimul ac matre regnum ac generoſum ſanguinem meruiſti, ejus te precibus crebro commendes, ejus te ſedulo protectioni committas, imitari quoque ſatagas ejus ſanctitatem, ut æternam cum eo optineas felicitatem. Amen.

Explicit prologus; Incipit Præfatio ejuſdem ad Laurentium Abbatem Weſtmonaſterii.

Dilecto ac diligendo & intimis viſceribus amplectendo venerabili patri & domino dompno Laurencio Weſtmonaſterii *Abbati, frater* Elredus *fratrum qui ſunt in* Rievalle *inutilis ſervus, debitam in Chriſto dilectionem. Factus ſum inſipiens, tu me coegiſti. Quis enim ego, aut qualis ego, vel qua ſcientia mea, vel qualis facundia mea, ut ſanctum Regem* Edwardum *virum cunctis ſeculis admirandum, meis literis proditum, meis commendatum ſermonibus, mea oratiuncula declamatum, efferre velles in publicum, & materiam cui ſuccumberet eloquentia* Tulliana, *meo committere ſenſui, non tam illuſtrandam quam offuſcandam? Cui hoc aſtimem aſcribendum? fidei, an affectui? Cur non & utrique? Et ego neutrum judicans contemnendum, conjunxi meam tuæ fidem fidei, affectum affectui, & hinc deſiderio, illinc præſumptione concepta, inſpexi codicem quem mihi tua dignatio tradidit transferendum. Et ecce reperio hominem ſupra hominem, hominem qui in diebus ſuis placuit deo & inventus eſt juſtus, qui concepto ſemine ſalutari, nec triceſimo ſexageſimove contentus, ad virginitatis centeſimum*

mum fructum perfectionis æmulator aſcendit. Ejus igitur fidei me totum committens, ejus obſequiis me totum dedens, de cujus auxilio precibuſque confidens, non ſolum quod tuæ ſanctæ paternitatis urgeret præceptum, ſed quod ex humilitatis ſimul & ſimplicitatis ejus inſpectione, illiceret concepta devotio, feci quod potui. Et vinum illud propheticum germinans virgines de vaſe veteri utcumque in vas novum, etſi non adeo ſubtile, ſimplicibus tamen non minus utile transfudi. A ſenſu ſane illius codicis non recedens, pauca quæ vel ex Chronicis veraciſſimis tranſtuli, vel ex veterum certa & vera relatione didici, non inutiliter ut mihi videtur appoſui. Epiſtolas etiam privilegio regis & Romani *pontificis, expoſitionem quoque extremi problematis, ſic inferenda putavi; ut & competenter in ſuo ordine legi, & ſine aliqua poſſint ſententiæ interruptione taceri. In laboris mei premium tuæ ſanctæque congregationis quæ in obſequiis tanti regis ſub tuo militant tribunatu, pro peccatis meis preces & hoſtias flagitans, ut quod meis meritis non debetur, æterna mihi vita tam precioſi Confeſſoris opitulatione donetur.*

Explicit præfacio. Incipit vita ſancti *Edwardi* Regis *Anglorum*.

De ſua generoſitate & ſanctitate.

GLorioſi ac Deo dilecti regis *Edwardi* vitam literis tradituri, ex verbis beatiſſimi *Petri* Apoſtolorum principis ſumamus exordium. Qui centurionis vocationem admirans, *In veritate*, inquit, *comperi, quod non eſt perſonarum acceptor deus, ſed in omni gente qui timet deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* In omni itaque gente, in omni ordine, in omni gradu, in omni dignitate novit Dominus qui ſunt ejus, & miſeretur cui voluerit, & miſericordiam præſtat in quem ſibi placuerit. Attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter. Neque enim ex ſui ipſius natura vel paupertas præſtat, vel adimunt divitiæ ſanctitatem; neque perfectum obſcuritas, nec claritas reprobum facit; nec claudit libertas, nec reſerat ſervitus paradiſum. Primus patriarcharum *Abraham* & dives ſcribitur & perfectus, cujus fides admirabilis, obedientia imitabilis, in rerum omnium copia prædicatur. *Joſeph* dominus *Ægipti* conſtitutus à Rege, univerſo orbi præbuit caſtitatis exemplum. Sanctus *Job* qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio; quem morbus corporis, temptatio uxoris, amicorum exprobratio ſpectabili reddidit patientia clariorem. Rex *David*, quo nemo dicior ſed nemo ſanctior, quo nemo ſublimior ſed nullus humilior, & inter theſauros innumeros ſepelitur, & inter amicos dei cæteris gratior computatur. Nemo proinde miretur ſi *Edwardus* noſter & Rex dicatur & Sanctus, quem cernimus & in diviciis egenum, & in deliciis ſobrium, in purpura humilem, & ſub corona aurea ſeculi contemptorem. In quibus omnibus non tam altus videtur eſſe natus, in ſanctiſſimis & excellentiſſimis regibus ex quibus traxit materiam carnis, totius habuerunt exemplum ſanctitatis. A famoſiſſimo quippe & Chriſtianiſſimo rege *Alur**edo***, quem omnium regum Angliæ ſanctus *Leo* papa in ipſa urbe *Roma* conſecravit & unxit in regem, generatione ſextus; inter eos vero qui ex ejus ſtirpe regnaverunt ſucceſſione decimus, utriuſque numeri ſortitus eſt fructum, qui robuſtiſſime portans pondus diei & æſtus, habuit in operis perfectione ſenarium, & ad veſperam meruit cœleſti patrefamilias largiente denarium. Poſt *Aluredum* igitur nunc filiis patribus ſuccedentibus, nunc fratribus poſt fratres regnantibus, in regem tandem *Edgarum* omnium felicitas ſimul & ſanctitas videtur eſſe transfuſa, qui omnes ſicut ſanctitate ita & honore vicit & gloria. In hujus ortu referuntur angeli ceciniſſe, & *Angliæ* pacem ejus temporibus promiſiſſe. Quocirca tum pro cœleſti oraculo, tum pro ipſius effectu oraculi, commune cum *Salomone* ſortitus eſt nomen, pacificum regni illius ſtatum teſimul & nomine. Hujus filius rex ſtrenuiſſimus *Ethelredus Emmam Ricardi* nobiliſſimi ducis *Normannici* filiam duxit uxorem, ut ex duplicata utriuſque generis ſanctitate ſoboles ſanctior crearetur. Quales namque fuerunt incliti *Normanniæ* duces glorioſiſſimæ hujus reginæ frater & nepos, *Ricardus* ſcilicet & *Robertus*, laudabilis eorum vita & mors nichilominus precioſa declarat. Hiis *Edwardus* noſter natalibus ortus, generoſum ſanguinem & ſapientiæ nobilitavit & vita. Sed jam qualia fuerint ſanctitatis ejus primordia, qualis progreſſus, quis finis diligenter inſpiciendum, & ad multorum ædificationem ſtilo ducimus illuſtrandum.

Quomodo necdum natus, in regem fuerat electus.

CUm igitur glorioſus Rex *Ethelredus* ex filia præclariſſimi Comitis *Thoreti* filium ſuſcepiſſet *Eadmundum* cognomento *Ferreum latus*, ex regina autem *Emma Aluredum*, beatus *Edwardus* inter viſcera materna concluſus utrique præfertur, agente eo qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dat illud. Fit magnus coram rege epiſcoporum procerumque conventus, magnus plebis vulgique concurſus, & quia jam futuræ cladis indicia læva præceſſerant, agitur inter eos de regni ſtatu tractatus. Deinde rex ſucceſſorem ſibi deſignare deſiderans, quid ſingulis quidve omnibus videretur explorat. Pro diverſorum diverſa ſententia res pendebat in dubio. Alii enim *Eadmundum*, ob invictiſſimum robur corporis, cæteris æſtimant præferendum: alii ob virtutem *Normannici* generis *Aluredum* promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium præſcius, prioris breviſſimam vitam, alterius mortem immaturam proſpiciens, in puerum necdum natum univerſorum vota convertit. Utero adhuc clauditur & in regem eligitur, non natus natis præfertur, & quem necdum terra ſuſceperat, terræ dominus deſignatur. Præbet electioni rex conſenſum, læti præbent proceres ſacramentum, & inuſitato miraculo in ejus fidelitate jurarunt qui utrum naſceretur ignorarunt. Tua ſunt hæc opera *Chriſte Jeſu*, qui omnia operaris in omnibus, qui electum & dilectum tibi ante mundi conſtitutionem plebis tuæ rectorem hiis indiciis declaraſti; quem licet per illos non tamen illi ſed tu potius elegiſti. Quis enim non videat nec aptum uſui, nec conveniens tempori, nec conſonum rationi, nec humano ferendum fuiſſe ſenſui, ut omiſſis filiis legitimis & adultis, hoſtili gladio imminente, parvulus necdum natus eligeretur in regem, quem in tali neceſſitate nec hoſtes metuerent nec cives revererentur. Sed omnipotens Deus ſpiritum prophetiæ voci ſimul & affectui plebis infudit, præſentia mala ſpe futuræ conſolationis temperans, ut ſcirent omnes in totius regni conſolationem regem futurum, quem ab ipſo Deo plebe neſciente quid fecerit, nullus dubitaret electum.

Quomodo cum matre in Normanniam *exulabat.*

NAtus itaque beatus puer ſacri baptiſmatis unda perfunditur, & ſacro perunctus criſmate Chriſto plenius incorporatur, effectuſque ſancti Spiritus domicilium, in ejus diſciplina nutritur. Irruentibus paulo poſt in *Angliam* barbaris, & maximam inſulæ portionem cæde incendioque vaſtantibus, regina cum filiis in *Normanniam* tranſponitur; ut rex gravi ſarcina ſollicitudinis liberatus, tanto audacius hoſtes vel propelleret vel exciperet, quanto de uxore ſimul filiiſque ſecurus, nichil eis adverſi ex cujuſquam proditione timeret. Crevit autem puer *Edwardus* & confortatus eſt, fuitque Dominus cum eo & omnia ejus opera dirigebat. Vivebat in avita domo inter pueros puer, immunis tamen ab hiis viciis quibus vel ætas illa vel hominum genus illud implicari ſolet. Agebat parvulus quendam honeſtis ac maturis moribus ſenem, corpore caſtus, ſermone rarus, ſimplex actu, purus affectu, quo mira benivolentia officiiſque gratioſis omnium ſibi coætaneorum conciliaret affectum. Jam in illa ætate frequentare eccleſiam dulce habuit, crebrius orationi incumbere, ſacris miſſarum intereſſe ſolempniis, viſitandis monaſteriis operam dare, quos ſanctiores ſciebat ſibi monachos in amicitiam copulare: quorum duo quos familiariori amplectebatur affectu, ipſi in extremis agenti apparuiſſe dicuntur, ut in ſequentibus edocebimus.

Quid de eo & regno ejus cuidam epiſcopo revelabatur Glaſtoniæ.

SÆviebat interim gladius hoſtilis in *Anglia*, cædibus & rapinis omnia replebantur, ubique luctus, ubique clamor, ubique deſolatio. Incenduntur eccleſiæ, monaſteria devaſtantur, & ut verbis propheticis utar, *Effuderunt ſanguinem ſanctorum in circuitu* Jeruſalem, *& non erat qui ſepeliret.* Sacerdotes ſuis fugati ſedibus, ſicubi pax & quies aliqua in monaſteriis vel locis deſertis inveniebatur communem miſeriam deplorantes deliteſcebant. Inter quos vir venerabilis *Brychtwaldus Wintonienſis* epiſcopus cœnobium *Glaſtonienſe* mœrens ac triſtis ingreſſus, orationibus vacabat & pſalmis. Qui cum aliquando pro regni plebiſque [liberatione] preces lacrimaſque profunderet, quaſi in hæc verba prorumpens, *Et tu,* inquit, *Domine uſque quo? uſque quo avertis faciem tuam, obliviſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & non eſt qui redimat neque qui ſalvum faciat. Scio Domine, ſcio, quia omnia quæ feciſti nobis, in vero judicio feciſti; ſed nunquid in æternum projiciet Deus & non apponet ut complacitior ſit adhuc? Eritne Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium? aut in æternum tuus in nos mucro deſæviet & perſæviet uſque ad internecionem?* Inter preces tandem & lacrimas fatigatum ſopor ſuavis excepit, viditq; per ſompnium cœleſtem chorum cum lumine beatiſſimumque *Petrum* in eminentiori loco conſtitutum, dignum tantæ majeſtati habitum præferentem. Viſebatur ante eum vir præclari vultus in forma decenti regalibus amictus inſigniis; quem cum propriis manibus apoſtolus conſecraſſet & unxiſſet in regem, monita ſalutis adjecit, præcipueque celibem vitam commendans, quot eſſet annis regnaturus aperuit. Obſtupefactus præſul tanti novitate miraculi, petit ſibi à Sancto viſionis hujus miſterium revelari, de ſtatu inſuper regni & inſtantis fine periculi apoſtolicum exegit oraculum. Tunc Sanctus vultu placido intuens intuentem, *Domini,* inquit, *ô præſul, Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur in filiis hominum. Ipſe transfert regna & mutat imperia, & propter peccata populi regnare facit ypocritam. Peccatum peccavit populus tuus Domino, & tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis ſepultus in ſenectute bona, viſitabit Dominus populum ſuum & faciet redemptionem plebis ſuæ. Eliget enim ſibi virum ſecundum cor ſuum qui faciet omnes voluntates ſuas, qui me opitulante regnum adeptus* Anglorum Danico *furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo & gratus hominibus, amabilis civibus, terribilis hoſtibus, utilis eccleſiæ. Qui cum præſcriptum terminum regnandi in juſtitia & pace compleverit, laudabilem vitam ſancto fine concludet.* Quæ omnia in beato *Edwardo* completa rei exitus comprobavit. Expergefactus pontifex rurſus ad preces lacrimaſque convertitur: & licet felicitatem ſuæ gentis non eſſet ipſe viſurus, de malorum tamen fine certus effectus, gratias agens Deo plurimum gratulabatur. Factus igitur animæquior, populis pœnitentiam prædicabat, quibus Dei miſericordiam non defuturam conſtantiſſime pollicebatur.

De initiis regni ejus, & de fratre, & nepotibus ejus.

STabat adhuc ſpiritus procellæ & exaltati ſunt fluctus ejus, externiſque malis acceſſit civilis diſcordia, adeo ut quis cui crederet, quis cui mentis ſuæ ſecreta committeret neſciretur. Plena erat proditoribus inſula: nuſquam tuta fides, nuſquam ſine ſuſpicione amor, ſermo ſine ſimulatione. Tandem eouſque proditio civilis & aſtutia proceſſit hoſtilis, ut defuncto rege magna pars inſulæ legitimis abdicatis hæredibus *Cnutoni* qui regnum invaſerat manus darent, peremptoque invictiſſimo rege *Eadmundo* paterni honoris ſimul & laboris hærede, etiam filios ejus adhuc in cunis agentes barbaris mitterent occidendos. Exhinc cum *Cnutoni* omnia pro voto ceſſiſſent, timens ne hæres legitimus regnum quod ſibi jure debebatur, aliquando *Normannica* fultus virtute repoſceret, ut ducis ſibi arctius colligaret affectum, *Emmam* defuncti regis relictam duxit uxorem. Emenſo autem tempore *Alfredus, Edwardi* frater, ob maternum colloquium in *Angliam* tranſvectus, inaudita crudelitate ab hoſtibus civibuſque perimitur. Tunc *Edwardus* omni humano deſtitutus auxilio, vivebat exul patriæ ſed non juſtitiæ, regni non fidei, honoris non virtutis. Timebat impiorum, quas ſæpe fuerat expertus, inſidias, & ne à ſuis proderetur, vel ab hoſtibus emeretur ad mortem plurimum formidabat. Invento autem conſilio ſalutari, more ſuo Deo proſternitur, & hujuſmodi verbis ſuam deplorans ſolitudinem, *Ecce,* inquit, *Domine, non eſt mihi auxilium in me, & neceſſarii* *mei recesserunt à me. Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit, fratres meos crudelitas persecutorum absorbuit, nepotes in exilium acti sunt, mater æmuli nostri nuptiis tradita ex hoste mihi vitricum fecit. Ita relictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Sed tibi Domine derelictus sum pauper, pupillo tu eris adjutor. Tu quondam* Eadwinum *nobilissimum gentis nostræ virum expositum morti mirabili modo & vita reservasti & regno. Tu illud decus* Angliæ *sanctum* Oswaldum *regem factum ex exule, per signum crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum & custodieris me, & reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, & beatus* Petrus *apostolus in patronum: cujus sanctissimas reliquias in urbe qua cum suo coapostolo requiescit, te annuente, te regente, te comitante, me visitaturum promitto.* Dixerat, & exhinc vir beatus fide robustior, spe alacrior, expectans expectavit Dominum, & non est confusus ab expectatione sua. *Cnutone* enim rebus humanis exempto, filiisque ejus immatura morte præreptis, *Angli Danico* jugo quasi ab *Ægiptia* servitute liberati, beatum *Edwardum* cui necdum nato tota insula fidem fecerat, in regem elegerunt, quem cum summo honore maximoq; omnium tripudio receptũ in *Angliam*, archiepiscopi *Cantuariensis* scilicet & *Eboracensis* cum universis fere *Angliæ* episcopis unxerunt & consecraverunt in regem. Quæ tunc *Anglis* gloria, quæ tunc in commune lætitia, cum redisse cerneretur antiqua felicitas, & quæ fere desperabiliter plorabatur, amissam reciperet in *Edwardo* populus pacem, proceres gloriam, ecclesia libertatem. Tunc elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo, quando *Edwardo* gloria & honore coronato, sacerdotes sapientia & sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant, clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo; videbatur etiam terra fæcundior, aer salubrior, sol serenior, maris unda pacatior, Quoniam diu rege pacifico regnante, in uno vinculo pacis omnia convenirent, ut nichil pestilentiosum esset in aere, nichil in mari tempestuosum, in terra nichil infæcundum, nichil inordinatum in clero, nichil in plebe tumultuosum. Fama tantæ felicitatis ipso sumente imperium, ad vicina quæque regna defertur. Reges & Principes pro tanta rerum mutatione ammiratione procelluntur, & cum tanto rege fœdus inire, amicitias jungere, pacem componere gratulantur. Imperator *Romanus* cujus cognatam regis nepos filius *Eadmundi ferrei lateris*, unus è duobus quos exilio *Cnuto* dampnaverat, uxorem duxit, tantæ regis fœlicitati congaudens, missis nunciis artiori eum sibi amicitia fœdereque conjunxit. Rex *Francorum* ei sanguinis propinquitate vicinus, pacis factus est interventione vicinior. Sic beato *Edwardo* noscitur convenire, quod de *Salomone* sacra scriptura commemorat, *Cuncti reges terræ desiderabant videre faciem ejus, & audire sapientiam illius.* Sola tamen *Dacia* adhuc spirans & anhelans cædes, *Anglorum* interitum minabatur; verum quis fuerit tanti conatus finis sequentia declarabunt.

De ejus veneranda conversatione & moribus.

IN his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed Dei in se bonitatem altius recognoscens, illud sapientis sedulo meditabatur, *Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* Hanc sibi vivendi formam proponens, suis se domesticis præbebat æqualem, sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatientem miseris, largum egenis. Mira illi circa Dei cultum devotio, mira in ecclesiis & monasteriis construendis & reparandis sollicitudo. Nulla apud eum personarum acceptio, sed judicabat in justitia pauperes, & arguebat in æquitate pro mansuetis terræ: Et cum esset rex sullimis solio, auro decoratus & ostro, erat tamen pater orphanorum & judex viduarum. Thesaurus ejus totius orbis res publica videbatur, pauperum commune ærarium, quoniam rex totum quod habebat non suum æstimans esse sed omnium, si petebatur præbebat, si accipiebatur tacebat; verecundus acceptor, dator hilaris, qui nunquam obliviscebatur accepti, sed dati protinus. Lucebat in ipso etiam corpore interioris spiritus sanctitatis, cum singularis quædam suavitas appareret in vultu, gravitas in incessu, simplicitas in affectu. Sermo ejus ex quadam dignitate & hylaritate compositus, & *Christi* semper & beatæ matris ejus nominis suavitate conditus, nunc terrens, nunc blandiens, nunc erudiens, nunc consolans proferebatur. Nullus unquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira effrænatum, aut dehonestatum gula; qui quidem ob innatam sibi simplicitatem & circa omnes sinceritatem falli forte aliquando potuit ut ignorans excederet: sed nec impelli ira nec concupiscentia illici ut scienter delinqueret. Nam pudicitiam in eo laudare non est necesse, quæ ei in exilio grata, in adversitate socia, in prosperis comes individua perseverabat. Præterea supra humanum modum pecuniæ contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hylarior. Sane hujus tantæ virtutis unum ponamus exemplum, per quod mira ejus simplicitas & cordis tranquillitas, inexpugnabilis insuper lenitas apparebit. Quod celebri sermone vulgatum *Anglorum* universo orbi innotuit: aliis regis simplicitatem ammirantibus, aliis laudantibus ejusdem sanctitatem.

Quomodo fur eo inspiciente thesauros ejus furatus sit.

REcumbebat aliquando lectulo rex gratia quiescendi; sed aliqua ut fieri solet cogitatio sompnum suspenderat. Accessit ad thecam æditus in qua æs regium servabatur, & aliquid pro tempore sicut ei videbatur aut sustulit aut reposuit. Deinde archam oblitus claudere, quippiam operis alias facturus egreditur. Animadvertit hoc puer pauperculus, qui, ut dicitur, ad mensas scutellis recolligendis operam daret, & ad thecam accedens, haustum non parvum nummismatum numerum in sinu recondit, & exiens, quo tutum interim arbitrabatur reposuit. Reversus denuo, rege inspectante facinus, iteravit. Quod cum tertio attemptasset, cernens ut credo rex in spiritu jamjamque thesaurorum adesse custodem, & furis volens cavere periculum, *Importune*, inquit, *agis ô puer. Si mihi credis tolle quod habes & fuge, quoniam per matrem Domini si venerit* Hugelinus, (hoc enim erat regii Cubicularii nomen,) *nec unum tibi nummum relinquet.* Fugit puer, nec à rege proditus nec fugatus. Jam pedem fur extulerat, & ecce minister rediens & thesauros regios reper-

riens

tiens compilatos obſtupuit, pallor vultum, tremor corpus invaſit. Anguſtiam cordis & furorem mentis clamor & ſuſpiria prodiderunt. Surgit rex, & quaſi neſciens quid acciderit, cauſam perturbationis hujus inquirit. Quem cum à Camerario didiciſſet, *Tace*, inquit, *forte ille qui cepit plus hiis nobis indigebit: habeat ſibi, nobis ſufficit quod remanſit.* Rogo quid hoc rege perfectius, quid hoc ſimplicius credo? quid tali mente lenius, qui ſuo furari vidit & tacuit, inſuper furi conſuluit ad ſalutem? Ut volet quiſque accipiat, ego quod cæcos illuminavit, quod curavit claudos, quod ab adverſa valitudine multos eripuit, huic ejus ſimplicitati & patientiæ æſtimo poſtponendum. Hiis ut æſtimo non inutiliter inſertis, ad narrationis ordinem redeamus.

De caſtis nuptiis, & virginitate ejus & reginæ.

Confirmato *Edwardi* regis imperio, omnibuſque ſumma pace ac proſperitate compoſitis, proceres de ſucceſſione ſolliciti, regem de uxore ducenda conveniunt. Stupet rex theſauro metiens ſuo, qui in vaſe fictili reconditus, facile poterat calore diſſolvi. Sed quid ageret? ſi obſtinatius obniteretur, timebat ne propoſiti ſui proderetur dulce ſecretum: ſi ſuadentibus præberet aſſenſum, naufragium pudicitiæ formidabat. Tandem opportune & importune inſiſtentibus tutius cedere ratus, hujuſmodi verbis ſuam Domino pudicitiam commendabat. *Jeſu bone, tua quondam miſericordia tres pueros in flammas Caldaicas illæſos ſervavit. Per te* Joſeph *relicto pallio nepharie meretrici, cum titulo caſtitatis evaſit. Admirabilis* Suſannæ *conſtantia tua virtute de impudicis preſbiteris triumphavit. Sancta* Judith *caſtitas ſingularis, quæ inter regias dapes & facundos calices* Holofernis *nec lædi potuit nec temptari, femineam manum in perniciem nephandi capitis ferro muniens, urbem exemit obſidioni. Et quod excellit hiis omnibus, tu unicam illam ſpem mundi dulciſſimam dominam meam, matrem tuam, & conjugem eſſe voluiſti & virginem, nec conjugii ſacramentum caſtitatis ſolvit ſignaculum. Ecce ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ, qualitercumque dilector tuus & unicæ matris tuæ, non quidem ad tantæ majeſtatis tuæ æqualitatem præſumptuoſus aſpiro, ſed ad aliquam hujus tantæ rei ſimilitudinem timens ſuſpiro. Tu ergo Domine meus fili virginis Dominæ meæ, Tu Domina mea virgo & mater Domini mei ſuccurrite, quatenus ſic maritale ſuſcipiam ſacramentum ut pudicitiæ periculum non incurram.* Rege igitur procerum voluntati conſenſum præbente, quærebatur virgo quæ & ſanguinis nobilitate & morum honeſtate tanti regis eſſet apta complexibus. Erat inter potentes *Angliæ* omnium potentiſſimus Comes *Godwinus*, vir magnarum opum ſed aſtutiæ ſingularis, regum regnique proditor, qui doctus fallere & quælibet diſſimulare conſuetus, facile populum ad cujuſlibet factionis inclinabat aſſenſum. Sed ſicut ſpina roſam, genuit *Godwinus Edivam*, quæ quidem ex ipſo habuit materiam carnis, ſed à Dei ſpiritu magiſterium ſanctitatis. Hanc dilecto ſuo *Chriſtus* præparaverat *Edwardo*, inſpirans ei ab ipſa infantia caſtitatis amorem, odium viciorum, virtutis affectum. In annis puellaribus gravitatem prætendens anilem, publicum fugiens ſecreta thalami frequentabat. Ubi non diſſoluta ocio, nec oneroſa faſtidio, legere aut operari manibus conſuevit, ornare miro artificio veſtes, ſericis aurum intexere, quæque rerum imitari pictura; tali opere ac meditatione vitare laſciviam, colloquia juvenum devitare. Erat præterea pulcra facie, ſed morum probitate pulcrior multo. Itaque *Godwinus* volens ſibi regis animum quem ob necem fratris proditioneſque non paucas non parum metuebat, vincire artius, egit per amicos ſuos regiſque ſecretarios, ut filiam ſuam regiis nuptiis dignaretur. Sed & illi qui Domino ſuo artiori inhærebant affectu, proditionem Comitis quam ſæpe fuerant experti plurimum formidantes, hoc ipſum pernecesſarium regi arbitrabantur. Ita non eadem licet intentione, omnes in eandem ſententiam convenere. Ex utriuſque divitiis paratur nuptiale convivium, complent pontifices ſacramentum, benedicitur puella in uxorem & in reginam coronatur. Convenientibus igitur in unum, rex & regina de caſtitate ſervanda paciſcuntur, nec huic fidei alium quam Deum teſtem æſtimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne; ille nomine maritus, non opere. Perſeverat inter eos ſine actu conjugali conjugalis affectus, & ſine defloratione virginitatis caſtæ dilectionis amplexus. Diligit ille ſed non corrumpitur, diligitur illa nec tangitur, & quaſi nova quædam *Abiſac* regem calefacit amore, nec diſſolvit libidine, mulcet obſequiis, ſed deſideriis non emollit. Et ne aliquis huic regis virtuti fidem deroget, ſciat hoc temporibus illis per totam *Angliam* ſic divulgatum & creditum, ut de facto certi plerique de intentione certarent. Quidam namque nichil niſi carnem & ſanguinem ſapientes, ſimplicitati regiæ hoc imponebant, quod compulſus generi ſe miſcuerit proditorum, & ne proditores procrearet, operi ſuperſederet conjugali. Sed ſi conſideretur amor quo ſe complectebantur, facile contempnitur talis opinio. Hoc idcirco inſerendum putavi, ut ſciatur neminem tunc de regis continentia dubitaſſe, cum de cauſa taliter diſputaverint. Præbet certe regiæ caſtitati teſtimonium puritas mentis, quæ ab omni fæce vicii pulſantis eliquata, & longe poſita quaſi præſentia contemplari & futura potuit quaſi præ oculis ſita cognoſcere, ſicut ſequens capitulum declarat.

Quomodo in ſpiritu regem Daciæ *divino judicio vidit ſubmerſum.*

Aderat dies pro diei illius recordatione feſtivus, quo ad renovandam faciem terræ ſpiritus Domini replevit orbem terrarum, & purgatis mentibus diſcipulorum, divinus ignis illapſus eos & illuminavit ad ſcientiam, & liquefecit ad gratiam, & induravit ad pœnam. Ea die rex beatus divinis laudibus devotus aſſiſtebat, exterius quidem ſceptro inſignis, veſte ſplendidus, regio diademate coronatus, interius vero quod in hiis honoris erat arbitrabatur ut ſtercora, quod ſacramenti, ſuſtinebat pro conſcientia. Affuit *Angliæ* tota nobilitas in veſtitu deaurato circumdata varietate, ſacram diei ſolempnitatem & regiam majeſtatem ſimul honore quo poterant venerantes. Igitur inter ſacra miſſarum ſolempnia quæ in eccleſia beati *Petri* celebrabantur, totum ſe in ſe colligens & ſpiritualibus temporalia cuncta poſtponens, in ſacrificium illud quod pro ſalute omnium offerebatur intendit animum, & ſibi gratiam, pacem populo, omnibus veniam ſuppliciter precabatur. Et ecce hora illa qua ſpiritalis alimonia aſſiſtentibus tradebatur, ſubito rex vultu hylarior & erectior oculis, in riſum modicum, ſervata tamen regia gravitate, diſſolvitur. Mirari qui aderant, nec ſine cauſa; præter conſuetudinem id ei accidiſſe ſciebant. Peractis autem omnibus quæ ad tanti cultum diei pertinere videbantur, riſus ſui cauſam hii qui animadverterant ſibi petunt exponi. Ille ut erat miræ ſimplicitatis, ſimpliciter quærentibus ſimpliciter omnia confitetur: *Convenit*, inquiens, *Dacis cum rege ſuo antiquum facinus iterare, & quam nobis propitia divinitas largita eſt infeſtare quietem. In percuſſione quippe noſtra qua caſtigans caſtigavit nos Dominus, ignorantes Dei juſtitiam & ſuam extollentes virtutem dixerunt, Manus noſtra excelſa & non Dominus fecit hæc omnia. Quia vero Deus patribus noſtris iratus* Dacorum *nos tradidit poteſtati, ſuis id viribus tribuentes, facile hoc ipſum & nunc fieri poſſe arbitrabantur, neſcientes quia qui percutit ipſe & ſanat, & qui mortificat ipſe vivificat, & qui deducit ad inferos ipſe & reducit. Igitur rex* Dacus, *coacto in unum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naves parari præcepit. Comportantur cibaria, arma navibus inferuntur, nautæ armamenta expediunt, certis ſedibus milites collocantur. Jam naves velis & vela ventis fuerant committenda, cum ea hora qua mihi facies ſerenabatur, rex iniquus ob nimiam ſuperbiam quaſi ſemetipſum non ſuſtinens, & pedes & crura ſinuoſe divaricans, cum incautius unum pedem extendiſſet, è prora labitur, & ſtatim abiſſus vallavit eum, & pelagus cooperuit caput ejus. Ita ille nobis lacum aperuit & effodit eum, & cecidit in foveam quam fecit. Percuſſit Dominus caput de domo impii, maledixit ſceptris ejus & univerſo exercitui ejus venientibus ut turbo ad diſpergendum nos. Sicut abſciſo capite membra omnia contabeſcunt, ita ſubmerſo principe nequam exercitus diſpergitur. Spero autem in Domino Deo meo & in dulciſſima matre ejus, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Hæc ſunt quæ Chriſto revelante cognovi, & vidi & riſi & gaviſus ſum. Riſum enim mihi fecit Dominus, & quicunque audierit corridebit mihi.* Notatur tempus & hora. Mittuntur in *Daciam* nuncii, de omnibus diligenter inquirunt, inveniuntque ſic omnia hora eadem accidiſſe quæ beatiſſimo regi fuerant cœlitus revelata. Fama autem tanti crebreſcente miraculi, cecidit timor ſuper omnes qui audierunt verbum. Et ſcientes quia Deus ipſe pro *Edwardo* pugnaret, tam *Daci* quam cæteræ nationes intercurrentibus nunciis & muneribus fœdus cum eo pepigerunt.

Proceres regni de voto ſuo ſolvendo alloquitur, & nuncii Romam *diriguntur.*

Succedentibus proſperis rex beatus nequaquam ſuæ ſponſionis eſt oblitus, nec in die bonorum immemor fuit malorum. Sed cogitans & recogitans quanta ſibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, ſublimavit humilem, ingloriun coronavit, parat reddere vota quæ diſtrinxerunt labia ejus. Parat ſumptus, ſeparat donaria, vocatiſque totius regni primatibus, habuit cum eis hujuſmodi vel de ſtatu regni, vel de ſua peregrinatione ſermonem.

« Benedictus Deus qui magnificavit miſericor-
« diam ſuam facere nobiſcum, qui viſitavit in virga
« iniquitates noſtras, & in verberibus peccata no-
« ſtra; [illegible] [illegible] non amovit à nobis. Scitis
« quomodo depoſitis parentibus, & exhæredatis hæredibus,
« quomodo eliminatos expulit bonis, & divi-
« ſit alienis. Per me reges regnant, ſic ipſe, &
« principes juſta decernunt. Non excidit à vobis
« quomodo irruentibus in hæreditatem noſtram
« barbaris, facti fuimus opprobrium vicinis noſtris,
« ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro
« ſunt. Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis
« jugo ignominioſæ ſervitutis oppreſſis, nichil fere
« honoris, nichil gloriæ noſtro generi reliquerunt.
« Tandem defuncto patre meo, fratribus peremptis,
« actis in exilium nepotibus, cum hoſtibus noſtris
« in omnibus fortuna faveret, mihi profecto nichil
« ſpei ſupereſſe videbatur. Ego vero contra ſpem in
« ſpem credens, & Domini miſericordiæ me totum
« dedens, peregrinationem meam ad ſanctorum Apoſtolorum
« limina vovi, & deinceps divinæ me
« protectioni diſpoſitionique commiſi. Ille tandem
« reſpexit in orationem meam & non ſprevit precem
« meam, & abſtulit opprobrium meum, & reſtituit
« me in regnum patris mei; inſuper cumulavit divitiis,
« auxit gloria, donis cœleſtibus illuſtravit.
« Ipſe ſine ſanguine rebelles ſubegit, hoſtes ſubvertit,
« & omnia noſtra amabili quadam compoſuit
« pace. Abſit, abſit ut tot & tantis ejus beneficiis
« inveniamur ingrati, quin potius de manu inimicorum
« noſtrorum liberati, ſerviamus illi in juſtitia
« & veritate. Faciamuſque quod ait propheta, Vovete
« & reddite Domino Deo veſtro. Determinate
« ergo mecum, quomodo me peregrinante regnum
« ſubſiſtat *Anglorum*, qua lege, qua pace, quo judice
« omnia diſponantur: quis cui præferatur regioni,
« quis caſtra, quis urbes, quis privata, quis
« publica negotia procuret. Erit autem unus omnium
« cuſtos & protector Deus, & pacem quam dedit
« ipſe ſervabit, nobiſcum proficiſcens, & vobiſcum
« remanens, qui & vos cuſtodiat & me reducat.

Ad hanc vocem tota illa multitudo contremuit, & interiorem produnt lacrimis ſuſpiriiſque dolorem. Jam jamque manus *Danica* timebatur quam ejus meritis evaſerant, jam jamque deletum iri totam patriam formidabant. Erupit ſermo in populum, & ecce clamor, ecce tumultus, & quaſi jam ſævirent incendia, plena lacrimis inſula videbatur. Videres pauperes nunc manus extendere ad cœlum, nunc rurſus in terram ruere, & quaſi morituros fame ſi rex diſcederet, de ſepultura tantum & tumulo cogitare. Tunc omnes in commune vociferantes in regem, ſe non deſerendos, ſe non exponendos gladiis, patriam hoſtibus non prodendam, nec dimittendum pacis obſidem quem Deo dante receperant, nec pro uno ut putabatur bono tot admittenda pericula allegabant. Imperant pontifices, rogant proceres, plebs extorquet, ut ſi non omittendum iter illud cenſuerit, cenſeat vel differendum. Tunc ille tot lacrimis, tot vocibus, tot precibus ſe urgeri ſentiens, diu inter pietatem & deſiderium fluctuabat, quia & voto ſuperſedere periculoſum, & tantorum precibus fletibuſque non cedere inhumanum arbitrabatur. Tandem quid aptius eſſet Deo ſcire deſiderans, peregrinationem non quidem dimittendam ſed differendam interim conſultius æſtimabat, donec Apoſtolicæ auctoritatis conſilio & voluntate conſulta, ex ejus ſententia aut votum redimeret aut impleret. His auditis,

ditis, tanta fuit omnibus divitibus pauperibuſque lætitia, ut *Edwardum* ſuum rurſus ſibi redditum, rurſus revocatum exilio æſtimarent. Agit unuſquiſque pro gradu ſuo, pro officio ſuo, pro facultate ſua, ut regem dilationis non tædeat, aliis orationes, eleemoſynas aliis, ſuam etiam pro eo peregrinationem nonnullis promittentibus. Dirigendi mox ad ſedem apoſtolicam eliguntur legati archiepiſcopus *Eboracenſis Aldredus*, epiſcopus *Wintonienſis Hermannus*, Abbates præterea duo ſpectatæ religionis, cum pluribus aliis tam clericis quam laicis. Parantur interim neceſſaria; ſuſceptoque à rege mandato ad urbem proficiſcuntur. Credendum Dei actum providentia ut regii reſponſales congregatam ibi ſynodum maximam reperirent, in qua præſidente beatæ recordationis papa *Leone* de negotiis eccleſiaſticis tractabatur. Gaudet in eorum adventu illa ſanctorum præclara ſocietas, & quaſi ſibi miſſum de cœlo ſolatium, tantorum patrum præſentiam ſuſceperunt; magnum Dei munus judicantes quod à finibus terræ tales viri tali tempore tali conventui occurriſſent. Igitur patre beatiſſimo præcipiente, nuncii cauſam pro qua venerant dicturi procedunt in medium, patribus qui aſſidebant præbentibus cum ſumma devotione ſilentium. Exponunt deſiderium regis & regni periculum, diſpendium pacis, clamorem pauperum, lacrimas orphanorum, obductam etiam necdum recentis plagæ cicatricem aſſerebant, quæ *Danica* rabie *Angliæ* inflicta, ſi rex diſcederet, acrior timebatur. Silentibus nunciis, ſonuit in ore omnium gratiarum actio & vox laudis. Prædicatur circa Deum regis, circa regem plebis devotio. Mirantur manſuetudinem *David*, prudentiam *Joſeph* cum divitiis *Salomonis* in tali principe conveniſſe. Tandem ſummo pontifice dictante ſententiam, omnes in commune decernunt pro pace regni, pro utilitate eccleſiæ, pro neceſſitate pauperum & quiete monaſteriorum, regem auctoritate Dei & beati *Petri*, præſentis etiam ſacratiſſimæ ſynodi, à voti hujus vinculo ſolempniter abſolvendum, expenſas paratas itineri pauperibus erogandas. In voti recompenſatione conſtruendum in honore beati *Petri* regiis copiis monaſterium, vel aliquod deſtructum à barbaris reparandum. Exhinc legatarii oblatis muneribus quæ Sanctorum eccleſiis rex ſanctus direxerat, accepta benedictione pontificis cum literis apoſtolicis læti repatriant: Tranſvectique in inſulam in conſpectu Concilii quod propter hoc ipſum regia poteſtas coegerat, epiſtolam tradiderunt.

Reſcriptum Papæ.

Leo *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Edwardo Anglorum *Regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem & Deo gratam agnovimus, gratias agimus ei per quem reges regnant & principes juſta decernunt. Sed quia prope eſt Dominus in omni loco omnibus invocantibus eum in veritate, & ſancti Apoſtoli cum ſuo capite conjuncti unus ſpiritus ſunt & pias preces æqualiter audiunt; Et quia conſtat periclitari regionem* Anglicam *ex tua diſceſſione qui fræno juſtitiæ tuæ ſeditioſos ejus motus cohibes, ex auctoritate Dei & ſanctorum Apoſtolorum & ſanctæ ſynodi abſolvimus te à peccato illius voti pro quo Dei offenſam times, & ab omnibus negligentiis & iniquitatibus tuis, ea nimirum poteſtate uſi quam Dominus in beato* Petro *conceſſit nobis dicens, Quæcunque ſolveritis ſuper terram ſoluta erunt & in cœlis. Deinde præcipimus tibi ſub nomine ſanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, ut expenſas quas ad iter iſtud paraveras pauperibus eroges, & cœnobium monachorum in honore ſancti* Petri *apoſtolorum principis aut novum conſtruas, aut vetuſtum augeas & renoves, & ſufficientia victualium fratribus de tuis redditibus conſtituas, quatenus dum ibi aſſidue illi Deum laudaverint, & ſanctis augeatur gloria & tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris vel collatum eſt vel conferetur, ut ratum ſit Apoſtolica auctoritate præcipimus, & ut ſemper habitatio monachorum ſit, & nulli laica perſona niſi regi ſubdatur. Et quæcunque privilegia ibi conſtituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus & robuſtiſſima auctoritate confirmamus, & infractores eorum æterna maledictione damnamus.*

De viſione quæ apparuit cuidam incluſo de ipſo rege.

DE ſponſalibus regis literiſque pontificis oraculum cœleſte concurrit, quod non longe agentibus nunciis viro cuidam ſancto quid *Romæ* egiſſent neſcienti, Apoſtolorum principe ſibi apparente, perſonuit. Erat vir iſte dilectus Deo & hominibus, qui ſpecu ſubterraneo multis annis incluſus, ſuorum erat meritorum ſtipendiis jam vicinus. Huic *Petrus* beatiſſimus in viſione noctis aſſiſtens, cum metum vocis ac vultus lenitate depuliſſet, « Rex, inquit, *Edwardus* pro voto quo ſe cum adhuc exularet aſtrinxerat, pro regni etiam pace plebiſque conſilio, pro pauperum quoque neceſſitate preceque ſollicitus, *Romanam* eccleſiam de omnibus credidit conſulendam. Noverit ergo ſe mea auctoritate ab hac alligatione ſolutum, & de cœnobio ad mei honorem nominis conſtruendo à ſummo pontifice ſuſcepiſſe ſalutare mandatum. Incunctanter itaque literis Apoſtolicis fidem habeat, præceptis obediat, conſiliis adquieſcat. A me enim egreſſus eſt ſermo, quem ſibi quondam patronum elegit, me comitem, gratiæ largitorem. Eſt autem mihi locus in occidentali parte *Londoniarum*, à me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus conſecravi, mea nobilitavi præſentia, divinis inſuper miraculis illuſtravi. *Thorneia* nomen eſt loci. qui quondam ob peccata populi barbarorum traditus poteſtati, pauperrimus ex divite, humilis ex ſublimi, ex nobili factus eſt contemptibilis. Hunc rex me præcipiente in habitaculum monachorum ſuſcipiat reparandum, ſublimandum ædificiis, poſſeſſionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, niſi domus Dei & porta cœli. Ibi erigenda eſt ſcala, per quam deſcendentes & aſcendentes angeli, preces & vota hominum Deo perferant, & referant gratiam. Inde aſcendentibus reſerabo januam paradiſi, ut ex officio quod meus mihi injunxit Dominus ac ſalvator, & ligatos abſolvam, & abſolutos ſuſcipiam, & quam eis delictum obcluſerat, juſtificatis patriæ portam cœleſtis aperiam. Tu autem omnia quæ à me audiſti & didiciſti literis tradens, mitte qui perferat regi, ut Dei munere duplicato, & de abſolutione ſecurior, & in præcepti executione devotior, in mei autem dilectione & obſequio reperiatur propenſior. His dictis, lux cum loquente diſparuit. Ille nichil moratus, accito notario, quæ viderat vel quæ audierat, ſcedulæ literiſque commiſit, & tradens epiſtolam bajulo, ad curiam quæ multis tunc milibus aberat, ut ei fuerat imperatum direxit. Ea igitur die, loco eodem, in eodem Concilio quo legati redeuntes ab urbe apoſtolicum retulere mandatum, epiſtola etiam viri Dei regi præſentata profertur in medium. Lectoque ſancti papæ *Leonis* Reſcripto, loco ſequenti beati ſenis apices recitantur. Voce exteriori ac jubilo interiori benedicitur Deus in donis ſuis; & laudatur in omnibus operibus ſuis. Mirantur omnes regis ſanctitatem, amplectuntur apoſtoli gloriam, confirmantur in fide, ſpe à terrenis ad cœleſtia attolluntur, in Dei amore ſincerius accenduntur. De oraculi veritate nulla potuit eſſe cunctatio, cum in *Wigornenſi* provincia vir ille ab hominum converſatione ſecluſus, quid *Romæ* egerint, quid in mandatis acceperint, quandove redierint, ſcire non niſi Deo revelante potuit. Tunc rex lætus & alacer, ut ei fuerat conſtitutum, pecuniam quam in peregrinationis ſuæ ſolatium procuraverat diſperſit & dedit pauperibus, operique injuncto intendens animum theſauros effudit. Inſuper & tributum illud graviſſimum quod tempore patris ſui primo claſſi *Danicæ* pendebatur, poſtmodum vero fiſco regio annis ſingulis inferebatur, regia liberalitate remiſit, & ab onere hoc importabili in perpetuum *Angliam* abſolvit. Unde ſancto huic regi non inconvenienter aptatur quod ſcriptum eſt, *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia theſauris. Inventus ſane ſine macula* ob privilegium caſtitatis. *Poſt aurum non abiit*, quod potius diſperſit; *Nec ſperavit in theſauris*, quos in Dei opere non tam minuit quam conſumpſit. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua, reddens cæcis viſum, & claudis greſſum, fugans febres, & paraliticos ſanans, & diverſas hominum valitudines curans. Ex quibus aliqua huic operi dignum ducimus inſerenda.

De contracto quem rex ſanctus portando curavit.

CUM in civitate regia in palacio juxta beati *Petri* baſilicam rex pacificus aliquando moraretur, ſupervenit vir quidam miſerabilis Hybernicus genere, ſecundum proprietatem linguæ illius vocabulo *Gillemichel*, pedis utriuſque privatus officio. Nervi enim in poplite contracti, ad poſteriores corporis partes crura retorſerant, tali natibus inhæſerant, immerſi carnibus pedum articuli à lumbis ejus & deorſum corpus omne perverterant. Porrectis terra tenus manibus ſcamnis ſuppoſitis repebat, & factus ſibimet ipſi gravis, trahebat ſe poſt ſe, miſerabile ſpectaculum intuentibus præbens & multorum in ſe provocans pietatem. Acceſſit ad cumulum infelicitatis rei inopia familiaris, ob quam famis injuria & inclementia aeris tabe ſimul ac macie ſemeſum corpus illud affecerant. Hic igitur cum Curiæ irrepſiſſet, & ſe Regis Cubiculario obtuliſſet, Itane, inquit, *Hugoline* non me reſpicies? non miſereberis? non te movebit unius hominis tanta calamitas? Et ille. Quid me vis facere? Cui pauper, Sexies, inquit, ſanctorum apoſtolorum limina in urbe qua requieſcunt, ita miſerabiliter repens ut tu ipſe nunc aſpicis, viſitavi, ſanitatem vero necdum promerui, quam tamen mihi *Petrus* beatiſſimus non negavit ſed diſtulit, ſocium in hoc miraculo habere volens *Edwardum*, quem ſibi novit in omnibus eſſe devotum. Jam enim nunc ſeptimo profecturus ad urbem, ab ipſo ſancto Apoſtolo in mandatis accepi, regem adire, apoſtolicum perferre præceptum, ut me ſuo ſacro ſubvectum dorſo ad eccleſiam ejus quæ palacio vicina eſt perferat, recepturum ſi id fecerit meritis ejus membrorum meorum integram ſanitatem. Hæc ubi nunciata ſunt regi, agit Deo gratias, ſeque pariturum apoſtolo, nec inopi defuturum ſed præbiturum obſequium ut in mandatis acceperat, pollicebatur. Scitatus mox æger acceſſit. Rex ut ſpiritalis ille aſinus fortis ac cubans in terminis ſuppoſuit humeros ſuos ad portandum. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite qui habitatis terram. Congregamini ad ſpectaculum, quale Circus nullus unquam præbuit, nec theatrum finxit. Pendet ab humero tanti Principis plenus ſordibus pauper, ſqualidis manibus brachiiſque ſquamoſis regium illud pectus collumque complectitur. O monile omni gemma ſplendidius, ô torquem omni precioſiorem auro, omni electro fulgentiorem. Interea ex aſſiſtentibus ridebant nonnulli, alii à paupere illuſum regem jocabantur, alii juſti ſimplicitatem & manſuetudinem fatuitatem interpretabantur. Ecce novus *David* ſaltus & plauſus: ecce novus *Michol* contemptus & riſus. Quibus tamen erat mens ſanior, feliciorem eum ſub tali ſarcina quam ſub corona aurea judicabant. Tu enim *Chriſte Jeſu*, tu in paupere portabaris, qui quondam in paupere quem *Martinus* texerat tegebaris. Sed hoc tunc oraculo, hoc nunc miraculo prodidiſti. Cum itaque oneratus nobili illo onere rex paululum proceſſiſſet, ſubito nervi quos inveteratus ille morbus contraxerat extenduntur, meatus ſanguinis quos venarum rigor obcluſerat, reſerantur, rigantur oſſa, carnes marcidæ recaleſcunt. Emergunt à carne articuli, pedes ſolvuntur à natibus. Diſtendit homo crura poplite jam flexibili, ſanieque cum ſanguine profluente, veſtis regia ornatur potius quam fœdatur. Jam tunc ſatis eſſe clamant omnes ſanatum languidum, onus ob ſordes ulcerum jam deponendum. Ille memor præcepti quod ſuſceperat, ſirenarum cantus obturata aure pertranſiit, ingreſſuſque eccleſiam, ante ſanctum altare holocauſtum quod detulerat Deo ac beato *Petro* reſignat. Suſcepit ab humeris ſancti pauperem magnæ religionis vir ipſius ſacriſta eccleſiæ nomine *Godricus*, lotiſque membris ulceribuſque curatis, paulo poſt ſanum & incolumem dimiſit. Stetit ſupra pedes ſuos homo, ac ſolidatis baſibus ejus & plantis, regi præſentatur. A quo itineris ſuſcepto viatico, benedicens Deum profectus eſt *Romam*, acturus beato *Petro* Apoſtolo gratias, & ſancti Regis merita prædicaturus ubique. Ad tanti teſtimonium miraculi, ſcamna quibus miſer ille repens inniti conſueverat, in eccleſia ſuſpenduntur, gratum ſpectantibus præbentia ſpectaculum, & Regis ſanctitatem advenientibus oſtendentia, Hoc profecto miraculum ad diligenda ſimul & veneranda beati *Petri* merita maximum ſancto Regi præbuit incentivum, & ad opus quod in ejus nomine inchoaverat conſummandum & deſiderium ignivit & illexit affectum. Verum præ cæteris quæ beato *Petro* per *Angliam* conſecrata ſunt loca, hunc potiſſimum reſtaurandum elegit, quia non ſolum ut ſupra diximus cœleſtis viſionis oraculo, ſed etiam antiquiſſimi atteſtatione miraculi iſtum ei didicit præ omnibus cariorem. Quod licet præter materiam eſſe videatur, ad oſtendendam tamen Regis in hac electione induſtriam, huic operi noſtro credimus inſerendum.

De

De eccleſia Weſtmonaſterii *quam ſanctus* Petrus *dedicavit.*

TEmpore quo rex *Adelbertus* qui regnavit in *Cantia*, prædicante beato *Auguſtino* fidei ſacramenta ſuſceperat, nepos quoque ejus *Sebertus* qui orientalibus *Anglis* præfuit, fidem eodem epiſcopo evangelizante ſuſcepit. Hic *Londoniis*, quæ regni ſui metropolis habebatur, intra muros eccleſiam in honore *Pauli* beatiſſimi conſtruens, epiſcopali eam ſede voluit eſſe ſullimem. Cui ſanctus *Mellitus* quem beatus papa *Gregorius* cum pluribus aliis miſerat in adjutorium *Auguſtino*, merito ſimul & honore pontificali primus omnium præfuit. Volens autem rex utrique apoſtolo ſe gratum præſtare, in occidentali parte ejuſdem civitatis extra muros, in honore beati *Petri* monaſterium inſigne fundavit, multis illud donariis ornans & ditans poſſeſſionibus. Venerat autem tempus quo eccleſia in eo fuerat dedicanda, paratiſque omnibus pro loco, pro tempore, pro monaſterii dignitate, agente etiam ea nocte in tentoriis epiſcopo, dies craſtina præſtolabatur. Magna plebis expectatio, quæ adhuc rudis in fide, hiis ſolempniis intereſſe non ſolum pro devotione, ſed etiam pro ammiratione gaudebat. Eadem nocte piſcatori cuidam in *Thamenſis* fluvii, qui eidem monaſterio ſubterfluit, ulteriori ripa, in habitu peregrino beatus apoſtolus *Petrus* apparens, promiſſa mercede tranſponi ſe ab eodem & petiit & promeruit. Egreſſus autem è navicula piſcatore cernente eccleſiam ingreditur; & ecce ſubito lux cœleſtis emicuit, miroque ſplendore colluſtrans omnia, noctem convertit in diem. Affuit cum apoſtolo multitudo ſupernorum civium egredientium & ingredientium, & choris hymnidicis præeuntibus melodia cœleſtis inſonuit. Omnia plena lumine, omnia referta dulcedine. Aures angelicæ vocis mulcebat jocunditas, nares indicibilis odoris fragrantia perfundebat, oculos lux cœleſtis illuſtrabat. Videbantur quaſi mixta terrena cœleſtibus, humana conjuncta divinis, & quaſi in ſcala *Jacob* angeli deſcendentes & aſcendentes in illis ſacris ſolempniis viſebantur. Quid plura? Peractis omnibus quæ ad eccleſiæ dedicationem pertinent ſollempniis, redit ad piſcatorem piſcium piſcator egregius hominum. Quem cum divini luminis fulgore perterritum alienatum pene ſenſibus repériſſet, blanda conſolatione hominem ſibi, animum reddidit rationi. Ingredientes cymbam ſimul uterque piſcator, inter loquendum apoſtolus hominem hiiſdem quibus ſe quondam magiſter ſuus conveniens verbis, Nunquid, ait, pulmentarium non habes? Tum, inquit, inconſuetæ lucis perfuſione ſtupidus, tum expectatione tui detentus, nichil cepi, ſed promiſſam à te mercedem ſecurus expectavi. Ad hæc apoſtolus, Laxa nunc, inquit, retia ad capturam. Paruit imperanti piſcator, & mox implevit rete piſcium maxima multitudo. Quibus ad ripam extractis, *Hunc*, inquit, *apoſtolus qui cæteris magnitudine precioque præcellit*, Mellito *ex mea parte piſcem defer epiſcopo. Pro naulica vero mercede cætera tibi tolle. Ego ſum* Petrus *qui loquor tecum, qui cum meis concivibus conſtructam in meo nomine baſilicam dedicavi, epiſcopalem benedictionem mea ſanctificationis auctoritate preveni. Dic ergo pontifici quæ vidiſti & audiſti, tuoque ſermoni ſigna parietibus impreſſa teſtimonium perhibebunt. Superſedeat igitur dedicationi, ſuppleat quod omiſimus, Dominici videlicet corporis & ſanguinis ſacroſancta miſteria, populumque erudiens ſermone & confirmans benedictione, notificet omnibus hunc locum me crebro viſitaturum, hic me fidelium vocibus & precibus affuturum. Sobrie vero, juſte & pie in hoc loco viventibus cœli januam reſeraturum.* Hiis dictis, clavicularius cœleſtis diſparuit. Et jam nocturnis tenebris finem dedit aurora, cum beato *Mellito* ad futuræ dedicationis celebranda miſteria proceſſuro, cum piſce piſcator occurrit. Quem cum epiſcopo reſignaſſet, omnia quæ ei ab apoſtolo fuerant mandata proſequitur. Stupet pontifex, reſeratiſque ſacræ baſilicæ valvis, videt pavimentum utriuſque alphabeti inſcriptione ſignatum, parietem biſſenis in locis ſanctificationis oleo litum, tot cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, & quaſi recenti reſperſione adhuc cuncta madeſcere. Nichil ulterius ambiguitatis de hiis quæ piſcator aſtruxerat, in cujuſquam animo potuit reſidere, cujus aſſertioni ſigna cœleſtia teſtabantur. Refert hæc epiſcopus populo, & mox una vox omnium pulſat cœlos laudantium Deum & benedicentium, qui ad fidem omnium confirmandam, in hujus templi ſanctiſſimi dedicatione cœli terræque patriam unam fecit rempublicam. Dant fidem miraculo piſcatoris illius tota ſucceſſio, quæ ſicut à patre acceperant, totius emolumenti quod eis ars illa deinceps contulit, beato *Petro* eique ſervientibus offerre decimas non deſunt. Unus tamen ſemel fraudem auſus inferre, mox tam diu artis caruit beneficio, donec confeſſus reatum, & ablatum reſtitueret, & promitteret correctionem.

De reſponſalibus iterum ad dominum Papam directis per ipſum regem ſanctum.

HÆc cum beatus *Edwardus* relatione ac ſcriptis veterum didiciſſet, concaluit cor ejus intra eum; & ad præfatum monaſterium ædificiis & ornamentis, dignitatibus etiam ac poſſeſſionibus altius extollendum in meditatione ejus exarſit ignis. Quæ ut futuris temporibus firma & integra illibataque durarent, Apoſtolica auctoritate omnia credidit confirmanda. Præterea inter crebra miracula quibus cotidie illuſtrabatur, inter pacis gaudia quibus fruebatur, in humilitatis ſolidiſſima petra conſiſtens, ſemper pavidus, ſemper ſuam erat fragilitatem ſuſpectus. Beatus profecto vir qui ſemper metuit Dominum, & in mandatis ejus voluit nimis. Ideo gloria & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus manet in æternum. Jam à voto Apoſtolica auctoritate abſolutus, & adhuc tamen de ipſo ſollicitus, iterato ad Apoſtolorum limina legatos parat dirigere, iterato Apoſtolicam majeſtatem conſulere, iterato id ipſum vel aliud quid in voti recompenſatione ſibi poſcit injungi. Emerſerant & aliæ cauſæ in *Anglorum* eccleſia, de quibus ea ſedes præcipue fuerat conſulenda, de qua ſpecialiter dictum eſt, Quia portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Itaque rex ſanctus de omnibus curam gerens, omnia ſecundum catholicæ veritatis regulam fieri volens, omnibus etiam prodeſſe deſiderans, ut ipſe de ſuis ſecurior efficeretur, & aliis ad ſalutem doctrina Apoſtolica præberetur, cum *Aeldredo Eboracenſi* archiepiſcopo duo mittuntur in pontificatum electi, *Gniſo* ſcilicet ad eccleſiam *Wellenſem*, *Walterius* vero ad *Herefordenſem*. Qui præſente eo tum quo venerant archiepiſcopo, à domino papa munere conſecrationis ſuſcepto, in Concilio quod in *Lateranenſi* palacio, Dei ut credimus tunc nutu, forte convenerat, cum cæteris patribus honorifice conſederunt. Dein tempore oportuno cum literas regis in medium protuliſſent, cætera quæ eis fuerant imperata adiciunt. Favet votis regiæ ſanctitatis ſummi pontificis totiuſque ſacri conventus unanimis rationabiliſque ſententia. Acceptaque ſancti patris epiſtola, nichil omnino adverſi toto illo itinere paſſi, cum ſummo tripudio regi patriæque redduntur.

Literæ regis ad *Nicholaum* papam directæ.

S*Ummo univerſalis eccleſiæ patri* Nicholao, Edwardus *gratia Dei* Anglorum *rex, debitam ſubjectionem & obedientiam. Glorificamus Deum quia curam habet electæ ſuæ eccleſiæ, quando in loco boni prædeceſſoris vos optimum ſucceſſorem conſtituit. Quapropter juſtum judicamus apud vos velut ad ſolidam petram acuere, & probare omnes bonas actiones noſtras, & veſtram notitiam atque ſocietatem in bono habere; quatinus eas donationes & privilegia quæ optinuimus apud prædeceſſorem veſtrum, renovetis & augeatis nobis; videlicet, ut quod ille injunxerat nobis ſub nomine obedientiæ & pœnitentiæ propter votum quod voveram ire* Romam, *& in remiſſionem omnium peccatorum meorum, conſtruere cœnobium monachorum in honore Apoſtoli* Petti, *ratum faciatis, & privilegia poſſeſſionum, & dignitatem ejuſdem loci confirmetis, renovetis, atque augeatis, & in perpetuum immutabilia ſtare decernatis. Ego quoque pro modulo meo, augeo & confirmo donationes & conſuetudines pecuniarum quas ſanctus* Petrus *habet in* Anglia, *& ipſas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam ac ſollempnem memoriam inſtituatis totius gentis* Anglicæ *coram corporibus ſanctorum Apoſtolorum.*

Privilegium domini *Nicholai* Papæ.

NIcholaus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, glorioſiſſimo ac piiſſimo, omnique honore digniſſimo, ſpeciali quoque filio noſtro* Edwardo Anglorum *regi, viſitationem omnimodam, ſalutem melliſluam & benedictionem Apoſtolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui veſtram prudentiſſimam excellentiam in omnibus ornavit ac decoravit erga beatum* Petrum *Apoſtolorum principem, & nobiſcum habere dilectionem, & in omnibus Apoſtolicis conſentire cenſuris. Literas igitur veſtræ nobilitati tranſmittimus, & per eas ſocietatem ſanctorum Apoſtolorum & noſtram vobis damus, orantes miſericordiam illius qui eſt Dominus omnium & rex ſuper omnia ſolus, ut ipſe participem vos faciat ex omnibus ſi qua ſunt coram Deo bonis operibus noſtris, & fratres nos, & ſocios in dilectione conſtituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem noſtri obſequii reconſignet in ſuo regno quam nobiſmet ipſis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis ſine dubio orantes aſſidue, ut ipſe Deus vobis ſubiciat hoſtes & inimicos qui contra vos voluerint inſurgere, & confirmet vos in paterno ſolio ac propria hæreditate, & beatus* Petrus *ſit vobis cuſtos & adjutor in omni tribulatione. Clarere enim* Anglorum *reges pro reverentia & devotione quam exhibuerunt beato* Petro *Apoſtolo, gloria & honore floruiſſe, ac ipſius patrocinio famoſos triumphos obtinuiſſe. Cujus beati Apoſtoli meritis, veſtro deſiderio & voluntati omnipotens Deus præſtet effectum, & confirmet vobis paterni regni imperium, & tribuat incrementum, & poſt præſentis vitæ decurſum, perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium. Renovamus ergo, & confirmamus, & augemus vobis privilegia veſtra; ſcilicet, ut abſoluti ſitis ab illo voto quod timebatis, & ab omnibus aliis peccatis & iniquitatibus veſtris, auctoritate illius qui me licet indignum ſanctæ ſuæ præeſſe voluit eccleſiæ. Præterea, illi loco quem ſub nomine ſanctæ pœnitentiæ conſtruendum & meliorandum ſuſcepiſtis, quoniam, ut fertur, primam antiquitus conſecrationem à beato* Petro *Apoſtolo accepit, cujus licet indigni vicarii ſumus; & quia regia antiquitus ſedes eſt, ex auctoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum, atque hujus ſanctæ* Romanæ *ſedis, & noſtra concedimus, permittimus, & ſolidiſſime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiæ conſtitutionis & conſecrationis locus ſit, atque repoſitorium regalium inſignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino perſonæ niſi regi ſubdantur, habeantque poteſtatem ſecundum regulam ſancti* Benedicti *per ſucceſſores eligere idoneos abbates, neque introducatur per violentiam extranea perſona, niſi quam concors congregatio præeſſe elegerit. Abſolvimus etiam eum locum ab omni ſervitio, dominatione epiſcopali, ut nullus epiſcopus illuc introeat ordinaturus vel precepturus aliquid, niſi ex conſenſu & petitione abbatis & monachorum. Et habeat idem locus liberum præcinctum, id eſt, ambitum & cimiterium mortuorum circa ſe abſque epiſcopali, vel cujuſlibet reſpectu, vel exactioni. Et omnia quæ ad libertatem & exaltationem loci illius, ad honorem Dei pertinentia, per noſtram auctoritatem accedere poſſunt, promptiſſima & ylari voluntate concedimus. Poſſeſſiones autem quas antiqui reges, ſeu quicunque alii homines, vos quoque & veſtri barones ad eundem locum contuliſtis, & cartas quæ ex eis factæ ſunt, divina & noſtra auctoritate roboramus, & ratas ac ſtabiles eſſe decernimus. Et infractores, vel earum invaſores, vel diminutores aut diſperſores, venditores etiam æterna maledictione cum* Juda *proditore dampnamus, ut in beata partem non habeant reſurrectione: ſed à beato* Petro *Apoſtolo ſe judicandos ſciant, quando ſedebit cum ſuis coapoſtolis judicans duodecim tribus* Iſrael. *Vobis vero & poſteris veſtris regibus committimus advocationem & tuitionem ejuſdem loci, & omnium totius* Angliæ *eccleſiarum, ut vice noſtra cum conſilio epiſcoporum & abbatum conſtituatis ubique quæ juſta ſunt. Scientes per hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cujus regnum & imperium non deſinet nec minuetur in ſeculum.* Lectis igitur Apoſtolicæ majeſtatis apicibus, exultavit in gaudio rex beatiſſimus, omnique ſollicitudine quam ex voti obligatione contraxerat exuitur, cunctaque regni negotia ducibus proceribuſque committens, totum ſe divinis mancipabat obſequiis. Quanto autem ſe corporalibus ſubtrahebat, tanto luminoſius ſe ſpiritalibus indidit theoriis. Unde crebro cœleſtium ſecretorum revelatione & ſpiritualium viſionum ſuavitate meruit refoveri, ſicut ſequentia declarabunt.

Quomodo ſuper altare Jeſum Chriſtum *in ſacramento cum quodam Comite vidit.*

IN monaſterio namque beati *Petri* apoſtoli quod conſtruendum ampliandumque ſuſceperat, ante altare in honore Trinitatis Deificæ conſecratum, ſacroſanctis redemptionis noſtræ miſteriis rex Chriſtianiſſimus aſſiſtebat. Affuit cum omni reverentia ſpirituſque dulcedine nominandus Comes *Lefricus*, cujus memoria in benedictione eſt, cum uxore *Godgiva* interpretationem ſui nominis magnifice rerum executione complente, interpretatur enim *bonum donum*, vel quod ipſam quaſi bonum donum eccleſiæ ſuæ profuturam *Chriſtus* attulerat, vel quod ipſa fidei ac devotionis Deo munus acceptiſſimum continue offerebat. Cum tali ergo ſui lateris ſocia Comes ſanctiſſimus in Dei opere ſemper intentus, multorum cœnobiorum fundator extitit, & ſobrie & juſte & pie in omnibus vivens, poſſeſſionum ſuarum & theſaurorum *Chriſtum* fecit hæredem. Hic ergo à latere regis paululum tamen ſemotus aſtabat, dignus per omnia qui tanti taliſque miraculi conſcius & teſtis exiſteret. Agitur in altari cœleſte miſterium, manibus ſacerdotis divina ſacramenta tractantur. Et ecce ſpecioſus ille forma præ filiis hominum *Chriſtus Jeſus* in ara conſiſtens, oculis utriuſque viſibiliter corporalibus apparuit, ſacraque dextera ſuper regem extenſa, ſignum ſanctæ crucis cum benedicendo depinxit. At rex demiſſo capite divinæ adorabat præſentiam majeſtatis, humiliatoque corpore tantæ benedictioni reverentiam exhibebat. Comes vero quid in animo regis ageretur ignorans, volenſque regem tantæ viſionis eſſe participem, cœpit velle ad illum uſque procedere. Verum rex quid in mente Comitis volvebatur intelligens, Sta, inquit, *Lefrice*, ſta, quod tu vides video & ego. Inde ad preces lacrimaſque converſi, inebriebantur ab uberitate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabantur. Poſt finem officii conſerunt de cœleſti viſione ſermonem, & cœleſti pabulo ſaginati, dies diei eructat verbum, ſuſpiriiſque crebro ſermonem interrumpentibus, *Te nunc*, ait rex, *mi* Lefrice, *per ejus quem vidimus majeſtatem obteſtor, ne quoaduſque vixerimus ſermo iſte proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem noſtram ob favorem vulgi pulſet elatio, vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio*; Domini ſui in hiis ſequutus exemplum, qui coram diſcipulis transfiguratus, deſcendentibus illis de monte, *Nemini*, ait, *dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* At Comes diſcedens à curia, divina ut creditur inſpiratione edoctus, ita Domini ſui ſervavit imperium, ut tantæ virtutis ſublimitas poſteros non lateret. Veniens itaque ad monaſterium *Wigornenſe*, viro cuidam religioſo eadem qua ſe rex obligaverat adjuratione conſtricto reſerat in confeſſione ſermonem, rogans ut literis tradat tantæ viſionis archanum, talique recondat in loco, ut & præſentes lateat, & futurorum notitiæ non depereat. Annuit vir ille ſanctus petentis affectui, ſcedulæque mandatum ordinem viſionis cum Sanctorum reliquiis in theca recondidit. Et jam à ſancti regis obitu multum temporis fluxerat, cum divino ut credimus nutu, nullo hominis acta theca reperitur aperta. Cumque fratres de Sanctorum reliquiis diligenter diſquirerent, reperiunt ſcedulam & evolvunt; nolenteſque tantum latere theſaurum, in auribus populi cuncta legerunt. Ita, quod rex voluit eſſe celatum, Dei eſt providentia propalatum, ut & regis humilitas probaretur, & nichilominus prodito miraculo fides credentium confirmaretur.

De glandibus & vermibus regio tactu à quadam fœmina expulſis.

EXhinc crebreſcunt miracula, ſigna multiplicantur, & ad regis merita ſublimius declaranda manus omnipotentis extenditur. Adoleſcentula quædam tradita nuptiis duplici laborabat incommodo. Nam faciem ejus morbus deformaverat, amorem viri ſterilitas prolis ademerat: ſub faucibus quippe quaſi glandes ei ſucceverant, quæ totam faciem deformi tumore fœdantes, putrefactis ſub cute humoribus, ſanguinem in ſaniem vertetant, inde nati vermes odorem teterrimum exhalabant. Ita viro incutiebat morbus horrorem, ſterilitas minuebat affectum. Vivebat infelix mulier odioſa marito, parentibus oneroſa. Rarus ad eam vel amicorum acceſſus propter fœtorem, vel aſpectus viri propter horrorem. Hinc dolor, hinc lacrimæ, hinc die noctuque ſuſpiria, cum ei vel ſterilitas obprobrium, vel contemptum infirmitas generaret. Induſtriam medicorum avertebat inopia. Quid ageret miſera? Quod ſolum ſupererat, ubi humanum deerat divinum precabatur auxilium, quaſi in illum illius æque miſeræ mulieris vocem erumpens, *Peto Domine ut de vinculo improperii hujus abſolvas me, aut certe ſuper terram eripias me.* Jubetur tandem in ſompnis adire palacium, ex regiis manibus ſperare remedium, quibus ſi lota, ſi tacta, ſi ſignata foret, reciperet ejus meritis ſanitatem. Expergefacta mulier, ſexus ſimul & conditionis oblita, prorumpit in curiam, regis ſe repræſentat obtutibus, exponit oraculum, auxilium deprecatur. Ille more ſuo victus pietate, nec ſordes cavit, nec fœtorem exhorruit. Allata denique aqua, partes corporis quas morbus fœdaverat propriis manibus lavit, locaque tumentia contrectans digitis, ſignum ſanctæ Crucis impreſſit. Quid plura? Subito rupta cute, cum ſanie vermes ebulliunt, reſedit tumor, dolor omnis abceſſit: ammirantibus qui aderant tantam ſub purpura ſanctitatem, tantam ſceptrigeris manibus ineſſe virtutem. Paucis vero diebus ſubſtitit in Curia mulier regiis miniſtris neceſſaria miniſtrantibus, donec obducta vulneribus cicatrice incolumis rediret ad propria. Verum ut nichil deeſſet regi ad gloriam, pauperculæ nichil ad gratiam, donatur ſterili inopina fœcunditas, ventriſque ſui deſiderato fructu ditata, facile ſibi mariti gratiam conciliavit.

De cæco per manuum ejus lavaturam ſanato.

DIverſa eſſe munera gratiarum, nec omnes omnia conſecutos, beatiſſimo *Paulo* docente didicimus. *Alii*, inquit, *per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ per eundem Spiritum, alii fides, alii gratia ſanitatum.* Hoc præcipue munus curationum licet plenius per Dei ſpiritum rex Chriſtianiſſimus habuiſſet, in illuminandis tamen cæcis ſpeciali gratia præfulgebat, ob interioris ut creditur hominis puritatem, ut cui mundicia ſingularis defæcaverat cordis obtutus, ipſe in aliis exteriorum propelleret tenebras oculorum. Cæcus quidam ſatis notus in populo, cum multo jam tempore ademptæ ſibi lucis fleviſſet incommodum, placuit Salvatori uno eodemque miraculo, & regis propalare virtutem, & calamitatem pauperis temperare. Docetur itaque miſer oraculo lumen amiſſum ſe ejus meritis adepturum, ſi limpha, qua rex ipſe, faciem perfudiſſet. Ad manum igitur tractus cum ad palacium perveniſſet, cubiculariis retulit viſionem. Quam cum illi piiſſimo principi ſuggeſſiſſent, obſtupuit ille, plurimumque indignatus, illuſum fantaſmatibus hominem, nichil tale à peccatore ſperandum, apoſtolicæ hoc eſſe virtutis, nec fidem ſompniis adhibendam aſſeruit. Referunt illi, non uſquequaque fidem ſompniis derogandam, cum *Joſeph* & *Daniel* nocturna viſione futura didicerunt, & nutricius *Chriſti* fugiendum cum puero vel redeundum, angelo in ſompnis apparente, cognoverit. Adiciunt Deum cui ſubeſt cum voluerit poſſe, quando voluerit, quibus voluerit, per quos voluerit, opem ferre miſeris; nec hominis eſſe præceptis reſultare divinis, nec cuiquam quod ipſe providerit negare remedium. Itaque cum inter humilitatem & pietatem regis animus in parvo tempore fluctuaſſet, niſi inportunitati petentium ceſſiſſet humilitas, nec partes ſuas pietas deſeruiſſet: inſtabat hora qua ob ſollempnem omnium Sanctorum vigiliam proceſſurus ad eccleſiam rex, ut fieri ſolet, manus ablueret. Recepta in pelvi aqua, cum rex ſacris intereſſet miſſarum ſollempniis, citatur à miniſtris cæcus, infundunt aquam orbiculis oculorum, lavant faciem, & per merita ſancti regis divinam precantur adeſſe virtutem. Mira res: quaſi nova nobis *Siloes* de regiis manibus profluxiſſet, reſeratis palpebris haurit lucem, & ad inſuetum ſolis ſplendorem ſtupefactus circumſpicit omnia, & mundum ſibi quaſi denuo redditum gratulatur. Magnitudo lætitiæ lacrimas excuſſit; in ore aſtantium gratiarum actio & vox laudis inſonuit. Ingreditur oratorium homo acturus Deo gratias, & cum aliis, divinis aſtabat obſequiis. Videbatur nec agnoſcebatur, & aliis dicentibus quia ipſe eſt, aliis non, ſed ſimilis ejus eſt, ipſe affirmabat ſe eſſe quod erat. Intuetur alter alterum, alter alterum convenit, cum illis inter ſe muſitantibus miſſa clauditur, egreſſuſque oratorium rex ab obviis miniſtris excipitur. Audito miraculo, retorquet ad eccleſiam greſſum, vocatoque ad ſe viro; Verene, inquit, vides ô homo? Reſpondit, Vere domine mi rex. Et quid, inquit, me vides facere? Reſpondit ille: Dilectam mihi manum tuam extendis domine mi. Cui ille, Et modo quid? Et pauper ad eum, A medio, inquit, digito indicem dividens quaſi oculis minitaris. Jam nunc tercio reſponde inquit, & quid agam edicito. Cui ille, Barbam, inquit, complecteris rex. Tunc ſanctus prorumpens in lacrimas ante ſanctum altare decubuit, gratias agens danſque Deo totum, nichil ſibi, illud proclamabat *Davidicum*, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

De alio cæco ſimiliter per beatum virum illuminato.

NOn potuit latere quod tali loco, tali tempore, à tali perſona actum fuerat, & vir ille cui lux fuerat reſtituta, ſtipe regia ſuſtentatus in curia, multo tempore ſupervixerit. Narratur ubique, per aquam qua rex manus abluerat, hominem oculorum amiſiſſe caliginem. Gaudet *Anglia* prophetam ſibi præeſſe, non regem, qui & morbos curaret & ventura prædiceret; qui & judicaret terram in juſtitia & populos in æquitate. Erat autem vir quidam *Lincolnia* civitatis municeps cui caſus vel morbus lumen ademerat, vitæque ſuavitatem abſorbuerat. Hinc nata triſtitia. Et jam agenti in tenebris tercius effluxerat annus, cum tantæ virtutis fama in ſpe recuperandæ ſanitatis erigitur, & quaſi in ſemetipſum reverſus, *Quid eſt hoc*, inquit? *quid moror? Propheta in* Anglia *eſt, & ego cæcus ſum. Ego in tenebris ſedeo, & in tenebris ambulo, cum hic juxta me lux nova ſanctitatis reſplendeat, & in rege noſtro Apoſtolica virtus emineat.* Accidit inter hæc hominem ſompno ſopiri, & ecce in viſione nocturna citum ei remedium promittitur, ſi eadem qua cæcum curatum didicerat medicina, & ipſe potiretur. Nichil ulterius hæſitans vir acceſſit ad Curiam, & à cubiculariis deſideratum ſibi munus & dari petiit & promeruit. Abluitur facies lavacro ſalutari, & mox tenebris diuturnis lux optata ſuccedit. Agit gratias homo, & ipſe deinceps regiæ ſanctitatis aſſertor ad patriam revertitur, ſummam ſuis reportans cum ſanitate lætitiam.

De quodam cæco regio tactu ſimiliter curato.

ACcidit aliquando regale palacium conſtrui in loco cui **Brubeham** nomen eſt. Miſſa eſt à magiſtris operum ad ligna cædenda ruſticorum non parva manus. Qui poſt laborem cibo ſaciati, cum ſol meridiano fervore inclementius æſtuaret, huc illucque diſperſi per umbras, dederunt membra quieti. Poſt modicum vero cæteris ad opus injunctum alacriter redeuntibus, adoleſcens quidam *Wulfwinus* nomine ſurrexit à ſomno, apertiſque oculis nichil videbat. Contorquet miſerum caput hac atque illac, fricat frontem manu, digitis oculos tergit, ſed non extergit caliginem. Intellexit tandem ſe privatum lumine, & mox in clamorem lacrimaſque prorumpens, ſocios advocat, caſum exponit. Præbent illi quale poſſunt ejus infelicitati ſolatium, & manuducatum præſtantes reducunt ad propria: ſedit in tenebris, & umbra mortis annis uno de viginti, & ecce tempus miſerendi ejus. Die quadam infelicitatem ſuam miſerabiliter deploranti, matrona quædam honeſtæ vitæ gravis moribus miſerum conſolatura advenit. Quæ dum de ſtatu ejus ut multis moris eſt, percunctata fuiſſet, & ille prout tunc animo habebat, reſpondiſſet: *Ego*, inquit illa, *miſſa ſum ad te boni nuncii bajula, quod ſi fueris abſque ulla dubitatione ſequutus, tibi mox excuſſis tenebris lux amiſſa reparabitur.* Cœpit homo geſtire præ gaudio, & virtute majora promittens, tale meruit à muliere reſponſum accipere. *Oportet te*, inquit, *mi amice, eccleſias numero octoginta nudis pedibus & abſque lineis circumire, Sanctorum cum ſumma humilitate poſtulare ſuffragia, & ſic fide non ficta, ſpe certa, hylari ſpiritu ad palacium properare recepturum ex regiis manibus priſtinam ſanitatem.* Ille nil moratus, ductore petito, ſicut ei fuerat imperatum eccleſias viſitavit, & ſic fide plenus Curiam ingreſſus quærebat qui eum principi nunciaret. Pertæſi omnes multitudine adventantium pauperis neglexere clamorem, inſuper increpabant eum ut taceret. Et ille cæci illius Evangelici imitator egregius multo magis clamabat. Victi tandem pulſantis importunitate miniſtri, ejus cauſam referunt regi. Ille jam hiis aſſuetus operibus, *Veniat*, inquit, *quis enim ego ſum qui contriſter & non potius exultem, ſi meis manibus licet indignis promiſſum beneficium pauperi pietas divina contulerit?* Vocatus affuit vir captus oculis, & rex tinctis aqua digitis linit faciem, & orbiculis tenebroſis ſignum crucis impreſſit. Affuit mox gratia Salvatoris, & inter manus regis ab oculis utriſque ubertim ſanguis effluxit, ſerenavit pupillas, tumorem depoſuit palpebrarum. Sic homo redditus luci, & aſtantem ſibi intuens regem, Video te, inquit, domine mi rex, & facies tua tanquam facies angeli ſtantis ante me. Egit rex gratias Deo, ipſumque regii palacii juxta eccleſiam beati *Petri* apoſtoli quoad viveret, juſſit eſſe cuſtodem. Vixit autem uſque ad *Willielmi* magni tempora, virtutis *Edwardi* teſtis expertus.

De tribus cæcis & uno monoculo per beatum virum illuminatis.

Miranda quidem hæc, ſed plus miranda ſequuntur. Inventi ſunt ante fores palacii viri quatuor unius oculi fruentes ſolatio. Nam tribus omni privatis unus præibat monoculus, in modico plane fidelis, ut multa recipere mereretur. Compatitur tantis eadem calamitate laborantibus quidam de palatinis, qui ex regiis manibus tantam videns exiſſe virtutem, portionem aquæ qua fuerat lux cæco reſtituta, fide plenus pio furto ſurrepſit, credens illam etiam in plurimis operatum iri, quod in uno tam evidenter eam viderat & efficaciter operatam. Egreditur ad miſeros vir fidelis, rogat eos confidere in Domino, & per merita ſancti regis reparandam ſibi credere ſanitatem. Deinde adhibito lavacro tenebroſas pauperum facies lavit, ſignavit pollice, & non ut ſua Deus, ſed beati *Edwardi* merita reſpicere dignaretur, oravit. Affuit ſtatim manus Domini, & reſeratis palpebris lumen deſideratum infudit. Nox eis in diem vertitur, & facies tenebroſa ſolis ſplendore perfunditur. Ita ſeptem lucernæ ex virorum quatuor fronte lucentes, *Edwardum* noſtrum clariorem cunctis ſeculis reddiderunt. Hæc de cæcis quibus viſum reſtituit, interim ſcripſiſſe ſufficiat, ut in hoc ultimo miraculo quo de lucernis ſeptem fecimus mentionem, regem ſanctum ſeptiformi Spiritus ſancti gratia doceamus eſſe repletum; cui ſpiritus timoris Domini, depulſis ſuperbiæ tenebris, humilitatis oculum reſeravit; cui infidelitatis cæcitate deterſa, fidei lumen ſpiritus pietatis infudit; quem ſpiritus ſcientiæ, fugata caligine falſitatis, lumine veritatis illuſtravit; quem ſpiritus fortitudinis cunctis tam corporalibus quam ſpiritualibus reddidit hoſtibus fortiorem; qui tenebris ignorantiæ pulſis, per ſpiritum conſilii lumen diſcretionis optinuit; quem de terrenis ad cœleſtia, de corporalibus ad ſpiritualia, de nocte mundi hujus ad contemplationem cœleſtium luminum ſpiritus tranſtulit intellectus; quem propheticæ lucis gratia, & divinorum cognitione conſiliorum ſpiritus ſapientiæ muneravit. Merito proinde luce ſeptemplici exteriores hominum oculos depulſa cæcitate perfudit, qui ſeptem oculorum lumine qui in agro cœleſti viſi ſunt, interius illuſtrari promeruit.

Quid de duobus filiis Godwini *Comitis rex prophetaverat.*

Sed jam aliqua de hiis quæ ei ſunt de futuris vel ſecretis cœleſtibus revelata, Deo nobis facultatem tribuente ponamus. Sedebat ad menſam aliquando rex beatus, & à latere ejus Comes *Godwinus* pater reginæ, de quo ſuperius fecimus mentionem. Hujus duo filii pueri adhuc *Haroldus* & *Toſtinus* ludentes coram eis, cum unus ex illis amarius quam expetebat ludi ſuavitas inſurrexiſſet in alterum, ludum verterunt in pugnam. Et ecce *Haroldus* vehementius in fratrem irruens, utramque manum capillis ejus inſeruit, proſtratumque niſi citius eriperetur, virtute ſuperior ſuffocaſſet. Tunc rex verſus ad ducem, Nichilne, inquit, aliud ô *Godwine*, niſi ſimplicem in hiis vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris? Et ille, Nichil aliud domine mi rex. Longe, ait, aliud mea mihi mens loquitur, & quid hiis futurum ſit pueris per hoc mihi bellum revelatur. Emenſis quippe puerilibus annis cum in virum uterque profecerit, utriuſque pectus adverſus invicem livor aduret, & primum circumventione inſidiiſque privatis quaſi ludere videbuntur, ad ultimum fortior infirmiorem proſcribet, rebellantem proſternet, & prioris mortem poſt modicum ſequens alterius calamitas expiabit. Quæ omnia ſic completa tota *Anglia* teſte probantur. Nam *Toſtinus* ab *Haroldo* fugatus, cum paulo poſt ipſe in regnum ſucceſſiſſet *Edwardo*, comitante ſe rege *Norwagia Haroldo* cognomento *Harfager*, multa claſſe cum exercitu multo contra fratrem pugnaturus applicuit in *Angliam*. Contra quos aciem producens *Haroldus*, victor extitit, *Toſtinus* in bello proſternitur, rex *Norwagia* lapſus fuga in unam navim cum paucis ſeſe recepit. Eodem anno *Haroldus* ipſe regno ſpoliatus *Anglorum* aut miſere occubuit, aut ut quidam putant pœnitentiæ tantum reſervatus evaſit.

De miſerabili morte Godwini *Comitis.*

Sed quia iterato ſermonem incidimus de *Godwino*, inſerendum arbitror quemadmodum eum proditionum ſuarum donatum ſtipendiis divini judicii ultrix ira conſumpſerit, deteſtandique facinoris quod in regem fratremque ejus commiſerat, populo ſpectante ipſam quam meruerat pœnam exolverat. Ille enim ſimplicitate regis abutens, multa in regno contra jus & fas pro poteſtate faciebat, & ad ſuæ iniquitatis conſenſum ſæpe regis animum inclinare temptabat. Tandem eouſque ejus proceſſit aſtutia, ut omnes fere regis cognatos & amicos quos de *Normannia* vel adduxerat vel vocaverat, tam epiſcopos quam aliarum dignitatum clericos & laicos, fraude, dolo, circumventione de patria perturbaret, credens ſibi cuncta pro votis [ſucceſſura] ſi neceſſariis nudatus amicis ſuis tantum uteretur rex conſiliis. At *Edwardus* pro loco, pro tempore, pro religione cuncta diſſimulans divinis vacabat obſequiis, Dei juſticiam tantam ducis ultum iri maliciam prædicens, aliquando etiam illud ipſum ipſi *Godwino* non tacens. Die itaque quadam quæ populo celebris habebatur, cum rex præſente *Godwino* menſis regalibus aſſideret,

ſideret, inter prandendum unus miniſtrorum in obicem aliquem immoderatius uno pede inpingens pene lapſum incurrit, quem tamen pes alius recto greſſu procedens iterum in ſtatum ſuum nichil injuriæ paſſum erexit. De hoc eventu pluribus inter ſe loquentibus, & quod pes pedi ſubvenerit gratulantibus, Comes quaſi ludendo intulit, Sic eſt frater fratrem adjuvans, & alter alteri in neceſſitate ſubveniens. Et rex ad ducem, Hoc, inquit, meus mihi feciſſet ſi *Godwinus* hoc permiſiſſet. Ad hanc vocem *Godwinus* expavit, & triſtem admodum præferens vultum, Scio, ait, ô rex, ſcio, adhuc de morte fratris tui tuus me accuſat animus, nec adhuc eis æſtimas diſcredendum, qui me vel ejus, vel tuum vocant proditorem: ſed ſecretorum omnium conſcius Deus judicet, & ſic buccellam hanc quam manu teneo guttur meum faciat pertranſire & me ſervet illæſum, ſicut nec tuæ proditionis reus, nec de fratris tui nece michi conſcius exiſto. Dixerat, & buccellam inferens ori, uſque in gutturis medium protraxit. Temptat interius trahere, nec valuit; temptat emittere, ſed hæſit firmius. Mox meatus quibus ducebatur ſpiritus obcluduntur, evertuntur oculi, brachia rigeſcunt. Intuetur rex infeliciter morientem, & ultionem ſentiens in eum proceſſiſſe divinam, aſtantes alloquitur, Extrahite, inquiens, canem iſtum. Occurrunt filii, protractumque de ſub menſa thalamis inferunt, ubi poſt modicum debitum proditori ſortitus eſt finem.

Quid ei Dominus de ſeptem dormientibus ſpiritualiter revelaverit.

NOn ſatis ammirari poſſum quænam fuerit cauſa quod eo tempore quo cultu regio clarior, quo procerum circumfuſus comitatu ſeverior, quo lautioribus epulis intuentium æſtimatione videbatur effuſior, habundantiorem ſpiritualium revelationum gratiam meruerit; ſed nimirum homo in facie, Deus autem videt in corde. Portabat certe gladium, ſed pro officio; utebatur regalibus, ſed pro ſacramento; multo ſtipatus milite incedebat, ſed pro neceſſitare; ſullimis in convivio reſidebat, ſed pro conſuetudine. Felix qui hiis omnibus ſic uſus eſt ut non ſit abuſus, corpus tradens terrenis, & cœleſtibus ſpiritum miſcens. Hinc quod in die Dominicæ reſurrectionis imperiali ſtola circumdatus, cum dextram ſceptrum, caput ornaret corona, jam cœleſtis agni carnibus ſaginatus regiam acceſſit ad menſam, ſpiritualibus magis quam carnalibus epulis reficiendus. Timens enim, ut arbitror, ne forte menſa fertilior, cultus feſtivior, pompa ſplendidior, animum cœlo intentum ſibi vel modicum inclinaret, artius ſolito ſe collegit ad ſe, & ponens præ oculis Deum, omnia hæc terrena arbitrabatur ut ſtercora, cum ſubito vultus ei plus ſolito ſerenabatur, interiorque lætitia labia ſolvebat in riſum, rurſumque ſolita gravitate reſumpta, obſcuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui aſtabant & qui reſidebant, & licet ex hiis quæ acciderant ſecretum aliquid regi divinitus revelatum nequaquam ambigerent, nemo tamen audebat eum interrogare quid accidiſſet. Finito tandem convivio menſiſque ſublatis, rex beatiſſimus thalamum ingreditur, regium depoſiturus ornatum. Sequutus eum Comes *Haroldus*, accitoque uno epiſcoporum & abbatum uno, ſimul regem ſuper hoc ſermone conveniunt. Tunc ille: Beatus, inquit, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Quantum enim ſe quiſque vanis ſubtraxerit, tantum veris artius inhærebit. Ecce quidem ego inter fecundos calices & pinguia fercula ac radiantis metalli ſplendorem recordatus ſum Domini Dei mei, & effudi in me animam meam, dilatoque ſinu mentis oculus interior ſpeciali perfuſus lumine radios uſque *Epheſiorum* civitatem mira celeritate porrexit, & uſque in montem *Celion* progreſſus, ſanctorum ſeptem dormientium quieſcentium in ſpelunca proprietatem vultuum, membrorum quantitatem, qualitatem veſtium expreſſione manifeſtiſſima contemplatus eſt. Hæc dum interiorem riſu ſignificantem lætitiam luminoſo corde conſpicerem, ſubito me cernente à latere dextro ſuper quod multis quieverant annis in ſiniſtrum ſe latus virtute vertentes divina, dirum mortalibus omen hac laterum mutatione ſuorum ſignarunt. Exhinc enim, ut in Evangelio ſcriptum eſt, *Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & erunt peſtilentia, & fames, & terra motus magni erunt per loca.* Hiis quippe ſeptuaginta annis, tantum enim temporis in ſiniſtro latere repauſabunt, viſitabit Dominus iniquitatem plebis ſuæ, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eorum qui oderunt eos. Inimici namque nominis Chriſti in Chriſtianos inſurgent, ſervi Dominis rebellabunt, reges inſidiabuntur regibus, & principibus principes, & in omnibus terris ultor injuriæ Chriſti mucro deſæviet. Obſtupuerunt omnes qui audiebant verbum, & quia extra orbem poſiti de ſeptem dormientibus nichil audierant, inquirentibus qui eſſent & unde, rex vitam illorum, & nomina, & paſſionem, & dormitionis modum expoſuit. Quibus auditis, inito conſilio ut fidem poſteris facerent, ad explorandam ſermonis veritatem, dux militem, epiſcopus clericum, abbas monachum, cum regis epiſtola ad Imperatorem *Conſtantinopolitanum* dirigendos putant. Qui ubi ad urbem regiam pervenerunt, ab Imperatore honorabiliter ſuſcepti ſunt. Lectis autem literis exultavit in gaudio ſpiritus ejus, & theſauros Græciæ Anglis divinitus revelatos plurimum gratulabatur. Mittuntur *Epheſum*, & ex Imperatoris mandato, epiſcopus cum clero & populo præcedunt legatos, introductiſque cum aromatibus in ſpeluncam, Sanctorum corpora facies & veſtes, & ipſos in latere ſiniſtro repauſantes oſtendit. Et ecce timor magnus irruit ſuper eos videntes omnia ſigna in martiribus in Græcia, quæ rex ſanctus in *Anglia* Dei Spiritu docente didicerat. Facta itaque oratione oblatiſque muneribus, cum ſumma proſperitate repatriant, Græcis exultantibus in hiis quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos, nunciis tam *Anglorum* regi quam plebi inauditum miraculum, & fidei certum reportantibus argumentum. Regem non fefellit oraculum, quoniam ipſo ad regnum cœleſte tranſlato, cuncta terrarum regna commota ſunt. *Siria* paganis ſubjecta, deſtructa monaſteria, dirutæ à fundamentis eccleſiæ, plena funeribus omnia, morte principum *Græcorum*, *Romanorum*, *Francorum*, *Anglorum*, & regna cætera perturbata. Liquet igitur regem ſanctiſſimum, ſpiritu prophetiæ gratia ampliore ditatum, cui uno eodemque tempore & patuere præterita, nec latuere præſentia, futura quoque nichilominus revelantur.

De

De anulo quem ſanctus rex beato Johanni *Evangeliſtæ dedit, & quomodo eundem receperit.*

INterea rex ſanctus ævo jam gravis militiæ ſuæ ſtipendiis parabatur, augebaturque ei in dies circa Deum & Dei matrem affectio, circa ſanctos Dei devotio, inter quos beatiſſimum *Petrum* ut ſpecialem patronum ſuum venerabatur, diſcipulum illum quem diligebat *Jeſus*, ob ſingulare privilegium caſtitatis mira mentis dulcedine amplectebatur. Apud Deum pares arbitrabatur utroſque, cum alteri totius eccleſiæ primatum Chriſtus contulerit, alteri ſuavitatem ſui amoris copioſius indulſerit. Quod iſti deſuit de primatu, ſupplebat affectus, & quod ille minus habuit ex affectu, collata dignitas recompenſabat. Unde congrue ſimul vocantur à Chriſto, ſimul in monte fuere cum Chriſto, ſimul miſſi ſunt ad cœnaculum grande ſtratum ut Paſcha pararetur Chriſto, ſimul ad monumentum currebant ut Chriſti reſurrectio probaretur; ſimul aſcendebant in templum ad horam orationis nonam ut claudus curaretur. Et quid hoc apoſtolo dulcius, qui à pectore *Jeſu*, & ab uberibus ejus inebriabatur ſapientia, & dilectionis ejus lacte potabatur? Hæc & hiis ſimilia beatus *Edwardus* ammiratione diligenti perpendens, poſt apoſtolorum principem hunc amicum *Jeſu* artius diligebat, ejus libens inſiſtebat obſequiis, frequens ei ſermo de ejus excellentia, frequens de illius virginitate meditatio. Accidit autem ut eccleſia in honore ipſius apoſtoli conſtructa Deo ſub nominis ipſius titulo conſecraretur. Præſuit dedicationi rex beatus, & ob honorem Evangeliſtæ lætus divinis officiis aſſiſtebat. Cum igitur proceſſionem ſequens multo milite ſtiparetur, ſubito quidam in habitu peregrino clamabat ad regem, aliquid elecmoſinæ pro ſancti *Johannis* amore ſibi poſtulans impartiri. Injecit mox rex manum crumenæ, ſed ille jam in opus ſimile omnia quæ fuerant illata conſumpſerat. Inſtat peregrinus, multiplicat preces. Vocat theſaurarium rex, ſed obſiſtente turba non affuit. Angebatur animo ſanctus, & quid faceret ignorabat. Tandem anuli reminiſcens qui digitum ambiebat, feſtinanter abſtractum peregrino porrexit. Ille tantæ munificentiæ gratias agens, vel receſſit, vel diſparuit. Accidit poſtea viros duos ad adorandum Salvatoris ſepulchrum *Jeroſolymam* proficiſci; qui die quadam à publica ſtrata declinantes devia quæque ſequuti ſunt. Et ecce ſole ruente dies clauditur, aer ſuffunditur tenebris: viri quid agerent, quo diverterent, non occurrit. Illis itaque ſubſiſtentibus, & de hiis quæ acciderant conferentibus, grex juvenum albis ornatus præteriit intuentes, duobus præcedentibus cereis interſecantibus mira luce noctis obſcurum. Sequebatur præeuntes adlaterantibus eum viris duobus ſenex quidam nivea cæſarie venerandus, cui & mira vultus ſuavitas & innata gravitas conſervet gratiam, venuſtatem augeret. Hic juvenes reſpiciens modicum ſubſtitit, Et heus! inquit, ô viri, quinam eſtis vos, & unde eſtis? Quæ vobis patria, quis rex, quæ lex? quæ peregrinationis veſtræ cauſa? Ad quem illi, Natale ſolum nobis *Anglia* eſt, Rex *Edwardus*; Chriſtianis legibus ſubditi, ſacratiſſima Dominicæ paſſionis & reſurrectionis loca viſitare diſponimus. Sed hodie caſu divertentes à ſociis, ut verum fateamur, veræ ſollicitati ſumus; ubinam lateat ſemita, quis ſuſcipiat hoſpitio, quis debitam humanitatem exhibeat ignoramus. Tunc ſenex ut erat hilaris vultu, facieque jocunda, innuens inquit, Sequimini me, inquit, & Dominum tribuens omnia vobis neceſſaria procurabit. Gratias agentes illi, & ſenem comitati, nobiliſſimam ingreſſi ſunt civitatem. Suſceptis hoſpitio menſa paratur, lautiſſimeque refecti dant membra quieti. Mane facto, egredientes ſenex comitatur, & extra urbem jam poſitos, hujuſmodi verbis alloquitur. "Viri fratres, cum ſumma proſperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam proſperum iter faciet vobis Deus ſalutarium noſtrorum, & ego ob amorem regis veſtri in omni via hac qua gradiemini, firmabo ſuper vos oculos meos. Ego enim ſum *Johannes* Apoſtolus & Evangeliſta, diſcipulus ille quem diligebat *Jeſus*, qui ipſum regem veſtrum ob meritum caſtitatis ſumma dilectione complector, quem rogo vice mea ſalutetis; & ne deroget fidem oraculo, hunc ei anulum quem mihi in dedicatione eccleſiæ meæ in habitu peregrino apparenti tribuit reſignate, denunciantes ei obitus ſui inſtare diem, quem infra ſex menſes viſitans viſitabo ut mecum ſequatur agnum quocunque ierit; in quo cum mentis integritate carnis mundicia & morum pulchritudo convenit. Dixit; & ſtatim viri in loco ſe quem ipſi delegerant invenerunt. Cum ſumma autem alacritate ad patriam revertentes, repræſentant anulum regi, exponunt oraculum, & ſeorſum ab aliis conferunt de regis fine ſermonem: ſtatim ad nomen *Johannis* rex prorupit in lacrimas, & cum de omnibus quæ viderant vel audierant diligentius inquiſiſſet, cum gratiarum actione nuncios remiſit ad propria.

De infirmitate regis, & monaſterii ſui dedicatione Weſtmonaſterii.

TAli igitur edoctus oraculo beatus *Edwardus* obitum ſuum longe ante præſcivit, unde & poſtmodum ad patriam profecturus, ydoneos nuncios, preces videlicet & lacrimas, ſedulo præmittebat. Sed & larga manu theſauros diſtribuit, faciens ſibi amicos de mammona iniquitatis, qui eum reciperent in æterna tabernacula. Verum conſtructam jam beati *Petri* baſilicam ante obitum ſuum voluit dedicari, pulchram operum ſuorum conſummationem æſtimans, ſi eccleſiam quam in peccatorum ſuorum remiſſionem & voti recompenſationem renovandam ſuſceperat, pontificali benedictione in vita ſua cerneret conſummatam. Appropinquabat dies feſtus cæteris lætior, quo Salvator noſter *Jeſus* trabea mortalitatis indutus, de utero virginali tanquam de thalamo ſponſus proceſſit; in quo *Anglorum* tota nobilitas ad regis curiam debuit convenire, & regi more ſuo ſceptris ſimul & corona decorando aſſiſtere. Cogitans ergo quemadmodum poſſet ipſa conſecratio ſollempnius exhiberi, decrevit feſtivitate peracta regali, die ſanctorum *Innocentium* celebritatem iſtam compleri. Cum in ipſa nocte Dominicæ nativitatis febre corripitur, & mox inſtans jocunditas vertitur in dolorem, feſtivitas in fletum mutatur. Diſſimulavit tamen, duplici ut arbitror conſolatione præventus. Nam & tranſitum ſuum ad ſuperna imminere ſentiebat, & dulciſſimæ nativitatis dulciſſimi *Jeſu* ſacra ſollempnitas mentem ejus plurimum jocundabat. Igitur tribus diebus victor naturæ, & de ipſo morbo triumphans regalia inſtrumenta ſuſtinuit, & ſollempni convivio inter epiſcopos, & proceres cum qua potuit alacritate reſedit. Tercio autem die ſentiens vocationis ſuæ tempus adeſſe, jubet ut paratis omnibus die craſtina conſecraretur eccleſia. Paravit & ipſe donaria, varia protulit ornamenta, diverſa vaſorum genera ſeperavit, deſcripſit poſſeſſiones, quibus omnibus ſanctiſſimum illud oratorium & dotaretur & ornaretur & ditaretur. Illuceſcebat igitur ſanctorum *Innocentium* jocunda feſtivitas, & convenientibus in unum epiſcopis, cunctiſque regni proceribus ſacra dedicationis ſollempnitas inchoatur. Rex quantum valitudo permittebat favebat officio, ſed regina omnia diſponens, omnia procurans, ſollicita de omnibus, intenta omnibus, utriuſque vicem implevit. Peractis itaque omnibus pro tanta ſollempnitate, quaſi diceret rex Conſummatum eſt, inclinat in lectulo caput, & exhinc cœpit gravi dolore fatigari. Tunc mœror & luctus omnium, una vox plangentium. Præſentiebant plures ejus in morte deſolationem patriæ, plebis exterminium, totius *Anglicæ* nobilitatis excidium, finem libertatis, honoris ruinam.

De viſione quam vidit in extremis.

Circumſtant palatini, ante lectum regina proſternitur, artus frigeſcentes proprio gremio fovet. Cum ecce vel reſolutus in ſomnum, vel ægritudinis more depreſſus, vel quod credibile eſt, in mentis raptus exceſſum, biduo fere jacebat exanimis. Tandem quaſi de gravi ſompno evigilans aperuit oculos & reſedit, erectiſque in cœlum manibus, « Deus, inquit, omnipotens, in cujus ditione ſunt cuncta poſita, qui noſti omnia antequam fiant, regna transferens & mutans imperia, & reddens iniquitates patrum in filios, ſi ea quæ mihi revelata ſunt ex veritatis luce proceſſerunt, præſta voci meæ vocem virtutis, & da ſermonem rectum & bene ſonantem in os meum, ut enarrem mirabilia tua, & diſcant qui me audiunt timere te, & in ſpiritu humilitatis & in animo contrito placare faciem tuam, ut pœniteat te ſuper malo quod propoſuiſti facere populo huic. Mira res; vix orationi finem dederat, & ecce robur corpori, voci virtus acceſſit, reſolvit linguam gratia quam vinxerat ægritudo. Mirantur qui aderant, quomodo is qui preſſus paulo ante morbo vix poterat ab ipſis audiri, ſubito vocem extulit, ac vires priſtinas, ſonumque clariorem ſermo recepit. Aſſumpta igitur parabola vir beatus refert verbis luculentiſſimis hujuſmodi viſionem. « Cum adoleſcens in *Normannia* exularem, grata mihi ſemper extitit bonorum amicitia, & quicumq; in ſacris monaſticæ religionis ovilibus videbantur meliores, hii mihi erant cæteris familiariores. Inter quos viros duos ſpeciali quadam michi devinxerant caritate converſationis honeſtas, vitæ ſanctitas, ſuavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius viſitabam, quam dulcia faucibus meis eloquia eorum, ſuper mel & favum ori meo. Sic quidem vivebam, & in talibus vita ſpiritus mei. Hos ante plurimos annos tranſlatos ad cœlos vidi mihi paulo ante in ſompnis aſſiſtere, quid genti meæ poſt obitum meum ſit futurum ex dei mihi mandato referentes. Impletam dicunt Anglorum nequiciam, & iniquitas conſummata iram provocat, accelerat vindictam. Sacerdotes prævaricati ſunt pactum Domini, polluto pectore & manibus inquinatis ſancta contrectant, & non paſtores ſed mercenarii exponunt lupis oves, non protegunt, lac & lanam quærunt non oves, ut detruſos ad infernum mors & paſtores depaſcat & oves. Sed & principes terræ infideles, ſocii furum, prædones patriæ, quibus nec Deus timori eſt, nec lex honori, quibus veritas oneri, jus contemptui, crudelitas delectationi. Itaque nec ſervant prælati juſtitiam, nec ſubditi diſciplinam. Et ecce Dominus gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum. Oſtendet deinceps populo huic iram & indignationem, immiſſiones inſuper per angelos malos, quibus traditi ſunt anno uno & die uno, igne ſimul & gladio puniendi. Hæc illi. « Ego vero ob intemperatam meæ genti calamitatem dolens atque ſuſpirans, & inquam, Cœleſtium ſecretorum conſcii, ſi converſi egerint pœnitentiam numquid non ignoſcet deus & relinquet poſt ſe benedictionem? Pœnitentia certe prolatam ore dei in Ninivitas ſuſpendit ſententiam, quæ etiam imminentem impiiſſimo *Achab* debitam ultionem. Suadebo igitur genti meæ ut pœniteant de præteritis & caveant de futuris, & ſic forte miſerebitur deus, ut non inducat ſuper eos malum hoc grande, ſed qui punire præparavit adverſos, recipiat in gratiam ſolita bonitate converſos. Nequaquam, inquiunt, quoniam induratum eſt cor populi hujus, & oculi obcæcati & aures aggravatæ, ut nec audiant corripientem, nec intelligant ammonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. Hiis eorum verbis dum mihi major accreſceret ſollicitudo, Itane, inquam, in perpetuum iraſcetur deus, & non apponet ut complacitior ſit adhuc? Quando tot triſtibus læta ſuccedent? aut tot adverſa qualis conſolatio temperabit? Quale ſperandum eſt in hiis malis remedium, ut ſicut illinc terret & contriſtat afflictio, ita hinc aliquantulum mulceat divinæ miſerationis promiſſio? Ad hæc ſancti tale mihi problema proponunt. Arbor quælibet viridis à ſuo trunco deciſa ad trium jugerum ſpatium à radice propria ſeparetur, quæ cum nulla manu hominis cogente, nulla urgente neceſſitate, ad ſuum truncum reverſa in antiquam radicem ſeſe receperit, reſumptoque ſucco rurſum floruerit & fructum fecerit, tunc ſperandum eſt aliquod in hac tribulatione ſolatium, & de ea quam prædiximus adverſitate remedium. Hæc cum dixiſſent, ipſi cœlo, ego vobis redditus ſum. Aſſidebat narranti viſionem regina, *Robertus* etiam ſacri cuſtos palacii, dux *Haraldus* frater reginæ, *Stigandus* etiam qui aſcendit cubile patris ſui, & maculavit ſtratum ejus, vivente adhuc archiepiſcopo *Roberto* cathedram *Cantuarienſem* invadens; ob quod à ſummo pontifice ſuſpenſus paulo poſt crepuit & effuſa ſunt omnia viſcera ejus. Is ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti, ſed potius regem confectum ſenio delirare ſubmurmurans, ridere maluit quam lugere. At cæteri quibus erat mens ſanior flebant ubertim & ſuſpirabant, qui nichil ſecus quam ipſe dixerat, aut à ſacerdotibus aut à principibus fieri non ignorabant. Recordantur hæc ipſa ſummo ſæpius narrata pontifici, ipſumque perſæpe tum per legatos tum per epiſtolas eorum veſaniam increpaſſe, regemque ac reginam hiis malis curandis diligentiam adhibuiſſe, ſed profeciſſe nichil. Experti ſunt tandem regem ſanctum hæc non de ſuo ſpiritu prophetaſſe,

phetaſſe, quando rex *Haraldus* qui contra jusjurandum quod *Willielmo* Duci fecerat regnum invaſerat, ab ipſo victus in prælio *Anglicæ* libertati finem dedit, initium ſervituti. Unde quidam præmiſſam ſimilitudinem dicunt, pro impoſſibili regem ſtatuiſſe, illi maxime qui totam *Anglorum* nobilitatem ſic deperiiſſe lugebant, ut ex ea gente nec rex, nec epiſcopus, nec abbas, nec princeps quilibet vix in *Anglia* cerneretur.

Expoſitio problematis à rege propoſiti.

MIchi ſane alia mens eſt conſideranti ſanctiſſimum virum *Dunſtanum* & ipſam calamitatem prædixiſſe, & conſolationem nichilominus promiſiſſe. Poteſt proinde ſic non inconvenienter exponi. *Arbor* hæc regnum *Anglorum* ſignificat, decorum gloria, divitiis deliciiſque fœcundum, excellentia regiæ dignitatis ſublime. *Radix* ex qua totus honor iſte proceſſit regium ſemen fuit, quod ab *Alfredo*, qui primus *Anglorum* à ſummo pontifice unctus & conſecratus in Regem fertur, recta ſucceſſionis linea uſque ad ſanctum *Edwardum* deſcendit. *Abſciſa eſt arbor à trunco*, quando regnum à genere regali diviſum, ad aliud ſemen translatum eſt. *Ad ſpatium trium jugerum hæc facta eſt ſeparatio*; quia in trium regum temporibus nulla fuit novis cum antiquo ſemine regali communio. *Haraldus* enim ſucceſſit *Edwardo*, & *Willielmus Haraldo*, & *Willielmus* junior patri *Willielmo*. *Acceſſit ad radicem arbor*, quando glorioſus rex *Henricus* in quem totum regni decus transfuſum eſt, nulla neceſſitate cogente, nulla ſpe lucri urgente; ſed ex infuſo ei amoris affectu abneptem *Edwardi Matildem* duxit uxorem, ſemen regum *Normannorum* & *Anglorum* conjungens, & interveniente opere conjugali de duobus unum faciens. *Floruit ſane arbor*, quando de utroque ſemine imperatrix *Matildis* proceſſit. *At tunc fructum fecit*, quando de ipſa noſter *Henricus* velut lucifer matutinus exoriens, quaſi lapis angularis utrumque populum copulavit. Habet nunc certe de genere *Anglorum Anglia* Regem, habet de eadem gente epiſcopos & abbates, habet & principes, milites etiam optimos, qui ex utriuſque ſeminis conjunctione procreati aliis ſunt honori, aliis conſolationi. Si cui hæc diſplicuerit expoſitio, aut aliter ipſe exponat, aut aliud tempus quo hæc expleantur expectet, ne propheta prophetæ inveniatur contrarius; nec credatur ſanctum *Edwardum* negaſſe quod novimus ſanctum *Dunſtanum* promiſiſſe. Hiis forte non inconvenienter inſertis, ad narrationis ordinem redeamus.

De morte ſancti Regis & exequiis.

SCiens itaque Rex quia appropinquavit hora ejus ut tranſiret ex hoc mundo ad *Chriſtum*, jubet ſuos à fletibus temperare, nec lætitiam quam ſpes pariebat inutili quadam interpolare triſtitia. Et quaſi hiis verbis aſtantes conveniens, *Si diligeretis* inquit, *me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, promiſſa fidelibus gaudia percepturus, non meis meritis ſed gratia Domini ſalvatoris qui miſeretur cui voluerit, & miſericordiam præſtat in quem ſibi placuerit: vos autem animam perſequimini precibus, & obſidentibus iter meum ad ſuperna pſalmis elemoſiniſque reſiſtite, quoniam licet ab hiis ſuperari fides crucifixi non poſſet, vix tamen quiſpiam ita perfectus eſt, ut vel impedire eum vel terrere non temptent.* Reginam deinde fratri proceribuſque commendans, ejus plurimum laudabat obſequium, & pudicitiam prædicabat, quæ ſe quidem uxorem gerebat in publico, ſed ſororem vel filiam in occulto. Imperat etiam quatinus omnia quæ ei dotis nomine munificentia regali contulerat, firma ei ſemper & illibata permaneant. Sed & eos qui eum de *Normannia* ſecuti fuerant, indigenis ſedulo commendabat, ſive præeligerent repatriare cum gratia, ſive cum honore ſubſiſtere. In eccleſia ſane beati *Petri* Apoſtoli quam à fundamentis ipſe conſtruxerat, ſepulturam ſibi fieri poſtulavit, ſuumque tranſitum mox omnibus propalari, ne mortis ſuæ cognitione dilata, orationum quoque ſuffragia differrentur. Omnibus igitur ſicut oportebat diſpoſitis, jubet ſanctus ſacerdotes cum eccleſiæ miniſtris adeſſe, & mox exitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione munivit. Cernenſque reginam inter cæteros flentem uberius & crebrius ſuſpirantem, *Noli*, inquit, *flere filia mea, non enim moriar ſed vivam, recedenſque de terra morientium, credo videre bona Domini in terra viventium.* Totum ſe demum commendans Deo, in fide Chriſti, ſub ſacramentis Chriſti, in ſpe promiſſorum Chriſti, ſenex & plenus dierum migravit à ſeculo, & puram relinquens purus ſpiritus carnem auctori ſpirituum in æternum victurus conjungitur; Cui cœli cives obviant, cui claviger æthereus cœlum reſerat, cui verax ſui executor promiſſi diſcipulus ille quem amavit *Jeſus Johannes* occurrit, cum quo virgine virgo ſequetur agnum quocumque ierit. Obiit autem anno incarnationis Domini milleſimo ſexageſimo ſexto cum regnaſſet viginti tribus annis, menſibus ſex, & viginti ſeptem diebus, Indictione quarta, pridie Nonas Januarii: cum quo tota pariter *Anglorum* felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit. Dici non poteſt quantus mox omnes timor invaſerit, occupaverit mœror, quomodo totam quoque inſulam tenebroſus quidam horror impleverit, ſtabant[ad] exuvias ſacras regis cognati ejus & amici, cum ſubito cadaver exanime quoddam futuræ beatitudinis præferret inſigne, cujus vultus cœleſti rubore perfuſus omnium aſſiſtentium in ſe convertebat aſpectus. Mirantur omnes, ſed nudati corporis gloria auxit ammirationem quod niveo candore coruſcans ita reſplenduit, ut virginitatis illius decus etiam incredulos latere non poſſet. Parantur interim regales exequiæ, precioſis lintheis & optimis palliis corpus involvitur, pauperes Chriſti copioſis elemoſinis ſublevantur. Aſſunt pontifices, ſacerdotum & clericorum frequens turba occurrit, duces regni cum Comitibus proceribuſque conveniunt, agmina concurrunt monachorum, innumerabilis multitudo utriuſque ſexus de vicis & civitatibus ad regis exequias convolarunt. Hinc pſalmi reſonant, illinc lacrimæ gemituſque prorumpunt, ubique gaudia mixta dolori, cum omnes & in rege cernerent unde gauderent, & in ſe ſentirent unde dolerent. Deferunt ad eccleſiam illud pudicitiæ templum, virtutis domicilium, offerunt pro eo ſacrificium ſalutare. Et ſic in loco quo ipſe decreverat honorifice ſepelitur, in die noviſſimo beata reſurrectione donandus per *Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Incipit Liber Secundus.

De contracto ad ejus tumulum ſanato.

REbus humanis exemptus quam potens fuerit in divinis beatus *Edwardus* mundum latere non potuit, cum nec virginei corporis virtus vel terra obrui, vel lapide claudi, vel cum ipſo potuerit corpore ſepelirivis enim quæ latebat in membris erupit in miraculis, quoniam dum cæcis viſum, claudis greſſum, infirmis ſanitatẽ reſtituit, precioſam in conſpectu Domini mortem *Ed.* certis indiciis declaravit. Inter pauperes quos in vita ſua ſanctus aluerat fuit quidam *Normannici* generis *Radulphus* nomine, qui nervis in poplite contractis, pedibus etiam ad celanda retortis, non ſolum naturali privabatur inceſſu, ſed & genibus repere, ut ejuſmodi debilibus moris eſt, dolore obſiſtente non valuit. Novum ſolacii genus adinvenit magiſtra neceſſitas, vas cavatum in formam pelvis adquirit, cui nates cum cohærentibus membris iniciens & ſibi artius colligans anteriora manibus ſuſtentabat, poſteriora quaſi per terram navigando trahebat. Rege igitur ad ſuperiora tranſlato, cum alimenta ſolita miſero defeciſſent, moleſtius cœpit etiam debilitatem membrorum ſuſtinere. Recolens autem viri dei qui eum vivens aluerat, cujus ſanctitas ammiranda nec ipſum latere potuit, fide plenus ſuæ inſidens naviculæ, infra octavum ſuæ depoſitionis diem ad ſancti regis ſepulchrum applicuit. Ibi regem quaſi viventem conveniens, « Tu non es, inquit ille, qui corruptibili adhuc « carne circumdatus debiles & ægrotos cœleſti virtute curabas? Et ego quidem, domine mi, membrorum diſpendium lenius te vivente ferebam, cum « hac mihi cauſa cibi, potus, deliciæ veſteſque neceſſariæ copioſiſſimæ præſtarentur. At nunc infirmitatis inopia cumulante miſeriam, aut tu quid mihi faciendum ſit, quo divertendum, cujus ſupplicanda majeſtas, cujus pietas expetenda non taceas: « aut ipſe ſolito medicam manum adhibeas, ut quia « ad ſpiritales quibus nunc frueris mihi fas non eſt « aſpirare delicias, membra mihi quibus corporales « adquiram potenti virtute reſtituas. Dixerat, & ecce mox ſanctitas regis emicuit, effloruit gratia, pietas invocata reſplenduit: vis enim quædam occulta ſubito nervos extendens in naturalem ſtatum crura pedeſque retorquet, evulſiſque à carne articulis ſanguis profluit, paulatimque ſucco reſumpto, arida prius oſſa priſtinum robur recipiunt. Gaudent aſtantes eandem in mortuo quam in vivente viderant effulſiſſe virtutem, & exhinc ſacras *Edwardi* regis reliquias & viſitare frequentius & propenſius honorare ſatagebant, ſcientes eis ad ſanandos infirmos morboſque pellendos Apoſtolicam gratiam non deeſſe. Porro vir ille receptis viribus ſtetit ſuper pedes ſuos, gratias agens Deo & ſancto *Edwardo*, qui poſt primam gratiam qua debile corpus aluerat, etiam nunc ſecundam adiciens, ipſam debilitatem amoverat.

De ſex cæcis & ſeptimo monoculo ad ejus ſepulchrum illuminatis.

DIximus beatum *Edwardum* ſpecialem in illuminandis cæcis dum ad viveret habuiſſe virtutem, hanc ei gratiam morte interveniente non eſſe ſubtractam ſequens capitulum declarabit. Adhuc de morte tritennarium pro rege celebrabatur officium, cum ſex cæci unum ſequuti monoculum ad ſepulchrum regium properarunt. Mirabile ſpectaculum, cum alter ab altero traheretur, & unus præcedens oculis viris ſeptem ducatum præſtaret. Ab illo ergo quo greſſus omnium regebatur, ante ſacri corporis repoſitorium collocati, ſuam cum lacrimis exponunt miſeriam, opem flagitant, contra diuturnæ caliginis tædium beatiſſimi Regis poſcunt auxilium. Nec difficile putant in regione lucis quam nulla nox interpolat conſtituto, à domino lucis mortalibus corporibus lucem impetrare terrenam; nec minoris eum meriti choris immixtum angelicis arbitrantur, quam fuerat cum membris eſſet corruptibilibus involutus. Illis itaque in oratione perſiſtentibus elementia divina non defuit, quæ & Sancti ſui merita latius propalaret, & deſideratum miſeris ſolatium non negavit. Subito enim is qui dux fuerat cæterorum, caritatis ſuæ ſtipendium lumine duplicato recepit, ſocioſque reſpiciens, videt & ipſos novi luminis infuſione ſplendere. Intuentur ſe mutuo, & unus ab alio ſciſcitatur an videat, ſtupent omnes & quaſi extra ſe poſiti, neſciebant quia verum eſt quod fiebat, exiſtimabant enim ſe viſum videre. Tandem in ſemetipſos reverſi, & magnam multitudinem divinæ bonitatis experti, erumpunt in vocem exultationis & confeſſionis, multis accurrentibus & ammirantibus præ gaudio, & laudantibus deum in ſancto ſuo *Edwardo*. Illi autem qui munus ſalutare acceperant gratias agentes deo ad propria remearunt, beatiſſimi regis merita prædicantes & virtutem ejus argumento viſibili comprobantes.

De victoria Regis Haraldi *per beati Regis merita.*

INterea *Haraldus, Godwini* filius, regnum quod ſecundum fidem ſacramenti debuerat ſervaſſe *Willielmo* Regis *Edwardi* conſobrino, ſibi nec jure debitum nec natura, irreverenter uſurpans, malum quod *Anglis* ſecundum ſancti Regis oraculum Dominus præparaverat, tranſgreſſione pacti & fidei acceleravit læſione. Ut autem attenuatis viribus facilius ab hiis quos injuſte provocaverat hoſtibus vinceretur, ſuſcitavit ei à parte aquilonis inimicos, *Haraldum*, cognomento *Harfau*, *Norwagenorum* regem, & *Toſtinum* fratrem ſuum quem de *Anglia* ipſe expulerat, & tempore regis *Edwardi* exulabat in *Flandria*. Hii cum magna claſſe per *Humbram* ad *Eboracum* properantes, cum exercitum *Northanhimbrorum* prælio excepiſſent, potiti victoria magnam de obſiſtentibus ſtragem dederunt. Hæc ubi *Haraldo* nunciata ſunt, exercitum copioſum ex omnibus finibus *Angliæ* collegit, cum nocte quadam abbati cuidam religioſo qui *Rameſienſi* præerat monaſterio, *Alxi* nomine, beatus *Edwardus* in ſomnis apparuit. Cujus cum majeſtatem vir ſapiens expaviſſet, ille blande conſolatus hominem; « Vade, inquit, & « dic *Haraldo* ut homines qui contra jus & fas regni hujus fines invadunt aggrediatur ſecure, ego enim « ero dux & protector exercitus, quoniam juſtitiæ « hujus gentis deeſſe non poſſum, per quem reportabit vice hac de hoſte triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget ſecretum ei ſui cordis oſtende ut « cum ei [quod] nullo conſcio mente volvebat « edixeris, non hæc tuæ adinventioni ſed meæ promiſſioni aſcribat. Nocte quidem præterita cum « dolore torqueretur, licet eum non parum urgeret « moleſtia imminens, ſiluit tamen, reputans apud ſe « ſi publicaret languorem, quod & ſuis futurus eſſet « contemptui & hoſtibus irriſioni. Hæc ſecum, verum

« quia nunc ſanitate ſuccedente languori ab illa peſte convaluit, de meo præſumens auxilio, contra barbaros juſtum bellum ſuſcipiat, & ab imminenti periculo ſuos compatriotas eripiat. Exurgens à ſompnis vir venerandus adiit *Haraldum*, exponit oraculum, & ne ſurriperet hæſitatio, ſecretum illud quod ſanctus juſſerat operiri, ipſo multum ammirante reſeravit. Tunc ille cœleſti promiſſione factus audacior, in manu valida uſque ad provinciam *Eboracenſem* progrediens, in loco qui tunc *Steinfordebrigge*, nunc autem ex rei eventu etiam *Pons belli* dicitur, hoſtes offendit: conſertoque prælio dux uterque proſternitur, rex videlicet *Norwagenorum* & frater proprius *Anglici* regis *Toſtinus*, peneque totus eorum deletus eſt exercitus. Itaque quod de duobus fratribus adhuc pueris longe ante prædixerat, & quod recenti viſione vir ſanctus promiſerat, una *Haraldi* victoria completum eſſe nemo qui ambigat.

Quomodo cæcus beatum Edwardum *vidit de ſepulcro exire, & ita viſum recepit.*

FUit præterea in monaſterio beati *Petri* Apoſtoli juvenis haud ignobilis; decorus quidem forma ſed utriuſque ſideris privatus officio. Hujus compatientes miſeriæ qui tunc præerant cœnobio, campanas cum quibus fratres ad quælibet agenda ſcitabantur pulſare juſſerunt, & cæteras horas certis quibuſcumque ſollempniis deputatas cimbalorum ſonitu deſignare. Agebat igitur vir ille creditum ſibi prudenter officium, frequentabat eccleſiam, orationibus crebro inſiſtebat, & beati regis merita adeſſe ſibi ſedulo precabatur. Accidit autem die quadam æſtivo tempore, dum fratres hora meridiana quieſcerent, & ut ipſe decumbens in oratorio daret membra quieti, & ecce videt in ſompnis beatum *Edwardum* egredi de ſepulchro ſeque reſpicientem; deinde ſompnolenciæ arguens hominem, jubet ei pulſando finem ſompno facere, & fratres ad horam orationis nonam, quæ jam pene tranſierat, excitare. Hæc cum ei monita ſanctus dediſſet, videt ipſum regem coronatum ad altare procedere. Quem cum diligenter intuens, in ſplendorem illius coruſci luminis oculos infixiſſet, viſio beata diſparuit. Expergefactus juvenis ſubito aperuit oculos, & hauſto lumine redditam ſibi priſtinam ſenſit ſanitatem. Detexit viſionem fratribus, & atteſtatione miraculi fidem verbis fecit, omnibus ammirantibus & benedicentibus deum in operibus ſuis, qui beato *Edwardo* poſt mortem dedit melius vivere, & oſſa ejus mortua de loco ſuo miris operibus pululare.

De injuſta beati Wulſtani depoſitione, & de juſta ejuſdem per beatum Regem reſtitutione.

BEneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Hoc & beati præſulis *Wulſtani* ſimplex juſticia, & ſancti Regis *Edwardi* potens magnificentia ſequenti miraculo declararunt. Cum enim rex *Willielmus* totam inſulam ſubdidiſſet, ac rebelles quoſque vel expuliſſet ab inſula, vel mancipaſſet vinculis, vel ſervitute oppreſſiſſet, cœpit etiam cum ſuis de eccleſiaſticis tractare negotiis. Fecit igitur ſynodum congregari præſentibus Apoſtolicæ ſedis legatis *Hermenfrido Sedunenſi* epiſcopo, & presbiteris Cardinalibus *Johanne* & *Petro*. A quibus *Stigandus*, qui ut ſuperius diximus pollutis pedibus ſanctuarium dei conculcaverat, omni gloria & honore ſpoliatus, & à rege perpetuo carcere condempnatus eſt. Succeſſit huic in cathedra *Cantuarienſi* Abbas *Lanfrancus* vir undecumque doctiſſimus, omnium etiam liberalium artium divinarumque ſimul ac ſecularium literarum peritiſſimus. Hic igitur quaſi conſtitutus à Deo ut evelleret & diſſiparet & diſperderet, & ædificaret & plantaret, eccleſiam *Anglorum* ad novam quandam ſpeciē revocare legationis ſuæ fultus auctoritate conatur. Cœpit autem mox corrigenda corrigere & ſtatuenda ſtatuere, clericis etiam & monachis honeſtiorem vivendi formam præſcribere. Apud hunc vir domini *Wulſtanus* ſimplicitatis & imperitiæ accuſatur, & quaſi homo ydiota & ſine literis deponendus, rege conſentiente vel etiā hoc ipſum præſcribente, decernitur. Igitur in ſynodo quam apud *Weſtmonaſterium* rege præſente celebravit *Lanfrancus*, inter cætera quæ tractavit negotia, jubet venerabilem virum baculum reſignare cum anulo. At vir domini nec vultu mutatus nec animo, erexit ſe, & virgam paſtoralem manu tenens; « Vere, inquit, domine archiepiſcope, vere ſcio quia nec hoc honore dignus ſum nec huic ydoneus oneri nec ſufficiens labori: ſciebam hoc cum me clerus eligeret, cum epiſcopi cogerent, cum me dominus rex meus *Edwardus* ad hoc officium invitaret. Ipſe auctoritate ſedis Apoſtolicæ in meos humeros hoc onus refudit, & per hunc baculum me epiſcopali gradu inveſtiri præcepit. Et nunc paſtoralem tu virgam exigis quam non tradidiſti, officium adimis quod non contuliſti. Et ego quidem inſufficientiam non ignorans, & tuæ ſanctæque ſynodi ſententiæ cedens reſignabo baculum, ſed non tibi, ſed ei potius cujus eum auctoritate ſuſcepi. Hæc cum dixiſſet, cum ſuis acceſſit ad lapidem quo glorioſiſſimi regis exuviæ claudebantur, & ſtans ante ſepulcrum; « Tu ſcis, inquit, domine mi *Edwarde*, quam invitus hoc onus ſuſceperim, quotiens ſubterfugerim, quotiens me cum quæreret abſentaverim. Fateor inſipiens factus ſum, ſed tu me coegiſti. Nam licet non deeſſet fratrum electio, plebis petitio, voluntas epiſcoporum, gratia procerum, hiis tamen omnibus tua præponderavit auctoritas, tua magis urgebat voluntas. Et ecce novus rex, nova lex, novus pontifex nova jura condunt, novas promulgant ſententias. Te erroris arguunt qui iuſſiſti, me præſumptionis qui conſenſi. Et tunc quidem falli potuiſti ut homo, ſed nunquid modo conjunctus deo? Non igitur illis qui exigunt quod non dederunt, qui cum ſunt homines fallere poſſunt & falli, ſed tibi qui dediſti, qui jam inductus in ipſam veritatem erroris vel ignorantiæ tenebras evaſiſti, tibi inquam reſigno baculum, tibi curam eorum quos mihi commendaſti dimitto, tibi ſecure eos committo cujus merita non ignoro. Hæc cum dixiſſet, elevata paululum manu, in lapidem quo ſanctum corpus tegebatur infixit baculum, « Accipe, inquiens, domine mi rex, & cui libuerit trade illum. Et ſic deſcendens ab altari exutus pontificalibus inter monachos ipſe monachus ſimplex reſedit. Ammirabantur omnes cernentes virgam immerſam ſilici, & quaſi radicibus niteretur, neque ad dextram neque ad ſiniſtram declinare. Temptant eam quidam evellere, ſed illa ſtabat immobilis. Fit in turba murmur & muſitatio, accurrunt undiq; videnteſq; magnalia dei ſtupent, hærent, nunc procedunt paululum, nunc greſſū ſiſtunt, nunc extendunt manum, nunc retrahunt, nunc quomodo ferrum inhæreat lapidi terræ decumbentes explorant, nunc erecti ſe invicem coartantur ut videant. Res defertur in ſynodum; Sed *Lanfrancus* dictis fidem non adhibens, accerſito ad ſe *Gumulfo Roffenſi* epiſcopo viro venerabili & religioſo, jubet ut accedens ad ſepulchrum, baculum quem Sanctus depoſuerat proferat in medium. Paret ſuperiori præſul inferior, ſed inventa eſt fortior virginei licet extincti corporis virtus, quam viventis epiſcopi manus. Iſta baculum temptat evellere, quem illa licet inferior loco ſed poteſtate ſuperior, quaſi à parte inferiori vi quadam mirabili tenetetur, ſilici facit immobiliter inhærere. Tunc præſul *Lanfrancus* novitate miraculi ſtupefactus, & regem volens tantæ ammirationis eſſe participem, mittit qui eum in ſynodum evocarent. Advenienti cum proceribus aſſurgit *Lanfrancus*, ſimulque ad Regis tumulum properantes, facta oratione manum apponit pontifex, baculum temptat eruere, ſed obſiſtente ſancti Regis virtute conatus ejus deſiderato caret effectu. Exclamat rex, plorat pontifex, uterque reſonat gloriam Deo, laudes *Edwardo*, cujus in beati *Wulſtani* promotione non erraſſe judicium certis indiciis declarabatur. Tunc *Lanfrancus* ad Sanctum accedens, « Vere, inquit, juſtus dominus & « juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus, vere « cum ſimplicibus graditur, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Deriſa eſt à nobis tua frater juſta ſimplicitas, ſed eduxit quaſi lumen juſtitiam « tuam & judicium tuum tanquam meridiem. Plangendæ tenebræ quibus involuti dicimus malum « bonum & bonum malum. Erravit, erravit in te « frater judicium noſtrum, & ſuſcitavit Deus in rege « ſuo ſpiritum ſuum, qui noſtram evacuaret ſententiam, & ſimplicitatem tuam Deo gratam omnibus « propalaret. Auctoritate proinde qua fungimur, « immo divino judicio quo convincimur, curam qua « te inconſultius exuimus iterum tibi committimus « & imponimus, ſcientes experti quoniam melius eſt « modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. « Melius plane modicum literaturæ cum fide quæ « in ſimplicitate cum dilectione operatur, ſuper divitias ſapientiæ & ſcientiæ ſecularis, quibus multi « vel ad vanitatem humanæ laudis vel in avaritiam « turpis quæſtus abutuntur. Accede igitur, frater mi, « accede ad dominum tuum, immo & noſtrum: credimus enim quod ſancta ejus dextera quæ nobis « baculum negavit, tibi laxata manu facile reſignabit.

His auditis, ſanctus pontifex ſua uſus ſimplicitate paruit imperanti, & accedens ad altare, « Ecce, inquit, ego domine mi *Edwarde*, ecce ego qui me tuo « commiſi judicio, qui me tuæ ſententiæ ſubdidi, cui « baculum quem conceſſeras reſignavi. Quid nunc « tibi placet, quid vis, quid diſcernis? ſervaſti certe « dignitatem tuam, meam purgaſti innocentiam, tuam magnificentiam prodidiſti. Si igitur adhuc de « me tua ſtat antiqua ſententia redde baculum, aut « ſi mutata eſt, cui tradatur ediſſere. Hæc dicens, levi tactu virgam temptat evellere; quæ manum ejus ſequuta, ac in molli luto fuiſſet impreſſa deſiliit. Accurrunt rex ſimul & archiepiſcopus, proſtrati veniam poſtulant, & ſe ſancti viri orationibus commendant. At ille qui didicerat à Domino *Jeſu Chriſto* mitis eſſe & humilis corde, ipſis æque proſternitur, & à tanto ſe pontifice benedici precatur. Quæ tunc inter ſanctos epiſcopos lacrimæ, quæ ſuſpiria, quam humilis de ipſa benedictione fuerit contentio, quis facile dixerit? Tandem mutuo benedicentes & manibus ſe tenentes in ſynodum redeunt cunctis exultantibus, multis autem & flentibus præ gaudio, omnibus autem in commune Deum in ſuis ſanctis mirabilem prædicantibus. Rex vero in amorem cognati ſui & prædeceſſoris accenſus, ſanctiſſimum ejus ſepulchrum theca de argento ſimul & auro fabrefacta, ſicut in præſentiarum cernitur, miro ſtudio decoravit.

De prima ejus tranſlatione & corporis incorruptione.

CUM igitur hiis atque hujuſmodi miraculis ſanctus floreret *Edwardus*, erat inter fratres frequens de ejus ſanctitate confabulatio. De die in diem circa tantum patronum cunctorum augebatur affectus, quo ad reviſendas ſanctas ejus reliquias magis ac magis incitabantur. Erat & inter eos amica quædam plærumque contentio, aliis affirmantibus virgineam carnem regis corruptionis expertem, integram & illibatam in ſacro ſui corporis hoſpitio detineri: aliis præ timore indicentibus illis de tanta præſumptione ſilentium, ne forte hac ſpe fruſtrata, facile tanti Confeſſoris gloria poſſet imminui. Cum enim, inquiunt, apoſtolorum, martyrum, innumerabiliumque ſanctorum corpora ſint reſoluta in cineres, ſi hoc ipſum natura operetur in *Edwardo*, nec à nobis minus amandus, nec Deo minus videri debet acceptus. Hæc cum ante virum venerabilem ipſius monaſterii abbatem *Gillebertum* cognomento *Criſpyn* diſputatio verteretur, diſcernit tanti patroni corpus omnimodis viſitandum, & quid de hiis ſentiendum ſit, certis indiciis explorandum. Statuit igitur diem quo ſancti viri reliquiæ proferentur in medium, ut iſtorum fidei, illorum conſuleretur affectui. Vocat autem ad hoc cœleſte ſpectaculum perſonas honeſtas & religioſas, inter quas *Roffenſis* epiſcopus *Gumulfus*, de quo ſuperius fecimus mentionem, ſpeciali gratia ſimul & gloria præminebat. Itaque triceſimo ſexto anno ex quo rebus humanis exceſſerat, accedunt ad tumulum ſancti viri qui ad hoc fuerant invitati, ſublatoque lapide quo ſarcoſagum claudebatur, tanta odoris fragrantia omnium naribus, ut & eccleſia repleretur, & in ſepulchro aromata ſcaturire putarentur. Primum deinde pallium quo ſacratiſſima membra fuerant involuta, priſtinam venuſtatem & integritatem reſervaſſe conſpiciunt. Spe deinde gloriæ potioris animati, extracto pallio cætera ornamenta veſteſq; conſiderant, & omnia ſolida invenerunt & integra. Producunt brachia, plicant digitos, articulos explorant, & omnia ſana, omnia flexibilia & antiquo reperiuntur vigore firmiſſima. Inveſtigant poſtremo carnis integritatem pariter & colorem, quæ vitro purior, nive candidior, futuræ reſurrectionis gloriam præferebat. At cum deſideratam faciem ejus attingere omnes pariter timuiſſent, præfatus epiſcopus *Roffenſis* teſtimonio conſcientiæ vel amoris factus audacior, ſudario quo caput ſanctiſſimum tegebatur manum injecit, & à parte inferiori diſcendens, barbam beata canicie niveam fide plenus extraxit, eam acſi viveret mento firmius inhærere perſentiens. Delectatus miraculo & deſiderio ignitus pilum unum extrahere ſibique ſervare conatur: ſed hæſit firmius, nec ſequitur voluntatem effectus. Animadvertit hoc *Gillebertus*, & epiſcopum blande corripiens; « Sine, « inquit, pater, nec tanti regis velis infeſtare quietem, « nec integritati ejus quam *Chriſtus* huc uſque ſervavit aliquid minuere. Ad hæc epiſcopus. « Optime, inquit, loqueris abba. Non tamen conatum « hunc meum præſumptioni deputes ſed devotioni. « cum reliquiarum ejus vel modicam portionem ſi « mihi copia præſtaretur, *Craſſi* opibus prætuliſſem.

« Sed quia regius animus aliquid ſibi detrahi dedignatur, habeat ſibi omnia ſua, & cum integritate « ſua diem beatæ reſurrectionis expectet. Itaque retento pallio quo ſanctiſſima ejus membra fuerant involuta, aliud æque precioſum apponunt, diligenterque curatam glebam illam dulciſſimam ſuo recondunt in thalamo. Ubi per ejus merita plurima præſtantur beneficia; ex quibus ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti pauca de pluribus credimus ſubnectenda.

De puella ad ejus tumulum ſanata.

SAnctiſſimus *Helyſeus* propheta à pueris plus quadraginta deriſus, ſua maledictione ultus injuriam, univerſos beſtiis tradidit puniendos. Magum impiiſſimum *Helymam* apoſtolos blaſphemantem beatus *Paulus* ſubita cæcitate dampnavit. Injuriam igitur ſanctis ſuis illatam in ſe redundare *Chriſtus* declarat, *Qui vos*, inquiens, *audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Hoc in ſuo Dominus *Jeſus* oſtendit *Edwardo*, ejus detrahentes ſanctitati cum magna ſeveritate puniens, obſequentes ei beneficiorum collatione remunerans. Erat in civitate matrona nobilis, *Matildis* nomine, artis purpuratiæ peritiſſima, quæ regum divitumque veſtes ornare auro, illuſtrare gemmis, picturis & floribus opere polimito variare conſueverat. Commiſerat ei opus non mediocris precii nobiliſſima quædam ac ditiſſima femina, quæ Comiti *Glovernia* nuptum tradita paulo minor à regina habebatur, cæteriſque per *Angliam* Comitiſſis ſicut divitiis, ita cultu veſtium nitebatur excedere. Inſtabat cotidie non ſolum ut artificioſe ſed etiam ut celeriter omnia complerentur. Aderat interea beati regis & martyris *Ed:* hujus noſtri principis patrui præclara ſollempnitas, qui ab impiis ſine culpa peremptus, creditur innocentiæ martyrio coronatus. Fluctuabat animo ſapiens illa mulier, & cum operis dilationem ſuperbiſſimæ feminæ indignationem ſibi crederet parituram, & ſanctiſſimam feſtivitatem labore prohibito violare divinæ ultionis timeret eſſe materiam, Reſpiciens igitur ſociam operis adoleſcentulam, Quid tu, inquit, inter laboris hujus neceſſitatem & ſancti Regis *Edwardi* feſtivitatem decernis? Nam vacare diſpendioſum, operari autem in tanta feſtivitate arbitror periculoſum. Subridens juvencula : « Iſtene eſt *Edwardus* quem apud *Weſtmonaſterium* hæc ruſtica multitudo veneratur ut regem? Rogo quid mihi & illi? « vacent alii & ſuis cantibus vel plangant mortuum « vel honorent, ego non magis pro eo quam pro ruſtico quolibet inceptum opus ſi juſſeris prætermittam. Expavit domina & incaluit cor ejus & in meditatione ejus ignis exæſtuans erupit in vocem increpationis & indignationis, & quaſi diabolico præventam ſpiritu blaſphemam duriſſimis ſermonibus verberaret. Ridebat pediſſequa, & dominæ ſuæ ſimplicitatem irridens, blaſphemiam blaſphemiis cumulabat; cum ſubito multis aſtantibus paralyſi morbo corripitur, & os blaſphemum uſque ad dexteram autem retortum eam officio linguæ quo fuerat abuſa privavit : ſpumant labia, ſtridet dentibus & areſcit; miſerabilique membrorum ſinuamine corpus omne torquetur. Hæc cum materfamilias juvenculæ cerneret juſto Dei judicio contigiſſe, dolor indignationi, luctus iræ ſucceſſit. Flebat illa & domus ejus tota, & quæ objurgaverat blaſphemantem, miſeratur tot tormenta & tam intolerabilia patientem. Res innotuit civitati. Accurrunt multi, aut dominam conſolaturi, aut pediſſequam admiraturi. Quærenti autem quid facto opus ſit, aſtat perſona quædam ſatis ut videbatur veneranda, hortabatur ut impoſitam navi miſeram ad ipſius quem blaſphemaverat corpus ſanctiſſimum deportarent, ejus meritis recepturam remedium, ob cujus injuriam illatum ſibi ſenſerat tam inhumane ſupplicium. Dixit, & factum eſt ita. Delata eſt ad ſancti Regis ſepulchrum mulier infelix, accenſoque ad ejus menſuram cereo, domina ejus vigiliis & orationibus inſiſtebat. Luctus & ejulatus multus circa illam, quoniam inſanabilis videbatur dolor ejus, peſſima plaga illius. Una & ſola ſpes omnium pietas *Edwardi*, qui didicerat à Domino *Jeſu* retribuere bona pro malis, dilectionem pro odio. Torquebatur ergo tota nocte illa, cæteris flentibus & orantibus. Orabant & pro ea fratres monaſterii, quorum Præpoſitus ſollempnes ſuper eam letanias cum magna devotione edidit. Pugnabant in conſpectu piiſſimi Regis oratio & ægritudo, iniquitas famulæ peccatricis & fides dominæ miſerantis, magnitudo criminis & multitudo doloris. Vicit tandem *Jeſum* meritis beati regis illa à qua vinci ſolet miſericordia, quæ mox in languida obvians veritati ſententiam quam illa dictaverat ſua lenitate temperavit. Itaque cum in dolore nocti continuaſſet & diem, hora qua laudibus veſpertinis ſacra illius feſtivitas diei claudebatur, inter pſallentium voces & gemitus orantium ſubito reddita ſibi ſanitate intuebatur aſtantes, flentes ammirabatur, ubi eſſet, quid paſſa, quo delata, quæ tanti doloris cauſa ſermone recepto requirit. Os quippe quod morbus contraxerat, ad naturalia loca reverſum, formæ priſtinæ ſimul & ſanitati donatur. Audiens autem cuncta quæ acciderant erupit in lacrimas; os, lingua, mens, ſenſus confeſſionem perſonant, & interiorem contritionem crebra ſuſpiria prodiderunt. Tunc miſericordiam & judicium cantabant qui aderant Domino, qui percutit & ſanat, mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Illa vero gratias agens Deo & ejus beatiſſimo ſervo *Edwardo*, cum domina ſua incolumis remeavit ad propria. Quandocumque deinceps nomen glorioſi Regis audiebat, tanto corripiebatur timore, ut pallor vultum offunderet & cætera membra tremor occuparet.

De quodam fratre à febre quartana per ſanctum Regem liberato.

ERat præterea in monaſterio quo ſanctæ ejus reliquiæ ſervantur frater quidam *Oſbertus* nomine, cujus ſinceriſſimam vitam decorabat ſcientia, illuſtrabat facundia, philoſophia tam ſecularis quam eccleſiaſtica ſullimius extollebat. Hic aliquando circa medium menſis Julii quartana febre correptus, per menſes ſex adeo vexabatur, ut natura morbo jamjamque ceſſura videretur. Exeſæ carnes, ſanguis exhauſtus, oſſa ſuis vacuata medullis ſimulacrum magis quam hominem præferebant. Aderat Dominicæ nativitatis cunctis mortalibus amplectenda ſollempnitas, & vir ille duplici moleſtia fatigatur, cum & vi febrium torqueretur, & hiis gaudiis non intereſſe feſtivis ipſis ei febribus amarius videretur. Intulit itaque fides vim naturæ, & devotio de morbo triumphat, virumque Dei ſacratiſſimis intereſſe vigiliis contra ſpem omnium compulerunt. Et jam circa gallicantum ut ea die conſuevit eccleſia,

miſſa celebratur, & evangelium, quo virginalem partum, paſtorum vigilias, excubias angelorum ſanctus *Lucas* evangeliſta deſcribit, recitatur, cum ille parvuli qui natus eſt nobis humilitatem, matris & virginis pietatem ſumma cum devotione conſiderans, totumque in lacrimas reſolutus, & interiori lætitia miro modo perfunditur, & exteriori quadam ſuavitate membra marcida refoventur. Pſallit, ſpiritu pſallit & mente; orat, ſpiritu orat & mente; & inter matrem & filium, inter ſinum & præſepium, pia cogitatio cum loquutione diſcurrit. Extinctam credit quam diu pertulerat paſſionem; quam tamen pius *Jeſus* ut *Edwardi* ſui merita propalaret, ſuſpenderat quidem ſed non extinxerat. Biduo namque ob devotionem viri febres quadam virtute concluſæ divina, die tercio ſeverius ſolito miſerum corpus invadunt, & ſe artubus, nervis, juncturis quoque, imis etiam viſceribus infundentes, doloribus, & tortionibus tam interiora quam exteriora illius omnia diſſecabant. In hiis tormentis cum dies poſterior præcedenti videretur eſſe crudelior, advenit dies deſiderata, qua glorioſiſſimus princeps *Edwardus* poſt gloriam temporalem Chriſto remunerante meruit æternam. Hora igitur illa qua pro tanti regis memoria immolabatur ſacrificium ſalutare, acceſſit ad Sancti tumulum languidus, & proſtratus ſolo, quaſi jam extremum ſpiritum emiſſurus indoluit. Deus meus, quæ tunc ſuſpiria, qui gemitus, qui ſingultus miſerum illud corpus concutiebant! Qualia ei verba dolor dictabat, ſuggerebat fides, ſpes componebat! Nunc quaſi rationando provocat, nunc ſupplicando compellat. « Et tu,
« inquit, Domine uſquequo? uſquequo oblivi-
« ſceris me in finem? uſquequo avertis faciem tu-
« am à me? ubi ſunt rogo magnalia tua quæ nar-
« raverunt nobis patres noſtri, opera quæ operatus
« es in diebus eorum? Itane qui alienis didiciſti
« miſereri ſemper & parcere, tibi ſervientibus, tuis
« deputatis laudibus, tuis obſequiis mancipatis
« claudes viſcera pietatis? Itane corpus, quod re-
» gia munificentia hactenus aluiſti, nunc febribus
« conſumendum expoſuiſti? Et utinam conſumen-
« dum cito; ſed heu! heu! depaſcor & non conſu-
« mor, torqueor & non morior; vita dolori eſt nec
» finitur, mors deſiderio nec conceditur. Sed quid
« facio, quaſi judicio contendens tecum cum miſe-
« ricordiam petam, nec præſumam de judicio?
« Obſecro proinde bone rex, amantiſſime princeps,
« dulcis patrone, moveat illa viſcera tua piiſſima
« ſervuli tui tantus dolor, & oculo quo longe poſita
« cernere conſueſti, quid in hiis miſerendis viſce-
« ribus meis agatur diligentius contemplare, &
« quam intolerabiliter à frigore nimio ad calorem
« nimium tranſeam. O! ô tremor horribilis, ardor
« indicibilis! Attende Domine dulciſſime, attende
« & vide, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Si indi-
« gnum judicas ſanitate, vel dolorem termina morte.
Inter hæc verba, ſingultus lacrimæque prorumpunt, nec ulterius res verbis agitur ſed affectibus. Deinde expletis miſſarum ſollempniis ſurgit ab oratione; & ecce dolor omnis abceſſerat, & quaſi novo perfuſa refrigerio vigorem priſtinũ mẽbra cuncta reſumpſerant. Cœpit etiam cogitare de cibo, & ſtatim pulſo faſtidio, vis appetitiva ad cibi deſiderium excitatur. Quid plura? Perfectæ redditus ſanitati tanto dehinc devotius ſancti Confeſſoris obſequiis & laudibus inſiſtebat, quanto fuerat in ſe ipſo virtutem ejus expertus.

De quodam milite ab eodem morbo ſanato.

ERat vir iſte ſcriba doctus in regno cœlorum, & ſæpe ſermonem juſſus facere in populis, proferebat de theſauro ſuo nova & vetera. Accidit autem poſt recuperatam tali miraculo ſanitatem, ut anni orbita natalis anniverſarium denuo ſanctiſſimi regis memoriam revocaret. Confluxerat de civitate non minima multitudo, ut & ſingulis annis conſueverat, tam vigiliis quam miſſarum ſollempniis ob ipſius gloriam intereſſe gaudebat. Frater igitur iſte ab abbate ſecundus ſacris indutus veſtibus ad altare miſſam celebraturus acceſſit. Poſt lectionem autem ſancti Evangelii, converſus ad populum, habuit ad eos de regis ſanctitate ſimul & virtute ſermonem. Prædicabat vir Dei ejus humilitatem, laudabat patientiam, pudicitiam extollebat. Quanti vero meriti fuerit apud Deum, certis miraculorum aſtruit argumentis. Poſtremo virtutem ejus quam anno præterito ſenſerat in ſe ipſo producens in medium, omnes ad pietatem, multos etiam ad ſuſpiria lacrimaſque commovit. Affuit miles quidam regalis cuſtos palacii *Gerinus* nomine, qui typo quartano per dies & menſes ſupra modum fatigatus, fruſtra in medicos multa conſumpſerat. Nam morbus nec ſibi nec ſuis parcens, ſacculum pecunia, ſanguine corpus ejus exhauſerat: ſpiritus ejus attenuatus eſt, & ſolum ſibi videbatur ſupereſſe ſepulchrum. Audiens autem hunc virum per merita beati *Edwardi* ſimili exemptum paſſioni, conceptæ fidei ſpes ſucceſſit, & cor pavidum caritas ignivit. Hiis omnibus factus alacrior, ad ſepulchrum regis nocte ſequenti accenſis cereis excubias celebravit. Erat autem vigilia Dominicæ apparitionis, & nox triplici jocunditate ſollempnis, in qua & fides gentium, & baptiſmatis ſacramentum, & miraculorum Chriſti commendatur initium. In conventu fratrum hymni reſonant & concrepant lectiones, *Gerinus Edwardo* totus intentus lacrimas offert, & multiplicat preces: *Edwardus Gerinum*, *Chriſtus* exaudivit *Edwardum*, & opere uno, regem gloria & honore ſublimem, *Gerinum* reddit febribus extinctis incolumem.

De femina quam abſentem ſanavit.

REgulus ille cujus filius infirmabatur *Capharnaum* ad ſanandum eum neceſſariam corporis Domini præſentiam ratus, minus fidelis ipſius Salvatoris ſententia judicatur. Porro fidem centurionis ob id maxime Iſraeleticæ religioni novimus ab ipſo Chriſto prælatam, quod cum ad pueri illius paralyſim depellendam ſuum ſpopondiſſet adventum, divinam ejus majeſtatem fide plenus attendens, *Nequaquam*, inquit, *Domine*, *ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Hujus fidei ſimilitudinem ſanctimonialis quædam femina in monaſterio *Barchigenſi* zelata, beati regis *Edwardi* merita ſua reddidit fide clariora. Laborabat enim & ipſa quartanæ febris incommodo, & jam ei ſecundus in ipſo larguore tranſiens annus ſpem recuperandæ ſanitatis ademerat. Die vero quadam cum matutini ſoporis quiete membra marcida refocillaret, videbat in ſompnis ſe cum ſororum comitatu ad patriam propriam parenteſque reviſendos iter arripuiſſe. Et cum paululum proceſſiſſent, rogat unus aliquis ut divertat ad *Weſtmonaſterium*, quatinus ibi cibo potuque refecti laborem itineris facilius ſuſtinerent. Et, Quomodo, inquit illa, ad eos divertam quorum nec faciem unquam vidi nec nomina novi, nec in ratione dati & accepti cuiquam illorum aliquando communicavi? Et ille, Eſt ibi, inquit, nobilis rex *Edwardus*, cujus ſi cum devotione ac fide ſepulchrum inviſeris, facile tibi à Domino Deo ſuo refectionem qua corpus tuum priſtinum vigorem recipiat impetrabit. Evigilans igitur mulier ſomnumque retractans ſurrexit de ſtrato, baculoque imbecilla membra ſuſtentans, ingreditur oratorium & coram altari proſternitur. Septem quoque Pſalmos qui pœnitentiales dicuntur, cum ſumma cordis contritione decantans ſollempnes addit Letanias; devotis quoque precibus ſanctum regem conveniens, « Credo, inquit, Domine, paratam mihi apud ſanctum ſepulchrum tuum, ſecundum quod mihi promiſſum eſt, ſi illud adiero, ſanitatem; ſed quid opus eſt hoc labore meo, immo periculo meo? Erit enim non parvum meæ quietis diſpendium vecturam quærere, viaticum procurare, ſocios itineris providere, præcipue in eundo & redeundo audire multa, multa videre quæ mentem extollant & adimant gravitatem, & vel ipſa nugari, vel otiari, vel talia facientes attendere. Quid igitur neceſſe eſt ut ſacri corporis tui præſentiam quæram, cum ſpiritu præſens ſis, & cernenti creatorem anguſta ſit omnis creatura? Scio certe, ſcio quod in ea luce quæ penetrat omnia, mea tibi patet miſeria, & cum ſis particeps ſummæ illius poteſtatis, ſi voluntas affuerit, non deerit facultas. Dic proinde verbo & ſanabitur ancilla tua. Hæc & hujuſmodi cum in magna cordis anguſtia declamaſſet, ad lectum doloris ſui timens & tremens revertitur; erat enim dies qua tremebundæ illius acceſſionis expectabatur hora. Sed illa, ut ita dicam, lento pede progrediens parum vel nichil moleſtiæ intulit patienti. Animæquior exhinc facta mulier ad rogandum regem beatiſſimum ſe totam convertit, & poſt biduanæ quietis ſolatium quartanæ paſſionis timebatur acceſſus. Incumbente autem hora illa terribili oratorium rurſus ingreditur, & præmiſſis pſalmis lacrimas iterat & multiplicat preces. Quid plura? Et illum diem tranſigit ſine moleſtia. Cum autem terciæ tribulationi eodem quo prius occurriſſet antidoto, perfectæ reddita ſanitati, ſancto regi *Edwardo* quoad vixerit gratiarum retulit actiones.

De monacho à triplici morbo curato.

NEc ſilentio tegendum arbitror quod uni ſervorum *Weſtmonaſterii*, viro religioſo & honeſto, per merita beati regis pietas divina contulerit. Miro quidem vir iſte circa beatum *Edwardum* tenebatur affectu, & nominis illius recordatio ſuper mel ei dulcis erat, & memoria ſanctitatis ejus ſuper mel & favum, unde cum gratiarum actione quinque pro ejus anima cotidie pſalmos decantabat. Accidit autem ut triplici fatigaretur moleſtia, nec alia quam cœleſtis ſperaretur medicina. Poſt minutionem namque circa vulnuſculum collectus ſanguis & coagulatus in peſſimum apoſtema duruerat, & vicina quoque loca dolor invadens, ſuo brachium vigore privaverat, hanelo præterea cor cruciabatur ſpiritu, & pectus anguſtum cum magna difficultate alitum emittebat. Sed & pedem tumor intolerabilis occupans officium ejus pene totum ademerat. Appropinquabat dies annua revolutione ſollempnis, qua rex ſanctus ad cœleſtia regna migravit, cum ille tanto laborans incommodo deſideratam cunctis lætitiam ſolito mœſtior expectabat. Eadem vero nocte tempore opportuno cum ad ſigna pulſanda ob honorem regis alacriter fratrum turba concurreret, ipſe valitudine preſſus triſtis ſedebat, quod nichil poterat hylaritatis exhibere, nec fratribus in tanto labore præſtare ſolacium. Illis igitur cordas ſumma cum devotione trahentibus, aſtabat vir ſanctus & ſemetipſum jam ferre non ſuſtinens, Itane, inquit, mi *Edwarde*, non ſubvenies, & huic deſiderio meo vires negabis? Adeſto quæſo, ſurgo enim, & me fratrum choris interſero. Arrepta vero una cordarum, morbumque contemnens, toto niſu manibus traxit utriſque. Statim apoſtemate rupto, concretus ille putridus ſanguis erupit, ſedatoque tumore dolor omnis abceſſit. Sublata igitur una trium moleſtia, de pectoris anxietate ſollicitus, expertam jam regis ſancti virtutem, fide certior & ſpe cœpit alacrior contemplari. Moris autem erat illi, fratribus poſt vigilias ad ſtrata redeuntibus in eccleſia remorari, & ante quoddam altare ſecretius pſalmis orationibuſque vacare. Eadem vero nocte qua ſibi divinam in brachii ſui curatione ſenſerat affuiſſe præſentiam, ad dulces quas ſolitus fuerat frequentare latebras devotus acceſſit. Proſtratuſque Deo & ſancto Confeſſori ſuo *Edwardo*, pro accepto beneficio agit gratias, ſupplicat pro non accepto. Nec præſumptioni ſed fidei aſcribendum, quod triplicari ſibi cœleſtia munera precabatur. Inſtat igitur, plorat & orat, lætus pro brachio, ſed pro pectore triſtis. Inter orandum autem, è corpore ſudor copioſus egrediens ſpiritum reddidit ſolito fortiorem. Pectus deinde cœleſti quodam rore perfuſum ſolitam recepit ſanitatem. Superat adhuc pedis anguſtia, quæ eum fratrum ſuorum intereſſe conventui non ſinebat. Itaque cum in cella infirmorum cum alio quodam ſeniore decumbens, die quadam circa ſolis occaſum mutua ſe collatione reficiunt, & inter colloquendum beati regis virtutem ſuavi ſermone commemorant. Tunc ille qui jam fuerat duplici morbo curatus, Quam magna, inquit, multitudo potentiæ ejus frater cariſſime, quam ego peccator in memet ipſo expertus audeo dicere, quia quicquid voluerit, à Domino Deo ſuo facile impetrabit. Sic ei miraculum quod in ſe fuerat operatus exponens, pedem extendit intolerabili quodam tumore deformem; &, Si hunc, ait, pedem mihi ſublato dolore ſanaſſet, nichil eſt quod ulterius petendum ab eo æſtimaſſem. His ſermonibus ſe conſolantes, ſole ruente lectulis ſeſe recipiunt. Mane autem facto, ſurgens is cui pes doluerat, ſolito manum apponit dolori, ſed nichil in pede quod vel tumeret vel doleret inveniens, ſenſit ſe per beatum *Edwardum* perfectæ ſanitati donatum. Exclamat cum gaudio, & pandens ſociis tam cœleſte miraculum, ad amandum dulcius, & laudandum devotius, & expreſſius extollendum tanti meriti patronum omnium corda commovit, ad laudem & gloriam Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, cui eſt honor in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Explicit vita ſancti Edwardi *Regis & Confeſſoris, cum miraculis ejuſdem.*

De quodam Miraculo mirabili, autore *Aluredo* Abbate *Rievallenſi*.

Miracula Domini & manifeſta divinæ pietatis indicia ſcire & tegere, portio ſacrilegii eſt. Quod enim eſſe poteſt præſentibus ad conſolationem, ad ædificationem poſteris, omnibus ad devotionem, indignum eſt cunctorum notitiæ deperire. Sed plærumque multorum nos terret ineptia, qui vel invidia tabeſcentes, vel infidelitate languentes, de his quæ bona ſunt, vix de quoquam ſuis credunt oculis, ad credendum vero de quolibet ea quæ mala ſunt, levi tactu aurium inducuntur. Hinc eſt quod rem mirabilem & noſtris ſeculis inauditam tibi potiſſimum, pater amantiſſime, credidi revelandam, cujus ſancta ſimplicitas bene ſentire de omnibus, de nullo abſque certis indiciis ſiniſtrum aliquid ſuſpicari conſuevit. Nulla ſit de verborum veritate cunctatio, cum ea quæ dicenda ſunt, ex parte propriis oculis viderim, omnia autem mihi tales perſonæ retulerint, quas nec ætatis maturitas, nec ſpectata ſanctitas, ulla ſinerent ratione mentiri.

Inter monaſteria virginum quæ vir venerabilis ac Deo dilectus, pater & presbyter *Gillebertus* per diverſas *Anglia* provincias miro fervore conſtruxit, unum in provincia *Eboracenſi* ſitum eſt in loco qui aquis & paludibus ſeptus ex re nomen accepit. Dicitur enim **Wattun**, id eſt, *humida villa*. Qui quondam, ut refert in hiſtoria *Anglorum* venerabilis presbyter *Beda*, magno ſanctarum mulierum pollebat examine: ubi & beatus pontifex *Johannes*, puellam ob incautam ſanguinis diminutionem fere deſperatam, ſalubri tactu & oratione ſanavit. Quoniam igitur in eodem loco prædicti patris induſtria renovatur antiqua religio, antiqua nichilominus miracula renovantur. Ita quippe ibi Chriſti ancillæ, inter cotidiana manuum opera conſuetudinemque pſallendi, ſpiritualibus mancipantur officiis ac cœleſtibus interſunt theoriis, ut pleræque quaſi valedicentes mundo & omnibus quæ mundi ſunt, ſæpe in quoſdam indicibiles rapiantur exceſſus, & angelicis videantur intereſſe choris. Crebra eis cum bonis ſpiritibus confabulatio, à quibus nunc corripiuntur, nunc erudiuntur, nunc de certis neceſſariiſque præmuniuntur. Tanta inter eas videtur dilectio, tanta proinvicem ſollicitudo, ut cum una obierit, cæteræ nunquam ceſſent à precibus, donec vel de pœna ejus, vel de gloria certum eis aliquid eluxerit. Inde eſt quod non ſolum ut fieri ſolet in ſomniis, ſed & viſibiliter carneis oculis mortuæ vivis appareant, & nunc pœnam, nunc gloriam quam ſingulæ meruerunt exponant. Contigit aliquando unam optimæ apud omnes opinionis, relicto corpore ad cœleſtia commigraſſe. Diligebatur ab omnibus, ſed ab una ſpecialius colebatur. Inſtat precibus illa, ut ei virginis meritum divina pietas non celaret. Revoluto anni circulo, dies depoſitionis ejus anniverſarius vertebatur. Solitas orationes puella multiplicat. Accenditur deſiderio, ubertim lacrimis irroratur. Interim pro defunctæ exceſſibus immolanda ſalutaris hoſtia parabatur. Sacerdotes debitum officium proſequuntur. Converſa ad altare Chriſti virgo deſiderii ſui præſtolabatur effectum: cum ecce radius ſolis de ſuperioribus ad inferiora demiſſus ante gradum altaris ſeſe locavit. Intuetur diligentius illa, & mox virginem quam dilexerat, nimio ſplendore coruſcam ipſi radio conſpicit inſidere. Obſtupuit & obriguit, & loquente ſpiritu, carnea lingua tacebat. Quia vero ſopitis quodammodo ſenſibus corpus ſtabat immobile, acceſſum virginis, ut evidentius cerneretur, ſolo deſiderio flagitabat. Mox radius ſolis à loco quo ſubſtiterat elevatus, acceſſit propius, & ante faciem virginis ſtans vultum quem concupierat amanti præbuit cominus contemplandum. Ita ineffabili perfuſa gaudio finem cœleſtis præſtolabatur officii. Cum vero miſſa voce diaconi clauderetur, illa ad ſe, radius ad ſuperiora revertitur. His extra propoſitum præmiſſis, ad ea quæ propoſuimus enarranda tranſeamus.

Pontificante in eccleſia *Eboracenſi* ſanctæ ac piæ recordationis *Henrico*, puella quædam quatuor ut putabatur annorum, ejuſdem ſancti patris precibus in eodem monaſterio ſuſcipitur nutrienda. Quæ mox ut infantilem exceſſit ætatem, cum puellaribus annis puellarem induit laſciviam. Nullus ei circa religionem amor, nulla circa ordinem ſollicitudo, circa Dei timorem nullus affectus. Petulans illi oculus, ſermo indecens, laſcivus inceſſus. Incedebat ſacro tecta velamine, ſed nichil tali dignum habitui prætendebat in opere. Corripitur verbis, ſed non corrigitur; urgetur verberibus, ſed non emendatur. Furabatur magiſtrarum oculis horas, ut vel indulgeret otio, vel ſignis inordinatis difflueret, aut vacaret fabulis, aut inutile aliquid aliis ſuaderet. Diſciplina ordinis premebatur, & ad exterioris hominis honeſtatem utcunque ſervandam cogebatur invita. Omnia ei ex timore conſtabant, ex amore nichil. Et jam nubilis facta, interioribus exteriora, otioſa quietis, ſeriis ludicra præponebat. Accidit autem ut fratres monaſterii quibus exteriorum commiſſa eſt cura, quippiam operis facturi ingrederentur monaſterium feminarum. Quod illa perpendens acceſſit propius, & curioſius ipſorum opera contemplabatur & vultus. Erat inter eos adoleſcens cæteris formoſior facie, & ætate nitidior. Injecit in illum oculos miſera, ipſe vero intendebat in eam. Aſpiciunt ſe oculo blandiori; & mox ſerpens tortuoſus, utriuſque pectus ingrediens, letiferum inſibilat per cuncta vitalia virus. Res primum nutibus agitur, ſed nutus ſigna ſequuntur. Tandem rupto ſilentio conſerunt de amoris ſuavitate ſermonem. Accendunt ſe mutuo, ſpargunt utrimque ſeminaria voluptatis, libidinis incentiva. Et ille ſtuprum meditabatur, illa vero poſtea dicebat, de ſolo cogitabat amore. Interim coaleſcunt affectus. Sed ut ſibi liberius colloquerentur vel ſe fruerentur uberius, de loco vel tempore in unam coiere ſententiam. Abicientibus itaque arma lucis, nox placebat obſcurior. Publicum fugitantibus locus ſecretior gratus habetur. Dat ſignum prædæ impiiſſimus prædo, ut ad ſonitum lapidis quem vel in parietem vel tectum ædis in qua pauſare conſuevit, infelix ſe jactaturum promiſit, de ejus adventu certiſſima egrederetur ad eum. Ubi tunc pater G. tuus in cuſtodia diſciplinæ vigilantiſſimus ſenſus? Ubi tot tam exquiſita ad excludendam vitiorum materiam machinamenta? Ubi tunc illa tam prudens, tam cauta, tam perſpicax cura, & circa ſingula oſtia, feneſtras, angulos tam fida cuſtodia ut ſiniſtris etiam ſpiritibus negari videretur acceſſus? Eluſit totam induſtriam tuam pater una puella, quia *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Feciſti vir beate, feciſti quicquid potuit homo, quoniam ſic expediebat. Sed ſicut nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit, ita nemo poteſt ſervare quem non ille ſervaverit. Et tu infelix quid agis? quid cogitas? quid tam attente aures ad regulas erigis? Ubi timor, ubi amor, ubi illius ſanctæ congregationis reverentia? ubi beati pontificis qui te huic monaſterio tradidit ſuavis memoria? Nichil horum à tanto te revocat ſcelere. Deletis his omnibus, ſolus in corde turpis vivebat affectus. Surgis miſera, pergis ad hoſtium. Conantem egredi vis divina repellit; temptans iterum, ſed nihil profeciſti. Regreſſa modicum beatæ virgini ſolitas vigilias cum duodecim lectionibus celebraſti. Quid ultra tibi facere debuit Chriſtus & non fecit? O mira cordis excæcacio! Quid denuo moliris egreſſum? Ecce dimitteris inſtar *Balaam* ſecundum deſideria cordis tui, ut eas in adinventionibus tuis. Oportet te duci in *Babilonem*, ibi forte curaberis. Quid plura? Heu! egreditur. Claudite aures virgines Chriſti, oculos operite. Egreditur *Chriſti* virgo, adultera poſt modicum reditura. Egreditur, & quaſi columba ſeducta non habens cor, mox accipitris excipitur unguibus. Proſternitur, os ne clamaret obſtruitur, & prius mente corrupta carne corrumpitur. Experta voluptas nefas compulit iterare. Cum hæc ſæpius agerentur, ſorores ſonitum quem crebro audiebant admirantes fraudem ſuſpicabantur. Illa maxime patuit ſuſpicioni, cujus mores omnibus ſolebant eſſe ſuſpecti. Fuga etiam juvenis ſuſpicionem adauxit. Cum enim concepiſſe ſe adultero prodidiſſet, timens ne & ipſe proderetur, relicto monaſterio ad ſeculum ire perrexit. Tunc matronæ ſapientiores puellam conveniunt. Illa ulterius celare non valens confitetur exceſſum. Stupor autem apprehendit omnes quæ audiebant verbum. Exarſit mox zelus in oſſibus earum, & aſpicientes ſe mutuo, comploſis manibus irruunt ſuper eam: extractoque ab ejus capite velo, aliæ tradendam flammis, aliæ vivam excoriandam, aliæ impoſitam ſtipiti ſuppoſitis carbonibus aſſandam putarunt. Fervorem adoleſcentium compeſcebant matronæ. Attamen ſpoliatur, extenditur, etiam abſque ulla miſeratione flagellis atteritur. Præparato ergaſtulo vincitur, intruditur; ſingulis pedibus duo annuli cum ſuis cathenulis inducuntur; quibus duæ non parvi ponderis cathenæ inſertæ, quarum una immani trunco clavis infigitur, altera per foramen extracta foris ſera concluditur. Suſtentatur pane & aqua; cotidianis obprobriis ſaturatur. Interea tumens uterus evolvit conceptum. O quantus tunc erat luctus omnium! quanta præcipue virginum lamenta ſanctarum, quæ ſuo timentes pudori unius crimen in omnibus metuunt impingendum, etiam quaſi jam expoſitas ſe omnium oculis illudendas, quaſi omnium traditas dentibus corrodendas ſentirent! Flebant omnes, flebant ſingulæ; nimioque dolore ſuccenſæ iterum irruunt in captivam. Et niſi maturiores conceptui pepercissent, vix aliquando ab ejus pœna quieſcerent. Illa univerſa hæc mala patienter ſuſtinet, majoribus ſe dignam clamat tormentis, credere ſe tamen cæteras pro ejus infidelitate nihil mali paſſuras. Deliberant quid de his agendum. Si expelleretur, in omnium hoc redundare infamiam, immineretque non parvum omnium animabus periculum, ſi deſtituta ſolatio mater cum ſobole mortis diſcrimen incurreret: ſi ſervaretur, partum non poſſe celari clamabant. Tunc una, Optimum, inquit, eſt, ut nequiſſimo juveni ſua meretrix adulterino facta gravida commendetur, ejuſque dimittatur curæ cujus conſenſit nequitiæ. Ad hæc infelix; Si hoc vobis poterit eſſe remedio, ſpero fore hoc mihi futurum exitio, ecce adoleſcens nocte illa, hora illa, in loco noſtræ iniquitatis conſcio, mihi ſicut promiſit occurret; veſtri tunc erit arbitrii me tradere illi. Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat. Continuo rapiunt verbum de ore ejus. Jam jamque ſpirantes ultionem in juvenem, quærunt ab ea de omnibus veritatem. Confitetur illa; affirmans vera eſſe quæ dixerat. Tunc magiſter congregationis, aſcitis quibuſdam è fratribus, rem aperit. Jubetque ut nocte illa unus tectus velamine caput, deſignato loco ſederet, alios occulte præſentes adeſſe ut venientem exciperent, attrectatumque fuſtibus vinctum tenerent. Dixit & factum eſt ita. Adoleſcens quid cum ſuis ageretur ignorans, non ſolum mente, ſed etiam habitu ſecularis, advenit. Et ardens libidine, mox ut velamen aſpexit, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, irruit in virum quem feminam eſſe putabat. At hi qui aderant, amarum ei cum baculis conficientes antidotum, conceptam febrem extinguunt. Res defertur ad virgines. Mox quædam zelum Dei habentes etſi non ſecundum ſcientiam, ulciſci cupientes virginitatis injuriam, petunt à fratribus juvenem ſibi per modicum tempus dimitti, quaſi ſecretum aliquid ab eo cognituræ. Suſceptus ab eis, proſternitur ac tenetur. Adducitur quaſi ad ſpectaculum, illa malorum omnium cauſa: datur ei in manibus inſtrumentum, ut propriis manibus virum abſcidere invita compellitur. Tunc una de aſtantibus, arreptis quibus ille fuerat relevatus, ſicut erant fœda ſanguine in ora peccatricis projecit. Vides quo zelo urebantur æmulatrices pudicitiæ, inſectatrices immunditiæ, *Chriſti* præ omnibus amatrices. Vides quo modo iſtum mutilando, illam obprobriis & contumeliis inſectando *Chriſti* ulciſcuntur injuriam. Ecce gladius *Levi*, æmulatio *Simeonis*, qui violatæ caſtitatis ultores, nec circumciſis putant eſſe parcendum. Ecce zelus *Phinees* ſacerdotis, qui æternum ſacerdotium fornicantium nece promeruerit. Hic etiam ſapientia *Salomonis* elucet, qui virginem *Abiſac* ad concubitum poſtulantem in proprium fratrem mortis ſententiam promulgavit. Non laudo factum ſed zelum; nec probo ſanguinis effuſionem, ſed tantam contra turpitudinem ſanctarum virginum æmulationem extollo. Quid non paterentur, quid non facerent pro caſtitate ſervanda, quæ tanta potuerunt pro ulciſcenda? Sed ut ad propoſitum redeamus. Abciſſus fratribus redditur, mulier in carcerem confuſa retruditur. Hactenus miſera mulier, infelicitatis tuæ hiſtoriam ſcripſimus, deinceps quemadmodum ſuper te *Chriſti* ſtillaverit miſericordiſſima pietas ſtilo proſequamur; ubi enim abundavit peccatum ſuperabundavit & gratia. Jam exacta ultione, tepeſcente zelo, ad *Chriſti* veſtigia ſacræ virgines provolvuntur. Plorant & orant, ut loco parceret, verecundiæ virginali conſuleret, infamiæ occurreret, periculum propulſaret. Et illæ quidem cotidie precibus & lacrimis divinam clementiam provocabant. Peccatrix vero pia illa viſcera *Jeſu* doloribus & obprobiis, contumeliis quoque quas patiebatur commovebat. O bone *Jeſu*, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas: ſi te præſente quondam in carne, una miſera mulier tanta aſficeretur miſeria, quid ageret illud pium pectus, in quo ſicut omnis ſapientiæ & ſcientiæ, ita omnes theſauri miſericordiæ quieverunt? Audiant juſti, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Audiant peccatores, ut nunquam de illius bonitate deſperent, qui ſic exercet judicium ut non deſerat miſericordiam. Reſpexiſti bone *Jheſu*, reſpexiſti, & tot ancillarum tuarum æmulationem & timorem, & unius peccatricis tuæ afflictionem. Jam infans in ventre vivebat, lac ex uberibus ubertim fluebat; adeo etiam uterus intumeſcere videbatur ut putaret geminos parituram. Plumbeus color oculos circumfundit, faciem pallor invadit, & nunc vacuatis humore mamillis, poſt modicum ſolito liquore replebantur. Jam eam vix capiebat ergaſtulum, jam partui neceſſaria præparantur. Cavent quantum poſſunt ne fletus infantis partum prodat. Et ecce intempeſtæ noctis ſilentio cum ſe miſera ſopori dediſſet, videt in ſompniis aſſiſtere ſibi pontificem, per quem, ut prædiximus, in eodem monaſterio divinis eſt officiis mancipata, amictum pallio, & monachico habitu ſubinduto. Cumque ſeveriori oculo aſpiceret in eam, Quid eſt, inquit, quod me cotidie maledicis? Negavit illa nimio timore perterrita. Tunc ſanctus, Verum eſt, ait, cur negas? Videns ſe deprehenſam mulier, reſpondit. Vere domine, quia tu me huic monaſterio tradidiſti, in quo invenerunt me tanta mala. Ad hæc antiſtes: Tibi hoc potius imputato quæ peccata tua necdum ut oportet patri ſpirituali propalaſti. Sed vide ut quam citius poteris confitearis, & hoc à me ſuſcipiens in mandatis, ut hos pſalmos cotidie *Chriſto* decantes. Et mox ei numerum & nomen pſalmorum deſcribens diſparuit. Evigilans illa, & animæquior facta, viſionem & pſalmos commendat memoriæ. Sequenti vero nocte cum jam putaretur paritura, & amara videretur horæ illius expectatio, plus tamen timeretur ipſa partus editio, iterum venerabilis pontifex in ſompniis apparuit, deſperanti duas ſecum adducens venuſta facie mulieres. Acceſſit ad miſeram præſul, & ſuper genua ſua capite ejus ſupinato, pallio quo amiciebatur vultum operuit, increpans eam & dicens: Si fuiſſes vera confeſſione purgata, cerneres manifeſte ea quæ aguntur. Nunc quidem ſenties beneficium, ſed modum & qualitatem facti ſcire non poteris. Erecta poſt modicum videt mulieres infantem, ut ſibi videbatur, candido coopertum lintheo in ulnis ferentes diſcedentem ſequi pontificem. Expergefacta nihil ponderis ſenſit in ventre. Attrectat manu corpus, & totum vacuum reperitur. Mane autem facto, aſſunt cuſtodes, reſpicientes in illam, vident detumuiſſe uterum, vultum, puellarem, ne dicam virginalem, induiſſe decorem, oculos perſpicaces, plumbeum depoſuiſſe colorem. Et mox quaſi propriis non credentes oculis; Quid eſt hoc, inquiunt? An tot ſceleribus tuis & hoc addidiſti, ut tuum interficeres infantem? Statimque anguſtum ergaſtulum illud in quo cathenata ſedebat evertunt. Nihil ibi latere pateretur anguſtia carceris, ſuppellectilis vilitas, tenuitas ſtramentorum. Et quid, inquiunt, miſera, num peperiſti? Ipſa ſe neſcire reſpondit. Et ubi eſt, aiunt, infans tuus? Reſpondit, Neſcio. Referenſque viſionem, nihil amplius ſe ſcire profeſſa eſt. Non credunt rei novitate perterritæ. Palpant uterum, & ecce tumori ſucceſſerat tanta gracilitas, ut dorſo ventrem adhærere putares. Temptant ubera, ſed nihil humoris eliciunt ex eis. Nec tamen parcentes, fortius premunt, ſed exprimunt nihil. Per ſingulos artus currunt digiti, explorant omnia; ſed nullum ſignum partus, nullum conceptus indicium repererunt. Vocantur aliæ, & poſt illas aliæ, & unum inveniunt omnes. Sana omnia, munda omnia, pulchra omnia: nihil tamen decernere, nihil ſine patris auctoritate judicare præſumunt. Adhuc tenetur in vinculis, adhuc circa pedes ferrum durat, ſtridunt cathenæ. Duos divinæ miniſtros clementiæ ſibi adveniſſe conſpexit: Et unus cathenam qua artius ſtringebatur arrepta, ſocio comitante diſceſſit. Sorores vero advertentes mane deeſſe cathenam mirantur, cauſam inquirunt, audiunt, ſed parum credentes ſcrutatæ ſunt omnem ſuppellectilem ejus, ſed nihil inveniunt. Paulo poſt inveniunt de ejus pedibus unum de vinculis cecidiſſe. Quod invenientes integrum, & in ea firmitate qua fuerat fabrilibus inſtrumentis, pedibus ejus innexum, admiratæ ſunt valde. Sed quid multis morer? Eodem ordine à cæteris abſoluta, pes tantum unus uno compede tenebatur. Interea ſanctus pater adveniens, cum evidentibus ſignis ac veraciſſimis teſtibus omnia didiciſſet, ſicut eſt miræ humilitatis homo, meam parvitatem de his omnibus credidit conſulendam. Veniens igitur ad noſtrum monaſterium ſervus *Chriſti*, cum mihi aperuiſſet ſecreto miraculum, rogat ut ancillis *Chriſti* meam non negarem præſentiam. Libens annui. Cum vero tam me quam itineris mei ſocios humaniſſime ac jocundiſſime ſuſcepiſſet, imus ad cubiculum illud intra cubiculum ubi illa in ſuo antro ſedebat incluſa. Aſſunt plures tam virgines quam viduæ ævo jam graves, ſapientia & diſcretione pollentes, ſpectabiles ſanctitate & in regularibus diſciplinis multum exercitatæ. Quæ cum nobis omnia retuliſſent, cœpi compedem propriis manibus attrectare, intellexique quod nec ab aliis nec ab iſta ſine Dei virtute poſſet abſolvi. Quædam autem nec dum timore depoſito quæſierunt à nobis, ſi alia ei vincula deberent inponi. Prohibui, importunum hoc aſſerens, & quoddam infidelitatis indicium. Expectandum potius, & ſperandum quod is qui eam liberavit ab aliis, ab hoc quoque quo adhuc tenetur eripiet. Patre præterea præcipiente, relata ſunt nobis multa æterna memoria digna, quibus manifeſte datur intelligi, quia beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, etiam in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Igitur commendantes nos ſanctis orationibus earum, & eas prout potuimus verbo Domini conſolantes, ad noſtrum monaſterium regreſſi ſumus, laudantes & glorificantes Dominum in omnibus quæ audivimus & vidimus, & ſanctæ virgines narraverunt nobis. Poſt paucos dies allatæ ſunt nobis viri illius venerabilis litteræ, quibus ſignificavit nobis, illum quo eam invenimus vinctam compedem cecidiſſe, & quid facto deinceps opus eſſet meam indignitatem conſuluit. Ego vero inter alia hæc pauca verba reſcripſi. *Quod Deus mundavit tu ne commune dixeris; & quam ipſe abſolvit, tu ne ligaveris.* Hæc ideo tibi kariſſimo meo longe ab his partibus remoto maxime ſcribendum putavi, ut & invidis occaſionem tollerem, & tamen *Chriſti* gloriam non tacerem. Vale.

Explicit quoddam miraculum mirabile, deſcriptum à viro venerabili Ethelredo *abbate* Rievallenſi, *de quadam ſanctimoniali femina de* Wattun.

RADULPHI de DICETO
DECANI
LONDONIENSIS

Abbreviationes Chronicorum
&
Ymagines Hiſtoriarum:

Nunc primum editæ ex Mss. codicibus fideliter collatis.

RADULFUS DE DICETO LUNDONIENSIS Decanus, in Opuſculo ſequenti breviſſime multarum commemorat ymagines Hiſtoriarum.

PROLOGUS.

ANnos ab initio mundi ſeriatim expanſos per temporum annotaciones provida ratione percurrens, annum à tempore gratiæ M.Clxxxviij. trimetam conſtitue ſeculi primam & ſecundam ætatem notulis numerorum exarans pauciſſimis. A diebus autem *Abraha* poſtquam homines ad vocabulum arrogantius aſpirarunt, pro latitudine terræ, pro magnanimitate virorum, pro virium amplitudine, limites regnorum extendere procurarunt ardentius. Ut itaque citius ad memoriam revoces, anno tali tale quid accidiſſe per unius incrementum in x. per decennariorum multiplicationem in milia, rerum facilius poteris habere noticiam. Quicquid igitur inter computandum occurrerit, ordine terno diſtingue, vetuſtiſſima, vetera, moderna, quaſi manſiunculis tribus non irreverenter recollige. Sumens igitur principium à principio, quid Hebraica veritas, quid interpretes Lxx. vel ante legem ſenſerint in annorum ſupputationibus, vel ſub lege, pari devotione, pari fide dijudica. Sicque ſi modernos aliquis invidiæ ſtimulis agitatus notare præſumpſerit, tu tamen antiquitati reverentiam habe, cujus ſunt adoranda veſtigia, cui reverentiam non impendere temeritati proximum eſt, arrogantiæ plenum. Rurſus, ut per gratiam mediatoris Dei ſimul & hominum in eccleſia gracioſius exiſtas, à tempore gratiæ ſtudioſius ſacræ paginæ recolas expoſitores, catholicis applaudas yſtoriographis, *Romanorum* inſtituta Pontificum, inſignes regum victorias, elementorum portentuoſa prodigia, ſingularium inauditos eventus & caſus inſolitos, egregie facta, civiliter dicta, redigentes in cronicam diſtinctius animadvertas. Si placuerint, poteris imitari. Si duxeris reprobandos, vitandi ſunt cum modeſtia. Si contraria ſcripſerint, præcipitantis eſt, ſi vel *Oroſium Euſebio*, vel *Dioniſium Mariano*, vel *Bedam Tertulliano* leviter anteponas. Debes etiam meminiſſe, traditum à majoribus & cautum in cathalogo virorum illuſtrium, *Clementem* papam, modo ſecundum, modo tercium, modo quartum nominatum à *Petro*. Sed nos ſi *Lino, Cleto* conſervemus honorem annorum in ſerie ſicut eis concorditer exhibent noſtri patres in canone Miſſæ, profecto poſſumus vitare ruinam. Set ultra poſſe noſtrum eſt, vel in his, vel in ſequentibus ad annum uſque milleſimum centeſimum quadrageſimum ſeptimum, quantum ad annos Dominicales ſolvere diſſonantiam. Rurſus licet inter modernos reputem me noviſſimum, forſan alterius litteratioris jamjam emergentis in lucem locum indignus uſurpo: qui voto ſatiſfaciens meo, quociens ei plenius innotuerit in opuſculo ſequenti manifeſtum errorem deprehenſum annorum in calculo, manum apponat. Exceſſum poterit abolere feſtinata correctio, ſi pura fuerit in reprehenſione fraternæ caritatis intencio. Pro varietate negotiorum & conditione ſtili, narratiuncula ſæpius intercidenda. Si brevis, aperta, probabilis auribus inſonuerit: ſaltem in hoc redimat cultus coloratioris defectum, ſi vel in aliquo promereatur acceſſum. Si quid autem hebetis ſenſus oratio, turgidum importaverit, vel inflatum; ſi vel arida, vel exangui verborum junctura dejectior emarcuerit; ſi tranſlatio dictionum inpudens offenderit auditorem; ſi vocalium hiulca colliſio ſubſannationem extorſerit, manum rurſus apponat. Sed antequam veniat ad titulum ſequentis voluminis, nomina virorum illuſtrium, & diverſa tempora quibus maxime floruerunt, prologos etiam aliquorum adactos inveniet, ut ei ſi facile non occurrerint ſpatioſa volumina, ſaltem ibi ſummatim reperiat, quidve ſenſerint, quidve reliquerint poſteris memoriale per ſecula. Quicquid igitur in margine poſitum, inſtar volatilis gloſæ repererit infra, totum illud non dubitet ſumptum ab Hyſtoriographis, quorum copiam non habuimus cum primo cœpimus ad Cronicam ſcribendam manum extendere.

De viris illuſtribus quo tempore ſcripſerint.

T*Rogus Pompeius* à tempore *Nini* Regis *Aſſiriorum* uſque ad annum viceſimum nonum *Hircani* principis *Judæorum* hyſtoriam digeſſit.

Valerius Maximus urbis *Roma* cæterarumque gentium facta ſimul & dicta memoratu digna ſcripſit anno incarnati verbi xviiij.

Philo ſcriptor inſigniſſimus quanta *Judæis* acciderint mala quinque voluminibus exponit anno incarnati verbi xxxviij.

Joſephus ab exordio mundi uſque ad annum incarnati verbi ſeptuageſimum nonum ſcripſit antiquitatum libros viginti.

Juſtinus philoſophus *Trogi Pompeii* adbreviator ſcripſit eodem anno.

Joſephus Romam veniens ob ingenii gloriam ſtatuam *Romæ* meruit, ſcribens libros vij *Judaicæ* captivitatis anno ab incarnatione Lxxiiij.

Julius Africanus breves temporum annotationes per generationes & regna ſcribit anno incarnati verbi C. Lxij.

Agellius ſcribit anno C. nono decimo.

Egiſippus libros hyſtoriarum uſque ad annum incarnati verbi C. Lxxviij.

Tertullianus presbiter *Carthaginenſis* vir acris ingenii & vehementis ſcripſit anno C. xcv.

Euſebius ſcripſit à quadrageſimo tercio anno *Nini* Regis Cronicon. Hyſtoriam autem eccleſiaſticam ab incarnatione domini ſcribit uſque ad annum incarnati verbi CCC. xxviij.

Eutrophius Romanam Hyſtoriam ſcribit à tempore *Jani* & *Saturni* uſque ad annum incarnati verbi CCClxvj.

Paulus Diaconus addit vj. libros *Romanæ* Hyſtoriæ.

Jeronimus cronica ſua ab anno incarnati verbi CCC. xxviij. inchoata anno CCC. lxxx. terminat.

Ethicus Coſmographus à *Jeronimo* tranſlatus eſt.

Hylarius Pictavienſis epiſcopus ſcripſit anno incarnationis CCC. lxix.

Sigisbertus cronographiam incipit anno incarnationis CCC. lxxxj.

Jeronimus eccleſiæ *Romanæ* presbiter ob *Damaſi* papæ dum omnium judicio dignus eſſe ſummo ſacerdotio decernitur, quidam ex clericorum monachorumque ordinibus diſcurſantes, ad effugandum urbe *Jeronimum* inſidias paraverunt.

Jeronimus librum illuſtrium virorum anno incarnati verbi CCC. xciiij. ſcripſit.

Ruffinus Aquileienſis presbiter Hyſtoriam eccleſiaſticam terminat anno incarnationis CCC. xcix.

Auguſtinus ab inicio mundi librum inchoans de civitate dei ſcribit uſque ad annum incarnati verbi CCCC. xiiij.

Johannes Criſoſtomus ſcripſit anno incarnati verbi CCCC. xiiij.

Oroſius ſcribit ſeptem libros Cronographiæ *Auguſtino* anno incarnationis CCCC. xv.

Hyſtoria tripartita à *Socrate*, *Theodorito*, *Zozomeno* edita terminatur anno incarnationis CCCC. xlvi.

Proſper Aquitanicus Leonis papæ primi notarius Cronica ſua digeſſit ab inicio mundi uſque ad annum incarnati verbi CCCC. lix.

Idacius Lenicæ civitatis *Hyſpaniarum* epiſcopus Cronica ſua perduxit à primo *Theodoſii* magni Conſulatu, inchoata uſque ad annum incarnati verbi CCCC. xc.

Gennadius Maſſilienſis epiſcopus Cronica ſua de viris illuſtribus ab anno incarnati verbi CCC. xcij. uſque ad annum CCCC. xc. perduxit.

Caſſiodorus de inſtitutione divinarum litterarum ſcripſit anno incarnati verbi D. xxxiij.

Juſtinianus legiſlator libros de incarnatione Domini edidit, quos etiam per diverſas provincias miſit anno incarnati verbi D. xl.

Jordanis archiepiſcopus *Ravennenſis*, contexit Hyſtoriam de origine *Gothorum* anno incarnati verbi D. li.

Victor *Tunnunenſis* urbis epiſcopus in *Affrica*, Hyſtoriam ab initio mundi ſcribit uſque ad annum incarnati verbi D. lxvij.

Paulus Caſſinenſis Hyſtoriam *Longobardorum* terminat anno incarnati verbi D. lxxij.

Gilda Britonum geſta flebili ſermone deſcripſit, anno incarnationis D. lxxxj.

Gregorius Turonenſis archiepiſcopus Hyſtoriam *Francorum* digeſſit, anno incarnati verbi D. xciij.

Yſidorus Hiſpalenſis epiſcopus cronica ſua digeſſit ab inicio mundi uſque annum incarnati verbi DC. xj.

Beda ſcripſit Hyſtoriam *Anglorum* anno incarnati verbi DCC. xiiij. Cronicam vero ſuam ab inicio mundi uſque ad annum incarnati verbi DCC. xxxiiij.

Hamonius Floriacenſis Cronica ſua ſcribit à tempore *Nini* Regis uſque ad annum incarnati verbi DCCC. xliij.

Luitbrandus diaconus *Ticinenſis* eccleſiæ Hyſtoriam *Longobardorum* ſcribit anno incarnati verbi DCCC. xcj.

Regino abbas *Parmienſis* Cronica ſua, à nativitate Domini inchoata perduxit uſque ad annum incarnati verbi DCCCC. x.

Uvindichindus Hyſtoriam Saxonum anno incarnati verbi DCCCC. lxviij. ſcripſit.

Odo primus abbas *Cluniacenſis* Cronica digeſſit, ab exordio mundi uſque ad annum incarnati verbi DCCCC. lxxxvij.

Marianus Scotus Cronica ſua digeſſit, ab incarnatione Domini uſque ad annum incarnati verbi, M. lxix.

Yvo Carnotenſis epiſcopus Regularum exceptiones eccleſiaſticarum in unum corpus adunavit anno incarnati verbi M. xc.

Sigisbertus Gemblacenſis Cronica ſua anno ab incarnatione Domini CCC.lxxxj. inchoata perduxit uſque ad annum M. C.

Magiſter *Hugo* de ſancto *Victore* Cronica ſua digeſſit, ab inicio mundi uſque ad annum incarnati verbi M. C. xxiiij.

Robertus abbas ſancti *Michaelis* de *Monte* in *Normannia* chronica ſua digeſſit, uſque ad annum incarnati verbi M. C. xlvij.

Radulfus Lundonienſis eccleſiæ decanus, ab incarnationis anno M. Cxlvij. librum qui dicitur, YMAGINES HISTORIARUM inchoavit & perduxit ad annum uſque M. Cxciij.

[*Poſt hec addit centones quoſdam ex 1. Juſtino, 2. Hieronimo de Joſepho, 3. Egeſippo, 4. Auguſtino de Civitate dei, 5. Oroſio, 6. Euſebio, 7. Beda, 8. Roberto de Monte, 9. Hugone de ſancto Victore; eoſque claudit cum inſtituti ſui propoſito, quod tantum impreſſum non invenitur, & ſic loquitur.*]

Prologus Radulphi de Diceto in abbreviationes Cronicorum.

CHronica ſunt ymagines hyſtoriatum breviſſimæq; commemorationes temporum. Annorum itaque ſeriem, regnorum caſus, perſecutiones eccleſiæ, ſciſmatum conflictationes, Conciliorum ſtatuta, ſub brevitate claudamus; quæ regnum *Angliæ* maxime videntur contingere, latius proſequentes.

1. Quibus ergo temporibus, ubi vel quorum miniſterio Reges *Anglorum* munus conſecrationis & Regni diadema ſuſceperint.

2. Quantis eccleſia *Cantuarienſis* juxta *Romanorum* pontificum inſtituta gaudeat munimentis.

3. Qualiter *Andegavia* proficiens & ſuccreſcens fines ſuos dilataverit in inmenſum.

4. Quid inter Regnum & ſacerdotium temporibus *Anſelmi, Thomæ, Cantuarienſium* archiepiſcoporum emerſerit quæſtionis: Quo fine quieverit controverſia diutius inter Regem *Henricum* ſecundum & filios ſuos habita, diligens lector inveniet in ſequentibus. Opus ſiquidem præſens plurimum à compendio mutuatur; quantum ratio ſinit, adeo ſub moderatione repreſſum, ut nec prodiga ſit in eo copia, nec obſcura brevitas, nec concinitas tædioſa.

[*Tum demum Chronologia ſuccincta quadam ab inicio mundi ad tempora* Gregorii *magni percurrit; Quæ omnia cum in alius auctoribus jam dudum editis reperiantur, neque rebus* Anglicis (*quas illuſtrare ſuſcepimus*) *aliquid lucis afferant, viſum eſt hic omittere ut librarii expenſis & lectoris tædio conſulamus.*]

n. Dñi *Gregorius* papa.
589. *Mauricius* Auguſtus ſanxit, ut quiſquis publi-
590. cis amminiſtrationibus fuerit implicatus, ad eccleſia-
iſtro lib. ſticum officium ei venire non liceat, nec in mona-
ap. 61. ſterium converti, licet ejus rationes poſſint per mo-
91. naſterium fieri, poſſit etiam agi ut ab eo loco in quo
92. ſuſcipitur, ejus quoque debita ſuſcipiantur. Quam
93. conſtitutionem vehementer expavit papa *Gregorius*,
gor. lib. in hæc verba ſcribens Imperatori. *Dicit tibi Deus.*
iſt. 61. *Ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite*
Cæſarem, de Cæſare non ſolum Imperatorem ſed eti-
am patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ
manui commiſi, tuque milites tuos à ſervitio meo
ſubtrahis? Item *Gregorius* Imperatori *Mau-*
ricio.

4. Petrus *claves regni cœleſtis accepit*: Petro *totius*
rolib. *eccleſiæ principatus committitur, & tamen univer-*
30. *ſalis epiſcopus non vocatur, & vir ſanctiſſimus*
lib. *conſacerdos meus* Johannes Conſtantinopolitanus
32. *epiſcopus univerſalis epiſcopus vocari conatur. Ex-*
13. *clamare compellor & dicere, O tempora, ô mores!*
Ecce cuncta in Europæ *partibus barbarorum juri*
tradita ſunt, & tamen ſacerdotes vanitatis ſibi no-
mina expetunt & novis ac prophanis vocabulis
5. *gloriantur. Nunquid ego hac in re cauſam propri-*
am defendo? Nunquid ſpecialem injuriam vendi-
co? Cauſam defendo omnipotentis dei, Cauſam uni-
verſalis eccleſiæ. Quis eſt iſte qui contra ſtatuta
patrum, contra canonum decreta novum ſibi nomen An. Dñi
uſurpare præſumit? Utinam vel ſine imminucione 59
unus ſit qui vocari appetit Univerſus. Si igitur il-
lud nomen in eccleſia ſibi quiſquam arripit, quo
caput ſe bonorum omnium facit, univerſa ergo ec-
cleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quando is qui
appellatur Univerſalis cadit. Quid eſt igitur quod
nos hujus vocabuli gloriam & oblatam non quæri-
mus, & alter ſibi hanc arripere non oblatam præſu-
mit? Quia vero non cauſa mea ſed Dei eſt, quia non 597.
ſolus ego ſed tota turbatur eccleſia, quia piæ leges,
quia veneranda ſynodus, quia ipſa etiam domini
noſtri Jheſu Chriſti *mandata ſuperbi atque pompa-*
tici cujuſdam ſermonis inventione turbantur, piiſ-
ſimus Imperator locum ſecet vulneris, atque reſi-
ſtentem ægrum anguſtet vinculis auctoritatis. 598.

Hucuſque Gregorius Turonenſis archiepiſcopus Hyſtoriam Francorum digeſſit. Iſte *Gregorius* in extremis agens, Canonicis ſuis præcepit. Nunquam libros meos aboleri faciatis aut reſcribi, quaſi quædam legentes ut quædam prætermittatis; ſed imminuta omnia, vobiſcum illibata permaneant.

Quadam nocte *Mauricius* Imperator dum in *Hamonius*
ſtratu ſuo quieſceret, videt per ſomnium ante ſe æne- *lib.* 3.
am aſtare Salvatoris effigiem quæ erat ante palatii *lib.* 4. *cap.*
ſui portam. Ex qua emiſſa eſt vox ad eum dicens, 3.
Date Mauritium. Et tenentes eum quidam judicia-
rii miniſtri exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum Salva-
toris ymago. *Ubi vis reddam tibi mala quæ meru-*
iſti? Hic an in futuro ſeculo? Et ille; *O amator*
hominum Domine, hic pocius quam in illo. Tunc juſ-
ſit divina vox tradi eum & *Conſtantiam* ejus uxorem
& omnem ejus cognationem *Focæ* militi. *Focas* au-
tem factus Imperator *Mauricium*, uxorem ejus &
quinque filios interfecit.

Focas Imperator.

Gregorius Focæ Auguſto. *Gloria in excelſis Deo,* Regiſtro lib.
qui juxta quod ſcriptum eſt immutat tempora, 13. cap. 25.
transfert regna, qui dominatur excelſus in regno lib. 11. e-
hominum, & cui voluerit ipſe dat illud. *In omni-* piſt. 36.
potentis quippe dei diſpenſatione ſunt alterna vitæ mortalis moderamina. Nam aliquando cum multorum peccata ferienda ſunt, unus erigitur per cujus duriciam tribulationis jugo ſubjectorum colla premantur. Quod in noſtra diutius afflictione probavimus. Aliquando vero cum miſericors deus mœrentia multorum corda ſua conſolatione confovere diſcernit, unum ad culmen regiminis provehit, & per ejus miſericordiæ viſcera cunctorum in mentibus ſuæ gratiam exultationis abundantia roborari citius credimus, qui benignitatem veſtræ pietatis ad Imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus. Latentur cœli, lætetur & exultet terra, de benignis actibus veſtris univerſus rei publicæ vehementer afflictus hucuſque populus hilareſcat. Comprimantur jugo veſtræ dominationis ſuperbæ mentes hoſtium, animi ſubjectorum depreſſi veſtra miſericordia releventur; virtus gratiæ cœleſtis vos inimicis terribiles faciat, pietas ſubjectis benignos. Quieſcat feliciſſimis tem-

An. Dñi *poribus veſtris in univerſa republica prolata ſub cauſarum ymagine præda pacis. Redeat cunctis in rebus propriis ſecura poſſeſſio, ſine timore quiſlibet habeat quæ non ſunt ſuis fraudibus acquiſita. Reformetur jam ſingulis ſub imperio veſtro libertas ſua. Nam hoc inter Reges gentium & Imperatores rei publicæ diſtat, quod Reges gentium domini ſervorum ſunt, Imperatores vero rei publicæ domini liberorum.*

Leg. lib. 13. cap. 32. Lib. 11. epiſt. 44. Gregorius Papa Leontiæ Auguſto. *Quæ lingua loqui, quis animus cogitare ſufficiat quantas Deo gratias debeamus quod tam dura longi temporis pondera cervicibus noſtris amota ſunt, & Imperialis culminis lene jugum rediit quod libeat portare ſubjectis? Reddatur ergo creatori cunctorum ab ymnidicis angelorum choris in cælo gloria, perſolvatur ab hominibus in terris actio gratiarum, quoniam univerſa res publica quæ multa mœroris pertulit vulnera jam nunc veſtræ conſolationis invenit fomenta. Vos omnipotens Deus in amore catholicæ fidei faciat defenſores ſuos quos ex opere benigno fecit Imperatores noſtros. Infundat in veſtris mentibus zelum ſimul & manſuetudinem, ut pio ſemper fervore valeatis & quicquid in Deum exceditur non inultum relinquere, quicquid etiam in vos delinquitur parcendo tolerare. Rogare debui forſitan ut eccleſiam beati* Petri *quæ nunc uſque gravibus inſidiis laboravit haberet veſtra tranquillitas ſpecialiter commendatam. Sed quoniam ſcio quod omnipotentem diligitis, non debeo petere quod ex benignitate veſtræ pietatis exhibetis etiam ſponte.*

600. *Auguſtinus* à *Gregorio* papa tranſmiſſus in *Angliam Ædelbertum Cantiæ* regem ad fidem Chriſti convertit.

Amonius lib. 3. Ob peſtem inguinariam papa *Gregorius* letaniam inſtituit ſeptiformem. In primo namque choro fuit clerus omnis. In ſecundo, omnes Abbates cum monachis ſuis. In tertio, omnes Abbatiſſæ cum ſuis congregationibus. In quarto, omnes infantes. In quinto, omnes laici. In ſexto, omnes viduæ. In ſeptimo, omnes conjugatæ. *Richaredus* rex *Wiſigothorum Toleti* ſynodum congregavit adverſus *Arrianos*.

Gregorius papa Ædelberto regi Anglorum. *Glorioſe fili, gratiam illam quam accepiſti divinitus ſollicita mente cuſtodi. Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis feſtinanter extende, zelum tuæ rectitudinis in eorum converſione multiplica, cultus ydolorum inſequere, fanorum ædificia deſtrue. Deus enim ipſe veſtræ gloriæ nomen etiam poſteris glorioſius reddet, cujus vos honorem quæritis, reſervatis in gentibus. Sic* Conſtantinus *quondam piiſſimus imperator* Romanam *rempublicam revocans à perverſis cultibus ydolorum omnipotenti Deo ſubdidit. Unde factum eſt ut antiquorum principum nomen ſuis ille vir laudibus vinceret, & præceſſores ſuos in bono ſemper opere ſuperaret.*

Gregorius Papa Bertæ Reginæ Anglorum. *Omnipotentem Deum benedicimus qui converſionem gentis* Anglorum *mercedi veſtræ dignatus eſt propitius reſervare. Nam ſicut per* Helenam *recordandæ memoriæ matrem piiſſimi* Conſtantini Romanorum *Imperatoris ad Chriſtianam fidem corda* Romanorum *accenſa ſunt, ſic per gloriæ veſtræ ſtudium in* Anglorum *gente miſericordiam Dei confidimus operari.*

Gregorius Papa Auguſtino Anglorum epiſcopo. An. Dñi *Quis narrare ſufficiat quanta lætitia in univerſorum corde fidelium fuerit exorta, quod gens* Anglorum *operante omnipotentis gratia & tua fraternitate laborante, expulſis errorum tenebris ſanctæ fidei luce perfuſa eſt; quod mente integerrima jam calcat ydola quibus prius veſano timore ſubjacebat, quod omnipotenti Deo puro corde ſubſternitur, quod à pravi operis lapſibus ſanctæ prædicationis regulis ligatur, quod præceptis divinis animo ſubjacet & intellectu ſublevatur: quod uſque ad terram ſe in oratione humiliat, ne mente jaceat in terra. Cujus hoc opus eſt niſi ejus qui ait,* Pater meus uſque modo operatur, & ego operor?

Gregorius animam Imperatoris *Trajani* gentilis à pœnis inferi liberavit, Antiphonarium regulariter centonizavit, Kerrieleiſon & Alleluia cantari præcepit ad Miſſam. In canone Miſſæ tria verba ſuperaddidit; ſcilicet, *Dies noſtros in tua pace diſponas. Ab æterna damnatione nos eripias. In electorum tuorum grege connumeres.*

601. Beda lib. 1. cap. 27. *Auguſtinus* ivit *Arelas*, & ab *Etherio* civitatis ejuſdem Archiepiſcopo genti *Anglorum* epiſcopus conſecratus eſt. Reverſuſque *Britanniam* miſit continuo *Romam Laurentium* presbiterum & *Petrum* monachum; qui beato *Gregorio* gentem *Anglorum* fidem Chriſti ſuſcepiſſe ac ſe epiſcopum factum eſſe referrent. Beatus vero *Gregorius* miſit cum præfatis legatariis plures cooperatores ac verbi miniſtros. In quibus primi & præcipui erant *Mellitus, Juſtus, Paulinus, Ruffinianus*. Miſit etiam literas in quibus ſignificat ſe ei pallium direxiſſe, ſimul & inſinuat qualiter epiſcopos in *Britannia* conſtituere debuiſſet. Scribens in hæc verba: *Quia nova* Anglorum *eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente & te laborante perducta eſt, uſum tibi pallii in ea ad ſola miſſarum ſolennia agenda concedimus, ita ut per loca ſingula xij. epiſcopos ordines qui tuæ ſubjaceant ditioni, quatinus* Lundonienſis *civitatis Epiſcopus ſemper in poſterum à ſynodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & apoſtolica, cui Deo auctore deſervio, ſede recipiat. Ad* Eboracum *vero civitatem te volumus Epiſcopum mittere quem ipſe judicaveris ordinare. Ita dumtaxat ut ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque xij. Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur. Quem tamen tuæ fraternitati volumus diſpoſitioni ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis quos ordinaverit præſit ut* Lundonienſis *epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter* Lundoniæ & Eboracæ *civitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Tua vero fraternitas epiſcopos quos ordinaveris qui vel per Epiſcopum* Eboracæ *fuerint ordinati, ſacerdotes etiam totius* Britanniæ *ſubjectos habeat.*

Gregorius Papa Theodorico Regi Franciæ. *Quoniam* Auguſtino *reverentiſſimo Fratri noſtro dum ad* Anglorum *gentem proficiſceretur excellentia veſtra multa bona noſcitur impendiſſe, gratias magnas exolvimus, petentes ut & monachis quos ad eundem fratrem noſtrum dirigimus ſedulas veſtra beneficia miniſtretis, ut nullas in itinere vobis patrocinantibus difficultates inveniant.*

Gregorius Papa Brunichildæ Reginæ Franciæ. *Sicut Epiſcopo vivente quem ab adminiſtratione*

officii

An. Dñi *officii ſui non culpa ſed agritudo ſubduxit, alium ipſius loco ſacri nullo modo permittunt canones ordinari, ſic ſi nullo tempore redit ad ſana mentis officium quem capitis gravat infirmitas, quari perſona debet decorata moribus & vita, qua curam animarum gerere, qua cauſam & utilitates ejuſdem eccleſia ſalubri valeat ordinatione diſponere.*

Beda lib.2. cap.3. *Auguſtinus* ordinavit *Mellitum* Epiſcopum in civitate *Lundonia, Juſtum* in civitate *Roſenſi.*

Beda lib.2. cap.3. *Edelbertus* Rex conſtituit eccleſiam Sancti *Pauli Lundonia.*

Auguſtinus pro ſe ordinavit *Laurentium* Epiſcopum. Et Epiſcopos *Britannia* convocavit ad colloquium. 605.

606. *Sabinianus* Papa.

607. Pauper quidam cum à nautis peteret elemoſinam nec acciperet, dicente nauclero, Deſiſte elemoſinam petere à nobis qui nichil hic præter lapides habemus; Cum ſubjeciſſet pauper, Omnia ergo vertantur in lapides, Quicquid manducabile in navi erat in lapides converſum eſt, colore & forma rerum earundem permanente.

Bonefacius Papa. Hic optinuit apud *Focam* Imperatorem ut eccleſia *Romana* caput eſſet omnium eccleſiarum, quia eccleſia *Conſtantinopolitana* ſcribebat ſe eſſe primam omnium eccleſiarum. Hoc
608. in Concilio ſexaginta duorum Epiſcoporum decrevit ſub anathemate.

609. *Bonefacius* Papa.

Hic optinuit à *Foca* Cæſare vetus fanum quod *Panteon* vocabatur, conſecrari eccleſiam.

610. *Bonefacius* Papa.

611. *Yſidorus Yſpalenſis Epiſcopus ab initio mundi*
612. *uſque huc Cronica ſua digeſſit.*

613. *Heraclius* Imperator. Hic portas *Caſpias* quas *Alexander Macedo* clauſerat aperuit, & C. quinquaginta M̄. milites auro loricatos adducens contra *Saracenos* qui erant ducenta milia pugnare volebat. Sed de exercitu *Heraclii* quinquaginta ij. M̄. in ſtratu gladio Dei mortua ſunt.

614. *Deuſdedit* Papa.

Mellitus Lundonia ejectus & *Juſtus Roſenſis Gallia* partes conſilio *Laurentii* archiepiſcopi adierunt, quos ſequi volentem *Laurentium Petrus* apoſtolus flagellis affecit. Quo audito, *Edbaldus* Rex relicta ydolatria *Mellitum* & *Juſtum* revocavit. da lib.2. p.6.

615. 616.

617. *Laurentius* Archiepiſcopus *Cantuarienſis.*

618.

619. *Bonefacius* Papa.

620. *Cadvallo* Rex *Britonum.*

621. *Mellitus* archiepiſcopus *Cantuarienſis.*

622. *Cenwallus* Rex *Weſtſaxonum.*

Poſt *Laurentium Mellitus* fit archiepiſcopus *Cantuarienſis*, qui laborabat podagra.

Syrois Rex Perſarum *Coſdroum* patrem ſuum perimit.

Honorius Papa.

623. 624. 625.

26. *Juſtus Cantuarienſis* archiepiſcopus.

lib.2. Ordinatus eſt *Paulinus Eboracenſis* archiepiſcopus à *Juſto Cantuarienſi* archiepiſcopo.

Sicut *Cantia* ſubicitur *Roma* quod ex ea fidem accepit, ita *Eboracum* ſubicitur *Cantuaria* quæ eo prædicatores miſit. Sicut igitur ſedes *Cantuaria* prima fuit in fide, prima ſit in honore.

An. Dñi

Poſt *Mellitum Juſtus Roſenſis* Epiſcopus fit Archiepiſcopus *Cant.* Cui *Bonefacius papa Juſto* ſcilicet *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſcripſit in hæc verba.

Auctoritate beati Petri *præcipientes ſtatuimus ut in* Dorobernia *civitate ſemper in poſterum metropolitanus totius* Britanniæ *locus habeatur, omneſque provincia regni* Anglorum *præfati loci metropolitana eccleſia ſubiciantur.*

627. *Paulino* prædicante *Eadwinus* Rex *Norranhimbrorum* baptizatus eſt, & præfectus *Lindocolinæ* baptizatus eſt à *Paulino* ſimiliter. Bed.lib.2. cap.14.

628.

629. Poſt *Juſtum Honorius* fit archiepiſcopus *Cantuaria*, quem conſecravit *Paulinus* in civitate *Lincolnia*; ad quos ſcripſit *Honorius* papa in hæc verba. *Cum* Dorobernenſis *antiſtes vel Eboracenſis de hac vita tranſierit, is qui ſupereſt habeat poteſtatem alterum ordinandi.*

Bed.lib.2. cap.16. *Si de conſecrationibus archiepiſcoporum Cant. contrarium aliquid inveneris in autentico libro quam in hoc volumine reperiatur, adquieſcas in omnibus.*

630. 631.

632. Scripſit etiam *Honorius* papa *Honorio Cantuarienſi* archiepiſcopo. *Tuæ juriſdictioni ſubici præcipimus omnes Angliæ eccleſias & regiones, & ut in civitate* Dorobernia *Metropolitanus locus & honor Archiepiſcopatus & caput omnium eccleſiarum* Anglorum *ſemper in poſterum ſervetur.*

633. Rex *Eadwinus* interfectus eſt à *Cedvalla* & *Penda* Regibus.

Turbatis rebus *Norranhimbrorum Paulinus* in *Cantiam* rediit, & factus *Roſenſis* Epiſcopus ibi obiit.

Dagobertus Rex *Francorum.*

Severinus Papa.

Johannes Papa.

Oſwaldo Regi *Northanhimbrorum* à *Scotis* miſſus eſt *Aidanus* Epiſcopus.

Evangelizante *Birino* ab *Honorio* Papa prædicandi gratia in *Angliam* miſſo, *Kinegils* Rex occidentalium *Saxonum* cum ſua gente credidit; Quem de fonte baptiſmi exeuntem Rex ſuſcepit *Oſwaldus.* A quibus Regibus idem Pontifex civitatem *Dorceſtra* ad faciendam inibi ſedem epiſcopalem accepit.

Sigeſbertus infans filius *Dagoberti* Regis à ſancto *Amando* baptizatus, ubi cunctis tacentibus ipſe infans quadraginta dierum *Amen* reſpondit.

634. Hoc tempore fuit *Macometus* propheta magnus, cui cultum deitatis exhibent *Saraceni.*

635.

636. *Theodorus* papa.

637. 638. 639. 640. 641.

642. *Erconbertus* Rex *Cantuariorum* in regno ſuo deſtruit ydola.

Oſwaldus Rex occiſus eſt à *Penda* Rege *Merciorum.*

Sancta *Oſida* filia *Fredewaldi* & *Wilburgæ* filiæ *Pendæ* Regis, uxor fuit *Siheri*, quam *Hecca* & *Baldewinus* Epiſcopi orientalium *Anglorum* Deo dedicaverunt.

643.

644. *Conſtantinus* Imperator *Conſtantinopolitanus.*

645. *Kenwaldus* filius *Kenegliſi* Regis Eccleſiam *Wintonia* conſtruxit, in qua ſedes pontificalis eſt.

646. *Clodoveus* Rex *Franciæ.*

647.

Mar-

An. Dñi *Martinus* papa.
648. Hic congregavit Concilium in quo *Sergius Pau-*
649. *lus* & *Cyrus* damnati ſunt.

650. 651. 652.

653. Poſt *Honorium Deuſdedit* fit archiepiſcopus *Cantuarienſis* ab *Ytamaro Roſenſi* epiſcopo conſecratus. Vacabat enim tunc epiſcopatus *Lundonienſis* mortuo *Cedda*.

654.

655. *Seburch* regina *Weſtſaxonum*.

656. *Eſwine* rex *Weſtſaxonum*.

657. *Deuſdedit* archiepiſcopus *Cantuariæ*.

658.

659. *Eugenius* papa.

660. *Kenwine* rex *Weſtſaxonum*.

661. *Vitalianus* papa.

662. Abhinc *Francorum* Regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, regni potentia diſponebatur per Majores domus, Regibus ſolo nomine regnantibus; Quibus moris erat principari quidem ſecundum genus, & nil agere vel diſponere præterquam irrationabiliter edere & bibere domique morari, & Kal. Maii præſidere coram tota gente & ſalutari, obſequia & dona accipere & rependere, & ſic ſecum uſque ad alium Maium permanere.

663. *Francorum* rex *Lotharius*.

664. *Balfridus* rex *Northanhimbrorum Wilfridum*
665. Abbatem *Ripenſis* monaſterii ad regem *Galliarum* mittens epiſcopum ſibi rogavit ordinari. *Wilfrido* adhuc in tranſmarinis partibus demorante conſecratus eſt in Epiſcopatum *Eboriaci* à *Wine* civitatis *Wentanæ* præſule *Cedda* vir ſanctus.

666. *Wine* civitatis *Wentanæ* Epiſcopus à rege *Kenewalcho* de ſuo præſulatu pulſus, ad regem *Merciorum Wilſhere* ſeceſſit, & ab eo adquiſita per pecuniam ſede civitatis *Lundoniæ*, ejus epiſcopus manſit uſque ad terminum vitæ ſuæ; Et ideo inter *Lundonienſes* epiſcopos non connumeratur quia *Lundonienſem* eccleſiam titulatam non habuit.

Francorum rex *Theodoricus*.

667. *Cadvaladrus* rex *Britonum*.

668. *Theodorus Tharſo Ciliciæ* natus, ſeculari & ec-
cleſiaſtica philoſophia præditus, Græce & Latine
ſufficienter inſtructus, ordinatus eſt *Romæ Dorober-*
669. *nenſis* archiepiſcopus à papa *Vitaliano*. Cui *Vita-*
670. *lianus* ſcripſit in hæc verba. *Commendamus tuæ
ſagaciſſimæ ſanctitati omnes eccleſias in inſula* Bri-
tanniæ *poſitas*.

Conſtantinus Imperator.

Adeodatus papa.

Theodorus archiepiſcopus *Cantiam* venit. Is primus in archiepiſcopis *Dorobernenſibus* erat cui omnis eccleſia *Anglorum* manus dare conſentiret. Itaque perluſtrans univerſa ordinavit locis oportunis epiſcopos, & ea quæ minus perfecta repperit his quoque juvantibus corrigebat. In quibus & *Ceddam* epiſcopum *Eboracenſem* à *Wine Wentanæ* civitatis præſule ordinatum cum argueret non fuiſſe rite conſecratum, reſpondens ipſe voce humillima, *Si me*, inquit, *noſti epiſcopatum non rite ſuſcepiſſe, libenter ab officio diſcedo, quippe qui neque me unquam hoc eſſe dignum arbitrabar, ſed obedientiæ cauſa juſſus ſubire hoc quamvis indignus conſenſi.* At ille audiens humilitatem reſponſionis ejus, dixit eum epiſcopatum dimittere non debere; ſed ipſe ordinationem ejus denuo catholica ratione conſummavit.

671. 672.

Cedwalla rex *Weſtſaxonum*. An. Dñi 673.

674.

Theodorus in *Anglia* ſynodo habita conſtituit multa eccleſiæ utilia. Hic *Theodorus* ſcripſit pœnitentialem librum mirabili & cauta diſcretione diſtinguens modum ſingularum culparum.

Regina *Northanhimbrorum Ætheldreda* diu poſtulans maritum ſuum regem *Ecgfridum* ut relictis ſeculi curis in monaſterio Regi Chriſto ſervire permitteretur, ubi vix aliquando impetravit, monaſterium ſanctæ *Ebbæ* ſancti *Oſwaldi* germanæ intravit, & velamen ſanctimonialis ab antiſtite *Wilfrido* ſuſcepit.

Ine rex *Weſtſaxonum*. 675.

676.

Donus papa. 677.

678.

Agatho papa. 679.

Sancta *Ermenburga* uxor *Merewaldi* regis *Merciorum* peperit tres filias, ſanctam *Milburgam*, ſanctam *Mildridam* & ſanctam *Mildgydham*, unumque filium *Mereſin* eximiæ ſanctitatis puerum.

Francorum rex *Theodoricus*. 680.

Theodorus Dorobernenſis archiepiſcopus in loco qui dicitur **Heorthord** epiſcoporum cogit Concilium, in quo *Wilfridus Northanhimbrorum* archiepiſcopus per proprios legatarios fuit. Affuerunt etiam alii *Anglorum* epiſcopi, de termino Paſchæ & aliis neceſſariis eccleſiæ negotiis tractaturi, ut in *Anglorum* reperitur hyſtoria.

Offenſus *Wilfrido* Merciorum epiſcopo per meritum cujuſdam inobedientiæ *Theodorus Dorobernenſis* archiepiſcopus eum de epiſcopatu depoſuit, & in loco ejus *Saxulfum* epiſcopum ordinavit conſtructorem & abbatem monaſterii quod dicitur **Burch** in regione *Girviorum*.

Tum etiam orientalibus quibus eo tempore præfuerunt *Sebbe* & *Sigghere* in civitate *Lundonia* defuncto *Cedda*, *Erkenwadum* epiſcopum conſtituit. Beda lib. 4 cap. 6.

Cujus viri & in epiſcopatu & ante epiſcopatum vita & converſatio fertur fuiſſe ſanctiſſima. Hic fecit duo monaſteria, unum ſibi, alterum ſorori. Suum **Certeſete** dicitur: quod amminiculo *Frithewaldi* ſubreguli opulentia rerum & monachis implevit. Sororis cœnobium appellatur **Berkingum**, ubi ipſa prima Abbatiſſa fuit.

Orta inter regem *Ecgfridum* & archiepiſcopum *Eboracenſem Wilfridum* diſſenſione, pulſus eſt idem antiſtes à ſede ſui epiſcopatus; & duo in locum ejus ſubſtituti ſunt, *Boſa* monachus & *Eata* Abbas *Mailroſenſis*. *Boſa* in civitate *Eboraci*, *Eata* in *Hanguſtaldenſi* ſive *Lindiſfarnenſi* eccleſia.

Ordinati ſunt *Boſa* & *Eata Eboraci* à *Theodoro* archiepiſcopo *Dorobernenſi*.

Pulſus ab epiſcopatu *Wilfridus* Romamque iturus, ubi navem conſcendit flante *Favonio Freſiam* eſt pulſus. Ubi primus opus Evangelicum cœpit, & multa milia barbarorum ad fidem convertit, hyememque ibidem cum nova Dei plebe feliciter exegit.

Sexta Sinodus univerſalis *Conſtantinopoli* congregatur; in qua *Georgius Conſtantinopolitanus* epiſcopus ab errore *Monothelitarum* revocatur. *Macharius* vero *Antiochenus* & cuncti duas voluntates & operationes in unam Chriſti perſonam negantes 681.

An. Dñi gantes anathematizantur. In hac synodo fuerunt episcopi ducenti octoginta novem.

682. *Agatho* papa contra monothelitas *Romæ* synodum celebravit CXXV. episcoporum, in qua *Wilfridus Eboracensis* archiepiscopus absolutus est.

Hemmius lib. 3.

Wilfridus episcopus *Frisiam* reliquit; *Romam* adiit, ubi *Benedicti* papæ, & plurimorum episcoporum judicio absque crimine accusatus fuisse, episcopatuque inventus est dignus fuisse; qui *Britanniam* rediens, provinciam *Suthsaxonum* Christo credere fecit.

Obiit beata *Etheldrida Helyensis* abbatissa, cui soror ejus *Sexburh* successit in ministerium.

Merciorum provincia in quinque parochias divisa. *Bosel* à *Theodoro* archiepiscopo *Dorobernensi* ad *Wicciam* præsul ordinatur; habens sedem episcopatus in civitate *Wigornia*. *Cuthwinus* ad *Licetfeldensem*. *Saxulfus* ad mediterraneam *Angliam*, habens episcopatus sedem in civitate *Legora*. Ad *Lindensem* provinciam *Ethelwinum*, sedem episcopatus habens in *Lindesia*. Ad *Suthanglium Ecda*, habens episcopatus sedem in Dorchecestre.

683. In *Anglia* claret *Etheldreda* regina, quæ duobus viris nupta virgo permansit. Cujus mortuum corpus post undecim sepulturæ suæ annos incorruptum inventum est.

Bed. lib. 4. cap. 17.

Theodorus archiepiscopus cœtum episcoporum doctorumque plurimorum collegit in loco qui dicitur *Hethfeld*, ut cujus essent singuli fidei sciret.

terfuerunt Concilio Egfridus *Nor-*
thanhymbrorum, & Adelredus *rex*
erciorum, & Wlfus *rex Estangl-*
, Lotharius *rex Cantuariorum.*

Clotario regi *Franciæ* successerunt *Theodericus* & *Childericus*.

Beda cum esset vij. annorum *Biscopo* abbati datus est educandus.

Post annos tres abscessionis *Wilfridi* ad ecclesiam *Hagustaldensem*, *Thumbertum* remanente *Eata* ad *Lindisfarnensem*, & *Trumwine* ad terram *Pictorum Theodorus* archiepiscopus ordinavit. *Eadhedum* de *Lindissei* reversum *Ripensi* præfecit ecclesiæ.

684. *Leo* papa.

685. *Benedictus* papa.

Theodorus Dorobernensis archiepiscopus *Cuthbertum Eboraci* consecravit episcopum *Lindisfarnensem*.

686. *Johannes* papa.

Wilfridus iterum à præsulatu expellitur, & mediterraneorum *Anglorum* suscipit episcopatum, & *Osforth Wicciorum* consecravit episcopum, quia *Theodorus* archiepiscopus jam defunctus erat.

687. *Conon* papa.

Cadwaladrus rex *Britonum* à *Sergio* papa confirmatus, migravit ad Dominum.

688.

689. *Sergius* papa.

Justinianus imperator secundus.

690. *Brichtwaldus* abbas de *Racuulf Dorobernensium* electus antistes, consecratus est à *Godwino* metropolitano *Walliarum*.

lib. 5.

Sergius *papa universis episcopis* Britanniæ. *Vobis insinuamus quod dilectissimus frater* Brictwaldus Cantuariorum *provinciæ præsul, juxta ritum priscæ consuetudinis primatum totius* Britanniæ *sortitus, cum sacro pallii usu ac venerabilis dalmaticæ illic demandatus est: mandantes ut eidem archiepiscopo primatum gerenti efficaciter obediatis.*

691. 692. 693. 694. 695. 696.

Justinianus imperator sextam synodum nititur infirmare. An. Dñi 697.

Leo imperator. 698.

Hyldebertus rex *Francorum*.

Synodus *Aquileiæ* facta quintam universalem synodum à *Justiniano* imperatore, & *Virgilio* papa *Constantinopoli* celebratam suscipere diffidit.

Tiberius imperator. 699.

700. 701.

Johannes papa. 702.

703.

Johannes papa. 704.

Episcopatus *Dorcestriæ* divisus est in duas parochias; una data *Danieli*, id est, *Wintoniæ*: altera *Adelmo*; id est, *Sireſburnia*. 705.

Mortuo rege *Ælfrido*, *Wilfridus* ad propriam sedem revertitur.

Justinianus iterum imperator. 706.

Sisinnius papa.

Constantinus papa.

Choered & *Offa* reges *Anglorum Romam* veniunt, ibique in monachis attonsi regi regum militaverunt. 707.

Beda xxx. ætatis suæ anno gradu presbyteratus accepto, libros suos incepit; in quibus componendis xxix. annis laboravit. 708.

Sanctus *Egwinus Wicciorum* episcopus, cum rege *Merciorum Kinred*, & *Offa* rege orientalium *Saxonum Romam* veniens, ut monasterium quod in territorio *Wigornensi* construxerat, ab improborum irruptione securius redderet, epistolam privilegii à papa *Constantino* impetravit.

Wilfridus *sanctus meritis & nomine magnus,* 709.
Quindecies ternos postquam egit episcopus annos,
Transiit, & gaudens cœlestia regna petivit,
Artatus multis post tempora longa periclis.

710. 711.

Adelardus rex *Westsaxonum*, 712.

Romanorum *Philippicus*. 713.

Hoc tempore Beda *scripsit hystoriam Anglorum ad Ceowlfum regem Northanhimbrorum.* 714.

Gregorius papa secundus. 715.

Hic constituit ut quadragesimali tempore jejunium missarumque celebritas fieret, quod ante eum non erat.

Romanorum imperator *Anastasius*.

Mortuo *Dagoberto* Franci *Danielem* clericum in regem levaverunt, atque *Chilpericum* nuncupant, contra quem *Karolus Martellus* pugnam iniit, atque in fugam compulit.

Hic finita est successio *Merovingorum*.

Nam post transmigrationem generacionis ex filia *Clotarii* regis *Ansbertus* genuit *Arnoldum*, *Arnoldus* genuit *Arnulfum*, *Arnulfus* genuit *Anscisum*, *Anscisus* genuit *Pipinum*, *Pipinus* genuit *Karolum Martel*.

Sancta *Cutberth* monasterium virginum Deo devotarum in loco qui dicitur *Winburna* construxit.

716.

Theodosius imperator. 717.

Leo imperator. 718.

719. 720. 721. 722.

Ab initio mundi usque ad annum ab incarnatione Domini septingentesimum tricesimum quartum, Beda *chronica sua perduxit.* 723. 724.

725. 726. 727. 728. 729.

Gudredus rex *Westsaxonum*. 730.

An.Dñi *Gregorius* papa iij.

731. *Tatwinus* fit archiepiſcopus *Cantuariæ*, cui *Gregorius* papa ſcripſit in hæc verba: *Præcipimus ut omnis homo totius* Angliæ *tibi obediat, & te ſciat eſſe primatem totius inſulæ.*

732. *Lotharius* rex *Francorum.*

733. *Dorobernenſi* archiepiſcopo *Thatwine* defuncto, *Nothelmus* eccleſiæ *Lundonienſis* presbyter in archiepiſcopatum ſucceſſit.

734. Sacerdos venerabilis *Beda* viij. kal. Junii migravit ad Dominum. Qui quouſque anima in corpore fuit, *Gloria Patri*, & alia quædam ſpiritualia expaſſis manibus dicendo, non ceſſabat Deo gratias agere. Cum autem cantando *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, Spiritum ſanctum nominaſſet, ſpiritum à corpore exalavit ultimum.

735. 736. 737. 738. 739.

Nothelmus Dorobernenſis archiepiſcopus, à *Gregorio* papa pallium ſuſcepit, qui auſtralibus *Saxonibus Wilfrido* cum pace domum reverſo, *Eadrithum* præfecit antiſtitem.

740. *Chilpericus* rex *Francorum.*

Gregorius papa conſtituit in miſſa *quorum ſollennitas hodie*; & reliqua uſque *largitor admitte.*

Karolus Martel Raginfredo civitatem dedit *Andegavenſem. Pipinum* filium ſuum *Papiam* direxit, ut juxta morem *Liubrandi* regis *Longobardorum* capillum ſuccideret; quem incidens *Liubrandus*, pater effectus eſt *Pipini.*

741. *Aquenſi* urbe à *Saracenis* deſolata, corpus beatæ
742. *Mariæ Magdalenæ* à *Gerardo* Comite *Burgundiæ*
ad cœnobium *Viceliacum* à ſe conſtructum transfertur.

743. 744. 745. 746.

747. *Paulus Caſſinenſis ſcribit hucuſque.*

748. *Karlomannus* filius *Pipini* regis, à *Zacharia* papa in monachum tonſoratur.

749. *Cuthbertus* archiepiſcopus *Cantuarienſis.*

750. *Collige breviter quot reges* Francorum, *& quot Majores domus fuerint ab anno* DC. lxij. *uſque huc, & invenies in ſequenti.*

Sigebertus rex *Weſtſaxonum.*

Anno ſiquidem DC. lxij. *Ebroinus* Major domus primo ſuper *Lotharium* regem *Francorum*; poſtmodum ſuper *Theodoricum* regem fratrem *Lotharii* principabatur. *Theodoricus* vero rex propter inſolentiam *Ebroini* à *Francis* repudiatur, & frater ejus *Hyldericus* in regnum collocatur. *Hilderici* major domus erat *Wlfohaldus.* Poſtea occiſo *Hylderico, Theodoricus* regno reſtituitur, & *Lendeſius* major domus efficitur. Rurſum *Ebroinus Lendeſium* majorem domus perimit; *Clodoveum* quendam fingens eſſe filium *Lotharii* regis regem ſibi facit. *Wlfohado* majore domus mortuo, *Pipinus* pater *Karoli Martel* principatur in *Auſtria. Ebroinum* majorem domus *Ermenfridus* perimit. *Warato* pro *Ebroino* major domus ſtatuitur ſub rege *Theodorico. Waratone* quoque mortuo *Bertarius* fit major domus ſub rege *Theodorico.*

Zacharias papa.

Pipinus autem primo ſub *Theodorico* rege, poſtmodum ſub *Clodoveo* rege, ſolus toti regno principatur. *Grimoaldus* filius *Pipini* in aula *Hyldeberti* regis major domus ſtatuitur. *Grimoaldo* mortuo, *Theodowaldus* nepos *Pipini* ſub *Hyldeberto* rege major domus efficitur. Mortuo *Hyldeberto Francorum* rege, *Clodoveus* filius ejus regnat poſt eum. *Franci Chilpericum* regem ſtatuunt, & *Raginfredum* majorem domus. *Lothario* rege mortuo qui ſucceſſit *Clodoveo, Karolus Martellus* major domus *Chilpericum* regem ſibi facit. Mortuo *Chilperico* idem *Karolus Theodoricum* ſibi facit regem. *Theodorico* mortuo regnat *Hyldericus*; pro quo *Pipinus* filius *Karoli Martelli* in *Francia* principatur, & poſt novem annos *Hyldericus* rex in monachum tonſoratur.

Pipinus rex *Francorum.* 751.

752\.

Stephanus papa. Hic *Pipinum* unxit in regem. 753.

Kinewlfus rex *Weſtſaxonum.* 754.

Conſtantinus imperator ſynodum congregat tre- 755.
centorum triginta epiſcoporum, & de ymaginibus deponendis contra orthodoxos tyrannizat.

756. 757

Ynor filius *Cadwaladri*, & *Ynor* nepos ejus *Sa-* 758.
xones inquietaverunt. 759.

Brewinus fit archiepiſcopus *Cantuariæ.* 760.

Paulus papa. 761.

Jambertus abbas ſancti *Auguſtini, Dorobernen-* 762.
ſium electus antiſtes, benedictionem & pallium à 763.
papa *Paulo* ſuſcepit. 764.

Pipinus rex *Agentium*, *Petragoricum* & *Engo-* 765.
liſmum devaſtat.

Judæi ymaginem *Jeſu* Salvatoris noſtri invenientes in domo cujuſdam *Judæi* ibi relictam à quodam Chriſtiano eam deponunt, & omnia opprobria quæ *Judæi Jheſu Chriſto* intulerunt imagini ejus inferebant; tandem lancea latere ejus aperto exivit de eo ſanguis & aqua. Quod illi ſuppoſita ampulla ſuſcipientes, omnes infirmos in ſynagoga ſua collectos ſanabat. Quod cum vidiſſent *Judæi* baptizati ſunt omnes. Paſſio autem Dominicæ ymaginis celebratur ſingulis annis 5. idus Novembris apud *Berithum.*

In præſentia *Pipini* regis, inter Græcos & Ro- 766.
manos celebratur ſynodus de ſancta Trinitate & ſanctorum ymaginibus.

767\.

Pipino ſucceſſit *Karolus* filius ejus, pro felicita- 768.
tis magnitudine cognominatus *Magnus.*

Conſtantino papa ſchiſmatico oculis privato *Stephanus* papa conſtituitur. Hic ſynodum *Romæ* congregat, & ordinatos à *Conſtantino* ſciſmatico reordinat.

769. 770. 771. 772.

Adrianus papa. Hic ad tuendas res eccleſiæ *Ka-* 773.
rolum Romam accerſit; quo pergens *Papiam* obſedit; ibique relicto excercitu *Romam* pervenit, ſanctam reſurrectionem ibi peregit: poſtea rediens *Papiam* cepit. Iterumque *Romam* rediit, ſynodum conſtituit cum *Adriano* papa aliiſque centum quinquaginta tribus religioſis epiſcopis & abbatibus. In qua *Adrianus* papa, cum univerſa ſynodo dedit ei jus eligendi pontificem, & ordinandi apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque patriciatus. Inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere diffinivit, & ut niſi à rege laudetur & inveſtiatur, epiſcopus à nemine conſecretur.

Karolus rex *Deſiderium* regem *Papiæ* perpetuo exilio damnat. *Veronem* capit urbem. *Forum Julii* ſubjugat. Duos clericos *Romam* miſit, ut autenticum cantum à *Romanis* diſcerent & *Gallos* docerent.

Brictrico rex *Weſtſaxonum.*

775.

774. *Wiothichindus* dux *Saxonum* à *Karolo* ſubjugatur.

776. *Leo* impetator *Conſtantinopolitanus.*

777. *Karolus* in *Hyſpania Cęſar-Auguſtam* delet,

778. *Pampilonem* ſubicit.

779. 780.

781. *Leo* imperator cum inſaniret cupiditate circa precioſos lapides, adamavit magnam ſanctæ *Sophiæ* coronam, & accipiens portavit eam, & exierunt carbunculi in capite ejus, & captus à febre mortuus eſt.

782. *Trene* imperatrix *Conſtantinopolitana*, cum filio ſuo *Conſtantino*.

783. 784. 785. 786.

787. *Adelardus Wintonienſis* epiſcopus fit archiepiſcopus *Cantuarienſis.*

Offa rex *Merciorum* interfecto rege *Adelberto* contraxit inimicitias cum *Cantuariis*. *Jambertum* quoque *Dorobernenſem* archiepiſcopum primatu ſpoliare, regnumque *Merciorum* archiepiſcopatu inſignire affectans, epiſtolis ad *Adrianum* papam directis egit, ut pallio *Adulfum Lichesfeldenſem* epiſcopum efferret, omneſque *Merciorum* epiſcopos, ſcilicet *Wigornenſem*, *Legeceſtrenſem*, *Cidnaceſtrenſem*, *Herefordenſem* ei ſubjugaret, & præterea duos orientalium *Anglorum* epiſcopos, ſcilicet *Elmanenſem* & *Dummoccenſem*. Stetit autem hæc perverſitas toto prælatus *Jamberti* tempore; ſed *Adelardus* ſucceſſor *Jamberti* in contrarium impetravit reſcriptum à *Leone* papa, cujus exemplum infra poſitum eſt.

Signum crucis in veſtibus hominum apparuit.

Sanguis de cœlo & terra profluxit.

788. *Karolus* rex *Romam* venit, *Eregiſus* dux *Beneventi* gratiam ejus redimit.

Inſtantia *Tharaſii* patriarchæ *Conſtantinopolitani*, & *Adriani* papæ, ſecundo apud *Nicheam* univerſalis ſynodus CCCL. epiſcoporum congregatur, & hæreſis execrantium ymagines Dei inperpetuum abdicatur, in præſentia *Trenes* & filii ejus *Conſtantini*.

Thaſſilo dux *Baioariæ*, *Hardericus* dux *Auſtraſiorum*, *Adelgiſus* filius *Deſiderii* regis, *Sclavonenſes* etiam contra *Karolum* venientes, aut perimuntur, aut exiliantur.

789.

790. *Karolus* rex in *Ægypto*, in *Siria*, in *Affrica*, ſed præcipue in *Ieroſolimis* liberalitate eleemoſinarum Chriſtianis pauperibus ſolatiabatur.

791. *Conſtantinus* matrem ſuam *Trenem* imperio privat.

In dormitorio beati *Martini Turonenſis* in *Caſtello novo* duo angeli ingreſſi ſunt; unus extendebat indicem, alter monachum quem ille oſtenderat percutiebat. Unus vigilans ſolus evaſit, dicens, Adjuro te per nomen omnipotentis Dei ne me percutias. Monachi illi, ut refert ſanctus *Odo*, nimis delitioſe vivebant, & ſericis induebantur veſtibus, calciamenta erant vitrei coloris.

792. *Pipinus Karoli* regis ex concubina filius, adverſus patrem inſurgens tonſoratur & monachatur.

793. *Ædbrictus* rex *Weſtſaxonum*.

Inventio ſancti Albani *à rege* Offa *kalend. Auguſti.*

Rex *Offa* eadem die kal. Auguſti, qua die beatus *Albanus* inventus fuit, *Willegodum* abbatem primum monachis introductum eccleſiæ beati *Albani* præfecit, & ſub regulari vita vivere inſtituit. *Willegodo* ſucceſſit *Edricus* abbas ſecundus. *Edrico Wlſigus*, abbas tertius. *Wlſigo Wlnothus*, abbas quartus. *Wlnotho Elfridus*, abbas quintus. *Edfrido Wlſinus*, abbas ſextus. *Wlſino Elfricus*, abbas ſeptimus. *Elfrico Eldredus*, abbas octavus. *Eldredo Edmarus*, abbas nonus. *Edmaro Eluricus*, abbas decimus. Hic factus eſt archiepiſcopus *Cantuariæ*. Cui ſucceſſit in abbatia ſancti *Albani Leofricus* abbas undecimus, frater ipſius *Elurici*.

Kinewlfi regis anno primo *Ethelbaldo* regi *Merciæ* ſucceſſit *Brunred* in regnum; ſed brevi. *Offa* enim eodem anno aufugavit eum, regnavitque ſuper *Merciam* xxxix. annis. *Offa* juvenis nobiliſſimus, fuit filius quidem *Wingferd*, filii *Canwlf*, filii *Oſmud*, filii *Epa*, filii *Wibba*, filii *Creada*, filii *Cynewald*, filii *Cnibba*, filii *Teiſ*, filii *Com*. filii *Angelwon*, filii *Offa*, filii *Wermund*, filii *Witlat*, filii *Woden*. *Offa* rex ſtrenuiſſimus fuit; vicit namque *Kentenſes* prælio; vicit etiam *Weſtſexas* prælio; vicit quoque *Northanhymbros* prælio. *Offa* vir religioſus fuit. Tranſtulit namque ſancti *Albani* oſſa in monaſterium quod conſtruxerat multiſque modis ditaverat. Deditque vicario beati *Petri Romanæ* urbis pontifici redditum ſtatutum de ſingulis domibus regni ſui in æternum. De quo redditu ſingulis annis per univerſam *Britanniam* colligendo, & ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ pro ſtabilitate regni ſui, & ſalute communi tranſmittendo decrevit, ut quantum in terra ſancti martyris *Albani* provenerit, ab his quibus injunctum fuerit ab abbate ipſius monaſterii undecunque collectum nullatenus alias aſportetur, ſed altari beati *Albani* fideliter oblatum, ad utilitatem ejuſdem eccleſiæ ſecundum quod abbas decreverit inviolabiliter expendatur.

794. *Karolus* rex non ſolum patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara & antiquiſſima carmina quibus veterum regum bella, actus canebantur ſcripſit, & memoriæ mandavit. Inchoavit etiam grammaticam patrii ſermonis. Menſibus anni juxta propriam, id eſt, *Teutonicam* linguam vocabula impoſuit. Ventos etiam duodecim propriis nominibus appellavit, cum antea quatuor tantum cardinales venti nominarentur.

795. *Karolus* rex extruxit baſilicam *Aquiſgrani*; ad cujus ſtructuram columnas & marmora devehi fecit à *Roma* & *Ravenna*.

Adelbertus rex orientalium *Anglorum*, *Offa* regis *Merciorum* juſſione, & *Cynedrithæ* reginæ nefaria perſuaſione vita privatus eſt capitis abſciſione.

796. *Leo* papa; qui mox clavem confeſſionis ſancti *Petri* cum vexillo *Romanæ* urbis *Karolo* regi miſit.

Leo papa *Adelardo* archiepiſcopo *Doroberniæ*.

TIbi Adelarde *tuiſque ſucceſſoribus omnes* Anglorum *eccleſias, ſicut à priſcis temporibus fuere, imperpetuum in ipſa tua metropolitana ſede per ſubjectionis cognitionem irrefragabili jure concedimus optinendas. Si quis vero, quod non optamus, contra hanc diffinitionis noſtræ vel apoſtolici privilegii auctoritatem venire temptaverit, ex apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut ſi archiepiſcopus vel epiſcopus fuerit ex ordine præſulatus ſit dejectus: ſimiliter presbyter, vel diaconus, aut alius quilibet miniſter ſacri miniſterii ſi fuerit, ab ordine ſit depoſitus: ſi autem ex numero laicorum fuerit,* *tam rex quam princeps, aut qualibet magna ſive parva ſit perſona, ſacra communicationis participatione ſe noverit alienum.*

797. *Yrene* imperatrix filium ſuum *Conſtantinum* oculis & imperio privat.

798. Sol obtenebratus eſt per dies xvij.

799. *Leonem* papam celebritatem letaniæ majoris agentem *Romani* capiunt, linguam ei & oculos evellunt; cui voce & viſu reddito divinitus, iterum ei oculos & linguam eruunt.

800. In menſe Julio aſpera & gelu concreta bis fuit pruina, ſed nichil fructibus nocuit.

Wluredus Dorobernenſium electus antiſtes, *Roma* conſecratus eſt à *Leone* papa.

801. *Romani* quia *Leonem* papam indigne tractaverant, à rege *Karolo* damnantur.

Quoniam *Yrene* imperatrix excæcato imperatore *Conſtantino* filio ſuo *Romanis* imperabat, uno omnium conſenſu *Karolo* regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum *Leonis* papæ coronant, *Caſarem* & *Auguſtum* appellant.

Hamon. lib.3. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, *Karolo Auguſto* à Deo coronato, magno & pacifico imperatori *Romano*, vita & victoria.

Immutato ordine regnorum immutandus eſt etiam ordo titulorum, quia abhinc ſub uno comprehendendum eſt regnum Francorum *&* Romanorum; *&* Conſtantinopolitanum *regnum diſtinguendum eſt à regno* Romanorum.

Ex quo *Biſantium Thracia* civitas à primo *Conſtantino* in novam ampliata, & in regiam urbem eſt exaltata & tranſlata, in illam omni *Romana* dignitatis gloria in ſedem *Romani* imperii dedicata, & nova *Roma* eſt appellata; Evolutis annis circiter quadringentis ſexaginta octo, diviſo à *Conſtantinopoli Romano* imperio, *Karolus* primus *Francorum* imperat *Romanis* annis xiij.

802. *Karolo* imperatori rex *Perſarum* elephantem mittit.

803.

804. *Avares* qui & *Huni*, quicquid pecuniæ & theſauri per ſecula multa congeſſerant, totum victoriæ *Francorum* ceſſit.

805. *Avares* non ferentes infeſtationem *Sclavorum*, à *Karolo* imperatore inter *Sabariam* & *Charantanum* impetraverunt habitandi locum, ibique ſine regni nomine reſederunt ſub ditione *Francorum*.

Karolus imperator indignantibus contra ſe imperatoribus *Conſtantinopolitanis* propter invidiam imperatorii nominis à *Romanis* ſibi impoſiti, crebris legationibus eos ſibi conciliabat.

806. *Karolus* inter filios ſuos partitionem regni facit, & inde teſtamentum factum ſua & *Leonis* papæ auctoritate confirmat.

807. *Chumeidamiras* miſſus ab *Aaron* rege *Perſarum* ad excindendam *Liciam*, cum veniſſet *Mirram*, niſus S. *Nicholai* conterere *Archam*, pro ea contrivit aliam, & pro temeritate incurrens vindictam, ſubſequente inevitabili tempeſtate claſſem amiſit totam.

808. Temporibus *Karoli* imperatoris, inter *Gracos* & *Romanos* in *Ytalia* primo conflictus habitus eſt. Secundo in *Ytalia* inter *Francos* & *Avares*. Tertio inter *Avares* & *Baioarios*. Quarto inter *Avares* & *Francos*; & in omnibus locis *Karolus* ſuis proveniſſe victoriam lætatus eſt.

Alchuinus de *Britannia* oriundus magiſter delicioſus regis *Karoli*, ſcientia literarum præpollet in *Gallia*; cujus præcipue magiſterio ipſe rex omnes liberales artes didicit. Hic multa ſcripſit; inter quæ eminent libri de ſancta Trinitate ſcripti ad ipſum regem.

Karolus imperator per manum *Pauli* Diaconi ſui decerpens optima quæque de ſcriptis catholicorum patrum, lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in eccleſia legendas compilari fecit.

Hic liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tam filii quam filiæ primo liberalibus ſtudiis quibus & ipſe operam dabat erudirentur; filias vero lanificio, colo ac fuſo, ne per otia torperent, impendere juſſit operam. *Hamon. lib.3.*

Pippinus rex *Ytalia Venetiam* bello ſibi ſubigit, & non multo poſt *Mediolani* obiit; & *Karolus* imperator *Venetiam Nichefor*o reddit. 809.

Karolus in tres partes regni ſui tres exercitus miſit; unum trans *Albiam* qui *Hylviones* debellavit; unum in *Pannoniam* qui reliquias *Hunorum* & *Sclavos* compreſſit; unum contra *Britones* qui eorum perfidiam contudit, & ubique ſibi victoria provenit. 810.

Karolus imperator rerum ſuarum hæredem Chriſtum teſtamento facit, & quicquid in re mancipi habebat, in tres partes diviſit. Terciam eorum pauperibus & famulantibus palatio delegavit, Duas vero partes in partes xx. & unam ſubdiviſit, & metropolitanis epiſcopis qui totidem ſibi ſuberant diſtribuit, ut metropolis eccleſia terciam aſſignatæ ſibi partis haberet, & duas inter ſuffraganeos epiſcopos divideret.

Nomina Archiepiſcopalium civitatum quæ erant ſub Karolo.

Roma.
Ravenna.
Mediolanum.
Forum Julii quæ
& *Aquileia.*
Gradus.
Colonia.
Maguntia.
Juvanum quæ
& *Salzburch.*
Treveris.
Senonis.

Beſontio.
Lugdunus.
Vienna.
Rothomagus.
Remis.
Arelas.
Daranthaſia.
Ebredunum.
Burdegala.
Turonis.
Bithurice.

Terciæ partis quam integram reſervari voluit, iiij. factæ ſunt ſubdiviſiones: una earum addita eſt duabus ſupradictis partibus. Secunda filiis & filiabus diviſa eſt. Tercia uſibus pauperum. Quarta uſibus famulantium.

Maguntia pons quingentorum paſſuum longitudinis trans *Rhenum*, quem *Karolus* imperator per x. annos ingenti labore & mirabili opere de lignis conſtruxerat, ita ut in perpetuo durare poſſe videretur, ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem haſtula ſuper aquam remaneret. 811.

Karolus imperator *Ludovico* filio ſuo coronam imperialem impoſuit, et *Bernardum* filium *Pippini* regis, regem *Italia* facit. 812.

Karolus imperator per totas *Gallias* Concilia ſuper ſtatu eccleſiarum ab epiſcopis celebrari edicit: Unum fuit *Maguncia*, alterum *Remis*, tercium *Turonis*, quartum *Cabillonis*, quintum *Arelatha*. 813.

Karolus imperator glorioſus, regno et imperio ſuo pacato et dilatato, ſtatu quoque eccleſiæ ſanctæ et religioſe ordinato moritur, et ſepelitur *Aquiſgrani* 814.

anno

Dñi anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo ; qui pro magnitudine operum agnominatus eſt Magnus; Cujus vitam *Alcuinus* deſcripſit. Poſt quem *Ludovicus* Pius filius ejus imperavit annis viginti ſex.

Ædbrictus rex *Weſtſaxonum Bernulfum* regem *Merciorum* vicit apud **Wyllendune** in *Midelſexia*.

15. Romanorum *Ludovicus* Imperator.
16. *Stephanus* papa. Iſte obviavit *Ludovico* in mag-
no campo *Remenſium*, & ſequenti dominica unxit
eum in Imperatorem, & coronam capiti *Hyrmigar-
de* reginæ impoſuit.

817. *Paſchalis* papa.
818. Temporibus *Ludovici* Imperatoris floruit *Theo-
819. dulphus Aurelianenſium* epiſcopus. Hic inſimulatus
820. multis criminibus apud Imperatorem *Andegavis* eſt
821. exſilio relegatus. Contigit autem ut ibidem die pal-
822. marum veniret Imperator. Et cum ſecus domum
823. qua tenebatur epiſcopus proceſſio pertranſiret, præ-
ſente Imperatore illos pulcherrimos verſus, qui nunc
uſque ea die pſalluntur, à ſe editos per feneſtram de-
cantavit, *Gloria laus & honor tibi ſit rex Chriſte
&c.* quibus Imperator emollitus eum à vinculis ab-
ſolutum priori gratiæ redonavit.

Hoc tempore floruit

824. *Eugenius* papa.

Mortua *Yrmigardi* Regina *Ludovicus Judith* fi-
liam *Welſi* ducis *Baioariæ* duxit, ex qua genuit
825. *Karolum calvum. Ludovicus* Imperator *Karolo*
826. *calvo* filio ſuo *Franciam* partemque *Burgundiæ* co-
827. ram filiis ſuis dedit.
828. *Qui prius vocati ſunt Reges Weſtſaxonum ab-
829. hinc vocandi ſunt Reges Anglorum.*
830. *Edelwolfus* rex *Anglorum*.
Valentinus papa.
Gregorius papa qui & *Leo* papa iiij.
831. Tres filii *Ludovici* Imperatoris reginam *Judith*
832. ſeparantes ab eo, *Pippinus* in *Aquitaniam*, *Ludo-
833. vicus* in *Bavariam* perrexit, *Lotharius* vero patrem
834. ad *Aquiſgrani* palatium duxit ; ubi Imperator epi-
ſcoporum judicio arma depoſuit, & ad agendam pœ-
nitentiam incluſus eſt.
835. *Ludovicus* patrem ſuum Imperatorem ab incluſi-
one ejecit & in ſedem imperialem reſtituit.
836. *Gregorius* papa conſummatam novæ urbis fabri-
837. cam ſolenniter dedicavit. Eamque urbem *Leonia-
838. nam* appellavit ; vel à *Leone* tercio hujus nominis
papa, qui hujus operis fundamenta olim jecerat, vel
à ſe ipſo quia & ipſe *Leo* quartus dictus eſt.
839. *Feologildus Dorobernenſis* archiepiſcopus.
840. *Ceonodus Dorobernenſis* archiepiſcopus.
841. *Ludovicus* & *Karolus* copiis congregatis apud
Fontaniacum fratrem *Lotharium* bello vicerunt.

Tres fratres regnum *Francorum* inter ſe diviſerunt.

842. *Karolus* accepit occidentalia regna à *Britannico* oceano uſque ad *Moſam* fluvium, in qua parte extunc & modo nomen *Franciæ* remanſit. *Ludovico* orientalia regna ceſſerunt, omnis ſcilicet *Germaniæ* uſque ad *Reni* fluenta, & aliquæ trans *Renum* civitates cum adjacentibus pagis propter vini copiam.

43. *Lotharius* qui major natu erat & Imperator appellabatur, omnia *Ytaliæ* regna tenuit cum ipſa *Roma*.

Adelwlfus rex *Anglorum*.

Karolus calvus rex *Francorum*.

Hamonius Cronica ſua hic terminat.

De origine Comitum Andegavenſium.

Añi Dñi

Fuit vir quidam de *Armorica Galliæ* in pago *Redonico* nomine *Torquatius*, quem *Karolus calvus* illius foreſtæ quæ *Nidus Merulæ* nuncupatur foreſtarium conſtituit. Hic genuit *Tertullum*. *Tertullus* quidem acer ingenio fortunam ſuam animi amplitudine ſupervadens in *Franciam* abiit ſub rege *Karolo* militaturus. Quem *Karolus calvus* ob merita ſua kariſſimum habens, uxorem ei dedit filiam Ducis *Burgundiæ* nomine *Petronillam*, cum beneficio in *Landonenſi* caſtro & aliis terris in pago *Gaſtinenſi* & aliis locis per *Franciam*. Qui genuit *Ingelgerium*.

Michael Imperator *Conſtantinopolitanus*.

Normanni ſub *Bier* filio Regis *Danemarchiæ* & magiſtro ejus *Haſtungo Franciam* infeſtant, & uſque *Pariſius* navigio veniunt.

Edulfus rex *Weſtſaxonum* tributum ſancto *Petro* ſolvit quod vocatur **Romeſcoth**. Hic in juventute ſicut legitur fuit epiſcopus *Wintoniæ*.

Leo papa iiij. hujus nominis.

Ad quem *Athewlfus* Rex *Anglorum* filium ſuum *Aluredum* magno nobilium numero conſtipatum honorifice *Romam* tranſmiſit. Quem *Leo* papa rogatu ſui patris ordinans, unxit in Regem.

Sergius papa. 844.
Si de unctione Regum Angliæ *contrarium ali-* 845.
quid inveneris, quæ hic vel in ſequenti reperieris, 846.
in autentico libro condam. 847.
Theodericus epiſcopus *Londoniæ*. 848.
Athewlfus Rex *Anglorum* decimam totius regni 849.
ſui partem ab omni regali ſervicio liberavit, *Romam* perrexit, filium ſuum *Aluredum* ſecum duxit, anno integro *Romæ* moratus eſt. Interim *Adelbaldus* filius ſuus adverſus patrem conſpiravit, *Romæ* redeuntem non admiſit. Adunatum itaque antea regnum, inter patrem & filium dividitur. *Adelwlfus* igitur *Judith* filiam *Karoli calvi* Regis *Francorum* quam à patre ſuo in *Francia* acceperat, reginam ſibi ſociavit.

Normanni per mare *Britannicum* oſtia *Ligeris* ingreſſi, urbem *Nannetem* invadunt, epiſcopum ſabbato ſancto Paſcæ baptiſmum celebrantem trucidant, clerum & populum periment ; Inde *Andegavis*, deinde *Turonis* occupant, & ut tempeſtas omnia diruunt, Templum etiam ſancti *Martini* incendunt.

Æthelbaldus Rex *Anglorum*. 850.
Benedictus papa, adverſus quem *Anaſtaſius* præ- 851.
ſulatum invadit. 852.
853. 854. 855.
Ludovicus Imperator *Romanus*. 856.
857.
Nicholaus papa. 858.
Æthelbricht Rex *Anglorum*. 859.
Numeneus Rex *Britonum* regnum *Francorum* 860.
infeſtans, à ſancto *Maurilio* quondam *Andegaven-* 861.
ſi epiſcopo baculo percuſſus in capite periit.
Lotharius Rex *Waldradam* pelicem ſuperduxit 862.
conjugi ſuæ *Theberga*, conſentientibus ſibi archiepiſcopis *Gunthario Colonienſi* & *Tiegando Trevrenſi*, quos papa *Nicholaus* ab ordine movit, excommunicavit, uti tantum laicali communione
conceſſit. 863.
Æthered Rex *Anglorum*. 864.
865. 866. 867.
Adrianus papa. 868.

An. Dñi

869. 870. 871.

872. *Aluredus* rex *Anglorum* quem *Leo* papa *Romæ* conſecraverat, mortuis tribus ſuis fratribus nunc primum cœpit regnare.

Baſilius Imperator *Conſtantinopolitanus.*

Lotharius rex *Romam* ad *Adrianum* papam ſe excuſatum vadit, à quo dum pro comprobatione innocentiæ ſuæ, ad examinationem corporis & ſanguinis Domini, tam ipſe quam optimates regni invitati fuiſſent, & ipſe & omnes qui corpus Domini cum eo temere præſumpſerunt accipere, infra ipſum annum perierunt; Ipſo ſtatim in redeundo *Placentiæ* defuncto.

Æthelredus Dorobernenſis archiepiſcopus. Hic *Chevellianc* epiſcopum *Landaviæ*, & poſt *Libau* epiſcopum *Landaviæ*, & poſt *Lunverd* epiſcopum ſancti *David* Cantuariæ conſecravit.

Karolus calvus rex *Francorum Karlomannum* filium ſuum ad apoſtaſiam lapſum excæcavit.

873. *Johannes* papa.

Normanni ducem habentes *Bier* cum per xx. annos *Galliam* infeſtaſſent, in patriam ſuam reverſi, inteſtino bello perierunt.

874. Locuſtæ *Galliam* depopulantur innumerabiles, cæteris locuſtis majores.

875. 876.

877. *Karolus* Imperator *Romanus.*

878.

879. *Ludovicus balbus* rex *Francorum.*

880. *Ludovicus balbus* moriens reliquit uxorem gravidam quæ peperit *Karolum ſimplicem.*

Ludovici balbi ex concubina *Ludovicus* & *Karlomannus* dicti regnum interim *Francorum* inter ſe diviſerunt, regnantes annis quinque.

Ingelgerus juvenis alacer & miles optimus dominam pagi *Gaſtinenſis*, matrem ſibi ſpiritualem, de adulterio falſo impetitam monomachico certamine liberavit, & ob id factum egregium apud *Landonenſe* caſtrum caſamentum ejus plurimum augmentatum eſt. Poſtea vero *Ludovicus* filius *Karoli calvi* vicecomitatum *Aurelianenſem* & præfecturam *Turonorum* & dimidium *Andegavis* comitatum ei in caſamento donavit. Ultra *Meduanam* alter Comes habebatur. Rurſus *Adalardus* & *Rauno* ambo germani fratres, *Thuronenſium* & *Andegavenſium* pontifices neptem ſuam *Aolendim* nomine cum alodiis ſuis, ſcilicet *Ambazio*, *Buſenciaco*, & *Caſtellione* ei in conjugium copularunt. Qui poſt gravia bella inſigneſque victorias conceſſit in fatum, ſepultuſq; eſt in eccleſia beati *Martini Caſtri novi.*

881. *Æthelredus* archiepiſcopus *Cant.*

882. *Normanni* duce *Rollone* adjunctis ſibi *Danis Franciam* & *Lotharingiam* pervagantes *Ambianis*, *Atrebatum*, *Cameracum*, *Turnacum*, fines *Morinorum* & terram circa *Scaldum* flumen devaſtant. Poſtmodum oſtium *Sequanæ* penetrantes,

883. *Rotomagum* obſident.

884. 885.

886. *Marinus* papa.

887. *Leo* Imperator *Conſtantinopolitanus.*

Suithelmus Syreburnenſis epiſcopus.

Hic eleemoſinam Regis *Aluredi* ad ſanctum *Thomam* in *Indiam* detulit, indeque proſpere rediit.

888.

889. *Adrianus* papa.

890. *Franci* neglecto *Karolo ſimplici* Regem ſibi præficiunt *Odonem* ducem *Aquitaniæ*,

Arnulfus Imperator *Romanus.*

891. *Odo* rex *Francorum.*

Ab hoc tempore Luitprandus *diaconus* Ticinenſis *eccleſiæ hyſtoriam ſuam orditur.*

892. 893.

894. *Franci Karolum ſimplicem* in regnum revocant, & *Remis* à *Fulcone* archiepiſcopo in Regem benedici faciunt.

895. *Stephanus* papa.

896. 897. 898. *Berno* ex Comite abbas *Gigniacenſis* cœnobii à ſe fundati conſtruxit *Cluniacum* in cellam *Gigniacenſem.*

899. *Pleiemundus* fit archiepiſcopus *Dorobernia.*

900. *Edwardus* rex *Anglorum* eſt conſecratus in Regem à *Pleiemundo Dorobernenſi* archiepiſcopo apud Kingeſtune.

Huic etiam Regina ſua *Alfleda* duos filios peperit, *Hathelſtanum* & *Ædwinum*, & ſex filias, quarum *Eadfleda* & *Æthelhilda* ſanctimoniales apud *Wiltonam* requieſcunt. *Eadivam* vero habuit conjugem *Otto Romanorum* Imperator. *Eadhildam* autem *Karolus ſimplex*, rex *Francorum.* Sanctam 901.
Eadhidam Sithricus rex *Nortanhymbrorum.* *Hugo magnus* filius *Roberti* ducis *Pariſienſium* duxit quartam, id eſt *Ealfgiſam.* Regina vero ſua *Ediva* peperit ei *Ædmundum* & *Ædredum* & ſanctam *Eadburgam* quæ apud *Wintoniam* requieſcit.

902. *Karolus* ſimplex rex *Francorum.*

Formoſus papa. Hic cum eſſet epiſcopus *Portuenſis*, à *Johanne* papa viij. uſque ad laicalem habitum degradatus eſt, jurans ſe non amplius *Romam* intraturum nec epiſcopatum urbis ſuæ repetiturum; Quem poſt *Marinus* papa ſucceſſor *Johannis* reſtituit. *Arnulfus* Imperator *Romam* venit, & cum non eſſet à *Romanis* admiſſus *Romam* obſedit.

Lepuſculo forte verſus urbem fugiente & exercitu cum clamore nimio ſequente, *Romani* timentes ſe de muro proiciunt, & hoſtibus murum aſcendendi locum faciunt; ſic *Roma* capta, *Arnulfus* in Imperatorem benedicitur.

Fulco Remorum archiepiſcopus perimitur juſſu *Baldewini Flandrenſium* Comitis à *Winemaro* ſatellite ſuo, pro eo quod abbatiam Sancti *Vedaſti Atrebatis* à *Karolo ſimplice* acceperat quam *Baldewinus* ante invaſerat.

903. *Bonefacius* papa.

Stephanus papa.

Arnulfus Imper. conſumptus pediculis expiravit.

Stephanus papa ordinationes *Formoſi* papæ derocavit in irritum. Legitur enim quia ipſe & non *Sergius* papa corpus *Formoſi* à ſepulchro in Concilio protractum & papali veſte exutum laicali induit, & abſciſis tribus digitis dexteræ manus ejus, in *Tyberim* præcipitari fecit; Quem à piſcatoribus inventum & in baſilica ſancti *Petri* deportatum quædam Sanctorum ymagines adoraſſe & venerabiliter ſalutaſſe palam omnibus viſæ ſunt.

Romanus papa.

904. *Ludovicus* Imperator *Romanus.*

Theodorus papa. Hic contra *Stephanum* papam ſentiens reconciliavit ordinatos à *Formoſo.* 905.

Johannes papa.

Hic ad confirmandam *Formoſi* ordinationem, Synodum ſeptuaginta quatuor epiſcoporum apud *Ravennam* congregavit.

906. *Benedictus* papa.

907. *Leo* papa. Contra hunc *Chriſtophorus* ſurgit.

Conſtantinus Imperator *Conſtantinopolitanus.*
908. *Sergius* papa.

909. *Rollo* civitatem *Carnoti* obſedit, ſed epiſcopus ejuſdem urbis *Walterius* nomine tunicam ſanctæ *Mariæ* virginis in manibus ferens Rollonem fugavit.

Fritheſtanus ad *Wintoniënſem*, *Æthelſtanus* ad *Cornubienſem*, *Weſtanus* ad *Scireburnenſem*, *Athelmus* ad *Wellenſem*, *Eadulfus* ad *Cridienſem*, *Bernechus* auſtralibus Saxonibus, *Kenulfus* ad civitatem **Dorcaceſter** à *Pleimundo Dorobernenſi* archiepiſcopo uno die *Cantuariæ* ordinati ſunt Pontifices.

Formoſus papa omnibus epiſcopis *Angliæ.* *Sicut ex ſcriptis beati* Gregorii *papæ ejuſque ſucceſſoribus tenemus, in* Dorobernia *civitate Metropolim ſedemque primam epiſcopalem conſtat eſſe; & ſicut beatus papa* Gregorius *primo veſtræ gentis epiſcopo* Auguſtino *omnes* Anglorum *epiſcopos eſſe ſubjectos conſtituit, ſic nos* Pleimundo Dorobernenſi *archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus.*

910. *Regino abbas* Prunienſis *Chronica ſua à nativitate Domini inchoata uſque ad hunc annum perduxit.*

911.

912. Baptizatus eſt *Rollo* dux *Normannorum* cum multitudine gentis ſuæ virorum illuſtrium à *Francone Rothomagenſi* archiepiſcopo. Factaque eſt pax inter *Karolum* Regem *Franciæ* & *Rollonem*, deditque ei *Karolus* filiam ſuam *Giſlam*; Qua mortua ſine filiis *Rollo* accepit *Popam* prius repudiatam uxorem, filiam ſcilicet *Widonis* Comitis *Silvanectenſis*, de qua genuit *Willielmum Longam ſpatam.*

Fulco Ruffus filius *Ingelgerii* integrum comitatum *Andegavenſium* & abbatias ſancti *Albini* & ſancti *Sergii* quæ antea Regis dominicæ fuerant adeptus eſt. Qui duxit uxorem nomine *Rocillam Garnerii* filiam, cum tribus caſtellis, ſcilicet *Lochis*, *Vilentras* & *Labaia*. Iſte genuit tres filios, *Guidonem*, qui factus eſt epiſcopus *Sueſſonenſis*; *Ingelgerium*, qui interfectus eſt à *Normannis*; & *Fulconem*, qui vocatus eſt *bonus*. *Fulco Ruffus* ſenex & plenus dierum mortuus eſt & ſepultus in eccleſia beati *Martini* juxta patrem ſuum.

913.

914. *Athelmus Wellenſis* epiſcopus *Dorobernenſis* levatur archiepiſcopus.

915. 916.

917. *Willielmus Longa ſpata Rolloni* ſucceſſit in ducatu *Normanniæ*.

Anaſtaſius papa.
918. *Lando* papa.
919. *Johannes* papa.
920. *Henricus* Imperator *Romanus*.

921.

922. *Karolus* ſimplex *Robertum* Ducem *Pariſienſium* regnum invadentem *Francorum* cum multis peremit,
& ſe & *Franciam Henrico* regi *Teutonico* qui ei auxilio
923. fuerat ſubmittit. *Lotharingiæ* regnum reddit.

924. *Edelſtanus* filius *Edwardi* regnavit annis xvj. conſecratus ab *Athelmo Dorobernenſi* archiepiſcopo apud **Kingeſtune**.

Wlfelmus Wellenſis epiſcopus fit archiepiſcopus *Dorobernenſis*.

Karolus ſimplex rex *Francorum* à Comite *Hereberto* captus, in cuſtodiam *Peronæ* truditur ob necem *Roberti* ducis *Pariſienſium* ab eo perempti.

Rex *Henricus Transrenanus* agrarios milites recenſens, edixit ut octo eorum in agris & nonus in urbe moraretur, ut octo in agris & ſibi & nono laborarent, nonus vero in urbe terciam partem omnium frugum illorum reſervaret in ædibus à ſe ad hoc extructis, ut in bello nichil alicui eorum deeſſet, urbeſque rebus & viris plenæ eſſent. 925.

Karolus ſimplex in cuſtodia *Hereberti* moritur. 926.
Radulphus regnat in *Francia*.

Ludovicus filius *Karoli ſimplicis* tranſit in *Angliam*, quem anno ſequenti rex *Ethelſtanus* avunculus ſuus accepto prius jurejurando à *Francorum* legatis, in *Franciam* cum quibuſdam epiſcopis & aliis fidelibus ſuis dirigit. Qui ſuſceptus à *Francis*, apud *Laudunum* ab *Artallo* archiepiſcopo coronatur. 627. 929.

Leo papa. 930.

931.

932. *Fretheſtanus Wintonienſis* epiſcopus ordinato pro ſe in epiſcopatu *Brinſtano*, *Wintoniæ* reſedit. Hic *Fretheſtanus* cotidie Miſſam pro defunctorum requie cantavit, nocte cimiteria circumivit, pro animarum ſalute pſalmos cantavit. Quadam vice hoc agens, dum expletis omnibus ſubjungeret *requieſcant in pace*, ſubito voces quaſi exercitus infiniti è ſepulchris audivit reſpondentium *Amen.*

Bellum inter *Willielmum Longam ſpatam* & *Riculphum.* 933. 934.

Johannes papa. 935.
Leo papa. 936.
Stephanus papa. 937.

Odo epiſcopus *Malmesburiæ* eligitur in *Dorobernenſem* archiepiſcopum. Sed ille quia nondum amiciſſet monachum, conſtantius cœpit reniti ne majorum morem ambitione ſua turbare videretur. Nullum enim viderant ad id tempus archiepiſcopum,
niſi monachili ſcemate indutum fuiſſe. Sed cum regiæ 938.
voluntati epiſcoporum omnium aſſenſus accederet, 939.
tandem propoſiti ſui rigore edomito, tranſito mari apud *Floriacum* monachilia ſuſcepit, & *Angliam* rediens, in *Cantuarienſi* archiepiſcopatu magnam apud *Adelſtanum* regem gratiam obtinuit.

940. *Eadmundus* rex *Anglorum* conſecratus eſt ab *Odone Dorobernenſi* archiepiſcopo apud **Kingeſtune**.

Oto imperator *Romanorum*.
Stephanus papa. 941.
Marinus papa. 942.

Occiditur *Willielmus Longa ſpata* dux *Normannorum* filius *Rollonis* nequitia & traditione *Arnulfi*
Comitis *Flandrenſium*. Cum enim idem *Arnulfus* 943.
Herlewino Comiti *Pontivi* monaſteriolum caſtrum, 944.
tradente quodam proditore, abſtuliſſet, uxorem ipſius *Herlvini* cum filiis ad regem *Angliæ* mittit; Cujus calamitati dux *Normannorum Willielmus* compaſſus, 945.
collecta non modica manu monaſteriolum pugnando recepit, & ex militibus *Arnulfi* quos intus invenit nonnullos interemit, quoſdam vero propter uxorem ipſius *Herluini* recipiendam reſervavit. Unde *Arnulfus* efferatus invitans ducem ad colloquium trucidari fecit apud *Pinchinniacum.*

Ricardus dux *Normannorum.*

Orta diſſenſione inter principes de varietate legis, utrum deberent avis ſuperſtitibus filii filiorum poſt patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire; Ex regis *Otonis* omniumque principum ſententia cognitio ve-

An. Dñi ritatis commiſſa eſt gladiatorio judicio; Ceſſitque victoria his qui cenſebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare.

947. *Eadredus* frater *Athelſtani* conſecratus eſt ab *Odone Dorobernenſi* archiepiſcopo apud Kingeſtune.

948. *Odo* archiepiſcopus *Cantuarienſis* in *Northan-*
949. *hymbros* profectus, patris *Wilfridi* reliquias à *Ri-*
950. *penſi* eccleſia tranſtulit apud *Cantuariam*.

Stephanus & *Conſtantinus* Imperatores filii *Romani* Imperatoris ægre ferentes ſe juxta patris ſui ſeveritatem à juvenili levitate choerceri, patrem de palatii ſolio deponunt, & tonſo capite ad vicinam inſulam in qua cœnobitæ philoſophabantur tranſmittunt.

Dum rex *Ludovicus* moraretur *Rothomagi*, *Haigroldus Normannus* qui *Baiocis* præerat mandat ei quod ad eum venturus eſſet condicto tempore, vel loco ſi rex ad illum locum accederet; veniente denique rege ad locum denominatum, *Aigroldus* cum multitudine *Normannorum* advenerat, invadenſque ſocios regis pene cunctos interemit; rex ſolus fugam iniit. Qui *Rothomagum* veniens comprehenſus eſt ab aliis *Normannis* quos ſibi fideles eſſe putabat, & ſub coſtodia detentus. Sed tandem filio ſuo obſide dato cum *Widone Sueſſorum* epiſcopo, rex à *Normannis* dimittitur.

951. *Stephanus* & *Conſtantinus* poſt patris depulſio-
nem, à *Conſtantino* filio *Leonis* Imperatoris tonſis
capitibus, ad idem monaſterium ad quod patrem ſu-
952. um *Romanum* Imperatorem tranſmiſerant, & ipſi ad
953. philoſophandum tranſmittuntur cum monachis.
954. *Agapitus* papa.
955. *Edwins* filius *Ædmundi* rex *Anglorum* conſecra-
956. tus ab *Odone* Dorobernenſi archiepiſcopo apud
657. Kingeſtune.
958. *Luidulfus* filius Imperatoris *Octonis* primi inſtin-
959. ctu *Conradi* ducis contra patrem ſuum rebellat.
960. *Lotharius* rex *Francorum*.

Fulco bonus tertius Comes *Andegavenſium* in eccleſia ſancti *Martini* in *caſtello novo* Canonicus aſcriptus fuit. In feſtis Sancti ejuſdem in choro inter pſallentes clericos cum veſte clericali, & ſub diſciplina eorum aſtabat. Hoſpitabatur apud mediocrem aliquem ex clericis, & domum ipſius magno cultu & ſumptu venuſtabat ut in deceſſu ſuo tenuis hoſpes ditatus remaneret. Contigit quodam tempore regem *Francorum Lotharium* apud *Turoninam* civitatem in feſto ſancti Martini æſtivalis affore; affuit autem & Comes *Andegavorum* in habitu clericali, & quæ dei ſunt in choro cæteris devotior celebrabat: ob hoc nobiles Palatini lateri regis adhærentes, cum ipſo rege cœperunt deludendo dicere, quod Comes *Andagavorum* ut presbyter canebat, rex autem *Francia* cum aliis deludens nobile opus viri deriſit. Quo audito, Comes *Andegavorum* litteras hujuſmodi formam habentes ſcripſit; *Regi Francorum Comes Andegavorum. Noveritis domine quod rex illiteratus eſt aſinus coronatus*. Compoſuit idem reverendæ memoriæ Conſul hyſtoriam duodecim reſponſoriorum cantu & melodia luculentam, in honore beati *Martini*. Quodam tempore cum eccleſiam beati *Martini* procul aſpiceret, ſicut ſemper ſolitus fuerat equo deſiliit, ac flexis genibus toto corpore proſtratus in terra diutius oravit. Cum ſurgeret ab oratione vidit à dextris hominem aſpectu horribilem, leproſa impetigine miſerabiliter occupatum, & manum mittens ad loculum miſericordiam leproſo volebat impendere. Cui leproſus ait; Non domine mi. Non indigeo modo hujuſcemodi indulgentia; ſed quia pedibus lepra corroſis nec ipſe ire nec ab alio deferri ad eccleſiam Confeſſoris præ nimia ægritudine poſſum, neceſſitas michi ac vobis voluntas eſſet, quatinus tu ipſe me deferres, forſitan ibi invenirem aliquem dei hominem, qui pro redemptione peccaminum in conventu leproſorum michi neceſſaria adminiſtrari juberet. Quo audito, Comes proprio mantello diligenter leproſum ac devote involvit, ac cæteris partim illudentibus, partim ſtupentibus, propriis humeris pium pondus fere per 2. leugas deferens, ad eccleſiam beati *Martini* devenit. Quo peracto, forma leproſi tam à pondere deferentis quam ab oculis intuentis evanuit. Cumque Comes ſequenti nocte in clericali habitu in choro beati *Martini* juxta decanum reſideret, divinitus obdormivit. Interea quidam vir reverendus habitu, prætextus ſtola candida, habens in comitatu leproſum, dixit: Ego ſum *Martinus* dominus tuus; iſte leproſus eſt Chriſtus quem tu ſæpius in membris ſuis pie foviſti, ſed hodie in ſua perſona & capite humeris portans honoraſti. Dum rediret *Andegaviam* ſicut dicitur, apparuit ei angelus dicens, ſucceſſores ſuos ad nonam generationem dominationis ſuæ fines ſemper in immenſum extendere. Iſte *Fulco pius* tres filios habuit, quorum primogenitus *Gaufridus* conſulatum rexit; alter *Guido* nomine epiſcopus *Podii* fuit, cui etiam *Rogo* junior benignitate *Hugonis* Regis in epiſcopatu *Podii* ſucceſſit. Contigit quodam tempore in feſto beati *Martini* hyemalis cum de manu epiſcopi Miſſam canentis, corpus & ſanguinem Chriſti acciperet, rediens in choro levi tactus incommodo, inter manus clericorum ſociorum ſuorum exſpiravit. Sepultuſque eſt in eadem eccleſia juxta patrem ſuum.

Dunſtanus abbas *Glaſtonia* dum Regem *Edwinum* ab erroribus revocaret, à Rege proſcriptus mare tranſiit.

Edgarus rex *Anglorum*. 961.

Dunſtanus abbas ab eo revocatus eccleſiæ *Wigornenſis* electus antiſtes conſecratus eſt ab *Odone* Cantuarienſi archiepiſcopo apud *Cantuariam*.

Odo primus abbas *Cluniacenſis*.

Johannes papa. 962.

Rex *Aedgarus Lundonienſem* eccleſiam proprio paſtore viduatam commiſit regendam *Dunſtano Wigornenſi* epiſcopo. Et ſic *Dunſtanus Lundonienſem* eccleſiam commendatam habuit & non titulatam. Qui *Dunſtanus Wlſinum* abbatem inſtituit apud *Weſtmonaſterium* inſtructo ad xij. monachos cœnobiolo in loco ubi quondam *Mellitus Lundonienſis* epiſcopus eccleſiam ſancto *Petro* fecerat.

Odoni archiepiſcopo ſucceſſit *Elſinus Wenta-* 963.
nus epiſcopus; qui dum *Romam* pro petendo
pallio tenderet, in Alpibus genu conſtrictus defecit.

Brichthelmus Wellenſis epiſcopus eligitur ad archiepiſcopum, ſed reprobatur.

Johannes papa. 964.

Dunſtanus Wigornenſis epiſcopus concordi om-
nium epiſcoporum aſſenſu preſſus fit archiepiſcopus
Cantuariæ. Qui *Oſwaldum Wigornenſem* epiſco- 965.
pum conſecravit, qui poſt factus eſt archiepiſcopus
Eboracenſis; & quia *Dani Northanymbriam* vaſta- 966.
verant ſimul obtinuit epiſcopatum & archiepiſco-
patum.

Otto rex Romam veniens

967. *Dum venit ante fores jurat prius urbis habere,*

Poſt, homo fit papa, quo ſumit dante coronam.

968. *Leofwinus* qui octavus extitit *Legeceſtrenſis* epiſcopus conjunxit epiſcopatus *Lindisfarorum*, qui nunc dicitur *Lincolnienſium* & *Legeceſtrenſium*.

Eadgarus rex *Anglorum* ab archiepiſcopis *Dunſtano Dorobernenſi* & *Oſwaldo Eboracenſi* conſecratus eſt in regem, peracta ſeptenni pœnitentia, in civitate *Achaman*; qui duos filios *Eadmundum* & *Egelredum* ex *Ælfritha Ordgari* ducis filia ſuſcepit. Habuit etiam prius ex *Egelfleda Edwardum* poſtea regem & martyrem; & de *Wilfrida*, virginem Deo devotam *Editham*.

Collecta à tota *Italia* epiſcoporum ſynodo, *Johannes* de nefariis cauſis infamatur, qui dum ſe excuſatum venire cunctatur, *Leo* adhuc laicus electione omnium & conſenſu imperatoris papa ſubſtituitur; ſic *Leo* fecit ordinationes & alia quæ erant Apoſtolica. Nec longum, *Romani* alterata fide apud imperatorem papam recipiunt *Johannem*. Ille ſynodo collecta *Leonem* depoſuit, & ejus geſta caſſavit; ſtatutumque eſt, ſynodum à *Leone* habitam non nominandam ſynodum, ſed proſtibulum favens adulteris. Quicumque ergo eo ordinante erant damnati, juſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in carta, hæc continente, *Pater meus nichil ſibi habuit, nichil michi dedit*; & ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus quos habuerant nondum à *Leone* ordinati.

Johannes papa ſe cum uxore cujuſdam oblectans à diabolo in tempore percutitur, ac ſine viatico Dominico obiit.

Romani contra juramentum quod imperatori fecerant, ſe nunquam electuros papam ſine ejus, & ſine filii ejus *Ottonis* conſenſu, *Benedictum* papam conſtituunt.

Benedictus papa.

Imperator *Roma* obſeſſa adeo *Romanos* afflixit, ut *Leonem* papam ſe recepturos promitterent; ſic *Benedictus* reicitur.

Leo papa.

Arnulfo Flandrenſium Comiti *Baldewinus* filius ejus ſucceſſit.

Emma uxor *Ricardi* primi ducis *Normanniæ*, filia *Hugonis Magni* abſque liberis moritur. Ipſe vero quandam virginem nomine *Gonnor* ex *Danorum* proſapia ortam in matrimonio deſponſavit, ex qua genuit *Ricardum* qui ei ſucceſſit, & *Robertum* poſtea archiepiſcopum *Rothomagis*, & *Malgerum* Comitem *Curbulienſem*, alioſque duos & tres filias, *Emmam* ſcilicet quæ poſtea *Edelredo* regi *Anglorum* nupſit, de qua idem rex genuit *Edwardum* & *Aluredum*. Secundam, *Haduis* nomine, uxorem *Goisfridi Britannorum* Comitis. Tercia fuit *Matildis*, uxor *Odonis* Comitis. Genuit etiam duos filios & totidem filias ex concubinis; quorum unus *Godefridus*, alter vero dicebatur *Willielmus*. Horum prior Comes fuit *Aucenſis*. Quo defuncto, accepit frater ejus eundem comitatum, quem adhuc hæredes ejus jure poſſident ſucceſſionis, licet Comes *Briornenſis Gilebertus* filius prædicti *Godefridi* eundem comitatum parumper tenuerit antequam occideretur à *Radulfo* de *Waceio* filio *Roberti* archiepiſcopi *Rothomagenſis*.

969. *Johannes* papa.

Regina *Francorum Gerberga* mater *Lotharii* regis, & *Avundis* uxor *Hugonis Pariſienſium* Comitis, quorum filius fuit *Hugo Capet* qui poſtea regnavit in *Francia*, occurrerunt *Ottoni* imperatori fratri ſuo apud *Aquiſgrannum*.

970. Hoc tempore *Danis*, qui *Chriſtum Iheſum* & ydola ſimul colebant, cum *Popone* clerico in convivio altercantibus ſuper cultura Dei & Deorum; *Danis* aſſerentibus *Iheſum Chriſtum* quidem eſſe Deum, Deos vero majores & antiquiores eſſe illo, *Popone* econtra affirmante *Iheſum Chriſtum* ſolum verum Deum eſſe, unum in ſubſtantia, trinum in perſonis. Rex *Danorum Araldus* condixit clerico ut fidem propoſitam à ſe probaret teſtimonio veritatis: quod annitente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum apponitur. Quod cum clericus uſque ad placitum omnium tuliſſet abſque ulla læſione, rex penitus abjecta ydolatria ſuos ad colendum verum ſolum Deum convertit: clericus vero ad epiſcopatum promotus eſt.

971. *Johannes* papa.

972. *Ote* junior à *Johanne* papa cum patre ſuo coronatur.

973. 974.

975. Rex *Edgarus* conſilio *Dunſtani* archiepiſcopi & *Ethelwaldi VVintonienſis* epiſcopi, à majoribus eccleſiis clericos expulit, & monachos induxit.

Iohannes papa *Dunſtano Dorobernenſi* archiepiſcopo. *Primatum tuum in quo tibi ex more anteceſſorum tuorum vices apoſtolicæ ſedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut beatum* Auguſtinum, *ejuſque ſucceſſores* Dorobernenſis *eccleſiæ pontifices habuiſſe dinoſcitur.* 976.

977. *Johannes* imperator *Conſtantinopolitanus*.

Edwardus regis *Eadgari* filius conſecratus eſt à *Dunſtano Dorobernenſi*, & *Oſwaldo Eboracenſi* archiepiſcopis apud **Kingeſtune**.

978. *Stephanus* papa.

Windigindus hyſtoriam Saxonum uſque ad hunc annum conſcripſit.

Gaufridus iiij. Comes *Andegavenſium*. Hic filius *Fulconis* boni ob inſignia ſummi & ſingularis meriti, à rege *Rodberto* in præliis ſignifer, & in coronatione regum *Dapifer*, tam ipſe quam ejus hæredes conſtituuntur. In diebus illis *Haſten Danus* tribus annis *Gallias* infeſtans, tandem in vallem amenam & pulcherimam inter locum qui mons *Morentius* dicitur, & *Pariſius* cum xv. milibus *Danorum* fixit tentoria. Cujus præſumptionis timore rex *Robertus* in ſolennitate Pentecoſtes proceres ſuos undequaque *Pariſius* congregare diſpoſuit, videns ſibi nullam fieri cum illo copiam pugnandi, cum *Franci* intra mœnia urbis refugere compulſi, foras erumpere non erant auſi. Singulis igitur diebus *Ethewlfus Danus* veluti alter *Goliath* agminibus *Francorum* exprobrans, ante urbem *Pariſiacam* ſingulare duellum ab aliquo *Francorum* exigens veniebat; à quo cum complures milites ex fortioribus & nobilioribus *Francorum* duello devicti & perempti eſſent; rex dolore commotus, ne quis amplius contra eum exiret prohibuit. *Gaufridus* Comes *Andegavis* cum certiſſime virtutem & crudelitatem prædicti *Dani* didiciſſet, fingens ſe ad colloquium cujuſdam amici ſui abſcondite ire, ſuis ut eum in *Landonenſi* caſtro quod ſuum erat expectarent præcepit. In craſtino conſul furtivus viator egreditur uno ſolo milite cum duobus armigeris ſe-

An. Dñi

cum retento, & non longe à *Pariſiaca* urbe burgum ſancti *Germani* devitans, à molendinario quodam navigium ſibi parari impetravit; in cujus domo nocte illa dormivit. Facto mane, clamore *Dani* audito, Comes infremuit, & armatus cito equum aſcendit, relictis in navi ſociis ſolus ei obviavit. Comes itaque perforato hoſtis pectore *Danum* proſtravit, & abſtracto ipſius proprio gladio velut alter *David* caput abſcidit, & domino navis qui eum tranſvexerat caput ut in civitatem deferat tradidit; ipſe clandeſtinus in *Laudunenſi* caſtro ad ſuos rediit. Bajulus capitis venit in urbem, & rege præſente nomen & perſonam militis qui *Danum* interfecerat ſe firmat ignorare; *Dani* receſſerunt confuſi. Venerunt itaque principes convocati *Pariſius*. *Gaufridus* Comes indutus tunica illius panni quem *Franci* griſetum vocant, inter principes ſedebat. Molendinarius ad hoc convocatus à rege Comitem agnovit, cujus arrepta tunica regi & cæteris ait, Hic cum hac griſeta tunica ſternendo *Danum Francorum* obprobrium abſtulit. Rex deinceps ut *Gaufridus Griſa tunica* vocaretur edixit. Venerunt *Dani* circa *Sueſſionis* regionem, ſecuti ſunt *Franci*; & cum de bello tractarent ordinando, negotium illud *Andegavenſi* commiſerunt *Gaufrido*. Ordinatæ ſunt itaque ſex acies; rex poſtremus cum acie ſua gradiebatur. *Gaufridus* qui ſuum deferebat vexillum properus affuit, *Daniſque* miles audaciſſimus obſtitit. Ad illius primipilaris impetum *Franci* animo reſumpto in *Danos* irruunt unanimiter. Exterriti ſunt autem *Dani* præ timore nimio, & repente cuneis eorum labantibus fugæ ſe commiſerunt. Rurſus quidam *Teutonicus de Suevia Ethelredus* nomine, qui de genere *Pharamundi* & *Clodovei* deſcenderat, regnum *Francorum* jure hæreditario exigebat; Qui auxilio *Othonis* regis *Italiæ Lotharingiam* & ſuperiores partes *Franciæ* impugnabat. Conquerebatur in propatulo de fœderatis pactionibus quas *Hugo* rex in præſentia *Henrici* ducis *Lotharingiæ* & *Ricardi* Comitis *Normanniæ*, & *Gaufridi Andegavis* in quodam colloquio fecerat, ſcilicet quod regnum *Francorum Hugo* ſibi dimitteret, ita duntaxat ut ſibi ducatum totius *Franciæ* daret, ſicut dux *Hugo* olim poſſederat; quod prædicti principes, ut aiebat, & multi alii magnates fide ſua pepigerant. *Gaufridus Griſa tunica* aliis dubitantibus ſurrexit, & ait: Perjurii nuſquam volo redargui, nec patiar ut nobis domineris. Regem, meque & ſocios meos de fide mentita defendo. *Bertoldus* frater ducis *Saxoniæ* vir factus ad unguem pro *Theutonico* duellum arripit. Ventum eſt ad prælium. Primo impetu neuter cecidit, ſed *Bertoldus* dum equum giraret, à Comite lancea graviter inter ſcapulas vulneratur. Ad ultimum rupta lorica *Bertoldi Gaufridus Griſa tunica* victor extitit. Qui zonam beatæ *Mariæ* virginis quam regina *Franciæ* conſanguinea ejuſdem eidem pugnaturo contulerat *Luchis* poſuit. Genuit autem plures filios, quorum junior *Mauritius* nomine cæteris patre ſuperſtite mortuis ſupervixit. Ipſe vero *Gaufridus Griſa tunica* viam univerſæ carnis ingrediens, ſepultus eſt in eccleſia beati *Albini Andegavis*.

Otto imperator *Romanus*.

979. Occiditur rex *Edwardus* à noverca ſua *Ethelfridha*.

980. *Athelredus* frater *Edwardi* regis ex patre *Eadgaro* à *Dunſtano* & *Oſwaldo* archiepiſcopis, & decem epiſcopis conſecratus eſt apud *Kingeſtune*.

Abhinc de Conſtantinopolitano imperio tacebitur.

Abhinc de nominibus Romanorum pontificum *tacebitur uſque ad tempora* Nicholai *papæ ſecundi.*

981. *Otto* imperator *Apuliam* & *Calabriam Italiæ* provincias ad jus regni *Græcorum* appendentes transferre ad imperium *Romanum* conatur; ſed *Græci* auxilio *Saracenorum Ottonem* ſuperant.

982. 983. 984. 985.

986. *Odo primus abbas* Cluniacenſis *ab exordio mundi uſque huc Cronica ſua digeſſit.*

987. *Lotharius* rex *Francorum* obiit, & ſucceſſit *Ludovicus* filius ejus, qui ſicut quidam dicunt nono anno regni ſui obiit ſine filiis. *Karolus* autem frater *Lotharii* præfati regnum *Francorum* obtinuit. Eodem vero anno *Hugo Chapet* contra *Karolum* hunc ultimum rebellavit. Cernens itaque *Hugo Chapet* quod nullo modo poſſet *Karolum* vincere, conſilium habuit cum *Aſcelino* traditore *Laudunenſi* pontifice, & ejuſdem Conſiliatore *Karoli*. Tradens itaque *Aſcelinus Laudunum Hugoni Chapet* cunctis quieſcentibus *Carolus* cum uxore ſua captus eſt intus, atque civitate *Aurelianis* in carcere recluditur, nondum enim unctus erat in regem *Hugone* contradicente. Qui recluſus *Aurelianis*, duos filios *Carolum* & *Ludovicum* genuit. Eodem vero anno ipſe *Hugo* dux cognomento *Chapet* unctus eſt in regem civitate *Remis*, *Robertumque* filium ſuum in ipſo anno diademate ſullimari fecit apud *Noviomum*. In diebus illis, *Arnulfus* frater præfati *Caroli* natus tamen de concubina eccleſiam *Remorum* gubernabat. Huic *Hugo* ordinatus rex plurimas inſidias tetendit, cupiens exterminare omnem progeniem *Caroli*. Qui congregans Concilium in civitate *Remis Arnulfum* degradari fecit, atque *Aurelianis* cum præfato *Carolo* cuſtodiæ mancipavit, dicens, Non debere ex concubina natum pontificali infula ſullimari; in cujus locum *Gerbertum* monachum philoſophum conſecrari fecit, eo quod fuerat magiſter *Roberti* regis filii ſui. Quo audito, *Romanus* pontifex epiſcopos qui ordinationi *Gerberti*, & *Arnulfi* degradationi conſenſerant, à ſacerdotali honore ſuſpendit. Miſitque *Leonem* abbatem à ſede Apoſtolica ad *Seguinum* archiepiſcopum *Senonum*; qui vice ſua in civitate *Remis* congregaret Concilium. Collecto igitur Concilio prædictus *Arnulfus* jam tercium annum in vinculis agens cum honore reponitur in ſede propria. *Gerbertus* vero intelligens quod pontificatus honorem uſurparet injuſte, pœnitentia ductus judicabat ſe indignum tali honore. Per idem tempus electione *Ottonis* imperatoris & acclamatione populi, idem *Gerbertus* ſuſcepit epiſcopatum *Ravennæ* urbis. Quo per plures annos ibidem reſidente, *Romano* papa defuncto, à populo urbis *Romæ* acclamatur ſibi dari pontifex. Qui aſſumptus de *Ravenna* conſtituitur Apoſtolicus in urbe *Romana*, unde monaſticum illud dictum eſt,

Tranſit ab R. Gerbertus *ad* R. *poſt papa vigens* R.

988. *Dunſtano* archiepiſcopo ſucceſſit *Ethelgarus* auſtralium *Saxonum* epiſcopus.

989.

990. *Athelgaro* archiepiſcopo ſucceſſit *Syricius Wiltonienſium* epiſcopus, qui expulſis à *Cantuaria* clericis monachos induxit.

991.

992. *Odilo Cluniacenſis* abbas, cum reprehenderetur

quod in peccatore miſericordior juſto eſſe videretur; Si damnandus ſum, inquit, malo damnari de miſericordia quàm de diſtrictiâ.

Sirico Dorobernenſi archiepiſcopo mortuo, ſucceſ-
994. ſit Alfricus Wiltonienſium epiſcopus. Hic Ælderi epiſcopum Lundoniæ, & Tramerin epiſcopum ſancti Davidis, & Elnodum epiſcopum ſancti David Cambriæ conſecravit.

995. Robertus rex Francorum mortuo patre ſuo rege Hugone Chapet ſolus regnat.

Obiit primus Ricardus dux Normanniæ, filius Willielmi filii Rollonis, cui ſucceſſit filius ejus ſecundus Ricardus.

Circa hoc tempus Hinguar & Habba Angliam vaſtaverunt, corpuſque ſancti Cuthberti ab Eardulfo Lindisfarnenſi epiſcopo in Dunelmum perlatum eſt, & ſedes epiſcopalis ibidem conſtituta, quæ retro temporibus fuerat in Lindisfarne inſula quæ Halingeland appellatur.

996. Hoc tempore incluſo quodam indicante loca eructantia flammarum incendia, quæ ab incolis ollæ Vulcani nominantur, prope Siciliam ſunt inventa, in quibus voces & terrores dæmonum, ejulatus etiam audiuntur plangentium, quod animæ damnatorum eriperentur de manibus eorum per eleemoſinas & preces fidelium. Hoc itaque comperto, abbas Cluniacenſis Odilo conſtituit per omnia monaſteria ſibi ſubjecta, ut ſicut primo die Novembris ſolennitas omnium Sanctorum agitur, ita ſequenti die memoria omnium in Chriſto quieſcentium celebretur. Qui ritus ad multas eccleſias tranſiens, fidelium defunctorum memoriam ſollennizari fecit.

Mauritius quintus Comes Andegaviæ duxit uxorem de Alvienſi pago filiam Hamerici Conſulis Sanctonici, neptem Raimundi Pictavenſis Comitis, ex qua Fulconem Nervam genuit. Surrexit in eum Landricus Dunenſis auxilio Odonis Campanienſis, auxilio etiam Geldoini Salmurienſis; qui cum eis viriliter reſtitiſſet, præoccupatus morbo naturæ conceſſit: ſepultuſque jacet in eccleſia ſancti Albini juxta patrem ſuum.

997. Rex Anglorum Egelredus habito conſilio cum
998. regni ſui primatibus utile duxit à Danis, poſt diu-
999. tinam eorum infeſtationem dextras accipere, illiſque ut à malis ceſſarent placabile tributum ſolvere.
1000. Quod ubi Danis complacuit ſtatutum eſt eis tributum xxiiij. librarum.

Eodem anno Emmam Saxonice Elfgivam vocatam, ducis Normannorum primi Ricardi filiam, rex Egelredus duxit uxorem.

Aldulfus archipræſul Eboracenſis, coepiſcopis & religioſis viris congregatis, ſancti Oſwaldi archipræſulis oſſa è tumulo levavit; nec multo poſt ipſe defunctus Wigorniæ eſt ſepultus, cui ſucceſſit abbas Wlſtanus. Rex Egelredus omnes Danos Angliam incolentes, majores & minores utriuſque ſexus occidere juſſit in die feſtivitatis ſancti Bricii, quia totius Angliæ dominium ſuæ ditioni conati ſunt ſubdere.

1001. Otto imperator Romæ Creſcentem patricium bello aggreditur, ſed victus Creſcens, & ex fuga retractus capitur, vilique jumento averſe impoſitus circumducitur, & paulatim membris truncatur, ad ultimum ante urbem ſuſpenditur.

1002. Otto imperator degens Romæ, dum cum Romanis ſe remiſſius agit tractans qualiter jura regni & eccleſiæ ad antiquum ſtatum reformaret, Romani per hos ad contemptum ejus adducti, ſubito contra eum conſpirant, & aliquot militum ejus peremptis eum in palatio obſident, unde per induſtriam Henrici ducis Baivariæ, & Hugonis marchionis Italiæ, ſimulato pacto vix extractus, Româ recedit cum Silveſtro papa. Et quia uxor Creſcentii imperatorem ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, dolens pro ejus diſceſſu, venenum ei miſit, quo ille conſumptus inter remeandum in Italia moritur. Milites tranſalpini corpus imperatoris defuncti cum inſignibus imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum incurſibus laceſſiti, armis ſibi viam parant. Sed cum jam res in tuto eſſe putaretur, dux Baivariæ Henricus, injuriato Heriberto Colonienſium archiepiſcopo, à cujus ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi jure hæreditario ſibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis qui fuit genitus de Henrico fratre primi Ottonis imperatoris. Henricus igitur dux conciliatis ſibi animis quorundam principum regni, ungitur in regem à Willigiſo Maguntino archiepiſcopo.

Henricus imperator Romanus. 1003.

Alfricus Wintonienſis epiſcopus fit archiepiſco- 1004.
pus Cant.

Rex Dacorum Swein occiſionem ſuorum in An- 1005.
gliâ ſciens indigne, cui Deus regnum Angliæ de- 1006.
ſtinaverat, cum navibus multis, & gentibus crudeliſſimis venit in Angliam apud Norwicum, eamque
combuſſit. Rex Anglorum Egelredus pro bono pa- 1007.
cis tributum xxxvj. librarum perſolvit Danis. 1008.

Fulco Nerva, cui conſuetudo fuit animas Dei ju- 1009.
rare, juvenis adhuc, collecto exercitu ultra Bleſim 1010.
profectus ad caſtrum Dunum devenit. Itaque præmiſſis Ambazienſibus Andegavi Dunenſes coanguſtaverunt, & plurimos gladio necaverunt: victor igitur rediens Fulco Ambazio domum Landrici obſedit, quam Gaufridus Griſa tunica eidem hæreditario poſſidendam contulerat. Landricus & ſui ab Ambazio expelluntur, & domus Landrici recepta funditus deletur. Fulco caſtrum Locas, & Ambaziacum Liſoio ad cuſtodiendum tradidit. Interea Conanus comes Britanniæ, Fulconem ſciens ab Andegavi abceſſiſſe, ad curiam regis Aurelianis ire diſpoſuit, filiis ſuis ut Andegavim infeſtarent præcepit. Dum Fulco & Conanus Aurelianis regem expectarent, Fulco in quadam domo ad requiſita naturæ ſeceſſit. In thalamo ejuſdem domus à Fulcone ſolo pariete diviſo, Conanus venit, qui ſibi aperit quod filii ſui quarto die uſque ad portas Andegavis omnia demoliendo diſcurrent. Quo audito, Comes ad ſuccurſum ſuorum feſtinat, fingenſque Landonenſi caſtro ſuo ire, nocte & die equis ſæpe mutatis equitat, ſuis in via ut ſe ſequantur imperat. Britones ſtatuto die uſque ad portas urbis ſecuri impetuoſe currunt; Fulco & latitantes ſui in eos ſecuros celerrime irruunt, alios proſternunt, alios in fugam converſos inſequuntur. Nam regreſſu Conſulis cognito, reſiſtendi nec ad momentum conſtantiam habuerunt inimici; ita diſperſi, quo quiſque potuit citiſſime diffugerunt. Mortui ſunt in illo conflictu duo filii Conani innumerique pedites perempti. Alii duo cum multis aliis baronibus, & militibus, & peditibus capti. Fulco autem ſtatim ad curiam regis citiſſime redit, & ipſo die quo rex venerat, ipſe & quidam ſuus miles

les equitans varium equum *Alani* primogeniti filii *Conani* ante aulam regiam deſcenderunt. Quæſitum eſt à *Britonibus* quomodo equus ab illis habeatur, verumque auditur & *Conano* nunciatur. Deflet *Conanus*, caſum ſuorum coram rege lamentatur. Ab epiſcopis pax quæritur & mediante rege *Roberto* & *Ricardo Normannia* duce, qui *Juditam* filiam *Conani* habebat uxorem, concordia efficitur. *Alanus* primogenitus *Conani* cum fratre ſuo redimitur, omnes capti dato competenti precio liberantur & à *Fulcone* conſulatus ultra *Meduanam* quiete & pacifice poſſidetur. Poſtmodum vero inter ipſum *Conanum* & prædictum *Fulconem Andegavorum* Comitem exortum eſt indiſſolubile jurgium, ita ut crebris ſuorum invicem depopulationibus ac ſanguinis effuſionibus laceſſiti, ad ultimum inirent cominus prælium. Cum igitur diu multumque viciſſim ſibi mala quæ poterant irrogaſſent, ab utroque decretum eſt, ut in loco qui *Concretus* dicitur, quiſque illorum cum ſuo exercitu die conſtituto advenientes prælii certamen inirent. Sed *Britonum* exercitus cogitata fraudis decipula partem *Fulconis* exercitus nequiter proſtraverunt. In prædicto denique loco ubi certamen ineundum fuerat clam prævenientes plerique *Britonum*, ibique nimium aſtute profundum atque perlongum fodere vallum, ramiſque arborum denſatim ſuper inſertis impoſita videlicet hoſtibus muſcipula receſſerunt. Die igitur conſtituto juxta condictum dum illuc uterque cum ſuo exercitu adveniret, atque acies utraque jam in procinctu videretur informata, gens *Britonum* callida fraudiſque propriæ conſcia, ſimulat ſe velle fugam arripere, ut avidius demergerent hoſtem in latentem muſcipulam. Quod cernens *Fulconis* exercitus, cupienſque expedite ſuper eos irruere, corruit pars ex eis non modica in foveam *Britonum* aſtu paratam. Illico autem converſi *Britones* qui prius fugam ſimulaverant, inhianterque ſuper *Fulconis* exercitum irruentes, aſperima quamplures ex eis cæde necaverunt. Ipſum etiam *Fulconem* pulſum de equo in terram loricatum dejecerunt. Qui exurgens nimio accenſus furore dictis ſuos relevat, exacuitque ſuorum animos. Hi vero velut turbo vehementiſſimus per denſas ſegetes impellentes omnem exercitum *Britonum*, eos crudeli nimium cæde mactaverunt. Deletoque pene univerſo exercitu *Britonum*, ipſum etiam *Conanum* illorum principem truncatum dextera vivum capientes *Fulconi* reddiderunt. Quo potito victoria & reverſo ad propria, non illi poſtmodum quiſpiam *Britonum* moleſtus extitit. Cum circumquaque in diverſis præliorum eventibus humanum fudiſſet ſanguinem, metu gehennæ territus ſepulchrum Salvatoris *Jeroſolimis* adiit, & inde rediens, ex uxore ſua *Gaufridum Martellum* & filiam *Adelam* nomine genuit. Poſtea idem *Fulco* gratia peregrinationis *Romam* venit, & à papa *Sergio* benedictione accepta, iter eundi **Jeruſalem** rurſus arripuit; ſub conductu vero **Jeruſalem** ducitur, portam tamen urbis intrare non potuit, ad quam peregrini ut intrarent violenter date urgebantur. Dato autem precio tam pro ſe quam pro aliis *Chriſtianis* ad portam ſibi prohibitam morantibus, urbem celeriter cum omnibus intravit, ſed ſepulchri clauſtra eis prohibuerunt. Nempe cognito quod vir alti ſanguinis eſſet, deludendo dixerunt, nullo modo alio ad ſepulchrum optatum pervenire poſſe, niſi ſuper illud & crucem Dominicam mingeret. Quod Comes licet invitus annuit. Quæſita igitur veſica arietis purgata atque mundata, ut opimo albo vino repleta, quinetiam apte inter ejus femora poſita eſt, & Comes diſcalceatus ad ſepulchrum Domini acceſſit, vinum ſuper ſepulchrum fudit, & ſic ad libitum cum omnibus ſociis intravit, & fuſis multis lacrymis peroravit. Interim dum eſſet in peregrinatione, *Gaufridus Martellus* filius ejus quem cuſtodem comitatus reliquerat, adverſus patrem inſurgit, munitiones *Andegavorum* uſurpat, patrem redeuntem excludit. Controverſia protracta diutius, tandem viris intercurrentibus religioſis filius patri reconciliatur. Ut autem *Fulco* quæ fecerat mala corrigeret, & Deo gratum munus offerret, *Lochis* juxta *Angerim* fluvium bello loco ſcilicet, eccleſiam in honore ſancti Sepulchri monachos cum abbate imponens ibi conſtruxit. Anno & dimidio quo *Fulco* moratus fuerat in peregrinatione *Odo Campanienſis*, & *Geldevins Salmurienſis* terram, & homines *Fulconis* afflixerunt. *Fulco* oppidum quod *Monſtricardum* vocatur componit. Ad cujus deletionem *Odo* multos milites & pedites *Bleſis* congregat. *Fulco* ab *Ambazio* diſcedens, prope *Pontilevium* venit. *Herebertus Cenomannenſis* Comes, amicus *Fulconis*, juxta ripas *Cari* equitans *Bourgia* caſtra fixit. Quid plura? acies ordinantur. Milites *Odonis* impetus *Andegavorum*, & ictus *Cenomannorum* ſuſtinere non ferentes, protinus verſi ſunt in fugam. Ita fere vj. tam captis quam peremptis reliqui evaſerunt. Sequenti anno *Fulco* ad diſtringendam urbem *Turonicam* oppidum in monte *Bodelli* ſtatuit. *Odo Campanienſis* adjuncto ſibi *Salmurienſi Geldovio* munitionem illam obſedit. *Fulco Ligerim* tranſmeat, & feſtinus tota nocte equitans, ſummo diluculo *Salmurium* defenſoribus vacuum intrat, & totum oppidum confeſtim cepit, & arcem poſtmodum, *Fulco* inde abiens *Viennam* tranſit, & montem *Baſonis* obſidet. *Odo* ab obſidione montis *Bodelli* ſeceſſit, *Fulco* ad *Lochas* rediit: ſic uterque remiſſo exercitu quievit. Rex *Robertus Conſtantiam* filiam *Willielmi Arelatenſis* Comitis, natam de *Blanca* ſorore *Fulconis*, accepit uxorem, quam eidem rex conſilio *Hugonis Belvacenſis* Comitis odioſam habebat. Factum eſt, ut die quadam rex in ſilvam venatum iret, & *Hugo* Comes cum illo. Duodecim igitur milites miſſi à *Fulcone Andegavorum* Comite, avunculo ſcilicet reginæ *Conſtantiæ*, *Hugonem* ſupradictum ante regem trucidaverunt. Rurſus *Fulco* montem *Baſonis* obſedit & cepit, & ſeneſcallo ſuo *Liſoio* neptem *Supplicii Theſaurarii* uxorem dedit. Cui etiam *Ambazium* cum omnibus appenditiis ſuis donavit. Et ſic terra *Fulconis* uſque ad obitum ſuum in pace ſiluit. Bis jam *Jeroſolimam* perrexerat. Tercio autem itinere peracto rediens, intra *Metenſem* urbem diem clauſit extremum. Corpus autem illius conditum aromatibus, apud *Lochas* ſepultum eſt.

1012.

1012. Hoc anno perſolvebatur *Danis* tributum de *Anglia* xlviij. librarum.

Sacroſancto Dominicæ requiei ſabbato archipræſuli *Alfego* à *Danis* proponitur conditio, ut ſi vita & libertate velit potiri iiij. librarum perſolvat. Illo nolente necem ejus uſque ad aliud ſabbatum protelant. Quo adveniente, adverſus illum exarſerunt ira magna; Et quia vino nimis inebriati fuerant,

rant, & quia prohibuerat ne quis pro ſua redemptione quicquam eis daret, de carcere ducitur, ad eorum concilium pertrahitur. Mox illi è ſedibus proſiliunt, averſis ſecuribus illum dejiciunt, lapidibus, oſſibus bovinis obruunt. Ad ultimum quidam *Thrum* nomine quem confirmarat pridie impia motus pietate, ſecurim capiti illius infixit. Qui ſtatim in Domino xiij. kal. Maii obdormivit. Cujus corpus die ſequenti *Lundoniam* defertur, & ab epiſcopis *Alfhuno Lundonienſi*, & *Eadnotho Lincolnienſi* in eccleſia ſancti *Pauli* ſepelitur.

Livingus, qui & *Ethelſtanus Wellenſis* epiſcopus archipræſulatum *Doroberniæ* ſuſcepit.

1013. In cimiterio Magni martyris in *Saxonia*, quibuſdam choream ducentibus & cantilenas ſeculares perſtrepentibus in nocte natalis Domini, ſacerdos primam miſſam inchoans imprecatus eſt dicens: Placeat Deo & ſancto Magno ut ita cantantes permaneatis uſque ad annum. Qui ſic permanſerunt: quos nec frigus, nec calor, nec fames, nec ſitis, nec laſſitudo per annum affecit. Anno evoluto, *Herebertus Colonienſis* archiepiſcopus manus eorum ſolvit, & ante altare Magni martyris reconciliavit, tribus eorum ſtatim morientibus, xv. per triduum dormientibus.

Rex *Danorum Suenus* qui dira fame *Angliam* perurgente *Danemarchiam* petierat, iterum reverſus cum ingenti claſſe ad *Sandicum* portum eſt appulſus. Qui tirannidem ſuam exercens ubique, totam *Angliam* in brevi ſibi ſubjecit: Cives etiam *Londonienſes* datis obſidibus pacem cum eo fecerunt. Quod videns rex *Egelredus*, præmiſſa regina ſua *Emma*, cum filiis ſuis *Edwardo* & *Aluredo* & eorum magiſtro *Alfhuno Londonienſi* epiſcopo, ad fratrem reginæ ſecundum *Ricardum Normannorum* Ducem, ipſe ſubſecutus *Normanniam* venit, & à *Ricardo* duce cum honore ſuſcipitur. Hoc tempore *Ricardus* dux *Normannorum* ducit uxorem *Iudith* nomine ſororem *Goisfredi* ducis *Britannorum*, de qua tres filios genuit, *Ricardum*, *Robertum*, & *Willielmum*; totidemque filias, quarum una nomine *Adelizh Reinaldo Burgundionum* Comiti nupſit, altera *Baldwino* Comiti *Flandrenſi*, tertia virgo obiit.

1014. *Suenus* tyrannus poſt innumerabilia mala quæ in *Anglia* geſſerat, ex oppido, ubi precioſi martyris corpus *Eadmundi* incorruptum requieſcit, quod nemo prius audebat facere grande tributū cum minis auſus eſt exigere. Deniq; imminente veſpera diei purificationis ſanctæ *Mariæ*, apud **Geagneſburh**, in generali placito quod tenuerat hæc eadem minitans reiteravit, cum *Danorum* cuneis circumvallatus denſiſſimis ſanctum *Eadmundum* ex adverſo venientem ſolus vidit armatum. Quem cum vidiſſet expavit, & nimio clamore vociferari cœpit, Succurrite, inquit, commilitones, ſuccurrite, ecce ſanctus *Edmundus* me venit occidere: & hæc dicendo, acriter à ſancto confoſſus cuſpide, de emiſſario cui inſederat decidit, & uſque ad noctis crepuſculum magno cruciatus tormento, iij. non. Februarii miſerabili morte vitam finivit. Siquidem in provincia quæ dicitur **Eaſtſexe** quidam nobilis *Wlmarus* tanto languore jacebat percuſſus, ut nullo membrorum ſuorum officio nec linguæ quidem per triduum uteretur. Cum quadam nocte parentes circumſtantes exitum præſtolarentur, recuperata virtute in ſeſſum ſe erigens voce gratulabunda dixit. Hac nocte & hac hora ſancti *Edmundi* lancea transverberatus rex *Suein* oppetiit. Quod cum dixiſſet, in lectulo recubans ultimum flatum emiſit.

Mortuo igitur *Sueno*, filium ejus *Canutum* ſibi regem conſtituit claſſica manus *Danorum*. At majores natu totius *Angliæ* ad regem *Egelredum* pari conſenſu miſerunt dicentes, ſe nullum plus amaturos quam ſuum dominum, ſi eos mitius ſolito vellet tractare. Quibus auditis, *Rex Egelredus* miſſo ad eos *Edwardo* filio ſuo, ſe in omnibus eorum voluntati conſenſurum promiſit. Ab *Anglis* itaq; in *Normanniam* mittitur. Rex feſtinato, tempore quadrageſimali reducitur, & *Canutum* cum *Lindiſſenſibus* qui *Canuto* favebant bello devicit, & cum claſſica manu abire coegit anno ſequenti reverſurum.

1015. 1016. Rex *Anglorum Egelredus* ix. kal. Maii *Lundoniæ* defunctus eſt poſt multas vitæ ſuæ tribulationes, quas ſuper illum venturas regalis conſecrationis die poſt impoſitam coronam prophetico ſpiritu ſanctus ei prædixerat *Dunſtanus*: Quoniam, inquit, aſpira-
» ſti ad regnum per mortem fratris tui quem occi-
» dit mater tua, propterea audi verbum Domini.
» Hæc dicit Dominus, non deficiet de domo tua gla-
» dius ſæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, inter-
» ficiens de ſemine tuo quouſque regnum tuum
» transferatur in regnum alienum, cujus ritum & lin-
» guam gens cui præſides non novit; nec expiabitur
» niſi longa vindicta peccatum tuum & peccatum
» matris tuæ, & peccatum virorum qui interfuerunt
» conſilio ejus nequam.
Corpus autem illius in eccleſia ſancti *Pauli* Apoſtoli honorifice eſt ſepultum. Cujus poſt mortem epiſcopi, abbates quique nobiliores *Angliæ Canutum* in regem elegere. At cives *Lundonienſes & pars* nobilium qui tunc erant *Lundoniæ*, *Edmundum Ferreum latus* dictum regis *Egelredi* filium in regem levavere. Conſecratus autem eſt à *Livingo Dorobornenſi* archiepiſcopo apud *Lundoniam*. Rex igitur *Edmundus* filius *Egelredi* cum *Canuto*, & pleriſque ducibus *Anglorum*, quos *Eadricus Streona* dux perfidiſſimus, qui patriæ ſuæ ſemper anelabat inſidiis, à rege in *Danorum* partem averterat, multociens bellum commiſit & victoriam fere ſemper optinuit; ſed tandem conſilio ſuorum coactus, pace facta cum *Canuto* regnum diviſit, & apud **Deorhirſt** ambo convenerunt, Corona tamen regni *Edmundo* remanſit. Poſt hæc rex *Edmundus* nocte ſequentis diei feſtivitatis ſancti *Andreæ Lundoniæ* perimitur dolo *Eadrici Streonæ* perfidiſſimi ducis, veru ferreo in ſecreta naturæ transfixus dum in ſeceſſu reſideret. Ille enim dux *Eadricus* quendam in loca ſtercoris abſcondit, qui regem egeſturum veru confoderet; ſic defunctus rex *Edmundus*, cum avo ſuo rege pacifico *Eadgaro* ſepultus eſt *Glaſtoniæ*. *Canutus* vero à primatibus regni in regem eligitur, fratribus *Eadmundi* & filiis abjectis & repudiatis.

1017. *Canutus* totius *Angliæ* ſuſcepit imperium. Conſecratus eſt autem à *Livingo Dorobernenſi* archiepiſcopo apud *Lundoniam*, regnumque in quatuor partes diviſit, *Weſtſaxoniam* ſibi, *Eaſtangliam Turkillo* Comiti, *Merciam Eadrico* duci, *Northymbriam Hyrco* Comiti.

Canutus rex conſilio *Eadrici Edwardum* & *Edmundum* regis *Edmundi* filios necare propoſuit; ſed quia magnum dedecus ſibi videbatur ut in *Anglia* perimerentur, ad regem *Suevorum* occidendos miſit; qui precibus illius nullatenus adquieſcens, illos ad regem *Ungarorum Salomonem* miſit nutriendos. Quorum unus, ſcilicet *Edmundus*, ibidem vitam finivit. *Eadwardus* vero *Agatham* filiam Germani Imperatoris *Henrici* in matrimonium accepit; ex qua *Margaritam Scottorum* reginam & *Eagarum* ſuſcepit.

1018. Rex *Canutus* derelictam regis *Egelredi* reginam *Elſgivam* in conjugium accepit, ac in nativitate Domini cum eſſet *Lundonia*, perfidum ducem *Edricum* in palatio juſſit occidere, quia timebat inſidiis ab eo aliquando circumveniri ſicut Domini ſui priores *Egelredus* & *Edmundus*, quorum diutina proditione alterum vexavit, alterum interfecit.

Leofſius Thornegienſis Abbas ſuſcepit epiſcopatum *Wigornenſis* eccleſiæ.

Hoc anno de tota *Anglia* lxxij. & de *Lundonia* x. D. libræ exercitui *Danorum* ſunt perſolutæ, & cum rege *Canuto* xl. naves remanſere; cæteræ vero *Danemarchiam* ſunt revectæ.

Angli & *Dani* apud *Oxenefordam* de lege regis *Eadgari* tenenda concordes ſunt effecti.

In *Friſonia Deoderico* Comite filio *Arnulfi Gandavenſis* debellante *Friſones* in vindicta patris ſui ab eis occiſi, *Godefridus* dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur, & conſerto prælio repente voce neſcitur unde emiſſa, Fugite fugite, cunctis fugientibus multi à paucis *Friſonibus* perimuntur, dux vero capitur.

1019. Rex *Anglorum* & *Danorum Canutus Danemarchiam* adiit & per totam hyemem manſit ibi.

1020. *Livingus Dorobernia* archiepiſcopus obiit, cui *Ethelnothus* qui *bonus* appellabatur nobilis viri *Agelmari* filius ſucceſſit. Hic *Joſeph* epiſcopum *Landavia*, & *Bleduc* epiſcopum ſancti *David Cantuaria* conſecravit.

Rex *Canutus* conſilio cleri & procerum & maxime *Elſgiva* reginæ ſuæ conſtituit monachos in monaſterio quod **Bamiceswrth** vocatur, in quo rex & martyr *Edmundus* incorrupto corpore requieſcit.

Hoc anno eccleſia quam rex *Canutus* & Comes *Turkillus* in monte qui **Eſſendun** dicitur conſtruxerant, illis præſentibus à *Wlſtano* Eboracenſi archiepiſcopo & multis aliis epiſcopis dedicata eſt.

Defuncto *Alfhuno Lindiſfarnenſi* epiſcopo, tribus pene annis paſtorali deſtituebatur ſolatio. Facto in unū conventu cum de epiſcopi electione tractaretur, religioſus presbyter quidam *Eadmundus* ſupervenit, & joco dixit, *Cur me epiſcopum non elegiſtis?* Cujus jocum non jocoſe accepere qui aderant, ſed elegerunt illum, & triduano indicto jejunio ſancti *Cuthberti* ſuper hoc velle quærebant. Celebrante presbytero Miſſam ad caput ipſius ſancti, in medio canone quaſi de ejuſdem patris ſepulchro vox audita eſt, quæ tribus vicibus *Edmundum* epiſcopum nominavit.

1021. *Alfwinus* orientalium Anglorum epiſcopus primus Eccleſiam ſancti *Edmundi* ædificare cœpit.

1022. *Athelnodus Dorobernenſis* archiepiſcopus *Romam* ivit quem *Benedictus* papa cum honore ſuſcepit & pallium illi dedit.

1023. *Wlſtanus* Eboracenſis archiepiſcopus *Eboraci* defungitur, ſed in **Heli** ſepelitur. Qui cum quodam tempore orationis cauſa illuc veniens, in capite proceſſionis epiſcopali more baculo paſtorali ſtaret innixus, terramque ſubito uſque ad medium pene ſui baculus intraret, ipſe de rei admirans eventu ſuæ ibi requiei prophetavit præſagium, pluribus dicens audientibus. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo. Jacet ergo in *Helyenſi* eccleſia ubi de infixione baculi ſuam prædixit ſepulturam. Cui ſucceſſit *Alfricus Wintonienſis* præpoſitus.

Corpus ſancti *Alſegi* martyris de *Lundonia Dorberniam* eſt tranſlatum. 1024.

Poſt mortem *Judith* accepit *Ricardus* ſecundus dux *Normannorum* uxorem nomine *Papiam*, & genuit ex ea 2. filios, *Malgerum* Archiepiſcopum *Rothomagenſem*, & *Willelmum* Comitem de *Archis*.

Idem *Ricardus* exercitum *Normannorum*, per tertium *Ricardum* filium ſuum uſque ad *Milmandum* caſtrum juxta *Alpes* duxit, & idem caſtrum viribus *Normannorum* cepit, & *Hugonem* Comitem *Cabilonenſem*, dominum ejuſdem caſtri, qui *Rainaldum Burgundionum* Comitem, trans fluvium *Araris*, generum ejuſdem *Ricardi* in vinculis tenebat, ad liberationem ejus coegit. Dedit etiam idem *Ricardus* ſecundus duas villas in *Normannia*, ſcilicet *Welleber* ſuper *Sequanam*, & *Cambaium* in *Oximenſi* pago anteceſſoribus *Symonis* Comitis *Vilcaſini*, ut liceret exercitum *Normannia* tranſire per terram ſuam ad ſupradictam expeditionem peragendam. 1025.

1026. *Ricardus* ſecundus dux *Normannorum* obiit, ſucceſſit ei filius ejus *Ricardus* tertius. Hic genuit *Nicholaum*, poſtea Abbatem ſancti *Audoeni*, qui primo anno ducatus ſui mortuus eſt. Cui ſucceſſit *Robertus* frater ejus, qui genuit *Willelmum* de *Herlena*, non ſponſata, qui poſtea *Angliam* conquiſivit.

1027. Cum regi *Anglorum*, & *Danorum Canuto* intimatum fuiſſet, quod *Norregani* regem ſuum *Olavum*, propter ejus ſimplicitatem, & manſuetudinem, æquitatem, & religioſitatem nimis vilipenderent, multum auri & argenti quibuſdam illorum miſit, rogans ut illo ſpreto deditionem ſibi facerent, ac ſuper ſe regnare permitterent. Qui cum aviditate munera ſuſcipientes ei remandaverunt, ad illum ſuſcipiendum ſe paratos fore quandocunq; vellet venire. Sequenti igitur anno L. navibus magnis *Norregam* devectus rex *Canutus*, *Olavum* regem de illa expulit, ſibique eam ſubjugavit, & tertio anno ad *Angliam* rediit.

Mortuo *Baldewino* cum barba, Comite *Flandrenſi*, ſucceſſit ei *Baldewinus* qui vocatus eſt *de Inſula*, qui duxit *Alam* filiam *Roberti* regis *Francorum*, ex qua genuit *Balduinum*, & *Robertum Friſonem*, & *Mathildem* quam *Willelmus* dux *Normannia* duxit, de qua genuit *Robertum*, *Willelmum*, *Ricardum*, *Henricum*; & filias *Ceciliam*, *Æliz*, *Conſtantiam*, *Adelam*; quæ nupſit *Stephano* Comiti *Bleſenſi*.

De probitate & potentia *Canuti* regis *Anglorum*, pauca ſunt perſtringenda; nec enim ante eum tantæ magnitudinis rex fuerat in *Anglia*. Erat autem dux totius *Datia*, totius *Anglia*, totius *Norwagia*, ſimul & *Scotia*. Extra numerum vero bellorum quibus maxime ſplenduit, tria geſſit eleganter. Primum, quod filiam ſuam Imperatori *Romanorum* ineffabilibus divitiis maritavit. Secundum, quod *Romam* pergens omnes malas exactiones in via, quæ per *Gallias* tendit, quæ vocantur *thelonea*, vel *tranſverſa*, data pecunia ſua diminui fecit uſque ad medietatem. Tertium, quod cum maximo vigore floreret imperii, ſedile ſuum in littore maris cum aſcenderet ſtatui juſſit. Dixit autem mari aſcendenti: *Tu mea ditionis es, & terra in qua ſedeo mea eſt,*

eſt, nec fuit qui impune meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi ne in terram meam aſcendas, ne vel veſtes vel membra dominatoris tui madere præſumas. Mare vero de more conſcendens pedes ejus & crura ſine reverentia madefecit: Rex igitur reſiliens, ait, *Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam regum eſſe potentiam, nec regis quempiam nomine dignum, præter eum cujus nutu cælum, terra, mare legibus obediunt æternis.* Rex igitur *Canutus*, qui à quibuſdam *Cnut* dicitur, nunquam poſtea coronam auream cervici ſuæ impoſuit, ſed ſuper ymaginem Domini quæ cruci affixa erat, poſuit eam in æternum ad laudem Dei regis magni.

1028. 1029.

1030. Sanctus *Olavus* rex, & martyr, *Haroldi* regis *Norreganorum* filius, in *Norrega* injuſte perimitur à *Norreganis*.

1031. *Canutus* Rex de *Danemarchia* magno cum honore *Romam* ivit, & ſancto *Petro* ingentia dona obtulit, & à *Johanne Papa* ut ſcolam *Anglorum* ab omni tributo & theloneo liberaret impetravit, & ante ſepulchrum apoſtolorum vitæ ſuæ emendationem Deo devovit. Scripſit etiam ad *Ethelnothum* Metropolitanum, & ad omnes epiſcopos, & primates totius *Angliæ* in hæc verba. *Præcipio & obteſtor omnes meos epiſcopos, & regni præpoſitos per fidem quam Deo & mihi debetis, quatenus faciatis, ut antequam ego in Angliam veniam omnia debita quæ Deo ſecundum legem antiquam debemus ſint perſoluta, ſcilicet elemoſina pro aratris, & decima animalium ipſius anni procreatorum, & denarii quos Romæ ad ſanctum Petrum debemus, ſive ex urbibus, ſive ex villis; & mediante Auguſto decimæ frugum, & in feſtivitate ſancti Martini primitiæ ſeminum ad eccleſiam, in cujus parochia quiſque degit, quæ Anglice* Cyricſcat *appellatur.*

Robertus rex *Franciæ* obiit, cui ſucceſſit filius ejus *Henricus*.

1032. Conſtructam baſilicam apud *Bedriceſwrdam Dorobernenſis* archipræſul *Agelnothus* conſecravit in honore ſancti *Edmundi* regis & martyris.

1033. *Robertus* & *Ricardus* minuendæ domo multitudinis cauſa hoc tempore à *Normannia Francorum* digreſſi *Apuliam* expetunt, & *Italis* inter ſe diſſidentibus dum contra alterum auxilium præſtant, hac oportunitate *Italos* callide & fortiter debellant, & ſucceſſus urgendo ſuos nomen
1034. ſuum dilatant, & futuræ proſperitatis ſibi viam parant.

Britheagus Perſorenſis Abbas filius ſororis *Wlſtani Eboracenſis* archiepiſcopi, *Wicciorum* factus eſt epiſcopus.

Herluinus Beccenſis eccleſiæ primus Abbas de militia ad monachatum venire deſiderans, in fundo ſui juris qui *Burnevilla* dicitur, monaſterium in honore ſanctæ *Mariæ* conſtruxit, & ibidem eſt Abbas conſtitutus: ſed quia locus inaquoſus erat, in vallem ad rivum qui *Beccus* dicitur ſeceſſit, & ibi in honore ejuſdem matris Domini nobile cœpit ædificare cœnobium, & primo *Lanfrancum*, deinde *Anſelmum*,
035. ambos poſtmodum *Cantuariæ* archiepiſcopos, ſecum aſſociavit.

036. *Canutus* rex ante ſuum obitum filium ſuum & *Alfgivæ* reginæ, *Suenum* ſcilicet, ſuper *Norregavos* regem conſtituit, ſuper *Danos* etiam ſuum & *Alfgivæ* filium *Hardecnutum* regem conſtituit. *Haroldus* vero dixit ſe filium eſſe *Canuti* & *Alfgivæ*; licet id minime verum eſſet, dicunt enim filium cujuſdam ſutoris illum fuiſſe, & *Alfgivam* reginam illum rege neſciente in filium ſibi adoptaſſe, & quaſi regis filium feciſſe nutriri. Eodem modo dicunt *Suenum* eſſe filium cujuſdam presbyteræ.

Henricus Imperator *Romanus*.

Imperatores ab antiquis temporibus modo *Romæ*, modo *Conſtantinopoli* rei publicæ commodis inhiantes, in quo maxime fecerint ſibi nomen, & notariis notum eſt, & redactum in actis; itaque *Julii Cæſaris* ſtrenuitatem, felicitatem *Auguſti*, *Titi* liberalitatem, innocentiam *Trajani*, *Conſtantini* fidem, *Theodoſii* pœnitentiam, magiſterium *Juſtiniani*, *Caroli* magnanimitatem, facetiam *Henrici* poteris admirari, poteris approbare, poteris æmulari, dum te mundus agnoverit imperiali collocatum in ſede.

Imperatoris *Henrici* fuit in curia diaconus quidam qui litterarum peritiam & elegantiam vocis vitio corporis deformabat, vehemens mulierum amator. Cui quadam nocte ſolenni volutato cum meretricula, cum hoc ad Imperatoris conſcientiam perveniſſet, mandat Imperator, ut ad evangelium publice legendum ſe præparet. Diaconus acceſſum altari pro peccati conſcientia ſubterfugiens obtemperare detrectat. Imperator inſtat & urget ut Diaconi probet conſtantiam, & ait, Quia michi parere non vis in obſequio tam facili, terram meam exeas. Diaconus amplexus ſententiam, cum ſarcinis receſſit ab urbe. Quem miſſis cum feſtinatione nunciis revocat Imperator dicens, *Quia pluripenderis Dei timorem quam meas minas, epiſcopatum habeto qui primus vacaverit, tantum renuncies amori meretriculæ.*

Idem Imperator ſororem habens ſanctimonialem, eam ſuo deeſſe lateri non patiebatur. Cum autem quidam clericus curialis quadam nocte cum ſanctimoniali cupitis frueretur amplexibus, & diutius ſe voluptas protenderet, illuxit dies, & ecce totam terram nix operuerat; ne vero clericus deprehenderetur, juxta votum ſuum monialis dorſum aſcendit & extra curiam eſt evectus. Imperator autem per feneſtram forte proſpiciens, clericum equitantem aſpexit, vacantem epiſcopatum eidem dedit; quem modeſte redarguens & auribus inſuſurrans dixit, *Vide ne ulterius mulierem inequites.* Sororem autem Abbatiſſam conſtituit dicens, *Vide ne clericum amplius equitantem patiaris.*

Idem Imperator venaturus ſilvam adiit, Miſſam auditurus, ſacerdos ultra modum deformis erat. Imperator ſecum tacitus cogitabat quare Deus tam deformem hominem Sacramenta ſua conficere ſineret. Mox cum ad verſum tractus ventum eſſet, *Scitote quoniam ipſe eſt Deus*, ſacerdos ſocordiam pueri miniſtrantis increpitans reſpexit, & concitatiore voce quaſi cogitanti Imperatori reſponderit dixit, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Quo dicto repercuſſus Imperator, propheticum virum æſtimans, invitum & renitentem ſullimavit in epiſcopum.

Idem Imperator Pentecoſten apud *Maguntiam* celebravit: *Fuldenſis* autem Abbas privilegium habet, ut in præcipuis feſtivitatibus ſedeat Imperatoris ad dexteram, igitur inter cubicularios Abbatis & Archiepiſcopi de ponendis ſedibus oritur controverſia. Pars altera ſudes accipere, pars ſaxa jacere, pars properat enſes evaginare. Sic furore per eccleſiam graſſante ſanguine pavimentum inundat; ſed epiſcopis mediantibus pax reformatur. Solennis dies agitur, cantibus feſtivis inſiſtitur, ſequentia quæ ſic incipit *ſancti ſpiritus* cum ultimo verſu, ſcilicet, *hunc diem glorioſum feciſti*, percantatur. Cum autem hinc inde chori conticuiſſent, vox ab aere lapſa late ſatis intonuit, *Hunc diem bellicoſum ego feci.* Imperator itaque dapes regias quæ tam ſibi quam curialibus paratæ fuerant pauperibus erogavit, & pauperibus diem glorioſum fecit.

Quidam de genere ſenatorio duxit uxorem, convivium ſodalibus fecit; ludo vacaturus in Martium campium exivit. Anulum ſponſalitium æreæ ſtatuæ, quæ digitum habebat extentum, in digito poſuit. Poſt ludum anulum repetens, invenit ſtatuæ digitum ad volam uſque curvatum. Intempeſta nocte rediit ad ſtatuam; & digitum iterum extentum & anulum ſurreptum miratus eſt. Cumque ſe juxta conjugem collocaſſet, ſenſit quiddam nebuloſum & denſum inter illam & ſe volutari, quod ſentiri poſſet nec videri poſſet: hoc obſtaculo prohibitus ab amplexu, vocem etiam audivit: *Mecum concumbe, nam hodie me deſponſaſti. Venus ego ſum, digito cujus anulum impoſuiſti, quem habeo nec reddam alicui.* Tunc juvenis habito cum amicis conſilio, cuidam *Palumbo* presbytero ſuburbano nigromanticis artibus inſtructo, rem ex ordine pandit. Qui grandi victus mercimonio, compoſitam juveni tradit epiſtolam dicens: *Vade illa noctis hora foras urbem ad compitum, ſtans tacite conſidera, tranſibunt hominum figura utrinſque ſexus. Quicquid ad lætitiam pertinet vel triſtitiam, in illorum videbis & vultibus & geſtibus. Nullum illorum compellabis, & ſi loquatur tecum non reſpondeas. Sequetur illam turbam quidam reliquis ſtatura procerior & forma corpulentior. Huic tacitus epiſtolam trades legendam.* Juvenis presbyteri juſſa complevit. Inter cæteros tranſeuntes vidit mulierem ornatu meretricio mulam inequitantem. Ultimo qui dominus videbatur protenta manu tacitus porrexit epiſtolam; Dæmon notum ſigillum non auſus contemnere legit ſcriptum. Moxque brachiis in cœlum elatis, *Deus*, inquit, *omnipotens quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri!* Mox à latere ſuo miſſi ſatellites anulum à *Venere*, plurimum tergiverſata, vix tandem extorquent. Ita juvenis ſine quovis obſtaculo potitus eſt uxoris amore. Sed *Palumbus* cum dæmonis clamorem ad Deum de ſe factum audiſſet, finem dierum ſibi præſignari præſenſit. Quocirca membris omnibus ultro truncatis, confeſſus eſt papæ coram populo flagitia multa.

Circa dies iſtos fuit *Gregorius* papa vj.

Hic arma undecumque & equos conquiſivit, milites adornavit, & primum baſilicam beati *Petri* præoccupans, raptores oblationum, vel extinxit, vel effugavit, & prædia omnia & oppida multis temporibus amiſſa, in antiquum jus reformavit. Ita pax per multorum ſegnitiem exulans, per unum hominem in patriam rediit. Unde *Quirites* rapto aſſueti ſanguinarium illum vocabant. Cardinales etiam cum beatus ille valetudine decumberet, auſu temerario eum ammonebant ne ſe in eccleſia beati *Petri* cum cæteris Apoſtolicis tumulari præciperet, quam tot hominum cædibus fœdaſſet. Quibus ille; *Omnia committamus divino examini. Corpus meum anteceſſorum meorum more compoſitum, ante januas eccleſiæ ſiſtite. Januæ ſeris & repagulis damnentur. Si deus voluerit ut ingrediar, applaudetis miraculo: ſi minus, de cadavere meo facite quod veſtris inſederit animis.* Cum ille ſpiritum efflaſſet extremum, ante portas ſeris occluſas exanimis præſulis exuvias deportant. Sed mox divinitus turbo emiſſus omnia repagulorum obſtacula dirumpens, valvas etiam ipſas vehementi patefactas impetu ad parietem impulit. Populus aſtans acclamat in gaudium, pontificis corpus cum patribus celebri veneratione locatur.

Circa dies iſtos *Euſtachius* cum *Gernovagis* Comes *Bolonienſium* *Idam* *Godefridi* ducis *Boloniæ* primogenitam duxit uxorem, ex qua tres filios ſuſtulit. *Euſtachium*, qui patri ſucceſſit in comitatu, *Godefridum*, quem tempore procedente ſubacta **Jeruſalem** *Chriſtiani* communiter elegerunt in Regem; *Baldewinum* qui fratri *Godefrido* ſuccedens conſecratus eſt rex *Jeroſolimorum*. *Ida* ſiquidem Comitiſſa tribus his filiis ſuis munus nutricationis exhibuit. Nam credidit eſſe contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, parere ſtatimque partum à ſe proicere jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem. Credidit etiam naturam feminis mammarum ubera quaſi quoſdam venuſtiores nævulos liberorum alendorum, & non ornandi pectoris cauſa dediſſe. Sunt enim matres prodigioſæ, quæ fontem illum ſanctiſſimi corporis humani generis educatorem areſaciunt & extingunt, quæ partus ſuos deſerunt, ablegant à ſeſe, nutriendos aliis dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quod parentes cum filiis conſociat intercindunt. Ille namque vigor maternæ flagrantiæ ſenſim atque paulatim reſtringitur, & omnis impatientiſſimæ ſollicitudinis ſtrepitus conſileſcit, neque multo minor commendati ad nutricem aliam filii, quam morte amiſſi oblivio.

A. Gellius l. 13.

Mortuo jam *Canuto* & *Wintoniæ* in veteri monaſterio ſepulto, miſit Rex *Haroldus Wintoniam*, & opum quas rex *Canutus Alfgivæ* reliquerat meliorem partem ademit, & quaſi juſtus hæres non tamen cunctis conſentientibus cœpit regnare. Sed in brevi regnum *Angliæ* ſorte dividitur, & *Haroldo* pars ſeptemtrionalis, *Hardecnuto* provenit auſtralis.

Obiit *Robertus* dux *Normanniæ* frater tercii *Ricardi*, ab *Jeroſolimis* rediens, apud *Niceam* civitatem. Cui ſucceſſit *Willelmus* **Baſtard** filius ejus in puerili ætate, qui *Angliam* poſtea conquiſivit; pater *VVillelmi* regis *Rufi*, & *Henrici*.

1037. Innocentes clitones *Aluredus* & *Eadwardus* *Ethelredi* regis quondam filii, de *Normannia*, ubi cum *Ricardo* avunculo ſuo manſerant tempore longo, multis *Normannicis* militibus ſecum aſſumptis in *Angliam* paucis tranſvecti navibus, ad ſuæ matris colloquium, quæ morabatur *VVintoniæ*, venere. Quod indigne ferebant potentes nonnulli, qui, licet injuſtum eſſet, *Haraldo* multo devotiores extitere quam illis; maxime Comes *Godwinus*. Hic quidem *Aluredum* cum verſus *Lundoniam* ad regis *Haroldi* colloquium ut mandarat properaret, retinuit, & artam in cuſtodiam poſuit; ſociorumque illius quoſdam diſturbavit, quoſdam cathenavit & poſtea cæcavit; nonnullos cute capitis abſtracta cruciavit, & manibus ac pedibus amputatis multavit; multos etiam vendi juſſit, & mortibus variis apud *Gyldeſordam* ſexcentos viros occidit. Quo audito, regina *Elfgiva* filium ſuum *Eadwardum* qui ſecum manſit, cum feſtinatione *Normanniam* ſcilicet remiſit. Deinde *Aluredus Godwini* & aliorum juſſione ad inſulam **Hely** ducitur; ubi oculis ejus erutis, monachis traditur cuſtodiendus.

An. Dñi 1038. *Haroldus* rex *Merciorum* & *Northanhymbrorum*, ut per totam regnaret *Angliam* à Principibus & omni populo eligitur. *Hardecanutus* vero quia in *Danemarchia* moras ingenuit, penitus abicitur. Cujus mater *Elfgiva* Regina hyemis initio ſine miſericordia expellitur *Anglia*. Quæ in *Flandriam* tranſvecta, à nobili Comite *Baldewino* cum honore ſuſcipitur.

1039. *Ethelnothus Dorobernia* archiepiſcopus vita deceſſit; Cui regis capellanus *Eadſinus* in archiepiſcopatum ſucceſſit.

Mortuo *Alfrico Eſtanglorum* epiſcopo, *Stigandus* regis capellanus pro eo epiſcopus eſt conſtitutus, ſed poſtmodum ejecto *Stigando Grimkitel* Suthſaxonum epiſcopus pro eo ſubſtituitur.

Conſtantia mater *Henrici* regis *Francorum* novercalibus incitata machinamentis, filium ſuum regem à regno *Francorum* expellere modis omnibus attemptavit.

Stigandus auſtralium *Saxonum* epiſcopatum tenuit, & fratri ſuo *Egelmaro* orientalium *Anglorum* præſulatum adquiſivit.

1040. *Gaufridus Martellus* poſt mortem patris ſui conſulatum adeptus eſt, & in *Ambaziaco* milites multos cum *Liſoio* poſuit qui *Turonim Bleſimque* vaſtarent, & ad ultimum omnibus copiis ſuis congregatis *Turonicam* urbem obſedit, quam *Henricus* rex *Francorum* ablatam à filiis *Odonis Campanienſis Theobaldo* & *Stephano* eidem *Martello* contulerat. Dimiſit tamen *Martellus Liſoium* ſeneſcallum ſuum *Ambaziaco*, cum CC. militibus & mille quingentis peditibus, qui vias cuſtodirent ne *Bleſenſes* ad ejus exercitum libere deſcenderent. Comes *Theobaldus* cum infinita gente per *Pontilevium* tranſiens juxta *Monſtricardum* ad flumen *Cari* deſcendit, & in pratis ſancti *Quintini* ante *Bluream* tentoria fixit. *Martellus* relicta obſidione *Laudiaco* monte prima die eis obvius venit. In craſtino *Bleſenſes* ex caſtris proruunt, *Andegavenſes* à *Laudiaco* eis econtra procedunt: cumque jam ſe invicem contuerentur, *Martellus* per ſex acies exercitum ſuum diſtribuit, totumque de Comite transferens ſe in militem, alios lancea, alios enſe perſequitur. *Theobaldini* impetus *Andegavorum* non ferentes in fugam verſi ſcapulas dederunt. Qui cum *Martello* erant omnes in ferrum ruunt, ipſo præ omnibus fortiſſime & fugante fugientes & proſternente. *Theobaldus* itaque cum D. & lxxx. militibus in nemore quod *Braium* dicitur capitur & abſtrahitur, *Stephanus* frater *Theobaldi* arrepta fuga cum aliquibus militibus evaſit. *Theobaldus* cum eſſet in vinculis, & pro eo nullam argenti & auri *Martellus* redemptionem vellet accipere, *Thuronim* pro ſua liberatione conceſſit. Quindecim ſacramenta juravit *Theobaldus* propria manu Conſuli *Gaufrido*, & xx. *Barones* caſtellenſes cum eo & xl. milites vavaſſores eiſdem verbis quibus & ipſe.

Helias filius *Johannis de Flecha* Sibillam filiam cujuſdam Comitis *Langobardiæ*, neptem ſcilicet *Herberti* quondam Cenomanniæ Comitis, duxit uxorem, & cum ea comitatum Cenomanniæ ſuſcepit. De Sibilla vero genuit Sibillam, quam *Fulco* filius *Fulconis Rechin*, poſtmodum rex *Jeroſolimorum*, duxit uxorem, de qua genuit *Galfridum Plantegeneſt* & Sibillam *Flandriæ* Comitiſſam.

Willelmus Pictavia Comes comitatum *Sanctonicum* ſuum eſſe dicebat, & vi occupatum tenebat quia patrui ſui fuerat. *Martellus* eundem conſulatum reclamabat quia avi ſui fuerat, cujus hæredes abſque liberis mortui fuerant, & ideo ad hæredes ſororis avi ſui honorem debere reverti affirmabat. Denique hujus litigii cauſa *Martellus*, cum *Willelmo* pugnare diſponens, oppidum quod *Caput Multono* dicitur cum exercitu adiit, *Willelmus Martello* & ſuis occurrit. *Pictavenſes* tremefacti duce ſuo graviter vulnerato reſpirandi locum non habebant. *Martellus* igitur fugientes inſequitur, *Pictavenſis* Comes vulneratur & capitur, *Andegavenſes* cæde peracta reverſi ſunt in campo, & ibi intra tentoria nocte illa quieverunt. *Pictavenſis* Comes conſulatum *Sanctonicum* quietum conceſſit *Gaufrido Martello*, & multis pecuniis datis liber à captione qua illum *Martellus* ſpacio trium annorum tenuerat, ad propria remeans ipſo in anno finem vitæ habuit. In diebus illis *Willelmus* Dux *Normannorum Herbertum Cenomannicum* conſulem nimis impugnabat, cui *Martellus* auxiliator & tutator fuit; & idcirco dux *Normannorum* qui *Angliam* adquiſivit multa perpeſſus eſt à *Martello*. *Gaufridus Martellus* cum filios non haberet, nepotibus ſuis *Gaufrido Barbato* & *Fulconi Rechin*, filiis ſcilicet *Adbela* ſororis ſuæ & *Alberici* Comitis de *Gaſtineis*, bona ſua dereliquit. *Andegaviam* & *Sanctonas Fulconi*, *Turonicam* cum *Landonenſi* caſtro *Barbato* donavit. Ædificavit autem cœnobium ſanctæ *Trinitatis* apud *Windocinum* caſtrum. Uxor vero ejus ædificavit ibidem in ſupercilio montis eccleſiam ſancti *Georgii* canonicoſque impoſuit, & *Capellam Conſulis* vocari præcepit. *Gaufridus* etiam Comes perfecit eccleſiam ſancti *Nicholai* in ſuburbio urbis *Andegavis*, quam pater ejus *Fulco* incœperat nec perfecerat; ibidemque ſepultus quieſcit.

Haroldus rex *Anglorum* obiit *Lundonia*, & in *Weſtmonaſterio* ſepelitur. Quo ſepulto, proceres *Angliæ* ad *Hardecanutum* in *Flandriam* apud *Bricge* ubi cum matre ſua morabatur mittentes, eum in regem gaudenter ſuſceperunt. Conſecratus eſt autem ab *Ethelnotho Dorobernenſi* archiepiſcopo apud *Lundoniam*. Qui mox ut regnare cœpit, injuriarum quas vel ſibi vel genitrici ſuæ fecerat rex *Haroldus* non immemor, *Alnricum Eboracenſem* archiepiſcopum, *Gowinum* Comitem, *Styr* majorem domus, & alios magnæ dignitatis viros *Lundoniam* miſit, & ipſius *Haroldi* corpus effodere & in gronnam proicere juſſit. Quod cum projectum fuiſſet, id extrahere & in flumen *Tamenſe* mandavit proicere. Brevi autem poſt à quodam piſcatore ad *Danos* allatum eſt, & in cimiterio quod habuerunt *Lundonia* ſepultum eſt apud ſanctum *Clementem*.

1041. *Eadwardus Egelredi* quondam regis *Anglorum* filius, de *Normannia* ubi multis exulaverat annis venit in *Angliam*, & fratre ſuo *Hardecanuto* rege ſuſceptus honorifice in curia ſua manſit.

1042. *Hardecanutus* dum apud *Lamhithe* in convivio cum magna lætitia bibens ſtaret, repente inter bibendum miſerabili caſu in terram corruit, & ſic mutus permanens vj. idus Junii expiravit, & *VVintoniam* delatus juxta patrem ſuum *Canutum* eſt tumulatus. Cujus frater *Eadwardus*, annitentibus maxime Comite *Gowino* & *VVigornenſe* præſule *Livingo*, *Lundonia* levatur in regem. Cujus pater *Egelredus*, cujus pater *Eadgarus*, cujus pater *Edmundus*; cujus pater *Eadwardus* ſenior.

Elſinus fit archiepiſcopus *Cantuariæ*.

1043. *Eadwardus* ab archipræſulibus *Eadſino Dorobernenſi* & *Alurico Eboracenſi* aliiſque præſulibus

An. Dñi *Anglia* prima die Paſchæ ungitur in Regem, *Wintoniæ.*

Romæ corpus *Pallantis* repertum eſt, ad capud cujus ardens eſt inventa lucerna quæ nullius flatus violentia, nullius liquoris aſpergine valeret extingui. Quod cum multi mirarentur, unus ſtilo ſubtus flammam foramen fecit, ſic aer introductus ignem extinxit.

1044. *Ailwardus Londonienſis* præſul, qui & ante epiſcopatum, & in epiſcopatu abbatis jure *Eoveſhammenſi* cœnobio præfuit, cum pontificatum amminiſtrare pro ſua infirmitate minus ſufficeret, ad monaſterium Rammeſege receſſit ibique reſedit.

Capellanus Regis *Stigandus* præſulatum *Eſtangliæ* ſuſcepit.

1045. Apud *Valeſdune* commiſſum eſt bellum inter *Henricum* Regem *Francorum* & proceres *Normannorum*.

Benedictus qui ſimoniace papatum invaſerat, cum eſſet rudis litterarum, alterum ad vices eccleſiaſtici officii exequendas, ſecum Papam *Silveſtrum* conſecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tercius ſuperducitur *Gregorius*, qui ſolus vices duorum impleret.

1046. *Romæ* uno contra duos, & duobus contra unum de papatu altercantibus, rex *Henricus* contra eos *Romam* vadit, & eis canonica & Imperiali cenſura depoſitis, *Clemens* præſidet, & ab eo rex *Henricus* in Imperatorem benedicitur, jurantibus *Romanis*, ſe ſine ejus conſenſu nunquam papam electuros.

Aldredus Statuitocenſis abbas *Wicciorum* pontificatum ſuſcepit.

1047. Nix tanta in Occidente cecidit ut ſilvas frangeret.

Leffſtanus abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xij.

1048. *Leo* papa.

Hic cum ad capeſſendam ſedem Apoſtolicam *Romam* tenderet, audivit voces angelorum canentium, *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Hic de multis ſanctis cantus compoſuit; & multa fecit & ſcripſit utilia eccleſiæ. Hic cum in papatu pauperem leproſum ante fores offendiſſet, eum totum diligenter collocavit in lecto ſuo; quem cum reſerato oſtio non inveniſſet, in pauperem ſe *Chriſtum* ſuſcepiſſe obſtupuit.

1049. Concilium habitum eſt apud *Viceliacum*, in quo *Wlwinus Lincolnienſis* epiſcopus interfuit.

Leo papa magnam ſynodum archiepiſcoporum, epiſcoporum & abbatum in *Francia Remis* ſex diebus celebravit. In qua fuit *Ailwinus Rameſienſis* abbas, & abbas monaſterii ſancti *Auguſtini*, à Rege *Anglorum Eadwardo* illo directi.

1050. *Eadſius Dorobernenſis* archiepiſcopus obiit. Cui *Robertus* primo abbas *Gemeticenſis*, tunc vero *Lundonienſis* epiſcopus & genere *Normannus* ſucceſſit.

Speraſocus abbas *Abbendonenſis Lundoniæ* præſulatum ſuſcepit; ſed antequam eſſet conſecratus à Rege *Edwardo* eſt ejectus. *Rameſienſis* eccleſiæ ædificator fuit *ſanctus Oſwaldus Eboracenſis* archiepiſcopus, cooperante *Agelwino* quodam *Anglorum* Comite.

1051. *Aluricus Eboracenſis* archiepiſcopus *Suthwella* defunctus eſt, & Medeſhamſtede. i. Burh ſepelitur; Cui Regis capellanus *Kinſgius* ſucceſſit.

Rex *Edwardus* abſolvit *Anglos* à gravi vectigali triceſimo octavo anno ex quo pater ſuus rex *Egelredus* primitus id *Danicis* ſolidariis ſolvi mandavit.

Rex *Edwardus* reginam *Eadgitham* filiam ducis *Godwini* propter iram quam adverſus patrem ſuum eo quod patriam ſæpius infeſtam habuerat, repudiavit, & cum una pediſſequa ad *Werwellam* eam ſine honore miſit & abbatiſſæ cuſtodiendam commendavit.

Willelmus dux Normannorum *Angliam* venit; quem rex *Edwardus* & ſocios ejus honorifice ſuſcepit, & magnis multiſque donatum muneribus ad *Normanniam* remiſit.

VVillelmus regis capellanus *Lundonienſem* epiſcopatum qui *Sperhafoco* prius datus fuerat ſuſcepit.

Comes *Godwinus* & filii ſui *Haroldus* & *Leofwinus* allectis ſibi in auxilium Butſecarlis qui portus nauticos cuſtodire debebant, cum ingenti claſſe *Lundoniam* venere. Rex igitur *Eadwardus* collecto exercitu feſtinanter eis obviam venit. Sed quia ibi & cum Rege & cum *Godwino* perpauci erant niſi tantum *Angli*, pugnare adverſus propinquos & compatriotas pene omnes abhorrebant. Unde ſapientiores quique ex utraque parte inter Regem, & ducem pacem redintegrabant; & ſic *Godwinus* priſtino reſtitutus eſt honori. Filiam quoque ejus *Eadgytham* Reginam digniter rex recepit. Facta igitur concordia populo rectam legem promiſerunt, & omnes *Normannos* qui leges iniquas invenerant exlegaverunt; paucos tamen quos plus cæteris rex dilexerat, eique & populo fideles extiterant, in *Anglia* permanere conceſſerunt. Sed archiepiſcopus *Dorobernix* & *Lundoniæ* præſul *VVillelmus* & *Ulf Lindicolnienſis* antiſtes cum ſuis vix evadentes mare tranſierunt. Sed *VVillelmus* propter ſuam bonitatem parvo poſt tempore revocatus in ſuum epiſcopatum recipitur. 1052.

Stigandus qui quondam dimiſſo *Anglorum* orientalium epiſcopatu ſullimiorem gradum meditatus *VVintonienſem* invaſerat, innocentis regis *Edwardi* ſimplicitatem circumveniens, vivente *Roberto* archiepiſcopo *Cantuarienſem* archiepiſcopatum obtinuit.

1053. *Edwardus* rex ſecunda paſchali feria cum *VVintoniæ* ad menſam ſederet, *Godwinus* ſocer ſuus recumbens juxta eum dixit. *Sæpe tibi rex falſo delatum eſt me proditioni tuæ invigilaſſe, ſed ſi deus cæli verax & juſtus eſt, hoc panis fruſtulum concedat ne michi guttur pertranſeat, ſi unquam te perdere vel cogitaverim.* Deus autem verax & juſtus audivit vocem proditoris, & mox eodem pane ſtrangulatus, mortem prægustavit æternam.

1054. *Henricus* rex *Francorum* ob improperium *VVillelmi* ducis *Normannorum*, quibus ſemper invidebant *Franci*, ex quo arva *Neuſtriæ* occidentalis cœperunt incolere, *Normanniam* eſt aggreſſus duobus hoſtium agminibus. Unum ad *Calcivum* ſubvertendum territorium direxit, cui fratrem ſuum *Odonem* præfecit; Alteri vero cum *Gaufrido Martello* Comite ſcilicet *Andegavenſium*, ad demoliendum comitatum *Ebroicenſem* ipſe præfuit. Dux igitur *VVillelmus* nobili tactus dolore milites procinctos elegit, quos ad comprimendos *Calcii* ſubverſores direxit. Ipſe autem cum ſuorum nonnullis contra regem ſe contulit. Venientes vero *Normanni* ad *Francos* reppererunt eos apud *Mortuum mare*; Cum quibus ilico mane commiſſum bellum in continua

cæde

An. Dñi cæde ad uſque nonam ab utriſque eſt protractum: noviſſim: autem *Franci* victi fugerunt. At dux *VVillelmus* audito eventu certaminis *Henricum* regem tali conterruit legatione. Nuntius enim ducis regalibus caſtris appropinquans, in quodam proximo monte noctu ſtans fortiter clamare cœpit, *Rodulfus de Toenia nominatus ſum, vobiſque defero lugubre nuntium. Ad Mortuum mare currus veſtros cum carris ducite, & inde cadavera carorum veſtrorum reportate.* Franci *quippe* Normannorum *militiam experiri ſuper nos venerunt, eamque multo quam voluiſſent majorem invenerunt. Odo regis frater turpiter fugatus eſt, & VVido Pontivi Comes captus eſt. Reliqui omnes aut capti, aut perempti ſunt, aut obnixe fugientes vix evaſerunt. Hoc ex parte ducis* Normannorum *renunciate regi* Francorum. Rex ut infortunium ſuorum audivit, à *Normannica* infeſtatione, quam citius valuit retro pedem retraxit.

1055. *Victor* papa.

1056. *Romanorum Henricus* filius *Henrici* Imperatoris.

1057.

1058. *Sivardus* Comes *Northanhymbrorum* & **Huntedunesire** profluvio ventris ductus ait, *Pudor eſt me tot in bellis mori non potuiſſe, ſed vaccarum morti cum dedecore reſervari. Induite me lorica mea, præcingite gladio, ſcutum in læva, ſecurim auratam in manu ponite, ut modo militis moriar.* Et ſic ut dixerat armatus, honorifice ſpiritum exalavit.

Eadwardus regis *Edmundi ferrei lateris* filius, ut ei mandarat patruus ſuus, de *Hungaria*, quo in exilium miſſus fuerat, *Angliam* venit. Decreverat enim rex *Edwardus* illum poſt ſe regni hæredem conſtituere; ſed ex quo venit parvo poſt tempore deceſſit *Lundoniæ*.

Comes *Leonricus* & uxor ſua *Godiva* monaſterium de *Coventrea*, de patrimonio ſuo conſtruxerunt à fundamentis, & precioſis locupletaverunt ornamentis. Eccleſiam etiam quam *Lindicolnenſis* præſul *Eadnotus* in loco famoſo qui dicitur **Mariestou** conſtruxerat, quamplurimis ditaverunt ornamentorum muneribus.

Aldredus VVigornenſis epiſcopus eccleſiam in civitate *Glavorna* à fundamentis conſtruxit, & in honore Apoſtolorum principis *Petri* ædificavit, & poſtea regis licentia *VVlſtanum VVigornenſem* monachum à ſe ordinatum abbatem conſtituit ibidem.

Nicholas papa.

In pago *Brachatenſi* juxta *Tornachum* multitu- An. Dñi
dines colubrorum altrinſecus congregatæ, prodigio- 1059.
ſo prælio inter ſe concurrunt, & multis utrinque occiſis, victa pars fugiens in cavo arboris ſe abſcondit; altera pars vincentium more inſequens cum ſibilo circumſtrepebat, donec circumvecto ab hominibus igne concrematæ ſunt.

Eboracenſi archiepiſcopo *Kinſigio* ſucceſſit *Vigornenſis* epiſcopus *Aldredus*. Et *Herefordenſis* præſulatus qui ei propter ſuam induſtriam fuerat commiſſus, Capellano *Eadgydæ* reginæ datus eſt *VValtero Lotharingo*. 1060.

Henrico regi *Francorum Philippus* filius ejus ſucceſſit.

Aldredus Eboracenſis archiepiſcopus cum *Toſtio* Comite *Romam* ivit, & à *Nicholao* papa pallium ſuſcepit. 1061.

Ubi etiam *Gyſa Vellenſis* & *VValterus Herfordenſis*, ab ipſo papa epiſcopi ordinati ſunt. Uſque ad tempus *Johannis* ſucceſſoris iſtius *Gyſæ* omnes epiſcopi *VVellenſis* eccleſiæ ſedes ſuas *VVellis* habuerunt.

Alexander papa.

Wlſtanus pontifex *Wigornenſi* eccleſiæ præficitur. 1062. Hic cum eſſet Prior *Wigornenſis* monaſterii conſecratus eſt ab *Aldredo Eboracenſium* archiepiſcopo, eo quod *Stigando Dorobernia* archiepiſcopo officium epiſcopale tunc à domino Apoſtolico interdictum erat, quia *Roberto* archiepiſcopo vivente archiepiſcopatum ſuſcipere præſumpſit; canonica tamen profeſſione archiepiſcopo *Stigando*, non ſuo ordinatori *Aldredo* facta. Inſuper & ipſe *Eboracenſis* archiepiſcopus ejus ordinator, coram rege & optimatibus regni, ipſo *Stigando* factitante, propter ſubſequentium calumpnias profiteri juſſus eſt, ſe nullum jus eccleſiaſticæ ſubjectionis ſuper eum velle clamare, nec propter quod ab eo conſecratus eſt, nec quia ante conſecrationem ejus monachus factus eſt.

Haroldus tunc temporis tranſiens in *Flandriam*, 1063. tempeſtate compulſus venit in *Pontivam* inſulam. Quem captum conſul *Ponticus Guido Willelmo* duci *Normanniæ* reddidit. *Haroldus* autem juravit *Willelmo* ſe filiam ejus ducturum, & *Angliam* poſt mortem *Edwardi* ad opus ejus ſervaturum; ſed cum reverſus fuiſſet in *Angliam*, perjurii crimen elegit.

1064. 1065.

Anno milleno ſexageno quoque ſeno,
Anglotum *metæ flammas ſenſere cometæ.*

Haroldus rex.

Pacificus rex *Eadwardus* Epiphaniæ Domini vigilia mortem obiit *Lundoniæ*, & ſepultus eſt aput *Weſtmonaſterium*. Quo tumulato ſubregulus *Haroldus Godwini* filius, quem rex ante ſuam deceſſionem regni ſucceſſorem elegerat, à totius *Angliæ* primatibus ad regale culmen electus, eodem die ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo in regem eſt conſecratus.

Eodem anno ſtella cometis non ſolum in *Anglia*, ſet etiam, ut fertur, per totum mundum viſa, viij. kal. Maii per vij. dies ſplendore nimio fulgebat.

Rex *Haroldus* cum ingenti claſſe *Vectam* adiit inſulam. Et quia *Normannorum* dux *Willielmus Eadwardi* regis cognatus in *Angliam* cum exercitu venire parabat, tota æſtate & autumpno adventum illius obſervabat. Ad hæc etiam pedeſtrem exercitum locis oportunis circa ripas maris locabat. Adveniente itaque Nativitate ſanctæ *Mariæ* claſſicus & pedeſtris exercitus domum rediit. Quibus geſtis cum claſſica manu pluſquam quingentis magnis navibus *Haroldus Harfvaghe* rex *Norreganorum* frater ſancti *Olavi* regis, in oſtio *Tinæ* fluminis applicuit. Ad quem *Toſtius* Comes ut prius condixerant ſuo cum claſſe venit; & inde curſum moventes in loco qui *Richale* dicitur, pariter applicuere. Quod ubi regi *Haroldo* innotuit, verſus eos expeditionem propere movit, & *Norreganis* in loco qui **Stanfordbrigge** dicitur occurrens, regem *Haroldum* & *Toſtium* comitem ſuum cum majore parte exercitus ſui occidit.

Interea dux *Normannorum VVillielmus*, cum conſilium *Angliam* adeundi petiſſet, & omnes *Normanniæ* barones audiſſet unanimes, gaviſus eſt valde. Quibus ad ſe iterum conſiliandos euntibus, *VVillielmus* filius *Osberni* dapifer ducis interfuit. Qui graviſſimam iter ad *Angliam* capeſſendam gentemque fortiſſimam *Anglorum* perhibens, contra pauciſſimos in *Angliam* ire volentes acerrime litigavit. Quod quidam proceres audientes valde gaviſi, fidem dederunt ei ut quod ipſe diceret omnes concederent. Ingreſſus igitur ante eos coram duce ait, Paratus ſum in hac expeditione cum meis omnibus devote proficiſci. Oportuit ergo omnes *Normannorum* principes verbum ejus proſequi ſicut promiſerant ei. Claſſis igitur maxima ad portum ſancti *VValerici* eſt præparata. Cum autem rex *Anglorum Haroldus* vir bellis accerrimus aput *Eboracum* poſt occiſionem regis *Norwagiæ* & *Toſti* fratris ſui lætus pranderet, & omnes ſuos inimicos autumaret fuiſſe detritos, nunciatum eſt ei *VVillielmum* Comitem gentis *Normannicæ*, cum innumera multitudine, utpote qui de tota *Gallia* ſibi fortes auxiliaturos conduxerat, in loco qui *Peveneſa* dicitur, claſſem ſuam applicuiſſe, & aput **Haſtinges** caſtellum conſtruxiſſe. Rex igitur non ſegnis advolans verſus *Lundoniam* ſuum movit exercitum; & licet de tota *Anglia* fortiores quoſque in præfato prælio ſciret jam cecidiſſe, mediamque partem ſui exercitus nondum conveniſſe, quam cicius tamen potuit in *Suthſaxonia* ſuis hoſtibus occurrere non formidavit, & novem miliariis ad *Haſtinga* priuſquam tercia pars exercitus ſui ordinaretur, ij. idus Octobris ſabbato cum eis prælium commiſit. Set quia arto in loco conſtituti fuerant *Angli*, de acie multi ſe ſubtraxere, & cum eo perpauci conſtantes corde remanſere. *VVillielmus* autem quinque catervas equitum ſplendide promovit in hoſtem. Quibus terribiliter diſpoſitis, quidam nomine *Taillefer* ducens antequam coirent bellatores enſibus jactatis ludens coram gente *Anglorum*, dum in eum omnes ſtuperent, quendam vexilliferum *Anglorum* interfecit. Secundo ſimiliter egit. Tercio idem agens, & ipſe interfectus eſt. Tunc incipit letifera nubes ſagittarum, tonitruum ſequitur ictuum, inſilit ignita colliſio galearum & enſium. Cum ergo rex *Haroldus* totam gentem ſuam in una acie ſtrictiſſime locaſſet, & quaſi caſtellum inde ſtruxiſſet, impenetrabiles erant *Normannis*. Docuit igitur dux *VVillielmus* gentem ſuam fugam ſimulare. Fugientes autem ad quandam foveam magnam dolo protectam devenerunt, ubi multus eorum numerus corruens oppreſſus eſt. Dum igitur *Angli* in ſequendo perſiſtunt, acies principalis *Normannorum* mediam catervam *Anglorum* pertranſiit. Quod videntes qui perſequebantur, per foveam prædictam redire compulſi, ibidem ex magna parte perierunt.

Docuit igitur dux *Willielmus*, ut non in hoſtem directe ſet in aera ſagittas ſagittarii ſurſum mittentes hoſtilem cuneum ſagittis cæcarent; quod *Anglis* magno fuit detrimento. Viginti autem equites ſtrenuiſſimi fidem ſuam invicem dederunt, quod *Anglorum* catervam prorumpentes, ſignum regium quod vocatur **ſtandart** acciperent. Quod dum facerent, plures eorum occiſi ſunt. Pars autem eorum via gladiis facta, **ſtandart** aſportavit.

Interea totus ymber ſagittarum cecidit circa regem *Haroldum*; & ipſe in oculo ictus corruit, crepuſculi tempore. Irrumpens autem multitudo equitum regem interfecit vulneratum; necnon comites *Gyrth* & *Leovine* fratres ejus cum eo, & fere nobiliores totius *Angliæ*. Et *Normannis* à Deo victoria conceditur die ſabbati in feſto ſancti *Kalixti* papæ.

Fredericus abbas xiij. eccleſiæ ſancti *Albani*.

Aldredus Eboracenſis archiepiſcopus, & Comites *Eadwinus*, & *Morkardus* qui ſe certamini ſubtraxere, & Clito *Edgarus* quem in regem poſt *Haroldum* levare voluerunt, necnon *Wlſtanus Wigornenſis*, & *Walterus Herefordenſis*, & de *Lundonia* quique nobiliores cum multis aliis, duci *Willielmo* provincias hoſtiliter devaſtanti aput **Beorcamſtede** occurrerunt, datiſque obſidibus deditionem facientes fidelitatem juravere. Et poſt in die Nativitatis Domini, feria ij. aput *Weſtmonaſterium* conſecratus eſt in regem *Angliæ* dux *Normannorum Willielmus*. An. D 1067.

——tritus cui caſſide crinis
Ad diadema venit. Rutilum cui Cæſaris oſtrum,
Depoſito torace datur. Sceptroque replenda
Mucrone eſt vacuata manus.——

Conſecratus autem eſt ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo, quia *Stigandus Cantuarienſis* archiepiſcopus tanquam ſciſmaticus ab *Alexandro* papa ſuſpenſus erat. Vacabat enim tunc ſedes *Lundonienſis*.

Quod autem rex *Willielmus* regnum adeptus eſt non ſubito eventu, aut incerto caſu, ſed provido Dei judicio contigit. Nam tempore *Edwardi* regis orta eſt gravis diſſenſio inter ipſum regem *Edwardum* & *Godwinum* Comitem *Cantiæ*, patrem ſcilicet *Haroldi*. *Godwinus* tandem cum rege pacificatus dedit regi obſides *Wlnothum* filium ſuum, & *Hacum* filium *Sueni* filii ſui. Quos rex *Edwardus* in *Normanniam* cuſtodiendos *Willielmo* Comiti tranſmiſit. Poſt mortem vero *Godwini*, *Haroldus* petivit à rege quatinus cum licentia ejus transfretaret in *Normanniam*, fratrem ſuum & nepotem datos obſides repetiturus. Cui rex ait, Ad detrimentum tocius *Angliæ* transfretabis. *Haroldus* navem aſcendit, & in *Pontivum* fluvium non proſpero curſu perveniens, à domino illius terræ captivatur, & ad *Willielmum* Comitem *Normannorum* tranſmittitur. Poſt aliquot dies, *Willielmus* Comes ait *Haroldo*. Rex *Anglorum Edwardus* ſororius tuus dum adhuc eſſet juvenis nutritus mecum in *Normannia*, interpoſita fide ſua pollicitus eſt, quod ſi rex *Angliæ* foret, & ſine liberis decederet, in me jus hæreditarium regni transferret. Tu ergo ſi te in hoc amminiculaturum michi ſpoponderis, & caſtellum apud *Douram* cum puteo aquæ ad opus meum feceris, & ſororem tuam uni de principibus meis dederis in uxorem, filiamque meam *Alam* in conjugem te accepturum juraveris, tunc & modo nepotem tuum, & cum in *Angliam* regnaturus venero, fratrem tuum incolumem recipies. Prolatis itaque ſacroſanctis reliquiis juravit *Haroldus*, ſe cuncta quæ *Willielmus* Comes propoſuerat opere completurum. Et ſic *Haroldus* accepto nepote ſuo reverſus in *Angliam*, cum intra paucos dies rex *Edwardus* obiſſet, contempto ſacramento regni diadema ſuſcepit *Haroldus*. Ad quem dux *Normannorum* *Willielmus* cum direxiſſet nuntium, reſpondit. Soror mea quam juxta condictum expetis mortua eſt. Quod ſi corpus ejus quale nunc eſt vult Comes habere, mittam ne judicer ſacramentum violaſſe. Caſtellum *Dofris*, & in eo puteum aquæ licet neſciam cui explevi. Regnum quod necdum fuit meum, quo jure potui dare vel promittere? Si de filia ſua quam debui in uxorem ut aſſerit ducere agit; ſuper regnum *Angliæ* mulierem extraneam inconſultis principibus me nec debere, nec ſine grandi injuria poſſe adducere noverit. Reverſus nuntius reſponſa retulit Domino ſuo. Quibus ille auditis, iterum ei amica familiaritate mandavit, quatenus aliis omiſſis ſervata fidei ſponſione ſaltem filiam ſuam uxorem duceret, alioquin promiſſionem ſucceſſionis regni armis ſibi proculdubio ſciret ſe vendicaturum. At ipſe nec illud quidem ſe facere velle, nec hoc formidare reſpondit.

Fulco Rechin primus *Stephano Bleſenſi* hominagium fecit, & *Philippo* regi *Francorum* *Landonenſe* caſtrum, & totum comitatum de *Gaſtineis* conceſſit. *Fulco* plures duxit uxores; filiam *Lancelini* de *Belgenceio*, ex qua orta eſt Comitiſſa *Britanniæ*. Poſt mortem filiæ *Lancelini*, duxit *Ermengardim* filiam *Erkenbaldi Fortis* de *Borbono*; ex qua genuit *Gaufridum Martellum*. Qua dimiſſa, ex ſorore *Ammalrici* de *Monte forti* Comitis *Ebroicarum*, *Fulco Rechin* genuit *Fulconem*. *Gaufridus Martellus* filius *Fulconis Rechin*, cum patre ſuo rupes *Corbonis* obſedit, & fumo cepit. *Elizabeth* ſororem ſuam ex matre ſua & *Willielmo* Comite *Galviniaci* ortam *Hugoni de Calvo monte* uxorem dedit, & cum ea *Ambaziacum* totum ei conceſſit. Idem *Martellus* cum rege *Angliæ Willielmo Rufo* ſæpe conflixit, multaque municipia in *Normannia* vaſtavit & ſuccendit. Idem inſidiis novercæ ſuæ apud *Candecaſtrum* occiſus adhuc patre ſuo vivente, ſepultus eſt in eccleſia ſancti *Nicholai Andegavis*.

Adveniente quadrageſima rex *Willielmus* *Normanniam* repetiit, ducens *Dorobernenſem* archiepiſcopum *Stigandum*, *Gleſtoniæ* abbatem *Egelnothum*, clitonem *Eadgarum*, Comitem *Eadwinum*; & multos alios de primatibus *Angliæ*; fratremque ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum, & *Willielmum* filium *Osberni* quem *Herefordiæ* Comitem conſtituerat, *Angliæ* cuſtodes relinquens, caſtella per loca firmari præcepit.

An. Dñi 1067. Abbatia de *Bello* conſtruitur à rege *Willielmo*. Imminente hieme rex *Willielmus* de *Normannia* *Angliam* rediit, & *Anglis* importabile tributum impoſuit. Deinde in *Devoniam* hoſtiliter profectus civitatem *Execeſtriam* ſibi rebellem obſedit & infregit.

An. Dñi 1068. *Romæ* duobus de papatu contendentibus *Alexander* cum ſuam purgaſſet innocentiam de ſymonia recipitur, *Cadalus Parmenſis* epiſcopus reprobatur: unde dictum eſt,

Cadalus *in* Parma Parmæ *fuit arcus & arma*;
Cadalus *occubuit*; Parma *ruina fuit*.

Matildis uxor regis *Willielmi* conſecratur in reginam *Anglorum* die Pentecoſtes ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo.

Malcholfus rex accepit *Margharetam*. ſororem *Edgari*.

1069. Principes *Northanhymbrorum* *Willielmi* regis ferocitatem timentes, clytone *Eadgaro* ſecum aſſumpto, *Scotiam* adierunt. Invitaverunt *Danos*, cum ducentis xl. navibus *Angliam* infeſtarunt. Quod audiens *Aldredus Eboracenſis* archiepiſcopus, præ dolore diem clauſit extremum.

Hinc *Normannis*, hinc *Northanhymbris*, hinc *Danis* *Angliam* incurſantibus, in *Anglia* fames prævaluit.

Marianus à *Scotia* in *Gallias* veniens, *Coloniæ* factus monachus, primo apud *Fuldam*, poſt apud *Maguntiam* incluſus, hucuſque cronica ſua digeſſit.

1070. Rex *Willielmus* monaſteria totius *Angliæ* perſcrutari, & pecuniam quam ditiores *Angli* in eis depoſuerant auferri, & in ærarium ſuum juſſit deferri.

Concilium magnum in octavis Paſchæ *Wintoniæ* celebratum eſt, jubente & præſente rege *Willielmo*, *Alexandro* papa conſentiente, & per ſuos legatos *Hearmenfredum Sedunenſem* epiſcopum, & preſbyteros cardinales *Johannem* & *Petrum* ſuam auctoritatem exhibente. Ubi *Stigandus Dorobernenſis* archiepiſcopus degradatur tribus ex cauſis; quia epiſcopatum *Wintoniæ* cum archiepiſcopatu injuſte poſſidebat, & quia vivente archiepiſcopo *Roberto*, non ſolum archiepiſcopatum ſumpſit, ſet etiam ejus pallio quod *Cantuariæ* remanſit, dum injuſte pulſus eſt ab *Anglia*, in miſſarum celebratione uſus eſt, & poſt à *Benedicto* quem *Romana* eccleſia excommunicavit, eo quod pecuniis ſedem apoſtolicam invaſit, pallium ſuſcepit. Nonnullos tam epiſcopos quam abbates quos nulla evidenti cauſa nec concilia, nec leges ſeculi damnabant, honoribus ſuis rex *Willielmus* privavit, & uſque ad finem vitæ cuſtodiæ mancipatos detinuit. In hoc Concilio *Wlſtanus Wigornenſis* epiſcopus, poſſeſſiones quamplures ſui epiſcopatus ab *Aldredo* archiepiſcopo dum à *Wigornenſi* eccleſia ad *Eboracum* transferretur, ſua potentia retentas, quæ tunc eo defuncto

Willielmus I. rex. devenerant in regiam poteſtatem viriliter proclamabat juſticiamque inde fieri flagitabat. Set judicatum eſt, ut ipſa querela ſic remaneret quouſque in *Eboracenſi* eccleſia conſtitueretur archiepiſcopus qui pro ea loqueretur. Die autem Pentecoſtes rex aput *Windeſoram* venerando *Baiocenſi* canonico *Thoma Eboracenſem* archiepiſcopatum, & *Walchelino* ſuo capellano *Wintonienſis* eccleſiæ dedit præſulatum, & *Stigando* capellano ſuo epiſcopatum *Suthſaxonum*, qui mutavit ſedem in *Ciceſtriam*.

An. Dñi 1071. Poſt hæc, accito de *Normannia Lanfranco Cadomenſi* abbate, genere *Longobardo*, viro undecumque doctiſſimo, omnium liberalium artium, divinarumque ſimul ac ſecularium litterarum ſcientia peritiſſimo, conſiliis quoque ac gubernatione rerum mundialium æque prudentiſſimo, die Aſſumptionis ſanctæ *Maria* archiepiſcopum conſtituit *Cantuarienſem*; & in feſtivitate ſancti *Johannis Baptiſta*, die Dominica conſecrari fecit *Cantuaria*. Conſecratus eſt autem à *Giſone Wellenſi*, & *Waltero Herefordenſi*, qui ambo *Roma* à *Nicholao* papa ordinati ſunt, quando *Aldredus Eboracenſis* archiepiſcopus pallium ſuſcepit. Vitabant enim à *Stigando* qui tunc archiepiſcopatui *Dorobernenſi* præſidebat ordinari, quia eum noverant non canonice pallium ſuſcepiſſe. *Hermannus* etiam epiſcopus, qui jam præſulatus ſedem à *Sciréburna* tranſtulerat *Sareſburiam*, cum quibuſdam aliis ejus interfuit conſecrationi. Deinde *Lanfrancus Thomam Eboracenſem* conſecravit epiſcopum. Quo conſecrato, reverendi *Wlſtani Wigornenſis* epiſcopi mota eſt iterum querela; & in Concilio in loco qui vocatur *Pedreda* celebrato coram rege & *Dorobernia* archiepiſcopo, & primatibus totius *Anglia*, Dei gratia amminiculante eſt terminata. Cunctis ſiquidem machinamentis non veritate ſtipatis, quibus *Thomas* ejuſque fautores *Wigornenſem* eccleſiam deprimere, & *Eboracenſi* eccleſiæ ſubicere, ancillamque facere modis omnibus ſatagebant, juſto Dei judicio attritis, ac ſcriptis evidentiſſimis penitus adnichilatis, non ſolum vir Dei *Wlſtanus* proclamatas, & expetitas poſſeſſiones recepit, ſed & ſuam eccleſiam Deo adjuvante, & rege concedente, ea libertate liberam ſuſcepit, qua fundatores ejus rex *Aluredus*, *Edwardus* ſenior, *Athelſtanus*, *Edmundus*, *Eadredus*, & *Eadgarus* ipſam liberaverant.

Lanfrancus Herewardum Landavia epiſcopum *Cantuaria* conſecravit.

Lanfrancus pro pallio *Romam* iens, *Thomam* archiepiſcopum *Eboracenſem*, quem ipſe facta ſibi de ſubjectione ſua canonica profeſſione *Cantuaria* conſecraverat, & *Remigium Lincolnienſem* epiſcopum comites itineris habuit. Qui *Romam* perveniens *Alexandro* papæ præſentatur. Cui papa ad ſe intranti aſſurgens, eum ut greſſum figeret dulciter hortatus eſt. Ac deinde ſubdens, Honorem, inquit, exhibuimus tibi, non quem archiepiſcopatui tuo, ſed quem magiſtro, cujus ſtudio ſumus in illis quæ ſcimus imbuti, debuimus. Hinc quod ad te pertinet ob reverentiam beati *Petri* te exequi par eſt. Reſidente ergo illo, *Lanfrancus* progreſſus humiliat ſe ad pedes ejus, ſed mox ab eo ad oſculum erigitur. Sequenti luce calumniatus eſt coram papa memoratus *Thomas*, cum præfato *Remigio*, quod neuter illorum jure fuerit promotus ad pontificatum. Prior quia ſacri canones filios preſbiterorum quos religionis ordo non ornat, à ſacrorum ordinum promotione removeant. Alter vero, pro eo quod facta conventione illud à *Willielmo* poſt rege facto emerit officium, videlicet quod ei in excidium *Anglia* properanti multifariâ intentione ac multiplicibus impenſis deſervierat. At illis quâ ſe excuſarent probabilem cauſam non habentibus, redditis baculis & anulis cum cura pontificali, ad petendam miſericordiam reverſi ſunt. Quorum precibus ſeſe *Lanfrancus* medium iniciens, eos multarum rerum ſcientia fultos novo regi novis in regni diſpoſitionibus perneceſſarios oſtendit. Quibus auditis, converſus ad eum papa, Tu videris, inquit: pater es patriæ illius, ac per hoc induſtria tua conſideret quid expediat. Virgæ paſtorales quas reddiderunt ecce hic ſunt, accipe illas atque diſpenſa prout utilius Chriſtianitati regionis illius agnoſcere poteris. At ille ſuſceptis illis, ilico in præſentia domini papæ, reveſtivit præfatos viros quemque ſua. Deinde in *Angliam* cum ſociis reverſus, primas totius regni confirmatus eſt. Cujus tempore per totam terram religio quamplurimum aucta eſt in novis monaſteriorum ædificiis. Quorum ſtructoribus ipſe primum exemplum præbens eccleſiam *Chriſti Cantuarienſem*, cum omnibus officiis quæ infra murum ipſius curiæ ſunt, cum ipſo muro ædificavit.

Robertus Fricenſis Flandriam cepit.

An. Dñi 1072. Rex *Willielmus* audito quod Comites *Morgarius*, & *Siwardus Barn*, & *Egelvinus Dunholmenſis* epiſcopus latenter in *Helyenſem* inſulam confugerant, in orientali inſulæ plaga omnem illis exitum obſtruxit, & pontem duum miliariorum in occidentali fieri juſſit, & omnes excepto *Herewardo* viro ſtrenuiſſimo qui cum paucis per paludes evaſit, ſibi dedicionem facere coegit.

Generale Concilium regni Anglorum *de jure & primatu* Dorobernenſis *eccleſia ſuper* Eboracenſem.

ANno ab incarnatione Domini noſtri *Jheſu Chriſti* M. lxxij. pontificatus autem Domini *Alexandri* papæ xj. regni vero *Willielmi* glorioſi regis *Anglorum*, & ducis *Normannorum* vj. ex præcepto ejuſdem *Alexandri* papæ annuente eodem rege, in præſentia ipſius, & epiſcoporum atque abbatum ventilata eſt cauſa de primatu quem *Lanfrancus Dorobernenſis* archiepiſcopus ſuper *Eboracenſem* eccleſiam jure ſuæ eccleſiæ proclamabat, & de ordinationibus quorundam epiſcoporum, de quibus ad quem ſpecialiter pertinerent certum minime conſtabat. Et tandem aliquando diverſis diverſarum ſcripturarum auctoritatibus probatum, atque oſtenſum eſt, quod *Eboracenſis* eccleſia *Cantuarienſi* debeat ſubjacere, ejuſque archiepiſcopi ut primatis totius *Britannia* diſpoſitionibus in hiis quæ ad Chriſtianam religionem pertinent in omnibus obedire. Subjectionem vero *Dunelmenſis*, hoc eſt, *Lindisfarnenſis* epiſcopi, atque omnium regionum à terminis *Licifeldenſis* epiſcopii, & *Humbra* magni fluvii, uſque ad extremos *Scotia* fines, & quicquid ex hac parte prædicti fluminis, ad parochiam *Eboracenſis* eccleſiæ jure competit, *Cantuarienſis* metropolitanus *Eboracenſi* archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus inperpetuum optinere conceſſit. Ita ut ſi *Cantuarienſis* archiepiſcopus Concilium um voluerit congregare, ubicunque viſum ei fuerit, *Eboracenſis* archiepiſcopus ſui præſentiam cum omnibus ſibi ſubjectis ad nutum ejus exhibeat, & ejus canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quod autem *Eboracenſis* archiepiſcopus profeſſionem *Cantuarienſi* archiepiſcopo facere eciam cum ſacramento debeat, *Lanfrancus Dorobernenſis* archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum conſuetudine oſtendit, ſed ob amorem regis *Thomæ Eboracenſi* archiepiſcopo ſacramentum relaxavit, ſcriptamque tantum profeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus *Thomæ* exigere voluerint. Si archiepiſcopus *Cantuarienſis* vitam finierit, *Eboracenſis* archiepiſcopus *Doroberniam* veniet, & eum qui electus fuerit cum cæteris præfatæ eccleſiæ epiſcopis ut primatem proprium jure conſecrabit. Quod ſi archiepiſcopus *Eboracenſis* obierit, is qui ei ſucceſſurus eligitur, accepto à rege archiepiſcopatus dono *Cantuariam* vel ubi *Cantuarienſi* archiepiſcopo placuerit accedet, & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet. Huic conſtitutioni conſenſerunt præfatus rex, & archiepiſcopus *Lanfrancus Cantuarienſis*, & *Thomas Eboracenſis*, & *Hubertus* ſanctæ *Romana* eccleſiæ ſubdiaconus, & præfati *Alexandri* papæ legatus, & cæteri qui interfuerunt epiſcopi & abbates. Ventilata eſt autem hæc cauſa prius aput *Wentanam* civitatem in Paſchali ſollempnitate in capella regia quæ ſita eſt in caſtello: poſtea in villa regia quæ vocatur Windleſore; ubi & finem accepit in præſentia regis, epiſcoporum, abbatum diverſorum ordinum qui congregati erant aput curiam in feſtivitate Pentecoſtes.

Quintus *Baldewinus Flandrenſium* inſulanum Comes pater *Matildis* uxoris regis *Anglorum Willielmi* habuit duos filios, *Baldewinum* & *Robertum*. Quorum uterque uxorem accepit vivente patre eorum. Nam *Baldewinus* primogenitus habuit uxorem Comitiſſam *Hamaucenſem*, ex qua genuit duos filios, *Ernulfum* & *Baldewinum*. *Robertus* autem accepit conjugem relictam *Florentii* Comitis *Friſiæ*, quæ unicam ex *Florentio* habebat filiam. Quam *Robertus* longe facere volens à paterna hæreditate dedit eam *Philippo* regi *Francorum*, & ita comitatus *Friſiæ* remanſit ei cum matre puellæ, unde cognominatus eſt *Friſio*. Deceſſit autem ante mortem patris ſui *Baldewini Baldewinus* Comes *Hamaucenſis*, & ſucceſſit *Ernulfus* filius ejus primogenitus. Tandem hoc anno mortuo Quinto *Baldewino* Comite *Flandriæ* cum *Ernulfus* Comes *Hamaucenſis* deberet ei ſuccedere, utpote nepos ex primogenito ejus filio, & ad hoc eciam niteretur *Philippus* rex *Francorum* veniens in auxilium ejus, & *Matildis* regina *Anglorum* mittens ei *Willielmum* filium *Osberni* cum armata militum manu, cujus filia nupſit *Cnutoni* regi *Danorum*, de qua *Cnuto* genuit *Karolum* poſtea *Flandrenſium* Comitem: *Robertus Friſio* adjuncto exercitu *Henrici Romanorum* & *Alemannorum* imperatoris improviſo ſuper eos irruens, fugato *Philippo* rege *Francorum*, *Ernulfum* nepotem ſuum, & *Willielmum Osberni* Comitem *Herefordiæ* peremit die Dominico ſeptuageſimæ: & hac de cauſa *Flandriam* uſque ad ſuum obitum poſſedit.

Poſt Aſſumptionem ſanctæ *Mariæ*, rex *Anglorum Willielmus Scotiam* profectus eſt ut eam ſubjugaret. Cui rex *Scottorum Malcolmus* in loco qui dicitur *Abernitici* occurrit, & hominium ſibi fecit.

An. Dñi 1073. Rex *Anglorum Willielmus* civitatem quæ dicitur *Cenomannis*, & provinciam illam maxime *Anglorum* adjutorio ſibi ſubjugavit.

1074. *Gregorius* papa vij.

Hic cum eſſet *Romanus* archidiaconus, vocatus *Hiltibrandus*, creatus eſt Apoſtolicus.

Gregorius papa celebrata ſynodo ſymoniacos anathematizavit, uxoratos ſacerdotes à divino removit officio, & laicis miſſam eorum audire interdixit; novo exemplo, & ut multis viſum eſt inconſiderato præjudicio contra ſanctorum patrum ſententiam, qui ſcripſerunt quod ſacramenta quæ in eccleſia fiunt, baptiſmus, criſma, corpus & ſanguis Chriſti, Spiritu ſancto latenter operante eorundem ſacramentorum effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos, intra Dei eccleſiam diſpenſentur; tamen quia Spiritus ſanctus miſtice illa vivificat, nec bonorum meritis amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Ex qua re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia graviori ſciſmate diſciſſa ſit, his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus. Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo cauſa quæſtus ac jactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam perjurio, aut multipliciori adulterio cumulantibus; ad hæc; hac oportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus: laici ſacra miſteria temerant, & de his diſputant; infantes baptiſant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & criſmate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum eccleſiæ obſequium ſepulturæ, à presbiteris conjugatis accipere parvi pendunt, decimas presbiteris deputatas igni cremant; & ut in uno cætera perpendas, laici corpus Domini à presbiteris conjugatis conſecratum ſæpe pedibus conculcaverunt, & ſanguinem Domini voluntarie effuderunt.

Herefordenſis Comes *Rogerus*, filius *Willielmi*, *Eaſtanglorum* Comiti *Radulfo* contra præceptum regis *Willielmi* ſororem ſuam conjugem tradidit, nuptiaſque cum plurima multitudine optimatum in *Grantebregenſi* provincia, in loco qui dicitur *Ixninga* celebrantes, magnam conjurationem plurimis aſſentientibus contra regem *VVillielmum* ibi fecerunt, Comitemque *VValteofum* ſuis inſidiis præventum ſecum conjurare compulerunt. Qui mox ut potuit *Lanfrancum Dorobernenſem* archiepiſcopum adiit, pœnitentiamque ab eo pro facto licet non ſponte ſacramento accepit, ejuſque conſilio regem *VVillielmum* in *Normannia* petiit, eique rem ex ordine geſtam pandens, illius miſericordiæ ultro ſe dedit. *Herefordenſi* vero Comiti ne trans *Sabrinam Radulfo* occurreret, reſtitit *Wlſtanus VVigornenſis* epiſcopus, & *Egelwinus Eoveſhamenſis* abbas cum *Urſone* Vicecomite *VVigorniæ*, & *Waltero* de *Laceio*. *Odo* vero *Baiocenſis* epiſcopus frater regis, & *Gaufridus Conſtantienſis* epiſcopus, cum exercitu ad minorem *Britanniam Radulfum* fugere compulerunt. Rex autem *Willielmus* de *Normannia* reverſus, eorum qui in illum conjuraverant quoſdam exlegavit, quoſdam erutis oculis vel manibus truncatis deturpavit.

1075. Comites vero *Walteofum* & *Rogerum* ſententia judiciali dampnatos arciori cuſtodiæ mancipavit.

Willielmus I. rex. Set *Walteofum* extra civitatem *Wintoniam* ductum indigne rex decapitari, & in eodem loco terra juſſit obrui. Set proceſſu temporis corpus ejus de terra levatur, & magno cum honore **Crulant** ſepeliendum deportatur. Poſt hæc rex *Willielmus* in minorem *Britanniam* tranſiens caſtellum *Radulfi* Comitis quod *Dol* dicitur, tam diu obſedit donec

An. Dñi *Francorum* rex *Philippus* illum inde fugaret.

1076. *Radulfus* Comes exivit de *Anglia*.

1077. *Robertus Willielmi* regis primogenitus eo quod *Normanniam* quam ſibi ante adventum ipſius in *Angliam* coram *Philippo* rege *Francorum* dederat, poſſidere non licebat, *Franciam* adiit, & auxilio *Philippi* regis in *Normannia* magnam frequenter prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, & patri ſuo non parvam moleſtiam & anxietatem inferebat.

Paulus abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xiiij.

Gelu magnum & glacies validiſſima à kal. Novembris uſque in medio Aprilis.

1078. Eccleſia *Becci* x. kal. Decembris in honore ſanctæ *Mariæ* dedicata eſt ab archiepiſcopo *Cantuariæ Lanfranco*; cujus operis ipſe poſt abbatem *Herlewinum* primum lapidem poſuit.

1079. Rex *Willielmus* filio ſuo *Roberto* ante caſtellum *Gerberrei* quod rex *Philippus* præſtiterat, dum pugnam intulit, ab ipſo vulneratus in brachio à ſuo dejectus eſt emiſſario: ſet mox ut illum per vocem cognovit, feſtinus deſcendit; ac illum ſuum caballum aſcendere juſſit, & ſic abire permiſit. Ille autem multis ſuorum occiſis, nonnullis captis, ac filio ſuo *Willielmo* cum multis vulnerato, fugam iniit. Maledixit igitur rex *Roberto* filio ſuo; quam maledictionem antequam moreretur evidenter perpeſſus eſt.

1080. Rex *Willielmus* duxit exercitum ſuum in *VValliam*, & eam ſibi ſubdidit. *Odonem* epiſcopum fra-
1081. trem ſuum in carcerem poſuit poſtea.

1082. Multis homicidiis inter *Henricum* regem & *Hiltibrandum* papam peractis in nocte palmarum multi ſunt occiſi.

1083. *Henricus* urbem *Romæ* infregit & cepit, & *VVibertum* in ſede apoſtolica inſtituit.

Hiltibrandus vero *Beneventum* adiit, ubi uſque ab obitum ſuum deguit.

Obiit *Matildis* regina filia *Baldewini* Comitis *Flandrenſis*, uxor *VVillielmi* regis *Angliæ*.

1084. 1085. 1086.

1087. Rex *VVillielmus* curiam ſuam in nativitate Domini tenens *Glavornæ*, tribus ſuis capellanis, *Mauricio* ſcilicet *Lundonienſem*, *VVillielmo Theodfordenſem*, *Roberto Ceſtrenſem* dedit præſulatum.

Idem rex *VVillielmus* miſit juſticiarios ſuos per unamquamque ſcyram, id eſt, provinciam *Angliæ*, & inquirere fecit per jusjurandum quot hydæ, id eſt, jugera uni aratro ſufficientia per annum eſſent in unaquaque villa, & quot animalia. Fecit etiam inquiri quid unaquæque urbs, caſtellum, vicus, villa, flumen, palus, ſilva redderet per annum. Hæc autem omnia in cartis ſcripta delata ſunt ad regem, & inter theſauros repoſita uſque hodie ſervantur.

In ebdomada Pentecoſtes ſuum filium *Henricum* aput *Weſtmonaſterium* armis militaribus Rex *Willielmus* honoravit. Nec multo poſt, convocatis tam clero quam Baronibus aput *Sereasberie* omnes ſibi fidelitatem contra omnes homines jurare à rege coacti ſunt.

Deſiderius, qui & *Victor*, papa contra *Clementem* eſt factus.

Tranſlatio ſancti *Nicholai* archipræſulis à *Myrrea* metropoli *Græcorum* ad *Barum* civitatem *Apuliæ*.

Willelmus *rex obiit, ſucceſſerunt filii* Willelmus *in* Angliam, Robertus *in* Normanniam.

An. Dñi 1088. Rex *Willelmus* regnum *Franciæ* devaſtans caſtrum nobile quod vocatur *Maante* combuſſit, & eccleſias quæ ibi erant, plebemque multam, & duos anachoritas ſanctos igni tradidit: ſed in ipſo reditu dirus viſcerum dolor illum apprehendit. Cum autem diem ſibi mortis imminere ſenſiſſet, fratrem ſuum *Odonem*, & omnes quos in *Anglia* vel *Normannia* cuſtodiæ mancipaverat laxavit. *VVillelmus* omnibus conſulibus *Normanniæ* fortior fuit, omnibus *Anglorum* regibus potentior, omnibus prædeceſſoribus ſuis laude dignior. Erat autem ſapiens ſed aſtutus, locuples ſed cupidus, glorioſus ſed famæ deditus, ad caſtella ſolus omnes fatigabat conſtruenda. Si cervum aut aprum quis caperet oculos ei eruebat, amabat enim feras tanquam pater eſſet ferarum. Huic *Normannia* hæreditarie provenerat, *Cenomanniam* armis adquiſierat, *Britanniam* ſibi acclivem fecerat, Super *Angliam* ſolus regnaverat, *Scotiam* ſibi ſubjugaverat, *VValliamque* reverendus in ſuam acceperat. Terris vicinis terrori inerat. Pacis autem tantus auctor fuerat, quod puella auro onuſta regnum *Angliæ* pertranſire poſſet impune. *VVillelmus* hic mirabilis terram ſuam ſic diviſit, *Roberto* primogenito ſuo *Normanniam*. *Willelmo* ſecundo filio ſuo *Angliæ* monarchiam. *Henrico* theſauri copiam. Pro quo cum *Robertus* partem ei *Normanniæ* vendidiſſet, theſauro habito, quod ei vendidit iterum abſtulit. Rex igitur *Willelmus* poſtquam xx. annis, menſibus x. & xxviij. diebus, genti *Anglorum* præfuit, v. idus Septembris die *Jovis* regnum cum vita reliquit, & *Cadomi* in eccleſia ſancti *Stephani* quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, ſepultus requieſcit. Uxor vero ſua *Matildis* abbatiam ſanctimonialium ibidem conſtruxit, ubi & ipſa requieſcit.

WIllelmus filius regis *Willelmi Angliam* feſtinato adiit, ducens ſecum *Wlnothum* & *Morkarum* quos pater ſuus laxavit. Set mox ut *Wintoniam* venit, eos cuſtodiæ mancipavit.

Sexto kal. Octobris, die Dominico, in *Weſtmonaſterio* à *Lanfranco Doroberniæ* archiepiſcopo jam dictus *Willelmus* conſecratus eſt in regem.

Deinde *Wintoniam* rediens, theſauros patris ſui, ut ipſe juſſerat, per *Angliam* diviſit eccleſiis in civitatibus, vel villis, per ſingulas denarios xl. dedit, cruces, textos, ſcrinia, ac varia ornamenta gemmis & auro redimita per eccleſias digniores, & monaſteria dividi juſſit. Ejuſque germanus *Robertus* in *Normanniam* reverſus, theſauros quos invenerat, pro anima patris ſui largiter diviſit, & *Ulfum Haroldi* quondam regis filium à cuſtodia laxavit, & armis militaribus honoratum abire permiſit.

Hoc anno inter primates *Angliæ* magna eſt orta diſcordia. Pars enim nobiliorum *Normannorum* favebat regi *Willelmo*, ſed minima. Pars vero altera

tera *Roberto* Comiti, ſet maxima, cupiens hunc ſibi aſciſcere in regnum, fratrem vero aut fratri tradere vivum, aut regno privare peremptum. Hujus execrandæ rei principes extiterunt *Odo* epiſcopus *Baiocenſis*, qui tunc erat Comes *Cantuarienſis*, *Robertus* etiam frater ejus. Intererat etiam prædicto conſilio cum *Roberto* nepote ſuo Comite *Northymbriæ Gaufridus* epiſcopus *Conſtantienſis*, *VVillelmus* epiſcopus *Dunholmenſis*. Epiſcopus igitur *Baiocenſis* munita *Roveceſtria* miſit *Normanniam*, exhortans Comitem *Robertum* venire in *Angliam*, nuncians ei regnum paratum & coronam. Miſſi itaque viri auxiliarii à Comite *Roberto* in *Angliam*, ab *Odone Roveceſtram* receperunt cuſtodiendam. Quorum primates erant *Euſtachius* junior Comes *Boloniæ*, & *Robertus de Beleſmo*. Quo audito, rex *VVillelmus* vocat quos ſibi credit fidos, vadit *Lundoniam*, belli tractaturus negotia. Congregato igitur quantum poterat *Normannorum*, ſet maxime *Anglorum* pedeſtri & equeſtri licet mediocri exercitu, tendere diſpoſuit *Roveceſtriam*, ſet *Tunibrigiam* cui præerat *Gilebertus* filius *Ricardi* contrariam ſibi invenit. Qua in biduo expugnata, *Gilebertum* vulneratum ad deditionem coegit. Audito Regis adventu *Roveceſtriam*, adiit *Odo* caſtrum fratris ſui *Roberti Moritunenſis* Comitis, ſcilicet *Peveneſa* Inito itaq; ſalubri conſilio rex patruum ſuum euſque perſequitur, & obſeſſo ibidem utroque patruo, propter locum munitiſſimum ad expugnationem indies laborat. Interim circumquaque per *Angliam* tempeſtas ſævit bellica. *Rogerus* in caſtello ſuo *Arundel* Comitis *Roberti* operiebatur adventum. *Gaufridus* epiſcopus *Conſtantienſis* in caſtello ſuo *Briſtoa*, cum nepote ſuo *Roberto de Mubraio*, qui *Batoniam* & ejus provinciam igne ſuccendit; deinde procedens *Tvelceſtriam* obſedit, ſed repulſus inde abſceſſit. *VVillelmus de Owe Glavornam*, *Robertus* filius *Baldewini de Exaceſtra Devoniam*, *Hugo de Grente Maiſnilo Legerceſtriæ* provinciam, *Rogerus Bigotus Eſtangliam* deprædati ſunt. *Bernardus de Novo Mercato*, *Rogerus de Laceio*, *Radulfus de Mortuo Mari VVigorniam* invadunt. Sed pater reverendus *Wlſtanus* jam quodam modo alter *Moyſes* parat ſe, viriliter ſtaturus pro populo & civitate ſua, pro imminente periculo fundens precamina, exhortans ſubditos ne deſperent de Deo qui non pugnat gladio neque haſta. *Normanni* interim rogant epiſcopum *Wlſtanum*, ut ab eccleſia ad eos tranſiret in caſtellum. Ipſe vero pro regis fidelitate petitioni eorum adquievit. Caſtellani igitur & cives licentia epiſcopi hoſtibus trans *Sabrinam* occurrunt. Quibus inquit, Ite filii, ite in pace, ite ſecuri cum Dei & noſtra benedictione. Confidens ego in Domino ſpondeo, vobis non hodie nocebit gladius. Alacres ergo omnes unanimiter hoſtibus occurrunt. Hoſtes vero cantumaciter epiſcopi ſpernentes mandata, in terram ipſius poſuerunt incendia, unde gravi eos epiſcopus à circumſtantibus coactus percuſſit anathemate. Res miranda, & Dei virtus, & viri bonitas. Nam ſtatim hoſtes tanta membrorum percutiuntur debilitate, tanta oculorum attenuantur cæcitate, ut vix arma ferre valerent, nec ſocios nec hoſtes agnoſcere. Cæduntur pedites, capiuntur milites. Cæteris fuga elapſis, regis fideles ſine ulla diminutione ſuorum remeant ad propria, gratias Deo & epiſcopo referentes.

Dñi 9

Lanfrancus inter alia bona ſua viginti quinque maneria eccleſiæ *Cantuarienſi* reſtituit. Eccleſiam *Roffenſem* ipſe inſtauravit, & in ea epiſcopum ordinavit *Beccenſem* monachum nomine *Hernoſtum*; in cujus conſecratione inventus eſt evangelii verſus, *Cito proferte ſtolam primam*, & cætera. Quod cum audiſſet *Lanfrancus* prædixit eum cito moriturum, & ſic contigit nondum anno completo. Abbatiam quoque ſancti *Albani* reſtituit in primum ſtatum, in qua poſuit Abbatem *Paulum*, qui ibi ordinem *Becci* inſtituit ſicut uſque hodie eſt.

An. Dñi 1090. *Willelmus* rex *Anglorum* regni ſui ulciſci paratus injurias quas frater ſuus *Robertus* ingeſſerat, muneribus datis adquiſivit ſibi caſtellum ſancti *Walerici*, & *Albamarle*, & *Ou*, & *Fiſcannum*. Suorum autem infidelitate cognita, Comes *Robertus* regem *Francorum Philippum* in *Normanniam* venire fecit, ſet à *Willelmo* Rege non modica pecuniæ data quantitate in *Franciam* remeavit.

Tvo Carnotenſis epiſcopus regularum exceptiones eccleſiaſticarum in unum corpus adunavit huc uſque.

1091. *Johannes Wellenſis* epiſcopus natione *Turonicus*, ſedem præſulatus tranſtulit *Batoniam*, regis conſenſu.

Rex *Anglorum Willelmus* cum fratre ſuo *Roberto* concordiam fecit. Eo tamen pacto ut caſtra illa quæ frater ab eo adquiſierat regi remanerent. Hoc etiam inter ſe ſtatuerunt, Si alter ſine hærede moreretur, ſuperſtiti remaneret defuncti hæreditas. Poſt hæc ſimul venerunt in *Angliam*. Deinde in *Scotiam* contra *Malcolmum* regem, qui hoſtiliter *Norhimbriam* invaſerat, profecti ſunt; ſed tandem in provincia *Loidis* pacificantur ea conditione, ut *Willelmo* regi ſicut patri ſuo olim *Malcolmus* obediret, & *Malcolmo* xij. villas quas in *Anglia* ſub patre ſuo habuerat *Willelmus* redderet, & xij. marcas auri ſingulis annis daret.

Erant duo ſicut ferebatur qui dicebantur *Romani* pontifices, à ſe invicem diſcordantes, & eccleſiam Dei inter ſe diviſam trahentes; *Urbanus* ſcilicet, qui primum vocatus *Odo*, fuerat epiſcopus *Oſtienſis*, & *Clemens* qui *Wibertus*, archiepiſcopus *Ravennenſis*. Quæ res per plures annos eccleſiam *Angliæ* in tantum occupavit, ut ex quo *Gregorius* qui & *Hiltibrandus* defunctus fuit, nulli loco papæ uſque ad hoc tempus ſubdi, vel obedire voluerit.

1092. Antiſtes *Remigius*, qui licentia regis *VVillelmi* ſenioris epiſcopalem ſedem de *Dorcaceſtra* mutaverat *Lindicolniæ*, conſtructam in ea eccleſiam pontificali cathedra dignam dedicare volebat. Set *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus illi contradicendo reſiſtebat, affirmans eam in ſua parochia eſſe conſtructam. At rex *VVillelmus* junior fere totius *Angliæ* epiſcopis mandavit, ut in unum convenientes vi. idus Maii eccleſiam dedicarent. Sed biduo ante diem ſtatutum epiſcopus *Remigius* migravit à ſeculo, & eccleſiæ per hoc remanſit dedicatio. His actis, rex in *Norhimbriam* profectus civitatem *Carleol* reſtauravit, quæ à *Danis* paganis ante CC. annos diruta uſque ad id tempus manſit deſerta.

1093. Rex *Willelmus* in regia villa quæ vocatur *Alweſtan* vehementi percuſſus infirmitate civitatem *Glavornam* feſtinanter adiit, ibique per totam quadrageſimam languoſus jacuit. Qui cum ſe putaret cito moriturum, ut ei ſui Barones ſuggeſſerunt, vitam ſuam corrigere, eccleſias non amplius vendere, nec ad cenſum ponere, ſet illas regia tueri poteſtate, rectas leges ſtatuere Deo promiſit. Suadetur ei ut de matre totius regni, eccleſia ſcilicet *Cantuarienſi* cogitet, & eam à priſtina viduitate & calamitate per inſtitutionem pontificis relevet. Unde *Anſelmo Beccenſi* Abbati, qui quarto anno oppreſſionis *Anglicana* eccleſiæ invitatus, immo diſtricta interpellatione ab *Hugone Ceſtrenſi* Comite, multiſque aliis *Anglorum* principibus, qui eum animarum ſuarum advocatum elegerant, inſuper etiam pro communi utilitate coactus, *Angliam* ingreſſus eſt, *Dorobornenſem* archiepiſcopatum conceſſit, & Cancellario ſuo *Roberto Bloet Lindicolnenſem* dedit præſulatum.

Acta ſunt hæc anno præſenti ij. non. Martii prima dominica Quadrageſimæ. Præcepit itaque rex ut inveſtiretur *Anſelmus* omnibus ad archiepiſcopatum pertinentibus, atque ut civitas *Cantuaria* quam *Lanfrancus* ſuo tempore in beneficio à rege tenebat, & abbatia *ſancti Albani* quam non ſolum *Lanfrancus*, ſet & anteceſſores ejus habuiſſe noſcuntur, in alodiũ eccleſiæ *Chriſti Cantuarienſis* pro redemptione animæ ſuæ perpetuo jure tranſirent.

Obiit *Paulus* Abbas, & reſtaurator eccleſiæ ſancti *Albani*.

Convenientibus ferme totius *Anglia* epiſcopis, quibus intererat *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus, *Anſelmum* pridie Non. Decembris conſecraverunt antiſtitem. Verum cum ante ordinandi pontificis examinationem, *Walchelinus Wentanus* epiſcopus rogatu *Mauricii Londonienſis* epiſcopi cujus hoc officium eſt, eccleſiaſtico more electionem ſcriptam legeret, mox in primo verſu *Thomas Eboracenſis* graviter offenſus, eam non jure factam conqueſtus eſt. Nam cum diceretur, » Fratres & coepiſcopi mei, veſtræ fraternitati eſt cognitum quantum » temporis eſt ex quo accidentibus variis eventibus, » hæc *Dorobernenſis* eccleſia totius *Britannia* metropolitana ſit viduata paſtore: ſubintulit dicens. » Si » totius *Britannia* metropolitana; eccleſia *Eboracenſis* » quæ metropolitana eſſe ſcitur, metropolitana non » eſt. Et quidem eccleſiam *Cantuarienſem* primatem » totius *Britannia* eſſe ſcimus, non metropolitanam. Quod auditum ratione ſubnixũ eſſe intellectum eſt. Tunc mutata ſcriptura, pro totius *Britannia* metropolitana, totius *Britannia* primas ſcriptum eſt, & omnis controverſia conquievit. Itaque ſacravit illum ut primatem totius *Britannia*. Cum igitur inter ſacrandum pro ritu eccleſiæ textus evangelii ſuper eum ab epiſcopis apertus tentus, & peracta conſecratione fuiſſet inſpectus, hæc in ſummitate paginæ ſententia reperta eſt. *Vocavit multos, & miſit ſervum ſuum, & cœperunt omnes excuſare.*

Hic ſuſcepit Herbertus pontificatum eccleſia Norh.

An. Dñi 1094. H*Erbertus* qui cognominatur, *Loſenga* ex abbate *Rameſia* empto præſulatu, *Teodfenſis* eccleſiæ factus eſt epiſcopus. Verumptamen erroneum impetum abolevit pœnitentia; *Romam* namque profectus ſymoniacum baculum & anulum deponens, indulgentia clementiſſimæ ſedis iterum recipere meruit. Domum vero reverſus ſedem epiſcopalem tranſportavit ad *Norwicum*, ibique monachorum congregationem inſtituit.

1095. Vir venerabilis vitæ *Wlſtanus* epiſcopus eccleſiæ *Wigornenſis* migravit è ſeculo, anno à primo ſeculi die certa ſcripturæ ratione v̄. CC. xix. Cujus tranſitus hora, ſuo quem ſpecialiter dilexerat amico *Roberto Herefordenſi* epiſcopo, in opido quod *Criccelad* vocatur in viſione apparuit, illique ad ſe tumulandum *Wigorniam* properare mandavit. Anulum eciam cum quo pontificalem ſuſceperat benedictionem neminem paſſus eſt digito extrahere, ne poſt mortem ſuos videretur fallere, quibus prædixerat ſæpiſſime, nec illum vita comite ſe velle perdere, nec etiam ſepulturæ ſuæ die.

Walterus Albanenſis epiſcopus *Romana* eccleſiæ legatus ante paſcha venit in *Angliam*, pallium pro quo rex *Willelmus* ad *Vrbanum* papam miſerat illi deferens. Quod iiij. idus Junii die dominica ab eodem *Cantuariam* ſuper altare delatum ab *Anſelmo* aſſumptum eſt, atque ab omnibus ob reverentiam beati *Petri* ſuppliciter deoſculatum.

Vrbanus papa Concilium tenuit aput *Clarummontem*, *Hilſtebrandi* decreta renovat; *Philippum* regem *Francorum*, qui vivente uxore ſua ſuperduxerat alterius viventis, ſcilicet *Fulconis Andegavenſium* Comitis uxorem, excommunicat.

Circa diluculum pridie Non. Aprilis ſtellæ videntur labi de cœlo. Inter quas cum unam magnam labi quidam in *Francia* ſtuperet, notato loco cum aquam ibi fudiſſet, fumum cum fervoris ſono inde exire magis ſtupuit.

Northimbrenſis Comes *Robertus* de *Mulbraio*, & *Willelmus* de *Auco*, cum multis aliis, regem *Willelmum* regno vitaque privare, & filium amitæ illius *Stephanum* de *Albamarno*, conati ſunt regem conſtituere. Set rex congregato exercitu caſtella ejus obſedit, milites illius cepit; ipſe vero à monaſterio ſancti *Oſwini* quo fugerat à militibus regis captus eſt, & in cuſtodia poſitus. Rex igitur non multo poſt illum ad *Babbenbyri*, caſtellum ſcilicet ipſius Comitis duci, & ejus oculos erui juſſit, niſi uxor ejus & propinquus ejus *Moreal* caſtrum redderent. Qua neceſſitate compulſi caſtellũ reddiderunt. Comes autẽ forti cuſtodiæ mancipandus ad *VVindeſoram* eſt ductus. *Moreal* vero factæ traditionis cauſam regi detexit.

An. Dñi 1094. Octavis Epiphaniæ aput *Sareſberiam* celebrato Concilio, *VVillelmi de Auco* in duello victi oculos eruere, & teſticulos abſcidere, & dapiferum illius *VVillielmum* de *Alderi* filium amitæ illius rex juſſit ſuſpendi. Comitem *Odonem* de *Campania* prædicti *Stephani* patrem, & quoſdam alios traditionis participes in cuſtodiam poſuit.

Vrbano ut dictum eſt in *Gallia* ſynodum celebrante, & ad debellandos paganos *Ieroſolimam* proficiſci Chriſtianos exhortante, occidentales populi dolentes loca ſancta à gentibus prophanari, innumerabiles una inſpiratione commoti undique concurrunt, firmiſſima pace interim compoſita. Judæos vero ad credendum in Chriſtum compellunt, credere nolentes bonis privant, urbibus eliminant. Hortatu ſiquidem præfati papæ mox in ipſa ſynodo Comes ſancti *Egidii Raimundus*, & cum eo multi alii cruce Chriſti inſigniti ſunt. Hujus Dei exercitus primates extiterunt *Podienſis* & *Oſtienſis* epiſcopi, *Hugo magnus*, *Philippi* regis *Francorum* germanus, Dux *Lotharienſis Godefridus*, *Anſelmus de Ribodimonte*, *Carnotenſis* Comes *Stephanus*, *Flandrenſis* Comes *Robertus*, duo germani *Godefridi* Ducis *Bolonienſis* Comes *Euſtachius* & *Baldwinus*, prædictus Comes *Raimundus*, *Beomundus Roberti Wiſcardi* filius, *Normannorum* Comes *Robertus*; qui nuntiis in *Angliam* miſſis germanum ſuum regem *Willelmum* petiit, ut illi pace redintegrata x^{m}. marcas argenti præſtaret, & ab eo *Normanniam*

Willielmus II. rex.

niam in vadimonium acciperet. Qui mox petitioni ejus ſatisfacere geſtiens, à majoribus *Angliæ* non modica pecunia accommodata menſe Septembri mare tranſiit, & vi. DCLxvi. illi præſtitit, & ab eo *Normanniam* vadem accepit.

Ricardus de *Albeneio* xv. Abbas eccleſiæ ſancti *Albani*.

Anſelmus Dorobernia Archiepiſcopus conſecravit *Wigornenſem* epiſcopum *Samſonem Lundoniæ*, in eccleſia ſancti Pauli xvij. kal. Julii die Dominica.

An. Dñi 1097.

Primum bellum Chriſtianorum fuit ad pontem *Farfar* fluminis ix. kal. Martii. Secundum apud *Nicheam*, quam & ceperunt xiij. kal. Julii. Ceperunt & *Laodiciam*. Cum vero eſſent pluſquam CCC. M. armatorum, tanta eis ſuppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix xij. nummis venderetur. Cum igitur poſt vij. ebdomadas & iij. dies inde *Antiochiam* tenderent, diviſo exercitu, circumdederunt unum eorum exercitum $\overline{\mathrm{CCC}}$. $\overline{\mathrm{lx}}$. equitum, & *Arabes* quorum non erat numerus. Mittitur ergo ad alium exercitum. Bellum igitur geritur horrendum in quo *Chriſtiani* vehementer attriti ſunt. Quibus jam fugam meditantibus occurrit *Robertus* Dux *Normanniæ* clamans: Quo milites? quo fugitis? Equi eorum ſunt noſtris velociores, melius eſt bene mori quam male evadere. Me ſequamini. Dixerat, & in quendam paganorum regem lanceæ direxit aciem, quæ lignum & æs & corpus æque diffidit; ſtravitq; ſecundum & tercium. Igitur *Tancredus, Boamundus, Ricardus de Principatu, Robertus de Anſa* non ſegnius indulgent ictibus, cum ecce *Hugo Magnus*, & *Anſelmus de Ribemunt* cum magna caterva alium prævolantes exercitum, defeſſos paganos recentes fundunt; viſis igitur ex inſperato tot hoſtibus, pagani fugæ indulgent, Chriſticolæ vero victoria potiti ſunt licet dampnoſa, primo die Iulii. Deinde venerunt ad *Eracheam*, inde ad *Tharſum* quæ ſubdita eſt *Baldewino* Comiti mirifico. *Atene* vero & *Mamiſtra Tancredo*. Dux *Normanniæ* quandam civitatem *Symeoni, Raimundus* & *Boamundus* aliam *Petro de Alpibus* commiſerunt. Tandem venientes ad *pontem ferreum*, *Antiochiam*, quæ caput eſt *Syriæ*, obſederunt xij. kal. Novembris. In Februario, congregato mirabili paganorum exercitu ad *pontem ferreum* aput caſtellum *Areth*, noſtri ſex acies in eos direxerunt; ſet maxima vis paganorum eos tam acriter invaſit, ut paulatim jam cederent. At *Boamundus* bellorum arbiter, *Robertus* etiam filius *Gerardi* ſignifer, velut leones prorumpunt inter hoſtes. Dux igitur *Normannorum* gladio caput cujuſdam magni viri, & dentes, & collum, & humeros uſque in pectora diffidit. Dux *Godefridus* quendam medium ſecavit. Dum igitur pars terræ cecidiſſet, partem domini ferebat equus inter paganos. Quo monſtro perterriti, ſimul cuncti fugientes, in iram dampnationis abierunt.

Ortum, vitam, promotionem Anſelmi Beccenſis *abbatis in archiepiſcopum* Cantuarienſem, *quidve quæſtionis emerſerit inter ipſum & reges* Anglorum, *ij.* Willelmum *ſcilicet, &* Henricum, *edocebunt ſequentia.*

ANſelmus genere *Longobardus Auguſtæ* civitatis indigena, patrem *Gundulfum*, matrem habuit *Hermerbergam*. Litteras edoctus à puero bonos imbibit mores cum litteris, adoleſcentioris ætatis

Willielmus II. rex.

laxiores habenas intra puræ conſcientiæ ſecreta reſiſtens, in hoc ſtuduit firmare propoſitū, ut ab honeſto non reflecteret animum. In humilitate ſimul & ſcientia litteratum choævos undequaq; tranſcendens, Alpium juga tranſcendit, invigilans per triennium liberalibus diſciplinis in *Gallia*. Tranſiens in *Normanniam* adhæſit *Lanfranco* Priori *Beccenſi*, ſcholas publicas Abbatis *Herlewini* permiſſu, vel juſſu regenti tunc temporis. Sanam cujus doctrinam attendens, & mundialibus curis ex toto renuncians habitum monachalem ſuſcepit, annum ætatis agens viceſimum ſeptimum. Quos limitari debuerat clauſtralibus inſtitutis artatus, bonis operibus jugiter inhærendo cura ſolliciore prævenit, in tantum, ut inſtructionem deſiderare fraternam juxta morem noviciorum fratribus ad hoc deditis videretur ſuperfluum, cum ipſum crederent in tanto conventu merito perfectioribus præferendum. Cum jam in clauſtro continuum tranſegiſſet triennium, *Lanfrancus* Abbas primo *Cadomenſis* effectus, poſt *Dorobernenſium* conſecratus antiſtes, in prioratu *Beccenſi* ſucceſſorem reliquit *Anſelmum*. Abbati poſtmodum *Herlewino*, fratrum unanimi concurrente conſenſu, curæ paſtoralis in virga ſucceſſit *Anſelmus*. Poſtremo rex *Anglorum* ſecundus *Willelmus* ad extrema fere perductus ſet ad tempus fervore caritatis accenſus, anno iiij. poſt deceſſum *Lanfranci*, de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ tractatum cœpit habere cum ſuis. Conſilio quorum ſet maxime procerum, Abbatem *Anſelmum* è *Normannia* celerius evocatum, procuravit in archiepiſcopum ſullimari. Quem invitum & modis omnibus quoad licuit renitentem, concurrentibus omnium votis ſuffraganei *Cantuariæ* conſecrarunt, pridie nonas Decembris, cum ageret annum ætatis ſuæ ſexageſimum. Rex in corpore convaleſcens, ægrotare cœpit in anima. Nam in propriis facultatibus diſpergendis effuſior, alienas perſcrutari non deſtitit. Tandem ad ſanctuarium Dei currens M. libras argenteorum fiſcalibus commodis applicandas ab archiepiſcopo petebat inſtantius, cauſam allegans ut ſibi videbatur juſtiſſimam, quoniam gratis in promotione ſua promptum præbuiſſet aſſenſum. Archiepiſcopus vero trahens ad indifferentiam ante promotionem, vel poſt, talem ob cauſam numerare pecuniam, pari ſententia feriendum decrevit utrumque. Sed quia regis ſaccos implere non poterat niſi prius bonam conſcientiam evacuaſſet, elegit potius regis indignationem incurrere quam diſpendium famæ, quam periculum animæ, quam confuſionem in poſterum, quam imprecationem multorum in eccleſia Dei ſubire. Sed ad officium ſuum juxta morem eccleſiaſticum plenius exequendum, à rege licentiam petiit adeundi papam *Urbanum* pro pallio. Rex ad *Urbani* nomen ſtatim vehementer incanduit, nam quia tunc temporis eccleſia *Romana* laborabat in ſchiſmate, *VViberto Ravennate* metropolitano per violentiam Imperatoris *Henrici* nimis impudenter intruſo, ſuum erat in regno ſuo quem vellet papam eligere, nec erat alterius Apoſtolicum etiam nominare. Tractus in cauſam ob eam cauſam archiepiſcopus læſæ majeſtatis reus arguitur. Ex adverſo ſteterunt epiſcopi quidam archiepiſcopo debitam ſubtrahentes obedientiam, quam etiam, in fraterna caritate nolentes perſiſtere, quotquot erant excepto *Roſenſi Gundulfo*, ſuſtinuerunt in propriam abjurare perniciem. Inimicitiis igitur archiepiſcopo denunciatis, non alia ratione ſibi vel ſuis partam ſecuritatem agnoſcere potuit per internuncios, niſi proteſtaretur in medium quod *Urbani* papæ non amplecteretur mandatum. Aliquot ſubinde diebus elapſis *VValterus Albanenſis* epiſcopus aſſerens pallium archiepiſcopo, papam *Urbanum* & Regem reconciliavit; quibus tamen inſertis conditionibus edisserat pro certo qui novit. Quid autem accepto pallio rurſus ad petendam licentiam viſitandi papam *Urbanum* ſecundo terciove coegerit Archiepiſcopum, ſatis innuit indulta licentia ſet non licentioſa. Nam ſi cœpto deſiſteret, ſi propoſitis evangeliis repromitteret, ſe nec Apoſtolorum limina viſitaturum, nec pro negotio quovis *Romanæ* ſedis audientiam appellaturum, tunc poterat & ſuis & rebus ſuorum cum omni tranquillitate proſpicere, poterat & regni majoribus in omni dominatione præeſſe: ſin autem, poterat transfretare ſed inconſultius & ſine ſpe revertendi recedere. Diſcedens archiepiſcopus à conſpectu Concilii venit *Cantuariam*, quid reportaret à curia publice manifeſtans. Aſcenſuro navem apud *Doveriam VVillielmus de VVarwaſt* familiariſſimus regis irreverenter accurrit, & pecuniam non in ore ſaccorum ſolummodo, ſed in ipſius archiepiſcopi manicis & clitellis improbus perſcrutator perquirens, non invento quod quæſierat, ſollicitudinem deluſam invenit. Poterat hoc alteri verecundiam latam ingerere, ſed nec ſic ab archiepiſcopo vel verbum amaritudinis, vel ſignum offenſionis, vel notam confuſionis potuit extorquere. Tranſfretationem ejus publicæ poteſtatis apparitores ilico proſequuntur: Eccleſiæ bona fiſcalibus ratiociniis addicentes, & deducentes in irritum quicquid conſilio maturiore ſtatuerat archiepiſcopus. Limina viſitans apoſtolorum ab *Urbano* papa maximo cum honore receptus eſt *Laterani*, cum quo poſtmodum in *Barenſi* Concilio *Græcorum* à fide catholica diſſidentium confutavit errorem. Habito *Romæ* Concilio quo rurſus idem papa reſedit *Urbanus* interfuit, in quo laicos inveſtituras eccleſiarum more priſtino conferentes & eas accipientes à laicis, & taliter poſt acceptum honorem munus conſecrationis impendere præſumentes à communione fidelium ſynodalis auctoritas decrevit extorres.

A Concilio rediens archiepiſcopus, dum exilium æquanimiter *Lugduni* ſubiret effluxit triennium; prope cujus finem vitæ finem Rex Anglorum *VVillielmus* incurrit. Cui frater ſuus *Henricus* ſucceſſit in regno. Sed nec in moribus, nec in propoſito, nam ilico revocavit archiepiſcopum & liberam rerum ſuarum amminiſtrationem habere permiſit. Cum autem de conſilio vacantium eccleſiarum per *Angliam* ab exilii ſui tempore primo tractatus haberetur diffuſior, inveſtituram earum regiam dignitatem contingere regni contendebant majores. In contrarium ſentiebat archiepiſcopus, Concilii ſupradicti fideliter inſtituta recenſens. Ut autem debitam libertatem eccleſiis conſervaret, per duos annos & dimidium graviſſimis eſt affectus injuriis. Tandem ut Regis indignationem mitigaret in aliquo, ſicut petebatur conſenſit ut cum nunciis Regis Romam proficiſceretur, & regni negotia quæ libertatem eccleſiæ non opprimerent procuraret cum eis. Qui venientes *Romam*, invenerunt *Urbano* ſucceſſiſſe *Paſchalem*. Qui cum adventum archiepiſcopi, nuntiorum etiam Regis audiſſet, intellexiſſet & cauſam, nec inveſtituram eccleſiarum, nec quicquam aliud quod Regem cœlorum offenderet *Henrico* Regi conceſſit. Infecto negotio nuntiis redeuntibus dum *Lugdunenſem* limites attigiſſent, *Willielmus de Warwaſt* ex parte regis inhibuit archiepiſcopo ne rediret in *Angliam* niſi ſuum eſſet propoſitum ad inſtituta ſupradicti Concilii non reſpicere; ſed amicam juri conſuetudinem antiquitus introductam & utentium approbatam conſenſu modis omnibus conſervare. Suſtitit igitur Archiepiſcopus *Lugduni* manens, ubi quaſi in ſcola virtutum præſidens magiſterio ſanctæ converſationis enituit. Bonis itaque ſuis denuo confiſcatis, annus elapſus eſt & dimidius. Poſtmodum archiepiſcopus à Rege rogatus intravit *Normanniam*. Cum autem *Becci* Rex & archiepiſcopus conveniſſent, ſub audientia virorum illuſtrium tanquam in jure profeſſus eſt Rex ſe nichil juris vel ſibi vel hæredibus ſuis in poſterum in eccleſiarum inveſtituris vendicaturum, nec in electionibus faciendis aliquid aliud quam ſolum aſſenſum, ſicut ſacrorum canonum cenſura præſcribit. Quibus in hunc modum pacificatis eſt regreſſus in *Angliam* archiepiſcopus, ubi dum in cauſa Dei, dum in cauſa matris eccleſiæ victorioſiſſimum reportaſſet triumphũ, in bona quiete conſenuit.

Henrico *Regi* Anglorum Anſelmus *archiepiſcopus. In litteris veſtris quas nuper accepi mandavit michi veſtra dignatio quod nullum hominem libentius in regno veſtro velletis habere quam me, ſi vellem ita vobiſcum eſſe ſicut archiepiſcopus* Lanfrancus *cum patre veſtro fuit. Ad quod reſpondeo, quia neque in baptiſmo neque in aliqua ordinatione mea promiſi me ſervaturum legem vel conſuetudinem patris veſtri aut* Lanfranci *archiepiſcopi ſed legem Dei & omnium ordinum quos ſuſcepi. Quapropter ſi vultis me ſic eſſe vobiſcum ut poſſim vivere ſecundum legem Dei & ordinem meum, & ſi me reveſtitis ſecundum eandem legem Dei de omnibus rebus quas de archiepiſcopatu meo accepiſtis poſtquam à vobis diſceſſi, quas ſi præſens eſſem non deberetis me nolente accipere, & hoc michi promittitis, paratus ſum redire ad vos in* Angliam, *& ſervire Deo, & vobis & omnibus michi commiſſis ſecundum officium à Deo michi injunctum ipſo adjuvante. Sed quia cauſa non eſt mea ſed Dei michi ab ipſo commendata, timeo diu differre clamorem ad Deum facere. Quapropter precor, obſecro ne me cogatis dolentem & invitum clamare,* Exurge Deus & cauſam tuam judica.

Paſchalis papa Anſelmo archiepiſcopo.

*In Concilio quod nuper habuimus, ex communi fratrum & coepiſcoporum ſententia deliberatum eſt, Regis conſiliarios qui ad inveſtitura flagitium ipſum impellunt, & eos qui ab eo inveſtiti ſunt, ab eccleſiæ liminibus repellendos quia de libera facere ancillam conantur. Quam nimirum ſententiam nos Spiritus ſancti judicio in Comitem de Mel*lento *& ejus complices promulgavimus, & eandem ipſam in eos qui ſunt inveſtiti à Rege, ejuſdem ſancti Spiritus judicio confirmamus. Regis vero ſententia ea ex cauſa dilata eſt, quia ſuos ad nos nuntios in præteriti paſcha tempore debuit deſtinare.*

Henrico Regi Anſelmus archiepiſcopus.

Audio quod veſtra excellentia vindictam exercet ſuper presbyteros Angliæ *& foriſfacturam exigit ab eis, quod non ſervaverunt præceptum Concilii quod ego cum veſtro favore tenui apud Lun*doniam *cum aliis epiſcopis & Religioſis perſonis. Quod hactenus inauditum & inuſitatum eſt in eccleſia Dei de ullo Rege vel de aliquo Principe. Nec*

cum

ILLIEL. II. Rex. *enim pertinet ſecundum legem Dei hujuſmodi culpam vindicare niſi ad ſingulos epiſcopos per ſuas parochias; aut ſi ipſi epiſcopi in hoc negligentes fuerint, ad archiepiſcopum & primatem. Precor igitur vos ſicut kariſſimum dominum cujus animam diligo plus quam præſentem vitam corporis mei, & conſulo ſicut vere fidelis corpori & animæ veſtræ, ne vos contra eccleſiaſticam conſuetudinem in tam grave peccatum mittatis, & ſi jam incepiſtis ut omnino deſiſtatis.*

Paſchalis epiſcopus Gerardo Eboracenſi archiepiſcopo. *Sedis apoſtolicæ benignitas delinquentes filios novit diutius tolerare, ut eorum exceſſus debita poſſint correctione curari. Hæc de te* Romana *jamdudum fecit eccleſia, ſet tuos adhuc exceſſus corrigere contempſiſti. Ipſe etiam noſti quia ea ſpe tuæ promotioni condeſcendimus, ut ad reſecanda regni* Anglorum *contagia fratri noſtro* Anſelmo Cantuarienſi *archiepiſcopo adjutor & cooperator adeſſes. Noſtræ vero manſuetudinis oblitus, nec eundem fratrem adjuvare curaſti, nec pro officii tui debito iniquitati regiæ obviaſti, immo fervorem diceris adhibere. Nos tamen adhuc ſedis apoſtolicæ manſuetudine ſuſtinemus, eo nimirum tenore, ut exceſſus tuos corrigas, vitam emendes præteritam, & nobis ſicut dignum eſt ſatisfacias. Noveris autem Regis conſiliarios, Comitem videlicet de* Mellento *& eos qui ad inveſtituræ flagitium Regem impellunt, in Concilio quod præterita quadrageſima celebravimus, ſancti Spiritus judicio ab eccleſiarum liminibus eſſe repulſos, & in eos qui inveſtituras acceperunt eandem ſententiam eſſe firmatam. Quod per te omnibus annuntiari præcipimus. Regis vero Sententia ea ex cauſa dilata eſt, quia ſuos ad nos nuntios in præterita Paſcha tempore debuit deſtinare.*

Paſchalis epiſcopus Girardo Eboracenſi. *Quamquam prave adverſum nos, immo contra matrem tuam ſanctam* Romanam *eccleſiam te non ignoremus egiſſe, præſentibus tamen litteris tibi mandamus ut profeſſionem tuam venerabili fratri noſtro* Anſelmo Cantuarienſi *archiepiſcopo facere non negligas. Audivimus enim* Thomam *quondam prædeceſſorem tuum ex hac eadem re contentionem moviſſe, & cum in præſentia Domini* Alexandri *papæ ventilata eſſet, ex præcepto ejus diffinitione habita poſt varias quæſtiones* Lanfranco *prædeceſſori ſuo & ſucceſſoribus ſuis eandem profeſſionem feciſſe; unde & nos quod tunc temporis diffinitum eſt volumus auctore Deo firmum illibatumque ſervari.*

Paſchalis papa *Anſelmo* archiepiſcopo.

Eos qui inveſtituras acceperint aut inveſtitos benedixerint aut hominia Regi fecerint ſuſcipito, & eos abſolvito vice noſtra, Quos vel ipſe benedicas vel à quibus volueris benedici præcipias.

Rex *Willelmus* dum in nova foreſta venaretur, venit ei nuncius à *Cenomannia* dicens ei familiam ſuam ibi obſideri. Ilico rex ad mare veniens naves introiit. Cui nautæ, Cur regum fortiſſime intollerabili tempeſtate maris alta laceſſis, & mortis imminens periculum non formidas? Quibus rex: De rege fluctibus ſubmerſo non audivi. Ergo mare tranſiens ſpreto periculo nichil dum viveret egit unde tantam famam haberet. *Cenomanniam* veniens *Helyam* conſulem turpiter fugavit, & in *Angliam* iterum tranſiit.

Dñi 98. Obſeſſa igitur *Antiochia* in tantum attenuati ſunt Chriſtiani propter omnium rerum penuriam, ut in toto exercitu vix C. boni equi invenirentur, & tamen quamvis ex deſperatione multi ſeſe ſubtraxerint, multi etiam repatriaverint, nono menſe obſidionis iij. Non. Junii capta *Antiochia*, Chriſtiani à paganis verſa vice obſeſſi tanta fame afflicti ſunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus abſtinerent, ſet confortati à deo per inventam ipſius lanceam *Andrea* Apoſtolo revelante in eccleſia beati *Petri*, ipſa lancea eos præcedente obſeſſoribus concurrunt, & *Cirbaram* principem militiæ alioſque fugantes, multis milibus occiſis plenam victoriam habuerunt iiij. kal. Julii. Commiſſa *Antiochia* Duci *Boamundo*. Chriſtiani propter diſcordiam Principum in *Syriam* profecti expugnatis *Marra* & *Barra* tanta ibi rurſum fame affecti ſunt, ut corpora *Saracenorum* jam fœtentia comedere compulſi ſint. HENRI-cus I. rex.

Chriſtianis *Turcos* fortiter debellantibus, contigit aput *Archas* caſtrum cis *Hieroſolimam* viij. manſionibus ſitum, multos eorum perire, & *Anſelmum* de *Ribemont* in capite lapide percuſſum occumbere. Exercitus autem dei in interiora profectus eam ſubjugaverunt indicto urbibus tributo, multiſque qui ſe ſubtraxerant ad eos recurrentibus, tandem pervenerunt *Jeroſolimam*, eaque obſeſſa, cum laborarent pro victus & maxime pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus cotidie orando circuibant *Jeroſolimam*. Octavo ergo talis humiliationis die, obſidionis autem xxxix. capta eſt *Jeroſolima*, idus Julii, vj. feria; & in *templo Salomonis* & in porticu ejus Chriſtiani cum Paganis vij. bello conſerto tanta in eis cæde bachati ſunt, ut ſanguine occiſorum equitarent pœne ad genua equorum. Civitate igitur ordinata & Principibus de reditu jam agentibus, ecce *Turci* occurrerunt cum $\overline{\text{C}}$. equitum & $\overline{\text{CCC}}$. peditum. Quibus cum occurriſſet exercitus Domini non pluſquam $\overline{\text{V}}$. equitum & $\overline{\text{XV}}$. peditum, *Saraceni* ſolo Chriſtianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt. Et hoc octavo bello iiij. kal. *Auguſti* cæſa ſunt $\overline{\text{C}}$. Paganorum. In porta vero *Aſcalonia* ubi bellum fuerat ſuffocati ſunt ad duo milia.

Cœnobium *Ciſtercienſe* incipitur. Principium ordinis dealbati in *Burgundia*, in loco qui dicitur *Moliſmus. Robertus* abbas condens monaſterium viros religioſos ibi congregavit, indicens eis ut ſecundum regulam beati *Benedicti* labore manuum ſuarum viverent. Illis autem nolentibus, receſſit ab eis cum xij. monachis, & *Ciſtercium* adiens monaſterium ibi fundavit. Ex cujus fonte multi rivuli religioſitatis poſtea ut videmus emanaverunt. 1099.

Hucuſque *Sigisbertus Gemblacenſis* monachus cronica ſua digeſſit.

1100. Rex *Anglorum Willelmus* dum in nova foreſta venaretur, in die ſancti *Petri* ad vincula à *Waltero Tirello* ſagitta percuſſus occubuit & *Wintoniæ* tumulatur in eccleſia ſancti *Petri*.

H*Enricus* frater regis *Willelmi* conſecratus eſt rex *Anglorum* aput *Weſtmonaſterium* à *Mauricio Lundonienſi* epiſcopo Non. *Auguſti*, cum quo *Thomas* archiepiſcopus *Eboracenſis* coronam capiti regis impoſuit.

Godefridus dux *Lotharienſium* & Princeps *Jeroſolimorum* diem clauſit extremum.

Henricus rex *Anglorum* uxorem duxit *Mathil-*

Henri-cus I. rex.

dem filiam *Malcolmi* regis *Scottorum*, & epiſcopatum *Wintonia* dedit *VVillelmo Giffardo*. *Rannulfum* autem *Dunhelmenſem* epiſcopum cuſtodiæ mancipavit in turrim *Lundonia*.

Thoma Eboracenſi archiepiſcopo ſucceſſit *Girardus Herefordenſis* epiſcopus.

1101. Paſchalis papa regi *Henrico* litteris interdixit eccleſiarum inveſtituras aliquibus dare.

1102. *Henricus* rex *Rob*; de *Beleſmo* expulit ab *Anglia*.

Anſelmus archiepiſcopus *Lundonia* Concilium tenuit, ubi depoſiti ſunt abbates, de *Perſore*, de *Taveſtoc*, de *Rameſei*, de *Burc*, de *Cernel*, de *Mideltune*.

Robertus dux *Normannia* venit in *Angliam*, & regis prudentia condonavit regi iij. Marcas quas rex debuit ei per annum.

Magna diſcordia orta eſt inter regem *Henricum* & *Anſelmum* archiepiſcopum, eo quod archiepiſcopus nollet conſentire, neque conſecrare, neque communicare hiis quibus jam rex dederat eccleſias. Unde rex præcepit *Girardo Eboracenſi* archiepiſcopo, quatinus conſecraret epiſcopos, quibus rex dederat inveſtituras. *Girardus* præceptum regis ſuſcepit, ſet *Willelmus Giffard* quem conſecrare debebat, cauſa juſticiæ *Girardi* ſprevit benedictionem. Quare regis judicio eliminatur à regno. Cæteri inconſecrati remanſerunt.

1103. *Reinelmus* Cancellarius reginæ paulo ante epiſcopatum *Herefordenſem* regi reddidit, eo quod de manu illius inveſtituram ſuſcepit.

Anſelmus archiepiſcopus poſt multas injurias & contumelias quas paſſus eſt, rogatu regis perrexit *Romam* ſicut ei & regi convenit, habens ſecum *Willelmum Wintonienſem* electum, & abbates depoſitos *Ricardum Elyenſem* & *Aldwinum Rameſienſem*. Quibus *Romam* venientibus, contigit *Anſelmum* quædam ibi contra regem eloqui in quibus *Ricardum* ſibi ſuffragaturum æſtimabat. *Ricardus* vero pro rege agens omnes archiepiſcopi calumpnias refellebat. Cujus rei rumor adventum ejus in *Angliam* præveniens, regis gratiam pleniſſime ei reſtauravit.

1104. *Willelmus* Comes de *Moritonio* cauſa perfidiæ ab *Anglia* exhæreditatus in *Normanniam* diſcedens, regis *Henrici* hominibus werram calamitate refertam inflixit.

1105. Filius *Henrici* Imperatoris à patre averſus, quoſcunque poteſt ab eo avertit, & ſub optentu rei publicæ meliorandæ & reſtaurandæ eccleſiæ, in eum inſurgit.

1106. Rex *Anglorum Henricus* veniens in *Normanniam* fere omnes principes *Normannorum* ſubjugavit, exceptis *Roberto* de *Beleaſmo*, *Willelmo* de *Moritonio* & paucis aliis.

Rex *Anglorum Henricus Beccum* venit, ubi ipſe & *Anſelmus* archiepiſcopus in unum convenerunt, & tandem omnia quæ in diverſa traxerant, pacem & concordiam invenerunt. Et idem archiepiſcopus juſſu & rogatu regis *Angliam* redit.

Congregato exercitu rex *Anglorum Henricus* ad quoddam caſtrum Comitis de *Moritonio*, quod vocatur *Tenerchebrai*, perrexit & obſedit. Interim venit Comes *Robertus* frater regis ſuper eum cum exercitu ſuo in vigilia ſancti *Michaelis*, & cum eo *Robertus* de *Beleaſmo* & Comes *Willelmus* de *Moritonio*. Sed jus & victoria facta eſt regi. Ibi captus eſt *Robertus* Comes *Normannorum* & Comes de *Moritonio* & *Robertus* de *Stuttevilla*. *Robertus* de *Beleaſmo* in fugam verſus eſt, & *Willelmus Chriſpinus* captus. His ita geſtis rex ſubegit ſibi totam *Normanniam* & ſecundum voluntatem ſuam dictavit.

Henricus filius Imperatoris contra jus naturæ in patrem inſurgens, quam indigne eum tractaverit declarat epiſtola ex ore ipſius patris ſcripta ad *Philippum* regem *Francorum*.

Imperatore *Henrico* morante *Leodi*, filius ejus *Aquiſgrani* venit, & volens venire *Leodium* contra patrem ſuum v. feria Dominicæ cœnæ præmiſit ſuos præoccupare pontem aput *Winſatum*, ne quis ſibi venienti obſtaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filii à ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in *Moſam* demerſis, aliis occiſis; inter quos etiam *Bruno* Comes occiſus eſt. Sic filius contra patrem veniens rediit inglorius.

Colonienſibus fidem imperatori ſervantibus, at eorum archiepiſcopo filium imperatoris contra patrem ſuum animante, *Colonia* obſeſſa oppugnatur, ſet non expugnatur. Interim imperator *Leodi* moritur, ejuſque ei filius *Henricus* ſuccedit. Qui poſtea duxit *Matildem* puellam nobilem vix quinquennem regis *Anglorum Henrici* filiam. 1107.

Normannia ſub regia poteſtate diſpoſita, duceque *Normannorum Roberto* & Comite *Moretonii Willelmo* in *Angliam* ſub captione præmiſſis, ipſe ante paſcha in regnum ſuum reverſus eſt.

Pridie kal. *Auguſti* conventus omnium epiſcoporum, abbatum & procerum *Lundoniæ*, in palatio regis factus eſt, præſente *Anſelmo* archiepiſcopo. Ibi annuit rex & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per donationem baculi paſtoralis vel anuli quiſquam de epiſcopatu, aut abbatia per regem vel quamlibet laicam manum in *Anglia* inveſtiretur. Concedente quoque *Anſelmo*, ut nullus in prælationem electus, pro hominio quod regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris privaretur.

Girardus Eboracenſis archiepiſcopus ſua manu impoſita manui *Anſelmi* ut ipſe volebat, interpoſita fide ſua pollicitus eſt, ſe eandem ſubjectionem & obedientiam ipſi & ſucceſſoribus ejus in archiepiſcopatu exhibiturum, quam *Herefordenſis* eccleſiæ ab eo ſacrandus epiſcopus illi promiſerat.

Willelmus Wintonienſi, *Rogerus Searesbyrienſi*, *Reignelmus Herefordenſi*, *Willelmus Execeſtrenſi*, & *Vrbanus Clamorgatenſi* eccleſiæ quæ in *Walonia* eſt electi epiſcopi, ſimul *Cantuariæ* die dominica iiij. idus *Auguſti* ab *Anſelmo* conſecrati ſunt.

Thomas eligitur ad archiepiſcopatum *Eboracenſem*. 110

Ricardus de *Belmeis Lundon*: electus conſecratur ab *Anſelmo* archiepiſcopo, aput *Pagham* multis ſuffraganeorum præſentibus.

Philippo regi *Francorum Ledovicus* ſucceſſit. 11

Anſelmus miniſter eccleſiæ *Cantuarienſis Thomæ* electo archiepiſcopo *Eboracenſi*.

T*ibi* Thoma *in conſpectu omnipotentis dei ego* Anſelmus *archiepiſcopus* Cantuarienſis *& totius* Britanniæ *primas loquor, loquens ex parte ipſius dei. Sacerdotale officium, quod meo juſſu in parrochia mea per ſuffraganeum meum ſuſcepiſti tibi interdico, atque præcipio ne te de aliqua cura paſtorali ullo modo præſumas intromittere, donec à rebellione quam contra eccleſiam* Cantuarienſem *incepiſti*

HENRICUS I. rex.

piſti diſcedas & ei ſubjectionem quam anteceſſores tui, Thomas videlicet & Girardus archiepiſcopi, ex antiqua anteceſſorum conſuetudine profeſſi ſunt, profitearis. *Quod ſi in hiis quæ cœpiſti magis perſeverare quam ab eis deſiſtere delegeris, omnibus epiſcopis totius* Britanniæ *ſub perpetuo anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem pontificatus imponat, vel ſi ab externis promotus fueris, pro epiſcopo, vel in aliqua Chriſtiana communione te ſuſcipiat. Tibi quoque* Thoma *ſub eodem anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem epiſcopatus* Eboracenſis *ſuſcipias, niſi prius profeſſionem quam anteceſſores tui* Thomas & Gerardus *eccleſiæ* Cantuarienſi *fecerunt facias: ſi autem epiſcopatum* Eboracenſem *ex toto dimiſeris, ut officio ſacerdotali quod jam ſuſcepiſti utaris, concedo.*

Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus migravit ad dominum. Cujus vitam laudabilem, cujus actus eximios, cujus tranſitum ab hac luce cœleſtem ad patriam crebra miraculorum inſignia proſequuntur, & ad opera miſericordiæ ſucceſſores invitant.

Dominica die quæ fuit v. kal. Julii convenerunt, jubente rege, *Ric. Lundonienſis, Willelmus Wintonienſis, Rad. Roſenſis, Herebertus Norwic. Radulfus Ciceſtrenſis, Rannulfus Dunelmenſis* & *Hervens Pangornenſis* epiſcopi, in eccleſia ſancti Pauli *Lundoniæ* pro conſecratione *Thomæ.* Inter ſolitam ergo examinationem ſuo loco profeſſionem de ſubjectione & obedientia ſanctæ eccleſiæ *Dorobernenſi* exhibenda, *Ricardus* epiſcopus *Lundonienſis* qui *Thomam* erat ſacraturus ab illo exegit. Profeſſio igitur ſicut erat ſigillata ſibi coram omnibus oblata eſt, fractoque ſigillo evoluta, & lecta ab eo eſt ita:

« Ego *Thomas Eboracenſis* conſecrandus metropo-
« litanus profiteor ſubjectionem & canonicam obe-
« dientiam ſanctæ *Dorobernenſi* eccleſiæ, & ejuſ-
« dem eccleſiæ Primati canonice electo & conſecra-
« to, & ſucceſſoribus ſuis canonice intronizatis, ſalva
« fidelitate Domini mei *Henrici* regis *Anglorum*,
« & ſalva obedientia ex parte mea tenenda, quam
« *Thomas* anteceſſor meus ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ
« ex parte ſua profeſſus eſt.

Intererat huic officio Prior eccleſiæ *Dorobernenſis Conradus* nomine, & ex monachis ejuſdem loci quamplurimi, qui pro hoc ipſo quoniam res eos quam maxime reſpiciebat illo convenerant. Lectam itaque profeſſionem, cum à *Thoma* ſibi oblatam *Ricardus* antiſtes *Lundonienſis* accepiſſet, eam nominato Priori & fratribus tradidit.

Rex *Henricus* abbatiam *Elyenſem* ad epiſcopalem mutavit ſedem, & *Herveum* ibi præfecit.

10. *Fulco* Comes *Andegavorum Sibillam* filiam *Helyæ* Comitis *Cenomannenſium*, quam unicam & hæredem reliquerat, accepit uxorem, & comitatum cum illa: ſic igitur *Andegaviæ* dominationem in populos circumquaque diffuſos extendens, dotaliciis incrementis multo felicius terminos dilatavit quam cædibus luctuoſis. Ad affinium namque bona hæreditario poſſidenda, ſic civiliter aſpiravit, ut fœdus iniens cum finitimis, & per ſanguinem, iniens etiam & cum ſanguine, ſic in adquirendo rerum dominio feliciter triumphavit, ut manus inmunes conſervaret à ſanguine. Felix jactura dum maribus ſublatis de medio, ſexus muliebris in copulum tranſitet *Andegavenſium*, & beatæ pacis ſtabilitate perpetua frueretur; Moyſi legiſlatoris inſtituta recenſens, qui jubente Domino, quinque filiabus *Saphaat* paternam hæreditatem pro virili porcione diſtribuit, & inter alias tribus in funiculo diſtributionis numerari decrevit.

HENRICUS I. rex.

1111. *Henricus* rex *Teutonicus Romam* venit, *Paſchalem* Papam in cuſtodiam poſuit; ſed poſtmodum ad pontem viæ ſalariæ ubi Paſchalem feſtivitatem in campo celebraverunt pacem cum eo fecit. Papa vero poſt lectum evangelium tradidit ei in oculis omnium principum privilegium de inveſtitura epiſcopatuum, vel abbatiarum, tam per anulum quam per virgam, ſcilicet ut regni ejus epiſcopis vel abbatibus libere electis inveſtituram conferat anuli & virgæ, poſtea vero conſecrentur electi ab epiſcopis ad quos pertinuerint.

Deceſſit *Robertus* Conſul *Flandriæ*, cui *Baldewinus* filius ejus ſucceſſit, juvenis omnino ſtrenuus annis.

1112. *Willelmus* Comes *Pictaviæ* qui vocatus eſt *facetus*, multa ſuſtinuit à filio ſuo *Willelmo.* 1113.

1114. *Radulfus Roſenſis* epiſcopus vj. kal. Maii ad archiepiſcopatum *Cantuarienſem* aput *Windleſoram* eligitur.

Turſtanus regis capellanus ad *Eboracenſem* archiepiſcopatum die Aſſumptionis eligitur *Wintoniæ.*

1115. *Radulfus* archiepiſcopus ab *Anſelmo* Domini papæ legato v. kal. Julii pallium ſuſcepit, & ipſo die *Teolſum Wigornenſem* epiſcopum aput *Cantuariam* conſecravit; *Bernardum* quoq; reginæ Cancellarium *Menevenſem* electum antiſtitem conſecravit aput *Weſtmuſterium* xiij. kal. Octobris.

Turſtanus Eboracenſis electus cum à *Radulfo* archiepiſcopo moneretur, ut eccleſiæ *Cantuarienſi* faceret quod debebat, & benedictionem ſuam eccleſiaſtico more ſuſciperet, reſpondit; Benedictionem quidem ſe libenter ſuſcipere velle, ſet profeſſionem quam exigebat nulla ratione facturum. Rex autem *Henricus* ubi advertit *Turſtanum* in ſua pertinacia ſtare, aperte proteſtatus eſt illum aut morem anteceſſorum ſuorum, tam in profeſſione facienda, quam & in aliis dignitati eccleſiæ *Cantuarienſis* ex antiquo jure competentibus executurum, aut epiſcopatu *Eboracenſi* cum benedictione funditus cariturum.

1116. Dedicata eſt eccleſia ſancti *Albani* v. kal. Januarii feriæ iij. ab archiepiſcopo *Rotomagenſi Gaufrido*, & *Ricardo* de *Beaumeis Lundonienſi*, & *Roberte Blobet Lincolnienſi*, & *Rogero Saleſburienſi*, & *Ranulfo Dunelmenſi* epiſcopis, præſente rege *Henrico.* A quo eadem eccleſia dotata eſt de terra de *Biſſopeſcote*, & regina *Matilde*, & multis *Anglorum* & *Normannorum* Baronibus. *Ricardo* abbate ejuſdem eccleſiæ omnia neceſſaria procurante & largiter diſpenſante ad laudem domini noſtri *Jheſu Chriſti* et beati *Albani.*

1117. Monaſterium ſancti *Albani* dedicatum eſt à *Roberto Lincolnienſi* epiſcopo præſente rege *Henrico.*

Venit rex *Francorum* et auxiliarii ſui cum exercitu ſuo in *Normanniam*; ubi cum una nocte manſiſſent, formidantes regis *Anglorum* adventum propere receſſerunt.

1118. Regis *Francorum* et regis *Anglorum* longa concertacio graviſſime regem vexavit utrumque, donec *Baldevinus Flandriæ* Comes aput *Ou* letaliter vulneratus eſt.

Gelaſius papa.

Baldewino regi *Jeroſolimæ* primo *Baldewinus* ſucceſſit.

HENRI-CUS I.ux.

An. Dñi 1119. *Matildis* regina mater imperatricis obiit.

Rex *Henricus* pugnavit contra regem *Francorum*: præpoſuerat quidem rex *Francorum* aciem procerum, cui præerat *Willielmus* filius *Roberti* ducis *Normannia* fratris *Henrici* regis. Ipſe vero cum maximis viribus in ſequenti erat agmine. Rex vero *Henricus* in prima acie proceres ſuos conſtituerat. In ſecunda, cum propria familia eques reſidebat. In tercia, filios ſuos cum ſummis viribus pedites collocaverat. Igitur acies prima *Francorum* agmen procerum *Normannia* ſtatim equis depulit & diſperſit. Poſtea vero aciei qua rex *Henricus* inerat collidens, & ipſa eſt diſperſa. Acies itaque regales ad invicem acerrime pugnaverunt. Interim *Willielmus Criſpinus* miles magnanimus regis *Henrici* caput bis gladio percuſſit. Cumque lorica impenetrabilis eſſet, magnitudine tamen ictuum aliquantulum capiti regis inſerta eſt ut ſanguis prorumperet. Rex vero animi fervore commotus, percuſſorem ſuum ita repercuſſit, ut mole ictus equitem & equum proſterneret. Qui mox ante regios pedes captus eſt. Acies vero pedeſtris mox percuſſura ex adverſo ſurrexit. Quod *Franci* videntes, horrore inſperato liquefacti terga dederunt. *Henricus* autem rex victor perſtitit in campo.

Obiit *Ricardus* de *Albinieio*, abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xv.

Calixtus papa inſtituit Concilium *Remis*. Ad quod miſſi ſunt à rege *Henrico* quidam epiſcoporum *Anglia* & *Normannia*: *Turſtanus* etiam electus *Eboracenſis* archiepiſcopus, à rege licentiam illuc eundi obtinuit, interpoſita tamen fide, ut benedictionem epiſcopalem à papa non reciperet. Qui ad papam veniens, poſthabita ſponſione *Romanos* in cauſam ſuam largitatis officio transtulit, & per eos ut à papa conſecraretur impetravit. Epiſcopi enim *Anglia* nondum ad concilium venerant. Quod ut regi innotuit, *Turſtano* omnem locum dominationis ſuæ interdixit.

Regni principes *Jeroſolimitani* directis nunciis *Fulconem Andegavenſium* Comitem ſollicitaverunt, quatinus loca Dominicæ paſſionis adiret, filiam regis *Baldwini* quam unicam & hæredem reliquerat, accepturus uxorem. Quibus acquieſcens Comes, filio ſuo *Gaufrido Plantegeneſt* hæreditatem reliquit, *Jeroſolimam* adiit, ſuper ſolium *David* regis in *Jeroſolima* collocatus eſt, Chriſti crucis inimicos attrivit. Quod igitur incepit, viriliter ſui ſucceſſores [*Baldewinus* & *Almaricus*] ſuo tempore ſuppleverunt. Quorum ſtrenuitas ordine ſucceſſorio gubernacula regni *Jeroſolimitani* nanciſcens, & *Idumeorum* compeſcuit ferocitatem, & *Babilonem* factam rebellem ſub ditione redegit, & *Alexandriam* reddidit tributariam, & in nominis ſui celebritate totius populos orientis effecit attonitos.

Baldewinus Comes *Flandria* per vulnus quod in *Normannia* recepit, deceſſit. Cui ſucceſſit *Karolus* filius *Canuti* regis *Dacorum*.

Gaufridus de *Gorram* abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xvj.

1120. *Willielmus* filius regis ſubmerſus eſt.

1121. Rex *Henricus* duxit *Adelis* filiam ducis *Lovannia*, quæ à *Radulfo Cantuarienſi* archiepiſcopo conſecrata eſt apud *Windleſoram*.

Kalixtus papa *Mauricium*, quem vocatum *Gregorium Henricus* imperator papam conſtituerat, cepit, & monachavit.

Radulfo Cantuarienſi archiepiſcopo, *Willielmus* de *Curboil* Prior ſanctæ *Oſida* ſucceſſit: electus apud *Glavorniam* in Purificatione beatæ virginis. Conſecratus autem eſt apud *Cantuariam* à *Willielmo Wintonienſi* epiſcopo xiiij. kal. Martii. *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus laborabat paralyſi.

An. Dñi 1122. 1123. *Willielmus* archiepiſcopus pro petendo pallio *Romam* ivit. *Turſtanum Eboracenſem* archiepiſcopum, & *Bernardum Menevenſem* epiſcopum ſecum duxit: & in reditu *Lincolnienſem* electum *Alexandrum Cantuaria* conſecravit xj. kal. Auguſti. *Godefridum* vero *Batonienſem* electum conſecravit in eccleſia ſancti *Pauli Lundonia* vij. kal. Septemb.

Calixtus papa concilium *Remis* congregavit; deinde venit in *Normanniam* loqui cum *Henrico* rege apud *Giſors*; magnus ſacerdos cum magno rege.

1124. *Galerannus* Comes de *Mellent*, & *Hugo* de *Munfort*, capti ſunt à *Willielmo* de *Tancarvile* camerario regis.

Honorius papa. [Ementulati monetarii.]

1125. *Willielmus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* dedit epiſcopatum *Roveceſtria Johanni* archidiacono ſuo.

Johannes de Crema presbiter cardinalis concilium celebravit *Lundonia*.

Simon Wigornenſis electus viij. idus Maii, die videlicet Aſcenſionis *Wigorna* ſuſcipitur; & poſtea ſabbato ebdomadæ Pentecoſtes presbiter ordinatur, & in craſtino conſecratur: & poſtmodum xj. kal. Julii denuo *Wigornia* ſuſcipitur & intronizatur.

1126. Rex *Anglorum Henricus* apud *Windleſoram* natalem Domini celebravit, ubi cum *Turſtanus Eborac.* archiepiſcopus in æqualitate archiepiſcopi *Cant.* regem vellet coronare, judicio omnium repulſus eſt, & ad eum coronam regni nichil pertinere, una omnium ſententia concorditer promulgavit. Lator inſuper crucis quam in regis capella coram ſe deferri juſſit, extra capellam cum cruce ejectus eſt.

Primates *Anglia* regnum juraverunt imperatrici, & primus inter omnes *Stephanus* Comes *Bolonia*.

1127. *Gaufridus Plantegeneſt* Comes *Andegavorum* duxit imperatricem.

Ricardo Lundonienſi epiſcopo, *Gilebertus Univerſalis* ſucceſſit, conſecratus à *Willielmo* archiepiſcopo *Cantuarienſi* xj. kal. Februarii.

Willielmus Cantuarienſis archiepiſcopus congregavit concilium apud *Weſtmoſterium*. *Turſtanus Eboracenſis* archiepiſcopus directis nunciis ac literis rationabili cauſa oſtendit ſe conventui ipſi intereſſe non poſſe.

Conflictus habitus eſt inter *Willielmum Longam Spatam* Comitem *Flandria* & *Theodoricum* de *Anſeis*. *Theodoricus* autem converſus eſt in fugam. *Willielmus* Comes fauciatus in manu, parvo poſt obiit.

112 Hucuſque magiſter *Hugo de Sancto Victore* cronica ſua digeſſit.

Henricus rex *Anglorum* in *Galliam* cum exercitu perhendinavit apud *Eſſparlam* viij. diebus. *Hugo* electus abbas ſancti *Auguſtini*, benedictionem accepit à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Ciceſtriam*.

11 *Henricus Gleſtonienſis* abbas factus eſt epiſcopus *Wintonia*.

11 Eccleſia ſanctæ Trinitatis *Cant.* à *Willielmo* archiepiſcopo dedicata eſt præſente *Henrico* rege.

Innocentius papa.

Intruſus eſt *Petrus Leonis*, & dictus eſt *Anacletus*, qui regem *Rogerum Sicilia* conſecravit.

Innocentius papa tranſivit in *Franciam*: unde Romam Petrus *habet, totum* Gregorius *orbem*.

An. Dñi 1131. *Philippus* filius *Ludovici* regis *Francorum* jam rex factus, dum cornipedem ludens agitaret, obvium ſuem habuit. Cui cum pedes equi offenderent, cecidit, & fractis cervicibus expiravit. Et eodem menſe ſacratus eſt frater ejus *Ludovicus* in regem

1132. ab *Innocentio* papa in concilio *Remis* habito.

1133. *Nigellus Helyenſis*, *Gaufridus Dunelmenſis*, *Robertus Herefordenſis* facti ſunt epiſcopi.

Menſe Martio natus eſt *Cenomannis Henricus*, primogenitus *Gaufridi Plantegeneſt* Comitis *Andegavorum*, & *Matildis* imperatricis. Quod cum rex *Henricus* audiſſet, convocatis regni ſui principibus filiam ſuam & hæredes filiæ ſuæ ſibi ſucceſſuros inſtituit. Diſpoſitionem ſuam omnes obſervaturos aſtrinxit, ſacramento corporaliter præſtito. *Stephanus* filius *Ala* ſororis ſuæ primus præſtitit ſacramentum apud *Weſtmuſterium*.

1134. Rex *Henricus* in *Normanniam* tranſiens, dedit epiſcopatum *Baiocenſem Ricardo* nepoti ſuo: *Abricenſem* vero *Ricardo de Beaufo*.

Robertus Curtehoſa frater regis obiit.

Gilebertus Univerſalis epiſcopus *Lundonia* obiit.

1135. Rex *Anglorum Henricus* cum regnaſſet xxxv. annis, iiij. etiam menſibus, deceſſit apud ſanctum *Dioniſium* in *ſilva Leonum*. Et in *Anglia* ſepultus eſt apud *Radingum*.

Nomina caſtellorum quæ in *Normannia* ex integro fecit *Henricus* rex, in margine ipſius provinciæ hæc ſunt: *Drincurcis*. *Novum mercatum*. *Vernolium*. *Nonanticurtis*. *Bonmulins*. *Colmia mons*. *Pons Urſonis*. Fecit etiam caſtrum ſancti *Dioniſii* in *Leons*. *Vallem Rodulii*. Turrem *Ebroicarum*. Turrem *Alenter*. Turrem *Oſteriarum*. Turrem ſancti *Johannis* juxta *Montem* ſancti *Michaelis*.

Monaſterium *Radingarum* fecit in *Anglia*. Monaſterium *Canonicorum* apud **Cirecestre**. Monaſterium de *Prato* apud *Rothomagum*. Monaſterium de *Mortuo Mari*.

Stephanus Comes *Bolonia* audita morte regis *Henrici* avunculi ſui, transfretavit in *Angliam*, & à *VVillielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo conſecratus eſt in regem apud *Lundoniam*.

Hugo Bigod ſeneſcallus regis veniens in *Angliam*, coram archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſacramento probavit, quod dum rex *Henricus* ageret in extremis, ortis quibuſdam inimicitiis inter ipſum & imperatricem, ipſam exhæredavit, & *Stephanum Bolonia* Comitem hæredem inſtituit.

VVillielmus Cantuarienſis archiepiſcopus nimis credulus verbis Seneſcalli, *Stephanum Moritonii* Comitem conſecravit in regem apud *VVeſtmuſterium*.

1136. Imperatrix caſtella quædam obtinuit in *Normannia* poſt mortem regis, ſcilicet *Argentonium* & *Dansfrunt*.

Audita morte regis *Henrici*, Comes *Andegavia* & uxor ejus imperatrix abſque ulla difficultate caſtella *Normannia* optinuerunt.

Stephanus rex in paſchalibus apud *VVeſtmuſterium* concilium congregavit, fidelitates exegit, regis *Henrici* theſauris in nullo pepercit, in munerum largitione nimis effuſus.

Vocati ſunt ad concilium *VVillielmus* decanus *Lundonia*, ſimul & canonici. Cum autem haberetur tractatus de conſilio *Lundonienſis* eccleſiæ tunc vacantis, nec in aliquem poſſent unanimiter convenire, receſſerunt à decano canonicorum multi, citra conſcientiam ejus *Anſelmum* abbatem in epiſcopum eligentes. Canonici vero quos decanus habebat ſecum in menſa diebus ſingulis appellaverunt, nec regis occurrerunt offenſam. Canonici quidem alii quia quod fecerant tam regi quam toti concilio videbatur iniquum, regis indignationem plurimam meruerunt, quorum aliqui bonis ſuis ſpoliati ſunt.

Stephanus rex exercitum ſuum duxit apud *Execeſtriam* quam obſedit & cepit. *Baldewinum de Riveers* exhæredavit.

VVillielmus Cantuarienſis archiepiſcopus obiit. An. Dñi 1137.

Stephanus rex tranſiit in *Normanniam*, & fœdus iniit cum rege *Francorum*.

Focariæ quorundam canonicorum qui ſeculares dicuntur raptæ ſublimes, ad turrim non ſine dedecore gravi pertractæ ſunt, & ibidem conſtrictæ multis diebus. Quæ quidem nec ſine ludibrio corporis, nec ſine diſpendio famæ, nec ſine numeratione pecuniæ redierunt ad propria.

Galfridus Comes *Andegavenſis* ingreſſus *Normanniam* regi *Stephano* trewias dedit, accipens ab eo ij. marcas argenti ſingulis annis per tres annos.

Ludovico Groſſo regi *Francorum* mortuo ſucceſſit *Ludovicus* filius ejus, uxorem accipiens *Alienor* filiam *VVillelmi* ducis *Aquitanorum*, ex qua genuit duas filias, quas duo filii magni Comitis *Theobaldi*, *Henricus* ſcilicet & *Theobaldus*, acceperunt uxores, primogenitus primogenitam.

VVillielmo decano *Lundonia* conſanguinei ſui maxime reſtiterunt, non quæ Dei ſed quæ mundi ſunt ſapientes. Secum igitur clanculo theſauros aſportantes eccleſiæ *Lundonienſis*, ſecum etiam ſuum aſſumentes electum multa ſubfarcinatum pecunia *Roma* papam *Innocentium* invenerunt, & *Petrum Leonis* ſciſmaticum. Quid in tanto turbine rerum aura marſupii rubiginoſi potuiſſet efficere probavit eventus. Nam illis in *Angliam* revertentibus, electus eorum *Anſelmus*, in eccleſia doctoris gentium *Pauli* ſollempni proceſſione receptus eſt. A clericis exegit obedientias, poſſeſſiones omnes ad eccleſiam pertinentes, caſtellum quoque de **Stortefordd** in ſua dominatione recepit, & agens poteſtative licenter à militaribus viris homagia, relevationes, ab hominibus inferioris manus fidelitates extorſit.

David rex *Scotorum* innumerabilem congregavit exercitum tendens in *Angliam*. *Turſtanus Eboracenſis* archiepiſcopus, auxilio *Northanhymbrorum* ei reſtitit, fixo **Standart** apud **Alvertune** ubi xij M. *Scotorum* occiſa ſunt. 1138.

Ordingus Prior apud ſanctum *Edmundum* in abbatia ſucceſſit *Anſelmo*.

Magiſter *Radulfus de* **Langeford**, & *Ricardus de Belmeis*, fratres & concanonici, clericique domeſtici, *VVillielmi* decani *Lundonia* reddituri cauſas appellationis, tam à domino papa quam ab *Americo* cancellario benigne recepti ſunt in conſiſtorio. Cauſa diutius ventilata ſuffraganeorum omnium *Cantuarienſis* eccleſiæ teſtimoniis robur accepit. *Turſtanus* etiam *Eboracenſis* archiepiſcopus domino papæ ſcripſit in hæc verba.

Significavit nobis paternitatis veſtra dilectio de vita & opinione Anſelmi *abbatis ſancti* Edmundi *aliquid inquirere, & vobis renunciare.* Ad quod vobis reſcribimus, *quod ſi vitam & opinionem ejus ſequamur, multo tutius eſt eum ab abbatia removere, quam in* Lundonienſi *eccleſia promovere.* Cum igitur dominus papa ſuper quæſtione propoſita longum cum Cardinalibus habuiſſet tractatum, *Albericus Hoſtienſis* epiſcopus quod ſequitur pronunciavit in publicum, « Quoniam electio canonicorum *Lundonienſium* citra conſcientiam & aſſenſum decani « facta fuit, cujus eſt officium in eligendo paſtore « ſuo de jure primam vocem habere, nos eam auctoritate beati *Petri* devocamus in irritum.

Ricardus de Belmeis conſummata decani ſui cauſa redit ad propriam ſuam cauſam, cujus advocatus ſic inchoat. Poſtquam *Rogerus* archidiaconus *Middelſexiæ* fati munus implevit, *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus, *Ricardo* filio fratris ſui *VValteri de Belmeis* archidiaconatum conceſſit, licet *Ricardus* nondum plene pubes exiſteret. *VVillielmus* decanus *Lundoniæ* filius *Adelinæ* ſororis memorati pontificis, prædicto *Ricardo* ſtallum aſſignavit in choro, ſedem in capitulo. Paucis diebus elapſis *VVillelmus* decanus tractatum habens cum peritioribus, & avunculi ſui factum in melius reformari procurans, ad hoc animum inflexit epiſcopi tam per ſe quam per Priorem de **Chich**, ut in *Hugonem* capellanum epiſcopi, cuſtodiam archidiaconatus ad tempus uſque certum transferret, quouſque memoratus *Ricardus*, tam ſibi, quam rebus ſuis, quam archidiaconatui potuiſſet ſollicitus providere. Quod capellanus ſe facturum, & modis omnibus obſervaturum ſine fraude propoſitis Evangeliis repromiſit. Tractu temporis epiſcopo *Ricardo* rebus humanis exempto, *Gilebertus Univerſalis* in epiſcopatum ſucceſſit. Advenit etiam tempus quo *Ricardus de Belmeis* ſuffragantibus annis & meritis exigentibus poſſet etiam in epiſcopum ſublimari. Capellanus *Hugo* ſæpe conventus ut *Ricardo* reſtitueret archidiaconatum, velut inmemor ſacramenti fideique tranſgreſſor conſilium ſuum in alterius mutavit injuriam. Nam in oculis epiſcopi *Lundonienſis* ſe videns gratiam inveniſſe, frivolas ſemper invenit occaſiunculas. *Univerſali* defuncto, ſua ſpes omnis cum epiſcopo ſepelitur. His in audientia communi propoſitis, dominus papa litteras direxit epiſcopis tam *Lincolnienſi* quam *Herefordenſi*. Quibus de cauſa cognoſcentibus, ſuſceptis *Ricardi* probationibus, *Hugo* ſpoliatus eſt, *Ricardus* in integrum reſtitutus.

Anſelmus ab eccleſia *Lundonienſi* ſemotus vix in ſuam abbatiam recipitur *Ordingo* repulſo.

Dominus papa curam eccleſiæ *Lundonienſis Henrico* commiſit *VVintonienſi* epiſcopo cum gratia regis.

Abbericus Hoſtienſis epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus in *Angliam* veniens, concilium habuit aput *VVeſtmuſterium*.

Henricus VVintonienſis epiſcopus mandato Legati *Ricardum de Belmeis* ordinavit diaconum in eccleſia ſancti *Pauli*. Ipſa die dum ordines celebrarentur, *Theobaldus Beccenſis* abbas ab epiſcopis electus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem*. Electionem factam in publico recitavit *Alexander Lincolnienſis* epiſcopus; præſente *Jeremia* Priore *Cantuariæ* conſecratus eſt *Theobaldus* ab ipſo legato. Qui *Romam* proficiſcens, pallium ſuſcepit ab *Innocentio* papa in concilio *Romæ* habito.

VVillielmus decanus *Lundonienſis* migravit ad Dominum.

An. Dñi 1139. Rex *Stephanus Saresberienſem*, *Lincolnienſem* epiſcopos cepit, quoniam ipſi ſua caſtella reddere noluerunt.

Ranulfus clericus *Helyenſis* epiſcopi conjurationem fecit ad *Normannos* omnes interficiendos.

Habitum eſt *Piſis* concilium.

Imperatrix venit in *Angliam*.

Nigellus Helyenſis epiſcopus expellitur à regno.

Turſtino Eboracenſi archiepiſcopo ſucceſſit *Willielmus*.

1140. *Stephanus* rex obſedit *Lincolniam*. Cum autem die Purificationis rex ad miſſam cereum ſuum offerret, confractus eſt: pixis etiam cecidit ſuper altare cum corpore Chriſti.

Captus eſt rex, & ductus ad imperatricem, in cuſtodia poſitus aput **Briſtowe**.

1141. Imperatrix à *Lundonienſibus* recipitur in Dominam, per quam *Robertus de Sigillo* factus eſt *Lundonienſis* epiſcopus.

Imperatrix à *Lundonienſibus* expulſa turrim obſedit *Wintonienſis* epiſcopi. Regina, *Willielmus Yprenſis* cum *Lundonienſibus* fecerunt Imperatricem inde recedere. Captus eſt Comes *Robertus* frater Imperatricis in Exaltatione ſanctæ Crucis. Habita mutua compenſatione compeditorum, hinc Rex, hinc Comes à vinculis abſoluti liberi receſſerunt.

Rex *Stephanus* obſedit imperatricem apud *Oxenefordiam*.

1142. *Celeſtinus* papa.

Stephanus rex *Ganfridum* de *Magni villa* cepit in curia ſua. Qui ut liberaretur reddidit turrim *Lundoniæ* & caſtella ſua.

Lucius papa pallium miſit *H. Wintonienſi* epiſcopo, cui propoſuerat aſſignare vij. epiſcopos.

1143. *Ganfridus* Comes *Andegavenſis* receptus *Rothomagi* turrim obſedit & cepit, & extunc dux *Normannorum* appellatus eſt.

Eugenius papa.

1144. Aput *Carnotum* carri lapidibus, annona, lignis onuſti tracti ſunt humeris hominum.

1145. Rex *Stephanus* cepit in curia ſua *Ranulfum Ceſtrenſem* Comitem. Poſtmodum ut liberaretur dedit obſidem *Gilebertum* Comitem de *Clare* filium ſororis ſuæ: ſicque poſtmodum rex *Stephanus Lincolniæ* coronatur.

1146. *Eugenius* papa *Pariſius* veniens, *Girardum Sagienſem* epiſcopum, qui ſicut dicebat in volutabro ſanguinis ſui fuerat conſecratus, duci *Normanniæ* reconciliavit circa Paſcha. Poſtmodum in Letania majore ſollempni proceſſione dominus papa receptus eſt aput ſanctam *Genovefam* præſente rege *Francorum*. Clerici domini papæ ſervientes etiam ibi vulnerati ſunt. In ultionem exceſſus tanti ſervientium eccleſiæ ſubverſa ſunt ædificia rege jubente. Canonici regulares poſiti ſunt ibi tractu temporis.

Circa tempus iſtud cometa diebus multis apparuit in occidente, vicinum aerem ſpaciis circumquaque diffuſis choruſcantibus radiis in immenſum illuminans.

Aimericus eccleſiæ *Romanæ* cancellarius nepotem habuit vocabulo *Petrum*. Qui ſuffragiis avunculi ſui, citra tamen conſcientiam *Ludovici* regis *Francorum*, in archiepiſcopum *Bituricenſem* electus, à domino papa conſecratus eſt. Quod rex in injuriam regiæ dignitatis factum vehementer indignans, iracundiæ

calore

PHA- s rex. calore ſuccenſus eſt, & propoſitis publice ſacroſanctis reliquiis in præſentia multorum juravit, quod prædictus archiepiſcopus quoad rex viveret, in civitatem nunquam intraret *Bituricam*. Sic per triennium perſona regis interdicto ſubjacuit. In quamcunque civitatem, caſtellum, vel vicum intrabat, celebratio divinorum ſuſpendebatur. Tandem abbate *Clarevallenſi Bernardo* perſuadente, cor regis ad hoc eſt inclinatum, ut reciperet archiepiſcopum, & pro tranſgreſſione perjurii ſe repromitteret *Jeroſolimam* profecturum. Igitur convocatis regni principibus in paraſceue rex ſigno ſanctæ crucis humerum inſignivit; & infiniti cum eo. Per totam *Galliam* fit deſcriptio generalis, non ſexus, non ordo, non dignitas quempiam excuſavit, quin auxilium regi conferret; cujus iter multis imprecationibus perſequebantur.

Suggerius abbas de ſancto *Dioniſio* deficientibus aliis regni principibus ſolus in ſe regni ſuſcepit cuſtodiam.

Lexovienſis, *Attrebatenſis*, *Lingonenſis* epiſcopi profecti ſunt *Jeroſolimam* cum rege *Francorum*.

Obiit *Gaufridus* de *Gorram* abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xvj.

Milo de *Cheveruſa* vir illuſtris miſſus *Conſtantinopolim* litteras imperatoris attulit quæ ſequuntur.

Manuel in Chriſto Deo fidelis rex *Porphiro* genitus, celſus, ſublimis, & imperator *Romanorum* fortis, ſemper *Auguſtus*, ad prænobiliſſimum regem *Francorum*.

Nobiliſſime rex, delata eſt imperio meo miſſa littera tua nobilitatis atque ſublecta, in qua ſcripſiſti imperio meo quia diſpoſuiſti exire in viam Dei, & expetiſti per imperium meum conceſſionem viæ tranſituſque, ſimul & emptionem. Cum audiſſet igitur imperium meum veſtram monitionem, gratam habuit hanc & gaviſum eſt in hujuſce auditu. Crede namque, ſemper cupiebat hujuſmodi hominem videre qualis eſt tua nobilitas, & jungi & colloqui ei, & ſi eſt Dei voluntas & veniat tua nobilitas, in magnam acceptionem erit hoc imperii mei. Ne ſperet ergo tua nobilitas impedimentum ab imperio meo repperire. Cum magna enim laticia accepturum eſt imperium meum tuam nobilitatem, & oportune viam tuam præparaturum, & tranſitum extructurum, & panigeriam, id eſt, conventum rerum venalium. Erroſon. i. *vale. Miſſa ab à Deo ſalvata civitate menſe Auguſto, Indictione* ix.

Radulfus Gubium abbas ſancti *Albani* xvij.

Rex *Francorum* profectus eſt Jeruſalem.

Eugenius papa *Remis* concilium congregavit.

Theobaldus Cantuarienſis archiepiſcopus venit ad Concilium ſine licentia regis; quare bonis ſuis omnibus ſpoliatus eſt. Suffraganei ſui ſuſpenſi ſunt à domino papa quia rege prohibente non venerant.

Hilarius Ciſtrenſis epiſcopus *Stephanum* regem excuſans audivit à domino papa: Putabamus te filium creaſſe *Romana* eccleſiæ, ſed creavimus in te ſagittam & gladium.

Canonici regulares poſiti ſunt apud ſanctam *Genovevam*.

Dñi 7. *Robertus* de *Caſnei Legerceſtrenſis* archidiaconus, vir ſimplicitatis & humilitatis magnæ, de communi totius eccleſiæ *Lincolnienſis* aſſenſu, creatus eſt *Lincolnienſis* epiſcopus per manum *Theobaldi Cantuarienſis* archiepiſcopi, paucis diebus elapſis poſt jejunium ſeptimi menſis.

STEPHANUS rex.

Robertus *abbas ſancti* Michaelis de Monte *in* Normannia *Chronica ſua digeſſit uſque ad annum incarnati Verbi* 1147.

Radulfus Lundonienſis *eccleſiæ decanus in opuſculo ſequenti breviſſime multarum commemorat ymagines Hiſtoriarum, incipiens ab Incarnatione anno* M. cxlvij.

AB incarnatione Domini noſtri Jheſu Chriſti *quid per annos mille centum quadraginta ſeptem annalibus inſerendum decrevit antiquitas explicitum eſt. Abhinc vero quid* Henricus Galfridi Plantegeneſt *Comitis* Andegavorum *&* Matildis *imperatricis filiæ regis* Anglorum *Henrici primogenitus, militiæ cingulo donatus tempore ſuo memoriale reliquerit, eſt inſerendum. Nec te moveant ad aliquam querelandi materiam ſupputaciones annorum ſuccedaneis gradibus excreſcentes, licet non ſint conformes eorum excurſus: ſed recordare quod anni cujuſque continencia non ſemper paſſibus æquis incedat: ſed vel pro ſingularium raritate, vel pro rerum capacitate geſtarum nunc arcetur capitulis reſtrictioribus, nunc effuſioribus choruſcet ſuffragiis ad fortuitos caſus plenius evehendos, ad ſtatum eccleſiæ roborandum, ad victorias principum declarandas, ad pacem omnium jugiter recolendam, & ſemper provehendam in melius.*

An. Dñi

Henricus accinctus eſt militaribus. 1148.

Ludovicus rex *Francorum* & *Alienor* regina rediere Jeruſalem.

Yemps maxima. 1149.

Everſum eſt monaſteriolum *Geraldi Berlai*. 1150.

Henricus factus eſt dux *Normanniæ* & Comes *Andegaviæ*.

Civitas *Andegaviæ* quem ſitum habeat.

Gaufridus Plantageniſt ſepultus eſt *Cenomannis*. 1151.

Fredericus fit rex *Teutonicus*.

Celebratum eſt divortium inter regem *Francorum* & reginam *Alienor*.

Henricus relictam regis *Francorum Alienor* duxit uxorem.

Aquitania rerum affluit opulentiis.

Obſederunt *Franci novum Mercatum* in *Normannia*, ſed infecto negotio redierunt.

Henricus dux *Normannorum* veniens in *Angliam*, obſedit Malmeſbires. 1552.

Johannes Papiro Cardinalis tranſiit in *Hyberniam*.

Ricardus de Belmeis conſecratus eſt *Cantuariæ* à *Theobaldo* archiepiſcopo.

David regi *Scottorum* ſucceſſit *Melcolmus* nepos ejus.

Stephanus rex *Anglorum* & *Henricus* dux *Normannorum* concordes effecti ſunt. 1153.

Ludovicus rex *Francorum* duxit uxorem filiam *Adelfunſi* regis *Hyſpaniæ*. 1154.

Rogerus rex *Siciliæ* ſucceſſorem reliquit *Willelmum* filium ſuum.

Willelmus Eboracenſis archiepiſcopus degradatus, reſtitutus eſt.

Rogerus Cantuarienſis archidiaconus creatus eſt archiepiſcopus *Eboracenſis*.

Henricus dux *Normannorum* conſecratus eſt rex *Anglorum* à *Theobaldo Cant.* archiepiſcopo.

Thomas archidiaconus *Cantuarienſis* factus eſt regis Cancellarius.

Adrianus papa litteras novo regi direxit.

An.Dñi 1155. *Alienor* regina peperit filium quem vocavit *Henricum*.

Fredericus rex *Alemannorum* ab *Adriano* papa conſecratus eſt in imperatorem.

Sex caſtella *Wintonienſis* epiſcopi *Henrici* diruta ſunt.

Willelmus Peverel exhæredatus eſt.

Caſtellum de *Burge* regi redditum eſt.

1156. Rex *Henricus* transfretans applicuit apud *Witſand*.

Willelmus rex *Siciliæ* civitatem *Barum* evertit.

Alienor regina peperit filiam quam vocavit *Matildem*.

Willelmus rex *Siciliæ* cepit *Sibillam*.

1157. *Alienor* regina peperit filium aput *Oxeneford* quem vocavit *Ricardum*.

1158 *Henricus* rex *Anglorum* coronatus aput *Wigornam* coronam ſuper altare poſuit.

Alienor regina peperit filium quem vocavit *Gaufridum*.

Nova moneta in *Anglia*.

Thomas regis Cancellarius procuravit ut *Henricus* primogenitus regis *Anglorum Margaritam* filiam regis *Francorum* ſponſam acciperet.

Ludovicus rex *Francorum* in eccleſiis cathedralibus per *Normanniam* ſollempni proceſſione receptus eſt.

Rex *Anglorum* venit *Pariſius*, receptus in palacio regis.

1159. Rex *Anglorum* obſedit *Toloſam*.

Poſt *Adrianum* papam *Alexander* papa creatus eſt.

Exortum eſt ſciſma.

Willelmus Boloniæ Comes in reditu *Tholoſæ* obiit.

1160. A rege *Francorum* & *Anglorum* in *Alexandrum* papam conſenſum eſt. Imperator *Octovianum* recepit.

Regina *Francorum* in puerperio mortua eſt.

Ludovicus rex *Francorum*, *Alam* filiam *Theobaldi* Comitis accepit uxorem.

Inter filium regis *Anglorum* ſeptennem, & filiam regis *Francorum* triennem matrimonium celebratum eſt.

1161. *Ricardus Coventrenſis* archidiaconus ex patre *Roberto Ceſtrenſi* pontifice procreatus conſecratus eſt ejuſdem ſedis epiſcopus.

1162. *Alienor* regina peperit filiam quam vocavit *Alienor*.

Thomas Cantuarienſis archidiaconus, & regis Cancellarius electus eſt in archiepiſcopum, *Cantuariæ* conſecratus eſt à *Henrico Wintonienſi* epiſcopo nomine *Lundonienſis* eccleſiæ tunc vacantis.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus regium ſigillum remiſit in *Normanniam*.

1163. *Henricus* rex in *Angliam* rediit.

Thomas Archiepiſcopus ad inſtantiſſimam regis poſtulationem invictiſſimus tandem conceſſit archidiaconatum *Cantuarienſem Gaufrido Ridel*.

Clarembaldus abbas electus ſancti *Auguſtini* reſtitit archiepiſcopo, rege non contradicente.

Gilebertus Herefordenſis epiſcopus tranſlatus eſt ad *Lundonienſem* eccleſiam.

Henricus de Eſſexia victus in duello exhæredatus eſt.

Thuronis Concilium celebratum eſt.

Thomas archiepiſcopus ſedit à dextra parte, *Rogerus Eboracenſis* à ſiniſtra.

Alexander papa roſam auream quam geſtavit Dominica qua cantatur *Lætare Ieruſalem*, *Ludovico* regi *Francorum* tranſmiſit.

Rogerus Comes de *Clara* pro tenemento de *Tunebruge Thomæ* reſtitit archiepiſcopo.

Willelmus de Ros inventus eſt in muneribus ſubeundis regem agnoſcere non archiepiſcopum.

Thomas archiepiſcopus *Willelmum* de *Hemesford* excommunicavit, rege non certiorato.

Rex conſuetudines quas avitas appellant à Domino papa petiit confirmari, ſet non optinuit, archiepiſcopo reſiſtente.

Apud *Clarendunam* ad regni conſuetudines obſervandas coacti ſunt epiſcopi. An. Dñi 1164.

Thomas archiepiſcopus ab obligatione quam ſuper hoc inierat abſolutus eſt à domino papa.

Exauctoratos propter flagicium clericos rex dicebat curiæ tradendos ilico puniendos, archiepiſcopo contradicente.

Philippus de *Broie* canonicus de *Bedeford*, propter homicidium pulſus eſt à regno per biennium.

Archiepiſcopus inſcio rege navem aſcendit, propter quod regiam incurrit offenſam.

Johanne Mareſcallo deferente querelam adverſus archiepiſcopum, contrariam reportavit ſententiam archiepiſcopus.

Thomas archiepiſcopus aput **Noꝛhamptune** adverſus epiſcopos appellavit, & nocte ſequente receſſit cum tribus ſolummodo comitantibus eum, navicula fragili tranſvectus in *Flandriam*.

Adverſus archiepiſcopum directi ſunt nuncii quindecim, qui *Senonis* venerunt ad Dominum papam.

Regina *Francorum* peperit filium quem vocavit *Philippum*. 1165.

Alienor regina peperit filiam quam vocavit *Johannam*.

Reginaldus *Colonienſis* archiepiſcopus venit in *Angliam*.

Quidam pravi dogmatis diſſeminatores expulſi ſunt ab *Anglia* facie cauteriata. 1166.

Thomas archiepiſcopus venit *Viceliacum* die Aſcenſionis, & obſervatores conſuetudinum quas avitas appellant in *Anglia* ſollempniter excommunicavit.

Regi *Anglorum Thomas* archiepiſcopus ſcripſit in hæc verba, *Deſiderio deſideravi*.

Suffraganei *Cantuarienſes* ſcripſerunt archiepiſcopo.

Thomas archiepiſcopus ſcripſit *Gileberto Lundonienſi* epiſcopo.

Alienor regina peperit filium quem vocavit *Johannem*.

Alexander papa privilegium indulſit archiepiſcopo *Thomæ*.

Willelmus Papienſis, & *Johannes Neopolitanus* audituri cauſam regis & archiepiſcopi, infecto negotio redierunt.

Ludovicus rex *Francorum* per iiij. annos in expenſis providit archiepiſcopo *Thomæ*.

Matildis filia regis nupſit *Henrico* Duci *Saxonico*. 1167.

A *Normannis Calvus Mons* vicinus *Giſors* ſuc-

ceſſus

cenſus eſt, in ultionem rex *Francorum* combuſſit *Andeli* villam archiepiſcopi *Rothomagenſis*, & ipſa die rediit in *Franciam*, amiſſis in itinere pluſquam mille de ſuis.

An. Dñi 1168. *Alexandro* papæ magnates *Theutonici* regni ſcripſerunt, *Cum Clerum plurimum, &c.*

Alexandro papæ *Gilebertus Lundonienſis* epiſcopus, *Mundatum veſtrum pater, &c.*

Conanus Britanniæ Comes jure ſucceſſorio comitatum utrumque *Britanniæ* recipiens, ex ſorore *VVillelmi* regis *Scotorum* filiam reliquit hæredem.

1169. *Alexander* papa regi *Anglorum*, *Quam paternæ, &c.*

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus *Gileberto Lundonienſi* epiſcopo, *Exceſſus veſtros, &c.*

Alienor filia regis *Angliæ* nupſit *Adelfunſo* regi *Caſtellæ*.

Alexander papa regi *Angliæ*, *Serenitatẽ tuam, &c.*

Inter *Angliæ* regem, & Archiepiſcopum paci reformandæ multi multociens operas impenderunt. Ad ultimum *Vivianus & Gratianus* Cardinales.

Rex *Anglorum* & archiepiſcopus in quali quali concordia conveniſſent, niſi quia rex archiepiſcopo ſignum pacis in oſculo dare penitus abnegaſſet.

1170. *Alexander* papa *Gilberto Lundonienſi* epiſcopo, Sententiam excommunicationis ſuſcipiens abſolveris ab archiepiſcopo *Rothomagenſi*. Quod & factum eſt apud Rothomagum in die Paſchæ.

Interdictum eſt *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo ne manum apponeret conſecrationi regis *Anglorum Henrici*, ſimiliter & epiſcopo *Lundonienſi*.

Henricus filius regis *Henrici* conſecratus eſt in regem à *Rogero* archiepiſcopo xiiij kal. Iulii.

Rex & archiepiſcopus concordiam inierunt procurante pacem *Rotrodo Rothomagenſi* archiepiſcopo.

Alexander papa *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo, & *Hugoni Dunelmenſi* epiſcopo, *Cum filium ſuum, &c.*

Alexander papa epiſcopis *Angliæ*, *Cum kariſſimus filius, &c.*

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus Domino papæ, *Adductus eſt nobis, &c.*

Dum *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus tenderet verſus Wudeſtoc ad videndum novum regem, & hoſpitaretur apud Suthewerc, obvios habuit nuncios ejus interdicentes ei ne progrederetur.

1171. Die natalis Domini *Thomas* archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſermonem habens ad populum excommunicavit *Nigellum de Sackevill*, & *Robertum de Broc*.

Quinta die natalis Domini immolatus eſt archiepiſcopus coram altari ſancti *Benedicti*.

Hugo Terraconenſis archiepiſcopus interfectus eſt cultello.

Miſſi ſunt nuncii regis *Anglorum* ad dominum papam, qui eum excuſarent & ejus innocentiam allegarent.

In *Britannia* minori interfectus eſt *Hamo Leonenſis* epiſcopus.

Irradiare cœperunt miracula in honorem glorioſi martyris *Thomæ*.

Lundonienſis epiſcopus abſolutus eſt à *Nivernenſi*, & *Beluacenſi* epiſcopis, & abbate de *Pontine*.

Rex pater appulſus eſt in *Angliam*.

Domino papæ *VVillelmus Senonenſis* archiepiſcopus, *Veſtro Apoſtolatui pater ſancte, &c.*

Rex pater intravit *Yberniam*.

Cantuarienſis eccleſia ceſſavit fere per unum annum.

An. Dñi 1172. In nocte natalis Domini auditum eſt tonitruum.

Rex faciens pacem cum *Yberinenſibus* tranſfretavit in *Angliam*, & ſtatim cum feſtinatione qua potuit tranſvectus eſt in *Normanniam*.

Rotro Rothomagenſis archiepiſcopus, & epiſcopus *Ambianenſis* mandato domini papæ purgationem *Lundonienſis* epiſcopi ſuſceperunt.

Poſtquam rex *Anglorum* appulſus eſt in *Normanniam* ſtatim acceſſit ad *Albertum* & *Theodinum* Cardinales & legatos, abſolutionem petens ab eis petiit & impetravit.

Rotro Rothomagenſis archiepiſcopus *Margaritam* filiam regis *Francorum* reginam *Angliæ* conſecravit, & diadema regni capiti filii regis impoſuit.

1173. *Adelfunſus* rex *Arragonum Reimundus* Comes ſancti *Egidii*, *Girardus* de *Vienna* Comes de *Moriana* venerunt ad curiam regis apud *Montem Ferrum*.

Comes ſancti *Egidii* fecit homagium *Henrico* patri regis.

Rex pater regis & filius ab invicem diſcordes facti ſunt.

Lundonienſis epiſcopus tranſfretavit, referens has literas. *Albertus & Theodinus clero Angliæ, Inſpirante illo &c.*

Radulfus de Warnavilla regis factus eſt Cancellarius.

VValterus de *Conſtantia* factus eſt ſigillifer.

Septies viginti *Flandrenſes* irrumpentes in *Normanniam* ſubmerſi ſunt prope *Paſceium*.

Rex fieri liberas conceſſit electiones.

Vintonienſis & *Elyenſis* electi in ſuis intronizantur eccleſiis die Aſcenſionis.

Ricardus Doverenſis Prior, electus eſt *Cantuarienſis* archiepiſcopus.

Thomas prothomartyr *Cantuariorum* canonizatus eſt, ab omnibus decantatum eſt *Te Deum laudamus*.

Ludovicus rex *Francorum* obſedit *Vernolium*.

Caſtellum de *Albemarle* expugnatum eſt à rege filio.

Rex pater æquanimiter ferens omnia morabatur *Rothomagi*.

Rex *Francorum* audiens regis patris adventum, à *Vernolio* cum feſtinatione receſſit.

Subverſæ ſunt à rege patre portæ civitatis *Legeceſtriæ*.

Willelmus rex *Scotorum*, cum pro parte vaſtaſſet *Angliam* coactus eſt repatriare.

Comes *Legeceſtriæ* captus eſt apud *ſanctum Edmundum*.

Apud *Dolenſem* urbem capti ſunt à rege patre quinque viri magnates, & quater viginti milites de familia filii ſui.

Nicholaus ſubdiaconus à domino papa directus in *Angliam* infinitam congregavit pecuniam.

1174. Rex filius *Sagienſem* urbem invaſit.

Rex pater apud urbem *Santonicam* veniens, tres ibi munitiones ſibi ſubjugavit.

Flandrenſes in auxilium regis filii venientes in *Angliam*, vaſtaverunt *Norwicum*.

Ricardus Wintonienſis electus ab *Anglis*, miſſus eſt

eſt in *Normanniam*, ut regem patrem ſuum revocaret ad regnum.

Rex veniens in *Angliam*, eam pro maxima parte ſibi rebellantem invenit, & veniens *Cantuariam*, dum vota perſolveret orationum beato *Thoma* martyri, à militia ſua captus eſt rex *Scotorum*. Rex poſtmodum cum totam pacificaſſet *Angliam*, xxxiiij. die navem aſcendit ducens ſecum regem *Scotorum*. Et veniens *Rothomagum* eam invenit obſeſſam.

Amanrico regi *Ieroſolimitano* *Baldewinus* filius ejus ſucceſſit.

Audientes *Franci* regem patrem adventaſſe, machinis ſuis ignem appoſuerunt, & infecto negotio receſſerunt cum dedecore.

Tuſſis univerſum orbem infecit.

Ricardus Cantuarienſis electus *Romam* veniens, archepiſcopus, primas, apoſtolicæ ſedis legatus inſtitutus eſt.

Alexander papa ſcripſit *Lupo* regi *Valentia* pro liberatione *Chriſtianorum*; & *Ricardum Cantuarienſem* electum conſecravit epiſcopum.

Robertus Cameracenſis electus interfectus eſt.

An. Dñi 1175. *Willelmus* rex *Scotia* jure belli captus dedit obſides.

[*Philippus* Comes *Flandrenſis* crucem accepit.]

Everſa ſunt caſtella per *Angliam*.

Willelmus de *Braufa* multos *Walenſium* apud caſtellum de *Bergeveni* interfecit.

[*Hugo* Cardinalis venit in *Angliam*.]

Philippus Comes *Flandrenſis* *Walterum de Fontibus* cum *Yſabele* comprehenſum juſſit interfici.

1176. *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus male tractatus eſt aput *Weſtmonaſterium* in concilio quod *Hugo Petrileonis* habuit, quia legati voluit ſedere ad dexteram.

Rex *Anglorum* à kalendis *Aprilis* uſque ad novarum frugum abundantiam, decem milibus hominum penuria laborantium invenit neceſſaria.

Fredericus imperator *Mediolanum* vaſtavit.

1177. *Johanna* filia regis *Anglia* nupſit *Willelmo* regi *Sicilie*.

Manuel imperator *Conſtantinopolitanus* à *Sultano Yconii* domino, gravi jactura ſuorum affectus eſt.

Jurgium inter reges tam *Caſtella* quam *Navarra* ſopitum eſt judicio curiæ regis *Anglorum*.

Canonici *Walthamenſes*, qui ſeculares appellati ſunt, ſubintroductis regularibus ſunt amoti.

Fredericus Imperator abrenuncians ſciſmati dextravit *Alexandrum* papam aput *Venecias* ad eccleſiam ſancti *Marci*.

Gaufridus filii regis Cancellarius ſubmerſus eſt.

Ventus irruens ſilvas evertit.

1178. Nix maxima.

Valla maxima facta de ceſpitibus diruta ſunt in maritimis vi ventorum.

Willelmus abbas *Rameſienſis* tranſlatus eſt ad *Cluniacenſem*.

Caſtellum *Radulfi de Doloribus*, ad ducem ſpectat *Aquitannicum*, non ad regem *Francorum*.

Albertus Comes de *Marchia* regi *Anglorum* ſuum vendidit comitatum.

Ricardus de Luci in honorem ſancti *Thoma* martyris fundavit Abbatiam apud *Lnenes*.

Rex *Anglorum in Angliam* veniens viſitavit ſepulchrum ſancti *Thoma*.

Willelmus Remenſis archiepiſcopus venit in *Angliam*, ſancto *Thoma* martyri vota ſoluturus orationum.

Rex *Anglorum* *Gaufridum* filium ſuum cingulo militari donavit aput *Wdeſtocke*.

Fredericus imperator ab *Ytalia* rediit in *Teutonicam*.

Saladinus conflictum habens cum *Chriſtianis* lorica rejecta camelum curſorium aſcendit, & fuga ſibi conſuluit.

Johannes Strumenſis ſciſmaticus reconciliatus eſt.

Fredericus imperator aput *Arelas* quartam imperii ſui ſedem, diadema ſuſcepit die nativitatis beatæ virginis.

Alexander papa judicium poſſeſſionum à rege terminandum permiſit.

Rex filius regis per triennium in conflictibus *Gallicis* perſeveravit. An. Dñi 1179.

Rogerus Abbas electus ſancti *Auguſtini* anulum, mitram & cirothecas ſuſcepit aput *Tuſculanum*.

Synodus trecentorum decem epiſcoporum eſt habita *Roma*.

Agnes filia *Ludovici* regis *Francorum* nupſit *Alexio Manuelis* imperatoris filio.

Ricardus dux *Aquitannorum* ſubvertit *Taileburg* caſtellum *Gaufridi de Racuna*.

Ludovicus rex *Francorum* ſancto *Thome* vota ſoluturus orationum intravit *Angliam*, per triduum moram faciens *Cantuaria*.

Henricus rex *Anglorum* inſtituit tres epiſcopos, regni totius archijuſticiarios.

Septem ſpicæ pullulaverunt in culmo uno.

Cadvalanus a curia rediens ſub conducto regis, interfectus eſt.

Ludovicus rex *Francorum* trigamus ex tertio matrimonio filium procreavit *Philippum*.

Henricus rex *Henrici* regis *Anglia* filius *Remis* interfuit coronationi *Philippi* regis *Francorum* ſororii ſui.

Anaſtaſius imperator *Conſtantinopolitanus* coronam auream & tunicam bracceam miſit *Clodoveo* regi *Francorum*, ei conferens res regnandi.

Alexander papa *Preſbytero Johanni Indorum* regi litteras miſit, & nuncium direxit *Philippum Medicum*.

Willelmus de Magna villa filiam Comitis *Albemarle* duxit uxorem. 1180.

Conradus Marchio *Chriſtianum* archiepiſcopum *Maguntinum* conjecit in vinculis in rupe ſanctæ *Chriſtina*.

Philippus rex *Francorum* *Judeos* expulit à regno ſuo.

Henricus rex *Anglorum* direxit nuntios regi *Francorum* *Ricardum Wintonienſem* epiſcopum, & *Walterum de Conſtantia* regis ſigillarium.

Clericorum *Lemovicenſium* bona confiſcata ſunt, quia *Sebrandum Pictavenſem* decanum elegerant citra conſcientiam regis & filii ſui.

Philippus rex *Francorum* *Margaritam* filiam *Baldewini* Comitis *Hamaucenſis* duxit uxorem aput *Truncum*, quam unxit in reginam *Guido Senonenſis* archiepiſcopus aput ſanctum *Dioniſium*.

Ludovicus rex *Francorum* ſigilli ſui poteſtate privatus eſt.

Inter *Philippum* regem *Francorum* & matrem ſuam eſt orta diſcordia.

Fœdus inierunt *Philippus* rex *Francorum* & *Henricus* rex *Anglorum.*

Philippus rex *Francorum* Comitem *Cabilonenſem*, & *Humbertum de Bello Loco*, quoniam eccleſiam Dei perſequebantur, exercitu congregato perdomuit.

Ludovicus rex *Francorum* ſepultus eſt apud Abbatiam *Barbel* quam ædificavit.

Nova moneta formæ rotundæ fabricatur in *Anglia.*

An. Dñi 1181. Rex *Francorum Philippus* conſilio regis *Anglorum* ſe totum ſuppoſuit.

Philippus Comes *Flandrenſis* & *Stephanus* de *Sacro Ceſaris* conſpiraverunt adverſus regem *Francorum Philippum.*

Tres filii regis *Anglorum* præſtiterunt ſuccurſum.

Humbaldus Hoſtienſis epiſcopus papa creatus eſt *Lucius* papa tertius.

1182. *Gaufridus* filius regis *Lincolnienſis* electus, renunciavit electioni.

Henricus rex *Anglorum* quadraginta duo milia marcarum terræ *Ieroſolimitana* diſtribuit.

Poſt dies *Manuelis* imperatoris *Andronicus* nepos ejus *Conſtantinopolin* veniens, *Alexium* imperatorem creatum invenit, & ei fidelitatem juravit.

Bona *Rogeri Eboracenſis* archiepiſcopi confiſcata ſunt, dum ageret in extremis.

Henricus Dux *Saxonum* exhæredatus eſt.

Ricardus Cantuarienſis archiepiſcopus, *Waleranum Roſenſem* electum regalium poſſeſſorem inſtituit, præſente *Rannlfo* regni Iuſticiario.

1183. *Gualterus de Conſtantiis Oxenefordenſis* archidiaconus, electus eſt in epiſcopum *Lincolnienſem*; [conſecratus eſt Andegavis.]

Rex filius regis apud *Marcel* in *Turonia*, diem clauſit extremum, ſepultus eſt autem *Rothomagi.*

Magiſter *Gerardus* vocatus *Puella*, conſecratus eſt *Coventrenſis* epiſcopus.

Gualterus Lincolnienſis epiſcopus, die dominica qua cantatur *Gaudete in Domino*, ſua ſollempniter collocatur in ſede.

1184. *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus diem clauſit extremum apud *Hallinges* villam *Roffenſis* epiſcopi.

Gualterus Lincolnienſis epiſcopus electus eſt in archiepiſcopum *Rothomagenſem.*

Circa dies iſtos Dux *Saxonum* venit in *Angliam* cum familia ſua.

Baldewinus Wigornenſis epiſcopus electus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem.*

Saladinus ſcripſit domino papæ.

Siſidin rex *Egypti* ſcripſit domino papæ.

Eraclius patriarcha *Ieroſolimitanus* venit in *Angliam.*

Baldewinus rex *Ieroſolimitanus* ſcripſit patriarchæ *Ieroſolimitano.*

Filia regis *Portugalenſis* nupſit *Philippo Flandrenſium* Comiti.

Macemut inter reges *Affricanos* maximus obſedit ſanctum *Treneum.*

Apud *Veronam* domino papa præſente *Ravennas* Patriarcha perditionem terræ *Ieroſolimitana* cunctis expoſuit.

Lucius papa ſcripſit regi *Anglorum* pro ſubventione terræ *Ieroſolimitana.*

Philippus Colonienſis archiepiſcopus venit in *Angliam*, & coronata civitate ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia ſancti *Pauli.*

Fredericus imperator *Henrico* filio ſuo primogenito regni diadema fecit imponi prope *Maguntiam.*

Ordo militum rubeum enſem habentium pro ſigno, confirmatus eſt.

Eraclius patriarcha & *Rogerus* magiſter domus hoſpitalis venerunt in *Angliam.* An. Dñi 1185.

Gualterus Rothomagenſis electus cum per annum, & eo amplius ſediſſet in eccleſia *Lincolnienſi*, *Rothomagi* receptus eſt.

Regi *Anglorum* datum eſt conſilium ad ſalutem animæ ſuæ ſicut ſui dicebant, tutius præeſſe regno ſuo, quam peregre proficiſci.

Reges *Francorum* & *Anglorum* per triduum fecerunt moram apud *vallem Rodoli.*

Iohannes filius regis cingulo militari donatus, apud *Windleſores* tranſiit in *Hyberniam.*

In *Hyſpania* eſt fluvius *Hiberus* à quo dicti ſunt *Hybernienſes.*

Willelmus rex *Scotorum* factus eſt Comes *Huntendunæ.*

Hybernienſes tranſeuntes in *Scotiam* vocati ſunt *Scoti.*

Dominus papa confirmavit electionem *Baldewini Cantuarienſis* electi.

Monachi ſanctæ *Trinitatis*, & ſancti *Auguſtini* ſe mutuis proceſſionibus viſitarunt in rogationibus.

Herebertus oriundus in *Midelſexia* tranſitum faciens in *Sicilia*, *Conſenſanus* creatus eſt archiepiſcopus, & poſtmodum obrutus à terræ motu.

Willelmus rex *Siculus* imperium infeſtavit *Conſtantinopolitanum*, tranſitum habens per *Duratum.*

Gilebertus Lexovienſis archidiaconus creatus eſt epiſcopus *Roſenſis.*

Andronicus imperator interfectus eſt.

Curſac Angeli creatus eſt imperator.

Henricus Dux *Saxonum* rediit in *Saxoniam* patrimonio contentus.

Pax reformata eſt inter regem *Francorum*, & Comitem *Flandrenſem* apud *Albemarle.*

Humbertus Mediolanenſis archiepiſcopus creatus eſt papa vocatus *Urbanus* iij.

Henricus rex *Teutonicus* duxit uxorem filiam *Rogeri* primi Siculi regis. 1186.

Viennenſis archiepiſcopus coronavit *Fredericum.*

Aquileienſis patriarcha filium ejus.

Urbanus papa ſcripſit epiſcopis *Angliæ.*

Reges *Francorum* & *Anglorum* convenerunt prope *Giſortium.*

Rex *Angliæ* munitiones *Aquitanniæ* quibus vellet commiſit.

Willelmus de Ver conſecratus eſt *Herefordenſis* epiſcopus.

Gaufridus Dux *Britanniæ* filius regis *Anglorum*, ſepultus eſt *Pariſius* in eccleſia majore.

Margarita ſoror regis *Francorum* nupſit *Belæ* regi *Hungariæ.*

Hugo Gratianopolitanus genere conſecratus eſt epiſcopus *Lincolniæ.*

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus venit in *Angliam.*

Radulfus de Vallibus interfectus eſt à *Henrico de Ver.*

Guido Jopenſis Comes conſecratus eſt rex *Ieroſolimorum.*

Baldewinus archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia ſancti 1187.

Pauli Lundon: die dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem.*

Conſtantia Comitiſſa *Britanniæ* die Paſchæ peperit filium quem vocavit *Arturum.*

Crux Domini capta eſt prope *Tyberiadem.*

Margarita regina *Francorum* peperit filium quem vocavit *Ludovicum.*

Albertus Cancellarius *Romanus* creatus eſt papa vocatus *Gregorius octavus.*

Ricardus Comes *Pictavorum* primus inter proceres crucem ſuſcepit.

An. Dñi 1188. Reges *Francorum* & *Anglorum* crucem ſuſceperunt.

Ricardus *Barre Lexoviensis* archidiaconus directus eſt ab *Anglorum* rege nuntius Imperatoribus *Romano* & *Conſtantinopolitano*, & regi *Hungariæ.*

Gaufridus de *Liziniaco* quendam familiariſſimum *Ricardum* Comitem interfecit.

Reddita eſt *Jeruſalem Saladino.*

Boamundus Comes *Tripolitanus* amens factus eſt & expiravit.

Fredericus Imperator litteras direxit *Saladino.*

Inter reges *Francorum* & *Anglorum* habitum eſt colloquium prope *Bonmulins.*

Ricardus Wintonienſis epiſcopus diem clauſit extremum.

1189. Mandato regis *Radulfus* de *Diceto* Decanus *Lundoniæ* transfretavit.

Fredericus Imperator aput *Reinesburg* iter peregrinationis arripuit.

Henricus rex *Anglorum* diem clauſit extremum aput *Chinun*, ſepultus eſt aput *Fontem Ebraldi.*

Civitas quæ *Silvia* vocatur à Chriſtianis in *Hiſpania* ſubjugatur.

Ricardus Comes *Pictavorum* quia contra patrem ſuum arma moverat, abſolutus eſt ab archiepiſcopis tam *Cantuarienſi* quam *Rothomagenſi* aput *Sagium*, qui veniens aput *Rothomagum* à *Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo, ducatus *Normanniæ* poteſtatem accepit per enſem & vexillum.

A patre tranſeamus ad filium quem adverſa ne frangerent proſpera ſæpius evexerunt. Ricardus *igitur rex* Anglorum *ad expiandas atroces injurias quas in patrem commiſerat, dum tenderet* Jeruſalem *expertus eſt multociens in terra labores, in mari pericula. Set in itinere ne deficeret aurum, à* Siculis, *à* Cypris *&* Agarenis *in conflictibus ſingulis reportavit triumphum. Ut autem rediret ad cor & medelam ſuis exceſſibus collatam ſentiret, à peregrinatione revertens in carcerem eſt retruſus, ad redemptionem compulſus eſt, ſtatus interverſionem incurrit. In* Angliam *rediens præter ſpem ſuorum fidelium in favore magno tam cleri quam populi diu deſideratus advenit. Regno ſuo per dei gratiam in brevi pacificato tranſiit in* Normanniam, *& intra paucos dies multos ex ſuis qui dum in vinculis teneretur ad ſuos hoſtes transfugerant potenter edomuit, ut à* Vernolio *quouſque dirigatur iter ad* Crucem Karoli *nullus ei rebellis exiſtat.*

Ad coronationem *Ricardi* regis *Anglorum* convenerunt iiij. archiepiſcopi. Convenit etiam epiſcoporum multitudo.

Ricardus rex *Anglorum Cyſtercienſibus* contulit annuos redditus centum marcarum ad procurandum Capitulum.

Habitus eſt generalis conventus aput *Pipewelle* pro conſilio vacantium eccleſiarum.

Decanus & Canonici *Lundoniæ* lx. marcas expenſarum nomine quas fecerant, receperunt à fiſco.

Treverenſis archiepiſcopus ſepultus eſt apud ſanctum *Andream Northamtune.*

Obſederunt *Aconem* Chriſtiani in fine *Auguſti.*

Wintonienſis & *Saresbirienſis* electi conſecrati ſunt in capella ſanctæ *Katerinæ.*

Convenit quod capella de *Hachetuna* per unum ſacerdotem amminiſtretur.

Willelmus rex *Scotorum* regi *Anglorum* numeravit decem milia marcarum.

Tancredus factus eſt rex *Siciliæ.*

Ricardus Lundonienſis & *Willelmus Elyenſis* electi conſecrati ſunt aput *Lameiham.*

Baldewinus archiepiſcopus peregre profecturus vices ſuas *Lundonienſi* commiſit epiſcopo.

A peregrinantibus interfecti ſunt *Judæi.*

Aput *Aconem* ſunt tria cimiteria.

Margarita regina *Francorum* laborans in partu mortua eſt.

Epiſcopi facti ſunt Comites, facti ſunt vicecomites.

Hugo *Coventrenſis* epiſcopus quia vicecomitatum ſuſceperat ſuſpenſus eſt.

Clemens papa confirmavit electionem *Gaufridi Eboracenſis* electi.

Quomodo diviſus eſt exercitus aput *Aconem*; qui duces extra vel intus.

Anſericus de *Monte regali* moriens detexit prodicionem quam fecit tam ipſe quam *Franci.*

Willelmus Elyenſis epiſcopus intra triduum conſtitutus eſt *Romæ* domini papæ legatus, & aput *Baionam Angliæ* Juſticiarius.

Rex *Francorum* iter ſuum direxit verſus *Januenſem* urbem, rex *Anglorum* verſus *Marſiliam.*

Willelmus Angliæ legatus convocavit epiſcopos aput *Glavornam.*

Fredericus Imperator ſubmerſus eſt in fluvio qui vocatur *Safet.*

Ricardus rex *Anglorum* nuntios domini papæ ſuſcepit in portu *Romano.*

Baldewinus archiepiſcopus, *Hubertus Saresbirienſis* epiſcopus & *Ranulfus* quondam *Angliæ* Juſticiarius, à ſiniſtra reliquerunt *Siciliam*, applicuerunt aput *Tyrum* invenientes *Aconem* obſeſſam.

Tres machinæ quas Chriſtiani conſtruxerant ad everſionem *Acon*, ab igne qui *Græcus* dicitur à *Saracenis* injecto combuſtæ ſunt. Et ſic civitas *Acon* tunc liberata fuit.

Chriſtiani panis inedia laborantes inſultum fecerunt in *Saracenos* die feſto ſancti *Jacobi.*

Reges *Francorum* & *Anglorum* appulſi ſunt aput *Meſſanam.*

Habitum eſt regionale Concilium aput *Weſtmunſter.* Præſedit *Willelmus* Apoſtolicæ ſedis legatus, *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus ſedit ad dexteram.

Tancredus rex *Siculus* numeravit regi *Ricardo* primum unciarum auri vigeſies mille, ſecundo totidem uncias.

Conradus Marchio de *Monte Ferario Sibillam* filiam *Amaurici* regis à viro disjunctam accepit uxorem.

Alienor regina cum per iiij. dies moram feciſſet cum *Ricardo* rege filio ſuo rediit in *Angliam*.

Inter regnum & ſacerdotium orta quæſtione in *Normannia*, conſenſu partium finis qualis qualis appoſitus eſt.

Baldewinus archiepiſcopus *Cantuarienſis* agens in extremis *Hubertum Saresbirienſem* epiſcopum teſtamenti ſui conſtituit executorem.

Hubertus Saresbirienſis epiſcopus ſcripſit *Lundonienſi* epiſcopo.

An. Dñi 1191. *Jacinctus* inter diaconos primus creatus eſt papa, vocatus *Cœleſtinus* papa tercius.

Cœleſtinus conſecravit *Henricum* imperatorem.

Civitas *Tuſculanum* à *Romanis* eſt diruta.

Robertus filius Seneſcalli *Normanniæ* creatus eſt *Wigornenſis* epiſcopus.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus à *Sicilia* rediens in *Angliam* mandato regis inter Juſticiarios factus eſt primus.

Reges *Francorum* & *Anglorum* navem aſcenderunt aput *Meſſanam* viſitaturi *Jeruſalem*.

Rex *Anglorum* apud *Rodos* applicuit & poſtmodum aput *Cyprum*, & *Curſac* qui ſe vocabat Imperatorem *Cypri* ſubjugavit.

Rex *Francorum* applicuit aput *Acon*.

Cancellarius interdixit archiepiſcopo *Rothomagenſi* ne tenderet *Cantuariam*.

Rex *Anglorum* multas naves habens in comitatu applicuit aput *Acon*.

Gaufridus Eboracenſis electus *Turonis* conſecratus eſt, qui rediens in *Angliam* captus eſt aput *Doveram*.

Habitum eſt colloquium aput pontem de *Lode*.

Willelmus Helyenſis epiſcopus veritus à facie Comitis *Johannis* locum ſibi cauſabatur ſuſpectum, & exterritus verſus *Lundoniam* iter direxit fugiendo.

Rogerus de *Planes* interfectus eſt.

Inſertum eſt Capitulum de *Arvando*.

1192. *Reginaldus Batonienſis* epiſcopus nominatus à monachis *Cantuarienſibus Cantuarienſis* electus, diem clauſit extremum.

Rex *Francorum* rediens *Jeroſolimis* receptus eſt *Pariſius*.

Marchio confoſſus eſt ab *Arſacidis*.

Henricus Campaniæ Comes *Marchionis* relictam duxit uxorem.

Caterva Saracenorum capta eſt.

Rex *Anglorum Jopen* quem ceperant *Saraceni* recuperavit.

Inter *Chriſtianos* & *Saracenos* datæ ſunt induciæ.

Savaricus electus eſt in epiſcopum *Bathonienſem*.

Regem *Anglorum* dux *Auſtriæ* comprehendit apud *VVenam*.

1193. *Johannes* Comes *Moritonii* munitiones multas firmavit in *Anglia*.

Dux *Auſtriæ* vendidit regem *Anglorum* imperatori.

Rex *Anglorum* retruſus eſt in loco qui dicitur *Trivallis*.

Hubertus Saresbirienſis epiſcopus, electus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem*.

Redemptio regis excrevit ad centum milia librarum argenti.

Hugo Ceſtrenſis epiſcopus ſpoliatus eſt apud *Doveram*.

Celebratum eſt divortium inter regem *Francorum* & reginam.

Hubertus Cantuarienſis electus ſua ſollempniter collocatur in ſede.

An. Dñi 1194. *VValterus Rothomagenſis* transfretavit in *Alemanniam*.

VValterus Rothomagenſis archiepiſcopus ſcripſit *Radulpho* decano *Lundoniæ*.

Rex ſolutus eſt à carcere.

Pactiones initæ ſunt plures inter imperatorem & regem.

Confligentibus duce *Lovaniæ* & Comite *Hamocenſe* duci ceſſit victoria.

De regibus *Siciliæ*.

Rex *Anglorum* ſollempni proceſſione receptus eſt *Coloniæ*.

Rex veniens in *Angliam* receptus eſt *Lundoniæ* coronata civitate.

In octavis paſchæ regni diadema ſuſcepit *VVintoniæ*, & veniens in *Normanniam Vernolium* invenit obſeſſum.

Herbertus Cantuarienſis archidiaconus electus eſt in epiſcopum *Saresbirienſem*.

Rex *Francorum* ſubvertit Caſtellum quod vocatur *Funteines*.

Andegavenſes caſtellum quod vocatur *Mons mirabilis* ſubverterunt.

Filius regis *Navarræ* venit in auxilium regi *Anglorum*.

Rex *Francorum* prope *Vindocinum* veniens receſſit exterritus.

Rex *Anglorum* cepit *Taileburg* & totam terram Comitis *Engoliſmenſis*.

Abſolutus eſt dux *Auſtriæ* præſtito juramento quod ſtabit mandato domini papæ.

Treugæ datæ ſunt inter reges.

Johannes Lugdunenſis archiepiſcopus venit in *Angliam*.

A rege *Francorum Philippo* directi ſunt nuncii iiij. ad *Anglorum* regem *Ricardum*.

Piſcis quidam vocatus vulgo Craſſus piſcis appulſus eſt apud *Edulveſnaſe*.

Ricardus rex *Anglorum* fidelibus ſuis ſalutem. Noveritis compoſitionem factam inter Dominum *Rothomagenſem* archiepiſcopum & cives *Rothomagi*.

Ricardus rex *Anglorum* Decano & Canonicis *Turonenſibus*.

VValterus Rothomagenſis archiepiſcopus *Radulfo* decano *Lundoniæ*.

Philippus rex *Francorum* Bailivis ſuis ſalutem.

Rogerus de genere *Normannorum* primus in *Siciliæ* rex creatus eſt.

Die feſto ſancti *Stephani* dux *Auſtriæ* cecidit equo.

Henricus imperator & rex *Siciliæ Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo.

Hubertus Cantuarienſis archiepiſcopus legatus creatus eſt.

Cœleſtinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Cœleſtinus epiſcopus *Eboracenſi* archiepiſcopo.

Willelmus Elyenſis epiſcopus *Radulfo* de *Diceto* decano *Lundoniæ*.

An. Dñi 1196. *Ricardus rex Anglorum Ricardo Lundonienſi* epiſcopo.

Waltero Rothomagenſi archiepiſcopo *Radulfus* decanus *Lundoniæ, Suus ille quondam.*

Philippus rex Francorum tres litteras ſcripſit archiepiſcopo *Rothomagenſi.*

Ricardus rex Anglorum epiſcopo *Eboracenſi, Significamus vobis.*

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus *Radulfo* decano *Lundoniæ, Licet nobis.*

Circa dies iſtos aquarum inundatio.

Circa dies iſtos, Iniquitatem & contradictionem.

Johannes decanus *Rothomagenſis* electus in epiſcopum. *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus *Radulfo* decano *Lundonienſi. Diſcretioni veſtra.*

1197. *Willelmus Helyenſis* epiſ. Dum *Romam* tenderet.

Circa dies iſtos epiſcopo *Cameracenſi Johanne* defuncto tres ſunt electi &c.

Cœleſtinus papa *H. Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Cum de agro Domini.*

Robertus Prior *Elyenſis* electus eſt abbas eccleſiæ ſanctæ dei genitricis apud *Eboracum.*

Rex *Anglorum Ricardus* caſtellum ſancti *Valerici* ſuccendit.

Ymbrium infuſio triduana per *Angliam.*

Philippus Dunelmenſis electus conſecratus eſt *Romæ.*

Marchadeus epiſcopum *Belvacenſem* & *Willelmum de Morlei* cepit in bello.

Notum ſit univerſis hoc ſcriptum viſuris, quod hoc eſt fœdus, & conventio inter *Ricardum* regem *Angliæ* & *Philippum* Comitem *Flandriæ.*

Ab ea die qua *Willelmus Helyenſis* epiſcopus prope *Pictavim* in abbatia de *Pim* ſepultus eſt.

Cœleſtino papa tercio defuncto *Lotharius* diaconus Cardinalis papa creatus eſt.

Innocentius papa tercius *Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo. *Cum emergentium litigia queſtionum &c.*

Sanguis pluit undatim aput *Andeleium.*

Gaufridus Ceſtrenſis electus *Cantuariæ* conſecratus eſt.

Otoni nepoti regis *Anglorum Ricardi* redditum eſt *Aquiſgranum.* vj. idus Julii conſecratus eſt in regem.

In marchia principales defenſivæ locorum prope munitionem illam quæ vocatur *Caſtellum Matildis &c.*

Ricardus Lundonienſis epiſcopus tercius defunctus eſt.

Villa ſancti *Audomari* reddita fuit Comiti *Flandriæ.*

Ricardus rex *Anglorum* intravit terram regis *Francorum* cum exercitu.

Ymagines

Ymagines Hiſtoriarum autore Radulfo de Diceto.

An. Dñi 1148. Henricus *Gaufridi* Plantegeneſt Comitis *Andegavorum* primogenitus cingulo militari donatus eſt à rege *Scotorum David* in feſto Pentecoſtes apud *Karliul.*

Ludovicus rex *Francorum* & regina *Alienor* rediere *Jeruſalem.*

1149. *Hyems* maxima.

Theobaldus Comes *Bleſenſis* donavit cingulo militari *Gaufridum* filium *Gaufridi* Plantegeneſt Comitis *Andegavorum.*

1150. Everſo monaſteriolo quod tribus annis obſeſſum fuerat, *Gaufridus* Plantegeneſt reddidit ducatum *Normanniæ Henrico* filio ſuo.

Ludovicus rex *Francorum* accepit homagium *Henrici* filii *Gaufridi Plantegeneſt* de ducatu *Normanniæ* & comitatu *Andegaviæ.*

Civitas igitur *Andegavenſium* antiquorum induſtria montis in edito collocata conſiſtit, in mœnibus vetuſtiſſimis gloriam fundatorum recenſens; in quadris lapidibus, modernorum parcitatem accuſans; in tenaciori cemento, ſabuli condiendi periciam penitus deperiſſe prætendens. Pars urbis hominum manu facta munitior vergit ad notum. Natura loci pars inexpugnabilis reſpicit ad occaſum. Quaque latus occidentale vicinatur auſtrali, domus ſurgit ſpacioſiſſima, digna ſatis in nomen tranſire palacii, ſi thalami regio ſumptu, regia diſciplina, regio moderamine recenter extructi non excreſcerent in immenſum. Hinc ad aquas præterfluas, hinc ad montana vitibus conſecrata proſpectum habentes. Rurſus ut civitas multo capacior milia hominum concurrentia ſub una confœderatione concluderet, montem poſitum in vicino populis ad inhabitandum expoſuit. Quorum ſi fortunam attendimus, felicius incolunt ſuburbana quam urbem. Quod ſi devotionem quam erga deum, erga ſacroſanctam eccleſiam ea gens exhibuit, ab antiquo revolvatur attencius, ſanctorum memoriæ plurimorum, ibidem in Chriſto quieſcentium, celebres illis habentur in locis. Nec adeo facile quoquam reperies tot domos religioſas & piis deputatas collegiis, & principum liberalitate ditatas, & in regularibus diſciplinis informatas attente. Rurſus ut opportunitatem loci commoditas aquarum illuſtret, ſi de quantula *Ligeris* remotione queraris, inter medium montium quos memoravimus nobilis fluvius influit Meduana. Qui cum intumuerit inſtar maris in hyeme, ſub æſtate rareſcit, arenoſis anguſtatus in alveis. Ut autem liberum civibus commeatum offerret, terra, lignis, lapidibus comportatis conſtrui ſuper aquas in habitaculis ergaſteria toleravit, ſic ex oppoſito ſibi reſpondentia, ſic fere ſub æqua contignatione diſpoſita, quod pontem medium ex maxima parte ligneum quaſi ſolidam redigant in plateam. Tranſeuntibus quidem aſſidue patefactam ſed Phœbo non perviam. In qua quid uſus deſideret, quid luxus depoſcat, abunde reperiet tranſitus per eam compendioſus.

Dum *Gaufridus Plantegeneſt* Comes *Andegavorum* rediret *Pariſius* à curia regis *Francorum*, conceſſit in fata apud Caſtrum *Lidli*, ſepultus eſt autem *Cenomannis* in eccleſia ſancti *Juliani.*

An. Dñi 1151. *Fredericus* nepos *Conradi* dicti *Romani* Imperatoris fit rex *Teutonicus.*

Celebratum eſt divortium inter regem *Francorum* & reginam *Alienor.*

Henricus dux *Normannorum* & Comes *Andegavorum* duxit *Alienor* relictam regis *Francorum*, & ſic factus eſt dux *Aquitanorum.*

Igitur Aquitania rerum affluens opulentiis multiplicibus, ſic orbis occidui partes diſtinctas antiquitus antecellit, ut inter *Galliarum* provincias felicior & fecundior tradatur ab yſtoriographis. Quæ ſuos licet agros cultui, ſuas etiam vires propagationi, ſua denique nemoroſa venatui noverit optime reſpondere, nichilominus appellationis originem mutuatur ab aquis. Id ſolum forte ſupputans inter delicias numerandum, quod procreat aqua ſalubrior vel gurgiti remittendum, vel levandum in aera.* *Garumnæ* ſiquidem decurramus ad ortum, æquoreas properantem ad undas, decurramus etiam ad montes *Pireneos*; Quicquid itaque fuerit inventum interjacens à fluminibus traxit vocabulum, ab aquarum commoditatibus derivatum. Et cum illis in partibus lubricum linguæ paſſim omnibus repromittat impunitatem, an ſit magis in fide ſtabilis an in ſermone labilis, morem gentis ignorans poterit ignorare. Quæ cum ad ſuperbiam hoſtium edomandam inſtanter inſtiterit, & poſt belli ſudores in bona quiete perſtiterit, ilico tota defluit in voluptatem. Sic palato deſerviens ut in ſaporibus diſtinguendis, conficiendis & diſcernendis privilegio gratiæ ſingularis effulgeat, ſic linguæ ſatisfaciens, ut in ſalibus condiendis licet mordacibus plurimum habeat civilitatis annexum. Itaque *Pictavienſes* in vulgarium eſu carnium bovinam avidius amplectuntur. Cum vero piper & allium mixtum in mortarium detruduntur, ad condimentum utriuſque caro recens nunc ſuccum exigit pomorum ſilveſtrium, nunc à viminibus pampino coætaneis jus depoſcit extortum, nunc uvarum liquorem deſiderat primitivarum. Cum dies venerit indulgentior campeſtria nec faſtidiunt, nec nimis appetunt affectuoſe. Sed anathem vel laqueolo comprehenſam vel obvolutam reticulo devote requirunt; quam ad ignem lignorum viridium ſtudioſe appoſitam ſatis tractant delitioſe. Laxatis retibus piſcium in capturam ſi lautiora caſus obtulerit, quod quidem raro non evenit, nunc extrahitur ſturgio regium reſervandus in cibum, nunc flumini latenter immerſas murænia labitur in inſidias. Quæ quamvis alias guſtum ſibi ſuſpectiſſimum reddat, illis tamen in locis abſque delectu perſonarum & potus hinc dicioribus hinc pauperinis indifferenter menſis apponitur.

Hamonius lib. 3.

* Aquitania *dicitur eo quod præ cæteris* Galliæ *provinciis fontibus & torrentibus ſcaturiat. Quæ* à Garumna *flumine ad* Pireneos *montes extenditur, & obliquo* Ligeris *curſu quidam ex parte terminat, pene in orbem cingitur.*

Obiit *Radulphus* abbas xvij. eccleſiæ ſancti *Albani.*

Ludovicus rex *Francorum*, *Euſtachius* filius regis *Stephani*, *Henricus* Comes *Campanienſis*, *Robertus* Comes *Perticenſis* in *Normannia* caſtellum *Novi mercati* cum ſuis auxiliariis obſidentes, dum *Henrici* ducis adventum ut obſeſſis ſuccurreret intellexiſſent, interventu religioſorum datis induciis infecto negotio receſſerunt. Dux vero fratrem ſuum *Gaufridum*

dum perſequens in *Andegaviam*, ipſum ad petendas coegit inducias.

Robertus de *Gorram* abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xviij.

Johannes Papirio Cardinalis legatione fungens in *Hyberniam*, quatuor ibi conſtituit archiepiſcopos, qui dum tranſitum habuiſſet per *Angliam* fidelitatem juravit regi *Stephano*.

Gaufridus Artur fit epiſcopus ſancti *Aſaph*.

Regina *Matildis* regis *Stephani* uxor ſepelitur aput *Favereſham*.

Pullulante pernitioſa doctrina *Henrici* hæretici, maxime in *Guaſconia*, ſuſcitavit Dominus ſpiritum puellæ junioris in illa provincia, ad eandem hæreſim confutandam. Per triduum namque in unaquaque ſeptimana jacebat abſque voce, ſenſu, etiam abſque flatu, & rediens poſtmodum ad ſe, dicebat beatam *Mariam* orare pro populo Chriſtiano, & beatiſſimum *Petrum* docuiſſe ſe orthodoxam fidem. Exinde de fide noſtra ſapienter & catholice diſſerebat, & præcipue hæreſim *Henrici* convincens, plurimos ab eo ſeductos ad ſinum ſanctæ matris eccleſiæ revocabat.

1152. *Henricus* dux *Normannorum* intravit *Angliam* in manu valida infra octabas Epiphaniæ, caſtellum de *Malmesburi* obſedit, & milites intus obſeſſos ad deditionem coegit.

Ricardus de *Belmeis* archidiaconus de *Migdelſexe Lundonienſis* electus antiſtes, conſecratus eſt *Cantuariæ* à *Theobaldo* archiepiſcopo, omnibus fere epiſcopis *Angliæ* præſentibus. *Henricus* vero *Wintonienſis* epiſcopus, dum eſſet abſens, archiepiſcopo ſcripſit in hæc verba.

Temporis brevitas, improviſa vocatio, tranſitus ſuſpecti, inproba prædonum moleſtia, medicamenti ſollicitudo adhibita excuſabiles paternitati veſtræ nos reddunt. Electioni vero factæ & conſecrationi faciendæ benignum ex affectu præbemus aſſenſum. Quoniam quidem perſona & moribus pollet, & induſtria viget & ſcientia floret, credimus quod in domo Dei plantata, adjutrice divinitate, florebit & faciet fructum.

David regi *Scottorum* ſucceſſit *Melcomus* nepos ejus.

Euſtachius filius regis *Stephani* ſepelitur aput *Favereſham*.

Anaſtaſius papa.

Bernardus Clarevallenſis abbas migravit ad Dominum.

1153. *Alienor* Duci *Normanniæ* peperit *Willielmum*.

Henricus Eboracenſis archiepiſcopus obiit.

Evenit quod minime credebatur, diſſenſio regni non dirimetur in gladio. Partibus evocatis hinc & inde tranſactio celebrata eſt. Diligentia intervenit archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & auctoritas plurimum operata eſt. *Wintonienſis* epiſcopi profuit ſollicitudo. Coepiſcoporum aſſenſus non defuit, defuit procerum & conſilium & conſenſus; Et ut noſtri majores videantur à legibus aliquid accepiſſe novi, aliquid ſumpſerunt à legibus. Ducem ſiquidem *Normannorum* rex in filium arrogavit; Ei & in eum jus ſuum tranſtulit & poteſtatem, ſibi quoad vixerit regiæ dignitatis ſolam ymaginem reſervavit. Et ſi propheticum illud attenderis, jam ſe induit genitore, jam Ducem arrogavit in filium. In participem regni & poſtmodum ſucceſſorem univerſi Ducem recipient. In rege ducem, in duce regem ſinguli venerabuntur. Et ut regem *Stephanum* nunc regem intelligas, antiqua regni privilegia reſtaurare proponit. Regalia paſſim à proceribus uſurpata recipiet, munitiones ſuis fundatæ temporibus diruentur, quarum numerus uſque ad undecies centum quindecim excrevit. Ut autem ad minora recurras, prædiis aſſignabit colonos, inſularios ædificiis, nemoribus ſaltuarios, feris ditabit indagines, ovibus decorabit montana, paſcua replebit armentis. Clerus nunc demum dominabitur, pacis tranquillitatem indicet, muneribus ſordidis non gravabitur. Ab extraordinariis vacationem habebit. Defenſivæ locorum ſeu vicecomites locis ſtatuentur ſtatutis. Non in votum exercendæ cupiditatis abibunt. Non quemquam ex odio perſequentur. Non gratificabuntur amicis, non indulgentiis crimina ſullevabunt, ſuum cuique reſervabunt ex integro. Metu pœnarum nonnullos afficient, Præmiorum exhortatione plurimos excitabunt. Fures terrebuntur in furca: Prædones ſententia capitali plectentur. Milites caligati gladios ſuos in uſum vomeris ligoniſque convertent. A caſtris ad aratra, à tentoriis ad ergaſteria *Flandrenſium* plurimi revocabuntur, & quas noſtratibus operas indixerunt dominis ſuis ex neceſſitate perſolvent. Quid multis? ab excubiis fatigati à communi læticia reſpirabunt. Innocens & quieta ruſticitas ocio relevabitur. Negotiatores commerciorum viciſſitudo locupletabit. Forma publica percuſſa eadem in regno celebris erit ubique moneta.

Ludovicus rex *Francorum* duxit uxorem filiam *Adelfunſi* regis *Hiſpaniæ*; Caput regni hujus regis civitas eſt *Toletum*. Quem quia principatur regulis *Arragonum* & *Galiciæ*, *Imperatorem Hiſpaniarum* appellant. 1154

Rogerus rex *Siciliæ* ſucceſſorem reliquit *Willielmum* filium ſuum, qui duxit filiam *Garſiæ* regis *Navarrorum*.

Willelmus quondam *Eboracenſis* archiepiſcopus depoſitus ab *Eugenio* papa, reſtitutus eſt per *Anaſtaſium*. Plures hoc modo reſtitutos fuiſſe declarant exempla. *Johannes Criſoſtomus* à duabus ſynodis fuit judicatus, ſed iterum fuit reſtitutus. *Marcellus* epiſcopus *Anchiræ Galatiæ* depoſitus fuit & iterum reſtitutus. *Aſclepius* dijudicatus à ſynodo eccleſiam ſuam poſtea recepit. *Lucianus* epiſcopus *Adrianopolites* dampnatus à papa *Julio* eccleſiam ſuam recepit. *Cirillus Jeroſolimitanus* epiſcopus depoſitus fuit, poſtea reconciliatus eſt. *Policronium* pontificem *Sixtus* papa dampnavit, & iterum ipſe eum reconciliavit. *Innocentius* papa *Fortunatum* dampnavit epiſcopum, ſed ipſe eum poſtea eccleſiæ ſuæ reſtituit. *Miſentium* epiſcopum à *Felice* papa dampnatum *Gelaſius* papa eccleſiæ ſuæ reſtituit. *Leoncius* dum eſſet presbyter depoſitus fuit, ſed poſtea in *Antiochena* eccleſia Patriarcha extitit. *Gregorius* iiij. papa *Theodoſium* quem *Eugenius* ejus anteceſſor presbyterii honore privaverat, eccleſiæ *Signinæ* conſecravit epiſcopum. *Ibas* epiſcopus dijudicatus fuit, ſed iterum eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt. *Rothaldum* epiſcopum *Sueſſionis* eccleſiæ condempnatum & *Sofrenum Placentinum* epiſcopum merito reprobatum *Nicholaus* papa ambos reconciliavit. *Johannes* papa viij. *Photinum Nephotinum* à papa *Nicholao* depoſitum in patriarchatu *Conſtantinopolitano* reſtituit. *Formoſum Portnenſem* epiſcopum quem *Johannes* papa viij. depoſuerat *Marinus* ſucceſſor *Johannis* reſtituit. *Arnulfum Remenſem* archiepiſcopum

Ivo Cartenſis epiſcopus.

pum *Hugo Chapet* rex *Francorum* degradari fecit, quem *Marinus* papa eccleſiæ *Remenſi* reſtituit. *Aimarum Viennenſem* archiepiſcopum, quem *Innocentius* 2. in *Piſano* concilio depoſuerat, *Adrianus* papa reſtituit.

Rogerus Cantuarienſis archidiaconus die feſto ſancti *Paulini* in *Eboracenſem* archiepiſcopum conſecratus eſt à *Theobaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Weſtmonaſterium.* Sed profeſſionem non fecit.

Rex *Stephanus* viij. kal. Novembris obiit & ſepultus eſt apud *Favereſham*, quod monaſterium ipſe à fundamentis ædificaverat. Quo audito, dux *Normannorum Henricus* venit *Barbeſluvium*, & ibidem per unum menſem ventum expectavit, & vij. idus Decembris in *Angliam* veniens, xiiij. kal. Jan. die dominica ante natale Domini apud *Weſtmonaſterium* ab omnibus electus & in regem unctus eſt à *Theobaldo* archiepiſcopo *Cantuarienſi*, præſente archiepiſcopo *Eboracenſi* & aliis epiſcopis *Angliæ*. *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus manum non apposuit.

H*Ic* eſt *Henricus* ſecundus rex *Anglorum* cujus mater *Matildis* imperatrix, cujus mater *Matildis* regina *Anglorum*, cujus mater *Margarita* regina *Scotorum*, cujus pater *Edwardus*, cujus pater *Edmundus ferreum latus*, cujus pater *Ædelred*, cujus pater *Edgarus* Pacificus, cujus pater *Edmundus*, cujus pater *Edwardus ſenior*, cujus pater nobilis *Aluredus*, qui fuit filius *Edwlfi* regis, qui fuit filius [regis] *Egbrichi*, cujus pater *Alcmundus*, cujus pater *Effa*, cujus pater *Eppa*, cujus pater *Ingles*, cujus frater fuit famoſiſſimus rex *Ine* nomine, quorum pater *Keonred* qui fuit filius *Ceowald*, qui fuit *Cutha*, qui fuit *Cuthwinum*, qui fuit *Chelwin*, qui fuit *Cheuric*, qui fuit *Creoda*, qui fuit *Ceordic*, qui fuit *Eleſa*, qui fuit *Ecla*, qui fuit *Genuis*. Iſte fuit capud gentis ſuæ, à quo & tota illa gens nomen accepit. Hujus pater fuit *Wig*, cujus pater fuit *Frewine*, cujus pater *Freodegar*, cujus pater *Brand*, cujus pater *Bealdaes*, cujus pater *Woden*, qui fuit *Frederewald*, qui fuit *Freolf*, qui fuit *Fredewlf*, qui fuit *Fringoldwlf*, qui fuit *Geta*, qui fuit *Geatwa*, qui fuit *Beu*, qui fuit *Sceldwa*, qui fuit *Heremod*, qui fuit *Itermod*, qui fuit *Bathka*, qui fuit *Walla*, qui fuit *Beadwid*, qui fuit *Sem*, cujus pater *Noe*.

Thomas Cantuarienſis archidiaconus *Beverlaci* præpoſitus canonicus in diverſis per *Angliam* aſcriptus eccleſiis, regis factus eſt Cancellarius.

Ludovicus rex *Francorum* orationis cauſa perrexit ad ſanctum *Jacobum*.

Adrianus papa.

Adrianus *epiſcopus ſervus ſervorum dei, Kariſſimo in Chriſto filio illuſtri* Anglorum *regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

L*Audabiliter ſatis & fructuoſe de glorioſo nomine propagando in terris & æterna felicitatis præmio cumulando in cœlis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos eccleſiæ terminos, ad declarandam indoctis & rudibus populis Chriſtianæ fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda ſicut catholicus Princeps intendis; & ad id convenientius exequendum conſilium Apoſtolicæ ſedis exigis & favorem. In quo facto quanto altiori conſilio & majori diſcretione procedes; tanto in eo feliciorem progreſſum te præſtante Domino confidimus habiturum, eo quod ad bonum exitum ſemper & finem ſoleant attingere quæ de ardore fidei, & religionis amore principium acceperunt. Sane* Hiberniam *& omnes inſulas quibus ſol juſticiæ Chriſtus illuxit, & quæ documenta fidei Chriſtianæ receperunt, ad jus beati* Petri *& ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ, quod tua etiam nobilitas recognoſcit, non eſt dubium pertinere; unde tanto in eis libentius plantationem fidelem & germen deo gratum inſerimus, quanto id à nobis interno examine diſtrictius proſpicimus exigendum.*

Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto kariſſime, te Hyberniæ *inſulam, ad ſubdendum illum populum legibus, & viciorum plantaria inde extirpanda velle intrare; & de ſingulis domibus annuam unius denarii beato* Petro *velle ſolvere penſionem, & jura eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſervare. Nos itaque pium & laudabile deſiderium tuum favore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis eccleſiæ terminis, pro viciorum reſtringendo decurſu, pro corrigendis moribus & virtutibus inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento inſulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem dei & ſalutem illius ſpectaverint exequaris, & illius terræ populus honorifice te recipiat, & ſicut dominum veneretur, Jure nimirum eccleſiarum illibato & integro permanente, & ſalva beato* Petro *& ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ de ſingulis domibus annua unius denarii penſione.*

Si ergo quod concepiſti animo effectu duxeris proſequente complendum, ſtude gentem illam bonis moribus informare, & agas, tam per te quam per illos quos ad hoc fide, verbo, & vita idoneos eſſe perſpexeris, ut decoretur ibi eccleſia, plantetur & creſcat fidei Chriſtianæ religio, & quæ ad honorem dei & ſalutem pertinent animarum taliter ordinentur, ut & à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis, & in terris glorioſum nomen valeas in ſeculis optinere.

An. Dñi 1155.

Natus eſt *Lundoniæ* pridie kal. Martii feria ij. filius *Henrico* regi *Anglorum* ex regina *Alienor*, & vocatus eſt *Henricus*; quem *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus baptizavit.

Robertus decanus *Saresberienſis Exonienſium* electus antiſtes, conſecratus eſt à *Theobaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo.

Fredericus rex *Alemannorum* ab *Adriano* papa conſecratus eſt [in] imperatorem in eccleſia beati *Petri*.

Henricus Wintonienſis epiſcopus abſque licentia regis receſſit ab *Anglia*; ideoque ſex caſtella ejus diruta ſunt.

Willelmus Peverel de **Notingeham** cauſa veneficii quod fuerat propinatum *Ranulfo* Comiti *Ceſtria* exhæredatus eſt.

Turris *Gloceſtria*, caſtellum de *Bruges* & *Wigemor* quæ *Hugo* de *Mortuo mari* contra regem firmaverat, regi reddita ſunt.

An. Dñi 1156. Rex *Henricus* tranfretans apud *Doveram* applicuit apud **Witſand**; ad quem venit *Rothomagi*, *Theodoricus Flandrienſis* Comes, & Comitiſſa *Sibilla* regis amita.

Willelmus rex *Sicilia* civitatem *Barum* funditus evertit, *Gracos* ſuperavit, civitates & caſtella quæ perdiderat in jus proprium revocavit, cum *Adriano* papa fecit pacem, concedendo ei conſecrationes epiſcoporum regni ſui.

In pago *Pariſiacenſi* monaſterio *Angentoilo* capa Salvatoris, ſicut dicitur, inventa eſt.

Henricus rex *Anglorum* cepit caſtellum *Mirabellum* & *Chinonem* longa obſidione; *Loſdunum* vero redditum eſt ei.

Regina *Alienor* peperit filiam regi *Anglorum*, quam vocavit *Matildem*.

1157. *Willelmus* rex *Sicilia* cepit *Sibillam* civitatem ſitam inter *Affricam* & *Babylonem*.

Regina *Alienor* peperit filium apud **Oxennefoꝛd** quem vocavit *Ricardum*.

Henricus rex *Anglorum* transfretavit in *Angliam*, & *Melchomus* rex *Scotorum* reddidit ei civitatem **Carleul**, caſtrum **Baenburg**, *Novum caſtrum ſuper Tinum*, & comitatum *Lodonenſem*.

Terricus Comes *Flandrenſis* & *Sibilla* Comitiſſa perrexerunt *Jeroſolimam*.

1158. *Henricus* rex *Anglorum* coronatus apud *Wigornam*, poſt celebrationem divinorum coronam ſuper altare poſuit, nec ulterius coronatus eſt.

Regina *Alienor* peperit filium *Gaufridum*.

Nova moneta in *Anglia*.

Thomas regis cancellarius in apparatu magno venit *Pariſius*, *Margaritam* filiam regis *Francorum* accepturus uxorem *Henrico* filio regis *Anglorum*.

Gaufrido fratre regis *Anglorum* mortuo rex ſtatim transfretans recepit *Nannetem*.

Ludovicus rex *Francorum* ut apud ſanctum *Michaelem* in *Normannia* vota ſolveret orationis, tranſitum habuit per *Normanniam*; in eccleſiis cathedralibus cum ſollempni proceſſione receptus; honoratus à ſingulis & multis oneratus muneribus.

Rex *Anglorum* iterum invitatus à rege *Francorum* venit *Pariſius*, receptus in palatio regis; rege *Francorum* & regina in clauſtro canonicorum beatæ virginis hoſpitantibus.

1159. Rex *Anglorum Henricus* duxit exercitum verſus *Toloſam*, & cepit caſtella fortia vicina ejus, rege *Francia* commorante interim jugiter in *Toloſa*, & ob reverentiam præſentiæ ipſius, dictus eſt rex *Anglia* ipſam civitatem *Toloſam* non aſſiluiſſe. Rex enim *Francorum* ob gratiam Comitis ſancti *Egidii* cujus ſororem *Conſtanciam* Comes uxorem duxerat, & jam ex ea liberos ſuſceperat, à *Toloſa* non recedebat: unde duo reges inimici facti ſunt.

Adrianus papa obiit. Sciſma de electione duorum paparum.

Alexander papa.

Gulielmus Comes *Bolonia* filius regis *Stephani*, & noviſſimus hæres ipſius, cui rex totam hæreditatem patris ſui in *Anglia* & in *Normannia* conceſſit, in reditu *Toloſa* obiit.

A rege *Francia* & à rege *Anglia* in *Alexandrum* papam conſenſum eſt. Imperator vero *Alemannia* cum clero ſuo recepit *Octovianum*, & miſſis ad reges *Francorum* & *Anglorum* nunciis, ut eundem papam reciperent petiit, nec impetravit.

An. Dñi 1160. *Maria* abbatiſſa de **Rumeſie**, filia regis *Stephani*, nupſit Comiti *Matheo*, ex quo ſuſtulit duas filias.

Regina *Francorum*, filia *Athelfunſi* imperatoris *Hiſpaniarum*, de partu filiæ mortua eſt, incolumi filia.

Rex vero *Ludovicus* non obſervato tempore luctus, infra quintum decimum diem, *Alam* filiam Comitis *Theobaldi* duxit uxorem, quam *Samſon Remenſis* archiepiſcopus ungere noluit in reginam, quia ſororem ejuſdem *Ala* propter conſanguinitatem ſeparaverat à *Philippo* fratre memorati regis.

Henricus rex *Anglia Margaritam* filiam regis *Francorum*, quam apud ſe habebat in cuſtodia, *Henrico* filio ſuo deſponſari fecit, & caſtellum de *Giſors* diu deſideratum, & jam ante ex condicto duorum regum cuſtodiæ militum templi uſque ad diem illarum nuptiarum commiſſum optinuit. Quod quia præpropere, ut dicunt, factum eſt, rex *Francia* & fratres uxoris ejus indignati, regi *Anglia* inimici facti ſunt, & adverſari cœperunt. Ad dedecus itaque regis *Anglia*, rex *Francia* & Comes *Theobaldus* cum auxiliariis ſuis, *Calvum montem* ſitum inter *Bleſim* & *Ambazium* firmaverunt. Rex autem *Anglia* cum ſuis feſtinus adveniens rege *Francorum* & Comite *Theobaldo* fugatis caſtrum obſedit, & intra paucos dies ad deditionem coegit: capti ſunt autem intus quinquaginta quinque milites *Theobaldi*. Celebratum eſt autem matrimonium inter filium regis *Anglorum* ſeptennem & filiam regis *Francorum* triennem, auctoritate ſcilicet *Henrici Piſani*, & *Willelmi Papienſis* presbyterorum cardinalium, & Apoſtolicæ ſedis legatorum. Hoc autem factum eſt apud *Novum Burgum* iiij. non. Novembris.

1161. *Theobaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus dum adhuc viveret, dederat in mandatis quatinus *Bartholomeum Exonienſem* electum *Cantuaria* conſecraret *Walterus Roſenſis* epiſcopus. Et licet morte mandatoris finitum fuiſſet mandatum, tamen quia *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus laborabat paraliſi, *Henricus* eciam *Wintonienſis* epiſcopus, vicarius *Lundonienſis* eccleſiæ, morabatur apud *Cluniacum*, tunc temporis *Roſenſis* epiſcopus memoratum conſecravit epiſcopum.

Ricardus Coventrenſis archidiaconus, ex patre *Roberto Ceſtrenſi* pontifice conſecratus eſt ejuſdem ſedis epiſcopus ab archiepiſcopo *Theodbaldo*. Non igitur vel à ſacris ordinibus, vel à parochialibus curis, vel ab eccleſiis cathedralibus, vel eciam ab ipſo papatu filii ſacerdotum, ſi probabilis vitæ fuerint ſunt arcendi. *Felix* itaque tercius natione *Romanus* ex patre *Felice* presbytero ſummus pontifex fuit. Item *Agapitus* natione *Romanus* ex patre *Gordiano* presbytero ſummus pontifex fuit. *Gelaſius* natione *Affer* ex patre *Valerio* epiſcopo ſummus pontifex fuit. *Silverius* natione *Campanus* ex patre *Ormiſda Romano* epiſcopo ſummus pontifex fuit. *Deuſdedit* natione *Romanus* ex patre *Stephano* ſubdiacono ſummus pontifex fuit. *Theodorus* natione *Gracus* ex patre *Theodoro* epiſcopo ſummus pontifex fuit. *Nicholaus* natione *Anglicus* ex patre presbytero ſummus pontifex fuit, vocatus *Adrianus* papa iiij.

Ivo Carnotenſis epiſcopus.

NRI- II. rex.

. Dñi 1162.

Ludovicus rex *Francorum*, & *Henricus* rex *Angliæ*, copiis armatorum undique congregatis, cum jam campeſtre prælium inter eos imminere putaretur, prope *Fretevallem* amici facti ſunt.

Anglorum regina filiam peperit aput *Rothomagum*, cui nomen ſuum impoſuit & vocavit *Alienor.*

Ricardus ſecundus *Lundonienſis* epiſcopus, obiit iiij. non. Maii.

Epiſcopi, abbates totius *Angliæ* mandato regis fidelitatem juraverunt *Henrico* primogenito filio ſuo. *Thomas* autem cancellarius primus omnium ei fecit homagium ſalva fide regis quamdiu viveret, & regno præeſſe vellet.

Concordia inter eccleſiam beati *Albani* & eccleſiam *Lincolnienſem.*

Sopita eſt diſcordia & amicabili fine terminata inter eccleſiam beati *Albani* & eccleſiam *Lincolnienſem*; *Roberto de Chenei* epiſcopo *Lincolnienſi* agente, & *Roberto de Gorram* abbate ſancti *Albani* defendente: in præſentia *Henrici* ſecundi filii *Matildis* imperatricis regis *Angliæ*, & archiepiſcoporum, *Thomæ Cantuarienſis* & *Rogeri Eboracenſis*, & epiſcoporum, *Henrici Wintonienſis*, *Willielmi Norwicenſis*, *Jocelini Saleſberienſis*, *Bartholomei Exonienſis*, *Hylarii Ciceſtrenſis*, *Hugonis Dunelmenſis*, *Ricardi Coventrenſis*, *Gileberti Herefordenſis*, *Godefridi* de ſancto *Aſaph*, & Comitum, *Roberti Leiceſtrenſis* ſenioris, *Hugonis Bigot Norfol. Willielmi de Arundel*, & procerum, *Ricardi de Luci*, *Ricardi de Humaz*, *H.* filii *Ger:* & abbatum, *Laurentii Weſtm. Willielmi Rameſ. Gregorii Malmeſb. Reginaldi Perſore*, *Clementis Eborac.* & archidiaconorum, *Gaufridi Cantuar.* & *Ricardi Pictavenſis*, Apud *Weſtmonaſterium* octavo idus Marcii, feria ſexta, proxima eo anno ante Dominicam Dominicæ Paſſionis.

Fredericus imperator *Romanus*, *Ludovicus* rex *Francorum* prope *Criſopolim* convenerunt, ut eccleſiæ *Romanæ* ſciſma ſedarent, & quis eſſet præferendus decernerent.

Clero totius provinciæ *Cantuariorum* generaliter *Lundoniæ* convocato, præſente *Henrico* filio regis & regni juſticiariis, *Thomas Cantuarienſis* archidiaconus & regis cancellarius, nemine reclamante, ſollempniter electus eſt in archiepiſcopum. Electionem factam ſine aliqua contradictione recitavit *Henricus Wintonienſis* epiſcopus aput **Weſtmunſtier** in refectorio monachorum iiij. feria ante Pentecoſten. Electus autem ſabbato Pentecoſtes ordinatus eſt in presbyterum in eccleſia *Cantuarienſi* à *Waltero Roſenſi* epiſcopo, in ordinationibus & in dedicationibus faciendis eccleſiæ *Cantuarienſis* vicario. Sequenti die Dominica, conſecratus eſt à *Henrico Wintonienſi* epiſcopo vice *Lundonienſis* eccleſiæ tunc vacantis; quod ad jus ſuum ſpectare dicebat *Roſenſis* epiſcopus, ſed non obtinuit.

Henricus II. rex.

Nunciis ad dominum papam directis, quem ad *Gallias* deſcendentem *Willelmus* de *monte Peſſulano* tanquam ligium dominum ſuum receperat honorifice, celeri relatione perlatum eſt, quod ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ ſibi paſtorem elegerant, qui concurrentibus omnium votis jam à propria ſynodo fuerat conſecratus. Acceptum fuit verbum iſtud in auribus domini papæ. Litteris igitur epiſcoporum, litteris etiam Prioris & conventus *ſanctæ Trinitatis*, litteris quoque regis in medium recitatis, ſub audientia cardinalium in conſiſtorio poſtulatione facta facilis & jocundus juxta petitionem ab omnibus datur aſſenſus. Pallium itaque cum ea gravitate, cum ea rememoratione, cum ea ſolempnitate qua conſueverant nunciis eſt commiſſum, quod *Thomas* archiepiſcopus in ſede *Dorobernenſi* conditionibus ſolitis involutus & ſacramento conſtrictus, ab altari majore ſuſcepit. Poſtquam autem induit veſtes ſummis ſacerdotibus Domino diſponente collatas, habitum ſic mutavit ut mutaret & animum. Nam curiæ curis intereſſe non approbans, ut eximeretur à curia, vacans orationi ſuperintendens eccleſiæ ſuæ negotiis, nuntium in *Normanniam* regi direxit, renuncians cancellariæ, ſigillum reſignans. Quod altius in cor regis aſcendit, in ſe ſolum cauſam reſignationis tam ſubitæ retorquentis. Audierat namque quod *Maguntinus* archiepiſcopus in *Teutonica* ſub rege, quod *Colonienſis* archiepiſcopus in *Italia* ſub imperatore nomen ſibi vendicent archicancellarii: [Qui] nec promiſcuis actibus æſtimant turbari rerum officia, ſi geſtant in dextera baculum paſtoralem, & ad expediendas regni vel imperii neceſſitates, & pacem eccleſiæ procurandam propenſius accinguntur, dummodo cancellarius curiæ ſiniſtro lateri ſigillum allateret nunc regis, nunc imperatoris, qui dicitur *Prothonotharius.*

Johanne theſaurario *Eboracenſi. Adam* abbate *Eveſbamenſi. Johanne Saleſberienſi. Jordano Ciceſtrenſi. Simone* monacho *Cantuarienſi.* Magiſtro *Arnulfo.*

An. Dñi 1163.

Henricus rex *Angliæ* finibus *Normannorum*, *Britonum*, *Cenomannenſium*, *Andegavorum*, *Turonenſium*, & *Aquitanorum* ad voluntatem ſuam diſpoſitis, in *Angliam* rediens aput *Hamonis portum* applicuit viij. kal. Februarii, plurimum *Walenſibus* imprecans, & *Johanni Mareſcallo*, qui nunquam regem *Angliam* intraturum juxta pſeudoprophetarum archana ſatis imprudenter aſſeveraverant.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus obviam regi veniens, receptus eſt in oſculum, ſet non in plenitudinem gratiæ, ſicut vultus ſtatim averſus omnibus qui convenerant patenter oſtendit.

Thomas ex archidiacono *Cantuarienſi* ſumptus ad archiepiſcopatum, ad inſtantiſſimam regis poſtulationem diutius diſtulit archidiaconatum transferre. Tranſtulit tandem ſicut rex petiit, ſed gratiam regis ad tempus ſubtractam ut videbatur ſibi, poſtmodum redintegratam non ad plenum agnovit.

Clarembaldus abbas electus ſancti *Auguſtini* benedictionem ab archiepiſcopo *Thoma* quærebat accipere, ſed in eccleſia propria, ſed ſine profeſſione, ſed ſpe cujuſvis in poſterum ſubjectionis prorſus adempta. Cum autem rex ſe verbis hujuſmodi non oppoſuerit, partibus antiquitatis in finibus ſtare perſuadens, & eas omnibus modis quibus ratio fieri potuiſſet inducens, alteram inclinatior videbatur in partem.

Actum eſt de conſilio *Lundonienſis* eccleſiæ, qualiter autem res proceſſerit docebunt ſequentia. Actum eſt autem pridie non. Marcii.

Alexander papa Capitulo *Lundonienſi.*

Ex litteris kariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici *illuſtris* Anglorum *regis, & venerabilis fratris noſtri* Thomæ Cantuarienſis *archiepiſcopi, atque ex relatione dilecti filii noſtri* Radulfi *eccleſiæ veſtræ archidiaconi accepimus, quod idem rex deſiderat plurimum & requirit, quod venerabilis frater noſter* Herefordenſis *epiſcopus ad veſtram eccleſiam transferatur, ut in eadem eccleſia curam gerat &*

ſollicitudinem paſtoralem. Hac utique cauſa & neceſſitate nobis ab eodem rege propoſita, quod Lundonienſis *civitas regalis ſedes ſit, & ipſe rex diuturniorem ibidem conſueverit, & longiorem moram habere, & ibi frequentes Baronum ac procerum de toto regno ſoleant eſſe conventus. Quanto autem prædicta regia civitas inter alias regni civitates magis eſt nobilis & famoſa, tanto eccleſiam ipſam ab honeſtiori, & tam in divino quam in humano jure prudentiori præfatus rex regi deſiderat & poſtulat gubernari. Nam cum ipſe memorato fratri noſtro conſilium de anima ſua ſalute commiſerat, eum cum ſibi neceſſe eſt deſiderat habere præſentem. Unde nos ei tanquam kariſſimo filio noſtro per omnia & in omnibus in quibus ſecundum Deum poſſumus deferre volentes, & ejuſdem fratris noſtri epiſcopi religionem, honeſtatem & litteraturam diligentius attendentes, voto & propoſito ipſius regis in hac parte, ſi tamen vos eundem epiſcopum unanimiter poſtulaveritis, duximus annuendum.*

Tranſlatio *Herefordenſis* in *Lundonienſem* iiij. kal. Maii celebrata eſt, & in ſede ſua *Lundonienſis* epiſcopus juxta deſiderium totius capituli ſollempniter introductus eſt.

Robertus de **Muntford** cum *Henrico* de **Eſſex** certamine ſingulari congrediens victoriam reportavit. *Henricus* autem notam infamiæ ſimul & exhæredationis jacturam incurrens, indulgentia principis habitum monachalem ſuſcepit aput *Radingum*.

Alexander papa Concilium congregavit *Turonis* in eccleſia ſancti *Mauritii* xij. kal. Junii. Ad cujus vocationem per *Theodinum* ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ ſubdiaconum factam per manum regis *Anglorum* venerunt archiepiſcopi, venerunt epiſcopi, venerunt abbates & priores. Infirmitas tres epiſcopus excuſavit, ſcilicet *Wintonienſem*, *Lincolnienſem*, & *Batonenſem*. *Thomas* autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis ſedit ad dexteram in Concilio. Cum *Dunelmenſi* quem unicum habet ſuffraganeum *Eboracenſis* archiepiſcopus ſedere juſſus eſt ad ſiniſtram.

Alexander papa *Ludovico* regi *Francorum*.

Ex antiqua Romanorum *pontificum inſtitutione noſcitur proceſſiſſe, quod media quadrageſima ea Dominica qua cantatur* Lætare Jeroſolima *conſueverunt ipſi florem aureum non gratia temporalis delectionis propriis manibus annua ſemper revolutione geſtare. Flos namque Chriſtum regem exprimit ac deſignat, qui de ſeipſo loquitur dicens,* Ego flos campi, & lilium convallium. *Aurum vero regem merito dicitur denotare. Rubor autem quo aurum coloratum eſt & ſuffuſum, redemptoris ſignificat paſſionem, de quo legitur:* Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctus veſtibus de Boſra? *Et iterum:* Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? *Odor hujus floris reſurrectionem & gloriam ejus præfigurat. Hæc ſunt, fili kariſſime, quæ in iſto flore noveris figurari. Petimus autem, & totis affectibus exoptamus, ut ille flos aureus qui omnes reges & principes antecedit, immo per quem reges regnant, & prudentes decernunt juſtitiam, terrenum tibi regnum diuturno tempore ſua ineffabili pietate conſervet, & æternum in illa felici retributione juſtorum miſericordia largiatur.*

Comes de Clara Rogerus à *Thoma Cantuarienſi* archiepiſco vocatus xj. kal. Auguſti aput *Weſtmonaſterium* ad homagium ſibi faciendum de caſtello de **Tunebruge**, & de pertinentibus ad caſtellum, archiepiſcopo duriorem oppoſuit adverſarium, reſpondens totum illud feodum in ſervitio militari & publicis penſionibus perſolvendis regem potius attendiſſe quam archiepiſcopum.

Malcolmus rex *Scottorum*, *Reſus* auſtralium princeps *Walenſium*, *Audoenus* aquilonarium, & quique majores de *Cambria* fecerunt homagium regi *Anglorum* & *Henrico* filio ſuo kalend. Julii aput **Wdeſtoke**.

Inquiſitio generalis eſt facta per *Angliam*, cui quis in ſervicio ſeculari de jure teneretur obnoxius. Inventum eſt autem in *Cantia* procurantibus juſticiariis quod *Willelmus de Ros* in munere quolibet ſubeundo regem deberet agnoſcere non [*Thomam*] archiepiſcopum: ſic odium perſonæ redundavit in dampnum eccleſiæ.

Johannes theſaurarius *Eboracenſis*, conſecratus à domino papa *Pictavenſis* epiſcopus in Concilio *Turonenſi*, profeſſionem fecit archiepiſcopo *Burdegalenſi*.

Thomas archiepiſcopus vacantem eccleſiam *Ainfordia* contulit in *Laurentium*: *Willelmus* villæ dominus ſibi vendicans jus patronatus in eadem eccleſia *Laurentium* expulit, archiepiſcopus eum excommunicavit. Quod quia minime certiorato rege feciſſet, maximam regis indignationem incurrit. Aſſerit namque rex juxta dignitatem regni, quod nullus capitaneorum, nullus militans regi, nullus miniſter regis, nullus ſcilicet, ut vulgariter loquar, de rege tenens in capite caſtellum, villam, vel prædium, citra conſcientiam regis eſt excommunicandus ab aliquo, ne ſi ſuper hoc rex cercioratus non fuerit, ignorantia lapſus communicet excommunicato; capitaneum ſuum venientem ad ſe, vel invitans ad oſculum, vel recipiens in conſilium.

Rogerus Wigornenſis electus, conſecratus eſt à *Thoma Cantuarienſi* archiepiſcopo aput *Cantuariam* vij. kal. Septembris.

Rex *Angliæ* nuntios ad dominum papam confinia ſciſmaticorum in *Gallia* declinantem direxit, *A.* ſcilicet *Luxovienſem* epiſcopum, & *R. Pictavenſem* archidiaconum. Qui ſævitiam maris & fluctuum intra ſpacium trium menſium experti ſexies, dum ad regni conſuetudines auctoritate ſummi pontificis roborandas plurimum elaboraſſent, nec in aliquo profuiſſent, in ultimo reditu ſuo regis animum adverſus plurimos magis ac magis exaſperatum mitigare non potuerunt.

An. D. 1164.

Ex mandato regis, concurrentibus epiſcopis, & proceribus aput **Clarendune** viij. kal. Februarii poſt inmenſos tractatus rex tandem ad hoc animos prælatorum inflexit, ut regni conſuetudines archiepiſcoporum & epiſcoporum auctoritate firmarentur & ſcriptis. Quod *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus dum ad cognitionem ſummi pontificis pertuliſſet, ab obligatione quam inierat abſolutionem petiit & impetravit.

Rex *Anglorum* volens in ſingulis, ut dicebat, maleficia debita cum ſeveritate punire, & ordinis dignitatem ad iniquum trahi compendium incongruum eſſe conſiderans, clericos à ſuis juſticiariis in publico flagitio deprehenſos epiſcopo loci reddendos decreverat, ut quos epiſcopus inveniret obnoxios, præſente juſticiario regis exauctoraret, & poſt

curiæ

Henricus II. rex.

curiæ traderet puniendos. In contrarium ſentiebant epiſcopi, quos enim exauctorarent à manu laicali contendebant protegere, alioquin bis judicaretur in idipſum. Huic controverſiæ præſtitit occaſionem *Philippus de Broc*, canonicus de **Bedeford**, qui tractus in cauſam propter homicidium, in juſticiarium regis verbum protulit contumelioſum. Quod cum coram archiepiſcopo negare non poſſet, præbendæ ſuæ multatus eſt beneficio, pulſus eſt à regno per biennium.

Archiepiſcopus *Romam* profecturus aput *Romenel* inſcio rege navem aſcendit, vento contrario rejectus in *Angliam*; in quo plurimum regis offenſam incurrit.

Tractus in cauſam *Iohanne Mareſcallo* regi deferente querelam pro quodam manerio archiepiſcopatus, quod à multis temporibus, ut dicebatur, inconcuſſe poſſederat archiepiſcopus; tandem poſt longas fatigationes in quibuſdam articulis contrariam reportavit ſententiam, & regi judicatum ſolvi ſufficientiſſime cavit, in quingentis libris habita taxatione.

Thomas Cant. archiepiſcopus ſuper actum quem egerat in cancellaria tractus in cauſam præſentiam ſuam exhibuit aput *Norhamtunam* iij. idus Octob. Convenerunt illuc Epiſcopi, Comites, Barones totius regni, mandato regis urgente. *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus vocatus advenit. Et quoniam epiſcopatuum, abbatiarum tempore ſuo vacantium bona de jure cancellariæ ſuæ fuerant deputata cuſtodiæ, quoniam regis ulterior familiaritas penes cancellarium excreverat, eo uſque ut caſtellaniam de *Eya*, & caſtellaniam de **Bercamſtede** pluribus annis libere poſſediſſet & diſpoſuiſſet pro velle, perceptorum ſummam in ratiocinium venire conſentaneum juri pluribus videbatur, & à capite rationem reddendam ordinarium reputabant; licet ante conſecrationem ſuam archiepiſcopus ab *Henrico* filio & hærede regis, & à juſticiario regni liber & abſolutus ab omni ratiocinio fuiſſet aſſignatus epiſcopis. Cum autem abſolutionem factam hoc modo de voluntate regis, & mandato probari non poſſet, adverſus epiſcopos ne eum injuſte condempnarent judicio appellavit, & ab eis itidem appellatus eſt. Sed proceres licet adverſus eos proceſſerit appellatio, & ſub anathemate prohibiti ſunt in patrem & judicem ſuum ferre ſententiam, nichilominus tamen in eum, nec confeſſum, nec convictum, ſed privilegium eccleſiæ proteſtantem & ſuum, ſententiam intorſerunt; ſic archiepiſcopus in artiſſimo poſitus, multis affectus injuriis, & opprobriis laceſſitus, & epiſcoporum deſtitutus conſilio, crucem quam manu tenebat in altum erigens diſceſſit à curia. Nocte ſequente, villam latenter egrediens ab aſpectibus hominum diebus ſe * ſubtrahens & noctibus iter peragens, poſt dies aliquot ad portum *Sandicum* pervenit, navicula fragili tranſvectus in *Flandriam*.

* Cum tribus. Roberto de Cava. Eſcuman. Rogero de Brai.

Domino papæ directi ſunt à rege nuncii poſt archiepiſcopum *Senonis* in Conſiſtorio ſic loquentes: « Inter *Thomam* archiepiſcopum & regem *Anglorum* controverſia verſabatur. De utriuſque voluntate dies præfigitur, ut in ea juſticia mediante illorum controverſia terminetur. Ad eandem diem ex præcepto regio archiepiſcopi, epiſcopi, & cæteri eccleſiarum prælati convocantur, ut quanto generalior eſſet Concilii celebratio, tanto manifeſtior fieret fraudis & malitiæ denudatio. Conſtituta die Catholici principis aſpectui ſe præſentavit regni turbator & eccleſiæ. Qui de ſuorum meritorum qualitate non ſecurus, Dominicæ crucis armat ſe ſignaculo tanquam ad tyranni præſentiam acceſſurus. Nec tamen regia majeſtas modo offenditur, ſed cauſæ ſuæ judicium epiſcoporum fidei committit, ut ſic ab omni ſuſpectione liberetur. Reſtabat ut epiſcopi cauſam judicio terminarent, ut ſic diſſidentes in gratiam fœderarent, & diſſenſionis eorum materiam ſepelirent. At obviat adverſarius & obicit, quoniam ipſum coram rege ſtare judicio, eſſet Apoſtolicæ ſedis & dignitatis diminutio; ac ſi neſciat quod etſi in illo judicio aliquantulum eccleſiæ dignitati derogaretur, diſſimulandum erat pro tempore ut pax eccleſiæ redderetur. Obicit iterum patris ſibi nomen, aſcribens quod arrogantiam videtur redolere, quod filii in patris dampnationem minime debuerant convenire: ſed neceſſarium erat ut patris ſuperbiam filiorum humilitas temperaret, ne poſt patrem in filiis patris odium parentaret.

Eborac. archiepiſcopus. *Lundonienſis* epiſc. *Ciceſtrenſis* epiſc. *Wigornenſis* epiſc. *Exonienſis* epiſc. *Lexovienſis* epiſc. *Sagienſis* epiſc. *Pictavenſis* archidiaconus. *Waltham.* decanus. *Johannes Oxeneford.* *Johannes Cumin.* Comes de *Arundel.* *R.* de ſancto *Walerico.* *Henricus* camerarius. *Hugo de Gundevillis.*

Henricus II. rex.

Datum eſt in mandatis à rege nuntiis ſuis quatinus à latere domini papæ mitti duos in *Angliam* poſtularent, qui cauſam non eccleſiaſticam inter regem & archiepiſcopum *Norhamtuna* ventilatum, & ſi quam aliam de novo contigiſſet emergere, remoto appellationis obſtaculo præſente rege præſente archiepiſcopo terminarent.

Cum autem nuncii regis præveniſſent archiepiſcopum *Senonis*, de cujus adventu nichil certi fuerat auditum in curia; quod petebatur ab eis, juri conſentaneum & rationi minime videbatur. Nam cum præſens non eſſet archiepiſcopus, in ejus injuriam quicquam ſtatuere, nec canonicum videbatur, nec ordinarium.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, in domini papæ præſentia conſtitutus, ſic exorſus eſt.

« Ad audientiam tuam, pater ſanctiſſime, confugio, ut qui eccleſiæ libertatem tanto tui diſcrimine redemiſti, eam vel ſolam, vel maximam meæ perſecutionis cauſam attendas, quod exemplo tuo uſus ſum. Dolui enim ſtatum eccleſiæ labefactari paululum, & jura ejus in avariciam principum diſſipari, & occurrendum credidi morbo venienti. Et quo plus illi domino meo cui poſt Deum cætera debeo me ſciebam obligatum, eo tutius iniquis ejus inſtigationibus arbitrabar reſiſtendum, donec obtinuerunt illi, & ſerenitatem ejus obfuſcaverunt michi. Exinde, ut moris eſt aput principes, criminationes & calumpnias injecerunt in occaſionem perſecutionis meæ, & ego eici malui quam ſubſcribere. Acceſſit enim his malis, quod vocatus ſum ut coram rege tanquam laicus ſatisfacerem, & unde michi reſiſtendi ſuffragia ſperaveram ſum deſtitutus. Animadverti dominos & confratres noſtros epiſcopos iſtos pro aulicorum arbitrio in me paratos animadvertere. Ita cunctis incurſantibus fere ſuffocatus ad tuæ pietatis audientiam quæ nec in extremis negligit, reſpiravi: ſub qua demonſtraturus aſto, me nec ibi fuiſſe judicandum, nec ab illis. Nam quid aliud hoc eſſet patres, niſi veſtra jura vobis ſubtrahere? quid aliud quam ſpiritualia temporalibus ſubmittere? Semel natum hoc, exemplum “eſſet ad multa. Ideoque credidi firmius reſiſtendum, quod affectus proclivior nocendi naſceretur, ſi prius debilitatem agnoſcerent. At inquient, *Reddenda erant Cæſari quæ Cæſaris erant.* Sed etſi in pluribus obtemperandum regi, in illis tamen obtemperandum non eſt quibus efficitur ne rex ſit. Non eſſent illa Cæſaris ſed tyranni, in quibus etſi non pro me, pro ſeipſis ei reſiſterent. Numquid eorum perſecutionem merui, pro quibus tantis occurſibus me oppoſueram? Obtinuiſſem ſi voluiſſent illi; ſed male caput agit ſi à membris deſtituitur, quineciam ſi oculi linguam contra caput aſſumant. Si bene prævidiſſent in ſe pernitiem machinabantur, & epiſcoporum juſſi ſunt principes auxilio in eorum ſervitutem. Quæ hæc tanti odii cauſa fuerat, ut pro me extinguendo ſe ipſos extinguerent? Ita dum ſpiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utriſque. Quid, quod me etiam reclamante & audientiam iſtam appellante patrem ſuum in judicio dampnare auſi ſunt? Condeſcende igitur, pater ſanctiſſime, in fugam meam, & perſecutionem, & me aliquando magnum fuiſſe reminiſcere tempore tuo, & propter te injuriis laceſſitum. Utere rigore tuo, coherce illos quorum inſtinctu nomen hujus perſecutionis obrepſit. Nec domino regi horum aliquid imputetur, qui hujus machinationis potius eſt miniſter quam repertor.

An. Dñi 1165. Regina *Francorum* peperit filium quem vocavit *Philippum*.

Regina *Alienor* peperit filiam quam vocavit *Johannam*.

Alexander papa rediens in *Ytaliam Romæ* recipitur, & inde tranſiit *Beneventum*.

Rege morante apud *Weſtmuſterium*, *Reginaldus Colonienſis* archiepiſcopns venit in *Angliam*, accepturus uxorem *Henrico* duci *Saxoniæ Matildem* primogenitam filiam regis. Cui cum magnates regni ſollempniter occurriſſent, *Robertus* Comes *Legeceſtriæ* juſticiarius regis illum archiſciſmaticum in oſculum non recepit. Everſa ſunt paſſim altaria ſuper quæ miſſam illi celebrarunt ſciſmatici.

Hoc eodem anno Indictione xiij. concurrentibus quatuor anno Communi Godefridus *epiſcopus de ſancto* Aſaph *in baſilica ſancti* Albani, *ad majus altare præſente abbate* Roberto *& toto conventu in cœna Domini criſma confecit, & oleum ſanctum, & cætera quæque epiſcopalia quæ ad diem ipſum pertinere videbantur, fultus virtute privilegiorum loci ſollempni peregit officio.*

1166. Quidam pravi dogmatis diſſeminatores tracti ſunt in judicium apud Oxeneford, præſente rege, præſentibus & epiſcopis. Quos à fide noſtra devios, & in examine ſuperatos facies cauteriata notabiles cunctis expoſuit expulſos à regno.

Rex *Angliæ* transfretavit circa initium Quadrageſimæ.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, cum per dies plurimos moram feciſſet apud *Pontiniacum*, tranſiens inde venit *Vicelaicum* repente, & die Aſcenſionis videntibus populis qui ad diem feſtum convenerant, aſcendens in pulpitum, conſuetudinum quas in regno *Anglorum* avitas appellant obſervatores, & defenſores, & inſtigatores accenſis candelis excommunicavit: ſcilicet *Ricardum de Luci*. *Ricardum Pictavenſem* archidiaconum. *Jocelinum de Bailul*. *Alanum de Novilla*, & plures alios. Illi autem & abſentes, & non vocati, & indefenſi, ſicut dicebant, miſſis ad archiepiſcopum nuntiis appellarunt & intraverunt eccleſiam. Qui poſtmodum mandato cardinalium *Johannis Neapolitani* & *Willelmi Papienſis* abſoluti ſunt à *Godefrido* epiſcopo ſancti *Aſavi*. *Alanum* vero *Lundonienſem* abſolvit epiſcopus præſtito ſacramento quod in eundo *Jeroſolymam* tranſiret per dominum papam, & ſtaret ejus mandato.

Ricardo Pictavenſi archidiacono, quærenti conſilium ab amico, ſic reſcriptum eſt inter cætera.

Si tactus inconſulto calore Thomas Cantuarienſis *archiepiſcopus, præter principis voluntatem, præter conſcientiam ſuffraganeorum à regno exierit, veniens contra ſacramentum ut dicitis, revera perjurium incurriſſet ni ſummi pontificis in hoc ſibi patronizaretur auctoritas; & extortum ab archiepiſcopo ſacramentum devocaſſet in irritum. A regno quidem exiit, ſet ea quam de communi ſuffraganeorum & conventus* Cantuarienſis *aſſenſu in conſecratione acceperat, ſe poteſtate non exuit. Nec enim incorporalia locis tantum coartantur diſcretis, nec regione aliqua circumſcribitur quod perſonæ cohæret. Ad tempus itaque ceſſit poſſeſſionibus, ſet nec ad tempus juri renuntiavit. Omnes igitur intra ſuam provinciam conſtitutos, prout ratio flagitaverit poteſt vocare, poteſt ſuſpendere, poteſt excommunicare; videte an vos ut ſuum poſſit corripere parochianum. Epiſcopatus* Baioniæ *vos matris excepit ab alvo, ibi uſque ad virum perfectum totam decurritis ætatem, ibidem poſſeſſionibus adeptis canonice epiſcopo loci debitam exolviſtis obedientiam. Impoſitum capiti jugum nondum excuſſiſtis ab humeris. Si præter aliorum fortunam honore duplici decoratum vos in ſuo ſinu collocavit eccleſia* Pictavorum, *nichil detrimenti acceſſit* Cantuarienſi *eccleſiæ, ſet honoris quamplurimum. Nec enim ejus momenti eſt archidiaconatus vel theſauraria, ut quem eximat à juriſdictione alterius. Dummodo alibi habeat domicilium, habeat & poſſeſſiones ſuo nomine titulatas. Secundum leges dignitas epiſcopalis, vel patriciatus filium liberat à patria poteſtate. Secundum canones epiſcopale culmen alium eximit à juriſdictione alterius coepiſcopi, niſi alter fuerit metropolitanus. Cum igitur* Cantuarienſem *de jure veſtrum intelligam metropolitanum, ſi vos non timuit indiſcrete ligare, vos timeatis ligari pronuntiatione injuſta. Non quidem niſi reum ligat ſententia: verumptamen eccleſiaſtica diſciplina contemptorem illaqueat. Set dicitis, In nullo deliqui. Ad vocationem archiepiſcopi venire non ſuperſedi, mandatum ipſius in aliquo non præterii. Quod in me ſtatuit contra ordinem, ex ordine & regulari jure me nequaquam involvit. Videte ne contra juris formam vobis jus dicere videamini. Cavete ne ſi aliæ legis auxilium implorare velitis vobis opponatur in jure.* Fruſtra legem invocat qui legem impugnat. *Si reprehenditis paſtoris judicium, in legem profecto committitis. Erubeſcit quidem lex filios patrum caſtigatores ſtatuere. Rurſus ſi contenditis trahi ad culpam archiepiſcopi, quod in vos abſentem, non vocatum, non contumacem, ſententiam præcipitaverit cum non eſſetis in culpa. Licet aliud delictum non præceſſerit, incurritis ex ipſa reprehenſione delictum, quodque prius omni vacuum erat à culpa, è veſtigio fit in ipſa reclamatione culpabile. Reſtat igitur, amice kariſſime, multo eſſe conſultius amplecti ſententiam cum humilitate, quam aſſumere tumorem ſuperbiæ ad pernitiem plurimorum. Malo enim exemplo populus ſemper ad pejora proclivior facilius incitatur ad* *ad pœnam, quam bonæ converſationis odore pertrahi valeat ad coronam.*

Regi *Anglorum Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus.

D*Eſiderio deſideravi videre faciem veſtram, & loqui vobiſcum. Multum quidem propter me ſet maxime propter vos, ut viſa facie mea reduceretis ad memoriam ſervicia quæ dum eſſem in obſequio veſtro exhibui vobis devote juxta animi mei conſcientiam, ſic me Deus adjuvet in examine ultimo quando omnes aſtabunt ante tribunal ipſius recepturi prout geſſerunt in corpore ſive bonum ſive malum, & ut moveremini pietate ſuper me quem oportet mendicando vivere inter alienos, licet tamen Dei gratia cum habundantia victualia habeamus. Eſtque nobis conſolatio multa quod dicit apoſtolus,* Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem pacientur; *& propheta,* Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eus quærentem panem. *Propter vos tribus ex cauſis, tum quia Dominus meus eſtis, tum quia rex meus, tum quia filius meus ſpiritualis. Eo quod* Dominus, *debeo & offero vobis conſilium meum, quod tamen debet epiſcopus,* ſecundum honorem Dei & ſanctæ eccleſiæ domino. *Eo quod* rex, *teneor vobis ad reverentiam & commonitionem. Eo quod* filius, *officii ratione ad caſtigationem & cohortationem. Inunguntur reges tribus in locis, in capite, in pectore, in brachiis. Quod ſignificat gloriam, ſanctitatem & fortitudinem. Qui antiquis temporibus juſtificationes Dei non obſervabant, & prævaricati ſunt mandata ejus, his ſublata eſt gloria, ſcientia, fortitudo, & eorum generationi, exemplo* Pharaonis, Saulis, Salomonis, Nabugodonoſor *aliorumque quamplurium. Qui vero poſt delictum humiliaverunt ſe Domino, his Dei gratia acceſſit cum omnibus ſupradictis habundantius, perfectius, ſicut* David, Ezechiæ, *aliiſque quamplurimis. Audiat itaque, ſi placet, dominus meus conſilium fidelis ſui, commonitionem epiſcopi ſui, caſtigationem patris ſui, ne cum ſciſmaticis de cætero habeat aliquam familiaritatem vel communionem, nec cum eis aliquid contrahat. Notum eſt enim toti fere mundo quam devote, quam honorifice Dominum papam receperitis, quantum eccleſiam Romanam foveritis & honoraveritis, quantumque etiam Dominus papa & eccleſia Romana perſonam veſtram dilexerint, honoraverint atque in quibuſcunque potuerint ſecundum Deum vos exaudierint. Memorque ſitis profeſſionis quam feciſtis & poſuiſtis ſcriptam ſuper altare apud* Weſtmonaſterium, *de ſervanda eccleſia Dei libertate, quando conſecratus fuiſtis & unctus in regem. Eccleſiam itaque* Cantuarienſem, *à qua promotionem & conſecrationem accepiſtis, in eum ſtatum reſtituatis & dignitatem, in quibus fuit temporibus prædeceſſorum veſtrorum & noſtrorum. Alioquin procerto ſciatis quia divinam ſeveritatem & ultionem ſentietis.*

Thomæ Cantuarienſi *archiepiſcopo venerabili patri & domino, ſuffraganei ejuſdem eccleſia epiſcopi, & perſona per eorundem dioceſes locis variis conſtituta, debitam ſubjectionem & obedientiam. Quæ veſtro pater in longinquo diſceſſu inopinata rei ipſius novitate turbata ſunt, veſtra ſperabamus humilitate & prudentia, in pacis priſtina ſerenitatem cooperante gratia revocari. Erat quidem nobis ſolatio, quod poſt diſceſſum veſtrum ad id fama pervenit divulgante, vos ſcilicet in tranſmarinis agentes nil altum ſapere, vos in dominum noſtrum regem aut regnum ejus nulla machinatione inſurgere, ſet ſponte ſuſceptum paupertatis onus cum modeſtia ſuſtinere, lectioni & orationi inſiſtere, præteritorumque jacturam temporum jejuniis, vigiliis lacrimiſque redimere, & ſpiritualibus occupatum ſtudiis ad perfectum beatis virtutum incrementis aſcendere. Ad pacis bonum reformandum vos ſtudiis hujuſmodi gaudebamus inſiſtere. E quibus ſpes erat vos in cor domini noſtri regis hanc poſſe gratiam deſuper evocare, ut vobis iram regia pietate remitteret, & illatas in deceſſu, & ex deceſſu veſtro injurias ad cor de cætero non revocaret. Erat amicis veſtris & benivolis ad ipſum aliquis, dum hæc de vobis audirentur, acceſſus, & ob reconciliandum pro vobis ſupplicantes benigne ſuſtinuit. Jam vero quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxie revocamus, vos ſcilicet in eum comminatorium emiſiſſe, quo ſalutationem omittitis, quo non ad obtentum gratia conſilium preceſve porrigitis, quo non amicum quid ſentitis aut ſcribitis, ſed intentatis minis interdictum aut præciſionis elogium in eum jam dicendam fore proponitis multa ſeveritate. Quod ſi quam dure dictum eſt tam fuerit ſevere completum, quæ turbata ſunt non jam ſperamus ad pacem redigi, ſet in perhenne quoddã odium & inexorabile pertimeſcimus inflammari. Inſedit alte cunctorum mentibus, quam benignus dominus rex vobis exſtiterit. In quam vos gloriam ab exili provexerit, & in familiarem gratiam tam lata vos mente ſuſceperit, ut dominationis ſuæ loca quæ ab boreali oceano Pirenæum uſque porrecta ſunt, adeo poteſtati veſtræ cuncta ſubjecerit, ut in his ſolum hos beatos reputaret opinio, qui in veſtris poterant oculis complacere. Et ne veſtram gloriam mobilitas mundana poſſet concutere, vos in eis quæ Dei ſunt voluit immobiliter radicare. Et diſſuadente matre ſua, & regno reclamante, eccleſia Dei quoad licuit ſuſpirante & ingemiſcente, vos in eam quam potiti eſtis dignitatem modis omnibus ſtuduit ſullimare, ſperans ſe de cætero regnare feliciter, & ope veſtra & conſilio ſumma ſecuritate gaudere. Ne vero in Dominum regem, & regnum ejus, ne in nos, & commiſſas nobis eccleſias & parochias, in Domini papæ dampnum ſanctæque Romanæ eccleſiæ dedecus, & detrimentum, noſtræque confuſionis augmentum manum veſtram temptetis extendere, remedium appellationis nobis opponimus; & qui contra metum gravaminum in facie eccleſiæ viva jamdudum voce ad dominum papam appellavimus, iterato jam nunc ad ipſum ſcripto etiam appellamus, & appellationis terminum diem aſcenſionis Dominicæ aſſignamus; quanta quidem poſſumus devotione ſupplicantes, ut inito ſalubriori conſilio veſtris ac noſtris laboribus expenſiſque parcatis, cauſamque veſtram in hoc ut remedium habere queat, ponere ſtudeatis. Valere vos optamus in Domino pater.*

Thomas Cantuarienſis *eccleſiæ humilis miniſter* G. Lundonienſi *epiſcopo, quod ſemel hoc iterum, Sic tranſire per bona temporalia, ut non amittat æterna. Mirandum & vehementer ſtupendum, virum prudentẽ & ſacris litteris eruditum, præſertim religionem habitu præferentem, adeo manifeſte, ne dicam, irreverenter & timore Dei poſtpoſito, adverſari veritatem, juſticia reſiſtere & ad omne fas nefaſque confundendum ſtatum ſanctæ eccleſiæ quam ipſe*

fundavit

Henricus II. rex.

fundavit altiſſimus velle evertere. Quid enim aliud eſt primo recognoſcere debitam nobis ſubjectionem & ſubjectioni cohærentem obedientiam promittere, demum ne obedire debeas ad appellationem convolare? Numquid apud me ſunt eſt & non, dicit apoſtolus? ſed neque apud apoſtoli deberent eſſe diſcipulum. Sperasne te habiturum defenſorem ad non obediendum, illum, qui vindicandi omnem inobedientiam & officium accepit & præceptum? Male eſt ſapere de eo & ipſum graviter offendere. Poterant te retardare ab hujuſmodi præſumptione quas jam paſſus es prima & ſecunda repulſa: viva vox quippe tua Senonis primum, & deinde tua littera ad perſuadendum compoſita experta ſunt, quam firmiter ſtet, quam ſit vicarius Petri, quem non precibus, non donis, non comminationibus vel promiſſis movere potuiſti. Sed tercio attemptandus eſt ut Domini ſui exemplo tercia à temptatione triumphum reportet. Quis pater videt filium aberrare & tacet? Quis virga non percutit ne gladium incurrat? Deſperat pater de filio quem comminatione non corripit vel flagello. Abſit autem ut tecum ſentiamus, dominum noſtrum impatientem correptionis ad exterminationem apoſtaſiæ lapſurum. Non enim patris cœleſtis plantatio eradicabitur. Navem concutit ſæviſſima tempeſtas, clavum teneo & ad ſompnum me vocas? Congeris & ſtatuis ante oculos noſtros beneficia nobis à domino noſtro rege collata, & de exili commemoras me ad ſumma provectum. Ut autem his aliquantiſper reſpondeam, in inſipientia mea tamen; De quo exili putas? ſi tempus quo me miniſterio ſuo præſtituit reſpicias, archidiaconatus Cantuarienſis, præpoſitura Beverlaci, plurimæ eccleſiæ, prebendæ nonnullæ, alia etiam non pauca quæ nominis mei erant poſſeſſio tunc temporis, adeo tenuem ut dicis quantum ad ea quæ mundi ſunt contradicunt me fuiſſe. Quod ſi ad generis mei radicem & progenitores meos intenderis, cives quidem fuerunt Lundonienſes, in medio concivium ſuorum habitantes ſine querela, nec omnino infimi. Set ut aliquando mundi tenebris ſemotis judicemur à lumine veritatis, quid glorioſius naſci de mediocribus vel etiam de infimis, an de mundi magnatibus & honoratis, cum dicat apoſtolus, Inhoneſtiora membra noſtri corporis abundantiori circumdamus honore? Stēmata quid faciunt? ait gentilis poëta. Quid habet dicere Chriſtianus epiſcopus & religioſus? Sed fortaſſis de exiguitatis meæ memoria notam confuſionis mihi obicere voluiſti. Potuit autem fieri aliquas perſonas eccleſiaſticas ad eandem promotionem ut ſolet aſpirantes ſuſpiraſſe cum ſe ſentirent ab ea quam conceperant ſpe decidere, qui & hodie fortaſſis in ultionem ſui caſus præſentis diſſenſionis auctores ſunt & conſiliarii. Sed væ illi per quem ſcandalum venit. Illud quod dicis, dominum regem paratum eſſe ad ſatisfaciendum, quo ſenſu intelligis? Illos, quorum ſe Deus dicit patrem & Judicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes, & omnino hujus quæ nos movet controverſiæ ignaros vides proſcribi, & taces? Clericos exterminari, & non reclamas? Alios bonis ſuis ſpoliari & contumeliis affici, & non contradicis? ſervientes meos in vincula conici & teneri, & obmuteſcis? Matris tuæ Cantuarienſis eccleſiæ bona diripi, & non reſiſtis? Me patrem tuum gladios cervici meæ jamjam imminentes vix evaſiſſe, & non doles? ſed quod deterius eſt, cum perſecutoribus meis & etiam in me, & Dei & eccleſiæ ipſius, & hoc non in occulto, ſtare non erubeſcis. Eſtne hoc ſatisfacere, perpetrata mala non corrigere & malis deteriora de die in diem adicere? Sed fortaſſis illud in contrarium intelligis, ut ſit ſatisfacere, voluntati ejus deſervire, ſecundum illud, Inebriabo ſagittas meas ſanguine eorum. Sed dicis mihi, Pater mi, De quibus me calumpniaris abſolve me paucis. Tunicæ mea timeo. Verum eſt fili mi, & nimis verum quod reſpondes, & ideo gladium non habes. Quod enim ſcribis ipſum paratum ſtare judicio regni ſui, quaſi condigna ſatisfactio ſit hæc: Quis eſt in terra vel etiam in cœlo qui de divina diſpoſitione præſumat judicare? Humana judicentur, divina penitus inconcuſſa relinquantur. Quanto melius frater mi, illi ſalubrius, tibi ſecurius intimares ei & perſuadere modis omnibus elaborares voluntatem Dei, de conſervanda pace eccleſiæ ſuæ, de non appetendis his quæ conceſſa non ſunt ejus amminiſtrationi, de honorandis ſacerdotibus Dei, nec qui ſunt attendat, ſed cujus ſervi ſunt. Sciat ergo & intelligat te intimante dominus meus rex, quia qui dominatur in regno hominum, ſet & angelorum duas ſub ſe poteſtates ordinavit, Principes & Sacerdotes, unam terrenam, alteram ſpiritualem; unam miniſtrantem, alteram preminentem; unam cui potentiam conceſſit, alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui vero his vel illis de jure ſuo ſubtrahit, Dei ordinationi reſiſtit. Nec præſumat dominus noſter rex Judices ſuos velle judicare. Terrenis enim poteſtatibus non ſunt commiſſa claves regni cœlorum, ſed ſacerdotio. Illud etiam te ſuggerente commemoretur Domino noſtro, dignum memoria & imitatione, quod in eccleſiaſtica hyſtoria legimus de Conſtantino imperatore. Cui cum oblata fuiſſent ſcripta accuſationes contra epiſcopos, accuſationis quidem libellos accepit, & accuſatos convocans in eorum aſpectu eoſdem incidit, dicens, Vos dii eſtis à vero Deo conſtituti, ite & inter vos cauſas veſtras diſponite, quia dignum non eſt ut nos homines judicemus Deos. O magnum imperatorem, ô diſcrete regnantem in terra, quæ aliena ſunt non uſurpantem, & regnum æternum in cœlo promerentem! Studeat itaque Dominus noſter rex tantum, tam diſcretum, tam felicem imitari Principem, cujus & memoria laudabilis frequentatur in terris, & vita perpetua & glorioſa habetur in cœlis.

Alienor regina peperit filium quem vocavit *Johannem.*

Thomas archiepiſcopus ſuffraganeis ſuis.

FRaternitatis veſtræ ſcriptum, quod tamen de prudentia veſtra communi conſilio non facile credimus emanaſſe, nuper ex inſperato ſuſcepimus, cujus continentia plus videtur habere mordacitatis quam ſolatii, & utinam magis eſſet emiſſum de pietatis ſtudio, de caritatis affectu, quam de obedientia voluntatis. Caritas enim non quærit quæ ſua ſunt ſet quæ Jeſu Chriſti. Erat quippe de jure officii veſtri, ſi veritatem habet evangelium, quod quidem habet, ſi recte agitis ejus officium, ſi fideliter ejus negotium geritis cujus repræſentatis figuram, magis eum timere qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam, quam qui poteſt corpus occidere, magis obedire Deo quam hominibus, patri quam domino, ejus exemplo qui factus eſt patri obediens uſque ad mortem. Unum vobis dico, ut ſalva pace veſtra loquar, quæ, multo tempore ſilui expectans ſi forte inſpiraret vobis Dominus ut reſumeretis vires, qui converſi eſtis retrorſum in die belli, ſi forte ſaltem aliquis ex omnibus vobis aſcenderet ex adverſo, opponeret ſe murum pro domo Iſrael, ſimularet ſaltem inire certamen contra eos qui non ceſſant cotidie exprobrare agmini Dei. Expectavi, non eſt qui aſcendat. Suſtinui, non eſt qui ſe opponat. Judicet ergo Deus inter me & vos, & requirat eccleſia confuſionem de manibus veſtris, quam velit nolit mundus, neceſſe eſt firmiter ſtare in verbo Domini in quo fundata eſt, donec veniat hora ejus ut tranſeat de hoc mundo ad patrem; Ut itaque veniamus ad rem. Dicite fratres, Excidit ne à memoria veſtra quid ageretur mecum, & cum eccleſia Dei dum adhuc eſſem in Anglia, quid in exitu meo, quid poſt exitum, quid etiam agatur diebus iſtis, quid maxime apud Norhamtunam, cum iterum judicaretur Chriſtus in perſona mea ante tribunal præſidis, cum artaretur Cantuarienſis ob injurias ſibi & eccleſiæ Dei paſſim illatas & ſine delectu Romanam appellare audientiam. Quis umquam vidit, audivit Cantuarienſem judicari, condempnari, cogi ad fidejuſſionem in curia regis à ſuis præcipue ſuffraganeis? Si nobis recedentibus & in diſceſſu noſtro turbata ſunt prout dicitis omnia, ſibi imputet qui cauſam dedit, qui hoc procuravit. Facientis proculdubio culpa hæc eſt non recedentis, perſequentis non declinantis injurias. Nobis adhuc de more expectantibus in curia ſi forte nobis aliquid opponeretur, ad noſtros acceſſum eſt officiales. Interdictum eſt eis, ne in aliquo nobis ſub temporalibus obedirent, ne nobis vel noſtris quicquam miniſtraretur ab ipſis citra mandatum regis & conſcientiam. Proſcripti & ipſi clerici cum laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum infantibus in cunabilis. Addicta ſunt fiſco bona eccleſiæ, patrimonium crucifixi, pars pecuniæ converſa eſt in uſus regios, pars in uſus epiſcopi Lundonienſis. Quod ſi ita eſt, exigimus ab eo, præcipientes ei in virtute obedientiæ, quatinus infra xl. dies poſt iſtarum ſuſceptionem litterarum, quicquid inde tulit vel in uſus eccleſiæ ſuæ converſum eſt, remota omni occaſione & dilatione infra tempus prænominatum in integrum nobis reſtituat. Nolite fratres, nolite jura regni & eccleſiæ confundere. Diſcretæ quidem ſunt poteſtates iſtæ, quarum una vim & poteſtatem ſortitur ex alia. Legite ſcripturas & invenietis quot & qui periere reges, qui niſi ſunt ſibi ſacerdotale officium uſurpare. Provideat ergo diſcretio veſtra, ne ob iſtam preſſura divina vos atterat injuriam, quam ſi venerit non fugietis de facili. Conſulite conſcientias veſtras, advertite formam electionis, conſenſum omnium ad quos ſpectabat electio, aſſenſum Principis per filium ſuum, & per eos qui ad hoc miſſi ſunt cum omnibus regni primatibus. Si aliquis eorum contradixit, ſi reclamavit vel in aliquo, loquatur qui novit, dicat qui conſcius eſt. Si vero turbatus inde fuerit aliquis, non dicat pro ſua moleſtia toti regno & eccleſiæ factam fuiſſe injuriam. Litteras quoque Domini regis & omnium veſtrum diligentius attendite, poſtulantes nobis cum multa inſtantia pallium & optinuiſſe. Appellatis ut dicitis, Numquid hac appellatione poteſtis ſuſpendere auctoritatem noſtram, ne in vos aut eccleſias veſtras ſeveritatis diſciplinam exerceamus, ſi delicti enormitas hoc exigit? Advertite diligentius ſi hæc ſit legitima appellatio, & quæ ſit hujus appellationis forma. Scimus quod omnis appellans aut ſuo nomine appellat, aut alieno: ſi ſuo, aut gravamine quod ei inferetur vel quod timet ſibi inferri. Certum tenemus quod nullum gravamen vobis, Deo gratias, adhuc à nobis illatum eſt unde debeatis ad appellationis confugere remedium; nec credimus vos ad præſens habere cauſam adverſum nos aliquam, quæ ſpecialiter veſtra ſit. Si contra metum gravaminum ne quid de cætero ſtatuam in vos vel eccleſias veſtras, videte ſi ſit iſte metus qui debeat venire in homines conſtantiſſimos, ſi hæc ſit appellatio quæ debeat ſuſpendere omnem auctoritatem & poteſtatem noſtram quam habemus in vos & eccleſias veſtras. Si alieno appellaſtis nomine: Aut Domini regis, aut alterius. Si non alterius, Domini regis. Si Domini regis, certe noſſe debuerat diſcretio veſtra quoniam introductæ ſunt appellationes ad propulſandam injuriam non ad inferendam, ad ſublevandos oppreſſos non amplius opprimendos. Præterea diſcretionem veſtram latere non credimus, quoniam non ſolent audiri appellantes, niſi quorum intereſt, aut quibus mandatum eſt, aut qui negotium gerunt alienum. Intereſt ne veſtra ut non coherceantur delinquentes adverſus eccleſiam? abſit. Immo certe contrarium. Si vero qui ſubvertit eccleſiæ libertates, qui bona ipſius invadit & occupat ac in ſuos convertit uſus, in ſui defenſionem minime ſuper hoc auditur appellans, multo minus & pro eo appellantes. Ergo nec Domino regi ſuffragatur appellatio à vobis pro ipſo edita, nec videtur prodeſſe pro ipſo emiſſa, unde ſicut in hoc caſu appellare non poteſt nec mandare, ſic nec vos ſuper hoc mandatum ab ipſo ſuſcipere. Non tamen hoc ideo dicimus quod quicquam circa perſonam Domini regis, vel terram ſuam, circa perſonas & eccleſias veſtras unquam inordinate fecerimus, vel per Dei miſericordiam facturi ſumus: Credebamus ſiquidem ſi recte intelligitis, ſi cupitis utiliter eccleſiæ ſubvenire, de nimis ordinata & longa patientia magis à vobis culpari, quam de ſeveritatis mora commendari. Mora enim trahit ad ſe periculum, quia nimis ordinata patientia plus habet remiſſionis quam commendationis, plus vicii quam virtutis; & inde eſt quod breviter vobis dicimus & affirmamus conſtanter, Dominum noſtrum regem nullatenus injuſte fore gravatum, ſi adverſus eum à Domino papa & à nobis ipſis legitime litteris & nunciis ſæpiſſime conventum ſatiſfacere cum poſſet, nolentem ſeveritatis cenſura proceſſerit.

An. Dñi 1167.

Obiit *Robertus* abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xviij.

Alexander papa *Thomæ* Cantuarienſi *archiepiſcopo*. *Frater in Chriſto kariſſime* Thoma Cantuarienſis *archiepiſcope, de fratrum noſtrorum conſilio tuis juſtis petitionibus debita benignitate duximus annuendum, atque prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis,* Paſcalis & Eugenii Romanorum *pontificum, veſtigiis inhærentes, tam tibi quam tuis legitimis ſucceſſoribus* Cantuarienſis *eccleſiæ primatum ita plenum concedimus, ſicut à* Lanfranco & Anſelmo *aliiſque ipſorum prædeceſſoribus conſtat fuiſſe poſſeſſum. Quicquid etiam dignitatis ſeu poteſtatis eidem ſanctæ* Cantuarienſi *ſeu* Dorobernenſi *eccleſiæ pertinere cognoſcitur, præſentis ſcripti pagina confirmamus, ſicut à temporibus beati* Auguſtini *prædeceſſores tuos habuiſſe Apoſtolicæ ſedis auctoritate conſtat.*

Radulfus Felgenarum Dominus principes *Armoricorum* ex maxima parte ſuam traxit in partem, Regem *Anglorum* inquietaturus. Sed cum ipſe *Radulfus* viribus eſſet longe inferior, & confœderati ſibi regis videntes exercitum ſolo metu tabeſcerent, cum à *Francis* etiam ipſe conſilium, & auxilium expetiſſet, & expectaſſet ſicut promiſerant, nec in aliquo ſubveniſſent, coactus eſt ad deditionem; turris ejus ſubverſa eſt, milites intus capti. Quæ congregaverat, exercitui Regis in direptionem ceſſerunt.

Willelmus Papienſis, Johannes Neapolitanus Cardinales à latere ſummi Pontificis deſtinati, regem, & archiepiſcopum convocaverunt apud *Munmirail*, & licet archiepiſcopus eos in partem regis inclinatiores ſenſiſſet, rem tamen in judicium ea ratione deduci conceſſit eis publice reſidentibus, ut ſecundum ordinem eccleſiaſticum, tam ſibi quam ſuis prius fieret ablatorum in integrum reſtitutio. Nec enim ſpoliatus ſubire judicium voluit, nec cogi potuit aliqua ratione. Quod cum illi nec vellent nec poſſent, infecto negotio redierunt ad curiam.

Ludovicus rex *Francorum* venit *Pontiniacum*, & ne quid in *Anglia* fieret in perniciem ordinis *Cyſtercienſis*, *Thomam* archiepiſcopum cui jam per biennium *Pontiniacenſes* omnem exhibuerant humanitatem *Senonis* ſecum deduxit, & in expendiis ſufficientiam apud ſanctam *Columbam* invenit per iiij. annos.

Collectam *Jeroſolimitanorum* uſibus deſtinandam truncus in ſingulis deputatus eccleſiis adacta ſera concluſit, præſtito per *Angliam* publice ſacramento, denarios iiij. à ſingulis marcatis emungens.

An. Dñi 1167. *Robertus* epiſcopus *Lincolnienſis* vir humilitatis magnæ migravit ad Dominum vij. kal. Februarii.

Matildis filia regis nupſit *Henrico* Duci *Saxonico*. Comes de *Arundel*, Comes de *Struguil*, illi præbuerunt ducatum, & alii plures.

Simon abbas eccleſiæ ſancti *Albani* xix.

Hoc anno die *Aſcenſionis* Domini xj. kal. Junii in Capitulo ſancti *Albani*, præſente *Roberto* Comite *Leiceſtriæ* totius *Angliæ* Juſticiario & aſſenſum regis *Henrici* ſenioris præbente, unanimi omnium qui aderant conſenſu, & conſona voluntate electus eſt dominus *Symon* monachus ejuſdem monaſterii in abbatem ipſius eccleſiæ, & ab epiſcopo *Lundonienſi Gileberto*, profeſſione prius ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ facta, eadem die Aſcenſionis in eccleſia beati *Albani* ante majus altare ſolempniter benedictus.

Rex *Francorum* & rex *Anglorum* facti ſunt diſcordes. A *Normannis Calvus mons* vicinus *Giſors* ſuccenſus eſt. Multi milites, multi cives ibi capti ſunt. In ultionem hujus facti rex *Francorum* villam campeſtrem *Rothomagenſis* archiepiſcopi ſcilicet *Andeli* combuſſit, & ipſa die rediit in *Franciam*, amiſſis in itinere pluſquam mille de ſuis. In *Pertico* poſtmodum multi milites *Francorum* capti ſunt à *Normannis*, tandem duo reges pacificati ſunt. *Ricardus* ſiquidem filius regis *Anglorum* Dux *Aquitanniæ* filiam regis *Francorum* accepit in ſponſam. Comes *Patricius* in *Aquitannia* princeps militiæ regis *Anglorum* lancea confoſſus obiit.

1168. *Alexandro* papæ ſcriptum eſt in hæc verba.

Cum clerum plurimum & Principes Imperator ad concilium ſuum in ſollempnitate Pentecoſtes adunaſſet, ſabbato & ij. feria tractatum eſt de pace & concordia inter vos & eum reformanda. Ad hac ſuperveniens Colonienſis *electus in medio omnium proteſtatus eſt; Domine Imperator conſilia quæ adverſus papam* Alexandrum *huc uſque captaſtis ad deſtitutionem ejus nichil tibi profuerunt, nichil ei nocuerunt. Sed ſi conſilio meo adquieveritis in promptu erit &* Alexandri *dejectio & papæ noſtri* Paſchalis *exaltatio, ſi vos ſcilicet* Alexandri *obedientiam & eo decedente cujuſque de parte ejus electi abjuraveritis.* Placuit *Imperatori forma conſilii; Tunc ait* Magdaburgenſis. *Si dominus* Colonienſis *primus omnium abjuraverit* Alexandrum, *& juraverit quod ordinationem ſuam & conſecrationem* à Paſchali *recipiet, de ſecreto animi ſui certiores nos reddet.* Adquievit *Imperator. Cumque* Colonienſis *ita primo jurare juſſus detrectaret, vehementer accenſus Imperator ait. En apparet quod tanquam proditor & traditor operatus ſis adverſus me & animam meam. En apparet quod ſanum conſilium michi dedit* Maguntinus *defuncto Octaviano dicens, quod cum me Dominus eo mortuo à periculo maximo liberaſſet, caverem michi ne me iterum periculo conſimili involverem; Unde tibi miſſis mandatis ſcripſi, ne me inconſulto de ſubſtituendi pontificis electione quicquam tractares; tu vero clam me auctoritate tua iſtum elegiſti. Tandem* Colonienſis *primus & abſolute juravit in ſupradictam formam, poſtmodum Imperator obedientiam veſtram, & cujuſque de parte veſtra electi abjuravit.*

Alexandro papæ G. *Lundonienſis* epiſcopus.

Mandatum veſtrum pater in Chriſto kariſſime debita veneratione ſuſcipientes, ilico filium veſtrum Dominumque noſtrum kariſſimum, illuſtrem regem Anglorum *adivimus, & juxta veſtri formam mandati diligenter & intente convenimus. Ipſe vero correptionem veſtram cum multa gratiarum actione ſuſcipiens, multa animi temperantia multaque modeſtia conſequenter reſpondit ad ſingula. In primis aſſerens mentem ſuam à vobis ſe nullatenus avertiſſe, nec id unquam propoſiti mente concepiſſe, quin dum vos ſibi patrem rebus ipſis cognoverit, vos ut patrem diligat, & ſanctam* Romanam *eccleſiam ut matrem veneretur & foveat & ſacris juſſionibus veſtris, ſalva ſibi ſua regnique ſui dignitate, humiliter obtemperet & obediat. Verum in appellationibus ex antiqua regni ſui inſtitutione, id ſibi vendicat honoris & honeris ut ob civilem cauſam nullus clericorum regni ſui, ejuſdem regni fines exeat, niſi an ipſius auctoritate & mandato jus ſuum optinere queat prius experiendo cognoſcat. Quod ſi non optinuerit, ad excellentiam veſtram ipſo in nullo reclamante cum volet quilibet appellabit.*

Thomas archiepiſcopus excommunicavit *Alanum de Nuvilla*, quia *Willelmum* capellanum archiepiſcopi tenebat in vinculis.

Ex quo reges in *minori Britannia* deſierunt præeſſe, duo Comites in eiſdem locis principari cœperunt. Sed quoniam omnis poteſtas impatiens ſemper conſortis erit, ſeſe variis ſæpe diſſenſionibus afflixerunt. *Conanus* tandem jure ſucceſſorio nactus Comitatum utrumque, dum in fata concederet, ex ſorore regis *Scottorum* filiam reliquit hæredem. Quam rex *Anglorum* filio ſuo *Ganfrido* uxorem accipiens, & in pace paſſim per *Britanniam* ſtatuenda ſtudioſus exiſtens, clerum terræ illius ſibi conciliavit & populum.

Henricus II. rex.

An. Dñi 1169.

Alexander papa regi *Anglorum.*

Quam paterne & benigne regiam ſæpius excellentiam convenerimus, & per litteras, & nuntios frequentius exortati fuerimus, ut venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem *archiepiſcopum tibi reconciliare deberes, ac ſibi ac ſuis eccleſias, cum cæteris ablatis, reſtituere, ſublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat cum id fere toti Chriſtianitati publicum & manifeſtum exiſtat. Unde quoniam in hoc hucuſque proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis & lenibus emollire, triſtes & dolentes efficimur, & nos ſpe & fiducia noſtra fruſtrati dolemus, præſertim cum te ſicut kariſſimum filium in Domino diligamus, cui in hoc grave periculum imminere videmus. Duritiam itaque tuam ſicut hactenus contra juſtitiam & ſalutem noſtram non duximus ulterius ſupportandam, nec præfato archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum libere conſequatur, & ſuam & eccleſiæ ſuæ ſibi commiſſæ injuriam eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio ulciſcatur.*

Gilebertus Lundonienſis epiſcopus ad ſententiam archiepiſcopi declinandam circa inicium quadrageſimæ convocato clero & populo in eccleſia ſancti *Pauli Romanæ* ſedis audientiam appellavit. Verum *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus ſuper hoc minime cercioratus, ipſum in die palmarum aput *Claramvallem* ſollempniter excommunicavit.

Thomas *Dei gratia* Cantuarienſis *archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus*, G. Lundonienſi *epiſcopo utinam vero fratri, declinare à malo & facere bonum. Exceſſus veſtros dum licuit ſupportavimus; & utinam manſuetudo patientiæ noſtræ quæ nobis ſupra modum dampnoſa extitit, in totius eccleſiæ pernitiem non redundet. Set quia patientia noſtra ſemper abuſi eſtis, neque dominum papam, neque nos in verbo ſalutis veſtræ voluiſtis audire, ſet obduratio veſtra ſemper in deteriora excrevit, vos urgente neceſſitate officii, & ratione juris perſuadente ex juſtis & manifeſtis cauſis anathematis ſententia percellentes excommunicavimus, & à corpore Chriſti quod eſt eccleſia, donec condigne ſatisfaciatis amputavimus. Præcipimus ergo in virtute obedientiæ, in periculo ſalutis, dignitatis & ordinis, quatinus prout eccleſiæ forma præſcribit, ab omnium fidelium communione abſtineatis, ne veſtra participatio Dominicum gregem contaminet ad ruinam, qui veſtra doctrina erudiendus, & exemplis reformandus erat ad vitam.*

Thomas *Dei gratia* Cantuarienſis *archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, decano, archidiacono, & clero* Lundonienſis *eccleſiæ ſalutem, & à communione excommunicatorum fideliter abſtinere. Veſtram non debet latere prudentiam quod fere totus Latinus orbis agnovit, quam inique ſumpta opportunitate ex cauſa ſciſmatis generalis* G. Lundonienſis *epiſcopus frater noſter utinam verus in cauſa eccleſiæ verſatus ſit, & pacem ejus ſtuduerit perturbare. Supportavimus eum in multa patientia, qua ille ſemper abutens jugis inobedientiæ crimen multiplicatis exceſſibus incorrigibiliter cumulavit. Nos ergo quibus ultra diſſimulare non licuit, eum urgente neceſſitate officii, & ratione juris perſuadente publice excommunicavimus, & vobis præcipimus in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis, & ſalutis, ut à communione ejus, ſicut Chriſti fideles decet, prorſus abſtineatis.*

Lundonienſis epiſcopus licet ſecundum quorundam conſilium tutus eſſet appellationis munimine, quam ante latam ſententiam excommunicationis interpoſuerat, uſus ſaniori conſilio mandatum archiepiſcopi patienter ſuſtinuit, & abſtinuit ab ingreſſu eccleſiæ.

Henricus II. rex.

Alienor filia regis *Angliæ* nupſit *Adelfunſo* regi *Caſtellæ.*

Alexander papa regi *Angliæ.*

Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exortamur in Domino, necnon in remiſſionem tibi peccatorum ex parte Dei omnipotentis, & beati Petri *apoſtolorum principis & noſtra injungimus, ut* Thomam *archiepiſcopum pro Deo & eccleſia ſua, & honore tuo, necnon & totius regni tui in gratiam & amorem tuum omni indignatione & rancore depoſito, clementer recipias; & Deum in hac parte vincere, ac tuam vinci voluntatem ſuſtineas, ut idem Deus & Dominus noſter* Jheſus Chriſtus, *qui ſe in illo à te ſuſceptum fuiſſe proculdubio reputabit, eodem dicente,* Qui vos recipit, me recipit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: *regnum terrenum per tempora longiora tibi tranquillum conſervet, & dies diuturniores cum deſiderata jocunditate concedat. Ut autem ſpem & fiduciam quam de te percepimus, plenius comprobemus, dilectos filios noſtros Gratianum & Vivianum ad regiæ ſublimitatis præſentiam duximus deſtinandos, per quos excellentiæ tuæ voluntatem noſtram viva voce latius intimamus, magnificentiam tuam rogantes attentius, monentes quatinus eoſdem pro eccleſia Dei reverentia, & honore beati* Petri *& noſtro benigne ſicut decet recipias.*

Inter *Angliæ* regem & archiepiſcopum paci reformandæ multi multam multotiens operam impenderunt. Ad ultimum miſſos fuiſſe duos à latere ſummi pontificis ſuperioribus litteris accepiſtis. Et qui nec meritis præcedentibus, nec offenſis intra viſcera materna concluſos, *Jacob* dilexit, & *Eſau* reprobavit, ipſe Deus ſic inſtituit animos *Viviani* & *Gratiani*, ut à primordio legationis injunctæ ſtatim alter regem, ſtatim alter archiepiſcopum modis omnibus fovere proponeret, & quorum erat poteſtas æqualis eoſdem varius disjungebat affectus, nec finis potuit inveniſſe concordes qui ab inicio vota conceperant tam diverſa. Set ſicut penes regem *Gratianus* gratiam non invenit, ſic nec penes archiepiſcopum aliqua vivit in memoria *Vivianus*. Cum igitur tractaturi de pace, ſe conſpectui regio præſentaſſent aput *Baiocas* in *Normannia*, poſtque tractatus immenſos pax eſſe in januis crederetur ab omnibus, litteras illis direxit *Willielmus Senonenſis* archiepiſcopus, in quibus continebatur, ne ſine conſcientia ipſius, ſicut in mandatis à domino papa ſuſceperant, in reconciliatione facienda procederent. Sic infecto negotio duo legati ſummi pontificis à regis curia receſſerunt.

Circa feſtum ſancti *Michaelis Lundonienſis* epiſcopus transfretavit, ſuam domino papæ præſentiam exhibiturus, & cauſas redditurus appellationis.

In octabis ſancti *Martini* habitum eſt colloquium inter regem *Francorum* & regem *Angliæ* proxime *Pariſius*, ubi præſens fuit archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ſed ſe regis *Anglorum* minime conſpectui præſentavit. Cumque diu tractatum eſſet de pace facienda inter regem & archiepiſcopum, quoniam ad hoc qui convenerant videbantur inniti, ne

Henr. ſecun. II. rex

prætextu regiæ dignitatis libertas eccleſiæ deperiret, novo genere obligationis ſic novam confœderationem involvere contendebant, ut ſimul & debita Deo reverentia impenderetur in omnibus, & jus regium nichilominus conſervaretur illæſum, cum conſtet pro certo, quod in obſervatione regiæ dignitatis libertas, aut dignitas eccleſiaſtica non gravetur. Siquidem dignitas eccleſiaſtica regiam provehit potius quam adimit dignitatem, & regalis dignitas eccleſiaſticam potius conſervare quam tollere conſuevit libertatem. Etenim quaſi quibuſdam ſibi invicem complexibus dignitas eccleſiaſtica & regalis concurrunt, cum nec reges ſalutem ſine eccleſia, nec eccleſia pacem ſine protectione regia conſequatur. Conſilio itaque regis *Francorum*, epiſcoporum & procerum, archiepiſcopus petitionem ſuam redactam in ſcedula regi *Anglorum* porrexit, continentem hæc verba. *Hoc petimus à domino noſtro rege juxta mandatum & conſilium domini papæ, quatinus pro amore Dei & domini papæ, & honore ſanctæ eccleſiæ, ac ſalute ſua & heredum ſuorum recipiat nos in gratiam ſuam, & concedat nobis, & omnibus qui nobiſcum & pro nobis exierunt de regno ſuo, pacem ſuam & plenam ſecuritatem de ſe & ſuis ſine malo ingenio, & reddat nobis eccleſiam* Cantuarienſem *in ea plenitudine & libertate in qua eam melius habuimus poſtquam facti ſumus archiepiſcopus, & poſſeſſiones omnes quas habuimus, ad tenendum & habendum ita libere, & quiete, & honorifice, ſicut eccleſia, & nos eas liberius & honorificentius tenuimus & habuimus poſtquam promoti ſumus in archiepiſcopum; & ſimiliter noſtris; & omnes eccleſias, & præbendas ad archiepiſcopum pertinentes quæ vacaverunt poſtquam exivimus de terra, ut faciamus de eis ſicut de noſtris prout nobis placuerit ſimiliter habere permittat.*

Duobus articulis plenum non præbuit aſſenſum rex *Angliæ*. Nec enim nomine reſtitutionis, cum archiepiſcopum non expulerit, juxta dignitatem regni quicquam debebat exolvere, nec bonorum vacantium poſſeſſiones quas jam dederat certis perſonis in irritum devocare. Sed ut legibus alligatum ſe principem profiteretur in medium, coram rege *Francorum* paratus erat archiepiſcopo per omnia ſatisfacere, vel ſi contendere decreviſſet, judicium in palatio *Pariſienſi* ſubire proceribus *Galliæ* reſidentibus, aut Gallicana eccleſia partes ſuas interponente, ſeu ſcolaribus diverſarum provinciarum æqua lance negotium examinantibus. Et ita rex *Angliæ* qui prius odium in ſe plurimorum conflaverat, in hoc verbo plurium favorem adeptus eſt. Itaque rex *Anglorum* & archiepiſcopus in qualiquali conveniſſent concordia, niſi quia rex archiepiſcopo dare ſignum pacis in oſculo penitus abnegaſſet, & abjuraſſet, omnem aliam ſecuritatem arbitratu boni viri paratus offerre, paratus præſtare.

An. Dñi 1170. In natali Domini rex tenuit curiam ſuam apud *Nannetenſem* urbem, præſentibus epiſcopis & baronibus totius *Britanniæ*, ubi fidelitatem ſibi & filio ſuo *Gaufrido* communiter juraverunt. Sequenti quadrageſima rediens in *Angliam*, multis ſuorum ſubita maris tempeſtate periclitatis, ipſe magno divinæ pietatis munere evaſit incolumis.

Lundonienſis epiſcopus dum tenderet *Romam*, ſibi per totam *Burgundiam* inſidias præparari multorum certa didicit relatione. Qua de cauſa per viam multo longiorem & difficiliorem iter arripuit, tranſitum habens per *Rupem Amatoris*, per ſanctum *Willelmum*, per *Montem Peſſulanum*, per ſanctum *Egidium*, & poſt tranſcenſis Alpibus veniens ad ſanctum *Ambroſium*, literas domini papæ ſuſcepit.

Henr. ſecun. II. rex

Alexander papa G. Lundonienſi epiſcopo.

Rothomagenſi *archiepiſcopo &* Ebroicenſi *epiſcopo dedimus in mandatis, ut te recepto juramento, quod noſtro ſuper his pro quibus in te ſententia lata eſt debeas parere mandato, noſtra vice abſolvant, ita quidem, ut pro eo quod excommunicatus fueras, nullum ordinis, aut officii, ſeu dignitatis periculum, neque aliquam infamiæ notam debeas ſuſtinere.*

Lundonienſis epiſcopus ad abſolutionem aſpirans, & rediens cum feſtinatione, ſollempniter abſolutus eſt apud *Rothomagum* in die Paſchæ.

Circa idus Julii, *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus, *Hugo Dunelmenſis* epiſcopus, & omnes ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ vocati à rege, venerunt *Lundoniam*, quibus dominus papa litteras direxit continentes hæc verba.

Alexander *papa*, Eboracenſi *archiepiſcopo, & univerſis* Angliæ *epiſcopis. Illius dignitatis & majoritatis eccleſiam* Cantuarienſem *ab antiquo fuiſſe audivimus, ut reges* Angliæ *ab ejuſdem archiepiſcopis inungi conſueverint, & in promotionis ſuæ principio coronari. Proinde ſiquidem eſt quod nos tum officii noſtri debito, tum conſideratione venerabilis fratris noſtri* Thomæ *ejuſdem ſedis archiepiſcopi, viri ſiquidem religioſi, honeſti, & diſcreti eccleſiæ jam dictæ jura & dignitates antiquas illibatas & integras conſervare volentes, univerſitati veſtræ auctoritate Apoſtolica penitus inhibemus, ne quiſquam veſtrum novo regi coronando, ſi forte hic caſus emerſerit, abſque memorati archiepiſcopi vel ſucceſſorum ſuorum, & eccleſiæ* Cantuarienſis *conniventia contra antiquam ejus conſuetudinem & dignitatem manum apponere, qualibet occaſione præſumat, aut id aliquatenus attemptare.*

Xiiij. kal. Julii, *Henricus* primogenitus filius *Henrici* regis *Angliæ*, conſecratus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium* à *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo.

Rex poſt coronationem filii transfretavit.

Habitum eſt colloquium apud *Munmirail* inter regem & archiepiſcopum, ubi præſens fuit rex *Francorum*, & *Bernardus de Corilo*, Prior etiam de *Monte Dei*. Poſt multa cum perventum eſt ad oſculum, quia dixit archiepiſcopus, In honore Dei vos oſculor, ab oſculo quaſi conditionaliter involuto receſſit rex. Nam ſicut noſtri majores formulas juris ſuſpectiſſimas habebant in jure, ſic rex ſemper in verbis archiepiſcopi conſcientiam habentis puriſſimam quaſdam clauſulas cauſabatur, ſcilicet nunc, *ſalvo ordine meo*, nunc, *ſalvo honore Dei*, nunc, *ſalva fide Dei*.

Item apud *Fractam vallem* rex *Francorum*, *W. Senonenſis* archiepiſcopus & epiſcopus *Nivernenſis* venerunt. Cum autem rex & archiepiſcopus receſſiſſent in partem, biſque deſcendiſſent, & bis aſcendiſſent, bis ſtapham rex tenuit archiepiſcopo.

Item apud *Ambazium* ſingulis ad ſimplicem intellectum reductis rex & archiepiſcopus concordiam inierunt, procurante pacem *Rotrodo Rothomagenſi* metropolitano.

Henricus rex *Angliæ*, filio ſuo *Henrico* regi *Angliæ* ſalutem. *Sciatis quod* Thomas Cantuarienſis *archiepiſcopus pacem mecum fecit ad voluntatem meam* *cum eo. Et ideo præcipio ut ipſe & ſui pacem habeant, & faciatis habere ei & ſuis qui pro eo exierunt de Anglia, omnes res ſuas bene, & in pace, & honorifice ſicut habuerunt tribus menſibus antequam exiret ab* Anglia. *Et faciatis venire coram vobis de melioribus & antiquioribus militibus de Honore de* Saltwode, *& eorum ſacramento faciatis recognoſci quid ibi habetur de feodo archiepiſcopatus* Cant. *& quod recognitum fuerit eſſe de feodo ejus ipſi archiepiſcopo habere faciatis. Teſte* Rotrodo *archiepiſcopo* Rothomagenſi *apud* Chinun. Hac igitur ſecuritate archiepiſcopus rediens in *Angliam* kal. Decembris, appulſus eſt apud *Sandicum* portum.

Archiepiſcopus ſtatim ut appulſus eſt, miſit *Eboracenſi* archiepiſcopo apud *Doveram* litteras domini papæ hæc verba continentes.

Alexander *papa*, R. Eboracenſi *archiepiſcopo, &* H. Dunelmenſi *epiſcopo. Cum filium ſuum rex veſter coronari voluerit, contempto* Thoma Cantuarienſi *archiepiſcopo, ad cujus officium de antiquo jure noſcitur pertinere, per manum tuam frater archiepiſcope, in aliena provincia diadema regni ei fecit imponi. In coronatione autem illius, nulla ex more de conſervanda eccleſiæ libertate cautio eſt præſtita, vel, ſicut aiunt, exacta. Sed potius juramento aſſeritur confirmatum, ut regni conſuetudines quas avitas dicunt, ſub quibus dignitas periclitatur eccleſiæ, illibatæ debeant omni tempore conſervari. In quo etſi multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de veſtra & aliorum coepiſcoporum veſtrorum poſſumus infirmitate moveri, qui, quod dolentes dicimus, facti ſicut arietes non habentes cornua, abiiſtis abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Etſi enim licere forte hoc tibi, frater archiepiſcope, in propria provincia putaviſſes, quomodo tamen in aliena provincia, & illius præcipue qui exulare pro juſtitia, & fere ſolus ſtare voluit, & dare gloriam Deo tibi licuerit, nec de ratione poſſumus, nec de ſanctorum patrum conſtitutionibus invenire. Unde quia juxta verbum prophetæ factum eſt in vobis perverſum quid ultra omnes alias provincias in uſurpationibus ſuis, & poſt tam iniquas conſuetudines juramento firmatas non adjeciſtis reſumere ſcutum fidei, ut ſtaretis pro domo Domini in die prælii, ſed poſuiſtis corpus veſtrum in terram, ut per vos fieret via tranſeunti, ne ſi diutius tacuerimus una vobiſcum in die judicii damnationis ſententia involvamur, auctoritate ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ, cui auctore Deo miniſtramus, ab omni officio epiſcopalis vos ſuſpendimus dignitatis.*

Rurſus *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus miſit litteras domini papæ *G. Lundonienſi* & *Jocelino Saleſburienſi* epiſcopis auram proſperam expectantibus apud *Doveram*, cum *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo, continentes hæc verba.

Alexander *papa, venerabilibus fratribus,* Lundonienſi, Saleſburienſi, Exonienſi, Ceſtrenſi, Roffenſi, *de ſancto* Aſaph, Landavenſi, *epiſcopis. Cum kariſſimus filius noſter* Henricus *rex veſter filium ſuum coronari voluerit, & hoc de antiquo jure ad* Cantuarienſem *noſcatur archiepiſcopum pertinere, vos jam dicti fratris noſtri auctoritate & reverentia quam ſibi & eccleſiæ ſuæ debetis poſtpoſita, ad coronationem illius favorem & miniſterium præbuiſtis, nulla de conſervanda eccleſiæ libertate præſtita, vel etiam exacta, ſicut dicitur, cautione; quinimo ſuſtinuiſtis potius, ut juramentum ab illo de conſervandis conſuetudinibus præſtaretur. Nec tamen hoc ideo dicimus, quia dum adhuc eſſemus in* Francia, *in multis eundem regem liberalem ſenſerimus ac devotum; ſed ob hoc non debemus omittere quin tantis nos tranſgreſſionibus, & pro gloria Dei, & pro ſalute ipſius & veſtra, zelo rectitudinis opponamus. Nunc igitur quia ſecularium hominum culpa nullos magis quam deſides prælatos negligenteſque reſpicimus, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam dum neceſſariam adhibere negligunt medicinam, & poſt expectationem diutinam nullo dolore contra vos ipſos, nullo fervore contra iniquas illas uſurpationes inſurgitis; nos de commiſſa nobis à Domino poteſtate, de auctoritate Apoſtolicæ ſedis, cui licet immeriti Deo diſponente ſervimus, ab omni epiſcopali vos ſuſpendimus dignitate. Illos autem veſtrum* Lundonienſem *videlicet &* Saleſburienſem *epiſcopos, qui pro impetrata apud nos gratia, juxta ſpem noſtram ad reconciliationem magis laborare debuerant, & à jam dicti archiepiſcopi gravamine abſtinere, ſi præfatæ coronationi favoris ſui miniſterium præbuerunt, in ſententiam anathematis revocamus.*

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus poſtquam intravit *Angliam* ſcripſit domino papæ litteras, in quibus inter alia hæc continebantur verba. *Adductus eſt nobiſcum ex mandato domini regis* Johannes *decanus* Saleſburienſis. *Qui cum videret* Reginaldum de Warenna, *&* Gervaſium de Cornhelle *Vicecomites ſcilicet in* Cantia, *&* Ranulfum de Broc, *& armatos plures accelerantes ad navigium noſtrum, ut advenientibus vim inferrent, timens ne ſi quid nobis aut noſtris mali inferretur in domini regis redundaret infamiam, obviam proceſſit armatis, denuncians eis ex parte domini regis, ne nos aut noſtros læderent. Quia hoc eſſet ipſum regem cum quo pacem feceramus notam proditionis incurrere. Poſtquam autem ad eccleſiam noſtram cum magna devotione cleri & populi ſuſcepti pervenimus, incontinenti nos officiales regis adierunt, denunciantes ex parte ipſius, ut ſuſpenſos epiſcopos, & excommunicatos abſolveremus, quia quod contra eos factum fuerat in regis redundabat injuriam, & in everſionem conſuetudinum regni, promittentes epiſcopos provinciæ noſtræ poſt abſolutionem venturos eſſe ad nos, & juri ſe ſalvo honore regni libenter parituros. Quibus reſpondimus, quod ſi* Lundonienſis *&* Saleſburienſis *epiſcopi jurarent coram nobis in forma eccleſiæ ſe mandato noſtro parituros, nos pro pace eccleſiæ, & reverentia domini regis abſolveremus eoſdem. Quod cum epiſcopis referretur, reſponderunt, juramentum hujuſmodi, niſi ex voluntate regis, non debere præſtari.*

Evocavit rex ſenas perſonas vacantium eccleſiarum in *Angliam*, ut conſilio eorum contra conſuetudinem regni, fratribus ſuis abſentibus, in altero regno electiones fierent epiſcoporum.

Dum *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus tenderet ad videndum faciem novi regis, qui tunc temporis morabatur apud Wdeſtoc, honorifice receptus eſt à *Lundonienſibus*, & cum eſſet hoſpitatus apud Suthwerc xv. kal. Januarii venerunt ad eum nuncii novi regis interdicentes ex parte ipſius regis ne progrederetur ad videndum regem, ſed ad ſuam reverteretur eccleſiam. Functi ſunt officio legationis hujuſce *Jocelinus Caſtellanus* frater reginæ *Aliſſa*, *Thomas de Turnebu*, *Hugo de Gundevilla*. Revertens itaque *Cantuariam* ibidem natalitios dies celebrare diſpoſuit, concurrentibus undique clericis diverſorum locorum quos diverſa trahebant negotia.

An. Dñi 1171.

Die natalis Domini *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus, ſermonem habiturus ad populum aſcendit in pulpitū. Sermone completo, orationibus conſuetis, ſcilicet pro domino papa, pro rege, pro pace populiq; ſalute fuſis ad Dominum, *Nigellum de Sacheville* violentum incubatorem eccleſiæ de *Herges*, & vicarium ejuſdem eccleſiæ, *Robertum* quoque de *Broc*, qui equum quemdam ipſius archiepiſcopi victualia deferentem ad dedecus & ignominiam ejus decurtaverat, accenſis candelis ſollempniter excommunicavit.

Quinta die natalis Domini circiter horam veſpertinam, dum archiepiſcopus cum clericis ſuis reſideret in thalamo, *Willelmus de Traci*, *Reginaldus filius Urſi*, *Hugo de Morevilla*, *Ricardus Brito* de *Normannia* venientes, tanquam furia invecti ſubito thalamum irruperunt, denunciantes ex parte regis moram in *Normannia* facientis, ut epiſcopos *Anglia* ſuſpenſos officio reſtitueret, excommunicatos abſolveret. Quibus reſpondit, Non eſſe judicis inferioris ut ſuperioris ſententiam ſolvat, & quod nulli hominum liceat infirmare quod apoſtolica ſedes decreverit. Attamen ſi *Lundonienſis* & *Salesburienſis* epiſcopi ſuo mandato ſe parituros juramento firmarent, eos pro pace eccleſiæ & reverentia domini regis abſolveret. Illi ita incandeſcentes & ſcelus nefarium quod in mente conceperant, ad effectum perducere properantes, cum impetu receſſerunt. Archiepiſcopus vero monentibus clericis ſuis, & hora diei veſpertina urgente, majorem intravit eccleſiam veſperos decantaturus. Quatuor itaque nefandi ſatellites ſupradicti interim militaribus armis induti eveſtigio ſubſecuti ſunt archiepiſcopum. Qui cum veniſſent ad eccleſiam, oſtia ipſius eccleſiæ ſicut præceperat archiepiſcopus invenerunt aperta. Neque enim, ait, eccleſiam Dei quæ cunctis univerſaliter debet eſſe refugium, turbato ordine commutabimus in caſtellum. Turbis undique confluentibus, prædicti quatuor eccleſiam irreverenter ingreſſi cœperunt clamare, Ubi eſt proditor regis? ubi eſt proditor regis? ubi eſt archiepiſcopus? Cum autem archiepiſcopus nomen audiſſet archiepiſcopi, à tertio gradu presbiterii vel quarto quem jam conſcenderat, eis obviam regreſſus eſt, dicens, Si quæritis archiepiſcopum ecce me in promptu habetis. Quibus acerrima proponentibus, ait: Ego mori paratus ſum, vitæ præferens aſſertionem juſtitiæ, libertatem eccleſiæ. Rogo tamen ut mei non ſint obnoxii pœnæ, ſicut nec fuerunt incitatores cauſæ. Dum autem nefandi ſatellites ſtrictis inſurgerent gladiis, ait, Deo & beatæ *Maria*, & ſanctis hujus eccleſiæ patronis, & beato *Dioniſio* commendo me ipſum, & eccleſiæ cauſam.

Annus millenus centenus ſeptuagenus Primus erat, Primas quo ruit enſe Thomas.

Immolatus itaque coram altari letale vulnus excepit, ea corporis parte quam olei ſacri perfuſio ſpecialius Domino conſecraverat, & qui pro libertate clèri tociens caput expoſuit & oculos erexit ad cœlum, inclinato capite percuſſus occubuit.

Robertus de Broc & ſui complices archiepiſcopi ſupellectilem, clericorum veſtes & miniſtrorum, officinarum etiam utenſilia diripuerunt. Equos omnes quos in ſtabulo repperérunt dominico datos in rapinam celeriter abduxerunt. Corpus autem archiepiſcopi quod à dextris altaris ſancti *Benedicti* decubuerat in pavimento, ante majus altare ſub ipſo diei crepuſculo deportatum eſt. Ubi quod ad notitiam cubicularii ſolius devenerat, aſtantibus venit in lucem. Licet enim archiepiſcopus habitum monachalem, quem à tempore multo ſatis occulte ſuſceperat canonicali habitu ſuppreſſiſſet, carnem attritam cilicio femoralibus cilicinis edomare curabat. Et ut breviter aliqua complectamur quæ divinitus ordinata concurrerant, quoniam archiepiſcopus ob tuendam eccleſiæ libertatem labores, exilium, propinquorum proſcriptionem, mortem etiam ſuſtinere decreverat, ut negotium tale ſuo Marte diſcurreret, die Martis receſſit à curia regis aput *Norhamt*. ut ſuperius diximus. Die Martis transfretavit, exilium ſubiturus in *Gallia*. Conſilio domini papæ revertens in *Angliam* die Martis appulſus eſt. Die Martis occubuit manibus impiorum confoſſus. Die Martis tranſlatus eſt. Sequenti die Mercurii ſummo mane nefandus rumor increbuit, quod nefandi carnifices archiepiſcopi corpus abſtrahere à ſacro loco condixerant, & canibus decerpendum vel avibus extra muros proicere. Abbas itaque de *Boxeleia*, Prior & conventus *Cantuarienſis* eccleſiæ prudentum conſilio ſtatuerunt, ut id maturiori traderent ſepulturæ; quod nec aquis abluendum aliquibus videbatur, præſertim cum longa ſatis abſtinentia fuerit clarificatum, abſterſum cilicio, proprio purificatum in ſanguine.

Hugo Terraconenſis archiepiſcopus proferens contumeliæ verbum in quendam mediæ manus hominem, interfectus eſt cultello.

Rex *Anglia* tunc temporis in *Normannia* morabatur aput *Argentonium*, cum ad ejus notitiam rumor infauſtus quibuſdam perferentibus penetravit: Qui ſtatim in primis nefandi ſermonis iniciis ad omnia lamentationum & miſeriarum genera converſus, regiam prorſus majeſtatem quaſi cilicio & cinere commutavit. Omnipotentem Deum teſtem vocans in animam ſuam, quod opus nefarium, nec ſua voluntate, nec conſcientia commiſſum eſt, nec artificio perquiſitum. Niſi forte in hoc delictum ſit, quod adhuc minus diligere credebatur archiepiſcopum. Super hoc quoque ſe judicio eccleſiæ prorſus expoſuit, & humiliter ſuſcepturum ſe quicquid in eo fuerit ſtatutum ſalubriter repromiſit.

Miſſi ſunt nuncii à Domino rege ſummo pontifici qui regem excuſarent & ejus innocentiam allegarent, quos nec Dominus papa videre, nec ad oſculum nec ad pedes voluit admittere. Nuncios qui ſecundo venerunt aliqui Cardinalium receperunt, ſet verbo tantum. Diu ergo in amaritudine ſuorum ſpirituum conturbati, his qui eos fidelius diligebant omnimodo ſupplicarunt, ut eorum interventu Dominus papa ſaltem aliquibus illorum audientiam indulgeret, ſed minime profecerunt. Inſtante igitur quinta feria ante Paſcha, in qua de conſuetudine Romanæ eccleſiæ ſolet Dominus papa publice, vel abſolvere, vel excommunicare, quibuſdam ſilentiariis Domini papæ perferentibus, ad aures nunciorum pervenit, quod eadem die immutabiliter Dominus papa decreverat in regem *Anglia* nominatim, & in totam terram ſuam ciſmarinam & tranſmarinam de communi fratrum conſilio Interdicti ferre ſententiam, & ea quæ lata fuerant in archiepiſcopum *Eboracenſem*, ea etiam quæ fuerant promulgata in *Lundonienſem* & *Salesburienſem* epiſcopos confirmare. Sic in artiſſimo poſiti nuncii regis, quibuſdam Cardinalibus intercedentibus ſignificaverunt Domino papæ, ſe accepiſſe in mandatis à Domino rege, quod jurarent in præſentia ejus, regem ſtaturum mandato ſuo, & hoc etiam juraturū in propria perſona legatis ſuis præſentibus, ſcilicet *Alberto* Cardinali tituli ſancti *Laurentii* in *Lucina*, & *Theodino* Cardinali tituli ſancti *Vitalis*, quos Dominus papa miſſurus erat in *Normanniam*. Sicut ergo nuncii regis petierunt, ſic & juraverunt & interdicti declinaverunt ſententiam. Nuncii vero archiepiſcopi *Eboracenſis*, & epiſcoporum *Lundonienſis* & *Salesburienſis* juraverunt, quod domini ſui ſtarent mandato Domini papæ, & hoc jurarent. Eadem tamen die generaliter excommunicavit Dominus papa ſceleratiſſimos interfectores *Cantuarienſis* archiepiſcopi, & omnes qui conſilium, vel auxilium, vel aſſenſum præbuerunt, & omnes qui eos in terra ſua aut reciperent aut foverent. Illi nihilominus in provincia *Northanhymbrorum* moram fecerunt per annum aput *Grareſburc*.

In *minori Britannia Hamo Leonenſis* epiſcopus, per *Guidomarum* filium fratris ſui *Guidomari* interfectus eſt.

Willelmus Trencheveil interfectus eſt in eccleſia ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* aput *Bederonum*.

Circa paſcha Dominus *Jeſus Chriſtus* qui in ſanctis ſuis ſemper eſt, & ubique mirabilis, glorioſiſſimi martyris ſui *Thomæ Cantuarienſis* archiepiſcopi vitam laudabilem, & inſuperabilem in morte conſtantiam crebris cœpit irradiare miraculis, ut qui pro tuenda libertate periclitantis eccleſiæ ſuam, & ſuorum proſcriptionem tot annis ſuſtinuit, dignum cognoſcatur ab omnibus reportaſſe triumphum.

Circa inicium *Auguſti Lundonienſis* epiſcopus à ſententia excommunicationis in quam ipſum Dominus papa quia novi regis interfuit coronationi revocaverat, à *Nivernenſi* epiſcopo, à *Belnacenſi* epiſcopo, & ab Abbate de *Pontinne* abſolutus eſt. Hoc autem factum eſt prope *Giſortium* aput *Calvum montem*; nondum tamen epiſcopali reſtitutus fuit officio.

Octavo idus *Auguſti* rex pater regis appulſus eſt in *Angliam*, qui viſitavit in tranſitu *Henricum Wintonienſem* epiſcopum in extremis agentem; qui eum pro morte glorioſi martyris increpavit duriſſime. Ob quam mortem ipſum multa prædixit adverſa paſſurum. Epiſcopus itaque ſenex & plenus dierum vi. idus *Auguſti* migravit ad Dominum.

Domino papæ Willelmus Senonenſis *archiepiſcopus. Veſtro* Apoſtolatui *pater ſancte data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Gladius anceps in manibus veſtris ſuper gentes, & ſuper regna. Videte Domine & conſiderate quem vindemiaverunt ita. Eccleſia ſiquidem* Cantuarienſis, *immo eccleſia generalis ſanguine rorantes lacrimas, & amaritudine uſperſas à finibus terræ in conſpectu tuo effundit, etenim poſita eſt quaſi ſignum ad ſagittam, facta eſt obprobrium vicinis ſuis, & qui vident eam movent capita ſua ſuper ipſam, dicentes, Ubi eſt Deus eorum? Ipſa autem gemens & converſa retrorſum clamat in auribus Domini exercituum, Vindica Domine ſanguinem ſervi tui, & martyris* Cantuarienſis *archiepiſcopi, qui occiſus eſt, immo pro libertate eccleſiæ crucifixus. Verbum pater ſancte horrendum, facinus prodigioſum, enorme flagitium factum eſt in diebus noſtris; Quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus. Proinde ſicut omnis eccleſia ſanctorum aſtruit, ipſum facit martyrem cauſa pariter & pœna, & dolor paſſionis illatæ. Cauſa eſt rigor eccleſiaſticæ cenſuræ, quia pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem. Veſtra igitur intereſt pater clementiſſime remedium adhibere præteritis, & providentiam futuris. Quis enim locus tutus eſt ſi rabies tyrannica Sancta ſanctorum cruentat, & ad columpnas eccleſiæ vicarios dilacerat? Inſurgant ergo eccleſiaſticæ leges, armentur jura cœleſtia. Introeat in conſpectu veſtro ultio ſanguinis glorioſi qui de* Anglia *clamat. Clamabit ſiquidem non ſolum terra, ſet & cœlum. Sic veſtro conſulite dolori, ut honeſtati pariter veſtræ, & ſaluti eccleſiæ conſulatis.*

Rex pater regis navibus undique congregatis intravit *Hyberniam* xv. kal. Novembris. *Liſmorenſis* epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, archiepiſcopi & epiſcopi receperunt eum in regem & in dominum, & fidelitatem ei juraverunt. Regulus de *Limelic*, Regulus de *Chore*, Regulus ille qui dicebatur *Monoculus*, fecerunt ei homagium. *Rodericus* autem Regulus de *Connat*, quia regio quam inhabitabat inacceſſibilis eſt paludibus nimiis interjacentibus, in quibus nec vada commoda, nec pervii montes, nec navigatio tuta eſt, ſuperſedit occurrere.

Rotbro Rothomagenſis archiepiſcopus, & epiſcopus *Ambianenſis* ſuſceperant in mandatis à Domino papa, quod congruo loco & tempore diem præfinirent *Eboracenſi* archiepiſcopo, & ejus purgationem ſuſciperent. *Eboracenſis* itaque pluribus ſecum aſſumptis, in feſto ſancti *Nicholai* aput *Albamarle*, ſacramento præſtito purgavit innocentiam ſuam, quod ante coronationem novi regis ut ſupra diximus, litteras prohibitionis à Domino papa tranſmiſſas, nequaquam ſuſceperat, & quod regi patri de regni conſuetudinibus obſervandis, quas avitas vocant, ſe non obligaverat, & quod mortem glorioſi martyris *Thomæ* quondam *Cantuarienſis* archiepiſcopi, neque verbo, neque ſcripto, neq; facto ſcienter procuraverat; & ſic eſt ad officii ſui plenitudinem reſtitutus.

Cantuarienſis eccleſia poſt necem glorioſiſſimi martyris continuis diu perſtitit in lamentis. Et quia cum gladiis virum juſtum perſequendo carnifices ab ingreſſu eccleſiæ greſſus illicitos minime cohibuerant, ipſum etiam pavimentum eccleſiæ, plebis undique concurrentis pulverulentis greſſibus & lutoſis, debuit contraxiſſe ſqualorem. Et quoniam juſtum ſanguinem effundendo Deo reverentiam non exhibuerant, ſuſpenſa eſt celebratio divinorum. Et quoniam percuſſo paſtore diſperſæ ſunt oves, detractis ab altaribus ornamentis, nudatis parietibus circumquaque tota loci facies induerat ſolitudinem. Et quoniam communis lætitia cleri & populi crebris verſa eſt in gemitibus, ſonitum campanarum qui ad pſallendum horis invitabat ſtatutis oportuit intermitti. Anno ergo integro minus novem diebus illa nobilis & excellens eccleſia ceſſans à divinis, archiepiſcopo ſuo quem per crebra miraculorum inſignia glorificatum jam noverat, ad terrorem carnificum lugubres exſolvit exequias. Ad vocationem itaque matris ſuæ *Dorobernenſis* eccleſiæ ſuffraganei convenerunt in feſto beati *Thomæ* apoſtoli, ut eccleſiam longa ſuſpenſione conſternatam, juxta mandatum

HENRI-
cus II. rex.

ſummi pontificis in ſtatum priſtinum reformarent. Illius *Judæ Machabei* laudabilia ſequentes veſtigia, qui manibus impiorum profanatum in terra ſanctuarium Dei cum ymnis & laudibus expiavit, faciem templi coronis aureis & cultibus precioſis exornans, & quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum facta eſt *Cantuaria* lætitia magna in clero gloriam victorioſiſſimi martyris attendente. E diverſo etiam factus eſt populorum concurſus clamantium, & dicentium, Vindica Domine ſanguinem qui effuſus eſt. *Bartholomæus Exonienſis* epiſcopus juxta petitionem *Cantuariorum* Miſſam ſollempnem celebraturus, & ſermonem habiturus ad populum, ut diebus exactis in doloribus lætitiæ celebris ſolamen opponeret, ſic exorſus eſt, *Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes lætificaverunt animam meam.*

An. Dñi
1172.

In nocte natalis Domini tonitruum in *Ybernia*, tonitruum in *Anglia*, tonitruum in omni regno *Francorum* auditum eſt generale ſubitum & horrible, portendens aliquid magnum, novum & inuſitatum.

Dum rex moram faceret in *Ybernia*, *Hugo* de *Saintemore* & *Radulfus de Faie* avunculus reginæ *Alienor*, conſilio ſicut dicitur ejuſdem reginæ, regis filii regis animum à patre ſuo cœperunt avertere, ſuggerentes incongruum videri quibuſlibet regem eſſe, & dominationem regno debitam non exercere.

Recentium eſus carnium & hauſtus aquæ tam inſolitus quam incognitus, plures de regis exercitu panis inedia laborantes fluxu ventris afflixit in *Ybernia*.

Hugo Dunelmenſis *epiſcopus, veniens ad ſanctum* Albanum, *dedicavit capellam beati* Cuthberti *in honorem ipſius Confeſſoris, & beati* Johannis Baptiſtæ *xvij. kal. Novemb.*

Ab ingreſſu regis in *Yberniam* xx. continuis ebdomadibus de regno ſuo, vel de aliqua parte dominationis ſuæ quæ tam longe lateque diffunditur, ad ipſum rumor aliquis minime penetravit, nec etiam quia ventus adverſabatur potuit penetrare.

Cum autem intellexiſſent *Ybernienſes*, in quantum circa pacem ſtatuendam & conſervandam regis *Angliæ* tota verſaretur intentio, qui nec indulgentiis crimina ſullevabat, nec in mortem alicujus præcipitabat ſententiam, ſub edicto vocati convenerunt ad ipſum, rogantes quæ ad pacem ſunt. Et quoniam inter eos publica poteſtas conſtituta non fuerat, quæ metu pœnarum impunitatem minime repromitteret, cum patres ſuos mutuis cædibus interfectos ſæpiſſime doluiſſent, ut in virtute regis pax fieret in diebus ſuis, ei & in eum jus ſuum tranſtulerunt & poteſtatem. Archiepiſcopi & epiſcopi plebis ſibi commiſſæ plurimum, & in plurimis attendentes errorem, ſet in his maxime quæ circa matrimonium à majoribus definita noſcuntur, quæ *Anglia* recipit & obſervat, ſe firmiter amplexuros, & inviolabiliter executuros promittunt. Et ut in ſingulis obſervatio ſimilis regnum colligaret utrumque, paſſim omnes unanimi voluntate, communi aſſenſu, pari deſiderio regis imperio ſe ſubiciunt. Omnibus igitur hoc ordine conſummatis in concilio habito apud *Liſmor*, urbes, & caſtella quæ rex in ſuam redegerat poteſtatem fideli deputavit cuſtodiæ. Et quoniam ipſum varia trahebant negotia, die Paſcæ ſub ipſo diei crepuſculo navem aſcendit, & in craſtino appulſus eſt in *Waliam* prope ſanctum *David*. Inde progreſſus recto itinere, nec declinans ad dextram, nec ad ſiniſtram, ſet incedens tanquam duplomate venit ad *Porceſtre*, ubi navem aſcendens *Angliam* ſalutavit à limine, ſicq; felici navigatione tranſvectus intravit *Normanniam*. Quod cum ad regis *Francorum* notitiam perveniſſet, vociferans ait: *Rex Angliæ* modo in *Ybernia*, modo in *Anglia*, modo in *Normannia*, volare potius judicandus eſt quam vel equum, vel navem conſcendere.

Henri-
cus II. rex.

Rotro Rothomagenſis archiepiſcopus, & epiſcopus *Ambianenſis* in mandatis ſuſceperant à domino papa, quatinus congruo loco & tempore *Lundonienſis* epiſcopi purgationem ſuſciperent. Ab ipſis igitur *Lundonienſis* epiſcopus evocatus, viris religioſis pluribus ſecum adjunctis, juravit quod mortem glorioſi *Thomæ* martyris, neque facto, neque verbo, neque ſcripto procuravit ſcienter. Suo itaque reſtitutus officio apud *Albemarle* kal. Maii ad ſuam cum gaudio remeavit eccleſiam.

Poſtquam rex *Anglorum* appulſus eſt in *Normanniam*, ſtatim cum feſtinatione acceſſit ad dominum *Albertum* & *Theodinum* Cardinales, & apoſtolicæ ſedis legatos ad *Parteſillas* à Domino papa tranſmiſſos. Poſt longos tandem & immenſos tractatus, primo habitos apud *Saviniacum*, poſt apud *Abrincas* in præſentia legatorum juravit dominus rex mortem glorioſiſſimi martyris *Thomæ*, nec voluntate ſua, nec conſcientia perpetratam fuiſſe, nec ſuo artificio perquiſitam. Sed quoniam malefactores ex verbis quæ iracundiæ calore ſuccenſus minus cautè protulerat, occaſionem ſumpſerant virum ſanctum interficiendi, cum omni humilitate petiit abſolutionem ab eis, petiit & impetravit. In facie igitur eccleſiæ ſollempniter abſolutus, juxta voluntatẽ & mandatum Cardinalium promiſit, quod ab inſtanti feſto Pentecoſtes uſque in annum tantam pecuniam daret, unde ad arbitrium fratrum templi CC. milites ad defenſionem terræ *Ieroſolimitanæ* per annum perquirerentur. Promiſit etiam quod licebit appellationes libere fieri, & quod conſuetudines quæ ſuis temporibus contra libertatẽ eccleſiæ fuerant introductæ, revocabuntur in irritum, & quod poſſeſſiones *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ poſt egreſſum ſanctæ recordationis archiepiſcopi fuerant ei ablatæ, reſtituerentur in integrum. Et quod clericis & laicis utriuſque ſexus qui pro archiepiſcopo *Thoma* de regno exierant, cum pace regis libere redire licebit, & bona ſua recipere. Et hoc totum promittere & facere, ex parte Domini papæ regi injunctum eſt in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum. Rex filius regis idem quod pater ſuus juraverat & promiſerat, juravit & promiſit.

Sequenti *Auguſto* rex filius regis & uxor ejus *Margarita* filia regis *Francorum* appulſi ſunt in *Angliam*, habentes in itinere comites *Rotro Rothomagenſem* archiepiſcopum, *Egidium Ebroicenſem* epiſcopum, & *Gaufridum* Præpoſitum *Carnotenſem*. Archiepiſcopus itaque memoratus xij. kal. Septembris apud *Wintoniam Margaritam* reginam *Angliæ* conſecravit, & diadema regni capiti filii regis impoſuit, miniſtrantibus ſibi epiſcopo *Ebroicenſi*, & aliquibus ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ. Juxta petitionem & voluntatem regis *Francorum*, interdictum fuerat *Eboracenſi* archiepiſco, *Lundonienſi* & *Saleſburienſi* epiſcopis, ne coronationi vel intereſſent, vel eam impedire quaqua ratione præſumerent.

Kal. Septembris convocato clero apud *Windeſores*, actum eſt de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ, ſet quibuſdam cauſis intervenientibus negotium illud ſuſpenſum eſt.

HENRICUS II. rex. An. Dñi 1173. *Henricus* rex *Angliæ*, *Johanni* filio ſuo cognomento *ſine terra*, vix bene ſeptenni filiam primogenitam *Humberti* Comitis de *Moriana* quam ex relicta *Henrici Saxonici* Ducis ſuſceperat, ſponſam accepit. Et quia ſpes maſculinæ prolis nulla ſupererat, quatuor caſtella Comitis, quæ vel natura loci, vel artificio manuum munitiora reputabantur, juxta voluntatem regis deputata ſunt cuſtodiæ.

Adelfunſus rex *Arragonum*, *Reimundus* Comes ſancti *Egidii*, *Girardus* Comes *Viennenſis*, *Humbertus* Comes de *Moriana* tanquam ex condicto convenerunt ad Curiam regis *Angliæ* apud *Montem ferandum* in *Arvernia* ij. Idus Februarii. Fuit & ibi *Henricus* rex filius regis *Henrici*. Procerum, equitum, divitum, quos varia trahebant negotia, multitudo numeroſa non defuit, ubi gazæ multiplices, & ab antiquis congeſtæ temporibus ſumptibus regiis, affluentia expenſarum, donatiorum multiplicitate poſſent exinaniri, in theſaurorum acervus quos *Anglia* deſtinaverat excreſceret in immenſum. Prædictis itaque viris illuſtribus partes ſuas interponentibus, Comes *ſancti Egidii* fecit homagium regi *Anglorum Henrico* patri regis *Henrici*, ſalva fide *Lodovici* regis *Francorum*. Sibi ſuiſque proſpicere volens in futurum hæredibus, comitatum *Toloſanum* ex hoc & deinceps *Aquitannico* Duci in ſervicio militari, multiſque aliis præſtationibus in ſcripto redactis obnoxium futurum eſſe ſacramento firmavit. Sed quia *Ricardus* Dux *Aquitaniæ* cui facturus erat homagium Comes ſancti *Egidii*, tunc temporis præſens non erat, uſque ad octavas Pentecoſtes negotii complementum dilationem accepit.

Willelmus Norwicenſis epiſcopus vir religioſus, & humilis xvij. kal. Febr. obiit.

Clarembaldus Abbas electus ſancti *Auguſtini*, quia bona monaſterii diſſipaverat, quia male vivendo ſubditis delinquendi dabat exemplum, quia proletarius teſtimonio multitudinis comprobatus eſt, mandato Domini papæ ab *Exonienſi* & *Wigornienſi* epiſcopis degradatus eſt.

VI. Non. Marcii ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ, ut de archiepiſcopi electione tractarent, ſub edicto vocati venerunt *Lamhedam*, & quoniam *Lamfrancus*, *Anſelmus*, *Theobaldus*, in ea ſede tam late floruerant, id idem fortunæ loci quodammodo deputantes, in *Rogerum Beccenſem* abbatem ſi non unanimiter ſaltem voce tenus concorditer convenerunt. Orta eſt tunc primum controverſia quis electionem pronuntiaret in publico. Suffraganeis hoc ad jus epiſcopi *Lundonienſis* ab antiquo pertinere dicentibus, *Cantuarienſibus* è contrario monachis aſſerentibus Priorem ſuum hac in re potius præferendum. Pro bono itaque pacis ne quid in abſentia regis oriretur diſcidii, ſalvo jure partium *Ricardus Pictavenſis* archidiaconus electionem in omnium auditorio recitavit. Abbas electus hoc intelligens, in *Normannia* coram rege in præſentia Cardinalium *Alberti* & *Theodini*, electioni factæ ſicut prædiximus penitus contradixit. Hoc eum feciſſe religionis obtentu ſuſpicabantur nonnulli, ab aliis dicebatur quod ſpiritus puſillanimitate contractus ſe imparem oneri tanto proteſtatus ſit.

Henricus rex filius regis abiens in conſilio impiorum animum ſuum avertit à patre, & ab *Argentonio* noctu recedens, domeſticis patris ſui qui ei neceſſaria miniſtrabant ignorantibus, ad ſocerum ſuum *Ludovicum* regem *Francorum*, tranſitu habito per *Mauritaniam* caſtrum ſcilicet Comitis *Perticenſis* ſeceſſit x. kal. Aprilis. Ipſa nocte pater ſuus dormiens apud *Alenzium*, cum ſubito expergefactus tranſfugium filii cognoviſſet, pauciſſimis ſecum aſſumptis equum aſcendit, & tranſitum habens per marchiam ſuam, & caſtellorum cuſtodes præmuniens, equis ſæpe mutatis ſub ipſo diei crepuſculo venit *Giſortium*, quod filio ſuo regi *Ludovicus* rex *Francorum* cum filia ſua *Margarita* nomine dotis conceſſerat. HENRICUS II. rex. *Ricardus* Dux *Aquitanicus*, *Gaufridus* Dux *Britannicus* juniores filii regis conſilio matris ſuæ reginæ, ſcilicet *Alienor*, ſicut dicitur, fratrem potius elegerunt ſequi quam patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ, fiunt incendia. Et ut à tempore ſumamus auſpicium, eo tempore ſumpſit arma filius contra patrem, quo quibuslibet locis ob reverentiam Dominicæ paſſionis arma Chriſtiani deponunt. Diſſenſio talis exitu felici claudi non poteſt, quoniam ſi liber Judicum, ſi liber Regum, ſi liber Yſaiæ prophetæ diligentius evolvatur, in exterminio filiorum inſurgentium in parentes à parricidio poteris quodlibet aſſerere.

Libros lege, ſcripturis invigila, conſule prudentiores, & paucula quæ ſub brevitate ſuccincta perſtringere procurabimus ante oculos habe.

Jepte Galaadites vir fortiſſimus & filius meretricis habuit filios, qui poſtquam creverant, ejecerunt à ſe patrem dicentes, *Non poteſt iſ hæres eſſe quoniam de adultera matre natus eſt*. Qui fugiens à facie filiorum congregavit inopes & latrocinantes & fecit ſalutem in Iſraelem. Filiorum itaque memoria periit, ut nec eorum teneantur vel nomina.

Abſalon filius regis *David*, miſit exploratores ad univerſas tribus Iſrael, dicens, *Statim ut audieritis clangorem buccinæ dicite, Regnabit Abſalon in Ebron*. *David* rex fugiens egreſſus eſt pedibus ſuis, & univerſa domus ejus de *Ieroſolima*. Factumque eſt prælium in ſaltu *Effraym*, & cæſus eſt ibi populus Iſrael qui adhærebat *Abſalon*, ab exercitu *David*. Accidit autem ut occurreret *Abſalon* ſervis *David* ſedens mulo. Cumque ingreſſus ejus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram mulus cui inſederat pertranſivit. Tulit *Joab* tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde *Abſalon*.

Sennacherib rex *Aſſiriorum* reverſus à *Ieroſolima* quam obſederat manſit in *Ninive*. Cumque adoraret in templo, *Adramelech* & *Aſaraſar* filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram *Armeniorum*. Quibus in exilio morientibus, *Eſſeradon* frater eorum regnavit in loco patris ſui.

Si gentilium ſpatioſa volumina diligens lector diligenter attenderit, orientalium facta recenſens, filios in parentes, parentes in filios ſæpius inſurrexiſſe reperiet.

Primus omnium *Ninus* rex *Aſſiriorum*, veterem gentilium morem imperii nova cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos terminos uſque *Libiæ* perdomuit. Hujus magnitudinem quæſitæ dominationis *Ninus* continua poſſeſſione firmavit. Domitis igitur proximis, cum acceſſione virium fortior tranſiret ad alios, & proxima quæque victoria ſequentis fieret inſtrumentum, totius populos orientis ſubegit. *Ninus* moriens impuberem filium *Niniam* & *Semiramidem* reliquit uxorem. *Semiramis* impuberi filio

nec

[illegible]

nec auſa fuit imperium tradere, nec ipſa palam tractare, ſet ſimulat ſe pro *Nini* conjuge filium, pro femina puerum. Nam & utrique ſtatura mediocris, & vox pariter gracilis, & liniamentorum qualitas matri filioque conſimilis. Igitur brachia crura virilia veſtia, caput thiara tegit: ſic primis initiis ſexum mentita puer eſſe, credita fuit. Magnas deinde res geſſit, amplitudine quarum ubi ſuperatam putat invidiam, quæ ſit querave ſe ſimulaſſet fatetur: nec hoc illi regali dignitatem ademit, ſet admirationem auxit, quod mulier non feminas modo virtute, ſed viros etiam anteiret. *Semiramis Babiloniam* condidit, *Ethiopiam* ſubjugavit, bellum *Indis* intulit. Ad poſtremum cum filii ſui concubitum expetiſſet, ab eodem interficitur. Poſt cujus mortem filius ejus *Ninias* paterno contentus imperio ſtudia belli depoſuit. Et veluti ſexum cum matre mutaſſet, à viris raro viſus in feminarum turba conſenuit. Ejus exemplum poſteri ſui ſecuti reſponſa gentibus per internuncios dabant. Sic *Aſſirii* tenuerunt imperium mille trecentis annis.

Trogus Pompeius libro I.

Jeronimus ſuper Yſaiam.

Dicunt Judæi *Nabugodonoſor Eiulmerodag* filium ſuum miſiſſe in carcerem, & eum ibi cum rege Judææ *Ioachim* in vita patris ſui fuiſſe. Mortuo patre cum non auderet regnum ſuſcipere, dicens, Pater meus quando vult moritur & reſurgit, conſilio *Ioachim* trecentas aves de diverſis partibus mundi exquiſivit, & corpus patris effoſſum in minutias diſcerpſit, & unicuique partem alligavit. Dixit enim *Ioachim*, Cum hæ aves ſimul convenerint reviviſcet pater tuus.

Trogus Pomp. libro vij.

Bubaris cum *Amincta* rege *Macedonum* congreſſurus depoſitis hoſtilibus animis in affinitatis jura ſuccedit, filiam *Amincta* regis uxorem accipiens. *Aminctas* ergo inſignis induſtria cunctiſque virtutibus Imperatoris inſtructus, ex *Euridice* tres filios ſuſtulit, *Alexandrum*, *Perdicam*, & *Philippum Alexandri* Macedonis patrem. *Aminctas* inſidiis *Euridicis* uxoris, quæ nuptias ſuas *Bubari* genero ſuo pacta regem occidendum & regnum adultero tradendum ſuſceperat, circumſeptus, *Alexandro* regnum tradidit primogenito filiorum. Nec multo poſt, *Alexander* inſidiis *Euridicis* matris appetitus occubuit. *Perdica* quoque frater ejus inſidiarum pari fraude decipitur. Indignum prorſus libidinis cauſa liberos à matre vita privatos, quam ſuorum contemplatio ſcelerum liberorum ſuppliciis vendicaverat.

Idem libro x.

Artaxerxi regi *Perſarum* ex pellicibus centum quindecim fuere filii, ſet tres tantum juſto matrimonio procreati, *Darius*, *Aralratus* & *Ochus*. Ex his *Darium* contra morem Perſarum, aput quos rex non niſi morte mutatur, per indulgentiam pater regem vivus fecit, nichil æſtimans quod in filium contuliſſet, ſinceriuſque gaudium ex procreatione capturus ſi ſuæ majeſtatis inſignia vivus in filio conſpexiſſet: acceptis inſigniis regni *Darius Aſtaſiam* uxorem patris ſui fœdere nuptiali jungendam ſibi dari, ſicut & regnum, poſtulavit à patre. Quod pater primo ſe facturum dixerat; mox pœnitentia ductus, ut honeſte negaret quod temere promiſerat, ſolis eam ſacerdotio præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperatur. Hinc exacerbatus *Darius*, facta cum quinquaginta ex fratribus ſuis conjuratione in patrem, dum inſidias parat, deprehenſus cum fratribus pœnas parricidii diis paternæ majeſtatis cultoribus dedit. Conjuges quoque omnium cum liberis interfectæ ſunt. Poſt hæc *Artaxerxes* ex dolore morbo contracto decedit, rex quam pater felicior.

[illegible]

Idem libro xxxvij.

Cum ſenex *Metridates* rex *Ponti* à *Farnace* filio ſuo teneretur obſeſſus, morique compelleretur, venenum hauſit; ſet infuſa peſtis viſceribus nichil ei nocere potuit. Puer namque ſæpe tutorum paſſus inſidias, exquiſitis ſe ſtagnaverat remediis ut etiam volens perire veneno non poſſet.

Idem libro xxxix.

Alexander rex *Ægyptiorum* cum ſuam matrem *Cleopatram* occultatis inſidiis interfeciſſet, in ultionem tanti facinoris à civibus ſuis regno expellitur.

Idem libro xlj.

Eucratides rex *Bractianorum* cum *Indiam* in poteſtatem redegiſſet, à filio quem ſibi ſocium regni fecerat interficitur. Qui non diſſimulato parricidio, velut hoſtem non patrem interfeciſſet, per ſanguinem ejus currum egit, & corpus abici juſſit.

Orodes rex *Parthorum* triginta filios ex pellicibus habens, cum multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro ſuis quæque animum regis obſidebat, fatum *Parthiæ* efficit in qua dum quaſi ſollempne eſt reges parricidas haberi, ut ſceleratiſſimus omnium *Fraates* nomine rex ſtatueretur. Itaque ſtatim quaſi nollet mori patrem interfecit, fratres quoque triginta trucidat. Set nec in filiis ceſſant parricidia, nam cum infeſtos ſibi optimates videret, ne eſſet qui nominari rex poſſet adultum filium interfici jubet.

Idem l. 42.

Parricidia quæ prænotavimus perpetrata ſunt ante incarnationem Domini, & à *Trogo Pompeio* litteris commendata. *Ariſtobolus* impatiens materni dominii, matrem cum filiis minoribus vinculavit in carcere, nec tamen regnavit *Ariſtobolus* niſi per annum, eo quod matrem fame peremerat in vinculis.

Joſephus libro xvij. Antiquitatum.

Herodes rex *Judæorum Alexandrum* filium ſuum ſecum *Romam* traxit, & veneni ſibi parati reum aput *Auguſtum Cæſarem* poſtulavit. Qui patri reconciliatus, dum iterum ipſi propinaſſet venenum, occiſus eſt à patre.

Si vis ſcire poſt paſſionem Chriſti quoto anno ab incarnatione Domini patres adverſos filios inſurrexerint, vel filii adverſus parentes notatum in ſequentibus poteris invenire.

Hormiſda rex *Perſarum* gladii poteſtatem exercens in ſubditos, & metu pœnarum ab illicitis revocare contendens, à *Perſis* captus & excæcatus eſt. *Coſdroe* filius ſuus hoſte quovis infeſtior & ad cæcitatem paternam oculos non reflectens, dum nimis aſpiraret ad regnum non timuit incurrere parricidium. Excuſatior filius inter parricidas ſi priuſquam populus patris oculos eruiſſet ipſe ſimul cum oculis vitam ademiſſet & patri.

Gregorius Turonenſis archiepiſcopus.

Regino abbas Prunenſis.

Syroes filius ſecundi *Coſdroæ* regis *Perſarum* avum ſuum *Hormiſdam* regem excæcatum à *Perſis*, interfectum à filio ſemper ante oculos habens, patrem ſuum *Coſdroem* interfecit: In nece patris avo ſuo non dubitans exequias celebrare.

Quid actum ſit aput orientales dignum culleo parricidali ſupra poſuimus. Quid actum ſit *Romæ* dum adhuc gentilitatis involveretur errore breviter adjungamus.

Euſebius libro ij. capitulo viceſimoquinto.

Nero perſequens Chriſtianos etiam matrem occidit, & ut ei pœna vel remiſſior meritis infligeretur interfecit ſeipſum, & adhuc in ultionem matris omnis in eo familia *Cæſaris Auguſti* conſumpta eſt.

HENRICUS II. rex.

Si fidei Chriſtianæ cultores ſuos *Roma*, ſuos *Conſtantinopolis* imperatores enumeraverit, & ipſorum fortunas inveſtigaverit diligenter, inmoderata dominandi libido filios ad dejectionem paternam animaſſe, filios orbem ſæpius concuſſiſſe docebitur.

windichindus Saxonicus.

Conſtantinus imperator *Conſtantinopolitanus*, matrem ſuam *Trenem* imperio privat. *Trene* imperatrix ſuper erepto ſibi imperio femineo dolore abuſa, *Conſtantinum* filium ſuum oculis & imperio privat, & ſola annis tribus imperat.

Romani qui ab imperatore *Conſtantinopolitano* jamdiu animo deſciverant, nunc accepta occaſionis opportunitate quia mulier, excæcato imperatore *Conſtantino* filio ſuo, eis imperabat, uno omnium conſenſu *Karolo* regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum *Leonis* papæ coronant *Cæſarem*, & *Auguſtum* appellant.

An. Dñi 791. *Pipinus Karoli* Magni imperatoris *Romani* filius naturalis gibboque deformis, vana ſpe regni à majoribus terræ illectus, contra patrem ſuum conjurationem fecit; qui conſilio detecto tonſoratur & monachus efficitur. Sociorum ejus alii decollantur, alii ſuſpenduntur.

833. *Ludovicus Pius* imperator *Romanus*, filius *Karoli* Magni, *Karolo Calvo* filio ſuo quem ex *Judith* filia *Welfonis* ſuſtulerat, *Alemanniam*, & maximam partem regni, coram filiis ſuis ex *Ermingardi* ſublatis, *Lothario* ſcilicet & *Ludovico* & *Pipino*, conceſſit; unde tres indignati ſunt & inſurrexerunt in patrem, & eum bello captum in carcere detruſerunt. Quod facinus fraterno inter ſe diſcidio & bello aput *Fontaniacum* habito poſtmodum expiarunt.

Lotharius imperator *Romanus* nepos *Karoli* Magni, patrem ſuum *Ludovicum* imperatorem carcerali cuſtodiæ mancipavit. Quod ne videatur aliquibus impunitum manſiſſe dum *Lotharius* liberos non ſuſtulerit, poſt *Karolum Calvum* fratrem ſuum juniorem de rege *Francorum* creatum imperatorem, barbaries incompoſita *Baioariorum*, tam regnum *Germaniæ*, tam regnum *Longobardorum* quam etiam ipſum imperium, non ordine ſucceſſorio ſemper, ſet electione communi frequentius & optinet, & optinuit.

883. *Karolus* junior *Ludovici Germanorum* regis filius à dæmonio graviter in præſentia patris & optimatum ejus vexatur, & in ipſa vexatione confitetur hoc ideo ſibi contigiſſe quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

852. *Luidulfus Ottonis Romani* imperatoris filius, inſtinctu *Conradi* ducis contra patrem ſuum rebellavit, *Reinesburc* cepit, & multas alias urbes & principes à patre avertit. Rex illum intra *Maguntiam* concluſum obſidet. *Luidulfo* ad gratiam patris reducto, *Conradus* dux Dei & imperatoris tranſfuga ad *Hungaros* ſe contulit, & ibi mortuus eſt. *Luidulfus* ſine ſpe regni manſit, nullum relinquens hæredem.

1106. *Marianus Scotus.*

Henricus filius *Henrici* imperatoris *Romani* conſurgens in patrem venit *Aquiſgranum* imperatore morante apud *Leodium*, & in v. feria Dominicæ cœnæ præmiſit ſuos præoccupare pontem aput *Winſatum*, ne quis ſibi venienti obſtaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, à ponte milites filii repelluntur; aliis eorum captis, aliis in *Moſam* merſis, aliis occiſis: ſicque filius contra patrem veniens rediit inglorius. Qui licet patri ſuccederet, in hujus facti vindictam ſine liberis deceſſit.

An. Dñi 950. *Item windichindus.*

Stephanus & *Conſtantinus* imperatores *Conſtantinopolitani* ægre ferentes ſe juxta patris ſeveritatem à juvenili levitate coherceri, diſpoſitis in palacio inſidiis patrem ſuum imperatorem *Romanum* nomine de palacii ſolio deponunt, & tonſo ei capite ad vicinam inſulam ad philoſophandum tranſmittunt.

954. Ipſi vero poſt patris depulſionem à *Conſtantino* filio *Leonis* imperatoris, tonſis capitibus ad idem monaſterium ad quod patrem ſuum tranſmiſerant, & ipſi ad philoſophandum tranſmittuntur cum monachis.

Si quid in partibus occidentis, vel in regnis, vel in comiciis, veneranda patrum memoria culleo dignum parricidali perpetratum agnoverit, illud ad filiorum terrorem ne facinus in patres excogitent, nos ſub occidente poſiti ponamus ad ultimum: ponamus eciam qui parentes adverſus filios inſurrexerunt.

563. *Gregorius Turonenſis archiepiſc.*

Lotharius rex *Francorum* filius *Clodovei* primi regis in *Francia* Chriſtiani, *Crannium* filium ſuum contra ſe diu rebellantem, & cum patri reſiſtere non poſſet in *minorem Britanniam* fugientem proſecutus eſt. *Conobrum* itaque ducem *Britonum* auxiliarium filii *Lotharius* rex peremit. *Crannium* vero captum cum uxore & filiabus igne conſumi fecit.

872. *Item windichindus.*

Karolum Calvum regem *Francorum* domeſtica calamitas in filiis ſuis afflixit. Siquidem *Karolomannum* in clericatu uſque ad diaconatus officium provectum, ipſe pater cepit & excæcavit, pro eo quod ad apoſtaſiam converſus, & omni genere nocendi regnum perturbans alter quidem *Julianus* effectus erat.

1037. *Magiſter Hugo de S. Victore.*

Conſtancia mater *Henrici* regis *Francorum*, novercalibus incitata machinamentis, filium ſuum regem à regno *Francorum* expellere modis omnibus attemptavit.

800. *Item Gregorius.*

Rex *Burgundiæ Sigiſmundus*, qui monaſterium *Agaunenſium* conſtruxerat, filium ſuum *Sigericum* peremit, malo novercæ illius conſilio uſus. Qui competenti pœnitentiæ ſe addicens, & martyribus *Agaunenſibus* ſe totum devovens, quod dignus fuerit venia teſtatur crebra poſt mortem ejus multis conceſſa ſanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio.

589. *Item Greg.*

Levigildus rex *Wiſigottorum* filium ſuum *Erminigildum* hoſtili perſequens animo, eum dampnavit exilio. Et quoniam Arrianæ communioni participare noluit, nocte ſancta Paſchæ in carcere ſecuri occidit.

851. *Marianus Scotus.*

Ethelwlfus rex *Anglorum* pater *Aluredi* magni regis in *Anglia*, *Roma* rediens ubi vota orationum perſolverat, à filiis ſuis *Theodbaldo* & *Ethelredo* repulſus eſt: ſed poſt multas inquietationes regno inter patrem & filios partito pacificati ſunt. Duobus itaque filiis *Ethelwlſi* ſine liberis decedentibus, *Aluredus* qui cum patre ſteterat, totius regni ſuſcepit gubernacula.

Hiſtoria Britonum 9. cap. ante finem libri.

Alfridus Oſwii regis *Northanhymbrorum* filius inſurrexit in patrem. Set cum viribus eſſet inferior, & à regno patrem expellere nullo conamine potuiſſet, *Pendam* regem *Merciorum Oſwaldi* regis & martyris interfectorem ſuam traxit in partem. *Penda* vero cum xxx ducibus xxx. ſecum legiones habentibus interfectus eſt ab *Oſwio*.

Robertus

Henricus II. rex. Sigiſbertus. *Robertus Curtaboſa* primogenitus filius regis *Willelmi* **Baſtard**, eo quod *Normanniam* quam ſibi ante adventum ipſius in *Anglia* coram *Philippo* rege *Francorum* dederat poſſidere non licebat, *Franciam* abiit, & auxilio *Philippi* regis in *Normannia* magnam frequenter prædam agebat. Pater ergo pugnam cum filio iniit ante caſtellum *Gerberai*, qui à filio vulneratus in brachio, & ab equo dejectus filio maledixit. Quam maledictionem filius in carcere moriens, & nullum hæredem relinquens evidenter incurrit.

An. Dñi 1010. *Item Sigiſbertus.* *Fulco Nerra* Comes *Andegavenſium Jeroſolimam* proficiſcens, *Gaufrido Martello* filio ſuo comitatum uſque ad reditum cuſtodiendum commiſit. Filius itaque proceres, equites, cives, & populum animavit in patrem. Votis orationum completis pater rediens eſt repulſus à filio. Fit diſcurſus per patriam, cædibus & rapinis inſiſtitur. Pater in anguſtia poſitus, caſtella, villas, & prædia ſuis fautoribus ſe daturum ſpopondit. Et ut totum reciperet, totum quod filius poſſidebat, fere totum diſtribuit. Quod in ſuum revocare dominium, ſibi poſtmodum, vel adhuc alicui ſucceſſorum non licuit. Filius tandem patri reconciliatus patri ſucceſſit. Set parricidii quod excogitaverat pœnas luens, ſine liberis deceſſit.

1112. *Robertus abbas.* *Willelmus* Comes *Pictavienſium* uxori ſuæ pellicem ſuperinduxit vocatam *Amalbergam*. *Willelmus* Comitis primogenitus matris injurias ulciſci proponens inſurrexit in patrem. Inter quos lite protracta diutius damnoſum *Aquitania* tranſegit ſeptennium. Tandem filius jure belli captus, à patre recipitur in concordiam; ſet cum lex humana filios erubeſcat patrum caſtigatores ſtatuere, quia patrem indigne tractaverat, in ſepulchro patrum ſuorum filius ſepeliri non meruit, ſet peregre proficiſcens aput ſanctum *Jacobum* in *Galicia* diem clauſit extremum.

Ad vocationem regis patris *Gilebertus Lundonienſis* epiſcopus in *Normanniam* transfretavit. Rex itaque cum cardinalibus, cum epiſcopo, cum domeſticis & familiaribus ſuis, de conſilio vacantium eccleſiarum in *Anglia* compendioſum habens tractatum, *Lundonienſem* cum feſtinatione remiſit litteras deferentem continentes hæc verba.

Albertus & Theodinus *presbyteri, cardinales, & Apoſtolica ſedis legati, dilectis in Chriſto fratribus, clericis, & monachis vacantium eccleſiarum* in Anglia, *Oculos habere ſemper ad Dominum. Inſpirante illo à quo bona cuncta procedunt inductus eſt dominus rex, ut eccleſia veſtra ſecundum Deum celeriter ordinentur. Mandamus itaque vobis ut remotis contentionibus & diverſis partium ſtudiis, cum bonarum & religioſarum conſilio perſonarum, de perſonis qua à ſacris canonibus nullatenus reſpuantur, electiones facere maturetis, & taliter in tam neceſſario negotio procedatis, ut & Deus in omnibus honoretur, & ſaluti animarum veſtrarum ac paci regni utiliter videatur eſſe proviſum. Nos ſane in procinctu itineris conſtituti brevi pagina caritatem veſtram ad id quod expedit duximus commonendam; vos intendite ut per privatam commotionem aut gratiam alicujus eccleſiaſtica utilitas non debeat impediri.*

Adulfus de Warnevilla Rothomagenſis ſacriſta, theſaurarius *Eboracenſis*, conſtitutus eſt *Anglia* cancellarius. Henricus II. rex. Qui modum vivendi parum à privato diſſimilem, quem prius ſemper habuerat, non immutavit, malens *Walteri de Conſtantiis* canonico *Rothomagenſi* vices in curia regia committere, quam circa latus principis militantes, expenſis profuſioribus, lautioribus menſis ad ſui gloriam nominis propagandam per dies ſingulos invitare.

Septies viginti *Flandrenſes* irruptione facta prope *Paſceium*, beneficio pontis intraverunt *Normanniam*; clangor lituorum, populi clamor, armatorum diſcurſus eveſtigio locum repleverunt eundem. Et ſic *Normanni* viriliter reſiſtentes eos quantocius cogitare de reditu coegerunt. Sed pons quo tranſitum prius habuerant à muliercula quadam effractus, in ſubſidium aquas oppoſuit profundiſſimas. Quibus involuti *Flandrenſes* univerſi ſubmerſi ſunt. Quod audiens *Ludovicus* rex *Francorum*, ait, Pro *Normannis* elementa decertant. Nam alio tempore cum intraſſem *Normanniam*, pars exercitus mei quamplurima pro aquæ penuria periit; nunc nimiam poſſumus habundantiam aquarum cauſari.

Ad inſtantiam cardinalium *Alberti* & *Theodini*, *Henricus* rex pater regis in *Anglicana* eccleſia fieri liberas electiones & permiſit & ſcripſit. Proinde vacantium eccleſiarum conveniente clero ſub paucorum interſtitio dierum, *Ricardus Pictavienſis* archidiaconus ad *Wintonienſem*, *Gaufridus Cant.* archidiaconus ad *Elyenſem*, *Gaufridus Lincoln.* archidiaconus ad *Lincolnienſem*, *Reginaldus Sarebirienſis* archidiaconus ad *Batonienſem*, *Robertus Oxenofordenſis* archidiaconus ad *Herefordienſem*, ad *Ciceſtrenſem* eccleſiam *Johannes* ejuſdem loci decanus electus eſt aput *Weſtmonaſterium*, præſente juſticiario regis, & aſſenſum præbente.

Wintanienſis, *Elyenſis* electi xvj. kal. Junii, die ſcilicet Aſcenſionis Domini, in jam ſibi addictis ſollempniter intronizantur eccleſiis, ſeque poſſeſſionibus eccleſiaſticis immiſcentes homagia fidelitates epiſcopo debitas à laicis ſibi ſubditis & exegerunt, & receperunt, non tamen ab omnibus.

Litteræ regis patris, litteræ cardinalium directæ ſunt in *Angliam* pridie non. Julii, plurimum exhortantes, ut de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ communiter ageretur. Suffraganeis igitur ſuper hoc conferentibus, *Odo* Prior ſanctæ Trinitatis, & ſanior pars conventus inauditum quiddam de novo cœperunt conſtanter aſſerere, quod & de ſuo collegio ſubrogandus eſſet antiſtes, & quod eſſet ab ipſis in publico nominandus. Et quia regis patris intererat plurimum diebus illis electionem concorditer celebrari, ſemotis duobus à multitudine monachorum, *Odone* ſcilicet Priore *Cantuarienſi*, *Ricardo* Priore *Devorenſi*, cum eos monachi præſentaſſent Epiſcopis, ad ſui Prioris electionem unanimiter aſpirantes, *Gilebertus Lundonienſis* epiſcopus conſurgens in medium, cum prius ad laudem *Odonis* Prioris plurima congeſſiſſet, de communi conſilio coepiſcoporum aliam declinavit in partem, dicens, Nos *Ricardum* Priorem eligimus, quem manibus comprehendens incepit alta voce, *Te Deum laudamus*, multitudinem clericorum undique confluentium eandem animavit in vocem. Expletis ergo ſollennibus quæ in applauſu fiunt hujuſmodi, *Cantuarienſis* electus ſicut omnes prius electi fidelitatem

regis

HENRICUS II. rex.

regis juraverant, ſic & ipſe juravit ſalvo ordine ſuo; nulla prorſus de regni conſuetudinibus obſervandis habita mentione. Hæc acta ſunt apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katerinæ*, præſente juſticiario regis & aſſenſum præbente.

Hugo de Gornai, tam pater quam filius, & quater xx. milites cum eis non tam inimicorum virtute quam inſidiis intercepti, capti ſunt à rege filio. Caſtrum ſuccenſum eſt: *Burgenſes* ad redemptionem compulſi.

Ipſa die qua de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ pertractatum eſt, apices ſummi pontificis in communi audientia recitati ſunt, continentes hæc verba.

ALexander *papa, venerabilibus fratribus, archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis aliis eccleſiarum prælatis, & univerſo clero & populo per* Angliam *conſtituto, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Redolet* Anglia *fragrantia & virtute ſignorum quæ per merita illius ſancti & reverendi viri* Thomæ *quondam* Cantuarienſis *archiepiſcopi, omnipotens Dominus operatur, & univerſa ubique lætatur Chriſtiana religio, pro eo quod ille qui eſt mirabilis & glorioſus in Sanctis Sanctum ſuum poſt mortem glorificavit. Cujus vita laudabilis multa fulſit gloria meritorum, & tandem martyrio conſummata eſt certaminis glorioſi. Quamvis autem dubitare de ſanctitate ejus non poſſit qui ejus vitam & laudabilem converſationem attendit, & glorioſam conſiderat paſſionem, voluit tamen Salvator & Redemptor noſter ejus ſanctitatis inſignia magnificis poſt mortem ſuam irradiare miraculis, ut qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis conſtantia neceſſitates & pericula pertulit, ſui laboris & certaminis in æterna beatitudine cognoſcatur ab omnibus percepiſſe triumphum. Nos auditis innumeris & magnis miraculis quæ jugiter per illius merita univerſitas narrat fidelium, & ſuper his, non ſine magno gaudio, per dilectos fratres noſtros* Albertum *tituli ſancti* Laurentii *in* Lucina, *&* Theodinum *ſancti* Vitalis *presbiteros, cardinales, & Apoſtolicæ ſedis legatos, qui eadem miracula tanto perſpicacius didicerunt, quanto amplius loco ſunt vicini, præcipue certiores effecti, & plurium aliarum teſtimonio perſonarum fidem ſicut debuimus adhibentes, prædictum archiepiſcopum ſollempniter in eccleſia, magno ibidem clericorum & laicorum collegio præſente, in capite jejunii deliberato fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, ipſumque decrevimus Sanctorum cathologo aſcribendum. Univerſitatem itaque veſtram monemus, & auctoritate qua fungimur diſtricte præcipimus, ut natalem prædicti glorioſi martyris die paſſionis ejus ſollempniter ſub annis ſingulis celebretis, & apud eum votivis orationibus ſatagatis veniam peccatorum promereri, ut qui pro Chriſto in vita exilium, & in morte virtutis conſtantia paſſionis martyrium pertulit, fidelium jugi ſupplicatione pulſatus pro nobis apud Deum intercedat.* Dat. Signiæ iij. idus Marcii.

Apicibus vix bene perlectis, ad laudem ipſius martyris, & certaminis glorioſi triumphum, omnes quotquot convenerant, levaverunt vocem in ſullime, dicentes, *Te Deum laudamus.* Et quoniam ſuffraganei debitam patri reverenciam ei, aut exuli, aut ab exilio revertenti, aut etiam reverſo non exhibuerant, ut ſuum omnibus publice confiterentur errorem, injuſtitiam, & iniquitatem, ab ore unius epiſcopi omnium epiſcoporum eſt expreſſa confeſſio, quod in oratione laudibus annexa ſatis evidenter apparuit, cujus fuit hic tenor. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ut qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati* Thomæ *martyris tui atque pontificis interceſſione liberemur.*

HENRICUS II. rex.

Maria ſoror ſancti *Thomæ* martyris, mandato regis patris, & contemplatione fratris, facta eſt abbatiſſa *Berchingenſis*.

Robertus Comes *Legeceſtriæ* mutuam accipiens undequaque pecuniam & verba pacis habens, venit *Lundoniam*, transfretandi licentiam à juſticiariis imperavit, ſimiliter & *Willelmus* camerarius de *Tancarvilla* petiit licentiam transfretandi. Uterque ſacramento corporaliter præſtito regis patris fidelitatem juravit, ſed ſubito trans mare currentes, cœlum ilico mutaverunt & animum. Nam cum audiſſent quæ fiebant in terra, cœperunt & ipſi de transfugio cogitare. *Johannes* ſiquidem Comes de *Sueneis*, *Hugo* Comes *Ceſtrenſis*, *Robertus* Comes de *Mellent*, *Jocelinus Criſpin*, *Gilebertus* de *Tiveleres*, *Robertus* de *monte forti*, *Willelmus Patricius*, *Haſculfus* de ſancto *Hylario*, *Radulfus* dominus *Felgeriarum*, & plures mediæ manus homines, quos ex juſtis & probabilibus cauſis rex pater exhæredaverat, regis filii ceſſerunt in partem, non quia cauſam ejus juſtiorem attenderent, ſet quia rex pater regiæ titulos dignitatis ampliare procurans ſuperborum & ſullimium colla calcaret, caſtella patriæ ſuſpecta vel everteret, vel in ſuam redigeret poteſtatem; Bonorum occupatores quæ ſuam ad menſam quaſi ad fiſcum ab antiquo pertinere noſcuntur, patrimonio proprio contentos eſſe debere conſtanter aſſereret, & etiam cogeret; Proditionis reos dampnaret exilio; Raptores ſententia capitali puniret, fures terreret in furca; Pauperum oppreſſores pecuniæ jactura mulctaret.

Sexto idus Junii *Cantuarienſis* electus, occurrentibus epiſcopis electis, clero, populo apud *Cantuariam* ſollempni proceſſione receptus eſt. Actum eſt ipſa die de conſecrationibus faciendis in craſtino: ſet litteræ regis filii regis epiſcopis quibuſdam, & Priori tranſmiſſæ fuerunt impedimento. In quibus continebatur quod citra conſcientiam & aſſenſum ejus, in regno cujus diadema ſuſceperat, electiones, conſecrationes, intronizationes fieri non debebant; quod quia factum fuerat jam ex parte ſub præſentia cardinalium *Alberti* & *Theodini*, qui cum licentia regis patris & gratia, quem principem Chriſtianiſſimum & dixerunt & ſcripſerunt, à *Normannia* jam receſſerant, appellaverat, & adhuc per epiſtolam appellabat. Sic intermiſſis conſecrationibus quique redierunt ad propria.

Ludovicus rex *Francorum* ad *Normanniam* penitus devaſtandam, innumerabilem congregavit exercitum octabis ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Auxiliariis undique concurrentibus primo impetu ſtatuit delere *Vernolium*. Fixis circumquaque tentoriis, quanam ex parte primos experiretur conatus miſſis exploratoribus cœpit inquirere. Reportatum eſt, caſtrum inacceſſibile, utpote foſſatis circumdatum, cinctum muris, propugnaculis obfirmatum, viris bellicoſis ebulliens, radiantibus armis refertum, victualibus multis abundans, & niſi longa obſidio fame coarctaverit multitudinem intus obſeſſam, *Franci* poterant inani labore conſumi, vel atteri prorſus irreparabili jactura. Ad ſumptus igitur exercitui providendos, relatio neceſſaria domicilio cujuſque tranſmittitur. Per totam *Galliam* fit deſcriptio generalis. Nullus immunitate gaudebat. A ſedente in ſolio uſque ad laborantem in mola, vel in proſtibulo dormientem, manum extendere videbantur regii exactores. Non ſexus, non ordo, non dignitas à muneribus ſordidis vacationem habebat. Perſona fortunæ injuria miſerabilis ſi vel agellulum poſſideret vel aſinum, urgebatur conferre. Hujuſcemodi paſſim imprecabantur expeditioni, qui ut exercitui neceſſaria miniſtrarent, diſtrahere patrimonia cogebantur.

Rex filius *Philippum Flandrenſem* Comitem, *Mathæum* fratrem ſuum Comitem *Bolonienſem*, multis & magnis promiſſionibus emollitos inſtigatione regis *Francorum* ſuam traxit in partem. Qui quamtocius multitudinem armatorum ſub edicto vocantes, primoribus *Flandriæ* renitentibus, intraverunt cum eo *Normanniam* in ſuperbia magna. Caſtellum itaque de *Albamarle,* quod ſine quorundam ignominia dici non poteſt, eſt celeriter expugnatum. *Willelmus* Comes dominus ejuſdem caſtri, Comes *Simon,* & alii plures capti ſunt intus, & ad redemptionem compulſi. Qui duo proditionem ab aliis non à ſuis factam captionis ſuæ traxerunt in culpam. Caſtello juxta voluntatem Comitis cuſtodiæ deputato obſederunt *Drivencurt* caſtrum munitiſſimum, & militibus electis commiſſum. Sed quoniam ubi caput languidum eſt, menbra robuſta ſuum non poſſunt exercere vigorem, expugnatum eſt & ipſum armis eiſdem, aſſultu conſimili, eo infortunio quo & caſtellum de *Albamarle,* & ſimiliter cuſtodiæ deputatum. Cum inde progrederentur verſus caſtrum *Arches, Bolonienſis* Comes in feſto ſancti *Jacobi* à quodam marchione vulneratur ad mortem. Quod divino judicio factum eſſe pro certo cognoſcimus. Nam quia propoſitis & tactis ſacroſanctis reliquiis, inter quas & manus ſancti *Jacobi* præſentialiter habebatur, quinquennio jam tranſacto in feſto ſancti *Jacobi* fidelitatem patris regis juraverat, & ſicut modo apparuit in omnium oculis dejeraverat, in ultionem tanti ſceleris, in die feſto ſancti *Jacobi* letali vulnere percuſſus eſt. *Philippus* Comes de reditu feſtino ſollicitus, cum victoria ſimul, & cum gaudio remeaſſet ad propria, niſi quia proditionis nota ſuos denigraret ſucceſſus, & niſi quia mors fratris quæ imminebat dubios belli eventus ſibi repromitteret in futurum. Rediit itaque per comitatum *Aucenſem* quem rex filius poteſtati ſuæ jam totum ſubjecerat.

Rex pater eo tempore morabatur *Rothomagi,* ut populo videbatur æquo animo ferens quæ fiebant in terra. Frequentius ſolito venatui totus indulgens, venientibus ad ſe vultum hylaritatis prætendens, aliquid extorquere volentibus patienter reſpondens. Hi quos ab annis puerilibus enutrierat, hi quos donaverat cingulo militari, hi quos domeſticos prius habuerat & in conſiliis familiariſſimos, cotidie dilabebantur ab eo, credentes ejus dejectionem futuram in brevi: Filii dominationem arbitrantes procedere juxta regis *Francorum* & principum voluntatem. Qui ut cauſam ejus foverent attentius eum cum tanta ſollicitudine, cum tantis expenſis, cum tanto diſcrimine promovere curabant, ſe, ſua ſuoſque contemplatione ipſius diverſis generibus morcium, rapinis, deprædationibus, & incendiis incunctanter exponere minime dubitantes.

Ut audivit rex pater *Philippum Flandrenſem* Comitem à *Normannia* receſſiſſe, quantum potuit ſubito congregavit exercitum, ut ſi regem *Francorum* intra fines *Normanniæ* repperiſſet, prælium iniret cum illo.

Obſeſſo *Vernolio* idus Julii, an lignis, an lapidibus undique comportatis *Franci* foſſatum repleverint, & redegerint in planitiem, noli quærere. Ne quæras etiam an ad ſubvertendum caſtrum erexerint machinas muris altis etiam altiores, an impetus faciendo reſiſtentes attriverint, an fundis Balearibus lapides jaciendo dejecerint propugnacula. Nam quotiens parati ad pugnam *Franci* muros appropinquare condixerant, à *Normannis* gravi ſemper affecti jactura repellebantur.

Intra ſepta *Vernolii* burgum quoddam à divitibus mixtim & pauperibus inhabitatum, alto clauſum muro, certis diſtinctum limitibus, proprio deſignatum vocabulo, *Burgum* videlicet *Reginæ,* quoniam à tempore obſidionis pauperum & debilium intus fuerat multitudo concluſa, fame cepit periclitari. Quod cum ad regis *Francorum* noticiam perveniſſet, *Burgi* portas ſibi petiit aperiri, lege propoſita, quod ſi quis intra triduum proximum ſubveniret *Burgo* concluſis, quod impoſſibile judicabat, ab omni læſione ſervarentur indempnes. Hoc obſervandum legitime, *Robertus* Comes frater regis *Francorum, Henricus* Comes de *Campania, Theobaldus* Comes *Bleſenſis,* nomine regis *Francorum* ſacramento firmarunt.

Henricus rex *Angliæ* ſecum habens *Rothomagenſem* archiepiſcopum, epiſcopos plures, Comitem *Willelmum* de *Mannavilla, Ricardum* Comitem de *Eſtriguil,* qui nuper ab *Hybernia* venerat, proceres plurimos, multitudinem armatorum tam equitum quam peditum, quos ab urbibus & caſtellis ſalva ipſorum cuſtodia jam evocaverat, impiger advolat ad ſuccurrendum *Burgo* concluſis, & ipſa die qua datæ fuerunt induciæ, ipſa die qua rex *Francorum* receptus eſt intra *Burgum,* marchionum catervis, *Brebantinorum* cohortibus faciem ſuam præcedentibus, figit tentoria loco caſtris idoneo, ſed ab exercitu *Francorum* aliquantiſper remoto, ſcilicet aput *Conchas.* In craſtino diſpoſitis aciebus, & quæ ad pugnam neceſſaria videbantur ex ordine pertractatis, nuntios dirigit in mandatis habentes verbis pacificis dicere regi *Francorum,* quatinus à *Normannia* cum indempnitate ſuorum recederet, alioquin viſitaret eum ipſa die ſet in manu robuſta. Quod audiens rex *Francorum* cum ſciret regem *Angliæ* fortiſſimum eſſe & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat, fuga ſuis nec dicam ſibi conſulere potius quam pugnare decrevit, & ſic veritus à facie regis *Angliæ* conventionis oblitus quam inierat cum *Burgenſibus,* & inmemor ſacramenti, *Burgum* ſuccendit, ſpolia diripit, captivos abducit, & equum velociorem aſcendens intra *Galliam* ſe cum feſtinatione recepit. Impedimenta *Francorum Normannis* ſupervenientibus & obſeſſis, data ſunt in prædam. Quæ eſculenti & poculenti cauſa fuerant, ad exercitum *Francorum,* ſive plauſtris, ſive quadrigis, ſive bigis, ſive ſummariis comportata *Brebantinis* & marchionibus in direptionem ceſſerunt v. idus Auguſti.

Obſeſſa eſt *Legeceſtria* v. non. Julii. Sumptibus expenſis laboribus in obſidione conſumptis, commodum inde proveniens non ſatis æqua lance reſpondit; fortuito caſu pro maxima parte civitate combuſta, cives tractaverunt de pace. Marcis itaque trecentis à civibus numeratis & regio theſauro appenſis, data eſt eis licentia recedendi & abeundi quo vellent, compoſitis ſarcinis, dummodo vel in urbibus, vel in caſtellis, vel in villis regiis habitandi locum aſſumerent. Illis abeuntibus, ſubverſæ ſunt portæ civitatis, pars murorum deſtructa. Militibus caſtello concluſis datæ induciæ uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*. Et ſic ſoluta eſt obſidio v. kal. Auguſti.

Rex *Scottorum Willelmus* quæ in provincia *Northanhymbrorum* avo ſuo regi *David* fuerant donata, tradita, cartis confirmata, quæ etiam fuerant ab ipſo tempore longo poſſeſſa, repetens à rege patre ſed repulſam inveniens, congregavit exercitum, habens multitudinem infinitam *Galwalenſium*, agilem, nudam, calvitie multa notabilem, ſiniſtrum latus munientem cultellis, armaturis quibuslibet formidandis, jaculis jaciendis & dirigendis in longinquum manum habentem aptiſſimam, lanceam longam cum ad bellum progreditur erigentem pro ſigno. Per fines itaque *Hugonis* epiſcopi *Dunelmenſis* ſecurum tranſitum habens, rex *Scotiæ* cœpit *Angliam* depopulari, ſuccendere villas, innumerabilem congregare prædam, captivas abducere mulierculas, à prægnantium uteris infantes ſemivivos abſtrahere. Ad propulſandam ergo tantam & talem injuriam, *Angliæ* magnates arma cum ea qua fieri potuit acceleratione ſumentes regem *Scotiæ* ſubito fugam arripere coegerunt & infra *Scotiam* ſe recipere. Qui ſequentes ejus veſtigia totum *Loheneis* vaſtaverunt incendio, quicquid repertum eſt extra muros datum eſt *Anglis* in direptionem. Et ſic ad petitionem regis *Scottorum* datis induciis uſque ad feſtum ſancti *Hylarii* magnates *Angliæ* cum victoria redierunt.

Robertus Comes *Legeceſtriæ* conſumpta pecunia quam ab *Anglia* ſecum aſportaverat reverſurus in *Angliam*, & per *Flandriam* tranſitum habens, cum uxore, cum ſupellectile venit apud *Witſand*, ubi tam *Normannorum* quam *Flandrenſium*, tam equitum quam peditum, plurima comitante caterva navem aſcendit, & velis in altum expanſis appulſus eſt in *Suthfolc* apud *Walentunam* 3. kalendis Octobris. Qui navibus cum feſtinatione remiſſis, ad expugnandum caſtrum in ſupercilio montis conſtructum diebus iiij. laboravit, & licet Comitem *Hugonem Bigod*, & quotquot poterat congregare cum machinis in auxilium habuiſſet, excelſæ turri muris fundatæ fortiſſimis nocere non potuit. Inde progrediens, poſt aliquot dies iij. ſcilicet idus Octobris caſtellum de *Hagenet* invaſit, cepit, ſuccendit, xxx. fere milites intus captos ad redemptionem coegit. Regrediens ad *Framelingeham*, cum mora ejus oneroſa *Hugoni Bigod* domino caſtri videretur, ſet uxori ipſius *Hugonis* plurimum odioſa, neceſſitate compulſus ad *Legeceſtriam* viſitandam animum direxit & greſſum: ſubitum igitur iter arripiens propoſuit à læva relinquere burgum ſancti *Edmundi*. Quod exercitum regis patris qui tunc temporis ad patriam conſervandam inibi morabatur latere non potuit. Stipatus milite multo Comes & paratus ad pugnam, in tribus milibus *Flandrenſium* armatorum quos viæ participes tunc habebat confidebat non minimum. Verum ſi milites regis militibus Comitis conferantur, regalium numerus militum Comitis excedet in quadruplum. Si vero capita capitibus ſub æqua dinumeratione reſpondeant, ſi armatorum hinc inde copiam tam equeſtrem quam pedeſtrem æqua lance quis colligat, multo plures erant cum Comite quam qui ſteterant ex adverſo. Inito ergo certamine & ictibus ictuum multiplicitate repulſis, poſt varios belli eventus Comes, Comitiſſa, quotquot *Normannorum* & *Francorum* cum eis venerant capiuntur, xvj. kal. Novembris. *Flandrenſium* pars major occiditur, pars quædam ſubmergitur, minima pars ad vincula ſubeunda pertrahitur. *Hugo* de *Caſtello* capitur, & *Walterus* de *Wahille*.

Rege patre moram faciente *Rothomagi* nunciatum eſt, electam regis filii regis militiam apud *Dolenſem* urbem à *Brebantinis* ſuis circumcluſam. Qui ſtatim equi dorſum inſiliens, & cum calcaribus urgens, prima nocte apud *Tenerchebrai* paululum dormitando quievit. Sequenti mane in *Britanniam* veniens, ſcilicet ad *Dol*, militiam filii per dies aliquot repugnantem inſiſtens comprehendit. Inimicorum ſuorum multitudo permaxima priuſquam veniret à *Brebantinis* fuerat interempta. Captus eſt Comes *Ceſtrenſis*, *Radulfus* dominus *Fulgeriarum*, *Radulfus* de *Haia*, *Willelmus Patricius*, *Haſculfus* de ſancto *Hylario*, & cum iſtis fere quater viginti milites.

Cantuarienſis electus habens in comitatu *Bathonienſem* electum *Romam* profectus eſt.

Congregatus eſt infinitus exercitus apud *Coleceſtriam*, apud ſanctum *Eadmundum*, apud *Ypeſwic*, ad ſuperbiam *Hugonis* Comitis reprimendam. Qui cum poſſet ſicut plurimis videbatur expugnari de facili, quia *Flandrenſium* multitudo quæ ad eum confluxerat, ſi fuiſſet in caſtello concluſa, pro penuria victualium deperiſſet, proh pudor! *Angliæ* magnates interventu pecuniæ, ſicut dicitur, datis & acceptis induciis uſque ad octabas Pentecoſtes ſecurum xiiij. milibus *Flandrenſium* armatorum per *Eſſexam*, per *Cantiam* invenerunt conductum, & naves ad tranſfretandum paratas apud *Doveram*.

Nicholaus *Romanæ* eccleſiæ ſubdiaconus à domino papa tranſmiſſus ab archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, abbatiſſis, prioribus, archimandritis plurimam collegit pecuniam in uſus eccleſiæ laborantis in ſciſmate convertendam.

Rex filius regis Comitem *Theobaldum*, Comitem *Perticenſem*, Comitem de *Seſons*, & cum eis milites fere quingentos habens in comitatu *Sagienſem* urbem invaſit; ſed civibus etiam ſine principe, etiam ſine duce viriliter reſiſtentibus nichil profecit.

Rogerus de *Munbrai* regis patris à fidelitate recedens in *Axiholme* caſtellum ab antiquo conſtructum, ſet nunc temporis dirutum reædificavit. Multitudo *Lincolnienſium* in eam inſulam tranſvecta navigio caſtellum obſedit, conſtabularium cepit, milites intus incluſos pro aquæ penuria laborantes, ad deditionem coegit iij. non. Maii. Rurſus caſtellum intra dies pauciſſimos ſubverſum eſt.

Rex pater dubitans ne vel rex filius, vel quilibet alii marchiæ vicinantes intra ſuos fines irrumperent & *Normanniam* devaſtarent, eam domeſticis familiaribus, & fidelibus ſuis lateri ſuo jugiter prius adhærentibus cuſtodiendam commiſit.

Ipſe vero duobus ſolummodo ſecum aſſumptis, ſcilicet *Aluredo* de *Vavaci*, *Ganfrido Eſturmi*, qua fide ſui ſtare cum eo propoſuerant experiri proponens, ingreſſus *Cenomanniam* 2. kal. Maii *Cenomannicis* undique confluentibus, & ad ſuum per omnia paratis obſequium, ſi vel bellum ingrueret, vel aliud immineret diſcrimen, vel etiam mortis inſtaret periculum. Tranſiens ergo per patriam, multis militum ſtipatus catervis, animos ſuorum in ſe corroborans, de finibus terræ muniendis & defendendis proceres terræ illius ſatis exortans, cum attigiſſet *Andegaviæ* fines, univerſos remiſit, duos quos prænominavimus habens in comitatu. *Andegavenſes* celerius, & celebrius *Cenomannicis* occurrerunt regi, multo enim devotius, multo alacrius, multo inſtantius ad omnia quæ rex proponeret ſe ſuo ſubmiſerunt arbitrio. Omnibus inibi pro voluntate completis diem Pentecoſtes *Pictavis* celebravit: ubi cum audiſſet, *Ricardi* filii ſui militiam urbem *Santonicam* occupaſſe, ſumptis ſecum *Pictavienſibus* ad eam liberandam cucurrit. Milites illi, nec Deo, nec eccleſiæ ſanctæ reverentiam exhibentes, majorem eccleſiam cum facibus & laternis ingreſſi ſunt, & ipſam in caſtellum ſubito redigentes, armis & victualibus impleverunt. Cum autem rex citius quam milites credidiſſent urbem appropinquaſſet, & in tribus eam munitionibus nimis confidere ſatis edoctus fuiſſet, ad invadendum totus incubuit. Præſidium itaque primum quod in ingreſſu civitatis fuerat ab antiquo conſtructum ſubjugavit inprimis. Deinde progrediens aggreſſus eſt fortuna conſimili capitellum; præſidium majus ſet præſidio primo multo antiquius. Ad ultimum acceſſit ad majorem eccleſiam militibus multis & armatis refertam, oppreſſam à ſagittariis, à lenocinantibus conculcatam. Acceſſit illud, attendens quod in religionem divinam committitur in omnium fertur injuriam. Acceſſit, inquam, non ut eccleſiam impugnaret, non ut violaret, non ut contaminaret, ſet pocius ut eam emundaret à ſordibus. Extraxit ab eccleſia violatores eccleſiæ. Extraxit, *nam fruſtra legem invocat qui legem impugnat*. Capti ſunt intus tam in hac ſcilicet munitione quam in duabus aliis milites circiter Lx. Sagittarii circiter CCCC. Præſcius eorum quæ fiebant in *Flandria* cogitabat de reditu. Sex viris illuſtribus *Aquitanniam* defendendam & conſervandam commiſit. In confinio *Nannetenſium* & *Andegavenſium* præſidium quoddam vocatum *Ancenis* opere ſumptuoſo conſtruxit, ubi quid faber lignarius & ſciret & poſſet manifeſtum fecit. *Andegaviam, Cenomanniam*, & maxime caſtellum *Ancenis*, *Mauritio* de *Creun* tradidit cuſtodiendum. Veniens in *Normanniam* quos marchiæ ſuæ præfecerat, & quos conſtituerat cuſtodes caſtrorum ſub edicto vocavit aput *Bonam villam*.

An. Dñi 1174.

PHilippus Comes *Flandrenſium* præſente *Ludovico* rege, præſentibus regni *Francorum* majoribus, juraverat tactis ſacroſanctis reliquiis, quod infra xv. dies poſt inſtans feſtum ſancti *Johannis* intraret *Angliam* in valida manu, & eam regis filii regis ſubiceret poteſtati. Hac fiducia tractus rex filius ij. idus Julii venit apud *Witſand*, *Radulfum de la Haie* cum militia multa tranſmiſſurus in *Angliam*. *Flandrenſis* Comes CCCxviij. non dicam expeditos vernaculos, ſet milites probatiſſimos, & à *Flandrenſium* multitudine ſelectos, ad transfretandum præmiſit. Qui poſtquam appulſi ſunt in *Angliam* apud *Airewellam* xviij. kal. Junii ſociis eorum pro maxima parte periclitatis, ilico Comitem *Hugonem* ſecum aſſumentes invaſerunt *Norwicum*, ceperunt, prædati ſunt, infinitam inde pecuniam aſportarunt, multos abduxerunt captivos, & ad redemptionem graviſſimam coegerunt xiiij. kal. Julii.

JUſticiarii regis videntes mala quæ fiebant in terra, cum multos nuntios tranſmiſiſſent nec quicquam certi de reditu regis patris in *Angliam* ſuſcepiſſent, ad ultimum neceſſitate compulſi de communi conſilio tranſmiſerunt *Ricardum Wintonienſem* electum, quem pro certo ſciebant cæteris multo familiarius, multo ardentius, multo inſtantius locuturum cum rege, gentis ſuæ dampna, neceſſitates, pericula fidelius expoſiturum, procerum ſimultates, civium inſtabilitatem, acclamationem vulgi frequenter in deteriora proclivem, cupidam novorum, ad motus quoſlibet reprimendos difficilem, ſecurius oſtenſurum. Electus itaque celeri navigatione tranſvectus invenit regem aput *Bonam villam* generale colloquium cum *Normannis* habentem in feſto ſancti *Johannis*.

Normanni Wintonienſis electi adventum intelligentes & cauſam, dixerunt, Cum *Angli* tot emiſerunt nuntios & iſtum nunc dirigunt, quid amplius aliud tranſmiſſuri ſunt ad regem revocandum in *Angliam* niſi turrim *Lundoniæ*?

Rex nuntium talem cum debita veneratione ſuſcipiens, quantam fidem verbis ejus habuerit probavit eventus. Nam ipſa die de limitibus patriæ muniendis & conſervandis, de cuſtodia caſtellorum cum familiaribus ſuis pertractans ſe cum tota domo ſua præparavit ad reditum: Reginam *Alienor*, reginam *Margaritam*, filium & filiam, *Johannem* & *Johannam*, & uxores filiorum ſuorum intra paucos dies ſecum adducens. Comitem quoque *Ceſtrenſem*, *Legeceſtrenſem* Comitiſſam, & alios plures quos habebat in vinculis ante faciem ſuam præmiſit aput *Barbeſle*, ubi plurimis navibus religatis plurima turba morabatur regis transfretationem expectans. *Brebantinorum* Marchionum innumera manus cum armis & impedimentis transfretavit aput *Oſtream*. Cum autem rex feſtinaſſet ad portum octavo Idus Junii avulſis à littore navibus ſummo mane navem aſcendit, velis igitur in altum expaſſis viſæ ſunt undæ multo intenſius intumeſcere. Ventus enim ad horam increſcens & remiſſus ad horam tranſitum ea die nautis reddebat ſuſpectum. Quorum facies regi viſa ſuppreſſior aliquid innuit dubitationis ſubeſſe. Set cum rex ventum ex directo venire, navem curſum in *Angliam* via recta dirigere, flatus creberrimos vehementer ingraveſcere didiciſſet, erectis in cœlum luminibus palam omnibus ait, Si quæ ad pacem ſunt cleri & populi habeam in propoſito, ſi pacem in adventu meo reformandam rex cœlorum diſpoſuit, tunc pro ſua miſericordia portum michi indulgeat ſalutis: ſi autem fuerit averſus & regnum in virga viſitare decreverit, nunquam michi datum ſit vel fines regionis attingere. Orationem ejus auditam ſui ſatis præſumere potuerunt, quoniam ipſa die qua navem aſcenderat hora diei veſperaſcente cum indempnitate rerum aput *Hamonis portum* appulſus eſt. Extunc utens tenui diæta, pane ſcilicet & aqua, rerum curam diſponendarum omittens, abſtinens à

Henrici II. rex.

civitatum ingreſſu quouſque vota orationum aput *Thomam* martyrem glorioſum cum devotione perſolveret. Interjacens itaque ſpacium cum acceleratione pertranſit. Cum autem appropinquaſſet *Cantuariam*, equo deſiliens & regiam prorſus majeſtatem ſequeſtrans, nudus pedes, faciem peregrinantis, faciem pœnitentis, faciem ſupplicantis aſſumens iiij. idus Junii vj. feria pervenit ad majorem eccleſiam. Inde cum affluentia lacrimarum, cum gemitibus & ſuſpiriis peciit martyris glorioſi ſepulchrum. Ubi toto corpore proſtratus manibus expaſſis diutius in oratione permanſit. Interim ore *Lundonienſis* epiſcopi ſermonem habentis ad populum rex publice proteſtatus eſt, Deum teſtem vocans in animam ſuam, quod mortem archiepiſcopi nec mandavit, nec voluit, nec artificio perquiſivit. Sed quoniam interfectores ex verbis ſuis non ſatis circumſpecte prolatis occaſionem ſumpſiſſent, ab epiſcopis qui præſentes tunc aderant abſolutionem petebat, & carnem ſuam diſciplinæ ſupponens virgis cæſus eſt, à ſingulis viris religioſis, quorum multitudo convenerat, ternos ictus vel etiam quinos excipiens. Surgens ab oratione, veſtibus reſumptis quas prius exuerat, muneribus precioſis precioſiſſimum martyrem honoravit, aſſignans inſuper annuos redditus xl. libras ad luminaria jugiter circa martyrem in venerationem martyris concinnanda. Sic reliquum diei, totam quoque noctem ſequentem in amaritudine animæ ſuæ tranſegit, deditus orationi, vigiliis deditus, jejunium uſque in tercium diem continuans. Et quia ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum acceptiſſimum deo ſacrificium eſt, cum tociens ad exemplum regis *David* clamando repetierit, *Peccavi Domino, peccavi Domino*, audire meruit à propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: Quin martyrem ſibi placabilem jam reddiderit, quin peccatum ejus tranſlatum poſſimus prædicare ſecuri, non eſt qui dubitet. Nam ipſa die ſabbati qua indulgentiam ſibi dari poſtulabat à martyre, ſepulcrum martyris frequenter deoſculans, tradidit Deus *Willelmum* regem *Scottorum* in manus ſuas, cuſtodiæ mancipatum aput *Richemont*, ut adimpleretur illud propheticum, *Dabitur maxillis ejus frenum quod in Armorico ſinu fabricabitur*, ſinum vocans Armoricum caſtellum de *Richemont*, ab Armoricis principibus & nunc & ab antiquis temporibus hæreditario jure poſſeſſum. Ipſa etiam die ſabbati rex filius, navibus quas congregaverat ad transfretandum in *Angliam* diſſipatis, cœpit redire in *Galliam*.

Votis orationum cum tanta devotione completis, rex pater regrediens aliquantulam fecit moram *Lundoniæ*, regni majores illuc ſibi reperiens occurriſſe. Inde progrediens manu valida xiiij. kal. *Auguſti* venit ad *Huntendoniam*, & caſtellum ab viij. idus Maii ſatis viriliter obſeſſum & longa diutius obſidione circumquaque vallatum, in deditionem accepit xiij. kal. *Auguſti*. Milites Comitis *Leiceſtriæ* dominum ſuum à vinculis quibus graviſſime premebatur eruere cupientes, munitionem *Leiceſtriæ* & de *Muntſorel* & de *Grobi* poteſtati regiæ ſubmiſerunt xj. kal. *Auguſti*.

Reſus princeps *Waliæ* cum multitudine *Walenſium* obſedit *Stutesberie*. Proceres *Northanhymbrorum* ducem habentes *Lincolnienſem* electum filium regis *Maleſart* caſtellum ſcilicet *Rogeri* de *Molbrai* viribus ſubjugarunt. Cum autem rex turmis militum undique confluentibus apud ſanctum *Edmundum* maximum congregaſſet exercitum, de communi conſilio duo caſtella *Hugonis Bigod* Comitis de *Norfolke*, *Framingeham* ſcilicet & *Bungeie*, ſimul obſidere decrevit. Comes vero quingentos ſecum milites habens & multitudinem armatorum, quia viribus erat longe inferior, & aliquem ſibi poſſe ſuccurrere deſperabat, habito tractatu cum illa paucitate ſuorum quæ ſecum remanſerat, omnes quidem fere ſui jam ab eo receſſerant, neceſſitate compulſus datis obſidibus milibus marcarum appenſis pacem regis emeruit, viij. kal. *Auguſti* homagium regi fecit, fidelitatem juravit & rurſus in ſuam ligantiam rediit. Multitudo *Flandrenſium* quam *Philippus* Comes venturus in *Angliam* ſicut diſpoſuerat, ſicut tactis ſacroſanctis reliquiis regi *Francorum* conſtanter promiſerat, ante faciem ſuam præmiſit, (præſtito ſacramento quod amplius *Angliæ* fines cum hoſtili manu non ingrederetur,) cum licentia regis repatriavit. Milicia regis filii regis cui præerat *Radulfus de la Haie* libera cum armis & impedimentis receſſit. Nuncii miſſi ſunt à *Roberto* Comite de *Ferires* & à *Rogero* de *Molbrai*, quorum caſtella tunc obſidebantur, ſcilicet *Eſtutesberie* & *Treſc*, requirentes pacem

Willelmus Comes *Gloceſtriæ* & *Ricardus* Comes de *Clare* gener ejus de quibus habebatur ſuſpicio, quod in partem adverſam declinare proponerent, occurrerunt regi, ſuo per omnia parituri mandato. Sic igitur in articulo temporis per interceſſionem ſanctiſſimi *Thomæ* martyris, rex pater per omnia regni ſui confinia potentiſſimus vij. idus *Auguſti* navem aſcendit apud *Porceſtre*, ducens ſecum regem *Scottorum*, Comitem *Leiceſtrenſem*, Comitem *Ceſtrenſem*, *Hugonem* de *Caſtello*, quos habebat in vinculis. Et proſpera navigatione tranſvectus iiij. idus *Auguſti* venit *Rothomagum* quam invenit obſeſſam.

Amaurico regi Jeroſolimitano *Baldewinus* filius ſuus adhuc in puerilitate conſtitutus & corpore plurimum extenuatus ſucceſſit.

Ludovicus rex *Francorum*, *Henricus* rex filius, *Philippus* Comes *Flandrenſis*, viribus undequaque collectis innumerabilem congregarunt exercitum. Et à ſiniſtris *Sequanam* relinquentes, à parte ſeptemtrionali *Rothomagum* obſederunt xi. kal. *Auguſti*, id habentes in animo, ut quod anno præterito tranſgreſſio ſacramenti denigraverat apud *Vernolium* dum obſideretur à *Francis*, quod nota proditionis obfuſcaverat apud *Driencurt* dum à *Flandrenſibus* obſideretur, totum illud ſubacta *Rothomagus* coloraret. *Normanni* reſpectu multitudinis quæ ſupervenerat pauci, viriliter reſtiterunt, & propugnaculis innixi murorum, hoſtes de foris agmine facto muris appropinquantes & confidentes in machinis, modo quadratis lapidibus, modo ſudibus præacutis, modo longiſſimis trabibus in præcipitium ruere coegerunt; ſet ne requies ulla daretur obſeſſis, & ut vires ſuas diſtinctius & animoſius experirentur, nunc vicaria ſucceſſione *Flandrenſes* cedebant, *Francis* properantibus ad certamen; nunc reſpirantibus *Francis* acriores inſurgebant *Flandrenſes*, omni niſu murum cupientes ſuffodere. In tali concertatione gens utraque dampno ſemper affecta non illud ſuo ſet ſuorum principum infortunio deputabat, qui præter rationabilem cauſam alienos irrumpere fines auſu temerario præſumebant. *Normanni* cum regis patris tunc in *Anglia* triumphantis cauſari poſſent abſentiam, in ſubſidium principis fidem, juſticiam, veritatem ſibi

Henrici II. rex.

principes elegerunt, ſub quibus certum expectantes triumphum nec minis adverſantium, nec ullo perturbari potuerunt incurſu; crebras invaſiones, congreſſus acerrimos conſtantiſſime ſuperantes. Augebatur cotidie numerus *Normannorum* victualibus abundantium. E contrario plures fame periclitantes per dies ſingulos ab exercitu dilabebantur. Diebus multis in diſcrimine multo decurſis, dum rex *Francorum* regem patrem in manu valida *Rothomagum* adventaſſe certis relationibus didiciſſet, verſus eſt in ſtuporem, & metuens ne ſicut fama jam increbruerat rex pater limites *Francorum* irrumpens obſideret *Pariſius*, quomodo ſolveretur obſidio ſalvis corporibus tractavit cum ſuis. Itaque de communi conſilio tam *Franci* quam *Flandrenſes* ignem machinis apponentes, avulſis tentoriis, mapalia ſuccendentes & pergulas non ſine detrimento famæ xxix. kal. Septembris receſſerunt ab urbe, minis, jactationibus, ſacramentis, de diruenda *Rothomago* tam incaute tociens interpoſitis ſuſpenſis ad tempus. Extremam partem caſtrorum marchiones inpugnantes inſtanter, arma plurima necnon & impedimenta diripuerunt in prædam.

Theodoricus Anſeſienſis hæredibus aliis deficientibus hæres ipſe nactus comitatum *Flandrenſem* occiſo *Willelmo* Comite *Flandrenſium* Longa ſpata conſobrino ſuo, ex Comitiſſa ſua *Sibilla* amita regis *Henrici Anglorum* genuit filium vocabulo *Petrum*. Qui poſt dies patris cum ad eccleſiam *Cameracenſem* regendam electus annis pluribus præfuiſſet eidem, & redditus percepiſſet, metuens ne ſi *Philippus* Comes frater ſuus ſine liberis degens à *Normannis* confoſſus occumberet, hæreditas transferretur ad exteros, ab inermi militia tranſiit ad armatam, & cingulo militari donatus, donativum anteceſſoribus ſuis à *Normannia* debitum, ſcilicet aut mortem aut vulnus tempeſtive recepit. Nam ſicut *Baldewinus* Comes *Flandrenſium* quondam interfectus eſt à *Normannis*, & ſicut *Matheus* Comes *Bolonienſium* ipſius *Petri* frater anno præterito letale vulnus excepit aput caſtellum *Arches*, ſic & ipſe *Petrus* in obſidione *Rothomagi* graviſſime vulneratus cum *Philippo* fratre ſuo receſſit exterritus.

Cantuarienſis electus dum *Romam* tenderet ſciſmaticorum inſidias declinare propoſuit. Sub hiſdem diebus univerſus orbis infectus ex aeris nebuloſa corruptione ſtomacho catarrum cauſante generalem tuſſim, ad ſingulorum perniciem, ad mortem etiam plurimorum immiſſam vehementer expavit. Diebus itaque nataliciis *Placentia* celebratis, quia tranſitus ſibi per *Tuſciam* plurimum haberetur ſuſpectus *Jannenſem* divertit ad urbem, ubi navem aſcendens xix. kal. Februarii maris ſævitiam, fluctuum elationem, procellarum fragores, piratarum incurſus frequenter expavit. Novem ergo diebus in tali voluptate decurſis appulſus eſt aput civitatulam veterem ſcilicet *Centum cellis*. Inde ſub paucorum interſtitio dierum *Romam* viſitans, & fines ejus pertranſiens papam petiit *Alexandrum*, tunc temporis reſidentem *Anagni*. Nuncios quoque regis filii regis qui cauſam appellationis quam ipſe per ſuas *Cantuaria* litteras interpoſuerat venerant proſecuturi, ſibi plurimum adverſantes invenit in curia. Qui cum à regno *Francorum* originem traxerint, ibique rerum ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituerint, & in *Ludovici* regis *Francorum* & eccleſiæ *Gallicana* patrocinio ſpem ſui negocii repoſuerint, concinnabant dolos, acuebant linguas, ad convitia convolabant, adverſus electiones factas in *Anglia* citra conſcientiam & conſenſum regis filii regis proponebant quam plurima, ad infamandas electorum perſonas totis viribus inhiabant; Demum cujus præferendus eſſet aſſenſus in jam factis electionibus vel in poſterum faciendis, an regis patris an regis filii, diutius agitatum eſt, & in conſiſtorio ventilatum, & ſicut ex eventu apparuit æqua lance terminatum in fine. Verum ne criminum concinnatores aera verberaſſe videantur in vanum, & commenticiis fraudibus minimum profuiſſe, *Cantuarienſis* electus ſuam purgavit innocentiam, Quod pro electione ſua nec ante electionem, nec poſt aliquid dederat vel promiſerat. Quod etiam ſacramentum regiæ fidelitatis præſtiterat non ſimpliciter ſet appoſita ſcilicet illa ſollempni clauſula quam apponunt epiſcopi de conſuetudine, *ſalvo ordine ſuo*. Rurſus quoniam de origine ſua fuerat interſertus tractatus prolixior, viri plures diſcreti quorum multitudo ſtabat cum ipſo *Cantuarienſi* electo, propoſitis evangeliis juraverunt, quod in electione ipſius vel ante electionem non audierant ipſum niſi de legitimo matrimonio conceptum & editum. His itaque peractis iiij. Non. Aprilis ejus electio confirmata eſt. Cum autem *Cantuarienſis* hoc modo ſe purgaverit, aliquam infamiæ notam ſuſtinere non debet, cum *Damaſus* papa, *Symacus* papa, *Pelagius* papa, *Leo* papa, *Alexander* papa, *Sixtus* papa, criminibus variis impetiti ſuam purgaverint innocentiam, & poſt in eccleſia Dei columpnæ perſtiterint firmiores fundatæ ſupra firmam petram.

Alexander pontifex magnæ & almæ *Rome*, glorioſo *Valentia* regi *Lupo*, cœleſtis creatoris notitiam & bene placitum ei ſervitium exhibere. *Cum omnes unum Deum patrem habeamus in cœlis, ipſum ſolum totis viſceribus colere, tota debes virtute diligere, qui tantam tibi ſuper Saracenorum gentes & regna contulit poteſtatem. Cum autem omnes liberos natura creaſſet, nullus conditione natura fuit ſubditus ſervituti.* Cantuarienſis *archiepiſcopus poſitus eſt ſuper candelabrum ut luceat coram hominibus, & ad ſolatium cleri de clero aſſumptus eſt ad eccleſiaſticæ libertatis ſpeciale ſubſidium, ad omnium regimen, ad munimen, ad tutamen* Anglorum, *cum in unam eandemque perſonam intra paucos dies tria concurrerint archiepiſcopus, primas, Apoſtolicæ ſedis legatus.*

ALexander papa Ricardo Cantuarienſi *archiepiſcopo. Intuitu caritatis & ea conſideratione quia te quamquam immeriti in epiſcopum propriis manibus conſecravimus, & tibi plenitudinem contulimus poteſtatis, de fratrum noſtrorum conſilio tuis juſtis petitionibus benignitate debita duximus annuendum, atque prædeceſſorum noſtrorum piæ memoria* Paſchalis *&* Eugenii Romanorum *pontificum veſtigiis inhærentes, tam tibi quam tuis legitimis ſucceſſoribus* Cantuarienſis *eccleſiæ primatum ita plenum concedimus, ſicut à* Lanfranco *&* Anſelmo *aliiſque ipſorum prædeceſſoribus quondam* Cantuarienſibus *archiepiſcopis fuiſſe poſſeſſum conſtat.*

Juramentum.

Regiſtro lib. 6. cap. 30.

EGo juro per patrem & filium & ſpiritum ſanctum me nullius favore perſonæ, neque commodo aliquo interveniente teſtari, ſed hoc quod in quæſtionem venit ſcio, & per memet ipſum cognovi.

Antiquorum innovatio privilegiorum, & intuitu ſanctiſſimi *Thomæ* martyris novorum facilis impetratio, *Dorobernenſem* archiepiſcopum ad reditum properare, pluribus cauſis concurrentibus ſuaſerunt: Qui cum licentia Domini papæ, cum gratia Cardinalium recedens à curia, vij. kal. Julii apud *Straram* in *Romania* trierem aſcendit, & poſt aliquot dies appulſus eſt *Januæ*. Juga quoque montium cum proſperitate tranſcendens, intra valles *Morianæ* in eccleſia ſancti *Johannis*, & in vigilia ſancti *Johannis* baptiſtæ *Batonienſem* electum conſecravit, archiepiſcopo *Tarentaſiæ* præſente manum etiam apponente, accepta prius purgatione *Batonienſis* electi, quod mortem beati *Thomæ* neque verbo, neque facto, neque ſcripto procuravit ſcienter. Alii juraverunt quod ſicut oppinabantur conceptus fuit, priuſquam *Jocelinus* pater ſuus ad gradum ſacerdotii promoveretur.

Archiepiſcopus *Batonienſi* comitatus epiſcopo *Burgundiæ* promontoria, campeſtria *Galliæ*, *Neuſtriæ* littora, cum aliqua remoratione tranſcendit, pertranſiit, attigit, & propoſitum habens in *Angliam* transfretandi petiit *Barbari fluctus* portum, ubi rex pater regis à nave deſcendens, & ad obſeſſam *Rothomagum* liberandam, ad ſuperbiam hoſtium elidendam & dexteræ Dei virtute penitus proſternendam toto mentis ardore feſtinans, eum in hoſpitio viſitavit. Archiepiſcopus celeri navigatione tranſvectus tendens *Lundoniam*, à magnatibus *Angliæ* quorum inibi multitudo convenerat receptus eſt honorifice iiij. non. Septembris. Sed quia ſe proſperis ſoleant immiſcere frequenter adverſa, cum ſuæ curſum peregrinationis feliciter conſummaſſet, ſub ipſo reditu ſuo *Cantuarienſis* eccleſia ſubito, proh dolor! conflagravit incendio Non. Septembris. Vacantium eccleſiarum principales perſonæ quoſque ſibi paſtores elegerunt ſub edicto vocantur. Et quoniam adverſus *Elyenſem* electum nuncii regis filii regis coram ſummo pontifice plurima propoſuerant, in quo ſua gravari videbatur oppinio aput bonos & graves viros, in capella ſanctæ *Katerinæ* de *Weſtmonaſterio* in communi audientia ſuam purgavit innocentiam, quod mortem archiepiſcopi *Thomæ*, neque verbo, neque facto, neque ſcripto procuravit ſcienter, & quod in ſacris ordinibus conſtitutus, nec aliquam duxit, nec ductam cognovit. Omnibus itaque fere confirmatis electionibus kal. Octobris ſuffraganei ſuo communiter occurrerunt archiepiſcopo iiij. Non. Octobris aput *Cantuariam*. Qui ſua ſollempniter conſtitutus in ſede, ipſa die generale propoſuit electis edictum in hæc verba. *Hodie abſtinebitis & cras Deo volente conſecrabimini.* Hora congrua conſecrationis inſtante, *R. Wintonienſis*, *R. Elyenſis* archidiaconi, cum Officiales epiſcoporum dicantur, ad ſuum ſpectare contendebant officium electiones factas in eccleſiis, quarum diſpoſitio ſibi fuerat pro parte commiſſa, dum in partem ſollicitudinis ſint admiſſi, præſentare metropolitano, ſollempnem illam poſtulationem receptam in ſcriptis publice recitare. *Walterus Wintonienſis*, *Salomon Elyenſis*, Priores in contrarium ſentiebant. Quam enim in eccleſiis cathedralibus, ubi canonici divinis mancipantur obſequiis, decani ſibi vendicant dignitatem: hanc ſi monachorum conventus in epiſcopali ſede præmineat, ſibi jure poſſunt vendicare Priores. Sed ut omnis in poſterum amputetur occaſio litigandi de interlocutoria Metropolitani ſententia, de ſuffraganeorum aſſenſu, de coniventia cleri, *Wintonienſis*, *Elyenſis* electi, ad Priorum ſuorum præſentationem recepti, ad Priorum ſuorum poſtulationem epiſcopi conſecrati ſunt ij. non. Octobris, & cum ipſis eadem die *Herefordenſis*, *Ciceſtrenſis* electi pariter conſecrati ſunt.

Gaufridus Lincolnienſis electus quia nec dominus papa, nec archiepiſcopus ſuam confirmaverant electionem transfretavit viij. idus Octobris juxta conſilium patris ſui regis, *Romanam* eccleſiam vel in propria perſona viſitaturus, vel ad ipſam nuntios tranſmiſſurus.

R*Obertus* ſuper cujus manum Comes incumbebat *Philippus*, theſaurarius *Turonenſis*, *Flandriæ* cancellarius, præpoſitus in eccleſiis aſcriptus diverſis per *Flandriam*, tandem *Atrebatenſis*, ad ultimum *Cameracenſis* electus, ut obſequium *Ludovico* regi *Francorum* præſtaret, adverſus regem *Anglorum* *Philippum* Comitem ad perniciem multam *Flandrenſium* inſtigavit, filios regis *Anglorum* animavit in patrem. Qui ut mala quæ fecerat etiam in vita reciperet, mandato *Jacobi* de *Avennis* interfectus eſt apud *Edenen* prope *Valentinianas* iij. non. Octobris. Qui vitam pro certo miſerabili morte finiens à viliſſimis eſt detruncatus latrunculis.

Franci ſumptibus tædioſis affecti, *Flandrenſes* à ſuorum interemptione deterriti, dampna ſuis illata conferebant adinvicem. Et tam iſti quam illi ſe ſuaque penitus inutili labore conſumi videntes, à *Normannorum* infeſtatione propoſitum revocarunt, à limitum incurſione pedem cohibentes & manum. Et ut ſuæ tranquillitati proſpicerent, filios regis *Anglorum* ad gratiam patris reducere ſummopere ſtuduerunt: filios ſane quos ſi paternam maledictionem, odium cleri, populorum imprecationem incurriſſe contendas, ætatis beneficio merentur abſolvi, ſi poſtquam ad viriles annos pervenerint, pœnitentia jugis, ſatisfactio digna, patri debitus honor exhibitus cum devotione præterita commiſſa diluerit.

Rex *Anglorum Henricus* regis pater à diſcurſu per patriam, ab incendio populari, pauperum à rapinis, ab injuriis viduarum, ab orphanorum preſſuris, à vinculis captivorum, à virginum raptu ſed à ſanguinis effuſione, quam maxime revocare ſubjectos regia dignum majeſtate dijudicans, à tyrannide ſemper oculos deflexit & animum. Illam inſuper, illam humiliationem inſolitam *Francorum* atque *Flandrenſium*, & propoſitum reformandæ pacis inter ipſum & filios, ex inpotentia reſiſtendi procedere minime dubitavit. *Francos* igitur vel dona ferentes evitaſſe debuerat, & ad ulciſcendas tam atroces injurias quas frequenter intulerant viribus totis inſurgere, niſi quoniam in hoſtium hujuſcemodi qualibet humiliatione & fœdere ſubornato, filios ſuos quos plurimum aberraſſe totus fere mundus agnoverat, ad frugem melioris vitæ poſſe revocare, certa conſideratione prævideret. Filios ſane quos affectu tanto dilexerat, quos tantarum effecerat dominos nationum, quos ad edomandas gentes & æquo moderamine gubernandas, quos ad tyrannorum terrorem & exterminationem hoſtium, uſque ad ſummi honoris faſtigium ſine aliqua ceſſatione provehere ſatagebat. Hoſtibus itaque ſuis verba pacis habentibus, & ad ſuum venire colloquium deſiderantibus, inter urbem *Turonicam* & *Ambazium* v. idus Octobris occurrit. Quid actum ſit ibi docebunt ſequentia.

Rex *Anglorum* fidelibus ſuis ſalutem. *Noverit* *dilectio veſtra quod pacem dei gratia feci cum rege* Francorum, *& filiis meis, & hominibus meis, ad honorem dei & meum. In pactione autem eſt quod primogenito filio meo dabo ſingulis annis* xv. m. *librarum* Andegavenſium *& duo caſtella in* Normannia *ad voluntatem meam.* Ricardo *vero medietatem redituum* Pictaviæ, *& duo caſtella, unde michi nocere non poſſit.* Gaufrido, *medietatem redituum* Britanniæ *excepta media. Homines autem mei omnes qui me dereliquerunt reverſi ſunt, filiis meis praſentibus & illis pracipientibus, in homagium & ligantiam meam, & juraverunt michi fidelitatem contra omnes homines. Qui & terras ſuas habebunt quas habebant, quando à me receſſerunt. Rex vero* Scotiæ *& Comes* Legeceſtriæ *& Comes Ceſtria, & alii qui mecum conventionem fecerunt, vel obſides dederunt ante diem pacis hujus, in voluntate mea ſunt & extra conventionem filiorum meorum. Illi autem quos habeo qui nec obſides dederunt, nec aliquam fecerunt conventionem, per bonam ſecuritatem ad petitionem filii mei liberabuntur. Omnia vero caſtella qua habebam, vel homines mei in omnibus terris meis in initio guerra, reddita ſunt michi. Et illa qua infortiata fuerunt contra me, ad illum redigentur ſtatum in quo fuerunt, quando guerra incepit.*

Hoſtibus itaque profligatis cum milites nongentos lxix. in manus regis patris *Henrici* Dominus tradidiſſet, exacta pecunia nullum ad redemptionem coegit. Quinimmo datis obſidibus vel fidei ſponſione devinctos laxavit à vinculis: paucis arciori detentis cuſtodia, quorum facinus enorme, quorum perfidia deteſtabilis principem manſuetiſſimum provocaſſet ad iram & de ſupplicio cogitare compelleret.

Rex filius è contrario jure belli captos à ſe vel à ſuis auxiliariis modis quibuſlibet interceptos, numerantes pecuniam relaxabat. Quorum omnium numerus centenarium excedebat in paucis.

Wintonienſis, Elyenſis epiſcopi ſicut ſub uno Principe contemporanei, ſicut in palatio regis fuere primi, præcellentes, præcipui, ſicut in eccleſia Levitici ordinis ſorte pariter inſigniti, ſicut ad regimen eccleſiarum concorditer evocati, ſic in una hora communiter conſecrati, ſic in uno eodemque die ſuis ſollempniter ſunt in ſedibus conſtituti iij. idus Octobris.

Archiepiſcopus ad eccleſiarum viſitationem, ad exequendum injunctæ legationis officium iter arripiens ix. kal. Novembris in eccleſia ſancti *Pauli Lundonia* ſollempni proceſſione, primo receptus eſt. Viſitans *Waltamenſem* eccleſiam *Guidonem,* ejuſdem loci decanum, licet abſentem, licet indefenſum, quia notoriis pluribus impetitum, ab officio decanatus & presbyteratus ſuſpendit. Et cum ſibi debitam patri reverentiam per ſuam provinciam paſſim impendiſſent, ſancti *Oſwaldi Gloeceſtrenſis* clericos ſpeciali reſcripto ſummi pontificis à ſua juriſdictione ſicut aſſerebant exemptos rebelles invenit. Quos dum animadverſione gravi percelleret, *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus inde graviter offenſus ipſum per internuntios ad ſedem Apoſtolicam appellavit. Provinciæ finibus peragratis ex parte, *Wintoniam* veniens in monaſterio virginum Deo dicatarum abbatiſſam præfecit de collegio *Wintonienſi* aſſumptam, nomine *Claritiam.* Quod æquo animo ſuſtinere non potuit univerſitas monialium ægre ferentium ſibi liberam electionem non indultam fuiſſe, & emendicatis aliunde ſuffragiis uſum eſſe archiepiſcopum ad injuriam domus ſuæ, cum in conventu ſuo pleræque perſonæ ad ſuſcipiendum honorem hujuſmodi, ſicut affirmabant, conſtanter inveniri poſſent ydoneæ.

Pride non. Novembris circa mediam noctem per unius horæ ſpacium, & eo amplius tota cœli facies ab aquilonari parte ſanguineo viſa eſt rubore ſuffundi.

WIllelmus rex *Scottorum* in *Normannia* tentus in vinculis apud *Faleſciam* aliquam conſolationem accepit in turba non modica viſitatus à ſuis; Epiſcoporum igitur & abbatum, Comitum & *Baronum* regni ſui communiter utens conſilio, in pago *Conſtantienſi* apud *Valonias* vj. idus Decembris cum rege *Anglorum* pacem fecit in hunc modum.

Rex Scotiæ *devenit homo ligius* regis *Anglorum de* Scotia *& de omnibus terris ſuis, & fidelitatem ei fecit ut ligio domino ſuo ſicut alii homines ſui ipſi facere ſolent. Similiter fecit homagium* Henrico *regi filio ſuo & fidelitatem, ſalva fide regis patris ſui. Omnes vero epiſcopi & abbates & clerus terra regis* Scotiæ *& ſucceſſores ſui facient regi* Angliæ *ſicut ligio Domino fidelitatem de quibus habere voluerit ſicut alii epiſcopi ſui ipſi facere ſolent. Similiter* Henrico *filio ſuo & haredibus illorum. Conceſſit etiam rex* Scotiæ, *&* David *frater ejus &* Barones *& alii homines ſui regi, quod eccleſia* Scotiæ *talem ſubjectionem amodo faciet eccleſia* Angliæ *qualem ſolebat tempore Regum pradeceſſorum ſuorum. Comites etiam,* Barones *& alii homines de terra Regis* Scottorum *de quibus habere voluerit rex* Angliæ, *facient homagium ei contra omnem hominem, & fidelitatem ut ligio domino ſicut alii homines ſui ipſi facere ſolent, & H. regi filio ſuo & haredibus illorum, ſalva fide regis patris ſui. Similiter haredes regis* Scotiæ *&* Baronum, *& hominum ſuorum homagium & ligantiam facient haredibus regis contra omnem hominem. Praterea rex* Scotiæ *& homines ſui nullum amodo fugitivum de terra regis receptabunt in* Scotia *vel in alia terra ſua niſi voluerit venire ad rectum in curia regis & ſtare judicio curia; ſed rex* Scotiæ *& homines ſui eum capient, & quam citius poterunt reddent eum regi in* Angliam *vel Juſticiariis ſuis. Praterea homines regis habebunt terras ſuas, quas habere debent & habebant de regibus* Scotiæ *& hominibus ſuis. Pro iſta conventione & fine firmiter obſervando regi &* Henrico *filio ſuo & haredibus illorum à rege* Scotiæ *& haredibus ſuis, liberavit rex* Scotiæ *regi caſtellum de* Rokeſburg *& caſtellum de* Bereſwic. *Praterea epiſcopi, Comites &* Barones *& omnes homines* Scotiæ *conventionaverunt regi, quod ſi rex* Scotiæ *aliquo caſu recederet à fidelitate regis, quod ipſi cum rege tenebunt ſicut cum ligio domino contra regem* Scotiæ, *& epiſcopi ſub interdicto ponent terram regis* Scotiæ *donec ad fidelitatem regis redeat.*

Fredericus Imperator *Romanus* in manu forti penetraturus *Italiam* valles *Moriana* ſimulata pace pertranſiit. Alpibus vero tranſcenſis *Senſam* ſuccendit, circumjacentem provinciam devaſtavit,

ſtavit, urbem *Alexandriam* ad injuriam ſui nominis à *Longobardis* conſtructam kal. Novembris obſidione vallavit.

Gaufridus Plantegeneſt Comes *Andegavenſium* cum quadam *Cenomannici* generis conſuetudinem habens non uſquequaque licitam, filiam genuit *Emmam*, quam *David Norwalenſium* princeps regis *Anglorum Henrici* ſororem intelligens, eam uxorem à fratre ſibi dari ſumma precum inſtantia vix tandem obtinuit. Volens ſuæ poſteritati ſi filios procreaverit faſtum quendam ex regali ſtirpe deſcendere, & terrorem incutere *Walenſibus* aliis affinitatis novæ prætextu.

Intronizationem *Batonienſis* epiſcopi *Dorobernenſis* archiepiſcopus, dum officio fungeretur legationis, viſitando provinciam ſua præſentia multo ſollempniorem effecit viij. kal. Decembris, & futuris reddidit memorialem.

An. Dñi 1175.

Willelmus rex *Scotia* datis obſidibus in *Normannia* tercio idus Decembris in *Angliam* rediit, liberæ ſatis deputatus cuſtodiæ, quouſque caſtella de quibus convenerat & ſicut convenerat regis *Anglorum* arbitrio fideli deputarentur cuſtodiæ.

EVerſa ſunt paſſim per *Angliam*, per *Normanniam* caſtella quorumdam, quos tempore diſſenſionis inter patrem & filium diutius habitæ pauperum oppreſſores fuiſſe regi patri conſtabat, & cum acervo lapidum congeſtorum ad extruendas turres inſolentiam congeſſiſſe, cumulaſſe jactantiam, arrogantiam evexiſſe, & ſic ex ipſis lapidibus quaſi quendam aſſumpſiſſe tumorem & ſpiritum elationis traxiſſe.

Ut filii regis *Anglorum* quos à ſacris paternis conſilio pravorum extraxerant priſtinam familiaritatem reciperent & redirent in gratiam, ad omnem ſiniſtram ſuſpicionem penitus amovendam homagium atque ligantiam patri ſuo facere modis omnibus inſtiterunt. Quod factum eſt primitus *Cenomannis* à *Ricardo* & *Gaufrido* junioribus filiis. In *Normannia* poſtmodum à rege filio kal. Aprilis aput *Burum*.

Ad expiandas atroces injurias quas *Anglis* & *Normannis* ſine cauſa *Flandrenſes* frequenter intulerant, *Philippi* Comitis urgente mandato, Comes ipſe, *Petrus* frater ejus & innumera multitudo cum eis ſigno crucis humeros inſignire ſalubri conſilio ſtatuerunt iij. idus Aprilis, loca Dominicæ paſſionis congruo tempore viſitaturi. Attendentes illam ſtragem *Flandrenſium* quam Comes *Leirceſtrenſis* jure belli captus aput *ſanctum Edmundum* memorialem reliquit, in ſuum redundare diſcrimen, & animas interfectorum lamentis continuis ante tribunal ſuperni Judicis injuſtitiam Comitis proteſtari.

Reges *Anglia* quos anno præterito capere latitudo regni non poterat, confœderatos adinvicem navis eadem tranſvexit in *Angliam* viij. idus Maii. Horis ad prandendum ſtatutis per dies ſingulos eadem menſa refecit; thalamus idem quieſcentium artubus miniſtravit fomenta. Ad viſitationem votivam *Cantuariæ* faciendam, *Thomas* martyr egregius pariter invitavit utrumque v. kal. Junii. Pariter quidem invitavit niſi quod rex pater in vigiliis, in afflictionibus, in oratione pernoctans jejunium uſque in diem tercium continuaſſet.

Solius papæ eſt Concilium generale Romanæ *eccleſiæ &* Conſtantinopolitanæ *eſt Concilium univerſale.*

*Habitum eſt Concilium regionale *Lundoniis* aput *Weſtmuſterium* xv. kal. Julii præſidente *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo & Apoſtolicæ ſedis legato. *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus Concilio non interfuit, nec qui ejus abſentiam allegarent tranſmiſit, cum juxta priſcam conſuetudinem ad vocationem *Cantuarienſis* eccleſiæ, vel intereſſe debuerit, vel juſtam abſentiæ cauſam per nuntios & per epiſtolam probabiliter allegare. Statuta Concilii ſi bene revolveris perpauca reperies, quæ tibi corpus canonum incorporare non poſſit.

Univerſis *Anglia* fere majoribus aput *Weſtmuſterium* convocatis xiij. kal. Junii præſente rege filio lectæ ſunt litteræ continentes hæc verba.

Henricus rex *pater regis fidelibus ſuis ſalutem. Gratias ago Deo omnipotenti, & omnibus Sanctis, quorum gratia licet non de meis meritis, ſupra id quod credi poſſet me viſitavit & exhilaravit. Venit ad me filius meus rex H. aput* Burum, *& die Martis proxima ante ramos palmarum, cum archiepiſcopo* Rothomagenſi *&* Baiocenſi *&* Abricenſi *&* Red: *epiſcopis, & cum Comitibus & Baronibus & fidelibus meis quam plurimis, cum multa lacrimarum effuſione & ſingultibus multis proſtravit ſe ante pedes meos miſericordiam poſtulans cum humilitate, & veniam de his quæ commiſerat erga me ante guerram, & in guerra, & poſt guerram, ut paterna ei pietate condonarem. Rogavit etiam cum omni humilitate & quanta potuit devotione, quatinus homagium ejus & ligantiam acciperem ſicut dominus & pater, aſſerens ſe nunquam crediturum indignationem meam ſibi condonatam, niſi idem ei facerem quod & fratribus ſuis feceram, ad eorum pacientia & humilitatis inſtantiam. Ego autem motus pietate & intelligens eum ex corde loqui & tandem eſſe compunctum & erga me humiliatum, iram ei remiſi & indignationem meam, & penitus eum in gratiam paternam admiſi, ſuſcepto ab eo homagio & ſacramento ſuper ſanctas reliquias appoſitas, quod fidem michi ſervabit contra omnes homines, & conſilio meo in omnibus agendis ſuis de cætero adquieſcet, & quod hominibus meis & ſuis qui michi ſervierunt in guerra iſta nec malum inde perquiret quamdiu vixerit, ſet eos honorabit & promovebit ſicut fideles meos & ſuos, & quod de conſilio meo totam domum ſuam & totum ſtatum ſuum ordinabit, & de cætero in omnibus operabitur. De hoc autem dedit michi plegios & fidejuſſores* R. Rothomagenſem *archiepiſcopum*, H. Baiocenſem, R. Abricenſem, S. Red: *epiſcopos, & Comitem* Willelmum de Mandevilla *& Barones meos quamplurimos qui præſentes erant. Promiſit autem confidenter quod de eodem daturus eſt michi fidejuſſores Dominum regem* Francorum, *Comitem* Flandrenſem, *&* Ricardum *fratrem ſuum &* Gaufridum *Comitem,* Henricum *Comitem,* Theobaldum *archiepiſcopum* Cantuarienſem *&* Eboracenſem, *epiſcopos, Comites, & Barones citra mare & ultra mare, hac conditione, quod ſi à prædicta conventione (quod abſit) exierit, mecum contra eum unanimiter ſtabunt & nullum ei auxilium, vel conſilium niſi ad me revertendi præſtabunt.* Igitur ipſa die præſtita ſunt ſacramenta ſicut ſupra ſcriptum eſt, dati ſunt etiam fidejuſſores regi patri.

Reginaldus Comes *Cornubia Henrici* primi regis filius naturalis diem clauſit extremum aput *Radingam* kal. Julii, ibique ſepultus quieſcit.

Habita diſpenſatione à domino papa circa perſonam electi *Lincolnienſis* tam ætatis quam nativitatis, electio confirmata eſt à *Cantuarienſi* archiepiſcopo, à *Lundonienſi* & *Wigornienſi* epiſcopis aput

Weſtmo

Wudeſtoc vij. idus Julii. Electus autem reverſus eſt in *Angliam* xv. kal. Auguſti, & ſollempni proceſſione receptus eſt apud *Lincolniam* kalend. Auguſti.

W*illelmus* junior de *Brainſa Walenſium* multitudinem in caſtello de *Bergeveni* callide convocatam ad audienda regni ſtatuta, ne quis ſcilicet viator cnipulum deferret, vel arcum, ſententia capitali dampnavit, ſed ut hujuſmodi proditionem honeſtatis velamine palliatam intelligas, hoc fecit in ultionem avunculi ſui *Henrici* de Hereford, quem ipſi quondam in ſabbato ſanctæ Paſchæ crudeliter interfecerant.

Vacantium abbatiarum Priores cum magna parte conventuum ſub edicto vocati ſunt apud Wudeſtoc viij. idus Julii. Rex igitur habito tractatu cum archiepiſcopo, cum epiſcopis, ſic in abbatibus ſubſtituendis canonum obſervavit cenſuram, ut emendicatis aliunde ſuffragiis uteretur, arbitrans forſitan quod ſi de corpore proprio locis in ſingulis crearentur paſtores, regiæ dignitatis auctoritas vacillaret; motum in electionibus alienum ſequens non proprium.

Ab. ſancti Auguſtini.
Ab. de Bello
Ab. Hydenſis
Ab. Abendun
Ab. Weſtmonaſterienſis.
Ab. Hulmenſis.
Ab. Torneiæ.
Ab. Croilandæ.
Ab. Salopeſberi.
Ab. Abbodesberi.
Ab. Muchelenciæ.

P*hilippus* Comes *Flandrenſis Walterum de Fontibus* cum *Yſabela* Comitiſſa, ſicut dicitur, in adulterio deprehenſum, ictibus clavarum juſſit interfici iij. idus Auguſti, & ejus cadaver caput habens inverſum in ſella ſeceſſui deputata pedibus religatis ad furcas propere præparatas properavit ſuſpendi; ut eciam nichil crudelitati deeſſet, & ut plene ſæviret in mortuum, ſic ignominioſe ſuſpenſum fractis parietibus ſub edicto datum eſt exponi publicis aſpectibus concurrentium.

Inquiſitio generalis facta per *Angliam* pari diſcrimine Comites, Barones, milites, privatorum quoque multitudinem infinitam involvit. Omnes quidem hi jurisjurandi religione minus reverenter arctati, modo regi, modo juſticiariis publicarunt quos à tempore diſſenſionis inter regem patrem & filium habitæ vitæ ferarum inſidias tetendiſſe vel auditu ſolo perceperant. Hoc ergo prætextu multi clericorum quos ſola fama reſperſerat, venatoriis occupationibus irretitos fuiſſe, juſſu vicecomitum ad forum civile pertrahebantur, archiepiſcopo vel epiſcopis non reclamantibus. Quorum quidam ut regiam indignationem evaderent offerentes pecuniam audiebantur.

Adam canonicus *Pariſienſis* electus in epiſcopum ſancti *Aſavi*, conſecratus eſt à *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Weſtmonaſterium* iij. idus Octobris.

Willelmus abbas de *Burgo* multis impetitus notoriis, & in præſentia *Cantuarienſis* archiepiſcopi teſtimonio multorum convictus ſententiam depoſitionis accepit iij. kal. Novembris.

H*ugo Petrileonis* ſancti *Angeli* diaconus cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus, quia præſtitit auctoritatem trahendi clericos ante judicem ſecularem pro foriſfacto foreſtæ, & pro laico feodo, ut infra infauſta navigatione tranſvectus in *Angliam* vj. kal. Novembris regibus in equitatu magno celeriter occurrentibus in vigilia Sanctorum omnium ſollempni proceſſione receptus eſt *Wintoniæ*, à domino papa ſibi plenitudine poteſtatis indulta, quam equus niveus, quam cætera repreſentant inſignia ſpecialiter ſoli *Romano* pontifici dedicata.

Henricus Remenſis archiepiſcopus, regis filius & regum frater, 2. idus Novembris diem clauſit extremum.

Quia diœceſis *Cantuarienſis* coartata limitibus unico fuerat ab antiquis temporibus archidiacono contenta, ut hujuſmodi fortaſſis jacturam aliquo ſaltem remedio relevaret archiepiſcopus, & liberaliſſimam liberalitatem ſuam prædicabilem modernis offerret, ultimis his diebus intra ſpatium trium menſium tres inſtituit archidiaconos, nullo tamen per hunc decurſum temporis concedente in fata.

Savericum. Nicholaum. Herbertum.

Odo Prior *Cantuarienſis* electus in abbatem ſancti *Martini* de *Bello*, bellum ſtatim circa ſuæ promotionis initium indixit epiſcopo diœceſano. Nam à metropolitano benedictionem accepit. Quod ſibi licere jure legationis aſſerens archiepiſcopus, nil in præjudicium eccleſiæ *Ciceſtrenſis* egiſſe dicebat.

Johannes decanus *Sareſberienſis* tandem concordi *Norwicenſium* ore, regis aſſenſu, archiepiſcopi conniventia, cardinalis auctoritate vocatus ad epiſcopatum apud Eigneſham vj. kal. Decembris, eccleſiam orientalium *Anglorum* ſuſcepit regendam, conſecratus à *Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Lamehedam* xix. kal. Januarii.

Circa dies iſtos caſtellum de *Huntindonia*, de *Waletona*, de *Legeceſtria* & Grobi, de Tuteſbera, de *Dudeleia*, de Treſc, & alia plura pariter corruerunt in ultionem injuriarum quas * domini caſtellorum regi patri frequenter intulerant, ut quos par facinus inquinaverat, pœna ſimilis coherceret.

** Rex Scotiæ. Hugo Bigod Comes Legeceſtriæ. Comes de Ferrers. Gervaſius Paganel. Rogerus de Moubrai.*

Rex ad filiorum neceſſitates oculos paternos deflectens, regem filium à debitis quibus graviſſime premebatur exoneravit.

Quicquid miniſtri regis patris à præteritis tribus annis per *Normanniam*, per *Cenomanniam*, per *Andegaviam* in uſus regios convertendum, eſculenti vel poculenti cauſa receperant, venit in ratiocinium. Regis ergo theſauris ad ſolutionem plenius faciendam pleniſſime reſeratis creditores dimiſſi ſunt.

An. Dñi 1176.

Rex juxta conſilium filii ſui regis coram epiſcopis, comitibus, baronibus, militibus, & aliis hominibus ſuis in hoc conſentientibus conſtituit juſticiarios in ſex partibus regni ſui, in unaquaque tres, qui juraverunt quod ſuam cuique juſtitiam conſervabunt. Hoc autem factum eſt apud *Northamtoniam* vij. kal. Februarii.

Walterus Prior electus *Wintonienſis* in abbatem *Weſtmonaſterii*, benedictionem accepit ab epiſcopo *Lundonienſi*, profeſſionem fecit, mitram & cyrothecas quas prædeceſſor ſuus *Laurentius* emeruerat, ſed morte præventus nunquam receperat, de manu epiſcopi *Lundonienſis* ſuſcepit, & poſt in conventu epiſcoporum mitratus inceſſit. Cæterum *Hugo Petrileonis Romanæ* ſedis legatus, apud *Weſtmonaſterium* minus reverenter receptus ſicut ei viſum eſt abbatem ab uſu mitræ, Priorem ab introitu chori ſuſpendit vj. kal. Martii.

M*andato* cardinalis, clero totius *Angliæ* generaliter *Lundoniæ* convocato die Dominica qua cantatur *Lætare Jheruſalem*, cum de ſtatuendis vel reſecandis tractatus eſſet habendus communis, adverſus *Cantuarienſem* archiepiſcopum inſurrexit *Eboracenſis*, dicens illa verba *Gregorii* ſic ſcribentis: *Sit inter* Lundoniæ & Eboracenſis *civitatis epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, ut ille prior habeatur qui prius fuerit ordinatus,* de Cantuarienſi & Eboracenſi *intelligenda eſſe.* Quare cœpit conſtanter aſſerere, quod ipſe quia prius fuerat ordinatus ſedem ſuam poneret in concilio Cardinalis ad dexteram. *Cantuarienſis* econtra dicebat, eccleſiam *Cantuarienſem*, illius dignitatis & majoritatis ab antiquis fuiſſe temporibus, ut ſecundum ſtatuta patrum, juxta munimenta regum, ſecundum privilegia *Romanorum* pontificum ſibi jure vendicet *Anglia* totius primatum. Quociens etiam in conventibus publicis ſive regem, ſive legatum *Romanum*, utroque metropolitano præſente, traditur aliquo tempore præfuiſſe, totiens traditur *Cantuarienſes* archiepiſcopos ſediſſe ad dextram. Duobus igitur archiepiſcopis in hunc modum controverſantibus & ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ metropolitano viriliter aſſiſtentibus, accidit v. feria Cardinalem in capella ſanctæ *Katerina* de *Weſtmoſterio* cathedram collocare. Superveniens *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Elyenſi* pontifice procurante vix aliquantulo tempore ſedit ad dexteram, ſed concurrente turba, ſet ingraveſcente tumultu, ſet conviciis hinc & hinc diſcurrentibus, ſet invaleſcentibus minis, ſet perſonis quorumdam inflictis verberibus, cum nimia feſtinatione cardinalis receſſit. *Eboracenſis* autem in corpore proprio male tractatus, ut dixit, atroces injurias, inſultus acerrimos, percuſſuras enormes, veſtium patentes ſciſſuras ſub præſentia regis & cardinalis in caput præſulis *Elyenſis* refudit. Hac occaſione mutuæ factæ ſunt appellationes hinc inde, concilium omiſſum eſt. Cardinalis in propatulo clauſtri de *Weſtmoſterio* ſermonem habens ad clerum & populum, quia ſuis & noſtris, ut dixit, peccatis exigentibus, quæ ad utilitatem, quæ ad libertatem, quæ ad pacem eccleſiæ fuerant ſtatuenda non poterat ordinare, licentiam recedendi peciit: videntibus cunctis inſignia legationis depoſuit, ſed poſtmodum regis precibus emollitus quæ depoſuerat iracundiæ calore ſuccenſus, epiſcoporum conſiliis acquieſcens, ipſa die reſumpſit.

Alexander papa.

Antiquam Eboracenſis *eccleſia dignitatem integram conſervari auctore Domino cupientes, & prædeceſſorum noſtrorum felicis memoria* Calixti, Honorii, Innocentii *&* Eugenii Romanorum *pontificum veſtigiis inhærentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne aut* Cantuarienſis *archiepiſcopus ab* Eboracenſi *profeſſionem quamlibet exigat, aut* Eboracenſis Cantuarienſi *exhibeat, neque, quod penitus à beato* Gregorio *prohibitum eſt, ullo modo* Eboracenſis Cantuarienſis *ditioni ſubjaceat. Sed juxta ejuſdem patris conſtitutionem iſta inter eos honoris diſtinctio conſervetur, ut prior habeatur qui prius fuerit ordinatus.*

Gaufridus Beverlaci præpoſitus archidiaconus *Eboracenſis*, appenſis undecies centum marcis argenti, regis filii regis factus eſt cancellarius. Quod autem numeratæ pecuniæ ſumma concluſa eſt ſub undenario, non eſt forſitan à miſterio penitus alienum.

Andegavia Cenomannia finibus panis inedia laborantibus rex pater regis à kal. Aprilis uſque ad futurarum frugum habundantiam, decem milibus hominum diebus ſingulis alimenta ſufficienter invenit. Quicquid eciam vel in horreis, vel in cellis vinariis, vel in promptuariis regiis uſibus inſularii reſervaverant, mandato regis totum piis collegiis & pauperibus erogatum eſt.

Ricardus Comes de *Striguil Dermucii*, quondam *Dublinenſium* regis gener, aditum *Anglis* fines *Hybernienſium* invadendi primus omnium patefecit, illatas ſocero ſuo frequentiſſimas & atroces ulciſcens injurias, cui dum exequias celebraſſet hujuſmodi, dum magna jam ex parte ſubjugaſſet *Hyberniam*, inmatura morte præventus, diem clauſit extremum non. Aprilis, filium vix plene triennem ex filia memorati regis ſullatum relinquens hæredem.

Bulgarinus Comes *Engoliſmenſis* ſtipatus cohorte nepharia *Brebantinorum* in manu hoſtili *Pictaviam* viſitare præſumpſit. Cæterum *Johannes Pictavenſis* epiſcopus auxiliariis undique convocatis, ſtipendiariorum numeroſitate collecta, juncto ſibi *Theobaldo Chabot* qui princeps erat militiæ *Ricardi* ducis *Aquitanorum* cum patre ſuo rege tunc temporis moram in *Anglia* facientis, plebem ſibi commiſſam de manibus inimicorum decrevit eripere. Nefariis igitur illis everſoribus caſtellorum, agrorum depopulatoribus, incentoribus eccleſiarum, monialium oppreſſoribus, ordinatis quatuor aciebus prope *Berbezeacum* occurrerunt. In campeſtribus plures trucidarunt in ore gladii, partem non modicam cremaverunt, in arcem concluſam ſibi fuga reliqui conſulentes, impedimenta reliquerunt in prædam. *Pictavenſes* itaque non tam gladio, non tam galea protecti quam divino nutu, quatuor tantum de numero ſuorum percuſſis hoſtium cuneos penetrarunt illæſi. Sicque ſalus in manu clericorum data ſatis evidenter oſtendit, pleriſque non animos deeſſe ſed arma.

Ad ſummonitionem regis, rege filio moram in partibus tranſmarinis agente, tam prælati eccleſiarum quam regni proceres, generaliter convenerunt *Lundonia*. Nunciis itaque quos rex *Sicilia Willelmus* apparatu magno tranſmiſerat, filiam regis *Johannam* ſibi jungi lege maritali petens in conjugem, habito tractatu communi reſponſum eſt viij. kalend. Junii. Mentio ſiquidem futurarum & repromiſſio nuptiarum exactis hinc inde ſacramentis in animam utriuſque regis in neceſſitatem conjugii futuri redacta eſt. Ad fœdus eciam & arcius ineundum, & efficacius provehendum, & ſollempnius contrahendum cum rege *Siculo*, rex nuntios in *Siciliam* expeditos direxit. Qui poſtquam de donatione propter nuptias aſſignanda certiores extiterint, feſtinent ad reditum. Hæc acta ſunt in præſentia cardinalis, archiepiſcopis aſſidentibus & epiſcopis, cleri procerumque roborata conſenſu.

F*Redericus* imperator *Romanus*, ut nomen ſibi faceret ultra nomen magnorum qui ſunt in terris, intravit *Ytaliam* in manu forti. *Mediolanenſium* itaque civitatem fodrum antiquitus inſtitutum paratam agnoſcere, ſed recuſantem aliud ſubire, minus patienter audivit. Quam, quia munerum extraordinariorum immunitate gaudebat, quia ſe priſtinæ libertatis animabat in vocem, vallabat obſidione: maxima capitis diminutione dampnavit, & ſullatis omnibus quæcumque precioſa repererat, abiit qualem qualem victoriam non abſque nota proditionis, ut aiunt, conſequutus. Labentibus aliquot annis in anguſtia temporis civitas reædificata eſt, tutiſſimis munita præſidiis. Quod audiens imperator, *Papienſibus* ſecum aſſumptis & *Haſtenſibus*, adjacentes *Mediolano* depopulatus eſt agros, vaſtavit ſegetes, vineas extirpavit. Cæterum *Mediolanenſes*,

Henricus II. rex.

diolanenſes, Placentini, Brixienſes, Veronenſes videntes mala quæ fiebant in terra, mori pro patria decreverunt, vel patriam in libertate tueri. Parati ergo ad pugnam, occurrerunt imperatori iiij. kal. Junii prope *Ticinum.* Qui qualiter magnis excidit auſis docebunt ſequentia.

Mediolanenſes, Bononienſibus victoriam, & de hoſtibus liberationem.

N*Otum ſit vobis nos ab hoſtibus noſtris glorioſum reportaſſe triumphum. Interfectorum vero, ſubmerſorum, captivorum non eſt numerus. Scutum imperatoris, vexillum, crucem & lanceam habemus. Aurum & argentum multum in clitellis ejus repperimus; & ſpolia hoſtium accepimus, quorum eſtimationem non credimus à quoquam poſſe diffiniri. Qua quidem noſtra non reputamus, ſed ea domini papa &* Ytalicorum *communia eſſe deſideramus. Captus eſt in prælio dux* Bertoldus, *& nepos imperatricis, & frater* Colonienſis *archiepiſcopi; aliorum autem infinitas captivorum numerum excludit, qui omnes* Mediolani *detinentur. Si liceat evagari vel ſemel in urbis* Romæ *prima fundatione cujuſmodi ſignum apparuerit, vide, nonne vultur? Et ecce rapacitati ſemper ſtuduere* Romani. *Dum prima jacerentur fundamenta* Conſtantinopolis, *qua melioribus condita eſt auſpiciis, quid apparuerit, iterum vide, nonne phœnix? Et hac quidem civitas in deliciis affluens, pollens in ædificiis, in ſericis vernans, ab initio cultui mancipata divino, jugo nunquam fuit hoſtilitatis attrita. Dum primo* Mediolani *mænia ponerentur quid apparuerit, rurſus vide. Nonne ſus laniger? unde dicitur* Mediolanum *quaſi* ex media parte laneum. *Igitur, ſi viciſſitudinem rerum diligenter attenderis, ſi qualiter civitas hac jaculis impetita, confixa ſagittis, arietibus perforata, conquaſſata baliſtis, hoſtili tandem conflagrarit incendio, ſetarum aſperitatem intelliges ejus excidium pretendiſſe. Rurſus ſi fideliter animadverteris in ejuſdem urbis readificatione quod gaudium fuerit clericorum, quantus civium applauſus, quanta matronarum latitia, quantum in choreis tripudium, advertes proculdubio candorem lana, velleris ſuavitatem in ſue lanigero poſt incommoda deſtructionis beneficium reſtitutionis* Mediolanenſibus *figuraſſe.*

Sydonius.

Romuleos refugis Bizantinoſque fragores,
Atque ſagittifero mœnia fracta Tiro.
Murus Alexandri, tenet caput Antiochique,
Spernis Helyſiæ berſica tecta domus.
Rura paludicolæ tempnis populoſa Ravennæ
Et quæ lanigero de ſue nomen habent.

Hugo Petrileonis ſuæ legationis in *Angliam* cancellato curſu v. non. Julii transfretavit; quid ei debeat *Anglorum* eccleſia cupida libertatis, ſequentis breviculæ referat continentia.

Domino papæ rex *Anglorum.*

P*ropter reverentiam ſancta* Romanæ *eccleſia, atque devotionem quam erga eam, & paternitatem ac dilectionem veſtram, & fratrum veſtrorum habemus, & ſemper habuimus, licet plurimum reſiſterent & reclamarent regni noſtri majores & magis diſcreti, ad inſtantiam viri diſcreti & ſapientis* Hugonis Petrileonis *ſancta* Romanæ *eccleſia cardinalis, Apoſtolica ſedis legati, amici & cognati noſtri, capitula qua ſubſcripta ſunt, in regno noſtro tenenda conceſſimus. Videlicet quod clericus de catero non trahatur ante judicem ſecularem in perſona ſua de aliquo criminali, neque de aliquo foriſfacto, excepto foriſfacto foreſta mea, & excepto laico feodo unde michi vel alii domino ſeculari laicum debetur ſervicium. Concedo etiam quod archiepiſcopatus, epiſcopatus, & abbatia non teneantur in manu mea ultra annum, niſi urgente neceſſitate & evidenti de cauſa qua propter hoc non fuerit inventa, ut diutius teneantur. Concedo etiam quod interfectores clericorum qui eos ſcienter, vel pramediati interfecerint, convicti vel confeſſi coram juſticiario meo, praſente epiſcopo vel ejus officiali prater conſuetam laicorum vindictam, ſuam & ſuorum de hareditate qua eos contingit perpetuam ſuſtineant exharedationem. Concedo etiam quod clerici non cogantur facere duellum.*

Henricus II. rex.

Eccleſiæ *Carnotenſis* perſonæ ſpectabiles *Cantuariam* in comitatu magno venerunt xj. kal. Auguſti. Votis igitur orationum feliciter adimpletis, ad honorem Dei, ad obſequium matris Domini, ad ſolamen exulum propter juſticiam acceptabiles immolarunt hoſtias. *Johannem* namque à *Saresberia* glorioſi *Thomæ* martyris quondam allateralem exilii ſocium, anguſtiarum participem, paſſionis teſtem certiſſimum, quem eccleſia *Carnotenſis* elegerat unanimiter requirebant attentius; Capituli *Carnotenſis,* regis *Francorum, Senonenſis* archiepiſcopi litteris publice recitatis fidem & auctoritatem ſuæ poſtulationi præſtantibus. Quibuſdam itaque vices *Cantuarienſis* archiepiſcopi tunc abſentis ſupplentibus, collegio monachorum ſanctæ *Trinitatis* in albis ſedente, viris etiam pluribus diſcretis, honeſtis, & litteratis ibidem congregatis in domino ſuum electum ab *Anglorum* ſubjectione liberum & abſolutum receperunt cum ymnis, & canticis, & lætitia magna, tam illinc quam hinc in articulo temporis curſu placido navigantes tanquam ventis imperarent & mari. Conſecratus eſt autem *Senonis* à *Mauritio Pariſienſi* epiſcopo vj. idus Auguſti, *Carnoti* ſollempniter intronizatus eſt in Aſſumptione beatæ virginis.

V*Enerabili domino ſuo & patri* Johanni *Dei gratia* Carnotenſi *electo, paſtoralis cura ſollicitudinem gerere ad ſalutem.* Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. *Hinc eſt quod magnificat anima noſtra Dominum, & in Deo ſpiritus noſter exultavit, quia vos nobis in paſtorem electum non revelavit caro & ſanguis, ſet pater noſter qui in cœlis eſt, viſitans nos oriens ex alto. Sane tam diſſona hominum vota, tot varias mentium voluntates adunare non potuit niſi ſpiritus unitatis, adeo ut indubitanter ſit evidens eum quem Spiritus revelavit cœlitus deſtinatum. Curia cœleſti gaudium intuliſſe credimus, quod beata virginis eccleſia per Spiritum ſanctum concipiens, dilectum Deo & hominibus paſtorem germinavit. Acclamantibus itaque omnium votis deſideratum ſibi poſtulat, & ad dilectum, & ad electum ſibi incunctanter aſpirat* Carnotenſis *eccleſia, ſponſique deſiderio jam langueſcens,* Oſculetur me, *inquit,* oſculo oris ſui. *Urgeat amor Chriſti eum qui regis filia deſideratur amplexibus, & ſtimulis ſalutaribus compungatur qui ad Dei filios propagandos Chriſti gener eligitur. Erubeſcat regnum cœlorum ſolus ingredi cui divini germinis pompa glorioſa promittitur, & qui coronam auream creditur meruiſſe, glorioſi labore officii mereatur aureolam. Mittimus ergo ad vos ex capitulo noſtro perſonas ſpectabiles, decanum videlicet, cantorem & cancella-*

cancellarium qui univerſitatis noſtræ mentem vobis offerant, & perſonam veſtram poſtulantes veſtri adventus deſiderium viva vobis voce denuntient.

Ludovicus *Dei gratia rex* Francorum, *Amico ſuo kariſſimo magiſtro* Johanni *de* Saresberia Carnotenſi *electo ſalutem cum ſincera dilectione. Quod capitulum* Carnotenſe *de conſilio domini* Senonenſis *archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, divino potius, ut credimus, inſtinctu vos in paſtorem & dominum pari voto & aſſenſu ſollempniter & canonice elegerunt, gratum ducimus & acceptum: tum beati* Thomæ *martyris conſideratione, cujus familiaritatem meritis veſtris meruiſtis adipiſci, tum morum & ſcientiæ veſtræ contemplatione. Ea propter diſcretionem veſtram monemus & precamur attentius, quatinus electioni de vobis factæ benignum præbentes aſſenſum, tam ſollempni, & tam laudabili tantæ eccleſiæ vocationi præſentiæ veſtræ exhibitione ſatisfacere maturetis, ne noſtrum & archiepiſcopi* Senonenſis *qui ad hoc fideliter & efficaciter conſummandum laboravit diutius ſuſpendatur deſiderium, & ſpes eccleſiæ* Carnotenſis *mora prolixiori torqueatur. Valete.*

Willelmus Comitis *Theobaldi* filius adhuc juvenis electus in epiſcopum *Carnotenſem*, & labentibus aliquot annorum curriculis creatur *Senonenſis* archiepiſcopus, eccleſiam *Carnotenſium* indulgentia domini papæ tempore longo commendatam obtinuit, auxit poſſeſſionibus. Qui poſtmodum ſedis infulas dignioris, dicioris, nominatioris, ut dicunt, non ambiens, ad inſtantem *Remenſium* poſtulationem de *Celtica Gallia* migravit in *Belgicam*. Apicibus ſiquidem Apoſtolicis perurgentibus in beati *Remigii* cathedra collocatus eſt vj. idus Auguſti, uſum pallii quod prius habuerat licet locum mutaverit non immutans. Eo quidem habendus tranſlatione facta prædicabilior quod ad induſtriam, magnanimitatem, modeſtiam tanti viri *Romana* reſpexit eccleſia, nec tam generoſitatem parentum, vel *Ludovici* regis affinitatem, ſeu reginæ *Francorum*, ſcilicet *Alæ* ſororis ejuſdem *Willelmi* deſiderium, quam in archiepiſcopi moribus honeſtatem attendit. Sic *Perigenes* in *Petris* ordinatus epiſcopus tranſlatus eſt in *Chorintum*. *Doſideum Seleutiæ* epiſcopum *Alexander Antiochenus* epiſcopus in *Tharſum Ciliciæ* tranſmutavit. *Reverentinus* ab *Archis Phenice* in *Tyrum* tranſmutatus eſt. *Johannes* de *Gordolima* mutatus eſt in *Proconixum*. *Palladius* ex *Helenopoli* mutatus eſt in *Aſponam*. *Alexander* ex alia *Helenopoli* in *Andronopolim* mutatus eſt. *Gregorius Nazanzenus* prius civitatis *Cappadociæ* fuit epiſcopus, deinde à beato *Baſilio* in *Azianco* conſtitutus eſt. *Miletius* prius *Sebaſticæ* eccleſiæ præfuit, poſtea *Antiochiæ* præſul eſt conſtitutus. *Theuſebius* ab *Apania Aſiæ* transfertur in *Eudoxiopolim*. *Policarpus* de urbe *Antapriſtena Miſiæ* in *Nicopolim Thraciæ* mutatus eſt. *Jerophilus* de *Trapezoboli Friſiæ* tranſmutatus eſt in *Palatinopolim Traciæ*. *Silvanus* à *Philiopoli Traciæ* mutatus eſt in *Troadam*. *Herveius Bengornenſis* epiſcopus tranſlatus eſt in *Elyenſem* epiſcopum. *Gilebertus Herefordenſis* epiſcopus tranſlatus eſt in *Lundonienſem*.

Ivo Carnotenſis.

Henrico *Dei gratia nobiliſſimo regi* Anglorum, *ſpeciali amico ſuo*, Willelmus *eadem gratia rex* Siciliæ, *ducatus* Apuliæ, *& principatus* Capuæ *ſalutem. Honorabiles magnificentiæ veſtræ nuntios recepimus honorifice, quorum inſinuatione nobis innotuit, quod præſentibus & jubentibus vobis tres nobiles & ſpectatæ fidei viri de regno veſtro in anima veſtra conſummationem matrimonii inter nos & filiam veſtram juraverint. Qui & poſtulaverunt inſtantius ut idem manu propria juraremus. Quod quia regno noſtro ſemper & noſtris fuit progenitoribus inſuetum, perſonaliter jurare non duximus expedire. Quare prædicti nuncii veſtri quæſierunt, ut ſicut ab honorabilibus perſonis feceratis illud in anima veſtra jurari, ſic & nos ſimiliter in anima noſtra fieri faceremus. Nos equidem, & quod à noſtris nuntiis in veſtra præſentia conſtitutis ſuper conceſſione matrimonii ex parte noſtra juratum eſt, ratihabitione firmamus, & quod vobis præſentibus in anima veſtra juratum eſt, grato aſſenſu recepimus, acſi manu propria juraſſetis, cum unum & idem putemus ſacramentum quod vel manu propria fit, vel in anima jubentis & præſentis juratur. Poſt hæc nuntii veſtri juraverunt, quod poſtquam nuntii noſtri cum galeis ad partes ſancti* Egidii *pervenerint, quamprimum id vobis innotuerit nobiliſſima filia veſtra eis bona fide quam citius poterit aſſignabitur noſtro feliciter matrimonio copulanda. Veſtra itaque intererit & vobis cedet ad gloriam celeriter exequi quæ iniciati matrimonii perfectionem deſiderant.* Dat. *Pannormi* xxiij. die Auguſti.

Quod jurandum ſit in animam & non in anima, perpenditur ex ſequentibus. Ne tradideris me in animas tribulantium me. Ne tradat eum in animam inimicorum ejus. Captabunt in animam juſti.

Johanna junior filia regis *Siculo* regi nuptura vj. kal. Sept. transfretavit, ſumptus, & impenſas, & itineri neceſſaria, copiam quoque miniſtrorum providit *Ricardus Wintonienſis* epiſcopus. Regis ex decreto viri ſpectabiles aſſignati ſunt viæ comites, quidam uſque ad ſanctum *Egidium*, quidam montes *Siculos* & palatium aſcenſuri *Pannormitanum*, nec prius cogitaturi de reditu quam illam nuptialem ponpam, & in conſortium conjugalis thori regni diademate *Siculum* regem inſignitum conſpexerint.

Dux *Aquitanorum Ricardus* captis jure belli pluribus adverſariorum, caſtellis quoque duobus everſis *Engoliſmenſes* armis edomuit. *Bulgarinum* namque Comitem & complices ſuos, ut regis *Anglorum* indignationem evaderent, in *Angliam* transfretare coegit. Ad pedes itaque provoluti regis patris miſericordiam conſecuti ſunt apud *Wintoniam* xj. kal. Octobris.

Univerſa caſtella per *Angliam* & per marchiam totam, ad imperium regis patris deputata ſunt cuſtodiæ.

Guido præpoſitus *Antiſiodorenſis Senonenſium* electus antiſtes, conſecratus eſt à *Iohanne Carnotenſi* epiſcopo vj. kal. Octobris.

Willelmus Comes *Gloeceſtriæ* dum filium non haberet, ægre ferens hæreditatem inter filias dividendam, *Iohannem* filium regis hæredem inſtituit apud **Windleſhore** iiij. kal. Octobris.

Ricardus Wintonienſis epiſcopus regis patris tractaturus negotia transfretavit, in forenſibus, & in his quæ ducis *Normannorum* pertinent ad dignitatem cura ſibi tocius *Normanniæ* deputata. Qui cum in danda ſit eleemoſina ſtudioſus, ſic oculos ad hominum conditionem reflexit, ut miſericors erga pauperes, & divitum facultates diligenter diſquirens

rens, diligentiam fiſcalibus commodis impenderet exactiſſimam.

Willelmus de *Aubini* Comes de *Arundel* iiij. idus Octobris obiit apud **Waverlaia**. Sepultus autem eſt apud **Wimundeham** iiij. kal. Novembris.

Petrus Prior de **Weneloc** *Menevenſis* electus, facta prius profeſſione tam *Ricardo Dorobernenſi* archiepiſcopo quam ſucceſſoribus ejus canonice ſubſtituendis de canonica ſubjectione, *Cantuariæ* conſecratus eſt à *Gileberto Lundonienſi* epiſcopo, aſtantibus ſibi *Waltero Rofenſi*, *Rogero Wigornenſi* epiſcopis vij. idus Novembris.

Filia regis *Anglorum* nunciis Siculi regis maris & fluctuum expertis ſævitiam in conſpectu virorum illuſtrium aſſignata eſt apud ſanctum *Egidium* v. idus Novembris per manum *Johannis Norwicenſis* epiſcopi, ſicut ipſe *Pannormi* promiſerat x. kal. Septembris.

Adelfonſus gener regis rex *Caſtellæ*, *Santius* avunculus *Adelfonſi* rex *Navarrorum* diſcordes adinvicem, tam hinc quam illinc poſt dampna frequenter illata tandem in regem *Angliæ* compromiſerunt, & directis in *Angliam* nunciis ſe ſtaturos regis patris arbitrio juraverunt. Sub iiſdem diebus nuncium *Manuelis Conſtantinopolitani*, nuncium *Frederici Romani* imperatoris, nuncium *Willelmi Remenſis* archiepiſcopi, nuncium *Henrici* ducis *Saxonici*, nuncium *Philippi Flandrenſium* Comitis, quos varia trahebant negotia, tanquam ex condicto ſimul in curia regis *Anglorum* conſpiceres 2. idus Novemb. apud *Weſtmonaſterium*.

Johannes Norwicenſis epiſcopus, mandato regis in *Siciliam* ſuſpectiſſimo tempore proficiſcens, ſæpe variis eſt affectus incommodis. Nam dum *Romam* recto petere debuiſſet itinere ſi non in ſciſmate perſtitiſſent *Lumbardi*, pars auſtralis qua tranſitus ſibi relictus eſt in ſubſidium, panis plurimum laborabat inedia. Pabula jumentorum vix aliquo quæſtu procurabantur. Iter habens per *Arverniam* jacentium in plateis, & fame tumentium angebatur clamoribus. *Valentiam* urbem ingreſſus adhuc in bona valitudine manens, in venalibus diſquirendis fidem hoſpitum cauſabatur. Ad noctes pertrahendas inſomnes lectiſternia pulices vendicabant. *Ebredunenſium* fines præteriens, *Jani* montis declinans confinia, limites attingens *Ytalicos*, dum equis *Janua* relictis ſe mari commiſiſſet *Tirreno*, promuntoria *Jannenſium*, maritina *Pyſanorum*, *Veneris* portum & *Herculis*, oſtii *Tiberini* fluenta velis in altum expaſſis, à ſiniſtra relinquens urbem applicuit *Gagetanam*.

Exin pro varietate locorum vario deſudans navigio, modo ſagittario, modo lintre, nec tam utens velo quam remo, ducatum *Apuliæ*, *Capuæ* principatum, evexa *Calabriæ*, cum aliqua remoratione pertranſiit. *Regium* & *Meſſanam* urbes *Pharo* conterminas hinc & illinc de vicino reſpiciens. Ut autem maris pericula poſt everſionem *Ylii Trojanis* quondam tendentibus in *Ytaliam* haut prorſus incognita non omittam, *Palinuri* diſcurſus, *Scyllæ* ſcopulos, *Caribdis* voraginem non intrepidus evitavit. Nec enim ad momentum ſuo verſabatur in animo quod mare multociens evertitur in momento. Proinde nuſquam quies, nuſquam ſecuritas, fervor nimius navigationem dampnabat. Metuendus piratarum incurſus conſtantiſſimo cuilibet incuſſiſſet timorem. Remigantium illæ notabiles immundiciæ provocabant ad nauſeam. Intima præcordiorum peſtilens inficiebat aer. Quid enim inter tot diſcrimina gentem regionis externæ dixeris incurriſſe periculi, dum apud Siculos idibus Auguſti tunc temporis effluentibus folium in arboribus, in vite pampinus, arundines in paluſtribus prorſus exaruerint. Dum divertebatur ad litus, lintres vix viij. tantum capaces animarum adveſperaſcente die fluctibus extrahebantur. De reficiendis ergo corporibus cura propenſior ſub divo diſcumbere multis ebdomadibus ſatis ægre ſuſtinuit. Ad quieſcendum vero de noctibus nunc lapis durior ſtramentorum repenſabat mollitiem, nunc indulgentior tractus maris offerebat harenam, & ſternere lectum in ſabulo magiſtra neceſſitas edocebat.

Diebus plurimis in tali voluptate decurſis dum *Pannormum* intraſſet epiſcopus, tribus ſibi junctis ejuſdem conſortibus legationis intra paucos dies à Siculo rege congruum excepit reſponſum. Utrum autem *Siciliæ*, vel à tribus montibus, vel juxta ſitum regionis à forma triangula *Trinacria* nuncupata ſit, dum ex otio quærere debuiſſet inæqualem perſenſit autumpnum. Duo quidem è ſociis quos memoravimus ſorte communi ſunt ſubtracti de medio. Tertius febre gravi correptus lectum incidit ægritudinis. Epiſcopus itaque ſolus legatione feliciter adimpleta, dum regis filiam Siculis aſſignaſſet apud ſanctum *Egidium*, in *Angliam* rediens venit ad regem in vigilia natalis apud **Notingeham**.

Peloro.
Lilibeo.
Ethna.

Ric. de Chamvil.
Baldew.
Bulot.
Paris Archid.

An. Dñi 1177.

Illa nuptialis pompa *Siculi* regis & filiæ regis *Anglorum*, urbem multipliciter illuſtravit *Pannormitanam*. Ad deſponſationem namque ſimul & coronationem reginæ ſollempnius conſummandam, concurrentibus tam archiepiſcopis quam epiſcopis, tam Comitibus quam Baronibus, tam clero quam populo, *Walterus* ejuſdem ſedis archiepiſcopus celebravit divina idibus Februarii.

MAnuel *in Chriſto Deo fidelis imperator*, Porphirogenitus, *divinitus coronatus*, *ſublimis*, *potens*, *excelſus*, *ſemper* Auguſtus *& moderator* Romanorum Connianus, *Nobiliſſimo regi* Anglorum *dilecto amico ſuo ſalutem & omne bonum. Imperio meo belli gravamen ſuſtentante poſtremæ cohortes univerſa* Græcorum, *&* Latinorum, *& reliquarum omnium gentium conglobata quæ jaciebantur ab inimicis tela non ſuſtinentes, impactione utuntur, & ita violenter ferebantur, dum in adjacentem illic collem quaſi ad propugnaculum feſtinarent ſe præcedentes impellunt nolentes. Multo autem elevato pulvere ac perturbante oculos, & neminem permittente videre quæ circa pedes erant, in præcipitium quod aderat profundiſſimæ vallis, alium ſuper alium, homines & equi ſic incontinenter portati corruunt, & alii alios conculcantes adinvicem interimuntur, non ex gregariis tantum quidam ſed ex clariſſimis, & ex ipſis intimis meis conſanguineis.* Sultanus *videns quod poſt tanta quæ acciderant exercitibus noſtris, imperium meum ſicut oportunum erat rem diſpenſavit ut rurſus ipſum invaderet, mittens ſupplicat imperio meo, & deprecatoriis uſus eſt ſermonibus, & requirit pacem ipſius, promittens omnem adimplere imperii mei voluntatem, & ſervitium ſuum contra omnem hominem dare, & omnes qui in regione ſua tenentur captivos abſolvere, & eſſe ex toto voluntatis noſtræ. Ibidem* *ergo per duos dies integros in omni poteſtate morati ſumus.*

HEnricus *Dei gratia rex* Angliæ, *& dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ, *& Comes* Andegaviæ, *kariſſimis amicis ſuis regibus* Caſtellæ *&* Navarræ *ſalutem. Sicut ex litterarum veſtrarum tenore & nuntiorum veſtrorum relatione cognovimus, placuit utrique veſtrum querimonias inter vos habitas ſuper quibuſdam caſtellis & terris cum earum terminis & pertinentiis judicio noſtro terminari. Nos vero nunciis veſtris ea qua decuit veneratione ſuſceptis pacem inter vos honori Dei, & toti Chriſtianitati plurimum profuturam attendentes, divinæ pietatis & communis utilitatis intuitu negotium hoc in nos ſuſcepimus. Fidelibus itaque à vobis communiter electis, & procuratoribus, & advocatis cauſarum veſtrarum in præſentia noſtra, & epiſcoporum, & comitum, & baronum noſtrorum conſtitutis, petitiones & allegationes utriuſque partis diligenter audivimus & intelleximus. Proponebant ſiquidem hii quibus cauſa* Adelfonſi *regis* Caſtellæ *commiſſa fuerat,* Sancium *regem* Navarræ *memorato regi* Caſtellæ, *dum adhuc pupillus eſſet & orphanus, caſtella & terras, ſcilicet* Logronium, Navarret, Anthlena, Aptol, Agoſio, *cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis quæ pater ſuus die qua deceſſit, & ipſe poſt aliquot annis quiete poſſederat, injuſte & violenter abſtuliſſe, unde & eorum ſibi fieri reſtitutionem poſtulabant. Illi vero quibus cauſa* Sancii *regis* Navarræ *commiſſa fuerat, nichil eorum quæ ab aliis propoſita fuerant contradicentes, aſſerebant A. præfatum regem* Caſtellæ, S. *prænominato regi* Navarræ, *caſtella ſcilicet* Legin, Portel, *& caſtellum quod tenet* Godin *per werram & injuſte abſtuliſſe parte altera in nullo ſibi contradicente, eorum ſibi fieri reſtitutionem pari petebant inſtantia. Præterea in ſcripto veſtro continebatur communi, vos trewias inter vos uſque in ſeptennium fide interpoſita firmaſſe, & hoc ipſum nuncii veſtri in jure palam ſunt proteſtati.*

Habito igitur cum epiſcopis, comitibus & baronibus noſtris, cum deliberatione conſilio, pacem inter vos ad fidem Chriſtianorum propagandam, & ad inimicorum Chriſti confuſionem neceſſariam fore conſiderantes, plenam etiam tam ex ſcriptis veſtris quam nuntiorum aſſertionibus fiduciam concipientes, quod in pace firmanda & conſervanda conſilio noſtro & præceptò parebitis; ante judicii pronunciationem ſuper prædictis querelis & trewis mandavimus vobis per nuncios noſtros, & conſuluimus, & præcepimus, & adhuc etiam præſenti ſcripto mandamus atque præcipimus, ut pacem inter vos firmetis fideliter & in perpetuum obſervetis. Super querelis vero prætaxatis, de caſtellis & terris, cum omnibus terminis ſuis & pertinentiis hinc inde violenter & injuſte ablatis, cum nichil contra violentiam utrimque objectam à parte alterutra reſponderetur alteri, nec quicquam quo minus reſtitutiones quas petebant faciendæ eſſent allegaretur, plenariam utrique parti ſupradictorum quæ in jure petita erant fieri reſtitutionem adjudicavimus. Adjunximus etiam ex judicio trewias præfatas inter vos, ut prædictum eſt, fide firmatas, ſicut ex ſcriptò veſtro & nuntiorum veſtrorum publica confeſſione in jure facta nobis conſtitit, uſque ad conſtitutum inter vos terminum inviolabiliter obſervandas. Volumus itaque & præcipimus pro bono pacis, ut rex A. filius noſter donet S. regi Navarræ *avunculo ſuo, ſingulis annis uſque ad decennium tria milia* Marabontinorum *ad tres terminos in anno* Burgis *recipienda, ſcilicet ad finem quatuor primorum menſium poſt prædictam reſtitutionem utrimque factam* M. Marab. *Et ad finem quatuor menſium proximo ſequentium* M. Marab. *Et ad finem quatuor menſium tertio ſequentium* M. Marab. *ita ut ſingulis annis ſequentibus de x. poſt prædictam reſtitutionem ſolvantur tria milia* Marab. *ad eoſdem terminos, & in loco prænominato. Præterea nuncii utriuſque veſtrum juraverunt ante ſententiæ pronuntiationem vos prædictum judicium noſtrum tam in reſtitutionibus quam trewis firmiter obſervaturos. Et niſi feceritis quod corpora ſua reddent in manum & poteſtatem noſtram.*

Guido Bengornenſium electus antiſtes, conſecratus eſt à *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Ambresberi* idus Maii.

A Motis ab eccleſia *Waltamenſi* canonicis quos ſeculares vocant, quia licentiam nimis vagam in ſeculo quidam ipſorum habuerant, ſicut *Guido* decanus ejuſdem eccleſiæ regi frequenter ſuggeſſerat, ſubinducti ſunt regulares auctoritate ſummi pontificis ſub præſentia regis patris in vigilia Pentecoſtes. Ea quidem eſt vis malis moribus, ut innocentiam multitudinis devenuſtent ſcelera paucorum, cum è contrario bonorum raritas flagitia multorum nequeat excuſare. *Radulfus Cireceſtrenſis* canonicus ipſa die de manu *Lundonienſis* epiſcopi curam eccleſiæ ſupradictæ recipiens, ipſi tanquam dioceſiano de canonica ſubjectione ſervanda, ſe verbis obligavit expreſſim, & fratribus congregatis aſſignatus Prior, ab eodem epiſcopo ſollempniter eſt collocatus in ſede.

Philippus Comes *Flandrenſium,* & Comes *Willelmus* de *Magna villa* profecti ſunt *Jeroſolimam.*

Alexander papa epiſcopis *Angliæ.*

N*Ono kal. Auguſti* Fredericus *imperator venit ad eccleſiam beati* Nicholai, *quæ per unum miliare à* Veneciis *diſtat, & ibi tam ipſe quam archiepiſcopi, epiſcopi, & alii principes* Teutonici *regni abrenuntiantes ſciſmati, per fratres noſtros epiſcopos & cardinales de mandato noſtro abſolutionis beneficium meruerunt, & deinde venerunt* Venecias, *& ibi ante eccleſiam beati* Marci *prædictus imperator nobis ſicut ſummo pontifici obedientiam & reverentiam humiliter & reverenter exhibuit, & recepto à nobis pacis oſculo nos devote dextravit, & cum reverentia qua decuit, & devotione uſque ad altare in eccleſiam introduxit. Sequenti vero die in feſto beati* Jacobi *ab eodem imperatore rogati ad prædictam eccleſiam ſancti* Marci *ſollempnia celebraturi miſſarum acceſſimus, & nobis illuc venientibus præfatus imperator extra eccleſiam obviam venit, & dextro latere noſtro devote ſuſcepto nos in eccleſiam introduxit, & peractis miſſarum ſollempniis nos uſque ad ipſius eccleſiæ portam dextravit, & cum aſcenderemus palefridum noſtrum ibi paratum ſtaffam tenuit, & omnem honorem & reverentiam nobis exhibuit, quam prædeceſſores ejus noſtris conſueverint anteceſſoribus exhibere.*

Legatos regis *Anglorum* à *Sicilia* redeuntes, dux *Burgundiæ* ſpoliavit, illhid patum attendens

—— —— —*Sanctum populis per ſecula nomen*
Legatum. ——

Henricus II. rex.

Rex pater regno juxta voluntatem ſuam diſpoſito, transfretavit xv. kal. Septembris.

EGo Ludovicus *rex* Francorum, *& ego* Henricus *rex* Angliæ *volumus ad omnium notitiam pervenire, nos Deo inſpirante promiſiſſe & juraſſe, quod ſimul ibimus in ſervitium Chriſtianitatis & crucem ſuſcipiemus ituri* Jeroſolimam. *Volumus eciam quod omnes ſciant, quod ſic ſumus & amodo volumus eſſe amici, quod uterque noſtrum alterutri noſtrum conſervabit vitam & menbra, & terrenum honorem contra omnes homines pro poſſe ſuo. Et ſi quecunque perſona alterutri noſtrum malum facere præſumpſerit*, *ego* H. *juvabo* L. *regem* Francorum *dominum meum contra omnes homines pro poſſe meo, & ego* L. *juvabo* H. *regem* Anglorum *contra omnes homines pro poſſe meo, ſicut hominem & fidelem meum, ſalva fide quam debemus hominibus noſtris quamdiu ipſi nobis fidem ſervabunt. Hac acta ſunt aput* Nonnancurt *vij. kal. Octobris.*

Gaufridus regis filii regis cancellarius, dum ab *Anglia* tenderet in *Normanniam*, paſſus naufragium ſubmerſus eſt, & pluſquam CCC. cum eo iij. kal. Octob. Hyems ſecuta eſt tempeſtuoſiſſima, ſubmerſæ ſunt naves multorum, milia hominum infinita perierunt in fluctibus.

Illuxerunt choruſcationes toti regno *Anglorum* iij. kal. Decembris.

Ventus vehemens eruens ſilvas, ædificia ſubruens venit ab auſtro kal. Decembris.

An. Dñi 1178.

Nix maxima.

IN maritimis valla maxima de ceſpitibus constructa maris ab inundatione dirupta ſunt, maxime verſus Aquilonem. In colle pecudes & armenta pluribus in locis fluctibus involuta ſunt aquilone flante, ſexto idus Januarii.

Willelmus abbas *Rameſienſis Cluniacenſium* curam ſuſcipere detrectans multis diebus, ad ultimum adquievit, diciorem non ambiens abbatiam niſi quod hæc cujus erat collocandus in ſede, dum abbatias plures ſuæ ſubici noverit diſpoſitioni, quandam ex hoc ſibi vendicet prærogativam, ut prælatus *Cluniacenſis* non abbas ſolummodo nominandus ſit, ſet archiabbas.

Ricardus Wintonienſis epiſcopus, dum per annum & dimidium fiſcalia diligenter recenſens toti *Normannia* præfuiſſet, duodecimo kal. Aprilis in *Angliam* rediit.

Alexander papa, ſciſmaticis ad unitatem eccleſiæ redeuntibus, ſollempni proceſſione receptus eſt *Roma* die Dominica qua cantatur *Latare Jeroſolima.*

CAſtellum Radulfi quod à doloribus nominis appellationem ſortitur, fundatum eſt in pago *Biturico*, ducis *Aquitannorum* de priſca conſuetudine mandatis obtemperans. Hujus itaque caſtelli dominus dum ageret in extremis filiam parvulam reliquit hæredem, quam rex pater *Anglorum*, cum caſtellis, & villis, & omnibus ad eam ſpectantibus, fideli cuſtodiæ commendatam tempore congruo nuptui congruo collocabit.

COmes de *Marchia* ſub ditione Ducis *Aquitannici* conſtitutus, cum liberos non haberet cognatis ordine ſucceſſorio ſuam aſpirantibus ad hæreditatem, duriorem oppoſuit adverſarium. Nam cum haberet in voto viſitare loca Dominicæ paſſionis, & ultimos dies ſuos ibidem explere, patrimonium ſuum multis & firmiſſimis munitionibus inſignitum

Henricus II. rex.

Anglorum regi diſtraxit, appenſis in precium ſex milibus marcis argenti, quadraginta vecturis itineri tanto neceſſariis ad precii quantitatem adactis.

Longa diſceptatio quam archiepiſcopus *Cantuarienſis* in præſentia domini papæ per nuntios ſuos contra electum ſancti *Auguſtini* ſuper controverſia benedictionis habuit, de communi conſilio fratrum per diffinitivam ſententiam ita deciſa eſt, quod *Cantuarienſis* archiepiſcopus ipſum & ſucceſſores ſuos in monaſterio ſancti *Auguſtini* abſque exactione obedientiæ contradictione poſtpoſita benedicat. Dat. *Laterani* xv. kal. Maii.

RIcardus de Luci juſticiarius regis in *Anglia* fundamenta jecit iij. idus Junii ad conſtruendam eccleſiam, & conventui Regularium conſecrandam in honore *Thoma* martyris glorioſi, loco qui vocatur **Weſtwde** in *Roſenſi* territorio.

Rex *Anglorum* pater, cum per provincias omnes ſuæ ſubditas juriſdictioni quæ vel *Francorum* limitibus, vel montibus *Pireneis*, vel *Britannico* vicinantur oceano munitiones obtinuiſſet, & omnia diſpoſuiſſet pro velle, rediit in *Angliam* idus Julii, ſub ipſo reditu viſitans ſepulchrum *Thoma* martyris glorioſi.

WIllelmus Remenſis archiepiſcopus, ut orationum vota *Thoma* martyri glorioſo perſolveret, in comitatu magno venit *Cantuariam* vj. kal. Auguſti. Rex *Anglorum*, epiſcopi plures, multi proceres occurrerunt, & ſic maximo cum honore ſuſceptus in palatio regis *Lundonia* ſumptibus regiis triduum celebravit. Cum autem ei rex exeniorum nomine vaſa plurima concupiſcibilia tranſmiſiſſet, præter *Francorum* conſuetudinem ab omnibus manum cohibuit; quædam tamen quæ non uſque ad muneris conſequentiam extenderentur in ſignum dilectionis à rege recipiens.

REx *Anglia* pater *Gaufridum* filium ſuum ducem *Britannia* cingulo militari donavit apud **Wdeſtoc** viij. idus Auguſti.

FRedericus imperator *Romanus Italiam* ſibi rebellem intelligens, & cum *Lumbardis* iterum in campo confligere, niſi prius reſumptis viribus, non eſſe tutum conſiderans; tranſcenſis *Alpibus* regnum repetit *Teutonicum*; ſed ut ſiniſtros eventus aliquo ſaltem elatæ mentis titulo coloraret, & poſteris ſuis memoriale relinqueret, quouſque ſui fines imperii dilatarentur, ad plagam meridianam in Aſſumptione beatæ virginis coronatus eſt *Arelate*.

Chriſtiani prope *Jeroſolimam* cum *Agarenis* congreſſum habentes victoriam reportarunt, ſicut nuntius *Jeroſolimitani* regis ob id ipſum fideliter referendum directus *Anglorum* regi ſignanter oſtendit, quæ viderat & audierat aſſeverans conſtanter.

SAladinus Egyptum & *Syriam* ſua redigens ſub poteſtate, *Babiloniam* & *Damaſcum* per violentiam occupavit, Chriſtiani nominis graviſſimus perſecutor. Cum autem Comes *Flandrenſium*, & Comes *Willelmus* de *Magna villa* militum non modicam multitudinem à *Jeroſolimis* evocaſſent, ut *Agarenos Antiochia* vicinantes contererent, pridie non. Novembris vj. feria caſtellum *Hareng* obſidione vallarunt. *Salahadinus* vero non elatus generoſitate ſet armis, civitatem ſanctam *Jeroſolimam* hominibus aptis ad bellum vacuatam exiſtimans, infinitum congregavit exercitum, & in multitudine gravi fines *Aſcalonitarum* irrumpens fixit tentoria loco qui vocatur *Rama*. Rex, patriarcha, paucitas illa militum qui cum eis, qui vel in templo, qui vel in hoſpitali remanſerant, cum aliquantula multitudine pugnatorum in anguſtia temporis ad bellum ſe præparant. Qui non in haſta vel gladio, non in arcu confidentes vel pharetra, ſed ad ſolum divinæ pietatis recurrentes auxilium, Dominicæ crucis animati ſimul & armati vexillo, de nocte properanter *Agarenis* occurrunt. Illud attendentes, quod eſt facile concludi multos in manus paucorum, & quod non eſt in conſpectu Dei differentia vincere, vel in multis, vel in paucis. Facto mane cum ſol in clipeos aureos refulſiſſet, & monticuli cujuſdam aſcenſus *Chriſtianos* eminentiores efferret, *Agarenis* in planitie per turmas ſuas diſtinctis & ordinatis ad pugnam, numerus infidelium fideliter intuentibus videbatur excedere fere fideles in centuplum. Edocti ſunt itaque *Chriſtiani* magiſtra neceſſitate novum adinvenire remedium. Illos etenim iiij. ordines quos prius ad dimicandum paraverant, unum redegerunt in cuneum: ſicque gentibus eos undique circumvallantibus aſſultus acerrimos exceperunt conſtanter. Dum hæc ſub tanto diſcrimine gererentur, & *Chriſtianis* pro vita res eſſet, *Odo* magiſter militiæ templi *Judas* alter *Machabaus* xx quater & iiij. ordinis ſui milites ſecum habens in comitatu, ſe recepit in partem cum ſuis crucis ſignaculo communitis. Qui ſimul omnes quaſi vir unus, calcaribus indulgentes invaſione facta non ad ſiniſtram declinantes vel dexteram, aciem illam in qua *Salahadinum* militibus multis præeſſe cognoverant, viriliter aggrediuntur, penetrant incunctanter, inceſſanter affligunt, diſſipant, collidunt & conterunt. *Salahadinus* admiratione facti percuſſus eſt. Videnſque ſuos undique diſperſos, undique converſos in fugam, undique datos in ore gladii, fuga ſibi conſulere procuravit, & loricam cum acceleratione deiciens, camelum aſcendit curſorium vix cum paucis evadens, poſteris ſuis illud memoriale relinquendum non dubitans. *Vnus mille perſequebatur, & duo fugarunt decem milia.* Sic potiti ſunt victoria Chriſtiani, nutu divino fortitudine gentium diſſipata vij. kalend. Decembris vj. feria.

Johannes Strumenſis in ſciſmate vocatus papa *Calixtus* papalia depoſuit ornamenta iiij. kal. Septembris, *Alexandri* papæ provolutus ad pedes.

F*Redericus* imperator *Romanus* varias regnorum imperio ſubditorum metas pro varietate linguarum diſtinguens, *Longobardos*, *Baioarios*, *Auſtraſios*, *Burgundiones*, diligenter recenſuit, & juxta numerum quatuor populorum edoctus eſt plenius quatuor ſibi competere diademata. Quæ ſimul imperio conſolidata *Romano*, *Fredericum* in conſpectu regum magnificant. Cui *Burgundia* regnum à multis retro temporibus uſque nunc ſubpreſſo regis nomine per Comites adminiſtratum, nomine dotis non eſt dubium accreviſſe; ſuis hæredibus hæreditario jure legitime devolvendum, non per electionem ſicut Imperiale culmen plerunque transfertur, in quempiam conferendum. Et licet *Fredericus* in adverſis hucuſque ſemper extiterit conſtantiſſimus, vir tamen uxorius reputatur à multis, quærens in omnibus quomodo placeat uxori. Rediens ſiquidem ab *Italia*, ne quid imperatrici deeſſet ad gloriam, in terra nativitatis ſuæ capiti ſuo fecit imponi diadema *Burgundiæ*, die nativitatis beatæ virginis, in urbe *Vienna*; *Burgundia* quidem, quam *Italiæ* vicinantem intelligas ad arcendos hoſtes ab ea parte cacumina montium, præcipitia vallium in modum exceptionis opponere. *Burgundia* quidem, quam in planitie multa per intervalla ſpectabilem *Araris* atque *Rodani* fluenta lætificant. *Burgundia* quidem, quam aqua ſalubrior pleriſque locis alto lacu concluſa, poſt capturam piſcium copioſam reficiendis corporibus indulgere frequenter invitat. *Burgundia* quidem, quam *Agaunenſis* fundator monaſterii *Sigiſmundus* & rex & martyr, multis rexit feliciter annis.

Sol paſſus eſt eclypſim idibus Septembris.

Alexander papa *Lundonienſi* & *Wintonienſi* epiſcopis.

N*Os attendentes quod ad regem pertineat non ad eccleſiam de poſſeſſionibus judicare, ne videamur juri & dignitati kariſſimi in Chriſto filii noſtri* H. *illuſtris* Anglorum *regis detrahere, qui ſicut accepimus commotus eſt & turbatur, quod de poſſeſſionibus ſcripſimus, cum earum judicium ad ſe aſſerat pertinere, volumus & fraternitati veſtræ mandamus, ut regi poſſeſſionum judicium relinquatis.* Data *Tuſculani* kal. Octobris.

Comes *Willelmus* de *Magna villa* *Jeroſolimis* rediit viij. idus Octobris. Qui peregre profectus ſicut altaria multarum per *Angliam* eccleſiarum habuerat in memoria, ſic & rediens habuit in veneratione pannos, quos civitas *Conſtantinopolis* vocat Imperiales, paſſim locis diſtribuens religioſis.

An. Dñi 1179.

H*Enricus* rex filius regis *Angliæ* regnum egrediens, in conflictibus *Gallicis*, in expenſis profuſioribus tranſegit triennium. Qui dum per id temporis circumquaque *Francorum* limites properus peragraſſet regia majeſtate ſepoſita, totus eſt de rege tranſlatus in militem, & flexis in gyrum frænis, in congreſſibus variis reportavit triumphum: ſui nominis celebritatem favor popularis evexit, ſuorum in computatione geſtorum hylarior fama ſenem cenſuit admirando victorias, quem lapſum in negotio beneficium adhuc minoris ætatis in integrum reſtitueret. Sic igitur in negotiis militaribus occupato, dum nil ei deeſſet ad gloriam navem aſcendens aput **Witſand** in *Angliam* rediit iiij. kal. Martii, cum honore debito receptus à rege patre.

A*Vguſtinus Anglorum* apoſtolus archiepiſcopus *Dorobernenſis*, prope *Cantuariam* ſepulturæ ſibi locum elegit abbatiam inibi provida ſucceſſorum diſpoſitione fundatam, & abbatem impoſitum debitam archiepiſcopis *Cantuarienſibus* obedientiam per annos quingentos legimus exſolviſſe. Diebus his ultimis *Rogerus* à collegio *ſanctæ Trinitatis* ad ſupradicti loci curam in abbatem aſſumptus ab *Alexandro* papa v. kal. Februarii, *Tuſculani* benedictionem, & in ſignum emancipationis indultæ mitram, anulum, cirothecas ſuſcepit.

Alexander pontifex, magnæ & almæ *Romæ* glorioſo *Valentiæ* regi *Lupo*, cœleſtis creatoris notitiam ac beneplacitum ei ſervitium exhibere.

C*Vm ſuperna & incomprehenſibilis providentia majeſtatis ſuper gentes innumeras tibi commiſerit dominatum, licet ſacramenta fidei Chriſtianæ minime tua celſitudo ſuſceperit, tamen ſicut ad nos uſque fama pervenit, cultores et fideles Chriſti quadam ſpeciali prærogativa diligis et honoras, et eis familiaritatis gratiam noſceris non modicam ex-*

hibere. *Tuam igitur excellentiam rogamus et exhortamur inſtantius, ut Chriſtianos qui nunc aput te captivi tenentur ad nos per gratiam tuam liberòs abſolutoſque remittas, ut omnipotens pater creator omnium temporale tibi regnum amplificet et conſervet in terris, et illud quod erit ſine fine manſurum, per ſacramenta fidei Chriſtiana, poſt exitum hujus vita largiatur in cœlis redemptor omnium cujus nomen eſt benedictum in ſecula.*

Albertus eccleſiæ *Romana* ſubdiaconus *Alexandri* papæ nuncius venit in *Angliam*. Qui præſtita fidelitate de regia dignitate ſervanda cum licentia regis viſitans majores eccleſias, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, de convocandis ad concilium generale ſubmonitorias patentes oſtendit. Alios ætas maturior, alios imbecillitas corporis, alios clandeſtinis pactionibus involuta numeratio nec dicam pecuniæ reddidit excuſatos. Solus *Wintonienſis* epiſcopus ad inſtantiam regis *Francorum* honoratæ quieti donatus eſt. *Albertus* igitur Lacialiter incedens per *Angliam*, aliquibus in evectione vel mora locis in pluribus triduana viſus eſt honeroſus. A quodam eciam auctoritatis non contemnendæ viro minus reverenter receptus quam vellet, ei pro qualitate delicti pœnam, ut ait, competentem inflixit, his verbis; Ut digne pro meritis remuneretur, ipſum Apoſtolica qua fungimur auctoritate ſuſpendimus. Dignum namque & rationi conſentaneum eſt, ut pœna docente addiſcat omnimodam reverentiam & obedientiam exhibere prælatis. *Albertus* poſtmodum ad preces inclinatus quorundam, novum genus pœnæ novus examinator culparum indixit his verbis. *Juratoria prius cautione recepta quod noſtro pareret mandato, jejunium trium quadrageſimarum injunximus ei pro culpa.*

SYnodus CCC. x. epiſcoporum eſt habita *Roma* xiiij. kal. Aprilis in patriarchio *Lateranenſi*; plurima memoriæ plurimum commendanda ſtatuta ſunt ibi, de quibus ſaltem inſeramus pauciſſima.

Multarum poſſeſſoribus eccleſiarum quos ambitio cæca perurit ſeverius occurrendum eſt. Nam cum inde diſſolutionis materiam & vagationis incurrant, unius tantum eccleſiæ curam ſuſcipere debitam, uni proviſionem impendere canonica compellantur cenſura.

Eccleſias interdicto ſubpoſitas in anno ſemel aperiant *Templares* vel *Hoſpitalarii*, ſet non ibi corpora ſepelire præſumant.

FIliam *Ludovici* regis *Francorum Agnetem Alexio* filio *Manuelis* imperatoris *Conſtantinopolitani* fœdere nuptiali jungendam in comitatu magno circa Paſcha tranſmiſſam audivimus. Velit Dominus Deus ut auſpicio meliori quam filia *Karoli* magni *Conſtantino* nupſerit imperatori, ſine liberis decedens in matrimonio.

DUx *Aquitannorum Ricardus* multis ſæpe laceſſitus injuriis, tandem ad ſuperbiam *Gaufridi de Rancuna* penitus edomandam, auxiliariis undequaque collectis kal. Maii caſtellum de *Taileborch* obſidione vallavit. Opus deſperatiſſimum, & quod ſuorum nullus anteceſſorum attemptare præſumpſit. Caſtrum igitur ſupradictum ante dies iſtos hoſtium cuneis prorſus incognitum, triplici veſtitum foſſato, muri triplicis incentivo rebellioni dicatum, armis, ſeris, repagulis inſtructum ſufficienter, turribus per intervalla ſeriatim diſpoſitis inſignitum, comportato lapide manuali munitum in propugnaculis, habundans in victualibus, refertum milibus hominum ad pugnam ydoneis, minime ducis *Aquitannorum* expavit adventum. Sed poſtquam ipſe dux regionem hoſtiliter introivit, dotes prædiorum abduxit, ſuccidit vites, ſuccendit villas, reliqua demoliendo vaſtavit; in caſtelli confinio fixit tentoria, machinas prope murum erexit, opidanos nichil tale præmeditatos vehementer exterruit. Quibus quia res ignominiæ plena videbatur, tot elatæ mentis, tot virtutis probatæ milites intra muros ſine maxima reclamatione concludi, de communi conſilio placuit ut foras erumperent, exercitum ducis impeterent ex inproviſo. Quod cum ad ducis notitiam deveniſſet, in arma ruere ſuos edocuit, retrorſum cedere compulit opidanos. Illis in ingreſſu portarum hinc & hinc acriter confligentibus, quid equus, quid lancea, quid enſis, quid galea, quid arcus, quid baliſta, quid umbo, quid lorica, quid ſudes, quid clava certantibus conferant, experimento cedebat. Opidanis itaque principalis cohortis in qua dux præerat aſſultus acerrimos ſuſtinere non ultra valentibus, ſet intra muros certatim ſeſe recipientibus, dux impiger invaſione facta ſe pariter intra villam inmiſcet cum hoſtibus Rogationum feria tercia. Nuſquam locus diffugii, per plateas hinc inde diſcurritur, rapinis inſiſtitur & incendiis; ab his quos fortuna benignior internitioni ſubtraxerat, ad principale præſidium tanquam ad aſilum confugitur. Caſtelli dominus Aſcenſionis Dominicæ die ſollempni compellitur ad deditionem: facies univerſa murorum intra dies pauciſſimos complanatur. Alia paſſim caſtella per patriam conſcia rebellionis, incentiva ſuperbiæ, prædonibus receptacula par infra menſem unum ſubiere diſcrimen. Omnibus igitur ad votum completis dux *Aquitannorum* tranſfretavit in *Angliam*, cum honore maximo receptus à patre.

Junior filia *Mathei Bolonienſium* Comitis nupſit filio ducis *Lovania*.

Rogerus Wigornenſis epiſcopus, v. idus Auguſti rebus humanis exemptus eſt.

Ludovicus rex *Francorum* magnificentiam prædeceſſorum animi liberalitate tranſcendens, ſanctæ recordationis *Thoma* quondam archiepiſcopi *Cantuarienſis* exilium pluribus annis intra *Galliam Celticam* cum æquanimitate decurſum facultatibus ſuis habundantius relevavit, Chriſto ſedulum exhibere ſperans obſequium dum oculos pietatis attollens reſpiceret archiepiſcopum. Exulem itaque brachiis intimæ caritatis amplexus dum viveret, jam martyrio coronatum, jam triumphantem in cœlis, jam in terris patrocinantem hominibus, ſicut crebra miraculorum indicia longe lateque diffuſa paſſim atteſtantur per orbem, ſua corporali præſentia, cum omni devotione ſummopere venerari decrevit, ut ejus meritis & interceſſionibus à regno mutabili tranſire mereatur ad regnum ſine fine manſurum. *Angliam* igitur quam nec ipſe, nec ſuorum aliquis anteceſſorum aliquo tempore, vel hoſtili manu, vel ingreſſu pacifico viſitaverat, nomen peregrinantis aſſumens & habitum, turba nobilium comitante permodica, devotiſſime viſitavit. Rex *Anglorum* pater *Henricus* ſubitum ejus ſubito prænoſcens adventum obviam progreſſurus cum inceſſiſſet duplomate, regi *Francorum* navem aput *Doveram* egredienti, feſtinanter occurrit xij. kal. Septembris iiij. feria. Quicquid honoris ab aliquo potuit vel excogitari, potuit vel impendi, totum *Francis* exhibitum eſt. Concurrentibus undique tam archiepiſcopo quam epiſcopis, tam comitibus quam baronibus, tam clero quam populo, ſollempnis proceſſio majorem eccleſiam illuſtravit attentius in ymnis & canticis & lætitia ſumma, tanti principis applaudens adventui v. feria. Quantum auri vel argenti *Gallicana* munificentiæ titulos in oblationibus factis evexerit, ne ſit qui non credat deſit qui ſcribat. Centum autem vini modios à rege, vel hæredibus ſuis annuatim ſolvendos *Pariſius* imperpetuum ob martyris reverentiam, & in uſus *Cantuarienſis* collegii convertendos, memoriæ commendemus. Cum fama ſemper in deteriora proclivior *Romanos* nota cupiditatis aſperſerit, ad aviditatem ipſorum explendam, ſi præſentes fuiſſent, regis *Anglorum* gazæ multiplices & theſaurus ab antiquo congeſtus in exeniis *Cantuariæ* faciendis expaſſus, & expoſitus in commune, plene ſufficerent, ſi traxiſſent eos non orationum vota ſet lucra. Sed ne *Franci* viderentur aliquibus aliud quæſiſſe quam martyrem, manum cohibentes à munere martyrium aliquod forſan pertulerunt in mente. Sic rex in jejuniis, in orationibus, in vigiliis, cum penes *Cantuarios* triduum conſummaſſet, & exeniola quædam in ſignum dilectionis accepiſſet à rege, vij. kal. Septembris rurſus navem aſcendit aput *Doveram* die Dominica.

REx pater *Anglorum* his plurimum quærens prodeſſe qui minimum poſſunt, vicecomites publicis functionibus & ratiociniis involutos commodis propriis invigilantes invenit. Quare de communi ſalute magis & magis ſollicitus, certis in locis juriſdictiones aliis fidelibus ſuis in regno commiſit, ut cognitus per provincias publicæ poteſtatis adventus terrorem incuteret delinquentibus fiſcalia ſupprimentes, & quæ principis læderent majeſtatem, regiam indignationem incurrerent. Ferarum cubilia temerariis auſibus incurſantes, vel mulcta reprimeret, vel carceralis cuſtodia maceraret diutius. Metus pœnæ profugos abſterreret, animadverſio gravis percelleret interceptos, homicidæ ſuſpendio punirentur, proditores dampnarentur exilio; levioribus in flagitiis deprehenſi truncatione menbrorum notabiles redderentur. Invaſores locorum vigor compeſceret judiciarius, enormitatem dampni ſatiſfactio maturata ſarciret.

Rurſus aliquot temporum labente curriculo, rex intentiſſimus ad juſticiam ſingulis exhibendam, ut artius ſubditis provideret fidem voluit experiri multorum. In variis namque profeſſionibus amatores juſticiæ ſollicitius inveſtigans, quem munera non corrumperent inter hominum milia requirebat; & ſic animum à propoſito non immutans, circa perſonas mutabiles immutabilem ſemper ſæpe mutavit ſententiam. (Quantum itaque clauſtralis profeſſio querelas pauperum relevaverit, quantum cinguli militaris auctoritas reſtiterit potentioribus, & vivere jure communi coegerit, novit calamitas oppreſſorum.) Nam abbates modo, comites modo, capitaneos modo, domeſticos modo, familiariſſimos modo, cauſis audiendis & examinandis præpoſuit. Rex denique cum tot fideles ſuos conditionibus tam diverſis obnoxios publicis utilitatibus præfeciſſet, nec alicujus publice retractaſſet ſententiam, ſuffragium aliud commodis privatorum utilius non inveniens, oculos erexit ad cœlum, & de terreſtribus cogitans, & aliquid mutuans à cœleſtibus, ſic hominibus providere curavit, ut homines ab hominum generalitate ſecerneret, qui licet viverent inter homines, ſuperintendentes hominibus, aliquid haberent, aliquid ſentirent, aliquid auderent plus homine. Tranſcenſis igitur omnibus quæ mutabilitati poterant ſubjacere de facili, rex ad ſanctuarium Dei recurrens, *Wintonienſem*, *Elyenſem*, *Norwicenſem* epiſcopos archijuſticiarios regni, ſet certis in locis ea forſan conſideratione conſtituit, ut ſi cæteri quos longe prius præmiſerat ipſum regnantem in terra minus reveriti fuerint, iſti ſaltem Deum regem regum, hominum creatorem, judicem conſcientiarum, operum retributorem revererentur attentius & ardentius, ut nec ad ſiniſtram declinantes, vel ad dexteram, nec opprimerent in judicio pauperem, nec cauſam divitis ob acceptionem muneris colorare præſumerent. Itaque ſi ſe negotiis ſecularibus contra canonum inſtituta præſules immiſcuerint, & ob hoc trahantur in cauſam, regis inſtantiam, regis intentionem piam, ſuam actionem Deo placendam, plurimis profuturam, ab hominibus collaudandam rigori canonum inſtanter opponant; ſic reatum culpæ fraternæ caritatis intuitus poterit mitigare. Conſilium tamen eſt, ut ad *Rogeri* bonæ memoriæ quondam epiſcopi *Saresberienſis* opus laudabile frequenter recurrant, qui ſimili devotione conſtrictus non ſe prius profeſſus eſt regni juſticiarium, quam ab eccleſia *Romana*, quam ab *Anſelmo*, *Radulfo*, *Willelmo Cantuarienſibus* archiepiſcopis, juxta temporum ſucceſſionem cum obedientiæ virtute ſibi fuerit hoc onus impoſitum. Ab epiſcopis igitur ſupradictis, & à conjudicibus eorundem querelis juſticia mediante deciſis, reſervatis quibuſdam ad principis audientiam, regi ratio redditur adminiſtrationis vj. kal. Septemb. aput *Weſtmonaſterium*.

UT annum præſentem annum benignitatis intelligas, poſt hyemis nimiam ſiccitatem, poſt aſperos pruinarum incurſus, poſt flatus aquilonares toto tempore verno continuos, poſt fulgura diſcurrentia circa medium regionis à partibus occidentis in orientem, repente placidus imber idibus Junii faciem irrigavit agrorum, animos colonorum in ſationalibus nullam ſpem reponentium conſternatos felici commutatione reſuſcitans. Fructibus arborum, fœtibus animalium qui nondum prorſus deperierant, grata ſumminiſtrans fomenta. Temperies itaque deſuper illapſa benignius ſementivam radiciunculis vix aliquantulum innitentem, roris & pluviæ ſuccedaneis irrigationibus fecunditati reſtituit. Solaris quoque radii fomes intenſior, & proventibus fructuariis permultum accommodus jugera prius arentia, tantam ad ubertatem ex inſperato reduxit, ut locis in pluribus ſeptem ſpicas in uno culmo conſpiceres. Eventu tali ſatis debes eſſe commonitus aliquid aliud ſubitum, inſperatum, inſolitum tuis forſan imminere diebus. Rurſus, gratia cœleſtis hoc anno terrenas poteſtates in eam erga ſubditos affectionem induxit, ut ſingulis querelas habentibus tam in foro civili quam eccleſiaſtico ſancta conſideratione proſpectum eſſe non dubites. Eo namque decurſum eſt, ut in comitiis, ſicut ſupra diximus, rege procurante præſideant præſules, & diſceptationibus quæſtionum forenſium quæ ſanguinis pœnam non irrogant, audientiam ſuam accommodent. Rurſus, ad conſiſtorium archiepiſcopi *Cantuarienſis*, ſi veritas tibi comes fuerit, cum animi tranquillitate potes ſecurus accedere pro merito cauſæ calculum reportaturus.

turus. Ne ſui ſiquidem aſſeſſores quos in dandis conſiliis & litibus dirimendis habet aſſiduos à via veritatis exhorbitent, & in pecuniæ corruptelam partium ſtudia litigantium univerſi negotii ſpem univerſam reponant, cur & quando terribiles in medium proponi ſcripturas civiliter introductum ſit memoriter tenuerunt. Nam omnes communi ſponſione devincti tactis ſacroſanctuis evangeliis publice juraverunt, nemine deferente, ſe conſervaturos inpoſterum modis omnibus ſuas manus immunes à munere. Promiſit illud idem archiepiſcopus in verbo veritatis apud Pageham.

C*Advallanus* in *Sudgallia* principatum aliquem habens, fines inter *Anglos* & *Britones* limitatos antiquitus ſæpe tranſgreſſus eſt, & marchiam violenter incurſans & cædibus hominum inhianter anelans, totius vitæ curſum ſtuduit in rapinis & in irruptionibus crebris tranſigere. Qui tandem tractus ante regem & multorum clamoribus impetitus, ibidem dum à rege ſub ipſius regis ducatu ſecurus, ſet pro ſcelerum immanitate ſemper deterritus remeaſſet, obiter hoſtium interceptus inſidiis interfectus eſt decimo kal. Octobris. Quod quia plurimum in regiæ majeſtatis redundavit injuriam, qui prius juxta jus publicum jure debuerat pro meritis tociens excepiſſe ſuſpendium, pro reverentia regis cujus redibat à curia *Cadvallanus*, ne jus publicum læderetur, à jure publico tutum debuit habuiſſe præſidium, quouſque ſe reciperet intra terminum à Principis indulgentia ſecuritati plenæ præfixum. Si quis autem hujus inſoliti caſus terreatur exemplo dum nil ſimile diebus noſtris acciderit, dum hoc rex non reliquerit impunitum, dum in ulciſcendo pœna modum exceſſerit, ad curiam regis vocatus ſi fuerit accedat intrepidus. Sibi namque *Galenſes* ſolatiari poſſunt adinvicem, quod mors unius ex ſuis multorum in mortibus marchionum *Anglis* lugubres & *Normannis* exoſas excepit exequias. Cædis itaque conſcios & quos fama conſentiens ſuſpectos reddidit & publicum examen probavit obnoxios animadverſio gravis involvit, quibuſdam in patibulo cruciatis bonorum proſcriptione dampnatis, quibuſdam in abditis nemorum miſeram ducere vitam coactis.

L*Udovico* regi *Francorum* circa fœdera nuptiarum ultimis in diebus ſors arriſit benignior; Trigamiam inter contractus legitimos, & pro tempore feliciſſimos computandam *Francorum* annalibus inſerendum eſſe recenſens, dum ad ſuſcipiendam in trigamia ſobolem maſculinam, regum in ſolio collocandam aſpiraverit affectio conjugalis. Rex igitur ex matrimonio tam primo quam ſecundo ſuſceptis quatuor filiabus ſolummodo, tandem ex tercio quod cum *Adela* magni *Theobaldi* Comitis *Bleſenſis* filia contraxit, multo felicius feliciter filium procreavit, deſideratum à populis, à clero devotius & propenſius expetitum. Qui quartum decimum agens annum, undique concurrentibus & occurrentibus tam archiepiſcopis, tam epiſcopis quam regni principibus quorum deſiderandus erat aſſenſus, more regio, *Remis* recipitur pridie kal. Novembris & ad omnium hominum hæreditario jure ſuo regimini ſubdendorum ſolamen, patrocinium ac moderamen, omnium in ſollempnitate Sanctorum, ut ab omnibus adverſis ipſorum omnium mereatur protectione defendi, conſecratus eſt in regem per manum *Guillelmi Remenſis* archiepiſcopi, regis etiam ejuſdem avunculi.

Philippus itaque rex *Francorum* in coronatione ſua, tam in gladio præferendo quam in regiis dapibus apponendis *Philippum Flandriæ* Comitem privilegiatum habuit miniſterialem, utentem duplici jure, paterno videlicet & uxorio.

[illegible]

H*Enricus* rex *Henrici* regis *Angliæ* filius & *Philippi* regis *Francorum* ſororius regiæ conſecrationi *Remis* interfuit, ſolius affinitatis incitatus & invitatus intuitu. Dum enim *Britannia* pæne nomen orbis alterius mereatur, dum diviſos orbe *Britannos* frequenter audieris, reſtat ut & id audias, quod nullus *Britanniæ* vel *Angliæ* rex quempiam regem *Francorum* aliqua ſpecie ſubjectionis, aliquo tempore ſuperiorem agnoverit: ſet is pocius habitus ſit inter eos amicitiarum nexus, ut in epiſtolis intercurrentibus ſe fratres appellare decreverint, quod etiam *Karolus* magnus poſtquam ei laudes imperatorias acclamarunt *Romani* legitur obſervaſſe. Prædictis ergo ſollempniis rex *Henricus* intereſſe decernens, illam nobilium adunationem ſingulari ſuæ præſentiæ prærogativa plurimum illuſtravit, & in ore populorum per *Gallias* futuris temporibus reddidit prædicabilem. In qua nimirum illud inventum eſt memori commendabilius, quod diadema capiti novi regi impoſitum ne rex infra minorem adhuc conſtitutus ætatem gravaretur ſub onere, manibus propriis ſuſtentaverit rex *Anglorum*, rejecta clamide paration ad obſequium. Illud innuens, quod ſi tempore procedente *Francis* neceſſitas incubuerit ſecuri debeant ejus implorare ſubſidium, à quo tale receperint ſub ipſa ſui regis conſecratione ſuffragium.

Karolus gratia dei rex Francorum & Longobardorum & *Patricius* Romanorum *viro venerando & fratri kariſſimo* Offæ *regi* Merciorum *ſalutem. Primo gratias agimus omnipotenti Deo de catholicæ fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. Cognoſcat dilectio veſtra quod aliquam dignitatem, cum* Dalmaticis *noſtris vel palliis ad ſingulas ſedes epiſcopales regni veſtri direximus. Veſtræ quoque dilectioni miſimus unum gladium,* Huniſcum, *& unum baltheum & duo pallia ſerica.*

A*naſtaſius* Imperator *Conſtantinopolitanus Clodoveo* regi *Francorum*, regiæ dignitatis inſignia, coronam ſcilicet auream & tunicam bracteam tranſmiſit, eidem conceſſa per litteras poteſtate regnandi. Sic *Clodoveus* angelo criſma miniſtrante de cœlo per beatum *Remigium Remis* regalem recepit ſollempniter unctionem, cujus ſucceſſores in regio *Francorum* non juxta lineam conſanguinitatis ordine ſucceſſorio ſucceſſerunt aſſidue, ſet pro nationum varietate primitus (a) *Merovingi*, poſtmodum (b) *Præfectorii*, demum agnominati ſunt (c) *Capaticii*, qui poſtquam Majores domus in *Francia* principari ceſſarunt, perſiſtentes in Chriſti fide fideles fidem fideliſſimam ſubditorum experti ſunt, in tantum ut in regio diademate *Galliarum* favore debito ſublimati, præſentis vitæ curſum non gladio, non veneno, ſed ſorte communi pacifice conſummaverunt.

A*Lexander* papa kariſſimo in Chriſto filio *Presbitero Johanni* illuſtri & magnifico *Indorum regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Audiveramus jampridem referentibus multis & etiam fama communi, quomodo cum ſis Chriſtianam profeſſionem profeſſus piis velis operibus indeſinenter intendere. Sed dilectus filius noſter* Philippus Medicus *qui de intentione propria & propoſito tuo cum magnis & honorabilibus viris tui regni ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir providus conſtanter nobis retulit, ſe manifeſtius ab his audiviſſe, quod tuæ voluntatis ſit & propoſiti erudiri catholica & apoſtolica diſciplina, & ad hoc ferventer*

(a) *à tempore Merovei regis.*

(b) *à tempore Pipini qui ex præfecto palatii factus eſt rex.*

(c) *à tempore Hugonis Capet regis.*

NRI- II. rex.

ferventer intendas, ut tu & cuncta plebs tuæ ſublimitati commiſſa nichil unquam videamini in fide veſtra tenere quod à doctrina ſedis Apoſtolicæ diſſentiat. Illud etiam ad commendationem tuæ virtutis accedit, quod ſicut prædictus Philippus *ſe à tuis aſſerit audiviſſe, ferventi deſiderio cuperes in urbe habere eccleſiam &* Jeruſalem *altare aliquod ubi viri prudentes de regno tuo manere poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui diſciplina, per quos tu & homines regni tui doctrinam ipſam facilius reciperent & tenerent. Nos autem vos ab his articulis in quibus erratis à Chriſtiana & catholica fide revocare volentes, præfatum* Philippum *ad tuam magnitudinem mittimus, per quem de articulis Chriſtianæ fidei in quibus tu & tui à nobis diſcordare videmini in proximo per Dei gratiam eruditus, nichil prorſus timere poteris quod de errore tuam, vel tuorum ſalutem, impediat, vel in vobis nomen Chriſtianitatis obfuſcet.*

An. Dñi 1180. *Willelmus de Magnavilla* Comes *Exſexiæ* plene gratiam regis *Anglorum* adeptus, in plenitudine magna diviciarum, & deliciarum ſibi fœdere nuptiali conjunxit *Hadewiſam* Comitis *Albemarlæ* primogenitam. Dos igitur & donatio propter nuptias locis in pluribus, æquis paſſibus incedentes, hinc & inde ſollempniter repromiſſæ ſunt. *Albemarlenſis* itaque comitatus ad tuendos *Normanniæ* fines ab antiquo ſtatutus & nunc dotalibus inſtrumentis inſertus, ne quid minus à munificentia regali deſcenderet, cum omnibus pertinentiis ſuis ciſmarinis & tranſmarinis, per internuntios regis eſt in dotem à rege collatus. Quia vero duorum comitatuum *Exſexiæ* ſcilicet & *Albemarlæ* geminati faſces in unam eandemque perſonam Comitis *Willelmi* concurrunt, ut in fide conjugalis thori *Willelmus de Magnavilla*, magna fidei ſponſione devinctus ſemper fidelius perſeveret, Abhinc dum ad regis præſentiam acceſſurus ſeorſum à cæteris voce præconia requireretur ex nomine jure Comes cenſendus eſt *Albemarlæ*. Feliciores eventus in tempora proventuros præſagio felici ſufficienter commonitus, quia dies illa ſollempnis, dies nuptialis, die plenæ lunæ, die feſto beati Felicis illuxit. Acta ſunt hæc apud caſtellum *Pleiſet* in *Exſexia* nono decimo kal. Februarii.

Circa dies iſtos *Conradus* filius Marchionis de *Monteferrario Chriſtianum* archipræſulem *Maguntinum* & archicancellarium imperatoris in *Ytalia* conjecit in vinculis, in rupe ſanctæ *Chriſtinæ*.

MAndato *Philippi* regis *Francorum Judæi* quocunque loco per *Franciam* domicilium contraxiſſent, dum ſabbatizarent & in nullo regem offenderent xv. kal. Februarii ſunt artæ mancipati cuſtodiæ; ſed tandem xv. milia marcarum fiſco ſolventes quaſi beneficio reſtitutionis in integrum reſpirarunt.

Quoniam ſub Principe novo ſub rege puero conſilia malignantium fortius invaleſcunt, ne quid regi *Francorum Philippo Franci* ſuggererent in injuriam *Normannorum*, quorum finitimis ſemper eſt ſuſpecta poteſtas & per orbem terrarum gloria prædicabilis, rex *Anglorum Henricus* occurrendum in tempore maturiore conſilio procuravit. Cujus rei curam ad regis inſtantiam *Ricardus Wintonienſis* epiſcopus in ſe ſuſcipiens, tercio nonas Marcii tranſfretavit ſecum habens legationis conſortem magiſtrum *Walterum de Conſtanciis* ſigillarium regis. Qui venientes *Pariſius Ludovicum* regem preſſum ſenio repperierunt ægritudinis decumbentem in lecto.

HENRI- cus II. rex.

CLerici *Lemovicenſes* citra conſcientiam & aſſenſum *Henrici* regis *Anglorum* & *Ricardi* Ducis *Aquitannorum Sebrandum* eccleſiæ *Pictavenſis* Decanum in epiſcopum elegerunt. In ultionem talis exceſſus eorum bona confiſcata ſunt, domus ſubverſæ, ſucciſæ vites. Quod cum ad *Alexandri* papæ noticiam perveniſſet, dedit in mandatis archiepiſcopo *Bituricenſi Guarino* quatinus de cauſa cognoſceret, & mediante juſticia terminaret. Venientes ad archiepiſcopum clerici *Lemovicenſes* eum mortuum invenerunt. Sed ne laboraſſe viderentur in vanum archipresbyter *Brivatenſis* domini papæ literas adhuc clauſas inſeruit manu defuncti, dicens, Quod non potuit vivus expleat vel defunctus. Cujus & meritis & interceſſione, ſicut dicitur, pacem regis & ducis epiſcopus *Lemovicenſis* emeruit.

Henricus rex filius regis venit in *Angliam* kal. Aprilis & cum honore maximo receptus à patre reliquiis præſentibus ſacroſanctis juravit apud *Radingam*, quod diſpoſitionem paternam in omnibus ſequeretur, vel in donatione villarum, vel caſtellorum, vel beneficiorum quorumlibet, quæ præſenti quadam continebantur in Carta. Quo facto, rex pater apud *Porteſmue*, rex filius apud *Doveram* tranſfretaverunt. Rex autem pater in urbe *Cenomannica* paſcha proximum celebravit.

PHilippus rex *Francorum Margaritam* filiam *Baldewini* Comitis *Hamaucenſium* ex *Margarita* ſorore *Philippi Flandrenſium* Comitis duxit uxorem apud TRUNCUM. Nuptiæ celebratæ ſunt apud BATPAUMES. Quid igitur in expletione matrimonii tam ſollempnis memoriæ commendandum audivimus; A locorum nominibus res ibi geſtæ frequenter inditos de ſupernis ſortiuntur eventus. Quid itaque *Balac* filius *Sephor* dixerit *Balaam* filio *Beor* recordare, dixit enim comploſis manibus, *Ad maledicendum inimicis meis vocavi te quibus è contrario tercio benedixiſti*. Nos igitur ſi per *Truncum* fœcunditatem in ſobole, ſi per manus comploſas gaudium maritali ſub fœdere præſignari dixerimus, attonitos forſitan auditores reddemus. *Henricus Silvanectenſis* epiſcopus tam apud *Truncum*, quam apud *Batpaumes* celebravit divina.

GUido *Senonenſis* archiepiſcopus *Margaritam Philippo* regi *Francorum* conjugatam unxit in reginam apud *Sanctum Dioniſium* die ſcilicet Aſcenſionis. Aſſiterunt autem ei ſuffraganei *Mauricius Pariſiacenſis*, *Manaſſes Aurelianenſis*.

An. Dñi 1181. *Ludovicus* rex *Francorum* quia jus ſuum & poteſtatem in *Philippum* regem tranſtulerat, ne quid in regno ſtatueret citra filii conſcientiam, ſigilli ſui poteſtate privatus eſt.

Inter regem *Philippum* & matrem ſuam *Alam* ortis adinvicem inimiciciis, caſtella, quæ nomine donationis propter nuptias fuerant reginæ collata de regis mandato, regis invaſerunt miniſtri, cuſtodibus caſtellorum violenter ejectis. Sed poſtmodum rex & mater ad arbitrium regis *Anglorum* concordiam inierunt, in colloquio quod habitum eſt inter ipſos reges prope *Giſortium* vigilia ſcilicet Apoſtolorum.

Ego Philippus *Dei gratia rex* Francorum *& ego* Henricus *eadem gratia rex* Anglorum, *ad omnium volumus tam præſentium, quam futurorum pervenire noticiam, quod fœdus & amiciciam fide media*

&

Henricus II. rex.

& ſacramento innovavimus, quam dominus meus rex Francorum, *& ego* Henricus *rex* Anglorum *firmaveramus inter nos apud* Lueri *in præſentia* Petri *Cardinalis &* Ricardi Wintonienſis *epiſcopi, & ut inter nos tollatur amodo omnis materia diſcordiæ, conceſſimus adinvicem, quod de terris & poſſeſſionibus, & de omnibus aliis rebus quas habemus modo alter adverſus alterum nichil amodo petet excepto eo de Avernia de quo inter nos eſt contentio, & excepto feodo de* Caſtro Radulfi, *& exceptis minutis feodis & diviſis terrarum noſtrarum de* Berri *ſi homines noſtri quid inde interceperint, vel inter ſe vel adverſus alterum noſtrum. Si autem ſuper his quæ ſuperius excepta ſunt per noſmet ipſos convenire non poterimus, ego* Philippus *rex* Francorum *elegi tres epiſcopos & tres Barones, & ego* Henricus *elegi tres epiſcopos & tres Barones, qui hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter ſtabimus. Hæc autem omnia ſupraſcripta nos obſervaturos & fide & ſacramento promiſimus. Acta ſunt hæc iiij. kal. Julii inter Giſortium & Triam.*

Comes *Cabilonenſis* & *Hubertus de Bello Loco* conſpiraverunt adverſus Abbatem *Cluniacenſem*, & adverſus plures in partibus illis eccleſiarum & cœnobiorum prælatos. Ad quorum tyrannidem reprimendam *Philippus* rex *Francorum* auxiliis undique congregatis movit exercitum. Cujus ad votum cum omnia ſucceſſiſſent, & paci providiſſet eccleſiarum, reverſus eſt.

L*Udovicus* rex *Francorum* gravi tactus infirmitate *Pariſius*, quicquid in auro vel argento, quicquid in geminis vel anulis, quicquid in veſtibus precioſis vel ornamentis regalibus poſſidebat coram ſe juſſit afferri. Sicque juxta conſilium epiſcopi *Pariſienſis* & duorum abbatum ſancti *Germani* ſanctæ *Genovefæ* pauperibus erogari præcepit. Qui quarto decimo kal. Octobris diem clauſit extremum ſepultus in monaſterium *Ciſtercienſis* ordinis quod vocatur *Barbellum*, quod ipſe propriis ſumptibus ædificaverat.

P*Hilippus Aymari* natione *Turonicus* mandato regis in *Angliam* veniens nūmiſmatis innovandi procurationem ſuſcepit. Hyemali ſiquidem feſto beati *Martini* moneta veteri reprobata nummus in forma rotunda commerciis hominum paſſim eſt per regnum expoſitus. *Philippus* itaque dum fiſci commodis totus invigilare deberet, & debita cohertione retundere falſariorum argutias, de culpa data monetariorum graviter accuſatus, ſi regiam indignationem evaſit indulgentia principis liberatus à pœna, revocatus à rege ſine nota minime repatriavit.

An. Dñi 1181.

Quatuor reges in uno prælio ſimul legimus corruiſſe, ſed quatuor reges ad unum colloquium pacificos conveniſſe, pacificos receſſiſſe perraro repperimus. *Philippus* rex *Francorum*, rex *Anglorum Henricus*, rex *Henricus* filius regis *Anglorum*, rex *Scottorum Willelmus* ad colloquium pacifici convenerunt, pacifici receſſerunt.

R*Ex Francorum Philippus* ſuo commorantium in palatio crebris inculcationibus frequenter accepit qualiter rex *Anglorum Henricus* regnum ſuum tam late diffuſum, à tam barbaris nationibus *Scotis* videlicet & *Walenſibus* inhabitatum ex ultima parte pacifice gubernaret: ut igitur in amminiſtratione regni tanti Principis informaretur exemplo, de ſententia communi domeſticorum inclinatior trahebatur, ut prædicti regis conſilio ſe totum ſupponeret: Quod & factum eſt.

Rex pater *Anglorum* cum totam *Normanniam* filii ſui regis diſpoſitioni ſupponeret, & ad nutum ejuſdem filii miniſtros in ea conſtitueret, & eundem filium *Philippi* regis *Francorum* ſi neceſſitas id exigeret protectorem relinqueret, omnibus provinciis ad ſuam juriſdictionem ſpectantibus pro voluntate ſua compoſitis & bona pace gaudentibus, in *Angliam* rediit viij. kal. Auguſti, ſanctum *Thomam* viſitans orationum cauſa.

P*Hilippus* Comes *Flandrenſium* audiens qualiter rex *Francorum Philippus*, rex *Anglorum Henricus* confœderati fuiſſent, quotquot *Francorum*, quotquot *Flandrienſium* potuit adverſarios ſuſcitavit domino ſuo ligio. Rem eo deveniſſe prænuncians, ut eorum munitiones vel ſubverterentur vel pro regis arbitrio deputarentur cuſtodiæ. *Fredericum* etiam Imperatorem *Romanum*, nunc per nuntios, nunc in propria perſona ſollicitavit attentius, ut adverſus regem *Francorum* inſurgeret & imperii limites dilataret uſque ſcilicet ad mare *Britannicum*. Comes itaque *Philippus* domini ſui regis non reſpiciēns ad ætatem, & immemor ſacramenti quod ſub audientia tot & tantorum *Ludovico* regi præſtiterat de filio ſuo rege cuſtodiendo, protegendo, legaliter inſtruendo, quanto potuit exercitu congregato *Noviomenſes* attrivit, fines *Silvanectenſium* depopulatus eſt, ſuccendit villas, vineas exſtirpavit.

C*Omes Stephanus* caſtelli dominus quod *Sacrum Cæſaris* appellatur jus naturæ tranſgrediens ſic ad injuriam regis *Francorum* nepotis ſui tyrannidem exercere decrevit, ut ad diminutionem regiæ dignitatis caſtellum ſancti *Bricii* quod allodii jure fuerat ab antiquo poſſeſſum, Comitis *Flandrenſis* dominationi ſubiceret, & homagiū faciens prædicto Comiti de præfato caſtello quod prius liberum fuerat inverecundius tanquam in ſervitutē redigeret.

H*Umbaldus Hoſtienſis* epiſcopus electus in Apoſtolicum vocatus eſt *Lucius papa* iij.

H*Enricus* rex filius regis, Dux *Aquitannorum Ricardus*, *Gaufridus* Dux *Britonum* ſecundæ matris gloriæ memorialis, abſentiam patris ſui regis *Anglorum* virtute magna ſupplere volentes, ut conſiliis malignantium innocentiam *Philippi* regis *Francorum* opprimere nequiter intendentium viribus totis occurrerent, copioſiſſimi undique congregarunt exercitum, & viribus junctis ad auxilium prædicti regis unanimiter accurrerunt. Comitem itaque *Stephanum* caſtelli quod dicitur *Sacrum Cæſaris* dominum execrabilem edomare prima facie decreverunt. Cujus bona, villæ, caſtella, poſſeſſiones infra paucos dies ceſſerunt in direptionem. Juga boum circiter quinque milia data ſunt *Brebantinis* in prædam. Cum itaque prædictus Comes viribus eſſet inferior & regibus nequiret reſiſtere, nepotis ſui regis provolutus ad pedes, delicti veniam humiliter impetravit. Inde progredientes duo reges & ſui, Ducem *Burgundiæ*, *Campaniæ* Comitiſſā, utriuſq; regis ſororem, & eorum complices viribus impares damnis affecerunt graviſſimis. Inde regredientes *Flandrenſium* Comitem retrocedere compulerunt. Qui veritus à facie regis *Henrici* filii regis *Anglorum* intra caſtellum de *Creſpi* ſeſe recepit, & niſi conſilia familiarium regis *Anglorum* fraudulenter, ſicut dicitur, præpediſſent, in caſtello concluſus pro penuria victualium intra dies pauciſſimos coactus fuiſſet ad deditionem.

Rogerus

HENRICUS II. rex.

An. Dñi 1182.

Rogerus Eboracenſis archiepiſcopus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt duodecimo kal. Decembris.

G*Aufridus Henrici* regis *Anglorum* filius eccleſiæ *Lincolnienſis* electus, dum à Domino papa fuiſſet ejus electio confirmata, cumque eidem eccleſiæ per vij. annos pacifice præfuiſſet, & eccleſiæ bona diſpoſuiſſet pro velle, nec ei quæſtio moveretur in aliquo, præſentibus tam rege, tam archiepiſcopo quam epiſcopis pluribus, electioni ſponte renunciavit apud *Merlebergam* in epiphania Domini. Qui prius à patre ſuo fratre ſuo, rege conſentiente fuerat ſollempniter inſtitutus *Angliæ* Cancellarius.

Rex *Anglorum Henricus* ætatis annum inchoans quadrageſimum nonum dum mentis & corporis incolumitate vigeret, dum regnum ſuum undique tranquillæ pacis commoditatibus frueretur, apud *Waltham epiſcopi Wintoniæ* regni convocavit majores. Itaque præſentibus illis & approbantibus quamdam pecuniæ ſuæ partem in cauſas pias erogare decrevit, neceſſitatibus *Ieroſolimitanorum* inprimis propenſius providere procurans. Quadraginta ſiquidem duo milia marcarum argenti, quingentas marcas auri diſtribuit. Quo facto, quinto non. Marcii transfretavit apud *Porteſmue*.

Rex *Francorum Philippus*, regis *Anglorum* tam pater quam filius, *Philippus* Comes *Flandrenſis*, & qui conſiliis ejus paſſim in regno *Franciæ* à fidelitate Domini ſui receſſerant, poſt clauſum paſcha *Silvanectis* convenerunt. *Henricus Albanenſis* epiſcopus Domini papæ legatus interfuit. *Willelmus* quoque *Remorum* archiepiſcopus & epiſcopi multi. Quid actum ſit tibi docebunt ſequentia.

Rex *Anglorum Ricardo Wintonienſi* epiſcopo
ſalutem.

PHilippus *Comes* Flandrenſis *reddidit regi* Francorum Perefont, *& rex idem caſtrum epiſcopo* Sueſſionenſi, *& epiſcopus* Agathæ *quæ fuit uxor* Hugonis *de* Oiſi, *quod eam hæreditarie contingit tenendum de ipſo epiſcopo, & epiſcopus de rege. Civitas quoque* Ambianis *conceſſione regis* Francorum *remanet epiſcopo* Ambianenſi *de ipſo rege tenenda, & ſi Comes* Flandrenſis *quicquam calumpniabitur in ea, epiſcopus* Ambianenſis *inde ipſi Comiti plenitudinem juſtitiæ in curia ſua vel in curia regis exhibebit. Comes* Claremontis *&* Radulfus de Chuci *remanent ex toto in manu regis* Francorum *liberi omnino à Comite* Flandriæ. Philippus *quoque Comes* Flandrenſis *clamavit quietum regem* Henricũ *filium meum de omnibus conventionibus quæ inter eos erant. Conceſſit eciam ut Barones* Flandrenſes *plenarie faciant michi ſervicium meum quod michi debent de feodo quod de me tenent, & quod feoda illa ſine recuperatione amittant niſi ſervicia mea michi fecerint. Convenit eciam ibidem inter nos, quod nullus ex ſuis amittet terram in* Flandria *propter ſervicium meum ſi mihi ſervire in terram meam venerit. Omnibus igitur ad pacem reductis, quotquot à fidelitate regis* Francorum *receſſerant conſilio regis* Anglorum *& opera redierunt in ejus ligantiam. Dampna tam hinc quam illinc illata mutua compenſatione deleta ſunt.*

JOhannes *Porphirogenitus* imperator *Conſtantinopolitanus* apud *Antiochiam* veneno periit : duos filios relinquens ſuperſtites. *Manuel* filius junior favore *Græcorum* factus eſt imperator. Primogenitus diſparuit filium habens *Andronicum*. Circa dies iſtos cum *Manuel* per annos circiter xl. regnaſſet *Conſtantinopoli* moritur, *Alexium* quem ex filia *Reimundi* Principis *Antiochiæ* procreaverat ſucceſſorem relinquens. *Andronicus* prædictus pace ſimulata *Conſtantinopolim* venit, *Alexio* fidelitatem in eccleſia ſanctæ *Sophiæ* juravit, ejuſque capiti regni diadema præſentibus cunctis impoſuit, eumque ſcapulis ſuis impoſitum per mediam civitatem equitatorio more portavit. Poſt aliquantulum temporis *Andronicus* mutato conſilio *Prothoſalvaſton* crudeli morte peremit, imperatricem *Alexii* ſcilicet matrem extinxit, quotquot imperatori *Manueli* fideles eſſe cognoverat interfecit, imperium uſurpavit, *Alexium* ut fertur ſubmerſit, uxorem ejus *Agnetem*, *Ludovici* ſcilicet *Francorum* regis filiam, ſibi matrimonio copulavit.

HENRICUS II. rex.

R*Ogerus Eboracenſis* archiepiſcopus dum adhuc viveret ab *Alexandro* papa privilegium impetravit, quod ſi quis clericus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitus agens in extremis teſtamentum conficeret, ſet propriis manibus bona propria non diſtribueret, iniciendi manus in bona defuncti facultas eſſet archiepiſcopi. Quoniam itaque *quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, uti debet eodem jure*, poſt mortem archiepiſcopi quæcunque reperta ſunt ſuis in archivis repoſita juſto Dei judicio confiſcata ſunt, quorum ſumma fuit undecim milia librarum argenti monetæ veteris, & aurei trecenti, una cuppa aurea, vij. argenteæ, ciffi ix. argentei, tres cuppæ mazerinæ, tria ſalſaria argentea, xl. coclearea argentea, viij. ſcutellæ argenteæ, diſcus magnus argenteus, pelves argenteæ.

H*Enricus* Dux *Saxonum Matildem* filiam regis *Anglorum* primogenitam habens in conjugem, inſurrexit in *Philippum Colonienſem* archiepiſcopum, & eum enormibus dampnis affecit. Archiepiſcopus copiis undique congregatis viriliter Duci reſtitit, Imperatoris auxilium adeptus & gratiam. Res tandem eo proceſſit, ut Principum totius imperii calculo ſentenciali prolato, Dux exilium cogeretur ſubire. Qui veniens in *Normanniam* ad ſocerum ſuum, habens ſecum duciſſam, habens & duos filios *Henricum* & *Ottonem*, habens & filiam nubilem, tertius namque filius *Lotharius* nomine remanſerat in *Teutonica*, receptus eſt honorifice, pluſquam per tres annos continuos habundanter exhibitus profuſioribus epulis & regali munificentia.

Walterus Roſenſis epiſcopus obiit.

R*Icardus Cantuarienſis* archiepiſcopus vij. idus Octobris quamplurimis undique viris concurrentibus religioſis in *Roſenſi* capitulo præſidens, pontificis inibi canonice ſubſtituendi gerebat in animo ſollicitudinem. Prior igitur & conventus eccleſiæ *Roſenſis* ab archiepiſcopo petita licentia, quibuſlibet aliis è collegio ſuo ſemotis ſeſe quodam in ſalutatorio receperunt conſilium habituri communiter : ubi vota votis forſan contraria, diem diutius protraxerunt. In electione tandem epiſcopi forma quondam à patribus orthodoxis generaliter introducta, ſic obſervata fuit ea die diſtrictius, ut emendicatis aliunde ſuffragiis uterentur *Roſenſes*. Poſt longos namque tractatus habitos ſeparatim cum diverſis ſæpe perſonis, *Gualerammum Baiocenſem* archidiaconum allateralem archiepiſcopi clericumque domeſticum archiepiſcopo, ſicut diximus, in capitulo præſidente ſollempniter elegerunt. Archiepiſcopus autem evangelii textum in manibus habens in ſpiritualibus curam epiſcopatus commiſit electo, per anulum etiam eundem electum inſtituit regalium poſſeſſorem.

G.nA
.2811

ſorem. Præſens erat ibi regni Juſticiarius in inſtitutione *Roſenſis* epiſcopi regi nil vendicans. Nam ſi conſuetudo memoriam hominum ſurſum verſum excedens diligentius exquiratur, profecto reperies quod *Roſenſis* epiſcopus, non ut alii per regnum epiſcopi vel abbates, in regiis præſtationibus regi ſeu vicecomiti tenetur obnoxius, quinimmo duntaxat archiepiſcopo ſoli, vel officialibus ſuis in quibuſlibet functionibus publicis pro tempore ſatisfaciet.

Ricardus Cantuarienſis archiepiſcopus neceſſariis eccleſiæ ſuæ cauſis urgentibus transfretavit aput *Doveram* idus Novembris, & in ſabbato ſequentis decimi menſis *Roſenſem* electum ordinavit presbyterum, & ſequenti die Dominica eundem epiſcopum aput *Lexovium* conſecravit.

An. Dñi 1183.

CAnonici *Lincolnienſes* edictis ſibi propoſitis, tam à rege quam ab archiepiſcopo, die Dominica qua cantatur *Jubilate*, convenerunt in capitulo *Lincolnia*. Quibus ibi tractatum communem habentibus, de conſilio matris ſuæ longo tempore jam vacantis *Walterus de Conſtantiis* ejuſdem loci canonicus & archidiaconus *Oxenefordenſis*, à canonicis, qui præſentes tunc aderant, præſentibus regis & archiepiſcopi nunciis, communiter eſt in epiſcopum *Lincolnienſem* electus. Sed quoniam rex, archiepiſcopus, *Walterus* tunc temporis agebant in tranſmarinis, de communi fratrum decreto quid actum fuerat in capitulo directis nunciis ad eos perlatum eſt. Electione ſollempniter confirmata, de permiſſione *Cantuarienſis* archiepiſcopi *Johannes Ebroicenſis* epiſcopus prædictum electum presbyterum ordinavit in ſabbato pentecoſtes, quem poſtmodum *Cantuarienſis* archiepiſcopus epiſcopum conſecravit *Andegavis* in eccleſia ſancti *Laudi*.

Obiit *Simon Abbas* eccleſiæ ſancti *Albani* decimus nonus.

De morte regis Henrici *filii regis* Henrici.

Guarinus Abbas eccleſiæ ſanctæ *Albani* viceſimus.

Quinque Fulcones *fuerant Comites in Andegavia.*

Fulco Rufus filius *Ingelgerii*.
Fulco Bonus filius *Fulconis Rufi*.
Fulco Nerra filius *Mauricii Comitis*.
Fulco Rechin filius *Alberici* Comitis de *Gaſtineis*.

Fulco filius *Fulconis Rechin* affinitate conjunctus eſt *Helya* Comiti *Cenomannenſium Sibillam* filiam ejus unicam & hæredem ducens uxorem. Ex qua genuit *Galfridum Plantegeneſt* tam patris quam avi materni legitimum ſucceſſorem. In matrimonio Comitis *Sibilla* defuncta, ne quid ipſi *Fulconi* deeſſet ad gloriam, cum nominis ſui fama per orbem lacius clareſceret, à regni *Ieroſolimitani* principibus unanimiter evocatus in ſolio *David* magni regis ſollempniter collocatus eſt, *Milleſendem Baldewini* ſecundi regis filiam unicam & hæredem uxorem accipiens; ex qua duos genuit filios, poſt patrem ordine ſucceſſorio reges in *Ieroſolima*, *Baldewinum* & *Amalricum*. *Gaufridus* magnanimitate *Fulconis* & induſtria roboratus, adeo paternis ſucceſſibus incitatus eſt, ut & ipſe de ſemine regio comparem affectaret ſibi fœdere nuptiali jungendam. *Matildem* itaque regis *Anglorum Henrici* primi filiam unicam & hæredem accepit uxorem. Quæ cum prius *Henrico* nupſiſſet Imperatori, terque cum ipſo pariter in conſortium imperatoriæ majeſtatis *Roma* coronata fuiſſet, licet ex eo prolem aliquam non ſuſtulerit, nihilominus tamen poſt mortem Imperatoris de mariti prærogativa ſemper enituit, quoad vixit ſibi nomen retinens Imperatricis. Igitur ex imperatrice *Gaufridus* Comes procreavit *Henricum* ſecundum. Qui cum ætatis annum ageret decimum quintum cingulo militari donatus eſt ab avunculo matris ſuæ *David* rege *Scotorum* aput *Karluil* in feſto pentecoſtes. Ætatis anno xvij. ducatum adeptus eſt *Normannia* quam pater ſuus viribus *Andegavorum* accinctus de manibus *Stephani* regis *Anglorum* potenter extorſerat. *Gaufridus* Comes in ætate virili feliciter undequaque triumphans lectum incidit ægritudinis. Inque ſolo materno ſibi locum eligens ſepulturæ, dum aput caſtrum Lidii diem clauſiſſet extremum ſepultus eſt *Cenomannis* in eccleſia ſancti *Iuliani*. Mortuo *Gaufrido*, filius ejus *Henricus* ætatis annum inchoans xix. *Willelmi* Comitis *Pictavienſium* primogenitam *Alienor* alienatam à thoro *Ludovici* regis *Francorum* & ſub examine *Sampſonis Remorum* archiepiſcopi propter cognationē disjunctam, ſibi thori participem ſociavit, cum ea ſimul *Aquitannici* ducatus optinens principatum. Poſtmodum *Henricus* ſecundus à nativitate ſua xxij. annis fere decurſis poſt mortem *Stephani* regis in regem *Anglorum* conſecratus eſt. Et ut titulos plures ab anteceſſoribus emanantes ſub una clauſula ſub unius perſona complectamur pauciſſimis, *Henricus* rex *Anglorum*, Dux *Normannorum* & *Aquitannorum* & Comes *Andegavenſium* avo materno tam in ſobole procreanda quam in ſobole numeroſa multo felocior, ex legitimo matrimonio ſex filios ſuſtulit, & tres filias, fœcunditatem matris *Alienor* alienis etiam generationibus prædicabilem offerentes. Ex filiis autem duobus in pueritia ſublatis de medio, quatuor & ſuperſtites & incolumes in ſpem magnam virium exercendarum ſuccreſcunt, & in hoſtibus proſternendis, & mores anteceſſorum, & actus imitari non ceſſant, & in nationibus diverſis per orbem quæ juxta diſpoſitionem paternam ſuo regimini deputantur, cum moderatione juſtitiæ virgam directionis aſſumere ſtrenuis repromittunt operibus. *Henricus* horum quatuor primogenitus in regem *Anglia* conſecratus eſt. *Ricardus* Comes *Pictavienſis* eſt aſſignatus à patre. *Galfridus* tocius *Britannia* nactus eſt principatum. *Iohannes* de promiſſione patris & proviſione ſecurus diverſas *Hybernie* portiones ſi deſuper ei datum fuerit in monarchiam reducet. Filiæ vero tres regis ut diximus, & *Alienor*, alienationem à nativo ſolo forſitan eo ſuſtinent æquanimius, quod de ſemine regio procreatæ nupſerint regiæ ſtirpis viris illuſtribus. Quorum nomina licet ſubticeam populos quibus præſunt præterire non convenit. Hinc etenim *Saxones*, hinc *Hyſpanos*, hinc *Siculos* debita cohertione refrænant. Inter hos itaque populos victu, veſtitu, moribus, habitatione tam remotos ab *Anglia* filias regis *Anglia* commorantes barbaries ſaxea *Saxonum*, dubius *Yſpanorum* ſub *Agarenis* conflictus, tyrannis effera *Siculorum* poterant in continuum horrorem inducere, niſi generoſitas aviæ ſuæ *Matildis* Imperatricis, & in ejus fœmineo corpore virile pectus neptibus ſuis tolerantiæ ſemitas, & apertas patientiæ vias imitabiles præmonſtraſſent. Set ut ſexus infirmior in aliquo firmius relevaret filias *Alienor*, alienum aerem ſub annis tenerrimis imbiberunt, ibidem enutritæ ſalubrius, diverſitatem quoque facilius alienarum ſunt edoctæ linguarum. Cum igitur ad nutum regis patris ſors humana fere reſponderet in ſingulis, ne quid conſentaneum paci præteriret intactum, ſuæ ſtuduit poſteritati proſpicere. De pace namque firmius inter filios ſtatuenda ſollicitus, & fraternum diſcidium generationibus multis naturaliter inſitum evitare procurans, regem filium petiit ut de ducatu ſinus *Armorici* quem *Gaufridus* frater ſuus cum *Conſtantia* filia *Conani* Comitis unica ſimul & hærede legitima dotis nomine poſſidebat, homagium ejus reciperet & ligantiam. Hoc etenim vinculo debitæ ſubjectionis exhibitorio de liberalitate regum *Francia* Comites *Britannia* ducibus *Normannorum* ab antiquis temporibus tenentur aſtricti. Quod pater petiit factum eſt *Andegavis*. Poſtmodum ad hoc pocius pater operam dedit operoſiſſimam, ut idem rex filius *Ricardo* fratri ſuo ducatum concederet *Aquitannia*, tam ab ipſo *Ricardo* quam à ſuis hæredibus tractu temporis irrefragabiliter poſſidendum. Tunc demum rex filius patri ſuo patenter oſtendit ſe Baronibus *Aquitannicis* contra *Ricardum* fratrem ſuum confœderationibus multis aſtrictum. Inductus ea fuerat occaſione quod *Ricardus* caſtellum *de Clerevals* à retroactis temporibus conſtitutum ſub ditione Comitum *Andegavenſium*, in injuriam ſuam munitionibus multis contra ſuam firmaverat voluntatem. Sed ne patris indignationem incurreret, quod pater petebat ſe facturum ſpopondit apud *Mirabellis*, dummodo *Ricardus* homagio ſibi præſtito ligantia facta fidelitatem ſibi tactis ſacroſanctis reliquiis repromitteret. Ad hanc vocem *Ricardus* vehementer excanduit, incongruum eſſe dicens, ut dicitur, cum eodem ex patre, cum eadem ex matre traxiſſet originem, ſi fratrem primogenitum aliqua ſpecie ſubjectionis ſuperiorem agnoſceret, ſet ſicut ipſi fratri ſuo regi lege primogenitorum bona debebantur paterna, ſic in bonis maternis æqua lance ſucceſſionem legitimam vendicabat. Rex pater hoc audiens iracundiæ calore ſuccenſus adverſus *Ricardum* dura propoſuit, & ut ad edomandam *Ricardi* ſuperbiam rex filius totus inſurgeret inſtanter indixit. *Gaufridum* quoque *Britannia* ducem, ut cum fratre ſuo rege domino ſuo ligio fideliter ſtaret commonuit. Sic rex filius movit arma non inſurgens in patrem ſicut aſſerebat conſtanter, ſed *Pictavienſibus* veniens in auxilium quos *Ricardus* indebitis vexationibus, & violenta dominatione premebat; *Pictavienſibus* inquam, qui de jure communi ſe ſuo ſubdendos regimini, nec alicui fratrum ſuorum eo ſuperſtite contendebant. Habitis itaque frequenter inter ſe colloquiis cum nulla ſpes haberetur de pace, copioſum rex filius undique congregavit exercitum, & à facie patris ſui declinans ad quem de jure noverat tuitionem *Aquitannica* regionis ſpectare dum viveret, dum infra paucos dies cum *Ricardo* fratre ſuo prima facie, cum etiam auxiliariis ſuis quicunque, vel quanticunque, vel quotquot eſſent congredi decreviſſet, ejus vita velut à texente præciſa ſpem multorum præcidit ſub ipſo militantium, & expectantium poſt mortem patris regnare cum ipſo; ſiquidem in flore ſuæ juventutis cum à nativitate ſua compleſſet xxviij. annum additis xiv. ſeptimanis & ſex diebus, intra *Gaſconiam* in illo tractu terræ quæ *Turonnia* dicitur, aput caſtellum *Martel* inter populos ſatis barbaros in feſto ſancti *Barnaba* communi ſorte rex filius eſt ſubtractus de medio: Sententiam illam judicio prudentium virorum approbandam relinquens, quæ filios dum inſurgunt in patres quibus debent quod ſunt, quod vivunt, quod bonis expectant locupletari paternis, dignos exhæredatione pronunciat. Itaque ſi varios caſus regnorum, ſi rebelliones illicitas filiorum temerariis auſibus inſurgentium in parentes interſertas annalibus diligenter revolveris, profecto repperies filios poſt patrum inquietationes, vel ordine mortalitatis turbato fati munus impleſſe; vel ſi quis eorum forte patri ſucceſſerit, confidenter aſſerimus, quod paternam hæreditatem ad quam venire per incendia, per depopulationes, per homicidia maturavit præpropere, ſuum ad filium non tranſmiſit, digna factis recipiens, ut qui patris ſui vitam & nomen conatus eſt prorſus extinguere, cum filiis & in filiis totus inſimul pereat, ſui ſeminis etiam obliterata memoria dampnetur poſt mortem. Corpus regis, quas habuit in ſua conſecratione lineis veſtibus criſmate delibutis diligentius involutum, in libitina reponitur, & impoſitum humeris commilitonum ſuorum per vicos, per caſtella, per civitates concurrentibus undique populis deportatur, quouſque *Cenomannis* intraret, & in choro beati *Juliani* deponeretur. Majores itaque civitatis illius cum acclamatione multitudinis ſubito proruentes, corpus regis, quoniam avus ſuus paternus eodem in loco quieſcit, ipſum inibi terra cum feſtinatione defoſſa ſepelierunt. Sed poſtmodum reclamante *Roberto Rothomagenſi* decano, quia dum rex viveret ſibi ſepulturæ locum elegerat, inde tranſlatum eſt, & in metropolitana ſede *Rothomagi* prope majus altare verſus aquilonem cum honore tanto principi congruo tumulatur.

Moritur rex Henricus *regis* Henrici *filius anno ætatis ſuæ viceſimo octavo.*

Cantuarienſis archiepiſcopus agens in tranſmarinis, cum *Lincolnienſem, Roſenſem*, ſancti *Aſavi* diverſis temporibus, & diverſis in locis conſecraſſet epiſcopos, eccleſiæ ſuæ conſummatis negotiis in *Angliam* rediit iij. idus Auguſti.

MAgiſter *Gerardus* vocatus *Puella*, canonicus *Sareſberienſis*, & inter domeſticos archiepiſcopi nominatiſſimus, in epiſcopum *Ceſtrenſem* eligitur, & legitimo ſeptimi menſis jejunio presbiteratus gradum adeptus poſt paucos dies *Coventrenſis* conſecratur epiſcopus. In ea quidem dioceſi plures ab antiquo ſedes habitæ ſunt epiſcopales; temporibus *Britonum*, aput *Ceſtriam*; temporibus antiquorum *Saxonum*, aput *Licheſfeldiam*; temporibus *Danorum*, & *Normannorum* aput *Coventreium*.

WAlterus *Lincolnienſis* epiſcopus in *Angliam* veniens, die dominica qua cantatur *Gaudete in domino*, ſua ſollempniter collocatur in ſede.

Gerardus Coventrenſis epiſcopus cum ſeptimanis x. & vij. ſediſſet, in fata conceſſit.

An. Dñi 1184.

RIcardus *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Lundoniam* veniens, in eccleſia beati *Pauli* celebravit divina die Converſionis. Qui poſt paucos dies in lectum incidens ægritudinis cum ſediſſet annis novem, & xlv. ſeptimanis & v. diebus diem clauſit extremum aput *Hallinges* villam *Roſenſis* epiſcopi xiij. kal. Marcii.

Cum vacante ſede *Rothomagenſi* tractatus eſſet habendus de ſubſtitutione pontificis, rex, ſuffraganei, plures religioſæ perſonæ convenerunt in unum. Decanus in capitulo cum fratribus reſidebat. Poſt longos ergo tractatus habitos tam in capitulo quam ante regem, quibuſdam adinvicem diſſentientibus quorum eſſet electio juxta canones, à jure communi receſſum eſt, & in arbitros compromiſſum: ſicque cum omnium pace quaſi quaſi *Walterus Lincolnienſis* epiſcopus electus eſt in archiepiſcopum.

Rex *Anglorum* cum omnes provincias ſuæ juriſdictioni ſuppoſitas pro velle ſuo diſpoſuiſſet, & omnes ſubditi ſibi jocunda pace gauderent, cum licentia regis *Francorum*, & gratia tranſitum habens per *Flandriam* venit in *Angliam* iij. idus Junii. Circa tempus hoc dux *Saxonum* cum familia, cum ſupellectile ſua regnum intravit *Anglorum*; & infra paucos dies duciſſa *Wintoniæ* filium peperit quem vocavit *Willelmum*.

Paucis diebus elapſis litteræ directæ ſunt in hæc verba.

LUcius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus, epiſcopis *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis, & dilectis filiis Priori & conventui ejuſdem eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quanta in eccleſiis quæ propriis ſunt paſtoribus deſtitutæ ſcandala ſoleant, & gravamina ſuboriri, dum deeſt illis cura regiminis quo ſervetur in eis integritas caritatis, multorum experimenta nos edocent, & vos ipſi ſicut credimus multis hoc ipſum rerum eventibus didiciſtis. Ne igitur mater veſtra *Cantuarienſis* eccleſia quæ jam non modico tempore proprio paſtore vacavit dampnum aliquod vel gravamen ex diuturnitate ſuæ deſtitutionis incurrat, mandamus vobis & diſtricte præcipimus, quatinus omni gratia & timore poſtpoſito ſine ullius occaſionis & appellationis obſtaculo infra duos menſes poſt harum ſuſceptionem in perſonam ydoneam convenire nullatenus omittatis, quæ vobis poſſit in archiepiſcopum eligi, & ſecundum ſtatuta ſacrorum canonum ordinari.

Ad ſummi pontificis commonitionem & vocationem regis ſuffraganei, monachi *Cantuarienſes*, plures undique concurrentes viri religioſi convenerunt apud *Radingum* pridie non. Auguſti tractaturi de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ. Poſt longos vero tractatus quos frequenter rex habuit, modo cum epiſcopis, modo cum monachis, dum ab epiſcopis monachi receſſiſſent, & à domini papæ mandato receſſum eſt. Rurſus eiſdem perſonis, & ob eandem cauſam, & eodem modo convenientibus apud *Windleſoram*, eventus priori prorſus conſimilis habitus eſt x. kal. Novembris. Ibidem urgente mandato regis omnes ſupraſcriptæ perſonæ convenerunt *Lundoniis*. Sed quid ibi ſit actum in adventus Domini Dominica prima ſequentia declarabunt.

PAtri ſuo & domino ſanctiſſimo ſummo Dei gratia pontifici *Lucio*, omnes *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei epiſcopi ſalutem, quæ nunc eſt, & quam ſperamus à Domino. Verum eſt domine quod mandaſtis, quod nobis in memoriam paterna pietate induxiſtis, Dampno ſæpe cedit eccleſiarum cum eis ſuum caput abeſſe contigerit, verum citius alleviatur cum horum ad quos hoc ſpectat officium prudentia & providentia in melius reformatur. Unde nobis Apoſtolica juſſione mandatum eſt, ut convenientes in unum nos & ipſius eccleſiæ monachi eccleſiæ *Cantuarienſi* provideremus, nec ullam ei quæ jamdiu paſtore caruit jacturam incurrere permitteremus. Factum eſt ut imperaſtis, & nos jam tercio convenimus, ut omni poſtpoſito timore & amore ſuper hoc quod mandaſtis ageremus. Inſpirante ſiquidem gratia Dei nobis omnibus id venit in mentem, ut dominum *B. Wigornienſem* epiſcopum ipſo virtutum quas enumerare longum eſt ſplendore irradiatum nobis ſinguli nominaremus, & ſinguli ſingulis nominando gauderemus. Cum igitur in hunc unum vota noſtra concurriſſent, & hæc omnibus fama percrebuiſſet, favor tantus exortus eſt, ut ſingularum eccleſiarum quæ in provincia *Cantuarienſi* nominandæ ſunt perſonæ, cum magna cleri & populi multitudine ea die *Lundoniis* aderant, ut tantæ communicarent exultationi & operi tam deſiderabili conſentirent. Nos vero in hoc propoſito fixi permanentes, tribus ipſa die vicibus monachis *Cantuarienſibus* qui in ipſo erant monaſterii ambitu conſiſtentes mandavimus, ut ipſi venirent ad nos & ſe nobis jungerent, nec mandati veſtri executionem in aliquo turbare præſumerent. Cumque res iſta dilationem non admitteret, tum propter veſtræ juſſionis urgentiam, tum propter publicam regni neceſſitatem, non contradicentibus monachis, ſet perſonam *B. Wigornenſis* epiſcopi plurimum commendantibus, invocato Spiritu ſancto eundem *B.* communi omnium voto in archiepiſcopum elegimus, et ei nos tota mente devovimus; unde preces humiles ſullimitati veſtræ porrigimus, ut facto huic quo nichil nobilius, nichil in regno *Angliæ* à multo jam tempore Deo placentius actum eſt, benignum ſi placet præbeatis aſſenſum, et nos vobis omni gratiarum actione obnoxios de cætero jugiter habeatis.

Gilebertus Lundonienſis epiſcopus electionem factam recitavit in publico.

Rex in inſtantia temporis incedens fere tanquam duplomate venit *Cantuariam*, et primo viſitans beatum *Thomam*, poſtmodum intravit capitulum ſanctæ Trinitatis, ad hoc animos monachorum inclinans ut redirent *Lundoniam*. Itaque die Dominica qua cantatur *Gaudete in Domino*, *Cantuarienſis* electus præſente rege præſentibus monachis *Cantuarienſibus* dixit, ſe nunquam intraturum *Cantuarienſem* eccleſiam, niſi cum pace monachorum et totius eccleſiæ *Cantuarienſis*. Sicque rex et electus à capitulo *Weſtmonaſterii* pariter receſſerunt.

Alanus Prior ſanctæ Trinitatis, & monachi *Cantuarienſes* in *Weſtmonaſterii* capitulo reſidentes dixerunt, Nos electionem ab epiſcopis factam nullam reputamus, ſet ego Prior *Alanus* ad cujus hoc ſpectat officium, & fratres noſtri præſentes de communi totius eccleſiæ *Cantuarienſis* aſſenſu *Baldewinum Wigornenſem* epiſcopum in archiepiſcopum *Cantuarienſem* eligimus. Incepit itaque Prior alta voce *Te Deum laudamus*. Soli monachi laudes Domino reddiderunt, & apprehenſum electum ſuum ante majus altare duxerunt, complentes ſollempnia quæ fieri ſolent in electionibus.

SAnctiſſimo patri & domino *L.* Dei gratia ſummo pontifici *A.* Prior & conventus eccleſiæ *Cantuarienſis* ſalutem, atque devotiſſimæ ſubjectionis & obedientiæ famulatum. Cum eccleſia noſtra ſuo eſſet viduata paſtore, placuit Deo & eminentiæ veſtræ, & benigniſſimo principi noſtro, ut talis eligeretur antiſtes, qui oneri & honori tanto videretur ydoneus, atque archiepiſcopale officium prudenter & ſufficienter impleret. Inſpirante igitur & cooperante Spiritu ſancto, vota noſtra & omnium concurrerunt in patrem noſtrum reverentiſſimum dominum *B. Wigornenſem* epiſcopum, virum litteratum, providum in eccleſiaſticis, in temporalibus circumſpectum,

ctum, in epiſcopali amminiſtratione, in longa religione & ſanctis moribus approbatum. Veſtræ igitur paternitati humiliter ſupplicamus, quatinus juxta deſiderium noſtrum, & totius eccleſiæ *Anglicanæ* ipſius electionem confirmare velitis, ut in amminiſtratione ad quam Domino diſponente vocatus eſt, de manu miſericordiæ veſtræ ſuſcipiat plenitudinem poteſtatis. Vitam veſtram conſervet Dominus per tempora longa.

R*Ecurramus ad alia quæ circa dies iſtos nobis aliæ regiones annalibus inſerenda manifeſtius obtulerunt; & à partibus orientis ſumamus exordium.*

Rex Salahadinus *omnium regum orientalium potentiſſimus domino papæ.*

PRæſentata fuit nobis cartula de ſanctitate veſtra quoniam nos ſcimus & credimus quod ſitis in majori officio de hoc mundo, & ſcimus quod Deus vobis tantam gratiam dederit ut ſedeatis in tanta magnitudine. Scimus autem quod omnes Chriſtiani vobis obediunt, & vos pertimeſcunt. Hæc cartula nobis data & præſentata fuit per manum *Oliveri Vitalis* veſtri legati, & propter veſtrum honorem, & timorem eum honoravimus, & quicquid facere potuimus diligenter fecimus, & ante nos in ſecreta camera venire fecimus, & quicquid ſibi placuit dicere ex veſtra parte diligenter audivimus; & veſtra cartula per omnia placuit nobis, & eam accepimus bono animo & alacri vultu, & cognovimus magnum amorem quem aput nos habetis, & certos nos fecit de magna amicitia quæ inter nos eſt, & quicquid veſtra cartula & prædictus legatus locutus fuit de pace habere cum omnibus Chriſtianis & ut omnes captivos dimitteremus, per omnia placuit nobis & gaviſi ſumus; & Chriſtiani qui ſub jugo veſtro ſunt dimittant omnes noſtros captivos, & nos omnes captivos Chriſtianos quos habemus noſtra benignitate dimittemus. Notum ſit veſtræ magnitudini quod Chriſtiani qui à nobis detenti ſunt, ſunt gentiles & nobiles viri: ac milites noſtri qui à Chriſtianis detenti ſunt, ſunt ruſtici & minimi atque viliſſimi homines: & ſi placet vobis nos appreciabimus captivos noſtros quos habemus, & Chriſtiani apprecient ſuos, & quæ pars minus habuerit reſtituetur ei ab altera. Deus ſcit quod quando veſtras cartulas & legatos à veſtra magnitudine tranſmiſſos vidimus, per omnia gaviſi ſumus & gratias referimus Deo. Cætera ſecretiora præfato *Olivero* commiſimus in quem multum confidimus, & valde ſuper his bonam fidem eum habere cognovimus. Unde pro certo habeatis quod quicquid cum vobis ipſe tractaverit, de mandato noſtro, & bona voluntate procedit.

Domino papæ Siſidin *rex.*

L*ucio* Dei gratia univerſali Chriſtianorum papæ excellentiori domino totius Chriſtianitatis, cujus ditioni omnis Chriſtianitas eſt ſubdita, tanquam meliori amico quem habet in tota Chriſtianitate, à rege juſtitiæ *Siſidin* domino totius multitudinis *Sarracenorum* hæc carta dirigitur. In nomine Domini piiſſimi & miſericordiſſimi recepimus litteras veſtras tanquam melioris amici quem in tota Chriſtianitate habemus, cui ſuper omnibus obeditur, per manus nuncii veſtri *Jani Danduli*, quem nobis juſſimus præſentari, & eum honoravimus, & diligenter litteras veſtras inſpeximus, & verba quæ ex parte veſtra nobis legatus veſter retulit attentius intelleximus, ex cujus dictis accepimus veſtræ voluntatis exiſtere modis omnibus obſervare, quæ cum beatæ memoriæ prædeceſſore veſtro *A.* firmiter ſtabilivimus ſuper negotio inter *Chriſtianos* & *Sarracenos* ad redemptionem omnium captivorum quos in noſtra ſervari fecimus captivitate. In litteris veſtris vidimus contineri, quod omnis vobis Chriſtianitas obediret, & nemo audeat veſtris contraire præceptis, & quod à vobis ordinaretur; ratum & inviolabile ſervaretur; cognoſcentes voluntatem veſtram, quod præſens negotium circa dominum & fratrem meum debeam promovere, regem victorioſiſſimum, ſervatorem ſuæ promiſſionis, & auctorem juſtitiæ *Salahadin* dominum legis, & omnium *Sarracenorum*, ſuſcitatorem legis *Sarracenorum*, cujus dies Deus augeat & potentiam magnificet; & ut compoſitionem juxta petitionem veſtram ſtudeam perficere & executioni mandare. Cum pervenit ad nos legatus veſter cum litteris veſtris; erat frater noſter rex victorioſiſſimus in partibus *Tyri*, ubi ſucceſſit ei contra hoſtes ſuos ſecundum votum ſuum, cui Deus tantam his temporibus victoriam contulit, quod omnem terram à *Damaſco* uſque *Niniven* ſubjugavit, cui omnes vicinitate loci propinqui, & *Sarracenorum* univerſæ poteſtates obediunt, cujus expeditioni volente Deo adhæſerunt infinitæ nationum multitudines ut ſerviant ei, qui tanta manu hoſtes perſequitur quanta nullus prædeceſſorum ſuorum inimicos ſuos valuit impugnare, nobis veſtram aperuit voluntatem, & preces veſtras nobis optulit, quibus incontinenti curavimus obtemperare, & quicquid petitioni veſtræ expediat veſtro intuitu circa fratrem noſtrum ſtuduimus obtinere, & tranſmiſſa vobis in fratre noſtro reſponſione accepimus rege victorum, cujus potentiam Deus exaltet. Quod ſi Chriſtiani qui habitant in *Jeroſolima* cum rege ſuo, & in omni parte *Tyri* veſtris obedierint præceptis cum univerſa Chriſtianitate, & ordinationem inter nos factam ſervaverint ſecundum voluntatem veſtram pro facienda pace, & pro dimittendis captivis qui ſervantur in carceribus noſtris compediti, & nos obſervare promittimus eà omnia quæ ad iſtam faciendam pacem à nobis poſtulatis. Set ſi præfati Chriſtiani de partibus *Tyri* & *Jeroſolimæ* veſtris præceptis non obedierint, nos immunes erimus à culpa, & quod pacem non ſervaverimus, nobis deinceps non poterit imputari; & Deus inſpector omnium reddet unicuique noſtrum ſecundum opus ſuum, & ſecundum quod veritatem nititur & juſticiam obſervare. Inſpiret vobis & nobis Deus præoperante gratia ſua illud operari, quod ad ſalutem omnium *Chriſtianorum* & *Sarracenorum* proſpiciat. Utinam. Amen. Scripta fuit hæc carta pridie kal. Aprilis anno *Machometi* D. lxx. octavo. Gratias agimus Deo ſoli, & *Machometo* prophetæ magno.

Ad atroces injurias & crebras incurſiones quibus *Sarraceni* regnum opprimere *Jeroſolimitanum* contendunt animoſius retundendas, de communi decreto *Chriſtianorum* inibi commorantium, patriarcha, magiſter militiæ Templi, Prior Hoſpitalis ad auxilium perquirendum in partibus occidentis tranſfretarunt.

REverendo in Chriſto patri & domino *E.* Dei gratia ſanctæ *Reſurrectionis* eccleſiæ patriarchæ, magiſtro quoque Templi *A.* & magiſtro ſanctæ domus Hoſpitalis *Ieruſalem* *R.* dilectis ſuis *B.*

per eandem rex *Ieroſolimitanus* ſalutem & continuis ſucceſſibus habundare. Literas in quibus univerſos vos ſanos & hylares *Brunduſium* applicuiſſe cognovimus, gaudenter recepimus. Cujus rei cognitio ſpiritum meum lætantem reddidit & jocundum. *Salabadinus* circiter nonum aut decimum diem intrante Julio terram *Crati* intravit, & per tres ebdomadas fines ejus vaſtavit & deprædavit, & cibaria collegit & congregavit. Vigilia ſancti *Petri* ad vincula civitatem *Crati* intravit, caſtrum obſedit, & per iiij. ſeptimanas tenuit obſeſſionem quatuor decimque petrarias erexit. Cognito adventu noſtro *Salabadin* petrarias ſuas, & vias quas extruxerat ipſe combuſſit, iterque arripiens, *Neapolin* venit, & villam vaſtavit atque cremavit quæ igne potuit conſumere. Hujus adventum comperientes viri & mulieres villæ illius fugerunt ad caſtrum & ſalvati ſunt. Exinde progrediens, perrexit ad civitatem quæ vocatur *Sebaſten.* Fugitque populus ad villam non ut reſiſterent, ſet quia fuga alias non imminebat. Hanc confuſionem videns epiſcopus ejuſdem civitatis acceptis induciis *Salabadino* obviam exiit, villamque ſuam & eccleſiam lxx. captivis redemit. Inde recedens, venit *Arabiam*, eamque deſtruxit viris ac mulieribus captivatis. Poſtea venit ad magnum *Gerinum*, fugitque omnis populus ad caſtrum, & ipſe perfodi fecit & dirui, pauciſque captivatis, mulieres & parvuli in ore gladii mortui ſunt, ſet & villa igne conſumpta eſt. A qua recedens, venit per parvum *Gerinum*, quæ villa templi erat, eaque omnino vaſtata receſſit per quoddam caſtrum Hoſpitalis quod *Belverium* dicitur, quibuſdam qui foris exierant captis, & quibuſdam interfectis receſſit ad propria.

Philippus Comes *Flandrenſis Adelfonſum* regem *Portugalenſium* per internuncios ſæpius ſollicitavit, ut *Beatricem* filiam ſuam quam hilarior fama concupiſcibilem forma filiabus regum auſtralium præferebat, ſibi matrimonio copulandam tranſmitteret. Rex habito tractatu cum ſuis, cum aliqua remoratione Comitis petitionibus ſatisfecit. Naves itaque directas à *Flandria* gazis *Hyſpanicis*, ſcilicet auro, veſtibus deauratis, precioſis lapidibus, ſericis pannis, & habundanciis omnium omnis generis victualium maturius oneravit. Sicque filia regis felici navigatione tranſvecta ſine magna difficultate *Rochelia* portum intravit, nuncios regis *Anglorum* eo loco reperiens, qui ſtatim in omnibus itineri neceſſariis ſufficientiam omnem impendere procurarunt, quæ de ſitu terrarum & tranſitu maturiore ſtimulo muliebri compulſa cognovit, ab exitu navium intermedium viæ quouſque *Flandrenſium* fines attingeret, totum fere regis *Anglia* juriſdictioni ſuppoſitum. Regis igitur filiæ Comes nimio ſucceuſus amore, venientibus *Hyſpanis* in equitatu magno, dignum duxit feſtinanter occurrere. *Beatricem* vero ſuperius tociens memoratam Comes in facie commilitonum ſuorum, & in præſentia multitudinis quæ convenerat ſibi fœdere nuptiali conjunxit.

Circa nativitatem beati *Johannis*, rex *Gamius* adduxit regem *Macemut* regem regum *Sarracenorum* cum xxxvij. regibus; & primo obſederunt ſanctum *Hyrenenm*, & tribus diebus & tribus noctibus pugnaverunt, tandem dejectis muris irruperunt. Qui autem muros interius defendebant, ſe intra turrem receperunt ut ibi protegerentur. Nocte vero ſequenti, venit epiſcopus *Portugalenſis* cum filio regis, & occiderunt xv. milia *Sarracenorum* & regem *Gamium*; & poſuerunt corpora occiſorum ubi murus erat dejectus, ut per ea loco muri defenderentur. In craſtino autem, ſcilicet in die ſanctorum *Johannis* & *Pauli*, archiepiſcopus ſancti *Jacobi* xx. milia hominum duxit, & in aurora diei occidit de *Saracenis* xxx. milia. Poſtea in die ſanctæ *Margareta Sarraceni* occiderunt x. milia mulierum & puerorum ad *Alcubaz*; & illi qui fuerunt in opido de *Alcubaz* occiderunt tres reges cum omni exercitu ſuo. Poſtea *Macemut* vigilia ſancti *Jacobi* audivit quod rex *Galicia* venerat ut ſolus cum ſolo dimicaret, & cum præparaſſet ſe ad præliandum, dum equum ſuum vellet aſcendere, ter de eo lapſus eſt, & ita mortuus eſt. Mortuo autem illo omnis exercitus relicta omni pecunia in fugam converſus eſt. Rex vero *Portugalenſis* ex his qui in bello capti erant, ſcilicet de *Sarracenis*, dedit ſervos qui miniſtrarent cementariis, ferentes lapides & cementum ad reparandas eccleſias, & de pecunia fecit thecam ſancti *Vincentii* auream. Poſtea venerunt infinitæ galeæ ad *Vlixibonam*, & duxerunt unam navem quæ dicitur *Dromund*. In illa fuit talis machina, quod per ipſam *Sarraceni* debebant armati ire & redire ultra muros civitatis *Vlixibone*. Sed Deo dante quidam in aqua ſe *Dromundo* ſubpoſuit, eamque perforavit, & perforatam ſubmerſit, et uſque ad muros machinam traxit, & eam ibi ſuſpendit. Mane facto *Sarraceni* ſe ita eſſe deluſos videntes fugerunt, & quotquot Chriſtianos extra muros invenerunt abduxerunt & captivaverunt.

Quarto die intrantis Novembris conſedentibus *Verona* in eccleſia majori papa & imperatore, cardinalibus & pleriſque eccleſiæ rectoribus *Ravennas* in ſerie ſermonis ſui caſum & perditionem terræ *Jeroſolimitana* omnibus expoſuit, & ad ſuccurrendum in peccatorum remiſſionibus cujuſlibet generis homines evocare curavit.

Lucius *papa tertius illuſtri* Anglorum *regi*.

EA quæ credimus ad ſalutem tuam & exaltationem regiæ celſitudinis pertinere, tanto libentius tuæ ſublimitati ſuggerimus, quanto tui nominis gloriam cum incremento ſalutis & pacis ſincerioribus ſemper affectibus exoptamus. Hinc eſt quod tuæ celſitudinis pietatem præſentibus duximus litteris admonendam, ut amorem Dei ante oculos cordis tui ſalubri conſideratione proponens, & amorem piæ recordationis *Ludovici* regis *Francorum* ad mentem revocans & reducens, bonum quoque tranquillitatis & pacis quæ inter te & kariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem *Francorum* regem communiter deſideratur attendens, circa ſtatum in Chriſto kariſſimæ noſtræ *M.* reginæ, relictæ videlicet bonæ memoriæ *H.* filii tui piam habeas providentiam & cautelam, ut in dote ſua & donatione propter nuptias ita cum ea componas, quod ei & his qui pro ea ſunt, murmurandi vel conquerendi materiam non relinquas, nec tu ipſe propter hoc apud patrem orphanorum & judicem viduarum diſtrictioris judicii ſententiam pertimeſcas. Quia igitur ad inſtantiam quorumdam amicorum ſuorum ſuper certa pecuniæ quantitate ei ſatisfacere decreviſti, rogamus excellentiam tuam, & exhortamus in Domino atque in peccatorum tuorum remiſſionem injungimus, quatinus ei ad interventionem noſtram pro pacis caritatiſque cuſtodia ſummam congruam ſecundum quod *Petrus Bernardi* nobis ex parte tua ſignificavit decenter adaugeas, & eam ſibi in certis aſſignare redditibus non omittas, ita quod ipſa ſolacii hujus conſolatione recepta poſſit in pace conſiſtere, & tu pro impenſæ benignitatis effectu indeficiens præmium ab omnipotenti Domino debeas expectare.

Philippus Colonienſis archiepiſcopus habens ſocium in itinere *Philippum* Comitem *Flandriæ* venit in *Angliam*; beato *Thomæ* vota ſoluturus orationum Archiepiſcopo rex occurrens, & Comiti, petiit ab eis ut tranſitum facerent uſque *Lundoniam*. In eorum adventu, quod ante non vidimus, civitas coronata fuit; gaudium, honor & tripudium per omnes civitatis plateas. Archiepiſcopus ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia doctoris gentium *Pauli*. Suſceptus eſt etiam aput *Weſtmonaſterium* ipſa die ſollempni proceſſione ſumptibus regiis, expenſis effuſioribus, lautioribus cibis omnem ultra ſufficientiam abundantibus, per quinque dies infra regis palatium hoſpitatus. Sed an receſſerit donatus multis muneribus eſt ſuperfluum quærere.

Circa dies iſtos *Fredericus* imperator *Romanus* concilium habens prope *Maguntiam* urbem, regni *Theutonici* diadema capiti filii ſui primogeniti fecit imponi.

ORdo militum in *Hyſpania* conſiſtentium, & habentium in propoſito pro viribus ſuis *Sarracenos* atterere, quem ſignum enſis rubei diſtinguit à cæteris militantibus, confirmatur à domino papa.

Jocelinus Sareſberienſis epiſcopus obiit xiiij. kal. Decembris.

Philippus Colonienſis archiepiſcopus *Angliam* exiens, auxilium repromiſit, ut Comes *Flandriæ* *Baldewinum* Comitem *Hamaucenſium* ſororium ipſius Comitis, ſocerum *Philippi* regis *Francorum* contereret & humiliaret. Itaque ſtatim totus de pontifice tranſlatus in militem *Henricum Lovaniæ* ducem, alios plures ſpectabiles genere, viribus affluentes, in exercitu copioſos, qui per homagium eccleſiæ *Colonienſi* tenentur aſtricti, ſub articulo temporis congregavit, & militaribus armis accinctus prædicti Comitis terram irrupit, villas ſuccendit, homines captivavit, eccleſiis non pepercit, immo dampnis affecit graviſſimis. *Willelmus* de *Magna villa* Comes *Eſſexiæ* veniens in auxilium Comiti *Flandriæ* domino ſuo, multos *Hamaucenſium* traxit in exterminium.

Ernaldus magiſter militiæ templi *Veronæ* moritur.

An. Dñi 1185.

E*Raclius* patriarcha ſanctæ Reſurrectionis, & *Rogerus* magiſter ſanctæ domus Hoſpitalis *Jeruſalem*, tendentes in occidentem, & per *Ytaliam* tranſitum facientes & *Galliam*, nec à domino papa, nec ab imperatore *Romano*, nec à rege *Francorum* aliqua plene conſolatoria receperunt. Navigantes in *Angliam*, venerunt ad regem apud *Radingum*. Et cum itineris tam longinqui, tam à ſeculis inauditi cauſas expoſuiſſent, & civitatis ſanctæ prophetarum oraculis illuſtratæ deſolationem enarraſſent per ordinem, regem & omnem illam multitudinem quæ convenerat ad ſuſpiria provocarunt & lacrimas. Deferebant quidem in manibus memorialia nativitatis *Iheſu Chriſti*, paſſionis, reſurrectionis, ſcilicet claves turris *David*, vexillum ſanctæ crucis, claves ſancti ſepulchri. Quibus omnibus rex maximam reverentiam exhibuit.

AB eo die quo primum fuit ſua collocatus in ſede *Walterus Lincolnienſis* epiſcopus aput *Lincolniam*, ad illum uſque diem quo *Rothomagi* ſollempni proceſſione receptus eſt in archiepiſcopum, annus effluxit, & xj. ſeptimanæ dieſque quinque.

Advocationem regis, *Cantuarienſis* electus & *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei, *Dunelmenſis* epiſcopus, abbates conventualium locorum prælati, comites & barones *Lundoniæ* convenerunt aput *Fontem clericorum* xv. kal. Aprilis. Rex itaque, patriarcha, magiſtro ſanctæ domus Hoſpitalis *Jeruſalem* audientibus, omnes ſuos fideles qui convenerant adjurationibus multis aſtrinxit, ut quod animæ ſuæ ſaluti crederent expedire proferrent in medium. Ad hoc enim ſuum cor inclinatum dicebat, ut quod acciperet ex eorum conſilio modis omnibus obſervaret. Datum eſt igitur ſub deliberatione quid eſſet conſultius, vel quod rex in propria ſua perſona *Ieroſolimitanis* ſuccurreret, vel *Anglorum* regno cujus gubernationem in facie matris eccleſiæ dudum ſuſceperat, adhuc præeſſe nulla ratione deſiſteret. Ad illa ſiquidem tria quæ rex quilibet conſecrandus promittit aliqui recurrebant. Promittit namque ſe præcepturum & opem pro viribus impenſurum, ut eccleſia Dei, populuſque *Chriſtianus* veram pacem in omni tempore ſervet. Promittit eciam quod rapacitates & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicet. Promittit adhuc quod in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiet. Sacius ergo viſum eſt univerſis, & animæ regis multo ſalubrius, quod regnum ſuum debita cum moderatione gubernet, & à barbarorum irruptionibus, & à gentibus exteris tueatur, quam ſaluti conſulat orientalium in propria ſua perſona. De filiis ſuis aliquid certum ſtatuere cum eſſent abſentes incongruum videbatur. Rex igitur, patriarcha, *Dunelmenſis* epiſcopus, magiſter Hoſpitalis, & multitudo cum eis apud *Doveram* mari tranſito, diem Paſchæ *Rothomagi* celebraverunt.

REx *Francorum* audito regis *Angliæ* adventu cum feſtinatione venit aput vallem *Ruil*: reges ubi ſe mutuo verbis pacificis ſalutaverunt, & in colloquiis familiaribus inſtiterunt per triduum.

Johannes filius regis à patre militaribus armis accinctus aput *Windleſores* pridie kal. Aprilis in *Hyberniam* transfretavit. In *Hybernia Hugo de Laceio* dominus provinciæ quæ *Media* vocatur, interfectus eſt à *Malua Miadaich* infimæ manus homine viij. kal. Auguſti.

Hybernia poſt *Britanniam* omnium inſularum eſt optima, quæ quamvis *Britanniæ* diviciis cedat; latitudine, ſalubritate, ſerenitate præſtat. Quæ ſicut verſus *Aquilonem* brevior eſt, ita verſus meridiem trans illius fines protenditur. Hæc autem proprie patria *Scotorum* eſt. Nam ſicut legitur, *Ægyptiis* in mari rubro ſubmerſis, illi qui ſuperfuerunt expulerunt à ſe quendam nobilem *Sciticum* qui degebat aput eos ne dominium ſuper eos invaderet.

Expulſus ille cum familia ſua pervenerunt ad aras *Philiſtinorum*, & per lacum ſalinarum, & montana *Syriæ* tranſierunt per *Mauritaniam*, & ad columpnas *Herculis* navigaverunt per *Tyrenum* mare, & pervenerunt ad *Hyſpaniam*, & ibi per annos habitaverunt multos, & progenies eorum eſt multiplicata nimis. Inde venerunt *Hyberniam* poſt

Henricus II. rex.

annos mille duobus additis à tranſitu filiorum *Iſrael* per mare rubrum: & inde pars eorum egreſſa, terciam in *Britannia Britonibus* & *Pictis* gentem addiderunt. Pars eorum quæ remanſit in *Hybernia Navarri* vocantur, & adhuc eadem utuntur lingua.

In *Hyſpania* fluvius eſt *Hyberus*, à quo dicitur *Hybernia*, dicuntur & *Hybernienſes*.

Cum *Symon* Comes filius *Symonis* Comitis de *Norhamtonia* ſine liberis deceſſiſſet, rex reddidit comitatũ *Huntendonia* cum omnibus pertinentiis ſuis, *Willielmo* regi *Scottorum* qui fuit filius *Henrici* Comitis filii regis *David*, qui fuit filius *Malcolmi*, filii *Dunec.* f. *Bethoc.* filiæ *Malc.* f. *Kinath.* f. *Malt.* f. *Duvenald.* f. *Conſtantini.* f. *Kinath.* f. *Elpini.* f. *Echah.* f. *Ethaſind.* f. *Echdach.* f. *Duvenald. Bric.* f. *Echtach. Binde.* f. *Edaim.* f. *Cobran.* f. *Dovengart.* f. *Fergus Mor.* f. *Erch.* f. *Ecchac. Munremor.* f. *Engusſafit.* f. *Fechelmeth. Aſingith.* f. *Enegusſa. Buthini.* f. *Fethelmech. Romaich.* f. *Sencormach.* f. *Cruithlinthe.* f. *Findachai.* f. *Akirkirre.* f. *Ecchach. Andoth.* f. *Fiachruch. Catinail.* f. *Ecodach. Riecle.* f. *Conere.* f. *Mogalama.* f. *Lugnag. Etholach.* f. *Corbre. Crumgring.* f. *Daro Dromor.* f. *Corbre Finmor.* f. *Coneremor.* f. *Eclert. Keol.* f. *Ewein.* f. *Ellela.* f. *Jair.* f. *Dethath.* f. *Sin.* f. *Roſin.* f. *Ther.* f. *Rother.* f. *Rowein.* f. *Arindil.* f. *Mane.* f. *Forgſo.* f. *Feredach.* f. *Ellela. Earin.* f. *Fiachac. Fimmora.* f. *Enegusſa. Turbinig.* f. *Firkethorocht.* f. *Firrocht.* f. *an Roth.* f. *Firalmai.* f. *Lamcure.* f. *Liecham.* f. *Ecchach. Aldethan.* f. *Elela Caſſieclai.* f. *Conlecha.* f. *Iretro.* f. *Melge.* f. *Cobthai. Cailbrech.* f. *Hugune Mor.* f. *Ecchach. Rothai.* f. *Duach Lotherai.* f. *Fiechach. Bobgai.* f. *Sinon Bricht.* f. *Eon. dulf.* f. *Etheon.* f. *Glachas.* f. *Noethath. Fail.* f. *Elchatha. Olchaim.* f. *Sirne.* f. *Dein.* f. *Demail.* f. *Rothotha.* f. *Ogmam.* f. *Enegus. Olmucatha.* f. *Fiachach. Labraim.* f. *Smirnai.* f. *Sinrecha.* f. *Embatha.* f. *Thiernai.* f. *Faleg.* f. *Etheor.* f. *Jair. Olfacha.* f. *Ermon.* f. *Michel. Eſpaine.* f. *Bile.* f. *Neande.* f. *Brige.* f. *Bregain.* f. *Bratha.* f. *Deatha.* f. *Erchatha.* f. *Aldoith.* f. *Nude.* f. *Nonael.* f. *Eber. Scot.* f. *Geithel. Glas.* f. *Neoil.* f. *Fenias. Farſeth.* f. *Owan.* f. *Glonin.* f. *Lamin.* f. *Etheor.* f. *Achnoman.* f. *Thoe.* f. *Boib.* f. *Rein.* f. *Mair.* f. *Etheth.* f. *Abiur.* f. *Artheth.* f. *Haoith.* f. *Aora.* f. *Jara.* f. *Iſrau.* f. *Eſrau.* f. *Richaith. Scot.* f. *Gomer.* f. *Japeth.* f. *Noe.*

A regione quadam quæ dicitur *Scitia*, dicitur *Scita*, *Sciticus*, *Scoticus*, *Scotus*, *Scotia*. Similiter à regione quadam quæ dicitur *Getia*, dicitur *Geta*, *Geticus*, *Goticus*, *Gotus*, *Oſtrogotus*, *Witſigotus*.

Lucius papa iij. *B. Cant.* archiepiſcopo.

Q*Uanto de perſona tua laudabilis converſationis odor & probatæ honeſtatis opinio jamdudum ad noſtram noticiam plenius emanarunt, tanto nos & fratres noſtri majori gaudio exultamus in Domino, & omnipotenti Deo gratiarum exſolvimus actiones quod* Cantuarienſem *eccleſiam ſolita miſeratione reſpiciens te ad regimen ipſius vocavit, ut qui in pluribus probatus fueras & fidelis inventus, invitante Domino ad altiora conſcendens, odoramentis virtutum tuarum plures reficias ad ſalutem, & commendanda opera tua eo precioſius eniteſcant, quo excellentiorem locum obtinueris dignitatis. Credimus enim factum eſſe à Domino, & eſt acceptabile in oculis noſtris, quod cunctorum vota in electionem tuam divinitus inſpirata conſenſerunt, & te apice dignitatis ad quam tanquam* Aaron *à Deo es vocatus, uno ore & conſonis vocibus digniſſimum proteſtantur. Inde ſiquidem fuit quod nuntios excellentiæ regiæ, & tam ſuffraganeorum quam capitali eccleſiæ* Cantuarienſis *viros utique providos & diſcretos alacri mente & debita benignitate ſuſcepimus, & electionem tuam quam ex literis quas geſtarunt, & relatione propria canonicam eſſe cognovimus ac Deo & hominibus approbatam, habita deliberatione cum fratribus noſtris ſub congrua celeritate, & gratia curavimus confirmare. Pallium præterea plenitudinem pontificalis officii fraternitati tuæ conceſſimus, & ipſum per dilectum filium* Tranſmundum *notarium, & familiarem noſtrum & ſub alis noſtris ab antiquo nutritum duximus tranſmittendum.*

Cantuarienſis archiepiſcopus ſua ſollempniter eſt collocatus in ſede die feſto ſancti *Dunſtani*. Rurſus ſollempni proceſſione receptus archiepiſcopus apud *ſanctum Auguſtinum*, ibi celebravit divina, cui miniſtravit abbas ejuſdem loci *Rogerus*, mitratus incedens ad proceſſionem vij. kal. Junii.

FAmiliaritas à diebus multis emortua revixit inter eccleſias *Cantuariæ*; Nam cum dies rogationum inſtarent, in jejuniis, in obſecrationibus, in miſſarum ſollempniis ſeſe mutuo viſitarunt earundem conventus, viciſſitudine proceſſionum exhibita.

H*Erebertus Anglicus* natione natus in [illegible]ſter, tranſitum faciens in *Siciliam* aſſenſu regis *Willelmi* creatus eſt in *Calabria Conſenſanus* archiepiſcopus. Cum autem illic terræ motus fieret magnus, prædictus archiepiſcopus cum clero, cum familia, cum magna parte civium obrutus eſt, Caſtella pleraque ſubverſa, milia populorum contrita. Quædam civitas *Adriatico* mari contigua de nocte populo quieſcente corruit in profundum. Item in *Anglia* circa partes aquilonares factus eſt terræ motus; In locis aliquibus ædificia corruerunt.

Sol paſſus eſt eclypſim poſt horam nonam kal. Maii.

W*Illelmus* rex *Siculus* gener regis *Anglorum* copioſum congregavit exercitum, ut *Andronicum* qui tam nefariis, tam atrocibus, tam execrandis abhominationibus perpetratis imperium uſurpavit *Conſtantinopolitanum* contereret, exercitum inquam ad hoc aſtrictum ſacramento corporaliter præſtito, quod continuum aget in caſtris triennium, prærogatis anni primi ſtipendiis. Sex itaque viros illuſtres inter principes regni ſui diviciis, viribus, magnanimitate præſtantes ad hoc opus præfecit, ut omnem armatum militem, equeſtrem ſcilicet & caligatum, ad quem inveniendum cum belli neceſſitas ingruit, tam ipſi quam alii regionis totius capitanei de jure tenentur obnoxii, congregarent. Sicque regis ſecum ſtipendiarios aſſumentes numerus quorum excrevit ad lxxxv. peditum, & equitum milia xxx. condixerunt ut *Bulgariam* totam virtute magna contunderent, obſidione vallarent *Conſtantinopolim*, portas irrumperent, in ore gladii vindicarent *Andronici* fraudes fraudulentiſſimas. Igitur coacta claſſe non modica, navibus infinitis quæ vulgariter vel galeæ, vel ſagittariæ, vel onerariæ cum certis nominibus diſtinguuntur, undique congregatis, ſe pelago commiſerunt, & proſpero ſub eventu navigationis applicuerunt *Duratium*. Cujus ilico cives animo conſternatos & tanta pugnatorum multitudine circumſeptos, quod nullis ante temporibus efficere potuit quiſquam

Henri cus II. rex.

quam regum *Siciliæ*, coegerunt ad deditionem.

Gilebertus Laxovienſis archidiaconus electus eſt in *Roffenſem* epiſcopum, apud Otteford ſeptimo decimo kal. *Auguſti*, gradum autem presbyteratus aſcendit xj. kal. Octobris apud *Lamhetiam Cantuariæ* conſecratus eſt à *Baldewino Cantuarienſi* archiepiſcopo iij. kal. Octobris.

Circa dies iſtos proditor *Andronicus* imperator *Conſtantinopolitanus* interfectus eſt.

Curſac Angeli ex ſorore *Manuelis* imperatoris progenitus creatus eſt imperator.

Rex *Francorum* regem *Anglorum* infirmitate tactum viſitavit v. idus Novembris apud *Belveir*, faciens ibi moram per triduum.

Circa dies iſtos dux *Saxonicus Henricus* imperatoris impetrata licentia rediit in *Saxoniam*, ſuo tantum contentus patrimonio, miſericordiam imperatoris expectans.

Rex *Francorum*, rex *Anglorum*, *Romenſis* *Colonienſis* archiepiſcopi, Comes *Flandrenſis*, & infiniti cum eis venerunt apud *Albemarlam* vij. idus Novembris, ubi reformata pax eſt inter regem *Francorum* & Comitem *Flandrenſem*. Set minime complementum accepit quouſque ſuum imperator *Romanus* adhiberet aſſenſum.

Lucius papa vij. kal. Decembris *Veronæ* ſepultus eſt.

Humbertus Mediolanenſis archiepiſcopus ipſa die Cardinalium aſſenſu communi papa creatus eſt vocatus *Urbanus*, kal. Decembris coronatus eſt in eccleſia ſancti *Petri* montis in ſupercilio collocata.

Henricus rex *Teutonicus* ducens ſecum *Philippum Flandrenſium* Comitem venit ad patrem ſuum cum multis in *Italiam*, natalitios dies ibidem celebraturus.

Johannes filius regis *Anglorum* vocatus *Hyberniæ dominus* in *Angliam* rediit xvj. kal. Januarii.

An. Dñi 1186. Inter *Henricum* regem *Teutonicum* & *Conſtantiam* filiam *Rogeri Siculi* regis, amitam vero *Willelmi* regis *Siculi* generi regis *Anglorum* matrimonium celebratum eſt.

Sexto kal. Februarii *Viennenſis* archiepiſcopus *Fredericum* imperatorem *Romanum* *Mediolani* coronavit. Eodem in die *Aquileienſis* patriarcha coronavit *Henricum* regem *Teutonicum*, & ab ea die vocatus eſt *Cæſar*. Quidam epiſcopus *Teutonicus* coronavit *Conſtantiam* amitam *Willelmi* regis *Siculi* generi regis *Anglorum*. Hæc acta ſunt in monaſterio ſancti *Ambroſii*.

Urbanus papa B. *Cantuarienſi* archiepiſcopo & omnibus per *Cantuarienſem* provinciam conſtitutis.

D*Efuncto piæ recordationis papa* Lucio *tractatus habitus eſt à fratribus de ſucceſſoris electione. Cum itaque plures in eccleſia dei viri venerabiles & prudentes, in quos eorum vota conſultius ut credimus & dignius potuiſſent concurrere, ad inſufficientiam noſtram oculos intenderunt, & factum eſt ſicut Domino placuit, ut nos quibus ad tanta dignitatis faſtigium nec vires, nec merita ſuffragantur, in patrem ſibi eligerent & paſtorem. Nos vero ne ex dilatione negocii vel pertinacia reluctandi, aliquod in eccleſia periculum proveniret conſenſimus licet inviti injuncti oneris ſubire laborem.*

Urbanus papa fratribus ſuis epiſcopis & omnibus per *Cantuarienſem* provinciam conſtitutis.

N*Os Anglicanam eccleſiam paterne conſiderationis oculis intuentes, ad ſalutem ipſius & ſpirituales in Chriſto profectus, communi conſilio fratrum noſtrorum decrevimus ordinandum, ut venerabilis frater noſter* B. Cantuarienſis *archiepiſcopus de cujus meritis & virtute, ſapientia pariter & doctrina eccleſia univerſa congaudet, miniſterio legationis accepto vices noſtras ad honorem eccleſiæ, & totius regni ſalutem & pacem per ſubditam ſibi provinciam exequatur.*

Dux *Burgundiæ Widonem* caſtellanum de *Vergeio* diebus multis obſidione vallavit. *Wido* confugiens ad regem *Francorum* caſtrum & caſtellaniam totam ejus poteſtati ſubjecit. Dux vero tale factum trahere volens ad injuriam imperatoris *Romani*, nulla ratione potuit impetrare, quod imperator ſui fines tranſgrederetur imperii. Sic rex *Francorum* caſtrum pacifice poſſidet memoratum.

Rex *Francorum* rex *Anglorum*, Comes *Flandrenſis*, Comitiſſa *Campaniæ*, *Margarita* regina *Henrici* regis filii regis *Anglorum* relicta convenerunt prope *Giſorcium* vj. idus Marcii, Redacta ſunt ad pacem & concordiam, quæ vertebantur inter regem *Francorum* & Comitem *Flandriæ* de toto tenemento *Radulfi* quondam Comitis *Viromandorum*. Quinecciam quæſtio quæ mota fuerat inter regem *Anglorum* & prædictam reginam tam ſuper dote ſua quam ſuper donatione propter nuptias, amicabili compoſitione finem accepit.

Luna paſſa eſt eclipſim xvj. kal. Maii noctis hora prima.

Sol paſſus eſt eclipſim xj. kal. Maii hora prima diei.

R*Ex Anglorum Aquitannici* tractus munitiones, natura locorum, vel hominum artificio tutiores in ſua poteſtate recipiens, eas pro velle ſuo cuſtodiæ deputavit. Et licet hoc *Ricardum* Comitem *Pictavenſium* graviter forſan offenderet, cum tamen in nullo reclamantem invenit pater ſuus, Itaque cum *Andegavia*, *Turonia*, *Cenomannia*, *Britannia*, *Normannia* jocundæ pacis tranquillitate gauderent, rex redit in *Angliam* navigationis curſum conſummans feliciter apud *Hamonis* portum v. kal. Maii. Regina cum rege transfretavit eadem in navi. Sub enavigatione rex *Wintonienſem* epiſcopum viſitavit apud Merewelle ſub ipſa nocte quieſcens *Wintoniæ*.

Cantuarienſis archiepiſcopus dum tenderet ad videndum regem, ei rex feſtinanter occurrit omnem patri debitam exhibens venerationem, & anteceſſorum conſuetudinem hoc in humilitatis exemplo tranſcendens.

Archiepiſcopus ſollempni proceſſione receptus *Wintonienſem* eccleſiam ſuæ legationis illuſtravit primordio kal. Maii, duplicis Apoſtolorum feſtivitatis auſpicio ſubjectos invitans ad dilectionem dei ſimul & proximi.

W*Illelmus* de *Ver* ſpectabilis genere die feſto ſancti *Laurentii* conſecratus eſt *Herefordenſis* epiſcopus apud *Lameheith*, *Willelmus* etiam Prior ipſa die conſecratus eſt epiſcopus ſancti *Aſaph*.

G*Aufridus* dux *Britanniæ* filius regis *Anglorum*, cum à nativitate ſua compleſſet annum xxviij. xiiij. kal. Septembris diem clauſit extremum: ſepultus autem eſt *Pariſius* in eccleſia beatæ virginis intra chorum canonicorum ſcilicet in ſede majori. Reliquit autem idem *Gaufridus* ex uxore ſua *Conſtantia*

ſtantia filia *Conani* ducis *Britanniæ* duas filias.

M*Argarita* ſoror *Philippi* regis *Francorum* relicta bonæ memoriæ regis *Anglorum Henrici* filii *Henrici* regis *Anglorum* in comitatu magno receſſit *Pariſius* viij. kal. Septembris. Quam *Belà Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque* rex ſuſcepturus eſt in uxorem.

AD vocationem regis & archiepiſcopi *Ricardus* decanus *Lincolniæ* ſuique capituli pars præcipua convenerunt apud *Egeneſham* viij. kal. Junii. Poſt tractatus autem ſuper conſilio *Lincolnienſis* eccleſiæ diutius habitos, tandem *Hugo* genere *Burgundio*, natione *Gratianopolitanus* Prior ordinis *Cartuſienſis* in *Anglia* pluribus epiſcoporum præſentibus *Lincolnienſium* eſt electus antiſtes. Nuntiis itaque directis in *Burgundiam* cœnobio *Cartuſienſi*, Prior & conventus ejuſdem loci gratum electioni factæ præbuerunt aſſenſum. Sic *Hugo* prædictus votis plurium concurrentibus die feſto ſancti *Mathæi Lincolnienſis* eſt conſecratus epiſcopus apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katerinæ*.

Willelmus de Norhalla Gloeceſtriæ archidiaconus in *Wigornenſem* electus epiſcopum, ipſa die munus conſecrationis accepit ab archiepiſcopo *Baldewino*. *Radulfus* ſiquidem Prior *Wigornenſis* poſtulationem illam ſollempnem, quæ fieri ſolet in conſecrationibus epiſcoporum, & quam ipſe *Radulfus* in negotio ſimili jam quater interpoſuerat, viriliter adimplevit. In facie namque *Theobaldi, Thomæ, Ricardi, Cant.* archiepiſcoporum juxta temporis excurſum, ordine ſucceſſorio quatuor *Johannem, Alvredum, Rogerum, Baldewinum* præſentarat epiſcopos. Nunc autem ut à pentateuco *Moyſi* mutuatus aliquid videretur, quinto loco præſentavit *Willelmum*.

Urbanus papa *B. Cant.* archiepiſcopo.

P*Ræſentium tibi auctoritate mandamus quatinus ea quæ de jure eccleſiæ tuæ per prædeceſſorem tuum inveneris injuſte ſubtracta legitime revoces, & in ipſius eccleſiæ utilitatem convertas. Nos enim quod in hac parte à te factum fuerit ratum habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter obſervari. Item tibi mandamus ut liceat tibi eccleſiam in honore beatorum martyrum* Stephani *&* Thomæ, *ſicut glorioſus martyr* Thomas *diſpoſuerat, in honore beati* Stephani *conſtruere, tam in honorem ſancti* Thomæ *quam ſancti* Stephani, *& de ydoneis ordinare perſonis quibus beneficia quæ ad ſuſtentationem eorum conſtitueris debeas canonice aſſignare. Item fraternitati tuæ mandamus ut quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati martyris* Thomæ *offeruntur, monachorum uſibus conceſſa, quarta fabricis eccleſiæ deputata, quarta pauperibus erogata, aliam quartam liceat tibi in alia opera bona pro tuæ voluntatis arbitrio ordinare. Dat. Veronæ kal. Octobris.*

Johannes cantor *Exonienſis* creatus eſt *Exonienſis* epiſcopus à *Baldewino Cantuarienſi* archiepiſcopo iiij. non. Octobris.

G*Ualterus Rothomagenſis* archiepiſcopus ad procurandam pacem provinciæ ſuæ, ne limites iniquorum inſidiis & irruptionibus turbarentur, die feſto ſancti *Dionyſii* locutus eſt cum rege *Francorum*, à quo vix cum aliqua ſpe pacis recedens & per *Flandriam* tranſitum habens applicuit apud *Dovoram* xv. kal. Novembris.

Rannulfus Anglorum Juſticiarius, *Gilebertus Roffenſis* epiſcopus, *Bernardus* de ſancto *Walerico*, *Rogerus* regis elemoſinarius fungentes officio legationis invenerunt *Novioni* regem *Francorum*, à quo minus forſitan reverenter recepti quam tantorum Principum majeſtatem deceret, ſcilicet & illius à quo mittebantur & illius ad quem dirigebantur, nil in reſponſis aliud receperunt quam verba paci parum reſpondentia. Tandem rex *Francorum* à latere ſuo duos milites mediæ manus homines, *Gacium de Pyſiaco, Gerardum de Furnival* cum prædictis nunciis direxit in *Angliam*. Quibus rex *Anglorum* occurrens ne mala pro malis retribueret, eos cum omni veneratione ſuſcepit: ſumma petitionis *Francorum* hæc fuit ut ſi *Ricardus* Comes *Pictavenſis* ab infeſtatione Comitis *ſancti Egidii* temperaret, ab infeſtationibus eſſent inmunes *Normanni*.

R*Adulfus* filius *Hugonis de Vallibus* habitationem habens cum patre ſuo prope *Giſortium* intra limites regis *Francorum*, *Willelmum de Magna villa* Comitem illuſtrem *Albemarlæ* verbis dehoneſtavit amaris. In ultionem contumeliæ poſtmodum *Henricus de Ver* interfecit *Radulfum* iiij. kal. Decembris. Quod in injuriam regis *Francorum* eſſe factum aliqui reputantes, *Garnerium* quendam *Anglorum* regi familiariſſimum & intra muros *Giſortii* domicilium à diebus multis habentem paratis inſidiis crudeliter trucidaverunt, ut ſic paria delicta compenſatione mutua delerentur.

Urbano ſummo pontifici Theutonici *regni tam archiepiſcopi quam epiſcopi, cum debita devotione & ſubjectione reverentiam.*

CUm divinæ diſpenſationis gratia Apoſtolicæ ſedis antiſtitem & totius ſanctæ catholicæ eccleſiæ paſtorem, & patrem digniſſimum de altitudinis ſuæ conſilio vos providerit, univerſi & ſinguli quorum par affectus & eadem vota dinoſcuntur, paternæ ſanctitati veſtræ cum filiali reverentia tanto devotius aſſurgimus quanto amantiſſimam perſonam veſtram ſincera in Domino caritate diligimus, & jura eccleſiarum de prudentiæ veſtræ perfectione manutenere, & tranquilliori pace foveri indubitanter ſperamus. Inde utique eſt quod habita hinc inde conſideratione tam devotionis, qua ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ & veſtræ paternitati tenemur, quam fidelitatis & ſingularis dilectionis, qua domino noſtro imperatori & imperio per ſacramentum aſtringimur, ſuper diſcordia quæ inter eccleſiam & imperium morboſis cœpit radicibus pullulare, in intimis animæ viſceribus conturbamur, non inmerito dolentes duorum acies gladiorum in adverſum collidi, quorum mutuis ut deceret auxiliis eccleſiarum paci, juſticiis imperii, totius orbis commoditati accuratius fuerat providendum.

Sereniſſimus imperator *Fredericus* celebrata noviſſime ſollempni curia nobis cæteriſque Principibus imperii, tam clericis quam laicis, & nobilibus ac magnatibus propoſuit & graviter conqueſtus eſt, quod in ipſa dilectionis fiducia quam erga perſonam ejus & imperium vos habere confidebat, quamque erga perſonam veſtram & ſanctam *Romanam* eccleſiam firmiſſime conceperat, cum illuſtrem filium ſuum *Romanorum* regem quem tanquam unicum diligit filium, quaſi in ſignum conſummatæ jam pacis quibuſlibet expoſitum periculis, pro defenſione & libertate *Romanæ* eccleſiæ quanta potuit velocitate transmiſit, inimicicias & gravamina adverſus eum quod de veſtra tamen paternitate minime crediďiſſes ſtudioſius exercueritis, ſi in facto Cremonenſium quos tanquam bannitos & publicos hoſtes imperii veſtram decuit reverentiam evitare, contra honorem imperii familiariter collegeritis, dehortando civitates univerſas *Italie* ab auxilio ferendo & expeditione promovenda. Epiſcopis quoque tam litteris quam nunciis ſub pœna officii ſui & beneficii pariterque anathematis interminatione diſtrictius inhibendo, ne vel adjutorium ei facerent aut quovis modo ſecum comparere præſumerent.

Quas profecto litteras quidam ex nobis viderunt & perlegerunt, ſuper facto tanto vehementius admirati quanto timendum non fuerat, ſub dilectionis ſpecie hujuſmodi inimicitias palliare. Maxime autem de facto Treverenſis eccleſiæ ſubjunxit, de quo nec poterat credi, nec opinione concipi, ut eo quem accepit fine unquam foret concludendum. Nam ſi ſecundum ordinationem veſtram idem factum inconvulſum permanere deberet, videtur imperium demembrationem & maximam ſui juris imminutionem incurriſſe, præſertim cum nulli anteceſſorum ſuorum ab aliquo anteceſſorum veſtrorum factum fuiſſe antiquitatis reportet memoria, quod epiſcoporum quiſpiam in regno *Theutonico* conſecrationem prius quam regalia per ſceptrum imperiale receperit, quod quidem rationi non derogans in hæc uſque tempora uſus approbatus celebri firmitate conſervavit, ſed hanc imperii juſticiam infringendam per vos aut aliquatenus permutandam dominus imperator non credidit, cum atteſtatione venerabilium virorum quos ejuſdem viri ſponſores ad eum remiſiſtis, manifeſtum eſt dominum *Fulmarum* nunquam vos conſecraturum in verbo Domini firmiter promiſeritis. Cæterum in archiepiſcopatu *Mediolanenſi* injurias multo ex tempore per vos imperio factas in publico propoſuit. Ea namque ſedes quanto in Ytalia major & excellentior perhibetur, tanto virum prudentem & utilem in ea requirit & magis neceſſarium habet. Sed ut aſſerit antiſtitem eccleſiæ uſum regalium imperio à pluribus annis denegaſtis. Adjecit inſuper, quantis exactionum oneribus univerſæ de imperio per veſtros eccleſiæ ſubjacerant, videlicet ut tam eccleſiæ quam cœnobia, quibus vel panis cotidianus non ſufficit, in erogatione pecuniæ, in paſtu familiarum, in ſtabulatione equorum, ratione eccleſiæ ſuper omnem poſſibilitatem ſuam deſervire compellantur.

Hæc ſiquidem & plura his ſereniſſimus dominus noſter imperator in facie ſollempnis curiæ ſuæ, nobis cæteriſque Principibus ſuis propoſuit, oſtendens evidenter quod tales injurias ad gravamen perſonæ ſuæ & imminutionem honoris imperii nec poſſit, nec debeat ſuſtinere; unde & nos qui de conſervando & manutenendo jure & honore imperii ipſi & illuſtri filio ſuo *Rogero* regi *Auguſto* per ſacramentum tenemur, nichilominus quoque reverendæ matri noſtræ ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ dilectionis & obedientiæ debito aſtringimur, & paternam ſanctitatem veſtram in intimi cordis ſinceritate complectimur, excellentiam veſtram obnixe rogantes, totius humilitatis & filialis devotionis ſtudio deprecamur, quatinus ad laudem dei & pacem ac unitatem eccleſiæ dei & imperii, quæ nunc toti mundo deſideranda venit & exoptanda, ea quæ ad gravamen imperii facta dinoſcuntur, quoniam ea à vobis ſuſtineri aut ſub ſilentio præteriri fidei veſtræ ſinceritati nullatenus conveniret, ſaniori ut expedit conſilio permutari faciatis: Veraciter ſiquidem à domino imperatore intelleximus & pro ipſo teſtamur, quod paratus eſt & ſemper fuit ad faciendam juſticiam & recipiendam, & ſuper his quæ adverſus imperium eccleſia propoſuit, juſticiæ, amicabili compoſitioni aut arbitratui bonorum virorum aſſenſum indubitanter præbere. Propter quod venerabiles viros litteratura præditos, prudentia, & diſcretione conſpicuos ſanctitati veſtræ duximus tranſmittendos, paternam benignitatem veſtram propenſius exorantes, quatinus Apoſtolicæ manſuetudinis caritate ea quæ ex parte noſtra propoſuerint clementer audire dignemini, ac verbis eorum fidem indubitatam adhibere.

GUido Comes *Joppenſis Pictavenſis* genere *Sibillam* regis *Almarici* filiam unicam & hæredem habens uxorem conſecratus eſt rex *Jeroſolimorum* in *Auguſto* menſe.

An. Dñi 1187.

Intra natalicios dies *Octavianus* Cardinalis, *Hugo Ceſtrenſis* electus habituri legationem in *Hyberniam* ſicut dicebant, cum in aliquibus locis per *Angliam* ſollempni proceſſione recepti fuiſſent ſigna ferentes papalia, nec in aliquem aliquid ſtatuiſſent, ab *Anglia* receſſerunt apud *Doveram* transfretantes.

Henricus rex *Anglorum* regno ſuo gaudente pacis jocundæ commoditatibus xiij. kal. Marcii transfretavit apud *Doveram*, tranſitum habens per *Flandriam*. Qui die tercia ſurgens à caſtello quodam quod vocatur *Heſding* venit in *Normanniam* apud *Driencurt*.

Gilebertus Foliot Lundonienſis epiſcopus die feſto ſancti *Vitalis* martyris, ſollempni proceſſione receptus *Lundoniæ* vixit in epiſcopatu xxiij. annis menſibus x. diebus xvij. Diem autem clauſit extremum xij. kal. Marcii litera G.

B. Cantuarienſis archiepiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus die Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem* ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia beati Pauli *Lundoniæ*. Feria quoque v. poſt ramos palmarum criſma conſecravit in eadem eccleſia. Die vero paſchæ celebravit ibidem divina.

Idem archiepiſcopus cuſtodibus epiſcopatus Lundonienſis *ſcripſit in hac verba.*

PErvenit ad audientiam noſtram quod cum G. bonæ memoriæ *Lundonienſis* epiſcopus occaſione controverſiæ inter *Philippum* clericum de *Hormedon* & *Adam* de *Sanford* motæ, eccleſiam de *Hormedon* in manum ſuam recepiſſet ſequeſtratam, ipſo epiſcopo defuncto ratione cuſtodiæ circa epiſcopatum *Lundonienſem* in temporalibus vobis commiſſæ, quaſi de ſpiritualibus curam receperitis, clavem prædictæ eccleſiæ vobis tradi exegiſtis, & capellanum ejuſdem eccleſiæ quia clavem vobis tradere noluit ſuſpendiſtis. Viri ſiquidem eſtis & prudentes & diſcreti, & utinam fines commiſſæ vobis cuſtodiæ non excedatis. Scitis enim quod in ipſa cuſtodia de ſpiritualibus rebus diſpenſandis nullam habetis auctoritatem. Inhibemus ergo vobis firmiter injungentes ne de cætero ratione cuſtodiæ veſtræ aliquid de ſpiritualibus rebus vobis uſurpare præſumatis, & dilectum filium noſtrum G. archidiaconum *Middleſexiæ* in cujus archidiaconatu conſiſtere dicitur eadem eccleſia, ipſius eccleſiæ quam præfatus epiſcopus habuit cuſtodiam habere permittatis. Valete.

Conſtantia Britania Comitiſſa quam maritus ſuus filius regis *Anglorum Gaufridus* vita decedens reliquerat gravidam, die ſancto paſchæ, ſcilicet iiij. kal. Aprilis, peperit filium, quem *Britones* vocaverunt *Arturum*.

Urbanus papa iij. *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo.

Dilecti filii noſtri Prior & quidam fratres ejus monachi eccleſiæ tibi commiſſæ ad noſtram præſentiam venientes, de eccleſia quam ædificare cœpiſti, tantum ſibi & eidem eccleſiæ propoſuerunt diſpendium proventurum, quod niſi fuerit ab ejus conſtructione ceſſatum, præſcripta eccleſia ſuæ honeſtatis & ſtatus miſerabile ſuſcipiet detrimentum. Sane cum per Dei gratiam litteratus ſis & in religione diutius converſatus, ignorare non debes, ſicut nec te credimus ignorare, quomodo propter ſcandalum, à bonis eſt interdum operibus abſtinendum. Nos autem ſollicite providere volentes, ne inter te & fratres tuos remaneat materia jurgiorum, cum non poſſint convenienter obſequiis divinis intendere, qui ſunt contentionibus dediti, de conſilio & deliberatione fratrum noſtrorum monemus fraternitatem tuam, mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus donec cauſa cognita ſtatuamus quid de ipſa eccleſia fieri debeat, occaſione, contradictione & appellatione poſtpoſita, ab illius novæ eccleſiæ conſtructione & canonicorum inſtitutione deſiſtas, & etiam ab exactione fraternitatis quam ob favorem ipſius diceris ſtatuiſſe, litteris aliis non obſtantibus à ſede Apoſtolica impetratis. Si quid autem contra noſtram prohibitionem fuerit attemptatum, Apoſtolica auctoritate irritamus.

In pago *Bituricenſi* prope caſtellum *Radulfi*, quod à doloribus traxit agnomen, dum reges *Francorum* & *Anglorum* copioſum undique congregaſſent exercitum, & aciebus ordinatis ad pugnam accingerentur hinc inde, die Martis ſcilicet vigilia ſancti *Johannis*, ne Martis tam ſubito dubios experirentur eventus, ad annos uſque duos fere belli negotium induciatum eſt, dampnis hinc inde datis mutua compenſatione deletis.

Margarita regina *Francorum Philippo* regi peperit filium quem *Ludovicum* vocavit.

Templares omnibus Chriſti fidelibus ſcripſerunt in hac verba.

Quot & quantis calamitatibus ira dei, peccatis noſtris exigentibus, nos in præſenti flagellari permiſerit, nec litteris, nec flebili voce, proh dolor! explicare valemus. Turci enim inmenſam ſuarum gentium multitudinem congregantes Chriſtianorum noſtrorum fines acriter invadere cœperunt; Contra quos noſtrarum gentium phalanges coadunantes infra octavas *Petri* & *Pauli* v. ſcilicet & iiij. non. Julii in eos congredi, et verſus *Tyberiadem*, quam violenter caſtro ſolo relicto ceperant, iter arripere præſumpſimus. Cumque in ſcopulis peſſimis nos impuliſſent, nos ita acriter expugnaverunt, quod cruce ſancta capta & rege noſtro magiſtroque noſtro captis & omni multitudine noſtra fere interfecta, & fratrum noſtrorum, ut in veritate credimus, eodem die ducentis & triginta decollatis, exceptis illis lx. qui prima die Maii interempti fuerunt, vix dominus Comes *Tripolis*, & dominus *Reginalus Sydonis* dominus ſiquidem *Balianus*, & nos de illo miſerabili campo evadere potuimus. Deinde Chriſtianorum noſtrorum ſanguine debaccati verſus civitatem *Acon* cum omni multitudine ſua venire non diſtulerunt; Quam violenter capientes totam fere terram invaſerunt *Jeruſalem, Aſcalon, Tyro* nobis & Chriſtianitati adhuc ſolis relictis. Iſtas etiam civitates omnibus earum fere civibus in prælio interfectis, niſi divinum, & nobilium virorum præſto ſit auxilium, nullo modo retinere poterimus. Civitatem etiam *Tyrenſem* inpræſentiarum acriter obſidentes, violenter die noctuque expugnare non ceſſant. Tanta eſt eorum copia quod totam terræ faciem à *Tyro* uſque *Jeruſalem*, & uſque *Gaza* velut formicæ frequenter exiſtentes cooperuere.

Albertus genere *Beneventanus* eccleſiæ Romanæ Cancellarius *Urbano* iij. defuncto papa creatus viij. kal. Novembris, vocatus etiam *Gregorius* viij. ſcripſit in hæc verba.

Nos de conſueta ſedis Apoſtolicæ miſericordia duximus ſtatuendum, ut littera prædeceſſoris noſtri domini Urbani *papæ à tribus menſibus ante ipſius obitum deſtinata pro juſticia facienda & litigiis dirimendis, quæ tamen manifeſte alicujus præjudicium non continent aut calumpniam æquitatis, eundem habeant tempore noſtræ amminiſtrationis effectum, quem habere ſi adhuc ille viveret debuiſſent. Ceſſante igitur exceptione de mandatoris morte perficite quod ille mandavit agendum, & nemo ad nos pro excuſatione hujuſmodi à concepta per illum de ſua juſticia obtinenda fiducia cogatur vacuus laborare.* Dat. Ferraræ.

Hic cum ſediſſet duobus menſibus diem clauſit extremum. Subſtitutus eſt ei *Paulus Præneſtinus* epiſcopus genere *Romanus* vocatus *Clemens* tercius, xiiij. kal. Januarii.

Ricardus filius regis *Anglorum* Comes *Pictaviæ* primus inter proceres regni *Francorum*, crucis ſignum ſuſcepit de manu *Bartholomei Thuronenſis* archiepiſcopi, non expectato patris ſui conſilio nec voluntate.

An. Dñi 1188.

Rex *Francorum* & rex *Anglorum* inter *Giſortium* & *Tryam* colloquium habituri xij. kal. Februarii convenerunt. Poſt longos itaque tractatus rex *Anglorum* primo crucem ſuſcepit de manibus archiepiſcoporum, *Tyrenſis* ſcilicet & *Rothamagenſis*. Poſtmodum rex *Francorum* crucem ſuſcepit de manibus archiepiſcoporum *Tyrenſis* & *Remenſis*, & poſtmodum *Philippus* Comes *Flandriæ* & infiniti cum eis. Convenit etiam inter eos ut omnes de terra regis *Francorum* cruces rubeas ſuſciperent: de terra regis *Anglorum* albas: de terra vero Comitis *Flandriæ* virides.

Rex *Anglorum* poſt ſuſceptionem crucis familiarem clericum ſuum *Ricardum Barre Luxovienſem* archidiaconum direxit imperatoribus tam *Romano* quam *Conſtantinopolitano*. Direxit etiam eundem *Ricardum Belæ* regi *Hungarorum*, ſcribens in hæc verba.

Venerabili & excellentiſſimo Principi Frederico *dei gratia* Romanorum *imperatori ſemper* Auguſto, Henricus *eadem gratia rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ *& Comes* Andegaviæ, *in eo regnare per quem reges regnant.*

Quoniam imperatoriam majeſtatem ſuper his congratulari confidimus, quæ ad honorem Dei & exaltationem eccleſiæ ſuæ diſponuntur, excellentiæ veſtræ notum facimus nos & kariſſimum nobis in Chriſto amicum *Philippum* regem *Francorum*, &

multos proceres utriuſque regni cum magna armatorum multitudine crucem ad ſervitium Dei aſſumpſiſſe. Hoc præcipue intendentes ut Deo duce terra ſancta noſtræ humilitatis amminiculo ab his oppreſſionibus relevetur, quibus hodie ad opprobrium Chriſtiani nominis dinoſcitur miſerabiliter prægravari. Et quoniam in propoſito habemus per terras imperii veſtri tranſire, rogamus vos tanquam Chriſtianiſſimum Principem, quatinus ſecurum tranſitum nobis & his qui nobiſcum votum ſimile obtulerunt in terris veſtræ poteſtati ſubjectis præbeatis, & mercatum victualium locis competentibus in occurſum noſtrum convenire faciatis, ad honorem Dei & veſtrum, & totius imperii ſecuritatem. Quid autem ſuper hoc veſtræ placuerit majeſtati, per fidelem & familiarem clericum noſtrum *Ricardum Barre Luxovienſem* archidiaconum, quem ob hanc cauſam ad veſtram deſtinavimus præſentiam, veſtra nobis ſignificare velit dignatio.

Fredericus Dei gratia *Romanorum* imperator ſemper *Auguſtus* kariſſimo fratri *Henrico* illuſtri regi *Angliæ* ſalutem & dilectionem.

NOveris laudabile propoſitum tuum quod te ſuſcepiſſe ſuggeris ad ſervicium Dei faciendum nobis plurimum complacere, unde ad illud ſervicium perficiendum tibi conſilium & auxilium in Chriſti nomine promittimus, forumque victualium tibi & illis qui tecum ad Dei honorem militabunt prompta voluntate & prono deſiderio, Deo cooperante, ſecundum petitionem tuam providebimus, maxime autem in ſocietate kariſſimi amici noſtri Philippi *regis* Francorum, *& ea durante gratia qua nos invicem intelligimus aſſociatos.*

Glorioſo & potentiſſimo Principi *Curſac Angeli* Dei gratia *Romanorum* imperatori ſemper *Auguſto*, à Deo coronato, *Henricus* eadem gratia rex *Angliæ*, Dux *Normanniæ* & *Aquitanniæ*, & Comes *Andegaviæ*, gaudium & gloriam cum ſalute ſempiterna.

QUoniam imperii veſtri potentiam ampliſſimam ad defenſionem fidei catholicæ, & ad honorem Chriſtiani nominis credimus & confidimus ſpecialiter & laudabiliter invigilare, non immerito gloriæ veſtræ ea ſignificanda duximus, quæ ad ſacroſanctæ eccleſiæ honorem & exaltationem divina providentia, in regno noſtro, & in regno kariſſimi nobis *Philippi* illuſtris regis *Francorum* voluit operari. Imperatoriæ itaque notificamus majeſtati nos & prænominatum illuſtrem regem *Francorum* proceresque utriuſque regni cum innumera bellatorum multitudine ſignaculum crucis ſuſcepiſſe & propoſitum firmaſſe, ut omnipotenti Deo ſerviamus ad confuſionem inimicorum ſanctæ crucis in ſancta terra *Jeruſalem*, ut noſtræ humilitatis interventu terra illa eliminata *Paganorum* ſpurcicia priſtinum decorem & debitum ſplendorem Deo annuente recipiat. Quod quoniam in omni noſtro propoſito & maxime in famulatu Dei omnipotentis excellentiæ veſtræ conſilio præmuniri volumus & juvari, attentius exoramus quatinus oculos majeſtatis veſtræ ad nos & ad principes, & ad alios qui Deo duce nobiſcum militabunt reducatis, nobiſque ſublimitas veſtra ſecurum & quietum tranſitum & victualium copioſum mercatum in terris & provinciis nobiliſſimo imperio ſubjacentibus liberaliter & benigne provideat, ad honorem Dei omnipotentis & gloriam veſtri nominis & ad imperii ſecuritatem, quam de pacifico ingreſſu noſtro & de tranſitu innocuo præſtare parati ſumus, prout *Ricardus Barre Luxovienſis* archidiaconus clericus noſter fidelis & familiaris eminentiæ veſtræ ex parte noſtra plenius exponet.

Curſac Angeli Dei gratia *Romanorum* imperator ſemper *Auguſtus*, à Deo coronatus, *Henrico* eadem gratia regi *Angliæ*, Duci *Normanniæ* & *Aquitanniæ* & Comiti *Andegaviæ* ſalutem & benivolentiam.

ROgavit nobilitas tua ut noſtri imperii conſilium & auxilium haberes in ſervitio Dei omnipotentis contra Sarracenos, *& ut ſecurum haberes tranſitum cum exercitu tuo & ſufficientem mercatum victualium, per loca imperii tranſiturus. Ad quod reſpondemus. Propoſitum tuum bene placitum eſt Deo & imperio noſtro, quoniam laudabile eſt, & quod omnes Chriſtiani laudare debent, & adjuvare. Ideoque prudentia tua & probitati gratulantes, tibi & his qui in comitatu tuo venturi ſunt ſecurum tranſitum & copioſum concedimus mercatum ſecundum formam litteris tuis inſertam, unde ad præſentiam tuam mittimus* Conſtantinum *&* Nicholaum *miniſtros ſacri palacii, ut tecum tractent de ſecuritate & forma pacis ſervanda imperio, & ſi eam præſtiteris ſecuritatis formam quam ipſi portant centies milies bene veneris ſicut alter dominus & ſocius imperii, & tu cum toto comitatu tuo fideliter conſilio imperii inſtructus eris qualiter inſidias* Turcorum *debeas declinare, & qua cautela eos poſſis invadere & expugnare.*

Venerabili & kariſſimo fratri *Belæ* Dei gratia *Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Ramaque* regi *H.* eadem gratia rex *Angliæ*, Dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ* & Comes *Andegaviæ* ſalutem & ſinceram dilectionem.

QUoniam jam pridem intelleximus regiam veſtram nobilitatem Deo & ſanctæ eccleſiæ plurimum eſſe devotam, excellentiæ veſtræ ſignificare volumus, nos & kariſſimum amicum noſtrum *Philippum* regem *Francorum* multoſque proceres utriuſque regni nobiſcum ad honorem Dei & ad ipſius ſervitium ſignaculum ſanctæ crucis ſuſcepiſſe, ad hoc maximo aſpirantes ut civitas ſancta, quæ quondam domina gentium hodie ſedet in triſtitia, noſtræ humilitatis obſequio, Deo tamen operante & cooperante, ad priſtinum ſtatum & ad debitam regni dignitatem revertatur. Et quoniam in tanto propoſito veſtro conſilio, & auxilio providentiæ inniti volumus & deſideramus, rogamus attentius quatinus ſecurum tranſitum per regnum veſtrum & terras ei cohærentes nobis & fidelibus noſtris præparare benigne & liberaliter velitis, nec non & forum victualium nobis ſufficiens locis oportunis, ad honorem Dei & veſtrum & regni veſtri ſecuritatem, nobis liberalitas veſtra faciat provideri. Beneplacitum ſane veſtrum de hac petitione & de aliis quæ *Ricardus Barre Luxovienſis* archidiaconus clericus noſter familiaris & fidelis ex parte noſtra vobis proponet, per eundem nobis ſi placet ſignificetis.

Henricus II. rex.

Venerabili amico ſuo & fratri kariſſimo *H.* Dei gratia illuſtri regi *Angliæ*, Duci *Normanniæ* et *Aquitaniæ* et Comiti *Andegaviæ*, *Bela* eadem gratia *Hungariæ*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Ramaque* rex diu et feliciter regnare.

CErtiſſimum habeatis quod regiæ magnificentiæ propoſitum collaudamus & approbamus, quoniam diſcretionis veſtræ & probitatis diligentia & & ſollicitudinis interventu, ſicut credimus & confidimus, eccleſia Dei & terra ſancta deſolata ſolatium percipiet, & laudabile ſubſidium, ad honorem Dei & gloriæ veſtræ perpetuum incrementum. Nos itaque gaudio magno gaudentes, quod de proximo ſperamus & expectamus oportunitatem vobis ſerviendi & vos honorandi, regiæ veſtræ magnificentiæ vires & opes regni noſtri exponimus, veſtramque petitionem obviis manibus & hylari mente excipientes, mercatum victualium & copiam prout regionis ubertas per Dei miſericordiam proventura poterit ſuſtinere, benigne & devote concedimus & promittimus.

CIrca dies iſtos *Gaufridus* de *Liziniaco* quendam familiariſſimum *Ricardi* Comitis *Pictavorum* ſtructis inſidiis interfecit. In ultionem tanti delicti Comes provocatur ad arma, ſet ſuſceptæ crucis non inmemor hominibus *Gaufridi* crucis ſignaculo volentibus inſigniri pepercit, in ore gladii trucidavit non paucos, in deditionem plura caſtella ſuſcepit. *Gaufridus* regis *Anglorum* fultus auxilio ſimul et pecunia ſicut dicitur, Comiti reſtitit, ſet parum profecit. Hac de cauſa Comes animum ſuum alienavit à patre. Comes tranſitum faciens in *Vaſconiam* Comitis ſancti *Egidii* laceſſitus injuriis, intra breve temporis ſpatium copiis *Brebantinorum* vallatus prope *Toloſam* caſtella ſubjugavit xvij. Rex autem *Francorum* ferens indigne quod Comes *Pictavorum Ricardus* regnum ſuum hoſtiliter impugnaverat eo non diffidato, nec certiorato, caſtellum *Radulfi* de *Doloribus* in *Biturica* ſitum xvj. kal. Julii intravit latenter, ad faciendam ſibi fidelitatem omnes inhabitantes coegit. Quod ignominioſum Principi tanto videtur fuiſſe; præſertim cum rex *Anglorum* poſt ſuſceptionem crucis transfretaturus in *Angliam*, regi *Francorum* tocius terræ ſuæ cuſtodiam reliquiſſet, et ipſe bona fide ſuſcepiſſet cuſtodiendam. Subinde rex *Francorum* caſtellanos quoſdam *Anglorum* regi ſubjectos, in ſuam partem tam minis quam promiſſis attraxit. Quod audiens rex *Anglorum*, circa feſtum ſancti *Jacobi* transfretavit. Infinitum congregavit exercitum *Anglorum*, *Marchionum Walenſium*, et *Armoricanorum*. Sed omnes hos intra *Normanniam* in tentoriis habitantes et intra *Franciam* irruptiones facere plurimum affectantes multis diebus compeſcuit. Tandem habitum eſt inter reges colloquium inter *Giſortium* et *Tryam* xvij. kal. Septembris, quod per triduum protractum eſt. Cum autem ab invicem reges receſſiſſent diſcordes, rex *Francorum* arborem quandam *Giſortio* vicinantem, ſet intra fines *Franciæ* radicatam præcepit incidi. Rex autem *Anglorum* in craſtino recedens *Giſortio*, tranſitum etiam habens per *Vernonem*, *Franciam* intravit hoſtiliter, et uſque *Meduntam* omnia demolitus eſt.

POſt ſubactam *Jeruſalem* in exaltatione ſanctæ crucis, pro liberatione *Guidonis* regis *Jeruſalem* et pro liberatione *Theodorici* magiſtri militiæ templi, *Eraclius* patriarcha *Jeroſolimitanus* & *Bariſianus Neapolitanus*. & *Reginaldus* dominus *Sydoniorum* *Saladino* reddiderunt *Jeruſalem*, *Aſchalonam*, & caſtellum quod dicitur *Baron*, & *Gazam*, & *Galatididem*, & *Blancam Guardam*, & turrim militum, & caſtellum *Arnoldi* & *Petram Platam*, & *Neapolim*, et *Gibilinum*, et *Joppen*. Convenit etiam quod unuſquiſq; homo qui poſſet ſolvere *Saladino* v. biſantia, et femina quæ poſſet ſolvere duo biſantia et dimidium, et puer qui poſſet ſolvere unum biſantium et dimidium eruerentur à manibus *Saracenorum*, et conductum haberent ad tranſeundum uſque *Tyrum*. Poſtmodum xx. milia hominum ducti ſunt in captivitatem apud *Damaſcum*; Et ſtatim frater regis liberatus eſt, et poſt paſcha ſequens liberatus eſt rex et magiſter miliciæ *Templi*.

Henricus II. rex

Buamundus Comes *Tripolitanus* xv. diebus elapſis poſtquam capta fuit *Jeruſalem*, proditione reus, amens factus eſt et expiravit.

Prope dies iſtos litteræ *Saladino* directæ ſunt in hæc verba.

Fredericus *Dei gratia* Romanorum *imperator & ſemper* Auguſtus, *& hoſtium imperii magnificus triumphator*, Saladino *præſidi* Sarracenorum *quondam illuſtri exemplo* Pharaonis *fugere* Iſrahelem.

DEvotionis tuæ litteras multis retro temporibus ad nos deſtinatas ſuper arduis negotiis, tibi quidem ſi fides verbis ſubfuiſſet profuturis, prout majeſtatis noſtræ decuit magnificentiam ſuſcepimus, et epiſtolarum alloquiis magnitudini tuæ conſulere dignum duximus. Nunc vero quia terram ſanctam prophanaſti cui æterni regis imperamus imperio in præſide *Judææ*, *Samariæ*, *Palaſtinorum*, in tanti ſceleris præſumptuoſam et plectibilem audaciam debita animadverſione decernere, imperialis officii ſollicitudo nos admonet. Quamobrem niſi occupatam terram et omnia reſtituas, adjuncta ſatisfactione ſacris Conſtitutionibus, pro tam nephariis exceſſibus taxata, ne minime legittimum videamur quærere bellum, à capite kalendarum Novembris evoluto anni ſpacio terminum præſtituimus, ad experiendam belli fortunam in campo *Taneos* in virtute mirificæ crucis et in nomine veri *Joſeph*. Vix enim credere poſſumus hoc te latere quod ex ſcriptis veterum et in hiſtoriis antiquis noſtri temporis factum redolet. Numquid ſcire diſſimulas ambas *Æthiopias*, *Mauritaniam*, *Perſiam*, *Syriam*, *Parthiam* ubi *Parthi* *Craſſi* noſtri Dictatoris fata ſunt præmaturata, *Judæam*, *Samariam*, *Maritimam*, *Arabiam*, *Caldeam*, ipſam quoque *Ægyptum*, ubi proh dolor! civis *Romanus Antonius*, vir inſignis virtute præditus, citra nitorem temperantiæ, et ſecus quam deceret militem, à tanto culmine rerum emiſſum minus ſobriis *Cleopatræ* inſerviebat amoribus? Numquid etiam ſcire diſſimulas *Armeniam* et innumerabiles alias terras noſtræ ditioni ſubjectas? Norunt hæc reges qui cruore gladii *Romani* ſunt crebrius inebriati. Et tu quidem in ipſa rerum experientia Deo auctore intelliges quid noſtræ victrices aquilæ, quid cohortes diverſarum nationum, quid furor *Theutonicus* etiam in pace arma capeſſens, quid caput indomitum *Reni*, quid juventus quæ fugam nunquam novit, quid procerus *Bavarus*, quid *Suevus* aſtutus, quid *Franconia* circumſpecta, quid in gladio ludens *Saxonia*, quid *Turingia*, quid *Weſtfalia*, quid agilis *Brebantia*,

Brebantia, quid neſcia pacis *Lotaringia*, quid inquieta *Burgundia*, quid *Alpini* ſalices, quid *Spiſania* in amento prævolans, quid *Boemia* ultro mori gaudens, quid *Bolenia* ſuis feris ferior, quid *Auſtria*, quid *Stiria*, quid *Bugrenſia*, quid partes *Illiricæ*, quid *Leonardia*, quid *Tuſcia*, quid *Ancarictana Marcia*, quid *Venetus* proretha, quid *Spinanus* naucleтus, denique qualiter dextera noſtra quam ſenio arguis effœtum gladio vibrare didicerit, dies illa plena lætitiæ & jocunditatis, & reverentiæ triumpho Chriſti præfixa te docebit.

IN octavis ſancti *Martini* colloquium habitum eſt prope *Bonmulins* inter reges *Franciæ* & *Angliæ* quod procuraverat *Ricardus* Comes *Pictavorum*. Cum ventum eſt ad colloquium propoſuit rex *Francorum* quod ea quæ poſt crucem ſuſceptam ceperat, *Anglorum* regi reſtitueret, & poſt, omnia manerent in eo ſtatu quo fuerunt ante crucem ſuſceptam. Rex *Anglorum* reſpondit, Melius eſſe firmam pacem inire tam cleri, quam Baronum conſilio, quam litem protrahere forte dampnoſam. Quod audiens Comes *Pictavorum* penitus contradixit. Sibi quidem videbatur incongruum quod hac ſervata conditione *Cadurcum* redderet, & totum comitatum, & alia multa de dominio ſuo quæ mille marcis vel amplius valebant per annum pro feudo de *caſtro Radulfi*, & de caſtello de *Hiſſondin* & *Craſai*, quæ ſua non erant dominia ſed erant de ſe tenenda. Tranſivit ad aliud Comes *Pictavorum* petens à patre ſuo quatinus ſororem regis *Franciæ* ſibi daret in uxorem, & terram ſuam ſibi velut herædi ſuo faceret juramento firmari. Quod & peti fecit per regem *Francorum*. Rex *Anglorum* reſpondit ſe nullatenus hoc facturum in tali ſtatu, quoniam hoc pocius videretur facere coactus quam ſpontaneus. Poſt hæc Comes *Pictavorum* videntibus cunctis hominagium fecit regi *Francorum* de toto tenemento patris ſui quod pertinet ad regnum *Franciæ*, ſalvo tenemento patris, quam diu viveret, & ſalva fide quam patri debebat. Sicque finitum eſt colloquium treugis prorogatis ad feſtum uſque ſancti *Hylarii*.

RIcardus *Wintonienſis* epiſcopus cum ſediſſet annis xiiij. & xj. ſeptimanis xj. kal. Januarii diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem *Wintoniæ*.

An. Dñi 1189.

Exercitus Saladini *confectus eſt ante* Antiochiam. *Princeps* Antiochiæ *currit ſingulis diebus ante* Halap. Margaritus *cepit* Jafam *& omnes Turcos interfecit qui erant in ea, ſcilicet quinque milia, & viij. admiratos cepit. Cepit etiam* Gibelet *& omnes occidit. Dominus* Mullæ *major* Saladino *infeſtat* Saladinum. *Dominus etiam* Merendim, Cilif *dominus de* Baldac *major omnibus Turcis infeſtat* Saladinum *pro poſſe ſuo. Scitis etiam quod* Soldanus Iconii *maritavit filiam ſuam filio* Saladini, *&* Saladinus *filiam ſuam filio* Soldani, *& bene notum eſt qualiter* Kutepez *filius* Saladini *interfecit uxorem ſuam filiam* Soldani. *Eſt autem certa & indubitabilis, ſicut dicunt omnes, prophetia* Danielis Conſtantinopolitani, *quod eo anno quo annuntiatio Domini in die Paſcha continget* Franci *reſtaurabunt terram promiſſionis, & ſtabulabunt equos ſuos in palmatia de* Baldac, *& figent tentoria ſua ultra arborem ſiccam, & lolium ſeparabitur à tritico. Certiſſime quoque noveritis quod vadum inventum eſt in brachio ſancti* Georgii.

Verum eſt nec celandum eſt quod Soldanus *exoſum habet imperatorem* Conſtantinopolitanum, *quia non ſolvit ex una parte quadringentas libras auri quas ſolebat ei ſolvere ſingulis annis poſtquam fuit imperator, & ex alia parte trecentas. Notate fratres verbum illud quod imperator* Conſtantinopolitanus *quandoque nobis dixit, quod oculus non fallitur. Aliud vobis dicimus per gratiam Dei, quod tot Turci capti ſunt apud Sur, quod Turci duo vendebantur pro uno biſantio.* Saladinus *dixit quandoque in tentorio ſuo* Euſtatio Patricii *&* Baliani, *qui habebat uxorem regis* Jeruſalem, *quod Comes Tripolis tradidit ei totam terram promiſſionis. Et ſciatis quod aput imperatorem plus honoris exhibetur nunciis* Saladini *in palatio quam omnibus aliis in ſumma dignitate locatis.* Saladinus *etiam tradidit omnes eccleſias terræ promiſſionis nunciis imperatoris* Conſtantinopolitani, *ut in eis ſerviatur ſecundum conſuetudinem Græcam. Nec eſt fides in aliquo Græco etiamſi manu juraverit. Noveritis* etiam *quod* Saladinus *aſſenſu imperatoris* Conſtantinopolitani *miſit* Conſtantinopolim *Idolum ſuum, ut ibi publice adoraretur, ſet per gratiam Dei captum eſt in mari à* Januenſibus, *& cum ipſa navi ductum eſt* Tyrum. *Nunc autem de novo publica fama eſt quod exercitus* Saladini *confectus eſt ante* Antiochiam.

Verbum autem illud quod ſenex Græcus de Aſtralix *dixit domino* Waltero *templario, unde cæteri Græci offenſi fuerunt, nunc implebitur, ſicut dicunt, quod Latini imperabunt & dominabuntur in civitate* Conſtantinopoli, *quia ſcriptum eſt in porta aurea quæ non fuit aperta ducentis annis retro, Quando veniet rex flavus occidentalis ego per me ipſam aperiar. Sciatis quod* Aſſen *vir ille probiſſimus in veſte imperiali toxicatus eſt. Imperator promiſit* Saladino *C. galeas, &* Saladinus *ei dedit totam terram promiſſionis ſi imperator impedierit viam* Francorum. *Veriſſime vobis dicimus quod ſi aliquis accipit crucem* Conſtantinopoli *ſtatim capitur, & in carcerem mittitur. Hæc autem prophetia & aſtronomia Turcorum, quod infra hoc triennium una pars* Turcorum *gladio peribit, altera fugiet, ultra arborem ſiccam, tertia vero baptizabitur. Scimus autem quod* Saladinus *nullum Turcorum invenit, qui audeat ædificare in terra promiſſionis vel familiam ſuam inducere propter timorem venientium* Francorum. *Die dominica qua receſſit de* Conſtantinopoli *venerunt certi nuncii, quod exercitus* Saladini *confectus eſt ante* Antiochiam, *& capti ſunt frater* Saladini *& filius ejus. Ipſa autem die qua receſſi præcepit imperator eliminari omnes Latinos ab omni imperio ſuo. Et ſciatis quod per gratiam Dei de terra Yconii ſunt boni Erminii quinque milia, & xxv. admirati parati ire cum Francis ad defenſionem Chriſtianitatis, & liberationem terræ, in qua natus & mortuus eſt Dominus Jeſus Chriſtus.*

Cantuarienſi *archiepiſcopo* Cuntradus *filius* Marchionis *de* Monte Ferrario *ſalutem.*

TUrbantur elementa & catholicæ fidei derogatur, cum *Ieroſolimitana* ſedes apoſtolicæ ſedi ſubtrahitur. Nam ſicut ex quatuor mundi machina creditur elementis conſtare, ſic à quatuor ſedibus Apoſtolica fulgente orthodoxorum fides ferebatur gubernari. Sed cecidit *Alexandria*, & flos ejus penitus deſiccatur. Periit *Ieroſolima* & Chriſtianorum inhertia à *Sarracenis* viliſſime pertractatur, quia loca ſacra facta ſunt prophana. Fœdatur namque Dominicum ſepulchrum, deſtruunt Calvariæ locum, nativitatem contempnunt & virginis *Mariæ* ſepulchrum de valle *Joſaphat* eradicarunt. *Antiochena* quidem ſedes in extremis laborare dinoſcitur. *Conſtantinopolitana* quippe *Romana* ſedi nullam exhibet reverentiam: Maximam quippe capitis diminutionem ſedes patitur Apoſtolica, cum civitates & libertates amittit, & ſuo jure privatur. Amiſit quippe ramos, quomodo fructus portabit? Hæc autem omnia Chriſtianorum deſidia noſcuntur eveniſſe. Sed eminentia mala Chriſtianorum cordium debent penetrare archana.

Lugenda & lamentanda eſt *Jeruſalem* civitas ſancta quæ ſuis eſt expoliata cultoribus. Habitatores ejus peccatis exigentibus ſub tributo *Saladini* reducti cenſu capitis ſoluto longe à regno ſunt ejecti. Muri *Jeruſalem* viduati ſunt de heremitis habitatoribus ſuis. Deus quaſi malorum noſtrorum pullulatione ſeceſſit, & *Machumet* ſucceſſit, & ubi Chriſtus per conſtitutas diei & noctis horas deprecabatur, nunc *Machumet* excelſa voce laudatur. Quæ autem & quanta pro Chriſtianorum ſalute in *Tyra* ſuſtinuerim, ſatis clementiæ veſtræ credo propalatum. Et quia *Tyrum* conſervavi & conſervo *Guidoni* de *Liſigniaco* quondam regi & magiſtro Templi, & ciſmarinis magnatibus moleſtum eſt & inportabile, & meo invident & derogant nomini, & per ſe, & ſuos juvamina omnia ſubtrahere, & quod gravius eſt, elemoſinam regis *Angliæ* Templi Magiſter ſubtraxit; unde & Deo & vobis conqueri cum lacrimis non deſiſto. De Hoſpitalariis vero Deo & vobis gratias uberes expono, qui bene incipientes in eadem perſeverant, & ultra elemoſinam regis *Angliæ* de propriis pluſquam octo milia *Brab.* in obſequio *Tyri* expendidere. Veſtræ igitur non deſiſto ſupplicare paternitati quatenus calamitatum *Jeruſalem* miſereri dignemini, ut reges confortetis, populos commoneatis, ut patrimonium *Iheſu Chriſti* vendicetur, expulſi & exhæreditati in integrum reſtituantur, captivorum vincula ſolvantur, & terra ſacratiſſima Salvatoris pedibus calcata, veſtra potentia veſtroque pio eloquio de paganorum poteſtate liberetur. Præſentium quidem latores magiſtrum *Bandanum* nomine providum Cancellarium meum, & ſecretarium ac fidelem, & *Johannem* probum militem, ac michi familiarem ad vos tranſmitto, quos ſpeciales meos legatos cognoſcatis, quibus in his quæ pro me vobis dixerint tanquam præſens loquerer credere non dubitetis. Exoro etiam, ut auxilia & conſilia veſtra pietatis intuitu, & mei contemplatione eis tribuere dignemini. Data *Tyro* xij. kal. Octobris.

Xiij. kal. Aprilis Capitulo *Lundoniæ* litteræ directæ ſunt in hæc verba. *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus dilectis filiis *Radulfo* decano, & capitulo *Lundoniæ* ſalutem & benedictionem. Variis occupationibus detenti, & præcipue ut pax inter reges *Anglorum* & *Francorum* reformetur & pro ſubventione crucis Chriſti, quæ ab ejus inimicis detinetur, in partibus ciſmarinis moram facimus. Nolentes autem ut hac occaſione eccleſiis in provincia noſtra paſtoribus deſtitutis minus provideatur, mandamus vobis, & diſtricte præcipimus quatenus viij. de concanonicis veſtris ſanioris & melioris conſilii ad nos mittatis, ut ſint coram nobis in *Normannia* in Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies*; cum litteris ratihabitionis capituli veſtri, ad eligendum vobis per Dei gratiam paſtorem ydoneum. Valete.

Henricus rex *Angliæ Radulfo* decano, & capitulo *Lundoniæ* ſalutem. Mando vobis quod ad mandatum venerabilis patris noſtri *B. Cantuarienſis* archiepiſcopi & cari & fidelis mei *Ranulfi de Glanvilla* faciatis viij. canonicos eccleſiæ veſtræ quos ad hoc magis ydoneos eſſe videritis, ad me venire ubi fuero die Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies*, cum litteris Capituli veſtri de ratihabitione ſuper hoc quod ipſi fecerint de epiſcopo eligendo ad eccleſiam veſtram.

Harum auctoritate litterarũ tranſfretavit Decanus, & cum eo pars capituli magna. Qui venientes in *Normanniam* moram fecerunt per ſeptimanas fere xiiij.

Poſt Paſcha ſequens inter reges *Francorum* & *Anglorum* & Comitem *Pictavorum* bis habitum eſt colloquium prope *Feritatem Bernardi*. Sed ad ultimum poſt longos tractatus inimici receſſerunt abinvicem.

Rex *Francorum* & Comes copiis undique congregatis, intra paucos dies *Feritatem* prædictam, montem *fortem*, *Baalum*, *Bellum montem* fractis irruptionibus occupaverunt. A municipalibus circumquaque Comiti fit deditio caſtellorum. *Gaufridus de Meduana*, *Guido de Valle*, *Radulfus* dominus *Fulgeriarum* transfugerunt ad Comitem.

Rex *Anglorum* intra *Cenomannim* reſedit, non archiepiſcoporum, non epiſcoporum, non Baronum, non familiarium conſiliis adquieſcens. Quod ut intellexerunt rex *Francorum* & Comes, arma moverunt, tamen in propoſito non habentes urbem obſidione vallare. Quod forte reputans rex *Anglorum*, mente conſternatus, licet proceres plurimos, armatorum multitudinem tam equitum quam peditum, animos etiam univerſorum ad reſiſtendum paratos haberet, *Cenomannim* refertam omni genere victualium dereliquit. In craſtino ſancti *Barnabæ* vehemens ignis à parte regis *Anglorum* injectus intra modicum temporis ſuburbana conſumpſit. Rex *Francorum* & Comes *Ricardus* muris appropinquantes portas invenerunt apertas, & intra majorem eccleſiam ſollempni proceſſione recepti ſunt, inhabitantibus tam clero quam populo repromiſerunt omnem & ſervaverunt indempnitatem. Intra domos regias quæ repererant comederunt & biberunt, ſet non dico quod inebriati ſint. Turris conſtructa prope portam quæ reſpicit ad Aquilonem, circa decimum diem mandato regis *Anglorum* regi *Francorum* eſt reddita. Tandem pax inter tantos Principes conſilio magnorum reformata fuit in hunc modum. *Anglorum* regi reſtituentur omnia tam caſtrum *Radulfi* quam alia poſt crucem ſuſceptam ablata, ſcilicet intra *Bituricam* provinciam, regi *Francorum* numerabuntur xx. milia marcarum, expenſarum nomine quas fecerat circa caſtellum *Radulfi*. Prædicti reges & Comes in manu *Remenſis* archiepiſcopi fidem dederunt, quod in media quadrageſima convenient aput *Viceliacum*, votum peregrinationis quod inierunt proſecuturi niſi communis conſilii mutatio, vel corporis infirmitas virorum opinionis bonæ teſtimonio probata fuerit impedimento. *Aeleis* ſoror regis *Francorum* vel archiepiſcopo *Cantuarienſi*, vel *Rotbomagenſi*, vel Comiti *Willelmo de Magna villa* cuſtodienda tradetur; quæ poſt reditum à peregrinatione juxta conſilium regis *Francorum*

Henricus II. rex.

corum tradetur nuptui collocanda. Rex *Francorum* pro magnis expenſis quas fecit aput *caſtrum Radulfi* de *Doloribus* hoſtilitatis tempore, xx. milia marcarum recipiet ab archivis regis *Anglorum*. Comes *Ricardus* recipiet ſecuritates de Baronibus ſalva fide patris ejus. Omnes noviter ad Comitem converſi remanebunt in Comitis fidelitate, quouſque pater ſuus iter peregrinationis arripuerit. Ad præſcriptæ ſummæ pacis obſervationem fide tenentur Reges, & Comites & Barones utriuſque partis. Facta ſunt autem hæc in vigilia Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* inter *Turonem* & *Aza*. Poſtmodum rex *Anglorum* hominagium fecit regi *Francorum*. Quicquid etiam in *Arvernia* vel ipſe vel anteceſſores ſui poſſederant, quietum clamavit regi *Francorum*.

Ecce rex *Anglorum Henricus* qui tot populos viriliter edomuerat, qui victoriam ſemper reportaverat ab inimicis, proh dolor! juxta prophetiam *Merlini* maxillis ſuis dari frænum cognoſcere potuit, dum quod prædeceſſores ſui tenuerant hæreditabiliter in *Arvernia* dominio ſubjecit alterius, dum transfugas ſuos *Galfridum* de *Meduana*, *Guidonem* de *Valle*, *Radulfum* de *Filigeriis* intra ſinum habitantes Armoricum, qui ſinus tranſitum facientibus à *Britannia* verſus *Franciam* ſe pacificum & comeabilem offerebat, vitatis finibus *Normannorum*, in ligantiam & poteſtatem filii ſui *Ricardi*, vellet nollet, tranſire conceſſit.

Circa dies iſtos die feſto ſancti *Georgii Fredericus* imperator *Romanus* loca paſſionis Dominicæ viſitaturus peregrinationis iter arripuit aput *Reineſburg*, tranſitum per *Hungariam* & *Bulgariam* ſicut propoſuerat habiturus.

Rex *Anglorum Henricus* cum regnaſſet annis xxxiiij. additis xx. ſeptimanis & octo, diebus etiam quinq; gravi tactus incommodo lecto decubuit, & in octavis apoſtolorum diem clauſit extremum aput *Chinonem*. Sepultus autem eſt aput *Fontem Ebraldi*. *Turonenſis*, *Treverenſis* archiepiſcopi celebraverunt obſequium ſepulturæ. Comes *Ricardus* exequiis paternis interfuit.

Epitaphium Regis.

Tumulum regis ſuperſcriptio brevis exornat.

Sufficit hic tumulus cui non ſuffecerat orbis;
Res brevis eſt ampla cui fuit ampla brevis.

Rex Henricus *eram, mihi plurima regna ſubegi,*
Multiplicique modo, Duxque Comeſque fui:
Cui ſatis ad votum non eſſent omnia terræ
Climata, terra modo ſufficit octo pedum.
Qui legis hæc penſa diſcrimina mortis, & in me
Humanæ ſpeculum conditionis habe.
Quod potes inſtanter operare bonum, quia mundus
Tranſit, & incautos mors inopina rapit.

Matildis duciſſa Saxoniæ filia regis tercio idus Julii diem clauſit extremum.

Circa dies iſtos à partibus Aquilonis naves plurimæ ſulcantes mare *Britannicum* fœdus inierunt cum *Anglis* quos aput *Derteſmu* reppererunt. Itaque communi conſilio xv. kal. Junii ſe pelago commiſerunt, cum eſſent naves xxxvij. oneriferæ multum, & hominum multorum capaces. Poſtque varios rerum eventus iij. kal. Julii venerunt *Ulixibonam*. Rex autem *Portugalenſis* intelligens quod naves eſſent refertæ tam hominibus quam armis ad pugnandum ydoneis, & omni genere victualium munitiſſimæ, ſupplicavit ut ei venirent in auxilium, ad ſubjugandam civitatem quandam nomine *Silviam*, quam *Silvius Æneas* conſtruxerat, & de nomine ſuo vocaverat *Silviam*, conferens eis in adjutorium xxxvij. galeas & alias naves quæ ſagittariæ nuncupantur quamplurimas, & pactum iniit cum eis tam ipſe quam tres epiſcopi ſui præſtito ſacramento, quod quicquid vel auri, vel argenti, vel victualium civitate ſubacta poſſint adquirere, ſuos in uſus redigerent, & ſolam urbem regis poteſtati ſubigerent. Ab *Ulixibona* recedentes xvij. kal. Aug. *Silviæ* portum intraverunt impulſis ad terram navibus, fixiſq; tentoriis urbem obſidione vallarunt munitam turribus, ſicut dicitur, circiter quadraginta; numerus erat Chriſtianorum ad pugnam præparatorum tria milia quingenti. Tertia die ſequenti muris appropinquantes inſultum fecerunt acerrimum, ſuburbium irruperunt, fontem etiam duplici muro circumdatum, habentem barbacanam novem turribus circumſeptam, à quo fonte cives ſuſtentabantur ne ſiti perirent, obſtruxerunt terra, fimo, lapidibus. Gentiles aquæ penuria laborantes animo conſternati ſunt. Princeps civitatis vocatus *Alcad* regem adiit *Portugalenſem*, qui cum exercitu ſupervenerat ſet Chriſtianis nullum præſtabat auxilium, regique tam ſui quam civitatis fecit deditionem ignorantibus Chriſtianis. Subacta fuit civitas viij. idus Septembris pluſquam lx. virorum ad pugnam aptorum referta. Qui gladio corruentes orcho tranſmiſſi ſunt, tredecim milibus utriuſque ſexus inventis ſuperſtitibus qui de ſuo ſecum nec quid minimum aſportantes, ſed ejuſdem generis pannis in ſignum ſervitutis induti verſus *Sibiliam* tranſmigrandi plenam receperunt ſecuritatem. Sic virtute Dei patris omnipotentis ſine dampno Chriſtianorum triumphatum eſt de paganis. Civitate tandem ſordibus & ydolatriis emundata, die nativitatis beatæ Mariæ *Portugalenſis* epiſcopus *Macomeriam* in honore beatæ virginis dedicavit, præficiens ibidem epiſcopum qui de partibus *Flandriæ* cauſa peregrinationis advenerat.

Ricardus I. rex.

Ricardus Comes *Pictavorum* diſpoſitis omnibus quæ tam ad pacem, quam ſecuritatem *Aquitanniæ*, vel *Andegaviæ*, vel *Turoniæ*, ſeu *Cenomanniæ* ſpectare pocius videbantur, à morte patris ſeptimanis tribus emenſis intravit *Normanniam*, & apud *Sagium Cantuarienſem Rothomagenſem* invenit archiepiſcopos. Sed quia poſt crucem ſuſceptam arma moverat contra patrem, à prædictis archiepiſcopis beneficium abſolutionis promeruit. Inde *Rothomagum* veniens ab archiepiſcopo *Rothomagenſi* tam enſem quam vexillum de ducatu *Normanniæ*, proceribus multis præſentibus, in eccleſia beatæ virginis ante majus altare ſuſcepit, & inde tendens in *Angliam* aput *Wintoniam* in aſſumptione beatæ virginis ſollempni proceſſione receptus eſt.

Alienor regina quæ per annos plurimos artæ fuerat deputata cuſtodiæ, ſtatuendi quæ vellet in regno poteſtatem accepit à filio. Datum ſiquidem eſt in mandatis regni Principibus, & quaſi ſub edicto generali ſtatutum, ut ad reginæ nutum omnia diſponerentur. Itaque diebus iſtis propheticum illud venit in lucem quod ambiguitate verbi latuerat: *Aquila rupti fœderis tercia nidificatione gaudebit*. Aquila ſiquidem appellata quoniam duas alas expandit ſuper duo regna, tam *Francorum*, quam *Anglorum*: Sed à *Francis* propter conſanguinitatem disjuncta fuit per divortium, ab *Anglis* vero per cuſtodiam carceralem à thoro viri ſegregata fuit. Cuſtodiam dico ſedecim annis continuatam. Sic *Aquila rupti fœderis* utrobique. Quod autem additum eſt, *tercia nidificatione gaudebit*, ſic potes intelligere. Primogenitus filius *Alienor* reginæ *Willelmus* ætate puerili deceſſit, *Henricus* filius reginæ ſecundus ſublimatus in regem hoſtiliter congreſſurus cum patre, naturæ debitum ſolvit. *Ricardus* filius tercius tercia nidificatione notatus maternum nomen in ſingulis intendebat extollere. Qui quoniam patri reſtitit, & *Francorum Normannis* ſemper adverſantium partes fovere non minimum videbatur, nominis ſui famam aput bonos & graves viros denigratam attendit. Sed ut tantos exceſſus redimeret, matri ſuæ quem poterat honorem exhibere curavit, ut in obſequio materno quod in patrem commiſerat deauratum omnibus appareret.

Gaufridus Helyenſis epiſcopus cum ſediſſet annis xiiij. additis ſeptimanis xlv. diebus eciam tribus xij. kal. Septembris *Wintonia* rebus humanis exemptus eſt. Qui quoniam inteſtatus deceſſit ejus bona confiſcata ſunt univerſa. Pecuniam numeratam habebat repoſitam tria millia marcarum argenti, ducentis marcis prædicto numero ſuperadditis. Supellectilis ſuæ numerus tam in auro quam in argento, tam in equis quam in veſtibus precioſis, tam in blado quam in inſtauramentis in immenſum excrevit.

Equos *Henrici* regis quos in ſtabulis Abbatiarum *Alienor* regina deputatos audivit erogatione pia diſtribuit. Vicecomitum foreſtariorum rapacitates gravi pœnarum cohibuit interminatione.

AD vocationem archiepiſcopi *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei *Lundonia* convenerunt iij. Non. Septembris ad coronationem novi regis. Convenerunt eciam Abbates & conventualium eccleſiarum Priores. Mater Comitis *Alienor* regina de vocatione omnium Comitum, Baronum, Vicecomitum fuit ſollicita. De numero vel nominibus epiſcoporum duximus ſuperſedere. *Cantuarienſis*, *Rothomagenſis*, *Treverenſis*, *Dublinenſis* archiepiſcopi de diverſis partibus convenerunt. Comes itaque *Pictavorum Ricardus* hæreditario jure promovendus in regem, poſt tam cleri quam populi ſollempnem & debitam electionem, involutus eſt triplici ſacramento, ſcilicet quod opem impendet pro viribus, ut eccleſia Dei populuſque *Chriſtianus* veram pacem optineat, quod interdicet omnibus rapacitatem, quod in Iudiciis æquitatem præcipiet & miſericordiam. *Cantuarienſis* archiepiſcopus celebravit divina. Quia vero tunc temporis *Lundonienſis* vacabat eccleſia, *Radulfus de Diceto Lundonienſis* eccleſiæ Decanus tam in oleo ſancto quam in criſmate miniſtravit archiepiſcopo. Sollempnibus expletis in plenitudine magna divitiarum & deliciarum & profuſioribus cibis, pax *Iudæorum*, quam ab antiquis temporibus ſemper obtinuerant, ab alienigenis interrumpitur. Occiſi ſunt aliqui *Iudæorum*, plurimi ſpoliati, domus eorum pro maxima parte flammis exuſtæ, ſynagogæ datæ dedecori. Quod quia de nocte factum eſt, nec ad ſcientiam regis potuit pervenire, qui vel eſſent tanti facinoris incentores vel coadjutores, ultio dilationem accepit.

RIcardus rex *Anglorum* ut promotionis ſuæ primordium Domino conſecraret, primum & præcipuum judicavit *Ciſtercienſibus*, ſingulis annis ad Capitulum generale de diverſis terrarum ſpatiis convenientibus, C. marcas annuas aſſignare. Quod vero ſtatuit ymaginis ſuæ ſignaculo communivit.

HAbitus eſt generalis conventus juxta diſpoſitionem regis, & archiepiſcopi xvij. kal. Octobris aput **Pipewelle**, ut de conſilio vacantium per *Angliam* eccleſiarum haberetur tractatus. *Ricardus* igitur *Elyenſis* canonicus *Lundonienſis*, eccleſiæ *Lincolnienſis* decanus, archidiaconus *Helyenſis*, domini regis theſaurarius, ad *Lundonienſem* eccleſiam; *Godefridus de Luci* ſancti *Martini Lundonia* Decanus ad *Wintonienſem*; *Hubertus Walteri* decanus *Eboracenſis* ad *Sareſburienſem*; *Willelmus de Longo campo*, Domini regis Cancellarius, ad *Helyenſem* electi ſunt epiſcopi.

DEcanus & canonici *Lundonienſes*, ut eligerent epiſcopum, ad mandatum regis patris transfretaverunt. Qui redeuntes in *Angliam*, expenſarum nomine lx. marcas receperunt à fiſco.

T*Reverenſis* archiepiſcopus in *Anglia* moriens, aput ſanctum *Andream* ſepultus eſt *Norhamtonia*.

Domino papæ *Theobaldus* præfectus & *Petrus Leonis* ſalutem.

Rex *Ieruſalem*, *Templarii*, *Hoſpitalarii*, archiepiſcopus *Piſanorum*, & plures *Piſani* iiij. die in fine Auguſti, contra voluntatem domini Marchionis & archiepiſcopi *Ravennenſis* eccleſiæ aliorumq; Chriſtianorum *Acram* in obſidione devenerunt. Qui advenientes ita forti manu civitatem circumſederunt quod nullus *Saracenorum* ingredi poterat vel exire. Exinde tertia die poſt, *Saladinus* adveniens in manu vehementi, & brachio extento in fratrem regis & Hoſpitalarios inſultum faciens, illorum acies ita coanguſtavit, ut intrantibus civitatem & exeuntibus viam patefaceret. Chriſtiani vero noſtri nimio pavore perterriti parumper ceſſerunt, & in cacumine montis vicini ſe receperunt. *Saladinus* vero cum centum milibus militum eos infra montem, quo exire non poterant circumcluſit; rex vero *Ieroſolimitanus* videns ſe ab hoſtibus undique circumventum, *Tyrum* ad dominum Marchionem, & archiepiſcopum, & alios milites quibus factum ejus diſplicuerat legatos tranſmiſit, deprecans ut ad facti ſui imperitiam reſpectum non haberent, ſet quia anguſtiæ ei erant undique incontinenti ſubvenirent. Marchio vero depreſſioni Chriſtianitatis compaciens, cum archiepiſcopo cum mille militibus & cum xx^{ti}. milibus peditum in auxilio Chriſtianorum vij. die in fine Septembris per aquam devenerunt. *Saladinus* vero in adventu eorum paveſcens per unum miliare in pede cujuſdam montis ſe retro recepit. Quarta vero die menſis Octobris intrantis, bellum contra *Saracenos* inivimus. Rex cum *Hoſpitalariis* & *Francigenis* aciem unam conſtituerunt. In ſecunda acie fuit dominus Marchio, & archiepiſcopus *Ravennenſis*, & nos cum eis. In tercia fuerunt *Antegranus*, & *Piſani*, & *Theutonici*. In quarta fuerunt *Templarii*, *Catelanni* & quidem *Theutonici*. Et in tentoriis remanſerunt frater regis, & *Iacobus de Avennis*. Nos inſimul collecti conſtituimus nobiſcum $\overline{\mathrm{iiii}}$. militum habentes $\overline{\mathrm{C}}$. peditum. *Saladinus* autem habebat contra nos $\overline{\mathrm{C}}$. militum. Nos autem ſigno ſanctæ crucis armati, circa horam diei terciam bellum inchoavimus, & Deo partem noſtram fovente uſque ad tentoria ſua illos fugantes in ore gladii ſecuti ſumus, & vij. acies *Saracenorum* turpiter confringendo deturbavimus: filium *Saladini* nomine *Baldewinum* mortificavimus, *Tacaldinum* fratrem *Saladini* ad mortem vulneravimus, & illum jam mortuum pro certo reputamus. Quinquies centum de militibus *Saladini* interfecimus præter prædicta. Dum ita contra *Saladinum* pugnaremus v. militum à civitate exierunt, & in nos inſultum ex improviſo fecerunt. *Saladinus* vero videns ſuos coadjutores ita nos pæne aggredientes, vires ſuas in nos acuit. Nos vero ex utroque latere anguſtiati *Saladinum* ſuſtinendo, alios viriliter debellando, vellent nollent, nos in tentoriis recepimus. Magiſter tamen *Templariorum*, & plures de noſtris eodem die ſunt interfecti.

Philippus Dei gratia *Francorum* rex amico & fideli ſuo ac fratri *Ricardo* regi *Anglorum* ſalutem & dilectionis ſinceritatem.

N*Overit veſtra dilectio quod ad ſubventionem terra* Ieroſolimitanæ *noſtrum banelat & fervet propoſitum, Deoque noſtrum in* Ieroſolimitanis *partibus exhibere ſervitium votis affectamus pleniſſimis. Sane dudum de verbis veſtris, & ad præſens de veſtrorum relatione nunciorum intelleximus, quod propoſitum & voluntatem habeatis eundi* Ieruſalem. *Voluntatem igitur veſtram, & propoſitum ſuper hoc nunciis noſtris preſentium latoribus, vice noſtri aſſecurari faciatis: Neſque per litteras veſtras patentes ſuper hoc certificetis. Idem vero nuncii noſtri ſuper hoc vobis ſecuritatem preſtabunt, vobiſque noſtras tradent litteras patentes. Act. ab incarnatione Domini M.C. lxxxix*$^{\text{no}}$*. anno, menſe Octobris.*

W*Intonienſis, Sareſbirienſis* electi, conſecrati ſunt apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katerinæ* xj. kal. Novembris.

Iohannes Anagnienſis tituli ſancti *Marci* preſbyter Cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus applicuit apud *Doveram* xij. kal. Decembris. Interdictum eſt ei die ſequenti per reginam *Alienor* ne procederet, quoniam citra conſcientiam regis regnum ſuum intraverat. Subſtitit igitur ibi non abſque tædio per xiij. dies ſumptibus archiepiſcopi: pax interim reformata fuit inter archiepiſcopum & monachos ſuos præſente rege, præſentibus epiſcopis, abbatibus, clero, Baronibus & populo multo iij. kal. Decemb. Convenit enim quod in capella de *Haketun* non miniſtrabitur per canonicos, ſet per unum ſolummodo ſacerdotem, non habebit capella baptiſterium, vel cimiterium. Prior eciam quem archiepiſcopus citra conſcientiam conventus inſtituerat, inſtitutioni ſuæ ceſſit. Quod legatus audiens graviſſimum habuit, quoniam ob pacem reformandam venerat. Sed tamen permiſſu regis *Cantuariam* veniens ſollempni proceſſione receptus eſt, bis ibi pernoctans.

REx *Scociæ Willelmus* veniens *Cantuariam*, duces habens itineris *Eboracenſem* electum, *Lincolnienſem* epiſcopum, hominagium regi fecit, gratiam in oculis regis invenit numeraturus x. marcarum ad hoc, ut omnia tenementa ſua, ligantias eciam hominum ſuorum quas de condicto noſtro regi facere repromiſerant in ſua poteſtate reciperet.

Iohannes Comes *Moritonii* frater regis coram rege, coram legato, coram epiſcopis gravem querelam depoſuit, quod archiepiſcopus poſt appellationem factam ad ſedem apoſtolicam totam terram ſuam ſub interdicto concluſerat, quoniam filiam *Willelmi* Comitis *Glouceſtriæ* duxerat in uxorem. Quod audiens legatus appellationem ſuam confirmavit, & terram ſuam relaxavit ab interdicto.

Si promiſſionibus pecuniarum infra ſpacium iiij. menſium novo regi factis, & cautione fidejuſſoria roboratis, in anno ſaltem ſequenti, ſequens numeratio reſponderet, *R.* rex *Anglorum* univerſas prædeceſſorum ſuorum ſupergrederetur divitias. Qui cum de regni diſpoſitione pauca cum paucis tractaſſet apud *veram* xix. kal. Ianuarii transfretavit, navem exiens ipſa die prope *Graveling*.

Willelmus de Magna villa Comes tam *Eſſexiæ* quam *Albemarlæ* viam univerſæ carnis ingreſſus eſt xviij. kal. Decembris.

Circa dies iſtos *Willelmus* rex *Siculus* gener regis *Anglorum* abſque legitima ſobole moriens, *Tancredum* genere ſibi propinquum habuit ſucceſſorem regni.

A tempore crucis ſuſceptæ decimatio generalis rerum mobilium, facta per *Angliam* ad ſubventionem terræ *Ieroſolimitanæ*, tam clerum quam populum exactione violenta perterruit, ſub elemoſinæ titulo vicium rapacitatis includens.

Philippus *Dei gratia* Francorum *rex, &* Ricardus *eadem gratia rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& Comes* Andegaviæ, *omnibus fidelibus ad quos littera iſta pervenerint, in Domino ſalutem.*

NOverit univerſitas veſtra quod inter nos firmiter convenit, & de conſilio Prælatorum eccleſiæ & principum terrarum noſtrarum diſpoſuimus, ut iter *Ieroſolimitanum* ducente Domino ſimul perficiamus, & uterque noſtrum alteri bonam fidem, & bonum amorem ſe ſervaturum promiſit. Ego *Philippus* rex *Francorum*, *Ricardo* regi *Anglorum*, tanquam amico & fideli meo: Et ego *Ricardus* rex *Anglorum*, *Philippo* regi *Francorum*, tanquam domino meo & amico. Statuimus itaque, ut omnes cruce ſignati in terris ſub noſtra poteſtate conſtitutis, infra octavas paſchæ vel nos præcedant, vel in termino illo nobiſcum eant, niſi de voluntate & conſcientia noſtra remanſerint. Si vero aliqui aliter remanere præſumpſerint, & perſonæ excommunicationi, & terræ eorundem ſubicientur interdicto auctoritate Prælatorum terrarum utriuſque noſtrorum. Volumus etiam, ſtatuimus & præcipimus, ut qui terris noſtris præerunt, ſi opus fuerit mutua ſibi ſubventione ſuccurrant. Eorum autem bona qui iter *Ieroſolimitanum* vel nobiſcum, vel ante nos arripuerint, ita illæſa & intacta permaneant tanquam noſtra propria. Et ſi quis eis injuriam irrogaverit, Iuſticiarii & Bailivi noſtri faciant emendari, quantum de jure poterint ſecundum conſuetudinem terrarum noſtrarum. Si vero aliquis in aliqua terrarum noſtrarum guerram movere præſumpſerit in abſentia noſtra nobis, vel alicui de terris noſtris, & ad juſtitiam ſe non offert, primo excommunicetur, & poſt excommunicationem niſi infra xl. dies foriſfactum ſuum emendaverit, decernimus ut ipſe & hæredes ejus imperpetuum exhæredentur. Feudi autem illius qui per foriſfactum ſuum exhæredatus fuerit tranſeant in proprietatem & dominium propinquioris domini à quo feodi movebunt. Præterea quicumque in aliqua terrarum alterutrius noſtrum forisfecerit, & forisfactum emendare noluerit, in terra alterius non receptetur. Et ſi ibi inventus fuerit, Iuſticiariis terræ illius in qua deliquit reddatur. Ad hæc autem quæ ſupradiximus obſervanda, Iuſticiarios, & bailivos noſtros ſibi invicem volumus & præcipimus teneri, & obligari uſque ad reditum noſtrum ſub tenore juramenti, & fidelitatis quam nobis præſtiterunt. Acta ſunt hæc xxx. die Decembris apud Nonancurt.

Hæc quidem conſtitutio generalis inter duos reges habita, quoniam inita fuit die Sabbati ſicut aſſerunt homines, non obtinuit firmitatem, ſet in aliud uſque tempus die feſto ſancti *Johannis Baptiſtæ* ſequente, ſcilicet die dominica peregrinationis initium Domino conſecravit.

Alexander papa iij. *Ricardo Elyenſi* archidiacono. *Audito laudabili multorum teſtimonio, quod ſcientia litterarum, & honeſtis moribus ſis adornatus, tibi de conſueta clementia, & benignitate ſedis apoſtolicæ indulgemus, ut ſi aliqua eccleſia, annuente Deo, te ad beneficium vel dignitatem quamlibet vocaverit, non obſtante quia non es de legittimo matrimonio natus, libere valeas ad beneficium vel dignitatem aſſumi.*

An. Dñi 1190.

RIcardus *Lundonienſis, Willelmus Elyenſis* electi pridie kal. Ianuarii conſecrati ſunt apud *Lamehedam. Lundonienſis* epiſcopus ipſa die ſua ſollempniter eſt collocatus in ſede ſub præſentia xij. epiſcoporum.

Willelmus Elyenſis epiſcopus in epiphania Domini, concurrentibus epiſcopis multis ad diem feſtum, intronizationem ſuam in apparatu magno ſollempnem effecit. Tunc demum ad notitiam ſuam & epiſcoporum pervenit violatum fuiſſe ſepulcrum *Gaufridi* prædeceſſoris ſui, quoniam anulus pontificalis quem ſepulturæ traditus habebat in digito fuerat latenter ſubtractus. In pulpitum igitur aſcendentes epiſcopi, violatores tam facientes quam conſentientes ſub anathemate concluſerunt.

BAldewinus *Cantuarienſis* archiepiſcopus peregre profecturus, de communi conſilio ſuffraganeorum ſuorum vices ſuas epiſcopo *Lundonienſi Ricardo* cõmiſit. *Roſenſis* epiſcopus ab antiquo vicarius archiepiſcopi, tam in territorio *Cantiæ*, quã in eccleſiis maneriorũ archiepiſcopi curam paſtoralẽ ſuſcepit.

MUlti per *Angliam* tendere *Ieroſolimam* properantes, prius in *Iudæos* inſurgere decreverunt, quam invaderent *Sarracenos*. Igitur viij. idus Februarii, Judæi quotquot inventi ſunt in domibus propriis aput *Norwicum* trucidati ſunt; aliqui refugium habuerunt in caſtellum. Nonis Marcii, tempore ſcilicet nundinarum apud **Stanford** occiſi ſunt multi. Septimo decimo kal. Aprilis apud *Eboracum*, ſicut dicitur, fere quingenti neci traditi ſunt, mutuis ſeſe vulneribus appetentes. Malebant enim à propria gente percuti, quam manibus incircumciſorum perire. xv. kal. Aprilis, ſcilicet in ramis palmarum, ſicut dicitur, quinquaginta ſeptem jugulati ſunt aput *Sanctum Eadmundum*. Ubicunque reperti ſunt Judæi manibus peregrinantium percuſſi ſunt, niſi qui municipalium eruebantur auxilio. Necem Judæorum tam funeſtam, tam exitialem viris prudentibus placuiſſe credendum non eſt, cum Daviticum illud auribus noſtris frequenter occurrat, *Ne occidas eos.*

Vide quotiens Ieruſalem *vel tributum ſolvit, vel everſa fuit.*

JOat rex Iuda regnavit tribus menſibus in *Ieruſalem*, & ſolvit *Pharaoni Nechao* regi *Ægypti* C. talenta argenti, & unum talentum auri.

Ieconias tribus annis ſolvit tributum *Nabuchodonoſor* primo, ab eodem tandem interfectus eſt, & extra murum projectus.

Nabuzardan princeps exercitus regis *Babilonis Nabuchodonoſor* vaſtavit *Ieruſalem*, ſuccendit domum Domini, & domum regis, & totam *Ieruſalem* in circuitu.

Antiochus illuſtris aſcendit *Ieroſolimam*, & intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit omnia vaſa concupiſcibilia, & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam.

Magnus *Pompeius Ieroſolimam* obſedit, quam vix tercio menſe cepit, xiij. milibus Iudæorum occiſis. Cæteros in fidem accepit, muros civitatis evertit, cujus circuitus iiij. m̅. paſſuum dicitur fuiſſe.

Ieruſalem eſt capta temporibus *Veſpaſiani*, vel *Tyti*, die menſis octavo Septembris.

Ieruſalem ad fidem converſa fuit Chriſti temporibus *Conſtantini* primi qui fuit *Helenæ* filius.

Poſt tempus imperatoris *Heraclii* propheta magnus fuit aput *Sarracenos Machometus*, cujus tempore ſubjugata fuit *Ieruſalem*.

Anno milleno centeno quo minus uno
Ieruſalem Franci *capiunt virtute potenti.*

Saladinus Ieruſalem ſubjugavit.

MArgareta regina *Francorum Pariſius* laborans in partu diem clauſit extremum, & in eccleſia majore beatæ virginis inter reginas *Francorum* prima ſepulturam accepit. Ipſa die duo reges tam *Francorum* quam *Anglorum* habentes colloquium, ſuæ peregrinationis initia diſtulerunt ad feſtum uſq; beati *Iohannis Baptiſtæ*. Quod fatalium conjectores eventuum Deo plurimum diſplicuiſſe dixerunt, reginæ mortem in argumentum trahentes.

Epiſcopi temporis hujus ſe negotiis ſecularibus immiſcentes, & comitatus affectantes, ſeu vicecomitatus vel caſtellanias, *Rogerum* quondam bonæ memoriæ *Saresburienſem* epiſcopum revocent ad memoriam. Qui plurimum ſollicitatus à rege *Henrico* non ſe prius permiſit inſtitui regni Iuſticiarium quam auctoritas ſummi pontificis, aſſenſus & beneplacitum *Anſelmi, Radulfi, Willelmi Cantuarienſium* archiepiſcoporum, ad ſubeundum hoc onus eum impellerent.

Baldwinus Cantuarienſis *archiepiſcopus* Ricardo Lundonienſi *epiſcopo*.

CUm eſſemus apud *Rothomagum* venerabilem fratrem noſtrum *Hugonem Coventrenſem* epiſcopum, qui contra dignitatem ordinis epiſcopalis officium ſibi vicecomitatus uſurpaverat, & propter alias quaſdam cauſas rationabiles ſuſpendimus; poſtmodum relaxationis beneficium promeruit, & litteris patentibus ad dominum regem directis nobis firmiter promiſit, quod vicecomitatus quorum curam ſuſceperat, in manum domini regis infra xv. dies poſt paſcha reſignabit, nec ſe de cætero hujuſmodi officiis immiſcebit, quæ epiſcopalem dignitatem dehoneſtant. Sed & ſuper aliis articulis litteras patentes, quas vobis mittimus, nobis exhibuit, & appellationi renunciavit. Vos itaque ſecundum diſcretionem vobis à Deo datam aſcitis venerabili fratre noſtro *G. Roſenſi* epiſcopo, & clericis noſtris, & aliis quos ad hos evocandos decreveritis, diem certum & locum congruum prædicto epiſcopo ſuper præfatis articulis conſtituatis, & quod juſtum fuerit, & eccleſiæ noſtræ, & noſtræ dignitati congruere videritis, ſtatuere non omittatis. Valete. Et quod præfatus epiſcopus ſcripto promiſit ipſum exequi faciatis.

Ricardo Lundonienſi epiſcopo, *Hugo* *Coventrenſis* epiſcopus.

NOverit diſcretio veſtra quod venerabili patri noſtro B. *Cantuarienſi archiepiſcopo firmiter promiſimus, quod ſuper querela monachorum de* Coventria *& capella ſancti* Michaelis *de* Coventria, *& ſuper univerſis querelis quas adverſus nos propoſuit, judicio veſtro omni appellatione & contradictione poſtpoſitis parebimus, aſſignatis nobis loco & tempore convenientibus & advocatis illis auctoritate veſtra quos ad earum querelarum deciſionem videritis eſſe neceſſarios. Ne autem ab hac promiſſione noſtra reſilire valeamus eam ſigilli noſtri teſtimonio roboramus.*

Gaufridus Henrici regis ſecundi filius in archiepiſcopum *Eboracenſem* electus eſt *Eboraci*. Factam electionem *Hamo* præcentor ejuſdem eccleſiæ recitavit in publico, quia tunc temporis abſens erat decanus cauſa reipublicæ. Poſt dies aliquot prædictus electus venit ad fratrem ſuum regem *Ricardum* aput **Pipſwelle**. *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus ordinationem & conſecrationem electi prædicti clamabat ad jus eccleſiæ *Dorobernenſis* ſpectare. *Johannes* epiſcopus *Candidæ caſæ* ſuffraganeus *Eboracenſis* eccleſiæ prædictum electum in preſbiterum ordinavit, *Fulmarius Treverorum* archiepiſcopus aſtitit ordinationi.

CLemens *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus ſuffraganeis* Eboracenſis *eccleſiæ, & dilectis filiis univerſis, Abbatibus, Prioribus, & Populo, & Clero per* Eboracenſem *provinciam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Per litteras kariſſimi in Chriſto filii noſtri* R. *illuſtris* Anglorum *regis, & venerabilis fratris noſtri* H. Dunelmenſis *epiſcopi, & dilectorum filiorum* Eboracenſis *Capituli, & multorum religioſorum conventuum ipſius dioceſis, intellecto, quod idem Capitulum* Eboracenſis *eccleſiæ dilectum filium* Gaufridum *fratrem prædicti regis, voto unanimi & pari conſenſu in patrem & archiepiſcopum elegerunt, & quod dilectus filius noſter* J. *tituli ſancti* Martini *preſbyter cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, ſicut ex ipſius litteris plenius intelleximus, electionem ipſam auctoritate legationis qua in* Anglia *fungebatur confirmaverit; conſiderantes etiam quod* Eboracenſis *eccleſia quæ paſtoris conſilio diutius deſtituta in multis ex defectu prælati diſpendium paſſa fuerit, per ejus ſollicitudinem & potentiam ad ſtatum poterit reparari meliorem, electionem ipſam ſicut concorditer facta eſt, & ab eodem legato noſtro confirmata, præſertim cum piæ memoriæ* Alexander *papa prædeceſſor noſter circa perſonam ejus diſpenſaverit, ratam habemus, & de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmamus. Monemus igitur univerſitatem veſtram, & per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ipſi ceu prælato veſtro reverentiam & honorem quem prædeceſſoribus ſuis exhibuiſtis, ſine refragatione impendere ſtudeatis, ut propterea valeatis aput Deum & homines merito commendabiles apparere.* Dat. *Laterani* non. Marcii pontificatus noſtri anno iij.

Exercitus Chriſtianorum ante Aconem *hoc modo ſitus eſt.*

ANte montem *Muſardi* ſupra mare ſunt *Genevenſes*. Poſt illos ſunt *Hoſpitalarii*. Poſt quos eſt *Marchio montis Ferrarii*. Poſt illum Comes *Campaniæ Henricus*. Deinde *Guido Dumpere*. Poſt illum Comes *Brevenſis*. Poſt quem Comes de *Baro*. Deinde Comes *Ebalunſis*. Poſtea Comes *Robertus de Drons*, et epiſcopus *Belnacenſis*. Poſtea epiſcopus *Beſenceva*. Juxta quem verſus planum eſt Comes *Theobaldus*, et Comes de *Claromonte*, et *Hugo* de *Gurnai*, et *Otho* de *Treſoni*, et *Florentius* de *Hangi*, et *Walchelinus* de *Ferrariis*. Deinde *Florentini*. Poſt quos epiſcopus *Sareſberienſis* et *Anglici*. Deinde dapifer *Flandriæ*, cum *Johanne* de *Neele*, et *Odone* de *Hame*, et aliis *Flandrenſibus*. Poſtea epiſcopus *Cambraienſis*, et dominus *Yſoldone*, et Vicecomes *Turoniæ*. Deinde rex de *Jeruſalem* cum *Galfrido* et *Aimaro* fratribus ejus, et *Hugo* de *Thabari* et fratribus ejus, *Radulfo*, et *Othone*, et *Willelmo*. Deinde *Templarii*, et *Iaco* de *Avennes*. Poſt illum *Landegrave* et Comes de *Galres*, cum *Alemannis*, et *Dacis*, et *Theutonicis*, et *Friſonicis*. Inter quos ad *Magumeriam* poſuit tentoria dux *Suaviæ*. Poſt ſuper *Turonem* patriarcha et epiſcopus *Acharonis*, et epiſcopus *Bethleem*, et Vicecomes de *Caſtello Eraud*, et *Reginaldus* de *Sagitta*, et *Amfridus* de *Turona*. Sub *Turona*, excambiatores. Poſtea ſuper portum archiepiſcopus *Piſanus* cum *Piſanis*. Extremo *Lumbardi*.

Circa dies iſtos cum primum obſeſſa fuiſſet *Acon*, *Willielmus* quidam *Anglicus* natione, capellanus *Radulfi de Diceto* decani *Lundonienſis*, dum tenderet *Ieroſolimam*, aſtrinxit ſe voto, quod ſi proſpero curſu portum intraret *Acon*, ſancto *Thomæ* martyri ſumptibus ſuis juxta facultatum poſſibilitatem capellam conſtrueret, et procuraret ibidem ad honorem martyris cimiterium conſecrari. Quod et factum eſt. Multis igitur ad capellæ ſervicium undique concurrentibus, judicio Chriſtianitatis ipſe *Willelmus* Prioris nomen accepit. Qui dum ſe militem Chriſti toto ſervaret in corpore, præcipue pauperum curam habebat, et ſepeliendis corporibus tam fataliter decumbentibus quam interfectis gladio, diligentiam omnem et operam ſtrenuiſſime ſatagebat impendere. Magni *Tobiæ* ſe ſucceſſorem proximum humanis aſpectibus repræſentans. Eſt et aliud ibi cimiterium quod vocatur *Hoſpitale Alemanorum*. Eſt et tertium Poliandrum antiquius cæteris quod ſancti *Nicholai* dicitur, in quo, priuſquam obſidio ſolveretur, hominum milia centum additis xxiiij. milibus per unius circulum anni tumulata ſunt.

Alienor regina filii ſui *Ricardi* regis iter proſecutura maris pericula declinavit, tranſitum habens per montem *Iani*, per *Ytaliæ* plana, per illos celebres orbis concurſus ad dominum papam *Romæ*.

IN *Acone* ſunt iſti principes: *Caracos*, quem *Corboram* fecit militem ad obſidionem *Antiochiæ*; Ille nutrivit *Saladinum*. Poſt eum *Gemaladin*, *Gurgi*, *Suchar*, *Suncordeodar*, *Belhageſſemin*, *Fecardinceras*, *Cerantegadin*.

Iſti ſunt principes exercitus *Saladini*. *Saladinus* et iiij. fratres ejus: *Safedin*, *Felkedin*, *Sefelſelem*, *Melcalade*;

Melcalade. Et iij. filii *Saladini*, *Miralis*, *Melcalez*, *Melcalezis*, et duo nepotes ejus.

Tecahedin, *Beneſemedin*, *Coulin*, *Claiſar*, *Bederin*, *Muſtop*, *Hazadinnerſel*.

Tecahedin in ſua poteſtate habet *Ioramenſes*, *Rotaſienſes*, *Birenſes*.

Beneſemedin ſub ſe habet *Perſas*, *Turcos*, *Hemſienſes*.

Saladinus ſub ſe habet *Alapitos*, *Damacenos*.

Miralis ſub ſe habet *Alexandriam*, *Damiet*, & totam terram ultra *Eufraten* uſque mare rubrum, & ultra verſus *Barbariam*.

Metalez ſub ſe habet *Babiloniam* & *Keire*.

Quatuor fratres *Saladini* ſub ſe habent *Abeſiam*, & *Leemen*, & *Mauros*, & *Nubiam*.

Caiſar eſt admiratus *Aſcaloniæ*.

Bedredin eſt admiratus *Nazareth*, & *Neopolis*, & *Ramille*, *Muſtop*, *Lice*, & *Baruth*.

Hazadinnerſel, *montis Regalis* et *Gracci*.

Chorisin, cujuſdam partis *Armeniæ*.

Saladinus dominus eſt omnium.

ANſerius de *monte Regali* ad mortem ſuam detexit traditionem quam fecerunt idem *Anſeri*, et epiſcopus *Balvacenſis*, et Comes *Robertus* frater ejus, et *Guido Dumpere*, et *Landegrave*, et Comes de *Gelres*, unde ipſi ceperunt à *Saladino* triginta duo milia Bizantiorum et centum marcas auri. Et præterea habuit *Landegrave* iiij. camelos, & duos leopardos, et iiij. accipitres, et aliis donis diſtulerunt prædicti principes inſultum, et permiſerunt caſtella noſtra cremari.

Clemens papa *Willelmo Elienſi* epiſcopo ſalutem.

JUxta commendabile deſiderium et ſalubrem poſtulationem kariſſimi in Domino filii noſtri *Ricardi* illuſtris regis *Anglorum*, fraternitati tuæ legationis officium in tota *Anglia*, *Wallia*, tam per *Cantuarienſem* quam *Eboracenſ.* archiepiſcopatum, et in illis partibus *Hyberniæ*, in quibus nobilis vir *Johannes* Comes *Moritonienſis* frater ipſius regis juriſdictionem habet et dominium, auctoritate duximus apoſtolica committendum. Dat. *Laterani* non. Junii pontificatus noſtri anno iij.

Ricardus rex *Anglorum* omnibus fidelibus ſuis ſalutem.

M*Andamus vobis, & præcipimus quod ſicut de nobis confiditis, & ſicut vos ipſos & omnia veſtra diligitis, ſitis omnino intendentes dilecto & fideli Cancellario noſtro* Elyenſi *epiſcopo ſuper omnibus quæ ad nos ſpectant, & pro ipſo faciatis ſicut pro nobiſmet ipſis faceretis, de omnibus his quæ vobis ex parte noſtra dixerit. Teſte meipſo apud* Baionam *vj. die Junii.*

Duo reges tam *Francorum* quam *Anglorum* circa nativitatem beati *Iohannis Ieroſolimam* profecturi convenerunt apud *Viceliacum*.

In feſtivitate beati *Petri* quæ dicitur Ad vincula, *Willelmus Elyenſis* epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus convocavit multos apud *Gloeceſtriam*.

REx *Francorum* verſus *Iannenſem* civitatem iter arripuit; Rex *Anglorum* verſus *Maſſiliam*.

Fredericus imperator *Romanus* annum agens in imperio quadrageſimum, dum *Ieroſolimam* tenderet per *Bulgariam*, et ab *Yconio* tranſitum faceret verſus *Antiochiam*, in fluvio quodam qui vocatur *Saphech*, exercitu ſuo toto ſalubriter tranſeunte, ſolus equo ſuo decidens ſubmerſus eſt viij. kal. Auguſti.

Ricardus rex *Anglorum* navem aſcendit apud *Maſſiliam* vigilia S. *Laurentii*. Qui dum æquora ſulcaret, in portu *Romano* nuntios domini papæ, ſcilicet *Hoſtienſem* epiſcopum, et alios plures occurrentes ſibi recepit. Sed ad poſtulationem domini papæ *Romam* renuit viſitare, prope *Capuam* intrans *Apuliam*.

B*Aldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus, et *Hubertus Saresberienſis*, et *Ranulfus* de *Glanvilla* quondam *Anglicani* regni juſticiarius, itinere recto tendentes verſus *Ieroſolimam*, à ſiniſtra reliquerunt *Siciliam*, et poſt pericula multa tandem apud *Tyrum* applicuerunt circa feſtum ſancti *Michaelis*.

IGnis ille qui dicitur *Græcus ignis*, à *Saracenis* intra civitatem *Acon* obſeſſis tres machinas quas Chriſtiani ſumptibus magnis conſtruxerant ad ſubvertendam urbem, in articulo temporis funditus concremavit, et omnia redegit in cinerem iij. non. Maii.

DIe feſto ſancti *Iacobi* Chriſtiani quidam mediæ manus homines, ſicut dicitur ad decem milia, victualium penuria laborantes ut famis detrimentum effugerent, non habentes principem, neque rectorem, inſultum fecerunt in *Saladinum* & ſuos, & niſi *Radulfus Coleceſtrenſis* archidiaconus, vir tam inermi militia quam armata probatus, cum forti manu ſuorum Chriſtianis auxilium præſtitiſſet, omnes in ore gladii corruiſſent.

P*Hilippus* rex *Francorum* applicuit apud *Meſſanam* xvj. kal. Octobris & hoſpitatus eſt in palatio regis *Tancredi*.

R*Icardus* rex *Anglorum* ix. kal. Octobris ibidem applicuit, & habito cum rege *Francorum* colloquio rex *Francorum* navem aſcendit, & quoniam ventus erat contrarius ipſa die rediit. Interim nuncii *Ricardi* regis quos ad *Tancredum* regem direxerat redierunt iiij. kal. Octobris ducentes ſecum *Johannam* quondam *Siciliæ* reginam, & pridie kal. Octobris tranſiit fluvium qui dicitur *Far*, & in *Calabria* cepit locum munitiſſimum qui dicitur *Labamare*, & poſuit in eo ſororem ſuam, & poſtea rediit *Meſſanam*, & in craſtino cepit caſtellum inter *Calabriam* & *Meſſanam* quod dicitur monaſterium *Griffonum*. *Griffones* inſultum facientes in *Hugonem Brunum* ab *Anglorum* rege repulſi ſunt, qui clauſis januis civitatis ad propugnacula murorum ſtantes homines & equos regis *Anglorum* occiderunt, & quoſdam illorum vulneraverunt; rex *Ricardus* portas civitatis confregit, & maximam illius civitatis partem cepit, & homines ſuos infra civitatem hoſpitari fecit iiij. non. Octobris. Et tercio non. dederunt obſides ei majores civitatis de pace ſervanda.

HAbitum eſt regionale Concilium apud *Weſtmonaſterium* præſidente *Willelmo Elyenſi* epiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato idibus Octobris, *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus iij. juxta priſtinam regni conſuetudinem ad dexteram legati ſedem optinuit: *Godefridus Wintonienſis* epiſcopus ad ſiniſtram.

REx *Tancredus* dedit regi *Ricardo* pro quieta clamantia rerum omnium quas petebat, unciarum auri xx. milia. Dedit etiam *Tancredus* unciarum

ciarum auri totidem milia regi *Ricardo* pro bono pacis & quieta clamantia Diviſæ quam *Willelmus* rex fecerat patri ſuo *Henrico* regi, & pro matrimonio quod erat contrahendum inter *Arturum Britannia* ducem et filiam *Tancredi*, Rex *Ricardus* prædictum *Arturum* hæredem ſuum inſtituit, ſi ſine prole diſceſſerit. Firmavit eciam quoddam caſtellum prope *Meſſanam* quod vocavit *Mategriffum*. *Margaritus* et *Jordanus Delpin* prædictæ civitatis cuſtodes abierunt furtive ducentes ſecum familiam ſuam totam. Præterea rex *Ricardus* quietum clamavit Wrech in omnibus terris ſuis. Rex *Francorum* quietum clamavit regem *Anglorum* de ſorore ſua ducenda, numeratis ſibi decem milibus librarum. Clamavit etiam clamationem quietam imperpetuum quam habebat de *Giſors*, et de toto *Welkeſin*.

S*Ibilla* regina *Jeruſalem* mortua, ſoror ejus unica quæ nupſerat *Hainfrido de Turun*, à viro ſuo per divortium eſt disjuncta; quam *Marchio de monte Ferario* duxit uxorem. Juratores in cauſa divortii fuerant *Baliſant* matris reginæ defunctæ maritus, *Paganus de Kaiphas*, *Reginaldus Sidonis* civitatis quondam dominus; deſponſata fuit prædicta ſoror reginæ ab epiſcopo *Belnacenſi*. Judices in cauſa divortii fuerunt *Aconenſis* epiſcopus, et alius quidam epiſcopus de terra *Ieroſolimitana*. Die vero nuptiarum Marchionis pincerna *Silvanectenſis*, nepos ſcilicet Comitis de *Claro monte*, cum decem et vij. aliis militibus, et xv. ſervientibus equitibus à *Saracenis* interceptus eſt.

A*Lienor* regina cum per iiij. dies moram feciſſet cum filio ſuo receſſit verſus *Angliam*, relinquens *Berengariam* filiam regis *Navara* quam ducturus erat uxorem. Quarto idus Aprilis aſcendit rex *Ricardus* navim cum exercitu ſuo cum CL. navibus et vj. et buceis xxiiij. et galeis xxxix. et duxit ſecum *Johannam* ſororem et prædictam *Berengariam*.

Omnibus Chriſti fidelibus clerus totius
Normannia ſalutem.

A*D univerſitatis veſtra noticiam volumus pervenire, contentionem motam inter matrem noſtram* Rothomagenſem *eccleſiam, procurante tam in abſentia reverendi patris noſtri* W. *archiepiſcopi* J. *de* Conſtantiis Rothomagenſi *decano, &* Willelmum *filium* Radulfi *Seneſcallum* Normanniæ: *ſuper quibuſdam capitulis de quibus eccleſia Dei conquerebatur, ſub preſentia noſtra & baronum domini regis, aſſiſtentibus quoque quam pluribus* Normanniæ *miniſtris hoc tandem fine conquieviſſe.*

Inprimis, *determinatum eſt de clericis, quod nulla occaſione à ſecularibus poteſtatibus capientur, niſi pro homicidio, furto, & incendio, vel hujuſmodi enormi flagicio quod ad placitum gladii pertineat, & tunc cum requiſiti fuerint ab eccleſiaſticis judicibus quieti reddentur in eccleſiaſtica curia judicandi.*

Item, *generaliter omnes de fidei læſione, vel juramenti tranſgreſſione quæſtiones in eccleſiaſtico foro tractabuntur. Super treuga vero violatione antiqua conſuetudo & cartarum* H. *&* R. *illuſtrium regum* Angliæ *tenor obſervabitur.*

Item, *Quæſtiones de dote vel donatione propter nuptias quando mobilia vel ſe moventia petentur, ad eccleſiam referentur. Quæſtio vero ſuper eiſdem de immobilibus dominis noſtris regi & archiepiſcopo determinanda reſervatur.*

Item, *in conventualibus eccleſiis, Abbates, vel Priores, aut Abbatiſſæ cum aſſenſu dioceſani epiſcopi eligentur.*

Item, *nulla fiet recognitio in foro ſeculari ſuper poſſeſſione quam viri religioſi vel quæcunque eccleſiaſtica perſona xx. annis vel amplius poſſederint. Similiter nulla fiet recognitio ſi carta vel alio modo eleemoſinatam eſſe poſſeſſionem probare poterint. Sed ad eccleſiaſticos judices remittentur.*

Item, *diſtributio eorum quæ in teſtamento relinquuntur auctoritate eccleſiæ fiet, nec decima pars ut olim ſubtrahetur. De bonis vero clericorum etſi dicantur fuiſſe uſurarii, vel quocunque genere mortis præventi, nichil pertinet ad ſecularem poteſtatem, ſed epiſcopali auctoritate in pias cauſas diſtribuentur.*

Item, *quicquid laici in vita ſua donaverint, vel quocumque titulo à ſe alienaverint etſi uſurarii fuiſſe dicantur, poſt mortem non revocabitur. Quæ vero poſt mortem non alienata invenientur, ſed recognitum fuerit ipſos tempore mortis fuiſſe uſurarios, confiſcabuntur.*

Item, *ſi mortuus habuerit aliquod vadium unde ſortem ſuam perceperit, portio ipſius libera ad eum qui invadiavit, vel ad hæredes ipſius revertetur. Idem fiet de portionibus uxoris & filiorum ejus poſt mortem ipſorum.*

Si quis vero ſubitanea morte vel quolibet alio fortuito caſu præoccupatus fuerit, ut de rebus ſuis diſponere non poſſit, diſtributio bonorum ejus eccleſiaſtica auctoritate fiet.

An. Dñi 1191.

Baldewinus Cantuarienſis archiepiſcopus quicquid in uſus neceſſarios terræ *Jeroſolimitanæ* dum ageret in extremis legaverat erogandum, poſt obitum ſuum *Hubertus Sareſberienſis* epiſcopus, quem teſtamenti ſui coram familiaribus & domeſticis ordinaverat executorem, fideliter erogatione pia diſtribuit, & de caſtrorum excubiis ſumme ſollicitus militibus xx. ſervientibus 50. ſicut decreverat archiepiſcopus, juxta conſuetudinem regionis per dies plurimos ſtatutis temporibus debita perſolvit ſtipendia, pauperum ſemper agens curam, erga deſtitutos auxilio reflectens oculos miſericordiæ; per omnia boni præſulis implens officium.

Venerabili domino & patri in Chriſto kariſſimo
R. Dei gratia epiſcopo *Lundonienſi*, *H.* eadem
gratia *Sareſberienſis* epiſcopus ſalutem, & tam
devotæ quam debitæ dilectionis conſtantiam.

N*Overit dilectio veſtra quod villa* Acon *poſt inſultus plurimos adhuc nobis fortiter reſtitit, nec à nobis adhuc expugnari potuit, quia gentibus, muris & machinis ſatis erat munita. Et* Saladinus *ex alia parte circa nos undique exercitum ſuum quaſi in obſidione tenebat. Verum de exercitu ejus ſicut certiſſime accepimus, plures receſſerant corporis invalitudine laboribus & expenſis ſupra modum gravati, nec prece, nec precio, vel etiam minis diutius poterant retineri. In exercitu illo vir alicujus probitatis eo tempore, ſicut dicebatur, inveniri poterat, quem* Saladinus *in villam* Aconis *tranſponeret, ut alios vel membris mutilatos, vel corpore debilitatos extraheret. Et de noſtris verſa vice diverſi in diverſa loca ſe retraxerant, ut ſibi* *contra multimodam expeditionis incommoditatem conſulerent, & ſic tam ſubtractione virorum quam amiſſione ibidem mortuorum, exercitus ibidem Chriſtianitatis multum erat diminutus. Verumptamen Chriſtiani de conſolatione Chriſti confidentes, labores & moleſtias obſidionis prædicta uſque in adventum regum noſtrorum ſperant ſe poſſe ſuſtinere. Hoc dicimus ſi circa Paſcha venerint: ſi enim diutius venire diſtulerint, & ad ſumptus pecunia deficiet, & ſpes terrena conſolationis evaneſcet. Hæc de ſtatu obſidionis* Achonis.

Ricardus rex *Anglorum*, *Willielmo Mareſcallo*, *G.* filio *Petri*, & *H. Bard.* & *W. Briwerr.* apparibus.

S*I forte cancellarius noſter negotia regni noſtri, juxta conſilium veſtrum & aliorum prædictorum quibus curam regni noſtri commiſimus, fideliter non tractaverit, præcipimus ut ſecundum diſpoſitionem veſtram de omnibus agendis regni noſtri, tam de caſtellis quam de eſcaetis, abſque omni occaſione faciatis.*

Walterus archiepiſcopus *Rothomagenſis* à *Sicilia* rediens, venit in *Angliam* v. kal. Maii apud *Sorebam*, litteras deferens in hæc verba.

Ricardus rex *Anglorum Willelmo* cancellario ſuo, *G.* filio *Petri*, *W. Mareſcallo*, & *H. Bard.* & *W. Briwer.* apparibus.

S*Ciatis quod quia nos diligimus venerabilem patrem noſtrum* Walterum Rothomagenſem *archiepiſcopum, & de eo ad plenum confidimus, eum de peregrinatione ſua, de conſilio & aſſenſu ſummi pontificis, propter conſilium & defenſionem regni noſtri ad vos tranſmittimus, quoniam conſtat apud nos, ipſum eſſe ad hoc ydoneum, & quia eum virum eſſe cognovimus prudentem, & diſcretum, & nobis ſemper fidelem: unde vobis mandamus & firmiter præcipimus, quatinus in procurandis negotiis noſtris, & in cuſtodiendo & defendendo regno noſtro, communicato cum eo in omnibus negotiis noſtris conſilio operemini; Volentes & præcipientes quod quamdiu ipſe erit in* Anglia, *& nos in peregrinatione Dei erimus, ipſe pariter in omnibus cum conſilio veſtro, & vos cum ſuo. Vobis etiam mandamus quod ea quæ ſibi vobis de archiepiſcopatu* Cantuarienſi *exponenda commiſimus faciatis, ſicut ipſe vobis ex parte noſtra proponet. Teſte meipſo xxiij. die Februarii apud* Meſſanam.

Tercio kal. Aprilis rex *Francorum* navem aſcendit apud *Meſſanam* cum tribus tantummodo navibus. Pacificati prius fuerant rex *Anglorum* & ipſe.

C*Lemente* papa tercio rebus humanis exempto *Jacinctus* inter diaconos eccleſiæ *Romanæ* primus, ne ſciſma ſubitum in eccleſia Dei conſurgeret, ſe fieri papam vix tandem conſenſit, quem *Octovianus Oſtienſis* epiſcopus die Paſchæ conſecravit epiſcopum, qui vocatus eſt *Celeſtinus* papa tercius.

Celeſtinus feria ſecunda Paſchali *Henricum* regam *Teutonicum* & *Longobardorum* conſecravit imperatorem *Romanum*.

Paſchali feria iiij. *Romani* civitatem *Tuſculanam* funditus diruerunt.

Robertus Lincolnienſis canonicus, filius unicus et hæres *Willelmi* ſeneſcalli *Normanniæ*, mandato *Clementis* papæ *Cantuariæ* conſecratus eſt epiſcopus *Wigornenſis* iij. nonas Maii à *Willelmo* ſedis apoſtolicæ legato, vj. epiſcopis *Dorobernenſis* eccleſiæ ſuffraganeis aſtantibus prædicto legato.

Celeſtinus papa iij.

M*Odis omnibus inhibemus ne in capella de* Haketune *quam apoſtolica condempnavit auctoritas de cætero celebrentur divina: ſet potius capella ibidem, ut dicitur, erecta funditus deſtruatur. Et ſicut à patribus noſtris decretum eſſe dinoſcitur, canonicorum inſtitutionem revocantes in irritum, eos denuntietis & teneatis ſuſpenſos qui in loco ipſo poſt prohibitionem apoſtolicam divina ſcienter præſumpſerunt officia celebrare, donec ad ſedem apoſtolicam veniant abſolvendi. Illos quoque qui ſententiam piæ recordationis papæ* Clementis *incurriſſe noſcuntur, cautius faciatis ab omnibus evitari donec eccleſiæ ſatisfactione competenti exhibita, per nos mereantur abſolvi.*

R*Ex Anglorum Ricardus* in magna gloria naves aſcendit iiij. idus Aprilis apud *Meſſanam* et circa xx. diem *Rodos* inſulam ſubintravit, et in civitate v. diebus manſit, et poſtmodum v. diebus tranſcurſis apud *Cyprum* applicuit loco qui vocatur *Limezun*. *Curſac* autem dominus terræ, qui ſe vocabat imperatorem, tam armata quam forti manu regi portum prohibiturus occurrit, et quam plurimos hominum ſuorum afflictos afflixit, ſpoliavit naufragos, et in carcerem fame perituros reclusit. Hinc igitur in tantæ vindictam injuriæ rex *Anglorum* ira ſuccenſus iniit cum hoſte jam dicto congreſſum, feſtinam adeptus victoriam. Ipſum victum et vinctum tenuit, et filiam ſuam unicam, totamque inſulam *Cypri* cum univerſis munitionibus ſuæ ſubdidit ditioni. *Curſac* cum rege pactum iniit, ne ferreis detineretur in vinculis. Quod & factum eſt. Sed rex pactum obſervans eum compedibus artari fecit argenteis, et in caſtello prope *Tripolim* quod vocatur *Margeth* retrudi præcepit. Filiam autem ejus ſecum retinuit cum duabus reginis in thalamo regis honorifice cuſtoditam.

Situs *Cypri* talis eſt. Primo venitur ad *Buffim* quæ caput eſt regionis verſus meridiem. Secundo venitur ad *Limezun*. Tercio venitur ad *Famauguſt*, dictam, quaſi civitatem *Auguſti*. Poſtea caput S. *Andreæ* verſus ſeptemtrionem extenditur, et è regione reſpicit *Armeniam*. Poſtea venitur ad *Cheri*, quo naves aſcendunt *Jeroſolimam* viſitaturi.

Rex *Francorum* iter ſuum dirigens verſus *Jeruſalem* in paſchalibus die Sabbati, ſcilicet xij. kal. Aprilis applicuit apud *Acon*. Quid vero totus exercitus Chriſtianorum per vij. ſeptimanas in affligendo civitatem profecerit, tota Chriſtianitas quæ præſens erat novit et recolit.

W*Altero Rothomagenſi* archiepiſcopo *Willelmus Elyenſis* epiſcopus. Convenimus vos apud *Lundoniam* qua occaſione *Cantuariam* adire velletis, et id à vobis in reſponſis accepiſſe meminimus, quod quoniam monachos *Cantuarienſes* audieratis vobis offenſos, ut ſcilicet de cauſis offenſionis ſi qua eſſet inquireretis, et de Prioris depoſitione certitudinem haberetis. Verum datum eſt nobis intelligi vos alia conſideratione *Cantuariam* feſtinare, videlicet ut cum monachis illis de archiepiſcopo eligendo tractetis. Et valde nec mirum admirati ſumus quod quaſi captata abſentia noſtra velitis id facere, cum ſine nobis fieri nec poſſit, nec debeat, qui et toti regno vice regia præſidemus, et jure cancellariæ noſtræ archiepiſcopatum illum in manu noſtra cum omnibus eccleſiæ pertinentiis habemus. Cum igitur ſuper tam magno et arduo negotio à quo ſummopere totius regni pendet diſpoſitio, ſine domini regis, aut noſtra nunc temporis præſentia tractari non debeat; diſcretioni et honori veſtro conſulimus et mandamus, ex parte domini regis diſtrictius inhibentes, ne propter hanc aut propter aliam quamcumque cauſam *Cantuarienſem* eccleſiam adeatis, donec vobiſcum loqui poſſimus. Non enim cum patientia vel rancoris diſſimulatione hæc proferremus.

R*icardus* rex *Anglorum* habens in comitatu ſuo xiij. magnas naves quas *Buccas* vocant, triplici velorum expaſſione dum æquora ſulcarent notabiles, habens C. alias naves onerarias, habens etiam L. galeas triremes, ſe vento commiſit aput *Cyprum*, et inter navigandum navem quandam quam *Saphadinus Salaadini* frater *Babilonia* dominus ſumptibus magnis extruxerat, ut *Sarracenis* aput *Acon* obſidione vallatis ſuccurſum præſtaret, caſu fortuito velificantem inſpexit, refertam omni genere victualium, armis bellicis ad quoſlibet ſubeundos congreſſus inſtructam, ignis Græci, ſerpentium ignitorum plena vaſa plurima continentem, ſicut dicebatur, hominum M. quingentorum ſuffragio roboratam. Inſtructis igitur in articulo temporis omnibus ad prælium navale neceſſariis, galearum concurſu circa navem undique fit inſultus acerrimus, quæ venti deſtituta ſuffragio ſtabat immobilis. Quidam itaque remigantium illius aviculæ quæ mergus dicitur tractus exemplo, natans ſubtus aquas acceſſit ad navem, et eam terebro perforavit. Audierat forſitan qualiter *Eleazarus* tempore *Machabaeorum* ſe ſubpoſuit elefanti circa quem belli pondus undique confluebat, et eum percutiens in ventrem occidit. Oppreſſus eſt & ipſe ſet Judæorum gerens negotium. Remigans autem Chriſtum habens in corde, rediens ad galeam incolumis ſua reſedit in ſede. Modico tractu temporis aqua ſubintrans omnia tabulata tranſcendit, & hominibus qui prius in propugnaculis confidebant, evadendi ſpem omnem prorſus abſcidit. Quorum M. ccc. *Ricardus* rex *Anglorum* in mari ſubmergi præcepit reſervando cc. Acta ſunt hæc viij. idus Junii. Rex iter ſuum proſpero curſu dirigens, ad portum quo tendebat appropinquavit. Lituorum itaque ſtridor, ductilium clangor tubarum, horribilis cornicinum ſtrepitus litora repleverunt. Perſonabat terra, quod & *Chriſtianorum* animos animavit ad pugnam, & *Sarracenis* obſeſſis graviſſimum terrorem incuſſit, magnum principem adveniſſe declarans. Rex portum intravit *Acon* vj. idus Junii.

Cum autem duo reges circa civitatem *Acon* machinas erexiſſent, & petrarias ſuas muro proximas collocaſſent, & magnitudine lapidum muros penitus attriviſſent, in ſtuporem ſunt verſi *Sarraceni* nullam habentes fiduciam reſiſtendi. Qui communicato cum ſuis conſilio cœperunt tractare de pace, talibus initis pactionibus quod *Salaadinus* ſanctam crucem certa die reſtitueret, & Chriſtianos captivos mille quingentos quos habebat in vinculis liberos abire permitteret. Sic civitas cum armis & impedimentis *Sarracenorum*, ſalvis tantum corporibus ipſorum, regibus duobus eſt reddita iiij. idus Julii, Veniente die ſtatuto nihil horum quæ promiſerat *Salaadinus* implevit. In ultionem igitur exceſſus tanti circa duo milia ſecenti *Saraceni* capitis animadverſione multati ſunt; paucis de nobilioribus retentis, pro diſpoſitione regum pondere vinculorum artatis.

Subjugata civitate, rex *Francorum* ad propria redire propoſuit quaſi toto negotio conſummato. Quod audiens rex *Anglorum*, quicquid in argento vel auro, quicquid in victualium congregatione, quicquid in armis, vel equis, vel navibus congregaverat, ſe pro parte dimidia regi *Francorum* tanquam domino ſuo communicaturum optulit, & ſub quavis ſecuritate firmiter repromiſit. Set quoniam ipſe reditum ſuum immutabiliter ordinaverat in animo ſuo, ſuis reclamantibus, toto Chriſtianorum exercitu graviter conſternato, cum paucis ſuorum repatriaturus navem aſcendit. Poſtquam rex *Francorum* receſſit, ilico ruinis & ſciſſuris murorum civitatis *Acon* reparatis, ipſa civitate foſſatis & muro plenius communita, rex ad promovendum Chriſtianitatis negotium, & proſequendi voti ſui propoſitum verſus *Jopen* iter arripuit, & cum eo dux *Burgundiæ* cum Francigenis ſibi ſubditis, Comes *Henricus* cum ſuis, & alii multi Comites, & Barones, & populus innumerus. Cum autem inter *Acon* & *Jopen* plurimum eſſet ſpatium & tractus viarum prolixior, aput *Cæſaream* tandem cum multo ſudore gravique jactura ſuorum rex imperterritus venit; & ipſe *Salaadinus* in eodem itinere multos de ſuis amiſit.

Cum itaque populus Dei reſpiraret ibidem aliquantulum aput *Jopen*, iter propoſitum audacter proſecutus eſt. Et cum illius anterior cuſtodia procederet aput *Aſſur*, *Salaadinus* cum vehementi *Saracenorum* incurſu ſuper ultimam aciem impetum faciens, divinæ miſerationis gratia favente ſolum à iiij. turmis Chriſtianorum à fronte ſibi viriliter occurrentibus compulſus eſt in fugam, ipſumque fugientem per unam leucam vel circa præcedentes turmæ Chriſtianorum plene proſecutæ ſunt, tantamque ſtragem de nobilioribus *Saracenis* quos *Salaadinus* habuerat, vigilia nativitatis beatæ virginis prope ſcilicet *Aſſur* quantam *Salaadinus* annis xl. tranſactis antea non ſuſtinuit una die. Nos vero de noſtris illa die gratia Dei nullum amiſimus niſi virum optimum, & ſuis meritis univerſo kariſſimum exercitui *Jacobum de Avennes*, qui per plures annos in exercitu Chriſtiano quaſi columpna totius exercitus in omni ſinceritate promptus extitit & devotus. Deinde Domino ducente rex *Anglorum Jopen* pervenit, eandemque villam foſſatis & muro firmavit, habens in propoſito Chriſtianitatis negotium ubique pro poſſe ſuo viriliter promovere.

Willelmus Dei gratia *Elyenſis* epiſcopus
Vicecomiti *Suſſexiæ*.

P*racipimus tibi quod ſi* Eboracenſis *electus applicuerit ad aliquem portum in balliva tua, aut aliquis nuntiorum ejus, eum retineri facias donec mandatum noſtrum inde receperis. Et ſimiliter pracipimus quod litteras domini papa aut alicujus magni viri qui illuc venerint retineri facias.*

B*artholomeus Turonorum* archiepiſcopus mandato ſummi pontificis *Galfridum Eboracenſem* electum conſecravit epiſcopum, *Turonis* in eccleſia beati *Mauritii* xv. kal. Septembris, ſex ſuffraganeis ſuis aſſiſtentibus. *Henricus Baiocenſis* epiſcopus interfuit conſecrationi. Abbas majoris monaſterii ſancti *Martini* pallium deferens à domino papa tranſmiſſum, prædictum electum ſolitis involvit conditionibus; ſcilicet quod legatos *Romanæ* eccleſiæ cum veneratione ſuſcipiet, quod deferet appellationibus, quod viſitabit *Romanam* eccleſiam ſingulis tribus annis, vel per ſe, vel per proprium nuncium. Dum archiepiſcopus in *Angliam* tenderet, in portu quodam applicuit qui *Dovera* nuncupatur xviij. kal. Oct. Quem ſub enavigatione ſua, clericos eciam ſuos ſoror *Elyenſis* epiſcopi quæ caſtellum cuſtodiebat mandato, ſicut dicitur & creditur, *Elyenſis* epiſcopi per ſex dies cum armatorum multitudine fecit in prioratu ſancti *Martini* nequiter obſideri, coartavit etiam in tantum, ut vix ei medio tempore victualia poſſent emendicata conferri. Malitia perfidorum in deterius proruente, milites *Elyenſis* epiſcopi quos habebat familiariſſimos *Albericus de Marines*, & *Alexander Puintel* cum armatorum multitudine venerunt ad prædictam eccleſiam loricati, gladios habentes in manibus evaginatos, & irruentes in eccleſiam, irruentes in archiepiſcopum, firmiter injunxerunt ut de regno ſine mora, ſine dilatione navigaturus in *Flandriam* cum ſuis exiret. Quod facere recuſans, ſtolam gerens in collo, bajulans crucem in manibus ab altaris cornu, per pedes, per crura, per brachia, colliſo capite ſuper pavimentum violenter extrahitur per viam lutoſam, per immunda loca, cum clericis ſuis & viris religioſis qui de partibus multis ad ipſum videndum confluxerant, perductus eſt in caſtellum xiiij. kal. Octobris, ubi per viij. dies eſt retruſus in carcerem. Quod audiens *Lundonienſis* epiſcopus utens fere duplomate cum feſtinatione qua potuit venit ad cancellarium; à quo poſt multas ſupplicationes vix tandem optinuit, epiſcopatu ſuo toto ſub cautione fidejuſſoria quaſi loco pignoris obligato, liberationem archiepiſcopi. Carcerem egrediens archiepiſcopus vj. kal. Octobris, eadem via qua tractus fuerat rediit cum prædictis inſignibus, ſcilicet cum ſtola, cum cruce per viam lutoſam, per immunda loca, quouſque ſancti *Martini* rediret ad monaſterium, & Deo ſanctoque *Martino* gratias agens à populis undique confluentibus cum exultatione magna ſuſceptus eſt. *Lundoniam* veniens, archiepiſcopus ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia doctoris gentium vj. non. Octobris, cui dominus *Lundonienſis* epiſcopus *Ricardus* tam ſibi quam ſuis, omnem quam potuit humanitatem exhibuit in expenſis effuſioribus.

Ricardo Lundonienſi epiſcopo, *Johannes*
Comes *Moritonii* ſalutem.

Sicut diligitis honorem Dei, & eccleſiæ, & domini regis, & regni, & meum, ſitis ad pontem de Lodene *die ſabbati proxima poſt feſtum* S. Michaelis *inter* Radinges *&* Windeſoram, *quia Deo volente ibidem vobis obvius ero tractaturi de quibuſdam magnis & arduis negotiis domini regis & regni.*

Sabbati dies ad colloquendum præfixus infortunium aliquod exinde provecturum intelligere dedit quampluribus; Diebus ſiquidem ſabbatorum præſtita ſacramenta, ſicut arbitrantur nonnulli, raro robur optinent firmitatis.

Itaque cancellarius habens in cuſtodia *Windeſoræ* caſtellum, ſilvarum opaca, viarum anguſtias, equitum & peditum in armis confidentium, & ad Comitem undique confluentium multitudinem, *Henrici* quoque de *Ver*, cujus exhæredationi, ſicut dicebatur, ipſe præſtiterat occaſionem, latentes inſidias, prædictum etiam pontem à caſtello nimis remotum plurimum cauſabatur, & ſic in diem uſque lunæ pertractum eſt colloquium. Media die Dominica tam archiepiſcopi, *Rothomagenſis* ſcilicet & *Eboracenſis*, quam epiſcopi quotquot apud *Radingum* convenerant ut intereſſent colloquio, candelis accenſis aſcenderunt in pulpitum, & omnes qui conſilium, vel auxilium, vel mandatum dederunt, ut archiepiſcopus *Eboracenſis* extraheretur ab eccleſia, tractaretur indigne, retruderetur in carcerem, terribiliter anathematizaverunt, & à conſortio ſanctæ matris eccleſiæ ſequeſtraverunt, & nominatim *Albericum de Marines*, & *Alexandrum Puintel*. Die Lunæ Comes ad omnem ſiniſtram ſuſpicionem tollendam, in loco tutiſſimo prope *Windeſoram* ſicut petierat cancellarius ad colloquium venire propoſuit, cancellario repromittens omnimodam ſecuritatem per manum epiſcopi *Lundonienſis*. Et quoniam apud *Eſtanes* hoſpitari decreverat ipſa die, familia ſua mane ſurgens & irruentium formam aſſumens, greſſu concito properabat impetum obſervans in omnibus. Quod audiens cancellarius, contritus eſt à facie Comitis, quem cum ira magna ſua ſequi veſtigia reputabat, & trepidanti conſimilis elongavit, non dico fugiens, quouſque cum armis & impedimentis & familia ſua *Lundoniæ* turrim intraret in pede planis turris equos ſuos ſtabulans, & in ipſis domibus ad conveſcendum antiquitus deputatis, ad imminentem ſicut credebat obſidionem ſe præparans. Comes audiens quod fecerat cancellarius, venit & ipſe *Lundoniis* ipſa die receptus ad hoſpitandum in domibus *Ricardi* filii *Reineri*. *Rogerus de Planes* in tota terra *Johannis* Comitis Juſticiarius graviter vulneratus à quodam *Radulfo* de *Bello Campo* quem cancellarius cingulo militari donaverat, kal. Novembris diem clauſit extremum. Sequenti die Martis ut inimicitiæ quas Comes & Cancellarius incurrerant, ſuo marte diſcurrerent, Comes *Johannes*, tam archiepiſcopi quam epiſcopi, tam Comites quam Barones convenerunt in Capitulo S. *Pauli Lundoniæ*, pulſata campana quæ populum ſolet ad conveniendum urgere. Poſt longos ergo tractatus adinvicem habitos *Johannes* Comes primus fidelitatem regis *Ricardi* juravit. Deinceps archiepiſcopi duo, poſtmodum omnes epiſcopi: ſolus epiſcopus *Lundonienſis* addidit juramento, *Salvo ordine ſuo & juſtitia eccleſiaſtica.* Juraverunt eciam Comites & Barones quotquot convenerant. Omnes prædicti magnates juraverunt communam **Lundon.**

Die Mercurii *Willelmus Poſtard* Prior *Weſtmonaſterienſis*, concurrentibus omnium votis, electus eſt in abbatem ante regis juſticiarios epiſcopo *Lundonienſi* præſente. Quem epiſcopus duxit ante majus altare ſancti *Petri*. Decantato *Te Deum laudamus* epiſcopus conſuetam orationem ſuper proſtratum electum ſubjunxit, & in ſedibus deputatis abbati ſollempniter intronizavit, & campanarum cordas manibus electi contradidit. Deinde tranſitum faciens epiſcopus in capitulum electum ducens, electionem factam epiſcopali confirmavit auctoritate præſente toto conventu, concurrentibus populis per regulam

ſancti

Ricardus I. rex.

ſancti *Benedicti* per *Evangelii* textum electo curam animarum commiſit.

Die *Jovis* habitum eſt colloquium ab orientali parte turris *Lundonienſis*. Præſens fuit Comes, Cancellarius archiepiſcopi prædicti, pontifices, Comites & Barones. Aſſenſu communi diffinitum eſt, ut omnia caſtella quæ pro libitu ſuo Cancellarius cuſtodiæ familiarium ſuorum commiſerat redderentur, & inprimis Turris *Lundonienſis*. Quod ſe facturum Cancellarius jurisjurandi præſtita religione promiſit. Caſtella vero tria quæ de manu regis *Ricardi* receperat Cancellarius, ſcilicet caſtellum de *Dovera*, caſtellum de *Cantebrige*, caſtellum de *Hereford* in *Wallia* per manum Cancellarii cuſtodirentur, datis obſidibus à caſtellanis quos ibi conſtituerat Cancellarius de fidelitate regis ſervanda. Die Veneris Cancellarius turrim egrediens, cum univerſa ſupellectile ſua tranſitum fecit aput *Bermundeſeiam*. *Henricus* & *Oſbertus* Cancellarii fratres & *Mathæus* camberarius dati ſunt in obſidatum quouſque redderentur caſtella. Juraverat enim Cancellarius quod ante caſtellorum redditionem regnum non egrederetur.

Die ſabbati Cancellarius tranſitum faciens aput *Doveram*, duces habuit in itinere *Gilebertum Roffenſem* epiſcopum & *Henricum* de *Cornhella Cancia* vicecomitem. Die dominica *Lundonienſis* epiſcopus juxta petitionem conventus *Weſtmonaſterienſis* benedixit abbatem ante majus altare ſancti *Pauli*. *Lundonienſis* epiſcopus & abbas Benedictus ipſa die ſollempni proceſſione recepti ſunt aput *Weſtmonaſterium*, & hora prandendi pariter in refectorio conſederunt.. Die Jovis ſequente Cancellarius reputans oculos cæcare nautarum, qui ſe ventorum habere notitiam gloriantur plerumqne, ſumpſit habitum muliebrem, ſed greſſum in corpore vel inceſſum alterare non potuit quin vir pocius appareret quam mulier. Itaque deprehenſus à nautis facie detecta cognoſcitur, rapitur, trahitur, & vix à manibus muliercularum abſtractus cuſtodiæ deputatur, quouſque communi decreto Juſticiariorum regni qui *Lundoniis* reſidebant, libertatem acciperet abeundi quo vellet, præmonitus tamen & ſummonitus ut quod in præfato colloquio prope turrim prius juraverat prius effectui manciparet. Cancellarius iiij. kal. Novembris navem aſcendens & in *Normanniam* iter dirigens, aput portum ulteriorem applicuit.

ARvandus in natura diligendi non habuit perſeverantiam, & fidelium conſilia deſpiciens fortunæ per omnia ludibrium fuit. Denique non eum cecidiſſe ſet tam diu ſtetiſſe plus miror, ſe multociens adverſa perpeſſum gloriabatur, & ruituram ejus temeritatem miſerabantur amici. Præfecturam primam quam habuit in provincia gubernavit cum magna popularitate, conſequentem cum magna populatione; denique preſſus æris alieni ſub onere, ſibi ſucceſſuros optimates æmulabatur, colloquia cunctorum ridebat, conſilia rimabatur, officia contempnebat. Tandem odii publici mole vallatus, & prius cinctus cuſtodia quam poteſtate diſcinctus, captus deſtinatuſque pervenit *Romam*. Ilico tumens quod proſpero curſu *Tuſciæ* litus enavigaſſet, elementa ſibi famulata jactabat. Interea legati provinciæ magna rerum verborumque ſcientia præditi, prævium *Arvandum* accuſaturi nomine publico, publicis decretalibus inſecuntur, quem incautum & conſiliis ſodalium repudiatis, ſibi ſoli temere fidentem reſponſo præcipiti contendebant involvere. Quibus agnitis *Arvandus* proripit in convitia ſubita, dicens, Abite degeneres, *Arvando* ſatis conſcientia ſua ſufficit, vix illud admittere dignabor ut in actione repetundarum advocati michi præſtentur. Pauci medii dies, *Arvandus* concitato gradu mediis prope judicium ſinibus ingeritur, epiſtolam quandam quæ proponebatur ad ejus confuſionem ſe dictaſſe profeſſus eſt. Acclamatur ab accuſatoribus, conclamatur à Judicibus reum ſe majeſtatis læſæ teneri confitentem. Confeſtim *Arvandus* privilegiis geminæ præfecturæ quam per quinquennium repetitis faſcibus rexerat exauctoratus, publico carceri deputatus eſt. Cum duceretur addictus miſer non miſerabilis erat.

Theodoſius.

Si vindicari in aliquos ſeverius contra noſtram conſuetudinem pro cauſa intuitu juſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam aut excipere ſententiam, ſet per dies xxx. ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſane accipiat vinciatque cuſtodia & excubiis ſollertibus vigilanter obſervet.

Quidam juvenis de domo domini *Lundonienſis* epiſcopi ſpiritum habens in avibus cœli ludere, niſum ſuum docuit cercellas affectare propenſius. Itaque juxta ſonitum illius inſtrumenta quod à Ripatoribus vocatur **tabur** ſubito cercella quædam alarum remigio perniciter evolavit. Niſus autem illuſus lupum quendam natantem in locis ſub undis criſpantibus intercepit, invaſit & cepit, & ſuper arida per ſpatium ſicut viſum eſt xl. pedum ſe cum nova præda recepit. Epiſcopus inſoliti caſus novitate permotus niſum & lupum futuris ſeculis memorialem Comiti *Johanni* tranſmiſit xj. kal. Novembris. Ipſa die tractatum eſt de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ ſicut rex *Ricardus* mandaverat. Convenerunt epiſcopi, convenerunt & monachi. Poſt longos tractatus negotium tandem dilationem accepit.

Celeſtino *papæ ſuffraganei* Cantuarienſis *eccleſiæ debitam ſubjectionem*.

CUm ad noſtram perveniſſet noticiam *Baldewinum*, patrem noſtrum *Cantuarienſem* archiepiſcopum, aput *Acon* viam univerſæ carnis ingreſſum, verentes ne monachi ſanctæ Trinitatis in archiepiſcopo ſubſtituendo ſibi quippiam vendicare præſumerent, de communi conſilio venerabilem fratrem noſtrum *Ricardum Lundonienſem* epiſcopum, ad quem electi nominatio de jure dinoſcitur pertinere præmiſimus aput *Cantuariam*. Junctus eſt ei comes in itinere quidam regis Juſticiarius. Igitur in eccleſia *Cantuarienſi* præſentibus monachis & audientibus *Romanæ* ſedis audientiam appellavit, inhibens ex parte ſummi pontificis ne quid in electione facienda præſumerent attemptare citra conſcientiam epiſcoporum & etiam citra regis aſſenſum. Poſtmodum autem ut nobis archipræſulem eligeremus, ad vocationem domini *Lundonienſis*, qui decanatum optinet inter ſuffraganeos, convenimus *Lundoniis*, convenerunt & monachi; Dilationem accepit electio quibuſdam diſſenſionibus ad invicem emergentibus. Dominus itaque *Lundonienſis* totius *Anglicanæ* vicem gerens eccleſiæ rurſus *Romanæ* ſedis audientiam appellavit, *R.* epiſcopo *Bathonenſi* cum reliquis epiſcopis contra monachos appellante. Paucis diebus elapſis conſtituimus accedere *Cantuariam*, ut ſub præſentia tam cleri quam populi, tam epiſcoporum quam monachorum archiepiſcopum eligeremus, diem ad hoc faciendum conſtituentes iiij. non. Decembris. Interim autem Comes *Moritonii* domini regis frater & dominus *Rothomagenſis*, *Bathonienſis Roffenſis*, *Herefordenſis*, *Menevenſis*, *Coventrenſis*, epiſcopi cum pluribus regni magnatibus pro quibuſdã magnis regni negotiis tranſitum fecerunt uſq; *Cantuariam*. Cumque ſuper negotiis ipſis in palatio *Cantuarienſis* archiepiſcopi reſidentes tractarent, ingreſſi ſunt coram eis *G.* dictus Prior & quidam monachorum, & manus inicientes in *Bathonienſem* & eum electum ſuum nominantes de medio reſidentium ſuſtulerunt. Quos memorati præſules & regni proceres e veſtigio ſubſecuti, denuo veſtram appellaverunt præſentiam v. kal. Decembris.

An. Dñi 1192.

Reginaldus Bathonienſis epiſcopus ſedit annis xvj. & xx. ſex ſeptimanis & duobus diebus, Qui nominatus à monachis *Cantuarienſibus Cantuarienſis* electus, tranſcurſis à die nominationis xxix. diebus, die natalis anno biſextili feria iiij. diem clauſit extremum aput *Dogemerefeld* in territorio *Wintonienſi*. Sepultus eſt autem in eccleſia ſua *Bathonia*, prope majus altare die feſto ſancti *Thomæ* martyris.

Rex *Francorum* à finibus rediens *Jeroſolomitanis* vj. kal. Januarii *Pariſius* ſollempni proceſſione receptus eſt. Sed utrum honeſtam, utrum cauſariam, utrum ignominioſam fuerit miſſionem conſecutus à caſtris, qui pro certo novit ediſſerat.

Conradus Marchio de *monte Ferario* iiij. kal. Maii confoſſus eſt ab *Arſacidis* aput *Tyrum*.

Henricus Campania Comes nepos *Ricardi* regis *Anglorum* filiam *Amauricii* regis quam Marchio ſibi copulaverat quali quali modo duxit uxorem iij. nonas Maii. Totam quoque terram ſicut unquam aliquis regum *Jeroſolimitanorum* poſſederat melius quam Chriſtiani recuperaverant in poteſtatem recepit.

Caterva *Saracenorum* dum à *Babilonia* tenderet *Jeruſalem*, omni genere victualium habundans & armis, intercipitur à *Chriſtianis*. Quod quiſque *Francorum* diripuerat ſuos ceſſit in uſus. Quod *Templares*, quod *Hoſpitalarii*, quod exteræ gentes invaſerant, ceſſit ad arbitrium regis *Anglorum*.

Pridie idus Maii rex *Anglorum* veniens ante *Darum*, quod rex *Amauricius* in dampnum & injuriam *Babiloniorum* firmaverat, quod & poſtmodum *Salaadinus* in poteſtatem ſuam redegerat, caſtellum obſedit, & infra quartam diem hominum pluſquam quinque milia capto caſtello captivavit.

Pridie kal. *Auguſti* captum eſt opidum *Jopen* à *Saracenis*.

Kal. *Auguſti* rex *Anglorum* impiger ut Chriſtianis ſuccurreret, in arma proruens cum tribus galeis decem ſecum habens milites ante *Jopen* applicuit, & *Saracenos* expugnans *Jopen* ſua ſub poteſtate redegit. *Saraceni* reſumptis viribus cum audiſſent regem veniſſe cum paucis, ut eum vivum caperent irruerunt. Quibus rex reſiſtens viriliter, in ore gladii multos percuſſit eorum.

Quarto idus *Auguſti*, ſcilicet vigilia ſancti *Laurencii* datæ ſunt induciæ. Tota maritima ſcilicet *Tyrus*, civitas *Acon*, caſellum *Hymberti*, *Cayphas*, *Ceſarea Philippi*, *Jopen* & caſellum *Medianum* ceſſerunt in partem Chriſtianorum. Civitas *Aſcalon*, de qua ſcriptum eſt, *Aſcalon*, *Aſcalon*, *tibi in ore gladius & erit uſque ad conſummationem ſeculi*, de communi tam *Chriſtianorum* quam *Saracenorum* aſſenſu diruitur. Montana ceſſerunt in poteſtatem *Saracenorum*. *Chriſtianis* eſt data poteſtas intrandi *Jeruſalem* dummodo venirent inermes. Set *Tyrenſis* archiepiſcopus ſub interdicto concluſit omnes qui ſub conductu *Saracenorum* viſitarent *Jeruſalem*, & ibidem vota perſolverent orationum.

Hinc inde datis induciis à ſequente paſcha per tres annos, per tres menſes, per tres ebdomadas, per tres dies, per tres horas nemini venit in dubium non eſſe dictum ocioſe, *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Et ut quod *Saraceni* fecerunt robur in poſterum firmitatis optinere non dubites, in ſignum pacis emiſerunt ſagittam. Intelligi dantes, in die non eſſe timendum à ſagitta volante.

DUM rex *Ricardus* peregrinaretur in *Syria*, dum vacaret in *Anglia* ſedes *Cantuarienſis*, *Savaricus Norhamtonienſis* archidiaconus & theſaurarius *Saresbirienſis*, à *Bathonienſibus* monachis, *Wellenſibus* clericis reclamantibus electus eſt in epiſcopum. *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus Juſticiarius regni præbuit regis aſſenſum. *Savaricus Romam* veniens mandato ſummi pontificis ordinatus eſt presbiter in patriarchio *Lateranenſi*; Manum conſecrationis appoſuit *Albanus Albanenſis* epiſcopus xiij. kal. Octobris.

Die feſto ſancti *Michaelis* duæ reginæ, ſcilicet tam *Angliæ* quam *Siciliæ*, navem aſcenderunt aput *Acon*. Rex vero navem aſcendit die feſto ſancti *Dioniſii*. Circa ſancti *Martini* feſtum applicuit in *Romania*, ſcilicet in loco qui dicitur *Cuureſy*, qui juriſdictioni ſubicitur imperatoris *Conſtantinopolitani*. Poſtmodum relictis magnis navibus duas galeas aſcendit & applicuit in *Sclavonia*. Cum autem tranſiſſet *Veneciam* & *Aquileiam*, terram Ducis *Auſtriæ* ſubintravit. A quo captus eſt in civitate quæ *Wena* dicitur xiij. kal. Januarii.

Regem *Anglorum* Dux *Auſtriæ* comprehendit aput *Wenam*. Qui licet pedes regis in compedibus non humiliaverit, importunitate tamen cuſtodum plus ad malam manſionem perduxit, quam ſi duris artaſſet in vinculis. Homines ſiquidem regionis illius barbariem maxime redolentes, horrent verbis, habitu ſqualent, inmundiciis feculeſcunt, ut intelligas eorum cohabitationem ferinam pocius quam humanam.

An. Dñi 1193.

Johannes Moritonii Comes cum audiſſet fratrem ſuum regem tentum in vinculis illectus eſt ſpe magna regnandi. Multos itaque per totum regnum alliciens plurima promittebat, munitionibus ſuis celeriter obfirmandis intendebat ſollicitus, mare tranſiens fœdus iniit cum rege *Francorum*, ut *Arturum* ducem *Britanniæ* nepotem ſuum, ab ea ſpe quam *Britones* ſuper ejus promotionem conceperant prorſus excluderet.

Pridie kal. Marcii *Salaadinus* diem clauſit extremum.

Feria iij. poſt ramos palmarum dux *Auſtriæ* regem *Angliæ* tradidit imperatori *Romano* ſub pactione pecuniæ perſolvendæ.

Poſtmodum ut imperator ad immoderatam pecuniæ quantitatem nomine redemptionis ſolvendam regem *Anglorum* terroribus, & exemplis impelleret, eum retrudi præcepit in loco qui *Trivallis* dicitur, à quo carcere nullus ante dies iſtos exivit, qui vinctus ibidem intravit, de quo dicit *Ariſtoteles* libro quinto, *Bonum eſt mactare patrem in Trivallis*. De quo loco rurſus metrice ſcriptum eſt.

RICARDUS I. REX.

Sunt loca, ſunt gentes quibus eſt mactare parentes
Vel mos vel pietas, cum ſera ſupervenit ætas.

Hoc igitur non fortuito ſet ultione divina proviſum eſt & ſalubriter ordinatum, ut *Ricardus* rex ad pœnitentiam & ſatisfactionem congruam revocaretur, ſuper exceſſu quo patrem ſuum carnalem *Henricum* regem decumbentem in lecto, tam auxilio quam conſilio regis *Francorum*, aput urbem *Cenomannicam* obſidione vallavit, & licet eum ferro non mactaverit corporaliter, eum tamen crebris & ſævis aſſultibus compulit inde recedere.

Ricardus Dei gratia rex *Anglorum* dum teneretur in vinculis, & de conſilio vacantis eccleſiæ *Cantuarienſis* ſanctam in animo gereret ſollicitudinem ſcripſit in hæc verba.

Ricardus Dei gratia rex *Anglorum* karis & fidelibus ſuis *R.* eadem gratia *Lundonienſi* epiſcopo, *Cantuarienſis* eccleſiæ decano & univerſis *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis ſalutem.

V*Eſtra volumus libenter fraternitati conſulere* & Cantuarienſem *eccleſiam, quæ veſtrum omnium mater & caput eſt, de perſona ydonea Deo, nobis & vobis & toti regno noſtro accepta, quæ ad pacem & tranquillitatem ſanctæ eccleſiæ, & regni noſtri aſpiret, in quantum ad nos pertinet ordinare.*

Commonitoriis igitur hujuſcemodi lectis in medium, ad vocationem domini *Lundonienſis* plures epiſcopi convenerunt, quidam ſuæ cauſam abſentiæ ſatis probabilem, vel per litteras, vel per nuncios allegarunt. Convenerunt ad vocationem ejus plures locorum conventualium principales perſonæ. Dies dominica præfinita fuit electioni ſcilicet tertio kal. Junii. Mater itaque domini regis *Alienor* regina, *Walterus* quoque *Rothomagenſis* archiepiſcopus capitalis *Angliæ* Juſticiarius & alii regni magnates ad regni pacem integre conſervandam, omnem ſtuduerunt impendere ſollicitudinem, quodam palliatæ pacis umbraculo ſuum velare propoſitum intendentes, ut ſub quadam quali quali concordia partium ſtudia diverſiſſima jungerentur, quorum ſemper fuerant corda disjuncta. De juſticiariorum diſpoſitione *Gaufridus* Prior *Cantuarienſis* & monachi, qui cum eo *Lundoniam* venerant, *Cantuariam* adierunt, ubi *Thomas* glorioſus prothomartyr *Cantuarienſium* ſanguine proprio tinctam ſibi purpuram conquiſivit. Et ut in terris grande ſibi nomen facerent, die ſabbati prædictam præcedentis dominicam prævenerunt epiſcopos, *Hubertum* quondam decanum *Eboracenſem*, quem aliquo ſpiritu revelante prænoverant ab epiſcopis eligendum, ſuum nominantes electum.

Viri quidam mediæ manus homines in Capitulo *Cantuariæ* præſidentes tanquam Juſticiarii, nominationi factæ præbuerunt aſſenſum. Monachi prævenerunt epiſcopos, ſabbatizantes non ſabbato mentis ſet temporis. De quo dicit *Moyſes* filiis *Iſrael*, *Erit vobis hodie ſabbatum requietionis, & affligetis animas veſtras.* De quodam alio longe diſſimili ſabbato loquitur alibi propheta dicens, *Dabit dominus Deus ſabbatum pro ſabbato*, ſcilicet pro pace temporali pacem æternam. Monachi cum exultatione magna recedentes à capitulo, magnam intraverunt eccleſiam, laudes debitas ſicut ſibi videbatur Domino decantantes *Te deum* ſcilicet *laudamus*. Ab eorum mentibus excidiſſe non debuit, quod cum aliquis in Abbatem electus, eſt ſua collocandus in ſede, mediocri voce pſalmus excurritur quinquageſimus, commiſſorum priſtinam perpetrationem revocans ad memoriam, non alicujus gloriæ temporalis titillationem importans. Monachi prævenerunt epiſcopos ſet non in benedictionibus dulcedinis; nec enim in tanto monachorum collegio repertus eſt aliquis, qui poſt ſuorum expletionem votorum populis ad propria reverſuris, in fine ſollempnem de jure poſſet dare benedictionem. *Hubertus* à monachis *Cantuarienſibus* prænominatus in ſabbato renuntiet diabolo per pœnitentiam, ne ſub ejus jugo retineatur. Die dominica, die conſtituta, die ſanctificata *Hubertus Saresbirienſis* epiſcopus ab epiſcopis electus eſt in archiepiſcopum. Electionem factam *Lundonienſis* epiſcopus in publico recitavit apud *Weſtmonaſterium*, in ſede regia, loco celebri, loco faciendis electionibus archiepiſcoporum à multis temporibus conſecrato.

RICARDUS I. REX.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus capitalis *Angliæ* juſticiarius dedit aſſenſum, & auctoritate regia factam confirmavit electionem. Igitur *Lundonienſis* epiſcopus juxta ſuorum dignitatem prædeceſſorum, & Deo laudes perſolvendas exſolvit, & benedictionem omnibus qui convenerant gratanter exhibuit. *Saresbirienſis* epiſcopus electus ab epiſcopis in archiepiſcopum, in præſenti judicium juſtum cunctis exhibeat, futurum judicium timeat ſemper, & miſericordiam conſequetur, ubi vix juſtus ſalvabitur, voce jocunditatis in fine glorificatus, Intra ſcilicet in gaudium Domini tui, tranſeat in vitam æternam ubi videbitur deus deorum in *Syon*, ubi cum ſanctis deum laudet, videat & adoret.

TOtius *Alemanniæ* generalis conventus magnates ſolummodo comprehendens, habitus eſt aput *Warmatiam* tercio idus Julii. Tractatum eſt ibi de redemptione regis *Anglorum*: Tandem ſub audientia plurimorum propalatum eſt precium apreciati, quem apreciavit *Henricus* imperator *Romanus* ab *Auſtriæ* Duce *Limpoldo*, ſcilicet quinquaginta milia marcarum argenti. Sed ut imperator egregius fœnerator legittimarum uſurarum ſummam, quæ per annum æquiperantur ſorti per unum diem in duplum excederet, centum milia marcarum ſibi ſuo tempore ſolvendarum extorſit à rege.

Summa redemptionis regis *Anglorum* eſt argenti centum milia librarum, ad pondus *Coloniæ* monetæ publice probatæ. Quæ pecunia certis temporibus & diſtinctis quinquaginta datis obſidibus perſolvetur.

Cum de redemptione regis agendum ſit, quam devotionem ei ſui fideles exhibuerint proferamus in medium, incipientes à domo Dei. Majores quidem eccleſiæ theſauros ab antiquis congeſtos temporibus, eccleſiæ parochiales argenteos calices præmiſerunt; archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, Priores conventualium eccleſiarum, Comites, Barones quartam partem annuorum redditium, Monachos *Ciſtercenſis*, Canonicos ordinis albi totam lanam unius anni, Clericos viventes de decimis decimam partem de redditibus provenientem ſtatutum eſt aſſenſu communi perſolvere.

Ceſſit *Alemannis* in admirationem non minimam quod tam crebri fiebant concurſus Epiſcoporum, Abbatum, Comitum & Baronum, aliorum etiam mediæ manus hominum, quos de tam diverſis, de tam remotis nationibus unius hominis juriſdictioni ſubjectis deſiderium trahebat videndi regem, de reditu

RICARDUS I. rex. cujus in toto regno ſuo ferè deſperabatur à ſingulis. Et cum diverſi diverſa reportarent reſcripta, ſcripſit in hæc verba.

Ricardus rex *Anglorum*, *Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo.

QV*otieſcunque nuncios in* Angliam *ad vos deſtinamus, & illis litteras de fide eis adhibenda ſuper his quæ vobis ex parte noſtra proponent committimus, hac intentione hoc facimus, ut ſuper his quæ ad commodum & honorem noſtrum cedunt eis fides adhibeatur: ſuper his autem quæ ad honorem, aut utilitatem noſtram non contingunt, eis fides nullatenus adhibeatur.*

Hugo Ceſtrenſis epiſcopus vocatus à rege ſicut dicebat, cum magnis exenniis, quæ ſummo ſtudio præparaverat, antequam *Alemanniæ* periculis ſe committeret, interceptus eſt in itinere. Nam prope *Cantuariam* de nocte quieſcens comprehenſus eſt, bonis omnibus ſpoliatus eſt. *Mathæus* de *Clera* municeps principalis caſtelli de *Dovera* præſtitit auctoritatem prædonibus; ſed excommunicatus nominatim tam ab archiepiſcopo, quam ab epiſcopis omnibus accenſis candelis, an ſuum exceſſum congrua ſatisfactione relevaverit, ignoratur.

PH*ilippus* rex *Francorum* uxorem duxit ſororem regis *Danemarchiæ*. Sed quia divortium inter ipſos ſollempniter celebratum eſt, ex inſperato, plus hoc in ore populorum verſatur, quam quod aput urbem *Ambianenſium* in aſſumptione beatæ virginis nuptiæ regales præceſſerant. À rege disjuncta regina maluit *Sueſſionis* inter ſanctimoniales degere, quam lares paternos in *Danemarchia* viſitare.

NUnciis quos archiepiſcopus ad dominum papam pro pallio ſuo petendo direxerat redeuntibus, affuit inter eos quidam *Epiſcopellus* nomine deferens pallium. Habitus eſt itaque generalis conventus epiſcoporum *Cantuariæ*, nonis Novembris, ad ſollempnem archiepiſcopi ſuſceptionem & intronizationem. Convenerunt & aliæ conventualium eccleſiarum perſonæ principales. Ordinatis igitur quæ fiunt in applauſibus hujuſcemodi, dextravit archiepiſcopum *Lundonienſis* epiſcopus, ſiniſtravit *Wintonienſis*, & ſic in ſede ſua ſollempniter collocatus eſt, & receptus in oſculum. Ordinata proceſſione rurſus itum eſt obviam *Epiſcopello* pallium deferenti. Qui veniens ante majus altare, triplici ſacramento quod ab antiquis temporibus introductum eſt, adauctis quibuſdam novis verborum formulis involvit archiepiſcopum, quas opuſculo præſenti ſuperfluum duximus interſerere. Moram fecit *Epiſcopellus* cum archiepiſcopo per aliquod tempus, multos multis onerans verbis, nec multis ad ultimum honoratus exenniis.

WA*lterus Rothomagenſis* archiepiſcopus dum per annos duos, & anni tercii quartam partem adminiſtraſſet regni negotia, ſpecialis *Angliæ* Juſticiarius, non ambulavit in magnis, à munere manus excuciens, clamores æqua lance dijudicans. Qui vocante rege tranſitum fecit in *Alemanniam*. Tranſitum etiam fecit & mater regis *Alienor* regina. Sub ipſo tranſitu ſuo *Coloniæ* celebrantes Epiphaniam.

An. Dñi 1194. *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus *Radulfo* Decano *Lundonienſi*.

NOverit dilectio veſtra, quod poſtquam ad dominum noſtrum kariſſimum illuſtrem regem *Anglorum* acceſſimus nemini ſcripſimus in *Anglia*, nec aliqua uſque ad craſtinum ſancti *Blaſii* audivimus quæ eſſent digna relatu, & vobis ſcribere deberemus. Eo vero die miſericors Dominus populum ſuum apud *Maguntiam* in liberatione domini regis viſitavit. Nobis enim domino regi eadem die uſque ad horam nonam aſſiſtentibus, *Maguntinus* & *Colonienſis* archiepiſcopi inter dominum imperatorem, & dominum regem & ducem *Auſtriæ*, pro liberatione regia verba proferentibus, poſt multas anxietates & labores idem archiepiſcopi qui ſtudio maximo ad liberationem regiam operam adhibuerant, coram domina regina, & nobis, & *Bathonienſi*, & *Elyenſi*, & *Sanctonenſi* epiſcopis, & multis aliis magnatibus, ad dominum regem acceſſerunt ei breve verbum & jocundum proferentes. Erat ſiquidem quod dominus imperator ei ſignificavit, quod eum in cuſtodia ſua diu tenuerat, ſet eum liberum dimittebat, & abſolutum, ut ſui ipſius de cætero haberet poteſtatem,

Liber & explicitus ad ſua vota ſuus.

Circa dies iſtos *Henricus Henrici* Ducis *Saxonici* primogenitus, nepos *Ricardi* regis *Anglorum*, filiam unicam & hæredem *Conradi Palatini* Comitis duxit uxorem.

PActiones initæ ſunt plures inter imperatorem & regem, ad perſolvendam non ſpectantes pecuniam, ſed ad ſtatum regis intervertendum: inter quas quicquid inſertum eſt ab inicio vicioſum, quicquid contra leges, contra canones, contra bonos mores indubitanter conceptum, licet ex parte regis & ſuorum fidelium ad hoc obſervandum fuerit jusjurandum adactum, emiſſa licet patencia ſcripta, licet in mundum univerſitatis recepta, licet à partibus abſoluta, quia tamen contra jus elicita, robur firmitatis optinere non debent in poſterum, nec ullo tractu temporis convaleſcere.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus, & *Baldewinus Watch*, & alii quidam dati ſunt in obſidatum pro decem milibus marcarum, quæ rex tenebatur ad præſens perſolvere, quouſq; perſolverentur. Et hoc ſe fideliter obſervaturos, nec egreſſuros ab *Alemannia* citra conſcientiam imperatoris, præſtita jurisjurandi religione ſollempniter confirmaverunt.

TA*ncredus* rex *Siciliæ*, *Rogerus* etiam filius ejus ſublimatus in regem, intra paucos dies rebus humanis exempti ſunt. *Willelmus* vero filius *Tancredi* puer adhuc, regni diadema ſuſcepit.

Rex *Anglorum* ad inſtantem *Adulfi Colonienſis* archiepiſcopi petitionem *Coloniam* veniens, in ipſius palatio cum honore ſummo receptus eſt, in ſumptibus magnis, in epulis profuſioribus ibidem moraturus per triduum. Die vero tercia procuravit archiepiſcopus, ut rex in eccleſia beati *Petri* miſſam audiret. Archiepiſcopus itaque depoſita majeſtate ſua præcentoris aſſumens officium, & ſtans in choro cum cantoribus cæteris illam ſollempnem miſſam ſollempniter inchoavit. *Nunc ſcio vere quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.*

REx proſpero curſu tendens in *Ang.* applicuit aput *Sandwicum* die Dominica, ſcilicet xiij. kal. Aprilis feria iiij. coronata civitate cum exultatione magna tam cleri quam populi ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia ſancti *Pauli Lundoniæ*. Tendens inde verſus **Notingeham**, poſtquam venit infra triduum, obſeſſos omnes rejectis armis miſericordiam expetentes in deditionem recepit. Paſcha celebravit aput *Norhamtoniam.* In octavis Paſchæ regni diadema ſuſcepit de manibus *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi *Wintoniæ*, *Willelmus* rex *Scotiæ* præſens fuit. Die feſto ſanctorum *Nerei* & *Achillei*, navem aſcendit aput *Porteſmues*. In *Normannia* quieſcens, aput *Bruis* mane ſurgens obvium habuit fratrem ſuum *Johannem*, qui procidens ad pedes ejus miſericordiam petiit, & invenit. Tendens verſus *Vernolium*, regem *Francorum* audivit caſtellum obſidione vallaſſe, nec in petrariis erigendis, nec in magnis lapidibus comportandis, nec in machinis ſubvehendis, nec in murorum ſuffoſſionibus excavandis, nec in obſeſſorum corporibus affligendis per dies octo ceſſaſſe. Tunc temporis inſtabat dies ille magnus, celebris ille dies, majeſtati dies altiſſimæ dedicatus, dies optabilis toti mundo, dies inquam pentecoſtes, populo Chriſtiano per orbem terrarum venerandus ubique. Quo tempore *Franci* quondam cathedralium viſitationibus eccleſiarum obnoxii loca ſancta contendebant adire. Sacerdotes ordinis ſecundi, cum ymnis & laudibus, cum vexillis & crucibus ſuas præcedebant plebeculas; choreæ virginum, juvenum evagationes, civium & plebeiorum oculos demulcebant: ſed quia

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus,

nunc villarum depopulationibus, nunc deprædationibus armentorum, nunc incendiis, nunc cædibus, nunc homicidiis invigilare curabant. Et ne laborantes die ſancto pentecoſtes reportaſſe victoriam futuris temporibus memorialem, & ſuis annalibus inſerendam computarentur, audierunt ſub ipſo noctis crepuſculo quod rex *Anglorum* accinctus eſſet ad pugnam, & in craſtinum ſuperventurus. Quo rumore perterriti pocius elegerunt fugere, quam pugnare; cum ſuo dampno ſemper, cum ſuo ſemper obprobrio, recedentes à caſtris.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus marcarum decem milibus perſolutis ab *Alemannia* rediens Aſcenſionis dominicæ die ſollempni, ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia ſancti *Pauli Lundoniæ*, ſermonem habens ad populum. Expletis miſſarum ſollempniis in domo domini *Lundonienſis*, cum lautarum affluentiis epularum receptus eſt honorifice. Secunda feria Pentecoſtes navem aſcendit, tranſiturus in *Normanniam* iij. kal. Iunii.

CAnonici *Sareſbirienſes* Decanum non habentes ad præſens, à rege prius impetrata licentia, fratrem ſuum & concanonicum *Herebertum Cantuarienſem* archidiaconum, aſſenſu communi ſollempniter in epiſcopum elegerunt. Electionem factam in publico recitavit *Walterus* præcentor: electioni factæ præbuit rex aſſenſum, quam & *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus auctoritate propria confirmavit aput *Saresberiam*. iij. kal. Maii ſabbato pentecoſtes prædictus electus presbyter ordinatus eſt. Sequenti dominica, conſecratus eſt epiſcopus ab *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo aput *Weſtmonaſterium*, in capella ſanctæ *Katerinæ* nonis Iunii. Pridie idus Junii ſollempni proceſſione receptus eſt aput *Saresberiam*, & ſua ſollempniter collocatus in ſede per archiepiſcopum.

REx *Francorum* ſub quali quali feſtinatione recedens *Vernolio*, ne nil videretur egiſſe, municipiolum quoddam ſitum prope *Rothomagum*, quod ex fonticulis ebullientibus appellatum eſt *Fontes*, obſidione vallavit. Obſeſſi ſunt intus milites iiij. ſervientes xx. nihil minus arbitrantes, quam tantum principem ad tam exilem locum cum exercitu toto divertere. Recolere poterant, ſi litteras noſſent, illud à *Lucano* poeta metrice ſcriptum:

———— ———— —— *Dignum te Cæſaris ira*
Nullus honor faciet.

Præmiſſis igitur aſſultibus ardentiſſimis rex quarto die portas irrupit, evertit caſtellulum, cuncta diripuit. Inde veritus vires *Rothomagenſium* ne forte *Vernolenſium* animis accenderentur & factis, intra fines ſuos cum aliqua ſaltem victoriola ſeſe recepit.

CIrca dies iſtos *Andegavenſes* caſtellum *Willelmi Gobet* fundatum prope *Feritatem Bernardi* quod vocatur *Mons mirabilis*, obſederunt, ceperunt, & funditus diruerunt.

Poſtquam rex *Francorum* receſſit *Vernolio*, rex *Anglorum* veniens *Thuronis* à Caſtelli novi Burgenſibus, ubi requieſcit beatus *Martinus*, duo milia marcarum exeniorum nomine ſuſcepit nulla coactione præmiſſa. Tendens inde verſus *Bellum locum* qui ſitus eſt intra fines *Thuroniæ*, caſtellum de *Luches* quod rex *Francorum* obſidatus nomine receperat in poteſtatem à bailivis regis *Anglorum* dum teneretur in vinculis, ne conventionem quam cum eo fecerant tranſgrederentur, & quindecim militibus, & quater viginti ſervientibus cum alimoniæ ſufficientia cuſtodiendum commiſerat, rex *Anglorum* obſedit, & intra paucos dies viriliter expugnavit.

Circa dies iſtos filius regis *Navaræ* veniens in auxilium *Anglorum* regi, copioſum congregavit exercitum, & centum quinquaginta baliſtarios habens, terram *Gaufridi* de *Rancuna*, terram Comitis *Engoliſmenſis* penitus devaſtavit.

REx *Francorum* fines intrans *Turoniæ*, prope *Vindocinum* fixit tentoria. Quo cum regem *Anglorum* cognoſceret ſuperveniſſe, ſummo mane tentoriis avulſis cum feſtinatione *Fractam Vallem* repetiit. Rex autem *Anglorum* eum ſubſecutus eſt, & quadrigas ipſius, Comitum, & Baronum, & Magnatum ſub eo militantium impedimenta tota, ſub captione concluſit. Aurum & argentum in ſcriniis, & in aliis locis repoſitum, tentoria quoque, baliſtas & innumeras res, æſtimatio quarum in immenſum excreſcit, ſine dampno ſuo cepit & ſecum reduxit.

A feſto Pentecoſtes quo rex *Francorum Philippus* à *Vernolio* nocte recedens fuga ſibi conſuluit, elapſi ſunt dies xxxvij. ad illum uſque diem quo quieſcens prope *Vindocinum* exterritus ſummo mane cum gravi jactura ſuorum caſtellum *Duni* tremefactus irrupit.

Henricus Romanus imperator *Ricardo regi Anglorum*.

DIlectionem tuam ſcire volumus quod fideles tui *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus, & *Bathonienſis* epiſcopus, & *Robertus* de *Turneham* multa ſupplicatione nobis inſtiterunt, quatinus *Ottonem* nepotem tuum nobiſcum equitare permitteremus. Sed quoniam pater ejus Dux *Saxonum* nobis ſuſpectus eſt cujus malitiam veremur, petitiones eorum admittere noluimus. Sed tui ducti favore hæc eis indulſimus, quod idem *Otto* de die tres ſervientes habiturus eſt, qui ei ſerviant & aſſiſtant.

Circa dies illos *Alexius* quidam naturalis filius, ſicut dicebatur, *Manuelis* quondam Imperatoris *Conſtantinopolitani*, Græcus genere, Græcorum innumetabili multitudine congregata, tranſiit in *Bulgariam*, & hoſtiliter aggreſſus *Conſtantinopolim*, *Curſac* imperatorem captum, excæcatum, ementulatum carcere damnavit perpetuo, ſedem occupans imperialem.

Ricardus rex *Anglorum* cum à nativitate ſua compleſſet annum viceſimum ſecundum, à patre ſuo matre conſentiente, creatus eſt dux *Aquitanorum*. *Gaufridus* itaque de *Rancuna* multis eum laceſſivit injuriis. Sed *Ricardus* collectis viribus *Taileburg* obſidione vallavit, & faciem univerſam murorum intra dies complanavit pauciſſimos. Annus ab incarnatione Domini M. Clxxix. tunc temporis effluebat. Rurſus modo tranſivit in *Pictaviam*, & intra paucos dies *Taileburg*, & totam terram *Gaufridi de Rancuna*, totamque terram Comitis *Engoliſmenſium* ſua ſub poteſtate recepit, ut à caſtello *Vernolii* quouſque veniatur ad crucem *Karoli* nullus ei rebellis exiſtat.

Celeſtinus papa *Veronenſi* epiſcopo.

Volumus, & per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus à duce Auſtriæ *juramentum recipias, cum alia cautione quam expedire noveris, quod mandatis noſtris quæ ſibi per te, vel litteras, aut nuntium, vel nuntios noſtros fecerimus, per omnia ſine fraude parebit. Quo recepto, in ejus virtute ſibi præcipias, ut obſides regis* Anglorum *univerſos abſolvat. Conditiones omnes quas exegit ab ipſo relaxet, & oblata ſibi per eum, & ſuos, & quæ de ipſius regis iniqua redemptione percepit ſibi per univerſa reſtituens, eoſdem obſides faciat cum ſecuritate ad propria remeare, & ut amodo talia non attemptet. Nichilominus etiam de injuria & dampnis congrue ſatisfaciat irrogatis. His demum rite completis & peractis, ei & ſuis abſolutionis munus impendas, & interdictum cui erat ipſius terra ſubjecta relaxes. Illud etiam eidem duci & ſuis nichilominus præſtita ſibi abſolutione ſub debito prædicti juramenti præcipias, quod quam citius poterunt ad partes* Jeroſolimitanas *accedant, & tanto tempore moram in ſervicio Chriſti faciant, quanto præfatus rex in captione dinoſcitur extitiſſe. Quod ſi non obſervaverint, ipſum & ſuos in eandem excommunicationis ſententiam appellatione remota reducas. Dat.* Romæ *aput ſanctum* Petrum *viij. idus Junii, pontificatus noſtri anno quarto.*

Rex *Anglorum* edicto generali convocavit magnates omnes ſuæ juriſdictioni ſubpoſitos *Cenomannis*, ubi fidem *Anglorum* in adverſitate ſua ſemper ſibi gratioſam, integram & probabilem plurimum commendavit.

Treugæ datæ ſunt inter reges *Francorum* & *Anglorum*; ſed comeatui negotiatorum interdictum eſt hinc & inde. Revixit his diebus regis *Pharaonis* memoria, qui populis undique confluentibus & *Ægyptum* intrare deſiderantibus venale frumentum expoſuit, ne manus avara ſupprimeret quod commerciis hominum cum tempus exigit eſt communicandum.

Johannes theſaurarius *Eboracenſis* electus in epiſcopum *Pictavenſem*, ab *Alexandro* papa iij. conſecratus eſt epiſcopus in abbatia *Dolenſi*, quæ fundamentum habet in dioceſi *Bituricenſi*, die ſcilicet feſto ſanctæ *Teclæ* virginis. Sedit autem *Pictavenſis* epiſcopus annis viginti, tredecim ſeptimanis & uno die. Tranſlatus ad *Lugdunenſem* eccleſiam, ibi ſedit archiepiſcopus per decem annos & viginti novem ſeptimanas.

Cui ſucceſſit in archiepiſcopatu *Reginaldus* filius *Gigonis* Comitis *Forenſis*. *Johannes* autem archiepiſcopus in *Angliam* veniens ſancto *Thomæ* martyri vota perſolvit orationum apud *Cantuariam* in nativitate beatæ *Mariæ*.

Circa dies iſtos ſtatuit rex *Anglorum* certis quibuſdam interpoſitis conditionibus ad commodum fiſci pertinentibus, ut milites paſſim per *Angliam* in locis congruis undique concurrentes, vires ſuas flexis in girum frænis experiantur, ea conſideratione fortaſſis inductus, ut ſi bellum adverſus *Agarenos*, vel adverſus finitimos movere decreverit, ſi vel gentes exteræ regnum hoſtiliter præſumpſerint infeſtare, vegetatiores, agitatiores, exercitatiores reddantur ad prælium. Dum itaque diſpoſitio militaris certa die certo loco tirocinio deditos evocat ad giramen, *Anglos* militaribus armis inſtructos, in gladiis exerendis, in ictibus cumulandis, in verberibus aggravandis, in vulceribus infligendis, noveris exercitatos. Sed eoſdem levium vibratio lancearum non tam agiles reddit ad dimicandum, quam luxus epularum effuſior ſumptuoſos divulgat, & in luminaribus procurandis, & accendendis prædicat officioſos. Juventus igitur cupida laudis ſed non pecuniæ, ſubjugatos armis nequaquam atterit carcerali cuſtodia, vel ad redemptionem immoderatam exquiſitis tormentis impellit, ſed captos jure belli ſola fidei ſponſione devinctos abire permittit, redituros cum fuerint requiſiti.

A Rege *Francorum Philippo* directi ſunt nuncii iiij. ad *Anglorum* regem *Ricardum* verbis utentes pacificis, de regnorum commoditatibus tractaturi cum rege, ne populos utriuſque regis poteſtati ſubjectos, quorum hauriendo tam argentum quam aurum loculos vacuaverant, bellicis cladibus, & ſanguinis effuſione prorſus attererent. Domino ſiquidem ſuo beneplacitum eſſe conſtanter aſſeverabant, ut ambigua fata totius controverſiæ quæ vertitur inter ipſos ſub certamine ſingulari fortium quinque virorum hinc & inde dirimerentur, populis utriuſque regni confidentibus & expectantibus eventum rei, judicium declararet gladiatorium quid ſuper jure regis utriuſque, regis æterni ſederet in animo. Conſultatio ſimul & conditio placuit *Anglorum* regi quamplurimum, dummodo rex *Francorum* quintus inter ſuos, rex *Anglorum* itidem inter ſuos quintus, paritate ſervata corporum & armorum æqua lance confligerent.

Circa dies iſtos piſcis quidam vocatus vulgo craſſus piſcis vi ventorum & inpulſu maris appulſus eſt apud *Cadulneſuaſe*, villam ſcilicet canonicorum ſancti *Pauli Lundoniæ*. Cumque quæſtio moveretur, utrum ad regem an ad canonicos piſcis ſpectare deberet; inſpectis à capitali juſticiario regni *Lundonienſis* eccleſiæ privilegiis, ſentenciatum eſt piſcem non ad regem ſet tam ad Decanum quam ad Capitulum ſpectare debere.

Ricardus rex *Angliæ* omnibus fidelibus
ſuis ſalutem.

Noverit univerſitas veſtra compoſitionem factam inter dominum Walterum Rothomagenſem *archiepiſcopum & canonicos ejuſdem eccleſiæ, & cives* Rothomagenſes *in hunc modum, quod murus &*

ſcoypa

ſcoppæ atrii eccleſiæ infra proximum natalis Domini diem per eoſdem cives reficiantur, per viſum ſeneſcalli Normanniæ *& bailivorum noſtrorum in eo ſtatu in quo erant quando diruti fuerunt. Hæc acta ſunt apud* Argentonum *vigilia ſancti* Martini.

Ricardus rex *Angliæ* decano & canonicis *Turoniæ*, & cæteris clericis omnibus, tam religioſis ſcilicet quam aliis univerſos redditus eorum quos confiſcaverat in manu domini legati benigne reddidit. Hæc acta ſunt apud *Alenchonam* die feſto ſancti *Martini*.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus *Radulfo* decano *Lundoniæ* ſalutem.

Impetrata per dominum legatum & nos rectitudine redditunm eccleſiaſticarum perſonarum de terra domini regis *Francorum* quos confiſcaverat, dominus legatus & nos ad regem *Francorum* duximus laborandum, ut precibus & exhortationibus noſtris nobis redditus noſtros & cæteris eccleſiaſticis perſonis de terra domini regis *Anglorum* ſuos redditus quos ceperat reſtitueret. Hæc acta ſunt *Senonis*.

Philippus rex *Francorum* bailivis ſuis ſalutem.

Sciatis quod dilectum noſtrum Walterum *venerabilem* Rothomagenſem *archiepiſcopum in gratiam & amorem noſtrum recepimus. Inde eſt quod vobis mandamus & præcipimus, quatinus viſis præſentibus litteris deliberetis in veſtra poteſtate univerſas res dicti archiepiſcopi & canonicorum* Rothomagenſium, *& monachorum, & monalium, preſbiterorum, & clericorum* Normannorum, *& in pace de cætero habere permittatis. Et ſi aliquis amodo eis aut rebus ſuis moleſtiam ſive dampnum intulerit, quamtocius faciatis emendari. Præcipiatis etiam militibus quos idem archiepiſcopus vobis nominabit, ut erga eundem archiepiſcopum faciant ſicuti ſolent & debent.* In eadem forma ſcripſit omnibus bailivis ſuis & baronibus in quorum poteſtate redditus noſtri & eccleſiaſticarum perſonarum *Normanniæ* erant.

Rogerus de genere *Normannorum* primus in *Siciliâ* regio diademate ſullimatus ſuo ſculptum in ſigillo monaſticum illud jactabat,

Apulus & Calaber, Siculus michi ſervit & Afer.

Qui cum ageret in extremis, reliquit filium & filiam *Willelmum* & *Conſtantiam*; annus millenus centeſimus quinquageſimus quartus tunc temporis effluebat. *Henricus* rex *Teutonicus* eandem *Conſtantiam* duxit uxorem, anno tam milleſimo tam centeſimo quam octogeſimo ſexto fluente. *Henricus* poſtmodum imperator creatus ſecum ducens imperatricem *Conſtantiam*, deficientibus aliis hæredibus omnium ad regnum *Siciliæ* pertinentium hæredem legittimam, duplicem congregavit exercitum; hinc equeſtrem & pedeſtrem per viarum anguſtias laborioſiſſime gradientem; illinc remigantium multitudinem copioſiſſimam in armis bellicis plurimum confidentem. Sicque *Januenſium* & *Piſanorum* tam auxilio quam conſilio roboratus *Bonefacium* marchionem de *monte Ferrato* totius navigii ſui quod excreverat in inmenſum ſigniferum ordinavit. *Bonefacius* itaque dum æquora ſulcaret intrepidus & Salertinatos pro viribus paratos reſiſtere cognoviſſet, irruit ſuper eos, & non modica ſtrage peracta victoriam reportavit, urbem ſuccendit, prædavit, eccleſiis non pepercit, eccleſiam ſancti *Mathei* violenter intravit, aſportavit theſaurum, ſine delectu cives in ore gladii trucidavit, quoſdam truncavit capite, quoſdam ſuſpendit patibulo, mulieres omnes indifferenter proſtituit. Civitate vaſtata, tranſiit in *Siciliam*; civitates omnes in deditionem accepit. *Willelmus Tancredi* regis filius in ætate puerili ſublimatus in regem, cum matre ſua præſidium adiit, ſicut fertur, tutiſſimum, caſtrum ſcilicet ſancti *Johannis*. Imperator *Henricus* iter dirigens ad urbem *Pannormitanam*, in ſede metropolitana ſollempni proceſſione receptus eſt. x. kal. Novemb. regni diadema ſuſcepit.

Die feſto ſancti *Stephani* prothomartyris dum apud *Gratiam* dux *Auſtriæ Limpoldus* dies natalicios celebraret, & juxta conſuetudinem regionis ſui corporis agilitatem inter ſuos oſtenderet commilitones de plano militaribus armis accinctus, flexis in gyrum frænis equo cecidit, & pedis attritione ſubita ſauciatus ad necem, urgentiſſima tandem neceſſitate compulſus, conſilio medicorum pede truncatus eſt, ut qui regis *Anglorum Ricardi Jeroſolima* redeuntis, & crucis adhuc mortificationem in corpore ſuo geſtantis, & animum habentis ad terram ſanctam redire, pedes conſtrinxerat, nec licentiam abeundi quo vellet habere permitteret, in ultionem tanti facinoris pede proprio mulctaretur juxta ſententiam *Petri Ravennatis*, qui de filio prodigo ſcribens inter cætera dixit, *Luxuria, ventri, gula famis tortor apponitur, ut ultrix ibi pœna ſæviat ubi pœnalis reatus exarſerat.*

Hoc anno *Guarinus* abbas cum præfuiſſet eccleſiæ beati *Albani* annis undecim & octo menſibus octoque diebus obiit plenus dierum iij. kal. Maii. Sepultuſque eſt à *Gilleberto Roſenſi* epiſcopo die apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi*. Cui ſucceſſit *Johannes* abbas 21. ejuſdem monaſterii monachus in capitulo S. *Albani*, nullo contradicente electus in præſentia *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, & totius *Angliæ* juſticiarii, nec non in præſentia multorum tam procerum quam abbatum & clericorum, ipſo juſticiario aſſenſum regis *Ricardi* præbente xiij. kal. Auguſti. Quem electum *Ricardus Lundon*. epiſc. ſollempniter in pontificalibus benedixit in eccleſia beati *Albani* ad majus altare in præſentia totius conventus, & pontificalibus ornamentis indutum in ſua ſede ſollempniter collocavit iij. kal. Auguſti.

Henricus *Dei gratia* Romanorum *imperator & ſemper* Auguſtus, *& rex* Siciliæ *dilecto amico ſuo* W. Rothomagenſi *archiepiſcopo ſalutem & dilectionem.*

Scientes honeſtatem tuam de magnificentiæ noſtræ felicibus ſucceſſibus plurimum gratulari, ſignificamus diſcretioni tuæ quod nos per Dei gratiam totum regnum *Siciliæ* & *Apuliæ* in pace poſſidemus. Cum autem quoſdam magnates regni qui nobis ſatis contrarii primo extiterunt gratiam noſtram recuperaſſent, ipſi poſtmodum nefandam proditionem contra perſonam noſtram machinati ſunt. Sed quia nichil opertum quod non reveletur, gratia Dei proditio illa fuit detecta, & quorundam proditorum proditione manifeſtata, unde omnes eos pariter juſſimus captivari, & in vinculis detineri. Ad cujus noſtræ proſperitatis augmentum divina operante clementia, dilecta conſors noſtra *Conſtantia* illuſtris *Romanorum* imperatrix *Auguſta* in die beati *Stephani* prothomartyris peperit nobis filium. Tu itaque noſtræ jocunditati congaudendo de tuo & terræ ſtatu nos certifices. Dat. apud S. *Marcum* xiij. kál. Febr.

Hubertus Cantuarienſis archiepiſcopus plenitudinem poteſtatis in officio legationis inauditam à ſeculis communi favore cardinalium univerſorum aſſecutus eſt, ſicut docent ſequentia.

Celeſtinus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* H. Cantuarienſi *archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SInceritas devotionis & fidei conſuetæ quam *Anglicana* ſemper eccleſia circa ſacroſanctam *Romanam* eccleſiam conſecravit, in tua ſicut bene confidimus prudentia & virtute refloruit, & placiti fervoris accepit acceptabile incrementum. Talis enim ad *Romanam* eccleſiam tuæ fraternitatis emanavit opinio, quæ & tuæ honeſtatis odore nos recreet, & conſtantiæ quam habes vigore confortet, ita ut confidentiam quam de tua probitate concepimus in noſtro jam apercius opere declaremus. Supplicante itaque kariſſimo in Chriſto filio noſtro *R.* illuſtri rege *Anglorum* & univerſis ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ, ut *Anglicana* eccleſia legatum apoſtolicæ ſedis pro ſuis & regni profectibus optineret, tum pro devotione quam ad *Cantuarienſem* eccleſiam pro meritis illius glorioſi martyris haberemus, tum etiam tuæ probitatis & honeſtatis intuitu, eorum precibus aſſenſum præſtitimus & favorem. Maxime quia multum credimus eccleſiæ & regni utilitatibus expedire, ſi talem in miniſterio ſupradicto regio illa recipiat, qualem prædicti regis & epiſcoporum inſtantia de converſionis merito & fidei devotione commendat. Ideoque nos ad honorem Dei, & eccleſiæ *Cantuarienſis* ſalutem, & pacem per totum regnum *Angliæ*, non obſtante exceptione vel privilegio venerabili fratri noſtro *Eboracenſi* archiepiſcopo, vel alii facto, officium tibi legationis concedimus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatinus illam cum fraternæ obedientiæ humilitate ſuſcipias, & ſecundum datam tibi cœlitus facultatem, ad emendandum ea quæ neceſſe eſt emendari, & ſtatuenda ea quæ fuerint ſtatuenda, debitæ diligentiæ manum auctoritate ipſius legationis apponas. Ita nimirum in omnibus reverentiam matris tuæ *Romanæ* eccleſiæ prompta devotione cuſtodiens, ut pro defectu miniſterii quod tibi læta committit tuis etiam facias operibus lætiorem. Dat. *Laterani* xv. kalend. Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto.

Celeſtinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus *Eboracenſi* archiepiſcopo, & univerſis epiſcopis, & dilectis filiis, abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis per regnum *Angliæ* conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam bedictionem.

D*Ivina ſapientiæ inſcrutabilis altitudo quæ ſacroſanctam* Romanam *eccleſiam in hujus mundi latitudine ſtabilivit; ita regimen & gubernationem ipſius immutabili proviſione diſpoſuit, ut ad eam ſalubriter gubernandam plurimos aſſumeret in partem ſollicitudinis, quamvis pro unitatis eccleſiaſticæ firmamento unus acciperet plenitudinem poteſtatis. Voluit enim ut ſecundum quod eam alloquitur in propheta, pro patribus ejus filii naſcerentur qui ſuper omnem terram principes conſtituti virtutum meritis, & verbo doctrinæ rudes ad fidem, provectos ad juſtitiam erudiret. Unde ſacroſancta* Romana *eccleſia, cui ſuper cæteras concidit eccleſia magiſterium, pium ad alias habens materna proviſione reſpectum, providit, ab initio & laudabili eatenus conſuetudine cuſtodivit, ut de diverſis mundi partibus ad earum miniſterium adimplendum viros prudentes aſciſceret, quorum auctoritas & doctrina ſub* Romani *pontificis moderamine conſtituta, quod ipſe non poterat, procul diſtantibus eccleſiis miniſtraret. Unde nos qui, licet inſufficientibus meritis, in ſublimi ſumus ejuſdem ſpecula conſtituti, patrum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ita intendimus cum Dei adjutorio injunctum nobis miniſterium circa proximas eccleſias agere, ut his à quibus etiam poſitione diſtamus oportuna debeat providentia non deeſſe. Spiritualiter autem ad præſens* Anglicanam *eccleſiam paternæ conſiderationis acie intuentes, ad ſalutem ipſius & ſpirituales in Chriſto profectus, communi conſilio fratrum noſtrorum decrevimus, ut venerabilis frater noſter* H. Cantuarienſis *archiepiſcopus de cujus meritis & virtute, ſapientia pariter & doctrina eccleſia univerſalis congaudet, miniſterio legationis accepto vices noſtras ad honorem eccleſiæ, totius regni ſalutem & pacem, per totum regnum* Angliæ, *non obſtante exemptione vel privilegio tibi, aut eccleſiæ tuæ, frater archiepiſcope, vel alii facto, libere exequatur. Præſentium itaque auctoritate univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipientes mandamus, quatinus eidem tanquam apoſtolicæ ſedis legato reverentiam impendatis debitam & honorem.*

Willelmus Elyenſis epiſcopus, *Radulfo* decano *Lundoniæ.* Mittimus ad vos litteras quas *Vetus de monte* miſit duci *Auſtriæ* de morte *Marchiſii* in hæc verba.

Limpoldo duci *Auſtriæ Vetus de monte* ſalutem.

CUm plurimi reges & principes ultra mare *Ricardum* regem *Angliæ* & dominum, de morte *Marchiſii* inculpant, juro per Deum qui in æternum regnat, & per legem quam tenemus, quod in ejus mortem nullam culpam habuit. Eſt cauſa ſiquidem mortis *Marchiſii* talis: unus ex fratribus noſtris in unam navim de *Salteleia* ad partes noſtras veniebat, & tempeſtas illum forte aput *Tyrum* impulſit, & *Marchiſius* fecit illum capere & occidere, & magnam ejus pecuniam rapuit. Nos vero *Marchiſio* nuntios noſtros mandavimus. Mandavimus quod pecuniam fratris noſtri nobis redderet, & de morte fratris noſtri nobiſcum ſe concordaret, & noluit, necnon & nuncios noſtros ſprevit, & mortem fratris noſtri ſuper *Reinaldum* dominum *Sydonis* poſuit; & nos tantum fecimus per amicos noſtros, ut in veritate ſcivimus quod ipſe fecit illum occidere, & pecuniam rapere. Et iterum alium nuntium noſtrum nomine *Edriſum* ad eum miſimus, quem in mari mergere voluit; ſet amici noſtri illum à *Tyro* feſtinanter recedere fecerunt, qui ad nos cito pervenit & iſta nobis nunciavit. Nos quoque ex hora illa *Marchiſium* occidere deſideravimus, tuncque duos fratres ad *Tyrum* miſimus, qui

cum

eum aperte & fere coram omni populo *Tyri* occiderunt. Hæc autem fuit cauſa mortis *Marchiſii*; & bene dicimus vobis in veritate, quod dominus *Ricardus* rex *Angliæ* in hac morte *Marchiſii* nullam culpam habuit, & qui propter hoc domino regi *Angliæ* malum fecerunt, injuſte & ſine cauſa fecerunt. Sciatis pro certo quod nos nullum hominem hujus mundi pro mercede aliqua, vel pro pecunia occidimus, niſi nobis malum prius fecerit. Et ſciatis quod litteras iſtas fecimus in domo noſtra ad caſtellum noſtrum *Meſſiac* in dimidio Septembris coram fratribus noſtris, & ſigillo noſtro eas ſigillavimus anno ab *Alexandro* M. & D. & V. Nos vero harum tranſcriptum litterarum vobis de cujus dilectione plenum habemus experimentum duximus deſtinandum, ut de illo agatis in cronicis veſtris.

Ricardus Dei gratia rex *Angliæ*, *Ricardo* eadem gratia *Lundonienſi* epiſc. ſalutem.

L*Icet à pleriſque magnatibus & familiaribus noſtris ſuaderetur, ne curam & adminiſtrationem regni noſtri ei penes quem ſumma ſpiritualis gladii & poteſtas in regno noſtro conſiſtebat crederemus, venerabili tamen patri noſtro* H. Cantuarienſi *archiepiſcopo, pleriſque in contrarium adnitentibus, regni noſtri cuſtodiam fiducialiter duximus committendam, eccleſiarum prælatos in ea veneratione habentes, ut nichil de eis meriti jura noſtra fidei eorum ſecure ac fidenter credamus, ſperantes quod cum indulgentius forte quam prædeceſſores noſtri, & benignius viros eccleſiaſticos habuerimus, aliquid in juris noſtri præjudicium non debeant attemptare vel ſuſtinere præſumi. Sane ſicut ex quorundam relatione didicimus, Prior & Monachi* Dunelmenſes *clandeſtinam electionem nobis inconſultis & irrequiſitis facere præſumpſerunt. Quod ſi ita eſt, in regiam majeſtatem noſtram non modicum eſt offenſum: unde ſinceritati veſtræ decrevimus eſſe mandandum, quod ſollicita proviſione curetis, ne id juris & dignitatis quod noſtri progenitores in electionibus epiſcoporum* Angliæ *habuerunt, & nos habere debemus, in aliquo minuatur, ne humanitatis & benignitatis noſtræ eccleſiaſticis perſonis indulgentius exhibitæ pœnam in honoris noſtri diſpendio ſentiamus. Non enim aliqua ratione ſuſtineremus quod à præfatis monachis, vel ab aliis quicquam cum detrimento honoris noſtri in electione epiſcopi fieret. Et ſi forte factum eſſet quin in irritum revocaretur incontinenti.*

Celeſtinus *Papa Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem.*

CUm in regno *Galliæ* catholici ſemper æquitatis cultores divina fuerint principes inſtitutione promoti à ſacroſancta *Romana* eccleſia, cujus fidem & unitatem ſervarunt, quadam ſunt prærogativa privilegium benedictionis & gratiæ conſecuti. Quorum quidem exaltationem & gloriam nos etiam adhuc in minori officio conſtituti, & libenter promovimus & libentius conſuluimus promovendam. Nunc autem in apoſtolatus culmine provocati, kariſſimum in Chriſto filium noſtrum *Philippum* illuſtrem regem *Franciæ*, recolendæ memoriæ prædeceſſorum ſuorum tam bonitate quam prudentia ſucceſſorem, paternæ ſumus caritatis brachiis amplexati, dignis cum titulis honorare, & quantum cum Deo poſſumus exaltare propenſius cupientes. Cæterum cum fama hilaris & jocunda de matrimonio inter kariſſimos filios noſtros in Chriſto prædictum illuſtrem *Franciæ* regem & *J.* reginam illuſtrem ſororem kariſſimi in Chriſto filii noſtri *K.* regis *Danorũ* illuſtris ſollempniter & rite contracto prius ad noticiam ſedis apoſtolicæ perveniſſet, & poſtmodum de ipſo matrimonio ad pravam ſuggeſtionem quorundam tale quid ordine turbato non ſine honeſtatis eccleſiaſticæ læſione fuiſſe præſumptum audivimus, de quo & propter injuriam Deo & propter infamiam conſulentibus & conſentientibus irrogatam, non modicum contriſtamur: & quidem ſi magnitudo regia conſideraſſet attentius, attendiſſent & ſecum nihilominus qui hujus præſumptionis cooperatores fuerunt quantum ſit matrimonii ſacramentum, non fuiſſet ut credimus hoc modo proceſſum. Conſtat enim cuique divinam paginam revolventi, quod ipſe Dominus matrimonium inſtituit, & in paradiſo ante peccatum ad officium propter ſobolem propagandam, dicens, Creſcite & multiplicamini & replete terram; & extra paradiſum ad remedium poſt peccatum propter fornicationem vitandam. Unde ipſe primus homo ſpiritu ſancto afflatus inquit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una. Quanta ſit eciam matrimonii dignitas & quam circumſpecta debeat ad tractandum de eo procedere gravitas, Dominus innuit, Qui cum interrogatus fuiſſet ſi licitum eſſet uxorem dimittere, & quæſitum eſſet ab eo ſuper hæreditate duorum fratrum communiter dividenda, in uno tacens & in altero ſic reſpondens, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam præter cauſam fornicationis mœchatur. Per hoc nimirum oſtendit quod eccleſia in cognitione matrimoniorum quaſi cæteris difficiliori, cum majori quam in aliis procedere debeat gravitate. Et cum ipſe alibi dicat, Quod Deus conjunxit homo non ſeparet, adverti poteſt quam graviter ille delinquat, & quantum ſit ei ab ira ventura timendum, per quem tanti ſacramenti Chriſti & eccleſiæ religio perturbatur. Præterea non eſt à temeritatis vicio alienum, quod in tam arduo & difficili negotio non fuit cenſura ſedis apoſtolicæ requiſita, per quam vel ipſum canonice finiretur, vel committeretur aliquibus qui idem ſervato juris ordine ſecundum ſtatuta canonica terminarent. Hic revera contra ſanctorum patrum veneranda Concilia proceſſum eſt manifeſte, qui majores & difficiliores quæſtiones ab univerſis ad ſedem apoſtolicam cenſuerunt debere perferri, quod uſque in hodiernum diem non ſolum à *Gallicana* eccleſia præterquam in præſenti articulo, verum etiam à longe remotioribus devotiſſime obſervatur. Ut autem inde aliquantulum ordiamur. Nonne hoc negotium de præcipuis & magis arduis unum eſſe dignoſcitur: utpote quod tam inter eximias regales perſonas, & à progenitorum regali proſapia deſcendentes, ſuper cauſa tam difficili vertitur, ut ſecundum ſtatuta patrum deberet Auditorio *Romanæ* eccleſiæ reſervari. Si hoc & alia privilegia hujus ſedis beati *Petri* cui nos licet immeriti præſidemus, quiq; remotiſſimi eciam barbari cuſtodiunt illibata, quanto diligentius ea ſervare tenentur conſtituti propius & Latini, & qui de beneficiis prædictæ ſedis copioſius & frequentius ſuſtentantur? Non utique mediocriter errat qui privilegio beati *Petri* obviare non timet, & canonicis ſanctionibus contraire. Verum prælati eccleſiæ qui huic rei favorem aut conſilium præbuerunt,

Ricardus I. rex.

runt, etſi non ob aliud ſaltem metu pœnæ debuerunt ab hujuſmodi abſtinere, & illud ſpecialiter ſollicita mente revolvere quod in ſacris canonibus de *Themgaldo Treverenſi* & *Guntaro* Colonienſi archiepiſcopis legitur qui depoſitionis ſententia meruere percelli, pro eo quod in matrimoniali cauſa *Lotharii* regis & *Teberga* uxoris ejus normam æquitatis nequiter temerantes ſanctiones canonicas exceſſerunt. Quod vero hic fuerit æque vel magis exceſſum, ex ipſa rei evidentia demonſtratur, Nam cum regina per verba præſentis temporis expreſſo utrinque conſenſu, hinc inde primo præſtitis juramentis, ſacerdotali benedictione ſicut eſt conſuetudinis accedente, poſtquam fuit in reginam inuncta & honorifice coronata, præfato regi matrimonialiter copulata & eciam cognita ſicut fertur, nichil debuit contra ipſam indefenſam & ignorantem quid penitus ageretur, utpote linguæ *Francorum* ignaram, tam inordinabiliter à quolibet attemptari. Nos vero qui ipſum regem catholicum & eccleſiæ *Romana* valde devotum ab inclitæ memoriæ progenitoribus ſuis ſpecialiter in viſceribus caritatis habemus, volentes animæ ſuæ ſaluti & integritati famæ magis conſulere quam ei male ſuadentium ſatisfacere voluntati, per dilectum filium *Cent.* ſubdiaconum notarium noſtrum apoſtolicæ ſedis legatum ad hoc ſpecialiter miſſum & litteras noſtras rogavimus excellentiam ejus, monuimus & attentius fuimus exhortati, ac ei in remiſſionẽ injunximus peccatorum, ut illud evangelii attenta conſideratione revolvens quo dicitur nihil prodeſſe homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur, dum tempus haberet de animæ ſuæ ſalute eſſet ſollicitus, & prædictam uxorem ſuam quam à ſe conſilio iniquo amoverat, quamque generoſitatis egregiæ ac multæ decus honeſtatis adornat, maritali affectione tractaret, nec illis aures contra hoc accommodare curaret, qui quæ ſua ſunt non quæ Jheſu Chriſti quærentes, ad imitationem hominis inimici qui in agro bene ſeminato zizania reſperſit; Pro lucro reputant ſi poſſint inter aliquos odium & diſcordiam ſeminare. Sed idem rex legatum prædictum & litteras noſtras devotione qua decuit ſicut accepimus non recepit. Nos autem ſicut novit Dominus licet propter hoc ſimus conturbati, pro ſalute tamen animæ ejus de qua nos oportet propenſius cogitare amplius contriſtamur, volentes ipſum ea ſemper efficere, quæ & creatori ſuo placere debeant, & ſuæ animæ diſpendium non incurrat. Inde eſt quod publicum inſtrumentum ſuper genealogia ex parte venerabilium fratrum noſtrorum *Lunden.* archiepiſcopi & ſuffraganeorum ejus nobis tranſmiſſum, & famam publicam attendentes, ſententiam illam Divortii contra ordinem juris prolatam, de fratrum noſtrorum conſilio caſſantes & penitus irritantes, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi ſupradictus rex ſuæ conditionis oblitus ea vivente aliquam ſuperducere forte voluerit, vos auctoritate freti apoſtolica id eidem inhibere firmiter procuretis. Dat. *Laterani* iij. idus *Martii* pontificatus noſtri anno v°.

Celeſtinus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, *Venerabilibus fratribus* Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis Legato* Hub. *& ſuffraganeis & dilectis filiis eccleſiarum prælatis in provincia* Cant. *conſtitutis*, *ſalutem & apoſtolicam benedictionem*.

Ricardus I. rex.

Miſericors & miſerator Dominus qui ut humani generis lapſum ſua miſericordia reſtauraret, de utero virgineo carnem ſumere ac mortis non dubitavit ſubire diſcrimen, nolens nos quos de tenebris & umbra mortis ſua morte redemit, noſtrorum meritorum exigentia iterum manibus tradi inimici, omnem filium quem recipit miſerando caſtigat, monitis nos aliquando, quandoque flagellis corripiens, & cum meritis & peccatis noſtris talia & majora deberi conſpicimus, ad meliorem vitam facilius & libentius inclinemus. Verum cum diebus noſtris in tantum excreverit malicia modernorum, ut nec ſacræ ſcripturæ monitis nec infirmitatis noſtræ corripiamur flagellis, manum ſuam ſuper nos in tantum voluit aggravare, ac terram nativitatis ſuæ, quod ſine cordis amaritudine non poſſumus explicare, in manibus tradere paganorum, ut cum propheta merito deplorantes *Deus venerunt gentes in hæreditatem*, &c. auribus noſtris audierimus, quod quibuſdam eciam ad majorem compunctionem datum eſt intueri morticina ſanctorum in eſcas tradita volatilibus cœli, & ſanguinem eorum in potum beſtiis terræ. Audientes pariter abhominationem deſolationis factæ in loco ſancto, cum ibi ſicut dicitur ab *Agarenis* factum ſit proſtibulum meretricum ubi quondam menſa panum fuerat & propoſitio ſancta, & ibi ſit uſque hodie ſtabulum jumentorum ubi corpus Chriſti & ſepultum extitit & à fidelibus percipi conſuevit. Signum eciam ſalutare, videlicet ſacratiſſimum lignum crucis in quo apoſtolus typice gloriabatur cum diceret, Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Jheſu Chriſti in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quem ſalvi & liberi ſumus, in exterminio terræ illius peccatis Chriſtiani populi exigentibus in illorum poteſtatem devenit, qui crucifixum cum cruce pariter deteſtantur & filios eccleſiæ totis conatibus perſequuntur. *Jeruſalem* præterea quondam pacis viſio, & terra veteribus patribus repromiſſa, in qua Dominus noſter pro nobis pati voluit, & certa ſuæ divinitatis argumenta monſtrare, quæ eciam quondam à Chriſtianæ fidei profeſſoribus conſueverat devotiſſime ac frequentiſſime viſitari, calcatur pedibus iniquorum & illorum ſpurcitia inquinatur, quibus olim & timori fuerat & horrori, ut ſolita gloria & divitiis ſpoliata, & religioſis viduata & deſerta cultoribus ad ſe ipſam converſa deploret, *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo, facta eſt quaſi vidua Domina gentium.* Quis igitur *Chriſticola* tantæ deſolationis non inmemor lacrimas teneat? Quis hujus calamitatis audita miſeria non condoleat columbæ gementi? Quis hujus inmoderati doloris conſolationem recipiat? cum non ſit qui conſoletur eccleſiam lacrimantem ex omnibus earis ejus. Accingimini ergo fratres ad verbum Dei populis evangelizandum & gloriam. Accingantur quibus licet materialem gladium in perſecutores fidei exercere, ut injuriam crucis vindicta celeri ulciſcantur. Accingantur quibus datum eſt ſolis orationibus & contemplationibus vacare, ut Dominum poſſint aſſidua oratione placare. Ecce enim expecit nos Sathanas ut in hac turbatione cribraret ſicut triticum. Ecce qui nunc cum Chriſto non fuerit, juxta evangelicæ auctoritatis doctrinam ipſe erit averſus. Et quem ad præſens crucifixi non movebit injuria, in ſigno non confidat alterius ſalutari. Nec aliquorum volumus prudentiam admirari, ſi diverſi mundi principes qui ad expugnandam gentem *Saracenicam* hactenus in haſta & gladio ſunt profecti, quaſi nihil penitus profecerunt, quia non haſta & gladio ſalvos facit Dominus de ſua miſericordia confidentes, ſed in multitudine miſerationum ſuarum ſalvabit eos. Nec noſtra merita hactenus uſque adeo profecerunt ut iratum Dominum ad miſericordiam provocaverimus & medelam: licet enim quondam filii *Iſraël* ad vindicandam mortem uxoris *Levita* de monte *Effraim* contra tribum *Benjamim* aſcenderunt Domino præcipiente armati; non tamen prius eos potuerunt aliquatenus ſuperare quam ab illis ſemel & ſecundo fugati exceſſus ſuos & iniquitatem propriam purgaviſſent. Aſcendite igitur ſpe ad cor altum kariſſimi, ut in mirabilibus ſuis exaltetur Dominus. Effundite coram illo corda veſtra ut adiciat miſereri Deus, & ſervet in ira miſericordiam ſuam, & poſt tempeſtatem & fletum exultationem inducat. Sumant crucis ſignaculum qui hactenus arma militaria inter Chriſtianos populos aſſumpſerunt, nec deſperent de paucitate nec in multitudine glorientur. Si enim ad defenſionem terræ nativitatis Chriſti, paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis ipſius cum humilitate debita voluerint feſtinare, Dominus conterens bella qui currus & exercitus *Pharaonis* projecit in mare, docebit manus eorum ad prælium & digitos ipſorum ad bella, & multitudinem paganorum ut paleam ante faciem venti protinus exſufflabit, & ut lutum platearum delebit eos. Vos autem fratres archiepiſcope & epiſcopi quibus poſt ſummæ ſedis pontificem cura eſt univerſorum & animarum ſollicitudo commiſſa, præcibus inſtantibus ad Dominum inceſſanter ſubjectos vobis populos, ut aſſumpto crucis ſignaculo ad confundendos & confutandos perſecutores Chriſtianæ fidei accingantur, prædicationibus aſſiduis laboretis. Speramus ſiquidem, & vos ipſi ſperare debetis, quod Dominus in verbo prædicationis & orationis veſtræ rete laxabit, & tales ad defenſionem orientalis provinciæ propicius excitabit, quorum potius exigentia meritorum quam armorum fiducia exurget Deus & inimici diſſipabuntur ipſius, & fugient à facie ejus qui oderunt eum. Nos autem illis qui pro divinitatis amore laborem hujus profectionis aſſumere & quantum in ſe fuerit implere ſtuduerint, de indulto nobis à Deo auctoritatis officio illam remiſſionem impoſitæ pœnitentiæ per ſacerdotale miniſterium facimus, quam prædeceſſores noſtri noſcuntur ſuis temporibus ſtatuiſſe, ut videlicet qui corde contrito & humiliato ſpiritu laborem hujus itineris aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam propter hoc conſequantur æternam. Sive autem ſupervixerint ſive mortui fuerint, de omnibus peccatis ſuis de quibus fuerint recte confeſſi impoſitæ ſatisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei miſericordia, & apoſtolorum *Petri* & *Pauli* auctoritate & noſtra ſe noverint habituros. Bona quoque ipſorum ex quo crucem acceperint cum familiis ſuis ſub ſanctæ *Romana* eccleſiæ, necnon & archiepiſcoporum atque aliorum prælatorum eccleſiæ Dei protectione conſiſtant, & nullam de his quæ in ſuſceptione crucis quiete poſſederint, donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſime cognoſcatur, ſuſtineant quæſtionem, ſed bona ipſorum integra interim remaneant & quieta. Illi autem qui in ſubſidium terræ illius de bonis ſuis tranſmiſerint, de peccatis ſuis veniam conſequantur juxta ſuorum moderamina prælatorum. Verum tibi, frater archiepiſcope, cui ſollicitudo legationis regni *Anglorum* eſt ab apoſtolica ſede commiſſa, honeris hujus laborem duximus injungendum: mandantes ut apud kariſſimum in Chriſto filium noſtrum *Ricardum Anglorum* regem illuſtrem, ut ad defenſionem terræ *Jeroſolimitana* milites & pedites bene inſtructos tranſmittat, aſſiduis exhortationibus elabores, & provinciam circuiens *Anglicanam* oportunis & importunis prædicationibus inſtes, ut pro defenſione Chriſtianitatis aſſumpto crucis ſignaculo terram viſitent tranſmarinam. Vobis autem fratres epiſcopi, & dilecti filii eccleſiarum prælati, præſentium auctoritate mandamus, ut dictum archiepiſcopum veſtrum, tanquam apoſtolicæ ſedis legatum, benigne recipere, ac honorifice pertractare curetis, & monitis ejus & mandatis ſalubribus obedire. Dat. *Laterani* viij. kalend. Auguſti, pontificatus noſtri anno quinto.

W. Rothomagenſis archiepiſcopus *Rodulpho* decano *Lundonienſi*.

An. Dñi 1196.

EXperti ſapius ſinceritatem dilectionis qua nos in viſceribus Chriſti amplectimini, & affectionem pia mentis qua nobis compatimini, ſicut perſonam veſtram tenerius diligimus, ita & prolixius & confidentius anguſtias anima mea, & ſtatum noſtrum actaque à nobis in colloquio inter regem Francorum *& regem* Anglorum *habito nuntiamus. Venientibus itaque nobis ad colloquium infra octavas Epiphania inter reges habitum, primo die rex* Anglorum *à mane uſque ad veſperam, tum per ſe, tum per nuncios epiſcopos, abbates, & barones ſupplicavit cum omni inſtantia efflagitans, ut nos & capitulum noſtrum fidejuberemus pro eo, quod niſi ſcilicet pracise & integre ſingula capitula, ſicut in autentico inter ipſum & regem* Francorum *confecto continentur obſervaret, ad ſolutionem* ij̄. *marcarum regi* Francorum *faciendam teneremur, ſuper ſponſione etiam facta litteras ſigillis noſtris inpreſſas praberemus. Quia vero autenticum non inſpexeramus cujus mentio litteris noſtris inprimi debuerat, tanquam illi coharentibus, & vigorem ſi quem habitura erant contrahentibus, coriſco cooperto, & ſcripto nobis ignoto aſſenſum nobis prabere, vel illud confirmare, quod detectum tenebamur abhorrere deteſtari & redarguere minime voluimus. Itaque rege & ſatrapis ejus inſtantibus nichilque proficientibus, nobiſque in propoſito perſiſtentibus, circa veſperam facta eſt nobis copia authentici. Quo à decano & quibuſdam ex noſtris inſpecto, comperimus inter catera hac in eo inſerta eſſe, videlicet « Non licere archiepiſcopo* Rothomagenſi *in terras, « vel homines regis* Francorum, *ſeu regis* Anglo« rum, *interdicti vel excommunicationis ſententi« am dictare, prater aſſenſum* iiij^{or}. *clericorum « ab ipſis regibus pro voluntate ſua eligendorum, « & ſuper capud archiepiſcopi ponendorum. Quod ſi lata fuerit, ad eos ſpectabit cognitio ſententia utrum tenere debebit vel non. Quod ſi injuſtam eſſe protulerint, rex in cujus terram vel homines eccleſiaſticam exercuerat ſententiam, ad mobilia & immobilia archiepiſcopi manus extendet, & ea in proprios uſus convertet donec ſententiam relaxaverit, & ei ſecundum arbitrium dictorum* iiij. *primatum ſatisfecerit. Annexum eſt in authentico à regibus jurejurando & ſigillorum ſuorum munimine confirmato, « Ut illata eccleſiis ſeu quibuſcumque*

« cumque perſonis eccleſiaſticis, ſeu viris religioſis « injuria damna remittantur, & interdicti vel « excommunicationis ſententia propter hæc lata, « ſine ulla ſatisfactione ſolvantur. Tam enormibus autem contra Dei eccleſiam perſpectis & auditis, ilico in omnes inventores & fautores illius execrabilis authentici exceptis duobus duntaxat perſonis regum, ſententiam excommunicationis tulimus, conſtanter authentico contradicentes, & pro nobis, & eccleſia, provinciaque noſtra univerſa appellantes. Secundo die colloquii precibus regiis, tum allegationibus ſuperficialibus et palliatis, tum minis et contumeliis additis, circa nonam cruce Dominica pracedente innumeraque multitudine nos quaſi ad ſpectaculum ſequente, et nobis cauſam eccleſia Dei agentibus favente, acceſſimus et ſtetimus coram rege Francorum *quarentes ab eo, ſi ſalva integritate ordinis noſtri, et juris, et poteſtatis eccleſia* Rothomagenſis *concederet nobis fidejubere pro rege* Angliæ. *Quo clamoſe contradicente noſque opprobriis et contumeliis multiplicibus laceſſente, receſſimus ab eo, et paulo poſt à colloquio. In craſtino per epiſcopum* Ebroicenſem *et quoſdam clericos noſtros poſtulavimus à rege licentiam remeandi ad eccleſiam noſtram. Ad quam ceu ad aſilum properavimus. Ubi cum quieſceremus, et nocte ſabbati membra ſopori dediſſemus, ecce duo milites à latere regis miſſi nobis ex parte ejus dixerunt, quod mane coram eo compareremus. Intelligentes autem illum omni modo cum genuflexione etiam nobis facienda, adhibita caterva pontificum, abbatum, comitum, baronum velle ſatisfacere voluntati ſua, et pracipue voluntati regis* Francorum, *habito maturiori conſilio maluimus nocte & clam recedere quam periculum libertatis et juris eccleſiaſtici, cum diſpendio fama & bona conſcientia incurrere. Sicque duobus tantum, ſcilicet clerico & uno ſerviente comitati Cameracum venimus, ubi moram facimus adhuc, expectantes dubios rerum eventus, et per Dei gratiam ſtatus noſtri in melius commutationem, parati propter juſtitiam qualibet adverſa ſuſtinere. In tantis itaque tribulationibus & anguſtiis conſtituti, & injuriis & oppreſſionibus afflicti, diſcretioni veſtra ſupplicamus attentius, quatinus noſtris paſſionibus tanquam amici & devoti veſtri condoleatis, et quid nobis in tantis articulis conſtitutis agendum ſit, conſilium veſtrum recurrentibus litteris & auxilium exhibitione operis velitis efficaciter impartiri.*

Reverendo patri dominoque Waltero *Dei gratia* Rothomagenſi *archiepiſcopo, ſuus ille quondam fidelis et adhuc fideliſſimus ſalutem, et debitam patri et domino cum omni devotione reverentiam et obedientiam.*

QUod tacito nomine proprio vobis ſcribimus, illud efficit traditum generaliter,

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Cum itaque tres ſunt eccleſiæ perſecutiones, violenta, fraudulenta, deceptoria: primam *Rothomagenſis* eccleſiæ bona, clericorum veſtrorum poſſeſſiones diſſipaſſe cognovimus. Perſonam quoque veſtram illicitis fidejuſſionibus involvendam infeſtaſſe quamplurimum. In tantum ut ad declinandas tyrannorum verſutias coacti ſitis regnum *Alemannicum* ſubintrare, à quo cum per Dei gratiam ad propria redieritis cum triumpho, cantabitur ab occurrentibus vobis canticum novum, canticum jocunditatis & læticiæ, canticum metrice compoſitum, quod eſt hujuſmodi.

Felix homo Qui pro domo
Dei murum ſe futurum
dicto facto
publicat,
Ante reges pravas leges
execrando deteſtando
cœlum ſibi
vendicat.

Nos interim veſtris & veſtrorum deprædationibus intimo cordis affectu compatimur, & ad Dei clementiam recurrentes attentius genibus flexis Dominum deprecamur cotidie dicentes,

Serva clerum rex inſignis,
Votis tentum laude dignis,
Ne conſumat vorax ignis
Tua laudi deditos.
Legem pone regnaturis,
Si ſtatutis inſtent duris,
Ad radicem ſtat ſecuris,
Motus franans vetitos.

Valere vos optamus in Domino kariſſime pater.

Philippus rex Francorum W. Rothomagenſi archiepiſcopo.

NOſſe vos volumus quoniam adventum veſtrum & moram veſtram per terram noſtram plurimum deſideramus, & nos ballivis noſtris præcipimus, ut vos & veſtros per terram noſtram ſalvo conducant.

Ricardus rex Anglia W. Rothomagenſi archiepiſcopo.

NOverit ſanctitas veſtra quod vobis nullatenus deeſſe volumus, vel valemus in quacumque neceſſitate fueritis conſtituti. Et ſi jacturam aliquam vel dampnum occaſione noſtri incurratis, nullo modo poterimus omittere, quin dampna veſtra & jacturam vobis reſarciri faciamus. De adventu veſtro ad nos conſilium de vobis accipite quid expedire videritis; & gratum habebimus quod ſuper hoc veſtra ſanctitas duxerit ſtatuendum. De loquela verſus dominum regem *Francorum*, ſcilicet de quietatione clericorum & laicorum, cum eo ſermonem habeatis. Set animum veſtrum conſulite & providete, utrum id ei exponere ex parte veſtra, vel ex parte noſtra, tanquam id nobis inconſultis & ignorantibus per vos fuiſſet procuratum.

Ricardus rex *Anglia, H. Cantuarienſi* archiepiſcopo.

N*Overitis quod dilectus noſter et decanus* Rothomagenſis, *vir benignus, modeſtus, diſcretus, et ſecundum Deum ambulans in praſentia noſtra et clericorum veſtrorum, in epiſcopum* Wigornienſem *ſollempniter et canonice ab eis quorum intererat eſt electus: unde vos rogare duximus quatinus electionem illam ratam habeatis et gratam, eamque confirmare velitis. Scientes pro certo quod jus veſtrum, et eccleſia veſtra dignitatem integra conſervari volumus et illaſa.*

Philippus rex *Francorum W. Rothomagenſi* archiepiſcopo.

Memores ſumus quod dilectos & fideles noſtros Anſelmum *Decanum* Tyronenſem, *&* Urſonem *Camerarium ad vos tranſmiſimus, per quos vobis noſtra voluntas innotuit, videlicet quod in noſtro eratis amore & gratia, & quod vobis* Andeleium, *& aliam terram veſtram, & alia qua ad vos pertinebant libere reddideramus. Illud idem vobis mandamus, & in ampliori gratia & amore de die in diem proficiſcitis. Pro certo eciam vos ſcire volumus quod ſi in terram noſtram venire volueritis, terra noſtra vobis & omnibus veſtris patens eſt & parata, ſicut ſpecialiſſimis clericis noſtris & amicis.*

W. Rothomagenſis archiepiſcopus *Radulfo* Decano *Lundonia.*

Licet nobis deliberatione provida tacito nomine ſcriberetis, noſtri tamen ſtilum cognovimus amatoris, & inter legendum tanta fuimus conſolatione refecti, ut præteritæ tribulationis inmemores veſtra frui præſentia videremur. Jocundum quidem nobis & delectabile fuit ſemper, quicquid ex ore veſtro, vel de calamo procedebat. Sed nunc conſolationes veſtræ ſuperant quicquid ſupra dorſum noſtrum fabricaverunt peccatores. Et ne forte tribulatio noſtra vos ultra menſuram affligat, hoc de ſtatu noſtro certiſſimum teneatis, quod in proſperitate qualibet numquam fuimus lætiores, quam nos præſentis adverſitatis tempora reddiderunt. Quippe mundus iſte cotidie ſemetipſo deterior doctor eſt diſertiſſimus vitæ noſtræ, ut ſemper ejus gaudia declinantes ex ipſius aſperitatibus diſcamus perpetuis conſolationibus inhærere, & nunquam delectari in eo quod eſt labile & caducum, & ibi fixa ſint corda noſtra ubi ſunt vera gaudia & manſura. Et nihil erit in hoc mundo quod nos terreat vel moleſtet, dum ei fide firmiſſima militemus cujus ſumus ſive vivimus, ſive moriamur. Verumptamen ſi reſpiciendum eſt ad præſentis temporis blandimenta, pro liquido habeatis, quod cauſa noſtra ex temptatione præterita nobis ſpondet proventus felicioris eventum, & ex litteris quas ſuper hoc domino *Cantuarienſi* miſimus conſtare poterit, quod ex primitiis prælibatis libertatem debitam in proximo per Dei gratiam conſequemur.

W. Rothomagenſis archiepiſcopus *Radulfo* Decano *Lundonienſi.*

Vobis amice amantiſſime viro ſcienti infirmitates, viro olei & miſericordiæ, revelavimus cauſam eccleſiæ Dei & noſtram amaritudinem ſpiritus & tribulationes quæ invenerunt nos nimis, cujus flentis & ſedentis nobiſcum in triſtitia verba conſolationis ſatiaverunt & lætificaverunt animam noſtram. Porro poſt triſtia ſabbata felix irradiavit dies, & per Dei gratiam luctus noſter jam converſus in gaudiolum, convertetur in gaudium, gaudium inquam magnum valde. Quarta enim feria poſt ramos palmarum dominus rex *Franciæ* nos venientes *Pontiſaram* honorifice ſuſcepit, in nobis Deum venerans; in acceſſu benigne obviam exiens, in penetralia domus ſuæ introducens, noſque præcedere cogens ibidem nos in amaritudine ſpiritus poſitos jocundo ſuo colloquio & ſecretiori, promiſſioneque multiplici de honoris noſtri conſervatione, Sacerdotalis dignitatis & libertatis eccleſiaſticæ adjecta, recreans & refovens, in receſſu nos liberaliter & humiliter in viam noſtram deducens. Et quia non ſufficit bonum inchoaſſe & non conſummaſſe, animæque eſurienti nulla eſt ſatietas, ne ridiculi haberemur, ne communi conſilio fratrum & coepiſcoporum & cæterorum prudentium virorum obviaremus, in anteriora totam ſpem in Domino ponentes nos extendimus de contingentibus pro modulo virium noſtrarum nihil emittentes. Cum igitur in vigilia Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi Pariſius* veniſſemus, paululum progreſſi, dominum regem invenimus cum fratre *B.* de *Vicenis*, ad quem accedentes, divina præordinante clementia, gratiam, immo cumulum gratiæ, menſuram inquam gratiæ refertam & ſuper effluentem invenimus in oculis ejus. Exponentes enim ei ſtatum noſtrum, & cum ſuſpiriis, & in amaritudine cordis, & in perſona Chriſti conſtanter petentes conſilium & auxilium ejus, quatinus miniſterio ejus adiceret Deus, ut ſacroſancta eccleſia multiplici oppreſſione reſurgeret, abrogatis & deletis quibuſdam capitulis contra nos, immo Deum, & eccleſiam, in nephando illo cyrographo conſcriptis: Demiſſo vultu, gerens perſonam Chriſti, ſicut vere pœnitentis; nobiſque ex intimis cordis compatientis, voce manſueta, voce miſericordiæ plena, voce caritatis qua nos amplecti videtur expreſſiva, in hæc verba prorupit. » Noveritis dilecte archiepiſcope » & ſacerdos Chriſti, etiam cum contradictione ſatraparum & conſiliariorum noſtrorum nos » intuitu Dei & perſonæ noſtræ non tantum preces » veſtras velle exaudire, ſed & illis hoc conditionaliter » ſuperaddere, videlicet non ſolum nos, ſed & » epiſcopos & abbates, omnes conventus, & Eccleſias » dioceſis veſtræ, qui fidejuſſerunt pro rege » *Angliæ*, abſolvi à plegio & fidejuſſione qua nobis » obligati ſunt, ſi epiſcopos, abbates, conventus » & eccleſias, qui pro nobis erga eum fidejuſſerunt » voluerit & conceſſerit abſolvi. Indecens enim » & iniquum eſt, eccleſias Dei & eccleſiaſticas » perſonas pro exceſſibus noſtris & regis *Angliæ* » puniri, vel eas ſic citra auctoritatem eccleſiæ juxta » voluntatem principum coarctari & obligari. Et ut breviter & ad ſummam vobis rem tangamus, omnes petitiones noſtras benigne, & animo tranquillo & prompto exaudivit. Eapropter habito conſilio dignum duximus & profuturum nobis, & eccleſiæ Dei in partibus *Galliæ* juriſdictioni noſtræ ſubjectæ morari pro viribus, & per internuntios ad dominum regem *Angliæ* deſtinandos experiri ſatagentes, ut promiſſa nobis à Domino rege *Franciæ* effectui & optato fini mancipentur. Commendamus autem nos, & cauſam eccleſiæ noſtræ orationibus veſtris, quatenus illis mediantibus, & pro ea in conſpectu Domini effuſis, valeat reſpirare, ab actione iniqua, & ſervitute importabili erepta.

Circa dies iſtos aquarum inundatio ſubita, vehemens, & fluctibus procelloſis involvens omnia circa *Sequanam* adjacentia tam lignea quam lapidea, *Philippum* regem *Francorum*, *Mauritium Pariſienſem* epiſcopum *Pariſius* commorantes non parum exterruit. Rex forſitan ſtatuit intra ſe; *Ne me demergat tempeſtas aquæ, nec obſorbeat profundum, ſalvabor in monte.* Relinquens ergo palatium ſuum, *Ludovicum* quoque filium ſecum aſſumens, cum domeſtica familia ſua pernoctare decrevit apud ſanctam *Genovefam*, epiſcopus autem dixit, *Ad animam meam intraverunt aquæ*; ſed ut ſibi provideret & ſuis, apud ſanctum *Victorem* quievit.

Circa dies iſtos iniquitatem & contradictionem in civitate *Lundonia* vidi ſæpius habitam inter divites & pauperes, ob diſtributionem munerum ſubeundorum ad fiſci commodum ſecundum facultatem cujuſque factam multociens inæqualiter, ſicut dicebatur à multis. Hujus diſſenſionis ſignifer fuit quidam *Willelmus* filius *Osberti*, contra dignitatem regiam populum ſæpius convocans, & multos ſub ſacramento conſtringens. Fratrem ſuum quoque carnalem, duos eciam alios opinionis integræ viros, tanquam regiæ proditionis reos in conventiculis ſuis ad mortem uſque perſequebatur. Ad ultimum in eccleſia Doctoris gentium *Pauli* ſeditionem, conclamationem, tumultuationem multociens concitavit. Cum autem publicæ poteſtatis indignationem adverſus ſe graviter excitatam ſuis meritis exigentibus intelligeret, intra turrim cujuſdam eccleſiæ pertinentis ſpecialiter ad archiepiſcopum ſeſe concluſit, locum ſacrum in caſtellum commutans. Poſtmodum videns concurrere multitudinem armatorum, ut proximam mortem fugeret, intra templum glorioſæ virginis ignem injecit, & locum Domino conſecratum flammis diſcurrentibus pro parte combuſſit. Extractus ab eccleſia, perductus eſt ad turrim *Lundoniæ* calculum reportans diffinitivum, & ut unius pœna, metus poſſit eſſe multorum, de communi ſententia procerum veſtibus expoliatus, manibus vinctis à tergo, pedibus longis funibus colligatis, equi miniſterio per mediam civitatem trahitur ad furcas prope *Tiburnam*. Suſpenſus eſt itaque, ferreis conſtrictus cathenis ne cito corrueret. Appenſi ſunt cum eo novem ejuſdem litis conſortes, ut quos par facinus æquarat, & inquinaverat, ſimilis pœna conſtringeret. Ob pacem ergo totius regni ſollicitius & ſecurius procurandam & conſervandam, de juſticiarii principalis decreto multorum mediæ manus hominum filii, vel propinqui dati ſunt in obſidatum, in diverſis per patriam munitionibus carcerali cuſtodiæ mancipandi, pauperes congrua ſatiſdatione pro vicinorum arbitrio ſatisfecerunt.

W. Rothomagenſis archiepiſcopus, *Radulfo* Decano *Lundonienſi.*

AGgredientibus iter arduum & anguſtum, per quod ab hujus valle plorationis eſt per varios caſus, & multa diſcrimina rerum ad cœleſtis eminentiam patriæ redeundum, Dominus nunquam à miſericordiæ propoſito recedens, tanquam innixus adhuc ſcalæ *Jacob*, manum conſolationis porrigit ne laſſeſcant. Ipſe quidem aſpera dirigit in vias planas, defectuum conſcius humanorum, dum forte gradus aſcenſionum difficiles ſteriles minantur laborantium ſudores, ut ad perſeverantiam promoveat fatigatos, quos in ſtadio diſcurrentes bravii dilatio ſuſpendit. Multæ tribulationes, ſicut eccleſiæ Dei ſatis univerſaliter innotuit, nobis per Dei gratiam hoc iter ingreſſis obicem poſuerunt, qualiter videlicet dum in domo Domini cum fratribus vellemus unanimes habitare, inimicus homo inter clericos & laicos noſtræ urbis diſcordias ſeminavit: unde tot germina maliciæ pullularunt, quæ nondum potuerunt ab eorum cordibus extirpari; ſubinde regum hoſtilitas ſubintravit, quæ redditus & poſſeſſiones eccleſiæ noſtræ deforis invadens, gloriam ejus abintus malicia civium denigratam ad enormem confuſionem, & paupertatem redegit. Nec contentus eſt malignus ſpiritus nobis in exterioribus adverſari, ſed & in caput noſtrum ille adverſarius cui nulla ſufficit iniquitas calcaneum erexit, & reges noſtros adeo veneficæ ſuggeſtionis artificio reddidit inſenſatos, ut catholicæ profeſſionis immemores quatuor nobis vellent ſuperponere primates, & noſtræ juriſdictionis potentiam ſub eorum miniſterio ſepelire. Statuerunt eciam quod de omnibus damnis quæ paſſa fuerat eccleſia per eos, ipſos abſque compenſatione præmiſſa redderemus liberos & immunes, & ſub jurejurando firmaverant nos ad hoc juribus & injuriis cohercere; unde ſicut audiviſtis, pocius elegimus pauperes exulare, quam eccleſiam nobis ſine ruga & macula commiſſam pateremur corrumpi, ut eam ancillam de libera, & de glorioſa ignobilem redderemus. Dum itaque propter Deum extremam exilii fortunam ſubiſſemus, & forte quibuſdam propter æſtus perſecutionis importabiles laſſeſcere videremur, dominus ſuppoſuit manum ſuam cui derelictus eſt pauper, & ventis imperans & mari procellam ſtatuit in auram; nec potuerunt reges in rebellione propoſita morari, cum ipſe aliter diſpoſuerit in cujus manu corda ſunt regum. Sed favente Deo compuncti ſunt, & ad cor penitus redierunt adeo, ut ſicut lex Compoſitionis inter eos ipſos initæ diffinivit, eccleſia noſtra in damnorum ſuorum recompenſationem annuo & perpetuo quingentarum librarum redditu ſit ditata. Abbates vero pro quorum damnis nos opponebamus, nobis litteris ſuis patentibus ediderunt, quod dominus rex *Angliæ* eos ſecuros reddidiſſet, quod eis ſatisfaceret competenter. Adhuc & pro minoribus eccleſiaſticis perſonis relaxationem interdicti, quod propter hoc in terra regis *Francorum* poſueramus ſuſpendentes, litteras domini regis *Angliæ* habuimus, quibus firmiſſime promittebat ſe damnificatis omnibus ad noſtrum arbitrium recompenſationem debitam præſtiturum. Nos igitur diligenti cum epiſcopis & viris prudentibus deliberatione præmiſſa præfatam ſententiam duximus relaxandam. Tandem vero, multis tamen ante dilationibus impediti, cum & utriuſque regum benivolentia, & aſſenſu in libertate priſtina ſolidati, cum ſuffraganeorum noſtrorum, & totius eccleſiæ noſtræ flagitatione & conſilio ad noſtram ſumus eccleſiam per Dei gratiam reverſi; in qua nunc valemus & volumus adjuvante Domino, prout honeſtati paſtorali congruit, præſidiari. Factumque eſt Domino diſponente, quod Dominica qua cantatur *Dominus illuminatio mea*, fuimus in eccleſia noſtra ab univerſo clero & populo ſollempniter recepti: & à pleriſque felix eſt auſpicium annotatum, quod quaſi denuo conſecrati iterum ad pontificalem cathedram nobis eſſet ſub eodem cantico procedendum, quo pridem fuimus ad *Lincolnienſis* epiſcopatus gradum apud *Andegavim* conſecrationis oleo delibuti. Et multo noſtræ reſtitutionis honorem lætitia feſtivior illuſtravit, quod in urbe *Rothomagenſi* kariſſimos fratres noſtros, & coepiſcopos *Lincoln. Sariſburienſem*, & *Exonienſem* caſus inopinatus coegit, qui nobis ab exilio revertentibus gratæ ſocietatis ſolatia reddiderunt. Et hanc ſaltem caritatis vicem vobis reddere volebamus, ut qui noſtræ perſecutionis condolendo participes fuiſtis, in noſtræ conſolationis apicibus legatis: quod utcumque vobis communicare noſter ſpiritus concupiſcit, quod exhiberemus libentius præſentia corporali.

Johan. Decanus *Rothomagenſis* aſſenſu communi *Wigornenſium* electus eſt in epiſc. *Wigornenſem.* Quem *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, ſuffraganeis ſuis de conſuetudine ſolemniter convocatis conſecravit prope *Lundon.* in Abbatia quæ dicitur *Hamma*, xiij. kal. Novemb.

Circa dies iſtos *W. Rothomagenſis* archiepiſcopus *Romam* profectus eſt, conſilium habiturus cum domino papa *Cœleſtino* ſuper cauſa quæ vertebatur inter ipſum archiepiſcopum, & dominum *Ricardum* regem *Anglorum* & *W. Luxovienſem* epiſcopum, in matricem eccleſiam, & ipſum archiepiſcopum violenter inſurgentem.

Hubertus Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus tocius *Anglia* primas, & apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto filiis Decano, & Capitulo *Eboracenſi*, & univerſis Capitulis, Abbatibus & Prioribus *Eboracenſis* provinciæ ſalutem, & benedictionis gratiam ſalutarem.

Volens univerſalis eccleſia ſponſus ut ſponſa ejus valeret uberius, totius ſalutem ex integritate partium reſultare, inter alias eam ſui portionem, quam ſub occiduo ſole plantatam meminit, in extento virtutis ſua brachio ſolidare curavit, & apoſtolica viſitationis oleo delibutam, perpetuati nexus fœdere ſuo capiti colligare. Verum quia ipſo in Romana eccleſia qua caput eſt omnium reſidente membrorum indemnitati providetur cautius, & inferior univerſitas è ſpecula ſublimiori facilius dirigitur in ſalutem; quod ipſe perſonaliter implere non valuit ſuppleri voluit in miniſtro. Sed nec ad eccleſiam Anglicanam *vice apoſtolica viſitandam, de nationibus exteris quemquam aſſumpſit, de corpore ipſius elegit ſuper quem adjutorium ejus poneret, ex quo quia filio nulla in matrem iniqua dominatio graſſaretur. Nobis itaque non ex virtutum vel ſcientia merito in hoc miniſterium evocatis, & juriſdictione per univerſum regni ambitum dilatata, in ſuſcepti officii executionem pro tenore diffinito particulares eccleſias in regno diſpoſuimus circumire, ſemper, & ſtudioſius id agentes ne vel conſcientia & poſt facto remorderet interius, vel fama exterius laboraret. Sub Dei teſtimonio loquimur confidenter aſſerentes, quia pro legationis exercitio nihil amaritudinis conſcientia repraſentat; exoptantes eciam ne fama obſequium fides veritatis excedens, vel pervertat honeſta, vel contraria ſuperaddat. Hunc autem per Dei gratiam fructum collegimus ex labore, quod prater obſequium ſicut ſperamus altiſſimo praſtitum, in conſpectu domini papa ſervitus noſtra ſuavitatem odoris effudit, qui poſt litteras ſuper indulta legatione tranſmiſſas conſequenter & alias deſtinavit; in quibus & jocunda noſtri famulatus commendatione uſus eſt, & miniſterio noſtro ferventem in forma qua incepimus proceſſum injunxit. Sane quos de provincia noſtra viſitavimus, conſiderantes opera noſtra certatim, & ſponte ſcripſerunt in teſtimonium veritatis, dignum ducentes* Romanæ *ſedi & noſtra viſitationis modum, & ſui viſitatoris diligentiam intimare. Quia igitur & penes vos in nullo ad legationem contingentibus credimus exceſſiſſe, veſtraque inſinuatione quod rei veritas habet, in hac parte pulcrius innoteſcit, univerſitatem veſtram exoramus cohortantes in domino; & qua fungimur auctoritate firmiter injungentes, quatinus zelo rectitudinis & veritatis qua Deus eſt, ſingula capitula provincia veſtra ſingula congregationes domino papa, qua de noſtra legatione cognoverint fideliter proteſtentur; quomodo vices apoſtolicas executi fuerimus apud omnes; qualiter agro dominico in meſſis abundantiam excolendo commiſſa falcis miniſterium curavimus adhibere. Cum his eciam volumus* Romanæ *ſedi certius à ſingulis deſignari, quantum nobis in cauſa procurationis impenderint, vel quatenus eis occaſione legationis fuerimus oneroſi. Quod ideo ſub hac forma fieri mandamus, quia ſicut de ſecuritate noſtra confidentes rei hujus fidele teſtimonium formidare non poſſumus, ſic nec poteritis qua vobis ſuper articulis memoratis conſtiterint ſalva honeſtatis conſcientia ſubticere. Praterea quia redditus* Eboracenſis *archiepiſcopatus poſtquam ipſe archiepiſcopus à poſſeſſione cecidit, redditusque* Dunelmenſis *epiſcopatus, dum vacavit, certiſſime noſtis ex mandato regis confiſcatos, & per miniſtros publicos, qui ad hoc ſpecialiter conſtituti fuerant, ſicut moris eſt in regno, in regios uſus duntaxat integre devolutos, prafatis atteſtationibus diſtente ſubjungi volumus hujus ſeriem, & certitudinem veritatis.*

Omnes eccleſiæ conventuales in *Eboracenſi* provincia conſtitutæ, domino papæ ſcribunt à paribus in hunc modum. » Veritatis filii non eſſemus ſi rogati veritati teſtimonium perhibere poſtponeremus. Parumque refert in delicto an quis verum tacendo in fraudem alterius ſupprimat, vel in alterius præjudicium falſum aſſeverando exprimat. Requiſiti igitur à venerabili patre & domino *H.* Dei gratia *Cantuarienſi* archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato, quatinus viſitationis ſuæ modum, & diligentiam dignum duceremus ſedi *Romana* intimare, ſublimitati veſtræ zelo rectitudinis, & veritatis quæ Deus eſt notum facimus, & quæ de legatione ſua cognovimus fideliter proteſtamur, Quod cum apud nos viſitationem ſuam exerceret, vices apoſtolicas diligenter executus fuit, agrum dominicum fructuoſum in meſſis abundantiam excoluit, nihil nobis moleſte intulit, nihil à nobis exegit, ſed in omnibus verbis & operibus modeſte ſe habuit, in nullo oneroſus nobis exiſtens. Præterea noverit excellentia veſtra quod villas, & poſſeſſiones *Eboracenſis* archiepiſcopatus, poſtquam dominus *Eboracenſis* eas poſſidere deſiit, per publicos miniſtros regis confiſcatas fuiſſe, & omnes redditus & proventus ipſarum in regios duntaxat uſus devolutos fuiſſe.

W. Rothomagenſis *archiepiſcopus* Radulfo *decano* Lundonienſi.

Diſcretioni veſtra ſatis innotuit quantis tribulationibus, & jacturis Rothomagenſis *eccleſia diutius ſit vexata. Et nos hac omnia dominum noſtrum regem pariter attendere ſperabamus, ut ſaltem nobis & eccleſia condolentis animum exhiberet. Ipſe vero pocius favens pravaricationibus aliorum, patrimonium eccleſia ſolum & unicum* Andeleium *ſcilicet occupavit, & contra prohibitionem noſtram in inſula noſtra munitiones adificare cœpit, in capite praſumens quod in membra poterit tractu temporis pernicioſius redundare. Ipſum* *quidem ſicut decuit tam per nos quam per alios ſemel, & ſecundo, & tertio convenimus diligenter ut deſiſteret ab incepto, & de damnis villarum noſtrarum à ſuis incendio conſumptarum, & de aliis damnis nobis & eccleſiæ noſtra illatis per ipſum & ſuos ſatisfactionem debitam exhiberet, & capellaniam noſtram de* Blia *quam per annum & eo amplius in manu ſua tenuit, nobis cum fructibus inde perceptis reſtitueret. Ipſe vero quaſdam reſponſiones argutas quidem ſed minus efficaces nec ratione ſubnixas prætendens, ſemper perſtitit in incepto, nec noſtros monitus exaudivit. Certe ſi miſereri vellet & parcere vita noſtra,* Andeleio *pepercisſet ; quod noſtris & pauperum neceſſitatibus unicum ſubſidium habebamus. Hoc autem præfatam enormitatem inexcuſabilem reddidit, quod poſt noſtram prohibitionem & monitus non ſolum inſulam noſtram detinet occupatam, verumetiam de novo maximam partem dominici noſtri poſt inſulam noſtram occupans, illud foſſatis & barbacanis munire contendit. Nos igitur invaſionem manifeſtam nimis creſcere cernentes, iterum ad dominum noſtrum regem cum omni humilitate acceſſimus. Et ne quid cum impetu & minus diſcrete facere videremur, adjunctis nobiſcum majoribus eccleſiæ noſtræ, inſtanter & affectuoſe ſupplicavimus quatinus miſericorditer ageret nobiſcum, & inſulam noſtram & dominicum noſtrum quod uſurpaverat nobis reſtitueret, & damna noſtra & nobis & eccleſiæ noſtræ illata reſarciret. Adjecimus etiam, quod niſi infra tercium diem quem ei aſſignavimus, ſuper prædictis ſatisfaceret, ulterius non poſſemus tantam pertinaciam clauſis oculis præterire & relinquere impunitam. Ad hæc ut contritio adderetur contritioni, & eccleſia noſtra inteſtino affligeretur bello,* W. Lexovienſis *epiſcopus ſpiritu ſuperbiæ cæteriſque peſtibus herebi impulſus adverſus eam matrem ſuam ſuum erexit calcaneum, à qua cum conſilio venerabilium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, pro multiplicibus ejus exceſſibus & inobedientia contumaci, præmiſſa multiplici ammonitione ut ad viam veritatis rediret, in interitum carnis vinculo anathematis meruit innodari. Cum itaque modis aliquibus non potuerimus dominum noſtrum regem vel prece vel monitis ad emendationem convertere, & terminus ſine aliqua ſatisfactione elapſus ſit, multiplici neceſſitate & prudentum virorum conſilio monemur aſcendere ex adverſo, & in propoſito firmiſſimo habemus ulterius non pati tot & tantas injurias impunitas, niſi dominus noſter errorem tantum maturaverit revocare. Cæterum contra epiſcopum* Lexovienſem *iter ad ſedem Apoſtolicam urgere compulſi, die Jovis proxima poſt feſtum omnium Sanctorum cœpimus proficiſci, ſperantes per Dei gratiam faciem ejuſdem epiſcopi coram ſummo pontifice reddere confuſam. Cujus exceſſus intolerabiles nos invitos ut diximus coegerunt, ut eum animadverſione digniſſima puniremus. Vos autem per Dei miſericordiam exoramus, ut nobis fraterna compaſſionis animum rependatis, & veſtris nos juvetis orationibus apud deum.*

DE cantore *Lincolnienſi Waltero Map* in *Oxenefordenſem* archidiaconum tranſlatione facta, *Willelmus Bleſenſis* ſubdecanus *Lincolniæ* de liberalitate mera pontificis ſubrogatus eſt in præcentorem. Cum autem de ſubdecani ſubſtitutione tractatus haberetur prolixior inter Concanonicos, nec per biduum in unam poſſent convenire perſonam, epiſcopus utens propria poteſtate *Ricardum Kentenſem* canonicum ejuſdem eccleſiæ ſubdecanum inſtituit, & ei ſedem debitam aſſignavit vel aſſignari præcepit, tam in choro quam in capitulo, Doctoris gentium *Pauli* ſubnixus auctoritate laudabili, qui modis omnibus perſuaſit quiddam in eccleſia Dei ſalubriter obſervandum, ſcilicet Zelus & contentio tollantur de medio, ſit pax in deſiderio.

Willielmus Helienſis epiſcopus Cancellarius regis dum *Romam* tenderet, completis à die conſecrationis ſuæ vij. annis & triginta diebus diem clauſit extremum apud *Pictavim*. Sepultus autem eſt in abbatia quadam ordinis *Ciſtercienſis*, quæ vocatur abbatia de *Pinu*.

Archiepiſcopus *Cantuariam* veniens incommodo gravi tactus eſt, ut die natalis Domini divina celebrare non poſſet, qui per Dei gratiam convaleſcens dies natalicios explevit ibidem. Tractatum igitur habiturus cum Priore, cum monachis, intravit Capitulum xij. kal. Februarii, ſicut dicitur, omnes domeſticos, bajulum etiam crucis relinquens pro foribus, unus è monachis *Johannes* de *Dovera* prævius extitit cruce ſuſcepta. Quid autem actum ſit in congregatione tanta per triduum, ignoratur à multis. Solum hoc celebriter divulgatum eſt, Pacificus intravit Archiepiſcopus, pacificus exiit regni Juſticiarius, nec enim inventum eſt aliquid in toto Collegio, quod publici cognitoris eccleſiaſtici, vel civilis animadverſionem expeteret.

Circa dies iſtos epiſcopo *Cameracenſi Johanne* rebus humanis exempto tres ſunt electi, *Walterus*, *Nicholaus*, *Stephanus*, & infra quadraginta dies defuncti ſunt.

Celeſtinus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei* Huberto Cantuarienſi *archiepiſcopo*.

CUM de agro Domini lolium meſſem triticeam oppreſſurum falce ſit Apoſtolica reſecandum, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus abbate de *Torneie*, tam ab amminiſtratione, quam ab officio abbatiæ amoto, monachis auctoritate noſtra ſublato appellationis obſtaculo licentiam tribuas in abbatem perſonam idoneam eligendi. Ad hæc ne prædicti abbatis exceſſus remaneat impunitus, volumus & præſentium tibi auctoritate mandamus, quatinus auctoritate noſtra ipſum capi facias, & tam diu carcerali cuſtodiæ mancipari, donec ſuper hoc noſtræ receperis beneplacitum voluntatis. Dat. *Laterani* pridie nonas Maii pontificatus noſtri anno quinto.

Robertus Prior *Helyenſis* Cancellarii frater xiiij. monachis cum Capituli ſui litteris à Collegio ſanctæ Dei genitricis aput *Eboracenſes* antiquitus inſtituto directis, xvj. kal. Aprilis coram regni Juſticiario ſollempniter electus eſt in abbatem aput *Weſtmonaſterium*. Quem *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus benedixit aput *Coleceſtriam* in abbatia ſancti *Johannis* x. kal. Aprilis. Sua poſtmodum ſollempniter eſt collocatus in ſede iiij. nonas Aprilis.

Rex *Anglorum* milite multo ſtipatus caſtellum ſancti *Valerici* ſuccendit, adjacentem prædavit provinciam, quinque navium hoſtibus ſuis victualia deferentium gubernatores ſuſpendit in patibulo. Quæ repperit in navibus comportata familiæ ſuæ diſtribuit xvij. kal. Maii.

Imbrium infuſio triduana per *Angliam* multos exterruit.

Philippus Dunelmenſis electus à domino papa conſecratus eſt *Laterani* xij. kal. Maii.

Marchadeus nephariis *Brebantinorum* vallatus catervis epiſcopum *Beluacenſem*, *Willelmum* de *Merlou*, multoſque cum eis jure belli captos & duriſſimis conſtrictos in vinculis tranſmiſit *Rothomagum* xiiij. kal. Junii.

Notum ſit univerſis hoc ſcriptum viſuris, quod hoc eſt fœdus & conventio inter Ricardum *regem* Angliæ, *&* Baldewinum *Comitem* Flandriæ *&* Hamoiæ *conſanguineum ſuum. Quod idem rex* Angliæ *pacem aut trengas cum rege* Francorum *non faciet nec facere poterit abſque voluntate & aſſenſu ejuſdem Comitis. Nec idem Comes faciet aut facere poterit pacem aut trengam cum rege* Francorum *abſque voluntate & aſſenſu prædicti regis* Anglorum. *Et ſi forte de voluntate & aſſenſu utrinſque pax aut concordia fieret inter regem* Francorum *& eos, & rex* Francorum *poſtmodum alterutrum guerraret, tenerentur prædicti rex* Anglorum *& Comes ad mutuum ſubſidium, & auxilium ſibi invicem conferendum prout melius potuerunt, & ſicut fecerunt tempore quo fœdus iſtud inter eos contractum eſt. Et ſciendum eſt quod hoc fœdus & conventio non ſolummodo duratura eſt tempore guerra, ſet imperpetuum inter eos & hæredes eorum qui terras ipſorum tenebunt poſt eos, ſive pax fuerit ſive guerra. Ita quod ſi rex* Angliæ *hoc fœdus & hanc conventionem non obſervaverit, illi qui juraverunt hoc fœdus & hanc conventionem tenendam pro rege* Angliæ, *mittent ſe in captione præfati Comitis infra menſem poſtquam id bona fide ſcierint, non expectata ſubmonitione dicti Comitis. Similiter ſi dictus Comes hoc fœdus & hanc conventionem non obſervaverit, illi qui juraverunt hoc fœdus & hanc conventionem tenendam pro ipſo Comite, mittent ſe in captionem dicti regis* Angliæ, *infra menſem poſtquam id bona fide ſcierint, non expectata ſummonitione dicti regis* Angliæ. Hoc juravit pro ipſo rege bona fide tenendum *Johannes* Comes Moritonii frater ipſius regis & in animam ejuſdem regis. Et pro ſe ipſo juravit idem Comes in animam ſuam: & Comes *Flandriæ Baldewinus* juravit propria manu hoc fœdus & hanc conventionem tenendam bona fide. Hinc inde multi teſtes ſunt quos enumerare longum eſt. Acta ſunt hæc aput Inſulam Andeleii.

Walterus Rothomagenſis archiepiſcopus dilecto & ſpeciali amico Radulpho decano Lundonienſi.

BEnedictus Dominus qui non amovit orationem noſtram & miſericordiam ſuam à nobis, dans nobis & eccleſiæ noſtræ pacem in præſenti, in futuro per gratiam ſuam daturus pacem ſuper pacem. Noverit caritas veſtra qua nos ſemper in viſceribus Chriſti tenerius amplexati eſtis, per excambium auctoritate domini papæ & curiæ *Romanæ*, cum etiam conſilio multorum virorum prudentium, archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, virorum religioſorum & juriſperitorum initiatum: labore, ſollicitudine & mediatione Domini *Cantuarienſis* archiepiſcopi, epiſcopi *Wigornienſis* & electi *Helienſis* conſummatum, inter Dominum regem & nos & eccleſiam noſtram, ad honorem ipſius & commodum reformata eſſe. Omnes enim intelligentes ſitum *Andeleii* paci ineptum, & guerræ vicinum & expoſitum, Domino etiam regi ad acquiſitionem & defenſionem terræ ſuæ valde congruum; Afferentes etiam nobis auctoritates non tantum ſuper commutatione redditium eccleſiarum, ſed etiam de tranſlatione ſedium hoſtilitate cogente conſcriptas, nos ad excambium cum Domino rege faciendum induxerunt. Sic itaque ne nota ſingularitatis, ſuperbiæ & protervitatis notari poſſimus, conſilio tot & tantorum adquievimus xvij. kal. Novembris; Et ea die ſuſcepti ſumus in eccleſia noſtra, præſente domino *Cantuarienſi* archiepiſcopo, epiſcopo *Wigornienſi*, omnibus etiam epiſcopis *Normanniæ*, abbatibus multis & magnatibus multis.

Ricardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ, Aquitaniæ, *Comes* Andegaviæ, *Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiis, Seneſcallis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris, & omnibus baillivis & fidelibus ſuis ſalutem.*

CUm ſacroſancta eccleſia ſponſa ſit regis regum, & unica dilecta illius per quem reges regnant & principes gubernacula poſſident, tanto ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum ſed omnem à domino Deo eſſe credimus poteſtatem. Unde ſicut venerabilis *Rothomagenſis* eccleſia, quæ inter univerſas terrarum noſtrarum plurima celebritate dinoſcitur enitere, pro rerum neceſſitate vel temporum noſtris ducit utilitatibus oportuna diligentia conſulendum: ſic nos ejuſdem matris noſtræ commodis & augmentis digna compenſatione dignum ducimus reſpondere. Sane villa de *Andeli* & quibuſdam aliis adjacentibus locis quæ erant *Rothomagenſis* eccleſiæ minus ſufficienter firmatis, inimicis noſtris in terram noſtram *Normanniæ* per eadem loca patebat ingreſſus, per quæ incendiis & rapinis necnon & aliis hoſtilitatis ſævitiis, in eandem terram nonnunquam licentius graſſabantur. Quocirca venerabili patri noſtro *Waltero* archiepiſcopo & capitulo *Rothomagenſi* debitum habentibus, ad noſtra & prædictæ terræ noſtræ damna reſpectum, facta eſt permutatio inter eccleſiam *Rothomagenſem* & archiepiſcopum *Rothomagenſem Walterum* ex una parte, & nos ex altera parte de manerio de *Andeli* in hac forma. Scilicet quod idem archiepiſcopus de conſcientia & voluntate domini papæ *Cœleſtini* tercii & de aſſenſu capituli *Rothomagenſis* eccleſiæ, & coepiſcoporum ſuorum, & cleri ejuſdem archiepiſcopatus conceſſit, & in perpetuum quietum clamavit nobis & hæredibus noſtris prædictum manerium de *Andeli*, cum novo caſtello de *Rupe* & cum foreſta & cum omnibus pertinentiis aliis & libertatibus ſuis, exceptis eccleſiis & præbendis & feodis militum, & excepto manerio de *Fraxinis* cum pertinentiis ſuis: quæ omnia idem arch: eccleſiæ *Rothomagenſi* & ſibi & ſucceſſoribus ſuis retinuit, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, & cum omni integritate ſua imperpetuum. Ita quod tam milites quam clerici & omnes homines tam de feudo militum, quam de præbenis ſequentur molendina de *Andeli* ſicut conſueverunt & debent, & moltura erit noſtra; archiepiſcopus autem & homines ſui de *Fraxinis* molent ubi idem archiepiſcopus volet. Et ſi noluerint molere apud *Andeli* dabunt molturas ſuas ſicut alii ibidem molentes. In excambium autem prædicti manerii de *Andeli* cum pertinentiis, conceſſimus & in perpetuum quieta clamavimus eccleſiæ *Rothomagenſi*, & prædicto archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis omnia molendina quæ nos habuimus *Rothomagi* quando hæc permutatio facta eſt, integre cum omni ſequela & moltura ſua, ſine aliquo retinemento eorum quæ ad molendina pertinent vel ad molturam, & cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus quas ſolent & debent habere; Nec alicui alii licebit molendinum ibidem facere, ad detrimentum prædictorum molendinorum; Et debet archiepiſcopus ſolvere elemoſinas antiquitus ſtatutas de eiſdem molendinis. Conceſſimus eis villam de *Diepe* & villam de *Buteiles* cum omnibus pertinentiis, & libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, exceptis elemoſinis conſtitutis in manerio de *Diepe* à nobis & anteceſſoribus noſtris, quarū ſumma eſt ccclxxij. libræ *Andegavenſium*, quæ debent ſolvi per manum prædicti archiepiſcopi & ſucceſſorum ſuorum his quibus aſſignatæ ſunt. Conceſſimus eidem manerium de *Loures*, cum omnibus pertinentiis & libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis cum miniſterio de *Loures*, ſalvis ad opus noſtrum venatione noſtra & deſtructione foreſtæ, ita tamen quod non ſit in regardo. Conceſſimus etiam eis totam foreſtam de *Alihermont*, cum feris & omnibus aliis pertinentiis & libertatibus ſuis ſicut eam habuimus. Hæc autem omnia in excanbium prædicti manerii de *Andeleio*, cum prædictis pertinentiis data habebunt eccleſia *Rothomagi*, & prædictus archiepiſcopus & ſucceſſores ſui in perpetuum, & cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis ſicut prædictum eſt. Homines autem prædicti archiepiſcopi de præfato excanbio habebunt omnes libertates & liberas conſuetudines quas habuerunt homines de *Andeleio*, dum manerium illud eſſet in manu ipſius archiepiſcopi. Hæc etiam omnia quæ idem archiepiſcopus in hoc excanbio recepit, Warantizabimus nos & hæredes noſtri eccleſiæ *Rothomagi*, & prædicto archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum contra omnes homines. Ita quod ſi aliquis excanbium aliquod eſt recepturus pro aliquo prædictorum, quæ memoratus archiepiſcopus hic recepit, nos vel hæredes noſtri faciemus illud excanbium, & eccleſia *Rothomagi* hæc omnia prædicta in perpetuum pacifice poſſidebit. Nos vero quantum poteſt rex excommunicamus, & concedimus quod incurrat indignationem Dei omnipotentis quicumque contra hoc facinus venerit. Teſtibus his, *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Johanne Wigornenſi*, *Hugone* Conventrenſi, *Savarico* Batonienſi, *Henrico* Baiocenſi, *Liſardo* Sagienſi, *Willielmo* Lexovienſi, *Willielmo* Conſt: epiſcopis. *Willielmo* Abrincenſi electo, *R.* ſanctæ Trinitatis de monte Rothomagi, *Reginaldo* ſancti Wandregeri, *Victore* ſancti Georgii, *Arturo* ulterioris portus, *Oſberto* de *Pratellis*, de *Augo*, de *Cornevill*, abbatibus. *Johanne* Comite de Moritonio, *Otone* Comite Pictavenſi, *Radulpho* Comite de Albemarla, *Radulfo* Comite de Augo, *Willielmo* Mareſcallo Comite de Striguil, *Willielmo* filio Radulfi Seneſcalli Normanniæ, *Roberto* de Turn: Seneſcallo Andegaviæ, *Willelmo* de Humet Conſtabulario Normanniæ, *Hugone* Brun, *G.* de Liſinnan, *Willielmo* de Rupibus. *Radulpho* de Tancarvilla, *W.* Martel, *Radulpho* Teſſun, *G.* de Sai, *Giliberto* filio Reinfredi, *Roberto* de Harecort, et multis aliis. Data per manum *Elienſis* electi *E.* vices Cancellarii tunc agentis apud *Rothomagum*, anno ab incarnatione Domini M. C. xc. xvj. die Octobris, anno regni noſtri octavo.

Walterus Rothomagenſis *archiepiſcopus kariſſimo & ſpeciali amico ſuo Rad:* Lundonienſi *decano ſe totum, & cum ſilentio præſtolari adventum Domini.*

Sicut teſtantur ſacra eloquia, Væ illis qui perdiderunt ſuſtinentiam. Suſtinuimus mala ſic caſtigati, apprehendimus diſciplinam parati in flagella domini; aporiati ſed non deſtituti; temptati rapinis; aſperitatibus maris, intemperiei aeris, malignantium inſidiis expoſiti, ſed non defecimus: Dominus enim ne collideremur ſuppoſuit manum ſuam. Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Oculo miſericordiæ ſuæ nos reſpexit, & eccleſiam noſtram, & ceſſavit quaſſatio, pace reddita eccleſiæ. Dominus enim in cujus manu corda ſunt regum, cor domini tetigit, ut deſiderio deſideraret quæ ad pacem eſſent, & ampliationem *Rothomagenſis* eccleſiæ. Cujus votum & deſiderium Dominus proſpiciens, labore, ſollicitudine & miniſterio domini *Cantuarienſis* & *J. Wigornenſis* epiſcopi & *E. Elienſis* electi effectui mancipavit. Iſtis enim mediantibus & inter partes diſcurrentibus, per excanbium domino regi ad tuitionem, & adquiſitionem terræ ſuæ accommodum, eccleſiæ *Rothomagenſi*, & nobis ſaluberrimum & honeſtum, ut puta voluntati domini papæ & curiæ *Romanæ*, necnon & aliorum multorum archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, clericorum & aliorum virorum religioſorum, & juriſperitorum conſentaneum, pax inter regem & nos & eccleſiam noſtram reformata eſt. In quo excanbio eccleſia *Rothomagenſis* juxta veridicam aſſertionem omnium comprovincialium in quingentis libris & eo amplius excrevit. Hæc autem commutatio ſcriptis autenticis anathemate à domino rege, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ſacerdotibus innumerabilibus in violatores prolato, teſtibus etiam magnatibus omnibus *Normanniæ* adhibitis, ut perpetuam & incommutabilem optineat firmitatem, & eccleſia *Rothomagenſis* pace gaudeat inviolabili et irrefragabili, roborata et confirmata eſt, Auctoritate et ſcripto autentico domini papæ, per gratiam Dei ad preces et inſtantiam domini regis et aliorum magnatum et prælatorum eccleſiæ corroboranda. Hæc autem dignum duximus vobis exponenda quia ſemper nobiſcum fleviſtis, et compaſſi eſtis, ut cum gaudentibus gaudeatis, eo quod concupiſcentes ſemper concupieritis ea quæ Dei ſunt, augmentum et honorem ſanctæ eccleſiæ, cujus inſtantia cotidiana ſollicitudinem veſtram eſſe credimus.

Ab ea die qua *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus mandato regis transfretaturus à *Lambeia* receſſit, ad eum uſque diem quo revertens in *Angliam* locum rediit ad eundem vj. idus Novembris, ſeptimanæ viginti completæ ſunt additis vj. diebus. Archiepiſcopus cum rege moram faciens in *Normannia*, multorum neceſſitatibus providit et utilitatibus. Epiſcopum itaque *Belnacenſem* faſcibus geminis, Epiſcopi ſcilicet et Comitis, juxta ſuorum prærogativam anteceſſorum, ſicut jactat antiquitus decoratum, militaribus armis accinctum, captum jure belli duriſſimis audivit conſtrictum in vinculis, Quem per gratiam regis cum multa ſupplicatione multo levioribus vix arctari promeruit. *Rothomagenſem* eccleſiam à divinorum celebratione ſuſpenſam reconciliavit. Sollempiter fœdus ineundum inter regem *Anglorum*, et *Baldewinum Flandrenſium*

ſium Comitem, & ſucceſſores eorum certis diſtinxit capitulis. Inter dominum regem & *Walterum Rothomagenſem* archiepiſcopum paci reformandæ ſollicitudinem impendit operoſiſſimam, ſicut rei probavit eventus : ſicut etiam excambium *Andeleii* datum eccleſiæ *Rothomagenſi* perpetuo duraturum manifeſte declarat

An. Dñi 1198. *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus clericos quos *Hugo Ceſtrenſis* epiſcopus ejectis monachis apud *Coventreiam* collocaverat, ſummi pontificis auctoritate munitus amovit, monachos reintroducens ibidem xv. kal. Febr.

Ab ea die qua *Willielmus Elienſis* epiſcopus in abbatia de *Pinn* ſepultus eſt, ad eum uſque diem quo decanus *Saresberienſis Euſtachius* electus eſt in *Elienſem* epiſcopum xxvij. ſeptimanæ fluxerunt. Ab electione facta ſollempniter apud *vallem Rodoli* die feſto beati *Laurentii* martyris ad illud uſque tempus quo prædictus electus in *Angliam* veniens, ab archiepiſcopo *Huberto* munus conſecrationis accepit viij. idus Marcii, xxx perfectas computamus ebdomadas. Electionem in *Normannia* factam, præſentationem, poſtulationem factam apud *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katerinæ* Prior *Elyenſis Johannes* complevit, die Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem.* Aſtiterunt archiepiſcopo ix. epiſcopi.

Celeſtino papa tercio rebus humanis exempto *Lotharius Cardinalis* diaconus electus eſt in ſummum pontificem vj. idus Januarii, vocatus *Innocentius* papa tercius, nono kal. Marcii presbyter ordinatus eſt. In cathedra ſancti *Petri* conſecratus eſt epiſcopus, & in ſancti *Petri* cathedra collocatus.

Euſtachius decanus *Saresberienſis* in epiſcopum *Elyenſem* electus viij. idus Marcii ; conſecratus eſt aput *Weſtmonaſterium.*

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum emergentium litigia quæſtionum vix poſſint ſine alterutrius litigantium læſione judicialiter diffiniri, ſet quando partes inter ſe ſuper mota quæſtione honeſte conveniunt, tanto libentius compoſitioni eorum præſidium apoſtolicum impartimur, quanto per hoc neutrum lædimus, & amplius utrumque juvamus. Intelleximus ſiquidem tam ex litteris tuis quam kariſſimi in Chriſto filii noſtri Ricardi Angliæ *regis illuſtris, & plurium aliorum, quod ſuper diſcordia quæ inter te & eundem regem ſuper villam* Andeliaci, *cum rupe ac inſula mota fuerat, regia ſerenitas evangelicum illud attendens, Qui ſe humiliat exaltabitur, & quanto major es humilia te in omnibus, humiliavit magnificentiam ſuam & ſeveritatem regiam paſſus eſt emolliri, ut ad honorem ejus cui ſervire regnare eſt amicabilem tecum compoſitionem iniret, & in utilitatem* Rothomagenſis *eccleſiæ molendina quæ habuit aput* Rothomagum, *cum villis de* Diepa, *&* Boteiles, *& manerio de* Loures, *cum omnibus pertinentiis, & libertatibus ſuis, & miniſterio de* Loures, *& foreſta de* Alihermont, *ſicut in autentico ejuſdem regis confecto exinde plenius continetur, tecum perpetuo commutaret. Nos igitur permutationem ipſam ſicut amicabiliter facta eſt, & ab utraque parte recepta, & autentico ipſius regis exprimitur, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad majorem autem hujus noſtræ confirmationis evidentiam, autenticum ipſum de verbo ad verbum noſtris duximus litteris exprimendum, quod tale eſt.* « *Ricardus* Dei « gratia rex *Angliæ*, dux *Normanniæ*, *Aquitanniæ*, « Comes *Andegaviæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, « Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, « Juſticiariis, Seneſcallis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris, Bailivis, & omnibus fidelibus « ſuis ſalutem. Cum ſacroſancta eccleſia ſponſa « ſit regis regum & unica dilecta illius per quem « reges regnant, & principes gubernacula poſſident, « tanto ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum, ſet omnem à Domino Deo eſſe credimus poteſtatem. Unde ſicut venerabilis *Rothomagenſis* « eccleſia quæ inter univerſas terrarum noſtrarum « plurima celebritate dinoſcitur enitere, pro rerum « neceſſitate vel temporum noſtris ducit utilitatibus « oportuna diligentia conſulendum : ſic nos ejuſdem matris noſtræ commodis & augmentis digna « compenſatione dignum ducimus reſpondere. Sane « villa *Andeliaci* & quibuſdam aliis adjacentibus « locis quæ erant *Rothomagenſi* eccleſiæ minus ſufficienter firmatis, inimicis noſtris in terram noſtram *Normanniæ* per eadem loca patebat ingreſſus, per quæ incendiis & rapinis, necnon & « aliis hoſtilitatis ſævitiis in eandem terram nonnunquam licentius graſſabantur. Quocirca venerabili patre *Waltero* archiepiſcopo & capitulo « *Rothomagenſi* debitum habentibus ad noſtra & « prædictæ terræ noſtræ dampna reſpectum, facta « eſt hæc permutatio inter eccleſiam *Rothomagenſem* & archiepiſcopum *Rothomagenſem Walterum* ex una parte, & nos ex altera parte de manerio de *Andeli* in hac forma, Scilicet quod « idem archiepiſcopus de conſcientia & voluntate « domini papæ *Celeſtini* tercii, & de aſſenſu capituli *Rothomagenſis* eccleſiæ, & coepiſcoporum « ſuorum, & cleri ejuſdem archiepiſcopatus conceſſit, & in perpetuum quietum clamavit nobis & « hæredibus noſtris prædictum manerium de *Andeli*, cum novo caſtello de *Rupe*, & cum foreſta, « & cum aliis omnibus pertinentiis & libertatibus « ſuis, exceptis eccleſiis, præbendis et feodis militum, et excepto manerio de *Fraxinis* cum pertinentiis ſuis, quæ omnia idem archiepiſcopus eccleſiæ *Rothomagenſi*, et ſibi, et ſucceſſoribus ſuis « retinuit, cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus ſuis, et cum omni integritate ſua « imperpetuum. Ita quod tam milites quam clerici, et omnes homines tam de feodis militum « quam de præbendis ſequentur molendina de *Andeli*, ſicut conſueverunt, et debent, et moltura erit « noſtra. Archiepiſcopus autem et homines ſui de « *Fraxinis* molent ubi idem archiepiſcopus volet, « et ſi voluerint molere aput *Andoli* dabunt molturas ſuas ſicut alii ibidem molentes. In eſcambium autem prædicti manerii de *Andeli* cum pertinentiis conceſſimus, et imperpetuum quieta clamavimus eccleſiæ *Rothomagenſi* et prædicto archiepiſcopo et ſucceſſoribus ſuis, omnia molendina « quæ nos habuimus *Rothomagi.* quando hæc permutatio facta fuit, integre cum omni ſequela « et moltura ſua ſine aliquo retinemento eorum

« quæ ad molendina pertinent vel ad molturam, et cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus quas ſolent et debent habere. Nec alicui alii licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum prædictorum molendinorum; et debet archiepiſcopus ſolvere eleemoſinas antiquitus ſtatutas de eiſdem molendinis. Conceſſimus etiam eis villam de *Diepe*, et villam de *Boteiles*, cum omnibus pertinentiis et libertatibus et liberis conſuetudinibus ſuis, exceptis eleemoſinis conſtitutis in manerio de *Diepe* à nobis et anteceſſoribus noſtris, quarum ſumma eſt trecentæ et ſeptuaginta duæ libræ, quæ debent ſolvi per manum prædicti archiepiſcopi et ſucceſſorum ſuorum his quibus aſſignatæ ſunt. Conceſſimus etiam eiſdem manerium de *Louers* cum omnibus pertinentiis et libertatibus et liberis conſuetudinibus ſuis, cum miniſterio de *Louers*, ſalvis ad opus noſtrum venatione noſtra, et deſtructione foreſtæ, ita tamen quod non ſit in rewardo. Conceſſimus etiam eis totam foreſtam de *Aliermont*, cum feris et omnibus aliis pertinentiis et libertatibus ſuis ſicut eam habuimus. Hæc autem omnia in eſcambium prædicti manerii de *Andeli*, cum prædictis pertinentiis data habebunt eccleſia *Rothomagenſis*, et prædictus archiepiſcopus et ſucceſſores ſui imperpetuum, cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus ſuis ſicut prædictum eſt. Homines autem prædicti archiepiſcopi de prædicto eſcambio habebunt omnes libertates et liberas conſuetudines quas habuerunt homines de *Andeli* dum manerium illud eſſet in manu ipſius archiepiſcopi. Hæc etiam omnia quæ idem archiepiſcopus in hoc eſcambio recepit, warantizabimus nos et hæredes noſtri eccleſiæ *Rothomagenſi*, et prædicto archiepiſcopo et ſucceſſoribus ſuis imperpetuum contra omnes homines, ita quod ſi aliquis eſcambium aliquod eſt recepturus pro aliquo prædictorum quæ memoratus archiepiſcopus hic recepit; nos vel hæredes noſtri faciemus illud eſcambium, et eccleſia *Rothomagenſis* hæc omnia prædicta imperpetuum pacifice poſſidebit. Nos autem quantum rex poteſt excommunicamus, et concedimus quod incurrat indignationem omnipotentis Dei quicumque contra hoc factum venerit. Multi ſunt teſtes.

VIII. idus Maii pluit ſanguis undatim ſuper ædificantes turrim apud *Andeleium* in territorio *Rothomagi*.

Gaufridus Ceſtrenſis electus ad petitionem & præſentationem *Joberti Coventrenſis* Prioris *Cantuariæ* conſecratus eſt xj. kalend. Julii. Sollempnia celebravit *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus.

Othoni nepoti regis *Anglorum Ricardi* redditum eſt *Aquiſgranum* quod obſederat vj. idus Julii. In craſtino deſponſavit unicam filiam & hæredem ducis *Brebantiæ* ſeptennem. Quarto vero idus ejuſdem menſis coronatus eſt ab *Adulfo Colonenſi* archiepiſcopo, & ſedem aſcendit *Auguſtorum*.

In marchia principales defenſivæ locorum prope munitionem illam quæ vocatur *Caſtellum Matildis* ad pugnam accincti concurrerunt hoſtiliter. In prima caterva *Walenſium* collocati ſunt pedites tantum. In ſecunda, pedites & equites. In tercia, tantum equites. In prima caterva *Francorum* collocati ſunt pedites. Equites in ſecunda. Totum robur exercitus in tercia fuit caterva. Sub primo congreſſu terga verterunt *Walenſes*, quorum ſpolia data ſunt in rapinam. Multi capti ſunt, interfecti quamplures, quorum numerus excrevit, ſicut dicitur, ad tria milia pugnatorum, die feſto ſancti martyris *Ypoliti*. Propheticum igitur illud impletum eſt, *Catuli rugientes ſtragem non minimam ex obſtantibus facient*.

Comes *Flandriæ* venit ante villam ſancti *Audomari* cum exercitu ſuo viij. idus ſeptembris, & villam obſedit per tres ſeptimanas.

Ricardus bonæ memoriæ *Lundonienſis* epiſcopus tercius cum ſediſſet annis octo, menſibus octo, diebus decem, diem clauſit extremum iiij. idus Septembris.

Dum Comes prædictus eſſet in obſidione, venit nuntius regis *Franciæ* litteras ex parte regis ferens dicentes, quod ſi caſtellanus & burgenſes villam ſuam tenere & defendere poſſent erga Comitem uſque pridie kal. octobris, ad ſuccurrendum eis cum exercitu magno die illa veniret: ſi non veniret, caſtellanus & burgenſes de villa ſua ad melius quod poſſent facerent. Sicque reddita fuit villa Comiti.

Ricardus rex *Anglorum* intravit terram regis *Francorum*, cum exercitu magno v. kal. Octobris, & cepit caſtellum de *Curtelles*, & *Buriz*, & tercium caſtrum *Sirefontanum*. Die craſtina rex *Francorum* venit de *Mantua* cum CCCC. militibus, & ſervientibus, & communis ſuis, ad ſuccurrendum caſtro de *Curtelles*, quod non putavit eſſe captum. Rex igitur *Anglorum* ex quo eum venire cognovit, inſecutus eſt eum in fugam converſum, & in tanta diſtrictione poſuit in portam *Giſortii*, quod pons fractus eſt ſub illo, ſubmerſis de ſuis xx. militibus. Interim rex *Angliæ* propria lancea proſtravit *Matheum de monte Morentii*, & *Alanum de Ruſci*, & *Fulconem de Gilervall*, & captos detinuit. Et capti ſunt cum eis uſque ad C. milites, & ſervientes, quorum non eſt numerus. Dextrarii capti ſunt ducenti, quorum ſepties viginti cooperti fuerunt ferro.

Hubertus Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas, dilectis in Chriſto filiis decano & capitulo eccleſiæ ſancti *Pauli Lundon.* ſalutem, gratiam, & benedictionem.

Quia vos & eccleſiam veſtram ſincere diligimus, & ea efficiendi quæ vobis & eidem eccleſiæ veſtræ ad honorem cedant & utilitatem, promptam gerimus voluntatem, ideo quantis potuimus apud dominum regem precibus pro vobis inſtitimus, ut deſolatæ eccleſiæ veſtræ paſtorem annueret idoneum provideri. Quod ſui gratia ad ſupplicationem noſtram annuit, ſicut ex litteris ejus perpendere poteritis, quas vobis ut ſeptem ex capitulo veſtro ad eum & ad nos in octavis ſancti Andreæ, *cum litteris ratihabitionis capituli pro electione facienda mittantur tranſmittit. Quapropter vobis mandamus & conſulimus, quatinus ad terminum in litteris ipſius domini regis nominatum, ſecundum quod in eiſdem litteris continetur, ſeptem ex vobis ad eum & ad nos cum litteris ratibitationis patentibus tranſmittatis: ita quod* W. *præcentor eccleſiæ veſtræ qui nobiſcum in* Notmannia *moratur ſeptimus ex eis nominetur.*

Ricardus Dei gratia rex *Angliæ*, dux *Normanniæ*, *Aquitanniæ*, Comes *Andegaviæ*, dilectis ſibi Decano & Capitulo ſancti *Pauli Lundoniæ* ſalutem.

An. Dñi 1199.

Sciatis quod bonum animum & bonam voluntatem habemus conſulendi eccleſiæ veſtræ quæ paſtore ſuo deſolata eſt. Unde ob reverentiam ſancti Pauli *in cujus honore eccleſia veſtra fundata eſt, & ad petitionem domini* Cant. *archiepiſcopi ei in paſtore providere volumus. Et ideo vobis mandamus, quod mittatis ad nos ſeptem de diſcretioribus canonicis eccleſiæ veſtræ, & coram prædicto archiepiſcopo, ita quod ſint ad nos in octavis* ſancti *Andreæ cum litteris veſtris de rato ad eligendum idoneum paſtorem, ſecundum Deum & libertatem eccleſiæ veſtræ. Teſte meipſo apud rupem* Andeleii *ix. die Novembris.*

Ab apoſtolo *Petro* cui dictum eſt à Domino noſtro *Jheſu Chriſto, Tu es* Petrus, *& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, in cathologo ſummorum pontificum labentibus annorum curriculis, *Innocentius* papa tercius qui modo ſedet inventus eſt centeſimus octogeſimus quartus: Inventum eſt & aliud non leviter prætereundum, *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus prothomartyr in *Anglia* temporibus *Normannorum*, ob triumphalem ſui ſanguinis effuſionem apud *Lamheyam* in nomine ſuo fundatam, omnium hominum veneratione condignam magnificavit eccleſiam, quam *Baldewinus* inchoavit archiepiſcopus, quam & *Hubertus Baldewini* ſucceſſor *Innocentio* papa tercio monachis *Cantuarienſibus* (ſi fas eſt dicere) nimium & ſubitum impendente favorem, ſumptibus propriis, proh dolor! demolitus eſt ad confuſionem multorum. Data fuit *Petro* poteſtas ædificandi, poteſtas multiplicandi, poteſtas transferendi ſedes, ſed qua lege, quo canone ſit indulta licentia diruendi locum ſanctum, judicet ipſe qui poteſtatem dedit ædificandi.

Willelmus genere *Normannus*, eccleſiæ *Lundonienſis* canonicus, ad poſtulationem *Radulfi de Diceto* decani *Lundonienſis*, munus conſecrationis accepit aput *Weſtmonaſterium* in capella ſanctæ *Katerinæ* per manum *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi, præſentibus tredecim epiſcopis, x. kal. Junii.

Ricardus rex *Anglorum* cum regnaſſet annis novem, menſibus ſex, diebus decem & novem, in *Aquitannico* ducatu, *Lemovico* territorio, caſtello *Chaluz* vij. kal. Apr. à *Petro Baſilii* ſagitta percuſſus eſt; & poſtmodum viij. idus Aprilis die Martis, vir operi Martio deputatus, diem clauſit extremum aput prædictum caſtellum. Sepultus autem eſt aput *Fontem Ebraldi* ſecus pedes patris ſui regis *Henrici* ſecundi.

J*Ohannes Hiberniæ* dominus fratris ſui *Ricardi* regis hæres legittimus, de ducatu *Normanniæ* per enſem & gladium poteſtatem accepit aput *Rothomagum* per manum *Walteri Rothomagenſis* archiepiſcopi vij. kal. Maii. Qui cum veniſſet in *Angliam* Aſcenſionis Dominicæ die ſollempni ſollempniter eſt unctus in regem aput *Weſtmonaſterium* per manum *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi vj. kal. Junii.

Johannes rex *Angliæ* ſub ipſo coronationis ſuæ inicio viſitans ſanctum *Thomam* & poſtea ſanctum *Edmundum*, dies Pentecoſtes egit aput *Norhamtoniam*. Qui poſtea collecta multitudine militum, & peditum, & navium, aput *Sorhum* transfretavit xiij. kal. Julii. Celebratum eſt divortium inter *Johannem* regem *Angliæ* & filiam Comitis *Gloceſtriæ* in *Normannia*, ab epiſcopis *Liſorienſi*, *Baiocenſi*, *Abrincenſi*, & aliis epiſcopis qui interfuerant, quam ipſe tempore patris permiſſione *Romanæ* eccleſiæ duxerat in uxorem cum Comitatibus de *Gloceſtria*, de *Sumerſatum*, de *Deveneſire*, de *Cornewaille*, & aliis quampluribus per *Angliam* Honoribus. Set ille ſublimioris thori ſpe raptatus, conſilio pravorum eam abegit, unde magnam ſummi pontificis, ſcilicet *Innocentii* tercii, & totius curiæ *Romanæ* indignationem incurrit, præſumens temere contra leges & canones diſſolvere quod eorum fuerat auctoritate colligatum.

Dominus *Johannes* rex *Angliæ Arturum* filium fratris ſui *Galfridi* Comitis *Britanniæ* venientem ad ſe, & ejus ſe per omnia ſubicientem voluntati, minus caute dimiſit à ſe. At ille tranſtulit ſe ad regem *Franciæ*, qui eum, bonis ejus inhians, facit nutrire cum filio ſuo *Pariſius*.

Bellum factum eſt horribile inter *Petrum* Com. *Nivernenſem* & *Herveum* de *Donziaco* prope abbatiam S. *Laurentii*, non longe à *Donziaco*, iij. non. Aug. Set Comes prædictus cum coterellis quos regi *Franciæ* ei utpote cognato ſuo in ſubſidium miſerat, victus aufugit. Nec multo poſt prædictus Comes conniventia regis *Franciæ* dedit filiam ſuam unicam & hæredem prædicto *Herveo* in conjugem cum comitatu, retentis ſibi quoad viveret *Antiſiodoro* & *Turneire*, cum omni honore *Antiſiodorenſi* & *Turnerenſi*.

Concilium actum eſt aput *Digun* in *Burgundia*, præſidente *Petro de Chapes* presbytero cardinali, Dominica ſecunda adventus Domini, qua ſcilicet cantatur *populus Syon*. Ubi ad vocationem prædicti cardinalis convenerunt archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & Priores omnes à mari *Britannico* uſque ad *Alpium* juga, ut de reſumenda relicta regis *Franciæ*, ſorore videlicet illuſtris regis *Danemarchiæ* tractarent, & prædictum regem ad eam reſumendam compellerent, vel terram ejus interdicto ſupponerent; ſet in eo negotio meticuloſe continentiæ fucis infecti ſententiam differentes receſſerunt.

Eclypſis lunæ facta eſt ij. non. Januarii media nocte per tres horas: poſtmodum in ruborem ſanguinis converſa eſt, emittens à ſe radios velud ignis. Magiſter *Malgerius* domini regis *Ricardi* medicus à monachis *Wigornenſibus* nominatus in epiſcopum *Wigornenſem*, cum non eſſet de legitimo matrimonio natus, confirmatio electionis ejus accepit dilationem; qui *Romam* veniens, conſecratus eſt aput ſanctum *Petrum* ab *Innocentio* papa iij. die ſanctæ Trinitatis.

Hoc anno facta eſt pax inter *Philippum* regem *Franciæ* & *Johannem* regem *Angliæ*. *Ludovicus* filius regis *Franciæ* duxit filiam regis *Hiſpaniarum* neptem regis *Angliæ* in uxorem. Cui rex *Angliæ* dedit in maritagium totam terram ſuam de *Berri* & de *Auvernia*, caſtella etiam & honores plurimos tam in *Normannia* quam in *Gaſconia* & aliis pluribus locis. Comes *Flandrenſis* & Comes *Boloniæ*, uterque cum uxore ſua, acceperunt cruces eundi *Jeruſalem*. Terra regis *Franciæ* ſub interdicto poſita eſt ab archiepiſcopo *Rothomagenſi* & epiſcopo *Pictavenſi* de præcepto ſummi pontificis, quia noluit accipere uxorem ſuam, & manſit ſub interdicto à media Quadrageſima uſque ad feſtum ſanctæ *Maria Magdalena*. Dilata ſententia in perſonam ipſius regis, ut ſic facilius animi ejus emollirent duritiam. Sub hoc tempore magiſter *Philippus Romana* eccleſiæ notarius *Londoniis* moram faciens domibus religioſis circumquaque conſiſtentibus exactione hoſpicii ſui plurimum extitit oneroſus.

Per totam *Angliam* de præcepto ſummi pontificis, quadrageſima pars omnium redditaum, mobilium & immobilium, tam clericorum quam domorum religioſarum ad ſubventionem, ut dicebatur, terræ *Jeroſolimitana* aſcripta per manum prædicti *Philippi* tranſmiſſa, niſi forte *Romani* naturali & inſitæ ſibi cupiditati abrenunciaverint, his quorum uſibus perquiſita eſt, nunquam eſt ad plenum reſtituenda. Celebratum eſt concilium apud *Weſtmonaſterium* xiiij. kal. Octobris, præſidente *H. Cantuarienſi* archiepiſcopo, præſentibus epiſcopis *W. Lundonienſi, G. Roffenſi, H. Saresberienſi, J. Oxonienſi, R. Elyenſi, G. Coventrenſi, K. Bangornenſi*, epiſcopo *Landavenſi, R. de ſancto Aſaph, G.* electo *Herefordenſi*, cum abbatibus & prioribus diverſi ordinis qui ad vocationem Domini *Cantuarienſis* eo convenerant, ut de cauſis eccleſiaſticis tractarent. *G.* Prior *Cantuarienſis* ſedit ex oppoſito contra dominum archiepiſcopum à latere epiſcopi *Roffenſis*. Archiepiſcopus *Eboracenſis* concilio non interfuit cum eſſet in *Anglia*, ne qui ejus allegaret abſentiam, cum juxta priſcorum conſuetudinem ad vocationes *Cantuarienſis* concilio teneretur intereſſe, vel juſtam abſentiæ ſuæ cauſam allegare. Dominus *Lincolnienſis* à *Roma* rediens gravi tactus infirmitate, tunc temporis apud vetus templum *Lundoniis* lecto decubuit. Dominus *Wintonienſis* & dominus *Ciceſtrenſis* corporis ſui infirmitatem prætendentes litteratorie ſe excuſaverunt. Vacabat tunc ſedes *Norwicenſis*. Dominica ſequenti, ſcilicet viij. kal. Octobris, conſecratus eſt in epiſcopum *Herefordenſem Gilo de Bruſe*, & in epiſcopum *Norwicenſem J. de Grai* domeſticus clericus regis, in capella ſanctæ *Katerina* à domino *H. Cantuarienſi* archiepiſcopo præſentibus pluribus ejus ſuffraganeis.

Dominus *J.* rex *Anglia* habens in propoſito ducere in uxorem filiam regis *Portugalenſium* cujus fama animum ejus pellexerat, ad eam perquirendam tranſmiſit à *Rothomago* illuſtres & magnificos viros, ſcilicet epiſcopum *Liſoienſem, Willelmum de Stagno, Radulfum de Ardene, Hubertum de Burch*, & alios plures, tam de *Anglia* quam de *Normannia*. Set ipſe eorum ſaluti minus forte quam regiam deceret magnificentiam conſulens, dum eſſent in itinere, ipſis nec præmunitis deſponſavit *Yſabel* filiam unicam & hæredem Comitis *Engoliſmenſis*, quæ prius, ut dicebatur, conceſſa erat cuidam nobili viro de *Pictavia*, ſcilicet *Hugoni le Brun*, unde maxima poſtmodum inter eos ſimultas exorta eſt, & ſtatim fecit illam coronari in reginam apud *Weſtmonaſterium* à domino *H. Cantuarienſi* archiepiſcopo viij. idus Octobris, & ipſe rex eadem die pariter coronatus eſt.

Hoc anno circa feſtum ſancti *Michaelis*, cauſa quæ vertebatur inter *Cantuarienſem* archiepiſcopum & monachos ſuper capella de *Lambeya* reædificanda, & eccleſiis, & exeniis, quæ monachi ab archiepiſcopo petebant, tandem poſt longas deceptationes & allegationes, & teſtium hinc inde productiones coram venerabilibus *Lincolnienſi* & *Elienſi* epiſcopis & abbate ſancti *Eadmundi*, à ſummo pontifice de communi partium aſſenſu ad cauſæ hujus deciſionem delegatis, partibus in arbitros compromittentibus eoſdem, ſcilicet qui fuerant delegati, cautione hinc inde præſtita quod appellatione ceſſante eorum ſtarent arbitrio, hoc modo finem accepit, omni ſcilicet ſpe revertendi canonicis ablata ſecularibus imperpetuum, ſi dominus archiepiſcopus voluerit, liceat ſibi apud *Lambeia* capellam ædificare, in qua ponat canonicos ordinis *Præmuſtrenſis* xiij. ad minus, xx. ad plus; qui tamen in nominatione archiepiſcopi cum ſedes *Cantuarienſis* vacaverit nunquam audientur. Super eccleſiis vero, perſonæ igitur eas qui tenebant tunc temporis quoad vixerint libere &. pacifice poſſideant, ſolventes monachis memoratis annuatim aſſignatas poſſeſſiones ſibi. Quibus defunctis media pars omnium proventuum omnium eccleſiarum cedent in uſus monachorum, media pars in uſum vicarii, qui tamen per archiepiſcopum inſtituetur; exenia vero poſſideat archiepiſcopus libere, & quiete, & pacifice tota vita ſua. Poſt mortem vero ejus fit inter ſucceſſores ejus & monachos rediviva diſceptatio, & cui datum fuerit vel judiciali diffinitione, vel amicabili compoſitione, vel alio quovis juris ordine, ejus convertantur in uſum. Hoc arbitrium primo ab ipſis arbitris apud *Weſtmonaſterium* intra ſe ſtatutum, poſtmodum apud *Cantuariam* Dominica proxima ante feſtum *Omnium Sanctorum*, iiij. ſcilicet kalend. Novembris, à domino *Elyenſi* in publico prolatum præſentibus partibus, præſentibus etiam totius *Anglia* primoribus, Epiſcopis ſcilicet, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, & aliis domini regis fidelibus qui eo convenerant ad decidendam tam diuturnæ diſſenſionis nebulam inter patrem & filios.

Feria iiij. ſequente, vigilia ſcilicet *Omnium Sanctorum*, auditum eſt tonitruum ſubitum & horribile, aliquid magni portendens. *Hugo Lincolnienſis* genere *Burgundio* natione *Gratianopolitanus*, cum ſediſſet annos xv. die xv. à *Roma* rediens, apud *vetus templum Lundoniis* diem clauſit extremum kalend. Decembris. Deinde iiij. die ſequente, corpus ejus ad ſedem ſuam prolatum, ſollempni proceſſione ibidem receptum eſt in præſentia duorum regum, archiepiſcoporum trium, omnium epiſcoporum *Anglia*, abbatum & Priorum diverſi ordinis, & aliorum regni magnatum, quos illic domini regis præſentia ſimul & propria negotia de diverſis regni partibus deduxerant. Dominus rex natalicios dies celebravit apud **Geldeford**. Cum ſedes eccleſiæ *Weſtmonaſterii* vacaret, ne monachi emendicatis aliunde ſuffragiis uterentur, *Radulfum* natione *Lundonienſem*, cognomento de *Arundel*, Priorem de **Hurle** apud *Northamthoniam* in abbatem ſibi elegerunt ii. kal. Decembris; Electioni factæ dominus rex qui præſens aderat, & dominus archiepiſcopus aſſenſum præbuerunt. Electus vero munus benedictionis accepit à domino *W. Londonienſi* epiſcopo in eccleſia Doctoris gentium, Dominica qua cantatur *Gaudete*, & eadem die in ſede ſua ſollempniter eſt collocatus.

Dominus rex dies Paſchales egit aput *Cantuariam* ſollempniter, ibi cum regina ſua inſtinctu archiepiſcopi coronatus eſt ſub præſentia plurimorum & magnorum virorum quos domini archiepiſcopi liberalitas invitaverat.

Terræ motus magnus factus eſt in partibus **Sumerſet** & *Norfete* xj. kal. Junii circa horam diei ſextam, ita ut ſtantes proſtraret. Dominus rex ortis ſimultatibus inter ipſum & Comitem *Ancenſem*, cum videret terram ſuam transmarinam tumultuari, collecta multitudine militum transfretavit aput **Porteſmue**; nec multo poſt deceſſum ipſi regina transfretavit. Quidam monachus transmarinus cum iter ageret verſus ſanctum *Eadmundum*, ſubito percuſſus fulmine cum equo ſuo aput *Novum mercatum* interiit nullam omnino habens læſionem, corpus ejus aput ſanctum *Eadmundum* delatum eſt. *Theobaldus* Comes *Campania* expletis à diebus nativitatis ſuæ xxj. annis, diebus xj. obiit *Tretas*; juxta fratrem ſuum ſepultus eſt.

Hoc anno longa diſceptatio ſuper inſtitutione Prioris *Lewenſis* inter Abbatem de *Cluniaco* & Comitem de *Warenna*, *Cantuarienſi* archiepiſcopo, & *Elyenſi*, & *Ciceſtrenſi* epiſcopis, à ſummo pontifice commiſſis, tali fine conquievit, ſcilicet cum Prioratus *Lewenſis* vacaverit infra xv. dies mittet dominus Comes nuncios ſuos cum monachis *Lewenſibus Cluniacum* propter Priorem. Abbas vero duos eliget ſecundum Deum ubicumque ei placuerit in ordine *Cluniacenſi*, excepto majore Priore *Cluniacenſi*, & Priore de *Karitate*, quos utiliores & magis neceſſarios domui *Lewenſi* convenerit, & nuntiis Comitis præſentabit. Ipſi vero unum è duobus abſque tergiverſatione & dolo quemcumque voluerint accipient, & abſque difficultate in domo *Lewenſi* Priorem inſtituent. Quando Prior ſic inſtitutus, liberam habebit adminiſtrationem tam in interioribus quam exterioribus admonendi & admovendi. Nec poterit de cætero admoveri niſi certa & rationabili cauſa. Nec poterit abbas *Cluniacenſis* exigere niſi antiquam penſionem C. ſolidorum.

Subita & improviſa aquarum inundatio pluribus in locis per *Angliam* facta eſt, unde plures homines ſubmerſi ſunt, & domus everſæ, maxime apud **Eveſſire**, & ſanctum *Ivonem*. *Johannes Salernitanus* presbyter & cardinalis, à ſummo pontifice transmiſſus, tam *Hyberniæ* quam *Scotiæ* legatus, tranſitum habens per *Angliam*, ſollempni proceſſione receptus eſt in eccleſia Doctoris gentium *Pauli* pridie kal. Septemb.

Ad vocationem domini regis *H. Cantuarienſis* archiepiſcopus transfretavit apud *Sorham* six. kal. Januarii. Vocati ſunt etiam qua de cauſa *Elyenſis*, *Saleſbirienſis*, *Lundonienſis*, *Norwicenſis* epiſcopi. Abbas de ſancto *Eadmundo*, de *Weſtmonaſterio*, de *Theokesbiria*.

Colloquium habitum eſt inter regem *Franciæ* & regem *Angliæ* viij. kal. Aprilis in *Normanniâ* prope *Andeleium*, in loco qui dicitur *Gulet*.

Hucuſque protraxit ſatis magnifice Chronica præſcripta magiſter Radulfus de Diceto *decanus* Lundonienſis *eccleſiæ, qui qualis fuerit eloquentia ſollerti Lectori ſatis poteſt liquere ex pluribus factis & dictis quæ idem magiſter proprii ingenii verbis enarrando expoſuit.*

SERIES

SERIES CAUSÆ INTER HENRICUM regem & *Thomam* archiepiſcopum.

O*Miſſis omnibus quæ vel in juventute, vel in archidiaconatu, vel in præpoſitura, vel in officio Cancellariæ* Thomas *egerit de quo ſcribere propoſuimus, diſcordiam inter* Henricum *regem* Anglorum Matildis *imperatricis filium & eundem promotum in* Cantuarienſem *archiepiſcopum protractam diutius, ſub certis capitulis breviter fine laudabili concludamus.*

Thomas creatus archiepiſcopus, regis reſignavit ſigillum.

Archiepiſcopus ad poſtulationem regis diſtulit archidiaconatum *Cantuarienſem* transferre.

Clarenbaldus ſine profeſſione quærebat benedictionem accipere, regem habens fautorem.

Comes de *Clara Rogerus* homagium facere noluit archiepiſcopo, rege conſentiente.

Willelmus de *Ros* regem, non archiepiſcopum agnovit ut dominum.

Willelmus Einesfordia dominus *Laurentium* expulit ab eccleſia, quem excommunicavit archiepiſcopus rege non certiorato.

Nuncii regis conſuetudines quas avitas appellant, à Domino papa roborari non impetraverunt.

Ab archiepiſcopis & epiſcopis confirmatæ ſunt regni conſuetudines.

Philippus de *Broc* canonicus *Bedefordiæ* propter maleficium eſt expulſus à regno.

Johannes Mareſchaldus archiepiſcopo pro manerio quodam adverſarius, inſtructus eſt in curia regis.

Archiepiſcopus adverſus epiſcopos appellavit & ab eis appellatus eſt.

Archiepiſcopus tractus in cauſam ante legatos *Willelmum Papienſem*, et *Johannem Neapolitanum* ablatorum petiit reſtitutionem, ſed non impetravit.

Rex archiepiſcopo dare ſignum pacis in oſculo penitus abnegavit et abjuravit.

Archiepiſcopus poſt pacem factam in *Angliam* rediens, plures armatos occurrentes invenit.

Quæ circa perſonam archiepiſcopi die Martis quater evenerint, invenietur.

Willelmus Senonenſis archiepiſcopus domino papæ litteras direxit.

Ab epiſcopis concurrentibus eccleſia *Cantuarienſis* reconciliata fuit.

Thomas archiepiſcopus canonizatus eſt à Domino papa *Alexandro*.

Q*Votiens inter archiepiſcopos* Cantuarienſes *tibi* Thomas *prothomartyr in* Anglia Normannorum *temporibus inter legendum occurrerit, totiens ejus vitam laudabilem, actus eximios, exilium, paſſionem, in morte conſtantiam & poſt tranſitum ab hac luce cœleſtem ad patriam crebra miraculorum inſignia ſub ſilentio non prætereas.*

CLero totius provinciæ *Cantuariorum* generaliter *Lundon.* convocato, præſente *Henrico* filio regis et regni juſticiariis, *Thomas Cantuarienſis* archidiaconus, & regis Cancellarius, nemine reclamante ſolenniter electus eſt in archiepiſcopum. Electionem factam ſine aliqua contradictione recitavit *Henricus Wintonienſis* epiſcopus apud *Weſtmonaſterium* in refectorio monachorum quarta feria ante Pentecoſten. Electus autem, ſabbato pentecoſtes ordinatus eſt in preſbiterum in eccleſia *Cantuariorum* à *Waltero Roſenſi* epiſcopo, in ordinationibus & in dedicationibus faciendis eccleſiæ *Cantuarienſis* vicario. Sequenti die Dominica conſecratus eſt ab *Henrico Wintonienſi* epiſcopo, vice *Lundonienſis* eccleſiæ tunc vacantis, epiſcopo *Lundonienſi Ricardo* ſecundo rebus humanis exempto; quod ad jus ſuum ſpectare dicebat *Walterus Roſenſis* epiſcopus; ſed non obtinuit. An. Dñi 1162.

NUnciis ad dominum papam directis quem ad *Gallias* deſcendentem *Willelmus* de Monte *Peſſulano* tanquam dominum ligium ſuum receperat honorifice, celeri relatione perlatum eſt, quod ſuffraganei *Cant.* eccleſiæ ſibi paſtorem elegerant, qui concurrentibus omnium votis jam à propria ſynodo fuerat conſecratus. Acceptum fuit verbum iſtud in auribus domini papæ. Litteris igitur Epiſcoporum, litteris etiam Prioris & Conventus ſanctæ Trinitatis, litteris quoque regis in medium recitatis, ſub audientia Cardinalium in Conſiſtorio poſtulatione facta, facilis & jocundus juxta petitionem ab omnibus datur aſſenſus. Pallium itaque cum ea gravitate, cum ea remoratione, cum ea ſolempnitate qua conſueverant nunciis eſt commiſſum, quod *Thomas* archiepiſcopus in ſede *Dorobernenſi* conditionibus ſolitis involutus & ſacramento conſtrictus, ab altari majore ſuſcepit. Poſtquam autem induit veſtes ſummis ſacerdotibus Domino diſponente collatas, habitum ſic mutavit, ut mutaret & animum. Nam curiæ curis intereſſe non approbans, ut eximeretur à curia, vacans orationi, ſuperintendens eccleſiæ ſuæ negotiis, nuntium in *Normanniam* regi direxit, renuncians Cancellariæ, ſigillum reſignans. Quod altius in cor regis aſcendit, in ſe ſolum cauſam reſignationis tam ſubitæ retorquentis. Audierat namque quod *Maguntinus* Archiepiſcopus in *Theutonica* ſub rege, quod Colonienſis archiepiſcopus in *Italia* ſub Imperatore nomen ſibi vendicent archicancellarii. Qui hoc promiſcuis actibus æſtimant turbari rerum officia, ſi geſtant in dextera baculum paſtoralem, & ad expediendas regni vel imperii neceſſitates & pacem eccleſiæ procurandam propenſius accingantur, dummodo Cancellarius curiæ ſiniſtro lateri ſigillum allateret nunc Regis nunc Imperatoris, qui dicitur *Prothonotarius*.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus obviam regi veniens cum rediret in *Angliam*, receptus eſt in oſculum ſed non in plenitudinem gratiæ. Sicut vultus ſtatim averſus omnibus qui conveniebant patenter oſtendit.

Thomas ex archidiacono *Cantuarienſi* ſumptus ad archiepiſcopatum, ad inſtantiſſimam regis poſtulationem diutius diſtulit archidiaconatum transferre. Tranſtulit tandem ut rex petiit. Sed gratiam regis ad tempus ſubtractam, ut videbatur, ſibi poſtmodum redintegratam non ad plenum agnovit.

Clarembaldus abbas electus ſancti *Auguſtini* benedictionem ab archiepiſcopo *Thoma* quærebat accipere, ſed in eccleſia propria, ſed ſine profeſſione, ſed ſpe cujuſvis in poſterum ſubjectionis prorſus adempta. Cum autem rex ſe verbis hujuſmodi non oppoſuerit, partibus antiquitatis in finibus ſtare perſuadens, & eas omnibus modis quibus id fieri potuiſſet inducens, alteram inclinatior videbatur in partem.

Capitula quæ ſequuntur quære infra in hoc codice anno M. Clxiij.

Alexander papa Capitulo *Lundonienſi*. Ex litteris kariſſimi in Chriſto filii noſtri *Henrici* illuſtris *Anglorum* &c.

Alexander papa Concilium congregavit *Turonis* in eccleſia ſancti *Mauricii* xij. kal. Junii; Ad cujus vocationem &c.

Inquiſitio generalis eſt facta per *Angliam*, cui quis in ſervicio ſeculari de jure teneretur obnoxius &c.

Comes de Clara, *Rogerus* ab archiepiſcopo *Thoma* vocatus ad homagium ſibi faciendum de caſtello &c.

Thomas Cant. archiepiſcopus *Willelmum* de *Einesford* parrochianum ſuum ſacrilegii reum à liminibus ſanctæ matris eccleſiæ ſequeſtravit, & præcepit ab omnibus evitari, quod quia minime certiorato rege, *& cætera quæ ſequuntur*.

Rex *Angliæ* nuncios ad Dominum papam confinia ſchiſmaticorum in *Gallia* declinantem direxit *A.* ſcilicet *Luxovienſem* epiſcopum, & *R. Pictavenſem* archidiaconum. Qui ſævitiam maris & fluctuum intra trium menſium &c.

Ab archiepiſcopis & epiſcopis confirmatæ ſunt regni conſuetudines.

Ex mandato regis convenientibus epiſcopis & proceribus regni apud *Claredunam* viij. kal. Febr. poſt immenſos tractatus rex tandem ad hoc animos Prælatorum inflexit, ut regni conſuetudines archiepiſcoporum & epiſcoporum auctoritate firmarentur & ſcriptis. Quod *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus dum ad cognitionem ſummi pontificis pertuliſſet, ab obligatione quam inierat abſolutionem petiit & impetravit.

Philippus de *Broc propter maleficium expulſus eſt ab* Anglia.

Rex *Anglorum* volens in ſingulis ut dicebat maleficia debita cum ſeveritate punire, & ordinis dignitatem ad iniquum trahi compendium incongruum eſſe conſiderans, clericos à ſuis juſticiariis in publico flagitio deprehenſos epiſcopo loci reddendos decreverat, ut quos epiſcopus inveniret obnoxios præſente judiciario regis exauctoraret, *& cætera quæ ſequuntur ſub eodem numero infra.*

Thomas archiepiſcopus *Romam* profecturus apud *Romenel* inſcio rege navem aſcendit, vento contrario rejectus in *Angliam*; in quo plurimum regis offenſam incurrit.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus tractus in cauſam *Johanne* Mareſchallo regi deferente querelam, in quibuſdam capitulis contrariam reportavit ſententiam, & regi judicatum ſolvi cavit in quingentis libris habita taxatione.

Archiepiſcopus appellavit & appellatus eſt.

Thomas Cant. archiepiſcopus ſuper actu quem ageret in Cancellaria tractus in cauſam, præſentiam ſuam exhibuit apud *Norhant* iij. idus Octobris. Convenerunt illuc epiſcopi, *& cætera quæ ſequuntur infra ſub eodem numero.*

Nuncii à rege directi poſt archiepiſcopum & contra archiepiſcopum, in Conſiſtorio habuerunt hæc verba. Inter *Thomam* archiepiſcopum & regem *Anglorum* controverſia verſabatur, *& cætera quæ ſequuntur infra ſub eodem numero.*

Eborac. archiepiſcopus. *Lund.* epiſcopus. *Ciceſtrenſis* epiſcopus. *Wigornenſis* epiſcopus. *Exonienſis* epiſcopus. *Luxovienſis* epiſcopus *Sagienſis* epiſcopus. *Pictavenſis* archidiaconus. *Walthamenſis* Decanus. Johannes *Oxeneford.* *R.* de *S. Walerio.* Johannes *Cumin.* *Henr.* Camerarius. *Willelmus* Comes de *Clara*. *Hugo* de *Gundev.*

Datum eſt in mandatis à rege nunciis ſuis quatinus à latere domini papæ mitti duos in *Angliam* poſtularent qui cauſam non eccleſiaſticam, *& cætera ſicut infra ſub eodem numero.*

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus in Domini papæ præſentia conſtitutus ſic exorſus eſt. Ad audientiam tuam pater ſanctiſſime confugio, *& cætera ſicut infra, ſub eodem numero.* M. Clxv.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus cum per dies plurimos moram feciſſet apud *Pontiniacum*, tranſiens inde venit *Viceliacum* repente, & die Aſcenſionis videntibus populis, qui ad diem feſtum convenerant, aſcendens in pulpitum conſuetudinum, *& cætera ſicut infra ſub incarnationis Dominicæ tali numero* M. Clxvj.

Ricardo Pictavenſi archidiacono quærenti conſilium ab amico *Radulfo* ſcilicet de *Diceto*, ſic reſcriptum eſt inter cætera. Si tactus inconſulto calore *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus, *& cætera ſicut infra ſub eodem numero.*

Regi *Anglorum Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus. Deſiderio deſideravi, *& cætera ſub eodem numero.*

Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo venerabili patri & domino, ſuffraganei ejuſdem eccleſiæ epiſcopi & perſonæ per eorundem dioceſes locis variis conſtitutæ debitam ſubjectionem & obedientiam. Quæ veſtro patet in longinquo diſceſſu inopinata rei ipſius novitate, *& cætera ſicut infra in ſerie litterarum ſub eodem numero.*

Thomas Cant. archiepiſcopus *G. Lundonienſi* epiſcopo, quod ſemel hoc iterum, Sic tranſire per bona temporalia ut non amittat æterna. Mirandum & vehementer ſtupendum, *& cætera ſicut infra in ſerie ſub eodem numero.*

Thomas Cant. archiepiſcopus ſuffraganeis ſuis. Fraternitatis veſtræ ſcriptum quod tamen de prudentiæ veſtræ communi conſilio non facile credimus emanaſſe, nuper ex inſperato, *& cætera ſicut infra in ſerie uſque ad* Non tamen hoc ideo dicimus.

Alexander papa *Thomæ Cant.* archiepiſcopo. Frater in Chriſto kariſſime *Thoma Cant.* archiepiſcope de fratrum noſtrorum conſilio tuis juſtis petitionibus debita benignitate duximus annuendum, atque prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis *Paſchalis* & *Eugenii Romanorum* pontificum veſtigiis inhærentes, tam tibi quam tuis legitimis ſucceſſoribus *Cantuarienſis* eccleſiæ primatum ita plene concedimus ſicut à *Lanfranco* & *Anſelmo*, aliiſque ipſorum prædeceſſoribus conſtat fuiſſe poſſeſſum. Quicquid etiam dignitatis ſeu poteſtatis eidem ſanctæ *Cantuarienſi* eccleſiæ pertinere cognoſcitur præſentis ſcripti pagina confirmamus, ſicut à temporibus beati *Auguſtini* prædeceſſores tuos habuiſſe Apoſtolicæ ſedis auctoritate conſtat.

Willelmus Papienſis, *Johannes Neapolitanus* Cardinales à latere ſummi pontificis deſtinati, regem & archiepiſcopum *Thomam* convocarunt aput *Muntinvail*, & licet archiepiſcopus eos in partem regis inclinatiores, *& cætera ſicut infra ſub tali numero.*

An. Dñi 1166. *Ludovicus* rex *Francorum* venit *Pontiniacum*, & ne quid in *Anglia* fieret in perniciem ordinis *Ciſtercienſis*, *Thomam* archiepiſcopum, cui jam per biennium *Pontiniacenſes* omnem exhibuerant humanitatem, *Senonis* ſecum deduxit, & in expendiis ſufficientiam apud Sanctam *Columbam* invenit per iiij. annos.

Alexander papa regi *Anglorum*. Quam paterne, & benigne regiam ſæpius excellentiam convenerimus &c. *quare infra ſub tali numero.*

Gillebertus Lundonienſis epiſcopus ad ſententiam archiepiſcopi *Thomæ* declinandam circa initium quadrageſimæ convocato clero & populo in eccleſia ſancti *Pauli Lund. Romanæ* ſedis audientiam appellavit; verum *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus ſuper hoc minime certioratus ipſum in die palmarum apud *Claramvallem* ſolemniter excommunicavit.

Thomas Dei gratia *Cant.* archiepiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus *G. Lundonienſi* epiſcopo, utinam vero fratri, declinare à malo & facere bonum. Exceſſus veſtros dum licuit ſupportavimus &c. *quære infra.*

1169 *Thomas* Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus, decano, archidiacono & clero *Lundonienſis* eccleſiæ, ſalutem & à communione excommunicatorum fideliter abſtinere. Veſtram non debet latere &c.

Lundonienſis epiſcopus licet ſecundum quorundam conſilium tutus eſſet appellationis munimine quam ante latam ſententiam excommunicationis interpoſuerat, uſus ſaniori conſilio mandatum archiepiſcopi *Thomæ* patienter ſuſtinuit & abſtinuit ab ingreſſu eccleſiæ.

Alexander papa regi *Angliæ*. Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, necnon in remiſſionem tibi peccatorum &c. *Infra ſub præſcripto numero.*

Inter *Anglorum* regem & archiepiſcopum paci reformandæ multi multam multotiens operam impenderunt. Ad ultimum miſſos fuiſſe &c. *Infra ſub eodem numero.*

In Octabis ſancti *Martini* habitum eſt colloquium inter regem *Francorum*, & regem *Angliæ* proxime *Pariſius* &c. *Infra ſub eodem numero.*

Duobus articulis plenum non præbuit aſſenſum rex *Angliæ*. Nec enim nomine reſtitutionis cum archiepiſcopum non expulerit &c.

1170 In nocte natalis Domini tonitruum in *Hybernia*, tonitruum in *Anglia*, tonitruum in omni regno *Francorum* auditum eſt generale, ſubitum & horribile, portendens aliquid magnum, novum & inuſitatum.

Rex pater rediens in *Angliam* multis ſuorum ſubita maris tempeſtate perditis, ipſe magno divinæ pietatis munere evaſit incolumis.

Alexander papa *Eboracenſi* archiepiſcopo & univerſis *Angliæ* epiſcopis. Illius dignitatis et majoritatis eccleſiam *Cantuarienſem* ab antiquo fuiſſe audivimus, ut reges *Angliæ* ab ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopis inungi conſueverint &c. *quare infra ſub eodem numero.*

Habitum eſt colloquium apud *Muntinvail* inter regem et *Thomam* archiepiſcopum, ubi præſens fuit rex *Francorum* & *Bernardus* de *Corilo*, Prior etiam de *Monte Dei* &c. *Quare infra ſub numero* M. Clxx.

Item apud *Fractam* vallem rex *Francorum* *W. Senonenſis* archiepiſcopus, et epiſcopus *Nivernenſis* venerunt: Cum autem rex et *Thomas* ſeceſſiſſent in partem, biſque deſcendiſſent et bis aſcendiſſent, bis ſtapham rex tenuit archiepiſcopi.

Item apud *Ambazium* ſingulis ad ſimplicem intellectum reductis, rex et archiepiſcopus concordiam inierunt, procurante pacem *Rotrodo Rotomagenſi* metropolitano.

Henricus rex *Angliæ* filio ſuo *H.* regi *Angliæ*, Sciatis quod *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus pacem fecit mecum &c. *quare infra ſub eodem numero.*

Archiepiſcopus ſtatim ut appulſus eſt miſit *Eboracenſi* archiepiſcopo apud *Doveram* litteras Domini papæ hæc verba continentes.

Alexander papa *R. Eboracenſi* archiepiſcopo et *H. Dunelmenſi* epiſcopo. Cum filium ſuum rex veſter coronari voluerit contempto *Thoma Cantuarienſi* archiepiſcopo &c. *quare infra ſub eodem numero.*

Rurſus *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus miſit litteras domini papæ *G. Lundonienſi*, et *Joſcelino Salesberienſi* epiſcopis, auram proſperam apud *Doveram* expectantibus cum *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo, continentes hæc verba. *Alexander* papa venerabilibus fratribus *Lundonienſi*, *Salesberienſi*, *Exonienſi*, *Ceſtrenſi*, *Roſenſi*, de ſancto *Aſaph*, *Landavenſi* epiſcopis. Cum kariſſimus filius noſter rex veſter *Henricus* filium ſuum coronari voluerit &c. *quare infrà ſub eodem numero.*

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus poſtquam intravit in *Angliam* ſcripſit domino papæ litteras, in quibus inter alia hæc continebantur verba. Adductus eſt nobiſcum ex mandato domini regis *Johannes* decanus *Salesberienſis*; Qui cum videret *Reginaldum* de *Warenna* &c. *quare infra ſub eodem numero.*

Cum *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus tenderet ad videndam faciem novi regis qui tunc temporis morabatur apud **Wodeſtoc** honorifice ſuſceptus eſt à *Lundonienſibus* &c. *quare ſub numero.*

An. Dñi 1171. Die natalis domini *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus ſermonem habiturus ad populum, aſcendit in pulpitum. Sermone &c.

Quinta die natalis Domini circiter horam veſpertinam, dum archiepiſcopus cum clericis ſuis reſideret in thalamo, *Willelmus* de *Traci*, *Reginaldus* filius *Urſi*, Hugo de *Morevill*, *Ricardus Brito*, et cætera quæ ſequuntur, *quare infra ſub numero* M. Clxxj.

Thomas Cantuarienſis *archiepiſcopus ſedit annis octo, menſibus ſex, diebus viginti octo.*

Circa Paſcha dominus Jheſus Chriſtus, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt et ubique mirabilis, glorioſiſſimi martiris ſui *Thomæ Cant.* archiepiſcopi vitam laudabilem et inſuperabilem in morte conſtantiam crebris cœpit irradiare miraculis, et cætera quæ ſequntur, *quare infra.*

Domino papæ *Willelmus Senonenſis* archiepiſcopus. Veſtro Apoſtolatui pater ſancte data eſt omnis poteſtas in cœlo et in terra &c.

Rex pater regis navibus undique congregatis intravit *Hyberniam* xv. kal. Novembris &c.

Cantuarienſis eccleſia poſt necem glorioſiſſimi martyris *Thomæ* continuis diu &c. *Hæc omnia quære infra ſub numero incarnationis Dominicæ M. Clxxj.*

An. Dñi 1172. *Rotro Rotomagenſis* archiepiſcopus & epiſcopus *Ambianenſis* in mandatis ſuſceperant à Domino papa, quatinus congruo loco & tempore *Lundonienſis* epiſcopi purgationem &c.

Poſtquam rex *Angliæ* appulſus eſt in *Normanniam* ſtatim cum feſtinatione acceſſit ad dominum *Albertum* & *Teodinum Cardinales* & Apoſtolicæ ſedis legatos, ad partes illas à domino papa tranſmiſſos. Poſt longos tandem & immenſos tractatus primo habitos apud *Saviniacum*, poſt apud *Abrincas*, in præſentia legatorum juravit rex mortem glorioſiſſimi martyris *Thomæ* nec voluntate ſua, nec conſcientia perpetratam fuiſſe, nec ſuo artificio perquiſitam. Sed quoniam malefactores ex verbis quæ iracundiæ fervore ſuccenſus minus caute protulerat, occaſionem ſumpſerant virum ſanctum interficiendi, cum omni humilitate petiit abſolutionem ab eis, petiit & impetravit. In facie igitur eccleſiæ ſolenniter abſolutus, juxta voluntatem Cardinalium promiſit, quod ab inſtanti feſto *Pentecoſtes* uſque in annum tantam pecuniam daret, unde ad arbitrium fratrum Templi CC. milites ad defenſionem terræ *Jeroſolomitanæ* per annum perquirerentur. Promiſit etiam quod licebit appellationes libere fieri, & quod conſuetudines quæ ſuis temporibus contra libertatem eccleſiæ fuerant introductæ revocabuntur in irritum, & quod poſſeſſiones *Cant.* eccleſiæ quæ poſt egreſſum ſanctæ recordationis archiepiſcopi *Thomæ* fuerant ei ablatæ reſtituerentur in integrum. Et clericis & laicis utriuſque ſexus qui pro archiepiſcopo *Thoma* de regno exierant, cum pace regis libere redire licebit & bona ſua recipere. Et hoc totum promittere & facere ex parte domini papæ regi injunctum eſt in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum. Rex filius regis idem quod pater ſuus juraverat & promiſerat juravit & promiſit.

Canonizatio ſancti Thomæ *martyris.*

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis & dilectis filiis eccleſiarum Prælatis & univerſo clero per *Angliam* conſtituto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Redolet *Anglia* fragrantia & virtute ſignorum quæ per merita illius ſancti & reverendi viri *Thomæ* quondam *Cantuarienſis* archiepiſcopi Dominus operatur, et univerſa lætatur ubique fidelium Chriſtiana religio, pro eo quod ille qui eſt mirabilis et glorioſus in ſanctis ſanctum ſuum poſt mortem clarificavit. Cujus vita mirabilis multa fulſit gloria meritorum, et tandem conſummata eſt martyrio certaminis glorioſi. Quamvis autem de ſanctitate ipſius dubitare non poſſit, qui ejus vitam et laudabilem converſationem attendit et glorioſam conſiderat paſſionem, voluit tamen ſalvator et redemptor noſter ejus ſanctitatis inſignia poſt mortem ſuam magnificis irradiare miraculis, ut qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis conſtantia neceſſitates et pericula pertulit, ſui laboris et certaminis in æterna beatitudine cognoſcatur ab omnibus ſuſcepiſſe triumphum. Nos autem auditis innumeris et magnis miraculis, quæ jugiter per ſancti viri illius merita fieri univerſitas narrat fidelium, et ſuper his non ſine magno gaudio per dilectos filios noſtros *Albertum* ſancti *Laurentii* in *Lucina*, et *Teodinum* tituli ſancti Vitalis presbyteros Cardinales Apoſtolicæ ſedis legatos, qui eadem miracula tanto perſpicacius didicerunt, quanto amplius ſunt loco vicini, præcipue certiores effecti, et plurium aliarum perſonarum teſtimonio fidem ſicut debuimus adhibentes, prædictum archiepiſcopum ſolenniter in eccleſia magno ibidem clericorum et laicorum collegio præſente, in capite Jejunii, deliberato fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, ipſumque decrevimus ſanctorum cathalogo aſcribendum. Univerſitatem itaque veſtram monemus, et auctoritate qua fungimur diſtricte vobis præcipimus, ut natale prædicti glorioſi martyris die paſſionis ſuæ ſolenniter annis ſingulis celebretis, et apud ipſum votivis orationibus ſatagatis veniam peccatorum promereri, ut qui pro Chriſto in vita exilium et in morte virtutis conſtantia paſſionis martyrium pertulit, fidelium jugi ſupplicatione pulſatus pro nobis apud Dominum intercedat.

Majores regni Francorum *quam affectionem habuerint erga beatum* Thomam *archiepiſcopum* Cantuarienſem *dum viveret, eodem canonizato ſolenniter oſtendere decreverunt,* Cantuariam *venientes nomine peregrinationis aſſumpto.*

Willelmus Remenſis archiepiſcopus venit in *Angliam* ſancto *Thoma* martyri vota ſoluturus orationum. An. Dñi 1178.

Ludovicus rex *Francorum* orationum vota ſancto *Thoma* perſolvit, cui per iiij. annos neceſſaria miniſtravit *Senonis* apud ſanctam *Columbam*, per triduum moram faciens *Cantuaria*. 1179.

Johannes Lugdunenſis archiepiſcopus venit in *Angliam*, & cum ſumma devotione, cum ſumma veneratione vota ſolvit orationum ſancto *Thoma* martyri. 1194.

Poſt paſſionem ſancti *Thoma* martyris antequam ejus canonizatio perveniſſet ad regem, rex intravit *Hyberniam*, ubi moram aliquandiu faciens et ſuam in populos dominationem extendens, non ab *Anglia* regno, non à *Normannia*, non à minore *Britannia*, non ab *Andegavia*, non à *Pictavia* xx. continuis ebdomadibus audivit rumores, et quia ventus contrarius plurimum adverſabatur audire non potuit aliqua ratione. 1172.

FINIS.

CHRONICON
JOHANNIS BROMTON
Abbatis Jornalenſis

Ab Anno Domini 588. quo S. *Auguſtinus* venit in *Angliam*
uſque mortem Regis *Ricardi* I. ſcilicet
Annum Domini 1198.

Nunc primum editum ex MSS. codicibus fideliter collatis.

JORALANENSIS HISTORIA

à Johanne Brompton Abbate *Jornalenſi conſcripta.*

POſtquam contigit *Britones* modo *Wallicos*, à quodam duce eorum *Guallone*, ſive à *Galaes* Reginula ſic vocatos, (qui anno Domini centeſimo ſexageſimo ſecundo, tempore *Lucii* regis tocius *Britanniæ*, qui eccleſiam *Weſtmonaſterii* primo conſtruxit, per religioſos doctores *Faganum* & *Duvianum* monachos ab *Eleutherio* Papa ad prædicandum eis miſſos, ad fidem Chriſti, quæ nunquam poſtmodum in toto inter eos defecerat, converſi fuerant, loco xxviij. Pontificum ydolorum quos *Flamines* vocaverunt, & trium archiflaminum tunc temporis in *Britannia* exiſtentium, tot epiſcopis catholicis & archiepiſcopis ordinatis, cum eorum archipræſulibus *Theono* videlicet *Lundonienſi* & *Thadioceo Eboracenſi*, eccleſiis omnibus eis ſubjectis uſque ad humum deſtructis,) per infideles regulos & paganos de genere *Saxonum*, à regno *Britanniæ* quod à *Bruto* uſque ad *Cadwaladrum* duobus milibus & ſeptuaginta ſex annis ſub centum duobus regibus duraverat, expelli, & ad partes *Cambriæ* ſive *Walliæ* fugari: miſſus eſt beatus *Auguſtinus Anglorum* doctor, & cum eo plures alii viri religioſi à beato *Gregorio* Papa & doctore eccleſiæ in *Britanniam*; ut dictis regulis & populo *Anglorum* pagano eis ſubjecto, (qui *Saxones* vocabantur,) ſanctum Dei evangelium prædicarent: qui *Saxones* poſt *Cadwaladrum* regem *Britonum*, *Britonibus* ſuis ut dictum eſt expulſis, per multos annos cum tribus vel quatuor regibus *Danorum*, uſque ad regem *Willelmum* Baſtard conqueſtorem tocius *Angliæ* regnaverunt. Et quia *Galfridus Monemutenſis* ſuperius in libro de geſtis *Britonum* vulgariter dicto *le Brut*, per ipſum de *Britannico* ſermone in *Latinum* tranſlato, modum adventus ipſius *Auguſtini*, qui tempore *Edelberti* regis *Cantiæ* genti *Anglorum* cum ſociis ſuis prædicaturus advenit, non ad plenum memoriæ mandavit, Ideo primo de cauſa devotionis, quam dictus Papa *Gregorius* erga populum *Anglorum* geſſit, cujus gratia ipſum *Auguſtinum* ad eos miſit; Et poſtmodum de ipſius *Auguſtini* & ſociorum ſuorum adventu, & quo anno Domini, ac converſione dicti regis *Edelberti*, & quorundam aliorum regulorum; ac eciam de aliis per ipſum *Auguſtinum* & quoſdam ſocios ſuos geſtis, de quibus ut videtur ipſe *Galfridus* ſcribere non curavit; Et eciam qualiter regnum *Angliæ*, aliquando inter ſeptem reges, aliquando inter quinque diviſum, circa tempus regis *Adelſtani*, ſub regimine unius ultimo devenit; Et poſtmodum de ipſo rege *Adelſtano*, & ejus ſucceſſoribus tam *Danis* & *Anglis*, quam *Normannis*, uſque ad regem *Edwardum* primum poſt conqueſtum, filium regis *Henrici* filii regis *Johannis*, hunc libellum, licet non plenarie de temporibus dictorum regulorum & eorum geſtis pro defectu librorum certiorari potui, ad meum tamen proprium ſolatium, & aliorum, geſta regum ſcire volentium, non meo ingenio nec opere ſed aliqualiter labore, prout in diverſis libris & cronicis reperi in ſcriptis, manu propria compilavi.

De cauſa devotionis quam beatus Gregorius *Papa erga populum* Anglicanum *habuit, cujus gratia beatum* Auguſtinum *in* Britanniam *miſit, primo reſtat (ut ſuperius in prologo promiſi) aliquid enarrare.*

BEatus *Gregorius* urbe *Romana* ſenatoria ſtirpe progenitus, cujus pater *Gordianus*, mater vero *Silvia* dicebantur, cum poſt obitum patris diſponendarum rerum ſuarum liberam haberet facultatem, ſex monaſteria in *Sicilia* conſtruxit: ſeptimum vero intra mœnia *Romanæ* urbis ſub honore ſancti *Andreæ* Apoſtoli in proprio domate fabricavit. In quo relictis indumentis ſericis auro gemmiſque radiantibus, in quibus ſub *Urbano* prætore mundo ſeptem annis deſervierat, vili monaſtico habitu tegebatur. Et quadam die dum beatus *Gregorius* per forum urbis *Romanæ* tranſivit, invenit quoſdam pueros forma pulcherrimos, vultu venuſtos, capillorum nitore perſpicuos eſſe venales. Interrogat igitur mercatorem, de qua illos patria attuliſſet. Qui reſpondit; De *Britannia*, cujus incolæ ſimili candore refulgent. Interrogat iterum ſi Chriſtiani ſunt. Cui mercator, Non, ſet Paganis erroribus implicati tenentur. Tunc *Gregorius* intimo corde longa trahens ſuſpiria ait, Heu pro dolor, quod tam lucidi vultus homines auctor nunc poſſidet tenebrarum! Interrogabat inſuper quod eſſet vocabulum gentis illius. Cui ille, *Anglici* vocantur. Bene inquit *Anglici*, quia *Angelicos* vultus habent. Rurſum interrogavit quod nomen haberet ipſa provincia. Ait mercator, Provinciales illi *Deiri* vocantur. Et *Gregorius*, Bene, inquit, *Deiri*, quia *de ira* Dei ſunt eruendi. Tunc de nomine regis interrogat. Ait mercator, quod *Elle* diceretur. At *Gregorius* ad nomen alludens ait, Bene *Elle*, qui *alleluia* in partibus illis decantari oportet. Qui mox ad ſummum accedens pontificem, cum multa inſtantia & precibus vix optinuit, ut ad illos convertendos in *Britanniam* mitteretur. Cumque jam iter cum aliis ſociis arripuiſſet, *Romani* de ejus abſentia plurimum perturbati Papam adeunt, & eum taliter alloquuntur. *Petrum* offendiſti, *Romam* deſtruxiſti, quia *Gregorium* dimiſiſti. Sicque Papa perterritus ad eum revocandum continuo nuncios deſtinavit. Cum *Gregorius* jam trium dierum iter peregiſſet, & in quodam prato divertens quadam cæteris quieſcentibus lectitaret, locuſta ſuperveniens quam percurrebat paginæ ſaltum dedit, eumque à legendo quieſcere ſic coegit. Tunc ille ex conſideratione ſui nominis, ait, *Locuſta* hæc dici poteſt quaſi *Loco ſta*. Quod ſpiritu prophetico dicens, ſtatim comites adhortatur velocius proficiſci. Sed ſupervenientibus apoſtolicis nunciis redire compellitur, licet de hoc plurimum triſtaretur. Tunc Papa ipſum à monaſterio ſuo abſtraxit, & ſuum diaconum Cardinalem ordinavit, ac ipſum poſtea in *Conſtantinopolim* Apocriſarium direxit, ubi hortatu *Leandri Hiſpalienſis* epiſcopi *Moralia Job* inchoavit, quæ poſtmodum factus Papa perfecit.

Et circa idem tempus idem *Gregorius Euticium Conſtantinopolitanum* epiſcopum *Tiberio* præſente ſuper hæreſi devicit. Scribebat autem *Euticius* corpus noſtrum in reſurrectione impalpabile, & ventis aerique ſubtilius eſſe futurum, contra illud Dominicum *Palpate*, &c. Quodam tempore contigit quod *Tiberis* fluvius alveum ſuum egreſſus in tantum excrevit, ut ſuper muros urbis influeret, & plurimas domos everteret. Tunc eciam per *Tiberim* fluvium multitudo ſerpentium, cum dracone magno in modum trabis validæ in mare deſcendit. Qui à fluctibus præfocati, & ad litus projecti totum aerem ſua putredine corruperunt. Unde eveſtigio plaga peſſima quam *Inguinariam* vocant ſecuta eſt. Ita eciam ut corporali viſu ſagittæ cœlitus venire, & ſingulos quoſque percutere viderentur: & primo omnium *Pelagium* Papam perculit; & ſine mora extinxit. Poſtmodum vero in reliquum vulgus ita deſævit, ut ſubtractis habitatoribus domos plurimas in urbe vacuas relinqueret. Sed quia eccleſia Dei ſine rectore eſſe non poterat, *Gregorium*, licet totis viribus renitentem, plebs omnis elegit. Cum ergo benedici deberet, & lues populum devaſtaret, ſermonem ad populum fecit, proceſſionem & letanias cantandas inſtituit, & ut omnes Deum attentius orarent admonuit. Cum ergo Deum omnis congregatus exoraret, in tantum lues ipſa deſævit, ut in una hora octoginta homines ſpiritum exalarent. Sed nequaquam ceſſavit populum admonere, ut ab oratione nunquam deſiſterent, donec peſtem ipſam divina miſeratio propulſaret. Finita proceſſione fugere voluit, ſed nequivit, quia die nocteque portas urbis propter eum vigiles obſervabant. Tandem mutato habitu à quibuſdam mercatoribus optinuit, ut in quodam dolio ſuper quadrigam de urbe abducerent. Qui mox ſilvas expetiit, cavernarum latibula requiſivit, & diebus latuit ibi tribus, verumtamen dum ſolicite quæreretur, columna lucis perfulgida à cœlo dependens ſuper locum in quo latitabat apparuit. In qua columpna angelos aſcendentes & deſcendentes quidam recluſus aſpexit. Moxque ſub univerſo populo capitur, trahitur, & ſummus Pontifex conſecratur.

Et quia adhuc *Romam* peſtis prædicta vaſtabat more ſolito, per proceſſionem cum letania ſeptiformi quodam Paſchali tempore placare inſtituit iram Dei. Septiformis autem ideo dicta eſt, quia in primo choro fuit omnis clerus. In 2°. Abbates cum monachis. In 3°. Abbatiſſæ cum omnibus congregationibus ſuis. In 4°. omnes infantes. In 5°. omnes laici. In 6°. omnes viduæ. In ſeptimo omnes conjugatæ. Et ante iſtam proceſſionem ymaginem beatæ *Mariæ* ſemper virginis, quæ eſt ut aiunt adhuc *Romæ*, quam *Lucas* arte medicus & pictor egregius formaſſe dicitur, & eidem virgini ſimilima per omnia perhibetur, cum omni fecit reverentia deportari. Et ecce tota aeris infectio & turbulentia ymagini cedebat, ac ſi ipſam ymaginem fugeret & ejus præſentiam ferre non poſſet. Sed poſt ymaginem mira ſerenitas, & aeris puritas remanebat. Tunc in aere ut fertur juxta ymaginem auditæ ſunt voces angelorum canentium; *Regina cœli lætare, alleluya, quia quem meruiſti portare, alleluya, reſurrexit, ſicut dixit, alleluya*. Et quia illa hora beatus *Gregorius* vidit ſuper caſtrum Incerſcii angelum Domini, qui gladium cruentatum manu ſua tenebat, quod in dicto angelorum cantu canitur, adjunxit, dicens, *Ora pro nobis Deum, alleluya*. Et ſtatim angelus gladium detergens in vaginam revocabat, & ſic peſtis illa ceſſavit: unde & canticum illud *Canticum angeli* deinceps vocatum eſt. Hic Papa *Gregorius* eccleſiis *Romanæ* urbis in remiſſionem peccatorum humani generis, ſingulis diebus xl. ſtatuit fieri ſtationes devotioni fidelium celebrandas. Et ne erroris antiqui ſemen de cætero pullularet, ymaginibus dæmonum capita & membra fecit generaliter amputari, ut per hoc extirpata radice hæreticæ pravitatis palma eccleſiaſticæ veritatis plenius exaltaretur, & addit in miſſa, *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*: Et ſupra corpora Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, à Papa ſive à Cardinalibus fecit jugiter celebrari. Et cum apud ſanctam *Mariam* majorem in die Paſchæ miſſam celebraret, & *Pax Domini* pronunciaret, angelus Domini alta voce reſpondit, *Et cum ſpiritu tuo*; unde Papa apud eccleſiam in die Paſchæ, quando ſtationem facit non ſibi cum dicit *Pax domini*, in hujus miraculi teſtimonium reſpondetur. Tempore hujus Papæ *Gregorii Mauricius* Imperator ſanxit, ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ad eccleſiaſticum officium ei venire non liceat, nec in monaſterium converti. Quam conſtitutionem Papa *Gregorius* vehementer expavens, Imperatori ſcripſit in hæc verba. *Dicit tibi Deus, Ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite Cæſarem, de Cæſare non ſolum Imperatorem, ſed eciam patrem Imperatorum feci, Sacerdotes meos tuis manibus commiſi, Tuque milites tuos à ſervicio meo ſubtrahis, &c.* Iſte tandem *Gregorius Auguſtinum*, & alios cum eo Religioſos in *Angliam* miſit, qui eos ſuis precibus & meritis (ut inferius patebit) ad fidem convertit.

ANnō gratiæ quingenteſimo octogeſimo octavo *Mauricio* imperante, quarto decimo anno Imperii ſui, qui quinquageſimus quartus ab *Auguſto* imperavit, miſit ſervus Dei *Gregorius Auguſtinum*, et alios plures cum eo monachos prædicaturos in *Angliam*, anno adventus *Anglorum* in *Britanniam* circiter centeſimo quinquageſimo. Qui juſſis pontificalibus obtemperantes, cum *Angliam* apropinquarent, horrore maximo in mirum percuſſi, redire domum pocius, quam adeo feram gentem cujus nec linguam noſcebant adire, cogitabant. Nec mora, *Auguſtinum* (quem epiſcopum ordinandum ſi ab *Anglis* ſuſciperentur Papa *Gregorius* diſpoſuerat) domum remittunt, qui à beato *Gregorio* humili ſupplicatu optineret, quod tam incertam peregrinationem adire non deberent. Quibus ille exhortatorias mittens litteras, eos in opus verbi Dei divino confiſos auxilio ſuadet proficiſci. Roborati igitur beati patris confirmatione *Britanniam* prædicatores perveniunt. Erant tunc in *Britannia*, ſic à *Bruto* rege dicta, ſive in *Anglia* ab *Angela* filia Ducis cujuſdam *Saxoniæ* ſic vocata, ſeptem reges, videlicet *Canciæ*, *Eſtſaxiæ*, *Eſtangliæ*, *Weſtſaxiæ*, *Merciæ*, *Northumbriæ*, et *Suthſaxiæ*, qui in ſeptem partibus *Angliæ*, per certas metas inter eos appoſitas regnaverunt.

REgnum vero *Canciæ* quod totam *Canciam* continebat, incepit ab *Anglis* et *Saxonibus*, quorum duces fuerunt *Hengiſtus* et *Horſa* fratres, quibus donatur *Thanatos*

Inſula ; unde poſt mortem *Hengiſti* primus rex qui ibi regnavit vocabatur *Oſca*, cui ſucceſſit *Otha*, cui ſucceſſit *Hirmericus*, cui ſucceſſit filius ſuus *Ethelbertus*, qui primo & vicinis regibus ridiculoſe pulſabatur. Sed poſt conſulcius agens, in brevi victor effectus : quoſdam alios *Anglia* regulos, in tantum ſubmiſit quod uſq; ad flumen de *Humbre*, quo meridiani & ſeptentrionales *Anglorum* populi dirimuntur, fines ſui imperii extendebat. Tempore autem iſtius *Ethelberti* regis *Cancia*, in *Thanatos* Inſula, quæ ad orientalem *Cantia* plagam ſita eſt, ſervus Dei *Auguſtinus* & ejus ſocii applicarunt, viri ut ferunt ferme xl. Miſſis interpretibus regi *Ethelberto* prædicto *Auguſtinus* mandavit, ſe de *Roma* veniſſe ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo vivo & vero futurum ſine ulla dubietate promiſit. Rex vero hæc audiens, manere illos in ea quam adierant inſula, & eis neceſſaria miniſtrari juſſit, donec videret quid de illis facere juſtum eſſet. Nam & antea fama Chriſtianæ religionis ad eum pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Chriſtianam de gente *Francorum* reginam vocabulo *Berte*, quam ea conditione à parentibus acceperat, ut ritum fidei & religionis ſuæ, cum epiſcopo quem ei adjutorem dederant nomine *Ledbardo*, inviolatum haberet licenciam obſervare. Poſt dies vero paucos venit ad inſulam rex, & reſidens ſub divo, juſſit *Auguſtinum* cum ſuis ſociis ad ſuum ibidem venire colloquium. Noluit enim eos ad ſe in aliquam domum introire, ne veteri uſi augurio in ſuperventu ſuo aliquid maleficæ artis habuiſſent, ut ſic eum prædicando deciperent. At illi non dæmoniaca ſed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & ymaginem Domini Salvatoris in tabulis depictam, letaniaſque cantantes pro ſua ſimul, & eorum propter quos, & ad quos venerant ſalute æterna Domino ſupplicabant. Cumque *Auguſtinus* ad juſſionem regis reſidens verbum ei vitæ una cum omnibus qui aderant ei comitibus prædicaret, Reſpondit rex ille dicens. Pulcra ſunt quidem verba & promiſſa quæ affertis ; ſed quia nova ſunt et incerta ſtatim aſſenſum tribuere non hiis poſſum, relictis eis quæ tanto tempore cum omni gente *Anglorum* ſervavi. Verum quia de longe huc peregrini veniſtis, et ea quæ vera et optima, ut intelligitis nobis communicare deſideraſtis, nolumus vobis moleſti eſſe, quin pocius benigno vos hoſpicio recipere curamus, et quæ victui veſtro ſunt neceſſaria miniſtrare, nec prohibemus quin omnes quos poteſtis fidei veſtræ religionis prædicando ſocietis. Dedit ergo eis manſionem in civitate *Dorobernenſi*, quæ imperii ſui tocius erat metropolis, eiſque ut promiſerat cum adminiſtratione victus temporalis liberam dedit licentiam prædicandi. Fertur autem apropinquantes civitati more ſuo cum cruce et ymagine magni regis Domini noſtri Iheſu Chriſti, hanc letaniam conſona voce modularentur. *Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate iſta, & de domo tua ſancta, quam prædicavimus. Alleluya.*

Ingreſſi igitur urbem vitam Apoſtolicam primitivæ eccleſiæ imitantes, converſatione cœleſti et dulcedine doctrinæ multos ad fidem et baptiſmi lavacrum converterunt. Baptiſabant autem miſſaſque celebrabant in eccleſia ſancti *Martini* ad orientem ipſius civitatis, facta antiquitus à *Britannis*, in qua regina prædicta conſueverat adorare, et ubi rex inter alia delectatus vita mundiſſima ſanctorum, et oſtenſione miraculorum ad fidem converſus, in ſanctæ Trinitatis nomine et fide eccleſiæ baptizatur. Tunc cœperunt innumeri Chriſti eccleſiæ uniri, quos quidem rex arcius diligebat, nullum tamen ad fidem cogere volebat. Didicerat enim à ſuæ ſalutis prædicatoribus ſervicium Chriſti voluntarium, et non coactum eſſe debere. Locum vero ſedis epiſcopalis congruum poſſeſſioneſque varias offerre Chriſti famulis non tardabat. Pergens igitur vir Dei *Auguſtinus Arelas*, et ibi ab archiepiſcopo ejuſdem civitatis *Etherto* juxta præceptum Papæ archiepiſcopus ordinatus, in *Britanniam* reverſus eſt. Miſitque *Laurencium* presbiterum *Roma* per quem rem geſtam ſummo pontifici mandavit et gerenda, novem quæſtionibus conſuluit. Contra quas Papæ ſcripta recepit, quæ quia prolixa ſunt, in Decretis vel Canonibus lector quærat et inveniet. Miſit Papa *Gregorius Auguſtino* epiſcopo tunc tempore illo ab urbe *Romana* verbi Dei cooperatores & miniſtros plures. In quibus primi & præcipui erant *Mellitus*, *Juſtus*, *Paulinus* & *Ruffinianus*. Miſit eciam per eos vaſa & indumenta, codices & ornamenta eccleſiis neceſſaria. Miſit eciam literas, quarum iſte eſt textus.

Reverentiſſimo & ſanctiſſimo fratri Auguſtino *coepiſcopo* Gregorius *ſervus ſervorum Dei.*

Cum certum ſit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regis præmia reſervari, nobis tamen eis neceſſe eſt bonorum beneficia tribuere, ut in ſpiritualis operis ſtudio ex remuneratione valeant multiplicius inſudare. Et quia nova *Anglorum* eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam eodem domino largiente, & te laborante perducta eſt, uſum tibi pallii in ea, ad ſola miſſarum ſollempnia agenda concedimus, ita ut per loca ſingula xij. epiſcopos ordines qui tuæ ſubjaceant ditioni, quatinus *Lundonienſis* civitatis epiſcopus ſemper impoſterum à Sinodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium à ſancta & Apoſtolica, cui Deo auctore deſervio, ſede percipiat. Ad *Eboracam* vero civitatem volumus epiſcopum mittere quem ipſe judicaveris ordinare. Ita duntaxat ut ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque xij. epiſcopos ordinet & Metropolitani perfruatur honore, Cui quoque ſi vita comes fuerit pallium tribuere Domino favente diſponimus, quem tamen tuæ fraternitatis diſpoſitioni volumus ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita epiſcopis quos ordinaverit præſit, ut *Lundonienſis* epiſcopi nullo modo jaceat ditioni. Sit vero inter *Lundonia* & *Eboraca* civitatis epiſcopos impoſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Communi conſilio & cordis actione quæque ſunt pro proximi zelo agenda diſponant unanimiter, recte ſentiant, & ea quæ ſenſerint non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua vero fraternitas non ſolum epiſcopos quos ordinaveris, neque hos tantummodo qui per *Eboracenſem* epiſcopum fuerint ordinati, ſed eciam omnes *Britannie* ſacerdotes habeat domino noſtro Jheſu Chriſto ſubjectos, quatinus ex lingua & tuæ vitæ ſanctitate, & recte credendi, & bene vivendi formam percipiant ; atque officium ſuum fide ac moribus exequentes, ad cœleſtia cum Dominus voluerit regna pertingant. Deus te incolumem cuſtodiat reverentiſſime frater. Data die decimo kalendarum Juliarum imperante domino noſtro *Mauricio Tiberio* piiſſimo Auguſto anno ſeptimo decimo.

Ecce per iſtas litteras intelligi poteſt quantæ humilitatis iſte papa *Gregorius* exſtitit, qui cum eſſet ſummus pontifex & dominus orbis imperatorem Dominum ſuum vocabat, & primus omnium pontificum ſe *ſervum ſervorum Dei* in litteris ſuis ſcripſit. Cum autem legati prædicti *Britanniam* peterent, dominus papa *Gregorius* poſt eos literas deſtinavit. In quibus quam ſtudioſus erga ſalutem gentis noſtræ fuit aperte demonſtrat, ita ſcribens.

Dilectiſſimo filio Mellito *abbati* Gregorius
ſervus ſervorum Dei.

POſt diſceſſionem congregationis noſtræ quæ tecum eſt valde ſumus ſuſpenſi redditi, quia nichil de proſperitate veſtri muneris audiſſe nos contigit. Cum ergo Dominus omnipotens vos ad reverentiſſimum virum fratrem noſtrum *Auguſtinum* epiſcopum perduxerit, dicite ei, quod diu mecum de cauſa *Anglorum* cogitans tractavi, videlicet quod phana ydolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa quæ in eis ſunt idola deſtruantur; aqua benedicta fiat & eiſdem phanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliqua componantur; quia ſi phana eadem bene conſtructa ſint, neceſſe eſt ut à cultu dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari, ut dum gens ipſa eadem phana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Dominum cognoſcens verum & adorans, ad loca quæ conſuevit familiarius currat. Et quia boves ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet eis eciam hærere, & aliqua ſolempnitas immutari. Et die dedicationis vel nataliciis ſanctorum martirum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem eccleſias quæ de phanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciat, & religionis encenniis ſolempnitatem celebret, nec diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant, & dum eis aliqua ſic exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia facilius valeant conſentire: nam diris mentibus ſimul omnia abcidere impoſſibile eſſe non eſt dubium; quia & is qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus elevatur. Sic *Iſraelitico* populo in *Ægypto* dominus ſiquidem innotuit, ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quæ diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſervavit, ut eis in ſuo ſacrificio animalia immolare præciperet, quatinus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud renovarent, ut ſi ipſa eſſent animalia quæ conſueverant immolare, vero tamen Deo hæc & non ydolis immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri noſtro neceſſe eſt dicere, ut ipſe in præſenti illic poſitus perpendat, qualiter omnia debeat diſpenſare. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime fili. Dat. die xv. kal. Julii, imperante domino noſtro *Mauricio Tiberio* piiſſimo Auguſto anno xix. poſt conſulatum ejuſdem domini noſtri anno xviij. indictione quarta.

Auguſtino etiam ſuper miraculis ſuis miſit epiſtolam ne in eis extolleretur, hiis verbis.

SCio, frater kariſſime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente quam eligi voluit miracula oſtendit, unde neceſſe eſt de eodem dono cœleſti ut timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas videlicet quia Anglorum *animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimeſcas vero ne inter ſigna quæ fiunt infirmus animus præſumptione ſe elevet, & unde foras in honorem tollitur inde per inanem gloriam intus cadat. Meminiſſe etiam debemus quia diſcipuli cum gaudio redeuntes à prædicatione dum cœleſti magiſtro dicerent*, Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubjecta ſunt, *protinus audierunt*, Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *In privata enim & temporali lætitia mentem poſuerant qui de miraculis gaudebant, ſed de privata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur, quibus dicitur:* In hoc gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *Non enim omnes electi miracula faciunt, & tamen eorum nomina in cœlo tenentur aſſcripta. Verum etenim diſcipulis eſſe gaudendum non debet, niſi de eo bono quod continue cum omnibus habent, & in quo finem lætitia non habent. Reſtat itaque, frater kariſſime, ut inter ea quæ operante Domino exterius facis, ſemper te interius ſubtiliter judices ac ſubtiliter intelligas, & temetipſum quis ſis, & quanta ſit in eadem gente gratia pro cujus converſione etiam faciendorum dona percepiſti ſignorum: & ſi quando te creatori noſtro ſeu per linguam, ſive per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hoc ad memoriam revoces, ut ſurgentis cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis ſignis acceperis vel accepiſti, hæc non tibi ſed illis putes donata pro quorum tibi ſalute collata ſunt.*

Ethelberto quoque papa *Gregorius* dona in diverſis ſpeciebus, ut temporalibus donis extolleret quem gratiæ cœleſtis muneribus conſignaverat, miſit, ſimul & epiſtolam in hæc verba.

Domino glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo filio
Ethelberto regi *Anglorum Gregorius* epiſc &c.

PRopter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint dona pietatis ſuæ impendat. Quod Anglorum *genti factum cognovimus, cui veſtra gloria idcirco eſt præpoſita, ut per bona quæ vobis conceſſa ſunt, ſubjecta etiam vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo glorioſe fili, eam quam accepiſti divinitus gratiam ſolita mente cuſtodi, Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum converſione multiplica, ydolorum cultus perſequere, phanorum ædificia everte, ſubditorum mores ex magna vitæ mundicia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando ædifica, ut illum retributorem invenias in cœlo cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra: ipſe enim veſtræ quoque gloriæ nomen poſteris glorioſum reddet, cujus vos honorem quæritis, & ſervatis in gentibus. Sic etenim* Conſtantinus *quondam piiſſimus imperator* Romanus, *rempublicam à perverſis ydolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo & domino noſtro Jheſu Chriſto ſe cum ſubditis populis tota ad eum mente convertit; unde factum eſt, ut antiquorum princi-*

pum nomen & ſuis vir laudibus vinceret, & tanto in opinione quanto in bono opere ſuperaret prædeceſſores ſuos. Et nunc itaque veſtra gloria cognitionem unius Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti regibus ac ſibimet ſubjectis feſtinet infundere, ut & antiquos gentis ſuæ reges laudibus ac meritis transferat; & quanto in ſubjectis ſuis etiam aliena peccata deterſerit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reverentiſſimus frater noſter Auguſtinus *epiſcopus monaſterii regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet libenter audite, devote peragite, ſtudioſe in memoria reſervate, quia ſi vos eum in eo quod pro omnipotente Deo loquitur audieritis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si vero, quod abſit, verba ejus poſtponitis, qualiter eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei ſtringite, atque niſum illius virtute quam vobis divinitas tribuit adjuvate, ut regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cujus vos fidem in regno veſtro recipi feceritis & cuſtodiri. Præterea ſcire gloriam veſtram volumus, quia ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis Dei omnipotentis agnoſcimus, præſentis mundi terminus jam juxta eſt, ſanctorum regnum venturum eſt quod nullo unquam fine poterit terminari. Apropinquante mundi eodem termino multa imminent quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroreſque de cœlo, & contra ordinationem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræ motus per loca, quæ tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur. Vos itaque ſi qua ex hiis venire in veſtra terra cognoſcitis, nullo modo veſtram animam perturbetis, quia idcirco hæc ſigna de fine ſeculi præmittuntur, ut de animabus veſtris debeamus eſſe ſolliciti, de mortis hora ſuſpecti, ut venturo judicio inveniamur in bonis eccleſiæ actibus præparati. Hæc nunc, glorioſe fili, pauca locutus ſum, ut cum Chriſtiana fides in regno veſtro excreverit, noſtra quoque apud vos locutio latior excreſcat, & tanto plus loqui libeat quanto ſe in mente noſtra gaudia de gentis veſtræ perfecta converſione multiplicant. Parva exennia tranſmiſi, quæ vobis parva non erunt cum à nobis ex beati* Petri *apoſtoli benedictione fuerint ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam quam cœpit perficiat, atque vitam veſtram hic per multorum annorum curricula extendat. & poſt longa tempora in cœleſtis vos patriæ congregatione ſuſcipiat. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Dat. die xv. kal. Julii, imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſſimo* Auguſto *anno xix. poſt conſulatum ejuſdem domini anno xviij. indictione iiij.*

Auguſtinus autem in regia civitate eccleſiam ſuam quam olim fideles *Romani* conſtruxerant, in ſedem ſibi & ſucceſſoribus ſuis, in honorem Salvatoris conſecravit. Rex vero eccleſiam *Petri* & *Pauli* ad orientem civitatis conſtruxit & ditavit, in qua archiepiſcoporum & regum *Cantiæ* corpora poni poſſint; cujus primus abbas *Petrus* presbiter fuit, qui legatus in *Galliam* miſſus dimerſus eſt in ſinu maris qui vocatur *Amfleot*, & ab incolis loci ignobili traditur ſepulturæ. Sed omnipotens Deus ut qualis meriti fuit demonſtraret, omni nocte ſuper ſepulcrum ejus lux cœleſtis apparuit, donec animadvertentes vicini qui videbant ſanctum fuiſſe virum qui ibi eſſet ſepultus, & inveſtigantes unde vel quis eſſet, corpus abſtulerunt, & in *Bononiæ* civitate juxta honorem tanto viro congruum in eccleſia poſuerunt. *Auguſtinus* autem *Juſtum* in *Cantia* epiſcopum in civitate quam *Anglici* à quodam principe nomine *Rof* vocant *Rouceſtriam* ordinavit; in qua rex *Ethelbertus* apoſtoli *Andreæ* eccleſiam fecit, factamque territoriis & poſſeſſionibus ampliavit.

Sexcenteſimo gratiæ anno tranſacto magnus papa *Gregorius* cum ſediſſet annis xiij. menſibus vj. & diebus x. & omelias numero xl. compoſuiſſet, Regiſtrum paſtoralem & *Job* & *Ezechielem* expoſuit; plenus bonis operibus ab hoc ſeculo ad cœli gloriam emigravit, & in eccleſia beatorum *Petri* & *Pauli* ante ſecretarium ſepelitur, ubi Epitaphium hujuſmodi invenitur.

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus aſtra petit, læti nil jura nocebunt,
Cui vita alterius mors magis ipſa via eſt.
Pontificis ſummi clauduntur membra ſepulcro,
Qui tamen innumeris vivit ubique bonis.
Anglos *ad Chriſtum vertit pietate magiſtra,*
Multiplicans fidei ſemina gente nova.
Sic conſul Domini factus lætare Gregori,
Jamque triumphalis jam tibi laurus adeſt.

Et licet iſte papa *Gregorius* vita & ſcientia fuerit præclarus, multos tamen & maxime poſt mortem habuit detractores. Nam poſt mortem ſuam totam regionem maxima fames invaſit, unde pauperes quos liberaliter *Gregorius* paſcere ſolebat, ad ſucceſſorem ſuum venientes, dicebant, Domine, quos patet noſter *Gregorius* ſolebat paſcere, tua ſanctitas fame non ſinat perire. Quibus verbis papa indignatus ſemper taliter reſpondebat. Si *Gregorius* ad famam ſuæ laudis cunctos populos curavit ſuſcipere, nos autem vos non poſſumus paſcere: ſic ſemper eos vacuos remittebat. Unde ſanctus *Gregorius* ter ei apparuit, & ter blande de ſua tenacia & detraxione ſine detractione corripuit. Sed ille de nullo ſe emendare curavit; unde illi quarto apparens terribiliter eum corripuit & redarguit, & in capite letaliter percuſſit, cujus dolore vexatus in brevi vitam finivit. Dum autem adhuc prædicta fames inſtaret quidam *Gregorio* cœperunt detrahere, aſſerentes quod totum theſaurum eccleſiæ tanquam vir prodigus conſumpſiſſet, unde ob hujus vindictam ad ſuos libros comburendos cæterorum animos inclinarunt. Quorum dum quoſdam combuſſiſſent, & cæteros comburere vellent, *Petrus* diaconus ejus familiariſſimus, cum quo quatuor dialogorum libros diſputaverat, traditur vehementiſſime reſtitiſſe, aſſerens hoc ad ejus delendam memoriam nil valere, cum in diverſis mundi partibus exemplaria tenerentur: adjungens inde, magnum ſacrilegium eſſe tot & tales libros tanti patris exurere, ſuper cujus caput ipſum ſpiritum ſanctum in ſimilitudine columbæ frequentiſſime perſpexiſſet. Tandem eos in hanc ſententiam adduxit, ut ſi illud quod dixerat jurejurando firmans mori continuo meruiſſet, ipſi à librorum exuſtione deſiſterent: ſi vero mori non meruiſſet, ſed ſuperſtes poſt ſuum teſtimonium extitiſſet, ipſi quoque combuſtoribus manus daret. Fertur enim *Gregorium* ſibi dixiſſe, quod ſi miraculum de viſione columbæ publicaret, poſt hoc vivere non valeret. Itaque cum apparatu diaconi Evangeliorum librum bajulans, venerabilis Levita *Petrus* adveniens, mox ut tactis ſacroſanctis Evangeliis *Gregorii* ſanctitati teſtimonium perhibuit, à dolore mortis extraneus ſpiritum inter verba veræ confeſſionis efflavit.

Circa idem tempus miſit *Auguſtinus* virum perfectum & probatum ſanctum *Mellitum* ad orientales *Saxones*, ut eis verbum vitæ prædicaret. Orientales autem *Saxones* quorum provincia dicitur **Eſſex**, per aquam *Thameſia* à *Cancia* dirimuntur, quorum metropolis eſt *Londonia*, multorum terra & mari venientium civitas & refugium populorum. Ibi tunc temporis *Sebertus* nepos dicti *Ethelberti* regis *Cancia* ſub eodem avunculo ſuo regnabat, quia omnibus, ut prædictum eſt, uſque ad *Humbram* tunc temporis imperabat. Re igitur bene proſperata, & rege *Seberto* cum populo ſuo ad fidem converſo, fecit rex *Ethelbertus* in *Londonia* eccleſiam beati *Pauli* ad ſedem epiſcopi, multis prædiis eam ditans, in qua idem *Mellitus* digne eſt pontifex conſtitutus. Eo tempore *Auguſtinus* adjutorio *Ethelberti* regis uſus, cum *Mellito* & *Juſto* epiſcopis, epiſcopos ſive doctores maximos & *Britonum* provinciæ ſacerdotes in loco qui uſque hodie lingua *Anglorum* **Auguſtinesak**, id eſt, quercus ſive robur *Auguſtini* appellatur, in confinio *Britonum* & occidentalium *Saxonum* ad ſuum colloquium convocavit. Cumque de celebratione Paſchæ contra *Scotos* & *Britones* certaret, & illi victiſſimæ rationi aſſentire nollent, aſſertionem ſuam ita per miraculum confirmavit: Cæco *Anglico* in communi adducto ad ſanandum ex conventione ad alterutræ partis confirmationem. Quem cum pontifices eorum curare non poſſent, *Auguſtinus* genua flectens coram omnibus, ad totius gentis veram ſuæ rationis oſtenſionem cæcum illico illuminavit. Tunc *Britanni* & *Scoti* inducias petentes, à quodam qui eis prudens & religioſus videbatur quid eſſet agendum conſilium pecierunt. Quibus ille dixit, Si ſervus Dei eſt aſſentite ei. At illi, Unde hoc poterimus dinoſcere? Tunc ille, Si mitis eſt & humilis corde ſervus eſt vere Dei. At illi, Quomodo humilis utrum ſit poterimus ſcire? Quibus ille, Si vobis aſſurrexerit humilis habeatur. Si autem cum plures numero ſitis vobis aſſurgere ſpreverit, & vos ſpernite illum. Cui igitur cum veniſſent, *Auguſtinus Romano* more in ſella reſidens, eis non aſſurrexit: unde illi objurgantes & diſcordes abierunt. Quibus *Auguſtinus* prædixit, Quod ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum forent cum hoſtibus accepturi, & ſi ſecum nationibus *Anglorum* viam vitæ prædicare dedignaſſent, per horum manus ultionem eſſent mortis paſſuri. Quod poſt mortem ſancti *Auguſtini*, ut prophetando eis prædixerat; tempore *Edelfridi* regis *Northanhumbrorum* qui eos debellavit, divino agente judicio per omnia poſtmodum eſt patratum. De quo inferius inter reges *Northumbriæ* planius eſt notatum.

Poſt *Auguſtinus* adhuc vivens *Laurencium* in archiepiſcopum *Doroberniæ* ſucceſſorem ſuum ordinavit, exemplo beati *Petri* qui beatum *Clementem* ſimili modo ſuum ordinaverat ſucceſſorem, ne ſe defuncto ſtatus eccleſiæ *Anglicanæ* tam rudis vel ad horam paſtore deſtitutus interim vacillaret. Et poſtquam Deo dilectus *Auguſtinus* in epiſcopatu ſuo xv. annis ſediſſet, in Domino obdormivit, qui juxta eccleſiam beatorum *Petri* & *Pauli*, quia necdum perfecta erat nec dedicata, eſt ſepultus. Sed cum poſtmodum dicta eccleſia à ſucceſſore ſuo *Laurentia* dedicata fuiſſet, in porticu ejus aquilonari decenter tranſlatus eſt, ubi archiepiſcoporum omnium corpora uſque ad *Theodorum* ſunt ſepulta; nam plura porticus capere nequiit. Scriptum vero eſt in tumba ſancti *Auguſtini* hujuſmodi Epithaphium. *Hic requieſcit dominus* Auguſtinus Dorobernenſis *archiepiſcopus, qui olim huc à beato* Gregorio Romanæ *urbis pontifice directus, et à Deo operatione miraculorum ſuffultus, ut* Ethelbertum *regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad Chriſti fidem perduxit, & completis in pace diebus officii ſui defunctus eſt vij. kalend. Junii eodem rege regnante.*

De iſto ſancto *Auguſtino* legitur, quod cum in comitatu *Oxonia*, in villa quæ dicitur **Cumpton** ad prædicandum ſemel veniſſet, acceſſit ad eum presbyter ejuſdem villæ, dicens, Pater ſciatis quod miles hujus fundi dominus ſæpe à me monitus non vult ex hiis quæ ſibi Deus dedit decimas perſolvere, & excommunicationis ſententiam ei comminatus magis eum repperi obſtinatum. Quod audiens S. *Auguſtinus* militi ad ſe vocato dixit, Quid hoc fili audio de te? Cur decimas tuas Deo & eccleſiæ non reddis? Neſcis quia decimæ non ſunt tuæ ſed Dei? Cui miles iratus reſpondit, Quis terram coluit aut ſeminavit? Nonne ego? Sciant omnes quia ejus erit decimus manipulus cujus ſunt & novem. Cui *Auguſtinus*, Noli fili ita loqui. Scias enim quod ſi juxta fidelium conſuetudinem non decimaveris, excommunicabo te. Et converſus ad altare ut celebraret, coram omni populo dixit, Præcipio ne aliquis excommunicatus miſſæ interſit. Quo dicto, in ipſo introitu eccleſiæ cadaver ſepultum ſe erigens cœmiteriumque egrediens, quamdiu ſanctus *Auguſtinus* miſſam celebravit inmobile ibi ſtabat. Quo viſo, fideles ibi præſentes fere extra ſe poſiti venientes ad beatum *Auguſtinum* referunt ei factum. Quibus ait, Nolite pavere. Sed crux cum aqua benedicta nos præcedat, et videamus quid hoc eſt. Præcedens autem *Auguſtinus* cum populo venit cum eis ad ingreſſum cœmiterii, videnſque cadaver dixit, Præcipio tibi in nomine Domini ut indices michi quis ſis. Cui reſpondit mortuus, Cum ex parte Dei juberes ne aliquis excommunicatus miſſæ intereſſet, angeli Dei qui itineris tui aſſidue comites exiſtunt, ejecerunt me de loco ubi ſepultus fueram, dicentes, Quod amicus Dei *Auguſtinus* carnes fœtentes projici de eccleſia Dei juſſit. Ego enim tempore *Britonum* antequam gentilium *Anglorum* furor hanc vaſtaſſet regionem, hujus villæ patronus fui. Et licet ſæpius ab hujus eccleſiæ presbitero monitus, decimas meas nunquam dedi, tandem ab eo excommunicatus mortuus ſum, & inferno detruſus. Quo audito, ipſe ſanctus & omnes qui aderant multum flevit. Et dixit *Auguſtinus*, Scis locum ubi ſepultus fuit presbiter qui te excommunicavit? Quo reſpondente, In hoc eodem cœmiterio requieſcit. Præcede nos, dixit *Auguſtinus*, & locum nobis oſtende. Præceſſit defunctus, & venit ad locum quendam prope eccleſiam ubi nullius ſepulturæ ſignum apparebat. Et ſequente ſe

Auguſtino, & populo toto dixit: Ecce locus, hic fodite & presbiteri oſſa invenietis. Ex præcepto igitur beati *Auguſtini* foderunt, & in profundo oſſa pauca invenerunt præ temporis diuturnitate in ariditatem converſa. Quærente *Auguſtino* ſi hæc eſſent oſſa presbyteri, reſpondit defunctus, Etiam. Tunc *Auguſtinus* orans diutius dixit, Ut ſciant omnes quia mors & vita in manibus Dei ſunt cui nichil eſt impoſſibile, in ejus nomine ſurge, opus enim de te habemus. Quo dicto, videbant omnes præſentes pulverem pulveri uniri, & oſſa nervis compaginari, & ipſum ſurgere. Quo ante *Auguſtinum* ſtante dixit *Auguſtinus*. Cognoſcis iſtum frater? Reſpondit, Novi pater: & utinam non noſſem. Cui *Auguſtinus*. Tu eum excommunicaſti. Cui reſpondit, Utique & merito. In omnibus enim eccleſiæ ſemper extitit decimarum retentor, & multorum flagitiorum uſque ad diem ultimum patrator. Cui *Auguſtinus*, Noſti frater quia miſericors eſt Deus, unde & vos miſereri oportet creaturæ & imagini Dei quæ ejus ſanguine redempta tam diu pœnas inferni ſuſtinuit. Tunc tradidit illi flagellum, & flexis ante illum genibus abſolutione flebiliter petita, mortuus commiſſa mortuo relaxavit. Quo abſoluto, præcepit *Auguſtinus* ut ad ſepulchrum rediret, & diem præſtolaretur ultimum. Qui ſtatim ad ſepulchrum reverſus, in cinerem mox eſt reſolutus. Tunc ait *Auguſtinus* presbytero, Quanto tempore hic jacuiſti? Qui reſpondit, C.L. annis & eo amplius. Et ille, Quomodo, inquit, huc uſque feciſti? Reſpondit, Bene & in æternæ vitæ deliciis. Et *Auguſtinus*, Viſne, ait, ut orem Dominum quatinus ad nos revertaris, & animas à diabolo deceptas nobiſcum prædicando ad ſuum creatorem reducas? Abſit, ait, à te pater, quod me à quiete mea perturbatum ad laborioſam ſeculi vitam facias reverti. Tunc *Auguſtinus* presbytero dixit, Vade kariſſime & quieſce in pace, ſimulque ora pro me & univerſa eccleſia ſancta Dei. Qui mox ſepulchrum intrans cinis effectus eſt. Tunc vocato ad ſe militi *Auguſtinus* dixit, Quid eſt fili, adhuc vis decimas tuas Deo reddere? Tremefactus autem miles procidit ad pedes ejus, flens & reatum ſuum confitens, & veniam petens, relictiſque omnibus & coma depoſita ſanctum *Auguſtinum* omnibus diebus vitæ ſuæ ſecutus eſt, & in omni ſanctitate diem clauſit extremum, et æternæ felicitatis gaudium intravit.

Circa hoc tempus *Heraclius* imperator portas *Caſpias* apperuit, et CL. milites contra *Saracenos* eduxit. Sed de exercitu *Heraclii* Lij. à Deo ſternuntur.

Poſt deceſſum vero beati *Auguſtini Laurencius* archiepiſcopus *Dorobernenſis* ſucceſſor ſuus fidem fundatam ſtrenue auxit, non ſolum novæ eccleſiæ *Anglorum* curam gerens, ſed eciam *Britonum* et *Scottorum* qui in obſervatione Paſchæ errabant: Quibus, cum *Mellito* et *Juſto* epiſcopis ſuffraganeis ſuis, miſit epiſtolam in hæc verba.

Dominus fratribus kariſſimis epiſcopis vel abbatibus per univerſam *Scotiam*, *Laurentius*, *Mellitus*, et *Juſtus* epiſcopi, ſervi ſervorum Dei, *&c.*

DUm nos ſedes Apoſtolica more ſicut in univerſo orbe terrarum, in hiis occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc inſulam contigit nos introiſſe, antequam cognoſceremus credentes qui juxta morem univerſalis eccleſia ingrederentur, in magna reverentia ſanctitatis tam Britones *quam Scotos venerati ſumus. Sed cognoſcentes* Britones, Scotos *meliores putavimus*, Scotos *per* Daganum *epiſcopum & Columbanum abbatem nichil diſcrepare à* Britonibus *in eorum converſione didicimus. Nam* Daganus *epiſcopus ad nos veniens, non ſolum cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpicio quo veſcebamur ſumere voluit.*

Mellitus epiſcopus *Londonienſis Romam* profectus concilio *Bonefacii* papæ interfuit, in quo de vita & quiete monachorum tractavit. Hic *Bonefacius* iij. à beato *Gregorio* templum *Pantheon*, quod nunc dicitur *Sancta Maria rotunda*, ubi multociens à dæmonibus percuciebantur Chriſtiani, à *Foca* imperatore ſibi donari impetravit, quod mirabiliter ad honorem *Cibiles* matris deorum & *Neptuni* dei maris dedicatum erat, ut ipſe poſſet illud in honorem beatæ *Mariæ* virginis, & *Sanctorum omnium* dedicare. Quod *Cæſar* ei conceſſit, & ipſe papa cum *Romano* populo in die kal. Novembris illud dedicavit, & ſtatuit ut in illo die *Romanus* pontifex miſſam ibi ſollempniter celebraret, & populus communionem corporis & ſanguinis Domini noſtri *Jheſu Chriſti* accipere deberet, & hanc feſtivitatem in honore genitricis Dei, & omnium Sanctorum, & cœleſtium Spirituum celebrare, & defuncti ſequenti die per omnes eccleſias tocius mundi ſacrificium & ſervicium plenum pro redemptione habeant animarum. Dictus vero *Ethelbertus* rex *Canciæ* qui ſecundum quoſdam dicitur *Edelbertus*, poſtquam Lvj. annis regnaverat, obiit DC. xvj. gratiæ anno: qui in prædicta eccleſia *Petri* & *Pauli Dorobernia* eſt ſepultus. Hic vir maximus & eximius inter cætera bona quæ fecerat Judiciorum decreta ſcribi fecerat genti ſuæ.

E*Thelberto* autem rege defuncto *Ethelbaldus* filius ejus infidelis ſucceſſit, & uxorem patris ſui duxit, unde multi ad primum vomitum redierunt. Rex tamen crebra mentis veſania puniebatur.

Circa idem tempus prædictus rex *Sebertus* orientalium *Saxonum*, id eſt *Eſtſaxia*, viam univerſæ carnis ingreſſus, tres filios paganos regni hæredes reliquit; qui cum eſſent idolatræ deriſorie *Mellito* epiſcopo *Londonienſi* in miſſarum ſolempniis dicebant, Quare non nobis panem nitidum porrigis, quem patri noſtro dabas, & populo adhuc donas? Quibus ille reſpondebat, Si velitis ablui fonte illo ſalutari quo & pater veſter ablutus eſt, poteſtis eciam panis ſanctiſſimi cujus ille participabat eſſe participes: Si autem lavacrum vitæ contempnitis, nullatenus valetis percipere panem vitæ. At illi, Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia illo non eſt opus nec illum volumus habere, ſed tamen refici volumus pane illo. Cumque diligenter ac ſæpe ab illo epiſcopo eſſent ad ſacrum baptiſma ammoniti & prædicati, quod nullo modo fieri poſſet ut abſque ſacroſancta purgatione quis ſacroſanctæ oblationi communicet, ad ultimum furore commoti aiebant, Si non vis aſſentire nobis in tam facili cauſa quam petimus, non poteris jam in noſtra provincia commorari. Unde eum à regno *Eſtſaxia* expellentes cum ſuis abire juſſerunt. Qui ſic expulſus *Canciam* venit, quid in hiis agendum eſſet cum *Laurencio* archiepiſcopo &

Juſto Roffenſi præſule tractaturus. Qui ſuper hoc tractantes communi conſilio decreverunt, quod ſanius eſſet, ut omnes libera mente patriam relinquerent, & alibi Domino deſervirent, quam ſine fructu inter rebelles fidei barbaros reſiderent. Diſceſſerunt itaque primo *Mellitus* et *Juſtus*, atque ad partes *Galliæ* receſſerunt, rerum finem ibi exſpectare interim diſponentes. Sed non poſt multo tempore dicti tres fratres reges *Eſtſaxiæ* qui *Mellitum* epiſcopum præconem veritatis à ſe expulerant et cultibus dæmonum ſerviebant, contra gentem *Gewiſſeorum* in prælium egreſſi, omnes ſimul cum ſua militia corruerunt. Et licet illi pravitatis auctores eſſent perditi, vulgus tamen ad ſcelus ydolatriæ exercitatum ſtatim recorrigi non valebat, nec poſtea ad fidem et caritatem quæ eſt in Chriſto Jheſu ſine novo prædicationis juvamine revocari. Cum vero *Laurencius* archiepiſcopus *Mellitum* et *Juſtum* eſſet ſecuturus et *Britanniam* relicturus, ipſa nocte in eccleſia beatorum *Petri* et *Pauli*, de qua frequenter jam dixi, ſtratum parare pro requie ſibi juſſit, et cum ibi multas preces et lacrimas pro ſtatu eccleſiæ ad Deum fudiſſet, et demum membra ad requieſcendum poſuiſſet atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus apoſtolorum princeps *Petrus*, et multis illius tempore noctis ſecreto flagellis illum artioribus afficiens, apoſtolica diſtrictione ſciſcitabatur, quare gregem ſibi creditum relinqueret, et cui paſtorum oves Chriſti in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret. An mei, inquit, oblitus es exemplum, qui pro parvulis Chriſti quos michi in ſignum dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremo mortem autem crucis ab infidelibus et inimicis Chriſti cum Chriſto pertuli coronandus. His ammonitus *Laurencius*, mox *Ethelbaldo* regi *Canciæ* omnia revelavit. Rex autem nimio terrore perterritus, non legitimo abdicato connubio baptizatur, mittenſque ad *Gallias*, *Mellitum* et *Juſtum* epiſcopos revocavit. *Juſto* vero à *Roffenſibus* recepto, *Mellitum Londonienſes* abjecerunt, idolatris magis pontificibus ſervire gaudentes. Rex autem *Ethelbaldus* non erat tantæ poteſtatis quantæ pater ſuus erat, ut ipſum *Mellitum* epiſcopum invitis reſtituere poſſet eis. *Laurencius* tandem archiepiſcopus poſtquam xvj. annis ſediſſet tempore regis *Ethelbaldi* prædicti obiit: cui dictus *Mellitus Londonienſis* epiſcopus ſucceſſit.

Tunc ipſe *Mellitus* archiepiſcopus *Dorobernenſis* et *Juſtus Roffenſis* epiſcopus, cum magno labore eccleſiam *Anglorum* regebant. Erat autem *Mellitus* podacricus, ſed mentis greſſibus ſanus, carne nobilis ſed mente nobilior: unum autem virtutis ejus opus erat, quod flammis urbem conſumentibus ipſe ſe obviam ferri juſſit, et ſtatim orando flammarum impetus deſtruxit. Et poſtquam ipſe *Mellitus* v. annis archiepiſcopus ſediſſet, ad gaudia tranſiit ſempiterna, et juxta ſanctum *Auguſtinum* prædeceſſorem ſuum ſepultus eſt, pro cujus meritis Deus multa et varia miracula operatur. Iſto vero *Mellito* in Domino defuncto *Juſtus Roffenſis* epiſcopus in archiepiſcopatu *Dorobernenſi* ſucceſſit. Cui *Bonefacius* papa immediatus ſucceſſor papæ *Deuſdedit* pallium cum hiis litteris deſtinavit.

Dilectiſſimo fratri *Juſto Bonefacius, &c.*

Quam devote, quam eciam vigilanter pro Chriſti Evangelio elaboraverit veſtra fraternitas, non ſolum epiſtole directa à vobis tenor, ſed indulta inſuper operi veſtro perfectio indicavit, nec enim omnipotens Deus, aut ſui nominis ſacramentum, aut veſtri laboris fructum deſeruit, dum ipſe prædicatoribus Evangelii fideliter repromiſit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Suſceptis namque apicibus filii noſtri Ethelbaldi *regis reperimus, quanta ſacri eloquii eruditione ejus animum ad vera converſationis & indubitata fidei credulitatem fraternitas veſtra perduxerat: pallium itaque per latorem præſentium fraternitati tuæ direximus, quod videlicet in ſacroſanctis celebrandis myſteriis utendum licentiam impertimus. Concedentes etiam tibi ordinationes epiſcoporum exigente oportunitate, ita ut Chriſti Evangelium plurimorum annunciatione in omnibus quæ necdum converſæ ſunt gentibus dilatetur. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater.*

Juſtus vero archiepiſcopus *Dorobernenſis* pallio recepto *Paulinum* epiſcopum ordinavit, ut ipſe regi *Northumbriæ*, et ejus populo verbum Evangelicum prædicaret. Quod et ipſe *Paulinus* fecit, unde *Edwino* rege *Northumbriæ* cum populo ſuo ad fidem converſo, poſtea archiepiſcopus *Eboracenſis* factus eſt. Et nota quod iſte *Paulinus* fuit primus archiepiſcopus *Eboracenſis* poſt adventum ſancti *Auguſtini*. Unde iſte *Paulinus* poſt deceſſum *Juſti Dorobernenſis* archiepiſcopi *Honorium* archiepiſcopum ibi fecit, ut inter reges *Northumbriæ* plenius invenitur. Qui quidem *Honorius* archiepiſcopus *Dorobernenſis* poſtquam xxvj. annis, diebus lv. ſediſſet, ad Dominum feliciter migravit: cui ſucceſſit *Deuſdedit*, qui cum decem annis ſediſſet, et ſedes per tres annos vacaſſet, *Theodorus Romæ* in archiepiſcopum *Doroberniæ* ordinatur. Poſtquam autem *Ethelbaldus* rex *Canciæ* xxv. annis regnaſſet, vitam hujus ſeculi terminavit, cui *Ercombertus* filius ejus in regno *Canciæ* ſucceſſit.

Glorioſus rex *Canciæ Ercombertus* filius regis *Ethelbaldi* ſanctam *Sexburgam* filiam *Annæ* regis orientalium *Anglorum*, id eſt *Eſtangliæ*, duxit in uxorem. Quæ licet cœleſti deſiderio præventa mallet monaſterium quam palacium, eccleſiam quam matrimonium, Chriſti ſervicium quam mundiale imperium intrare, à parentibus tamen dicto regi *Ercomberto* divina operante gratia nupta fuit. Nam nati ſunt illi filii reges, *Vigebertus* ſive *Ethbrittbus*, & *Lotharius* Deo amabiles; filiæ quoque ſanctiſſimæ, ſancta ſcilicet *Ermenilda*, & ſancta *Ercongeca*, quarum prior ſcilicet *Ermenilda*, glorioſo regi *Merciorum Wolfero* juncta eſt, quæ ſplendidiſſimam Chriſti gemmam ſibi peperit *Werburgam*. Altera vero ſcilicet *Ercongeca*, amore ſacræ religionis monaſteria petiit tranſmarina, ubi virgo requieſcens claris à Chriſto ſuſcepta miraculis ſe oſtendit. Iſta inſignis regina *Sexburga* ita crebro inſtinctu virum ſuum regem *Ercombertum* excitabat, quod omnia idola quæ ſub prioribus regibus adhuc erant reſidua, ab univerſo regno ſuo cum omni ritu paganiſſimo funditus exterminavit, & monaſteria ampliavit. Primus etiam quadrageſimale jejunium ita omnibus indixit, ut violatoribus decerneret vindictam. Qui cum xxiiij. annis regnaſſet, in Domino requievit. Poſt cujus mortem uxor ſua *Sexburga*, Deo amabilis, ad monaſterium *Elienſe* ſe tranſtulit, ubi ſoror ſua ſancta *Etheldreda* tunc ibidem abbatiſſa Deo in omni mundicia deſervivit, qua ſeptennio completo ex quo gradum abbatiſſæ ſuſceperat ab hoc ſeculò ad cœli gaudia aſſumpta, ſancta *Sexburga* ſoror ejus Dei electione & omnium ſororum unanimi petitione ſibi ſucceſſit, ubi inter innumera gratiarum Chriſti kariſmata eam altius accedit ad virtutum præmia *Etheldredæ* germanæ ſuæ virginalis gleba poſt ſexdecim annos ſepulturæ ſuæ inventá totaliter incorrupta. Poſtquam vero ſancta *Sexburga* monaſterium de **Ely** in omni ſanctitate perfectæ religionis per aliquot annos gubernaverat, ab hujus vitæ ærumpna duci meruit ad gaudia ſempiterna; & in eccleſia *Elienſi* cum ſorore ſua *Etheldreda* & filia ſua *Ermenilda* jacet in Domino conſepulta. Hujus regis *Erconberti* cognatæ fuerunt ſanctæ virgines *Mildreda* & *Milburga*: prima veneratur apud ſanctum *Auguſtinum*, et ſecunda apud **Wenlok** in comitatu *Salopia*. Prædicto vero *Erconberto* rege *Cantia* defuncto, ſucceſſit in regno eodem filius ſuus *Egebertus*, cujus tempore facta eſt inſula familiare philoſophiæ domicilium. Hic *Egebertus* rex ſanctos *Ethelbertum* & *Ethelbritthum* patrui filios agens vel patiens interemit, tamen pœnituit, et ſancti martires jacent apud **Rameſeye**. Huic *Egeberto* cum per novem annos regnaſſet, ſucceſſit frater ejus *Lotharius*; cujus tempore anno regni ſui ſeptimo ſub die xv. kal. Octobr. indictione viij. *Theodorus* Dei gratia archiepiſcopus *Britannia* inſulæ et civitatis *Dorobernenſis*, una cum eo ſedentibus cæteris epiſcopis *Britannia* inſulæ in loco qui Saxonice **Hatfelde** nominatur, poſt converſionem omnium provinciarum *Britannia*, Concilium de Fide Catholica habuit et tractatum; ut inferius inter reges *Suthſaxia* quorum gens cum inſula *Vecta* ultimo converſa fuit, de prædicto concilio plenius eſt notatum. Iſte eciam *Theodorus* archiepiſcopus ſcripſit librum qui vocatur *Pœnitentiale*.

Poſtmodum *Lotharius* rex *Cancia* impiger in pugna auſtralium *Saxonum* quos contra eum *Eadrik* filius *Egeberti* fratris ſui aggregaverat vulneratus; inter inmanes plagas medendas quas acceperat, xij. regni ſui anno defunctus eſt. Et ſic poſt eum idem *Eadrik* anno uno & dimidio *Canciam* ſine amore & reverentia *Kentenſium* gubernavit: unde *Cedwalla* rex *Weſtſaxia* anno regni ſui primo, adjutorio fratris ſui *Wolf* uſus, quorum neuter adhuc baptizatus erat, *Canciam* ingreſſus eſt, & eam nullo obſiſtente undique deprædavit. Poſtmodum vero idem *Cedwalla* anno regni ſui ſecundo, dictum *Wolf* fratrem ſuum ad petitionem ſuam, & juvenes cum eo ſtrenuiſſimos, eo quod lucrum anni præteriti glorioſum, & famæ precium non exoſum ipſum allexerant, ad *Canciam* prædandam iterum deſtinavit: Qui illuc pergens nullos ſibi reſiſtentes inveniens, terram prædàndo in ſolitudinem redegit, ubi Chriſti ſervos immerito nimis affligens eorum ſenſit merito maledicta; nam cum hoſtes effeminatos abduceret, & nihil ſibi pro viribus prævideret, in domum quandam longe à ſuis cum xij. tantum militibus irruit prædatus, ubi inopinata multitudine circumventus, quia armis leviter cædi non poterat, in ipſa domo igne cum ſuis militibus eſt crematus. Sic periit ille flos juvenum, & exercitus ab illa patria rediit juvenilis. Quod audiens frater ejus *Cedwalla* rurſus *Canciam* ingreſſus eſt, ubi mirabili cæde & rapina ſaciatus, cum quid cæderet, vel raperet, infra breve nullatenus inveniret, ad ſua ſævus vindex rediit magnus victor. Poſt hæc *Cedwalla* rex *Weſtſaxia*, de hiis & aliis male commmiſſis pœnitens *Roma* perrexit, ubi à *Sergio* Papa baptizatus, & monachus factus, infra ſeptem dies in albis in Domino requievit, & ibi in eccleſia ſancti *Petri* ſepelitur, ut inferius inter reges *Weſtſaxia* plenius eſt notatum.

Circa hoc tempus *Theodorus Dorobernenſis* archiepiſcopus, de quo ſuperius tactum eſt, poſtquam multa bona feciſſet anno epiſcopatus ſui xxij. vitam hujus ſeculi terminavit. Cujus loco *Brithwoldus* primo Abbas *Raculf* electus eſt, & archiepiſcopus conſecratus. Et nota quod uſque ad hoc tempus *Romani* fuerunt archiepiſcopi, & tunc primo *Angli* eſſe archipræſules inceperunt. Iſte vero *Brithwoldus* archiepiſcopus quendam *Thobiam*, Latina, Græca, & Saxonica lingua multipliciter inſtructum *Roffenſem* epiſcopum ordinavit.

Poſtmodum *Withredus* legitimus rex *Cancia* anno regni *Ina* regis *Weſtſaxia* ſexto in regno *Cancia* religione & induſtria confortatus, gentem ſuam de invaſione extranea liberavit. Anno regni iſtius *Withredi* regis *Cancia* primo, *Ina* rex *Weſtſaxia* combuſtionem dicti *Wolf* cognati ſui vindicare volens, terribiles deduxit in *Canciam* acies ordinatas. *Withredus* rex *Cancia* non cum feroci arrogantia nec minis frendentibus, ſed pacifica ſupplicatione & magna dulcedine obvians, regi fero perſuaſit, ut à *Kentenſibus* pro nece juvenis pecuniæ acciperet ſummam magnam. Et ſic lite finita & pace firmata abhinc ſemper in pace regnavit. Qui tandem anno regni ſui xxxij. viam univerſæ carnis ingreſſus tres filios, *Egfredum*, *Edbrictum*, & *Cuthredum*, regni hæredes reliquit.

Circa hoc tempus *Thobias Roffenſis* epiſcopus, *Theodori* archiepiſcopi & abbatis *Adriani* diſcipulus exſpiravit, cui ſucceſſit *Aldulphus*. Tempore iſtius *Aldulphi Roffenſis* epiſcopi, cum dictus *Brithwoldus Dorobernenſis* archiepiſcopus xxxvij. annis ſediſſet, in Domino obdormivit. Cujus loco *Tatwinus* qui apud *Bredone* in regno *Merca* preſbyter fuerat à viris beatæ memoriæ *Igwoldo Londonienſi*, *Daniele Wintonienſi*, *Aldulpho Roffenſi*, & *Aldewino Lichefeldenſi* epiſcopis, in archiepiſcopum *Dorobernia* conſecratur, qui ſedebat annis tribus. Hujus tempore obiit *Beda*. *Tatwino Dorobernenſi* archiepiſcopo ſucceſſit *Notelinus* primo *Londonienſis*, qui in archiepiſcopatu ſuo quinque annis ſedebat. *Notelino* ſucceſſit *Cuthertus* qui xvij. annis ſedebat. *Cutherto Dorobernenſi* archiepiſcopo ſucceſſit *Lyzegwinus* qui ſedit annis tribus. *Lyzegwino* ſucceſſit *Lambertus* abbas ſancti *Auguſtini* qui xxvij. annis cum perſecutione magna ſedit. *Lamberto* archiepiſcopo ſucceſſit *Adelardus* primo *Wyntonienſis*, cui papa omnes epiſcopos ſubjecit, annis xiij. in archiepiſcopatu ſuo ſedit. *Adelardo* archiepiſcopo ſucceſſit *Wolfredus* qui *Roma* à *Leone* papa conſecratus, xxxviij. annis ſedit. *Wolfredo* archiepiſcopo ſucceſſit *Theologildus*, tribus annis ſedens. *Theologildo* archiepiſcopo ſucceſſit *Ceonodus*, qui x. annis ſedit. *Ceonodo* archiepiſcopo ſucceſſit *Athelredus* archiepiſcopus, qui *Edwardum* primum in regem *Anglia* conſecravit, ſicut inferius poſt diviſionem regnorum invenietur. Hic de conſenſu regis quinque epiſcopatus epiſcopis deſtitutos inter *Weſtſaxones* reſtauravit, qui cum xxxiiij. annis ſediſſet, in Domino feliciter requievit. Cum autem dicti tres hæredes quos prædictus *Withredus* rex *Cancia* in regno eodem, ut dictum eſt, reliquerat per xliiij. annos inter eos in toto regnaſſent, *Baldredus* rex *Cancia* regni gubernaculum ſuſcepit; qui cum xviij. annis ibidem regnaſſet, demum anno Domini DCCC. xxiij. per *Eadbrictum* regem *Weſtſaxia* à regno *Canciæ* fugabatur. Et ſic iſte rex *Eadbrictus* regnum *Cancia* ſibi ſubjugavit.

De converſione regum Canciæ *& eorum ſubditorum pertractatu, reſtat de regis* Eſtſaxiæ, *& ejus populi converſione, & de quibuſdam ibidem per aliquos reges geſtis aliquid breviter pertractare.*

REgnum orientalium *Saxonum*, id eſt, *Eſtſaxia*, quod à *Cancia* per aquam *Thameſiæ* dirimitur, cujus metropolis eſt *Londonia* civitas magna, multorum terra & ponto venientium refugium populorum, incepit multum poſt *Hengiſtum*, eo fere tempore quo incepit regnum orientalium *Anglorum* à rege *Erkwino*, qui primo in *Eſtſaxia* regnavit. Cui ſucceſſit rex *Sledda*, cui *Sebertus* rex, qui ſub avunculo ſuo *Ethelberto* tunc temporis rege *Cancia* filio regis *Hirmerici* ibidem regnavit, ad quem, dicto *Ethelberto* rege *Cancia* per beatum *Auguſtinum* ad fidem converſo, idem *Auguſtinus* virum perfectum & probatum *Mellitum* nomine deſtinavit, ut verbum vitæ ſibi & populo ſuo prædicaret. Et cum ipſe *Sebertus* rex *Eſtſaxia* cum gente ſua per prædicationem ipſius *Melliti* ad veræ fidei agnitionem gratia ſancti Spiritus operante converſus fuiſſet, dictus *Ethelbertus* rex *Cancia*, eccleſiam in honore beati *Pauli* pro ſede epiſcopali in civitate *Londonia* fundavit & eam multis prædiis ditavit, in qua dictus *Mellitus* digne eſt epiſcopus conſtitutus, ſicut ſuperius inter reges *Cancia* ſatis plenarie eſt notatum.

REge autem *Seberto* mortuo, ſucceſſerunt ei in regno *Eſtſaxia* tres filii ſui pagano ritu irretiti, videlicet *Sexredus*, *Sewardus*, & *Sigebertus*. Qui cum eſſent ydolatræ deriſorie dicto *Mellito Londonienſi* epiſcopo in miſſarum ſolempniis dicebant; Quare non nobis panem nitidum porrigis quem patri noſtro dabas, & populo adhuc donas? Quibus ille reſpondebat, Si velitis illo ſacro fonte ablui quo pater veſter ablutus fuit, illius ſanctiſſimi panis cujus ille participabat participes eſſe poteſtis: ſi autem lavacrum vitæ contempnitis, nullatenus valetis percipere panem vitæ. At illi, Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia illo non eſt opus, nec illum volumus habere, & tamen reſici volumus pane illo. Cumque dictus epiſcopus hoc ſæpius eis negaſſet, & diligenter ab eo ad ſacrum baptiſma eſſent ammoniti & prædicati, quod nullo modo fieri poſſet, ut abſque ſacroſancta purgatione quis ſacroſanctæ oblationi communicet, ad ultimum furore commoti dixerunt, Si non vis aſſentire nobis in tam facili re quam petimus, ulterius nobiſcum in iſta provincia non manebis. Unde eum cum ſuis à regno *Eſtſaxia* expulerunt: qui ſic expulſus *Canciam* venit, quid in hiis agendum eſſet cum *Laurencio* archiepiſcopo ſancti *Auguſtini* ſucceſſore, & *Juſto Roffenſi* epiſcopo tractaturus; ubi *Ethelbaldus* rex *Cancia* infidelis, qui uxorem patris ſui *Ethelberti* regis jam mortui duxerat, pro tunc regnavit, ut ſuperius de iſta materia inter reges *Cancia* invenire poteris ſatis plene. Sed poſtmodum non multo tempore tranſacto, dicti tres fratres ydolatræ qui dictum *Mellitum* epiſcopum præconem veritatis à ſe & epiſcopatu ſuo expulerant, & dæmonum cultibus ſerviebant, contra gentem *Gewiſſorum* in prælium egreſſi, omnes ſimul cum ſua militia corruerunt. Quibus ſic juſto Dei judicio interfectis, vulgus regni per eos ad ſcelus ydolatriæ excitatum ſtatim recorrigi non valebat, nec poſtmodum ad fidem & caritatem quæ eſt in Chriſto Jheſu, ſine novo prædicationis juvamine & ſancti Spiritus ſpiramine revocari, quia *Mellitum* eorum epiſcopum nunquam poſtea *Londonienſes* inter eos recipere voluerunt, ut ſuperius inter reges *Cancia* tempore dicti regis *Ethelbaldi* propter ſeriem unius & alterius regni *Cancia* videlicet & *Eſtſaxia* proceſſus continuandam, plene eſt notatum.

DIctis tribus fratribus idolatris ut præmittitur peremptis, ſucceſſit in regno *Eſtſaxia* rex *Sibertus*, cujus tempore ipſe & orientales ſui *Saxones*, qui olim, ut dictum eſt, *Mellitum* epiſcopum à ſe expulerant, ad fidem modo ſubſequenti iterum ſunt converſi. Cum autem *Oſwy* rex *Northumbria* fidelis ad iſtum *Sibertum* ut ad amicum ſuum veniret, & ab eo inter alia de fide prædicaretur, ipſe *Sibertus* rex *Eſtſaxia* demum converſus à *Finano* epiſcopo in vico *Ad murum* qui à mari orientali xij. diſtat miliaribus baptizatur. Et *Ceadda* à regno *Merca*, id eſt, à **Middelengle** vocatus, ſuper *Eſtſaxiam* epiſcopus factus eſt, qui maxime in civitate **Itanceaſtre**, quæ eſt in ripa *Penta* amnis, & in **Tilaburgh**, quæ eſt in ripa *Tameſis* baptizabat. Cum autem ille *Ceadda* epiſcopus cuidam conſuli pro illicito conjugio omnem inhibuiſſet communionem, rex *Sibertus* hoc parvi pendens & contempnens cum eo pranduit. Revertenſque poſt prandium rex de commiſſo dolens, veniam petendo ad pedes epiſcopi ſibi cecidit obviantis. Quem jacentem epiſcopus iratus virga tangens eum prædixit in ipſa domo qua comederat moriturum; unde poſtea contigit, quod conſul prædictus & frater ejus ipſum regem in ipſa domo ut epiſcopus ſibi prædixerat necaverunt; qui ſe id feciſſe dixerunt quia mitis & parcens hoſtibus nimis erat. Huic autem *Siberto* rex *Swythelyn*, à *Ceadda Eſtſaxia* epiſcopo in regno *Eſtanglia* in **Redliſham**, id eſt, mariſco **Rendly** baptizatus, quem *Adelwoldus* rex *Eſtanglia* frater regis *Anna* de lavacro ſancto cepit.

Circa idem tempus quidam *Adelwoldus Deirorum* rex filius *Oſwaldi* eidem *Ceaddæ* epiſcopo apud *Leſtingum* locum tribuit monaſterii faciendi. Quo conſtructo, cum ille *Ceadda* tempore mortalitatis ab *Eſtſaxia* rediret, vitam ibi in Domino terminavit. Poſt *Swythelin* autem regem *Eſtſaxia* cum *Sighere* & *Sebby* ibi regnarent, *Sighere* & gens ſua pro præfata mortalitate ad idola ſunt reverſi, tunc *Wolferus* rex *Merciorum Jarumam* epiſcopum ad eos mittens ipſos ad fidem per eum feliciter revocavit. Tempore iſtorum regum *Sighere* & *Sebby*, *Theodorus* archiepiſcopus *Dorovernia* ſanctum *Erkenwaldum Londonienſem* epiſcopum ordinavit, cujus ſoror fuit beata *Ethelburga* abbatiſſa de **Berkyng**, cui abbatiſſæ ſucceſſit *Hildelitha*, ad quam ſanctus *Aldelinus Weſtſaxonum* epiſcopus ſcripſit librum de Virginitate. Rege autem *Sighere* rebus humanis exempto, *Sebby* rex monachus apud ſanctum *Paulum Londonia* factus eſt. Quibus ſucceſſerunt *Sigehardus* & *Sinefredus*, & iſtis ſucceſſit rex *Offa*, qui iter ad terram ſanctam arripuit. Poſt iſtum *Offa* regem *Eſtſaxia* ſanctus *Edmundus* cognatus ejus de *Saxonia* veniens, apud **Bury** in regem *Eſtanglia* coronatur, & ſimul cum hoc per dictum regem *Offa* cognatum ſuum regnum *Eſtſaxia* occupavit. Et quia regnum *Eſtanglia* variis modis per diverſa tempora diverſis regnis ſubjectum erat, quia nunc reges *Weſtſaxia*, nunc reges *Cantia* illud in dominio tenebant, & nunc alicui, nunc aliquibus illud dabant, ita quod aliquando unus rex erat ibi, aliquando multi reguli, iſte ſanctus *Edmundus* ſub rege *Weſtſaxia* ibidem regnavit; De cujus perſecutione & morte, imo verius martirio, inferius poſt iſtum tractatum de diviſione regnorum plenius dicetur.

Modo ſequitur de converſione Orientalium Anglorum.

REgnum autem *Eſtanglia* ſive *Eſtanglorum*, id eſt, *Orientalium Anglorum*, poſt regnum *Cantia* & ante regnum *Weſtſaxia* incepit ab *Uffa* rege, cui ſucceſſit rex *Ticulus*. Iſti duo non fuerunt multum potentes; quibus ſucceſſit potentior aliis rex, rex *Redwaldus*. *Redwaldo* vero defuncto filius ſuus *Erpwaldus* in regno *Eſtanglia* ſucceſſit. Qui hortatu *Edwini* regis *Northumbria* ſibi amiciſſimi fidem ſuſcepit. Et quidem pater ejus *Redwaldus* jamdudum fidem in *Cancia* ſuſceperat, ſed fruſtra: Nam rediens domum à quibuſdam perverſis & uxore ſua ſeductus altare Chriſti & dæmonis in uno & eodem phano habebat, quod rex ejuſdem provinciæ *Atelwolf*, qui venerabilis *Beda* ætate fuit, uſque ad ſuum tempus perduraſſe teſtatur: utcumque *Erpwaldus* rex fidelis non multo tempore poſtquam credidit à quodam viro gentili *Gilberto* nomine eſt occiſus. *Erpwaldo* vero rege *Eſtanglia*, ut dictum eſt, occiſo, ſucceſſit ei in regno eodem rex *Sigebertus* frater ejus Chriſtianiſſimus, qui per *Felicem* epiſcopum converſus cæteros cum eodem fecit in Domino Chriſtianos. Quem quidem *Felicem* de *Burgundia* ortum illuc *Honorius Dorovernenſis* archiepiſcopus, qui *Juſto* archiepiſcopo ſucceſſit, cauſa miſerat prædicandi. Tamen dicitur ſecundum quoſdam quod iſte rex *Sigebertus* in *Gallia* exulans provincia, tempore dicti regis *Redwaldi* fuerat baptiſatus. Qui poſtmodum in *Angliam* rediens & rex factus, ut in *Gallia* viderat, ſcolas *Felice* epiſcopo ſe juvante inſtituit. Ad quem ſanctus *Furceus* de *Hibernia* veniens, & ſibi & genti ſuæ prædicans, ab eo nobiliter eſt ſuſceptus. De iſto *Furceo*, *Beda* libro tercio de hiſtoria *Anglorum* iſtam ſubſequentem narrationem valde utilem ſic enarrat.

Furceus verbo & facto præclarus de corpore eductus, vidit non ſolum majora beatorum gaudia, ſed contra ſanctos viros ſpirituum malignorum maxima certamina, quibus crebris accuſationibus iter cœleſte ſibi præcludere contendebant, nec quicquam proficiebant angelis protegentibus ipſum bonis. Et cum in altum eſſet elevatus, juſſus eſt ab angelis qui eum ducebant reſpicere deorſum in mundum. At ille oculos ad inferiora deflectens, vidit quaſi vallem tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitam, & quatuor ignes in aere non multo abinvicem diſtantes. Et cum quæſiviſſet ab angelis ipſum ducentibus qui eſſent illi ignes, reſponſum accepit, quod hii ignes mundum eſſent conſumpturi; & dixit, Unum ignem eſſe *mendacii*, quia tanquam mendaces non implemus quæ in baptiſmo promiſimus abrenunciare, viz ſathanæ & omnibus operibus ejus. Alterum vero ignem *cupiditatis*, cum divitias mundi præponimus cœleſtium amori. Tercium *diſſenſionis*, cum animos proximorum eciam in ſupervacuis rebus offendere non formidamus. Quartum *impietatis*, cum inferiores ſpoliare & eis fraudem facere pro nichilo ducimus. Creſcentes vero paulatim illi quatuor ignes uſque ad invicem ſe extenderunt atque coadunati ſunt in immenſam flammam. Cumque appropinquaſſet, pertimeſcens ille dixit angelo. Domine, ecce ignis michi apropinquat. At ille, Quod non incendiſti non ardebit in te, nam etſi terribilis ac grandis videtur eſſe iſte ignis, tamen juxta merita operum ſingulos examinat, quia uniuſcujuſque cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut quis enim in corpore ardet per illicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit unum de tribus angelis qui eum ducebant, præcedentem, ignis flammam dividere, & duos ab utroque latere circumvolantes ab ignium ſe periculo defendere. Vidit eciam dæmones per ignem volantes incendia bellorum contra juſtos ſtruere. Sequuntur autem adverſus ipſum accuſationes malignorum ſpirituum, defenſioneſque ſpirituum bonorum. Copioſior autem viſio cœleſtium agminum, ſed eciam ſanctorum virorum de ſua vocatione quos olim gradu ſacerdotum non ignobiliter potitos fama jam vigilante compererat, à quibus non pauca, quæ vel ei vel omnibus qui audire vellent multum ſalutaria eſſent, audivi. Qui cum verba finiſſent, & cum angelicis ſpiritibus ipſi quoque ad cœlos rediſſent, remanſerunt cum beato *Furceo* præfati tres angeli qui eum ad corpus referrent. Cumque præfato igni maximo apropinquarent, diviſit quidam angelus ſicut prius flammam ignis. Sed vir Dei *Furceus* ubi ad patefactum uſque ad januam inter flammas perverit, arripientes immundi ſpiritus unum de eis quos in igne torrebant, in eum ipſumque jactaverunt, & contingentes humerum maxillamque ejus accenderunt, cognovitque hominem, & quod veſtimentum ejus morientis acceperat, tunc ad memoriam reduxit. Quem angelus ſtatim apprehendens in ignem rejecit. Dicebatque hoſtis malignus, Nolite repellere quæ ante recepiſti, nam ſicut bona illius peccatoris ſuſcepiſti, ita de pœnis ejus particeps eſſe debes. Cui angelus, Non propter avaritiam ſed propter animam ejus ſalvandam ſuſcepit. Ceſſavitque ignis, & converſus ad eum angelus, Quod, inquit, incendiſti, hoc arſit in te. Si enim in peccatis hujus mortui pecuniam non accepiſſes pœna ejus in te non arderet; & plura locutus eſt, Et quid erga ſalutem eorum qui ad mortem eorum pœnitent eſſet agendum ſalubri ſermone docebat. Qui præfatus vir Dei *Furceus* poſtea in corpore reſtitutus omni tempore vitæ ſuæ ſignum incendii quod in anima pertulit viſibile cunctis in humeris & in maxilla portavit; mirumque in modum quod anima in occulto paſſa ſit, caro palam præmonſtrabat.

Dictus autem rex *Sigebertus* tantum Deo adhæſit, ut regno *Egnice* cognato ſuo commendato, monaſterium intraret, & tonſuram acciperet monachorum. Qui poſtmodum per multos annos contra *Pendam* regem *Merciorum* exire coactus, non niſi virgam manu in prælio habebat; ubi cum dicto rege *Egnice* cognato ſuo & exercitu ſuo eſt occiſus. *Felix* autem epiſcopus *Eſtanglorum* prædicator ſedem epiſcopalem primus apud **Dunmok**, ponens villam ex nomine ſuo **Felixſtowe**, id eſt, **Felſtowe** vocavit; ubi cum xvij. annis ſediſſet, in pace ibidem in Domino requievit. Et dicitur ſecundum quoſdam quod iſte ſanctus *Felix* uſque **Soham** tranſlatus fuit, & demum poſteà uſque **Rameſeye** defertur, ubi inter ſanctos Dei ſolempniter veneratur. Et memorandum quod apud **Dunmok** ſive **Felixſtowe** xiiij. epiſcopi ſederunt. Deinde ſede uſque **Elmham** tranſlata ibi duodecim epiſcopi ſederunt. Poſtmodum tranſlata fuit ſedes uſque *Thetfordiam* ubi tres epiſcopi ſederunt. Et demum *Herbertus* epiſcopus ſedem tranſtulit uſque *Norwicum*, ubi à dicto *Herberto* uſque ad dominum *Johannem* de **Ely** epiſcopum, duodecim epiſcopi ſederunt.

Poſt reges *Sigebertum* & *Egnice* cognatum ſuum, ut dictum eſt peremptos, ſucceſſit in regno *Eſtanglia* *Anna* filius *Egnite*: vir quidem bonus & bonæ ſobolis pater. Nam iſte *Anna* nobiles & ſanctas habuit filias, ſanctam videlicet *Edelburgam*, quam cum filia uxoris ſuæ *Secrid* ad monaſterium de **Brugg** Deo ſerviendam deſtinavit, ubi dicta *Edelburga* merito virtutum *Brugenſis* abbatiſſa facta eſt, & ibi in Domino quieſcit. Aliam eciam habuit filiam, ſanctam videlicet *Sexburgam* quam Chriſtianiſſimo regi *Cancia* *Ercomberto* nobiliſſime maritavit, de qua ſuperius inter reges *Cancia* plenius eſt notatum. Terciam eciam habuit filiam, ſanctam ſcilicet *Etheldredam*, cujus laudes *Beda* veraciſſimus hiſtoriographus deſcripſit. Quæ cum puellares jam annos laudibilis vitæ proceſſu tranſegiſſet, & fama volitante tam animi ejus ſanctitudo quam corporis pulcritudo longe lateque celebris exiſteret, à *Tomberto* principe auſtralium *Girviorum* in conjugii conſortium poſtulatur. Quod illa perhorrens, diu recuſat, diu denegat, utpote quæ in virginali pulcritudine curſum præſentis vitæ implere optabat. Sed parentum auctoritas vincit, immo verius ejus animi ſententiam divina mutavit providentia, quæ eam præſciebat ex matrimonii ſarcina glorioſiori caſtitatis laurea coronandam. Deſponſatur itaque licet invita, & conjugali copulæ alligatur. Quo facto, permanet virgo ſub memorato ſponſo poſt modicum temporis deſponſationis ejus defuncto. Poſtea datur ad conjugium unamini voluntate parentum *Effrido* regi *Northambhimbrorum*, cujus conſorcio duodenis annis uſa, perpetuæ tamen virginitatis integritate manſit glorioſa. De cujus vitæ ſanctitate & glorioſo fine plenius inter reges *Northumbria* inferius dicetur. Harum eciam ſoror ſecundum quoſdam fuit ſancta *Withburga* quæ apud **Derham** in *Northefolchia* per longum tempus in eccleſia jacuit tumulata. Sed poſtea regnante glorioſo rege *Edgaro* *Brithnotus* primus abbas monaſterii *Elienſis* de conſenſu ejuſdem regis, & inſtigatione ac conſilio beati *Ethelwoldi*, tunc temporis *Wintonienſis* eccleſiæ epiſcopi, illam virgineam glebam ſanctæ *Withburga* integram & incorruptam repertam clanculo ab eccleſia de **Derham** cum ſuis hominibus & miniſtris ad hoc ibi adductis ſub noctis ſilentio, populo illius loci ignorante, cum tumba abſtulit qua jacebat, & tumbam precioſo corpore infra illam contento vehiculo præparato impoſitam armatorum cuneis hinc inde munivit, & ſic viginti miliariis terreſtri via decurſis, uſque ad fluvium in villa quæ dicitur *Branduna*, cum illo cœleſti theſauro proſpere pervenit, ubi navem cum precioſa præda dictus abbas & ſui ingreſſi, remis & armamentis navalibus incumbunt. Et licet poſt modicum intervallum *Derhamenſes* veritate rei geſtæ deprehenſa, illos cum multitudine armatorum velociter inſequentes ripas dicti fluvii hinc inde occupabant, & in abbatem & ſuos obprobria & tela jaciebant, Dei tamen adjutorio & virginis favore illæſi ab illis evadunt. Applicantes itaque ad inſulam quæ dicitur **Tidbrithſeye**, glorioſum virginis corpus vehiculo ſimul cum tumba impoſitum ad *Elienſe* monaſterium, occurrente & applaudente ejuſdem loci tam clero quam populo, monachis quoque obviam præcedentibus & feſtive canentibus deportarunt, ac ibidem cum veneratione qua decuit collocarunt. Dicitur eciam quod iſtarum ſororum frater fuit ſanctus *Ironimus*, qui apud ſanctum *Edmundum* veneratur. Et cum iſte *Anna* rex *Eſtanglia* per x. annos regnaſſet, à perfido *Penda* rege *Merciorum* qui patrem ſuum, ut dictum eſt, prius occiderat, eſt peremptus.

POſt regem *Annam*, *Adelherus* frater ſuus in regno *Eſtanglia* ſucceſſit, qui in bello, cujus auctor ipſe fuit, contra *Oſwinum* regem *Northumbria* cum perfido *Penda* fratris ſui *Anne* peremptore exiſtens, cum ſuis militibus eſt occiſus. Cui *Athelwoldus*, *Athelwlfus*, *Alfwoldus*, *Berna*, & *Adelredus* reges in regno *Eſtanglia* ſucceſſive regnaverunt. *Adelredo* autem ultimo dictorum regum *Eſtanglia* defuncto, *Ethelbertus* filius ejus unicus & hæres à ſtudio literarum ſubito ad curas terrarum raptus, cum omnium voto unanimique deſiderio in regni ſolium ſublimatur. Iſte rex *Ethelbertus* hæc & hujuſmodi Scripturæ teſtimonia ſecum recolligens, *Quanto major es humilia te: In omnibus humiliamini ſub potenti manu Dei: Qui ſe humiliat exaltabitur:* Et illud ex beatæ virginis cantico, *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles:* humilitatem in corde ſuo ſpecialiter & præcipue radicavit, & eam quaſi cæterarum virtutum fundamentum in ſe locavit. Præterea recolens & ratione nominis attendens, quod à regendo rex dicitur, eo quod ſe primum, deinde populum ſibi ſubditum regere debeat; pius itaque rex, clemens, & miſericors pupillo & orphano calumpniam fieri, & ſanguinem innocentem effundi non permittens, in dubiis abſolvere quam condempnare pronior longe fuit. In certis autem & ſententia dampnatis ſemper pœnam mitigare paratus, dolens plurimum quociens dolorem vel pœnam cuiquam inferre rigore juſticiæ tenebatur: gaudens econtra nec mediocriter exultans quociens præmia conferre & beneficia ſpargere potuiſſet. Accedentes autem ad eum ad regiam dignitatem jam elevatum tam proceres regni ſui quam prælati, ſuper uxore ducenda regiaque prole ſuſcitanda ipſum primum in privato, deinde palam & publice convenerunt.

Ipſe vero qui à pueritia fixum in animo radicatumque habuerat virginitatem corporis ſui Deo dedicare, fructumque centeſimum exſpectare, quantum & quamdiu potuit renuit omnino, diſtulit & recuſavit. Legerat eciam, & tam ex Ethicis quam Theologiæ paginis notum habuerat, matrimoniorum quanta ſunt onera. Legerat inſuper fatuarum mulierum inercias, deformium faſtidia, formoſarum & generoſarum faſtus & ſuperbias, adulteria, plerumque prolem incertam, vel evidenter alienam, & inter ſecreta thori & thalami domeſticas amaritudines, moleſtias, & anxietates, iras, rixas, zelotopias graves & ſuſpiciones. Legerat hæc, inquam, & ex hiis collegerat pectora quidem in quibus hæc regnant parum habere pacis, plurimum autem perturbationis. Porro invaleſcentibus tandem eorum inſultibus, quoniam oportune inſtabant & importune, ſciens quia contra omnes ſapere quaſi deſipere eſt, ſciens etiam illud, *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis*: quanquam vix & invitus eorum denique voluntatibus ſe obtemperandum duxit & decrevit, timens tamen; hæc ratio eum præcipue induxerat ad conſenſum, quod ſi regnum ob ejus defectum aliquando forte hærede careret, hoſtiles ea occaſione incurſus, excidium pariter & exterminium pati poſſet. Accedens ad eum denique Comes *Oſwaldus* qui inter conſiliarios ipſius ei fide & familiaritate fuit præcipuus, eumque ſuper *Offa Merciorum* regis, viri in occidentalibus inſulæ finibus magnifici, filia unica atque legitima ducenda cum inſtancia magna ſecreto convenit. Ipſe vero quamquam invitus ad hujuſcemodi conſilia declinans reſpondit, Se cum matre ſua adhuc ſuperſtite regnique proceribus inde in brevi conſilium habiturum. Quibus ad diem certum convocatis, omnium fere aſſenſus *Oſwaldi* conſilio concordavit. Mater ſola, vel quia filiarum attencius quam filiorum matres conjugia maturare ſolent, vel pocius mente præſaga malorum, illud penitus diſſuadebat. *Ethelbertus* autem vir bonus & juſtus, ne muliebri conſilio terræ ſuæ primatibus pertinaciter reſiſtere videretur, obtemperaturum eorum voluntatibus ſe conceſſit.

Miſſa autem mane devote ut aſſolet & diligenter audita, gratiaque ſancti Spiritus invocata, cum magno comitatu regioque ſicut decuit apparatu iter arripuit indilate. Sed cum equum ſuum aſcendere debuiſſet, terra ſub pedibus ejus cum aſtantium omnium plurima admiratione & terrore, quaſi terræ motu facto tremuit aliquandiu, & concuſſa quievit. Ipſe vero jactans in Domino curam ſuam, eique revelans viam ſuam qui non dereliquit ſperantes in ſe, immotus omnino & interritus iter aggredi minime formidavit. Et cum aliquantulum proceſſiſſet, ſole obſcurato tantæ & tam atræ tenebræ itinerantes ſubito operuerunt, ut neque ſeipſos adinvicem, neque viam ullam jam videre valuiſſent, donec piis ſancti regis *Ethelberti* precibus & devotis orationibus radii ſolares ſunt reſtituti. Clamabat enim ad Dominum, & ad terram proſtratus humiliter dicebat. *Notum fac michi Domine viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Nec mirum ſi ſigna quæ in morte Chriſti apparuerunt, ante mortem hujus membri Chriſti ejuſdemque dilecti tandem præſagientia contigerunt. Terra quippe quaſi ſcelus abhorrens quod jam iminebat, mota eſt: ſol autem obſcurans, tanquam ne videret faciem avertit. Vel terræ motus ille terræ regnique commotionem & deſolationem quæ ab ortu *Ethelberti*, multis annorum curriculis ſub regulis & tirannis uſque ad regis *Edmundi* tempora duravit, aperte potuit ſignificare. Sol vero lucem ſubtrahens ipſum ab hac luce in proximo ſubtrahendum manifeſto indicio declaravit. Cum itaque longius iter agendo ad vicum in *Merciorum* regno qui *Villa auſtralis* ab incolis vocabatur jam perveniſſet, die ad veſperam vergente ibidem pernoctare ſtatuens, in loco campeſtri tentoria figi juſſit. Præmiſerat autem viros diſcretos atque diſertos cum regiis donariis & exenniis, quæ et regem dare regemque recipere cum honore deceret, adventum ejus cauſamque ſui adventus *Offa* regi nunciantes.

Eadem vero nocte cum menbra fatigata labore ſopori dediſſet, viſiones terribiles valde vidit; videbatur enim eum videre totum aulæ ſuæ regiæ faſtigium à ſummo deorſum culmine corruere, cornuaque thalami ſui in quo quieſcere ſolebat, tam tecto quam parietibus ſubito lapſu in terram cadendo comminui; et alia quædam non minus horrenda vidit, quæ Comes *Oſwaldus* ſibi à rege relata conſolandi et obſequendi gratia interpretari benignius ſatagebat. Ipſe vero tacite cuncta conſiderans, et intrepide ſe et ſuam cauſam ex toto Deo commiſit. In craſtino vero reverſis ad eum nunciis tam propriis quam ab *Offa* rege tranſmiſſis, qui ei veniendi ſecuritatem cum gratia regis et benevolentia reportabant. Præmiſſis itaque primo redis, deinde clitellariis, et ſarcinis, et ſaginariis multis, cum ſervientium tam peditum ſcilicet quam equitum turbis, ipſe militum agmine pulcherrimo ſeptus, competenti eſt ordine ſubſecutus. Poſt longos itaque viæ labores cum ad curiam *Offa* rex *Ethelbertus* perveniret, fama tanti adventus divulgata, virgo *Althrida Offa* regis filia, ab alto per feneſtram ſolario regem *Ethelbertum* juvenem januas intrantem, et milites ſuos cœpit diligenter more muliebri eo quo intrabant ordine intueri. Quo facto, ad matrem puella reverſa juvenis formam, juventutis elegantiam, proceres illuſtres, milites inſignes, comitatum et apparatum incomparabilem, et viſa omnia, et forſan viſis majora ſibi referre inchoabat. Quibus auditis, animoque diutius anxie revolutis regina muliebri plena tam haſtutia quam malicia regem *Offam* virum ſuum eadem nocte per hujuſcemodi verba convenit.

« Maturo tibi rex in hoc articulo et valde maturando opus eſt conſilio. Noſti quod orientalium *Anglorum* tiranni *Merciorum* populis ab antiquo imperare deſiderant. Noſti antiquas gentium inimicitias et mutuas plerumque regnorum ſubjectiones; fallor ſi non juvenem iſtum plus ambitus quam amor huc adduxit, ſub uxoris namque ducendæ prætextu & palliatæ amicitiæ colore captata tuæ ſenectutis occaſione callidus in hos fines explorator & expugnator advenit. Non itaque ducendi ſed ſeducendi cauſa hoſpes acceſſit, nec hoſpitis cum tanta militum & armatorum copia, ſed verius hoſtis ymaginem ille gerit. Sed eſto quod filiam noſtram duxerit, & hac præcipue cauſa in partes iſtas advenerit, tunc jure quodam ſucceſſionis & hæreditatis quæ jam ipſum quaſi cum hærede contingeret, in mortem tuam

« cotidie anelaret, totumque ſibi quod in pace nunc poſſides jugiter appetere, & modis omnibus adquirere non ceſſaret. Flagellum itaque tibi rex fabricas & flagitium paras, ſi talem tibi conſtituas ſucceſſorem: nichil aliud namque reſtat ſi hunc tibi generum ordinaveris, niſi ut regni tui vitæque pericula non evites, vel ſaltim ſub tanto inſidiatore & ſucceſſore timide & trepide de cætero regnabis; & orientalis illa ſervitus per te, quod abſit, in hos fines liberos inducetur. Porro ſi repulſam paſſus & offenſus abcedat, non minus periculum proculdubio rex evites, terrarum namque veſtrarum aditus & exitus jam novit, exploratore non indigens alieno; ætatis tuæ defectum & infirma noſtra conſideravit, occaſionem confuſionis & repulſæ prætendet, bellumque vobis ſtatim indicet, & ad exterminium veſtrum ſive mortem accelerabit. In has itaque perplexitates adventus hujus hoſpitis nos induxit, unde neceſſe eſt, ut vel tua per ipſum in brevi deſtructio accedat, vel per te ejus matura peremptio ordinetur. Finitoque reginæ ſermone, poſt longa ſuſpiria rex tandem in hæc verba prorupit. « Anguſtias undique graves tua nobis ratio regina depingit, ex qua video quidem & evidenter intelligo, quod hinc nobis periculum, inde turpitudo ſimiliter verſatur.

Cumque demum de morte regis *Ethelberti* ad ſuggeſtionem reginæ tractaretur, advocatis ad conſilium proceribus paucis & privatis, ac muliebri induſtria ad favorem prius allectis, omnes in ſententiam mortis viri innocui conſenſerunt, dum tamen illud procul à militaribus ejuſdem turbis ſecretoque & ſine tumultu fieri poſſet. Proſiliens ergo in medium vir ſanguinis ad ſcelus omne paratus cui nomen *Guymbertus*, qui ob familiaritatem olim in domo patris ſui cui miniſtrabat cum ipſo juvene contractam, ſe melius alio facinus illud poſſe promiſit effectui mancipare. Qui mercede ſtatim conſtituta pecuniaque ſuſcepta, hoſpicium regis *Ethelberti* fraudulenter adivit, monens & conſulens ei, ac ex parte regis denuncians, quatinus ad ipſum ilico privatus & abſque militari ſtrepitu negotium pro quo venerat ad votum expediturus adveniat, regis enim infirmitas ac debilitas, ſicut in dolo aſſerebat, tumultus & turbas hominum recuſabat. Juvenis autem *Ethelbertus* rex quia nichil pravitatis unquam excogitaverat vel expleverat, nichil hinc penitus pravi ſuſpicando, fidem dictis adhibuit, gladioque ſuo ſolum accinctus, proditorem prævium innocens omnino & inmaculatus, hoſtia lictorem, victima carnificem, agnus lupum ad regis uſque palacium mortiſque ſuæ locum ſub nocturno ſilentio eſt ſecutus. Venientibus igitur illis ad divortium tanto ſceleri magis idoneum & ad hoc proviſum, exilientibus *Gwymberti* complicibus, *Ethelbertus* rex capitur & ligatur, eique nomen Domini jugiter invocanti ſpiritumque ſuum in manus Dei commendanti, ſuique ipſius extracto gladio caput *Gwymbertus* crudeliter amputavit, & illud cruore perfuſum regi & reginæ ilico præſentavit; A vita itaque iſtius ſeculi raptus eſt *Ethelbertus*, ne malignitas intellectum ejus bonum mutaret, & fictio animam ejus deciperet. Raptus eſt, inquam, ne centeſimi fructus gloria & virginitatis honore, quam ſemper appetiit, ullo mundi contagio fraudaretur. Et ſicut quædam aliæ referuntur hiſtoriæ in juvenem regem *Ethelbertum* forma inſignem petulantes oculos inceſta regina uxor *Offæ* conjecit, quem quia nullatenus ad conſenſum inclinare valuit, tanquam uxor *Putefar* ſecunda, *Joſephum* alterum in *Ethelberto* reperiens, quaſi vipera aculeis exagitata totum virus evomuit in vindictam; ſicque mater filiæ invidens, & propter repulſam tanti viri quaſi confuſa plurimum erubeſcens, vitam viri ſancti morte crudeli muliebri malicia ſtatuit terminare. Quoniam ſicut in Eccleſiaſtico legitur, *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Et in eodem, *Brevis eſt malicia hominis ſuper maliciam mulieris.* Paſſus eſt igitur ſanctus rex *Ethelbertus* virgo ſimul & martir, palmam victorioſus utramque reportans, xiij. kalend. Junii; cujus meritis & precibus Deus in diverſis *Angliæ* partibus miracula multa & varia operatur.

Audito igitur principis caſu tam inopinato, *Althrida* virgine revelante, militibus *Ethelberti* regis ad propria reverſis, eadem virgo prophetico ſpiritu repleta matri quaſi divina comminatione futura prædixit. Et primo de filio ſuo *Egfrido* per triennium non victuro regnoque ipſius non ſtabiliendo. De ipſa eciam regina turpi morte in brevi moritura, & ultra tres menſes non victura, & ante mortem ſuam dæmonibus arripienda, & linguam ſuam dentibus propriis corrodenda. Quæ omnia ſicut prædicta fuerant poſtea evenerunt. Virgo igitur *Althrida*, quæ & ſecundum quoſdam dicitur *Alfrida*, caſtitatem corporis ſui Deo devovens, ad paluſtres *Croylandiæ* tanquam ad heremum curavit finaliter ſe transferre, ubi contemplationi penitus & devotioni dedita, talari tunica induta, in omni ſanctitate vitæ permanſit, eligens magis abjecta eſſe in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Amputato igitur ſancti regis *Ethelberti* capite, corpus efferri cum capite rex *Offa* præcepit, & in ripa fluminis in comitatu *Herefordiæ* quod *Luggo* dicitur, occulte ſine ſcitu hominum ſepeliri. Cum igitur miniſtri corpus feretro impoſuiſſent, tantæ levitatis inventum eſt, ut levitatem ipſam magno pro miraculo ferendique facilitatem impii quoque ſatellites habuiſſent. Et cum ad locum deſtinatum perveniſſent, corpus cum capite juxta regis *Offæ* edictum ignobili ſepulturæ & tanto viro indebitæ tradiderunt. Sed quia non fuit Dei voluntas ut tam ſanctum corpus ibi occultaretur, columpna lucis ſole ſplendidior eadem nocte ab ejus ſepulcro in cœlum uſque protendebatur, quam ſcintillæ & radii choruſcantes velut omnia in girum devorantur ſequebantur. Tercia vero nocte beatus rex *Ethelbertus* nobili cuidam & prædiviti viro *Brithfrido* nomine in lecto quieſcenti apparuit, præcipiens ei ut corpus effoſſum ad locum qui *Stratus waye* dicebatur efferret, & juxta monaſterium eodem loco ſitum illud reconderet cum honore, & traderet ſepulturæ, nomenque ſuum & mortis cauſam eidem exponens.

Experrectus autem à ſomno ut oculos vir ille apparuit, totam cœleſti lumine domum conſpexit illuſtratam, virumque ſanctum qui ei apparuerat cum toto jubaris ſplendore diſparuiſſe. Hiis autem viſis & auditis, ſurgens *Brithfridus* à cubiculo, non mediocri gaviſus lætitia, multiplices divinæ majeſtati quod ipſum tanta viſione luſtraſſet gratias intimo corde fudit, adjunctoque ſibi ſocio participe laboris & præmii viroque probo cui nomen *Egmundus*, ad locum pariter ipſi acceſſerunt, effoſſumque corpus propriis decenter manibus ablutum & ſindone regali poſt indutum, in quodam curriculo extulerunt. Quo facto, cum de corpore regio læti plurimum & exhilarati fuiſſent, pro capite tamen nondum invento mœſtitiam non minimam habuerunt. Sed fuſis ad Dominum communiter orationibus, caput non procul à corpore ubi non ſperabatur Deo revelante inventum eſt, & ſtatim ad corpus in feretro collocatum. Cumque feretrum verſus locum deſtinatum proſequerentur, contigit ut ad caput à rheda in terram forte dilapſum, quidam per undecim annos oculorum orbatus officio obiter offenderet, & ſtatim deſiderati luminis gaudium recuperaret. Qui confeſtim caput erigens, denique & ſancto *Ethelberto* elata voce gratias agens, curruum veſtigio ſecutus eſt. Et cum aliquantulum proceſſiſſet, ad *Brithfridum* & *Egmundum* qui fatigati itinere parumper repauſabant, gratulanter acceſſit, caputque ab ipſis perditum & ab eo miraculoſe repertum eiſdem reſtituens, rem geſtam & luminis gratiam per egregii martiris merita recuperatam ipſis expoſuit lætabundus. Quibus auditis, *Brithfridus* & *Egmundus* maximo repleti gaudio deum, qui tam mirabilis eſt in ſanctis ſuis & magnus in omnibus operibus ſuis, glorificare non ceſſarunt. Et ſic procedentes uſque ad locum præſignatum ibidem corpus ſanctiſſimum honorifice ſepelierunt, in loco videlicet qui tunc Anglice *Fernlega*, Latine interpretatum *ſaltus filicis* dicebatur, noſtris vero temporibus à comprovincialibus *Herefordia* nuncupatur.

Et *Aſſer* Hiſtoricus veraxque relator geſtorum regis *Alfredi* dicit, quod creſcentibus circa martiris ſepulcri loca virtutum & prodigiorum ſignis, rex *Offa* duos epiſcopos quibus præcipuam fidem habebat, ad inveſtigandum iſtorum eventuum certitudinem *Fernlegam*, quæ nunc *Herefordia* dicitur, deſtinavit. Contigit autem tunc quendam potentem virum & magnificum, qui finibus *Lidburiæ* borialis & *montis Gameri*, & aliis partium illarum terris ampliſſimis dominabatur, ad locum eundem eadem hora cauſa recuperandæ ſanitatis de quadam paſſione qua vexabatur per merita martiris adveniſſe: patiebatur enim continuam capitis concuſſionem; unde & ab eventu ejuſdem paſſionis ſuper eum ſortitus agnomen *Egwinus quatiens caput* vocabatur. Qui cum nocte eadem ad ſepulcrum ſancti regis *Ethelberti* vigiliis & obſecrationibus devote & humiliter deſerviret, demum divina diſpoſitione demiſſo capite parumper obdormivit. Sed à ſompno poſt puſillum expergectus & undique circumſpiciens, quæſivit à ſuis ubi eſſet ille bonus vir qui caput ei tam liberaliter in gremio ſuſtinuerat dormienti. Cum autem reſponſum accepiſſet quod neminem vidiſſent, & ſanitatem ſe recepiſſe ſentiebat, quia poſt dormitionem illam caput ſuum quiete & abſque motu quolibet enormi jam regebat, ſtatim exurgens Deo & martiri *Ethelberto Lidburiam* borialem cum omnibus integre pertinentiis ſuis laudabili munificentia largitus eſt, dicens, Quia rem ſub cœlo quam magis deſiderabam, ſanitatem ſcilicet, contulit michi martir inſignis, te à me ideo quam in terris plus dilexi, *Lidburia* videlicet, dignus eſt imperpetuum remunerari. Hæc autem prima terrarum omnium, ut aſſerunt, fuit quæ beato *Ethelberto* collatæ fuerant. Rex autem *Offa* de hiis & aliis virtutibus & prodigiis multis jam certus, ſuperbiam ſuam ad tantam humilitatem & pœnitentiam reduxit, quod decimam partem omnium rerum ſuarum eccleſiæ ſanctæ dedit, & ut fertur aliorum fidelium exemplo provocatus terras plurimas circa *Herefordiam* martiri contulit, quas & eccleſia *Herefordenſis* uſque in hodiernum diem tenet. Monaſterium quoque ſancti *Albani* & alia quædam egregia fertur per *Angliam* fundaſſe cœnobia & ditaſſe. Et ſic demum *Romam* profectus & Apoſtolorum limina devote veneratus, multiſque ibidem eccleſiæ conſilio cauſa pœnitentiæ egregie geſtis, ad vitæ correctionem condignamque compunctionem gratia cooperante ſignis & miraculis exitis provocatus: nam, ut dicitur communiter, illum cenſum qui Romeſcot ſive Peterſpeny vocatur, Deo & beato *Petro* & Domino papæ qui tunc fuerat & ſucceſſoribus ſuis primo contulit pro perpetuo atque dedit.

Quo defuncto, *Egfridus* filius ſuus vix per annum & centum quadraginta dies pro patre regnavit, & ſic completum eſt quod prophetice virgo *Althrida* ſive *Alfrida* prædixerat, quod poſt necem martiris *Ethelberti* tribus nequaquam annis *Merciorum* populis imperaret. Hiis & hujuſcemodi ſignis beatus *Ethelbertus* de die in diem magis innotuit, quouſque *Merciorum* rex *Milefridus* ſanctitatem viri Dei fama vulgante cognovit. Qui & quemdam epiſcopum ſuum virum ſimplicem & ſanctum, de cujus diligentia plurimum confidebat, ad locum deſtinavit, jubens de morte martiris & cauſa, ac de miraculis & ſignis ibidem, meritis ejuſdem à Deo declaratis diligens ei ſcrutinium facere, rerumque geſtarum prudenti indagine certitudinem reportare. Quo facto, regis innocentis interitum quem didicit magnaliaque Dei multa, nec ſolum ea quæ audivit, verum & illa quæ ibidem oculis conſpexit, ſuo Principi nunciavit. *Milefridus* igitur rex hiis auditis, quamquam in remotis regni ſui partibus tunc temporis ageret, tranſmiſſa ad locum eundem pecunia multa, eccleſiam egregiam lapidea ſtructura ad laudem & honorem beati martiris à fundamentis incepit, & pia devotione Domino auxiliante perfecit; & in eodem loco primus regum omnium epiſcopum conſtituens, eandem eccleſiam cathedrali dignitate ſublimavit, quam terris plurimis & prædiis amplis, palliis oloſericis & ornamentis egregiis regia quoad vixit munificentia ditare quidem non ceſſavit.

Poſt ſanctum *Ethelbertum* martirii laureo in flore juventutis ſuæ ut dictum eſt coronatum, regnum *Eſtangliæ* per aliquot annos cum commotione & deſolatione, ſub regulis & tirannis uſque ad adventum ſancti *Edmundi* regis turbatum duravit, quia illud regnum nunc reges *Weſtſaxiæ*, nunc reges *Canciæ* in dominio tenebant, nunc aliqui vel aliquibus illud dabant, unde aliquando unus rex ibi erat, aliquando multi reguli, ultimus tamen *Anglorum* ſanctus *Edmundus* ſub rege *Weſtſaxiæ* ibidem regnavit, qui de Saxonia veniens apud Bury in regem *Eſtangliæ* coronatur, de cujus perſecutione & morte ſive martirio multa poſt diviſionem regnorum reſtant inferius dicenda. Quo interfecto, *Godrim Dacus* ibidem regnavit. Poſtea *Daci* regnum minutim partiti ſunt, fuitque ſub eis uſque dum regi *Edwardo* pro maxima parte ſubjectum erat, & ſic demum illud regnum *Eſtangliæ* dominio *Weſtſaxiæ* contingebat.

Regnum occidentalium *Saxonum* ſive *Weſtſaxonum* i. *Weſtſaxia*, quod antiquitus *Gewiſſe* ſive regnum *Gewiſcorum* vocabatur, incepit à rege *Sardic*, cui ſucceſſit rex *Henricus*, cui *Kewelinus*, cui *Ceolricus*, cui *Kenwolfus*, cui rex *Kenglis* ſucceſſit. Cujus tempore ecce fama ſuaviſſimæ opinionis ſancti *Birini* presbyteri de civitate *Romana* nati ad aures *Honorii* ſummi pontificis uſque pervenit, qui ipſum *Birinum* ad ſe vocatum qualem fama audierat, talem, imo meliorem reperiens, per *Aſterium* qui tunc ſibi ad eorum *Genuenſem* epiſcopum, eum ad epiſcopatus evexit officium ſine mora. Tunc beato *Birino* honorifice ſublimato, venerandus papa *Honorius* antedictus mandatum dat, ut ſibi *Britanniam* quæ adhuc maxima ex parte paganis involvebatur erroribus provinciam legat, quam verbo fidei & vitæ exemplo confirmet. Qui benedictione accepta mandatum implere feſtinans, decurſis multarum terrarum ſpaciis pervenit ad mare, ubi navem aſcenſurus divina celebrat miſteria pro ſe ſuiſque offerens Deo pia libamina hoſtiæ ſalutaris. Urgente & inſtante navigationis articulo navem aſcendit; tolluntur armenta, ventus inſurgit, navis unda tumulante ſuccurritur. Dederat ſiquidem prædictus papa *Honorius* beato *Birino* pallulam ſuper quam corpus Chriſti conſecrabat, corpuſque Dominicum in eadem involutum, quod collo ſuſpenſum ſemper ſecum portabat, inter ſacrandum ſuper ſanctum altare ponere conſueverat. Sedato itaque tanto tanti apparatus tumultu reminiſcitur beatus *Birinus* ſe quod carius ſibi erat amiſiſſe, & in littore unde aſcenderat tumultu præpeditum prædictam pallulam reliquiſſe. Quid multa? fide armatus in mare deſcendit, & Deo duce per mare quaſi per aridam ſecurus incedit. Compos voti & accepto quod reliquerat, via qua venerat reverſus, reperiit ventis inutilibus navem ſtantem quam reliquerat per vada marina quaſi volantem. Intravit pontifex & inventus eſt non unam ſtillicidii guttam in veſtimento ſuo habere. Expavere qui in navi erant miraculum, eumque cultorem Dei fatentur & adorant ut Deum. Tunc beatus *Birinus* intelligens eos à ſpiritu ſancto viſitatos interius, evangelizabat illis catholicam fidem. Nec mora ydolatriæ abrenunciantes ſe credere confitentur, & quod præciperet perficere pollicentur. Benedixit aquam, denique reſperſit ſuper eos & baptiſati ſunt, fidem ſanctæ Trinitatis corde & ore profitentes. Sopore in eis divinitus immiſſo non unus præter ſolum pontificem de tanta multitudine ſuperfuit qui vigilaret. Illo vero qui non dormitabit neque dormiet iter navis dirigente, ad optatum pervenitur portum, ubi vir Dei triduo commoratus fidem ſanctæ & individuæ Trinitatis cunctis qui aderant indeſinenter prædicavit. Erant autem ex hiis qui eum ibidem audiebant multi ad fidem catholicam prius per prædicationem beati *Auguſtini* converſi.

Erat autem ibidem mulier quædam annoſa quæ jam per multum tempus nec videre quid nec audire prævalebat, cui de nocte in lecto ſuo quieſcenti per viſum ſignificatum eſt, ut ad beatum antiſtitem celeriter ire debeat, quia ille ſanaturus eſt eam, & ſibi foret medicina. Quid plura? ſurgit muliercula & parat ducem qui greſſus ejus regat, ad ſervum Dei ire conſcendit: & cum coram eo perveniſſet, rogat neſciens quem precatur. Intellexit vir Deo plenus deſiderium mulieris, pietate motus dexteram levat, auribus & oculis ſignum crucis opponit; nec mora, diſſolvitur cæcitas, redditur viſus, vicio ſurditatis eliſo reparatur auditus. Mirantur omnes & gaudent, magnalia Dei prædicant, ſervum Dei veneratione attollunt. Itaque beatus *Birinus* inde egreſſus gentem *Gewiſcorum* paganiſſimam ingrediens, eos & *Kynglis* eorum regulum baptizavit.

Contigit autem pulcre tunc temporis ſanctum *Oſwaldum* regem *Northumbria* affuiſſe, eumque de ſacro lavacro ſuſcepiſſe, cujus filiam ipſe *Oſwaldus* erat in conjugem accepturus. Ambo autem reges *Birino* civitatem *Dorcia*, id eſt *Dorkeceſtra*, ad ſedem ibi epiſcopalem faciendam donaverunt, ubi poſtea conſtructa eccleſia & dedicata, idem epiſcopus ſepultus eſt. Et poſt multos annos tempore *Hedde* epiſcopo epiſcopatu inde in *Wentam* civitatem, quæ *Vinceſtria* vocatur agente tranſlato, in eccleſia *Petri* & *Pauli* poſitus eſt. Defuncto autem rege *Kenglis* ſucceſſit filius ejus *Cenwaldus*, qui fidem renuit, nec impune. Repudiata enim ſorore *Penda* regis *Merciorum* quam duxerat, aliamque ducens, bello victus eſt & ab illo regno pro tempore privatus, triennioque apud *Annam* fidelem regem orientalium *Anglorum* exulans, fidem iterum recognovit. Cumque poſtea *Cenwaldus* regno eſſet reſtitutus, conſtituit epiſcopum *Ailbertum* natione Gallicum, gratia tunc legendi de *Hibernia* venientem. Sed poſtea rex niſi *Anglicum* tantum ſciens, barbara lingua confuſus, *Wyne* ſuæ linguæ epiſcopum in *Gallia* ordinatum in ſua provincia introduxit, quam in duas parochias, id eſt dioceſes dividens, *Wyne* tribuit ſedem *Wenta*, unde *Ailbertus* quod hæc ipſo inconſulto ageret offenſus *Galliam* rediit, & epiſcopatu *Paryſius* accepto illum uſque ad obitum ſuum tenuit. Poſtmodum idem rex *Cenwaldus Wyne* ab epiſcopatu *Wenta* expellebat, qui ad *Wolferum* regem *Merciorum* ſecedens, ab eo *Lundonienſis* civitatis precio ſedem emit, ejuſque epiſcopus uſque ad obitum ſuum manſit. Carente igitur provincia *Gewiſcorum* paſtore, cum rex hoſtibus & dampnis ideo ſæpius affligeretur, pro *Ailberto* antedicto *Pariſius* deſtinavit: Qui epiſcopatum illum demittere nolens, nepotem ſuum *Leutherium* ei miſit. Hic in *Angliam* veniens, à *Theodoro Dorovernenſi* archiepiſcopo ſucceſſore *Deuſdedit* in epiſcopum ordinatus, epiſcopatum *Gewiſcorum* longo tempore ſolus rexit.

Cenwaldo rege occidentalium *Saxonum* defuncto, ſucceſſerunt ei *Sexburc* regina uno anno regnans & *Egwyn* duobus annis; Quibus ſucceſſit *Kentwinus* cujus tempore anno regni ſui quinto ſub die xv. kalend. Octobris Indictione viij. *Theodorus* antedictus Dei gratia archiepiſcopus *Britannia* inſulæ, & civitatis *Dorovernenſis* una cum eo ſedentibus cæteris epiſcopis *Britannia* inſulæ, in loco qui vocabulo *Saxonico* **Hatfelde** nominatur, poſt converſionem omnium provinciarum *Britannia*, conſilium de fide catholica habuit & tractatum, ut inferius inter reges *Southſaxia*, cujus gens cum inſula *Vecta* ultimo converſa fuit, plenius eſt notatum.

Kentwino vero rege *Weſtſaxonum* defuncto ſucceſſit ei *Cedwalla*, qui viribus & auxilio *Wulfe* fratris ſui *Vectam* inſulam fecit ſuam. *Wulfe* namque frater ejus laudabilis & gracioſus erat ac terribilis viribus & aſpectu decorus, & ideo omnibus erat amabilis & famæ prærogativa clariſſimus. Perrexerunt igitur fratres prædicti in *Kentenſem* provinciam, am, cauſa virium ſuarum exercendarum & famæ etiam ampliandæ, qui quamvis plures eorum prædeceſſores & populus omnis Chriſtiani eſſent, nondum tamen erant ſacro lavacro baptizati. Ingredientes igitur *Canciam* non obſiſtente aliquo totam provinciam ſunt prædati. *Cedwalla* namque cum regnum *Cancia* invaderet, *Lotharius* rex ejuſdem moriens deſeruit regnum ſuum, qui impiger in pugna auſtralium *Saxonum*, quos contra eum *Eadrik* filius *Egberti* agregaverat, inter immania vulnera quæ acceperat medenda defunctus eſt, ac poſt eum idem *Eadrik* anno uno & dimidio *Canciam* ſine reverentia & amore *Kentenſium* gubernavit. *Cedwalla* rex *Weſtſaxia* anno regni ſui ſecundo petitione fratris ſui *Wolfe* ipſum & juvenes cum eo fortiſſimos, eo quod lucrum anni præteriti glorioſum & famæ precium non exoſum ad *Canciam* prædandam ipſum allexerant, iterum deſtinavit. Qui illuc pergens, nec aliquos ſibi reſiſtentes inveniens, terram prædando in ſolitudinem redegit, & Chriſti ſervos inmerito affligens eorum ſenſit merito maledicta, nam cum hoſtes effeminatos duceret & nichil ſibi pro viribus prævideret, in domum quamdam longe à ſuis cum xij. tantum militibus irruit prædaturus, ubi inopinata multitudine circumventus quia armis cædi non poterat, in ipſa domo igne cum ſuis xij. militibus eſt combuſtus, ſic periit ibi flos juvenum & excercitus ab illa patria rediit juvenilis. Hæc audiens frater ejus *Cedwalla* rurſus *Canciam* ingreſſus eſt, ubi mirabili cæde & innumera ſaciatus rapina, cum quid cæderet vel raperet minime inveniret, ad ſua ſævus vindex rediit magnus victor. Cumque iſte rex *Cedwallà* duobus annis regnaſſet, regnum ſuum propter deum & regnum perpetuum abdicans, *Romam* petiit, illud gloriæ ſingularis ſibi æſtimans ſi ibi mori poſſet & à ſummo pontifice baptiſari. *Sergius* ergo papa eum baptiſans, ex nomine Apoſtoli eum *Petrum* vocavit. Rex vero ſecundum votum ſuum infra vij. dies in albis xij. kalend. Maii viam univerſæ carnis ingreſſus ibi in ſancti *Petri* eccleſia ſepelitur, ſuper cujus tumbam hoc epythaſeum ſcriptum eſt.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Eximios proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quaque patrum virtus & qua convicerat ipſe,
Cedwall *armipotens liquit amore Dei.*
Ut Petrum *ſedemque* Petri *rex cerneret hoſpes,*
Cujus fonte meras ſumeret alvus aquas.
Splendificumque jubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiens alacer rediviva præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum
Converſus convertit ovans, Petrumq; vocari
Sergius antiſtes juſſit ut ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans
Protinus allatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, mira clementia Chriſti,
Cujus conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſuppremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templum venerandum
Aſpexit lætus myſtica dona rogans.
Candidus inter oves Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

De iſto rege *Cedwalla* alia pauca hic non tacta tam de hiis quæ geſſit antequam ad regiam excellentiam ſublimatus fuerat quam poſt, adhuc reſtant breviter inter reges *Southſaxia* inferius pertractanda.

Cedwalla vero rege *Weſtſaxonum* ut præmittitur *Roma* defuncto, *Ine* poſt eum in eodem regno xxxvij. annis nobiliter regnavit. *Ine* fuit filius *Cenred* filii *Ceowolde* & frater *Chinewolde*, qui ambo fuerunt filii *Cudwyne*, fratris *Chealyng*, fratris regis *Kenryk*, fratris regis *Cerdic*, à quo iſtud regnum *Weſtſaxia* incepit. Anno hujus regis *Ine* ſecundo *Theodorus Dorovernenſis* archiepiſcopus, qui *Roma* ordinatus fuerat poſtquam multa bona feciſſet, & librum qui vocatur *Pœnitentiale* ſcripſiſſet, anno epiſcopatus ſui xxij. vitam hujus ſeculi terminavit. Cui *Brithwoldus* primo Abbas in archiepiſcopatu ſucceſſit, ut ſuperius inter reges *Cancia* plenius notatur. Eo tempore duo reges, ſcilicet *Wychberd* & *Wedbard*, non tam ſecundum regiam ſtirpem, quam invaſionem in Cancia ſimul erant. Anno *Ine* regis ſexto *Withredus* legitimus rex *Kentenſis* in regno ſuo religione, & induſtria confortatus gentem ſuam de invaſione extranea liberavit, ac xxxiij. annis nobiliter & pacifice regnum *Cancia* gubernavit. Et cum eodem anno *Ine* rex *Weſtſaxonum* combuſtionem dicti *Wolf* cognati ſui, (de cujus combuſtione ſupra inter reges *Cancia* tempore regis *Eadrik* plenius habetur) dum eſſet in expeditione aquilonali, vindicaturus acies terribiles in *Cancia* deducere ordinaſſet, dictus *Withredus* rex *Cancia* non cum feroci arrogantia nec minis ferventibus, ſed pacifica ſupplicatione obvians, regi fero perſuaſit ut à *Kentenſibus* pro morte juvenis pecuniæ acciperet ſummam magnam; & ſic lite ſedata & pace ſtabilita dictus *Ine* in ſuã patriã eſt reverſus, & dictus rex *Kentenſis* abhinc ſemper in pace regnavit. Supradictus rex *Ine* conſilio *Aldelmi* epiſcopi conſtruxit monaſterium *Glaſtonia*, quod ſplendide duravit uſque ad tempora Danorum diebus *Alvredi* regis, quod tandem ſub patre *Dunſtano* ope regum *Edmundi* & *Edgari* in libris, ornamentis, fundis egregie reparatum eſt uſque ad tempora *Normannorum*. Cæterum extunc quo infortunio neſcio ſemper peſſimis infracta eſt laboribus, quinetiam Abbates loci rerum gloria elati tyrannos ſe exhibent, foris tumidi ſed invalidi, intus crudeles & incommodi, quod potiſſime liquet ex facto Abbatis *Thurſtini* tempore regis *Willielmi* primi. Illuc tranſlata ſunt corpora ſanctorum, *Hilda* Abbatiſſæ, *Colfridi* abbatis *Girwienſis*, aliqua oſſa *Aidani* epiſcopi quæ advexit *Edmundus* rex. *Ine* anno regni ſui xx. epiſcopatum *Suthſaxia* qui unus eſſe ſolebat, in duo diviſit, unde partem orientalem à ſilvis *Damel* epiſcopatum *Wenta* tenuit, partem vero occidentalem *Aldelmus*, cui *Aldelmo* mortuo ſucceſſit *Forhere*.

Ine anno regni ſui xxvj. contra *Cheolredum* regem *Merca*, apud **Bonybury** adeo ſtrenue præliavit ut neutra pars victa, cui eorum clades deteſtabilior contigerat neſciatur. *Ine* anno regni ſui xxxvj. exercitum ſuum in *Suthſaxiam* promovit, & contra *Suthſaxos* potenter & victorioſe pugnavit, *Ealbrith* quem prius de caſtro à rege *Ine* conſtructo quod dicitur **Tantune** fugaverat in illo prælio extinguendo. Et poſt hæc licet potens & magnus inter reges extitit, ut felix tamen Deo deſervire deſiderans, regnum *Adelardo* cognato ſuo reliquit, & deinde in terris peregrinans *Romam* petiit, & ibi monachus factus moriens ſtipendia cœleſtia merebatur. Iſte rex *Ine* dum regnavit Inſtitutiones ſive leges genti ſuæ condidit ſolempnes, quas in iſto libello cum ſuis primo capitulis inſerere dignum duxi.

CAP. I.

De regula miniſtrorum Dei.

II.

De infantium baptiſmo.

III.

De opere diei Dominicæ.

IV.

De cyrieſceattis.

V.

De fugientibus ad eccleſiam.

VI.

De pugna in domo regis vel in eccleſia, vel in domo Aldermanni, vel Baronis, vel in Gavelgilda, in domo vicini vel in campo vel in potatione.

VII.

De furto viri unde uxor neſciat neque liberi.

VIII.

Quæ ætate cavendum ſit à furto.

IX.

De poſtulatione recti.

X.

De vindicantibus antequam rectum poſtulent.

XI.

De roberia & violenta captione.

XII.

De illis qui compatriotas ſuos emunt.

XIII.

De fure capto.

XIV.

De illis qui coram epiſcopo teſtimonium ſuum vel vadium infringunt.

XV.

De differentia inter fures, cohortem & exercitum.

XVI.

De accuſatis de holp, id eſt, cohorte.

XVII.

De heretaynes, ducentibus exercitum.

XVIII.

De fure in vinculis regis.

XIX.

De fure occiſo.

XX.

De carne furtiva.

XXI.

De cirliſco fure capto.

XXII.

De colono regis fiſcalino.

XXIII.

De ignoto in nemore deviante.

XXIV.

De colono vel villano alicujus qui eſt fur.

XXV.

De wera advena occiſi.

XXVI.

De fure Anglico.

XXVII.

De mercatoribus aliquid ementibus.

XXVIII.

De nutritura inventi pueri.

XXIX.

De puero in occulto procreato.

XXX.

De fure capto cum furto.

XXXI.

De præſtantibus gladium vel lanceam vel equum ad homicidium domini.

XXXII.

De Cirliſcis forbannitis.

XXXIII.

De emente feminam & precium retinente.

XXXIV.

De wera waliſci.

XXXV.

De wera waliſci ſtabularii regis.

XXXVI.

De præſente ubi aliquis fuerit occiſus.

XXXVII.

De interficiente furem.

XXXVIII.

De fure capto & dimiſſo vel furto celato.

XXXIX.

De culpa cirliſci hominis de furto ſuſpecti.

XL.

De femina quæ per ceorlum puerum habeat & ipſe abeat.

XLI.

De diſcedente à domino ſuo ſine licentia.

XLII.

De villani manſione claudenda.

XLIII.

De plegio negando.

XLIV.

De villanorum paſcuis claudendis.

XLV.

De animalibus ſepes vicinorum frangentibus.

XLVI.

De nemoris combuſtione.

XLVII.

De ſuccidentibus ligna in nemore alterius.

XLVIII.

De ligno truncato ſub quo xxx. porci ſtare poſſunt.

XLIX.

De borgi fractura.

L.

De homine de furto vel retecto culpato.

LI.

De firmatione & wera fractione.

LII.

Non debet advocari ad ſervum ſi furtivum intercietur.

LIII.

De illo qui propter forisfactum in ſervitutem tranſit.

LIV.

De obviante porco in paſnagio ſuo.

LV.

De paſnagio capiendo.

LVI.

De compoſitione ſidercundi hominis cum rege vel Aldermanno regis, pro familia ſua vel cum domino pro ſervo & libero.

LVII.

De ſidercundo expeditionem regis ſuperſedente.

LVIII.

De accuſatione alicujus occulti.

LIX.

De forisfangio furtivi hominis.

LX.

De accuſato de homicidio & negare voluerit.

LXI.

De precio ovis cum agno ſuo.

LXII.

De animali infirmo vendito.

LXIII.

De nativo in cujus domo animal furatum inveniatur.

LXIV.

De emendatione cornu vel oculi bovis vel vacca.

LXV.

De bobus conductis.

LXVI.

De Ciricſceattis *ubi danda ſunt.*

LXVII.

De accuſato pro delicto & iterum fuit accuſatus.

LXVIII.

De homine ſidercundo mutante manſionem ſuam.

LXIX.

De habente xx. hidas & mutante manſionem.

LXX.

De virgata terra ad gablum accipiendum.

LXXI.

De homine ſidercundo fugato.

LXXII.

De ovis termino cum vellere ſuo.

LXXIII.

De wera twihundi hominis.

LXXIV.

De decem hundis quid debet reddi ad corredium.

LXXV.

De homicida accuſato primo negante, poſt confitente.

LXXVI.

De weregildi furis forisfango.

LXXVII.

De furto quod vetus eſt una nocte.

LXXVIII.

De ſervo Waliſco Anglicum *occidente.*

LXXIX.

De furtivi captalis forisfango.

LXXX.

De occidente filiolum vel patrinum alicujus.

EGo *Ine* Dei gratia *Weſtſaxonum* rex, exhortatione & doctrina *Conredis* patris mei, & *Hedda* epiſcopi mei, & *Herchenwoldi* epiſcopi mei, & omnium Aldermannorum meorum & ſeniorum ſapientum regni mei, multaque congregatione ſervorum Dei, ſolicitus de ſalute animarum noſtrarum & de ſtatu regni mei, conſtitui rectum conjugium & juſta judicia pro ſtabilitate & confirmatione populi mei benigna ſedulitate celebrari; & nulli Aldermanno vel alicui de toto regimine noſtro conſcripta Judicia liceat abolere.

CAP. I. Sax. 1. *Editione Cantab.*

Inprimis pracipimus ut miniſtri domini rectam diſciplina ſancta regulam juſte cuſtodiant. Poſtea volumus ut totius conjugia populi ſint & judicia devote conſervata.

II. Sax. 2.

Puer infra xxx. noctes baptizetur; & ſi non ſit, xxx. ſolidis emendetur; ſi moriatur ſine baptiſmo, emendetur tota pecunia.

III. Sax. 3.

Si ſervus operetur dominica die per praceptum domini ſui, ſit liber, & dominus emendet xxx. ſolidos ad Witam. *Si ſervus ſine teſtimonio domini ſui operetur, corium perdat. Si liber operetur illa die juſſu domini ſui, perdat libertatem ſuam.*

IV. Sax. 4.

Ciricſceatta *reddita ſint in feſto ſancti Martini; ſi quis hoc non compleat, ſit reus lx. ſolidorum, & duo decuplo reddat ipſum* ciricſceattum.

V. Sax. 5.

Si quis ſit mortis reus, & ad eccleſiam fugiat, vitam habeat, & emendet ſicut rectum conſulet. Si quis corium ſuum foriſfaciat, & ad eccleſiam incurrat, ſit ei verberatio condonata.

VI. Sax. 6.

Si quis pugnet in domo regis, totius pecunia ſua ſit reus, & ſit in arbitrio regis utrum vitam habeat vel non. Si quis in eccleſia pugnet C.xx.s. *emendet, & alios* lx. *emendet pro* wyta. *Si autem in* gavelgilda, *id eſt, in gablum reddente domo fiat, vel in* gebures, xxx. *ſolidos culpa judicetur, & ipſi* geburo vj. s. *Et licet in mediis campis ſit dimicatum,* C.xx.s. wytæ *reddantur. Si quilibet in potatione decertent, & alter eorum cum patientia ſuſtineat, reddat alius* xxx. s *foriſfacti.*

VII. Sax. 7.

Si quis furetur ſic ut uxor ejus neſciat hoc, neque pueri ſui, reddat wytæ lx. s. *Si in teſtimonio & conſcientia totius familia ſua furetur, tranſeant omnes in ſervitutem.*

VIII. Sax. 7.

Puer decem annorum debet ſcire, ne furtim faciat.

IX. Sax. 8.

Si quis ſibi rectum roget coram aliquo Schirmanno *vel alio judice & habere non poſſit, & accuſatus vadium recti dare nolit, emendet* xxx. s. *& infra* vij. *noctes faciat ei rectitudinem.*

X. Sax. 9.

Si quis vindicet antequam rectum ſibi poſtulet, quodcumque per vim ceperit reddat, & emendet xxx. s.

XI. Sax. 10.

Si quis inter commerciones regni noſtri robariam & violentam captionem faciat, reddat ipſam robariam, & perſolvat, & emendet lx.s. *pro* wyta.

XII. Sax. 11.

Si quis compatriotam ſuum emat ſervum vel liberum, licet reus ſit ultra mare, ſolvat eum weta *ſua.*

XIII. Sax. 13.

Si fur capiatur vel vitam ſuam weregildo *redimat.*

XIV. Sax. 12.

Si quis coram epiſcopo teſtimonium ſuum & vadium mentiatur, xxx.s. *emendet.*

XV. Sax. 13.

Fures nominamus ad ſeptem homines vel octo. Holp, *id eſt, cohortem vel ſatellites uſque ad* xxv. demces *eſt* here, *id eſt, exercitus.*

XVI. Sax. 14.

Qui de Holp *fuerit accuſatus abneget per* C. xx. *hidas vel ſic emendet.*

XVII. Sax. 15.

Qui herethaynus, *id eſt, conducens exercitus fuerit accuſatus,* weregildo, *id eſt, natalis ſui precio ſe redimat, vel ſecundum* weram *ſuam neget, & debet eſſe medietas jurantium per* hulſgonges, *id eſt,* xij. *hyndos.*

XVIII. Sax. 15.

Fur poſtquam eſt in vinculis regis non habet hanc abnegationem.

XIX. Sax. 16.

Qui furem occiderit, debet inveritare cum juramento, quod illum culpabilem & de vita foriſfactum occidiſſet, & non ſolvat.

XX. Sax. 17.

Qui furtivam carnem invenerit occultatam, ſi andeat liceat ei inveritare jurejurando quod ſua ſit. Qui inveſtigabit eam, habeat ꝥ melde feoh, *id eſt, pecuniam indicationis vel delaturam.*

XXI. Sax. 18.

Cirliſcus *homo qui ſape fuerit accuſatus de furto, & deinceps inveniatur reus in capitali vel in alia manifeſta culpa, truncator ei manus vel pes.*

XXII. Sax. 19.

Regis gernereat, *id eſt, colonus fiſcalinus ſi wera ſua ſit,* xij hundſcil, *id eſt, duodecies c. s. poteſt jurare per* lx. *hidas, id eſt, pro hominibus* vj. *ſi ſit* hulſgengag i. e. xij. hind. *vel husbanda.*

XXIII. Sax. 20.

Si quis alienigena vel ignotus ſine via vadat in nemus, ut nec ore clamet, nec cornu ſonat, pro fure ſit occiſus; & ſolvatur ipſius occiſi congildonibus *vel domino ſuo; ſi celaverit, & fiat deinceps quandoque notum, tunc ampliabit mortuo ad juramentum quod licet parentibus ſuis purgare eum.*

XXIV. Sax. 21.

Si tuus gernereat i. e. *colonus vel villanus furatus fuerit & amittas eum, ſi habeat plegium admone eum de* angildo. *Si non habeas, redde tu* angildum, *& non ſit ei in aliquo remiſſius.*

XXV. Sax. 22.

Si homo alienigena occidatur, habeat rex duas partes weræ ſuæ, terciam partem habeant filii vel parentes ſui. Si parentes habeat, dimidiam habeat rex, dimidiam conſocii regis. Si autem abbas vel abbatiſſa interſit, dividant eodem modo cum rege. Wealh *qui gablum reddit* c. xx. s. *filius ejus* c. s. *ſervus* lx. s. Somhwilne l. s. *ſervitorium* xij. s.

XXVI. Sax. 23.

Si Anglicus furetur qui foriſfacturam inſervierit, ſuſpendatur & non ſolvatur domino ſuo. Si occidatur, non ſolvatur parentibus ſuis, ſi non intra xij. *menſes eum redemerint.* Weath, *ſi habeat* v. *hidas eſt* fixhinde.

XXVII. Sax. 24.

Si mercator in populis emat aliquid, faciat hoc coram teſtibus. Si quid furtivum intercietur ſuper mercatorem, & hoc coram bonis teſtibus non emerit, juret ſecundum witam quod nec furti conſcius vel coadjutor fuerit in eo, vel emendet xxxvj. s. witæ, i. e. *foriſfactura emendationi.*

XXVIII. Sax. 25.

Ad inventi pueri victum primo anno vj. s. *reddantur, ſecundo anno* xij. s. *tercio anno* xx. s. *deinceps ſecundum precium ſuum.*

XXIX. Sax. 27.

Qui in occulto puerum gennerit, & celaverit, non habeat pueri ipſius weram ſi occidatur, ſed rex & dominus ſuus.

XXX. Sax. 26.

Qui furem ceperit habeat inde x. s. *& rex ipſum furem; & parentes ejus abjurent ejus factioni. Si repugnet aut aufugiat, reus ſit* witæ: *Si negare velit, abneget ſecundum modum pecunia* witæ.

XXXI. Sax. 28.

Qui gladium praſtabit ad homicidium, ſi occidatur homo, reddat tertiam partem compoſitionis ejus. Qui lanceam praſtiterit, dividat weram. Qui equum praſtiterit, totum reddat.

XXXII. Sax. 29.

Si cirliſcus *homo foriſbanniti firmationis accuſetur, per ſuam ipſius weram neget. Si non poſſit, perſolvat eum wera ſua, & ſape* Sithman *etiam ſic per* weram *ſuam.*

XXXIII. Sax. 30.

Si quis emat ſibi feminam preciumque non compleat, reddat ipſam pecuniam & perſolvat, & emendet plegio ſicut erit infractio plegii ſui.

XXXIV. Sax. 31.

Si homo Waliſcus *habeat terra hidam,* wera *ſua eſt* c. xx. s. *Si dimidiam habeat,* lxxx. s. *Si nullam habeat,* lx. s.

XXXV. Sax. 32.

Regis equi Waliſcus *qui nunciare poſſit ad eum* weregildum *ejus eſt* cc. s.

XXXVI. Sax. 33.

Qui in collegio fuerit ubi aliquis occiſus ſit, adcredulitet ſe quod eum non percuſſit, vel emendet ſecundum occiſi weregildum. *Si* weregildum *ejus eſt* cc. s. *emendet* l. s. *& idem rectum fiat de carnis genitis.*

XXXVII. Sax. 34.

Qui furem occiderit, liceat ei probare jurejurando quod eum fugientem pro fure occidit, & parentibus ipſius occiſi juret unceaſes ax, i. e. *ſacramentum ſine electione vel nominatione. Si concelaverit & fuerit deinceps manifeſtum, tunc perſolvat eum. Si ad illum hominem vocetur qui prius abjuraverat vel abjurare vult, perneget ſecundum modum wita & precium pecunia. Si nolit abjurare, emendet ipſum* mainad, i. e. *perjurium dupliciter.*

XXXVIII. Sax. 36.

Qui furem ceperit, vel captum reddiderit, vel ipſum dimiſerit, vel furtum celaverit, reddat ipſum furem ſecundum weram *ſuam. Si Aldermannus ſit, perdat comitatum ſuum.*

XXXIX. Sax. 37.

Cirliſcus *homo qui fuerit ſape inculpatus de furte, & poſtea culpabilis inventus in capitali vel aliter in manifeſto reus, amputetur ejus manus, vel pes.*

XL. Sax. 38.

Si Ceorlus *& femina puerum ſimul habeat, & abeat homo viam ſuam, habeat mater puerum & nutriat, reddantur ei* vj. s. *ad nutriendum; vacca in aſtate, bos in hyeme; cuſtodiant parentes ejus hoc primum captale donec puer excreverit.*

XLI. Sax. 39.

Si quis diſcedat à domino ſuo ſine licentia, vel in alium comitatum ſe transferat, & deinceps inveniatur, redeat illuc ubi antea fuit, & emendet domino ſuo lx. s.

XLII. Sax. 40.

Ceorles weordyng, i. e. *ruſtici curtillum debet eſſe clauſum aſtate ſimul & yeme, Si diſclauſum ſit & introeat alicujus vicini ſui captale per ſuum apertum, nichil inde recipiat, ſed educat & patiatur dampnum ſuum.*

XLIII. Sax. 41.

Plegium licet homini purgare, ſi ſciat quod rectum faciat.

XLIV. Ceorli

XLIV. Sax. 42.

Ceorli *habeant herbagium in communi vel aliam compaſcualem terram vel diviſam claudendam, & quidam eorum partem ſuam clauſerunt, quidam vero non, & comedant eorum compaſcuales acras vel herbagium, eant tunc illi quorum porta fuerit, & emendent illis qui partem ſuam clauſam habeant dampnum quod factum ſit, & acquirant ſibi de captali ſic rectum ſicut congruum ſit.*

XLV. Sax. 42.

Si vero animal ſit quod ſepes frangat, & aliquod introeat, & dominus cujus animal eſt nolit ipſum cuſtodire vel non poſſit, capiat hoc in cujus acra obviabit, & occidat, & recipiat agenfriga *corium ejus & carnem, & paceatur de cætero.*

XLVI. Sax. 43.

Si quis in nemore trabem combuſſerit, & notum denique fuerit in actore, ſolvat plenam witam, *& emendet* lx. s. quia ignis eſt fur.

XLVII. Sax. 43.

Si quis in nemore multa ligna ceciderit, & poſtea compareat, ſolvat tria ligna unumquodque xxx.s. *neque amplius cogitur per legem ſolvere quotquot fuerint, quia* ſecuris acclamatrix pocius eſt quam fur.

XLVIII. Sax. 44.

Si quis lignum truncabit ſub quo xxx. *porci ſtare poſſint & compareat,* xxx. s. *emendet ad* witam.

XLIX. Sax. 46.

Borgi fractura debet emendari C. xx. s. *regis & epiſcopi ubi ſedes ejus eſt. Aldermanni* lxxx. s. thayni *regis* lx. *&* ſidercundi *hominis terram habentis* xxxv. *aut per id negare.*

L. Sax. 47.

Quando aliquis inculpatur quod furtum fecerit vel furtivum aliquid firmaverit, tunc debet per lx. *hidas, id eſt, per* vj. *homines abnegare ſi juramento dignus ſit. Si vero Anglicus in furto compellabitur neget dupliciter. Si ſit Waliſcus non ſit jusjurandum eo amplius.*

LI. Sax. 47.

Omni homini liceat firmationem & weræ *fractionem negare ſi poſſit & velit.*

LII. Sax. 48.

Si aliquid furtivum intercietur non debet advocari ad ſervum.

LIII. Sax. 49.

Si quis propter foriſfactum ſuum noviter inſervierit, & accuſetur quod furtum fecerit antequam in ſervitutem tranſierit, tunc habeat compellator verberationem ſuam in eo, perducat eum ad verbera ſecundum captale ſuum.

LIV. Sax. 50.

Si quis obviet porco ſine licentia in paſnagio ſuo, capiat judicium vj. s. *& inveritet quod ſapius non fuerit ibi ſecundum captale precium; ſi fuerit illinc bis, det* ij s.

LV. Sax. 50.

Si paſnagium capiatur de porcis de tridigitali tercius, de duodigitali quartus, de thumelo *quintus.*

LVI. Sax. 51.

Si homo ſithercundus *agat cum rege vel cum regis Aldermanno pro familia ſua, vel cum domino ſuo pro ſervo vel libero, non habeat ibi aliquam* witæ *redditionem ea vice, quia noluit eos prius à malo domi caſtigare.*

LVII. Sax. 52.

Si homo ſithercundus *terrarius expeditionem ſuperſedeat, emendet* C. xx. s. *& pendat terram ſuam; Non habens terram,* lx.s. *Cirliſcus,* xxx.s. *pro* fridwita.

LVIII. Sax. 53.

Qui de occultis actionibus fuerit accuſatus neget CC.xx. *hid. aut* CC.xx.s. *emendet.*

LIX. Sax. 54.

Si homo furtivus intercietur ſuper aliquem, & ſit ille mortuus qui vendidit eum homini ſuper quem intercietur, advocet tamen ipſum ad mortui tumulum, ſic aliam pecuniam ſicut ſit; & juret per lx. *hidas quod ea mortua manus vendidit ei; & per hoc jusjurandum* wita *remaneat, & reddatur interciatus domino ſuo. Si tunc ſciat, quis mortui pecuniam hæreditavit appellet in ipſam pecuniam, & roget ipſam manum ut hoc captale quietum ei faciat, vel oſtendat quod nunquam ipſius mortui pecunia fuit.*

LX. Sax. 55.

Qui pro fehthe, *id eſt, de homicidio fuerit accuſatus, & negare voluerit occiſionem illius cum jurejurando, tunc debet eſſe in ea ſocietate unum regium jusjurandum per* xxx. *hidas; ſic de* Sithercundo *homine, ſic de* Cirliſco. *Si reddatur licebit dare in illa ſocietate quorumcumque hominum loricam & gladium, ſi opus ſit in* weregildo wita. *Servus homo Waliſcus debet ſuperjurare per* xij. *hidas. Sic ſervus ad verbera. Anglicus homo per* xxiiij. *hidas.*

LXI. Sax. 56.

Ovis cum agno ſuo valet unum ſolidum uſque ad xiij. *noctes poſt Paſcha.*

LXII. Sax. 57.

Si aliquod vivum captale perſolvatur, & inveniatur aliqua infirmitas in eo, infra xxx. *noctes rejiciatur in manus coagentis; vel juret quod nullum facinus in eo eſſe ſciebat quando vendidit ei.*

LXIII. Sax. 58.

Si ceorlus *furetur aliquod captale, & deferat in habitaculum ſuum, & intercipiatur ibi, ſit ſua partis reus præter feminam ſuam; ſi audeat jurejurando ſatisfacere quod de ipſo furto non guſtavit, habeat ſuam terciam partem pecuniæ.*

LXIV. Sax. 59.

Bovis cornu debet emendari, v. d. *vacca,* v. d. *Bovis cauda,* v. d. *vacca,* v. d. *Bovis oculus,* v. d. *componendus eſt* vaccæ xij. d. Mauſceal ſimile toheregaſule attiſan Aañ wirthan vj. pundpega.

LXV. Sax. 61.

Si villanus alterius boves locaverit, ſi habeat in annona perſolvere, videatur hoc & reddat. Si non habeat, reddat dimidium in annona, dimidium in alio captali.

LXVI. Sax. 62.

Cyricſceattum *debet reddere homo à culmine & manſione ubi reſidens erit in natali.*

LXVII. Sax. 63.

Quando aliquis homo fuerit accuſatus, & ad fauces cobertatur, nec habet aliquid ad dandum *ante certamen, & vadit alius & dat ſuum captale pro eo, tali pacto, ut idem tranſeat in manum ejus donec captale ſuum poſſit illi intimari. Si iterum accuſetur alia vice, & ad componendum pertrahatur, ſi ei praeſſe nolit qui captale ſuum dedit pro eo antea, & hoc anticipaverit, perdat captale ſuum quod antea pro eo dederat.*

LXVIII. Sax. 64.

Si homo Sithercundus *tranſmigret, liceat ei habere ſocios ſuos ſecum & fabrum & nutricem ſuam.*

LXIX. Sax. 65.

Qui habet xx. *hidas, debet committere* xij. *hidas veſtura terra quando velit abire. Qui habet tres hidas terra, reddat unam hydam & dimidiam.*

LXX. Sax. 66.

Si quis componat pro virgata terra vel amplius & arabit, ſi dominus velit ei terram illam ponere ad gablum & opus, non neceſſe eſt hoc excipi ſi nulla domus commiſſa ſit ei, nec perdat acras ipſas.

LXXI. Sax. 67.

Si homo Sithercundus *fugetur profugio domus non erit ipſius ſedes.*

LXXII. Sax. 68.

Ovis debet ire cum vellere ſuo uſque ad mediam æſtatem; aut perſolvatur vellus ij. *d.*

LXXIII. Sax. 69.

De twyhindi hominis wera debet reddi xxx s. *ad* manbotam, *de* vj. hundo lxxx. s. *debent reddi. de* xij. hindo cxx. s.

LXXIV. Sax. 70.

De x. hindis *ad corredium debent reddi* x. *dolia mellis*, CCC. *panes*, xij. *ambra cerviſiæ Waliſcæ*, xxx. hlutteres, *duo boves, vel decem arietes, gallinæ* xx. *caſei x, plena ambra butyri, ſalmones* v. xx. *podia fodri, &* C. *anguillæ.*

LXXV. Sax. 71.

Si quis ſit de homicidio accuſatus & idem confiteatur ante jusjurandum & prius abnegaſſet, exſpectetur de witæ *redditione, donec ipſa* wera *reddita ſit.*

LXXVI. Sax. 72.

Si Weregildus *fur capiatur, & ipſa die perdant eum qui ceperant illum, ſi iterum capiatur ipſa nocte, non habebitur amplius inde quam plena* wita.

LXXVII. Sax. 72.

Si vero ſit una nocte vetus furtum, emendent illi culpam qui ceperant illum, ſicut inde componere poterunt apud regem & præpoſitum ſuum.

LXXVIII. Sax. 73.

Si ſervus Waliſcus Anglicum *hominem occidat, debet ille cujus eſt reddere eum domino ſuo & parentibus, aut* lx. s. *dare pro* wita *ſua. Si dominus ejus nolit hoc captale pro eo reddere, liberum faciat eum & ſolvant parentes ejus* weram *occiſi; ſi cognationem habeat liberam, ſi non habeat, obſervent eum inimici ſui. Non cogatur liber cum ſervo cognationem ſolvere, niſi velit eum factione liberare, nec ſervus cum libero.*

LXXIX. Sax. 74.

Si furtivum captale intercietur, & ille ſuper quem intercietur advocet inde: Si advocatus nolit hoc recipere & dicat, quod nunquam ei hoc vendidit ſed aliud, tunc licebit appellanti ipſam manum in verum mittere, quod nullum aliud vendidit ei quam id ipſum.

LXXX. Sax. 75.

Si quis filiolum alterius occidat vel patrinum, ſit ſimile cognationi, & creſcat emendatio ſecundum weram, ſicut manbota facit erga dominum. Si ſit filiolus regis, emendet ſecundum weram ejus regi ſicut cognationi. Si de parentela ſit qui occidit eum, tunc excedat emendatio patrini ſicut manbota domini. Si epiſcopi filiolus ſit, ſit dimidium hoc.

POſt prædictum regem *Ine*, *Adelardus* cognatus ſuus ſibi in regno *Weſtſaxiæ* ſucceſſit. Qui anno regni ſui primo contra *Oſwaldum* filium *Ethelbaldi* regis *Merciæ* pugnans, regnum idem ſibi adquirere conatus eſt. Cum autem *Oſwaldus* juvenis impar numero regalibus turmis pondus prælii diu pertuliſſet, & ultra non poſſet, fuga regi *Ethelbaldo* patri ſuo regnum reliquit. Anno *Adelardi* regis *Weſtſaxiæ* tercio, graviſſima *Saracenorum* lues *Galliam* & *Hiſpaniam* late miſera cæde vaſtabat; unde & ipſi non multo poſt dignas ſuæ perfidiæ pœnas in eadem provincia luebant. Anno *Adelardi* regis *Weſtſaxiæ* quinto, *Brithwoldus* archiepiſcopus *Dorovernenſis* cum xxxvij. annis ſediſſet, in Domino requievit. Cujus loco *Tatwinus* per *Igwaldum Londonienſem*, *Danielem Wyntonienſem*, *Aldulphum*, & *Offenſer*, & *Alwinum Lichefeldenſes* epiſcopos, in archiepiſcopum conſecratur, qui anno ejuſdem *Adelardi* regis decimo pallium à papa recepit, & ſedit annis tribus.

ADelardo regis *Weſtſaxiæ* anno regni ſui xiiij. defuncto, *Cudredus* cognatus ejus pro eo ſuper *Weſtſaxiam* annis xvj. regnavit; quem ſuperbus *Ethelbaldus* rex *Merciæ* ſæpe nunc bellis, nunc ſeditionibus affligebat. Fortuna autem varia vicibus variis modo unum, modo alium Martis eventibus extollebat: aliquando pacem inter ſe ſtatuentes quam brevi ſpacio tenentes denuo debellabant. Eodem anno *Egbert* tempore *Zakariæ* papæ in archiepiſcopum *Eboracenſem* conſecratur.

Cudredus rex *Weſtſaxiæ* anno regni ſui quarto, & *Ethelbaldus* rex *Merciæ*, ſimul tunc pacificati contra innumeram *Britannorum* undique connectorum multitudinem conjunctis viribus pugnarunt. Cumque reges fortiſſimi inter ſe hinc & inde cum ſuis exercitibus diviſi, & quaſi ex invidia phalanges *Britannorum* ſternerent, *Britanni* tantum bellandi onus ferre ulterius nequiverunt, fugam ergo eligentes, terga percutientibus & ſpolia ſequentibus præſtiterunt. Reges autem victorioſi ad ſua remeantes triumphalibus gaudiis in regnis propriis ſunt ſuſcepti.

Anno *Cudredi* regis *Weſtſaxiæ* nono, *Kynric* filius ejus armorum decus, ferarum debellator, ætate tener ſed armis acer, annis parvus, vigore utique magnus occiſus eſt, qui cum ſucceſſibus ſuis inſtaret fortunamque Martis nimis ſolicitaret, cædes illata ſeditione militari immoderationem ejus animi puniebat.

Eodem anno obiit *Edbrictus* rex *Kentenſis*, qui xxij. annis regni portaverat diadema. *Cudredus* rex *Weſtſaxiæ* anno regni ſui x. cum *Edelhun* audaciſſimo conſule præliavit, qui ſeditionem in domino movens licet numero militum longe à domino rege debilior eſſet, diu tamen & graviſſime in campo Martis perſtitit, nam excelſa conſulis probitas milium loco fuit; Cumque ei jam pene victoria lætis applauderet alis, infixo tandem corpori ejus vulnere rex juſtam cauſam prætendens triumphavit. *Cudredus* rex *Weſtſaxia* anno regni ſuo xij. cum jam *Ethelbaldi* regis *Merca* ſuperbas exactiones & inſolentiam ferre non poſſet, cum legionibus vexillatis apud **Bedforde** ei occurrit, *Edelhim* conſulem prædictum jam ſibi concordem in adjutorio ſecum ducens, cujus viribus & conſilio fretus crimen prælii eſt ingreſſus. *Ethelbaldus* vero rex regum cum *Mercenſibus* orientales *Saxones* & *Anglos* copiaſque multiplices adduxerat & *Kentenſes*. Aciebus igitur diſpoſitis cum in directum tendentes apropinquarent, *Edelhim* conſul *Weſtſaxenſes* præcedens, inſignem regis draconem aureum gerens, hoſtilem vexilliferum exclamavit. Unde clamore orto pars *Cudredi* valde confortata eſt, ſtatimque acies ſibi invicem offenderunt, bellum maximum & inæſtimabile incipitur. Sed quæ pars vinceret longo tempore neſciebatur. Videres namque acies loricis criſpantes, galeis acutas, lanceis hirſutas, vexillis auro reſplendentibus depictas, parvo tempore ſanguine perfuſas, lanceis quaſſatis ruinæ diſpoſitas, cerebris viſu horrendis aſperſas. Congregantes autem ad ſe vexilla utrique procaces fortiſſimis gladiis & ſecuribus amazonicis rem egerunt, & aciebus funeſtæ acies irruebant. Memoria fugæ nulla, ſpes victoriæ utrique certa. *Mercenſes* ſuperbiæ tumor invitabat, *Weſtſaxones* ſervitutis horror accendebat. At ubicumque conſul prædictus aciebus ſe infigebat, via ruinarum patebat, dum ſecuris ejus timidiſſima modo fulminis arma & corpora findebat. Rex autem *Ethelbaldus* fortiſſimus quacumque parte ruebat ſtrages hoſtilis fiebat. Cum igitur quaſi duo ignes diverſis partibus impoſiti obſtantia quæque conſumerent, contigit ut rex & conſul obviam advenirent, uterque vero alii terribilis corpore frenduit, dexteram excuſſit, ſe in armis collegit, & ictibus inmenſis arma obſtantiſſima pares laceſcunt. Deus autem qui ſuperbis reſiſtit, à quo robur, fortitudo & magnanimitas procedunt, gratiæ ſuæ terminum regi poſuit *Ethelbaldo*, ſuperbiamque ejus ſolitam dempſit. Nam fugam ſuis adhuc pugnantibus territus primo cepit, nec ab hac die uſque ad mortis ſuæ tempora aliquod permiſit proſperum ei Deus. Anno ſiquidem poſt hunc ſecundo idem *Ethelbaldus* rex *Merca* vires ſuas adhuc experiri volens contra *Weſtſaxones*, apud **Secandune** non ſine exercituum ruina mirabili rurſum pugnat. Qui in arto poſitus fugam dedignans ibi occiſus eſt, & apud **Repandune** ſepelitur. Sic itaque rex validiſſimus cum xlj. anno regnaſſet, inmoderatæ ſuperbiæ pœnas exſolvit, & ex hoc tempore regnum *Weſtſaxia* valde extitit roboratum, & creſcere non ceſſavit. *Cudredus* rex *Weſtſaxia* anno regni ſui xv. contra *Britannos* fortiter pugnavit, qui victori regis *Ethelbaldi*, ut prædictum eſt, fruſtra reſiſtentes, cito fugam inceperunt, clademque maximam digne ſine detrimento hoſtium pertulerunt. Anno ſequenti *Cudredus* rex *Weſtſaxia*, magnus & excelſus tot proſperitatibus & victoriis potitus, mortis inclementia vitæ ſuæ lætitiam terminavit.

CUdredo autem rege *Weſtſaxia* defuncto, *Sigebertus* cognatus ejus ſibi in eodem regno ſucceſſit, brevi tamen tempore regnum tenens, nam ex *Cudredi* regis præceſſoris ſui eventibus tumefactus & inſolens intollerabilis ſuis fuit. Cum autem eos modis omnibus male tractaret, legeſque vel ad commodum ſuum depravaret, vel pro commodo ſuo devitaret, *Cumbra* conſul ejus nobiliſſimus prece totius populi regi fero eorum querimonias intimavit. Et quia ipſe regi ſuaſerat, ut lenius populum ſuum regeret, & inhumanitate depoſita Deo & hominibus amabilis appareret, rex eum impia nece mox interfici jubens, populo ſævior & intollerabilior quam prius ſuam tirannidem augmentavit, unde in principio ſecundi anni regni ſui cum incorrigibilis ſuperbiæ & nequitiæ eſſet, congregati ſunt proceres & populus totius regni, & eum provida deliberatione à regno unanimi conſenſu omnium expellebant. Cujus loco *Kenwolfum* juvenem egregium de regia ſtirpe oriundum, in regem ſuper populum & regnum *Weſtſaxia* elegerunt. *Sigebertus* autem rex à ſuis ut præmittitur expulſus minas mortis metuens, in ſilvam magnam quæ vocatur **Andredeſwalde** fugiens ſe abſcondit, ubi quidam porcarius prædicti *Cumbra* conſulis nequiter per dictum regem *Sigebertum*, ut dictum eſt, interfecti, ipſum *Sigebertum* abſconditum invenit, inventum cognovit, cognitum vindex domini ſui continuo interfecit. Ecce quomodo Dei juſtitia non ſolum futuro ſeculo verum etiam in iſto digna meritis manifeſto judicio recompenſat. Anno *Kenwolfi* regis *Weſtſaxia* primo *Ethelbaldo* regi *Merca*, ut ſuperius dictum eſt, interfecto, *Beornred* in regnum *Merciorum* ſucceſſit, brevi tempore illud regens; nam *Offa* eodem anno eum affugavit, xxxix. annis ſuper regnum *Merca* regnans.

Anno Gratiæ DCC.lxix. & *Kenwolfi* regis ſexto, incepit fieri mutatio dextræ excelſi. Imperium namque *Romanum* quod tot annis in ſe præcellentiſſimum fuerat, *Karolo* magno regi *Francorum* ſubjectum eſt; & tamen ſcribitur, quod *Pipinus* rex *Francorum* pater iſtius *Karoli* decreto *Zakariæ* papæ à *Bonefacio Maguntinenſi* archiepiſcopo in imperatorem ungebatur. *Kenwolfus* rex *Weſtſaxia* anno regni ſui xxiiij. contra *Offam* regem *Merca* circa **Benton** pugnans, Martis caſu minoratus loco ſeceſſit, & *Offa* in ira ſua caſtrum idem redegit ad terram. *Kenwolfus* rex *Weſtſaxonum* cum xxvj. annis regnaſſet, & contra *Britannos* victorioſe prælia geſſiſſet, & eos ex omni parte domaſſet, demum adoleſcentem *Kyneard* fratrem dicti regis *Sigeberti* ſtatuit exulare, ipſe *Kyneard* apud *Merton* regem poſtmodum impeciit, ubi private ad quandam perrexit mulierem. Rex autem idem comperiens, ſe viriliter defendebat, donec conſpecto juvene foras exiliens eum vulneravit, & omnes ſocii ejus in regem pugnantes eum interfecerunt. Clamore autem audito, milites regis qui in urbe erant in juvenem cucurrerunt, renuenteſque terras ab eo oblatas pugnando omnes mortui ſunt.

POſt *Kenwolfum* regem *Weſtſaxia*, *Brithricus* rex ejuſdem regni gubernaculum ſuſcepit, per annos ſexdecim ibi regnans. Iſte *Brithricus* rex *Weſtſaxia* in tantam veſaniam erga ſtrenuiſſimum juvenem *Ethelbrictum* filium *Ailmundi*, qui poſt eum in *Weſtſaxia* poſtmodum regnavit, per invidiæ fomitem prorupit, quod mortem ſuam intentavit. Sed cum malicia regis fuerat ſibi detecta, abiit in

Franciam, moram ibi trahens quouſque dictus rex *Brithricus* ſubtractus fuerat ab hac luce. De quibus inferius multa adhuc reſtant plenius dicenda, prout poſt iſtum proceſſum de diviſione regnorum ſatis lucide eſt notatum.

REgnum *Merciorum* ſive mediterraneorum *Anglorum*, id eſt, **Myddelengle**, incepit poſt mortem *Hengiſti* à rege *Cridda*: cui ſucceſſit *Wibba*, cui *Ceorlus*, cui rex *Penda* potentiſſimus paganus ſucceſſit; qui tres reges *Eſtanglia* Chriſtianos, videlicet *Sigebertum*, & *Egnice* cognatum ſuum, ac *Annam* filium *Egnice* in eodem regno *Eſtanglia* ſucceſſive regnantes, ac eciam *Edwinum* & ſanctum *Oſwaldum* reges *Nbrthumbria*, per diverſas vices, in diverſis pugnis & præliis interfecit; prout tam ſuperius inter reges *Eſtanglia*, quam inferius inter reges *Northumbria* ſatis plene & lucide eſt notatum.

ISte autem rex *Penda* filium ſuum *Pedam* nomine in principem gentis *Merciorum* promovit, ſub quo gens illa per *Oſwyum* regem *Northumbria* hoc modo primo converſa fuit. Dederat namque *Oſwius* rex *Northumbria* *Peda* filio *Penda* regis *Mercia* filiam ſuam, eo pacto ut ipſe *Peda* Chriſtianus efficeretur: & hoc maxime factum eſt per ſuaſionem *Alfridi* filii regis *Oſwii*, qui ſororem ejuſdem *Peda* *Kyneburgam* filiam *Penda* duxerat in uxorem. *Peda* vero cum ſuis juxta matrimonii ſui ſtipulationem à *Finiano* epiſcopo in vico qui vocatur *Admurium*, qui à mari orientali xij. diſtat miliaribus, baptizatur. Et ſic cum presbiteris *Ceadda*, *Abda*, *Betta*, & *Dunna*, ad deſerviendum ſibi in divinis officiis & prædicationibus ordinatis, ad propria eſt reverſus. Nec prohibuit *Penda* quin de ſua, hoc eſt, *Merciorum* natione crederent ſi qui vellent, unde poſt biennium hoc modo converſi ſunt. *Oſwyus* namque rex prædictus, cum irruptiones dicti perfidi *Penda* regis *Merciorum* intollerabiles ferre non poſſet, ſibi pro pace munera offerebat. *Penda* vero ſtrenuus quia gentem ejus exterminare decreverat, munera ſua ſprevit. *Oſwius* igitur rex *Chriſtianus* ſuppremis accenſus doloribus, ait, Si paganus noſtram doctrinam & munera accipere neſcit, ea Deo qui noſcit omnia offeramus. Vovit ergo rex *Oſwius* ſe filiam ſuam *Elſledam* Deo ſacraturum, & xij. prædia monaſteriis danda; & cum paucis *Pendam* regem & ſuam multitudinem aggreſſus eſt: nam fertur *Pendam* regem xxx. legiones ducibus paganis inſtructas in illo prælio habuiſſe. Quibus dictus rex *Oſwius* parvum, ut dixi, habens exercitum, ſed Chriſto duce confiſus, cum *Alfrido* filio ſuo occurrit. Altero vero filio ſuo *Elfrido* eo tempore in provincia *Merciorum* apud reginam *Cynewiſſem* in obſidione detento. Filius autem *Oſwaldi* regis *Dilwald* nomine, qui eis in auxilio eſſe debuerat, in parte erat adverſa. Qui cum eiſdem paganis contra patriam & patruum ſuum ductor extiterat pugnaturus, in ipſo tamen pugnandi tempore ſe à pugna ſubtrahens, in loco tuto eventum diſcriminis expectabat. Inito igitur certamine pagani fugati ſunt, xxx. ducibus eorum cæſis. Deus enim omnipotens cum ſuis fidelibus aderat Chriſtianis, regis *Penda* fortitudine diſſoluta. Nam qui quinque reges Chriſtianos prius extinxerat, & ſemper ſanguinem alienum fuderat, quod egerat ſenſit, dum jam cruore ſuo terram imbuit & cerebro reſperſit. Pene eciam omnes qui in auxilium ejus ibi venerant, in illo prælio ſunt necati. Inter quos *Adelherus* frater *Anna* regis orientalium *Anglorum*, qui poſt eum regnavit, auctor ipſius belli militibus ſuis, ſive auxiliis perditis eſt occiſus. Et quia prope fluvium **Wynwede** pugnatum eſt, qui tunc per inundantiam pluviarum late alveum ſuum, imo omnes ripas ſuas tranſierat, contigit, ut multo plures fugientes aqua quam enſis perderet præliantes. *Elfleda* igitur *Oſwii* regis filia in *Ereen*, id eſt, in inſula *Cervi* monacha eſt effecta. Deinde monaſterio in **Streneſhald** conſtructo ibidem obiit abbatiſſa, ubi pater ejus rex *Oſwius*, & mater ejus *Enflad*, & *Adwinus* pater matris ejus debite ſunt humati.

Tribus igitur annis poſt mortem *Penda*, dictus rex *Oſwius* gentem *Merciorum*, & cæteras auſtrales provincias, gentemque *Pictorum* ex parte magna ſtrenue gubernavit, deditque *Peda* filio *Penda*, qui, ut dictum eſt, filiam ſuam duxerat, regnum auſtralium *Merciorum* ab aquilonaribus *Merciis* per flumen de **Trent** diſcretum. *Peda* poſtea proditione conjugis ſuæ occiſo, *Oſwyo* regi gens *Merciorum* annis tribus eſt ſubjecta, & per ipſum ad fidei Chriſtianæ gratiam eſt converſa. Igitur *Dunna* factus eſt epiſcopus **Myddelengle**, id eſt, *Merciorum* & *Lyndeſarorum*, qui ibidem defunctus eſt, cui ſucceſſit *Coellet* epiſcopus, qui ad *Scotos* unde venerat remeavit.

POſtmodum tribus annis peractis duces *Merciorum* contra dictum *Oſwyum* regem *Northumbria* rebellantes, *Wolferum* filium *Penda* Chriſtianum in regem regni *Mercia* levaverunt. Quo xvij. annis regnante *Trunhere* epiſcopus ſuus primus fuit, ſecundus *Jaruman*, tercius *Ceadda*, quartus *Wilfrid*. Iſte *Wolferus* rex *Merciorum* *Ethelmoldum* regem *Suthſaxia* apud eum per aliquot dies morantem de ſacro fonte, *Birino* epiſcopo baptizante, levavit: in cujus adoptionis ſignum inſulam dedit ſibi *Vectam*, & eciam ingentem *Purorum* provinciam occidentalium *Saxonum*. Iſte rex *Wolferus* ſanctam *Ermenildam* filiam *Ercomberti* regis *Cantia* & ſanctæ *Sexburga* duxit in uxorem, ut illam cui paterni regni dignitas ſpectabat. Unde patre mortuo illaque mediatrice *Cantuarii* & *Mercii* facti ſunt in amicitia ut unum regnum. In regno vero *Mercia* ingens adhuc & inveterata reſtabat paganitatis barbaries. Sed Dei famula *Ermenilda* regina apoſtolico prothodoctoris ſancti *Auguſtini* alphabeto à parentibus informata, ſua dulcedine, ſuis blandiſſuis hortamentis, moribus ac beneficiis indomita pectora mulcebat, & ad ſuave Chriſti jugum ac perpetuæ beatitudinis præmia excitabat: perverſos vero & nimis rebelles potentia reprimebat, nec quievit invicta, donec ydola & ritus dæmoniacos extirparet, & regnum *Merciorum* eccleſiis & ſacerdotibus adimpleret.

Rex vero *Wolferus* maritus ejus ſanctis uxoris ejus *Ermenilda* deſideriis, petitionibus, ac monitis ultro ſe inclinans, nephanda ſimulacra à ſuis finibus extirpavit. Et cum *Ercombertus* rex *Cantia* pater ſanctæ *Ermenilda* reginæ, & alii ſeculares ejus propinqui, ſperarent de ea ſuam in ſeculari regno perpetuare progeniem, illa multo felicius ac perhennius cœlo quam ſeculo ſuam produxit generationem.

rationem. Nata eſt enim ei regia proles *Werburga*, quam æterna virginitate ſervata in ſponſam Chriſti, altiſſimi regis excellentia ſibi eligere dignabatur. Glorioſo igitur rege *Wolfero* poſt decem & ſeptem annos regni ſui ad æterna regna migrante, licet pia ejus uxor *Ermenilda* excidium ſociale defleret, tota tamen anima caritate vulnerata in Chriſti libertate exultabat. Extemplo namque ad præcellentiſſimum *Elienſe* monaſterium confegit, ubi genitrix ſua ſancta *Sexburga Anna* orientalium *Anglorum* regis filia, & ſanctæ *Etheldreda* germana, inter choros virginum ut luna inter ſidera præluxit; ubi filia ipſius *Werburga* ſub virginali integritate Deo humiliter deſervivit. Hæc ergo ibi *Ermenilda* omnem ſpem & amorem ſeculi cum regalibus ornatibus deponens, Chriſti mancipatum & armaturam in religioſo habitu induit monacharum. Quæ ad cœleſtia regna idibus Februarii tranſiens, in eodem *Elienſi* cœnobio cum beata genitrice ſua *Sexburga*, & ſua virginali matertera *Etheldreda* requieſcit in Domino tumulata.

CUm autem *Wolferus* rex xvij. annis ut præmittitur regnaſſet, *Adelredus* filius *Penda* omni poteſtatis benignitate viſitatus rex efficitur *Merciorum*. Qui anno regni ſui xxix. monachus apud **Berdenay** effectus, ibi feliciter ſepelitur. Dicto vero *Adelredo* regi *Merca* ſucceſſit *Kenredus* cognatus ejus, felicitate ſibi ſimilis & virtute. Nam cum v. annis regnum *Merciorum* nobiliter tenuiſſet, multo nobilius regni ſceptra relinquens, *Romam* perrexit, & ibi monachus à *Conſtantino* ſummo pontifice factus dies ultimos terminavit. *Offa* etiam filius *Sigeberti* regis, orientalium *Saxonum* rex ſi remanſiſſet futurus, pari devotione ductus ſecum ivit, habitum ſimiliter ibi ſuſcipiens monachalem. Dicto vero regi *Kenredo* ſucceſſit in regno *Merca Cheolredus* ſive *Kelredus*, qui virtutum hæres octo annis illud clariſſime regnum rexit. Cujus regni anno vij. *Ine* rex *Weſtſaxia* magno exercitu congregato contra eum apud **Wonebiry** ſtrenue præliavit. Sed *Cheolredus* rex adeo fortiter & horribiliter ſibi occurrebat, ut neutra parte victa cui eorum clades deteſtabilior contigerat neſciatur. Anno vero ſequente, idem rex *Merca Cheolredus* viam univerſæ carnis ingreſſus, apud *Lichefeldiam* ſepelitur. *Cheolredo* regi *Merca* defuncto, *Ethelbaldus* vir fortis & vehemens in regnum *Merca* ſuccedens, xlj. anno victorioſe regnavit. Eo tempore *Egbertus* vir venerabilis monachos qui erant in *Hii* ad catholicum Paſcha & canonicam tonſuram convertit, ubi cum xiij. annis cum eiſdem converſis moratus fuiſſet, & miſſarum ſolempnia ipſo die Paſchali de correctione fratrum jam ſecurus celebraſſet, exultans in Domino, diem ſuum ultimum terminavit.

Eo tempore, *Nauton* rex *Pictorum* literis inſtructoriis à quodam *Cheolfrido* abbate ſibi directis, ad rectum Paſcha erat converſus. Circa hoc tempus *Cudburgh* ſoror *Keneburgh* quæ data fuerat *Effrido* regi *Northumbriæ*, ſed eo vivente ſeparata, apud **Wymbourne** conſtituit abbathiam. Tempore iſtius regis *Ethelbaldi*, *Adelardus* rex *Weſtſaxiæ* anno regni ſui primo contra *Oſwaldum* filium ejuſdem *Ethelbaldi*, pugnans, regnum *Merca* ſibi adquirere conatus eſt. Et cum *Oſwaldus* juvenis impar numero regalibus turmis, pondus prælii diu pertuliſſet & ultra non poſſet, fuga regi *Ethelbaldo* patri ſuo regnum reliquit, ut ſuperius inter reges *Weſtſaxiæ* per eadem verba propter proceſſum faciendum ſimiliter eſt notatum. Poſt hæc, iſte *Ethelbaldus* rex *Merca* fortiſſimus terribili exercitu congregato villam de **Somerton** caſtris per girum diſpoſitis obſidebat. Cumque non eſſet qui incluſis auxilium ferret, vel includentibus reſiſtere poſſet, eam in ſuam poteſtatem cito habuit & recepit. Qui extunc maxima virtute ſuper coætaneos provectus, omnes provincias *Angliæ* uſque ad *Humbræ* flumen cum ſuis regibus ſibi ſubjectas eſſe voluit.

Anno *Ethelbaldi* regis *Merca* viij. cum *Tatwinus Dorovernenſis* archiepiſcopus, vir religione & prudentia inſignis, ſacris quoque literis nobiliter inſtructus, eccleſiam per tres annos gubernaſſet, dies ſuos in Domino conſummavit. Cujus loco *Notelinus* primo *Londonienſis* conſecratur, ſedens annis quinque in archipræſulis dignitate. Anno eodem venerabilis *Beda* preſbiter monaſterii quod eſt in **Wyremuham** & in **Girwum** à *Benedicto* abbate ejuſdem loci, ac deinde à *Ceolfrido* abbate educatus & eruditus, ſemper in ſcripturis ſtudens, anno ætatis ſuæ lxij. plenitudinem dierum ſuorum non in vano conſumptorum, ut in numero operum ſuorum ſubſcriptorum apparet, in Domino feliciter terminavit. Scripſerat namque à principio Geneſis uſque ad nativitatem *Iſaac* libros iij. De tabernaculo & vaſis ejus, & veſtibus, libros iij. In prima parte *Samuelis* uſque ad mortem *Saulis*, iiij. De ædificatione templi allegorice ij. De libris Regum, librum triginta quæſtionum. In Proverbiis *Salomonis*, iij. In Cantica Canticorum, vj. In *Eſdra* & *Neemia*, iij. In Canticum *Abacuc*, j. De libro *Thobiæ*, j. In Evangelio *Marci*, iiij. In Evangelio *Lucæ*, vj. Scripſerat etiam Omelias Evangelii libros ij. & capitula lectionum veteris Teſtamenti. In Apoſtolum quæcumque in opuſculis *Auguſtini* invenit, cuncta per ordinem tamen ſcripſit. De Actibus Apoſtolorum libros ij. De vij. Epiſtolis Canonicis libros totidem. De Apocalipſi tres. Item capitula lectionum per totum novum Teſtamentum excepto Evangelio. Item Epiſtolarum ad diverſos. Item de hiſtoriis Sanctorum. Item de vita ſancti *Cuthberti* primo eroice, poſtea plano ſermone. Item de vita Abbatum monaſterii de *Hii*. Item Martirologium. Item librum Ympnorum. Item librum de Temporibus. Item librum de Metrica arte. Item Hiſtoriam Eccleſiaſticam *Anglorum* in libris quinque, in qua pie perorat, ut apud omnes legentes fructum interceſſionis inveniat, *Amen*. Item idem *Beda* de ſtatu Eccleſiaſtico in ſuo tempore ſic ait, In præſenti *Cantuarienſis* archiepiſcopus eſt *Tatwinus*, *Roffenſis* epiſcopus *Aldulphus*, *Londonienſis Higualdus*; ſuper orientales *Anglos* ſunt *Egbertus* & *Hedbelac* epiſcopi: ſuper *Merca* eſt *Alwinus* epiſcopus: ſuper gentem quæ ad occidentem *Sabrinæ* amnis habitat eſt *Walaſtec* epiſcopus; in provincia *Hwicciorum* eſt *Wilfridus* epiſcopus: in provincia *Lindefarrorum*, *Kinebertus*: *Vecta* inſula ad *Danielem* epiſcopum *Wentæ* pertinet, & provincia auſtralium *Saxonum* jam aliquot annis ſine epiſcopo per eundem regebatur. Sub rege vero *Ceowolfo* ſunt iiij. epiſcopi, *Wilfridus Eboracenſis*, *Edelwolde Lindiſfarnenſis*, *Acca Haguſtaldenſis*, *Wettelinus* in *Candida Caſa*, quæ nuper pontificata ipſum primum habet epiſcopum ſive antiſtitem. Rex vero *Cantia Edbrik*, rex *Weſtſaxia Adelarde*, rex *Eſtanglorum Segebert*, rex *Northumbria Ceolwolfus*, rex *Merca Ethelbald* maximus omnium.

In illis temporibus dictus *Ethelbaldus* rex *Mercenſis* ſuperbus ſpreta ſanctificatione gladiis jura poſtponens, inter tempus quo *Ceolwolfus* rex *Northumbria* mundum reliquerat & habitum aſſumpſerat monachalem, & principium regni *Egberti* regis ſucceſſoris dicti *Ceolwolfi*, *Northumbriam* hoſtiliter intravit, & cum non eſſet qui ei reſiſteret, præda quanta voluit arrepta ſecum ad ſua tranſvexit. Iſte ſuperbus *Ethelbaldus Adelardo* rege *Weſtſaxia* defuncto, *Cudredum* cognatum ſuum in regno *Weſtſaxia* ſucceſſorem ſæpe nunc bellis, nunc ſeditionibus affligebat. Fortuna autem varia variis vicibus, modo hunc, modo illum, Martis eventibus extollebat. Aliquando vero pacem inter ſe ſtatuentes, quam brevi tempore tenentes, denuo adinvicem debellabant. Iſte *Ethelbaldus* rex *Merca* anno *Cudredi* regis *Weſtſaxia* iiij. ſecum tunc pacificatus, ſimul cum eo conjunctis viribus contra innumeram *Britannorum* undique convectorum multitudinem præliavit, unde *Britonibus* in parte cæſis, devictis & fugatis, reges cum triumpho ad propria ſunt reverſi, ut ſuperius inter reges *Weſtſaxia* ſuper regem *Cudredum* plenius eſt notatum. Poſtmodum nova diſcordia inter regem iſtum *Ethelbaldum* & dictum *Cudredum* orta, cum ipſe *Cudredus* ſuperbas *Ethelbaldi* exactiones & inſolentiam ulterius ferre non poſſet, anno ejuſdem *Cudredi* xiij. cum legionibus vexillatis apud **Bedford** ei occurrit, *Edelhim* audaciſſimum conſulem ſecum ducens, cujus viribus fretus & conſilio *Crudredus* rex crimen prælii eſt ingreſſus. *Ethelbaldus* vero rex regum cum *Mercenſibus* orientales *Saxones*, & *Anglos* copiaſque multiplices adduxerat & *Kentenſes*. Aciebus igitur diſpoſitis cum in directum tendentes apropinquarent, *Edelhim* conſul prædictus *Weſtſaxones* præcedens, inſignem regis *Cudredi* draconem aureum gerens, hoſtilem vexilliferum regis *Ethelbaldi* exclamavit; unde clamore orto pars *Cudredi* valde confortata eſt, ſtatimque acies ſibi invicem offenderunt. Bello autem maximo & inæſtimabili incepto, quæ pars vinceret longo tempore neſciebatur. Sed *Deus qui ſuperbis reſiſtit*, à quo robur, fortitudo, & magnanimitas procedunt, gratiæ ſuæ terminum regi *Ethelbaldo* ponens ſuperbiam ſolitam ejus dempſit. Nam fugam adhuc ſuis pugnantibus territus primo cepit, nec ab hac die uſque ad mortis ſuæ tempora aliquid permiſit proſperum ei Deus. De iſto bello ſuperius inter reges *Weſtſaxia* magis diffuſe eſt tractatum.

Anno ſiquidem poſt hæc ſecundo, *Ethelbaldus* rex *Merca* vires ſuas adhuc experiri volens, contra *Weſtſaxones* apud **Secandune** non ſine exercituum ruina mirabili rurſum pugnat; qui in arto poſitus fugam dedignans ibi occiſus eſt, & apud **Repandune** ſepelitur. Sic itaque rex validiſſimus cum xlj. anno regnaſſet, inmoderatæ ſuperbiæ pœnas exſolvit; & ex hoc tempore regnum *Weſtſaxia* valde erat roboratum, & creſcere non ceſſavit.

E*thelbaldo* rege *Merca*, ut dictum eſt, interfecto, & regno eodem poſt ejus mortem per aliquot annos legitimo rege orbato, anno *Kenwolfi* regis *Weſtſaxia* primo, qui fuit ſecundus ſucceſſor in regno *Weſtſaxia* poſt dictum regem *Cudredum*, *Beornred* in regnum *Merca* tanquam hæres legitimus dicto regi *Ethelbaldo* ſucceſſit, brevi tamen tempore illud regens. Nam *Offa* infra ſuum primum annum eum aufugavit, qui xxxix. annis regnum *Merca* & populum poſtea gubernavit. *Offa* rex *Merca* juvenis nobiliſſimus fuit filius *Wyngferd*, filii *Chanwlf*, filii *Oſmed*, filii *Epa*, filii *Wippa*, filii *Creadda*, filii *Kinewalde*, filii *Cnibba*, filii *Teil*, filii *Gomer*, filii *Dengelten*. filii *Offa*, filii *Wermonde*, filii *Wyclac*, filii *Woden*. Iſte rex *Offa* qui, ut dictum eſt. prædictum *Beornred* à regno *Merca* aufugavit, ſtrenuiſſimus extitit præliator. Vicit namque bello *Northumbranos*, *Weſtſaxones*, & *Kentenſes*. Nam contra *Kentenſes* apud **Otanford** pugnavit, ubi clade horrenda ex utraque parte peracta, *Offa* demum in prælio triumphavit. *Kenwolfus* eciam rex *Weſtſaxia* contra iſtum *Offam* circa **Benton** pugnans, Martis caſu minoratus à prælio fugit, & *Offa* in ira ſua caſtrum idem redegit ad terram. Iſte *Offa* ſanctum *Ethelbertum* regem orientalium *Anglorum* ad ſe cauſa ducendi filiam ſuam venientem, de pravo conſilio uxoris ſuæ prodicionaliter fecit mori, in cujus redemptione peccati ſuperbiam ſuam ad tantam humilitatem & pœnitentiam reduxit, quod decimam omnium rerum ſuarum eccleſiæ ſanctæ dedit, & terras, ut fertur, plurimas eccleſiæ *Herefordia*, in qua dictus glorioſus martir *Ethelbertus* jacet, contulit atque dedit, quas uſque in hodiernum diem eccleſia illa tenet. Monaſterium quoque ſancti *Albani* conſtruxit, & illud multis modis ditavit, ac oſſa ejuſdem ſancti *Albani*, cum ſumma devotione tranſtulit & honore; & ſic demum *Romam* profectus limina apoſtolorum *Petri* & *Pauli* humiliter viſitavit, deditque vicario beati *Petri Romana* urbis pontifici, redditum unius denarii ſtatutum in perpetuum de ſingulis domibus regni ſui, & primus fuit, ut dicitur, qui hoc dedit. De iſto martirio ſancti *Ethelberti Herfordenſis* eccleſiæ patroni, ac contritione & pœnitentia dicti regis *Offa* ſuperius inter reges *Eſtanglia* ſatis diffuſe & plene eſt tractatum.

Offa rege defuncto, *Egfridus* filius ſuus ſibi ſucceſſit, qui juxta propheciam *Althrida* ſororis ſuæ, ut ſuperius inter reges *Eſtanglia* ſuper proceſſum dicti regis *Ethelberti* plenius notatur, in regno *Merciorum* parvo tempore regnavit. *Effrido* rege *Merca* defuncto, glorioſus & piiſſimus rex *Kenulphus* in regno *Merca* ſibi ſucceſſit. Qui anno Domini octingenteſimo nonodecimo, imperii vero ſui xxiiij. ad ſiderium regnum migrans, filium ſuum *Kenelmum* reliquit hæredem. Iſte *Kenulphus Merciorum* rex ſupradictus diademate inſignitus, licet in palacio extitit religioſus, in bello tamen ut leo fuit victorioſus. Nam provinciam *Cantia* perluſtrans, regem eorum *Eadbertum* viribus ſibi imparem comprehendit, & vinctum ſecum cum victoria adduxit, ſed demum ab orientalibus *Anglis* interfectus eſt, eo quod regnum orientalium *Anglorum* ut ſuum à tempore *Offa* regis invadere, & ſibi vendicare temptavit, qui apud **Wynchecumbe** ſepelitur.

ISti *Kenelmo* filio *Kenulphi* regis *Merca* erant regiæ germanæ *Quendreda*, quæ poſtea fraternum ſanguinem hauſit, & *Burgenilda* quæ fratrem ſororia affectione dilexit. Sed cum dicta *Quendreda* ſævo livore & regnandi ambitione ſtimulata, fratrem ſuum regem *Kenelmum* parvulum, ſed animo ac pietate magnificum, nullo modo veneno poſſet extinguere, ejus nutricium, & procuratorem intimum nomine *Askebertum*, quia non eſt pernicior peſtis quam familiaris inimicus, ingentibus præmiis & ſpe conſorcii imperii armat in fraternum jugulum, qui ut alter *Scarioth* nephandiſſimus proditor Domini ſui, nacta occaſione ſceleris maturandi, *Kenelmum* adduxit in ſilvam grandem gratia venandi quaſi oblectandi amore ſtudii paterni: ubi vero ſilvæ approximant, *Kenelmus* tenellus puer ſeptennis ſompno prægravante equo dilabitur, ibique recubans ſecurus paululum dormivit. Tunc nutricius ſuus dictus *Askebertus* cruentiſſimus carnifex foſſam pro lectulo parat, in qua ipſum parvulum citius obruat innocentem. Beatus *Kenelmus* expergiſcens, & conſilium laniſtæ prophetica mente, ut fertur, præveniens, ait. Fruſtra hanc michi molitus es ſpeluncam, non enim hic ut cogitas, ſed remotiori loco, ubi Deus prævidebit, occumbam, unde certum dabit tibi ſignum hæc virga (nam virgam manu geſtabat & terræ affixerat) ſi modo plantata frondeat. Hoc eo dicente, ſtatim radicata virga cœpit frondeſcere, unde adhuc ingens fraxinus oſtenditur, quæ in memoria beati *Kenelmi* celebris habetur. Hinc ſæviſſimus carnifex longius puerum abducit, & in profunda valle inter duos montes abdita in ipſa ſilva *Clent* dicta, lacteum innocentis caput ſub arbore ſpinea abſcidit, & ut ſcelus ſuum abſconderet, ipſum ibi in illa vaſtitate deſerti, ſub dicta arbore ſpinea illico ſepelivit. Aſſeritur quod jam decollandus beatus *Kenelmus* ſacrum ympnum, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, incepit, atque in illo verſu, *Te martirum candidatus laudat exercitus*, jugulatus occubuit.

Quendreda vero per fratricidium regno potita, tali edicto omnes terrebat, ut ſi quis *Kenelmum* quæreret, vel indicaret, vel eciam nominaret, ſine dilatione capite plecteretur. Sed dum ipſa ipſum fratrem ſuum ab humana noticia abſcidere nitebatur, beſtialis diligentia illum hominibus prodebat. Candida namque vacca cujuſdam, ut fertur, viduæ publicam paſturam & ſolitam relinquens, ab alto monte ad infimum uſque ſepulti monumentum decurrit, ibique inſeperabilis adhæſit, ita quod ab illo loco nullius fere induſtria avelli poſſit. Quociens vero nota ſtabula domi repetiſſet plena, totum armentum dupla lactis ſuperabat copia, tam ſalubri circa ſanctam glebam paſcebatur herba, & grata. Miroque modo quod veſpere detonſum erat, recente virore mane habundancius inveniebatur. Hinc autem locus idem *Vacca-vallis* appellari aſſuevit. Verum quia nihil opertum quod non reveletur, præfulgida lucerna quæ obfuſcabatur in *Anglia*, clarius in arce emicuit mundi, *Romæ*; nam cum *Leo* papa minor miſſarum ſollempnia innumerabili populo aſtante celebraret, ecce columba candidiſſima deſuper omnibus palam apparuit, quæ niveam menbranam blando roſtro ſuper altare beati *Petri* depoſuit, aureis literis hoc modo *Anglice* ſcriptam,

In Clent, in Cowdale, Kenelm kingis
Bern, lith under thorn hed bereved.

Sacer autem apoſtolicus novam cedulam ignotis verbis & litteris editam cum tremore reſpiciens, populum & clericos diverſarum nationum tunc in curia exiſtentes ad ſe vocavit, quatinus indicarent ſi quis inter eos aliquid hujus epiſtolaris relationis cognoviſſet; unde ab *Anglicis* literatis qui inter alios convocatos ibi aderant, ſacra epiſtola recitatur, cujus interpretatio Latine eſt iſta:

In Clento, vacca valli, Kenelmus regius
Natus, jacet ſub ſpina capite truncatus.

Quod dicti *Anglici* poſtpoſito feminearum minarum terrore omnia ſummo pontifici ſuo ordine expoſuerunt. Tunc jubente Papa, Cardinales cum *Anglicis* fidelibus ad *Wolfredum Dorobernia* archipræſulem cæteroſque pontifices *Anglorum* veniunt, & in loco prædicto beatum regem *Kenelmum* requirentes & invenientes, ipſum de indigno latibulo cum ympnis & laudibus ſummoque honore ad patrem ſuum in eccleſia **Wynchecumbe** tanto martiri digna ferunt. In beati vero corporis ſui aſſumptione fons ſacer luciddiſſimæ aquæ emanavit, qui ſalutem plurimis impendit.

Cum autem impiiſſima *Quendreda* eodem tempore quo corpus fraternum ſic cum gaudio ad eccleſiam **Wynchecumbe** tranſlatum foret, circa incantationes, ut communiter dicitur, cum illo pſalmo pſalterii *Deus laudem*, vacaret, manifeſta divina ultione pupillæ amborum oculorum ejus ſuper ipſum pſalterium (quod in memoriam rei geſtæ in dicta eccleſia monaſterii **Wynchecumbe** uſque hodie ſervatur) à capite evolabant. Quæ ſic excæcata & poſt multos cruciatus peſſima morte defuncta, pluribus ac locis ſepulta, nuſquam remanere potuit, donec angelica revelatione in quandam ſemotam profunditatem miſerabiliter projecta fuit. Poſt vero ſanctum *Kenelmum* regem & martirem *Ceolwolfus* patruus ejus in regno *Merca* ſibi ſucceſſit. Qui anno ſequenti à regno expulſus, *Bernulphus* duobus annis ei ſucceſſit, contra quem *Egbertus* rex occidentalium *Saxonum* partes ſuas hoſtiliter petentem, apud *Hellendinam* pugnans victor funeſtus ad propria remeavit. Poſt *Bernulfum* in regno *Merca* ſucceſſit *Ludecanus* quem dictus *Egbertus* interfecit. Tunc in regno *Merciorum* ſurrexit rex *Millefridus*, qui auditis miraculis, & ſignis à Deo meritis ſancti *Ethelberti* regis & martyris, apud *Herefordiam* declaratis, eccleſiam ibi egregiam lapidea ſtructura ad laudem Dei, & honorem dicti martiris à fundamentis incepit, & pia devotione Domino auxiliante perfecit, & in eodem loco primus regum omnium epiſcopum conſtituens, eandem cathedrali dignitate eccleſiam ſublimavit, quam terris plurimis & prædiis amplis, palliis oloſericis & ornamentis egregiis ditare dum vixit, & dotare regia munificentia non ceſſavit, ut ſuperius inter reges *Eſtangliæ* ſuper proceſſum prædicti regis *Ethelberti* plenius eſt notatum. Rege vero *Milefredo* defuncto *Wilafus* in regno *Merca* ſibi ſucceſſit: quem *Egbertus* rex *Weſtſaxiæ* ſubjugavit & regnum ſuum de eo tenendum ſub tributo conceſſit. Cui ſucceſſit *Bertulfus* cujus filius *Bretfertus* nomine cognatum ſuum ſanctum *Wiſtanum* injuſte peremit, erat enim nepos duorum regum de regno *Merciorum*. De loco vero quo innocens occiſus eſt columpna lucis uſque ad cœlum porrecta loci incolis per xxx. dies ſtabat conſpicua. His temporibus infideles *Dani* cum CCC. l. navibus in hoſtium *Thamenſis* fluminis venientes *Doverniam*, & *Cantuariam* depopulati ſunt, & dictum regem *Merciorum Bertulfum*, contra eos ad pugnam venientem, in fugam propulerunt. Qui poſtea ab hac vita tranſiens *Burthred* xxij. annis habuit ſucceſſorem. Iſte *Bernredus* rex *Merciorum* & *Ethelwolfus* rex

Weſtſaxonum mediterraneos *Britones* vicerunt, & ſuæ ditioni ſubmiſerunt. Poſtea nephandi *Dani* apud *Rependon* hiemantes, dictum *Bernredum* à regno ſuo expulerunt. *Elfredus* ultimus rex ſive dux *Merciorum*, qui *Elſledam* ſororem primi *Edwardi* regis, qui *Edwardus* ſenior dicitur, deſponſavit. Poſt cujus *Elſleda* mortem idem rex *Edwardus* regnum *Merciorum* ſuo imperio conjunxit; de quo *Edwardo* inferius poſt tractatum iſtum de diviſione regni ſuo loco plenius dicetur.

REgnum *Northanhymbrorum*, id eſt *Northumbriæ* ſive *Berwicorum*, in quo eciam continebatur regnum *Deirorum*, incepit ab *Occa* filio *Hengiſti*; cui præfuerunt Comites, vel ſecundum quoſdam reges, & primus rex poſt *Occa* vocabatur *Ida*, qui per xij. annos regnans, totam terram *Northanhumbrorum* à flumine *Humbra* uſque ad mare *Scociæ* occupavit.

IDa rege *Northumbriæ* defuncto, ſucceſſit ſibi in regno rex *Ella*, cujus tempore de provincia ſua *Deirorum* Mercatores pueros venales *Romæ* adduxerunt; Quos dum forma pulcherrimos & vultu venuſtos beatus *Gregorius* nondum Papa effectus in foro conſpexiſſet, interrogavit mercatorem, de qua patria eos attuliſſet. Qui reſpondit; De *Britannia* cujus incolæ ſimili candore refulgent. Interrogavit iterum, ſi eſſent Chriſtiani. Cui mercator; Non, ſed paganis erroribus implicati. Tunc *Gregorius* intimo corde longa trahens ſuſpiria ait, Heu proh dolor, quod tam lucidas facies auctor nunc poſſidet tenebrarum! Interrogavit inſuper quomodo gens illa vocatur. Reſpondit, *Anglici* vocantur. Tunc *Gregorius*; Bene, inquit, *Anglici*, quia angelicos vultus habent. Rurſum interrogavit, Quod nomen haberet ipſa provincia. Mercator ait, Provinciales illi *Deiri* vocantur. Et *Gregorius*, Bene, inquit, *Deiri*, quia de ira Dei ſunt eruendi. Tunc de nomine regis interrogavit. Cui mercator reſpondit, quod *Ella* diceretur. At *Gregorius* ad nomen alludens ait, Bene *Ella*, quia *alleluia* in partibus illis decantari oportet. Qui mox ad *Pelagium* Papam accedens, cum multa inſtantia & precibus vix optinuit, ut ad illos convertendos in *Britanniam* mitteretur. Cumque jam viam arripuiſſet & iter trium dierum cum ſociis ſuis verſus *Britanniam* peregiſſet, à dicto Papa pro ejus receſſu à populo *Romano* multipliciter calumpniato revocatus, & poſt ipſum papam infra breve morte peſtilentiæ inguinariæ decedentem in ſummum pontificem electus & conſecratus, beatum *Auguſtinum* & alios cum eo religioſos *Anglicis* prædicaturos in *Britanniam* deſtinavit, qui *Ethelbertum* regem *Canciæ* & alios plures, ut ſuperius inter reges *Cantiæ* plenius notatur, ad fidem duxit catholicam & convertit.

ELla vero rege *Northumbriæ* mortuo, rex *Edelfridus* ſibi in regno ſucceſſit, qui ſævo furore erga *Britones* commotus, collecto grandi exercitu provinciam eorum petivit. Cumque bellum acturus uſque *Lereceſtriam* civitatem ubi *Brocivayl* Conſul urbis ex parte *Britonum* exiſtens adventum exſpectabat, veniſſet, & monachos heremitas & ſacerdotes *Britonum*, qui ad exorandum Deum pro dicto Conſule contra eum pro eis bellaturo convenerant, ſeorſum in tutiori loco conſiſtere vidiſſet, ſciſcitabatur qui eſſent hii, quidve acturi illuc in tanto numero conveniſſent. Erant autem plurimi eorum de monaſterio *Bangor* cujus Abbas *Dinooc* vocabatur, in quo tantus fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cum monaſterium illud in ſeptem portiones cum præpoſitis ſibi rectoribus eſſet diviſum, nulla harum portio minus quam treſcentos monachos haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivebant. Horum autem plurimi ad memoratam aciem peracto triduano jejunio cauſa orandi cum aliis convenerunt, dictum habentes Conſulem, qui eos precibus intentos & patriam à gladiis protegeret barbarorum. Quorum cauſam adventus cum *Edelfridus* rex intellexiſſet, ait, Ergo ſi adverſum nos ad Deum ſuum clamant, profecto & ipſi quamvis arma non ferant contra nos pugnant, quia nos in ſuis prædicationibus & orationibus perſequuntur. Itaque in eos primum arma hoſtiliter verti jubet, & ſic eos & cæteros nephandæ regis militiæ copia delevit, non ſine magno exercitus ſui dampno.

Extinctos in ea pugna ferunt de hiis qui ad orandũ venerant viros circiter mille CC. & ſolum quinquaginta fuga eſſe lapſos. *Brocivayl* autem Conſul prædictus ad primum hoſtium adventum cum ſuis terga vertens, eos quos defendere debuerat nudos ferientibus reliquit gladiis & inermes; ſicque completum eſt præſagium ſancti pontificis *Auguſtini*, qui dum vixit de iſta ſtrage & ſevero prælio epiſcopis & doctoribus *Britonum* ſibi non obtemperantibus, in quodam colloquio apud quemdam locum qui dicitur **Auguſtines Ake**, id eſt, quercus ſive robur *Auguſtini* in confinio *Britonum*, de recta celebratione Paſchæ, & ſtatu eccleſiæ *Anglicanæ* cum illis, & *Scotis* auxilio *Ethelberti* regis *Canciæ*, jam per ipſum *Auguſtinum* ad fidem converſi habito, prophetabat, dicens, quod ſi pacem cum fratribus accipere nollent bellum forent cum hoſtibus accepturi, & ſi ſecum nationibus *Anglorum* viam vitæ prædicare noluiſſent, per horum manus ultionem mortis eſſent paſſuri. De iſto colloquio ſupra inter reges *Canciæ* tempore regis *Ethelberti* plenius notatur. De iſto eciam bello *Galfridus Monemutenſis* ſuperius in libro de geſtis *Britonum* dicto *le Brut* dicit, quod *Ethelbertus* rex *Cantiæ* per beatum *Auguſtinum* jam converſus, ut vidit *Britones* dedignantes ſubjectionem *Auguſtino* facere, & prædicationem ſuam ſpernere, iſtum *Edelfridum Northanhymbrorum*, & cæteros regulos *Saxonum* inſtimulabat, ut grandi exercitu collecto in civitate *Bangor* Abbatem *Dinooc*, & cæteros clericos qui eum deſpexerant, perditum irent, quod ut ſupra dicitur factum eſt.

Iſto rege *Edelfrido* per ſucceſſorem ſuum *Edwinum*, ut inferius patebit exempto, idem *Edwinus* gubernaculum regni *Northumbriæ* ſuſcepit, qui tanta poteſtate terreni imperii creverat, ut nemo *Anglorum* ante eum omnes *Britanniæ* fines acciperet, & omnes provinciæ quas vel *Angli*, vel *Britones* habitabant ſub ditione ejus eſſent, ipſe eciam plures *Anglorum* inſulas ſuo imperio ſubjugavit. Et poſtquam filiam *Edelberti* regis *Edelburgam* Chriſtianam paganus duxerat, quæ alio nomine *Tacce* vocabatur, venit *Paulinus* ut ibi prædicaret, à *Juſto Dorobernenſi* archiepiſcopo ad hoc epiſcopus ordinatus. Anno autem ſequente venit quidam ſicarius à rege *Weſtſaxiæ Chichelino*, ut regem *Edwinum* interficeret, qui ſimulans legationem domini ſui, juxta amnem de **Darwent** in regem cum ſica cucurrit bicipiti toxicata. Quod videns *Lilla* regius miniſter interponens ſe ictui transfixus eſt, & eodem ictu rex parumper extitit vulneratus, interfectoque alio equite ſicarius gladiis cæſus eſt. Eadem autem nocte regina peperit filiam nomine *Enflant*. Cumque rex gratias inde diis ageret, dixit *Paulinus*, quod precibus ſuis apud Deum optinuit, ut regina illam pareret abſque dolore. Cujus verbis delectatus rex, promiſit ſe Chriſto ſerviturum ſi victoriam adverſus *Chichelinum* ei donaret. Et in pignus promiſſionis implendæ, ſuam juſſit filiam baptiſari. Qua cum xij. de familia ſua baptiſata, & rege *Chichelino* ſuperato, ac hoſtibus ſuis aut occiſis, aut in dicione receptis, cum rex *Edwinus* victor in patriam rediret, non ſtatim efficitur Chriſtianus, ſed quandoque ſolus, quandoque cum aliis, ut vir natura ſagaciſſimus, ratione fidei audita quid ageret cogitabat. Cui *Bonefacius* papa exhortatorias ad fidem literas deſtinavit, miſit eciam munera, de quibus in fine Epiſtolæ meminit ita verbis. *Præterea benedictionem protectoris noſtri beati* Petri *Apoſtolorum Principis vobis direximus*, id eſt, *camiſiam cum ornatura auro unam, & levam ancirianam unam, quod petimus ut eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat quo à nobis noſcitur deſtinatū.* *Edelburga* eciam reginæ literas & munera miſit, de quibus in fine epiſtolæ ſic ait, *Præterea benedictionem protectoris noſtri beati* Petri *Apoſtolorum Principis vobis direximus, & pectan eburneum auratum, & ſpeculum argenteum, quod petimus ut eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat quo à nobis noſcitur deſtinatum.*

Circa idem tempus non multo perante elapſum, Spiritus ſanctus revelavit dicto *Paulino* epiſcopo oraculum quondam regi *Edwino* hoc modo oſtenſum. Cum autem iſte *Edwinus*, *Edelfrido* qui ante eum regnaverat illum perſequente, apud *Redwaldum* regem orientalem *Anglorum* profugus moraretur, per quendam amicum ſuum cognovit, *Redwaldum* regem prædictum in tantum muneribus regis *Edelfridi* eſſe corruptum, ut interficere eum vellet, unde ille amicus promiſit ſe eum ab illa ſi vellet provincia educturum. Cui *Edwinus*, Quo nunc fugiam qui per omnes *Britannia* provincias tot annis hoſtium inſidias devitavi? ſi autem me mori oportet, malo ut ille quam ignobilior me extinguat. Hiis dictis remanſit ſolus. Dumque mentis langoribus eſſet *Edwinus* ſuper hoc multipliciter cruciatus, vidit intempeſtæ noctis ſilentio hominem ſibi incognitum ſic dicentem. Ne formides, cauſam enim triſtitiæ tuæ ſcio, quid autem dares ei qui te de hac abſolveret triſtitia, & *Redwaldo* regi pro te melius ſuaderet; quid ſi eciam te regem futurum prioribus potentiorem extinctis hoſtibus eſſe promittat? Reſpondenti *Edwino* ut prius, adjecit ſibi dicens. Quid ſi ille meliorem vitam tibi oſtenderit, quam aliquis parentum tuorum habuit, obtemperabiſne ei? *Edwino* vero hoc firmiſſime promittente, ſubdidit ille, manum capiti ejus imponens, Cum ergo hoc tibi ſignum advenerit memento hujus temporis & ſermonis. Quo dicto, repente diſparuit, ut intelligeret ipſum non eſſe hominem ſed ſpiritum. Et cum regius juvenis ſolus adhuc ibidem ſederet, præfatus ejus amicus venit, & ait, Surge hillaris, mutatum eſt cor regis, conſilio namque reginæ tibi ſervare diſpoſuit fidem ſuam. Quid plura? rex *Edwinus* congregato exercitu *Adelfridum* regem in finibus *Merciorum*, ad orientem plagam amnis qui vocatur *Jole* ſibi occurrentem, occidit. Ibi tamen filius *Redwaldi* regis *Reiner* nomine occiſus eſt, & ſic *Edwinus* regnum *Northumbriæ* eſt potitus. Cum autem *Paulinus* epiſcopus hoc oraculum regi dixiſſet, & eum ad fidem hortando, manum capiti ejus impoſuiſſet, regem ad pedes ejus procidere volentem levavit.

Rex igitur ad fidem promptus ut ſuos lucraretur, ſciſcitabatur ab eis quid eis videbatur. Cui *Coyfi* pontifex ait, Nemo ſtudioſius ſervivit diis, quam ego ad lucrum terrenum. Multi autem ſunt qui magna beneficia à te receperunt unde nil ad eos valere probavi. Tum alius optimatum regis ſubdidit, ità per exemplum dicens, Hæc vita hominum ad modicum apparet, quid autem ſequatur quidve præceſſerit penitus ignoramus; unde ſi hæc nova doctrina certius aliquid attulerit, merito ſequenda eſſe videtur. Hiis ſimilia cum eciam ceteri dicerent, adjecit *Coyfi*, quod vellet ipſum *Paulinum* epiſcopum audire de Deo aliquid dicere & prædicare; quo audito, exclamavit *Coyfi* ſe & alios penitus erraſſe; unde fidem Chriſti ſe ſuſcepturos omnes pariter promiſerunt. *Coyfi* autem pontifex accepto à rege equo emiſſario, cum pontifici idolorum non liceret niſi ſuper equam equitare, arreptoque gladio & lancea, quod eciam non licebat, aras quas ipſe ſacraverat ſuccendit cunctis videntibus & deſtruxit. Oſtenditur autem locus quondam idolorum non longe ab *Eboraco*, ad orientem ultra amnem de Derwent, & vocatur hodie Godmundyngham. Baptiſatus eſt igitur rex *Edwinus* primus omnium regum *Northanhymbrorum* die ſancto Paſchæ, & multi cum eo, in eccleſia ſancti *Petri Eborac.* quam ipſe de ligno pro ſede epiſcopatus conſtruxerat; mox tamen majorem incepit lapideam, quam ſanctus *Oſwaldus* rex poſtea perfecit, & in eadem eccleſia dictum *Paulinum* archiepiſcopum *Eboraci* ordinavit, conſtituit atque fecit. Baptiſati ſunt eciam *Offrid*, & *Edfrid* filii regis *Edwini*, qui ambo ei de *Euburga* filia *Cearli* regis *Merciorum* nati ſunt. Tempore eciam ſequenti liberi ejus de *Edelburga* regina progeniti baptiſantur, quorum duo in *Eboracenſi* eccleſia poſtea ſepulti ſunt.

Tanta autem fertur tunc fuiſſe fides gentis *Northanbymbrorum* ad deſiderium lavacri ſalutaris, ut quodam tempore *Paulinus* archiepiſc. cum rege & regina in regiam villam quæ vocatur *Adgebryn* veniens, xxxvj. diebus ibidem cum catechiſandi, & baptiſandi officio deditus moraretur, in provincia *Berniciorum* in fluvio *Gleny* juxta locum qui vocatur *Malvyn*. In provincia vero *Deirorum*, in fluvio de *Swale* baptiſabat. *Paulinus* eciam inter hæc provinciam *Lyndiſſe* quæ eſt ad meridianam ripam *Humbra* fluminis, priuſque præfectum *Lindicolnia* civitatis, cui nomen *Bletta*, in domo ſua convertit. In qua civitate eccleſiam egregii operis perfecit, & in ea *Juſto Dorobernenſi* archiepiſcopo defuncto, loco ſuo *Honorium* in *Dorobernenſem* archiepiſcopum ordinavit. Et ſic nota quod ſicut iſte *Paulinus* qui poſt adventum ſancti *Auguſtini*, in primum archiepiſc. *Eboracenſem* per *Juſtum Dorobernenſem* archiepiſcopum, ut ſuperius dictum eſt, ordinabatur: ſic vice verſa *Juſto* defuncto, *Honorius* ſucceſſor ſuus in archiepiſcopum *Dorobernenſem*. per *Paulinum Eboracenſem* archiepiſcopum ordinatus eſt. Urbs autem *Lincolnia*, quæ tunc *Lindecolnia* vocabatur, ſitu ſplendida, ut urbs in colle ſita ad regnum *Merca* pertinet.

Iſti regi *Edwino Honorius* papa accenſorias literas deſtinavit, quarum poſtremam partem neceſſarium apponere duxi, quæ de agendis archiepiſcopis *Angliæ* diſtincte tractat per hæc verba. *Prædicatoris noſtri Domini mei apoſtolicæ memoriæ* Gregorii, *frequenter lectione occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipſius, quem pro veſtris animabus libenter exercuit habetote, quatinus ejus oratio, & regnum veſtrum populumque augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehenſibiles repræſentat. Ea vero quæ à nobis pro veſtris ſacerdotibus ordinanda ſperatis, hæc pro fidei veſtræ ſinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præſentium portitores laudabiliter inſinuata eſt, gratuito animo attribuere ulla ſine dilatione providimus, & duo pallia utrorumque metropolitanorum, id eſt* Honorio *&* Paulino *direximus, ut dum quis eorum de hoc ſeculo ad auctorem ſuum accerſitus, in loco ipſius alterum epiſcopum, ex hac noſtra auctoritate, debeat ſubrogare: quod quidem tam pro veſtræ caritatis affectu, quam pro tanto provinciarum ſpacio, quæ inter nos & vos eſſe noſcitur, ſumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni veſtræ noſtrum concurſum juxta deſideria præberemus. Incolumem excellenciam veſtram ſuperna gratia cuſtodiat.*

Honorius eciam papa pallium, & literas de ordinatione, & dignitate utriuſque archiepiſcopatus *Honorio Dorobernenſi* archiepiſcopo, in forma qua ſequitur deſtinavit.

Dilectiſſimo fratri Honorio Honorius &c. *Inter plurima quæ redemptoris noſtri miſericordia ſuis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud eciam clementer collecta ſuæ pietatis munificentia tribuit, quociens per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alternis aſpectibus repræſentat, pro quibus majeſtati ejus gratias indeſinenter exſolvimus, eumque votis ſupplicibus exoramus, ut veſtram dilectionem in prædicatione evangelii elaborantem, & fructificantem ſequentemque magiſtri, & capitis ſui* Gregorii *ſanctam regulam, perpetua ſtabilitate confirmet, & ad augmentum eccleſiæ ſuæ potiora per vos ſuſcitet incrementa, & fide & opere in timore Dei, & caritate veſtra adquiſitio deceſſorumque veſtrorum, quæ per domini* Gregorii *exordium pullulat, convaleſcendo amplius extendatur, ut ipſa vos Dominici eloquii promiſſa in futuro recipiant, voſque vox iſta ad æternam feſtivitatem evocet*, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: *& iterum*, Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Et nos quidem fratres kariſſimi hæc vobis, pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rurſus pro eccleſiarum veſtrarum privilegiis congruere poſſe conſpicimus, non deſiſtimus impertiri, & tam juxta petitionem veſtram, quam filiorum noſtrorum regum* Angliæ, *vobis præſenti noſtra præceptione vice beati* Petri *Apoſtolorum Principis autoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad ſe juſſerit gratia evocari, is qui ſuperſtes fuerit alterum in loco defuncti debeat epiſcopum ordinare. Pro qua eciam re ſingula veſtræ dilectioni pallia pro eadem ratione celebranda direximus, ut per noſtræ præceptionis auctoritatem poſſitis Deo placidam ordinationem efficere. Quia ut vobis concederemus longa terrarum ſpacia mariſque intervalla quæ inter nos & vos conſiſtunt ad hæc nos condeſcendere coegerunt, ut nulla poſſet eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuſlibet occaſionis obtentum quoquo modo pervenire, ſed potius commiſſi vobis populi devotioni plenius propagare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater. Dat. die tercio Iduum Januarii Imperantibus dominis noſtris piiſſimis Auguſtis* Heraclio *anno viceſimo quarto, poſt conſulatum ejuſdem anno viceſimo tercio & conſulatus ejuſdem anno tercio, ſed* Heraclio *feliciſſimo Cæſare, id eſt filio ejus anno tercio, Indictione vij. id eſt anno dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimo quarto.*

Miſit etiam idem papa *Honorius* genti *Scottorum* literas de obſervatione Paſchali, ne paucitatem ſuam cunctis per orbem Chriſti eccleſiis ſapientiorem æſtimarent. *Edwinus* vero rex *Northumbriæ* poſt xvij. annum regni ſui gravi prælio in campo qui vocatur **Hatfelde** conſerto à *Cedwalla* rege *Britonum*, adjuvante eum ſtrenue *Penda* rege *Merciorum*, occiſus eſt, diſperſo toto ſuo excercitu vel perempto. *Offricus* quoque filius ejus bellicoſus occiditur etiam ante eum. Alter vero *Edfridus* neceſſitate cogente ad dictum *Pendam* refugit: A quo poſtmodum, ſancto *Oſwaldo* rege in *Northumbria* regnante, perfide peremptus eſt. Dicitur autem quod **Hatfelde** rubeo undique nobilium cruore fumabat, ibi namque mirabilis & inopinata fortiſſimorum ſtrages facta eſt. *Cedwalla* ſiquidem rex *Britonum* potentiſſimus innumerabilem multitudinem, *Penda* vero ſtrenuiſſimus ſtrenuiſſimos adduxerant ibi ſecum, qui maximam ſtragem in *Northanhimbrorum* eccleſia fecerunt. *Penda* enim paganus erat, *Cedwalla* vero pagano ſævior, quia nec mulieribus nec parvulis parcebat, *Anglos* à *Britannia* ſe deliberans eraſurum. Nec *Britones* magis *Anglis* communicabant quam paganis, fidem eorum nichil ponderantes. Allatum autem eſt caput *Edwini* regis uſque *Eboracum*, & ibi in eccleſia ſancti *Petri* per ipſum inceptâ, quam ſanctus *Oſwaldus* rex poſtea perfecit, juxta regiam decentiam eſt humatum. De iſto *Edwino* rege *Northumbriæ* & dicto *Cedwalla* rege *Britonum*, quem *Galfridus Monemutenſis Cadwallonem* ſive *Cadvallonem* vocat, ac de perfido *Penda* rege *Merciorum*, & geſtis ac diverſis præliis inter eos, & de dicto etiam bello apud **Hadfelde**, in quo ut dictum eſt dictus rex *Edwinus* & *Offricus* ſive *Offridus* filius ſuus, ac cum eis (ſecundum dictum *Galfridum*) *Godboldus* rex *Orcadum*, qui in eorum auxilium ibi venerat, occiſi fuerant, Idem *Galfridus* ſuperius in libro ſuo de geſtis *Britonum* multa enarrat; quæ quia ibidem ita diffuſe tanguntur nimis ſuperfluum hic ea apponere michi videbatur.

Poſt mortem vero dicti regis *Edwini*, *Northumbris* nihil præſidii niſi fuga habentibus, *Paulinus* archiepiſcopus *Eboracenſis* aſſumptâ ſecum regina *Edelburga* regis *Edwini* relicta, *Canciam* navigio rediit, filium *Edwini* & filiam ſecum habens, ubi ab *Honorio* archiepiſcopo & *Edbaldo* rege *Cantiæ* eſt ſuſceptus. *Edelburga* vero regina dictos filium & filiam *Edwini* ut mater prolem diligens, metu *Edbaldi* regis & *Oſwaldi* regis *Northumbriæ* futuri ad *Dagobertum* regem *Franciæ*, qui erat amicus illius, miſit in *Galliam* nutriendos, ibique pueri ſunt defuncti. Attulit quoque *Paulinus Eboracenſis* archiepiſcopus ſecum vaſa *Edwini* regis precioſa, &

auream crucem magnam, & calicem auream quæ in eccleſia *Cantuariæ* adhuc manent. *Romano* autem tunc *Roſſenſi* præſule dum legatarius *Honorii* archiepiſcopi *Dorovernenſis Romam* tenderet, fluctibus Italici maris abſorto, *Paulinus* archiepiſcopus prædictus eundem epiſcopatum *Roſſenſem* tenuit dum vivebat, ibique moriens pallium quod à papa acceperat tunc reliquit. Reliquerat autem in eccleſia ſua *Eboraci Jacobum* diaconum virum ſanctum, qui exhinc baptiſabat & docebat; Recuperata in provincia *Northumbria* demum pace & numero fidelium creſcente, magiſter eccleſiaſticæ cantationis juxta morem cœpit exiſtere *Romanorum*, ubi ipſe ſenex & plenus dierum juxta ſcripturam viam patrum in Domino eſt ſecutus.

EDwino regi ſucceſſit *Oſricus* cognatus ejus in provincia *Deirorum*, & *Ainfridus* filius *Edelfridi* regis regnum ſuſcepit *Bernicorum*, nam in has duas provincias gens *Northanhimbrorum* antiquitus diviſa erat. Hii autem juvenes tempore dicti regis *Edwini* apud *Scotos* & *Pictos* exulantes baptiſati ſunt. Sed cum reges facti eſſent ad idola ſunt reverſi, quos dominus *Cedwalla* ſive *Cadwallo* rex *Britonum* impie ſed juſte peremit; & primum quidem ſcilicet dictum *Oſricum* proxima æſtate, in obſidione unius oppidi cum ſuis omnibus ſubito deſtruxit. Poſt annum vero *Anfridum* ad ipſum gratia pacis poſtulandæ venientem cum xij. militibus interemit. Infauſtus ille annus tam propter regum Apoſtaſiam quam dicti regis *Cedwallæ* tirannidem fuit, quo non terras ut victor acquirebat ſed ut peſtis crudeliter deſtruebat. De morte iſtius regis *Oſrici Galfridus Monemutenſis* ſuperius in libro ſuo de geſtis *Britonum* dicit, quod dictus *Cadwallo* rex *Britonum Edwino* rege occiſo & habita de ſuis victoria, provincias *Anglorum* univerſas pervagando ita debaccatus eſt in *Saxones*, ut nec ſexui quidem muliebri nec parvulorum parceret ætati, qui omne genus *Anglorum* ex finibus *Britanniæ* abradere volens, quoſcumque reperiebat inauditis tormentis afficiebat. Deinde cum dicto rege *Oſrico* qui *Edwino* ſecundum ipſum *Galfridum* ſucceſſerat prælium committens, eum & duos nepotes ejus qui poſt illum regnare debuerant, ac etiam *Eadanum* regem *Scottorum* qui eis auxiliari venerat, interfecit.

TUnc *Oſwaldus* rex, qui ſanctus *Oſwaldus* dicitur, poſt occiſionem fratris ſui *Anfridi*, ut dictum eſt regis *Bernicorum*, regni ſuſcepit *Northumbriæ* diadema. Qui cum magno excercitu contra dictum *Cedwallam* regem *Britonum* ſubito ſuperveniens, quandam crucem manibus ſuis erexit, quam foveæ impoſitam ceſpitibus firmavit, dixitque, Flectamus genua & deum omnipotentem unum & verum in communi precemur, ut nos ab hoſte feroci & ſuperbo miſeratione ſuorum defendat. Scit enim quia juſta pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcipimus. Quo facto, incipiente diluculo congreſſi *Cedwallam* & copias ſuas, quibus nichil reſiſtere credidit, apud **Deniſbourn**, id eſt *rivus Deniſi* vicit & fugavit; ubi *Britonibus* in magna parte etiam cæſis locus ille ideo *Cædes Cedwallenſium* dicitur, qui locus in magna veneratione habetur, ut in libro de miraculis ſancti *Oſwaldi* invenitur.

Iſte ſanctus rex *Oſwaldus* ut fidem Chriſti in regno ſuo augeret, *Scotiam* ubi exulaverat, pro *Aidano* epiſcopo ſummo viro nuncios miſit, quamvis ipſe rectum Paſcha more ſeptentrionalium *Scottorum* minime celebravit; Auſtrales enim inſulæ *Hiberniæ* partes jam dudum ammonitione papæ ſuſceperant rectum Paſcha. Veniente igitur à *Scotia* *Aidano* epiſcopo, ſanctus rex *Oſwaldus* in inſula *Lindisfarnenſi* epiſcopalem tribuit ei ſedem. Cumque fides dilatari incepiſſet, pulcro ſpectaculo ſæpe contigit, ut *Aidano* epiſcopo qui *Anglorum* linguam perfecte non noverat, evangelium prædicante, ipſe rex qui longo ſui exilii tempore linguam *Scottorum* plene didicerat, interpres verbi cœleſtis ſuis ducibus exiſteret & miniſtris. Venientibus autem monachis de *Scotia* fides ferventer docebatur. Quorum unus de inſula quæ vocatur *Ii* epiſcopus erat, cujus monaſterium ſeptentrionalium *Scottorum* & omnium *Pictorum* artem tenebat. Quæ inſula non magnum ab eo freto diſcreta ad jus *Britanniæ* pertinuit, ſed donatione *Pictorum* qui illas *Britanniæ* plagas incolunt, monachis *Scottorum* tradita eſt, eo quod ab illis fidem illi incolæ acceperunt. Anno namque gratiæ D. lxv. regnante poſt *Juſtinianum Juſtino* minore, abbas *Columba* de *Hibernia* venit ante adventum ſancti *Auguſtini* per xxiij. annos, ad prædicandum *Pictis* ſeptentrionalibus, id eſt eis qui arduis atque horrentibus montium jugis à *Pictis* Auſtralibus ſeperantur, Auſtrales namque prius per *Niniam* epiſcopum *Britonem Romæ* edoctum ad fidem fuerant converſi, cujus ſedem epiſcopatus ſancti *Martini* nomine, ubi ipſe *Ninia* ſepultus eſt, jam nunc optinet gens *Anglorum*; qui locus de provincia *Bernicorum* vulgo *Candida caſa in Galeweja* vocatur, eo quod ibi eccleſiam de lapide candido & inſolito *Britonum* more fecit.

Venit autem *Columba* regnante *Bridio* filio *Mailconi* rege *Pictorum* potentiſſimo, anno regni ejus ix. gentemque illam convertit, unde præfatam inſulam ipſe *Columba* ab eis accepit, quam ſucceſſores ſui uſque hodie ibi tenent, ubi & ipſe etiam ſepelitur. Erat etiam aliud monaſterium nobile in *Hibernia* de *Ariano* id eſt campus roborum, ex quo monaſterio plurima huc uſque in *Anglia* & *Hibernia* ſunt inventa, in quibus omnibus monaſterium *Ii* principatum tenet. Abbati autem illius inſulæ omnis provincia & etiam epiſcopi ordine inuſitato ſolent eſſe ſubjecti, quia *Columba* prædicator non fuit epiſcopus ſed presbyter & monachus, cujus ſucceſſores imitatione ejus valde claruerunt; In obſervatione tamen Paſchæ errabant donec *Egbertus Anglicus* eos correxit, *Aidanus* igitur hinc miſſus epiſcopatum *Northumbriæ* tenuit; cujus induſtria & conſilio rex *Oſwaldus* informatus genti & regno pluſquam omnes majores ejus proficiebat. Omnes namque gentes *Britanniæ, Britones, Anglicos, Pictos & Scotos* in deditionem accepit, qui licet poteſtate erat ſublimis fuit tamen pauperibus & peregrinis humilis & benignus.

Tempore namque quodam cum die ſancto Paſchæ beatus rex *Oſwaldus* cum dicto epiſcopo *Aidano* ad prandium conſediſſet, poſituſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus cibis regalibus refertus, fertur ſubito miniſtrum ipſius intraſſe cui cura erat ſuſcipiendorum inopum deputata, & regi indicaſſe quod multitudo pauperum undique adveniens maxima per plateas ſederet, à rege poſtulans aliquid elemoſinæ eis dari. Mox rex inclitus dapes ſibimet appoſitas & ori regio præparatas non ſolum pauperibus deferri, ſed & diſcum confringi ac eiſdem minutatim dividi præcepit. Quo viſo, pontifex qui aſſidebat facto egregio delectatus, dextram ejus apprehendit, & ait, Nunquam computreſcat hæc manus. Quod & ita juxta votum benedictionis ejus provenit, nam cum poſtea (ut inferius habetur) rege illo in pugna interfecto, manus cum brachio à cætero eſſet corpore reſecta, contigit ut incorrupta hactenus perduraret. Cumque ſanctus *Oſwaldus* rex ix. annis regnaſſet, anno ætatis ſuæ xxxviij. gravi prælio apud **Marſefelde** commiſſo, v. die *Auguſti* à ſtrenuo *Penda* rege *Merciorum* occiſus eſt. Unde dicitur quod campus **Marſefeld** oſſibus nobilium canduit ſanctorum, occulto enim Dei judicio inviſi Deo pagani ibi ejus dilectos crudeliter mactaverunt, eos cœli volatilibus eſcas dantes. In loco autem cædis illius miracula uſque hodie plura fiunt. De iſto ſancto *Oſwaldo* rege, & dictis *Cadwallone* rege *Britonum* ac *Penda* rege *Merciorum*, & de præliis inter eos habitis, *Galfridus Monemutenſis* ſuperius quaſi in fine libri ſui de geſtis *Britonum*, non niſi in paucis ab hiis ſcriptis variando, plura valde breviter enarrat.

Sancto regi *Oſwaldo* pro patria & gente dimicanti prælio ut præmittitur occiſo, *Oſwius* frater ejus in provincia *Bernicorum* ſucceſſit. Sed in provincia *Deirorum Oſwinus* filius *Oſrici* regis, de quo prædictum eſt, ſucceſſit & vij. annis regnavit. Ingraveſcentibus vero poſtmodum cauſis cum *Oſwius* & *Oſwinus* reges ſimul aput **Wilfareſdoun**, i. mons *Wilfari* conflicturi eſſent, *Oſwinus* ſe viribus imparem videns, exercitum remiſit, & in domo *Humwaldi* Comitis quem ſibi amiciſſimum putabat, cum uno tantum milite Condehere nomine, ſe abſcondit; à quo milite proditus eſt *Oſwinus*, & cum eodem per *Edwinum* præfectum regis *Oſwii* morte in *Gelingum* interficitur omnibus deteſtanda, ubi pro utriuſque regis animabus, id eſt occiſi & ejus qui occidere juſſit, eccleſia eſt conſtructa. Erat autem ille rex *Oſwinus* interfectus aſpectu venuſtus, natura ſublimis, affatu jocundus, moribus civilis, manibus largus, & ideo ab omnibus dilectus, & frequenter Nobilibus cujuſcumque provinciæ viſitatus.

Interea ſancto *Aidano* epiſcopo prædicto viam univerſæ carnis ingreſſo *Finianus* epiſcopus in inſula *Lindisfarnenſi* de ſecto robore eccleſiam totam fecit, quam cum poſtea *Theodorus Dorobernenſis* archiepiſcopus dedicaſſet, *Edbert* epiſcopus plumbo ibidem parietes operuit atque tectum.

In illis temporibus cum quadam die beatus adoleſcens *Cuthbertus* ſolito luctamini puerorum intereſſet, repente unus de parvulis triennis ferme ut videbatur accurrit ad eum, & quaſi ſenili conſtancia cœpit hortari, ne jocis & ocio indulgeret, ſed mentem ſimul & membra ſtabilitati pocius ſubjugaret. Quo monita ſpernente luget ille parvulus corruens in terram, & faciem lacrimis rigans accurrunt conſolaturi cæteri. Sed in fletibus ille perſtat. Interrogant quid haberet repentinum unde tantis afficeretur lamentis. Ac tandem exclamans conſolanti ſe *Cuthberto* ait, Quid inquit, hæc ſanctiſſime antiſtes & preſbiter *Cuthberte*, naturæ & gradui tuo contraria geris? ludere te inter parvulos non decet quem Dominus etiam majoribus natu magiſtrum virtutis conſecravit. Audiens hæc *Cuthbertus* mœſtum infantem piis demulcens blanditiis relicta continuo ludi vanitate domum rediit, ac ſtabilior jam ex illo tempore animoque adoleſcentior exiſtere cœpit. Cumque *Cuthbertus* adoleſcens nocte quadam dormientibus ſuis ſociis, ipſe juxta morem pervigil in oratione duravit, vidit ſubito lumen de cœlo fuſum in quo angeli eximiæ claritatis terram petentes, ſine mora cum anima cujuſdam ſancti ad cœleſtem patriam redierunt. *Cuthbertus* vero à viſione multum compunctus Deo laudes & gratias referens, ſocios ſuos ad laudandum deum fraterna exhortatione provocavit, maneque facto agnovit antiſtitem *Lindisfarnenſis* eccleſiæ *Aidanum* per idem temporis quo viderat de corpore raptum cœleſtia regna petiſſe. Ac ſtatim commendans ſuis dominis pecora quæ paſcebat, monaſterium petere decrevit, ubi ſeculari habitu depoſito officium hoſpitum ſuſcipiendorum ſuſcepit, ubi fertur ipſum quadam vice tempore yemali angelum Domini in ſuo hoſpitio ſuſcepiſſe. Quem hominem æſtimans cum ſolito humilitatis more ſuſcepiſſet, lavandis manibus aquam dedit, pedeſque ipſius abluit & lintheo exterſit, ac manus ſuas in ſinu ſuo propter frigus fovendas compoſuit, rogavitque ut cibo etiam reficiendus horam diei terciam exſpectaret. At ubi rediit non invenit ipſum hoſpitem quem reliquerat edentem, explorat veſtigia quo iret, ſed nulla quiſpiam cernit, recens autem nix terram texerat, quæ facillime iter viantis proderet, & quo declinaret monſtraret; ſtupefactus ergo *Cuthbertus* & ſecum de facto quærens menſam poſuit in conclavi, quo ingreſſus continuo habuit fragrantiam miri odoris. Circumſpiciens autem unde tanta odoris ſuavitas orta eſſet, vidit juxta poſitos tres panes odoris inſoliti & candoris, pavenſque talia ſecum loquitur, Cerno quod angelus Domini panes attulit quales gignere terra nequit.

Poſt obitum Deo dilecti cujuſdam ſacerdotis *Boyſili* præpoſiti officium *Cuthbertus* ſuſcepit, ubi per aliquot annos ſub regulari vita Deo & omnibus aliis boni operis exemplo placebat. Cœpit etiam inter iſta ſpiritu propheciæ pollere, ventura prædicere, præſentibus abſentia nunciare. Denique ad *Lindisfarnenſem* eccleſiam ſive monaſterium vir domini adveniens, mox Inſtituta monachalia fratribus vivendo pariter & docendo tradebat. Temporibus iſtius *Oſwy* regis *Northumbria* vir Dei *Cedda* in *Lindisfarnenſi* inſula in monaſterio ſanctæ *Maria* monachicam vitam duxit. Circa idem etiam tempus beatus *Wilfridus* cum eſſet annorum xiiij. venit ad inſulam *Lindisfarnenſem*, ibique ſe monachorum famulatui contradidit. Qui viam à *Scotis* traditam non eſſe perfectam advertens *Romam* adiit, & à *Bonefacio* archiepiſcopo ac domini papæ conſiliario quatuor libros evangeliorum didicit, & alia multa de eccleſiaſticis diſciplinis ab eo percepit. Cum autem per aliquod tempus ibi ſteriſſet, & iterum ad *Britanniam* veniſſet, præſentatus eſt curiæ regis *Egfridi* filii regis *Oſwy*, qui tunc in parte regni cum patre ſuo regnans ipſum humane ſuſcipiens, dedit ei monaſterium xxx. familiarum in loco qui vocatur **Rypun**; In quo juſſu ejuſdem regis *Egfridi* ab *Ailberto Gewiſeorum* epiſcopo qui aput **Dorkeceſtre** ſedem tunc tenuit, ſacerdos & doctor ordinatus eſt.

Circa idem tempus ſupradicto *Finiano* epiſcopo *Northumbria* ſive *Lindisfarnenſis* eccleſiæ defuncto *Colmannus* qui male Paſcha ſicut *Aidanus* & *Finianus* ſervabant ſucceſſit, unde de hoc coram *Oſwio* rege & *Egfrido* rege filio ejus inde fuerat diſputatum, hinc erat *Colmannus* & *Ceadda* epiſcopus *Eſtſaxiæ*, inde *Ailbertus Gewiſeorum* epiſc: prædictus qui ad *Egfridum*

fridum regem amicum ejus venerat, & *Jacobus* diaconus *Paulini Eboracenſis* archiepiſcopi, quem ipſe *Paulinus* in eccleſia *Eboracenſi* dimiſerat, quando cum *Edelburga* uxore *Edwini* regis & liberis ſuis in *Cantiam*, ut ſupradictum eſt, fugit. Quibus *Ailberto* & *Jacobi* prædictis in diſputatione illa digne prævalentibus, ſervabat *Ceadda* epiſcopus poſtea rectum Paſcha, *Colmannus* vero ſectam *Scottorum* mutare nolens, cum parte oſſium patris *Aidani* nuper defuncti in ſuam patriam eſt reverſus. Cui in epiſcopatu *Northumbria* *Tudda* ſucceſſit: poſt quem *Eata* prius caſtos *Lindiſfarnenſis* eccleſiæ epiſcopus eſt effectus. Hi autem tres epiſcopi *Scottorum* prædicti, ſcilicet *Aidanus*, *Finianus*, & *Colmannus*, miræ ſanctitatis & parcimoniæ extiterunt, nec enim potentes ſeculi ſuſcipiebant, niſi qui ad eos cauſa orandi ſolummodo veniebant. Tempore autem illo ſacerdotes adeo erant ab avaricia immunes, ut nec territoria niſi coacti reciperent.

Poſt hæc vero *Tudda* Dei famulo defuncto, dictus rex *Egfridus* miſit *Wilfridum* preſbiterum antedictum ad regem *Galliarum*, ut eum ibidem in epiſcopum faceret conſecrari, quem dictus *Ailbertus*, epiſcopatu *Gewiſſorum* ſive occidentalium *Saxonum* dimiſſo, ad præſulatum *Pariſius*, ut inter reges *Weſtſaxiæ* notatur, jam promotus honorifice conſecravit. Cumque adhuc dictus *Wilfridus* in tranſmarinis partibus moraretur, dictus *Oſwy* rex *Northumbria* induſtriam filii ſui imitatus, prædictum *Ceddam* preſbiterum à prædicto monaſterio *Lindisfarnenſis* eccleſiæ vocatum, ut in epiſcopum *Eboracenſis* eccleſiæ jam paſtore viduatæ ordinaretur, in *Cantiam* deſtinavit; verum ille *Cantiam* perveniens, invenit *Deuſdedit* archiepiſcopum *Dorobernenſem* jam à ſeculo emigraſſe, unde ad provinciam occidentalium *Saxonum*, ubi loco dicti *Ailberti* jam tunc, ut dictum eſt, præſulis *Pariſius* *Wyne* erat epiſcopus, ſe divertens, ab illo in antiſtitem *Eboracenſis* eccleſiæ ordinatur. Nam tunc non erat ullus excepto illo *Wyne* in tota *Britannia* epiſcopus canonice ordinatus. Conſecratus igitur in paſtorem *Cedda*, magiſtri ſui *Aidani* prædicti & *Ceadda* fratris ſui nuper *Eſtſaxonum* epiſcopi exemplum ſequi cœpit, non equo ad evangelizandum ſed more apoſtolorum per oppida, rura, caſas, vicos & caſtella, pedibus incedendo veniens; poſtea *Wilfridus* jam, ut dictum eſt, epiſcopus factus ad eccleſiam *Riponenſem* unde ordinandus diſceſſerat rediit.

Erat fere ipſo tempore *Roma* monachus quidam nomine *Theodorus*, qui à *Vitaliano* papa in archiepiſcopum ordinatus nobiliſſimis *Anglorum* regibus *Egberto* videlicet *Cantia* & *Oſwio Northumbria* à prædicto papa pro eccleſia *Dorobernenſi* tunc, ut dictum eſt, paſtore deſtituta regenda, & aliis *Anglorum* eccleſiis ordinandis miſſus eſt. Qui cum argueret *Ceddam* epiſcopum non fuiſſe rite conſecratum, voce humilima reſpondit, Si me, inquit, noſti epiſcopatum non rite ſuſcepiſſe, libenter ab officio diſcedo qui me nunquam ad hoc eſſe dignum arbitrabar, ſed obedientiæ cauſa ſubire juſſus, ad hoc quamvis indignus conſenſi. Interea provinciæ *Merciorum* rex *Wolferus* præfuit, qui cum mortuo *Hermanno* illius provinciæ epiſcopo, ſibi & ſuis à prædicto *Theodoro* epiſcopum dare peteret, ſed *Theodorus* novum epiſcopum in eis ordinare nolens, à rege *Oſwio* poſtulavit ut illis epiſcopus *Cedda* daretur. *Cedda* vero ad petitionem regis *Wolferi* rege *Oſwio* annuente & dicto *Theodoro* ordinante, ad epiſcopatum gentis *Merciorum* ſe tranſtulit, & tunc dictus *Wilfridus* epiſcopo *Cedda* ſic cedente, in archiepiſcopum *Eboracenſem* ordinatur. *Wolferus* vero rex *Merciorum* donavit *Cedda* tunc epiſcopo ſuo terram xl. familiarum ad monaſterium conſtruendum in loco qui dicitur **Berwe**, i. ad nemus in provincia *Lyndeſeya*; in quo uſque hodie inſtitutæ ab illo regularis vitæ veſtigia permanent. Habuit autem ſedem epiſcopalem in loco qui dicitur **Licheſfelde**, in quo defunctus ſepelitur, cujus meritis Deus multa & varia miracula operatur, & ibi pro ſequentibus illius provinciæ epiſcopis ſedes à tempore ſuo uſque hodie ſemper manet.

Iſte rex *Oſwius* cum paucis ei comitantibus *Pendam* regem *Merciorum* dicti *Wolferi* prædeceſſorem paganum potentiſſimum, quinque regum Chriſtianorum occiſorem, cum xxx. ducibus paganorum Deo adjutore interemit, ut ſupra inter reges *Merciorum* ſatis plenarie eſt notatum. De iſto rege *Oſwio* & *Cadwallone* rege *Britonum*, & pace inter eos facta, ac de prælio in quo dictus rex *Penda* occubuit, *Galfridus Monemutenſis* ſuperius in libro ſuo de geſtis *Britonum*, quaſi in fine multa narrat, quæ hic ideo apponere non curavi. Circa idem tempus *Damiano Roffenſi* epiſcopo defuncto, *Theodorus* archiepiſcopus prædictus *Puttam* ibi in epiſcopum ordinavit.

O*Swio* autem rege infirmitate defuncto, & apud **Streneſhalde** ſepulto, prædictus rex *Egfridus* filius ſuus gubernaculum totius regni *Northumbria* ſuſcepit. Iſte *Egfridus* rex *Northumbria* ſanctam *Etheldredam Anne* regis orientalium *Anglorum* filiam deſponſavit, cujus conſortia illa duodenis annis uſa, licet idem rex eam aſſidue pro corporali commixtione optaverat, perpetuam tamen virginitatem ſub eo, ſicut prius ſub primo viro ſuo *Tomberto*, auſtralium *Girviorum* principe poſt modicum temporis deſponſationis ejus defuncto, ſervavit, de quo beatiſſimus *Wilfridus* archiepiſcopus *Eboracenſis* antedictus ejus confeſſor & teſtis veridicus comprobatur. Petierat enim idem rex *Egfridus* dictum *Wilfridum* pontificem, petendoque multa ſe promiſerat ei daturum, ſi connubio virginis poſſet frui; nam ſciebat eam vera dilectione præſulem illum plus omnibus diligere, ipſum quoque non minus eam paterno affectu amare. Sed cum hoc nullo modo fieri potuit, ipſa multis fletibus ac divinis poſtulationibus regem maritum precatur, ut ſeculi curis relictis in monaſterio tantum vero regi Chriſto ſervire permitteretur. Impetrata demum quamvis difficulter à rege licentia, potentiſſima regina & virgo *Etheldreda* intravit monaſterium *Ebba* abbatiſſæ, quæ erat ejuſdem regis *Egfridi* amita, poſitum in loco quem *Coludimbere* nominant, ſanctimonialem ſuſcipiens habitum per *Wilfridum* epiſcopum prænotatum. Poſt annum vero ipſa *Etheldreda* facta eſt abbatiſſa in regione quæ vocatur **Ely**, ubi monaſterio virginum conſtructo virgo mater bonæ vitæ in omni ſanctitate vixit. Inſtante poſtea glorioſæ Virginis ab hoc mundo ad cœlum felici tranſitu, preſſa quodam maxillæ tumore ac colli dolore fertur plurimum delectata hoc infirmitatis genere, ac ſæpius ita dicere: Merito in collo pondus porto langoris in quo precioſa monilium &

gemmarum pondera juvencula portavi, unde de divina confido clementia quod per hujus pœnam doloris à reatu abſolvar illius vanitatis. Accerſitur itaque medicus nomine *Kinefridus*, jubeturque illum tumorem incidere, ut noxius qui inerat effluere humor poſſet. Quod cum factum fuiſſet, videbatur illa per biduum levius habere, ita ut ſperaretur de ejus ſanitate. Sed Domino dilectæ ſuæ ſalubrius providente, tercia die ab hujus vitæ ærumpna rapta eſt ad cœli gaudia, ſeptennio completo ex quo gradum ſuſceperat abbatiſſæ; & ibi in monaſterio de **Ely** ut ipſa juſſerat, non alibi quam in medio ſororum juxta ordinem quo tranſierat, in locello ligneo eſt ſepulta, ubi Deus meritis illius multa miracula & varia operatur.

Poſtea vero anno ab ejus obitu ſextodecimo, & ab incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo quarto, ſancta *Sexburga* ſoror ſua tunc ibidem poſt eam abbatiſſa, divino zelo accenſa veneranda ejus oſſa in eccleſiam diſpoſuit transferri; & cum lapidem tanto pignori & theſauro cœleſti in eodem recondendo aptum non haberet, quoſdam de ſuo obſequio ut hujuſmodi lapidem quærerent deſtinavit, & illum inventum ad *Elienſe* monaſterium navigio deportarent. Ipſa etenim *Elienſis* inſula ex natura loci aquis & paludibus undique eſt vallata, unde & hujuſmodi lapidibus caret. Applicantes autem ad quandam civitatem parvulam quæ non longe diſtabat nomine **Grantecestre**, quæ tunc temporis ad inſtar exigui oppidi redacta fuerat, raroque habitatore incolebatur, juxta murum ipſius civitatis lapidem ſepulturæ aptiſſimum tanquam divina diſpenſatione inveniunt præparatum. In quo poſtea mirum in modum gratia quædam divinæ operationis apparuit, dum quantitas lapidis divino nutu reperti quantitati corporis virginei tanquam ex induſtria viſa eſt adæquata, ut poſtea claruit. Operculum quoque ſimiliter marmorei coloris, & idoneæ quantitatis & æqualitatis reperiunt abſque ulla partium congruarum diſtantia, aut diſſonantia ſarcofago ſimilimum. Inde voti ſui compotes effecti abſque ullo obſtaculo ſine mora ſunt reverſi. *Sexburga* itaque divini muneris beneficio exhillarata, Dominum qui facit mirabilia benedixit. Apropinquante autem tranſlationis termino, cum die ſtatuto corpus ſanctiſſimæ virginis de ligneo locello in lapideum mauſoleum transferre decreviſſet, aperto prioris ſepulturæ locello, venerandum corpus ſine omni corruptionis indicio tanquam eodem die recenter fuiſſet ſepultum, integrum eſt inventum. Huic autem tam ſpecioſo & religioſo ſpectaculo interfuit beatus *Wilfridus Eboracenſis* archiepiſcopus. Intererat eciam huic ſpectaculo ad majorem rei ipſius evidentiam & veritatis certitudinem prædictus medicus *Kinefridus*, qui ei morienti prius aſtiterat, & tumorem quo & mortua eſt inciderat. Qui memor inciſſuræ quam in corpore ejus quondam fecerat, propius accedens & diligentius intuens, conſpicit eandem, & obſtupeſcit Dei virtute in mortua mirabiliter curatam, tenuiſſimo tantum & ſubtiliſſimo ad inſtar fili pro vulnere cicatricis veſtigio apparente, umbraculo ad modum papilionis decenter ut decebat deſuper compoſito. Aſtantibus hinc fratribus illinc ſororibus cum ympnis & laudibus Deum benedicentibus, ſancta *Sexburga* cum paucis ingreditur, ſororis oſſa religioſe & devote lotura, & facto modico intervallo de intus alta voce clamat, Sit gloria nomini Domini altiſſimi. Et ut hæc ſub probatione & præſentia teſtium fierent, quoſdam advocat dignos tantorum fieri ſecretorum participes, qui velamine detracto, vultuque detecto corpus virginis integrum magis quidem dormienti quam mortuo ſimilimum conſpexerunt. Tandem corpus precioſis veſtibus tanto theſauro conſervando dignis diligenter involutum, cum magno & multimodo devote exultantium tripudio in eccleſiam portatur, & in novo ſarcophago reponitur cum honore, ad laudem & gloriam ipſius qui ſub duobus maritis virginitatem ſuam integram conſervavit.

Anno *Egfridi* regis *Northumbriæ* decimo, *Theodorus* archiepiſcopus *Dorobernenſis* Concilium de Fide Catholica & ſtatu eccleſiæ *Anglicanæ* cum cæteris epiſcopis celebravit, de quo quidem Concilio inferius inter reges *Southſaxiæ* plenius dicetur. In iſto Concilio ſive Sinodo non parva congregata ſanctus *Cuthbertus* unanimi conſenſu omnium, *Egfrido* rege *Northumbriæ* prædicto annuente, ad epiſcopatum *Lindiſfarnenſis* eccleſiæ eſt electus; Qui cum multis legatariis & literis ad ſe præmiſſis nequaquam ſuo loco poſſet erui, tandem rex ipſe præfatus una cum ſanctiſſimo antiſtite *Trumwino*, necnon & aliis quamplurimis religioſis ac potentibus viris, ad inſulam navigavit. Ad cujus præſentiam cum veniſſent, genu flectunt omnes, adjurant, ad Dominum lacrimas fundunt, obſecrant donec ipſum quoque lacrimis plenum ad ſinodum extrahunt: Quo dum perveniret quamvis multum renitens unanimi omnium voluntate ſuperatur, atque ad officium epiſcopatus *Lindiſfarnenſis* eccleſiæ, cujus ſedes modo eſt apud **Durem**, ſuſcipiendum compellitur & fugatur. Duobus igitur annis poſt epiſcopatum ſuſceptum tranſactis, ipſe vir Dei *Cuthbertus* ſciens in ſpiritu diem ſui tranſitus apropinquare, pondus curæ paſtoralis abjecit, & ad dilectum heremiticæ converſationis agonem quantocius remeare curavit. Cumque eum navem aſcenſurum caterva fratrum circumſtaret, interrogavit unus ex eis venerabilis vitæ monachus, dicens, Dic nobis domine epiſcope quando reditum tuum ſperare debemus. At ille ſimpliciter interroganti quod verum noverat pandens, Quando, inquit, corpus meum huc referetis. Qui cum poſtea duos ferme menſes in quiete magna tranſigeret, ſubita infirmitate arreptus ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari. Tribus namque ebdomadis continuis infirmitate decoctus, ſicut in quarta feria cœpit ægrotare, ſic in quarta feria ſacramentis ſalutaribus acceptis animam ad regni cœleſtiis gaudia deſtinavit.

Circa idem tempus *Theodorus Dorobernenſis* archiepiſcopus erga *Wolfridum Merciorum* epiſcopum offenſus, & ipſum pro quadam inobedientia deponens, *Saxulfum* loco ſuo ordinavit, & in illo concurſu tempore *Sigheri* & *Sebby* regum *Eſtſaxiæ*, ſanctum *Erkenwaldum* conſtituit epiſcopum *Londoniarum*, ut ſuperius inter reges *Eſtſaxiæ* eſt notatum. Et eo tempore *Edelredus* rex *Merciorum* *Cantiam* vaſtavit, unde *Rouceſtria* deſtructa *Putta* epiſcopus inde fugit, cui primo *Chichelinus*, poſtea vero *Gilemundus* ſucceſſerunt. Iſte *Egfridus* rex *Northumbriæ* antedictus, ſanctum *Wilfridum Eboracenſem* archiepiſcopum prædictum ab epiſcopio ſuo fugavit, loco cujus *Boſſa Deirorum* provinciam, *Eata Bernicorum* ſuſcepit; *Boſſa* vero *Eboraco*, *Eata* in *Haguſtaldenſi* eccleſia ſederunt. Tunc eciam

Eatheld in *Lindiſfarrorum* provincia, quam nuperrime rex *Egfridus* ſuperato *Wolfero* optinuerat, epiſcopus ordinatur, & hunc primum eadem provincia proprium præſulem accepit, ſecundum *Ailwinum*, tercium *Adgarum*, quartum *Kynebertum*, qui ut *Beda* teſtatur tempore ſuo illam eccleſiam gubernavit. Habebat enim ante *Eatheldum* antiſtitem *Saxulfum*, qui eciam *Merciorum* epiſcopus fuit, unde & expulſus de *Lindeſeya* in illarum provinciarum regimine permanſit. Ordinati ſunt autem *Eboraco*, *Eathelde*, & *Boſſa*, & *Eata* à prædicto *Theodoro Dorobernenſi* archiepiſcopo. Qui eciam poſt annos tres abceſſionis ſancti *Wilfridi* horum numero duos addidit antiſtites, *Trumbertum* ſcilicet ad eccleſiam *Haguſtaldenſem Eata* in *Lindiſfarnenſi* remanente, & *Trumwyne* ad provinciam *Pictorum* quæ tunc *Anglis* erat ſubdita ſive ſubjecta. *Eathedum* de *Lyndeſeya* reverſum, eo quod rex *Ethelredus Merca* provinciam recepiſſet, *Ripenſi* eccleſiæ præfecit.

Sanctus *Wilfridus* ab archiepiſcopatu ſuo *Eboracenſi* per regem *Egfridum*, ut dictum eſt, expulſus *Romam* adiit, ubi coram *Agathone* papa cauſa ejus ventilata eſt, & judicio omnium ſine crimine fuiſſe accuſatus, & epiſcopatu dignus eſſe inventus eſt. Tunc ſanctus *Wilfridus* coram eodem papa & ſinodo CXXV. epiſcoporum quam contra aliquos in fide errantes papa congregaverat, pro omni aquilonari parte *Britanniæ* veram & catholicam fidem confeſſus eſt. Poſt hæc igitur ad *Britanniam* reverſus, provinciam auſtralium *Saxonum* ab ydolatriæ ritibus ad Chriſtum convertit, ut inferius inter reges *Southſaxiæ* plenius dicetur. Iſte rex *Egfridus* anno uno ante mortem ſuam *Berthum* ducem in *Hiberniam* cum exercitu deſtinavit, qui gentem innoxiam & nationi *Anglorum* ſemper amicam miſere devaſtavit. At *Hibernienſes* pro poſſe ſuo repugnantes, & divinæ pietatis auxilium invocantes, cœlitus ſe vindicari continuis diu inprecationibus poſtulabant, & quamvis maledicti regnum ad opus regis poſſidere non poſſet, creditur tamen quod hii & rex qui eos miſerat propter eorum impietatem vindictam non inmerito ſenſerunt. Anno ſiquidem poſt hunc proximo, cum idem *Egfridus* rex exercitum ad *Pictorum* provinciam vaſtandam amicis multum prohibentibus, & maxime beatæ memoriæ *Cuthberto*, temere duxiſſet, hoſtibus fugam ſimulantibus, inter anguſtias inacceſſorum montium introductus cum maxima parte copiarum quas ſecum adduxerat eſt extinctus, qui patrem *Cuthbertum* ne *Scociam* nil ſe lædentem inpugnaret audire noluit. Exinde ſpes & virtus *Anglorum* fluere cœpit, nam *Pictis* terram ſuam cujus partem tenebant *Angli* recuperantibus, *Britones* nonnullam libertatem receperunt quam hactenus ibi habent. Vir autem domini abbas **Ebercurny** juxta fretum quod *Anglorum* terras & *Pictorum* in regione illa determinat inde fugiens, in monaſterio de **Streneſhalde** obiit ſæpedicto.

Poſtea vero curriculo non multorum annorum tranſacto, *Berthus* conſul prædictus, mortem dicti domini ſui *Egfridi* regis, ut dictum eſt, occiſi vindicare volens, maledicta *Hibernienſium*, ad quos per dictum regem, ut prædicitur, miſſus fuerat, & eorum eccleſias deſtruxerat, ſenſit. Nam ſicut idem *Egfridus* rex terram *Pictorum* ingreſſus cædem ibi, ut dictum eſt, pertulit, ita iſte *Berthus* terram eorum dominum ſuum vindicaturus ingreſſus ſtrenue occiditur ab eiſdem.

E*gfrido* vero regi *Northumbriæ*, ut dictum eſt, occiſo *Alfridus* vir in ſcripturis doctiſſimus qui frater ejus, & filius regis *Oſwii* eſſe dicebatur ſuccedens, ſtatum regni deſtructum nobiliter recuperavit. Anno regni iſtius regis *Alfridi* ſecundo, beatus *Wilfridus Eboracenſis* archiepiſcopus de *Roma* reverſus ſedem ſuam & epiſcopatum, à quo per *Egfridum* regem, ut dictum eſt, ejectus fuerat, repetens, ipſo rege *Alfrido* & plurimis epiſcopis annuentibus, à præſulatu pulſus eſt. Adiens ergo *Romam* iterum coram *Johanne* papa & aliis epiſcopis conſedentibus, ſuis eciam accuſatoribus præſentibus probatum eſt, ipſos contra eum falſas machinaſſe calumpnias. Scripſit ergo *Johannes* papa regibus *Angliæ Edelredo* & *Alfrido*, ut eum in epiſcopatum ſuum eo quod injuſte fuerat condempnatus facerent recipi.

In illo fere temporis concurſu, beatus *Johannes* de *Beverlaco* intra confinia *Anglorum* editus, cum à prædicto *Theodoro Dorobernenſi* archiepiſcopo cui in juvenili ætate commiſſus fuerat, jam bene literis & ſcientia ſanctarum Scripturarum eſſet imbutus, defuncto venerabili viro *Eata* epiſcopo *Haguſtaldenſis* eccleſiæ præſulatum accepit, de quo plura miracula dicere ſolebat *Bertinus* quondam ejus diaconus; poſtea vero abbas monaſterii quod **Beverlith** nominatur. Cumque beatus *Wilfridus Eboracenſis* archiepiſcopus, qui longo tempore & ſæpius, ut dictum eſt, ab archiepiſcopatu ſuo ejectus fuerat, acceptis epiſtolis papalibus in patriam reveniſſet, & dicto archiepiſcopatu ſuo dimiſſo epiſcopatum prædicti beati *Johannis Haguſtaldenſis* eccleſiæ cum ſinodali conſilio recepiſſet, idem beatus *Johannes* in *Eboracenſi* civitate epiſcopatum accepit, quem annis xxiij. nobiliter gubernavit. Poſtea vero tempore dicti regis *Alfridi* beatus *Wilfridus* antedictus pro quo Deus miracula operatur, apud *Wendalum* in Domino requieſcens, in *Riponenſi* eccleſia ſepelitur.

Cum autem beatus *Johannes Eboracenſis* archiepiſcopus antedictus quodam die in porticu ſancti *Michaelis Eboracenſis* devotæ orationi vacaret, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ante eum ſuper altare reſedit, ſplendore & candore radium ſolis vincens. Cumque multi mirarentur hanc lucem, unus diaconus ad hoſpicium porticus concurrit, & intus vidit epiſcopum ſtantem in oratione & ſancti Spiritus fulgore porticum intus velut igne flammari. Mox vero facies diaconi ardore ſancti Spiritus cremabatur, & cutis maxillæ in ruga ſubito trahebatur. Quod cum ſanctus *Johannes* per Spiritum ſanctum intelligeret, ipſum ad ſe accerſivit & faciem ejus manu ſua palpans priſtinæ reſtituit ſanitati, præcipiens ne hanc viſionem quamdiu viveret patefaceret. Vixit autem in epiſcopatu xxxiij. annis, & poſtea ſenio affectus, ordinato in epiſcopatu *Eboracenſis* eccleſiæ *Wilfrido* presbytero ſuo, de conſilio prædicti ſancti *Bertini* abbatis *Beverlacum* petiit, ibique in Dei ſervitute vitam finivit. Iſte rex *Alfridus* anno regni ſui xx. nondum completo, apud **Driffeld** obiit infirmatus.

Dicto vero *Alfrido* regi *Northumbriæ* defuncto, *Oſredus* filius ſuus puer octo annorum ſucceſſit.

ſit. Qui poſtquam xj. annis regnaſſet, juxta mare pugnans belli infortunio eſt occiſus. Poſt *Oſredum* mortuum, *Kenredus* in regno *Northumbria* ſucceſſit, qui ij. annis regnans mortuus eſt. Poſt *Kenredum* ſucceſſit *Oſricus* xj. annis ibidem regnans. Iſti quatuor reges ultimo prædicti, videlicet *Alfridus*, *Oſredus*, *Kenredus*, & *Oſricus* regnaverunt in *Northumbria* tempore *Ina* regis *Weſtſaxia*.

OSricus rex *Northumbria* vita decedens, *Ceolwolfo* fratri *Kenredi* ante ſe regnantis regnum reliquit, cui *Beda* vir ſanctus & venerabilis, florentis ingenii & Chriſti philoſophus, Hiſtoriam *Anglorum* ſcripſit. Tempore iſtius regis *Ceolwolfi*, *Adilwald Lindisfarnenſis* epiſcopus vivendi finem fecit. Poſt quem *Kinewolfe* non ſegnius venerabilis honorem epiſcopatus adeptus eſt, & *Atta* presbiter, & poſtea *Haguſtaldenſis* epiſcopus rebus corporeis exutus eſt. Iſte *Ceolwolfus* rex *Northumbria* nobiliſſimus, qui ſæpius cum venerabili *Beda* dum vixit colloquium habuerat, & ſæpe poſt mortem ejus, Hiſtoriam ſuam de geſtis *Anglorum* ad ſe ſcriptam oculis viderat, cœpit regum ſingulorum facta & finem ſecum diſcutere diligenter, viditque luce clarius regna terrena, & res humanas cum labore adquiri, cum timore poſſideri, & dolore amitti. Cumque ergo parvo ſpacio, i. octo annis regnaſſet, permaximum viſum eſt ei, quod tanto tempore vitam ſuam vanis curis & fragilibus deditam amiſiſſet, unde exemplum ex hiſtoria beati viri prædicta aſſumens ſex reges fortiſſimos, ſcilicet *Edelredum* regem *Merciæ*, *Kenredum* ſucceſſorem ejus, *Cedwallam* regem *Weſtſaxia*, & *Ine* ſucceſſorem ejus, *Sigebertum* regem *Eſtanglia* quem monachum effectum *Penda* rex *Merciorum* occidit, & *Sebby* regem *Eſtſaxia* vidit, qui omnes pro Dei amore terrenum imperium relinquentes monachilem habitum aſſumpſerunt, quem ipſe tanquam vir fere fortiſſimus ſibi aſſumere non tardavit; & *Egberto* cognato ſuo filio *Eata* filii *Leirwaldi* regni ſceptrum tradidit & reliquit. Et ſic *Ceolwulfus* rex *Northumbria* exemplo dictorum regum monachus effectus religioſus per xxij. annos creatori ſuo in vitæ mundicia deſervivit. Unde ipſo rege *Ceolwolfo* in religionem ingreſſo, ſuperbus *Ethelbaldus* rex *Mercenſis* ſpreta ſanctificatione gladiis jura poſtponens *Northumbriam* intravit, & cum non eſſet qui ei reſiſteret præda quantum voluit arrepta ſecum ad ſua transvexit. Qui præda & ſpoliatione *Northumbria* confortatus, cum poſtmodum *Adelardo* rege *Weſtſaxia* defuncto, *Cudredum* ejuſdem *Adelardi* ſucceſſorem nunc bellis, nunc ſeditionibus affligeret, demum per ipſum *Cudredum*, qui ſuperbas ejus exactiones & inſolentiam ulterius ferre non poſſet, apud **Secandon** occiſus eſt, ut ſuperius tam inter reges *Merciæ* quam *Weſtſaxia* plenius invenitur.

Quo *Ethelbaldo*, ut dictum eſt, occiſo, *Cudredus* rex *Weſtſaxia* magnus & excelſus poſtmodum contra *Britannos* ſine detrimento ſuorum victoriam optinens, demum anno regni ſui xvj. mortis inclementia vitæ ſuæ lætitiam terminavit. Quo defuncto, *Sigebertus* cognatus ejus in regno *Weſtſaxia* ſibi ſucceſſit, brevi tempore regnum tenens. Nam cum populum ſuum modis omnibus male tractaret, & leges regni ſui non obſervaret, *Cumbra* conſul ejus nobiliſſimus prece totius populi, eidem regi *Sigeberto* eorum querimonias intimavit. Et quia ipſum regem ſuaſerat, ut populum ſuum lenius regeret & leges ſervaret, ac inhumanitate ſua depoſita Deo & hominibus amabilis appareret, rex eum impia nece interfici ſtatim juſſit, & extunc populo ſuo ſeverior & intollerabilior quam prius fuit, unde in principio ſecundi anni regni ſui cum incorrigibilis hominibus ſuis appareret, proceres & populus ejus totus provida deliberatione ipſum à regno unanimi conſenſu omnium ejecerunt. Cujus loco *Kenwolfum* juvenem egregium de regia ſtirpe oriundum in regem ſuper populum *Weſtſaxis* elegerunt: unde *Sigebertus* rex à regno ſuo ut præmittitur expulſus, & minas mortis metuens, in ſilvam magnam quæ vocatur **Andredeſwald** fugiens ſe abſcondit; ubi quidam porcarius dicti *Cumbra* conſulis, ut dictum eſt, nequiter interfecti, ipſum regem *Sigebertum* abſconditum invenit, inventum cognovit, & cognitum vindex domini ſui continuo interfecit; ut ſuperius inter reges *Weſtſaxia* eſt notatum. Et poſtquam iſte *Egbertus* rex *Northumbria* vidit regum prædictorum, *Ethelbaldi* ſcilicet & *Sigeberti*, vitam ærumpnoſam & finem infauſtum, *Ceolwulfi* vero prædeceſſoris ſui vitam laudabilem & finem glorioſum, meliorem partem elegit quæ ab eo non auferetur; relinquens namque regnum, tonſuram capitis in æternum diadema generaturam ſuſcepit, & veſtes æthereum ſplendorem induit collaturas, & ſic monachus effectus non hic obiit ſed *Romæ* abiit ſtipendia mirabilia recepturus. Iſte eſt octavus regum *Anglorum* qui poſt adventum ſancti *Auguſtini* in *Angliam* regna ſua pro Chriſto ſponte dimiſerunt, &, ut vere dicam, pro regno æterno commutaverunt.

Anno proximo ſequenti, quo dictus *Ceolwolfus* rex factus fuerat monachus, *Leo* imperator cum inſaniret cupiditate precioſorum lapidum, tulit coronam ſanctæ *Sophia* & impoſuit ſibi, ſed ſtatim carbunculi exierunt. Dicto autem *Egberto* rege, ut dictum eſt, monacho facto, *Oſulf* filius ſuus in regno *Northumbria* ſibi ſucceſſit; qui cum uno anno regnaſſet, nephanda proditione à familia ſua eſt occiſus. Quo *Oſulfo* rege occiſo, *Mol* poſt eum in regno *Northumbria* regnavit. Qui ſecundo anno regni ſui *Oſwinum* Ducum ſuorum fortiſſimum interfecit, & cum vj. annis regnaſſet, vitam de ſeculo terminavit. Rege vero *Mol* defuncto, *Alredus* in regno *Northumbria* ſibi ſucceſſit. Qui cum viij. annis regnaſſet, *Northumbrenſes* ipſum ab *Eboraco* in ebdomada Paſchæ fugaverunt, *Edelredum* filium dicti regis *Mol* in regem ſibi eligentes, qui regnum annis quatuor gubernavit. Hoc anno poſt occaſum ſolis ſigna in cœlo rubea videbantur, & horridi ſerpentes cum admiratione magna in *Southſaxia* viſi ſunt. Circa idem tempus *Saxones* antiqui in *Saxonia*, unde gens *Anglorum* deſcendit, ad fidem converſi ſunt.

Anno dicti *Edelredi* regis *Northumbria* iiij°. & ultimo *Edelboldus* & *Herbertus* duces ejus ſibi rebellantes, *Aldulfum* filium *Biſa* regalis exercitus primatem apud **Kyngeſclive** Martis congreſſibus occiderunt, & poſtmodum duos duces ejuſdem regis, videlicet *Kinewolf* & *Eggam*, iidem *Edelboldus* & *Herbertus* aput **Clacthon** ingenti prælio extinxerunt, unde idem rex *Edelredus* ducibus ſuis interfectis & ſpe recuperationis amiſſa de eorum facie pro ſuo perpetuo cito fugit.

Edelredo

E*Delredo* rege à regno *Northumbria* per dictos *Edelbaldum* & *Herbertum* duces ſuos fugato, iidem duces aſſenſu complicium ſuorum *Alfwold* in regem ſibi in regno *Northumbria* ſtatuerunt. Anno *Alfwoldi* regis *Northumbria* ſecundo, principes & præpoſiti *Northumbria* quendam Conſuſulem & Juſticiarium ſuum, quia rigidior æquo extiterat, combuſſerunt. *Alfwoldus* rex *Northumbria* anno regni ſui 3. pro pallio *Romam* miſit, quod acceptum *Eubaldo* archiepiſcopo *Eboracenſi* liberavit. Tunc *Alcmundo Hagustaldenſi* epiſcopo defuncto, *Tilbert* ei ſucceſſit: *Alfwoldus* vero rex *Northumbria* cum decem annis regnaſſet obiit, cui *Oſredus* rex in regno ſucceſſit, qui uno anno regnavit. *Oſredo* autem rege *Northumbria* mortuo ſucceſſit ei *Oſwaldus*.

R*Ege Oſwaldo Northumbria* defuncto, *Ardulphus*, ſive *Aldulphus* rex in regno ſibi ſucceſſit, cujus tempore floruit ſanctus *Guthlacus*, qui cum eſſet annorum circiter xxvj. & priſcorum monachorum ſolitariam vitam ſæpe legeret, toto cordis deſiderio heremum quærere fervebat: unde ad inſulam *Croulandia* veniens inter umbroſa ſolitudinis nemora ſolus habitare cœpit.

Erat in eadem inſula cumulus agreſtibus glebis coacervatus, in cujus latere velut ciſterna ineſſe videbatur, in qua vir Dei *Guthlacus* tigurio deſuper impoſito habitabat, nihil aliquo die pro cibo ſumens niſi poſt ſolis occaſum ordeacei panis particulam, & aquam pro poculo luculentam. Et cum quadam die vir Dei *Guthlacus* ex more pſalmis canticiſque incumberet, antiquus hoſtis ejus ſanctitati invidens, tenſo ſuæ malignitatis arcu venenoſam deſperationis ſagittam in eum viribus totis jecit; deſperare itaque Chriſti famulus cœpit, infinitum, & importabile opus eſſe quod incepiſſet. Cum autem per biduum in hac cogitatione fluctuaret, die tercio illuminato corde velut triumphali voce pſallebat, dicens, Dominus michi adjutor, & ego videbo inimicos meos. Fuit namque in orientalium *Anglorum* terminis, quidam juvenis nomine *Himtredus*, inclitæ quidem ut ferunt ſobolis, quem malignus ſpiritus ſubito invadens in tantum vexabat, ut membra propria ligno & ferro, unguibus & dentibus laniaret, nec ſolum ſeipſum, ſed & omnes quos tangere poterat morſibus lacerabat: pro cujus inſania mœſti parentes eum ad *Guthlacum* duxerunt. Quem ille in oratorium ſuum ſecum ducens illic continuis trium dierum jejuniis flexis genibus pro eo Deum ſuppliciter exoravit, tercia die in fonte ſacro eum abluit, in faciem ejus ſufflans, eum à maligno ſpiritu liberavit. Fama vero ſanctitatis iſtius viri Dei *Guthlaci* longe lateque divulgata, reverentiſſima virgo Chriſti *Edburga* Abbatiſſa, dicti regis *Aldulfi* filia, ad eum ſarcofagum plumbeum lintheumque in eo involutum tranſmiſit, quo poſt obitum idem vir, ut ipſa ſupplicabat, humaretur. Addidit quoque ut ab eo per fidelem nuncium nunciaretur, quis loci illius poſt exceſſum ſuum hæres futurus foret: Qui cum ſanctæ virginis fidele munus gratanter ſuſcepiſſet, ſuper hoc quod interrogatus eſt reſpondiſſe fertur. Illius loci hæredem nondum ad baptiſmatis gratiam veniſſe, cito tamen venturum fore prædixit. Quod ſpiritu propheciæ eum dixiſſe eventus rei probavit. Et poſtquam dilectus Dei famulus *Guthlacus* per xv. annos vitam ſolitariam duxiſſet, quadam die in oratorio ſuo orationibus vacans infirmitate gravi ſubito eſt arreptus, qua per vij. dies decoctus, octavo die corporis & ſanguinis Chriſti viatico ſe munivit, atq; elevatis in cœlum oculis, & tenſis in cœlum manibus, tercio idus Aprilis animam ad æternæ miſit lætitiæ manſionem. Dicto *Aldulfo* regi *Northumbria*, quem demum *Ethelbrictus* rex *Weſtſaxia* ſubjugaverat, defuncto, *Ella* & *Oſbirtus* ſive *Oſbrithtus* in regno *Northumbria* ſucceſſerunt. De quibus regibus ſcilicet tam *Ethelbricto* rege *Weſtſaxia*, quam *Ella* & *Osbrithto* regibus *Northumbria*, plura adhuc plenius reſtant dicenda, prout inferius in proceſſu poſt tractatum de diviſione regni ſatis lucide ſcriptum erit.

R*Egnum* auſtralium *Saxonum*, id eſt *Southſaxia*, incepit ab *Ella* cui ſucceſſit *Sciſſa*, cæteros penuria ſcriptorum, vel fama obſcura recondit, uſque *Edelwoldum* regem *Suthſaxia*. Cujus beatus *Wilfridus Eboracenſis* archiepiſcopus per *Egfridum* regem *Northumbria*, ab epiſcopio ſuo, ut ſupra inter reges *Northumbria* notatur, expulſus, *Roma* petita, *Britanniam* rediens, Auſtrales *Saxones* ad fidem convertit, quorum rex *Ethelwoldus* iſte prædictus in provincia *Merciorum*, ſuaſione regis *Wolferi*, paulo ante à ſancto *Birino* epiſcopo fuerat baptiſatus, & à dicto *Wolfero* de lavacro ſancto ſuſceptus, in cujus adoptionis ſignum inſulam dederat illi *Vectam*, & eciam ingentem *parorum* provinciam occidentalium *Saxonum*. Concedente igitur, immo rege *Edelwoldo* gaudente, beatus *Wilfridus* prædicans primo Duces & milites, deinde totam plebem abluit ſacro fonte, ymbre qui tribus annis perante ceſſaverat, unde fames acerbiſſima plebem ſtraverat, ipſo die populo affluente. Fertur eciam quod tempore illius famis, ſæpe homines ſimul quadraginta inedia macerati ad præcipicium aliquod ſive ad ripam maris proceſſerunt, & junctis miſere manibus ruina perituri, aut maris fluctibus deciderent abſorbendi. Sed baptiſmate ſimul, & pluvia advenientibus, refloruit terra, rediit viridantibus arvis annus frugifer atque lætus, & ſic cor, & caro omnium exultaverunt in Deum vivum. Docuit eciam eos antiſtes piſcari; nam prius niſi ad anguillas tantum piſcari ſciebant. Collectis igitur retibus epiſcopus ſe in mare miſit, & mox trecentis piſcibus captis centum pauperibus dedit, centum hiis quorum erant retia, centum in uſus proprios reſervavit. Quod populus videns libentius ejus verbis cœleſtia bona ſperare cœperunt, cujus miniſterio temporalia bona ſumpſerunt. Dedit autem ei iſte rex *Ethelwoldus* inſulam nomine *Seleſhey*, id eſt, *inſula vituli marini*, quæ circumdatur undique mari præter ab occidente fundæ jactum, qui locus à Latinis *Peninſula*, à Græcis *Cheroneſos* vocatur. Ibi ergo beatus *Wilfridus* fundato Templo quinque annis, uſque ad mortem dicti *Egfridi* regis *Northumbria* moram traxit, ubi ducentos & quinquaginta ſervos, & ancillas fecit liberos, & Chriſtianos.

Dicto vero rege *Egfrido* defuncto, beatus *Wilfridus*, tempore *Alfridi* regis qui dicto *Egfrido* ſucceſſit, epiſcopatum *Eboracenſem* repetens, demum epiſcopatum *Hagustaldenſis* eccleſiæ cum ſinodali concilio recepit, beato *Johanne* de *Beverlaco* epiſcopatum *Eboracenſem* tunc capiente, prout ſuperius inter reges *Northumbria* plenius continetur.

tinetur. Interea *Cedwalla* juvenis de regio genere *Gewiſeorum* exulans, dictum regem *Edelwoldum* interfecit, qui mox à *Brectuno* & *Auduno* ducibus regum qui prius regnaverant eſt expulſus. Sed cum poſtea idem *Cedwalla* rex *Gewiſeorum* eſſet, *Brectunum* occidit, & provinciam graviter tanquam ejus ſucceſſor vexavit. Unde beato *Wilfrido* toto illo tempore domum revocato, & abſente, provincia illa proprio caruit antiſtite, & epiſcopo *Wentæ* eſt ſubjecta. *Cedwalla* vero rex antedictus inſulam *Vectam* adhuc ydolatram debellavit, cujus quartam partem beato *Wilfrido* epiſcopo, tunc forte de gente ſua redeunti ſecundum votum ſuum, dedit. Duos autem filios *Edelwoldi* regis, per *Cedwallam* ut dictum eſt occiſi, jam poſt patrem necandos Abbas **Redford**, id eſt vadum arundinis, conceſſione regis *Cedwallæ* prius fecerat baptiſari, & tunc demum circa idem tempus inſula *Vecta*, ultimo omnium regionum *Britanniæ* eſt converſa. Et poſtquam omnes *Britanniæ* provinciæ modo & ordine ſupradictis fidem Chriſti ſuſceperant, *Theodorus Dorobernenſis* archiepiſcopus, (de quo ſæpius ſuperius inter reges diverſorum regnorum tactum eſt,) ad fidem illam confirmandam concilium cum Epiſcopis *Britanniæ* celebravit; & illud concilium ſive tractatum ſinodalibus literis, ſub formā qua ſequitur æternæ memoriæ commendavit.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvatoris, imperantibus dominis piiſſimis Egfrido *regē* Humbrenenſium *anno regni ejus decimo*, & Kentwino *rege* Weſtſaxiæ *anno regni ejus quinto*, & Edelredo *rege* Merciorum *anno regni ejus ſexto*, & Aldulfo *rege* Eſtanglorum *anno regni ſui xvij.* & Lotario *rege* Cantuariæ *anno regni ejus vij. ſub die xv. kalend. Octobris Indictione viij. præſidente* Theodoro *gratia Dei archiepiſcopo* Britanniæ *inſulæ, & civitatis* Dorobernenſis, *una cum eo ſedentibus cæteris epiſcopis* Britanniæ *inſulæ viris venerabilibus, præpoſitis ſacroſanctis evangeliis in loco qui* Saxonico *vocabulo* **Hatfeld** *nominatur pariter tractantes fidem rectam & orthodoxam expoſuimus, ſicut dictus Dominus noſter Ieſus Chriſtus incarnatus illam tradidit diſcipulis ſuis, qui præſentialiter eum viderunt, & audierunt ſermones ejus, atque ſanctorum patrum tradidit Symbolum, & generaliter omnes ſanctæ & univerſales Synodi, & omnis probabilium catholicæ eccleſiæ Doctorum chorus. Nos autem eos pie atque orthodoxe juxta divinitus inſpiratam doctrinam eorum profeſſi, credimus conſtanter & confitemur, ſecundum ſanctos patres proprie, & veraciter patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, trinitatem in unitate conſubſtantialem, & unitatem in trinitate, hoc eſt unum Deum in tribus ſubſiſtentibus perſonis & conſubſtantialibus, æqualis gloriæ & honoris.* Et poſt multa hujuſmodi quæ ad fidei confeſſionem pertinebant, hæc quoque ſancta Synodus ſuis literis addidit. *Suſcepimus ſanctas & univerſales quinque Synodos beatorum, & Deo acceptabilium patrum,* id eſt, *qui in* Nicena *congregati fuerunt CCCxviij. contra* Arrium *impiiſſimum, & ejus dogmata. Et in* Conſtantinopoli *Cl. contra veſaniam* Macedonii, & Eudoxi, *& eorum dogmata; & in* Epheſo *primo CC. contra nequiſſimum* Neſtorium, *& ejus dogmata. Et in* Calcedonia *DCxxx. contra* Eutichen, & Neſtorium, *& eorum dogmata; & iterum in* Conſtantinopoli *quinto congregati ſunt Concilio, in tempore* Juſtiniani *junioris contra* Theodorum, & Theodorei *epiſtolas, & eorum dogmata contra* Sirillum. Et paulo poſt. *Eciam Synodum quæ facta eſt in urbe* Romana, *in tempore* Martini *papæ beatiſſimi indictione prima imperante* Conſtantino *piiſſimo anno ix. ſuſcepimus, & glorificamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſicut iſti glorificaverunt, nihil addentes vel ſubtrahentes. Et anathematiſamus corde & ore quos anathematiſaverunt, & quos ſuſceperunt ſuſcepimus, glorificantes Deum patrem ſine initio, & filium ejus unigenitum, ex patre generatum ante ſecula, Spiritum ſanctum procedentem ex patre & filio inenarrabiliter, ſicut prædicaverunt hii quos memoravimus ſupra ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores, & nos omnes ſubſcripſimus, qui cum* Theodoro *archiepiſcopo fidem catholicam expoſuimus.*

Intererat autem huic Synodo *Iohannes* archicantor eccleſiæ ſancti *Petri Romæ*, & Abbas ſancti *Martini*, qui nuper inde venerat juſſu papæ *Agathonis* cum *Benedicto* Abbate venerabili. Iſte *Benedictus* conſtruxit monaſterium ſancti *Petri* juxta hoſtium fluminis *Wyry*, qui *Romam* profectus ad confirmandum privilegium Templi, ex conceſſione regis *Egfridi*, & rediens, prædictum *Iohannem* archicantorem ad *Britanniam* ſecum duxit. Hujus *Benedicti* ſucceſſor fuit *Ceolfridus* Abbas, ſub quo *Beda* deguit. Ibi ergo dictus *Iohannes* cantare docuit *Romano* more, & Decreta Synodi *Martini* papæ, ubi ipſe interfuerat, ibi ſcripta reliquit. Repetens poſtea *Romam* qualitatem fidei *Anglorum* relaturus, mortuus eſt in via, & *Turoni* ſepelitur.

Nunc igitur hiis ita pertractatis, ad contextum hiſtoriæ regum *Anglorum* redeundum eſt.

POſtquam vero *Edelwoldus* rex *Southſaxiæ*, & duo filii ſui per *Cedwallam* antedictum, ut ſupra ſcribitur, occiſi fuerant, in regno *Southſaxiæ* regia ſtirps ceſſavit, & poteſtas in jus regum *Weſtſaxiæ* tranſivit.

Dum autem regnum *Angliæ* erat inter ſeptem reges ſive regulos, & aliquando inter plures, & aliquando inter pauciores ut dictum eſt diviſum, contigit quod reges qui tunc regnabant cœperunt inter ſe ſæpius, ut præmittitur, mutuo debellare, unde quibuſdam devictis & ſubjectis ſeptem regna prædicta in quinque pariter ſunt redacta.

Ita videlicet quod rex *Cantiæ*, ut prius in principio, ſuper totam illam provinciam abſque ullo incremento regnavit, & habuit in regno ſuo *Canciæ* ſedem archiepiſcopatus *Dorobernenſis*, & ſedem epiſcopatus *Roffenſis*.

Rex autem *Eſtſaxiæ* tenuit, & occupavit *Eſtſaxiam*, *Middelſaxiam*, *Southfolchiam*, *Northfolchiam*, & comitatus *Herfordiæ*, *Cantebrigiæ*, & medietatem *Bedefordiæ*. Et habuit iſtos epiſcopatus ſibi ſubjectos, viz. *Lundonienſem* & *Elmham*; cujus epiſcopi apud **Dummock** ſive **Felſtow** per plures annos prius ſedebant, & poſtea apud **Tedforde**, ſed demum *Herbertus* epiſcopus ſedem tranſtulit uſque *Norwicum*, ut ſuperius inter reges *Eſtangliæ* tactum eſt. Sed modo infra limites iſtius regni *Eſtſaxiæ* eſt tercius epiſcopatus, videlicet de **Ely**, qui temporibus illis non erat, ſed poſtmodum de epiſcopatu *Lincolnienſi* tempore primi

Henrici regis *Angliæ* ſumptus fuit; ut ibidem plenius dicetur.

Rex vero *Weſtſaxiæ* tenuit *Surreiam*, *Southſaxiam*, & comitatus *Southamtoniæ*, *Wiltoniæ*, **Barocſchire**, (qui ſic denominatur à quadam nuda quercu in foreſta de **Windeſoure**, ad quam ſolebant provinciales convenire) *Somerſetiæ*, *Devoniæ*, & *Cornubiæ*. Et habuit ſedes epiſcopales *Ciceſtræ*, *Wintoniæ*, *Sarum*, & *Bathoniæ* cujus ſedes eſt eciam apud **Welles**, & *Exoniæ*. In loco cujus ſedes duæ epiſcopales fuerant antiquitus ſtabilitæ, quarum una erat apud *Cridington*, & alia apud ſanctum *Germanum* in *Cornubia*.

Rex autem *Mercæ* ſive *Merciorum* tenuit comitatus *Gloverniæ*, *Herefordiæ*, *Wigorniæ*, *Salopiæ*, *Ceſtriæ*, *Staffordiæ*, *Derbiæ*, *Notynghamiæ*, *Leiceſtriæ*, *Lincolniæ*, *Northamptoniæ*, *Warewikiæ*, *Oxoniæ*, *Bokinghamiæ*, *Huntyngdoniæ*, & medietatem *Bedefordiæ*. Et in iſto regno *Mercæ* ſunt epiſcopatus, videlicet *Herefordiæ*, *Wigorniæ*, & *Ceſtriæ* cujus ſedes eſt apud **Lichefeld** & *Conventriam*. Et eſt eciam epiſcopatus *Dorkeceſtriæ*, qui modo habet ſedem apud *Lincolniam*.

Rex vero *Northumbriæ* tenuit totam terram *Northumbriæ*, videlicet à flumine de *Humbra*, uſque ad mare *Scociæ*, cum territorio, ſive comitatibus *Lancaſtriæ*, *Weſtmerlandiæ*, & *Cumberlandiæ*. Et habuit in regno ſuo archiepiſcopatum *Eboracenſem*, cujus epiſcopi olim quidam ſedebant aput **Rypoun**, quidam apud *Beverlacum*; Et habet epiſcopatum *Dunolmiæ*, qui erat in inſula *Lindisfarnenſi*, & eciam iſti regno epiſcopatus *Candidæ Caſæ*, ſive *Galeweyæ* eſt ſubjectus. Et infra limites iſtius regni *Northumbriæ* eſt modo unus alius epiſcopatus, videlicet *Carleolenſis*, qui pro tunc non fuerat ordinatus; quia temporibus dictorum regulorum omnes ſupradicti epiſcopatus, licet hic ſcribantur, nondum erant ordinati, nec in quibuſdam locis prædictis conſtituti, nec forte omnes prædicti comitatus erant pro tunc eiſdem prædictis nominibus nominati.

Istis in parte licet non ad plenum dictis, & tractatis de regibus & Principibus qui tempore *Britonum* regnabant, & dominia per diverſas provincias poſſidebant, quorum quidam jure hæreditario fuerunt ſucceſſores, quidam vero per victoriam, & triumphum poſſeſſores: unde aliis omiſſis, materiam noſtram ad illos breviter applicemus, à quibus reges & progenitores regum totius *Angliæ* originem ſumpſerunt poſtmodum primitivam. Et ad nobilem & ſtrenuum debellatorem *Ethelbrictum* filium *Aylmundi*, de qno ſuperius in fine regum *Weſtſaxiæ* tactum eſt, recurramus. Qui in *Weſtſaxiæ* natus fuerat, & nutritus; & erat miles invictus, valens & bellicoſus. Sed rex *Brithtrich*, qui tunc regnavit in *Weſtſaxia*, in tantam inſaniam per invidiæ fomitem erga eum prorupit, quod in mortem ſuam conſpiravit. Sed cum malicia regis fuerat ſibi detecta, abiit in *Franciam*, & ibi converſatus eſt, quouſque rex prædictus ſubtractus fuerat ab hac luce. Poſt mortem vero regis, incolæ *Weſtſaxiæ* ipſum in *Angliam* revocaverunt, & ipſum in eorum regem coronaverunt. Qui congregato exercitu ſtragem non modicam in illos regulos ſibi reſiſtentes excercuit, guerram ſuam per xxviij. annos continuans. Demum aliis proſtratis, devictis vel ſubjugatis; dominium totius regni ſibi viriliter ſubmiſit. Et poſt guerram completam per ix. annos pacifice regnans, in triceſimo octavo anno & menſibus ſex regni ſui diem clauſit extremum; cujus corpus *Wyntoniæ* traditur ſepulturæ.

E*thelwolfus* ſiquidem filius *Ethelbricti* qui in primæva ætate epiſcopus *Wyntonienſis* factus fuerat, hæredibus aliis deficientibus, poſtmodum neceſſitate compulſus gubernacula regni in ſe ſuſcepit.

Cujus temporibus omnipotens deus crudeliſſimas gentes immiſit, quæ nec ætati nec ſexui parcebant, ſcilicet *Dacos* cum *Gothis*, *Norwagenſes* cum *Suathedis*, *Wandolos* cum *Freſis*, qui ab exordio regni ſui uſque ad adventum *Willielmi* ducis *Normannorum Angliam* vaſtaverunt. Iſte rex *Ethelwolfus* contulit Deo & eccleſiæ ſanctæ decimam hidam terræ totius *Weſtſaxiæ*, ab omnibus ſerviciis ſecularibus liberam & quietam, ad paſcendum & veſtiendum pauperes debiles & infirmos. Poſtea *Romam* abiit, & contulit Deo & beato *Petro* ſingulis annis de qualibet domo totius *Angliæ* unum denarium, qui hodie *denarius ſancti Petri* vulgariter appellatur, & ipſemet ob devotionem quam erga deum geſſerat, primum denarium optulit pura mente, paſtea nichilominus ſingulis annis trecenta talenta eccleſiæ *Romanæ* contulit; videlicet ad luminare ſancti *Petri* C. ad luminare ſancti *Pauli* C. & ad uſus ſummi Pontificis C. Et cum per annum continuum in Curia *Romana* moram traxiſſet, rediens in *Franciam*, *Judith* filiam *Karoli Calvi* ſibi aſſumpſit in uxorem; de qua quinque filios procreavit, videlicet *Ethelbaldum* filium ſuum primogenitum, *Ethelbrictum* ſecundum, *Etheldredum* tercium, *Aluredum* quartum, & *Adelſtanum* quintum qui in annis adoleſcentiæ ſuæ migraverat ab hac luce.

In illo tempore erat quidam rex *Northumbriæ Oſbrith* nomine qui moram in *Eboraca* traxit civitate, de quo ſuperius in fine regum *Northumbriæ* tactum eſt; Hic vero cum quadam die cauſa ſolacii ad ſilvam acceſſiſſet, in reditu ſuo ad domum cujuſdam ſui magnatis *Bruern Bocard* nomine, ut ibi manducaret, privatim cum ſimplici familia declinavit. Qui regem illuc venire ignorans, ante ejus adventum ad mare pertranſierat, ut litus & portus de furibus & latronibus in portibus applicantibus, ſicut ſolitus fuerat, cuſtodiret. Domina tamen conſors ſua, quæ nimiæ pulcritudinis erat, regem curialiter recipiens ſibi fecit excellenter cum maximo honore in prandio deſerviri. Poſt prandium vero rex dominam per manum accipiens, illam ad cameram ſuam adduxit, dicens quod in ſecretis eam loqui volebat, ubi omnibus amotis præter hoſtiorum cuſtodes & privatos, qui regis ſcierunt ſecreta, dominam vi & violentia contra ſuam voluntatem oppreſſit. Quo facto, rex de domina ſtatim rediens ad *Eboracum* perrexit. Sed illa domi commorans facta regis deploravit, colorem ſuum perpulcrum præ nimia amittens anguſtia & dolore. Et cum dominus ſuus domi veniſſet & conſortem ſuam diſcoloratam ac triſtem vidiſſet, quid hoc eſſet & cur tam mœſtis erat interrogavit. Quæ veritatem ſtatim confitens, facta regis & qualiter per eum vi & contra voluntatem ſuam violata fuerat, viro ſuo per ordinem indicavit,

dicavit. Vir autem ejus eam conſortans dixit, Noli pulcherima amica contriſtari, nam contra fortitudinem minime valet debilitas; & ideo ex quo veritatem michi indicaſti, propter hoc te minus non amabo, ſed de eo me & te, annuente Deo, quam citius potero vindicabo.

Tunc iſte *Bruern* nobilis & præpotens, qui de magna parentela educatus fuerat, conſanguineos ſuos & omnes majores proſapiæ ſuæ magnates ad ſe celeriter convocavit; quibus de contemptu per regem ſibi illato querelabat, dicens quod de eo vellet ſe omni modo vindicare. Conſulentibus autem ad hoc & conſentientibus conſanguineis ſuis & amicis, verſus *Eboracum* iter ſuum cum eis aſſumpſit. Quem cum rex vidiſſet, ad ſe curialiter ipſum vocavit, ſed ipſe hominibus conſanguineis & amicis ſtipatus, regem ſtatim diffidens, homagium & fidelitatem, terram & quicquid de eo tenuit reddidit ſibi, dicens, quod nunquam de eo domino ſuo aliquid tenere voluit in futurum. Hiis dictis, ſine aliis verbis & abſq; majori mora receſſit. Qui ab amicis ſuis licentiam petens, quamcitius potuit *Daciam* adivit, & regi *Dacorum* de contemptu ſibi & uxori ſuæ per dictum regem *Oſbrith* illato querelavit, ſuum adjutorium & ſuccurſum deprecans ad ſe celeriter vindicandum. Iſtis auditis, rex *Dacorum Codrinus* & *Dani* maximi fecerunt gaudium, quod ad *Anglos* expugnandos cauſam haberent aliquam inductivam. Unde rex *Dacorum Codrinus* ad vindicandum injuriam *Bruern*, qui de ſuo ſanguine educatus fuerat, ſe convertens, exercitum ſuum maximum celeriter congregavit, & duos fratres valentes milites capitaneos & duces conſtituit, quorum unus *Inguar*, alter vero *Hubbe* vocabatur, & navibus coadunatis & neceſſariis omnibus ad hoc paratis, illos in *Angliam* cum innumerabili tranſmiſit multitudine armatorum; Qui in parte boreali terræ applicantes, & per *Holderneſiam* tendentes, villas deprædati ſunt, & eas incolis interfectis incendio vaſtaverunt. Tandem ad *Eboracum* venientes, dictum regem *Oſbrith* ad prælium provocaverunt, qui à civitate cum exercitu ſuo exivit; ubi bello inter eos commiſſo rex *Oſbrith* cum ſuis interfectus eſt. Urbe tunc demum capta *Dani* in eadem remanſerunt. Et ſic iſto modo tempore *Anglorum Dani* primo ex cauſa antedicta *Angliam* hoſtiliter intraverunt.

Erat etiam eo tempore quidam alius rex in *Northumbria* nomine *Ella*, quem parentes & conſanguinei dicti *Bruern* in regem levaverant, eo quod de rege *Osbrith* prædicto pro contemptu dicto *Bruern* illato terram de eo ulterius tenere nec ſibi intendere voluerunt. Contigit autem, quod iſte rex *Ella* cauſa venandi quodam die ad ſilvam acceſſit; ubi ipſe poſt venationem captam, ſicut ſedebat in prandio, dixit, Bene expedivimus hodie quod quatuor damas & vj. hinnulos cepērimus. Ad quod verbum quidam ſuperveniens, dixit. Domine, ſi tantum hodie cepiſtis centuplum interim perdidiſtis, nam *Dani* civitatem *Eboracenſem*, rege *Oſbrith* parcenario veſtro interfecto, jam ceperunt, & terram iſtam & totam patriam tuam ingredientes contra te tenere nituntur. Quo audito, rex *Ella* homines ſuos & armatos convocans, ad *Danos* in civitate *Eboraci* expugnandos celeriter properavit. Sed *Dani* à civitate egredientes, regem *Ellam* non longe ab *Eboraco* cum maxima ſuorum multitudine extinxerunt. Locus autem ubi bellum fuit, vocatur modo **Ellescroft**.

Fertur adhuc quod dicti duo fratres, *Inguar* videlicet & *Hubbe*, non ſolum ex cauſa antedicta, ſed ut magis ſanctum *Edmundum*, in *Eſtanglia* tunc regnantem de morte patris eorum falſo diffamatum occiderent, *Angliam* cum manu armata hoſtiliter petierunt, nam de cauſis eorum adventus in libro qui vocatus *Flores Hiſtoriarum* legitur in hunc modum.

Erat in regno *Danorum* vir quidam de regia ſtirpe genitus nomine *Lothbrocus*, qui duos filios *Inguar* & *Hubba* progenuerat ex uxore, qui die quadam cum accipitre ſolus brevem naviculam ingreſſus, ut in Inſulis maris & terris vicinis anates & aviculas alias aucuparet; ſubita tandem tempeſtate ſuborta, inter maris latitudinem raptus, diebuſque aliquot huc illuc dejectus, graviter vexabatur. Tandem plurima maris pericula perpeſſus, projectus eſt in provincia orientalium *Anglorum* quæ **Northfolch** ab incolis dicitur, apud **Redham** villam applicuit. Solus cum accipitre inventus regi *Edmundo* præſentatur, & ab ipſo propter elegantiſſimam corporis formam cum honore receptus, in curia ejus remanſit, regique caſum ſuum expoſuit, atque arti venatoriæ cum *Berno* regis venatore indulſit: erat enim tam in aucupatione quam venatorio exercitio gracioſus, unde in avibus ſimul ac beſtiis capiendis pro votoſibi omnia ſuccedebant. Qua de cauſa regis venator invidia ſuccenſus, dum venationi pariter irent, furtivo impetu in eum facto ipſum nequiter interfecit, & in denſitate nemoris interfectum abſcondit. Nutrierat autem *Lothbrocus* leporarium quendam, qui ipſum multum dilexit, & venatore cum canibus redeunte ille ſolus cum corpore domini ſui remanſit. In craſtino quoque regi *Lothbrocum* petenti reſpondit *Bernus* venator, quod heri in ſilva remanſit, & poſtea eum non vidit. Sed ecce leporarius regiam ingreditur, omnibus & maxime regi adulante cauda applaudere ſatagebat, ſaciatuſque rediit, ſicque factum eſt ſæpius, quouſque inſequentes, corpus exanime reperierunt, regique cuncta retulerunt. Examinataque diligenter veritate, venator in navicula *Lothebroci* ſine inſtrumentis navalibus mari exponitur. Sicque poſt dies paucos in *Daciam* eſt projectus, *Lothebroci* filiis adductus, multiſque tormentis afflictus, quid de patre in nota navicula eis ſubtracto actum ſit inquirunt; Ille vero patrem illorum ab *Edmundo* rege *Eſtanglorum* inventum, ipſoque jubente aſſeruit interfectum.

Paratis itaque navibus *Berno* ductore in *Angliam* applicuerunt, in partibus borialibus ut ſuperius eſt notatum, ubi tota *Northanhimbrorum* provincia gravi depopulatione pervagata & ſubjecta, *Inguar* poſt prædicta facta ſocium reliquit, & à boriali parte cum magna claſſe ad quandam civitatem in regno *Eſtanglia*, ubi tunc ſanctus *Edmundus* regnavit, latenter applicuit, quam introgreſſus ignibus cremandam dedit, pueros & ſenes in plateis jugulans civitatis. Cumque de multitudine interfectorum jam fatigatus eſſet, quoſdam plebeios, quos ſuo gladio credidit eſſe indignos evocat, ac ubi rex eorum *Edmundus* tunc temporis degeret, ſolicite inquiſivit. Nam fama ad eum pervenerat, quod idem rex florenti ætate & viribus robuſtus ac bello per omnia ſtrenuus eſſet; & idcirco feſtinabat paſſim neci tradere quos circumcirca poterat reperire, ne ſtipatus agmen militum rex, ad defenſionem ſuorum ſibi reſiſteret, qui eo tempore ab urbe longe in villa quæ lingua eorum **Egleſdon** ſive **Haleſdon**, modo vero **Horne** dicitur, morabatur, à qua & ſilva vicina eodem nomine vocabatur. Conſuevit namque eadem *Danorum* & *Almanorum* nacio nunquam palam cum hoſte contendere, niſi inſidiis prævento, unde impiiſſimus *Inguar* paganus plurimum circumſpectus, accito uno ex commilitonibus ſuis eum ad regem dirigit, qui ubi inveniri poſſet exploraret, & ipſe cum grandi comitatu pede lento poſt eum veniret. Veniens autem nuncius ad regem, ita eum ut in præceptis habuit alloquitur, dicens. « Terra marique metuendus dominus noſter *Inguar* rex invictiſſimus, diverſas terras armis ſibi ſubiciendo ad hujus provinciæ litus optatum cum multis navibus hiematurus appulit, & tibi mandat, ut cum eo antiquos theſauros & paternas divicias dividas, ſub eo ſimiliter regnaturus; cujus ſi aſpernaris potentiam innumeris legionibus fultam, vita indignus judicaberis & regno. Audito nuncio, rex ingemuit, & accito uno ex ſuis epiſcopis, qui ei erat ſecretarius, quid ſuper hiis reſpondere deberet conſuluit. Cumque ille timidus pro vita regis ipſum ad conſentiendum plurimis exhortaretur exemplis, rex paululum conticuit, & ſic demum ora reſolvens, nuncio qui ei miſſus fuerat reſpondit. « Rediens feſtinus hæc domino tuo proferas reſponſa. Noveris quod pro amore vitæ temporalis Chriſtianus rex *Edmundus* non ſubdet ſe pagano duci, niſi prius effectus fuerit Chriſtianus.

Vix rex *Edmundus* verba compleverat, & miles renunciaturus pedem de domo extulerat, ecce *Inguar* obvius jubet eum breviloquio utatur. Miles vero archana regis ultima per omnia illi pandens, Tirannus jubet omnem regis turbam confundi, & ipſum ſolum teneri & obſervari. Fertur inſuper ſecundum quoſdam Hiſtoriographos, quod *Dani* per *Northfolchiam* tendentes uſque *Thedfordiam* pervenerunt, ubi primo ipſum ſanctum *Edmundum* regem *Eſtangliæ* invenerunt; qui ut legitur, congregato exercitu cum illis dimicavit. Sed *Danis* prævalentibus, ipſe rex ſuis fere peremptis ad dictam villam ſive caſtrum ad **Haleſdon** in fugam propulſus eſt. Tunc *Dani* verſus dictum caſtrum velociter eum perſequentes, ipſum regem *Edmundum* non longe à caſtro quaſi primum hominem eis obviam habuerunt, quem de rege *Edmundo* ubi poſſet inveniri interrogaverunt. Quibus ille quaſi ipſe non eſſet, dixit. Dum ego in caſtro præſens fui *Edmundus* rex ibi affuit, ſed quando ego receſſi ipſe receſſit; & ſi vos evadet, deus ſcit. Tunc *Dani* ipſum, Deum nominare audientes, ſcierunt eum regem eſſe *Edmundum*. Qui ad caſtrum reductus, in palatio proprio projectis armis capitur, vinculis conſtringitur, & ante impium Judicem ſiſtitur; vinctus itaque multis modis illuditur, ac tandem fuſtigatus acri inſtancia ad quandam arborem vicinam perducitur; ad quam ligatus, quaſi ludendo ad ſignum, eum toto corpore ſagittis confodiunt, ita quod crebris telorum jactibus vulnera vulneribus imprimebant dum jacula jaculis locum dabant. Cumque nec ſic *Inguar* eum Chriſtum jugiter clamantem laniſtis aſſenſum præbere conſpiceret, lictori mandat ut amputet protinus caput ejus; unde ſpiculator arrepto pugione ipſum inter verba orationis uno ictu decapitavit, & ita xij. kalend. Decembr: anno Domini ſecundum quoſdam DCCClxvj. & ſecundum alios DCCClxx. Martyr cœleſtis curiæ palatium intravit.

Cujus corpus *Dani* relinquentes, caput ſuum in dictam ſilvam, cui tunc vocabulum erat **Egleſdon** ſive **Haleſdon**, aſportaverunt, ac inter denſa veprium fruteceta longius projectum occultaverunt, id omni ſagacitate elaborantes ne à Chriſtianis corpus honeſtæ ſepulturæ cum capite traderetur.

Huic ſpectaculo quidam deliteſcendo interfuit *Chriſtianus*, quem deus ad manifeſtandam hujus rei indaginem reſervavit, licet omnino ignoravit quid de capite factum eſſet, niſi quod cum eo carnifices interiorem ſilvam petere conſpexiſſet. Paganis autem abeuntibus, & corpore in eodem loco ubi rex occubuit reperto, populi *Chriſtianorum* adunati verba illius qui tantæ viſionis particeps extiterat audientes, decreverunt per invia ſilvarum experiri, ſi ad locum devenire poterant, quo ſancti viri caput jaceret. Cumque omnes ad id concurrerent, ad voces ſe invicem cohortantes, utpote ſocius ad ſocium alternatim clamans, *Ubi es*, caput reſpondebat deſignando locum patria linguâ dicens, **Her, her, her**, quod Latine interpretatur *hic, hic, hic*, nec unquam eadem clamare repetendo deſtitit, quouſque omnes ad ſe perduxerat. Immanis etiam lupus eo loco divina miſeratione ſacrum caput inter brachia complectens, cuſtodiebat, quod illi aſſumentes ad ſuum corpus detulerunt, eodem lupo earundem reliquiarum cuſtode uſque ad locum ſepulcri proſequente. Caput autem ſancto corpori aptantes, utrumque pariter aromatizatum competenti mauſoleo pro tempore tradiderunt, quo etiam ædificata vili opere deſuper baſilica, annis humatus plurimis requievit. Et cum poſtea corpus ſanctum *Londoniis* ductum effoderetur, & putrefactum putaretur, ita ſanum & incolume eſt repertum, ut non dicam caput redintegratum & corpori compaginatum, ſed omnino nichil in eo vulneris vel cicatricis apparuit, tamen in ejus collo ob ſignum martirii in modum fili coccinei una tenuiſſima ruga rubet, ſicut quædam femina nomine *Oſwen* ſæpius proteſtata erat, quæ poſtquam ſuum ſanctiſſimum corpus tempore *Swani* regis de *London*. in una carecta per pontem de **Stratforde** una rota ultra aquam ſine aliqua ſupportatione ſtricti pontis miraculoſe currente, ad regiam villam quæ tunc lingua *Anglorum* **Bedricheſworde** dicebatur, modo vero **Bery** nuncupatur, ductum fuerat & humatum, ad ejus ſacrum tumulum jejuniis & orationibus vacans multa tranſegit annorum curricula.

Cui venerabili feminæ aut divina miſeratione aut nimia devotione mos inolevit, ut ſepulcro beati martiris in divina cœna patefacto, per aliquot annos ejus attondendo præcideret capillos & ungues: Quæ omnia diligenter colligens, in capſella ſuper altare ejuſdem eccleſiæ recondere non neglexit. Cumque poſtmodum præfato loco martiris à Religioſis multa oblata fuiſſent, quidam malignæ mentis homines ſub nocturno ſilentio eandem baſilicam latrocinandi ſtudio ſunt ingreſſi. Qui comprehenſi ſancti *Theodori* epiſcopi judicio ſubduntur, qui impræmeditatus ſententiam dedit, quam ſe dediſſe poſtea diebus pœnituit omnibus vitæ ſuæ; nam omnes ſimul patibulo juſſit affigi, eo quod auſi fuiſſent atrium ſancti *Edmundi* martiris ingredi: Non reducens ad memoriam, quod dominus per Prophetam admonet, dicens, Eos qui ducuntur ad mortem eruere non ceſſes. Epiſc: in ſe reverſus graviter doluit, & in gravibus dedit ſe lamentis. Tandem peracta pœnitentia, populos ſuæ diœceſis convocans perſuadet, ut triduano jejunio à ſe divinæ indignationis iracundiam removeant, quatinus Dominus illi gratiam ſuam concederet, qua corpus auderet beati martiris tangere & levare, factumque eſt, & illud ſanctiſſimi regis corpus incorruptum repperit, tetigit, lavit, & rurſum novis & optimis veſtibus indutum ligneo locello repoſuit.

Nec piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, *Leofſtano* nomine, qui juvenilis ætatis impetum non refrænans, ad id flagitii laſciviendo prorupit, ut præciperet corpus tanti martiris demonſtrare. Cumque à pluribus ſuper hoc inhiberetur, ejus tamen imperium prævaluit. Reſerato igitur locello aſpiciens aſtitit, & in eodem momento in amentiam verſum in reprobum ſenſum tradidit illum deus. Quod audiens pater ejus vir religioſus, cui vocabulum erat *Wolgarus*, admodum facinus flagitioſiſſimum exhorruit, ac gratias martiri referens filium à ſe removit; Qui tandem ad ſummam inopiam deductus, judicio Dei vitam finivit vermibus conſumptus.

Circa idem tempus quo videlicet ſanctus rex occubuit, *Aldelmus Schirburnenſis* epiſcopus poſt quinquageſimum epiſcopatus ſui annum vitam hujus ſeculi terminavit.

OCciſo rege *Edmundo* frater ſuus *Edwoldus* mundi delitias exhorrens, eo quod ſe & fratrem ſuum durior fortuna exceperit, apud *Caryelienſe* cœnobium in *Dorſetania* juxta fontem perlucidum, quem ſanctus quondam *Auguſtinus* ad populum baptiſandum precibus produxerat, vitam heremiticam ſolo pane & aqua protrivit.

Et ſic *Eſtanglia Danis* ſubjecta *Inguar* ad fratrem ſuum *Hubbe* in *Northumbriam* reverſo, ſuper regnum *Eſtangliæ* quidam Dacus *Godrim* nomine poſt *Edmundum* primo regnavit. In revertendo autem Abbathiam ſanctarum monialium de **Ely** deſtruens, monachas Deo ibi deſervientes aut crudeliter peremit aut inhumaniter aufugavit. Dictus vero rex *Godrim Dacus* leges cum *Alfredo* rege compoſuit & ſancivit: de quibus tempore dicti regis *Alfredi* plenius dicetur.

Anno domini DCCClxix. *Dani* ulterius progredientes totam *Northumbriam* incolis occiſis ſibi ſubmiſerunt, ubi cuſtodibus dimiſſis venere in regnum *Merciorum* uſque **Notyngham**, quod Latine dicitur *domus ſpeluncarum*, & ibi per totum annum hyemarunt. Quibus rex ſive dux *Merciorum Burredus*, fretus auxilio ſoceri ſui *Ethelbricti* regis *Weſtſaxonum*, occurrit. Cumque pagani tuitione arcis muniti, bellum dare negarent, & *Anglis* murum frangere non ſuppetebat, pace inter partes facta, reges domum adierunt, pagani *Eboracum* repetierunt, ubi anno integro remanſerunt. Hoc anno urbs **Alclud** abolim tam famoſa, quæ ad occidentalem extremitatem illius famoſi muri ſita eſt, per *Dacos* funditus eſt deleta. Poſtea *Dani*, *Mercia* & *Northumbria* relictis, patriam depopulando, eccleſias & monaſteria deſtruendo uſque *Lincolniam* venerunt. Quia capta & cum tota *Lindeſeya* & *Holandia* deprædata & depopulata, ulterius uſque *Eſtangliam* tranſeuntes, apud *Tedfordiam* hyemarunt. Interea prædictus *Ethelbrictus* rex *Weſtſaxonum* qui infra quinque annos quibus regnaverat tocius regni diadema ſibi aſſumpſerat, vitam hujus ſeculi terminavit, & *Wyntonia* ſepelitur. Cujus pater erat *Ethelwolfus* rex *Weſtſaxonum* filius regis *Ethelbricti* filii *Ailmundi*, de quibus *Ethelbricto* & patre ejus *Ailmundo* ſuperius in fine regum *Weſtſaxia* tactum eſt. Sed licet ibi de dicto *Ethelwolfo* nichil inſeritur, hic tamen ut poſtea ſuperius, propter proceſſum faciendum, aliquid ad ejus memoriam inſerere dignum duxi.

Scribitur namque quod iſte rex *Ethelwolfus* decimam hidam terræ totius *Weſtſaxiæ* Deo & eccleſiæ contulit, ab omnibus ſerviciis ſecularibus liberam & quietam ad paſcendum & veſtiendum pauperes, debiles & infirmos. Poſtea *Romam* adivit & contulit Deo & beato *Petro* ſingulis annis de qualibet domo totius regni ſui unum denarium, qui vulgariter *denarius ſancti Petri* appellatur, unde & ipſemet ob devotionem quam erga deum habuit, primum denarium optulit pura mente. Poſtea nichilominus ſingulis annis treſcenta talenta eccleſiæ *Romanæ* contulit, videlicet ad luminaria ſancti *Petri* centum, ad luminaria ſancti *Pauli* centum, & ad uſus ſummi Pontificis centum fecerat aſſignari. Et cum per annum continuum in curia *Romana* moram traxiſſet, rediens in *Franciam* filiam *Karoli Calvi* ſibi aſſumpſit in uxorem, de qua quinque filios procreavit, videlicet *Ethelbaldum* filium ſuum primogenitum, *Ethelbrictum* ſecundum, *Etheldredum* tercium, *Alnredum* quartum, & quintum qui *Adelſtanus* vocabatur & in pueritia deceſſit. Iſte *Ethelwolfus* cum xx. annis & v. menſibus regnaſſet, vitam finivit & ſepultus eſt *Wyntonia* cum honore. *Ethelbaldus* tunc & *Ethelbrictus* duo filii dicti *Ethelwolfi* regnum inter ſe dividentes, adinvicem regnare cœperunt, ſed *Ethelbaldus* cum quinq; menſibus ſolummodo regnaſſet mortuus eſt. Poſt cujus mortem dictus *Ethelbrictus* frater ſuus per v. annos totius regni ſibi aſſumpſit diadema, ut ſuperius eſt notatum; quo defuncto, *Wyntonia* ſepelitur.

TUnc *Etheldredus* tercius *Ethelwolfi* filius vir Deo deditus & ſeculo acceptus, fratri ſuo *Ethelbricto* in regno ſucceſſit.

Interea paganus Dacorum exercitus antedictus de *Thedfordia*, *Eſtanglia* relicta, ducibus *Inguar* & *Hubbe* antedictis, villas & monaſteria deſtruendo & patriam undique in eorum via depopulando, *Weſtſaxoniam* venerunt uſque *Radingum*, ubi tercio adventus ſui die, duo duces eorum ad prædam faciendam exeuntes, apud **Engelfelde** trucidabantur. Quarto poſt hoc die *Weſtſaxones* eis occurrentes magnam de *Danis* ſtragem fecerunt. *Dani* tandem de arce erumpentes, ducem *Barrocenſium* *Ethelwoldum* occiderunt, & *Anglos* retrocedere coegerunt. Qua verecundia *Angli* commoti, quarto poſt hoc die bellum apud **Aſſchedon**, quod *mons aſini* ſive *fraccini* interpretatur, inter regem *Etheldredum* & regem *Daciæ Oſeg* nomine inſtetit. Venerat autem rex *Daciæ* cum duobus regibus tranſmarinis & quinque Comitibus necnon armatorum multitudine copioſa. Qui excercitum ſuum in duas partes dividens, unam partem ſibi & aliis regibus reſervavit, alteram partem Comitibus aſſignavit. *Etheldredus* etiam rex exercitum ſuum in 2. partes æquales diviſit, medietatem ſibi retinens, & aliam medietatem *Alnredo* fratri ſuo relinquens. Et cum adveſperaſſet, utraque pars ſe diſpoſuit ad quietem. Mane autem facto, dum rex *Etheldredus* miſſam ſuam audivit, *Alnredusq;* frater ſuus neceſſitate coactus ad bellum cum exercitu ſuo pertexit. Ubi *Dani* cum facto impetu ipſum invaſerunt, quod fere cum ignominia in fugam eſt converſus. Unde pro rege *Etheldredo* fratre ſuo miſſam ſuam adhuc audiente, (cujus oratio multum ipſo die apud Deum valuit) feſtinanter mittere coartatur. Qui tamen miſſa incompleta venire renuit. Miſſa vero plene celebrata, dictus rex *Etheldredus* ad prælium celeriter properavit. Et licet *Dani* altiorem montis locum præoccupaſſent, ipſe cum ſuis Chriſtianis ab inferiori aſcendens, æmulos ſuos devicit, & lancea quam manu ſua geſtabat regem *Oſeg* viriliter interfecit, & alterum regem gladio quo cinctus fuit vita privavit. Eodem etiam die in illo prælio *Angli* quinque *Danorum* Comites cum multis hoſtium milibus trucidarunt, cæteros per diem & noctem uſque *Radingum* perſequendo. Iterum poſt xv. dies apud *Radingum* pugnantes, *Dani* victoria potiuntur. Deinde evolutis duobus menſibus, apud **Merton** ad prælium iterum convenerunt, ubi *Angli Danis* triumphantibus ſuccubuerunt. Et tunc de illo loco quidam *Danorum* tirannus *Somerled* nomine uſque *Radingum* regrediens, villam & quicquid ibi invenit deſtruxit. Poſt hæc rex *Weſtſaxonum Etheldredus* cum eo præliavit, ubi letaliter vulneratus poſt multos agones nono kal. Maii anno regni ſui quinto obiit, & apud *Wymburnam* traditur ſepulturæ.

MOrtuo rege *Etheldredo Aluredus* frater ſuus, qui viventibus fratribus ſuis uſq; ad illud tempus ſecundarius fuit, ad integram monarchiam *Weſtſaxonum* ſucceſſit anno Domini DCCC. lxxiii. & regiam unctionem primus omnium regum *Angliæ Romæ* à *Leone* papa, ut ſcribitur, accepit. Hoc anno *Dani* illum noviter in regem erectum proſequentes ipſum apud **Walton** in **Suſſex** invenerunt, ubi rex *Aluredus* cum eis præliando campum deſeruit, & uſque ad ſilvam fugit. Sed inde in *Weſtſaxiam* veniens omnimodam gentem ſui proprii regni collegit, ita quod infra breve tantum ſuorum & aliorum habuit exercitum, quod *Dani* ſibi obviare hoſtiliter non audebant. Ille vero *Londoniis* ubi *Dani* moram traxerunt, venit ad eos ibi hoſtiliter expugnandos. Sed *Dani* præliare non audentes, ipſum de pace rogaverunt, & quod ad propria ſine aliquo unquam reditu remeare poſſent obſides ſibi quales *Angli* vellent eligere optulerunt. Unde eodem die obſidibus acceptis, *Dani* à *London.* recedentes & per totam noctem ſimul equitantes, quouſque ad *Exceſtriam* venerunt moram non pertraxerunt. ubi capta civitate morati ſunt. Hoc autem devulgato, rex *Aluredus* primo obſidibus ſuſpenſis cum exercitu ſuo verſus *Exceſtriam* arripuit iter ſuum. *Dani* vero adventum ſuum audientes villam deſeruerunt, uſque **Chipenham** in *Weſtſaxiam* progreſſi, ibi multa mala egerunt, nam patriam deprædando & homines incarcerando à proprio ſolo incolas fugaverunt. Sed rex *Aluredus* ibi ſuper eos adveniens, bellum cum *Danis* fortiter commiſit, in quo *Hubbe* frater *Inguar* & *Bruern Bocard* (qui eos à *Dacia*, ut dictum eſt, primo adduxerat) occiſi ſunt, ubi multis ex utraque parte cæſis & *Danis* tandem prævalentibus, rex *Aluredus* propter ſuam nimiam verſus eos accelerationem paucis ſtipatus à campo illa vice modo meliori quo poterat ſe retraxit. *Dani* vero cadaver *Hubbe* inter occiſos invenientes, illud cum clamore maximo ſepelierunt, cumulum apponentes, quem **Hubbelowe** vocaverunt, unde ſic uſque in hodiernum diem locus ille appellatus eſt, & eſt in comitatu *Devoniæ.*

Poſtquam autem Barones comitatus *Sumerſeciæ*, *Wiltoniæ*, & *Dorſeciæ* de caſu regis eorum *Aluredi* audierant, omnes ad locum ubi rex erat cum poteſtate maxima convenerunt: Qui, rege, quem per inimicos ſuos occiſum eſſe credentes, in vita & ſanitate viſo, plurimum congaudebant; conſilio autem inter eos ad *Danos* proſequendos illico capto, rex & barones cum prægrandi exercitu tota illa nocte poſt eos equitantes, in craſtino hora nona *Abendoniæ* ipſis *Danis* ibidem tunc exiſtentibus pervenerunt. Quos rex *Aluredus* cum ſuis acriter inſultans, forcius bellum quam unquam perante habuerant, eis intulit indilate. Sed *Dani* ita viriliter *Anglis* reſiſtebant, quod nullus de veritate judicare poterat in qua parte occiſio major fuit. Et ſic *Angli* non ſine magno partis adverſæ diſcrimine ſub viij. præliis inter eos uno anno illatis multum fuerunt contriti & minorati.

Hoc anno *Angli* cum *Danis* pacem fecerunt eo pacto, ut *Dani* ab eis recederent. Quod & fecerunt, jurantes inſuper, quod nunquam bellum ſeu guerram contra eum in terra ſua iterum moverent, unde eo anno apud *Londonias*, & anno ſequenti apud **Lyndeſeye** hyemaverunt. Cum quibus eciam *Mercii* pacem fecerunt; ſed tercio anno *Dani* pacem cum *Merciis* factam infringentes, de *Lyndeſeya* uſque **Ryppendon** tranſierunt, & *Burredo* rege *Merciorum* expulſo, regnum illud cuidam *Colwolfo Burredi* miniſtro ſub eis tamen regnaturo regendum tradiderunt: eo tamen pacto, ut quandocunque vellent illud reciperent, unde triennio elapſo regnum illud inter ſe diviſerunt, & partem *Colwolfo* dederunt; qui & ultimus regum *Merciorum* fuit. Poſt cujus mortem *Aluredus* rex *Weſtſaxonum* primo *Londonias*, & conſequenter partem *Ceolwolfi* ſuo regno conjunxit.

Anno Domini DCCC. lxxv. quo dictus *Burredus* rex *Merciorum* per *Danos* apud **Ripendon** expulſus fuit, *Hamburgenſes* indigenæ qui circiter quinque milliaribus à **Ripendon** diſtabant pavore ſoluti corpus ſanctæ *Wereburgæ* virginis, diu ibidem ſepultum, ad *Ceſtriam* tanquam ad locum tutum tranſtulerunt. Hoc anno *Rollo* natione *Danus* ſive *Norreganus*, qui poſtea *Normanniam* ſibi ſubjugavit, & inde primus Dux fuit, cum ſuis complicibus ad *Angliam* veniens depopulationi inſiſtebat, belloque cum *Anglis* commiſſo multiſque ſuorum interfectis cæteri aufugerunt. *Rolloni* in nocte dormienti, viſum eſt ſupra ſe & exercitum ſuum examen apum ſubito volare, & cum ſtridore auſtralem petere regionem, & per maris medium ad terram volando pervenire, ubi & congregati in frondibus arborum diverſarum inſidentes, omnemque mox regionem perluſtrantes, cœperunt variorum flores colorum in locum unum congregare. Evigilans itaque *Rollo*, poſt viſionem ſecum pertractat, ejuſque interpretationem diligenter examinans, requiem ſui laboris in eiſdem partibus ubi aves deſcendiſſe viderat, conjecturat. Mare igitur ingreſſus, apud *Gemeticum* in *Normannia* applicuit, ubi *Franco* archiepiſcopus *Rothomagenſis* de reſiſtendo diffidens pacem quæſivit Suſceptoque dominio *Rothomagum* adiit, muros reparavit, caſtella in locis firmavit, & terram quæ *Neuſtria*, modo *Normannia* dicitur, in poteſtate recepit, & primus Dux inde efficitur, quem dictus *Franco* archiepiſcopus poſtea baptiſavit. Rex *Aluredus* pacem iniit cum *Danis* datis obſidibus. Sed *Dani* neglectis juramentis una nocte omnes regis equites occiderunt; unde rex commotus, eos uſque *Exceſtriam* fugavit, ubi iterum obſidibus datis & pace firmata, per annum integre morabantur. *Dani* de **Warham** ad ſocios ſuos *Exceſtriam* navigantes, naves marina tempeſtate perdiderunt. Pars tamen eorum villam regiam de **Chipenham** occupavit cum territorio adjacente, multis ibidem aut ſubactis aut fugatis.

Sub qua tempeſtate anno Domini DCCC.lxxvij. regni vero regis *Aluredi* quinto, idem rex *Aluredus* cum paucis per ſilveſtria *Somerſetenſis* plagæ vitam incertam & inquietam ducebat, ut qui nichil unde viveret habebat, niſi quod prædando aut venando adquireret, vel piſcando. Tandem dum ſocii ſui circa capturam piſcium inſtarent, & ipſe moleſtiam ſuæ proſcriptionis meditatione ſcripturarum conſolaretur, aſtitit ſibi quidam peregrinus in Dei nomine eleemoſinam petens. Cui rex, utraſque manus levans ad cœlum, ait, « *Gratias ago Deo qui pauperem ſuum in paupere hodie viſitavit, qui dignatur quod dedit exigere, & quod exegit reſtituere cum uſuris.* Vocat cito rex miniſtrum ſuum, qui nichil præter modicum vini & unum panem habebat; mediamque partem pauperi dare juſſit. Gratias egit pauper, & nullo tranſitus ſui veſtigio in paludibus relicto, ſubito evanuit; & ecce quæ largita fuerant integra ſunt inventa, & qui piſcatum ierant inventam multitudinem retulerunt. Soporato igitur regi apparuit quidam pontificalibus indutus, qui de diligendo Deo & juſtitia ſervanda, de miſericordia in pauperes, de reverentia in ſacerdotes exhibenda eum monuit, & adjecit, O mi *Alurede*! Chriſtus conſcientiam tuam reſpiciens, ærumpnis tuis finem imponit, cras enim aderunt tibi fortes auxiliarii quorum ope hoſtes devinces. Ait rex, Quis es tu? Cui ille, Ego ſum *Cuthbertus* peregrinus ille heſternus cui panem porrexiſti, tui tuorumque curam agens. Memento hujus rei cum bene tibi fuerit. Sed quomodo ſui peregrini meminerit, libertas & poſſeſſio *Dunolmenſis* eccleſiæ hodie declarant; unde & in die ſequenti, *Wiltonienſes*, & *Somerſetenſes*, & *Hamptonienſes* ei advenerunt, quorum ope arcem apud **Ethelyngey** quod interpretatur *Inſula Nobilium* conſtruxit, hoſtes ſæpius debellavit, & præcipue juxta **Selewode** quod interpretatur *magna Silva*; ita quod obſidibus electiſſimis demum acceptis, *Godrinum* regem *Dacorum* cum magnis & multis nobilioribus ſuis rex *Aluredus* de ſacro fonte levaret, nomen *Adelſtan* ipſi regi *Danico* imponendo, pace circumquaque confirmata; unde poſtmodum idem rex *Godrinus* qui & *Adelſtan*, poſt ſanctum *Edmundum* regem & martirem in regno *Eſtanglia* regnavit, & ipſe & rex *Aluredus* leges ut patebit inferius ſtatuerunt.

Circa idem tempus Comitatus *Flandria* exordium habuit; *Flandria* namque tunc non erat tanti nominis quanti nunc eſt, ſed à foreſtariis regis *Francia* regebatur. Iſte *Aluredus* rex, *Tunberto* epiſcopo *Wintonia* defuncto præfecit *Dunewolfum*, quem tempore latibuli ſui bubulcum & laicum invenerat in ſilvis; ſed comperto ejus ingenio poſt multam ætatem litteris tradidit informandum. Anno Domini DCCC. lxxix. & regni *Aluredi* vij. *Dacorum* exercitus, ſicut *Aluredo* promiſerat, urbes de **Chipenham** & **Cirenceſtre** quæ ſunt ad meridiem *Wicciorum* deſerentes, ad orientales *Anglos* ſe tranſtulerunt; ubi magnus *Dacorum* exercitus de tranſmarinis partibus per *Karolum* regem *Franciæ*, qui partes ſuas intraverant, fugatus advenit, & apud **Fullenham** reliquo *Dacorum* exercitui ſe adjunxit. Quo etiam anno rex *Aluredus* urbem *Septonia*, id eſt, **Schafteſbury** reparavit, ſicut teſtatur lapis magnus qui in capitulo Monialium uſque hodie eſt inſculptus. *Dani* de *Francia* redeuntes, urbem *Roffenſem* obſederunt, ac arcem contra portas conſtruxerunt. Sed cives urbem defenderunt, quouſque rex *Aluredus* ſuperveniens, captis *Danorum* equis eos fugere compellebat, unde *Dani* ſtatim *Franciam* repetierunt: ſed & rex claſſem ſuam bellatoribus plenam à *Cantia* ad *Eſtangliam* dirigens, naves *Danorum* cepit; ſed in redeundo regia claſſis devincitur. *Dani* vero per *Sequanam* aquam remigantes, urbem *Pariſiacenſem* obſederunt.

Anno regni regis *Aluredi* xv. idem rex poſt incendia urbium, poſt ſtrages populorum *London*. reparavit, & habitabilem eam fecit, quam cuidam *Ethelredo Merciorum* primario cum *Elfleda* filia ſua tradidit & conceſſit: quo in tempore omnes *Angli* diſperſi venerunt, & ultro ſe regi *Aluredo* ſubdiderunt. Dicta vero *Elfleda* primi partus difficultatem experta, pro perpetuo viri complexum exhorruit, proteſtans, regiæ filiæ non convenire ut illi voluptati ſe immiſceret, quæ tale & tantum incommodum poſtea reportaret. Circa idem tempus Comes *Wiltoniæ* detulit *Romæ*, & *Swithelinus Schireburnenſis* epiſcopus detulit ad ſanctum *Thomam* in *India* eleemoſinas regis *Aluredi*, & incolumes redierunt. Iſte rex *Aluredus* anno regni ſui xviij. duo famoſa monaſteria conſtruxit, unum apud **Ethelyngey** ad monachos, & aliud apud **Schafteſbury** ad moniales, in quo propriam filiam *Ethelgovam* præfecit abbatiſſam. Eodem anno dictus rex *Danicus Godrinus* qui, ut dictum eſt, à rege *Aluredo* de ſacro fonte ſuſceptus fuerat, & *Adelſtan* vocatus, obiit. Hoc anno venerunt quatuor exercitus contra regem *Aluredum*, unus in *Northumbria*, alius in *Eſtanglia*, tercius apud *Exceſtriam*, & quartus apud *Legeceſtriam*, qui ita ardue obſeſſi ſunt, quod fame coacti equos ſuos comederunt.

Anno regis *Aluredi* xxj. tres *Scottici* viri *Dublan*, *Malicon*, *Malinuryn* peregrinam pro Chriſto vitam ducere cupientes, ſumpto ſecum unius ebdomadæ viatico, corabum qui ex duobus coriis & dimidio conficitur intrantes, mirum in modum ſine velo & ornamentis poſt ſeptem dies in *Cornubia* applicuerunt, & regem *Aluredum* poſtea adierunt. *Plegmundus Dorobernenſis* archiepiſcopus litteris nobiliter inſtructus, accepto à *Formoſo* papa pallio, vij. *Anglorum* eccleſiis apud *Weſtſaxoniam* anno regni regis *Aluredi* xxij. una die ſeptem epiſcopos conſecravit. Hoc anno rex *Aluredus* medietate ſui exercitus apud diverſas munitiones relicta, cum alia medietate proficiſcens, primo fugavit *Danos* de *Cantia*, deinde de *Exonia*, & tercio de *Ciceſtria* quæ **Chechester** dicitur. Inde *Dani* ingreſſi ſunt urbem *Legionum* quæ Anglice **Legaceſtre** dicitur, ubi poſt triduanam obſidionem famè coacti urbem reliquerunt, *Northwalliam* prædaverunt, & ſic per *Northumbriam* ad **Mereſeige** inſulam *Eſtſaxia* circumgirantes, ad *Eſtangliam*, ubi uxores ſuæ & naves erant, ſunt reverſi; & poſt in hieme puppes ſuas per *Thameſiam* in flumen de **Lupe** traxerunt. Ille autem exercitus qui *Exceſtriam* obſiderat prædans juxta *Cireceſtriam* deprehenſus eſt, ubi multis ex ſuis amiſſis, quaſdam ex ſuis puppibus perdiderunt.

Anno vero ſequente exercitus qui erat in **Lupe** juxta idem flumen caſtrum xx. miliaribus à *Londonia* fecit. Sed *Londonienſes* ope *Aluredi* caſtrum deſtruxerunt, & quatuor ex eorum ducibus occiderunt, ac flumen de **Lupe** in tria brachia diviſerunt, ita quod educi non poterant naves ſuas. Quod *Dani* comperientes, puppibus relictis, apud **Brugges** ſuper *Sabrinam* juxta *Walliam* quoddam caſtrum firmantes hiemarunt, ſuis in *Eſtanglia* uxoribus commendatis. Rege vero *Aluredo* eos cum ſuo exercitu perſequente, *Londonienſes* quaſdam puppium *Dacorum* in flumine de **Lupe** relictorum ad *Londoniam* ducentes, quaſdam earum totaliter combuſſerunt. Hiis igitur tribus annis prædictis ex quo *Daci* ad portum de **Lupe** appulerunt, multa mala non ſolum infeſtatione *Dacorum*, ſet eciam mortalitate hominum & peſte animalium *Anglis* contigerunt. Anno vero poſt hoc quarto *Danicus* exercitus diviſus eſt, partim in *Northumbria*, partim in *Eſtanglia*, & pars transfretans in *Secaniam* ivit.

Poſtea tamen quædam puppes *Dacorum* juxta litora *Weſtſaxiæ* venientes, & crebris irruptionibus ſæpe prædantes, cladem non modicam provincialibus contulerunt; de quibus conflictibus unum quia eventus fuit inſoliti pertractabo. Rex autem *Aluredus* naves longas xl. remorum vel plurium contra prædictas *Dacorum* puppes parari fecit, de quibus novem, vj. puppes *Dacorum* in quodam litore in comitatu *Devoniæ* ſtantes præoccupaverunt. Quod *Daci* videntes, tres eorum rates commoverunt, aliis quaſi immobilibus in litore perſiſtentibus. Sex igitur puppes *Anglorum* contra tres puppes *Dacorum* pugnaverunt, tribus reliquis ad tres naves *Dacorum* in litore ſtantes progreſſis. Tres igitur naves *Dacorum* contra ſex audaciſſime pugnantes, conflictum aſperimum peregerunt, tamen numerus vicit major, duæ namque rates *Dacorum* captæ ſunt, tercia vero aufugit, occiſis tamen omnibus qui inerant præter quinque. Hoc autem perpetrato, cum ad naves ſociorum quæ juxta puppes *Dacorum* ex adverſo litore erant, reverti vellent, exſiccatæ ſunt, quod *Daci* videntes, de tribus puppibus egreſſi, contra gentem *Anglorum* qui in tribus erant ratibus, pugnaverunt. Tunc autem videres gentem ſex navium *Anglorum* bellum aſpicientem, & auxilium ferre non valentem, unguibus rumpere crines, & cædere pectus pugnis. *Angli* tamen fortiſſime agebant, & viriliter *Daci* ſtabant. Demum ex *Dacis* C. & xx. cæſis, ex *Anglis* xlij. ceciderunt, inter quos *Batheman* regalis exercitus præpoſitus acrius inſiſtens occiſus fuit; ob quam rem *Angli* dum paulatim cederent, *Daci* pene victores viſi ſunt. Sed ecce mare ad puppes redeunte *Daci* maris alta invadunt, quos novem naves *Anglorum* ſero poſtea proſequuntur; ventus vero adverſus *Dacos* victos aggreditur, & duas ex earum puppibus ad terram projecit; unde homines capti & ad regem adducti, omnes apud *Wyntoniam* ſuſpenduntur. Qui vero in tercia puppe erant, valde ſauciati in *Eſtangliam* appulerunt.

De iſtius famoſi regis *Aluredi* forma venuſta, initio, progreſſu & exitu hic interſerere dignum duxi. Cum autem plus cæteris fratribus ab utroque parente dilectus, uſque ad xij. ætatis annum in paterna curia illiteratus manſiſſet, *Saxonica* tamen poemata docilis puer memoriter tenuit, in arte venatoria ſummus, pſalmos & orationes in unum libellum compegit, quem ſecum jugiter circumduxit, grammaticam tamen minus perfecte attigit, eo quod tunc temporis in toto occidentali regno nullus grammaticæ doctor extitit, quamobrem ad conſilium beati *Neoti* abbatis, quem crebro viſitaverat, ſcolas publicas variarum artium apud *Oxoniam* primus inſtituit, quas in multis privilegiari procuravit; unde & ipſe rex eleemoſinæ dator, miſſarum auditor, ignotarum rerum inveſtigator ſanctum *Grimboldum* monachum literatura & cantu peritum de partibus *Galliæ*, & *Johannem* monachum de monaſterio ſancti *David Meneviæ* in ultimis finibus *Walliæ* poſito, ad ſe vocavit, ut literaturam ab eis addiſceret. Optimates quoque ſuos ad literaturam addiſcendam in tantum provocavit, ut ipſi filios ſuos, vel ſaltem ſi filios non haberent, ſervos ſuos literis commendarent; fecitque *Werefrethum Wigornienſem* epiſcopum librum *Boecii* de conſolatione philoſophiæ, & libros dialogorum beati *Gregorii*, in *Saxonicam* linguam transferre. Facta eciam miniſtrorum ſuorum & potiſſime judicum diligenter inveſtigatus eſt, adeo ut quos ex avaritia aut imperitia errare cognoſceret, ab officio removebat. Et licet hic ſuperius dictum ſit, quod tempore iſtius regis *Aluredi* in toto occidentali regno Grammatica à nullo docebatur, tamen ante tempus ſuum in aliis regni partibus, in civitate videlicet *Legionum* in *Southwallia* modo **Kaerleon** dicta, fuerunt Aſtrologi & Philoſophi in omni arte eruditi, ut *Galfridus Monemutenſis* ſupra in libro ſuo de proceſſu regis *Arthuri* ſatis commemorat evidenter. Poſtea eciam tempore *Egeberti* regis *Cantiæ* facta eſt inſula familiare philoſophiæ domicilium, ut inter reges *Camiæ* ſuperius habetur.

Unde circa idem tempus juxta quorundam opinionem, & vulgare antiquorum & modernorum dictum, creditur ſtudium apud **Grantecestre** ſedem juxta *Cantebrigiam* à venerabili *Beda* eſſe fundatum: quod veriſimiliter credi poteſt, pro eo & ex eo, quod poſtmodum tempore magni *Karoli* regis *Franciæ* ſtudium de *Roma* uſque *Pariſius* per quemdam *Alquinum Anglicum* diſcipulum *Bedæ* in omnibus ſcripturis exercitatum, legitur eciam tranſlatum eſſe, ut cito inferius plenius dicetur. Item ſuperius legitur, quod *Erpwaldus* rex *Eſtangliæ* filius regis *Redwaldi* antequam factus fuerat rex, *Galliæ* exulans, ſcolas ut ibi viderat, ſancto *Felice* epiſcopo ſe juvante, inſtituit puerorum. Sed ſecundum quoſdam, adhuc ante iſta tempora fuerunt duo ſtudia in *Anglia*, unum de *Latino*, & aliud de *Græco*, quorum unum *Græci* poſuerunt apud **Greglade**, quæ modo dicitur **Kirkelade**, & ibidem linguam *Græcam* pro tempore docuerunt. Aliud vero *Latini* poſuerunt apud **Latinelade**, quæ modo vocatur **Lecchelade** juxta *Oxoniam*, linguam ibi *Latinam* docentes.

Sed modo videndum eſt de locis ubi ſtudia primo floruerunt; & de hoc *Alexander Nequam* in libro ſuo de naturis rerum ait. *O felicia antiquorum tempora, in quibus ipſi imperatores mundum ſub-*

arrantes ſeipſos philoſophiæ dederunt, ut patuit de Alexandro, *de* Julio Cæſare, *de* Tholomeo *rege* Ægypti, *qui fuerunt ſapientiæ ſtudioſi.* Et ut ait ibidem, *Cujuſlibet regni quia in immenſum quamdiu artium ingenuarum in ipſo floruerunt ſtudia hoſtibus regni reſtiterunt, ut patet de* Græcia *quando floruerunt ſtudia* Athenis; *de* Roma, *de regno* Francorum, *ex quo floruerunt ſtudia in illo. Victoria enim militiæ & gloria philoſophiæ quaſi ſimul concurrerunt; & hoc merito, quia philoſophia vera docet juſte & recte regulare*: Per me enim reges regnant, *ait ſapiens Proverbiorum* lxxviij. *& de hoc ait idem* Alex. Nequam. Abraham *in Ægypto docuit quadrivium, & ſub tanto doctore Mathematicis invigilantes, diſciplinis immobiles ſuaſerunt philoſophos.* · *Deinde* Plato *deſcendit in* Ægyptum, Pithagoras *& alii philoſophi: Deinde cœpit* Græcia *nobilitate philoſophorum frequentari, & conſecratæ ſunt* Athenæ *ſapientiæ deæ.* Et de hoc *Auguſtinus* xviij. De Civitate Dei cap. viij. quod *Minerva* tanquam dea colebatur. Regnante deinde *Athenienſibus Cicrope,* ſub quo ipſam vel inſtauratam ferunt, vel conditam civitatem; Nam ut *Athenæ* vocaretur, quod certe nomen à *Minerva* eſt, hanc cauſam variam indicat, ut ait enim *Auguſtinus* cap. 9. recitans fabuloſam hiſtoriam, quod cum illic *repente* apparuiſſet *oliva arbor, & alio loco aqua erupiſſet, miſit rex ad* Apollinem Delphicum *ad ſciſcitandum quid eſſet faciendum. Ille reſpondit, Quod olea* Minervam *ſignificaret, aqua* Neptunum, *& quod eſſet in civium poteſtate ex cujus nomine illorum duorum civitas vocaretur. Et convocata multitudine utriuſque ſexus (mos enim erat quod feminæ convocarentur ad ferendum ſuffragium) mares pro* Neptuno, *feminæ pro* Minerva *tulerunt ſententias, & quia una plus inventa eſt femina,* Minerva *vicit. Tunc* Neptunus *iratus marinis fluctibus exaſtuantibus terras* Athenienſium *depopulatus eſt. Spargere enim latius aquas dæmonibus non eſt difficile. Cujus ut iracundia placaretur, triplici ſupplicio ſunt affectæ mulieres, ſcilicet ut nulla ulterius ferret ſuffragia, & ut nullus naſcentium nomen maternum acciperet, & ne quis eas* Athenas *vocaret. Ita illa civitas mater aut nutrix liberalium literarum, & tot & tantorum philoſophorum, qua nichil habuit* Græcia *celebrius atque nobilius, nomen accepit, prout ait ille auctor.* Hæc *Auguſtinus.*

De nobilitate autem hujus civitatis & diſpoſitione, Ethicus philoſophus cujus librum tranſtulit *Jeronimus*, bene circa medium, ubi ait ſe diſputaſſe cum philoſophis, ſcilicet *Athenis*, & ibidem eam, i. *Græciam*, paterna viſcera & materna ubera nuncupavit: mœnia munita, mare floridum, cuncta in illis flumina, rivuli ſenibus conſcitis, ſtipiti hærentia coma, arbuſta, & nemora vinata, ornata, maſa punica, colles eminentes, & ſic de aliis ut ibi enumerat. Et huic conſonat quod dicitur in vita ſancti *Dioniſii*, ubi loquitur de ſitu *Athenarum*, & ea appellata materna viſcera, & materna ubera *Minervæ* conſecrata, & de ipſius nomine nomen aſſecuta eſt. Hæc civitas prima cunctarum urbium leges condidit, & aliis jura tradidit vel mutavit. *Solon* enim tradidit leges *Athenienſibus*. De hac eadem in parte *Solinus* lib. 3. & papa ſimiliter & magiſter Hiſtoriæ ſuper *Actuum* cap. xviij. ubi loquitur de adventu *Pauli Athenas*, & diſputationes cum philoſophis habuit. In illa fuit *Dioniſius* inſulatus toga phiſica, ut dicitur in vita ſua, & converſus à *Paulo*. De multitudine vero liberalium artium quæ ibi docebantur recitat *Boecius* de diſciplina ſcolarium poſt medium, ubi loquitur de illo qui oſtendit loca ſtudiorum. Hinc, inquit, vigent *Caldeorum* præſagia, id eſt, divinationes. Hic *Tholomei* veri Aſtronomi non latens gloria. Hic *Ariſtotelis* ſincera veritas. Hic *Platonis* probata divinitas. Hic *Zenonis* concretio. Hic *Pythagoræ* promiſſio, & ſic de multis aliis quos ibi enumerat. In hiis *Athenis* erat *Ariopagus*, id eſt, pagus Martis: ex quo loco *Ariopagitæ* appellati ſunt Curiales urbis ejuſdem; & de origine hujus nominis, *Auguſtinus* de Civitate Dei capitulo x. communi loquio dicebatur vicus *Martis*, in quo erat templum *Martis*, quia illi vicos nominabant à diis quos colebant, ut dicitur in hiſtoria ſuper actibus Apoſtolorum.

Ad portam hujus civitatis ſedebat ſenex, ad objurgandum volentes intrare ut ibi philoſopharentur, & ſi videret in eis ſigna impatientiæ eos repelleret, & ſi videret contraria, admittebat eos. Et de hoc narratur in vitis patrum ante finem, ubi dicitur, *Quod quidam philoſophus moriens, filium ſuum alteri commendavit, qui provectus adulteravit uxorem nutritoris ſui. Cujus ſcelere cognito, ejectus eſt. Cui pœnitenti redeunti dedit primo pœnitentiam, ut eſſet tribus annis cum illis dampnatis qui deponebant metalla in flumina. Cui poſt tres annos redeunti, dixit iterum, Vade per alios tres annos & da mercedes ut injurias patiaris. Quod & fecit, & ivit tunc* Athenas *ut philoſophiam diſceret. Erat autem ad portas civitatis ſenex philoſophus ſedens atque intrantes contumeliis afficiebat, injuriavitque illum juvenem. Qui cum eſſet injuriatus, riſit. Cui ſenex ait, Quid eſt hoc? ego injurias tibi facio & tu rides. Cui juvenis reſpondit, Non vis ut rideam, qui tribus annis dedi mercedem ut injurias paterer; & hodie eas gratis patior? prorſus ſubrideo. Cui tunc dixit ſenex, Aſcende & ingredere civitatem.* Hæc ibi. Nobilis ergo civitas fuit illa, & illuſtres philoſophi in ea, & varia ſtudia, & ordinatus modus ſtudendi ac pacificus, ex quibus non admittebantur ad vacandum philoſophiæ niſi patienter injurias ſuſtinentes. Et hoc merito, quia ut ait *Auguſtinus* in tractatu de Patientia, *Patientia eſt comes ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ; amica bonæ conſcientiæ, non inimica innocentiæ.* Et licet eſſet tam nobilis civitas & tam nobilia ſtudia, quia tamen non fuerunt illuminati lumine fidei, evanuerunt multi in cogitationibus ſuis, ſicut & alii philoſophi inflati ſcientia humana, & curioſi ad vana audienda. *Athenienſes* enim ad nil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid novi, *Actuum* viij. Et de hac civitate *Trogus Pompeius* libro primo ait. Quod urbem *Minervæ* conſecravit *Amphitriades,* & nomen *Athenas* dedit: et ſequitur, *Civitati nullæ leges quia libido regum pro legibus erat.* Eligitur *Solon* vir juſtitiæ inſignis qui velut novam civitatem legibus conderet. De hiis enim ait *Valerius* lib. 5. cap. 4. *Cum æquiſſima jura & iniquiſſima ingenia haberent, maluerunt moribus ſuis quam legibus uti.* Et cap. 9. fuit dictum de eis, *Athenienſes quid ſit rectum ſciunt, ſed illud facere negligunt.*

Deinde *Romanis* ſubaſtantibus floruerunt ſtudia

Roma

Romæ et in *Italia*, unde et *Italici* philoſophorum auctorem habuerunt *Pythagoram*, et philoſophiæ vacabant eciam imperatores. *Julius* enim *Cæſar* polluit magna ſapientia, ſicut dicitur in libro de vita Cæſarum. Et *Cato* optimus orator et optimus imperator, ait *Solinus* libro primo; unde et *Romæ* ſenatores multi fuerunt magni philoſophi; et ibi floruerunt *Latini* philoſophi ſicut *Tullius* et *Virgilius*, et ſic de aliis. Ibi docuit *Auguſtinus* Rhetoricam, prout ait de ſe libro 5. Confeſſionum. *Sedulo ergo agere cœperam propter quod veneram ut docerem* Romæ *artem Rhetoricam.* Deinde regnante magno *Karolo* cœpit florere ſtudium *Pariſius*, ut enim dicitur in tractatu qui vocatur *Speculum*, *Alquinus de Roma ſtudium Pariſius tranſtulit, quod illuc de Gracia à Romanis fuit tranſlatum.* Fuerunt autem quatuor fundatores hujus ſtudii, ſcilicet *Rabanus*, *Alquinus*, *Claudius*, et *Johannes Scotus*.

Et ubi recitatur in chronicis metropol. *Areletenſis* dicitur, *Quod caput aureum ſtatuæ, de qua* Danielis *primo, per* Karolum *magnum erexit Deus in* Francis. *Qui cum regnaret, & ſtudia literarum deeſſent, & eſſent in oblivione, & cultus divinitatis teperet, contigit duos* Scotos *monachos de* Hibernia *cum mercatoribus* Britannicis *ad litus* Galliæ *devenire, in ſecularibus & ſacris literis eruditos; Qui cum nichil venale oſtenderent, ad turbas convenientes cauſa emendi clamare ſolebant; Si quis eſt avidus ſapientiæ veniat ad nos, & accipiat eam, nam apud nos eſt venalis; & ſic factum eſt ſæpe. Aliis putantibus eos eſſe inſanos, venit hoc ad aures regis, vocatique ſunt ad regem. Et cum quæreret, an haberent ſapientiam, reſponderunt ſe habere illam, & in nomine Domini quærentibus eam dare parati ſumus, inquiunt. Quo quærente, quid pro ea peterent. Reſponderunt ſe petere tria. Loca oportuna, & animas ingenioſas, & illa ſine quibus iſta vita non poteſt tranſire, ſcilicet alimenta, & veſtimenta quibus tegamur. Tunc rex gaudio repletus utrumque ſecum retinuit. Et poſtea cum iret ad bellum, unum, nomine* Clementem, Pariſius *reſidere fecit; nobileſque pueros ei commendavit, &, ut erat neceſſarium, victualia miniſtrari præcepit, oportunis ad inhabitandum habitaculis deputatis. Alterum in* Italiam *duxit, cui monaſterium ſancti* Auguſtini *juxta* Tynenſem *urbem delegavit, ut qui vellent addiſcere, poſſent ad eum aggregari.*

Hoc audito, ſcilicet quod rex gratanter ſapientes & religioſas viros ſuſciperet, venit Alquinus *cum ſociis ad eum, in omnibus ſcripturis exercitatus ut diſcipulus* Bedæ, *quem rex ſecum uſque ad finem retinuit, niſi cum ad bella iret, deditque ei abbathiam beati* Martini, *ut quando eſſet abſens quieſceret, & ad ſe confluentes doceret. Et ſic* Franci *æquati ſunt* Romanis *&* Athenienſibus, *ſcilicet quoad gloriam ſtudiorum in philoſophia & artibus liberalibus.* Hæc ibi. De civitate vero *Pariſienſi* & ſtudiis ejus, *Boecius* in libro de Diſciplina Scolarium poſt principium ſic tangit. *In civitate,* inquit, Julii, *qua* Pariſius *dicebatur, multas artes mendicare proſpeximus, &c.* Ubi ait Expoſitor, quod *Julius Cæſar* ampliavit *Pariſius*, ſed non fundavit. Erat enim tunc temporis caſtrum quoddam *Yſeos*, ſcilicet cujuſdam deæ, quia in eo *Yſis* colebatur, quod nunc *Meldunum* appellatur, ſitum in medio *Secanæ.* Civitas autem *Pariſius* erat ſimiliter ſita in medio *Secanæ.* Inde dicebatur *Paryſeos*, id eſt, *par Iſidi*, ſcilicet illi caſtro quod dicebatur *Yſeos.* Poſtea vero ampliata eſt ſicut nunc patet. Quam vero apta erat vacandis ſtudio narratur in vita ſancti *Dionyſii*, ubi dicitur, *Quod* Paryſeorum *civitas ut ſedes regia nobilitate pollebat, quia ſalubris aere, jocunda flumine, fœcunda terris, arboribus nemoroſa, & vineis uberrima, conſtipata populis, referta commerciis ac variis commeatibus, unda fluminis circumfluente.* Hæc ille. Ob hoc, loci amœnitatem, patriæ fertilitatem, ac regni pacificam tranquillitatem, & regum conſuetam pietatem ordinate providit Deus, quod ibi ſapientialia ſtudia florerent.

De iſto rege *Aluredo* ſcribitur, quod cum adultus effectus eſſet & mentem ſuam in Dei mandatis ſtabilire vellet. ſed propter carnis petulantiam tunc ſibi valde moleſtam hoc perficere non poſſet, Sanctorum templa mane, veſpere & gallicantu crebro pro ſedanda hac illecebra viſitabat, exorans Deum ut carnem ſuam tali infirmitate flagellaret, ut, mundanis actibus non inutilis, Deo liberius vacare poſſet. Unde Dei nutu fici langorem per multos annos ſuſtinuit; ſub qua tandem deſperans, *Cornubiam* adiit, eccleſiam ſancti *Guevori*, ubi ſanctus *Neotus* requieſcit, viſitavit, & ibi pro morbo ſedando aut ſaltem immutando Deum rogavit. Tradunt tamen nonnulli eum per ſanctam *Modewennam* virginem *Hibernicam* ab hac peſte curatum. Voto tandem adepto, infeſtior eum morbus eciam ſubruptius anno xx. uſque ad xlv. annum acrius fatigavit. Igitur nati ſunt ei ex *Ethelwitha* regina ſua duo filii, *Edwardus* qui dicitur *ſenior*, & *Egelwardus*, & tres filiæ, *Elſteda Merciorum* domina, *Ethelgora* ſanctimonialis, & *Ethelginda*; quas omnes liberalibus fecit artibus eruditi.

Iſte eciam *Aluredus* rex omnes proventus ſuos in duas partes diviſit. Quarum primam adhuc in tres partes ſubdiviſit, quas tribus cohortibus ſuis diſtribuit. Duæ namque partes regalium miniſtrorum ſemper duobus menſibus ad diſponendum rem familiarem domi reſidebant; tercio menſe quælibet cohors coram rege miniſtrabat. Secundam vero particulam primæ partis operariis diverſis quos undecumque collegerat dari juſſit; terciam autem particulam advenis confluentibus impendebat. Secundam vero partem principalem primæ partis adhuc in iiij. æquales particulas diviſit. Quarum primam pauperibus, Secundam monaſteriis fundandis, Terciam ſcolaribus *Oxoniæ* noviter congregatis, Quartam eccleſiis reparandis aſſignabat. Dimidiam eciam partem ſuæ vitæ Dei ſervicio deputavit; unde ceram ad pondus lxxij. denariorum appendi fecit, ex qua vj. candelas effigiavit, quarum quælibet longitudinem tranſverſæ pollicis duodecies continebat, quæ & per xxiiij. horas diei & noctis ſine defectu coram reliquiis Sanctorum, quas ſecum adduxerat jugiter arderent.

Et licet inter arma leges ſileant, ipſe tamen *Aluredus* rex inter fremitus armorum leges tulit, & Centurias quas Hundredas dicunt, & decurias quas Trithingas vocant inſtituit, pacem inter ſuos cuſtodivit, & latrones in tantum caſtigavit, quod in ſemitis quæ per quadrivium finduntur, armillas aureas juſſit ſuſpendi, quæ viantium aviditatem arriderent, dum non eſſent qui eas arriperent. Dum autem iſte rex *Aluredus* omnia feliciter conſummaſſet, & xxviij. annis & dimidio ſuper totam *Angliam*, præter illas partes quæ *Dacis* erant ſubjectæ, regnaſſet, aculeum mortis ſentiens apud *Wyntoniam* obiit, & ibi in novo monaſterio ſepelitur; ubi de eo ſic metrice ſcribitur.

Nobilitas innata tibi probitatis honorem
Armipotens Alurede *dedit, probitaſque laborem,*
Perpetuumque labor nomen cui mixta dolori.
Si modo victus erat, ad craſtina bella parabat;
Si modo victor erat, ad craſtina bella pavebat.
Jam poſt tranſactos regni vitaque labores
Chriſtus ei ſit vera quies, ſceptrumq; perhenne.

Leges predicti Aluredi *regis* Weſtſaxonum.

POſtquam natus pro ſalute noſtra Dei filius Dominus & ſalvator noſter Jeſus Chriſtus venit in mundum, ait, *Non veni ſolvere, ſed adimplere* pietate ſola & miſericordia. Et poſt paſſionem & reſurrectionem, antequam diſcipuli eſſent in omnem terram ad prædicandum diſperſi, dum adhuc ſimul erant, multos ex gentium populis ad Deum converterunt, & nuncios miſerunt *Antiochiam*, & *Siriam*, & *Ciliciam* evangelizare regnum Dei. Et cum cognoviſſent quid inter eos ageretur, ſcripſerunt eis. Et hæc eſt epiſtola quam apoſtoli miſerunt omnibus *Antiochiam*, & *Siriam*, & *Ciliciam*, qui nunc ex gentibus ſervitute ad Dominum ſunt converſi.

Apoſtoli & ſeniores fratres hiis qui ſunt Antiochiæ, Siriæ, & Ciliciæ *fratribus & gentibus, ſalutem. Quoniam audivimus, quod quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, potius evertentes animas veſtras, placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos cum kariſſimis noſtris* Barnaba *&* Paulo, *hominibus qui tradere animas ſuas pro nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus eciam ad vos* Judam *&* Silam, *qui & ipſi vobis verba referrent eadem. Viſum eſt enim ſpiritui ſancto & nobis, nichil ultra imponere vobis oneris quam hoc neceſſario, ut abſtineatis vos ab immolatione ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis. Quod vobis non vultis fieri, non faciatis alii. Valete.*

Ex hoc uno judicio perpendi poteſt, ut unicuique juſtum judicetur, nec opus eſt aliquo libro judiciali præter hoc fatigari, quam ne quis alii judicet, quod ſibi judicari nollet ſi judicium haberetur ſuper eum.

Poſtquam contigit quod plures nationes fidem *Chriſti* ſuſceperunt, religione creſcente, plures Synodi circumquaque convenerunt. Et ita eciam in *Anglorum* gente, poſtquam ad Chriſtianitatem pervenit, ſancti epiſcopi & ſapientes laici ſtatuerunt pro miſericordia quam Deus docuit, ut terreni domini audeant ex eorum licentia ſine peccato, in prima culpa pecunialem emendationem capere, quam ibi decreverunt; præter proditionem Domini, in qua nullam pietatem auſi ſunt intueri, quia Deus omnipotens nullam adjudicavit contemptoribus ſuis, nec Dei filius *Jude* proditori ſuo; & præcepit Dominum diligere tanquam ſeipſum. Et multis Synodis ſuis multorum foriſfactorum emendationes aptaverunt, & ex multis Synodalibus libris undecumque capitula ſcripſerunt. Iſta & decem Dei præcepta, & leges *Moſeicas*, & Judicia, quæ ipſe Deus locutus eſt ad *Moyſen*, & præcepit ei cuſtodire, *Elfredus* rex *Weſtſaxonum* ſimul fecit colligi, & in ſcriptis redigi, ita dicens; Ego tunc *Elfredus* rex hæc collegi ſimul & ſcribi præcepi; Multa quæ prædeceſſores noſtri tenuerunt, & michi placuerunt reſervavi, & multa quæ diſplicuerunt abjeci conſilio ſapientum meorum, & aliter obſervari præcepi. Et nolui multa de meis in ſcriptura ponere, quia dubitamus quid poſteris inde placeret; ſed quæ reperi diebus *Ina* regis cognati mei, vel *Offa Merciorum* regis, vel *Ethelbrihtes* qui primus in *Anglorum* regibus baptizatus eſt, quæ michi juſtiora viſa ſunt, hæc collegi, cætera dimiſi. Ego *Elfredus Weſtſaxonum* rex oſtendi hæc omnibus ſapientibus meis, & dixerunt; *Placet ea cuſtodire.*

Incipiunt capitula legum dicti regis *Aluredi*.

CAP. I.
De juramentis & vadiis.
II.
De confugio ad eccleſiam.
III.
De infractione plegii regis.
IV.
De morte regis & cujuſlibet domini.
V.
De pace eccleſiarum & earum libertate.
VI.
De furatis die feſto.
VII.
De furatis in eccleſia.
VIII.
De pugnantibus in domo regis.
IX.
De ducente Sanctimonialem ab eccleſia.
X.
De puero in matre occiſo.
XI.
De paritate vitarum.
XII.
De ſponſa fornicata.
XIII.
De injuria cirliſca femina.
XIV.
De nemore combuſto vel ſecato.
XV.
De interfecto à caſu in communi opere.
XVI.
De muti hominis vel ſurdi foriſfacto.
XVII.
De illis qui pugnant coram archiepiſcopo.
XVIII.
De vaccis vel equabus furatis.
XIX.
De aliquo imbecilli in commendatione mortuo.
XX.
De apprehenſione Nunna.
XXI.
De præſtantibus arma ad occiſionem.
XXII.
De forbatore armorum & fabro.
XXIII.
De pecunia commiſſa monacho.
XXIV.
De presbytero homicida.
XXV.
De proclamatione oſtenſa.

XXVI. De

XXVI.
De morſu canis emendando.
XXVII.
De homine qui pecus vulnerat.
XXVIII.
De violento concubitu feminæ villanæ.
XXIX.
De ſervo qui ſervam violenter cogat.
XXX.
De homine twihando, id eſt, ducenteno occiſo.
XXXI.
De homine ſexhindo, id eſt, ſexcenteno.
XXXII.
De xij. hindo qui eſt plene nobilis.
XXXIII.
De virgine vi ſubacta.
XXXIV.
De homicida vel occiſo carente cognatione.
XXXV.
De publico mendacio conficto.
XXXVI.
De Dei plegio violato.
XXXVII.
De mercatoribus.
XXXVIII.
De villano homine injuſte ligato.
XXXIX.
De cuſtodia lanceæ.
XL.
De mutatione manſionis.
XLI.
De pugna in placito coram Aldermanno.
XLII.
De illo qui placitum populi armis turbaverit.
XLIII.
De pugna vel extractione armorum in domo villani.
XLIV.
De infractura borgi regis vel archiepiſcopi.
XLV.
De fractione ſepis ruſtici.
XLVI.
De velo in Quadrageſima injuſte depoſito.
XLVII.
De terra hæreditaria.
XLVIII.
De inimico negante rectum poſtulanti.
XLIX.
Vbi ſine wita liceat pugnare.
L.
De feſtivitatum obſervatione.
LI.
De plagis corporalibus.

Cap. I. *Sax. 1. Editione Cantab.*

INprimis eſt, quod maxime neceſſarium eſt cuicunque fidelium, fidem & juramentum ſuum, multa (ut convenit) obſervantia cuſtodire. Si quis tamen ad alterutrum cogatur injuſte, vel ad proditionem domini, vel injuſtum aliquod adjutorium; rectius eſt hoc ementiri quam impleri. Si quis autem vadiet quod fieri juſtum ſit, & transgrediatur, committat arma ſua & pecuniam amicis ſuis in cuſtodiam, & ſit 40. noctibus in carcere ad manſionem regiam, & pœniteat ſecundum juſſionem epiſcopi ſui, & parentes ejus paſcant eum ſi ipſe victum non habeat. Si autem parentes non habeat, aut cibum, Præpoſitus regis procuret eum. Et ſi cogi oporteat & aliter nolit, ſi ligetur perdat arma ſua, & totam pecuniam ſuam; ſi occidatur, inultus jaceat. Si aufugiat ante terminum & iterum capiatur, ſit 40. noctibus in carcere, ut ante debuerat. Si amittatur, ſit forbannitus, & excommunicatus ab omnibus Chriſti eccleſiis. Si tunc aliquis plegius interſit, emendet infracturam plegii ſicut rectum edocebit, & infracturam vadii ſecundum pœnitentiæ cenſuram.

II. *Sax. 2.*

Si quis ad eccleſiæ manſionem pro qualicunque culpa confugiat, quæ ad firmam regis non pertinet, vel alteri modo deſerviat, & venalis ſit, habeat trium noctium terminum cavendi ſibi; niſi reconciliari quæſierit. Si quis infra hunc terminum malignaverit eum, vinculis aut verberibus, emendet ſingulum eorum ſecundum rectitudinem patriæ Wera; Wita, & eccleſiæ miniſtris Cxxs. pro infractione pacis.

III. *Sax. 3.*

Si quis plegium regis infringat, emendet inculpationem ſicut rectum eſt, & infracturam plegii v. libris *Merciorum* denariorum. Archiepiſcopi *Brithbrice* ſive *Mundbrice* emendetur iij. l. Aliorum Epiſcoporum vel Comitum ij. l.

IV. *Sax. 4.*

Si quis vel per ſe, vel ſuſceptam, vel ſuſpectam perſonam de morte regis tractet, vitæ ſuæ reus ſit, & omnium quæ habebit. Si ſe velit adlegiare, ſecundum regis weregildum hoc faciat. Sic etiam ponimus de omni ordine vel natione villanorum, Comitum, qui de morte domini ſui cogitabat, ſive ipſius vitæ culpabilis habeatur: perdat omnia quæ ſua ſunt, vel ſecundum natale domini ſui ſeſtimet abnegare.

V. *Sax. 5.*

Item ſtatuimus, ut Dei eccleſiæ dedicatæ pacem habeant. Si quis facinoroſus incurrat vel ad eam confugiat, nullus eum vij. diebus contingat vel extrahat; ſi quis hoc præſumat culpabilis ſit infractionis regiæ pacis & eccleſiæ, & amplius, ſi foriſfaciat amplius, ſi pro fame vivere poſſit, ſi non imprælietur. Si æditui majus opus habeant eccleſia ſua, cuſtodiant eum in alia domo quæ non habeat plura hoſtia quam eccleſia. Et caveat ipſius eccleſiæ ſenior ne interim reum paſcat. Si inimicis ſuis arma ſua reddiderit, & ſe dederit, ſervetur xxx. noctibus, & parentibus, & amicis ſuis interim offeratur. Item qui ad eccleſiam confugiat pro quacumque culpa quæ non prolata ſit, & eam in nomine domini gratis confitetur, dimidium foriſfacti condonetur ei.

VI. *Sax. 5.*

Qui furatur die Dominica, vel in ſancto natali, vel in paſcha, vel in aſcenſione Domini, In quolibet eorum volumus dupliciter emendandum ſit, ſicut in quadrageſimali jejunio.

VII. *Sax. 6.*

Si quis in eccleſia furetur aliquid, reſtituat hoc ſemel, & foriſfactum ſicut ad *Angildum* pertinet, & amputetur ei manus de qua furatus eſt. Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur; componat ſicut ad weram ejus pertinebit.

VIII. *Sax. 7.*

Si quis in domo regis pugnet vel arma extrahat, & capiatur, ſit in arbitrio regis, ſit vita ſit mors, ſicut ei condonare voluerit. Si aufugiat & iterum aliquando capiatur, redimat ſe precio nativitatis ſuæ; & culpam emendet, ſit wita, ſicut egerit.

IX. *Sax.* 8.

Si quis Sanctimonialem ab eccleſia duxerit, ſine licentia regis aut epiſcopi, det Cxx. s. dimidium regi, dimidium epiſcopo & ipſius eccleſiæ domino cujus monacha fuit. Si ipſa diutius vivat quam qui eam abduxit, nihil de pecunia ejus habeat. Si infantem procreaverit, nihil inde habeat infans, ſicut nec mater ejus. Si puer eorum occidatur, habeat partem rex maternæ cognationis, parentes patris partem ſuam habeant.

X. *Sax.* 9.

Si femina prægnans occidatur dum puer in ea ſit, ſolvatur ipſa pleno gildo ſecundum weram patris, & partus dimidio gildo ſecundum weram matris.

XI. *Sax.* 9.

Sit ſemper wita lx. s. donec ***angildum*** exurgat ad xxx. s. poſtquam ***angildum*** ad id creſcat, poſtea ſit wita Cxx. Aliquando fuit de eo qui aurum furabatur vel equas ſylveſtres vel apes, quod multæ witæ fuerunt majores quam aliæ, nunc ſunt omnes pares qualitate præter qui hominem furatur Cxx. s.

XII. *Sax.* 10.

Si quis fornicetur cum uxore hominis *twelfhindes*, emendet ipſi marito Cxx. s. homini *ſexhindo* C. s. *Cirliſco* lx. s. emendet. Et hoc in viventi captali componatur, & nemo vendatur pro eo.

XIII. *Sax.* 11.

Si quis cirliſcæ feminæ pectus apprehendat, v. s. emendetur ei; ſi ſupinet eam, nec tamen concumbat cum ea, x. s. emendet; ſi concubuerit, lx. s. emendet ei. Si aliquis cum ea jacuit antea, ſit emendatio medietas hoc: ſi accuſetur inde adlegiet ſe per Lx. hidas, vel dimidium emendationis amittat. Si hoc in nobilius oriunda muliere contigerit, creſcat ejus emendatio ſicut ejus natalis ingenuitas erat.

XIV. *Sax.* 12.

Si quis nemus alterius ſine licentia comburat vel ***tabet***, ſolvat omne groſſum lignum v. s. deinceps omne quotquot ſint v. d. reſtituat, & xxx. s. witæ, id eſt forisfacti.

XV. *Sax.* 13.

Si quis in communi opere alium caſu dejiciat, reddatur lignum parentibus interfecti, & habeant hoc infra xxx. dies eductum de terra illa, vel habeat hoc cujus erat nemus.

XVI. *Sax.* 14.

Si quis ſurdus ſit aut mutus natus, ut non poſſit negare, vel confiteri peccata ſua, emendet pater ejus forisfacta ſua.

XVII. *Sax.* 15.

Si quis coram archiepiſcopo pugnet, vel arma extrahat, emendet Cxxx. s. ſi coram alio epiſcopo, vel Aldermanno faciat, C. s. emendet.

XVIII. *Sax.* 16.

Si quis vaccam vel equam furetur, vel prægnantes affligat, reddat partum pro ſolido uno, & matrem ſecundum precium æſtimatum.

XIX. *Sax.* 17.

Si quis alii ſuum imbecille quid commendet, & in illa commendatione moriatur, adlegiet ſe facinoris qui paſcebat illud, ſi ab aliquo compellatur inde.

XX. *Sax.* 18.

Si quis nunnam cauſa fornicationis in veſtes aut in ſinum ſine licentia comprehendat, ſit hoc duplo emendabile, ſicut ante ſimpliciter de laica decrevimus.

XXI. *Sax.* 19.

Si quis præſtet arma ſua ad occidendum aliquem, licet ei ſi velit weram mortui conjectare. Si ſimilari nolit, reddat qui arma præſtiterit terciam partem ipſius weræ; ſi velit ſe purgare quod ad eam commendationem malum neſcivit, hoc ei liceat.

XXII. *Sax.* 19.

Si quis forbator alicujus arma ſuſceperit ad purgandum, vel faber alicujus opus faciendum, ipſi hoc quietum reddant ſicut receperunt, ſi non eorum cuſtodiam diffinitis prælocutionibus abdicarant.

XXIII. *Sax,* 20.

Si quis alterius monacho pecuniam commendaverit ſine licentia domini ipſius monachi, & amittatur, nihil inde recipiat qui commiſit ei.

XXIV. *Sax.* 21.

Si presbyter hominem occidat, capiatur, & totum unde ſibi manſionem emerat, & exordinet eum epiſcopus, & tunc ab eccleſia reddatur, niſi dominus ſuus componere velit weram ejus.

XXV. *Sax.* 22.

Si quis in conventu publico præpoſito regis proclamationem oſtendat vel oſtenſionem denunciet, & poſtea ceſſare velit, pertrahat hoc ad rectiorem manum ſi poſſit; ſi non poſſit, perdat ſuum ***angildum***, & reddat witam Præpoſito.

XXVI. *Sax.* 23.

Si canis hominem deſubitet aut mordeat tacitus, in prima culpa reddantur vj. s. ſi ei poſtea dominus ejus victum dederit, in ſecunda vice dabit xij. s. & tercia vice xxx. ſi in hiis forisfactis aliquis canis perdatur, procedet inde hæc emendatio. Si canis amplius peccet, & habeatur, emendetur plena wera ſicut malum inflixit.

XXVII. *Sax.* 24.

Si alicujus animal hominem vulneret, reddatur ipſum animal, vel inde componatur.

XXVIII. *Sax.* 25.

Si quis *ceorles* mancipium ad violentum concubitum comminetur, emendet ipſi *ceorlo*, id eſt ruſtico v. s. & lx. s. witæ.

XXIX. *Sax.* 25.

Si ſervus ſervam cogat ad violentiam perferendam, caſtretur.

XXX. *Sax.* 26.

Si quis hominem ***twihindum*** innocentem cum *hlothe*, id eſt cohorte occidat, reddat qui ictum confitebitur weram & witam, & omnis qui interfuit reddat xxx. s. pro *hlothbota*.

XXXI. *Sax.* 26.

Si ſit homo ſexhindus, unuſquiſque reddat pro hlothbota lx. s. & percuſſor weram cum plena wita.

XXXII. *Sax.* 26.

Si homo xij. hindus ſit, quotquot interfuerint Cxx. s. reddant, & occiſor weram & witam. Si *hloth*, id eſt cohors vel collectum contubernium hoc faciat, & poſtea negare velint, incauſentur omnes, & omnes mortis illius compoſitionem conjectent, & omnes unam witam perſolvant ſicut ad ipſam weram pertinebit.

XXXIII. *Sax.* 25. *parte ult.*

Si quis virginem immaturam violenter opprimat, ſit hoc ſicut adultæ mulieris emendatio.

XXXIV. *Sax.* 27.

XXXIV. *Sax.* 27.

Si quis ex parte patris ſui cognatione carens homicidium faciat, ſi ex materna parte cognationem habeat, reddat ipſa tertiam partem compoſitionis, tertiam congildones, & pro tercia parte fugiat. Si nec maternam cognationem habeat, ſolvant congildones ejus dimidiam compoſitionem, & pro dimidia fugiat. Si quis occidat hujuſmodi qui parentes non habeat, compoſitionis medietas ſolvatur regi, & medietas gildonibus.

XXXV. *Sax.* 28.

Si quis publicum mendacium confingat, & in ipſo denique firmetur, non emendetur hoc aliqua levi re, ſed amputetur ei lingua, nec minori precio redimi liceat quam ſecundum weram ejus appreciabatur.

XXXVI. *Sax.* 29.

Si quis alii Dei plegium intemptet, & compellare velit, quod ei aliquod ipſorum non compleverit, præjuret hoc in quatuor eccleſiis, et ſi alius ſe purgare velit, in xij. eccleſiis hoc faciat.

XXXVII. *Sax.* 30.

Eciam jam de mercatoribus ſtatutum eſt, ut homines quos ſecum ducunt in negotiationem ſuam oſtendant præpoſito regis in publicis actionibus, et edicant quot ſint, et eos denique ſecum aſſumant quos ad rectum publicum poſſint adducere. Et cum opus evenerit, ut ſecum plures habeant ſimul, hoc notificent præpoſito in publici conventus teſtimonio.

XXXVIII. *Sax.* 31.

Si quis hominem cirliſcum injuſte ligaverit x. s. emendet: ſi eum verberet, xx. s. emendet: ſi eum in ſuſpenſo mittat xxx. s. emendet: ſi eum reddat in contumeliam ad collificium x. s. emendet: ſi eum radat in presbyterum ſolutum xxx. s. emendet: ſi barbam ei radat x. s. emendet; ſi eum ligaverit et ad presbyterum radat lx. s. emendet.

XXXIX. *Sax.* 32.

Inventum eſt eciam, ſi quis habeat lanceam ſuper humerum ſuum, et homo aſſuaſetur vel impungatur, ſolvat weram ejus ſine wita. Si autem oculos aſſuaſet reddat weram ejus, et poſſibilitatis accuſetur in eo facto, et purget ſe juxta modum witæ, et ita remaneat de wita ſi acutum lanceæ altius feratur tribus digitis quam cuſpis; ſi æqualiter ferantur acies et cuſpis, ſine culpa reputetur.

XL. *Sax.* 33.

Si quis ab una manſione in aliam tranſire velit, faciat hoc teſtimonio Aldermanni in cujus comitatu prius folgavit. Si præter illius licentiam abſcedat, qui eum in hominem ſuſceperit Cxx. s. forisfacturæ reddat. Dividatur tamen hoc dimidium regi in comitatu quo ante incoluit, dimidium vero in eo in quo venerit. Si quid eciam male fecerit ubi prius fuit, hoc emendet qui eum recepit ad hominem, & regi Cxx. s. witæ.

XLI. *Sax.* 34.

Si quis coram Aldermanno Regis pugnet in publico, emendet weram & witam ſicut rectum ſit, & ſuper hoc Cxx. s. ad witam.

XLII. *Sax.* 34.

Si quis Folcmot, id eſt populi placitum armorum exercitione turbabit, emendet Aldermanno Cxx. s. witæ, id eſt forisfacturæ. Si coram minore contigerit, aut coram presbytero regis, ſit wita xxx. s.

XLIII. *Sax.* 35.

Si quis in *ceorliſces mannes flet geſebte*, id eſt in ruſticani hominis area domus pugnet, v. s. emendet ipſi ruſtico; ſi arma extrahat nec inde pugnet, ſit dimidium hoc. Si horum aliquid accidat homini ſexhindo, tripliciter exurgat emendatio ſuper emendationem ruſtici, xij. hindi hominis dupliciter à ſexhindo.

XLIV. *Sax.* 36.

Regis *brorbbrece* eſt Cxx. s. Archiepiſcopi Cx. s. Epiſcopi vel Aldermanni, quem Latine Comitem vel ſeniorem dicunt, lx. s. xij. *hindes* xxx. s. *ſexhindi* hominis xv. s.

XLV. *Sax.* 36.

Ceorli Edorbryce, id eſt ruſtici ſepis fractio v. s. emendetur. Si horum aliquid eveniet quando exercitus foris eſt, vel in quadrageſimali jejunio, ſit dupliciter emendandum.

XLVI. *Sax.* 36.

Si quis in quadrageſima ſanctum velum in populo ſine recto deponat, emendet Cxx. s.

XLVII. *Sax.* 37.

De eo qui terram hæreditariam habet quam ei parentes ſui dimiſerunt ponimus, ne illam extra cognationem ſuam mittere poſſit, ſi ſcriptum interſit teſtamenti & teſtis quid eorum perhibuerit, qui hanc inprimis acquiſierunt, & ipſorum qui dimiſerunt ei ne hoc poſſit, & hoc in regis & epiſcopi teſtimonio recitetur coram parentela ſua.

XLVIII. *Sax.* 38.

Etiam inſtituimus, Homo qui inimicum ſuum reſidentem ſcit, non ante impugnet eum quam ſibi rectum poſtulet. Si vim habeat ut hoſtem ſuum circumveniat, & obſideat eum vij. noctibus intus, nec aſſailiat eum ſi ille velit immorari. Si velit in manus ire & arma ſua reddere, cuſtodiat eum xxx. noctibus illæſum, & parentibus ſuis eum offerat & amicis. Si vim non habeat ut eum intus obſideat, vadat ad Aldermannum & quærat auxilium. Si ei ſubvenire nolit, adeat regem priuſquam aſſailiat eum. Si quis eciam ſuperveniat in hoſtem ſuum, & eum antea reſidentem neſciat, ſi hoſtis ille velit arma ſua reddere, cuſtodiatur xxx. noctibus, & amicis offeratur; ſi nolit arma ſua reddere, tunc liceat eum impugnare: ſi velit in manus ire & arma ſua reddere, & aliquis ſuper hoc impugnet eum, ſolvat ſic weram, ſic vulnus ſicut egerit, & witam perdat quod de cognatione ſua requirebat.

XLIX. *Sax.* 38.

Item dicimus ut homini liceat pugnare cum domino ſuo ſine wita, ſi quis aſſailiat ipſum dominum: ſic liceat Domino pugnare cum ſervo ſuo. Ad eundem modum poteſt homo pugnare cum germano cognato ſuo ſi quis aſſailiat eum injuſte; præter contra dominum, hic non concedimus. Et item poteſt homo pugnare ſine forisfacto, ſi alicui obviet cum ſponſa ſua clauſis hoſtiis, vel ſub una veſte, vel cum filia ſua deſponſata, vel cum ſorore ſua quæ de ſponſa ſit nata, vel cum matre ſua quæ patri ſuo fuerit deſponſata.

L. *Sax.* 39.

Omnibus liberis hominibus dies iſti condonati ſunt, præter ſervos & pauperes operarios, xij. dies in ſancto natali Domini, & dies in qua Dominus Jeſus de diabolo triumphavit, & ſancti *Gregorii* memorialis dies; & vij. dies in paſcha, & vij. ſupra, & unus dies in feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Et in Auguſto plena hebdomada ante feſtum ſanctæ *Mariæ*, & in omnium Sanctorum veneratione unus dies. Et iiij. dies Mercurii in quatuor legitimis jejuniis ſervis omnibus indulti ſunt dare cui magis voluerint, vel qui ei pro nomine domini aliquid bene fecerit, vel ipſi deſervire poterint, in aliqua portione vicis ſuæ.

LI. Sax. 40.

Capitis vulnus ſi utrumque os perforatum ſit xxx. s. emendetur: ſi os exterius percuſſum ſit xv. ſolidis emendetur. Si in capillis ſit vulnus longitudinis unius unciæ componatur ſolido uno: ſi ante æſiriem ſit vulnus unciam habens longitudinis ij. s. emendetur: ſi auris amputetur alicui xxx. s. emendetur ei: ſi auditum inde perdat lx. s. emendet: ſi quis alii crepet oculum, ſolvat ei lxvj. s. & vj. denarios & terciam partem unius denarii quæ eſt triens: ſi oculus remaneat nec tamen inde videat, remaneat tercia pars emendationis: ſi quis alii faciem amputet lx. s. multetur: ſi quis homini primos dentes, i. *præſciſores* excuſſerit, viij. s. culpa ſit: ſi ſecundos quos *caninos* vocant, 4. s. emendabit: *molares* dentes hominis ad xv. s. æſtimentur: ſi quis homini genas frangat emendet xv. s. ſi quis homini mentum frangat xij. s. emendet. Qui gurgulionem alicui frangat xij. s. emendet: ſi linguam extrahat, ſicut de oculo componat: ſi quis ſitin humero vulneratus ut compaginis glutinum effluat, xxx. s. emendet: ſi brachium homini fractum ſit ſupra cubitum xv. s. eſt emendandum: ſi utrumque os brachii fractum ſit emendatio eſt xxx. s. ſi pollex manus amputetur homini xxx. s. emendetur: ſi unguis excutiatur v. s. emendetur: ſi ſecundus digitus, i. index vel ſalutatorius amputetur xx. s. emendetur, unguis ejus iij. s. ſi medius amputetur, ejus emendatio ſit xij. s. unguis ij. s. ſi quartus qui annularis dicitur amputetur xvij. s. culpa judicetur, unguis iiij. s. emendetur: ſi minimus digitus amputetur ix. s. emendetur, unguis ejus uno ſolido: ſi transforatum ſit utrumque os emendetur xxx. s. ſi coxa tranſpungatur homini xxx. s. emendetur ei: ſi frangatur æque ſit emendatio xxx. s. Si crus transforetur alicui ſupra genu xij. s. emendetur: ſi confringatur ſub genu xxx. s. ſi primus & major articulus pedis amputetur xx. s. mulcta judicetur: ſi ſecundus articulus ſit xv. s. emendetur: ſi tercius ix. ſi quartus vj. ſi minimus v. s. conſtet: ſi quis in teſticulis plagietur ut generare non poſſit emendetur ei lxxx. s. ſi homini ſit brachium cum manu penitus amputatum aut cubitum, emendetur hoc ei lxxx. s. Omne vulnus ante ſcapulam & ante manicam & ſub genu duplo majoris emendationis ſit: ſi lumbi truncentur alicui lx. s. mulcta judicetur: ſi intus pungantur, ad illud faciant xv. s. ſi tranſpuncti ſint, illud componant xxx. s. ſi quis in humero plagietur emendetur lxxx. s. ſi vivat: ſi quis homini manum extra plagiaverit xx. s. culpa ſit: ſi dimidia manus advolaverit, ad id reddantur xl. s. ſi quis homini coſtam fregerit intra cutem integram det x. s. ad emendationem: ſi quis oculum vel manum vel pedem excuciat alicui, parem emendationem componat de ſingulis idem lxvj. s. & vj. d. & tertiam partem unius denarii: ſi crus alicui per excuſſum ſit ſub genu xxx. s. culpa emendetur: ſi quis homini ſcapulam truncaverit xx. s. mulctetur: ſi quis intra plagietur ut os extrahatur, ſit emendatio xv. s. ſi groſſi nervi truncentur alicui ut ſalvari non poſſint, xij. s. culpa ſit: ſi homo claudicet pro vulneribus nervorum & medicamentum ſanationis non admittunt, xxx. s. emendetur: ſi graciles nervi truncentur, vj. s. culpa judicetur: ſi quis in collo plagietur & inde perpetuam & inſanabilem contrahat invalitudinem & tamen vivat ita contumeliatus, emendetur C. s. ſi non ei rectius & amplius ſapientum judicia deſtinabunt; hoceſt ut reddantur afflictiones liberorum per plenum, ſervorum autem per dimidium.

INcipiunt leges *Aluredi* regis & *Godrini Daci* regis *Eſtanglia*.

Cap. I.

De vadio recti pernegato poſtulanti.

II.

De fure, de hloth *& de* here.

III.

De fure villano fugiente.

IV.

De recedentibus ſine licentia à domino.

V.

De dominis & hominibus ſuis accuſatis.

VI.

De illis qui recipiunt homines accuſatos.

VII.

De illis qui parcunt furi.

Cap. I.

SI quis rectum ſibi fieri poſtulet coram aliquibus ſchyræ hominibus, & aliis judicibus & impetrare non poſſit & vadium recti pernegetur ei, xxx. s. emendet, & infra vij. noctes faciat jus publicum.

II.

Si fur capiatur morte capiatur. Qui furem vindicabit, ſit inimicus regis & omnium amicorum ejus. Fure, nominamus uſque ad vij. homines, à vij. *hloth* uſque ad xxxv. homines, deinceps eſt *here*. Qui de *hloth* fuerit accuſatus abneget per Cxx. hidas vel ſic emendet. Qui *heerenames* fuerit accuſatus, weregildo ſuo ſe redimat.

III.

Si tuus *geneat*, id eſt villanus furetur & aufugiat, ſi habeas plegium, admoneas eum de *angildo*: ſi non habeas, redde tu *angildum*, & non ſit ei remiſſius in aliquo.

IV.

Si quis recedat à domino ſuo præter licentiam, vel in alium comitatum ſe ſubducat, & inquiratur ubi ſit, redeat ubi prius fuit, & emendet domino ſuo lx. s.

V.

Præcipimus ut omnis homo habeat ſecum tales homines quos ad rectum poſſit adduſcere, & nullum à ſe dimittat qui inculpatus ſit in manupaſto ſuo, donec rectum jus publicum fecerit ei de omni placito quod loquatur ſuper eum.

VI.

Et nemo recipiat hominem ſi ſit culpatus ſub aliquo priuſquam innocens habeatur erga quamcumque manum, niſi velit eum tali conditione recipere, quod omne rectum faciet pro eo de omni verbo ſuper eum, & ad eandem curiam obediat; ſi quis illud hoc modo non complebit, emendet *overherneſſam* meam.

VII.

Et qui furem dimittat vel ad capiendum eum juvare diſſimulabit, emendet ſicut ſupradictum eſt.

Adhuc de legibus dictorum regum *Alfredi* & *Godrini.*

Cap. I.

De dilectione Dei & pacis eccleſiæ.

II.

De negligentibus legem Chriſti & paganiſmum venerantibus.

III.

De ordinatis male viventibus.

IV.

De presbyteris falſo pronunciantibus feſtum vel jejunium.

V.

De presbyteris rectis terminis criſma non perquirentibus, vel baptiſmum negantibus.

VI.

De fratribus vel cognatis in una fornicantibus.

VII.

De ordinato qui vitam forisfaciat.

VIII.

De reo mortis qui confiteri deſiderat ſacerdoti.

IX.

De decimis Dei retentis & aliis eccleſiæ rectitudinibus.

X.

De illis qui mercandiſant in diebus Dominicis.

XI.

De operantibus in diebus Dominicis.

XII.

De jejuniis infractis.

XIII.

De diebus in quibus Ordalium & Iusjurandum prohibeantur.

XIV.

Ne die Dominica homo forisfactus occidatur.

XV.

De forisfactis & diſſactis membris.

XVI.

De ſortilegis, incantatoribus, veneficis, perjuris & hiis ſimilibus.

XVII.

De ordinatis vel alienigenis in aliquo de pecunia vel vita ſeductis.

Hoc eſt conſilium quod Aluredus *rex &* Godrinus *rex elegerunt & condixerunt, quando* Angli *&* Dani *ad pacem & concordiam plene convenerunt, & ſapientes & qui poſtea ſucceſſerunt, ſapius hoc & aſſidue renovantes in bonum ſemper adduxerunt.*

Cap. I. Sax. 1. *Edit. Cant.* p. 41.

IMprimis eſt, ut unum deum diligere velint, & omni paganiſmo ſedulo renunciare. Et inſtituerunt ſecularem juſtitiam, pro eo quod ſciebant, quod non poterant multos aliter caſtigare; plures vero nolebant ad Dei cultum ſicut deberent aliter inclinari. Et ſecularem emendationem inſtituerunt communem Chriſto & regi, ubicumque recuſabitur lex Dei, juſte ſervari ſecundum dictionem epiſcopi. Et hoc eſt primum edictum eccleſiæ, pax intra parietes ſuos ut regis *Hand grith* ſemper inconvulſa permaneat.

II. Sax. 2.

Si quis Chriſtianitatem ſuam male mutat, vel paganiſmum veneretur verbis vel operibus, reddat ſic weram, ſic witam, ſic *laſblyte* ſecundum quod factum ſit.

III. Sax. 3.

Et ſi quis ordinatus furetur, vel prælietur, vel perjuret, vel fornicetur, emendet ſicut factum erit, ſic weram, ſic witam, ſic *laſblyte*, & erga deum ſaltem emendet juxta ſanctorum canonum doctrinam; & plegium faciat inde, vel mittatur in carcere.

IV. Sax. 3.

Et ſi presbyter populum ſuum miſdoceat de feſto vel de jejunio, reddat xxx. s. cum *Anglis* & cum *Danis* iij. dimidias marcas.

V. Sax. 3. & 4.

Si presbyter ad rectum terminum ſanctum criſma non perquirat, vel baptiſmum pemeget ei cui neceſſe ſit, reddat witam cum *Anglis*, & cum *Dacis laſblyte*, id eſt xij. horis. Et de *ſublegereis* ſapientes inſtituerunt, ut rex habeat ſuperiorem & epiſcopus inferiorem, niſi dignius emendetur pro Deo & pro ſeculo juxta modum facti, ſicut epiſcopus docebit.

VI. Sax. 4.

Si duo fratres vel duo cognati cum una aliqua fornicentur, emendent in omni manſuetudine, ſicut eis permittetur, ſit wita, ſit *laſblite*, ſecundum modum facti.

VII. Sax. 3. *in fine.*

Et ſi ordinatus homo ſe forisfaciat in morte plectendis actibus exſuperetur, & epiſcopi judicio reſervetur.

VIII. Sax. 5.

Et ſi quis reus mortis profiteri deſideret ſacerdoti, nunquam negetur ei, & omnes Dei rectitudines pacificentur ſedulo per Dei miſericordiam, & per witam quam ſapientes addicent.

IX. Sax. 6.

Et ſi quis decimam contrateneat, reddat *laſblite* cum *Dacis*, witam cum *Anglis*. Si quis *Rumfeih* ſuperteneat reddat *laſblite* cum *Dacis*, witam cum *Anglis*. Si quis non reddat ſymbolum luminis, reddat *laſblite* cum *Dacis*, witam cum *Anglis*. Si quis Dei rectitudines aliquas diſforciet, reddat *laſblite* cum *Dacis*, witam cum *Anglis*. Si contra ſtet ut hominem vulneret, de wita componat. Si aliquem deiciat in mortem, ſit utlaga vel exlex, & perſequatur eum cum clamore omnis qui rectum amat, & ſi faciat ut occidatur, pro eo quod contra Dei rectum & regis imperium ſtet, ſi hoc inveritetur jaceat *orgilde*.

X. Sax. 7.

Si quis in die Dominica negotiationem facere præſumat, perdat ipſum captale, & xij. oras cum *Dacis*, & xxx. s. cum *Anglis*.

XI. Sax. 7.

Si liber feſtis diebus operetur, perdat libertatem ſuam, vel reddat witam vel *laſblite*; ſervus corium perdat vel *hidgildum*. Si dominus ſervum cogat feſtis diebus operari, reddat idem dominus *laſblite* cum *Dacis*, & witam cum *Anglis*.

XII. Sax. 8.

Si liber homo rectum jejunium frangat, reddat witam vel *laſblite*. Si ſervus hoc faciat, perdat corium ſuum vel *hidgildum*.

XIII. Sax. 9.

Ordalium & jusjurandum feſtis diebus & legitimis jejuniis legibus eſt interdictum. Et qui hoc fregerit, reddat *laſblite* cum *Dacis*, witam cum *Anglis*.

XIV. Sax.

XIV. Sax. 9.

Si fieri poſſit nunquam occidatur aliquis in feſto Dominicæ diei, quicquid peccaverit, ſed capiatur & ſervetur donec tranſeat feſta dies.

XV. Sax. 10.

Si quiſquis forisfactus & de menbris diffactus dimittatur, & idem poſt afflictionem per iiij. noctes vivat, poteſt ei deinceps per epiſcopi licentiam ſubveniri, ſi quis ejus doloribus & animæ condeſcendat.

XVI. Sax. 11.

Si ſortilegæ, incantatrices, perjuri & venefici, fætidæ vel meretrices cognitæ alicubi compareant, relegantur de patria, diſperdant omnia, niſi ceſſent & profundius emendent.

XVII. Sax. 12.

Si ordinatus vel alienigena ſeducatur in aliquo de pecunia, vel vita, tunc debet ei adeſſe Rex vel Comes illius terræ, & epiſcopus gentis ipſius pro cognatione & advocato, ſi penitus alium non habeat, & emendet ſedulo juxta modum facti Chriſto & regi, ſicut decebit, vel illud factum profunde nimis vindicet qui rex ſit in populo.

POſt mortem vero dicti regis *Aluredi Edwardus* filius ſuus modo cognomento *ſenior* regnum paternum capiens anno Domini DCCCCj. cœpit regnare. Hic conſecratus eſt apud **Kyngiſton** ab *Ethelredo* archiepiſcopo, qui xxxiiij ſedit annis & de conſenſu iſtius regis *Edwardi* v. epiſcopatus epiſcopis deſtitutos inter *Weſtſaxones* reſtauravit. Iſte rex *Edwardus* literarum ſcientia patre multo inferior fuit, ſed gloria extitit ſuperior ſeculari. Novas namque urbes condidit, mutilatas reparavit, fines regni latius quam pater dilatavit, leges condidit, de quibus inferius plenius habetur. Porro *Scottorum*, *Cambrorum* & *Stregwallorum* Reges in deditionem recepit, *Eſtſaxiam*, *Eſtangliam*, *Merciam*, *Northumbriam* de manibus *Dacorum* extorſit, totamque *Merciam* poſt obitum ſororis ſuæ *Elfleda* obtinuit & recepit. Erat in illis temporibus in quadam villa *Weſtſaxonia* opilionis filia elegantis ſpeciei puella, cui dormienti viſum eſt lunam de ſuo ventre ſplendere, & de hoc lumine totam *Angliam* illuſtrari; quod cum cuidam matronæ quæ pueros regis nutrire conſueverat retuliſſet, puellam recepit in domum ſuam, & filiæ loco cibis delicatis nutrivit, & veſtibus eam cultioribus veſtiens, geſtu & moribus informavit. Et non multo poſt iſte *Edwardus Aluredi* filius caſu per villam tranſiens, ad domum iſtius matronæ divertit, credens famæ ſuæ detrimentum inferre ſi nutricem videre quæ ipſum educaverat faſtidiret, ubi viſæ prædictæ puellæ quæ *Edgiva* dicebatur amore captus, dormivit cum ea, quæ uno complexu gravidata peperit ei filium ſuum primogenitum, quem propter fidem ſompnii vocavit *Ethelſtanum*. Et ex alia uxore ſua genuit *Edwinum*, *Edmundum*, *Edredum*, & *Eſtrildam* filiam ſuam primogenitam quam *Karolo* regi occidentalium *Francorum* copulavit. Genuit etiam tres alias quarum unam *Othoni* Imperatori, aliam vero *Sighrico* regi *Northumbria* maritavit. Tertia vero fuit *Edburga* virgo Dei & Deo valde devota, quæ cum trienna eſſet, pater ejus rex experiri volens an ad deum an ad ſeculum declinatura eſſet, poſuit ex una parte triclinii ſui diverſarum poſſeſſionum ornamenta, ex altera parte calicem & evangelia; inde armillas, illic monilia. Puſiola virgo illic nutrice allata, jubetur ut quæ vellet eligeret; at ipſa manibus repens evangelia adoravit, Quam deoſculans pater ait, *Vade*, inquit, *quo te vocat divinitas, ſequere fauſto pede qui te ducit*. Sicque poſtmodum facta eſt monacha; quam non reſupinabat regalis proſapia, quin eciam ſoccos ſororum ſuarum de nocte latenter ſurriperet, & lotos clam reportaret. Item ſecundum quoſdam iſte rex unam aliam habuit adhuc uxorem, & tres alias filias genuit quæ religionem intraverunt; de quibus una dicebatur *Elfleda*. Eodem anno *Edred* dux *Devonia* obiit uno menſe ante obitum regis *Aluredi*, qui cum eo fidelis et fortis geſſerat bella multa.

Anno regis *Edwardi* ſecundo, *Ethelwoldus* frater ejus minor & ſecundum quoſdam patruelis regis *Edwardi*, contra regem inſurgens *Wynburnam* urbem juxta *Bathoniam* occupavit. Quapropter rege *Edwardo* uſque *Bathoniam* cum manu forti properante, *Ethelwoldus* cum hominibus ſuis in *Wynburna* januis clauſis permanſit, dicens quod ibidem triumpharet aut occumberet; nocte tamen inde recedens, ad *Dacos Northimbranos* pro auxilio eorum petendo feſtinavit. Sed rex adeo valde ipſum perſecutus eſt, ut idem *Ethelwoldus* relicta *Anglia Franciam* adiret; reduxit tamen rex ſecum ſanctimonialem quam idem *Ethelwoldus* rapuerat, et ultra vetitum epiſcopi in uxorem duxerat. Cito vero poſt eodem anno *Ethelwoldus* de *Francia* rediens, ad *Dacos* in *Northumbria* pertranſivit. Illi vero nobilitati juvenis congaudentes, ſuper reges et duces ſuos ipſum regem et principem ſtatuerunt.

Anno *Edwardi* regis tercio, dictus *Ethelwoldus* coadunatis viribus navigium in **Eſſex** duxit, cui *Eſtſexenſes* ſubditi ſunt ſine mora. Eodem anno ſanctus *Grimbaldus* Confeſſor & Doctor regis *Aluredi Wyntonia* obiit. Anno regis *Edwardi* quarto, *Ethelwoldus* prædictus junctis ſecum *Danis Eſtangliam* inhabitantibus, *Merciam* invadit, eam uſque ad **Cretanfoꝛd**, quod eſt **Crikkelade**, cuncta conſumens. Deinde flumine *Thameſia* pertranſito, cepit **Bꝛithendene** & uſque **Bꝛandeſtok** terram ſpoliavit, *Eſtangliam* cum gaudio reverſus eſt. Quem rex à tergo perſequens, terram hoſtium à flumine **Duſe** uſque ad limites terræ ſancti *Edmundi* deprædavit. Poſtea cum inde recedere vellet, per totum exercitum ſuum præcepit, ut nullus poſt ſe remaneret; *Cantuarii* tamen & *Kentenſes* juſſu regis neglecto remanſerunt, quos ad mandatum regis per vij. nuncios ulterius pro eis miſſos *Dacorum* exercitus intercepit, cum eis fortiter præliando; ubi *Siwulf* & *Sigbolin* duces, *Adelwald* baro regis, & *Cenwlf* abbas, *Sigebrith* filius *Siwlf* & *Edwald* filius *Acta*, & plures alii occiduntur. Ex parte autem *Dacorum* rex obiit, & prædictus juvenis *Ethelwoldus* quem *Dani* in regem, ut dictum eſt, elegerant, & *Beorſige* filius *Brithnodi*, *Adelyng*, & *Hiſpohold*, & *Octelhold*, & plures alii quos omnes nominare nequivimus, in illo prælio corruerunt, *Dacis* tamen victoria remanente.

Edwardus autem rex anno regni ſui 5. inducias cum *Eſtanglis* & *Northumbris* apud **Ichyngfoꝛd** ſtatuit atque fecit. Eodem anno panis defecit in *Hybernia*; vermes enim bidentati ſimiles talpis de cœlo deſcendere videbantur, & totam annonam conſumere; qui poſtmodum oratione & jejunio ſunt ejecti. Anno no vero ſequenti, rex exercitum fortiſſimum in **Eſſex** & **Merce** congregatum ad *Dacos* miſit in *Northumbria* expugnandos, ubi præda maxima tam hominum quam animalium capta, multiſque *Dacorum* occiſis, in terra eorum prædantes per quinque ebdomadas permanſerunt. Anno ſequenti in provincia *Staffordenſi* apud **Totenhale** *Angli* glorioſe devicerunt *Dacos.* Citoque poſt exercitu *Dacorum Northumbrenſium* in **Merce** prædatum veniente, rex centum puppes contra eos miſit, ac exercitum ex **Weſtſex** & **Merce** congregatum ad eos à tergo perſequendos nichilominus deſtinavit; qui cum *Danis* domi revertentibus in campo de **Wilmesford** viriliter pugnaverunt: ubi commiſſo ingenti bello, rex *Dacorum Aldene*, & rex *Eolwlf*, & *Vter* conſul, & *Olſhold*, & *Beneſynghold*, & *Hanlafin* niger, & *Wereferdhold*, & *Egferdhold*, & *Offerd*, & *Ahemundhold*, & *Gutferdhold*, & alius *Gutferd*, cum multis *Danorum* milibus corruerunt. *Angli* vero tanta victoria potiti in Deum vivum exultantes hympnis & concentibus Dominum exercituum benedicebant.

Hoc anno civitas quæ Britannice dicitur *Karlegium*, Anglice **Legeceſtre**, nunc vero *Ceſtria*, ope *Ethelredi* ducis *Merciorum* & *Elfleda* uxoris ſuæ reſtaurata eſt & novis muris circumdata, ac pene ad duplum quam prius ampliata, ita quod caſtrum ibidem ab olim extra muros ad aquam poſitum, nunc infra muros videatur. Circa idem tempus rex *Edwardus* conſtruxit caſtrum apud **Bedeforde.** Circa hæc tempora fundatum eſt monaſterium *Cluniacenſe* à pio principe *Willelmo* duce *Burgundiæ*, cujus primus abbas fuit, ſanctus *Odo*, tercius ſanctus *Maiolus.* *Edwardus* rex anno regni ſui ix. caſtrum **Hertford**, & burgum quendam in *Eſſexia* nomine **Witham** conſtruxit, apud **Mealdune** interea moram trahens, ubi magna pars gentis illius patriæ, quæ prius ſub ditione *Dacorum* erat, ſibi ſubjecta eſt. Hoc anno dux *Merciorum Ethelredus* & uxor ſua *Elfleda* oſſa ſancti *Oſwaldi* regis & martiris de **Bardeney** monaſterio *Lindeſeyæ*, uſque ad urbem *Gloverniæ* tranſtulerunt, ubi in ejuſdem Sancti honore monaſterium conſtruxerunt.

Anno vero ſequenti exercitus *Dacorum* inducias ad tempus eis conceſſas frangentes, ad *Hamptoniam* & *Leiceſtriam* exierunt, cædem *Anglorum* magnam apud **Hochemeretune**, & ibi circum in comitatu *Oxonia* facientes. Qui cum domi redirent, exiit alia *Dacorum* ſtatim caterva ad *Ligetunam* tranſeuntes, quos gens illius patriæ comperiens pugnando, omnes fugavit equos eorum, & totam ab eis prædam quam ceperant auferendo. *Edwardi* regis anno xj. magnus navalis *Dacorum* exercitus ab auſtro ex *Lidwicom* advenit, cujus duo conſules *Vther* & *Rahald* occidentales partes uſque litus *Sabrina* circumeuntes, ibi & in **Northwales** ubicumque poterant juxta littora prædati ſunt, epiſcopo Britannico *Camelegiat* capto, quem ad puppes ſuas duxerunt, ſed rex *Edwardus* xl. libris eum redemit. Poſtea exercitui *Dacorum* patriam de **Irchenefeld** prædare volenti, *Legeciſtrenſes*, *Herefordenſes*, & ex aliis propinquis caſtris homines obviantes pugnando eos viriliter fugaverunt, *Rahald* conſule, & *Heolil* fratre *Vtheri* conſulis cum magna parte exercitus interfectis, cæteros vero in quoddam caſtrum fugatos obſederunt; ubi obſidibus demum datis, *Dani* juraverunt ſe à terra regia receſſuros. Rex autem littora *Sabrina* ex auſtrali parte à *Wallia* uſque ad *Avenam*, ita quod hoſtes ſui nullo modo ex illa parte irrumpere poterant, fecerat cuſtodiri. Sed illis bis furtive exeuntibus, omnes fere præter illos qui ad puppes natare poterant, ſunt occiſi; tunc cæteri in inſula *Stipen* manſerunt, propter cibi defectum magnam famis miſeriam ſuſtinentes; Qui in *Deomedum* recedentes, in *Hyberniam* advenerunt. Eodem anno rex *Edwardus* cum exercitu ſuo ad **Bukyngham** tranſiens, quatuor ebdomadis ibi manſit, munitioneſque ex utraque parte aquæ poſuit; ubi ducem *Danorum Turkillum*, cum *Danis Bedefordiam* & **Northampton** inhabitantibus ſubegit.

Anno regis *Edwardi* xvj. *Rollo* primus dux *Normannorum* obiit, cui ſucceſſit filius ſuus *Willielmus Longa ſpata*, qui regnavit xxv. annis Eodem anno *Ethelredus* dux & dominus *Merciorum* prole carens maſculina ſpiritum ultimum exalavit, *Elwynæ* filiæ ſuæ terræ ſuæ & *Merca* dominium relinquendo. Sed *Elfleda* uxor ſua ſoror dicti regis *Edwardi*, regnum *Merciorum* exceptis *London.* & *Oxonia* quas rex ſibi retinuit, longo tempore ſtrenue rexit, & anno eodem monaſterium & burgum de **Brimeſburge** conſtruxit. *Edwardus* rex anno regni ſui xvij. condidit urbem de *Touceſtria* & **Wiggemore.** Eodem anno *Dani* qui *Eſtangliam* inhabitant, munitionem fecerunt apud **Hermesford**, ſed rex *Edwardus* ſuperveniens totum deſtruxit, & *Danos* ita perdomuit, quod ex eo tempore vires eorum cotidie decreſcebant.

Anno *Edwardi* regis xviij. *Elfleda* domina *Merca* burgum ad **Scorſate** & burgum apud **Brugge,** & in anno ſequenti burgum de **Tameſworthe,** & illum apud **Stafforde** poſuit & conſtruxit; & poſtea anno ſequenti, burgum de **Edeſbury** in principio æſtatis, & illum apud **Wyrengewike** in fine Auguſti, & poſt natale proximo ſequens, burgum apud **Cyrebury**; & in æſtate ſequenti, burgos apud **Wardeburyh** & apud *Runconem* poſuit atque fecit. Anno regis *Edwardi* xxij. *Elfleda Merciorum* rectrix in *Walliam* exercitum deſtinavit, & apud **Breghenok** prædas egit, *Wallenſibuſque* victis **Britannemere** fregit, in qua uxorem regis *Wallanorum* cum xxxiij. hominibus cepit, & urbem *Legeceſtriam* renovavit. Et poſtea *Derbeiam* ſuper *Danos* cum appendente ei provincia adquiſivit, quatuor ibi in porta de ſuis cariotibus ducibus interfectis. Poſtea vero cito cum *Eboracenſes* auxilium illi quidam per fidei dationem, quidam per juramentum promiſerant, ipſa *Elfleda* domina *Merca* xij. die ante feſtum *Johannis*, apud **Tameſworth** obiit, et in porticu eccleſiæ ſancti *Petri Gloverniæ* ſepelitur, relicta poſt ſe unica filia *Elwyna*, quam rex *Edwardus* poteſtate adempta in *Weſtſaxoniam* duci fecit. Dicta vero *Elfleda* tantæ potentiæ fertur fuiſſe, ut à quibuſdam non ſolum domina vel regina, verum eciam rex ad laudem et excellentiam vocaretur; et ut æſtimatum eſt et dictum, niſi fati velocitate prærepta fuiſſet, viros virtute tranſiſſet utique univerſos. De cujus laude et gloria *Henricus Huntyngdon* ſic metrice ſcripſit.

O Elfleda *potens, ô terror virgo virorum!*
Victrix naturæ, nomine digna viri.
Te quoque ſpendidior fecit natura puellam;
Te probitas fecit nomen habere viri.

Te mutare decet, ſed ſolum nomina ſexus,
Tu regina potens, rexque trophea parans.
Jam nec Caſarei tantum meruere trinmphi,
Caſare ſplendidior virgo virago vale.

Rex *Edwardus* audita morte ſororis ſuæ *Elfleda*, primo urbem de **Tameſworth** ſibi ſubjugavit. Deinde **Notyngham** cepit & reſarcivit, in qua *Dacos* ſimul & *Anglos* poſuit. Poſt hæc in auſtrali parte fluminis **Trente** urbem contra antiquam urbem de **Notyngham** conſtruxit, inter utramque urbem firmum pontem ponens; qui poſtea tota *Mercia* in manu ſua ſayſita, & dicta *Elwyna* unica dictæ *Elfleda* filia ex toto illo dominico exhæredata, tres reges *Dacorum, Scottorum*, & *Wallanorum* in deditionem recepit, & poſt hæc burgum de **Gladenmuthan**, & urbem apud **Thelewald**, quæ eſt in borialibus finibus *Merciorum* juxta aquam de *Merſee* quinque miliaribus ab urbe de *Rancorna* ad orientem diſtans, conſtruxit, ibique militum cuſtodiam poſuit. Et exinde aquam de *Merſee* tranſiens urbem de *Manceſtria* quæ eſt in auſtralibus *Northimbrorum* finibus reſtauravit. Cumque iſte *Edwardus* rex *Anglorum, Scottorum, Cumbrorum, Danorum* pariter & *Wallanorum* xxiiij. annis regnaſſet, apud **Farandon** juxta *Oxoniam* à corpore migravit, & apud *Wyntoniam* in novo monaſterio eſt ſepultus. Circa hoc tempus *Sidrik* rex *Northumbriæ Nigellum* occiderat fratrem ſuum, quo ſcelere perpetrato, *Reginaldus* rex filius *Gudfredi* regis *Dacorum Eboracam* ſibi conquiſivit civitatem.

Modo dicendum eſt de legibus iſtius regis *Edwardi*, & primo de Capitulis.

Cap. I.

De judiciis juſte judicandis & placito recte terminando.

II.

De emptione & advocatione.

III.

De diſſorciante alicui rectum, vel in Folcland *vel in* Bocland.

IV.

De perjuriis.

Cap. I.

EDwardus rex mandat & præcipit omnibus præfectis & amicis ſuis, ut juſta judicia judicent quam rectiora poſſint, & in judiciali libro ſtant, nec parcant, nec diſſimulent pro aliqua re populi rectum & jus publicum recitare; & unumquodque placitum terminum habeat quando peragatur quod tunc recitabatur.

II. *Sax.* 1.

Et voluit ut omnis homo habeat advocatum ſuum, & nemo bargванniet extra portum, ſed habeat *portireve* teſtimonium vel alterius non mendacis hominis cui poſſit credi. Quod ſi quis extra portum barganniet *overhirneſſa* regis culpa ſit, & procedat tamen advocatio donec ſciatur in quo conſiſtit. Amplius diximus de illo qui advocare debet, ut habeat credibile teſtimonium de hoc quod recte advocet, vel jusjurandum inveniat cui repetens credere debeat. Sic diximus de propriatione ſimiliter ut adducat credibile teſtimonum de eo, vel jusjurandum inveniat ſi poſſit in quo repetenti ſatisfit, ſi non poſſit nominentur ei ſex homines de eadem *geburſcipa* in qua ille reſidens eſt, & adquirat ex illis ſex unum pro animali uno vel pecore quod hoc valeat, & poſtea creſcat ſecundum captalem æſtimationem ſi plures adeſſe debeant. Eciam diximus, ſi aliquis malorum eſſet qui vellet alterius pecus per plegium mittere pro *withertiblan*, i. pro injuſta accuſatione, ut jurejurando monſtret quod pro nullo facinore hoc faciat, ſed plena rectitudine *butan brede* & *bigſwice*, id eſt, ſine figmento & ſeditione, & faciat quod audeat ſuper quem invenitur, ut ſibi propriet vel advocet.

III. *Sax.* 2.

Item diximus, quod dignum eſſet qui rectum alicui diſſorciat, vel in *Bocland*, vel in *Folcland*, ut ei adterminetur in *Folcland* quando velit ei rectum facere coram præpoſito ſuo. Si tunc rectum non habeat nec in *Bocland* nec in *Folcland*, ſit ille qui rectum diſſorciat reus xxx. s. erga regem, & altera vice item ſic, ad terciam vicem *overhirneſſe* regis, hoc eſt 120. s. ſi non ceſſet et antea ſatisfaciat.

IV. *Sax.* 3.

Item diximus de illis hominibus qui perjuri fuerint, ſi manifeſtum ſit, vel ejus juramentum fregerint, vel *overcythed* fuerint, ut deinceps non ſint digni juramento ſed ordalio.

Adhuc de Legibus dicti regis Edwardi.

Cap. I.

De pace & ne qui alii rectum ſuum diſſorciat.

II.

De præpoſitis audito teſtimonio rectum facere nolentibus.

III.

De homine furti accuſato.

IV.

De illis qui ſuum proprium nolunt quarere conducendis.

V.

De illo qui inmundum pacificaverit vel firmaverit.

VI.

De eo qui libertatem ſuam forisfecerit.

VII.

Ne quis recipiat alterius hominem ſine licentia.

VIII.

Quibus terminis præpoſiti placita ſua tenere debeant.

Cap. I. *Sax.* 4.

EDwardus rex admonuit omnes ſapientes quando fuerunt *Exoniæ*, ut inveſtigarent ſimul et quærerent quo modo pax eorum melior eſſe poſſit quam antea fuit, quia viſum eſt ei quod hoc impletum ſit aliter quam deceret et quam antea præcepiſſet. Inquiſivit itaque qui ad emendationem velint redire, et in ſocietate permanere qua ipſe ſit, et amare quod amat, et nolle quod nolit in mari et in terra. Hoc eſt tunc ne quiſquam rectum diſſorciat alicui; ſi quis hoc faciat, emendet ſicut ſupra dictum eſt, prima vice xxx. s. ſecunda vice ſimiliter, ad terciam vicem 120. s. regi.

II. *Sax.* 5.

Et ſi præpoſitus amoveat rectitudinem per eorum teſtimonium qui teſtes adnumerati ſunt ei, reddat *overhirneſſam* meam.

III. *Sax.* 6.

Si quis accuſetur de furto, capiant eum in plegium qui domino ſuo commendaverunt illum, quod de hoc ſe adlegiet, vel alii amici ſi habeat faciant hoc: ſi neſciat quis eum capiat in plegium, accipiant illi quibus hoc pertinet, de pecunia ſua in *Borhgum*. Si neutrum habeat, nec pecuniam ſuam, nec plegium, tunc ſervetur ad judicandum.

IV. *Sax.* 7.

Etiam volumus ut omnis homo ſimul habeat illos homines paratos in terra ſua qui conducant eos, qui ſuum proprium quærere volunt, et eos pro nulla mercede manuteneant.

IV. *Sax.* 8.

Nec inmundum alicubi pacificent, vel firment ex poſſibili vel impoſſibili. Si quis hoc ſuperhabeat et juramentum ſuum frangat, et vadium quod omnis populus contulit, emendet ſicut liber judicialis dicit. Si autem nolit, perdat omnium noſtrum amicitiam et omne quod habebit. Si quis eum deinceps firmabit, emendet ſicut liber judiciorum docet, at debet, qui *Flyman*, i. forbannitum confirmat, ſi ſit hic intus, ſi ſit Eaſtintus, ſi ſit Northintus, emendet ſicut ſcriptura pacis continet.

VI. *Sax.* 9.

Si quis pro furti compellatione libertatem ſuam forisfaciat, et manum ſuam in manum mittat, et parentes ſui deſerant eum, et neſciant quis emendet pro eo, tunc ſit dignus opere ſervili quod ad id pertinet, et excidat wera parentibus ejus.

VII. *Sax.* 10.

Et non recipiat aliquis hominem alterius ſine licentia illius cui ante ſervivit, priuſquam innocens ſit apud omnem manum; ſi quis hoc ſecus faciat, emendet *overhirniſſam* meam.

VIII. *Sax.* 11.

Volo ut omnis præpoſitus habeat *gemotum* ſemper ad quatuor ebdomadas, et efficiat ut omnis homo rectum habeat, et omne placitum capiat terminum quando perveniat ad finem: ſi quis hoc excipiat, emendet ſicut ante dictum eſt.

DEfuncto rege *Edwardo Adelſtanus* filius ſuus primogenitus ſibi ſuccedens, conſecratus eſt apud **Kyngeston** ab *Athelmo Dorobernenſi* archiepiſcopo anno Domini DCCCC. xxiiij. qui licet prælio laceſſitus nunquam tamen bello potuit vinci. Cujus anno primo natus eſt almus puer *Dunſtanus* in pago *Glaſtonienſi*, cujus vita tota ab ortu ad exitum virtutibus & miraculis coruſcavit; nam iſte puer *Dunſtanus Glaſtonia* nutritus, omnibus pie viventibus in ſua primæva ætate complacuit; cumque adoleſcere incepiſſet, de *Glaſtonia* egreſſus, archiepiſcopo *Dorobernenſi Athelmo* patruo ſuo ſe junxit, & ſecum ſtare cœpit, in quo idem *Athelmus* archiepiſcopus gratiam Dei admirans, & futurorum bonorum indicia prævidens, in palacio eum ætate adhuc valde tenerum præſentavit, & regi *Adelſtano* magno affectu commendavit; *Dunſtanus* deinde ſanctus cotidie creſcens virtutibus, magnus coram rege & *Anglorum* principibus factus eſt. Cumque rex *Adelſtanus* mortuus eſſet, frater ejus *Edmundus* imperium regni cepit, à quo *Dunſtanus* diverſis honoribus ſublimatus, monaſterium *Glaſtonia* in quo educatus fuerat, adivit, ubi monachus & abbas factus eſt poſtea, de quo adhuc inferius inter reges alios ſuccedentes plura de ejus virtutibus ſunt dicenda.

Adelſtanus ſiquidem rex curriculo anni ſequentis *Gudfredum* regem *Dacorum* patrem regis *Reginaldi* prælio laceſſitum repulit, repulſum fugavit, fugatum perdidit & delevit: Nec multo, adverſa fortuna percuſſus fratrem ſuum *Edwinum* magni vigoris & bonæ indolis juvenem matrimonio natum, metuens ne per ipſum à regno privaretur, cum quodam armigero in navicula in medio maris ſine remige miſerabiliter commiſit, ubi adoleſcens inter fluctus maris voluntario præcipicio nudum ſe ſubmerſit, ſed armiger corpus domini ſui ad terram detulit & humavit. *Adelſtanus* vero rex poſtquam ab ira deferbuit, tam enorme factum abhorrens, ſeptenni pœnitentia fratricidium delevit, & pincernam qui tale conſilium ſibi dederat, crudeli morte dampnavit. Poſtea rex *Adelſtanus* copulavit ſororem ſuam regi *Northimbrorum Sibirico Danica* ſtirpe progenito, ſed cito poſt *Sibirico* mortuo, rex filium ejus expulit, & regnum illud ſibi redintegravit. Deinde *Hoelum* regem *Britonum* & *Conſtantinum* regem *Scottorum* prælio ſubactos in deditionem recepit; ac ſecundum quoſdam dictum *Hoelum* ſibi tributarium fecit, de quo xx. l. auri, & ccc. l. argenti, & v. milia beſtiarum ſingulis annis percepit. Et dum dictum *Conſtantinum* ſub ſe in *Scotia* regnaturum regem faceret, dixit, *Glorioſius eſt regem facere quam rex eſſe.* Poſtmodum vero dum rex *Adelſtanus* pro aliquali diſſenſione inter ipſum & dictum *Conſtantinum* regem *Scottorum* habita, verſus *Scotiam* tenderet, beatum *Johannem* apud *Beverlacum* viſitavit, ſuper altare cultellum pro vadio poſuit, promittens, ſi victor rediret, cultellum digno precio redimeret. Quod adimplevit, nam dimicando contra *Scotos* Deum rogavit, ut prece ſancti *Johannis Beverlaci* aliquod ſignum evidens oſtenderet, quo præſentes & futuri cognoſcere poſſent *Scotos* de jure debere *Anglis* ſubjugari. Unde rex cum gladio ſuo ſcopulum percuſſit quendam lapideum juxta caſtrum de **Dunbar**, quod uſque hodie ad menſuram ulnæ lapidis ex ictu illo cavatur, unde rex *Adelſtanus* habita victoria, & rege *Conſtantino* iterum ſubmiſſo, filium ejuſdem *Conſtantini* de ſacro fonte ſuſcepit, & in redeundo territorium ſancti *Johannis* poſſeſſionibus; privilegiis, & libertatibus variis ditavit. Anno regis *Adelſtani* quinto ſanctus *Odo* ex *Danica* ſtirpe progenitus, factus eſt *Wyntonienſis* epiſcopus.

Eodem anno *Fretheſtanus* epiſcopus *Wiltonienſis* obiit, cui ſucceſſit ſanctus *Birſtanus*, de quo legitur quod quaſi cotidie pro defunctis celebravit, unde dum quadam nocte circuiret, & pſalmos pro defunctis decantaret, atque in fine eorum *Requieſcant in pace* ſubjungeret, audivit ſubito voces quaſi infiniti exercitus de ſepulcris reſpondentium, *Amen*. Anno regis *Adelſtani* xij. ſanctus *Odo Wintonienſis* epiſcopus factus eſt *Dorobernenſis* archiepiſcopus. Iſte *Odo Wlfelino* archiepiſcopo qui inter ipſum & dictum *Athelmum* ſedit, ſucceſſit; qui quidem *Athelmus* non fuit monachus, ſed omnes alii archiepiſcopi *Dorobernenſes* ante eum. Anno proximo ſequenti ſanctus *Birſtanus Wiltonienſis* epiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Elphegus* monachus cognomento *Calvus*, vir propheticus, beati *Dunſtani* propinquus. Hic ubi *Elphegus* dum pro more pœnitentes die cinerum liminibus eccleſiæ excluderet cæteros ut jejunio & caſtitati vacarent, & uxorias delicias ſub diebus quadrageſimæ dimitterent hortabatur; inter quos unus inquit, Non poſſum domine temperari jejunio ſimul & conjugio, quinimo uxorem quam ad tempus ſubmovi in proximo reſumam. Cui pontifex contriſtans, Me miſer, neſciens quid futura pariet at dies; unde & poſtero die repertus eſt exanimis in cubili. Hic eciam *Elphegus* dum quodam die ordinaret in preſbiteros tres monachos, *Dunſtanum, Ethelwoldum*, & *Ethelſtanum*, completis ſolempniis ad eos ait, Hodie coram Deo tribus viris manum impoſui, quorum duo pontificalem gratiam naſciſcentur, tercius vero miſerabiliter finietur. Cui *Ethelſtanus* velut pro cognatione familiarior ait, Num ego ero pontifex? Non erit, inquit, tibi pars in ordine illo, neque diu geres veſtem illam.

Anno regis *Adelſtani* xiiij. *Henricus Teutonicorum* imperator obiit, *Otho* filius ejus ſibi ſucceſſit, cui rex *Angliæ Adelſtanus* ſororem ſuam copulavit. Hic *Otho* ſemel in paſchali feſto dum principibus ſuis convivium paraſſet, antequam recumberet. filius cujuſdam principis more puerili de menſa ferculum cepit, quem dapifer regis mox fuſte percuſſit; Cernens hoc pædagogus pueri, ipſum dapiferum mox peremit. Hunc cum ſine audientia Cæſar dampnare vellet, ille Cæſarem ad terram deiciens pene ſuffocavit. At rex de manibus pædagogi vix avulſus, ipſum vitæ reſervari juſſit, clamans ſe culpabilem quod tanto feſto Paſchali non pepercit.

Anno regis *Adelſtani* xv. *Aulaf* paganus rex *Hiberniæ* multarumq; inſularum à ſocero ſuo *Conſtantino* rege *Scottorum* incitatus, hoſtium *Humbræ* fluminis cum claſſe valida ingreditur, cui vires ſuas genti *Scottorum* & *Dacorum* in *Anglia* converſantium adducenti, rex *Adelſtanus* cum fratre ſuo *Edmundo* occurrens, prælium præliorum maximum à principio diei uſque ad finem protractum apud **Brunneburgh** commiſit, ubi 5. reges & 7. duces cum plebe innumera occiduntur, regibus *Aulaf* & *Conſtantino* antedictis ad naves fugere compulſis. Ad hoc bellum peragendum precibus ſancti *Odonis Dorobernenſis* archiepiſcopi gladius de cœlo in vacuam regis tunc vaginam divinitus eſt illapſus. Iſte rex *Adelſtanus*, qui plures leges, de quibus inferius habetur tempore ſuo ſtatuerat, poſtquam xviij. annis regnaſſet, apud *Gloverniam* abſque liberis obiit, ſet **Malmesbury** ſepultus eſt.

Sequuntur Leges regis *Adelſtani*, & primo earum Capitula.

CAP. I.

De decimis dandis.

II.

De Ciricſceattis.

III.

De eleemoſinis regis.

IV.

De latronibus non parcendis.

V.

De furibus incarceratis.

VI.

De accuſatis qui dominos non habent.

VII.

De dominis manutenentibus ſuos malos homines.

VIII.

De domino qui ſervo ſuo conſentaneus eſt ad furtum.

IX.

De proditione domini.

X.

De infracturis eccleſiarum.

XI.

De ſortilegis & liblacis.

XII.

De vindicantibus fures.

XIII.

De convicto ſimplici ordalio.

XIV.

De illis qui terram non habent & in alio comitatu famulantur.

XV.

De illis qui interciant & qui cambiant ſine teſtimonio.

XVI.

De illis qui culpam exigunt de fure occiſo.

XVII.

De negotiantibus extra portum.

XVIII.

De terminis burgorum reficiendorum.

XIX.

De monetariis ſi rei fuerint, & quot & in quibus urbibus eſſe debent.

XX.

De ſcuta facientibus.

XXI.

Quot equos vel homines habeat qui carucam poſſidet.

XXII.

De ſuſcipientibus munera à fure.

XXIII.

De equo locando ultra mare.

XXIV.

De ſervo qui reus eſt ad ordalium.

XXV.

De ſuperſedentibus venire ad gemotum.

XXVI.

De non ceſſantibus à furto pro wita.

XXVII.

De illis qui componunt propter ordalium.

XXVIII.

Ne quis accipiat alterius hominem.

XXIX.

Ne quis accuſatum ſuum dimittat ante rectum.

XXX.

De illis qui vadiant ordalium.

XXXI.

Quod emptio fiat cum teſtibus, & ne negotiatio fiat die ſolis.

XXXII.

De præpoſitis & aliis qui hoc non obſervant.

XXXIII.

De convicto ſuper falſo juramento.

XXXIV.

Ubi & coram quo iſta fuerunt inſtituta.

CAP. I.

EGo *Adelſtanus* rex conſilio *Wolfelmi* archiepiſcopi mei & aliorum epiſcoporum meorum mando præpoſitis meis omnibus in regno meo, & præcipio in nomine Domini & Sanctorum omnium, & ſuper amicitiam meam, ut in primis reddant de meo proprio decimas Deo, tam in vivente captali quam mortuis frugibus terræ, & epiſcopi mei ſimiliter faciant de ſuo proprio, & aldermanni mei & præpoſiti mei. Et volo ut epiſcopi & præpoſiti mei hoc judicent omnibus qui eis parere debent, & hoc ad terminum expleant quem eis ponimus, id eſt, decollatio ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Cogitemus quod *Jacobus* dixit Deo, *Decimas & hoſtias pacificas offeram tibi*. Et Dominus dicit in evangelio, *Omni habenti dabitur, & habundabit*. Recolendum quoque nobis eſt, quam terribiliter in libris poſitum eſt, *Si decimam dare nolumus ut auferantur à nobis novem partes, & ſolomodo decima relinquatur.*

II.

Et volo ut Ciricſceatta reddantur ad eum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipſis locis qui hæc dignius erga Deum & nos volunt deſervire. Hortatur nos ſermo divinus, æterna cum terrenis, cœleſtia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam & quid complere debeatis. Facite eciam ut michi mea propria cupiatis quæ michi recte poteritis acquirere. Nolo ut aliquid michi injuſte conquiratis, ſed omnia veſtra concedo vobis eo tenore quo michi mea ſimiliter exoptetis. Cavete ſimul & vobis & eis quos ammonere debetis ab ira Dei & tranſgreſſione mea.

III.

Ego *Adelſtanus* rex notifico præpoſitis meis omnibus in regno meo, quod conſilio *Wolfelini* archiepiſcopi mei, & omnium epiſcoporum meorum & Dei miniſtrorum ad remiſſionem peccatorum meorum, & adquiſitionem vitæ æternæ, volo ut paſcatis omni via pauperem unum *Anglicum* indigentem ſi ſit ibi, vel alium inveniatis; de duabus meis firmis detur eis ſingulis menſibus ambra plena farinæ, & una perna vel unus aries qui valeat iiij.d. & caſei iiij. & in tercia die paſchæ xxx.d. ad veſtitum xij. menſium unoquoque anno. Et liberetis unum *wite theowne*, i. foriſfactum ſervum, & hoc totum peragatur in miſericordia Dei & amicitia mea ſub teſtimonio epiſcopi in cujus epiſcopatu ſit. Et ſi præpoſitus hoc ſuperteneat emendet xxx. s. & dividatur hæc pecunia per teſtimonium epiſcopi pauperibus qui in ipſa villa erunt ubi hoc non fuerit executum.

IV. *Sax.* 1.

Inprimis eſt, ut non parcatur alicui latroni qui furtum habens in manibus capietur, ſuper xij. annos & viij. dies. Si quis hoc præſumat, perſolvat ipſum furtum ſecundum weram ſuam, & non ſit ipſi furi remiſſius in aliquo; vel ita ſe adlegiet, ſi velit ſe defendere vel aufugere, tunc ei poſtea non parcatur.

V. *Sax.* 1.

Si fur ponatur in carcere, ſit ibi lx. noctibus & inde redimatur foras per C.xx.s. & eat cognatio ejus in plegium, quod deinceps ſe abſtineat. Et ſi furetur poſtmodum, wera ſua gildet eum. vel reddat ſimiliter incarceratum; & ſi quis obſtabit, perſolvat ſe wera ſua ſic regi witæ.

VI. *Sax.* 2.

Et ſimiliter diximus de illis qui dominos non habent de quibus rectum difficile conqueritur aut nullum, præcipiatur cognationi eorum ut eos ad rectum adducat, & dominum eis inveniat in conventu publico, et ſi hoc efficere nolit, vel non poſſit ad terminum, ſit ille forbannitus deinceps, & capiat pro fure qui conſequitur; Qui eum poſtea firmabit, ſolvat eum wera ſua, vel ſic neget.

VII. Sax. 3.

Et dominus qui rectum difforciabit & malum hominem ſuum manu tenebit, ut regem oporteat inde requiri, captale ſuum repetenti reſtituat & emendet regi Cxx. s. Et qui regem requiſierit antequam ſibi rectum poſtulet, quocies ad hoc pertinet, emendet ipſam witam, i. foriſfacturam quam alius emendare & reddere debuerat ſi juſticia difforciaſſet.

VIII. Sax. 3.

Dominus qui ſervo ſuo conſcius in furando fuerit, convictus noxæ ſervum illum perdat & weræ ſuæ reus ſit prima vice; ſi ſæpius hoc præſumat, reus ſit omnium quæ habebit. Et quicunque *borderus* regis vel præpoſitus furi conſentaneus erit, ſimili ſententiæ ſubjacebit.

IX. Sax. 4.

Diximus de proditoribus dominorum ſuorum ut ipſius vitæ culpabiles habeantur, ſi non poterit abnegari; vel ſi in triplici ordalio noxa compareat.

X. Sax. 5.

Et de infracturis eccleſiarum ſi quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur ſicut judicialis liber dicit.

XI. Sax. 6.

Decrevimus etiam de ſortilegis & *liblacis* & ſortem dantibus, ſi hominem occiderint & negare non poſſint, vitæ ſuæ culpa judicentur. Si pernegare velint & in triplici ordalio culpabiles inveniantur, ſint Cxx. noctibus in carcere, & cognatio eorum educat eos, & emendetur Cxx. s. & occiſum hominem reddant parentibus ſuis, & eant in plegium quod ſuper hiis abſtineant in æternum.

XII. Sax. 6.

Et qui furem vindicaverint, ſint ejuſdem digni; & qui furi vindex eſſe præſumpſerit, & tamen neminem læſerit, emendet regi Cxx. s. pro ipſa conclamatione.

XIII. Sax. 7.

Diximus de ſimplici ordalio, homo qui ſæpe fuerit accuſatus & reus appareat & neſciat quis eum ſumat in plegium, ponatur in carcere, & educatur inde ſicut prædictum eſt.

XIV. Sax. 8.

Item ediximus, ſi quis non habens terram, ſerviat in alio comitatu & ad cognatos ſuos quandoque redeat, qui eum in ipſa viſitatione firmabit eum ad jus publicum præſentet, ſi foriſfaciat ibi, vel emendet pro eo.

XV. Sax. 9.

Si homo pecus aliquod *intercietur*, nominentur ei v. vicinorum ſuorum, & de illis quinque perquirat unum qui cum eo juret, quod in recto publico manum mittat ad propria: & qui hoc propriare voluerit, nominentur ei xj. homines & ex illis acquirat duos; & jurent quod illud pecus N. interciatum in peculio ſuo natum ſit ſine *rimath*, & ſtet *thes cyreath*, i. jus jurandum electum ſuper xx. d.

Sax. 10.

Diximus etiam ut nemo cambiat aliquid ſine teſtimonio præpoſiti vel ſacerdotis, vel hordarii, vel terræ domini vel alicujus veridici hominis; ſi quis hoc faciat emendet xx. s. & manum mittat dominus ad eam cambitionem. Si autem pernoſcatur quod eorum aliquis in falſo teſtimonio ſit, ejus teſtimonium nunquam deinceps præſtetur alicui, & eciam emendet xxx. s. & habeat dominus illam cambitionem.

XVI. *Sax.* 11.

Dictum eſt de illo qui culpam exigit pro fure occiſo, ut eat ſe tercio, & duo ſint de cognatione vel tribu patris, tercius de cognatione matris, & jurent quod in cognato ſuo nullum furtum erat pro quo vitæ reus eſſet: & eant alii cum xij. & ſuperjurent eum in contaminationem, ſicut ante dicebatur. Quod ſi parentes mortui nolint illuc ire condicto termino, emendet unuſquiſque Cxx. s. qui hoc ſuper loquebatur.

XVII. *Sax.* 12.

Et diximus ne quis emat aliquid extra portum ſupra xx. d. ſed in eo barganiet ſub teſtimonio Portireve, vel alius credibilis hominis, vel in teſtimonio præpoſiti in *folcmoto*.

XVIII. *Sax.* 13.

Conſtituimus ut omne burgum refectum ſit xiiij. noctibus ſupra rogationes, & omne mercatum ſit juxta portum.

XIX. *Sax.* 14.

Placuit nobis ut una moneta ſit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portum. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, & ponatur ſuper monetæ fabricam: ſi inculpatio ſit, & ſe purgare velit, eat ad ferrum calidum, & adlegiet manum ad *canfaram*, quod non falſum fecit. Si in ordalio reus fuerit, fiat ei quod ſupra dictum eſt. In *Cantuaria* ſint viij. monetarii; regis iiij. epiſcopi iij. abbatis j. In *Rouceſtria* tres; regis duo, epiſcopi j. In *Londoniis* viij. In *Wyntonia* vj. In *Lewes* ij. In *Haſtingeceſtra* j. In Sceaftesburg ij. In *Exonia* ij. & in aliis burgis.

XX. *Sax.* 15.

Et nullus *Scyldwirhte*, id eſt ſcutum faciens, ponat pellem ovis ſcuto; ſi quis hoc faciat emendet xxx. s.

XXI. *Sax.* 16.

Et omnis homo habeat duos homines cum bonis equis de omni caruca.

XXII. *Sax.* 17.

Si quis à fure mercedem ſuſcipiat, & rectum alicujus adnichilet aut pervertat, weræ ſuæ reus ſit.

XXIII. *Sax.* 18.

Ne quis dimittat equum ſuum ultra mare niſi velit eum dare.

XXIV. *Sax.* 19.

Diximus de ſervo qui reus ſit in ordalio, reddat captale ſimplex; & verberetur ſervus ille ter, vel ſecundam redditionem addat, & ſit dimidiata wita de ſervo.

XXV. *Sax.* 20.

Si quis *gemotum*, id eſt publicum comitatum adire ſuperſedeat ter, emendet *overhirneſſam*, id eſt ſubauditionem regis, ſi placitum ipſum vij. diebus prænunciatum ſit; Si tunc eciam rectum facere nolit, nec *overhirneſſam* reddere, eant ſeniores homines omnes qui ad eam curiam obediunt, & capiant quicquid habet, & eum mittant per plegium. Si quis tunc nolit ire illuc cum ſociis ſuis, emendet *overhirneſſam* regis, & educatur in placito; & pacificetur quicquid rex pacificare velit.

XXVI. *Sax.* 20.

Et omnis homo ceſſet à furto pro wita ſua; & qui propter hoc abſtinere noluerit, eant omnes majores qui adjacent ipſi curiæ, & capiant quicquid habet, & manus injiciat rex ad dimidium, & ipſi homines ad dimidium qui in ipſo itinere ſint, & ponant eum ſub fidejuſſoribus; ſi plegium non habeat, idem capiatur; ſi repugnet, occidatur, niſi aufugiat. Si quis eum vindicare præſumat vel aliquem perimat, ſit inimicus regis & amicorum ejus; ſi aufugerit, & aliquis eum interim firmabit, weræ ſuæ reus ſit niſi ſe poſſit idoneare ſecundum ipſius profugi weram, quod eum neſciebat *Flyman*, id eſt fugitivum eſſe.

XXVII. *Sax.* 21.

Si quis pro ordalio componere velit, componat in captali quod poterit, non eciam in wita ſi non ille permittat ad quem pertinebit.

XXVIII. *Sax.* 22.

Et nemo recipiat alterius hominem ſine licentia ejus cui antea ſervivit; ſi quis hoc faciat reddat ipſum hominem & regis *overhirneſſam*.

XXIX. *Sax.* 22.

Et nemo ſuum hominem accuſatum dimittat donec rectum per omnia fecerit.

XXX. *Sax.* 23.

Si quis judicium ferri vel aquæ vadiaverit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum, qui ſanctificare debet eum, & paſcat ſe pane & ſale & aqua & herbis, & audiat miſſas ſingulorum ipſorum trium dierum, & offerat, & eat ad ſacroſanctam communionem ipſa die qua ordalium examinari debebit, & juret quod jure publico ſit innocens illius accuſationis antequam ad ordalium veniat. Et ſi judicium *aqua frigida* ſit, tunc mergatur una ulna & dimidia in fune. Si ferrum calidum ſit, tres noctes tranſeat antequam inquiratur, & videatur manus ejus. Et perſequatur omnis homo compellationem ſuam præjuramento ſicut dictum eſt, & ſint utriq; jejuni ex præcepto Dei & archiepiſcopi, & non ſint in alterutra parte amplius quam in alia; et hoc ſit utrobiq; xij. homines. Si autem accuſatus homo majorem defenſionem habeat quam xij. hominum, ſit ipſum ordalium fractum in eo, niſi recedere velint ab illo.

XXXI. *Sax.* 24.

Qui aliquid emat, emat cum teſtibus, & ſi appellandum inde ſit, recipiat hoc venditor ſuus à quo emit, ſit liber ſit ſervus, ſit quod ſit. Et non fiat aliqua negociatio vel forenſis actio die Dominica; ſi quis hoc præſumat perdat ipſum captale, & emendet *overhirneſſam* meam.

XXXII. *Sax.* 26.

Si quis præpoſitorum meorum hoc efficere nolit, vel minus inde curabit quam conſtituimus, emendet *overhirneſſam* meam, & ego inveniam alium qui velit. Et epiſcopus moneat *overhirneſſam* illam à præpoſito in cujus hoc manſione ſit. Qui de hac conſtitutione recedet, emendet prima vice v. l. alia vice weram ſuam, tercia vice perdat quicquid habet, & omnium noſtrum amicitiam.

XXXIII. *Sax.* 25.

Qui falſum juramentum jurabit, & convictus inde fuerit, nunquam juramento poſtea dignus ſit, nec in ſanctificato atrio aliquo jaceat ſi moriatur, ſi non habeat epiſcopi teſtimonium in cujus dioceſi ſit quod pœnitentiam receperit, & presbyter hoc referat epiſcopo infra xxx. noctes, utrum ad emendationem & ſatisfactionem venerit; ſi non faciat hoc, componat ſicut epiſcopus ei concedit.

XXXIV. *Sax.* 25.

XXXIV. *Sax.* 25.

Totum hoc inſtitutum eſt, & confirmatum in magna Synodo apud *Greateleyam*, cui archiepiſcopus *Wlſinus* interfuit, & omnes optimates, & ſapientes quos *Adelſtanus* rex potuit congregare.

EPiſcopo jure pertinet omnem rectitudinem promovere Dei videlicet ac ſeculi. Inprimis debet omnem ordinatum inſtruere quid ſit ei agendum jure, & quid hominibus ſecularibus judicare debeant. Debet etiam ſedulo pacem, & concordiam operari cum ſeculi Judicibus, qui rectum velle diligunt, & in compellativum adlegationem docere, ne quis alii perperam agat in jureſurando vel in ordalio. Nec pati debet aliquam circumventionem injuſtæ menſuræ, vel injuſti ponderis. Sed convenit ut conſilium, & teſtimonium ejus omne legis citum, & burgi menſura, & omne pondus ponderis, ſit ſecundum dictionem ejus inſtitutum valde rectum, ne quis proximum ſuum ſeducat pro quo decidat in peccatum. Et ſemper debet Chriſtianis prævidere contra omnia quæ prædicta ſunt; & ideo debet ſe magis de pluribus intromittere, ut ſciat quomodo grex agat quem ad Dei manum cuſtodire ſuſcepit, ne diabolus eum laniet, nec malum aliquid ſuperſeminet. Nunquam enim erit modulo bene conſultum, nec digne Deo conſervabitur, ubi lucrum impium & magis falſum diligitur, ideo debent omnes amici Dei quod iniquum eſt enervare, quod juſtum eſt elevare, non pati ut propter falſum, & pecuniæ queſtum ſe foriſfaciant erga vere ſapientem Deum, cui diſplicet omnis injuſtitia. Chriſtianis autem omnibus neceſſarium eſt, ut rectum diligant & iniqua condempnent, & ſaltim ſacris ordinibus evecti juſtum ſemper erigant, & prava deponant.

Hinc debent epiſcopi cum ſeculi Judicibus intereſſe Judiciis, ne permittant ſi poſſint, ut illinc aliqua pravitatum germina pullulaverunt; & ſacerdotibus pertinet in ſua diœceſi, ut ad rectum ſedulo quemcunque juvent, nec patiantur ſi poſſint, ut Chriſtianus aliquis alii noceat, non potens impotenti, non ſummus infimo, non prælatus ſubditis, non dominus hominibus ſuis ſervis aut liberis. Et ſecundum dictionem, & per menſuram ſuam convenit, ut ſervi teſtamentales operentur ſuper omnem ſchyram cui præeſt. Et rectum eſt ut non ſit aliqua menſurabilis virga longior quam alia, ſed per epiſcopi menſuram omnes inſtitutæ ſint, & exæquatæ per ſuam dioceſin, & omne pondus conſtet ſecundum dictionem ejus. Et ſi aliquid controverſiarum interſit diſcernat epiſcopus. Et uniuſcujuſque domini neceſſe proprium eſt, ut compatiatur & condeſcendat ſervis ſuis ſicut indulgentius poterit, quia Domino Deo viventi ſunt æque cari ſervus & liber, & omnes uno & eodem precio redemit, & omnes ſumus Deo neceſſario ſervi, & ſic judicabit nobis ſicut ante judicavimus eis quibus judicium ſuper habuimus in terris.

Regis *weregildum* eſt cum *Anglis* in jure publico xxx. millia *thrimſa*, id eſt xv. millia *thrimſa* ſunt de wera & xv. millia *cynedomes*, id eſt cenſuræ. Ipſum natalis ejus precium pertinet cognationi, & *cynebot* ipſius terræ nationi. Comitis *weregildum* eſt xv. millia *thrimſa*. Epiſcopi & Aldermanni viij. millia *thrimſa*. *Holdes* & ſummi præpoſiti iiij. millia *thrimſa*. *Meſſethegnes* et *Woruldthegnes*, id eſt presbyteri et ſecularis thayni ij. millia *thrimſa*. *Ceorles weregildum* eſt CC. et lxvj. *thrimſa*, id eſt CC. ſolid. ſecundum lagam Mercenorum. Et ſi *Waliſcus* promoveatur, ut habeat familiam, et terram, et poſſit gablum regis reddere, tunc eſt wera ejus CCxx. s. Et ſi non aſſurgat niſi ad dimidiam hidam, tunc ſit wera, id eſt precium ſolvendi eum, lxxx. s. Et ſi *Ceorlman* promoveatur, ut habeat v. hidas terræ, et adeat weram regis et occidatur, reddantur ij. millia *thrimſa*; Et ſi aſſequatur ut habeat loricam, et galeam, et deauratum gladium, ſi terram non habeat, tamen eſt *ceorlus*. Et ſi filius ejus et filius filii ejus hoc aſſequatur, ut tantum terræ habeat poſtea eſt qui naſcetur ex eis *ſithercunde* generationis ad ij. millia *thrimſarum*. Et ſi non habeat hoc nec ad id conſcendat, componatur de eis ſicut de cirliſco. *Ceorles weregildum* eſt in Mercenorum laga CC. s. *Thayni weregildum* eſt ſexies tantum, id eſt duodecies C. s. Regis ſimplum *weregildum* eſt ſex *thaynorum weregildum* in Mercenorum laga, hoc eſt xxx. millia *ſceatta*, id eſt totaliter Cxx. l. tantum eſt de *weregildo*; ſed pro dignitate regni debet addi tantundem in *Cynegilde*. Ipſam weram debent habere parentes ejus, et regni emendationem ipſius terræ populus.

Twelfhindes hominis jusjurandum contravalet jusjurandum vj. villanorum; quia ſi *twelfhindus* homo vindicari deberet, plene vindicaretur in vj. *ceorles*, et ejus *weregildum* eſt vj. *ceorlorum weregildum*. Miſſæ presbyteri, et ſecularis *thayni* jusjurandum in *Anglorum* laga reputatur æque carum, et pro vij. ordinibus eccleſiæ quos ſacerdos per Dei donum aſcendit, ut haberet *thayni* rectitudinem dignus eſt. Et ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, et ſeptem ſunt gradus eccleſiæ, et ſanctorum ordinum, et ſepties in die laudes Deo ab omni eccleſia ſunt canendæ, et ab omnibus amicis Dei recte pertinet, ut ſanctam eccleſiam diligant et honorent, et Dei miniſtros pacificare et cuſtodire gaudeant, et qui eis nocebit verbo vel opere, ſepties emendet ſecundum quod factum ſit, et ſecundum ordinem, ſi Dei miſericordiam habere velit, quia ſanctificationes et ordines, et Deo dicatas domos ſemper debent pro timore Dei diligenter venerari.

ET ad ordinis emendationem ſi ordinatus occidatur ſuper rectam weram, primus gradus emendetur una libra, & dignam pœnitentiam ſedulo perquiratur. Et ad emendationem ordinis, ſi wita ſit amiſſa ſupra rectam weram in ſecundo gradu, duæ libræ reddantur cum Deo digna pœnitentia. Et ad emendationem ordinis, ſi plena infractio fiat ſuper rectam weram in tertio gradu, tres libræ emendentur cum digna pœnitentia. Et ad emendationem ordinis, ſi plena fiat fractura ſuper rectam weram in quarto gradu, iiij. libræ reddantur cum pœnitentia. Et ad ordinis infracturam ſupra rectam weram in quinto gradu, quinque libræ componantur cum idonea pœnitentia. Sexto infracto gradu ſupra rectam weram, ſex libræ emendentur cum digna pœnitentia. Septimo gradu infracto ſuper rectam weram, vij. libræ emendentur cum injuncta pœnitentia. Et ad ordinis infracturam de pace digne componatur ſecundum factum, ſemper enim debet judicium factum, & moderatio ſecundum menſuram pro Deo & ſeculo fieri. Et de emendatione ordinis una pars ſit epiſcopi, ſecunda altari, tertia ſocietati.

DIctum eſt de blaſeriis, & murdritoribus, ut augeatur hujus abnegationis tripliciter, & majoretur judiciale ferrum, ut appendat lx. s. Et adeat ipſe homo compellacius ordalium arbitrio compellantis, ordalium aquæ vel igniti ferri quod ei carius vel complacentius erit. Si jusjurandum non direxerit & culpabilis ſit, ſtet in ſeniorum hominum judicio utrum vitam habeat aut non habeat, qui ad ipſam curiam pertinent.

F*Orſang* ubique ſit ab una ſchyra ſit à pluribus, vj. d. fuit, & de omni parvo pecore ſemper pro ſolido denarius reddatur. De *Forſang*, id eſt præventione vel anticipatione, decrevimus ut per totam *Angliam* unum judicium teneri debeat, hoc eſt, de homine xv. d. & de equo ſimiliter reddantur, ſit ultra unum comitatum ſit ultra plures, ne impotens homo longe pro ſuo proprio fatigetur, & eciam nummum det. Aliquando fuit quod *forſang* dabatur ſecundum numerum comitatuum. Sed antiquum rectum eſt, ut de omni furtivo pecore *forſangum* detur ſecundum precium æſtimatum, id eſt de unoquoque ſolido unus denarius, ſit ejuſmodi pecus qui ſit, ſi de manibus latronum excutiatur, ſi vero aliter inveniatur occultatum, tunc poteſt *forſangum* eſſe minoris precii, quia minori fuit precio conquiſitum.

Adhuc de legibus regis *Adelſtani*.

CAP. I.

Quo termino & qualiter hundredum teneri debeat.

II.

Quid faciat cui aliquid furto ſubreptum fuerit, & de furis proprio catallo dividendo.

III.

Si quis ſuperſedeat, & hundredi reprobet judicium.

IV.

Ne quis ignota emat pecora ſine teſtimonio.

V.

Si hundredum quid furatum inveſtiget in alio hundredo.

VI.

De manutentore ejus qui rectum aufugerat.

VII.

De infracto termino in hundredo conſtituto.

VIII.

De precio ticimii *pecoris, & ope canis* blanhorn.

IX.

Cujus ponderis ſit ferrum triplicis ordalii.

I.

HOc eſt judicium qualiter hundredum teneri debeat. In primis ut conveniant ſemper ad iiij. abbates, & faciat omnis homo rectum alii.

II.

Si neceſſe ſit in manibus indicetur hominibus hundredi, & ipſi poſtea denuncient hominibus decimarum, & eant omnes pariter quo Deus annuerit & invenire poſſint, & faciant furi rectum ſuum, ſicut prius tempore *Edwardi* regis fuit inſtitutum, & reddatur *Ceathgildum* ei cujus pecus eſt, & reliquum in duo dividatur, dimidium hundredo, dimidium domino, præter homines; & habeat eos dominus ſuus.

III.

Si quis ſuperſedeat hundredi judicium vel reprobet, ut in eum denique recitetur, det hundredo xxx. d. & ſecunda vice lx. d. dimidium hundredo, dimidium domino; ſi tercio quis faciat det x. s. Ad quartam vicem perdat omne quod habet; & ſit *utlag*, id eſt exul vel exlex, niſi rex ei patriam concedat.

IV.

Diximus de ignotis pecoribus, ut nemo habeat ſine teſtimonio hominis hundredi, vel hominum decimalium; & ſit hoc bene credibile & niſi alterutrum habeat, nolumus ei permittere *cenningam* aliquam.

V.

Amplius diximus, ſi hundredum *minet* veſtigium in aliud hundredum & notificetur hominibus ipſius hundredi, idem cum eo vadant: ſi hoc prætermittant emendent regi xxx. s.

VI.

Si quis rectum declinet vel aufugiat, perſolvat *angildum* qui eum tenuit ad dampnum illud. Et ſi compellabitur quod eum emiſerit, adlegiet ſe ſicut in terra lex eſt.

VII.

In hundredo ſicut in omni publico volumus, ut rectum & jus publicum judicetur in omni cauſa, & adterminetur quando hoc impleatur. Et qui terminum illum infregerit, niſi pro banno domini, vel infirmitate monſtrabili xxx. s. emendet, & ad conſtitutum diem faciat quod ante debuerat.

VIII.

Pecoris *ticimium*, & canis *oppa*, & *blanhornum*, horum trium ſingulum eſt, unum ſolidum valens, & unumquodque reputatur *mielda*, id eſt manifeſtatio.

IX.

Ferrum quod facit ad triplex ordalium debet ponderare lx. s.

Adhuc de legibus ejuſdem regis *Adelſtani*.

CAP. I.

Ubi hac judicia fuerunt inſtituta.

II.

De judiciis obſervandis qua apud Greateleyam edita fuerunt.

III.

De divitibus vel generoſis à furto, vel latronum firmatione non deſiſtentibus.

IV.

De illo qui alterius hominem recepit.

V.

Ne dominus libero homini jus prohibeat.

VI.

De fure qui perſonam vel locum pacis adierit.

VII.

De infringentibus iſta ſtatuta, & eorum pœna.

CAP. I.

HÆc ſunt judicia quæ ſapientes *Exonia* conſilio *Adelſtani* regis inſtituerunt, & iterum apud *Feureſham*, & tercia vice apud *Thundreſfeldium*, ubi hoc diffinitum ſimul & confirmatum eſt.

II.

Et hoc in primis eſt, ut obſerventur omnia judicia quæ apud *Greateleyam* poſita fuerunt præter mercatum civitatis & diei Dominicæ.

III.

Et ſi quis adeo dives ſit vel tantæ cognationis, ut à furto vel latronum firmatione vel defenſione revocari non poſſit, educatur de patria cum uxore, & pueris, & omnibus rebus ſuis in eam partem hujus regni quam rex voluerit, ſit quicumque ſit, ſit

Comitum, ſit villanorum, eo tenore quo nunquam in patria revertatur, & deinceps nunquam obviet alicui in patria iſta, ſed ſit tanquam fur inter manus habens inventus. Et qui firmabit eum, vel ſuorum quempiam mittat ad illum, pecuniæ ſuæ reus ſit in omnibus quæ habebit.

IV.

Et qui alterius hominem recipiet intra marcam, vel extra, quem pro malo ſuo dimittat, & caſtigare non poſſit, reddat regi Cxx. s. & redeat intus unde exivit, & rectum faciat ei cui ſervierat.

V.

Et iterum ne dominus homini libero *hlafordſconam* prohibeat, qui rectum ei per omnia fecerit.

VI.

Et ſi fur qui furatus eſt poſtquam concilium fuit apud *Thundresfeldium*, vel furabitur, nullo modo vita dignus ſit, non per ſocnam, non per pecuniam, ſi per verum reveletur in eo, ſit liber, ſit ſervus, ſit Comitum, ſit villanorum, ſit Domina, ſit pediſſequa, ſit quicunque ſit, ſit *handhabbenda*, ſit non *habbenda*, ſi pro certo ſciatur, ſi verbum non direxerit, ut *ailata* ſit, vel in ordalio reus appareat, vel per aliquid aliud culpabilis innoteſcat. Si regem vel archiepiſcopum, vel ſanctam Dei eccleſiam requirat, habeat ix. noctes de termino, & quærat quicquid quærat, non habeat vitam diutius de quo vere palam fuerit, niſi capi non poſſit. Si Epiſcopum, vel Comitem, vel Abbatem, vel Aldermannum, vel thaynum requirat, habeat de termino iij. noctes, & quærat quod quærat, non habeat vitam diutius ſed capiatur. Si aufugiat perſequatur eum omnis homo ſuper witam ſuam, & qui ei obviabit rex vult quod eum occidat. Qui ei pepercerit, vel eundem firmabit, ſicut fur, ſuæ vitæ & omnium quæ habebit indignus ſit, niſi ſe poſſit adlegiare quod nec furtum cum eo ſcivit, aut factum pro quo mortis eſſet reus. Si libera mulier ſit, præcipitetur de clivo vel ſubmergatur. Si ſervus homo ſit, eant xx. ſervi & lapident eum. Et ſi *colpus* alicui fallat ter verberetur & ipſe ter. Et quando furatus ſervus erit mortuus, reddat unuſquiſque ſervorum illorum iij. d. domino ſuo. Si ſerva ancilla ſit, & illa furetur alicubi præter domino vel dominæ ſuæ, adeant lxxx. ancillæ, & afferant ſingulæ tria ligna, & comburant ipſam unam ancillam, & conferant totidem denarios quot ſervi deberent; aut verberentur ſicut de ſervis dictum eſt.

VII.

Et ſi quis præpoſitus hoc diſperdat, nec inde curam adhibeat, det regi Cxx. s. ſi pro vero recitetur ſuper eum, & etiam evidentiam perferat ſicut diximus, & ſi thaynus ſit, qui hoc faciat, vel alius aliquis, ſit hoc idem.

Adhuc de legibus iſtius Regis *Adelſtani*.

Cap. I.

De malefactoribus & ejus firmantibus.

II.

De eo qui alterius hominem injuſte ſuſceperit.

III.

De præpoſito qui regis inſtituta necliget, vel pro mercede ſubvertit.

IV.

Qui habendi ſunt teſtes in ſingulis cauſis.

V.

Si pecus inveſtigetur in terra alicujus.

VI.

Quid omni die veneris pro rege & populo ſit cantandum.

I. *Sax. fol.* 53.

Ego *Adelſtanus* rex notifico vobis ſicut dictum eſt michi, quod pax noſtra pejus obſervata eſt quam michi placet vel apud *Greatelejam* fuerit inſtitutum; Et ſapientes mei dicunt, quod hoc diutius pertuli quam debueram. Nunc inveni cum illis ſapientibus qui apud *Exoniam* fuerunt mecum in ſancto natali Domini, quod parati ſunt omnino quando velim cum ſeipſis, & uxoribus, & pecunia, & omni re ſua ire quo tunc voluero niſi malefactores conquieſcant, eo tenore quo nunquam deinceps in patriam iſtam redeant. Et ſi unquam ibi amplius compareant, ſint ita culpabiles, ſicut qui habens furtum in manibus capiatur, qui eos firmabit vel ſuorum aliquem, vel ad eos quenquam mittet, ſui ipſius reus ſit, & omnium quæ habebit. Et hoc igitur eſt quod juramenta, & vadia, & plegia penitus ſuper excepta ſint, & infracta, quæ antea fuerant data, & neſcimus alii rei credere niſi hoc ſit.

II. *Sax.* 1. *fol.* 54.

Et qui alterius hominem ſuſcipiet quem pro malefactis ſuis dimittat à ſe & caſtigare non poſſit, reddat eum domino cui prius ſervivit, & regi Cxx. s. Si tunc velit eum dominus diffacere, diſrationet ſe ſi poſſit in conventu publico; Et ſi culpa careat, perquirat ſibi dominum quem velit in teſtimonio, quia concedo quod omnis qui innocens ſit ſerviat domino cui velit.

III. *Sax.* 1.

Et præpoſitus qui hoc pervertet, & inde curare nolit, emendet regi ſuam *overhirneſſam* ſi pernoſcatur hoc in rei veritate, & ſi non poſſit rejicere, & præpoſitus qui hoc pervertet mercedem recipiat, & alicujus rectum propter hoc evertet, emendet *overhirneſſam* regis & contumeliam hanc ſicut prædiximus; & ſi thainus ſit idem faciat.

IV. *Sax.* 1.

Et nominentur in *maninga* ſingulorum præpoſitorum tot homines quot pernoſcuntur eſſe credibiles, qui ſint in teſtimonio ſingularum cauſarum, & ſint eorum juramenta credibilium hominum *butan cyre*, id eſt ſine electione.

V. *Sax.* 2.

Et ſi inveſtigetur pecus in alicujus terra, educat terræ dominus veſtigium illud extra terram ſi poſſit, & ſi non poſſit, ſtet ipſum veſtigium pro ſuper juramento ſi aliquis compelletur ibi.

VI. *Sax.* 3.

Et decantetur omni die Veneris in ſingulis eccleſiis, unum quinquagenarium pſalmorum pro rege, & omni populo qui vult quod ipſe ſit rex.

Kariſſime, epiſcopi tui de **Kent** & omnis **Kenteſcire**, thayni, Comites, & villani tibi domino dilectiſſimo ſuo gratias agunt, quod nobis de pace noſtra præcipere voluiſti, & de commodo noſtro perquirere & conſulere, quia magnum opus eſt inde nobis divitibus & egenis. Et hoc incepimus quanta diligentia potuimus conſilio horum ſapientum quos ad nos miſiſti, unde chariſſime domine, primum eſt de noſtra decima, ad quam valde cupidi ſumus & voluntarii, & tibi ſupplices gratias agimus admonitionis tuæ. Secundum eſt de pace noſtra quam omnis populus teneri deſiderat ſicut apud *Greateleyam* ſapientes tui poſuerunt, & ſicut etiam nunc dictum eſt in concilio apud **Feſreſham.** Tertium eſt quod gratiant omnes miſericorditer *Hermerum* dominum ſuum de dono quod foriſfactis hominibus conceſſiſti, hoc eſt quod pardonatur omnibus foriſfactura de quocunque furto quod ante concilium de **Feſreſham** factum fuit, eo tenore quo ſemper deinceps ab omni malo quieſcant, & omne latrocinium confiteantur & emendent hinc ad *Auguſtum*. Quartum, Ne aliquis recipiat hominem alterius ſine licentia ipſius cui prius *folgavit*, nec intra marcam nec extra. Et etiam ne dominus libero homini *hlaſocnam* interdicat ſi recte cuſtodierit eum. Quintum, Qui ex hoc diſcedat ſit dignus eorum quæ in ſcripto pacis habentur quod apud *Greateleyam* inſtitutum eſt. Sextum, Si aliquis homo ſit adeo dives vel tantæ parentelæ, quod caſtigari non poſſit, vel illud ceſſare nolit, ut efficias qualiter abſtrahatur in aliam partem regni tui ſicut dictum eſt in occiduis partibus, ſit alterutrum quod ſit, ſit Comitum, ſit villanorum. Septimum eſt, ut omnis homo teneat homines ſuos in fidejuſſione ſua contra omne furtum. Si tunc ſit aliquis qui tot homines habeat quod non ſufficiat omnes cuſtodire, præpoſitum talem præponat ſibi ſingulis villis qui credibilis ei ſit & qui concredat hominibus. Et ſi præpoſitus alicui eorum hominum concredere non audeat, inveniat xij. plegios cognationis ſuæ qui ei ſtent in fidejuſſione. Et ſi dominus vel præpoſitus vel aliquis hoc infringat vel abhinc exeat, ſit dignus eorum quæ apud *Greateleyam* dicta ſunt, niſi regi magis placeat alia juſtitia. Octavum, quod omnibus placuit de ſcutorum opere ſicut dixiſti. Precamur domine miſericordiam tuam, ſit in hoc, ſit in alterutrum, vel nimis vel minus, ut hoc emendare jubeas juxta velle tuum. Et nos devote parati ſumus ad omnia quæ nobis præcipere velis, quæ unquam aliquatenus implere valeamus.

Adhuc de legibus tempore regis *Adelſtani editis.*

Cap. I.

De fure & eum manutenentibus.

II.

De communi commodo & ſolutione ad omne pecus captum.

III.

Ut decem homines eligantur qui conſervent ut inſtituta impleantur.

IV.

Ut unuſquiſque alii ſit coadjutor ad inveſtigandum veſtigia.

V.

De equitatione in ſervitio domini.

VI.

De ceapgildo, *ut equo, bove, ſervo, fure vel fugitivo.*

VII.

De eo qui furem ante alios deiciet.

VIII.

De xij. hindenis *hominibus poſt menſem adunandis pro communibus edictis.*

IX.

De tribu forti rectum regis deforciante.

X.

Si veſtigium minetur de una ſchira in aliam.

XI.

Si quis alium non adjuverit ſicut ordinatum eſt.

XII.

De elemoſina facienda pro congildone quando moriatur.

XIII.

De pecorum cuſtodibus.

XIV.

De fridgildo *augendo.*

XV.

Summonitio ad hac facienda.

XVI.

De occultis latronibus convictis.

XVII.

De vadio dato & negotiatione diei dominica & emptione foris portum.

XVIII.

De negligentibus juſticiam dominis vel prepoſitis.

XIX.

Cujus ætatis vel pro quo precio aliquis ſit occidendus.

Hoc conſultum eſt quod epiſcopi & præpoſiti qui *Lundonienſi* curiæ pertinent edixerunt & jurejurando confirmaverunt in ſuo *fridgildo* Comites & villani in adjectione judiciorum quæ apud *Greateleyam*, & *Exoniam* inſtituta ſunt & iterum apud *Thundreſſeldam.* Habentur hæc Saxonice in MS. cod. Ecclesiæ Roffensis, qui textus Roffensis inscribitur, pag. 88.

Cap. I.

Et eſt in primis ut non parcatur alicui latroni ſupra xij. annos & ſupra xij. d. de quo vere fuerit inquiſitum quod reus ſit quin occidatur, & capiatur omne quod habet, & excipiatur inprimis captale repetentis de pecunia ipſius, & dividatur poſtea ſuperplus in duas partes, unam partem habeat uxor ejus ſi munda ſit & facinoribus ejus conſcia non ſit; reliquum dividatur in duas partes, dimidium habeat rex, dimidium ſocietas. Si ſit *bocland* vel *biſcopland*, i. terra teſtamentalis vel epiſcopalis, tunc erit medietas terræ domino cum ſocietate communis. Et qui furem occulte firmabit & facinoris & ſordis ejus conſcius ſit, fiat ei hoc idem. Et qui cum fure ſtabit & compugnabit, cum fure deponatur; Et fur qui ſæpe foriſfactus erit aperte, & ad ordalium vadat, & reus appareat, occidatur, niſi tribus ſua vel dominus velit eum redimere ſecundum weram ſuam & pleno *ceapgildo*, & plegiare eum quod ſemper in reliquum à malo ceſſet. Et ſi poſtea furetur reddat eum cognatio illa juſticiabilem ſicut antea ab ordalio eum cepit, præpoſito qui ad hoc pertinebit, & occidatur: Si quis obſtabit & eum eripere velit reum in ordalio quin occidatur, vitæ ſuæ culpabilis ſit, niſi regem requirat & ei vitam pardonaverit ſicut apud *Greateleyam* & *Exoniam* & apud *Thundreſſeldam* dictum eſt. Et qui furem vindicare velit & evocationem faciat, vel ad liberandum eum in via deſcendat, 120. s. reus ſit erga regem. Si hominem occidat in ea vindicta, de vita foriſfactus ſit & de omnibus quæ habebit niſi rex velit ei miſereri.

II.

Item diximus, ut unuſquiſque noſtrum ponat unum denarium ad noſtrum commune commodum, & perſolvamus omne pecus quod captum eſt poſtquam pecuniam noſtram contulimus, & habeamus omnes nobis ad eam inquiſitionem communiter, & conferat omnis homo denarium ſuum qui habet pecus xxx. denarios valens, exceptis pauperibus viduis, quæ nullam in eo culpam habent nec terram aliquam.

III.

Item ut computemus x. homines, & ſenior ex eis ix. conſervet ad omnes impletiones eorum quæ diximus. Et poſtea ipſi *hindeni* obediant ſimul uni hindeno homini qui illos x. homines commoneat ad noſtrum omnium commune commodum, & ille undecimus cuſtodiat ipſorum hindeniorum pecuniam, & ſciat quid ipſi mittent quando gildare debent, & quid recipiant ſi nobis pecunia ſurgat de noſtra communi locutione. Sciant etiam ut omnis executio eorum quæ ſimul ediximus perveniat ad omnium noſtrum communem utilitatem per xxx. d. vel unum animal hoc valens, ut hoc totum impleatur quod in noſtra conſultatione dictum eſt vel in noſtra prælocutione ſtat.

IV.

Item ut omnis homo alii ſit coadjutor & inveſtigando & coequitando, qui hoc eorum bannum audiant quam diu, veſtigium ſciatur, & poſtquam veſtigium deerit inveniatur ſemper de duabus decimis unus homo ubi magis populi ſit; ſic de una decima ubi minus ſit populi ad equitandum vel eundum niſi amplius oporteat, ubi majus neceſſe ſit & omnes elegerunt.

V.

Item ne admittatur alia veſtigatio vel à ſeptentrionali marca vel auſtrali, priuſquam omnis homo unam equitationem equitaverit qui equum habeat, & qui non habet operetur domino qui equitabit pro eo, vel pedes eat donec ille domum redeat, ſi non poſſit aliter conſequi.

VI.

Item de noſtrò *ceapgildo* i. de ſolvendo captali noſtro equus x. s. ſi tam bonus ſit. Si ſit **bettre**, i. melior, reddat ſecundum precium appreciatum, & ſicut ille comparabit cujus intererit, niſi teſtes habeant quod tantum valens fuit ſicut dicit; & habeamus nobis ſuperplus quod ante conſtituimus, & bos una *manca*, i. xxx. d. & ovis v. d. perſolvat. Diximus de ſervis noſtris eis qui **men** habent, ſi furetur ſolvat x. s. Si angildum erigamus ut apprecietur hoc ſecundum precium ſuum ſuper hoc, & habeamus nobis ſuperplus quod abhinc impetrabimus. Si denique furtum faciat, ducatur ad lapidandum ſicut ante dictum eſt, & mittat omnis qui hominem habeat, ſit denarius, ſit obolus, ſecundum ſocietatis ammonitionem ſicut hoc valens colligi poſſit. Si aufugiat, perſolvatur precium cultus ſui, & omnes inquiramus inde. Si aſſequi poſſimus, fiat ei ſicut de ſervo fure dictum eſt, vel ſuſpendatur; & ceapgildum ſemper aſſurgat ſuper xxx. d. ad x. s. Poſtmodum demandabimus hoc in antea ſi ceapgildum illis elevemus, pleno angildo ſit inquiſitio præcedens ſicut prædictum eſt, quamvis etiam melior ſit.

VII.

Item diximus faciat quicunque faciat quod omnium noſtrum moleſtiam vindicet, ut & ſimus nos omnes unius amicitiæ vel inimicitiæ ſicut tunc eveniet, & qui furem ante alios homines dejiciet, ſit de communi pecunia noſtra melioratus per xij. d. pro incepto & effectu illo; & ipſe cujus pecunia erit pro qua gildabimus non dimittat inquiſitionem iſtam per noſtram overhirneſſam & ammonitionem cum ea, donec ad ejus gildum veniamus & eam gratiemus pro labore ſuo de communi pecunia noſtra, ſicut dignum erit, ne forte remaneat ipſa *Minigunga*.

VIII.

Item ut conveniamus ſemper ad unum menſem, ſi poſſimus & licitum habeamus, per hindenos homines & eos qui decimas cuſtodiunt, ſic cum buccellorum impletione ſit aliter ſicut poterimus, & ſciamus quid edictorum noſtrorum compleatur, & habeant ipſi xij. homines convictum ſuum ſimul & paſcant ſe ſicut deceant, & remanens dividant pro amore Dei.

IX.

Et ſi eveniat ut aliqua tribus adeo magna ſit & fortis intra vel extra *tweſhindi* ut rectum noſtrum diſforciet, ac furem defendat, adeamus omnes una cum præpoſito in cujus manſione ſit, & etiam mittamus hinc & inde ad præpoſitos, & quæramus ab eis auxilium de quot hominibus tunc videbitur competens, ut homo forisfactis magis timeat, & accedamus ſimul & vindicemus ſimul moleſtiam noſtram, & furem occidamus, & omnes qui cum eo pugnabunt & ſtabunt, niſi diſcedant ab eo.

X.

Et ſi veſtigium minetur de una ſchira in aliam, excipiant hoc qui proximiores aderunt & educant veſtigium illud vel indicetur præpoſito, & ipſe tamen ſuſcipiat monitione ſua & minet veſtigium illud per ſchiram ſuam ſi poſſit, ſi non poſſit reddat ipſum pecus uno gildo, & habeant ambo præpoſituræ placitum quæſtionis hujus in communi ſic alterutrum ſit, ſit à ſeptentrionali marca ſit ab auſtrali, ſemper de ſchira omnis præpoſitus adjuvet alium ad pacem omnium noſtrum per regis overhimeſſam.

XI.

Et item omnis homo alium adjuvet ſicut dictum eſt & vadio confirmatum, & qui hoc ultra marcam dimittet xxx. d. reus ſit vel unius bovis ſi aliquid eorum ſuperhabeat, quæ in ſcripto noſtro ſtant & vadiatione noſtra confirmavimus.

XII.

Et diximus etiam omnibus hominibus illis qui in noſtram *gliſcywam* vadium dedit, ſi contingat eum mori, omnis congildo det unum panem & companagium pro anima ejus, & cantet unum quinquagenarium pſalmorum vel perquirat cantandum infra xxx. noctes.

XIII.

Præcipimus hiremannis noſtris, ut omnis homo ſciat quando pecus ſuum habeat & quando non habeat in teſtimonio vicinorum ſuorum, & nobis monſtret veſtigium, ſi non poſſit invenire infra tres noctes, quia credimus plures ydiotæ neſciunt quomodo peculium ſuum agat, & ſuperfodiunt in pace noſtra, unde præcipimus ut ipſe infra tres noctes vicinis ſuis indicet ſi perſolutionem velit habere, & ſit tamen inquiſitio procedens ſicut ante dictum eſt, quia nolumus aliquod pecus incuſtoditum & per inobſervantiam perditum reddere niſi quod furtivum eſt, quia multi confingunt fraudulentas locutiones ſi veſtigium neſciat, ad monſtrandum vicum tribus vicinis ſuis, quod infra tres noctes ei furatum ſit, & exigat poſtea ſuum ceapgildum.

XIV.

Nec tacendum eſt vel prætereundum ſi dominus noſter vel præpoſitorum noſtrorum aliquis ullum augmentum excogitare poſſit ad noſtrum fridgildum, ut hoc gratanter excipiamus, ſicut nobis omnibus convenit, & noſtrum neceſſe ſit, & in Deo confidimus & regni noſtri domino.

desunt hæc de ordalio in T. R.

XV.

Si totum hoc ita complere volumus, res totius populi meliorabitur contra fures quam antea fuit. Et ſi remiſſius egerimus de pace & vadiis quæ ſimul dedimus, & quam rex nobis præcepit, timere poſſumus, vel magis ſcire, quod fures iſti regnabunt plus quam ante fecerunt, ſi fidem teneamus & pacem ſicut domino noſtro placeat, quia magnum opus eſt ut inſiſtamus & peragamus quod ipſe velit. Et ſi amplius præcipiat cum omni jocunditate & devotione parati ſumus.

XVI.

Item, diximus de illis latronibus qui in **hreðige** nequiunt culpabiles inveniri, & poſtmodum inquiritur quod rei ſint & immundi, dominus vel parentes eorum ſic educant eos quomodo educitur qui in ordalio contaminatus invenitur.

XVII.

Item, quod ſapientes omnes dederunt vadium ſuum inſimul archiepiſcopo apud *Thundresfeldam* quando *Ealpheagus*, *Scyb*, & *Brithnodus Odonis* filius venerunt ad concilium ex ore regis, ut omnis præpoſitus vadium capiat in ſuo comitatu de pace ſervanda, ſicut *Adelſtanus* rex apud **Feſreſham**, & quarta vice apud *Thundresfeldam*, coram archiepiſcopo, & epiſcopis, & ſapientibus quos ipſe rex nominavit; qui interfuerunt & judicia conſervaverunt quæ in hoc concilio fuerant inſtituta. præter hoc quod ante fuit inceptum & negocia Dominicæ diei, & quod pleno teſtimonio & credibili poſſit emi extra portum.

XVIII.

Item quod *Adelſtanus* rex præcepit epiſcopis ſuis & præpoſitis omnibus in toto regno ſuo, ut pacem ita cuſtodiant ſicut recitavit & ſapientes ſui. Si aliquis ſuperſedeat & non obtemperet ut hoc vadium ab hiremannis vel à ſubditis ſuis capere nolit, & patiatur occultas actiones & de juſtitia non procurabit ſicut præcepimus & ſcriptis inſtituimus, perdat præpoſitus præpoſituram ſuam & amicitiam meam, & emendet regi C. xx. s. & dimidium hoc omnis baro meus vel thaynus qui terrarius ſit & juſtitiam ſervare noluerit ſicut inſtitutum eſt.

XIX.

Tlanbyrig. T. R.

Item rex dixit nunc iterum apud + **Thitlanbirig** ſapientibus ſuis & præcepit oſtendi archiepiſcopo & cæteris epiſcopis, quod ei miſerabile videtur, quod aliquis tam juvenis occidatur, vel pro tam parva re ſicut innotuit ei quod ubique fiebat; dixit itaque quod ei videbatur & eis cum quibus hoc egerat; ne aliquis occidatur junior quam quindecim annorum niſi ſe defendere velit vel aufugere & in manus ire velit, ut tunc deducatur, ſit major ſit minor, qualiſcumque ſit [ſi] ſe dederit ponatur in carcere, ſicut apud *Greateleyam* dictum eſt, et per idem redimatur: vel ſi veniat in carcerem & hominem non habeat qui ſumat eum in plegium plena wera ſua, quod omnis mali deinceps abſtineat. Si cognatio ſua nolit eum educere nec ei tranſire in fidejuſſionem, tunc juret ſicut epiſcopus docebit eum, quod ob omni malo ceſſabit in reliquum, et ſit in ſervitute pro wera ſua. Præcepit et rex ne aliquis occidatur pro minori precio quam xij. d. valens, niſi fugiat vel repugnet, ne dubitetur tunc, licet minus. Si hæc ita conſervemus, in Domino Deo confidimus quod pax noſtra melior erit quam antea fuit.

† De ordalio præcipimus in nomine Dei et præcepto archiepiſcopi et omnium epiſcoporum, ne aliquis intret eccleſiam poſtquam ignis infertur unde judicium califacere debet, præter presbyterum et eum qui ad judicium iturus eſt. Et ſint menſurati ix. pedes à ſtaca uſque ad marcam ad menſuram pedum ejus qui ad judicium ire debet. Et ſi aquæ judicium ſit, caleſiat donec excitetur ad bullitum; et ſit *alfetum* ferreum, vel æreum, vel plumbeum, vel de argilla. Et ſi **anfelotyhle** ſit, immergatur manus poſt lapidem vel examen uſque ad **wriſte**. Et ſi triplex accuſatio ſit, uſque ad cubitum. Et quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, et certi ſint ut ita calidum ſit ſicut prædiximus; introeant totidem ex utraque parte, et det eis oſculari textum ſancti evangelii et ſignum ſanctæ crucis; et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, ſed jaceat ferrum ſuper carbones uſque ad ultimam collectam; poſtea mittatur ſuper ſtaphas; et non ſit illic alia locutio quam ut precentur ſedulo Deum patrem ut veritatem ſuam in eo manifeſtare dignetur. Et bibat accuſatus aquam benedictam, et inde conſpergatur manus ejus qua judicium portare debet, et ſic adeat. Novem pedes menſurati diſtinguantur inter terminos. In primo ſigno ſecus ſtacam teneat pedem ſuum dextrum; in ſecundum, ſiniſtrum pedem; in tercium ſignum quando ferrum projiciet et ſanctum altare feſtinet inſigilletur manus ejus, et inquiratur die tercia **ſimulaminum** ſit intra conſigillationem. Et qui leges iſtas fregerit ſit ordalium, ſit judicium, vel examen factum in eo, reddat regi C.xx. s. witæ. Multa sequuntur in textu Roffensi, quæ hic desiderantur.

Defuncto apud *Gloverniam* liberis abſque, ut ſupra dictum eſt, rege *Adelſtano*, *Edmundus* frater ſuus ſibi in regno ſucceſſit, & ferme vij. annis regnavit, genuitque ex regina ſua *Elgiva*, *Edwinum* & *Edgarum* Pacificum. Anno iſtius regis *Edmundi* iiij. *Willielmus Longaſpata* dux *Normanniæ* per proditionem *Lodowici* filii *Karoli* regis *Franciæ* occiſus eſt. Inde proceres *Normanniæ* commoti, ipſum regem *Lodowicum* in *Rothomago* ceperunt & tenuerunt, donec promiſiſſet *Ricardo* filio dicti ducis *Willielmi Normanniam* reddere, & quod deinceps in omni collocutione regis *Franciæ* & ducis *Normanniæ*, liceret duci gladio accingi, regi vero nec gladium nec cultellum ferre liceret. A *Rollone* vero primo duce *Normanniæ*, qui & *Robertus* in baptiſmo dictus, terram quæ vocatur *Normannia* à rege *Franciæ* conquiſierat, & per xxx. annos ducatum ibi tenuerat, gens duxit originem *Normanniorum*. Cui ſucceſſit dictus *Willielmus* filius ſuus, qui præfuit *Normanniæ* xv. annis. Huic *Willielmo* duci, ſucceſſit *Ricardus* filius ſuus adhuc juvenis, & præfuit liii. annis. Iſte *Ricardus* per magnas difficultates ad ducatum perveniens, ex nobili *Gunnora* uxore ſua *Danica* v. filios & tres filias procreavit, quarum prima, nomine *Emma*, *Normannorum* gemma, regi *Anglorum Ethelredo* poſtea copulavit. Iſte dux *Ricardus* dictus eſt *Ricardus ſine timore*, cui multa miranda contigerunt. Conſuevit namque in qualibet eccleſia ubi tranſiret orare, & ſaltim preces deforis fundere ſi ei aditus non pateret; unde nocte quadam eccleſiam ſolus intrans, funus in feretro reperit, cirotecas ſuas dum oraret ſuper lectrinum poſuit, & ecce defunctus cum magno ſtrepitu ante hoſtium eccleſiæ brachiis extentis duci ſe oppoſuit, quem dux in duas partes gladio ſecuit, & poſt regreſſum, reminiſcens quod cirotecas ſuas dimiſerat, regreſſus eas aſportavit; exinde ſtatuit per totam terram circa funera vigilias celebrari.

Contigit eciam quod quidam monachus ſancti *Audoeni Rothomagenſis* volens de nocte ad mulierem tranſire per pontem, cadens in aquam ſuffocatus eſt. Et cum de anima ejus inter angelos et dæmones contentio fieret, in ducis arbitrium compromiſerunt, qui tale dedit judicium, quod reſtituta in corpore anima, ipſe ſuper pontem ubi cecidit poneretur, et tunc ſi ad peccatum tendere vellet, dampnaretur: ſin autem, ſalvaretur. Hoc facto, monachus ad eccleſiam fugit, ad quam dux mane accedens veſtes monachales adhuc madidas reperiit, et factum abbati narravit. Cum eciam longo tempore dux ipſe cum dicta *Guynora* in concubinatu vixiſſet, et populo acclamante et conſulente, eam tandem deſponſaſſet, proxima nocte poſt nuptias vel ſerio vel ludo, *Guynora* dorſum ſuum et nates ad ducem in lecto, quod nunquam prius fecerat, vertit, ac requiſita cur ita feciſſet, reſpondit, Tunc primo ſe poſſe ad placitum ſuum facere. Cum igitur Dux iſte vehementer ægrotaret paravit ſibi ſarcophagum, quod quoad vixit qualibet ſexta feria frumento fecit impleri, et pauperibus erogari.

Edmundus rex antedictus exercitum in illam partem *Merca* quæ paganis *Dacis* diu ſubdita fuerat, uſque ad latiſſimum flumen *Humbræ* ducens, belli ſorte perfidos *Dacos* vicit, et quinque urbes, ſcilicet *Lincolniam, Legeceſtriam, Notyngamiam, Stafferdiam*, et *Derbeyam* victorioſus cepit; à quibus, *Dacis*, qui eciam *Normanni* eo tempore ſunt vocati, penitus extirpatis, infidelitate eorum remota, fulgorem fidei in eiſdem, Dei gratia, reſtauravit. Poſtea vero rex *Edmundus* quendam *Hanlaf* regem *Dacorum* tam viribus regis quam prædicatione fidelium credentem ſuſcepit in baptiſmate ſacri fontis; ac eciam paulo poſt, *Reginaldum* regem, qui *Eboracum* ut prædiximus conquiſierat, in baptiſmo ad epiſcopi tenuit manus ſanctas. Cum autem rex *Edmundus* ad *Weſtſaxoniam* rediſſet, et honorabili triumpho ſuſceptus eſſet, prædicti reges *Dacorum*, ſcilicet *Hanlaf* filius *Sidrici* et *Reginaldus* filius *Gudfredi*, pacem cum rege *Edmundo* ſtatutam fregerunt, in parte regni ſibi direpta fortiter deprædantes. Unde rex *Edmundus* cum militari copia in *Northumbriam* profectus, bello commiſſo, utroſque reges à patria et regno fugavit, et *Northumbriam* primus regum *Weſtſaxiæ* (ut quidam tradunt) in dominio proprio poſſidebat.

Sequenti vero anno totam *Cumberlandiam*, quia gentem illius patriæ perfidam et legibus inſolitam ad plenum domare nequibat, prædavit et contrivit, eamque *Malcolmo* regi *Scotiæ* hoc pacto, quod terra et mari ſibi foret in auxilio, commendavit. Cum autem regi *Edmundo* regina *Elgiva* antedicta filium, poſtea regem, viz. dictum *Edgarum* pacificum genuiſſet, ſanctus *Dunſtanus* tunc monachus *Glaſtoniæ* in cella ſua reſidens audivit quaſi in ſublimi voces angelorum pſallentium et dicentium, *Pax* Anglorum *eccleſiæ orta eſt nunc nati pueri & Dunſtani noſtri tempore*. Quod ita fuiſſe omnibus pene notum eſt. Iſte rex *Edmundus* monaſterium *Glaſtonienſe* rebus et perſonis nobilitavit, et leges in regno, ut inferius habetur, ſtatuit et ſanxivit, at proximo anno ante mortem ſuam ſancto *Edmundo* regi et martiri dedit hoc privilegium. *Quamvis decreta pontificum, &c.* in quo limites libertatis villæ ſancti *Edmundi* continentur.

Et demum cum ferme ſeptem annis regnaſſet et omnia ei proſpere contigiſſent, ita quod ſolus rex in *Anglia* diceretur, ut *Alfridus Beverlacenſis* theſaurarius narrat, dum iſte *Edmundus* dapiferum ſuum de manibus æmulorum eripere vellet, interfectus eſt ab eiſdem in regia villa de **Pulcrechirche**, et apud *Glaſtoniam* delatus, à beato *Dunſtano* tunc ibidem abbate honorifice tumulatur. Tradunt alii quod rex iſte cum in feſto ſancti *Auguſtini* apud *Cantuariam* in convivio ſederet, vidit unum inter cæteros diſcumbere quem prius oderat et de regno ſuo expulerat; hunc dum rex præcipitanter capillis extraheret, et pedibus ſuis contereret, arcano nebulonis rex eviſceratur. Cui morte inæſtimata prærepto pia benignitas Chriſti pateat; occiſor vero poſtquam plures de ſuis ſecundum quoſdam vulneraverat, demum captus, ibidem interfectus eſt: ſed ſecundum alios, illæſus inter manus tumultuantium eſt dilapſus; ſed rex, ut dictum eſt, *Glaſtoniæ* ſepelitur.

Modo ſequuntur leges iſtius regis *Edmundi*.

CAP. I.

De caſtitate ordinatorum.

II.

De decimis & aliis debitis eccleſiæ.

III.

De homicidio.

IV.

De fornicatione cum nunna vel ſanctimoniali, & de adulterio.

V.

De apparatione eccleſiarum.

VI.

De perjuro & liblaco.

Edmundus rex congregavit magnam ſynodum Dei ordinis & ſeculi apud *Lundoniam* civitatem in ſancto Paſchæ ſolempni, cui interfuit *Odo* & *Wulſtanus* archiepiſcopi, & alii plures epiſcopi, perquirentes de conſilio animarum noſtrarum & eorum qui ſubditi ſunt illis.

CAP. I. *Sax.* 1.

INprimis eſt ut ſanctis ordinibus evecti qui plebem Dei docere debent lumen vitæ, caſtitatem teneant ſecundum ordinem ſuum, ſit **wer hades** ſit **wif hades**, ſit alterum ſit alioquin, ſint ejus digni quod in canone dictum eſt, hoc eſt, ut perdant ſecularem pecuniam, & ſanctificatum **legerſtowa**, i. poſitionis locum, ſi non convertantur & emendent.

II. *Sax.* 2.

Decimas præcipimus omni Chriſtiano ſuper Chriſtianitatem ſuam dare, & emendent **cyricſceattum**, i. eccleſiæ cenſum, & **almeſſeoh**, i. eleemoſinæ pecuniam; ſi quis hoc dare noluerit excommunicatus ſit.

III. *Sax.* 3.

Si quis ſceleratis manibus effundat ſanguinem Chriſtianum, non appareat in conſpectu regis, priuſquam emendationem ineat, ſicut epiſcopus docebit & pœnitentiam conſulet.

IV. *Sax.* 4.

Qui cum nunna vel ſanctimoniali fornicabitur, ſanctificato atrio ſit indignus, niſi emendet ſicut homicida. Sic idem diximus de **ewice**, i. adulterio vel infracto conjugio.

V. *Sax.* 5.

Amplius dixi, ut omnis epiſcopus reficiat Dei domos in ſuo proprio, & regem ammoneat, ut omnes eccleſiæ Dei ſint bene paratæ, ſicut magnum nobis opus eſt.

VI. *Sax.* 6.

Qui falſum jurabunt vel *liblacum* facient, ſint in æternum à Dei conſortio ſegregati, niſi ad dignam ſatisfactionem per omnia revertantur.

Adhuc de Legibus regis *Edmundi.*

Cap. I.

De ſacramento fidelitatis regi Edmundo *faciendo.*

II.

De furibus capiendis.

III.

De illo qui alterius hominem receperit, vel ad dampnum aliquem manutenuerit.

IV.

De ſervo fure.

V.

De illis qui emunt ignota pecora ſine teſtimonio.

VI.

De pecore furato inveſtigando.

VII.

Ut quiſquis homines ſuos faciat credibiles, & de infamatis, & hæc præcepta negligentibus.

Hæc eſt inſtitutio quam *Edmundus* rex, & epiſcopi ſui, cum ſapientibus ſuis inſtituerunt apud *Culintonam* de pace & juramento faciendo.

Cap. I.

INprimis ut omnes jurent in nomine Domini pro quo ſanctum illud ſanctum eſt, fidelitatem *Edmundo* regi ſicut homo debet eſſe fidelis domino ſuo ſine omni controverſia & ſeditione, in manifeſto, in occulto, in amando quod amabit, nolendo quod nolet, & antequam juramentum hoc dabitur ut nemo concelet hoc in fratre vel proximo ſuo pluſquam in extraneo.

II.

Vult eciam, ut ubi fur pro certo cognoſcetur **twelfhindi & twifhindi** conſocientur, & exuperent eum vivum vel mortuum, alterutrum quod poterunt; Et qui aliquem eorum infaidiabit qui in ea quæſtione fuerint, ſit inimicus regis & omnium amicorum eorum; Et ſi quis adire negaverit & coadjuvare nolit, emendet regi C.xx.s. vel ſecundum hoc perneget quod neſcivit, & hundredo xxx.s.

III.

Et nolo ut aliquis recipiat alterius hominem priuſquam quietus ſit erga omnem manum quæ rectum quærat ab eo: & qui aliquem manutenebit & firmabit ad dampnum faciendum, cuſtodiat ut repræſentet eum ad emendandum, vel ipſe componat quod alius componere debeat.

IV.

Et de ſervis ſi qui furentur, ſenior ex eis capiatur & occidatur, vel ſuſpendatur, & aliorum ſinguli verberentur ter, & extorpentur, et truncetur minimus digitus in ſignum.

V.

Et nemo barganniet vel ignotum pecus recipiat qui non habeat teſtimonium ſummi præpoſiti, vel ſacerdotis, vel ordalii, vel portireve.

VI.

Et dictum eſt de inveſtigatione et quæſitione pecoris furati ut ad villam perveſtigetur, et non ſit foriſteallum aliquod illi vel aliqua prohibitio itineris vel quæſitionis. Et ſi veſtigium illud de terra illa non poſſit educi, quæratur ubicunque ſuſpectum fuerit ac dubium. Et ſi aliquis illic accuſetur, adlegiet ſe ſicut ad hoc pertinebit, et reddat captale et regi C.xx.s. Et ſi quis refragaverit et reſiſtat, et rectum facere nolit, emendet regi C.xx.s.

VII.

Et omnis homo credibiles faciat homines ſuos et omnes qui in pace et terra ſua ſunt. Et omnes infamati et accuſationibus ingravati ſub plegio redigantur. Et præpoſitus, vel thaynus, Comes, vel villanus qui hoc facere nolit aut diſperdet, emendet C.xx.s. et ſit dignus eorum quæ ſupra dicta ſunt.

Adhuc de Legibus regis Edmundi.

Cap. I.

De homicidio.

II.

De aſſultu in itinere verſus eccleſiam vel burgum regis.

III.

De **fyhtewitā** *&* **manbota.**

IV.

De fundentibus ſanguinem humanum.

V.

Qualiter rex regratiatur illis qui furibus reſiſtunt.

VI.

De **mundbrece** et **hamſocna.**

VII.

De ſedatione occiſionis.

Ego *Edmundus* rex mando, et præcipio omni populo ſeniorum ac juniorum qui in regione mea ſunt ea quæ inveſtigans inveſtigavi cum ſapientibus clericis et laicis.

INprimis quomodo poſſem Chriſtianitatem magis erigere, et magnum nobis neceſſe viſum eſt ut amicitiam noſtram et benevolentiam teneamus inter nos in toto regno meo, Et mihi valde diſplicent, et vobis omnibus multiplices et injuſtæ pugnæ quæ inter nos ipſos fiunt, unde diximus.

Cap. I. *Sax.* 1.

Si quis poſt hæc hominem occidat, ipſe ſibi portet inimicitiæ factionem, niſi amicorum ſuorum auxilio intra unum annum perſolvat eum pleno weregildo, ſit natus ſicut ſit; ſi eum cognatio ſua deſerat et pro eo gildare noluerit, tunc volo, ut omnis tribus vel cognatio illa ſit extra factionem præter ſolum malefactorem; ſed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quiſquam cognationis ſuæ firmet eum poſtea, reus ſit omnium quæ habebit erga regem, et portet **faidam** erga contribunales mortui, quia primitus reprobaverat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipſum malefactorem, ſit inimicus regis et perdat totum quicquid habet.

II. *Sax.* 2.

Si quis eccleſiam requirat vel burgum meum, et ibi aſſailiatur vel affligatur, qui hoc fecerint ſint ejuſdem culpabiles quod ſupra dictum eſt.

III. *Sax.* 3.

Et nolo ut aliqua **fihtewita** vel **manbota** condonetur.

IV. *Sax.* 4.

Amplius judico, quod qui ſanguinem fundat humanum, nolo ſocnam habere in familia mea, antequam divinam emendationem ſuſceperit, et ad omne rectum inclinetur, ſicut epiſcopus docebit in cujus ſcira fuerit.

V. *Sax.* 5.

Et jam gratias ago Deo et vobis omnibus, quia bene juvatis me de pace quam pro furtis nuper inſtituimus, et ideo conſidero, quod me de pace iſta adjuvare velitis tanto melius, quanto magis opus eſt nobis ut conſecuta ſit.

VI. *Sax.* 6.

Item diximus de **mundbrece** et **hamſocna**, qui deinceps hoc egerit perdat omne quod habebit, et ſit in arbitrio regis an vitam habeat.

VII. *Sax.* 7.

Sapientum eſt ſedare factionem, inprimis juxta populi lagam debet prælocutor occiſoris in manum dare cognationi quod rectum ei per omnia faciet. Deinde oportet ut prælocutor det in manum, quod interfector audeat accedere cum pace & ipſam weram vadiare. Et quando vadiaverit eam, inveniat weræ plegios. Poſtquam hoc factum erit, erigatur inter eos pax regis. Et ab illa die in viceſimum primum diem reddatur **halſfagium**. Inde ad viceſimum primum diem **manbota**. Inde ad viceſimum primum diem reddatur ipſius **weregildum**.

De Sponſalibus contrahendis tempore regis Edmundi.

Sax. 1.

SI quis virginem vel viduam ducere velit, & hoc illi placeat & amicis ſuis, tunc rectum eſt, ut **bridgumum** per Dei juſtitiam & ſeculi jus competens in primis promittat & vadiet eis qui paranimphi ſunt, quod eo modo quærat eam ut ſecundum Dei rectum pertinere velit, ſicut ſponſus debet legitimam ſponſam, & plegient hoc amici ſui.

Sax. 2.

Poſtea ſciendum eſt cui **forſter leann'** pertineat, vadiet hoc **bridgunia**, & plegient amici ſui.

Sax. 3.

Poſtea dicat **bridgunia**, i. ſponſus, quid ei dare diſponat cur ejus eligat voluntatem.

Sax. 4.

Et quid ei deſtinet ſi ſupervixerit ipſum; ſi ſic quoque conveniat, rectum eſt ut dimidiam pecuniam habeat, & totam ſi ſimul puerum habuerint; niſi deinceps habeat.

Sax. 5.

Totum hoc vadio confirmetur, & amici ſui plegient.

Sax. 6.

Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & deſpondeat eam **to wyve & to rith lyve**; i. in uxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui jus habet in vadio.

Sax. 7.

Sed ſi de ipſa terra velit eam ducere in terram alterius thayni, conſilium eſt ut amici habeant pactionem, ne quis ei faciat injuriam, & ſi illa foriſfaciat, ut poſſint eſſe propinquiores emendationi; ſi non habeat unde componat.

Sax. 8.

Huic dationi debet intereſſe presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum conſortium adunare in omnem ſanctitatem.

Sax. 9.

Bonum eſt prævidere, ne ex aliqua conſanguinitate ſibi pertineant, ne juſte poſtmodum ſeparentur qui ſceleratis nupciis conſenſerunt.

MOrtuo vero dicto *Edmundo* rege, *Edredus* frater ſuus filiuſque regis *Adelſtani*, eo quod pueri *Edwinus* & *Edgarus* filii *Edmundi* præ inmatura ætate adhuc regnare non poterant, ſibi in regno ſucceſſit, & ab *Odone Dorobernenſi* archiepiſcopo conſecratus eſt anno Domini DCCCC. xlvij. Iſte rex *Edredus* beatum *Dunſtanum* nimio amore coluit & honoribus auxit, cujuſque prudentiæ omne ſuum commiſit imperium. Iſte *Edredus* anno regni ſui primo *Northumbrenſes* jugum dominationis ſuæ ferre nolentes, cum valida manu peciit armatorum, & totam illam provinciam ſibi ſtrenue conquiſivit. Inde vero vexilla ſua in *Scotiam* dirigens, *Scotos* nimio terrore percuſſos ſibi ſubdidit ſine bello, unde quodam *Irricio* rege ſuper ipſos *Scotos* ſtatuto; illi & *Northumbri* regi *Edredo* tanquam domino ſuo fidelitatem debitam juraverunt, quod diu tamen juramentum præſtitum non duravit; nam *Edredo* ad auſtrales regni ſui partes reverſo, *Anlaf* qui à regno *Northumbriæ* fugatus fuerat, cum magna claſſe in *Northumbriam* rediens, à ſuis cum gaudio ſuſceptus eſt, & regno ſuo quod quatuor annis in fortitudine tenuit, iterum reſtitutus. Quarto autem anno *Northumbrenſes* ſolita infidelitate utentes regem eorum *Anlaf* fugaverunt, & *Huth* filium *Haraldi* in regem ſuſceperunt. Sed poſtea *Edredus* rex anno regni ſui vij. in regnum *Northumbriæ* iterum eſt receptus: gens namque patriæ illius nunquam dominum unum diu perferens *Huth* filium *Haraldi* quem leviter acceperat, leviter abjecit, regem *Edredum* ad ſe ſponte vocatum in ſolio regni ponens.

Iſte *Edredus* eximius & invictus cum ix. annis regnaſſet, ſolus rex ſuper omnes partes *Angliæ* vitam ſuam fatis exigentibus ſine liberis terminavit: Qui dum ægrotaret, beatum *Dunſtanum* confeſſorem ſuum accerſivit, cui feſtine ad regem accedenti, vox obiter clare inſonuit, Modo rex *Edredus* quieſcit in pace; Ad quam vocem equus cui *Dunſtanus* inſedit, abſque ſeſſoris læſione in terram corruens exſpiravit. Regem vero *Dunſtanus* in veteri monaſterio *Wyntoniæ* poſtmodum ſepelivit.

POſt regem vero *Edredum Edwinus* primogenitus *Edmundi*, apud regiam villam de **Kyngeſton** juxta *Londoniam* ab *Odone* archiepiſcopo in regem *Angliæ* conſecratur. Qui primo coronationis ſuæ die cum uxore cujuſdam magnatis licet conſanguinea ſua, in nepharium concubitum ruit, quamobrem à beato *Dunſtano* redargutus, ipſum *Dunſtanum* exilio condempnavit, ut homo multum contrarius Deo & regno; nam homines terræ ſuæ odio habuit, & ſuos inimicos honoravit, theſauroſque eccleſiæ in dedecus ſui, & periculum animæ ſuæ male conſumpſit; unde *Northumbrenſes* & *Mercenſes* ipſum regem *Edwinum* pro mala vita ſua expulerunt, & fratrem ſuum *Edgarum* xvj. ætatis ſuæ anno in regem levaverunt; ſicque actum eſt, ut flumen *Thameſia* res amborum regum dividebat. Regnavit itaque *Edwinus* quatuor fermè annis, & tandem mortuus *Wintoniæ* ſepelitur. Et ſicut una & eadem terra bonas & malas herbas nutrit, & urticæ quandoque roſa proxima eſt: ſic ex uno & eodem patre *Edmundo Edwinus* peſſimus, & *Edgarus* optimus proceſſerunt. Tradunt quidam, quod poſt mortem regis *Edwini*, ſicut maligni ſpiritus animam ſuam ad tormenta trahebant, hoc beato *Dunſtano* unus diabolus nunciavit; qui ſtatim in terram ſe proiciens, Deum lacrimando in tantum deprecatus eſt, quod anima illa miſera ſuis precibus miſericordiam invenit.

E*Dgarus* vero frater *Edwini* in xvj. ætatis ſuæ anno in regem ut dictum eſt levatus, *Dunſtanum*, per eundem *Edwinum* ut præmittitur relegatum, & aliquandiu in illa relegatione ultra mare in monaſterio ſancti *Amandi* converſatum, de exilio revocavit, & de abbate *Glaſtonienſi Wigornienſem* præſulem fecit. Quem dum *Odo Dorobernenſis* archiepiſcopus in epiſcopum *Wigornienſem* conſecraret, ita conſecrationis egit ordinem, acſi *Cantuarienſem* conſecraret archipræſulem; & cum à ſuis propter hoc culparetur, *Scio*, inquit, *quid in me agat ſpiritus*. Nec vero præſagio matura defuit fides. Deinde adjunctus eſt beato *Dunſtano Londonienſis* eccleſiæ epiſcopatus; ſicque in gloria & honore claruit gemini præſulatus. Parvo poſtmodum tempore tranſacto, *Odo Cantuarienſis* archiepiſcopus qui xxiiij. annis ſederat obiit. Hic *Odo* quidem, ut dictum eſt ſupra, natione *Danus* fuit, ſed tandem feritate depoſita aliquandiu *Edwardo* ſeniori militavit, nec multum poſt clericaliter tonſus *Wintonienſis* præſul ut præſcribitur effectus, regem ſibi amicum fecerat *Adelſtanum*; quem cum ſemel contra regem *Danorum Anlaf*, ut breviter ſuperius tangitur, progredientem enſem ſuum ex nimia ſecuritate amiſiſſe cerneret, precibus ad Deum fuſis, vidit gladium cœleſtem regiæ vaginæ divinitus illapſum eſſe; qua de cauſa factus eſt de reliquo regi amicicior; ſedem tandem *Cantuarienſem* eſt adeptus, quam ut ſanctius ſubiret, cum omnes anteceſſores ſui monachi fuiſſent, ipſe mari tranſito apud *Floriacum* juxta *Aurelianum*, monachilia induit veſtimenta, & ſic rediens regi adhæſit. Tandem cum *Edredo* rege *Northumbriam* profectus ſacros cineres *Wilfridi* archiepiſcopi *Cantuariam* advexit, de quo inter *Cantuaritas* & *Eboracenſes* jugis adhuc concertatio habetur, utrum oſſa majoris *Wilfridi* apud *Riponenſem* eccleſiam quondam ſepulti, an minoris *Wilfridi*, qui presbyter & ſucceſſor beati *Johannis* in ſede *Eboracenſi* fuerat, ſint oſſa illa antedicta. Hic eciam *Odo Edwinum* regem præcipitis luxus infamem Chriſtianitate ſuſpendit, ob quod *Edwinus* in omnes *Angliæ* monachos vicem reddidit, dum nemo regi præter *Odonem* & *Dunſtanum* in tota *Anglia* reſiſtere auderet.

Quo *Odone*, ut dictum eſt, defuncto, *Elſinus* paratis advocatis quorum manus palpaverat, ſurrepto regis *Edgari* edicto *Cantiam* intruſus, non abſtinuit quin conceptas furias mente conſotas evomeret, dum tumbam beati *Odonis* antedicti pedibus pulſavit, dicens, *Peſſime ſenex animam fudiſti, ſero ſatis te meliori locum feciſti; itaque quod diu cupivi teneo te invito, unde & malas grates tibi ago.* Sed illo die exacto cum rabiei efflator cubili ſe dediſſet, vidit beati *Odonis* effigiem improperare ſuum convitium & ejus minari exitum. Ille vero qui volatico fantaſmate putabat ſe derideri, ad pallium nichilominus recipiendum *Romam* pergens, per *Alpes* tranſibat, ubi nivali frigore congelatus exenteratorum equorum ſpirantibus adhuc extis pedes quibus tumbam *Odonis* pulſaverat involutus obiit. Quo ſic gelu ad mortem conſtricto, *Brithelmus Wellenſis* epiſcopus in archiepiſcopum electus, archiepiſcopus non permanſit, ſed quia ad tantum pondus minus ſufficiens erat, juſſu regis ad ſedem ſuam primam *Welliæ*, *Cantuaria* relicta, rediit. Tunc beatus *Dunſtanus* cum electione totius eccleſiæ ad ſedem archiepiſcopalem aſſumptus, *Romam* adivit, & pallium à *Johanne* papa recepit. Inde rediens, à rege obtinuit, ut ſanctus *Oſwaldus* fratruelis *Odonis* quem ſanctum virum noverat, ſedem haberet *Wigornienſem*.

Circa hæc tempora fuit in *Vaſconia* mulier quædam ab umbelico ventris ſurſum diviſa, duo habens capita & duo pectora, unde una parte comedente ſeu dormiente, altera quandoque neutrum faciebat; vixeruntque ſic multo tempore, nec ambæ ſimul mortuæ fuerant.

Anno regis *Edgari* quinto, ſanctus *Ethelwoldus* epiſcopatum *Wintonienſem* feliciter ſuſcepit. Qui anno epiſcopatus ſui ſecundo, canonicos ſeculares in veteri monaſterio *Wintonienſi* degentes & ordinem ſuum negligenter obſervantes, ac bona eccleſiæ pro libito ſuo alibi conſumentes, vicariis ibidem per eos conſtitutis pro labore chori parum ad victum habentibus, de licentia regis propter hoc turbati annuente papa *Johanne* xiij. eiciens, monachos ibi Deo impoſuit ſervituros. Quæ eccleſia, quia nimis matri eccleſiæ quæ ſedes eſt epiſcopi, conjuncta erat, conſenſu epiſcopi & abbatis ejuſdem monaſterii, quod ab eventu nunc *Hida* dicitur, loco ſuo poſtea avulſa, extra urbis mœnia ſituatur. Circa idem tempus floruit quidam *Otho* primus abbas *Cluniacenſis*.

Iſte rex *Edgarus* diviſa regna redintegravit, inſulas totius regionis in quibus ante eum diverſi reges principabantur, ſuo imperio adjunxit, improbos oppreſſit, rebelles repreſſit, modeſtos dilexit, eccleſias quamplures reparavit, & monaſteria nonnulla fundavit, unde in diebus ejus hæc terra maxime meliorata eſt, & Dei omnipotentis gratia quam ipſe pro poſſe ſuo devotiſſimus meruit, ſemper dum vixit terram pacifice gubernavit. Ille namque Chriſti fidem in regno ſuo validiſſime exaltans, exemplo ſui opera ſalutis clariſſime fœcundavit; dilectus namque à Deo & hominibus gentes terræ ſuæ ſemper pacificare ſtuduit, in tantum, quod nullus prædeceſſorum ſuorum tanta pace & gaudio regnum tenere potuit ante eum. Ipſe ſiquidem nomen Dei honorabat, & de lege Dei ſæpius inquirens libenter eam diſcebat & gaudenter docebat, ac verbis ſimul & operibus populum ſuum exhortatione bonorum operum promptus in Domino invitabat. Deus autem omnes regulos, conſules & totius patriæ gentem abſque prælio & aliqua mentis perturbatione ſervo ſuo *Edgaro* pro velle ſuo cum tremore ſubdidit & amore. Fama vero & nomen ejus clariſſimum terris univerſis ita ampliſſime dilatabatur, ut extranei gloriam ejus videre & doctrinam oris ejus audire à longinquis partibus veniebant. In hoc tamen peccabat, quod paganos in hac patria ſub eo degentes nimis firmavit, & extraneos huc adductos plus æquo diligens valide roboravit. Hic autem *Edgarus* rex ex prima regina ſua *Elfleda*, cognomento *Candida*, genuit primogenitum ſuum *Edwardum*, poſtea regem & martirem, quem ſanctus *Dunſtanus* Chriſti ſacramentis regeneravit.

Mortua vero poſtea dicta regina, & eccleſiaſticæ ſepulturæ tradita, nunciatum eſt regi *Edgaro* de nimia pulcritudine *Alfridæ* filiæ *Orgar* ducis *Devoniæ*; cujus amore propter famam pulcritudinis illius ſibi divulgatæ ſtatim detentus, quendam ſecretarium ſuum *Eſtanglorum* ducem nomine *Ethelwolf* ad ſe celeriter evocavit, perſuadens ei ut ad nobilem Ducem *Orgar* protinus iret, & videret ſi filia ſua *Alfrida* tam formoſa & gratioſa exiſtebat, ſicut de ea populus prædicabat; & dixit, Quod ſi omnia de ea ſibi relata eſſent vera, ipſam duceret in uxorem. *Ethelwolfus* autem ad juſſum regis iter arripiens, ad domum *Orgar* in comitatu *Devoniæ* cito venit. Qui cum filiam ſuam *Alfridam* ibi inventam nimia pulcritudine decoratam perpendiſſet, doloſe cogitavit, quod ipſemet eam à patre in ſuam propriam peteret uxorem; ſuper quo ante receſſum ſuum voluntatem ipſius *Orgar* pro loco & tempore inquiſivit. Quod cum *Orgar* ſenex tunc temporis & debilis audiſſet, & *Ethelwolfum* militem pulcherimum & in exercitio armorum commendatum ſciviſſet, cogitavit quod filiam ſuam unicam hæredem & terras ſibi debitas manuteneret, & viriliter in omnibus ſuſtineret, petitioni ſuæ continuo annuebat; ſub conditione tamen, quod dominus rex iſti matrimonio conſentiret. Iſtis peractis, rediit *Ethelwolfus*, & nunciavit domino regi, quod puella facie erat pulcherima, corpore tamen deformis & maculata; tunc rex dedignatus dixit, quod de ejus conſortio non curavit. Perſuaſit igitur regi *Ethelwolfus* prædictam puellam in paternam hæreditatem fore ſucceſſuram, & quod ipſe non erat in feodis & dominiis ſufficienter ditatus, rogavit eum cum inſtantia, ut permitteret puellam illam ſibi conjugaliter copulari, & tunc ſic ſibi honores accreſcerent & potentiæ affluenter; cui rex vota ſua gratioſe conceſſit. *Ethelwolfus* tunc domino regi gratias agens, iter quam citius potuit verſus puellam arripuit; ad quam perveniens eam continuo deſponſavit, & ſecum per tempora non modica moram traxit, de quo infra breve domina filium concepit, quem poſtea cum tempus pariendi inſtaret, cum gaudio peperit & ſalute. *Ethelwolfus* tunc ad regem pergens ipſum, ut filium ſuum ſibi natum de ſacro fonte levaret cum inſtantia requiſivit; cujus precibus rex benigne annuens, puerum de baptiſmo levavit, & nomine proprio nominavit. Quo peracto, *Ethelwolfus* multum gaudebat, quia ſecurum ſibi & tutum videbatur, quod rex juvenis lubricus & laſcivus, quem adhuc pro uxore ſua ſemper timebat, cum illa cognationem contraxerat ſpiritualem.

Poſtea vero contigit, quod *Ethelwolfus* detexit uxori ſuæ qualiter doloſe dominum regem circumduxerat, qui eam ſuis amplexibus voluit copulaſſe. At illa factum doloſum concipiens, nunquam poſtmodum in vita ſua dominum ſuum dilexit, ſicut in antea conſuevit. Poſt hæc publice divulgatum eſt per curiam regis, qualiter *Ethelwolfus* per uxorem ſuam ad magnos honores & divitias erat aſſumptus, ſed multo magis de excellenti uxoris ſuæ pulcritudine rumor undique inſurrexit, quia nulla ei in candore faciei & membrorum elegancia aſſimilabatur; unde rex ejus formoſitatem audiens inceſſanter commendari, penes ſe intrinſece cogitavit, quod ad comitatum *Devoniæ* ſe transferret cauſa venandi, & nullatenus inde rediret, quouſque illam *Alfridam* viſitaſſet, & ejus pulcritudinem plenius inſpexiſſet. Cumque ibi adveniſſet, in quodam manerio ubi domina morabatur, prope ſilvam qua cum ſuis canibus venabatur, hoſpicium ſuum cum dicto *Ethelwolfo* & illa fecit præparari. Cumque rex de venatione ibi veniſſet, & tempus cœnandi appropinquaſſet, ſole adhuc clareſcente, ecce ſtatim *Alfridam* & filiolum ſuum ſibi petiit præſentari. *Ethelwolfus* vero eos coram rege ſtatim venire fecit, ſed ſi indignationem ejus ſe credidiſſet evaſiſſe uxorem ſibi nullatenus indicaſſet. Domina vero in conſpectu regis adveniens, ipſum reverenter ut decuit ſalutavit. Quam rex inter brachia ſua amplectens, ipſam cum omni hillaritate oſculatus eſt, & eam in cœna juxta latus ſuum dextrum collocavit. Cumque poſt cœnam tempus cubandi inſtaret, rex licentia de domina accepta, ad cubiculum ſuum ſe divertebat, ubi pulcritudinem ejus ad memoriam in tantum reducens, quod niſi ſuas voluptates in eam conſummaret, vitam ejus amore ſollicitatus amitteret, & mortem pati citius oporteret. Mane autem facto, rex cum ſuis ad ſilvam properans, de venatione ſua capta habundanter dominæ deſtinavit, & dum in illis partibus remanſit, eam mutuis colloquiis & ſolaciis innumeris curialiter viſitavit. Tandem rex ad alias partes ſe divertens, ymaginatus eſt per quam viam melius poſſet *Ethelwolfum* circumducere, & ipſum ab uxore ſua defraudare, ſicut ipſe per ipſum circumductus fuerat & fraudatus; quia dolus & fraus neminem debent patrocinari. Unde ſtatim poſt octo dies rex parliamentum ſuum apud *Sariſberiam* convocavit, ubi cunctis regni proceribus congregatis, de cuſtodia terræ *Northumbriæ* qualiter contra ingreſſum *Danorum* melius poſſet cuſtodiri, tractaverunt, inter quos *Ethelwolfus* ad cuſtodiam *Eboraci* & patriæ adjacentis in illo erat conſilio deputatus; Qui verſus cuſtodiam illam ſe diſponens, & per diætas ſuas incedens, in foreſta de **Werewelle** quidam ignoti armati (ut quidam tradunt per regem miſſi) ipſum hoſtiliter invadentes, ſine pietate & miſericordia occiderunt. Quod cum in curia regis divulgatum fuiſſet, dominus rex *Alfridam* ad ſe *Londoniis* adductam cum ingenti gaudio deſponſavit. Quo die uterque eorum coronam auream gemmis precioſis contextam capite geſtabat. In craſtino vero deſponſationis eorundem, ſanctus *Dunſtanus* cameram regis ingreſſus, quæſivit à rege, quænam illa eſſet quæ ſecum in lecto jacebat, reſponſum eſt ſibi quod regina. Statim Archiepiſcopus *Dunſtanus* regem increpando dixit, Quod eſſet contra Deum & inſtitutionem eccleſiæ in adulterinis amplexibus illam tanquam uxorem retinere, cujus filium de ſacro fonte levaverat, cognationem ſpiritualem contrahendo. Qua de cauſa beatus *Dunſtanus* nunquam poſtea dilectus fuerat à regina. Beatus tamen *Dunſtanus* regem frequenter monuit, quod ipſam dimitteret, & ſe ab ejus conſortio penitus abſtineret; ſed propter ferventem amorem quem rex erga eam habuit, & inextinguibilem libidinem quam cum ea exercuit, monitio ſua in nullo potuit operari.

De iſta vero *Alfrida* genuit rex *Edgarus Edmundum* qui in pueritia ſua obiit, & *Ethelredum* poſtea regem; qui, dum à beato *Dunſtano* baptizaretur, in ſacro fonte minxit; unde & beatus *Dunſtanus* exterminium *Anglorum* tempore ejus futurum prædixit. Inſuper iſte rex *Edgarus* de ſancta *Wolfrida* genuit ſanctam *Editham* virginem. Hanc autem *Wolfridam*, ut *Willielmus Malmesbury* in Cronica ſua teſtatur, non vere ſanctimonialem, ſicut opinio vulgaris delirat, ſed timore regis *Edgari* eam illicite concupiſcentis proprio arbitrio eſſe velatam, regioque cubili ſic ſubactam conſtat: unde rex quod feminam illam attigiſſet, quæ ſub velamine ſanctimonialis fuerat, à beato *Dunſtano* redargutus, ſeptennem egit pœnitentiam; illa quoque partu explicito, voluptati renuncians, religioſe poſtea toto tempore ſuo vixit, & apud *Wiltoniam* Sancta, ut aſſeritur, celebratur. De filia quoque ejus *Editha* creditur, quod & illa apud *Wiltoniam* ſanctimonialis effecta, cultioribus aliquando veſtibus quam ſua profeſſio expoſceret aliquociens ornabatur, ob quod à ſancto *Ethelwoldo*, ut fertur increpata reſpondit, ſe quidem inepte non feciſſe, Infallibile, inquit, Dei judicium ſolo operitur conſcientia, puto igitur, quod ita ſancta mens & incorrupta poterit latere ſub iſtis veſtibus deauratis, ſicut ſub pellibus diſciſſis. Hanc *Editham* aliquociens dum ſanctus *Dunſtanus* quandam eccleſiam conſecraret, viderat pollicem dextrum frequenter protendere, & ſignum crucis fronti inprimere; ex quo delectatus *Dunſtanus*, ait, Nunquam putreſcat hic digitus; Continuoque intra miſſarum ſolempnia in lacrimas prorupit *Dunſtanus*; Et inquiſitus à diacono cur fleret, reſpondit, Cito hæc florida roſa marceſcet; Quod & ita contigit, & corpore poſtmodum de terra levato, repertum eſt totum in pulverem reſolutum præter præfatum digitum & alvum cum ſecreto inferiori. Hujus rei cauſam ſancto *Dunſtano* ſuper hoc meditanti ipſa per viſum expoſuit, dicens, Ne mireris quod incorrupta ſim in inferioribus corporis mei partibus, cum crapulæ & libidinis ſemper fuerim immunis.

Rex *Edgarus* anno regni ſui xj. inſulam de **Thenet**, quia incolæ illius jura regalia ſpreverant, non ut hoſtis inſaniens, ſed ut rex mala malo puniens juſſit prædari. Hoc anno *Ethelwoldus Wintonienſis*, & *Oſwaldus Wigornenſis* epiſcopi juſſu regis *Edgari*, clericis de quibuſdam majoribus eccleſiis expulſis, monachos inſtituerunt aut de eiſdem clericis & aliis monachos in eiſdem fecerunt. Anno regis *Edgari* xij. *Asketillo Eboracenſi* archiepiſcopo defuncto, ſanctus *Oſwaldus Wigornenſis* epiſcopus archiepiſcopatum *Eboracenſem* ſuſcepit, ſimul cum *Wigornenſi* epiſcopatu illum regens. Hic *Oſwaldus* juxta cathedralem ſancti *Petri Wigorniæ* eccleſiam, aliam beatæ *Mariæ* conſtruxit, ubi cum monachis familiarius converſabatur; plebem per hoc in ſui favorem plurimum alliciens; unde & clerici de proxima eccleſia hoc videntes, maluerunt monachari quam ludibrio ſic relinqui. Sed & poſtquam in *Eboracenſi* ſede intronizatus extitit, literatos homines in patriam advocavit, ne patriam illo bono fraudaret ſine quo cætera pene inania inibi videntur. De quibus literatis fuit unus *Abbo Floriacenſis* monachus, qui præter multam ſcientiæ frugem quam *Angliæ* invexit, vitam ſancti *Edmundi* regis & martyris, ſancto *Dunſtano* rogante, deſcripſit. Is *Abbo* poſtmodum domi reverſus & abbas conſtitutus, cum apud quandam cœnobii ſui cellulam in *Vaſconia* quæ *Ad regulam* dicitur, religionis vigorem vellet exercere, *Vaſconica* crudelitate illud non ferente eliſo gutture deceſſit.

Iſte rex *Edgarus* tempore ſuo pluſquam xl. monaſteria monachorum & monialium conſtruxit & reparavit. Inter quæ conſilio & monitione ſancti *Ethelwoldi Wintonienſis* epiſcopi, abbathias *Glaſtoniæ* & *Abendoniæ* compoſuit, & abbathiam de **Burgh** prope *Stamfordiam* ſtabilivit, ac abbathiam de **Thorneye** in mediis paludibus, loco tamen amœniſſimo, fixit, & monaſteria *Wiltoniæ* & *Wintoniæ* rebus & poſſeſſionibus ditavit, & de abbathia vero *Elienſi*, ubi primo à principio fundationis illius ſanctimoniales per C. iiij^{xx}. & xix. annos vixerant, & poſtmodum ipſis per *Inguar* & *Hubbe* interfectores ſancti *Edmundi* regis, occiſis et deletis, ſeculares clericos qui poſt eas per C. annos locum illum occupaverant, pro ſua inhoneſta converſatione de conſilio beati *Dunſtani* archiepiſcopi & dicti *Ethelwoldi* ac magnatum regni, expulit & fugavit, monachoſque eorum loco ſtatuens introduxit, ubi quidam *Brithnctus* primus abbas extitit ordinatus. Tempore iſtius regis *Edgari*, *Ailwinus* conſul regis conſilio, dicti *Ethelwoldi* epiſcopi, & auxilio ſancti *Oſwaldi Eboracenſis* archiepiſcopi, abbathiam **Rameſeye** in inſula pulcherima intra eaſdem paludes fixit. Eſt autem palus illa, de qua loquimur, latiſſima & viſu decora, multis fluviis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis & parvis ditata, multis eciam ſilvis & inſulis florida & amœna, infra quam abbathiæ de **Ely**, **Chateris**, **Thorneye** & **Crouland** ſituantur; ſed juxta eam abbathiæ de **Burgh** & **Spaldyng**, eccleſiæ ſancti *Ivonis* ſuper *Uſcam* fluvium **Huntingdon**, & eccleſia ſancti *Egidii* ſuper *Grentam* fluvium *Cantebrigiæ* ſtatuuntur.

In illo eciam tempore dictus venerabilis vir *Ethelwoldus Wintonienſis* epiſcopus monaſteriorum conſtructor à rege *Edgaro* impetravit, ut ſanctorum corpora quæ in deſtructis locis jacebant in negligentia, transferre ſibi liceret in ea quæ conſtruxerat monaſteria; inter quæ corpus beati *Botulphi* fratris ſanctæ *Pegiæ* fecit à monaſterio *Ikanho*, quod idem ſanctus *Botulphus* dudum in via ſua conſtruxerat, & poſtmodum per interfectores ſancti *Edmundi* regis deſtructum fuerat, transferri, & ſuper hoc regiæ excellentiæ intimavit. Rex devotius intendens in meritis beati *Botulfi* tripharie corpus ſuum ſenſit dividendum. Caput namque annuit *Elienſi* cœnobio, medietatemque reliquit *Thornenſi* eccleſiæ, & quod reſiduum fuit ſibi ſuæque curiæ regalium reliquiarum recepit ſcrinio; Quæ poſtea collatæ ſunt ſancti *Petri* oratorio à bonæ memoriæ rege *Edwardo*. Rex iſte *Edgarus* anno regni ſui xiij. idus Maii die Pentecoſtes à beato *Dunſtano Cantuarienſi*, & ſancto *Oſwaldo Eboracenſi* archiepiſcopis cæteriſque præſulibus in urbe *Achamanni*, id eſt *Badonis* ſive *Bathoniæ* inungitur rex & conſecratur; Ac citò poſt cum ingenti navium claſſe circumnavigata ſeptentrionali *Britannia*, ad urbem *Legionum* quæ eſt *Legeceſtria*, cum exercitu ſuo appulit & pervenit. Cui *Kynadius* rex *Scottorum*, *Malcolmus* rex *Cumbrorum*, & *Mackus* rex plurimarum inſularum, ac alii quinque ſubreguli, ſcilicet *Dunewaldus*, *Siferth*, *Huwall*, *Jacob*, & *Inchel* ibi nobiliter occurrerunt: Qui omnes debita fidelitate facta, ejus ditioni et dominio ſunt ſubjecti, promittentes terra et mari fideliter ſecum fore; Cum quibus die quadam aſcendit ſcapham, clavem gubernaculi per flumen de **Dee** ibidem decurrentis manu regens, cæteriſque regibus ad remos locatis, reliqua quoque procerum turba ſimili navigio comitante, ad eccleſiam beati *Johannis Baptiſtæ* orationis gratia pervenit. Qui dum pari pompa remigando ad ſuum palatium reveniſſet, fertur ſuis dixiſſe optimatibus, Tunc demum quemquam ſucceſſorum gloriari poſſe ſe regem *Anglorum* fore, ſi tali pompa tot regibus ſibi obſequentibus potiretur.

Idem quoque *Edgarus* rex quatuor mille naves congregaverat, ex quibus omni anno poſt feſtum paſchale mille naves ad quamlibet *Angliæ* partem ſtatuit, ſicque in æſtate inſulam circumnavigavit, hieme vero judicia in provincia exercuit. Ita quod tempore ſuo nullus eo rectior fuit, nulli parcens diviti nec pauperi quin juxta exigentiam tranſgreſſionis juſte eum judicaret. Et ideo tempore ſuo latrones nulli fuerunt, nec aliquis qui guerram vel turbationem in regno movere audebat. Et hæc omnia ad ſui exercitium, et hoſtium terrorem fecit. Ille tamen *Dacorum* petitioni nimis inconſulte favebat, nam vix fuit in *Anglia* viculus in quo *Daci* cum *Anglis* non habitarent; demum hoc bono animo tolleratum ſummæ calamitati peperit eventum. Nam *Daci* à natura potatores fortiſſimi, hoc unum prædicabile perpetuum reliquerunt *Anglis*, ut jam *Anglorum* probitas toti præjudicet mundo in calicibus epotandis. Quamobrem rex clavos in ciphis fecit infigi, ut per emenſos ciphorum terminos biberent ad menſuram.

Edgarus pacificus, rex magnificus, *Salomon* ſecundus, non minus memorabilis *Anglis*, quam *Cirus Perſis*, *Romulus Romanis*, *Alexander Macedonibus*, *Artaxes Parthis*, *Karolus Francis*, *Arthurus Britonibus*; Cujus tempore exercitus advenarum in *Angliam* nunquam venit, Cujus dominio reges et principes *Angliæ* ſunt ſubjecti, Cujus potentiæ *Scoti*, et alii reges ut præſcribitur, colla dedere, Cum xvj. annis et ij. menſibus per ſe ſolomodo ſine tempore quo cum fratre ſuo partem regni gubernavit, feliciter regnaſſet, et leges incolis ſuis, de quibus inferius habetur, ſtatuiſſet, anno vitæ ſuæ xxxvij. idus Julii obiit, et apud *Glaſtoniam* ſepelitur. Cujus corpus ab *Ailwardo* Abbate, cum ſanguine rubio poſtea pluribus annis tranſactis inventum eſt integrum: Quod cum in locellum levare pararet, et illud præ magnitudine difficilem minaretur ingreſſum, Abbas per audaciam regales exuvias ferro temerarie abſcidit, unde ſanguis undatim continuo emanavit. Tradunt Hiſtoriæ *Britannicæ*, et vita ſancti *Eltuci*, quod dum rex *Edgarus* regionem *Glamorganenſium* propter eorum inobedientiam devaſtaret, nola ſancti *Eltuci* ablatâ fuit, et in collo cujuſdam equi ſuſpenſa. Qua de cauſa regi *Edgaro* in nocte quieſcenti apparuit quidam pectus regis lancia percutiens, unde poſt ſompnum juſſit rex ut rapta reſtituerentur; veruntamen poſt ix. dies obiit rex. Poſt cujus obitum ſtatus regni turbatur: Nam *Alferus* princeps *Merciorum* cæterique plures ejectis monachis de magnis monaſterijs, quos rex *Edgarus* nuper inſtituerat, clericos cum uxoribus reduxerunt. Sed Comes *Eſtanglorum* cum auxilio beati *Dunſtani* viriliter reſiſtebat; congregato ſuper hoc negotio celebri Concilio apud *Wintoniam*, ymago Crucifixi voce humana in veteri monaſterio *Wintoniæ*, coram omnibus viam *Dunſtani* aſſeruit eſſe veram, ſic dicens. *Abſit hoc ut fiat; abſit hoc ut fiat. Judicaſtis bene, Mutaretis non bene.* In cujus rei memoriam in capite refectorii ejuſdem monaſterii ſupra caput Crucifixi, metrice ſic ſcribitur:

Humano more Crux præſens edidit ore
Celitus affata quæ perſpicis hîc ſubarata.

In laudem vero regis *Edgari*, qui tot eccleſias Deo fundaverat, et tot perhennia brevi tempore ſtatuerat, verſus ſubſcriptos ſcribere non omitto.

Auctor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum,
Sceptriger Edgarus *regna ſuperna petit.*
Hic alter Salomon, *legum pater, orbita pacis;*
Quod caruit bellis claruit inde magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros;
Nequitiæ lapſum, juſtitiæque locum.
Novit enim regno verum perquirere falſo,
Immenſum modico, perpetuumque brevi.

Fames valida *Angliam* invaſit. Celebratæ ſunt in *Anglia* tres Synodi. Prima apud **Kerling**, ſecunda apud *Calne*, ubi omnes proceres excepto *Dunſtano* de ſolario corruerunt. Tercia fuit apud **Ambresbyry**.

Modo ſequuntur Leges Regis *Edgari*.

CAP. I.

De debitis eccleſiæ reddendis.

II.

De eccleſiis ubi eſt cœmiterium.

III.

De termino decimandi.

IV.

De nolente decimas dare.

V.

De non ſolventibus denarios ſancti Petri.

VI.

De ſolempnitatibus & jejuniis obſervandis.

VII.

Ne quis regem requirat niſi rectum ei negetur, & de forisfactura.

VIII.

De judicibus injuſte judicantibus.

IX.

Si quis alium ſuperdicere præſumpſerit.

X.

De hundredo & burghmoto, & ſcyremoto.

XI.

De plegio & plegiato.

XII.

De incredibili & ei parcenti.

XIII.

De moneta & menſura & pondere.

HOc eſt inſtitutum quod *Edgarus* rex conſilio ſapientum ſuorum inſtituit Deo ad gloriam, & ſibi ad regiam dignitatem, & genti ſuæ ad commodum.

CAP. I. *Sax.* 1.

Primum eſt ut eccleſiæ Dei recti ſui dignæ ſint, & reddatur omnis decimatio ad matrem eccleſiam cui parochia adjacet, de terra thaynorum & villanorum, ſicut aratrum peragrabit.

II. *Sax.* 2.

Si quis thaynorum ſit, qui in feodo ſuo eccleſiam habeat ubi cœmiterium ſit, det ei terciam partem decimæ ſuæ. Si non ſit ibi atrium, det ex ſuis novem partibus presbytero quod vult. Et etiam omne *ciricſceattum* ad matrem eccleſiam de omni libera domo.

III. *Sax.* 3.

Et omnis decimatio juventutis reddita ſit ad Pentecoſten, & terræ frugum ad æquinoctium, & omne *Ciricſceattum* ad feſtum ſancti *Martini*, per plenam foriſfacturam, quam judicialis liber dicit.

IV. *Sax.* 3.

Si quis decimam dare ſicut diximus noluerit, adeat præpoſitus regis & epiſcopi ſacerdos illius eccleſiæ, & reddant eccleſiæ cui pertinebit decimam ſuam, & nonam partem dimittant ei qui decimam ſuam detinuit. Et octo partes in duo dividantur, dimidum domino, dimidium epiſcopo, ſit homo regis ſit homo thayni.

V. *Sax.* 4.

Et omnis heorðpeni reddat ad feſtum ſancti *Petri*, & qui non perſolverit ad terminum illum, deferat eum *Roma* & eciam xxx. d. & afferat inde ſignificationem quod tantum ibi reddidit, & cum redierit domi, emendet Cxx. s. Et ſi iterum reddere nolit, deferat eum *Romæ*, & emendationem eandem, & cum redierit emendet CC. s. regi. Ad terciam vicem ſi adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI. *Sax.* 5.

Et ſollempne diei dominicæ conſervetur ab hora nona ſabbati uſque ad lucidum diei lunæ, ſuper foriſfactura quam liber Judiciorum dicit & docet. Et omnis alia feſtivitas ſicut à ſacerdote nunciabitur, & omne indictum jejunium cum omni devotione ſervetur.

VII. *Sax.* 1.

HÆc eſt inſtitutio ſecularis quam volo per omnia teneri. Volo ut omnis homo ſit dignus juris publici, pauper & dives quicunque ſit; & eis juſta judicia judicentur; & ſit in emendationibus remiſſio venialis apud Deum & apud ſeculum tolerabilis. *Sax.* 2. Et nemo requirat regem pro aliqua cauſa niſi domi negetur ei omne dignum recti, vel rectum impetrare non poſſit. Si rectum grave nimis eſt, poſtea quærat inde veniam apud regem. Et de nulla emendabili re foriſfaciat homo pluſquam weram ſuam.

VIII. *Sax.* 3.

Et judex qui injuſtum judicium judicabit alicui, det regi Cxx. s. niſi jurare audeat quod rectius judicare neſcivit. Et *admanniat* ſcyræ præſul emendam illam ad manum regis.

IX. *Sax.* 4.

Et qui aliquem injuſte ſuperdicere præſumat, unde vita vel commodo pejor ſit, linguæ ſuæ reus erit, ſi accuſatus ſe de hoc non idoneaverit, & niſi accuſationem falſaverit, redimat ſe wera ſua.

X. *Sax.* 5.

Et requiratur hundredum ſicut antea fuit inſtitutum, ut habeatur in anno burgmotus ter, & ſcytemotus bis. Et interſit præſul comitatus & Aldremannus, & utrique doceant Dei rectum & ſeculi.

XI. *Sax.* 6.

Et omnis homo inveniat ſibi plegium, & idem cuſtodiat & ducat eum ad omne rectum. Et ſi quis injuriam faciat & aufugiat, portet plegius quod ille portare debuerat, Si latro plegiatus aufugiat, & plegius infra xij. menſes poſſit eum habere iterum, reddat eum ad rectum, & rehabeat quicquid ante propter hoc dederat.

XII. *Sax.* 7.

Et qui fuerit accuſationibus infamatus, & populo incredibilis, & hoc placitum declaraverit, videatur de ipſo placito, qui mittatur ad eum, & inveniat etiam ſibi tunc fidejuſſores ſi poſſit, ſi non poſſit exuperetur quibus modis poterit, ſit vivus ſit mortuus, & capiatur omne quod habebit, & reddatur repetenti captale ſuum ſemel, & reliquum habeat dominus dimidium, & hundredus dimidium. Et ſi aliquis vel cognatus, vel extraneus illuc ire negaverit, emendet regi Cxx. s. Et quærat fur quicquid quærat. Qui vero de morte Domini ſui cogitaverit, nunquam ſibi vitam perquirat.

XIII. *Sax.* 8.

Et ſit una moneta per totum regis imperium, & nemo ſonet eam; Et menſura ſit ſicut apud *Winceſtriam* habetur. Et erit pondus lanæ pro dimidia libra, & nemo carius vendat eam.

EDwardus juvenis ſenior filius regis *Edgari*, poſt mortem patris ſui à ſancto *Dunſtano* archipræſule, & quibuſdam principibus ad regni gubernacula eligitur capienda. Sed dum conſecrationis ejus tempore nonnulli patriæ optimates reſiſtere voluiſſent, ſanctus *Dunſtanus* vexillum ſanctæ crucis, quod ex conſuetudine præ ſe ferebatur, arreptum in medio ſtatuit, eumque cum ſancto *Oſwaldo Eboracenſi* archiepiſcopo, et reliquis religionis epiſcopis, in regem conſecravit. Cujus regni principio cometa apparens ſignum maximæ famis, quæ anno ſequenti ſecuta eſt, incolis oſtendebat. *Edwardus* vero in regni ſolio ſublimatus, mox priſtinæ probitati, hæc ſuarum incrementa virtutum accumulavit, juvenum videlicet et minus ſapientum conſilia poſtponere, *Dunſtani* archipræſulis monitis mentem ſalubriter intendere, et ſecundum conſilium ejus et aliorum religioſorum et ſpectabilium virorum ſua facta, et judicia in omnibus exercere, unde quendam cotidie conſuetudinis ritum agebat, inopes videlicet alere, pauperes recreare, nudis veſtimenta largiri, pro magno utique lucro ea computans, quæ in tali opere conſumpſiſſet. Sed totius bonitatis inimicus diabolus, ejus felicibus actibus invidens,

dens, et omnia totius regni gaudia diſturbare cupiens, novercam ſuam *Alfridam* in odium ipſius concitavit; Cujus præſumptuoſa calliditas quam ſit execrabilis, ex eventu rei ſatis animadverti poteſt; Nam invidiæ zelo ſuccenſa cogitare cœpit qualiter virum Dei à regni ſolio extirparet, ut filius ejus *Ethelredus* liberius in regno ſubſtitueretur. Talia itaque eâ diu in animo pertractante, quibuſdam principibus conſiliariis ſuis ſecreta cordis ſui apperiens, conſilium ſuper hoc cum illis habuit, orans et obteſtans, ut una ei aſſenſum præberent, et quo ordine id fieri poſſet excogitarent. Cui protinus in necem illius omnes conſenſerunt, et ut hoc quamtocius perficerent fraudulenta machinatione meditabantur. Quid plura? confirmato ut ſupradiximus in regno, cum jam tribus tantum annis, et viij. menſibus ſceptro hæreditario potiretur, forte die quadam cum canibus et equitibus venandi gratia ad ſilvam acceſſit, quæ juxta villam quæ dicitur **Warham** admodum grandis tunc habebatur; ubi cum aliquandiu incepto negotio inſiſteret, reminiſcens fratris ſui *Ethelredi* ad videndum illum ire diſpoſuit, quia illum puro et fraterno corde diligebat. Erat autem juxta eandem ſilvam domus novercæ ſuæ, in qua prædictus puer frater ſuus nutriebatur, in loco qui ab incolis **Corph** nuncupatur, à villa memorata tribus milibus diſtans, ubi nunc caſtrum ſatis celebre conſtructum eſt. Ad quam dum aſſumpto pauco ſecum comitatu proficiſceretur, ecce ſubito in medio viæ ſpacio hominibus illius ludentium more huc illucque vagantibus et diſperſis, ipſe abſque ullo comite remanſit. At ille ut erat ſolus ad domum illam, quia eam eminus aſpiciebat, tanquam agnus manſuetiſſimus tendit, neminem verens aut pertimeſcens, qui nec in minimis quidem recognoſcebat ſe aliquem offendiſſe. Cui dum approximaret, nunciatum eſt impiiſſimæ reginæ novercæ ſuæ à miniſtris ſuis illuc regem *Edwardum* advenire. Illa autem plena iniqua cogitatione et dolo, ad explenda nequitiæ ſuæ deſideria ſe tempus idoneum adipiſci gaudens, obvia mox cum ſatellitibus iniquitatis, tamquam de adventu ejus congratulans proceſſit, blande eum et amicabiliter ſalutat, ad hoſpitium invitans. Qui tenuit, ſed fratrem ſuum ſe videre, et alloqui velle denunciat. Mox illa quaſi ad alia ſe transformans, jubet abſque dilatione ſibi potum propinare, ut dum ille potum incaute guſtaret, oportunius quod cogitaverat expleret. Interim unus qui et animo audacior, et ſcelere immanior erat, ficta dilectione, *Juda* traditoris Domini factum imitans, pacis ei libavit oſculum, ut videlicet omnem ſuſpitionem auferens, amoremque intimum ei demonſtrans eum facilius ſuffocaret: Quod et factum eſt. Nam poſtquam poculum à pincerna ſuſcipiens ſummo tenus ore attigit, is qui oſculum ſibi intulerat ex adverſo inſiliens, cultello ejus viſcera mox transfixit. Qui gravi vulnere inflictus, cum paululum inde verſus homines ſuos divertiſſet, de equo cui inſederat ſubito in terram exanimis ruit. Actum eſt autem hoc anno Domini nongenteſimo octogeſimo primo; quodque dictu nephas eſt, quadrageſimali tempore, ſcilicet xv. kal. Aprilis.

Cumque prædicta regina *Alfrida* de equo illum cecidiſſe audiviſſet, nequitiæ ſuæ nondum rabie exſaturata, rapi corpus ejus quamtocius jubet, & in domicilium quoddam quod juxta erat proici, ne palam fieret quod fecerat. Cujus imperio miniſtri parentes nephandiſſimi, illico accurrunt; prædictum ſacrum corpus more beluino per pedes abſtrahunt, & in domicilium contemptibiliter ut juſſerat projectum vilibus ſtramentis cooperiunt. Erat autem in eadem domuncula mulier quædam à nativitate cæca quam memorata regina in elemoſina ſua paſcere ſolebat: Quæ dum ſequenti nocte ibi cum ſacro corpore ſola pernoctaſſet, ecce intempeſta nocte gloria Domini in eadem domo apparens immenſo eam replevit ſplendore; unde prædicta paupercula non modico percuſſa terrore, cum omnipotentis Dei miſericordiam attentius deprecaretur, ſuperna largiente gratia lumen diu deſideratum meritis viri Dei recipere meruit. Quo in loco eciam poſtea à fidelibus in teſtimonium miraculi, ob ejus memoriam eccleſia eſt conſtructa, quæ uſque ad noſtra tempora perduravit. Interea diluculo tenebras rumpente, dum per mulierculam illam regina quod factum fuerat comperiſſet, & eam quam à nativitate lumine privatam noverat jam illuminatam vidiſſet, anguſtiatur, vultu & mente in diverſa mutatur, metuens opus ſuum execrabile ſic poſſe propalari, ſi non viri Dei corpus attentius tolleretur. Imperat itaque celeriter ſatellitibus clanculo illud efferri, & in locis abditis & paluſtribus ubi minus putaretur humo tegi, ne ab aliquo poſſet amplius inveniri. Quibus juſſa ſine mora complentibus, edictum quo nihil inclementius propoſuit, ne quis de interitu ejus gemeret aut loqueretur, & ſic memoriam ejus omnino delere exiſtimabat. His ita peractis, ad quandam ſui juris manſionem à prædicto loco x. miliariis diſtantem quæ **Bere** vocatur, continuo ſeceſſit, ut ſuper hoc quod fecerat de ea ſuſpitionem nemo haberet. Interea tantus dolor *Ethelredum* de tam crudeli fratris ſui morte invaſit, ut conſolationem à nemine recipere, neque luctu neque lacrimis temperare potuiſſet, unde mater ejus in furorem accenſa, candelis cereis, quia aliud ad manus non habebat, eum atrociter verberavit, ut ita per multa verbera tandem ejus compeſceret ululatum. Hinc ut fertur poſtea toto tempore vitæ ſuæ candelas ita exoſas habuit, ut vix eas aliquando coram ſe lucere permitteret. Quidam tamen in Cronicis ſuis ferunt, quod in pueritia ſua matrem ſuam, cum cereis de cera factis *Edwardum* fratrem ſuum frequenter viderat verberaſſe, & idcirco coram ſe nunquam ceram ardere permiſit: ſed hujuſmodi luminaria ſemper odio habuit.

Poſt hæc tranſacto anno cum jam ſupernæ pietati *Edwardum* martirem ſuum mundo innoteſcere quantique meriti apud ſe fuerit declarare complacuiſſet, corpus ejus venerabile quibuſdam fidelibus devote quærentibus revelare dignatus eſt, atque cœleſti indicio demonſtrare; Nam circa locum ipſum ubi occultatum fuerat corpus, columpna ad inſtar ignis deſuper emiſſa apparuit, quæ lucis ſuæ radiis locum undique frequenter irradiare viſa eſt. Quod quidam viri devoti de vicina villa **Warham**, non longe à mari auſtrino ſita comperientes, congregati in unum de memorato loco illud ſuſtulerunt, ac in villam ſuam ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis *Mariæ* deportantes, ad orientalem ejus plagam officioſiſſime die Iduum menſis Februarii ſacrum corpus ſepelierunt; ubi lignea eccleſia, quæ poſtea à viris religioſis fabricata eſt, uſque hodie demonſtratur. Fons eciam in loco ubi prius jacuerat, dulces & perſpicuas aquas ex eo tempore uſque hodie cernitur emanare, unde *fons ſancti Edwardi* dicitur, ubi infirmis multa cotidie ad laudem Dei beneficia præſtantur. Interea fama vulgante per univerſam *Anglorum* patriam, fraus & impietas reginæ manifeſtatur, regis innocentis præconium extollitur, virtutum undique & meritorum ejus inſignia prædicantur. Audiens itaque quidam Comes magnificus *Alſerus* nomine, ſanctum corpus tam præclaro indicio inventum, inmenſo perfuſus gaudio, dominoque ſuo tanquam adhuc vivo fidele obſequium præbere deſiderans, in digniorem locum illud transferre decrevit. Ad quod opus digne peragendum Epiſcopus & Abbates cum optimatibus regni, quos habere potuit, invitavit, & ut in hoc ſibi negocio conſenciant, & ſubveniant monet in Domino & precatur; Nuncium quoque ad Abbatiſſam *Wolfridam* in monaſterio *Wintonienſi* dirigit, & ut ad peragendas tanti viri exequias cum ſibi commiſſis virginibus conveniat, denunciat.

Erat autem in eodem monaſterio quædam venerabilis virgo ſoror ipſius ſancti *Edwardi*, magna vitæ & morum honeſtate pollens, *Editha* nuncupata, quæ ſupradicti regis *Edgari*, & ejuſdem *Wolfridæ* nondum Deo conſecratæ, filia erat. Quibus mox cum ſumma diligentia, & veneratione convenientibus, epiſcopis quoque cum Abbatibus ut diximus congregatis, prædictus *Alſerus* ex *Dorſata* non modicam virorum ac mulierum multitudinem coadunavit, & uſque **Warham** ubi corpus viri Dei per triennium ſepultum jacuerat, pervenit. Quod protinus in conſpectu totius populi detectum, & à terra extractum, ita illæſum ab omni corruptione inventum eſt, ac ſi eodem die tumulatum fuiſſet. Videntes autem epiſcopi hoc cæterique ordinis viri, in hympnis & laudibus omnipotentis Dei miſericordiam glorificaverunt, qui martyris ſui innocentiam tali dignatus eſt indicio demonſtrare. Tunc à venerabilium virorum manibus ſuſceptum, & feretro impoſitum, cum magno cleri & plebis tripudio, ad *Septoniam*, id eſt **Schaſteſbiry** deducitur, quæ temporibus *Britonum Paladur* vocabatur, & à *Caſſibeliano* rege ædificata magnæ ſinoſitatis erat civitas, ubi cœnobium in honore ſanctæ Dei genitricis *Mariæ* dedicatum admodum celebre habebatur, quod à magnifico rege *Aluredo* ipſius ſancti viri attavo decentiſſime conſtructum fuerat, eo quod idem rex filiam ſuam, *Haylenam* nomine, ſponſo cœleſti deſponſare cupiens, in eadem eccleſia monaſticis diſciplinis tradiderat mancipatam, pro cujus amore plurimis frequenter & largis muneribus illam nobilitavit, nam inter reliqua donorum ſuorum inſignia, centum hidas terræ ita quietas & liberas, ſicut ipſe eas & melius tenuerat, imperpetuum poſſidendas eidem donavit, quas uſque hodie virgines ibi Chriſto famulantes tenent.

Interea cum vulgus undique utriuſque ſexus ad tam rem inſolitam ex diverſis locis confluxiſſet, duo pauperes tanta acerbitate morbi contracti, ita ut vix per terram manibus cruribuſque repere poſſent, inter cæteros ad ſacrum corpus per viam adhuc verſus dictum cœnobium deportatum advenere, pro ſua incommoditate ſanctum martyrem rogaturi: Qui ſancti viri feretro approximantes, cum hii qui ſacrum corpus ferebant ſuper eos, pro recuperanda ſoſpitate illud deportaſſent, ſtatim ſanitatem in conſpectu populi receperunt. Quo viſo, clamor populi in altum extollitur, & omnes in commune merita ſancti *Edwardi* regis, & martyris venerantur. Regina quoque memorata magnalia interim quæ per virum ſanctum fiebant audiens, compuncta ſuper hiis quæ fecerat, equo mox aſcenſo poſt eum ire diſpoſuit pro commiſſo ſuo veniam rogatura, ſed divina ſibi gratia reſiſtente minime conceſſum eſt. Nam dum in itinere cum ſuis ſatellitibus equitaret, ecce miro quodam & inæſtimabili impedimento ita detinebatur, ut equus ſuper quem ſedebat retrorſum potius quam in ante verſa vice intenderet. Quem fræno conſtringere volens, dum interdum hac interdum vero illac divertendo, neque minis neque verberibus proficere potuiſſet, animadvertit peccatis ſuis exigentibus ſic ſe detineri; unde illico de equo in terram proſiliens, pedes tanquam ob majorem reverentiam ire parat. Sed iterum quod dictu mirabile eſt, retorta, nichilominus quod concupierat conſequi valebat, ut videlicet aperte clareret pro ſcelere quod in virum Dei operata eſt hæc ſibi infortunia evenire. Interea perductum venerabile corpus ad memoratum cœnobium *Septoniæ*, & à virginibus ibi Deo ſervientibus digne & laudabiliter receptum, in ſeptentrionali parte principalis aræ cum magno honore xij. kalend. Marcii tumulatur, ubi multa beneficia per eum infirmis poſt hæc divina clementia ſunt largita.

Quadam namque matrona in remotis *Angliæ* partibus degens, cum nimia debilitate gravaretur, & cotidie pro ſua incolumitate preces in conſpectu Dei funderet, nocte quadam ſanctus ei *Edwardus* in viſu aſtitit, cui & talia dixiſſe fertur. Cum diluculo ſurrexeris, ad locum ubi ſepulturæ traditus ſum ire ne differas, quia ibi nova calciamenta infirmitati tuæ neceſſaria recipies. Erat enim, ut ex conjectura colligi poteſt, in pedibus gravius colliſa, ideoq; per calciamenta nova ſanitas pedum deſignabatur. Evigilans autem mane cum ſompnium quod viderat cuidam vicinæ retuliſſet, illa viſionis incredula fantaſma eſſe aſſerebat. Interea vero cum monitis Sancti prædicti matrona parere diſſimularet, adeſt rurſus ei vir ſanctus in viſione dicens, Quare præcepta mea reſpuens tanto opere ſalutem tuam necligis? vade ergo ad ſepulcrum meum, & ibi liberaberis. Illa autem reſumptis viribus dixit ad eum, Et quis es tu domine, aut ubi ſepulcrum tuum inveniam? Cui ille, Ego, inquit, ſum rex *Edwardus* invidiæ zelo, & injuſta nuper nece peremptus, & *Septoniæ* in eccleſia Dei genitricis *Mariæ* ſepultus. Mulier autem mane evigilans, aſſumptis pro itinere ſuo neceſſariis, ad prædictum cœnobium *Septoniæ* tendere mox incepit. Ibique tandem perveniens cum aliquamdiu Deum, & ſanctum *Edwardum* humili corde exoraret, ſanitati reſtituta eſt.

Pro interfectione autem iſtius ſancti regis *Edwardi*, prædicta *Alfrida* noverca ſua duo conſtruxit monaſteria feminarum, unum videlicet apud **Werewelle**, ubi & ipſa requieſcit, & aliud apud **Ambreſbyry** juxta *Sarum*. Tradunt quidam in Cronicis ſuis quod anno iſtius regis *Edwardi* quarto erat ſinodus apud *Calne*, de quo ſuperius in fine regis *Edgari* tangitur, ubi omnes optimates *Anglorum* à quodam ſolario ceciderunt præter ſanctum *Dunſtanum*, qui trabe quadam reſtitit apprehenſa, unde quibuſdam eorum valde læſis, & quibuſdam mortuis, ſignum Dei excelſi fuit, quod proditione & interfectione regis ſui ab honore caſuri eſſent, & digna contritione à diverſis gentibus conterendi.

SAncto *Edwardo* rege ut dictum eſt martirizato, *Ethelredus* frater ſuus ex prædicta *Alfrida* ſub ſecundo matrimonio progenitus, Clito elegans & egregius, poſt Paſcha anno domini DCCCCLxxxi. apud **Kingeſtone** coram *Anglorum* Ducibus in regem coronatus eſt, & à beato *Dunſtano* archiepiſcopo conſecratus. Cui die conſecrationis ſuæ beatus *Dunſtanus* oraculum hoc prædixit. Quoniam, inquit, aſpiraſti ad regnum per mortem fratris tui, cujus ſanguine *Angli* cum ignominioſa matre tua conſpiraverunt, non deficiet ſanguis & gladius ab eis, donec populus ignotæ linguæ ſuperveniens eos exterminando in ultimam redigat ſervitutem, nec expiabitur delictum illud niſi longa vindicta. Iſte rex *Ethelredus* genuit ex *Ethelgiva Anglicana* filia *Egberti* Comitis, ſibi ſecundum quoſdam deſponſata, & ſecundum quoſdam, ex quadam muliere alienigena concubina ſua, *Edmundum* cognomento *ferreum latus*, id eſt **Ireneſide**, *Edwinum*, *Ethelſtanum*, & unam filiam nomine *Edgivam*, & ex *Emma* filia *Ricardi* Ducis *Normanniæ*, quam poſtea, ut inferius habetur, deſponſaverat, genuit *Alfredum* & ſanctum *Edwardum* Regem & Confeſſorem. Parvo quoque tempore poſtquam iſte rex *Ethelredus* regnare cœpiſſet, *Alferus* Conſul corpus ſancti *Edwardi* Regis & martyris à **Warham** uſque **Schafteſbyry** nutu Dei compellente, ut ſupra de hoc ſcribitur, cum debita tranſtulit reverentia & honore.

Anno regis *Ethelredi* tercio venerunt vij. puppes *Dacorum*, quaſi futuræ vaſtationis regni prænunciæ, & *Southamptoniam* prædaverunt, & inſulam de **Thenet** juxta *Canciam* devaſtarunt, multis ibidem occiſis. Provincia eciam *Legeceſtrenſium* à piratis *Norwagenſibus* deſtruitur. Et monaſterium ſancti *Petri* in *Cornubia* devaſtatur. Circa idem tempus civitas *Lundonienſis* fere igne cremata eſt. Poſtea vero mortuo prædicto *Alfero* Conſule, *Alfricus* filius ſuus ſibi ſucceſſit. Eo tempore ſanctus *Ethelwoldus Wintonienſis* epiſcopus, pater monachorum & ſidus *Anglorum*, viſionem Domini quam ſemper optaverat eſt adeptus. Vir iſte *Wintoniæ* natus eſt, qui ſub ſancto *Dunſtano Glaſtoniæ* educatus eſt, & cucullatus, tempore regis *Edredi* factus eſt Abbas *Abbendonenſis*, tempore regis *Edgari* factus eſt epiſcopus *Wintonienſis*, ubi monaſterium monialium conſtruxit, & corpus ſancti *Swithini* tranſtulit. Vir igitur iſte ex monacho *Wintonienſis* præſul factus, propter profuſa convivia quæ tunc in *Anglia* à *Danorum* adventu exhibebantur, pane & aqua utebatur. Vir iſte per omnia beatæ *Mariæ*, & ſancto *Cuthberto* devotus extitit, cujus ſedem poſt obitum ejus nunquam potuit aliquis impune dormitando premere, quin tetris ymaginibus reſiliret, increpantibus, cur ſedem epiſcopi indignus uſurparet. Igitur dum ſemel ſimultas anxia inter ipſum epiſcopum & *Godwinum* Comitem eſſet exorta, nec die ad hoc ſtatuto pacificari poſſent, epiſcopus recedendo iratus dixit, Per Dominam meam *Mariam* male ſibi erit. Nec ab illa hora quievit *Godwinus* à viſcerum tortura donec benedictionem ab epiſcopo reciperet. Tandem vir iſte ad *Dunelmum* profectus eſt, ubi, quod magnæ videbatur audaciæ, revulſo ſepulcri operculo cum ſancto *Cuthberto* quaſi cum amico loquebatur, munus amoris depoſuit & abiit. Huic *Ethelwoldo* ſucceſſit ſanctus *Elphegus* tunc *Bathonienſis* Abbas.

Circa hoc tempus *Otho* tercius filius *Othonis* ſecundi apud *Teutonicos* regnavit annis 18. Hic cognominatus eſt *Mirabilia mundi*, & coronabatur Romæ per *Gregorium* quintum. Et quanquam iſte *Otho* & alii duo *Othones* præceſſores ſui, ex genere ad Imperium ſuccedebant, poſtea tamen fuit inſtitutum ut per ſeptem officiales Imperii Imperator eligeretur. De quibus ſic metrice notatur.

Maguntunenſis, Treverenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum,
Et Palatinus dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio præpoſitus cameræ, pincerna Boemus.
Hii ſtatuunt dominũ cunctis per ſecula ſummum.

Iſte *Otho* tercius uxorem habuit quæ cuidam deſponſato ſe ſubſtituere voluit, ſed dum ipſe ſtuprum recuſaret, juſſus eſt ſine audientia decollari. Qui antequam moreretur uxorem ſuam rogavit, ut poſt mortem ſuam Judicio ferri candentis innocentiam ejus purgaret. Affuit deinde dies in proximo quo Cæſar pupillis, & viduis judicium & juſtitiam aſſeruit ſe facturum. Affuit & vidua caput mariti deportans, & quærens, Qua morte dignus eſſet qui injuſte aliquem peremiſſet; Reſpondit Cæſar, Capitis privatione. At illa, Tu es, inquit, vir ille, quod ego judicio ferri candentis mox comprobabo. Quo quidem judicio conſummato, Cæſar in manus ſe dedit fœminæ puniendum. Inſtantia tamen pontificum induciæ x. dierum, deinde viij. poſt hæc vij. tandem vj. conceduntur, in quibus rex examinata cauſa, uxorem propriam concremavit, ac pro ſua redemptione iiij. caſtra in epiſcopatu *Launenſi* viduæ dedit, quorum nomina ab induciis dierum conceſſorum adhuc vocantur x. viij. vij. vj.

Rex *Ethelredus* anno regni ſui viij. propter quaſdam diſſenſiones urbem *Roffenſem* obſedit, unde & affuit beatus *Dunſtanus*, qui ut inde recederet ob amorem ſancti *Andreæ* apoſtoli pecuniam optulit multam regi, ſed nil profuit, unde ex diutina obſidione fructus agrorum ſancti *Andreæ* in recedendo deſtruxit. Quam ob rem beatus *Dunſtanus* multa ei prædixit infortunia adventura. Anno regis *Ethelredi* ix. duæ retro ſeculis incognitæ peſtes *Anglorum* genti acciderunt, ſcilicet febris hominum, & lues animalium quæ *Anglice* **Schitta** dicitur, Latine vero *fluxus ventris* nuncupatur. Anno regis *Ethelredi* x. Rex *Merciorum* *Alfricus* filius dicti Conſulis *Alferi*, per regem ab *Anglia* crudeliter relegatur. Eodem anno beatus *Dunſtanus* *Cantuarienſis* archiepiſcopus, à mundi tenebris ad gloriam tranſiit ſempiternam. Sed ante deceſſum ſuum *Alfridam* reginam quæ ſanctum *Edwardum* occidi fecerat, à peccatis & exceſſibus ſuis abſolvit, ſalutarem ſibi pœnitentiam injungendo. Quæ poſtea cunctis diebus vitæ ſuæ in caſtitate vivens, vitam in domino feliciter finivit. *Osbernus* vero monachus *Cantuarienſis* vitam beati *Dunſtani* virtutibus, & prodigiis plenam ſcripſit: Inter quæ refert quod beatus *Dunſtanus*, dum ad inſtantiam cujuſdam religioſæ matronæ, ſtolam ſacerdotalem ymaginibus Apoſtolorum & Martirum inſigniret, audita eſt cithara parieti appenſa modulos illius antiphonæ, *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, &c.* abſque pulſu hominis inſonare.

Item beatus *Dunſtanus* varia mechanicæ artis induſtria inſignitus, dum ſemel in cella ſua juxta *Glaſtoniam* calicem quendam aurifico opere effigiaret, affuit ſathan corporali ſpecie varia ſibi immittens

mittens fantaſmata voluptatum. Quod *Dunſtanus* in ſpiritu comperiens, forcipibus ſuis ignitis naſum dæmonis comprehendit & tenuit, donec dæmone ululante factum hoc convicaneis innoteſceret. Beatus eciam *Dunſtanus* ſemel ſoporatus audivit ſpiritus angelicos cum ſuavi nota *Kyriel Kyriel* pſallentes; cujus modulos armoniæ adhuc continet tropus ille apud *Anglos* famoſus, *Kirie rex ſplendens*, qui in Sanctorum cantari majoribus ſolet feſtis. Sancto vero *Dunſtano* & ſancto *Ethelwoldo* ab hac luce, ut dictum eſt, ſubtractis, *Anglia* lorica ſuæ protectionis carens, vindictæ Dei præmeditatæ patuit deſolata.

Sancto vero *Dunſtano* qui xxvij. annis ſederat, ſucceſſit *Stilgarus*, anno uno & menſibus tribus ſedens. Quo defuncto, *Siricius* monachus annis quinque ſedebat. Rege autem *Ethelredo* propter aliquas adhuc diſſenſiones epiſcopatum *Roffenſem* crudeliter deſtruente, Dominus ad iram inde iterum provocatus, quod facere paraverat non tardavit. Nam *Daci* ex multis partibus venientes, & quaſi nubes cœli *Angliam* ex una parte operientes, *Gipwicum* & totam pene *Eſtangliam* prædati ſunt. Et inde progredientes *Anglorum* exercitui obviarunt. Qui confligentes *Goda* duce eorum occiſo, illam partem exercitus in exterminium redigerunt. Ex alia vero parte *Brithnodus* conſul cum magnis viribus eis obvians, cum ſuis pugnando victus vitam gladiis terminavit.

Anno *Ethelredi* regis xiij. *Ailwinus* conſul & ſanctus *Oſwaldus Eboracenſis* archiepiſcopus fundatores eccleſiæ **Rameſeye**, quam ſanctus idem *Oſwaldus* dum adhuc vixit vj. idus Novembris conſecraverat, ab hoc ſeculo tranſierunt. Qui quidem *Oſwaldus* in monaſterio ſanctæ *Mariæ Wigorniæ*, quod ipſe à fundamentis conſtruxerat, eſt ſepultus. Poſt quem *Eadtilf* ſedem *Eboracenſem* ſuſcepit. Eodem anno *Angli* infauſto conſilio *Sirici Cantuarienſis* archiepiſcopi, ut *Daci* à rapinis & cædibus ceſſarent, cenſum pravum eis ſolvere ſtatuerunt. Quibus x. milibus librarum primo pro tributo datis, hoc malum uſque in hodiernum diem in *Anglia*, & diu niſi Dei pietas ſubveniat, durabit. Nam regibus noſtris modo ex conſuetudine ſolvimus quod *Danis* tunc ex terrore ineffabili ſolvebatur. Secundo vero ſolvebatur eis tributum 16. milium librarum: tercio 24. milium librarum: quarto 30. milium librarum: quinto 40. milium librarum, donec tandem pecunia deficiente iterum tenderent ad rapinas. Poſt hæc rege inſidias *Dacis* molito, *Alfricus* conſul prædictus, quem rex exulaverat & poſtea tamen receperat, fecit eorum exercitum de inſidiis regiis præmuniri: jure autem dicitur, *Quem ſemel graviter læſeris non facile tibi fidelem credideris*. Cum igitur regia claſſis cui dictus *Alfricus* & *Thoroldus* conſules præerant ut *Dacos* interciperent, à *Londoniis* veniſſet, *Daci* omnes præmuniti evaſerunt. Poſtea exercitus *Dacorum* major factus, puppibus regiis obviam venientes, navali cum eis prælio pugnaverunt, ubi multis *Londonienſibus* cæſis, puppes omnes armatas cum *Alfrico* conſule qui inerat ceperunt ab *Anglicis* triumphoſe.

Poſt hæc *Dacis* in *Humbram* navigantibus, & ex utraque parte in **Lyndeſeye** & *Northumbria* prædantibus, cum *Angli* militaribus copiis aggregatis contra eos acies direxiſſent, *Godewinus* & *Fridegeſt*, & alii qui duces *Anglorum* exercitus erant, ante ipſam colliſionem fugam turpiter inceperunt. Exinde *Dani* urbem de **Bamburgh** infregerunt, & ſtragem magnam in *Northumbria* dederunt. Contra quos *Northumbrenſes* occurrerunt. Sed quia duces eorum ex genere paterno *Danici* erant, ideo ipſi fugæ auctores primitus extiterunt. Ea tempeſtate *Ethelredus* rex oculos *Alfagari* filii dicti *Alfrici* conſulis erui præcepit, unde odium & crudelitatis ejus infamia excreverunt. Hiis tranſactis *Swanus* rex *Dacorum* paganus auxilio & præſentia *Anlaf* regis *Norreganorum* pagani ſuffultus, cum lxxx. & xiiij. navibus in nativitate ſanctæ *Mariæ Londonias* venit, ad vendicandum quicquid juris ſeu conqueſtus anteceſſores & fideles ſui unquam in *Anglia* poſſidebant. Cui Comes **Lyndeſeye**, *Cuthbertus* nomine, & incolæ *Northumbrenſes* ac omnes fere magnates *Angliæ* adhærebant, nam regem *Ethelredum* minime dilexerunt, eo quod *Alfrida* mater ſua pro ipſo liberius in regno ſubſtituendo ſanctum *Edwardum* fratrem ſuum doloſe extinxerat, ut dictum eſt.

Pagani vero prædicti urbem *Londoniæ* inſultantes & flamma demoliri parantes, civibus Chriſtianis ab eorum inſultu auxilio beatæ *Mariæ* virginis liberatis, confuſione ineffabili ſunt reverſi. *Daci* igitur ſpe recuperationis civitatis illa vice fruſtrati, acceptis equis ſeniores eorum in *Eſtſaxia*, *Cantia*, *Suthſaxia*, & **Hamteſhire** pergentes, omnia cæde & incendio repleverunt. Unde rex miſſis nunciis cenſum pro tributo & cibum eis promiſit. Quod concedentes, in pace apud *Southamtoniam* hiemarunt. Interea rex *Ethelredus* pro *Anlaf* rege prædicto miſit, quem *Elphegus Wentanus* epiſcopus obſidibus datis regi *Ethelredo* adduxit. Qui eum honorifice recipiens, ipſum in filium à ſacro fonte de manibus epiſcopi ſuſcepit, & multis muneribus confortavit. *Anlaf* itaque ſe nunquam amplius ſine pace in terram *Anglorum* venturum regi promittens, ad partes ſuas rediit, tenens fideliter quod promiſit.

Anno regis *Ethelredi* xvij. ſedes epiſcopalis apud *Dunolmiam* conſtituta eſt, & corpus ſancti *Cuthberti* tranſlatum eſt. Hæc autem ſedes aliquando fuit apud **Lindisfarn**, quod eſt **Halieland** in fluvio **Twede** poſita, ſed tandem tempore hoſtilitatis ſub *Inguar* & *Hubba Ardulphus* tunc epiſcopus *Lindisfarnenſis* eccleſiæ diu cum corpore ſancti *Cuthberti* vagabatur, donec tempore regis *Alfridi Weſtſaxonum* ſedes epiſcopales apud *Rocheſtriam* ſtatuerunt. Circa idem tempus obiit *Siricius Cantuarienſis* archiepiſcopus, poſt quem *Alfricus* epiſcopus *Sariſbirienſis* honorem pallii ſuſcepit. Anno regis *Ethelredi* xviij. *Ricardus* primus tercius dux *Normanniæ* qui annis liij. *Normannis* præfuit, obiit. Cui ſucceſſit filius ſuus *Ricardus* ſecundus qui præfuit annis xxx. Hic præ nimia bonitate ſua dictus eſt *Ricardus bonus*. Nam in Dei ſervitio erat devotus, in rebus mundialibus diſcretus, in dandis facetus & profuſus. Hic quoque ex prima uxore ſua genuit tres filios, *Ricardum*, *Robertum*, *Willielmum*, & totidem filias. Ex ſecunda uxore genuit *Willielmum*, & *Robertum* archiepiſcopum *Rothomagenſem*. Huic *Ricardo* miles erat qui præ inopia coclear ducis furabatur, quod inter cætera invadiavit. Dux ſolus id comperiens, omnia vadia militis redimi fecit: miles autem comperiens hoc coclear ſic fuiſſe deprehenſum, adeo erubuit ut latenter fugeret. Dux tamen militem inſequens fugientem, ſecum reduxit, & plurimum ditavit. Audiens autem quidam magiſter *Bernardus* famam Ducis & volens ei notus eſſe, occaſionem ad hoc undecumque quæſivit, tandem cum arcu & ſagitta ad feneſtram caſtelli ubi Dux proſpiciebat accedens, tanquam vellet Ducem ferire huc atque illuc gradiebatur. Hoc dux comperiens & cauſam intelligens, carum deinceps ipſum *Bernardum* habuit.

Hiis temporibus *Silveſter* ſecundus *Johanne* xvij. ejecto, ſedit in papatu annis quatuor, menſibus ij. Hic natione *Gallicus*, nomine *Gilbertus*, apud *Floriacum* à puero monachus adolevit. Qui vel tædio ſeu cupidine devictus, de nocte à monaſterio fugiens, diſcendi cauſa *Hiſpalim Hiſpaniæ* urbem adiit, ut aſtronomiam addiſceret. Quo cum veniſſet, junxit ſe cuidam illius artis perito, qui libros ei aſtronomicos præbuit ad ſcribendum. Erat autem inter cæteros codex unus totius artis conſcius, quem de manibus magiſtri nullo modo elicere poterat. Ardebat contra *Gilbertus* in concupiſcentia libri, unde ad preces converſus, ubi nichil profecit, donaria magna offert & plurima pollicetur. Sed omnibus promiſſionibus à magiſtro contemptis, *Gilbertus* nocturnas parat inſidias ut ſaltim furto codicem ſurripiat. Itaque magiſtrum convivantem, filia ejus quam *Gilbertus* amabat, patrem vino inebriatum lecto componit, volumenque ſub cervicali ſtertentis poſitum *Gilbertus* arripuit & aufugit. Magiſter vero à ſompno excuſſus, indicio ſtellarum, qua arte erat peritus, inſequitur fugientem, *Gilbertus* quoque ex ſtellarum inſpectione magiſtrum ſe inſequentem comperiens, ſub ponte ligneo qui prope erat ſe abſcondit, & ita pendulus pontem amplectens, ut nec aquam tangeret neque terram. Itaque quærentis aviditate fruſtrata, magiſter domi revertitur confuſus. Tunc *Gilbertus* iter expediens venit ad mare, ubi per incantationes diabolo advocato homagium fecit, ut ſe à magiſtro inſequente tutum ultra pelagus aſportaret. Quod & factum eſt. *Gilbertus* ad *Galliam* repatrians publicas ingreſſus eſt ſcolas, ubi multos dictæ ſcientiæ habuit diſcipulos, Inter quos *Othonem* imperatorem & *Robertum* regem *Franciæ* habuit auditores, quorum ope factus eſt primo epiſcopus *Remenſis*, deinde arhiepiſcopus *Ravenenſis*, & tandem pontifex *Romanus*.

In diebus hujus *Gilberti* fuit prope *Romam* in campo Marcio ſtatua quædam ænea, cujus dextra manus digitum, quem Indicem dicimus, habuit extentum, & ſcriptum erat in capite, *Hic percute*. Hoc illius temporis homines ita intelligendum putaverunt, quod in ſtatua theſaurum invenirent, unde multi eam innocentem ſecurium ictibus inaniter laniabant. Sed illorum errorem *Gilbertus* aliter exponens, in meridie, ſole in centro exiſtente notavit quo ſe umbra illius ſtatuæ extenderet, & ibi palum fixit: mox nocte ſuperveniente, cum ſolo cubiculario lanternam portante locum adiit, terram ſolitis incantationibus aperiens, latum ingredientibus introitum patefecit. Conſpexerunt ingens palatium aureos habens parietes, aurea luminaria, aurea univerſa; vident milites aureos aureis teſſeris quaſi animum oblectantes, regemque metallicum cum regina diſcumbentem, appoſita fercula, miniſtros aſtantes, pateras multi ponderis & precii, ubi natura vincebat opus. In interiori parte domus, carbunculus lapis tenebras noctis fugavit. In contrario angulo ſtabat puer arcum tenens, extento nervo & intenta ſagitta, ita quod in omnibus nichil erat quod impune tangi poſſet, etſi poſſet videri. Continuo enim ut quis manum ad contingendum aliquid aptaret, videbantur omnes ymagines illæ proſilire, & impetum facere in præſumptorem. Quo timore preſſus *Gilbertus* à rebus abſtinuit concupitis. Sed cubicularius cultellum nimis artificioſe operatum videns, illum arripuit, quia in tanta copia parvum latrocinium latere poſſe arbitratus eſt. Sed mox omnibus ymaginibus cum fremitu exſurgentibus, puer ſagitta in carbunculum emiſſa tenebras induxit. Et niſi ille monitu Domini ſui cultellum rejicere acceleraſſet, graves ambo pœnas pertuliſſent.

Poſt hæc iſte *Silveſter* papa quæſivit à diabolo cui ſervivit, quamdiu viveret. Et ille, Quamdiu, inquit, in *Jeruſalem* non celebraveris. Gaviſus tunc valde erat papa, ſperans ſe longe eſſe à morte ſicut longe fuit à voluntate peregrinandi in *Jeruſalem* ultra mare: ſed dum poſtremo tempore quadrageſimali apud eccleſiam ſanctæ crucis *Romæ*, quæ dicitur *Jeruſalem*, in *Laterano* celebraret, ex ſtrepitu dæmonum adventantium præſenſit mortem ſibi adeſſe. Qui ſuſpirans, peccata ſua coram omnibus eſt confeſſus. Abſcindique fecit omnia menbra ſua quibus diabolo homagium fecerat, truncumque corporis mortui ſuper bigam poni juſſit, præcipiens & obteſtans, ut ubicumque animalia ſe trahentia ſubſiſterent, ibidem corpus ſuum ſepelirent; quod & factum eſt. Nam apud *Lateranenſem* eccleſiam boves ſubſtiterunt, ubi & ipſe ſepultus eſt; unde in ſignum miſericordiæ à Domino conſecutæ, ſepulcrum ipſius tam ex tumultu oſſium reconditorum quam ex ſudore ſarchofagi præſagium eſt papæ cito morituri: ſicut eſt ibidem uſque hodie *Latinis* literis exaratum.

Anno *Ethelredi* regis xix. *Dani Weſtſaxoniam* circumnavigantes, circa cornu *Walliæ Sabrinam* mare intrant. Qui ad **Wereport** egredientes, in comitatu *Devoniæ* & *Suthwalliæ* prædaverunt patriam undique, & præcipue monaſterium de **Taveſtok** in *Devonia* vaſtantes, Adverſus quos quociens *Angli* eſſent bellaturi, aut inſidiis, aut dolo ſuorum ſeu infortunio inpediti, terga verterunt. Deinde *Dani* cum ferro & flamma circa **Penwiſtric** ex auſtrali parte reverſi, & in *Tamremudam* & inde uſque **Lideſord** venientes, monaſterio *Ordulphi* apud **Eſingeſtoche** combuſto, faſcibus & flammis omnia commendabant. Hiis tranſactis, hoſtes in **Fromundham** pergentes & à puppibus exeuntes, in **Dorſete** nullo reſiſtente cum clade ſolita ambulabant. Hoc tamen anno quandoque in *Vecta* inſula perhendinabant, & in **Hamteſchire** & *Suthſexia* paſcebantur. Poſt hæc *Daci* puppes ſuas in *Thameſiam* direxerunt, & inde per flumen **Medeweye** uſque *Rouceſtriam* pervenerunt; ubi *Kentenſes* congregati, cuneis conſtructis bellum acerimum inceperunt. *Daci* vero bellis ſemper intenti, campo Martis demum ſtrenue ſunt potiti. Interea rex *Ethelredus* in *Cumberlandia* ubi multi *Daci* erant manentes, cum exercitu graviſſimo tranſiens, bello ibi maximo *Dacos* vicit, & totam *Cumbrorum* patriam devaſtavit; unde mandavit ut ſua claſſis ibi dem ſibi occurreret, ſed tempeſtate impedita inſulam intravit *Moniam* & vaſtavit. Hiis actis, quidam exercitus *Dacorum* ad *Examutham* veniens, caſtrum ibi expugnare ſatagentes, caſtrenſibus viriliter reſiſtentibus receſſerunt, cum ducibus ſolitis *Marte* & *Vulcano* per patriam circumquaque diffuſi. Congregatis denique contra eos *Somerſetis* & apud *Penho* cum eis pugnantibus, *Daci* ſemper bellis exercitati victoria ſunt potiti. Deinde *Danica* claſſis *Normanniam* petiit, ſed inde cito reverſi *Exceſtriam* oppugnant, à qua urbe repulſi circa ripas auſtrales *Anglia* acrius inſæviunt.

Circa hoc tempus corpus ſancti *Ivonis* epiſcopi inventum eſt. Iſte *Ivo* natione *Perſicus*, relictis ſeculi deliciis multiſque terrarum ſpaciis decurſis, in ruſtico habitu cum tribus comitibus in *Angliam* veniens, apud inſulam de **Rameſeye** vitam peregit heremeticam. Cujus ſepulcrum & nomen cum diu ab incolis neſciretur, cuidam ſimplici viro ipſe *Ivo* apparuit, nomen ſuum, locum & gradum ſimiliter ſibi pandens, ac monens ut ad abbatem **Rameſeye** iret, & ſimul cum eo corpus ſuum de terra levaret. Quod dum fieret fons omnium valitudini ſalubris de Mauſoleo erupit, ita ut uſque hodie in tota vix *Anglia* ſit ſancto *Ivone* exorato aliquis Sanctus facilior aut effectu efficacior.

Circa hoc idem tempus *Dublinia* metropolis *Hibernia* à *Scotis* vaſtata eſt. Hiis temporibus *Hugo Chapet* rex occidentalium *Francorum* filius ducis *Hugonis*, auxilio *Ricardi* ducis *Normannia* cujus ſororem ipſe dux deſponſaverat, in regem *Francorum* erectus, & poſt *Lotharium* filium *Ludowici* regis occidentalium *Francorum* ſine liberis decedentem, quamvis aliqui tradunt ipſum liberos habere & ſibi non ſuccedere, in quo ea de cauſa progenies magni *Karoli* ceſſaverat, ix. annis regnans obiit. Cui ſucceſſit *Robertus* filius ſuus, qui regnavit circiter 30. annos. Hic *Robertus* à prædicto *Gilberto* aſtrologo, poſtea papa *Silveſtro* doctus, unde ſcientia præclarus in magnis ſanctorum feſtis in aliquo regni ſui monaſterio cum monachis aut cantavit, aut capam portando chorum rexit: unde cum ſemel in feſto ſancti *Amani Aurelianis* exercitu ſuo circa caſtrum quod obſidebat dimiſſo, *Agnus Dei*, capam gerens, genua flectendo ter perſonaret, muri caſtri obſeſſi ſubito corruerunt. Hic *Robertus* rex fecit ſequentiam illam de feſto Pentecoſtes, quæ ſic incipit, *Sancti Spiritus aſſit nobis gratia.*

Anno ab incarnatione Domini milleſimo, matre *Edmundi* **Ireneſide** filii regis *Ethelredi* jam per aliquot annos prius mortua, rex *Ethelredus* ſe & ſuos valde debilitatos videns, futuramque cladem non mediocriter timens, ad tuitionem & majorem ſecuritatem regni ſui *Emmam* filiam *Ricardi* fortiſſimi conſulis *Normannorum* & omni regno *Francorum* formidabilis, in conjugem ſibi aſſumere cogitavit. Hoc autem Dei nutu factum eſſe conſtat, ut malum contra improbos *Anglos* poſtea juſto Dei judicio tempore diſpoſito adveniret. Nam ſicut *Angli* quos Deus ſceleribus ſuis exigentibus diſterminare propoſuerat, *Britones* peccatis ſuis exigentibus humiliaverant, & à terra *Anglia* minus juſte fugaverant: ſic ipſi duplici perſecutione primo *Dacorum* ſævientium, poſtea *Normannorum* ſupervenientium fortitudine gentibus extraneis ſubderentur, quod in ſequentibus apparebit, cum ex hac conjunctione *Anglorum* & filiæ ducis *Normannorum*, *Normanni* ſecundum jus gentium *Angliam* poſtea calumpniati ſunt & ſimiliter adepti. Prædixit eciam eis vir quidam Dei, quod ex ſcelerum ſuorum inmanitate, non ſolum quia cædi & proditioni ſtudebant, verum eciam quia ſemper ebrietati & negligentiæ dediti erant, eis ſuperatis, dominium eorum genti *Francia* adventurum. Cum igitur hac Dei providentia rex *Anglorum Ethelredus* nuncijs ad ducem *Normannia* miſſis ſuæ petitionis conceſſionem optinuiſſet, ad dictam domicellam recipiendam & adducendam, *Anglorum* proceres tanto miniſterio digni debito tempore ſtatuto in *Normanniam* deſtinantur.

Anno ab incarnatione Domini milleſimo primo, cum jam merita glorioſi martyris *Edwardi* fratris regis *Ethelredi* miraculorum magnalibus, quæ cotidie ad tumbam ejus fiebant, longe lateque declararentur, & ſupernæ jam diſpenſationi ut ejus ſacræ reliquiæ à terra levarentur complacuiſſet, cœpit hoc quibuſdam indiciis ipſe ſanctus manifeſtare, & quo ordine id debuiſſet fieri viſionibus quibuſdam demonſtrare. Nam tumulus in quo requieſcebat tanta indies facilitate à terra elevabatur, ut liquido cunctis appareret, eum à loco illo velle transferri. Præterea quoque cuidam viro religioſo in viſione apparuit, cui & dixit, Vade ad cœnobium quod famoſo nomine *Septonia* vocatur, & ad abbatiſſam virginem *Alfredam* quæ cæteris inibi Deo famulantibus præeſt, perfer mandata. Dices ergo ei quia in loco in quo nunc jaceo diutius eſſe nolo, & ut hæc fratri meo *Ethelredo* regi abſque aliqua dilatione denunciet ex parte mea impera. Qui mane conſurgens ad abbatiſſam ut juſſus fuerat, concito ivit, & cuncta quæ oſtenſa ſibi fuerant ſibi per ordinem narravit. At illa ſuper hoc omnipotenti Deo gratias agens, univerſa protinus auribus regis *Ethelredi* expoſuit, ſed & ſepulcri ejus elevationem cum ſumma devotione innotuit. Audiens autem rex tantam fratris ſui gloriam, inmenſo perfunditur gaudio, & libenter quidem ſi oportunitas daretur, ad tale ejus præconium conveniret, elevationi ejus cum toto mentis affectu deſiderans intereſſe. Sed quia varijs & gravibus hoſtium incurſionibus circumquaque vallatus, præſentiam ſuam ad id peragendum minime exhibere potuit; nuncios ad reverentiſſimum *Sirebernenſem* epiſcopum, & ad quendam magnæ ſanctitatis præſulem *Elfſinum* nomine cæteroſque probabilis vitæ viros dirigit, monens & imperans ut venerabilis viri fratris ſui corpus de terra elevatum condigno loco reponerent. Qui ſecundum regium mandatum, ad ſupradictum monaſterium cum magno virorum & mulierum turba libenti animo convenientes, aperto cum ſumma veneratione glorioſi martiris monumento, tanta ex eo odoris fragrantia emanavit, ut omnes qui aderant quaſi in paradiſi deliciis ſe conſtitutos æſtimarent. Tunc pontifices devote accedentes, ſacras delicias de tumulo ſuſtulerunt, & in loco venerabili ad hoc præparato eas diligenter componentes, in ſancto ſanctorum cum aliis ſanctorum reliquiis in ſpirituali divinæ exultationis tripudio intulerunt. Elevatum eſt itaque ſacrum corpus anno xxj, ex quo illuc fuerat tumulatum. Succedente poſtea tempore pars corporis ejus apud **Leoſ** monaſterium juxta **Herforde**, pars vero apud *Abendoniam* eſt tranſlatum. Locus vero apud *Septoniam* ubi pulmo ejus adhuc integra viriditate palpitat **Edwardſtowe** dicitur.

Anno Domini milleſimo ſecundo, *Emma* dicti ducis *Normannorum* filia in *Angliam* veniens, regi *Ethelredo* copulatur, & diadema nomenque reginæ ſuſcepit; ex qua poſtea idem rex genuit duos filios, *Alfridum* videlicet, & ſanctum *Edwardum* videlicet Confeſſorem. Cujus conjugio rex in ſuperbiam elatus, omnes *Dacos* qui cum pace in *Anglia* erant, una eademque die, ſcilicet in feſto ſancti *Bricii* clandeſtina proditione, literis occultis in unamquamque urbem per regem ad hoc miſſis, proſequi fecit perfide & mactari. Eodem anno præfatus rex *Liffium* ducem, qui *Effic* regis vicecomitem occiderat, exulavit. Hoc anno fundatum eſt monaſterium de **Burton** ſuper **Trent** à quodam *Wolrico* ſponte, rege annuente.

Anno Domini milleſimo tercio, *Swanus* rex *Dacorum* audita morte ſuorum, nocte ſancti *Bricii* ut ſupra ſcribitur conſpirata, cum magna claſſe *Dacorum Cornubiam* applicuit. *Daci* vero ſcelere prædicto ad iram provocati, quaſi multitudo locuſtarum ad *Exoniam* venerunt, ubi per traditionem *Hugonis Normannici*, quem *Emma* regina jam ibi vicecomitem ſtatuerat, urbem & muros funditus deſtruxerunt, & omnia ſecum ſpolia, relictis tantum cineribus, aſportarunt, & dictum *Hugonem* in compedibus alligatum ſecum duxerunt. Cumque gens comitatus *Hamtonienſis* & *Wiltonienſis* ad eos expugnandos congregata eſſet, & ad prælium appropinquaſſet, *Edricus* dux eorum infirmum ſe fingens ad vomitum ſe cogebat, & ſic gentem *Anglorum* prodidit quam ducebat. Et quoniam verum eſt quod vulgo dicitur, Quando dux deficit exercitus vileſcit, *Daci* ducem hoſtium ſuorum abeſſe videntes, eos uſque *Wintoniam* perſequuntur. Qua prædata & combuſta, *Daci* ad urbem *Sarum* fortiter tranſierunt, & inde ad puppes ſuas cum præda & triumpho maximo remearunt.

Anno Domini milleſimo quarto, *Swenus* rex *Dacorum*, vir fortiſſimus cui Deus regnum *Anglia* deſtinaverat, cum multis navibus ad *Eſtangliam* veniens, *Norwicum* prædatus eſt, eam miſerabiliter comburendo; quod *Vlfketel* dux illius provinciæ videns, provincialibus mandavit, ut aut hoſtium naves infringerent aut cremarent. Sed illis diſſimulantibus, aut illud agere non audentibus, dux ipſe improviſum *Dacorum* adventum ſuſtinere non ſufficiens, cum exercitu pacem fecit, infra quam *Dacorum* exercitus poſt tres ebdomadas ad *Thetfordiam* furtim pergens, eam prædatam combuſſit. Quod dux *Vlfketel* comperiens, mane ex improviſo cum parva manu exercitui *Dacorum* ad puppes revertenti occurrit, & acerimum intulit eis bellum. Sed illis graviter reſiſtentibus diu perſiſtere non ſuffecit.

Anno Domini milleſimo quinto, tanta deſolatio famis *Angliam* invaſit, quantam nullus hominum meminiſſe potuit; unde *Swanus* fame compulſus cum ſuis in *Daciam* transfretavit.

Anno Domini milleſimo ſexto, *Alfricus* ſive *Wolricus Cantuarienſis* archiepiſcopus qui xj. annis ſederat, obiit; cui ſanctus *Elphegus* epiſcopus *Wentanus* ſucceſſit. Ille *Elphegus* poſt monaſticum habitum apud **Derherſt** ſuſceptum, apud *Bathoniam* anachoritice vixit, & monachos ibidem poſtmodum congregavit. Quibus, ampliſſima manſione conſtructa, idoneum præpoſitum, ut ipſe orationibus vacaret aſſignavit, ubi quidam eorum coruptelam, ut fieri ſolet in magno collegio, contraxerunt. Nam patre neſciente convivia de nocte fecere, & uſque ad lucem fere potationibus indulſere; ſed hujuſmodi factionis ſignifer Deo ulciſcente in media potantium æde expiravit. Quod pater ex ſonitu comperiens, ad feneſttam acceſſit, duos dæmones corpus torquere vidit. Ac dum ille miſer ſuffragium quæreret, reſponderunt hoſtes. Nec tu obediſti Deo, nec nos tibi obediemus. Poſtmodum felicis memoriæ ſancto *Ethelwoldo*, *Wentano* epiſcopo ab hac luce ſubtracto, de ſucceſſore ſedis illius certamen maximum eſt exortum. Sanctus vero *Dunſtanus* tunc *Cantuarienſis* archiepiſcopus dum pro ſedanda diſſenſione Dominum ſedulus exoraret, ſanctus *Andreas* apoſtolus apparuit ei dicens, *Elphegum* abbatem *Wentanæ* eccleſiæ deſolatæ epiſcopum conſtituite. Cumque ipſe viſionem illam regi *Ethelredo* & partibus diſſidentibus innotuiſſet, unanimiter in Dei ſententiam tranſierunt. *Elphegus* itaque in epiſcopum *Wentanæ* eccleſiæ conſecratus, talem ſe cunctis exhibuit, ut nemo dubitaret ipſum electione divina fuiſſe promotum. Qui carnibus edendis nunquam niſi æger indulſit; de nocte fallens cuſtodes in ampne ſtabat ad ilia demerſus, laudes Deo uſque ad diluculum perſolvens. Elapſo poſtea quinquennio beatus *Dunſtanus* ad Dominum migravit. Poſt quem tribus archiepiſcopis ab hac luce ſubtractis, beatus *Elphegus* cleri & populi totius provinciæ votis & canonica electione *Cantuarienſis* archiepiſcopus eſt effectus anno Domini, ut ſupra, milleſimo ſexto, indictione quarta, ab adventu *Anglorum* in *Britanniam* l. ſeptuageſimo viij. ætatis vero ipſius lij. Qui deinde *Romam* pro pallio tendens, in quodam viculo de rebus ſuis ſpoliatur; ubi dum Deo vindicante viculus ille arderet, convicanei ſcelus ſuum recognoſcentes veniam rogant, rapta reſtituunt, precibus *Elphegi* ignem extinctum cernunt. *Elphegus* itaque demum *Romam* veniens, honore quo decuit ſuſceptus eſt, ubi quodam die ſupra modum cœpit contriſtari, cujus triſtitiæ cauſam requiſitus, reſpondit, *Wentanus* qui michi ſucceſſit epiſcopus hodie defunctus eſt. Illi autem diem ſignantes, ut per Sanctum dictum fuerat poſtea invenerunt.

Pallio itaque à papa recepto in *Britanniam* rediens, priorem vitam virtutibus auxit, & ſua ſancta & honeſta converſatione exemplum bene vivendi aliis eccleſiaſticis viris dedit. Eodem anno cum *Swanus* rex *Dacorum* vir audaciſſimus, quem ſemper tres ſociæ, ſcilicet prædatio, combuſtio & occiſio comitabantur, in *Angliam* rediſſet, & ad *Sandwicum* menſe Julii applicuiſſet, omnis *Anglia* frenduit, & velut arundinetum zephiro vibrante colliſum commota eſt. Cum autem *Dani Cantiam* & *Suthſaxiam* deprædaſſent, rex *Ethelredus* exercitu ſuo congregato cum per totum autumpnum contra eos perſiſteret, nichil profecit illi; namque claſſem alibi dirigentes ludum ſolitum exercebant, & *Anglorum* exercitum multiplici deluſione, nunc rapiendo, nunc ad naves redeundo vexaverunt. In principio vero hiemis in inſula *Vecta* manſerunt, & ſicut per prophetam dictum eſt, *Dies feſtos vertam in luctum*, in natali Domini **Hampteſſchire** & **Barcſchire** uſque **Redinges** perambulaverunt; inde ad **Walyngford**, & **Colebrok**, & vicinas villas pergentes, quæ pro ſolempni feſto parata erant hillariter comedentes. Et quocunque veniebant cum diſcederent, in retributione procurationis hoſpiti cædem hoſpitioq; flammam reddebant. *Dacis* ad mare revertentibus, exercitus *Weſtſaxia* obviavit, cum eis fortiter præliando, nichil tamen *Weſtſaxenſes* tunc profecerunt, niſi quod victi *Dacos* ſpoliis ditaverunt. Rex autem *Ethelredus* cum mæſtitia & confuſione ad firmam ſuam in comitatu *Salopia* jacebat, ſæpe rumorum aculeis ſauciatus. Anno Domini millesimo ſeptimo, rex *Ethelredus* & ſenatus *Anglorum* dubii quid agerent, quidve omitterent, communi deliberatione gravem conventionem cum *Dacis* facientes, pro pacis obſervatione xxx. mille libras eis dederunt. Eodem anno Dei providentia ad *Anglorum* perniciem rex *Ethelredus* conſtituit ducem *Merciorum Edricum* patruum *Godwini*, genere humilem ſed lingua locupletem, ingenio callentem, eloquio ſuavem, proditorem novum, ſed maximum & animo verſipellem.

Anno Domini milleſimo octavo, qui eſt annus regis *Ethelredi* xxx. rex per totam *Angliam* ex trecentis & x. hidis navem unam, & ex viij. hidis loricam & galeam parare fecit. Hida autem Anglice vocatur terra unius aratri culturæ ſufficiens per annum.

Anno Domini milleſimo nono, rex *Ethelredus* nuncios ſuos *Ricardo* duci *Normannorum* miſit cauſa conſilii & auxilii poſtulandi. Congregatis autem prædictis puppibus cum viris optime armatis apud *Sandwicum*, non erat in *Britannia* tantus numerus navium tempore alicujus regis viſus. Illuſit autem eos Deus; rex ſiquidem quendam puerum nobilem *Wolnod* nomine, de *Suthſaxia* exulaverat, qui cum xx. navibus prædari juxta litora maris cœpit. Igitur *Brithric* frater ducis *Edrici* laudem ſibi adquirere volens, lxxx. ex puppibus prædictis ſecum duxit, & dictum *Wolnod* regis hoſtem vivum vel defunctum ſe regi allaturum promiſit, ſed in procedendo ventus validus & ultra modum horribilis, omnes naves ejus ad terram pernicioſe jactavit, quas *Wlnod* ſuperveniens continuo concremavit. *Brithric* vero & ſui ſiniſtris angariati initiis, relictis puppibus *Londonias* redierunt; & ſic exercitu diviſo omnis labor *Anglorum* quaſſatus.

Tempore ergo meſſis exercitus *Dacorum* novus & innumerabilis apud *Sandwicum* venit, inde & *Cantuariam* progreſſi, ſtatim eam cepiſſent niſi cives dando iij. mille libras pacem citius impetraſſent. *Daci* vero in *Vectam* inſulam poſtea devenerunt, & inde *Suthſaxiam*, **Hampteſchire** & **Barcſchire** prædati ſunt. Rex autem *Ethelredus* collectis omnibus *Anglorum* viribus *Dacis* regredientibus obviavit, finemque eorum ſævitiæ impoſuiſſet, niſi dux *Edricus* ſemper proditor rumoribus falſis, & terroribus regi pugnam diſſuaſiſſet. Poſtea *Daci* redeuntes, in *Thameſiam* hiemarunt. Qui *Londoniam* ſæpe inſultantes, ſæpe viriliter ſunt repulſi. Trans natale vero per *Chilternam Oxonia* perrexerunt. Qua combuſta, per **Stanes** in *Cantiam* redeuntes puppes ſuas contra ſe adductas in quadrageſima emendarunt.

Anno Domini milleſimo decimo, *Daci* in die Aſſenſcionis apud *Gipwicum* venientes, in *Ulfketel* ducem exercitus *Eſtanglorum* inſurrexerunt; *Eſtanglis* vero protinus fugientibus, homines comitatus *Cantebrigia* viriliter obſtiterunt; unde *Anglis* regnantibus laus *Cantebrigienſis* provinciæ ſplendide florebat. Cuneis vero inter ſe invincibiliter confligentibus, mortiſque caſum vilipendentibus *Edelſtanus* ſororius regis, & *Oſwy*, dux *Edwy*, & *Wlfric* conſul, & multi cum eis principes occiduntur. *Angli* vero cum adhuc memoria fuga nulla adeſſet, Turcetild **mireheved**, i. *caput formicæ* primam fugam incipiens, obprobrium meruit ſempiternum. *Daci* autem victores terram *Eſtanglia*, & paludes adjacentes eccleſiis prædatis tribus menſibus combuſſerunt. Qui villa *Thetfordia* deſtructa, & *Cantebrigia* combuſta, inde uſque **Balſam** receſſerunt, & quoſcumque in eodem loco invenerunt, neci horribiliter tradiderunt. Quidam vero fama dignus in gradus turris templi adhuc ibidem ſtantis aſcendens, tam loco quam probitate munitus, ab omni ſolus exercitu ſe defendit. Inde vero *Daci* per *Eſtſaxiam* tranſeuntes, ad flumen *Tameſis* pervenerunt. Nec ſegnes inde in comitatibus *Oxonia* & *Bokinghamia*, & ſic juxta *Uſam* ad *Bedefordiam*, & poſtea ad *Tamesfordiam* ſuas acies promoverunt. Ad feſtum vero ſancti *Andrea* ad *Northamptoniam* ſe divertentes, eam pertranſeundo combuſſerunt, & ad natale tota terra circa *Tameſiam* combuſta, ad puppes ſuas redierunt. Eodem anno corpus ſancti *Edmundi* regis & martiris de *Londoniis* verſus **Bury** quæ tunc Anglice **Bedricheſworthe** dicebatur, per pontem de **Stratforde** in una carecta ductum eſt, una rota ejuſdem carectæ ultra aquam ſine aliqua ſupportatione ſtricti pontis miraculoſe concurrente, ſicut ſuper in proceſſu regis *Edmundi* dictum eſt.

Anno Domini milleſimo xj. cum jam *Dani* ex boreali parte *Tameſis Eſtangliam*, & comitatus *Cantebrigia*, *Oxonia*, *Bokinghamia*, *Eſſexia*, *Middelſexia*, *Herfordia*, *Bedfordia*, & illam partem *Huntyngdonia* quæ eſt ex iſta fluminis, & multum de comitatu *Northamptonia*, & ex auſtrali parte *Tameſis*, *Cantiam*, *Suthreiam*, **Haſtinges**, *Suthſaxiam*, **Barcſchire**, **Hampteſſchire**, & multum in comitatu *Wiltonia* prædaſſent, *Danicus* Comes *Turkillus* qui boriales *Britannia* partes piraticis aſſultibus occupaverat, & contra *Ulfketel Eſtanglorum* ducem apud **Ryngemere** bellum geſſerat, *Cantiam* cum valido exercitu *Danorum* applicuit. Quibus ſanctus *Elphegus* archiepiſcopus occurrens, verbum vitæ prædicando, captivos redimendo, famelicos alendo, multos eorum ad fidem Chriſti convertit. Reliqui vero, Chriſti lucra ſua dampna reputantes, virum ſanctum miſerabili odio perſequuntur, quorum conatibus novam diabolus occaſionem præparaverat. Nam eo tempore prædictus dux *Merciorum Edricus*, perfidia, & ſuperbia, ac crudelitate omnes tunc temporis *Anglos* ſuperans, cum ſanguinem fratris ſui (quem *Cantuariorum* nobilitas pro ſua violenta ibidem dominatione & totius *Cantia* oppreſſione nuper interfecerat) cum jure vindicare non poſſet, *Danis* in *Ethelredi* regis & totius regni perniciem ſe conjunxit. Unde *Dani* vehementer elati, metropolim *Anglia Cantuariam* obſederunt, nullum inde exitum civibus relinquentes. Viceſimo autem die cum jam cibaria incluſis deficere cœpiſſent, pontifex miſſo nuncio hoſtibus ſalubri exhortatione ſuggeſſit, ut à crudelitate ſua deſiſterent. Illi vero poſt ſanctam amonitionem crudeliores effecti, facie antiquæ urbis pulcherrimæ tota per bellicas machinas in cineres redacta, traditione & proditione cujuſdam *Almari* diaconi, quem archiepiſcopus à morte nuper liberaverat, fractis foribus ingrediuntur, non religioni, nec ætati, nec ſexui parcentes. Venerabilis vero pontifex paratus pro ovibus animam dare, quod potuit fecit. Ad locum ubi magna ſtrages fiebat ſecurus irrumpens, impietatem eorum cum magna ſpiritus & vocis libertate dampnavit. Quod illi non ferentes, ipſum archiepiſcopum, & *Godwine* epiſcopum, & *Loſwynum* abbatem, & *Alfword* regis præpoſitum, & clericos cum monachis, & viros cum mulieribus, abbate ſancti *Auguſtini* abire permiſſo capiunt, archiepiſcopumque cito vinculatum pugnis & calcibus tundunt; & ſic ad atrium templi impiorum manibus cogitur impulſus omnium flagitiorum aſſiſtere ſpectator. Templum etiam filii omnipotentis Dei, à filiis diaboli, injectis undique flammis, cum inhabitantibus eſt crematum, ita ut de viij. fere milibus hominum, quatuor tantum monachi, & octingenti inferioris ordinis viri vix remanerent. Poſt hæc cum archiepiſcopus viliter extraheretur, prope portam ſeptentrionalem incarcerandus, pauci civium qui cædi ſupererant, pontifici ſuo condolentes, elatis in cœlum manibus altis vocibus cauſam innocentiæ Deo commendaverunt. Ad quos confortandos in Domino cum epiſcopus paululum reſtitiſſet, à perſecutoribus graviſſimum in humero vulnus accepit; quem ſic vulneratum carcerali cuſtodiæ manciparunt, pro ſui liberatione omnes facultates eccleſiæ poſtulantes; ubi dum vir ſanctus per vij. menſes inedia & ſqualore cruciaretur, perſecutores ejus, imo & Chriſti ultio divina percuſſit, ut in brevi duobus eorum milibus per diros internorum viſcerum cruciatus proſtratis, cætera quoque multitudo ſimili modo percuſſa ſimile operaretur exercitium. Pœna igitur compellente & fidelibus *Danis* ut præſuli ſatisfaciant ſuadentibus, reos ſe in Chriſtum & ejus pontificem confitentur, veniam poſtulantes.

Erat autem ſolempnis ille reconciliationis dies in ſabbato ſancto Paſchæ. Reſpondit epiſcopus, Quamvis infidelitas veſtra veniam non mereatur, mei tamen ordinis. & Chriſtianæ profeſſionis eſt inimicos diligere, odientibus benefacere, & pro perſecutoribus exorare. Invocato igitur Chriſti nomine omnes pane benedicto cibatos à peſte liberavit. Cumque per triduum nemine moriente ſe curatos eſſe conſpicerent; per internuncios viro Dei pro tanta gratia ore non corde gratias reddunt. Deinde ipſum iniqua conditione coarctant, ſcilicet ut ſi velit vita & libertate potiri, lx. argenti talenta ab incolis extorquenda eis perſolvat, ſingulis talentis quinquaginta librarum pondere appenſis, & inſuper regi perſuadeat, quatinus *Angli Danis* ad perpetuam regum & regnorum pacem, ejuſdem ponderis CC. talenta ſingulis annis conſtituant ſolvenda. Quibus vir ſanctus, Non eſt, inquit, hominis Chriſtiani, aut pauperum prædonem, aut patriæ fieri proditorem. Abſit ut pro corporis mei redemptione alios fame perire compellam pro quibus ex officii debito animam dare ipſe compellor. Si beatus *Laurentius* theſauros quos acceperat laudabiliter occuluit ne eos perſecutor inveniret, ego quos non accepi crudeliter exquiram crudeliuſque perdam? Hiis dictis, nova in ipſum multiplicatis tortoribus ſupplicia cumulantur. Cumque carceris atrocitate torqueretur, ſathanas in angelum lucis ſe transformans, mentitur ſe à Deo deſtinatum, ut illum de ſqualore carceris educat: Nec vereatur notam fugæ vel timoris incurrere, cum neque *Petro* ſublimior, neque *Paulo* robuſtior, quorum alterum ſporta contexit, alterum vero carcerali ſtridore gravatum angelus abſolvit. Chriſti quoque venerandum teneat exemplum, qui ut lapidantium manus effugeret, de templo exivit, ac fugiendi licentiam evangelico præcepto ſuis mandavit. Hiis ille motus exemplis carcerem egreditur, per multa diſcrimina noctis & itineris ſeductorem ſequens, ac cum maxime ductoris auxilio & conſilio indigeret, ſeductor repente diſparuit. Tunc vir ſanctus in ſe reverſus ait, Adjutor in tribulationibus Deus adeſto michi conſolator, & ductor in hoc itineris & noctis incerto diſcrimine. Statim aſtitit ei angelus Dei dicens, Redi vir ſancte ad locum coronæ tuæ cœlitus deputatum, ſciturus quod die craſtino Deus pater te in cœlo honore illo maximo honorabit, ut ſis cum ejus filio unigenito in æternum. *Elphegus* igitur ab angelo revocatus, cum jam carceri apropinquaret, à carnificum turba comprehenditur, flagellatur, vulneratur, ac tandem carceri mancipatur, ubi fimo fœtidiſſimo cruciatur. Illuceſcente autem octavarum ſabbato, id eſt, ſabbato in ebdomada Paſchæ, apparuit ei ſanctus *Dunſtanus Cantuarienſis* quondam archiepiſcopus, multa Sanctorum pſallentium ſocietate ſtipatus, dicens, Æterni regis invictiſſime miles quod reliquum eſt paſſionum libens excipe, ſciens non eſſe dignas hujus temporis paſſiones ad ſuperventuram gloriam quæ in te revelabitur: unus namque & hodiernus dies ad ſupplicium, ſed jugis & ſempiternus tibi erit ad præmium. Inter hæc ſolutis vinculis & omni corporis plaga ad integrum ſanata, *Elphegus* pſallere cum pſallentibus cœpit. Pavefacti cuſtodes miraculum ſociis nunciant. Qui turmatim properantes per parietem carceris, virtutem conantur intueri: ſed majeſtatis & luminis magnitudine percuſſi reſiliunt. Quod cum principibus exercitus intimatum fuiſſet, ſtatim in virum Dei ſententiam mortis ferunt, ne illo diutius vivente, qui per ipſum converſi fuerant contra ipſos armati procederent. Mox igitur ipſum à carcere abſtractum lapidibus & oſſibus bovinis obruunt. Ille vero flexis genibus oravit, dicens, Domine Jeſu Chriſte qui non vis mortem peccatorum ſed magis ut convertantur & vivant, iſtis miſerere, & ſuſcipe me in pace. Tunc prolapſus in terram iterumque reſurgens, ait, Paſtor ſumme, filios eccleſiæ quos tibi moriens commendo, tuere. Accurrens autem quidam quem & ipſe ante de ſacro fonte ſuſceperat, cum videret virum Dei in confinio mortis diutius laborantem, impia pietate motus ſecurim capiti illius infixit, ſicque vir ſanctus migravit ad Dominum xiij. kalend. Maii eo anno ſabbato in ebdomada Paſchæ, anno Domini milleſimo xij.

Tunc principes *Danorum* corpus ejus flumine ſtatuunt inmergendum, ut ſic memoria ejus ab hominibus tolleretur, & inmenſitas ſceleris occultaretur. Sed protinus populi multitudo, quæ illo docente converſa fuerat, armata procedit, prohibens ne mergeretur, & ſic nec mergebatur, nec ſepeliebatur. Poſt multam autem contentionem factus eſt omnium conſenſus unus, ut univerſi ſanctum depoſcant, quatinus ſi quid valeat hoc ambiguo potentiæ ſuæ virtutem oſtendat: virtutis autem genus *Dani* eligentes, Ecce, inquiunt, remus de ramo fraxini ſicco exciſus & cortice omnimodo nudatus. Si hunc ejus ſanguine linitum matutina lux virentem invenerit, juſtum nos & ſanctum cecidiſſe conſtabit, & quo illum honore ſepeliatis penes vos erit; ſin autem, vos in ejus amore erraſſe conſtabit, & noſtri arbitrii erit quid de ejus cadavere ſtatuamus; ut igitur omnibus viri meritum conſtaret, contra naturæ ordinem aridum lignum ſub unius noctis tempore floruit & fronduit. Sublatum eſt igitur cœleſte margaritum ad arborem ejus triumpho inſignem, ubi poſtea eccleſia fabricata eſt. Tunc multi *Danorum* magnates prodigia ſignorum quæ fiebant videntes, ad fidem catholicam ſunt converſi. Cum igitur fama martyris longe lateq; crebreſceret, *Londonienſes* multa pecuniæ ſumma *Danis* data vix optinuerunt, ut ſanctum corpus **London** transferretur. Epiſcopi igitur *Ednoc* & *Helbun* corpus ſuſceptum cum debito honore *Londonias* deferentes, illud ibidem in eccleſia ſancti *Pauli* ſepelierunt, ubi in magna virtutum claritate annis plurimis choruſcavit. Poſtea tamen à magnifico rege *Kanuto* toto adhuc corpore incorrupto levatus, ad eccleſiam & ſedem propriam reportatur. Cui *Livingus* archiepiſcopus ſucceſſit. Tunc vero rex *Ethelredus* cum *Dacorum* exercitu nimis ſero pacem faciens viij. mille libras eis dedit, nunquam enim in tempore oportuno pax fiebat, donec nimia contricione terra langueret. Subdiderunt ſe regi puppes xlv. promittentes quod *Angliam* tuerentur, ita ut rex victum & veſtitum eis inveniret.

Eodem anno, ſcilicet Domini Mxij. iſtud omnibus ſeculis mirandum contigit. Cum in quadam villa *Saxonia* ubi eccleſia erat ſancti *Magni* martyris nocte in vigilia natalis Domini presbyter quidam *Robertus* nomine primam Miſſam inchoaret, quindecim juvenes & tres adoleſcentulæ in cimiterio choreas cum cantilenis ducentes, ſacerdotem inter ſacroſancta Miſſarum ſolempnia impediebant. Quibus cum ſæpius mandaret, ut à ſtulticiis ceſſantes divino officio differrent, illi non adquieſcebant. At ille iratus imprecatus eſt dicens, Placeat Deo & ſancto *Magno*, ut ſic cantantes anno iſto non ceſſetis. Factumque eſt ita, per totum annum cantabant choream ducentes, non ſunt attrita veſtimenta eorum nec calciamenta, pluvia non cecidit ſuper eos. Nec frigus, nec calorem, nec famem, nec ſitim, aut laſſitudinem ſenſerunt. Primo uſque ad genua, deinde uſque femora terram terendo dimerſi ſunt. Denique cum filius presbyteri violenter ſororem ſuam, quæ una erat ex illis, per brachium extrahere vellet, brachium ſine ſanguinis gutta avulſit; quæ nihilominus toto anno cum aliis indefeſſe circuiens cantabat. Erecta eſt igitur fabrica ſuper eos propter aeris moleſtias. Tandem finito anno, *Colonienſis* archiepiſcopus *Herebertus* nomine, illos cum magna devotione ſolvit, & ante altare ſancti *Magni* duxit, ubi incontinenti filia presbyteri cum aliis duobus defuncta eſt, reliqui tribus diebus & noctibus continue dormierunt, aliqui poſtea obierunt, qui poſt mortem feruntur miraculis choruſcaſſe, cæteri pœnam ſuam tremore membrorum ſuorum oſtendebant.

Anno Domini M. xiij. *Swano* rege *Dacorum* per *Humbram* uſque **Geyneſburgh** veniente, *Uctred* Dux *Northumbria*, & tota gens illa ei illico ſubdebatur. Gens etiam *Lyndeſeya*, & gens v. urbium, & omnes ex boriali parte de **Wattlingſtreete** ſibi obſides dederunt, quos cum puppibus *Knontonii* filio tradidit cuſtodiendos. Ille vero ad *Oxoniam* & *Wyntoniam* pergens, gentes illas in deditionem accepit. Inde **London** reverſus populum multum in *Tameſi* ad pontem ire non curantem amiſit. Cives vero quia rex *Ethelredus* inerat ei fortiter reſtiterunt. *Sweynus* igitur inde recedens ad *Walyngfordiam* ivit, & inde ad *Bathoniam*, & omnis *Weſtſaxia* ſubdita eſt ei. Poſtea vero *Swano* ad puppes ſuas reverſo, *Londonienſes* ne eos in perniciem redigeret timentes, ſibi ſe ſubdiderunt. Quod videns rex *Ethelredus Emmam* primo reginam uxorem ſuam, poſtea filios ſuos *Alfredum* & *Edwardum*, *Ricardo* fratri dictæ reginæ in *Normanniam* deſtinavit. *Swanus* vero pro rege ab omni populo habitus, victum & cenſum exercitui ſuo per *Angliam* dari juſſit. *Turkillo* vero Comiti *Danico*, & exercitui ſuo in **Grenewiche** exiſtenti dari ſimiliter idem juſſit, rege *Ethelredo Whitſandiam* petente, quo per natale moratus fugitivus ad *Ricardum* Ducem *Normanniæ* transfretavit.

Anno Domini Mxiiij. *Swanus* jam rex *Anglorum* factus, & de receſſu regis *Ethelredi* elatus, in exordio regni ſui ad cumulum propriæ dampnationis ex urbe ſancti *Edmundi* regis, & martiris grande tributum exegit, & poſſeſſiones ejus vexare cœpit & niſi illud tributum ſolveretur, urbi incendium civibuſque exicium comminatur, convitia eciam ipſi martiri ſuperaddens: unde cum ſanus ab omnibus æſtimaretur, imminente veſpere, in medio commilitonum ſuorum apud villam de **Geyneſburgh** pugione ſancti *Edmundi*, ut fertur, confoſſus eſt. Sicque vociferans noctis crepuſculo 3. nonas Februarii obiit, & in *Dacia* tumulatur.

MOrtuo igitur *Swano*, *Dani Kanutum* filium ſuum in regem erexerunt. Qui finem *Swani* patris ſui videns mitius deinceps cum ſancto *Edmundo* egit, foſſatumque terræ Sancti illius circumduxit, monachos inſtituit, unde primus Abbas *Unius* vocabatur, & Abbathiæ multa prædia donavit, ac ſancto *Edmundo* privilegium quod incipit *In nomine poliarchi* dedit & conceſſit. Exhinc inolevit ut reges *Anglia* coronas ſuas ſancto *Edmundo* mittunt, ac magno ſi voluerint illas redimunt precio exacto.

Angli vero morte dicti *Swani* divulgata *Ethelredo* regi nuncios in *Normanniam* direxerunt, intimantes ei quod ſi humanius ſolito vellet eos tractare, nullum eo in regem ſe libencius recepturos, & expulſo rege *Danico* illum pocius præoptarent. Ille autem prædictis aſſentiens, *Edwardum* filium ſuum præmiſit, & omnia populo ſpondebat, & ſic poſt eum circa Quadrageſimam adveniens, ab omni *Anglorum* gente cum læticia eſt ſuſceptus. *Kanutus* vero apud **Gayneſburgh** cum exercitu ſuo moratus, cum hominibus **Lyndeſey** concordatur. Quod audiens rex *Ethelredus* cum maximo exercitu ſuperveniens, *Kanutum* improviſum de **Lyndeſey** profugavit, & provincia illa combuſta, omnes pene provinciales interfecit. *Kanutus* vero gentem illam cauſa ſui deſtructam intime dolens, cum navibus ad *Sandwicum* perrexit, ubi nobiliſſimos obſides qui patri ſuo traditi erant manus & naſum abſcidi fecit, & præter hoc exercitui ſuo apud **Grenewich** exiſtenti xxj. mille libras reddi juſſit, & ſic in *Daciam* profectus eſt, anno ſequenti reverſurus.

Eo tempore eciam addidit Dominus malis ſolitis malum inſolitum, mare namque inſolito ſuperius aſcendens, villas in *Anglia* nonnullas cum populo innumero ſubmerſit. Interea dux *Edricus Sigefredum* & *Morreo* proceres egregios, in cameram ſuam vocatos prodicioſe occidi fecit: Quorum terras *Edmundus* regis *Ethelredi* filius ſeiſivit, & *Sigefredi* uxorem duxit. *Kanutus* rex de *Dacia* ad acies ſuas in *Sandwicum* rediit. Qui *Cancia* deinde circumnavigata ad *Fromemundham* in *Weſtſaxia* pervenit, & inde **Dorſet**, & **Sumerſet**, & **Wiltſhire** miſerabiliter deprædavit, rege *Ethelredo* in infirmitate apud *Coſham* tunc jacente. Unde filius ejus *Edmundus ferreum latus*, & dux *Edricus*, congregato exercitu cum ſimul contra *Kanutum* veniſſent, juvenem prodere Dux volebat, ſed dolo comperto, clito ſe retraxit. Quibus autem diviſis & prælio pro tunc omiſſo, Dux *Edricus* cum ſua cohorte *Kanuto* ſe dedit, exemploque ejus *Weſtſaxonici* obſidibus datis illud idem fecerunt.

Anno Domini Mxvj. Dux *Edricus* ad regem *Kanutum* cui ſe dederat cum Clx. navibus in *Tameſia* exiſtentem pervenit, qui apud **Criklade** pergentes **Barcſhire** ferro & flamma horribiliter deſtruxerunt. Regi autem *Ethelredo* cum innumero exercitu contra eos procedere volenti, dictum eſt, quod ſui eum prodere intendebant. Quam ob cauſam rex dimiſſo exercitu ad *Londoniam* ſe divertit. Quo à civibus recepto, *Edmundus* filius ſuus ad *Uctredum* Ducem *Northumbriæ* perrexit; qui ſimul in comitatibus *Salopia*, *Staffordia*, *Leyceſtra*, & *Huntingdonia*, & inde juxta paludes ad *Stanfordiam*, & ſic in comitatibus *Lincolnia* & *Nothynghamia*, & de *Eboraco* uſque *Northumbriam* prædaverunt, & poſtea præda inter eos diviſa *Uctredus* in *Northumbriam* eſt reverſus. Qui poſtea neceſſitate coactus *Kanuto* regi cum tota *Northumbria* datis obſidibus ſubdebatur, & tamen ibi poſtmodum eſt occiſus. *Edmundo* vero *Londoniis* ad patrem ſuum reverſo, *Kanutus Hirc* Conſulem loco *Uctredi* ſuper *Northumbriam* ſtatuens, ad puppes ſuas rediit ante Paſcha. Tranſacto vero tempore paſchali *Londonias* cum navigio ſuo tendebat. Rex *Ethelredus*, cum poſt multos labores, & vitæ ſuæ anxietates xxvij. annis regnaſſet, ix. kal. Maii antequam navigium hoſtile *Londonias* adveniſſet, ibidem deceſſit, & in eccleſia ſancti Pauli infra eandem civitatem ſita ſepelitur.

Iſte rex *Ethelredus* licet ſæpius bellicis inimicorum agreſſibus vexatus erat, leges tamen populo ſuo utiles, quas hic inſerere dignum duxi, ſtatuit & ſancivit.

Inſtitutiones *Ethelredi* regis, & primo earum Capitula.

Cap. I.

De accuſato & ejus plegio, & ut dominus familiam ſuam in plegio habeat.

II.

Ut rex habeat forisfacturas eorum qui liberas terras habent, & de compoſitione tyhle.

III.

De ſervis qui culpabiles in ordalio apparent.

IV.

Qui emerit vel cambiaverit ſine plegio & teſtibus.

V.

De homine incredibili omni populo.

VI.

De eo qui hiis Inſtitutis non conſenſerit.

Hoc eſt conſilium quod *Ethelredus* rex & ſapientes ſui condixerunt ad emendationem, & augmentum pacis omni populo apud *Wodeſtocam* in *Mircena landa*, id eſt in terra *Mircenorum*, poſt *Angliæ* lagam hoc eſt.

Cap. I. *Sax.* 1.

Ut omnis liber homo habeat credibile plegium, qui eum ad omne rectum præſentet ſi fuerit accuſatus. Si *tyhtbyſig* ſit, id eſt accuſationibus infamatus ad triplex ordalium vadat. Si dominus ejus dicat, quod neutrum ei fregit vel *ath* vel ordel, poſtquam conſilium fuit apud *Brundonam*, aſſumat idem dominus ſibi duos credibiles thaynos in ipſo hundredo, & juret quod nunquam juramentum fregit, nec *furigildum* perſolvit, niſi talem præpoſitum habeat qui dignior eo ſit, ut hoc facere poſſit. Si jusjurandum procedat, eligat accuſatus quod horum voluerit, vel ſimplex ordalium vel jusjurandum viij. liberorum in tribus hundredis ſuper xxx. denarios, ſi jurare pro eo non audeant vadat ad triplex ordalium. Et ſi culpabilis erit, in prima vice reddat compellatori duplum quod repetit, & domino ſuo weram ſuam, & mittat credibiles plegios quod omnis mali deinceps ſe abſtineat. Ad ſecundam vicem non ſit alia emendatio niſi caput; ſi aufugiat & ordalium vitet, reddat plegius ejus captale ſuum repetenti, & domino weram ſuam qui ea dignus ſit. Et ſi domino ejus accuſetur, quod conſilium ejus fregerit, & antea malum fecerit, aſſumat ſecum v. thaynos; & idem ſit ſextus, & *laidat* ſe; Et ſi *lada* procedat, ſit weræ ſuæ dignus, ſi non procedat, habeat rex weram, & ſit ipſe fur uthlagatus apud populum. Et habeat omnis dominus familiam ſuam in plegio ſuo; ſi autem accuſetur aliquis & aufugiat, emendet dominus regi weram hominis accuſati. Et ſi dominus accuſetur quod conſilio ſuo fugerit, laidiet ſe cum v. thaynis, & ipſe ſit ſextus. Si lada frangat ei, reddat regi weram ſuam; & ſit homo forbannitus apud omnes homines.

II. *Sax.* 2.

Et habeat rex forisfacturas omnium eorum qui liberas terras habent. Nec componat aliquis pro ulla *tyhtlan*, ſi non interſit teſtimonium præpoſiti regis.

III. *Sax.* 3.

Et ſi ſervus culpabilis appareat in ordalio, ſignetur in prima vice, ad ſecundam vicem non ſit illic alia emendatio quam capitalis.

IV. *Sax.* 4.

Et nemo alterutrum faciat, vel emat, vel cambiet niſi plegium habeat & teſtes. Si quis hoc præſumat, capiat illum terræ dominus & cuſtodiat pecus illud donec ſciatur cujus ſit ſecundum rectum.

V. *Sax.* 5.

Et ſi aliquis hominum ſit, qui omni populo ſit incredibilis, adeat præpoſitus regis & mittat eum ſub plegio, vel ad rectum perducatur eis qui compellabunt. Si tunc plegium non habeat, occidatur, & cum dampnatiis inhumetur: Si quis eum disforciet, ſint ambo unius recti digni.

VI. *Sax.* 6.

Et qui ſuperſederit, parvipenderit, vel complere noluerit, ſicut omnium noſtrum eſt inſtitutum, emendet regi xxx. ſolidos.

Adhuc de legibus *Ethelredi* regis.

Cap. I.

De infractione pacis.

II. De

II.

De teſtimonio.

III.

De landcopo *& domini dono, &* lahcopo, *&* witword, *&* gewitneſſe.

IV.

De wapentakis.

V.

De accuſatis qui cauſam habent coram præpoſito.

VI.

De laga emenda.

VII.

De infamato & ejus ordalio.

VIII.

Si quis pecus habeat ſine plegio.

IX.

De ordalio accuſati, & ubi fiet ordalium.

X.

Si quis furem innoxiare velit.

XI.

De monetariis falſi accuſatis.

XII.

De pecore emendo.

XIII.

De ſlima *& de ſocna thayni.*

XIV.

De placito regis vel Comitis vel Epiſcopi.

XV.

De paſcentibus illos qui pacem fregerint.

XVI.

De judicio ubi ſtabit.

XVII.

Quod thaynus habet duas optiones amicitiæ vel laga.

XVIII.

De indicantibus robariam.

XIX.

De hæredibus viventium ſine calumpnia.

XX.

De pace regis ubi reſidens erit.

XXI.

De wealwef.

XXII.

De inſtitutis **London**, *& primo quod porta obſervabuntur.*

XXIII.

De theloneo dando ad **Bylyngeſgate.**

XXIV.

De theloneo retento.

XXV.

De Hamſocna in portu vel in via regis.

XXVI.

De falſariis & eis conſentientibus.

XXVII.

De ſonantibus pecuniam puram.

XXVIII.

De mercatoribus qui falſum & lactum afferunt ad portum.

XXIX.

De ſuaſione regis contra falſum operantes.

XXX.

De monetariis & ubi erunt.

HÆ ſunt leges quas *Ethelredus* rex, & ſapientes ſui conſtituerunt apud *Venetyngum* ad emendationem pacis & felicitatis incrementum.

abantur hæ
ges Saxonice
Codice Eccle-
Roſſenſis, qui vulgo textus Roſſenſis
catur, pag. 48.

I.

Inprimis ut pax ejus firma ſit ſicut prius extitit in diebus anteceſſorum ſuorum, & præter emendationem ſit infractio pacis quam per manum ſuam dabit. Et pax quam Aldermannus vel Præpoſitus regis in v. burgorum *gewineda* dabit emendetur xij. libris. Et pax quæ detur in unius burgi *wincwa* emendetur vij. hundredis. Et ubi dabitur in wapentako emendetur infracta pax j. hundredo, & pax quæ dabitur in *ealahus* emendetur de homine occiſo vj. dimidiis marcis, de vivo xij. oris.

II.

Et hoc quod per legitimum teſtimonium monſtrabitur, nemo pervertet de vivo pluſquam de mortuo, & eat omnis homo ad teſtificandum illud, unde poſſit, & velit, & audeat in ſanctis jurare quod ei dabitur in manibus.

III.

Et *landcopum*, & domini donum quod per rectum habeat dari, & *lacopum*, & *witword*, & *gewitneſſa*, hoc ita permaneat ut nullus evertat.

IV.

Et habeantur placita in ſingulis wapentakis, ut exeant ſeniores xij. thayni, & Præpoſitus cum eis, & jurent ſuper ſanctuarium quod eis dabitur in manus, quod neminem innocentem velint accuſare vel noxium concelare.

V.

Et capiantur accuſati qui cum præpoſito cauſam habent , & omnis eorum det vj. dimidias marcas vadii, dimidium domino ipſius terræ, dimidium wapentako.

VI.

Et omnis emat ſibi lagam xij. oris, dimidium *landefrico*, dimidium wapentako.

VII.

Et omnis infamatus homo vadat ad triplex ordalium, vel reddat quadruplum. Si dominus velit eum tunc purgare, cum duobus bonis thaynis, qui nunquam furigildum reddiderunt poſtquam conſilium fuit apud *Brandonam* nec accuſatus fuerit, vadat ad triplex ordalium, vel perſolvat triplum ; ſi tunc ſit immundus, percutiatur, ut collum ei frangatur. Et ſi vitet ordalium, reddat ſemel captale ſuum repetenti, & terræ domino xx. oras, & eat rurſus ad ordalium : Et ſi *angenſria* venire nolit ad videndum, reddat viginti oras, & perdat placitum ſuum, & ille tamen eat *landefrico*, id eſt terræ domino ad ordalium, vel reddat duplum.

VIII.

Et ſi quis habeat pecus ſine plegio, & dominus tunc hoc percipiat, reddat ipſum pecus & emendet xx. oris.

IX.

Et omnis accuſatus vel qui alium impetit, habeat optionem quid velit , ſive judicium aquæ vel ferri. Et omnis advocatio, & omne ordalium ſit in curia regis, & ſi fugiat ab ordalio, reddat eum plegius wera ſua.

X.

Et ſi quis furem innoxiare velit, unum *dretum* in vadio ponat, dimidium tunc domino , dimidium Præpoſito regis intra portum, & adeat triplex ordalium. Si mundus ſit in ordalio diſſodiat cognatum ſuum : ſi vero ſit immundus jaceat ipſe fur ubi jacebat & alius reddat.

XI. Et

XI.

Et omnis monetarius qui accuſabitur quod falſum fecit poſtquam interdictum fuit, adeat triplex ordalium, & ſi culpabilis ſit occidatur. Et nullus habeat aliquem monetarium niſi rex, & omnis monetarius qui infamis ſit redimat ſibi lagam xij. oris.

XII.

Et nemo emat pecus aliquod ſi non habeat duorum hominum credibilium teſtimonium. Cuſtodiat corium ejus iij. noctes & caput; & ovis ſimiliter. Et ſi corium antea vendat alicui, reddat xx. oris.

XIII.

Et omnis *ſlima* ſit ſlima in omni terra qui fuerit in una. Et nemo habeat ſocnam ſuper thaynum regis niſi ſolus rex.

XIV.

Et de placito regis ponatur vadium vj. dimidiis marcis: Comitis & epiſcopi vadium xij. oris.

XV.

Et ſi aliquis accuſetur quod paverit eum qui pacem domini noſtri fregerit, ladiet ſe *mid thrina* xij. i. cum ter xij. qui faciunt xxxvj. Et præpoſitus nominet ipſam ladam; & ſi inveniatur cum eo, ſint ambo unius rectitudinis digni.

XVI.

Et judicium ſtet ubi thayni conſenſerint, ſi diſſideant, ſtet quod ipſi viij. dicent, et qui ſupervicti erunt ex eis, reddat unuſquiſque vj. dimid. marcarum.

XVII.

Et ubi thaynus habet duas optiones amicitiæ vel lagæ, & amicitiam elegerit, ſtet hoc ita firmum ſicut et ipſum judicium. Et qui ſuper id ladam protogat vel qui addat, reddat vj. dimid. marcas.

XVIII.

Et qui roboraverit hominem in luce diei & in tribus villis indicabitur, non habeatur ſimile acſi concelaſſet.

XIX.

Et qui permanet ſine gravatione et calumpnia in pace ſua dum vivit, nemo ſuper hæredes ejus loquatur inde poſt mortem.

XX.

Tam longe debet eſſe pax regis à porta ſua ubi reſidens erit à iiij. partibus, hoc eſt tribus miliaribus et tribus quatentenis et tribus acris in latum, et ix. pedes et ix. granis ordei.

XXI.

Wealreaf, i. mortuum referre eſt opus *inthingi*, ſi quis hoc negare velit faciat cum xlviij. thaynis plene nobilibus.

XXII.

Aldredeſgate et **Ciryclegate.** portas illas obſervabunt cuſtodes.

XXIII.

Ad **Bilynggeſgate** ſi adveniſſet una navicula unus obolus thelonei dabatur: ſi major et habet ſiglas j. d. ſi adveniat *Ceol* vel ulcus et ibi jaceat iiij. d. ad theloneum dentur. De navi plena lignorum unum lignum ad theloneum detur. In ebdomada panum thelonium detur iij. diebus, die Dominica, die Martis et die Jovis. Qui ad pontem veniat cum bato ubi piſcis ineſt unus ob. dabatur, in thelonium, et de majori navi j. d. Homines de *Rothomaga* qui veniebant cum vino vel craſpiſce, *Flandrenſes* et *Ponteienſes* et *Normannia* et *Francia* monſtrabant res ſuas et extolneabant. *Hcgge* et *Leodium* et *Nivella* qui per terras ibant oſtenſionem dabant et theloneum. Et homines Imperatoris qui veniebant cum navibus ſuis bonarum legum digni tenebantur ſicut & nos emere in ſuas naves. Et non licebat eis aliquod *forcheapum* facere burhmannis & dare thelonium ſuum. Et in ſancto natali Domini duos *griſengos* pannos & unum brunum & x. libras piperis & cirotecas v. hominum, & duos cabillinos colennos aceto plenos, & totidem in Paſcha. De doſſetis cum gallinis una gallina thelon. Et de uno doſſero cum ovis 5. ova thelon Si veniat ad mercatum, mongeſtre Sinere qui mangonant in caſeo & butiro xiiij. diebus ante natale domini i. d. & vij. diebus poſt natale domini unum alium denarium ad theloneum.

XXIV.

Si portireva vel tungravio vel alius præpoſitus compellat aliquem quod theloneum ſupertenuerit, & homo reſpondeat quod nullum thelonium concelaverit quod juſte debuit, juret hoc ſe vjto. & ſit quietus. Si appellet quod thelonium dederit, inveniat cui dedit & quietus ſit. Si tunc hominem invenire non poſſit cui dedit, reddat ipſum theloneum & perſolvat 5. l. regi. Si cacepollum advocet quod ei thelonium dedit, & ille neget, perneget ad Dei judicium, & in nulla alia lada.

XXV.

Et diximus, homo qui hamſocnam faciet intra portum ſine licentia & ſummam infracturam agat de placito *ungebendro*, vel qui aliquem innocentem affligat in via regia, jaceat in *ungilda akere*: Si pugnet antequam rectum poſtulet ac vivat, emendet regis *burbreche* 5. l. Si curet amicitiam ipſi porti reddat nobis xxx. ſolidos emendationis, ſi rex hoc concedat nobis.

XXVI.

Et jam dixerunt quod nichil eis intereſſe videbatur inter falſarios & mercatores qui bonam pecuniam portant ad falſarios, & ab ipſis emunt ut inpurum & minus appendens operentur & inde mangonant & barganniant, & eos eciam qui conos faciunt in occultis & vendunt falſariis pro pecunia, & incidunt alterius monetam mundam & non ipſam inmundam, Unde viſum eſt ſapientibus omnibus, quod iſti tres homines unius rectitudinis eſſent digni. Et ſi aliquis eorum accuſetur, ſit *Anglicus* ſit tranſmarinus ladiet ſe pleno ordalio; Et conſtituerunt quod monetarii manum perdant & ponatur ſuper ipſius monetæ fabricam, & qui in nemoribus vel alibi ſimilibus fabricant, vitæ ſuæ culpabiles ſint niſi rex velit eorum miſereri.

XXVII.

Et præcipimus ne quis pecuniam puram & recte appendentem ſonet monetetur, in quocumque portu monetur in regno meo, ſuper *overhirneſſam* meam.

XXVIII.

Et diximus de mercatoribus qui falſum & lactum afferunt ad portum, ut advocent ſi poſſint, ſi non poſſint weræ ſuæ culpabiles ſint vel vitæ ſuæ, ſicut rex velit, vel eadem lada ſe innoxient quam prædiximus quod in ipſa pecunia nil inmundum ſciebant unde ſuam negotiationem exercuerunt, & habeat poſtea dampnum illud ex incuria ſua, ut ab inſtitutis monetariis purum & rectum appendens. Et portirevæ qui falſo conſentanei fuerint, ejuſdem cenſuræ digni ſint cum falſis monetaiis, niſi rex indulgeat eis vel ſe poſſint adlegiare eodem *ſirath* vel ordalio prædicto.

XXIX. Et

XXIX.

Et rex ſuadet & mandat epiſcopis ſuis & Comitibus & Aldermannis & præpoſitis omnibus, ut curam adhibeant de illis qui tale falſum operantur & portant per patriam, ſicut præmiſſum eſt utrobique cum *Danis* & *Anglis*.

XXX.

Et ut monetarii pauciores ſint quam antea fuerunt, in omni ſummo portu ſint tres monetarii, & in omni alio portu ſit unus, & illi habeant ſuboperarios ſuos in ſuo crimine, quod purum faciant & recti ponderis per eandem witam quam prædiximus. Et ipſi qui portus cuſtodiunt efficiant ſuper overhimeſſam meam, ut omne pondus ad mercatum ſit pondus quo pecunia mea recipitur, & eorum ſingulum ſignetur ita quod xv. oræ libram faciant. Et cuſtodiant omnes monetam ſicut vos docere præcipio & omnes eligimus.

Adhuc de legibus regis *Ethelredi*.

Cap. I.

De pace.

II.

De nave advena inſtitoris.

III.

De frithmanno *regis.*

IV.

De robato in navi.

V.

Si Anglicus *liber* Dacum *occidat, vel è converſo.*

VI.

Si Anglicus *ſervum* Dacum *occidat vel* Dacus Anglicum, *& ſi* eahtain *occidatur.*

VII.

De fractione pacis infra burgum regis.

VIII.

De condonatione forisfactorum ante pacem conſtitutam.

IX.

De compatriota facti vel homicidii accuſato, & ſi homo ſceithmanni *pecuniam noſtram occiderit.*

X.

Si res amiſſa deprehendatur.

XI.

De advocatione & termino guerrandi inveniendi.

Hæc ſunt verba pacis & prælocutiones quas *Ethelredus* rex & omnes ſapientes ejus cum excercitu firmaverunt, qui cum *Analano* & *Juſtino* & *Gudermundo Stegiani* filio venit.

Cap. I. Sax. 1.

HOc inprimis ut pax mundi ſtet inter *Ethelredum* regem & omnem populum ejus & omnem exercitum cui rex pecuniam ſuam dedit, poſt elocutiones quas *Sigericus* archiepiſcopus & *Ethelredus* Aldermannus & *Ealfricus* Aldermannus fecerunt, poſtquam impetraverunt à rege quod poſſent illis portiunculæ pacem emere quam ſub manu regis ſemper habebant, ſi navalis exercitus *Angliam* infeſtet ut habeamus eorum omne auxilium, & miniſtrabimus eis victum quamdiu nobiſcum erunt. Et omnis terra quæ aliquem eorum manuteneat qui *Angliam* inquietant, ſit exlex apud nos & omnem exercitum.

II. Sax. 2.

Et omnis *ſeapſcip*, i. navis inſtitor, pacem habeat qui in portum veniat, licet navis ſit inimicorum, ſi non ſit abacta tempeſtatibus, & licet abacta ſit, & applicetur ad aliquam curiam pacis & homines evadant in ipſam curiam, pacem habeant & quod attulerint ſecum.

III. Sax. 3.

Et omnis *frithimannus* noſter pacem habeat in terris & aquis & intra portum & extra. Et ſi regis *Athelredi* frithmannus veniat in **unſrithland**, i. in hoſtilem terram, & exercitus adveniat, pacem habeat navis ejus & omnis pecunia ejus. Si navem ſuam extraxerit vel tuguriolum congerat vel papilionem tendat, habeat inibi pacem & tota pecunia ſua. Si pecuniam ſuam cum pecunia *unfrithmanni*, i. pacem non habentis in domo mittat, perdat pecuniam ſuam, & ipſe tamen pacem habeat & vitam ſi ſe manifeſtet. Si **frithman**, i. homo pacis fugiat vel repugnet & ſe nolit indicare, ſi occidatur, jaceat **ungeld**, i. inſolutus.

IV. Sax. 4.

Si homo ſit de pecunia ſua robatus, & ſciat in qua navi, reddat **ſteoreſman**, i. gubernator, pecuniam illam, vel cum iiij. juret & idem ſit quintus, quod per rectitudinem cepit ſicut antea prælocutum erat.

V. Sax. 5.

Si *Anglicus* homo *Dacum* occidat liber liberum, perſolvat eum xxv. li. vel ipſe malefactor reddatur. Et tantum dabit *Dacus* pro *Anglico* ſi eum occidat.

VI. Sax. 5.

Si *Anglicus Dacum* ſervus ſervum occidat, reddat eum xx. s. & *Dacus* ſimiliter *Anglicum* reddat, ſi occidat eum. Et ſi *eahtayn* occidatur, pertineat infractio pacis intra curiam vel adjacentias ejus, *eahtayn* perſolvatur plena wéra.

VII. Sax. 6.

Si intra burgum regis fiat infractio pacis, adeant burgenſes & conquirant illum malefactorem vivum vel mortuum proxima cognatio ejus caput pro capite. Si nolint, adeat Aldremannus : ſi nolit, rex : Si nolit, ſit pars illa præter pacem.

VIII. Sax. 7.

De omni homicidio & omni robaria & omnibus incendiis quæ facta ſunt antequam pax fuerat inſtituta, totum dimittatur, & nemo vindictam vel emendationem exigat. Et ut nec ipſi neque nos alterius ſervum vel inimicum receptemus.

IX. Sax. 8.

Si dicatur in compatriota quod furtum fecerit, vel hominem occiderit, & hoc dicat *ſceithmannus* vel unus *landmannus*, tunc non ſit aliqua negatione dignus. Et ſi homines eorum occidant pecuniam ſuam & noſtram, utlagæ ſint apud nos & illos, & non admittantur ad emendationem. Viginti milia librarum auri & argenti data fuerunt exercitui de *Anglia* pro pace.

X. Sax. 9.

Si quis deprehendat quod amiſit, advocet inde ille cum quo deprehenditur unde venerit ei, & mittat in manum ejus & det plegium quod adducet advocatum ſuum ſi viventem warantem vocet. Et ſi ſit in alia ſcira quem vocat, terminum habeat qui ad hoc pertinet, mittat in manum venditoris quod vendidit ei, & roget ut mundificet & acquietet eum ſi poſſit; ſi recipiat, tunc acquietat eum cum quo fuerat deprehenſum. Appellet deinceps unde venerit ei, ſi advocet ultra unam ſciram, habeat terminum, i. ebdomadam: Si advocet ultra duas ſciras, habet duas ſeptimanas de termino. Et ad quot ſciras convolabit, totidem habeat ſeptimanas de termino; & veniat ubi prius fuit interciatus.

XI. *Sax.* 10.

Aliquando fuit, quod ter advocandum erat ubi prius aliquid interciebatur, & deinceps eundi cum advocato quocunque advocaret, unde conſuluerunt ſapientes, quod melius erat ut ſaltem advocaretur ubi deprehendebatur, donec innoteſceret in quo ſtare vellet, ne forte impotens homo longius & diutius pro ſuo laboraret, & ut vexetur magis qui injuſte conquiſitum habeat in manibus, & minus qui juſte proſequitur. Admoneat eciam eum ille qui ſuum juſte proſequitur, ut ad ſingulas appellationes habeat credibile teſtimonium, & caveat ne injuſte interciet, ne per hoc diſturbetur ſicut alium diſturbare cogitaverat. Si mortuum hominem advocet, ſi non habeat hæredes qui purgent eum, manifeſtet hoc cum teſtibus ſi poſſit quod recte advocat, aut id per ſe purget, tunc erit mortuus in culpa niſi amicos habeat qui eum mundificent ſicut idem faceret ſi poſſet & viveret. Si tunc habeat amicos qui audeant hoc facere, tunc defuit advocatio ſicut ſi ille viveret ac negaret, & habeatur furti reus ille qui in manibus habet, quia ſemper eſt negatio firmior quam affirmatio. Eciam inter advocandos ſi quis hoc incipiat nec ultra advocet, ſi purgare ſe velit, non poteſt hoc ei jure denegari, ſi credibile teſtimonium locum ei faciat accedendi, quia purgatio propinquior eſt ſemper poſſidenti quam repetenti.

Adhuc de Legibus regis Ethelredi.

Cap. I.

De denario ſancte eccleſiæ dando & decimatione thaynorum.

II.

De jejunio & feriatione trium dierum ante feſtum ſancti Michaelis.

III.

Quid regi & populo omni die ſit cantandum.

IV.

De conſuetudinibus ſanctæ Dei eccleſiæ reddendis.

V.

Ne quis vendatur extra patriam.

VI.

De robaria.

VII.

De eleemoſinis & rectitudinibus eccleſiæ.

Hæc inſtituerunt *Ethelredus* & ſapientes ejus apud *Habam*.

Cap. I.

INprimis, ut unus Deus ſuper omnia diligatur & honoretur, & ut omnes regi ſuo pareant ſicut anteceſſores ſui melius fecerunt, & cum eo pariter defendant regnum ſuum. Et conſtituerunt inprimis Dei miſericordiam & auxilium invocare jejuniis, eleemoſinis, confeſſione, & abſtinentia, & malefactis & injuſticia abſtinere. Et ut detur de omni caruca denarius vel denarium valens, & omnis qui familiam habet efficiat, ut omnis *hirmannus* ſuus det unum denarium. Quod ſi non habeat, det dominus ejus pro eo; & omnis thaynus decimet totum quicquid habet.

II.

Et inſtituimus ut omnis Chriſtianus qui ætatem habet, jejunet tribus diebus in pane & aqua,, & bis crudis ante feſtum ſancti *Michaelis*. Et omnis homo ad confeſſionem vadat & nudis pedibus ad eccleſiam, & peccatis omnibus abrenunciet emendando, ceſſando. Et eat omnis presbyter cum populo ſuo ad proceſſionem tribus diebus nudis pedibus; & ſuper hoc cantet omnis presbyter xxx. miſſas, & omnis diaconus & clericus xxx. pſalmos, & apparetur tribus diebus corrodium uniuſcujuſque ſine carne in cibo & potu, ſicut idem comedere deberet, & dividatur hoc totum pauperibus. Et ſit omnis ſervus liber ab opere illis tribus diebus quo melius jejunare poſſit, & operetur ſibimet quod vult. Hii ſunt illi tres dies, dies Lunæ, dies Martis, & dies Mercurii proximi ante feſtum ſancti *Michaelis*. Si quis jejunium ſuum infringat, ſervus corio ſuo componat, reddat liber pauper xxx.d. & regis thaynus Cxx.s. & dividatur hæc pecunia pauperibus. Et ſciat omnis presbiter, & tungravius, & decimales homines, ut hæ eleemoſinæ & jejunium perveniat ſicut in Sanctis jurare poterunt.

III.

Et præcipimus, ut in omni congregatione cantetur cotidie communiter pro rege & omni populo ſuo una miſſa ad matutinalem miſſam quæ inſcripta eſt contra paganos. Et ad ſingulas horas decantet totus conventus extenſis menbris in terra pſalmum *Domine qui multiplicati ſunt*, & collectam contra paganos, & hoc fiat quamdiu neceſſitas iſta nobis eſt in manibus. Et in omni cœnobio vel conventu monachorum, celebret omnis presbyter ſingillatim xxx. miſſas pro rege & omni populo; & omnis monachus dicat xxx pſalteria.

IV.

Et præcipimus, ut omnis homo ſuper dilectionem Dei & omnium Sanctorum det *Cyriſceattum* & rectam decimam ſuam ſicut in diebus anteceſſorum noſtrorum fecit quando melius fecit, hoc eſt ſicut aratrum peragrabit decimam acram. Et omnis conſuetudo reddatur ſuper amicitiam Dei ad matrem noſtram eccleſiam cui adjacet. Et nemo auferat Deo quod ad Deum pertinet & præceſſores noſtri conceſſerunt.

V.

Et prohibemus ne quis extra patriam vendatur. Si quis hoc præſumat, ſit præter benedictionem Dei & omnium Sanctorum, & præter omnem Chriſtianitatem, niſi pœniteat & emendet ſicut epiſcopus ſuus edocebit.

VI.

Et prohibemus omnem robariam omni homini; & ſit omnis homo dignus jure publico pauper & dives, & reddatur omnis robaria ſi quis aliquam fecerit, emendet ſicut prius & poſtea fecit. Et ſi quis præpoſitus eam fecerit, dupliciter emendet quod alii judicaretur.

VII.

Et reddatur pecunia eleemoſinæ hic ad feſtum ſancti *Michaelis* ſi alicubi retro ſit per plenam witam; & omnibus annis deinceps reddantur Dei rectitudines in omnibus rebus quæ ſupradictæ ſunt per amicitiam Dei & Sanctorum omnium, ut Deus omnipotens miſericordiam nobis faciat, & de hoſtibus triumphum nobis & pacem indulgeat; quem ſedulo deprecemur, ut miſericordiam ejus conſequamur hic, & in futuro requiem ſine fine.

Omnis judex juſtus miſericordiam & judicium liberet in omnibus, ut in primis per rectam ſcientiam dicat emendationem ſecundum culpam, & eam tamen admenſuret propter indulgentiam. Quædam culpæ reputantur à bonis judicibus ſecundum rectum emendandæ, quædam per Dei miſericordiam condonandæ. Judicia debent eſſe ſine omni *haderunga* quod non parcatur diviti alicui vel egeno, amico vel inimico jus publicum recitari. Et nichil injuſtius eſt quam ſuſceptio munerum pro judicio ſubvertendo, quia munera excæcant corda ſapientum & ſubvertunt verba juſtorum. Dominus Jeſus dixit, *In quo judicio judicaveritis judicabimini*. Timeat omnis judex ac diligat Deum judicem ſuum, ne in die judicii mutus fiat, & humiliatus ante oculos judicis cuncta videntis. Qui innocentem opprimat & dimittat noxium pro pecunia, vel amicitia, vel odio, vel quacumque factione, opprimetur ab omnipotente judice. Et nullus dominus, nulla poteſtas ſtultos aut improbos judices conſtituant, quia ſtultus per ignaviam, improbus per cupiditatem vitat quam didicit veritatem; gravius enim lacerantur pauperes à pravis judicibus quam à cruentis hoſtibus. Nullus hoſtis acerbior, nulla peſtis efficacior quam familiaris inimicus. Poteſt aliquotiens homo fuga vel defenſione vitare pravos judices, non ita poſſit judices quociens adverſus ſubditos malis deſideriis inflammantur. Sæpe eciam boni judices habent malos vicarios & miniſtros nephandos, quorum reatibus ipſi domini conſtringuntur ſi non eos coherceant & à rapacitate cohibeant, quia dominus & miniſter ſeculorum ait, *Non ſolum male agentes ſed omnes conſentientes digni ſunt æterna morte*. Sæpe eciam pravi judices judicium pervertunt vel reſpectant, & non finiunt cauſam donec voluntas eorum impleatur; & quando judicant non opera ſed munera conſiderant. Impii judices juxta verbum ſapientum, *Sicut rapaces lupi veſpere nil reſiduant uſque mane*, i. de præſenti ſolum vita cogitant, de futura nil conſiderant. Malorum præpoſitorum mos eſt, ut quicquid poſſunt auferant, & vix neceſſarium parum quid relinquant ſuſtentationum. Iracundus judex non poteſt attendere rectam judicii ſatisfactionem, nam per furoris excæcationem non percipit rectitudinis claritatem. Juſtum judicium eſt ubi non perſona conſideratur; ſcriptum eſt, *Non attendas perſonam hominis in judicio, nec pro aliquo facies ut à vero declines & injuſte judices. Suſceptio muneris eſt dimiſſio veritatis.*

Defuncto, ut dictum eſt, rege *Ethelredo*, epiſcopi, & abbates, & quique terræ nobiliores omnem ejus progeniem abnegantes, *Kanutum* pro rege apud *Suthamptoniam* recognoverunt. Ipſe vero juravit quod foret eis fidelis dominus, ſecundum Deum & ſeculum. *Londonienſes* autem cum nonnulla parte procerum *Edmundum* filium regis *Ethelredi* in regem levaverunt, qui à *Livingo Dorobernenſi* archiepiſcopo apud *Londonias* conſecratus eſt. Iſte *Edmundus* tanti vigoris & probitatis extitit, ut **Ireneſide**, i. *ferreum latus* diceretur, quia nullus in bello fortior eo fuit. Qui ſtatim in *Weſtſaxiam* tranſiens, omnem ibi gentem partim timore, partim ſponte ſibi ſubjecit. *Kanutus* vero cum *Dacis* regnum hoſtiliter invadens, terram incepit undique perturbare. *Emma* quippe regina quæ tunc apud *Wintoniam* morabatur ob timorem guerræ & diſſenſionis duos filios ſuos, *Aluredum* videlicet & *Edwardum*, ad fratrem ſuum *Ricardum Normannorum* ducem, ut ibi cum eo moram ſecure interim traherent, deſtinavit. Interea puppibus *Dacorum* apud **Grenewiche** & inde *Londonias* venientibus, *Kanutus* urbem cum ſuis fortiter obſedit. Qui foveam magnam ex auſtrali parte facientes, puppes ſuas ex occidentali parte pontis traxerunt, & ita circa urbem fodientes quod nemo intrare vel exire poſſet, eam ſæpe graviter inſultarunt. Sed cives eis caute & viriliter obſtiterunt, unde *Kanutus* inde repulſus, in *Dorſetania* provincia juxta **Gillyngham** contra *Edmundum* dimicavit, ſed vincitur.

Poſt hæc media æſtate tranſacta, *Edmundus* cum majori exercitu in provincia *Wicciorum* ſecundum bellum contra *Kanutum* apud **Scorſtan** geſſit, ubi duce *Edrico Edmundi* regis ſororio, & *Almaro Derlyng* contra regem *Edmundum* acerime pugnantibus, exercitus utriuſque multis hinc inde occiſis præ laſſitudine per ſe ab invicem ſunt diviſi. Sed poſtera die rex *Edmundus* omnes *Danos* protriviſſet, niſi perfidus dux *Edricus* caput cujuſdam militis occiſi, qui *Edmundo* erat ſimilis, exercitui oſtendiſſet, dicens, Fugite *Angli*, ecce enim caput domini veſtri. Sed *Edmundus* hoc cognito, acrius inſtat uſque noctis crepuſculum dimicans, quo adveniente, exercitus ſicut pridie ab invicem ſunt digreſſi. *Kanutus* vero clam noctis ſilentio cum manu electa bellatorum *Londonias* tendit. *Edmundus* vero à tergo ſequens, exercitu *Danorum* qui urbem obſederat ad puppes fugato, eam fortiſſime liberavit, & eam cum debito triumpho ingreſſus eſt. Sed poſt duos dies *Thameſi* pertranſito, quartum bellum contra eundem *Danorum* exercitum apud **Brendeford** geſſit, ubi multi ſuorum in eo tranſitu nimis feſtinantes flumine ſunt ſubmerſi; ipſe tamen *Danis* devictis feſtivum optinuit decus belli. *Kanutus* tunc ſummo timore perſtrictus, manum ſuam multis ad ſe mandatis copiis augmentavit, & quem armis vincere nequibat proditione ducis *Edrici* vincere cogitabat. Perfidus igitur dux *Edricus* cum rege *Edmundo* ut eum proderet concordatus eſt, & fidelitatem ei juravit. Qui poſtmodum de regis conſilio & mandato in *Weſtſaxiam* ivit, ut maximum contra *Kanutum* duceret exercitum. *Kanutus* vero interea *Londoniam* obſidens eam terra & aqua fortiter inſultavit. Cui cives viriliter obſtiterunt. *Daci* vero obſidione dimiſſa in *Cantiam* iverunt, & eam miſerabiliter deprædaverunt; unde rex *Edmundus Thameſiam* apud **Brendeford** iterum tranſiens, contra *Dacos* apud **Otford** quinta vice pugnavit: ſed in ipſa obviatione horror præcedentium vexillatorum nimis *Dacos* invaſit, qui in fugam verſi ſunt, *Edmundo* eos uſque ad inſulam de **Schepeye** cum occiſione maxima perſequente. Quod ſi eos tunc perſequi non dimiſiſſet, ultimus ille dies bello *Dacis* fuiſſet. Dux vero *Edricus* ſemper proditor conſilio nequiſſimo deſiſtere eum fecit. Revertente igitur *Edmundo* ad *Weſtſaxoniam*, *Kanutus* more ſolito *Merciam* deprædavit. Quod rex *Edmundus* audiens ſextum bellum contra *Kanutum* cum omnibus *Dacorum* exercitibus congregatis apud *Eſſendun* in *Eſtſaxia* commiſit. Bello igitur acerimo & finali pugnatum eſt, & utrique invincibiles cæde deſpecta perſiſtebant. Apparuit autem ibi virtus juvenis *Edmundi.* Cum enim *Dacos* ſolito acrius pugnare viderunt, loco regio relicto qui erat ex more inter draconem & ſignum quod vocatur **Standard**, cucurrit terribiliter in aciem primam. Vibrans igitur gladium electum & in brachio juvenis *Edmundi* dignum, ad modum fulminis fidit aciem, abrumpenſque mediam pertranſiit ſequentibus obruendam dedit. Inde in aciem regalem advolat; ubi cum clamor & ſtridor horrendus inciperet, videns dux *Edricus* proditor gentis ſuæ, ruinam *Dacorum* iminere, clamavit Anglice genti *Anglorum*, **Fleth Engliſſe, fleth Engliſſe, dead is Edmund.** Quod Latine interpretatur, Fugite *Angli*, fugite *Angli*, mortuus eſt *Edmundus*. Sic igitur clamans fugam doloſe cum ſuis primo incepit, quem tota gens *Anglorum* in fugam ſubſequitur. Illic igitur miranda ſtrages *Anglorum* facta eſt. Nam ibi ex parte *Edmundi*, duces *Ednoc*, *Alfric*, *Godewyn*, & *Ulfketel* dux *Eſtanglia*, & *Alfward* filius ducis *Alfwy*, & omnis flos nobilitatis *Britannia*, una cum *Lincolnienſi* epiſcopo & abbate **Rameſeye** qui ad orandum pro milite venerant, corruerunt.

Rex vero *Kanutus* tanta fretus victoria, apud *Londonias* ſceptra cepit regalia. Septima tamen vice congregatis in comitatu *Glovernia* ex utraque parte exercitibus & proceribus hinc inde formidantibus, de conſilio *Edrici* pax inter reges obſidibus adinvicem datis in ripa *Sabrina* apud **Derhirſt** reformata eſt in hunc modum. Surrexerat unus commilitonum in medio exercitus ſic dicens, « Cur inſenſati necis periculum tociens incurrimus? cotidie « morimur, ſed nullus vincit. Invincibilis eſt *Edmundus* « propter inſuperabilem ejus fortitudinem, invincibilis « eſt *Kanutus* propter fortunæ favorem; ſed hujus « continui diſcriminis quis erit fructus? certe ut video « niſi cæſis utriuſque militibus duces tandem ne« ceſſitate compulſi componant, vel certe ſine milite « ſoli pugnent. Quare igitur unum iſtorum non « modo faciunt? Quod ſi componant, quare non « ſufficiet duobus regibus regnum ſolito locupletius, « quod olim ſeptem regibus ſatis fuit? Et ſi tanta « ſit in eis dominandi libido, ut uterque dedigne« tur cum reliquo partem habere aut altero ſubeſſe, « tunc pugnent ſoli qui ſoli cupiunt dominari, ne « ſi omnes pugnent omnibus interfectis deſint mi« lites quibus duces imperent, ne etiam deſint qui « adverſus extraneos regnum defendant. Convenientibus igitur apud inſulam de **Olney** juxta *Sabrinam*, *Edmundo* cum ſuis in occidentali, *Kanuto* cum ſuis in orientali parte amnis *Sabrina* exiſtentibus, acclamatum eſt à cunctis, Aut componant, aut ſingulariter pugnent qui ſingulariter regnare ſtudent. Placuit ſententia regibus, non enim erat mediocris rex *Kanutus* probitatis. Poſiti igitur reges in inſula *Olania*, populo hinc inde ſpectante duellum inceperunt. Telis igitur & lanceis utrimque fractis, ſuper arma omnium armorum præſtantiſſima gladiis rem egerunt. Audiebant igitur & videbant horribiles tinnitus & igneas colliſiones populus uterque cum gemitu & clamore. Tandem vigor incomparabilis *Edmundi* fulminare cœpit, cui *Kanutus* rex cum magno vigore reſiſtens & tamen ſibi timens, inquit, « Juvenum omnium fortiſſime « quæ neceſſitas eſt alterum noſtrum regnandi cauſa « ferro perire? Simus fratres adoptivi regnumque « partiamur, egoque in rebus tuis tuque in meis « pariter imperemus: *Dacia* quoque tuo imperio « diſponatur. Hiis verbis mens generoſa juvenis delinitur & oſculum invicem pacis datur, mirantibus & exultantibus inde cunctis. Conveniente igitur populo & præ gaudio lacrimante, *Edmundus* regnum ſuſcepit *Weſtſaxia*, *Kanutus* vero regnum *Merca* ſuſcipiens *Londonias* eſt reverſus.

Edmundus rex poſt paucos ex hinc dies proditione apud *Oxoniam* eſt occiſus; ſic autem occiſus eſt. Cum rex hoſtibus ſuis terribilis & timidiſſimus in regno floreret, ivit nocte quadam in domo purgatoria ad requiſita naturæ, ubi filius *Edrici* ducis in fovea ſecretaria deliteſcens conſilio patris ſui, regem *Edmundum* pro evacuatione ventris ſedentem, inter celanda cultello bis acuto percuſſit, & inter viſcera ferrum figens fugiens reliquit. Traditur tamen per quaſdam Cronicas, quod rex *Edmundus* alio modo interfectus fuit; videlicet, quod cum dictus *Edricus* perfidus Comes *Salopia* ſemper proditor, concordia inter eos facta bene & cordialiter à rege *Edmundo* diligeretur, quadam vice ipſum regem rogavit ut cum illo manducaret. Qui precibus ſuis annuens, ad domum ſuam ſtatuto termino declinavit. Et cum poſt regiam diei refectionem tempus cubandi adveniſſet, rex cum ſuis domeſticis cameram ſuam intravit, ubi quandam ymaginem ad modum architenentis mirabiliter fabricatam, unum archum tenſum cum una ſagitta ad volandum parata in manu habentem, ex una parte cameræ ſtantem proſpexit. Cumque propius ut artem rei mirabilis tangeret & apertius videret, acceſſiſſet, & ymaginem tetigiſſet, ſagitta ſtatim evolavit & regem ad mortem percuſſit; nam ymaginem illam ad illum finem ut ſic regem occideret proditor ille *Edricus* fecerat ordinari. Traditur adhuc à quibuſdam hiſtoriis quod *Edmundus* non ſic nec alio modo ſupradicto obiit, ſed quod fraternitate inter reges firmata, regnoque inter eos diviſo, *Edmundus* rex fortis cum uno anno regnaſſet, circa feſtum ſancti *Andrea Londoniis* obiit, & cum avo ſuo *Edgaro Glaſtonia* ſepelitur. Sed primus modus, videlicet quod rex *Edmundus* ad requiſita naturæ ſedens proditione dicti *Edrici* occiſus fuit, verior aliis & autenticior habetur.

Kanutus Danicus poſt mortem regis *Edmundi* monarcha effectus, accepto totius regni principatu, à *Livingo Dorobernenſi* archiepiſcopo in regem *Londoniis* conſecratur, & regnum in quatuor partes diviſit. Ipſe namque *Weſtſaxiam* ſibi retinens *Hirco* Comiti *Northumbriam*, *Turkillo Eſtangliam*, *Edrico Merciam* tradidit & conceſſit. Iſte rex *Kanutus* habuit unum filium baſtardum nomine *Haraldum Harefot* ex quadam concubina *Ailena Hamtonenſi* nomine, filia filii *Alfelini* ducis natum. Rex autem ut prolem ex legali matrimonio ſuſcitaret, & ſic regnum *Anglia* ſibi firmius aſtringeret, *Emmam* reginam, regis *Ethelredi* relictam & matrem filiorum regis *Ethelredi*, *Aluredi* videlicet & ſancti *Edwardi* regis, duxit in uxorem; unde idem ſanctus *Edwardus* in quadam Carta quæ *Weſtmonaſt.* habetur, conqueritur, quod mater ſua de hoſte victricum ſibi fecit. De qua quidem Emma dictus rex *Kanutus* filium ſuum *Hardeknoutum*, & filiam unam magnæ ſanctitatis *Gunyld* nomine ſuſcitavit, quam *Henrico* imperatori filio *Conradi* poſtea nupſit. Iſte *Kanutus* rex deinde conſilium *Londonia* congregavit, in quo *Edricus* proditor duos filios regis *Edmundi* **Ireneſide**, *Edwardum* videlicet & *Edmundum*, quos ſtatim poſt mortem ejuſdem regis *Edmundi* à regina matre eorum, de morte domini ſui regis adhuc inſcia, abduxerat, regi *Kanuto* præſentavit; Tunc rex à proceribus & epiſcopis ſuis quæſivit, ſi in illo fœdere ſociali inter ipſum & *Edmundum* regem nuper inito, aliqua mentio de ſucceſſione fratrum aut filiorum *Edmundi* poſt mortem ejuſdem facta fuiſſet: qui falſiſſime & adulatorie reſponderunt, Quod non; æſtimantes per hoc ſe magnum apud regem locum tenere. Inſuper juraverunt, quod ipſum *Kanutum* pro rege ſemper tenerent, & propinquos *Edmundi* omnes expellerent. Unde juſto Dei judicio dignam nequitiæ retributionem poſtmodum *Anglis* reddit. Nam conſilio *Edrici* exlegavit *Edwinum Edmundi* regis fratrē, qui **Ceorlesking**, id eſt rex ruſticorum appellabatur: poſtmodum tamen doloſe reconciliatus, factione ſecretariorum ſuorum fraudulenter occiſus eſt. Deinde, ut infra cito habetur, rex *Kanutus Edricum* occidit, *Turkillum* exulavit, *Hirc* fugere compulit, ac ſummos procerum aggreſſus *Normannorum* ducem in *Anglia* interfecit, *Adelwoldum* detruncavit, *Brithric* vita ferro privavit, fecitque per *Angliam* mirabilem cenſum reddi, viz. lxxx. M. libras præter xj. milia l. quas *Londonienſes* reddiderunt.

Præterea rex *Kanutus* quadam vice *Emmam* conſortem ſuam conſuluit, quid de duobus filiis regis *Edmundi* **Ireneſide**, *Edmundo* videlicet & *Edwardo*, foret melius faciendum. Quæ reſpondens dixit. Domine, recti ſunt regni *Anglia* hæredes, qui vita & ſanitate comitibus non minimam vobis guerram in brevi parabunt. Ideo vobis conſulo quatinus eos ad partes longinquas alicui deſtinetis, qui eos ob amorem veſtri ſecrete interficiat. Unde *Kanutus* dictos pueros tum pudore, tum conſilio *Edrici* ductus, in *Anglia* ferire metuens, accerſito ſtatim uno *Dano* nomine *Walgar*, præcepit ei, ut pueros in *Daciam* duceret, & tantum de eis ibi faceret, quod nunquam in *Anglia* iterum comparerent. Ille vero acceptis pueris, pietate commotus, eos juſſu regis *Kanuti* poſtpoſito, ad regem *Suevorum*, cui ſecundum quoſdam illos *Kanutus* feriendos miſerat, tranſvexit. Qui pueros elegantes miſeratus, ad regem *Hungariorum Salomonem* vitæ reſervandos, & juxta eorum generoſitatem educandos ulterius deſtinavit. Cumque rex *Hungaria* infantes vidiſſet, & de eorum parentela à dicto *Walgar* didiciſſet, benigne eos recepit, & ut regios decuit filios enutrivit. Et quia tam vultu quam moribus ſpectabiles erant, uni eorum, videlicet *Edmundo* primogenito filiam ſuam tradidit in uxorem. Sed cito poſt *Edmundo* ſine liberis decedente, *Edwardo* fratri ſuo qui in Cronicis dictus eſt *Edwardus relegatus*, *Agatham* filiam germani ſui *Henrici* Imperatoris *Romani*, tanquam vero *Anglia* hæredi, matrimonio copulavit. Ex qua poſtea idem *Edwardus* iiij. liberos ſuſcitavit, viz. *Margaretam* poſtmodum reginam *Scocia*, quæ modo dicitur ſancta *Margareta*, *Edmundum*, *Chriſtinam* poſtea ſanctimonialem, & *Edgarum* **Adelyng**. Iſtud vocabulum **Adelyng** Saxonice componitur ex **adel**, quod eſt nobilis, & **lyng**, quod eſt ymago, inde **adelyng** quaſi nobilis ymago: unde & *Weſtſaxones* hinc in proverbio ſummi deſpectus **hynderlyng**, quod ſonat ab honeſtate dejectum vel retrocedens ymago, vocaverunt. Hunc *Edgarum* **Adeling** ſanctus rex *Edwardus*, dum poſtmodum regnaret pro filio nutrivit, & hæredem *Anglia* inſtituere cogitavit. Sed filios *Godwyni* ac gentis ſuæ nequitiam formidans, *Willielmum* nothum avunculi ſui filium adoptavit; de quo inferius plenius dicetur.

Poſt hæc in natali Domini contigit *Lundonia* in quodam ſolario ultra *Thameſiam*, dictum proditorem *Edricum* verbis malicioſis regem *Kanutum* improperare, quod propter eum, & ejus amorem regem *Ethelredum* prodiderat, *Edmundumque* **Ireneſide** regem & dominum ſuum naturalem extinxerat, & nulla inde beneficia ſive commoda repit. Cui rex reſpondit, Tu temetipſum judicaſti, & merito morieris, quia ore proprio proditionis reus factus es, ex quo dominum proprium regemque tuum naturalem & fratrem meum confœderatum occidiſti, & manum in Chriſtum Domini miſiſti; unde manibus & pedibus ejus ligatis, per feneſtram ipſum in *Tameſiam* proici ſtatim juſſit, ne ejus circumveniretur inſidiis alias ſibi timens. Et ſic ſecundum quoſdam *Edricus* proditor interiit ſubmerſus. Tradunt inſuper quædam hiſtoriæ, quod poſtquam dictus proditor *Edricus* regem *Edmundum* interfeciſſet, & ad regem *Kanutum*, veniſſet, ſibi ſalutando dixit; Ave rex ſolus. Cui cum rem geſtam denudaſſet, Rex reſpondit, Quia me tali obſequio placare putaſti, & mundi meliorem extinxiſti, ego te ob tanti obſequii meritum cunctis reddam *Anglorum* proceribus celſiorem. Juſſit ergo eum excapitari, & caput in ſtipite ſuper celſiorem *Londonia* portam figi, corpuſque ejus extra muros proici. Quo facto, alios proceres ſibi conſentientes profugavit. Sed ſemper carum habuit Comitem *Leoffricum*. Poſt hæc apud *Oxoniam* Parliamentum tenuit, ubi *Angli* ſimul & *Dani* de legibus *Edgari* regis obſervandis concordes facti ſunt.

Kanutus rex anno regni ſui tercio in *Daciam* tranſiens contra *Wandalos* ſibi infeſtos pugnaturus, tam *Anglorum* quam *Danorum* exercitum ſecum duxit. Nocte itaque bellum præcedente, *Godwinus* Conſul exercitum *Anglorum* ducens, in hoſtes rege *Kanuto* inſcio profectus eſt, & eos inprovidos invaſit, occidit viriliter & fugavit. Rex vero *Kanutus* ſummo mane cum *Anglos* fugiſſe, vel ad hoſtes perfide tranſiſſe putaret, acies ordinatas in hoſtes dirigens, nihil in caſtris niſi prædas, cadavera & ſanguinem invenit. Quamobrem *Anglos* ſummo honore, & non minori quam *Dacos* deinceps habuit. Hiis actis in *Angliam* rediit, & magnum Concilium apud *Circeſtriam* tenuit.

Hoc anno defuncto *Alduno Lindisfarnenſi* epiſcopo, ſedeque per triennium pene vacante, ſynodus circa præſulis electionem facta eſt. Ubi quidam presbyter nomine *Edmundus* ſuperveniens dixit; Cur meipſum non eligitis? Cujus jocum cæteri non jocoſe ſumentes, triduano ſuper hoc indicto jejunio velle ſancti *Cuthberti* conſulunt: unde & presbytero Miſſam celebrante vox de ſepulcro ſancti *Cuthberti* in medio canone audita eſt tribus vicibus inſonare, *Edmundum* debere epiſcopum fore. Circa hoc tempus *Livingo Cantuarienſi* archiepiſcopo defuncto, *Romam* ſucceſſor ejus petiit monachus *Ethelnodus*, cum quo *Lefwinus* Abbas *Elienſis* profectus, Abbaciam injuſte ſibi ablatam Papa *Benedicto* jubente rehabuit & poſſedit. Archiepiſcopus vero à *Roma* rediens corpus ſancti *Elphegi* martiris de *Londoniis* uſque *Cantuarienſem* tranſtulit civitatem, rege *Kanuto* permittente. Qui ſemper tamen ſanctos *Angliæ* parum dilexit; Nam de ſancta *Editha* legitur, quod dum rex *Kanutus* in quodam feſto Pentecoſtes apud *Wiltoniam* convivans, cachinnos in ſanctam *Editham* effunderet, dixit, ſe nunquam crediturum filiam regis *Edgari*, qui ſemper libidini & tirannidi deditus fuerat, ſanctam fore; Contradixit *Ethelnodus* archiepiſcopus tunc præſens, qui ſtatim ſepulcrum virginis aperuit. Ubi defuncta virgo cingulo tenus ſe erigens, in contumacem regem impetum facere viſa eſt. Hoc ille metu turbatus humi quaſi exanimis cecidit; ſed tandem reſpirans lætus erubuit & gaviſus quod pœnitentiæ reſervatur.

Circa hæc tempora *Brithwoldus* monachus *Glaſtonienſis*, qui poſtmodum fuit epiſcopus *Wintonienſis*, dum de regia *Anglorum* ſtirpe pene tunc deleta contemplando cogitaret, ſopor eum irrepſit. Et ecce videt Apoſtolum *Petrum Edwardum* filium *Ethelredi* in *Normannia* tunc exulantem manu tenere, & in regem conſecrare, ac ſanctitatem ejus cum numero 23. annorum quibus regnaturus erat plane oſtendere. Cumque monachus ille de poſteritate *Edwardi* quæreret, reſpondit ſanctus *Petrus*. » Regnum *Anglorum* regnum Dei eſt, poſt iſtum, regem ad ſui placitum providebit. Quidam eciam vir Dei prædixit tunc *Anglis*, quod ex ſcelerum ſuorum inmanitate, quia non ſolum cædi & prodicioni inſiſtebant, ſed ebrietati & negligentiæ domus Dei dediti erant, inſperatum eis à *Francia* adventurum dominium, quod & eorum excellentiam deprimeret in perpetuum, & honorem ſine termino eventilaret. Prædixit eciam quod non ſolum ea gens, ſed eciam gens *Scottorum* quos *Angli* viliſſimos æſtimant, ad emeritam confuſionem *Anglis* dominaretur. Prædixit eciam nihilominus, adeo varium ſeculum adventurum, ut varietas quæ in mentibus hominum latebit, & in actibus patebit, multimoda veſtium variatione deſignaretur.

Anno regis *Kanuti* viij. *Henricus* primus *Teutonicorum* Imperator obiit. Cui ſucceſſit *Conradus* primus qui regnavit annis 15. Hic nempe ſtatuit legem ut quicunque hominum, eciam procerum ſeu Principum, legem terræ infringeret, capite plecteretur. Cujus ſtatuti tranſgreſſor primo fuit Comes *Limpoldus*, qui timens ſe fugit cum uxore ſua in heremum, ubi aliquandiu heremitice vixit. Cum igitur *Conradus* prædictus ſemel ibidem venandi gratia deveniſſet, dormiendo in ſtrato audivit vocem ſibi dicentem: Puer Comitis & heremitæ, qui nunc recenter natus eſt, erit tibi *Conrade* gener & ſucceſſor. Quamobrem indignatus rex, juſſit cor pueri ſibi afferri; ſed nuncii Deum timentes puerum vivum in ſilva projecerunt, & regi cor leporis detulerunt. Contigit autem cito poſt hæc, ut dux quidam *Henricus* locum illum caſu adiens, puerum vagientem audivit, quem uxori ſuæ ſterili nutriendum tranſmiſit, nomen *Henrici* ſcilicet ei imponens. Cumque jam adultum juvenem Imperator *Conradus* aliquociens conſpiceret, ac præteritum præſagium in animo revolveret, reclamante patre pueri putativo, Imperator juvenem ſecum retinuit, tractans jugiter penes ſe quomodo perdere poſſet eum, unde miſit eum ad Imperatricem cum literis caventibus, quod eo die viſis literis moreretur. At dum juvenis apud quemdam presbyterum de nocte hoſpitaretur, presbyter eo dormiente viſis litteris, pro illis verbis *eo die moriatur*, ſcripſit, *eo die ad filiam noſtram maritetur*. Quod & factum eſt; & licet Imperator ex hoc turbaretur, penſato tamen quod filius eſſet illuſtris Comitis, lenius tulit; ſed & in illo loco heremi ubi natus fuerat, monaſterium poſtmodum conſtruxit, quod uſque hodie *Urſania* dicitur.

Hoc anno obiit *Ricardus* ſecundus Dux iiij. *Normanniæ*, Cui ſucceſſit filius ſuus *Ricardus* tercius, quem poſt annum ſui ducatus, *Robertus* frater ſuus junior veneno extinxit. Qua de cauſa idem *Robertus* corde compunctus, ſeptimo Ducatus ſui anno nudipes *Jeruſalem* peregrinus ivit, & *Bithiniæ* obiit. De quo ferunt quod bellando erat ſtrenuus, dando liberalis, convivando profuſus; unde & in quadam feſtivitate contigit, ut cæteris militibus ad miſſam offerentibus, unus militum non offerebat: putans autem Dux eum nihil habere unde offerret, juſſit ei dari ſtatim x. libras. Qui ut eas recepiſſet, eas integre ſuper altare optulit. Quod Dux audiens, alias x. libras militi ad proprios uſus dedit. Alia vice dum idem Dux ad ſcaccos luderet, oblata eſt ei muſca aurea gemmis mirabiliter adornata; Qui ſtatim cuidam ſecum ludenti clerico illam dedit, at ille continuo exſpiravit. Cujus rationem reddebant medici dicentes, Quod ſicut præ nimio dolore cor clauditur, & niſi citius reaperiatur mortem inducit: ita præ nimia lætitia cor aperitur, & niſi citius recludatur, cauſa eſt mortis. Quidam attulit iſti Duci *Roberto* duos cultellos pulcherrimos, Cui fecit dari ſtatim libras. At dum ille nummos numeraret, dati ſunt Duci duo equi precioſi, quos eidem ſtatim dedit. Sed ille his acceptis abiit feſtinanter, ne quid impedimenti ei forſitan eveniret. Inter hæc data eſt Duci cuppa argentea, & quæſito nec invento illo qui prius cultellos attulerat, Dux conqueſtus eſt quod parum remunerationis accepiſſet. Aſſerebatur enim de Duce illo, quod quæcunque ſibi darentur, omnia illa erogaret illi, qui ſibi primo quicquam honorificum dediſſet eo die, niſi forſan aliquid quod edi vel bibi poſſet datum ſibi fuiſſet.

Poſt hæc apud *Phaleſiam Normanniæ* urbem, iſte Dux *Robertus* puellam unam nomine *Arlet* cujuſdam pelliparii filiam adamavit, Quæ cum ad lectum Ducis duceretur, propriam camiſiam à mento uſque ad pedes fregit, & requiſita cur hoc feciſſet, Reſpondit, Non eſſe fas nec licentia, ut yma pars camiſiæ quæ pedes ſuos ambierat jam nunc ad os Domini ſui verteretur. Ex illa autem genuit Dux filium nomine *Willielmum* baſtardum poſtea *Angliæ* conqueſtorem. At illa obdormiens ſompniavit, arborem de ventre procedere quæ totam *Normanniam* obumbravit. Sed & puer natus per incuriam obſtetricis in ſtramine projectus eſt, ac puer multum de ſtramine in brachiis retinuit; quod quidam ſignum futuræ poteſtatis prænoſticabat. Dux eciam iſte antequam *Jeruſalem* peregrinus iret, filium ſuum *Willielmum* adhuc parvulum regi *Franciæ* commendavit, ut eum Dominum *Normanniæ* conſtitueret, ſi eum in via decedere contingeret; unde Dux per *Burgundiam* proficiſcens dum mane ſocii ſui peregrini per portam caſtri exirent, ipſe ultimus exiens ac moram aliquantulum faciens, à portario cum baculo percuſſus eſt, Qui ſtatim Deo gratias agens dixit ſuis, Nolite me vindicare, quia majori malo dignus ſum, & plus diligo ictum iſtum quam totam *Rothomagum*. Inde *Romam* veniens ut crucem à Domino Papa reciperet, impoſuit pallium precioſum ſtatuæ *Conſtantini* : deridens in hoc *Romanos*, quod ſingulis annis domino ſuo nollent ſaltim unum indumentum dare. Mulam eciam quam equitabat auro fecit ferrari, prohibens omnes ſuos ne quando ferratura caderet ſuſtollerent. Divertens autem ſe per Imperatorem *Conſtantinopolitanum*, in curia ipſius pluribus faceciis declaratus eſt; Audiens itaque Imperator eum eſſe virum illuſtrem, profuſum & generoſum, magnanimitatem animi ſui probare volens, eum ad prandium invitavit, præcepitque clam ſuis, ut nullus ei cederet aut locum daret ad ſedendum. Qui mox cum ad prandium veniſſet & nullum ſcamnum in domo videret, exuit clamidem propriam ſive capam, & plicans eam ſub ſe, ſuper eam in medio omnium ſedit, & juſſit ut omnes ſui ſimiliter ſederent. Poſt prandium accepta licentia ab Imperatore, capis omnibus ſicut Dux præceperat in loco relictis, cum ſuis exivit. Admirans Imperator juſſit capas ſibi afferri, At dum moniti fuiſſent à curialibus ut eas reſumerent, Reſpondit Dux. Non eſt, inquit, patriæ noſtræ conſuetudo, ſcamna noſtra nobiſcum de loco in locum portare. Et dum rogaretur ab Imperatore ſumptus ad viandum capere; Reſpondit, ſe velle dum peregrinaretur, de ſuo vivere; ſed in redeundo regis facere voluntatem. Unde rex prohibuit ne quis ei lingna ad cibaria coquenda venderet. Unde Dux nucium teſtas emi fecit, cum quibus cibaria ſua coxerunt. Imperator autem probitatem ſuam admirans, bancos loco caparum in curia ſua erexit. Poſt hæc diu Dux in itinere ita ægrotavit, ut nec ire nec equitare poſſet. Quamobrem pauperes *Saracenos* conduxit, qui de die ſuper humeros in feretro eum ferrent; unde cuidam *Normanno* domum redeunti Dux injunxit, ut *Normannis* rumores de Duce quærentibus diceret, Quod viderat dæmones Ducem deferre in cœlum. Hoc autem pro tanto dixit, quod *Saraceni* eum verſus terram ſanctam portabant. Erat tunc mos, ut nullus Chriſtianus ſanctam poſſet ingredi civitatem, niſi precio magno dato: unde multi Chriſtiani hujus Ducis adventum audientes auxilium ab eo petebant. Quibus ille per cor ventris ſui juravit, Quod quamdiu ſibi duraret unus denarius ipſe ultimus introiret. Quod audiens nobilis *Saracenus* dominus urbis, qui de aliis eciam hujus Ducis probitatibus audierat, prohibuit ſtatim ne aliquid de eo aut de ſuis caperetur, qui eciam totam oblationem eo die factam Duci dedit, quam ille acceptam ſtatim pauperibus erogavit. Et cito poſt ut fertur poſt nonum Ducatus ſui annum apud *Bithiniam* ut prædicitur vitam terminavit.

Rex *Kanutus* anno regni ſui ix. in *Daciam* contra *Vlf* & *Eylaf*, qui graviſſimam multitudinem contra eum terra & mari de gente *Speon.* adduxerant, cum *Anglorum* exercitu transfretavit: ubi ex parte *Kanuti* & *Speon.* periit multus *Anglorum* populus & *Dacorum*. *Kanutus* rex anno regni ſui xij. ab *Anglia* cum L. puppibus in *Norwegiam* transfretavit; Qui *Olao* rege *Norwagenſium* bello fugato, & à ſuis propter ejus ſimplicitatem vilipenſo & abjecto, regnum illud in ſuam deditionem recepit. Sed *Kanuto* deinde in *Angliam* reverſo, rex *Olaus* in *Norwegiam* rediens, à gente illius patriæ nepharie perimitur, qui modo ſanctus *Olaus* martir vocatur. Et ſic *Kanuto* dum vixit regnum illud remanſit: unde ipſe *Kanutus* propter ſuam magnam dominationem tantum in corde fuit elatus, quod cum magno vigore floreret, Imperii ſui ſedile in littore maris ſemel ſtatui cum aſcenderet aqua juſſit, dixitque mari aſcendenti; Tu meæ dicionis es, & terra qua ſedeo mea eſt, nec fuit aliquis qui impune meo reſiſteret præcepto. Impero igitur tibi ne in terram meam aſcendas, nec veſtes, nec menbra dominatoris tui madefacere præſumas; mare vero juxta naturam de more aſcendens, pedes ejus ac veſtes & crura ſine reverentia madefecit; rex igitur reſiliens ait, Sciant cuncti mortales vanam & frivolam regum eſſe potentiam, nec regis nomine quempiam dignum præter eum, cujus nutui cœlum, terra & mare legibus obediunt ſempiternis. Et ab illa hora nunquam coronam auream capiti ſuo impoſuit, ſed eam *Wyntonia* ſuper caput crucifixi in laudem regis æterni poſuit & dimiſit.

Anno *Kanuti* regis xv. *Robertus* illuſtris Dux *Normannia* antedictus in peregrinatione *Ieroſolimitana* obiit. Qui antequam peregrinationem illam aſſumpſerat, ſanctum *Edwardum* cognatum ſuum in regnum *Anglorum* reſtituere cupiens, pontum ingreſſus, vento adverſo flante apud inſulam **Gerneſeye** diu detentus, *Normanniam* revertitur, & deinde ut ſupradictum eſt *Ieruſalem* profectus, apud urbem *Niceam* obiit in redeundo.

Cui ſucceſſit *Willielmus* nothus filius ſuus, ex concubina filia pelliparii *Phaleſia* progenitus ut dictum eſt; quo adhuc puerili ætate cum *Henrico* rege *Francorum*, cui pater ſuus ipſum ut prædicitur commendaverat, manente, *Normannia* regius fiſcus erat. Sed poſtmodum ope regis ad ducatum promotus, quoſdam de ſibi reſiſtentibus exlegavit, quoſdam debilitavit. Tandem poſt xxx. ducatus ſui annum mortuo rege *Anglorum Edwardo*, quibuſdam de cauſis mente ſtimulatus eſt ut *Angliam* adiret, de quibus circa conqueſtionis ſuæ annum plenius dicetur.

Kanutus rex anno regni ſui ultimo ſupraſcripto de *Dacia Romam* adivit, & larga dona beato *Petro* dedit, & elemoſinam quæ vocatur **Romeſcot**, quam anteceſſores ſui eccleſiæ *Romana* dederant, perhenniter aſſignavit, ac annuente Papa *Johanne* xx. ſcolam *Saxonum* ibidem ab omni tributo liberavit. Quis autem enumerat elemoſinas, dapſilitates, & magnalia quæ rex magnus in peregrinatione illa geſſit? Non fuit rex ſub occidentali climate mundi, qui ſancta loca *Roma* tam ſplendide petiſſet & famoſe: Nam in eundo, morando & redeundo largas elemoſinas diſperſit, paſſagium peregrinantium magno precio multis in locis redemit, malas exactiones, ſcilicet thelonea & tranſverſa pecunia data uſque ad medietatem diminuit, clauſuras itinerum aperire procuravit, precium quod regni ſui primates pro pallio habendo Papæ dari conſueverant, relaxari eciam cum inſtantia procuravit, de quibus omnibus epiſtolam ſuis primatibus *Anglia* tranſmiſit, monens ut ante adventum ſuum omnia prava corrigerent. Eodem anno *Kanutus* rex de *Roma* rediens *Malcolmum* regem *Scocia* ſibi rebellantem ſicut & prius fuerat, ſubjecit, ac alios duos reges *Melbeache* & *Jermare* in deditione recepit. Circa idem tempus *Egelnotus Cantuarienſis* archiepiſcopus baſilicam ſancti *Edmundi* conſecravit.

Iſte rex *Kanutus* poſtquam de *Roma* regreſſus fuerat, vitam ſuam in humilitate, & devotione ducens,

cens, in honore ſancti *Benedicti*, quem ultra omnes Confeſſores ſpecialiter dilexerat; duo monaſteria fundavit, unum in *Norwegia*, & aliud in *Anglia* in partibus *Norfolchia*, quod in ſolo paluſtri infra aquas quaſi in inſula, in quodam loco qui olim **Couholm** & **Calveſcroft** vocabatur, ſitum eſt. Ad quem locum antiquis temporibus ante adventum *Danorum* in *Anglia* quidam heremita nomine *Suneman* adire, & illum inhabitare per angelum monitus eſt in ſompnis, qui licet dictum locum ſibi prædeſtinatum penitus ignorabat, gratia tamen divina per diverſa tunc deſerta tranſiens, ad quoddam manſum cujuſdam reguli nomine *Horn* quod **Hornyng** vocabatur prope eundem locum advenit, ubi à bubulcis et paſtoribus **Calveſcroft**, et **Couholm** nominantibus de dicto loco doctus, et per eoſdem lætus ibidem perductus, unam capellam in honore ſancti *Benedicti* infra paludes loco prædicto erigere incepit, ad quem alii heremitæ pro pœnitentia ſecum agenda confluxerunt. Quos ipſe benigne in ſocios recepit, et ſecum cohabitare permiſit. Quod dictus regulus ſive dominus percipiens, **Couholm** et **Calveſcroft** ſibi et fratribus ſuis dedit pro perpetuo et conceſſit, ubi pluſquam 50. annis vixit. Poſtmodum non modico tempore tranſacto pagani *Inguar* et *Hubbe* de *Dacia* manu forti in *Angliam* applicantes, *Northumbria* primo gravi depopulatione pervagata et eis ſubjecta; in *Eſtangliam*, id eſt *Norfolchiam* venerunt; ubi ſancto *Edmundo* rege tunc ibidem regnante ab eis capto et interfecto, totam patriam prædaverunt, ac dictam capellam S. *Benedicti* heremitis omnibus occiſis funditus deſtruxerunt. Poſt hæc quidam vir Deo devotus *Wolfricus* nomine, divina inſpiratione ad dictum locum veniens, dictam capellam ſancti *Benedicti* de novo incepit ædificare, et congregatis ſibi ſeptem ſociis ædificia eis neceſſaria conſtruxit, quos uſque ad tempus regis *Kanuti* per lx. annos rexit. Tempore autem illo quidam præpoſitus regis *Kanuti*, *Maynard* nomine, in partibus illis erat, qui dictum *Wolfricum*, et ſocios ſuos odio habens, eos erga regem *Kanutum*, tunc prope apud **Hornyng** exiſtentem, nequiter diffamando accuſavit. Unde rex erga eos iratus, ſolus cum ſimplici familia quaſi rex non eſſet, ad eos pervenit, omnes uſque ad mortem in mente minans, ſi illud quod *Maynard* de eis dixerat verax eſſet. Quod *Wolfricus* in ſpiritu comperiens, contra eum cum ſociis ſuis acceſſit, dicens, Salve rex *Kanute*. Cui rex, Qualiter pro rege *Kanuto* me noſcis cum ipſum nunquam agnovi? Cui *Wolfricus*; Angelus Dei regem huc adventurum, et nos, et locum iſtum plurimum ditaturum, nobis infra tres dies præteritos nunciavit. Quod rex audiens, et eos penes ſe malicioſe accuſatos percipiens, omnes ad dictum manſum ſuum de **Hornyng** invitavit, quod illis illuc venientibus rex una cum villis de **Ludham**, & **Neteſherde** cum omnibus appendentibus per Cartam ſuam imperpetuum à ſe & hæredibus ſuis dedit, quam cito poſt in Parliamento ſuo apud *Wyntoniam*, verſus quod dictus *Maynard* regis præpoſitus collum ſuum fregerat, coram omnibus regni ſui magnatibus confirmavit. Et ſic rex *Kanutus* monaſterium ſancti *Benedicti*, monachis per dictum *Wolfricum* introductis, fundavit. Dicto vero *Wolfrico* cito poſtea viam univerſæ carnis ingreſſo, quidam *Alſinus* in Abbatem ſibi ſucceſſit; Qui de duobus monachorum conventibus tunc ibidem congregatis medietatem uſque **Bury**, ad eccleſiam ſancti *Edmundi* regis, & martyris mittens, unum eorum *Uniam* nomine, primum Abbatem ibidem, rege *Kanuto* annuente & ipſos monachos introducente ſtatuit & ordinavit; & ſic primus abbas & monachi abbathiæ de **Bury**, primo de abbathia ſancti *Benedicti* venerunt, quos rex *Kanutus* quam plurimum ditavit, & magnis privilegiis decoravit. Iſte rex *Kanutus* parum ante obitum ſuum conſtituit regem ſuper *Noreganos* quemdam *Swanum*, qui ipſius *Kanuti* & *Aylenæ Hamptonienſis* filius putabatur. Aſſerebant ſiquidem nonnulli ipſam *Aylenam*, cum fillum de rege præter dictum *Haraldum* habere non poſſet, præfatum *Swanum* de quadam presbiteriſſa recenter natum ſibi decubanti ſuppoſuiſſe, regemque *Kanutum* ad id credendum ſubdole allexiſſe. Super *Danos* vero ſuum & *Emmæ* filium *Hardeknoutum* regem deſignavit.

Iſte rex *Kanutus* poſtquam xx. annis regnaſſet, & leges, de quibus inferius habetur, populo ſuo condidiſſet, apud **Schaſtebyry** obiit, & apud *Wyntoniam* in veteri monaſterio ſepelitur.

HÆc ſunt inſtituta *Kanuti*, regis *Anglorum*, *Danorum*, & *Norwiganorum* venerando ſapientum ejus conſilio, ad laudem Dei, & ſuam regalitatem, & commune commodum habita in ſancto natali Domini apud *Wyntoniam*, diligenter ac fideliter in Latinum tranſlata compendioſa brevitate, cum ſimplicitate lucida velut ſuis aſtericis illuſtrata.

Incipiunt Capitula legum regis *Kanuti*.

CAP. I.

De dilectione Dei & Domini ſui.

II.

De pace eccleſiarum, & de infractione pacis earum.

III.

De dignitate ſacerdotum, & accuſatione eorum.

IV.

De Diaconibus, & in cæteris gradibus conſtitutis.

V.

De vulgaribus ſacerdotibus.

VI.

De altari ſervientibus ſi ſacramentales habent vel non.

VII.

De accuſatis homicidio.

VIII.

De monachis.

IX.

De perjurio ſacerdotum.

X.

De exhortatione ſingulorum, & maxime Prælatorum ut bene vivant.

XI.

De uxoribus legitime ducendis, & de debitis Deo reddendis in decimis & aliis.

XII.

De **Romfeth**.

XIII.

De Chiricſceattis.

XIV.

Do thaynis qui eccleſias habent ubi atrium ſit vel non, & de luminaribus eccleſiæ.

XV.

De precio ſepultura.

XVI.

De corporibus tranſlatis.

XVII.

De feriatione diei Dominica & ſolempnitatibus Sanctorum celebrandis.

XVIII.

De jejuniis obſervandis.

XIX.

De temporibus leges faciendi & non faciendi.

XX.

De feſto ſancti Edwardi, *& feſto ſancti* Dunſtani.

XXI.

De confeſſione & pœnitentia, vigiliis, jejuniis, orationibus, & eleemoſynis, & aliis.

XXII.

De fidelitate dominis exhibenda.

XXIII.

Epithoma doctrina Chriſtiana.

XXIV.

Edictum regis in viciis opprimendis virtutibuſque augendis.

XXV.

De miſericordia in judicio habenda.

XXVI.

Ne Chriſtiani vendantur.

XXVII.

De ſortilegis et aliis veneficis, et ne quis colat idolum.

XXVIII.

De homicidis & perjuris.

XXIX.

De malefactoribus & pacis actione.

XXX.

De falſariis & eorum manutentoribus.

XXXI.

De ponderibus & menſuris, & de burhbota, brigbota, *& aliis.*

XXXII.

Qua jura rex habeat ſolus & ſuper omnes in Weſtſaxia, *qua in* Mircenis, *qua in* Denelaga.

XXXIII.

De paventibus exules.

XXXIV.

De injuſtis judicibus.

XXXV.

De juſto judicio Anglorum *&* Danorum.

XXXVI.

De accuſantibus & non probantibus.

XXXVII.

De hundredo requirendo.

XXXVIII.

Quociens debeat haberi burhmot *&* ſchiremot.

XXXIX.

De namis capiendis.

XL.

Ut omnis liber ſit in hundredo & decima.

XLI.

De ſtercinan *qui injuſte defendunt homines ſuos, & de jure legalitatis.*

XLII.

De lege credibilis & incredibilis accuſati.

XLIII.

De thaynis & eorum juramento.

XLIV.

Quod emendum ſit & advocandum ſub legalium teſtimonio.

XLV.

De infame & ſuſpecto, & de ſuperſedentibus venire ad comitatum.

XLVI.

De fure probato & proditore.

XLVII.

De antithetario.

XLVIII.

De hominibus ſuſcipiendis & dimittendis.

XLIX.

De illis qui furibus obviant.

L.

De illo qui audito clamore non exierit.

LI.

De incredibili accuſato in hundredo, & de ejus allegatione.

LII.

Quod omnis dominus debeat tenere familiam ſuam in plegio ſuo.

LIII.

De ſervo qui in ordalio eſt culpabilis.

LIV.

De incredibili apud omnes.

LV.

Ut ſit una lex inter burgos.

LVI.

De peregrinis accuſatis.

LVII.

Si quis perjurabit ſe ſuper ſancta.

LVIII.

Si quis falſum teſtimonium dicet.

LIX.

De juſtitia non facienda in feſtis.

LX.

Si quis miniſtrum altaris occidat.

LXI.

Qui ordinatum vel alienigenam malignabit.

LXII.

De ordinato qui hominem occidat.

LXIII.

De clericis ligatis vel verberatis.

LXIV.

Si clericus ſe forisfaciat ad mortem.

LXV.

Quod confeſſio non negetur dampnato.

LXVI.

Ne quis occidatur die Dominica ſi vitari poſſit.

LXVII.

Si liber feſtivis diebus operetur.

XLVIII.

Si ſervus diebus feſtivis operetur.

XLIX.

De dominis qui cogant ſervos diebus feſtivis operari.

LXX.

Si liber legitimum jejunium agat.

LXXI.

Si ſervus legitimum jejunium agat.

LXXII.

Si quadrageſimale jejunium infringatur per pugnam vel per aliud.

LXXIII.

Si quis Dei rectum per vim ſuperteneat.

LXXIV.

De illis qui ordinis infracturam faciunt.

LXXV.

De adulterio in vacua, vel ſponſa alterius vel ordinata.

LXXVI.

De inceſto in cognata.

LXXVII.

De virginibus & viduis vi ſubactis.

LXXVIII.

De adultera.

LXXIX.

De adultero qui adulteratur cum ancilla ſua.

LXXX.

De habente ſimul ſponſam & concubinam.

LXXXI.

De alienigenis illicite ſe habentibus.

LXXXII.

De murdro aperte perpetrato.

LXXXIII.

De tractante mortem regis & domini ſui.

LXXXIV.

De frangente plegium regis, vel archiepiſcopi, vel filii regis, vel epiſcopi, vel aldermanni.

LXXXV.

De pugnantibus in familia regis.

LXXXVI.

Si quis exarmetur vel ligetur injuſte.

LXXXVII.

De infractione pacis in exercitu regis.

LXXXIII.

De hamſocna.

LXXXIX.

De robaria.

XC.

De husbreche, *&* Bernet, *&* opethef, *&* ebermord, *&* lafordſwice.

XCI.

Si quis burgbotam, *vel* brigbotam, *vel* ferthfare *ſuperſederit.*

XCII.

De Chiricbota.

XCIII.

De habentibus injuſte Dei fugitivos.

XCIV.

De manutenentibus utlagatum vel excommunicatum.

XCV.

Quid maxime expediat in judiciis.

XCVI.

Alleviatio quam toti regno ſuo rex indulſit ſuper injuſtis exactionibus.

XCVII.

De relevationibus comitum & thaynorum provectorum & aliorum.

XCVIII.

De uxore & heredibus bonda.

XCIX.

De viduis infra annum nuptis & earum maritis.

C.

Ne nimis cito veletur vidua, & de ejus revelationis termino.

CI.

Ne vis fiat virgini vel femina in maritando.

CII.

Si malum fiat de armis alterius in bello.

CIII.

De furto in domo invento.

CIV.

De transfugis à dominis vel à ſociis in bello.

CV.

De cadentibus pro dominis in bello.

CVI.

De illis qui terram inquietaverunt teſtimonio comitatus.

CVII.

De pace eorum qui ad placita veniunt.

CVIII.

De libertate venationis.

CIX.

De Dryncelean *& recto dono domini.*

CX.

De pravaricationibus harum legum primo, ſecundo, vel tercio.

CXI.

Brevis admonitio recta vita ad populum.

CAP. I. *Sax.* 1.

INprimis eſt, ut Deum & Dominum noſtrum tota mente diligamus, honoremus, & unam Chriſtianitatem ſanctamque fidem catholicam orthodoxe teneamus, & ſanctam Dei eccleſiam pacificare, cuſtodire, & frequentare ad noſtram ſemper utilitatem gaudeamus.

II. *Sax.* 2.

Omnis eccleſia ſub propria Dei omnipotentis miſericordia conſiſtit, & Chriſtianis omnibus magnam ſuper hiis reverentiam exhibere convenit, quia pax Dei ſuper omnem pacis actionem ſpecialius eſt exoptanda & propenſius obſervanda, & poſtea regis; & valde juſtum eſt, ut eccleſiæ pax intra parietes ſuos & pax Chriſtiani regis quam manu ſua dederit ſemper permaneat inconvulſa. Si quis ammodo pacem eccleſiæ Dei violabit ut intra parietes ejus homicidium faciat hoc inemendabile ſit, & perſequatur eum omnis qui Deum diligit, niſi contingat ut per aliquid pacis confugium rex ei vitam concedat plenis emendationibus erga Deum & homines; Et hoc tunc inprimis ſic quod hoc precium natalis ſui Chriſto perſolvat & regi, & per hoc ſe inlegiet ad emendandum. Si tunc ad emendationem veniat & rex ita patiatur, emendet eccleſiæ pacem & ipſam eccleſiam plena regis **mundbriche**, & reconciliationem eccleſiæ quærat ſicut ad eam pertinebit, & **miſbotam & manbotam** plene reddat, & ſaltim apud Deum ſedulo componat. Si vero aliter ſine interfectione & pax eccleſiæ fracta ſit, emendetur primitus infractio pacis in ipſam eccleſiam juxta quod culpa fuerit & ipſius eccleſiæ dignitas, quia non omnes eccleſiæ parem emendationis dignitatem habent, licet eandem ſanctificationis benedictionem conſequantur. Capitalis eccleſiæ pacis infractio in rebus emendabilibus eſt ſicut infractio regiæ pacis; *i.* decem libris in *Anglorum* laga; mediocris eccleſiæ Cxx.s. *i.* wita regis, & adhuc minoris ubi parva parochia ſit & atrium tamen ſit lx. s. & campeſtris eccleſiæ ubi atrium non ſit xxx. s.

III. *Sax.* 4.

Chriſtianis omnibus ſincere convenit ſanctuaria & ordines & Deo dicata loca ſumma diſcretione & tota devotione pacificare, cuſtodire, venerari juxta modum ſingulorum. Et qui ſcit intelligat magnum eſt & mirum præcipuum quod ad velle Dei pro ſalute populi faciendum creditur ſacerdoti, & magna conjuratio multaque benedictio eſt quæ propellit diabolum & in fugam redigit, quociens divina cooperante potentia, beatorum ſpirituum proſequente cuſtodia per manus temporalium ſacerdotum ſacri baptiſmatis vel euchariſtiæ ſacroſancta myſteria celebarntur. Si contingat ſacerdotem regulariter viventem aliqua criminum compellatione pulſari, miſſam celebret ac ſancta communione ſe purget ſolus ſolum ſi compellatio ſimplex ſit: in triplici calumpnia cum duobus ſui ordinis.

IV. *Sax.* 5.

Diaconus regularis in ſimplici compellatione cum duobus ſui ordinis, in triplici cum vj. diaconibus ſe adlegiet.

V. *Sax.* 5.

Plebeius ſacerdos qui regularem vitam non habet, purget ſe ſicut regularis diaconus.

VI. *Sax.* 5.

Si quis altari miniſtrantium accuſetur & amicis deſtitutus ſit, cum ſacramentales non habeat, vadat ad judicium quod Anglice dicitur **Corſned**, & fiat ſicut Deus velit, niſi ſuper ſanctum corpus Domini permittatur ut ſe purget.

VII. *Sax.* 5.

Si quis ordinatus homicidii particeps conſilio vel auxilio fuiſſe compelletur, purget ſe cum parentibus quorum intereſt occiſionis factionem tollerare vel emendare. Si parentes non habeat, cum ſociis ſe purget vel jejunium ineat ſi opus ſit, & applicetur ad **Corſned**, & fiat voluntas Dei.

VIII. *Sax.* 5.

Monachus eccleſiaſticus non debet aliquem de homine occiſo per ſolutionem exigere vel emendare, quia cognationis ſuæ legem exuit, cum ſe regularis converſationis diſciplinæ mancipavit.

IX. *Sax.* 5.

Si ſacerdos aliquando falſus teſtis vel perjurus extiterit, vel furtum fecerit, vel in aliquo conſenſerit, deponatur, & omnium bonorum ſocietate, dilectione careat & honore, ſi non erga Deum & homines dignis pœnitentiæ fructibus, ſecundum epiſcopi ſui juſſionem præparetur ad veniam, & emendationis & legalitatis plegios deinceps inveniat. Si ſe purgare velit ſecundum facti menſuram, ſit vel per triplicem negationem vel ſingularem.

X. *Sax.* 6.

Et volumus ut quicumque ſint in ordine clericatus conſtituti, puris mentibus inclinentur ſingulariter ad eam rectitudinem quæ ipſis pertinet, & ſaltim ut miniſtri Domini, pontifices, abbates, monachi, monachæ, canonici, nunnæ regulariter vivant, diebus ac noctibus ſæpius & aſſidue ad Deum pro Chriſtiani populi neceſſitate clament, & ei digne ſerviant, & caſtitatem diligant, quia perfecte ſciunt non eſt rectum ut cauſam cohabitandi cum mulieribus habeant. Et qui ſuper hiis abſtinebit & caſtitatem ſervabit, ad perfectum ſempiternum Dei miſericordiam habeat, et ad honorem ſecularis thayni lege dignus ſit.

XI. *Sax.* 7.

Et omnis Chriſtianus pro timore ſui creatoris injuſtum concubitum vitet et Dei legem teneat. Unde commonemus, petimus et in nomine Dei præcipimus, ut nemo in parentela ſua intra ſextam generationem uxoretur, nec in dimiſſa cognati ſui qui intra ſextum geniculum pertineat ei, nec in cognatione uxoris ſuæ, nec commatrem, nec filiolam ſuam, nec ſanctimonialem, nec repudiatam aliquis ducat uxorem, nec cum meretricibus circumeundo fornicetur. Sed unam legitimam habeat quamdiu vixerit qui Dei legem juſte ſervare deſiderat, et à gehennæ ignibus animam ſuam liberare. Et reddantur Deo debitæ rectitudines annis ſingulis; hoc eſt eleemoſina carucarum xv. diebus poſt paſcha; decimæ de novellis gregibus in Pentecoſten, terrenorum fructuum in feſto omnium Sanctorum. Si quis hanc decimam dare nolit ſicut omnium noſtrorum commune eſt inſtitutum, hoc eſt decimam acram ſicut aratrum peragrabit, eat præpoſitus regis et epiſcopi, et domini ipſius terræ cum ſacerdote et ingratis auferant, et eccleſiæ cui pertinebit reddant, nonam vero partem relinquat ei qui decimam dare noluit, octavas partes reliquas in duo dividant, et ſit una medietas epiſcopi, alia terræ domini, ſive ſit homo regis, ſive thayni.

XII. *Sax.* 9.

Et **Romfeth**, i. *Roma* cenſus, quem beato *Petro* ſingulis annis reddendum ad laudem & gloriam Dei regis noſtra larga benignitas ſemper inſtituit, in feſto ſancti *Petri* reddatur; qui ſupra tenuerit, reddat epiſcopo denarium illum & xxx. denarios addat, & regi det xxx. s.

XIII. *Sax.* 10.

Cyryceſceat, i. eccleſiæ cenſus in feſto ſancti *Martini* reddatur; Qui ſine licencia ſupertenebit, eum reddat epiſcopo, & undecies perſolvat, & regi Cxx. s.

XIV. *Sax.* 11.

Si quis thaynus in hæreditate ſua terram habeat in qua cœmiterium ſit, det ibi terciam partem propriæ decimæ ſuæ. Si quis eccleſiam habeat ubi poſitionis locus non ſit, det ex ſuis novem partibus presbitero ſuo quod velit. Et eat omnis *Cyryceſceat* ad matrem eccleſiam per omnes liberas domos. *Sax.* 12. Et fiat in anno ſymbolum luminis primum in vigilia Paſchæ obulus ceræ de omni hida, in feſto omnium Sanctorum tantundem, tercio tantundem in feſto ſanctæ *Mariæ* candelarum.

XV. *Sax.* 13.

Pecunia ſepulturæ juſtum eſt ut aperta terra reddatur.

XVI. *Sax.* 13.

Si corpus aliquod à ſua parochia deferatur in aliam, pecunia tamen ſepulturæ ejus jure in eam eccleſiam pertinebit.

XVII. *Sax.* 14.

Et omnes rectitudines & ſanctæ Dei ceremoniæ ſicut omnibus opus eſt, totis deſideriis obſerventur in feſtivitatibus, in jejuniis, in feriatione diei dominicæ ab hora nona ſabbati uſque ad diluculum Secundæ feriæ; & Sanctorum omnium ſolempnitatibus ſicut à ſacerdote fuerint nunciatæ. *Sax.* 13. Ipſa vero die Dominica publica mercimonia vel placitationum conventicula, venationes & hujuſmodi ſecularium actiones exerceri modis omnibus prohibemus, niſi pro magna neceſſitate ſit.

XVIII. *Sax.* 16.

Omne indictum jejunium devote conſervetur, ſive quatuor temporum, ſive quadrageſimale, vel deinceps aliud quodcumque ſit. Et ad omnes beatæ *Mariæ* feſtivitates & ſanctorum Apoſtolorum omnium jejunia votiva præveniant præter *Philippi* & *Jacobi*. Pro ſolempnitate Paſchali non ſunt ſecundum legem indicta jejunia à Paſcha uſque ad Pentecoſten, nec à natali Domini uſque ad octabas Epiphaniæ, niſi quis per pœnitentiam vel ſponte jejunat.

XIX. *Sax.* 17.

Et feſtis diebus juramenta, & ferri vel aquæ, vel hujuſmodi legis examina fieri prohibemus, et quatuor temporum, et diebus quadrageſimæ, et aliis legitimis jejuniis; et ab adventu Domini uſque in octavum diem poſt duodecimum à natali; et à ſeptuageſima uſque ad xv. diem poſt Paſcha.

XX. *Sax.* 17.

Et ſancti regis *Edwardi* glorioſum paſſionis diem per totam *Angliam* volumus celebrari xv. kalend. Aprilis, et ſancti *Dunſtani* xiiij. kal. Junii. Et ſit in hiis ſanctis obſervationibus ſicut vere juſtum eſt, Chriſtianis omnibus pax et concordia, et omnis ira tollatur. Et ſi quis alteri debitor eſt de plegiatione vel aliqua contingentium ſecularium emendatione, reddat ei ſedulo prius aut poſtea.

XXI. *Sax.* 18.

Et in Dei dilectione petimus, ut quiſque Chriſtianus ſuam ipſius benefaciendi neceſſitatem intelligat, quia nos ſingulos tempus exſpectat quo nobis eſſet carius quam quicquid in orbe terrarum mundus obtinuit, Dei noſtri voluntatem feciſſe dum licuit; tunc ſane recipiemus uniforme ſtipendium ſecundum opera noſtra, ut qui promeruerit ſupplicia ſempiterna. Renunciemus ſedulo peccatis noſtris, et confeſſionibus et abſtinentiis experiamur, et quod nobis fieri volumus aliis faciamus. Hoc judicium juſtum eſt. Et ſane beatus et Deo gratus eſt qui judicium ſincere tenuerit ad gloriam et honorem omnipotentis Dei, cujus miſeratione ſumus conditi, *Sax.* 19. et precio magno redempti. Quicunque Chriſtianus ſicut vere neceſſarium eſt dignam Chriſtianitati ſuæ curam impendat, et ad perceptionem communionis Dominicæ ter ſaltim in anno ſe præparet, ut non hoc ad judicium ſed ad remedium ſalutare manducet. Et quiſquis qui amicus Dei eſt verbis et operibus rectitudinem flagitet, fidem et ſacramenta caute cuſtodiat. Omnis injuſtitia de finibus noſtris quantum poſſumus expellatur, et Dei juſtitiam dictis et factis deinceps amplectamur, tunc ejus miſericordiam propitiacius impetrabimus.

XXII. *Sax.* 20.

Item faciamus ſicut adhuc perſuadere volumus: ſimus dominis noſtris per omnia fideles et credibiles, et eorum gloriam totis viribus exaltemus et velle faciamus; quia quicquid pro recta dominorum fidelitate facimus, ad magnam nobis utilitatem faciemus; et ſcientes Deus illi fidelis eſt, qui domino ſuo recte fidelis eſt, et unicuique domino magnum opus eſt ut hominem recte deducat ſuum.

XXIII. *Sax.* 21.

Omnes Chriſtianos ſedulo commonemus, ut puro corde ſemper Deum diligant, et Catholicæ Chriſtianitatis fidei digne ſerviant, ſanctæ eccleſiæ doctoribus devote pareant, Dei leges et doctrinam ſubtiliter inveſtigent ſemper et aſſidue ſibimet ad *Sax.* 22. utilitatem. Et omnis Chriſtianus addiſcat ut ſaltem ſanæ fidei rectam intelligentiam habeat, et ſciat *Pater noſter*, et *Credo in Deum*; quia per illud Deum exoramus, per aliud rectam fidem declaramus. Chriſtus ipſe primus hanc orationem protulit et diſcipulos ſuos docuit, in qua ſeptem ſunt petitiones; et quando quis eam intimo corde cantabit, cum ipſo Deo agit de quacumque neceſſitate vitæ præſentis et futuræ. Sed quomodo poteſt aliquis devotas ad Deum preces effundere qui non habet intime rectam fidem in eo? non habet ſane poſt tranſitum ejus aliquam portionem cum Chriſtianis in requie Sanctorum, nec ſancta communione dignus nec vere Chriſtianus habendus eſt qui non vult eam diſcere, nec ad eum juſte pertinet aliquem in ſancto baptiſmo ſuſcipere, nec ad manus epiſcopi in confirmatione et datione Spiritus ſancti tenere antequam bene ſciat eam.

XXIV. *Sax.* 23.

Et docemus, ut à ſummis criminibus totis viribus in omni tempore caveamus; & qui impulſu diaboli in peccatum inciderit, propenſius emendet conſilio pœnitentiæ ſuæ. Et ab immundis gaudiis *Sax.* 24. & injuſto concubitu vel adulterio caveat. Et omnes *Sax.* 25. Dei timorem & amorem in mente habeant, diebus ac noctibus à peccatis fugiant, diem judicii metuant & inferni cruciatus, & ſemper ultimum vitæ ſuæ terminum cogitent adveniſſe. Epiſcopi ſunt *Sax.* 26. præcones & doctores legis Dei qui prædicationibus & exemplis debent Dei miſteria declarare; curet qui velit: quia ſupervacue paſtor eſt, qui commiſſo ſibi gregi non vult ſaltim clamore ſuccurrere ſi quid ei noceat. Non eſt aliquis tam nocens adverſarius ſicut accuſator humani generis inimicus, qui totis ſemper viribus inhiat, totis deſideriis æſtuat, quomodo plures animas in ſupplicium pertrahat. Sit itaque paſtor ſolers, pervigil, & attente proclamans, qui contra ſpirituales nequitias debet populo prævidere. Qui ſane ſunt epiſcopi & ſacerdotes, gregem Domini ſapienti doctrina debent cuſtodire & defendere, ne diabolica veſania illam vulneret vel occidat. Et qui Dei præceptis obedire neglexerit, hic cum ipſo Deo commune non habeat.

HÆc eſt inſtitutio legum ſecularium quam communi ſapientum meorum conſilio per totam *Angliam* teneri præcipio. Inprimis, volo ut juſtæ *Sax.* 1. leges erigantur, & injuſtæ ſubvertantur, & omnis injuſtitia quanta poſſumus obſervantia de finibus noſtris ſarculetur & explantetur, & Dei juſtitia modis omnibus exaltetur, & amodo omnis homo, dignus publica rectitudine reputetur pauper & dives quicumque ſit, & eis juſta judicia judicentur.

XXV. *Sax.* 2.

Si quis peccaverit & profunde pœniteat, temperetur in eo juſticia, ſic erga Deum ſit clementius, & in ſeculo tolerabilius: & multa ſedulitate cogitet qui jus habet in judicio, quid ſibi poſtulat à Domino, dicens, *Demitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Prohibemus ne Chriſtianus aliquis penitus pro parva re ſaltim ad mortem deducatur. Sed juſtitia pacificans pro neceſſitate populi exquiratur, ne pro levi re opus manuum Dei & ſui ipſius precium quod profunde redemit deſperet.

XXVI. *Sax.* 3.

Præcipimus ne Chriſtiani paſſim in exilia vendantur, vel in gentilitatem, ne forte pereant animæ quas propria vita ſua mercatus eſt Dominus noſter Jheſus Chriſtus. Et totis viribus ſemper *Sax.* 4. patriam mundare in omnibus ejus finibus ſtudeamus, & ab immundis operibus circumquaque ceſſemus.

XXVII.

Et ſi ſagæ vel incantatrices veneficæ, vel meretrices alicubi compareant, expellantur à finibus noſtris, vel in eis pereant niſi ceſſaverint & profundius emendent. Præcipimus ut *Witerſatan* & utlagæ Dei & hominum patriam exeant ſi non reſipuerint & digne pœniteant. Fures & hujuſmodi dampna populi, propediem pereant, ſi non conquieſcant.

Sax. 5. - Omnem quoque gentilitatem modis omnibus interdicimus. Gentilitas eſt ſi quis idola colit, i. Gentilium Deos, ſolem aut lunam, ignem vel fluctus, aquas fontium vel lapides vel alicujus generis ligna, vel **Wichencreſt** diligat aut murdri opus quolibet modo ſectetur, aut in ſacrificio vel mortificatione aliquo modo aliquem ſuſcipiat, aut in ſorte vel in **Firthe** vel in ſimilibus phantaſiis vel præſtigiaturis aliquid agat.

XXVIII. Sax. 6.

Homicidæ, & perjuri, ſacrorum ordinum contemptores, & adulteri pœniteant & emendent, aut cum peccatis ſuis à cognitione diſcedant.

XXIX. Sax. 7.

Liguritores, mendaces, rapaces, raptores, Dei gravamen habeant niſi ceſſent & prolixius emendent. Et qui patriam juſte purgare deſiderat & injuſtitiam ſternere veramque ſapientiam diligere, multo debet ſtudio talia compeſcere & talia devitare.

Sax. 8. Agamus & omnes ſedulo de ſtabilitate pacis & emendatione pecuniæ, de pacis actione ſicut patrifamilias magis placet & furi plus diſpliceat.

XXX.

De correctione pecuniæ ut una moneta per totas has nationes ſine omni falſo teneatur, & nemo repudiet eam, & qui poſt hanc falſabit, manum perdat unde fecerit, & nec argento aut auro vell ullo modo redimatur. Si præpoſitus accuſetur quod ejus licentia quis falſum fecerit, purget ſe triplici lada: Quod ſi purgationem fregerit, inde judicium habeat quod qui falſum compoſuit.

XXXI. Sax. 9.

Menſura, pondera juſtificentur, & omnis injuſtitia deinceps opprimatur. *Burhbotam* & *Brigbotam* & *Scipforthunga* & *Firthunga*, quæ navigii vel expeditionis ſonant apparatum, ſedulo procuremus, cum neceſſe fuerit ad commune regni noſtri commodum.

Sax. 11. Et perquiramus ſimul modis omnibus quomodo præcipuum poſſit conſilium ad profectum populi obtineri, rectaque Chriſtianitas propenſius erigi, & quicquid injuſtum eſt ſolertius enervari.

XXXII. Sax. 12.

Hæc ſunt jura quæ rex habet ſuper omnes homines in *Mircenis* & *Weſtſaxia*, *Mundbreche*, i. infractionem pacis, *hamſocnam*, i. invaſionem manſionis, *forſtal*, i. prohibitionem itineris, & *firthunga*, i. expeditionem, niſi aliquem amplius honorari velit, & qui opus utlagii fecerit ejus revocatio ſit in miſericordia regis. Et ſi terram teſtamentalem habeat, quæ *Anglice* dicitur **Bocland**, ipſa in manum regis tranſeat, ſit ejus homo cujus ſit. Qui forisbannitum paverit vel ei firmationem aliquam exhibuerit, emendet regi v. l. niſi ſe adlegiet quod inſugatum eum neſciebat.

Sax. 14. In *Denelaga* habet rex **Fyhtwitan**, i. forisfactum pugnæ & **Fyrthwite**, i. forisfactum expeditionis, **Grithbrece**, i. infractionem pacis, & **Hamſocna**, i. invaſionem manſionis, ſi non aliquem ſpecialius honoraverit.

XXXIII. Sax. 14.

Si quis hominem pro culpa exulatum tenuerit aut paverit, emendet hoc ſicut ante legitimum fuerit.

XXXIV. Sax. 14.

Si quis deinceps **Unlage**, i. non legem erigat, vel injuſtum judicium judicet, pro læſione vel aliqua pecuniæ ſuſceptione ſit erga regem Cxx. s. reus in *Anglorum* laga, niſi cum juramento audeat inveritare, quod rectius neſcivit judicare, & dignitatem ſuæ legalitatis ſemper amittat ſi non eam redimat erga regem ſicut ei permittetur. In *Denelaga* **Lahſlithes** reus ſit ſi non juret quod melius neſcivit.

XXXV. Sax. 14.

Et qui rectæ legi vel juſto judicio refragabit, reus habeatur erga eum cui pertinebit. Erga regem ſit Cxx. s. ſit erga Comitem lx. s. ſit erga hundredum xxx. s. ſit erga ſingulum eorum ſi ſic accidat in *Anglorum* laga, in *Denelaga* **Lahſlithe**.

XXXVI. Sax. 15.

Qui aliquem accuſare præſumat unde pecunia vel comodo pejor ſit, & denique mendacium pernoſcatur, linguam ſuam perdat, vel weregildo redimatur.

XXXVII. Sax. 16.

Nemo regem requirat de juſtitia facienda dum ei rectum offertur in hundredo ſuo, & requiratur hundredum ſecundum witam ſicut juſtum eſt.

XXXVIII. Sax. 17.

Et habeatur in anno ter burgimotus & ſcyremotus bis, niſi ſæpius ſit neceſſe. Et interſit epiſcopus & Aldermannus; & doceant ibi Dei rectum & ſæculi.

XXXIX. Sax. 18.

Et nemo namium capiat in comitatu vel extra comitatum priuſquam ter in hundredo ſuo rectum ſibi perquiſierit, ſi tercia vice rectum non habeat, eat quarta vice ad conventum totius comitatus quod *Anglice* dicetur **Scyremot**; & ipſe comitatus ponat ei quartum terminum; qui ſi fallat, tunc licentiam accipiat ut ab hinc & inde ſuum audeat rectum perquirere.

XL. Sax. 19.

Et volumus ut omnis homo liber in hundredo & in decima poſitus ſciat qua purgatione dignus eſſe velit aut wera, ſi quis eum poſt duodecimum ætatis ſuæ annum accuſat, vel non ſit aliqua liberorum rectitudine dignus, ſit **Heordfeſte**, ſit *folgarins*, ſit in hundredo & in plegio conſtitutus, & teneat eum plegius & adducat eum ad omne rectum.

XLI. Sax. 19.

Multi **Streeman**, i. potentes ſive fortes volunt ſi poſſint & audeant, defendere homines ſuos ad utrumlibet ſicut eis videbitur, quod procedat modo pro ſervo modo pro libero. Sed nolumus hanc injuſtitiam pati. Volumus ut omnis homo poſt duodecimum ætatis ſuæ annum juret, quod fur eſſe nolit vel furi conſentaneus.

XLII. Sax. 20.

Et ſit homo credibilis qui non fuerit accuſationibus infamatus, & neutrum ei fregerit vel juramentum vel ordalium in hundredo, ſimplici purgatione dignus. Incredibili eligatur ſimplex lada, i. purgatio ſimplici præjuramento, triplex lada triplici præjuramento.

XLIII. Sax. 20.

Si thaynus habeat credibilem hominem, ante juramentum pro eo ſit; ſi inde non habeat, ipſe thaynus cauſam ſuam præjuret, et nullum unquam ante juramentum condonetur.

Sax. 21. Et non ſit quiſquam alicujus advocationis dignus niſi credibile teſtimonium habeat unde venerit ei quod cum eo deprehenditur. Et inveritent hoc ipſi teſtes in fide Dei et domini ſui, quod ei in vero teſtimonio ſint ſicut oculis ſupervideiunt, et auribus ſuperaudierunt quod recte hoc acquiſivit.

XLIIII. Sax. 22.

Et nemo aliquid emat ſupra iiij. denarios valens mobile vel inmobile niſi habeat credibile teſtimonium iiij. hominum, ſit in civitate ſit extra civitatem. Et ſi tunc ſuper eum inveniatur, et tale teſtimonium non habeat, non liceat ei advocare ; ſed reddat repetenti captale ſuum et ſecundum ſolutionem, et forisfacturam cui pertinebit : ſi teſtimonium habeat ſicut prædiximus, tunc liceat inde ter advocari, et iiij. vice probetur aut reddatur ei cujus erit. Et nobis non videtur rectum ut aliquis probare cogatur ubi teſtimonium eſt et cognitio quod ibi brede ſit. Et nemo illud probare debeat ante ſex menſes poſtquam furatum eſt.

XLV. Sax. 23.

Qui fuerit accuſationibus infamatus et populo incredibilis, et hæc placita ter ſubterfugerit, videatur qui quarto placito mittatur ad eum, et inveniat etiam tunc plegio; ſi poſſit ; ſi non poſſit, exſuperetur ſicut alterutrum poterit ſive vivus ſive mortuus, et capiatur omne quod habebit, et ſolvatur repetenti captale ſuum, reliquiæ habeat dominus ejus dimidium, hundredus dimidium. Et ſi aliquis vel cognatus vel alienus illuc ire negaverit, ſolvat regi Cxx. s.

XLVI. Sax. 23.

Et perquirat fur probatus quicquid perquirat, vel qui de morte domini ſui tractaverit, nunquam ſibi vitam acquirat. Et qui deinceps furabitur, quærat quod quærat, nunquam ſibi vitam impetret.

XLVII. Sax. 24.

Et qui in placito ſeipſum vel hominem ſuum diſtortis compellationibus defendere præſumpſerit, habeat totum hoc **Forſpecen.** Et contingat de reliquo ſicut hundredo rectum videbitur.

XLVIII. Sax. 25.

Et nemo ſuſcipiat aliquem ultra trinoctium niſi ipſe emendet cui antea ſervivit. Et nemo ſuum hominem à ſe dimittat priuſquam mundus ſit in cauſis omnibus quibus ante fuerit accuſatus.

XLIX. Sax. 26.

Si quis furi obviaverit, & ſine vociferatione gratis eum dimiſerit, emendet ſecundum weram ipſius furis, vel plena lada ſe adlegiet quod cum eo falſum neſcivit.

L. Sax. 26.

Si quis audito clamore ſuperſederit, reddat *overhyrneſſam* regis, aut plene ſe adlegiet.

LI. Sax. 27.

Si quis adeo ſit incredibilis hundredo & à tribus ſimul accuſetur, tunc nichil interveniat quin ad triplex ordalium eat. Si dominus ejus dicat tunc, quod ei neutrum vel juramentum, vel ordalium fregerit poſtquam conſilium fuit apud **Wynceſtriam,** aſſumat idem dominus ſecum duos homines credibiles in ipſo Hundredo, & juret quod illi nunquam juramentum vel ordalium fregerit nec furigildum reddidit, niſi talem præpoſitum habeat qui eo dignus ſit & hoc facere poſſit. Si juramentum procedat, eligat accuſatus alterutrum quod velit ſive ſimplex ordalium, ſive juramentum unius libræ in tribus hundredis ſuper xxx. denarios. Et ſi jurare non audeat, eat ad triplex ordalium hoc modo; ſumat quinque & idem ſit ſextus, & ſi reus fuerit in prima vice, ſit calumpniatori duplo, reddens domino ſuo weram ſuam qui ea dignus ſit, & ponat credibiles plegios quod omni malo deinceps abſtinebit. Ad ſecundam vicem non ſit alia emendatio, ſi reus fuerit, niſi ut amputentur ei manus aut pedes aut utrumque ſecundum quod factum fuerit. Et ſi adhuc amplius peccaverit, eruantur ei oculi, & truncetur ei naſus & aures & ſuperlabium, vel decapilletur, quicquid horum conſuluerint quorum tunc intererit. Sic corrigi poterit & animæ provideri Si aufugerit, & ordalium vitaverit, ſolvat plegius repetenti captale ſuum, & regi weram ſuam vel ei wita ſua dignus erit. Et ſi dominus compelletur, quod ejus conſilio fugerit & antea malum fecerit, aſſumat ſecum v. credibiles & idem ſit ſextus, & inde ſe purget. Si purgatio non deficitur, ſit weræ ſuæ dignus, ſi deficiat, habeat rex ipſam weram ; & fur apud omnem populum utlaga ſit.

LII. Sax 28.

Et habeat omnis dominus familiam ſuam in plegio ſuo, & ſi accuſetur in aliquo reſpondeat in hundredo ubi compellabitur ſicut recta lex ſit. Quod ſi accuſetur & fugiat, reddat dominus ejus regi weram, i. precium nativitatis hominis illius. Et ſi dominus accuſetur quod ejus conſilio fugerit, adlegiet ſe cum quinque thaynis, id eſt nobilibus, & idem ſit ſextus ; ſi purgatio frangat ei, reddat ei weram ſuam, & qui fugerit, extra legem habeatur.

LIII. Sax 29.

Si ſervus in ordalio reus fuerit, ſignetur prima vice, ſecunda nulla ſit emendatio niſi caput.

LIV. Sax. 30.

Si quis homo ſit qui omni populo ſit incredibilis, adeat præpoſitus regis & ponat eum ſub plegio, qui ad rectum habeat eum omnibus accuſantibus; ſi plegium non habeat, occidatur & condempnatis mittatur. Si ſe defendere præſumat, ſint ambo unius recti digni. Quiſquis hæc ſuperſederit & facere noluerit, ſicut omnium noſtrum verbum eſt det regi Cxx. s.

LV. Sax. 31.

Et ſtet inter burga lex una purgandi.

LVI. Sax. 32.

Si quis amicis deſtitutus vel alienigena ad tantum laborem venerit ut plegium non habeat, in prima **Thilac**, i. accuſatione ponatur in carcanno, & ibi ſuſtineat donec ad Dei judicium eat. Scientes qui amicis deſtituto vel extraneo deterius judicium judicat quam ſocio ſuo, ſeipſum lædit.

LVII. Sax. 33.

Si quis falſum juramentum ſuper ſancta jurabit & convictus inde fuerit, manum perdat vel dimidiam weram, & hoc commune ſit domino ſuo & epiſcopo, Et non habeatur deinceps juratione dignus, ſi erga deum profundius non emendet, & plegios inveniat quod ſemper in relicum ceſſet.

LVIII. Sax. 34.

Si quis mendaci teſtimonio manifeſte ſtabit & probatus inde fuerit, non admittatur deinceps in legitimum teſtimonium ſed ſolvat regi vel domino ſuum **Healsfang.**

LIX. Sax. 35.

Non eſt in aliquo tempore conceſſa injuſtitia; & tamen injuſtitia eſt feſtis diebus & ſanctificatis locis propenſius interdicta. Semperque ſicut homo potentior eſt vel majoris ordinis, ſic debet ſolertius pro Deo & ſeculo quod juſtum eſt emendare; Et ideo gratam emendationem ſedulo perquiramus de ſcripturis ſanctis, & ſecularem juxta legem ſeculi.

LX. Sax. 36.

Si quis altaris miniſtrum occidat, utlaga ſit erga deum & homines, niſi dignis ſatisfactionibus veros pœnitentiæ fructus oſtendat, & erga parentes ejus emendet, vel *wera lada* ſe adlegiet. Et infra xxx. noctes hoc incipiet apud deum & homines ſuper omne quod habet.

LXI. Sax. 37.

Si quis ordinatus vel alienigena ſeducatur in aliquo de pecunia vel vita, ſit ei rex pro cognatione & advocato, ſi penitus alium non habeat, & emendetur regi ſicut juſtum eſt, vel illud factum nimis profunde vindicet. Chriſtiano regi jure pertinet, ut injurias Deo factas vindicet ſecundum quod acciderit.

LXII. Sax. 38.

Si quis miniſter altaris hominem occidat, vel malis actibus ultra modum ſe ingeſſerit, ordine ſimul & dignitate privetur & peregrinetur, ſicut ei papa ſuus injunget opus emendet ſedulo; ſi ſe purgare velit tripliciter hoc faciat, & ſi non infra xxx. noctes hoc incipiat, erga deum & homines extra legem habeatur.

LXIII. Sax. 39.

Si quis ordinatum aliquem verberibus aut vinculis vel aliquatenus affligat, emendet ei ſicut rectum ſit, & epiſcopo emendationem ſecundum altaris & ordinis dignitatem. Regi vel domino plenam infractionem pacis; aut plena laga neget.

LXIV. Sax. 40.

Si quis ordinatus ſe foriſfaciat morte plectendis actibus, capiatur & ſervetur epiſcopi judicio diſcutiendus ſecundum quod factum ſit.

LXV. Sax. 41.

Si quis morti dampnatus confeſſionem deſideret, nunquam negetur ei; Et ſi quis ei perneget, emendet regi Cxx. s. vel ſe adlegiet & ſumat quinque & idem ſit ſextus.

LXVI. Sax. 42.

Et ſi vitari poſſit nunquam occidatur aliquis die Dominica morte foriſfactus, niſi fugiat vel repugnet, ſed capiatur & ſervetur donec feſtum tranſierit.

LXVII. Sax. 42.

Si liber feſtis diebus operetur emendet, & hoc ſecundum ſuum *halsfang*, et ſaltim erga deum ſedulo emendet ſicut edocebitur.

LXVIII. Sax. 42.

Si ſervus operetur corium ſuum perdat, vel xxx.d. redimat ſecundum quod factum erit.

LXIX. Sax. 42.

Si dominus cogat ſervum ſuum diebus feſtis operari, ipſum ſervum perdat, et ſit deinceps publice liber, et ſolvat dominus **Lahslith** cum *Dacis*, witam cum *Anglis* ſecundum facti meritum.

LXX. Sax. 43.

Si liber legitimum jejunium infringat, reddat **Lahslith** cum *Dacis*, witam cum *Anglis* ſecundum quod acciderit.

LXXI. Sax. 43.

Si ſervus tale quid egerit careat corio vel redimat ſolutionem corii pro facti qualitate. Malum eſt ut tempore jejuniorum ante horam comedat, et adhuc deterius ut carnis cibo quis ſeipſum inquinet.

LXXII. Sax. 44.

Si quis aperte quadrageſimale jejunium frangat, per pugnam vel per concubitum aut rapinam vel per aliquid ſummorum criminum, ſit hoc duplo corrigendum ſicut in ſummis feſtivitatibus ſecundum quod factum erit: ſi negetur, triplici lada fiat.

LXXIII. Sax. 45.

Si quis Dei rectitudines prohibeat, ſolvat **Lahslith** cum *Dacis*, plenam witam cum *Anglis*, vel ſe adlegiet & aſſumat xj. homines, & idem ſit xij. Si aliquem vulneret hoc emendet & reddat plenam witam domino, & ab epiſcopo manum ſuam redimat vel eam amittat. ſi aliquem occidat ſit utlaga & capiat eum cum clamore omnis qui rectum velit, ſufficiat ut occidatur per hoc quod contra rectum reſiſtit. Si hoc inveritetur, inultus jaceat.

LXXIV. Sax. 46.

Si quis ordinis infracturam faciat, emendet hoc ſecundum ordinis dignitatem wera, wita, **Lahslite** & omni miſericordia.

LXXV. Sax. 47.

Si quis adulteria facit, emendet ſecundum quod factum ſit malum. Adulterium eſt ſi ſponſus cum vacua fornicetur, & multo pejus ſi cum ſponſa alterius vel cum ordinata.

LXXVI. Sax. 48.

Si quis cum pertinente ſua jaceat, emendet hoc ſecundum cognationis modum, ſit wera ſit wita, ſit omni pecunia. Non æquale eſt ſi quis cum ſorore ſua concumbat quaſi fuerit de longe pertinens.

LXXVII. Sax. 49.

Si quis violenter virginem opprimat wera componat: Si quis viduam per vim capiat wera emendet.

LXXVIII. Sax. 50.

Si mulier vivente marito ſuo faciat adulterium & manifeſtetur, ſit ad dedecus ſeculi ſui ipſius, & habeat legalis maritus omne quod ipſa habebat, & ipſa perdat naſum & aures; & ſi compellatio ſit, & in emendando miſeveniat, ſit in epiſcopi poteſtate, & ipſe graviter judicet.

LXXIX. Sax. 51.

Si quis uxoratus fornicetur cum ancilla ſua, perdat eam, & pro ſeipſo pœniteat erga deum & homines.

LXXX. Sax. 51.

Et qui ſponſam & concubinam ſimul habuerit, non faciat ei presbyter aliquid rectitudinum quæ Chriſtiano fieri debent priuſquam pœniteat, & ita emendet ſicut epiſcopus injunget, & ſemper deinceps ſuper hiis abſtineat.

LXXXI. Sax. 52.

Alienigenæ ſi concubitus ſuos dirigere noluerint, extra patriam cum peccatis & pecunia recedant.

LXXXII. Sax. 53.

Qui murdrum aperte perpetrabit, reddatur parentibus interfecti; & ſi compellatio ſit, & in emendatione miſeveniat, judicet epiſcopus.

LXXXIII. Sax. 54.

Si quis de morte regis vel domini ſui quoquo modo tractaverit, vitæ ſuæ reus ſit & omnium quæ habebit, niſi triplici judicio ſe purget.

LXXXIV. Sax. 55.

Si quis plegium regis frangat, emendet quinque libras. Si quis archiepiſcopi vel filii regis plegium frangat iij. libras emendet, ſi quis epiſcopi vel Aldermanni plegium frangat, ij. l. emendet.

LXXXV. Sax. 56.

Si quis in familia regis pugnet, vitæ ſuæ reus ſit niſi rex ei miſereri velit.

LXXXVI.

LXXXVI. *Sax.* 57.

Qui aliquem exarmabit injuſte, ſolvat ei ſecundum **halsfang** ſuum; ſi ligabit, dimidiam weram reddat ei.

LXXXVII. *Sax.* 58.

Si quis in exercitu regis pacis infractionem perficiat, vitam perdat vel weregildo redimat. Si non perfecerit, emendet juxta quod factum ſit.

LXXXVIII. *Sax.* 59.

Si quis *hamſocnam* faciat v. libras emendet regi in *Anglorum* laga, & in Denelaga ſicut lex ſtetit antea; Quod ſi quis eum inter agendum perimat **ugilde** jaceat.

LXXXIX. *Sax.* 60.

Si quis robariam faciat, reddat & perſolvat quod cepit, & weræ ſuæ reus ſit erga regem.

XC. *Sax.* 61.

Huſbrece, i. infractura domus, & **bernet** quod eſt domus incendium, & **opentheft**, i. apertum furtum, & **eberemurder**, i. probatum murdrum, & **laſordſwice**, i. infidelitas erga dominum ſecundum legem ſeculi inemendabile eſt.

XCI. *Sax* 62.

Si quis **burgbotam** vel **brigbotam**, i. burgi vel pontis refectionem, vel **firdfare**, i. in exercitum ire ſuperſederit, emendet hoc erga regem Cxx. s. in *Anglorum* laga; in Denelaga ſicut lex ſtetit antea: vel ita ſe adlegiet, nominentur ei xiiij. & acquirat ex eis xj.

XCII. *Sax.* 63.

Ad refectionem eccleſiæ debet omnis populus ſecundum legem ſubvenire.

XCIII. *Sax.* 64.

Si quis domini fugitivum habeat injuſte, reddat eum ad rectum, & perſolvatur ei cui jus erit; & regi emendet ſecundum weregildum.

XCIV. Sax. 64.

Si quis excommunicatum vel utlagam habeat & manuteneat, deſperatio ſibi eſt & omnibus quæ poſſidet. Et ſi aliquis velit de injuſtitia reverti ad rectum, remittatur ei pro timore Dei ſicut melius poterit.

XCV. Sax. 66.

Et faciamus ſicut nobis expedit, ſuccurramus ſemper ei primitus qui magis indiget, tunc metemus inde mercedem noſtram ubi nobis carius erit, quia ſemper debet impotenti pro Dei timore & amore clementius judicari quam forti. Sane poſſumus ſcire non poteſt debilis cum ſtrenuo pariter bellare, unde mediare debemus, & diſtincte diſcernere ſenium & juventutem, libertatem & ſervitutem, felicem & infelicem, ſanitatem & infirmitatem, & utrobique debet hoc diligenter adverti, tam in divinis legibus quam in ſecularibus judiciis. Item in multis quando aliquis coactus peccat magis veniale eſt, quam ſine neceſſitate fecit quod fecit. Et ſi quiſquam agat aliquid impoſſibiliter, non eſt omnino ſimile ſi voluntarie faciat.

XCVI. Sax. 67.

HÆc eſt alleviatio quam omni populo meo prævidere volo, in quibus nimis omnino fuerant aggravati. Præcipio præpoſitis meis omnibus, ut in proprio meo lucrentur, & inde mihi ſerviant. Et nemo cogatur ad firmæ adjutorium aliquid dare niſi ſponte ſua velit. Et ſi quis aliquem inde gravabit, weræ ſuæ reus ſit erga regem.

XCVII. Sax. 68.

Si quis ex hac vita decedat ſine diſtributione rerum ſuarum, vel per incuſtodiam, vel per mortem improviſam, non uſurpet ſibi dominus ejus de pecunia ſua (niſi quantum ad juſtam relevationem pertinet, quæ *Anglice* vocatur **Hereget.**) Sed ſit ſecundum dictionem ejus ipſa pecunia recte diviſa, uxori, pueris, & propinquis, unicuique ſecundum modum, qui ad eum pertinet. *Sax.* 69. Et ſint relevationes ita minutæ ſicut modus eſt. Comitis ſicut ad eum pertinet, hoc eſt, octo equi, quatuor ſellati, quatuor inſellati, & galeæ quatuor, & loricæ quatuor, cum octo lanceis & totidem ſcutis, & gladii quatuor, & CC. mancæ auri. Poſtea thayni regis qui ei proximus ſit, quatuor equi, duo ſellati, & duo inſellati, & duo gladii, & quatuor lanceæ, & totidem ſcuta, & galea cum lorica ſua, & 50. mancæ auri. Et mediocris thayni, equus cum apparatu ſuo, & arma ſua, vel ſuum **halsfang** in *Weſtſaxia*, In *Mircenis* ij. l. In *Eſtanglia* ij. l. Et ſi notus ſit regi, equi duo, unus cum ſella & alius ſine ſella, & unus gladius, & duæ lanceæ, & totidem ſcuta, et 50. mancæ auri. Et qui minus poteſt det duas libras.

XCVIII. *Sax.* 70.

Et ubi bonda, et paterfamilias manſerit ſine compellatione et calumpnia, ſint uxor et pueri in eodem ſine querela. Et ſi compellatus in vita ſua in aliquo fuerit, reſpondeant hæredes ejus ſicut ipſe deberet ſi viveret.

XCIX. *Sax.* 71.

Et ſit omnis vidua ſine marito xij. menſibus, et eligat poſtea quem velit. Et ſi intra unius anni ſpatium marito ſe ligaverit, perdat *morgagifam* ſuam, et omnem pecuniam, quam ex priori marito habebat. Et ſit ipſe maritus weræ ſuæ reus erga regem, vel cui rex conceſſerit. Et licet eciam per vim capiatur, perdat tamen totam pecuniam, ſi non ab eo recedere velit in domum ſuam, et nunquam deinceps fiat uxor ejus.

C. *Sax.* 71.

Et viduæ nunquam velentur nimis cito. Et perſolvat omnis vidua relevationem ſuam infra xij. menſes ſine forisfactura ſi non poſſit antea.

CI. *Sax.* 72.

Et nunquam cogatur virgo vel femina ad eum qui ſibi diſpliceat; nec pro pecunia detur niſi idem aliquid ſponte ſua dare velit.

CII. *Sax.* 73.

Et volo licet aliquis lanceam ſuam ponat ad oſtium domus alicujus, et intus habeat ad faciendum, vel ſi aliquid armorum diſcrete ponatur, ubi quiete poſſet eſſe ſi permitteretur, et aliquis hoc arripiat, et dampnum inde faciat, rectum eſt, ut qui dampnum faciat, dampnum eciam emendet. Et ſi ille cujus armis malefactum eſt ſe adlegiare audeat, quod nec velle nec poſſe ſuum fuerit, vel teſtimonium inde habuerit, Dei rectum eſt, ut inde quietus ſit; & videat alius ut quod forisfecit, emendet ſicut lex docebit.

CIII. *Sax.* 74.

Si homo furtivum aliquid in domo ſua occultaverit, & ita fuerit *abarnatus*, rectum eſt ut inde habeat quod quæſivit. Et ſi non ſub cuſtodia uxoris ſuæ ponatur, uxor innocens habeatur; ſed ſuum horderium quod dicere poſſumus diſpenſam, & ciſtam ſuam & ꞇeaꝫe, id eſt ſcrinium ſuum debet ipſa cuſtodire; ſi ſub aliquo iſtorum furtum inveniatur, tunc ipſa quoque culpabilis habeatur. Non poteſt uxor aliqua ſponſum ſuum prohibere, quin mittat in tigurio ſuo quod vult. Fuit antea quod infans qui jacebat in cunabulis, licet nunquam cibum guſtaſſet, à rachyneburgiis putabatur æque reus acſi intelligens eſſet; ſed hoc ego prohibeo modis omnibus in æternum, & talia multa quæ Deo ſunt odioſa.

CIV. *Sax.* 75.

Et qui fugiat à domino, vel ſocio ſuo pro timiditate in expeditione navali vel terreſtri, perdat omne quod ſuum eſt, & ſuam ipſius vitam, & manus mittat dominus ad terram quam ei antea dederat; & ſi terram hæreditariam habeat, ipſa in manum regis tranſeat.

CV. *Sax.* 75.

Et qui in bello ante dominum ſuum ceciderit, ſit hoc in terra ſit alibi, ſint relevationes condonatæ; & habeant hæredes ejus terram ſicut & pecuniam ſuam, & recte dividant inter ſe.

CVI. *Sax.* 76.

Et qui terram acquietatam habeat ſcyræ, id eſt Comitatus teſtimonio, habeat eam ſine querela in die, & poſt diem ad dandam ei quem plus amabat.

CVII. *Sax.* 79.

Et volo ut omnis homo pacem habeat eundo ad gemotum vel rediens de gemoto, id eſt placito, niſi ſit fur probatus.

CVIII. *Sax.* 77.

Volo ut omnis homo ſit venatione ſua dignus in nemore, & in campo in dominio ſuo. Et abſtineat omnis homo à venariis meis ubicunque pacem ei habere volo ſuper plenam witam.

CIX. *Sax.* 78.

Et **drincelean**, id eſt retributio potus, & domini rectum donum ſemper ſtet inconvulſum.

CX. *Sax.* 80.

Qui leges iſtas apoſtabit quas rex modo nobis omnibus indulſit, ſit *Dacus* ſit *Anglus*, weræ ſuæ reus ſit erga regem. Et ſi ſecundo faciat reddat bis weram ſuam: Si quis addat tercio, reus ſit omnium quæ habebit.

CXI.

Denique precor, & in nomine Domini præcipio omnibus hominibus, ut intimo corde convertantur ad Deum; & ſemper aſſidue & diligenter inquirant quid eis ſit faciendum, quid vero dimittendum. Omnibus vero magnum opus eſt ut Deum vere diligamus, & Dei legem ſervemus, ſanctis doctoribus devote pareamus, quia ipſi producent nos in judicio quando Chriſtus Dominus judicabit omnem hominem ex ante factis ſuis. Et felix erit paſtor qui tunc gregem ſuum in Dei delicias & cœleſte gaudium lætum producere poterit ex priſtinis operibus; & exultatio erit gregi qui paſtori paruerit per quem ſegregatus erit à diabolo, multiplicatus autem Deo. Satagamus omnes uniformi corde ſemper creatori noſtro digne placere, & ammodo ſimul provideamus nobis à gehennæ cruciatibus & ignibus ſempiternis. Et faciant doctores & Dei præcones ſicut rectum eſt & omnibus neceſſarium. Prædicent ſæpius quæ ad Deum pertinent, & omnis qui diſcretionis ſciens eſt, & zelum Dei habet, audiat illos gratiſſime, & Dei doctrinam in mente habeat firmiter ſibimet ad utilitatem. Et omnis homo ſemper ad honorem creatoris ſui faciat boni quod poteſt verbo & opere hilariter uſquequaque; & tunc nobis ejus miſericordia præparatior erit. Sit nomen ejus benedictum in vitam æternam. Et laus ei, gloria, & honor pariter in ſecula ſeculorum. Deus omnipotens indulgeat nobis omnibus ſicut ei velle ſit. *Amen.*

MOrtuo, ut præſcriptum eſt, rege *Kanuto*, placitum magnum de regni ſucceſſione apud *Oxoniam* factum eſt; ubi *Leofricus* Comes *Ceſtriæ*, & cæteri principes ex boreali parte *Thameſis* una cum *Londonienſibus*, *Haraldum Harefot Kanuti* regis & *Ailenæ Hamptonienſis* filium in regem elegerunt: quamvis *Godewinus* Conſul *Cantiæ* ſive *Weſtſaxiæ*, pater *Haraldi* poſtea regis, & principes *Weſtſaxiæ* contradicere, licet non profuit, cœperunt. Nam *Hardeknoutus* legitimus filius *Kanuti* regis & *Emmæ* reginæ apud *Daciam* tunc regnans, licet per dictum *Godewinum* venire plurimum rogatus fuiſſet, moras tamen nimias in *Dacia* protunc fecit; unde conſilium inierunt quod *Emma* regina cum familia regis defuncti *Weſtſaxoniam* ad opus filii ſui *Hardeknouti* conſervaret, *Godewino* prædicto ſibi in re adhibito militari. Propter quod cum dictus *Haraldus*, qui ſecundum quoſdam ut regnum legitimo ſuo fratri *Hardeknouto* in *Dacia* regnanti cuſtodiret, in regem eſſet erectus, & ab *Ethelnodo Dorobernenſi* archiepiſcopo apud *Londonias* conſecratus, opes regias *Emmæ* reginæ novercæ ſuæ ademit, & ipſam de *Anglia* expulit. Quæ ad *Baldewinum* Comitem *Flandriæ* ſe divertens, caſtrum de *Bruges* ubi & unde honeſte viveret ab eo cepit; Ad quam filius ſuus *Hardeknoutus* ad eam confortandam de regno ſuo *Daciæ* in *Flandriam* venit, & cum ea aliquamdiu moram fecit. Et quamvis dictus *Godewinus* cum *Emma* regina antedicta pro conſervatione ſua in re militari ſtetiſſet, aſſerunt tamen quidam, quod conſilio ejuſdem *Godewini*, qui, ut inferius patebit, inconſtans & proditor fuit, regina illa ab *Anglia* expulſa fuit.

Iſte rex *Haraldus* patrem ſuum *Kanutum* modis omnibus degeneravit; nam de militia & curialitate nullatenus curans, voluntatem ſuam propriam ſolummodo faciebat, & contra ſuam regiam celſitudinem pede libentius incedebat quam equo equitabat, unde propter levitatem pedum & curſus *Haraldus* **Harefot** communiter extitit appellatus. Iſte *Haraldus*, *Emma* regina, ut dictum eſt, à regno expulſa, & *Hardeknouto* in *Dacia* occupato, totam *Angliam* ſibi ſubdidit, ac ſubjectionem regni *Scotiæ* pacifice habuit dum regnavit. Circa idem tempus *Ethelnothus Dorobernenſis* archiepiſcopus obiit. Poſt cujus obitum ſeptimo die obiit *Ethelricus Southſaxonicus* epiſcopus, qui jugiter Deum rogaverat, ne diu ipſum ſuperviveret *Ethelnothum*. Et tunc *Edſius* capellanus regis *Haraldi* dicto *Ethelnotho* monacho in archiepiſcopatu ſucceſſit. Et *Stigandus* quidam alius regis capellanus poſt dictum *Ethelricum* ad ſedem *Wyntonienſem* eſt aſſumptus. *Haraldus* rex cum iiij. annis & totidem menſibus regnaſſet, apud *Oxoniam* obiit, ſed apud *Weſtmonaſterium* ſepelitur.

QUo ſepulto, proceres *Angliæ* cum *Londonienſibus* pro *Hardeknouto* filio *Kanuti* uſque *Bruges* in *Flandriam* miſerunt, quia tunc ibidem cum matre ſua morabatur; Qui ſtatim in *Daciam* tranſiens, ad veniendum in *Angliam* ſe quam citius potuit præparavit. *Hardeknoutus* regis *Kanuti* & *Emmæ* reginæ filius à *Dacia* veniens apud *Sandwicum* illico eſt ſuſceptus, & in regem ab *Anglis* ſimul & *Dacis* erectus. Qui dum regnavit nil gloria dignum egit. Nam ſtatim poſt coronationem ſuam *Alfricum* archiepiſcopum *Eboracenſem* cum *Godwino* Conſule prædicto *Londonias* miſit, corpuſque *Haraldi* regis fratris ſui nuper apud *Weſtmonaſterium*, ut dictum eſt, ſepultum, in ultionem maternarum injuriarum exhumari fecit, & capite ejus abſciſo in *Thameſiam* proici, ut ſic odium quod erga eum habuerat ex quo alio modo non potuit vindicaret; ſed piſcatores poſtea cadaver in ſuis retibus prendiderunt, quod apud ſanctum *Clementem* humo iterum tradiderunt. Hic eciam contra omnem ſpem octo marcas unicuique remigi claſſis ſuæ de importabili tributo *Anglia* ſolvi fecit. Inſuper & *Emmam* matrem ſuam per regem *Haraldum*, ut dictum eſt ſupra, relegatam, in *Angliam* revocavit, totum regnum ſuum conſiliis ejus & *Godwini* committens.

Anno *Hardeknouti* regis ſecundo, ſanctus *Edwardus* filius *Ethelredi* regis & dictæ *Emmæ* reginæ, ad *Hardeknoutum* regem fratrem ſuum de *Normannia* in *Angliam* veniens, ſecum per dies aliquot morabatur; eodemque anno iſte *Hardeknoutus* miſit *Gunnildam* ſororem ſuam *Henrico* imperatori filio *Conradi*, per regem *Kanutum* patrem ſuum antea ſibi nuptam; quæ ad ſponſum veniens multo tempore fœdus conjugale fovit. Poſtremo ſuper adulterio accuſata, mirabili duello cujuſdam juvenis nomine *Municon*, quem ſecum ab *Anglia* duxerat, contra hominem giganti ſimilem nomine *Roddyngar*, ſicut Deus per miraculum voluit, ſe purgavit; unde ipſa de triumpho inſperato gaudens, repudianti viro repudium dedit, & nunquam impoſterum voluit ejus conſortio conſentire, ſed velum ſanctimonialium ſuſcipiens vitam caſtam in Dei ſervicio terminavit. De iſto *Henrico* imperatore legitur, Quod cum in juventute ſua à quodam clerico fiſtulam argenteam eo pacto ſuſceperat, ut cum imperator factus foret epiſcopatum ſibi conferret, tandem imperator factus repetenti clerico promiſſum contulit epiſcopatum; ſed non multo poſt, gravi infirmitate correptus lecto decubuit, & creſcente ægritudine, per triduum ſine ſenſu & voce mutus, & quaſi à corpore raptus jacebat, ut vix vitalis ſpiritus in ſolo pectore palpitaret, nec aliud vitæ erat indicium niſi manu ad nares appoſita ſenciebantur anelitus perexiles. Tunc præſentes epiſcopi & amici triduano jejunio indicto, lacrimis & votis divinam pro ſalute imperatoris clementiam implorabant; quibus, ut creditur, remediis convaleſcens, accito epiſcopo quem ſimoniace pro fiſtula argentea epiſcopum fecerat, illum per decretum concilii degradavit; confeſſus eſt namque cunctis audientibus, quod toto triduo quo exanimis jacuerat, inter dæmones conſtitutus, illos adeo ſibi ſenſit infeſtos, quod flammas igneas per fiſtulam in os ejus jaculantes, corpus ejus totum tam intus quam exterius incendebant; flamma autem illum adeo exurebat, quod terrenus ignis in comparatione illius tepidus & quaſi nichil calere putaretur. Sed inter hæc incendia habuit quendam juvenem quaſi igne aſſatum, qui calicem aureum aqua plenum portavit, cujus aſperſione ad priſtinam rediit ſanitatem. Cum autem miraretur quis eſſet puer, reduxit ad memoriam monaſterium ſancti *Laurentii* à paganis deſtructum per ipſum eſſe ditatum & reparatum. Et poſtea omnes joculatores à curia ſua amovit, & ea quæ illis prius dare conſueverat, pauperibus erogavit.

Hujus eciam imperatoris diebus & tempore iſtius regis *Hardeknouti*, repertum eſt *Romæ* giganteæ ſtaturæ corpus incorruptum; Cujus vulneris hiatus quatuor pedum & ſemis longitudinem habebat; corpus vero ad mœnia applicatum ea altitudine vincebat; ad caputque ejus lucerna arte ardens magica, quæ nec flatu extingui poterat nec humore, donec ſubtili foramine ſubtus flammam facto aer eſſet introductus. Hunc dicitur *Turnus* occidiſſe: cujus tale erat Epithaphium metrice ſcriptum;

Filius Evandri Pallas quem lancea Turni
Militis occidit more ſuo jacet hic.

Iſte rex *Hardeknoutus* tantæ, ut fertur, largitatis extitit, quod quater quolibet die in curia ſua tam pro familiaribus quam ſupervenientibus cibaria fecit regalia præparari, malens à vocatis appoſita fercula dimitti, quam à non vocatis apponenda repoſci. Qui ſecundum quoſdam infra novem dies poſt ſecundum coronationis ſuæ annum inventus erat in uno boſtari inter pecora extinctus. Secundum tamen alios & juxta veriorem ſententiam dicitur, Quod cum duobus annis regnaſſet, dum in medio flore juventutis ſuæ, in quodam convivio, in quo *Oſgodus Clapa* vir utique magnæ potentiæ, filiam ſuam cuidam potenti *Danico* viro nuptiis traderet, apud **Lambithe** juxta *Londonias* lætus & ſoſpes cum ſponſa prædicta ſtaret, & ſtando biberet, repente miſerabili caſu ad terram corruit, & ſic mutus permanens viij. idus Junii feria tercia exſpiravit; qui juxta patrem ſuum *Kanutum Wintoniæ* ſepelitur.

Iſte rex *Hardeknoutus* per totum tempus quo regnavit, regni *Scotiæ* ſubjectionem pacifice habebat. Poſt mortem vero *Hardeknouti* regis prole carentis, omnes *Anglorum* magnates adinvicem tractantes, de communi conſilio & juramento ſtatuerunt, Quod nunquam temporibus futuris aliquis *Dacus* ſuper eos in *Anglia* regnaret, & hoc maxime pro contemptibus quos *Angli* à *Danis* ſæpius receperant. Nam ſi *Dacus Anglico* ſuper pontem aliquem occurriſſet, *Anglicus* pedem movere auſus non fuiſſet donec *Dacus* pontem pertranſiſſet; & ulterius, niſi *Angli* in honorem *Dacorum* capita inclinaſſent, graves pœnas & verbera cito ſentirent: unde mortuo, ut dictum eſt, rege *Hardeknouto*, *Angli* contra eos inſurgentes, omnes *Dacos* ſine rege & capitaneis tunc exiſtentes à regno *Angliæ* fugaverunt, qui terram celeriter dimittentes, nunquam inpoſterum redierunt.

PRoceres igitur *Anglorum* jam *Dacorum* dominio liberati, hillares pro *Alfredo* primogenito regis *Ethelredi* & *Edwardo* fratre ſuo, ut ipſum *Alfredum* in regem eotum ſublimarent in *Normanniam*, ubi tunc morabantur, nuncios deſtinabant, ſignificantes eis quod ſecure venirent, nam mortuo *Hardeknouto* omnes *Danos* à regno expulerant, eos pro perpetuo relegantes. Sed Comes *Godwinus* qui filiam regis *Kanuti* de prima uxore ſive amaſia ſua deſponſaverat, & ad regnum ſecundum quoſdam aſpirabat, doloſe cogitavit, quod ambos fratres quam cito applicati eſſent necaret, ut ſic colorate filium ſuum *Haraldum* quem de filia regis *Kanuti* genuerat, ad regnum *Angliæ* promoveret. Quædam Hiſtoriæ aſſerunt, quod iſte *Godwinus* cum conſul eſſet fortiſſimus ſed proditor ſæviſſimus, *Alfredum* magnæ probitatis virum nullo modo filiam ſuam ducere dignaturum prævidens, ipſum ſolum ea de cauſa odibat, & doloſe extinguere cogitavit, ut ſic *Edwardo* fratri ſuo juniori & ſimpliciori eam poſſet facilius tradere in uxorem.

Nunciis autem in *Normanniam* venientibus, *Alfredum* tantum fratrem ſeniorem invenerunt; Nam *Edwardus* frater ſuus in *Hungariam* iverat cum cognato ſuo *Edwardo* exulato filio regis *Edmundi ferrei lateris* locuturus. *Alfredus* vero de morte *Hardeknouti* & exilio *Danorum* audiens, gratias Deo egit, & ſe ad transfretandum cum omni celeritate qua potuit præparavit. Sed quia eſſet patre *Anglicus* & matre *Normannus*, aliquos ex matris ſuæ conſanguineis, & multos ex coævis commilitonibus à *Normannia* in *Angliam* ſecum duxit. Intimavit igitur dictus *Godwinus* proceribus *Angliæ*, ipſum *Alfredum* nimiam ſecum adduxiſſe copiam *Normannorum*, ac terras *Anglorum* eis eciam promiſiſſe, & ſic inter eos ſecurum non eſſe gentem externam & ſubdolam inſtirpare. Quo ſuggeſto, ſeductor ille *Godwinus* ſtatim verſus *Suthamptoniam*, ubi *Alfredus* applicuerat & adhuc moram traxerat, ſe divertit. Quo ibi invento, quaſi lætus de ſuo adventu ſibi dixit, Ego ſalvo & ſecure *Londonias* te ducam, ubi proceres regni ut te in regem ibidem elevent, adventum tuum expectant.

Quibus ad invicem, verſus *Londonias* pergentibus, & ſuper **Guldeſdoune** venientibus, proditor ille *Godwinus Alfredo* dixit, Reſpicias à dextris circumquaque & ſiniſtris, & vide regnum quod tuo dominio ſubjugabitur. *Alfredus* gratias Deo agens, fideliter mox promiſit, quod ſi contingeret ipſum in regem coronari, quod leges tales conſtitueret, quæ Deo forent & hominibus placabiles & acceptæ. Prius quidem iſte nequiſſimus *Godwinus* ſubdole hominibus ſuis præceperat, quod cum ſuper **Guldeſdoune** eos venire contingeret, quod ipſum *Alfredum* & *Normannos* omnes qui cum eo venerant, caperent & ligarent. Quibus ſic doloſe captis & ligatis, novem eorum decimo ſemper remanente apud **Guldeford** diverſis pœnis ſunt necati. Cum autem omnes præter decimam partem interfecti eſſent, tot ſupereſſe *Anglis* nimium videbatur; unde decima parte decimata, pauciſſimi evaſerunt. Nam proh dolor! xij. generoſos homines à *Normannia* cum *Alfredo* venientes, inter cæteros crudeliter occiderunt, ac ipſum *Alfredum* apud **Gillyngham** oculis privaverunt, & ſic eum ad cœnobium *Elienſe* ducentes, ipſum ſecundum quoſdam monachorum cuſtodiæ manciparunt, ubi pauco tempore panis cibario ſuſtentatus, vitam inaudito cruciatu miſerabiliter terminavit.

Quidam namque dicunt, quod primordiis viſcerum ejus umbelico aperto extractis, & ad ſtipitem ligatis, ipſum tantis vicibus ſtimulis ferreis circumduxerunt, donec noviſſima viſcerum extrahebantur; & ſic proditione *Godwini* apud **Ely** mortuus eſt *Alfredus*. Cumque proceres *Angliæ* proditori *Godwino* non conſentientes, audiſſent qualiter *Alfredus* erat ſeductus, & morte turpiſſima interemptus, inter ſe contriſtari cœperunt, jurantes quod *Godwinus* crudeliori morte moreretur quam unquam fecit Comes *Edricus*, qui dominum ſuum naturalem regem *Edmundum* **Irenſide** proditionaliter interfecit. Voluerunt que eum cepiſſe; ſed in *Daciam* ſtatim fugit, & ibi per quadriennium latitavit, terris et redditibus, bonis et catallis ſuis in *Anglia* interim confiſcatis. Item quidam aſſerunt in hiſtoriis ſuis, quod iſte *Alfredus* non tempore iſto ſed tempore ſupradicti regis *Haraldi* occiſus fuit; Nam dicunt quod *Edwardus* frater iſtius *Alfredi*, indigne ferens, quod rex *Haraldus* in *Anglia* regnaret, cum xl. navibus et multo comitatu *Normannorum* apud *Suthamptoniam* in *Angliam* applicuit, ſed reſiſtentibus *Anglis*, præda capta *Normanniam* revertitur. Quo in tempore dictus *Alfredus* cum militibus plurimis partem aliam ingreſſis, et à prædicto *Godwino* hoſpitio ſuſceptus, dolo nocte per ipſum capitur, et tunc cum ſuis vinctus, regi *Haraldo* miſſus oculis privatur, ſociis interemptis. Item alii tradunt quod iſte *Alfredus* tempore *Hardeknouti* regis interemptus fuit; Nam dicunt quod cum *Hardeknoutus Emmam* matrem ſuam de *Flandria* in *Angliam* ab exilio revocaſſet, dicti *Alfredus* & *Edwardus* filii ſupradicti regis *Ethelredi* & ejuſdem *Emmæ*, poſt longam in *Normannia* moram, ſumptis ſecum quam plurimis militibus *Normannicis* ad dictæ *Emmæ* matris ſuæ colloquium *Wintoniæ* venerunt. Quod dictus *Godwinus* Comes graviter ferens, *Alfredum* captum cathenavit, ſocios ſuos diſturbavit, quoſdam excæcavit, quoſdam multavit, quoſdam cute capitis abſtracta cruciavit, & omnes pro maxima parte modo ſupradicto apud **Guldeford** interfecit; *Alfredo* vero uſque ad inſulam de **Ely** miſſo, ipſum primo luminibus privari juſſit, qui deinde monachorum cuſtodiæ traditus, & ut ſuperius dictum eſt, cruciatus, paucis ſupervixit diebus. Quo audito, *Emma* regina filium ſuum *Edwardum Normanniæ* celeriter remiſit.

Quidam tamen dicunt, ipſam in necem filii ſui *Alfredi* conſenſiſſe, & venenum *Edwardo* procuraſſe, ut inferius tempore ejuſdem *Edwardi* in improperationem ipſius reginæ invenitur; unde dicunt quod propter necem *Alfredi* contra regem *Hardeknoutum*, cujus conniventia hoc proceſſiſſe dicebatur, & contra dictum *Godwinum* magna ira orta eſt: ſed dicitur quod *Godwinus* coram principibus *Angliæ* ſe purgavit, quod nunquam in necem *Alfredi* conſenſit niſi regia vi coactus. Et quamvis, ut ſuperius ſcriptum eſt, diverſi diverſimode & diverſis temporibus ipſum *Alfredum* per dictum *Godwinum* proditum & extinctum eſſe tradunt; in Cronicis tamen magis veriſimiliter veris legitur, ipſum poſt mortem regis *Hardeknouti* modo ſupradicto apud **Ely** deceſſiſſe, unde proditor ſuus *Godwinus* à proceribus *Angliæ* ſuper hoc, ut præmittitur, irretitus, in *Daciam* ne ab eis caperetur transfretavit, ubi ſecurius pro tempore ſtare poſſet.

A*Lfredo* vero per proditionem dicti *Godwini*, ut dictum eſt, extincto; proceres *Angliæ* pro *Edwardo* fratre ſuo juniore in *Normanniam* nuncios & obſides deſtinarunt, mandantes ei ut ſecure cum paucis *Normannis* veniret, & eum in regem fideliſſime ſtabilirent. Paruit autem *Edwardus*, & cum paucis in *Angliam* veniens, ab *Eadſio Cantuarienſi*, & *Alfrico*

Eboracenſi archiepiſcopis apud *Weſtmonaſterium*, ſeu ſecundum quoſdam apud *Wyntoniam*, in feſto ſancto Paſchæ anno Domini M.xliij. in regem *Anglia* conſecratur. Qui cartam talem quæ apud *Weſtmonaſterium* ſervatur adhuc, ſcripſit; Quod quociens ipſe aut quiſquam ſucceſſorum ſuorum regium diadema apud *Weſtmonaſterium* ſeu *Wyntoniam* portaret, eo die præcentor loci recipiat de fiſco regio dimidiam marcam & conventus centum ſimenellos, & unum modium vini. Iſte rex *Edwardus* ab infantia Deum diligens bonas conſuetudines ſuas primarias pro honore terreno non commutavit, ſed cunctis diebus magis ac magis in omni ſanctitate, caſtitate, humilitate, & mundicia Deum & ſanctam eccleſiam dilexit, paupereſque ob amorem Dei tanquam fratres ſuos caros habuit & dilectos, & eos largis eleemoſinis aperto corde & voluntate bona ſæpe reſpexit; & plures in *Anglia* ſtatuit leges bonas, quæ pro majori parte adhuc in regno tenentur. Cumque prædictus Comes *Godwinus* qui in *Daciam* propter mortem *Alfredi*, ut dictum eſt, fugerat, de pietate & miſericordia regis audiviſſet, redire in *Angliam* cogitavit, miſericordiam & gratiam pro terris ſuis rehabendis à rege humiliter petiturus. Qui omnibus pro tranſitu ſuo paratis in mari ſe ponens, in *Angliam* applicuit, & uſque *Londonias*, ubi rex & omnes regni magnates ad parliamentum tunc fuerant, properavit; rogans ibi & petens amicos & conſanguineos ſuos, qui poſt regem majores terræ fuerunt, ut gratiam & amicitiam à rege ſibi perquirere ſtuderent.

Qui ſuper hoc conſilio inter eos deliberato, ipſum coram rege pro gratia optinenda ſecum duxerunt. Sed ſtatim cum rex eum intuitus eſſet, de proditione & morte *Alfredi* fratris ſui ipſum appellavit in hæc verba: Proditor *Godwine*, ego te appello de morte *Alfredi* fratris mei quem proditionaliter occidiſti. Cui *Godwinns* ſe excuſando reſpondit, Domine mi rex, ſalva reverentia & gratia veſtra, pace & dominatione, fratrem veſtrum nunquam prodidi nec occidi; unde ſuper hoc pono me in conſideratione curiæ veſtræ. Tunc dixit Rex, Kariſſimi Domini, Comites & Barones terræ qui eſtis homines mei ligii modo hic congregati, & appellum meum reſponſumque *Godwini* audiſtis, volo quod inter nos in iſta appellatione rectum judicium decernatis & debitam juſtitiam faciatis.

Comitibus vero & Baronibus ſuper hoc adinvicem tractantibus, quidam inter eos de juſto judicio faciendo diverſimode ſentiebant. Alii enim dicebant, Quod nunquam per homagium, ſervicium ſeu fidelitatem *Godwinus* regi extitit alligatus, & ideo proditor ſuus non fuit, & quod ipſum eciam manibus ſuis non occiderat. Alii vero dixerunt, Quod Comes, nec Baro, nec aliquis regi ſubditus bellum contra regem in appellatione ſua de lege poteſt vadiare, ſed in toto ponere ſe in miſericordia ſua, & emendas ſibi offerre competentes. Tunc *Leofricus* Conſul *Ceſtria* probus homo quoad Deum et ſeculum, dixit, Comes, inquit, *Godwinns* poſt Regem eſt homo melioris parentelæ totius *Anglia*, et dedicere non poteſt quin per conſilium ſuum *Alfredus* frater regis interemptus fuit, unde pro me conſidero, quod ipſemet et filius ſuus, et nos omnes xij. Comites qui amici et conſanguinei ſui ſumus, coram rege humiliter procedamus, onerati cum tanto auro et argento quantum inter brachia ſua quilibet noſtrum poterit bajulare, illud ſibi pro ſuo tranſgreſſu offerendo, et ſuppliciter deprecando, ut ipſe malevolentiam ſuam, rancorem et iram Comiti condonet, et acceptis homagio ſuo et fidelitate terras ſuas ſibi integre reſtituat et retradat. Illi autem omnes ſub iſta forma theſauro ſe onerantes et ad Regem accedentes, ſeriem et modum conſiderationis eorum ſibi demonſtrabant. Quorum conſiderationi rex contradicere nolens, quicquid judicaverant per omnia ratificavit. Concordia igitur ſub iſto modo inter eos facta, Comes ſtatim reoptinuit integre terras ſuas. Secundum autem quoſdam, iſte *Godwinus* in *Daciam* propter mortem *Alfredi*, ut præſcribitur, non fugit, nec terram *Anglia* dimiſit, quia per eos de morte dicti *Alfredi* tempore *Hardeknouti* coram procetibus regni licet falſo ſe purgavit, quod nunquam in mortem ejus conſenſerat, niſi, ut ſupra ſcriptum eſt, regia vi coactus: unde dicunt, quod poſt mortem *Hardeknouti*, *Edwardus* à *Normannia* vocatus, annuentibus potiſſime ipſo Comite *Godwino*, & *Leofrico* Comite *Ceſtria*, & *Wigornenſi* Epiſcopo, in regem *London.* levatur, & *Wintonia*, ut præmittitur, conſecratur. Qui Comitem *Godwinum* in tantum poſtea honorabat, quod de communi conſilio procerum ſuorum prolem ab eo ſperantium, in patrocinium regni ſui *Editham* filiam ejuſdem *Godwini* duxit in uxorem, in cujus pectore, ut quidam aiunt, omnium liberalium artium erat gignaſium, ſed uterque, tam rex quam illa, virgo permanſit.

Iſte rex *Edwardus* abſolvit *Anglos* à gravi vectigali xxxviij. anno, ex quo pater ſuus rex *Ethelredus* primitus id *Danicis* ſoldariis ſolvi mandarat. Iſte quoque *Edwardus* matrem propriam nec plene colebat, nec publice confundebat; De conſilio tamen *Godwini* precioſa quæque de matre ſua cepit, vel quia ipſa nimis dura ante ſuſceptum regnum ei fuerat, vel quia aliquid ei conferre minus curabat. De *Neuſtria* quoque quoſdam qui ei prius benefecerant remunerando advocabat, inter quos *Robertum* quendam *Gemeticenſem* monachum primo, poſtea *Londonienſem* epiſcopum, deinde *Cantuarienſem* archiepiſcopum fieri fecit, ut inferius plenius patebit. *Eadſio Cantuarienſi* archiepiſcopo archiepiſcopatum propter infirmitatem dimittente, quidam *Siwardus* ſecundum quoſdam ad ſupplendum vices ejus loco ejus conſecratur; qui inter archiepiſcopos tamen non nominatur, tum quia archiepiſcopatum eo vivente ſuſcepit; tum quia ante eum forte deceſſit. Tunc quoque quidam *Stigandus* factus eſt epiſcopus *Eſtanglorum*. Circa idem tempus rex *Edwardus Swanum* conſulem filium dicti *Godwini* ab *Anglia* relegavit, qui ad *Baldewinum* Comitem *Flandria* veniens, ibi apud *Bruges* hiemavit.

Anno Domini M.xlv. regni vero regis *Edwardi* tercio, idem rex *Edwardus* contra *Nortagenorum* regem *Haraldum Harefax Angliam* oppugnare diſponentem, apud *Sandicum* portum claſſem pervalidam congregavit, ut ſibi in mare hoſtiliter obviaret. Sed bellum à *Swano* rege *Dacorum* illi *Hiraldo* illatum, iter & propoſitum impedivit. Circa idem tempus *Elwordus Londonienſis* præſul quondam abbas *Eveſhamia*, dum tanto regimini præ nimia corporis invalitudine minus ſufficeret, *Eveſhamia* ſicut prius voluit præſidere: Sed monachis loci id recuſantibus, ablatis rebus & libris quæ vel ipſe, vel alii *Eveſhamia* contulerant, monaſterio **Rameſeye** ſe contulit, ibique cito poſt moriens ſepelitur; unde rex *Edwardus* dictum *Robertum Gemeticenſem* monachum genere *Normannum* epiſcopum fecit *Londoniarum*. In illo eciam tempore *Stigandus Eſtanglia* epiſcopus factus eſt epiſcopus *Wyntonienſis*.

Anno Domini M.xlvj. regni autem regis *Edwardi* quarto, magnus *Norragenorum* rex *Haraldus Harefax* frater ſancti *Olavi* regis ex parte matris, *Swano* rege *Dacorum* fugato, ſibi *Daciam* ſubjugavit; unde poſtea idem *Swanus* rex *Danorum* de terra ſua ſic nuper expulſus, regem *Anglorum Edwardum* rogavit, ut claſſem ſibi contra dictum regem *Norragenorum* mitteret. Aſſentiente ad hoc Comite *Godwino*, cæteri proceres diſſuaſerunt; ſed rege *Norragenorum* cito poſt obeunte, *Swanus Daciam* recuperavit. Anno regis *Edwardi* ſexto bellum apud **Waleſdonne** inter *Henricum* regem *Francorum* & proceres *Normannia* eſt commiſſum, eo quod *Willielmum* nothum in ducem & dominum eorum recipere recuſabant, quos cum poſtea dux *Willielmus* victos optinuiſſet, quoſdam eorum exlegavit, quoſdam capite detruncavit. Venerunt eo tempore apud *Sandicum* duo principes *Dacorum Lothen* & *Hyrlings*, ubi capta innumerabili præda, auri eciam & argenti copia, per mare girantes, *Eſtſexiam* ſunt prædati. Inde vero iter in *Flandriam* dirigentes, præda ſua vendita unde venerant ſunt reverſi.

Anno ſequenti, *Swanus* conſul filius *Godwini* in *Angliam* rediens, ad *Godwinum* patrem ſuum uſque **Peveneſeye** feſtinavit, humiliter ſibi ſupplicans, ut *Haraldus* & *Toſti* fratres ſui, & *Beornus* conſul ſecum irent ad regis amicitiam ſibi impetrandam. Corriperat namque *Edigivam Leof* monaſterii abbatiſſam, & eam matrimonialiter ſibi diſpoſuerat copulaſſe, ſed à rege & proceribus impeditus, *Angliam* propter hoc, rege ipſum, ut ſupra dictum eſt, relegante, nuper reliquerat. Sed hoc anno ficte rediens, dictum *Beornum* Comitem conſobrinum ſuum, qui eum pacificare intendebat, & naves ipſius *Swani* ad auxilium ejus introibat, ſubdole interfecit, indeque in *Flandriam* fugiendó revertitur. Corpus vero dicti *Beorni* ad terram de mari projectum amici ſui juxta *Kanutum* regem avunculum ſuum apud *Wintoniam* humaverunt.

Hoc anno mortalitas hominum & animalium multas *Anglia* provincias occupavit. Et ignis aerius, qui ſilvaticus vulgo dicitur, in *Derbegenſi* provincia villas & ſegetes uſtulavit: & terræ motus per loca fuit. Hoc anno *Hibernienſes* piratæ *Sabrinum* mare ingreſſi, cum adjutorio *Griffini* regis auſtralium *Britonum*, tranſito ad vada fluvio, multas in vicinis locis prædas fecerunt. Hoc anno *Leo* ix. qui eciam *Brunus*, poſt *Damaſum* ſedit annis v. & menſibus duobus. Qui primo papatus ſui anno rogatu *Hermanni* abbatis *Franciam* venit, & dedicato monaſterio *Remenſi* magnam ſinodum epiſcoporum & abbatum ſex diebus ibidem vel ſecundum quoſdam apud *Verſialacum* tenuit, in qua fuerunt abbates **Rameſeye** & *Cantuarienſis* per regem illuc directi. Quo anno ipſe papa & rex *Dacorum Swanus* perrexerunt cum imperatore *Henrico* contra *Baldewinum Flandria* Comitem, & rex *Anglorum* mare obſervabat cum claſſe ſua, donec imperator beneplacitum ſuum de eodem Comite habuiſſet. Iſte eciam papa cum conſcientiam læſam haberet, quod aliqualiter per imperatorem intruſus eſſet, cum ad urbem venit, papatui ſponte ceſſit: ſed denuo ab hiis quorum intererat canonice eſt electus. Hujus papæ tempore eccleſia cœpit plurimum perturbari per *Berengarium* quemdam archidiaconum, qui aſſeruit corpus Chriſti & ſanguinem in altari non vere exiſtere ſed fantaſtice: contra quem *Lanfrancus Beccenſis* Prior poſtmodum egregie diſputavit.

Circa hæc tempora erant in ſtrata publica qua *Roma* itur, duæ aniculæ in uno tigurio commorantes, & uno maleficio imbutæ, quæ hoſpites in equos, porcós, vel alia quævis animalia transformare ſolebant, ac eciam mercatoribus nummos vendere in ebrietate & crapula conſuebant; unde hiſtrionem quendam arte ſaltandi victum quærentem hoſpicio recipientes, in aſinum transformarunt. Non enim aſinus effectus juvenis intelligentiam amiſerat ſed loquelam, qui præcepta vetularum joculando & ſaltando implevit, quæ aſinum ludentem niſi dato precio homines videre non permiſerunt. Ac tandem à quodam divite aſinus emptus eſt, aquæ quoque ingreſſus eſt ei eciam interdictus. Poſt multum vero temporis, aſini ludus in faſtidium verſus, negligentiuſque cuſtoditus, abrupto loro fugit, & ſe in lacum proximum volutavit, & priſtinæ humanæ formæ eſt reſtitutus. A cuſtode ſi aſinum vidiſſet ſciſcitatus, dixit, Se aſinum fuiſſe, ſed modo formam hominis ſuſcepiſſe. Papæ res aperitur, & mulieres convictæ ſuum confitentur delictum.

Hiis diebus tempore iſtius regis *Edwardi*, ut *Willielmus Malmesbury* in libro ſuo narrat, mirabile contigit in *Anglia*, non ſuperno miraculo ſed infernali præſtigio. Mulier quædam in *Berkeleya* manſitabat maleficiis ut poſt patuit, inſueta, auguriorum veterum non inſcia, gulæ patrona, petulantiæ arbitra, flagiciis non ponens modum, quod eſſet adhuc citra ſenium, vicino licet pede pulſans ſenectutis aditum. Hæc cum quadam die convivaretur, cornicula quam in deliciis habebat vocalius ſolito neſcio quid cornicata eſt, quo audito, dominæ cultellus de manu cecidit, ſimul & vultus expalluit. Et producto gemitu, Hodie, inquit, ad ultimum ſulcum aratrum meum pervenit, hodie audiam & accipiam grande incommodum. Quo dicto, nuncius miſeriarum intravit. Percunctata quare ita vultuoſus adventaret, Affero tibi, inquit, ex villa illa, & nominavit locum, filii obitum, & totius familiæ ex ſubita ruina interitum. Hoc dolore femina pectore ſauciata, continuo decubuit. Sencienſque morbum ad vitalia perrepere, ſuperſtites liberos monachum & monacham pernicibus epiſtolis invitabat. Advenientes voce ſingulciente alloquitur: « Ego filii, quondam meo miſerabili fato dæmonicis ſemper artibus inſervivi. Ego viciorum omnium ſentina, ego illecebrarum magiſtra fui. Erat autem inter hæc mala, ſpes veſtræ religionis quæ miſeram palparet animam; De me deſperata in vobis reclinabar, Vos proponebam propugnatores adverſus dæmones, tutores contra ſæviſſimos hoſtes. Nunc igitur quia ad finem vitæ acceſſi, illos habeo exactores in pœna, quos habui ſuaſores in culpa. Rogo vos per materna ubera, ſi qua fides, ſi qua pietas, ut mea ſaltim ſtudeatis alleviare tormenta. Sententiam quidem de anima prolatam non revocabitis, corpus vero

« hoc modo forſitan ſervabitis. Inſuite me corio « cervino, deinde in ſarcophago lapideo ſupinate, « operculum plumbo & ferro conſtringite, ſuper « hæc lapidem tribus cathenis ferreis magni ſcilicet « ponderis circumdate; pſalmicines quinquaginta « ſint noctibus, ejuſdem numeri miſſæ diebus, « qui adverſariorum excurſus feroces lenigent, ita « ſi tribus noctibus jacuero, ſecure matrem veſtram « quarto die infodite humo, quanquam vereat terra « fugiet me finibus ſuis recipere & fovere, quæ « maliciis meis tociens eſt gravata. Factum eſt ut præceperat illis magno ſtudio incumbentibus. Sed proh nephas! nil lacrimæ valuerunt piæ, nil vota, nil preces, tanta erat mulierculæ malicia, tanta diaboli violentia. Primis enim duabus noctibus cum chori clericorum pſalmos circa corpus concreparent, ſinguli dæmones hoſtium eccleſiæ inmani obice clauſum levi negotio defringentes, extremas cathenas diſrumpunt, media, quæ operoſius elaborata erat, illibata duravit; Tercia nocte circa gallicantum ſtrepitu advenientium hoſtium omne monaſterium à fundamentis moveri viſum eſt, unuſque cæteris vultu terribilior & ſtatura eminentior, januas majori vi concuſſas in fragmenta dejecit. Diriguere clerici, metu ſteterunt comæ & vox faucibus hæſit. Ille arroganti ut videbatur geſtu, ad ſarcophagum acceſſit, inclamatoque nomine ut ſurgeret imperavit, qua reſpondente, Quod nequiret pro vinculis. Solveris, inquit, ſtatimque cathenam quæ cæterorum ferociam eluſerat, nullo conamine ut ſtuppeum vinculum diſrupit, operculumque tumbæ pede depulit, illamque manu apprehenſam palam omnibus ab eccleſia extraxit, ubi præ foribus equus niger & ſuperbus hinniens videbatur, uncis ferreis per totum tergum protuberantibus, ſuper quos miſera impoſita mox ab oculis intuentium cum toto ſodalitio diſparuit, audiebantur tamen clamores per quatuor fere miliaria miſerabiles ſuppecias orantis.

Iſta incredibilia non judicabit qui legerit beati *Gregorii* dialogum, qui refert in quarto libro nequam hominem in eccleſia ſepultum à dæmonibus foras ejectum. Apud *Francos* quoque non ſemel auditum eſt quod dicam. *Karolum Martellum* inſignis fortitudinis virum, qui *Saracenos Galliam* ingreſſos *Hiſpaniam* redire compulit, exactis diebus ſuis in eccleſia ſancti *Dioniſii* ſepultum; ſed quia patrimonia omnium pene monaſteriorum *Galliæ* pro mercede commilitonum mutilaverat, viſibiliter à malignis ſpiritibus de ſepulcro eſt abreptus, poſt hanc diem nuſquam viſus. Denique illud *Aurelianenſi* archiepiſcopo eſt revelatum, & per eum in vulgus ſeminatum.

Anno regis *Edwardi* iiij. *Swanus* filius *Godwini* conſilio & cautela patris ſui regi concordatur. *Eadſius Dorobernenſis* archiepiſcopus vita caſſatus eſt. Obierat eciam *Siwardus* ſucceſſor ejus, unde rex dictum *Robertum* monachum genere *Normannum* ad archiepiſcopatum *Cantuarienſem* promovit, cujus conſilio rex ipſe ſimplex, qui nuſquam niſi alieno conſilio ductus perperam egit, in tantum adquievit, ut matrem propriam propter nimiam familiaritatem *Ailwini* epiſcopi *Wintonienſis* bonis omnibus privatam in monaſterio de **Werewelle** detruderet, & ipſum epiſcopum incarceraret. *Emma* mater regis laxius cuſtodita epiſcopis *Angliæ* in quibus confidebat ſcripſit, ſe plus de præſulis *Wintonienſis* dedecore quam ſua verecundia torqueri, paratamque ſe Dei probare judicio ferrique candentis examine, epiſcopum injuſte fore diffamatum. Convenientes vero epiſcopi regem ad rogata flexiſſent, niſi dictus *Robertus Cantuarienſis* archiepiſcopus obſtetiſſet. Quo modo, inquit, fratres, feram illam non feminam audetis defendere, quæ filium ſuum regem diffamavit, quæ amaſium ſuum lubricum, Chriſtum Domini nominavit? Sed eſto, femina vult purgare pontificem, ſed quis purgabit eam, quæ dicitur conſenſiſſe in necem filii ſui *Alfredi*, & procuraſſe venenum *Edwardo*? Sed eſto quod autoritatem habeat ſupra ſexus conditionem; ſi tamen pro ſeipſa quatuor paſſus, & pro epiſcopo quinque continuos ſuper novem ignitos vomeres nudis pedibus, & plenis veſtigiis illæſa tranſierit, ab impetitione iſta evadat totaliter abſoluta. Præfigitur illico examinis dies, quo rex & cæteri proceres, excepto ſolo eodem *Roberto* archiepiſcopo convenerunt. Sed nocte præcedente mulier ad ſepulcrum ſancti *Swithuni Wintoniæ* perorans, confortatur; nam die ſequenti velatis oculis ignitos vomeres illæſa cunctis videntibus pertranſibat. Tunc rex ingemiſcens & veniam petens, ab utroque, præſule ſcilicet & matre, diſciplinas recepit, ablataque illis reſtituit. Regina vero ſancto *Swithuno* maneria ix dedit, & epiſcopus ix. propter illos ix. vomeres quos illa pertranſiit. Dictus vero archiepiſcopus *Robertus* extra *Angliam* fugit. Eodem anno rex *Edwardus* cum pecunia quæ **Danegild** dicebatur eſſet collecta & ante eum dilata, vidit diabolum ſuper ſaccum ſedentem & ludentem, unde ne amplius exigeretur remiſit.

Anno regis *Edwardo* ix. menſe Septembri *Bononienſis* Comes *Euſtachius*, qui ſororem regis *Edwardi* quondam duxerat, mari tranſito *Doroberniam* venit, ubi homines ſui dum imprudenter hoſpicia quærerent unum de civibus peremerunt. Quod videntes cives, unum ex ſuis militibus occiderunt; propter quod iratus Comes, furorem nimium in viros & mulieres ejuſdem civitatis exercuit; plures gladio perimendo, ac ſenes & parvulos equorum pedibus conculcando. Cives vero hoc non tolerantes, ad arma demum concurrerunt, & reſiſtendo eos in fugam viriliter verterunt, ſeptem perſonis ex eis peremptis; unde ipſi ad regem *Edwardum Gloverniæ* morantem properantes, ab eo ſuſcepti ſunt. Audiens autem Comes *Godwinus* talia in comitatu ſuo geri, grave tulit, & congregato exercitu de comitatu ſuo *Cantiæ*, & de *Suthſaxia*, & *Weſtſaxia*, & filius ſuus primogenitus *Swanus* de comitatu ſuo *Baroccenſi*, *Oxonienſi*, & *Glovernenſi*, *Herefordenſi*, & *Somerſetenſi*, alterque filius ſuus *Haraldus* de comitatu ſuo, ſcilicet de *Eſtſaxonia*, *Eſtanglia*, *Huntyngdonia*, & *Cantebrigia*, caſtrametati ſunt in comitatu *Gloverniæ*, regi per legatos mandantes, ut prædictum *Euſtachium* cum ſuis, & *Nurmannos*, & *Bononienſes*, qui caſtrum *Doroberniæ* tenebant, eis redderent. Quod audiens rex timuit, & reſponſum diſtulit, eo quod exercitus ejus ad eum ut præceperat nondum venit. Miſerat namque ad Comitem *Northumbriæ Siwardum*, de cujus genere & ſtrenuitate infra plenius dicetur, & ad *Leofricum* Comitem *Ceſtriæ*, ut ad *Godwinum* impediendum exercitum colligerent copioſum. Quo interim advincem conveniente, rex *Godwino* mandavit petita nullatenus ſe facturum. Exercitibus igitur hinc inde ad prælium paratis, grave aliquibus magnatorum videbatur, ut cum ſuis compatriotis & parentibus bellum inirent: propter quod diſcurrentibus nunciis & mediantibus viris diſcretis, convenit, ut rex & comes certo die convenirent *Londoniæ* placitaturi, obſidibus ſuper hoc datis mutuo & acceptis. Quo die demum adveniente, militibus *Godwini* ob metum regii exercitus paulatim defluentibus, ipſe *Godwinus* inire cum rege placitum non audebat, ſed nocte ſuperveniente cum filiis ſuis & eorum uxoribus fugam iniit confuſus. Habuerat enim *Godwinus* ex *Githa* uxore ſua *Danica* ſorore *Swani* ſex filios videlicet, *Swanum*, *Wilnotum*, *Leoſwinum*, *Haraldum*, *Toſtium* & *Griffinum*. Mane autem facto quia *Godwinus* vocatus non comparuit, ab ipſo rege & ſuo exercitu cum uxore ſua & quinque filiis ſuis eſt proſcriptus, unde Comes ipſe ſibi timens, mox cum uxore ſua & tribus filiis ſuis, *Swano* videlicet, *Toſti* & *Griffino* ad inſulam de **Thorney** fugit, & inde nave parata ad Comitem *Flandriæ Baldewinum*, cujus filiam *Juditham Toſti* deſponſaverat, navigavit. *Haraldus* vero & *Leoſwinus* de *Briſtollia* in *Hiberniam* transfretarunt. Quamobrem rex *Editham* reginam uxorem ſuam eo quod filia eſſet *Godwini*, propter odium patris repudiavit, & eam cum una tantum pediſſeca, abbatiſſæ de **Werewelle** ſine honore ad cuſtodiam tranſmiſit, ac terras & theſaurum *Godwini* & filiorum ſuorum continuo confiſcavit. Deditque cuidam *Odoni Somerſetæ*, *Dorſetæ*, & *Devoniæ* conſulatum, *Algaro* vero filio *Leofrici* conſulis *Haraldi* tradidit conſulatum. Interea *Normannicus* Comes *Willielmus* nothus cum multitudine magna venit in *Angliam* à rege invitatus, quem rex magnis muneribus ditans, obſidibus Comitis *Godwini* ſibi cuſtodiendum traditis, *Normanniam* cum gratiarum actionibus remiſit.

Anno Domini M. lj. & *Edwardi* regis x. obiit *Eboracenſis* archiepiſcopus *Elfricus*, & rex archiepiſcopatum in manu ſua per aliquod tempus tenuit. Et eodem anno rex *Edwardus Anglos* à gravi tributo ſolvit quod eis pater ſuus propter *Danorum* ſoldarios impoſuerat.

Anno Domini M. lij. & regis *Edwardi* xj. *Emma* regina mater ejuſdem regis, apud *Wintoniam* vitam perdidit temporalem. Eodem anno *Marianus Scotus* anno ætatis ſuæ 21. ſeculum reliquit, & peregrinus pro Chriſto factus, apud *Coloniam Alemanniæ* urbem in monaſterio *Scottorum* eſt attonſus. Eodem anno dictus conſul *Godwinus* & *Swanus* filius ejus velis extenſis à *Flandria* currentes inſulam de **Wiht** prædati ſunt. Eodemque tempore *Haraldus* filius *Godwini* de *Hibernia* veniens, **Porteland** prædato, ad patrem ſuum in inſula de **Wiht** feſtinavit, qui ſe ibidem adinvicem jungentes, inde ad **Neſſe**, **Romeneye**, **Hithe**, **Folleſtane**, **Dover Sandwik** & **Schepeye** perrexerunt, puppes ubique & obſides capientes, & poſtea villa regis de **Mydylton** per quoſdam eorum aggreſſus combuſta, claſſis per *Normictam* verſus *Londoniam*, quia cives ejuſdem ad eos allexerant, tendens, quinquaginta puppibus quibus rex inerat, obviavit, ubi quia ex utraque parte pauci erant qui aliquid fortitudinis habebant niſi tantum *Angli*, pugnare adverſus ſuos propinquos & compatriotas pene omnes abhorrebant: unde precibus ſtatim intervenientibus rex & dictus comes gener ſuus conſilio *Stigandi* epiſcopi concordantur; ita quidem, quod *Wilnotus* filius *Godwini*, & *Hacus* filius *Swani* obſides pacis regi tradebantur, quos rex *Willielmo* duci *Normanniæ* cuſtodiendos ſtatim miſit. Tunc rex *Editham* reginam uxorem ſuam filiam dicti *Godwini* priſtinæ reſtituit dignitati; & ſicut ſapientiores de conſenſu partium ordinaverant, ipſum *Godwinum* & uxorem ſuam ad honorem priſtinum reaccepit, & ſibi, & omnibus filiis ſuis terras & omnia quæ prius habuerant reddidit, excepto *Swano*, qui pœnitentia ductus de *Flandria* nudipes *Jeruſalem* ierat, eo quod nuper *Beornum* conſobrinum ſuum, ut præmittitur, occidiſſet; indeque rediens, invalitudine ex nimio frigore contracta mortuus eſt in *Licia*.

Facta igitur concordia paceque firmata, omni populo rectam legem promiſerunt, & omnes *Normannos* qui leges iniquas adinvenerant, & injuſta judicia judicaverant ac multa mala conſilia adverſus *Anglos* regi dederant, exlegaverunt. Paucos tamen, ſcilicet *Robertum* diaconem & generum ejus *Ricardum* filium *Scrob*, *Alfredum* regis ſtratorem, *Anfridum* cognomento *Cockesfot* & quoſdam alios, quos plus cæteris rex dilexerat, eique & omni populo fideles extiterant, in *Anglia* remanere permiſerunt. Porro dictus *Robertus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & *Londonienſis* præſul *Willielmus*, & *Ulf Dorkeceſtrenſis* antiſtes, cum ſuis *Normannis* vix evadentes in exilio mare tranſierunt. Tunc vero dictus *Stigandus* primo epiſcopus *Eſtangliæ*, deinde *Wyntonienſis*, vir peſſimus & ſimoniacus, *Edwardi* regis ſimplicitate abuſus, *Cantuarienſem* archiepiſcopatum dicto *Roberto* vivente invaſit, & in archiepiſcopum ipſo rege annuente conſecratur; unde & nunquam pallium à ſede apoſtolica potuit impetrare. Qui quidem archiepiſcopus *Robertus* poſtmodum obiit ultra mare, & ibi ſepultus eſt. Sed dictus *Willielmus Londonienſis* epiſcopus propter ſuam bonitatem parvo poſt tempore ab exilio revocatus, in ſuum recipitur epiſcopatum. *Oſbernus* vero cognomento *Pentecoſt* & ſocius ejus *Hugo* ſua reddiderunt caſtella, & Comitis *Leofrici* licentia per ſuum comitatum *Scotiam* adeuntes, à rege *Scottorum Malcolmo* filio regis *Cambrorum* ſuſcepti ſunt, cui quidem *Malcolmo* rex *Edwardus* dederat regnum *Scotiæ* de ſe tenendum.

Anno Domini M. liij. & regis *Edwardi* xij. cum idem rex ſecundum quoſdam apud *Hodyæm*, & ſecundum alios, & veriores apud **Wyndeſore**, ubi plurimum manere ſolebat, pranderet, Comes *Godwinus* gener ſuus & proditor recubuit juxta eum. Cumque *Haraldus* filius ejuſdem Comitis tunc pincerna regis, potum ferendo uno pede caſu titubans in alium ſe recepiſſet, & perſtetiſſet, ita quod nec ipſe, nec regius ciphus cecidit: *Godwinus* filio ſuo ridendo ait, Tunc adjuvit unus frater alium; Ad quod verbum rex vultu mutato ſuſpirans, dixit, Sic meus frater michi feciſſet ſi *Godwinus* hoc permiſiſſet. Ad quem Comes, buccellam panis in manu tenens, ait, « Sæpe tibi rex falſo relatum eſt « me proditioni tuæ invigilaſſe, ſed ſi unquam te « prodere cogitavi vel in mortem fratris tui *Alfredi* culpabilis exiſto, Deus cœli verax & juſtus « concedat, ut hæc buccella quam in manu teneo « ſit michi mors & æterna perditio. Qui mox eadem buccella in ore poſita ultione divina cooperante ſtrangulatus miſerabiliter exſpiravit. Quo viſo, rex miniſtris ait, Extrahite canem. *Haraldus* vero filius ſuus qui regi aſtabat, mox eum ſub menſa per pedes extraxit, & apud *Wyntoniam* ſepelivit. Cujus quidem *Godwini* conſulatus datus eſt tunc eidem *Haraldo* filio ſuo, & comitatus *Haraldi* datus eſt *Algaro* filio Comitis *Leofrici*.

Anno regis *Edwardi* xiij. idem rex *Edwardus* *Aldredum Wigornenſem* epiſcopum ad Imperatorem *Henricum* ſecundum deſtinavit, rogans eum ut miſſis ad regem *Hungariæ* literis & legatis, inde fratruelem ſuum *Edwardum* filium *Edmundi* **Ireneſide** in *Angliam* ad eum tranſmitteret; decreverat enim eum rex poſt ſe regem conſtituiſſe, unde idem *Edwardus* filius *Edmundi* cum *Agatha* uxore ſua, & liberis ſuis, videlicet *Edgaro Adelyng* & *Margareta* atque *Chriſtina*, in *Angliam* venit. Sed cito poſt deceſſit, qui in eccleſia ſancti *Pauli* apud *Lundonias* ſepelitur. Quo mortuo, rex *Edwardus* filium ſuum *Edgarum* tanquam filium proprium dilexit & nutrivit, ac ipſum hæredem *Angliæ* inſtituere cogitavit. Sed, ut quidam aiunt, rex gentis ſuæ malitiam, & præcipue ſuperbiam *Haraldi* filii dicti *Godwini* & aliorum divina demonſtratione prævidens, percepit, quod propoſitum ſuum quoad ipſum *Edgarum* cognatum ſuum, de regno poſt eum optinendo minime potuit adimplere, unde *Willielmo* cognato ſuo *Normannorum* Duci regnum poſt eum optinendum per ſolempnes nuncios aſſignavit.

Eodem anno habito *Lundonia* Concilio *Algarus* Conſul filius Comitis *Leofrici*, ſecundum quoſdam, de regis proditione convictus, & ſecundum quoſdam ſine culpa exulatus eſt; Qui mox *Hiberniam* adiit, & ibidem congregatis quibuſdam navibus piraticis *Griffino* ſe *Northwallenſium* regi junxit, qui ſtatim *Herefordenſem* provinciam depopulantes, timidum ducem *Eadulphum*, qui *Anglos* contra morem in equis pugnare fecerat, fugaverunt. Deinde *Herefordiam* captam & eccleſiam ſancti *Ethelbricti* Canonicis occiſis & urbe ſpoliata incendunt & ad propria redeunt, unde mox *Haraldus* dux à rege miſſus, fugientes inſequitur, *Herefordiam* inſtaurat & vallo cingit, ac exulatos cum rege pacificat.

Circa idem tempus *Siwardus* fortiſſimus Conſul *Northumbriæ* pene gigas ſtatura obiit, de quo ſic legitur. Fuit in regno *Danorum* de ſanguine regio quidam nobilis Comes unicam habens filiam, quæ ſpaciandi cauſa ſilvam quandam domui patris ſui vicinam cum ancillis ſuis intravit; quibus urſa obvians omnes timore reſolutas in fugam convertit, & ſolam Comitis filiam ſecum rapuit, de qua filium nomine *Bernum* aures urſinas habentem & in comitatu jure materno ſuccedentem progenuit, ſucceſſu vero temporis Comes iſte *Bernus* in armis ſtrenuus filium habuit quem *Siwardum* appellavit. Tandem *Siwardus* iſte paternas terras relinquens, cum quinquaginta ſociis navem intravit, & apud *Orchades* inſulas draconem prælio ſingulari vincens de terra illa fugavit, navemque conſcendit, & apud *Northumbriam* quærendo alium draconem applicuit. Cui die quadam ſenex reverendus ſolus in ſilva quadam repertus dixit. *Siwarde*, ſcio quod draconem quem reperire non poteris quæris, ſed navem conſcende, ac verſus auſtrum uſque ad quoddam brachium marinum *Tameſia* vocatum tende, & per illud ad civitatem opulentam *Lundonia* appellatam devenire poteris. Deditque ei ſenex in ſignum vexillum **Ravelandeye** quod interpretatur *Corvus terroris terreni*. Cui proſpere *Lundoniam* venienti rex *Edwardus* poſſeſſiones ac honores non exiles ſi ſecum ſtaret, repromiſit. *Siwardus* hiis conſenciens ac gratias regi deferens, de curia diſceſſit. Quem quidam *Toſtius* Comes de *Huntyngdonia Danica* ſtirpe progenitus verſus curiam regis tendens, pedibus lutoſis in ponte quodam viliter tractavit. Sed *Siwardus* licet ægre hoc tulit, in eum tamen manum non extendit, ſed in revertendo caput ejus in eodem loco abſtulit, ac regi illud detulit. Cui tunc, rei veritate comperta, datus eſt comitatus de *Huntyngdonia*, quem dictus *Toſtius* prius habuit, ut eſt dictum. Rege tandem à *Danis* infeſtato, conſulunt terræ majores, quod parvus dæmon magno dæmoni traderetur. Sicque conceſſit rex *Siwardo Weſtmerlandiam*, *Cumberlandiam* & *Northumbriam*; quas quidem terras potenter pacificavit, regis inimicos contrivit & *Oſbernum Bulax* filium ſuum in *Scociam* conquirendam miſit. Quem cum bello cæſum patri renunciaſſent, ait, Utrum in anteriori vel poſteriori parte corporis mortiferum vulnus cepit? Nuncii reſponderunt, In anteriori. At ille, Gaudeo, inquit, plane quod filius meus ita honorifico funere dignus erat. *Siwardus* igitur in *Scociam* tranſiens regem bello vicit, regnum totum deſtruxit, & deſtructum ſibi viriliter ſubjugavit. Qui poſtmodum mortem per fluxum ventris imminere ſenciens dixit, “O quantus pudor eſt me in tot bellis mori non potuiſſe, ſed ut vaccarum morti cum dedecore reſervarer. Induite me lorica mea impenetrabili; præcingite gladio, ſublimate galea, ſcutum in leva, ſecurim auratam michi ponite in dextra, ut ſic militum fortiſſimus modo militis moriar, nam ita decet militem defungi, & non ut bos accubans enervari. Cumque ut præceperat, honorifice eſſet armatus, ſpiritum exalavit. Et ſepultus eſt in monaſterio ſanctæ *Mariæ* apud *Eboracum* in clauſtro. Et quia *Waltef* filius ſuus quem progenuerat, adhuc parvulus erat, datus eſt comitatus ejus *Toſti* filio *Godwini* conſulis. Quidam autem dictum *Oſbernum Bulax* non in *Scocia* ſed in *Northumbria* aſſerunt eſſe necatum; nam ſcribunt, quod dum iſte *Siwardus* in *Scocia* manu potenti ſibi ſubacta eſſet, relatum ſibi erat, quod homines ſui *Northumbriæ* in ipſum ſurrexerant, & dictum *Oſbernum* filium ſuum occiderant, unde ipſe *Siwardus* inde iratus, in ſcopulo adhuc patente cum ſecuri percuſſit, Terram *Scotiæ* regi *Dunaldo* reddidit, patriam rediit & inimicos ſuos in ore gladii percuſſit.

Circa idem tempus *Hermannus* natione *Flandrenſis*, regis *Edwardi* quondam capellanus ſed tunc *Wiltonienſis* ſive *Saleſburienſis* epiſcopus, rerum anguſtia tædiatus, petiit à rege & fere obtinuit, ut ſedem ſuam apud monaſterium **Malmeſbirie** ſtatuere poſſet, ſed rege juxta conſilium procerum id nolente, offenſus *Hermannus* epiſcopatum dimiſit, mare tranſiit & apud ſanctum *Bertinum* monaſticum habitum ſuſcepit, ibique tribus annis vixit, *Aldredo Wigornenſi* epiſcopo ſuum interim epiſcopatum adminiſtrante, ſed ut ſæpe fit in talibus, repentino impetu religionis frigeſcente, *Hermannus* poſt triennium *Angliam* rediit. Pigebat enim ſe multorum obſequiis aſſuetum, antiquis deliciis carere quas ab ineunte expertus fuerat ætate. Inſuper ad aures ejus pervenerat ſecundus rumor *Godwini* Comitis qui ſibi obſtiterat interiſſe, necnon *Schirburnenſem* epiſcopum obiiſſe, cujus epiſcopatum ſuo uniendum antiquis regis promiſſis diu cogitaverat. Hos igitur epiſcopatus ſic unitos cum tribus pagis ſuis diu tenuit uſque ad nonum annum *Willielmi* conqueſtoris, quando de **Schirburn** ad *Sarum* tranſivit.

Anno regis *Edwardi* xiiij. cum jam *Henrico* rege *Franciæ* defuncto *Philippus* filius ejus pro eo regnaret, *Willielmus* nothus *Normannorum* dux ſibi *Cenomanniam* ſubjugavit. Eodem anno Comes *Haraldus* filius *Godwini* à rege petiit *Normanniam* ire, ut fratrem ſuum *Wilnotum* & nepotem ſuum *Hacun* filium fratris ſui *Swani* qui ibidem obſides tenebantur, ut præmittitur, liberaret, liberatoſque ſecum deducere poſſet. Cui rex; Hoc,inquit,non fiet per me, verumtamen ne videar te impedire, permitto ut eas quo vis, & experiaris quid poſſis facere: præcenſeo tamen te in nichil aliud tendere niſi in tui confuſionem & totius regni *Angliæ* detrimentum; Novi enim Comitem *Willielmum* non ita inexpertum, ut eos aliquatenus concedere tibi velit ſi non præſcierit proficuum ſui magnum. Aſcendit itaque *Haraldus* navem, & orta tempeſtate valida projectus eſt in *Pontivum* fluvium qui *Maia* vocatur, ubi à Comite *Pontivenſi* ſecundum ritum loci illius captivus abductus eſt. Conſtrictus itaque *Haraldus* quendam de vulgo mercede promiſſa illectum ad Comitem *Normanniæ* clam direxit, nuncians omnia quæ caſu ſibi acciderant. At ille hoc audito, protinus domino *Pontivi* mandavit, ut *Haraldus* cum ſuis, ſi priſtina ejus amicitia potiri vellet, cum feſtinatione ſibi mittatur. Sed cum ille ipſum *Haraldum* dimittere nollet, iterum à *Willielmo* Comite in mandatis accepit, ſe neceſſario *Haraldum* miſſurum, alioquin certiſſime ſciret, *Willielmum Normanniæ* Comitem ſuper eum ſine mora armata manu venire. Perterritus itaque minis, *Haraldum* mittit. Qui ab ipſo Comite *Willielmo* honorifice ſuſcipitur, & audito cur patriam exierat, Bene quidem rem proceſſuram, ſi in ipſo non remaneret, reſpondit. Tenuit ergo eum aliquibus diebus ſatiſque humanum ac familiarem ſe illi exhibuit, ut ſic animum ſuum in ſuos conatus alliceret. Tandem vero apparuit quod in mente habuit. Dicebat enim regem *Edwardum* quando cum eo tunc juvene & ipſe juvenis in *Normannia* demoraretur, fide interpoſita ſibi pollicitum fuiſſe, quod ſi rex *Angliæ* unquam foret, jus regni in illum jure hæreditario poſt ſe transferret. Et ſubdens ait, Tu quoque ſi te in hoc adjuvaturum michi ſpoponderis, & inſuper caſtellum de **Dover** cum puteo aquæ ad opus meum in eodem facturum te promiſeris, ſororemque tuam quam uni de Principibus meis dabo te michi deſtinaturum, necnon & filiam meam in uxorem accepturum, & regnum *Angliæ* poſt mortem regis *Edwardi* ad opus meum ſervaturum, te fideliter etiam promiſeris; tunc tibi modo nepotem tuum *Hacum*, & cum in *Angliam* regnaturus venero, fratrem tuum *Wilnotum* incolumem liberabo; In quo regno ſi tuo favore confirmatus unquam fuero, ſpondeo tibi quod quicquid à me rationabiliter poſtulaveris abſq; ulla contradictione obtinebis. Senſit *Haraldus* undique periculum, non qua parte evaderet intellexit, & tamen licet invitus adquievit. At Comes ut omnia rata forent prolatis Sanctorum reliquiis ad hoc *Haraldum* perduxit, ut jurejurando teſtaretur ſe cuncta quæ inter eos convenerant opere completurum. Hiis itaque geſtis, *Haraldus* recepto *Haco* nepote ſuo in *Angliam* reverſus, regi percunctanti cuncta quæ acciderant enarravit. Cui & rex, Nonne dixi tibi me noſſe *Willielmum*, & in itinere tuo multa mala huic regno contingere poſſe? Certe in hoc facto tuo magnas genti noſtræ calamitates præcenſeo eventuras, quas michi quæſo pietas ſuperna concedat non meis temporibus evenire.

Poſt hæc anno ſequenti *Haraldo* & *Toſti* fratri ſuo in expeditione in *Wallia* pergentibus,gens patriæ illius ſubdita illis eſt, & obſides eis dedit. *Walenſes* igitur regem ſuum *Griffinum* poſtea occidentes, *Haroldo* caput ejus attulerunt, qui tunc alium regem ſtatuit ſuper eos. Eodem anno poſtea contigit, quod dum *Haraldus* filius *Godwini* vinum regi apud **Wyndeſore** propinaſſet, *Toſti* frater ſuus ſenior pro eo quod ipſe *Haraldus* à rege arcius diligeretur, coram ipſo rege per capillos ipſum arripuit, & ſic capillis & manibus mutuo confligebant, quod invidiæ & odii fomitem ſuſcitavit, unde rex eorum perniciem & infortunium apropinquare, & iram Dei jam non eſſe differendam prædixit. Tantæ namque ſæviciei fratres illi erant, quod cum nitidam villam alicujus conſpicerent, dominatorem totamque ejus progeniem interfici juberent, ut ſic poſſeſſionem & dominium obtinerent, prout illi quidem qui Juſticiarii regni erant. *Toſti* igitur à rege & fratre ſuo *Haraldo* furibunde diſcedens, ad *Herefordiam* ubi frater ſuus maximum regale corrodium paraverat, feſtinavit; ubi omnibus miniſtris fratris ſui primo detruncatis, ſingulis vaſis vini,medonis, cerviſiæ, pigmenti, moraci & ciſeræ crus humanum, caput vel brachium impoſuit, mandavitque regi, quod ad feſtum ſuum properans cibos ſalſatos ſufficienter inveniret, alios ſecum deferri curaret. Rex ergo eum ob ſcelus adeo infinitum relegare & exulare præcepit. Poſtea vero *Northumbrenſes* hæc audientes, *Toſti* conſulem ſuum, qui multas eis cædes & clades injecerat, fugaverunt, & theſauris & armis ejus in *Eboraco* captis, omnem familiam ſuam tam *Dacos* quam *Anglos* peremerunt; *Marcherum* filium *Algari* conſulis ſuper conſulatum illum ſtatuentes. Qui cum gente illa & cum hominibus comitatuum *Lincolniæ*, *Notynghamiæ* & *Derbeyæ* uſq; ad *Hamptoniam* pergens, *Edwino* fratri ſuo contra eum cum hominibus conſulatus ſui & pluribus *Britannis* venienti, ibi obviavit. *Northumbrenſes* tunc *Haraldum* conſulem, qui ad eos ibi venerat, ad regem cum aliis ſecum nunciis deſtinarunt, precantes, ut dictum *Marcherum* habere poſſent Conſulem ſuper eos. Quod rex concedens, *Haraldum* ad hoc confirmandum uſque *Hamptoniam* eis remiſit. Ipſi vero interim prædantes,comburentes & occidentes, provinciæ illi nullatenus pepercerunt. Sed cum petitionem ſuam optinuiſſent, multa milia hominum ſecum adducentes, illam partem regni multis annis deteriorem reddiderunt. *Toſti* vero & uxor ſua à regno ſe divertentes, cum *Baldewino* Conſule *Flandriæ* hiemarunt.

Anno Domini M. lvij. regni vero regis *Edwardi* xv. *Algericus Dunelmenſis* epiſcopus epiſcopatu ſuo ſponte relicto, ad monaſterium de *Burgh* ubi educatus fuerat ſeceſſit, & ibi quiete novem annis vixit. Cui ſucceſſit frater ſuus *Egelwinus*. Circa idem tempus laudabilis Comes *Leofricus* in propria villa de **Brumlegh** pridie kal. Decembr. deceſſit, & apud *Coventreyam* in monaſterio quod ipſe & uxor ſua *Godiva* nomine perpetuo digna conſtruxerant, ſepultus eſt, ubi & brachium ſancti *Auguſtini* in theca argentea habetur incluſum, quod *Egelnothus* archiep. de *Roma* rediens apud *Papiam* urbem aliquando emerat C. l. talentis argenti. Hic etiam *Leofricus*, aſſenſu & conſilio dictæ Dei cultricis *Godivæ* uxoris ſuæ, monaſteria *Leonenſe* juxta *Herefordiam*, *Wenelocenſe* & in *Ceſtria* ſanctæ *Werburgæ* ſanctique *Johannis Wigorni* & *Eveſham* reparavit ſimiliter & ditavit, & quandiu etiam vixit ejus circumſpectio terræ *Anglorum* multum profuit, quoniam ſemper regi & regno fidelis fuit.

De dicta quoque *Godiva* Comitiſſa quæ eccleſiam de Stowe ſub promontorio *Lincolniæ*, & multas alias conſtruxerat, legitur, quod dum ipſa *Coventreiam* à gravi ſervitute & importabili tolneto liberare affectaſſet, *Leofricum* Comitem virum ſuum ſollicitavit, ut ſanctæ Trinitatis deique genitricis *Mariæ* intuitu, villam à prædicta ſolveret ſervitute. Prohibuit Comes ne de cætero rem ſibi dampnoſam inaniter poſtularet. Illa nichilominus virum indeſinenter de petitione præmiſſa exaſperans, tale reſponſum ab eo demum extorſit. Aſcende, inquit, equum tuum, & nuda à villæ inicio uſque ad finem populo congregato equites, & ſic poſtulata cum redieris impetrabis. Tunc *Godiva* Deo dilecta equum nuda aſcendens, ac capitis crines & tricas diſſolvens, totum corpus præter crura inde velavit. Itinere completo, à nemine viſa ad virum gaudens eſt reverſa, unde *Leofricus Coventreiam* à ſervitute & malis cuſtumis & exactionibus liberavit, & cartam ſuam inde confectam ſigilli ſui munimine roboravit, de quo adhuc iſti pauperes mercatores ad villam accedentes plenarie ſunt experti.

Contigit ſemel quod cum rex *Edwardus* dicto *Leofrico* Comite ſecum præſente miſſam audiret, Comes ille in elevatione corporis Chriſti ſacramentum illud, à forma panis in formam unius pueri aperte vidit tranſmutari, puero dextra elevata primo regem, poſtea Comitem benedicente. Comes itaque hoc viſo verſus regem continuo ſe vergebat, ut illam ſanctam viſionem ipſum faceret intueri. Cui ſtatim rex ait; Domine Comes, quod vides Dei miſericordia cooperante video, & Jheſum Chriſtum ſalvatorem meum in forma humana viſibiliter adoro, cujus nomen ſit benedictum per infinita ſecula. Amen.

Alio quoque tempore ferunt ipſum regem *Edwardum* inter miſſarum ſolempnia in exceſſu mentis factum, contra morem riſiſſe. Aſtantibus qui aderant & quidnam eſſet inquirentibus, rex ait, Contigit *Danos* & *Norreganos Angliam* venire, ſed cunctis ad navigandum paratis, optulit quidam navigaturis calicem medonis, imprecans illis probroſum nomen ſi non biberent. At dum calix calici ſuccederet, ebrietas vertitur in loquacitatem, loquacitas in litem, lis in pugnam, ſicque diſperſi à propoſito abſtinuerunt, unde ſpero quod diebus meis alienigenæ nos ulterius non vexabunt.

Quidam inſuper quaſi fere de eodem ſic ſcribunt, Quod cum rex quodam die pentecoſtes apud *Weſtmonaſterium* miſſam ſuam audiret, in elevatione ſacramenti quaſi jocoſe in alto ſubriſit; unde milites aſtantes ſuper hoc nimis admirati, miſſa celebrata, à rege cauſam tanti riſus & gaudii petierunt. Quibus dixit, ſe vidiſſe in illo ſacramento elevato juniorem *Swanum* regem *Daciæ* ad *Angliam* manu hoſtili applicantem, & terram capere volentem inter rates ſubmergere, unde exercitus ejus cum maximo dolore in *Daciam* eſt reverſus. Et ideo Deo qui nos de hoſtibus noſtris ita curialiter liberavit, cum gaudio & riſu gratias reddidi puro corde. Hæc audientes mirabantur, & notantes tempus, diem & horam, inventa ſunt à requirentibus poſtmodum ea fuiſſe vera quæ regi fuerant ſpiritualiter oſtenſa. Alio etiam tempore ille *Edwardus* vir propheta & Deo plenus, dum quodam die ſedens ſubito rideret, requiſitus à regina cur riſiſſet, reſpondit, ſibi in ſpiritu oſtenſum eſſe, ſeptem dormientes in *Græcia* quieſcentes, à dextro latere in ſiniſtrum modo eſſe converſos. Ex iſto rege *Edwardo* quaſi jure hæreditario reges *Angliæ* dicuntur habere, ut ipſi quoddam genus morbi quem vermem ſive modo morbum regium vulgariter dicunt, ſolo tactu curent; hanc gratiam illum *Edwardum* primo dicitur habuiſſe.

Anno regis *Edwardi* xvj. *Aldredus Wigornenſis* epiſcopus de licentia regis ſanctum *Wolſtanum* Priorem *Wigorniæ* fecit; *Hermanno*, de quo ſupra, in *Angliam* reverſo epiſcopatum ſuum *Wintoniæ* retradidit, ac per *Hungariam Jeroſolimam* profectus eſt. Dictus autem ſanctus *Wolſtanus* Deo amabilis in provincia *Warewicenſi* oriundus apud monaſterium de *Burgo* literis & officiis eccleſiaſticis eſt inſtructus. Tandem ſacerdos effectus miſſam moroſe cantabat, aliaſque orationes adiciens ſolis fidelium oblationibus contentus erat, virgo ut putabatur exiſtens, ſuperflui potus expers; carnes etiam non comedit, quibus tamen ſpernendis hæc occaſio intervenit. Die quadam cum ad placitum quoddam exire debuiſſet, viſum eſt ſibi ut prius miſſa cantata inediæ ſuæ conſuleret. Auca igitur igni appoſita, odor aduſtæ carnis nares celebrantis adimplevit, mentemque ſuffocavit. Sed cum diu reluctans cogitationem avertere non poſſet, juramentum ad ſacramenta quæ tractabat fecit, nullo pacto illud genus cibi ſe amplius comeſſurum, cantataque miſſa impranſus ad negotia diſceſſit. Tandem creſcente devotione, exemplo parentum ſuorum, qui ante finem vitæ caſtitatem devoverant, ſeculum reliquit, & in monaſterio *Wigorniæ*, quo pater ſuus ſervierat, monachus eſt effectus; ubi per omnia pene loci officia gradiens, ad Prioratum ut præmittitur aſcendit. Jejuniis, vigiliis & orationibus jugiter indulgens; ſuper aliquod ſcamnum eccleſiæ, libro in quo orabat capiti ſuppoſito, dormire conſuevit. Quadam igitur nocte ante altare orans, dæmonem importune ad luctam eum provocantem, quamvis ilium paſſione fatigatus, complectens fortiter proſtravit; Apparuerat autem illi diabolus in forma cujuſdam ſervientis de curia; quem quociens poſtmodum *Wolſtanus* videbat, totus expalluit, ad cæteros ſemper timore vacuus. Affirmabat enim ſe neſcire quid eſſet timor. Hic quoque nunquam pro fractura pontis equo deſcendit, quin etiam in ſummitatibus anguſtarum fabricarum ſecurus incederet.

Iſtis temporibus circa annum regis *Edwardi* ultimo præſcriptum, civis quidam *Romanus* ephebus *Lucius*, ætate juvenis, locuplex opibus, genere ſenatorio ſublimis, ut *Willielmus Malmeſburienſis* narrat, quandam generoſam virginem nomine *Eugeniam* ſibi matrimonio copulavit. Qui ſodalibus ſuis accitis frequens convivium paraverat, unde die quadam juvenes poſt cibum in campum proceſſerunt, ut ſtomachos dapibus oneratos alicujus ludi excercitio attenuarent. Cumque in campum veniſſent, ipſe novus ſponſus ludi ſignifer pilam popoſcit, ſed ne jocando anulum ſuum nuptialem amitteret, in digito extento cujuſdam ſtatuæ æneæ, quæ proximo aſtabat, illum collocavit. Et incaleſcentibus præ nimio curſu viſceribus, ipſe primus ſe à ludo ſubtraxit, & anulum repetens, invenit ſtatuæ digitum cum anulo uſque ad volam curvatum. Qui diu ibi inaniter luctans, quia nec anulum extrahere nec digitum frangere valebat, tacite turbatus diſceſſit, re ſodalibus celata, ne vel ipſum præſentem deriderent, vel abſentem anulo privarent, Unde nocte ſequenti cum famulis rediens, digitum iterum extentum & anulum ſubreptum miratus eſt. Cumque hora cubandi veniſſet, & ipſe ſe in lecto juxta uxorem ſuam, dampno ſibi diſſimulato, collocaſſet, ſenſit quoddam nebuloſum & denſum inter ſe & illam volutari, quod ſentiri poſſet ſed non videri. Hoc obſtaculo ab amplexu prohibitus, vocem ſibi dicentem audivit, Mecum concumbe quia me hodie deſponſaſti. Ego ſum *Venus* cujus digito anulum appoſuiſti: Habeo illum, ſed non reddam tibi. Ille autem tanto prodigio perterritus, nichil referre auſus eſt nec potuit. Inſompnem illam noctem duxit, tacito judicio rem examinans, ſicque per plures dies quacumque hora ille gremio conjugis ſuæ vellet incumbere, illud idem & ſentiret & audiret. Tandem querelis uxoris commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito conſilio, *Palumbo* cuidam ſuburbano presbytero negotium pandunt. Erat is nigromanticis artibus inſtructus, magicas ſciens excitare figuras & dæmones ad multa officia implendum ſuſcitare. Ille autem multa mercede ſi amantes conjungeret ſibi promiſſa, compoſitam epiſtolam juveni dedit dicens, Vade, inquit, illa hora noctis ad compitum ubi ſe findit in quadrivium, et ſtans tacite conſidera, tranſient ibi figuræ hominum utriuſque ſexus, omnis ætatis, omnis gradus, & omnis poſtremo conditionis, quidam equites, quidam pedites, alii vultum in terra dejecti, alii tumido ſupercilio elati, & prorſus quicquid ad lætitiam vel triſtitiam pertinet, in illorum vultibus & geſtibus videbis; nullum eorum compellabis, & ſi loquantur tibi, non reſpondebis. Sequetur illam turbam quidam reliquis procerior, forma corpulentior, curru ſedens; huic tacitus epiſtolam trades legendam, fiet eveſtigio quod voles. Juvenis ille iter præceptum aggreditur, & nocte ſub divo aſtans, fidem dictorum presbyteri viſu explorabat, & omnia ſicut presbyter ſibi dixerat vidit. Inter cæteros quoque tranſeuntes vidit mulierem ornatu meretricio mulam equitantem, crinibus ſolutis humeros velantem, & vittam auream capite geſtantem, ac auream virgam, qua equitaturam regebat, manu habentem, quæ præ tenuitate veſtium pene nuda, geſtus exercuit impudicos. Quid plura? ultimus, qui dominus videbatur, oculos terribiles in juvenem retorquens, cauſas adventus ejus exquirit; Nichil ille reſpondit, ſed protenta manu epiſtolam porrexit. Dæmon notum ſigillum non auſus contempnere, ſcriptum legit, moxque brachiis in cœlum elevatis ait; Deus, inquit, omnipotens, quamdiu patieris nequicias *Palumbi* presbyteri! Nec mora, ſatellites à latere ſuo mittit, qui à *Venere* anulum extorquerent. Illa multum tergiverſata vix tandem anulum reddidit, Quem juveni tradiderunt. Ille autem tunc voti compos, ſine obſtaculo ſuſpiratis diu amoribus eſt potitus, ſed *Palumbus*, ut dæmonis clamorem ad cœlum & querelas ad Dominum de ſe audivit, finem ſuum imminere cognovit; Quocirca omnibus membris ſuis truncatis miſerabili defunctus eſt pœnitentia, confeſſus Papæ coram populo *Romano* flagitia inaudita.

Anno regis *Edwardi* xvij. *Algarus* Comes qui poſt mortem dicti *Leofrici* patris ſui conſulatum *Ceſtriæ* ſuſceperat, per regem *Edwardum* ſecundo exlegatus eſt, ſed ope *Griffini* regis *Wallanorum* comitatum recuperavit. *Nicholaus* iij. *Benedicto* ejecto ſedit in papatu annis pene duobus: Cujus diebus *Gallicana* eccleſia plurimum per *Berengarium Turonenſem* extitit perturbata, qui Eucariſtiam non verum corpus Chriſti ſed figuram temere aſſerebat. Contra quem iſte *Nicholaus* papa concilium celebravit, in quo idem *Berengarius* errorem ſuum retractavit; ſicut habetur de Conſecratione diſtinctione ſecunda, *Ego Berengarius* &c. *Lanfrancus Beccenſis* Prior tonantem librum contra eundem edidit, quem *Scintillarum* intitulavit. Poſt hæc *Berengarius* ſancte vixit & obitum ſuum prædixit.

Anno regis *Edwardi* xviij. mortuo archiepiſcopo *Eboracenſi Kynſio*, qui *Alfrico* ſupradicto ſucceſſit, *Aldredus Wigornenſis* epiſcopus archiepiſcopatum *Eboracenſem* ſuſcepit, qui etiam epiſcopatum *Herefordiæ*, quem tunc in cuſtodia habuit, *Waltero* reginæ tradidit capellano. Poſt hæc *Aldredus* cum *Toſtio* Comite *Northumbriæ* pro pallio habendo *Romam* adiit, ubi in ſua reſponſione culpabilis repertus, ab omni honore privatus eſt; qui domi tandem tendens, ab omnibus quæ attulerat ſpoliatus eſt. Quapropter ipſo *Romam* regreſſo, *Toſtius* Comes allegationibus ſuis ita papam inflexit, ut archiepiſcopatum *Aldredo* conferret; Aſſerebat namque, parum metuendam longinquis nationibus papæ excommunicationem, quam propinqui latrunculi deriderent, unde aut papa ſua bona ablata ſibi redderet, aut per ejuſdem papæ fraudulentiam conſtarent amiſſa, futurumque fore, ut rex *Angliæ* hoc audiens, tributum ſancti *Petri* ſubtraheret, improperium eſſe aſſerens, ſi *Aldredus* inglorius ſimul & ſpoliatus repatriaret. Igitur dicto *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo pallio inſignito, & in *Angliam* reverſo, *Wolſtanus* Prior eccleſiæ *Wigornenſis* ad epiſcopatum ejuſdem eſt electus, procurante id potiſſime dicto *Aldredo*, qui ſimplicitate *Wolſtani* ſuas putabat rapinas obumbrare, & poſſeſſiones quamplures ſua potentia per totam vitam ſuam retentas à *Wigornenſi* eccleſia ad *Eboracenſem* transferre. Sed *Wolſtanus* magis virtute quam litteratura fretus, res eccleſiæ ſuæ defenſabat, & poſſeſſiones injuſte ablatas ipſo *Aldredo* mortuo recuperavit. Cumque ipſe *Wolſtanus* ad conſenciendum electioni de ſe factæ minime flecti poſſet, à viro Dei *Wolſio* per lx. annos tunc incluſo, pro obſtinacia acriter correptus, divinoque oraculo perterritus, electioni conſenſit; Qui anno ætatis ſuæ plus quinquageſimo, & regni regis E. xx. Indictione xv. præſentibus duobus apoſtolicæ ſedis legatis, à dicto *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo, rege annuente & epiſcopatum ſibi conferente, conſecratus eſt, eo quod *Stigando Cantuarienſi* archiepiſcopo officium epiſcopale tunc à domino papa interdictum erat, quia *Roberto* archiepiſcopo vivente archiepiſcopatum ſuſcipere præſumpſit, canonica tamen profeſſione eidem *Cantuarienſi* archiepiſcopo *Stigando* & non ſuo ordinatori *Aldredo* facta. Inſuper & ipſe *Aldredus Eboracenſis* archiepiſcopus qui *Wolſtanum* conſecraverat, coram rege & regni optimatibus, ipſo *Stigando* factitante, propter ſubſequentium calumpnias, profiteri juſſus eſt, ſe nullum jus eccleſiaſticæ ſeu ſecularis ſubjectionis ſuper ipſum *Wolſtanum* deinceps velle clamare, nec quia ab eo conſecratus, nec quia ante conſecrationem, ejus monachus fuerat.

Wolſtanus igitur factus epiſcopus, cibi & potus abſtinens erat, quamvis in aula ejus pro more *Anglorum* totis poſt prandium horis biberetur, cum quibus & ipſe aſſidens pſalmos ruminabat, ordine tamen ſuo ſe bibere ſimulabat, bibentes ad hilaritatem invitabat, magis in hoc conſuetudini patriæ quam animi judicio ſatisfaciens. Nec etiam poſtea tempore Regis *Willielmi* conqueſtoris pompam *Normannorum* omittebat, quin ſtipatus militibus incederet, miſſam cotidie cantans, pſalterium addebat, famoſorum Sanctorum memorias ſeptipharie diviſas per ſeptem horas nullatenus omittebat. Quociens *VVigornenſis* fuit, majorem miſſam loco ebdomadarii celebravit: A quo quidem officio, ut dixit, pro epiſcopatu reſignando noluit abſolvi. Collationi monachorum interfuit, ut ſic facta cum cæteris generali confeſſione, dataque benedictione, in triclinium ſuum ſe reciperet. Equo vectus pſalterium frequentabat, benedictiones, quas *Angli* ſuper potum faciunt, in menſa etiam non omiſit. Et quando eum ad placitandum neceſſitas urgebat, maledictionem omnibus pravis arbitris imprecabat, bonis vero benedictionem. Indifferenter vilioribus utebatur & magis agninis quam cæteri generis pellibus frigus depellens. Si vero ei interdum ſuggereretur, ut catinas ſaltim pelles in uſu haberet, jocoſo verbo reſpondebat, Crede michi nunquam audivi in eccleſia cantari catus Dei ſed *agnus Dei*, ideo calefieri agno volo.

Dum ſemel monachi ſui ad majorem eccleſiam quam ipſe conſtruxerat migrarent, & ipſe antiquam eccleſiam, quam ſanctus *Oſwaldus* fundaverat, deſtrui videret, lacrimas fudit; ſuper quo modeſte redargutus, quod potius gaudere deberet quod ſe ſuperſtite tantus honor eccleſiæ ſuæ accidiſſet quod multiplicatis monachis ædificia augerentur, reſpondit; *Ego longe aliter intelligo, quod nos miſeri Sanctorum opera deſtruimus ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa ætas pompatica conſtruere ædificia, ſed ſub qualicumque tecto ſeipſos Deo immolare, & ſubjectos ad exemplum bonum attrahere: nos econtra utimur, ut animarum necligentes lapides cumulemus.* Hic dum ſemel ſermonem de pace faceret, multi ad concordiam redierunt. Unus tamen inter eos nullo ſuaſu, nec etiam epiſcopi rogatu, fratris necem roganti homicidæ voluit indulgere. Huic in medio adducto dixit epiſcopus, Dominus dixit, *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur*. Conſtat ergo quod pacifici ſunt filii Dei & beati, diſcordantes ſunt miſeri & filii diaboli. Illi ergo cujus es te commendo & carnem ſathanæ tuam trado. Statim ille mancipium hoſtile effectus, dentibus ſtridere, ſpumas jacere, caput rotare incepit. Qui tamen à *VVolſtano* ſanatus, cum pacem adhuc recuſaret, iterum & tertio eſt arreptus ſimili modo, quouſque ex corde injuriam remitteret & offenſam.

Alwinus quidam apud *ſaltum Malvernia* anachoritice degens, deſiderio *Jeroſolomitani* itineris ſæpius erat afflatus. Quod cum *Wolſtano* panderet, diſſuaſit epiſcopus, ſubinferens, Deſiſte ſodes *Alwine*, Crede michi quod mirareris ſi ſcires quæ per te Deus ſit facturus; Ille vero adquieſcens & diſcedens, monachos in illo loco ad numerum tricennarium congregavit, & *Malvernia* monaſterium fundavit.

De prædicto vero Rege *Edwardo* ſcribitur, quod cum ipſe quadam die de eccleſia *Weſtmonaſterienſi* exiſſet, ubi miſſam de beato *Johanne* Evangeliſta, quem poſt Deum & beatam virginem *Mariam* ultra omnes ſanctos ſpiritualiter amavit, audiverat, quidam peregrinus ei occurrit petens ab eo pro amore Dei & ſancti *Johannis* Evangeliſtæ aliquam elemoſinam ſibi dari. Rex vero qui ſemper pauperes caros habuit & dilectos, anulum ſuum à digito ſtatim extrahens, illum ſecrete nullo ſciente tradidit peregrino, qui illum recipiens Regi regraciando receſſit. Deinde cum ipſe rex xxiv. annis glorioſe regnaſſet, parum ante obitum ejus contigit, quod quodam die duobus hominibus *Anglicis* de terra ſancta ad propria revertentibus, unus quaſi peregrinus ſalutando eos ſupervenit, & unde eſſent quæſivit. Quos de *Anglia* ſe profitentes interrogavit quaſi neſciret, quis eſſet Rex illius terræ. Qui reſpondentes, quod nobiliſſimus & prudentiſſimus Rex *Edwardus* filius Regis *Ethelredi*. Quibus ille peregrinus tunc ait. Kariſſimi ſocii, cum in terram veſtram *Anglia* reverſi fueritis, Regem veſtrum *Edwardum* adeatis, & ipſum ex parte mea benigne in Domino ſalutetis, multum ſibi de ſua elemoſina quam michi quadam vice apud *Weſtmonaſterium* dederat regraciando, nam ibi quodam die ipſum poſt miſſam ſuam ab eccleſia in palacium ſuum revertentem rogavi, ut pro amore Dei & beati *Johannis* Evangeliſtæ quem multum diligit, aliquam elemoſinam michi daret. Ille vero anulum ſuum à digito ſtatim extraxit, & illum michi donavit, quem uſque nunc per me bene cuſtoditum Regi veſtro reportabitis, ex parte mea ſibi dicendo, quod pro eo quod ita large de jocalibus ſuis me reſpexit, quamplura precioſiora jocalia noverit ſibi reddam: nam infra medietatem iſtius anni ad me veniet, mecum commoraturus. Illi vero de peregrino ubi morabatur, & quo nomine vocabatur interrogabant. Quibus ille ait. Converſor cum Deo, & *Johannes* vocor Evangeliſta. *Edwardus* vero Rex veſter amicus meus eſt, quem pro ſanctitate vitæ ſuæ quam in mundicia & virginitate cunctis diebus ſervavit, ſpiritualiter præamavi, unde vos rogo & requiro quatenus iſtum anulum recipiatis, & Regi veſtro illum tradatis, & omnia quæ vobis dixi ſibi fideliter denuncietis, & ego Deum rogabo, quod ſalvo & ſecure ad propria vos perducat. Cum igitur beatus *Johannes* iſto modo eos oneraverat, anulo eis tradito, ab oculis eorum diſparuit. Peregrini autem de illa glorioſa viſitatione Deo regratiantes iter ſuum gaudenter verſus *Angliam* carpentes, *Londonias* incolumes pervenerunt, ubi Regi per eos ſalutato, à principio in finem quicquid ſanctus *Johannes* eis dixerat retulerunt, & anulum, ſecundum quod eis præceperat, tradiderunt. Quo cum gaudio recepto, Rex nuncios ſecum retinuit, & eos præ cæteris pro eorum lætis rumoribus ſpecialiter honoravit, ſe deinde ut ab hac luce ſancte & feliciter migraret indies præparando.

Poſt hæc anno Domini M.lxvj. cum idem *Edwardus* rex xxiv. annis ut dictum eſt regnaſſet, & in vigilia natalis Domini matutinis interfuiſſet, in tantum ægrotavit, quod vix in craſtino ad miſſam ſtare poterat audiendam. Qui poſt miſſam celebratam in cameram ſuam ductus, ad ſolempnitatem tanti feſti inter Comites & Barones ſuos aulam ingredi non valebat, unde gaudio curiæ in triſtitiam verſo, omnes dominum Regem tanta infirmitate detentum amittere timuerunt. Cum enim Rex die ſancti *Johannis* evangeliſtæ confeſſus & contritus viaticum cum cæteris eccleſiæ Sacramentis devotiſſime ſumpſiſſet, dictis peregrinis coram eo adductis munera fertilia dari præcepit, & illos Deo commendavit. Abbati vero *Weſtmonaſterienſi* dictum precioſum anulum tradidit, inter reliquias pro perpetuo ibi conſervandum, & in craſtino die ſanctorum Innocentium cum Baſilicam ſancti *Petri* apud *Weſtmonaſterium* dedicari feciſſet, Rex langore morbi ſui creſcente fortiter vexatus, miſericordiam Dei & glorioſæ virginis *Mariæ* & beati *Johannis* Evangeliſtæ exſpectavit. Qui cum poſtea biduo elinguis jacuiſſet, die tertio poſt ſoporem graviter & profunde ſuſpirans ait: Deus, inquit, omnipotens, ſi non eſt fantaſtica illuſio ſed vera viſio quam vidi, da michi facultatem eam aſtantibus exponendi, aut è converſo. Ita mox expedita loquela, Duos, inquit, modo monachos vidi michi aſſiſtere, quos adoleſcens olim in *Normannia* videram religioſiſſime vixiſſe & Chriſtianiſſime obiiſſe. Hii ſe Dei nuncios dicentes talia verba protulerunt. Quoniam excellentiores *Angliæ* duces epiſcopi & abbates non ſunt miniſtri Dei ſed diaboli, tradidit Deus hoc regnum poſt obitum tuum anno uno & die uno in manu inimici, totamque hanc terram dæmones pervagabunt. Cumque ego hæc me oſtenſurum populo dicerem, illumque pœnitentia facta liberandum, præmiſſo exemplo *Niniuitarum* promitterem: Neutrum, aiunt, erit, quia nec ipſi pœnitebunt, nec miſerebitur eis Deus. Et quando, inquit, tantarum calamitatum remiſſio ſperari poterit? Tunc inquiunt, quando ſi arbor viridis in medio ſuccidatur, & pars abſciſa ſpacio trium jugerum à ſtipite deportetur, cum ſine aliquo advehiculo iterum ſuo connexa trunco ex priſtino valeſcentis ſui amore floribus pubeſcere & fructus producere inceperit, tunc demum poterit ſperari talium malorum remiſſio. Et quamvis tunc *Stigandus* archiepiſcopus cæteris timentibus riſum excepiſſet, dicens, vetulum accedente morbo nugas delirare; hujus tamen vaticinii veritatem *Angli* experiuntur, quod ſcilicet *Anglia* facta eſt exterorum habitatio & alienigenarum dominatio. Nam poſtea tempore non modico nullus dux vel pontifex vel abbas *Anglicus* fere erat, ſed advenæ ipſorum divicias & prædia poſſidebant.

Cum iſto vaticinio concordat fere revelatio *Brithwoldi* quondam *Wyntonienſis* Epiſcopi, qui aliquando ſompnii revelatione hujus ſeculi felicitatem viderat & annunciaverat. Nam dum tempore Regis *Kanuti* cœleſtibus apud *Glaſtoniam* lugubraret excubiis, ſubiſſetque illum cogitatio, quæ frequenter eum angebat, de regia *Anglorum* ſtirpe pene deleta, hæc meditanti ſopor irrepſit, & ecce in ſuperna raptus, vidit *Petrum* Apoſtolorum principem ipſum *Edwardum* qui tunc in *Normannia* exulabat, in Regem conſecrare, cœlibe deſignata vita & certo viginti quatuor annorum numero regni computato. Eidemque de poſteritate quærenti reſpondere, Regnum *Anglorum* regnum Dei eſt, poſt te providebit Regem ſibi ad placitum ſui.

Supradictus vero Rex *Edwardus* nocte nativitatis Domini, ut præmittitur, infirmatus, in vigilia Epiphaniæ ſequenti ab ærumpnis hujus ſeculi ad Dominum glorioſe migravit. Cujus corpus diverſis miraculis choruſcans, in eccleſia *Weſtmonaſterienſi*, quam ipſe conſtruxerat & poſſeſſionibus multis ditaverat, tumulatur. Qui poſtmodum canonizatus & cathalogo Sanctorum aſcriptus, demum tranſlatus eſt. Cujus depoſitionis feſtum v. die menſis *Ianuarii*, eo videlicet die quo obiit, celebratur. Feſtum vero tranſlationis ejus xiv. die menſis *Octobris* habetur. Iſte ſupradictus rex ſanctus *Edwardus* Confeſſor dictus eſt *Edwardus* tertius. Qui leges communes *Anglorum* genti tempore ſuo ordinavit, quia perante leges nimis partiales editæ fuerunt. Nam primo leges in *Britannia* edidit *Dunwallo Molmucius*. Cujus leges *Molmucina* dicebantur, uſque ad tempora iſtius Regis *Edwardi* ſatis celebres. Inter quas, ut in *Bruto* habetur, ſtatuit ut civitates & templa Deorum viæque ad illa ducentes & aratra colonum immunitate confugii gauderent. Deinde *Marcia* Regina *Britonum* uxor *Gwithelini*, à qua provincia *Merciorum* putatur denominata, legem edidit diſcretione & juſtitia plenam, quæ *lex Mercia* vocatur. Has duas leges *Gildas* Hiſtoricus de Britannico tranſtulit in Latinum, & ſic vulgariter *Merchenelaga*, i. lex *Merciana* ſive lex *Merciorum* poſtmodum dicebatur: qua lege olim octo ſchiræ, i. provinciæ judicabantur, videlicet **Gloceſtreſchire**, **Wirceſtreſchire**, **Herefordeſchire**, **Salopſchire**, **Cheſterſchire**, **Staffordeſchire**, **Warewikſchire**, & **Oxenefordſchire**. Poſt hæc lege Saxonice ſive Anglice conſcripta & per *Ine* Regem Weſtſaxonum ſuperaddita, *Aluredus* poſtmodum Rex *Weſtſaxoniæ* legem adhuc ſuperaddidit quæ *Weſtſaxenelega*, i. lex *Weſtſaxonum* vocabatur. Qua lege antiquis temporibus novem auſtrales ſchiræ, i. provinciæ, quatenus flumen *Thameſiæ* eas à reliqua parte *Angliæ* ſecuerit, judicabantur, videlicet **Kent**, **Suthſex**, **Suthereye**, **Barokſchire**, quæ ſic denominatur à quadam nuda quercu in foreſta de **Wyndeſoure**, ad quam ſolebant provinciales convenire; **Wilteſchire**, quæ quondam dicebatur provincia *Semerana*; **Suthamteſchire**, **Somerſete**, **Dorſete** & **Deveneſchire**. Tandem *Danis* in terra dominantibus tertia lex emanavit quæ *Denelaga*, i. *lex Danica* ſive *Danorum* lex dicebatur. Qua lege olim xv. ſchiræ orientales & boriales judicabantur, videlicet **Eſſex**, **Middilſex**, **Suthfolc**, **Northfolc**, **Herthfordeſchire**, **Cantebriggeſchire**, **Huntyngdonſchire**, **Lyncolneſhire**, **Nothynghamſchire**, **Derbyſchire**, **Northamtonſchire**, **Leyceſtreſchire**, **Bokynghamſchire**, **Beddefordſchire**, & **Eboracſchire**.

Hæc provincia *Eboraci* quondam continebat totam terram *Northumbranam* ab aqua *Humbra* uſque ad flumen de *Twede*, quod eſt principium *Scotiæ*. Hodie tamen provincia *Eboraci* ſolomodo ſe extendit ad *Humbram* ex una parte, & ad *Teſe* ex alia parte, & tamen ſunt in ea xxij. hundredi, i. **Wapentakes**. **Duremſchire**, quæ eſt in libertate Epiſcopi *Dunolmenſis*, extendit ſe à ſupradicto fluvio de *Teyſe* uſque ad flumen de *Tyne*. **Northumbreland**, cujus caput eſt hodie *Novum caſtrum* ſuper *Tynam*, extendit ſe à flumine de *Tyne* uſque ad dictum flumen de *Twede*, plaga tamen *Northumbrana* olim continebat totam terram quæ eſt inter *Humbram* & *Twedam* ſicut de provincia *Eboraci* dictum eſt. **Caerleylſchire** continet terram de **Cumberlande**. Ad **Appelbiſchire** pertinet terra de **Weſtmerland**. **Lanchaſtreſchire** continet in ſe quinque modicas ſchiras, quæ ſunt **Weſtderbiſchire**, **Salfordſchire**, **Leylandſchire**, **Blakbourneſchire**, & territorium *Lancaſtriæ*, quæ etiam uſitato vocabulo dicuntur hundredi, ſive **Wapentakes**. Hundredus

Latine, dicitur Wallice & Hibernice *cantredus*, & continet centum villas. **Wapentake** Anglice idem eſt quod arma capere, eo quod in primo adventu novi domini ſolebant tenentes pro homagio reddere arma ſua. Si autem *Northumbrana* plaga quæ olim fuit ut præmittitur ab *Humbria* uſque ad *Twedam* hodie dumtaxat pro provincia una, ſicut antiquitus, computetur, tunc ſunt in numero xxxij. ſchiræ: ſi vero plaga *Northumbrana* prædicta dividatur in prædictas ſex provincias quæ ſunt **Eboracſchire, Duremſchire, Northumberland, Carleyrſchire, Appelbiſchire,** & **Lancaſtreſchire,** tunc ſunt in *Anglia* excepta *Cornubia* xxxvij. ſchiræ, provinciæ ſive comitatus.

De ſupradictis vero tribus legibus, videlicet *Merchenelaga*, *Weſtſaxenelaga*, & *Danelaga* iſte Rex *Edwardus* tertius unam legem communem edidit, quæ *Leges Edwardi* uſque hodie vocantur; de quibus nonnulla vocabula adhuc frequentata cum eorum expoſitionibus hic inſerere dignum duxi. *Mundebriche*, i. læſio majeſtatis, blemoure de honur. *Burbriche*, i. læſio libertatis aut ſepti, i. blemoure de court ou de clos. *Grithbriche*, i. fractio pacis. *Myſkenning*, i. variario loquelæ in curia. *Scheawyng*, i. mercimonii poſitio ſive demonſtratio. i. deſpliaunce de marchaundie. *Hamſoken* vel *hamfare* eſt inſultus factus in domo. *Forſtall* eſt coactio vel obſiſtentia in regia ſtrata facta. *Frithſoken*, i. tutatio in juriſdictione, hoc eſt ſeurte en defens. *Infangthef thelfind inward*, eſt infra ſuum attachiamentum capere reum. i. dedeyntz le ſeon attachement de laroun. *Saka* juredictio curiæ, court juſtice forz on a chetoun. *Soka*, i. ſecta curiæ, inde *ſockne* dicitur quandoque interpellatio majoris audientiæ. *Weregelthef* eſt ſolutio latronis evaſi, i. ſoute de latrone eſchape. *Theam*, eſt laudare auctorem, i. revoucher garant; & quandoque dicitur ſequela nativorum. *Flitwithe*, i. ferir par medlee. *Wardewithe* eſt ſurſiſe de garde. *Blodwithe*, amerciment pro effuſione ſanguinis. *Fihtwithe*, emenda proveniens ex contentione. *Letherwithe* eſt emenda pro corruptione nativæ. *Giltwithe* eſt emenda pro tranſgreſſione. *Scot*, i. cimbolum ad opus ballivorum domini Regis, & inde dicitur *ſcotale*. *Hidage* vel *taillage* eſt tallagium de hidis terrarum. *Danegeld* eſt tallagium datum Danis, i. iij.d. de qualibet bovata terræ. *Wapentake* & hundredus idem ſunt, quia procinctus C. villarum in adventu novi domini ſolebat reddere arma ſua. *Leſtage* eſt conſuetudo exacta in nundinis & mercatis. *Stallage* eſt exactio pro ſtatione in plateis tempore nundinarum.

SAncto *Edwardo* rege & Confeſſore ut dictum eſt mortuo, quidam *Anglorum* magnates *Edgarum* **Adelynge** filium *Edwardi* filii Regis *Edmundi* **Ireneſide** in regem promovere moliebantur. Sed quia puer erat & tanto oneri minus idoneus. *Haraldus* Comes filius ſupradicti *Godwini* viribus & genere fretus, contra ſacramentum quod *Willielmo* Duci *Normanniæ* præſtiterat, regni diadema ſiniſtro omine illico invaſit, & ſic perjurus ſancto *Edwardo* ſucceſſit juxta quod idem *Edwardus*, ut quidam aiunt, ante mortem ſuam ſtatuerat, promiſſione quam idem Rex dum juvenis in *Normannia* extitit dicto *Willielmo* de ſuccedendo poſt eum in regno fecerat, & ſibi ſuper hoc poſtea ſecundum quoſdam ſolempnes nuncios ut præmittitur deſtinaverat, non obſtante. Qui quidem *Haraldus* ut quidam tradunt, ſeipſum apud *Weſtmonaſterium* coronavit. Tamen ſecundum quoſdam, in die Epiphaniæ Rege *Edwardo* humato, ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo extitit conſecratus. Qui ſtatim leges iniquas deſtruere, æquas condere, eccleſias defendere, religioſos colere, tranſgreſſores punire & patriam tueri cœpit. Decimo autem die poſt mortem Regis *Edwardi*, *Willielmus* dux *Normanniæ* nullum de regio ſemine in *Anglia* relictum, ſed *Haraldum* regnum uſurpaſſe audiens, eidem *Haraldo* protinus mandavit, ut pacta ſervaret. Quo renuente; iterum mandavit, ut quamvis violata fide cætera non ſervaſſet, ſi tamen filiam ſuam in conjugem duceret, leviter cætera cuncta ferret, alioquin ſucceſſionem regni ſibi promiſſam ſe vendicaturum proculdubio armis ſciret: At ille nec hoc facere nec aliud formidare dixit. Unde *Willielmus* Dux tribus maxime de cauſis ſtimulatus intrinſece irritatur: Primo quia dictus Comes *Godwinus* & filii ſui *Alfredum* cognatum ſuum doloſe occiderant, ut eſt dictum. 2. Quia *Robertum* archiepiſcopum genere *Normannum* & *Odonem* Conſulem & omnes *Francos* ingenioſe ab *Anglia* fugaverant. 3. Quia *Haraldus* in perjurium prolapſus, regnum, quod jure cognationis & duplicis ſponſionis ſuum eſſe debuerat, ſine jure aliquo poſſidebat.

Iſta ergo *Willielmus* & alia recenter recordatus, *Alexandrum* papam conſuluit, cui jus quod in regno *Angliæ* ſibi competeret, demonſtravit. Unde dux vexillo cum ſanctorum reliquiis ab ipſo papa recepto, Principes *Normanniæ* convocavit, à quibus ad *Angliam* conquirendam auxilium petiit & favorem. Proceribus igitur *Normanniæ* ſuper hujuſmodi expeditionis negotio adinvicem conſultantibus; *Willielmus* filius *Osberti* ducis *Willielmi* dapifer, iter diſſuaſit, tum propter paucitatem adeuntium, tum propter ferocitatem hoſtium. Exhilarati ex hoc proceres, verba ſua in ore illius dapiferi poſuerunt. Ille vero cum coram Duce veniſſet, dixit, ſe ad expeditionem cum cæteris paratum eſſe; tunc cæteri non poterant ſe ſubtrahere præ pudore. Quibus ſic conſenſum præbentibus, claſſis maxima ad portum qui vocatur ſancti *Valerici* eſt parata. Quod rex *Haraldus* vir bellis acerimus audiens, & adventum Ducis *Willielmi* timens, claſſicum & pedeſtrem exercitum per totam æſtatem & autumpnum circa ripas maris auſtrini poſuit. Sed ſtipendiis & victu deficientibus exercitus domum rediit.

Interea *Toſtius* Comes frater dicti *Haraldi*, cum xl. puppibus de *Flandria* veniens, *Vectam* inſulam ſtipendiis & tributis multavit, & circa ripas *Canciæ* prædas egit. Sed dum fratris ſui *Haraldi* apparatum timeret, *Lyndeſeyam* per mare & *Humbram* rediit, in qua villas incendit & gentem trucidavit; donec per duces *Merciorum* & *Northumbriæ* extruſus, *Malcolmum* regem *Scottorum* per mare adiret, cum quo per totam æſtatem morabatur. Interim Rex *Norreganorum Haraldus Harefag* frater ſancti *Olavi Angliam* expugnare & ſibi ſubdere anelans cum pluſquam trecentis puppibus in hoſtium *Tinæ* fluminis applicuit, ad quem *Toſtius* Comes, ſicut prius condixerat, ſua cum claſſe advenit, & ſibi gaudenter protinus ſe ſubdebat: Deinde ambobus per *Humbriam* uſque ad *Eboracum* venientibus duo germani Comites *Merciorum* ſcilicet & *Northumbriæ*, *Edwinus* & *Morkatus*, ſive ſecundum quoſdam *Marcherus*, cum eis juxta urbem viriliter & valide pugnaverunt; cujus pugnæ locus in auſtrali parte adhuc oſtenditur civitatis. _Edwino_ & _Morkato_ glorioſo Martis omine in fine devictis, ſed tunc tamen obſidibus interim utrinque datis, quinto poſt hæc die rex _Haraldus_ ſuperveniens eis apud **Stamfordbrige** cum manu valida obviavit. Pugna igitur acerima incepta, cum à ſummo mane uſque ad meridiem horribiliter ruentes utrimque perſeverarent, numerus _Anglorum_ maximus _Norwagenſes_ cedere ſed non fugere compellebat. Ultra flumen igitur repulſi, vivis ſuper mortuos tranſeuntibus, magnanimiter reſtiterunt. Quidam vero _Norwagenſis_ fama æterna dignus ſuper pontem reſtitit, & pluſquam xl. _Anglos_ ſecuri cædens electa, uſque ad horam diei nonam ſolus omnem _Anglorum_ exercitum detinebat. Tandem quidam navem ingreſſus, per foramina pontis inter celanda jaculo eum percuſſit. Tranſeuntes igitur _Angli_ Regem _Norreganorum_ & fratrem Regis _Haraldi Toſtium_ & totum fere eorum exercitum, quamvis acerime eſſet repugnatum, in ore gladii interfecerunt. _Olavum_ tamen filium _Haraldi_ Regis _Norwegiæ_ & Ducem _Orcadum_ paucis obſidibus & juramento acceptis, cum xx. navibus redire ad patriam permiſerunt.

Haraldus Rex _Anglorum_ eodem die _Eboracum_ reverſus, dum cum ſumma lætitia pro tanta victoria pranderet, nuncium ſibi dicentem audivit, _Willielmus_ Dux _Normanniæ_ apud **Peveneſepe** juxta **Haſting** applicans, & littora auſtralia occupans, caſtellum apud _Haſtyngum_ conſtruxit. Quo audito, _Haraldus_ rex verſus partes auſtrales contra eum celeriter proceſſit, quamvis jam ſciret fortiores de tota _Anglia_, in duobus prædictis præliis cecidiſſe, & quamplures, ut quidam dicunt, pro ſpoliis _Norwagenſium_ ſibi retentis ab eo ſimiliter declinaſſe. Die igitur ſancti _Kalixti_ papæ, & martiris pridie idus Octobris per diem Sabati ſub hora diei tercia anno Domini MLxvj. nondum exercitu ſuo congregato in _Suthſaxonia_, novem miliariis ab _Haſtingo_, _Willielmo_ Duci prælio occurrebat. Qui quidem _Willielmus_ quinque catervas equitum in hoſtes ſplendide promovit. Quibus catervis terribiliter diſpoſitis orationem, & allocutionem hujuſmodi habuit & incepit.

» Vos alloquor _Normanni_ gentium fortiſſimi,
» non quaſi veſtræ probitatis incertus ſed quaſi de
» victoria ſecurus, quæ nunquam caſu aliquo vel
» impedimento à vobis evadere potuit. O mortali-
» um validiſſimi, quid potuit rex _Francorum_ bellis
» proficere cum omni gente quæ eſt à Lotoringia
» uſque ad _Hiſpaniam_ contra _Haſting_ anteceſſo-
» rem veſtrum, qui ſibi quantum de _Francia_ vo-
» luit acquiſivit, quantum voluit regi permiſit, dum
» placuit tenuit, dum ſaciatus eſt ad majora anelans
» reliquit? Nonne _Rori_ (qui & _Rollo_) anteceſſor meus,
» Dux primus, & auctor noſtræ gentis cum patri-
» bus veſtris regem _Francorum_ _Pariſius_ in regni
» ſui medio bello vicit, nec _Francorum_ potuit ſpe-
» rari ſalutem, niſi & filiam ſuam & terram, quæ
» ex nobis _Normannia_ vocatur, ſupplex optuliſſet?
» Nonne patres veſtri regem _Francorum_ in _Rotho-_
» _mago_ ceperunt & tenuerunt, donec _Ricardo_ puero
» Duci veſtro _Normanniam_ reddidit, eo pacto quod
» in omni collocutione regis _Franciæ_ & Ducis _Nor-_
» _manniæ_, Dux gladio cingeretur, regi vero nec gla-
» dium nec eciam cultellum ferre liceret? hanc æter-
» nam ſanctionem patres veſtri regem magnum co-
» gentes ſtatuerunt. Sed quid priſca & antiqua
» narro? Nonne nobis congredientibus meo tempore
» apud Mortemer _Franci_ præcipites præpoſuerunt
» fugam bellis calcaria telis? Era procedat aliquis
» _Anglorum_, quos centies anteceſſores noſtri _Daci_,
» & _Norwagenſes_ bellis vicerunt, demonſtretque
» gentem _Rory_ ex ejus parte uſque nunc ſemel mi-
» liciæ naufragia perpeſſam eſſe, & ego victus abſ-
» cedo. Nonne vobis pudet regem _Haraldum_ con-
» tra me perjurum, in præſentia veſtri faciem ſuam
» auſum fuiſſe vobis oſtendere? michi tamen ſtu-
» por eſt quod eos qui parentes veſtros cum _Alfre-_
» _do_ cognato meo proditione nephanda excapitave-
» runt, oculis veſtris vidiſtis, & eorum capita ne-
» phanda humeris eorum adhuc ſuperſint. Erigite
» vexilla viri, & ab oriente uſque in occidentem ful-
» men gloriæ veſtræ videatur, impetus veſtri toni-
» truum audiatur, vindiceſque ſimus ſanguinis ge-
» neroſi.

Et ecce nondum Dux _Willielmus_ peroraverat, omnes ultra quam credi poteſt ita accenſi, ſecundum acies ſuas in hoſtes impetu ineffabili provolabant, & Ducem ſibi ſoli loquentem protinus relinquebant. Quidam vero nomine _Taillefer_ diu antequam coirent bellatores, enſibus jactans, ac coram gente _Anglorum_ ludens, dum in eum omnes ſtuperent, quendam _Anglorum_ vexilliferum interfecit. Secundo ſimiliter egit, tercio idem agens & ipſe interfectus eſt, & tunc ſibi acies offenderunt. Incipit letifera nubes ſagittarum, tonitruum ſequitur ictuum, inſilit ignita colliſio galearum & enſium. Cum igitur _Haraldus_ totam gentem ſuam in una acie ſtrictiſſime collocaſſet & quaſi caſtellum ex eis conſtruxiſſet, impenetrabiles erant _Normannis_. Dux ergo _Willielmus_ genti ſuæ fugam docuit ſimulare, fugientes autem quandam magnam foveam doloſe protectam devenerunt, ubi multus numerus eorum corruens oppreſſus eſt. Dum ergo _Angli_ in ſequendo perſiſtunt, acies _Normannorum_ principalis per mediam _Anglorum_ catervam pertranſit, quod videntes qui perſequebantur, per foveam prædictam redire compulſi, ibi ex magna parte perierunt. Docuit eciam Dux _Willielmus_ viros ſagittarios, ut non in hoſtes directe, ſed ſurſum in aera ſagittas emittentes, cuneum hoſtilem ſagittis excæcarent, quod _Anglis_ magnum fuit detrimentum. Viginti autem equites ſtrenuiſſimi fidem ſuam invicem dederunt, quod _Anglorum_ catervam prorumpentes ſignum regium quod vocatur **Standard** arriperent. Interea ſagittariis Ducis _Willielmi_ prævalentibus, & toto imbre ſagittarum circa regem _Haraldum_ cadente, ipſe rex poſt varios belli eventus & caſus dubios, in oculo uſque ad cerebrum ſagitta percuſſus, cum duobus fratribus ſuis _Gurth_ & _Leofwino_, ac cæteris _Angliæ_ nobilibus quampluribus, ut ferunt, in bello occubuit. De quo quidem bello _Franci_ qui interfuerunt, teſtabantur, quod inter varios hinc inde caſus tanta fuit ſtrages _Normannorum_, ut victoria quam demum potiti ſunt, vere & abſque dubio juſto Dei judicio ſit aſcribenda, qui puniendo ſcelus perjurii ſe Deum nolentem iniquitatem oſtendit.

Willielmus Dux devicto _Haraldo_ ſolicitudine fatigatus, & in lecto ſopori deditus, vocem ſibi dicentem audivit, Viciſti _Willielme_ & poſſediſti, regnabis ergo tu, & progenies tua C. quinquaginta annis. Quod Dux memoriter annotavit, & divinæ diſpoſitioni quæ circa eum acta erant commendavit.

Morte autem regis *Haraldi* nunciata Comites *Morkatus* & *Edwinus*, qui propter loci artitudinem à bello ſe ſubtraxerant, *Londonias* venerunt, ac ſororem *Haraldi Editham* reginam *Edwardi* regis uxorem ad urbem *Legionum*, quæ nunc *Ceſtria* dicitur, eo quod remota eſſet & tuta, tranſmiſerunt.

A*Ldredus* autem *Eboracenſis* archiepiſcopus, & Comites prædicti ac *Londonienſes* clitonem *Edgarum Adelyng* in regem erigere, & pugnam pro eo committere promiſerunt; ſed Ducis *Willielmi* timore invaleſcente, paulatim à promiſſis reſilierunt: unde & hii omnes cum cæteris nobilibus ad eum venerunt; & ſic datis obſidibus cum fidelitate jurata, *Willielmus* poſt tantam victoriam à *Londonienſibus* pacifice eſt ſuſceptus. Et ſic facta eſt mutatio dexteræ excelſi, Quam cometa ingens, quæ quaſi per totum mundum ſeptem diebus in ejuſdem anni exordio apparuerat, deſignavit: unde quidam metrice ſic ſcripſit,

Sexagenus erat ſextus milleſimus annus,
Cum pereunt Angli *ſtella monſtrante cometa.*

Anno milleno ſexageno quoque ſeno
Anglorum *meta crinem ſenſere cometa.*
Dux Normannorum *tranſit mare, vicit* Haraldum

Et nota quod ſtella cometa quando apparet, aut peſtilentiam, aut famem, aut bellum, aut regni mutationem portendit. Quidam tamen dicunt cometam non eſſe ſtellam, ſed nubem ignea claritate accenſam. Dictum autem bellum inter regem *Haraldum*, & Ducem *Willielmum* in *Suthſaxonia* menſe Octobri in feſto ſancti *Kalixti* papæ & martiris, ut ſuperius dictum eſt, commiſſum fuit. Quo in loco *Willielmus* nobilem abbathiam in honore beati *Martini* pro defunctis ſuis poſtea conſtruxit, eamque digne nomine *Belli* vocavit. Quorundam autem opinio fuit, quod prædictus *Haraldus* in prædicto prælio multis vulneribus confoſſus, oculoque ſiniſtro perdito ad partes *Ceſtriæ* vivus de prælio clam evaſit, ubi ſancta converſatione vitam, ut creditur heremiticam in Cella quadam juxta eccleſiam ſancti *Johannis* feliciter conſummavit; Hoc ex ejus ultima confeſſione palam fuit. Cujus tumba in eccleſia ſancti *Johannis Ceſtria*, ad dorſum crucis in medio areæ crebro oſtenditur. Cum quo eciam dum adhuc vixit, ut quidam volunt, *Henricus* primus rex *Angliæ* de *Wallia* rediens apud *Ceſtriam* colloquium habuit. Sed quia inde à multis dubitari ſolet, ea facilitate contempnitur qua dicitur. Ymo verior ſententia eſt, quod *Haraldus* ictu ſagittæ cerebro violato bello occubuit, ut eſt dictum, corpuſque ejus matri petenti *Willielmus* miſit, quod ipſa acceptum apud **Waltham** in eccleſia quam ipſe in honore ſanctæ crucis conſtruxerat, ſepelivit. Qui à feſto Epiphaniæ domini uſque ad feſtum ſancti *Kalixti* papæ per xl. tantum regnavit ſeptimanas.

Cur autem tanto furore Dei juſtitia in *Anglos* exarſit, cauſa ut creditur hæc eſt. In primitiva enim *Angliæ* eccleſia religio clariſſime ſplenduit, ita ut reges & reginæ, Duces, & Epiſcopi, vel monachatum, vel exilium pro Dei amore appeterent; proceſſu vero temporis adeo omnis virtus in eis emarcuit, ut gentem nullam proditione, & nequitia ſibi parem eſſe permitterent. Immiſit ergo Dominus omnipotens, velut examina apum, gentes crudeliſſimas quæ ab initio regni *Ethelwolfi* regis uſque adventum *Normannorum* per CC. xxx. annos terram jugiter protriverunt, & potiſſime *Normanni*, quando omnes fere *Angli* (ut inferius aliqualiter patebit) in ſervitutem ſunt redacti, & obprobrium erat *Anglicus* appellari. Cumque *Willielmus* Dux *Normanniæ* conqueſtor *Angliæ*, tyranni nomen exhorreſceret, & nomen legitimi principis induere vellet, à *Stigando Cantuarienſi* archiepiſcopo in regem petiit conſecrari; ille vero ut quidam dicunt cruento viro, & alieni juris invaſori manus imponere formidans, nullatenus adquievit: unde licet ipſe *Willielmus* eundem *Stigandum* ut noverat, multis modis blande honoravit, ipſum tamen (ut inferius clare patebit) nunquam poſtmodum cordialiter amavit. Quidam tamen dicunt quod dictus *Stigandus Cantuarienſis* archiepiſcopus, munus conſecrationis ſibi conferre non potuit, eo quod jamdudum ſuſpenſus eſſet, quia vivente archiepiſcopo *Roberto* genere *Normanno*, archiepiſcopatum ut prætactum eſt invaſerat, & ideo nullus quiſque bonus tunc ad epiſcopatum ſive prælaciam electus, munus conſecrationis ſive benedictionis, ſicut nec ipſe *Willielmus* coronam, ſive ſacramentum regiæ unctionis ab eo libenter ſuſcepit. Requiſitus igitur *Eboracenſis* archiepiſcopus *Aldredus*, vir utique bonus & prudens, intelligenſque cedendum eſſe tempori, & divinæ nequaquam reſiſtendum ordinationi, in ipſo proximo ſequenti die nativitatis Domini poſt victoriam de prædicto rege *Haraldo* habitam, *Londoniis* apud *Weſtmonaſterium* hoc munus implevit, ipſumque regem *Willielmum* ad jura eccleſiæ *Anglicanæ* tuenda & conſervanda, populumque ſuum recte regendum, & leges rectas ſtatuendum, ſacramento ſolempniter aſtrinxit. De quo rege *Willielmo* conqueſtore coronato, & ſic regnum *Angliæ*, *Anglis* ut præmittitur expugnatis & ſubactis, Ducatui *Normanniæ* ſociante quidam ſic metrice ſcripſit:

Dux Normannorum Willelmus *vi validorum*
Rex eſt Anglorum, *bello conqueſtor eorum.*

VVillielmus autem rex poſtquam coronam, & munus regiæ unctionis à dicto *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo ſuſceperat, ita ipſum loco patris colebat ut cum ille rex cæteris imperaret, ab ipſo archiepiſcopo voluit æquanimiter imperari. Unde contigit una vice, eundem archiepiſcopum in quadam ſua petitione à rege pati repulſam, iratuſque ſcapulam avertit, & maledictionem pro benedictione comminatus eſt. Cujus animi motum rex ipſe non ſuſtinens, ad pedes ejus procidit, & veniam petiit, ac ſatisfactionem ſpopondit. Cumque optimates qui aderant ſuaderent, ut regem proſtratum erigeret, reſpondit, Sinite, inquit, illum ad pedes patris ſui jacere. Hiis temporibus *Turci*, *Perſis* & *Egipciis* ſuperatis, totum fere ſibi ſubjiciunt orientem, & inter hæc urbem ſanctam *Jeruſalem*, ſicut & alias *Siriæ* occupant civitates. *Willielmus* rex in proxima quadrageſima poſt coronationem ſuam *Normanniam* adiit, fratremque ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum ad *Angliam* cuſtodiendam reliquit; Obſides & plures *Angliæ* nobiles ſecum ducens. Comites ſcilicet, *Edwinum* & *Morkatum*, *Edgarum Adelyng*, & potiſſime *Stigandum Cantuarienſem* archiepiſcopum, & quamvis ipſum parum dilexit, ſub velamine tamen honoris hoc fecit, ne quid perfidiæ ſe abſente per ejus auctoritatem in

Anglia pullularet. Poſt hæc, imminente yeme, rex *Willielmus Angliam* rediit, & importabile tributum *Anglis* indixit, ac civitatem *Exceſtria* contra ſe rebeſſantem obſedit & fregit, unde *Githa* Comitiſſa uxor quondam *Godwini*, urbe relicta, *Flandriam* navigio tranſiit. Et cito poſt *Matildis* uxor regis *Willielmi*, filia *Baldewini* Comitis *Flandriæ*, *Angliam* veniens, à prædicto *Eboracenſi* archiepiſcopo *Aldredo* in reginam ſolempniter coronatur. Et tunc rex *Willielmus* terras *Anglorum* magnatibus, & militibus ac aliis hominibus ſuis *Franciæ* & *Normanniæ*, qui ſecum in conqueſtu ſuo extiterant, donavit. Quorum plurima cognomina adhuc in *Anglia* ſatis cognita & frequentata, ſicut ea reperi ſcripta, hic inſerere dignum duxi.

VOũs qe deſyrez aſſaver
Les nons de grauntz de la la mer
Qe vindrent od le conquerour
William **Baſtard** *de graunt vigoure,*
Lours ſurnons iſſi vous denys
Com je les trova en eſcris.
Car des propres nons force ny a
Purce qillis ſont chaunges ſa & la,
Come de Edmonde *en* Edwarde,
De Baldwyn *en* Barnard,
De Godwyne *en* Godard,
De Élys *en* Edwyn,
Et iſſint des touz autrez nons
Come ils ſont levez du fons
Purce lour ſurnons qe ſont uſez,
Et ne ſont pas ſovent chaungez,
Vous ay eſcript ore eſcotez,
Si vous oier les voylleth.

Maundevyle & Daundevyle
Ounſtavyle & Downſrevyle.
Bolvyle & Baskarvyle
Evyle & Clevyle.
Morevyle & Colevyle
Warbevyle & Carvyle
Botevyle & Stotevyle
Deverous & Cavervyle
Mooun & Boun
Vipoun & Vinoun
Baylon & Bayloun
Maris & Marmyoun
Agulis & Aguloun
Chaumburleyn & Chaumburſoun
Vere & Vernoun
Verdyers & Verdoun
Cryel & Caroun
Dummer & Dommoun
Haſtyng & Cammois
Bardelſe Botes & Boys
Warenne & Wardeboys
Rodes & Deverois
Auris & Argenten
Botetour & Boteveleyn
Malebouch & Malemeyn
Hautevyle & Hauteyn
Danvey & Dyveyn
Malure & Malveſyn
Morten & Mortimer
Braunz & Columber
Seynt Denis & *Seynt* Cler
Seint Aubyn & *Seynt* Omer
Seynt Fylbert Fyens & Gomer
Turbevyle & Turbemer
Gorges & Spenſer
Brus & Boteler
Crevequel & *ſeynt* Quinteyn
Deverouge & *ſeynt* Martin
Seynt Mor & *ſeynt* Leger
Seynt Vigor & *ſeynt* Per
Auynel & Paynell
Peyvere & Peverell
Rivers & Rivel
Beauchamp & Beaupel
Lou & Lovell
Ros & Druell
Mountabours & Mountſorell
Truſſebot & Truſſell
Bergos & Burnell
Bra & Boterell
Biſet & Baſſet
Malevyle & Malet
Bonevyle & Bonet
Nervyle & Narbet
Coynale & Corbet
Mountayn & Mounfychet
Geynevyle & Gyffard
Say & Seward
Chary & Chaward
Pyryton & Pypard
Harecourt & Haunſard
Muſegrave & Muſard
Mare & Mantravers
Fernz & Ferers
Bernevyle & Berners
Cheyne & Chalers
Daundon & Daungers
Veſſi Gray & Graungers
Bertram & Bygod
Traylliz & Tragod
Penbri & Pypotte
Freyn & Folyot
Dapiſoun & Talbote
Sanzaver & Saunford
Vadu & Vatorte
Montagu & Mounford
Forneus & Fornyvaus
Valens yle & Vaus
Clarel & Claraus
Aubevyle & *ſeynt* Amatins
Agantez & Dragans
Malerbe & Maudut
Brewes & Chaudut
Fizowres & Fiz de lou
Cantemor & Cantelou
Braybuſſe & Huldbynſe
Bolebeke & Molyns
Moleton & Beſyle
Richford & Deſevyle
Watervyle & Dayvyle
Nebors & Nevyle
Hynoys Burs Burgenon
Ylebon Hyldebrond Holyon
Loges & *ſeint* Lou
Maubank & *ſeint* Malou
Wake & Wakevyle
Coudree & Knevyle
Scales & Clermount
Beauvys & Beaumount
Mouns &, Mountchampe

Nowers

Nowers & Nowchaumpe
Percy, Crus & Lacy
Quincy & Tracy
Stokes & Somery
Seyn Johan & *Seynt* Jay
Greyle & *Seyn* Walry
Pynkeney & Panely
Mohant & Mountchenſy
Loveyn & Lucy
Artoys & Arcy
Grevyle & Courcy
Arras & Creſſy
Merle & Moubray
Gornay & Courtnay
Hauſtlayng & Tornay
Huſee & Huſay
Pounchardon & Pomeray
Longevyle & Longeſpay
Peyns & Pountlarge
Straunge & Sauvage.

An. Dñi 1067. Anno Domini M. lxvij. regni vero regis *Willielmi* ſecundo, proceres *Northumbria* ſævitiam regis *Willielmi* formidantes, ſumptis ſecum *Edgaro Adelyng* cum matre ſua *Agatha* & duabus ſororibus *Margareta* & *Chriſtina*, ad *Malcolmum* regem *Scotia* navigarunt. Volunt tamen quidam, quod dictus *Edgarus* terram *Anglorum* undique cernens turbari, cum matre & ſororibus ſuis prædictis ac multis militibus mare ingreſſus, reverti in patriam de qua natus fuerat conabatur; ſed orta tempeſtate in *Scotiam* cogitur applicare: qua occaſione actum eſt, ut rex *Scotia Malcolmus Margaretam* ſororem dicti *Edgari*, quæ modo ſancta *Margareta Scotia* dicitur, poſtea duceret in uxorem. Hoc anno *Willielmus* rex firmavit unum caſtrum apud **Notyngham**, & aliud apud *Lyncolniam*, & duo apud *Eboracum*, & ad partes rediit auſtrales. 1068. Et in anno ſequenti *Roberto* Comiti conſulatum *Northumbria* dedit, & ad partes illas cum exercitu copioſo ipſum miſit. Qui cum eſſet *Dunolmi* à quibuſdam audivit qui eum præmuniebant, quod *Northumbrenſes* in eum nocte irruerent, & vires in mortem ejus exercerent, noluit tamen credere, dicens, Eos talia præſumere non audere. Et cum eſſet ſecurus, nichil in aliquo ſibi timens, nocte in eum irruerunt, & caſtra ſua circumvallantes eum, & cum eo DCCCC. homines occiderunt. Tunc *Edgaro* juvene cum omni gente *Northumbria* ad *Eboracum* veniente, burgenſes cum eo pacem fecerunt. Rex vero *Willielmus* cum exercitu ſuo adveniens, civitate prædata, magnam gentis perfidæ ſtragem dedit. *Edgarus* autem in *Scotiam* eſt reverſus.

Eodem anno, ſcilicet anno Domini M. lxviij. regni vero regis *Willielmi* iij. *Haraldus* & *Kanutus* filii *Swani* regis *Dacorum*, & *Osbertus* Conſul frater ſuus, cum pluſquam ducentis navibus de *Dacia* venientes, circa feſtum nativitatis beatæ *Maria* in hoſtio *Humbria* applicuerunt, quibus *Edgarus Adelyng*, & *Waltef* Conſul prope ſe junxerunt; de quorum adventu *Aldredus* archiepiſcopus *Eboracenſis* ita triſtis effectus eſt, ut iij. idus Septembris moreretur. Octavo poſt hæc die, *Normanni* cuſtodes caſtrorum apud *Eboracum*, timentes ne domus ſuburbii *Danis* ad foſſas implendas ſuffragia forent, eas incendere cœperunt; ſed flamma nimis excreſcens, urbem *Eboraci* cum ipſo monaſterio beati *Petri* doloroſe conſumpſit. *Dani* autem & *Northumbrenſes* ante finem incendii hinc inde ſupervenientes eodem die, civibus auxiliantibus, caſtella fregerunt, & pluſquam tria millia *Normannorum* gladio peremerunt, ac principes eorum vinctos, & theſauros ad naves ſuas tulerunt. Et tunc dicto *Edgaro* in *Scotiam* redito, *Dani* in terram ſuam, & *Northumbrenſes* in locum ſuum ſunt reverſi. Quod cum audiſſet rex *Willielmus* iratus eſt valde, & congregato exercitu copioſo *Northumbriam* adiit, eamque per totam ſequentem hiemem in tantum devaſtavit, quod per ix. annos ſequentes lata ubique ſolitudo patebat, inter enim *Eboracum* & *Dunolmiam* nulla inhabitabatur villa, nec terra aliqua erat culta, excepto ſolo territorio beati *Johannis Beverlaci*; nam ibi quidam regis miles collo equi ſui fracto, & facie propria retorta, vindictam incurrebat. Tunc eciam monaſterium *Beda* quod eſt in *Girvum* ſuper ripam *Wiri* fluminis eſt combuſtum. *Dunolmiienſis* autem epiſcopus *Egelwinus* & cæteri optimates, regem timentes, ne ipſi cum cæteris morti traderentur, corpus beati *Cuthberti* integrum ſecum aſſumentes, in **Eland** fugerunt, ad quorum introitum mare quod tunc plenum erat, ſe retraxit, & ipſis ſacratiſſimum corpus ferentibus cum toto eodem comitatu ſiccum iter præbuit, quibus ex parte altera terram contingentibus, mare in curſum ſolitum eſt reverſum, omnes arenas cooperiens fluctibus copioſis. *Dunolmienſis* igitur eccleſia cum eccleſiaſtico ſervicio eſſet deſtituta, facta eſt quaſi deſerta & ſpelunca latronum. Rex autem vernali tempore, concordia inter ipſum & *Waltef* Conſulem facta, *Suthhumbriam* rediit, & tunc prædictus *Dunolmienſis* epiſcopus, tribus menſibus & aliquot diebus peractis in **Eland**, cum theſauro ſacri corporis & omni populo ad *Dunolmienſem* eccleſiam eſt reverſus. Hiis temporibus fames in *Anglia* tantum invaluit, ut homines equinas, catinas, & caninas, ac eciam humanas carnes comederent. Hoc anno *Marianus Scotus* poſt novem annos ſuæ incluſionis apud *Fuldam* juſſu *Maguntini* epiſcopi juxta *Maguntiam* includitur.

Anno Domini M. lxix. & regis *Willielmi* quarto, 1069. *Malcolmus* rex *Scottorum* cum infinita multitudine per *Cumburlandiam* verſus orientem ſe divertens, univerſam **Teſedale** & loca ejus finitima ultra citraque feroci depopulatione vaſtavit. Depopulataque quadam parte *Clivelandiæ* quaſi ex ſubito **Hercerneſſe** occupavit. Indeque per terras ſancti *Cuthberti* diſcurrens, multos rebus & vita privavit, villas & eccleſias cum hiis qui in eas confugerant, concremando, ſenes & vetulæ gladiis obtruncantur, alii indifferenter confodiuntur, raptique ab uberibus matrum parvuli in altum proiciuntur, & lanceis excipiuntur: hac enim crudelitate maxima *Scoti* beſtiis crudeliores pro ludi ſpectaculo delectabantur, qui demum in terram malam revertentes, juvenes & virgines, robuſtos, miſeros, & captivos ſecum duxerunt, & eos perpetua ſervitute dampnaverunt, in tantum ut vix eſſet domus in *Scotia*, quæ ſervo aut ancilla *Anglici* generis careret. Tunc vero ſecundum quoſdam, iſte *Malcolmus* rex *Scotia* in revertendo de *Anglia*, dictam *Margaretam* dicti *Edgari* ſororem primo invenit, et eam in uxorem duxit, per quam poſtmodum ferocitatem in parte dimiſit, et honeſtior factus eſt. Et ex qua per proceſſum temporis genuit ſex filios, et duas filias, ſcilicet *Edwardum* primogenitum, qui cum patre interfectus fuit; *Edmundum* ante patrem decedentem; *Edgarum*, qui poſt patrem novem annis regnavit; *Edredum* ante patrem decedentem; *Alexandrum*, qui poſt *Edgarum* fratrem ſuum xvij. annis regnavit, & *David*, qui poſt *Alexandrum* fratrem ſuum xxix. annis regnavit. Et ex *Matilda* de ſancto *Licio* genuit *Henricum* Comitem ſed non regnantem. Genuit eciam *Malcolmus* rex ex dicta *Margareta Matildam* poſtea regis *Angliæ Henrici* primi uxorem, ex qua proceſſit *Matildis* imperatrix. Altera quoque filia *Malcolmi*, *Maria* nomine, *Euſtachio* Comiti *Bononiæ* poſtea nupta fuit, de qua proceſſit *Matilda* quæ poſtea *Stephano* regi *Angliæ* extitit maritata. *Henricus* vero Comes, filius *David* regis genuit tres filios, ſcilicet *Malcolmum*, qui poſt *David* xij. annis regnavit; *Willielmum*, qui poſt fratrem ſuum xlix. annis regnavit, et *David* Comitem de *Dundee*. *Willielmus* vero rex genuit *Alexandrum* ſecundum, qui regnavit xxxv. annis, et genuit *Alexandrum* tercium, qui xxxvij. annis regnavit, et genuit *Margaretam* neptem regis *Edwardi Angliæ* primi poſt conqueſtum. *David* autem Comes de *Dundee* filius *Henrici* Comitis genuit ex *Matilda* filia *Ranulphi* Comitis *Ceſtriæ* iiij. filias, ſcilicet *Margaretam*, *Matildam*, *Iſabellam*, et *Aldam*. *Margareta* vero nupſit *Alano* de *Galeway*, ex qua proceſſit *Devergoil* uxor *Johannis* de *Balliolo*, quæ genuit *Johannem* de *Balliolo*, quem dictus rex *Angliæ Edwardus* primus poſt conqueſtum in regem *Scotiæ* poſt mortem *Alexandri* tercii præfecit. Altera vero filia dictæ *Margaretæ Elena* nomine, Comitiſſa *Wyntoniæ*, produxit Comitiſſam de *Ferers Margaretam*, *Elenam de la Souch*, et *Elizabetham* Comitiſſam de *Boghan*. *Matilda* vero altera filia *David* Comitis ſine liberis deceſſit. Tercia vero filia ejuſdem Comitis *David Iſabella*, nupſit *Roberto* de *Brus*, qui genuit *Robertum*, et ille *Robertus* genuit *Robertum* regem *Scotiæ*, qui genuit *David* regem *Scotiæ*, cui rex *Angliæ Edwardus* à conqueſtu tercius ſororem ſuam *Johannam* maritavit. Quarta vero filia *Alda* nupſit *Henrico* de *Haſtyng*, qui genuit *Henricum*, qui genuit *Johannem*.

Per idem tempus, ſcilicet anno Domini ultimo ſupradicto, rex *Willielmus* quorundam conſilio ductus, in ipſa quadrageſima omnia monaſteria *Angliæ* perſcrutari juſſit, et pecuniam quæ propter ejus timorem in eis repoſita fuerat, transferri in ærarium ſuum fecit. Per idem eciam tempus *Baldewinus* abbas ſancti *Edmundi Romam* perrexit; unde papa virgam paſtoralem et annulum ſibi dedit. Poſt hæc in eodem anno in octabis Paſchæ rex erga *Stigandum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* à diu irritatus, cum vicium ordinationis & vitæ dedecora cognoviſſet, & honeſtam ultionem de ipſo habere voluiſſet, Concilium, annuente papa *Alexandro*, *Wyntoniæ* ſtatuit celebrari, duobus cardinalibus ad eccleſiam *Anglicanam* diſponendam regiis literis accerſitis ibidem præſentibus. In quo dictus archiepiſcopus *Stigandus* ſceleribus ſuis patefactis, tribus de cauſis degradatus eſt. Primo quia epiſcopatum *Wyntonienſem* ſimul cum archiepiſcopatu injuſte tenuerat. Secundo, quia aliquando vivente *Roberto* archiepiſcopo prædeceſſore ſuo, archiepiſcopatum occupavit, & pallio ibidem relicto uſus eſt. Tercio, quia à *Benedicto* papa quem eccleſia *Romana* excommunicaverat, pallium acceperat. Sed licet *Stigandus* amicitiam regis jugiter inclamaret, rex blande ut noverat mandatis papalibus ſe excuſans, ipſum in vinculis apud *Wyntoniam* tenuit, quoad vixit, parum de fiſco cotidie ad victum ſibi conferens. Ipſe nempe *Stigandus* ingenita mentis duritia nichil de proprio ſumere ſive expendere voluit, jurans per omnem Sanctum ſe non habere nummum; cujus fidei obviabat, quod collo examinati corporis clavicula dependens magnarum opum in ſubterraneis ſpecubus repertarum indicium fuit. Depoſiti ſunt eciam in eodem Concilio plures epiſcopi & abbates, procurante id potiſſime rege *Willielmo*, ut in locis eorum perſonas *Normannicas* introduceret; quidam vero putabant eum ad majorem regni confirmationem id egiſſe. In hoc quoque Concilio imperterritus *Wolſtanus Wigornenſis* epiſcopus poſſeſſiones quamplures ſui epiſcopatus ab *Aldredo* prædeceſſore ſuo, dum à *Wigornenſi* eccleſia ad *Eboracenſem* transferretur, ſua potentia retentas, ac eo defuncto in regiam poteſtatem devolutas, conſtanter proclamabat & expetebat, juſtitiamque inde fieri tam ab ipſis qui Concilio præerant quam ab ipſo rege flagitabat; verum quia *Eboracenſis* eccleſia tunc muta erat, eo quod paſtore qui pro ea loqueretur carebat, judicatum eſt, ut ipſa querela intacta interim remaneret, quouſque eccleſia *Eboracenſis* paſtore proviſa, ex objectis & reſponſis poſſet evidentius & juſtius judicium ferri.

Poſt hæc, die Pentecoſtes rex *Willielmus* apud *Wyndeſoram Walkelino* capellano ſuo *Wyntonienſis* eccleſiæ contulit præſulatum, ac venerando *Bayocenſi* canonico *Thomæ Eboracenſis* eccleſiæ contulit archipræſulatum, qui poſtmodum apud *Eboracum* perpulcram eccleſiam conſtruxit, clericos multipliciter ditavit, & cantus eccleſiaſticos compoſuit. Poſt hæc, rex accito de *Normannia Lanfranco Cadomenſe* abbate, genere *Ytalico*, literatura peritiſſimo, die aſſumptionis beatæ *Mariæ* ipſum archiepiſcopum *Cantuarienſem* conſtituit atque fecit. Iſte *Lanfrancus* liberalibus ſtudiis juventutem ſuam attriverat, ſacris ſcripturis ævum maturaverat, quibus edoctus mundanos animos & ampullata gentilium eloquia parvipendere cœpit. Hic tamen ex omnibus *Normanniæ* monaſteriis *Beccum* præelegit, paupertate & religione loci captus, ubi ipſum *Herlewinum* abbatem loci primum ad coquendos panes ſuccinctum, & manus fimo conſpicatus eſt. Piger eſſet monachatus homo qui neſciret agreſti opere victum quærere, publicas ſcolas de Dialectica profeſſus eſt, ut ſic egeſtatem loci ſcolarium liberalitate temperaret; unde gloria laudis ejus apud improbos viros per invidiam in tantum conflavit, ut à vicinis capellanis Comes *Normanniæ Willielmus* turbatus ediceret, *Lanfrancum* pro ſua importunitate de *Normannia* repellendum. Nam *Harfaſtus* quidam Comitis *Willielmi* capellanus, ante adventum *Lanfranci* probabilis ſcientiæ æſtimatus, ad gignaſium *Lanfranci* cum magna ſociorum & equorum pompa pervenerat. Tunc *Lanfrancus* ex prima hominis collocutione intelligens, quod prope nichil ſciret, abecedarium illi appoſuit expediendum, ferociam hominis Italica pericia ſic illudens. Quo ille irritatus, per ducem *Willielmum* effecit, ut *Lanfrancus* de tota *Normania* expelleretur. Sed occaſio recuperandæ gratiæ fuit, quod ad curiam Comitis tendens, equus ejus claudicans Comiti cachinnum excuſſit; unde conſpecta in *Lanfranco* reſponſi facecia & dignitate frontiſpicii, de Priore *Beccenſi* effectus eſt abbas *Cadomenſis*, ac poſtea archiepiſcopus, ut dictum eſt, *Cantuarienſis*. Ad iſtum *Lanfrancum* à *Wellenſi* & *Herfordenſi* epiſcopis in archiepiſcopum conſecratum *Cantuarienſem* acceſſit dominus *Thomas Eboracenſis* electus, ex more ſacrandus, à quo *Lanfrancus* ſcriptam de obedientia ſua profeſſionem, cum adjectione juſjurandi expetiit. Reſpondit *Thomas*, Se nunquam hoc facturum niſi ſuper hac re ſcriptas auctoritates aut congruas rationes audiret, quibus id ſine eccleſiæ ſuæ præjudicio facere deberet. Hoc autem magis ex animi ignorantia quam ex elati ſpiritus pertinacia depromebat, tanquam novus homo *Anglicæ* conſuetudinis expers, ac verbis adulatorum deceptus. At cum *Lanfrancus* poſtulata rationabiliter enodaſſet, non adquieſcens adhuc *Thomas* minime ſacratus abceſſit. Quod rex audiens moleſte tulit, æſtimans *Lanfrancum* injuſte velle, & magis ſcientia quam ratione confidere. Sed ipſe coram rege reddita ratione, regis animum mitigavit. Quamobrem *Thomas* regis edicto compulſus rediit, ſcriptamque de ejus obedientia profeſſionem fecit & legit, in qua ſe in omnibus quæ ad Chriſtianæ religionis cultum pertinent obtemperaturum abſolute promiſit, & ſic ſacratus abceſſit. Non multo poſt *Lanfrancus* ab univerſis *Angliæ* epiſcopis profeſſiones petiit & accepit, qui prius ab aliis ſacrati fuerant.

An. Dñi 1070. Anno Domini M. lxx. & regis *Willielmi* quinto, Comites *Merciorum* & *Northumbriæ Edwinus* & *Morkatus* ſive *Marcherus*, quia rex eos vinculare diſpoſuerat, latenter de curia fugerunt, qui per campos & nemora deprædantes aliquamdiu rebellarunt, ſed quia parum profecerunt, *Edwinus* regem *Scottorum* adiens à ſuis occiditur. Tunc vero *Morkatus*, & *Herewardus*, ac *Egelwinus Dunolmenſis* epiſcopus inſulam de Ely adierunt, in eadem pro caſtro et loco tuto morantes; ubi rex *Willielmus* exercitum terra et mari ducens, inſulam obſedit, ab oriente exitum præcluſit, ad occidentem pontem longum paravit, et domum belli quæ uſque hodie perſtat artificioſe conſtruxit. Inde perteritis infracluſis, *Herewardus* ſtrenuiſſimus ſuos eduxit viriliter. *Morkatus* et *Egelwinus* regi ſe dederunt, unde rex inſulam introiens, *Morkatum* et plures alios, ut quidam volunt, occidit, *Egelwinum* vero epiſcopum ad monaſterium de *Abyndonia* tranſmiſit cuſtodiendum, ubi dolore cordis comedere nolens fame obiit. Cui ſucceſſit *Walkerus* genere *Lothoringus*, quem cum vidiſſet *Editha* regina, regis *Edwardi* relicta, ad conſecrandum *Wintoniam* adduci, videns cæſarie lacteolum, vultu roſeum, ſtatura prægrandem et pulcrum, ait, Hic habemus martyrem. Conjectura videlicet ſævæ gentis *Northumbriæ* ad præſagiendum inducta. Hoc anno obiit *Herefordenſis* epiſcopus *Walterus*, de quo ferunt, quod erat in urbe Hereford mulier quædam quam neſcio quo infortunio ardenter amabat, ignorabat tamen hæc illa, et forſan ſi ſciviſſet contempſiſſet. Interea cogitabat pontifex quod nichil eſt infelicius quam ſenex amans; unde pro gradus ſui reverentia contra illud vicium reluctabat. Famulante tandem dæmonis fraude, illa cubiculum pontificis ingreditur ut forſan cubicularius veſtes lineas incideret. Deſcendunt ex cauſa clientes ſecretorum conſcii. Tandem poſt obſcena dicta epiſcopo vim inferente, fœmina forcipibus quos manu tenebat inguina perfodit, unde et obiit. Cui ſucceſſit *Robertus* genere *Lothoringus* omnium artium liberalium peritus, ac præcipue lunarem compotum et curſum aſtrorum rimatus. Erat namque tunc temporis *Marianus* monachus apud *Maguntiam Alemanniæ* civitatem incluſus, qui longo ſolitudinis otio cronographos ſcrutatus, diſſonantiam cyclorum *Dionyſii exigui* contra evangelicam veritatem qui primus vel ſolus animadvertit. Itaque ab inicio ſeculi annos recenſens ſingulos xxij. annos qui cyclis prædictis deerant ſuperaddidit, magnam et diffuſam cronicam comentatus eſt. Illum librum *Robertus* iſte miratus, in artum contraxit, quem ita ſplendide deſloravit ut jam magis valde videatur deſloratio quam ingentis voluminis diffuſio. Hoc quoque anno *Lanfrancus Cantuarienſis* et *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopi, ut pallia à domino papa *Alexandro* reciperent, *Romam* una cum *Remigio Dorceſtrenſi* epiſcopo ſimul iverunt. Cui *Lanfranco Romam* venienti, propter doctrinæ et ſapientiæ ſuæ famam idem papa dignanter aſſurrexit, proteſtans, ſe non pro illius archiepiſcopio ſed literarum magiſterio hoc feciſſe. Quapropter papa petiit, ut cum ipſe quod eſſet honoris feciſſet, *Lanfrancus* quod eſſet juſtitiæ faceret, videlicet ut ſe veſtigiis beati *Petri* vicarii humiliter proſterneret. Quo facto, *Lanfrancus* duo pallia, unum honoris & alterum amoris recepit, ac tantam gratiam in oculis papæ invenit, ut ambos itineris ſui ſocios *Thomam* & *Remigium* baculis & anulis merito privatos precibus ſuis officio reſtitueret. Primus namque presbyteri fuit filius. Secundus cum eſſet monachus *Fiſcanenſis Willielmo* duci *Normanniæ Angliam* tendenti in multis opitulatus, epiſcopatus ſi dux vinceret pactus eſt, ſuper quo coram prædicto papa *Alexandro* convictus, depoſitus eſt.

In præſentia eciam papæ *Thomas Eboracenſis* de primatu *Doroberenſi*, & de ſubjectione trium epiſcopatuum *Dorceſtrenſis*, *Wigornenſis* & *Lichfeldenſis* ſibi facienda, calumpniam movit, dicens, *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* abinvicem honorem habere, nec alteram alteri juxta conſtitutionem beati *Gregorii* debere ullatenus ſubjacere, excepto quod unus eſt alio dignior propter prioritatem temporis, quod cum *Lanfrancus* rationabiliter oſtendiſſet conſtitutionem illam *Gregorianam* non de *Cantuarienſi* ſed de *Eboracenſi* & *Londonienſi* feciſſe mentionem, decrevit papa cauſam illam coram rege & epiſcopis fore in *Anglia* terminandam. Et quamvis *Lanfrancus Thomam* pro ſuo tempore per profeſſionem prius factam ligatum teneret, maluit tamen pro ſuis ſucceſſoribus laborare, quam eis in poſterum hanc calumpniam diſcutiendam reſervare.

An. Dñi 1071. Anno Domini M. lxxj. & regni regis *Willielmi* ſexto, dictis archiepiſcopis *Cantuarienſi* & *Eboracenſi*, una cum dicto epiſcopo *Dorceſtrenſi* de curia *Romana* in *Angliam* reverſis, coram rege *Willielmo* & clero apud *Wyndeſoram* ventilata eſt cauſa, ſuper jure quod *Cantuarienſis* archiepiſcopus ſuper *Eboracenſem* archiepiſcopum proclamabat, Ubi hiſtoria *Bedæ* perlecta monſtratum eſt, à tempore primi *Auguſtini* uſque ad ultima *Bedæ* tempora, quod circiter centum quadraginta annos erat, *Cantuari-*

tuarienſem, primatum ſuper totam *Britannia* inſulam & *Hiberniam* geſſiſſe, concilia juxta *Eboracum* feciſſe, archiepiſcopos *Eboracenſes* vocaſſe, aliquos inſtituiſſe, aliquibus pro culpa cenſuras impoſuiſſe, nonnullos amoviſſe. Recitata ſunt eciam varia privilegia regibus & præſulibus ſuper primatu *Cantuarienſi* à ſummis pontificibus conceſſa. Adverſus hæc propoſuit *Thomas* epiſtolam illam, per quam *Gregorius Londonienſem* & *Eboracenſem* eccleſiam pares eſſe, nec altram altri ſubjacere decrevit. Cui cum *Lanfrancus* reſpondiſſet, Nec ego ſum *Londonienſis* nec de *Londonienſi* mota eſt quæſtio; Adjecit *Thomas*, qui ſecum plures fautores acciverat, quod videlicet à beato *Gregorio* ſoli *Auguſtino* conceſſum fuerat omnes *Anglia* epiſcopos habere ſubjectos, & quod poſt obitum *Auguſtini* inter *Londonienſem* & *Eboracenſem* epiſcopos mutua eſſet gratiæ viciſſitudo, & quod prioritatem honoris cauſaret anticipatio ordinationis. Et quamvis *Auguſtinus* ſedem de *Londonia* ad *Cantiam* tranſtuliſſet, ſi *Gregorius* ſucceſſores *Auguſtini* prioratum ſuper *Eboracenſem* habere voluiſſet, facile hujuſmodi verba in ſua epiſtola poſuiſſet, *Hac tibi Auguſtine & omnibus tuis concedo*; verum quia hoc ad ſucceſſores *Auguſtini* concedere noluit, ideo de ſucceſſoribus mentionem non fecit.

Ad hæc *Lanfrancus*, Si ſoli *Auguſtino* & non ſucceſſoribus ſuis hæc autoritas conceſſa ſit, exile eſſet munus apoſtolicum ſuo familiari collatum, præſertim cum *Auguſtinus* nullum dum viveret *Eboracenſem* ordinavit epiſcopum, nec ibi fuerit aliquis epiſcopus quem *Auguſtinus* ſubjectum haberet. Hanc denique dignitatem privilegia apoſtolica *Dorobernenſibus Auguſtini* ſucceſſoribus confirmarunt. Æquum eciam & juſtum cenſierunt, omnes *Anglia* eccleſiæ ut ab eo loco mutuarent vivendi diſciplinam, à cujus fonte habuerunt credendi flammam. Porro quod dicis, *Gregorium* potuiſſe ſi voluiſſet ſucceſſoribus *Auguſtini* confirmaſſe dicto quod conceſſerat *Auguſtino*; verum eſt, nec tamen hoc ſedi *Cantuarienſi* præjudicium affert, nam quando dixit Dominus *Petro*, *Tibi dabo claves regni cœlorum*: potuit adjeciſſe ſi voluiſſet, *Eandem poteſtatem ſucceſſoribus tuis concedo*: verumptamen hujus dicti prætermiſſio nichil reverentiæ aut autoritatis adimit *Petri* ſucceſſoribus, quin in eis officiorum eccleſiaſticorum tanta ſit diſpenſatio. Quid agit hoc, niſi vis divinæ liberalitatis per Jheſum Chriſtum à beato *Petro* in ejus vicarios eſt diffuſa? Præterea ſi dialecticam noſti, Quod valet in toto valet in parte, quod valet in majori valet in minori. *Romana* eccleſia eſt quaſi totum omnium eccleſiarum, cæteræ eccleſiæ ſunt quaſi partes eccleſiæ *Romana*. Sicut enim quodam intuitu homo eſt genus ſuorum individuorum, & tamen in unoquoque individuo ineſt totius hominis proprietas: ita quodam reſpectu *Romana* eccleſia eſt genus & totum eccleſiarum, & tamen in unaquaque eccleſiarum, totius Chriſtianæ fidei tota regnat integritas. Ipſa eſt major omnium eccleſiarum, & quod valet in ea debet valere & in minoribus; ut poteſtas primi cujuſcunque principis eccleſiæ in ſuccedentes remanet, niſi ſi quid perſonaliter & nominatim excipiatur. Quare ſicut Dominus dixit omnibus præſulibus *Romanis* quod dixit *Petro*, ita dixit *Gregorius* omnibus ſucceſſoribus *Auguſtini* quod dixerat *Auguſtino*. Hinc conficitur, ut ſicut *Cantuarienſis* ſubicitur *Roma*, eo quod ex ea fidem ſuſcepit, ita *Eboracenſis* ſubiciatur *Cantuaria*, quæ illuc prædicatores miſit. Jam quod voluiſſe allegas *Gregorium*, ut *Auguſtinus* reſideret *Londonia*, fluctuat plane; quis enim credat tantum diſcipulum tanti magiſtri reſultare voluntati? Sed eſto prout dicis, quod ipſe *Auguſtinus* migraret, quid ad me qui *Londonienſis* non ſum? Ea de re ſi lite ſequeſtrata pace media negocium ventilari deſideras, pro mei juris officio non deero recto judicio.

Succubuit his rationibus *Thomas* & libenter conceſſit, ut ulterior ripa *Humbra* eſſet principium ſuæ dioceſis. Decretumque eſt, ut *Eboracenſis* de cætero in hiis quæ ad catholicum cultum pertinent ſubjaceat *Cantuarienſi*, ita ut ſi *Cantuarienſis* ubicumque locorum in *Anglia* concilium congregare voluerit, *Eboracenſis* cum ſuis ſubjectis epiſcopis aderit, & canonicis ejus præceptis obediens erit. Decedente autem *Cantuarienſi*, *Eboracenſis Doroberniam* veniet, & electum cum cæteris præfatæ eccleſiæ epiſcopis in primatem conſecrabit: quod ſi *Eboracenſis* obierit, ſucceſſor ejus ad *Cantuariam* accedet, vel ubi *Cantuarienſi* viſum fuerit, & ordinationem ab eo ſuſcipiet, faciens de profeſſione canonica obedientiam, juramentum. Emicat itaque *Lanfrancus* tripudio, geſta excipit ſcripto ne laberentur recentia poſteriſque fraudaretur noticia; modeſte tamen ut nec ſcienda prætermitteret, nec dicendo afflueret, quia in proprias laudes facetiari odioſa jactantia eſt; unde & epiſtolam iſta continentem *Lanfrancus* ſummo pontifici *Alexandro* cum profeſſione *Thoma Eboracenſis* deſtinavit.

Hoc quoque anno poſt aſſumptionem beatæ *Maria*, rex *Willielmus* propter mala quæ *Scoti* in *Anglia* fecerant, cum navali & equeſtri exercitu in *Scotiam* profectus eſt, cumque eam ingreſſus eſſet, *Malcolmus* rex nunciis ad eum procul miſſis, ea quæ pacis ſunt rogavit, ſciens ſe cum eo non poſſe dimicare; occurritque ei in loco qui dicitur Abyrnythy, & homo ſuus devenit, & homagio & fidelitate cum juramento factis, & obſidibus multis datis, *Willielmus* rex uſque *Dunolmum* reverſus eſt, ubi caſtellum de novo conſtruxit. Et quia multi de ſuis non credebant beatum *Cuthbertum* eſſe ſanctum, vel corpus ejus integrum ibi eſſe, præcepit rex in ipſo feſto omnium Sanctorum epiſcopo loci miſſam eodem die celebranti, ut duo capellani de ſuis ingrederentur, & corpus viderent & palparent. Diſpoſuerat enim rex quod ſi ſanctum corpus non inveniretur, ut omnes majores natu ejuſdem provinciæ detruncarentur. Sed ſuum propoſitum mutavit Deus, nam rex ſtatim correptus cœpit æſtu inæſtimabili fatigari, nimiumque ſudare, & nimio concuti horrore, moxque ad eoſdem capellanos mittens, ne quoquo modo ad ſepulcrum attingere præſumerent, imperavit; confeſtimque equum aſcendens, non deſtitit curſum urgere donec *Theſiam* videret & tranſiret, eo quod inmoderatus ille calor nondum prius ad plenum quieſceret, unde extunc ipſum glorioſum Sanctum multum honori habuit & commendavit.

Anno Domini M. lxxij. & regis *Willielmi* vij. An. Dñi
idem rex exercitum *Anglorum* & *Francorum* in 1072.
Cenomanniam promovit, ubi *Angli* terram deſtruxerunt, & eam villis combuſtis & vineis cæſis regi viriliter ſubdiderunt. Proximo vero anno ſequenti 1073.
rex *Willielmus* in *Normanniam* tranſivit. Ad quem

Edgarus Adelyng de *Scotia* in *Normanniam* veniens cum ipſo rege concordatus eſt, & diu in curia ejus permanſit. *Sigebertus Maguntinus* epiſcopus ſanctum *Jacobum* peregrinus adiit, ſed in redeundo *Clunacenſis* monachus eſt effectus; cujus epiſcopatum dum quidam mercenarii comparare vellent, annuente abbate *Clunacenſi* ad ſedem ſuam rediit *Sigebertus*.

An. Dñi 1074.

Anno Domini M. lxxiiij. regni autem regis *Willielmi* nono, tres monachi de provincia *Merciorum* & *Lincolnia* divinitus miſſi *Eboracum* venerunt à vicecomite ducem itineris petentes uſque **Munkecaſtre**, i. *monachorum civitatem*, quæ nunc nominatur *Novum caſtrum*. Quo venientes & ad tempus ibi morantes, antiquorum ſervorum Chriſti veſtigium nullum reperierunt, propter quod ad *Girvum* ſe diverterunt, epiſcopo *Dunolmenſi Waltero* illos cum ſummo honore ſuſcipiente. Horum nomina fuerunt *Aldewinus*, *Alfwinus*, & *Reynefridus*. Ex hiis tribus tria ſunt in regione *Northumbrorum* monaſteria inſtaurata: unum *Dunolmi* in honore ſanctæ *Maria*, aliud *Eboraci* in honore ejuſdem genitricis Dei *Mariæ*. Tercium apud **Straneſhald** quod nunc appellatur **Whitby**. Poſtea ſex annis elapſis ex præcepto regis *Willielmi* nothi monachi ſexto kal. Junii feria quinta in *Dunolmo* convenerunt.

Hiis diebus in confinio *Normannia* & *Britannia* mulier quædam erat quæ duo capita, quatuor manus, & omnia uſque ad umbelicum habebat dupla, inferius vero ſimpla. Ridebat, comedebat, & loquebatur pars una, flebat, eſuriebat, & tacebat pars altera. Poſtremo una defuncta, altera fere triennio ſupervixit; donec præ mole ponderis & putredine, & fætore mortui cadaveris ipſa deficeret.

Hildebrandus qui & *Gregorius* vij. quondam Prior *Clunacenſis*, ſed tunc *Romanus* archidiaconus, ſedit papa xxj. annis. Hic ſynodum generalem contra emptores eccleſiaſticorum beneficiorum, & contra epiſcopos qui inveſtituras epiſcopatuum à manibus regum vel imperatoris per traditionem anuli, vel baculi receperint, celebravit; & in eadem ſynodo interdixit clericis conſecratis uxores habere, aut cum mulieribus morari, niſi cum quibus *Nicena* ſynodus aut cæteri canones permittunt. Sed cum ſacerdotes ejus cenſuras parvipenderent, præcepit ut nullus audiret miſſam concubinarii ſacerdotis. Hic dum aliquando Cardinalis & legatus eſſet & in *Francia* acriter contra ſimoniacos proceſſit prælatos, unde & unus epiſcopus ſuper hoc graviter infamatus, teſtes qui eum accuſaverant clam corrupit. Quod comperiens legatus, coram Concilio per ipſum celebrato dixit, Ceſſet humanum indicium frequenter fallibile, & divinum oraculum producatur, cum certum ſit quod epiſcopalis gratia donum ſit ſancti Spiritus, & quiſquis epiſcopatum mercatur, contra Spiritum ſanctum qui donum Dei dicitur facit. Si ergo tu epiſcope contra Spiritum ſanctum non feciſti, dic palam *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, & ab hoc crimine te ſentio abſolutum. Annuit ille, & licet ille frequentius omnibus audientibus *Gloria Patri & Filio* expedite proferebat, *Spiritui ſancto* nec tunc, nec omni vita ſua proferre potuit; ſecundum tamen quoſdam, de epiſcopatu ejectus plane dixit. Hic eciam papa dum nocte nativitatis Dominicæ primam miſſam in eccleſia beatæ *Maria* ad præſepe Domini celebraret, *Creſcentius* præfecti urbis filius eum cepit & incarceravit, ſed *Romani* ſtatim turrim fregerunt, & papam liberaverunt. Iſte eciam in concilio 170. epiſcoporum *Henricum* imperatorem excommunicavit, & à fidelitate ei debita cunctos abſolvit, pro eo quod contra ſtatum eccleſiæ plurima moliretur. Et quamvis imperator ille poſtea diu ſuper nivem & glaciem nudis pedibus diu ſtetit veniam rogans, vix tamen abſolutionem obtinuit. Poſt hæc nichilominus imperator *Romam* obſedit, & civibus corruptis, ipſum papam cum cardinalibus captum incarceravit, ac *Wybertum Ravennenſem* epiſcopum quem *Clementem* vocavit, papam inſtituit. Sed *Robertus* dux *Apulia* hoc audiens, papam & cardinales liberavit, & imperatorem cum ſuo antipapa profugavit. Hoc quoque anno ultimo ſupradicto omnia juxta curſum ſolis & lunæ ſunt completa ſicut in xv. anno *Tiberii Cæſaris*, à quo anno uſque in præſentem annum duo magni cicli ſunt, hoc eſt M. lxiiij. anni.

An. Dñi 1075.

Anno Domini M. lxxv. & regni regis *Willielmi* x. Comes *Herefordenſis Rogerus* regis *Willielmi* cognatus, de cujus conſilio idem rex, ut præſcribitur, monaſteria *Anglia* pro theſauris habendis ſcrutari fecerat, contra regis præceptum ſororem ſuam *Radulpho* Comiti, cui rex conſulatum *Eſtanglia* dederat, copulavit; qui dum rex in *Normannia* extitit, proditione in ipſis nuptiis prælocuta, ut regem ipſum à regno expellerent, conjurationem fecerunt, & ibi Comitem *Walteff* filium ſtrenuiſſimi Comitis *Siwardi*, de quo ſuperius in proceſſu regis *Edwardi* tercii plenius tactum eſt, ad conſentiendum dolis ſuis circumvenerunt. Sed proceribus regni eis viriliter obſiſtentibus, ipſe *Radulphus* Comes *Eſtanglia* apud *Norwicum* naves introiens, in *Daciam* navigavit; unde dictus *Walteff* ad *Lanfrancum Cantuarienſem* archiepiſcopum accedens, reatum ſuum ſibi confeſſus eſt, & pœnitentia accepta regem in *Normannia* petiit, cui factum & proditionem denudavit, & ultro ſe ſententiæ ſuæ dedit. Rex autem celeriter de *Normannia* in *Angliam* rediens, dictum *Rogerum* conſulem cognatum ſuum & dictum *Walteff* in carcerem deſtinavit. Cæterorum vero qui nuptiis pravis interfuerant, multos fugavit, multoſque oculis privavit, ac denuo dictum *Walteff* poſt incarcerationem apud *Wyntoniam* juſſit impie decollari. Sed Deo ordinante, proceſſu temporis corpus ejus apud monaſterium de **Crowland** ſepelitur. De quo teſtatus eſt archiepiſcopus *Lanfrancus*, quod humana contagia vere deflevit, & felicem ſe fore dixit, ſi poſt hujus vitæ exitum illius requie frueretur. Inſuper volunt quidam, quod quia iſte *Walteff* contra regem *Willielmum* in primo conqueſtu ſuo *Anglia* in bello non proceſſit, data eſt à rege conſanguinea ſua *Jonetta* in uxorem, cujus accuſatione ſecundum eoſdem, per regem poſtea ut dictum eſt extitit decollatus.

Iſte tamen *Walteff* genuerat ex eadem *Jonetta* uxore ſua *Matildam* & *Aliciam*, cum quibus mater earum in dote ſua apud *Huntyngdoniam* ſibi & hæredibus nuper conceſſa moram traxit. Sed tandem apud inſulam de **Ely** & ubique latuit, à terra ſua ejecta, eo quod *Simonem de ſancto Licio* regis *Willielmi* militem, quia claudus erat, dudum recuſaverat, cui quidem *Simoni* rex *Northamtoniam*

&

& hundredum de **Falkeley** donaverat, qui prioratum ſancti *Andreæ Northamptoniæ* & caſtrum conſtruxit. Tandem ſuorum ductus conſilio, *Matyldam* dictam filiam *Walteff* duxit in uxorem, de qua genuit *Simonem Walteff* poſtea Abbatem de *Menros*. Defuncto autem dicto *Simone* de ſancto *Licio*, *David* Comes frater *Alexandri* regis Scociæ & *Matildis* Reginæ Angliæ dictam *Matildam Simonis* relictam duxit in uxorem, de qua poſtea Comitem genuit *Henricum*. Qui quidem *Henricus* ex *Ada* ſorore *Willielmi* Comitis de *Warenna* genuit Regem Scociæ *Malcolmum*, *Willielmum*, & *David*. *Simon* vero filius *Simonis* de ſancto *Licio* *Henrico* rege Angliæ defuncto comitatum *Huntyngdoniæ* intravit pacifice & poſſedit. Et ex filia Comitis *Leiceſtriæ Iſabella Amiciam* genuit & *Hawiſiam* & poſtea deceſſit, liberis in cuſtodia regis *Henrici* dimiſſis. Poſt hæc *Henricus* rex exercitum apud *Tholoſam* duxit, cum quo proceſſit rex *Scociæ Malcolmus*, cui rex comitatum de *Huntingdoniæ* tradidit. Poſt quem frater ſuus *Willielmus* rex *Scociæ* dictum tenuit comitatum, quouſque inſurrexit contra regem una cum filio regis *Henrici* & aliis terræ Baronibus, rege in *Normannia* exiſtente. At *David* Comes caſtrum de *Huntingdoniæ* obſeſſit. Unde rex in *Normannia* exiſtens, majoribus *Angliæ* mandavit, quod collecto exercitu in manu potenti caſtellum de *Huntingdoniæ* una cum comitatu *Simoni* de ſancto *Licio* vero hæredi traderent poſſidendum. Sicque Comes *Simon* caſtrum obſeſſit, donec rex *Scociæ* in caſtro exiſtens redderet ſibi claves. Quod dum faceret pro diſcordia inter Comites *Simonem* & *David* in præſentia regis *Scociæ* habita, rex ira commotus juravit, quod neuter eorum caſtrum poſſideret, & ſic uſque ad ſolum caſtrum fecit continuo complanare, ſed *Simon* comitatu gaudebat. Quo defuncto, rex *Angliæ* dictum caſtrum *Willielmo* regi *Scociæ* tradidit, & ipſe rex Scociæ *David* fratri ſuo. Qui quidem *David* ex *Matilda* ſorore *Ranulphi* Comitis *Ceſtriæ* genuit *Iohannem* Scotum ſine liberis decedentem, & tres filias *Chriſtinam* uxorem *Alani* de *Galaway*, *Iſabellam* de *Brus*, & *Aldam* de *Haſtynges*. Dictus autem Comes *Eſtangliæ Radulfus* qui in *Daciam* ut ſupradictum eſt navigaverat, cum CC puppibus in *Angliam* rediens, *Kanutum* filium *Swani* regis *Dacorum* & *Haccum* Conſulem ſecum duxit: qui contra regem *Willielmum* pugnare non audentes, in *Flandriam* transfretarunt. Eodem anno obiit *Edytha* regina quæ juxta virum ſuum ſanctum *Edwardum* regem & Confeſſorem apud *Weſtmonaſterium* ſepelitur.

An. Dñi 1076. Anno Domini M. lxxvj. et regni regis *Willielmi* xj. Concilium ſub *Lanfranco* Cantuarienſi archiepiſcopo *Londoniis* in eccleſia beati *Pauli* celebratum fuit. Cujus rei uſus diu in *Anglia* obſoluerat, ubi primo ordinatum fuit de ſeſſione epiſcoporum in Conciliis celebrandis: ſecundo quod ſedes epiſcoporum de viculis ad urbes celebres tranſirent. Unde factum eſt ut ſedes *Seleſienſis* tranſiret ad *Ciceſtriam*, *Cornubienſis* ad *Exceſtriam*, *Wellenſis* ad *Batoniam*, *Schurburnenſis* ad *Saleſburyam*, *Dorceſtrenſis* ad *Lyncolniam*, *Lychfeldenſis* ad *Ceſtriam*: *Robertus* tamen epiſcopus ſucceſſor *Petri* tranſtulit ſedem ſuam de *Ceſtria* uſque *Coventreyam*.

Ad iſtud Concilium dicitur quod beatus *Wolſtanus Wigornenſis* epiſcopus quaſi unus ex *Anglicis* ſuperſtes, ut homo ideota nimiæ ſimplicitatis & imperitiæ tam à dicto archiepiſcopo *Lanfranco* literaturæ inſufficientiam, quam à rege *Willielmo Gallici* ſermonis carentiam in ipſo prætendentibus, pontificatu indignus decernitur, ut ſic aliquem *Normannicum* loco ejus ſubrogarent. Unde quodam die apud *VVeſtmonaſterium* rege et epiſcopis ibi præſentibus, jubetur baculum & anulum reſignare, archiepiſcopo *Lanfranco* præcipiente et rege hoc præſcribente. Quibus ait *VVolſtanus*. Inſufficientiam meam non ignoro, et hujus ſanctæ Synodi ſentenciæ cedens baculum reſignabo, ſed non vobis ſed ſibi qui illum michi dedit. Accedens itaque ad tumulum ſancti regis *Edwardi* nuper defuncti, qui epiſcopatum ſibi contulit, baculum in lapidem quo defunctum corpus tegebatur, fixit, cui rigor lapidis tanquam molle lutum ad manum imprimentis ceſſit. Admirabanturque intuentes virgam cilice inmerſam, quam nullus inde potuit amovere. *Lanfrancus* autem fidem dictis non adhibens, acceſſito *Roffenſi* epiſcopo jubet ut baculum deferat. Qui injecta manu inmobilem eum repperit, et obſtupeſcit: Rediens refert quod invenerat. Accurrerunt cæteri, conſiderant et tangunt, ac Dei virtutem eſſe agnoſcunt, quod baculus ſic erectus ita firmiter in ſolida petra ſtetit. Unde *Lanfrancus* jubet ut *VVlſtanus* baculum reſumat et honorem ſubeat, quo ipſum dignum divina gratia indicavit. Ille autem renuit, donec ad regis rogatum baculum levi tactu reſumpſit. Dixerat autem regi, ut quidam aiunt, dum baculum figeret, Melior te hunc michi dedit, cui & retrado, avelle ſi poteris.

Iſte eciam *Wolſtanus* ſuper *Wigornenſis* eccleſiæ poſſeſſionibus per *Aldredum* prædeceſſorem ſuum, ad eccleſiam *Eboracenſem* ut præmittitur tranſlatum, ſua potentia retentis, & poſtmodum dicto *Aldredo* mortuo in poteſtatem regis *Willielmi* devolutis, querelam iterum ſicut prius poſt mortem dicti *Aldredi Eboracenſis* archiepiſcopi, quæ protunc quouſque dicta *Eboracenſis* eccleſia paſtore eſſet proviſa ſuſpenſa fuerat, erga *Thomam* in *Eboracenſem* epiſcopum jam conſecratum, conſtanter movit. Quæ quidem querela in quodam Concilio in loco qui dicitur *Pedreda*, coram rege & dicto archiepiſcopo *Doroberniæ Lanfranco* & aliis Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & regni primatibus celebrato, Dei gratia favente eſt terminata. Cunctis ſiquidem machinamentis non veritate ſtipatis quibus *Thomas* ejuſque fautores *Wigornenſem* eccleſiam deprimere & *Eboracenſi* eccleſiæ ſubicere ancillamque facere ſatagebant, juſto Dei judicio ac ſcriptis evidentiſſimis detritis, & penitus adnichilatis, non ſolum vir Dei *Wolſtanus* proclamatas & expetitas poſſeſſiones recepit, verum eciam ſuam eccleſiam Deo donante ac rege *Willielmo* concedente, ea libertate liberam recepit, qua primi fundatores ejus ſanctus rex *Atheldredus*, *Oſherus Wicciorum* ſubregulus cæterique *Merciorum* reges *Kenredus*, *Ethelwaldus*, *Offa*, *Kenulphus* eorumque ſucceſſores *Edwardus* ſenior, *Ethelſtanus*, *Edmundus*, *Edredus*, & *Edgarus* ipſam liberaverant & fecerant. Anno autem ultimo ſupradicto, *Hermannus* primus epiſcopus *Sareſberiæ* obiit. Cui ſucceſſit *Oſmundus* regis Cancellarius xxiv. annis ſedens. Hic eccleſiam novam apud *Sareſberiam* ædificavit. & clericos inſignes tam literis quam cantu aggregavit, ita ut ipſe epiſcopus libros ſcribere, illuminare & ligare non faſtidiret. Hic compoſuit librum ordinalem eccleſiaſtici officii quem *Conſuetudinarium* vocant, quo fere tota nunc *Anglia*, *Wallia*, & *Hibernia* utitur.

An. Dñi 1077. Anno Domini milleſimo lxxvij. & regni Regis *Willielmi* xij. *Robertus Courtheſe* Regis *Willielmi* primogenitus, patre relicto, in *Franciam* perrexit, eo quod pater ejus non permiſit ipſum *Normanniam* quam coram *Philippo* Rege *Francorum* ſibi dederat, antequam ſuper *Angliam* equitavit, pacifice poſſidere. Et auxilio *Philippi* Regis fretus, magnas frequenter in *Normannia* prædas agebat, eam in magna parte gladio & igne vaſtans. Quod cum audiſſet pater ejus, mare tranſivit, & *Dol* primo obſedit. *Britanni* autem viriliter caſtrum tenuerunt, donec eos rex *Francia* adveniens liberavit. Poſtea vero rege *Francia* & rege *Willielmo* concordatis, rex *Anglia Roberto* filio ſuo ante caſtrum *Garbothret*, quod dictus rex *Philippus* eidem præſtiterat, *Roberto* occurrit, & facto congreſſu valido & multis ex parte regis occiſis, ipſe filius cum patre ignoranter congreſſus eſt, & patre in brachio vulnerato, filius eum ab equo in terram dejecit, moxque ut vocem patris ad ſuos conclamantis audivit, de equo feſtinus deſcendit, & patrem in equum levavit, & ipſum illæſum extunc abire permiſit. Pater autem bonitatem filii ex inſtinctu naturæ cognoſcens, miſſis ſibi nunciis eum ad ſe revocavit, paternæ pietatis viſcera ſibi pandens; in Angliamque inſimul reverſi ſunt; Et ſemper in poſterum filius patri fideliter militavit.

Interim Northumbrenſes *Walkerum Dunolmenſem* epiſcopum, de quo ut ſuperius tactum eſt *Editha* Regina prophetaverat, crudeliter occiderunt. Cui ſucceſſit *Willielmus* quondam Abbas *Valeriſi*, qui de præcepto regis monachos vj. Kal. Junii feria quinta in *Dunolmo* primo poſuit. Interea etiam rex Scottorum *Malcolmus* inſævivit, & iterum circa Aſſumptionem beatæ *Maria* cum plebe ſua uſque ad flumen de *Tyne Northumbriam* devaſtavit, multos gladio perimens & multos captivos abducens, & ſic cum præda magna in *Scociam* eſt reverſus. Quæ cum audiſſet rex *Robertum* filium ſuum & robur exercitus ſui in *Scociam* deſtinavit, ut tantam audaciam deprimeret, & vindicta debita caſtigaret. Sed viribus impar, juſſa complere non potuit; infectoque negotio rediens ſuper flumen *Tyne* caſtellum novum fabricavit, & demum ad patrem reverſus eſt. Eodem eciam tempore miſit Rex cum manu multa militari fratrem ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum ut *Northumbriam* devaſtaret, pro eo quod innocentem *Walkerum Dunolmenſem* epiſcopum apud **Cattellehevede** occiderant.

Anno regni Regis *Willielmi* xiv. Comes *Salopia Warinus* duo cœnobia conſtruxit. Unum in ſuburbio *Salopia* in honore Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*; alterum in comitatu *Salopia* in villa **Wenloke** in honore ſanctæ *Milburga*.

Willielmus rex anno regni ſui quintodecimo exercitum in *Walliam* ducens ſubdidit eam ſibi. Hiis tranſactis, *Matildis* regina uxor regis *Willielmi* obiit, & ſepulta eſt in *Normannia* apud Abbathiam ſanctarum monialium prope *Cadomum*, quam ipſa in honorem ſanctæ Trinitatis fundaverat et ſanctis monialibus repleverat. De iſta *Matilda Willielmus* rex et dux plures genuerat liberos, videlicet *Robertum Courtheſe* primogenitum ſuum, *Willielmum Rufum* qui poſt patrem regnavit, *Ricardum* qui in pueritia moriebatur, *Henricum le Clerke* qui poſt *Willielmum* fratrem ſuum regnavit; *Elam* Comitiſſam *Bleſenſem* matrem regis *Stephani*, *Ceciliam* Abbatiſſam de *Caam*, *Conſtantiam* Comitiſſam *Britannia*, et duos alios qui in pueritia obierunt. Circa idem tempus *Willielmus* rex dedit & conceſſit ſancto *Edmundo* privilegium quod incipit, *Quoniam nos ad regni faſtigia.*

Anno regni regis *Willielmi* xvj. contigit, ut dum quidam potens in convivio ſederet, repente à muribus circumvallatus eſt, qui licet in pelago ductus eſſet, nil ei profuit; unde ad terram deductus iterum, ab illis omnino dilaceratus exſtitit. Idem fertur contigiſſe cuidam Principi *Polonia* quem momorderat leopardus. Invenitur etiam de quodam Principe qui nulla arte poterat juvari quin à pediculis conſumeretur.

Anno regis *Willielmi* xvij. facta eſt ſeditio nephanda inter monachos *Glaſtonia* & ignominioſum ejuſdem loci Abbatem *Thurſtinum*, quem rex *Willielmus* de monaſterio *Cadomenſi* nulla prudentia inſtructum eidem loco præfecerat. Hic inter cæteras ſtultitiæ ſuæ inertias, *Gregorianum* cantum & officium aſpernatus, monachos cœpit compellere ut *Willielmi* cujuſdam *Fiſcanenſis* monachi cantus exercerent: Res eciam eccleſiæ leocinando conſumpſit, A monachis ſevere ordinem exegit; Sed inter hæc victualia deſtruxit. Hinc lites verborum & animorum diſcordiæ ſuſcitantur; poſt jurgium ventum eſt ad arma; unde abbas ille cum ſatellitibus ſuis armata manu in monachos irruit, & tres monachos ſub altari poſitos occidi fecit, & xviij. vulneravit, ita quod ſanguis eorum ſuper gradus ab altari, & à gradibus ſuper aream decurrebat, ſagittas & jacula ad imagines & feretra eccleſiæ direxit. Monachi autem velut neceſſitate compulſi, cum ſcamnis & candelabris quocunque modo poterant ſe defendentes, quoſdam de militibus vulneraverunt. Hinc moto coram Rege judicio, Abbas ad monaſterium ſuum *Normannia* remiſſus eſt, monachi vero juſſu regis per abbathias & epiſcopatus diſperſi ſunt. Poſt mortem vero regis *Willielmi* prædictus *Thurſtinus* à filio ſuo rege *Willielmo Rufo* monaſterium *Glaſtonia* 500. libris emit, & ſic per eccleſiæ poſſeſſiones aliquot annis evagatus, longe ab ea expiravit.

Anno regis *Willlielmi* xviij. idem rex de qualibet hida terræ in *Anglia* ſex ſolidos habuit & accepit. Eodem anno papa *Hildebrandus* qui & *Gregorius*, in extremis laborans, Cardinalem quem plus dilexerat vocavit, & confeſſus eſt ſe odium et ſciſma ſuſcitaſſe inter Imperatorem & alios Chriſtianos, unde vincula bannorum diſſolvit & obiit. Cui ſucceſſit in papatu *Victor tercius*, & ſedit anno uno & menſibus v. qui aliquando *Deſiderius* vocatus, Abbas fuit montis *Caſſini*, venenoque in ejus calice miſſo obiit.

Anno regis *Willielmi* nonodecimo, quo anno *Urbanus* papa *Romanus* effectus eſt, rex *Danorum Kanutus* auxilio ſoceri ſui *Roberti Flandrenſis* Comitis fretus, cum magna claſſe *Angliam* venire diſponebat, ut eam ditioni ſuæ Martis aggreſſibus ſubjugaret: unde *Willielmus* rex cum tanto exercitu *Francorum*, *Normannorum* & *Britannorum* collecto in *Angliam* rediit, quod mira videbatur quomodo hæc terra paſcere poſſet eos. Sed ubi cognovit hoſtes Deo volente propter defectum apparatus eſſe præpeditos, medietatem exercitus ad propria remiſit. Deinde apud *Gloverniam* curiam ſuam tenuit, in qua tres epiſcopatus tribus capellanis ſuis tradidit, videlicet *Mauricio Londonienſem*, *Willielmo Theodfordenſem*, & *Roberto Ceſtrenſem*. Hic tamen *Robertus* ſedem de *Ceſtria* uſque *Coventreyam* apud eccleſiam tranſtulit monachorum, de cujus eccleſiæ una trabe v. mille marcas argenti corroſit, unde regis manum impleret & papæ occupationes falleret. Ditaverat namque *Leofricus* locum illum auro & argento, gemmis & reliquiis. Iſte eciam epiſcopus *Robertus* monachos loci illius agreſti victu cibavit, & non niſi triennali literatura informari permiſit, ne deliciæ aut literæ monachos contra epiſcopum redderent elatos. Verumtamen apud **Lychefelde** magnarum ædificationum extitit inchoator. Vir venerabilis *Walterus de Lacio* fundador eccleſiæ ſancti *Petri* in **Hereford**, dum opere pene conſummato ſcalam aſcenderet, pede lapſo corruens exſpiravit. Circa hæc tempora ordo *Cartuſienſis* incepit ſub *Brunone*, qui natione *Teutonicus* ex urbe *Colonia* oriundus, magiſter ſcolarum fuit. Hic relicto ſeculo heremum *Cartuſiæ* circa feſtum ſancti *Iohannis* primo fundavit & rexit vij. annis. Tandem cogente papa *Urbano* ſecundo, cujus quondam præceptor erat, *Romam* perrexit, in negotiis eccleſiaſticis papam juvans, ſed cum tumultum & mores curiæ ferre non poſſet, relicta curia, contemptoque archiepiſcopatu *Riſenſi*, ad quem jubente papa *Urbano* electus fuerat, in heremum *Calabriæ*, cui *Turris* nomen eſt, ſeceſſit & deceſſit.

Willielmus Rex anno regni ſui viceſimo totam *Angliam* deſcribi fecit, Juſticiarios ſuos per unamquamque ſchiram, i. comitatum *Angliæ* mittens, & per jusjurandum inquirens, quot hidæ, i. jugera uni aratro per annum ſufficientia in unaquaque villa eſſent, & quantum terræ quiſque Baronum ſuorum poſſidebat. Inquiri etiam fecit, quot feodati milites, quot carucatæ, quot villani, quot eccleſiæ parochiales, & quot animalia viva eſſent; Et etiam quid unaquæque urbs, caſtellum, vicus, villa, flumen, palus & ſilva per annum redderet. Quæ omnia in cartis ſcripta & ad regem delata ac in uno volumine ultimo redacta, inter theſauros regios ſunt appoſita, & uſque hodie reſervantur; unde terra multis cladibus inde provenientibus erat vexata, & maxime quia tempore illo magna peſtis animalium & ovium & intemperies aeris erat.

Eodem anno *Edgarus Adelyng* licentia regis *Willielmi* cum multis navibus in *Apuliam* tranſiit. Cujus germana virgo *Chriſtina* monaſterium de **Rameſey** intravit. Eodem anno *Mauritius* effectus eſt Epiſcopus *Londonienſis*; qui templum maximum, quod necdum perfectum eſt, incepit. Interea cum *Willielmus* rex fortis anno ſupradicto de more curiam ſuam in natali apud *Glouceſtriam*, & ad paſcha apud *Wyntoniam* tenuiſſet; ad Pentecoſten apud *London*. *Henricum* filium juniorem armis militaribus decoravit, & convocatis magnatibus terræ Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & eorum militibus eidem filio fidelitatem jurari fecit: Cogitaverat enim rex tranſfretare, quod in anno ſequenti implevit. Nam poſtea idem rex *Willielmus* magni theſauri copiis ſuper quoſcumque aliquam cauſam invenire poterat ſive juſte ſive injuſte adquiſitis, cum exercitu copioſo in *Normanniam* tranſfretavit; ubi per aliquod tempus pacem cum rege *Franciæ* juxta treugas inter eos ſorte initas, abſque ulla moleſtatione tenuit, unde fertur regem *Franciæ* quodam die quaſi deridendo dixiſſe; Rex *Angliæ* diu jacet in puerperio ad modum mulieris liberos parientis. Quo verbo deriſorio divulgato, et *Willielmo* regi apud *Rothomagum* moranti tunc intimato, idem rex *Willielmus* erga regem *Franciæ* acriori ira ſuccenſus, per Deum & virtutes ſuas juravit, quod quandocumque à puerperio ſuo levaret, & ad eccleſiam pergeret, mille candelas in regno *Franciæ* illuminaret. Deinde igitur exercitu *Anglorum* & *Normannorum* congregato, menſe Auguſti incipiente, *Franciam* hoſtiliter invadendo intravit, incendia villarum, deprædationes & multa mala undique perpetrando. Tandem quoddam oppidum per modicum tempus obſedens, illud demum cum omnibus eccleſiis in eo ſitis & duobus recluſis ſuccendit, ac quouſque totum oppidum funditus eſſet combuſtum, ignem cum pinguedine focali & aliis cremabilibus juſſit ſuſtentari ubique & undique augmentari.

Circa quem ipſe rex fero animo perſonaliter nimis intendens, quid pro igne vehementer accenſo, quid pro tempore urente nimio calore interceptus, in morbo cecidit cito poſtea gravi, et ut etiam opinabatur, Deus pro ſupradictis malis in regno *Philippi* regis *Franciæ* perpetratis, & præcipue pro incendio dictarum eccleſiarum et ſanctorum Anachoritarum in prædicto oppido, quod vocatur *Maante*, irritatus, regem *Willielmum* cum inde de *Francia* ad *Normanniam* rediret, tanto dolore viſcerum invaſit, ut morbo magis ac magis aggraveſcente fratrem ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum, ac Comites *Morcatum*, *Rogerum*, & *Wilnotum* fratrem regis *Haraldi*, et omnes alios quos in cuſtodia diu tenuerat, libere dimitteret abire. Deinde in extremis agens, *Roberto* filio ſuo primogenito, qui tunc in *Francia* exulabat, Ducatum *Normanniæ* dimiſit, *Willielmo* ſecundo filio ſuo regnum *Angliæ* conceſſit et legavit, *Henrico* filio ſuo juniori, cujus indolem propenſius laudabat, comitatum *Cenomanniæ* et copiam theſauri dedit et legavit. Cui etiam *Henrico* pridie quam moreretur, dixit, *Æquo animo eſto fili, pacifice patere ut fratres tui majores te præcedant*; Robertus *habebit* Normanniam, Willielmus Angliam, *& de theſauro meo quinque milia librarum*, et Cenomanniam *tibi dabo; tu autem tempore tuo totum honorem quem nactus ſum habebis*, et *fratres tuos divitiis præcelles poteſtateque etiam prævalebis*. Partem inſuper theſauri ſui quibuſdam egenis *Anglicis*, ac eccleſiis et monaſteriis *Anglicanis* reliquit, et incarceratos omnes à vinculis exſolvi juſſit.

Cumque *Normanni* per plures annos, ut dictum eſt, juſtam Dei voluntatem ſuper *Anglorum* gentem compleviſſent, nec jam vix aliquis princeps de *Anglorum* progenie eſſet, ſed omnes quaſi in ſervitutem et mœrorem redacti eſſent, ita ut obprobrium erat *Anglicus* vocari, *VVillielmus* omnibus *Normanniæ* conſulibus fortior, omnibus *Anglorum* regibus potentior, hujus Dei vindictæ executor, anno regni ſui viceſimo primo, quinto idus Septembris obiit. Qui in monaſterio *Cadomenſi*, quod ipſe in honore beati *Stephani* prothomartiris à fundamentis conſtruxerat et multis bonis ditaverat, eſt ſepultus. In cujus vero ſepultura quoddam memoriale fertur contigiſſe. Cum enim expleta exequiarum ſolempnitate, corpus ejus in loco ad hoc præparato eſſet condendum, quidam terribiliter accedens, omnipotentis Dei nomine prætento, eum ibidem ſepeliri prohibuit, dicens, Terra, inquit, iſta antiquo jure michi competit, quam idem rex, dum monaſterium conſtrueret, violenter michi abſtulit, nec unquam pro ea michi poſtea ſatisfecit. Obſtupuerunt itaque omnes qui aderant actum tranſitoriæ dominationis conſiderantes, ut Princeps potentiſſimus qui tam late dominatus fuerat vivus, locum corporis ſui capacem ſine querela & calumpnia mortuus non haberet. Denique illa querela adeo omnes movit, ut prius vivo conquerenti pro voto ſatisfacerent, ac deinde exequias mortuo adimplerent.

Erat autem iſte ſupradictus rex *Willielmus* ſapiens ſed haſtutus, locuples ſed cupidus, glorioſus ſed famæ deditus, affabilis quidem & humilis Deo ſervientibus, ſed durus & ſeverus ſibi reſiſtentibus: Principes namque & Conſules in carcerem poſuerat, Epiſcopos & Abbates poſſeſſionibus ſuis privaverat, fratri proprio non pepercerat, nec qui reſiſteret ſibi erat. Potentiſſimus eciam auri & argenti multa bona ab aliis auferebat. Ad caſtella conſtruenda ſolus omnes fatigabat. Si cervum quis caperet aut aprum, oculos ei evellebat, nec erat qui murmuraret: Feras namque tanquam pater earum erat, amavit, Unde in ſilva venationis quæ nunc *Nova Foreſta* vocatur, villas & eccleſias plures eradicari, gentem extirpari & à feris inhabitari fecit; nam Deus ad exterminium *Anglorum* præordinaverat ferocem populum *Normannorum* quadam prærogativa ſæviciei ſingularis præminentem, quorum natura eſt, ut cum hoſtes ſuos adeo depreſſerint quod adicere non poſſunt, ipſi ſe deprimant, & terras proprias & ſubſtancias ſuas in vaſtitatem & pauperiem redigant; ſemper enim *Normannorum* domini cum hoſtes contriverint, & crudelius agere nequeant, ſuos hoſtiliter conterunt. Quod liquide in *Normannia, Anglia, Apulia, Calabria, Cicilia, Antiochia*, terris optimis quas Deus eis ſubjecerat, ſatis patet. In *Anglia* namque thelonea injuſta & conſuetudines peſſimæ hiis temporibus pulularunt. Principes omnes adeo erant auri & argenti cupiditate cæcati, ut illud de eis vere dici poſſet,

Unde habeat nemo quærit, ſed oportet habere.

Nam quanto magis loquebatur de recto, tanto magis fiebat injuria. Qui Juſticiarii vocabantur omnis injuſtitiæ capud erant. Vicecomites & præpoſiti, quorum officium erat rectum judicium exequi & juſticiam exercere, furibus & raptoribus atrociores erant, & omnibus ſæviſſimis ſæviores. Rex ipſe cum ad firmam terras ſuas quanto carius poterat dediſſet, alii magis offerenti, & deinde alii, ſemper necligens pactum & ad majora ſtudens, dabat; nec erat cura, quanta injuria à præpoſitis pauperibus erat illata.

Regi quidem præfato *Normannia* jure hæreditario prævenerat, *Cenomanniam* armis adquiſierat, *Britanniam* ſibi acclivem fecerat, ſuper totam *Angliam* ſolus regnaverat; Ita quod nec ibi una ſola hida terræ inerat, de qua neſciret cujus eſſet, & quid per annum valeret. *Scociam* quoque ſibi ſubjugaverat, *Walliam* quoque rebellantem in ſuam acceperat dicionem. Et quamvis ut ſupradictum eſt, multæ injuriæ tempore ſuo fiebant, tantus tamen, ut quidam volunt, amator & auctor pacis erat, quod puella auro onuſta poſſet impune regnum *Anglia* pertranſire; Nam ſi quis aliquem quacunque de cauſa peremiſſet, capite plectebatur. Si mulierem aliquam vi oppreſſiſſet, menbris genitalibus privaretur. Sane quod idem rex *Willielmus* Chriſtianos innoxios injuſte & hoſtiliter inpetiit, patet rei ſubſequentis lucido argumento. In loco namque ubi *Anglici* victi occubuerunt, conſtructum eſt à dicto rege & victoribus monaſterium nobile beati *Martini de Bello* nuncupatum, tanquam *Normannicæ* victoriæ titulus, & ut eſſe poſſet expiatio quædam effuſionis tanti ſanguinis Chriſtiani. Locus autem ille ubi *Anglorum* ſtrages facta fuit ſi forte modico imbre maduerit, verum ſanguinem & quaſi recentem per multa tempora poſtea exſudavit, acſi à parte dicatur, quod vox tanti ſanguinis clamat ad Deum de terra quæ os ſuum aperuit, et eundem ſanguinem de manibus Chriſtianorum fratrum ſuſcepit.

Hoc anno quo dictus rex mortuus eſt, peſtes infirmitatis et famis Deus *Angliæ* inmiſit, in tantum, ut qui febres evaderet, fame moreretur, et ſic febribus et fame eo anno in *Anglia* plures mortui ſunt. Inmiſit eciam tempeſtates et tonitrua quibus multos hominum occidit, nec animalibus nec pecori pepercit. Vorax inſuper flamma omnes ferme principales *Angliæ* villas, eccleſiamque ſancti *Pauli* cum majori parte *Londoniæ* conſumpſit. Eodem anno pagani ſuper Chriſtianos in *Hiſpania* prædati ſunt, magnas regni partes occupantes. Sed *Alfonſus* rex Chriſtianus, auxilio à Chriſtianis circumquaque accepto reſurgens, paganos occidit et fugavit, et dampna terræ illata viriliter reſtauravit. Accidit eciam eodem anno in *Dacia*, quod *Daci* nunquam antea erga dominum fide læſi regem ſuum *Kanutum* in quodam monaſterio proditionaliter occiderunt. Dictus papa *Urbanus* ſecundus poſt *Victorem* ſedit in papatu annis xiij. Hic prius *Odo* vocabatur, monachus *Clunacenſis* fuit, deinde epiſcopus *Hoſtienſis*, tandem Apoſtolicus, quem alius papa intruſor nomine *Clemens* quondam archiepiſcopus *Ravenenſis* multum vexavit.

Inſtitutiones ſive leges Regis Willielmi.

Willielmus Dei gratia rex *Anglorum*, Omnibus ad quos ſcriptum hoc perveniet ſalutem et amicitiam. Mando et præcipio per totam *Angliæ* nationem cuſtodiri; Si *Anglicus* homo compellat aliquem *Francigenam* per bellum de furto vel homicidio vel aliqua re pro qua bellum fieri debeat vel judicium inter duos homines, habeat plenam licentiam hoc faciendi. Et ſi *Anglicus* bellum noluerit, *Francigena* compellatur adlegiare ſe juramento contra eum per teſtes ſuos ſecundum legem *Normanniæ*. Item ſi *Francigena* compellat *Anglicum* per bellum de eiſdem rebus, *Anglicus* plena licentia defendat ſe per bellum, vel per judicium ſi magis ei placeat. Et ſi uterque ſit invalidus, & nolit bellum vel non poſſit, quærat ſibi legalem defenſorem. Si *Francigena* victus fuerit perſolvat Regi lx. s. Et ſi *Anglicus* nolit defendere ſe per bellum vel per teſtimonium, adlegiet ſe per Dei judicium. De omnibus utlagariæ rebus Rex inſtituit, ut *Anglicus* ſe purget ad judicium. Et ſi *Anglicus* appellat *Francigenam* de utlagaria, & hoc ſuper eum inveritare velit, defendat ſe *Francigena*

cigena per bellum, & ſi *Anglicus* non audeat eum probare per bellum, defendat ſe Francigena pleno juramento non in verborum obſervantiis.

An. Dñi 1088.

ANno à plenitudine temporis qua veritas de terra orta eſt Milleſimo lxxxviij. *Willielmus Rufus* filius *Willielmi* conqueſtoris mortuo ipſo patre ſuo, de *Normannia* in *Angliam* ſtatim rediens, convocatis terræ magnatibus quinto kal. Octobris in feſto ſanctorum Coſmæ & Damiani inmediate poſt mortem patris ſui, à *Lanfranco Dorobernenſi* archiepiſcopo apud *Weſtmonaſterium* in regem *Angliæ* conſecratur. Deinde *Wyntoniam* adiens, theſaurum patris ſui ſecundum ejus imperium diviſit. Erant autem in theſauro illo lx. millia libræ argenti, excepto auro, gemmis, palleis & vaſis. Deditque inde quibuſdam eccleſiis decem marcas, quibuſdam ſex & unicuique eccleſiæ villæ v. s. & in unumquemque comitatum C. li. diſtribuendas pauperibus deſtinavit, omneſque vinctos patris ſui præcepto à vinculis juſſit ſolvi. *Robertus* autem ſenior frater ſuus qui tunc temporis in *Almannia* exercitum contra patrem ſuum congregaverat, ſtatim cum de morte patris ſui audiſſet, *Normanniam* rediit, & theſauros patris ſui quos ibi invenit pro anima ejus monaſteriis & eccleſiis ſimiliter largitus eſt.

Rex autem novus curiam ſuam ad natale apud *Londoniam* tenuit, in qua *Lanfrancus Dorobernenſis* & *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopi, *Mauricius Londonienſis*, *Walkelinus Wyntonienſis*, *Galfridus Exonienſis*, *Wolſtanus Wigornenſis*, *Willielmus Thedfordenſis*, *Robertus Ceſtrenſis*, *Willielmus Dunolmenſis* & *Remigius Dorceſtrenſis* epiſcopi, & *Odo Baiocenſis* epiſcopus, qui fuit Comes *Canciæ*, ac Juſticiarii & principes totius *Angliæ* affuerunt. Eodem anno cum epiſcopatus *Dorceſtriæ* quæ ſuper *Thameſim* ſita eſt major omnibus *Angliæ* à *Thameſia* uſque *Humbram* duraret, moleſtum viſum eſt *Remigio* epiſcopo ejuſdem qui apud *Feſcampe* monachus fuerat, quod in ipſo termino epiſcopatus ſui, ſcilicet apud *Dorceſtriam*, quæ urbs propter parvitatem ſibi diſplicebat, ſedes eſſet epiſcopalis, cum in eodem epiſcopatu civitas clariſſima *Lincolniæ* epiſcopali ſede dignior videretur; unde in ipſius urbis vertice juxta caſtellum fortiſſimis turribus eminens prædia mercatus, in loco forti fortem & perpulcram virgini virginum conſtruxit eccleſiam ſervientibus Deo gratam. Provinciam tamen **Lyndeſeye** archiepiſcopus *Eboracenſis* ex antiqua temporum ſerie vendicabat. *Remigius* vero petitionem ejus ſive calumpniam minime timens, opus inceptum non ſegniter peregit, peractumque clericis doctrina & moribus approbatis decoravit, & tunc de *Dorceſtria* uſque ibi ſedem ſuam epiſcopalem, prout ſuperius tempore regis *Willielmi* conqueſtoris in Concilio ſub *Lanfranco* archiepiſcopo *Londoniis* celebrato ordinatum fuerat, tranſtulit & locavit. Erat ſiquidem iſte *Remigius* ſtatura parvus ſed corde magnus, colore fuſcus ſed operibus venuſtus. De regina autem proditione fuerat impetitus, ſed famulus ejus judicio ferri igniti dominum purgans, regio amori reſtituit, & maculam pontificis deterſit. Hoc anno monachi de *Bermundeſeye* venerunt in *Angliam*. Circa idem tempus advenit corpus ſancti *Nicholai* ad urbem *Barrum*. Dum enim *Turci Mirream* urbem deſtruerent, xxiiij. milites *Barrenſes* illuc profecti oſſa ſancti *Nicholai* in oleo natantia ad urbem ſuam detulerunt.

Declaratum eſſe conſtat quomodo dominus ſalutem & honorem genti *Anglorum* pro meritis abſtulerit, & jam populum non eſſe juſſerit: amodo patebit quo modo & ipſe *Normannos* vindices quidem ſuos variis cladibus afficere cœpit. Anno namque 2. regis *Willielmi Rufi* inter primates *Normanniæ* qui in *Angliam* venerant magna diſſenſio eſt exorta. Tota enim fere nobilitas *Angliæ Robertum* Ducem *Normanniæ* fratrem Regis *Willielmi* ſeniorem in regem erigere voluerat, exceptis archiepiſcopo *Lanfranco* & epiſcopo *Wigorniæ VVolſtano*, unde pars nobiliorum *Normannorum* favebat regi *Willielmo* ſed minima: pars vero altera favebat dicto *Roberto* & maxima, cupiens & ordinans hunc in regnum accerſire, & regem fratrem interficere, aut fratri tradere vivum, aut regno privare peremptum. Quod audiens rex *VVillielmus* in novitate ſua ſibi timens, inſolita turbatur moleſtia. Jure tamen regio & militari audacia ut impiger fretus ad reſiſtendum viriliter ſe parat: Et convocatis *Anglicis* animos eorum contra *Normannos* mulcebat, ſeditionem eorum eis oſtendens, Roganſque ut ipſum quem de voluntate patris in regem ſibi creaverant, tanquam caput & regem fideliter tuerentur, promittens eis quod ſilvas eorum venaticas liberas dimitteret, & meliores leges quas ſibi vellent eligere, ſanciret; Sed nichil poſtmodum tenuit quod promiſit. Interea quamplures nobiles *Robertum* Ducem in regem levare volentes, in *VVillielmum* regem non ſine perjurio bella moverunt, & in ſuis provinciis ſunt hoſtiliter debachati, de quibus *Odo* præſul Baiocenſis Comes Canciæ, Princeps & moderator *Angliæ*, quaſi primus fuit: ſcripſerat autem cum ſuis dicto duci *Roberto*, ut cum armata manu veniret, & hoc nullo modo omitteret, promittens ſibi in ipſo ſuo ingreſſu non minimum adjuvamen, unde ipſe Dux hoc audito, medietatem *Normanniæ* præter caſtella fratri ſuo *Henrico* clerico impignoravit, ut milites contra regem *Willielmum* fratrem ſuum conduceret, ſed theſauro habito terram ei abſtulit.

Interea per *Angliam* tempeſtas ſævit bellica. Nam dictus *Odo Baiocenſis* epiſcopus in *Cancia* ſeditionem exordiens cum ſuis fautoribus, & ſequacibus regis & archiepiſcopi villas invaſit fortiter & combuſſit, ac caſtrum *Roffenſe* pro toto poſſe firmavit. *Rogerus* Conſul de *Moreteil* circa **Peveneſhyll** idem incepit, *Galfridus Exonienſis* epiſcopus à *Briſtollia* prodiens urbem *Batonienſem* & **Barcheley** & circumjacentia deſtruxit. *Rogerus* in caſtello *Norwici* ſceleris exercitium non ſegnius per *Eſtangliam* inchoavit. *Hugo* in provincia *Legeceſtriæ* & *Northamtoniæ* mitius nichil egit. *Willielmus* epiſcopus *Dunolmenſis* in ſeculo potens & oris volubilitate promptus, in finitimis ſimilia perpetravit. *Barnardus* de *Novo mercato*, *Rogerus* de *Lacio* qui jam ſuper regem invaſerat *Harfordiam*, *Radulphus de Mortuo Mari* cum hominibus *Rogeri* Comitis *Salopiæ* conjurationis ſocii, congregato magno *Anglorum*, *Normannorum* & *Wallenſium* excercitu, *Wigornenſem* provinciam uſque ad portas urbis combuſſerunt, affirmantes ſe igne crematuros ipſam *Wigorniæ* civitatem, Dei & ſanctæ *Mariæ* ſpoliaturos eccleſiam, & grandem de fidelibus regis incolis ſumpturos vindictam.

Hiis auditis, vir magnæ pietatis & columbinæ ſimplicitatis Deo populoque quem regebat in omnibus amabilis, regi ut terreno, domino per omnia fidelis, pater reverendus *Wolſtanus Wigornenſis* epiſcopus magna turbatur moleſtia, ſed dei reſpirans miſericordia, pro populo & civitate ſua, ut alter *Moyſes* parat ſalubriter ſe ſtaturus; Nam dum hoſtes ad debellandum parant arma, ipſe pro imminenti periculo fundit precamina, exortans ſubditos ne deſperent de Deo qui non pugnat gladio neque haſta. *Normanni* interim ineuntes conſilium, rogant ipſum epiſcopum ut ab eccleſia tranſiret in caſtellum, tutiores ſe affirmantes de ejus præſentia ſi majus incumberet periculum; Diligebant enim eum valde. Ipſe autem ut erat miræ manſuetudinis, & pro regis fidelitate & pro eorum dilectione petitioni eorum adquievit. Interea audenter ſe parat in arma epiſcopalis familia. Conveniunt caſtellani & omnis civium turma, occurrere ſe affirmant hoſtibus ex altra parte *Sabrinæ* fluminis, ſi hoc eis pontificis annuerit licentia. Parati igitur & armis inſtructi, ipſum ad caſtellum euntem habent obviam; quam optabant requirunt licentiam. Quibus libenter annuit, dicens, Ite inquit filii, Ite ſecuri, Ite in pace cum Dei & noſtra benedictione. Confidens ego in domino vobis ſpondeo, non hodie nocebit vobis gladius, non quicquam infortunii, non quiſquam adverſarius; ſtate in regis fidelitate viriliter agentes pro populi urbiſque ſalute. Hiis dictis alacres pontem reparatum tranſeunt, hoſtes de longinquo accelerantes conſpiciunt, inter quos magna belli inſania jam fervebat; Contumaciter enim mandata epiſcopi contempnentes, in terras ejus incendia poſuerunt. Quo audito, epiſcopus ingenti concutitur dolore, debilitari res eccleſiæ ſuæ videns. Acceptoque inde conſilio, gravi eos ab omnibus qui circumaderant coactus percuſſit anathemate. Res miranda & Dei virtus, & viri bonitas nimis in hoc prædicanda. Nam ſtatim hoſtes ut ſparſi vagabantur per agros, tanta membrorum percutiuntur debilitate, tanta exteriori oculorum attenuantur cæcitate, ut vix arma valerent ferre, nec ſocios agnoſcere nec eos diſcernere qui eis oberant ex adverſa parte. Illos fallebat cæcitatis ignorantia, noſtros confortabat Dei & epiſcopalis benedictionis confidentia; ſic illi inſenſati nec ſciebant capere fugam, nec alicujus defenſionis quærebant viam. Cæduntur pedites, cæduntur milites cum *Normannis* tam *Angli* quam *Wallenſes*. Et ſic oratio ſancti *Wolſtani* cum anathemate hoſtes devicit, & quinque milia eorum vel occidit ſive cepit, cæteris fuga debili vix elapſis.

Interea rex *Willielmus* cum *Anglicis* ſibi fideliter aſſiſtentibus ad caſtellum de **Tonebrigge** unde *Gilbertus* ei rebellabat perrexit. Cum autem regalis excercitus caſtellum jam conſtringeret, cum rege pacificatus eſt. Rex inde dictum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum apud **Horn** caſtrum quærens, & eum non inveniens, caſtellum ibidem deſtruxit. Indeque cum excercitu ſuo progrediens, ipſum *Odonem* & *Rogerum* Conſulem in caſtro de **Peveneſhyll** per vij. hebdomadas obſedit. Interea *Robertus* dux *Normanniæ Angliam* adire feſtinans, & auxilium prædictorum optinere ſperans, partem excercitus ſui in ſubſidium ſuorum præmiſit, cum copiis ingentibus eos ſequi diſponens. *Anglici* vero piratæ qui curam maris à rege ſuſceperant, innumerabiles ex illis occiderunt & ſubmerſerunt. Qui autem in caſtello erant de **Peveniſhyll**, cibo deficiente caſtrum regi reddiderunt. Ubi dictus *Odo* epiſcopus juravit, ſe ab *Anglia* cum omnibus ſuis feſtinanter receſſurum, & caſtrum *Roffenſe* quod ſui tenuerunt prius humiliter redditurum. Cum autem illuc cum regis hominibus ut caſtrum eis redderet, perveniſſet, mox *Euſtachius* Conſul & cæteri proceres qui urbi inerant & caſtrenſes, epiſcopum & regis miniſtros qui ſeiſinam caſtri recipere deberent, ipſius epiſcopi ut dicebatur fallacia ceperunt & in carcerem detruſerunt. Quod audiens rex, illuc ſtatim cum copioſo excercitu properavit & civitatem obſedit, donec cum caſtro redderetur. Tunc dictus *Odo* epiſcopus ſine reditu de ultra mare in exilium poſitus *Normanniam* adiit, & à Duce *Roberto* tocius provinciæ curam cepit. Rex vero excercitum *Dunolmum* mittens, urbem donec reddita eſt obſedit. *Willielmus* autem epiſcopus *Dunolmenſis* & multi proditorum in exilium ſunt propulſi. Sed epiſcopus poſt duos annos ad ſedem ſuam rediit, ſedulo agens ut priſtinum ſibi regis amorem adquireret & favorem, unde fiebat, ut regis velle & nolle omnino ſequeretur, & potiſſime in illo turbine qui poſtea inter regem & archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſurrexit *Anſelmum*, ſperans per hoc ut aiunt aut regis gratiam adquirere, aut ad dignitatem archiepiſcopalem pervenire. Sed utroque excidit, nam moto inter ipſum & regem diſcidio, dum ipſe *Glovernia* pro ſua cauſa defendenda adeſſet, lecto æger decubuit, in quo & obiit. Hic dum viveret Priorem *Dunolmenſem* hoc inſigni extulit, ut in toto illo epiſcopatu *Dunolmenſi* decanus ſit & vicedominus, rex vero *Willielmus* terras infidelium fidelibus ſuis diſtribuit. *Lanfrancus Dorobernenſis* archiepiſcopus doctor monachorum luculentiſſimus obiit quinto kal. Junii, & vacavit ſedes *Cantuarienſis* iiij. annis.

Willielmus rex anno regni ſui tercio injurias, quas ei **Robertus* frater ſuus ingeſſerat ulciſci paratus, muneribus datis caſtellum ſancti *Valerici* & *Albemarla* ſibi adquiſivit, qui milites ſuos in *Normanniam* præmittens, fraternam prædari & comburere cœpit terram.

Anno vero ſequente ipſe Rex eos cum multa militia ſecutus eſt, ut *Normanniam* à fratre ſuo *Roberto* potenter arriperet. Sed communibus amicis mediantibus, concordiam cum fratre ſuo fecit, eo tamen pacto, quod caſtra illa quæ frater ab eo injuſte adquiſiverat, regi remanerent. Rex autem adjuraverat eum & omnia quæ pater ſuus habuerat conquirenda. Concordatum eſt inſuper inter eos & ſtatutum, Quod rex certas terras in *Anglia* Duci daret, & dux terras & caſtra in *Normannia* regi daret. Et ſi quis eorum prior altero ſine filio moreretur, alter qui ſupervixerit hæres illius fieret morientis. Quod pactum & pacis formam xij. Principes vice regis & xij. Principes vice Ducis juraverunt. Interim dum talia ab ipſis agerentur, *Henricus* clericus frater eorum germanus montem ſancti *Michaelis* in *Normannia* cum multis militibus ingreſſus eſt, terras ipſius regis vaſtans, & homines quos poterat in captivitatem ducens; propter quod rex & dux concordati, montem prædictum per totam quadrageſimam obſederunt, & factis congreſſionibus multis, in quibus inmenſa jactura hominum & equorum eis fiebat, infecto tandem negocio receſſerunt.

Interea menſe Maio *Malcolmus* rex *Scottorum* cum immenſo exercitu in *Northumbriam* prædatum veniens, eam fortiter invaſit & validiſſime vexavit, ſi poſſet, ulterius adhuc in *Angliam* proceſſurus. Sed noluit ipſe Deus; inde ſtatim rediit unde venit. Quod audiens rex *Willielmus*, mox, cum *Roberto* fratre ſuo menſe *Auguſti* de *Normannia* in *Angliam* reverſus, congregato immenſo exercitu & claſſe non modica, verſus *Scociam* profectus eſt. Sed antequam *Scociam* intravit, tempeſtate maxima circa feſtum ſancti *Michaelis* ſuborta, tota illa claſſis fere ſubmerſa eſt, & multi de equeſtri exercitu fame & frigore perierunt. Rex vero *Malcolmus* cum magno exercitu in provincia *Londicenſi* juxta confinia eis occurrit, ad reſiſtendum fortiter paratus. Quod videns dux *Normanniæ Robertus*, quemdam militem nomine *Edgarum*, quem rex de *Normannia* expulerat, & tunc regi *Malcolmo* militabat, ad ſe vocavit; Cujus ope fretus, pacem inter reges hac conditione firmavit, ut *Malcolmus* nimio timore ut quidam aiunt perſtrictus, juramento fidelitatis præſtito, regi *Willielmo* obediret ſicut prius fecerat patri ſuo, & *Malcolmo* duodecim villas, quas tempore patris ſui in *Anglia* habuerat, rex *Willielmus* redderet, & duodecim M. marcas auri ſibi ſimiliter ſingulis annis daret. Sed pax iſta non diu duravit.

Reverſuſque eſt rex *Willielmus* verſus *Karliolum* & in anno ſequenti eandem civitatem reſtauravit, & ibi caſtrum cum turri fortiſſima conſtruxit, & habitatores ex auſtralibus *Angliæ* partibus illuc miſit. Hæc enim civitas à *Danis* ducentis annis dirupta, uſque ad idem tempus omnino manſit quaſi deſerta & penitus deſolata. *Robertus* quoque dux cum rege fratre ſuo diu perendinans, cum plus ficti amoris quam veri circa eum reperiſſet, *Normanniam* cum prædicto milite *Edgaro* repetiit. Hoc anno idibus Octobris vehemens ictus fulminis turrim *Wynchecumbenſis* eccleſiæ combuſſit, parietem perforavit, capud Crucifixi in terram dejecit, crus ejus dextrum fregit, Imaginem beatæ *Mariæ* juxta crucem eliſit, fumus fœtidus ſubſequens eccleſiam implevit, donec monachi cum aqua benedicta & ſanctorum reliquiis Letanias decantando officinas monaſterii circumirent. Simili modo hoc anno xvj. kal. Novembris feria ſexta turbo pervalidus ab *Affrico* in civitatem *Lundonienſem* veniens pluſquam ſexcentas domos & plures eccleſias ſubvertendo concuſſit; Tandem in eccleſiam beatæ *Mariæ* de *Arcubus* irruens, in ea duos homines interfecit, & tectum cum tignis in altum levans huc illucque per aera ferens, demum ſex de tignis eo ordine quo prius tecto infixa fuerunt, tam profunde in terram defixit ut de quibuſdam eorum vix ſeptima pars, de quibuſdam vix octava ſupra terram appareret, & erant longitudinis xxvij. pedum.

Circa hoc tempus *Willielmus* rex anno regni ſui quinto archiepiſcopatum *Cantuarienſem* quem à morte *Lanfranci* archiepiſcopi, uſque tunc per iiij. annos in manu propria tenuerat, ſancto *Anſelmo Beccenſi* abbati venerabili viro dedit. Circa idem tempus erat fundatio eccleſiæ ſancti *Egidii* apud *Cantebrigiam* à domino *Pigoto* vicecomite & *Hugelina* uxore ejus conſilio & aſſenſu dicti *Anſelmi* archiepiſcopi & *Remigii Lincolnienſis* epiſcopi, cujus tunc erat dioceſis, quia necdum erat epiſcopus apud **Ely**. Eodem anno dictus venerabilis vir ſanctus *Remigius*, qui nuper ſedem *Dorceſtrenſem* uſque *Lincolniam* tranſtulerat, eccleſiam quam de novo conſtruxerat apud *Lyncolniam* propoſuit dedicare, ſed reſtitit *Thomas Eboracenſis*, aſſerens locum illum in parrochia ſua eſſe. At rex *Willielmus* pro pecunia quam *Remigius* clam ſibi dederat, totius fere *Angliæ* epiſcopis mandavit, ut Idibus Maii convenientes illam eccleſiam dedicarent. Sed ſolus *Robertus Harfordenſis* epiſcopus venire abnuerat, nam certa ſiderum inſpectione dedicationem illam tempore *Remigii* non proceſſuram viderat, nec id tacuerat, unde biduo ante diem dedicationis ſtatutam, occulto Dei judicio *Remigius* deceſſit, qui in vita ſua præ corporis exiguitate pene portentum videbatur.

Poſt hæc *Willielmus* rex anno regni ſui ſexto in quadrageſima apud *Gloverniam* gravi morbo percuſſus, de conſilio procerum ſuorum vitam corrigere promittens, epiſcopatum *Lincolnienſem* per mortem ſancti *Remigii* ut prædicitur vacantem, *Roberto* cognomento *Bloet* Cancellario ſuo viro quidem libidinoſo dedit, qui prædictam eccleſiæ dedicationem *Lincolnienſis* poſtea ſegniter explevit. Hic demum apud **Wodeſtoke** à latere regis recedens obiit & exenteratus eſt, cujus viſcera apud monaſterium de **Eyneſham** quod ipſe fundaverat, cætera apud *Lyncolniam* ſunt humata, ubi ſatis conſtabat loci cuſtodes nocturnis umbris eſſe agitatos, quouſque ille locus miſſis & elemoſynis piaretur. Promiſit etiam rex in infirmitate prædicta, pravas leges emendare, & pacem in domo Domini ponere & tenere. Sed ex quo ſanus effectus fuerat ſolito pejor factus eſt; nam quod epiſcopatum *Lincolnienſem* non vendiderat dolens, cum archiepiſcopo *Eboracenſi* dictum *Robertum Bloet Lincolnienſem* epiſcopum calumpniatus eſt, quod urbs *Lyncolnia* & provincia *Lyndeſya* eidem deberent archiepiſcopo ſubjacere, unde cauſa illius calumpniæ nullo modo potuit terminari, donec dictus *Robertus* quinque M. li. Regi pro ſuæ eccleſiæ pepigerat libertate. Et quamvis etiam rex archiepiſcopatum *Cantuarienſem* parum ante, ut dictum eſt, ſancto *Anſelmo* contulerat, nichil tamen de archiepiſcopatu ultra regis juſſum ſumere licuit, donec tributum quod rex poſt obitum *Lanfranci* impoſuerat, ſolveretur.

Hoc anno *Rogerus* de *Bellem* illuſtris Comes *Salopiæ* obiit, qui cum decubaret, ad ſuccurrendum animæ ſuæ monachus factus eſt, *Adeliſſa* Comitiſſa conſenciente. Miſerat namque *Reginaldum* Priorem *Salopiæ Cluniacum* pro tunica ſancti *Hugonis* abbatis induenda. Cui ſucceſſit in comitatu *Salopiæ* filius ſuus *Hugo*. Iſte *Rogerus* dum vixit & dicta *Adeliſſa* uxor ſua, eccleſiam in honore beatæ *Mariæ Magdalenæ* ædificaverunt in **Quatford** in comitatu *Salopiæ* à **Bruggenorth** per unum miliare. Cujus ædificationis cauſa ut dicitur erat iſta. Dum vero dicta domina *Adeliſſa* ad mandatum dicti Comitis viri ſui de partibus tranſmarinis ad ſe in *Angliam* primo veniret, & per mare navigaret, ecce ſubito fluctuum tanta & ventorum procella navem ejus quaſſavit, ut ipſa & ſui nautis jam deſperatis nil niſi naufragium expectarent. Cumque quidam ſacerdos dictæ Comitiſſæ nimiis vigiliis fatigatus, in ſoporem ut Deus voluit decidiſſet, vidit in ſompno quandam matronam aſtantem ſibi & ſic dicentem. Si domina veſtra cum ſuis à præſenti horribilis pelagi periculo liberari voluerit, votum Deo voveat, & fideliter promittat eccleſiam in honore beatæ

Mariæ Magdalenæ conſtrueret, in loco ubi primo domino ſuo Comiti contingat ipſam in *Anglia* obviare, & præcipue ubi concava quercus cum tigurio porcorum creſcit. Expergefactus autem presbyter, ſingula viſionis ſuæ Dominæ narravit. Quæ cum illa audiſſet & omnia implere voviſſet, tempeſtate mox ſedata ad litus optatum cito cum ſuis pervenit. Quæ per plures diætas à mari verſus dominum ſuum laborans, apud **Quatford** quæ tunc deſerta fuit, in loco ubi dicta quercus creſcebat venanti domino ſuo primo occurrit. Quem ſtatim rogavit, ut votum quod in periculo maris vovebat de eccleſia in honore beatæ *Mariæ Magdalenæ* conſtruenda adimplere juvaret. Qui votis uxoris ſuæ annuens, prædictam eccleſiam cum illa conſtruxit: Quam licet magnis poſſeſſionibus tunc ditaverat, modo tamen cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ad liberam regiam capellam collegiatam in caſtro de **Bruggenorth** ſitam, uno decanatu & quinque præbendis de poſſeſſionibus prædictis dotatam, videtur ſubjacere. Quem quidem decanatum & præbendas rex de jure ſuo & conſuetudine confert; quamvis fere in omnibus aliis collegiatis regiis capellis decani per vicecomitem, ad collationem regis inſtallati & in corporalem poſſeſſionem decanatuum inducti, omnes præbendas in eiſdem capellis conferunt, & præbendarios inſtallant, inducunt & viſitant; ſed in prædicta capella beatæ *Mariæ Magdalenæ* decanus nullam præbendam confert, nec præbendam nec præbendarios viſitat, ſed unuſquiſque in corpore præbendæ ſuæ plenam juriſdictionem tam in ſpiritualibus quam in temporalibus poſſidet & exercet.

Circa idem tempus *Rees* rex *Wallanorum* in pugna juxta **Brecheynoc** occiſus eſt; A quo tempore reges in *Wallonia* deſiere. Eodem anno *Malcolmus* rex *Scottorum* in veniendo verſus regem *Angliæ* *Willielmum* ſicut ei condictum fuerat, ad principium novæ eccleſiæ *Dunolmenſis* extitit. Erat enim tunc ibidem nova eccleſia incepta tercio Idus *Augusti* feria quinta, rege *Malcolmo* & epiſcopo *Dunolmenſi* *Willielmo* & ipſo Priore *Turgoto* primos lapides ponentibus fundamento. Die vero ſancti *Bartholomei* Apoſtoli venit rex *Malcolmus* regi *Willielmo* uſque ad *Gloverniam*, ut ſicut à magnatibus utriuſque regni præordinatum extitit, firma pax inter eos & ſtabilis amicitia firmaretur. Sed rex *Willielmus* nec eum alloqui voluit nec videre, quin & in ſuperbiam evectus eum parvipendendo deſpexit. Inſuper voluit ut *Malcolmus* in curia ſua ubicumque fuerit ſecundum judicium Baronum rectitudinem ſubiret. Sed *Malcolmus* id facere recuſavit, niſi in confinio regionum ubi anteceſſores ſui rectitudinem regibus *Anglorum* facere conſueverant, & ſecundum judicium primatum utriuſque regni, & ſic impacatus *Malcolmus* abceſſit. *Willielmus* autem *Dunolmenſis* epiſcopus, qui tunc *Gloverniæ* pro cauſa cujuſdam diſcidii inter regem & ipſum moti defenſanda advenerat, lecto æger decubuit, & ibi, ut ſuperius dictum eſt, obiit. Mox autem cum dictus *Malcolmus* rex *Scottorum* regnum ſuum ingreſſus eſſet, immenſum exercitum congregavit, et erumpens cum *Edwardo* primogenito ſuo partes boriales *Angliæ* hoſtiliter invaſit, & eas uſque **Alnewyk** prædavit & incendio devaſtavit, ubi à *Roberto* de *Moubray* Conſule *Northumbriæ*, & à propinquo ſuo *Morello* milite ſtrenuiſſimo, & aliis militibus provinciæ illius die ſancti *Bricii* cum *Edwardo* filio ſuo occiſus eſt, multis aliis peremptis & aliis in fugam converſis. Et juſto Dei judicio in illa occubuit provincia quam multociens depopulando attriverat. Quatuor enim vicibus eam attriverat, & in quinta vice cum omni quo poterit exercitu eam invaſit, ipſam ſi poſſet in deſolationem ultimam deducturus. Sed mutata fortuna juxta flumen *Alnæ* occubuit, ut eſt dictum: Et exercitus reliqui qui gladios effugerant, inundationibus fluminum, quæ tunc hiemalibus pluviis plus ſolito excreverant, abſorti ſunt. Corpus vero regis & cruentiſſimi carnificis carro impoſitum uſque **Tynmuth** duo ex indigenis traxerunt, & illud ibi humaverunt; non enim erat ex omnibus caris ſuis qui ſibi humacionis officium exhiberet. Regina vero *Scottorum* *Margareta* audita morte mariti ſui in infirmitatem decidit, & ſic duplici contritione in anima uſque ad mortem anxiata, ad eccleſiam perrexit, ubi vere confeſſa & contrita, & cœleſti viatico munita, precibus ſe Domino commendando, vitam hujus ſeculi, ut ipſa deum rogaverat ne diutius viveret, poſt triduum feliciter terminavit.

Qua mortua, *Scoti* in unum congregati *Dunewaldum* fratrem *Malcolmi* ſibi in regem unanimiter eligerunt, & omnes *Anglicos* qui de curia regis fuerant de *Scocia* expulſerunt. Quibus auditis, filius regis *Malcolmi* nomine *Duncanus* regem *Willielmum* cui tunc militabat & in curia ſua obſes fuit, ut ei regnum patris ſui concederet, cum inſtancia petiit & impetravit, fidelitateque jurata regi, & multitudine magna *Anglorum* & *Normannorum* accepta, *Scociam* adiit, expulſoque avunculo ſuo & à regno fugato, loco ipſius per modicum regnavit; Nam congregati *Scoti* ex inproviſo, quaſi omnes fere illius homines peremerunt, ipſo cum paucis fugiente, quem tamen dehinc nunciis ad eum miſſis revocaverunt, & regnare permiſerunt, hac conditione adjecta, quod nullum de cætero in *Scociam* introduceret *Anglicum* vel *Normannum*. Sed non poſt multum temporis, anno videlicet ſequenti, conſilio & hortatu dicti *Dunewaldi*, ipſum ſuum regem *Duncanum* doloſe per inſidias occiderunt, & ſibi dictum *Dunewaldum* iterum in regem ſtatuerunt. Sed tranſactis paucis annis, *Willielmus* rex *Edgarum* filium *Malcolmi* cum armata manu in *Scociam* deſtinavit, qui *Dunewaldum* regem magno prælio affugavit. Quo facto, rex *Willielmus* dictum *Edgarum* regem *Scociæ* conſtituit, & eidem idem regnum donavit.

Anno regni regis *Willielmi* ſeptimo, *Robertus* dux *Normanniæ* fratri ſuo *Willielmo* regi per legatos mandavit, ſe pacis formam quæ prius inter eos formata fuerat diutius non obſervaturum, niſi conventionem jurejurando in *Normannia* factam plenius perſolveret & teneret. Inſuper, eo quod jusjurandum non ſervaverat vocavit eum perjurum et perfidum. Ob quam cauſam *Willielmus* rex à fratre ſuo provocatus, congregato exercitu in *Normanniam* medio quadrageſimæ transfretavit, & ad fratris colloquium ſub pace ſtatuta pervenit; ſed ipſis in verbis excandentibus abſque pace receſſerunt. Denuo tamen mediantibus quibuſdam amicis, in campo Marcii convenerunt. Ubi magnates illi qui inter eos prius pacem firmaverant, & ſacramentis ſe conſtrinxerant, omnem culpam regi totaliter impoſuerunt. Sed ille nec culpam agnoſcere nec conventionem tenere voluit, ſed omnino recuſavit. Et ſic irati &

impacati fratres ab invicem diſceſſerunt. Conductis igitur hinc & inde militibus, multam pecuniam exhauſerunt, & multa mala inter ſe fecerunt. Nam rex caſtrum de *Bures* invaſit atque cepit. Dux vero econtra caſtellum de *Argentes*, & in eo regis Conſulem nomine *Rogerum Pictavenſem*, & cum eo octoginta milites, & poſtea caſtrum **Hulme** ſtrenue cepit, rege *Francorum Philippo* partem ſemper Ducis confovente, & diverſa remedia conferente; Propter quod *Willielmus* rex in *Angliam* mittens, xx. milia peditum accerſivit, qui cum ſtatuto tempore transfretandi ad *Haſtyngum* ſupra mare veniſſent, quidam ex parte regis venientes, ab unoquoque eorum pecuniam victualem ſcilicet x. s. abſtulerunt, & eos redire ad propria licentiarunt. Dux vero *Robertus* ad *Philippum* regem *Francorum*, qui partem ſuam fovebat, tranſivit, qui ſimul ut regem *Willielmum* apud *Ou* obſiderent, duxerunt ſecum exercitum copioſum. Ingenio tamen & pecunia regis *Willielmi*, rex *Francorum* eſt reverſus, & totus exercitus evanuit pecuniæ tenebris obumbratus. Rex vero *Willielmus Henrico* fratri ſuo qui erat apud *Danfronnte* mandavit, ut in natali eſſet in *Anglia* contra eum. *Henricus* igitur fuit apud *Londoniam* in natali; rex vero *Willielmus* fuit apud **Whitſant**, & inde *Doroberniam* navigavit.

Circa hæc tempora *Herbertus Loſynga*, id eſt adulator, epiſcopatum de *Thedfordia* emit à rege, ſicut abbathiam de **Rameſeye** prius emerat ab eodem; Hunc tamen dicitur pœnitentia ductum domino papæ baculum Simoniacum reſignaſſe, ita tamen quod illum ſtatim reciperet. Hic uſque *Norwicum* primo tranſtulit ſedem epiſcopalem. Adhuc inſuper dum rex *Willielmus* in *Normannia* extitit, *Wallenſes* ſervitutis jugo quo diu premebantur excuſſo, cervice erecta libertatem ſibi priſtinam vendicabant, unde multitudine magna congregata, protervo capite proceſſerunt, caſtella frangentes quæ in *VVeſtwallia* fuerant ſumptuoſe firmata & conſtructa. Inſuper in comitatibus *Ceſtria*, *Salopia*, & *Harfordia* frequentes prædas agebant, & villas comburebant, ac caſtello in *Menevia* inſula fracto, multos *Anglos* & *Normannos* perimebant, ætati nec ſexui parcentes. Quæ cum rex de *Normannia* in *Angliam* menſe Januarii reverſus audiſſet, *Henrico* fratre ſuo cum pecunia multa in *Normanniam*, ut eam loco regis diutinis invaſionibus expugnaret prius remiſſo, in *VValliam* cum magno exercitu anno regni ſui viij. feſtinanter perrexit, volens tanti mali auctores comprehendere, & modo ſi poſſet debito caſtigare. Sed mutata fortuna propoſitum ſuum non eſt ad vota completum, nam homines & equos perdidit ibi multos, & ſic poſt eventus varios de *VVallia* eſt reverſus, ut iterum ſecurius illuc rediret & eos fortius expugnaret. *Wallenſes* vero propter receſſum regis animati. caſtrum de **Mongomery** ad tempus obſederunt, & illud tandem demoliendo fregerunt, ac inhabitantes nequiter occiderunt.

Interea eodem anno regis *Willielmi* octavo, Comes *Northumbrenſis Robertus* de *Moubray*, pro eo quod regem *Scottorum Malcolmum*, ut dictum eſt ſtraverat, in ſuperbiam elatus, curiam regis adire recuſavit, quia ipſe & multi alii in depoſitionem regis ſui *Willielmi*, ſi forte eum vita privare, & *Stephanum* de *Albamarla* filium amitæ ſuæ in regem ſtatuere poſſent, proditionaliter conjurati ſunt & conati; ſed fruſtra. Nam detecta & cognita eorum fraude, rex cum exercitu magno *Northumbriam* adiit, ubi cito in quadam firmitate quæ *Novum caſtrum* vocatur, plures de proceribus ſe invicem alligatis cepit, & eos in cuſtodia poſuit pro voto extra *Angliam* relegandos. Inde vero quodam alio caſtello conquiſito, & fratre Conſulis in eo capto, apud **Bamburgh** conſulem poſt hæc obſedit. Quod cum armis inexpugnabile rex videret, aliud caſtellum ante illud paravit quod *Malveyſyn* appellavit, in quo partem exercitus ſui relinquens, receſſit. Cumque poſtmodum quadam nocte *Robertus* Conſul à caſtro de **Bamburgh** latenter receſſiſſet, eum uſque **Tynmuth** regalis exercitus eſt ſecutus, ubi cum ſe defendere non poſſet, ad eccleſiam ſancti *Oſwini* regis & martyris fugit, in qua demum vulneratus, violenter extrahitur & in regis cuſtodia ſecure ponitur. Poſtea ad caſtrum de **Bamburgh** quod uxor ſua & propinquus ejus *Morellus* miles ſtrenuiſſimus ſuo nomine tenuerunt, ducitur, prout illis præciperet reddere regi caſtrum. Quo cum veniſſet, & ipſi de caſtro reddendo modico diſtuliſſent, præcepit rex oculos Comitis in conſpectu ſuorum erui, niſi ejus juſſum citius implerent; quod illi timentes caſtrum protinus reddiderunt, de quo fautores Conſulis male pacati cito poſtea capiuntur; unde *Willielmo de Ou* oculis privato, *Odo* Conſul *Campania* cæterique plures exhæredati ſunt. Et Comes *Robertus* uſque **Wyndeſore** ducitur carceri mancipandus.

Adhuc audito quod *Wallenſes* poſt regis receſſum de partibus illis caſtrum de **Mongomery** ſtraverant, & caſtrenſibus occiſis multa mala ferro & igne fecerant, rex impiger anno adhuc ultimo ſupradicto, poſt feſtum ſancti *Michaelis* cum immenſo exercitu in *VValliam* properavit, ubi omnes fines *VVallia* pertranſiens, cum in diverſoriis montium, & ſilvarum eos proſequi non poſſet, parum vel nihil proficiens, multis hominibus & equis perditis, iterum ut prius non ſine ignominia reverſus eſt. Eodem tempore ſtellæ ita ſpiſſe de cœlo cadere viſæ ſunt, quod minime poterant numerari.

Urbanus ſecundus papa *Romanus Galliam* venit anno Dom. M^{o}. iiij^{xx}. xv^{o}. & Synodo convocata, & apud *Clarum* montem in quadrageſima celebrata, ut horæ beatæ virginis cotidie dicantur, officiumque ejus diebus Sabatinis celebretur ſtatuit, Ac negotium terræ ſanctæ, ſicut prius in Concilio *Turonis* ſub ipſo celebrato expoſuerat, denunciavit diligenter & expoſuit, hortans Chriſticolas univerſos, ut Chriſti imitatores effecti, in terram ſanctam quam ipſe Chriſtus proprio ſanguine conſecravit, ad ipſius ſanguinis effuſionem vindicandam, & ipſam terram de manibus inimicorum ſuorum eripiendam, celeriter properarent.. Cujus quidem papæ ortatu & prædicatione, plures magnates & populus terræ multus crucem tunc temporis ſuſceperunt. Inter quos *Robertus* Dux *Normannia* ſanctæ crucis caractere inſignitus eſt. Miſitque nuncios ad regem *VVillielmum* fratrem ſuum propoſitum ſuum ſibi nuncians, & ulterius petens, ut abſque repetitione alicujus injuriæ, firma pace inter eos reintegrata, ſibi decem milia marcarum argenti ad inceptum propoſitum implendum mutuaret, & *Normanniam* loco pignoris ſibi poneret, & interim liberaret: Placuit iſte ſermo regi, & mox ejus petitioni annuens, majoribus *Anglia* indixit, ut unuſquiſque eorum ſibi pro poſſe pecuniam feſtinanter mutuaret. Cujus rei cauſa epiſcopi, abbates & abbatiſſæ aurea, & eccleſiæ argentea ornamenta frangentes, illa in pecuniam ad opus regium redigerunt. Comites vero & Barones, & cæteri terræ magnates, homines & ſubditos ſuos ſpoliantes, regi juxta votum ſuum inmenſam pecuniam deferebant, tranſivitque rex in *Normanniam* menſe Septembri, & pace cum ſuo germano firmata, pecuniam prædictam ei præſtitit, & loco pignoris *Normanniam* accepit.

Profectique ſunt Chriſtiani noſtri catholici in terram ſanctam, unde cum dicto *Roberto* Duce *Normannia* ivit *Robertus* Comes *Flandria*, & *Euſtachius* Conſul *Bolonia*. Iveruntque ex alia parte Dux *Godefridus Lothoringia*, & *Baldewinus* Conſul de *Monte*, & alius *Baldewinus*, reges *Jeruſalem* futuri. Iveruntque ex tercia parte *Reimundus* Comes de ſancto *Egidio*, & epiſcopus *Podienſis*. Quis autem taceat *Hugonem Magnum* fratrem regis *Francorum* & *Stephanum* Comitem *Bleſenſem*? Quis non memoret *Boamundum* de *Apulia* & nepotem ejus *Tancredum*? Hoc eſt miraculum Dei magnum temporibus noſtris factum, & ſeculis omnibus inauditum, Quod tot diverſæ gentes, tot fortiſſimi proceres relictis poſſeſſionibus ſplendidis, uxoribus et filiis, mente omnes una morte ſpreta loca innotiſſima petierunt. Quibus per terram et demum per *brachium* ſancti *Georgii*, et per *Conſtantinopolitanam* urbem tranſeuntibus, cometa iij. kal. Octobris per quindecim dies ſequentes apparuit. Animoſe igitur Chriſtiani in crucis Chriſti inimicos procedentes, *Antiochiam*, *Tripolim*, *Achon* et pene totam terram ſanctam cum civitate *Jeruſalem* ceperunt. Sed antequam *Antiochia* capta erat ſanctus *Andreas* apparuit cuidam ſimplici ruſtico, Provinciali genere, dicens; Veni, oſtendam tibi lanceam qua *Jeſus Chriſtus* perforatus eſt. Qui ruſticus capta civitate præſente *Roberto* Comite cum capellano ſuo in eccleſia ſancti *Petri* fodiens, in loco de quo revelationem habuerat, lanceam invenit. Dubitantibus autem pleriſque utrum lancea Chriſti eſſet, quidam *Bartholomeus* nomine cui Chriſtus apparens de lancea ſignificaverat, cum ipſa lancea per ignem xiij. pedum quem fieri juſſerat, illæſus tranſivit. Et ſic exercitus fiduciam in Chriſto, et in ipſius lancea habentes, intrepidi cum illa proceſſerunt per *Achon*, quæ olim *Tholomaida* dicebatur. Veneruntque *Caſaream*, ubi cum eſſent deſuper exercitum columbam volantem, unus aucipiter graviter plagatam in terram dejecit, Circa quam inventæ ſunt literæ quæ talem ſententiam deferebant.

Rex Acheron *Duci* Cæſareæ ſalutem. *Generatio canina gens contentioſa venit, contra quos per te & per alios legem tuam defendas, idem annuncia aliis civitatibus.* Poſt hæc venientes obſederunt *Ieruſalem*, quæ octavo idus Julii feria ſexta ab ipſis fidelibus pio et felici ſudore capta eſt. Eſt autem *Ieruſalem* civitas in montibus ſita, rivis, fontibus et ſilvis carens, excepto fonte *Syloe*, ubi quandoque aqua ſufficiens reperitur. Fuerat autem poſt *Titi* et *Veſpaſiani* deſtructionem per *Helyum Adrianum* mirifice reparata; ſed non in eodem loco ubi prius. Dicitur etiam quod iſta mocio *Ieroſolimitana* in ſubſidium terræ ſanctæ continebat pluſquam CC. milia Chriſtianorum. Inter quos *Robertus* Dux *Normannia* glorioſus extitit atque clarus; Qui civitate à Chriſtianis et maxime *Francis* capta, regnum *Ieroſolimitanum* ſibi oblatum renuit; unde *Godefridus* Dux *Lothoringia* xj. kal. Auguſti ab omni exercitu in regem *Jeruſalem* unanimiter electus eſt.

Willielmus rex anno regno ſui decimo cum *Normanniam*, quam à *Roberto* fratre ſuo, ut dictum eſt, pro pecunia in vadimonium acceperat, pro libito ſuo diſpoſuiſſet, ad vigiliam paſchæ in *Angliam* rediens, ad **Arundel** applicuit. Cum autem poſtea ad feſtum Penticoſtes, apud *Wyndeſoram* feſtive eſſet diadematus, cum magno exercitu cito poſt in *Walliam* perrexit, ubi ſæpe multis turmis *VVallenſium* proſtratis, ſæpe multos ſuorum, locorum anguſtiis amiſit. Videns igitur eos plus inexpugnabili ſitu terræ, quam viribus & armis defenſos, caſtella juxta fines *VVallia* parari fecit, & ſic ut prius ad *Angliam* confuſus rediit & illuſus. Sed poſt duos annos ſequentes *Hugo* Comes de *Salopia* cum *Hugone* Comite *Ceſtria*, *Menrviam* inſulam quæ dicitur **Angleſeye** cum ingenti exercitu adierunt, & multis *VVallenſibus* peremptis illam fortiter ceperunt, & multa mala in populo illo fecerunt; quoſdam enim pedibus & manibus truncatis, quoſdam vero teſticulis abſciſis oculis privaverunt. Quemdam eciam presbyterum provectæ ætatis nomine *Renredum*, à quo *Wallenſes* cum ſuis conſilium accipiebant in agendis, ab eccleſia extraxerunt, abſciſiſque teſticulis uno oculo eruto linguam eciam ejus præciderunt. Sed die tercia gratia Dei, ut creditur, reddita ſibi eſt loquela. Dictus vero Conſul *Salopia Hugo* propter illud ut dicitur facinus, à rege *Norragenorum* qui illuc cum paucis navibus applicuerat, ſagitta percuſſus interiit. Sed quidam volunt ipſum ab *Hibernenſibus* eſſe occiſum.

Eodem anno ordo *Ciſtercienſis* per quemdam *Hardyng*, qui à puero in *Anglia* apud *Schyrburnam* monachus fuit, & per quoſdam alios in *Burgundia* in loco qui dicitur *Ayliſmus* in dioceſi *Cabilonenſi* eſt inceptus; ubi die ſancti *Benedicti* fundatum fuit monachis primum cœnobium, & matricem domum totius ordinis antedicti. In qua religione monachi de labore manuum vivunt, vel ſaltem vivere ſolebant; decimas & oblationes non ſolvunt; peliceum aut lineum reſpuunt; ſtaminis veſtiunt. A femoralibus niſi in itinere abſtinent, quæ redeuntes lota reſtituunt. Circa idem tempus dictus papa *Urbanus* in tercia ebdomada paſchæ maximum tenuit *Roma* Concilium: ubi de conſilio fratrum & totius congregati Concilii excommunicavit omnes laicos inveſtituras eccleſiarum dantes, & omnes eas accipientes de manibus laicorum. Excommunicavit eciam eos qui pro eccleſiaſticis honoribus laicorum homines fiunt, dicens, *Quod manus qua in tantam eminentiam excreverunt, quod nulli Angelorum conceſſum eſt, ut Deum cuncta creantem ſignaculo ſuo creent, & eundem ipſum pro ſalute totius mundi Dei patris obtutibus offerant, in hanc detrudi ignaviam vel ſtultitiam non debere, ut ancilla fiant earum manuum, qua diebus ac noctibus obſcenis contactibus inquinantur, rapinis eciam & injuſta ſanguinis effuſione multociens maculantur.* Et conclamatum eſt ab omnibus, *Fiat, fiat.* Poſt hæc idem *Urbanus* papa eodem anno poſtquam annis xj. menſibus quatuor, & diebus quindecim ſediſſet, obiit. Cui ſucceſſit *Paſchalis Secundus* ſedens annis xviij. menſibus quinque, diebus vij. qui natione *Tuſcus* de *Bleda* fuit.

Eodem anno *VVillielmus* rex pravus nihil fere recti in regno ſuo fieri permittebat, ſed in opere muri circa turrim *Londonienſem*, & magnæ eciam aulæ apud *VVeſtmonaſterium* nunquam ceſſans, provincias in tributis intollerabiliter vexabat; excepta rapina quam familia ſua, ubicunque pergebat, quaſi fere hoſtiliter exercebat. At rex ad feſtum ſancti *Martini* mare in *Normanniam* retranſiens, *Edgarum* filium *Malcolmi* regis *Scottorum*, cum exercitu in *Scociam* deſtinavit, ubi *Dunevaldo* rege ingenti prælio fugato, rex *VVillielmus* ipſum *Edgarum* in regno *Scociæ*, ut ſupra ſcribitur, ſtabilivit.

VVillielmus rex anno regni ſui xj. in *Normannia* moram traxit, ſemper hoſticis tumultibus & armorum curis deditus, populum interim *Anglorum* exactionibus peſſimis excorians & abradens Eodem anno viſus eſt ſanguis in æſtate à quodam fonte apud **Finchamſtede** in **Barkſchire** tribus ſeptimanis continuis ebullire. Poſt hæc cœlum tota nocte apparuit rubeum quaſi pene arderet. Eodem anno *VValkelinus* epiſcopus *VVyntonienſis* obiit, & ſupradictus *Hugo* Conſul *Salopiæ*, ut præſcribitur, in *VVallia* extitit occiſus, cujus comitatum *Robertus* de *Bellem* frater ejus accepit.

VVillielmus rex anno regni ſui xij. in *Angliam* rediens curiam ſuam primo in nova aula *VVeſtmonaſterienſi* tenuit tunc perfecta. Quam cum inſpecturus primo introiſſet, cum alii ſatis magnam vel æquo majorem ipſam dicerent, rex reſpondit, eam magnitudinis debitæ dimidia parte carere. Rurſus, cum in nova foreſta circa venationem extitiſſet, nuncius ſubito à *Cenomannia* veniens dixit, ſuam ibi familiam obſideri. Rex igitur ad mare feſtinans, naves introiit indilate: Cui nautæ. Cur regum maxime mare tempeſtate intolerabili quaſſato mortis iminens periculum non formidas? Quibus rex, De rege loqui ſubmerſo maris fluctibus non audivi. Mare igitur tranſiens, dum viveret nihil egit unde tantam famam, & tantum gloriæ decus haberet, nam *Cenomanniam* petens *Elyam* Conſulem fugavit, & eum ſui juris eſſe juſſit, & in *Angliam* poſtea transfretavit.

Eodem anno rex *Rannlpho* placitatori ſed perverſori, non exactori, ſed exuſtori epiſcopatum *Dunolmenſem* contulit & donavit. Et hoc anno deceſſit *Edmundus* epiſcopus *Sariſberienſis*. Eodem anno multa adverſa in *Anglia* contigerunt; verum hoc maxime erat horrendum quod diabolus in ſaltibus, & deviis viſibiliter hominibus apparuit, & tranſeuntibus locutus eſt. Tempore iſtius regis *VVillielmi* ſanctus *VVolſtanus VVygornienſis* epiſcopus in domino feliciter requievit.

An. Dñi 1100. Anno Domini milleſimo centeſimo, & regni regis *VVillielmi* xiij. dum in oriente à Catholicis proceribus fortiter atque feliciter ageretur, idem rex *VVillielmus* iniquitatem ſibi prolongans, & in exitium proprium contra ſtimulum calcitrans, venerabilem *Anſelmum Cantuarienſem* archiepiſcopum ipſum regem cum modeſtia corripientem, & enormia quæ ab eò, & ſub eo gerebantur corrigere volentem, impatiens non pertulit, ſed diſcordia inſtinctu malorum inter eos orta, quia pro archiepiſcopatu ſibi collato pecuniam regi ad regratiandum ei conferre recuſavit; & etiam de inveſtituris eccleſiarum, & in multimodis earum oppreſſionibus eidem conſentire noluit, ipſum archiepiſcopum rebus omnibus fere ſpoliatum tanquam regno contrarium ab *Anglia* proſcribendo expulit, omnibus epiſcopis excepto *Roffenſi* cum rege tenentibus; unde *Anſelmus* multis injuriis, & dampnis ex cauſis antedictis ſæpius afflictus ab *Anglia* exulatus receſſit, & *Romam* adiit ſummo pontifici conqueſturus. Cumque rex *Willielmus* patrio more ad natale apud *Gloverniam*, ad paſcha apud *Wyntoniam*, ad pentecoſtem apud *Londoniam* curiam ſuam glorioſe tenuiſſet, ad novam regiam foreſtam Anglice **Ychene** dictam, quam pater ſuus *Willielmus* baſtardus hominibus fugatis, deſertis villis, & ſubreptis eccleſiis per xxx. & eo amplius miliaria in ſaltus, & luſtra ferarum redigerat, iiij. nonas Auguſti feria quinta venatum ivit, ubi quidam miles *Francus Walterus* cognomine *Tyrell* ſagittam cervo incaute dirigens, regem caſu infortuito non voluntarie ad mortem percuſſit. Qui corruens nullum edidit inde verbum, & ſic inviſus ille rex nequiſſimus, in omnibus viis ſuis inconſtans, Deo indevotus, eccleſiæ & populo ſuo gravis, nuptiarum conſortia ſpernens, & paſſim laſciviens, opes regni ſitiens, & fortunas ſubditorum corrodens, inmaniſſimæ ſuperbiæ turgidus, & doctrinæ evangelicæ quaſi deriſor effectus, qui gentem *Anglorum* nullo contradicente tributis & exactionibus peſſimis vexabat, epiſcopatus & abbathias aut vendebat, aut in manu ſua retinens ad firmam tradebat, in quodam loco ubi priſcis temporibus eccleſia fuerat conſtructa, & tempore patris ſui cum multis aliis eccleſiis, & quatuor domibus religioſis, & tota illa patria in ſolitudinem redacta, vitam crudelem fine miſerrimo terminavit. Jure autem in medio injuſtitiæ ſuæ inter feras occiditur, qui ultra modum inter homines ferus erat. Nam ſtabilitis contra malefactores ſilvarum, foreſtarum, & venationis legibus duris, zelotepia ſua agente, cuſtos boſcorum & ferarum paſtor communiter vocabatur. Siquidem in die qua obiit archiepiſcopatum *Cantuarienſem Anſelmo* archiepiſcopo, ut eſt dictum relegato, & epiſcopatus *Wyntonienſem*, & *Sariſbirienſem*, & novem abbathias ad firmam traditas in proprio poſſidebat. Poſtremo ita crudelis, & contrarius fuit, quod quicquid Deo Deumque diligentibus diſplicebat, hoc regi regemque diligentibus placebat.

In eadem eciam prædicta nova foreſta germanus regis *Ricardus* filius *Roberti* Comitis *Normanniæ*, dum & ipſe paulo ante in venatione fuiſſet, à ſuo milite ſagitta percuſſus occubuit. Quod ſecundum judicium populi vindicta altiſſimi Dei fuit, quia temporibus regis *Edwardi* & aliorum regum eadem patria cultoribus Dei & ſacris eccleſiis uberime renitebat, ſed, ut dictum eſt, juſſu *Willielmi* regis ſenioris habitatoribus fugatis, domibus Dei dirutis & eccleſiis deſtructis, habitationi ferarum deputata eſt. Contigit autem ut quidam volunt, quod iſte rex *Willielmus Rufus* proximo die ante diem qua deceſſit, ſopitus ſompniavit, quod ipſe erat ſanguine minutus, & non parum, ſed uſque ad quantitatem maximam cruentavit; & videbatur ei quod unus radius cruoris ſui verſus cœlum multum in altum ſe exiliens, claritatem diei cum aere obſcuravit. Expergefactus autem rex, & nimio timore de viſione illa percuſſus, pluribus curiæ ſuæ quid ſompniaverat indicavit. Qui multum admirantes, aliquod infortunium ſibi evenire, ſicut accidit, occulte contra ſe judicarunt. Nocte eciam qua rex in craſtino deceſſit, quidam monachus domus ſuæ ſompniando vidit regem nimio faſtu elatum, quamdam eccleſiam pompoſe intrare, cunctoſque circumſtantes deſpicere, & pudibunde ymaginem crucifixi dentibus ſuis quaſi amens mordere; quam verecundiam crucifixus benigne patiebatur. Sed demum rex quaſi demens brachia & crura ejuſdem crucifixi rodere incepit, & ipſum ita fortiter pede percuſſit, quod in terram jacuit proſtratus. A cujus ore continuo una flamma magna exivit, unde omnes admirabantur. Monachus vero cuidam militi ſecretario regis, & à rege magis dilecto, qui *Reginaldus* filius *Hamonis* dicebatur, ſompnium ſuum quam cito potuit indicavit. Qui ambo illud ſtatim regi retulerunt, nam aliquod infortunium illud ſignificare vehementer dubitarunt. Rex vero ſompnio audito, ter vel quater quaſi eos deridendo cachinnavit. Sed poſtea intra ſe deliberavit, utrum ad ſilvam illo die cauſa venandi accederet, ſicut meditaverat, an non. Tandem gente ſua ſibi conſiliante, ut nullo modo illo die lucum adiret, domi ante prandium moratus eſt; ſed quam cito comediſſet, nullus eum retinere potuit, quin juxta votum ſuum omnimodo venandi gratia novam foreſtam viſitaret; ubi eodem die vitam ſuam miſeram, ut ſupradictum eſt, anno regni ſui tercio decimo miſere terminavit. Cujus cadaver in reda caballaria poſitum, & *Wintoniam* multorum procerum conventu, paucorum vero planctu delatum, in craſtino perditionis ſuæ in eccleſia ſancti *Petri* traditur ſepulturæ. Circa idem tempus *Anſelmus Cantuarienſis* archiepiſcopus per regem *Willielmum* ut prædicitur relegatus, cum literis & auctoritate ſummi pontificis verſus *Angliam* rediens, cum adhuc in partibus tranſmarinis moram faceret, & ad vigilias nocturnas quadam nocte cum ſuis ſurgeret, quidam ſuorum ſtando oculis clauſis pſallebat, cui parva cedula inter manus dilapſa eſt, *Rex Anglia occiſus eſt*, hoc erat ſcriptum in cedula. Cumque hoc archiepiſcopus audiſſet & deinde certior factus fuiſſet, flevit amare, & verſus *Angliam* celeriter tetendit.

DEfuncto rege *Willielmo Rufo* prole carente, &, ut dictum eſt, apud *Wyntoniam* ſepulto, *Henricus* dictus *Clericus* frater ejus junior in regem ibi electus eſt, ut ipſe qui ſolus à rege coronato poſtquam pater ejus *Willielmus* conqueſtor regnum *Anglia* & diadema regni ſuſceperat, extitit procreatus. Qui ſtatim ibi apud *Wyntoniam Willielmo Gyffard* contulit epiſcopatum *Wyntonienſem*, pergenſque *Londonias*, optabili melioratione legum & conſuetudinum repromiſſa, à *Mauricio Londonienſi* epiſcopo quarto die poſt mortem fratris ſui anno Domini M. C. apud *Weſtmonaſterium* conſecratur. Qui eodem die conſecrationis ſuæ *Anglicanam* eccleſiam, quæ tempore fratris ſui vendita erat vel ad firmam poſita, liberam ab omni ſervitute ſtatuit & quietam. Sed abbathiam ſancti *Edmundi Roberto* filio Comitis *Ceſtria* ſine electione conventus ejuſdem loci dedit; *Anſelmum* venerabilem archiepiſcopum *Cantuarienſem*, quem frater ſuus exulaverat, mox ad propria revocavit, & omnes malas conſuetudines & injuſtas exactiones quibus *Anglia* opprimebatur de medio abſtulit, ac earundem inventorem *Ranulphum Dunolmenſem* epiſcopum incarceravit, pacem firmam in toto regno ſuo poſuit, & leges regis *Edwardi* omnibus in commune reddidit, cum emendationibus quibus eas emendaverat pater ejus; ſed foreſtas quas ille conſtituit, continuavit & iſte.

Poſt hæc congregavit rex majores natu & magnates terræ, & eorum conſilio fretus, bonam *Matildem* filiam *Malcolmi* nuper regis *Scottorum* & *Margareta* reginæ, duxit *Londonia* ſolempniter in uxorem; quam *Anſelmus* archiepiſcopus de exilio tunc reverſus ſibi deſponſavit, & die ſancti *Martini* coronavit, & in reginam *Anglia* conſecravit. Ex qua poſtea proceſſu temporis idem rex *Henricus* genuit *Willielmum*, & *Matildem* imperatricem. Iſte rex *Henricus* dictus eſt *Henricus* primus, quem *Merlinus Ambroſius leonem juſtitia* in hiſtoria regum nominavit, fecit enim judicium & juſticiam in terra; cui Dominus præciſe tria dederat, videlicet Sapientiam, Victoriam, & Divitias, quibus bene proſperatus omnes anteceſſores ſuos præceſſit. Interea capta, ut dictum eſt, per principes & peregrinos Chriſtianos, urbe *Jeruſalem*, & poſtea ingenti prælio contra exercitum *Admiraldi Babilonia* victorioſe patrato, *Robertus* dux *Normannia* frater ejus, cum uxore ſua, quam ſibi in *Sicilia* deſponſaverat, à terra ſancta menſe Auguſti in *Normanniam* rediens, ab omni populo cum lætitia eſt ſuſceptus. Quod quidam magnates *Anglia*, qui regis animum non habebant, audientes, miſſis ei nunciis rogaverunt, ut feſtinanter in *Angliam* veniret, coronam regni ſuſcepturus, terram ſibi & auxilium promittentes. Qui confeſtim copioſa multitudine navium coadunata, exercitum congregavit. *Henricus* igitur rex, quem hoc non latuit, cum ad natale apud *Weſtmonaſterium*, & ad Paſcha apud *Wyntoniam* curiam ſuam tenuiſſet, præcepit marinariis portuum, mare cura diligentiſſima cuſtodire. Quibus rex præliatores aſſociavit, ut ſi frater ejus de *Normannia* in *Angliam* veniret bellum navale cum eo gererent indilate. Ipſe autem rex innumerabili exercitu congregato, non longe caſtra poſuit ab *Haſtynga*, ubi fratrem ſuum credidit applicaturum. Sed à nautis ſuis deceptus eſt, nam Dux quoſdam ex illis marinariis adeo donis & promiſſionibus fregit, quod regia fidelitate fracta ad ipſum ducem tranſeuntes ſibi ſe protinus ſubdiderunt, & duces ejus in *Angliam* extiterunt. De quibus cum ille ſecurus fuiſſet, & omnia ad tranſfretandum prompta & parata eſſent, navem cum exercitu aſcendit, & ipſis ducentibus, apud **Porteſmuth** circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula pro voto applicuit, & ſtatim verſus *Wyntoniam* ſe movet. Quod ſeductores qui eum vocaverant, audientes, ad eum celeriter tranſierunt; quidam tamen eorum cum rege, ſed voluntate ficta & mente perfida remanſerunt. Interim dum rex & dux ad prælium ſe pararent, principes utrinque fraternum bellum non perferentes, habito inter ſe ſalubri conſilio, pacem inter fratres & fœdus concordiæ ſtatuerunt, eo videlicet pacto, Quod rex ſingulis annis tria milia marcarum argenti duci perſolveret, & qui diutius viveret ſi alter abſque filio moreretur, alterius hæres eſſet. Et homines ſui qui terras aliquas, dignitates, vel honores aliquos in *Anglia* propter ducem, vel in *Normannia* propter regem perdiderant, omnia illis viciſſim reſtituerent. Quibus per xij. eximiores procerum utrinque juratis, *Robertus* dux in pace in *Anglia* uſque ad feſtum ſancti *Michaelis* commorans ad propria poſtea remeavit. Circa idem tempus mortuo *Thoma Eboracenſi* archiepiſcopo, *Gerardus Herfordenſis* ad eundem archiepiſcopatum eſt electus.

Anno regni regis *Henrici* tercio, cum *Ranulphus Dunolmenſis* epiſcopus quem rex conſilio gentis *Anglorum* in vinculis, ut dictum eſt, poſuerat, à carcere evaſiſſet, clamdeſtine in *Normanniam* tranſiens, *Robertum* ducem in regem fratrem ſuum male inſtigavit, & ad odium fraternum quantum potuit commovit. Circa idem tempus *Henricus* rex in ſedicioſum conſulem *Salopiæ Robertum de Bellem* jure exſurgens eum exulavit, quem in caſtello de **Arundell** rex obſeſſit. Quod cum graviſſimum eſſet ad conquirendum, caſtellis ante illud conſtructis ivit & **Brugge** obſedit, quouſque caſtrum ſibi redditum fuit; unde dictus *Robertus de Bellem* gemebundus in *Normanniam* transfretavit.

An. Dñi 1103. Anno Domini M. Ciij. & regis *Henrici* adhuc iij°. magna diſſencio inter regem *Angliæ* & *Anſelmum Cantuarienſem* archiepiſcopum eſt exorta, eo videlicet quod dictus archiepiſcopus conſentire nollet, quod rex inveſtituras eccleſiarum daret; unde rex iratus *Eboracenſi* archiepiſcopo *Girardo* præcepit, ut ipſe epiſcopos, quibus rex inveſtituras dederat, conſecraret. Sed *Willielmus Gyffard*, cui rex epiſcopatum *Wyntonienſem* dederat, zelo juſtitiæ motus, benedictionem *Eboracenſem* ſprevit; propter quod rebus ſuis ſpoliatus, à regno, regis judicio eliminatur; unde *Anſelmus* poſt multas injurias & diverſas contumelias quas paſſus eſt, ad regis rogatum *Romam* demum proficiſcitur, ut decretum Domini papæ *Paſchalis* ſecundi in hiis & in aliis haberetur; unde rex eidem papæ per duos legatos, *Robertum* ſcilicet *Lychfeldenſem*, & *Herbertum Norwycenſem* epiſcopos ſcripſit in hæc verba. *Patri venerabili* Paſchali *ſummo pontifici*, Henricus *Dei gratia rex* Anglorum *ſalutem. Promotioni veſtræ in ſedem ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ plurimum congaudeo, petens quod amicitia quæ patri meo cum anteceſſoribus veſtris fuit, inter nos quoque illibata permaneat, unde ut dilectio & benignitas à me videatur ſumere initium, beneficium quod ab anteceſſoribus meis beatus* Petrus *habuit, vobis mitto, eoſque honores & eam obedientiam quam tempore patris mei anteceſſores veſtri in regno* Angliæ *habuerunt, tempore meo ut habeatis volo; eo videlicet tenore, ut dignitates, uſus & conſuetudines quas pater meus tempore anteceſſorum veſtrorum in regno* Angliæ *habuit, ego tempore veſtro in eodem regno meo integre obtineam. Notumque habeat ſanctitas veſtra, quod me vivente Deo auxiliante dignitates & uſus regni* Angliæ *non minuentur. Et ſi ego, quod abſit, in tanta me dejectione ponerem, optimates mei, ymmo totius* Angliæ *populus id nullo modo pateretur. Habita igitur kariſſime pater, utiliori deliberatione, ita ſe erga nos moderetur benignitas veſtra, ne, quod invitus faciam, à veſtra me cogatis recedere obedientia.*

Eodem termino, & per eoſdem legatos idem rex pro pallio venerabilis *Girardi Eboracenſis* archiepiſcopi eidem papæ ſcripſit hoc modo. *Reverendo & diligendo patri venerabili & univerſali papæ* Paſchali, Henricus *Dei gratia rex* Anglorum *ſalutem. Amor quem plurimum erga vos habeo, & benignitas quæ multum veſtros actus exornat, fiduciam michi dabant, ut retento mecum* Girardo Eboracenſi *archiepiſcopo pallium ei à veſtra ſanctitate requirerem: ſed quia ipſe totus eo deſiderio tenebatur, ut veſtris conſpectibus ſe præſentaret, & à vobis per ſeipſum id petere poſſet, ad vos eum miſi, dulciſſimam michi paternitatem veſtram obſecrans, ut dato ei quod petit pallio, cum honore & læticia eum ad me remittatis, orantes pro nobis filiis veſtris. Apoſtolatum veſtrum Deus multis annis conſervet.* Iſtæ quidem literæ quanta regem decuit veneratione ſuſceptæ fuerunt, ac lectæ & perlectæ perplacuerunt. Nam æſtimari non poteſt quantis gaudiis & quanta celebritate prædicti nuncii cum regis dignitate & ipſorum eciam probitate recepti ſunt pariter & remiſſi. Tantam eciam ſpecialitatem & gratiam *Girardus* archiepiſcopus in oculis omnium *Romanorum* meruit, ut nulla blaſphemantium vel contradicentium ſtudia ſuper eum *Roma* deinceps proceſſerunt, licet de eo fama publicata fuerat, quod abſente *Cantuarienſi* archiepiſcopo *Anſelmo* in ejus dioceſi quoſdam intronizatos conſecrare voluiſſet. Sed cum ipſi nullatenus adquieſcerent, *Willielmus Gyffard Wyntonienſis* electus unus ſacrandorum epiſcoporum, pro eo quod à dicto *Girardo Eboracenſi* archiepiſcopo conſecrari noluit, à regno, ut eſt dictum, exularat, *Romam* petiit & beatiſſimum archiepiſcopum ſuum *Anſelmum* reduxit. *Rogerus* vero *Sariſberitenſis* electus ſanctum ipſius archiepiſcopi *Anſelmi* reditum pro conſecratione ſua juſtis deſideriis expectavit.

Cumque prædictus archiepiſcopus *Anſelmus* de curia *Romana* reverſus regem induceret, ut ab inceptis injuriis ceſſaret, vix demum & cum difficultate maxima adquievit; unde regiis dictis nunciis de *Roma* reverſis, poſtmodum iij. kal. Auguſti clero & populo ad concilium *Londoniæ* congregato, aſtantibus archiepiſcopis, & epiſcopis, cæteraque multitudine maxima procerum & magnatum, ſtatuit rex & conceſſit, ut ab eo tempore in antea nullus electus per dationem baculi paſtoralis vel anuli de epiſcopatu, vel abbathia inveſtiretur per regem ſeu quamcumque perſonam aliam ſecularem. Et dictus archiepiſcopus *Anſelmus* conceſſit, ut nullus in prælationem electus conſecratione ſuſcepti honoris pro homagio quod regi faceret privaretur. Statuit etiam rex pacem firmam & legem certam, ut ſi quis in furto vel latrocinio deprehenſus eſſet, abſque redemptione aliqua ſuſpenderetur. Statuit eciam, ut quicumque falſos denarios faceret, & ſuper hoc deprehenſus eſſet, ambos oculos & inferiores partes corporis amitteret. In illo eciam concilio dictus archiepiſcopus *Anſelmus* interdixit & prohibuit uxores ſacerdotibus, ante non prohibitas. Statuit etiam, ne monachi vel presbyteri ſint præpoſiti laicorum. Statuit eciam de ſuperfluis crinibus & veſtibus. Statuit eciam, ut occulta vota pueri vel puellæ ſint irrita. De ſodomitis publice excommunicandis. Depoſuit inſuper in eodem Concilio plures abbates, videlicet *Perſorenſem*, *Burghenſem*, *Elyenſem*, *de ſancto Edmundo*, *Rameſyenſem*, *Cernelenſem*, *Mideltunenſem*, *Tenkesbyrienſem*, & *Mylceylyenſem*, quorum quidam depoſiti fuerunt ſicut Deus voluit, propter vitæ infamiam, quidam autem propter ſimoniæ circumventionem. Ibidem etiam fuerunt exordinati duo monachi propter homicidium in eccleſia perpetratum.

Poſtea non multo tempore elapſo, dictus archiepiſcopus *Cantuarienſis Anſelmus*, & cum eo *Gerardus* archiepiſcopus *Eboracenſis*, & omnes alii *Angliæ* epiſcopi, in præſentia regis *Henrici*, aſſenſu omnium baronum ſuorum apud *Wyntoniam* ſtatuerunt, ut presbyteri, diaconi, ſubdiaconi caſte vivant, & mulieres in domibus ſuis non habeant, præterquam in proxima conſanguinitate ſibi conjunctas, ſecundum quod ſancta *Nicena* ſinodus diffinivit. Illi vero presbyteri, diaconi, ſive ſubdiaconi, qui poſt interdictum *Londonienſis* concilii feminas ſuas tenuerint, vel alias duxerint, ſi eligerint in ſacris ordinibus remanere, jurent quod carnale commercium cum eis amplius non habebunt. Statuerunt eciam, ut prædictæ feminæ in domibus cum eis ſcienter non conveniant, neque hujuſmodi feminæ in territorio eccleſiæ habitent. Si autem propter aliquam honeſtam cauſam eos colloqui oporteat, cum duobus legitimis teſtibus ad minus extra domum colloquantur. Si vero duobus vel tribus legitimis teſtibus, vel publica parochianorum fama quis hoc ſtatutum violaſſe accuſatus fuerit, purgabit ſe adjunctis ſecum ordinis ſui idoneis teſtibus vj. ſi preſbyter fuerit; ſi diaconus quatuor, ſi ſubdiaconus duobus. Qui autem in purgatione defecerit, hujus ſacri ſtatuti cenſebitur violator. Illi autem preſbyteri qui divini altaris & ſacrorum ordinum contemptores exiſtunt, præeligentes cum uxoribus ſuis habitare, à divino officio remoti omnique eccleſiaſtico beneficio privati, extra chorum ponantur & infames cenſeantur. Qui vero rebellis extiterit & miſſam celebrare præſumpſerit, ad ſatisfactionem vocetur, quam ſi non fecerit excommunicetur. Eadem ſententia archidiaconos & omnes canonicos teneat & liget tam de uxoribus abjurandis, quam de earum cohabitatione vitanda, & de diſtrictione cenſuræ ſi ſtatuta tranſgreſſi fuerint. Jurabunt eciam omnes archidiaconi, quod pecuniam non accipient pro tranſgreſſione hujus ſalubris ſtatuti toleranda. Sed neque ullo modo tolerabunt presbyteros uxoratos miſſas cantare, vel vicarios pro ſe conſtituere. Et quod ipſi non diſſimulabunt per archidiaconatus ſuos hoc inquirere, & fideliter epiſcopis ſuis denunciabunt, & attente & fideliter ad vindictam hujus rei exequendam ſuos epiſcopos adjuvabunt. Qui vero archidiaconus vel decanus hoc jurare noluerit, archidiaconatum, vel decaniam irrecuperabiliter perdat. Presbyteri vero qui relictis uxoribus Deo & ſacris ordinibus ſervire elegerint, quadraginta dies ab officio ceſſantes, pro ſe vicarios habeant, injuncta eis pœnitentia ſecundum quod epiſcopis eorum viſum fuerit.

Anno regni regis *Henrici* quarto, *Robertus* dux *Normanniæ* in *Angliam* venit, cauſiſque variis mediantibus, & cauta regis verſutia, tres mille marcas quas idem rex annuatim eidem ſolvere deberet ſibi cum dilectione maxima condonavit, & ad propria remeavit.

Curriculo anni ſequentis, *Henricus* rex magnam à regno exegit pecuniam, & terra multis oppreſſionibus gravabatur. Accenſo enim inter regem & *Robertum* fratrem ſuum ducem *Normanniæ* antiquo furore, rex milites in *Normanniam* deſtinavit. Qui à proditoribus ducis recepti, prædis & combuſtionibus non minimam cum eis cladem rebus ducis viriliter ingeſſerunt; unde rex eodem anno cum inmenſo exercitu contra fratrem ſuum hoſtiliter certaturus in *Normanniam* navigavit. In cujus adventu principes & magnates *Normanniæ* aurum & argentum illius anelantes, ſpreto duce ei occurrerunt, & ſibi ſe ſubicientes caſtra ei & civitates munitas, excæcati muneribus, tradiderunt. Poſtea rex *Cadomum* pecunia fratri ſuo abſtulit, *Baiocum* armis auxilio *Andegavenſis* conſulis conquiſivit, & eam cum eccleſia beatæ *Mariæ* combuſſit. Quibus actis, menſe Auguſti rex in *Angliam* remeavit. Inter hæc *Willielmus* conſul *Moretoil* cauſa perfidiæ ab *Anglia* exhæredatus à rege, in *Normannia* recedens, animo perfecto & exercicio ferventi vir probiſſimus regales turmas ſæpe inquietavit.

Anno regni regis *Henrici* ſexto, videns dux *Robertus* quod non potuit regi reſiſtere eo quod viribus impar eſſet, & magnates ſui ab eo receſſerant, in *Angliam* transfretavit, & uſque ad **Northamton** ad regem fratrem ſuum venit, humiliter ab eo petens, ut fraternam amicitiam & gratiam ſibi ablatas redderet cum amore. Cum vero Deus eorum concordiæ non aſſentiret, dux iratus in *Normanniam* perrexit. Quem rex eodem anno ante Auguſtum manu valida ſequebatur. Rege enim cum fere omnibus proceribus *Normanniæ*, nec non multo robore *Angliæ*, *Andegaviæ*, & *Britanniæ*, caſtrum de **Tenerchebray** obſidente, *Robertus* dux *Normannorum*, & cum eo *Robertus* de *Bellem*, & *Willielmus* conſul de *Moretoil*, & omnes ejus fautores alii, in vigilia ſancti *Michaelis* hoſtiliter advenerunt. Cum igitur cornua rauco cantu ſtrepuiſſent, dux *Normanniæ* bellis *Jeroſolimitanis* aſſuetus, cum paucis multos audaciſſime aggreſſus, aciem regalem fortiter & horrende repulit & turbavit. *Willielmus* vero conſul de *Moretoyl* aciem *Anglorum* de loco in locum turbavit. Tandem acies equeſtris *Britannorum* & cæteræ acies cum peditibus per aciem ducis ex adverſo ſubito prorumpentes, illam mole magnitudinis oppreſſam diſſolverunt ſtrenue & vicerunt. Et fugiente *Roberto* de *Bellem* dux fortiſſimus *Normannorum* & conſul de *Moretoil* in illo prælio capiuntur. Et ſic reddidit dominus vicem pro vice duci *Roberto*, quia cum glorioſum in actibus *Jeroſolimitanis* eum Dominus redderet, regnum *Jeroſolimitanum* ſibi oblatum renuit, magis eligens quieti & deſidiæ in *Normannia* deſervire quam regi regum in ſancta civitate militare; dampnavit igitur eum Deus deſidia perhenni & carcere ſempiterno. In cujus rei ſignum cometa eodem anno apparuerat; & in cœna Domini viſæ ſunt duæ lunæ plenæ paulo ante diem, una in oriente, alia in occidente, & eodem die erat luna xiiij.

Captus eſt igitur, ut dictum eſt, dux *Robertus*, & in cuſtodia regis fratris ſui poſitus, reſiduum vitæ ſuæ tempus inglorioſus egit, & ſecundum quod pater ejus *Willielmus* conqueſtor ducatui *Normanniæ* regnum *Angliæ* ſociaverat: ſic iſto modo iſte rex *Henricus* ſibi & regno ſuo *Angliæ* ducatum *Normanniæ* ſociavit. Et tunc impletum eſt illud verbum quaſi propheticum, quod *Willielmus* **Baſtard** conqueſtor *Angliæ* pater ſuus pridie quam moreretur iſti regi *Henrico* filio ſuo dixerat, ſic ſibi loquens. *Æquo animo eſto fili, pacifice patere ut majores fratres tui te præcedant.* Robertus *habebit* Normanniam, Willielmus Angliam, *copiam autem theſauri mei tibi dabo & Cenomanniam. Tu autem tempore tuo totum honorem quem unquam poſſedi habebis, & fratribus tuis in divitiis & poteſtate prævalebis & præcelles.*

Henricus rex anno regni ſui ſeptimo cum deletis vel dominio ſuo ſubactis hoſtibus *Normanniam* pro libito diſpoſuiſſet, in *Angliam* rediens, fratrem ſuum ducem magnificum & *Willielmum* conſulem de *Moretoil* ſecum adductos carceralibus tenebris mancipavit. Victorioſus igitur & tunc primo rex fortis, ad Paſcha apud **Wyndeſore** curiam ſuam celebravit, in qua cum timore & tremore proceres *Angliæ* ſimul & *Normanniæ* affuerunt. Antea namque dum juvenis erat & poſtquam rex fuerat, in deſpectu maximo habebatur: ſed Deus qui aliter judicat quam filii hominum, & exaltat humiles, & deprimit potentes, *Robertum* ducem omnium favore celeberimum depoſuit, & *Henrici* deſpecti famam per orbem terrarum mirabiliter exaltavit. Nam Dominus omnipotens tria ei munera, videlicet Sapientiam, Victoriam, & Divitias ſatis dedit, quibus omnes anteceſſores ſuos præceſſit, & ſuos quos voluit ditavit. Hiis temporibus gens *Flandriæ* propter deſolationem patriæ ſuæ per jactantiam æquoreæ arenæ, diu vagabunda, locum habitandi à rege *Henrico* expetiit, qui orientalem plagam *Angliæ* juxta fluvium *Twyda* primo eis conceſſit, quos tandem poſtea ſub anno regni ſui xj. in *Weſtwaloniam* apud **Ros & Haverford** transduxit. Eo tempore corpus ſancti *Cuthberti* cum capite ſancti *Oſwaldi* regis & martyris ſanctique *Bedæ* & multorum Sanctorum reliquiis incorruptum à fratribus *Dunolmenſis* eccleſiæ eſt inventum, *Alexandro Edgari* regis *Scottorum* fratre & poſtea rege præſente, poſt annos depoſitionis ejuſdem ſancti *Cuthberti*, CCCC. xviij. anni, xij. dies, & octo menſes.

Poſt hæc anno regis *Henrici* adhuc vij. *Edgarus* rex *Scottorum* obiit, cui *Alexander* frater ſuus conſenſu *Henrici* regis *Angliæ* ſucceſſit.

Henricus rex anno regni ſui viij. cum *Philippus Francorum* rex deceſſiſſet, in *Normanniam* tranſiit, & contra *Lodowicum* ejuſdem *Philippi* filium novum regem *Franciæ* guerram non minimam habebat.

Henricus rex anno regni ſui nono de *Normannia* in *Angliam* reverſus, curiam ſuam valde ſplendidam apud *Londoniam* tenuit, ubi nuncii ab *Henrico* quarto *Teutonicorum* rege in imperatorem electo miſſi, ad eum venientes, *Matildem* filiam ſuam ætate valde teneram in domini ſui conjugium poſtularunt; cui poſtea honorifice ſicut decuit extitit maritata, unde rex cepit ab unaquaque hida terræ in *Anglia* iij. s.

Anno regni regis *Henrici* x. venerabilis archiepiſcopus *Cantuarienſis Anſelmus* xj. kalend. Maii obiit, & ſortitus eſt nomen grande juxta nomen magnorum qui ſunt in cœlo. Hic nuper vj. epiſcopos uno die conſecravit, *Girardo Eboracenſi* archiepiſcopo ſibi cum aliis epiſcopis aſſiſtente. Eodem anno rex abbathiam de **Ely** ad ſedem epiſcopalem convertit, & primum epiſcopum *Herveum Bangorenſem* conſtituit. Iſte epiſcopatus *Elyenſis* ſumptus eſt de epiſcopatu *Lincolnienſi*, agente *Ricardo Elyenſi* abbate, qui epiſcopo *Lincolnienſi* pro conſenſu ſuo habendo pinguia maneria & plurima dona dedit. Circa hoc tempus fluvius qui dicitur **Trent**, à mane uſque ad horam terciam apud **Notyngham** ſpacio unius miliaris exſiccatus eſt, ita ut homines ſicco veſtigio per alveum ejus incederent. Hiis temporibus in parochia *Logienſi* porca enixa eſt porcum faciem hominis habentem. Natus eſt eciam pullus gallinæ quadripes. Eodem anno cum rex ad Pentecoſten curiam ſuam apud *novam Wyndſore* quam ædificaverat, tenuiſſet, eos qui ei nocuerant, ſcilicet *Philippum de Breaus*, *Willielmum Mallet*, & *Willielmum Baynard* exhæredavit. Circa idem tempus *Elya* conſule, qui *Cenomanniam* ſub rege *Henrico* tenuerat, vita privato, conſul *Andegavienſis Cenomanniam* cum filia ipſius *Elyæ* ſuſcepit, & eam tenuit contra regem.

Henricus rex anno regni ſui xj. in *Normanniam* pergens, in conſulem *Andegavienſem*, qui *Cenomanniam* eo invito tenebat, leges guerræ ferro & flamma exercuit inceſſanter. Circa hoc tempus rex conſulem *Eurum* & *Willielmum Cryſpyn* à *Normannia* exulavit, *Robertumque* ducem de *Bellem* virum nequiſſimum, de quo prædiximus, cepit, & rediens in *Angliam* ipſum apud **Warham** perpetuo carceri mancipavit. Circa hoc tempus *Henricus* rex archiepiſcopatum *Cantuarienſem Radulpho de Turbine Roffenſi* epiſcopo dedit.

Circa hoc tempus *Henricus Alemannorum* rex cum magno exercitu venit in *Tuſciam* ut *Romæ* in imperatorem coronaretur, & præmiſſis ad papam *Paſchalem* nunciis per literas refutabat omnem inveſtituram epiſcoporum, abbatum & aliorum clericorum, ſuper quo alii imperatores prædeceſſores ſui quæſtionem cum *Romanis* pontificibus habuerant. Et juramento tam imperatoris quam principum ſuorum ſuper hoc domino papæ promiſſo, poſtquam clerus cum populo extra portas verſus *Montem malum* de mandato domini papæ ſibi obviaſſet, & ipſum uſque ad ſummitatem graduum ſancti *Petri* conduxiſſet, ubi ſummus pontifex cum cardinalibus & epiſcopis eum expectaſſet, rex adveniens, poſt pedum oſcula ſe adinvicem oſculati ſunt, & ſe per manus tenentes, cum ad Portam argenteam deveniſſent, dominus papa deſignavit ipſum imperatorem. Sed poſtquam ad Rotam purphiricam ipſe rex perveniſſet, & papa ſuper inveſtitura refutando juramentum expetiſſet, rex cum ſuis habito conſilio, dominum papam & cardinales cum tota curia captivavit. Poſtea papa liberato, & pace in paſchate cum ipſo rege facta, & ipſo in imperatorem coronato, & in campo extra muros ſtatim egreſſo, pontifex cum epiſcopis & cardinalibus in urbem regrediens, cum tanta frequentia populi occurrentis & Deum laudantis excipitur, ut vix ad palacium *Lateranenſe* ad veſperas poterat pervenire. Deinde tamen poſt liberationem ſuam quidam perverſi ex clero *Romano* contra ipſum pontificem ſurgentes, tres hæreſiarchas, ſcilicet *Albertum*, *Arnulphum* & *Theodoricum* diverſis temporibus in papam erigere præſumpſerunt. Qui licet in principio domino papæ multas infeſtationes feciſſent, in fine tamen ab ipſo proſtrati ſunt.

Tempore hujus papæ *Paſchalis* rex *Hungariæ* ad monitiones papales per literas ſuas ſcribens domino papæ, renunciavit inveſtituris epiſcoporum & abbatum, quas uſque ad illa tempora reges *Hungariæ* facere conſueverant. Eodem anno ſanctus *Barnardus* habens annos circiter xxij. ſub abbate *Stephano* qui fuit tercius abbas in *Ciſtercio*, cum triginta ſociis *Ciſtercium* ingreditur. Et eodem anno *Clarevalle* fundata, illuc pro abbate mittitur. Iſte *Barnardus* primus abbas *Clarevallis* plenus virtutibus fuit, qui quadam die præſentibus epiſcopis, clero

& populo, excommunicavit quemdam diabolum incubum, qui quandam mulierem in *Britannia* per ſeptennium vexabat; & ſic liberata eſt ab eo. Et eodem fere tempore quo ordo *Ciſtercienſis* exortus eſt, de quo ſupra tempore regis *Willielmi Ruſi*, ordo *Cartuſienſis* in epiſcopatu *Gratianopolitano* à quodam *Brunone* adinventus & inſtitutus eſt. Iſti quaſi heremitæ in cellulis ſub Priori tamen vivunt, nec multitudo eorum in clericis numerum terciodecimum tranſcendet, niſi pro aliqua nominata vel magna perſona ſi qua forte ad eos deſcenderet; laicos vero fratres uſque ad viginti recipiunt.

An. Dñi 1113. Anno Domini M. Cxiij. civitas *Wigornenſis* cum principali eccleſia & caſtro igne combuſta eſt, xiij. kal. Julii.

Henricus rex anno regni ſui quarto decimo exercitum in *Walliam* ducens, *Wallenſes* ſibi rebelles pro libito ſubjecit. Eodem anno rex *Henricus Matildem* filiam ſuam *Henrico* imperatori tradidit in uxorem, quam viij. idus Januarii cum magna ſolempnitate deſponſavit apud *Magonciam*, ubi & ipſa in imperatricem conſecrata eſt; circa quod tempus rex in *Normanniam* tranſiit, & anno ſequenti omnes proceres patriæ domino *Willielmo* filio ſuo, dicto *Longeſpee*, debitam fidelitatem jurare fecit, & in *Angliam* transfretavit. Eodem anno mortuo *Eboracenſi* archiepiſcopo, *Thurſtinus* regis *Henrici* capellanus ad *Eboracenſem* archiepiſcopatum die aſſumptionis beatæ *Mariæ* apud *Wyntoniam* eſt electus. Tunc quoque inter ipſum & *Radulphum Cantuarienſem* archiepiſcopum magna diſſenſio eſt exorta, quia *Eboracenſis Cantuarienſi* de more ſubici nolebat. Cujus cauſæ negotium ſæpe coram rege, ſæpe coram apoſtolica ſede ventilatur, & ſemper indeterminata manet.

Anno regis *Henrici* xv. fluvius de **Medewey** vj. idus Octobris per nonnulla miliaria ita in ſe defecit, quod in medio ſui alveo etiam parviſſimæ naves elabi aliquatinus non poſſent. *Tameſia* eciam eodem die ſimilem ſenſit defectum, nam inter pontem & regis turrim, & eciam ſub ponte, aqua fluminis ipſius in tantum diminuta eſt, ut innumera hominum & puerorum multitudo flumen pedibus tranſvadarunt, aqua ipſa vix illorum genua attingente. Duravit autem hic aquæ defectus à media noctis præcedentis uſque in profundas tenebras noctis ſubſequentis. Similem quoque defectum aquarum eodem die apud *Gernemutham*, & in aliis locis certo relatu dicitur contigiſſe. Mare eciam ut dicebatur, nonnullis miliaribus ſed in quibuſdam locis per decem miliaria ſe retraxit. Eodem anno feria ſexta ante paſcha, iniqui *Judæi* qui *Siracuſæ* degebant, mortem Salvatoris noſtri repræſentantes ad ipſius contumeliam & fidei Chriſtianæ deriſionem, quendam arietem vivum crucifixerunt; unde hii qui hoc ſcandalum perpetraverant, à quadam fœmina nomine *Apis* accuſati, & ſuper hoc convicti, à domino *Tancredo* principe diverſis mortis generibus ſunt addicti.

Henricus rex anno regni ſui xvj. ad natale dedicationi eccleſiæ ſancti *Albani* interfuit, quam tempore memorabilis *Ricardi* ejuſdem loci abbatis, venerabilis *Robertus Lincolnienſis* epiſcopus dedicavit. Poſt hæc rex parliamentum ſuum xiij. kal. Aprilis apud *Sareſberiam* convocavit, ubi juſſu regis, comites & barones cum clero tocius regni ſibi, & *Willielmo* filio ſuo homagium fecerunt, & fidelitatem juraverunt. Et ibidem habita eſt cauſa inter *Cantuarienſem* archiepiſcopum *Radulphum* & *Thurſtinum Eboracenſem* electum de benedictione ab ipſo *Cantuarienſi* ſuſcipienda, & profeſſione eidem facienda; ubi reſpondit electus, Benedictionem ſe velle libenter ſuſcipere, ſed profeſſionem quam exigebat nulla ſe facere ratione. Quod rex advertens, proteſtatus eſt, illum more anteceſſorum ſuorum tam in profeſſione facienda quam in cæteris dignitatibus *Cantuarienſi* eccleſiæ competentibus antiquo jure executurum, aut *Eboracenſi* archiepiſcopatu cum ipſa eciam benedictione penitus cariturum. Quibus auditis, cum *Eboracenſis* electus eccleſiam ſubicere nollet, confeſtim pontificatui renunciavit, nunquam in poſterum ſe ſpondens reclamaturum.

Deinde cum rex eodem anno ad paſcha in *Normanniam* tranſfretaſſet, inter ipſum et regem *Francorum Lodowicum* maxima diſcordia ſuſcitatur. Cujus diſcordiæ cauſa erat hæc: Cum *Theobaldus* conſul *Bleſenſis* regis *Henrici* nepos arma contra dominum ſuum regem *Francorum* promoverat, rex *Henricus* duces ſuos et militiam in auxilium ejus mittens, regem *Francorum Lodowicum* non mediocriter affligebat. Spacio igitur ſequentis anni *Henrico* regi labor graviſſimus inſurrexit; Nam rex *Francorum* et conſul *Flandrenſis* et conſul *Andegavenſis* adinvicem ſe juraverunt *Normanniam* regi *Henrico* ſe ablaturos, et eam *Willielmo* filio *Roberti* nuper Ducis ſe daturos. Multi eciam procerum regis à ſe receſſerunt, quod decrementum maximum ei fuit. Rex tamen non inprovidus, in auxilio ſuo habuit prædictum conſulem *Theobaldum*. Cum igitur rex *Francorum* et comes *Flandrenſis* una nocte in *Normannia* cum exercitu fuiſſent, adventum regis *Henrici* cum *Anglis*, *Britannis*, et *Normannis* formidantes, ad propria ſine prælio ſunt reverſi. Hoc anno pro regis neceſſitate exactionibus et geldis crebertimis *Anglia* vexabatur. Eodem anno apud *Longobardiam* facto magno terræmotu et ſpacio xl. dierum durante, eccleſiæ, muri, turres, et plurima domorum ædificia corruerunt: in quo, quod viſu dictoque mirabile conſtat, contigit, villa namque pergrandis à loco proprio repente mota eſt, et quaſi ſubito ab omnibus conſiſtere cernitur in loco alio longe remoto ab eo. Et eodem anno apud *Mediolanum*, dum potentes civitatis de republica ſub una turri tractantes adinvicem reſiderent, facto in parte ſilencio mox auribus omnium vox foris inſonuit, unum ex illis proprio nomine vocans, et feſtinato exire rogans. Quo nimium tardante, perſona quædam proceræ ſtaturæ et auctoritatis quaſi magnæ coram eis apparuit, et vocatum virum ut egrederetur ſuavi prece obtinuit; qui cum eſſet egreſſus, repente cecidit ipſa turris et omnes qui ibidem aderant oppreſſit; ſolus enim vir ille evaſit, in quo ſine dubio aliqua bona opera ſunt inventa.

Henricus rex anno regni ſui ſeptimodecimo per continuam debellationem inter ipſum et regem *Franciæ* graviſſime vexabatur, donec ſtrenuiſſimus *Baldewinus* conſul *Flandriæ* apud *Ou* in *Normannia* ſedicione militari vulneratus, ad propria remeavit.

Anno regni regis *Henrici* xviij. regina *Matildis* mulier pia & Deo devota kal. Maii apud *Weſtm.* obiit, et ibi ſepelitur; de cujus largiflua bonitate et morum probitate multa bona narrantur. Eodem anno ſcilicet milleſimo C. xviij. papa *Paſchalis* ad eccleſiam ſanctæ *Maria Tranſpadina* xiv. kal. Febr. defunctus eſt; qui inde cum clero et populo per mediam urbem vectus, in eccleſia Salvatoris ſepelitur. Cui quidam *Iohannes* Romanæ eccleſiæ Cancellarius, nacione *Campanus* de civitate *Gajeta,* appellatus *Gelaſius* 2. ſucceſſit, & ſedit annis duobus, diebus quinque. Et ceſſavit epiſcopatus diebus xxiv. Sed quia *Henricus* Imperator electioni iſtius papæ *Gelaſii* non interfuit, ipſum à Roma cum Cardinalibus expulit, & quemdam *Hiſpanum* nomine *Burdinum Bracarenſem* epiſcopum ipſi ſuperordinavit, unde *Gelaſius* cum Cardinalibus *Gajetam* ſeceſſit, & inde cum per mare pergeret venit in *Franciam,* ubi *Remis* Concilium generale in medio Quadrageſimæ celebravit, conquerens ibidem de Imperatore, quod dictum *Burdinum* publice excommunicatum in ſedem apoſtolicam intruſiſſet.

Rex *Henricus* anno ex quo *Normanni Angliam* obtinuerunt lij. & regni ſui xix. glorioſe contra regem *Francie* debellavit. Aciem quidem cui *Willielmus* filius *Roberti* fratris regis *Henrici* præerat, rex *Francorum* præpoſuerat, ipſeque rex in agmine ſequenti erat. Rex vero *Henricus* in prima acie proceres ſuos ſtatuens, in ſecunda ipſe eques cum propria familia reſidebat; in tercia vero filios ſuos cum ſummis viribus peditum collocavit. Acies igitur *Francorum* prima agmen procerum *Normanniæ* ſtatim equis depulit & diſperſit. Poſtea vero aciei qua rex *Henricus* inerat collidens, & ipſa diſperſa eſt. Tunc acies regales ſibi invicem offenderunt & acerime pugnaverunt: haſtæ franguntur omnes, glares agitur. Interim *Willielmus Cryſpyn* caput regis *Henrici* gladio bis percuſſit. Cumque galea eſſet inpenetrabilis, fortitudine tamen ictuum, ipſa galea capiti regis, ut ſanguis aliquantulum prorumperet, eſt inſerta. Rex vero percuſſorem ſuum ita gladio repercuſſit, ut, cum galea eſſet inpenetrabilis, mole tamen ictus equum & equitem proſternebat: qui mox ante pedes regios captus eſt. Tunc acies pedeſtris qua filii regis *Henrici* inerant, quæ nondum percuſſerat, mox ex adverſo inſurrexit, inclinatis lanceis percuſſura. Quod *Franci* horrore nimio liquefacti videntes, terga verterunt & fugam protinus inierunt. *Henricus* autem rex victoriam optinens, in campo perſtitit, donec optimates hoſtium capiuntur, et ejus conſpectui præſentantur. Rex vero *Rothomagum* reverſus, ſignorum ſonitibus & cleri concentibus Deum & Dominum exercituum benedixit. Poſtea cito *Baldewinus* Conſul *Flandriæ* puer parvulus quem in *Normannia* rex ceperat, deceſſit, cui *Karolus* cognatus ejus filius ſancti *Knout* regis *Dacorum* ſucceſſit.

Eodem anno papa *Gelaſius* apud *Cluniacum* obiit. In cujus locum Cardinales aliique Romani qui illuc eum ſecuti fuerant, *Guydonem Viennenſem* archiepiſcopum nacione *Burgundum* Comitis filium concorditer eligendo ſubſtituerunt, ipſum *Kalixtum* ij. nominantes. Qui *Henricum* Imperatorem quia ſupradictum *Burdinum* in ſedem apoſtolicam tempore *Gelaſii* papæ prædeceſſoris ſui *Romæ* intruſerat, cum omnibus ſibi aſſentientibus excommunicavit, & poſtea greſſus ſuos in *Franciam* dirigens, xiij. kal. Febr. generale Concilium *Remis* inſtituit celebrari, ubi numeratæ ſunt perſonæ paſtoralium virgarum CCCC. xiv. Inter quos *Thurſtinus Eboracenſis* electus vix optenta à rege licentia perſonaliter affuit, Concilio volens referre eccleſiæ ſuæ cauſam. Præmiſerat tamen rex ad papam, ne *Eboracenſem* electum conſecraret, nec ab aliquo permitteret conſecrari niſi tantum à *Cantuarienſi* archiepiſcopo, ut moris eſſe ſolebat. Sed hoc non obſtante, ibidem conſecratur, & à toto Concilio ibidem propoſitum ſuum firmum commendatur. Iratuſque rex in omnem dominationis ſuæ locum ei reditum interdixit. Poſt modicum vero temporis, *Kalixtus* papa *Giſorcium* venit, ubi rex *Henricus* ei occurrens, ab ipſo impetravit, ut neminem aliquando legatum in *Angliam* mitteret nec officio legati fungi permitteret, niſi hoc ipſe rex poſtularet occaſione alicujus querelæ quæ non poſſet per *Anglia* epiſcopos terminari. Inſuper idem papa pro *Thurſtino* Eboracenſi archiepiſcopo regem rogavit, ut ipſum ad eccleſiam ſuam redire & ea gaudere permitteret, ſed preces ſuas non obtinuit illa vice. Rex enim aſſentire noluit quod ipſe rediret, niſi ſubjectionem quam prædeceſſores ſui eccleſiæ *Cantuarienſi* fecerant, facere vellet, ſed ipſe omnino recuſavit. Deinde cum *Kalixtus* papa per provinciam *Longobardiam* & *Tuſciam Romam* rediret, ab omni Senatu & populo ſolempniter ſuſceptus eſt. *Burdinus* vero qui per prædictum *Henricum* Imperatorem papa factus fuerat, audito adventu iſtius papæ *Kalixti,* in Sutrio ſe recepit, quem papa cum Romanis obſidens, cum demum habuiſſet, in camelo verſa facie ad tergum poſuit, & ſic caudam cameli pro fræno habens, ipſum *Kalixtum* papam ad urbem antecedebat, qui poſtea in arce *Simionis* eſt retruſus.

Henricus tunc Imperator ad cor rediens, pace cum papa facta, inveſtituram epiſcoporum & aliorum prælatorum per anulum & baculum, pro qua cum *Paſchali* papa plurimum contenderat, iſti *Kalixto* papæ libere reſignavit, & conceſſit per omne imperium in omnibus eccleſiis canonicam fieri electionem: Poſſeſſiones & Regalia beati *Petri,* quæ propter ſuam vel aliam cum eccleſia diſcordiam, alienatæ fuerant, *Romanæ* eccleſiæ reſtituit; poſſeſſiones eciam aliarum eccleſiarum & aliorum tam clericorum quam laicorum, quæ occaſione guerræ ſuæ, quam cum eccleſia habuit, ablatæ fuerant, reſtitui fideliter diſpoſuit. Iſte papa *Kalixtus Compoſtolanum* epiſcopum pro reverencia corporis ſancti *Iacobi,* quod ibi quieſcit, Archiepiſcopum inſtituit, ſubiciens ſibi totam enumeratam provinciam: *Lucanam* quoque eccleſiam gratia pallii decoravit. Hiis temporibus *Hugo de ſancto Victore Pariſius* claret. Hoc eciam tempore ordo Templariorum ex militibus congregatus in *Ieruſalem* incepit. Et dicti ſunt *milites Templi,* quia in porticu Templi ſedem ſui ordinis ſtatuerunt. Hii nempe ſecundum quoſdam ex infimis Hoſpitaliorum congregati, et ex reliquiis eorum in cibis et armis ſuſtentati, ad tantam rerum opulentiam devenerunt, ut filia ditata matrem ſuffocare et ſupergredi videretur. Quorum ordo poſtea tempore regis *Edwardi* ij. poſt conqueſtum in Concilio generali ſub papa *Clemente* v. apud *Viennam* anno Domini 1312. celebrato, dampnatus eſt.

Hiis temporibus erat quidam *Francigena* natione *Normannus* dictus *Robertus Wyſcard,* qui aliquandiu in curia regis *Willielmi Ruſi* extiterat converſatus.

tus. Iſte *Robertus* licet probus & de familia regis eſſet, pauper tamen erat, & nullam ditandi gratiam apud regem illum potuit invenire. Unde factum eſt ut ille natale ſolum deſerens, cum magno exercitu *Romam* petiit, volens ſi poſſet urbem occupare. Sed ille vi repulſus, conſilium & licenciam à ſummo pontifice accepit, nationes ſibi barbaras ſubjugare. Magna igitur multitudo ad eum confluebat, tum propter animi ſui audaciam, tum propter manus ſuæ irreprehenſibilem largitatem, unde ipſe & frater ſuus *Rogerus* cum manu forti procedentes, in *Apuliam* venerunt. Qui terram bonam & fertilem ibi videntes, hominesque illius terræ *Griffones*, armis indoctos divitiis habundare percipientes, eam ſibi ſubicere cupientes ſunt. Unde ſæpius cum hominibus illis dimicantes, demum eos vicerunt, & ſic totam *Apuliam*, *Calabriam* & principatum *Capua* de manibus *Romani* Imperatoris eripientes paulatim ſibi ſubjugarunt. Circa quod tempus *Gregorius* vij. qui fuit quintus papa ante *Kalixtum* ij. *Henricum* Imperatorem tercium, quia unitatem *Romana* eccleſiæ ſcindere voluit, in Concilio C. & x. epiſcoporum habito, excommunicavit. Sed poſtea idem Imperator ad Papam in *Longobardiam* veniens, nudis pedibus ſuper glaciem & nivem pluribus diebus ſtans, vix abſolutionem impetravit. Et dum Imperator ſic in *Italia* pro abſolutione ſua ſtetit, principes *Alemannia* in *Porthyn* convenientes, *Radulphum* Ducem *Saxonia* in Regem ſibi elegerunt. Quem quia dictus papa *Gregorius* ad petitionem ipſius Imperatoris *Henrici*, non convictum nec confeſſum excommunicare noluit, victoria contra dictum *Radulphum* cruento bello habita, curia in *Brixia* convocata, à pluribus ſediciosis epiſcopis ibidem convenientibus *Guypertum Ravenatem* Archiepiſcopum in papam eligi procuravit. Quem ſic ibi electum & *Clementem* per eos nominatum, ipſe Imperator pronus in terra cum omnibus aliis adoravit protinus, propter quod *Gregorius* papa ipſum Imperatorem iterum excommunicavit. Unde ipſe Imperator cum ſuo antipapa *Romam* veniens, *Gregorium* papam & Cardinales cum multa hoſtilitate in urbe obſedit. Qui poſt deſtructionem agrorum & vinearum, cum favorem populi *Romani* ſibi attraxiſſet, urbem intravit, & prædictum *Guypertum* antipapam ſuum ſine Cardinalibus à *Bononienſi*, *Mutinenſi* & *Seremenſi* epiſcopis, in papam conſecrari fecit, à quo in die paſchæ coronam Imperii aſſumpſit, papam *Gregorium* in caſtro ſancti Angeli cum Cardinalibus obſidendo. Sed audito quod *Robertus Wyſcarde* dux *Apulia* in adjutorium Papæ *Gregorii* de *Apulia* veniebat, Imperator deſtructo Capitolio & urbe *Leonina*, cum ſuo antipapa uſque *Senas* fugit. Et dictus *Robertus* cum exercitu magno veniens *Romam*, uno die cepit, & papam *Gregorium* cum Cardinalibus de caſtro prædicto educens, ipſum in palacio *Lateranenſi* repoſuit, Romanos Imperatori in hoc conſentientes exiliis et aliis pœnis graviter affligendo.

Poſt hæc dictus *Robertus Wyſcarde* ad majora anelans, *Tancredo* filio ſuo *Apuliam*, *Calabriam*, & principatum *Capua* dedit, jactans quod *Conſtantinopolitanum* ſibi imperium ſubjugaret: unde navibus & galeis ac omnibus neceſſariis itineri ſuo paratis, naves cum uxore ſua & viris armatis, & bellicoſis intrans, inſulas ſcilicet *Cretam*, *Cunfu*, *Rodes*, & alias inſulas multas *Conſtantinopolitanis* Imperatoribus *Alexandro* & *Duncano*, tempore iſtius regis *Anglia Henrici* primi, & eciam Imperatoris *Romani Henrici* quarti, devictis, ſibi in triennium ſubjugavit. Qui poſtea ad portum qui nunc nomine ſuo *portus Wyſcardi* nuncupatur, pervenit; Qui cum ulterius progredi, & *Romaniam*, id eſt *Graciam* intrare voluiſſet; *Alixes* protunc Imperator *Conſtantinopolitanus*, uxori dicti *Roberti Wyſcarde* mandavit, quod ſi ipſa virum ſuum neci traderet, & ſic de eo terram ſuam liberaret, ille eam in uxorem duceret, & imperatricem *Conſtantinopolitanam* faceret. Mulier vero illa Imperatoris voluntati inclinans, venenum marito ſuo bibere dedit, unde obiit, & ibi in inſula, quæ à nomine ſuo *portus VVyſcarde* dicitur eſt ſepultus. Uxor vero ejus toto exercitu ſuo diſſipato, ad Imperatorem *Conſtantinopolitanum* fugit. Qui ei convencionem omnimodam adimplevit; Illam namque ſibi deſponſatam in Imperatricem coronavit; Et cum omnis ſolempnitas in deſponſatione & coronatione facta eſſet, ita quod ipſa Imperatori diceret, Jam michi totam codventionem perfeciſti. Imperator coram ea et omni populo conventionem quam ipſa cum illo fecerat, & qualiter *Robertum* virum ſuum morti tradiderat, patefecit, Judicium de ea & conſilium ab eis quærens. Qui omnes eam ream mortis condempnarunt; unde rogo accenſo illam injectam protinus concremarunt.

Interim *Rogerus* frater dicti *Roberti Wyſcarde Siculos* debellans totam ſibi *Siciliam* ſubjugavit, & eſt *Sicilia* Comes factus. *Sicilia* magna inſula eſt, & aliquando vocabatur *Trinacria* quaſi triquadra, à tribus montibus in ea prominentibus ſic dicta, qui vocantur *Pelorum*, *Pachinum*, *Libeum*. Deinde dicta eſt *Sicilia* à *Siculo Itali* fratre. Aliquando etiam vocabatur *Sicania* à *Sicano* rege. Habet quoque ab Aquilone partem Italiæ *Capuliam* marino brachio nunc diſcretam. Sed olim ſecundum *Saluſtium Sicilia* fuit *Italia* conjuncta. Sed poſtmodum aut aquarum alluvione aut terræ motu ab invicem ſciſſa. Ita quidem quod fretum illud ſtrictum quod trium miliarium ſpacio *Siciliam* hodie diſtringit ab *Italia*, *Regium* vocatur, quod Græce ſonat *abruptum*. Habet quoque illud fretum duo famoſa & fabuloſa monſtra *Scillam* & *Caribdim*. *Scillam* accolæ ſaxum mari iminens appellant, humanæ formæ ſimilem, capitibus caninis ſuccinctam fingunt, quia colliſi ibi fluctus videntur ibi latratus exprimere. *Caribdis* autem eſt mare verticoſum & naufragoſum, ter in die fluctus evomens, ter & abſorbens. *Iſidorus* libro nono dicit, quod hæc inſula primo omnium terrarum pro committendis ſeminibus fertur aratro fuiſſe proſciſſa. Ibique primum inventa fuit comedia. Item *Beda* de naturis dicit, quod tellus *Sicilia* cavernoſa ſulphure ac bitumine ſtrata, ac ventis pene tota & ignibus patet. Spiritu quoque introrſus cum igne concertante, multis ſæpe locis fumum, vaporem ſeu flammas eructat, vel eciam vento acrius incumbente arenarum lapidumve moles egerit, indeque montis *Æthna* ductum eſt incendium. *Iſidorus* libro ix. cap. vij. dicit quod *Æthna* mons verſus Eurum & Affricum habet ſpeluncas ſulphure plenas, quæ ventum recipientes ignem gignunt fumoſe. In quo loco apparent figuræ, & audiuntur voces gemebundæ, unde creditur à pleriſque loca animarum pœnalia ibi fore, quemadmodum beatus *Gregorius* in ſuo dialogo mentionem facere videtur. Item *Giraldus* in Topographia dicit, quod in *Sicilia* eſt fons, ad quem ſi quis rubro indutus veſtimento acceſſerit, ſtatim ad accedentis ſtaturam proſiliens in altum aqua ebullit, ad alios prorſus colores immota. Sunt eciam in ea cicadæ alatæ arterias apertas ſub gutture habentes, quæ melius ut fertur decapitatæ quam integræ, dulciuſque mortuæ quam vivæ canunt, unde & paſtores terræ ut dulciorem cantum ab eis extorqueant, eas decapitare ſolent. In hac quoque terra eſt urbs *Palerma*, quæ plus certi redditus reddit annuatim Regi terræ quam tota *Anglia* reddit de certo Regi ſuo. *Iſidorus* libro tercio dicit quod ſunt in *Sicilia* duo fontes, quorum unus ſterilem fœcundat, alter vero fecundam ſterilem reddit. Sunt & in *Sicilia* ſales Agrigentini contra morem alterius ſalis in igne ſolubiles, & in aqua crepitantes. Item juxta *Siciliam* eſt inſula ſic dicta *Æolia*, ab *Æolo*, quem poetæ finxerunt Deum ventorum pro eo quod ipſe exiſtens rector Æolarum inſularum numero novem ex fumoſis & nebuloſis vaporibus aſcendentibus prædicebat ventos affuturos, ac per hoc putatus eſt ab imperitis ventos habere in poteſtate. Hæ eadem novem inſulæ dictæ ſunt *Ulcaniæ*, eo quod ignis in eis jugiter ardeat. Sunt & aliæ inſulæ in mari *Enſinæ*, quod magna pars eſt maris magni; Inter quas famoſæ ſunt *Colchos* ubi *Jaſon* vellus aureum quæſivit, & *Pathmos* ubi ſanctus *Johannes* relegabatur.

Inſula iſta *Sicilia*, antequam tunc temporis dictus *Rogerus* eam debellaſſet, erat de dominio Imperatoris de *Marrech*, inhabitata gentibus paganorum. Sed præfatus *Rogerus* expulſis inde paganis, eam de poteſtate Imperatoris illius eripiens, legem Chriſti in ea primus feliciter introduxit. Deinde *Tancredus* filius *Roberti Wyſcard* cui ipſe *Apuliam*, *Calabriam*, & *Capuam* ut prædicitur dederat, obiit ſine prole. Dictus igitur *Rogerus* dicti *Roberti* frater Comes *Siciliæ*, uxorem duxit, de qua genuit filium quem *Rogerum* eciam appellavit, cui *Apuliam* & *Calabriam* dedit, faciens inde ducatum, & principatum *Capuæ* eciam ſibi dedit. Deinde mortuo *Rogero* fratre *Roberti Wyſcard*, *Rogerus* filius ejus in comitatu *Siciliæ* ſibi ſucceſſit. Et paulo poſt contigit quod cum *Lodowicus* rex *Francorum* & *Alianora* regina uxor ejus tunc cauſa peregrinationis verſus terram ſanctam itinerantes *Siciliam* veniſſent, *Rogerus* Comes *Siciliæ* eos cum debito honore gaudenter ſuſcepit; Ad cujus preces ipſe Rex *Franciæ Lodowicus* ipſum *Rogerum* Regem faciens, coronam capiti ſuo impoſuit, & ita iſte *Rogerus* factus eſt primus Rex *Siciliæ* coronatus. Qui uxorem ducens, duos filios ex ea & unam filiam generavit. Primogenitus ejus filius vocatus eſt *Rogerus*, & alter *Willielmus*; filia vero *Conſtantia* eſt vocata. Filius ejus primogenitus dux *Apuliæ* factus, neſciente patre ſuo & inconſulto uxorem duxit; de qua genuit filium quem *Tancredum* nominavit, qui ante patrem ſuum deceſſit. Deinde *Rogerus* rex *Siciliæ* pater ejus obiit, cui in regno *Willielmus* filius ejus ſucceſſit. Qui uxorem ducens, unicum filium ex ea genuit quem *Willielmum* appellavit. Iſte *Willielmus* ultimus in regno patri ſuo ſuccedens, *Iohannam* filiam regis *Henrici* ij. *Angliæ* filii *Matildis* Imperatricis duxit in uxorem, ut inferius tempore ejuſdem regis *Henrici* ij. plenius patebit. Qui quidem *Willielmus* rex ſine prole decedens, *Conſtanciam* amitam ſuam uxorem *Henrici* regis *Alemanniæ* regni *Siciliæ* hæredem conſtituit, & omnes primates regni ſui eidem amitæ ſuæ fidelitates jurare fecit, ut ſi ille ſine prole decederet, ipſi illam in Dominam ſuſciperent & Reginam. Quo ſine prole decedente, *Rogerus de Andria* & cæteri fideles terræ pro dicta *Conſtancia* miſerunt. Sed priuſquam illa veniſſet, *Tancredus* Comes *de la Lych* filius *Rogeri* filii *Rogeri* regis fidem & ſacramentum quod dictæ *Conſtantiæ* juraverat tranſgreſſus, regnum ſibi *Siciliæ*, *Apuliam*, & *Calabriam* cum principatu *Capuæ* uſurpavit. Quod cum *Henrico* Regi *Alemanniæ* & dictæ *Conſtanciæ* uxori ejus nunciatum eſſet, archiepiſcopum *Maguntinum* & *Henricum Teſte* cum magno exercitu ut *Apuliam* eis ſubicerent, deſtinarunt. Qui nichil ibi in expeditione illa proficientes, ad propria redierunt.

An. Dñi 1120.

DEvicto ut ſupradictum eſt Rege Franciæ *Lodowico*, Rex Angliæ *Henricus Willielmum* filium ſuum primogenitum filiæ *Fulconis* Comitis *Andegaviæ* copulavit. Et tunc facta eſt pax inter reges ſe mutuo videntes. Suſceperat enim prius rex Franciæ quoſdam Normannorum magnates, qui à fide Regis Angliæ nuper, ut dictum eſt, diſcederant. *Willielmus* eciam filius regis *Henrici* de conſenſu ipſius regis patris ſui, fecit homagium regi *Franciæ* pro *Normannia* quam dederat ei pater, quia idem pater rex *Henricus* pro culmine majeſtatis ſuæ hominium pro *Normannia* regi *Franciæ* facere negligebat. Et tunc rex *Henricus* fecit liberos homines ſuos de *Normannia* facere hominium *Willielmo* filio ſuo. Hoc quoque tempore *Fulco* Comes *Andegaviæ* prædictus *Ieroſolimam* pergens, comitatum ſuum *Andegaviæ* ad opus generi ſui ſervandum, ſi ipſe non rediret, regi *Angliæ* commendavit. Omnibus itaque in *Gallia* pacificatis & domitis, rex *Henricus* anno Domini M.C.xx. & regni ſui eciam viceſimo ſeptimo kal. Septembris navibus apud *Barbesflete* in *Normannia* ſolutis, in *Angliam* proſpere navigavit; Quem cum duo filii ſui *Willielmus* & *Ricardus* ſequi vellent, non longe à terra cum multis nobilibus ſunt ſubmerſi. Inter quos fuerunt *Ricardus* nothus filius regis, filia regis notha Comitiſſa *Perciæ*, *Ricardus* Comes *Ceſtriæ* cum uxore ſua regis nepte, Archidiaconus *Hartefordiæ* cum aliis numero centum quadraginta, de quibus omnibus nullus evaſit niſi unus ignobilis ruſticus macillarius, qui tota nocte malo ſupernatans, ad litus mane vectus eſt, qui totam tragediam enarravit. Hii nempe omnes cum temulentis nautis navem novam ingreſſi, de nocte cito in ſcopulum non longe à terra impegerunt; Et rupta navi dimiſſus eſt *Willielmus* filius regis in batello, quo bene ſalvari potuiſſet ad litus regreſſus, niſi ad ululatum rediens ſororis ſuæ, in batello eam recepiſſet; batellus enim ille pondere in ſilentium preſſus omnes ſubmerſit, excepto ruſtico prædicto. Et quod mirandum eſt, in craſtino multum theſauri juxta litora reperiebatur, ſed corpora defunctorum nulla, ſed æquoreis monſtris in pabula ceſſerunt. De quorum ſubmerſione quidam ſic metrice ſcripſit.

Henrici *nati pelago pereunt adaquati,*
Filia quæ remanet Imperiale tenet.

De iſtis *Henricus Huntingdonienſis* dicit libro vij. quod pene omnes illi erant labe Sodomitica irretiti, ut dicebatur. Inſuper *Willielmus Malmesburienſis* dicit, quod ille *Willielmus* regis primogenitus palam *Anglis* fuerat comminatus, quod ſi aliquando ſuper eos regnaret, faceret eos ad aratrum trahere quaſi boves; ſed ſpe ſua choruſcabili Dei vindicta cum aliis deperiit. Qui omnes præter dictum ruſticum, ut eſt dictum, ſepultura caruerunt. Improviſe igitur mors abſolvit emeritos cum mare tranquilliſſimum ventis careret. De quibus quidam alius ſic adhuc metrice ſcripſit.

Cum Normannigenæ Gallis *clare ſuperatis*
Anglica regna petunt, obſtitit ipſe Deus.
Nam fragilis torvum dum percurrit mare cimba,
Intulit ex cito nebula denſa mari.
Dumque vagi cæco rapiuntur tramite nautæ,
Ruperunt imas abdita ſaxa rates.
Sic mare dum ſuperans tabulata per ultima ſepſit,
Merſit rege ſatos, occidit orbis honor.

Dictus eciam *Ricardus* Comes *Ceſtriæ* ſubmerſus, antequam navem aſcenderet comminabatur, quod ſi de *Normannia* in *Angliam* rediret, monachos *Ceſtrenſes* deleret quos inſtituerat pater ſuus. Sed eo ſubmerſo, ſucceſſit ei *Ranulphus* primus dictus de **Gernons** filius ſororis Comitis *Hugonis* primi, qui præfuit annis octo.

Poſtea ſecundum *Willielmum Rivallenſem*, prædictus *Fulco* Comes *Andegaviæ* ſocer *Willielmi* ſubmerſi, de terra ſancta rediens, alteram filiam ſuam filio *Roberti* **Courtheſe** maritavit, cum qua *Cenomannicum* dedit comitatum, eo quod dictus rex *Henricus* dotem filiæ ſuæ in *Anglia* detinuerat. Rex *Henricus* poſt reverſionem ſuam à *Normannia* fuit ad natale apud **Brampton** cum *Bleſenſi* Conſule *Theobaldo*. Et in purificatione beatæ *Mariæ* virginis conſilio totius *Angliæ* apud **Wyndeſore** congregato, *Adelinam* filiam *Godefridi* Ducis *Lovanniæ* duxit ſolempniter in uxorem, ex qua liberos minime procreavit: ubi *Radulphus Cantuarienſis* archiepiſcopus ad iracundiam, & paraliſim plurimum inclinatus, epiſcopum *Sarisberienſem* ad officium deſponſationis peragendum ſacris veſtimentis cedere coegit indutum, & *Wentano* epiſcopo officium delegavit. Deinde cum rex ad paſcha apud *Barkeleyam* fuiſſet, ad penticoſten cum regina ſua nova anno regni ſui xxj. apud *Londoniam* coronatur. Ubi eciam, cum dictus *Radulphus Cantuarienſis* archiepiſcopus regem *Henricum* videret præter ſui conſcientiam coronatum, acceſſit ad eum dicens; Injuſte es coronatus: Tu ergo aut abſtinebis corona, aut ego miſſa. Cui rex ait, Pater, quod perperam actum eſt corrige. Vix igitur *Radulphus* procerum precibus eſt inflexus, quin coronam regiam de capite regio excuſſiſſet; Vir quidem religione, literatura et affabilitate præſtans, nullo delicto notabili ſuſpectus fuit, niſi quod ad jocos et riſus inclinatior erat quam gradum et ætatem ſuam decebat; et ideo dicebatur *nugax*.

Poſt hæc eodem anno *Wallenſes*, qui poſt ſubmerſionem ejuſdem *Ricardi* Comitis *Ceſtriæ* contra regem *Henric.* conſpiraverant, erectis jam cervicibus incedebant quam prius, partem comitatus prædicti depopulando duobus caſtellis accenſis & multis interfectis. Quo audito, *Henricus* rex copioſo exercitu congregato, greſſus ſuos ibidem direxit, ad eos furore ſuccenſus nimio devaſtandos. Sed cum juxta **Snoudon** perveniſſet, rex *Wallicorum* miſſis nunciis cum rege *Henrico* multis placato muneribus concordatur; unde rex *Henricus* acceptis ab eo obſidibus, ad propria reverſus eſt.

Eodem anno *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus, amicus regis ſecundum quoſdam factus, de conſenſu ipſius regis expreſſo, per literas apoſtolicas abſque ulla profeſſione *Cantuarienſi* archiepiſcopo facienda, in ſuum introducitur epiſcopatum. Voluit tamen quidam, quod licet rex contra dictum *Thurſtinum* plurimum indignatus, terram ſuam ſibi prohiberet, apoſtolicis tamen literis perterritus eſt; quibus comprehenſum fuerat, ut aut *Thurſtinum* admitteret, aut ipſe rex anathemati ſubjaceret, & *Cantuarienſis*, officii dignitate ſuſpenderetur. Papa tamen prius in ſupradicto Concilio *Remis* habito promiſerat regi *Henrico*, & *Cantuarienſi* archiepiſcopo *Radulpho*, quod nichil contra dignitatem *Cantuarienſis* archiepiſcopi vel ejus eccleſiæ ſtatueret, unde ut videbatur tale privilegium conceſſit, *Quæcumque autentica, & à prædeceſſoribus noſtris habet eccleſia veſtra conceſſa, ea nullatenus imminuimus, ſed inconcuſſa volumus obſervari.* Hic ſi Dominus papa expreſſe dixiſſet, Has & has dignitates habeat eccleſia veſtra, abſolviſſet litigium, quod nunc reliquit indeterminatum. Unde nunciis regiis à prædicto Concilio recedentibus, callidus papa favoribus & muneribus inflexus, dictum *Thurſtinum* ſpreta antiquitatis regula conſecravit, pallium tradens. Et ſic quæ vult caſſa ſuſpendet dummodo ſuis profectibus conſulat. Circa hoc tempus in *Laudunenſi* dioceſi, incepit ordo *Præmonſtratenſis* ſub patre *Norberto* qui fuit *Colonienſis*.

Henricus rex anno regni ſui xxij. curiam ſuam ad natale apud *Norwicum*, ad paſcha apud **Northampton**, & ad penticoſten apud **Wyndeſore** celebravit. Inde per *Londoniam* & *Canciam* vagans, in *Northumbriam* uſque **Durham** poſtea tranſivit, annum illum ſine alio notabili conſumendo. Eodem anno *Radulphus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & *Johannes Bathonienſis* epiſcopus obierunt.

Anno vero huic proximo rex ad natale apud **Dunſtapell** exiſtens, inde uſque **Berkamſtede** perrexit, ubi rem dignam Deus oſtendit. Erat namque quidam *Radulphus* regis cancellarius, jam xx. annis in infirmitate decoctus, ſemper tamen in curia ad omnia ſcelera juvene promptior, innocentes opprimens & terras diripiens ſibi multas. Eratque ei pro magno, quod dum corpore languidus erat, animo ſic vigeret. Cum igitur hoſpitandum regem ſecum duceret, in ipſo vertice montis unde caſtellum ejus proſpiciebatur elatus mente, corruit ex equo ſuper quem monachus equitavit. Qui ſic de equo corruens, & equi pedibus contritus, poſt paucos dies vita caruit hujus mundi. Ecce quanta ſuperbia quam viliſſime Deo volente deperiit. Inde ad locum inſignem de **Wodeſtoke** rex tranſivit, ubi habitationem hominum fecerat & ferarum. Ibique *Robertus Lincolnienſis* epiſcopus dies ultimos clauſit ſuos. Poſtea ad feſtum purificationis, rex archiepiſcopatum *Cantuarienſem Willielmo* de *Turbine* Priori canonicatus ſanctæ *Oſythæ* contulit: Et ad paſcha apud *Wyntoniam* epiſcopatum *Bathonienſem Godefrido* cancellario reginæ, & epiſcopatum *Lyncolnienſem Alexandro* nepoti venerabilis viri *Rogeri Saresberienſis* epiſcopi donavit. *Rogerus* enim Juſticiarius totius *Angliæ* fuit, & ſecundus à rege. Quibus factis, rex circa penticoſten in *Normanniam* transfretavit. Declinaverat namque ab eo quidam eorum poſt mortem filii ſui, cui Ducatum eundem contulerat, unde Comite de *Mellent* poſt diſcidia propalata à rege receſſo, rex caſtellum ejus quod *Puntaldemer* vocatur, obſedit & cepit.

Anno vero ſequente, ſcilicet regni ſui xxiiij. rex fortunate glorificatus eſt. Nam *Willielmus* de *Tanchervile* Camerarius regis aciebus diſpoſitis cum hoſtibus regis confligens, prædictum Comitem de *Mellent*, & *Hugonem* de *Montforde* ſororium ejus, & *Hugonem* filium *Gervaſii* cepit, & eos regi tradidit, quos carcerali cuſtodiæ mancipavit. Eodem anno *Tenulphus Wygornienſis* epiſcopus, & *Arnulphus Roffenſis* epiſcopus obierunt; unde rex moram trahens per totum annum ſequentem in *Normannia*, *Simoni* clerico reginæ epiſcopatum *Wygorniæ*, & *Sifrido* abbati *Glaſtonienſi* epiſcopatum *Ciceſtriæ*, ibi in *Normannia* morando contulit. *Willielmus* namque archiepiſcopus *Cantuarienſis* epiſcopatum *Roffenſem Johanni* archidiacono ſuo dedit.

An. Dñi 1125. Anno Domini MCxxv. & regis *Henrici* viceſimo quinto, *Iohannes Cremenſis* Cardinalis, à latere domini Papæ miſſus in *Angliam* ad paſcha deſcendit, per epiſcopatus & abbathias, non ſine magnis muneribus perhendinans & expenſis. Qui ad nativitatem beatæ *Mariæ* ſolempne Concilium apud *Londonias* celebravit, in quo in ſermone Domini valde glorificatus eſt, ſed in veſperis in facto inventus contrario deriſus eſt. Cum enim in Concilio de uxoribus ſacerdotum ſereniſſime tractaſſet, dicens, » Summum ſcelus eſſe à latere meretricis » ſurgere ad conficiendum Chriſti corpus; & cum eadem die ipſe Cardinalis corpus Chriſti confeciſſet, cum meretrice poſt veſperam inventus eſt, & captus: res aſperima negari non potuit, celari non decuit, & ſic qui ſummo honore ubique habebatur, inglorioſus & Dei judicio confuſus cum ſummo dedecore in ſua repedavit. Hoc ſi cuiquam diſpliceat, taceat ne *Iohannem* ſequi videatur.

Eodem anno *Henricus* iiij. Imperator gener *Henrici* regis obiit, & ſecundum quoſdam apud *Spiram* cum progenitoribus ſuis tali epitaphio ſepelitur

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet iſtic.

Verius tamen videtur *Giraldus* in itinerario *Walliæ* ſentire, ubi dicit, Quod *Henricus* iſte poſtquam patrem ſuum ſpiritualem dominum Papam, cum Cardinalibus, ut ſupra dictum eſt incarceraverat, & eciam patrem ſuum carnalem incarcerando dehoneſtaverat, tandem ad cor rediens, ultroneus exul factus eſt, & *Matilda* filia dicti regis *Henrici* uxore clam dimiſſa, apud *Ceſtriam* per decennium heremiticam duxit vitam, ubi dum viveret ne cuiquam innoteſceret, *Godeſcallum* ſe vocavit quod ſonat à Deo vocatum. Sic igitur Imperatore latenter digreſſo, *Matildis* Imperatrix ſine prole aliqua ab eo concepta, ad patrem ſuum regem *Henricum* in *Normannia* adhuc exiſtentem rediit.

Henricus rex anno regni ſui xxvj. ad feſta natalis Paſchæ et Penticoſtis in *Normannia* moratus, pactis qualia regem victorioſiſſimum decebant, cum principibus *Franciæ* confirmatis, circa feſtum ſancti *Michaelis* in *Angliam* transfretavit, filiam ſuam Imperatricem viro ſuo ut prædicitur viduatam, quæ ad patrem jam venerat, ſecum ducens.

Anno ſequenti *Henricus* rex curiam ſuam apud **Wyndeſore** ſolempniter tenens, in die natalis Domini coronatur; ubi cum archiepiſcopus *Eboracenſis* æqualiter cum archiepiſcopo *Cantuarienſi* regem coronare vellet, non ſine injuria, repulſum paſſus eſt. Crux etiam quam ante ſe portari fecerat, proſtrata eſt, aſſerentibus cunctis non licere Metropolitano crucem ſibi præferre in provincia aliena. Poſtea rex *Londonias* pergens, cum deinde in Quadrageſima & paſcha apud **Wodeſtoke** ſtetiſſet, nuncius ibi veniens dixit ei; Comes *Flandrenſis* tibi dilectiſſimus nephanda proditione in templo apud *Bruges* à ſuis proceribus eſt occiſus, & rex *Franciæ Willielmo* nepoti tuo, & hoſti *Flandriam* dedit, qui jam valde roboratus diverſis cruciatibus omnes multavit *Karoli* proditores. Super hiis igitur rex angariatus, ad Rogationes apud *Weſtmonaſterium*, & *Willielmus* archiepiſcopus ſimiliter apud *Londonias* Concilia celebrarunt. In quo *David* rex *Scottorum*, *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & omnes nobiliores Comites, & Barones *Angliæ* ſacramentum fidelitatis, & homagium *Matildi* Imperatrici filiæ regis *Henrici*, ex juſſu ipſius regis fecerunt de regno poſt dies ſuos ſibi, & hæredibus ſuis legitime procreatis optinendo, niſi ſobolem virilis ſexus ipſe rex in poſterum procrearet. Quo facto, rex ad penticoſten eandem filiam ſuam *Galfrido Plantagenet*, filio *Fulconis* Comitis *Andegaviæ* deſponſandam in *Normanniam* deſtinavit, quam ipſe rex in Auguſto curſu velociſſimo ſequebatur. Eodem anno rex epiſcopatum *Lyncolnienſem* per mortem *Ricardi* epiſcopi tunc vacantem *Gileberto Univerſali* viro doctiſſimo contulit.

Henricus rex toto anno ſequenti in *Normannia* moratus, in *Franciam* hoſtiliter perrexit, & compulit regem *Lodowicum* auxilium non ferre *Flandriæ* Comiti hoſti ſuo contra quemdam Ducem *Theodoricum* nomine, qui eo tempore à partibus *Teutoniæ*, id eſt *Alemanniæ* advenerat, *Flandriam* calumpnians, & ſuaſu regis *Henrici*, quoſdam proceres *Flandriæ* ſecum habens. Cui *Willielmus* Comes *Flandriæ* aciebus ordinatis viriliter obviavit. Pugnatum eſt acriter, *Willielmus* vero Conſul inexterminabili probitate numerum ſuorum, cum pauci eſſent, ſuplebat. Cruentatus igitur omnia arma ſua ſanguine hoſtili fundebat, fulmineo enſe cuneos hoſtium penetrando; unde hoſtes perteriti & fugæ dediti, pondus terribile juvenilis brachii perferre minime potuerunt. Victorioſiſſimus itaque Conſul, dum caſtrum hoſtile in craſtino obſideret, & jam pene omnibus hoſtibus adnichilatis reddi deberet, Deo volente parvo vulnere manu deperiit ſauciatus. Nobiliſſimus autem juvenum ætate bene famam promeruit ſempiternam. De quo *Walo* verſificator egregius ſic ait,

Mars obit in terris, deflent par numina numen.

Interea rex *Henricus* in regno *Franciæ* hoſtiliter exiſtens, cum viij. diebus apud *Sparnum* ſecure, quaſi in regno ſuo perendinans, maneret, ab incolis ejuſdem loci originem regni *Francorum* quæſivit. Cui quidam vir doctus ſic reſpondit. Regum potentiſſime, ſicut pleræque gentes *Europæ*, eciam *Franci* duxerunt originem à *Trojanis*. *Anthenor* quippe cum ſuis profugis ab excidio *Troiæ* profugiens in finibus *Panoniæ* civitatem *Sicambriam* nomine ædificavit. Poſt cujus mortem Duces ſui ſuper ſe ſtatuerunt *Torgotum* & *Franconem*, à quo *Franci* ſunt appellati. Quibus defunctis, Ducem

Marconurum elegerunt, qui genuit *Faramundum* primum regem *Francorum*, *Faramundus* rex genuit *Clodium* crinitum, à quo *Franci* criniti habentur. *Clodio* decedente, *Moroveus* cognatus ejus regnavit, à quo *Franciæ* reges *Morovingii* ſunt appellati. *Moroveus* genuit *Childericum*, genuit *Childericus* *Clodoveum* quem ſanctus *Remigius* baptizavit. *Clodoveus* genuit *Clotarium*, qui *Chilpericum*, qui *Clotarium* ſecundum, qui *Dagobertum*, famoſiſſimum ac dulciſſimum regem. *Dagobertus* genuit *Clodoveum*, *Clodoveus* genuit tres filios ex ſancta *Batilde* regina ſua, ſcilicet *Clotarium*, *Childericum* & *Theodoricum*. *Theodoricus* rex genuit *Childebertum*, qui *Dagobertum*, qui *Theodoricum*, qui *Clotarium* hujus proſapiæ ultimum regem. Poſt quem regnavit *Hyldericus*, qui tonſus, & in monaſterio retruſus eſt *Pipino* rege effecto. Ex alterius autem ſerie generationis, ex filia *Clotarii* regis *Asbertus* genuit *Arnoldum*, *Arnoldus* ſanctum *Arnulphum* poſt *Metenſem* epiſcopum. Sanctus *Arnulphus* genuit *Anchiſem*, qui *Pipinum* Majorem, qui *Karolum Martellum*, qui *Pipinum* regem, qui *Karolum* Magnum Imperatorem, qui quaſi ſidus præcedentium, & ſuccedentium effulſit. *Karolus Magnus* genuit *Lodowicum* Imperatorem, qui *Karolum Calvum* Imperatorem, qui *Lodowicum* regem, qui *Karolum* ſimplicem, qui *Lodowicum*, qui *Lotarium*, qui *Lodowicum* hujus proſapiæ regem ultimum. *Lodowico* ergo defuncto, *Hugonem* Ducem filium *Hugonis* magni Ducis regem ſuper ſe *Francorum* Duces ſtatuerunt & proceres. *Hugo* vero rex genuit piiſſimum regem *Robertum*. *Robertus* autem genuit tres filios, *Henricum* regem amantiſſimum, *Hugonem* Ducem dulciſſimum, & *Robertum Burgundiæ* Ducem. *Henricus* rex genuit *Philippum* regem, qui in fine monachus factus eſt, & *Hugonem* magnum, qui anno ab incarnatione Domini milleſimo nonageſimo nono *Ieruſalem* eripuit de manibus paganorum. *Philippus* vero rex genuit *Lodowicum* modo in præſenti regnantem, qui ſi probitatis veſtigia antiquorum teneret, in regno ejus non quieſceres tam ſecure. Hiis dictis, cum rex *Henricus* dictum *Willielmum* Comitem *Flandriæ* hoſtem ſuum, ut dictum eſt occubuiſſe audiſſet, de *Francia* in *Normanniam* ſe retraxit. Hoc anno *Hugo* de *Paens* magiſter militum Templi *Ieruſalem* in *Angliam* veniens multos *Ieruſalem* ſecum duxit.

Sequenti anno, *Lodowicus* rex *Francorum* fecit *Philippum* filium ſuum in regem *Frantiæ* coronari, Qui novus rex, paulo poſt dum cornipedem ludens caballum agitaret, obvium ſuem habuit, cui cum pedes equi currentis offenderint, cecidit rex novus, & fractis cervicibus expiravit. Eodem anno *Henricus* rex, omnibus quæ erant in *Francia*, *Flandria*, *Britannia*, *Normannia*, *Andegavia*, & *Cenomannia* pacificatis, cum gaudio in *Angliam* remeavit, & Concilium magnum de uxoribus ſacerdotum prohibitis, & de ſacerdotibus fornicariis, & eorum concubinis kal: Auguſti apud *Londonias* celebravit. Intererant ſiquidem illi Concilio *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus, *Alexander Lincolnienſis*, *Rogerus Saresberienſis*, *Gylebertus Londonienſis*, *Iohannes Roffenſis*, *Sifridus Suthſexenſis*, *Godefridus Bathonienſis*, *Simon Wygornenſis*, *Everardus Norwicenſis*, *Herveus* primus epiſcopus *Elyenſis*, & *Bernardus* ſancti *David* epiſcopi. Nam *Wintonienſis* & *Dunolmenſis* jam defuncti erant. Hii columpnæ regni erant, & hoc tempore radii ſanctitatis. Qui inprovidi per regem & ſuos ſimplicitate *VVillielmi* archiepiſcopi decepti juſtitiam regi de ſacerdotibus fornicariis & eorum uxoribus, & concubinis conceſſerunt. Quod poſtea cum rex pecuniam quaſi infinitam à presbyteris pro redemptione accepiſſet, pœnituit epiſcopos, ſed fruſtra. Nam rex ut pecuniam à presbyteris extorqueret, epiſcopos ſub colore correctionis caute decepit. In iſto Concilio ſecundum quoſdam, proceres *Angliæ* juraverunt coram rege quod ſuperius dictum eſt, videlicet de regno *Angliæ* ad opus *Matildæ* Imperatricis filiæ ſuæ obſervando, ſi ipſa patrem ſuum ſine liberis decedentem ſuperviveret.

Eodem anno illis quos *Hugo* de *Paens* de quo ſupra dictum eſt, ad *Jeruſalem* ſecum duxerat, male evenit. Incolæ namque illius ſanctæ telluris Deum variis ſceleribus, luxuria, & rapina offenderant. Unde ut ſcriptum eſt in *Moyſe*, & in libris Regum, non diu ſcelera locis illis ſunt impunita. In vigilia namque ſancti *Nicholai*, à paucis paganis multi Chriſtiani ſunt devicti, quamvis antea è contrario contingere ſolebat. In obſidione autem *Damaſcena*, cum magna pars Chriſtianorum ad victualia perquirenda progreſſa eſſet, mirati ſunt pagani plures, & fortiſſimos Chriſtianos muliebriter fugientes ut credebant, quos pagani perſequentes, eorum innumeros occiderunt, & qui fuga ſalutem in montibus ſibi quæſierant, Deus eos tempeſtate nivis & frigoris ipſa nocte ita perſecutus eſt, ut eorum omnium aliquis vix evaſit. Eodem anno fundata eſt domus de **Gyſeburne** in **Cleveland**, per *Robertum* de *Breus*, de conſenſu & confirmatione papæ, & *Thurſtini Eboracenſis* archiepiſcopi, ipſius etiam regis *Henrici*.

An. Dñi 1130. Anno Dom. MCxxx. & regis *Henrici* xxx. idem rex ad natale apud *VVygorniam*, & ad paſcha apud **Wodeſtoke**, & ad rogationes ad dedicationem novæ eccleſiæ *Cantuarienſis* exiſtens, ad feſtum ſancti *Michaelis* in *Normannia* transfretavit, ad quem *Matildis* Imperatrix filia ſua, à *Galfrido* Comite viro ſuo ſecundum quoſdam repudiata, in *Normanniam* acceſſit; ubi regi eo tempore apparuerunt tres mirabiles viſiones. Nam primo vidit in ſompniis ruſticorum multitudinem cum inſtrumentis in ipſum inſilire, & debitum expetere. Secundo vidit armatorum cohortem omnimodis telis in ipſum ſævire velle. Tercio vidit Prælatorum catervam cum baculis paſtoralibus minas fortiter intentare. Et omnibus hiis vicibus rex de ſtratu ſuo exiliit, opem inclamitans & gladium arripiens, ac ſi eſſet aliquos occiſurus, ſed neminem invenit. Iſta eciam omnia vidit quidam medicus nomine *Grimbaldus*, qui mane iſta regi referens monuit eum ſicut quondam *Daniel Nabugodonoſor*, ut elemoſinis peccata ſua redimeret. Eodem anno *Honorius* papa qui *Kalixto* ſucceſſerat, quinq; annis ſedens obiit. Iſte *Honorius* dum vixit in *Aquilejam* à Baronibus vocatus deſcendit, ut *Apuliam* quæ juris eſt beati *Petri*, à Comite *Rogero Siculo* tueretur, ſed cum infidelitatem Baronum vidiſſet, ſaniori conſilio habito, *Rogerum* in gratiam recepit, & facto homagio, & fidelitate firmata, ipſum de Ducatu *Apuliæ* inveſtivit. Cui *Honorio* mortuo ſucceſſit *Innocentius* 2. ſedens annis xiij. menſibus ſeptem, diebus viij. Quo in tempore quidam *Petrus Petri Leonis* filius Cardinalis à paucioribus electus, & *Anacletus* dictus, apoſtolatum invaſit.

domos *Frangipanenſium* in quibus *Innocentius* Papa cum Cardinalibus ſe receperat, hoſtiliter aggrediendo. Sed quia ſic nihil profecit, cum manu armata eccleſiam beati *Petri* adiit, & eam per violentiam habitam aureo crucifixo, ſplendentibus coronis cum toto theſauro auri & argenti ac lapidibus precioſis & jocalibus ſpoliavit, *Cyboreum* quoque quod *Leo* papa conſtruxerat deſtruxit. Hoc idem ad ſanctam *Mariam* majorem magno theſauro ditatam & per alias eccleſias urbis fecit. Cum quo theſauro poſtquam pene omnes *Romanos* corrupiſſet, *Innocencius* papa nullum in urbe ſubſidium habens, cum Cardinalibus cum 2. galeis in *Galliam* tranſivit, ubi à rege *Francorum* honorifice eſt receptus. Quem etiam anno ſequenti rex *Henricus* apud *Carnotum* honorifice recepit, & *Anacleto* ſubici recuſavit. Et poſtquam dictus papa *Innocentius* in *Claramonte* & *Remis* concilia celebraſſet, in reditu pacificatis *Iannenſibus* & *Piſanis*, attendens magna ipſorum ſervicia quæ ſibi & eccleſiæ *Romana* fecerant, *Iannenſem* epiſcopum qui ſub *Mediolanenſi* epiſcopo fuit fecit archiepiſcopum & Primatem totius *Sardinia*. Poſt hæc dux *Saxonia Lotharius* iiij. poſt *Henricum* iiij. Imperatorem electus, ad papam *Innocentium* cum exercitu ad *Italiam* veniens, ipſum cum archiepiſcopis & epiſcopis in ſede ſua collocat, à quo in eccleſia *Lateranenſi* ipſe *Lotharius* in Imperatorem coronatur. Qui poſt coronationem ſuam zelo Dei & eccleſiæ accenſus, tanquam verus Catholicus & eccleſiæ advocatus, vires Imperii ſui excitavit, & contra *Rogerum* Comitem qui ſe contra papam erexerat & regnum *Sicilia* occupaverat, una cum eodem papa *Innocentio Apuliam* potenter intravit, ac *Rogero* in *Siciliam* fugato Comitem *Raynonem* Ducem *Apulia* ſtatuerunt. Huic victoriæ *Piſani* cum ſummo Pontifice multo navigio aſtiterunt. Eo tempore *Romani* contra voluntatem *Innocentii* papæ ſenatum renovare conati ſunt. Per idem tempus tanta ſiccitas in *Francia* fuit, ut flumina, lacus, fontes & putei ſiccarentur. Ignis quoque qui per rimas terram ſubintraverat, nec imbre, nec frigore, nec aliqua arte biennio extingui potuit.

Rex *Henricus* anno regni ſui xxxij. de *Normannia* in *Angliam* in æſtate rediens, & filiam ſuam ſecum ducens, navigando in mari nimia tempeſtate quaſſatus eſt, unde tres viſiones ſuas ſupraſcriptas quas in *Normannia* habuit, & monitionem dicti *Grimbaldi* medici ut elemoſynis peccata ſua redimeret ad memoriam reducens, votum vovit ut ſeptem annis *Danicum* tributum relaxaret, ut ſanctum *Edmundum* viſitaret & juſtitiam faceret. Eodem anno omnibus principibus *Anglia* in feſto Nativitatis beatæ *Maria* apud **Northampton** congregatis deliberatum eſt, quod *Matildis* filia ſua viro ſuo *Galfrido* Conſuli *Andegavenſi* eam requirenti redderetur. Quod & factum eſt. Eodem anno poſt paſcha obiit *Reginaldus* abbas *Rameſienſis* illius eccleſiæ novus auctor. Et in principio hiemis obiit *Herveus* primus epiſcopus *Elyenſis*.

Rex *Henricus* anno regni ſui xxxiij. fuit ad **Wyndeſore** infirmitate detentus, qui convaleſcens epiſcopatum *Elyenſem* cuidam *Nigello* dedit, qui per xxxvj. annos ſedit. Eodem etiam tempore epiſcopatum *Dunolmenſem Galfrido* Cancellario ſuo dedit. Eodem anno rex fecit novum epiſcopatum apud *Karliolum* quem *Arnulpho* Priori de ſancto *Botulfo* contulit. Hoc anno *Robertus Curtheſe* quondam Comes *Normannia* & frater regis, ſemper à captione ſua in cuſtodia detentus, obiit apud **Caerdyff**. Eodem tempore fundatus eſt Prioratus de **Norton** in provincia *Ceſtria* à *Willielmo* filio *Nigelli*, & fundatum eſt monaſterium de **Cumbermere** in eadem provincia. Circa idem tempus ordo *Simpryngha menſis* per ſanctum *Gilebertum* virum plane mirabilem exordium ſumpſit in *Tuſcia* feminarum. Hic, ſervorum Dei duo & ancillarum Dei octo non ignobilia conſtruxit monaſteria, quæ & inmenſis replevit collegiis, & juxta ſapientiam ſibi datam, regularibus ornavit inſtitutis. Anno adhuc ultimo ſupradicto rex *Henricus* iiij. kal. *Auguſti* ſole eclipſante in *Normanniam* transfretavit, ubi per totum annum ſequentem pro gaudio nepotum ſuorum quos de filia ſua Comes *Andegavenſis* genuerat, moram fecit. Genuerat enim ex ea *Henricum* dictum **Courtmantel** primogenitum ſuum poſtea regem, *Galfridum* & *Willielmum*. Qui quidem *Henricus* ab excellentia matris ſuæ, quæ fuit Imperatrix, *Henricus filius Imperatricis* vocatus eſt.

Anno Domini M. Cxxxv. cum rex *Henricus* in *Normannia* diu ſtetiſſet, demum ſe redire in *Angliam* diſponebat, ſed eum calliditate quadam filia ſua detinebat, fecit enim arte ſua inter patrem ſuum regem & Conſulem maritum ſuum diſcordias variis de cauſis oriri, ut ſic ſaltim à propoſito redeundi impediretur. Quibus quidem ſtimulationibus rex in iram & animi rancorem excitatus eſt & commotus, unde cauſam naturalis refrigerationis & poſtea ſuæ mortis, ut à nonnullis dicebatur, recepit. Cum igitur die quadam à venatu rediſſet, apud ſanctum *Dioniſium* in ſilva leonum carnes comedit murænarum, i. lampredarum, quæ licet ei ſemper nocebant, eas tamen ſemper amabat. Cum autem medicus hoc genus comeſtionis regi prohiberet, ille ſalubri conſilio minime acquievit, ſecundum quod dicitur, An. Dñi 1135.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

Hæc igitur comeſtio peſſimi humoris illatrix & conſimilium vehemens excitatrix ſenile corpus letaliter frigerans, ſubitam & ſummam perturbationem fecit. Contra quod ad impetum materiei graviſſimæ diſſolvendum natura reluctans febrem acutam excitavit; qua prævalente, rex magnificus cum jam annis xxxv. & tribus menſibus regnaſſet, prima die Decembris anno Domini ſupradicto vitam amiſit hujus ſeculi temporalem. Hic autem annus erat ab adventu *Normannorum* lxix. & ab adventu *Britannorum* ij. M. CClxv. de cujus morte quidam metrice ſic cecinit; unde verſus ſunt iſti.

Rex Henricus *obit, decus olim, nunc dolor orbis,*
Numina flent numen deperiiſſe ſuum.
Mercurius minor eloquio, vi mentis Apollo,
Jupiter imperio, Marſque vigore gemit,
Janus cautela minor, Alcides probitate,
Conflictu Pallas, arte Minerva gemit,
Anglia quæ cunis, quæ ſceptro numinis hujus
Ardua ſplenduerat, jam tenebroſa ruit;
Hæc cum Rege ſuo, Normannia cum Duce marcet;
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

Rege autem *Henrico* defuncto, libera ut aſſolet in mortuum judicia populi jaculabantur. Alii nempe tribus eum ferebant virtutibus radiaſſe, ſapientia, eloquentia, belli fortuna. Pro primo in conſilio profundiſſimus & in providentia conſpicuus ſumme fuit. Pro ſecundo, clarus eloquentia inter Principes habebatur. Pro tercio, exceptis aliis quæ egregie geſſerat, regem *Francorum* ut prædictum eſt lege belli ſuperaverat. Alii vero diverſo ſtudio tribus eum ſuccubuiſſe viciis aſſerebant; Cupiditate, Crudelitate, & Voluptate. Pro primo, opulentos tributis & exactionibus nimia cupiditate cæcatus in paupertatem dejecit. Pro ſecundo, *Robertum* fratrem ſuum in carcere mori permiſit, & Conſulem de *Moretoyll* cognatum ſuum in captione poſitum crudeliter excæcavit, nec ſciri tam horrendum facinus potuit quouſque regis aperuit mors ſecreta; Et alia fecit etiam facinora quæ tacemus. Pro tercio, mulierum dicioni more regis *Salamonis* nimis luxurioſus continue ſubjacebat. Talia de eo vulgus libere prædicabat. Hujus regis tempore fuit quidam *Simon* filius *Roberti Lyncolnienſis* epiſcopi, decanus in eadem eccleſia, qui fuerat acer ingenio, clarus eloquio, forma venuſtus, gratia coruſcus, ætate juvenilis, prudentia ſenilis, ſed ſuperbiæ vicio reſperſus. Ex ſuperbia crevit in ipſo invidia, ex invidia odium, ex odio jurgia, detractiones & delationes. Qui aliquando pronoſticavit de ſeipſo, dicens, Ego curialibus interponor ſicut ſal inter viventes anguillas, unam per hoc rei proprietatem attendens, ſed aliam non advertens; Nam ſicut anguillas ſal excruciat, ita ille curiales corrodendo; ſed tandem ſicut ſal anguillarum deſtruitur humore, ita ille cunctorum aſpernatione; nam tandem in odium regis devolutus, incarceratus per latrinam aufugit & exul obiit.

Inſtitutiones ſive leges quas iſte rex Henricus *primus edidit & ſancivit.*

Henricus Dei gratia rex *Anglorum* omnibus Baronibus & fidelibus ſuis *Francis* & *Anglis* ſalutem. Sciatis me Dei miſericordia & communi conſilio Baronum meorum *Angliæ* ejuſdem regni regem coronatum eſſe. Et quia regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus, ego reſpectu Dei & amoris quem erga vos gero ſanctam Dei eccleſiam in primis liberam facio, ita quod nec eam vendam nec ad firmam ponam, nec mortuo archiepiſcopo, epiſcopo vel abbate aliquid accipiam de dominio eccleſiæ vel hominibus ejus, donec ſucceſſor in eam ingrediatur, Et malas conſuetudines quibus regnum *Angliæ* injuſte opprimebatur inde aufero; Quas quidem malas conſuetudines ſuppono fore iſtas.

Si quis Baronum meorum, Comitum ſive aliorum qui de me tenet mortuus fuerat, hæres ſuus non redimat terram ſuam ſicut faciebat tempore fratris mei, ſed legitima & juſta relevatione relevabit eam. Similiter & homines Baronum meorum legitima & juſta relevatione relevabunt terras ſuas de dominis ſuis. Et ſi quis Baronum vel hominum meorum filiam ſuam nuptui tradere voluerit ſive ſororem ſive neptem ſive cognatam, mecum inde loquatur. Sed neque ego aliquid de ſuo pro hac licentia accipiam, neque defendam ei quin eam det, excepto ſi eam voluerit jungere inimico meo. Et ſi mortuo Barone vel alio homine meo filia hæres remanſerit, & ſine liberis fuerit, dotem & maritationem habebit, & eam non dabo marito niſi ſecundum velle ſuum. Si vero uxor cum liberis remanſerit, dotem quidem & maritationem ſuam habebit, dummodo corpus ſuum legitime ſervaverit, & eam non dabo niſi ſecundum velle ſuum; Et terræ & liberorum cuſtos erit, ſive alius propinquorum qui juſtius eſſe debebit. Et præcipio ut Barones mei conſimiliter ſe contineant erga filios & filias & uxores hominum ſuorum. Monetagium commune quod capiatur per civitates & per comitatus quod non fuit tempore *Edwardi* regis, hoc ne ammodo fiat omnino defendo. Si quis captus fuerit ſive monetarius ſive alius cum falſa moneta, recta juſtitia inde fiat. Omnia placita & omnia debita quæ fratri meo debentur condono, exceptis rectis firmis meis, & exceptis illis quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus vel pro illis rebus quæ juſtius aliis contingebant. Et ſi quis pro hæreditate ſua aliquid pepigerat, illud condono, & omnes relevationes quæ rectis hæreditatibus pactæ erant. Et ſi quis Baronum meorum vel hominum infirmabitur, ſicut ipſe dabit vel dare diſponat pecuniam ſuam, ita datam eſſe concedo. Quod ſi ipſe morte præventus vel armis vel infirmitate, pecuniam ſuam non dederit, nec dari diſpoſuerit, uxor ſua ſive liberi aut legitimi homines aut parentes ejus pro anima ejus dividant eam, ſicut melius eis viſum fuerit. Si quis Baronum vel hominum meorum foriſfecerit, non dabit vadium in miſericordia totius pecuniæ, ſicut faciebat tempore patris mei & fratris mei; ſed ſecundum modum foriſfacti ita emendabit ſicut emendaſſet retro à tempore patris mei & fratris mei in tempore aliorum anteceſſorum meorum. Quod ſi perfidiæ vel ſceleris convictus fuerit, ſicut juſtum erit ſic emendet. Murdra etiam retro ab illa die qua in regem coronatus fui omnia condono, & ea quæ ammodo facta fuerint, juſte emendentur ſecundum lagam regis *Edwardi*. Foreſtas communi conſenſu Baronum meorum in manu mea ſic retinui ſicut pater meus eas habuit. Militibus qui per loricas terras ſuas defendunt terras dominicarum carucarum ſuarum quietas ab omnibus gyldis & omni opere, proprio meo dono concedo, ut ſicut benignitas mea propenſior eſt in eis, ita michi fideles ſint, & ſicut ita magno gravamine alleviati ſunt, ita equis & armis ſe bene inſtruant, ut apti & parati ſint ad ſervicium meum & ad defenſionem regni mei. Lagam regis *Edwardi* vobis reddo cum illis emendationibus, quibus eam pater meus emendavit conſilio Baronum meorum. Si quis aliquid de meo vel de rebus alicujus poſt obitum fratris mei *Willielmi* cepit, totum cito reddat ſine emendatione; & ſi quis aliquid retinuerit, ille ſuper quem fuerit inventum graviter michi emendabit. Teſtibus archiepiſcopis, epiſcopis, Comitibus, Baronibus, vicecomitibus, & optimatibus tocius regni *Angliæ* apud *Weſtmonaſterium* quando coronatus fui.

Mortuo itaque rege *Henrico* primo ſed nondum ſepulturæ tradito, *Stephanus* nepos ejus ex parte ſororis, Comes *Bononiæ* filius Comitis *Bleſenſis* & frater minor *Theobaldi* Conſulis *Bleſenſis* regnum *Anglorum* invaſit. Siquidem dictus *Stephanus* pater Comes *Bleſenſis* *Athaliam* filiam *Willielmi* nothi conqueſtoris duxerat in uxorem, ex qua quatuor filios procreavit. Quo in partibus orientis defuncto, mater *Mirabilis* primogenito ſuo, eo quod remiſſioris erat ingenii, prudenter amoto, *Theobaldum* filium ſuum, in quo ſibi complacebat, ad plenitudinem hæreditatis provexit.

vexit. *Stephanum* quoque filium suum adhuc impuberem regi *Henrico* avunculo nutriendum & promovendum tradidit & direxit. Quartum vero filium *Henricum* nomine, apud *Cluniacum* monachum tonsoravit. Processu temporis *Henricus* rex unicam Comitis *Boloniæ* filiam ad quam tota spectabat hæreditas, prædicto nepoti *Stephano* copulavit, & donaque plurima in *Anglia* eis contulit, fratri etiam ejus dicto *Henrico* monacho *Cluniacensi* dedit regis abbathiam *Glastoniæ* & postmodum episcopatum *Wyntoniensem* adjecit. Cum igitur ut dictum est sæpedictus rex *Henricus* obiisset, prædictus *Stephanus* Comes *Boloniensis*, magnæ strenuitatis & audaciæ, quamvis *Matildi* Imperatrici filiæ regis *Henrici* & filiis suis cum cæteris sacramentum fidelitatis jurasset, vigore tamen & prudentia fretus, diadema regni citissime invasit, et à *Willielmo Cantuariensi* archiepiscopo, qui prius primus dictæ *Matildi* Imperatrici sacramentum fidelitatis præstiterat, die sancti *Stephani* apud *Londonias* in regem, proh dolor! coronatur, unde Deus judicium illud eidem archiepiscopo statuit, quod magni sacerdotis *Jeremiæ* percussori statuerat, scilicet ne post annum viveret. Rogerus etiam magnus *Saresberiensis* episcopus, qui secundus illud sacramentum fecerat, & omnibus aliis prædicaverat, diadema ei et vires ad illud sibi contribuit, unde postea Dei judicio ab eodem quem sic in regem coronavit, captus et cruciatus, miserrimum exterminium est sortitus. Sed quid dicam? Omnes qui sacramentum prædictum juraverant tam præsules quam Consules, assensum *Stephano* præbuerunt et hominium fecerunt. Hoc vero malum signum fuit, quod omnis *Anglia* tam repente sine mora et sine labore et quasi in ictu oculi sibi erat subjecta. Tamen secundum quosdam à tempore retroacto usque ad tempus illud non fuit facta tam privata regis consecratio: Nam nemo ut volunt ibi magnatum fuit nisi solus antedictus archiepiscopus et duo alii episcopi. Et fertur quod cum rex communionem corporis Christi die Coronationis suæ ore esset percepturus, Eucaristia inter manum archiepiscopi & os regis subito elapsa disparuit.

Die autem beati *Stephani* prothomartiris, *Stephanus* rex cum magna pompa & immensa gloria Curiam suam *Londoniis* tenuit coronatus, corpore regis *Henrici* adhuc in *Normannia* insepulto. Rex namque *Henricus* prima die Decembris obierat, cujus corpus *Rothomagum* est allatum, ubi viscera ejus, cerebrum & oculi sunt consepulta. Reliquum vero regalis cadaveris cultellis circumquaque dissecatum & multo sale causa evitandi fætoris aspersum, coriis taurinis reconditum est, quia jam multos infecerat circumstantes, unde & ipse qui magno precio conductus fætidissimum cerebrum extraxit, quamvis linthiaminibus caput suum obvolvisset & nasum, ex fætore tamen mortuus malo precio gavisus est. Hic erat ultimus ex multis quem rex *Henricus* occiderat. Inde vero corpus regium *Cadomum* sui deportaverunt, ubi diu in ecclesia qua pater ejus sepultus fuerat, positum, quamvis multo sale repletum esset, & multis coriis involutum, continue tamen niger humor & horribilis coria pertransiens ex corpore decurrebat, qui vasis sub feretro positis susceptus à ministris abiciebatur. Vide ergo quicunque legis, potentissimi regis corpus, cujus cervix auro & gemmis electissimis, diademata quasi Dei splendore vernaverant, Cujus os tam delicatis & exquisitis cibis pasci solebat. Cui omnes assurgere, cuncti expavescere, omnes congaudere, omnes admirari solebant, quam mirabiliter abjectum fuerat & tractatum, & vide rerum eventum ex quo judicium semper pendet, & disce contemnere quicquid sic determinatur & quicquid sic adnichilatur.

Tandem regalis cadaveris reliquiæ in *Angliam* delatæ, apud monasterium de *Radinges*, quod ipse rex *Henricus* à fundamentis construxerat & multis possessionibus ditaverat, infra xij. dies natalis Domini sunt sepultæ. Ibique rex *Stephanus* à curia sua quam apud *Londonias* tenuerat in ipso natali, & *Willielmus Cantuariensis* archiepiscopus, & multi proceres & præsules contra corpus regium advenerunt, qui illud ibidem honore debito humaverunt. Rege vero *Henrico* ut dictum est sepulto, novus rex *Stephanus* inde usque *Oxoniam* perrexit, ubi convocato Concilio pacta quæ die Coronationis suæ Deo & ecclesiæ ac populo *Anglicano* concesserat, confirmavit. Quæ sunt hæc. Primo vovit Deo & coram proceribus juravit, quod defunctis episcopis ecclesias sive prælaturas vacantes in manu sua minime teneret, sed statim electioni canonicæ consentiens, eis episcopos investiret. Item quod Danegaldum, i. duos solidos de hyda terræ, quod antecessores sui singulis annis accipere solebant, pro perpetuo condonaret. Item quod silvas clericorum & laicorum in manu sua non retineret sicut fecerat rex *Henricus*, & quod neminem de silvis propriis implacitaret licet venationem in eisdem caperet, aut eas ad necessitates suas diminueret, vel etiam extirparet. Quod quidem nephandi placiti genus adeo execrabile fuit, ut si alicujus lucum quem habere pecuniam æstimaret à longe conspiceret, statim eum vastatum diceret sive esset vastatus sive non, ut sic eum inmerito redimeret. Hæc principaliter & alia plurima Deo vovit; sed pauca tenuit. Et quia adventum *Matildis* Imperatricis formidabat, concessit, ut quilibet de proceribus munitionem sive castrum in proprio fundo facere posset. Post hæc in fine natalis Domini, nunciatum est regi *Stephano* apud *Oxoniam* per quemdam sic dicentem, *David* rex *Scottorum* simulans se pacifice ad te venire hospitandi gratia in *Karlyolum* & in *Novum castrum* veniens dolose utramque cepit & occupat. Cui rex respondit, quod dolose cepit victoriose recipiam Deo dante. Rege igitur *Stephano* exercitum suum contra *David* regem *Scottorum* in partes boriales promovente, idem rex *David* circa *Dunolmum* ei occurrens & pacifice loquens cum eo, tunc temporis concordatur. Qui *Novo castro* reddito, *Karliolum* de concessione regis *Stephani* retinebat. Rex tamen *David* homo regis *Stephani* non est effectus, quia sacramentum primus omnium laicorum *Matildi* Imperatrici juraverat de *Anglia* ei manutenenda post mortem regis *Henrici*; sed filius regis *David*, *Henricus* nomine, homagium *Stephano* regi fecit, unde rex *Stephanus* burgum qui vocatur **Huntyngdon** in augmentum sibi dedit. Rex autem *Stephanus* inde in Quadragesima rediens, curiam suam in solempnitate paschali qua nunquam in *Anglia* multitudine, magnitudine, auro, argento, gemmis & vestibus omnimodaque dapsilitate splendidior fuerat, apud *Londonias* celebravit. Ad Rogationes vero tunc proximo sequentes divulgatum est regem mortuum esse. Quod audiens *Hugo Bigod* castellum *Norwici* intravit, quod nisi ipsi regi advenienti reddere noluit; & hoc tamen valde invitus; nam rabies *Normannorum* cœpit jam proditione et perjurio pululare. Caſtro igitur de **Baketun** cui dominus *Robertus* quidam proditor à rege diſcederat capto, rex civitatem *Exceſtriæ* quam *Baldewinus de Redvers* contra eum tenebat, fortiter obſedit, ubi diu circa conſtructionem machinarum morando multum de theſauro ſuo conſumpſit. Qui licet ſero caſtrum ei redditum erat, peſſimo tamen uſus conſilio, vindictam in ſuos non exercuit proditores; nam ſi tunc vindictam exercuiſſet, tot caſtella contra eum poſtmodum retenta non fuiſſent. *Exceſtria* vero demum capta, rex in inſulam *Vectam* pergens, eam à *Baldewino de Redvers*, de quo prædiximus abſtulit, & ipſum ab *Anglia* relegavit. Rex igitur hiis proſpere geſtis elatus apud *Brantunam*, quæ uno ab **Huntyngdon** diſtat miliari, venatum venit, & ibi votum ſuum Deo & populo prius factum frangens, de foreſtis procerum ſuorum, & de ſilvis & venationibus eos placitavit.

Poſt hæc *Stephanus* rex anno regni ſui ſecundo cum manu armata in *Normanniam* transfretavit, ubi multis hoſtibus bellicoſe ſuperatis, cum rege *Francorum* concordiam tandem inivit & *Euſtachius* filius ejus homo regis *Francorum* propter *Normanniam*, quæ *Francorum* imperio adjacet, effectus eſt. Quod videns Comes *Andegavenſis*, qui *Matildem* imperatricem filiam regis *Henrici* duxerat, cui *Anglicani* regni ſucceſſio ratione uxoris ſuæ, ut prædicitur, competebat, ſe ſcilicet in præſenti regias vires infringere non poſſe videbat, & licet jam in parte attemptaſſet, cœpit continuo pacifice loqui, & ſuper eodem negocio inducias petere in quo regnum *Angliæ* jure uxorio vendicabat. Quibus conceſſis & initis, *Stephanus* rex ante nativitatem *Angliam* rediit, & per totum natale, incipiens ab ipſa vigilia nativitatis Domini, *Bedfordiam* obſedit, & de tanta ſolempnitate non curans, ab obſidione non ceſſabat, donec caſtrum ſibi adverſum cepiſſet. Eodem anno ſtatim poſt captionem ſive redditionem caſtri de **Bedford**, rex *Stephanus* in *Scotiam* innumerabilem exercitum promovit. *David* namque rex *Scottorum* qui *Matildi* imperatrici filiæ regis *Henrici* de regno *Angliæ* ſibi conſervando ſacramentum fecerat, quaſi ſub velamento ejuſdem ſacramenti, cum exercitibus ſuis *Northumbriam* ingreſſus eſt, execrabiliter agens in omnibus viis ſuis, ſui enim ætati nec ſexui parcebant, quin mulieres gravidas finderent, & pueros ſuper acumina lancearum jactarent, ſacroſanctis eciam eccleſiis non parcentes, presbyteros ſuper altaria detruncabant, crucifixorum capita abſciſſa ſuper cæſorum corpora ponebant, & mortuorum capita mutantes, ſuper crucifixa reponebant, quæcumque enim attingebant *Scoti*, plena doloris fuerant & horroris; aderat enim clamor mulierum, ejulatus ſenum, gemitus morientium, & deſperatio viventium. Sed audito adventu regis *Stephani*, retraxerunt ſe *Scoti*, eo quod ſpiritui furoris ejus reſiſtere non auſi ſunt. Adveniens itaque rex *Stephanus*, auſtrales partes regis *David* cum impetu combuſſit, *Davide* cum eo congredi non audente. Cumque modicum ibidem manſiſſet, à ſuis ſtatim poſt Paſcha audivit, quod multi proditores & magnatum plurimi contra eum in auſtralibus terræ ſuæ partibus inſurrexerunt, contra eum caſtris plurimis occupatis. Propter quod ad auſtrales *Angliæ* partes revertens, eadem caſtra obſidebat.

Quo ibidem ſic occupato, *David* rex *Scottorum* in *Angliam* innumerabilem exercitum promovit, omnia iterum ſicut prius devaſtando, & terram uſque ad flumen de *Teyſe* in confinio *Eboracenſis* provinciæ comburendo. Et contra quem milites & principes *Angliæ* boriales animoſi cum inſigni Comite *Albemarle*, & ex juſſu & ammonicione venerabilis patris domini *Thurſtini Eboracenſis* archiepiſcopi, viriliter reſtiterunt, fixo *le* **Standard**, i. ſigno regio, apud **Alverton**; ubi licet quidam aſſerunt, quod dictus archiepiſcopus *Thurſtinus* cum regiis militibus occurrens eum fugaſſet, morbi tamen cauſa, ut quidam volunt, ibi intereſſe non poſſet, & ideo *Radulphum Orcadum* epiſcopum loco ſuo miſit, qui in acie media loco ſtans eminenti orationem hujuſmodi exorſus eſt. « Proceres *Angliæ* clariſſimi & genere *Normanni*, meminiſſe generis & nominis vos oportet, & inimicis reſiſtere decet, quibus uſque in præſens nemo inpune reſiſtit. Audax enim *Francia* vos experta delituit, ferox *Anglia* à vobis capta ſuccubuit, dives *Apulia* vos ſortita defloruit, *Jeruſalem* famoſa & inſignis *Antiochia* diſpoſuit vobis ſe utraque. Nunc autem *Scocia* vobis rite ſubjecta inermem præferens temeritatem, & rixæ magis quam pugnæ aptior vobis reſiſtere immo expetere jam conatur. In quibus quidem nulla rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia invenitur. Nullus igitur verendi locus ſed potius verecundiæ, quod hii quos ſemper in patria ſua petivimus & vicimus, in patriam noſtram jam ritu tranſverſo velut dementes & ebrii convolarunt. Unum ergo vobis ego præſul denuncio, quod hii *Scoti* qui in hac patria templa Dei violarunt, altaria cruentarunt, presbyteros occiderunt, & pueros & prægnantes gladio peremerunt, condignas ſui facinoris luent pœnas in ſuo flagicio corruentes, quod omnipotens Deus hodie perficiet per ſtrenuas manus veſtras. Attollite igitur animos ô elegantes viri, et adverſus hoſtem nequiſſimum virtute patira, immo Dei præſentia freti, exſurgite; nec vos moveat eorum temeritas magna cum illos non deterreant tot veſtræ virtutis inſignia. Illi neſciunt armari in bello, vos autem in pace ad bellum exercimini, ut poſtmodum in bello caſus belli dubios minime ſenciatis. Tegitur vobis caput galea, pectus lorica, ocriis crura, totumque corpus ſcuto & enſe, ut ubi feriat hoſtis non invenit quem ferro circumſeptum inſpicit. Nos ergo procedentes adverſus inermes & nudos quid dubitamus? An numerum? Certe non numerus multorum ſed virtus paucorum bellum conficit; Multitudo ipſa eſt inſolens ſibimet ipſi, & impedimentum eſt in proſperis ad victoriam & in adverſis ad fugam, propterea majores veſtri & pauci multos ſæpe vicerunt. Quid ergo confert vobis gloria parentelæ, quid exercitatio armorum ſolempnis, quid diſciplina militaris, niſi multos pauciores vincatis? Sed jam finem dicendi faciunt hoſtes inordinate prorumpentes, & animo meo valde placet diſperſe confluentes. Vos ergo qui hodie vindicaturi eſtis domum Domini, & Domini ſacerdotes, terramque veſtram. & parvulos veſtros, ſi quis veſtrum hodie occubuerit prælians, vice archipræſulis veſtri eum abſolvimus ab omni pœna peccati in nomine patris cujus creaturas fœde & horribiliter deſtruxerunt,

« ſtruxerunt, & filii cujus altaria maculando everterunt, & Spiritus ſancti à quo ſeparati inſane ceciderunt. Et confeſtim reſpondit omnis populus *Amen*, *Amen*; & reſonuit terra in voces illorum.

Superveniens autem *Scottorum* exercitus, illud inſigne reſponſum exclamant *Albani*, *Albani*, & mox conſerta pugna totus clamor abſortus eſt. Gens vero noſtra circum *le* **Standard** conglobata perſiſtebat inmobilis, immo viri ſagittarii equitibus inmixti inermes *Scotos* ſparſim penetrabant. Inter quos ſummus dux *Lodonenſium*, qui primam aciem ex parte *Scottorum* habebat, ſagitta percuſſus corruit, & tota gens ſua converſa eſt in fugam. Quod videns *Scottorum* acies altera, quæ ex adverſo pugnabat, animo acerime expavit, & fugæ confeſtim indulſit. Regalis autem acies quam ipſe rex *David* ex pulcherimis ſimul conſtituerat, ut hoc vidit, primo ſingillatim, & poſtea catervatim aufugere cœpit, rege autem pene ſolo exiſtente, quod videntes amici regis *David* eum fugere cum eis coegerunt. Filius autem regis ſtrenuiſſimus, non ad hæc ſed ſoli gloriæ & virtuti attendens, miro impetu aciem noſtrorum impetendo percuſſit, ſed ſtatim ipſe fugit, & in eodem loco decem millia *Scottorum* corruerunt, exceptis qui in ſegitibus & ſilvis inventi ſunt perempti, de quibus noſtri ſpolia multa reportarunt. Offenſus enim erat eis Deus omnipotens, & omnis virtus eorum quaſi arenarum contexio contrita eſt. Hoc bellum menſe Auguſti factum eſt in *mora de* **Cowton** juxta **Alverton** anno regni regis *Stephani* quinto.

Poſt natale vero rex *Stephanus* in *Scotiam* exercitum ſuum movit, ubi ferro et flamma quæque vaſtare diſpoſuit. Sed rex *Scotia David* vehementer artatus, concordia cum rege *Anglia* facta, filium ſuum *Henricum* in obſidem regi *Anglia* tradidit, quem rex *Stephanus* ſecum in *Angliam* ducens, continuo caſtrum de **Lodelowe** obſedit, ubi idem *Henricus* unco ferreo equo abſtractus fere diſtractus eſt, ſed per ſtrenuitatem regis hoc intuentis ſtatim liberatus eſt. Hiis ita feliciter geſtis, cor regis elevatum eſt, comprehenditque et in vinculis tenuit *Alexandrum Lincolnienſem* epiſcopum, et ipſum tam diæta tenui et jejunio quaſi vehementer afflixit, quouſque caſtrum ſuum de **Newerke**, quod ipſe epiſcopus de novo conſtruxerat, una cum caſtello de **Sleford**, regi dediſſet. *Nigellum* quoque *Elyenſem* epiſcopum effugavit. *Rogerum Salesburienſem* epiſcopum, qui multa bona ſibi fecerat, incarceravit, donec duo caſtella ſua de **Vyses** & **Schyrbourne** ei dediſſet; unde & epiſcopus ille *Rogerus* domorum & caſtrorum ædificator præcipuus, nimia triſtitia obiit infirmatus, pecuniam quaſi xl. milia marcarum in caſtellis ſuis poſt ſe relinquens, quæ non in Dei ſed in regis uſum ceſſit, nam rex illo theſauro *Conſtantiam* ſororem regis *Francorum* ad opus & maritagium filii ſui *Euſtachii* comparavit; & juſto Dei judicio hoc dicto *Rogero* epiſcopo contigit, utpote qui regi *Henrico* & *Matilda* imperatrici filiæ ſuæ de regno *Anglia* eidem conſervando fidelitatem primo juraverat, & eciam juraturis ſingulis formam juramenti expreſſerat; poſtmodum ejuſdem juramenti inmemor, immo potius contemptor, coronationi regis *Stephani* quaſi cooperator extitit & adjutor. Et *Willielmus* quidem *Cantuarienſis* archiepiſcopus ejuſdem, ut creditur, perjurii merito ipſo coronationis ſuæ anno defecit & mortuus eſt. Cui *Willielmo* ſucceſſit *Theobaldus* abbas *Beccenſis*.

Poſt hæc vero & aliquantiſper *Henricus Wyntonienſis* epiſcopus, frater regis, & *Romana* eccleſiæ legatus apud *Wyntoniam* concilium tenuit & tractatum, ubi epiſcopi *Anglia* convenientes, regem ad pedes ejus proſtrati rogaverunt, ut poſſeſſiones dictorum epiſcoporum, & caſtella eis & eccleſiæ reſtaurarentur, ſed eos rex noluit exaudire; propter quod, ut creditur, domus regia finitimæ cito poſtea divinæ ſubjacuit ultioni. Anno adhuc *Stephani* regis 5. idem rex capit caſtra *Glovernia*, *Herefordia*, *Webbeleya*, *Bryſtollia*, *Duddeleya*, et *Salopia*. Quo audito, *Robertus* comes *Glovernia* nothus filius regis *Henrici*, ſororem ſuam *Matildem* imperatricem, *Andegavia* tunc morantem, ut veniret *Angliam* invitavit, promittens ſibi auxilium contra regem. Dum in regno *Anglia* talia gererentur, ſanctæ recordationis *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus, poſt laudabilem officii ſui adminiſtrationem et præclara pietatis opera, cum jam fere tempus ſuæ militiæ expletum eſſe ſentiret, relicto honore, excuſans ſe ab onere, cum monachis *Cluniacenſibus* apud *Pontem fractum* in bona obiit ſenectute anno Domini M. Cxl. cujus corpus poſt duos annos incorruptum et odoriferum eſt compertum; cujus eciam pio ſtudio inter cætera bona quæ operabatur, attribuenda eſt fundatio ſive correctio celeberrimi monaſterii *Fontanienſis*, cujus perhibetur fundatio talis eſſe.

Quidam monachi eccleſiæ beatæ *Maria Eboraci* xij. vel xiij. ferventes ſpiritu et ſcrupuloſam habentes conſcientiam, eo quod beati *Benedicti* regulam quam profeſſi erant, minus ad literam obſervarunt, et quod *Ciſtercienſis* ordinis qui nuper eſſe cœperat, fama jam celebris erat, ut aliis melius fortiuſque agerent, ſuum monaſterium reliquerunt, quorum ſtudium zelumque venerabilis pater *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus amplexus, eos paternæ pietatis et maternæ ſinu ſuſcipiens confovebat. Tandem vero eos in loco paſcuæ qui *Fontes* dicitur collocavit, ubi extunc et deinceps multi aquas in vitam æternam hauſerunt ſalientes tanquam de fontibus Salvatoris. Fundataque fuit domus hæc vj. kal. Januarii anno Domini M. Cxxxij. et anno à fundatione *Ciſtercienſium* xxxiiij. Sane paulo ante à nobili viro *Waltero Eſpek* fundata eſt domus *Regalis vallis* dicto *Thurſtino* archiepiſcopo conſentiente et aſſenſum præbente, ubi monachi *Clarevallenſes* à felicis memoriæ abbate *Barnardo* directi, ſempiternam manſionem in Domino acceperunt. Horum ergo exemplo monachi illi *Eboraci* imitati atque ad fortia animati, ſe memorati abbatis magiſterio tradiderunt, et diſtincti locis et non animis, hii et illi ad artam viam quæ ducit ad vitam ſervandam paribus votis & ſtudiis cucurrerunt. Eodem tempore quidam *Samatenſes* monachi *Bellam Landam* condiderunt, nobili viro *Rogero de Moubray* qui & eccleſiam de **Newburgh** fundavit, artum locum primo, deinde 2um, 3um, & quartum eis donante, ubi fixis radicibus uſque in præſens reſident Deoibidem jugiter famulantes. Dicto autem *Thurſtino Eboracenſi* archiepiſcopo monaſterii *Fontanenſis* aliorumque octo fundatore, ut dictum eſt, decedente, ſinguli eccleſiæ *Eboracenſis* canonici, beatum *Willielmum* ejuſdem eccleſiæ theſaurarium præferunt, tam pro honeſtate morum quam excellentia meritorum. Iſte namque *Willielmus* ex ſpectabili proſapia regis *Stephani* ortus, præclaris natalium titulis fuerat inſignitus; erat enim filius potentiſſimi viri Comitis *Hereberti*. Qui quamvis poſt deceſſum dicti archiepiſcopi *Thurſtani* ad ſedem *Eboracenſem* electus fuerat; invidia tamen & impetuoſus amor dominandi quemdam ejuſdem eccleſiæ archilevitam adeo in regionem diſſimilitudinis traxerant, ut inter eligentes diſcidium excitavit ipſum *Willielmum* à ſaniori parte electum impediens, licet de ejus electione clerus & populus acclamaſſent laudum præconia. Suſpenditur igitur cauſa ad apoſtolicæ ſedis examen provocata.

Summus paſtor *Eugenius Ciſtercienſis* ordinis primo diſcipulus beati *Barnardi*, & poſtmodum abbas ſancti *Anaſtaſii* juxta *Romam*, non vicio perſonæ ſed pro voluntatis arbitrio quod in lege optinuit, electionem ejus caſſavit, & zelo prout præſumitur pio, *Henricum Murdac* ejuſdem ordinis monachum in paſtorem *Eboracenſis* eccleſiæ ordinavit; vir Dei *Willielmus* patientiam ſuper hoc habens, ad *Henricum Wyntonienſem* epiſcopum patruum ſuum acceſſit. Qui ei manſionum ſuarum optulit opcionem, ad ejus obſequia univerſam clientelam volens inclinare. Sed Dei electus tanta refutans, in quodam manerio dicti præſulis in ſolitudine manſit, cupiens ibidem commiſſorum gerere pœnitentiam, & ultrices pœnas flammarum libertate reſtringere lacrimarum. Poſt hæc mors, cujus ſententia dives & pauper ad paria judicantur, in uno eodemque, ut fertur die, papæ *Eugenio* & archipræſuli ſuo *Henrico* vitam violenter abrupit. Cardinalis vero ille qui prius electionis viri Dei *Willielmi* præcipuus defenſor extiterat, felicibus auſpiciis elevatus, apoſtolicæ dignitatis culmen aſcendit, *Anaſtaſius* vocatus. Qui de prædeceſſoris ſui ſententia dolens, erga Dei electum *Willielmum* ſuam ſententiam non mutavit, ſed tanquam veritatis zelator, Canonicis *Eboracenſis* eccleſiæ pro majori & digniori parte illum *Willielmum* iterum eligentibus electionem confirmavit, & eidem ſummo eum honore munus conſecrationis impendit. Accepta ergo cum tanto beneficio papalis benedictionis gratia, *Willielmus* ad *Angliam* cœpit remeare. Et ubicumque locorum tranſitum faciebat, caſtimonia ac puritate & divinæ converſationis gloria laudabiliter fulgebat. Cum autem civitatem *Eboracenſem* intraret, & effrenata multitudo populorum pontem poſt patrem tranſire vellet, compago lingnei pontis ponderoſitate rupta eſt. Itaque quod horrendum eſt viſu & ſtupendum relatu, multitudines virorum ac mulierum, & præcipue infantium catervatim inter rapida fluenta fluvii ceciderunt; ubi profunda fluminis altitudo habebatur, mixtis hominibus equis phaleratis. Converſus vir Dei ad populum inſanis undis undique involutum, ſalutifero ſigno crucis eos inſignivit, & reſolutus in fletum orationes Deo optulit, ne eos aqua profunda abſorberet; quod & ita factum eſt, quod nec anima una periclitavit.

Anno ſexto regis *Stephani* menſe Julio *Matildis* imperatrix, cui *Anglia*, ut prædictum eſt, ex magnatibus terræ promiſſa extiterat & jurata, cum *Roberto* notho fratre ſuo Comite *Gloverniæ* & magno exercitu in *Angliam* apud *Porteſmuthham* proſpere applicuit, & ad **Arundell** iter ſuum direxit; ubi rex *Stephanus* cum impetu occurrens, eam ibi per aliquod tempus obſedit, ſed mox perfida credens conſilia ſibi dicentium, caſtrum illud eſſe quaſi inexpugnabile, retraxit ſe, & eam uſque *Briſtolliam* abire permiſit, quæ multa dampna provincialibus irrogavit; ad eam namque ſtatim multitudo *Anglorum* maxima occurrit, & in regem optimates ſui hinc & inde inſurrexerunt; quod rex audiens, dimiſſa obſidione quam circa caſtrum de **Walyngford** tunc fecerat, verſus imperatricem *Gloverniæ* exiſtentem tendit, ſed cito poſt *Lincolniam* receſſit, & munitiones ejuſdem, quas *Ranulphus* Comes *Ceſtriæ* fraudulenter ſuſceperat, à natali Domini uſque feſtum purificationis beatæ *Mariæ* virginis obſedit. Interim igitur dictus Comes *Ranulphus* & dictus *Robertus* gener ſuus Comes *Gloverniæ*, frater *Matildis* imperatricis, validiſſimis proceribus & multis *Wallenſibus* coadunatis, circa dictum feſtum purificationis ad ſolvendum regis obſidionem, *Lyncolniam* venerunt, qui cum paludem arundineam pene intranſibilem vix cum difficultate pertranſiſſent, ſtatim in ipſo die purificationis aciebus diſpoſitis, quarum primam ipſe *Ranulphus* Comes *Ceſtriæ* cum ſuis aſſumpſit, bello regem *Stephanum* aggreſſi ſunt. Secundam vero aciem illi quos rex *Stephanus* exhæredavit valide tenuerunt. Terciam vero ille *Robertus* Comes *Gloverniæ* ſtrenuiſſimus gubernavit, & à latere prævalida *Wallenſium* erat turma. Et tunc Comes *Ceſtriæ* ſic ſuos alloquitur, « Gratias perſolvo vobis jugiter exorans ut qui vobis cauſa ſum periculi primus omnium periculum ſubeam. Cui dixit Comes *Robertus*, « Non eſt indignum quod primi ictus dignitatem depoſcis, tam ex nobilitate generis quam ex virtute roboris qua præcellis. Sed movet ad bellandum me regis rabies & perjurium; verumptamen per iter quo venimus non eſt revertendum, hic ergo vincendum eſt aut occumbendum. Neceſſe eſt enim ut ad probitatem confugiat cui non eſt aliud refugium. Attendite tamen contra quos & quales bellum geritis. Stat enim contra vos Comes de *Mellent* fraudis artifex, cui innata eſt in corde nequitia, in ore fallacia, in opere pigricia. Procedit eciam Comes de *Alba marla* Baccho devotus, Marti ignotus, vino redolens, bello inſolens. Aſtat ibi *Simon Hamptunenſis*, cujus actus ſola locutio, cujus datum ſola promiſſio, qui cum dixerit fecit, cum promiſerit dedit.

Rex autem *Stephanus* ſub tantis æſtibus miſſam interim ſolempnem audiebat *Alexandro* epiſcopo tunc celebrante; in cujus manibus cereus quem rex ex more ſolito optulit, confractus eſt; quod ſignum fuit confractionis regis. Pixis eciam cum euchariſtia fracta cathena ſuper altare cecidit, & hoc fuit ſignum regiæ ruinæ. Miſſa quoque finita, rex ſtrenuiſſimus cum ſecuritate magna acies diſpoſuit, conſuleſque in equis per duas acies inſtituit. Tercia autem permaxima regis erat. Ex parte cujus verba bello exhortatoria *Baldewino* Comiti ſunt commiſſa, qui cæteros in hunc modum affatur. « Confligentes oportet noſſe tria; *Juſticiam cauſæ*, ne periculum animæ incurratur. *Copiam catervæ*, ne numero hoſtium opprimatur. *Efficaciam dexteræ*, ne debilibus innixa ſubruatur. Quantum ad hæc tria ſumus, ut arbitror, expediti. Attendite ulterius quales habemus adverſarios. Ecce *Robertus* conſul *Gloverniæ* qui de more multum

« minatur, parum operatur, ore leoninus, corde le-
« porinus, clarus eloquentia, obſcurus inercia. De-
« inde ſtat *Comes Ceſtriæ Ranulphus*, vir quidem
« audaciæ irrationabilis; promptus ad conſpiran-
« dum, inconſtans ad perficiendum; animo impe-
« tuoſus, periculo improvidus; altiora machinans,
« impoſſibilia temptans; quod incipit avide, effe-
« minate deſerit; ubique infortunatus, aut vinci
« aut effugari aſſuetus. Transfugas & girovagos
« *Wallenſes* ſecum adducit, qui quanto ſunt numero
« plures tanto deteriores. Sed ecce priuſquam dictis finem faceret, adeſt clamor hoſtium, clangor lituorum & fremitus equorum; offendunt acies mutuis ſe lanceis ſalutantes. Statim acies exhæredatorum aciem conſulum percuſſit & prævaluit, & illa acies eſt quaſi nictu oculi diſſipata, cujus diviſio in tria devenit, alii namque occiſi ſunt, alii capti, & alii fugerunt. Secunda acies regis à Comite *Ceſtriæ* & *Wallenſibus* percuſſa, quaſi in momento ſicut prior diſſipata eſt; fugeruntque omnes equites vitam potius ſalvare quam mori cupientes. Rex namque *Stephanus* cum acie ſua pedeſtri quæ ſola remanſerat circumſeptus eſt. Aparuit tunc fulminea vis regis, qui cædens bipenni, nunc hos, nunc illos, & multos in brevi ad extrema deduxit. Comes vero *Ceſtrenſis* regis gloriæ invidens, cum omni pondere armorum in eum irruit. Tunc novus oritur clamor, quia omnes in eum & ipſe in omnes. Tandem bipennis regia ex ictuum frequentia eſt confracta. Quod videns quidam *Willielmus* miles ſtrenuiſſimus, in regem irruit, & eum per galeam arripiens voce magna clamavit; Huc homines, huc, regem teneo. Continuo advolant omnes, & rex capitur, omnibus de ſua acie aut cæſis aut captis. Civitate autem hoſtili lege direpta, rex ad imperatricem captivus ducitur, & uſque ad exaltationem ſanctæ crucis in turri *Briſtolliæ* vinculatur. Ex cujus rei eventu imperatrix nimis elata *Cireceſtriam* occupat, deinde *Wyntoniam*, ubi ab *Henrico Wyntonienſi* epiſcopo, legato papæ, hoc approbante proceſſionaliter ſuſcipitur.

Inde per *Wiltoniam*, *Oxoniam*, *Radingum* ad ſanctum *Albanum* iter dirigens, occurrente ei potiſſime archiepiſcopo *Theobaldo*, à cunctis, exceptis ſolis *Kentenſibus*, gratanter excipitur, ubi regina uxor regis *Stephani* repugnabat. Inde *Londoniam* venit de ſtatu regni tractatura, ubi ab univerſis *Londonienſibus* eſt honorata ſupra modum. Interpellata eſt à regina *Angliæ* regis *Stephani* uxore, ut rex exſolvi poſſet, ea conditione, quod regno imperatrici reddito rex poſſet alicubi monachari, aut perpetuo peregrinari. Sed hoc non exaudivit. Interpellata eſt etiam à civibus *Londonienſibus*, ut liceret eis uti legibus ſancti *Edwardi*, & non legibus patris ſui *Henrici*, quia graves erant, ſed illa non adquievit. Inde populus commotus, illam capere ſtatuit. Quod illa comperiens, dimiſſa omni ſupellectili ſua *Oxoniam* fugit, ubi diſperſos milites ſuos expectavit; & ſic muliebri languore irritata regem vinctum ſtrictius cuſtodiri, & in compedibus poni juſſit. Deinde poſt aliquot dies cum *David* rege *Scottorum* avunculo ſuo, & *Roberto* Comite *Gloverniæ* fratre ſuo viribus adductis *Wyntoniam* tendit, turrim epiſcopi, ubi frater regis erat, acriter obſedit, unde ipſe epiſcopus *Wyntoniæ* frater regis, pro regina *Angliæ* & univerſis fere terræ proceribus deſtinavit; qui cum feſtinatione venientes, cotidie ſed non congreſſibus acierum ſed circumicionibus militarium amfractuum dimicabant; erat enim uterque exercitus magnus. Tandem venientibus *Londonienſibus*, & ſic illis qui contra imperatricem pugnabant numeroſe auctis, imperatrix ita timore reſoluta eſt, ut in feretro poſita acſi cadaver eſſet, equis deferentibus ad urbem *Gloverniæ* ſic delata fugere compellitur, pluribus ex ſuis ibi captis. Captus eſt eciam & incarceratus dictus *Robertus* frater imperatricis, ſub cujus cuſtodia rex captivus tenebatur. Igitur ſatagentibus regina pro rege, & imperatrice pro comite fratre ſuo, multis hinc inde procurantibus, talis liberatio providetur, ut rex ſuo reſtituatur regno, & comes ſuo dominio, & ambo deinceps forent regni moderatores, ſicut prius extiterant turbatores, ſed comite id renuente, per totum annum regnum ſubjacuit divitum venditionibus, cædibus & rapinis. Tandem circa exaltationem ſanctæ Crucis perſeverantibus inimicitiis, commutatio regis & comitis facta eſt, & uterque pro altero redditus eſt; qui cum inmenſo gaudio à ſuis recipiuntur.

Septimo anno regni ſui fecit rex *Stephanus* conſtrui caſtrum quoddam apud *Wyntoniam*, ubi ſubito hoſtes ſui ſupervenientes, facta congreſſione mutua regem in fugam compulerunt, multis de exercitu ſuo captis. Iratuſque rex valde, iterum exercitum ſuum multiplicavit, & viribus reaſſumptis imperatricem in urbe *Oxoniæ* à feſto ſancti *Michaelis* uſque ad natale Domini obſedit, cuncta extrinſecus devaſtando. Et parum ante natale Domini nive & gelu fortiter ſupervenientibus, imperatrix invaleſcente tandem inedia, per *Thameſiam* congelatam fugit, & uſq; **Walyngford** evaſit albis veſtibus induta, nam oculi obſidentium per albam veſtem & nivis reverberationem deluſi erant. Et ſic urbs *Oxoniæ* poſt ejus receſſum regi reddita eſt. Poſtmodum *Radulphus* Comes *Ceſtriæ* & *Hugo Bigod*, auxilio *Roberti* Comitis *Glouceſtriæ* ſuffulti, regem ipſam imperatricem apud **Walyngford** obſidere volentem, in tantum ubique per hoſtiles aggreſſus perturbarunt, quod ſuam perficere non poterat voluntatem. Rex vero tunc *Wyltoniam* profectus, caſtrum ibidem firmare optavit. Sed *Robertus* Comes *Gloverniæ* cum ingenti poſſe ſuperveniens, rege cum magna difficultate evaſo, *Willielmum Martel* ibidem cepit, pro cujus liberatione rex caſtellum de **Schitbourne** quod ante ceperat eidem Comiti reddidit. Imperatrix vero uſque ad pubertatem filii ſui *Henrici*, ſemper regi *Stephano* repugnavit. Circa hæc tempora quidam magiſter *Arnaldus* prædicavit *Romæ* contra divites & contra ſuperfluitatem hominum, qua de cauſa multi ſequebantur eum; tandem captus eſt, & in odium clericorum ſuſpenſus. Eodem tempore obiit *Johannes de Temporibus* qui CCC. lxj. annis vixerat, & erat armiger magni *Karoli*.

Anno regis *Stephani* octavo, *Rogerus Wyntonienſis* epiſcopus legatus papæ Concilium *Londoniæ* rege ibidem præſente tenuit generale. Et quia clericis terræ nullus honor ferebatur, eo quod clerici ſicut laici capiebantur & redimebantur, idem legatus in eodem ſtatuit & decretum canonis innodavit, ne aliquis qui violentas manus clerico ingeſſerit, ab alio poſſit abſolvi quam à papa & in præſencia ſua. Eodem anno obiit *Innocentius* 2. natione Romanus de regione *Tranſtiberini*, cui ſucceſſit *Celeſtinus* 2. natione Tuſcus de *Caſtro Felicitatis*, ſedens menſibus quinque, diebus xiij. Eodem anno Comes *Galfridus* de *Mandavilla* à rege captus, pro reſtitutione turris *Londonienſis* & caſtelli de *Walde* poſtea liberatur, qui poſſeſſionibus carens, cum adhuc magnam haberet familiam, confeſtim abbathiam ſancti *Benedicti* de **Rameſeye** invaſit, & monachis expulſis raptores immiſit, & ſanctum monaſterium ſpeluncam fecit latronum. Regem inſuper in multis vexavit, eo quod ſtrenuiſſime militavit, & quaſi per unum annum in ſuis rapinis effulſit omnibus glorioſus. Menſe quoque Auguſti cum inter acies ſuorum ad prædam proceſſiſſet, à quodam pedite viliſſimo ſolus ſagitta percuſſus interiit, & excommunicatus obiit. Simile quoque ſcelus exercuerat in eccleſia *Coventrenſi* quidam perverſus *Robertus Marmion*, vir ſtrenuus & bellicoſus, qui inter ſuorum cuneos coram ipſo monaſterio ſolus interfectus eſt, & excommunicatus obiit.

Dum autem eccleſia illa pro caſtello teneretur, à parietibus eccleſiæ & clauſtri adjacentis, ſanguis multis videntibus ebullivit, & hoc *Henricus de Huntyngdon* in ſuis teſtatur Cronicis ſe vidiſſe. Quia igitur improbi illi Deum quaſi dormire dicebant, excitatus eſt Deus in hoc ſigno & in ſignificato. Princeps namque peditum prædicti Comitis *Galfridi de Mandavilla* nomine *Reynerus*, cujus officium fuerat eccleſias frangere vel incendere, dum poſt mortem domini ſui cum uxore ſua & præda multa mare tranſiret, et in alto mari eſſet, digitus Dei affuit mox ibidem: navis enim in qua vehebatur inmobilis facta eſt, et quaſi cemento infixa ſtetit. Quod monſtrum videntes nautæ fortiter timuerunt, et ſorte data cauſam rei inquirunt. Ceciditque ſors ſuper *Reynerum*, quo contradicente, iterum ſecundo et tercio ſors applicata devenit in eum, poſituſque eſt in ſcapha cum uxore ſua et pecunia ſceleriſſime adquiſita, et ſtatim ut prius, curſu velociſſimo ſulcat pelagus ipſa navis, ſcapha vero cum illis iniquis ſubita voragine circumdata, protinus eſt abſorta. *Celeſtinus* papa obiit, cui ſucceſſit *Lucius* 2. natione Bononienſis, ſedens menſibus undecim, diebus iiij.

Stephanus rex anno regni ſui nono *Lincolniam* obſedit, Comite *Ceſtria* caſtrum cum villa tenente, ubi rex cum munitionem contra caſtrum conſtruere vellet, & multos operarios ibidem haberet, egreſſi ſunt latenter hoſtes & omnia diruperunt, præfocatis ibidem de operariis regis circiter octoginta. Rex vero in hoc confuſus, ad alia continuo diſceſſit loca. *Lucio* papa mortuo, *Eugenius* tercius natione Piſanus ſibi ſucceſſit, ſedens papa annis octo, menſibus quatuor, diebus viginti. Hic cum primum eſſet diſcipulus beati *Barnardi*, & poſtmodum abbas ſancti *Anaſtacii* juxta *Romam*, ex inſperato ad eccleſiam ſancti *Cæſarii* veniens, à cardinalibus eſt electus. Sed propter metum ſenatorum qui contra voluntatem prædeceſſoris ſui à populo fuerant electi, extra urbem ad *Farfenſe* monaſterium vocatus, ibidem à cardinalibus conſecratur, quem cum ante ſimplex fuerat Deus miſerabili gratia & eloquentia perfudit; ad quem eciam ſanctus *Barnardus* abbas ſcripſit libros de Conſideratione.

Rex *Stephanus* anno regni ſui x°. cum exercitu *Londonienſium* & magno poſſe caſtrum de **Farendon**, quod *Robertus* Comes & omnes regis inimici ibidem fortiſſime ædificare cœperant, obſedit; qui demum poſt multam hinc inde ſanguinis effuſionem omnes illac fugavit, & caſtrum cum difficultate maxima cepit. Eodem anno *Alexander Lincolnienſis* epiſcopus eccleſiam *Lincolnia*, quæ combuſtione deturpata fuerat, ut pulcrior appareret quam ante, muro artificioſe reformavit.

Rex *Stephanus* anno regni ſui xj. caſtrum de **Walyngford** conſtruxit, ubi *Ranulphus* conſul *Ceſtria* cum militum copiis adveniens, cum rege concordatur. Sed cito poſt apud **Northampton** ad regem pacifice veniens, & nichil ſibi metuens, doloſe ibi captus eſt & in carcere truſus, donec caſtrum *Lincolnia* quod antea ceperat & cætera dicionis ſuæ caſtra regi reſtituerat; Quibus redditis, mox ipſe ſuis liberatus eſt, & in poſterum effectus inmaniſſimus regis hoſtis. Interim *Wallenſes* provinciam *Ceſtrenſem* vaſtaverunt, ſed apud *Wicum Malbanum* intercepti ſunt. Eodem anno omnipotens Deus Chriſtianorum ſpiritum ſuſcitavit. Rex quidem *Francia Lodowicus* ad inſtanciam *Eugenii* papæ in *Galliam* venientis, & *Remis* Concilium celebrantis, & prædicatione beati *Barnardi* à dicto Papa cruce ſignatus, cum Comite *Flandrenſi* & Comite de *ſancto Egidio* & multis *Anglicis* cruce ſignatis *Jeroſolimam* profectus eſt. *Conradus* eciam imperator dux *Bavaria* qui *Lothario* quarto ſucceſſit, ſuper *Theutonicos* & *Romanos* xv. annis imperans in *Frankeworth*, à beato *Bernardo* tempore dicti *Eugenii* papæ, cum multis aliis principibus crucis caractere eſt inſignitus. Qui cum innumerabili multitudine peregrinantium iter aggreſſus, *Iconium* pervenit. Cui *Lodowicus* rex *Francorum* cum multa milicia per *Hungariam* deſcendens, ibidem advenit; Qui viam terræ magis quam maris eligentes, per imperatorem *Conſtantinopolitanum*, qui eos poſtea prodidit & ſeduxit, cum utroque exercitu tranſierunt. Et quia cum ſumma ſuperbia incedebant, ideo in nichilum redacti ſunt, quia Deus cuncta proſpiciens eos ſprevit. In hiis quidem exercitibus contra caſtrenſem diſciplinam jam tot mala increverant, ut mirum non ſit quod eis tanquam pollutis & inmundis favor nequaquam divinus arriſerit. Caſtra enim à caſtracione luxuriæ dicuntur, at caſtra noſtra caſta non erant, in quibus utique quadam infelici licentia libidines multorum ſpumabant, præſumentes eciam de multitudine & armatorum copia carnem brachium ſuum & non Deum poſuerunt pro quo æmulari videbantur; declaratumque eſt in eis, quod Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam & juvamen. Fame namque primo conſternati in ſe perierunt, poſtea vero proditione imperatoris *Conſtantinopolitani* ferro hoſtiliter defecerunt; nec inmundis caſtigandis & ſuperbis reprimendis iræ defuere cœleſtes, cum intempeſtivorum imbrium inundatio effuſa plus de exercitu noſtro minuit quam hoſtilis gladius devoravit. Multi eciam guſtata farina per dolum *Græcorum* calce mixta defuncti ſunt. Imperator tamen & rex *Francia* cum paucis evadentes, prius *Antiochiam*, poſtea *Jeroſolimam* ignominioſe pervenerunt.

Quidam tamen volunt quod ad terram ſanctam pervenientes, multa bella glorioſe & ſtrenue geſſerunt. *Conradus* vero imperator ſecundum quoſdam cum paucis vix de terra ſancta rediens moritur, qui licet xv. annis regnaverat, benedictionem tamen imperialem à papa non habuit. Rex vero *Lodowicus* cauſa orationis ut peregrinus in *Jeruſalem* aliquantulum manens, in anno ſequenti ad propria rediit & pervenit. Et cum ex diutina continentia & coitus defectu, prout medici dicebant, ægritudinem in redeundo incurreret, per medicos & prælatos ſuaſum ſibi erat, ut ob nimiam diſtanciam reginæ, puella aliqua uteretur, qui reſpondit, *Malo mori caſtus quam vivere adulter*, & ſic totum Deo committens ſe cito convaluit. Dum autem clericus quidam privilegium papale ei attuliſſet, quod in omni cathedrali eccleſia regni ſui primam vacaturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus, ille ſtatim literas combuſſit, dicens, Se malle tales literas comburere quam animam ſuam in inferno torqueri. At cum idem princeps qualibet ſexta feria in pane & aqua jejunaret, ſuaſum eſt illi hoc jejunium dimittere, & centum pauperes tali die reficere. Qui reſpondit, Bene volumus quod tali die tot pauperes vel plures paſcantur, ſed jejunium noſtrum ſolvere nolumus, nam abſque eo quod animæ confert, corpori tamen plurimum prodeſt; tot enim ſuperflua per totam ſeptimanam corpori ingerimus, quod purgatio & quies unius diei multum valet, tam ad pellendum ſuperfluum quam ad provocandum appetitum. Mortuo iſto *Lodowico* metricus quidam ſtilo compendioſo tale epitaphium rhetorico ſcemate ordinatum ſcripſit, & tanquam ad filium ſuum *Philippum* apoſtrophans, patrem ſepultum oſtendens ait,

Hunc ſuperes tu qui ſuper es ſucceſſor honoris,
Degener es ſi degeneres à laude prioris.

In ſupradicta eciam peregrinatione quidam navalis exercitus non potentium virorum nec magno duci niſi omnipotenti Deo innixi, non ſuperbe quidem ibidem ſicut prædicti *Conradus* & *Lodowicus* ſed humiliter profecti ſunt, probitatem magnam ideo exercentes. Civitatem namque famoſam in *Hiſpania* quæ vocatur *Ulixis bona*, & aliam quæ vocatur *Almaria* & regiones adjacentes pauci optinuerunt contra plures. Erat enim Deus adjutor eorum fortis, & ideo nullus eis reſiſtere poterat, & magna pars eorum erat de animoſa gente *Anglorum*. Circa hæc tempora obiit magiſter *Hugo de ſancto Victore* Monachus & Prior ſancti *Victoris* juxta *Pariſium*, literis & religione ſummus. De quo ferunt quod cum in extrema infirmitate laboraret, & nullum cibum retinere poſſet, corpus tamen dominicum ſibi dari inſtanter poſtulavit. Fratres vero ejus turbationem ſedare volentes, ſimplicem oblatam non conſecratam attulerunt. Quod ille in ſpiritu comperiens ait, Deus miſereatur veſtri fratres, cur mihi illudere voluiſtis? Iſte non eſt Dominus meus; mox illi euchariſtiam conſecratam attulerunt; quod ille videns ſed retinere non valens, erectis manibus ait, Aſcendat filius ad Patrem & ſpiritus ad Deum qui creavit illum, & ſtatim exſpiravit; & corpus Domini diſparuit. Volunt tamen alii, quod cum iſte *Hugo* propter jugem vomitum non poſſet retinere euchariſtiam, & hac de cauſa fratres ſui verum ſacramentum ei afferre noluiſſent, rogavit eos, ut ſaltem ſuper latus ejus ſacramentum ponerent; quo facto, latus infirmi ſe aperuit, & hoſtia corpori ſe immerſit. Iſte *Hugo* dum vixit multa egregia opuſcula dictavit, utpote de Sacramentis. De Archa *Noe*. De Inſtitutione Noviciorum. De arra Animæ. De ſtudio Sapientiæ qui intitulatur Didaſcalicon, & de laude Crucis. Hiis temporibus floruit *Ricardus de ſancto Victore*. Eodem tempore fuit in *Alemannia Hildegaris* monialis famoſa, quæ in *Pingria* ſuper *Renum* requieſcit. Circa idem tempus tranſlatus eſt liber *Johannis Damaſceni* in Latinum. Tam valida erat glacies quod *Thameſia* cum equo potuit pertranſiri. Hoc anno magiſter *Gratianus* de *Tuſcia* natus, monachus ſancti *Proculi* in *Bononia*, compilavit Decreta ſicut dicit *Hugo* 2. q. 6. *forma*. Ejus frater germanus magiſter *Petrus Lombardus* epiſcopus *Pariſienſis* compilavit quatuor libros Sententiarum, pſalterium quoque & *Pauli* epiſtolas gloſavit.

Rex *Stephanus* anno regni ſui duodecimo apud *Lincolniam* in nativitate Domini coronatus eſt, quod nulli regum contigerat. Poſt cujus diſceſſum Comes *Ceſtriæ* ibidem venit, ut civitatem cum militaribus copiis inſultaret; & dum eandem uſque ad ingreſſum expugnaſſet, contigit ut dux exercitus ſui in introitu portæ borialis percuſſus occubuit, & pluribus interfectis, ipſe conſul retrocedere compulſus eſt. Cives igitur victorioſi virgini virginum eorum protectrici laudes inſigniter & gratias exſolverunt. Hiis temporibus dum talia ſæpius gererentur, *Anglia* multis malis ſaucia tabeſcebat. Nam tunc impotens rex & languida eciam lex erat, & unuſquiſque quod ſibi rectum vel malum videbatur pro ſuo libito faciebat. Et quia omne regnum in ſe diviſum citius deſolabitur, regnum *Angliæ* diviſum eſt & ſciſſum quaſi in duo; quidam enim favebant regi, & quidam imperatrici, quos uterque ne diſcederent blandis ſermonibus demulcebat. Sane inter partes diu certatum eſt fortuna alternante. Sed tunc quodammodo remiſſiores motus eſſe cœperunt, quod tamen *Angliæ* in bonum non ceſſit, eo quod tot erant reges in *Anglia* quot erant domini caſtellorum, ſinguli proprium numiſma habentes, & more regio ſubditos judicantes. Et quia magnates terræ ſic adinvicem excellere ſatagebant, eo quod nullus in alterum haberet imperium, mox inter ſe diſceptantes, rapinis & incendiis clariſſimas regiones in tantum corruperunt, quod totum fere deperiit robur panis.

Aquilonalis tamen regio, quæ in poteſtatem *David* regis *Scottorum* uſque ad flumen de *Theyſe* ceſſerat, per ejuſdem regis *David* induſtriam in pace agebat. Ad quem quidem *David* regem *Henricus* filius imperatricis rex *Angliæ* futurus à matre miſſus jam pubes acceſſit; à quo ut jam in hoſtes ſibi rebelles ſtrenue militaret, cingulum militare accepit. Qui cingulo miliciæ decoratus, ad patrem tranſfretavit, eratque tunc temporis gloriæ militaris exiſtens non tepidus æmulator. Poſt autem annos aliquot *Galfrida* patre ſuo in fata decedente, paterni juris plenitudinem, *Andegavenſis* ſcilicet & *Cenomanenſis* comitatuum, & materni juris portionem, ſcilicet *Normanniam* recepit. Patri itaque ſuccedens & matrem potencialiter excedens, quocunque ſe divertebat induſtris & ſtrenuus ac omnibus invidentibus formidabilis apparebat. Cumque in tranſmarinis partibus omnia jam ſibi eſſent quieta, regno *Angliæ*, quod ſibi materno jure competebat, ulterius noluit defraudari. Et licet regem *Francorum* timebat, eo quod rex *Stephanus* affinitate ſua gaudebat, *Normanniam* tamen bene munitam & ſufficienter ordinatam in pace reliquit, & in *Angliam* veniens, non amplius quam Cxl. equites & tria milia peditum ſecum duxit. Sed adventu ejus cognito, omnes mox ad eum, qui matri ejus ab initio favebant, ferventibus animis convolarunt.

Auctus igitur ingentibus copiis, munitionem *Malmesberienſem*, ubi regis *Stephani* præſidium erat, confeſtim obſedit. Quo rex *Stephanus* cum filio ſuo *Euſtacio* acerimo juvene citius adveniens, hoſtem ad prælium convocavit. Sed ille in caſtris ſe continens, eo quod manum imparem ſaltim pro tempore belli habere videretur, conſulte periculum declinavit. Rex vero cum neque hoſtem comode poſſet impetere, in prolixiores excubias contra caſtra ex tuto agere ocioſe receſſit, & munitio obſeſſa in poteſtate obſidentis remanſit. Augebatur quoque miliciæ ſuæ numerus favoribus ſociorum, concurrentibuſque ad eum optimatibus multis, qui Regi *Stephano* defecerant. Ita ut jam incrementis virium & felicitate ſucceſſuum ducis gloria regis nomen obumbraret, *Stanfordiam* cum exercitu inſtructo properavit. Qua celeriter expugnata & capta, munitionem eciam poſt paucos dies optinuit. Indeque ſe divertens, ſuper **Notyngham** irruit. Qua mox expugnata & opibus vacuata, circa caſtrum ibi obſidendum, quod natura loci inexpugnabile videbatur, operam inanem dare noluit, & ideo illud omittens, ad alia negotia inde converſus fortuna arridente in omnibus eſt proſperatus.

Dum hæc ſub eventu pendulo inter regem & ducem altercatio traheretur, *Euſtacius* ejuſdem regis filius inmatura morte deceſſit, magnam ſeminandæ pacis occaſionem cauſa ſui de medio ablati relinquens; nam eo ſuperſtite partes uniri non poterant, tum propter juvenilem ejus acrimoniam, tum propter regis *Franciæ* fiduciam quam ex affinitate contraxerat, eo quod ſororem ſuam in uxorem duxerat. Utriuſque autem pacis impedimento per unius hominis mortem ſublato, confeſtim viri pacifici de pace ſuadenda & formanda cœperunt propenſius cogitare. Exulceratus autem rex in morte filii ſui, qui ſibi ſuccedere ſperabatur, vocem ſuadentium pacem ſolito patientius audiebat. Dux autem prudentum conſiliis inclinatus, ut honeſto & ſolido fœderi ambiguos caſus poſtponeret, gratanter adquievit. Placuit igitur inter eos ſolempne & ſalubre concilium & colloquium celebrari, ubi interveniente viro venerabili *Cantuarienſi* archiepiſcopo *Theobaldo*, & aliis terræ nobilibus & amicis mediantibus, & circa bonum publicum pia & prudenti proviſione ſatagentibus, pax inter eos caute formata & ſolide firmata eſt. Decretumque eſt ut *Stephanus* de cætero tanquam princeps legitimus in *Anglia* integre cum gloria & honore regnaret, *Henricus* vero tanquam hæres legitimus ſibi in regno ſuccederet. Hanc pacis formam tanquam utilem & honeſtam uterque princeps amplexatus eſt, & rex quidem in filium optans ducem, ipſum ſucceſſorem ſuum ſolempniter declaravit. Dux vero regem tanquam patrem & dominum in conſpectu omnium honoravit. *Willielmus* autem junior regis filius, jubente patre, homagium duci fecit. Quibus Deo propicio ſolempniter actis, rex tunc quaſi primo juſte *Angliam* & *Angliæ* pacem recepit. Super qua pace & concordia cum omnibus punctis in eadem contentis rex Cartam in hæc verba fecit.

S*tephanus* rex *Angliæ* Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Baronibus, & omnibus fidelibus ſuis *Angliæ* ſalutem. Sciatis quod ego rex *Stephanus* *Henricum* ducem *Normanniæ* poſt me ſucceſſorem regni *Angliæ* & hæredem meum jure hæreditario conſtitui, & ſic ei & hæredibus ſuis regnum *Angliæ* donavi & confirmavi. Dux vero propter hunc honorem & donationem et confirmationem ſibi à me factam, homagium michi et ſacramento ſecuritatem fecit, ſcilicet quod fidelis michi erit et vitam et honorem meum pro ſuo poſſe cuſtodiet per conventiones inter nos prælocutas, quæ in hac Carta continentur. Ego etiam ſecuritatem ſacramento Duci feci, quod vitam & honorem ei pro poſſe meo cuſtodiam, & ſicut filium & hæredem meum in omnibus in quibus potero eum manutenebo & cuſtodiam contra omnes quos potero. *Willielmus* autem filius meus homagium & ſecuritatem duci *Normanniæ* fecit, & dux ei conceſſit ad tenendum de ſe omnes terras quas ego tenui antequam regnum *Angliæ* adeptus eſſem ſive in *Anglia* ſive in *Normannia*, ſive in aliis locis, & quicquid cum filia *Warenniæ* Comitis accepit ſive in *Anglia* ſive in *Normannia*, & quicquid ad honores illos pertinet, & de omnibus terris, villis & burgis & redditibus quos dux in dominio ſuo inde nunc habet, & nominatim de illis quæ pertinent ad honorem Comitis *Warenniæ* *Willielmum* filium meum & homines illius qui de honore illo ſunt plenarie ſayſiet, & nominatim de caſtello de *Belencumbre* & caſtro *Mortui maris*; Ita ſcilicet, quod *Reginaldus* de *Warennia* caſtrum de *Belencumbre*, & caſtrum *Mortui maris* cuſtodiet ſi voluerit & dabit inde duci obſides: Si vero noluerit, alii de ligiis hominibus Comitis *Warenniæ*, quos dux voluerit ſimiliter per ſalvos obſides & ſalvam cuſtodiam eadem caſtra cuſtodient. Alia vero caſtra quæ pertinent ad comitatum *Moretoniæ* dux ei reddet ad voluntatem meam cum poterit per ſalvam cuſtodiam & per ſalvos obſides; ita quod omnes obſides reddantur filio meo quiete quando dux regnum *Angliæ* habebit. Incrementum eciam quod ego *Willielmo* filio meo dedi, ipſe dux ei conceſſit, caſtra ſcilicet & villas de *Norwico* cum ſeptingentis libratis terræ, ita quod redditus de *Norwico* infra illas ſeptingentas libratas computetur; Et totum comitatum de **Northfolk** præter illa quæ pertinent ad eccleſias & Prælatos & Abbates & Comites, & nominatim præter iij. denarium, unde *Hugo Bygotus* eſt Comes; ſalva & reſervata in omnibus regali juſticia. Item ad roborandum gratiam meam & dilectionem dedit ei dux & conceſſit omnia quæ *Richerus* de *Aquila* habebat de honore *Peveneſſelli*, & præter hæc caſtra & villas *Peveneſſelli* et ſervicium *Faramuſi*, præter caſtra et villas de **Doure**, et quod ad honorem de **Doure** pertinet eccleſiam de **Fauresham** cum pertinenciis ſuis dux confirmavit, et alia aliis eccleſiis à me data vel reddita conſilio ſanctæ eccleſiæ et meo confirmabit. Comites et Barones Ducis qui homines mei nunquam fuerunt, pro honore quem domino ſuo feci homagium et ſacramentum michi fecerunt, ſalvis conventionibus inter me et ducem factis. Cæteri vero qui antea homagium michi fecerant, fidelitatem michi fecerunt ſicut domino. Et ſi dux à præmiſſis recederit, omnino à ſervicio ejus ipſi ceſſarent quouſque errata corrigeret. Filius meus eciam ſecundum conſilium ſanctæ eccleſiæ ſe inde contineret ſi dux à prædictis recederet. Comites eciam et Barones mei ligium homagium duci fecerunt ſalva mea fidelitate quamdiu vixero et regnum tenuero. Simili lege quod ſi ego à prædictis recederem, omnino à ſervicio meo ceſſarent quouſque errata corrigerem. Cives eciam civitatum et homines caſtrorum quæ in dominio meo habeo ex præcepto meo homagium et ſecuritatem duci fecerunt, ſalva fidelitate mea quamdiu vixero et regnum tenuero. Illi autem qui caſtrum **Walyngford** cuſtodiunt homagium michi fecerunt, et dederunt michi obſides de fidelitate michi ſervanda. Ego vero de caſtris et murationibus meis ſecuritatem talem Duci concilio ſanctæ eccleſiæ feci, ne dux me decedente per hoc dampnum aut impedimentum regni incurrat. Eciam turris *Londonienſis Ricardo* de *Luceio* et mota *Wyndeſores* concilio ſanctæ eccleſiæ ad cuſtodiendum traditæ ſunt. *Ricardus* autem de *Luceio* juravit in manu archiepiſcopi et in cuſtodia filium ſuum obſidem dedit, quod poſt meum diſcœſſum caſtra prædicta duci redderet. Similiter concilio ſanctæ eccleſiæ *Rogerus* de *Luceio* motam de **Droneford**, et *Iordanus* de *Buſelo* firmitatem *Lincolnia* cuſtodiunt, et ligii homines ducis ſunt, et juraverunt et obſides inde dederunt in manu archiepiſcopi, quod ſi ego decederem duci munitiones ſine impedimento redderent. Epiſcopus *Wyntonienſis* in manu archiepiſcopi *Cantuarienſis* coram epiſcopis affidavit, quod ſi ego decederem caſtrum *Wyntonia* et munitionem *Hamptonia* duci redderet. Quod ſi aliquis eorum quibus munitionum cuſtodia commiſſa fuerat, moreretur, aut à cuſtodia ſibi deputata recederet, concilio ſanctæ eccleſiæ alius cuſtos ibi ſtatueretur, priuſquam ille recederet. Si vero aliquis de hiis qui meas munitiones cuſtodiunt, contumax vel rebellis extiterit de caſtris, ſcilicet quæ ad coronam pertinent, communi concilio ego et dux nos inde continebimus, quouſque ad voluntatem utriuſque noſtrum cogatur ſatisfacere. Archiepiſcopi, Epiſcopi, atque Abbates de regno *Anglia* ex præcepto meo fidelitatem ſacramento Duci fecerunt. Illi quoque qui in regno *Anglia* Epiſcopi deinceps fient vel Abbates, idem facient. Archiepiſcopi vero et Epiſcopi ab utraque parte in manu ceperunt, quod ſi quis noſtrum à prædictis conventionibus recederet, tam diu eum cum eccleſiaſtica juſtitia cohercebunt, quouſque errata corrigat, & ad prædictam pactionem obſervandam redeat. Pater eciam ducis & ejus uxor & fratres ipſius ducis & omnes ſui quos ad hoc applicare poterit hæc aſſecurabunt. In negociis autem regni ego concilio ducis operabor. Ego vero in toto regno *Anglia* tam in parte ducis quam in parte mea juſticiam exercebo regalem. Teſtibus hiis omnibus. *Theobaldo* Archiepiſcopo. *Henrico* Wyntonienſi epiſcopo. *Roberto* Exonienſi epiſcopo. *Roberto* Bathonienſi epiſcopo. *Gocelino* Salesburienſi epiſcopo. *Roberto* Lyncolnienſi epiſcopo, *Hilario* Ciceſtrenſi epiſcopo. *Willielmo* Norwicenſi epiſcopo. *Ricardo* Londonienſi epiſcopo. *Nigello* Elyenſi epiſcopo. *Gyleberto* Hardefordenſi epiſcopo. *Iohanne* Wygornenſi epiſcopo. *Waltero* Ceſtrenſi epiſcopo. *Waltero* Roffenſi epiſcopo. *Galfrido* de S. Aſaph epiſcopo. *Roberto* Priore Bermundeſeye. *Otun* milite Templi. *Willielmo* Comite Cicœſtrenſi. *Roberto* Comite Leycœſtrenſi. *Willielmo* Comite Glouceſtrenſi. *Raynaldo* Comite Cornvalliæ. *Baldewino* de Donyngton. *Rogero* Harfordiæ. *Hugone Bigoto*. *Patricio* Salysberienſi. *Willielmo* de Alba marla, *Albrico* Comite. *Rogero* Clarenſi. *Ricardo* de Penbroc Comite. *Ricardo* de Luceio. *Willielmo Martel*. *Ricardo* de Humez. *Reginaldo* de Warennia. *Manaſe Biſet*. *Iohanne* de Port. *Ricardo* de Camavilla. *Henrico* de Eſtſexe. apud Weſtmonaſterium.

His itaque completis dux in *Anglia* modico poſt commoratus, transfretare ſe parabat. Quem rex cum *Willielmo* filio ſuo & multis aliis nobilibus celebri conduxit læticia abeuntem. Cumque idem regius puer in oculis patris equo ut aſſolet concitatus veheretur, contigit equo cadente ſeſſorem ad terram graviter allidi, oſſeque tibiæ fracto patri & omnibus qui aderant dolorem excuſſit. Reportatus eſt igitur *Cantuariam* ut ibi à medicis curaretur. Rex vero ſiniſtro caſu ſaucius, datis cum benedictione mandatis, Ducem dimiſit; Qui feliciter transfretans, contra æſtatis inicium ad propria cum maximo gaudio remeavit.

Eodem tempore celebratum eſt divorcium inter *Lodowicum* regem *Francia* & *Elianoram* uxorem ſuam, filiam & hæredem ducis *Aquitannia*, quibuſdam epiſcopis & perſonis religioſis ac proceribus in Quadrageſima congregatis conſanguinitatem illorum ſub teſtificatione Juramenti ſolempniter allegantibus, unde ipſa mulier cauſam prætendens, & ſe monacho non regi nupſiſſe dicens, duabus tamen apud patrem filiabus relictis, à lege viri ſoluta eſt. Quam non multum poſt dux *Normannia Henricus* deſideratis forte nuptiis duxit in uxorem, & ſic mox ducatus *Aquitannia*, qui à finibus *Andegavenſium* & *Britonum* ad *Pireneos* uſque montes *Galliam* & *Hiſpaniam* dirimentes extenditur, ratione conjugis in ducis *Normannici* poteſtatem tranſivit. In quo quidem facto licet *Franci* invidiam habebant, ducis tamen profectum nullatenus poterant impedire. Interea rex *Stephanus* faſtu regio fines *Anglia* luſtratus, & ſe tanquam regem novum oſtendens, à cunctis ſuſcipiebatur, & juxta concordiam inter ipſum & Ducem factam, decenti magnificentia ab omnibus colebatur. De qua quidem concordia ſic metrice ſub compendio quidam dixit.

Stephanus in regem magnatum laude levatur.
Proles per legem Matildis poſt dominatur.

Stephanus autem rex in *Eboracenſi* provincia veniens, quemdam *Philippum de Colvilla* qui munitionem in partibus illis conſtruxerat, rebellem invenit, ejuſdem munitionis firmitate & commilitonum ſuorum ingentibus animis ac copioſo armorum & ciborum apparatu fretum. Rex igitur ex proximis provinciis exercitu convocato, munitionem illam objectu ampnium, ſilvarum atque paludum fere inacceſſibilem, obſidione concluſit, & in brevi optinuit tempore meſſis fortiter expugnatam. Hiis itaque expletis & aliis quæ rex in civitate *Eboracenſi* & in adjacente provincia volebat, ad partes auſtrales reverſus eſt, & in feſto ſancti *Michaelis* cum epiſcopis & optimatibus terræ Concilium tam pro negotio regni quam proviſione eccleſiæ *Eboracenſis* per mortem ſancti *Willielmi* tunc vacantis, *Londonia* celebravit. Qui quidem ſanctus *Willielmus* licet poſt mortem *Thurſtini* ſupradicti archiepiſcopi ad dictum archiepiſcopatum *Eboracenſem* legitime fuerat electus, & de eo minus juſte impeditus, alio, ſcilicet *Henrico Murdak*, monacho *Ciſtercienſis* ordinis per papam *Eugenium* iij. voluntarie ordinato; demum tamen poſt mortem ejuſdem papæ & dicti *Henrici*, ad dignitatem prædicti archiepiſcopatus iterum modo quo ſequitur electus extitit & promotus. Iſte autem beatus *Willielmus* ex ſpectabili proſapia regis *Stephani* ortus præclaris natalium titulis fuera inſignitus. Erat enim filius *Herberti* Comitis viri potentiſſimi. Profecto ne dum parvulus eſſet ignobilitatis turpitudinem teneræ medullæ prælibarent, moralis pædagogi pedibus eſt additus, & cum literarum laurea refloreret, liberalibus imbuitur diſciplinis. Hiis & aliis divinæ gratiæ donis penſatis, Theſaurarius eccleſiæ *Eboracenſis* eſt effectus, proprias opes intra manus poſtulantium opem tranſire coegit, nullum theſaurum precioſiorem putans quam patientibus penuriam ſubvenire. Inter hæc archipræſule *Eboracenſis* eccleſiæ *Thurſtino* in fata decedente, Canonici ſinguli *Willielmum* præferunt tam pro honeſtate morum quam excellentia meritorum, ſed livor edax & impetuoſus amor dominandi, quemdam ejuſdem eccleſiæ archilevitam adeo traxerat in regionem diſſimilitudinis, ut inter eligentes excitavit diſcidium à ſaniori parte impediens electum, licet de ejus electione clerus & plebs laudum præconia acclamaſſent. Suſpenditur igitur cauſa ad examen ſedis apoſtolicæ provocata. Summus paſtor *Eugenius Ciſtercienſis* ordinis non vicio perſonæ ſed pro voluntatis arbitrio quod in lege optinuit, electionem ejus caſſavit, & zelo prout præſumitur pio, *Henricum Murdak* ejuſdem ordinis monachum in paſtorem *Eboracenſis* eccleſiæ ordinavit.

Willielmus vero patientiam habuit pro ſolacio, biformes eventus conſtancia ſuperans uniformi, ut de eo dici poſſet, Sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus. Vir Dei *Willielmus* ad *Henricum Wintonienſem* epiſcopum patruum ſuum acceſſit, qui ei manſionum ſuarum optulit optionem, univerſam volens clientelam ad ejus obſequia inclinare. Sed Dei electus tanta refutans, in quodam manerio dicti præſulis manſit in ſolitudine, ibidem cupiens pœnitudinem gerere commiſſorum, & ultrices pœnas flammarum libertate reſtringere lacrimarum. Poſt hæc mors, ad cujus ſententiam dives & pauper ad paria judicantur, in uno eodemque ut fertur die papæ *Eugenio* & archipræſuli ſuo *Henrico* vitam violenter abrupit. Cardinalis vero ille, qui prius electionis ſuæ præcipuus defenſor extiterat, felicibus auſpiciis elevatus, culmen aſcendit apoſtolicæ dignitatis. Venerabilis autem papa *Anaſtacius* iv. de prædeceſſoris ſui ſententia dolens, ſuam erga Dei electum ſententiam non mutavit, ſed tanquam veritatis zelator Canonicis *Eboracenſis* eccleſiæ pro majori & digniori parte ipſum iterum eligentibus, electionem confirmavit, & eidem ſummo cum honore conſecrationis munus impendit. Accepta ergo cum tanto beneficio papalis benedictionis gratia, *Willielmus* cœpit ad *Angliam* remeare, & ubicumque locorum tranſitum faciebat, caſtimonia ac puritate & divinæ converſationis gloria laudabiliter fulgebat. Cum autem civitatem *Eboracenſem* intraret, & pontem poſt patrem effrenata filiorum multitudo populorum tranſire vellet, ponderoſitate rupta eſt lignei pontis compago. Itaque quod horrendum eſt viſu & ſtupendum relatu, multitudines virorum ac mulierum & præcipue infantium catervatim inter rapida fluvii fluenta ceciderunt, ubi profunda fluminis habebatur altitudo, mixtis hominibus equis phaleratis. Converſus vir Dei ad populum inſanis undis undique involutum, ſalutifero ſigno crucis eos inſignivit, & reſolutus in fletum orationes Deo optulit, ne profunda abſorberet eos aqua. Quod & factum eſt, ita quod nec anima una periclitavit.

Poſtmodum vero ſancto *Willielmo* in domino quieſcente, *Stephanus* rex de proviſione *Eboracenſis* eccleſiæ tunc paſtore carentis in Concilio *Londonia* ut prædicitur celebrato, tractavit. Evocati igitur majores ejuſdem eccleſiæ cum Abbatibus & Prioribus ſubjectæ provinciæ, decreto in *Rogerum Cantuarienſem* archidiaconum facto, ipſum à ſuo archiepiſcopo cujus haſtucia omne negocium electionis illius præceſſerat, Rege annuente in ſuum archiepiſcopum petierunt. Quem cum facile à volente impetraſſent, preces ſtatim alias injecerunt; ſcilicet, ut eum non tanquam *Cantuarienſis* archiepiſcopus ſed ſedis legatus apoſtolicæ conſecraret. Hoc etiam à volente non difficiliter impetrato, idem electus in eccleſia beati *Petri* apud *Weſtmonaſterium* conſecratur. Soluto namque Concilio ad eccleſiam properavit, & rebus pro tempore diſpoſitis ad ſedem apoſtolicam gratia pallii petendi in propria perſona iter arripuit.

Anaſtacius iv. natione Romanus poſt *Eugenium* ſedit papa anno uno, menſibus iv. diebus xxiv. & ceſſit diebus viginti. Hoc quidem anno obiit ſanctus *Barnardus* Abbas *Clarevallenſis* qui in *Burgundia* caſtro Fontanis oriundus filius ſtrenui militis, materno primum lacte, deinde cibis groſſioribus fuerat enutritus. Tandem ſub anno gratiæ milleſimo centeſimo xij. à conſtitutione ordinis *Ciſtercii* xv. ætatiſque ſuæ xxij. cum xxx. ſociis *Ciſtercium* ingreditur. Poſt quintum converſationis ſuæ annum Abbas *Clarevallenſis* efficitur, ubi ſupra humanam conſuetudinem vigilans, nullum tempus dixit ſe magis perdere quam quando dormivit; ſompnum morti comparans. Stertentes & incompoſite dormientes vix tollerabat. Ad cibum tanquam ad tormentum acceſſit, propter magnam abſtinentiam, magnam ex parte ciborum diſcrecionem amiſerat, Ita quidem ut oleum pro vino, ſanguinem pro butiro aliquando ſumeret; dixitque ſolam aquam ſibi ſapere; eo quod fauces ſuas refrigerabat. Quicquid de ſcripturis didicerat, maxime in ſilvis & in agris meditando & orando hauſerat, nec alios ſe habuiſſe magiſtros quam quercus & fagos fatebatur. In veſtibus ejus paupertas ſed abſque ſordibus fuit; aiebat enim veſtes fore animi indices aut necligentis aut inaniter gloriantis. Proverbium illud frequenter ore ſed corde ſemper tenebat. *Qui facit quod nemo, mirantur omnes.* Noviciis Religionem intrare volentibus dicere conſueverat, *Si ad ea qua intus ſunt feſtinatis, hic foris qua de ſeculo attuliſtis corpora dimittite, ſoli ſpiritus ingrediantur: caro autem non prodeſt quicquam.* Quandocumque ad epiſcopandum invitabatur, Reſpondere ſolebat ſe ſuum non eſſe ſed aliorum ſervicio deputatum; ſemper inveniebatur aut orans, aut legens, aut ſcribens, aut meditans, aut fratres ſuos verbo ædificans. Tandem ſub anno gratiæ milleſimo centeſimo quinquageſimo tercio morti appropinquans, tria fratribus ſuis obſervanda reliquit, quæ & ipſe pro modulo ſuo in vita ſua obſervaſſe aſſeruit, dicens, Neminem ſcandalizare volui, ſed ut ſcandalum ſurrexit ſedavi ut potui. Minus ſenſui meo quam alieno judicio credidi. Læſus de lædente vindictam non repecii. *Barnardus* igitur multorum tractatuum, potiſſime in hiis quæ de incarnatione Chriſti ſunt, egregius conſcriptor, multorumque miraculorum patrator, centum lx. monaſteriorum conſtructor, in Domino obdormivit.

Hoc quoque anno poſt ſupradictum Concilium *Londonia* celebratum rex *Stephanus* in *Cancia* conſtitutus

tutus morbo incubuit. Quo ingraveſcente poſt paucos dies menſe Octobris anno Domini M. Cliij. & anno regni ſui nonodecimo deceſſit, & apud **Fauresham** in *Cancia*, in monaſterio quod ipſe à fundamentis conſtruxerat, ſepelitur. Nuncium vero mortis dux *Normanniæ Henricus* mature accepit, qui tunc quoddam caſtrum quod ab eo detentum fuerat obſidebat. Cumque ab amicis moneretur ut relicta obſidione ad *Angliam* feſtinaret, ne quid contra eum veteres inimici molirentur: Ipſe de jure ſuo & juſticia confidens, reſpondit, Illos nichil contra eum attemptare auſuros: & quamvis multum inſtarent, non tamen niſi obtento caſtro obſidionem ſolvere adquievit. Hoc quoque anno obiit *Ranulphus* ſecundus cognomento de *Gernons* quartus poſt conqueſtum *Angliæ* Comes *Ceſtriæ*. Cui ſucceſſit filius ſuus *Hugo* ſecundus, qui fuit in ducatu illo 29. annis & ſtrenue multa egit. In diebus *Stephani* regis miles quidam *Owenus* nomine purgatorium ſancti *Patricii* abbatis non epiſcopi in *Hibernia* intravit. Qui rediens in negociis *Ludenſis* monaſterii ordinis *Ciſtercienſis* manſit in *Hibernia*, & gaudia & pœnas quas viderat narravit; ſicut in libro qui intitulatur *Purgatorium Patricii* ſatis plane habetur. Tempore eciam iſtius regis *Stephani* anno regni ſui nono, puer quidam *Willielmus* nomine, apud *Norwicum* à Judæis crucifigitur. Tempore eciam iſtius regis *Stephani* circa annos Domini M. Cxlvj. erat exordium ordinis Præmonſtracenſis in *Anglia* apud **Newhous**, qui nuper tempore regis *Henrici* primi in *Landunenſi* dioceſi inceperat ſub patre *Norberto* qui fuit *Colonienſis*. Unde verſus,

Sub patre Norberto Præmonſtrati viget ordo.

An. Dñi 1155. S*Tephano* ſiquidem rege, ut dictum eſt, defuncto, *Henricus* ſecundus filius imperatricis nepos *Henrici* primi ex filia ſua imperatrice & *Galfrido Plantagenet* Comite *Andegaviæ* progenitus, de *Normannia* in *Angliam* veniens, anno à partu virginis M. Clv. ab archiepiſcopo *Cantuarienſi Willielmo de Turbine* Priore ſanctæ *Oſithæ*, qui *Radulpho de Turbine* primo *Roffenſi* ſucceſſit, vel ſecundum quoſdam, à *Theobaldo* archiepiſcopo *Cantuarienſi* primo abbate *Beccenſi*, qui dicto archiepiſcopo *Willielmo* ſucceſſit, in regem *Angliæ* conſecratur, hæreditariumque regnum ſine diminutione ſuſcepit, congaudentibus & conclamantibus turbis *Vivat Rex*. De novo enim principe experta mala, meliora ſperabant, præſertim cum magni jam principis in ipſis ſuis primordiis imaginem præferret. Denique edicto præcepit, ut illi qui ex gentibus exteris in *Anglia* ſub rege *Stephano* prædarum gratia tanquam ad militandum confluxerant, & maxime *Flandrenſes*, quorum tunc in *Anglia* magna fuit multitudo, propriis regionibus redderentur, diem eis fatalem conſtituens ſi poſt illum diem quis in *Anglia* inveniretur. Quo edicto ita in brevi dilapſi ſunt, ut quaſi fantaſma in momento diſparuiſſe undique viderentur. Moxque caſtella nova, quæ in diebus avi ſui nequaquam extiterant, præcepit citius complanari, paucis tamen exceptis quæ à viris pacificis conſtructa fuerant pro regni munitione voluit retineri.

Publicæ quoque legis ſolicitudinem in primis habuit, ut lex quæ extincta videbatur paulatim exſurgeret; ordinatis in cunctis regni finibus juris & legum miniſtris, qui improborum audaciam cohercerent, vel ſecundum cauſarum merita diſcernerent, ipſe in majoribus negociis operam regiam impendebat. Quociens vero à ſubditis contra iniquos judices pulſabatur, mox remedium adhibebat, illorum negligentiam corrigens vel exceſſum. Talia novi principis fuere inicia, ſtupentibus improbis & congratulantibus viris pacificis & amicis. Cujus mores & actus, virtutes & vicia, *Giraldus Cambrenſis* in ſuis diſtinctionibus deſcribit, ſic inquiens, *Meticuloſa plane res eſt in illum allegare qui poteſt relegare, illum multis verbis deſcribere qui uno verbo poteſt proſcribere. Glorioſum quippe foret & vires noſtras prorſus excedens veritatem in ſingulis non ſupprimere, & in nullo principis animum exacerbare.* Erat nempe hic *Henricus* vir ſubrufus, amplo capite & pectore, oculis glaucis, voce quaſſa, corpore carnoſo, cibo tamen & potu parcus, &, ut pinguedinem reprimeret, corpus ſuum vexatione, venatione, ſtacione, & deambulatione vexabat. Statura mediocris, eloquens & literatus, in armata milicia ſtrenuus, in togata providus. In bellis ambigua fata formidans; humanior ſemper militi extincto quam ſuperſtiti, plus mortuos lugens quam vivos amans. Urgentibus incommodis nemo benignior, reſumpta ſecuritate nemo rigidior; acer in indomitos, clemens interdum in ſubactos. Durus in domeſticos, profuſus in extraneos; largus in publico, parcus in privato. Quem ſemel exoſum aut dilectum haberet, vix ad contrarium flecteretur. Verbi ſpontaneus tranſgreſſor, moroſus ad cuncta reſponſor, quietis amator, ſed nobilitatis oppreſſor, juſticiæ venditor & dilatator, fidei tranſgreſſor; verbo varius & verſutus. Adulter publicus, eccleſiæ malleus, Deo ſemper ingratus, diſcordiam inter filios ſummo opere fovebat, ſolum ſibi ex eorum diſcidio pacem ſperans provenire. Si tamen excurſuum ſuorum metæ quærantur, prius deerit orbis quam aderit finis. Animoſo quippe pectori ceſſare poterunt terræ, ceſſare neſciunt victoriæ, nec deerunt triumphi ſi materia triumphandi. In utraque milicia, *Martis* ſcilicet & *Minervæ*, ſingulariter effulſit; terras quippe hæreditarias potenter pacificavit; *Hiberniam* potenti claſſe ſubjugavit, *Scotiæ* regnum capto rege *Willielmo*, ſuo regno adiciens, ab auſtrali oceano uſque ad boriales Orcadum inſulas quaſi ſub monarchia terras concludens, imperium ſuum egregie dilatavit; quod quidem poſt tempora *Julii Cæſaris* nulli legitur contigiſſe.

In tranſmarinis partibus præter *Normanniam*, *Aquitanniam*, *Andegaviam*, & *Cenomanniam* quæ eum paternali jure contigerant, *Pictaviam* quoque & *Gaſconiam* uſque ad *Pireneos Hiſpaniæ* montes quæ ei matrimonialiter obvenerant, *Alverniam* cum quibuſdam aliis terris ſuo dominatui ſubegit. Solebat quoque inter confabulandum dicere, *Totum mundum uni potenti viro ſatis parum eſſe.* Reges *Hiſpaniæ* ad diſcordias ſuas ſedandas in hunc regem compromiſerunt. Et quamvis in nonnullis ejus ſucceſſibus cuncta quietis obſtacula felicis hominis auſpicio, quaſi exquiſito fortunæ favore ad vota fuerant ſummota, nonnulla tamen quaſi fato infauſto ſibi contigerunt; ad ejus quidem humiliationem ſi tamen pœnitens fieret; ſin autem obſtinatus carne propria carnifex cruciaretur. Inprimis nempe *Alianoram Francorum* reginam domino ſuo

Lodowico indebite ſubtraxit, ſibique de facto cum de jure non poſſet copulavit; de qua pater ſuus *Galfridus* eum prohibuerat ne eam tangeret, pro eo quod dum ſeneſcallus regis *Francia* fuerat, eam cognoviſſet. Ex ea tamen *Henricus* iſte tres filias & ſex inclitos filios ſuſcitavit; quarum primam *Matildam* duci *Saxonie*, ſecundam *Alianoram* regi *Hiſpania*, tertiam *Johannam Willielmo* regi *Sicilia* copulavit. Duobus quoque filiis ſuis præmature ſullatis, in reliquis quatuor uſque ad mortem meruit perturbari. Ac cum xxv. annis pene regnavit, ſex luſtra data ſunt ei ad mundanam gloriam, ad converſionis tollerанciam, ad devotionis experienciam, ſeptimum vero luſtrum tanquam reprobo & ingrato inflictum eſt ad vindictam. Secundo namque ſeptimi luſtri anno evanuit conatus ejus quem circa *Johannis* filii ſui in *Hiberniam* miſſionem paravit. Tercio anno, qui nunquam prius quicquam amiſerat, jam *Alverniam* contra regem *Francia* perdidit: quarto anno *Bituricam*: quinto urbes *Cenomannicam* & *Turonenſem*, cum caſtellis multis, & ſeipſum

Conſueverat quoque rex iſte religioſos epiſcopos ad colloquia ſua eciam in tranſmarinis partibus & in Martiis negotiis ſecum circumducere, & eorum magis quam militum conſiliis uti. Quod & fecit duplici de cauſa: Primo, ut curia ſua adventantibus legatis venerabilior appareret. Secundo, quia prius ſemper temptabat pacem quam arma; idcirco tales cum adjectione pecuniæ ſuos fecit mediatores. Verum quia eccleſiaſticas dignitates aliquando indignis contulerat, ut famam ſuam quodammodo redimeret, *Baldewinum Ciſtercienſis* ordinis monachum ad *Cantuarienſem* ſedem, & *Hugonem Cartuſienſis* ordinis Priorem ad ſedem *Lincolnienſem* promovit. Ut autem lector quiſquam tam hujus regis quam filiorum ſuorum infauſtos exitus minus obſtupeat, conſideretur origo hujus regis ex parte utriuſque parentis, necnon & uxoris ſuæ condicio de qua filios ſuſcitavit. Comitiſſa namque quadam *Andegavia* de cujus ſobole *Galfridus Plantegeneſt* proceſſit, ob ſolam corporis ſpeciem fuerat deſponſata. Raro tamen ad eccleſiam acceſſit, ſed & tunc vix uſque ad ſecreta miſſæ moram faciebat. Hoc dum à Comite marito ſuo notaretur, die quadam detenta eſt in eccleſia à quatuor militibus. At illa, rejecto pallio per quod tenebatur, relictis ibidem duobus filiis ſuis quos ſub dextro angulo pallii tunc fovebat, cum reliquis duobus filiis quos ad ſiniſtram tenebat, per feneſtram eccleſiæ cunctis intuentibus evolavit nec uſquam comparuit.

Iſtud poſtmodum *Ricardus* rex *Anglia* referre ſolebat, aſſerens, non eſſe mirandum ſi de tali genere procedentes mutuo ſeſe infeſtent, tanquam de diabolo venientes & ad diabolum tranſeuntes: unde & clericus quidam à rege *Henrico* ad filium ſuum Comitem *Britannia Galfridum* pro pace reformanda miſſus, hoc à filio audivit, « Utquid veniſti « exhæredare me de jure meo nativo? Num ignoras « hoc nobis naturaliter fore proprium & ab attavis « inſertum, ut nullus noſtrum alterum diligat. « Noli ergo fruſtra laborare ut naturam expellas. Item mater hujus regis *Henrici* vivente priori marito, imperatore ſcilicet *Henrico* heremitice peregrinante, nupſit alteri ſcilicet *Galfrido Plantageneſt* de quibus iſte rex proceſſit. De iſto quoque rege *Henrico* quondam infantulo & in curia regis *Francorum* nutrito, beatus *Bernardus* abbas rege præſente ſic prophetavit, *De diabolo venit, & ad diabolum ibit*: notans per hoc tam tyrannidem patris ſui *Galfridi* qui *Sagienſem* epiſcopum eunuchaverat, quam eciam iſtius *Henrici* futuram atrocitatem qua in beatum *Thomam* deſæviret. Ad hæc, *Galfridus* pater hujus regis illa *Elianora* abuſus fuerat, quam iſte *Henricus* filius ſuus poſtmodum duxerat.

Pater eciam hujus *Elianora* Comes *Pictavenſis* uxorem vicecomitis ſui vi rapuit, & marito vivente in uxorem duxit. Quem dum quidam vir ſanctus pro hac re increpaſſet, & minime profeciſſet, adjecit, dicens, *Nuſquam proles de vobis veniens fructum faciet felicem*. Contigerat aliquando in camera hujus regis *Henrici Wintonia* multipliciter picturata, locum vacuum juſſu regis relinqui, ubi rex poſtmodum aquilam cum quatuor pullis inſidentibus depingi fecit, quorum tres unguibus & roſtris parentem lacerabant, ſed quartus paternis oculis eruendis acrius inſiſtebat. Requiſitus rex quid hoc portenderet, ait, Hii quatuor pulli filii mei ſunt, qui me uſque ad mortem perſequi non ceſſabunt, ſed potiſſime ille noviſſimus *Johannes* quem modo carius amplector, neci meæ acrius inſudabit. Iſte rex *Henricus* filius *Galfridi* Comitis *Andegavia* & *Matildis* imperatricis, anno quo ſupra de *Normannia* in *Angliam* veniens, die ſancti *Leodegarii* vel ſecundum quoſdam xiv. kal. Januarii die Dominico apud *Weſtmonaſterium* in regem *Anglia* ut præmittitur conſecratur. Et iſte *Henricus* dictus eſt *Henricus* ſecundus. Quo anno *Thomas Beket* de *Londonia Cantuarienſis* archidiaconus factus eſt Regis Cancellarius.

Quomodo Dominica Regia redintegrantur.

CONſiderans autem rex quod regni redditus & Dominica per molliciem regis *Stephani* ad Dominos multos jam deveniſſent, præcepit ea cum omni integritate infra tempus certum à quibuſcumque detentoribus reſignari, & in jus ſtatumque priſtinum revocari. Quidam vero indies Cartas regis *Stephani* protulerunt. Quibus fuit à rege reſponſum, *Quod Carta invaſoris prajudicium legitimo principi minime facere deberent*. Primo ergo indignati, deinde territi & conſternati ægre quidem ſed tamen integre uſurpata omnia reſignarunt. Cumque fere omnes regiæ voluntati perveniſſent, rex *Northumbranas* partes adiit, ubi *Willielmum* Comitem *Albemarlenſem* & cæteros eadem auctoritate convenit. Ille vero diu hæſitans multumque æſtuans, tandem corde ſaucius regiæ ſuccubuit poteſtati, & quæcumque ex regio Dominico pluribus jam annis poſſiderat, cum dolore non minimo reſignavit, maxime illud famoſum & notabile caſtrum de **Scardeburgh** quod idem Comes in *Eboracenſi* provincia ſuper rupis planiciem & turrim infantium auguſtius fabricavit, qua proceſſu temporis collapſa, arcem magnam & præclaram rex ibidem ædificari præcepit. In eadem ergo provincia rebus ad votum geſtis, rex ad ſuperiora *Anglia* remeans, ſolum *Hugonem de Mortuo mari* virum fortem & nobilem rebellem invenit, caſtrum regium de **Bruggenorth** retinendo. Qui cum juberetur propriis eſſe contentus, & reddere quæ de jure regio poſſidebat, pertinaciſſime renuit, & ſe ad reſiſtendum modis quibus potuit præparavit. Rex vero exercitu celeriter congregato, *Brigiam* obſedit, & poſt tempus modicum fortiter oppugnatam in deditionem recepit, & dicto Comiti cujus cor paulo ante quaſi cor leonis fuerat humiliato & ſupplici, veniam largitus eſt.

Item repeciit à rege *Scottorum Northumbriam*. Regi quoque *Scottorum* qui boriales *Anglia* regiones, ſcilicet *Northumbriam*, *Cumberlandiam* & *Weſtmerlandiam* nomine dictæ Imperatricis & hæredis ejus olim ad *David* regem *Scottorum* adquiſitas, tanquam jus proprium poſſidebat, mandare curavit, regem *Anglia* non debere tanta regni ſui parte fraudari, juſtumque eſt reddi quod fuit ſuo nomine adquiſitum. Ille vero rex *Scocia* regem *Anglia* in hac parte prudenter prævalere conſiderans, prænominatos fines cum integritate reſtituit repetenti, & ab eo viciſſim comitatum *Huntingdonia* priſco ſibi jure competentem recepit. Eodem anno ſcilicet primo iſtius regis *Henrici Anaſtaſius* papa ſucceſſor *Eugenii* obiit, cui ſucceſſit *Nicholaus Anglicus*, & mutato nomine dictus eſt *Adrianus* iiij. qui ſedit annis iiij. & ceſſavit ſedes diebus xx. Hunc tradit fama vulgata nativum fuiſſe Abbatis ſancti *Albani* in *Anglia*, & dum monachatum ibidem expoſtularet, repulſum fuiſſe: Qui tandem literis & moribus inſiſtens, *Albanenſis* epiſcopus primo factus eſt, deinde *Wormaciam* legatione fungens, provinciam illam convertit ad fidem; demum papa effectus, propter vulnerationem unius Cardinalis totam urbem *Romanam* ſuppoſuit interdicto, *Willielmum* regem *Sicilia* ſibi rebellem excommunicavit, qui poſtea abſolutus homagium domino papæ faciens, terram ab ipſo ſuſcepit. Hic primus omnium virorum Apoſtolicorum, ut dicitur, in urbe veteri cum Cardinalibus moram fecit. Circa idem tempus urbs *Aſcalona* capitur à Chriſtianis.

An. Dñi 1156. Anno domini M. Clvj. & regis *Henrici* 2°. natus eſt *Henricus* filius ejus de *Elianora* regina apud *Lundon*. & idem rex antea filium nomine *Willielmum* genuerat qui in pueritia deceſſit. Et eodem anno rex *Scocia* & multi magnates *Anglia* obierunt. Menſe Octobris apparuit ſignum Crucis in luna, & delata eſt manus ſancti *Jacobi* Apoſtoli ad monaſterium de *Redinges*.

1157. Anno domini M. Clvij. & regis *Henrici* tercio. *Matilda* filia ejus nata eſt apud *Lundon*. In pago Pariſiacenſi tunica Salvatoris noſtri in monaſterio *Argentilo* revelatione divina inventa eſt, inconſutilis & rufi coloris, quam, ſicut literæ repertæ in ea indicant, glorioſa mater ejus ſibi fecerat dum adhuc puer eſſet.

1158. Anno domini M. Clviij. & regis *Henrici* iiij°. *Ricardus* filius ejus apud *Oxoniam* naſcitur, cui poſtea ducatum *Aquitannia* dedit. Eodem anno rex *Henricus* exercitum in *Walliam* primo duxit. Nam non multis diebus prælapſis inter regem & gentem barbaram *Wallia* diſcordia orta eſt, unde rex immenſis ex tota *Anglia* copiis congregatis regionem *Wallicorum*, qua facilior aditus videbatur, ingredi ſtatuit & decrevit. Porro illi convenientes excubabant in terminis, & in planum progredi vel aperto bello cum loricatis levi congredi armatura, homines caute declinantes & in ſilvis deliteſcentes, viarum anguſtias obſervabant. Sane *Wallenſes* reliquiæ *Britonum* eſſe noſcuntur, qui hujus inſulæ quæ nunc *Anglia* dicitur, olim tamen *Britannia* dicebatur, incolæ primi fuerunt, ejuſdemque nationis & linguæ eſſe probantur cujus & *Britones* tranſmarini. Cum autem gens *Britonum* à ſupervenientibus *Anglis* populis exterminium pateretur, qui evadere potuerunt, in *Wallias* benificio montium & ſilvarum tutas contra irruptionem; confugerunt, ubi uſque in præſentem diem hæc natio perſeverat. Rex autem fines hoſtium contra locorum malitiam luctando ingrediens, infauſta negotii initia habuit. Pars enim exercitus per loca ſilvoſa & humida incautius gradiens, hoſtibus intercepta pro magna parte periit, & duo nobiles cum multis aliis corruerunt. Quidam vero fugientes & regem qui in loco tuto perſiſtebat, occubuiſſe credentes, advenientibus adhuc & properantibus ad pugnam ordinibus regem occubuiſſe nunciabant, unde magnam exercitus partem ſiniſtri rumoris atrocitate attonitam, enormiter fugere compulerunt, ita ut ſignifer regius vexillo regis abjecto fugæ ſe dedit, & regem extinctum occurrentibus proclamaret. Ob quod delictum poſtea à quodam viro nobili, proditionis ejus dedecus publice opponente, regii vigore judicii duello adductus eſt, quem tamen judicio rex mortem ſubducens, apud *Redingges* monachum fecit vel fieri juſſit, & fiſco patrimonium ejus ampliſſimum applicatur. Cumque rex ocius advolans turbatum exercitum proprio aſpectu exhillaraſſet, reſumptis illico animis & viribus confuſi ordines in ordinem conjecerunt, adverſus hoſtiles inſidias extunc ſe cautius inſtruentes. Cumque rex claſſem non modicam præparari juſſiſſet, ut eos per mare invaderet, ſtatim legati hoſtium venientes, pacifice locuti ſunt, & traditis quibuſdam finium ſuorum munitionibus, tandem regi ſuos Principes adduxerunt, illi cum ſacramento homagium facients. Pacis ergo ſereno poſt belli nebulum gratius arridente, exercitus cum gaudio ad propria remeavit. Et rex in anno ſequenti caſtrum de *Ruthelan* in *Wallia* firmavit, & monaſterium de **Baſingwerk** fundavit.

Cum igitur ſedatis *Wallenſibus Anglia* in pace & ſecuritate ageret, nunciatum eſt regi fratrem ſuum tumultuari in partibus tranſmarinis. Cujus cauſa fuit hæc. Comes *Andegavienſis* pater eorum cum tres haberet filios, *Henricum*, *Gaufredum* & *Willielmum*, ad extrema veniens, medio filiorum ſcilicet dicto *Gaufredo*, comitatum *Andegavia* teſtamento reliquit, ſic dicens inter cætera teſtamenti ſui verba. *Cum* Henricus *plenitudinem juris materni*, i. Normanniam *cum* Anglia *habuerit, fratri* Gaufrido *tunc patrimonium integre dimittat. Interim vero dictus* Gaufridus *tribus caſtellis, ſcilicet Schynoe, Leuduno & Mirabello ſit contentus*. Et quia *Henricus* tunc abſens fuerat, idem Comes epiſcopos & nobiles qui aderant adjuravit, ne corpus ſuum ſepulturæ traderetur, niſi præſtito prius à filio ſuo *Henrico* ſacramento, quod paternum teſtamentum minime violaret. Denique patre illo mortuo, mox ad exequias abſens filius concurrit, & audita adjuratione paterna diu hæſitavit; tandem conclamantibus omnibus, ne ad ſempiternum ejus obprobrium patris corpus inhumatum remaneret, victus ſuccubuit, & non abſque dolore quod exigebatur præſtitit ſacramentum. Cum autem regnum *Anglia* adeptus eſſet, à ſummo pontifice beneficium abſolutionis conſecutus eſt. Qua ratione tutus, nec teſtamento patris, nec petitioni fratris ſatisfacere curavit, unde indignatus frater, tribus prænominatis caſtellis bene munitis, confeſtim vicinas turbabat provincias. Rex autem exercitu prope congregato *Chinonem* obſedit, & in brevi per deditionem optinuit, fratrique humiliato veniam dedit. Et ut occaſionem ſuperbiæ ei tolleret, terram ſibi planam pro caſtris contulit, & in *Angliam* reverſus eſt.

Cito poſt præclara urbs *Nannetenſis* certum in quo ſibi complaceret dominum non habens, prædictum *Gaufridum* induſtria ſtrenuum, ſibi in verum dominum elegerunt, & accerſito civitatem cum adjacente provincia tradiderunt, ſed non diu hac felicitate functum mors inmatura ſuſtulit, & Comes *Richemondenſis* qui transmarinæ *Britanniæ* magna ex parte præſidebat, eandem civitatem intravit. Quibus auditis, rex dato mandato *Richemundiæ* comitatum fiſco præcepit illico applicari. *Andegaviam* & civitatem eandem tanquam jure fraternæ ſucceſſionis repoſcens, eundem Comitem ita perſtrinxit, ut eandem urbem voluntati regiæ reſignavit.

An. Dñi 1159. Anno Domini M. Clix. & regis *Henrici* quinto *Galfridus* filius ejus natus eſt, qui poſtea fuit dux *Britanniæ*, quia filiam Ducis *Britanniæ* cepit in uxorem. Ex qua genuit duos pueros, videlicet *Arthurum* de *Britannia* & *Elianoram la Bret.* Eodem quaſi tempore *Fredericus* Imperator civitatem *Mediolanenſem* ſubvertit, ubi inventa ſunt trium magorum corpora qui Dominum in die Epiphaniæ cum muneribus adorabant, de *Perſide* olim *Conſtantinopolim* ab Imperatore tranſlata, & inde à *Sergio* papa *Mediolanum* miraculoſe tranſvecta, ſed demum urbe à *Frederico* ut dictum eſt deſtructa, *Radulphus Colonienſis* archiepiſcopus illa uſque *Coloniam* tranſportavit. Sed & aureus circulus eadem corpora cum reperta eſſent ambiebat ut ſibi mutuo cohærerent.

Alexander iij. poſt *Adrianum* ſedit papa annis xxj. menſibus xj. diebus xix. Electus eſt etiam tunc temporis quidam *Octovianus* qui *Victor* ſe vocari fecit, & uterque in alterum excommunicationis ſententiam fulminavit. Occidentalis eccleſia, *Francia* ſcilicet & *Anglia* cum Inſulis, favebat *Alexandro*, Imperator vero *Fredericus* & ſui favebant *Victori*. Ille *Alexander* quatuor ſciſmaticos Apoſtolicos ſuperavit, ſcilicet dictum *Octovianum*, *Guidonem Cremenſem*, *Johannem Strumenſem* & *Landon*. Primus fecit ſe vocari ut dictum eſt *Victorem*, ſecundus *Paſchalem*, tertius *Kalixtum*, & quartus *Innocencium*, quorum tres fuerunt presbyteri Cardinales, qui per *Fredericum* erecti & per *Alexandrum* papam excommunicati, mala morte perierunt. *Longobardi* etiam in libertatem ſe recipientes civitatem *Mediolanum* reſtauraverunt, & Imperatorem *Fredericum* contempnentes contra ejus impetum, civitatem *Alexandriam* ſic ex nomine domini papæ, cui ſe devotos eſſe gaudebant, vocatam, apto loco condiderunt. Iſte papa *Alexander* demum *Fredericum* Imperatorem ad concordiam eccleſiæ revocavit, & ipſum & *Emanuelem Conſtantinopolitanum* Imperatorem & *Willielmum* regem *Siculorum* atque *Lumbardos* concordavit.

Hiis temporibus terræ motus magni per loca diverſa fuerunt, ita quod civitas *Antiochena* cum *Tripoli* cecidit, atque *Damaſcus* cum multis aliis ſubverſa eſt. Tunc quoque civitas *Chatenenſis* penitus everſa eſt, & pluſquam xx. milia hominum mortui ſunt, & mare retrogradum verſum eſt, & quinque milia hominum in *Sicilia* ſubmerſi ſunt.

Iſte papa *Alexander* beatum *Thomam* martyrem *Cantuarienſem* archiepiſcopum in exilio fovit, & decretalem inter archiepiſcopos *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* de delatione Crucis ordinavit.

Eodem quoque tempore quidam hæretici *Angliam* ingreſſi ſunt, in univerſo circiter xxx. homines & feminæ quaſi linguæ *Theutonicæ*, quendam *Gerardum* nomine aliqualiter literatum tanquam præceptorem & principem imperiti ydiotæ ſequentes. Rex vero ipſos in cuſtodia deprehenſos indiſcuſſos vel impunitos dimittere nolens, præcepit epiſcoporum concilium apud *Oxoniam* celebrari. Ubi de fidei articulis interrogati, ille literatus pro omnibus una voce reſpondit, ſe eſſe Chriſtianos & doctrinam ſe velle Apoſtolicam venerari. Sacrum vero baptiſma, eukariſtiam & conjugium deteſtantes, auſu nefario unanimiter reſpuerunt. Cumque divinis urgerentur teſtimoniis prædicta credere; ſe quidem ut inſtructi erant credere, de fide vero ſua diſputare nolle reſponderunt. Moniti ut pœnitenciam agerent & corpori eccleſiæ unirentur, omnem ſalubritatem conſilii ſpreverunt. Minas quoque comminati deriſerunt, verbo illo dominico abutentes, *Beati qui perſecutionem patiuntur &c.* Tunc epiſcopi ne virus hæreticum latius ſerperet præcaventes, eoſdem publice pronunciatos hæreticos, corporali diſciplinæ ſubdendos catholico Principi tradiderunt, qui præcepit hæreticæ infamiæ caracterem frontibus eorum inuri, & ſpectante populo, virgis cædi cohæreticos, ab urbe expelli; diſtricte prohibens, ne quis eos hoſpicio recipere vel aliquo ſolacio præſumeret confovere. Ad pœnam ergo ducti, gaudentes properabant, præeunte eorum magiſtro & canente, *Beati eritis cum vos oderint homines &c.* Unam tantum mulierculam *Anglicam* deceperant, & illa metu pœnæ ab eis diſcedens, errorem confeſſa eſt, & reconciliationem meruit ſalutarem.

Anno domini M. Clx. Regiſque *Henrici* vj. quidam puer à *Judæis* apud *Gloverniam* crucifixus eſt. An. Dñi 1160. Eodem anno *Henricus* primogenitus hujus regis *Henrici*, *Margaretam* filiam *Ludowici* regis *Franciæ* deſponſavit. Nam cum prædicti reges *Angliæ* & *Franciæ* in parte fuiſſent diſcordes, mediantibus viris pacificis pacem inter ſe ſtatuerunt. Illius diſcordiæ cauſa hæc fuit. Tempore regis *Stephani* Comes *Andegavenſis* invaſit optinuitque *Normanniam* præter *Giſortium*, & duo alia quaſi appendentia caſtella quæ in poteſtate regis *Franciæ* jam devenerant. Hanc juris *Normannici* dominationem rex *Angliæ* non patiens, arte magis quam jure duxit in hac parte utendum. Per *Thomam* namque Cancellarium ſuum apud regem *Francorum* tantum egit, ut dicta *Margareta* filia ejus ex filia regis *Hiſpaniæ* nata, quæ poſt divortium inter ipſum & *Alienoram* ſibi nupta fuerat, *Henrico* filio ſuo primogenito in conjugem traderetur, munitionibus illis in dotem cedentibus; quæ tamen à Templariis in ſequeſtro cuſtodirentur, donec pueri qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, ſuo nuptialiter tempore convenirent, rege *Anglorum* interim utriuſque pueri cuſtodiam habente. Verum idem rex aliquot annis elapſis, diutioris moræ inpaciens, inter eoſdem pueros nuptias præmaturas celebrari fecit, & à Templariis caſtella recepit. Quamobrem ſævientibus *Francis*, ipſum quidem prævaricationis, Templarium autem proditionis accuſantibus, ad lites & bella ventum eſt. Sed crebris experimentis edocti, ejuſdem regis potenciæ vim inferre non poſſe, iraque paulatim decreſcente, tandem quibuſdam pactis mediantibus ut pax fieret deſcenderunt. Et facta eſt pax, non quidem ſolida, ſed ut poſtea claruit, temporalis. Memorati nempe duo reges nunquam fere inter ſe quieſcere dinoſcuntur.

Circa idem tempus rex *Henricus* ad civitatem *Tholoſanam* petendam in partes *Vaſconiæ* magnum duxit exercitum, cujus cauſa fuit hæc: Avus uxoris ſuæ Comes *Pictavenſis* & dux *Aquitanniæ* in expenſis nimis largus, cui proprii redditus ſufficere non poterant, accepta à Comite ſancti *Egidii* viro pecunioſo pecunia non modica, nobilem illi cum pertinenciis civitatem *Tholoſam* quaſi loco pignoris appoſuit, atque in fata decedens, abſolvendi appoſiti operam ad filium tranſivit, qui ipſum negotium transfudit eciam in hæredes, reliquit autem unicam filiam hæredem, quæ cum regi *Francorum Ludowico* nupſiſſet, idem rex nomine uxoris ſuæ *Tholoſam* repeciit. Comes tamen ſancti *Egidii* nichil juris optinens ſed & poſſeſſioni incumbens, tandem ſic regem nuptiis placavit, accipiendo ſororem ſuam in uxorem, quæ poſt mortem *Euſtachii* filii regis *Stephani* cujus uxor fuerat, ad patrem reverſa eſt; verumtamen poſtea celebrato inter regem *Francorum* & eandem uxorem ejus divortio, cum eadem ad nuptias regis *Anglorum* tranſiſſet, mota eſt iterum per regem *Angliæ* ſuper *Tholoſam* quæſtio, juſtis hæredibus reſignanda. Memorato vero Comite reſtitutionem negante, & regem *Francorum* ſuæ poſſeſſionis auctorem laudante, rex *Anglorum* contracto ex univerſis terris ſuæ poteſtatis exercitu, fines *Vaſconiæ* ingreſſus eſt. Invitati quoque ab eo amici ut ſequerentur vel ingentibus copiis occurrerent, exercitum auxerunt, præcipue Comes *Bartinonenſis* qui regnum *Arragonum* ratione ſuæ conjugis tenuit; nec tamen coronari ſeu regio nomine vocari voluit, dicens, Se licet fortuna non tamen natura ſuis anteceſſoribus habitum meliorem. *Willielmus* etiam *Trencheveil* dominus *Bederenſis* vir magnus & potens, qui in manus prædicti Comitis *ſancti Egidii* antea inciderat, cum quantis poterat viribus regi *Angliæ* ſe adjunxit. Porro idem Comes de *ſancto Egidio* tanti exercitus impetum pertimeſcens, regis *Francorum* auxilium imploravit. Qui feſtinus adveniens cum aliquanta militia *Tholoſam* ingreſſus eſt. Quod cum regi *Angliæ* cognitum fuiſſet, civitatem deſerens, diſtulit oppugnare, & ad pervadendam provinciam expugnandaſque munitiones exercitum convertit. *Caturricenſem* quoque civitatem quæ à ſe defecerat, & fines ejus cum univerſis caſtellis deditione recepit. Quibus actis, & munitionibus *Willielmo Trencheveil*, quas illi ſorte bellica Comes *Egidienſis* extorſerat, redditis, rex in *Normanniam* remeavit.

An. Dñi 1161. Anno Domini M. Clxj. regiſque *Henrici* vij. ira inter ipſos reges *Franciæ* & *Angliæ* tempore expeditionis prædictæ, cauſis ingraveſcentibus concepta, tandem quaſi parta erupit. Denique exercitibus immenſis hinc inde congregatis, & in terrarum confiniis caſtris è regione diſpoſitis, uterque princeps cum ſuis copiis conſiſtebat. Et quia progredi periculoſum & verecundum retrogredi videbatur, paratior tunc erat uterque exercitus propter ambiguos bellici finis exitus, prælium excipere quam inferre. Et ne duorum hominum ſcelus & ſuperbia ſtrages multorum parerent populorum, viri pacifici ea quæ pacis ſunt in hac hæſitatione ſeminaverunt. Verum quia ſub clipeo, ut dici ſolet, melius plerumque pacis negotium procedit, principes prædicti qui pacis auditum ante reſpuerant, bonum ſunt pacis quaſi de facili amplexati. Ipſis ergo pacificatis, uterque ad ſua rediit pro tempore & quievit.

An. Dñi 1162. Anno Domini M.Clxij. & regis *Henrici* viij. *Theobaldus Cantuar.* archiepiſcopus deceſſit. Circa hunc annum floruit abbas *Joachim* in *Calabria*, qui ſuper Apocalypſim libros & commenta ſcripſit. Prædixit quoque *Frederico* imperatori & cæteris regibus terram ſanctam adeuntibus, quod parum ibidem proficerent, eo quod nondum tempus liberationis adveniſſet. Fertur eciam de iſto *Joachim* quod quaſi prophetice effigiavit mores, & actus, & numerum omnium virorum apoſtolicorum qui futuri fuerent in eccleſia. Ejus tamen oppinio contra Magiſtrum ſententiarum ſcribentis reprobatur, ſicut patet in principio Decretalium per *Gregorium* ix.

1163. Anno Domini M. Clxiij. & regis *Henrici* ix. *Thomas Beket* de *Londoniis* archidiaconus *Cantuarienſis*, præpoſitus *Beverlaci*, & regis cancellarius, dicto archiepiſcopo *Theobaldo*, ut dictum eſt, jam mortuo, in archiepiſcopatu *Cantuarienſi* ſucceſſit, & tercio nonas Junii ab *Henrico Wyntonienſi* epiſcopo conſecratur. Iſte eſt ſanctus *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus & martyr, ante mundi conſtitutionem in Chriſto electus, qui ortu ſuo felici *Britanniarum* caput *Londonias* illuſtravit. Pater ejus *Gilbertus* cognomento *Beket* civis *Londonienſis*, mater vero *Matildis* fuit, ambo generis & divitiarum ſplendore ſuis nequaquam concivibus inferiores. Quibus è regione morum ingenuitas et piæ converſationis innocentia longe intelleximus præminebant. Juſtitiæ quidem actibus inſiſtebant, et ſine crimine et querela, ut traditur, converſati ſunt. Nunc autem in principio reſtat de ipſius patris et matris conjugio inſerendum, ut exinde advertatur quanta cura et pietate à ſolis ortu uſque ad occaſum tam diverſos genere et conditione congregavit in unum prædeſtinatio mirifica Salvatoris, de quorum ſane felici progenie ſponſam ſuam eccleſiam per mundum univerſum prævidit ſublimari, et triumphaliter decorari.

Præfatus ergo *Gilbertus* ætate juvenis crucem Dominicam cauſa pœnitentiæ votivæ arripuit *Jeroſolimam* iturus, quendam de familia ſua *Ricardum* nomine ſecum aſſumens, ipſo ſolo pro ſerviente contentus. Quo tandem proſpere venientibus, inter Chriſtianos et Gentiles inſidiis habitis loca ſancta orationis cauſa cum aliis introrſus quam licuit viſitantes, pariter capti ſunt et cathenati, atque in carcere cujuſdam *Admiraldi* præclari principis paganorum detenti, ut ſingulis diebus victum laboribus impoſitis quodammodo compararent. Qui *Gilbertus* per annum integrum & dimidium in captivitate ſclavorum more ſerviens, cum honoratior cæteris atque præſtantior haberetur, in oculis *Admiraldi* præ omnibus gratiam & favorem invenit, in tantum quod frequenter coram eo, ſed tamen in vinculis, ad menſam veniret, diſcumbentes viſitaret, & invicem de terrarum notitiis ac gentium diverſarum moribus & ritu conferrent. Multa eciam ob gratiam ipſius collata ſunt ſuis beneficia concaptivis, procurante inſimul privatim in quantum licuit filia ejuſdem *Admiraldi*, puella admodum curialis & decora unica

patris

ca patris ſui, quæ utique miro affectu ipſum *Gilbertum*, prout patebit inferius, diligebat.

Quadam autem die nacta oportunitate puella liberius cum eo loquendi, inquiſivit ab eo de quanam terra & civitate extiterat oriundus, de fide etiam, de religione & converſatione Chriſtianorum, & quæ forent credentium ſpes & ſeculorum præmia futurorum. Qui cum reſponderet, quod *Anglicus* eſſet & *Londoniarum* incola civitatis, inquiſitaque de fide pro[illegible] noverat expoſuiſſet: Conſequenter & [illegible]ſcitavit, dicens, Num mortem libenter [illegible] & fide Chriſti quam profiteris conſerva[illegible]e exciperes? Libentiſſime, inquit, pro [illegible] meo moriar. Quo audito, puella mox quaſi ex virtute verbi tota mutata, profitetur ſe Chriſtianam fieri ipſius ob cauſam, dummodo ipſam in conjugem accipere in ſua fide ſponderet. Tacuit attamen ille ſecum deliberans, adquieſcere ſtatim [illegible] timens nimirum fallaciam mulieris, unde te[illegible]ndo de die in diem prorogavit, nolens cito pre[illegible]us illius præſtare conſenſum. Cumque puella vehementer affligeretur, & indies ob dilati[illegible]t moris eſt mulierum, plus anxia efficeretur, *Gilbertus* interim cum ſuis concaptivis de fuga cogitans, poſt annum & dimidium nocte quadam diruptis cathenis à carcere aufugerunt, totumque [illegible]tis reſiduum, quouſque fines Chriſtianorum a[illegible]ent, conciti peregerunt. Mane autem facto, præpoſitus operum more ſolito ut eos ad opera mitteret conſueta, à carcere fracto ipſos evaſos vidiſſet, in manu valida eos inſequitur, donec Chriſtianorum terminis obſtantibus omni ſpe jam fraudatus reverteretur non parum iratus. Puella vero hæc audiens memorata, ex illa hora de profectio[illegible]a & fuga poſt ipſos cogitavit. Cumque ſuper hoc diebus ac noctibus mire cogitativa efficeretur, & in meditatione ſua exardeſceret cautius evadendi, nocte quadam univerſis ſompno depreſſis, ſola nullo ſciente aſſumpto ſecum modico quid ad viaticum neceſſario ut expeditius iter ageret ſatis attemptando, multiplici ſe diſcrimini tradidit fugiendi, nichil curans de univerſis hæreditario jure ſibi pertinentibus, ſufficientiam ſibi reputans divitiarum, ſi deſiderium ſuum pro voto poſſet complere.

O mirandam nimis hujus mulieris tam audaciam quam amorem tanta difficilia & ardua præſumentis! Non hæſitavit cum eſſet tam ingenti gloria paternæ poſſeſſionis nobilitanda, irrecuperabiliter eadem carere. Non trepidavit fragilis & delicata paupertatem pœnalem ſubire, nec per tot terrarum ſpacia & naufragantis maris innumera periculorum genera dubitavit ſola diſcurrere, dum unius hominis tam remoti & ignoti quæreret amorem. Cum etiam nec de vita ipſius vel inventione ſecuritatem haberet, imo necdum ſecura de conjugio etſi quæſitum hominem reperiret. Proficiſcens igitur paganiſmum proſpere pertranſivit, & cum quibuſdam peregrinis & mercatoribus repatriantibus, qui linguam ejus noverant, verſus *Angliam* navigabat. Cumque tranſactis cunctis periculis obiter obviantibus *Angliam* applicuiſſet, atque à ſuis comitibus jam diſſociata fuiſſet, nichil aliud interrogare pro itinere noverat niſi tantum *Londonia, Londonia*.

Quo tandem perveniente, quaſi beſtia erratica per plateas civitatis incedens, & obviantes quoſque exploratoris more circumſpiciens, deriſu omnibus habebatur, & maxime pueris in eam intendentibus & per vicos incedentibus, ob diſparem ipſius habitum & linguam ſimul admirantibus. Contigit autem quod ſic per plateas & vicos incedens, contra domum præfati *Gilberti* ubi manebat, in ſolempniori ſcilicet & frequentiori civitatis foro, ubi nunc in honore ſancti *Thomæ* hoſpitalis domus conſtructa eſt, caſu fortuito deveniret; in qua quidem ab introeuntibus divulgatum eſt, quod quædam juvencula mulier quaſi idiota, pueris eam & aliis ſequentibus & irridentibus, evagaret. Audiens autem *Ricardus* ſerviens *Gilberti* ſuperius memoratus quaſi ad ſpectaculum cum cæteris & ipſe accurrit. Qui cum propius accedens eam agnoſceret, ſtatim cum ſumma feſtinatione ad dominum ſuum recurrit, narrans ei ſecreto hanc filiam *Admiraldi* eſſe, ad quam admirationis cauſa intuendam hominum copia confluebat. Quo audito, ſupra modum admirans nec credere valens, eo quod impoſſibile ut ſic eveniret omnino videretur, dominus *Ricardo* non potuit fidem dare, donec ipſo in juramento diutius perſiſtente, minus incredulus aliquantulum redderetur.

Cogitans tandem cauſam adventus ipſius, arbitratus eſt tamen conſultius ei alibi providendum, quam eam ſecum in domo propria retinendam, juſſit *Ricardo* ut ad quandam matronam viduam ei vicinam, eam adduceret, quæ ipſam tanquam filiam ſuam in omnibus cuſtodiret. Quem cum videret puella & eum agnoſceret, mox quaſi mortua cecidit, jacens in extaſi reſupina. Cumque ab illa mentis alienatione expergefacta, & ad ſe reverſa reſideret, ad dictam matronam *Ricardus* eam adduxit ſicut ejus dominus imperarat. *Gilbertus* de adventu puellæ ſecum pertractans, cœpit animo fluctuare per diverſa, & cogitationes concipiens invicem repugnantes, incidit in mentem ejus epiſcopum *Londonienſem* conſulendum adire apud ſanctum *Paulum*, ubi illo tempore ſex epiſcopi aderant ſuper arduis regni negotiis vel eccleſiæ tractaturi. Quibus coram poſitus cum veritatem rei geſtæ ſuperius memoratæ per ordinem exponeret, mox *Ciceſtrenſis* epiſcopus præ cæteris propheticam prorumpens in vocem, indubitanter aſſeruit, hanc vocationem non humanam ſed potius fuiſſe divinam, & neceſſario magnifici operis prolem edituram, cujus ſanctitate & labore univerſalis eccleſia eſſet ad Chriſti gloriam ſublimanda. Cæteris autem epiſcopis qui aderant in hanc ſententiam concordantibus, ut idem *Gilbertus* puellam, dummodo baptizari vellet, duceret in uxorem; adducta eſt ſtatuta die in craſtino in eccleſia beati *Pauli* in dictorum epiſcoporum præſentia, ubi & baptiſterium competenter extitit præparatum, in quo & illa debuerat baptizari.

Cumque interrogaretur in medio poſita, prout mos eccleſiæ exigit, per ſæpedictum *Ricardum* communem eorum interpretem, ſi vellet baptizari, reſpondit, Hujus rei cauſa à valde remotis partibus huc adveni, dummodo *Gilbertus* michi voluerit in conjugio copulari. Baptizatur igitur puella ſex epiſcopis grandi cum ſolempnitate baptiſmi ſacramentum agentibus, eo quod præclari ſanguinis eſſet femina, imo vocationis clarioris ex gratia admodum divina; *Gilberto* traditur mox ab epiſcopis in conjugem cum celebritate conjugali, de fide catholica prius breviter inſtructa. Quam cum ad propria duceret, prima nocte mutuæ in unum concordiæ ſanctum *Thomam* futurum *Cantuarienſem* archiepiſcopum & martyrem genuerunt. In craſtino *Gilbertus* tanto deſiderio repatriandi ad terram ſanctam efficiebatur, quod ſuſpiriis agitatus magis aſſidue quam frequenter vultum triſtitiæ prætenderet inſuetum. Cogitabat interea uxoris ſuæ juvenculæ ſtatum tenerum, ſexum fragilem, ætatem lubricam, linguam eciam patriæ ignotam, & ob iſta nimirum per abſentiam ſuam pericula non parva eidem poſſe de facili pervenire. Uxor vero ipſius cum vultum ſecus quam heri & nudiuſtertius animadverteret in diverſa mutatum, metuebat vehementer & cogitabat ſi forte ipſa eſſet cauſa. Inſtitit igitur precibus diebus ac noctibus ſciſcitandi tantæ triſtitiæ veritatem, nec aliquando deſtitit donec patefacta plane fuerant quæ latebant.

Gilbertus igitur precum inſtantia fatigatus cum deſiderium ſuum uxori reſeraſſet, illa utpote magnæ ſpei mulier & in fide Chriſti roborata, non ſolum voto viri annuit, imo rogavit & hortabatur, ut quicquid in mente concepiſſet quo complacere ſuo crederet creatori, nulla de ſe habita conſideratione tam premte exſequeretur quam devote. Et adjecit, Spero, inquit, firmiter & de Deo tantum confido, qui ad agnitionem ſui nominis me vocavit, quod me non deſeret te abſente, ſed ſicut & ipſum prius non agnoſcerem ab omni periculo me intactam conſervabit. Tantum pro ſolatio peto *Ricardum* michi relinquas, eo quod lingua mea melius eruditus neceſſitatibus meis cæteris noverit potius miniſtrare. Quibus auditis, *Gilbertus* admodum lætus effectus, neceſſaria ſibi parat, & ordinatis quæ uxori ſuæ & familiæ competebant, quam citius poterat *Jeroſolimam* profectus eſt; ubi per tres annos & dimidium moram faciens, poſtea repatriavit. Invenitque *Thomam* filium ſuum admodum forma decorum, & in oculis cunctorum intuentium gratioſum. Poſtquam vero mater iſtius ſancti *Thomæ* ipſum conceperat, brevi intervallo vidit in ſompnis in ſinum ſuum univerſam aquam *Thamenſis* fluminis influxiſſe. Quo illa muliebri metu percuſſa, ac ſuſpicata laborem quempiam peregrinandi, quem vulgus conſuevit interpretari per aquarum exuberantiam; audivit econtra à ſapiente interpetationem divinitus inſpiratam, unde non meruit mediocriter conſolari. Nam naſciturus, inquit, eſt ex te qui populos multos reget. Et alter quidam in nullo diffidens à prioris ſententia adjecit, quod fluenta gratiarum eſſet accepturus quibus natale ſolum inſtar fluminis irrigaret, commemorans illud evangelicum, *Qui credit in me fluent de ventre ejus flumina aquæ vivæ*.

Inſtante eciam partus tempore, viſum eſt matri de cœlo in ſuum gremium duodecim ſidera ſplendoris inſoliti cecidiſſe, unde mulier magnifice confortata, perpendit magnum quiddam de ſe naſciturum hac viſione figurari. Rurſum vero cum in cunis jacuiſſet infantulus, ipſum nudum mater in ſompnis conſpexit, unde indignata adverſus nutricem ait, Cur non tegis infantem? Cui nutrix, Optime domina mea coopertus eſt precioſa purpura plicata. Surgunt illico mater & familia, moliuntur pallium ut diligentius puerum inde tegerent explicare. Cujus latitudinem cum nec thalami paterentur anguſtiæ nec amplior aula, ſed & platea longe anguſtior appareret, ad **Smethefelde** qui locus amplus eſt in civitate ut vel ibi ſuis ſatisfacerent votis ambæ pariter, ut viſum ei fuerat, feſtinarunt. Cumque de loci latitudine ſecuritatem ſibi invicem promittentes, cœptis inſiſterent, vox ad illas de ſupernis illapſa intonuit, dicens, In caſſum conamini, purpura hac, tota *Anglia* major eſt, nec ejus poterit comprehendere latitudinem. Ad hanc vocem evigilat mulier, memor quidem quid vidit, ſed ad quid prorſus ignara. Nos vero quoniam intellectum fides oculata revelat, purpuram precioſam, ſanguinem interpretamur martyris innocenter occiſi, quo in paſſione perfuſus jacuit & velatus, nunc vero per tot terrarum regna exteraſque nationes extenſum fidum præcedens viſio figuravit. Jam enim puerilibus annis evolutis optimis cœpit pollere moribus, ingenio clarus, eloquio acceptus, vultu mixta gravitate jocundus, venuſtus aſpectu, forma ſatis elegans gratum ſeſe & amabilem omnibus exhibebat. Tempore autem quo pater eum in religioſa domo *Mertoniæ* Priori *Roberto* aliquandiu interdum traderet, venit quadam die pater filium videre. Introducto puero coram Priore & patre, pater procidens pronus filium adoravit. Indignans vero Prior ait illi. Quid agis? procidis ad pedes filii? Quod ei facis ille tibi facere deberet. Cui pater in ſecreto ait, Domine ne mireris. Scio enim quid facio. Erit quidem puer iſte magnus coram Domino. Expavit nimirum pater tam mirifica de filio ſibi divinitus revelata, quæ tamen præ admiratione ſub ſigillo ſilencii ſtatuit occultanda. Poſtquam vero literarum ſtudiis traditus, liberales artes attigit, quatenus laſcivia ætatis & anguſtia temporis permiſit in illis profecit.

Ab ineunte ætate, ſicut referre ſolitus erat, didicit à matre timorem Domini, & beatam Dei genitricem virginem *Mariam* tanquam ducem viarum ſuarum & vitæ patronam dulcius invocare, & poſt Chriſtum, in illam totam fiduciam jactare. Matre vero defuncta, pater quem incendia crebra attenuabant ipſum per aliquod tempus cauſa ſtudii *Pariſius* deſtinavit. Qui inde reverſus receptus eſt in partem ſolicitudinis reipublicæ *Londoniarum*, ubi laudabiliter ſe habens didicit hujus lucis prudentiam, qua poſtmodum prope noverat communia eccleſiæ *Anglorum* & publica totius regni negotia magnifice tractare. Denique ad virum quendam in civitate genere inſignem & multarum poſſeſſionum præcipuum firmius adhæſit, varias ſeculi ſequens curioſitates, nunc venatum, nunc avium capturam, quibus maxime animus juvenis paſcebatur pro libito: nunc domi cum patre, nunc rure cum divite morabatur; factumque eſt ut in hunc modum dimiſſis fere ſcolaſticis ſtudiis evagaret.

Die vero quadam accidit, ut ad ripas eunte *Thoma* ſimul cum divite, motam de flumine anatem ancipiter inſequeretur, ſecutuſque divertentem in flumine, cum ipſa pariter mergebatur. Quod videns adoleſcens, miſeratus ancipitrem jam periturum, equo deſiliit, ſeque in gurgitem ut avem eriperet præcipitavit; ſed priuſquam avem contingeret, raptus ipſe intra alveum fluminis & nunc merſus ſub aquis, nunc undarum vi inpellente levatus, periclitari cœpit, & penitus periiſſe ab intuentibus putabatur, dum nullus adeſſe potuit qui manum apponeret pereunti. Denique ad molendinum quod tunc forte molebat, aquæ tractu fere uſque rotam prolatus eſt. Sed ſtatim rota ſtetit nec ſe movit ſemel, quouſque vivus quidem ſed vehementer afflictus adoleſcens extractus eſt. Sed fovit afflictum medica manus Salvatoris quem inter undas deſperatum protexit, ne extingueretur lucerna fulgoris in Iſrael, cujus morte precioſa tanta cernimus beneficia proveniſſe. Ad curiales itaque ſe transferens occupationes, cœpit in florem ſecularis prudentiæ pubeſcere, et fructum diſcretionis polliceri. Tanto itaque rationis vigebat acumine, ut prudenter inauditas et difficiles ſolveret quæſtiones, adeoque felici gaudebat memoria, ut quod ſemel in ſenteneiis et verbis didicerat fere quociens volebat poſſet ſine difficultate proferre, quod multi literatiores aſſequi non valentes, tantam mentis perſpicuitatem præſertim in hoc homine variis occupationibus dedito, miraculo aſcribebant. Videns vero vas electionis futurum, in curiis procerum contra honeſtatem cleri plurima geri, et convictum eorum propoſito cui adductus erat perniciofius adverſari, inſtinctu potius gratiæ et ducatu quam conſilio amicorum et interventu, ſe ad patrem piæ recordationis *Theobaldum Cantuarienſem* archiepiſcopum quaſi poſt biennium vel triennium contulit, et promerente induſtria gratiſque ſuffragantibus obſequiis, inter primos et præcipuos ejus familiares infra breve admiſſus eſt. Qui videntes eum in neceſſitatibus expediendis prudenter agentem, et in conſilio providum, cum eo ſociale fœdus inierunt, condicentes ut in petendis eccleſiaſticis beneficiis ſuffragium ſuum communicarent.

Erant autem tres, *Rogerus Neuſtrienſis*, *Johannes Cantuarienſis* & *Thomas Londonienſis*; Horum quidem reſpectu duorum *Thomas* minus literatus erat; Sed longe quidem altior eſt ratio morum quam literarum. Ipſe quidem ſtudebat moralitati & prudentiæ intendere, ut inter eos literis adhuc inferior, moribus conſpectior & acceptior appareret. Poſtmodum vero literatiſſimus fuit. Itaque pauca Primas agebat, quibus omnes aut unus ex iſtis non intereſſet. Quot & quantos labores ibi pro eccleſia Dei beatus *Thomas* pertulit; quociens pro expediendis negociis eccleſiaſticis Apoſtolorum limina viſitaverit; quam felici exitu quæ ſibi injuncta fuerant expedierit, nequaquam facile eſt dicendum. Ut vero in cauſis perorandis & decidendis, & populis inſtruendis facultas ſibi pararetur, juri civili operam dedit. Impetrata vero poſtea à domino ſuo archiepiſcopo transfretandi licentia, per annum in legibus ſtuduit *Bononia*, & poſtea *Altiſiodori*. Cernens itaque pontifex ex nova arbore quædam nova tunc virtutum germina pululare, hanc Domini plantationem inter poma convallium in orto ſponſæ diſpoſuit plantare. Et ut per experientiam rerum facilius diſpenſationis eccleſiaſticæ uſum conſequeretur, à præfato archiepiſcopo ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ archidiaconus conſtitutus eſt, ut ſic Deo ordinante tempore ſuo & gradu archidiaconus in archiepiſcopum promoveretur. Nam poſt epiſcopos & abbates in *Anglorum* eccleſia hic primus & dignior perſonatus habebatur. Poſt hæc vero, ut ſupra tactum eſt, *Henrico* Duce *Normanniæ* & *Aquitanniæ Stephano* regi *Anglorum* in regimine ſuccedente, elaboratum eſt ab antedicto archiepiſcopo *Theobaldo*, ſuſpectam habente novi regis adoleſcentiam, quem pravorum hominum conſilia pervertere moliebantur, ut archidiaconus ſuus *Thomas* regis collateralis & Cancellarius efficeretur. Cujus opus & opera ne novi regis impetus ſæviret in eccleſiam cohiberet quo, ſub obtentu publicæ poteſtatis & prætextu juris, tam eccleſiæ quam provincialium poteſtates diripere conſpiraverant. Cernebat quippe pontifex juvenem cujus mores & induſtriam, in variis jam rerum eventibus expertus fuerat, in agendis ſtrenuum, in conſiliis fidum, in dubiis ſecurum, in adverſis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad juſſa promptum, in obſequiis ſedulum, in omni denique opere providum & circumſpectum, unde & talem Aulæ dignum & Aulæ gratum futurum non immerito arbitrabatur, ſperans inde nichilominus eo procurante, inter Regnum & Sacerdotium deinceps pacis gratiam & unitatis vinculum firmius provenire.

Agente igitur & procurante pontifice, *Thomas* aulam ingreditur, & rege tribuente officium Cancellariæ ſuſcepit. Archilevita igitur aulam ingreſſus & Cancellarius ut prædicitur effectus, regis ſe moribus conformavit, nugis & ſeriis pariter & venationi intendebat, & etiam Domini prandendi dormiendique tempus obſervare ſatagebat. Ad hæc, curiales facecias amplectens, numeroſa clientela gaudebat, gloriam quærebat, popularis auris flatibus delectabatur. Nam ut de ſuppellectili taceam, frænis argenteis utebatur, menſas & expenſas Comitum antecedebat, verumtamen licet ei mundus in omnibus lenociniis ſuis adulari & applaudere videretur, tamen, quod raro accidere ſolet, in affluentia rerum & ſeculi vanitate, mirandam ſervabat corporis caſtitatem, ſuper quo ipſe rex frequenter diurnas tendebat inſidias & nocturnas. Erat in villa *Staffordia* uſque ad regales delicias mulier pulcra, ad quam rex conſuetudinem habuiſſe dicebatur, quæque Cancellario eo loco adventanti multa ſæpe exennia tranſmittebat. Oppidanus qui eum hoſpicio ſuſceperat, quod mulier provocaret ad amplexum novumque ſibi procuraret amatorem, æſtimabat. De quo volens certiorari, intempeſtæ noctis ſilencio ſumpta lucerna clam ad hoſpitis ſui cubiculum ingreſſus, vidit ante lectum virum procumbentem, pedes & tibias diſcoopertum, qui poſt genuflectiones & orationes, lapſus fuerat in ſompnum. Et ſic factum eſt ut religioſus inveniretur qui luxurioſus putabatur.

Poſt concilium *Turonenſe* per papam *Alexandrum* iij. celebratum, cum ipſe *Thomas* archiepiſcopus cum ſuis fratribus & cæteris ad propria eſſet reverſus, mox Regnum & Sacerdotium in *Anglia* diſceptare cœperunt, unde ſuper prærogativa ordinis clericalis turbatio maxima facta fuit. Regi enim circa curam regni ſatagenti & malefactores omnes ſine delectu exterminari jubenti, à ſuis Judicibus intimatum eſt, quod furta, rapinæ & homicidia ſæpius à clericis committebantur, ad quos vigor laicæ juriſdictionis non poſſet extendi. Quamobrem acri motu rex turbatus, contra clericos malefactores poſuit leges ſuas. In quibus utique publicæ juſtitiæ zelum habuit, ſed exceſſit immoderatior fervor modum. Extunc contradicente *Thoma* archiepiſcopo, ira regis excanduit & crevit in immenſum, prout in vita ipſius ſancti *Thomæ* quam iiij. viri famoſi deſcripſerunt ſatis patet. Eodem adhuc anno quo *Thomas* in archiepiſcopum *Cantuarienſem* electus erat, *Elianora* filia regis nata eſt, quæ poſtea fuit regina *Siciliæ*.

An. Dñi 1164.

Anno Domini M.Clxiiij. & regis *Henrici* x. idem rex parliamentum ſuum apud *Weſtmonaſterium* tenuit, ubi & corpus ſancti *Edwardi* regis illo tempore eſt tranſlatum. Eodem anno orta eſt primo gravis diſcordia inter regem & *Thomam Cantuarienſem* archiepiſcopum pro libertatibus & juribus ſanctæ eccleſiæ. Hiis diebus floruit in *Francia* magiſter *Petrus Comeſtor* qui utriuſque Teſtamenti hiſtoriam contexuit, quæ *Scolaſtica* dicitur: ſcripſit etiam Allegorias ſuper utrumque Teſtamentum, & etiam Sermones inſignes reliquit. Allegorias etiam ſuas in librum metricum redegit, quem *Aurora* intitulavit.

An. Dñi 1165. Anno Domini M. Clxv. & regis *Henrici* xj. quartodecimo kal. Octobris circa horam primam viſi ſunt tres circuli circa ſolem, quibus evaneſcentibus quaſi duo ſoles creantur. Quo anno *Thomas* archiepiſcopus diſcordia inter regem & ipſum continuata, à Parliamento **Northampton** recedens, exulabat. Eodem anno *Wallenſes* rupto fœdere obſidibus quoque quos in fidem pactorum dederant, periculo expoſitis, vicinos *Anglorum* fines turbare cœperunt, unde rex inmenſo exercitu adunato, hoſtium fines ingreſſus eſt, ipſos effrænatis excurſibus incluſos ita coartans, ut pacem meditari & facere conarentur. Eodem anno nata eſt *Johanna* filia regis quæ poſtea fuit Comitiſſa de *Tholouſe*, quæ peperit unum filium nomine *Reymundum* poſtea *Tholoſæ* Comitem. Eodem anno *Malcolmus* rex *Scotiæ* obiit, cui ſucceſſit *Willielmus* frater ejus.

Anno regis *H.* xij. *Johannes* filius ejus natus eſt. Eodem anno rex tercio in *Walliam* exercitum ſuum ducit, & facta pace ex ipſis recedens transfretavit, filiorum promotioni & ditationi intendens. Ex prædicta namque *Elianora* conjuge ſua quatuor filiis ut prætactum eſt procreatis, *Henricum* majorem natu regni *Angliæ* & Ducatus *Normanniæ* cum comitatu *Andegaviæ* ſucceſſorem relinquere, *Ricardum* vero *Aquitanniæ* & *Galfridum* *Britanniæ* præficere cogitabat. Quartum natu minimum, *Johannem* ſcilicet *Sine terra* agnominans. Tres quoque ex eadem filias habens, unam regi *Hiſpaniæ*, alteram Duci *Saxoniæ* deſponſavit; terciam nondum nubilem regi *Seciliæ* ſuo tempore in conjugem daturus. *Britanniam* vero *Galfrido* filio ſuo ſic adquiſivit. Contigit enim *Conanum* Comitem *Richemundiæ* qui majori parti *Britanniæ* dominabatur, in fata decedere, relicta ex ſorore *Willielmi* regis *Scottorum* unica filia hærede, quam rex innubilem inpuberi filio ſuo *Galfrido* copulans, omne jus puellulæ redegit in propriam poteſtatem. Cumque à quibuſdam potentioribus regnare volentibus inferiores ibidem premerentur, confeſtim regis *Anglorum* auxilium petentes, ejus ſe ditioni ſpontanee ſubdiderunt, quibus rex prompto animo & profuſis opibus auxilium præſtans, ipſos potentes mox expugnatos ſubjecit, ſicque in brevi *Britannia* tota potitus, turbatoribus vel expulſis vel domitis, ita eam in cunctis finibus ſuis diſpoſuit, ut populis in pace agentibus, deſerta paulatim in ubertatem priſtinam verterentur.

Anno regis *Henrici* xiij. *Matildis* Imperatrix mater ipſius regis *Henrici* diem ſuum clauſit extremum.

Anno regis *Henrici* xiiij. *Matildis* filia regis nupta eſt *Henrico* Duci *Saxoniæ*. Ex qua idem Dux genuit tres filios *Henricum* videlicet primogenitum ſuum poſtea Ducem *Saxoniæ*, *Othonem* poſtea Imperatorem, & *Willielmum*. Eodem anno obiit *Robertus Lincolnienſis* epiſcopus ſucceſſor *Alexandri*, & epiſcopatu in fiſcum redacto, eccleſia paſtore ſeptemdecem annis vacavit, ſed poſt mortem regis in eodem anno *Walterus Conſtancienſis* factus eſt *Lincolnienſis* eccleſiæ Antiſtes. Sicque evacuata eſt prophecia vel potius divinatio Converſi *Thamenſis*, de ſuo & non Dei ſpiritu prophetizantis, quod *Lincolnienſis* eccleſia pontificem non eſſet ulterius habitura.

1169. Anno domini M. Clxix. & regis *Henrici* xv. obiit *Robertus* Comes *Leiceſtriæ*, qui Abbathiam Canonicorum *Leiceſtriæ* fundavit. Eodem anno iſte rex *Henricus* tenuit Curiam ſuam *Nanniæ* in *Britannia* die natalis Domini, qui quinta feria eo anno evenit, & *Galfridus* filius ejus Comes *Britanniæ* fuit ibi cum illo. Et feſto ibi ſolempniter tento & peracto, ipſe & filius ejus *Galfridus* caſtella *Britanniæ* viſitantes, fidelitates & ligeancias à Comitibus, Baronibus & liberis hominibus de quibus antea non acceperant, acceperunt. Tunc vero præfatus rex implacitavit Comitem *Eudonem*, & fere privavit eum toto honore & poteſtate quam prius in *Britannia* habuit. Et poſtea in *Normannia* reverſus eſt, ita quod in Purificatione beatæ *Mariæ* fuit apud *Sagium*. Et paulo poſt viſis caſtellis ſuis *Normanniæ* transfretavit in *Angliam*, & applicuit apud **Porteſmuth** 5. Non. Marcii feria iij. In hac autem transfretatione Dominus à media noctis hora uſque ad horam diei ſequentis nonam, regem eſt tempeſtate horribili & valida perſecutus, ita ut ipſe & omnes cum eo transfretantes pene ſubmergerentur, & piſcibus fierent eſca maris. Sed Deus omnipotens qui non vult mortem peccatoris, famulum ſuum regem oculis miſericordiæ ſuæ reſpiciens, navem illum geſtantem dextra cœleſtis auxilii impulit, & in portu optato fecit feliciter applicare. Reliquæ vero illum cum familia ſua ſequentes, poſt magnos & inauditos timores, quædam omnino fractæ & diſſolutæ, quædam autem ſemiruptæ, tandem prout vis venti eas tulit, ad diverſas partes *Angliæ* devenerunt. Attamen una illarum quæ recentior & cæteris ſplendidior videbatur, ditioribus & nobilioribus familiæ regis onuſta, in ipſo diei crepuſculo fluctibus maris obruta, proh dolor! eſt ſubmerſa, & *Henricus* de *Angeus* nobiliſſimus Baronum *Angliæ* cum duobus filiis ſuis, & magiſter *Radulphus* de *Bello Monte* medicus & familiaris ipſius regis, & multi alii de nobilioribus *Angliæ* cum CCC. hominibus utriuſque ſexus in ea exiſtentibus perierunt.

1170. Anno Domini M. Clxx. & regis *Henrici* xvj. *David* frater regis *Scociæ* ab *Henrico* rege *Angliæ* militari cingulo decoratur. Eodem anno rex tenuit curiam ſuam in ſolempnitate paſchali apud **Wyndeſore**. Cui feſto interfuerunt *Willielmus* rex *Scociæ* & *David* frater ejus, & fere omnes regni *Angliæ* epiſcopi & magnates. Peracta igitur ſolempnitate paſchali, rex inde *Londonias* pergens de coronatione filii ſui *Henrici* majoris et regni ſui ſtatutis magnum ibi concilium celebravit, *Thoma Cantuarienſi* archiepiſcopo regi nondum placato adhuc in *Galliis* in exilio exiſtente. In quo concilio rex fecit ſummonire *Rogerum Eboracenſem* archiepiſcopum, *Hugonem Dunolmenſem* epiſcopum et alios regni ſui epiſcopos, quod eſſent in feſto ſancti *Barnabæ* Apoſtoli ad coronationem prædictam apud *London.* faciendam. Qui ſtatuto tempore *Londonias* venientes dominica ſequenti quæ evenit xvij. kal. Julii in feſto ſanctorum *Viti* & *Modeſti* martyrum, dictum *Henricum* filium regis majorem in ætate tenera de mandato

dato ipſius regis coronaverunt. Quem dictus *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus in regem conſecravit *Hugone Dunolmenſi*, *Gilberto Londonienſi*, *Jocelino Sarum* & *Waltero Roffenſi* epiſcopis ei in illo officio miniſtrantibus, aſtantibus etiam fere omnibus Comitibus, Baronibus & nobilioribus regni. In craſtino autem hujus coronationis fecit rex pater *Willielmum Scottorum* regem & *David* fratrem ſuum, ac omnes Comites, Barones & liberos regni ſui tenentes devenire homines novi regis filii ſui, ſibique ſuper ſanctorum reliquias ligeancias & fidelitates jurare, fidelitate ſemper nichilominus ſua ſalva. Et quia *Ludowicus* rex *Franciæ* indigne ferens, quod *Margareta* filia ſua non erat cum novo rege *Angliæ* marito ſuo coronata, guerram in *Normannia* voluit tunc movere. Quo cognito, rex pater ſtatim ibidem capta à Comitibus & Baronibus licentia transfretandi, circa feſtum ſancti *Johannis* Baptiſtæ apud *Barbeſluctum* in *Normannia* applicuit, novo rege filio ſuo in *Anglia* dimiſſo, cui omnes rectitudines & juſtitias per novum ſigillum quod ei fieri præceperat, facere conceſſit.

Et poſtea circa feſtum beatæ *Mariæ Magdalenæ* colloquio inter ipſum & regem *Franciæ* de pace apud *Vendomar* habito, mediante Comite Bleſenſi *Theobaldo*, illa vice amici remanſerunt: Nam rex *Angliæ* conceſſit ei, quod infra breve faceret filium ſuum & filiam ſuam cum eo iterum coronari.

Itaque finito colloquio, rex in *Normannia* rediit, & circa feſtum ſancti *Laurencii* ad motam *Gerni* quæ parum à *Dampnifronte* venit, ubi in tam gravem incidit infirmitatem, quod dicebatur per regnum *Galliæ* quod mortuus eſſet. Et ibi poſſeſſiones ſuas filiis ſuis dividens, *Henrico* filio ſuo majori de novo coronato, regnum *Angliæ* & Ducatum *Normanniæ* ac comitatum *Andegaviæ* & *Cenomanniæ* conceſſit, *Johanne* fratre ſuo minimo ad promovendum & manutenendum ſibi tradito; Et *Ricardo* filio ſuo Ducatum *Aquitanniæ* cum omnibus pertinenciis ſuis de rege *Franciæ* tenendum conceſſit; Et *Galfrido* filio ſuo Comitatum *Britanniæ* cum filia Comitis *Conani* de rege *Franciæ* tenendum ſimiliter dimiſit. Et poſtea præcepit Epiſcopis, Comitibus & Baronibus qui ei in illa infirmitate aſſidebant, quod ſi illam non evaſiſſet, corpus ſuum apud *Grandum montem*, qui parum diſtat à S. *Leonardo*, facerent ſepeliri, & oſtendit eis quandam cartam quam boni homines *Grandimontis* ei fecerant de corpore ſuo ſepeliendo, in exitu Capituli domus prædictæ ad pedes magiſtri ejuſdem, qui ibidem ſepultus eſt. Hoc audito, omnes vehementer mirati illud concedere noluerunt, dicentes hoc contra regni ſui prætendere dignitatem. Ipſe magis ac magis ut hoc fieret inſtabat. Sed pauſo poſt de illa convaluit infirmitate, & quam citius poterat, iter cum feſtinatione circa feſtum ſancti *Michaelis* ad ſanctam *Mariam* de *Rupe Adamatoris* cauſa peregrinationis arripuit, ſicut in illa voverat infirmitate. Qua peregrinatione peracta, in *Andegaviam* rediit.

Interim beatus *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus ſextum exilii annum peragens, cum audiſſet quod illo abſente & deſpecto novus rex in præjudicium eccleſiæ *Cantuarienſis* à *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo in *Anglia* conſecratus eſſet, doluit vehementer, & de injuria eccleſiæ ſuæ *Cantuarienſi* illata cogitans, nuncios ſuos ad *Alexandrum* ſummum pontificem ſæpe miſit, ut ſe & eccleſiam ſuam ſuper *Eboracenſi* archiepiſcopo & aliis qui ei in coronatione novi regis *Angliæ* miniſtraverant, vindicaret. Similiter *Ludovicus* rex *Franciæ* eodem anno dominum papam in virtute amoris, & ſub impenſi proteſtatione obſequii ſollicitavit, ne ultra dilationes fruſtratorias quas rex *Angliæ* de *Thoma Cantuarienſi* archiepiſcopo reconciliando prætendebat, prorogaret, ſicut regnum *Francorum* & honorem ſedis Apoſtolicæ diligebat. Miratus etiam *Anglicanæ* eccleſiæ deſolationem *Willielmus Senonenſium* antiſtes, ſedem Apoſtolicam petens, à ſummo pontifice impetravit, ut rex *Angliæ* omni appellatione ceſſante ſubiceretur anathemati & regnum interdicto, niſi pax eccleſiæ *Cantuarienſi* redderetur. Inſtante itaque die peremptorio ut ſententia ulterius differri non poſſet, rex *Angliæ* ut pax *Anglicanæ* eccleſiæ reformaretur, ſeveritate tandem artatus canonica adquievit. Et circa feſtum ſancti *Dioniſii* iiij. idus Octobris feria ſecunda uſque ad *Ambaſium* quæ eſt juxta *Thuronum* cum Archiepiſcopis, Epiſcopis & majoribus terræ ſuæ venit contra *Willielmum Senonenſem* archiepiſcopum & *Theobaldum* Comitem *Bleſenſem*, qui ſecum beatum *Thomam Cantuarienſem* archiepiſcopum adduxerunt. Et in craſtino poſt plures altercationes protunc & ante ad alios dies ſicut divinæ placuit providentiæ, prece regis *Franciæ*, & mandato & amonitione domini papæ *Alexandri*, necnon conſilio archiepiſcoporum et epiſcoporum terræ ſuæ, dictum *Cantuarienſem* archiepiſcopum in ſuam ibidem recepit benevolentiam et amorem, tamen eum in oſculo pacis recipere noluit, ſed filium ſuum regem ipſum ad hoc recipere conceſſit, et iram et malivolentiam ſuam ei et omnibus qui cum eo erant in exilio pardonavit, omnes poſſeſſiones ſuas *Cantuarienſis* eccleſiæ ſicut eas uno anno antequam ab *Anglia* egrederetur, ſibi in integrum reſtitui promittendo. Et tunc ipſe paſtor periculum metuens ovium ſuarum, ad eccleſiam ſuam rege ſibi conductum præſtante, ſexto exilii ſui anno in *Angliam* reverſus eſt. Cum vero *Cantuariam* veniſſet, omnibus in oſculo pacis receptis, illos paterna exhortatione monuit et docuit fraternitatem diligere, et ſi neceſſe fuerit animas ponere et uſque ad mortem pro lege Dei certare. Et poſtea in jam dictum *Eboracenſem* archiepiſcopum et alios epiſcopos novum regem cum ipſo coronantes, auctoritate papali excommunicationis ſententiam fulminavit.

Qua publicata, *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus, *Jocelinus Sareſberienſis* *Gilbertus Londonienſis* epiſcopi ſtatim in *Normanniam* applicantes linguas ſuas ut gladium exacuerunt, et ipſum regem contra *Cantuarienſem* archiepiſcopum magis ac magis clamoribus ſuis in iram nequiter commoverunt. Interim ergo beatus *Thomas* dampnis atrocioribus et injuriis ſupra modum affectus eſt, et edicto publico præceptus ſepta ſuæ eccleſiæ non exire: Et ſi quis ei vel alicui ſuorum faciem hillarem prætenderet, hoſtis publicus cenſebatur. Sed hæc omnia vir Dei cum multa patientia ferens, et omnes converſatione ſua ædificans, inter ſuos familiariter morabatur. Interim rex *Angliæ* calumpniatus eſt archiepiſcopatum *Bituricenſem* debere Ducatui *Aquitanniæ* adjacere, ſed rege *Franciæ* contradicente, gravis diſcordia inter illos orta eſt. Et ex utraq; parte magno exercitu congregato rex *Angliæ* circa feſtum ſancti *Clementis* cum ſuo exercitu in *Berria* venit uſque *Muterluſzun*, volens ulterius uſque *Bituricenſem* procedere civitatem.

ipſe enim de civitate illa habenda jam ſecurum ſe eſſe ſperabat per homines civitatis illius qui eam illi reddere volebant. Nam ſanctæ memoriæ *Bituricenſis* antiſtes cum jam diem extremum ſibi imminere ſenſiſſet, convocatis fratribus coram quibuſdam ejuſdem urbis civibus dixit. O fratres mei kariſſimi in Domino, ſcitote quod civitas iſta *Buturicenſis* ad Ducatum *Aquitanniæ* ſpectat & de jure illius eſt. Et ſi poſtmodum inter regem *Franciæ* & hæredes *Pictaviæ* quæſtio inde orta fuerit, perhibete teſtimonium veritati. Et hiis dictis viatico ſe muniens deceſſit. At rex *Franciæ* cum ſuo prævenit exercitu, & acceptis à rege *Angliæ* induciis, uterque in ſuam patriam reverſus eſt. Inſtante autem Dominicæ nativitatis ſolempnitate rex *Angliæ* in *Normanniæ* moram fecit.

An. Dñi 1171.

Anno Domini M. C. lxxj. *Henricus* rex *Angliæ* pater curiam ſuam die natalis Domini apud *Burum* in *Normanniæ* tenuit, multum contriſtatus & confuſus de eo quod *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus epiſcopos *Angliæ* quos vinculo excommunicationis innodaverat, abſolvere recuſavit. Cumque ipſe rex ita in iram eſſet commotus, & ex habundantia cordis turbidi verba non ſana eructaſſet, quatuor milites de domo & familia ſua propter animi motus quos in eo viderant volentes eum vindicare, ipſo rege neſciente latenter ad mare ad transfretandum in *Angliam* feſtinarunt; Qui mare tranſito, iter ſuum feſtinato curſu verſus *Cantuariam* arripuerunt, Et vix per menſem pater in eccleſia ſua moram fecerat, ecce quinta natalis die, prædicti quatuor milites, imo ſathanæ ſatellites *Cantuariam* venerunt, quorum nomina quidam metrice ſic ſcripſit.

Willielmus Traci, *Reginaldus* filius Urſi,
Ricardus Brito, *necnon* Morvilius *Hugo*.

Qui in furore ſuo armati venientes in Templo dictum Archiepiſcopum invenerunt, in ingreſſu magnis clamoribus dicentes, Ubi eſt, ubi eſt ille proditor? nec fuit qui reſponderet. Iterum interrogaverunt, Ubi eſt archiepiſcopus *Cantuarienſis*? Quibus ipſe reſpondens ait. Hic ſum ſervus Chriſti quem vos quæritis. Cui unus illorum in ſpiritu furoris intulit: Tu modo morieris. Inpoſſibile eſt enim tibi ut ulterius vivas. Reſpondit archiepiſcopus non minori conſtancia verbi quam animi. Ego pro Deo meo mori paratus ſum, & pro aſſercione juſtitiæ & eccleſiæ libertate. Et ſi caput meum quæritis, ex parte omnipotentis Dei & ſub anathemate prohibeo, ne cuiquam alii ſive monacho ſive clerico, ſive laico majori vel minori in aliquo noceatis, ſed ſint inmunes in pœna ſicut extiterunt in cauſa. Verba ejus nonne Chriſtũ ſequi videntur in paſſione dicentem, *Si me queritis ſinite hos abire*? Hiis dictis, caput in modum orationis carnificibus eductis gladiis inclinavit, hæc noviſſima proferens verba, Deo & beatæ *Mariæ* & ſanctis hujus eccleſiæ patronis & beato *Dioniſio* meipſum & eccleſiæ cauſam commendo. Tunc in omnibus hiis cruciatibus invicti animi & admirandæ conſtantiæ martyr Dei non verbum nec clamorem emiſit, non edidit gemitum nec brachium aut veſtem oppoſuit ferienti, ſed caput inclinatum quod gladiis expoſuerat donec conſummaretur inmobile tenebat. Itaque præfati milites concurrentium undique utriuſque ſexus multitudinem timentes ne forte Archiepiſcopus voto infecto eriperetur, facinus accelerarunt. Cumque unus ex eis in caput archiepiſcopi gladium extendens vibraſſet, brachium cujuſdam clerici qui *Edwardus Grym* dicebatur, fere abſcidit, & ipſum pariter Chriſtum Domini in capite vulneravit. Extenderat enim idem clericus brachium ſuum ſuper caput patris, ut ictum ferientis exciperet vel potius elideret.

Stabat adhuc juſtus pro juſticia patiens velut agnus innocens ſine murmure, ſine querimonia, & ſeipſum holocauſtum Domino offerebat. Et ne quis funeſtorum ſatellitum intacto præſule inſceleſtus argui poſſet, ſecundus & tercius gladios ſuos vertici conſtantis athletæ atrociter impinxerunt. Et ſic dicti ſatellites pro domino temporali æmulantes, in ipſa ſancta matre eccleſia & hora quaſi veſpertina ipſum Deo optulerunt ſacrificium veſpertinum. Quartus vero adhuc pluſquam furiali crudelitate debaccatus, coronam raſilem præſuli jam proſtrato & jam exſpiranti abſcidens, mucrone vertici intruſo teſtam capitis diſſipavit, cerebrum cum ſanguine effundens ſuper lapideum pavimentum. Ita inchoante ſeptimo anno exilii ſui præfatus *Thomas* pro lege Dei ſui & eccleſiæ juſtitia, quæ tota fere in *Angliæ* deperierat, uſque ad mortem certavit, & à verbis impiorum non timuit, ſed fundatus ſupra firmam petram, i. Chriſtum, pro Chriſti nomine in eccleſia Chriſti v. die natalis Domini in craſtino Innocentium feria iij. ipſe innocens gladiis occubuit prophanorum, anno ætatis ſuæ quinquageſimo tercio & pontificatus ſui xvij. unde metrice ſcriptum eſt.

Henricus *natus* Matildis *regna tenebat*,
Sub quo ſacratus Thomas *mucrone cadebat*.

Annus millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas cum ruit enſe Thomas.

Anno milleno centeno ſeptuageno
Anglorum *Primas corruit enſe* Thomas.

Quis moritur? Præſul. Cur? pro grege. Qualiter? enſe.
Quando? Natali. Quis locus? ara Dei.

Pro Chriſti ſponſa, Chriſti ſub tempore, Chriſti
In Templo, Chriſti verus amator obit.

Milites vero prædicti ſcelere perpetrato ſtabulum martyris intrantes, equos ejus extraxerunt, quos inter ſe prout eis placuit diviſerunt. Qui ſtatim prophani operis ſui conſcii & de venia deſperantes, redire ad Regis curiam unde venerant noluerunt; ſed in boriales *Angliæ* partes uſque Knaresburgh villam *Hugonis de Morvile* properantes, ibi tam diu donec viles à compatriotis illius provinciæ habiti fuerant, remanſerunt. Omnes enim vitabant eorum colloquia, nec aliquis manducare cum eis vel bibere volebat. Soli manducabant, & ſoli bibebant, & fregmenta cibariorum ſuorum canibus proiciebantur. Et cum inde guſtaſſent nolebant aliquid inde comedere. Ecce manifeſta Dei vindicta, ut illi à canibus contempnebantur qui Chriſtum Domini contempſerunt. Interim rex qui curiam ſuam apud *Burum* ut ſupradiximus tenuit, ad Argentonium properavit. Ubi cum audiſſet quod *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus in eccleſia ſua *Cantuariæ* ita crudeliter occubuiſſet, doluit vehementer & pluſquam dici poteſt. Noluit enim per tres dies quicquam comedere, nec cum aliquo loqui, ſed clauſis januis vitam miſerabilem, inauditam & ſolitariam per quinque ſeptimanas duxit; donec *Robertus Rothomagenſis* archiepiſcopus & epiſcopi *Normanniam* venientes, ipſum conſolarentur. Dum autem hæc fierent *Ludowicus* rex *Francorum* ſcripſit ſummo pontifici contra regem *Angliæ* de morte dicti archiepiſcopi in hac forma.

Domino & patri ſuo ſanctiſſimo Alexandro *Dei gratia ſummo pontifici* Ludowicus *rex* Francorum *ſalutem & debitam reverentiam. Ab humana lege pietatis recedit filius qui matrem deturpat, neque creatoris beneficii reminiſcitur qui de ſancta ſedi illata turpitudine non triſtatur. Verum ſpecialius eſt condolendum & novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis, quoniam in ſanctum Dei inſurgens malignitas, in pupillum Chriſti gladium infixit, & lucernam* Cantuarienſis *eccleſiæ non tam crudeliter quam turpiter jugulavit. Excitetur exquiſita genus juſticiæ, denudetur gladius* Petri *in ultione* Cantuarienſis *martyris, quoniam ſanguis ejus pro univerſali clamat eccleſia non tam ſibi quam univerſa eccleſia conquerens de vindicta. Ecce ad tumulum agoniſtæ, ut relatum eſt nobis, divina in miraculis revelatur gloria & divinitus demonſtratur ubi humanitus requieſcit pro cujus nomine certavit. Latores vero præſentium patre orbati veſtræ pietati ſeriem indicabunt, & teſtimonio veritatis aurem adhibete mitiſſimam; tam de negocio iſto quam de aliis, ipſis tanquam nobis credite. Valeat pietas veſtra.*

Similiter *Theobaldus* Comes *Bleſenſis* ſcripſit domino Papæ de morte dicti Archiepiſcopi contra regem *Angliæ* ſub hac forma.

Reverendiſſimo domino & patri ſuo Alexandro *ſummo pontifici* Theobaldus *Comes* Bleſenſis *& regni* Francorum *Procurator ſalutem & debitam cum filiali ſubjectione reverentiam. Veſtra placuit majeſtati quod inter dominum* Cantuarienſem *archiepiſcopum & regem* Anglorum *pax reformaretur & integra firmaretur concordia. Itaque juxta veſtri tenorem mandati, illum rex* Angliæ *vultu hillari, fronte læta & pacem ſpondente & gratiam ſibi referente recepit. Huic paci & concordiæ affui, & me præſente dominus* Cantuarienſis *apud regem de coronatione filii ſui conqueſtus eſt, quem voto feſtinanti & ardenti deſiderio in culmen regiæ dignitatis fecerat promoveri. Hujus autem reus injuriæ ſibi & male conſcius rex* Angliæ, *juris & ſatisfactionis ipſi* Cantuarienſi *pignus dedit. Conqueſtus eſt eciam de Epiſcopis qui contra jus & decus* Cantuarienſis *eccleſiæ novum regem in ſedem Regiam præſumpſerunt intrudere, non zelo juſtitiæ, non ut Deo placerent, ſed ut tyrannum placarent. De illis vero liberam & licentem rex ei conceſſit poteſtatem, ut ad veſtræ & ſuæ poteſtatis arbitrium in eos ſententiam promulgaret. Hæc ſiquidem vobis vel juramento vel quolibet alio modo libuerit teſtari paratus ſum & ſancire. Sic itaque pace facta, vir Dei nil metuens receſſit ut gladio jugulum ſubderet & cervicem exponeret ferienti. Paſſus ergo agnus innocens martyrium craſtina Innocentium die. Effuſus eſt ſanguis juſtus ubi noſtræ viaticum ſalutis ſanguis Chriſti ſolebat immolari. Canes* Anglici *familiares & domeſtici regis* Angliæ *ſe miniſtros regis præbuerunt, & nocentes innocentem ſanguinem hauſerunt. Hujus prodigii modum deteſtabilem vobis verbo ſignificare non vereor ne michi in odium aſcribatur, & latores præſentium patenter & plenius evolvent. Ex eorum relatione diſcetis quantus mœroris cumulus, quanta ſit univerſæ eccleſiæ & matris* Cantuarienſis *calamitas. Hanc ſalvo pudore non poteſt diſſimulare* Romana *mater eccleſia, quicquid enim in filiam præſumitur nimium redundat in parentem, nec ſine matris injuria filia captivatur. Ad vos itaque clamat ſanguis juſti & flagitat ultionem. Vobis ergo aſſit pater omnipotens, aſſit & conſulat, & qui filii ſui cruorem mundo impendit ut mundi noxas detergeret & deleret maculas peccatorum, ille vobis vindictæ voluntatem inſinuet, & ſuggerat facultatem, ut eccleſia inauditi ſceleris confuſa magnitudine, diſtricta hillareſcat ultione. Valete &c.*

Interim nuncii *Senonenſis* Archiepiſcopi quos ipſe *Romam*, adhuc vivente *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, miſerat, redierunt: Per quos ſummus pontifex *Senonenſi* Archiepiſcopo mandavit, Quod ſi rex *Angliæ* nollet ſatisfacere Deo & *Cantuarienſi* eccleſiæ de controverſia quæ inter eum & *Cantuarienſem* Archiepiſcopum ſuper dignitate *Anglicanæ* eccleſiæ vertebatur, & idem rex pacem quam fecerat cum dicto Archiepiſcopo non obſervaret, ipſe & *Rothomagenſis* Archiepiſcopus ſub interdicto ponerent terras regis, ſcilicet *Normanniam*, *Andegaviam*, *Pictaviam* & *Britanniam*. Subjunxit etiam ſummus pontifex in illo mandato, quod ſi alter illorum non poſſet aut nollet huic intereſſe mandato, alter nichilominus mandatum exequeretur. Cum autem *Rothomagenſis Senonem* veniret, ſecundum mandatum ſummi pontificis una cum *Arnaldo Lexovienſi* & *Egidio Ebroicenſi*, ac *Rogero Wigornenſi* epiſcopis, & cum aliis quamplurimis tam clericis quam laicis de familia regis *Angliæ*, poſt multas verborum tergiverſationes ad ſedem Apoſtolicam appellavit, & ſe ad præſentiam domini papæ pro negociis dicti regis iter arripuiſſe reſpondit; unde & dicto regi exacerbationem ſe nolle infundere acerbiorem. Ipſe tamen *Senonenſis* archiepiſcopus in mandatis domini papæ procedens, in prædictis terris regis *Angliæ* ſententiam tulit, memorato *Rothomagenſi* archiepiſcopo & epiſcopis illam præcipiens obſervare. Super quo idem *Senonenſis* archiepiſcopus ſummo reſcripſit pontifici in hac forma.

Sanctiſſimo domino ac patri A. Dei gratia ſummo pontifici, Willielmus Senonenſis *eccleſiæ humilis miniſter ſalutem & devotam cum omni devotione obedientiam. Veſtro apoſtolatui pater ſancte data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Gladius anceps in manibus veſtris. Super gentes & regna conſtitutus eſtis ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis. Vide ergo domine & conſidera quem vindemiaverunt ita, vineam domini namque Sabaoth exterminavit aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Eccleſia ſiquidem* Cantuarienſis, *imo univerſalis eccleſia ſanguine rorantes lacrimas & amaritudine aſperſas à finibus terræ in conſpectu veſtro effudit, quia poſita eſt quaſi ſignum ad ſagittam, facta eſt obprobrium vicinis ſuis. Et qui vident eam movent capita ſua ſuper illam, dicentes, Vbi eſt Deus eorum? Ipſa autem gemens & converſa retrorſum clamat in auribus Domini exercituum, Vindica Domine ſanguinem ſervi tui & martyris* Cantuarienſis *archiepiſcopi, qui occiſus eſt pro libertate eccleſiæ crucifixi. Pa-*

ter ſancte, verbum horrendum, facinus flagitioſum factum eſt in diebus veſtris, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus. Non eſt auditum in Theman, *non eſt viſum in* Chanaan. *Alter ſiquidem* Herodes *ſemen* Chanaan, *& non* Juda, *progenies viperarum, miſſis à latere ſuo lictoribus ſignum Dominicæ paſſionis quod deſuper in vertice gerebat nequaquam exhorruit profundis exarare vulneribus, & notis turpibus cœleſtem deformare ymaginem. Proh! ſicut omnis eccleſia aſſerit, ipſum facit martyrem cauſa pariter & pœna. Pœna, dolor paſſionis illatæ. Cauſa, rigor eccleſiaſticæ cenſuræ, quia pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem. Veſtra ergo intereſt pater ſancte, cuſtos murorum* Jeruſalem, *remedium adhibere præteritis, & providentiam futuris. Quis enim locus poterit eſſe tutus ſi rabies tyrannica Sancta Sanctorum cruentat, & vicarios ſibi alumpnos eccleſiæ impune dilacerat? Inſurgant ergo eccleſiaſticæ leges, armentur jura cœleſtia, introeat in conſpectu veſtro ulcio ſanguinis glorioſi martyris qui de* Anglia *clamat: Clamabit ſiquidem, & commovebit non ſolum terram ſed & cœlum. Et ſic noſtro conſulite dolori, ut honori veſtro pariter conſulatis & ſaluti eccleſiæ. De cætero paternitati veſtræ dignum duximus inſinuare, quod cum domino* Rothomagenſi *& nobis in mandatis dederitis, ut terram regis* Angliæ *ciſmarinam ſi pacem quam glorioſæ memoriæ domino* Cantuarienſi *promiſerat non obſervaret, ſub interdicto poneremus. Adicientes eciam quod ſi uterque noſtrum rei executioni non poſſet aut nollet intereſſe, alter nichilominus mandatum veſtrum exequeretur. Prædictus vero* Rothomagenſis *poſtquam literas veſtras ei præſentare fecimus, nobis ſignificavit, quod Senonem veniret & juxta formam mandati Apoſtolici procederet. Cum autem illuc veniſſet, una cum* Lexovienſi, *&* Ebroicenſi, *&* Wigornenſi *epiſcopis, & aliis quampluribus tam clericis quam laicis de familia prædicti regis, primo verborum tergiverſationibus & excuſationibus inde deductis, reſpondit, Se ad præſentiam veſtram iter arripuiſſe, & prædicto regi exacerbationem ſe nolle infundere acerbiorem. Nos vero ſcientes quod vicium paganitatis incurrit quiſquis mandatis Apoſtolicis obedire contempnit, juxta ſeriem mandati veſtri de communi conſilio venerabilium fratrum noſtrorum epiſcoporum, ſancti* Dioniſii, *& ſancti* Germani, *de* Pratis *&* Pontinacenſis, Wall' Cennomanniæ *abbatum, & aliorum quamplurium religioſorum virorum & ſapientum, in terram ipſius ciſmarinam ſententiam intulimus, & memorato archiepiſcopo & epiſcopis ut eam obſervari faciant ex parte veſtra injunximus. Scimus enim quod nec poſſeſſiones ſicut promiſerat reſtituit, nec ſecuritatem ſicut mors ejus indicat inſtituit. Per* Carturienſem *quoque quem ad eum miſeramus nobis ſignificavit, quod cauſam mortis ejus dederat & quod eum occiderat. Inde eſt quod clementiæ veſtræ ſupplicamus, quatinus prædictam ſententiam ratam habeatis, & ſicut majeſtatem veſtram decet & incolumitati eccleſiæ expedit, eam taliter faciatis obſervari, quod honor Dei & veſter conſervetur, & nos qui ſanctitatem veſtram ea qua ſcitis devotione amplectimur, minime propter hoc poſſimus illudi. Valete & ſicut decet facite.*

Itaque dum hæc fierent, dominus *Rothomagenſis*, *Ebroicenſis*, *Wigornienſis*, & *Ricardus de Barra* & quidam alii de clericis & familiaribus regis, iter ad *Romanum* pontificem pro ipſo rege & regno ejus arripuerunt. Sed dominus *Rothomagenſis* ſenio & infirmitate laborans, cum jam fere mediam peregiſſet viam, ulterius procedere non valebat; Sed ipſo ad ſedem propriam reverſo, prædicti Epiſcopi ad papam cum regis clericis proceſſerunt. A quo ipſi cum magna difficultate impetrarunt, quod duo Cardinales ex parte ejus in *Normanniam* venirent, ad cauſam quæ vertebatur inter dominum regem & eccleſiam *Cantuarienſem* de morte *Cantuarienſis* martyris & aliis eccleſiaſticis dignitatibus cognoſcendam, & prout Deus eis adminiſtraret fideliter judicandam. Interim eodem anno *Gilbertus Londonienſis*, & *Jocelinus Sareſbirienſis* epiſcopi, quos beatus *Thomas* excommunicaverat, miſſis ad dominum papam nunciis, literas abſolutionis ſub eo quo ſequitur tenore ab eo recipere meruerunt.

Alexander *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus* Bituricenſi *archiepiſcopo &* Nivernenſi *epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtræ non credimus eſſe incognitum, qualiter ſanctæ recordationis* Thomas *quondam* Cantuarienſis *archiepiſcopus de mandato noſtro in* Londonienſem *&* Sareſbirienſem *epiſcopos excommunicationis ſententiam promulgavit, quam utique nos ratam habentes & firmam, eam auctoritate apoſtolica curavimus confirmare. Quia vero prædicti epiſcopi ſenio & debilitate confecti & alter morbo laborans, ad præſentiam noſtram venire non poſſunt, vobis, de quorum prudentia & honeſtate confidimus, abſolutionem eorum pro qua nuncii* Henrici *regis* Angliæ *& eorundem epiſcoporum apud nos vehementius inſtiterunt, duximus committendam. Ideoque fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi infra menſem poſtquam iidem nuncii ad propria redierint, de adventu legatorum noſtrorum, quos ad partes illas pro cognoſcenda atrocitate illius facinoris & ſceleris quod perpetratum eſt, & reconciliatione Regis diſpoſuimus tranſmittere, quod tranſalpinanum iter vobis non innotuerint, eos publice recepto juramento ſecundum morem eccleſiæ, quod veſtro debeant aſſiſtere mandato, ab excommunicationis vinculo abſolvatis, ſententia ſuſpenſionis qua fuerint ob eam cauſam ultimo inexcommunicationem deducti in ſuo robore permanente. Si autem vobis conſtiterit, quod* Sariſbirienſis *epiſcopus morbo laborans ad vos venire non poſſit, illuc in propria perſona quod nobis placeret accedatis; aut ſi accedere non poteritis, perſonas idoneas de quibus nos & vos confidere valeamus, tranſmittatis, quæ illum recepto juramento publice in conſpectu eccleſiæ quod veſtro debeat parere mandato abſolvant. Si autem huic rei frater archiepiſcope intereſſe non poteritis, tu frater epiſcope cum* Pontiniacenſi *Abbate quæ dicta ſunt diligentius exequaris. Dat.* Tuſculani *viij. kal. Maii.*

Eodem anno *Amgor* Imperator de *Marroc* mare *Affricum* transfretans, in *Hiſpaniam* cum manu forti & bellicoſa de conſilio & mandato regis *Ferandi* applicuit. Et defuncto rege *Lupo* qui paganus erat, terras ipſius ſcilicet *Mauriciam* & *Valenciam* & multas civitates alias occuparunt. Et inde exercitum ſuum in terram *Aldefonſi* regis *Caſtellæ* promovens, cepit per vim *Octam* & *Scoriam* civitates & eas *Saracenis* poſtea munivit, Chriſtianis omnibus quos in eis cepit interfectis, præter illos quos redegit in perpetuam ſervitutem. Dum hæc eodem anno fierent, duo apoſtolicæ ſedis legati in *Normanniam* venientes, ipſum regem & terram ſuam magnis & diverſis vexationibus conturbarunt, volentes ipſum & eam ſub Interdicto ponere. Sed nullo modo in malicia ſua procedere potuerunt; nam rex inde præmunitus, appellatione ad præſentiam domini papæ interpoſita, ſe & terram ſuam illæſam cautius conſervavit. Attamen apoſtolicam ſeveritatem timens, ad mare citius tranſvolavit; Juſticiariis & ballivis ſuis *Normanniæ* & præcipue ballivis portuum maris per commune edictum præcipiens, quod nullo modo aliquem & nominatim clericum vel peregrinum in *Angliam* permitterent tranſfretare, niſi ſecuritate prius data, quod nullum malum regi vel regno *Angliæ* quæreret. Et ſtatim pro filio ſuo rege ut in *Normanniam* ad eum veniret, nuncios deſtinavit Quo adveniente, ipſemet protinus circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula naves aſcendit, & in nonas Auguſti in *Angliam* applicuit. Et ſimili modo ſicut eciam in *Normannia* præceperat, ita in *Anglia* per commune edictum præcepit, quod nullus abſque ſecuritate prius data, quod dampnum regi vel regno non quæreret, in *Normanniam* tranſfretaret. Præcepit eciam *quod ſi quis in* Angliam *applicuiſſet literas ſummi pontificis vel aliquod gravamen portans, tanquam hoſtis publicus caperetur.*

EOdem anno *Hibernia* quæ nunquam prius externæ ſubjacuit ditioni, aut raro vel tepide bello pulſata, ſequenti modo ſubdita eſt regis *Angliæ* poteſtati. Cum enim conſuetudo eſſet reges habere plurimos, qui multociens diſceptantes in cædem mutuam proruperunt, contigit quendam regum terræ illius à finitimis regibus nimio impetu coartari. Conſilio ergo ſuper hoc habito, & miſſo feſtinanter in *Angliam* filio ſuo, viros militares accerſivit: Quos ſpe lucri profuſioris illectos ad eum in *Hibernia* venientes, & ſuccurſum ſibi præbentes, abire non permiſit, ſed tanta eos largitate dotavit, ut obliti populum ſuum & domos patrum ſuorum ibidem perpetuam habitationem elegerint. Cum autem cito poſt contra eundem regem ferociſſimi totius *Hiberniæ* populi indignari & tumultuari inciperent, eo quod gentem *Anglicanam Hiberniæ* immiſiſſet, illi *Angli* paucitati ſuæ metuentes, accitis ex *Anglia* viris inopia laborantibus & lucri cupidis, vires paulatim auxerunt. Et quia nondum proprium Principem nec pro voto paſtorem habebant, accerſerunt ex *Anglia* præficiendum ſibi Comitem *Ricardum*, virum præpotentem, nobilem & famoſum: qui cum eſſet magnanimus & ſupra vires in expenſis profuſus ampliſſimiſque redditibus attenuatus & creditoribus obnoxius, facilius adquievit. Armatorum ergo juvenum copia ſibi coadunata, claſſem magnam tranſfretaturus parabat. Cumque eſſet ad id paratus, affuerunt qui ex parte regis *Henrici* paſſagium inhiberent. Ille vero majoris honoris cupidus, non adquievit, ſed navem cum junctis copiis mox aſcendens, vehementi impetu ſuper *Dublenenſem* irruit civitatem: Quæ fortiter celeriterque expugnata & capta, plurimos eciam longius poſitos metu ſuo territos in fœdus venire coegit. Inſiſtebat finitimis dominationem paulatim protendens, & locis oportunis munitiones conſtruens. Porro nationis barbaræ gratiam per affinitatem affectans, fœderati regis filiam in uxorem accepit, magna regni parte ſibi nomine dotis data. Cujus tam fauſti ſucceſſus cum regi *Angliæ* innotuiſſent, motus eſt rex, eo quod non ſolum rege inconſulto, ſed eciam ipſo inhibente rem tantam fuiſſet agreſſus, & ſibi tanquam præcellenti tantæ adquiſitionis gloriam aſcripſiſſet, mox juſſit fiſco omne ejus patrimonium applicari. Et ne ex *Anglia* ſubſidium aliquod haberet, commeatus navium penitus interdixit, fortioraque comminans, Comitem jam pene regnantem in ſuam gratiam redire compulit. Itaque extorſit ei famoſiſſimam *Dublenniæ* civitatem & cætera quæ in adquiſitione potiora videbantur, parte vero reliqua cum patrimonio ſuo *Anglico* juſſit eſſe contentum. Et ſic paulo poſt rex *Henricus* magno interim exercitu congregato cum feſtinatione verſus *Hiberniam* properavit; qui per *Walliam* tranſiens ad feſtum exaltationis ſanctæ Crucis cum exercitu ſuo ad Pembroc veniens, ibi per aliquot dies auram proſperam exſpectavit.

Appropinquante itaque feſto ſancti *Kalixti* papæ die ſabbati ſequentis ſero naves cum exercitu ſuo aſcendit, & in craſtino xvj. kal. Novembris cum CCCC. magnis navibus, viris bellicoſis, armis, equis, & victualibus onuſtis, circa horam diei nonam, cum magno gaudio in *Hibernia* applicuit, in loco qui dicitur *Croch*, qui à *Waterfordia* per octo miliaria diſtat, & ibi tota nocte remanſit. Mane autem facto, uſque *Waterfordiam* veniens, à *Willielmo* filio *Aldelmi* dapifero ſuo, & *Roberto* filio *Bernardi*, & quibuſdam aliis de familia ſua, quos ipſe ab *Anglia* præmiſerat, & ab *Hibernienſibus* cum eis ibidem exiſtentibus honorifice eſt ſuſceptus. Et tamdiu ibidem remanſit, donec reges & potentiores terræ illius ad eum tanquam ad dominum ſuum veniebant. Venerunt itaque ad eum rex *Corenſis*, rex de *Limeric*, rex de *Oſſeric*, rex de *Mida* & *Radenaldus* de *Waterfordia*, & omnes alii de *Hibernia* præter regem *Cognactæ*, & fidelitatibus de omnibus tenementis ſuis ei juratis, ſe ipſos ei & ejus dominio ſubicientes, illius homines devenerunt. Rex autem *Cognactæ* ad eum venire noluit, dicens, Se regem & dominum *Hiberniæ* eſſe debere. Quem rex *Angliæ* hiemali tempore propter aquarum inundantiam, & abrupta montium & terrarum ſolitudines quæ inter eos erant, nullo modo potuit debellare. Præterea venerunt ad eum ibidem omnes archiepiſcopi & epiſcopi *Hiberniæ*, & fidelitatibus ei contra omnes homines juratis, eum in regem eorum et in dominum ſuſceperunt. Et inde recepit ab unoquoque archiepiſcopo & epiſcopo literas cum ſigillis ſuis in modum Cartæ pendentibus, regnum *Hiberniæ* ſibi & hæredibus ſuis confirmantes, & teſtimonium perhibentes ipſos in *Hibernia* eum & hæredes ſuos ſibi in reges & dominos imperpetuum conſtituiſſe.

Sunt autem in *Hibernia* archiepiſcopi iiij. qui xxix. ſuffraganeos ſub ſe habent. Erat autem tunc temporis *Gelaſius Armacenſis* urbis archiepiſcopus totius *Hiberniæ* primas, habens ſub ſe viij. ſuffraganeos qui una ſecum fidelitatem regi juraverunt.

Quorum tituli ſunt hii, videlicet Lughdunenſis, Tarenſis, Tuenenſis, Chouderenſis, Rathpotenſis, Cevernenſis, Ardahachdenſis, & Duenerardenſis. Similiter *Donatus* Caſſelenſis archiepiſcopus fecit fidelitatem regi ibidem & ejus xj. ſuffraganei, videlicet Liſmorenſis, Corcenſis, Junelechenſis, Cluanenſis, Artinorenſis, Lupermacenſis, Kildarenſis, Waterfordenſis, Archiferconſis, Rocenſis, & Franabrenſis. Similiter *Laurencius* Dublenenſis archiepiſcopus juravit ei fidelitatem, & ejus 5. ſuffraganei, videlicet Biſtagnenſis, Fernenſis, Leglenſis, Kildarenſis, & Caripolenſis. Simiter *Catholicus* Tuamenſis archiepiſcopus juravit ei fidelitatem & ejus 5. ſuffraganei, videlicet Chienſenenſis, Kilatenſis, Maigonenſis, Aelfinenſis, & Courenſis.

Cum autem hæc facta fuiſſent, rex *Angliæ* miſit nuncios ſuos ad *Alexandrum* papam cum literis archiepiſcoporum & epiſcoporum *Hiberniæ*, ad regnum *Hiberniæ* ſibi & ſuis hæredibus confirmandum. Sicque factum eſt. Nam ſummus pontifex regnum illud ſibi & hæredibus ſuis auctoritate Apoſtolica confirmavit, & imperpetuum eos conſtituit inde reges. Præterea rex circa feſtum ſancti *Leonardi*, miſit *Nicholaum* capellanum ſuum & *Radulphum* archidiaconum de *Landaf* clericum ſuum, qui cum archiepiſcopis & epiſcopis *Hiberniæ* apud *Caſſelenſem* civitatem volente papa magnum concilium celebrarunt, ubi Primas *Armacanus* ob corporis invalitudinem tunc non affuit, qui vaccam candidam cujus lacte duntaxat fovebatur, ſecum ſemper circumduxit. In illo autem concilio ſtatuerunt, & auctoritate ſummi pontificis præceperunt, pueros in eccleſia baptizari, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & hoc à ſacerdotibus fieri præceperunt. Mos enim prius erat per diverſa loca *Hiberniæ*, quod ſtatim cum puer naſceretur, pater ipſius vel quilibet alius eum mergeret ter in aqua. Et ſi divitis filius eſſet ter in lacte mergeretur. Poſtea vero aquam illam vel lac in cloacis ſuis, vel aliis locis inmundis proicere ſolebant. Præceperunt eciam in illo concilio, decimas dari viris eccleſiaſticis de omnibus illis quæ poſſidebant: plurimi namque illorum nunquam decimaverunt, nec ſciebant ſi decimæ dari deberent. Præterea præceperunt ut laici qui uxores habere vellent eas ſibi jure eccleſiaſtico copularent; plerique enim illorum quot uxores volebant tot habebant, & eciam cognatas ſuas & germanas habere ſolebant uxores. Officium eciam eccleſiaſticum rite modulandum ſtatuerunt. Ibi eciam tunc ſtatutum eſt, ut morientes in præſencia vicinorum teſtium condant teſtamenta, & bona ſua mobilia ſi uxores & liberos habeant, deducto ære alieno & ſtipendiis ſervientum, in tres partes dividantur, quarum una liberis, alia uxori, tercia ſibi & exequiis deſignetur. Si vero liberis aut uxore careat, bona in duas partes dividantur.

Erat *Hibernia* ab olim *Britanniæ* concorporata, quam duce *Giraldo* in ſua topographia ad unguem plenius deſcribente eam profuſioribus laudibus congruit illuſtrare. Ad cujus noticiam liquidius conſequendam viam aperiunt tituli ſubſequentes. Dicetur,

De ſitu terræ locali.
De ejus quanto & quali.
In quibus terra ſufficit.
In quibus rebus deficit.
De incolis prioribus.
De incolarum moribus.
De locorum prodigiis.
De ſanctorum præconiis.

De ſitu terræ locali.

Hibernia omnium inſularum noviſſima, ſic dicta eſt ab *Hibero Hiſpanico* fratre ſcilicet *Hermonii*, qui duo ſimul juncti eam conquiſerunt; vel dicta eſt ab *Hibero* flumine *Hiſpaniæ* occidentali. Dicta eſt eciam aliquando *Scotia* à *Scotis* eam inhabitantibus priuſquam ad aliam *Scotiam Britannicam* devenerunt; unde in Martirologio legitur, *Tali die apud Scotiam natalis ſanctæ Brigidæ*: quod eſt, apud *Hiberniam*. Hæc terra ab euro auſtro habet *Hiſpaniam* trium dierum navigatione collateralem. Ab oriente habet *Britanniam* majorem unius diei velificatione diſtantem. Ab occaſu oceanum infinitum. A ſeptentrione *Iſlandiam* trium dierum velifico curſu diſtantem. *Solinus*. Sed & mare quod inter hanc & *Britanniam* interluit, undoſum & inquietum eſt toto anno, & niſi paucis diebus vix enavigabile, in centum xx. mil. paſſuum latitudinis expanſum.

De ejus quanto & quali.

Hibernia inſula poſt *Britanniam* maxima in Boream extenſa à *Brendanicis* ſcilicet montibus uſque ad *Columbinam* inſulam, continet octo dierum diætas, quarum quælibet xl. mil. exiſtit. Et à *Dublennia* uſque ad *Patricii* colles *Conaccinicumque* mare in latum iiij. dierum excurſum tenet, quæ in ſui medio ſtrictior eſt quam circa capita, ſed econtra eſt de *Britannia*. Et ſicut *Hibernia* brevior eſt ad Boream quam *Britannia*, ita productior eſt ad Auſtrum. Terra quidem eſt inæqualis, montuoſa, pluvioſa, ventuoſa, mollis, & ſilveſtris; per latera maritima valde demiſſa, introrſus montana & ſabuloſa. *Solinus*, ita pabuloſa, ut pecora ibidem, niſi à paſcuis interdum arceantur, ad periculum agit ſacietas. *Giraldus*, indigenarum ſanitas continua, advenarum quoque propter humiditatem nutrimentorum fluxus ventris periculoſus eſt. Carnes ibi vaccinæ ſalubres, porcinæ nocentes. Incolæ enim nulla febris ſpecie vexantur excepta acuta & hoc perraro. Omnes igitur orientales pompas in lignis, herbis, gemmis, veſtibus, hujus terræ ſalubritas & veneni carencia compenſant. Et videtur hæc ſalubritas cauſari ex eo quod modicus eſt ibi exceſſus in frigore aut calore.

In quibus rebus ſufficit.

Terra hæc magis vaccis quam bobus, paſcuis quam frugibus, gramine quam grano fœcunda eſt. Habundat tamen ſalmonibus, murænis, anguillis, & cæteris marinis piſcibus. Aquilis quoque, gruibus, pavonibus, coturnicibus, niſo, falcone & ancipitre generoſo. Lupos quoque habet & mures nocentiſſimos; ſed & araneas ſanguiſugas & lacertas habet innocuas; muſtelas quoque parvi corporis ſed valde animoſas poſſidet. Habet & aves quas *Barnaçes* vocant aucis ſilveſtribus ſimiles, quas de lignis abietinis quaſi contra naturam natura producit,

cit, quibus viri religioſi tempore jejuniorum veſcuntur, eo quod de coitu vel de carne minime procreantur. Sed huic repugnare videtur quod ſi quis de femore primi parentis comediſſet, carnem utique comediſſet quamvis de carne minime propagatam. Et ſicut illa caro ex limo, ita iſta caro ex ligno æque mirabilis. Habundat eciam hæc terra lacte, melle, vinis, non vineis. Et quamvis *Beda* dicat terram illam vineis expertem, & *Solinus* ac *Yſidorus* apibus eam carere aſſerant, circumſpectius tamen è diverſo ſcripſiſſent ſi eam vineis carere & apum expertem non fuiſſe dixiſſent. Item *Beda* dicit capreorum venatu inſulam fore inſignem, cum tamen conſtet eam ſemper capreis caruiſſe. Nec mirum, cum *Beda* nichil de hac inſula oculata fide cognoverit ſed per latorem audierit. Ibi quoque gignitur lapis ſaxogonus, ſcilicet Iris, qui ſoli appoſitus format in aere cœleſtem arcum. Ibi quoque invenitur lapis Gagates & Margarita candida.

In quibus rebus deficit.

TRitici grana ſunt ibi vix manu purgabilia, & omnium animantium corpora ibi quam alibi minora exceptis hominibus reperiuntur. Deſunt hic pene omnes piſces qui ex aquis dulcibus non marinis ſementinam trahunt originem. Deſunt eciam degeneres falcones, quos laniarios vocant. Deſunt & girofalcones, perdices, faſiani, picæ & philomelæ. Carent quoque capreis & damis, hirciis putaciis, & talpis, & cæteris venenoſis; unde fingunt aliqui ſatis favorabiliter ſanctum *Patricium* cunctis peſtiferis animantibus inſulam purgaſſe. Sed probabilius eſt, inſulam ab initio hujuſmodi nocuis caruiſſe, quoniam eciam venenoſa aliunde allata ſtatim moriuntur. Ibidem & toxicum aliunde advectum ultra medios fluctus verſus *Hiberniam* vim ſuæ malignitatis amittit, & eciam pulvis terræ illius aliunde aſperſus venenoſos vermes fugat, adeo ut corium hujus terræ vermi circumdatum aut ipſum occidit, aut terram penetrare cogit. In hac terra galli cantant in ipſo noctis crepuſculo; & quantum alibi à tercia tantum hic à prima galli voce dies diſtare dinoſcitur.

De incolis prioribus.

REfert *Giraldus* quod hæc inſula inhabitabatur primo à *Caſera* nepte *Noe* diluvium timente, & ad hanc inſulam cum tribus viris & quinquaginta mulieribus proximo anno ante diluvium applicante. Secundo à *Bartholano Sere* filio cum tribus filiis de ſtirpe *Japhet* filii *Noe* deſcendentibus CCC^{mo}. poſt diluvium anno caſu vel induſtria hic applicantibus, qui uſque ad ix. milia virorum excreſcentes ex corruptione cadaverum gigantorum quos oppreſſerant omnes mortui ſunt, excepto ſolo *Ruano*, qui per mille quingentos annos uſque ad tempora ſancti *Patricii* perdurans, cuncta geſta illius gentis ſancto viro replicabat. Tercio, *Nimeth* ſive *Nimedus* cum quatuor filiis ſuis de *Sithia* veniens per CCxvj. annos terram incoluit; & tandem ejus ſobole per varia infortunia bellorum & mortalitatum detrita, ducentis itidem annis vacua terra manſit. Quarto vero quinque duces germani fratres, ſcilicet *Gaudius*, *Genandius*, *Sagandius*, *Rutheragus*, & *Slavius* de poſteris *Nimedi* prædicti de Græcia venientes, terram occupaverunt, & eam in quinque partes diviſerunt, quarum quælibet pars continebat xxxij. cantredos. Eſt autem cantredus portio centum villarum, poſueruntque lapidem in media terra quaſi in medio umbelico velut quinque regnorum principium. Tandem *Slavius* factus eſt monarcha totius terræ. Quinto, debilitata multum per xxx. annos natione iſta advenerunt de *Hiſpaniæ* partibus in lx. navium claſſe quatuor nobiles *Milleſii* regis filii cum pluribus aliis, de quibus duo denominatiſſimi fratres *Heberus* & *Hermon* regnum inter ſe diviſerunt. Sed procedente tempore rupto fœdere fraterno *Heberoque* occiſo *Hermoni* ceſſit monarchia, à cujus tempore uſque adventum *Patricii* primi Cxxxj. reges de eadem gente fuerunt. Et ſic ab adventu *Hibernienſium* uſque ad obitum *Patricii* primi ſunt anni M. DCCC.

Ab iſto *Hibero* dicti ſunt *Hibernici*, vel ſecundum alios ab *Hebero Hiſpaniæ* fluvio. Dicti ſunt etiam *Gaitheli* & *Scoti* à quodam *Gaithelo Phemi* nepote, qui poſt linguarum confuſionem apud *Nemproticam* turrim in varis linguis peritus duxit *Scotam* filiam *Pharaonis*, ex quibus ducibus *Hibernienſes* deſcenderunt. Iſte eciam *Gaithelus*, ut aiunt, *Hibernicam* linguam compoſuit, quæ & *Gaithelaf* dicitur, quaſi ex omnibus linguis collecta. Tandem *Gurguncius Belini* regis *Britanniæ* filius de *Dacia* rediens, apud *Orcades* inſulas quoſdam *Baſclenſes* de *Hiſpaniæ* partibus advectos invenit, quos locum habitationis petentes, rex *Gurguncius* ad *Hiberniam* tunc vacuam tranſmiſit, & illis ex ſuis duces aliquos aſſignavit. Ex quo videtur quod jure antiquo *Hibernia* debeat ad *Britanniam* pertinere. Ab adventu autem ſancti *Patricii* primi uſque ad *Fedlimidii* regis tempora xxxiij. reges per quadringentos annos in *Hibernia* regnaverunt. In hujus autem *Fedlimidii* diebus, *Norwagenſes* duce *Turgeſio* terram hanc occupaverunt, factiſque quampluribus per loca foſſatis profundis caſtella ſimplicia, duplicia tripliciaque murata adhuc integra tamen vacua erexerunt, ſed *Hibernicus* populus caſtella non curat, nam ſilvis pro caſtris utitur, & paludibus pro foſſatis. Tandem *Turgeſius* dolo puellarum deluſus interiit.

Et quia *Anglorum* populus clamat *Gurmundum Hiberniam* ſubjugaſſe & illa foſſata feciſſe, de *Turgeſio* nichil memorans, *Hibernienſes* vero *Turgeſium* prædicant. *Gurmundum* autem prorſus ignorant, ideo ſciendum eſt *Gurmundum* in *Britanniæ* regno quod ſibi ſubjugaverat extitiſſe, & à *Britannia Turgeſium* iſtum cum electa juventute ad *Hiberniam* expugnandam tranſmiſiſſe. Qui quidem *Turgeſius* quia hujus expeditionis tribunus & rector extiterat, idcirco illum gens *Hiberniæ* quem vidit & novit famoſe prædicat. *Gurmundo* tandem in *Galliarum* partibus interfecto, *Turgeſius* in *Hibernia* filiam regis *Medenſis* adamavit, quam pater ſuus cum xv. puellis tranſmittere *Turgeſio* promiſit; quibus apud ſtagnum *Lachermum* cum totidem nobilioribus gentis ſuæ *Turgeſius* occurrere ſpopondit. Quod dum faceret, à xv. juvenibus inberbibus ſub habitu puellari ſicas ferentibus doloſe occiditur poſtquam xxx. annis in inſula imperaverat. Non multo poſt de *Norwegiæ* partibus quaſi ſub pacis obtentu & mercationis exercendæ prætextu tres fratres, *Amelanus*, *Siracus*, & *Ivorus*, cum ſua ſequela ad hanc inſulam venerunt, &

de conſenſu *Hibernienſium* otio deditorum maritima loca occupantes, tres civitates *Dubleniam*, *Waterffordiam*, & *Limericum* conſtruxerunt. Qui tandem numero ſuccreſcentes contra indigenas frequenter rebellarunt, & uſum ſecurium qui Anglice **Sparth** dicitur, ad terram *Hibernia* comportarunt. Igitur à tempore *Turgeſii* uſque ad ultimum monarcham *Rothericum* regem *Conaccia*, xvij. reges in *Hibernia* fuerunt. Et ſic in univerſo à primo *Hermone* uſque ad ultimum *Rothericum*, quem iſte rex *Anglia Henricus* ſecundus filius *Matildis* imperatricis anno ætatis ſuæ xl. regni vero ſui xvij. & ab incarnatione Domini M. Clxxij. rexerunt *Hiberniam* C.lxxxj. reges, non coronati, non uncti, non hæreditario jure, ſed vi & armis ſuccedentes.

De incolis.

Refert *Solinus* quod gens hujus terræ ſit barbara, inhoſpita, bellicoſa, faſque nephaſque pro eodem ducens; Gens habitu ſingularis, & inculta, victu parca, animo ſæva, affatu aſpera, ſanguine interemptorum prius hauſto vultus ſuos oblinunt, carnibus & fructibus pro eſu, lacte pro potu eſt contenta. Gens quidem ludis, otio & venationi plus dedita eſt quam labori. *Giraldus* in topographia ſua. Gens iſta poſt ortum ſuum dure nutritur, moribus & veſtibus inculta, laneis tam braccis quam caligis, capiciis quoque ſtrictis trans humeros deorſum cubito tenus protenſis & vice palliorum falangis nigris utitur. Item non ſellis, non ocreis, non calcaribus equitando utuntur, virgam in ſuperiori parte cameratam ad concitandum equos manu ferunt; Frænis chami vice fungentibus & pabula nequaquam impedientibus utuntur. Inermes corpore pugnant, attamen jaculis binis, lanceis & ſecuribus amplis una tantum manu confligunt. Lapides pugillares cum alia defecerint in promptu habent. Gens itaque agriculturam ſpernens, paſcuis tantum utens, barbis & comis à poſteriori parte capitis luxurians, non lino, non lanificio, non aliquo mercationis genere, nec ulla mechanicarum artium ſpecie vitam producunt, ſed otio dediti delitias reputant labore carere, divitias reputant libertate gaudere. Et cum *Scotia* hujus terræ filia utatur lira, timpano, & choro; ac *Wallia* cithara, tubis & choro, *Hibernici* tamen in duobus muſici generis inſtrumentis, quamvis præcipitem & velocem, ſuavem tamen & jocundam criſpatis modulis & intricatis notulis efficiunt armoniam. A bemolli incipiunt & ſub obtuſo groſſioris cordæ ſonitu latenter ludentes in idem redeunt, ut pars artis maxima videatur artem velare, tanquam

Si lateat proſit, ferat ars deprehenſa pudorem.

Gens eciam iſta ſpurciſſima nondum ſolvunt decimas, nondum matrimonia rite contrahunt, non inceſtus vitant, ſed fratres fratrum uxores ducunt. Proditionibus inſiſtunt; Securim i. **Sparthe** in manu quaſi pro baculo bajulant, qua ſibi confidentes præocupant. Gens iſta verſipellis & inconſtans, varia & verſuta, cujus mores ſunt, quod nec in bello fortes, nec in pace fideles inveniuntur. Cum illo quem doloſe opprimere volunt primo compaternitatis & conſecratæ fraternitatis fœdera jungunt, in qua alter alterius ſanguinem ſponte fuſum bibunt. Alumpnos & collectaneos aliquantulum diligunt, fratres & cognatos perſecuntur, vivos decipiunt, mortuos ulciſcuntur. Inter quos adeo in naturam converti prævaluit pravæ conſuetudinis longus abuſus, quod adeo à convictu mores formantur, ut eciam hoc vicio proditionis alienigenæ huc advecti fere inevitabiliter involvantur. In hac gente quamplures viri ſedendo, mulieres ſtando urinam emittunt. Multi ſunt in hac terra deformes, naturæ beneficio in membris deſtituti, ita ut ſicut qui hic bene formantur nuſquam melius, ita qui male nuſquam pejus. Et recte quidem ut de gente inceſta nequiter copulata, natura nequiter deformante, tales natura læſa contra legem naturæ producat. In hac terra & in *Wallia* vetulas quaſdam in leporinam formam ſe transmutare, ubera vaccina ſugendo alienum lac ſurripere, leporarioſque magnatum curſu fatigare, vetus quidem & adhuc frequens querela eſt. Quidam eciam magicis artibus pingues porcos ſed rubeos duntaxat ex aliqua præjacente materia producentes in nundinis vendunt, ſed hii ſtatim ut aliquam aquam tranſeunt in propriam naturam redeunt; ſed & hii quacumque induſtria ſerventur, ultra triduum non perdurant. Inter hæc & hujuſmodi eſt advertendum quod mundi extremitates novis ſemper quibuſdam prodigiis pollent, acſi natura licentius ludat in privato & remoto quam in propatulo & propinquo, unde & in hac inſula plurima ſunt mira & ſtupenda.

De locorum prodigiis.

Affirmatum eſt à multis quod in boriali parte *Hibernia* ſit inſula viventium, in qua terra nemo mori poteſt, ſed cum diutino detenti fuerint languore, ad inſulam proximam deportantur. Eſt & alia inſula in qua mulieres parere non poſſunt, tamen concipere poſſunt. Eſt & alia inſula in qua mortuorum corpora putreſcere non poſſunt. Eſt & lacus in *Ultonia* inſulam continens bipartitam, cujus una pars viſitationibus angelorum aſſueta, altera dæmonum excurſibus expoſita, in qua eſt Purgatorium *Patricii* quod precibus optinere meruit ad confirmationem dicti ſui dum populo incredulo de pœnis reproborum & ſanctorum gaudiis prædicaret, cujus loci, ut aſſerunt, ſi quis tormenta ex injuncta pœnitentia ſuſtinuerit, infernales pœnas niſi finaliter fuerit inpœnitens non ſubibit. Circa iſtud purgatorium *Patricii* eſt notandum, quod ſanctus *Patricius* ſecundus qui fuit abbas & non epiſcopus, dum in *Hibernia* prædicaret, ſtuduit animos hominum illorum beſtiales terrore tormentorum infernalium à malo revocare, & gaudiorum paradiſi promiſſione ad bonum confirmare: illi autem dixerunt ſe nolle converti, niſi aliquis illorum tormenta illa & gaudia poſſet in hac vita aliqualiter experiri. Quamobrem *Patricio* ſuper hoc oranti apparuit Jheſus Chriſtus dans ſibi textum evangelii & baculum unum, quæ adhuc manent in patria illa apud ſummum archiepiſcopum. Eduxit ergo Dominus *Patricium* in deſertum locum, ubi unam foſſam rotundam intrinſecus obſcuram ei oſtendit, dicens, Quod ſi veraciter quis pœnitens per diem & noctem in illa foſſa manſerit, & fide conſtans per illam tranſierit, videbit tormenta malorum & gaudia beatorum. Ad hæc Chriſto diſparente, *Patricius* eccleſiam ibidem conſtruxit, canonicos inſtituens regulares. Foſſam autem

tem illam quæ modo in cœmiterio eſt, ad orientalem eccleſiæ frontem muro circumcinxit, & januam obſeravit, ne quis temere ſine licentia epiſcopi, & loci Prioris ingrederetur. Multi quippe tempore illius *Patricii* ingreſſi ſunt & regreſſi, pœnas & gaudia quæ viderant narrantes; quæ ibidem literis demandantur; Qua occaſione multi tunc ad fidem convertebantur. Multi quoque intraverunt qui nuſquam redierunt.

Sed & diebus *Stephani* regis *Angliæ* quidam miles nomine *Owenus*, ut ſuperius tactum eſt, intravit, & rediens manſit in negociis *Ludenſis* domus ordinis *Ciſtercienſis*, quoad vixit, narrans quæ viderat. Locus autem vocatur *Purgatorium Patricii*, eccleſia vero *Reglis* vocatur. Nulli imponitur ut locum intret, ſed potius in principio ſibi diſſuadetur ingreſſus. Quod ſi omnino intrare voluerit, accedet primo ad epiſcopum loci, qui primo ingreſſum diſſuadet, ſed perſeveranti in tali propoſito, literas tradit ut loci Priorem adeat. Qui ſimiliter ingreſſum diſſuadet, hortando ut aliam pœnitentiam aſſumat. Quod ſi perſeveret, introducit eum in eccleſiam ut xv. diebus jejunando orationibus vacet. Poſt quos, hominem communione munitum, cum proceſſione & letania uſque ad hoſtium Purgatorii producit, ubi eciam ingreſſum iterum diſſuadet. Quod ſi perſeveret, hoſtium ei cum benedictione aperit, & poſt ingreſſum hoſtium conſignat uſque in diem alterum. Mane quo adveniente Prior ſi hominem ingreſſum repererit, cum proceſſione in eccleſiam deducit, ubi aliis xv. diebus jejuniis, & orationibus intendit.

Eſt & inſula in *Conactæ* ſalo à ſancto *Brendano* conſecrata muribus carens, ubi humana corpora nec humantur nec putreſcunt, ſed ſub divò ſervantur incorrupta. Eſt fons in *Mamonia* cujus aquis ſi quis abluitur, pro toto ſeu pro parte canus efficitur. Econtra eſt alius fons in *Ultonia* quo intinctus ulterius non caneſcit. Eſt eciam fons in *Mamonia* qui ſi tactus ab homine fuerit, ſtatim tota provincia pluviis inundat, quæ non ceſſabunt, donec ſacerdos virgo à nativitate miſſa in vicina capella celebrata aquæ benedictione, & lactis vaccæ unius coloris aſperſione barbaro ſatis ritu fontem reconciliaverit. Apud *Glindelacan* circa oratorium ſancti *Keywini* ſalices more pomœrii poma proferunt magis ſalubria quam ſapida, quæ ſanctus ille ad ſalutem pueri ſui produxit. Eſt lacus in *Ultonia* ſatis piſcoſa xxx. mil. paſſuum in longitudine & xv. in latitudine habens, ex quo fluvius *Banna* uſque in Oceanum borialem ſe diffundit; cui lacui talis ut aſſerunt caſus initium dedit. Celebre fuit aliquando apud loci illius incolas vicio coeundi cum beſtiis conſuetiſſimos, quod quam cito fons quidam terræ illius ex priſca reverentia ſemper tectus, relinqueretur diſcoopertus, tanta ſtatim fons inundatione exuberaret, quod totam provinciam ſubmergeret, unde contigit mulierem quandam hauriendi cauſa ad fontem acceſſiſſe, qua necdum fonte ſignato ad parvulum vagientem properante, fons ita ebullivit ut & mulierem cum parvulo mergeret, & totam provinciam ſtagnum faceret; hujus rei argumentum eſt quod piſcatores aquæ illius turres eccleſiaſticas more patriæ illius altas & rotundas ſub undis ſereno tempore adhuc conſpiciunt.

Apud auſtralem *Hiberniæ* partem in regione *Oſirienſi* quolibet ſeptennio, per impetrationem cujuſdam ſancti Abbatis duo conjuges, mas & femina, à finibus illis, & à formis propriis exulare coguntur: nam formam lupinam induentes, completo ſeptennio, ſi forte ſuperſtites fuerint, aliis duobus loco eorum ſimili conditione ſubrogatis, ad priſtinam redeunt tam patriam quam naturam. Eſt lacus in hac terra, quo ſi per aliquod ſpacium palus ligneus infigatur, pars ſolo inhærens fit ferrea, quæ in aqua eſt fit lapidea; ſed quæ ſupra aquam lignea manet. Eſt eciam ibidem lacus in quem ſi virgam de corulo injeceris, convertitur in fraxinum, & econtra. Item in *Hibernia* ſunt tres ſalmonum ſaltus, quibus ab imis ad ſumma contra rupem, ad altitudinem unius haſtæ transferunt ſe ſalmones. Item in *Lagenia* eſt unum ſtagnum, ubi ſunt aves ſancti *Colemanni*, ſcilicet cercellæ manibus hominum aſſuetæ, quibus ſi injuria fiat, aves non redeunt. Et aquæ ibidem amareſcunt & fœtent, & injuriator non evadet vindictam niſi condigne ſatisfaciat.

De Sanctorum præconiis.

NOtat hic *Giraldus Cambrenſis* quod ſicut iſtius nationis homines ſunt in hac vita præ aliis gentibus impatientes, & præcipites ad vindictam: ſic ſancti hujus terræ præ cæteris regionibus vindicis animi eſſe noſcuntur. Clerus hujus terræ caſtitate pollet, orationi vacat, ſed abſtinentiæ per diem artificialem indulget, noctem aſſidua potatione polluit. Ita ut pro miraculo dicatur, quod ubi vina dominantur Venus non regnet. Et ſicut inter eos mali ſunt peſſimi, ita boni quamvis pauci ſunt optimi. Prælati locorum in corripiendis exceſſibus ſunt deſides, contemplationi & otio non prædicationi vacantes, unde fit, ut omnes ſancti iſtius terræ ſunt Confeſſores & nullus Martyr; nec mirum, cum omnes pene hujus terræ prælati de monaſteriis in clerum electi, quæ monachi ſunt complent, quæ clerici ſunt vel prælati negligunt; unde cum ſemel *Caſſelienſi* epiſcopo objectum fuiſſet, quomodo tot ſancti poſſunt eſſe in illa terra ubi nullus Martyr, ex quo tam feroces ſunt ſubditi, & tam deſides prælati, reſpondit ille ſatis oblique. Verum eſt, inquit, quod gens noſtra ſatis ferox eſt ad ſeipſam, ſed nunquam tamen in Dei miniſtros manum mittere volunt, cum eos ſumme colant; verum modo venit in hanc terram gens Angligena, quæ martyres facere novit & conſuevit. Hoc autem dixerat epiſcopus ille, quia tunc temporis venerat rex *Henricus* ſecundus ad terram illam recenter poſt martyrizationem beati *Thomæ Cantuarienſis* archiepiſcopi. In hac eciam terra, ut ait *Giraldus*, ſicut in *Wallia* & *Scocia*, ſunt campanæ, baculi recurvi, & alia hujuſmodi pro reliquiis in magna veneratione habita, ita ut ſacramenta ſuper hæc longe magis, quam ſuper evangelia præſtare vereantur, inter quæ præcipuus videtur baculus *Iheſu* apud *Dublenniam*, per quem, ut aiunt, *Patricius* primus vermes ejecit. *Auguſtinus* de civitate Dei libro xvj. capitulo vij. ſi quæratur quomodo varia genera animalium quæ ex commixtione procreantur, eciam poſt diluvium in inſulis eſſe potuerunt, creditur, aut ad inſulas ea tranſiſſe natando, ſed tunc ad proximas, aut per homines navigantes ſtudio venandi eſſe adducta, aut Dei juſſu & opere angelorum allata, aut ex terra exorta ſecundum primam originem, quando Deus dixerat, *Producat terra animam viventem.*

INterea dum dicti archiepiſcopi, & epiſcopi *Hibernia* cum regiis clericis ſupradictum concilium apud *Caſſelenſem* civitatem celebrarunt, rex circa feſtum ſancti Martini uſque *Dublenniam* interea venit, & ibi juxta eccleſiam ſancti *Andrea* Apoſtoli fecit regium palacium ad opus ſuum conſtrui extra *Dublennia* civitatem; Quod reges & ditiores terræ ad opus ejus de virgis mirifice ad modum illius patriæ conſtruxerunt, in quo ipſe cum regibus & ditioribus *Hibernia*, in natale Domini regale tenuit feſtum ſuum.

An. Dñi 1172. Anno itaque Domini M.Clxxij. *Henricus* rex *Anglia* filius *Matildis* Imperatricis curiam ſuam in die nativitatis Dominicæ, & uſque ad Purificationem beatæ *Maria* apud *Dublenniam* in *Hibernia* celebravit. Et inde poſtea recedens uſque *Weſefordiam* in capite jejunii venit, inde vero circa mediam quadrageſimam Capellanos, Seneſcallos, & Conſtabularios ſuos uſque *Waterfordiam*, ad transfretandum ibi in *Angliam* præmiſit, quia multitudo navium quæ de *Anglia* venerat ibi erat. De quibus tribus navibus ad opus regis tantum retentis, ipſe apud *Weſefordiam* auram proſperam exſpectabat, volens inde in *Angliam* navigare, quia prædicti Cardinales à domino papa miſſi, cum nunciis regis in *Normanniam* jam venerant, & ibi adventum ipſius exſpectabant, & ideo multo magis verſus eos feſtinabat. Et niſi eorum adventus eum impediſſet, in proximo ſequenti æſtate regem *Conacta* ſibi ſubjicere propoſuit. Et facile eum debellaſſet, niſi iter ſuum feſtinum verſus *Normanniam* pro dictis Cardinalibus ipſum impediſſet. Interea rex civitatem *Dublennia* in cuſtodia tradidit, præcipiens caſtrum in ea firmari. Et civitatibus *Waterfordia*, & *Weſefordia Roberto* filio *Bernardi* in cuſtodia traditis, præcepit rex in eis, & per alia loca caſtella firmari. Adveniente itaque ſolempnitate paſchali familia regis quæ apud *Waterfordiam* miſſa fuerat, ipſa die paſchali ſummo mane apud *Croch* juxta *Waterfordiam* navibus aſcendens, circa horam ejuſdem diei nonam in *Wallia* apud *Millefordiam* juxta **Penbroc** applicuit, rege propter ſolempnitatem paſchalem illa die pelagus non intrante.

Qui craſtina die mare intrans, apud ſanctum *David* in *Wallia* applicuit: Et quam citius potuit per *Walliam* tranſiens, dominica in Albis viij. die paſchæ fuit apud caſtrum de **Kaerdiff**, ubi inter alias revelationes quæ de vita ſua potiſſime corrigenda fieri cœperunt, dum rex poſt Miſſam auditam ad equum ſuum accederet, aſtitit ei vir quidam flavus, tonſura rotunda, macer & procerus, tunica alba veſtitus, nudiſque pedibus, qui regem *Teutonica* lingua ſic affatur, » **Gode olde kinge**. Deinde ſic proſequitur, » Salutat te Chriſtus, & pia mater ejus, » *Johannes Baptiſta* & *Petrus*, mandantes firmiter, ne per terras ditionis tuæ fiant mercatus, aut » opera ſervilia dominicis diebus, exceptis hiis quæ » ad uſum ciborum pertinent. Quod ſi obſervaveris, quicquid inceperis feliciter complebis. Rex autem dixit *Gallice* illi militi qui ſuum frænum tenebat, Inquire à ruſtico iſto an hæc ſompniaverit. Ac dum hoc Anglice exponeret, ſubjecit ille lingua priori. » Sive hoc ſompniaverim ſive non, vide quis » dies ſit hodie, quia niſi hoc feceris & vitam tuam » correxeris, tales infra præſentem annum rumores » audies, quod uſque ad exitum tuum inde dolebis. Hiis dictis, vir ille diſparuit. Multæ quoque aliæ præmunitiones regi fiebant, ſed & omnia ille parvi pendebat. Unde infra annum contigit quod tres filii ſui, *Henricus* novus rex, *Ricardus* & *Galfridus*, ad regem *Francie* contra patrem proprium diverterunt. Rex *Scocie*, Comes *Ceſtria*, & Comes *Leiceſtria* contra regem eciam ſurrexerunt. Secundo namque præmunivit eum quidam *Hibernicus* cum adjectione ſignorum ſecretiſſimorum. Rex vero de **Kaerdif** quam citius potuit ad naves, quæ eum apud **Porteſmuth** exſpectaverant, properavit, & *Henricum* filium ſuum novum regem ſecum ducens, circa Aſcenſionem Domini apud *Barbeſflectum* in *Normannia* applicuit.

Mari vero tranſito, quidam miles de *Lindeſeia Philippus* de *Eſtrebi* tercio expoſuit regi in *Normannia* vij. articulos quos emendaret: Quod ſi faceret, honorifice per ſeptennium regnaret, & crucem Chriſti de ejus hoſtibus eriperet, alioquin in quarto ignominioſe obiret. Tres primi fuerunt obſervare ea quæ in coronatione ſua juravit, videlicet de eccleſia tuenda, de juſtis legibus ſtatuendis, & ne aliquem ſine judicio dampnaret. Quartus fuit de ablatis hæreditatibus reſtituendis. Quintus de juſtitia facienda ſine pretio. Sextus de ſtipendiis miniſtrorum reddendis. Septimus de *Judais* expellendis parte pecuniæ eorum ad exeundum eis relicta. Rex vero de iſtis nihil curans, de conſilio prædictorum Cardinalium apud *Cadomum* inventorum ſtatim cum rege *Francia* de coronatione filiæ ſuæ ſe adunavit. Et poſtea mox aſſenſu, & conſilio dictorum Cardinalium *Henricum* filium ſuum, cum *Margareta* filia regis *Francia* ſponſa ſua, & cum eis *Rotrodum Rothomagenſem* archiepiſcopum, *Egidium Ebroicenſem* & *Rogerum Wigornenſem* epiſcopos in *Anglia* deſtinavit. Quibus circa feſtum ſancti *Bartholomei* apud **Southampton** applicatis, dominica proxima ſequente, *Rotrodus Rothomagenſis* archiepiſcopus *Henricum* regem juniorem in eccleſia ſancti *Swithuni* apud *Wintoniam* iterum coronavit, & eadem die dictam *Margaretam* uxorem ſuam unxit in reginam, & eam cum marito ſuo coronavit, *Ebroicenſi* & *Wigornenſi* epiſcopis in illo officio miniſtrantibus. Hæc eſt ſecunda coronatio *Henrici* junioris regis & *Margareta* uxoris ſuæ prima.

Item rege *Henrico* patre moram in *Britannia* faciente, prædicti Cardinales per Abbathias *Normannia* adventum novi regis & uxoris ſuæ, & aliorum qui cum eis erant in *Anglia* exſpectabant; unde circa feſtum nativitatis beatæ *Maria* archiepiſcopus *Rothomagenſis* cum prænominatis epiſcopis in *Normanniam* transfretavit, juvene rege cum regina ſua per mandatum patris ſui in *Anglia* remanente. Interim rex pater de *Britannia* rediens, invenit dictos Cardinales apud *Abbrincam Normannia* civitatem. Et quinto kal. Octobris feſto ſanctorum *Coſma* & *Damiani* ſatisfactionem Deo & ſummo pontifici de morte beati *Thoma* martyris faciens, innocentiam ſuam coram prædictis Cardinalibus, & archiepiſcopo *Rothomagenſi*, & epiſcopis ac clero, & regni ſui populo purgavit. Juravit inſuper coram prænominatis viris eccleſiaſticis tactis ſacroſanctis evangeliis, quod nec præcepit nec voluit quod *Cantuarienſis* archiepiſcopus occideretur; ſed quando hoc audivit vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos habere non potuit, qui ſanctum *Thomam* occiderunt, & cauſa animi motus, & turbationis quam in eo viderant, timebat illos illud opus perpetraſſe, de ſatisfactione tale præſtitit ſacramentum. Juravit inprimis quod ab *Alexandro* papa, & ab catholicis ſucceſſoribus ejus non recederet, quamdiu ipſum ſicut regem, & Catholicum habuerint. Juravit eciam quod neque appellationes impediret, neque impedire faceret, quin libere fierent in regno ſuo ad papam in eccleſiaſticis cauſis; ſic tamen ſi ei ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant quod malum ſuum, vel regni non quærant. Juravit eciam quod ab inſtante nativitatis Domini, uſque in triennium Crucem Domini acciperet, in proxima æſtate ſequente, in propria perſona *Ieroſolymam* iturus, niſi remanſerit per *Alexandrum* papam, vel catholicos ejus ſucceſſores. Sed ſi interim urgente neceſſitate, in *Hiſpaniam* ſuper *Saracenos* profectus fuiſſet, quantum temporis in illo itinere conſummaret, tantum de ſpacio *Ieroſolomitanæ* profectionis poſſet prolongare. Præterea juravit, quod interim tantum pecuniæ daret Templariis, quantum ad arbitrium fratrum Templi poſſet ſufficere ad retinendum CC. milites, per ſpacium unius anni ad defenſionem Terræ ſanctæ. Præterea pardonavit iram, & malevolentiam ſuam omnibus tam clericis quam laicis, qui pro ſancto *Thoma* erant in exilio, & in pace conceſſit eis ad propria libere remeare. Juravit eciam quod poſſeſſiones *Cantuarienſis* eccleſiæ ſi quæ ablatæ eſſent in integra reſtitueret, ſicut habuit uno anno antequam prædictus archiepiſcopus ab *Anglia* egrederetur. Juravit eciam quod conſuetudines, quæ inductæ ſunt in tempore ſuo contra conſuetudines eccleſiaſticas terræ ſuæ penitus dimitteret. Et hæc omnia juravit ſe fore abſque malo ingenio obſervaturum. Fecit etiam poſtea *Henricum* filium ſuum majorem jurare, omnia capitula hæc tenenda præter illa quæ perſonam ejus propriam contingebant, & ut hoc in memoriam *Romana* eccleſia haberet, ipſe rex præcepit ſigillum ſuum, cum ſigillis dictorum Cardinalium, illi ſcripto apponi in quo dicta Capitula continebantur. In craſtino autem prædicti Cardinales, cum archiepiſcopis, epiſcopis, & clero *Normanniæ* magnum Concilium celebrarunt, in quo inter alia ſtatuerunt, ut pueri ad regimen eccleſiarum, & ad alia adminiſtranda in quibus cura eſt animarum, minime admittantur. Filii vero ſacerdotum in patrum ſuorum eccleſiis non ponantur. Laici partem oblationum in eccleſiis non percipiant. Hii qui decimas jure hæreditario tenent, licencia ſit cui voluerint ydoneo clerico illas dare, eo quidem tenore, ut poſt eum ad eccleſiam cui de jure competunt revertantur. Vir ad religionem non tranſeat uxore in ſeculo remanente, vel è converſo, niſi ambo vacandi operi carnis tempus præceſſerit. Clerici, & *Judæi* non ponantur ad juriſdictiones ſecularium poteſtatum adminiſtrandas; qui autem hoc præſumpſerit, ab eccleſiaſticis beneficiis abſtineat. De ix. libris excommunicatorum, & rebus morientium quas auferunt ſacerdotes, & de benedictionibus ſponſalium, & baptiſmo, & de xlviij. libris quæ propter abſolutionem excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum eſt, quia epiſcopi *Normanniæ* illud decretum recipere noluerunt. In eodem vero Concilio archiepiſcopus *Turonenſis* calumpniatus eſt archiepiſcopatum *Doli* ſuo debere archiepiſcopatui adjacere, affirmans ſedem archiepiſcopalem ibi eſſe non debere, ſed clerici de *Dolo* conſtanter contradicebant.

Circa feſtum omnium Sanctorum, *Henricus* novus rex *Angliæ*, cum regina ſua per mandatum regis patris ſui in *Normanniam* transfretavit, quos ſtatim ad loquendum cum rege *Franciæ* tranſmiſit. Qui cum ad regem *Franciæ* multum deſiderantem filiam ſuam videre veniſſent, eos cum magno recepit gaudio & honore, unde illis moram cum eo per dies aliquot trahentibus, magnum dampnum regnis *Franciæ* & *Angliæ* inde provenit. Nam *Ludowicus* rex *Franciæ*, qui regem *Angliæ* ſemper odio habebat, novo regi *Angliæ* genero ſuo conſuluit, quod ſtatim cum in *Normannia* veniret, à patre ſuo totam *Angliam*, vel totam *Normanniam*, ubi ipſe cum uxore ſua morari poſſet, ſibi donari exigeret. Et conſuluit, quod ſi pater ejus neutram illarum terrarum ei concedere vellet, ipſe cum uxore ſua regina ad eum in *Francia* rediret. Interim rex *Henricus* pater fraudem, & maliciam regis *Franciæ* quas ſæpe expertus fuerat timens, pro rege filio ſuo, & uxore ſua in *Franciam* deſtinavit. Ipſi autem accepta à rege *Franciæ* licentia ad mandatum regis patris ſui in *Normanniam* redierunt. Solempnitate igitur natalis Domini adveniente, rex pater verſus *Andegaviam*, ut ibi curiam ſuam in illo feſto teneret acceſſit, rege filio ſuo cum uxore ſua in *Normannia* dimiſſo.

An. Dñi 1173.

Adveniente anno ab incarnatione Domini MClxxiij. Rex *Henricus* pater in nativitate Domini curiam ſuam apud *Chonum* in *Andegavia* tenuit *Alianora* regina uxore ejus cum eo ibi pariter exiſtente. Solempnitate autem nativitatis Dominicæ ibi peracta, rex pater in *Normannia* pro filio ſuo miſit, qui ad eum veniens ante purificationem beatæ *Mariæ*, in *Alverniam* uſque ad montem *Ferrandum* cum eo ivit. Et illuc *Hubertus* Comes de *Mauriana* ad eum veniens, *Aalais* filiam ſuam majorem ſecum adduxit, quam rex pater pro quinque milibus marcis argenti, ad opus *Iohannis* filii ſui junioris, cum toto comitatu de *Mauriana* ſi prædictus Comes filium ex uxore ſua non habuerit comparavit: ſi vero legitimum ſuſciperet filium, dictus tamen Comes quædam caſtella, & terras per quoddam cirografum inter eos confectum eis conceſſit. Venerunt eciam illuc ad regem *Angliæ*, rex *Arragoniæ*, & *Raimundus* Comes de ſancto *Egidio*, qui erant adinvicem inimici, quos rex *Angliæ* uſque *Limoges* ſecum ducens, eos ibidem concordavit. Comes vero de ſancto *Egidio* devenit ibi homo regis *Angliæ* patris, & eciam homo novi regis filii ſui, & homo *Ricardi* filii ſui Comitis *Pictaviæ*, de *Tholoſa* tenenda de eis in feodo & hæreditate per ſervicium veniendi ad ſummonitionem regis, vel Comitis in guerra ſua, & ibi eſſe in ſervicio ſuo per xl. dies ad proprias expenſas. Et ſi rex vel Comes eum ulterius retinere voluerit, cum eis ad eorum expenſas per xl. alios dies erit. Præterea idem Comes de ſancto *Egidio* dabit eis inde per annum C. marcas argenti, vel x. dextrarios de precio, ita quod unuſquiſque ad minus valeat x. marcas. Hanc autem conventionem inter eos firmiter tenendam, dictus Comes de ſancto *Egidio* tactis ſacroſanctis evangeliis corporale præſtitit ſacramentum.

Hiis itaque peractis *Hubertus* Comes de *Mauriana* ſcire voluit apud *Limoges* quicquid, & quantum prædictus *Johannes* regis filius, cum filia ſua de terra patris ſui haberet. Unde rex pater voluit concedere, & dare eidem *Iohanni* filio ſuo caſtellum de *Chinun*, & caſtellum de *Loudun*, & caſtellum de *Mirabell* cum pertinentiis ſuis. Sed rex juvenis contradicens noluit hoc fratri ſuo concedere, neque à patre permiſit fieri ullo modo. Nam moleſte jam ferebat, quod pater ſuus aliquid ei terrarum ſuarum ubi ipſe cum uxore ſua morari poſſet noluit aſſignare. Unde execrabilis & fœda diſſentio inter ipſum patrem & filium ſuum facta eſt. Cum enim à quibuſdam Comitibus tam *Angliæ* quam *Normanniæ* patrem odientibus filio diceretur, quod ſolus regnare deberet, eo quod ipſo coronato regnum quaſi exſpiraſſet paternum, de conſilio regis *Franciæ* & dictorum Comitum *Angliam* vel *Normanniam* ſeu *Andegaviam* à patre ſuo petiit ſibi dari, indignans maxime expenſas regias ſibi parcius miniſtrari: unde ipſe ex eo tempore cauſam & oportunitatem ut à patre ſuo recederet quærebat, animum ſuum à voluntate patris jam ita declinans quod nichil pacifice potuit eo loqui.

Peractis itaque apud *Limoges* negociis regiis, rex quam citius potuit cum filio ſuo in *Normanniam* feſtinavit. Media autem quadrageſima appropinquante cum ad *Chinonem* veniſſent, rege patre nocte illa ibi remanente, filius ſuus rex juvenis licentia ab eo non accepta clam ulterius verſus regem *Franciæ* profugebat, ita quod in craſtino venit uſque *Alenzun*, & die ſequenti ad *Argetonium*. In nocte patre ipſum ſequente & apud *Alenzun* jacente, juvenis rex circa gallicantum cum privata familia ſua viij. idus Marcii ad regem *Franciæ* properavit. Qui ab eo grate ſuſceptus eſt, non tantum quod gener ſuus erat, ſed quia à genitore diſceſſerat. Pater vero converſione filii comperta, miſſis ad regem *Franciæ* viris pacificis filium paterno jure repoſcit, & ſi quid emendandum videretur pollicetur ejuſdem regis conſilium ſe facturum. Ad hæc rex *Franciæ*. Quis michi, inquit, talia mandat? Rex, inquiunt, *Anglorum*. Et ille, Falſum eſt, inquit, ecce adeſt rex *Anglorum*; ſi autem patrem hujus, olim regem *Anglorum* appellatis, ſcitote quod ille rex quaſi mortuus eſt. Porro quod adhuc pro rege ſe gerit cum regnum filio teſte reſignaverit mature emendabitur.

Interim rex *Angliæ* pater inſidias *Francorum* timens, caſtellis ſuis in confinio *Franciæ* exiſtentibus, de ejus mandato cuſtodibus, victualibus & foſſis cum feſtinatione munitis, *Giſorcium* uſque venit, & illud quam melius potuit munivit. Et inde per caſtra *Normanniæ* tranſiens, ſtatim per literas ſuas Caſtellanis ſuis *Angliæ*, *Aquitanniæ*, *Andegaviæ*, & *Britanniæ* eventum rei ſignificans, mandavit ut caſtris ſuis munitis ea bene & fideliter cuſtodirent. Hujus autem nephandæ diſcordiæ inceptores & principales maxime conſiliarii fuerunt, *Lodowicus* rex *Franciæ*, *Radulphus* de *Faia*, & ut à quibuſdam dicebatur ipſa *Elianora Angliæ* regina. Nam dictus *Henricus* juvenis rex hoſtis naturæ, non exemplo ſceleſtiſſimi *Abſolonis* territus, conſilio *Francorum* citius partes *Aquitaniæ* clam adivit; Cui prædicta regina mater ſua filios ſuos, *Ricardum* videlicet ducem *Aquitaniæ* & *Gaufridum* Comitem *Britanniæ* in cuſtodia ſua exiſtentes, ut cum eo contra patrem forent, deſtinavit. Tunc vero adimpletum eſt illud *Merlini* vaticinium, qui ait. *Evigilabunt rugientes catuli, & poſtpoſitis nemoribus infra mœnia civitatum venabuntur, ſtragem non minimam ex obſtantibus facient, & linguas taurorum abſcident, Colla rugientium onerabunt cathenis, & avita tempora renovabunt.* Hoc vaticinium *Merlinus* de filiis regis *Henrici* prædixit, rugientes catulos eos vocans, pro eo quod guerram movendo in patrem & dominum ſurrexerunt. Poſt diſceſſum vero juvenis regis, *Ricardus de Barre*, qui ſigillum ſuum portabat, ad regem patrem ejus rediens, ſigillum illud quod ei ad cuſtodiendum commiſerat, ſibi tradidit indilate; Qui illud recipiens, præcepit bene & firmiter cuſtodiri. Servientes eciam quos ille pater in domo regis filii ſui poſuerat, ad patrem ſimiliter redierunt, carectas ſecum & ſummarios cum herneſiis filii qui receſſerat adducentes. Sed rex pater illos ſecum retinere nolens, eos ad regem filium ſuum cum toto ſuo herneſio deſtinavit, & præterea per illos, equos, pannos & vaſa argentea illi miſit, præcipiens eis ut ſibi fideliter deſervirent.

Quibus ad eum venientibus, ſtatim eos, qui cum eo remanere volebant, fecit ſibi fidelitatem contra patrem ſuum jurare: Illos autem qui hoc facere nolebant, ſecum noluit retinere, ſed libere abire permiſit. Qui ad regem patrem redeuntes, cum eo dimiſſo filio remanſerunt. Interim *Ludowicus* rex *Franciæ*, ſatis humanum ſe erga juvenem regem & fratres ſuos & illos qui cum eis venerant exhibens, novum ſigillum effici ſibi fecit, per quod ille juvenis rex ſubſcriptas donationes confirmavit. Nam rex *Franciæ* convocatis Comite *Roberto* fratre ſuo, *Philippo* Comite Flandriæ, *Mathæo* fratre ejuſdem, Comite Boloniæ, *Henrico* Comite de Troys, *Theobaldo* Comite Bleſenſi, & Comite *Stephano* una cum cæteris Comitibus, Baronibus & omnibus archiepiſcopis & epiſcopis, clero & populo regni *Franciæ*, magnum apud *Pariſius* Concilium celebravit. In quo ipſemet tactis ſacroſanctis evangeliis juravit, quod juvenem regem & fratres ſuos ſecundum poſſe ſuum juvaret ad guerram contra illorum patrem manutenendam & regnum *Angliæ* perquirendum; Et fecit prædictos Comites & Barones *Franciæ* jurare illud idem ſimiliter ſacramentum: ſecuritate tamen & ſacramentis à juvene rege & fratribus ſuis prius acceptis, quod à rege *Franciæ* non recederent, nec pacem aliquam cum patre facerent, niſi per ipſum & Comites *Franciæ* & Barones. In eodem Concilio juvenis rex à *Philippo* Comite *Flandriæ* homagium & fidelitatem recepit; cui pro illo homagio & fidelitate dedit M. libratas redditus in *Angliæ* per annum, & totam *Cantiam* cum caſtellis *Doverciæ* & *Roucestriæ*. Similiter homagium & fidelitatem à *Mathæo* Comite *Boloniæ* recepit; cui totam ſocham de **Kirketon** in *Lindeſeia* & comitatum **Morton** conceſſit. Similiter recepit homagium et fidelitatem à Comite *Theobaldo* et conceſſit ei L. libratas reddituum *Andegavenſium* & caſtellum de *Ambaſio* cum toto jure quod ipſe in *Turonia* vendicavit; & eciam quietum clamavit ei totum jus quod pater ſuus & ipſe calumpniati fuerant in oppido *Reginaldi*. Conceſſit eciam *Willielmo* regi *Scotiæ* pro homagio & ſervicio ſuo totam *Northumberlandiam* uſque *Tynam*; et *David* fratri ejuſdem regis *Scotiæ* pro homagio & ſervicio ſuo comitatum, *Huntyngdoniæ* & in augmentum totam *Cantebruggeſchiram* ſibi conceſſit. Conceſſit eciam *Hugoni Bigott* totum Honorem de *Exa* in feodo & hæreditate tenendum, & cuſtodiam caſtelli *Norwici* ſibi & hæredibus ſuis imperpetuum.

Iſtas donationes & plures alias quas prætermittimus,

timus, ad hiſtoriam tranſeuntes, juvenis rex ſigillo ſuo novo quod rex *Franciæ* præcepit ei fieri, confirmavit. Inſtante igitur ſolempnitate paſchali *Henricus* rex *Angliæ* pater Curiam ſuam apud *Alenzun* tenebat. Et ſtatim poſt Clauſum Paſchæ exarſit contra eum nephanda rabies proditorum. Ipſi enim fervore diabolico debriati, terras regis *Angliæ* in *Normannia*, *Aquitannia*, *Andegavia*, & *Britannia* igne circumquaque & gladio devaſtabant. Quo cognito, rex pater ſtipendiarios *Brabantinorum* & alios profuſis theſauris accerſivit. Menſe igitur Junii quando ſolent reges ad bella procedere, prædictus rex *Franciæ* & juvenis rex *Angliæ* contractis undecunque viribus, regem patrem hoſtiliter aggrediuntur. Procedente autem tempore circa feſtum ſanctorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* *Philippus* Comes *Flandriæ* cum magno exercitu *Normanniam* intravit, & villa & caſtro de *Albumarla* ſine difficultate aliqua captis, *Willielmus* Comes ejuſdem cum *Flandrenſibus* colluſionem faciens, cum omnibus quos illic rex pater cauſa præſidii miſerat captus eſt, qui alia ſua caſtella quaſi gratis reſignavit. Et ſtatim rumor illius captionis per circumjacentes provincias divulgatæ in *Angliam* pervenit, & furorem perfidæ gentis *Anglorum* excitavit. Tunc prorupit in *Anglia* veſana proditorum rabies quæ ſub fidelitatis velamento antea latitabat.

Hujus autem nephandæ proditionis auctores in *Anglia* extiterunt, *Willielmus* rex Scotiæ, *David* frater ejus, *Robertus* junior Comes Leiceſtriæ, *Robertus* Comes de Ferers, Comes *Hugo Bigot*, *Hugo* Comes Ceſtriæ, *Rogerus* de Moubray, *Thomas* de Muſcamp, *Robertus* de Lund, *Ricardus* de Morvill, *Gervaſius* Paynel qui plura caſtella contra regem patrem in *Anglia* tenuerunt. Multis eciam aliis in *Anglia* tam clericis quam laicis cum rege patre tenentibus ficte. Circa octabas vero Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* juvenis rex & fratres ſui cum Comitibus *Flandriæ* & *Boloniæ* in *Normanniam* venientes, caſtellum novum de *Driencurt* obſederunt. Quod adhibitis machinis fortiter obpugnatum infra xv. dies ſequentes *Doulfus*, *Bardulfus* & *Thomas* frater ejus qui inde Conſtabularii fuerant reddiderunt, *Mathæo* Comite *Boloniæ* fratre Comitis *Flandriæ* prius ibidem ictu ſagittæ ad mortem vulnerato; qui poſtquam caſtellum redditum fuerat in *Flandriam* delatus obiit. Defuncto itaque *Mathæo*, *Petrus* frater ejus Metropolitanæ eccleſiæ de *Caumbray* electus, malens ſeculo militare quam Deo, de conſilio *Philippi* fratris ſui Comitis *Flandriæ* qui ſine propinquiore hærede erat, electionem illam quæ de ipſo facta fuerat reliquit, & fecit ſe armis militaribus honorari, imo potius onerari.

Similiter eciam circa octabas apoſtolorum *Petri* & *Pauli* *Ludowicus* rex *Franciæ* cum exercitu magno *Normanniam* intrans *Vernolium* obſedit, & machinis bellicis ſtatim factis villam circumquaque inſultabat cotidie. Sed burgenſes & milites infra poſiti villam viriliter defenderunt. Nam rex *Franciæ* qui jam per menſem cum exercitu ſuo ibi jacuerat, parum proficiens, in nullo eis nocere potuit niſi ex parte illa ubi erant tentoria ſua fixa. In fine autem illius menſis victualibus in burgo deficientibus, burgenſes fame & inopia compulſi inducias triduanas ut libere exirent & pro ſuccurſu ad regem *Angliæ* tranſirent à rege *Franciæ* petierunt, & niſi infra ſequens triduum ab eo ſuccurſum haberent ſibi villam redderent quam tenebant. Et datis inde regi *Franciæ* obſidibus dies eis peremptorius in vigilia ſancti *Laurencii* eſt ſtatutus. Et ipſe rex *Franciæ* eis juravit, & per præceptum ejus Comes *Robertus* frater ejus et duo alii Comites, ac eciam *Willielmus* archiepiſcopus *Senonenſis* in verbo veritatis eis promiſit, quod ſi ſtatuto die villam illam reddiderint, rex *Franciæ* obſides ſuos eis redderet, et nullum dampnum eis faceret, nec ab aliis fieri permitteret. Die itaque illo peremptorio inſtante rex *Angliæ* congregato exercitu ſuo uſque *Concus* venit pluſquam x. mil. *Brabacenorum* ſecum ducens. Et ibi in craſtino moram faciens, partem exercitus ſui quæ nondum venerat exſpectavit. In ſequenti autem die, ſcilicet vj. idus Auguſti feria iv. rex *Angliæ* cum rege *Franciæ* bellaturus venit uſque caſtrum de *Brethul* quod tunc habuit in manu ſua, nam Comes *Leiceſtriæ* ad regem *Franciæ* fugiens ſine cuſtode illud reliquit. Et ibi in loco eminenciori rex ex equitibus et peditibus ſuis acies ſuas bellicas ordinavit; cujus exercitus duces erant *Willielmus* Comes *Arundelliæ*, *Willielmus* Comes de **Mandevill** et alii regis magnates.

Ordinatis itaque aciebus, *Willielmus* Comes de **Arundell** vir ſtrenuus et bellicoſus in medio cohortium ſtans ſic ait. « Proceres *Normanniæ* clariſſimi,
« decet vos bellaturos veſtri generis et nominis me-
« miniſſe. Perpendite ergo qui eſtis, et contra quos,
« et ubi bellum gerere debeatis; nemo vobis im-
« pune reſiſtit. Ferax namque *Anglia* et dives *Ap-*
« *pulia* et *Jeruſalem* famoſa et inſignis *Antiochia*
« vires veſtras expertæ vobis ſuccubuerunt. Nunc
« autem rex *Franciæ* et ſui quos ſemper in patria
« ſua petivimus et vicimus, in patriam noſtram ritu
« tranſverſo ebrii et dementes, proh dolor! convola-
« runt. Viri igitur elegantes animos attollite, et ad-
« verſus nequiſſimum hoſtem præſentia Dei et vir-
« tute freti exurgite. Tegat vobis galea caput, lo-
« rica pectus, ocreæ crura, totumque corpus clipeus,
« et non inveniat ubi feriat hoſtis nudum. Et pro-
« cedentes adverſus nequiſſimos hoſtes quid dubi-
« tamus? An numerum? ſed non tam numerus mul-
« torum quam virtus paucorum bellum efficit.
« Quid ergo vobis confert gloria parentelæ, quid
« exercitatio ſolempnis diſciplinæ militaris, niſi pau-
« ciores illis plures vincatis? Præterea conſiderate
« in cordibus veſtris quam injuſte & contra præce-
« ptum Dei rex *Franciæ* temeritatem & errorem
« filiorum invictiſſimi domini noſtri regis *Angliæ*
« contra eum & ejus voluntatem male fovet. Po-
« nite in Domino Deo ſpem veſtram & pugnate vi-
« riliter, quia Chriſtus filius Dei vivi qui factus
« eſt patri obediens uſque ad mortem, in mentibus
« filiorum domini noſtri regis obedientiam filialem
« hodie inſpirabit, vel oſtendens ſe Deum nolentem
« iniquitatem hodie ſcelus perfidorum Francigena-
« rum puniet, qui in tantum illos nequiter ſeduxe-
« runt quod ordine humanitatis oblito & lege na-
« turæ ſoluta inſurrexerunt filii in patrem & geniti
« in genitorem. Præterea unum fortiſſimi proceres
« vobis firmiter ingerere volo, quod nulla poteſt
« eſſe fugientibus reverſio: Nam nobis undique ho-
« ſtibus circumdatis nulla ad loca alia ſpes eſt fugæ;
« hoc ſolum ſupereſt ut vincamus vel occumbamus.
« Sed Deus omnipotens qui judicat populos in
« æquitate, inſpiciat nos hodie oculis miſericordiæ
« ſuæ; & qui per ſervum ſuum *David* ſuperbiam

« *Goliæ* confregit, ipſe hodie ſuperbiam noſtrorum « conterat inimicorum. Et ſonuerunt montes & colles, Amen, Amen.

Vixque dictum finierat et omnis exercitus manibus ad cœlum protenſis terribili voce fugam abjuraverat. Ecce *Willielmus Senonenſis* archiepiſcopus & cum eo *Robertus* Comes frater regis *Franciæ* & Comes *Theobaldus* qui ſemper regi *Angliæ* patri ſpeciem dilectionis ſub velamento iniquitatis & perfidiæ prætendebat, ad eum miſſi venerunt, dicentes ei quod rex *Franciæ* cum eo pacifice loqui vellet de pace inter ipſum & filios ſuos facienda. Rex igitur *Angliæ* pater eis credens, uſque in craſtinum inducias eis conceſſit, & uſque *Concas* unde venerat regreſſus eſt. Mane autem facto, iterum rex pater cum exercitu ſuo ad colloquii locum venit. Sed magna pars exercitus ſui animoſior erat die præcedenti quam tunc erat. Et appropinquante hora diei nona, cum jam hora colloquii præteriſſet, nec rex *Franciæ* nec aliquis ex parte ſua ad colloquium veniſſet, rex *Angliæ* & ſui verſus *Vernolium* reſpicientes fumum teterimum viderunt, & poſt fumum flammas ignium conſurgere. Mirantibus illis quid hoc eſſet, ſtupor omnes illico apprehendit. Illa autem die erat dies peremptorius in quo prædictos burgenſes ſuccurſum habere, vel villam ut dictum eſt regi *Franciæ* tradere ex neceſſario oportebat. Unde hora ſtatuta adveniente, burgenſes ſuccurſum non habentes neque ſperantes, villam prædictam regi *Franciæ* reddiderunt. Quam ipſe ſuſcipiens ſecuritatem quam ipſe & ſui eis fide & ſacramentis ut jam diximus interpoſitis promiſerat, non reſpexit, ſed villam comburens, obſides illius & burgenſes captivos cum omnibus catallis in *Franciam* ſecum duxit; & ſic ad dedecus & ſempiternum ejus obprobrium cum ſuis viliter aufugit, non audens impetum exercitus regis *Angliæ* exſpectare. Interim rex *Angliæ* in eminenti loco conſtitutus, exploratorum ſuorum reditum exſpectabat. Quibus redeuntibus & fugam regis *Franciæ* nunciantibus, rex *Angliæ* & exercitus ſui eum in ipſa vigilia ſancti *Laurencii* in ore gladii ſecuti ſunt, ubi multi in illa fuga cæſi & multi capti fuerunt, ad laudem & gloriam ipſius qui puniendo ſcelus perjurii, injuriam burgenſibus die ſui martyris illatam tam ſceleriter vindicavit.

Itaque rex *Angliæ* pater ſumma potitus victoria in ipſo noctis crepuſculo *Vernolium* venit, & ibi nocte illa cum ſuis moram faciens, muros qui ceciderant reædificari præcepit. Et in craſtino inde recedens, caſtrum *Adamvill* Gilberti de Tylers & plures milites & ſervientes in eo cepit, inde venit *Rothomagum*. Et ſtatim *Brabacenos* ſuos, de quibus plus cæteris confidebat, verſus *Britanniam* deſtinavit. Nam *Hugo* Comes Ceſtriæ, & *Radulphus de Fulgeriis* cum Britonibus turri de *Dolo* jam eis reddita terras ſuas undique devaſtabant. Et ibi occurrentes eis *Brabaceni* xiij. kal. Septembris feria ij. aciebus diſpoſitis cum eis prælium commiſerunt. Et prævalentibus *Brabacenis* Britonibuſque in fugam converſis, in qua xvij. milites capti erant, Comes *Ceſtriæ* et dictus *Radulphus* cum illi victi infra turrim de *Dolo* quam dolo ceperant ſe cum parte ſui exercitus incluſerunt. Quos *Brabaceni* obſidentes, ſtatim rei eventum regi in craſtino mandaverunt. Quod rex apud *Rothomagum* audiens, verſus *Dolum* multum gaudens illico properavit. Quo cum veniſſet, perariis ſuis & aliis machinis bellicis paratis, turrim fortiter inſultavit. Quam Comes *Ceſtriæ* & qui cum eo erant defendere non valentes, eam ante tres dies regi patri reddiderunt, ubi dictus *Hugo* Comes *Ceſtriæ* & prædictus *Radulphus* & alii magnates & pluſquam lxxx. milites magni nominis capiuntur.

Interea circa idem tempus *Willielmus* rex *Siciliæ* audiens mala quæ juvenis rex et fratres ſui patri ſuo fecerant, ſcripſit regi *Angliæ* in hac forma. Henrico *Dei gratia nobiliſſimo & illuſtri regi* Angliæ, *Duci* Normanniæ & Aquitanniæ, *&c.* Willielmus *eadem gratia rex* Siciliæ, *dux* Apuliæ *& principatus* Capuæ *ſalutis felicitatem & de hoſtibus deſideratum triumphum. In receptione literarum veſtrarum cognovimus quod quidem non ſine admiratione maxima proferre valemus, videlicet quod ordine humanitatis oblito & naturæ lege ſoluta ſurrexit filius in patrem & in genitorem genitus, commota ſunt viſcera ad bellum inteſtinum, irruerunt ad arma præcordia, & quod novum prodigium eſt & noſtris temporibus inauditum, caro deſævit in ſanguinem & ſeipſum quærit ſanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum compeſcendum potentiæ noſtræ auxilium loci commoditas non admittit, eo quo poſſumus caritatis affectu quem locorum ſpacia non concludunt perſonam & honorem veſtrum devotius amplectentes dolori veſtro compatimur, perſecutionem quoque veſtram moleſtam ducimus & quaſi propriam reputamus. Confidimus autem & ſperamus in Domino cujus judicio regum judicia terminantur, quod diutius non patietur filium veſtrum temptari ſupra id quod non deberet. Et qui factus eſt patri obediens uſque ad mortem ipſe in eo filiale lumen inſpirabit per quod memorabit quod caro & ſanguis veſter eſt, & relictis hoſtilitatis erroribus agnoſcet ſe filium, redibit ad patrem, naturæ ſolidabit incommodum, & debita dilectionis fœdera ordo priſtinus continebit. Valete.*

Cum in tranſmarinis partibus circa regem talia gererentur, in *Anglia* quoque non diſſimilia provenerunt. Nam eodem anno circa feſtum beatæ *Mariæ Magdalenæ*, *Reginaldus* Comes *Cornubiæ* avunculus regis et *Ricardus de Luci* qui tunc *Angliæ* ſub rege præerat, accepto à rege mandato et exercitu *Angliæ* prope convocato *Leiceſtriam* obſederunt, et eam deditam et captam totam funditus combuſſerunt, datâ prius licentia burgenſibus cum catallis ſuis liberè exeundi et manendi ubi vellent donec pax in regno fieret, et tunc ad terras ſuas iterum revertendi. Sed caſtellum *Leiceſtriæ* non ceperunt. Interea vij. kal. Octobris *Lodowicus* rex *Franciæ* habuit colloquium apud *Giſors* cum rege patre de pace inter ſe et filios ſuos facienda. In quo colloquio rex pater optulit filio ſuo regi medietatem reddituum ſuorum *Angliæ*, et iv. caſtra idonea in eadem terrâ. Aut ſi filius ſuus mallet in *Normannia* morari, rex optulit ei medietatem reddituum ejuſdem terræ et tria idonea caſtra in eadem. *Ricardo* eciam filio ſuo aliam medietatem reddituum & iv. caſtra idonea in eadem terra. *Gaufrido* eciam filio ſuo parvulo optulit illam terram quæ jure hæreditario ad filiam *Conani* Comitis in *Britannia* & alibi pertinebat ſi ipſe filiam illam aſſenſu domini papæ ſibi poſſet matrimonialiter copulare. Et eciam rex pater omnino ſe ſuppoſuit arbitrio archiepiſcopi *Faretenſis* et legatorum domini papæ, ut tantum de redditibus ſuperadderet et filiis ſuis daret quantum illi dicerent æquum eſſe, retenta ſibi juſticia et regia poteſtate. Sed fuit de conſilio regis *Franciæ* quod filii hanc pacem cum patre facerent. Unde in craſtino inter *Giſorcium* et *Triam* ad pacem formandam iterum convenerunt, ſed convenire minime potuerunt. Sicque finito colloquio milites regis *Angliæ* conflictum militarem cum militibus regis *Franciæ* inierunt, in quo *Ingramus de Tria* a Comite *Willielmo de Mandevill* captus venit uſque *Giſorcium*, et ibi ſe reddidit priſonæ in miſericordia regis patris.

Statim vero poſt illud colloquium *Robertus* Comes *Leiceſtriæ* à rege *Franciæ* et juvene rege miſſus, cum uxore ſua et magno *Flandrenſium* exercitu circa feſtum ſancti *Lucæ* evangeliſtæ in *Angliam* applicuit. Qui ſtatim *Hugone Bigot* ſibi adjuncto, civitatem *Norwicenſem* præſidio vacuam effregit, & abraſis opibus inde ad inſignem maris portum qui dicitur **Donewich** acceſſit ſimiliter irrepturus. Sed territus fiducia habitatorum illius, qui ſe ad ejus impetum excipiendum conſtanter parabant, continuo receſſit; & caſtellum de **Aghenet** quod *Ranulphus de Brok* in cuſtodia tenuit obſedit, & infra dies iv. illud cepit. Tandem de numero Sanctorum confidens cum inde verſus *Leiceſtriam* procedere vellet, nunciatum eſt ei magnam militum copiam apud *Sanctum Edmundum* conveniſſe, unde ipſe territus ad **Fremyngham** caſtrum *Hugonis Bigot* Comitis reverſus moram per dies aliquot ſecum fecit. Cumque hoc nunciatum eſſet *Ricardo de Lucy* & *Unfredo de Boon* regis Conſtabulario, qui cum magno exercitu ad terram regis *Scotiæ* devaſtandam profecti fuerant, & jam villam de **Berwike**, & totam adjacentem provinciam combuſſerant, treugis à rege *Scociæ* uſque ad feſtum ſancti Hillarii captis & hinc inde obſidibus datis, dictus *Unfredus* quamcitius potuit uſque ad ſanctum *Edmundum* veniens, adventum ibi Comitis *Leiceſtriæ* expectavit, qui adhuc ut dictum eſt cum *Hugone Bigot* apud **Fremyngham** morabatur.

Appropinquante igitur feſto omnium Sanctorum Comes *Leiceſtriæ* cum exercitu ſuo non longe à ſancto *Edmundo* in loco qui dicitur **Fornham** in quodam mariſco non longe eciam ab eccleſia ſanctæ *Genovefæ* veniens, ſperabat ſine impedimento patriam illam pertranſire. Quod audiens dictus *Unfredus* regis Conſtabularius, ipſe & *Rogerus* Comes, & *Willielmus* Comes *Arundelliæ* qui ibidem venerant cum CCC. militibus regis ſoldariis armati, contra eum hoſtiliter exierunt, vexillo ſancti *Edmundi* regis & martiris coram eis delato. Dictus vero Comes *Leiceſtriæ* cum ſuis non ad dexteram neque ad ſiniſtram declinare valens, turmis diſpoſitis audaciter proceſſit. Et commiſſo gravi prælio in virtute Dei & beati *Edmundi* ipſe Comes & uxor ejus & quidam *Hugo de Caſtellis* nobiliſſimus *Baro Franciæ* in momento capti ſunt, & omni tunc exercitu in fugam verſo, pluſquam decem milia *Flandrenſium* in illo prælio ceciderunt, cæteris captis & incarceratis, nullo fere eorum vix evaſo. Hujus rei eventu per *Angliam* divulgato, timor magnus ſuper omnes regis patris inimicos factus eſt. Pervenientibus eciam ad partes tranſmarinas rumoribus illis, *Ludowicus* rex *Franciæ* et juvenis rex *Angliæ* inde valde contriſtati ex eo tempore pluſquam dici poteſt regem patrem timuerunt.

Audiens autem rex pater quod Comes *Leiceſtriæ* & uxor ejus cum aliis inimicis ſuis victi eſſent & capti, miſit pro eis ut ad eum in *Normanniam* ducerentur, quos ad eum miſſos apud *Falaiſim* incarcerari fecit. Appropinquante vero feſto ſancti *Martini* rex pater cum ſuis *Brabacenis* in *Andegaviam* tranſivit. Ad quem circa octabas ejuſdem feſti *Galfridus de Heya* caſtellum & villam de *Heya* & caſtra de *Prulli* & de *Campeyn* veniens ſibi reddidit, militibus & aliis pluribus in eo captis. Circa feſtum vero ſancti *Andreæ* venit rex pater cum *Brabacenis* ſuis ad *Vendomum*, quam *Bracardus de Lavardyn* patre ſuo Comite expulſo contra regem tenuit, qua per regales capta, rex inde tunc in *Normanniam* reverſus eſt. Eodem anno *Ludowicus* rex *Franciæ Ricardum* Comitem *Aquitanniæ* filium regis *Angliæ* armis militaribus decoravit. Eodem anno rex *Angliæ* pater dedit *Ricardo* Priori *Doroberniæ* archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, & *Reginaldo* filio *Jocelini* Saliſberienſis epiſcopi epiſcopatum *Bathoniæ*.

Circa idem tempus Canoniſatio ſancti *Thomæ* martiris *Cantuarienſis* archiepiſcopi. Adveniente anno ab incarnatione Domini M.Clxxiv. rex *Angliæ* pater Curiam ſuam in nativitate Domini apud *Cadomum* in *Normannia* tenuit, induciis inter ipſum & regem *Franciæ* à feſto ſancti Hillarii uſque ad clauſum paſchæ hinc inde captis. Inſtante vero feſto ſancti Hillarii, *Hugo Dunolmenſis* epiſcopus apud **Ravedale** treugas uſque ad clauſum Paſchæ à rege *Scociæ* cepit, pro quibus conventionavit illi regi de terris baronum *Northumbriæ* trecentas marcas dare. Interim *Rogerus* de *Monbray* caſtellum apud *Kinarferiam* in inſula de **Axiolm** firmavit. Interea caſtellani *Leiceſtriæ* & milites ejuſdem Comitis rurſus effrenati & quaſi in domini ſui ultionem inflammati, vicinas provincias cum aggregata ſibi improborum multitudine infeſtare cœperunt. Et ut principem magni nominis haberent & fiducialiter agerent, *David* Comimitem **Huntyngdon** fratrem regis *Scociæ* in ducem & principem elegerunt. Quo demum à rege *Scociæ* fratre ſuo ut contra regem patrem foret, eis miſſo, feliciter debacchante & proſpere ad plurima procedente, Comes de *Ferers* et vir nobilis *Rogerus de Monbray* animum diu diſſimulatum declarantes, poſt cæteros contra regem patrem levaverunt. Nec ceſſabat eo tempore juvenis rex optimates *Anglorum* qui patri adhærere videbantur per clandeſtinas literas vel promiſſionibus alicere vel comminationibus pulſare, ut ad ſuam partem eos deduceret omni modo.

An. Dñi 1174.

Termino quoque clauſæ Paſchæ adveniente rex *Scociæ* acceptis prius trecentis marcis prædictis exercitum ſuum in *Northumbriam* promovit, & ibi per *Scotos* ſuos & *Gallenſes* execrabiliter egit; Mulieres enim prægnantes findebant, & fœtus extractos ſuper acumina lancearum jactabant. Infantibus quoque & pueris, juvenibus & ſenibus utriuſque ſexus à maximo uſque ad minimum ſine redemptione & miſericordia peremptis, ſacerdotes & clericos in ipſis eccleſiis ſuper altaria detruncabant. Poſtea rex *Scociæ David* fratre ſuo apud *Leiceſtriam* ad milites Comitis ejuſdem per ipſum ut dictum eſt miſſo, villam *Carleoli* quam *Robertus de Vallibus* habuit in cuſtodia, cum infinita propriæ gentis multitudine & ſtipendiariorum ex *Flandria* vocatorum fortiter obſedit, ubi per paucos dies moram faciens parte ſui exercitus ibi circa caſtellum dimiſſa, terras regis & Baronum ſuorum per *Northumbriam* cum parte aliqua devaſtavit. Et caſtellis de *Lidell*, de *Burgh*, de **Appelby**, de **Wirkeworthe** & de **Heybode** armis captis, ad exercitum ſuum quem circa *Carleolum* dimiſerat eſt reverſus. Et tamdiu ibi moram fecit donec *Robertus de Vallibus*, & trepidi cives victu eis deficiente cum eo pacem fecerant in hunc modum, quod ad feſtum ſancti *Michaelis* caſtrum & villam ſibi redderent, niſi interim præſidium à rege *Angliæ* eis mitteretur. Et factis ſuper hoc ſacramentis & obſidibus datis, rex *Scotiæ* cum exercitu ſuo inde recedens caſtellum de *Prudham* obſedit. Sed exercitu comitatus *Eboracenſis* ſuper eum venire præparato, illud reliquit, & venit uſque **Alnewike** & illud obſedit. Et *Dunchano* Comite & Comite *de Anegos* & *Ricardo de Morvill* cum toto fere exercitu, ad provincias adjacentes devaſtandas inde miſſis, rex *Scociæ* ibi remanſit cum mitioribus & familia ſua privata, ne forte manus militaris ex eo erumpens circumquaque graſſantes prædones *Scociæ* perturbaret.

Comes vero *Dunchanus* ſtatim exercitum illum in tres partes dividens, unam ſecum retinuit. Et aliis duabus ad terras & villas adjacentes undique depopulandas miſſis, ipſe cum parte exercitus quam ſibi elegit villam de **Berewike** intrans eam incendio devaſtavit. Et omnibus utriuſque ſexus ibi inventis à maximo uſque ad minimum interfectis, fecit ſatellites ſuos frangere eccleſiam ſancti *Laurencii* quæ ibi erat, in qua clericos villæ illius pluſquam C. viros præter mulieres & parvulos occiderunt. Proh dolor! tunc audires clamorem mulierum, ululatus ſenum, gemitus morientium & juvenum deſperationem. Sed deus omnipotens injuriam & violentiam ſuo martyri illatam vindicavit. Nam duces dicti exercitus provinciæ *Eboracenſis*, qui urgente negocio pedeſtrium copias non poterant congregare, apud *Novum caſtrum* cum equitatu valido convenerant, cum audiſſent quod rex *Scociæ* de *Prudham* receſſiſſet, & exercitu ſuo dimiſſo ab eo, **Alnewike** obſediſſet, in communi quid eſſet agendum tractaverunt: ubi ferventiores dixerunt, Hoſtes nequiſſimos modis omnibus eſſe impetendos, & deſperari de victoria non debere. Denique Duces prædicti, in quibus erant præcipui *Robertus de Stottevilla*, *Ranulphus de Glanvilla*, *Willielmus de Veſſy* et *Bernardus de Baliolo* nocturna requie pauliſper recreati, ſummo mane progreſſi ſunt, tanta velocitate properantes, ut quibuſdam armorum pondere gravatis minus tolerabile videbatur, ante horam quintam xxiiij. milia paſſuum transmearent; verum dum irent tam denſa eos operuit nebula ut quo tenderent vix neſcirent. Tunc prudentes periculoſum iter cauſantes, certum diſcrimen imminere dixerunt niſi citius redirent.

Ad hæc *Bernardus de Balliolo* vir nobilis & magnanimus; Recedat, inquit, qui voluerit, ego vero nullo ſequente procedam. Abſit quod revertendo perpetuam nobis maculam inferamus. Cum ergo procederent, nebula ſubito evaneſcente caſtrum de **Alnewike** præ oculis habentes, illud ſibi tutum receptaculum ſi hoſtes urgerent læti conſcierunt. Et ecce rex *Scottorum* cum turba equitum circiter lx. procul in campis tanquam ſecurus & nichil ſibi metuens irruptionem noſtrorum à caſtro obſervabat, barbarorum multitudine cum parte equitatus ad prædas late diſperſa. Ipſi vero noſtris conſpectis, primo eos de ſuis à præda redeuntibus judicabant; ſed cito vexillis noſtrorum caute notatis tunc demum ipſos noſtros eſſe intellexerunt. Attamen rex *Scottorum* non eſt territus, ſed mox ferociter arma concutiens, ſuoſque verbo ſimul & exemplo accendens; Modo, inquit, apparebit quis noverit miles eſſe: primuſque in hoſtes ſequentibus cæteris irruens, mox à noſtris excipitur, atque equo interfecto ad terram dejectus cum *Ricardo Comyn*, *Willielmo de Mortymer*, *Willielmo de Inſula* & tota fere turma ſua capitur. Quidam etiam qui tunc forte aberant ſed non longe, cum cognoviſſent quid acciderat, mox curſu rapidiſſimo affuerunt, atque in manus hoſtium ſe ingerentes potius quam incidentes, dominico communicari periculo honeſtum crediderunt. Porro *Rogerus de Mulſay* qui ibidem tunc aderat rege capto elapſus cum quibuſdam aliis evaſit, in Scociamque refugit. Noſtri vero proceres nobilem prædam cum gaudio vehentes *Novum caſtrum*, unde mane digreſſi fuerant, veſpere redierunt. Geſtum eſt hoc Deo propicio anno ipſius domini M. Clxxiiij. tercio idus Julii per diem ſabbati.

Regis vero captione comperta *Scoti* primo attoniti à prædis deſtiterunt. Sed cito poſt tanquam furiis agitati ferrum contra hoſtes ſumptum in ſe ipſos finaliter verterunt. Erant enim in illo exercitu duo fratres *Vctredus* & *Gilbertus Gallewenſis* provinciæ duces & domini. Inter quos poſt mortem *Fergi* patris eorum rex *Scociæ* hæreditatem diviſerat, verum *Gilbertus* natu major paterni juris hæreditate fraudatum ſe dolens, ſemper in corde oderat fratrem ſuum, cum tamen concepti furoris impetum metus regius cohiberet. Rege autem ut dictum eſt capto, *Gilbertus* hoc metu liberatus, ſtatim quaſi ſub velamine amoris cum fratre ſuo & *Galewenſibus* in patriam ſuam rediit, ubi fraterno amore pro tempore oſtenſo, ipſe & frater ſuus omnibus ballivis & cuſtodibus quos rex *Scociæ* eis impoſuerat illico expulſis, & cunctis *Anglicis* & *Francigenis* quos apprehendere poterant interfectis, omnes munitiones & caſtella quæ rex *Scociæ* in terra illorum firmaverat obſederunt, & ea demum capta omnibus quos intus ceperant interfectis, deſtruxerunt. Sed cito poſt dicti fratres *Gilbertus* & *Vctredus* ſuper dominio *Galeweiæ*, & quis illorum dominus alterius eſſe deberet contendentes, magno odio inter eos hac de cauſa habito, uterque illorum inſidiabatur alteri ad necandum. Et procedente tempore *Gilbertus* ſuper hoc concilium habens, termino ſtatuto ut fratrem ſuum *Vctredum* caperet & occideret, ſuos homines congregavit, & venit *Maculumbus* filius *Gilberti*, & obſedit inſulam in qua *Vctredus* avunculus ſuus *Henrici* regis *Angliæ* conſanguineus morabatur, & eum ibi capiens carnifices ſuos miſit, præcipiens ut teſticulis & lingua ejus abſciſis, ipſum privarent lumine oculorum. Qui ſic facientes ipſo ſemimortuo relicto abierunt, & ipſe paulo poſt vitam finivit.

Quo mortuo, *Gilbertus* fines fraternos illico invadens, barbaris in barbaros ſævientibus non eſt hominum modica ſtrages facta. Erat autem fratre interfecto filius acer nomine *Roulandus*, qui amicis paternis cooperantibus debacchanti avunculo pro viribus reſiſtebat, eratque totum regnum *Scotiæ* turbatum, Deo æquiſſime diſponente, atque eadem menſura improbis remeciente qua ipſi menſi fuerant innoxiis; Et qui paulo ante *Anglorum* quietem turbaverant ut ſanguinem porum ſitientes, ordine pulcherimo à ſeipſis reciperent talionem. Et interea dum hæc fierent, dominus rex unum de clericis ſuis ad *Robertum de vallibus* in *Angliam* miſit, ut ipſi duo *Vctredum* & *Gilbertum* ad ſervicium ſuum alicerent, & eos amore debito convenirent. Illis vero ad colloquium inter ipſos convenientibus, ipſe *Gilbertus* & cæteri *Galewenſes* duo milia marcarum argenti, & quingentas vaccas & quingentos porcos de redditu per annum eis ad opus regis *Anglia* optulerunt; hac tamen conditione quod rex eos in manu ſua reciperet, & eos à ſervitute regis *Scotia* liberaret. Sed prædicti nuncii donec cum rege locuti eſſent, hunc finem cum *Galewenſibus* facere noluerunt. Et cum indicatum eſſet regi qualiter *Vctredus* filius *Fergi* conſanguineus ſuus fuerat occiſus, cum *Galewenſibus* noluit pacem facere aliqualem.

Dum autem prædicta mala per regem *Scottorum* & ſuos fierent in *Northumbria*, Comes *Hugo Bigot* cum *Flandrenſibus* ſuis uſque *Norwicum* veniens eam fregit & combuſſit, & ſtatim poſt penticoſten *Anketillus Malore* Conſtabularius *Leiceſtria* ad **Northampton** villam regis cum militibus ſuis ivit. Cũ burgenſes cum militibus qui intus erant extra obviantes, prælio inter eos commiſſo verſi citius ſunt in fugam, captis ducentis burgenſibus præter illos qui vulnerati interierunt. Et milites *Leiceſtria* victoria potiti, ad caſtrum ſuum cum præda maxima redierunt. Interim *Gaufridus Lincolnienſis* electus filius regis *Henrici* baſtardus, exercitu comitatus *Lincolnienſis* congregato, caſtrum de *Inſula* quod *Rogerus* de *Moubray* firmaverat obſedit, *Roberto* de *Moubray* ejuſdem caſtri Conſtabulario verſus *Leiceſtriam* pro auxilio petendo eunte, à ruſticis *del Clay* capto in ipſo itinere & retento. Et cum dictus electus caſtrum illud cepiſſet, ſtatim illud deſtrui præcepit & inde recedens venit *Eboracum*, & ſumpto ſibi in auxilio *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo & exercitu comitatus ejuſdem congregato, caſtrum de *Maleſberde Rogeri* de *Moubray* obſedit. Quod infra breve cum omnibus in eo exiſtentibus captum, *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo tradidit cuſtodiendum, & antequam recederet quoddam caſtellum apud *Topclyve* firmavit, quod *Willielmo* de *Stuttevill* in cuſtodia liberavit.

Et dum hæc in comitatu *Eboracenſi* fierent, *Robertus* Comes de *Ferers* ſumptis ſecum militibus *Leiceſtria* venit ſummo mane uſque **Notyngham** villam regis, quam *Reginaldus* de *Lucy* cuſtodivit, & eam ſine difficultate aliqua captam combuſſit, burgenſibus interfectis & quibuſdam in captivitate cum ſpoliis eorum abductis. Interim *Ricardus Cantuarienſis* & *Reginaldus Bathonienſis* electi *Romam* pro eorum & aliorum electorum *Anglia* electionibus confirmandis profecti, multos adverſarios de *Francia*, & plures ac duriores de *Anglia*, contra eos in *Romana* curia invenerunt. Nam novus rex *Anglia* electiones eorum impedire volens ſi poſſet, nuncios ſuos cum nunciis regis *Francia* ad papam miſit, obſecrans ne electiones illas quæ contra ipſius voluntatem & conſenſum factæ fuerant, confirmaret; noluit tamen papa ipſius mandato conſentire, ſed ipſum electum *Cantuarienſem* conſecravit. De cujus conſecratione dictus *Bathonienſis* electus ſcripſit domino ſuo regi patri ſub hac forma.

Henrico *illuſtri regi* Angliæ, *Duci* Normanniæ & Aquitaniæ & *Comiti* Andegaviæ, *cariſſimo domino ſuo* Reginaldus *Dei gratia* Bathonienſis *electus ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus. Noverit veſtra prudentia majeſtatis nos in Curia domini papa, duros de terra* Francorum *& duriores de terra veſtra adverſarios inveniſſe, ideoque nos ibi multa & moram oportuit facere tadioſam: tandemque ad inſtantiam noſtram divina operante gratia domini papa duritia adeo eſt mollita, quod domini electi* Cantuarienſis *electionem ſolempniter in preſentia omnium confirmavit, eumque confirmatum dominica ſequente conſecravit, conſecrato die tercia pallium dedit, & modici temporis ſpacio excurrente, primatiam addidit. Noſque praterea deſiderantes ipſum habere pleniſſimam poteſtatem, vindictam eccleſiaſticam exercendi in omnes regni veſtri, qui contra innocentiam veſtram nequiter & proditorie malicia ſua calcaneum extulerunt, multa ſolicitudine optinuimus, quod dominus papa eidem provincie ſua legationem indulſit. Meum itaque & aliorum electorum negotium in pendenti eſt, nec de nobis dominus aliquid ſtatuere vel diffinire decrevit donec vobiſcum filius veſter ad concordiam reformetur. Speramus tamen in Domino quod mea & omnium aliorum Electorum promotio domini* Cantuarienſis *providencia committetur. Proxima dominica poſt aſcenſionem domini dimiſſa ſunt litera iſta, & nichil jam exſpectabamus niſi galeas veſtras, dominumque* Cantuarienſem *archiepiſcopum volo cum feſtinatione poſtpoſito negotio meo ad vos reducere, ut in guerra veſtra ipſius auxilium & conſilium habeatis. Valete.*

Appropinquante autem nativitate ſancti *Johannis Baptiſta*, *Ricardus de Lucy* magno congregato exercitu caſtrum de **Huntyngdon** obſedens, militibus qui intus erant villam comburentibus, quoddam caſtellum ante portas caſtri firmavit, de mandato regis Comiti *Simoni* illud tradens, quia ille Comes calumpniatus fuerat in Curia regis comitatum de **Huntyngdon** debere jure hæreditario ſuum eſſe; quem ſi poſſet adipiſci rex ei conceſſit. Nativitate itaque ſancti *Johannis Baptiſta* adveniente, juvenis rex *Anglia* & Comes *Flandrenſis* fraterni jam oblitus exercitii pro ambitione *Anglicana* provinciæ quæ *Cancia* dicitur, de qua homagium juniori regi ut dictum eſt fecerat, de conſilio regis *Francia* et mandato quorundam Comitum & Baronum *Anglia* cum magno exercitu ſe venire in *Angliam* paraverunt, & uſque *Gravelyng* in *Flandria* ad claſſem pro eorum tranſitu congregatam cum adunato exercitu jam venerunt. Interim rex pater cum exercitu ſuo in *Pictaviam* jam profectus munitiones multas & caſtella in ea cepit. Et tandem ad civitatem *Sanctonenſem* veniens, eam fregit, & duabus turribus cum militibus & aliis in eiſdem captis, eccleſiam ibidem cathedralem quam milites & ſervientes contra eum munierant obſedit. Qua cum omnibus infra exiſtentibus infra breve capta, in *Andegaviam* rediit, & circa feſtum ſancti *Barnaba* Apoſtoli ad ſanctum *Florentinum* villam *Guivonis* de *Ageneis* veniens, munitionem fortiſſimam in ea firmavit. Qua in manu ſua retenta, totam circum adjacentem provinciam devaſtavit, vineas & arbores fructiferas exſtirpando.

Quibus actis, rex pater in *Normanniam* rediens circa feſtum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, cum audiſſet quod rex filius ſuus & Comes *Flandria*, ad naves ſuas ad transfretandum in *Angliam* cum magno exercitu jam veniſſent, mallens ſibi terras ſuas tranſmarinas quam regnum *Angliæ* periclitari, omnibus aliis negociis poſtpoſitis uſque *Barbeſluctum* cum aliquanto equitatu & *Brabancionum* copia tranſvolavit, ubi ſtatim navibus aſcenſis in craſtino iiij. idus Julii apud **Southamton** in *Anglia* applicuit, utriſque reginis & Comitibus *Leiceſtriæ* & *Ceſtriæ* ſecum adductis, quos ſtatim in *Anglia* carcerali cuſtodiæ mancipavit. In craſtino iter in peregrinatione ad ſanctum *Thomam Cantuarienſem* martyrem arripiens, cum *Cantuariam* propinquaſſet, ſtatim ex quo eccleſiam vidit in qua corpus beati martyris ſepultum eſt equum in quo ſedebat deſeruit, & extractis calciamentis, nudis pedibus & pannis laneis ad ejus ſepulcrum in tanta humilitate & cordis compunctione proceſſit, ut ſine dubio illius opus credebatur extitiſſe qui terram reſpicit & tremere eam facit. Sepulcro itaque beati *Thomæ* profuſis vultu lacrimis à rege viſitato, idem rex Capitulum monachorum ingreſſus, propriæ petitionis inſtantia à cunctis per ordinem fratribus virgis vir tantus diſciplinam corporalem accepit. Denique ipſe qui tangit montes & fumigant, iſtius montis fumigantis devotionem attendens, ipſa die atque ut dicitur ipſa hora qua mons iſte *Cantuarienſis* fumigavit, hoſtem ejus inmaniſſimum, ſcilicet regem *Scottorum*, apud **Alnewike** per diem ſabbati peſſundedit ut eſt dictum. Nam cum eadem die ſabbati à *Cantuaria* recedens modicam moram *Lundoniæ* feciſſet, ecce die Jovis ſequente circa mediam noctem, nuncius quidam veniens pulſando janitores cuſtodeſque vehementer excitavit. Increpatus juſſuſque ut taceret, nullatenus adquievit, dicens, Nuncius ego ſum, & nuncium fero bonum. Qui tandem in cubiculum regium introductus, regem excitavit audaciter quieſcentem. Rex igitur expergefactus, Quis, inquit, es tu? Et ille puer inquit, Ego ſum puer fidelis veſtri *Ranulphi de Glanvilla* à quo miſſus bonus venio nuncius. Cui rex, Sanuſne eſt *Ranulphus* noſter? Et ille, Bene, inquit, valet: Et ecce hoſtem veſtrum regem *Scottorum* apud **Richemonde** in vinculis captum tenet. Rex vero ad hoc ſtupidus, Dic, inquit, adhuc. At ille verbum quod dixerat iteravit, & mox regi protulit literas rei geſtæ ſeriem continentes. Quibus intellectis, ſtatim rex de lecto exiliens, Deo qui ſolus mirabilia facit, & beato *Thomæ* Martyri piis lacrimis madidas gratias inde egit.

Mane autem venerunt & alii curſores id ipſum nunciantes; ſed primus ut meruit bravium reportavit. Eodem vero die Jovis prædicto rex exercitum ſuum verſus caſtrum de **Huntyngdon** promovit & illud obſedit. Quo xii. kal. Auguſti ei reddito, omnes milites & alii qui intus erant ſalvis vita & membris ſe in regis miſericordia reddiderunt. Et inde rex ſtatim cum exercitu ſuo verſus **Fremyngham** caſtrum *Hugonis Bigott* ubi ipſe cum magna *Flandrenſium* copia erat, diſcedens, cum non longe à **Fremyngham** in loco qui dicitur **Seleham** veniſſet, ſua tentoria ibi fixit. Et in craſtino, ſcilicet viii. kal. Auguſti, *Hugo Bigott* Comes ad eum venit, & pace cum eo facta caſtra de **Fremyngham** & **Bunge** regi illico liberavit, licentia pro *Flandrenſibus* cum eo exiſtentibus ſine impedimento repatriandi vix à rege impetrata. Rex vero inde recedens, uſque **Northamton** cum exercitu ſuo venit. Et illic *Hugo Dunolmenſis* epiſcopus ad eum veniens caſtra de **Northamton** & **Alverton** ei reddidit. Et etiam tempore illo *Anketillus de Mallort* & *Willielmus de Dina* Conſtabularii Comitis *Leiceſtriæ* ad regem ibi venientes, ei caſtella de **Croby**, **Mountſorell** & *Leiceſtriæ* reddiderunt. Et eadem die venit ad eum *Rogerus de Moubray* & reddidit caſtrum ſuum de **Threſk**: Et ibidem etiam Comes de *Ferers* ad eum veniens caſtra ſua de **Tutteſbiry** & de **Dyffelde** ſuæ tradidit ditioni.

Dum hæc autem per *Angliam* fierent *Ludovicus* rex *Franciæ* cum tremendo exercitu *Normanniam* ab oriente ingreſſus *Rothomagum* ejuſdem provinciæ metropolim adiit & obſedit. Porro juvenis rex & Comes *Flandriæ*, cum in *Angliam* claſſe parata oportunitatem transfretandi captarent, cognito quod rex ſenior in *Anglia* jam conſiſteret eorum impetum excepturus, mutato conſilio per regem *Franciæ* revocati, illas terribiles copias ad eum *Rothomagum* tranſtulerunt, verum cum tantus eſſet exercitus quantus in *Europa* ab annis retro plurimis viſus non fuerat, propter tamen difficiles ejuſdem urbis acceſſus terciam vix partem potuit obſedere. Eratque per pontem è regione liber in urbem ingreſſus & egreſſus, videntibus & invidentibus inimicis. Cumque rex pater de reditu filii ſui regis & Comitis *Flandriæ* ad obſidionem *Rothomagi* audiſſet, poſtpoſitis quibuſdam negotiis ſuis ad mare quam citius potuit tranſvolavit & navibus apud **Porteſmuth** aſcenſis in craſtino apud *Barbeſluctum* feria v. vj. idus Auguſti in *Normannia* applicuit, Comitibus *Leiceſtriæ* & *Ceſtriæ* priſonibus ſuis ſecum ductis, quos primo apud *Cadomum* & poſtea apud *Faleiſiam* incarceravit. Ipſo etiam die quo rex apud *Barbeſluctum* applicuit, in ipſo litore maris habuit ſibi obvios *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum & *Reginaldum Bathonienſem* epiſcopum, quem idem archiepiſcopus apud ſanctum *Johannem de Mauritania* in redeundo de curia *Romana* conſecraverat, quos rex ſecum retinere nolens ſed eos in *Angliam* deſtinavit.

Rex itaque *Franciæ* machinis ad civitatem oppugnandam paratis, totis viribus oppugnationi inſiſtitur. Die vero naturali per octo horas partita triphariе exercitum diviſit, ut alii recreati aliis laſſatis per vices ſuccederent, & defenſores murorum in modico non permitterent reſpirare; ſed hoc fruſtra. Cives autem cautelæ conſilii occurrentes ſuum tripharie numerum diviſerunt, & hoſtium impetus per vices ſuſcipientes, eiſdem peroptime correſponderunt. Cumque per dies plurimos ſic certaretur, & neque hii neque alii in aliquo remiſſius agerent, beati affuit *Laurencii* feſtivus dies. Rex autem *Franciæ* pro ejuſdem feſti reverentia quo dictum Sanctum ſpecialiter conſueverat venerari, requiem ipſo die civitati indultam voce præconis juſſit puppliсari, quam gratiam cives grate amplexi, ocio breviſſimo jocundiſſime fruebantur. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus Deo & ſancto *Laurencio* pro diei læticia choreas ducentes, gratias exſolverunt, militibus civitatem exeuntibus ſuper ripam fluminis in conſpectu hoſtium ad laudem haſtiludia exercentibus. Comes ergo *Flandrenſis* mox regem *Franciæ* ut dicitur adiens, ſic ait. Ecce civitas pro qua multum ſudavimus hiis intus choros ducentibus, illis foris ſecure ludentibus, ſponte nobis offertur. Exercitus ergo in ſilentio arma ſumat, ſcaliſque repente muro adjunctis civitatem optinebimus, antequam in civitatem regredi valeant qui pro irritatione noſtra exterius vacant. Abſit inquit rex, abſit, noſti enim me pro reverentia beati *Laurencii* indulſiſſe hujus diei requiem civitati. Tunc univerſi proceres qui aderant familiari auſu regis molliciem improperantes dixerunt. Dolus an virtus quid nunc exerceri debeat, quis enim in hoſtem veritatem requirat? Victus ſic tandem rex adquievit. Itaque non per vocem tubæ ſui præconis ſed ſolum ducum ſuſurris exercitus præparatur.

In civitate vero erat turris excelſa in qua quædam vetuſtiſſima campana pendebat, ad cujus ſonitū cum continuatione pulſationis omnes armata manu ad tuitionem concurrerent civitatis. Contigit autem eadem hora ſecundum diſpoſitionem dominicam, clericos quoſdam neſcio quid operandi cauſa in eandem turrim aſcendere, quorum unus per feneſtram aſpiciens primo quidem inſolitum in caſtris ſilentium admirans, moxq; clamdeſtinum apparatum conſpiciens, ſocios accerſivit. Cumq; liquidius ſeditionem conſpicerent, confeſtim *ruello* (ita enim campana illa dicebatur) pulſato, notiſſimum illico ſignum civitati dederunt. Quo audito, totis viribus utrimque feſtinatum eſt. Nam & paratus jam exercitus à caſtris erumpens cum ſcalis ad muros tendebat, & cives inopinato ſtimulati periculo raptis armis ſpiritu fervido occurrere ſtuduerunt. Illi quoque qui extra urbem haſtiludia exercebant, mira celeritate ad urbis præſidium affuerunt. Jamque hoſtes adjunctis muro ſcalis murum aſcenderant & voces quaſi triumphantium perſonabant. Sed ſtatim fortiter impetuntur & à civibus repelluntur, & viriliter collidentes multus utrinque ſanguis effunditur. Tandem hoſtes qui ſuperbe ſurſum aſcenderant, retrorſum præcipites abierunt, & longe majore clade accepta quam illata nocte ſuperveniente ad propria confuſi turpiter redierunt.

In craſtino vero ſancti *Laurencii* per diem dominicam, rex *Angliæ* pater cum *Brabacenis* ſuis & mille *Wallenſibus* ſecum adductis *Rothomagum* veniens civitatem in conſpectu hoſtium eſt ingreſſus. Hoſtes vero ante dies paucos de captione regis *Scottorum* attoniti ſunt, ſed magis de ejus adventu repentino ſtupeſcunt; Attamen in robore multitudinis confidentes in obſidione perſiſtebant. Rex autem pater *Walenſium* turmam ultra *Secanam* ad nemora per noctem latenter emiſit, ut ſilvarum opacitate tecti locis oportunis vias obſervarent, ne hoſtibus neceſſaria veherentur. Qui capto tempore è ſilvis erumpentes xl. carectas verſus exercitum *Franciæ* vino & victualibus onuſtas invaſerunt. Et armatis à quibus tuebantur in fugam actis carectarii valde timentes relictis ſuis mercibus fugam poſt eos protinus inierunt, & *Wallenſes* eos ſequentes quoſdam eorum ceperunt et quoſdam peremerunt. Et poſtea ad prædam revertentes equis à carectis extractis carectas et vaſa vinaria fregerunt, in ſilvas ut prius ſe iterum capientes. Moxque vulgatum eſt ſilvas *Walenſibus* eſſe refertas, atque ita intercepto comeatu exercitu per biduum inedia laborante rex *Franciæ* & ſui perterriti nichil niſi de fuga cogitabant. Interim rex *Angliæ* pater portas urbis quas burgenſes obſtruxerant, reſeravit, & exiens cum militari copia et aliis, foſſam inter exercitum *Franciæ* et urbem lignis lapidibus & terra fecit impleri redigique in planum. Ita quod ducenti milites per eam ſimul poterant pertranſire. Tunc perariis & aliis machinis bellicis regis *Franciæ* de præcepto ſuo combuſtis, rex *Angliæ* pater cum armata manu verſus tentoria regis *Franciæ* proceſſit; Quod armati *Franciæ* percipientes, de tentoriis illis egreſſi, impetuoſe cum militibus *Angliæ* ſunt congreſſi, unde multis equitibus interfectis quidam ex eis capti quidam vulnerati fuerunt. Mane autem facto, *Willielmus Senonenſis* archiepiſcopus & Comes *Theobaldus* ad regem *Angliæ* venientes inducias ab eo ceperunt, ut rex *Franciæ* cum exercitu ſuo ad locum qui dicitur *Malauncy* libere recedere inde poſſet, & quod in craſtino ad colloquium inter ipſos ibidem veniret, regem *Angliæ* fide & ſacramentis inde ſecurum fecerunt.

Et ſic rex *Franciæ* cum exercitu ſuo uſque dictum locum recedere permiſſus, ſua tentoria ibi fixit. Qui circa mediam noctem in vigilia Aſſumptionis beatæ *Mariæ* militibus ſuis armatis clam cum toto exercitu recedens, donec in terram ſuam perveniſſet fugere non ceſſavit, compoſitis tamen ordinibus ob periculum ſi forte à tergo urgerent citius repellendum. Iterum ſequenti die dicti archiepiſcopus & Comes *Rothomagum* venientes, uſque diem nativitatis beatæ *Mariæ* colloquium apud *Giſorcium* inter ipſos reges ceperunt. Quo die apud *Giſortium* venientes, ibi inter eos non potuit convenire, niſi in tantum quod treugis datis aliud colloquium inter ſe ad feſtum ſancti *Michaelis* inter *Turonem* & *Ambaſium* ceperunt, hoc pacto quod licet rex *Angliæ* interim cum exercitu ſuo in *Pictaviam* iret, ad *Ricardum* filium ſuum debellandum, ipſis rege *Franciæ* & juvene rege juratis, quod nec illi nec aliquis ex parte illorum præſidium ſibi facerent quoquo modo. Rege autem patre in *Pictaviam* tunc eunte, *Ricardus* filius ſuus ipſum exſpectare non audens, caſtellis & munitionibus ſuis quas prius ceperat relictis, ab omni loco quo ipſe erat venturus diffugit. Et cum audiſſet quod rex *Franciæ* & juvenis rex frater ſuus inducias cum patre ſuo cepiſſent, & ipſum ab illis excluſiſſent, indignatus inde lacrimans ad patrem venit, & pronus in terram cadens ab eo veniam poſtulavit. Quem rex paterna pietate commotus in dilectione & pacis oſculo recipiens xj. kal. Octobris feria 2. guerram ſuam inter ipſum & *Ricardum* filium ſuum in *Pictavia* finivit, unde factum eſt quod idem *Ricardus* de conſilio patris ſui ivit ad regem *Franciæ* & juvenem regem fratrem ſuum, ut eis quod fecerat indicaret. Inſtante feſto ſancti *Michaelis* prædicti reges ad prælocutum colloquium in loco qui dicitur *Mons Laudatus* inter *Turonem* & *Ambaſium* convenerunt. Celebri itaque Colloquio in craſtino ſancti *Michaelis* inter partes habito, ille execrabilis principum rancor & provinciarum inquietudo pariter quieverunt. Comes enim *Flandrenſis* regi *Angliæ* reſtituit quod de jure ejus bellicus contulerat ei caſus. Juvenis etiam rex & fratres ſui ſub forma pacis ſubſcripta in miſericordiam patris & gratiam redierunt.

Hæc eſt concordia facta inter regem & filios ſuos
quam ſigillis ſuis roboraverunt.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris quod pax inter regem & filios ſuos, Henricum *vidilicet regem, &* Ricardum *&* Galfridum *in hunc modum Deo volente reformata eſt.* Henricus *rex filius regis & fra-*

tres ſui prædicti ad patrem ſuum & ad ſervicium ejus ſicut ad dominum ſuum redierunt liberi, & abſoluti ab omni juramento & mempriſa quam inter ſe vel cum aliis fecerunt contra eum vel homines ſuos. Et omnes homines & Barones qui à fidelitate patris cauſa eorum receſſerant: clamaverunt quietos ab omni juramento quod eis fecerant, & ita liberi, & quieti, & abſoluti ab omni conventione quam eis fecerant in hominium & ligantiam domini regis redierunt. Et dominus rex debet rehabere ipſe, & homines ſui & barones ſui, omnes terras & caſtella ſua quæ habuerunt xv. diebus antequam filii ſui ab eo recedebant. Similiter barones & homines ſui qui ab eo receſſerant & ſecuti ſunt filios ſuos, terras ſuas quas habuerunt xv. diebus antequam ipſi ab eo receſſerant debent integre rehabere. Et dominus rex remiſit omnem malitiam baronibus ſuis & hominibus qui ab eo receſſerunt, ita quod propter hoc nullum malum eis faciet quamdiu ei ſicut ligio domino ſuo ſervierint. Et rex filius ejus ſimiliter pardonavit omnibus tam clericis quam laicis qui cum patre ſuo fuerant omnem malitiam, & adſecuravit in manu domini regis patris ſui quod illis qui ſervierunt ei, nec malum, nec dampnum aliquod hac de cauſa faciet vel perquiret in tota vita ſua. Et dominus rex pro hac conditione donavit regi filio ſuo duo caſtella idonea in Normannia *ad voluntatem patris ipſius, & ſingulis annis xv. milia librarum* Andegavenſium. *Et dedit* Ricardo *filio ſuo duo receptacula idonea in* Pictavia *unde regi dampnum non poſſet provenire, & medietatem reddituum* Pictaviæ *in denariis.* Galfrido *vero filio ſuo dedit in* Britannia *in denariis medietatem maritagii filiæ Comitis* Conani *quam ducere debet in uxorem. Et poſtquam conceſſione* Romanæ *eccleſiæ eam duxerit in uxorem, habebit omnes redditus illius maritagii ſicut in Carta* Conani *Comitis continetur. Priſones vero domini regis, videlicet Rex* Scotiæ, *Comes* Leiceſtriæ, *& Comes* Ceſtriæ, *&* Radulphus de Fulgeriis, *& obſides eorum, & obſides aliorum priſonum quos prius habuerat ſunt extra conventionem iſtam. Alii autem priſones ex utraque parte deliberari debent. Ita ſcilicet quod dominus rex obſides accipiet de priſonibus ſuis de quibus habere voluerit & qui dare poterunt. Et de aliis habebit ſecuritatem per fidem & ſacramentum ſuum & amicorum ſuorum. Caſtella vero quæ firmata ſunt vel forciata poſtquam guerra incepit in terra domini regis, pro voluntate ſua debent redigi ad illum ſtatum in quo fuerunt xv. diebus ante guerram. Præterea* Henricus *rex filius domini regis, conceſſit domino regi patri ſuo ſe quam firmiter obſervaturum omnes donationes elemoſinarum quas dederat vel daturus erat de terris ſuis, & donationes terrarum quas dederat hominibus ſuis, vel daturus erat pro ſervicio ſuo. Conceſſit eciam ſe firmiter & inconcuſſe obſervaturum donationem quam dominus rex pater ſuus fecit* Johanni *fratri ſuo, videlicet de dominio ſuo mille libratas reddituum in* Anglia, *& de eſcaetis ſuis ad voluntatem ſuam, & caſtellum de* **Notyngham** *cum comitatu, & caſtellum de* **Markelge** *cum pertinentiis ſuis. Et in* Normannia *mille libratas reddituum* Andegavenſium, *& duo caſtella in* Normannia *ad voluntatem patris, & in* Andegavia, *& in terra quæ fuit Comitis* Andegaviæ *mille libratas reddituum* Andegavenſium, *& caſtellum unum in* Andegavia, *& unum caſtellum in* Turonica, *& unum caſtellum in* Cenomannia. *Conceſſum eſt autem à domino rege pro amore filii ſui, quod omnes illi qui propter filium ſuum ab eo receſſerunt, & in receſſu ſuo foriſfecerunt in terra domini regis, ad pacem domini revertantur, ita quod de catallis quæ in ſuo receſſu aſportaverant non reſpondeant, de morte vero, vel proditione, vel perditione alicujus membri ſecundum judicium & conſuetudinem terræ reſpondeant. Qui autem ante guerram quacumque de cauſa aufugerunt et ad ſervicium filii ſui venerunt, pro amore filii ſui ad pacem revertantur, ſi vadium & plegios dederint ſtandi judicio de hiis quæ ante guerram foriſfecerunt. Illi autem qui in placito erant quando ad filium ſuum receſſerunt, ad pacem revertantur, ita quod in eo ſtatu placita ſua ſint in quo erant quando receſſerunt. Hanc conventionem tenendam firmiter ex parte ſua* Henricus *rex filius domini regis & fratres ſui in manu patris aſſecuraverunt. Præterea idem filii aſſecuraverunt quod à domino rege patre ſuo nunquam amplius exigent ultra donationem præſcriptam & determinatam contra voluntatem & beneplacitum domini regis patris ſui, & quod neque ſe, neque ſervicia ſua ſubtrahent patri ſuo.*

Ricardus vero & *Galfridus* filii regis devenerunt homines ejus de hiis quæ eis dedit & conceſſit. Cumque filius ejus *Henricus* hominium ei facere voluiſſet, noluit rex hoc percipere, quia rex erat, ſed ab eo ſecuritatem accepit. Eodem anno *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus iiij. epiſcopos, videlicet *Wintoniæ*, *Herefordiæ*, *Ciceſtriæ*, & **Ely** apud *Cantuariam* in *Anglia* conſecravit. Qui poſt illorum conſecrationem per epiſcopatus provinciæ ſuæ tanquam legatus & primas totius *Angliæ* in multitudine magna equorum & hominum equitans magnum dampnum domibus religioſorum intulit & gravamen. Et cum uſque *Glouceſtriam* veniſſet clericos & officiales *Rogeri Eboracenſis* archiepiſcopi de eccleſia ſancti *Oſwaldi Glouceſtriæ* coram eo vocatos ab omni eccleſiaſtico ingreſſu ſuſpendit, pro eo quod eandem obedientiam quam cæteri clerici ſuæ provinciæ ſibi fecerant facere noluerunt; unde magna diſcordia inter ipſum & *Eboracenſem* archiepiſcopum eſt exorta. Eodem anno vehemens ignis villam *Cantuariæ* invadens omnibus eccleſiis ejuſdem fere combuſtis eccleſiam ſanctæ Trinitatis penitus concremavit.

An. Dñi 1175.

Anno ab incarnatione Domini M. Clxxv. *Henricus* rex *Angliæ* curia ſua in nativitate Domini apud *Argentonium* tenta inde in *Andegaviam* profectus caſtella ſua ibi cuſtodibus munivit. In Purificatione beatæ *Mariæ* fuit dominus rex & juvenis rex filius ejus apud *Cenomanniam*, & inde ſimul in *Normanniam* venientes in feſto ſancti *Mathiæ* apoſtoli colloquium apud *Giſortium* cum rege *Franciæ* habuerunt. Illis inde recedentibus, dominus rex rege filio ſuo apud *Rothomagum* dimiſſo in *Andegaviam* properavit. Et viſis ibidem caſtellis ſuis & aliis negotiis ſuis ibi factis, poſt mediam quadrageſimam in *Normanniam* ad *Cadomum* rediens, regi filio apud *Rothomagum* interim moranti ut ad eum feſtinanter veniret, & ſecum in *Angliam* transfretaret mandavit; ipſe vero ad patrem venire nolens, mandavit ei quod in *Angliam* non tranſiret. Nuncii enim regis *Francia* frequenter ad eum apud *Rothomagum* veniebant, & eum transfretare dehortabantur, dicentes, Quod ſi pater ejus eum in *Anglia* teneret, ipſum carceri manciparet, & ideo ad patrem ſuum venire non audebat. Dominus rex tamen iterum & iterum nuncios ſuos ad filium ſuum mittens, tandem animi ſui motum blandis & lenibus verbis adeo emollivit, quod ille ſpreto *Francorum* conſilio ad voluntatem patris rediens, uſque *Burum* ad eum protinus properavit, & ibi *Rothomagenſi* archiepiſcopo, & *Baiocenſi* epiſcopo, & comite *Willielmo*, & aliis quampluribus domini regis familiaribus præſentibus, pronus in terra ad pedes patris corruens, ut ab eo homagium & ligantiam acciperet ſicut à fratribus ſuis fecerat poſtulavit; & ſubjunxit quod ſi rex pater ſuus homagium recipere nollet, credere non poſſet quod eum veraciter diligebat. Tandem dominus rex pietate motus, homagio ſuo prece circumaſtantium accepto, ipſum ad colloquendum cum rege *Francia* deſtinavit, & ipſe interim ivit ad *Valons*, & ibi per aliquot dies moram faciens uſque ad *Burgum Caſaris* inde venit, & ibi in ipſa vigilia Paſchæ juvenis rex filius ſuus à rege *Francia* rediens, ad eum venit, ubi ſolempne feſtum Paſchale cum magno gaudio tenuerunt. Præcedente autem die Veneris paſſionis Domini, *Philippus* Comes *Flandria* crucem accepit, *Jeroſolimam* proxima æſtate in propria perſona iturus. Cui die Martis poſt clauſum Paſchæ ad loquendum cum domino rege & rege filio ſuo in *Normanniam* venienti, ipſi reges apud *Cadomum* occurrentes, ipſum honorifice ſuſceperunt, & ibi ipſi reges redditum mille marcarum argenti ad ſcaccarium *Anglia* recipiendum quem prædicto Comiti dederant Cartis ſuis inde ſibi confectis plenarie confirmarunt. Et pro hac confirmatione dictus Comes juvenem regem de ſua promiſſione quam ei pro homagio ſuo fecerat, & carta ſua confirmaverat quietum clamavit, et cartam quam inde à juvene rege habuit in manu regis patris illico liberavit, & ſic in *Flandriam* eſt regreſſus.

Tunc ipſi reges naves ſuas apud *Barbefluctum* aſcendentes vij. idus Maii feria vj. apud *Porteſmutham* in *Anglia* applicuerunt, & *Londoniam* venientes *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum & ſuffraganeos fere ſuos pro celebrando ibi concilio invenerunt. Prædictus itaque archiepiſcopus *Cantuarienſis* apud *Weſtmonaſterium* coram prædictis regibus aſſenſu & voluntate eorum xj. epiſcopis *Anglicis* provinciæ ſuæ, & epiſcopo ſancti *David* de *Wallia*, cum abbatibus ſancti *Albani*, ſancti *Edmundi*, & de *Buxleia* præſentibus, die Dominica proxima ante aſcenſionem Domini, ſcilicet xv. kal. Junii concilium celebravit. In quo clerici *Rogeri Eboracenſis* archiepiſcopi jus *Eboracenſis* eccleſiæ de cruce portanda infra provinciam *Cantuarienſis* archiepiſcopi vendicabant. Præterea calumpniati ſunt ibidem ex parte *Eboracenſis* archiepiſcopi, epiſcopatus *Lincolnia*, *Ceſtria*, *Wygornia*, & *Herefordia* de jure debere ad Metropolitanam *Eboracenſem* eccleſiam pertinere. Et appellatione ſuper hoc ad curiam *Romanam* ibidem interpoſita, iidem clerici eundem *Cantuarienſem* archiepiſcopum ſuper injuria & anathematis ſententia quam intulit clericis *Eboracenſis* archiepiſcopi in eccleſia ſancti *Oſwaldi Glouceſtria* miniſtrantibus, pro eo quod ad vocationem ſuam coram eo venire nolebant ſicut alii clerici ſuæ provinciæ fecerant, ad ſummum pontificem appellarunt. In ipſo eciam concilio petitum fuit, quod *Cantuarienſis* archiepiſcopus præciperet *Godefrido* epiſcopo ſancti *Aſſaph* ad ſedem eccleſiæ ſuæ cui pontificali præſentia præfuit redire, vel ut loco ipſius *Godefridi* alium ibi epiſcopum ordinaret. Ipſe enim *Godefridus* paupertate & *Wallenſium* infeſtatione compulſus, epiſcopatum ſuum deſeruit, veniensque in *Angliam* à Chriſtianiſſimo rege *Henrico* benigne ſuſceptus eſt. Qui abbathiam de **Abbingdon** tunc vacantem donec ad ſedem propriam liberum haberet regreſſum ſibi in cuſtodia liberavit; unde idem archiepiſcopus *Cantuarienſis* in ipſo concilio ad inſtantiam illorum quorum intererat, & domini papæ *Alexandri* amonitione, necnon conſilio venerabilium coepiſcoporum ſuorum, dictum *Godefridum* jam convenit, ut in vi obedientiæ ad ſedem propriam rediret, vel curam paſtoralem ſibi commiſſam in manu ipſius archiepiſcopi pure & abſolute reſignaret. Ipſe vero *Godefridus* ſperans quod abbathia ſibi tradita ei remaneret, epiſcopatum ſuum nullo cogente in manu *Cantuarienſis* archiepiſcopi reſignavit, baculum & anulum ſibi tradens. Et ipſe *Cantuarienſis* archiepiſcopus loco ipſius ad epiſcopatum illum quendam magiſtrum *Adam* ſtatuit & conſecravit.

Finito ſic dicto concilio, dicti reges peregrinatione ſua ad beatum *Thomam Cantuarienſem* peracta uſque **Redinges** inde redeuntes, in ipſa die Pentecoſtes curiam ſuam & feſtum regium tenuerunt. Et inde dominus rex unum de clericis ſuis ad eccleſiam *Norwicenſem* & ad abbathias per *Angliam* tunc vacantes cum literis ſuis miſit, ſignificans Priori & Conventui domorum vacantium, quod ipſe Prior cum quinque vel pluribus de diſcretioribus & ſapientioribus domus ſuæ qui ad hoc ſufficerent, in nativitate beati *Johannis Baptiſta* obviam ei & domino *Cant.* archiep. apud *Oxoniam* venirent ad paſtorem domui ſuæ neceſſarium eligendum. Et præcepit quod unuſquiſque Prior literas ſui Conventus de ratihabitione ſecum ferret. Similiter *Cantuarienſis* archiepiſcopus illud idem per unum de clericis ſuis ad dictas domos vacantes cum dicto regis clerico ſcripſit & mandavit. Erant autem tunc temporis præter epiſcopatum *Norwicenſem* xij. abbathiæ in provincia *Cantuarienſi* per *Angliam* vacantes, videlicet, de **Grimeſby**, *Croulandia*, **Thorney**, **Holm**, **Weſtmuſter**, ſancti *Auguſtini Cantuaria*, de *Bello*, de *Hyda*, de *Wyntonia*, de **Abbyngdon**, de **Abboteſbiry**, de *Monchennia*. Interim Comitibus & Baronibus *Anglia* per dominum regem de captione venationis ſuæ implacitatis & in miſericordia ſua poſitis, idem rex & rex filius ejus in feſto apoſtolorum *Petri* & *Pauli* magnum concilium cum *Reſo* filio *Griffini* & aliis regulis *Wallia* apud *Gloverniam* tenuerunt, ubi rex hominibus ſuis *Wallicis*, *Francis*, & *Anglis* præcepit, quod ſi aliquis *Wallenſium* contra aliquem illorum guerram in terra regis moveret, omnes unanimiter conſtanti animo cum eo contra *Wallenſes* tenerent. Et ad hæc obſervanda fecit dominus rex comitem *Glouceſtriæ* & alios magnates illius patriæ ſuper ſancta Evangelia jurare.

Circa octabas nativitatis beati *Johannis Baptiſta* regibus prædictis uſque **Wodeſtoke** venientibus, *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus & viij. epiſcopi ejuſdem provinciæ & plures abbates de eadem eiſdem ibidem ad illum terminum occurrerunt de paſtore ad ſedem *Norwicenſem* & aliis paſtoribus per abbathias tunc vacantes eligendis & inſtituendis coram dictis regibus ibidem concilium celebrantes. In eodem vero concilio de mandato *Alexandri* papæ electio *Gaufridi Lincolnienſis* electi confirmata eſt, ſed dominus rex pater ſuus noluit ut ipſe tunc conſecraretur, quia ille infra annos ætatis adhuc exiſtens, neſcivit tanti oneris & honoris regere dignitatem, & ideo miſit eum rex *Turonum* ut ſcolas ibi exerceret & diſceret donec dignus eſſet ad tantum onus ſuſcipiendum. Celebratoque concilio prædicto, rex in feſto ſancti *Petri* ad vincula venit uſque **Notyngham**, & ibi baronibus, militibus, clericis, & villanis illius patriæ pro venatione regis capta implacitatis, et in miſericordia ſua et redemptione poſitis, venit in feſto ſancti *Laurencii Eboracum*, ubi *Willielmus* rex *Scotiæ* ſibi occurrit ducens ſecum omnes epiſcopos, comites et barones, milites, et francos tenentes terræ ſuæ ad homagia et ligantias, et fidelitates regi *Angliæ* et hæredibus ſuis contra omnes homines imperpetuum faciendas, ſicut inter eos apud *Faleiſiam* in *Normannia* convenerat antequam rex *Scotiæ* de ejus carcere ducebatur.

Omnibus itaque in eccleſia ſancti *Petri Eboracenſi* congregatis, inprimis *Willielmus* rex *Scotiæ* et *David* frater ejus homagia ſua regi *Angliæ* fecerunt, et ei fidelitates et ligantias de omnibus tenementis ſuis nominatim de *Scotia* et *Galeweia* contra omnes homines tactis evangeliis et reliquiis juraverunt. Et poſtea homines junioris regis filii ſui per fidelitates ſuas et homagia devenerunt, fidelitate tamen patris ſui in omnibus ſemper ſalva. Similiter *Ricardus* ſancti Andreæ, *Jocelinus* Glaſcuenſis, *Ricardus* Dunkeldenſis, *Chriſtianus* de Galeweia, *Andreas* Catinenſis, *Simon* Moravienſis epiſcopi, ac eciam abbas de *Kelzan*, abbas de *Menros*, abbas de *Neubodde*, et omnes alii terræ ſuæ abbates fidelitates et ligantias prædictis regibus et eorum hæredibus imperpetuum tenendas per præceptum regis *Scotiæ* juraverunt.

Juraverunt eciam quod eandem ſubjectionem eccleſiæ *Anglicanæ* facerent quam prædeceſſores ſui facere conſueverant et debebant. Juraverunt eciam prædicti epiſcopi, quod ſi rex *Scotiæ* conventionem et finem quem regi *Angliæ* fecerat tenere nollet, ipſi ipſum et terram ſuam donec ad beneplacitum regis *Angliæ* veniret ſupponerent interdicto. Similiter Comes *Dunecan*, et Comes de *Anegos*, et Comes *Waldenus*, et alii Comites et Barones regni regis *Scotiæ* per præceptum illius, homines prædictorum regum *Angliæ* devenerunt, et eis fidelitates et ligantias contra omnes homines juraverunt, fidelitate ſenioris regis patris dum viveret ſemper ſalva. Juraverunt eciam dicti Comites et Barones terræ *Scotiæ*, quod ſi rex *Scotiæ* à prædicta conventione recederet, ipſi cum rege *Angliæ* contra eum tenerent donec ipſe ad condignam veniret ſatisfactionem et regis *Angliæ* voluntatem. Tunc rex *Angliæ* fecit legere coram omnibus quandam conventionem ſigillis dicti regis *Scotiæ* et *David* fratris ejus roboratam, quæ inter ipſos reges *Angliæ* et *Scotiæ* apud *Faleiſiam* in *Normannia*, ut dictum eſt, facta fuerat in hunc modum.

Hæc eſt conventio & finis quæ Willielmus *rex* Scotiæ *fecit cum domino ſuo* Henrico *rege* Angliæ *filio* Matildis *imperatricis*, *videlicet quod dictus* Willielmus *rex* Scotiæ *devenit homo ligius domini regis* Angliæ *contra omnem hominem*, de Scocia, *& de omnibus terris ſuis aliis, & fidelitatem ei fecit ut ligio domino ſuo ſicut alii homines ſuo principi facere ſolent; ſimiliter fecit homagium* Henrico *filio ſuo, & fidelitatem ſalva fidelitate domini regis patris ſui. Omnes vero epiſcopi, & abbates, & clerici terræ regis* Scotiæ *& ſucceſſores ſui facient domino regi ſicut ligio domino ſuo fidelitatem de quibus habere voluerit, ſicut alii epiſcopi ſuo principi facere ſolent, &* Henrico *filio ſuo regi, & hæredibus eorum. Conceſſerunt eciam rex* Scotiæ *&* David *frater ſuus, Comites & Barones, & alii homines ſui domino regi* Angliæ, *quod eccleſia* Scotiæ *talem amodo eccleſia* Angliæ *faciet ſubjectionem qualem illi facere debet & ſolebat tempore regum* Angliæ *prædeceſſorum ſuorum. Similiter* Ricardus *ſancti* Andreæ, Ricardus Dunkeldenſis *epiſcopi, &* Galfridus *abbas de* Donfermelyn, *&* Herbertus de Coldyngham *conceſſerunt quod eccleſia* Angliæ *illud jus habeat in eccleſia* Scotiæ *quod de jure habere debet, & quod ipſi non erunt contra jus* Anglicanæ *eccleſiæ, & ſicut ligiam fidelitatem domino regi* Angliæ *&* Henrico *filio ſuo fecerant eos inde aſſecuraverunt. Hoc idem facient alii epiſcopi & clerici* Scotiæ *per conventionem inter dominum Regem* Angliæ *& regem* Scotiæ *&* David *fratrem ſuum, & Barones ſuos factam. Comites & Barones de terra regis* Scotiæ *de quibus dominus rex* Angliæ *homagium habere voluerit facient ei homagium contra omnem hominem & fidelitatem ut ligio domino ſuo ſicut alii homines ſui ei facere ſolent, &* Henrico *regi filio ſuo & hæredibus ſuis, ſalva fidelitate domini regis patris ſui. Similiter hæredes regis* Scotiæ, *& hæredes Comitum, Baronum, & hominum ſuorum homagium & ligantiam facient hæredibus domini regis contra omnem hominem. Præterea rex* Scotiæ *& homines ſui nullum amodo fugitivum de terra domini regis pro felonia receptabunt in* Scotia *vel in alia terra ſua niſi voluerit venire ad rectum in curia domini regis, & ſtare judicio curiæ, ſed rex* Scotiæ *& homines ſui quamcitius poterunt eum capient & reddent domino regi, vel juſticiariis ſuis, aut ballivis in* Anglia. *Si autem de terra regis* Scotiæ *aliquis fugitivus fugerit pro felonia in* Angliam, *niſi voluerit venire ad rectum in curia regis* Scotiæ, *per ballivos domini regis ubi inventus fuerit capiatur. Et ſi voluerit ſtare judicio curiæ domini regis vel regis* Scotiæ, *non receptabitur in terra domini regis, ſed liberabitur hominibus regis* Scotiæ *per ballivos domini regis ubi inventus fuerit. Præterea homines domini regis habebunt terras ſuas quas habebant & habere debent de rege* Scotiæ *& de hominibus ſuis. Et homines regis* Scotiæ *habebunt terras ſuas quas habebant & habere debent de domino rege & hominibus ſuis. Pro iſta vero conventione & fine firmiter obſervandis domino regi &* Henrico *filio ſuo regi & hæredibus ſuis à rege* Scotiæ *& hæredibus ſuis, liberavit rex* Scotiæ *domino regi caſtellum de* Rokesburgh, *& caſtellum de* **Berewike**, *& caſtellum de* Gedeworth, *& caſtellum* Puellarum, *& caſtellum de* Strivilina *in miſericordia domini regis. Et ad cuſtodienda caſtella illa aſſignabit rex* Scotiæ *de redditu ſuo menſurabiliter ad* *voluntatem domini regis. Praterea pro pradicta conventione & fine exequendo, liberavit rex* Scotiæ *domino regi fratrem ſuum* David *in obſidem, & Comitem* Dunecan, *& Comitem* Baldewynum, *& Comitem* Gilibertum, *& Comitem* Danegos, *&* Ricardum de Nevill *Conſtabularium, &* Reſum *filium* Willielmi, *&* Ricardum Comyn, *&* Walterum Corbet, *&* Walterum Olifard, *&* Johannem de Vals, *&* Willielmum de Lyndeſeye, *&* Philippum de Colevylle, *&* Philippum de Valoins, *&* Robertum de Frenbert, *&* Robertum de Turbelvill, *&* Hugonem Giffard, *&* Hugonem Ridell, *&* Walterum de Bercheſſley, *&* Willielmum de Haia, *&* Willielmum de Mortimer. *Quando vero caſtella reddita fuerint,* Willielmus *rex* Scotiæ *et* David *frater ejus deliberabuntur. Comites quidem et Barones pranominati unuſquiſque liberavit obſidem ſuum, ſcilicet filium legitimum qui habuerit, et alii nepotes ſuos vel propinquos ſibi haredes, et caſtellis, ut dictum eſt, redditis deliberabuntur. Praterea Rex* Scotiæ *& Barones ſui pranominati aſſecuraverunt, quod ipſi bona fide et ſine malo ingenio, et ſine occaſione facient, quod ipſi et barones et homines terra ſua qui non affuerunt quando rex* Scotiæ *cum domino rege finivit, eandem ligantiam et fidelitatem facient domino regi et* Henrico *filio ſuo quam ipſi fecerant, et homines qui non affuerunt obſides liberabunt domino regi de quibus habere voluerit. Praterea epiſcopi, et homines, et Comites, et Barones conventionaverunt domino regi et* Henrico *filio ſuo, quod ſi rex* Scotiæ *aliqua cauſa à fidelitate domini regis et filii ſui, et à conventione pradicta recederet, ipſi cum domino rege ſicut cum ligio domino ſuo tenebunt contra regem* Scotiæ, *et contra omnes homines domino regi inimicantes, et ipſi ſub interdicto ponent terram regis* Scotiæ *donec ipſe ad fidelitatem domini regis redeat. Pradictam itaque conventionem firmiter obſervandam bona fide et ſine malo ingenio domino regi, et* Henrico *filio ſuo, et haredibus ſuis à* Willielmo *rege* Scotiæ, *et* David *fratre ſuo, et à baronibus ſupradictis, et haredibus eorum aſſecuravit ipſe rex* Scotiæ, *et* David *frater ſuus, et omnes barones ſui pranominati ſicut legii homines domini regis contra omnem hominem, et* Henrici *filii ſui, ſalva fidelitate domini regis patris ſui. Teſte* Alberico Ric: *et* Johanne Sariſberienſi *decano,* Roberto *abbate de* Malmesbiria, R. *abbate de* Muntesberg, Herberto *archidiacono* Northamtoniæ, Waltero de Cuſtanciis, Rogero *capelle capellano,* Osberto *clerico de Camera,* Ricardo *filio domini regis Comite* Pictaviæ, Galfrido *filio domini regis Comite* Britanniæ, Willielmo *Comite de* Eſſexia, Hugone *Comite* Ceſtriæ, Ricardo Humet *Conſtabulario, Comite de* Mellent, Jordane Teſſun, Unfredo de Boun, Willielmo de Tracy *ſeneſcallo,* Willielmo *filio* Aldelini *ſeneſcallo apud* Faleiſiam.

Hiis itaque apud *Eboracum* geſtis, dominus rex dedit & conceſſit regi *Scotia* licentiam promovendi exercitum in *Galeweiam* ad *Gilbertum* filium *Fergi* debellandum pro eo quod à fidelitate ſua receſſerat, & fratrem ſuum *Uctredum* nequiter interfecerat, ut ſuperius eſt notatum. Et rex *Scotia* ſtatim ab *Eboraco* verſus *Scociam* cum ſua familia regreſſus eſt. Et dominus rex, comites & barones, & eciam clericos, tam comitatus *Eboracenſis* quam eccleſiæ ſancti *Petri*, ibidem de foreſtis & venatione capta in illis partibus placitavit; & poſtea ipſe rex, & rex *Henricus* filius ſuus cum eo verſus *Londoniam* redierunt.

FEſto poſtea ſancti *Michaelis* appropinquante applicuerunt in *Angliam* ex parte *Roderici* regis *Connactenſis Hybernia Catholicus* archiepiſcopus *Tuamenſis*, *Cantordus* abbas ſancti *Brendani*, & magiſter *Laurentius* cancellarius regis *Connactenſis*. Et *Henrico* rege *Anglia* filio *Matildis* imperatricis apud **Wyndesore** invento, inter ipſum & dominum ſuum regem *Conacta* qui eos miſerat coram *Henrico* rege filio ſuo & archiepiſcopo *Cantuarienſi* & aliis epiſcopis, Comitibus, & Baronibus *Anglia* ibi in octabis ſancti *Michaelis* de mandato regis congregatis, pacem fecerunt & concordiam infra ſcriptam.

Hæc eſt finis & concordia facta apud **Windeſore** in octabis ſancti *Michaelis* anno ab incarnatione Domini M. Clxxv. inter *Henricum* regem *Anglia* & *Rodericum* regem *Connactenſem* per *Catholicum* archiepiſcopum *Tuamenſem*, *Cantordem* abbatem ſancti *Brendani*, & magiſtrum *Laurentium* cancellarium regis *Connactenſis*, ſcilicet quod rex *Anglia Henricus* concedit prædicto *Roderico* ligio homini ſuo quamdiu ei fideliter ſerviet, quod ſit rex ſub eo paratus ad ſervicium ſuum ſicut homo ſuus, & quod terram ſuam teneat ita bene & in pace ſicut tenuit antequam dominus rex *Anglia Hyberniam* intravit, reddendo ei tributum. Et totam aliam terram & habitatores terræ habeat ſub ſe, & juſtificet ut tributum regi *Anglia* integre per manum ejus perſolvant, & ſua jura ſibi conſervent. Et illa quæ modo tenent, teneant in pace quamdiu permanſerint in fidelitate regis *Anglia*, & ei fideliter & integre perſolverint tributum & alia jura ſua quæ ei debent per manum regis *Conacta*, ſalvo in omnibus jure & honore domini regis *Anglia* & ſuo. Et ſi qui ex eis regi *Anglia* & ei rebelles fuerint, & tributum, & alia jura regis *Anglia* per manum ſuam ſolvere noluerint, & & à fidelitate regis *Anglia* receſſerint, ipſe eos juſtificet & amoveat, & ſi eos per ſe juſtificare non poterit, conſtabularius regis *Anglia* & familia ſua de terra illa juvabunt eum ad hoc faciendum cum ab ipſo fuerint requiſiti, & ipſi viderint quod neceſſe fuerit. Et propter hunc finem reddet prædictus rex *Conacta* domino regi *Anglia* tributum, ſcilicet de ſingulis x. animalibus unum corium placabile mercatoribus tam de tota terra ſua quam de alia, excepto quod de aliis terris ſuis quas dominus rex *Anglia* retinuit in dominio ſuo, & in dominio baronum ſuorum nichil ſe intromittet; ſcilicet *Dunelma* cum omnibus pertinentiis ſuis, & *Mida* cum omnibus pertinentiis ſuis ſicut unquam *Murchat va Mailethlachun* eas melius & plenius tenuit, aut aliqui qui de eo eam tenuerunt. Et excepta *Weſefordia* uſque ad *Duncarvan*. Itaque *Duncarvan* ſit cum omnibus pertinentiis ſuis infra terram illam. Et ſi *Hybernienſes* qui aufugerunt redire voluerint ad terram baronum regis *Anglia* redeant in pace, reddendo tributum prædictum ſicut alii reddunt vel faciendo antiqua ſervicia quæ facere ſolebant pro terris ſuis; & hoc ſit in arbitrio & voluntate dominorum ſuorum. Et ſi aliqui redire noluerint, & dominum requiſierint regem *Conacta*, ipſe cogat

An. Dñi 1175.

eos redire ad terram ſuam ut ibi maneant & pacem habeant. Et rex *Conacta* accipiat obſides ab omnibus quos ei commiſit rex *Angliæ* ad voluntatem domini regis & ſuam, & ipſe dabit obſides ad voluntatem domini regis *Angliæ* illos vel alios, & ipſi ſervient domino regi *Angliæ* de canibus ſuis & avibus ſuis ſingulis annis de præſentibus ſuis, & nullum omnino de quacunque terra domini regis ſit retinebunt contra voluntatem & mandatum domini regis. Teſtibus hiis, *Ricardo* epiſcopo *Wyntoniæ*, *Galfrido* epiſcopo *Elyenſi*, *Laurencio Dublenenſi*, archiepiſcopo *Galfrido*, & *Nicholao* & *Rogero* capellanis regis, *Willielmo* Comite *Eſſexiæ*, *Ricardo de Lucy*, *Galfrido de Pertico*, *Reginaldo de Courteneia*.

In eodem Concilio dominus rex Angliæ dedit magiſtro *Auguſtino* Hibernienſi epiſcopatum Waterfordiæ in Hibernia tunc vacantem, & cum *Laurencio* Dublenenſi archiepiſcopo pro conſecratione ſua ad *Donatum* Caſſelenſem archiepiſcopum eum miſit. Et ipſe fuit primus epiſcopus per regem Angliæ in Hibernia conſtitutus. Eodem anno extitit in Anglia & in regionibus circumjacentibus peſtifera hominum mortalitas, quàm dira fames ſecuta eſt. Eodem anno paulo ante feſtum omnium Sanctorum *Hugo* Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus pro quo dominus rex miſerat, in Angliam venit. Qui à rege cum rege filio ſuo apud Wintoniam ſibi occurrente honorifice ſuſceptus eſt, ubi dominus rex per aliquot dies moram faciens de pace inter *Ricardum* Cantuarienſem archiepiſcopum, & *Rogerum* Eboracenſem archiepiſcopum facienda de delatione crucium eorum, & de capella ſancti *Oſwaldi* Glouceſtriæ diutiſſime tractavit. Et tandem de conſilio regis inter eos ita convenit, quod dictus *Cantuarienſis* archiepiſcopus prædictam capellam liberam ſicut dominicam capellam Domini regis. ab omni juriſdictione ſua dicto archiepiſcopo *Eboracenſi* quietam clamavit, & clericos ſuos ibidem quos vinculo excommunicationis innodaverat, abſolvit. Et quod de cruce portanda & aliis controverſiis quæ inter eccleſias ſuas vertebantur, ſtarent judicio Rothomagenſis archiepiſcopi & aliorum epiſcoporum de regno Franciæ vicinorum. Et quod ſicut de prædictis controverſiis à proximo feſto ſancti *Michaelis* ſequente uſque ad finem 5. annorum ſubſequentium pacem inter ſe haberent; ita quod neuter eorum alteri malum vel dampnum quæreret donec controverſia illa per dictum Rothomagenſem archiepiſcopum & alios vicinos epiſcopos regni Franciæ determinata eſſet & ad debitum finem deducta.

Hiis ita geſtis, prædictus Cardinalis *Hugo* ſive *Hugezoun* dedit & conceſſit domino regi auctoritatem, & licentiam trahendi clericos coram judice ſeculari pro forisfacto foreſtæ & venatione ſua capta & laico feodo. Ecce menbrum ſathanæ, ecce ipſius ſathanæ condictus ſatelles, qui tam ſubito de paſtore raptor factus, videns lupum venientem fugit, & dimiſit oves ſibi à domino papa commiſſas, pro quarum tutatione, ſed, ut veriùs dicam, pro regis ambitione, à Romana ſede in Angliam miſſus erat; unde illis temporibus rex omnes fere terræ ſuæ tam clericos quam laicos de foreſta implacitat, eo quod tempore guerræ & contra ejus mandatum foreſtas ſuas ingreſſi ſunt. Eodem anno ante natale Domini *Ricardus* Cantuarienſis archiepiſcopus ad abbathiam ſancti *Petri de Burgo* venit, & *Willielmum de Watervilla* ejuſdem domus abbatem depoſuit pro eo quod ipſe contra voluntatem monachorum ſuorum armata manu militum clauſtrum & eccleſiam vi & violentia intrans, reliquias Sanctorum ſimul cum brachio ſancti *Oſwaldi* pro denariis ad Judæos invadendos extraxit, & pro eo quod ipſi milites monachis & eccleſiæ miniſtris eis repugnantibus & reliquias ſuas defendentibus, mortifera vulnera infixerunt.

An. Dñi 1176.

Adveniente itaque anno incarnationis Domini M. Clxxvj. *Henricus* rex Angliæ & rex filius ſuus cum eo in nativitate Domini apud **Wyndesore** curiam tenuerunt, *Hugezoun* Cardinali prædicto in eodem feſto cum *Rogero* Eboracenſi archiepiſcopo exiſtente. Et circa feſtum ſancti *Pauli* converſionis dominus Rex uſque **Northamton** veniens, ibi cum Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus ſuis Angliæ de regni ſui ſtatutis magnum concilium celebravit. Ad iſtud autem concilium *Willielmus* rex Scotiæ, qui in ſignum compoſitionis & ſubjectionis quas cum domino rege perante apud Eboracum, ut dictum eſt, fecerat, & ibi capellum, lanceam, et ſellam ſuam ſuper altare ſancti *Petri* ad perpetuam hujus ſubjectionis memoriam optulerat; quæ ibidem uſque hodie conſervantur, de mandato domini regis Angliæ ad dictas compoſitionem et ſubjectionem adhuc declarandas, quas poſtea *Gregorius* papa in diverſis reſcriptis regibus Angliæ et Scotiæ directis mandavit firmiter obſervari, uſque **Northamton** veniens, adducens ſecum *Ricardum* ſancti Andreæ, *Jocelinum* Glaſcuenſem, *Ricardum* Dunkeldenſem, *Chriſtianum* Candidæ Caſæ ſive Galeweyæ, *Andream* de Cateneſſa, et *Simonem* Moravenſem Epiſcopos cum Abbatibus et Prioribus terræ ſuæ ad ſubjectionem Anglicanæ eccleſiæ faciendam.

Tunc dominus rex exegit ab eis in fide quam eis debeant et per ſacramentum quod illi fecerant, ut eandem ſubjectionem eccleſiæ Anglicanæ facerent quam ei debeant et temporibus prædeceſſorum ſuorum regum Angliæ facere ſolebant. Et illi reſponderunt, quod nunquam ipſi nec prædeceſſores ſui eccleſiæ Anglicanæ ſubjectionem fecerant aliqualem, nec quod ipſi aliquam ei facere deberent. Ad hoc reſpondit *Rogerus* Eboracenſis archiepiſcopus, quod tempore prædeceſſorum ſuorum epiſcopi Glaſcuenſes ſubjectionem metropolitanæ eccleſiæ Eboraci fecerant, et ſuper hoc oſtendit bullas et alia neceſſaria munimenta quæ inde præ manibus habuit. Tunc magna diſcordia inter archiepiſcopos Cantuarienſem et Eboracenſem de ſubjectione illa habenda orta eſt. Nam uterque illorum ſubjectionem illam ſuæ eccleſiæ fieri dicebat. Et ſic concilio finito prædicti epiſcopi Scotiæ accepta à domino rege licentia receſſerunt. Et exinde ad *Alexandrum* papam nuncios miſerunt poſtulantes ut eos in manu ſua reciperet, et à ſubjectione illa tutaret quam ab eis Anglicana eccleſia exigebat.

Interim venit ad curiam domini regis prædictus *Hugezoun* Cardinalis et de conſilio domini regis, omnes epiſcopos, abbates, et Priores totius Angliæ citari fecit quod eſſent coram eo Londoniæ in media Quadrageſima ad mandata ſummi pontificis audienda. Media igitur Quadrageſima adveniente, dominus rex, et rex filius ſuus, et dictus cardinalis, ac *Ricardus* Cantuarienſis archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis, et *Rogerus* Eboracenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis Londoniæ advenerunt. Et congregatis apud Weſtmonaſterium in capella infirmorum monachorum coram dicto Cardinali, archiepiſcopis, et epiſcopis prædictis, contentio inter archiepiſcopos quis eorum à dextris ipſius Cardinalis ſederet orta eſt. Volebat enim Cantuarienſis archiepiſcopus dexteram ipſius tenere, et hoc de jure dicebat ad dignitatem Cantuarienſis eccleſiæ pertinere. Sed Eboracenſis mature veniens primam ſedem à dextris Cardinalis occupavit, eandem ſibi competere allegans ex antiquo beati *Gregorii* papæ decreto quo ſtatutum noſcitur, ut Metropolitanorum Angliæ ipſe prior habeatur qui primo fuerit ordinatus. Illis ita contendentibus, monachi, et familiares qui cum Cantuarienſi archiepiſcopo venerant, in archiepiſcopum Eboracenſem locum præmature occupantem irruentes, ipſum in terram pronum projectum ſuis pedibus conculcarunt. Qui crebris ictibus cæſus capa qua indutus erat fracta vix demum de eorum manibus eſt ereptus. Quod dictus Cardinalis inſpiciens vehementer doluit, & mox dictum *Cantuar.* archiep. ad ſedem apoſtolicam appellavit, imponens ei hoc factum fuiſſe per ejus conſilium ad domini papæ dedecus & ipſius. Et ſtatim ipſe Cantuarienſis eundem Cardinalem ad domini papæ audientiam de ſuſpecto gravamine appellavit. Archiepiſcopus eciam Eboracenſis dictum Cantuarienſem ad curiam Romanam appellavit, imponens ei hanc violentiam ſibi factam fuiſſe à ſuis per ipſius conſilium & voluntatem. Similiter ipſe Eboracenſis *G.* Elienſem epiſcopum appellavit, imponens ei quod in eum manus injecit temere violentas. Sicque finito concilio, prædictus Cardinalis convocatis epiſcopis, abbatibus, Prioribus, & omni clero qui aderat, coram illis dictam appellationem quam fecerat renovavit, & data benedictione omnes abcedere permiſit. Et *Rogerus* Eboracenſis archiepiſcopus ad regem in eccleſiam intrans, injuriis ei illatis ſibi oſtenſis ipſum regem adverſus dominum Cantuarienſem & Elienſem eciam epiſcopum in iram & odium concitavit: unde eadem die dominus Cantuarienſis ad dictum Cardinalem accedens pecuniam ei ſpoſpondit, & ſedato eo, uterque illorum appellationem ſuam alteri remiſit. Sed Eboracenſis archiepiſcopus nullam concordiam cum eo inire voluit niſi in præſentia ſummi pontificis & per ipſum.

Poſtea tamen eodem anno concilio pro pace inter ipſos archiepiſcopos & epiſcopum Elienſem facienda apud Wintoniam per regem tunc ibidem exiſtentem congregato, dictus *Rogerus* Eboracenſis archiepiſcopus coram epiſcopis & regni magnatibus domino regi conqueſtus eſt, quod *Galfridus* Elienſis epiſcopus in concilio Cardinalis, ut dictum eſt, manus injecerat in eum temere violentas. Quod Elienſis epiſcopus expreſſe negans, in conſpectu regis & epiſcoporum circum aſtancium ſacroſanctis evangeliis coram eo poſitis; de hoc in verbo veritatis legitime ſe purgavit, quam quidem purgationem legaliter fore factam ipſe Cantuarienſis archiepiſcopus in verbo veritatis atteſtatus eſt. Et ſic ipſi archiepiſcopus Eboracenſis, & epiſcopus Elienſis iram hinc inde remittentes amici ſunt. Tunc dominus rex ut pax firma & concordia inter dictos archiepiſcopos fieret in quantum ſe potuit intromiſit; quæ licet tunc fieri non potuit demum tamen uterque illorum ad inſtantiam regis conceſſit, quod pax & concordia per quinquennium inter eos ſtaret, & quod neuter illorum alteri infra illud tempus aliquod dampnum perquireret, vel gravamen in verbo Dei & virtute Spiritus ſancti coram præſentibus juraverunt.

Interea juvenis rex licentiam eundi in peregrinatione ad ſanctum *Jacobum* à patre ſuo cum inſtantia petiit diligenti. Sed cum pater ejus percepiſſet hoc propoſitum non ex magna devotione ſed ex pravo adulatorum conſilio emanare, qui eum à dulcedine paternæ caſtigationis eripere nitebantur, animi ſui motus nunc aſperis, nunc blandis emollire ſatagebat, ut ſic ſaltim ab illo propoſito eriperetur. Et demum cum rex pater hoc facere non potuit, conceſſit ei ut in Normanniam transfretaret. Itaque licentia à patre ſuo accepta, ipſe & uxor ſua regina ad navigandum in Normanniam Porteſmutam cum ſua familia petierunt. Sed quia ventus erat eis contrarius, moram apud Porceſtriam per dies aliquot traxerunt, auram ibi proſperam exſpectantes. Appropinquante igitur ſolempnitate Paſcali dominus rex pater Wintoniam veniens pro rege filio ſuo, ſuper paſſagium ſuum apud Porceſtriam moram ut jam diximus trahente, deſtinavit; qui regina uxore ſuo ibi dimiſſa ad patrem ſuum Wintoniæ properavit. Interim filii regis *Ricardus* Comes Pictaviæ, & *Galfridus* Comes Britanniæ in ipſa die Paraſceve domini in Angliam apud Southamtoniam applicantes, in craſtino in vigilia Paſchæ Wintoniæ ad patrem ſuum venerunt, à quo cum gaudio magno recepti ſunt.

Tunc dominus rex de præſentia filiorum ſuorum lætior factus ſolempne feſtum cum illis & aliis terræ magnatibus celebravit. Feſto autem illo condigni honoris celebrato cum dominus rex adventus *Ricardi* & *Galfridi* filiorum ſuorum didiciſſet, à filio ſuo rege impetravit, quod iter peregrinationis ſuæ ad ſanctum *Jacobum* differret, donec pax inter *Ricardum* fratrem ſuum & barones *Pictaviæ* guerram tunc contra eum ibi moventes, fuerit reformata. Qui patris voluntati condeſcendens, conceſſit ut ſecum iret ad ſuos inimicos debellandum. Et ſic licentia accepta, ad uxorem ſuam *Porceſtriæ* revertens xiij. kal. Mai navibus ibi aſcenſis, in craſtino in *Normanniam* apud *Barbeſluctum* cum regina ſua applicuit. Qui inde ad regem *Franciæ* videndum protinus deceſſerunt.

Apropinquante autem nativitate ſancti *Iohannis Baptiſtæ* prædictus *Hugezon* ſedis apoſtolicæ legatus rege ſibi conductum præſtante in *Normanniam* transfretavit. Qui in ea per epiſcopatus, & abbathias officium legationis ſuæ exercens, ad curiam *Romanam* poſtea remeavit. Interim rex *Scociæ*, & epiſcopi ſui infeſtationem regis *Angliæ*, & *Rogeri Eboracenſis* archiepiſcopi timentes, ad dominum papam latenter ſuos nuncios tranſmiſerunt, ipſum humiliter deprecantes, ut eis unum Cardinalem qui cauſam controverſiæ quæ inter eos, & *Anglicanam* eccleſiam, de ſubjectione eidem facienda vertebatur cognoſceret, deſtinaret. Miſſus eſt itaque ad eos *Vivianus* titulo ſancto *Stephani* de Cœlio monte presbyter Cardinalis, qui legationem *Scociæ*, ac *Hiberniæ*, & *Norwegiæ* ſuſceperat inſularum. Qui circa feſtum ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* in *Anglia* ſine regis licentia applicans, cum paulo poſt ad *Northamptoniam* veniſſet, rex ad eum *Wintonienſem* & *Elienſem* epiſcopos deſtinavit, ut ſciſcitarent ab eo cujus licentia in *Angliam* applicuit,

cuit, & ei inſuper intimarent, quod rex eum ultra procedere non permitteret, niſi vellet voluntati ſuæ regiæ conſentire. Ipſe vero ſibi timens, & hinc inde periculum ſentiens, tandem ad hoc illorum conſilio adquievit. Fecit ergo eum rex in verbo veritatis jurare, quod nihil quod contra ipſum, vel regnum ſuum eſſet in legatione ſua agere attemptaret. Regia itaque voluntate facta, prædictus Cardinalis rege ſibi conductum præſtante & literas protectionis ſuæ ei tradente iter ſuum verſus *Scociam* ſtatim cepit.

Et poſtea circa feſtum natalis Domini apud civitatem *Wintercia* in *Galeweia* naves aſcendens, in inſula de **Man** applicuit, ubi à *Gnotredo* rege illius inſulæ, & à clero & populo ejuſdem honorifice ſuſceptus, motam per dies xv. ibi fecit. Et inde in *Hiberniam* tranſiens apud *Dun* in *Vltonia* homines ſuos qui poſt eum in *Galeweia* remanſerant exſpectavit. Qui cum veniſſent, ipſe inde recedens cum verſus *Dublenniam* juxta maritima tranſiſſet, magno exercitu *Johannis de Curcy* pro civitate capienda congregato per infortunium obviavit. Cujus exercitus cuſtodes præeuntes ipſius cardinalis præambulos & ſummarios ceperunt, eos donec *Johannes de Curcy* reddi præceperat retinendo. Ipſe autem *Johannes de Curcy* contra prohibitionem *Willielmi* filii *Aldelmi* qui ei præfuerat, ad civitatem epiſcopalem de *Dun* quæ eſt caput *Vltonia* ubi corpora ſanctorum *Patricii* & *Columba* & ſanctæ *Brigida* virginis requieſcunt, cum exercitu ſuo venit, & inſulto facto fortiter eam cepit, amiſſa tamen hinc inde exercitus parte magna. Cumque *Rodericus* rex *Vltoniæ* audiſſet quod urbs illa capta eſſet, exercitum in tantum quantum potuit congregavit, & uſque *Dun* veniens cum *Johanne de Curcy* & ſuo exercitu præliavit, ubi *Johanne* cum ſuis victore exiſtente, prædictus *Rodericus* rex *Vltonia* relicto campo cum ſuis aufugit. In illo autem prælio captus fuit epiſcopus de *Dun*, quem dictus *Johannes de Curcy* præcepit dicti cardinalis precibus liberari. In prædicta autem civitate de *Duno* ſupra corpora ſanctorum *Patricii* & *Columba* & ſanctæ *Brigida*, antiquum inventum erat epitaphium ſub hiis verbis,

Hic jacent in Duno, tumulo tumulantur in uno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Prædictus itaque Cardinalis *Vivianus* concilio ſuo apud *Dublenniam* in *Hybernia* celebrato, inde in *Anglia* apud *Ceſtriam* applicuit. Qui ad curiam regis accedens ad legationem ſuam in *Scotia* perficiendam protectionis literas impetravit. Et poſtea ad caſtellum *Puellarum* veniens, concilium ibi cum epiſcopis & viris eccleſiaſticis regni *Scotia* de ſtatutis eccleſiæ celebravit. In quo concilio *Criſtianum* epiſcopum *Candida Caſa* ab officio epiſcopali ſuſpendit, eo quod ipſe ad illud concilium venire recuſavit. Dicebat enim idem epiſcopus epiſcopatum ſuum ad legantiam *Eboracenſis* archiepiſcopi qui eum in epiſcopum conſecraverat, ſecundum antiquam prædeceſſorum utriuſque conſuetudinem pertinere. Et ipſe *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus qui ab *Alexandro* papa legatus provinciæ ſuæ conſtitutus erat ſubjectionem epiſcopatus *Candida Caſa* juri ſuo, & ſuæ eccleſiæ vendicabat. Concilio illo celebrato, per mandatum *Alexandri* papæ propter ſuam maximam cupiditatem qua omnes fere primates eccleſiaſticos ſuæ legationis depauperando oppreſſit, *Romam* prædictus rediit Cardinalis.

PRæterea anno Domini ſupradicto circa Pentecoſten applicuerunt in *Anglia* epiſcopus *Trojacenſis*, & Electus *Capuacia*, & Comes *Florinus* nuncii *Williemi* regis *Sicilia*, & cum eis *Rothomagenſis* archiepiſcopus conſanguineus regis *Sicilia* antedicti, qui regem *Londonia* invenientes, ab eo *Johannam* filiam ſuam in uxorem dari dicto regi *Sicilia* petierunt. Ipſe vero rex *Anglia*, archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, & ſapientioribus regni ſui in urbe *Londonia* congregatis, conſuluit quid tam magni regis nunciis reſponderet. Et accepto ab eis conſilio, eos ad filiam ſuam videndam ſi eis placeret *Wintoniam* deſtinavit. Qua viſa, ad regem *Anglia* redeuntes, ab eo puellam ſupra modum eis placentem ad dicti regis *Sicilia* connubium impetrarunt. Et tunc ad eorum inſtantiam epiſcopus *Trojacenſis*, & cum eo epiſcopus *Norwicenſis*, & *Pariſius* archidiaconus *Roffenſis*, & *Baldewinus Belnot*, & *Ricardus de Camilla* ex parte domini regis ad dictum regem *Sicilia* mittuntur ut conceſſionem de filia regis *Angliæ* ſibi factam ei intimarent: Electo *Capuacia* et Comite *Florino* donec puella ad mittendum eſſet parata in *Anglia* interim cum rege retentis. Poſt vero puella circa feſtum nativitatis beatæ *Mariæ* in omnibus parata, dominus rex pater ſuus ipſam nunciis regis *Willielmi*, ſimulque cum eis nunciis ſuis propriis liberavit. Et præparatis neceſſariis ſuis, & regiis muneribus eis datis, cum omnia regio more & digno honore compleſſet, eos abire permiſit. Et regi *Henrico* filio ſuo in *Normannia* moranti mandavit, ut ſororem ſuam & comitivam ejus reverenter ſuſciperet, & eam cum ſuis in *Pictaviam* conduceret, & ibidem eam *Ricardo* fratri ſuo Comiti *Pictaviæ* liberaret. Et præcepit ut idem *Ricardus* eam & ſuos honorifice ſuſciperet, et per terram ſuam debitum conductum ei faceret. Et præcepit ut *Rothomagenſis* et *Cantuarienſis* archiepiſcopi, et *Galfridus Elyenſis*, *Egidius Ebroicenſis*, et *Henricus Baiocenſis* epiſcopi, et *Hugo de Bello Campo*, et alii uſque ſanctum *Egidium* ubi galeæ et familia regis *Willielmi* ipſam exſpectabant, debitam ſibi et honeſtam facerent comitivam, et quod quidam eorum ab ea non diſcederent, donec nuptiæ inter regem *Sicilia* et ipſam eſſent legitime celebratæ. Cumque antedicti *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus, et *Galfridus Elyenſis* epiſcopus eam uſque ſanctum *Egidium* juxta regis præceptum conduxiſſent, ad ſedes ſuas in *Anglia* redierunt. Infra autem illorum adventum rediit ſimiliter in *Anglia Iohannes Norwicenſis* epiſcopus, qui primo ad dictum regem *Willielmum* miſſus fuerat, ut dictam puellam ſibi eſſe conceſſam ut prædicitur intimaret. In cujus reditu cum ipſe & *Pariſius* archidiaconus *Roffenſis* qui ſecum miſſus erat, maria inter *Meſchins* & ſanctum *Egidium* ſulcarent, duo galeæ pulcherimæ familiaribus regis *Willielmi* & donis magnis & variis onuſtæ, quæ ipſe per eos regi *Anglia* mittebat, maris ſubmerſæ fluctibus perierunt.

Cum autem poſtea dicta *Johanna* filia regis *Anglia* cum *Egidio Ebroicenſi*, & *Henrico Baiocenſi* epiſcopis, & aliis nunciis patris ſui qui eam conducebant *Panormum* ubi deberet regi *Willielmo* maritari veniſſet, & urbem cum ſuis intraſſet, tota civitas de nocte ei applauſit, & tot & tanta accenſa ſunt luminaria ut civitas comburi penitus crederetur, & præ fulgore tantorum luminum minime poſſent ſtellarum radii comparere. Ducta eſt ergo prædicta puella ſuper equum regium veſtibus regalibus inſignita in quoddam palacium ut ibidem poſſet deſponſationis & coronationis ſuæ diem glorioſius exſpectare. Paucis itaque diebus elapſis, coram *Fgidio Ebroicenſi*, & *Henrico Baiocenſi* epiſcopis, *Hugone de Bello Campo*, *Osberto de Camera*, & *Galfrido de la Charre* nunciis regis *Angliæ* cum filia ſua miſſis, & coram multis archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, & baronibus regni *Siciliæ*, prænominata regis *Angliæ* filia fuit *Pannormi Willielmo* regi *Siciliæ* in capella ſua regia deſponſata, & ſolempniter coronata, honorificeque dotata, ut in quadam Carta per dictos nuncios ſuos domino regi *Angliæ* poſtea tradita plenius continetur. Cujus quidem Cartæ tranſcriptum ad memoriam hic inſeritur in hac forma.

In nomine Dei æterni, & ſalvatoris noſtri Iheſu Chriſti, Amen. Rerum fœdus & concordia humanarum inter cætera pacis bona ligat fortius & aſtringit vinculum conjugale, quod & ſacramenti altitudine venerandum, & ipſa ſua inſtitutionis eſt ſingularitate præclarum, & ſolempni ab inicio mundi & temporis conſuetudine celebratum. Cujus itaque virtus, & forma quæ de divina inſtitutione traxit originem, nec de peccato induit maculam, nec de longævi ſerie temporis deſuetudinis potuit ſentire jacturam, quin eciam id honoris venerando acceſſit myſterio, ut maris & feminæ conſenſus in matrimonium, Chriſti & eccleſiæ teneat ſacramentum. Tanti ergo myſterii ratione ſimul & veneratione inducti, nos Willielmus *divina favente gratia rex* Siciliæ, *& Ducatus* Apuliæ, *& Principatus* Capuæ Johannam *puellam regii excellentia ſanguinis illuſtriſſimam filiam* Henrici *regis magnifici* Anglorum, *divino nutu, & felici auſpicio ſacri lege matrimonii, & maritali nobis fœdere copulavimus, ut bonum conjugii caſtæ dilectionis fides exhibeat, unde nobis in poſterum proles regia Deo dante ſuccedat, quæ divina gratia numeris virtutum ſimul & generis titulo ad regni poſſit & debeat faſtigium ſublimari. Quia vero noſtra dignum eſt celſitudine, ut tam nobile ac inſigne conjugium decenti dotario debeat honorari, per hoc ſcriptum præſens damus, & in dotarium concedimus præfatæ reginæ kariſſimæ uxori noſtræ comitatum* Montis Angeli, *ſicut eſt inferius annotatum, ſcilicet in demanio, civitatem montis Angeli, civitatem Siponti, & civitatem Veſtæ cum omnibus pertinenciis, & juſtis tenementis earum. In ſervicio autem concedimus ei de tenementis Comitis* Godefridi, Aleſine, Peſchizan, Bicuin, Caple, Baraum, Seſelizun, *& omnia alia quæ idem Comes de Honore ejuſdem comitatus Montis ſancti Angeli tenere dinoſcitur. Concedimus eciam ei ſimiliter in ſervicio Candelarium ſanctum Clericum, Caſtellum, Paganum, Berſencium, & Cognanum. Inſuper concedimus, ut ſint de Honore dotarii ipſius monaſterium ſancti* Johannis *de* Lania, *& monaſterium ſanctæ* Mariæ *de* Pulſano *cum omnibus ſuis pertinenciis, quæ ipſa monaſteria tenent de honore prædicti comitatus ſancti Angeli. Ita quidem ut ipſa regina uxor noſtra prædicta omnia recognoſcat ab hæredibus noſtris nobis ordinatione noſtra in regnum ſuccedentibus, & de omnibus præſcriptis tenementis ſervicium prout exigit feudum eorum integre & illibate jam dictis hæredibus noſtris faciat, & maneat in eorum ſemper fidelitate. Ad hujus autem donationis & conceſſionis noſtræ memoriam & inviolabile firmamentum præſens privilegium per manus* Alexandri *notarii noſtri ſcribi & bulla aurea noſtro tipario impreſſa roboratum noſtro ſigillo juſſimus decorari. In quo familiares noſtri & aliæ perſonæ præcepto noſtro ſcripſerunt anno menſe & indictione ſubſcriptis. Ego* Walterus *Pannormitanus archiepiſcopus. Ego* Alpanus *Capuanenſis archiepiſcopus. Ego* Ricardus *Siracenſis epiſcopus. Ego* Bartholomeus *Agrigentinus epiſcopus. Ego* Reginaldus *Barenſis archiepiſcopus. Ego* Nicholaus *primas Meſſenſis archiepiſcopus. Ego* Ruſterus *Conſentinus archiepiſcopus. Ego* Theobaldus *epiſcopus. Abbas Regalis monaſterii ſanctæ* Mariæ *novæ. Ego* Robertus *Catanenſis epiſcopus. Ego* Guido *Cephlenſis epiſcopus. Ego* Elias *Troianus Electus. Ego* Robertus *Tricaricenſis epiſcopus. Ego* Petrus *Galetanus epiſcopus. Ego* Johannes *Potentinus epiſcopus. Ego* Alexander *Gupill. Ego* Mathæus *domini Regis Vicecancellarius. Ego* Robertus *Caſertanus Comes. Ego* Amphuſus *Comes Serullacenſis. Ego* Jocellinus *Comes Loretenſis. Ego* Hugo *Comes Catazarii. Ego* Ricardus *Fundanus Comes. Ego* Walterus *de Moac regni fortunati ſtolii Admiratus. Ego* Aldwinus *de Candida domini regis Seneſcallus. Ego* Berardus *Gentilis primate Mainete Conſtabularius. Ego* Ricardus *ſacri regii palacii legoteca. Ego* Bamaluns *de Monte forti Iuſticiarius. Ego* Fredericus *Regiæ Curiæ Iuſticiarius. Data in urbe* Pannormitana *felici per manus* Walteri *venerabilis* Pannormitani *archiepiſcopi &* Mathæi *regis Cancellarii, &* Ricardi *venerabilis* Siracenſis *epiſcopi domini Regis familiarium anno Dominicæ incarnationis M. Clxxvij. menſe Februarii decima Indictione. Regni vero domini noſtri* Willielmi *Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi Regis* Siciliæ, *ducatus* Apuliæ, *principatus* Capuæ, *Anno xj. feliciter.* Amen.

Sigillum aureum Regis *Siciliæ.*


✠ Dextera Domini fecit Virtutem. Dextera Domini Exaltavit me.
Sigillũ Regis Willmi Sicilie divina clementia favente Willmus Sicilie Rex Ducatus Apulie et Principatus Capue

Dum autem hæc fierent *Ricardus* Comes *Pictaviæ* filius regis *Angliæ* magno exercitu in *Pictavia* congregato, ſuos inimicos debellavit. Et ſtatim poſt pentecoſten anno Domini adhuc M. Clxxvj prælio cum *Brabacenis* commiſſo eos non longe à *Butevilla* devicit. Et habita victoria, ad debellandum *Aymerum* vicecomitem de *Limoges* eo quod pacem ſuam fregerat exercitum ſuum in *Limozina* promovit. Et caſtello quod vocatur *Aeſſa* obſeſſo illud cepit & in eo milites xl. Et inde exercitum ſuum promovens civitatem de *Limoges* obſedit. Qua infra paucos dies cum munitionibus ſuis capta, inde poſt feſtum ſancti *Iohannis Baptiſta Pictaviam* uſque venit. Ubi ad eum juvenis Rex frater ſuus in ejus auxilio ſe conjunxit. Et habito ibi Baronum ſuorum conſilio, exercitum ſuum in terram *Uggrini* vicecomitis de *Engoliſmo* qui pacem ſuam tenere noluit, inde movit. Et novo caſtro obſeſſo & infra dies xv. capto, noluit rex frater ſuus cum eo diutius morari ſed eum pravo uſus conſilio dereliquit *Ricardus* vero quamvis relictus eſſet, cum exercitu ſuo procedens obſedit *Mulmons* caſtellum vicecomitis *Engoliſmi*. Quo infra x. dies capto, inde ad civitatem *Engoliſmi* procedens *Willielmum Tallefer*. Comitem *Engoliſmi* & *Bugherum* filium ejus ac *Aymerum* vicecomitem de *Limoges* & vicecomitem de *Ventadoc* & vicecomitem de *Chabenays* infra illam obſedit. Et pro pace habenda Comes de *Engoliſmo* infra x. dies ad deditionem coactus, civitatem *Engoliſmi* & caſtella de *Butevilla*, de *Archiac* de *Mutgernac* de *Lacheſa* & de *Melpis* *Ricardo* Comiti *Pictavia* liberavit. Et obſidibus de miſericordia regis patris ſui proſequenda inde ei traditis, ipſum poſtea & alios malefactores terræ ad regem patrem ſuum in *Angliam* deſtinavit. Quos pater ad filium ſuum in *Pictaviam* remittens, omnia donec ipſemet in *Normannia* veniret, poſuit in reſpectu.

Juvenis autem rex cum in reditu de fratre ſuo uſque *Pictaviam* veniſſet, milites nonnullos de *Francia* & *Normannia* quos pater ſuus odio habuit, pro eo quod tempore guerræ cum illo contra eum fuerant, ſecum retinuit & de familia ſua fecit. Quod in dedecus domini regis patris ſui & regni ſui gravamen *Adam de Chervernna* juvenis regis Cancellarius tendere aſpiciens, vehementer doluit, & malum quod per advenas illos evenire poſſet non valuit ſuſtinere, ſed accepto ſtilo capitula quædam turpiſſima & auditu horrenda & domini ſui juvenis regis ſecreta literis commendata domino regi patri cui fidelitatem juraverat mittere feſtinavit, ſed hoc antequam literæ mitterentur percepto & detecto, & coram juvene rege prolato, ipſe in medio productus ſtetit & confeſſus eſt. Tunc juvenis rex Principibus ſuis ſimul cum epiſcopo *Pictavienſi* qui aderat convocatis, eos interrogavit quid ſuper hoc eſſet agendum, & quid de ſuo faceret proditore. Tunc quidam illorum ipſum reum eſſe mortis, quidam dignum ſuſpendi, quidam excoriari dicebant. Epiſcopus cujus non intereſt judicio ſanguinis intereſſe temptavit ipſum quia erat diaconus liberare, aſſerens clericum in ſacris conſtitutum non poſſe à laico judicari. Tunc juvenis rex videns quod propter epiſcopum clericum illum tutantem, animi ſui motus ſicut voluit de eo vindicare non potuit, quibus tormentis, vita ſua donec hoc regi patri ſuo nunciatum eſſet ſalva, eum afficere potuit cogitavit; ita quod poſt longum ſilentium ad ſe reverſus, tortoribus ait ſuis. Educite eum & ligatis ejus manibus à tergo nudum per plateas & vicos civitatis flagellis cædite, clamantes ut omnes ſciant ipſum meum eſſe viliſſimum proditorem. Et ducentes eum in *Normanniam* apud *Argentonium* in carcere recludatis. Et per quamcumque civitatem tranſieritis, ipſum nudum per vicos & plateas ducite flagellantes. Quo ut præceperat in omnibus facto, cum illud domino regi patri nunciatum eſſet, indigne ferebat, & ad filium ſuum regem quatuor milites mittens mandavit, ut ad eum clericum illum mitteret ſine mora. Qui cum in vinculis ad regem *Anglia* duceretur, noluit rex eum vinctum recipere quia eum filio ſuo regi tradiderat ſolutum, ſed donec cum filio ſuo quid de eo ageret locutus fuiſſet, præcepit ut ipſe in vinculis in cuſtodia Abbatis de Hida *Wintonia* interim ſervaretur.

Eodem anno ſcilicet Domini M. Clxxvj. iv. kal. Julii, *Fredericus* Imperator Romanus magno Teutonicorum exercitu congregato inter *Cunias* & *Mediolanum* prælium cum *Longobardis* commiſit. Quod cum à mane uſque ad veſperam duraſſet, contigit quod Imperator majori parte exercitus ſui cum vexillifero ſuo amiſſa in fugam verſus eſt, nonnullis Principum ſuorum captis & in carcere *Longobardorum* detentis. Appropinquante autem feſto ſancti *Michaelis* anno quo ſupra, dominus rex concilio ſuo tunc celebrato nuncios ſuos per omnia caſtella *Anglia* mittens, ea in manu ſua capi juſſit, nullo reſpectu ad caſtella familiarium ſuorum & Juſticiariorum *Anglia* habito, ſed cuſtodibus Comitum & Baronum ſuorum inde amotis, ſuos cuſtodes in eis poni præcepit. Et *Ricardo* Wintonienſi epiſcopo in *Normanniam* miſſo, omnia caſtra Comitum & Baronum ſuorum ibidem in manu ſua ſaiſiri fecit, & ipſum epiſcopum loco *Willielmi* de *Traco* Juſticiarium *Normannia* ordinavit.

Eodem anno filius *Roberti* filii regis *Henrici* primi Comes *Glovernia* *Iohannem* filium regis minimum de perquiſitione regis de comitatu ſuo poſt ipſum ſuum conſtituit hæredem. Et rex conceſſit, quod idem *Iohannes* filius ſuus filiam ipſius Comitis *Glovernia* duceret in uxorem, ſi hoc propter eorum conſanguinitatem *Romana* curia pateretur; Quod ſi non, rex ex conventione filiam dicti Comitis cum honore maximo maritaret, & nichilominus ipſe rex C. libratas reddituum in *Anglia* uxori *Almari* Comitis *Ebraicarum* daret, & alias C. libratas reddituum uxori *Ricardi* Comitis de *Clara*, utraque enim erat filia ipſius Comitis *Glovernia*; et ſi idem Comes *Glovernia* filium ex uxore ſua legitime ſuſceptum habuerit, filius ille & *Johannes* filius regis inter ſe prædictum dividerent *Glovernia* comitatum. Concilio itaque apud **Windeſour** ut dictum eſt celebrato, rex circa feſtum ſancti *Dionyſii* uſque **Feſkyngham** properavit, & ibidem *Willielmus* rex *Scocia* ad eum veniens, *Gilebertum* filium *Fergi* qui fratrem ſuum *Uctredum* regis *Anglia* cognatum interfecerat ſecum duxit. Qui quidem *Gilbertus* pace cum domino ſuo rege de morte fratris ſui facta, devenit homo ipſius, & contra omnes homines fidelitatem ei juravit, & pro amore ipſius habendo mille marcas argenti ſibi dedit, & ſic pace ſua facta domum veniens, præcepit, quod omnes alienigenæ qui in *Galeweia* per regem *Scocia* tenementum aliquod habebant, exularent indilate. Et qui huic diffinitioni conſentire nollet ſententiam ſubiret capitalem.

Eodem anno circa feſtum omnium Sanctorum *Manuel Conſtantinopolitanus* Imperator maximo exercitu congregato verſus terram Perſarum ſe movit,

vit, volens civitatem *Yconii* & regnum Perſarum ſibi & ſuo imperio ſubjugare. Sed non profecit; nam dum adhuc ipſe & ſui in propriam regionem peragrarent, fluxus ventris per agmina ſua diffuſus multos de ſuo exercitu interemit, & multos & maxime Imperatorem contrivit. Et quo ipſe & ſui fines *Turcorum* intraverat, *Turci* in agminibus congregati cum ipſius Imperatoris copiis dimicabant. Sed Imperator victor exiſtens, cum ulterius proceſſiſſet & cuidam loco qui à Perſis nominatur *Cibrilcimanii* apropinquaſſet, tot Perſarum turmæ peditum & equitum exercitui ſuo occurrebant, quod pene Imperatoris agmina exceſſerunt; Exercitu namque Imperatoris propter viæ anguſtiam uſque ad decem miliaria extenſo, cum neque qui præibant poſſent extremos defendere, neque poſtremi præeuntes juvare, non mediocriter accidit eos abinvicem diſtare. Cum igitur *Turcorum* agmina ex jam factis præliis cognoviſſent, quod non eſſet tutum à fronte cum Imperatore pugnare, poſteriora exercitus agmina invaſerunt. Inſtabant itaque barbari, & tela quaſi imber ſuper agmina Imperatoris undique à dextris, & ſiniſtris deſcendentia viros & equos quamplurimos occidebant. Cumque Imperator mala gentis ſuæ inſpexiſſet, impetum in *Perſas* & *Turcos* faciens, eos quamdiu viriliter ſuſtinebat. Tandem vero poſtremæ cohortes *Græcorum*, *Latinorum* & aliarum gentium conglobatæ tela ab inimicis emiſſa non ſuſtinentes, ad collem illic adjacentem quaſi ad propugnaculum feſtinarunt. Elevato autem multo pulvere oculos perturbante, & neminem videre quæ circa pedes gerebantur permittente, in præcipucium profundiſſimæ vallis quod aderat portati, alius ſuper alium homines & equi incontinenter corruerunt, & ſic alii alios non tantum ex vulgaribus ſed ex clariſſimis, & intimis ipſius Imperatoris conſanguineis ibi necaverunt. At vero Imperator agminibus ſuis circa ſe conſertis ordinatim proficiſcens, ad *Turcorum* agmina acceſſit, & prælio cum eis cominus commiſſo, campum obtinuit gratioſe. Extunc Soldanus videns ipſum non poſſe Imperatori reſiſtere, mittens ad eum, pacem ipſius deprecatoriis ſermonibus requiſivit, promittens ſibi contra omnes homines ſervicium ſuum, & omnes in regno ſuo captivos abſolvere, ac omnem voluntatem ſuam in quantum potuit adimplere. Imperator igitur moram per duos dies integros ibi fecit, Et cognito quod nichil contra civitatem *Yconii* fieri poſſet, perditis teſtudinibus & machinis ſuis bellicis, eo quod boves qui eas trahebant à telis *Turcorum* cecidiſſent, preces Soldani admiſit; & ſacramento fœderis ſub ipſius Imperatoris vexillis peracto, & pace hinc inde data & conceſſa, Imperator in ſuam rediit regionem, multum tamen de amiſſione conſanguineorum ſuorum anxius & confuſus. Eodem anno mare extra fines in *Anglia* erumpens multos in *Holandia* homines & pecora abſorbuit, & quaſi poſt biduum furore ſedato in ſemet ipſum rediit.

An. Dñi 1177. Anno domini M. Clxxvij. *Henricus* rex *Angliæ* pater Curiam ſuam in natali Domini in *Anglia* tenuit duobus filiis ſuis junioribus, *Galfrido* ſcilicet Comite *Britanniæ* & *Johanne* ſecum exiſtentibus. *Henricus* autem rex filius ſuus Curiam ſuam in illo feſto apud *Argentonium* in *Normannia* celebravit. *Ricardus* vero Comes Pictaviæ tenuit Curiam ſuam apud *Burdegalenſem Aquitanniæ* civitatem. Qui quidem *Ricardus* ſtatim poſt natale urbem *Akenſem* quam *Petrus* vicecomes *Akenſis* & Comes *Bigorniæ* contra eum munierant, obſedit, & eam infra x. dies poſtea cepit. Et inde exercitum ſuum promovens, urbem *Baionam* quam *Ernaldus Bertram* vicecomes *Baionæ* contra eum munierat obſedit. Qua infra x. dies capta, exercitum ſuum inde uſque portas *Cizaræ* quæ nunc portæ *Hiſpaniæ* vocantur promovit. Et ibi caſtello ſancti *Petri* obſeſſo, eadem die dominica proxima poſt octabas *Epiphaniæ* illud cepit penitus & deſtruxit; & *Baſclenſes* & *Navarrenſes* pacem jurare & tenere poſtea vi coegit. Deſtruxit etiam apud *Sorges* & *Leſpurmi* omnes malas conſuetudines introductas, ubi mos erat peregrinos ſancti *Jacobi* deprædare. Et ſic pacificatis circumquaque provinciis in Purificatione beatæ *Mariæ* uſque *Pictaviam* veniens, nuncium ſuum ad regem patrem ſuum in *Anglia* deſtinavit.

Interim dominus rex *Angliæ* ſtatim poſt feſtum ſancti Hillarii **Northamton** veniens cum epiſcopis & magnatibus terræ ſuæ concilium habuit magnum. Intererant autem huic concilio *Robertus* advocatus *Britanniæ* & *Rogerus* Caſtellanus de *Turnay*, per quos *Philippus* Comes *Flandriæ* regi mandaverat, quod *Ludovicus* rex *Franciæ* ab eo petierat primogenitam filiam *Mathæi* Comitis *Boloniæ* fratris ſui ad opus *Philippi* filii ſui, & alteram filiam Comitis *Boloniæ* ad opus filii ſui *Theobaldi*, ſed ſine ejus conſilio nemini illas voluit maritare. Præterea regi per eoſdem mandavit, quod ipſe pactum quod *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus & *Galfridus Elienſis* epiſcopus, cum eo ex parte ſua nuper fecerant de prolongatione itineris ſui verſus terram ſanctam, teneret. Promiſerant enim dicti epiſcopi ex parte regis, quod ſi ipſe iter ſuum uſque Paſcham differret, rex ei magnum ſuccurſum faceret & honorem. Præterea per eoſdem regi mandavit, quod pecuniam quam rex pro anima dicti *Mathæi* Comitis *Boloniæ*, ad milites pro defenſione terræ *Jeruſalem* retinendos ſe daturum promiſerat, ſibi mittere non tardaret. Quibus petitionibus auditis, rex reſpondit, Rem quidem bene proceſſuram niſi in Comite remaneret. Et adjecit, quod ſi Comes vellet neptes ſuas filias Comitis *Boloniæ* juxta ejus voluntatem & conſilium maritare, & inde eum ſecurum facere, ipſe omnia promiſſa ſua plenarie adimpleret. Et ad reſponſum Comitis inde audiendum rex cum nunciis ipſius, *Walterum* archidiaconum *Oxoniæ* ſigilliferum ſuum & *Ranulphum Glanville* in *Flandriam* deſtinavit. In quorum præſentia ipſe Comes *Flandriæ* juravit, quod prædictas neptes ſuas nemini maritaret niſi de conſilio & domini regis *Angliæ* voluntate.

In eodem concilio apud **Northamton** *Guido* decanus de **Waltham** decanatum ſuum ibidem in manibus regis juxta ipſius deſiderium reſignavit. Voverat enim rex Deo & beato *Thomæ* martyri quod in honore Dei & peccatorum ſuorum remiſſione, quandam abbathiam regularium Canonicorum fundaret. Et à ſupradicto *Hugezon* Cardinali in *Anglia* legato impetraverat, quod in prædicta eccleſia de **Waltham** Canonicis ſecularibus inde remotis liceret ei Canonicos ibi ſtatuere regulares. Dicto autem concilio celebrato, in octabis ſancti Hillarii rex uſque **Windeſour** veniens, *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum & *Galfridum Elienſem* & *Gilbertum Lundonienſem* epiſcopos ad **Waltham** deſtinavit, ubi prædictus decanus decanatum

natum ſuum de **Waltham** ſimpliciter & abſolute in manibus dictorum epiſcoporum reſignavit. Et ipſi ibidem præceperunt Canonicis ſecularibus qui ibi aderant, ad dominum regem accedere ad excambium de præbendis ſuis recipiendum. Præterea prædicti epiſcopi omnes redditus de **Waltham** & præbendarum valorem in ſcriptis ponentes, domino regi ſcripta illa tranſmiſerunt. Et poſtea eodem anno in vigilia *Pentecoſtes* domino rege uſque **Waltham** veniente *Walterus Roffenſis* epiſcopus ex parte *Cantuarienſis* archiepiſcopi miſſus, & *Gilbertus Londonienſis*, *Johannes Norwicenſis*, & *Hugo Dunolmenſis* epiſcopi illi ibidem obviantes eadem die, ſcilicet iij. idus Junii in feſto ſancti *Barnabæ* Apoſtoli, per regis præceptum & *Alexandri* papæ mandatum, ac dicti *Cantuarienſis* archiepiſcopi conſenſum, in eccleſiam ſanctæ Crucis de **Waltham** ſedecim canonicos regulares, quos ipſe rex de diverſis domibus Canonicorum regularium *Angliæ* elegerat, induxerunt. Et ſtatim per concilium eorundem epiſcoporum rex de eiſdem Canonicis unum conſtituit Priorem, & unum Suppriorem & tertium Celerarium & quartum ſacriſtam, & alios domus miniſtros prout ordo eorum legitime depoſcebat. Huic autem inductioni & ordinationi dictus *Guido* qui fuit decanus de **Waltham** interfuit, Cui dominus rex quoddam manerium in excambium ſui decanatus ad totam vitam ſuam dedit. Interfuerunt etiam omnes Canonici ſeculares ejuſdem eccleſiæ de **Waltham**, quibus rex dedit in excambium ad valorem præbendarum illarum: Et qui præbendas ſuas permutare noluerunt, rex coram dictis epiſcopis eis conceſſit, ut in pace præbendas ſuas quamdiu vixerint poſſiderent, poſt eorum vero deceſſum ad regulares ibidem canonicos reverſuras. Et rex ibidem promiſit quod redditus & poſſeſſiones eorum in tantum augmentaret, quod præter officiales qui in exterioribus agendis curam haberent, poſſent eſſe ad minus in numero quater viginti vel centum Canonici in Conventu. Quod ut videtur hiis temporibus minime adimplevit.

Eodem etiam tempore quo dictus decanus de **Waltham** decanatum ſuum ibidem primo reſignaverat, rex ad abbathiam monialium de **Ambreſbury** *Exonienſem* & *Wigornienſem* epiſcopos deſtinavit; qui per mandatum *Alexandri* papæ abbatiſſam ibidem, quæ poſtquam religionis habitum ſuſceperat tres infantes peperiſſe comprobata fuerat, propter ipſius infamiam depoſuerunt, & ipſam & ſanctimoniales omnes ibidem quæ errorem & vitæ ſuæ turpitudinem relinquere & ordinem *Fontis Ebrardi* tenere nolebant, à domo illa diſperſerunt. Quibus ſic diſperſis, rex in *Andegaviam* ad *Fontem Ebrardi* pro uno Conventu ſanctarum Monialium miſit, quibus Abbathiam illam deſiderabat feliciter commendare. Et ne prædicta Abbatiſſa fame & inopia deperiret degradata, rex ei ſingulis annis x. marcas argenti ſpoſpondens eam abire permiſit libere quo volebat. Et poſtea eodem anno kal. Julii per diem dominicam *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus & quinque alii epiſcopi domino regi per ipſius mandatum apud dictam Abbathiam de **Ambreſbury** obviantes, in eadem xxiiij. ſanctimoniales ordinis *Fontis Ebrardi*, pro quibus dominus rex in *Pictaviam* miſerat, induxerunt, aliis propter vitæ turpitudinem expulſis, ut dictum eſt.

Præterea eadem die ibidem per voluntatem & conſenſum regis dictus archiepiſcopus *Cantuarienſis* quendam *Guidonem* electum in epiſcopum *Bangorenſis* eccleſiæ conſecravit, dictis epiſcopis in illo officio ſibi miniſtrantibus. Qui quidem *Guido* ante conſecrationem ſuam dicto *Cantuarienſi* archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis obedientiam canonicam promiſit, & ei profeſſionem ſuam ſcriptam coram dictis epiſcopis liberavit. Eodem etiam anno rex conceſſit *Benedicto* Priori ſanctæ *Trinitatis Cantuariæ* abbathiam de *Burgo*, *Willielmo* de *Watervill* Abbate ejuſdem per *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum prius depoſito; & etiam conceſſit *Ricardo* Priori de **Kirkeby** abbathiam de **Whiteby**, & monachi utriuſque abbathiæ qui illuc videlicet **Ambreſbury** per mandatum regis ad electiones faciendas venerant, dictos Priores ad abbathias prædictas juxta voluntatem regiam elegerunt, quas quidem electiones dictus *Cantuarienſis* archiepiſcopus qui illis interfuit confirmavit.

Adveniente itaque purificatione beatæ *Mariæ* anno proximo ſupra videlicet M. Clxxvij. *Henricus* rex *Angliæ* apud **Merleberg** exiſtens, ad archiepiſcopos, epiſcopos, Comites & Barones totius *Angliæ*, quod eſſent ad eum *Lundoniæ* dominica prima Quadrageſimæ ſuos nuncios deſtinavit. Habiturus enim erat eorum conſilia de quodam judicio faciendo inter duos reges *Hiſpaniæ*, ſcilicet inter *Aldefonſum* regem Caſtellæ, qui *Alienoram* filiam ſuam duxerat in uxorem, & *Sanccium* regem *Navarræ*, de terra & caſtellis de *Berona* quæ rex *Caſtellæ* adverſus regem *Navarræ* ſicut hæreditatem ſuam & feodum vendicabat. Qui cum inter ſe poſt multas & magnas debellationes concordare non poſſent, ſecuritate hinc inde ſtandi judicio Curiæ regis *Angliæ* data, nuncios ſuos pro judicio de controverſia inter eos habita recipiendo, ad Curiam regis *Angliæ* tranſmiſerunt. Venerunt autem ex parte regis *Caſtellæ* epiſcopus de *Palenzina*, & Comes *de Engomes* & alii de terra ſua Barones ad ſuam calumpniam promovendam; Et ex parte regis *Navarræ* venerunt epiſcopus *Pampelomæ*, & alii multi clerici & laici de regno ſuo ad ipſius partem tuendam. Venerunt etiam ex parte utriuſque epiſcopus de *Tarratuna*, et ſummus magiſter Hoſpitalis totius *Hiſpaniæ* et dominus *Guntredus*, quidam frater Templi ad Judicium quod de eis fieret audiendum, et illud dictis regibus reportandum. Venerunt etiam duo ſtrenuiſſimi viri, et ut dicebatur miræ probitatis et audaciæ, unus ex parte regis *Caſtellæ* et alter ex parte regis *Navarræ* ad duellum ſi in Curia regis *Angliæ* adjudicatum fuerit capiendum. Et paulo poſt in capite Jejunii rege *Angliæ* apud **Windeſour** veniente, dicti nuncii dictorum regum *Caſtellæ* & *Navarræ* in præſentia ſua ibidem congregati, quoddam cirografum de conventione inter dictos reges *Hiſpaniæ* factum, regi *Angliæ* præſentarunt, cujus tenor talis fuit.

Hoc eſt pactum & Conventio inter *Aldefonſum* regem *Caſtellæ* & *Sanccium* regem *Navarræ* avunculum ſuum, de querelis videlicet quas inter ſe habebant, ut judicium regis *Angliæ* ſibi ſatisfaceret. Et ad hæc uterque regum iiij. Caſtella in fidelitate ponit, ut judicium *Henrici* regis *Angliæ* ſoceri regis *Aldefonſi* accipiat & compleat: Et per quem ſteterit quo minus fiat, ſubſcripta Caſtella amittat. Rex vero *Aldefonſus* ponit in fidelitate *Nagarum* caſtellum Chriſtianorum, & *Or* caſtellum Judæorum, &

& *Arnedo* caſtellum Chriſtianorum & *Celorigon* caſtellum Judæorum; ſimiliter rex *Navarræ* in hac fidelitate ponit *Stellam* caſtellum & caſtellum Judæorum & *Funes* & *Marano*. Et ad hoc nuncii utriuſque regis ſint ad præſentiam regis *Angliæ* in prima die præſentis Quadrageſimæ, quæ eſt caput Jejunii, ad hoc Judicium recipiendum. Et ſi forte nuncii cujuſlibet partis morte, vel infirmitate, vel captivitate ſua detenti fuerint, præcedentes nuncii exſpectent eos uſque xxx. dies ultra diem præfixum in Curia prænominati regis *Angliæ*; & qui ſani remanſerint veniant ad Curiam, & Judicium accipiant. Et ſi omnes infirmi vel capti vel mortui fuerint, nichil cujus fuerint proinde amittat. Et ſi omnes vel aliqui nunciorum aliqua harum trium cauſarum vel occaſionum non fuerint detenti, & ad diem ſtatutum ante regem *Angliæ* non venerint, rex cujus nuncii fuerint hæc prædicta caſtella amittat, & hoc faciat per bonam fidem & ſine malo ingenio. Et ſi forte, quod abſit, quod rex *Angliæ* interim mortuus fuerit, hoc eodem prædicto modo nuncii iſti ad regem *Francorum*, ad hoc Judicium percipiendum pergant, & per eum ſicut per regem *Angliæ* hoc Judicium percipiant & compleant. *Sanccius* igitur rex *Navarræ* hæc tria caſtella per militem & portatorium ſuum recipiat, & donet *Naiaram* & *Celorigo P. Roderici* filio Comitis *R* & donet *Arnedo D. Seminenes*, & ipſi faciant ſibi homagium de eis. Similiter *Aldefonſus* rex *Caſtellæ* hæc tria caſtella per militem & portatorium ſuum recipiat & donet *Stellam P. Roderici* de *Azagra*, & *Funes S. Raymuri*, & *Marnanover R. Martini*, & ipſi faciant ſibi homagium de eis. Et ſi aliquis regum iſtorum hæc tria caſtella militibus ea tenentibus auferre voluerit, & ea alteri dare, donet illa rex *Sanccius* Navarræ *P. Roderici* vel *G. Vermundi* vel *S. Raymuri*. Similiter rex *Aldefonſus Caſtellæ* donet illa Comiti *N*. vel Comiti *P*. vel Comiti *G*. ſed ipſi qui tenentes fuerint non donent hæc prædicta caſtella, donec illi qui ea recipere debent faciant homagium de illis alteri regi ſicut ſupra dictum eſt. Et in toto quantum rex *Aldefonſus* tenet de rege *Navarræ* melioret cum proprio ſuo ære quantum voluerit & potuerit. Similiter rex *Sanccius* melioret cum ſuo proprio ære quantum voluerit & potuerit in toto in quantum tenet de rege *Aldefonſo*. Et ad hoc Judicium audiendum illi reges iiij. fideles elegerunt, videlicet *Johannem* epiſcopum *Tiraſonenſem*, & *Petrum* de *Areis*, & *Gunterum*, & *Petrum* de *Rinoſo*. Vel de iſtis duo vel tres vel omnes, cum nunciis ad Curiam regis *Angliæ* pergant, & querimonias utriuſque regis ante eum exponant, Et auditis querelis, quos rex *Angliæ* cauſam ſuam primitus dicere mandaverit, dicant, Et per verbum horum fidelium, qui hoc Judicium à rege *Angliæ* audierint, uterque regum ſupradictam conventionem, prout in hac carta continetur, attendat & compleat. Et milites qui de prædictis caſtellis homagium fecerunt, ſecundum dictum horum fidelium præfatis regibus attendant, & compleant per bonam fidem & ſine malo ingenio. Inſuper vero ambi reges per fidem ſuam firmaverunt, & ſtatuerunt treugas bonas & ſalvas de hominibus, & caſtellis, & terris, & de omnibus rebus uſque ad vij. annos, & ut firmius teneantur *Sanccius* rex Navarræ ponit *Ergun* in fidelitate, & rex *Aldefonſus* ponit *Calagunan*. Et ſi exercitus cujuſlibet horum regum cum eo vel ſine eo regnum alterius intraverit, ille qui hoc fecerit, prædictum caſtellum perdat. Et ſi forte aliquis vaſſallus horum regum infra has treugas in regno alterius vi vel furto caſtellum acceperit, rex cujus vaſſallus ille fuerit, infra xl. dies ſuum caſtellum alteri regi reddat: Quod ſi non fecerit, miles ille qui caſtrum quod in fidelitate poſitum eſt tenuerit, regi conquerenti prædictum caſtellum donet, & teneat illud in pignore donec caſtellum ſuum recuperet. Si vero aliquis horum regnorum qui non ſit vaſſallus iſtorum regum, aliquo caſu in regno alterius caſtellum acceperit, ambi reges cum gente ſua ſuper eum veniant et obſideant, et donec captum ſit de eo non recedant. Statuerunt etiam ut omnes vaſſalli utriuſque regis, qui ex quo guerra iſta incepit hæreditates amiſerunt, eas ex integro recuperent ſicut erant tenentes die qua eas perdiderunt, et pro malefacto vel judicio quod hactenus feciſſent, eas non perdant, nec infra iſtos vij. annos pro aliqua querimonia ulli reſpondeant. Si vero deinceps de novo aliqua querimonia, vel judicium inter eos ortum fuerit, ad *Medianetum* veniant, et ſecundum quod ibi judicatum fuerit ſibi ſatisfaciant. Et omnes homines utriuſque regni ſecure de regno ad regnum eant et redeant, exceptis notis homicidis. Si vero aliquis iſtorum regum hæreditates ſicut ſupradictum eſt reddere noluerit, prædictum caſtellum alteri regi reddat, et teneat illud in pignore donec hæreditates et totum quantum de illis exegerit, recuperet. Et omnes vaſſalli utriuſque regis ſint infra iſtas treugas cum hominibus, et caſtellis, et etiam cum omnibus aliis rebus quas habuerint in quacumque terra ſint. Et hæc omnia ſupradicta teneantur & ſerventur per bonam fidem et ſine malo ingenio. Et rex *Aldefonſus Arragoniæ* ſit in iſtis treugis ſi ei placuerit; ſi forte ſibi non placuerit in illis eſſe, tamen treugæ ut ſupradictum eſt firmiter inter nos reges præfatos teneantur. Facta eſt hæc Carta inter *Narrares* et *Lucronium* æra M. CC. xiiij. viij. kal. Septembris.

Iſto cirographo audito, prædictis nunciis rex præcepit, ut omni occaſione remota eſſent ad eum apud *Londoniam* Dominica proxima ſequente ſuum ibidem Judicium recepturi. Inſtante autem Dominica prædicta, videlicet prima Dominica quadrageſimæ quam rex nunciis prædictis ſtatuerat, venit ipſe rex *Londoniam*, & ibi ad eum venerunt ſicut ipſe mandaverat, *Ricardus* Cantuarienſis archiepiſcopus, *Galfridus* Elienſis, *Gilbertus* Londonienſis, *Reginaldus* Bathonienſis, *Robertus* Herefordenſis, *Johannes* Norwicenſis, *Bartholomæus* Exonienſis, *Rogerus* Wigornenſis, *Johannes* Ciceſtrenſis, & *Walterus* Roffenſis epiſcopi. Et de *Wallia*, epiſcopi de ſancto David, de ſancto Aſaph, & de Bangor. Epiſcopus vero Saresbirienſis, & epiſcopus Ceſtrenſis ibidem non poterant tunc venire. *Rogerus* Eboracenſis archiepiſcopus infirmitate tunc detentus, abſentiam ſuam legitime excuſavit; ſed de provincia ſua *Hugo* Dunolmenſis, & *Chriſtianus* Candidæ Caſæ de Galeweia epiſcopi advenerunt. Venerunt eciam illuc tot abbates, tot decani, tot archidiaconi, quot leviter ſub numero non cadebant. Venerunt eciam illuc de mandato Regis omnes Comites & Barones regni *Angliæque* magnates. Et omnibus in aula regia apud *Londoniam* congregatis interfuerunt quatuor viri elegantes quos fideles appellabant, videlicet *Johannes* epiſcopus *Tiraſonenſis*, *Petrus de Areiſo*, *Guttredus* & *Petrus de Rinoſo* qui miſſi erant ex parte utriuſque regis, ſcilicet *Caſtellæ* & *Navarræ*, ad judicium quod de eis fieret audiendum, & illud eis ut præmittitur reportandum. Præterea nuncii utriuſque regis qui ad jus dominorum ſuorum oſtendendum miſſi fuerant ibi erant. Tunc quia Comites & Barones *Angliæ* ſermonem illorum minime intelligebant, præcepit eis rex ut petitiones, calumpnias & allegationes ſuas hinc inde ſcribere, & infra triduum ſibi tradere non tardarent. Quibus poſt triduum coram rege iterum ibidem convenientibus, epiſcopus *Palentinæ* & alii nuncii regis *Caſtellæ* primo ei quoddam ſcriptum, in quo petitiones, calumniæ & rationes pro parte eorum continebantur, (quas hic cauſa brevitatis prætermitto) coram Epiſcopis, Comitibus & regni ſui Baronibus protulerunt. Et cum verbo & ſcripto omnia pro parte ſua protuliſſent, & finem dicendi feciſſent, epiſcopus *Pampeloniæ* & alii nuncii regis *Navarræ* ſtatim ſurgentes, nichil horum quæ adverſarii ſui loquebantur contradicebant, ſed ſcriptum quoddam in quo petitiones, calumpniæ & allegationes ſuæ ſcribebantur, (quas hic eciam cauſa prædicta non inſero) in medium protulerunt, cujus finis talis eſt.

Hæc autem petit Sanccius *rex* Navarræ *hac ratione, quia habuit & poſſedit pro ſuo, & ſine ordine judiciario ejectus eſt, & idcirco querela ſua debet præcedere quia ultima eſt violentia & prius debet purgari, & etiam altera pars jure ſuo cecidit ſi quod habuit.* Adhuc idem rex *Sanccius* de jure ſuo confidens hanc infraſcriptam conventionem coram omnibus pro parte ſua per nuncios ſuos propoſuit ſupradictos, cujus tenor talis eſt. *Hæc eſt Carta pacis & concordiæ quæ facta fuit inter regem* Aldefonſum *de* Caſtella *& regem* Sanccium *de* Navarra *in abbathia quæ vocatur* Siterium. *Placuit utrique regum ut fieret pax & concordia inter eos per x. annos. Et facta eſt, & placuit ut hoc juramento firmarent & jurarent ipſi & Barones ſui ſuper Altare & ſuper quatuor Evangelia, ut tenerent prædictam concordiam & treugas per fidem, & ſine malo ingenio & fraude per x. annos; & iſta treuga facta ſunt de corporibus, & pecoribus, & facultatibus, & caſtellis. Et ſi aliquis Regum vel Baronum iſtas treugas fregerit, & infra xl. dies clamorem factum non emendaverit, ſit perjurus.* Aluneſo. *Facta Carta Era* M. CCv. *menſe Octobris, ut à ſequente feſtivitate ſancti* Martini *uſque ad x. annos ſit terminus treugarum, & quod infra x. annos ſcripta Conventionis ſit læſus rex* Navarræ *conqueritur. Eſt autem læſus infra x. annos illos in ablatione caſtellorum iſtorum,* Kellegum, Malveizin, Portela. *Præterea petit rex* Navarræ *ſibi reſtitui à rege* Caſtellæ *uſque ad ſummum* C.M. *marcarum argenti, rege* Sanccio *hodie in* Navarra *regnante ſatisfactionem regi* Aldefonſo *offerente de omnibus querelis ſuis ſecundum arbitrium Baronum utriuſque vel ſereniſſimi regis* Angliæ. *Et confidenter dicimus, quod iſta & hiis ſimilia infra talem conventionem & tales treugas perpetrata debent primum reſtitui antequam ad alium cauſæ perveniatur articulum, quoniam hoc habet lex, hoc habet conſuetudo, hoc habet canon, hoc habent omnia jura. Hæc quæ dicta ſunt manifeſtata ſunt literæ, ſed plenius & copioſius manifeſtabuntur linguæ.*

Igitur cum præfati nuncii regis *Navarræ* hæc & hiis ſimilia dixiſſent, et nuncii regis *Caſtellæ* nichil horum quæ ab illis propoſita fuerant contradicebant, dominus rex prolatis coram omni populo ſanctis evangeliis, fecit prænominatos nuncios jurare ante ſententiæ pronunciationem, quod domini eorum, ſcilicet rex *Caſtellæ* et rex *Navarræ* judicium ſuum tam de reſtitutionibus quam de treugis firmiter obſervarent. Et niſi fecerint ipſi corpora ſua redderent in poteſtatem manuum ſuarum.

JUDICIUM.

Tunc archiepiſcopus *Cantuarienſis* et epiſcopi *Angliæ* qui aderant, et Comites, et Barones regni plenariam utrique parti ſupradictorum quæ in jure erant petita reſtitutionem fieri adjudicarunt. Adjudicaverunt itaque reſtitutionem fieri *Aldefonſo* regi *Caſtellæ* ab avunculo ſuo rege *Sanccio Navarræ*, ſcilicet de *Logrino*, et *Navarrz*, et *Attedena*, et de *Aptol*, et de *Agoſeio*, cum omnibus pertinentiis ſuis quæ pater ſuus quando deceſſit vel ipſe poſt aliquot annis quiete poſſedit. Sed avunculus ſuus rex *Navarræ* ea prædicta regi *Caſtellæ* dum adhuc puer eſſet et orphanus, violenter abſtulit et injuſte. Et adjudicaverunt reſtitutionem fieri *Sanccio* regi *Navarræ* ab *Aldefonſo* rege *Caſtellæ*, ſcilicet de *Legin*, et *Pertol*, et de caſtello quod tenet *Godin* quæ rex *Caſtellæ* ei per guerram abſtulerat. Et poſtea dominus rex *Angliæ* tradidit dictis nunciis ſcriptum regibus ſuis de hoc judicio deferendum, Cujus tenor talis eſt.

Henricus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ, *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ, *kariſſimis amicis ſuis* Aldefonſo *regi* Caſtellæ, *&* Sanccio *regi* Navarræ, *ſalutem. Sicut ex literarum veſtrarum tenore & fidelium veſtrorum* Johannis *Epiſcopi* Tiraſonenſis, Petri *de Areis*, Gutterii, *&* Petri *de* Rinoſo *relatione, & nunciorum veſtrorum epiſcopi* Palentini, *comitis* Gumes, Lobdiez, *comitis* Garſiæ, Garſi, Petri Petri, Gorteſfernaz *epiſcopi* Pampiloniæ, Garſie Bern'. Sanccii, Raimuri, Petri Raimuri *&* Paignol *de* Taiſona, Ancer *de* Calez *aſſercione cognovimus, quod placuit utrique veſtrum querimonias inter vos habitas ſuper quibuſdam caſtellis & terris cum earum terminis & pertinentiis, noſtro Judicio terminari: Nos verò fidelibus & nunciis veſtris ea quæ decuit veneratione ſuſceptis, pacem inter vos honori Dei & toti Chriſtianitati plurimum proficere attendentes, divinæ pietatis & communis utilitatis intuitu negotium hoc in nos ſuſcepimus; fidelibus itaque à nobis communiter electis & procuratoribus, & advocatis cauſarum veſtrarum in præſentia noſtra, & epiſcoporum noſtrorum & comitum & baronum conſtitutis, petitiones & allegationes utriuſque partis diligenter audivimus & intelleximus. Proponebant ſiquidem hii, quibus cauſa* Aldefonſi *regis* Caſtellæ *commiſſa fuerat,* Sanccium *regem* Navarræ *memorato regi* Caſtellæ, *dum adhuc orphanus eſſet & pupillus, caſtella &*

terras, ſcilicet Logron, Navarret, Andena, Aptol, Agoſora, *cum omnibus terminis & pertinenciis quæ pater ſuus die qua deceſſit, & ipſe poſt, aliquot annis quiete poſſederat, injuſte & violenter abſtuliſſet, unde & eorum reſtitutionem ſibi fieri poſtulabant. Illi vero quibus cauſa* Sanccii *regis* Navarræ *commiſſa fuerat, nichil horum quæ ab hiis propoſita fuerant contradicentes, aſſerebant* Aldefonſum *præfatum regem* Caſtellæ Sanccio *prænominato regi* Navarræ, *caſtella ſcilicet* Legin, Portol, *&* Caſtellum *quod tenet* Godin, *per guerram & injuſte abſtuliſſe, & parte altera in nullo contradicente, eorum fieri ſibi reſtitutionem pari petebant inſtantia. Præterea in ſcripto veſtro continebatur communi, vos treugas inter vos uſque in ſeptennium fide interpoſita firmaſſe, & hoc ipſum nuncii veſtri in jure palam ſunt proteſtati. Habito igitur cum epiſcopis, comitibus & baronibus cum deliberatione conſilio, pacem inter vos ad fidem Chriſtianorum propagandam, & ad inimicorum Chriſti confuſionem neceſſariam fore conſiderantes, plenam eciam tam ex ſcriptis veſtris quam nunciorum aſſertionibus fiduciam concipientes, quod in pace firmanda & conſervanda conſilio noſtro & præcepto parebitis, ante Judicii pronuntiationem ſuper præſcriptis querelis & treugis mandamus vobis per nuncios veſtros & conſulimus, & præcipimus, & adhuc ſcripto præſenti mandamus, ut pacem inter vos firmetis imperpetuum & fideliter obſervetis; Super querelis vero prætaxatis de caſtellis & terris cum omnibus terminis & pertinentiis hinc inde violenter & injuſte ablatis, cum nichil contra utrinque objecta à parte alterutra alteri reſpondetur, nec quicquam quo minus reſtitutiones, quas petebant, faciendæ eſſent allegaretur, plenariam utrique parti ſupradictorum quæ in jure petita erant fieri reſtitutionem adjudicavimus. Adjunximus eciam ex Judicio treugas præfatas inter vos, ut ſupradictum eſt, fide firmatas ſicut ex ſcripto veſtro et nuntiorum veſtrorum publica confeſſione in jure facta nobis conſtitit, uſque ad conſtitutum inter vos terminum inviolabiter obſervandas. Volumus eciam et præcipimus pro bono pacis, ut rex* Aldefonſus *dilectus filius noſter donet* Sanccio *regi* Navarræ *avunculo ſuo ſingulis annis uſque ad decennium tria milia morabotinorum ad tres terminos in anno* Burgis *recipienda, ſcilicet ad* iiij. *primorum menſium poſt prædictam reſtitutionem utrimque factam mille morabotinorum, & ad finem* iiij. *menſium proximo ſequentium* M. *morabotinorum, & ad finem* iiij. *menſium tercio ſequentium* M. *morabotinorum, ita ut ſingulis annis de* x. *annis ſequentibus poſt prædictam reſtitutionem ſolvantur tria milia morabotinorum ad eoſdem terminos & in loco prænominato* Sanccio *regi* Navarræ. *Præterea nuncii utriuſque veſtrum juraverunt ante ſententiæ pronunciationem, vos Judicium noſtrum tam de reſtitutionibus quam de treugis firmiter obſervaturos; & niſi feceritis quod corpora ſua redderent in manum noſtram & poteſtatem. Hiis teſtibus,* Ricardo *archiepiſcopo Cantuarienſi,* Hugone *Dunolmenſi epiſcopo,* Galfrido *Elienſi,* Rogero *Wigornienſi,* Bartholomeo *Exonienſi,* Gilberto *Londonienſi,* Waltero *Roffenſi,* Reginaldo *Bathonienſi,* Johanne *Norwicenſi,* Johanne *Ciceſtrenſi,* Roberto *Hereford. epiſcopo de ſancto David Walliæ,* Adam *de ſancto Aſſaph, & epiſcopo de Bangor.* Galfrido *filio regis comite Britanniæ,* Willielmo *comite de Albamarla,* Roberto *comite de Leiceſtria,* Willielmo *de Mandevill comite de Eſſexia,* Roberto *comite de Glouceſtria,* Willielmo *de Arundell comite Suthſexiæ,* Hugone *comite Ceſtriæ & comite de Ferers. Et de baronibus Angliæ,* Ricardo *de Lucy,* Willielmo *de Veſci,* Roberto *de Vallibus,* Rogero *de Moubray,* Roberto *de Stutevill,* Philippo *de Kima, & aliis quampluribus tam clericis quam laicis de regno Angliæ.*

ITaque concilio illo finito dominus rex dedit nunciis prædictorum regum *Hiſpaniæ* dona magna et varia, aurum, argentum, et vaſa precioſa unicuique ſecundum quod ordo et dignitas poſcebat. Et ſic licentia repatriandi eis data eſt. In eodem eciam concilio epiſcopus de ſancto *David Walliæ*, fecit profeſſionem ſuam *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo, & illam manu ſua ſcriptam ſibi dedit, & promiſit ei in verbo veritatis debitam & canonicam obedientiam, coram *Galfrido Elienſi* epiſcopo & aliis ſex epiſcopis, & coram *Gilberto Londonienſi* epiſcopo, qui eum anno præcedenti apud *Cantuariam* per mandatum dicti *Cantuarienſis* archiepiſcopi in remotis agentis in epiſcopum conſecraverat.

IStis peractis, rex de *Londonia* recedens venit uſque **Sperleberg**, & quoſdam familiares ſuos, videlicet magiſtrum *Johannem Comyn*, *Bertramum de Verdon*, et *Robertum de Salopia* ad prænominatos reges *Hiſpaniæ* ut per eos illorum ſciret reſponſum cum ſuis literis inde miſit. Præterea per eoſdem nuncios ſuos regi *Ferando* mandavit, quod diu erat ex quo in mente & propoſito habuit cauſa peregrinationis limina ſancti *Iacobi* viſitandi. Et quia ipſe erat rex & dominus civitatis ſancti *Iacobi* & provinciarum circumjacentium, rogavit eum ut amore ipſius literas de ſalvo conductu eundi & redeundi per terram ſuam ei per dictos nuncios deſtinaret.

Dominica poſtea Paſchæ floridæ appropinquante, rex *Angliæ* pater uſque **Redinges** veniens feſtum illud ibi celebravit. Et ibidem nunciatum eſt ei quod Comes *Flandriæ* jam prope **Witſand** pervenerat, & ſe cauſa cum eo loquendi & limina ſancti *Thomæ* martyris viſitandi in *Angliam* venire paraverat. Quod audiens rex verſus *Cantuariam* iter ſuum aripuit indilate. Et die Mercurii ſequente Comes *Flandriæ* in *Angliam* apud **Dover** applicans eadem die *Cantuariam* properavit. Ad quem rex in craſtino ſummo mane die Jovis abſoluti *Cantuariam* ad Comitem uſque venit. Et facta ibi peregrinatione ſua uterque ſcilicet rex & Comes uſque **Dover** ubi naves dictum exſpectabant Comitem advenerunt. Cui rex quingentas marcas argenti in auxilium peregrinationis ſuæ *Jeroſolomitanæ* faciendæ donavit. Et ſic Comes licentia à rege capta nocte ſequenti poſt tenebras mare intrans apud **Witſand** in craſtino applicuit valde mane, rege die illo apud **Dover** quia erat Paraſceve Domini remanente. Qui craſtino in vigilia Paſchæ ad quandam villam quæ vocatur **Wic** ſe transferens, feſtum ibi paſchale celebravit, *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo illo die miſſam coram eo decantante. Finita itaque ſolempnitate diei paſchæ rex *Londoniam* rediens, inde dominica clauſi paſchæ ad ſanctum *Edmundum* regem & martyrem in peregrinatione venit. Et inde in craſtino venit uſque **Ely** cauſa viſitandi ſanctam virginem *Etheldredam*, & illuc

Rogerus Eboracenſis archiepiſcopus, *Reginaldus* Bathonienſis, & *Johannes* Norwicenſis epiſcopi, & multi Comites & Barones *Angliæ* ad tractandum de pace & ſtabilitate regni ad eum venerunt. Et cum diu ibidem tractaſſent, rex inde venit ad *Gaytonam*, ubi multi *Wallenſes* ad eum confluentes fidelitatem ei juraverunt.

Eodem tempore circa clauſum paſchæ *Philippus* Comes *Flandriæ* antedictus & multi de nobilioribus *Franciæ* cum eo iter *Jeroſolomitanum* arripuerunt. Similiter quidam de *Anglia*, ſcilicet *Willielmus* de *Mandevill* Comes de **Eſſex**, *Henricus de Lacy*, *Robertus Pirdu* frater Templi & alii nobiles regni iverunt, per quos rex *Angliæ* pater miſit quingentas marcas, & per fratres Hoſpitalis alias quingentas marcas ad Terram ſanctam contra crucis Chriſti inimicos defendendam. Poſtea rege *Angliæ* uſque *Windeſores* ſe transferente, & dictum *Rogerum* Eboracenſem archiepiſcopum & alios prædictos epiſcopos ſecum ducente, omnes fere Comites, Barones & milites regni ad eum illuc venerunt equis & annis parati quo præciperet rex eundi. Cumque ibidem de pace & ſtabilitate regni tractaſſent, cuſtodibus caſtellorum ſuorum *Angliæ* de concilio Epiſcoporum, Comitum & Baronum ſuorum amotis, militibus de privata familia ſua ea tradidit cuſtodienda. Et præcepit quod caſtellum de **Alverton** quod *Dunolmenſis* epiſcopus tempore guerræ firmaverat, ſterneretur. Tamen idem epiſcopus quia male & ficte tempore guerræ Regi ſervierat, adveniente pace mille marcas regi dedit pro amore ſuo habendo, & ut caſtella ſua ſtarent, & ut quandam villam cum pertinentiis quæ vocatur **Witton** *Henrico* filio prædicti epiſcopi rex concederet & donaret. Hiis & aliis ita diſpoſitis, rex reddidit Comiti *Ceſtriæ* omnes terras & caſtella quæ ſibi citra mare & ultra de jure legitime pertinebant præcipiens ei, ut cum aliis ſibi aſſociandis in *Hiberniam* iret ad terram illam ſibi & *Johanni* filio ſuo cui eam conceſſerat ſubjiciendam. Perquiſiverat enim ab *Alexandro* ſummo pontifice, quod liceret ei filium ſuum quem vellet regem *Hiberniæ* facere & ſimiliter coronare, ac reges & potentes ejuſdem terræ qui ſubjectionem ei facere nollent debellare.

Hiis itaque peractis, rex inde diſcedens *Oxoniam* uſque venit, ubi *Reſus* filius Griffini rex Suthwalliæ, & *David* filius Owani rex Norwalliæ, & *Cadwallus* rex de Delwan, & *Griffinus* de Bromfelde, & *Madocus* filius Gernet, & plures alii de nobilioribus Walliæ de mandato ſuo ad ejus ibidem colloquium convenerunt. Et ibi rex *Angliæ* dedit dicto *David* regi Norwalliæ qui ſororem ſuam in uxorem duxerat, terram de *Elleſmere*, & *Reſo* regi Suthwalliæ terram de *Meroydyn*; & ipſi inde fidelitatem & ligantiam domino regi & pacem obſervandam ſibi & regno ſuo *Angliæ* juraverunt. Ibidem eciam apud *Oxoniam* idem rex Angliæ *Johannem* filium ſuum coram epiſcopis & regni ſui principibus regem *Hiberniæ* conſtituit. Et poſtea fecit quoſdam familiares ſuos ſibi & dicto *Iohanni* filio ſuo ligantias, fidelitates & homagia contra omnes homines facere & jurare, quibus terras *Hiberniæ* dedit & diſtribuit in hunc modum.

Dedit itaque rex pater *Hugoni de Lacy* totam *Midam* cum pertinenciis pro ſervicio C. militum tenendam de ipſo & *Iohanne* filio ſuo, & Cartam inde ei fecit. Dedit eciam *Roberto filio Stephani* & *Miloni de Cogham* regnum de *Corc* pro ſervicio lx. militum tenendum de ipſo & *Johanne* filio ſuo, excepta civitate de *Corc* cum uno cantredo quam dominus rex ſibi & ſuis hæredibus reſervavit. Dedit eciam *Herberto filio Herberti* & *Willielmo* fratri Comitis *Cornubiæ Reginaldi*, & *Iocelino de la Pumeray* eorum nepoti regnum de *Limeric* pro ſervicio lx. militum, excepta civitate de *Limeric* cum uno cantredo, quam rex ſibi retinuit. Dedit eciam *Willielmo filio Aldelmi* dapifero ſuo civitatem *Weſefordiæ* cum pertinenciis in cuſtodia, ſtatuens *Herketelon* cum pertinentiis & *Glaſcarric* cum pertinenciis & plures alias terras ad ſervicium *Weſefordiæ* impoſterum pertinendas. Dedit eciam *Roberto le Power* in cuſtodia civitatem *Waterfordiæ* cum pertinentiis, ſtatuens totam terram quæ eſt inter *Waterfordiam* & aquam quæ eſt ultra *Liſmoram* & eciam terram *de Siſeria* cum pertinentiis ad ſervitium *Waterfordiæ* impoſterum pertinendas. Dedit eciam *Hugoni de Laci* cuſtodiam civitatis *Dublenniæ* cum pertinentiis, ad cujus eciam ſervicium ſtatuit terras multas. Terris itaque *Hiberniæ* modo prædicto diviſis & conceſſis, ac homagiis, fidelitatibus & liganciis inde factis & juratis, rex inde diſceſſit, & poſtea apud **Sparleberge** poſt feſtum Aſcenſionis Domini dedit *Philippo de Breus* totum prædictum regnum de *Limeric* pro ſervicio lx. militum, tenendum de eo & *Iohanne* filio ſuo, & inde eis homagium ſuum fecit. Nam dicti *Herbertus filius Herberti*, & *Willielmus* frater *Reginaldi* Comitis, & *Iocelinus* de *Pomeray* dictum regnum habere nolentes illud domino regi & *Iohanni* filio ſuo libere & quiete ab omni eorum calumpnia reddiderunt, pro eo quod rex noluit reddere eis hæreditates ſuas jure eis hæreditario pertinentes, & pro eo eciam quod idem regnum de *Limeric* nondum erat adquiſitum nec regis dominio ſubjectum. Nam occiſo à regalibus *Monaculo* rege de *Limeric* qui regi *Angliæ* in *Hibernia* ad eam ſibi ſubiciendam venienti pro regno ſuo de *Limeric* & aliis terris ſuis *Hiberniæ* homagium fecerat, quidam conſanguineus ejus in regno illo ſibi ſucceſſit, qui cum mala & ſævicias quas advenæ *Angli* in eum & alios *Hibernienſes* exercebant, vidiſſet, noluit fidelitatem eis jurare nec concordiam facere aliqualem. Rege eciam *Conrenſi* à fidelitate quam regi *Angliæ* fecerat propter hiis ſimilia recedente.

Adveniente itaque ſolempnitate Pentecoſtes, dominus rex pater venit *Londoniam*, & ibi Abbathiam de **Thorney** Priori **de Ely** dedit & conceſſit, qui fidelitatem ei inde juravit. Eodem anno die Dominica clauſæ Pentecoſtes ſanguineus imber cecidit in inſula de **Whit** fere per duas horas integras, ita quod panni linei per ſepes ad ſiccandum ſuſpenſi, rore illo ſanguineo ſic aſperſi fuerant acſi in vaſe aliquo pleno ſanguine merſi eſſent. Eodem anno circa feſtum ſanctæ Trinitatis *Margareta* uxor juvenis regis *Angliæ* quæ prægnans ad regem *Franciæ* patrem ſuum abiit, peperit filium nomine *Willielmum*, qui infra triduum *Pariſius* obiit, & quidam dixerunt quod abortivus fuit. Eodem anno in ebdomada Pentecoſtes angelus Domini cuidam in ſompnis apparuit, dicens, Hæc dicit Dominus Deus, Volo ut corpora Sanctorum, ſcilicet corpus ſancti *Amphibali* qui magiſter ſancti *Albani* extiterat, & eum à pagano errore ad Chriſtianam veritatem converterat, & aliud ſanctum corpus, illius videlicet qui cum à nequiſſimo rege ad beatum *Albanum* necandum miſſus fuiſſet, in eum manus mittere nolebat, ſed de pagano errore ad fidem Chriſti converſus ſententiam ſubiit capitalem, & martyr Chriſti effectus cœlos penetravit, tranſferantur de loco ubi ſepulta ſunt ad eccleſiam ſancti *Albani*, & ibi cum digna reverentia recondantur. Et ad hæc angelus ſubjunxit dicens ei, Vade cito ad Abbatem & Conventum eccleſiæ ſancti *Albani*, & hanc eis indica viſionem; & præcipe eis ut in quodam loco qui dicitur, &c. fodere faciant & ibi poſſunt ſanctorum corpora invenire.

Vir autem ille tanta viſione angelica expergefactus, apud ſe diu meditabatur, utrum Abbatem & conventum ſancti *Albani* ſicut angelus ei præceperat, verbis agrederetur an non. Cumque diu in hunc modum animum ſuum affligeret, tandem ei placuit quod non iret, & ſic ſuo recubuit in grabato. Et ecce angelus ſecundo & tercio apparuit ei, eundem ſermonem dicens, & niſi iret celerius minas addens. Talibus ergo minis vir ille perterritus, ocius à cubili ſuo ſurgens, ad Abbatem & Conventum perrexit, & eis illud cœleſte mandatum & viſionem angelicam indicavit; Cujus dictis Abbas & Conventus fidem dederunt, quia in annalibus ſuis ubi miracula & paſſio beati martiris *Albani* ſcribebantur, nomina & paſſiones dictorum Chriſti martyrum legebantur, ſed ignotum erat eis in quo loco eorum corpora humabantur. Convocatis igitur comprovincialibus præfatus abbas & homo ille cui angelus apparuit, ad dictum locum ubi corpora martyrum ſepulta erant procedentes, circumquaque fodere præceperunt. Cumque illi circumquaque fodientes jam per octo dies in caſſum laboraſſent, ecce odor ſuaviſſimus de tumulis martyrum erumpens, eos ad fodiendum ibi mirabiliter provocavit. Aſſiduis ergo orationibus inſiſtentes, & omnipotentis Dei auxilium invocantes, ad locum unde odor ille prorupit ocius acceſſerunt, et ibi fodientes ſarcophagos in quibus martyrum corpora ſepulta fuerant invenerunt. Corpora vero tollentes, in craſtino nativitatis ſancti *Iohannis* Baptiſtæ vij. kal. Julii ad eccleſiam ſancti *Albani* cum ympnis et canticis detulerunt, ubi illis honorifice reconditis muti ſermonem, claudi greſſum, cæci viſum et alii plures ſanitatem à diverſis langoribus receperunt.

Eodem anno circa feſtum Sanctorum vij. fratrum rex apud **Stanſtede** exiſtens conceſſit *Judæis* regni ſui *Angliæ* licentiam habendi cœmeteria extra civitates quas inhabitabant, ubi poſſent in loco competenti illa emere, ad mortuos ſuos ſepeliendos. Nam ipſi prius cœmeterium aliquod niſi apud *Londoniam* nullatenus habebant, unde ubicumque aliquis eorum in *Anglia* mortuus eſſet, corpus ejus ad humandum *Londoniam* ferebatur. Rex tunc temporis apud **Stanſtede** & circa maritima per octo dies ut mare tranſiret moram faciens, cicatrice tibiæ ſuæ in ea parte qua ex percuſſione equi unius fratris Templi tempore guerræ læſus fuerat, ingraveſcente, per conſilium ſuorum uſque *Wintoniam* properavit, ut ibi aeris ſerenitatem & ventum paſſagio ſuo proſperum gratioſus exſpectaret.

Eodem adhuc anno videlicet Domini M. Clxxvij. & pontificatus *Alexandri* papæ xviij. inveterata rabies *Frederici* Imperatoris in eundem papam & *Romanam* eccleſiam conquievit; Nam appropinquante feſto ſancti *Jacobi* apoſtoli, idem papa cum Cardinalibus ſuis et multis ſanctæ matris eccleſiæ prælatis tam archiepiſcopis quam epiſcopis *Venetiam* uſque venit; cui *Fredericus Romanorum* Imperator cum archiepiſcopis, epiſcopis, & Principibus *Teutonici* regni ad pacem inter ipſum & papam faciendam obviam illuc venit, ut ſciſmate quod jam fere xviij. annis duraverat deleto, concordia in eccleſia Dei & pax foret. Illis itaque in civitate *Venetia* in vigilia beati *Iacobi* apoſtoli congregatis, præfatus Imperator ſicut prius tractatum fuerat & diſpoſitum, ad eccleſiam beati *Nicholai*, quæ per unum miliare à *Venetiis* diſtat, venit. Et ibi tam ipſe quam archiepiſcopi, epiſcopi & alii Principes *Teutonici* regni ſciſmati abrenunciantes, per Cardinales & epiſcopos quos dominus papa ad eos ibi abſolvendos miſerat, abſolutionis beneficium meruerunt. Et deinde *Venecias* venientes ibi ante eccleſiam ſancti *Marci*, dictus Imperator domino papæ ſicut ſummo pontifici omnem obedientiam & reverentiam humiliter præbens, recepto ab eo pacis oſculo eum devote dextravit, & cum devotione magna ad altare in eccleſiam introduxit. Sequenti vero die in feſto S. *Jacobi* dictus imperator domino papæ extra eccleſiam ſancti *Marci* obvians, dextero latere ejuſdem devote ſuſcepto, eum in eccleſiam introduxit. Et peractis ibi miſſarum ſolempniis, eum uſque ad ipſius eccleſiæ portam dextravit. Et cum dominus papa palefridum ſuum aſcenderet, idem imperator ei ſtaffam tenens omnem honorem quem prædeceſſores ejus prædeceſſoribus ſuis exhibere conſueverant, ei præbuit atque fecit.

In hoc vero papali Concilio *Johannes* abbas de *Struma*, qui & vocatus fuerat papa *Calixtus*, qui & tercius & ultimus antipapa hujus ſciſmatis extiterat, degradatus eſt, & ab ipſo imperatore, & ab omnibus principibus eccleſiaſticis, & ſecularibus Teutonici regni abrenunciatus eſt. Similiter omnes archiepiſcopi, epiſcopi, & abbates Teutonici regni, qui ab eo vel aliis antipapis prædeceſſoribus ſuis, ſcilicet ab *Octaviano* qui & papa *Victor* vocabatur, vel à *Guidone* de *Crema* qui & papa *Paſchalis* vocabatur, ordinati fuerant, degradati ſunt, & altaria quæ ab eiſdem dedicata fuerant ſubverſa ſunt: In hoc eciam Concilio *Conredus* frater conſobrinus prædicti imperatoris archiepiſcopatum *Sanſeburgiæ* à manu domini papæ recepit, & ipſo imperatore annuente, dominus papa conceſſit eidem *Conredo* tocius Teutonici regni quamdiu vixerit legaciam. Iſte vero *Conredus* cum tempore ſciſmatis ad archiepiſcopatum *Magutinenſem* electus eſſet, ab *Octaviano* antipapa noluit conſecrari, ſed maluit inter Catholicos pro Chriſti nomine citius egere, quam inter ſciſmaticos divitiis & tranſitoriis habundare. Venit ergo in partes *Galliarum* ad urbem *Senonenſem*, & invento ibi *Alexandro* ſummo pontifice qui ea tempeſtate citra montes ad celebrandum Concilium illuc pervenerat, pro amore Dei & pace eccleſiæ cum eo remanſit: A quo honorifice ſuſceptus inter epiſcopos Cardinales connumeratus eſt, & in ipſo concilio de epiſc. *Savina* factus fuit epiſcopus cardinalis. Et *Chriſtianus* imperatori cancellarius ſucceſſit *Conredo* in archipræſulatum *Magutinenſem*, & à prædicto *Guidone* de *Crema* antipapa pallium ſuſcepit, dicto *Conredo* primæ electioni ad archiepiſcopatum *Magutinenſem* de eo factæ renunciare nolente, ſed ad proximo ſequens Concilium à ſummo pontifice celebratum appellante. Et quia dictus *Chriſtianus* à dicto *Guidone* antipapa pallium acceperat, facta pace inter

ter dominum *Alexandrum* verum papam & imperatorem, coram ipſo papa, & cardinalibus, & archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis viris eccleſiaſticis, & principibus *Teutonici* regni qui paci aderant, illud pallium *Venetiæ* in Alto rivo in palacio patriarchæ combuſſit. Et poſtea eo abſoluto, dominus papa pallium ei dedit, & ſic pace facta imperator cum ſuis ad loca ſe alia divertebat. Et dominus papa, regibus, & principibus, & viris eccleſiaſticis ſibi, & *Romanæ* eccleſiæ ſubjectis pacem ſignificavit eccleſiæ prænotatam, ſignificavit enim *Ricardo Cantuarenſi* archiepiſc. & ſuis ſuffraganeis in hæc verba:

ALexander *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus* Ricardo Cantuarienſi *archiepiſcopo, & ſuffraganeis ſuis, & dilectis filiis abbatibus ſpecialiter ad* Romanam *eccleſiam pertinentibus in archiepiſcopatu* Cantuarienſi *conſtitutis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Inmenſas laudes, & gratias agimus Deo omnipotenti qui licet navem* Petri *diu permiſiſſet procelloſa maris tempeſtate quaſſari, nunc tandem imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ita ut pacatis maris ſævientis fluctibus, prædicta navis ad portum quietis reducta ſit, & ſalutis: ſane kariſſimus in Chriſto filius noſter* Fredericus *illuſtris* Romanorum *imperator proximo præterito die Dominico ante feſtum beati* Jacobi, *cum principibus eccleſiaſticis, & ſecularibus Teutonici regni, cum multa devotione venit* Venetiam *ad præſentiam noſtram, & ibi coram innumera multitudine virorum & mulierum altis vocibus reſonantium laudes altiſſimo, nobis ſicut ſummo pontifici omnem reverentiam exhibuit & honorem, & in feſto ſancti* Jacobi *nobis ad preces ejus beati* Marci *eccleſiam adeuntibus pro celebrandis miſſarum ſolempniis, obviam venit. Et finita miſſa quam à nobis licet indignis reverenter audivit, nobis omnem honorem exhibuit quem prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere. In kal. vero menſis Auguſti præfatus imperator ubi erat innumera multitudo hominum in anima ſua juravit, & principes ſui quos præſentes habebat tam eccleſiaſtici quam ſeculares præſtito juramento firmaverunt, quod pacem eccleſiæ perpetuo & pacem kariſſimi in Chriſto filii noſtri* Willielmi *illuſtris regis* Siciliæ *uſq; ad* xv. *an. et treugam* Longobardorum *à prædictis kal. Auguſti uſq; ad* vj. *an. ſicut pax & treuga ipſa diſpoſita eſt, & tractata, & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſervare. Sicut autem idem imperator nos in Catholicum papam & ſpecialem recepit, ita nos eum in Catholicum imperatorem & uxorem ejus in Catholicam imperatricem & filium ipſorum* in Catholicum *regem recepimus. Agite igitur gratias creatori noſtro qui ſponſam ſuam ſacroſanctam eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones quibus graviter preſſa eſt & attrita, per ſuam gratiam plenam gratiam reddidit & quietem.* Dat. *Venetiæ* in Rivo alto, &c.

Poſtea idem papa *Alexander* legatos ſuos per univerſas nationes Deo & eccleſiæ *Romanæ* ſubjectas mittens, omnes tam archiepiſcopos quam epiſcopos & abbates ad Concilium *Lateranenſe* invitavit ſtatuens eis locum & terminum *Romæ* à proximo capite jejunii ſequentis in unum annum. Et interim eciam ad Preſbiterum *Johannem* regem *Indorum* nuncium ſuum miſit, cui ſcripſit in hæc verba.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum dei kariſſimo in Chriſto filio *Johanni* illuſtri & magnifico *Indorum* regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolica ſedes cui licet inmeriti præſidemus, omnium in Chriſto credentium caput eſt & magiſtra, Domino atteſtante qui ait beato *Petro*, cui licet indigni ſucceſſimus, *Tu es* Petrus, *& ſuper hanc* petram *ædificabo eccleſiam meam.* Hanc ſiquidem *petram* Chriſtus eſſe voluit in eccleſiæ fundamentum quam præconat nullis ventorum turbinibus nulliſque tempeſtatibus quatiendam, & ideo non inmerito beatus *Petrus* ſuper quem fundavit eccleſiam ligandi atque ſolvendi ſpecialiter atque præcipue inter apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem, cui dictum eſt à Domino, *Tibi dabo claves regni cælorum, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Audieramus utique jampridem referentibus multis & in fama communi, quomodo cum ſis Chriſtianum nomen profeſſus, piis veluti operibus indeſinenter intendere, & circa ea tantum animum geras quæ Deo grata ſunt & accepta: Sed & dilectus filius magiſter *Philippus* medicus & familiaris noſter, qui de intentione pia & propoſito tuo cum magnis & honorabilibus viris regni tui ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir providus & diſcretus, circumſpectus & prudens conſtanter nobis ſolicite retulit, ſe manifeſtius ab hiis audiſſe quod tuæ voluntatis ſit & propoſiti, catholica & apoſtolica erudiri diſciplina; & ad hoc firmiter intendas, ut tu & terra tuæ ſublimitati commiſſa, nichil unquam videamini in fide veſtra tenere quod à doctrina ſedis apoſtolicæ diſſentiat modo quolibet vel diſcedat; ſuper quo ſane tibi ſicut kariſſimo filio plurimum congaudemus, & ei à quo omne bonum procedit inmenſas exſolvimus gratiarum actiones, vota votis & preces precibus adjungentes, ut qui dedit tibi nomen Chriſtianitatis ſuſcipere, menti tuæ per ſuam ineffabilem pietatem inſpiret, quod omnino vel ſapere quæ ſuper omnibus articulis fidei tenere debet religio Chriſtiana: non enim vere poteſt de Chriſtiana profeſſione ſapere ſalutem qui eidem profeſſioni verbo & opere non concordat; quia non ſufficit cuilibet Chriſtiano cenſeri quod de ſe ſentit aliud quam catholica & apoſtolica habeat diſciplina, juxta illud quod Dominus in evangelio dicit, *Non omnis qui dicit michi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Illud autem nichilominus ad commendationem tuæ veritatis accedit, quod ſicut prudens magiſter *Philippus* ſe à tuis aſſerit audiſſe, ferventi deſiderio cuperes habere eccleſiam in urbe & altare aliquod, ubi viri prudentes de regno tuo manere poſſent & apoſtolica plenius inſtrui diſciplina, per quos poſtmodum tu & homines regni tui doctrinam ipſam acciperent & tenerent. Nos autem licet inſufficientibus meritis in beati *Petri* cathedra poſiti, juxta apoſtolum, ſapientibus & inſipientibus, divitibus & pauperibus nos recognoſcentibus debitores ſumus, & de ſalute tua & tuorum omnimodam ſalutem & ſolicitudinem gerimus, & vos ab hiis articulis in quibus erratis à Chriſtiana & catholica fide prompto animo prout tenemur ex ſuſcepto miniſterio regiminis volumus revocare, cum ipſe Dominus beato *Petro* quem apoſtolorum principem fecit dixit, *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Licet autem grave nimis videatur & laborioſum exiſtere, ad præſentiam tuam inter tot labores & varia itineris & locorum diſcrimina & inter longas & ignotas horas quemlibet à noſtro latere deſtinare, conſiderato tamen officii noſtri debito, & tuo pio propoſito & intentione penſatis, præfatum *Johannem Medicum* & familiarem noſtrum, virum utique diſcretum, circumſpectum & providum, ad tuam magnitudinem mittimus, de Jheſu Chriſti miſericordia confidentes, quod ſi volueris in eo propoſito & intentione perſiſtere quem te inſpirante Domino intelligimus concepiſſe, de articulis Chriſtianæ fidei in quibus tu & tui à nobis diſcordare videmini, in proximo per Dei miſericordiam erudiemus, nichil prorſus timere poteritis, quod de errore tuo vel tuorum ſalute præpediat vel in vobis nomen Chriſtianitatis obfuſcet. Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino, quatinus eundem *Philippum* pro reverentia beati *Petri* & noſtra ſicut virum honeſtum, providum & diſcretum, & à noſtro latere deſtinatum debita benignitate recipias, & reverenter & devote pertractes. Et ſi tuæ voluntatis eſt & propoſiti ſicut omnino debet eſſe, ut erudiaris apoſtolica diſciplina, ſuper hiis quæ idem *Philippus* ex noſtra tibi parte proponet ipſum diligenter audias & exaudias, & perſonas honeſtas & literas tuo ſigillo ſigillatas quibus propoſitum & voluntatem tuam poſſimus plene cognoſcere, ad nos cum ipſo tranſmittatis, quia quanto ſublimior & major haberis, & minus de potencia & divitiis inflatus videris, tanto libentius tam de conceſſione eccleſiæ in urbe, quam eciam conferendis altaribus in eccleſia beati *Petri*, & *Pauli*, & *Jeruſalem* ſepulcri Domini in eccleſia, & in aliis quæ juſte quæſieris tuas curabimus petitiones admittere & efficacius exaudire, utpote qui deſiderium ſuper hoc quod multa commendatione exiſtit dignum, modis omnibus quibus poſſimus ſecundum Dominum promovere, & tuam & tuorum animas deſideramus Domino lucrifacere. *Dat.* Venetiæ *in Rivo alto* v. *kal. Octobris.*

Interea appropinquante feſto aſſumptionis beatæ *Mariæ* anno ſupradicto, *Henricus* rex *Angliæ* pater, qui moram apud *Wintoniam* ut dictum eſt fecerat, tranſtulit ſe ad mare; qui cum omnibus fere comitibus, baronibus, & militibus *Angliæ* naves aſcendens in *Normanniam* transfretavit. Ubi cum apud *Capewike* applicuiſſet, miſit *Galfridum* filium ſuum ad inimicos ſuos in *Britannia* debellandos. Et cito poſt iij. idus Septembris rege *Rothomagum* cum Concilio ſuo veniente, *Petrus* titulo ſancti *Griſogoni* presbyter Cardinalis illuc obviam eis venit, volens totam terram regis ciſmarinam & tranſmarinam de mandato domini papæ *Alexandri* ponere ſub interdicto, niſi *Ricardus* comes *Pictaviæ* filius ejus ſibi in uxorem *Alaiſam* filiam regis *Franciæ* copularet. Cumque rex tot & tanta pericula ſibi & regno ſuo iminere ſenſiſſet, licet prælati *Angliæ* tam archiepiſcopus *Cantuarienſis*, quam archiepiſcopus *Eboracenſis*, & eorum ſuffraganei hoc per prius percipientes de eorum communi concilio & regis conſenſu contra dictum Cardinalem de ſuſpecto gravamine ad ſummum pontificem appellaſſent, ac ipſum regem, ſeipſos & totum regnum *Angliæ* in protectione domini papæ poſuiſſent, inducias tamen à præfato Cardinali quæſivit, donec cum rege *Franciæ* patre puellæ colloquium habere poterat & tractatum. Quó tandem ab eo per nuncios ſibi miſſos impetrato, in feſto ſancti *Mathæi* apoſtoli ad certum locum aſſignatum colloquium inter ſe de pace & concordia habuerunt. In quó rex *Angliæ* conceſſit regi *Franciæ*, quod *Ricardus* comes *Pictavienſis* filius ejus filiam ipſius regis *Franciæ* duceret in uxorem. Et poſtea pace & concordia inter eos factis, illas fide & ſacramento & ſcripto utriuſque ſigillo roborato confirmari fecerunt in hunc modum.

S*Ciant omnes præſentes et futuri, quod ego* Ludowicus *Dei gratia rex* Francorum, *et ego* Henricus *eadem gratia rex* Angliæ, *volumus ad omnium tam præſentium quam futurorum noticiam pervenire, nos Deo inſpirante promiſiſſe & juraſſe, quod ſimul ibimus in ſervicium Chriſtianitatis & crucem ſuſcipiemus ituri* Jeroſolimam *ſicut in ſcripto de ſuſceptione Crucis inter nos facto continetur. Volumus eciam quod omnes ſciant quod ſic ſumus & amodo volumus eſſe amici, quod uterque noſtrum alteri conſervabit vitam & membra & terrenum honorem ſuum contra omnes homines pro poſſe ſuo. Et ſi quæcumque perſona alterutri noſtrum malum facere præſumpſerit*, ego Henricus *juvabo* Ludowicum *regem* Franciæ *dominum meum contra omnes homines pro poſſe meo, & ego* Ludowicus *juvabo* Henricum *regem* Angliæ *contra omnes homines pro poſſe meo ſicut hominem & fidelem meum, ſalva fide quam debemus hominibus noſtris quamdiu ipſi fidem nobis ſervabunt. Et neuter noſtrum retinebit inimicum alterius amodo in terra noſtra ex quo requiſitus inde fuerit. Et ut amodo tollatur inter nos omnis materia diſcordiæ, conceſſimus ad invicem quod de terris & poſſeſſionibus & aliis rebus quas quiſque noſtrum modo poſſidet, alter adverſus alterum inde amodo nichil petet excepto eo de* Alvernia *unde contencio inter nos eſt, & excepto feodo de caſtro* Radulphi, *& exceptis minutis feodis & diviſis terrarum noſtrarum de* Berria *ſi homines noſtri aliquid inde interceperint inter ſe vel adverſus alterum noſtrum. Si autem ſuper hiis quæ ſuperius excepta ſunt per nos ipſos convenire non poterimus, ego* Ludowicus *rex* Francorum *elegi tres epiſcopos;* Claremontenſem, Nivernenſem, Treverenſem, *& tres barones, comitem* Theobaldum, *& comitem* Robertum, *&* Petrum *de* Courteneia *fratres meos; Et ego* Henricus *rex* Angliæ *elegi tres epiſcopos,* Willielmum Cenomanenſem, Petrum Petragonenſem, *&* R. Nanetumenſem, *& tres barones,* Mauricium *de* Cooum, Willielmum Mangott, *&* Petrum *de* Monte Rabell, *ex parte mea: Qui inquiſita diligenter hinc inde veritate tam per ſe ipſos quam per juramenta hominum terrarum illarum, prædicti epiſcopi in verbo veritatis aſſecurabunt & laici jurabunt, quod quæcumque cognoverint de jure cujuſcumque noſtrum eſſe hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter ſtabimus. Si vero omnes illi epiſcopi quos ego* Ludowicus *elegi intereſſe non poterunt, nichilominus ſtabimus dicto illorum duorum qui interfuerint. Et ſi omnes barones ex parte mea nominati non interfuerint, pro eo non remanebit quin ſtabimus dicto aliorum duorum qui interfuerint. Et ſimiliter erit de illis quos ego rex* Henricus *elegi tam de epiſcopis quam de baronibus. Juravimus eciam, quod nullum malum faciemus eis propter hoc quod veritatem dixerint. Et ſi forte, quód Deus avertat, inter nos de terris noſtris aliqua querela oriatur, per eoſdem bona fide & ſine malo ingenio ſine dilatione* *terminetur, ſi autem aliqua prædictarum perſonarum interim mortua fuerit, altera loco ipſius ſubſtituatur, ſi vero alteruter noſtrum ante ſuſceptionem crucis iter peregrinationis arripere voluerit, alter qui remanebit terram illius qui in peregrinatione erit & homines ſicut ſua propria & dominica cuſtodiet & manutenebit. Poſtquam vero Deo volente crucem ſuſceperimus, homines noſtros qui nobiſcum ibunt faciemus jurare, quod ſi alteruter noſtrum in via deceſſerit, quod Deus avertat, ita illi qui ſuperſtes erit fideliter ſervient ſicut ſervirent domino ſuo ſi vivus eſſet quamdiu in terra* Jeroſolimitana *morari voluerit; pecuniam vero defuncti habebit vivus ad faciendum ſervicium Chriſtianitatis præter partem illam quam ante iter ſuum certis locis & certis perſonis dandam decrevit. Et ſi uterque noſtrum deceſſerit, eligemus ſi Deus nobis ſpacium indulſerit de probis hominibus noſtris quibus committetur pecunia utriuſque noſtrum ad faciendum ſervicium* Chriſtianitatis, *& qui ducent & regent homines noſtros. Antequam eciam iter noſtrum arripiemus poſt ſuſceptam crucem, faciemus illos jurare quos cuſtodes & gubernatores conſtituemus terrarum noſtrarum, quod ipſi bona fide cum omni poſſe ſuo ſi neceſſe fuerit ſeſe adinvicem juvabunt, ad defendendum terras noſtras cum abinvicem requiſiti fuerint, ita quod illi quos ego* Henricus *rex* Angliæ *præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni poſſe ſuo juvabunt ad defendendum terras* Ludowici *regis* Franciæ *domini mei, quemadmodum terras meas defenderent, ſi civitas mea* Rothomagus *obſeſſa eſſet, & eodem modo quod illi quos ego* Ludowicus *rex* Franciæ *præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni poſſe ſuo juvabunt ad defendendum terras* Henrici *regis* Angliæ *quemadmodum terras meas defenderent ſi civitas mea* Pariſius *obſeſſa eſſet. Volo eciam quod mercatores & omnes homines tam clerici quam laici de terra regis* Angliæ *cum omnibus rebus ſuis ſecuri ſint, & pacem habeant per omnes terras meas. Et ego* Henricus *rex* Angliæ *ſimiliter volo quod mercatores & omnes tam clerici quam laici de terra regis* Franciæ *cum omnibus rebus ſuis ſecuri ſint, & pacem habeant per omnes terras meas. Hæc autem ſubſcripta nos firmiter obſervaturos promiſimus & juravimus in præſentia domini* Petri *tituli S.* Griſogoni *presbyteri Cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, & in præſentia omnium Epiſcoporum, Comitum, & Baronum, & multorum aliorum tam clericorum quam laicorum, &c.*

His itaque finitis, rex *Angliæ* pater miſit *Henricum* regem filium ſuum ad inimicos ſuos in *Berria* ſibi ſubiciendum; ipſe vero pater ad *Vernolium* tranſiens, ibi intuitu divini amoris & prece & petitione bonorum hominum de *Grandi monte* coram *Ricardo Wyntonienſi* epiſcopo, & multis aliis epiſcopis, comitibus, & baronibus regni ſui quædam ſtatuta, & communi populo terrarum ſuarum *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, *Andegaviæ*, & *Britanniæ* valde neceſſaria ſtatuit atque fecit, & ea ſcripto confirmavit ſigilli ſui munimine roborato. Et poſtea ſummonire fecit Comites et Barones *Normanniæ* per literas ſuas, quod eſſent ad eum apud *Argentonium* in feſto ſancti *Dionyſii* equis et armis parati, ſecum in ſuo ſervicio remanendi. Hiis ita geſtis, ipſe uſque *Alenzun* veniens, miſit inde *Ricardum* filium ſuum ad inimicos ſuos in *Pictavia* debellandos. Interim rex pater audiens quod rex filius ſuus in *Berria* proficere non potuit, magno exercitu congregato ſtatim poſt feſtum ſancti *Michaelis* in partes illas fortiter equitavit. Et caſtello *Radulphi* ei reddito, exercitum ſuum verſus *Caſtre* ut illud obſideret ulterius promovit. Et cum dominus illius oppidi regis adventum audiſſet, obvians ei venit, & pace cum eo facta filiam *Radulphi de Dolis* quam rapuerat, regi *Angliæ*, ad cujus cuſtodiam & donationem ipſa cum hæreditate ſua pertinebat, protinus liberavit, quam cuſtodiendam apud *Chinonem* deſtinavit. Et inde rex in *Lemonenſem* provinciam veniens, Comites, & Barones, & cæteros ibidem comprovinciales qui contra eum cum filiis ſuis tempore guerræ tenuerant, placitavit; & ſecundum quod unuſquiſque promeruit gravamina intulit eis multa. Et poſtea eo in *Berriam* reverſo, ipſe & rex *Franciæ* poſt feſtum ſancti *Martini* apud *Graſerai* convenerunt, de controverſiis quæ de terris & diviſis *Alverniæ* inter eos vertebantur colloquium habituri. In quo, Comitibus & Baronibus *Alverniæ* convocatis, rex *Angliæ* volens per eos de jure ſuo certificari, quæſivit ab eis, quod jus prædeceſſores ſui ſicut Duces *Aquitaniæ* in *Alverniæ* habebant.

Et reſponderunt, totam *Alverniam* de antiquo jure ad Ducis *Aquitaniæ* dominium pertinere, excepto epiſcopatu quem dicebant ad donationem regis *Franciæ* pertinere. *Ludowico* vero rege *Franciæ* huic definitioni conſentire nolente, unde ad inquirendum diligentius quis illorum majus jus in *Alvernia* haberet, tribus Epiſcopis & tribus Baronibus ex parte ſua, & ſimiliter tribus Epiſcopis & tribus Baronibus ex parte Regis *Angliæ* electis, placuit utrique regi bona fide & ſine malo ingenio ſtare dicto & inquiſitioni dictorum xij. virorum ſecundum conventionem ſuperius præſcriptam & initam inter illos. Finito itaque colloquio illo, rege *Angliæ* uſque *Grandem montem* inde pergente, *Andebertus* Comes *Marchiæ* illuc ad eum veniens coram archiepiſcopo *Burdegalenſi*, & *Iohanne* epiſcopo *Pictavenſi*, & pluribus aliis tam clericis quam laicis, filio ſuo quem ſolum habebat hæredem, mortuo, totum comitatum ſuum *Marchiæ* dicto regi *Angliæ* pro xv. libris *Andegavenſis* monetæ, & xx. mulis, & xx. palefridis vendidit & donavit, & Cartam ſuam inde ſimiliter ei fecit. Quibus peractis, idem Comes *Andebertus* accepta pecunia quam rex ei pro dicto comitatu debuit, inde velociter properavit. Et rex *Angliæ* homagiis, fidelitatibus & ligantiis de baronibus & militibus comitatus illius acceptis, uſque *Andegaviam*, ubi inſtans feſtum nativitatis Dominicæ tenere diſpoſuerat, properavit.

Interim eodem anno cum *Philippus* Comes *Flandriæ*, & *Willielmus de Mandevil* Comes *Eſſexiæ* qui Crucem ad terram ſanctam peregrinandi acceperant, *Jeroſolimam* veniſſent, aſſociatis ſibi fratribus Templi cum Hoſpitalariis, & *Reimundo* principe *Antiochiæ*, & fere omnibus militibus terræ *Jeroſolimitanæ*, quoddam caſtrum paganorum quod *Baragh* dicitur obſederunt. Quod cum *Saladino Soldano Babiloniæ* nunciatum eſſet, regibus & principibus paganorum ſibi aſſociatis, cum pluſquam quingentis milibus militum & peditum terram

Chriſtianorum intrans non longe à civitate *Jeruſalem* tentoria ſua fixit. Quorum adventum cum Templarii, Hoſpitalarii, & milites regis *Ieruſalem* cuſtodes civitatis audiſſent, cum plebe urbis armata & epiſcopo de *Bethelem* cum ligno Dominicæ crucis præcedente illis obviam exierunt, & impetum audaciter in paganos facientes, eos recedere longius coegerunt. O ſumma potentia Dei! ô virtus altiſſimi! Chriſtiani non erant ultra xx. milia virorum pugnantium contra quingenta milia paganorum, & tamen virtute divina cooperante de paganis victoriam habuerunt. Viſum enim erat paganis, quod militia cœleſtis exercitus quaſi per ſcalam deſcenderet in ſimilitudinem militum armatorum,& congreſſum cum illis in auxilium exercitus faceret Chriſtiani, cujus impetum pagani non ſuſtinentes verſi celeriter ſunt in fugam. Quos Chriſtiani viriliter ſequentes pluſquam C. milibus paganorum interfectis, multos ex reliquis ceperunt vivos. Sed *Saladinus* cum curribus & equis evadens, plures de conſanguineis ſuis, & nepotibus, & principibus ſui exercitus in illo prælio amiſit. Chriſtiani autem ſumma potiti victoria, cum gaudio *Ieruſalem* revertentes, totam terram interfectorum ſpoliis repleverunt. Factum eſt autem hoc prælium die ſanctæ *Katerinæ* virginis & martyris in planitie de *Rames* ad laudem & gloriam domini noſtri Jheſu Chriſti anno ab incarnatione Domini M Clxxvij.

Comes vero *Flandriæ* & *Willielmus de Mandevil* Comes *Eſſexiæ* qui prænominatum caſtellum obſiderant per conſilium Templariorum accepta ab incluſis pecunia abierunt, eos imperfecto negotio dimittentes. Quibus abeuntibus, in craſtino magna pars murorum dicti caſtelli cecidit. Cum vero Comes *Flandriæ* & dictus Comes *Willielmus de Mandevil* pecuniam à paganis receptam reſpicerent, nichil niſi cuprum & auricalcum invenerunt. Eodem anno Chriſtiani quoddam caſtellum fortiſſimum in terra *Saladini* ad vadum *Iacobi* firmaverunt. Sed *Saladino* illud in anno ſequente obſidente, cum magiſter Hoſpitalis illuc veniſſet, & congreſſum cum exercitu *Saladini* feciſſet, captus eſt, & in terra *Saladini* ductus, fame interiit. Poſtea *Saladinus* caſtello illo per vim capto, omnes cui in illo erant igne ſine miſericordia concremavit.

An. Dñi 1178. Anno ab incarnatione Domini M.Clxxviij. *Henricus* rex *Angliæ* pater die natalis Domini quæ Dominica die eo anno evenit, curiam ſuam apud *Andegavenſem* tenuit civitatem, et feſtum ſolempne convocatis ibidem principibus et majoribus illius provinciæ celebravit. Similiter in ſolempnitate Paſchali proximo ſequenti curiam ſuam ibi tenuit. Et poſt Paſcha in *Normanniam* rediens, nunciis ſuis ad regem *Franciæ* miſſis ab eo impetravit, quod ipſe rex *Franciæ* ſub protectione et cuſtodia ſua omnes terras ipſius regis *Angliæ* transmarinas, ſcilicet *Normanniæ*, *Aquitanniæ*, *Andegaviæ*, et *Britanniæ*, cum ſuis aliis terris cepit, ſicut in hoc ſcripto plenius continetur.

Ludowicus *rex* Franciæ, *omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Noverit univerſitas veſtra quod nos recepimus in cuſtodia noſtra totam terram* Henrici *regis* Angliæ *kariſſimi fratris noſtri in ciſmarinis partibus ſitam ſi contigerit eum in* Angliam *transfretare vel peregre proficiſci. Ita quod quando ballivi ſui de transmarina terra nos requiſierint, præſtabimus ad ejuſdem terræ defenſionem & protectionem bona fide & ſine malo ingenio eis conſilium & auxilium.* Act. apud Venices, &c.

Dum autem *Henricus* rex *Angliæ* in *Normannia* moratus eſt, ecce venit quidam clericus à latere ſummi pontificis miſſus ad omnes archiepiſcopos, epiſcopos et abbates *Angliæ* et *Normanniæ*, *Romæ* ad concilium papale citandos in proximo capite Jejunii celebrandum. Qui accepta à rege licentia peragendi legaciam ſuam, in *Normannia* remanſit, et rex in *Angliam* transfretavit. Qui cum ad portum optatum idus Julii per diem Sabati in *Angliam* applicuiſſet, ſtatim ſicut mos ſuus erat, iter peregrinationis ſuæ ad ſanctum *Thomam Cantuarienſem* arripuit. Et audiens quod *Willielmus Remenſis* archiepiſcopus cauſa viſitandi beatum *Thomam Cantuarienſem* martyrem in *Angliam* veniret, circa *Londonias* moram fecit. Et cum dictus archiepiſcopus applicuiſſet, habuit regem ſibi obvium, à quo honorifice ſuſceptus eſt. Et facta peregrinatione ſua, cum rege per aliquod tempus moram traxit, & deinde ad propria reverſus eſt. Poſtea vero rex uſque Wodestoke veniens, *Galfridum* filium ſuum Comitem *Britanniæ* militari ibi cingulo decoravit. Qui poſtquam arma militaria ſuſceperat in *Normanniam* transfretavit, & ibidem, & in *Francia*, & in aliarum terrarum finibus vires ſuas extendens artes Martis viriliter exercebat, & eo magis ac magis probitatis ſuæ gloriam quæſivit, quo fratres ſuos *Henricum* Regem, & *Ricardum* Ducem *Pictaviæ* in armis cognovit militaribus plus florere. Nam ars bellandi ſi non præluditur cum neceſſe fuerit non habetur.

In illo tempore rege per diverſas partes *Angliæ* diſcurrente, dictus clericus à latere domini papæ miſſus, qui archiepiſcopos, epiſcopos & abbates *Normanniæ* ad Concilium papale *Romæ* citaverat, in *Anglia* interim applicuit, & accepto à domino rege conductu, ex parte *Alexandri* papæ omnes viros eccleſiaſticos regni, tam archiepiſcopos quam epiſcopos & abbates citavit, ut omnes in vi obedientiæ convenirent *Romæ* ad Concilium papale in proximo capite Jejunii habiturum. Venit eciam in *Angliam* quidam alius nuncius domini papæ ad citandum *Romæ* ad dictum Concilium omnes archiepiſcopos, epiſcopos, & alios prælatos eccleſiaſticos *Scotiæ*, *Galeweiæ*, *Hiberniæ*, & inſulæ de Man. Qui à rege licentia transeundi per regnum ſuum quæſita, juravit quod reditum ſuum per ipſum faceret, & quod in legatione ſua malum nec dampnum regi, vel regno ſuo quærere, vel facere attemptaret. Poſtea archiepiſcopi, & epiſcopi *Hyberniæ* & *Scotiæ* *Romam* profecturi, tranſitum per regnum *Angliæ* facientes, tactis ſacroſanctis evangeliis juraverunt quod neque eundo neque redeundo malum regis vel regni quærerent, & quod revertentes regreſſum ſuum per ipſum regem facere non tardarent.

Anno poſtea ab incarnatione Domini M.Clxxix. *Henricus* rex *Ang.* in die natalis Dom curiam ſuam apud *Wintoniam* tenuit, *Galfrido* & *Iohanne* filiis ſuis cum eo exiſtentibus. *Henrico* vero rege filio ſuo in *Normannia*, & *Ricardo* filio ſuo in *Pictavia* moram tunc facientibus. Infra vero idem natale Domini contigit in *Anglia* apud Oxenhale quoddam mirabile à ſeculo inauditum, ſcilicet quod in ipſa domini *Hugonis Dunolmenſis* epiſcopi cultura, An. Dñi 1179.

terra ſe in altum in turris ſimilitudinem ita vehementer elevavit quod ſummis montium cacuminibus coæquaretur, & ita quod ſuper alta templorum pinnacula emineret, & illa altitudo ab hora diei nona uſque ad occaſum ſolis inmobilis permanſit. Sole vero occidente cum tam horribili ſtrepitu cecidit quod omnes cumulum illum videntes & ſtrepitum caſus illius audientes perterruit, unde multi timore illo obierunt; nam tellus eum abſorbuit, & puteum profundiſſimum ibidem fecit, qui uſque hodiernum diem ibi patet.

Appropinquante itaque jam Quadrageſima, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & viris religioſis, ciſmarinis & tranſmarinis *Roma* congregatis, *Alexander* papa tercius anno Domini ultimo ſupraſcripto & pontificatus ſui xx. cum univerſis Cardinalibus ſuis, & clero, & populo ibidem præſente, ad eccleſiam ſancti *Iohannis* de *Laterana* veniens ibi cum eis Concilium celebravit. Cui Concilio nuncii fere omnium imperatorum, regum & principum totius Chriſtianitatis intererant. Et demum quibuſdam decretis in univerſo triginta tribus ibidem ordinatis & ſtatutis, quæ dicuntur *Decreta Lateranenſis Concilii*, univerſo clero ibidem congregato licentiam repatriandi donavit.

Interim *Henricus* rex *Anglia* filius regis *Henrici* circa mediam Quadrageſimam apud **Dover** in *Anglia* applicuit cum domino rege patre ſuo locuturus. Paſchate autem adveniente, dominus rex cum filio ſuo rege feſtum Paſchale apud *Wintoniam* celebravit. Et ſtatim poſt Paſcha *Galfridus* filius ejus Comes *Britannia* per præceptum patris ſui in *Britanniam* transfretavit. Et congregato exercitu terram *Gwitvari de Lions* devaſtans, eum ad deditionem coegit. Adveniente Pentecoſte, *Henricus* rex pater, & rex filius ſuus curiam in illo feſto inſimul tenuerunt, quo peracto, rex filius regis cum benevolentia patris in *Flandriam* transfretavit.

Eodem anno *Ludowicus* rex *Francorum Agnetam* filiam ſuam *Conſtantinopolim* miſit, *Alexio Manuelis Conſtantinopolitani* imperatoris filio maritandam. Poſtea idem rex *Francorum* publico edicto citari fecit omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Comites, & Barones regni ſui, ut omni occaſione poſtpoſita eſſent in civitate *Remenſi* in ipſa die Aſſumptionis beatæ *Maria* congregati ad ibidem *Philippum* filium ſuum primogenitum xv. annorum juvenem in regem *Francia* coronandum, unde ad ſolempnitatem illam omnes prout decebat ſe accedere properabant. Sed apropinquante jam termino præfixo, filius ille regis in gravem incidit infirmitatem, quæ eum adeo vehementer contrivit quod multi de ipſius vita fortiter deſperabant. Rex vero pater pueri videns filium ſuum tam gravi morbo torqueri, die ac nocte fletibus & continuis ſuſpiriis vacans, noluit conſolari. Quadam autem nocte cum ipſe anxietate animi jam ductus eſſet, ſompnus graviſſimus ipſum cepit. Cui ſanctus *Thomas Cantuarienſis* martyr in ſompnis apparuit, dicens, Dominus noſter Jheſus Chriſtus miſit me ſervum ſuum *Thomam* ad te, ut ſcias quod ſi credideris & animo contrito ſervum ſuum *Thomam* martyrem *Cantuarienſem* adieris, de infirmitate tuus convaleſcet filius qua tenetur; & hiis dictis diſparuit. Rex vero poſtmodum evigilans, poſt diutinam cogitationem fideles ſuos convocans, viſionem ſuam illis ſolicite narravit, quærens ab illis conſilium utrum ad dictum Dei ſervum in *Anglia* transfretaret an non. Quidam vero illorum dixerunt, quod periculoſum eſſet ei in regnum alterius transfretare, & in manu potentis incidere; quidam autem quod non eſſet timendum in contrario oſtenderunt. Sequenti vero nocte, præfatus martyr ſecundo & tercio in ſompnis ei apparens eundem dixit ſermonem, & minas addidit niſi celerius Dei fierent hæc mandata.

Cum itaque rex attentius eum intuitus eſſet, & illum *Thomam* martyrem eſſe agnovit, mane facto, fiduciam in Domino habens, contra multorum conſilium iter verſus *Angliam* arripuit. Et ſumptis ſecum *Philippo* Comite *Flandria* & *Willielmo de Mandevil* Comite de *Eſſexia*, qui de terra ſancta jam redierant, & *Henrico* Duce de *Levayn*, & aliis Baronibus regni *Francia* mare apud **Witſand** ingreſſus xj. kal. Septembris feria quarta apud **Dover** in *Anglia* applicuit. *Henricus* vero rex *Anglia* pater circa maritima per aliquot dies adventum illius exſpectans, in litore maris obviam ei venit, & ipſum, & ſuos cum magno ſuſcepit gaudio & honore, & in craſtino *Cantuariam* uſque ſancti martyris tumbam duxit. Quo cum veniſſet, præfatus rex *Francorum* facta ſuper tumulum martyris oratione, unam cuppam auream ei optulit, & C. modios vini imperpetuum ſingulis annis ad certum locum in *Francia* ad omnimodam expenſam regis *Francia* recipiendos monachis ſanctæ Trinitatis *Cantuaria* dedit & conceſſit. Præterea idem rex conceſſit pro amore Dei & ſancti *Thoma* martyris, quod omnia quæcumque de cætero in regno ſuo ad uſum dictorum monachorum emerentur, de theloneo, & omnibus aliis conſuetudinibus & exigenciis quieta eſſent; & hæc omnia fecit Carta ſua Deo & beato *Thoma* martyri & monachis ibidem Deo ſervientibus confirmari. Quam quidem Cartam ex dono *Ludowici* regis *Francia* per manum *Hugonis de Puteaco* cancellarii ſui filii *Hugonis Dunolmenſis* epiſcopi, præfati monachi receperunt. Mora autem ibi per duos dies facta, rex *Francorum* verſus mare ſe tranſtulit, rege *Anglorum* eum uſque **Dover** reducente. In craſtino vero rex *Francorum* cum ſuis naves aſcendens eadem die cum gaudio apud **Witſand** applicuit.

Interim *Philippus* filius ſuus precibus & meritis beati *Thoma* martyris ſanitatem priſtinam eſt adeptus. Rex itaque *Francia* in terram ſuam reverſus de ſanitate filii ſui lætus, conſiliariis ſuis ſtatim convocatis, publico iterum præcepit edicto, ut omnes majores regni, tam clerici quam laici, ad civitatem *Remenſem* in feſto omnium Sanctorum convenirent, ad *Philippum* filium ſuum in regem *Francia* coronandum. Quo die omnium Sanctorum adveniente, omnibus in civitate *Remenſi* congregatis, *Henricus* rex *Anglia* junior præibat *Philippum* filium regis *Francia* verſus eccleſiam cathedralem, coronam auream manibus ſuis geſtans, qua ille puer erat noviter coronandus. Et *Philippus* Comes *Flandria* ante illum præibat gladium regni ferens. Et multi Duces, Comites, & Barones præibant, & ſequebantur illum diverſi diverſis officiis deputati, prout res eo tempore exigebat. Et cum ad eccleſiam perveniſſent, *Willielmus* archiepiſcopus *Remenſis* dictum *Philippum* filium *Ludowici* regis *Francia* in regem *Remis* in pontificali eccleſia coronavit & eciam conſecravit, tribus archiepiſcopis & pluribus epiſcopis regni ſibi in officio illo miniſtrantibus. Sed *Ludowicus*

wicus pater ſuus illi coronationi intereſſe non potuit. Cum enim ab *Angliæ* de peregrinatione ſua prædicta *Pariſius* veniſſet, maximo fluctuans gaudio ad ſanctum *Dioniſium* iter arripuit, in quo itinere frigore ſubito percuſſus in paraliſim incidit, unde uſum dexteræ partis ſui corporis amiſit.

An. Dñi 1180. Anno Domini M. Clxxx. *Henricus* rex *Angliæ* pater curiam ſuam in nativitate Domini apud **Notingham** tenuit, cui feſto de mandato ipſius regis *Henrici Willielmus* rex *Scotiæ* interfuit, plures magnates regni ſui ſecum ducens. Interim præfatus novus rex *Franciæ* videns quod pater ſuus morbo paralitico eſſet percuſſus, conſilio *Philippi* Comitis *Flandriæ* adhæſit, cujus conſilio tyrannidem cœpit in populo *Gallicano* exercere, & omnes quos noverat patri ſuo familiares fuiſſe, odio habuit & ſpretus eſt; unde illi, nunciis ad regem *Angliæ Henricum* patrem frequenter miſſis, contra iniquas machinationes Comitis *Flandriæ* in ipſorum & totius regni *Franciæ* detrimentum machinatas, conſilium ſuum & auxilium pecierunt. Media autem Quadrageſima appropinquante, *Henricus* rex *Angliæ* junior qui per aliquod tempus moram in *Normannia* fecerat, ad dominum *Henricum* regem patrem ſuum in *Angliam* transfretavit. Et indicato ei qualiter *Philippus* rex *Franciæ* & *Philippus* Comes *Flandriæ* inique adverſus proximos ſuos ſe geſſerant, utrique reges *Angliæ*, ſcilicet pater & filius, tunc ante Paſcha in *Normanniam* tranſierunt. Ad quos regina *Franciæ* & multi de regno illo magnates, quos *Philippus* novus rex *Franciæ* odio habuit, in *Normannia* venientes, ab eis auxilium poſtularunt. Quod *Henricus* rex *Angliæ* pater audiens, petitioni eorum adquievit. Et habito cum eis conſilio obſides & alias ſecuritates quod ab ipſius conſilio non recederent, ab eis cœpit, & ſtatim fecit per *Normanniam* & cæteras terras ſuas ſuum exercitum congregari.

Quo audito, *Philippus* rex *Franciæ* exercitu ſuo interim ſummonito, ſtatim poſt Paſcha in *Flandriam* venit, & ibi contra conſilium omnium amicorum ſuorum filiam Comitis de *Eamou* neptem Comitis *Flandriæ* de ejus conſilio in uxorem cepit, & illam, Comitibus & Baronibus *Franciæ* indignantibus, deſponſavit. Cui idem Comes cum nepte ſua totum fere comitatum ſuum *Flandriæ* poſt deceſſum ſuum conceſſit, ſcilicet totam terram de *Vermundais* uſque ad *Los*. Et poſtea ipſe rex *Philippus* citare fecit omnes archiepiſcopos, epiſcopos, & principes regni ſui tam clericos quam laicos, quod eſſent apud *Senonem* die Pentecoſtes ad ipſius & uxoris ſuæ coronationem. Quod cum *Philippus* Comes *Flandriæ* audiſſet, timens quod in caſu aliquo neptis ſuæ uxoratio & coronatio impediri poſſet, regi conſuluit, ut præfixum coronationis ſuæ terminum anticiparet; quod ita factum eſt. Nam idem *Philippus* rex *Franciæ* conſilio Comitis *Flandriæ* adquieſcens, pro archiepiſcopo *Senonenſi* miſit, & in die Aſcenſionis Domini valde mane orto jam ſole ſe & uxorem ſuam fecit in monaſterio ſancti *Dioniſii* coronari. Cum autem *Willielmus Remenſis* archiepiſcopus ipſius regis *Franciæ* avunculus præſumptionem dicti *Senonenſis* archiepiſcopi audiſſet, doluit vehementer, & nunciis ſuis ad papam miſſis, de *Senonenſi* archiepiſcopo conqueſtus eſt.

Interim *Henricus* rex *Angliæ* ſenior ad cujus clemenciam regina *Franciæ* & quamplures alii de nobilioribus regni *Franciæ* tanquam exules & profugi, ut dictum eſt, profugerant; colloquium apud *Giſorcium* cum novo rege *Franciæ* cepit. In quo idem rex *Henricus* animum novi regis *Franciæ* nunc blandis, nunc aſperis adeo emollivit quod contra conſilium Comitis *Flandriæ* & aliorum, qui inter ipſum, & matrem ſuam, & avunculos ſuos diſcidium volebant, omnem maliciam & indignationem quas in animo adverſus eos conceperat, remiſit, & eos in debitam familiaritatem recepit; ſtatuens quod prædictæ reginæ *Franciæ* matri ſuæ ſingulis diebus quamdiu *Ludowicus* rex pater ſuus viveret vij. libræ *Pariſinorum* ad cotidianum victum ſolverentur. Et poſt deceſſum patris ſui, totam dotem ſuam qua dictus rex *Ludowicus* eam die deſponſationis ſuæ dotavit, integre haberet, caſtellis & municionibus ejuſdem dotis tantummodo ſibi retentis. Et tunc pacem, amicitiam, & concordiam inter patrem ſuum & dictum *Henricum* regem *Angliæ* firmatas, inter ſe & eundem regem *Henricum*, ſacramento, & fide media, & per Cartam inter eos editam confirmarunt. Et poſtea eodem anno menſe Septembris ante feſtum ſancti *Mathei Ludowicus* rex *Franciæ* anno regni ejus xliv. diem extremum *Pariſius* claudens, in abbathia de *Barbens* honorifice ſepelitur. Quo defuncto, *Philippus* rex *Franciæ*, & *Henricus* rex *Angliæ* pater colloquio inter eos habito pacem prædictam inter eos, ut dictum eſt, prius factam, fide & ſacramento iterum confirmarunt. Eodem anno mutatio monetæ in *Anglia*. Eodem anno tranſlatio ſanctæ *Fredeſwidæ* apud *Oxoniam*.

Anno Domini M. Clxxxj. obiit *Alexander* papa, cui ſucceſſit *Lucius* papa natione *Tuſcus*, cujus tempore *Petrus Comeſtor* floruit adhuc vivens. Hoc anno monachi *Cartuſiæ* primo *Angliam* ſunt ingreſſi. Eodem anno deceſſit *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus homo literatus & eloquens, ac in temporalibus commodis prudentiæ ſingularis; archiepiſcopatum vero *Eboracenſem* in augmento redituum & amplitudine ædificiorum multum provexit. Viros religioſos in tantum exhorruit; ut ipſum dixiſſe fertur, Eccleſiaſticum beneficium potius luxurioſis quam religioſis conferendum; & prædeceſſorem ſuum beatæ memoriæ *Thurſtinum* nunquam gravius deliquiſſe, quam ædificando illud monaſterium de *Fontibus*. In vita autem magis tondendis intendit ovibus dominicis quam paſcendis, moriturus enim pontifex ævo gravis, non pauca milia marcarum in theſauris habebat, cum multi pauperes Chriſti inedia laborarent. Verum cum jam obiſſet, rex per officiales ſuos non tantum inventa, ſed eciam non inventa ab hiis quibus jam data erant, extorſit, dicens, Theſauros à quocumque uſque ad mortem repoſitos ſolius principis in bonis eſſe. Deceſſit autem idem archiepiſcopus anno pontificatus ſui xxiij. & archiepiſcopatu in fiſcum redacto, vacavit ſedes *Eboracenſis* annis decem. Eodem anno obiit *Hugo* Comes *Ceſtriæ* apud **Leek**, cui ſucceſſit filius ſuus *Rannlphus* 2. quinquaginta annis. An. Dñi 1181.

Anno Domini M. Clxxxiij. *Henricus* rex *Angliæ* junior inmaturata morte deceſſit; plane inmaturata ſi ætatem reſpicias, ſed multum ſera ſi actus attendas, quia non tantum prævaricator naturæ extitit, ut prius dictum eſt, ſed eciam ſolempnium pacto- 1183.

rum tranſgreſſor. Rebellavit enim iterum contra patrem, cujus rebellionis cauſa fuit hæc. Idem enim pater in adminiſtrando Ducatu *Aquitanniæ* vices ſuas *Ricardo* filio ſuo commiſerat, & *Gaufrido* filio ſuo *Britanniam* tranſmarinam tradiderat; unde idem *Henricus* rex junior indignatus quod pater *Ricardum* filium ſuum *Aquitanniæ* præfeciſſet, juncto ſibi *Gaufrido* fratre ſuo & quibuſdam proceribus *Aquitannicis*, patrem motibus bellicis laceſſivit. Pater vero cum rebelles filios blandis delinire mandatis non poſſet, improbis eorum auſibus obviaturus, fines *Aquitannicos* cum exercitu ingreſſus eſt; moxque Dei judicio *Henricus* rex junior febre correptus, decidit in grabato. Cumque ingraveſcente morbo deſperaretur à medicis, tandem conſultus ad patrem miſit, exceſſum ſuum humiliter confitens, extremam gratiam à paterna pietate depoſcebat, ut ipſum in extremis languentem viſitare dignaretur. Quibus auditis, paterna viſcera ſuper filio commota ſunt. Sed allegantibus amicis non eſſe tutum nequiſſimis conſpiratoribus qui circa filium erant, ſe credere, ad filium non perrexit, ſed pro ſigno clementiæ & indultæ veniæ notum illi anulum mittens, ei omnia condonavit. Qui illum acceptum deoſculans, aſſiſtente *Burdegalenſi* epiſcopo, extremum illico clauſit diem, qui ex præcepto patris apud *Rothomagum* honorifice ſepelitur. Et quia ipſe per ſe ſolus non regnavit, ideo inter reges non eſt computatus. De quo quidam ſic metrice cecinit.

Omnis honoris honos, decor & decus urbis & orbis,
Milicia ſplendor, gloria, lumen, apex.
Julius ingenio, virtutibus Hector, Achilles
Viribus, Auguſtus moribus, ore Paris.

An. Dñi 1184. Anno Domini M. Clxxxiv. mortuo *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Baldewinus* primo ordinis *Ciſtercienſis*, tunc epiſcopus *Wigornenſis*, de conſenſu regis & omnium epiſcoporum, reclamantibus tamen monachis *Cantuarienſibus* ſibi ſucceſſit. De eo fertur quod à primo die quo factus eſt monachus *Ciſtercienſis*, uſque ad obitum ſuum, nunquam carnes comedit; unde & illi aliquando itineranti occurrit quædam vetula macilenta, inquirens ab eo an verum eſſet quod carnes non comederet. Cui ille, Verum eſt, inquit. At ipſa, Immo falſum eſt, quia comediſti carnes meas uſque ad oſſa: nam decani tui vaccam meam unde ſuſtentabar, à me abſtulerunt. Cui ille, Vere vere favente Deo æque bona vacca tibi reddetur. Quarto anno præſulatus ſui orta diſſenſione inter ipſum et conventum *Cantuarienſem* propter nova ædificia et baſilicam conſtructam juxta muros monachorum, in qua deſignavit clericos ſeculares, præbendas eis de eccleſiis monachorum aſſignando, ipſe poſtea per papam *Urbanum* ædificia illa tollere compulſus eſt; unde tranſlata ſunt uſque Lamhithe juxta *Londoniam* ex oppoſito *Weſtmonaſterii*.

Eodem anno *Saladinus* filius regis *Siriæ* et *Meſopotamiæ* contra Chriſtianos mortuo patre ſurrexit. Hic *Damaſcum* et fines ejus accepit. Cumque eſſet rex miliciæ *Turcorum* gratiſſimus, vires artibus et artes viribus juvans, in *Ægyptum* cum armis tranſiit, et conſumptis principibus confeſtim arripuit iter ad regnum *Babylonis*. *Libia* quoque atque *Arabia* potitus, nactus eſt nomen grande ſuper nomen magnorum qui ſunt in terra. Denique octo regnis ditiſſimis præſidens, parum tamen actum à ſe putabatur dum Chriſtiani *Jeruſalem* et *Antiochiam* et civitates *Siriæ* maritimas poſſiderent; totum ergo in ipſos latiſſimi imperii robur convertens, plebem Dei devorare modis omnibus nitebatur, et tropheum crucis Chriſti ubi prius erectum eſt à partibus evellere orientis.

Circa hos dies *Philippus* Comes *Flandriæ* qui dudum à partibus illis reverſus fuerat, piæ devotionis inſtinctu cum multa militia terram *Jeroſolimitanam* iterum ingreſſus, contra *Saladinum* aliquid agere et fines dilatare diſpoſuit Chriſtianos; verum à Templariis offenſus, ad terram *Antiochenam* invitante principe traduxit militiam Chriſtianam. Audiens autem *Saladinus* abductam militiam et terram Domini plus ſolito vacuatam, cum infinito exercitu repente irruens tanquam poſſeſſurus eandem, intima ejus illico penetravit. Tunc princeps Chriſtianus quantum pro tempore potuit miliciam convocans, et præliaturus non ſuum ſed Domini prælium, multitudinem hoſtium non expavit. Congreſſus itaque cum eis, tremendas illas copias divino fretus auxilio profugavit. *Saladinus* fuga elapſus ægre evaſit, de exercitu ejus milibus multis cæſis.

Anno domini M. Clxxxv. propter peccata hominum quæ utique divinitas odit, cœleſtis ira contra populum Chriſtianum minus ſancte degentem excanduit; cum enim *Saladinus* ad dedecus præcedentis anni ſibi contingens expiandum, fines Chriſtianos inſtructior terribiliorque invaderet, noſtri eciam multo inſtructiores numeroſioreſque quam prius, atque ideo minus in Domino dum de ſe præſumerent confidentes, prælium illi in terminis intulerunt, ubi Deo reſiſtente ſuperbis qui ante humilibus dederat gratiam, maxima Chriſtianorum ſtrages facta eſt, cæſo non parvo militum numero cum magiſtro militiæ Templi & optimatibus multis; Unde propter cauſas prædictas generali providentia ſtatutum eſt, ut *Jeroſolomitanus* patriarcha gratia auxilii contra inmaniſſimum hoſtem *Saladinum* petendi ad Chriſtianos principes in *Europam* mitteretur; & maxime ad illuſtrem *Angliæ* regem, cujus auxilium efficacius ſperabatur. Idem ergo patriarcha cum literis excitatoriis *Lucii* papæ in *Angliam* veniens, à rege, à quo honorifice ſuſcipitur, auxilium contra Saracenos petiit ex parte omnium orientalium Chriſtianorum, eique claves ſacræ urbis dominicique ſepulcri cum vexillo regio & prædictis literis monitoriis ac juramenti regii ſuper hoc prius præſtiti commemoratoriis offerebat, in fine cujus literæ papalis ſic continebatur. *Sane recolat prudentia tua & ſolicita ſecum meditatione revolvat promiſſionem quam de impendendo terræ ſanctæ ſubſidio jam celſitudinem tuam obligaſti, & ita in hac parte te cautum & ſtudioſum exhibeas, ut te in tremendo judicio tua conſcientia non accuſet, ejus qui non fallitur diſtricti judicis interrogatio non condempnet, &c.*

An. Dñi 1185.

Quibus literis auditis & intellectis rex reſponſum uſque concilium ſuum *Londoniæ* prorogabat. Tandem cum multi ad prædicationem patriarchæ ac archiepiſcopi *Baldewini* cruce ſignarentur, ipſe rex *Henricus* certa & enormia proprii regni ex ſua peregrinatione pericula allegando, patriarchæ reſpondit, quod terras ſuas abſque tutela deſerere non poſſet, nec *Francorum* rapacitati eas exponere, ſed proficiſci volentibus de pecunia ſua ad ſublevationem

nem eccleſiæ orientales habundanter reſpiceret & donaret. Cui patriarcha, « Nichil agis rex, principem quærimus & non pecuniam. Qualibet pe« ne pars mundi pecuniam nobis mittit, ſed principem nulla: virum igitur petimus qui pecunia « indiget, non pecuniam qua vir eget. Receſſit itaque patriarcha ſpe fruſtratus; quem rex, ut conſuetis blanditiis offenſum mitigaret, ad mare conduxit. Cui ait patriarcha, « Hactenus glorioſe regnaſti, ſed « amodo ipſe te deſeret quem tu deſeruiſti. Recole « quæ dominus tibi contulit, & qualia illi reddi« diſti; quomodo regi *Franciæ* infidus fuiſti, bea« tum *Thomam* occidiſti, & nunc protectionem « Chriſtianorum abjeciſti. Cumque ad hæc rex excandeſceret, optulit patriarcha caput ſuum & collum extenſum, dicens, « Fac de me quod de *Thoma* « feciſti. Adeo libenter volo à te occidi in *Anglia*, « ſicut à *Saracenis* in *Siria*, quia tu omni *Saraceno* « pejor es. Cui rex, Si omnes homines mei unum corpus eſſent, unoque ore loquerentur, talia michi dicere non auderent. Cui ille, Non eſt mirum quia tua & non te diligunt, prædam eciam & non hominem ſequitur turba iſta. Recedere non poſſum quia filii mei inſurgerent in me abſentem. Cui ille, Nec mirum, quia de diabolo venerunt & ad diabolum ibunt. Et ſic demum patriarcha navem aſcendens in *Galliam* reverſus eſt.

Hoc anno *Henricus* rex miſit *Johannem* filium ſuum in *Hybernia*, ubi anno primo adventus ſui apud *Ultoniam* in urbe *Dunenſi* quaſi in ſpelunca triplici corpora ſancti *Patricii* primi *Hyberníenſium* archiepiſcopi, ac contemporaneorum ſuorum abbatis *Columbæ* qui & *Columkillus*, & ſanctæ *Brigidæ* quam *Patricius* velavit, quæ & ſupervixit eum lx. annis, reperta ſunt; in quorum tumba iſti verſus ſunt inſcripti.

Hii tres in Duno, tumulo tumulantur in uno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Secundum quod *Ranulphus Ceſtrenſis* monachus in ſua compilatione diverſorum Cronicorum commemorat. Iſte *Patricius* primus inter cætera operum ſuorum ſigna duo fertur miranda à Deo patraſſe: unum, quod cuncta venenoſa animantia cum baculo ſuo de terra *Hiberniæ* ejecit. Secundum, quod nullus *Hibernicus* adventum Antichriſti exſpectabit. Tercium memoriabile quod de ejus purgatorio legitur magis aſſcribitur Secundo *Patricio* minori qui non fuit epiſcopus ſed abbas, qui floruit circa annum Domini octingenteſimum quinquageſimum, de quo meminit martirologium, quod quia populum rebellem reperit de *Hibernia* receſſit, & apud *Glaſtonenſe* monaſterium ipſo die ſancti *Bartholomæi* apoſtoli diem clauſit extremum. *Johannes* vero filius regis *Henrici* parum in *Hibernia* proficiens, in *Angliam* reverſus eſt.

An. Dñi 1186. Anno Domini M. Clxxxvj. conſecrati ſunt tres epiſcopi, *Hugo* videlicet *Lincolnienſis*, *Willielmus Herefordenſis*, & *Willielmus Wigornenſis*. Eodem anno obiit *Galfridus* regis *Henrici* filius Comes *Britanniæ*, qui *Arthurum* filium ſuum reliquit hæredem, & ſororem ſuam *Margaretam* nondum deſponſatam.

1187. Anno Domini M. Clxxxvij. *Frederico* in *Almannia*; *Philippo* in *Francia*; *Henrico* ſecundo in *Anglia* regnantibus ſub papa *Urbano* tercio, ſuper terram *Jeroſolimitanam* eſt manus Domini aggravata. Civitas enim ſancta in qua invocatum eſt nomen Domini à diebus antiquis, in qua ſacri prophetæ floruerunt, in qua redemptionis humanæ inſignia micuerunt, ex qua ſacramenta ſalutis in omnem mundi latitudinem fluxerunt, proh dolor! in manus gentis prophanæ incidit & inmundæ; quæ circa tempora papatus *Urbani* primi à *Tito* & *Vaſpaſiano* conqueſta fuit & quaſi ſubverſa, & poſtmodum ſub papatu *Urbani* ſecundi à manibus *Saracenorum* per fideles Chriſti liberata, & quaſi extunc per annos plurimos ſub poteſtate Chriſtiana manſiſſet, modo ſub pontificatu *Urbani* tercii in manus *Turcorum* cecidit malignorum. Milites vero Templi & Hoſpitalis quos in campo gladius non noverat, ab aliis captivis ſegregatos *Saladinus* coram ſe præcepit crudeliter decollari. Comes autem *Tripelitanus* qui cum *Saladino* prius conſpiraverat, doloſe cum ſuis complicibus de prælio fugit, ipſis *Saracenis* eos attingere non curantibus.

Cum ergo tyrannus cruentiſſimus peremptæ multitudinis ſpolia diripuiſſet, mox cum ſuis copiis civitatem *Tholomaidam*, quæ nunc *Acre* ſive *Achon* dicitur, adiens, & eam quaſi præſidiis vacuatam inveniens, optinuit indilate. Sanctam quoque civitatem *Jeruſalem* idem *Saladinus* poſtea adivit, ubi patriarcham & populum metu languidum ad deditionem coartans, vita & libertate indultis, ut titulo clementiæ ſe inſigniret, armis & pecuniis nudatos dimiſit, civitatemque pompatice ingreſſus, Crucem ſanctam aſportavit, Templum vero Domini aqua roſea tanquam à Chriſtianis ſordibus expians, ſacrilegis ritibus dicavit; Aliquantulam vero reverentiam Dominico ſepulcro exhibuit, quod omni quidem aureo & argenteo ornatu ſublato Siros illius terræ indigenas Chriſtianos cuſtodire præcepit, edictum adiciens, ne quis alienus irreverenter accederet. Hæc *Jeroſolimis* provenire noſcuntur à diro illo prælio quo populus Chriſtianus cecidit tribus menſibus elapſis. Quippe infra octabas apoſtolorum *Petri* & *Pauli* factum illud Chriſtianæ plebis excidium, & circa ſolempnia ſancti *Michaëlis* facta eſt ſanctæ deditio civitatis. *Aſcalon* quoque urbs nobilis, in quam poſt prælium propter ejus firmitatem multi confluxerant, tyrannicam poteſtatem non evaſit: Nam rex *Jeruſalem* qui captus in prælio fuerat, eam pro ſua liberatione reſignavit; jamque ſola urbium *Palæſtina* urbs inſignis *Tirus* dominationem ſprevit hoſtilem. Et quia fere tota illa civitas mare ambitur, portu gaudens tutiſſimo, *Saladinus* eam obſeſſurus claſſe contra urbem diſpoſita modis omnibus eam ſtuduit oppugnare.

Eodem tempore *Marchio* filius *Marchionis* de *Monte-Ferrato* cum magna claſſe illuc advenerat patri ſuo qui in prædicto bello Chriſtianorum fuerat aſtiturus. Qui accepta à civibus fidelitate & navibus cum quibus venerat præparatis, navali prælio cum hoſtili claſſe confligere ordinavit. Quod & Deo propicio factum eſt. Et cæſa multitudine hoſtium vel ſubmerſa, ad portum naves non modicas reduxerunt, & ſpectante *Saladino* cæteræ ſuæ naves ut evaderent litoribus alliſerunt. Quo caſu ita eſt conſternatus, ut incenſis machinis & ſoluta obſidione diſcederet nichil contra eandem urbem præſumens ulterius attemptare; ſed mox in fines *Antiochenos* debaccantem convertit tyrannidem, & capta *Laodicia* cum multis urbibus, ipſam quoque maximam civitatem ita coartavit, ut ab exteritis civibus pactum extorqueret, quod ad diem certum urbem reſignarent, niſi forte major exercitus ex *Europa* interim veniens id fieri prohiberet. Cumque *Vrbanus* papa qui *Lucio* ſucceſſerat, tam flebilem caſum de terra *Jeroſolimitana* audiſſet, nimio obiit præ dolore. Cui ſucceſſit *Gregorius* viij. natione *Boneventanus*, qui ſedit menſe uno diebus xxvij. & ceſſavit ſedes diebus xx.

Hiis diebus inter *Philippum* regem *Franciæ*, & *Henricum* regem *Angliæ* inimiciciæ & diſcordiæ germina pulularunt, unde rex *Henricus* ad tranſmarina vocatus negotia transfretavit. Convenerunt autem ex diverſis hinc inde provinciis apud caſtrum quod *Radulphi* dicitur ferociſſimi utriuſque regis exercitus armatorum. Cumque de caſtris hinc inde oppoſitis per dies aliquot duo magni exercitus torvis vultibus mutuo ſe proſpicerent, & viris pacificis qui pacem vel inducias ſatagebant, aerem fruſtra verberantibus, tandem turmis ad pugnam diſpoſitis & parum jam aberat à mutuo congreſſu, ecce occultis magis ut dicitur ducum ſuſurris quam prælocutionibus publicis, induciæ in dies plurimos in utroque exercitu indultæ voce præconia declarantur. Plane vox iſta multo gratius inſonuit auribus omnium, quam vox tubæ excitantis ad prælium. Gentes ergo & populi qui meditabantur inania vel potius inſania, cum ingenti gaudio ad propria ſunt reverſi.

In oriente, populo Chriſtiano diris præliis per infideles paganos ut prædicitur jam afflicto, papa *Gregorius* Chriſtianæ plebis & ſanctæ civitatis exterminium quod ſub *Vrbano* prædeceſſore ſuo contigerat dolens, ſupra modum ingemuit, unde aliquod remedium adhibere proponens, ſtatim dignitate papali aſſumpta epiſtolam ſuam in orbem Chriſtianorum direxit in hæc verba.

Gregorius, &c. *Audita tremenda ſeveritate Judicii quam ſuper terram* Jeroſolimitanam *divina manus exercuit, tanto ſumus nos & fratres noſtri horrore confuſi, tantis afflicti doloribus, ut non facile nobis occurreret quid dicere aut facere deberemus, niſi quod pſalmus deplorat & dicit,* Deus venerunt gentes &c. *Nos autem licet cum propheta dicere debeamus,* Quis det oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei: *non tamen odio vos eicere debemus ut in diffidenciam decidamus, & credamus Deum ita populo ſuo iratum ut quod faciente peccatorum multitudine fieri permiſit iratus, non cito per miſericordiam pœnitentia placatus alleviat, & poſt lacrimationem exultationem inducat. Nos autem credere non debemus quod ex injuſtitia ferientis Judicis ſed iniquitate potius populi delinquentis, talia provenerunt. Porro nos in tanta contritione terræ illius non ſolum peccatum habitatorum ejus; ſet, & noſtrum, & totius populi Chriſtiani debemus attendere, cum ex omnibus partibus inter reges & principes, cives & civitates diſſenciones audiamus, & ſcandala, & cum propheta dicere valeamus, Non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra, furtum & mendacium, homicidium & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Cogitate itaque filii qualiter tranſeant univerſa & vos pariter tranſeatis, & date veſtra, date voſmet ipſos, non in exterminium ſed in conſervationem ei, a quo & vos & veſtra omnia recepiſtis. Nec dicimus dimittite, ſed præmittite in cœleſte horreum quæ habetis, & reponite apud quem ærugo non demolitur aut tinea, nec fures effodiunt aut furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius in qua pro ſalute noſtra Veritas de terra orta eſt, & ſuſtinere pro nobis crucis patibulum non deſpexit. Recolentes non eſſe novum quod terra illa judicio dominico percutitur. Sed nec eſſe inſolitum, ut flagellata & caſtigata miſericordiam conſequatur. Poterat quippe Dominus ſola eam voluntate ſervare, ſed non habemus ei dicere cur ita feceris: voluit enim forſitan experiri & in notitiam ducere aliorum, ſi aliquis ſit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum ſibi tempus pœnitentiæ hillariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus conſummetur in brevi & complaceat tempora multa. Eis autem qui corde contrito & humiliato ſpiritu laborem itineris hujus aſſumpſerint, et in pœnitentia peccatorum & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam & vitam pollicemur æternam.*

Hac erga epiſtola in orbem directa, idem *Gregorius* papa *Piſas* contendit, ubi *Piſanos* & *Jannenſes* jugi & inveterata diſcordia confligentes, Deo auctore reconciliavit ad pacem. Moxque febre correptus poſt dies pauciſſimos apud *Piſas* exſpiravit. Cui ſucceſſit *Clemens* tercius natione *Romanus*, qui ſedit annis tribus diebus xv. Sane triſtis ille rumor terræ ſanctæ orbem in brevi pervagatus, omnium quidem Chriſtianorum cordibus ſtuporem & horrorem induxit, unde multi per orbem ſunt Chriſti caractere inſigniti. Inter quos *Ricardus* comes *Pictavenſis* regis *Anglorum* filius & ſucceſſor futurus, nova forte hujuſcemodi inclinato jam die accipiens, abſque ulla deliberatione laudabile propoſitum toto mox pectore combibit, & ſummo mane in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis caracterem Domini cum ſolempnitate accepit. Quo audito pater ſiluit uſque adventum filii. Et cum adeſſet poſt dies aliquot, Me, inquit, inconſulto rem tam arduam minime arripere debuiſti, pio tamen propoſito tuo nequaquam adverſabor, ſed illud ita perſequar, ut à te egregie impleatur.

Eodem tempore archiepiſcopus *Tirinus* à partibus venit Orientis duriora nuncians atque iminentes miſerias in auribus publicis declarando, imploravit ut duo magni reges *Francorum* & *Anglorum* tractandi gratia quidnam facerent in terrarum confiniis convenirent. Verum in illo colloquio dúm religioſa intentione non ſua ſed quæ Chriſti ſunt quærerent, nulla vel admodum languida priſtini rancoris irrepſit memoria, ſed omni propter Chriſtum quæſtione ſopita, paribus partibus, votis & ſtudiis Chriſtiano negotio intenderunt. Itaque in multo devotionis fervore ſurgentes, ſignum regis regum in ejus militia accingendi mox per manum memorati archiepiſcopi acceperunt, & non tantum ſua ſed eciam ſeipſos præclaræ militiæ devoverunt. Quorum exemplum dux *Burgundiæ*, comes *Flandriæ*, & comes *Campaniæ*, cum aliis multis hillari devotione amplexi, ſigno Dominico proprios inſigniri humeros fecerunt, ſe pro Chriſto laboribus & periculis exponere cupientes. Statuto mox tempore quo iter arriperent, ad neceſſariam proviſionem & tanti itineris præparationem ſe illico tranſtulerunt: ſoluto ergo cœtu, rex *Henricus* in *Angliam* reverſus eſt, ubi *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & epiſcopus *Dunolmenſis*, & epiſcopus *Norwicenſis*, & multi nobiles regio exemplo accenſi, ſignum ſalutiferum ſolempniter ſuſceperunt. Qua de cauſa dictus *Baldewinus* archiepiſcopus crucis legatione fungens, *Wal-*

liam intravit, & in cunctis cathedralibus eccleſiis ibidem, quod uſque tunc viſum non fuerat, miſſam indutus pontificalibus celebravit. In cujus comitatu erat magiſter *Giraldus Cambrenſis* archidiaconus *Landavenſis* qui ſtatum & ritum *Cambrigenæ* gentis in Itinerario illo deſcripſit, ſicut nuper cum *Johanne* filio regis *Hiberniam* miſſus ſtatum & ritum gentis illius in ſua Topographia deſcripſerat. *Fredericus* imperator *Romanus* nobilibus ſui imperii convocatis ſignum Crucis Dominicæ aſſumpſit, exemplum ad Chriſti ſervicium eis præbens. Itaque cunctæ provinciæ nominis Chriſtiani ad maturandum iter propoſitum inmenſis fervebant apparatibus & ſtudebant. Interea hiis temporibus rex *Henricus Ranulphum* comitem *Ceſtriæ* accipere fecit cingulum militare, & dedit ei in uxorem *Conſtantiam* comitiſſam *Britanniæ Galfridi* filii ſui relictam, cum tota *Britannia* minori & *Richemundiæ* comitatu.

An. Dñi 1188. Hoc tempore ſcilicet anno Domini M.C.lxxxviij. obiit ſanctus *Gilbertus* fundator alborum monachorum ordinis de **Sempyngham**. Eodem tempore concilium apud **Geytinton**, ubi dictus *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus cum aliis pluribus crucem accepit. Ibi ſtatutum fuit in *Anglorum* gente, Ne quis eſcarleto, ſabelino vario vel griſeo aut veſtibus laqueatis, aut in prandio de cibis exempto ultra duo fercula uteretur, eo quod rex cum omnibus fere *Angliæ* magnatibus ad terram ſanctam cum expenſis erat non minimis profecturus. Verum cum principes & duces Chriſtiani ad iter *Jeroſolomitanum* expediendum toto conamine anelarent, eorum ferventem devotionem antiqui hoſtis malitia corrumpere non quievit. Cum enim rex *Anglorum Henricus* in regno ſuo proprio quietus conſiſteret, & prout decebat tantum principem ad futuram ſe expeditionem modis omnibus prepararet, rex *Francorũ* neſcio unde ſtimulatus rupta fide fœderis ſubito furore excanduit, & caſtrum nobile quod caſtrum *Radulphi* dicitur, nequiſſimorum proditione inproviſus uſurpator intravit. Quo ſucceſſu elatus, mutato vel potius exſufflato expeditionis *Jeroſolomitanæ* propoſito, ad injuriandum regem *Angliæ* ulterius machinatur. Quibus celeriter agnitis, rex *Angliæ* mature transfretaturus viros honeſtos cum verbis pacificis ad prævaricatorem præmiſit. Verum ille ad omne blandimentum inflexus, inceptis maliciis ſuperbe incubuit.

1189. Cum enim rex *Anglorum* an. Dom. M.C.lxxxix. hac de cauſa transfretaſſet, utrique Reges bonorum virorum ſtudio ad colloquium ſolempniter convenerunt. Rex quidem *Anglorum* querelam rupti fœderis & illatæ ſibi injuriæ poſiturus: Rex vero *Francorum* tanquam de hiis rationem redditurus. Sed ſub hac fiducia reſtitudinis operabatur myſterium iniquitatis. *Ricardus* enim comes *Pictaviæ* regis *Anglorum* filius, *Francorum* ut creditur haſtutia abſtractus atque illectus, in ipſo ſolempni regum colloquio à patre deficiens, ad partes tranſivit hoſtiles. Quo caſu conſternatus pater, cum cauſæ malorum ingraveſcerent, verbis pacificis cum hiis qui oderunt pacem aere inaniter verberato diſceſſit, neſciens penitus cui ſe crederet cum tam filialem eſſet ingratitudinem jam expertus. Quid plura? bellum illico inter reges viribus & animis diſpares inſtruitur. Idem enim *Ricardus* comes *Pictavenſis* quem pater *Aquitaniæ* præfecerat, paratam militiam ad partes regis *Francorum* duxit. Plurimi quoq; *Normanniæ*, *Andegaviæ*, & *Britanniæ* fide exſufflata manifeſte à patre jam deficientes, & in filii gratiam ſe ponentes, de ejus ingrato conſilio *Francorum* exercitum augmentarunt. Itaque rex *Franciæ* cum comite *Pictavenſi* & infinitis copiis terram regis *Anglorum* nullo obſiſtente ingreſſus, ad urbem *Cenomannenſem* ubi rex *Angliæ* cum ſuo exercitu morabatur, protendit. Quo agnito, cum rex *Angliæ* ad ſubeundum belli diſcrimen longe ſe imparem cerneret, & ab hoſtibus obſideri formidaret, incenſa urbe profugit in loca ſe recipiens tutiora.

Quidam tamen de urbis incendio ſic dicunt, quod rege *Franciæ* & *Ricardo* comite *Pictavenſi* contra regem *Angliæ* ad dictam urbem *Cenomannicam* convenientibus, idem rex *Angliæ* ad cautelam ſuburbium incendi fecit, ne hoſtibus ad præſidium ſuis foret, ſed vis venti retorta flammam in urbem convertit, & ipſam totam combuſſit & regem exire coegit. Qui in recedendo, ut dicitur, talia dixit: »Quia »tu Deus urbem de mundo quam plus dilexi hodie »à me tam turpiter abſtuliſti, ego tibi reddam »talionem, nam de cætero auferam à te id quod in »me plus placere tibi deberet, quod eſt cor meum. Tunc exercitus qui eum ſequi videbatur, mox defluxit, & *Johannes* filius ejus minimus quem tenerime diligebat, ab eo receſſit ne minus fratri & fratribus diſſimilis videretur. Hoſtes autem urbe *Cenomannenſi* cum arce potiti, urbem *Turonicam* cum arce ejus expugnaverunt, de urbe *Andegavenſi* conſequenter obſidenda tractantes. Demum tot malis rex *Anglorum* anxius, & maxime ex junioris filii defectione animo ſaucius, ex multa mœſtitudine apud *Turonum* febre correptus pacem regis *Franciæ* ſub hac forma optavit, quod gratiæ regis *Franciæ* ſalvo honore ſuo regnique ſui corona, libenter ſubmitteret; ſed fruſtra, quia pacem aliter non obtineret, niſi gratiæ regis *Franciæ* abſolute ſe ſubmitteret. Et merito hoc ſibi provenit, quia illud verbum, *ſalvo honore Dei & ordinis ſui dignitate & eccleſiæ libertate*, beato *Thomæ* martyri non conceſſit.

Igitur cum iſte rex *Henricus* filius *Matildis* imperatricis xxxiv. annis regnaſſet, an. Dom. M.C.lxxxix. menſe Julii in octabis apoſtolorum *Petri* & *Pauli* luna xix. feria v. apud *Chinonenſe* caſtrum febre invaleſcente obiit, princeps inter reges orbis terrarum nominatiſſimus, ac in multitudine prolis fœliciſſimus, niſi in eum qui ex ejus femore exierant ſurrexiſſent. Quod tamen non tam humanæ ſeveritati quam divinæ ultioni nonnulli aſcribunt. Eadem enim menſura qua menſus eſt remenſum eſt ei, ut qui patrem ſuum beatum *Thomam Cantuarienſem* archiepiſcopum uſque ad mortem & licet mortem non intulerit perſecutus eſt, ipſi à filiis propriis uſque ad diem extremum perſecutio non deeſſet. Et licet hoſtes qui excellenti gloriæ ejus & virtuti ſemper inviderant, ipſum extinctum lamentaſſe & laudaſſe dicuntur, omnes tamen proximi ſui cum decederet & familiares circumſtantes ita rapacitati indulſerunt, ut corpus regis diu nudum jaceret, donec puer quidam inferiores corporis partes pallio brevi contegeret. Et tunc videbatur cognomen ejus adimpletum quo ab infantia vocabatur *Henricus Curtmantell*, nam iſte primus omnium curta mantella ab *Andegavia* in *Angliam* tranſvexit. Sicque omnium ſenſibus expoſitum erat quanta ſit vanitas atque fallacia excellentiæ temporalis, cum illum qui paulo ante tantus in orbe refulſerat tam miſerabilis caſus aſſumpſiſſet. Comes quoq;

Pictavenſis Ricardus filius ejus ingemuit, quod viventi patri minus officioſus extitit, & hoſtes bella audito hoc incommodo ſuſpenderunt.

Per octo dies ante obitum regis piſces de quodam ſtagno *Normanniæ* exilientes, nocturno tempore cum tanto ſtrepitu ſunt congreſſi, ut homines ad ſpectaculum venientes vix victui unum piſcem ſuperſtitem invenirent. Quidam ordinis domus de **Giſſebourne** in vita regis pro eo frequenter orans, & quæ de miſericordia vel judicio ſuperni moderaminis eidem regi eſſent eventura, noſcere deſiderans, ante tempus quo ipſe rex ſignum Dominicæ crucis ſuſceperat, tale de rege quem multum dilexit à Domino in ſompnis reſponſum accepit. Signum meum ſuper ſe levabit ſed in tormento tormentum portabit, nam uterus uxoris ſuæ contra eum intumeſcet, & ad ultimum cum velatis velabitur. In craſtino namque obitus illius cum ad illud famoſum & nobile monaſterium feminarum quod *Fons Embrardi* dicitur, ſicut ipſe in extremis pia devotione dictaverat, ad ſepeliendum portaretur apparatu regio veſtitus, coronam auream in capite geſtans, & cirotecas habens in manibus, & anulum aureum in digito, & ſceptrum in manu, & calciamenta auro texta & calcaria in pedibus cinctus gladio jacebat, vultum habens diſcoopertum, ecce *Ricardus* filius ejus comes *Pictavenſis* ſicut ei nunciatum fuit, feſtinanter obviam ei venit. Unde illo ſuperveniente, mox ſanguis de naribus regis defuncti manavit, acſi ſpiritus ejus de adventu illius indignaretur. Tunc prædictus comes flens & ejulans proceſſit cum corpore patris ſui uſque ad *Fontem Embraldi* in *Normannia*, ubi juxta magnificentiam regiam honorifice ſepelitur. De eo quoque ferebant qui funeri aſtabant, quod quamdiu *Ricardus* filius ſuus paterno cadaveri aſtaret, utraque patris naris ſanguinem diſtillavit.

Sane idem rex *Henricus* quanquam multis virtutibus fuerat ornatus, aliquibus tamen viciis involutus perſonam regiam deturpavit. In libidine namque pronus conjugalem modum exceſſit. Regina enim ſua *Elianora* jamdudum incarcerata factus eſt adulter manifeſtus, palam & impudice puellam retinens *Roſamundam*. Huic nempe puellæ ſpectatiſſimæ fecerat rex apud **Wodeſtoke** mirabilis architecturæ cameram operi *Dædalino* ſimilem, ne forſan à regina facile deprehenderetur. Sed illa cito obiit, & apud **Godeſtowe** juxta *Oxoniam* in capitulo monialium in tumba decenti eſt ſepulta, ubi talis ſupraſcriptio invenitur,

Hic jacet in tumba Roſa mundi, non Roſa munda;
Non redolet, ſed olet, qua redolere ſolet.

Ciſta ejuſdem puellæ vix bipedalis menſuræ ſed mirabilis architecturæ ibidem cernitur, in qua conflictus pugilum, geſtus animalium, volatus avium, ſaltus piſcium abſque hominis impulſu quaſi movere conſpiciuntur. Hic eciam filiam regis *Franciæ* in cuſtodia ſua dudum receperat ut eam *Ricardo* filio ſuo comiti *Pictavenſi* copularet, quam poſt mortem *Roſamundæ* deſloravit, unde *Ricardus* poſtea matrimonium recuſavit, proinde propoſuit rex illam puellam duxiſſe, qua de cauſa *Hugotionem* cardinalem ad divortiandum inter ipſum & reginam *Elianoram* nuper invitavit, ut ſic majori favore *Francorum* fretus, filios proprios exhæredaret. Regina quoque parere deſinente, ſpurios multos fecit.

Venationis delicias plus juſto diligens, in puniendis tamen venationis ſuæ tranſgreſſoribus mitior avo fuit, ille enim homicidarum & fericidarum voluit diſtantiam parvam eſſe: hic tamen hujuſmodi tranſgreſſores carcerali cuſtodia ſive exilio pro tempore caſtigavit. *Judæos* fœnerantes plus juſto fovit, & vacantes epiſcopatus ut provenientia reciperet diu vacare voluit. Contra hæc, fuit rex in pace tuenda & fovenda ſtudioſiſſimus, & eccleſiaſticarum libertatum poſt mortem ſancti *Thomæ* conſervator præcipuus. Viros religioſos ſpecialiter honoravit, & res eorum æque cum Dominicis ſuis conſervari mandavit. Pupillorum, viduarum & pauperum curam habens, locis pluribus elemoſinas largas impendit. Naufragorum perditionem eximia pietate correxit, & eis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas ſanxit, qui forte illis in aliquo moleſtos eſſe præſumerent, vel de rebus quippiam uſurpare. In regno ſuo *Angliæ* vel in terris ſuis tranſmarinis grave onus nunquam impoſuit, nec tributum eccleſiis vel monaſteriis unquam indixit. Diſcrimen ſanguinis & mortem hominis exhorreſcens, pacem curavit armis cum aliter eam non potuit obſervare.

IN tempore iſtius regis *Henrici* ſecundi anno regni ſui xiij. oſſa famoſiſſimi regis *Arthuri* quondam majoris *Britanniæ* monarchæ, cujus corpus quaſi fantaſticum & in fine tanquam ad longinqua deductum fabulæ *Britannicæ* adhuc venturum confinxerunt, apud *Glaſtoniam* in quodam vetuſtiſſimo ſarcophago profunde in terra in quercu concava recondita, ſunt inventa inter duas lapideas piramides in ſacro cœmiterio quondam erectas, in quibus literæ quædam exaratæ erant, ſed ob nimiam vetuſtatem barbaræ ſcripturæ & deformationem legi non poterant. Oſſa vero prædicta hac occaſione inventa fuerunt. Dum inter dictas piramides terram quidam effoderent, ut quendam monachum ſepelirent, qui hunc locum ſepulturæ vehementi deſiderio in vita ſua præoptaverat, & à conventu precibus impetrando optinuerat, quoddam ſarcophagum in quo quaſi oſſa muliebria cum trica comæ muliebris flava & integritate priſtina & colore reperta ſunt, quam cum monachus unus avide cum manu attraxiſſet, tota ſtatim in pulverem decidit. Amoto vero illo ſarcophago, aliud priori ſuppoſitum reperiunt, in quo oſſa virilia continebantur, quod & eciam amoventes reperiunt tercium duobus primis ſuppoſitum, cui crux plumbea ſuperpoſita erat, in qua exaratum fuit, *Hic jacet ſepultus inclitus rex* Arthurus *in inſula* Avalana: locus enim ille olim paludibus incluſus inſula *Avalon* vocabatur, id eſt, inſula pomorum. Nam *Avalon Britannice*, pomum dicitur Latine. Deinde prædictum ſarcophagum aperientes, oſſa nimis robuſta & longa dicti principis invenerunt; quæ cum decenti honore & magno apparatu monachi infra eccleſiam ſuam in tumba marmorea poſuerunt. Primum tumulum dicunt fuiſſe *Guenoræ* uxoris ejuſdem *Arthuri*, ſecundum *Modredi* nepotis ſui.

Inſuper ſcribitur quod iſte rex *Henricus* à quodam hiſtorico cantore *Britannico* audierat, quod profunde in terra circiter xv. pedes corpus *Arthuri* regis in quercu concava inveniretur. Idcirco autem tam profunde humatus fuerat, ne à *Saxonibus* ſibi æmulis facile reperiretur, & inde literæ veritatis indices interius verſus lapidem ſculptæ erant. Et notandum eſt quod tibiæ *Arthuri* tunc oſtenſæ, tibiam & genu longiſſimi hominis tunc reperti tribus digitis

excedebant; ſpacium quoque interculii inter duos oculos palmalem latitudinem continebat. In cujus capite decem vulnerum cicatrices apparebant, quæ omnia præter unum ſolum quod letale videbatur, in unam cicatricem concurrebant. Et quamquam ſuperius in libro de geſtis *Britonum* dicto *le Brut*, plura geſta de ipſo *Arthuro* leguntur, aliqua tamen de eo inventa & ibi intacta, & bella contra *Saxones* in *Britannia* per ipſum habita, hic breviter tangere non omiſi. Nam ut dicit *Henricus Huntyngdonienſis* libro ij. quod decimo anno *Cerdici* regis *Weſtſaxonum* qui cum *Kenrico* filio ſuo & quinque navibus apud **Sardicheſore** quæ nunc dicitur **Gernemuth** primo applicuerat, ſurrexit apud *Britones* *Arthurus* belliger quaſi octodennis, qui contra *Saxones* novies victor fuit, ut breviter hic patebit. Primo ſuper flumen **Gleny**. Item quater ſuper flumen **Duglas** quod eſt in regione *Iues*. Hodie fluvius ille vocatur *Anglice* **Dugglis**, & currit ſub urbe de **Wigan**, per x. miliaria à fluvio de *Merſee* diſtans in comitatu *Lancaſtriæ*. Item ſexto ſuper flumen *Baſſa*, ſeptimo juxta *Lincolniam* in ſylva *Celidonis* quæ *Britannice* vocatur **Kaercoit Celidon.** Octavo apud urbem **Kaerlegion**, nono in monte *Badonis*. *Willielmus Rivalenſis* libro primo capitulo ij. Hic eſt *Arthurus* de quo nugæ *Britonum* delirant. Dignus plane quem non fallaces fabulæ ſed veraces hiſtoriæ prædicarent: Quippe qui labantem patriam ſuſtinuit, qui infractos civium animos ad bellum acuerit, poſtremo in obſidione *Badonici* montis nongentos hoſtium ſolus profugavit.

In quibuſdam Cronicis legitur quod *Cerdicus* ſæpius cum *Arthuro* confligens ſi ſemel vinceretur alia vice acrior ſurrexit ad pugnam. Tandem *Arthurus* extædiatus poſt xvj. adventus *Cerdici* fidelitate ſibi jurata dedit eidem *Cerdico Hampteſchiram* & *Sormerſetam*, quam partem vocavit *Weſtſaxam*. Item legitur in Cronicis *Anglorum*, quod *Modredus* nepos *Arthuri* regnare cupiens ſed ſolum *Cerdicum* metuens, quoſdam alios pagos *Cerdico* dedit ut ſibi faveret. *Cerdicus* autem hiis conſentiens ſuas provincias novis *Saxonibus* inſtauravit, & coronatus eſt more gentili apud *Wintoniam*. *Modredus* vero ſuper *Britones* apud *Londoniam* coronatur. *Vecta* tamen inſula *Withgaro* nepote *Cerdici* remanſit. Verumtamen ſecundum hiſtoriam *Britonum*, *Arthurus* poſtmodum cum *Modredo* confligens occiſus eſt, & in valle *Avallonis* juxta *Glaſtoniam* ſepultus, cujus corpus poſtmodum etiam cum corpore *Guenoræ* uxoris ſub anno domini M. Clxxx. tempore regis *Henrici* ſecundi repertum eſt, & ad eccleſiam ut prædicitur tranſlatum; ſicut refert *Giraldus* diſtinctione prima capitulo 18. qui tunc vixit & oſſa *Arthuri* contrectavit. Cæterum de iſto *Arthuro* quem inter omnes cronographos ſolus *Galfridus* ſic extollit, mirantur multi quomodo veritatem ſapere poſſint quæ de eo prædicantur, pro eo quod ſi *Arthurus* ſicut ſcribit *Galfridus* terdena regna adquiſivit, ſi regem *Francorum* ſubjugavit, ſi *Lucium* procuratorem reipublicæ apud *Italiam* interfecit, cur omnes hiſtorici *Romani*, *Franci*, *Saxonici*, tot inſignia de tanto viro omiſerunt qui de minoribus viris tot minora retulerunt?

Ad hæc dicit *Galfridus*, ſuum *Arthurum* regem *Francorum Frollonem* viciſſe, cum tamen de *Frollonis* nomine nuſquam apud *Francos* reperiatur. Item dicit, *Arthurum* tempore *Leonis* Imperatoris *Lucium Hiberium* reipublicæ procuratorem extinxiſſe, cum tamen juxta omnes Hiſtorias *Romanas*, conſtet nullum *Lucium* eo tempore rempublicam procuraſſe, neque illum *Arthurum* nullatenus tempore *Leonis* regnaſſe, neque eciam tunc natum fuiſſe, ſed tempore *Juſtiniani* qui quintus fuit à *Leone*. Denique *Galfridus* dicit, ſe mirari quod *Gildas* & *Beda* nullam de *Arthuro* in ſuis ſcriptis fecerunt mentionem. Immo magis mirandum puto, cur ille *Galfridus* tantum extulerit quem omnes antiqui veraces & famoſi hiſtorici pene intactum reliquerunt. Sed fortaſſe mos eſt unicuique nationi aliquem de ſuis, laudibus extollere exceſſivis, ut quemadmodum Græci ſuum *Alexandrum*, Romani ſuum *Octavianum*, Angli ſuum *Ricardum*, Franci ſuum *Carolum*, ſic Britones ſuum *Arthurum* præconantur. Quod ſæpe contingit, ſicut dicit *Joſephus*, aut propter hiſtoriæ decorem, aut propter legentium delectationem, aut ad proprii ſanguinis exaltationem. Nam dicit *Auguſtinus* de civitate Dei libro 18. capitulo primo, quod *Athenienſium* geſta majora fuerunt fama quam re ipſa, & hoc propter ſcriptorum ibidem florentium præclara ingenia qui ſenſum ſuum ad ardua & linguam ſuam ad laudatiſſima laxare ſunt gaviſi. Igitur ſecundum *Galfridum* in ſuo *Britannico* libro *Arthurus* moriturus diadema regni ſui *Conſtantino* cognato ſuo filio *Cadoris* ducis *Cornubiæ* conceſſit, qui pluries cum filiis *Modredi* conflixit, ſed tandem eos extinxit, ſicque poſt iv. regiminis ſui annos obiit.

Poſt quem *Aurelius Conanus* tribus annis regnum tenuit. Poſt quem *Vortiporius* iv. annis. Poſt quem *Malgo*, pulcher, ſtrenuus & dapſilis ſed *Sodomitica* peſte infectus, aliquot annis regnavit. Poſt quem *Careticus* inviſus Deo & *Britonibus*, civilis diſcidii amator, aliquantiſper regnavit: Cujus inconſtanciam *Saxones* comperientes advocaverunt regem *Affricanum Gurmundum* de *Hibernia*, quam nuper ſibi ſubjugaverat: Qui cunctis viribus ipſum *Careticum* de urbe in urbem fugaverunt, & tandem in *Cireceſtria* obſederunt. Poſt hæc ipſum *Careticum* cum gente ſua *Britannica* uſque in *Wallias* ultra *Sabrinum* mare detruſerunt, & *Loegriam*, id eſt *Britanniam* ſive modo *Angliam* ferro & flamma vaſtaverunt; ac extunc *Britones* monarchiam *Angliæ* amiſerunt.

SEpulto itaque ut dictum eſt rege *Henrico* filio *Matildis* Imperatricis, prædictus *Ricardus* Comes *Pictavenſis* filius ejus ſtatim in *Stephanum* de *Turonis* Seneſcallum *Andegaviæ* manus injecit: A quo in carcere miſſo & vinculis mancipato caſtella & theſauros patris ſui, quos ipſe in cuſtodia ſua habuit exigebat, & uxorem filii prædicti *Stephani* propter ignobilitatem mariti ab ipſo ſeperari fecit, & alii marito dari. Omnes eciam ſervientes patris ſui quos fideles eſſe noverat et qui patri fideliter ſervierant, ſecum retinuit, ſervicia ſua quæ longo tempore cum patre fecerant illis reddens, unicuique videlicet ſecundum meritum ſuum; Illos autem tam clericos quam laicos qui relicto patre ſuo illi adhæſerunt, odioſos habuit, et à familiaritate ſua alienos fecit.

Poſt mortem vero et humationem dicti regis *Henrici*, *Johannes* filius ejus qui mortis ſuæ occaſio, immo cauſa præcipua fuerat, eo quod illum tempore guerræ reliquerat & inimicis ſuis adhæſerat, ad fratrem ſuum Comitem *Ricardum* venit, à quo honorifice ſuſceptus eſt. Poſt hæc *Ricardus* Comes venit *Rothomagum* & die S. *Margareta* feria v. luna iij. xiij. kal. Auguſti gladium ducatus *Normannia* de altari ſanctæ *Maria Rothomagi* ſuſcepit præſente *Waltero* archiepiſcopo ejuſdem urbis & præſentibus omnibus Epiſcopis, Comitibus & Baronibus ducatus illius. Deinde recepit fidelitatem cleri & populi ducatus illius. Deinde dedit idem dux filio & hæredi Comitis de *Pertico Matildam* filiam ducis *Saxonia* in uxorem, quam ipſe ſecum per aliquod tempus honorifice retinuerat. Deinde conceſſit & dedit *Johanni* fratri ſuo omnes terras quas dictus rex pater ſuus ei dederat, ſcilicet iv. mille libras terræ in *Anglia* & comitatum *Moretonii* cum pertinentiis ſuis. Conceſſit eciam ei filiam Comitis *Glouceſtria* cum honore illo. Conceſſit eciam *Willielmo* Mareſcallo filiam Comitis *Ricardi de Strugoill* cum honore illo. Conceſſit eciam *Gilberto* filio *Rogeri* filii *Ramfrei* filiam *Willielmi de Lancaſtria* dapiferi regis patris ſui. Et conceſſit *Gaufrido* fratri ſuo ſpurio quondam *Lincolnienſis* eccleſiæ electo archiepiſcopatum *Eboracenſem*, qui clericis ſuis cum literis prædicti *Ricardi* ducis *Normannia* pro eodem negotio in *Angliam* miſſis prædictum archiepiſcopatum in cuſtodia ſua ſaiſiri fecit, cuſtodibus regis & cuſtodibus *Huberti Walteri* ejuſdem eccleſiæ decani expulſis.

Deinde ſupradictus dux *Normannia* tercio die poſtquam factus eſſet dux, ſcilicet die ſabbati in feſto beatæ *Maria Magdalena* colloquium cum *Philippo* rege *Francia* habuit, ubi *Giſorcium* & totam adjacentem provinciam calumpniatus eſt; ſed quia præfatus dux *Normannia Aleſiam* ipſius regis *Francia* ſororem in conjugem accepturus erat, ſuſtinuit illa vice. In eodem colloquio *Ricardus* dux *Normannia* promiſit ſe daturum regi *Francia* iv. M̄ marcarum eſterlingorum pro expenſis ſuis. Et præterea illa xx. M̄ marcarum quas pater ejus nuper ex certo forte condicto regi *Francia* promiſerat. Item Domina *Elianora* regina mater prædicti ducis *Normannia* per mandatum illius de ultra mare liberata eſt in *Anglia* à carcere mariti ſui, quo diu detinebatur. Quæ ſtatim reginalem Curiam circumducens de civitate in civitatem & de caſtello in caſtellum, ſicut ei placuit, profecta eſt. Et per univerſos comitatus *Anglia* viros honorabiles tam clericos quam laicos ad mandatum *Ricardi* ducis *Normannia* filii ſui ſub hoc modo exequendum miſit. In primis præcepit captivos omnes à carceribus & captionibus liberos dimitti, ut ad introitum novi principis noviter in regno futuri eſſet lætitia generalis, & ut ipſa regina à propria priſona ſua argumentum eliceret captiones eſſe hominibus moleſtas, & jocundiſſimam animæ refocillationem ab ipſis emergere. Præcepit itaque quod omnes qui capti eſſent pro foreſta liberarentur quieti, & ut omnes uthlagati pro foreſta ad pacem redirent de præcedentibus foriſfactis de foreſta quieti. Et ut omnes alii qui capti eſſent & retenti per commune rectum comitatus vel hundredi, vel per appellationem, quieti eſſent; & plures alios articulos quos cauſa brevitatis prætermitto, exequi mandavit, de quibus unus articulus erat, quod unuſquiſque liberorum hominum totius regni juraret, quod fidem portaret domino *Ricardo* domino *Anglia* filio domini regis *Henrici* & dominæ *Elianora* reginæ de vita & membris ſuis & honore terreno, ſicut ligio domino ſuo contra omnes mortales, & quod ei Juſticiales erunt & auxilium ei præſtabunt ad pacem & juſticiam ſuam per omnia conſervandas.

Interim eciam *Ricardus Normannia* reddidit *Roberto* Comiti *Leiceſtria* terras ſuas quas rex pater ſuus illi abſtulerat; & omnes quos pater ſuus exhæredaverat ad jus priſtinum reſtituit. Deinde dedit *Baldewino* Cantuarienſi archiepiſcopo, *Gilberto* Roffenſi, *Hugoni* Lincolnienſi, & *Hugoni* Ceſtrenſi epiſcopis qui ad eum venerant, licentiam in *Angliam* redeundi. Poſtea vero rebus tranſmarinis mature diſpoſitis, præfatus dux *Normannie* & *Johannes* frater ejus navibus apud *Barbeſluctum* aſcenſis idibus Auguſti die Dominica ante Aſſumptionem beatæ *Maria* ad diverſos portus in *Anglia* applicuerunt; Nam *Ricardus* dux applicuit apud **Porteſmuth** et *Johannes* frater ejus apud **Dover**. Venerunt eciam tunc in *Angliam* per mandatum ipſius ducis *Walterus* Rothomagenſis archiepiſcopus, & *Henricus* Baiocenſis epiſcopus. *Johannes* vero Ebroicenſis epiſcopus prius in *Angliam* venerat ſtatim poſt Pentecoſten & adventum ducis exſpectavit. Gaviſa ſunt ergo regna de adventu ducis quia in meliorem ſtatum per illum reformari populus ſe ſperabat, juxta quod ſic metrice quidam ait,

Mira canam, ſol occubuit, nox nulla ſecuta eſt.

Vere nox nulla occaſum ſolis eſt ſecuta. Nam radius ſolis ſolium ſolis tenens ſole ſuo jubar lucidius ac latius ſparſit: dum enim ſol à ſolio ſuo in ſolum decideret, ſtans tamen ejus radius occaſum vel eclipſim neſciens de corpore ſolari repente diviſus & in ſe ſolide reverberatus, ſol ſole cujus fuit radius nulla nubium interpoſitione vel injuria inpediente multo major & lucidior eſt effectus. Et ne ſcrupuloſum quid animum legentis lædat, præſenti plenius perpendere poterit pentametro,

Sol pater, & radius filius ejus erat.

Filius, inquam, in immenſum creſcens patris ſui opera bona perampliavit, mala vero reſecavit; nam quos pater exhæredaverat, filius in priſtina jura reſtituit. Quos pater fugaverat, filius revocavit. Quos pater in vinculis tenuerat, filius illæſos abire permiſit. Quos pater cauſa juſtitiæ diverſis pœnis afflixerat, filius cauſa pietatis refocillavit.

Applicatus igitur in *Angliam* dux *Normannia Ricardus*, à cleroque & populo honorifice & devote ſuſceptus, *Wintoniam* venit, deinde ad urbem *Sariſberiam* adiit ubi omnes theſauros Regis patris ſui ponderare & in ſcriptis redigere fecit; Et inventa ſunt in numero & pondere pluſquam nongenta M̄. librarum in auro & argento. Deinde perrexit de loco in loca ſpaciando uſque ad diem coronationis ſuæ, & fecit interim præparari omnia quæ coronationi ſuæ neceſſaria erant. Item quidam Canonicorum *Eboracenſis* eccleſiæ per mandatum ducis in metropolitana *Eboracenſi* eccleſia congregati, ad eligendum ſibi & eccleſiæ ſuæ paſtorem, die ſancti *Laurencii* feria v. *Galfridum* regis *Henrici* filium quondam *Lincolnienſis* eccleſiæ Electum elegerunt. Et cantato ympno *Te Deum laudamus* ſcripto ſigillis ſuis appenſis electionem illam ſolempniter corroboraverunt. Et quamvis *Godefridus de Luci* Canonicus & archidiaconus ejuſdem eccleſiæ tunc abſens eſſet, literas tamen ratihabitionis miſit, mandans ſe ratam illam electionem in omnibus habere. Sed magiſter *Bartholomæus* clericus & officialis *Huberti*

Walteri ejuſdem eccleſiæ decani qui unus erat de prioribus electis, videns hæc omnia in abſentia domini ſui, & domini *Hugonis Dunolmenſis* epiſcopi, & multorum Canonicorum ejuſdem eccleſiæ facta fuiſſe, omnes qui præfatæ electioni conſenſerant ante illam & poſt ad præſentiam ſummi Pontificis appellavit, dicens illam propter abſentiam dicti *Dunolmenſis* epiſcopi & *Eboracenſis* eccleſiæ decani & aliorum Canonicorum ejuſdem, minus rationabiliter factam eſſe.

Audiens ergo dictus decanus *Hubertus* quæ apud *Eboracū* fiebant, ad præſentiam papæ *Wintoniæ* appellavit, et coram *Henrico* Baiocenſi, *Johanne* Ebroicenſi, *Gilberto* Roffenſi, *Willielmo* Wigornienſi, & *Ganfrido* Ciceſtriæ epiſcopis appellationem quā Officialis ſuus fecerat renovavit, & per auxilium & conſilium *Elianoræ* Reginæ, quæ præfatum *Galfridum* Regis filium novercali odio perſequebatur, à filio ſuo duce literas impetravit, quod omnia *Eboracenſis* eccleſiæ in eodem ſtatu remanerent in quo fuerunt die qua dominus *Henricus* pater ſuus vivus & mortuus fuit; & ſic interim omnia jura eccleſiaſtica *Eboracenſis* eccleſiæ in manu dicti decani & officialium ſuorum, & omnia ſecularia beneficia in cuſtodia regis & ſuorum ſicut prius fuerant redierunt. Interim *Ricardus* dux *Normanniæ* dedit *Johanni* fratri ſuo filiam comitis *Glouceſtriæ* cum comitatu eodem, & caſtellum de **Marleberg** cum honore illo, & caſtellum de **Luttegareſhale** cum honore illo, & caſtellum de **Peek** cum honore illo, & caſtellum de **Boleſover**, & totam terram quæ fuit *Willielmi Peiterel*, & villam de **Nottingham** cum honore illo, et caſtellum de *Lancaſtria* cum honore illo, et *Darbiſhiram*, et honorem de **Wallingford**, et honorem de **Tikehul**. Hæc omnia et multa alia dedit ei cum villis et foreſtis, et omnibus aliis pertinentiis ſuis. Hiis ita peractis, *Johannes* frater ducis prædictam filiam comitis *Glouceſtriæ* iiij. kalend. Septembris apud **Marleberg** deſponſavit contra prohibitionem *Baldewini Cantuarienſis* archiepiſcopi, eo quod in tercio gradu conſanguinei erant.

An. Dñi 1189.

DEinde *Ricardus* dux *Normanniæ Londoniam* venit, et congregatis ibi archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, baronibus, et multitudine militum copioſa anno Domini M.C.lxxxix. papa *Clemente* iij. ſedi apoſtolicæ præſidente, iij. non. Septembris die Dominica luna xix. die mala idem dux apud *Weſtmonaſterium* à *Baldewino Cantuarienſi* archiepiſcopo in regem *Angliæ* conſecratur et ſolempniter coronatur, miniſtrantibus illi in illo officio *Waltero Rothomagenſi*, *J. Dublenenſi*, *Formale Treverenſi* archiepiſcopis, et *Lincolnienſi*, *Dunolmenſi*, *Wigornenſi*, *Exonienſi*, *Bathonienſi*, *Norwicenſi*, *Ciceſtrenſi*, *Roffenſi* epiſcopis *Angliæ*; et tribus epiſcopis de *Wallia*, videlicet ſancti *David*, *Aſſaph*, et *Bangorenſi*; et duobus epiſcopis de *Hibernia*, *Fernenſi* et *Hethdunenſi*, *Galfrido Eboracenſi* electo, *Johanne* electo *Candidæ Caſæ* de *Galeweia*; Abbatibus de *Weſtmonaſterio*, de ſancto *Albano*, de ſancto *Auguſtino Cantuariæ*, de *Hida*, *Wintoniæ*, de *Burgo*, de ſancto *Edmundo*, de *Croiland*, de *Bello*, ſanctæ *Mariæ Eboraci*, de *Rievals*, de ſancto *Benedicto*; Abbate de *Mortemer*, et Abbate de ſancto *Dioniſio* qui venerant ex parte regis *Franciæ*, præſentibus Comitibus de *Alba Marla*, de *Eſſexia*, de *Warena*, *J.* fratre regis comite *Moretonii* et *Glouceſtriæ*, *R. Leiceſtriæ* comite, et comitibus de *Clare*, de *Warewik*, de *Suthſexia*, de *Sariſbiria*, *Willielmo* Mareſcallo comite de *Strugoil*, *David* fratre regis *Scociæ* comite *Huntyngdoniæ*. Præterea hii barones interfuerunt, *Robertus* de *Laci*, *Nigellus* de *Mowbray*, *Rogerus Bigod*, *Reginaldus Luci*, *Gervaſius Paynell*, *Willielmus Humet*, *Baldewinus Wauc*, *Robertus* de *Stanyford*, *Johannes* Conſtabularius *Ceſtriæ*, *Jollanus* de *Nevill*, *Willielmus* de *Nevil*, *Henricus* de *Puteaco*, *Ranulphus* de *Glanvill* Juſticiarius *Angliæ*, *Gerardus* frater ejus, *Gilbertus Baſſet*, *Gerardus* de *Cannvill*, *Ricardus* de *Suvill*.

Modo dicendum eſt de ordine Coronationis.

INprimis, venerunt epiſcopi, et abbates, et clerici multi induti capis ſericis, præcedentibus eos cruce, cereis et thuribulis uſque ad hoſtium thalami interioris, et ibi receperunt dictum dominum *Ricardum* qui coronandus erat, et duxerunt eum in eccleſiam *Weſtmonaſterii* uſque ad altare cum reverenti proceſſione et cantu in hunc modum. In prima fronte præcedebant clerici albis induti, portantes aquam benedictam, crucem et cereos et thuribulos, deinde veniebant abbates deinde epiſcopi. In medio autem illorum ibant iv. Barones portantes candelabra cum cereis. Poſt illos veniebat *Johannes* Mareſcallus portans in manibus ſuis duo calcaria magna & ponderoſa de Theſauraria regis ſumpta. Juxta illum ibat *Godefridus* de Luci portans pilleum regale. Poſt illos veniebant duo Comites videlicet *Willielmus* Mareſcallus Comes de *Strugoil*, & *Willielmus* Comes *Sareſberienſis*, unus illorum videlicet *Willielmus* Mareſcallus portans ſceptrum regale, in cujus ſummitate ſignum aureum Crucis erat: Et alter ſcilicet *Willielmus* Comes *Sariſbirienſis* portans virgam regalem habentem columbam in ſummitate. Et poſt illos veniebant tres Comites, videlicet *David* frater Regis *Scociæ* Comes de *Huntingdonia* & *Robertus* Comes *Leiceſtriæ* & in medio illorum *Johannes* Comes *Meretonii* & *Glouceſtriæ*, portantes tres gladios cum vaginis aureis ſumptos de Theſauraria regis. Et poſt illos veniebant vj. Comites & Barones portantes unum Scaccarium ſupra quod poſita erant inſignia regalia & veſtes. Et poſt illos ibat *Willielmus* de *Mandevill* Comes de *Alba Marla* & de *Eſſexia*, portans Coronam auream in manibus ſuis. Deinde venit *Ricardus* dux *Normanniæ*, & *Hugo Dunolmenſis* epiſcopus à dextris illius ibat, & *Reginaldus Bathonienſis* epiſcopus à ſiniſtris. Et umbraculum ſericum portabatur ſupra illos. Et omnis turba Comitum & Baronum, militum, & aliorum tam clericorum quam laicorum uſque in atrium eccleſiæ, & ſic uſque ad altum altare ſolempniter ſequebatur. Quo cum perventum eſſet, coram prædictis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, clero & populo *Ricardus* dux hæc tria ſacramenta fecit.

Inprimis itaque juravit & vovit ſacroſanctis evangeliis & plurimorum Sanctorum reliquiis coram eo poſitis, quod pacem & honorem & reverentiam omnibus diebus vitæ ſuæ portabit Deo & ſanctæ eccleſiæ, & ejus ordinatis. Deinde juravit quod rectam juſtitiam exercebit in populo ſibi commiſſo. Deinde juravit quod leges malas & conſuetudines perverſas ſi aliquæ ſint in regno ſuo delebit, & bonas cuſtodiet. Deinde exuerunt eum veſtibus ſuis quibus indutus fuerat, exceptis camiſia quæ debet eſſe in ſcapulis diſſuta, & bractis. Deinde calciaverunt eum ſandaliis auro contextis. Deinde tradidit ei archiepiſcopus *Cantuarienſis* in manu dextra ſceptrum, & virgam regalem in ſiniſtra. Deinde idem archiepiſcopus *Cantuarienſis* unxit eum in Regem, infundens oleum ſanctum deſuper eum in tribus locis, ſcilicet in capite, in ſcapulis & in brachio dextero, cum orationibus ad hoc conſtitutis. Deinde poſuit ſuper caput ejus conſecratum pannum lineum & pilleum deſuper. Deinde veſtierunt eum regalibus veſtimentis, primo tunica, deinde dalmatica. Deinde tradidit ei archiepiſcopus gladium ad malefactores eccleſiæ comprimendos. Deinde duo Comites calciaverunt eum calcaria aurea ſumpta de Theſauraria Regis. Deinde indutus mantello ductus eſt ad altare, & conjuratus ab Archiepiſcopo & prohibitus ex parte Dei, ne hunc honorem ſibi aſſumat niſi in mente habeat tenere ſacramenta & vota quæ ſuperius fecit. Et ipſe reſpondet, ſe per Dei auxilium omnia ſupradicta obſervaturum bona fide.

Deinde cepit coronam de altari, & tradidit eam archiepiſcopo, qui poſuit eam ſuper caput regis; Et ſic coronatus rex ductus eſt ad ſedem ſuam, ducentibus eum *Hugone Dunolmenſi* epiſcopo à dextris & *Reginaldo Bathonienſi* epiſcopo à ſiniſtris, præcedentibus eos candelabris & tribus gladiis ſupradictis. Deinde inchoata eſt miſſa Dominicalis. Cum vero perventum fuit ad Offertorium, præfati duo epiſcopi duxerunt eum ad offerendum, & ad ſedem ſuam reduxerunt. Celebrata autem miſſa & omnibus rite peractis, prædicti duo epiſcopi unus à dextris & alter à ſiniſtris reduxerunt eum coronatum, portantem ſceptrum in dextra & virgam regalem in ſiniſtra, ab eccleſia uſque in thalamum ſuum, proceſſione ordinatim præcedente. Deinde proceſſio reverſa eſt in chorum.

Interim rex depoſuit Coronam ſuam & veſtes regales, & leviorem coronam & veſtes ſumpſit. Et ſic coronatus venit prandere. Et Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii Clerici ſecundum ordinem & dignitatem ſuam. Comites, Barones, milites, & aliæ perſonæ ſeculares juxta eorum decentiam & nobilitatem, & ſicut diæta exigebat, tam ad menſam regiam quam ad alias ſedentes epulabantur ſplendide.

ET licet ipſe rex die præcedenti edicto publico ut dicitur *Judæis* & mulieribus ingreſſum eccleſiæ dum coronaretur, & eciam palacii dum cum principibus & magnatibus ſuis epularetur interdixerat, prandentibus tamen illis principes *Judæorum* & alii de eorum ſuperſtitioſa ſecta contra prohibitionem regiam turbis inmixti fores regias introibant. Unde quidam Chriſtianus indignatus *Judæum* palma percuſſum ab ingreſſu januæ arcere curavit, regium objectans edictum. Quo exemplo plures accenſi, *Judæos* cum contumelia repellebant; factoque tumultu indiſciplinata turba accurrit, credenteſque regem talia mandaſſe, tanquam freti auctoritate regia, in multitudinem *Iudæorum* ad fores regias conſiſtentium pariter irruerunt, & primo quidem percutiebant pugno, poſtea vehementer effrænati ligna & lapides ſuſtulerunt, & eos à Curia regis eicientes quoſdam interfecerunt, quoſdam ſemivivos reliquerunt. Unus autem ex *Judæis* qui *Benedictus Judæus Eboraci* vocabatur, adeo gravibus verberibus & vulneribus affectus eſt quod de vita ejus deſperabatur, & ſic timore mortis perterritus à *Willielmo* Priore eccleſiæ ſanctæ *Mariæ Eboraci* baptiſmum ſuſcepit, & vocatus eſt *Willielmus*, unde mortis periculum & manus perſequentium ſic evaſit.

Interea rumore magno per totam civitatem *Londonienſem* quod rex omnes *Iudæos* exterminare juſſiſſet percurrente, infinitus populus tam ex ipſa civitate quam ex provinciis plurimis qui illuc cauſa regiæ coronationis convenerat, armatus accurrit. Trucidantur ergo *Iudæi*, & qui beneficio fortium domorum ad tempus tuebantur, à frementibus populis igne in domibus miſſo conſumuntur. Hiis regi adhuc cum magnatibus ſuis convivanti relatis, *Ranulphus de Glanvill* regni procurator vir potens & prudens cum aliis æque nobilibus à latere regis mittitur, ut audaces flecteret, vel refrænaret. Sed fruſtra; in tanto enim tumultu nullus vocem eorum auſcultavit vel faciem honoravit: ſed potius adverſus eos quamplures frementes ut maturius recederent hortabantur. Illis igitur effrænatam rabiem conſulte declinantibus, uſque in craſtinum furor prædantium non ceſſavit.

In ſequenti vero die rex ſervientibus ſuis per civitatem miſſis, quoſdam malefactorum illorum comprehendi & ſibi præſentari juſſit, de quibus tres per judicium curiæ ſunt ſuſpenſi, unus quia furtum fecerat in rebus cujuſdam Chriſtiani, & duo quia incendium in civitate fecerant, unde domus Chriſtianorum combuſtæ erant. Deinde miſit rex pro viro illo qui jam de *Iudæo* factus fuerat Chriſtianus, & præſentibus illis qui viderant eum baptizari, interrogavit eum ſi eſſet Chriſtianus effectus. Ipſe vero reſpondit quod non, ſed ut mortem evaderet permiſit à Chriſtianis ſibi fieri quod volebant. Tunc rex interrogavit archiepiſcopum *Cantuarienſem*, præſentibus multis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quid eſſet de illo faciendum. Qui reſpondens minus diſcrete dixit, Si ipſe non vult eſſe homo Dei ſit homo diaboli. Et ſic ad legem Judaicam reverſus eſt.

Deinde rex in craſtino recepit homagia & fidelitates ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & Baronibus terræ ſuæ. Interim miſit rex brevia ſua per omnes comitatus *Angliæ*, prohibens ne aliquis malefaciat *Iudæis* ſed pacem ſuam habeant. Sed priuſquam edictum illud publicatum eſſet, *Iudæi* qui erant in villa de **Dunſtapell** ad fidem Chriſtianam converſi baptizati ſunt, uxores ſuas modo Chriſtianorum deſponſantes; Quod ſimiliter fiebat per plures *Angliæ* civitates. Et licet rex pacem *Iudæis* edicto ſancivit, ille tamen furor in *Iudæos* non quidem zelo fidei ſed potius lucri *Londoniæ* accenſus, in aliis terræ locis vehementer excanduit. Unde apud *Lenniam* contigit quendam ex *Iudæis* fieri Chriſtianum. Quem tanquam legis prævaricatorem *Iudæi* perſequentes, oportunitate capta, ipſum per viam tranſeuntem armis agreſſi ſunt. Porro ille in eccleſiam ſanctam ſe recepit; nec propter hoc *Iudæi* ſævientes quievere, ſed continuato furore eandem cœperunt eccleſiam cum magno impetu illico oppugnare. Mox ingens clamor attollitur, Chriſtianum auxilium ſonoris vocibus flagitatur. Clamor ergo & fama Chriſtianum populum accendunt, & peregrini juvenes, quorum illuc multitudo magna negociandi cauſa venerat, armati accurrunt, ſuperbos *Iudæos* fortiter inſultantes.

Iudæi

dei vero cum Chriſtianorum impetum ferre non poſſent, fugam citius inierunt, multis in fuga cæſis. Domus eciam eorum expugnatæ atque à Chriſtianis ſpoliatæ igne impoſito ſunt combuſtæ. Peregrini vero juvenes præda onuſti, navibus ne aliquam forte à miniſtris Regis ſuſtinerent quæſtionem repetitis, celeriter abierunt. Loci vero incolæ cum propter hoc à regiis miniſtris calumpniati eſſent, factum in peregrinos qui jam abierant, refuderunt.

Deinde dominus rex venit ad abbathiam quæ dicitur **Pippewelle**, & congregatis ibidem *Baldewino Cantuarienſi*, *Waltero Rothomagenſi*, & *Iohanne Dublenenſi* archiepiſcopis, & omnibus aliis fere epiſcopis, abbatibus & prioribus regni, idem rex dedit *Godefrido* de *Lucy* epiſcopatum *Wintoniæ*, & *Ricardo* Theſaurario ſuo archidiacono *Elienſi* epiſcopatum *Londonienſem*; & iſtæ donationes fiebant in craſtino exaltationis ſanctæ Crucis. Quibus expletis, rex & cæteri omnes ad ſua hoſpitia ſunt reverſi. Mane autem facto, venerunt iterum rex, & archiepiſcopi, epiſcopi, cum copioſa clericorum & laicorum multitudine ad abbathiam prædictam, ubi rex dedit *Willelmo de Longo Campo* Cancellario ſuo epiſcopatum *Elienſem*, & *Huberto Waltero Eboracenſi* Decano epiſcopatum *Sariſbirienſem*, & ſic omnis controverſia quæ erat inter ipſum *Hubertum* & *Gaufridum Eboracenſem* electum ſopita eſt. Deinde dedit dominus rex abbathiam de **Selby** *Rogero* de *Londonia* ejuſdem abbathiæ Priori, & dedit Priori de **Bermundeſeye** abbathiam de **Glaſtingbury**, & *Gaufrido* fratri ſuo nuper *Lincolnienſi* electo, & poſtea *Eboracenſi* electo archiepiſcopatum *Eboracenſem*; & *Henrico* fratri *Willielmi* Mareſcalli decanatum eccleſiæ *Eboracenſis*; & *Bucardo* de *Puteaco Theſaurariam* eccleſiæ *Eboracenſis*, & *Willielmo* de *Chanvill* archidiaconatum *Richmundiæ*, & *Willielmo* de eccleſia ſanctæ *Mariæ* præbendam, quæ fuit *Huberti Walteri* in eccleſia *Eboracenſi*.

Cumque *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus vidiſſet dominum regem dediſſe *Gaufrido* fratri ſuo archiepiſcopatum *Eboracenſem*, ſtatim protulit coram rege, & præfatis archiepiſcopis, & epiſcopis cartam regis *Willielmi* **Baſtard**, qui *Angliam* bellando ſibi ſubjugaverat, in qua continebatur controverſia, quæ olim inter *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* eccleſias vertebatur ſuper primatia *Angliæ*, & quibuſdam aliis dignitatibus, quas altera adverſus alteram petebat, & ad quem finem controverſia prædicta pervenit. Itaque in carta illa regis *Willielmi* continebatur, quod *Thomas* tunc temporis *Eboracenſis* archiepiſcopus ordinem ſacerdotalem, & conſecrationem epiſcopalem de manu *Lanfranci* tunc temporis *Cantuarienſis* archiepiſcopi, & totius *Angliæ* primatis ſuſcepit, & ei profeſſionem ſcriptam fecit, & ad concilia ſua cum *Lindefarnenſis* eccleſiæ epiſcopo & cæteris ſuffraganeis ſuis venit, & ei omnem reverentiam ſicut Primati ſuo exhibuit. Hæc autem omnia facta fuiſſe coram rege *Willielmo* in generali concilio apud *Londoniam* teſtabatur carta illa per diffinitivam ſententiam, ab *Alexandro* papa ſecundo prolatam, in præſentia **N.** legati, qui à præfato papa miſſus erat ad litem illam inter prædictos archiepiſcopos, & eorum ſucceſſores dirimendam. Auctoritate igitur hujus cartæ *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus prohibuit, per *Gilbertum Roffenſem* epiſcopum, & *Hugonem Ceſtra* epiſcopum, *Gaufrido Eboracenſi* electo, ne ipſe ab aliquo alio, quam ab illo ordinem ſacerdotalem, vel conſecrationem ſuſciperet epiſcopalem, & prohibuit *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo, et *Iohanni Dublenenſi*, et *Formali Treverenſi* archiepiſcopis, ne illi munus ordinationis, vel conſecrationis facere præſumerent, et ſuper hoc ad ſedem apoſtolicam appellavit.

Eodem tempore apud Abbathiam de **Pipewell** die Dominica xvij. die Septembris *Johannes* electus *Candidæ Caſæ* conſecratus eſt in epiſcopum à *Johanne Dublenenſi* archiepiſcopo, adminiſtrantibus ei *Formale Treverenſi* archiepiſcopo & *Concorde Hegdunenſi* epiſcopo. Ad idem Concilium prædictum *Ranulphus* de *Glanvill* jam ſenio et labore confectus, qui tempore regis *Henrici* Juſticiarius *Angliæ* extiterat, licenciam eundi *Jeroſolymam* à rege quæſivit & accepit, unde cito poſtea eodem menſe Septembris *Ranulpho* prædicto ab officio ſuo depoſito, rex omnes fere vicecomites & eorum ballivos uſque ad ultimum quadrantem redemit. Et quanto familiariores patri ſuo extiterant, tanto plus eos opprimebat; Qui autem non habebat quantum ab eo exigebatur, ſtatim captus fuit & in carcere retruſus, aliis vicecomitibus loco eorum inſtitutis. Et quia rex ad terram ſanctam aſpirabat, omnia erant ei venalia, ſcilicet poteſtates, dominationes, comitatus, vicecomitatus, caſtella, villæ, prædia, officia & omnia hiis ſimilia. Unde factum eſt quod *Hugo Dunolmenſis* epiſcopus emit à domino rege dominicum manerium ſuum de **Seggeſfeld** cum omnibus pertinenciis ſuis, & cum wappentaga et omnibus ad regiam Coronam ibi pertinentibus: quod quidem manerium rex Deo et beato *Cuthberto*, et dicto *Hugoni* et ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis *Dunolmenſibus* per cartam ſuam ſine aliquo retenemento confirmavit. Et pro hac confirmatione prædictus epiſcopus quieta clamavit domino regi ſervicia militum ſuorum in *Lindeſeya*, et ſervicia *Philippi de Kima* et *Baldewini le Wake* imperpetuum.

Præterea idem *Hugo* epiſcopus dedit regi mille marcas argenti, ut Juſtitiarius eſſet in *Anglia*, et ut ab itinere **Jeruſalem** remaneret. Qui nuncios ſuos ad papam miſit pro habenda licentia remanendi. Unde rex eundem *Dunolmenſem* epiſcopum et *Willielmum* de *Mandevill* Comitem de *Albamarla* Juſticiarios *Angliæ* conſtituit. *Godefridus* eciam *Wintonienſis* epiſcopus emit à domino Rege duo optima maneria, quorum unum dicitur **Weregrave** et alterum **Manes**, ad epiſcopatum ſuum pertinentia, ut à pluribus dicebatur. *Sampſon* eciam Abbas de *Sancto Edmundo* emit à Rege pro mille marcis manerium de **Mildenhale**, quod antiquo jure ad Abbathiam ſuam ut dictum fuerat pertinebat. Et cæteri quicunque volebant tam ſua quam aliena jura à Rege emebant; Unde factum eſt, quod rex tantam infinitam pecuniam ſibi adquiſivit quantam nullus anteceſſorum ſuorum dignoſcitur habuiſſe.

Interim *Galfridus Eboracenſis* electus venit apud **Southwell** villam ſuam, et ibi menſe Septembris ſabbato quatuor temporum à *Johanne* epiſcopo *Candidæ Caſæ* ſacerdotalem ordinem ſuſcepit. Et cum circa idem tempus *Henricus* frater *Willielmi* Mareſcalli cui rex decanatum *Eboracenſis* eccleſiæ dederat, ad ipſam eccleſiam veniſſet, neminem invenit qui eum in ſtallum induceret decanatus; nam clerici dicebant, quod nullus præter archiepiſcopum debuit eum in ſtallo decani inſtallare. Sed *Hamo* præcentor ejuſdem eccleſiæ in ſtallum præbendæ quam rex ei dederat ipſum miſit. Cum autem *Bucardus de Puteaco* archidiaconus *Dunolmenſis*, cui rex theſaurariam *Eboracenſis* eccleſiæ dederat, *Eboracum* veniſſet cum literis regis *Hamoni* præcentori directis, ut ipſum *Buchardum* inſtallaret, dictus *Hamo* mandatis regis in ea parte noluit obedire, dicebat enim quod *Rogerus* nuper *Eboracenſis* archiepiſcopus theſaurariam illam ſibi dederat, et quod rex *Henricus* illam ſibi confirmaverat, et ſuper hoc ad ſedem apoſtolicam appellavit: uterque tamen à deſiderio ſuo fraudatus receſſit. Hiis temporibus apud **Dunſtaple** circa horam meridianam in ſublimitate ſereni aeris forma Dominici vexilli cum forma hominis crucifixi ſibi conjuncta incolis illius patriæ videntibus apparuit; et cum hoc mirabile ſignum diuſcule ſic appareret, viſa eſt forma Crucis ab eo qui affixus videbatur recedere, ut medium aeris ſpacium inter crucifixum et crucem notaretur, et paulo poſt res ſtupenda diſparuit.

Hoc anno *Sibilla* regina *Ieruſalem* dedit *Saladino Eſcalonam* pro redemptione *Guidonis* de *Lezinon* regis *Ieruſalem* mariti ſui; qui *Guido* cum ad *Tyrum* veniret *Conradus* marchio de *Monte ferrato*, qui *Tholomaida* capta à *Tyris* rege deſtitutis in dominum receptus fuerat, eum intrare non permiſit, unde rex ille non habens ubi caput ſuum reclinaret, extra urbem *Tyri* in tentoriis remanſit. Confluebant igitur ad eum *Templarii*, *Hoſpitalarii*, et omnes Chriſtiani qui diſperſi erant in regione illa, et ſibi propter metum paganorum ſicut regi ſuo et domino adhærebant. Deinde idem *Guido* rex *Ieruſalem* de conſilio *Eraclii* patriarchæ et aliorum Chriſtianorum profectus eſt ad civitatem *Acra* menſe Auguſti xj. kal. Septembris, et eam obſedit in loco qui dicitur *Lecturun*. Et quia rex modicum habebat exercitum, pagani qui in civitate *Acra* erant portas illius civitatis de die neque de nocte clauſerunt. Sed exibant et redibant cum camelis ſuis attrahentes victualia et alia quæ neceſſaria eis erant. Tercia autem die ſequenti applicuerunt apud *Acram Robertus de Drues*, *Robertus* epiſcopus *Beluacenſis* frater ejus, et Comes *Ailardus de Brenes*, *Iacobus de Avinners*, et multi alii cum illis; de quorum adventu rex et qui cum eo erant magno gaudio ſunt gaviſi.

Interim *Saladinus* magno congregato exercitu venit prope exercitum Chriſtianorum, & feria iiij. poſt feſtum ſancti *Michaelis* in planicie ante *Acram* inter civitatem & caſale epiſcopi cum eis prælium commiſit. In quo prælio *Saladinus* devictus fugit, omnibus ſuis tentoriis Chriſtianis relictis. Ibi eciam unam partem de melioribus militiæ ſuæ amiſit, ſed & Chriſtiani magnam copiam ſuorum, proh dolor! perdiderunt. Poſtea vero *Saladinus* ſuper gentem Chriſtianam ad caſtra ſua repulſam peccatis eorum exigentibus recuperavit, ubi *Girardus de Rideſſor* magiſter Templi & Mareſcallus Templi cum fratribus fere duodeviginti & alii xl. milites Chriſtiani cum C. Turcopolis corruerunt. Sed & *Saladinus* primogenitum ſuum *Miraſalim* & nepotem ſuum *Thekedin* & *Migeball* ſeneſcallum ſuum & cæteros de melioribus militiæ ſuæ cum multis aliis ibi amiſit. Feria vero iiij. *Saladinus* iterum cum exercitu ſuo venit. Et cum Chriſtiani cum eo congredi vellent velocius fugit, & tercia die ſequenti, caſtra ſua movens uſque ad locum qui dicitur *Saffran* ſe divertit. Exercitus vero ejus omnem locum à caſali epiſcopi uſque ad *Docum* occupaverat, quoniam nunquam antea tantum exercitum adunavit. Et dicebatur eciam quod non erat à multis retro temporibus tanta bona militia Chriſtianorum in illis partibus congregata. Et poſt prædictum bellum peractum venerunt quingenti optimi milites Chriſtiani & decem milia hominum pugnatorum armis omnibus inſtructorum. Et anno eodem applicuerunt ibi naves & buſciæ pluſquam quingentæ exceptis galeis & curſariis quæ multæ fuerunt, & ſtatim revertebantur uſque in *Apuliam* ut plures homines & victualia afferrent. Naves autem *Teutonicorum* & *Dacorum* apud *Acram* remanſerunt.

Hiis temporibus cum reges *Franciæ* & *Angliæ* ad terram ſanctam ſe parantes iter ſuum in tantum protelarent, *Fredericus* imperator *Romanus* eoſdem non cenſuit exſpectandos. Sed cura imperii filio ſuo ſeniori quem regem *Longobardorum* conſtituerat, commiſſa, cum *Conrado* filio ſuo Duce *Suevorum* per *Pannoniam* & *Traciam* iter ſuum arripuit, maximas atque ferociſſimas *Germanicarum* gentium copias ſecum ducens. Progreſſus itaque *Pannonias*, et ad imperatoris *Conſtantinopolitani* provincias veniens, miſſis nunciis imperatorem *Græcum* rogavit, ut cum ſuis per terram ſuam libere poſſet tranſire non ad ſiniſtram neque ad dexteram declinando. Sed cum *Græci* licet Chriſtiani *Latinos* abhominari noſcuntur, & Græcus ille imperator, ut dicebatur, poſt *Ieroſolimam* captam fœdus cum iniquo *Saladino* pepigerat quod in terra & in mari dicionis ſuæ tranſitum *Latinorum* in *Siriam* inhiberet, ipſe *Saladino* quam Chriſto fidelior, imperatori *Latino* tranſitum concedere non curavit. Quamobrem imperator *Latinus* ad ſuos ait, Hoſtem, inquit, *Saladinum* quærimus, & ecce par *Saladino* hic, immo pluſquam *Saladinus*, qui zelando pro *Saladino* zelantibus pro Chriſto palam obſiſtit; in ipſum ergo arma contra *Saladinum* ſumpta vertamus, ferro nobis viam aperientes cum tranſire aliter nequeamus. Placuit hoc omnibus. Ingreſſique hoſtiliter nobiliſſimam urbem *Theſſalonicam* fortiter expugnatam cito ceperunt, & provincia adjacente in poteſtate *Latinorum* redacta, ad yemandum ibidem ſtatuerunt. Videns autem *Græcus* imperator non parum contra ſe à *Latinis* actum, & majora ac duriora niſi præcaveret conjecturans, fœdus cum imperatore noſtro *Latino* pepigit, & tranſitu qui petebatur conceſſo, de ſumptibus illius & mora quam propter inhibitum tranſitum fecerant, ſatisfecit. Et ſic demum imperator *Romanus Conſtantinopolim* cum exercitu ſuo venit, & ab imperatore *Græco* cum debito honore & reverentia magna tunc ſuſceptus, ſecuritatem de pace ſervanda dedit & accepit. Et mora per aliquot dies ibi facta, ea quæ neceſſaria ſibi & ſuis in via eſſent utiliter providere fecit. Et inde procedens, fretum quod ſancti *Georgii* dicitur proſpere tranſmeavit. Venienſque in *Aſiam minorem* cujus quædam pars *Conſtantinopolitana* dicionis eſt, parti vero *Soldanus Iconii* præſidet, cum *Soldano* illo pugnavit & prævaluit adverſus eum, & munitiones ejus obtinuit, multis tamen de militibus & familiaribus ſuis tam in præliis crebris contra *Turcos* actis quam per diverſas ægritudines ex corruptione aeris provenientes amiſſis, ampliſſimaque civitate *Iconio* capta & locupletiſſima præda inde direpta, *Chriſtianus* exercitus imperatoria proviſione inter ipſum imperatorem & filium ſuum bipartitus in caſtris excubabat, ampne medio interlabente. Cumque imperator equo ſedens filium qui parti exercitus ultra ampnem præerat viſendi & alloquendi ſtudio cum paucis ampnem vellet tranſmeare, diſſuaſus à Comitibus ne vir tantus petulanter in ampnem ſe daret incognitum, extrema eum ſorte urgente non adquievit, ſed imperialis oblitus magnitudinis equo ſtimulato in aquam proſiliens, intuentibus Comitibus ſubvenire non valentibus, in momento interiit ſuffocatus.

Quidam tamen hiſtorici volunt quod alio modo obiit ſubmerſus. Dicunt enim quod cum prædictus imperator *Romanus*, de terra *Soldani* de *Iconio* egreſſus, in terram *Rupini de la Mountayne* ad fluvium magnum qui dicitur *Saleph*, (per medium terræ *Turcorum* currentem, & eam à terra dicti *Rupini* dividentem, & in gulfo *Satalia* cadentem) veniſſet; propter nimium æſtum tunc valde urentem veſtimentis ſuis in fluminis ripa depoſitis in aquam ad ſe proſiliit balneandum: ad ejus igitur exemplum multi de comilitonibus ſuis indumentis ſuis depoſitis in fluvium ſalierunt. Et cum omnes ultra flumen natare conarentur ſolus imperator tranſnatavit; quem natando redeuntem deficientibus ei viribus rapacitas aquæ traxit in profundum Et ſic uno modo vel alio ſubmerſus vitam finivit in undis: ſane exercitus Chriſtianus ita vehementer ſtupuit atque de raptu principis doluit, ut collapſis animis matura præda hoſtibus videretur.

Reſumpto vero pauliſper ſpiritu, loco extincti principis dictum *Conradum* filium ſuum ducem *Suevorum* omnes in eorum ducem & principem aſſumpſerunt; qui corpus paternum per aliquot dies ægre inventum in fruſta ſcindi fecit, et oſſibus extractis carnes ejus coctas in *Antiochia* cum cerebro & viſceribus ſepelivit. Denique tantus exercitus per viam longiſſimam paulatim bellis & morbis confectus & imminutus, cum magna ſumptuum penuria, periculo & labore *Palæſtinam* cum duce memorato venit. Qui, paternis oſſibus apud *Tirum* cum decenti honore ſepultis, miliciæ Chriſtianæ quæ *Acram* obſidebat, cum omni comitatu ſuo adjunctus, ibidem poſt modicum tempus morbo defecit. Et eſt notandum quod civitas *Acra* obſeſſa erat à *Chriſticolis* in hunc modum. *Guido* rex *Jeruſalem* cum regina & filiabus ſuis hoſpitatus erat in *Thorono* ſubtus mare verſus caput montis, habens ſecum *Galfridum* fratrem ſuum & *Eraclium* patriarcham. Tota vero maritima qua itur ad *Caiphas Piſani* caſtrametati ſunt, ita quod nullus ex illa parte ab urbe poterat exire. Ex alia parte *Thoroni* ubi ſedet *Machomarum*, ibi dominus *Antigonus* & *Jacobus* de *Avennes*, omneſque *Teutonici* & provinciales poſuerant caſtra ſua. Poſtea *Templum* cum gente ſua hoſpitatum eſt, ubi orti & ciſternæ fuerant *Latinorum*. *Hoſpitale* vero cum fratribus ſuis & familia ſua caſtra poſuit ubi erat ortus & terra ejuſdem *Hoſpitalis*. Ex alia parte uſque ad mare *Conradus* Marchio, & multi alii de ultramontanis uſque ad montem *Muſardum* hoſpitia ſua ſumpſerunt. Et Comes *Robertus*, & Epiſcopus *Beluacenſis*, & Comes *Airaldus* de *Brena*, & *Franci* & *Campani* cum gentibus regis *Jeruſalem* ibi juxta *Thoronum* prope villam morabantur, & cum eis archiepiſcopus *Piſanus*, & archiepiſcopus de *Nathareth*, & archiepiſcopus *Bezantinus*, & archiepiſcopus de *Arleblanc*, & archiepiſcopus de *Monte regali*. Deinde Chriſtiani fecerunt duo magna foſſata; unum inter ſe & urbem, & aliud inter ſe & paganos ubi erat foſſatum Templi; ita quod nullum ab urbanis timebant inſultum, nec ullus eis patuit egreſſus. Ingenia vero & pararia Chriſtianorum ita retro foſſata erant, quod nullus ex parte adverſa poterat eis nocere. Sed de victualibus niſi per mare minime poterant ſubveniri.

Eodem anno menſe Septembris homines *Londonienſes* & cæteri multi qui de diverſis regnis per naves iter *Ieruſalem* arripuerant, in *Hiſpania* civitatem quandam *Saracenorum* quæ *Silva* dicitur obſidentes eam acriter inſultatam ceperunt, & deletis paganorum ſpurcitiis legem ibi Chriſtianam imperpetuum tenendam ſtatuerunt, eccleſiam in honore Dei & beatæ *Maria* virginis fabricantes, ubi per vicinos epiſcopos qui cum eis venerant, fecerunt quendam in epiſcopum pro urbe illa eligi et conſecrari. Qua tunc *Sanccio* regi de *Portingall* tradita, ipſi die ſancto *Michaelis* ſine impedimento per diſtrictas *Affrica* tranſierunt.

Eodem anno menſe Octobris *Galfridus Eboracenſis* electus venit *Eboracum*, qui cum ſolempni proceſſione in eccleſia ſua à clero & populo eſt receptus. Venerunt eciam *Eboracum Henricus* frater *Willielmi* Mareſcalli cui rex dederat decanatum *Eboracenſis* eccleſiæ, & *Buchardus* nepos *Hugonis Dunolmenſis* epiſcopi, cui rex theſaurariam dederat ejuſdem eccleſiæ. Sed dictus *Galfridus Eboracenſis* electus noluit eos inſtallare donec electio ſua eſſet à ſummo pontifice confirmata; unde rex iratus diſſaiſivit eum de omnibus ſuis ciſmarinis & tranſmarinis laicis tenementis, & nuncios quamplures quos idem electus ad dominum papam pro pallio ſuo miſerat transfretare non permiſit. Eiſdem anno & menſe *Reſus* filius *Griffini* dictus rex *Suthwallia* per conductum *Johannis* Comitis *Moretonia* fratris regis in *Angliam* uſque *Oxoniam* venit. Sed quia rex *Anglia* noluit ei occurrere, ſine colloquio regis ad partes ſuas rediit indignatus.

Eodem anno menſe Novembris *Rotrodus* Comes de *Pertico* ex parte *Philippi* regis *Francia* in *Angliam* venit; per quem ipſe rex *Francia Ricardo* Regi *Anglia*, Comitibus & Baronibus ſuis mandavit, ipſum Comiteſque & Barones ſuos de regno *Francia* in generali concilio ſuo *Pariſius* juraſſe tactis ſacroſanctis evangeliis, quod ipſe & ſui inmutabiliter, Deo volente, forent apud *Verzeliacum* ad clauſum Paſchæ, inde *Jeroſolimam* progreſſuri. Et in teſtimonium hujus ſacramenti ipſe rex *Francia* per dictum Comitem Regi *Anglia* literas ſuas miſit, petens quod Rex *Anglia*, & Comites, & Barones ſui ſimili modo faciant eum ſecurum de itinere ad eundem terminum faciendo. Unde Rex *Anglia* congregatis Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus regni ſui, Parliamentum *Londonia* ſuper hoc habuit & tractatum, in quo recepto prius à prædicto Comite de *Pertico* & aliis nunciis regis *Francia* ſacramento in animam ipſius regis *Francia*, quod idem rex *Francia* inmutabiliter veniret uſque *Verzeliacum* in clauſo Paſchæ contra regem *Anglia*, ad iter ſuum *Jeroſolimis* perficiendum, rex *Angliæ* fecit *Willielmum de Manndevill* jurare in animam ſuam coram prædictis nunciis regis *Franciæ*, quod omni occaſione et excuſatione remotis veniret *Verzeliac* in clauſo Paſchæ ad peregrinationem ſuam *Jeroſolimis* faciendam.

Anno & menſe adhuc ultimo prædictis, *Willielmus* rex *Siciliæ* qui *Johannam* ſororem regis *Ricardi* in uxorem duxerat, in nobili civitate ſua *Pannormi* obiit ſine prole. Qui fere xv. annis ante obitum ſuum *Conſtantiam* filiam *Rogeri* primi regis *Siciliæ* coronati avi ſui hæredem poſt ſe in regno ſuo ſi ſine prole decederet conſtituit, & fecit omnes principes regni ſui tam clericos quam laicos fidelitatem prædictæ *Conſtanciæ* contra omnes homines jurare ſalva fidelitate ſua. Deinde eam *Henrico* regi *Alemannorum* filio *Frederici* imperatoris tradidit in uxorem. Sed dicto *Willielmo* rege *Siciliæ* defuncto, *Tancredus* Comes *de la Lyche* filius fratris patris jam dicti *Willielmi* regis regnum *Siciliæ* ſibi uſurpavit, ſacramento quod prædictæ *Conſtanciæ* fecerat non obſtante. Eodem adhuc anno & menſe Novembris, *Johannes* Cardinalis apud **Dover** in *Anglia* applicuit, cui ſtatim prohibitum fuit ex parte *Elianoræ* reginæ ne ulterius procederet, niſi per mandatum filii ſui regis. Eodem menſe *Ricardus* rex *Cantuariæ* venit, & pacem & finalem concordiam inter *Baldewinum* archiepiſcopum & monachos ſanctæ Trinitatis *Cantuariæ* in hunc modum fecit; videlicet quod *Rogerus* Prior quem prædictus archiepiſcopus contra voluntatem eorum fecerat, deponeretur, & capella quam idem archiepiſcopus in ſuburbio conſtruxerat proſterneretur, & quod dicti monachi canonicam obedientiam & ſubjectionem ſecundum regulam ſancti *Benedicti* facerent, ſicut prædeceſſoribus ſuis facere conſueverunt. Et dominus rex ad petitionem dicti *Baldewini* archiepiſcopi dedit dicto Priori *Cantuariæ* depoſito abbathiam de **Eveſham**. Huic autem paci & finali concordiæ interfuerunt rex & regina mater ſua, & fere omnes epiſcopi, abbates & Priores regni, qui omnes ſigilla ſua ſcripto hujus concordiæ appoſuerunt.

Eodem anno menſe Decembris, *Willielmus* rex *Scottorum* cum *David* fratre ſuo ad *Ricardum* regem *Angliæ* poſt dictam concordiam per aliquot dies *Cantuariæ* morantem venit; contra quem *Galfridus Eboracenſis* electus de mandato domini regis *Angliæ* fratris ſui cum magnatibus comitatus *Eboracenſis* uſque aquam de **Twede** prius ierat, qui eum regi *Cantuariam* conducebat, adminiſtrans ei neceſſaria ſua ſecundum conſuetudinem prædeceſſorum ſuorum. Et ibi dictus rex *Scottorum Ricardo* regi *Angliæ* homagium fecit pro dignitatibus ſuis in *Anglia* habendis ſicut prædeceſſores ſui reges *Scottorum* eas temporibus regum *Angliæ* habere ſolebant. Et tunc *Ricardus* rex *Angliæ* caſtella de **Rokeſburgh & Berwike** libere & quiete ſibi reddidit, & eum, & omnes hæredes ſuos quietos clamavit imperpetuum ab ipſo & regibus *Angliæ* de omni ligancia & ſubjectione de regno *Sociæ*, quas *Henricus* rex *Angliæ* pater ſuus ab eo per captionem ſuam extorſerat minus juſte. Et pro hac redemptione caſtellorum ſuorum & quieta clamantia fidelitatis & liganciæ de regno *Scotiæ*, & pro carta regis inde habenda, dictus *Willielmus* rex *Scottorum* dedit *Ricardo* regi *Angliæ* x. M. marcas *Sterlingorum*. Unde eodem anno rex *Ricardus* antequam iter ſuum verſus *Jeruſalem* ab *Anglia* cepit omnia prædicta *Willielmo* regi *Scottorum* quieta clamavit, et inde Cartam ſuam ei fecit in hunc modum.

Ricardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ, *comes* Andegaviæ, *archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, juſticiariis, vicecomitibus, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis totius* Angliæ *ſalutem. Sciatis nos conſanguineo noſtro* Willielmo *regi* Scottorum *reddidiſſe caſtella ſua de* **Rokeſburgh** *&* **Berwike** *tanquam ejus jure hæreditario ab eo & hæredibus ſuis imperpetuum poſſidenda. Præterea quietas clamavimus ei omnes conſuetudines & pactiones quas bonæ memoriæ pater noſter* Henricus *rex per novas eſcaetas & per captionem ſuam extorſit. Ita ſcilicet ut michi faciant integre & plenarie quod rex* Scottorum Malcolmus *frater ejus anteceſſoribus noſtris fecit de jure, & de jure facere debuit. Et nos faciemus quicquid anteceſſores noſtri prædicto* Malcolmo *de jure fecerunt & facere debuerunt, ſcilicet in conductu veniendo ad curiam, & in redeundo à curia, & in morando in curia, & in procurationibus, & in omnibus libertatibus, dignitatibus, & honoribus eidem jure debitis ſecundum quod recognoſcetur à quatuor proceribus noſtris ab ipſo* Willielmo *rege electis, & à quatuor proceribus illius à nobis electis. Si autem fines ſive marchias regni* Scotiæ *aliquis noſtrorum hominum poſtquam rex prædictus* Willielmus *à patre noſtro captus fuit, uſurpaverit abſque judicio, volumus ut integre reſtituantur, & ad eundem ſtatum reducantur quo erant ante ejus captionem. Præterea de terris ſuis quas habet in* Anglia, *ſeu dominicis, ſeu feudis, ſcilicet in comitatu* **Huntingdon**, *& in omnibus aliis, in ea libertate & plenitudine eas poſſideat & hæredes ejus imperpetuum, qua* Malcolmus *poſſedit vel poſſidere debuit; niſi prædictus* Malcolmus *vel hæredes ſui aliquid poſtea infeodaverint. Ita tamen quod ſi qua poſtea infeodata ſunt, ipſorum feodorum ſervicia ad eum vel hæredes ejus pertineant. Et ſi quid pater noſter prædicto* Willielmo *regi donaverit, ratum & firmum habere volumus. Reddidimus eciam ligancias hominum ſuorum & omnes Cartas quas dominus pater meus de eo habuit per captionem ſuam. Et ſi aliquæ aliæ forte per oblivionem retentæ aut inventæ fuerint, eas penitus viribus carere præcipimus. Ipſe autem ligius homo noſter devenit de omnibus terris de quibus anteceſſores ſui ligii homines anteceſſorum noſtrorum fuerunt, & nobis fidelitatem juravit & hæredibus noſtris.*

Interea eodem menſe Decembris *Iohannes* Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus de mandato regis *Cantuariam* venit, qui à rege et ab archiepiſcopo et epiſcopis cum ſolempni proceſſione in eccleſia ſanctæ Trinitatis *Cantuariæ* receptus eſt; ſed indigne ferebat quod pax et concordia inter *Cantuarienſem* archiepiſcopum et monachos ſanctæ Trinitatis facta eſſet, ex quo ad litem illam inter eos dirimendam à latere ſummi pontificis in *Angliam* miſſus erat. Eodem menſe *Ricardus* rex dedit *Iohanni* fratri ſuo in augmentum comitatus *Cornubiæ*, *Devoniæ*, *Dorſetæ*, et *Somerſetæ*. Dedit eciam ibidem reginæ matri ſuæ totum dotarium quod rex *Henricus* avus patris ſui dederat *Matildi* reginæ uxori ſuæ, et totum dotarium quod rex *Stephanus* dederat *Aliciæ* reginæ uxori ſuæ, et totum dotarium quod *Henricus* pater ſuus ei dederat. Et eodem die ibidem coram prædicto Cardinali et omnibus epiſcopis, et abbatibus, et clero ibi congregato, *Hugo Dunolmenſis* et *Hubertus Sarisberienſis* epiſcopi, *Galfridum Eboracenſem* electum ad ſedem apoſtolicam appellarunt, dicentes eum non fuiſſe canonice electum, pro eo quod dictus epiſcopus *Dunolmenſis* et dictus *Hubertus* tempore electionis illius *Eboracenſis* eccleſiæ decanus aberant quando ipſe eligebatur. Et *Buchardus Eboracenſis* eccleſiæ theſaurarius et *Henricus* ejuſdem eccleſiæ decanus ipſum ſimiliter ad ſedem apoſtolicam appellarunt, dicentes quod ipſe homicida erat, et in adulterio genitus, et de ſcorto natus, et ideo non eſſet ad ſummum ſacerdotii gradum dignus. Et quamvis omnes et quaſi de regis licentia adverſarentur illi, dictus tamen *Iohannes* Cardinalis electionem de illo factam ratam habuit, et eam auctoritate qua fungebatur vice *Clementis* papæ affirmavit, et ſigilli ſui munimine roboravit. Quibus peractis, *Elianora* regina, *Iohannes* Comes *Moretonii*, *Willielmus* rex *Scottorum* et univerſus clerus et populus licentia regis habita ad propria redierunt.

Eodem anno 5. die menſis Decembris feria 4. à *Cantuaria* recedens profectus eſt uſque **Dover**, ubi multæ naves de diverſis partibus *Angliæ* pro paſſagio ſuo fuerunt congregatæ. In craſtino autem adventus ſui ad *Doveram Rogerus* electus ad abbathiam ſancti *Germani* de **Selby** recepit apud **Dover** die ſancti *Nicholai* per præceptum regis et contra prohibitionem *Galfridi Eboracenſis* electi benedictionem ſuam ab *Hugone Dunolmenſi* epiſcopo. Videns igitur *Galfridus Eboracenſis* electus quod amorem regis fratris ſui niſi mediante pecunia nullatenus habere poſſet, promiſit ei tria milia librarum *Sterlingorum* pro amore ſuo integre habendo. Et tunc rex archiepiſcopatum *Eboracenſem* ſibi reddidit, et carta ſua confirmavit. Reddidit eciam ei omnes laicos feodos quos *Henricus* pater ejus illi dederat citra mare et ultra, ſcilicet villam de **Wicumbe** cum pertinentiis ſuis, et in *Normannia* comitatum *Giffardi*, et in *Andegavia* Honorem de *Bangi* cum pertinentiis. Et idem rex quietas clamavit Deo et ſancto *Petro Eboraci*, et eidem *Galfrido Eboracenſi* electo, et omnibus archiepiſcopis ei ſucceſſuris, omnes terras ſuas et canonicorum ſuorum, quod ſint liberæ et quietæ imperpetuum de rewardo foreſtæ, et omnibus aliis exigenciis et gravaminibus foreſtæ et foreſtariorum, et dedit ei per Cartam ſuam liberam poteſtatem et licentiam capiendi venationem per omnes præbendas ſuas in comitatibus *Eboraci* et *Notynghamiæ*.

Inſuper *Hugo Dunolmenſis* et *Hubertus Sariſberienſis* epiſcopi, et *Henricus* decanus, et *Buchardus* theſaurarius eccleſiæ *Eboracenſis* ad rogatum regis et præceptum, appellationes quas contra dictum *Galfridum Eboracenſem* electum fecerant remiſerunt. Et ipſe *Eboracenſis* electus prædicto *Henrico* decanatum *Eboracenſem*, et dicto *Buchardo* theſaurariam, ac eciam *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo privilegia ſua & conventiones quæ fuerunt inter ipſum & *Rogerum* nuper *Eboracenſem* archiepiſcopum, ad petitionem regiam confirmavit, promittens eciam quod ipſe in futuro poſt conſecrationem ſuam ſigillo ſuo epiſcopali omnia confirmaret. Deinde *Ricardus* rex *Angliæ* xj. die Decembris in vigilia ſanctæ *Luciæ* virginis à **Dover** uſque **Caleis** cum dicto *Johanne* cardinali, *Waltero Rothomagenſi* archiep. *Henrico Baiocenſi* & *Johanne Ebroicenſi* epiſcopis transfretavit quem *Philippus* Comes *Flandriæ* cum gaudio recipiens uſque *Normanniam* perduxit. Et rex dimiſit poſt ſe in *Anglia Hugonem Dunolmenſem* epiſcopum totius *Angliæ* ſummum Juſticiarium, & *Hugonem Bardulf* & *Willielmum Bruer* conſtituit collegas ſuas in judiciis & juſtitiis ſuis faciendis; caſtellum de *Windeſoures* cum foreſtis & comitatu in cuſtodia ſibi tradens. Dimiſit eciam rex retro ſe in *Anglia Willielmum Elienſem* epiſcopum Cancellarium ſuum, cui tradidit unum ſigillorum ſuorum ad mandata ſua in regno facienda, & turrim *Londonienſem* in cuſtodia. Unde dictus *Dunolmenſis* epiſcopus moleſte ferebat quod aliquis alius quam ipſe turrim *Londonienſem* in cuſtodia habebat; & ſtatim animadvertit ipſum non zelo juſticiæ factum fuiſſe juſticiarium, ſed ut ab illo pecunia extorquatur. Et ita factum eſt. Ipſe enim & cancellarius in paucis unanimes extiterunt; nec mirum, omnis namque poteſtas impatiens conſortis erit.

An. Dñi 1189.

Anno ab incarnatione Domini M.Clxxxix. *Ricardus* rex *Angliæ* feſtum nativitavis Dominicæ quod ſecunda feria illo anno evenit, in *Normannia* apud *Burum* cum primatibus terræ illius ſolempniter celebravit. Erat enim nativitas illa proxima poſt primam coronationem ſuam. Qui ſtatim poſt Natale cum *Philippo* rege *Franciæ* ad vadum *ſancti Remigii* colloquium habuit & tractatum: ubi pacem firmam inter ſe & regna ſua ſtatuerunt, & eam ſcriptis commendatam ſacramento & ſigillis ſuis in feſto ſancti *Hillarii* confirmarunt, & archiepiſcopi, & epiſcopi utriuſque regni in verbo veritatis, & Comites & Barones regnorum præſtito ſacramento juraverunt, quod ipſi pacem illam illibatam tenerent, fideliter ſervarent. Erat autem hæc forma pacis, Quod uterque illorum honorem alterius ſervaret, & fidem ei portaret de vita & membris & terreno honore ſuo, & quod neuter illorum alteri deficeret in negociis ſuis; ſed rex *Franciæ* ita juvaret regem *Angliæ* ad terram ſuam defendendam ſicut vellet defendere civitatem ſuam *Pariſius* ſi eſſet obſeſſa: Et rex *Angliæ* juvaret regem *Franciæ* acſi vellet ſuam *Rothomagenſem* ſi eſſet obſeſſa defendere civitatem. Comites vero & Barones utriuſque regni juraverunt quod à fidelitate regum non diſcederent, nec quamdiu ipſi fuerint in peregrinatione ſua guerram ullam in terris illorum moverent. Archiepiſcopi vero & epiſcopi firmiter in verbo veritatis promiſerunt, quod in tranſgreſſores hujus pacis & conventionis excommunicationis ſententiam promulgarent. Præterea prædicti reges ſtatuerunt quod ſi alter illorum in peregrinatione illa diſcederet, alter qui ſupervixerit pecunias defuncti & homines haberet ad Dei ſervicium faciendum. Et quia ad præfixum terminum parati eſſe non poterant, iter ſuum uſque ad feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* arripere diſtulerunt; & quod tunc apud *Verzeliacum* eſſent inmutabiliter ſtatuerunt.

Eodem anno poſt purificationem beatæ *Mariæ*, *Elianora* mater regis *Ricardi*, *Alais* ſoror *Philippi* regis *Franciæ*, *Johannes* comes *Moretonii* frater regis, *Baldewinus* Cantuarienſis archiepiſcopus, *Jo-*

hannes Norwicenſis, *Hugo* Dunolmenſis, *Godefridus* Wintonienſis, *Rainaldus* Bathonienſis, *Willielmus* Elienſis, *Hubertus* Sariſberienſis, *Hugo* Ceſtrenſis epiſcopi, & *Galfridus* Eboracenſis electus, per mandatum regis de *Anglia* in *Normanniam* venerunt; ubi habito cum illis conſilio dominus rex ſtatuit *Willielmum Elienſem* epiſcopum Cancellarium ſuum, ſummum *Angliæ* Juſticiarium, & conceſſit *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo Juſticiarium à flumine *Humbræ* uſque ad terram regis *Scottorum*. Et *Galfridum Eboracenſem* electum, & *Iohannem* fratrem ſuum jurare fecit, quod ab illo tempore ante annos tres futuros niſi de licentia ſua *Angliam* non intrarent. Sed poſtmodum de conſilio *Elianoræ* reginæ *Johanni* fratri ſuo ſacramentum quod fecerat relaxavit licentiam ſibi redeundi in *Angliam* concedendo. Et tunc miſit in *Angliam Willielmum* juſticiarium ſuum, ſcilicet *Elienſem* epiſcopum cancellarium ſuum, ad neceſſaria ſibi & ſuo itineri præparanda. Et rex miſſis nunciis ſuis cum nunciis dicti *Elienſis* epiſcopi ad *Clementem* papam optinuit ad opus illius epiſcopi legationem totius *Angliæ*. Venit igitur ille *Willielmus Elienſis* epiſcopus cancellarius, & ſummus regis juſticiarius in *Angliam*, turrimque *Londonienſem* circumdari profundiſſimo foſſato fecit, credens quod *Thamenſis* fluvius per foſſatum illud tranſiret. Deinde cœpit ad opus regis ab unaquaque civitate *Angliæ* duos palefridos & duos ſummarios de auxilio, & de unaquaque abbathia *Angliæ* unum palefridum & unum ſummarium, & de unoquoque proprio manerio regis unum palefridum et unum ſummarium.

Interim poſtea nunciis domini regis à ſummo pontifice redeuntibus, dominus papa in mandatis dedit, quod tota eccleſia *Anglicana* in eccleſiaſticis cauſis *Willielmo Elienſi* epiſcopo ſedis apoſtolicæ legato eſſet ſubjecta. Cujus quidem legationis auctoritate, idem epiſcopus domini regis cancellarius et totius *Angliæ* juſticiarius, clerum et populum multipliciter opprimebat, nec in regno erat qui ei verbo vel opere reſiſtere audebat. Hiis temporibus apud *Stanfordiam* tempore quadrageſimali adverſus Judæos novi turbinis motus ſurrexit: Cum enim ibidem in quadrageſima ſolempnes nundinæ eſſent, juvenes qui ſignum Dominicum *Jeroſolimam* profecturi ſuſceperant, illuc ex diverſis provinciis convenerunt, indignantes quod Judæi inimici crucis Chriſti tam multa bona poſſidebant, cum ipſi ad tanti itineris laborem ſumptus neceſſarios non haberent; arbitrantes ergo obſequium ſe præſtare Deo, ſi hoſtes ejus impeterent, audacter in eos irruerunt, nemine tantis ſe auſibus opponente; unde aliquibus ex eis cæſis, cæteri infra caſtellum recepti ægre evaſerunt. Prædones cum ſui operis emolumento abierunt, nullo eorum propterea quæſtionem diſciplinæ regiæ ſuſtinente. Apud *Lincolniam* vero cives ejuſdem audientes qualia circa Judæos agerentur, occaſionem nacti et exemplis aliorum animati, aliquid contra eos agere voluerunt, et conglobati in Judæos cohabitantes motu ſubito exarſerunt. Porro Judæi necationibus et dampnis aliorum cautiores effecti, paucis diſcrimen expertis, mature cum pecuniis in munitionem regiam fugerunt.

Eodem tempore menſe Marcii xviij. kal. Aprilis Dominica in ramis palmarum Judæi civitatis *Eboracenſis* numero quingenti viri ac mulieres, exceptis parvulis, impetum Chriſtianorum timentes, ſe infra turrim *Eboraci* de conſenſu et voluntate cuſtodis ejuſdem et vicecomitis incluſerunt. Qui ſic pro eorum tuitione infra arcem à vicecomite et cuſtode recepti, illam poſtea eis tradere noluerunt: unde vicecomes et cuſtos turris graviter indignati, milites comitatus et homines civitatis, ut turrim à Judæis illis liberarent, in quantum poterant hortabantur: qui cum inſultum die ac nocte in turrim feciſſent, Judæi pecuniam magnam pro vita habenda in vanum irato contra eos populo optulerunt. Tunc ſurrexit quidam Judæorum legis peritus, et ait, « Viri « *Iſraelitæ* audite conſilium meum; melius eſt nobis mori pro lege noſtra quam incidere in manus « inimicorum legis noſtræ, et illud idem præcipit « lex noſtra. Omnes igitur Judæi tam viri quam mulieres aſſenſum illius conſilio præbuerunt; et accedens unuſquiſque paterfamilias cum novacula acuta, inprimis incidit guttura uxoris et liberorum ſuorum, ac deinde familiæ ſuæ, proiciens cadavera quæ ſic dæmoniis ſacrificaverat ultra muros turris ſuper populum Chriſtianum. Interfectores vero cæteros necatos et ſeipſos domo regia incluſerunt, et appoſito igne ſeipſos et domos regias combuſſerunt. Deinde cives *Eboracenſes* et milites comitatus domibus Judæorum concrematis, poſſeſſiones eorum ſibi diripiebant, cartas debitorum eorum omnium comburentes.

Poſt Paſcha dictus regis cancellarius magno congregato exercitu *Eboracum* venit, ad illos tanquam malefactores capiendos qui Judæos deſtruxerant civitatis. Et cognito quod per præceptum vicecomitis et cuſtodis turris hoc factum fuiſſet, utrumque ab officiis ſuis depoſuit, et à civibus civitatis de pace regis et regni ſervanda obſides cepit, et quod de morte Judæorum in domini regis curia juri ſtarent. Milites autem provinciæ qui ad deſtructionem Judæorum erant, capi juſſit. Eccleſiam vero metropolitanam *Eboraci* et clericos ejuſdem ſub interdicto poſuit, pro eo quod noluerunt eum ſicut apoſtolicæ ſedis legatum cum proceſſione et ſonitu recipere campanarum: Et campanis per præceptum ſuum in terra depoſitis, canonicos et vicarios ejuſdem eccleſiæ tamdiu ſub interdicto arcius tenuit, donec omnes ad eum ad ſatisfactionem venirent.

Interim dominus rex dedit *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo licentiam redeundi in *Angliam*; et mandavit cancellario quod conceſſerat eidem *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo juſticiariam à flumine *Humbra* uſque ad terram regis *Scotiæ* in longitudine et latitudine à mare uſque ad mare. Qui cum in *Angliam* veniſſet, et cancellario in villa de *Blida* de civitate *Eboracenſi* redeunti obviaſſet, ibi literas ſibi regias liberavit. Quibus inſpectis, cancellarius reſpondit, Se libenter facturum domini regis mandatum. Et de die in diem protrahens, duxit eum ſecum uſque *Londoniam*, et ibi eum tenuit donec ei caſtellum de *Windeſores*, et comitatum cum foreſtis et *Novum caſtrum* ſuper *Tinam* cum comitatu et manerium de *Saberga* quod rex ſancto *Cuthberto* imperpetuum dederat, reddidiſſet. Hiis ita peractis, epiſcopus *Dunolmenſis* de licentia cancellarii à *Londonia* recedens, ad villam ſuam quæ dicitur **Howden** pervenit, ubi cum moram feciſſet, *Willielmus de Stuttevil* et vicecomes *Eboracenſis* ad eum venerunt, ex parte cancellarii ſibi prohibentes, ne ulterius procederet niſi de licentia domini regis vel ipſius. Epiſcopus vero data ſecuritate quod ulterius non procederet, ibidem remanſit, ſignificans regi per nuncios omnia quæ Cancellarius ei fecit. Unde rex iratus præcepit, quod *Novum caſtrum* ſuper *Tinam* & manerium de *Saberga* cum wappentaga & feodis militum dicto *Dunolmenſi* epiſcopo redderentur, & inde Cartam ſuam ei fecit iterum. Interim *Ricardus* rex *Girardum* archiepiſcopum Axienſem, *Bernardum* epiſcopum de Baiona, *Robertum* de *Sablol*, *Ricardum* de *Chamvil*, & *Willielmum Fort* de *Valeron* de conſilio ſuo electos ſuper totum navigium ſuum, ſcilicet *Angliæ*, *Normanniæ*, *Pictaviæ* *Britanniæ* & *Aquitanniæ*, quod in *terram ſanctam* iturum erat, Juſticiarios ſuos conſtituit, & inde Cartam ſuam illis tradidit in hac forma.

Ricardus *Dei gratia, &c. omnibus hominibus ſuis Jeroſolimam per mare ituris ſalutem. Sciatis nos de communi proborum virorum conſilio has juſtitias feciſſe ſubſcriptas. Qui hominem in navi interfecerit, cum mortuo ligatus proiciatur in mari. Si eum in terra interfecerit, cum mortuo ligatus terra fodiatur. Si quis autem per legitimos teſtes convictus fuerit, quod cultellum ſuum ad alium percutiendum extraxerit, aut qui alium ad ſanguinis effuſionem percuſſerit, pugnum perdat; qui autem palma percuſſerit ſine effuſione ſanguinis, tribus vicibus mergatur in mari. Si quis autem ſocio obprobrium & convitia aut odium clam injecerit, quot vicibus convictus fuerit tot uncias argenti det. Latro autem de furto convictus tondatur ad ſimilitudinem Campionis, & pix bulliens ſuper caput ejus effundatur, & pluma pulvinaris ſuper caput ejus excutiatur ad cognoſcendum eum; & in prima terra ad quam naves applicuerint proiciatur. Teſte meipſo apud Chinonem.* Item, idem rex præcepit in alio brevi ſuo, quod omnes homines ſui per mare *Jeroſolimam* ituri, eſſent obedientes præceptis & conſiliis dictorum Juſticiariorum navium ſuarum; & ſicut ſemet ipſos & reditum ſuorum in terris ſuis diligerent, ſic prædictas aſſiſas inter ſe fideliter ſervarent. Deinde præcepit rex prædictis Juſticiariis navigii ſui, ut iter arriperent quam citius poſſent. Qui ſic fecerunt.

An. Dñi 1190.

Inſtanti æſtate anno domini M. Clxxxx. illuſtres *Francorum* & *Anglorum* reges iter *Jeroſolomitanæ* profectionis ingreſſi, cum apparatu congruo & exercitu copioſo in octabis ſancti *Johannis Baptiſtæ* ad *Verzeliacum* convenerunt, ubi ſanctiſſimum corpus beatæ *Mariæ Magdalenæ* requieſcit: et ibi moram per duos dies facientes, rex *Angliæ* in ſignum peregrinationis ſuæ peram & baculum ibi cepit, quæ rex *Francorum* ante receſſum de terra ſua in eccleſia ſancti *Dioniſii* receperat valde pie. Deinde reges cum ſuis inde procedentes, cum ad Civitatem *Leonum* ſuper *Rodanum* veniſſent, & pontem ibi cum majori parte familiarum ſuarum præteriſſent, pons ille non ſine multorum hominum cecidit læſione. Ibidem igitur prædicti reges propter nimiam hominum copiam illos ſequentium abinvicem ſunt diviſi, quia eos capere non poterat unus locus. Rex vero *Franciæ* cum ſuis uſque ad *Januam* perrexit, & ibi naves *Jeruſalem* iturus aſcendit. Rex autem *Angliæ* cum ſuis uſque *Marſiliam* perrexit, ubi multos invenit peregrinos, qui jam propter longam moram quam ibi fecerant, totum æs ſuum expenderant, qui ad regem venientes ſua ei ſervicia offerebant, de quibus rex multos retinuit. Et cum ibidem per octo dies moram feciſſet, exſpectans & ſperans indies navigii ſui adventum, à deſiderio ſuo fraudatus, decem magnas buccias & viginti galeas bene armatas ibi conduxit. Qui dolens & quaſi de proprio navigio deſperatus cum familiis ſuis intravit. Interea eodem anno menſe Julii die ſancti *Jacobi* Apoſtoli x. milia hominum juvenum proborum & bene armatorum de exercitu *Acram* obſidente, contra prohibitionem regis *Jeruſalem* & Patriarchæ & cæterorum magnatum Chriſtiani exercitus exierunt, prælium cum *Saladino* committentes, ubi *Saladino* prævalente omnes fere occiſi ſunt, pauci namque eorum auxilio domini *Radulphi de Hanterne* archidiaconi *Coleceſtriæ* evaſerunt. Septimo autem die Auguſti *Ricardus* rex *Angliæ* de *Marſilia* in galea Pumbone receſſit, & tranſivit per inſulam ſancti *Stephani*, per *Aquileiam*, per *Montem nigrum*, per inſulam ſancti *Honorati*, per civitatem *Niceam*, per civitatem de *Witemile*: Et ſciendum eſt quod inter *Nice* & *Witemile* eſt diviſio terrarum regis *Arragoniæ* et *Italiæ*. Deinde tranſivit per ſanctam *Mariam* de *Funz* et per *Nolam*, et tertia decima die Auguſti tranſivit per caſtellum quod dicitur *Seone*. Et eodem die venit ad *Januam* ubi locutus eſt cum rege *Franciæ* qui ibi infirmabatur. Quartodecimo die Auguſti in vigilia Aſſumptionis beatæ *Mariæ* venit ad *portum Delfini*, & ibi moram fecit per 5. dies. Ibi vero miſit ad eum rex *Franciæ* rogans, ut quinque galeas ei accommodaret; rex autem *Angliæ* optulit ei tres, quas ipſe rex *Franciæ* refutavit. Nonodecimo die Auguſti receſſit rex *Angliæ* à *portu Delfini*, et venit ad *portum Veneris*, qui in craſtino venit ad *portum de Piſa*. Et ibi venit ad eum *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus; et *Johannes Ebroicenſis* epiſcopus in civitate *Piſana* infirmabatur, et ideo ad portum cum dicto domino *Rothomagenſi* ad regem non venit. Viceſima prima die Auguſti tranſivit rex per inſulam quæ dicitur *Gurgune*, veniens xxij. die ejuſdem menſis ad portum de *Brandiz*. Viceſima tercia die Auguſti perrexit rex duas leucas per viam terreſtrem cum paucis militibus in equis conductis, & venit ad portum juxta caſtellum quod *Plumbin* vocatur obviam galeis ſuis; Et ibi intravit rex galeam *Fulconis Poſttantri* quam prius non intraverat, & vento gaudens optato inſulas quæ vocantur *Argentaire* & *Genut* præteriit, & venit ad portum qui dicitur *Tanemunt*. Viceſima quinta die Auguſti venit rex ad portum qui dicitur *Kerleche* qui eſt in media via inter *Marſiliam* & *Meſſanam*, quo die velum galeæ in qua rex erat rumpebatur. Iterum ergo rex intravit galeam *Pumbone*, & præterivit civitatem *Cornet*, civitatem *de Senes la Veele*, & civitatem *Laune*.

Et poſtea intravit *Tiberim*; ad cujus introitum eſt turris pulcherima ſed ſolitaria. Sunt & ibi murorum ruinæ maximæ antiquorum. Ibi venit ad regem *Octovianus Oſtienſis* epiſcopus, cui rex inproperando Romanis de ſimonia, turpia multa dixit, pro eo quod DC. marcas pro conſecratione *Cenomanenſis* Epiſcopi habere debuerant, & mille & quingentas marcas pro legatione *Elienſis* epiſcopi, et pecuniam magnam ne deponeretur *Burdegalenſis* qui à clericis ſuis de crimine accuſabatur. Viceſima ſexta die Auguſti tranſivit rex per quoddam nemus quod dicitur *Selmedeme* cervis, capriolis & damulis habundans, in quo eſt via marmorea ad modum pavimenti facta, & durat per medium nemus quater xx miliaria. Eodem die tranſivit per caſtellum quod dicitur *Leicum:* Ibi eſt porta quæ quondam tegebatur cupro,& erat ibi introitus criptæ, per quam pecunia undique allata *Romæ* ferebatur. Viceſima ſeptima die *Auguſti* tranſivit per rupem excelſam in mare quæ vocatur *Le Caap de Cercel*, & inſulam *Palmerole* & inſulam *Ponce* & inſulam *Palmere*. In ſummitate montis de *Caap de Cercel* eſt caſtrum in quo latrones & piratæ ſe abſcondunt. Deinde venit ad civitatem *Daracene* ; ubi quondam erat porta cupro tecta. Poſtea venit ad *Garillam*. Inde ad caſtrum quod dicitur *Caap del Eſpurun*. Hæc eſt diviſio terræ *Romanorum* & terræ regis *Siciliæ* quæ dicitur terra principatus *Capuæ*. Deinde præteriit inſulam *la Putatee* quæ fuit terra *Pilati*, & ibi erat portus cupro tectus. Deinde præteriit rex inſulam quæ dicitur *Hiſtelemaiur* quæ ſemper fumat. Hæc inſula dicitur accenſa fuiſſe ab inſula quæ dicitur *Vulcan*, igne volante, & ut dicitur mare & piſces comburente. Deinde præteriit inſulam quæ dicitur *Baterim* et portum de *Baie* ubi ſunt balnea *Virgilii*. Viceſima octava die *Auguſti* venit rex *Neapolim*, et perrexit ad Abbathiam ſancti *Januarii* ad videndum filios *Eadmundi* qui ibi in pellibus et oſſibus ſtant in cripta ; et ibidem moram fecit uſque ad nativitatem beatæ *Mariæ*. Et eodem die perrexit *Salernum* in equis conductis, et ibi fecit moram magnam.

Interim *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & *Hubertus Sariſberienſis* epiſcopus, & *Radulphus* de *Glanvill*, qui cum rege *Angliæ* ad *Marſiliam* venerant, naves ibidem intraverunt, qui Domino pro eis iter proſperum diſponente, in brevi per mare magnum ſine ullo impedimento ad obſidionem *Acræ* pervenerunt. *Johannes* vero *Norwicenſis* epiſcopus papam adiit, & licentia redeundi ab eo accepta, crucem dimiſit, & domi rediit abſolutus, quod cum domino regi conſtaret, mille marcas per manus *Templariorum* pro redemptione de illo pro reditu ſuo cepit.

Navigium autem regis *Angliæ* cui archiepiſcopus *Anxienſis*, & epiſcopus *Baiocenſis*, & *Robertus* de *Sablol*, *Ricardus* de *Chamvill*, & *Willielmus Fortis* de *Valerun* præfuerunt, iter uſque terram ſanctam ſtatim poſt Paſcha de diverſis regionibus *Angliæ*, *Normanniæ*, *Britanniæ*, *Pictaviæ*, & *Aquitaniæ* arripuit. Cujus navigii pars quædam in portu de **Derteſmuth** convenit. Et poſt moram aliquot dierum ibidem factam, cum prædictæ naves numero decem uſque *Ulixiſbonam* velificarent, & quandam terram in mari protenſam quæ dicitur **Godeſtret** & *Britanniam* præteriſſent, ſanctum *Mathæum* de finibus terræ in ſiniſtra parte navigii, & magnum mare quo itur in *Hibernia* in dextra habentes, totam *Pictaviam* in ſiniſtra & *Vaſconiam* dimiſerunt. Et cum jam mare *Britannicum* præteriſſent, & in mare *Hiſpanicum* die Aſcenſionis domini veniſſent, illas tam valida tempeſtas & horribilis arripuit, quod in momento ſunt ab invicem ſeperatæ. Cum vero tempeſtas ſæviret, & omnes cum tribularentur ad Dominum clamarent, beatus *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus martir glorioſus per tres vices viſibiliter apparuit tribus perſonis qui erant in navi *Londonienſi*, in qua erat *Willielmus* filius *Oſberti*, & *Gaufridus Aurifaber* civis *Londonienſis*, dicens illis, Nolite terreri, ego autem, & beatus *Edmundus* martir, & beatus *Nicholaus* Confeſſor cuſtodes hujus navigii regis *Angliæ* ſumus à Domino conſtituti. Quod ſi homines hujus navigii à pravis operibus ſe cuſtodierint, & de peccatis pœnitentiam egerint, Dominus iter proſperum illis dabit, & in ſemitis ſuis greſſus eorum diriget. Hiis itaque ſub trina repetitione dictis, beatus *Thomas* ab oculis eorum evanuit ; & tempeſtate ſtatim ceſſante,magna tranquillitas in mari facta eſt. Et jam illa navis *Londonienſis* in qua ſupradicta apparitio contigit, portum *Ulixiſbonæ*, & caput ſancti *Vincentii* præterierat, & prope civitatem *Silviæ* pervenerat, quæ tunc temporis in illis partibus *Hiſpaniæ* fuit ultima omnium urbium *Chriſtianorum*, & erat ibi uſque adhuc Chriſtiana fides novella, utpote quæ in anno proximo præterito ut ſupradictum eſt, de manibus paganorum erepta, Chriſticola facta erat. Cumque prope illam civitatem navis illa eſſet procellis agitata, illi qui intus erant ubi eſſent ignorantes, naviculas ſuas foras miſerunt, & ad terram navigantes, per indicia cognoverunt, quod terra illa erat terra Chriſtianorum, & non ultra. Et quia non erat eis via tuta ulterius ſine bono & magno comitatu procedere, ad civitatem protinus acceſſerunt. Et cauſa illorum adventus cognita, epiſcopus civitatis *Silviæ* eos gratanter cum clero & populo recepit. Erant autem in illa navi pluſquam quater xx. juvenes bene armati.

Interim *Baioc Almiramomeli* imperator de *Marroc* & de *Hiſpania Saracenica* magno congregato exercitu venit in terram *Sanccii* regis *Portigalenſis*, in vindictam imperatoris de *Marroc* patris ſui anno ſexto proximo præterito defuncti in obſidione apud ſanctam *Harenam* caſtellum *Aldefonſi* regis patris prædicti *Sanccii* regis *Portigalenſis*. Cives autem *Silviæ* timentes adventum imperatoris de *Marroc*, juvenes illos *Londonienſes* qui eis applicuerant, ab eis recedere minime permiſerunt, ſed navem illorum frangentes, de illius aſſeribus propugnacula civitatis fecerunt, promittentes & omnimodam ſecuritatem facientes, quod rex *Portigalenſis* bene illis ſatisfaceret tam de mora quam facerent, quam de dampno & amiſſione navis ſuæ, & ita factum eſt ; Rex namque *Portigalenſis* navem poſtea pro navi dedit, expenſas ſolvens fideliter pro expenſis. Præterea novem aliæ naves quæ in eadem tempeſtate erant, in diverſis *Hiſpaniæ* portibus applicuerunt, per fluvium tamen qui *Tagus* dicitur aſcendentes ad civitatem *Ulixiſbonæ* duce Domino pervenerunt, ubi corpus ſancti *Vincentii* requieſcit. Et antequam illuc veniſſent, imperator de *Marroc* die nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ* fluvium *Tagi* per vadum cum omni exercitu ſuo pertranſiens, caſtrum *Sanccii* regis *Portigalenſis*, quod dicitur *Turris nova*, obſedit.

Rex vero *Portigalenſis* nunciis ad peregrinos qui in navibus ad civitatem *Ulixiſbonæ* jam venerant, deſtinatis, auxilium ab eis petiit, dicens, quod niſi ei ſuccurrerent, totam amitteret terram ſuam. Viri ſiquidem illi ſcientes quod mori pro Chriſto lucrum eſſet, relictis navibus, numero quingenti bene armati & de omnibus qui in navibus venerant prælecti, uſque ad civitatem *Harenam*, quæ diſtat à civitate *Ulixiſbonæ* per duas dietas, pergentes, *Sanccium* regem *Portigalenſem* ſine auxilio fere confuſum, ibi cum paucis militibus invenerunt. Et imperator de *Marroc* caſtro dicti regis *Portigalenſis* quod jam obſederat capto, aliud caſtellum *Templariorum* quod *Thuinar* dicitur obſidebat. Qui audito peregrinorum adventu valde timens, legatis ad regem *Portigalenſem* miſſis, *Silviam* civitatem ab eo petiit, & ipſe de terra ſua recederet, & caſtrum quod ceperat ei redderet, & pacem cum eo ſeptem annis firmiter teneret. Quod cum rex *Portigalenſis* facere nollet, prædictus imperator ei mandavit, quod veniret civitatem *Harenam* in craſtino obſeſſurus. Tunc rex *Portigalenſis* inito cum peregrinis conſilio, conſtituit homines ſuos in turribus & fortioribus propugnaculis murorum. Peregrini autem de *Anglia* qui de navibus ſuis venerant, audaciam pro muro habentes, debiliores partes urbis ſibi elegerunt. In craſtino autem cum omnes eſſent ad bellum parati, & clamor eſſet in foribus, jamjam veniet & non tardabit, repente venit nuncius qui dixit, imperator de *Marroc* mortuus eſt jam triduanus, & exercitus ejus fugit. Et adhuc illo loquente venerunt duo, deinde tres, deinde plures eundem ſermonem dicentes. Crediderunt autem illis rex & univerſus populus, & civitas magno gaudio replebatur.

Data in craſtino peregrinis ad naves ſuas redeundi licentia, rex quod labores ſuos bene recompenſaret illis promiſit: ſed antequam illi ad naves ſuas veniſſent, *Robertus* de *Sablol* & *Ricardus* de *Chanvill* ad urbem *Vlixisbonæ* cum lxiij. magnis navibus de *Storio*, id eſt, de navigio regis *Angliæ* venerunt. Quidam autem hominum qui in comitatu eorum venerant, malefactores erant & perverſi, qui de navibus in civitatem aſcendentes, & mulieres, & filias civium violantes, ſuperbe cum populo locuti ſunt; *Judæos* quoque & paganos qui ſervi regis ibi erant bonis eorum direptis & domibus combuſtis à civitate fugantes, vineas eorum vindemiaverunt, non uvam, vel racemum miſeris relinquentes. Quod cum regi *Portigalenſi* nunciatum eſſet, velocius advenit, & inventis ibi *Roberto* de *Sabloil*, & *Ricardo* de *Chanvill* cum navigio regis *Angliæ*, faciem hilarem & pacem ſpondentem eis exhibuit, injurias plebi ſuæ illatas ſuſtinens patienter. In craſtino vero dicti *Robertus* & *Ricardus* ſacramentum de ſupradictis aſſiſis regis & capitulis obſervandis ab omnibus hominibus navigii receperunt. Poſt triduum autem iterum diſſencio inter cives *Vlixisbonæ* & quoſdam illorum qui in navibus venerant orta eſt, ita quod ex utraque parte multi ceciderunt in bello interfecti. Rex vero clamore populi ad aures ejus perveniente, portas claudere urbis fecit, & omnes qui de navibus in civitatem ad edendum vel bibendum venerant, capi & incarcerari juſſit, & erant viri numero ſeptingenti, & antequam exire poſſent fecit rex cum dictis *Roberto* & *Ricardo* pacem qualem voluit in hac forma; ſcilicet, *quod malis præteritis hinc inde remiſſis, ipſi quamdiu ibi eſſent, illi & terræ ſuæ pacem firmam ſervarent, & ipſe ſimiliter illis; Et quod arma & cætera quæ hinc inde in bello amiſſa fuerant redderentur.*

Quo facto, dicti *Robertus* & *Ricardus* à portu *Vlixisbonæ* cum navigio regis *Angliæ* in vigilia ſancti *Jacobi* receſſerunt. Et eodem die venerunt ad introitum maris ubi *Tagus* cadit in mari, invenientes ibi *Willielmum* de *Forz* cum triginta magnis navibus, & tunc erant omnes naves navigii pariter in eodem loco centum & ſex magnæ naves, quæ aderant onuſtæ victualibus & armis ac hominibus bellicoſis. Et in craſtino ſancti *Jacobi* feria ſexta, prædicti *Robertus, Ricardus* & *Willielmus* inde recedentes per montem magnum in mare protenſum qui *Spichel* dicitur, tranſierunt, & deinde ad portum *Silviæ* venerunt, quæ ut prædicitur, fuit ultima civitas fidei Chriſtianæ. Deinde tranſierunt ante civitatem paganorum quæ dicitur ſancta *Maria* de *Faron*. Et notandum eſt quare civitas ſic nominatur. *Faron* dicitur locus ubi civitas ſita eſt; & Chriſtiani qui eam ædificaverunt ſic eam nominaverunt, qui in nomine Dei genitricis *Mariæ* quandam yconiam ſupra murum ſtatuerunt. Deinde cum pagani adverſus Chriſtianos prævaluiſſent, eandem optinuerunt civitatem. Et cum prædictam yconiam ſupra murum ſtantem inveniſſent, illam in contemptu fidei Chriſtianæ & beatæ *Mariæ*, capite & aliis membris illi amputatis, in mare longius projecerunt. Quo facto, mare & tellus facta ſunt ſterilia, & fames ſuper terram illam ita invaluit, quod fere omnes homines illius provinciæ fame & inedia perierunt. Tunc ſeniores populi & omnes juvenes à maximo uſque ad minimum die ac nocte plorantes, & in ſacco & cinere pœnitentiam agentes, recordati ſunt yconiæ, cujus caput, manus, & pedes abſciderant, dicentes, Peccavimus, inique egimus, iniquitatem fecimus quando caput, manus, & pedes yconiæ amputavimus. Quæramus ergo illam, & apponamus ea locis ſuis, ut ſic ſaltim avertat Deus iram ſuam à nobis & à civitate iſta. Et ſagenis ubi membra yconiæ projecta fuerant, in mare miſſis, eam ad terram cum membris traxerunt, caput collo, & manus brachiis, ac pedes tibiis apponentes, & ea auro & argento primo & puriſſimo ſolidarunt, & ſic illam yconiam quæ in magna veneratione uſque in hodiernum diem habetur, in loco honorabili ſtatuerunt, & ſtatim fames ceſſavit & terra fructibus habundavit.

Deinde prædictæ naves ante caſtellum quod *Martel* dicitur tranſierunt, deinde per montes magnos in mare protenſos, ac multas & magnas alias civitates. Tandem ad quandam inſulam quæ dicitur *Odur* quæ eſt ad introitum *Rodani* pervenerunt. Et aſcendendo per flumen *Rodani* ſtat urbs epiſcopalis quæ dicitur *Arles de blanc*, & aſcendendo ſuperius per eundem fluvium eſt bona civitas quæ dicitur S. *Egidius*, & deinde eſt *Marſilia*. Et eſt ſciendum quod multæ inſulæ *Saracenicæ* ſunt inter diſtrictas *Affricæ* & *Marſiliam*, quarum una dicitur *Majorek* & altera *Euviz*, quæ regi *Arragoniæ* ſunt tributariæ. Inſula vero de *Majorek* CCC. pannos ſericos, & inſula de *Euviz* CC. regi *Arragoniæ* de tributo quolibet anno reddit. Apud *Marſiliam* inter cæteras Sanctorum reliquias ſunt reliquiæ ſanctarum ſororum *Mariæ Magdalenæ* & *Marthæ*, ac ſancti *Lazari* fratris earum qui in eodem loco ſeptem annis epiſcopatum tenuit poſtquam Dominus ipſum à mortuis ſuſcitavit. Sciendum eſt eciam quod tota terra quæ eſt ab *Anglia* uſque in *Hiſpaniam* ſecus mare fuit terra regis *Angliæ*, & protenditur uſque ad portum qui dicitur *Humarce* qui dividit terram regis *Angliæ* à terra regis *Navarræ*, & terra regis *Navarræ* incipit à dicto portu qui dicitur *Humarce*, & durat uſque ad terram quæ dicitur *Caſtre*, & uſque ad montes de *Sor* qui dividunt terram regis *Caſtellæ* à terra regis de ſancto *Jacobo*. Terra vero regis de ſancto *Jacobo* incipit à montibus de *Sor*, & durat uſque ad aquam de *Mine* quæ dividit terram regis de ſancto *Jacobo* à terra regis *Portigalenſis*. Et terra regis *Portigalenſis* incipit ab aqua quæ dicitur *Mine*, & durat uſque ad mediam viam inter *Silviam* & ſanctam *Mariam* de *Farun*, ibi enim incipit terra paganorum qui ſunt in *Hiſpania* ſub Imperatore de *Marroc*, & durat uſque ad montem magnum qui dicitur *Muſcian*. A monte vero illo incipit terra regis *Arragoniæ*,& durat ultra civitatem de *Nice*; Et poſt illam urbem de *Nice* incipit *Italia* terra Imperatoris *Romæ*,& ibi eſt civitas bona quæ dicitur *Wytemile*. Terra vero Imperatoris *Romæ* durat inde uſque ad *Gaetam* quæ eſt terra regis *Siciliæ*, & eſt in *Apulia* in illa parte *Apuliæ* quæ dicitur principatus *Capuæ*. Sciendum eſt quod in media via inter *Marſiliam* & *Siciliam* ſunt duæ magnæ inſulæ, quarum major dicitur *Sardinia*, altera vero *Correge*. Et multæ aliæ montoſæ inſulæ ſunt circa *Siciliam*,quarum quædam ſunt ardentes. Una vero earum major omnibus illis montoſis inſulis, dicitur *Mongibel*,quæ ita vehementer ardere ſolebat, quod maximam partem maris in circuitu ejus deſiccabat & piſces comburebat; ſed jam pluſquam xl. anni præterierunt ex quo ignis ille meritis & precibus beatæ *Agathæ* Virginis & martyris extinctus eſt.

Quadam autem die cum ignis vehementius ſolito arderet & à fornace montis *Gibel* exiret, & civitati *Cathanenſium*,ubi ſanctiſſimum corpus beatæ *Agathæ* requieſcit,apropinquaret, pagani multi ad ſepulcrum ejus fugientes velum ejus contra incendium tulerunt, & ignis in mare reverſus & piſces comburens mare fere per unum miliare deſiccavit. De quibus piſcibus multi evaſerunt, & ex eorum genere uſque in diem hanc ibi ſunt plurimi ſemiuſti, qui piſces ſanctæ *Agathæ* dicuntur, ad laudem domini noſtri *Jheſu Chriſti* qui ſemper eſt in ſanctis ſuis mirabiliter glorioſus. Dicti autem *Robertus*, *Ricardus* & *Willielmus* de *Forz* cum toto navigio regis *Angliæ* illis commiſſo inter *Affricam* & *Hiſpaniam* tranſeuntes, poſt tempeſtates plurimas quas in illo itinere pertulerunt, in octabis Aſſumptionis beatæ *Mariæ* feria iiij. ad *Marſiliam* pervenerunt. Et non invento ibi rege *Angliæ* domino ſuo, propter quoſdam neceſſarios navium apparatus, moram ibi per viij. dies fecerunt. Deinde ipſum regem ſequentes,ad civitatem *Meſſanam Siciliæ* in exaltatione ſanctæ Crucis vj. feria pervenerunt. Et die dominica ſequenti xvj. kal. Octobris *Philippo* rege *Franciæ* illuc veniente,cuſtodes urbis ipſum honorifice ſuſcipientes,palacium *Tancredi* regis *Siciliæ* ſibi pro hoſpicio tradiderunt.

Cum vero rex *Angliæ* audiſſet quod navigium ſuum uſque *Meſſanam* veniſſet, xiij. die Septembris à *Salerno* receſſit, & tranſiens ante urbem epiſcopalem quæ dicitur *Melphe*, ad civitatem & caſtellum quæ dicuntur *Eſcalæ* pervenit. Juxta hoc caſtellum eſt inſula parva ubi dicuntur fuiſſe ſcolæ *Lucani*,& adhuc eſt ibi pulcra camera ſubterranea in qua *Lucanus* ſtudere conſuevit. Nocte ſequenti jacuit in villa quæ dicitur *Lacetar* in Prioratu montis *Caſſiæ*.Inde venit ad *Melide* ubi honorifice ſuſceptus eſt & procuratus in Abbathia quæ dicitur ſancta *Trinitas* de *Melide*.Ibi juxta Abbathiam eſt turris lignea quam *Robertus Wiſcarde* expugnavit & caſtellum in villa de *Melide* optinuit. Rex vero inde cum uno ſolo milite recedens, cum per quandam parvam villam tranſiſſet, ad domum quandam in qua unum ancipitrem audivit ſe divertit; qui domum intrans illum cepit: quem cum dimittere nollet, ruſtici multi cum fuſtibus & lapidibus accurrentes,impetum in eum fecerunt. Et cum unus illorum cultellum ad regem extraxiſſet, rex eum cum lato gladii ſui verberando gladium ſuum fregit, ab aliis cum lapidibus ſe defendens: Et ſic à manibus eorum vix evadens,venit ad *la Baignare* & ibi familiam ſuam invenit. Sed nullam moram ibi faciens, fluvium magnum qui dicitur *le Far* de *Meſſinis* tranſivit,& juxta turrim lapideam in tentorio jacuit, & xiiij.die Septembris ad *Meſſanam* civitatem *Siciliæ* cum buccis multis & aliis magnis navibus & galeis,& cum tanto apparatu venit quod timor omnes qui ibi in urbe aderant apprehendit. Rex vero *Franciæ* & ſui & omnes principes urbis *Meſſanæ* cum clero & populo in litore ſtabant, admirantes ſuper hiis quæ de regis *Angliæ* audierant & viderant poteſtate. Qui cum applicuiſſet, ſtatim in terram proſiliens cum *Philippo* rege *Franciæ* locutus eſt. Et poſt illud colloquium rex *Franciæ*,qui illuc ante regem *Angliæ* ut dictum eſt venerat & ibi hiemare eligerat, neſcio quo ſtinctu eodem die diſcedere ab urbe deſiderans,à portu cum ſuo navigio exivit. Sed ſtatim illo die dolens & invitus ad eundem portum vento ſibi contrario reverſus eſt.

Interim rex *Angliæ* cum deſiderio & gaudio maximo à Baronibus & militibus terræ ſuæ qui prius cum navigio ſuo venerant ſuſceptus, intravit domum *Reginaldi* de *Muſchet*, ubi hoſpicium ſuum in ſuburbio extra muros civitatis inter vineas extitit præparatum. Viceſima quarta die Septembris & viceſima quintâ, rex *Angliæ* ad hoſpitium regis *Franciæ* cauſa cum eo loquendi tranſivit. Et eodem die venit rex *Franciæ* ad hoſpitium regis *Angliæ* cum eo eciam locuturus; Et videbatur quod tantus inter illos mutuæ dilectionis erat affectus, quod nunquam amor eorum poſſet diſſolvi aut leviter violari. Viceſima octava die exivit rex *Angliæ* obviam *Johannæ* ſorori ſuæ quondam reginæ *Siciliæ*,quæ de *Panormo* per galeas venit, & duxit eam ad hoſpitale ſancti *Johannis* ubi hoſpitium ejus præparabatur. Viceſima nona die Septembris, ſcilicet die ſancti *Michaelis* venit rex *Franciæ* ad hoſpitium regis *Angliæ*, qui ambo ad hoſpitium dictæ *Johannæ* ſororis regis *Angliæ* perrexerunt, ubi rex *Franciæ* adeo faciem hilarem exhibebat, quod populus dicebat & credidit ipſum eam ducere in uxorem. Triceſima die Septembris rex *Angliæ* tranſivit fluvium *del Far* & cepit locum munitiſſimum qui dicitur *la Baignare*,ubi ſunt Canonici regulares. Et eodem die dictam ſororem ſuam in illum locum munitiſſimum introduxit: Qua ibi cum militibus & ſervientibus ſuis dimiſſa, rex ad hoſpitium ſuum *Meſſanæ* rediit. Secunda die Octobris anno ſupradicto cepit rex *Angliæ* caſtellum fortiſſimum quod eſt in medio fluminis *del Far* inter *Calabriam* & *Meſſanam* quod dicitur *Monaſterium Griffonum*, & illo victualia ſua quæ de *Anglia* & aliis terris ſuis & aliunde per mare venerant poni fecit.

Cum autem cives *Meſſanæ* vidiſſent, quod rex *Angliæ* milites & ſervientes cum ſorore ſua in Caſtello *de la Baignare* poſuiſſet, Monaſterio eciam *Griffonum* militibus & ſervientibus cum victualibus ſuis munito, ipſum ſuſpectum habuerunt, conjecturantes quod ſi poſſet totam inſulam occuparet, & ſic inde de facili contra eum poterant commoveri. Unde contigit quod tercia die Octobris, quod diſcordia inter *Anglicos* & cives *Meſſanæ* emerſit,& in tantum ex utraque parte indignatio excrevit, quod cives

Anglicos paucis eorum in tumultu extinctis, ab urbe cum contumelia extruſerunt, & portis civitatis clauſis armati muros aſcenderunt, & alii domos urbis fortiſſimas, alii munitiones ſupra portas & propugnacula intraverunt. Hoc viſo & audito, ac exercitu regis *Angliæ* ea de cauſa cum magno impetu ad portas civitatis veniente, rex in equo velociſſimo per exercitum curſitabat, baculo verberans quoſcumque ex ſuis potuit attingere, volens illos ab inſultu cohibere, ſed nequivit; tandem ad hoſpitium ſuum ut ſe armaret rediit, et cum ſe armaſſet, iterum exivit ad maliciam ſi poſſet extinguendam. Deinde cimbam unam mox intravit, ut ad palacium regis *Siciliæ* iret cum rege *Franciæ* ibi hoſpitato ſuper hiis quæ contigerant locuturus. Interim per ſeniorum civitatis conſilium diſcordia illa quievit, & depoſitis ex utraque parte armis unuſquiſque in domum ſuam reverſus eſt. Motus tamen ſuper hoc rex *Angliæ* à *Meſſanenſibus* utrum de illata injuria ſatisfacere vellent duxit illico inquirendum. Unde mane facto ſcilicet iiij. die Octobris venerunt ad hoſpitium regis *Angliæ Ricardus Meſſanenſis*, *Willielmus* de *Monte* regali, *Willielmus* de *Riſa* archiepiſcopi, & *Margaritus* Admiraldus & multii alii de familia regis *Siciliæ*, adducentes ſecum *Philippum* regem *Franciæ* & *Reginaldum* Carnotenſem & *Manaſſar* de Legris epiſcopos, *Hugonem* Ducem *Burgundiæ*, *Petrum* Comitem de *Nivers*, *Gaufridum* Comitem de *Pertico* & Comitem de *Lovain* & alios multos de familiaribus regis *Franciæ*, ac eciam *Walterum* Rothomagenſem & *Girardum* Anxienſem archiepiſcopos cum archiepiſcopo de *Carpama* & *Johanne* Ebroicenſi epiſcopo & multis aliis regis *Angliæ* familiaribus in quibus fiduciam habebant, ad pacem inter ipſos & regem *Angliæ* reformandam.

Cumque prænominati principes et magnates de pace inter partes facienda diu tractaſſent, et eam pene reformaſſent, cives in magna multitudine congregati ſuper montes prope exiſtentes proceſſerunt, rei eventum ibidem exſpectantes, quorum quidam in regem *Angliæ* proditioſe irruere prompti erant et parati, unde quidam illorum inſultum in hoſpitium *Hugonis le Brun* fecerunt. Quo regi *Angliæ* divulgato, ipſe ſtatim conſilio regis *Franciæ* et aliorum relicto, omnes ſuos armari præcepit, et cum paucis in montem magnum et arduum aſcendit, in quo nemo putaret quod ullo modo aſcendere poſſet. Et cum ad ſummitatem montis cum labore magno veniſſet, omnes cives æmuli ſui in monte exiſtentes urbem cum fuga celerima intraverunt. Tunc vero rex *Angliæ* princeps ferociſſimus ad ultionem mox accenſus, omnes ſuos armata manu urbem oppugnare præcepit. Milites autem et armigeri ſui ad portas urbis et muros congreſſi, aliquando portas intraverunt, aliquando vi exierunt, multos duros ictus lapidum ſuſtinentes, ubi de familia regis 5. milites et 20. ſervientes occiſi ſunt, rege *Franciæ* vidente et nullum eis auxilium præbente, ſed cum ſuis civitatem intrante et per medium illorum tutiſſime eunte. Cumque rex *Angliæ* in illo conflictu ſuos non tantum urgeret imperio, verum etiam animaret exemplo, urbem aliquamdiu à civibus ſimul et *Francis* fortiter defenſam demum poſt maximos labores, portis civitatis per vim fractis et ſuis muros undique aſcendentibus, victor potenter intravit, ſignis ejus in munitionibus protinus collocatis. Cumque ingreſſus fuiſſet decentem modum in ulciſcendo tenuit, et animi ſui motum mollivit voluptate gloriæ triumphalis. Civibus itaque ad deditionem coactis, et ſatisfactione licet ſera oblata, rex *Angliæ* victoria placatus impetum frænavit, et pro reverentia regis *Franciæ* et ſuorum in urbe hoſpitatorum villam curialiter eſt egreſſus, ad hoſpicia et caſtra extra muros diſpoſita cum ſuis copiis ſe divertens. Porro rex *Franciæ* urbis irruptionem ægre ferens et gratiam indulti hoſpitii pro nichilo ducens, contra regem *Angliæ* tacite rancorem in animo concepit. Octavo die Octobris reges *Franciæ* & *Angliæ* coram Comitibus & Baronibus ſuis ac clero et populo juraverunt, quod alter alterum cum exercitu ejus in peregrinatione illa in eundo et redeundo bona fide et ſine malo ingenio cuſtodiret. Comites vero et Barones hoc idem juraverunt ſe firmiter et inconcuſſe ſervaturos.

DEinde prædicti reges de voluntate et conſilio archiepiſcoporum, epiſcoporum, Comitum et Baronum totius exercitus peregrinorum, ſtatuta ſubſcripta ſanxerunt.

Inprimis, quod omnes peregrini qui in via hujus peregrinationis morerentur, de omnibus armaturis ſuis, equitaturis et veſtibus quibus uſuri erant, pro voluntate ſua diſponerent, et de medietate poſſeſſionum ſuarum quas in via ſecum habent pro arbitrio ſuo ſimiliter faciant, dummodo nichil in patriam remittant, et clerici de capellis et omnibus utenſilibus ad capellas pertinentibus et de omnibus libris pro voto ſuo libere ordinabunt. Altera vero pars in manu*Walteri Rotomagenſis* archiepiſcopi et *Manaſſer Lingonenſis* epiſcopi, et magiſtri *Militiæ domus Templi* et magiſtri *Hoſpitalis*, et *Hugonis* ducis *Burgundiæ* et aliorum ad hoc electorum tradetur, qui ad ſubventionem terræ *Jeroſolomitanæ* ubi magis viderint neceſſarium, prædictam pecuniam impendere et expendere teneantur. Hoc autem reges in propriis perſonis affidaverunt firmiter et fideliter ſervandum in tota via tam citra mare quam ultra mare de omnibus peregrinis utriuſque regni tam præſentibus quam futuris: Archiepiſcopis et Epiſcopis ibidem in verbo veritatis id idem ſervandum promittentibus, Magiſtris *Templi* et *Hoſpitalis* ſuper ordinem ſuum, Comitibus et Baronibus in propriis perſonis illud idem jurantibus.

2. Præterea nemo in toto exercitu ludat ad aliquod genus ludi pro lucro, exceptis militibus & clericis, qui in tota die & nocte non niſi xx. ſolidos amittant. Si autem milites aut clerici pluſquam xx. s. in die luſerint, quociens xx. s. exceſſerint, centum ſolidos prædictis archiepiſcopis & eorum prænominatis ſociis qui prædictam patienciam ſervabunt dabunt. Reges autem pro beneplacito ſuo ludent. Et in hoſpitiis duorum regum poſſunt ſervientes eorum ludere uſque ad xx. s. Si autem ſervientes aut marinarii aut alii miniſtri per ſe inventi fuerint ludentes, ſervientes tribus diebus nudi per exercitum vapulabunt niſi ſe voluerint redimere arbitrio prædictorum, & alii miniſtri ſimiliter; Marinarii vero ſi luſerint, tribus diebus à ſummo navis in mari demergantur more marinariorum ſemel in die, niſi ſe redimere voluerint arbitrio prædictorum.

3. Si autem peregrinus aliquis poſtquam iter arripuerit ab aliquo homine in via aliquid mutuo acceperit, mutuum ſolvet; de eo autem quod ante iter accepit, non tenetur reſpondere in via.

4. Si autem marinarius aliquis conductus vel ſerviens aliquis vel quiſcumque fuerit, exceptis militibus, à domino ſuo in via hujus peregrinationis receſſerit, nemo alius eum recipiet, niſi de voluntate domini ſui fuerit. Si vero aliquis eum invito domino ſuo priori receperit, per arbitrium prædictorum virorum punietur. Et ſi quis contra ſtatuta iſta tam ſolempniter facta aliquid temere attemptaverit, ſciat ſe excommunicationi tam archiepiſcoporum quam epiſcoporum & totius exercitus ſubjacere. Et omnes tranſgreſſores pœnis ſupradictis ſecundum ſingulorum conditiones pro prædictorum virorum arbitrio punientur. Præterea ſtatutum eſt à domino rege Anglorum & Conſtabulariis, Juſticiariis & Mareſcallis exercitus ejus.

1. Quod mercator de quacumque mercatione ſit non poteſt emere panem ad revendendum in exercitu, nec farinam, niſi aliquis alienigena illam adduxerit & de illa panem fecerit, nec bladum niſi de illo ſimiliter panem fecerit vel ad ſecum transfretandum detinuerit. Poſtea omnino vetantur omnia emenda in villa & infra leucatam villæ. Si autem aliquis bladum emerit & de eo panem fecerit, tenetur lucrari in ſalina unum teruncium & brannon. Alii vero mercatores de quacumque mercatione ſint mercatores, in x. denariis tenentur lucrari unum denarium. Et ne aliquis ſonet monetam regis in qua moneta apparebit niſi fracta fuerit infra circulum. Et ne aliquis carnem mortuam emat ad revendendum, nec beſtiam vivam, niſi eam occiderit in exercitu.

2. Nullus vinum ſuum poſt primam conclamationem carius vendat. Nullus panem faciat niſi ad denarium. Sciant omnes mercatores quod totum fas eſt infra leucatam villæ, & ut de moneta *Angliæ* unus denarius detur pro iiij. denariis *Andegaviæ* in omnibus mercaturis. Et notandum eſt quod ſupradicta conſtituta ſunt per conſilium regum *Angliæ*, & *Franciæ*, & *Siciliæ*.

Tertia autem die poſt captionem civitatis *Meſſanæ* principes civitatis & totius provinciæ obſides regi *Angliæ* dederunt de pace ſibi & ſuis ſervanda & quod in manu ejus civitatem *Meſſanæ* & totius provinciæ dominium libere traderent & quiete, niſi *Tancredus* rex *Siciliæ* dominus illorum meliorem pacem celerius cum ipſo fecerit de omnibus exigentiis quas ab eo exigebat. Rex autem *Angliæ* exigebat à *Tancredo* rege *Siciliæ*, *Montem* ſancti *Angeli* cum toto comitatu & aliis pertinentiis ſuis ad opus *Johannæ* ſororis ſuæ, quæ *Willielmus* nuper rex *Siciliæ* maritus ejus in dotarium ei dedit, & cathedram auream ad opus ejuſdem *Johannæ* de conſuetudine reginarum terræ illius. Exigebat eciam ad opus ſui ipſius unam menſam auream de longitudine xij. pedum & de latitudine unius pedis & dimidii, & duos tripodes aureos pro prædicta menſa, & xxiv. cuppas argenteas, & xxiv. diſcos argenteos, & quoddam tentorium de ſerico adeo magnum quod ducenti milites poſſent in eo ſimul comedere, & lx. milia ſilinas de frumento, & totidem de ordio, & totidem de vino, & C. galeas armatas cum toto apparatu & cum victu galeotarum ad duos annos. Hæc omnia petebat *Ricardus* rex *Angliæ* ad opus ſuum ſicut hæres *Henrici* regis *Angliæ* patris ſui, cui prædictus *Willielmus* rex *Siciliæ* omnia illa præparaverat, & ſibi legaverat in extremis. Cui *Tancredus* rex *Siciliæ* per conſilium ſuum in hæc verba reſpondet; Ego dedi *Johannæ* ſorori veſtræ reginæ decies centena milia *Tirrenis* pro quieta clamatione dotarii ſui antequam à me receſſit. De reliquis exigentiis veſtris faciam quod facere debeo ſecundum conſuetudinem regni. Unde factum eſt quod de conſilio magnatum rex *Sicilia* dedit regi *Angliæ* xx milia unciarum auri pro quieta clamancia omnium ſupradictorum quæ de jure petebat de legato *Willielmi* regis *Siciliæ* nuper defuncti, & pro matrimonio contrahendo inter *Arthurum* ducem *Britanniæ* nepotem regis *Ricardi* & unam de filiabus regis *Tancredi*. Quibus ex utraque parte conceſſis *Ricardus* rex *Angliæ* ſcripſit *Tancredo* regi *Siciliæ* in hac forma.

Tancredo *Dei gratia illuſtri regi* Siciliæ, *ducatus* Apuliæ, *principatus* Capuæ, Ricardus *eadem gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ, *ſalutem in eo qui dat ſalutem regibus. Cum pro ſubventione terræ* Jeroſolomitanæ, *quam peccatis exigentibus ex majori parte paganorum incurſus optinuit, & inimicorum crucis Chriſti gladius devaſtavit, ſuſceptum inſpirante Domino peregrinationis iter ageremus, per terram veſtram tranſitum facientes, apud* Meſſanam *civitatem veſtram moram facere compulſi ſumus, ventorum & maris & temporis inclementia navigationis noſtræ propoſitum detinente, ubi inter populum noſtrum & cives præfatæ urbis ſeditione caſu exorta, dampnum hinc inde contigit rerum & virorum; unde viſum eſt pluribus ut ea occaſione fraterna inter nos caritas & dilectio turbaretur; Curavimus itaque (ut decebat) peregrinationis noſtræ propoſitum peragere, tum per nos & dilectos & fideles familiares noſtros, tum per venerabiles archiepiſcopos veſtros, ſcil:* Ricardum *archiepiſcopum* Meſſanenſem, *&* Willielmum *archiepiſcopum de Monte Regali, & alios viros venerabiles miſſos à latere veſtro ſtatuimus, ut illibatæ pacis inter nos arcius fœdera firmentur, cujus formam duraturam in ævum ſcripturæ memoria contineret. Promiſimus ergo vobis & regno veſtro & toti terræ dominationis veſtræ, per nos & noſtros, terra & mari pacem perpetuam nos fideliter ſervaturos, ſopitis omnibus quæſtionibus quas tum de dotario ſororis noſtræ reginæ, tum de rebus aliis quas per noſtros vobis nuncios intelligi feceramus. Hoc nichilominus addito, quod quamdiu in regno veſtro moram fecerimus, ad defenſionem terræ veſtræ ubicumque præſentes fuerimus vobis auxilium præſtabimus contra quemcumque qui vellet eam invadere, aut vobis bellum inferre. Hujus autem pacis tenorem & formam quam in voto habemus & gerimus in propoſito, vobis & veſtris illæſa fide ſervare per* Walterum Rotomagenſem *archiepiſcopum, &* Girardum Auxienſem *archiepiſcopum, & per* Johannem Ebroicenſem, *&* Bernardum Baonicenſem *epiſcopos, & per* Jordanum *de* Humez *Conſtabularium noſtrum, & per* Willielmum *de* Curci, *& per* Ricardum *de* Chamvill, *& per* Girardum de Talbot, *& per* Robertum *de* Sablus, *& per alios multos nobiles de familia noſtra fecimus juramentis præſtitis coram prædictis archiepiſcopis ad hoc ipſum efficiendum à vobis deſtinatis & veſtris illuſtribus viris in animam noſtram firmare, ſicut capitularis forma continet. Ut pax iſta et fraterna dilectio tam multiplici quam artiori vinculo connectatur, prædictis Curiæ veſtræ magna-*

tibus id ex parte veſtra tractantibus, Domino diſponente condiximus inter Arthurum *egregium ducem* Britanniæ *kariſſimum nepotem noſtrum & hæredem, ſi forte ſine prole nos obire contigerit, & kariſſimam filiam veſtram matrimonium in Chriſti nomine contrahendum, ut cum ille Deo propitio ad nubiles annos pervenerit, & vos eam mittetis ad locum ubi pars utraque conſenſerit,. præfatus nepos noſter eam infra* xv. *dies poſtquam ad eum venerit debeat in uxorem legitimam deſponſare, aut ſi celſitudini veſtræ placuerit eam infra annos nubiles deſponſari, prædictus nepos noſter juxta beneplacitum veſtrum id faciet, ſi ſummus pontifex diſpenſare voluerit. Volentes autem ei tanquam illuſtri dominæ et magnifici regis filiæ dotarium quod convenit deſignare, de ducatu nepotis noſtri tale dotarium ei ex parte ipſius nepotis noſtri paciſcimur, & quod ad præſens per præfatos fideles noſtros jurari fecimus & ab ipſo nepote noſtro concedi, & à magnatibus ſui ducatus epiſcopis & aliis viris illuſtribus jurari faciemus. Pecuniam vero à magnificentia veſtra pro matrimonio iſto ſcilicet* xx. *milia unciarum auri nos recepiſſe ad opus nepotis noſtri fatemur, hoc pacto interveniente, ut ſi, quod abſit, morte alterius interveniente, aut culpa nepotis noſtri, aut noſtra, vel partis ipſius matrimonium non fieret, nos aut hæredes noſtri pecuniam vobis aut veſtris hæredibus integram ſine difficultate, in loco quo ſtatuerimus, reſtituemus. Super hiis videlicet & de pace quam vobiſcum firmavimus, & de matrimonio contrahendo, & de pecunia reſtituenda, ſi forte prædictis cauſis accidentibus matrimonium non exſtaret, dominum Papam & Romanam eccleſiam in fidejuſſione ponimus, ut ſi forte, quod Deus avertat, ex parte noſtra pacis integritas frangeretur, poteſtatem habeat eccleſia Romana nos & terram noſtram diſtrictius cohercere, ſimiliter & ad matrimonium contrahendum poteſtatem habeat nos & partem nepotis noſtri conſtringere; vel ſi propter cauſas prædictas non fieret matrimonium, ad reſtituendum pecuniam nos aut hæredes noſtros aut terram noſtram cogere habeat poteſtatem. Id quoque de fidejuſſione Romanæ eccleſiæ nos ita facturos, prædictorum virorum nos obligavimus juramentis, ſicut capitularis forma continet, quam vobis miſimus ſigilli noſtri appoſitione ſignatam; ſi autem nobis ſine hæredibus decedentibus ipſe ad regnum noſtrum hæreditario jure pervenerit, de regno noſtro tale dotarium illi deſignamus, videlicet antiquum & conſuetum dotarium reginarum* Angliæ.

Hæc eſt autem capitularis forma quæ facta eſt inter dictos Reges *Angliæ* & *Siciliæ*.

E*GO* N. *juro ſuper hæc ſacroſancta evangelia, quod dominus meus* Ricardus *rex* Angliæ *ab hac hora in antea ſervabit pacem* Tancredo *regi* Siciliæ, *ducatus* Apuliæ *& principatus* Capuæ, *& regno ejus & toti terræ dominationis ejus pacem perpetuam per ſe & ſuos terra & mari; & quamdiu dominus meus* Ricardus *rex* Angliæ *fuerit in regno domini regis* Tancredi *dabit ei auxilium ad defendendum terram ſuam ubicumque fuerit in terra domini regis* Tancredi. *Et quod dominus meus pacem iſtam manu ſua jurabit ſi dominus* Tancredus *ſimiliter pacem manu ſua juraverit. Et ſi aliquando, quod abſit, dominus meus vellet pacem iſtam infringere, ego ponam me in captione ipſius domini regis* Tancredi *ubi ipſe voluerit. Et hæc omnia dominus meus* Ricardus *rex* Angliæ, *& ego bona fide, & ſine fraude tenebimus; Sic nos Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia, & ſanctorum reliquiæ,* Amen.

Et ſciendum eſt quod in hac forma archiepiſcopi, epiſcopi, &. cæteri homines regis *Siciliæ* in anima ipſius ſe & ſuos ſervaturos pacem *Ricardo* regi *Angliæ* & ſuis in terra & mari quamdiu ipſi in terra ſua fuerint juraverunt; & ſi ipſe rex *Siciliæ* & ſui pacem non ſervaverint, prædicti archiepiſcopi & cæteri qui ſacramentum illud ex parte regis *Tancredi* juraverunt ponent ſe in captione regis *Ricardi* ubi ipſe voluerit. Et ſic demum dictus rex *Siciliæ* dedit dicto regi *Angliæ* xl.milia unciarum auri in toto pro dicto matrimonio contrahendo, & pro quieta clamantia omnium quæſtionum quas fecerat tam de dotario ſororis ſuæ reginæ quam de omnibus aliis exigentiis ſupradictis.

Et ut *Tancredus* rex ſecurior eſſet de omnibus conventionibus prædictis, *Ricardus* rex ſcripſit ſummo pontifici in hac forma.

R*Everendiſſimo domino ac beatiſſimo patri* Clementi *Dei gratia ſummo pontifici,* Ricardus *eadem gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ, *&* Aquitaniæ, *comes* Andegaviæ, *ſalutem, & ſinceræ in Domino devotionis affectum. Juſtiorem exitum facta principum ſortiuntur cum à ſede apoſtolica robur & favorem accipiunt, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ conſilio diriguntur. Proinde dignum duximus ad notitiam beatitudinis veſtræ tranſmittere quæ inter nos & dominum* Tancredum *illuſtrem* Siciliæ *regem publico nuper & admodum ſunt neceſſario celebrata contractu; ſane dilectionem fraternam & pacem perpetuam cum eo firmavimus, quam magnatum noſtrorum, archiepiſcoporum, & aliorum virorum illuſtrium juramentis ei et ſuis, et regno ſuo, & toti terræ ſuæ dominationis nos illibata fide promiſimus ſervaturos. Cum ipſo etiam pacis & amicitiæ fœdus arctiori adhuc vinculo aſtringentes, inter* Arthurum *egregium ducem* Britanniæ *kariſſimum nepotem noſtrum & hæredem ſi nos decedere ſine prole contigerit, & illuſtrem filiam ejus in matrimonium Domino volente condiximus contrahendum, quod Domino largiente debitam conſummationem accipiet, cum illuſtris puella nubiles annos attigerit, aut prædicto domino regi* Tancredo *placuerit ut infra nubiles annos illa in uxorem nepoti noſtro deſponſanda tradatur, nos ipſum nepotem noſtrum hoc facturum conceſſimus, ſi ſancta Romana eccleſia decreverit ſuper hoc diſpenſare. Pecuniam vero quam pro matrimonio ipſo ad opus nepotis noſtri ab eodem domino rege recepimus* xx. *milia uncias auri, ſi forte, quod abſit, morte interveniente alterius aut culpa noſtra aut noſtri nepotis aut patris ipſius matrimonium non ſtaret, nos aut hæredes noſtri ipſi domino* Tancredo *vel hæredibus ſuis ex integro reſtituemus, præſtitis ſuper hoc juramentis ex parte noſtra, vel reſtituent. Ut igitur tenor pacis initæ & iniciati matrimonii fides cum integritate debita ex parte noſtra & nepotis noſtri ſervetur, ſicut ipſi domino* Tancredo *interpoſita jusjurandi religione firmavimus, ſanctitatem veſtram & ſanctam Romanam eccleſiam obnixe rogamus, quatinus & firmatæ pacis ſervandæ perpetuo & matrimonii conſummandi, vel ſi ex prædictis cauſis matrimonium ipſum non fieret reſtituenda* *tuendæ pecuniæ ſancta ſedes apoſtolica fidejuſſionem pro nobis ſuſcipiat erga dominum regem* Tancredum *& hæredes ipſius. Cujus fidejuſſionis onus ut confidenter nobiſcum Romana eccleſia ſuſcipiat, præſentium literarum teſtimonio vobis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ concedimus liberam poteſtatem nos, & hæredes noſtros, & terram noſtram diſtrictius cohercere, ſi contra pacem præfatam venerimus, vel prædictis cauſis matrimonio non ſecuto, nos aut hæredes noſtri ſolutionem negaremus. Ad honorem utriuſque regni veſtra novit beatitudo ſpectare, ſi mediante Romana eccleſia pacis pariter & matrimonii bonum ad congruum finem deveniat, inde multiplex in futurum utilitas conſequatur. Teſtibus nobis* xj. *die Novenbris apud* Meſſanam.

Antequam autem iſta pax conceſſa & confirmata eſſet inter reges *Angliæ* et *Siciliæ* prænotatos, *Margaritus* admirallus & *Jordanus del Pyn* familiares regis *Tancredi* quibus ipſe civitatem *Meſſanam* cuſtodiendam tradiderat, de nocte furtive abierunt, adducentes ſecum totam familiam ſuam & ſubſtantiam quam in auro & argento habebant. Domos vero illorum & galeas & alias poſſeſſiones ſuas rex *Angliæ* in manu ſua abeuntibus illis cepit. Deinde rex *Angliæ* foſſatum magnum, latum & profundum per medium inſulæ quæ eſt in flumine *del Far* fieri fecit, in qua eſt prædictum monaſterium *Griffonum* ubi cuſtodiebantur victualia regis & theſauri. Et eſt notandum, quod in illo fluvio *del Far* de *Meſſyns* ſunt illa duo maxima maris pericula, ſcilicet *Silla* & *Caribdis*, quarum una ſcilicet *Silla* eſt ad introitum *del Far* prope *la Baignare*, & altera ſcilicet *Caribdis* eſt prope exitum *del Far*, ad cujus cognitionem facta eſt turris lapidea in prædicta inſula juxta foſſatum regis *Angliæ*. Deinde idem *Ricardus* rex *Angliæ* unum forte ligneum caſtrum in ſupercilio montis ardui extra muros urbis *Meſſanæ* firmavit, quod *Mategriffon* omnes vocaverunt. *Griffones* vero ante adventum regis *Angliæ* erant potenciores omnibus qui tunc temporis in terra *Siciliæ* exiſtebant, & ideo omnibus hominibus ultramontanis odio habebantur, adeo quod pro minimo habebat quiſcumque poſſet illos interficere, nec erat aliquis qui eis adjutorium præſtaret. Sed ex quo rex *Angliæ* illuc venit, malicia eorum quievit, & eorum poteſtas minuta eſt, & facti ſunt omnibus terram illam inhabitantibus viliores: ſperabant namque ſe poſſe contra regem *Angliæ* ſicut contra alios antiquitus potuerunt; ſed rege *Ricardo* ibi præſente, gens ſua in maxima habebatur reverentia, & *Griffones* in terra profugi facti ſunt, incidentes in foveam quam fecerunt.

Interea vero *Ricardus* rex pro amore Dei & ſalute animæ ſuæ & animæ patris ſui & omnium anteceſſorum et ſucceſſorum ſuorum regum *Angliæ* quietum clamavit **Wrec** imperpetuum per totam *Angliam* & ultra mare, ſtatuens, *quod omnis naufragus qui ad terram vivus pervenerit omnes res ſuas libere habeat & quiete, ſi autem in navi mortuus fuerit, filii vel filiæ, fratres aut ſorores ejus res ſuas habeant, ſecundum quod oſtendere poterant ſe eſſe propinquiores hæredes illius. Et ſi defunctus filios vel filias, fratres aut ſorores non habuerit, habeat rex catalla.* Hanc autem quietam clamantiam de **Wrec** rex *Ricardus* fecit, & carta ſua confirmavit anno regni ſui ſecundo menſe Octobris apud *Meſſanam*, teſtibus hiis *Waltero Rotomagenſi* archiepiſcopo, *Galfrido Auxienſi* archiepiſcopo, *Johanne Ebroicenſi*, & *Bernardo Baonicenſi* epiſcopis, & multis aliis tam clericis quam laicis de familia regis *Angliæ*. Carta vero data fuit per manum magiſtri *Rogeri Malicatuli* regis vicecancellarii.

Interim eodem anno pluſquam C. milia virorum & mulierum paganorum qui in regno *Siciliæ* ſervi *Willielmi* regis *Siciliæ* nuper erant, poſt mortem ipſius *Willielmi* regi *Tancredo* ſervire indignati ſunt, tum quia *Henricus* rex *Alemannorum* filius *Frederici* imperatoris poſt mortem dicti *Willielmi* regis *Siciliæ* calumpniatus eſt regnum *Siciliæ*, & ducatum *Apuliæ*, & principatum *Capuæ* de jure *Conſtanciæ* uxoris ſuæ, qui miſit archiepiſcopum *Maguntinum* & *Henricum* de *Teſte* cum exercitu magno in *Apuliam* ad eam ſibi ſubiciendam, tum quia rex *Angliæ* regem *Tancredum*, ut præmittitur, infeſtavit. Et illi pagani in montana cum mulieribus, ac liberis, & ſuis pecoribus abierunt, ibi ſicut poterant habitantes. Sed cum audiſſent quod pax finalis & concordia eſſet inter regem *Angliæ* & dictum *Tancredum* regem *Siciliæ*, & eciam quod archiepiſcopus *Maguntinenſis* et cæteri *Alemanni* qui ex parte dicti *Henrici* regis *Alemannorum Apuliam* intraverant, moram in ea per duos menſes & dimidium facientes, tota fere terra exceptis civitatibus & caſtellis devaſtata, demum imperfecto negotio domini ſui repatriaſſent, in ſervitutem regis *Tancredi* redierunt. Deinde poſt receſſum *Alemannorum* quia *Rogerus* comes de *Andria* non inmemor ſacramenti quod *Conſtanciæ* uxori prædicti *Henrici* fecerat, *Alemannis* cum multis aliis dictæ *Conſtanciæ* ſimiliter juratis adhæſiſſet, et auxilium ſuum contra *Tancredum* regem *Siciliæ* illis præſtitiſſet, *Ricardus* comes de *Cerne* frater uxoris regis *Tancredi* dictum *Rogerum* debellavit et eum cepit, ac dicto regi *Tancredo* continuo liberavit.

Eodem anno *Sibilla* regina *Jeruſalem* uxor *Guidonis* regis & duæ filiæ ejus obierunt in obſidione *Acræ*: Quibus defunctis *Conradus* marchio de *Mountferaunt* abſtulit *Amfrido de Turum* uxorem ſuam ſororem & hæredem prædictæ *Sibillæ* reginæ *Jeruſalem*; & divortio inter ipſam & dictum *Amfridum* maritum ſuum de conſilio *Eraclii* patriarchæ & quorundam aliorum celebrato, illa dicto *Conrado* marchioni de conſenſu omnium primatum terræ matrimonialiter extitit copulata. Qui ſtatim à prædicto patriarcha & cæteris regni primatibus regnum *Jeroſolimitanum* ſibi adjudicari petiit & concedi. *Guido* autem rex dixit, Hoc non debere fieri illo vivente. Hinc ergo diſcordia inter ipſos *Guidonem* & *Conradum* exorta in tantum excrevit, quod ipſe *Conradus* expulſo *Guidone* regni jura poſſidebat. Eodem anno *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus in obſidione *Acræ* obiit. Quo defuncto, monachi *Cantuarienſes* Priorem ſuum *Oſbertum* de *Briſtoll* quem idem archiepiſcopus & rex *Ricardus* Priorem eccleſiæ ſanctæ *Trinitatis Cantuariæ* conſtituerant, depoſuerunt, loco ipſius alium ſtatuentes. Et poſtea eodem anno menſe Decembris poſt feſtum ſancti *Nicholai* rumoribus certis de morte dicti archiepiſcopi auditis, *Johannes* frater regis comes *Moretonii*, & *Walterus Rotomagenſis* archiepiſcopus, quem idem rex *Ricardus* pro quibuſdam negotiis, ut infra patebit, de ſe à civitate *Meſſanæ* in *Angliam* miſerat, cum quibuſdam aliis

Angliæ epiſcopis in metropolitana eccleſia *Cantuariæ* ad eligendum ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopum convenerunt. Et facto ibidem cum monachis more ſolito ſermone, monachi illi inconſultis epiſcopis, immo contradicentibus, *Reginaldum Bathonienſem* epiſcopum ſibi & eccleſiæ ſuæ in archiepiſcopum elegerunt, & ipſum renitentem & quadam modeſta acclamatione contradicentem aſſumentes cum *Te Deum laudamus* ad altare tulerunt. Et deinde profeſſione canonica & obedientia per ipſos ei factis, dictus archiepiſcopus *Rotomagenſis* pro tunc *Angliæ* Juſticiarius electionem illam ratam non habens, omnes *Cantuarienſis* archiepiſcopi redditus in manu domini regis ſaiſivit, ipſum electum quicquam de illis recipere nullatenus permittendo. Ille tamen *Cantuarienſis* electus in eccleſiaſticis cauſis audiendis & diffiniendis pro metropolitano ſe geſſit, & & nuncios ſuos ad dominum papam pro confirmatione ſua & pallio celeriter deſtinavit. Sed antequam nuncii ſui illuc veniſſent, ille xiv. die electionis ſuæ in vigilia natalis Domini obiit, & in eccleſia *Bathonienſi* ſepelitur anno pontificatus ſui xviij. Cui *Walterus Hubert* epiſcopus *Sariſberienſis* ſucceſſit.

Eodem anno *Conradus* dux *Suaviæ* filius *Frederici* imperatoris ad *Acram* cum magno exercitu *Teutonicorum* venit, & paulo poſt ibi in obſidione *Acræ* deceſſit. Eodem anno menſe Decembris apud *Meſſanam* in *Sicilia* tonitrua magna audita ſunt & fulgura multa præcedebant, unde omnis exercitus regum *Franciæ* & *Angliæ* exterritus eſt præ timore. Ictus enim fulminis in una galearum regis *Angliæ* cecidit & eam in profundum demerſit, murumque civitatis *Meſſanæ* percuſſit, & magnam illius partem excuſſit. Milites autem & ſervientes qui erant in monaſterio *Griffonum* theſauros regis *Angliæ* ibi cuſtodientes, dixerunt pro certo ſe vidiſſe globum igneum ſuper pinnaculum templi prædictorum *Griffonum*, qui non erat comburens ſed illuminans, & ibidem moram fecit donec tempeſtas ceſſavit, & ceſſante tempeſtate lumen illud receſſit. Admirantibus autem illis & diligenter quid hoc eſſet inquirentibus, *Griffones* ibidem Deo jugiter ſervientes reſponderunt, quod ſic ſemper evenit quando ibi aliqua fit tempeſtas.

Eodem anno tercia die poſt feſtum ſancti *Michaelis Saraceni* à civitate *Acra* circiter quatuor milia armati exierunt, & cum igne Græco quatuor hurdicios combuſſerunt; quo facto, per Chriſtianos milites viriliter retruſi ſunt, & xxiij. *Turcos* occiſos præter vulneratos amiſerunt. Deinde ad feſtum ſancti *Martini*, *Saraceni* iterum à civitate *Acra* exeuntes impetum in Chriſtianos fecerunt, qui eis viriliter reſtiterunt. Et *Baldewinus* de Carun, *Walterus* de Oyri, & *Baldewinus* de Dargis impetum illorum fortiter ſuſtinuerunt donec comes *Henricus*, & *Galfridus* de Leſian cum *Templariis* ſupervenerunt. Qui cum tanto congreſſu paganos retroire coegerunt, quod illi infideles xl. homines occiſos præter multos vulneratos in illa fuga amiſerunt. Deinde inter feſtum ſancti *Andreæ* & natale Domini totus exercitus Chriſtianorum armatus fuit inſultum in urbem facere volens. Et ſcalis per *Anglos* & *Alemannos* ad foſſata tractis, pagani à civitate exeuntes *Alemannis* ſcalas ſuas abſtulerunt, & *Anglis* à foſſato fugatis, funes ad ſcalam eorum ligaverunt eam infra urbem trahere volentes. Sed *Radulphus de Tilli* & alii *Angli* ſcalam aſcendentes, ignem Græcum injectum quater extinxerunt, & demum dictus *Radulphus* propius accedens funes cum gladio ſuo abſcidit; & ſic ſcalam illam à paganorum manibus liberavit.

Eodem tempore inter feſtum ſancti *Andreæ* & nativitatis Domini, fames in exercitu Chriſtianorum incepit, & uſque ad feſtum Purificationis beatæ *Mariæ* duravit, & in tantum infra illud tempus excrevit, quod unus panis qui vix uni homini ad prandium ſufficiebat, pro x. s. *Andegavenſis* monetæ vendebatur. Caro vero equina in deliciis erat illic. Et cum ſumma unius equi de frumento pro CC. bizanciis vendebatur, & fames illa in tantum excreviſſet, ut fere omnes fame & inopia perirent, clamor populi ad *Hubertum Walteri* epiſcopum *Sariſberienſem* pervenit; qui divina inſpirante gratia principes exercitus congregavit, & collectam ad pauperes exercitus errogandos de eorum conſilio & auxilio ordinavit. Et tantum incrementum dedit Dominus illi collectæ, quod ſuſtentationi omnium ſufficiebat, donec Deus largitor omnium bonorum ex alto proſpiciens habundanciam frumenti, vini, & olei eis miſit; nam tercia die poſt collectam pauperibus diſtributam, naves onuſtæ de frumento, vino, & oleo venientes tam bonum forum fecerunt, quod ſumma equi de frumento quæ pro CC. bizanciis vendebatur, pro ſex bizanciis data fuit.

Eodem anno *David* frater *Willielmi* regis *Scotiæ* ſororem *Ranulphi* comitis *Ceſtriæ* duxit in uxorem. Eodem anno ſedicione inter *Gaufridum Eboracenſem* electum & *Buchardum* ejuſdem eccleſiæ theſaurarium iterum exorta; idem *Buchardus Clementem* papam adiit, & à vinculo excommunicationis quo ipſe *Eboracenſis* electus eum innodaverat, abſolvi meruit, & negotium ipſius electi erga dominum papam adeo impedivit, quod electionem ſuam confirmare, nec pallium ei mittere voluit. Præterea præfatus papa privilegiavit *Hugonem Dunolmenſem* epiſcopum ne ipſe profeſſionem aliquam aut ſubjectionem *Gaufrido Eboracenſi* electo faceret nec ſi ipſe fuerit in archiepiſcopum conſecratus.

Interim *Ricardus* rex *Angliæ* cujus caput vepres libidinum excreſcerant, & non erat eradicantis manus niſi ſolus Deus qui non vult mortem peccatoris ſed ut convertatur & vivat, convocatis univerſis archiepiſcopis & epiſcopis qui ſecum in *Sicilia* aderant, tria flagella de virgis flexibilibus facta nudus in manibus ſuis portans ad pedes eorum procidit, & coram illis divina inſpirante gratia peccatorum ſuorum fœditatem cum tanta humilitate & cordis contritione confiteri non erubuit, quod credebatur illius opus extitiſſe qui terram reſpicit & tremere eam facit. Deinde illud peccatum abjurans, à prædictis epiſcopis pœnitentiam condignam ſuſcepit, & ab illa hora factus eſt vir timens Deum & faciens bona, & ad iniquitatem ſuam non eſt ulterius reverſus. O felix ille qui ſic cadit ut fortior ſurgat! O felix ille qui poſt pœnitentiam non eſt relapſus in culpam! Eodem anno gravis diſſencio inter papam *Clementem* & *Romanos* orta eſt, quæ nunquam quievit donec idem papa convencionaverat tradere eis civitatem ſuam *Tuſculanam* deſtruendam quia ſemper contraria eis erat. Et licet ea de cauſa ſummo odio eam habebant, ipſe tamen papa eos de die in diem protrahens tradere diſtulit eam illis.

HÆc ſunt nomina nobilium defunctorum eodem anno in obſidione *Acra*, videlicet *Sibilla* regina uxor *Guidonis* regis *Jeruſalem* & duæ filiæ ejus. *Eraclius* patriarcha *Jeruſalem*. *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus. Archiepiſcopus de *Nazareth*, archiepiſcopus de *Beſanſonn*, archiepiſcopus de *Arleblanc*, archiepiſcopus de *Monte Regali*, epiſcopus de *Sidonia*, novus epiſcopus de *Acra*, epiſcopus de *Baruch*, epiſcopus de ſancto *Georgio*, epiſcopus de ſancto *Abraham*, epiſcopus de *Tabaria*, abbas de *Templo Domini*, abbas de *monte Sion*, abbas de *monte Oliveti*, abbas de *Fordet*, Prior ſancti *Sepulchri*, *Radulphus* archidiaconus *Coleceſtra*, *Rogerus le Haule*, *Silveſter* ſeneſcallus *Cantuarienſis* archiepiſcopi, *Johannes de Morwic* canonicus *Eboracenſis*, *Conradus* filius *Frederici* imperatoris. Dux *Suavia*, comes de *Pertico*, comes de *Ponntif*, *Theobaldus* com. *de Bleys*, *Stephanus* frater ejus, comes de *Sanneye*, *Willielmus* comes de *Fereris*, dux *Bertoldus* de *Alemannia*, *Rogerus* comes de *Apulia*, comes de *Brenes* & *Andreas* frater ejus vicecomes de *Turonia*, *Gilbertus* de *Tillers*, *Florencius* de *Angeſt*, *Jocelinus* vicecomes de *caſtro Haraldi*, *Anſelmus* de *monte Regali* & tota familia ejus, vic. de *Chaſtelon* & mater ejus, *Iohannes* comes *Vendomia*, *Caſtellanus* de *Ypre*, *Galfridus la Briure*, *Robertus de Bones*, *Adam* Camberlanus regis *Francia*, *Adam* de *Lonn*, *Willielmus de Pymkemy* caſtellanus, *Rogerus de Pole* baro, *Robertus* ſeneſcallus *Willielmi de Mandevil*, *Radulphus de Glanvil*, juſticiarius regis *Anglia*, *Bernardus de ſancto Valerio*, *Ricardus de Clare*, *Guido de Cheſtelon*, *Radulphus* perſona *de Croxyby*, *Ricardus de Lexeby*, & *Berengarius* frater ejus, *Robertus le Venour de* **Ponfret**, *Robertus Scrope de* **Barton**, *Ranulphus de Tonge*, *Henricus Pigot* ſeneſcallus comitis *Warennia*, *Walterus Scrope*, *Walterus de Kyme* filius *Philippi de Kyme*, *Iohannes de Laiburne*, *Walterus de Ros* frater *Petri de Ros*. Iſti occiſi ſunt in præliis & congreſſionibus, videlicet *Ludowicus de Arſeles*, *Hugo de Oiri*, *Willielmus de Moy*, *Guido de Danci*, *Odo de Gines*, *Reginaldus de Maigni*, Pincerna *de Saynliz*, & *Mareſcallus* comitis *Henrici*. Capti ſunt à paganis, *Henricus de Braeley* & *de Maupaln*. Obierunt apud *Cathayne Pontonati*, *Iohannes* conſtabularius *Ceſtria* obiit in terra *Ieruſalem* apud *Tirum*. Iſti obierunt in eundo verſus *Terram Sanctam*, videlicet *Fredericus Romanorum* imperator obiit ſubmerſus in fluvio qui dicitur *Saleph*, ut ſupradictum eſt, *Robertus* comes *Leiceſtria* obiit in *Romania*, *Landagravius de Alemannia* obiit in *Romania* in redeundo. In ſecundo anno obierunt *Philippus* comes *Flandria* & *Radulphus* clericus de diſpenſa regis. In tercio anno obierunt apud *Acram Radulphus Daubeney*, *Ricardus de Chamvil*, *Drago* filius *Radulphi*, *Willielmus* filius *Nigelli* de **Kent**, *Willielmus* filius *Philippi* baro, *Reginaldus de Sufflet*, *Hugo* dux *Burgundia*, & *Robertus Wacelyn* clericus. Iſti tres ſubſequentes projecti ſunt in mari, *Nigellus de Moubray*, *Simon de Wale*, & *Willielmus de Camvill*, marchio occiſus eſt ab aſſiſinis & *Iakes de Aveneis* eſt occiſus. Et iſti ſubſequentes in diverſis partibus obierunt, videlicet *Bertramus de Verdon*, & *Oſmundus de Stutteville* apud *Joppen*, *Gilbertus Pipard* apud *Brandiz*, & *Reinaldus* vic. *Eboracenſis* in inſula de *Cipre*.

Anno Domini M. Cxcj. *Philippus* rex *Francia* & *Ricardus* rex *Anglia* ſimul in *Sicilia* die nativitatis Domini, quæ feria tercia evenit, apud *Meſſanam* fuerunt. Et in ipſo die nativitatis Domini poſt prandium *Piſani* & *Januenſes* impetum in galiotas regis *Anglia* ſedicioſe fecerunt, & mutuo ſe interfecerunt. Rumor ergo ad aures regis *Anglia*, qui adhuc in **Mategriffon** caſtello ſuo ad menſam ſedebat, pervenit. Et epulabantur cum eo die illa *Reginaldus Carnotenſis* epiſcopus, *Hugo* dux *Burgundia*, *Willielmus* comes de *Nivers*, *Willielmus* comes de *Invenni*, *Galfridus* comes de *Pertico*, & tota fere familia regis *Francia*. Qui omnes velocius ſurgentes cum rege armati proceſſerunt ad pugnam illam dirimendam, nec poterant, ſed nocte ſuperveniente abinvicem uſque mane ſeperati ſunt. Mane autem facto, cum populus in eccleſia Hoſpitalis ſancti *Iohannis* ad audiendum divinum ſervicium conveniſſet, quidam *Piſanus* cum cultello unum galiotarum interfecit; & ſic *Piſani* & galiotæ iterum congreſſi ſunt; unde multi ex utraque parte interfecti ceciderunt. Venerunt ergo reges *Francia* & *Anglia* cum multa plebe armata, & pacem inter eos fecerunt.

An. Dñi 1191.

In illo tempore erat quidam abbas in *Calabria* de ordine *Ciſtercienſi* dictus *Ioachim* abbas de *Curacio*, qui ſpiritum habens propheticum ventura populo prædicebat. Rex autem *Anglia* illius libenter prophetias doctrinamque & ſapientiam audiebat. Erat enim in divinis ſcripturis eruditus, & interpretabatur viſiones beati *Iohannis* Evangeliſtæ quas vidit ſicut ipſe narrat in Apocalipſi manu ſua ſcripſit, in quibus audiendis rex & ſui plurimum delectabantur.

Menſe Februarii ſupradicto anno die Purificationis beatæ *Maria* Sabbato poſt prandium, rex *Anglia* & multi milites tam de familia ſua quam de familia regis *Francia* extra civitatem *Meſſanam* pluribus jocis intenti more ſolito convenerunt; & cum domi rediſſent, tranſitum per medium urbis facientes, obviaverunt cuidam ruſtico venienti de villa cum aſello arundinibus onuſto quas cannas vocant. De quibus rex *Anglia* & cæteri qui cum eo erant ceperunt, & unuſquiſque illorum alter adverſus alterum eſt congreſſus. Et contigit, quod rex *Anglia* & quidam ſtrenuus miles de familia regis *Francia Willielmus de Bares* nomine adinvicem congredientes, arundines ſuas fregerunt, unde capa regis ex percuſſione *Willielmi* fracta eſt. Et rex inde iratus, cum vehementi impetu ipſum *Willielmum* et equum ſuum titubare fecit, & dum intenderet ipſum in terram deicere, ſella regis declinavit, deſcenditque celerius rex, & alium equum fortiorem protinus aſcendens, impetum in eundem *Willielmum* iterum fecit, ſed ipſum deicere non valuit. *Willielmus* enim collo equi ſui adhæſit; unde rege ei comminato, cum *Robertus* filius *Roberti* comitis *Leiceſtria* defuncti: (cui rex paulo ante comitatum patris ſui dederat & gladio ſui comitatus accinxerat;) manum in dictum *Willielmum* ut regem juvaret, injeciſſet, ait rex, Suſtine te & dimitte me, & illum ſolum. Cumque rex & *Willielmus* dictis & factis ita diutius contendiſſent, rex prorumpens ait illi, Fuge hinc & cave tibi ne amplius coram me compareas, quia amodo tibi & tuis ero perpetuus inimicus. Dictus itaque *Willielmus* propter regis iram diſcedens, ad dominum ſuum regem *Francia* dolens abiit & confuſus ſuper hiis quæ in via acciderant, ab eo conſilium poſtulans & juvamen. In craſtino venit rex *Franciæ* ex parte dicti *Willielmi* ad regem *Angliæ*, & cum ſupplici deprecatione pacem & miſericordiam poſtulavit. Sed rex in hoc illum audire noluit. Die ſequenti venerunt ad regem dux *Burgundiæ*, comes *Carnotenſis*, & comes de *Nivers*, & plures alii de proceribus *Franciæ* pro dicto *Willielmo* ad genua ejus provoluti ſuppliciter deprecantes, ſed nec eos voluit rex audire. Dictus ergo *Willielmus* à civitate *Meſſana* die tercia receſſit, quia rex *Franciæ* ipſum contra voluntatem regis *Angliæ* noluit retinere. Tandem poſt multos dies cum tempus tranſfretandi adveniſſet, rex *Franciæ*, & omnes archiepiſcopi & epiſcopi, comites & barones exercitus iterum ad regem *Angliæ* venerunt pro dicto *Willielmo* pacem & miſericordiam poſtulantes, ac oſtendentes quæ dampna de abſencia tanti & talis viri poſſent de facili evenire. Unde demum cum magna difficultate optinuerunt, quod dictus *Willielmus* in pace rediret, rege *Angliæ* promittente, quod nec illi nec ſuis quicquam dampni inquireret vel inferret quamdiu in ſervicio Dei eſſent.

Eodem menſe Februarii rex *Angliæ* plures de navibus qui de *Anglia* venerant regi *Franciæ* & ſuis dedit, & apertis theſauris ſuis ita profuſe comitibus, baronibus, militibus & armigeris exercitus munera diſtribuit, quod nullus unquam prædeceſſorum ſuorum tantum in uno anno dederat quantum ipſe in illo itinere tunc donavit. Eodem menſe *Elianora* regina mater regis *Ricardi* cum *Philippo* comite *Flandriæ* uſque *Neapolim* venit, *Berengeram* regis *Navarrorum* filiam famoſæ pulcritudinis virginem filio ſuo nupturam ſecum ducens, contra quas rex *Angliæ* plures galeas ad *Neapolim* miſit. Sed quia prædicta *Elianora* regina & filia regis *Navarrorum* licentiam veniendi ad *Meſſanam* ab hominibus regis *Tancredi* propter multitudinem hominum comitantium habere non poterant, ad *Brunduſium* profectæ ſunt. Et Comes *Flandriæ* galeas intravit & ad *Meſſanam* venit.

INterea *Willielmus Elienſis* epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, cui rex in *Normannia*, ut dictum eſt, vices ſuas cum munitionibus regiis & plenitudine poteſtatis in adminiſtratione regni commiſerat, ſocium aut parem ſibi in regno neminem putabat. Itaque ſublato omni obſtaculo quo minus ambularet in magnis, duplici poteſtate Apoſtolica ſcilicet & Regia fretus, clero pariter & populo arrogantiſſime præſidebat. Illo tempore ipſum in *Anglia* pluſquam Regem experti ſunt laici, & pluſquam Papam clerici. In expeditione enim poſitus armatorum excubias circa cubiculum ſuum habere voluit cum mille equis procedendo, & nomine ſuæ legationis cum exceſſivo numero hoſpicia à cunctis per *Angliam* exegit monaſteriis, minores vero domus quæ pondus hoſpitii ferre non poterant, certa ſumma, id eſt, octo vel quinque marcarum hoſpitia redemerunt: & ſic domus in qua una nocte hoſpitabatur, vix infra tres annos ſubſequentes redire in priſtinum ſtatum poſſet. Non ſolum ergo ærarium regium, verum eciam eccleſiaſticum exhauſit, quod utique facilius agebat eo quod metropolitanæ eccleſiæ vacabant utræque. Præfecerat enim ſingulis provinciis nequiſſimos avariciæ ſuæ miniſtros, qui nec clerico, nec laico, vel religioſo parcerent, vel deferrent, quo minus Cancellarii commodis inſervirent. Sane nobiles regni & optimates plures ad promotionem conſanguinearum ſuarum, quas ex *Normannia* multas vocaverat, conjugiis demulcire & elicere curavit; laicis vero & clericis minoribus eccleſias, terras & poſſeſſiones ſuas abſtulit, quas aut nepotibus, aut clericis, aut ſervientibus ſuis erogabat, ſeu ſibi retinebat, vel in uſus extraordinarios dampnabiliter conſumebat. Cum ergo hoc modo quicquid in regno facere voluit feciſſet, & plures terrore vel arte ſibi aſtrinxiſſet, ſolum tamen *Johannem* fratrem regis utpote cæteris longe potentiorem, et ſperatum regni ſucceſſorem, metuebat.

Denique ne rege forte in oriente peregre moriente, et *Iohanne* rite ſuccedente, ipſius exſpiraret poteſtas, arte, ut dicitur, agere putavit, ut *Iohannes* jam adultus non ſuccederet, ſed per ſucceſſorem tenerum pararet ſibi longi temporis poteſtatem. Duobus igitur fratribus ſuis ad regem *Scottorum* directis, petiit, ut firmiſſimo ſibi fœdere cohæreret ad *Arthurum Britonem* ipſius pronepotem regno *Anglorum* præficiendum, ſi forte rex peregre in fata decederet, eo quod illi potiſſimum, nato ſcilicet ex *Gaufrido* fratre ejus majore, ſucceſſio regni competeret, proteſtans regem per literas ex *Sicilia* ſibi directas *Arthurum* nepotem ſuum, ſi forte ipſum reverti non contingeret, regni ſucceſſorem deſignaſſe. Hoc quidem inter illos duos potentes occulte tractatum diu *Iohannem* non latuit, qui rancorem conceptum ſubtili cautela pro tempore diſſimulans, parti ſuæ quoſcumque poterat prudenter alicere interim conabatur, artem illudere arte ſtudens.

Dum autem iſta et alia per inſolenciam cancellarii gererentur, regi in *Sicilia* ſub exſpectatione vernalis expeditionis hiemanti univerſa fideli multorum relatu innotuere. Qui mox *Iohanni* comiti *Moretonii*, et genti *Anglorum Walterum Rothomagenſem* archiepiſcopum virum prudentem et modeſtum, qui cum ipſo hiemabat, in *Angliam* auctoritate regii reſcripti direxit, præcipiens per literas ſuas, quod ſi vera eſſent quæ de epiſcopo *Elienſi* cancellario ſuo audierat, ipſe deponeretur, et loco ipſius *Rothomagenſis* archiepiſcopus ſubſtitueretur, *Willielmo* Mareſcallo et *Gaufrido* filio *Petri* in regimine regni ſociis ſibi adjunctis. Si autem falſa eſſent quæ regi erant de ipſo cancellario nunciata, nichilominus dicti archiepiſcopus *Rothomagenſis*, *Willielmus* et *Gaufridus* ei in regimine regni aſſocientur. Dictus vero *Rothomagenſis* et dictus *Willielmus* Mareſcallus comes de **Struguill** de rege in *Angliam* venientes, literas regias cancellario auſi tradere non fuerunt, ſcientes quod noviſſimus error pejor foret priore.

ANno ultimo præſcripto menſe Marcii prima die ejuſdem menſis feria vj. *Ricardus* rex *Angliæ* de conſilio regis *Franciæ* ab urbe *Meſſana* ad loquendum cum *Tancredo* rege *Siciliæ* perrexit, qui tercia die ſequenti ad civitatem *Cathanenſium*, ubi ſanctiſſimum corpus beatæ *Agathæ* virginis et martiris requieſcit, pervenit. Et cum *Tancredus* rex *Siciliæ* adventum illius audiſſet, obviam illi extra urbem fere per v. miliaria exivit. Et cum eum longe venientem conſpiceret, antequam convenirent uterque illorum deſcendit, et alter ad alterum

rum currens, in mutuos amplexus ſalutationeſque et oſcula irruerunt. Deinde equos aſcendentes ingreſſi ſunt civitatem, quibus clerus et populus, benedicentes Deum cum ympnis et canticis occurrerunt. Et oratione ad ſepulcrum ſanctæ *Agathæ* facta, rex *Angliæ* palacium regis *Tancredi* ingreſſus eſt, ubi per tres dies ſimul cum illo moram fecit. Quarta die rex *Siciliæ* dona multa et magna in vaſis aureis et argenteis, in equis et pannis ſericis regi *Angliæ* offerebat, at ipſe nichil eorum capere voluit præter unum parvulum anulum quem in ſignum mutuæ dilectionis accepit. Et rex *Angliæ* dedit eidem regi *Tancredo* optimum gladium nobilis *Arthuri* quondam regis *Britonum* quem **Caliburne** *Britones* vocaverunt.

Præterea rex *Tancredus* dedit regi *Angliæ* quatuor magnas naves quas *Uſſers* vocant et xv. galeas. Et rege *Angliæ* verſus *Meſſanam* redeunte, rex *Tancredus* per duas magnas diætas uſque *Tavernum* in propria perſona ipſum conduxit, cui cum inde recedere vellet, rex *Tancredus* dixit, Nunc ſcio vere et certis indiciis comprobavi, quod ea quæ rex *Franciæ* michi de vobis per ducem *Burgundiæ* litteratorie mandavit, potius ex invidia quam ex amore quem erga me habuit proceſſerunt. Ipſe enim michi ſcripſit, quod nec pacem nec fidem michi ſervaſtis, & quod conventiones inter nos factas tranſgreſſi eſtis, & quod in regnum iſtud non veniſtis niſi ut illud à me tolleretis; ſed & ſi vellem cum exercitu ſuper vos venire, ipſe michi in quantum poſſet auxilium præſtaret. Cui rex *Angliæ* non minori conſtancia verbi quam animi reſpondit, Confundantur omnes iniqua agentes; ſed et credere non poſſum quod de me talia vobis ſcripſit, cum ipſe ſit dominus meus & ſocius in iſto itinere conjuratus. Ad quem reſpondit rex *Tancredus*, Ut me, inquit, verum dicere comprobetis, ecce literas quas michi miſit per ducem *Burgundiæ* vobis trado. Quod ſi dux *Burgundiæ* negare voluerit, quod veriſſime has literas ſigillo regis *Franciæ* ſignatas michi non tradidit, ego verum inde per unum de meis ducibus comprobabo. Et cum rex *Angliæ* acceptis literis illis de rege *Tancredo* rediſſet, rex *Franciæ* uſque *Tavernum* cum *Tancredo* rege loqui venit, rege *Angliæ* verſus *Meſſanam* per aliam viam reverſo. Rex vero *Franciæ* moram unius noctis apud regem *Tancredum* ibidem faciens, in craſtino venit ad *Meſſanam*.

Rex autem *Angliæ* adverſus regem *Franciæ* ira commotus, faciem hillarem ei minime prætendebat, ſed oportunitatem ut cum ſuis ab eo recederet quærebat. Rege autem *Franciæ* quare hoc eſſet diligentius inquirente, rex *Angliæ* illi per comitem *Flandriæ* & alios familiares ſuos, ea quæ rex *Siciliæ* dixerat intimavit, literis à rege *Tancredo* receptis in teſtimonium facti oſtenſis. Quod cum rex *Franciæ* audiſſet, male ſibi conſcius obmutuit, ignorans quid contra talia reſponderet; Tandem ad ſe reverſus ait, » Verba hæc facta ſunt & de novo » inventa. Scio enim & certus ſum quod ipſe cauſam » malignandi adverſum me quærit, putans per » talia mendacia ſororem meam abicere quam » ſibi deſponſandam juravit. Cui rex *Angliæ* reſpondit, » Sororem tuam non abicio, ſed illam » ducere nequeo, quia pater meus eam cognovit, » generans ex ea filium. Quod cum regi *Franciæ* per plurimorum aſſercionem conſtaret, ipſe poſt multorum tergiverſationes verborum, regem *Angliæ* à conjugio *Aleſiæ* ſororis ſuæ quietum clamavit, decem milibus marcis argenti à rege *Angliæ* ex conventione ad opus illius mulieris receptis. Et cum rex *Franciæ* in *Franciam* rediret, prædicta ſoror ejus ſibi cum *Giſortio* & omnibus aliis rebus quas rex *Franciæ* eis in maritagio conceſſerat, traderetur. Et rex *Franciæ* dedit licentiam regi *Angliæ* quamcumque vellet ducere in uxorem. Inſuper conceſſit, quod dux *Britanniæ* ſit imperpetuum homo regis *Angliæ*, & hæredum ſuorum de *Britanniæ*, & quod rex *Angliæ* & hæredes ſui inde regi *Franciæ* & hæredibus ſuis reſpondeant; & ſic illa die reges *Franciæ* & *Angliæ* facti ſunt amici, qui omnes convenciones illas fide & ſacramentis ſub ſigillorum ſuorum teſtimonio confirmarunt.

Eodem anno menſe Marcii iij. idus ejuſdem menſis **Clemens** papa ſtatuit, ut *Scotica* eccleſia niſi ſedi apoſtolicæ nullo mediante ſubjaceret, ſuper quo *Willielmo* regi *Scottorum* ſub tenore quo ſequitur bullam fecit.

CLemens *epiſcopus ſervus ſervorum Dei kariſſimo in Chriſto filio* Willielmo *illuſtri regi* Scottorum *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum univerſi Chriſti jugo ſubjecti apud ſedem apoſtolicam patrocinium invenire debeant & honorem ac favorem, illos tamen ſpecialius convenit protectionis munimine confoveri, quorum fidem & devotionem in pluribus eſt experta, ut ad illius dilectionis favorem tanto amplius provocetur, & ejus reverentia devotiori affectione ſubdatur, quanto benevolentiæ ipſius & gratiæ pignus ſe noverit certius aſſecutos. Ea propter, kariſſime in Chriſto fili, reverentiam & devotionem quam ad* Romanam *te habuiſſe à longis retro temporibus eccleſiam novimus, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, ut* Scotica *eccleſia niſi apoſtolicæ ſedi cujus filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubjacere, in qua hea ſedes epiſcopales eſſe noſcuntur. Eccleſiæ videlicet ſancti* Andreæ, Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Brennenſis, Aberdunenſis, Maravienſis, Roſinenſis, Catinenſis. *Et nemini liceat niſi* Romano *pontifici vel legato ab ipſius latere deſtinato in regnum* Scotiæ *interdicti vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit decrevimus non valere. Adicimus, ut nulli de cætero qui de regno* Scotiæ *non fuerit, niſi quem apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum ſit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem ut controverſiones quæ fuerint in regno de poſſeſſionibus ejus exortæ ad examen extra regnum poſiturum judicium non trahantur niſi ad* Romanam *eccleſiam fuerit appellatum. Si qua vero ſcripta contra hujus libertatis ſtatutum apparuerint impetrata, vel imposterum iſtius conceſſionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi vel ipſi regno circa hujus prærogativæ conceſſionem præjudicium generetur. Præterea libertates & immunitates tibi vel eidem regno vel eccleſiis in eo conſtitutis à prædeceſſoribus* Romanis *pontificibus indultas & hactenus obſervatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit,*

ſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum apoſtolorum ejus Petri & Pauli *ſe noverit incurſurum.* Dat. iij. idus Marcii, &c.

Eiſdem anno & menſe Marcii iiij. kal. Aprilis Sabbato, *Philippus* rex *Franciæ* mare tranquillante & cœlo arridente à portu *Meſſana* cum toto navigio ſuo receſſit, & ſpacio dierum aliquot regem *Anglorum* mox ſecuturum præcedens, xxij. die ſequenti, ſcilicet Sabbato in ebdomada Paſchæ ad civitatem *Tholomaidam* pervenit, & ſe cum ingenti numero bellatorum exercitui junxit Chriſtiano, urbem jam fere per biennium obſidenti. Eodem die quo rex *Franciæ* à *Meſſana* receſſit, *Elianora* mater regis *Angliæ* illuc venit, *Berengeram* filiam regis *Navarrorum*, quam rex *Ricardus* ducturus erat, ſecum ducens. Et quarta die ſequenti, prædicta regina *Elianora* verſus *Angliam* inde rediens, dictam *Berengeram* regis filiam cum filio ſuo rege dimiſit. Eodem anno menſe Aprilis iiij. idus ejuſdem menſis, feria iiij. *Clemens* papa iij. obiit, & eodem die *Jacinctus* natione *Romanus* & eccleſiæ *Romanæ* cardinalis in papam eligitur, & in vigilia Paſchæ in ſacerdotem ordinatur, & in ipſo die Paſchæ in papam conſecratur, & *Celeſtinus* vocatur, qui ſedit annis vj. menſibus viij. diebus xj. Et in craſtino conſecrationis ſuæ *Henricum* regem *Alemannorum* in *Romanum* imperatorem, & *Conſtanciam* uxorem ſuam in imperatricem coronavit.

QUippe rex *Anglorum* qui in hiemali ocio ocioſus non fuerat, ſed in neceſſariis exercitui congerendis & machinis bellicis conficiendis tempus inbelle impenderat, cito poſt regis *Francorum* profectionem eodem menſe Aprilis, caſtellum quod fecerat in loco qui *Mategriffon* dicitur, fregit, & feria iiij. ante cœnam Domini cum regina *Siciliæ* ſorore ſua, & dicta *Berengera* filia regis *Navarrorum* ſibi copulanda, & toto exercitu ſuo cum centum quinquaginta magnis navibus & quinquaginta tribus galeis, à portu *Meſſanæ* receſſit, & in die *Paraſceve* circa horam nonam ventus horribilis ab auſtro veniens, ejus navigium diſſipavit. Rex autem in inſula *Cretæ* cum parte navigii ſui applicans, ad inſulam de *Rodes* inde pervenit. Tres autem buciæ de navigio ſuo in tempeſtate prædicta ad inſulam de *Cipre* venientes, ante portum de *Limazun* fractæ & comminutæ perierunt; in quibus plures milites & alii de regis familia ſunt ſubmerſi. Inter quos magiſter *Rogerus Malus catulus* regis vicecancellarius periit, circa cujus collum ſuſpenſum regis ſigillum poſtea repertum eſt. Præterea *Iſaac* tirannus qui eandem inſulam ſæva dominatione plurimis jam annis præerat, & in eadem Imperatorium ſibi nomen uſurpaverat, *Saladino* nominis Chriſtiani hoſti fœderatus, ipſique *Saladino* fidelior quam Chriſto, licet Chriſtianus diceretur, cum ſuo exercitu mox advenit, & primos regis *Angliæ* homines à naufragio evaſos, & in portum coactos, ſævus ipſe excipiens, indigne tractavit, & bonis omnibus ſpoliatos, eos incarceravit inedia conſumendos; qui & plus ferali crudelitate debacatus, buciam unam vento valido & fluctibus agitatam, in qua prædicta regina *Siciliæ* et filia regis *Navarrorum* erant, portum intrare non permiſit. Quod cum regi *Angliæ* nunciatum eſſet, ad illarum præſidium cum galeis multis et magno navigio Deo duce feſtinanter veniens, illas extra portum de *Limazun* ventis & fluctibus marinis expoſitas, mox invenit. Qui valde iratus, nunciis ad dictum tyrannum Imperatorem de *Cipre* ſemel, ſecundo et tercio miſſis, homines ſuos peregrinos, quos vinctos in carcere tenebat, cum eorum catallis, humili ſupplicatione peciit ſibi reddi. Quibus tyrannus ſuperbe loquens reſpondit, dicens, quod nec eos nec eorum catalla liberaret: ſed regi non diſſimilia comminans ſi ad terram ſuam præſumeret applicare.

Tunc rex *Angliæ* juſto zelo ad ultionem inflammatus, omnibus ſuis ait: Armate vos, & ſequimini me, & injurias quas perfidus iſte deo et nobis egit unanimiter vindicemus, certamque in Domino habeo fiduciam quod de iſto nequiſſimo Imperatore victoriam hodie nobis dabit. Interim Imperator ille, et multi de gente ſua armati, ſed plures eorum inermes, ad regem hoſtiliter excipiendum litora maris undique occupabat. Cum autem rex *Angliæ* & ſui armati eſſent, de magnis navibus galeas et naviculas ingreſſi, ad terram cum impetu venerunt; rege vero cum ſagittariis ſuis præeunte, cæteri omnes eum ſequentes impetum in Imperatorem et *Griffones* ſuos ſagittis fere cæcatos unanimiter fecerunt. Et prælio totis viribus hinc inde conſerto, *Græca* mollicies non diu impetum ſuſtinuit *Latinorum*. Victus namque tyrannus poſt multorum ſuorum interfectionem cum exercitu ſuo fugit; quem magnificus triumphator rex *Angliæ* perſequens, maximam ex obſtantibus ſtragem fecit. Et niſi nox celerius ſuperveniſſet, tyrannum vivum vel mortuum illo die cepiſſet. Nocte namque ſuperveniente, quia rex *Angliæ* & ſui vias et ſemitas montium per quas Imperator cum ſuis fugit ignorabant, noluerunt amplius illos ſequi. Sed cum præda magna hominum et animalium redeuntes, ad villam de *Limazun* venerunt, quam *Griffones* et *Herminii* fugientes vacuam reliquerunt. Interim eodem die prædicta regina *Siciliæ* et filia regis *Navarrorum* portum de *Limazun* cum regis navigio intraverunt. Imperator vero hominibus ſuis qui per dumos diſperſi fuerant ſibi religatis, eadem nocte in convallibus ſuper unum fluvium quaſi per v. miliaria à villa de *Limazun* caſtrametatus eſt, ſub juramento affirmans, quod in craſtino cum rege *Angliæ* dimicaret. Quod rex per exploratores ſuos audiens, longe ante diem ſe et exercitum ſuum armari fecit, & ſine tumultu procedens, ad Imperatoris exercitum uſque venit. Quos dormientes inveniens, cum magna et horribili exclamatione tentoria eorum intravit, et illi à ſompno ſic excitati, facti ſunt velut mortui, quid facerent aut quo fugerent neſcientes. Ipſe autem Imperator cum paucis nudus evaſit, theſauros, equos, arma et tentoria ſua pulcherima poſt ſe relinquens, una cum vexillo ſuo imperiali per totum auro contexto, quod rex *Angliæ* ſtatim beato *Edmundo* glorioſo regi et martyri deſtinavit.

In craſtino multi Comites et Barones inſulæ ad regem *Angliæ* venientes, homines ſui devenerunt, et obſidibus ei inde datis, fidelitatem ei contra Imperatorem et omnes homines juraverunt. Tertia autem die ſequenti, *Guido* rex *Jeruſalem* et *Galfridus* de *Lezynon* frater ejus, *Anfridus* de *Turun*, *Raimundus* Princeps *Antiochiæ*, *Bomundus* filius ejus Comes *Tripolis* et *Leo* frater *Rupini de la Mountayn* in inſulam de *Cipre* ad regem *Angliæ* venerunt; et ibi homines ſui devenientes, fidelitatem ei contra omnes homines juraverunt. Eodem die cum Imperatot de *Cipre* virtute & auxilio ſuorum ſe omnino deſtitui vidiſſet, ſupplices legatos ad regem *Angliæ* mittens, pacem ei optulit in hac forma, ſcilicet quod ipſe xx. milia marcarum auri in recompenſatione pecuniæ ſubmerſorum ei daret, & illos qui naufragium evaſerunt & in cuſtodia ſua adhuc fuerunt, liberos cum eorum catallis dimitteret; & ipſe in propria perſona ſua in terram *Siriæ* cum illo iret, & quamdiu rex ibi foret moram ibidem in ſervicio Dei cum centum militibus & quadringentis *Turcopolis* equitibus, ac quingentis ſervientibus peditibus ſecum faceret, & inſuper filiam ſuam, quam unicam habebat hæredem, ad maritandum cui voluerit cum ſuo Imperio ei daret, & quod fidelitatem ei juraret, & regnum ſuum de illo teneret. Et ad iſta fideliter et firmiter obſervanda caſtella regni ſui in pignore regi *Angliæ* tradidit & conceſſit.

His itaque ex utraque parte conceſſis, Imperator ad regem *Angliæ* venit, & coram principibus totius Imperii fidelitatem ei & hæredibus ſuis ſicut ligio Domino ſuo contra omnes homines juravit, rege *Jeruſalem* & principe *Antiochiæ* & aliis qui aderant magnatibus præſentibus. Juravit etiam regi *Angliæ*, quod omnem ſupradictam conventionem ſibi firmiter & inconcuſſe & ſine malo ingenio conſervaret. Eodem die cum Imperator poſt prandium in tentorio ſuo eſſet, & milites regis quibus ille ad cuſtodiendum traditus erat, meridianum ſomnum cepiſſent, furtive ab eis receſſit, pœnitens ſe pacem prædictam cum rege *Angliæ* feciſſe, Mandanſque ei pacem aut pactum prædictum ſe minime ſervaturum. Quod ut videbatur plurimum regi placuit. Ipſe enim rex ut vir circumſpectus & prudens, magnam ſui exercitus partem *Guidoni* regi *Jeruſalem* & cæteris principibus tradidit, dicens, Sequimini et perfidum illum comprehendite ſi poteſtis. Ego autem inſulam iſtam cum galeis girabo, & ne perjurus ille manus meas evadat, cuſtodes meos per inſulæ circuitum ponam. Unde ſtatim diviſis in duas partes galeis, quarum una parte ſibi retenta, aliam *Roberto* de *Turnham* aſſignavit. Et ſic ipſe ex una parte & *Robertus* ex altera galeas intrantes, totam inſulam de *Cipre* ambierunt, naves omnes & galeas capientes quas per circuitum invenerunt. Et cum *Griffones* & *Herminii* quibus Imperator civitates & caſtella cum aliis munitionibus in cuſtodia tradiderat, tot viros armatos & galeas venientes vidiſſent, ea ſine cuſtodia reliquerunt, in montana protinus fugientes. Rex vero & dictus *Robertus* portus, civitates & caſtella omnia ceperunt & quotquot vacua invenerunt ea victualibus, viris & armis munierunt, & ad *Limazun* demum in galeis redierunt. Rex autem *Jeruſalem* & qui cum eo erant parum adhuc in expeditione ſua proficere potuerunt.

Menſe autem Maij iiij. idus ejuſdem, dominica die feſto ſanctorum *Nerei*, *Achillei* & *Pancraſii* *Ricardus* rex *Angliæ* in inſula de *Cipre* *Berengeram* regis *Navarræ* filiam deſponſavit, *Nicholao* capellano ſuo hujus Sacramenti officium celebrante. Et eodem die illam in reginam *Angliæ* à *Johanne Ebroicenſi* epiſcopo apud *Limazun* coronari fecit, archiepiſcopis de *Arpia* & *Auxia* præſentibus, cum epiſcopis de *Baiona* et aliis multis. Deinde rex *Angliæ* cum audiſſet quod filia Imperatoris eſſet in caſtro fortiſſimo quod dicitur *Ciberyn*, cum ſuo exercitu illuc venit. Cui caſtello apropinquanti filia Imperatoris obviavit, & eum procidens adoravit, caſtrum & ſe in miſericordia ſua tradens. Deinde fortiſſimo caſtello quod dicitur *Buffeneter* ei reddito, traditæ ſunt illi munitiones et omnes Imperii civitates, illo infelice Imperatore in quadam fortiſſima abbathia, quæ caput ſancti *Andreæ* dicitur, latitante. Qui cum adventum domini regis audiſſet, obviam ei exivit, & ad pedes ejus provolutus, in miſericordia ejus de vita & membris ſe poſuit, nulla de regno facta ulterius mentione. Et cum in manu & poteſtate regis omnia jam eſſent, à rege ſolum petiit, ne in compedibus & manicis ferreis permitteret eum poni. Nam fertur ipſum dixiſſe, quod ferro vinctus cito deficeret. Rex vero petitionem ejus audiens ait, Quia nobilis eſt & nolumus eum mori, ſed ut vivat innoxius, cathenis argenteis aſtringatur. *Ricardo* igitur filio *Godefridi* Camerario ſuo illum in cuſtodia tradidit, qui eum compedibus et manicis argenteis ut rex præceperat arte vinxit. Hæc autem in inſula de *Cipre* facta ſunt prima die menſis Junii in vigilia Pentecoſtes. Quibus feliciter peractis & opulentiſſimis tyranni theſauris in fiſco regio redactis, & omnibus ad ſecuritatem præordinatis, & cuſtodibus per civitates & caſtella conſtitutis, rex *Ricardo* de *Chamvil* & *Roberto* de *Tornham* imperium de *Cipre* tradidit cuſtodiendum.

Eodem die *Berengera* regina *Angliæ* et regina *Siciliæ* ſoror regis cum filia Imperatoris de *Cipre* ad obſidionem *Acræ* cum majori parte navigii regis *Angliæ* pervenerunt. Et eodem die *Philippus* Comes *Flandriæ* in obſidione *Acræ* deceſſit. Inſula vero prout rex *Angliæ* voluit et decuit in omnibus ordinata, cunctiſque rite diſpoſitis, arridentibuſque elementis, ipſe feria iiij. ebdomadæ Pentecoſtes ab inſula de *Cipre* cum galeis ſuis verſus obſidionem urbis *Tholomaidæ* diſceſſit, regem *Jeruſalem* & principem *Antiochiæ* ac Comitem *Tripolis* & cæteros Principes qui ad eum venerant, ſecum habens. Et *Radulphum* filium *Godefridi* cum Imperatore de *Cipre* ad *Tripolim* deſtinavit. Sane antequam rex à *Cipre* diſceſſerat, Comites, Barones et omnes homines inſulæ medietatem omnium quæ poſſidebant regi dederunt pro legibus et inſtitutis habendis quibus tempore *Manuelis Conſtantinopolitani* Imperatoris in inſula utebantur. Quibus eis conceſſis et carta regia confirmatis, rex in craſtino receſſus ſui de inſula ad urbem *Tiri* venit, quem cuſtodes civitatis intus recipere noluerunt, dicentes quod hoc à rege *Franciæ* et *Conrado* ejuſdem urbis domino prohibitum eis erat. Unde Rex illa nocte extra urbem in tentorio jacens, in craſtino ſcilicet feria vj. ebdomadæ Pentecoſtes, cum verſus *Tholomaidam* veloci curſu iter ageret, quandam magnam buciam multis paganis onuſtam et vexillis regis *Franciæ* peromatam, eminus in mari conſpexit, quæ à *Saladino* obſeſſis in *Tholomaida* miſſa, multiplicis ſubſidii copiam deferebat, variis armis et omni apparatu bellico ſatis fulgens. Rex autem *Angliæ* ad eos mittens, quæſivit qui eſſent, et unde veniſſent, et quo irent. Qui reſponderunt ſe Chriſtianos eſſe de familia regis *Franciæ* et de *Antiochia* cum armis et victualibus ejuſdem adveniſſe, et ad *Acram* ire velle. Nuncii vero regis *Angliæ* neminem illorum cognoſcentes, ad regem redierunt, et viſa et audita ei protinus narraverunt. Rex reſpondit, Certe mentiti ſunt in caput ſuum, talem buciam non habet rex *Franciæ*. Et ſi de familia regis *Franciæ* ſint, dicite eis, ut exſpectent et mecum loquantur.

Interim antequam nuncii regis ad eos iterum veniſſent, pagani omnes qui in bucia erant, ſe armaverunt, et nuncios peſſime recipientes, ignem *Græcum* in eos et ſagittas hoſtiliter emiſerunt. Quod videns rex omnibus qui ſecum aderant dixit, Ite perſequimini eos et comprehendite, quod ſi abierint amorem meum in perpetuum perdetis: & ſi eos comprehenderitis, quicquid petieritis dabo vobis; et inſuper, omnia eorum catalla veſtra ſint. Hiis dictis, ipſe & omnes impetum in buciam illam unanimiter facientes, cum roſtris galearum, vel alio modo expugnationis per ipſum regem mox invento, eam ſub aquis undique perforaverunt. Aqua vero per foramina intrans, illam aggravato pondere in profundum cito traxit. Et cum pagani mergi cœpiſſent, arma ſua in pelago projecerunt & ignem *Græcum* quem portabant, vaſis fractis illico effuderunt. Relictaque nave, nudi in mari velociter ſe miſerunt: quos galiotæ pro magna parte interfecerunt, quibuſdam tamen illorum in galeas proſilientibus vivis reſervatis. Æſtimabantur pagani autem qui in bucia illa erant numero M. quingenti, quos *Saladinus* ut eos in *Acram* mitteret ex omnibus paganis ſuis elegerat. Quibus ut dictum eſt devictis, ſubmerſis & interfectis, rex omnia eorum catalla à ſubmerſione reſervata ſuis diſtribuit galiotis.

In craſtino ſcilicet die Sabbati in vigilia ſanctæ Trinitatis rex *Angliæ* ad obſidionem *Acræ* veniens, paganos quos de bucia vivos retinuit, regi *Franciæ* & Comitibus exercitus diſtribuit indilate. Illi autem in civitate cum audiſſent, quod pagani qui in bucia erant, in quibus fiduciam habebant, capti & ſubmerſi eſſent, & quod rex *Angliæ* magnificus triumphator ad obſidionem veniſſet, timentes valde, oportunitatem de die in diem quærebant, ut pro licencia abeundi cum vita & menbris ei traderent civitatem. Rex vero *Franciæ* qui Sabbato in ebdomada paſchæ jam ante adventum regis *Angliæ* ad obſidionem venerat, & perarias, hurdicios & alias machinas ſuas bellicas in locis congruis paraverat, nichil in eis operatus eſt, ſed ſemper adventum regis *Angliæ* exſpectavit. Unde rex *Angliæ* ſtatim cum veniſſet, machinas bellicas erexit & perarias ſuas & hurdicios parari præcepit. *Piſani* vero & *Januenſes* ad regem *Angliæ* venientes ei ſua ſervicia optulerunt. Receptis *Piſanis*, *Januenſes* qui fidelitatem regi *Franciæ* & *Conrado* Marchioni per prius fecerant, penes ſe noluit retinere. *Piſanis* vero regi *Angliæ* homagium facientibus & fidelitatem jurantibus, rex omnes libertates & conſuetudines quas in terra *Jeroſolomitana* habere ſolebant, conceſſit, & carta ſua confirmavit.

Tercia autem die poſt adventum regis *Angliæ*, rex *Franciæ* omnes ſervientes ſuos dimiſit, quos rex *Angliæ* ad machinas ſuas die & nocte cuſtodiendas retinuit, unde factum eſt quod pagani de civitate exeuntes, & machinas regis *Franciæ* ſine cuſtodia invenientes, eas combuſſerunt. Et paulo poſt adventum regis *Angliæ*, uterque regum *Franciæ* & *Angliæ* in infirmitatem quæ dicitur *Arnaldia* inciderunt, in qua fere uſque ad mortem laborantes capillos ſuos depoſuerunt: machinis tamen bellicis regis *Angliæ* die & nocte non ceſſantibus lapides ſuper turres & muros mittere civitatis. Reges tandem miſeratione divina de ægritudine illa convaleſcentes, robuſtiores & in dei ſervicio animoſiores facti ſunt. Et quia *Guido* rex *Jeruſalem* conqueſtus erat eis, quod *Conradus* Marchio vi & injuſte redditus ſuos & jura regni ei abſtulit, redditus portus *Acræ* per *Templarios* & *Hoſpitalarios* colligendos & recipiendos ordinaverunt, donec proviſum eſſet quis illorum de jure illos habere deberet. Et *Gaufridus* de *Lezinan* frater regis *Jeruſalem* dictum *Conradum* Marchionem in Curia regum de fide læſa & perjurio ac proditione facta contra regem fratrem ſuum & adverſus totum Chriſtianorum exercitum appellavit; Unde pignore de appellatione proſequenda dato, ipſe *Conradus* male ſibi conſcius ſtare juri nolens, à turba declinavit, & foras exivit, omnibus poſt illum conclamantibus & dicentibus, Proditor eſt ille qui juri ſtare recuſat; nemo tamen miſit in illum manus, ne forte tumultus in populo fieret ipſe autem *Tyrum* abiit.

Rege vero *Angliæ* partem regis *Jeruſalem* fovente, & rege *Franciæ* partem *Conradi*, rixæ & contentiones ſæpius inter eos oriebantur. Unde aliquo tempore poſtea tranſacto, rex *Franciæ* pro dicto *Conrado* miſit; Quem ad eum venientem, conſiliarium ſibi & familiarem conſtituit; de cujus conſilio rex *Franciæ* medietatem totius inſulæ de *Cipre* à rege *Angliæ* peciit, cum medietate omnium quæ in illa cepit, ratione pacti inter eos apud *Meſſanam* habiti, ſcilicet quod dimidiarent omnia inter ſe quæ viribus in terra *Jeruſalem* adquirerent quamdiu in illa peregrinatione eſſent. Cui rex *Angliæ* reſpondit; ſi medietatem *Flandriæ* & cæterorum quæ adquiſiſti poſt mortem Comitis *Flandriæ* & Comitis de ſancto *Odomero* qui in obſidione *Acræ* mortui ſunt michi dederis, ego medietatem totius adquiſitionis meæ in inſula de *Cipre* voluntarie tibi dabo, quamvis conventio inter nos de hiis tantummodo facta fuit quæ communibus viribus ſuper *Saracenos* in terra *Jeruſalem* deo propicio adquirere poſſimus, quia juxta hanc intentionem illud pactum de adquiſitione inter nos dividenda fuerat conſtitutum. Unde rex *Angliæ*, dicens, ſe Chriſtianam inſulam non ex intentione eam adquirendi adiſſe, ſed incidenter ad eam cauſa atrocis & adhuc recentis injuriæ ulciſcendæ divertiſſe, medietatem illius adquiſitionis regi *Franciæ* ipſum rupti fœderis & pacti arguenti, modis omnibus denegabat. Demum tamen petitiones ſuas reges ex utraque parte remiſerunt, & convenciones quas de adquiſicionibus eorum in terra *Jeruſalem* dividendis apud *Meſſanam* fecerant, ſcriptis & teſtimoniis iterum confirmarunt. *Templarios* & alios viros ſapientes in quibus confidebant, ad tales adquiſitiones recipiendas & inter eos fideliter dividendas tunc temporis ſtatuentes.

Interim *Saladinus* princeps exercitus paganorum, nuncios ad reges *Franciæ* & *Angliæ* cum piris Damaſcenis & aliis diverſorum fructuum generibus frequenter miſit. Qui de jocoſis et jocalibus ſuis ei remiſerunt, et nichilominus inſultum in civitatem *Acræ* per diverſas machinas et foſſores die ac nocte muros ſuffodientes viriliter fecerunt. In illo tempore erat in civitate *Acræ* quidam homo deo devotus, occultus tamen propter metum paganorum, qui frequenter literas ſuas per ſagittas in trahendo uſque ad Chriſtianorum exercitum foras miſit, urbis ſtatum & paganorum propoſitum eis mandans, unde Chriſtiani ſæpius præmuniti inſidias eorum melius evitabant, ipſe enim ſemper in literis ſuis imponebat, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Nullus tamen Chriſtianorum ipſum ante urbis captionem vel poſt aliquo modo novit.

Menſe Junii circa feſtum natalis ſancti *Johannis Baptiſtæ* Chriſtianis magnam partem foſſati implentibus, pagani qui in urbe erant eam cum eorum armis & victualibus, Chriſtianorum Regibus, ſi eos cum vita & membris abire permitterent, optulerunt; quorum petitiones reges recipere noluerunt. Eodem menſe Junii *Ricardus de Camville* quem rex unum de Juſticiariis ſuis in *Cipro* conſtituerat, infirmabatur, & ſine licentia regis ad obſidionem *Acræ* veniens ibi ultimum clauſit diem. Quo defuncto, *Griffones* & *Herminii* qui in *Cipro* ad pacem regis nondum venerant, novum imperatorem quendam monachum conſanguineum *Iſaac* imperatoris ſibi conſtituerunt; ſed *Robertus de Thornham* qui ſolus in *Cipro* Regis Juſticiarius remanſit, illum cum gente ſua vincens cepit, & in patibulo ſuſpendit. Eodem menſe obiit *Radulphus* filius *Godefridi* cuſtos imperatoris *Iſaac*, quem rex *Warnero* de *Naples* ſummo Hoſpitalis magiſtro cuſtodiendum commiſit. Eodem menſe foſſoribus regis *Angliæ* fundamentum murorum ſuffodientibus, & lignis ſuppoſitis ignem apponentibus, maxima pars murorum cecidit civitatis. Perariis eciam regis *Franciæ*, *Templariorum* & *Piſanorum* in muro juxta turrim maledictam foramina magna facientibus, homines regis *Franciæ* illuc convenerunt, inſultum in paganos viriliter facientes. Sed quia via ardua erat & ſtricta, multi de hominibus regis *Franciæ* ibi ceciderunt. Rex autem *Angliæ* & homines ſui exteriora foſſata quæ erant inter Chriſtianorum exercitum & *Saladini* copias, interim cuſtodiebant. Conventio namque inter reges erat, quod quando unus civitatem inſultaret, alius foſſata, propter incurſus incredentium, cuſtodiret.

Menſe Julii tercia die ejuſdem, feria tercia, magna parte murorum urbis juxta turrim maledictam cadente, multi de familia regis *Franciæ* cum *Alberico* illius Mareſcallo & armatorum copia ad urbem currentes, mœnia aſcenderunt; & cum intraſſent ecce pagani in manu forti illis obviantes & viriliter reſiſtentes, eos retroire fortiter coegerunt, *Alberico Clement* cum multis aliis ibi in Dei ſervicio interfecto; ubi *Conradus* Marchio qui plures à morte poſſet liberaſſe, nullum præſtans auxilium, ignominioſe ibi & viliter ſe retraxit. Pagani vero qui ad murorum ſtabant defenſionem, nichil mali ſibi vel ſuis fecerunt, ſed vexillum ejus, quod ipſe in ſignum fœderis illis dederat, in ſublime, cunctis videntibus & multum admirantibus, tenuerunt. In craſtino *Meſtok* & *Karacois* principes paganorum qui in urbe erant, ad reges *Franciæ* & *Angliæ* venientes, urbem & arma ſua omneſque theſauros quos ipſi & alii pagani ibidem habebant. pro licentia abeundi cum vita & membris eis iterum optulerunt. Quod reges recipere nolebant. ſed totam terram quam *Saladinus* & cæteri pagani Chriſtianis abſtulerant, ab eo tempore quo *Ludowicus* rex pater *Philippi* regis *Franciæ* in terra *Jeroſolomitana* fuit, ac Crucem ſanctam Chriſtianoſque captivos in cuſtodia *Saladini* & cæterorum paganorum ſuorum exiſtentes, ab eis libere exigebant. Pagani vero ſcientes ſe nichil horum ſine voluntate *Saladini* facere poſſe, datis de redeundo obſidibus, ad *Saladinum* protinus perrexerunt; cui regum petitiones oſtendentes, nichil de hiis efficere potuerunt, unde nulla pro illis redempcione à *Saladino* conceſſa, confuſi ad urbem reverſi, eam ingreſſi ſunt.

Nocte ſequenti circa horam noctis mediam, exercitus *Saladini* in cuſtodes foſſatorum exteriorum inſultum fecit, ut dum Chriſtiani defenſioni foſſatorum intenderent, pagani per fugam de urbe facilius evadere poſſent. Sed reges inde per mandatum ſupradicti viri qui erat in urbe, præmuniti, cuſtodes per murorum circuitum poſuerunt, ita quod nulli ſecurus patebat egreſſus. Facto igitur per Chriſtianorum exercitum clamore, omnes à ſompno excitati, arma velocius ſumentes, ad foſſata protinus acceſſerunt. Et impetu in paganos facto, multos ex illis occiderunt aliis effugatis. Quinta die menſis Julii feria vj. ignis quem homines regis *Angliæ* fecerant, inciſioni murorum iterum appoſitus eſt. Et nocte ſequenti, muris & turribus cadentibus, magnum introitum fecerunt. Et in craſtino rex *Angliæ* cum exercitu ſuo armato ut inſultum in urbem faceret, acceſſit; ſed pagani qui intus erant ſignum fecerunt quod vellent loqui cum regibus de pace inter ſe facienda, & data illis licentia, rex & ſui ſua arma depoſuerunt. Tunc *Meſtok*, *Karracois*, *Helſedin* & *Jordic* iterum exierunt cum regibus locuturi. Et cum diu de pace facienda tractaſſent, loqui cum *Saladino* licentiam acceperunt, qui datis de redeundo obſidibus abierunt. Et cum ad *Saladinum* veniſſent, ipſi & filii nepotes & amici eorum qui in exercitu *Saladini* erant, ipſum rogabant, ut illos à mortis periculo liberaret; dicebant enim » quod » nullo modo poſſent ulterius defendere civitatem, » quia muri & turres jam ceciderant, & pluſquam » tercia pars hominum urbis interfecta erat, vel ad » necem graviter vulnerata. Quibus *Saladinus* reſpondit, » ſi reges *Franciæ* & *Angliæ* mecum ire » voluerint ad debellandum dominum *Muſte* fra» trem *Noradini*, & conſanguineum ſuum filium » ejuſdem *Noradini* filii *Sanguini* de *Halapa*, qui » totam terram meam quæ eſt ultra *Eufraten*, de» victo & expulſo *Tekedino* avunculo meo cepe» runt; & in ſervicio meo per unum annum com» morari, & michi imperpetuum quietam clamare » *Eſcalon* & le *Cragh* de *Mirabel*, quod eſt ultra » flumen *Jordanis*: ego civitatem *Jeruſalem* cru» cemque ſanctam & omnes terras, urbes, caſtella » & munitiones quas ego & mei cepimus poſt » captionem regis *Guidonis*, & eciam ante captio» nem ſuam per quinquennium, eis reddam. Et ſi » reges illi noluerint vel non poſſint mecum ire, duo » milia militum & quinque milia equitum bene ar» matorum ad ſerviendum michi per unum annum » de ſuo exercitu michi tradant, ego reddam eis » omnia ſupradicta, militibuſque & ſervientibus » ſtipendia bona dabo, & tam magna qualia ante » unquam fuerant eis data; ſcilicet unicuique militi » quadraginta ſex bizancios per menſem, & unicui» que ſervienti xvj. bizancios per menſem. Et ſi quis » illorum in ſervicio meo interfectus fuerit, reddam » militem pro milite, & ſervientem pro ſerviente. » Et ſi quis eorum captus, ego illum redimam. His dictis, *Meſtok*, *Carracois*, *Helſedin* & *Jordic* ſcientes reges hoc facere nolle, triſtes & confuſi *Acram* celeriter ſunt ingreſſi.

Septima die menſis Julii die dominica rex *Francia* & exercitus ejus, urbem juxta turrim maledictam loco quo prius inſultantes, nichil profecerunt, xl. ibi de ſuis hominibus interfectis. Erat autem via arta & ardua, & ſtrictus introitus, & multi paganorum ad illam defenſionem convenientes Chriſtianos cogerant retroire, rege *Anglia* cum ſuis ad defenſionem foſſatorum interim exiſtente. Octava die menſis Julii *Saladinus* turrim & villam de *Caiphas* comburens, omnes vineas in circuitu ejus deſtruxit.

In nocte ſequenti dum Chriſtiani vigilias noctis ante turrim maledictam propter paganos cuſtodirent, quædam mulier ſpeciociſſima, cujus pulcritudo in ſui ſplendore ſolis radium vincebat, circa horam noctis mediam illis apparuit; præ timore autem exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Illa autem confortabat eos, dicens, Nolite timere, ego ſum *Maria* mater Domini noſtri *Jheſu Chriſti*, qui me miſit ad vos, ut dicatis regibus, quod circa murorum proſtrationem ulterius non laborent, nam quarto die poſt iſtum dabit eis Dominus civitatem. Eadem nocte dum beata Virgo mater Domini tam blande Chriſtianos conſolaretur, terræ motus tam magnus & horribilis in urbe venit, quod pagani qui intus erant nimio timore percuſſi, mori quam vivere maluerunt. Hiis dictis, beata virgo cœlum aſcendit, ſuſcipiente eam ab eorum oculis nube clara. Mane autem facta, cuſtodes ipſi viſionem, & ea quæ à beata Virgine audierant regibus & principibus exercitus retulerunt. Unde læticia magna facta eſt in populo Chriſtiano. Nono die menſis Julii *Saladinus* omnes vineas & arbores fructiferas quæ in circuitu *Acre* erant, extirpari fecit, civitates eciam & caſtella debilia in quibus reſiſtendi Chriſtianis fiduciam non habuit, penitus deſtruendo.

Undecima die menſis Julii, *Piſani* & *Anglici* civitatem in illa parte ubi perariæ regis *Anglia* magnum foramen fecerant, inſultarunt. Sed pagani ad defenſionem murum aſcendentes, *Piſanum* unum *Leonardum* nomine peremerunt. Datoque deinde ſigno de civitate reddenda, & pace ad voluntatem regum facienda, Chriſtianis arma deponentibus, pagani ad loquendum cum regibus de urbe venientes, in eadem poſtea reverſi ſunt. Duodecima die menſis Julii feria ſexta reges *Francia* & *Anglia*, & omnes principes exercitus paganorum tam clerici quam laici, ad tentorium *Templariorum* mane convenientes, cum principibus paganorum qui in urbe erant cum illis pariter ibidem præſentibus pacem fecerunt & concordiam, in hac forma, videlicet, Quod pagani civitatem *Acra* & CCC. Chriſtianos captivos qui in illa erant illis traderent, cum toto auro & argento, armis, navibus & galeis, ac victualibus in eadem, & quod eciam Crucem ſanctam illis redderent & M. D. Chriſtianos captivos, & CC. milites Chriſtianos captivos quales reges eligerent à captivitate eorum liberarent, & redderent illos eis, & quod CC. milia bizanciorum darent regibus antedictis, & quod ipſi uſque dum hæc omnia perficerentur, in eorum regum cuſtodia obſides remanerent: Et ad omnia iſta perficienda, reges *Francia* & *Anglia* illis quadraginta dierum terminum ſtatuerunt. Quod ſi infra terminum conventionem teneant, cum vita & membris quieti à cuſtodia liberarentur, aliter in regum miſericordia & gratia in omnibus remanſuri.

Hiis itaque conventionibus conceſſis & utrobique juratis, miſerunt reges in urbem milites & ſervientes ſuos, qui C. de majoribus paganis eligentes, eos in turribus & fortioribus domibus civitatis ſub tuta cuſtodia poſuerunt, cæteris vero paganis minoris precii infra muros urbis locum vacuum tradiderunt, appoſitis cuſtodibus qui illis cotidie vitæ neceſſaria miniſtrarent. Poſtea vero cum reges audiſſent, quod quidam illorum paganorum de nocte furtive abiſſent, eos in arciori cuſtodia in cellariis retrudi fecerunt, ſtatuentes ut omnes liberi fierent qui vellent in Dei nomine baptizari. Unde factum eſt, quod poſtquam multi paganorum baptizati fuerunt, ad *Saladinum* revertentes, legem Chriſtianam quam ſuſceperant reliquerunt; regibus extunc prohibentibus eorum aliquem amplius recipi ad baptiſmum. Audiens autem *Saladinus* quod pagani ſui pacem cum regibus feciſſent, diſſimulavit hoc protinus per ſe factum eſſe.

Terciadecima die menſis Julii civitas *Acra* & omnes pagani & cætera omnia quæ in eadem erant, inter reges *Francia* & *Anglia* menſura & numero ſunt partita: *Drogone* de *Marlon* ad hoc cum C. militibus ex parte regis *Francia*, & *Hugone* de *Gurnay* cum C. militibus ad idem ex parte regis *Anglia* conſtitutis. Quartadecima die menſis Julii *Saladinus* & ſui à Chriſtianorum exercitu longius ſe retrahentes, tentoria ſua in loco qui dicitur *Safforia* fixerunt. Interim *Saladinus* ad reges *Francia* & *Anglia* nuncios cum muneribus ſuos miſit, per quos totam terram *Jeruſalem* præter *le Cragh*, de *monte Regali*, quod eſt trans flumen *Jordanis*. eis optulit, ita quod reges illi duo milia militum & V. milia ſervientum ad ſerviendum ei per unum annum contra dominum *Muſte* filium *Noradini* illi traderent, ſicut ſuperius dictum eſt; quod reges facere noluerunt. Quintadecima die menſis Julii reges *Francia* & *Anglia* perarias & alias machinas ſuas bellicas disjungere fecerunt, leporariis brachetis & accipitribus eodem die à rege *Anglia Saladino* miſſis.

Sextadecima die menſis Julii *Saladinus* per *Akka* nuncium ſuum munera pretioſa & magna valde regi *Anglia* deſtinavit. Et eodem die nuncii ex parte domini *Muſte* filii *Noradini* ad reges *Francia* & *Anglia* venerunt, offerentes eis, quod ipſe dominus & homines ſui baptiſmum & legem Chriſtianam reciperent, ſi vellent contra *Saladinum* auxilium ſibi dare. Quod audiens *Saladinus* multo magis ſe devotiorem & humiliorem illis regibus exhibuit in obſequiis faciendis. Eodem eciam die *Alardus Veranenſis* epiſcopus, & ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ Cardinalis, apoſtolicæ ſediſque legatus, & eciam *Tironenſis Piſanus*, & *Auxienſis* archiepiſcopi, *Sariſbirienſis*, *Ebroicenſis*, *Baionienſis*, *Tripolitanus*, *Carnotenſis*, & *Beluacenſis* epiſcopi, & cæteri eccleſiarum principes, eccleſias urbis *Acra* per paganos pollutas conſecrarunt, & altaribus ædificatis, in eis miſſarum ſolempnia celebrarunt, regibus circa murorum urbis reparationem & domorum ejuſdem reædificationem intendentibus. Eodem die ſcilicet ſextadecima die menſis Julii & duobus diebus ſequentibus, *Piſani* & nummularii & cæteri mercatores infra urbem *Acra* per diſtributionem ſervientium regum *Francia* & *Anglia* manſiones ſuas in foro rerum venalium receperunt, ſingulis inde annis redditus ſolitos reddituri.

Nonadecima die menſis Julii cum Comites & Barones exercitus qui jam fere per biennium in obſidione *Acræ* moram fecerant, audiſſent, quod reges *Franciæ* & *Angliæ* omnia quæ in captione civitatis ceperant propriis marſupiis dediſſent, & nichil eis inde aſſignaſſent, extra foſſata exteriora in ſimul convenerunt, & habito ibi colloquio regibus mandaverunt: Quod ipſi cum illis diucius moram non facerent, niſi ſicut & laboris participes, lucri forent. Reges autem hoc audientes, licet ſe eis ſatisfacturos reſponderunt, id tamen facere indies diſtulerunt, unde multi paupertate coacti ab illis, armis ſuis prius venditis, receſſerunt. Viceſſima die menſis Julii feſto ſanctæ *Margaretæ* virginis, rex *Angliæ* videns quod ipſe & rex *Franciæ* nichil adverſus *Saladinum* in faciendo pacem proficiebant, à rege *Franciæ* petiit ut niſi ipſe *Saladinus Jeruſalem*, & totam terram *Jeroſolomitanam* celerius redderet, quod ipſi pariter cum exercitibus ſuis ad inimicos crucis Chriſti debellandos jurarent in terra illa per triennium commorari. Cui rex *Franciæ* reſpondit, ſe nullum inde facere ſacramentum; habuit enim jam in mente in ſuam redire in proximo regionem.

Die xxj. menſis Julii *Ricardus* rex *Angliæ* civitatem *Acræ* intrans. in palacio quod ei contingebat quando civitas inter ipſum & regem *Franciæ* partita fuerat, habitavit; quo die uxorem ſuam reginam *Angliæ*, & ſororem ſuam reginam *Siciliæ*, & filiam imperatoris de *Cipre* jam ut prædicitur captivati ad ſe introduxit. Viceſſima ſecunda die menſis Julii in feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, cum rex *Angliæ* in palacio ſuo eſſet, & principes exercitus ſui coram eo ad præceptum ejus audiendum conveniſſent, *Robertus Beluacenſis* epiſcopus, *Hugo* dux *Burgundiæ*, *Drogo* de *Auvens*, & *Willielmus* de *Merlou* ad eum venientes, ipſum ex parte regis *Franciæ* ſalutarunt. Quo ſalutato, in tantum fletum proruperunt, quod unum ſolum verbum ulterius proferre minime potuerunt. Quibus flentibus, cæteri circumſtantes propter motum animi quem in eis viderant, in fletum provocabantur. Cumque ſic in fletu perſtarent, rex *Angliæ* converſus ad eos dixit. Nolite flere, ſcio quid petituri eſtis. Dominus quidem veſter rex *Franciæ* repatriare deſiderat, & ex parte ejus veniſtis ut inde à me conſilium & licenciam habeat. Tunc illi vultu demiſſo inquiunt; Domine, tu noſti omnia, & nos ex parte ejus venimus ut de licencia & conſilio veſtro redire ad patriam poſſit ſuam; dicit enim, niſi celerius à terra iſta recedat morietur. Quibus rex *Angliæ* reſpondit. Dedecus & obprobrium ſempiternum ſibi & regno ſuo erit ſi recedat imperfecto negocio pro quo venit. Unde per conſilium meum non recedet, ſed ſi oporteat eum mori niſi in patriam ſuam redeat, liceat ei facere quod velit & quod ſibi & ſuis commodius videatur. Unde craſtina die receſſu ſuo per exercitum divulgato, principes exercitus ſui ad eum venientes, ne ita impudenter à ſervicio Dei recederet, poſtularunt, ſed ut inſpectis prædeceſſorum ſuorum actibus, illæſam cuſtodiret regni *Franciæ* dignitatem. Ille tunc conſilio fidelium ſuorum conſentiens, per aliquod tempus remanſit, & iterum medietatem inſulæ de *Cipre* à rege *Angliæ* poſtulavit. Sed nichil impetravit. Et exinde magna diſcordia inter eos orta eſt; tamen de conſilio ſapientum virorum indignatio utriuſque quievit, & amici facti ſunt.

Viceſſimo ſeptimo die menſis Julii de conſilio regis *Franciæ Conradus Marchio* ad regem *Angliæ* venit, & procidens ad pedes ejus veniam peciit & accepit, nam propter *Guidonem* regem *Jeruſalem*, rex *Angliæ* odio illum habebat. In craſtino ſcilicet xxvij. die menſis Julii, reges in unum locum & cum illis *Conradus* Marchio, & *Guido* de *Lezinan* convenerunt. Cunctiſque reſidentibus, idem *Conradus* ſurrexit, & facto ſilencio, regnum *Jeroſolomitanum* de jure uxoris ſuæ ſororis *Sibillæ* reginæ quæ ſine prole deceſſit, ſibi peciit liberari. *Guido* de *Lezinan* petebat idem regnum de *Jeruſalem* ſicut ille rex inde extiterat, & in nullo deliquerat quare illud amittere deberet. Et uterque illorum poſuit ſe in concilio & judicio regum *Franciæ* & *Angliæ* prædictorum. Tunc rex *Francorum* eidem *Conrado* Marchioni favorem propenſius accommodans, partem *Guidonis* qui regnum Chriſtianum ut dicit prodiderat & eciam perdiderat, nititur infirmare, & dictum Marchionem qui civitatem *Tyri* & reliquias Chriſtianæ religionis ſaltim parvas ſalvavit, aptiorem ad regnum, ut prius, corditer pronunciavit. Rex vero *Anglorum* non adquievit, ſed partem *Guidonis Aquitannici* ſcilicet hominis, cujus tota propinquitas ſub rege *Anglorum* vigebat, aptiorem protinus judicavit, pro eo ſic allegans. Regnum, inquit, Chriſtianum perdidit ſed non prodidit, prodituſque ſimul ipſe cum regno à ſuis in manus hoſtium traditus eſt, & Deo demum propicio liberatur: aut ergo culpa ejus in hac parte declaretur, aut ei prærogativa qua nudari non meruit ſervetur. Et quamvis rex *Franciæ* ægre tulit ſententiam ſuam à rege *Angliæ* non approbari ſed potius infirmari, demum tamen de conſenſu dictorum regum, & concilio, & judicio archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum exercitus magnatum ibidem præſentium, pax & finalis concordia in hunc modum inter eos facta eſt.

Viceſima octava die menſis Julii reges *Franciæ* & *Angliæ*, & omnes principes exercitus ad palacium in quo rex *Angliæ* erat hoſpitatus convenerunt, præſentibus cum illis dictis *Guidone* & *Conrado* ad ſuum judicium audiendum. Inprimis prædicti *Guido* & *Conradus* juraverunt ſe regum judicium inconcuſſe prout inſtituerent obſervare. Deinde reges prædicti cum toto exercitu regnum *Jeroſolimitanum* dicto *Guidoni* adjudicarunt, ita quod quamvis uxorem duceret & filios & filias generaret, in regno tamen illo nullam clamare poterunt hæreditatem. Sed poſt ejus deceſſum, ſi prædictus *Conradus* & uxor ejus ſoror *Sibillæ* reginæ eum ſupervixerint, in regnum ei libere ſuccedent, & hæredes eorum ſequantur, ſceptrum illud jure hæreditario poſſidentes, cunctis interim terræ *Jeruſalem* redditibus inter dictos regem *Guidonem* & *Conradum* quamdiu vixerint dividendis. Et *Gaufridus* de *Lezinan* frater regis *Guidonis* comitatum de *Joppen*, id eſt, de *Japhes*, & *Cæſaream* ſibi & hæredibus ſuis poſſidebit per ſervicium regi *Jeruſalem* ſolitum & debitum ſemper inde faciendum. Similiter prædictus *Conradus*, *Tyrum*, *Sydonem*, & *Baruth* ſibi & hæredibus ſuis jure hæreditario poſſidebit, ſemper inde ſervicium regi *Jeruſalem* ſolitum & debitum faciendo. Hæc omnia firmiter & inconcuſſe bona fide & ſine malo ingenio tenenda, uterque illorum, ſcilicet *Guido* rex & *Conradus* Marchio, corporale præſtitit ſacramentum.

Triceſima die menſis Julii *Philippus* rex *Franciæ*, omnibus quæ in civitate *Acræ* adquiſierat, *Conrado*

Marchioni datis, contra conſilium & principum ſuorum voluntatem iterum licenciam revertendi ad patriam ſuam à rege *Angliæ* quæſivit. Qua optenta, juravit ipſe rex *Franciæ* tactis ſacroſanctis evangeliis, quod dampnum regi *Angliæ* nec terris nec hominibus ſuis quæreret neque faceret, nec ab aliquo pro poſſe ſuo fieri permitteret, ſed homines & terras illius ſecundum poſſe ſuum ab hoſtium invaſione defenderet, & bene & pacifice cuſtodiret & defenderet ſicut vellet civitatem ſuam *Pariſius* defendere & cuſtodire, ſi aliquis eam invadere præſumeret. Deinde rex *Franciæ*, *Hugonem* ducem *Burgundiæ*, principem ſui exercitus ſub tege *Angliæ* conſtituit; *Raimundo* principi *Antiochiæ* C. milites & D. armigeros tradens ad urbem ſuam *Antiochiæ* contra paganos defendendam. Similiter rex *Angliæ* dedit eidem principi *Antiochiæ* quinque magnas naves, equis, armis, & victualibus onuſtas, & C. milites & quingentos ſervientes ad terram ſuam defendendam ſibi eciam aſſignavit, & dedit unicuique eorum vadia ſua & liberationem ab illo die uſque ad proximum paſcha ſequens.

xxxj. die menſis Julii rex *Franciæ* omnibus paganis in urbe *Acra* jam captis, inter ſe & regem *Angliæ* partitis, *Manaſſerum* epiſcopum de *Leugris*, *Reginaldum Carnotenſem* epiſcopum & *Petrum* comitem *de Nivers* ſecum aſſumens, *Tyrum* abiit, *Karacois* & aliis paganis ſibi contingentibus ſecum abductis. Et cum inde receſſiſſet, illos cuſtodiendos *Conrado* tradidit Marchioni. Licet inſuper à captione ſive redditione urbis per iſtum ſupradictum proceſſum non videtur nec inſeritur, quod reges longe ab urbe receſſerunt, vel ſuper paganos in terra equitarunt, in cronicis tamen religioſæ domus de **Giſeburn** legitur, quod urbe capta ſive reddita, regibus per dies aliquot in eadem morantibus, fames valida in exercitu Chriſtiano facta eſt, propter quod, communicato conſilio, reges inter ſe bono zelo totum diviſerunt exercitum Chriſtianum, ut contra crucis Chriſti inimicos procederent bipartite. Extunc rex quidem *Franciæ* cum ſuo exercitu divertit ſe per unam diætam à civitate ad quoddam caſtrum fortiſſimum obſidendum, petulanter dicens, quod non niſi caſtro expugnato vel reddito obſidionem relinqueret; Rex autem *Angliæ* ex altera parte cum ſuis incedens & igne ferroque viam ſibi pandens, per octo diætas omnia pro libito complanavit. Audienſq; quod rex *Francorum* adhuc in obſidione illius caſtri nichil proficiendo maneret, ſuis ait, Si rex *Franciæ* & ego longe fuerimus ab invicem ſeperati, veniet forte *Saladinus*, qui modo exercitum timet conglobatum, & in partem irruet ſeperatam, ſi aliquo modo nocere poſſet vel viribus prævalere. Melius eſt ergo ut ad eum revertamur, & caſtro expugnato poterimus conjunctim tunc incedere vel diviſim. Et cum ibidem declinaturus eſſet, de feſtino ejus adventu & laudabili expeditione & quomodo in modico tempore viriliter agens magna exercuit, regi *Franciæ* nunciatur. Qui accitis ſuis ait, Ecce rex *Ricardus* adeſt qui hucuſque ſtrenue agens proſperatus eſt; & nos licet multi ſumus parum tamen profecimus; ſi manſerimus hic & in præſencia ſua deditum fuerit caſtrum vel expugnatum, non nobis ſed ſibi omnis laus & gloria tribuetur. Ad civitatem ergo *Tholomaidam* revertamur, & cum venerit faciat ipſe quod poterit. Quod factum eſt.

Cumque rex *Ricardus* veniſſet, & hoc didiciſſet oravit ad Dominum, ſic dicens, » O bone Jheſu pro » cujus amore iter iſtud aſſumpſi, ut ſanguinem tuum » pro redemptione Chriſtiani nominis effuſum in » hoſtes tuos pro poſſe vindicarem, adjuva me ſi » placet in præſenti iſtius caſtri expugnatione, ita » quod tibi & nomini tuo laus & honor aſcribatur. Et convocatis ſuis ait, » Ecce quomodo reliquit nos » rex *Francorum* animi invidia ſe contaminatum ipſo » facto declarans, & infecto negocio nomen vecordiæ » in ſuo receſſu nomini imprimens Chriſtiano. » Erigimini ergo in Chriſtianorum laudem, & viriliter » agite pro Chriſto & nomine veſtro, quia exhinc » non recedemus niſi potenter expugnetur, vel » nobis magnifice reddatur. Erectis ergo cito machinis hinc inde tela proiciuntur, grandeque prælium eſt conſertum. Obſeſſi vero viri ſtrenuiſſimi nichil ſibi timentes, eo quod Chriſtianis non erat introitus niſi per unam viam valde artam, apertis januis quinquaginta armatos emiſerunt qui pompatice ſtarent, & ſi forte aliqui ingreſſum attemptarent, eis extrema forte illuderent. Quod cum videret rex *Ricardus* effremuit & impetum animi retinere non valens, ſtimulato dextrario in eos continuo irruit & nunc hos nunc illos hinc inde cædens, demum portam ingreſſus eſt, & concurrentibus cæteris paganis omnes quaſi in eum irruerunt, equum ſuum ex difficili perimentes. Moxque clamor ingens in exercitu factus eſt, Corruit rex & mortuus eſt. Alii autem dicunt, Ingrediamur & cum ipſo moriamur: ſtatimque reſumptis viribus viri potentes animoſe ingreſſi, regem in aula invenerunt, non quidem edentem vel bibentem ſed cum bipenni ſtrenuiſſime pugnantem. Interfectis vero fere omnibus pauci admodum reſervantur, de quibus in ſignum victoriæ *Ricardus* rex tres de nobilioribus ad regem *Franciæ* deſtinavit. Quos cum ipſe recepiſſet, indignatus eſt, tamen diſſimulavit.

Audiens iſta *Saladinus* nuncium ad reges miſit qui ſic in dolo eis diceret: » Dominus meus de Jheſu » veſtro quem prædicatis & colitis multa bona jam » audivit, & ſpem certam in eo concepit, quod ſicut » vos eſtis modo, ſic & ipſe erit legis ſuæ cultor » & prædicator, unde treugas poſtulat ſeptennales, » infra quas cum ſuis deliberare poſſit, & de lege » veſtra inſtrui & plenius informari, & ſi propoſitum » ſuum continuaverit ipſe Deus, abſque majori » ſanguinis effuſione effici poterit Chriſtianus. Et rex *Francorum* ſtatim ad hæc reſpondit. » Pax fere » præ foribus eſt, & qui menſuram reſpuit frequenter » decipitur. Rex vero *Anglorum* in parte gravatus ſubintulit indilate. » Heu heu quod ab ore » Chriſtiano & maxime regio unquam ex promiſſo » pagani in ſpecie fallibili exire debuit verbum tale! » Nos enim quærimus & petimus terram patris noſtri » Jheſu Chriſti, ubi pro nobis natus, paſſus, mortuus » & ſepultus eſt, in qua ſuo precioſiſſimo ſanguine » nos redemit, & pro noſtra omniumq; ſalute » pependit. Quam quidem terram hæreditatem utique » noſtram quia à Chriſto Chriſtiani, iſti hoſtes » peſſimi de manibus fratrum noſtrorum Chriſtianorum » violenter eripuerunt. Hanc ergo ſi nobis » reddere & reſtituere noluerint, eamus, & propoſitum » pro quo crucem aſſumpſimus faciamus, & » ſicut Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ſic & nos pro » Chriſto ſi neceſſe fuerit moriamur. Hæc autem & ſimilia dicens, vota & mentes ſingulorum contra paganum populum excitabat, & ſic in ipſo negocio prædictum nuncium quaſi vacuum unanimiter remiſerunt; unde exinde rex *Franciæ* ut dictum eſt ſtuduit repatriare. Quo ab urbe ut prædicitur recedente, rex *Ricardus* prima die menſis Auguſti, ſecunda et tercia habito cum principibus exercitus conſilio perariiſque omnibus cum aliis machinis ſuis bellicis in ſcaphis poſitis, omnes naves ſuas fecit frumento, vino et oleo et aliis quæ erant hominibus et equis neceſſaria, onerare. Et facto edicto, ut omnes parati eſſent cum equis et armis ſequi eum *Aſcalonam* ut dicebat iturum.

Quarta die menſis Auguſti cunctis exercitus ſagittariis coram eo congregatis ſtipendia bona dedit, quorum multitudo tanta erat quod timor *Saladinum* & ejus exercitum apprehendit. Quinta die menſis Auguſti rex *Angliæ* de conſilio Principum exercitus, *Hubertum* filium *Walteri* Epiſcopum *Sariſbirienſem* ad civitatem *Tyri* miſit propter paganos quos rex *Franciæ* ſecum adduxerat reducendos, dies enim peremptorius appropinquabat, in quo ipſi perficere debebant conventionem, quam pro vita & menbris habendis cum regibus *Franciæ* & *Angliæ* fecerant, quando urbem & ſe eis reddiderunt, quia pax fieri non potuit ſine illis. Qui cum *Tyrum* veniſſet, regem *Franciæ* qui tercia die præcedenti inde receſſerat, & in cuſtodia *Conradi* prædictos paganos ibi dimiſerat, non inveniens, cauſam ſui adventus *Conrado* protinus nunciavit, petens ex parte regis *Angliæ* & principum exercitus, quod ipſe cum feſtinatione *Karracois* & omnibus cæteris paganis ſecum adductis ad regem *Angliæ* adveniret. Cui *Conradus* reſpondens ait, Rex *Angliæ* nullum michi tradidit, nec ego ad illum ibo, nec eciam paganum aliquem ſibi mittam. Sexta die menſis Auguſti epiſcopus *Sariſbirienſis* moram apud *Tyrum* in legatione ſua faciens, & deinde poſtera die *Acon* veniens, primum ſecreto, poſtea cunctis principibus exercitus audientibus, omnia quæ à dicto *Conrado* audierat & viderat regi *Angliæ* enarravit. Unde rex principibus, propter hoc valde indignatus, ait: Eamus & in perjurum illum factas nobis injurias vindicemus, & ab eo civitatem *Tyrum* fortiter auferamus, quia certus ſum quod ea quæ facit non facit per regem. Cumque *Hugo* dux *Burgundiæ* cor regis *Angliæ* ita inflammatum, & principes exercitus dictis ejus aſſenſum præbentes vidiſſet, ait: Suſtinete parumper & me dimittite illuc ire, & niſi ego eos adduxero, quod vobis placuerit faciatis. Placuit regi & cunctis audientibus ſermo iſte.

Octava igitur die menſis Auguſti, dux *Burgundiæ*, aſſumptis ſecum *Roberto Beluacenſi* epiſcopo, & *Guidone* de *Dapere*, & *Willielmo* de *Merlou* familiaribus dicti *Conradi*, ac eciam *Roberto* de *Quincy* ex parte regis *Angliæ* eis aſſociato, *Tyrum* eodem die velociter profectus eſt. Nona die menſis Auguſti feria vj. erat primus dies peremptorius in qua Crux ſancta & ſupradicti Chriſtiani milites & ſervientes cum ducentis milibus bizanciorum regi *Angliæ* reddi debuerant, & *Saladinus* omnes paganos ſuos in *Acon* captos recipere debebat. Sed quia illi quos rex *Franciæ* uſque *Tyrum* ſecum abduxerat, nondum venerant, alius dies peremptorius poſt illum uſque in diem undecimum eſt ſtatutus. Decima et undecima die menſis Auguſti dux *Burgundiæ* et qui cum eo miſſi fuerant, moram cum *Conrado* apud *Tyrum* facientes, duodecimo die menſis ejuſdem, *Acon* redierunt, *Karracois* et cæteris paganis pro quibus ierant, ſecum adductis. Eodem die rex *Angliæ* et multi cum eo exteriora foſſata exierunt ad loquendum cum *Thekedino* fratre *Saladini* qui pacem inter eos facere conabatur. Unde ipſo *Thekedino* non veniente nec nuncium mittente, rex plurimum iratus ait, Quod nunquam pacifice cum illis de cætero loqueretur.

Tercia decima die menſis Auguſti miſit rex *Angliæ* nuncium *Saladino*, mandans ſe paratum eſſe tenere omnem convencionem quam fecerat cum paganis quos in urbe *Acon* ceperat, ſi ipſe ea reddiderit quæ pro eis promiſerat; ſin autem, pro certo ſciret, quod omnia paganorum capita amputaret. Cui *Saladinus* reſpondit, Si tu meorum paganorum capita amputaveris, ego tuorum Chriſtianorum capita amputabo. Vigilia beatæ *Mariæ* matris Domini, quæ xiiij. die menſis Auguſti feria iiij. eo anno evenit, rex *Angliæ* tentoriis prope exercitum *Saladini* fixis, exteriora exivit foſſata, præcipiens ut omnes eum ſequerentur. Sed pauci eum propter equorum & aliorum quorundam inopiam ſunt ſecuti. Quintadecima die menſis Auguſti feſto Aſſumptionis beatæ *Mariæ* rege *Angliæ* moram in tentoriis faciente, iterum commune ab eo exiit edictum, ut omnis eum exercitus ſequeretur; Unde multis præceptis ſuis parentibus, major pars exercitus contra eum murmuravit, dicens, Durus eſt hic ſermo, Nos pauperes ſumus & non habemus quid manducemus aut bibamus, neque veſtes quibus operiamur, neque equos in quibus aſcendamus, Ipſe enim nichil nobis dat, Quomodo ergo poterimus eum ſequi? Unde quidam malo exemplo regis *Franciæ*, quidam voluntarii & inbecilles, quidam eciam depauperati neceſſario repatriabant. Quod audiens rex *Angliæ* proprios aperuit theſauros, et pauperum miſertus inopia, univerſis quod neceſſarium fuit dedit, & multos nobiles profuſis ſumptibus retinuit; inter quos de imperio *Theutonico Limpoldus* dux *Auſtriæ* unus fuit, qui poſtea beneficii inmemor, regem venientem à *Siria* captivavit.

Eodem die nuncii *Saladini* ad regem *Angliæ* cum muneribus precioſis ſæpius ibant & revertebantur, cum prece humiliter poſtulantes, quod dies ſententiæ quam ipſe paganis conſtituerat prolongaretur. At rex *Angliæ* munera illorum ſpernens juravit, quod diem ſententiæ nullatenus prolongaret. Nuncii tamen *Saladini* penes regem *Angliæ* tantum ſupplicarunt, quod ad colloquium inter ipſum & *Saladinum* in craſtino veniret. In craſtino ſcilicet xvj. die menſis Auguſti *Saladino* ad locum pro colloquio ordinatum non veniente nec nuncium pro eo illuc mittente, rex *Angliæ* cum veniſſet multum de hoc admirans, nuncios ad eum miſit, inquirens quare ad colloquium non veniſſet. Quibus *Saladinus*, Non veni, inquit, quia conventionem factam minime potui adimplere. In craſtino xvij. die menſis Auguſti Sabbato clerici *Acon* civitatis ſibi epiſcopum elegerunt. Die xviij. menſis Auguſti in die dominica *Saladinus* fecit omnium Chriſtianorum captivorum capita amputari quos debuerat in redemptionem reddere paganorum. Eodem die rex *Angliæ* removit exercitum ſuum, et tentoriis ſuis propius exercitui *Saladini* fixis, congreſſum cum eo et gente ſua fecit. In quo ex utraque parte multis vulneratis et necatis *Petrus Minnot* regis *Angliæ* familiaris cecidit interfectus. Nonodecimo die Auguſti cum rex *Angliæ* necem Chriſtianorum quos *Saladinus* interfecerat audiſſet, doluit vehementer, et tamen noluit diem peremptorium anticipare quem ſtatuerat in paganos.

Viceſima die menſis Auguſti feria tercia xiiij. kal. Septembris *Ricardus* rex *Angliæ* fecit omnes paganos qui eum contingebant ante exercitum *Saladini* ducere, et in conſpectu omnium, eorum capita amputare. Dux vero *Burgundiæ* fecit decapitari infra muros urbis et extra prope civitatem omnes paganos qui dominum ſuum regem *Franciæ* contingebant. Mortuis ſic paganis et eviſceratis, felleque eorum reſecato, et uſui medicinali reſervato, bizantia multa auri Chriſtiani in eorum corporibus invenerunt. At rex *Angliæ* noluit interficere *Meſtok* qui erat Admiraldus de *Roais*, et Conſtabularius de *Scalona* et *Ieruſalem*, nec *Carracois* qui erat *Saladini* ſummus conſtabularius et eunuchus, hii enim duo *Ieruſalem* et *Scalonam* pro vita et menbris regi ſe promiſerant reddituros. Noluit eciam rex interficere *Helſidin* filium *Kalun*, neque *Helſedin Iordic* admirallem de *Halapa*, neque *Paſſabar* conſtabularium *Achon*, neque *Hakedin* qui erat ſcriptor in *Achon*, neque *Camardok* theſaurarium armorum *Achon*. Nam omnes hii pro vita et menbris pecuniam multam regi et magna Chriſtianis auxilia promittebant. In craſtino viceſima prima die menſis Auguſti poſt necem paganorum rex *Angliæ*, *Bertrando Verdon*, et *Stephano de Munchanis* fratri *Elienſis* epiſcopi in cuſtodia *Achon* tradidit civitatem, et ibi uxore ſua *Berengera*, et ſorore ſua *Iohanna* regina *Siciliæ* et filia imperatoris *Iſaac* de *Cipro* dimiſſis, alios conſtituit cuſtodes qui eas et theſauros ſuos cum dictis urbis cuſtodibus cuſtodirent.

Viceſima ſecunda die menſis Auguſti feria v. rex *Angliæ* fluvium *Acræ* cum ſuo exercitu pertranſivit, & inter fluvium illum et mare prope litus maris tentoriis ſuis inter *Achon* et caſtellum *Caiphas* fixis, moram ibidem per tres dies fecit. Deinde cum exercitu ſuo ſecus litus verſus *Joppen* perrexit, navibus ſuis cum victualibus et machinis bellicis juxta eum velificantibus, ut cum neceſſe eſſet ad naves recuperare poſſet. *Saladinus* autem cum inmenſo exercitu per montana à ſiniſtris exercitus regis ibat, non longe ſemper ab eo inſidiantes die et nocte, ut oportunitatem haberet congrediendi cum Chriſtianis vel illorum vias aliter impediret; et ſic mira calliditate cum potuit extrema exercitus Chriſtiani agmina trucidavit. Menſe autem Septembris tercia die poſt exaltationem ſanctæ Crucis, cum rex *Cæſareæ* apropinquaſſet, et ad fluvium qui dicitur fluvius *Cæſareæ* veniſſet, *Saladinum* et exercitum ejus magnum ibi invenit, qui fluvium undique occupaverat, & ad impedimentum viæ tentoria ſua fixerat. Videns itaque rex *Ricardus* quod Chriſtiani & eorum pecora illa nocte ſiti perirent ſi hauſtus aquæ illis negaretur, vel quod ſi pedem retraherent, omnes per paganos qui eos ita circumdederant interficerentur, exercitum ſuum per turmas ſtatim diviſit, & gentem paganam percutere juſſit, ac contra inimicos crucis Chriſti eos pugnare viriliter hortabatur. Et in prima cohorte erat *Jacobus de Avenois* miles fide catholicus & militari probitate ſtrenuus; qui prælio gravi commiſſo cum cohorte ſua primum impetum in paganos faciens, eos bis viriliter penetravit, multos ad extremam mortis ſortem ducendo; tercia autem vice tibia cum pede ſibi abſciſa ad mortem vulneratus ad regem *Ricardum* clamabat dicens, « O bone rex *Ricarde* vindica mortem meam. Et reſumptis viribus quemdam percuſſit *Saracenum* qui in ſpiritu corruit vehementi, moxque aggravantibus in eum *Turcis*, abſciſa ei dextra cum multos occumbere feciſſet, ipſe proh dolor! in ipſo conflictu occubuit, & cum multis *Chriſtianis* in illa turma occiſis in *Chriſto* domino obdormivit.

Poſt illam cohortem venit illa cohors in qua erat rex *Ricardus*, qui per medium paganorum tranſiens, maximam ex obſtantibus fecit ſtragem, & fluvio per ſe & ſuos à paganis liberato, ipſum tranſivit, & utramque ripam optinuit, multis eum ſine impedimento ſequentibus *Chriſtianis*. Ultimam vero *Chriſtianorum* cohortem quam *Hugo* dux *Burgundiæ* & *Templarii* regebant, *Saladinus* & major ac fortior pars exercitus ejus obſederant, & undique crudeliſſime invaſerant, & maximam jam partem illorum *Chriſtianorum* occiderant. Rex *Angliæ Ricardus* qui longe præerat clamorem eorum & gemitum *Chriſtianorum* morientium audiens, cum feſtinatione in illorum auxilium eſt reverſus. Et impetu in paganos facto, obviantem ei *Saladinum* militem quidem ſtrenuiſſimum cum equo ſuo in terram cum lancea penitus proſtravit. Sed proh dolor! non ad mortem. Et cum ipſe rex ſtrenue agens ad alios ſe diverteret, *Saladinus* recuperato dextrario fugit, ſed ægre. Quod videntes ſui, mox & ipſi terga vertentes in fugam lapſi ſunt, quos Chriſtiani in ore gladii ſunt ſecuti. Et cum die illa pluſquam xl. milia illorum interfecerant, ad fluvium ſunt reverſi. Inde vero noſtri profecti ſunt uſque *Joppen*; quam *Saraceni* cum adventum regis *Angliæ* audiſſent muros & munitiones illius in quantum tanto tempore poterant ſubverterunt, & illam bonis omnibus vacuam dimiſerunt: ubi rex *Ricardus* adveniens & oportunitatem loci videns, eandem totis cœpit viribus inſtaurare; & ſtatim poſt, *Eſcalonam* diſpoſuit oppugnare. Quod audiens *Saladinus*, illico eam ſubvertit; urbes quoque reliquas & terræ illius caſtella præter civitatem ſanctam *Ieruſalem* & munitiones pauciſſimas complanavit, & totam provinciam bonis omnibus abraſis quaſi inutilem & vacuam reliquit hoſtibus indefenſam.

Et cum rex *Ricardus* urbium illarum deſolationem vidiſſet, eas reædificare ſtuduit, & ad civitatem *Achon* regreſſus menſas nummulariorum ſubvertit, & circiter xx. milia hominum *Chriſtianorum* ibi elegit quos ſecum ad præfatas urbes deſolatas reduxit, & ex illis *Joppen* & *Cæſaream* reædificare cœpit.

INterim *Philippus* rex *Franciæ* inperfecta peregrinatione ſua à terra *Jeroſolimitana*, ut ſupradictum eſt, recedens cum xiiij. galeis tranſitum fecit ante civitatem de *Baruth* quæ tunc in manu fuerat paganorum. Deinde venit ante *Gibelet* civitatem & ante *Buterum* & *Neffin* caſtella. Deinde venit ad urbem *Tripolis*, ubi per dies aliquot moram fecit. Et cum inde receſſiſſet, venit ante caſtellum de *Archis*, & ante caſtellum album. Deinde ante *Leculiat* caſtellum *Hoſpitalis*, deinde ante *Tracuſam* civitatem quæ eſt in inſula maris quæ dicitur *Ardeos*; unde *Tracuſa* dicitur civitas *Autaradenſis*

taradenſis civitas epiſcopalis. Deinde venit ad *Mauraclaye* portum bonum, & inde recedens, ante *Margat* caſtellum Hoſpitalis tranſivit. Deinde ad *Valenam* civitatem epiſcopalem venit, & poſtea ad civitatem epiſcopalem quæ dicitur *Gibel*; deinde ad urbem *Melidam*; deinde ad portum ſancti *Simeonis*; deinde ad civitatem *Antiochenam*. Et inde recedens per portum *Bunel*, & per portum *Alexandriæ*, intravit terram *Erminiorum* quæ dicitur *Erminia*, & eſt terra *Rupini de la Mountayne*. Deinde venit ad fluvium qui dicitur *Tyl*, & eſt ibi civitas bona ſuper fluvium illum qui ſimiliter dicitur *Tyl*. Et inde venit ad fluvium magnum qui dicitur *Turche*, & ibi eſt civitas magna deſerta ſuper fluvium qui eciam dicitur *Turche*. Deinde venit ad tercium magnum fluvium qui dicitur *Salef*, & ibi eſt civitas ſuper fluvium quæ dicitur *Salef*. In iſto fluvio *Salef* ſubmerſus eſt *Fredericus Romanorum* imperator cum exiret de terra *Soldani* de *Yconio*. Et ſciendum eſt quod à finibus illis venerunt illi tres reges, ſcilicet *Jaſpar*, *Baltaſar*, & *Melchior*, qui domino noſtro *Iheſu Chriſto* munera optulerunt, quorum unus erat rex de inſula *Salef*, & alter rex de *Malunſtre*, & tercius erat rex de *Terzeil*, id eſt, *Tharſis*, unde dicitur in Pſalmo, *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent*, *&c.* Et notandum quod hii tres fluvii, ſcilicet *Salef*, *Turche*, & *Tyl*, oriuntur in *Turkia* quæ dicitur terra *Turcorum* qui ſunt homines *Soldani* de *Yconio*; & dividunt terram *Turcorum* à terra *Rupini de la Mountayne*, & deſcendunt in gulphum *Satalia*. Et *Salef* fluvius appoſitus eſt inſulæ de *Cypre*, quæ non diſtat ab ea pluſquam quinquaginta miliaria ad æſtimationem nautarum, facile enim de una ripa in alteram videtur.

Et cum rex *Franciæ* à *Salef* fluvio receſſiſſet, tranſivit juxta montes excelſos qui dicuntur *Carmendes*. Deinde tranſivit ad caſtellum quod dicitur *Neſſekin*. Deinde venit ad villam bonam quæ dicitur *Stamere*, in qua *Griffonum* eſt nobilis abbathia. Deinde tranſivit ante caſtellum deſertum quod dicitur caſtellum de *Roto*. Deinde venit ad fluvium qui dicitur *Scalendros*, fluvius ille dividit terram *Erminiorum* quæ eſt terra *Rupini de la Mountayne* à terra imperatoris *Conſtantinopolitani*; & ibi ex una parte illius fluvii in terra dicti *Rupini* ſecus mare eſt caſtellum quod dicitur *Yſanci*, & ex altera parte illius fluvii in terra imperatoris *Conſtantinopolitani*, eſt caſtellum quod dicitur *Antiochet*. Cumque rex *Franciæ* illuc veniſſet, *Conſtantinus* qui tunc erat dominus illius caſtri, ipſum cum gaudio ſuſcipiens ei neceſſaria miniſtrabat; apud quem rex *Franciæ* per viij. dies moram faciens, filium prædicti *Conſtantini* primogenitum militari cingulo decoravit. Et ſciendum eſt quod à fluvio illo qui dicitur *Scalandros*, tota terra quæ eſt ſecus mare verſus ſeptentrionem eſt terra imperatoris *Conſtantinopolitani*, & dicitur *Rumania*, idem eſt quod *Græcia*.

Et cum rex *Franciæ* receſſiſſet ab *Antiochet*, ſtatim intravit gulphum *Satalia*. Gulfus dicitur ubi aqua protenditur inter duas terras & ſinum facit. *Satalia* caſtellum eſt optimum, unde gulfus ille nomen accepit. Et ſuper gulphum illum ſunt duo caſtella & villæ, & utraque dicitur *Satalia*. Sed unum eorum eſt deſertum per piratas deſtructum, & dicitur vetus *Satalia*, & alterum nova *Satalia* dicitur, quod *Manuel* imperator *Conſtantinopolitanus* firmavit. Tranſitoque gulfo *Satalia*, rex *Franciæ* tranſivit cum galeis ſuis ſub monte qui dicitur *Syredone* in fine gulfi *Satalia*. Deinde tranſivit per montem excelſum valde qui dicitur *Reſwich*. Deinde venit ad fluvium qui dicitur *Wynke*, ſuper quem eſt caſtellum per piratas deſtructum quod dicitur *Reſwich*, & fluvius ille dicitur *portus Piſanorum*, eo quod *Piſani* portum illum piratæ ſæpius frequentant. Et contigit quod cum rex *Franciæ* perinde tranſiſſet, invenit ibi quatuor galeas piratarum qui multa mala fecerant *Chriſtianis*; quibus galeis per regem captis, piratæ in montana fugientes, mortem relictis galeis evaſerunt. Deinde venit rex ad *Mirream* civitatem, ubi beatus *Nicholaus* epiſcopatum tenuit, quæ Græce dicitur *Stamure*. Deinde venit ad portum bonum & in omni tempeſtate & vento ſecurum, qui dicitur *Crachous*. Et ex utraque parte portus illius pulcræ fuerunt antiquitus civitates, quæ dicebantur *Cake* & *Rime*, & magnæ uſque in hodiernum diem apparent, & nemo in eis propter metum habitat piratarum. Deinde tranſivit per inſulas de *Yſe*, in quarum una eſt caſtellum quod dicitur *Rugecaſtell*. Ibi manſit jamdudum quædam puella quæ *Yſe* vocabatur, à cujus nomine inſulæ illæ nomen acceperunt.

Indigenæ quidem ibi narrant, quod quidam miles puellam illam dilexit, quæ ſibi quamdiu vixit noluit conſentire. Qua defuncta, miles acceſſit ad eam & cum ea concubuit, dicens, Quod cum viva facere non potui cum mortua feci. Cui illa dicitur reſpondiſſe, Ecce filium in me genuiſti, & cum tempus pariendi advenerit, ego afferam filium tuum tibi. Et poſt novem menſes, cum tempus pariendi inſtaret, peperit filium ſed abortivum, quem portans ad militem ait, Ecce filius tuus quem genuiſti, abſcide caput ejus & illud tibi reſerva. Quandocumque enim volueris inimicum tuum vincere, vel terram ejus deſtruere, vultus capitis abſciſi diſcooperiatur, & convertetur verſus inimicum tuum & terram ejus, & ſtatim ipſe & terra ejus peribunt. Et cum ceſſare volueris, recooperiatur caput, & tribulatio ceſſabit. Et factum eſt ita. Quemcumque enim deſtruere volebat, illo modo ipſe deſtruxit. Poſt multum vero temporis miles ille duxit uxorem, quæ ſæpius eum interrogavit, qua arte vel ingenio omnes inimicos ſuos ſine armis & exercitu ita faciliter deſtruebat. Ille autem ei dicere noluit, ſed increpando juſſit ut taceret. Et quanto plus ipſe eam increpabat, tanto plus illa anxiebatur ut ſciret. Contigit ergo quadam die dum miles abeſſet, & ipſa cum ſolis puellis ſuis in ſecretiori thalamo eſſet, ad archam acceſſit in qua ſperabat illud ſecretum domini ſui eſſe, per quod ipſe ita inique operabatur, & in archa illud deteſtabile caput invenit; quod ſtatim in gulpho *Satalia* projecit. Et dicitur quod quandocunque caput illud reſupinum eſt, gulfus ille adeo commovetur quod nulla navis illum tranſire poteſt. Et quando caput illud ſupinum jacet, tranquillitas magna fit in illo gulfo. Eſt & aliud mirabile, quod unoquoque menſe anni ſemel in gulfo *Satalia* contigit; videtur enim quod draco magnus & niger in nubibus veniat, & caput ſuum in undis mittat, & cauda ejus videtur quod ſit cœlo infixa; & draco ille undas hauriendo cum tanta aviditate ad ſe attrahit, quod ſi navis aliqua licet onuſta viris vel quibuſlibet aliis ponderoſis propter hauſtum illum fuerit, tamen hauritur & deſertur in ſublime: volentes autem hoc periculum evitare, oportet ut cum primo illud videant, tumultum & clamationes altas ac ſonitus magnos in tabulis percutientes faciant, ut cum draco ille tumultum & voces clamantium audiret, longe retrahit ſe ab eis. Quidam autem dicunt, quod hoc non eſt draco ſed ſol qui ad ſe attrahit aquas maris; quod plus verum videtur.

Deinde cum rex *Franciæ* ab inſulis de *Yſe* receſſiſſet, tranſitum fecit per montem, in cujus ſummitate ſita eſt *Patera* civitas in qua natus & diu converſatus fuit beatus *Nicholaus*. Inde tranſivit per montem valde excelſum, qui caput dicitur *Turkiæ*, quia hii qui de *Apulia* veniunt, & curſum ſuum in illa parte maris tenent & apropinquant *Turkiæ*, primo vident montem illum qui dicitur *caput Turkiæ*. Eſtque diviſa inter terram imperatoris *Conſtantinopolitani* & terram *Soldani* de *Yconio*; & exinde incipit *Rumania* quæ dicitur *Græcia*.

TOta *Rumania* terra firma eſt, & eſt de dominio imperatoris *Conſtantinopolitani*. Et multæ inſulæ ſunt in mari *Græco* quæ dicuntur inſulæ *Rumaniæ*. Caput *Rumaniæ* eſt civitas *Conſtantinopolis*, & *Rumania* jungitur *Sclavoniæ*, *Hungariæ*, & *Hiſtriæ*. In mari *Græco*, ut dictum eſt, ſunt inſulæ multæ, licet omnes in libro hoc non ſcribantur; nomina autem quarundam inſularum principalium ſunt hæc. Inſula de *Creta*, quæ magna eſt & fertilis, & in medio hujus inſulæ videtur mons magnus qui dicitur mons *Carmeli*. Inſula de *Rodes*. Inſula de *Cipre*. Inſula *Mil*. Inſula *Hiſcopiæ*. Inſula *Hiſki*, in qua copia creſcit ſpeciei quæ dicitur Maſtik. Inſula *Yſaniæ*. Inſula *Ynixea*. Inſula *Stuple*. Inſula *Cumſi*. Inſula *Serſent*. Inſula *Saſent*. Inſula quæ dicitur *Fale de Campar*. Inſula *Andra*. Inſula *Tyne*. Sed in multis Inſularum iſtarum nemo propter metum habitat piratarum. In quibuſdam eciam illarum habitant piratæ. Sunt & aliæ Inſulæ in mari *Græco* quæ hic non ſcribuntur.

Deinde cum rex *Franciæ* caput *Turkiæ* tranſiſſet, pervenit inde uſque in inſulam de *Rodes*, & manſit ibi per aliquot dies in civitate quæ dicitur *Rodes*, quam *Herodes* qui caput ſancti *Johannis Baptiſtæ* amputari fecit ædificavit. Inde tranſivit ad civitatem quæ dicitur *Niniven*, quæ eſt in ipſa inſula de *Rodes*. Et inter inſulam de *Rodes* & *Rumaniam* eſt mare latum per xx. miliaria ad æſtimationem nautarum. Et cum perventum fuerit ad inſulam de *Rodes*, præteritur tercia pars viæ maris inter *Achon* & *Brunduſium*, & M. DC. miliaria computantur inter *Achon* & *Brunduſium*. Et inter *Marſiliam* & inſulam *Siciliæ* M. DC. miliaria computantur. Et inſula *Sarden* eſt in medio viæ inter *Marſiliam* & *Siciliam*. Et inter *Siciliam* & *Achon* M. DC. miliaria computantur. Et inſula de *Creta* eſt in medio viæ inter *Siciliam* & *Achon*. Et ſciendum eſt, quod ſi proſper ventus fuerit navigantibus à *Marſilia* verſus *Achon*, dimittent inſulam de *Sardena*, *Siciliam*, & *Cretam* à ſiniſtris navigii, ita longe quod nullam illarum videre poſſint, via autem illa gravior eſt ſed ſecurior. Sed videant ne nimis ſe trahant in dexteram partem navigii propter gentes barbaras, & alias inſulas in quibus pagani habitant. Sed galeæ non audent nec poſſunt viam illam ire, quia ſi tempeſtas ſupervenerit, de facili demergentur, & ideo oportet ire ſemper juxta terram niſi fiat ſerenum valde. Et qui voluerit tranſire à capite *Turkiæ* per coſteram *Rumaniæ*, tranſibit uſque ad montem excelſum qui dicitur *Serſent*; & ad montem illum incipit *Brachium* ſancti *Georgii*, per quod navigatur uſque ad *Conſtantinopolim*. Deinde eſt *Malveiſe* mons magnus. Deinde caput *Meliæ* mons magnus. Deinde gulfus de *Witun*; & ſuper gulfum illum eſt caſtellum bonum & forte quod dicitur *Maine*, & gens mala ibi eſt. Et ſuper gulfum illum eſt civitas epiſcopalis quæ dicitur *Curun*; & ibi creſcit copia olivarum, adeo quod dicitur, quod in toto mundo non eſt locus ubi habetur tanta copia olei olivarum. In exitu autem ejuſdem gulfi de *Witun* eſt civitas epiſcopalis antiqua & nunc deſerta quam *Rogerus* rex *Siciliæ* deſtruxit, eo quod piratæ habitabant ibi, & dicebatur *Muſzun*. Ante cujus introitum duæ ſunt inſulæ magnæ, quarum una *Sapia*, altera inſula *Vulturum* dicitur, eo quod ibi eſt copia vulturum. Deinde non longius à terra quam per xx. miliaria eſt quædam rupis periculoſa in mari, rotunda, humilis, & ſæpe operitur aqua maris, quæ dicitur *Triffar*, & inter rupim illam & *Muſzun* L. miliaria computantur. Eſtque valde neceſſarium quod naves non elongent ſe nimis à terra, donec præterierint periculum illud. Deinde quaſi per C. miliaria à rupe eſt inſula quæ dicitur *Serſent* quæ eſt *Margariti*; & aliæ duæ inſulæ ibi ſunt, quarum una dicitur *Cheſelme* & altera *Jagent*, & utraque eſt *Margariti*.

Deinde eſt portus *Wiſcard* qui à nomine cujuſdam *Roberti Wiſcard* ſic vocatur. Iſte *Robertus Wiſcard* fuit natione *Normannus*, & diu in curia *Willielmi Rufi* regis *Angliæ* converſatus, qui licet probus & de familia regis eſſet, tamen pauper erat, & nullam ditandi gratiam apud eum invenit. Unde natale ſolum deſerens, *Romam* petiit, & à papa licentiam accepit nationes ſibi barbaras ſubjugare. Magna igitur virorum multitudine ſtipatus, ipſe & *Rogerus* frater ſuus in *Apuliam* venerunt. Quam terram bonam & fertilem videntes, & homines illius *Griffones* armis indoctos demum vincentes, totam *Apuliam* & *Calabriam* cum principatu *Capuæ* de imperatoris *Romani* poteſtate ſibi viriliter ſubjugarunt. Sed dictus *Robertus* ad majora adhuc anelans, *Apuliam*, *Calabriam*, & *Capuam* cum principatu *Tancredo* filio ſuo dedit, & parare naves & galeas ſibi fecit, jactans quod ſibi *Conſtantinopolitanum* imperium ſubjugaret, neceſſariis itineri ſuis paratis, naves cum uxore ſua, & viris armatis & bellicoſis intrans, inſulas ſcilicet *Cretam*, *Cunſu*, *Rodes*, & alias multas ſibi infra triennium ſubjugavit; pervenitque ad dictum portum qui nunc nomine ſuo portus *Wiſcard* nuncupatur. Quem ulterius in *Rumaniam* progredere volentem, uxor ſua per humile mandatum *Alexis* imperatoris *Conſtantinopolitani* ipſam in uxorem ducere & imperatricem facere promittentis, veneno extinxit, qui ibidem in inſula quæ uſque in hodiernum diem dicitur portus *Wiſcardi* ſepultus fuit. Et ſic dicto *Roberto* per uxorem ſuam venenato, & toto ſuo exercitu diſſipato, illa ad dictum imperatorem fugit. Qui poſtquam omnem conventionem ſibi promiſſam impleverat, proditionem quam viro ſuo fecerat patefecit: Judicium de ea quærens à ſuis magnatibus & viris doctis. Qui omnes eam ream mortis judicarunt, unde rogo accenſo protinus cremata eſt. De iſto *Roberto Wiſcard*, & *Rogero* fratre ſuo, & eorum ſucceſſoribus, quære ſuperius tempore regis *Henrici* primi filii *Willielmi* Conqueſtoris, ubi de eis plenius eſt notatum.

Sequitur cum rex *Francia* inſulam de *Rodes* præteriſſet, uſque in *Rumaniam* tranſivit, illamque in dexteram partem navigii habens, per montem magnum qui dicitur caput *Melia* pertranſivit. Deinde venit in gulfo de *Witun* et tranſitum fecit per caſtellum quod dicitur *Manie*. Deinde venit in gulfo eodem ad urbem epiſcopalem quæ dicitur *Curun*, et deinde venit ad *Muſzun* civitatem deſertam quæ eſt in fine ejuſdem gulfi. Deinde inſulam de *Triffar* præteriens, venit ad inſulas quarum una dicitur *Chefeline*, et altera *le Sale de Compar*, et illæ duæ inſulæ dicuntur portus *Wiſcardi*. Et prope exitum inſulæ quæ dicitur *Sale de Compar* eſt villa parvula modo deſerta, quam *Robertus Wiſcard* ædificavit, qui ibidem ut prædicitur moriens, multo tempore jacuit ibi ſepultus. Et in *Rumania* ex oppoſito eſt quædam inſula quæ dicitur ſanctus *Salvator*, & inter inſulas illas piratarum habitationibus plenas eſt via navium ſatis periculoſa, et in dextera parte navis ſunt illæ inſulæ dimittendæ.

Sequitur cum rex *Francia* à portu *Wiſcard* receſſiſſet, venit ad inſulam de *Cunfu* quæ à portu *Wiſcard* per C. miliaria diſtat. Et ad introitum inſulæ de *Cunfu* in illa parte protenditur quædam harena à capite inſulæ uſque *Rumaniam* per medium introitus, & eſt ita alta, quod ſuper harenam illam non habet mare plus profunditatis quam iiij. ulnas & dimidiam. Inſula autem de *Cunfu* magna eſt & fertilis, & reddit domino ſuo imperatori *Conſtantinopolitano* de annuo redditu quintallos auri puriſſimi quindecim annuatim. Et pondus quintalli eſt pondus centum librarum auri. In inſula de *Cunfu* ſunt civitates & caſtella multa & bona quæ per vj. miliaria à *Rumania* diſtat in illo loco ubicumque inter illam & *Rumaniam* latius fuerit. Sed antequam perventum fuerit ad exitum inſulæ, via navium inter inſulam illam & *Rumaniam* eſt ita ſtricta, quod homo ab una ripa in alteram audiri poteſt; et via illa ſatis periculoſa eſt tum quia eſt tam ſtricta, tum quia eundum eſt per circumamfractus & diverticula, & dicuntur diſtrictæ de inſula de *Cunfu*. Et in inſula de *Cunfu* non pluſquam quinquaginta miliaria in longitudine, et ideo ſecurius eſt inſulam illam à dextris navigii dimittere, et per pelagus magnum ire. Et antequam perventum fuerit ex toto ad exitum illius inſulæ, caſtellum deſertum quod dicitur *Buteſtoc* ſecus litus maris ex parte *Rumania* invenitur, in quo *Judas* proditor natus fuit. Et cum perventum fuerit in fauce maris fere ad exitum inſulæ de *Cunfu* tranſeundum eſt ante quandam civitatem antiquam et deſertam quæ dicitur *Caſzope*, et ſtat ſecus litus maris in inſula prædicta, in qua eſt tanta copia ſerpentum et aliorum venenoſorum vermium, quod nemo auſus eſt prope illam applicare. Deinde eſt exitus ille de *Cunfu* quaſi per tria miliaria diſtans à prædicta vermium civitate. Et in parte oppoſita ſuper litus maris in *Rumania* eſt civitas deſerta quæ dicitur ſancta *Barentet*, et ibi eſt bonus portus, latus et profundus. Sed ad exitum illius portus in fauce maris eſt quædam rupis ſimilis turri ſemiruptæ quæ ſtat in litore maris et protenditur non longe per medium portus ſub undis, et occupat fere medietatem portus, et via navium non longe eſt à ripa inſulæ de *Cunfu*. Et cum perventum fuerit in magnum pelagus tres inſulæ ſunt juxta inſulam de *Cunfu*, quarum exterior dicitur *Fanum*. Deinde quaſi per xl. miliaria ab inſula de *Cunfu* eſt mons magnus in capite *Rumania* qui dicitur *Paxo*, et à monte illo uſque *Octrente* civitatem epiſcopalem quæ eſt in *Apulia*, quinquaginta miliaria computantur. Et à monte illo uſque ad civitatem archiepiſcopalem quæ dicitur *Brunduſium* centum miliaria computantur. Et à monte eciam illo incipit gulfus de *Venetia*, quæ habet in longitudine quinquaginta miliaria, et in latitudine C. miliaria. Euntes autem per gulfum illum ad *Venecias*, *Rumaniam*, *Sclavoniam*, et *Hiſtriam* in dexteram partem illorum dimittent, et in parte ſiniſtra *Apuliam*. In qua ſunt portus, nomina quorum ſunt hæc. Primo, portus qui dicitur *Leuke*: deinde portus qui dicitur *Octrente*: deinde portus de *Liche*: deinde portus de *Brundis*: deinde portus de *Monople*: deinde portus ſancti *Nicholai de Bars*: deinde portus de *Trane*: deinde portus de *Barlet*: deinde portus de *Sipunt*: deinde portus de *Beſtre*: deinde portus de *Tremule* qui eſt portus ultimus de *Apulia*: deinde eſt *Ortona* qui eſt primus portus de terra *Venecia*: deinde portus de *Acret* deinde portus de *Beſcare*: deinde portus de *Acune*: deinde portus de *Ravenne*: deinde eſt *Venetia* civitas nobilis et portus bonus.

Sequitur, rex *Francia* in inſula de *Cunfu* moram trahens nunciis ſuis ad *Tancredum* regem *Sicilia* pro licentia habenda tranſeundi per terram ſuam miſſis, eorum ibidem reditum exſpectavit. Quibus demum ad regem *Francia* cum literis licentiæ tranſeundi reverſis, rex *Francia* galeas ſuas ſtatim aſcendens apud civitatem epiſcopalem qui dicitur *Octrente* in *Apulia* applicuit feria vj. ſexto idus Octobris. Et inde recedens per *la Liche*, et per *Brunduſium* civitates archiepiſcopales, et per villam quæ dicitur *le Pekle*, et per *Monople* civitatem archiepiſcopalem tranſitum fecit, et inde per *Bars* civitatem archiepiſcopalem, ubi ſanctiſſimum et incorruptum corpus ſancti *Nicholai Mirrea* civitatis epiſcopi requieſcit. Et inde per *Trane* civitatem archiepiſcopalem, et per *Barlet* burgum bonum, et per *Salpe* civitatem epiſcopalem et per villam quæ dicitur ſanctus *Laurencius de Carinnam*, et per *la Trine* civitatem epiſcopalem, et per villam quæ dicitur ſanctus *Luitredus*. Ibi deficit *Apulia* et incipit terra *Laboris*. Et inde tranſitum fecit per *Beneventanum* civitatem archiepiſcopalem, ubi requieſcit corpus ſancti *Bartholomai* apoſtoli, et per *Matelune* civitatem epiſcopalem, et per *Capuam* civitatem archiepiſcopalem, et per *Calve* civitatem epiſcopalem, et per *Tyane* civitatem epiſcopalem, et per *Caian* et *Mignan* caſtella, et per ſanctum *Germanum* villam bonam quæ eſt ad pedem *Caſſia* montis ſita. *Caſſia* eſt mons magnus et excelſus, in cujus ſummitate eſt nobilis abbathia in qua corpus ſancti *Benedicti* requieſcit, et ipſa eſt in terra imperatoris *Romanorum*. Et ad ſanctum *Germanum* quæ eſt ad pedem montis *Caſſia* deficit terra *Laboris*

boris & incipit *Campania*. Deinde rex *Franciæ* per *Aquinam* civitatem epiſcopalem tranſitum fecit. Deinde per *Friſillum* civitatem epiſcopalem quæ eſt ultima civitas regis *Siciliæ*, et ibi deficit terra illius et incipit terra domini Papæ.

Et antequam rex *Franciæ* illuc veniſſet, ad *Henricum* Imperatorem nuncios ſuos miſit, et licentia tranſeundi per terram ſuam ab eo accepta, juravit quod fidelitatem ei de vita et menbris et terreno honore portaret, & quod non fecit nec faceret auxilium regi *Siciliæ* contra eum. Deinde rex *Franciæ* tranſivit per civitatem *Anagne*. Deinde per *Mountfortyn* caſtellum. Deinde venit *Romam*; Ibi deficit *Campania* et incipit *Tuſcana*. Cum autem rex *Franciæ Romam* veniſſet, *Celeſtinus* papa ipſum et ſuos cum ſummo honore et reverentia recepit, exhibens ſibi et ſuis per octo dies quicquid eis fuit neceſſarium in expenſis, et pro amore Dei et ſuo novum fecit remedium peregrinis in hoc, quod illum et omnes qui cum eo venerunt à voto et itinere peregrinationis *Ieroſolomitanæ* abſolvit, et non tantum illos ſed eciam omnes qui poſt eum de terra *Ieruſalem* venirent quamvis votum non perfeciſſent, & cum per illum non ſteterit, et palmas et cruces eis dedit; et oſtendit regi *Franciæ* & ſuis capita apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, & *Veronicam*, id eſt, pannum quemdam lineum quem Jheſus Chriſtus vultui ſuo impreſſit, in quo preſſura illa ita manifeſte uſque in hodiernum diem apparet, acſi vultus Jheſu Chriſti ibi eſſet: & dicitur *Veronica*, quia mulier cujus pannus ille erat *Veronica* dicebatur.

Rex vero *Franciæ* inmemor ſacramenti quod *Ricardo* regi *Angliæ* fecerat cum exiret de terra *Ieruſalem*, de pace & amore ſibi ſervandis, ut manifeſtam animi ſui nequiciam occultaret, ſuper illo domino Papæ & omnibus Cardinalibus conqueſtus eſt, multa inconveniencia de illo dicens, ſcilicet quod ille eum à terra ſancta fugaverat, & quod ille noluit pro eo quicquam facere, unde ſe vindicandi de illo in *Normannia* & aliis terris ſuis licentiam à domino papa petiit. Sed papa ſciens eum ſola invidiæ cauſa hoc dixiſſe, nullam ei licenciam dare voluit ad dampnum, gravamen vel moleſtiam in terra regis *Angliæ* facienda. Sed ſub anathemate prohibuit, ne ipſe in eum vel terras ſuas dum in ſervicio Dei eſſet manum extenderet violentam. Diſcedens itaque rex *Franciæ* à *Roma*, per caſtellum ſancti *Petri* tranſitum fecit. Deinde per *Sucre* civitatem epiſcopalem, deinde per *Biterne*, deinde per *Mountflaſconn*, deinde per *Sanctam Chriſtinam*, deinde per *Eke Pendannte*, deinde per *Redecoc*, deinde per *la Briche*, deinde per *Seint Cler*, deinde per *Boncovent*, deinde per *Senes la Vele* civitatem epiſcopalem, deinde per *la Marche* caſtellum, deinde per ſeint *Michel*, deinde per *Florentin* caſtella, & per ſeint *Denis de Bon repaſt*, & per *Arle le blanc*, & *Arle le noir*, & per *la Grace gelme* & per *Loſpital*, & per *Lukes* civitatem epiſcopalem, & per mount *Cheveroil*, & per ſeint *Leonard*, & per *Lune* maledictam civitatem epiſcopalem, & per ſanctam *Mariam de Sardena*, & per *Lealville*, & per *pount Tremble*, & per *Montbardon*, & per ſeint *Bennet* in monte *Bardon*, & per ſeint *Morannt* in monte *Bardon*. Ibi deficit *Tuſcania*, & incipit *Italia*. Deinde tranſivit per *Caſſennulam*, deinde per *Furnos*, & per ſeint *Domyn*, & per *Florens*, & per *Pleſenſe*, & per *Papiæ* civitates epiſcopales. Deinde per *Morters*, & per *Roable*, & per *Verzeaus* civitatem epiſcopalem, deinde per vallem de *Moriana*, ita quod paulo ante natale Domini venit in *Franciam* terram ſuam propriam.

REflectendus eſt modo ſtilus ab oriente in noſtrum occidentem, ut liquere poſſit qualis regni *Anglici* ſtatus in Regis abſentia extiterit.

WIllielmus itaque de *longo Campo Elienſis* epiſcopus dicti Regis Cancellarius & totius *Angliæ* ſummus Juſticiarius, cui Rex ad orientem contra inimicos crucis Chriſti ut dictum eſt egreſſus, vices ſuas in adminiſtratione regni cum munitionibus regiis & plenitudine poteſtatis commiſerat, qui jam uno anno ante obitum *Clementis* Papæ nuper defuncti ad rogatum Regis ut prædicitur legatus totius *Angliæ* extiterat, *Romæ* ad *Celeſtinum* papam dicti *Clementis* ſucceſſorem miſit, & iterum magna pecuniæ ſumma interveniente legatus totius *Angliæ* ab eo ut prius factus eſt; quod utique fortius agebat, eo quod utræque metropolitanæ eccleſiæ tunc temporis vacabant. Itaque ſublato omni obſtaculo quo minus ambularet in magnis, duplici poteſtate ſcilicet Apoſtolica & Regia fretus, clero pariter & populo arrogantiſſime præſidebat, & utramque ſedem metropolitanam pro libito proſternebat. Nam ante adventum Regis *Ricardi* in terram ſanctam *Theobaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus apud *Tyrum* deceſſerat, & *Galfridum* Regis fratrem ad *Eboracenſem* eccleſiam jam per plures annos vacantem noviter electum, ne conſecraretur diu in quantum potuit impedierat. Et ſic interea ut ad ſummum & priſtinum gradum evectus videretur, generale concilium ex *Anglia* terrore maximo *Londoniæ* uſque *Weſtmonaſterium* congregatum, ut ſuam oſtenderet gloriam celebravit: In quo complex ejus *Hugo Nonant* epiſcopus *Ceſtriæ* querelam depoſuit, ſicut Chronica monachi *Ceſtrenſis* teſtatur, quod monachi de *Coventreia* ſanguinem ſuum coram altari fudiſſent; unde dictus *Willielmus Elienſis* epiſcopus decrevit monachos de *Coventreia* fore eliminandos, & clericos præbendarios inſtituendos. Hac quidem occaſione captata, præfatus *Hugo* callidus homo, inverecundus & ad auſus improbos audax, litteratura eloquentiaque inſtructus, qui inter Priorem loci & Conventum diſcordias dudum ſeminaverat, jam manu armata monachos expulit enormium criminum tanquam reos; Moxque ad ſedem apoſtolicam inſtructos direxit reſponſales, cum literis quorundam epiſcoporum atteſtantibus, quod monachi *Coventrenſes* deſerta Chriſti militia ad ſeculum eſſent relapſi, unde de ordinatione monaſterii liberam petiit facultatem. *Romanus* vero pontifex ſub cauta expectatione ſi forte quis ex monachorum adveniens in contrarium allegaret, per menſes ſex ſententiam ſuſpendit; ſed ſumptuum inopia retardans monachos, votum epiſcopi conſummavit. Monachi tandem vel ſero venientes, licet violentæ expulſionis injuriam diutius deplorarent, prævalente tamen epiſcopi potentia, aſtu & pecunia, per annos plurimos late diſperſi monachi, rebus eorum ad clericorum præbendas redactis, prout poterant inopes victitabant. Quamobrem de iſto *Hugone* in extremis laborante tradit fama, quod cum neminem ſibi pœnitentiam imponere volentem reperiret, dixiſſe fertur. Et ego me adjudico pro male erratis meis pœna purgatoria uſque ad diem Judicii cruciandum. Sed & de quodam *Coventrenſis* cœnobii monacho tradunt, qui cauſam domus ſuæ inſtanter ſed infructuoſe diutius in Curia *Romana* agitabat, quod cum ad fores papales jugiter incubantem papa egrediens ſic alloqueretur. Cur miſer fores noſtras indeſinenter ſic obſervas ? Pater, inquit, expecto mortem veſtram, nam te defuncto bonus forſan ſuccederet qui nobis obtritis juſticiam exhiberet. In hoc verbo compunctus pontifex qui inde exulcerari putabatur, cauſam juſſit ad plenum celeriter ventilari.

Hiis vero temporibus faſtus ſupradicti *Willielmi Elienſis* epiſcopi Regis Cancellarii ut præſcribitur, in omnibus pluſquam regius fere erat. Nam cum archiepiſcopus *Rothomagenſis* quem Rex cum aliis, ut prædicitur, in *Sicilia* in regimine regni ordinaverat, & eidem *Elienſi* epiſcopo auctoritate regii reſcripti aſſociaverat, *Cantuariam* ire ſe diſponeret, ad eccleſiam ibi vacantem ſecundum Regis mandatum ordinaturus: idem Cancellarius ad eandem dignitatem aſpirans, hoc propoſito cito eum exuit, & ne hoc attemptaret terribiliter ei comminatus eſt: Itaque *Rothomagenſis* otioſus in *Anglia* morabatur. Cancellarius vero in regni adminiſtratione collegæ impatiens, ſingularis ferus *Angliam* depaſcebatur. At non diu poſt, inquietam egit vitam malis contra eum ſuccreſcentibus, unde primi quidem motus occaſio talis erat.

Gerardus de *Camvilla* vir dives & nobilis à rege Caſtelli *Lincolniæ* cuſtodiam emerat cum adjacentis provinciæ præſidatu. Rege autem in orientali expeditione poſito, cum nullus fere ejus ſperaret reditum, Cancellarius occaſionem vel veram vel ſubornatam nactus, prædicto *Gerardo* præcepit ſibi caſtrum *Lincolniæ* reſignare. Ipſe vero *Gerardus* neceſſitate compulſus ad *Johannem* ſe contulit Regis fratrem, favoreque ejus fretus, juſſionem Cancellarii ſprevit. Indignatus Cancellarius ad caſtrum illud obſidendum ex ſubjectis prope provinciis exercitum collegit, & tranſmarinam eciam militiam profuſis ſtipendiis accerſivit, cujus tamen adventum homo fervidus & moræ impatiens minime præſtolabatur. Sed civitatem *Lincolniæ* cum ingentibus copiis ingreſſus, caſtellum pertinaciter obſedit, & conficiendis cum feſtinatione machinis laborem ſumptuoſum impendit. Sane illo circa obſidionis negotium ſic occupato, *Johannes* cum ſuis ſuper munitiones regias ſcilicet **Notyngham & Tykhull** irruit improviſus, eaſque viris & victualibus parum munitas inveniens, bidui negocio comprehendit: Tunc creſcente fiducia ſuperbo mandavit epiſcopo obſeſſori, ut vel obſidione ſoluta recederet, vel certe ſe ad excipiendum ejus impetum in proximo cautius præpararet. Sciens vero Cancellarius optimatum plurimos qui ſecum eſſe videbantur, animo tamen eſſe cum *Iohanne*, confuſus abceſſit. Hiis & aliis territus Cancellarius, poſt dies paucos amicis mediantibus, cum *Iohanne* ſolempne colloquium habuit, & pacem quibus potuit condicionibus cum eo fecit. Mox vero militiam illam tranſmarinam quam accerſire curaverat, in *Anglia* applicuiſſe & advenire ſibi cognoſcens, reſumpto ſpiritu à pactis reſiliit, & proteſtatus eſt ſe in campo martis ſuccumbendum vel *Johannem* ex *Anglia* propellendum. Demum tamen inter eos novis condicionibus facta eſt pax, dum ille ſicut dicebatur *Johanni* ſatisfaceret ab injuria ſibi illata de parte *Arthuri* manutenenda, & cautione præſtita quod *Johanni* tanquam juſto hæredi municiones regias redderet ſi forte rex ab orientis partibus non rediret.

Hiis actis, *Johannes* pro tempore quievit; Cancellarius vero faſtu agens ſolito tirannidem non exuit; Solum enim tanquam alter *Herodes* metuebat *Johannem*, & audito eo multa in populo faciebat. Interea hiis temporibus *Celeſtinus* papa electionem *Galfridi* fratris Regis *Eboracenſis* electi ratam habuit & eandem confirmavit, & pallio ei miſſo, *Willielmo Thuronenſium* archiepiſcopo per reſcriptum papale ut illum conſecraret mandavit. Præterea idem papa *Celeſtinus* mandavit *Hugoni Dunolmenſi* epiſcopo & in vi obedientiæ præcepit, ut ipſe profeſſionem & obedientiam canonicam prædicto *Galfrido Eboracenſi* archiepiſcopo faceret, literis de abſolutione quas à *Clemente* papa prædeceſſore ſuo impetraverat, non obſtantibus. Et ſi id facere nollet vel differret, idem papa dicto archiepiſcopo dederat in mandatis, ut illum canonica ſeveritate ad id ei & eccleſiæ ſuæ *Eboracenſi* faciendum compelleret: unde dictus *Dunolmenſis* à gravamine dicti archiepiſcopi ad ſedem apoſtolicam appellavit, & perſonam ſuam & eccleſiam *Dunolmenſem* & omnes eccleſias ad eam pertinentes cum perſonis, capellanis & clericis ſub protectione domini papæ & *Romanæ* eccleſiæ poſuit. Et poſt conſecrationem dicti archiepiſcopi ſicut & antea ſub eadem forma ad ſummum pontificem iterum appellavit. Dictus autem archiepiſcopus *Eboracenſis* per dictum *Turonenſem* epiſcopum conſecratus, & pallio ut prædicitur à papa accepto, ad ſuam ire eccleſiam feſtinavit. Quod ubi comperit ejus perſecutor *Willielmus Elienſis* epiſcopus Regis Cancellarius & totius *Angliæ* Juſticiarius, mox per ſatellites ſuos poſſeſſiones archiepiſcopatus *Eboracenſis* tirannice invaſit, & præter res inmobiles cætera omnia improbus dilapidator vel potius deprædator abraſit. Et cum idem archiepiſcopus apud **Witſand** ad tranſfretandum in *Angliam* veniſſet, prohibitum eſt ei ex parte dicti Cancellarii & Regni Juſticiarii, ne contra ſacramentum quod Regi in *Normannia* fecerat in *Angliam* venire præſumeret; & nichilominus ſuper hoc portus caute cuſtodire præcepit, ne in *Angliam* vel ad ſuam eccleſiam liber ei eſſet ingreſſus. Dictus vero archiepiſcopus prohibitioni ſuæ parere nolens, ſed de auxilio fratris ſui *Iohannis* confidens, apud *Doveryam* in *Anglia* applicuit confidenter. Moxque cuſtos caſtri, germanam Cancellarii in conjugio habens, appulſo progreſſum inhibuit, & ingreſſum ejus citiſſimis nunciis Cancellario indicavit. Qui ferocis animi motum nequaquam diſſimulans, præcepit ut eum rebus omnibus nudatum à cœnobio monachorum *Doveryæ*, in quo ne à ſatellitibus dicti Cancellarii caperetur ſtatim poſt applicationem ſuam confugerat, & interim moram trahens obſeſſus fuerat, abſtrahi & in arce caſtri *Doveryæ* cuſtodiri. Unde dum quadam die poſt celebrationem miſſæ veſtibus ſacerdotalibus ad altare adhuc ſtaret indutus, illi funeſti ſatellites venientes, vehicula et obſellas et quæcumque ejus vel clericorum ſuorum erant diripuerunt, non perſonæ clariſſimæ, nec ſacrato loco reverentiam præbentes, ſed ipſum ab altari violenter avulſum et ab eccleſia contumelioſe abſtractum per vicos & lutum platearum viliter uſque caſtrum de **Dover** duxerunt, et ibi eum *Mathæo* de *Clere* Conſtabulario in cuſtodia tradiderunt.

Illo quidem carcere ſic ſervato, fama hujus enormitatis velociter diſcurrens, et quaſi ſuper pennas ventorum gradiens, in brevi totam *Angliam* replevit. Mox majores in Cancellarium fremunt, minores eidem mala imprecantur, et univerſi tirannum votis communibus deteſtantur. *Iohannes* vero de fratris ſui captivitate maxime dolens, quæſivit à Cancellario, ſi per eum hæc facta fuiſſent. Cui ille reſpondens, Per me quidem hæc facta ſunt, nam ille contra ſacramentum quod regi fratri ſuo in *Normannia* fecerat, in *Angliam* venit, et ideo eum cepi: *Iohannes* vero hoc audiens, non tantum ad fratris liberationem ſet et ultionem juſtiſſimo motu exarſit. Itaque congregatis ex omni terra dicionis ſuæ, necnon et ex regione *Walliarum* ingentibus copiis properabat: cui mox Comites et Barones plurimi et *Wintonienſis* epiſcopus cum milicia copioſa acceſſere, nec epiſcopi *Bathonienſis* et *Ceſtrenſis* ſive *Lichefeldenſis*, qui paulo ante principales conſiliarii, complices et fautores dicti Cancellarii extiterant, defuere, ſed tirannicis ejus motibus et inmoderato faſtu offenſi cum cæteris præ cæteris in eum tunc linguis ſimul et animis ſæviebant. *Iohannes* vero iterum tunc Cancellario mandavit, quod fratrem ſuum archiepiſcopum libere permitteret abire, affirmans ſub juramento, quod niſi celerius hoc fecerit, ipſe eum in manu potenti et extento brachio liberaret. Minis itaque *Iohannis* auditis, Cancellarius non erat auſus eum diutius retinere, ſed captivum præcepit pontificem relaxari.

Liberatus itaque archiepiſcopus cum à carcere exiret, *Londoniam* venit Comiti *Iohanni* fratri ſuo et archiepiſcopo *Rothomagenſi* ac univerſis *Angliæ* epiſcopis de injuria ei illata per *Elienſem* epiſcopum conqueſtus eſt. Et cum idem epiſcopus *Elienſis* id emendare noluiſſet, dictus archiepiſcopus et ſex epiſcopi cum illo ſententiam excommunicationis in ipſum tulerunt, eum excommunicatum publice denunciantes. Poſtea *Iohannes* Comes et archiepiſcopus *Rothomagenſis* et omnes epiſcopi *Angliæ* ſæpius rogabant dictum Cancellarium epiſcopum *Elienſem*, ut dicto archiepiſcopo *Eboracenſi* de injuriis per ipſum ei illatis ſatisfaceret. Quod cum ipſe facere renuiſſet, dictus Comes *Iohannes* et epiſcopi diem peremptorium ad id faciendum apud **Redyngges** ſibi ſtatuerunt, et niſi ille ad illum diem vel infra ſatisfecerit, ſententia ulterius differre non poſſet. Ad quem diem dictis *Iohanne* Comite et *Angliæ* epiſcopis ibi præſentibus, et adventum dicti Cancellarii per tres dies expectantibus, idem Cancellarius apud *Wyndeſoram* moram faciens ad eos venire ſeu nuncium mittere minime curavit: Unde dicto *Iohanne* et archiepiſcopo *Rothomagenſi* et aliis epiſcopis *Londoniam* properantibus, ipſe Cancellarius hoc audiens, ire *Lundoniam* cum manu potenti eciam feſtinavit. Et dum iter faceret, contigit quod familia Cancellarii et familia *Iohannis* Comitis non longe à *Windeſora* ſibi invicem obviantes, congreſſum acriter pugnando fecerunt; et dum præliarentur, uno milite dicti Comitis interfecto, familia ejuſdem Comitis prævaluit: Unde Cancellarius licet loricatus et amicorum et militum peregrinorum copiis ſtipatus, *Londoniam* ſtatim fugit. Quam ingreſſus, quibus paulo ante terribilis fuerat, ne ſibi in illo articulo deeſſent humiliter ſupplicavit.

Illi vero prioris faſtus et ferociæ ejus memores, favorem Comiti *Iohanni* potius præſtiterunt. Spe itaque fruſtratus in arcem regiam cum ſuis omnibus ſe recepit, quibuſdam potentibus qui cum eo eſſe videbantur mox ad partes *Iohannis* tranſeuntibus. *Iohannes* vero Comes, Epiſcopi, Comites et Barones plures ipſum Cancellarium à tergo ſequentes, eodem die ſcilicet die tercia poſt feſtum ſancti *Michaelis* *Londoniam* intraverunt. Qui ſtatim in craſtino & cives *Londonienſes* cum illis in atrio eccleſiæ ſancti *Pauli* convenientes, dictum Cancellarium de multis injuriis quas fecerat accuſabant. Ac archiepiſcopus *Rothomagenſis* & *Willielmus* Mareſcallus Comes de *Struguill* tunc primo coram populo literas regis *Ricardi* oſtenderunt, per quas dominus rex à *Meſſana* mandaverat, quod ſi Cancellarius ſtultum quid fecerit, quod in detrimentum regni & regis eſſet, dictus archiepiſcopus *Rothomagenſis* loco illius inſtitueretur, una cum præfato *Willielmo* Mareſcallo & *Gaufrido filio Petri* & aliis Juſticiariis dicto Cancellario prius aſſociatis. Placuit igitur Comiti *Iohanni* fratri regis, & omnibus Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus, & civibus *Londonienſibus*, quod Cancellarius ille à regni regimine deponeretur, & loco illius *Rothomagenſis* archiepiſcopus officio ſuo ſicut rex mandaverat fungeretur. Quod & ita factum eſt.

Tunc Comes *Iohannes* & alii Comites & Barones cum civibus *Londonienſibus* ipſum in Turri ejuſdem urbis fortiter obſederunt, in quo tantus erat cum eo numerus ut in ſtricti loci anguſtiis ſua illis eſſet nocivior multitudo, quam hoſtium foris frementium fortitudo. Videns igitur Cancellarius ſe in arto poſitum, poſt unam noctem ad *Iohannem* & cæteros obſeſſores egreſſus, facultatem abeundi humili alloquio impetravit. Mane ergo concilio cum omnibus fere magnatibus regni habito, præſente domino *Iohanne* fratre regis, & *Rothomagenſi* & *Eboracenſi* archiepiſcopis, præſentibus eciam epiſcopis *Dunolmenſi*, *Londonienſi*, *Wintonienſi*, *Bathonienſi*, *Roffenſi*, *Norwicenſi*, *Lincolnienſi*, *Herefordenſi*, *Menevenſi* & *Coventrenſi*, factoque concilio coram omni populo totius civitatis: præſentibuſque Juſticiariis domini regis & approbantibus, de conſilio univerſorum ſtatutum erat, ne talis in regno de cætero dominetur per quem eccleſia Dei ad ignominiam, & populus ad inopiam eſſet redactus: ut enim cætera omittantur, ipſe & garciones ſui totum regnum exhauſerant, nec baltheum feminæ remanſerat, nec monile nec anulus nobili, nec quodlibet precium Judæo alicui. Theſaurum quoque regis exinaniverat, ut in omnibus fere ſcriniis vel ſacellis nichil præter claves de toto ſuo tempore poſſet inveniri. Tercia autem die promiſit firmiter & per quendam de ſuis, cunctis videntibus, corporaliter fidem dedit, quod inſulam non exiret, donec caſtella quædam quæ in manu ſua habebat & ibi fuerant nominata, libere penitus reſignaſſet, et perſonis nominatis tradi feciſſet, ſuper quo fratres ſuos et camerarium ſuum obſides dedit.

Quo facto, ingloriosus *Cantuariam* properavit, ut ibi ſicut dicebat crucem acciperet peregrinationis, et crucem deponeret legationis, quam per annum et dimidium poſt mortem papæ *Clementis* in *Anglicana* eccleſiæ portaverat detrimentum. Omnes enim eccleſias *Anglicanas* crux illa redemit, id eſt ad redemptionem coegit; Nec fuit aliquis inmunis qui crucis illius ſignata non ſentiret. Et ſi forte alicujus epiſcopi domum intraret, centum vel ducentarum marcarum procuratio ſua erat. Cumque poſtea uſque **Dover** veniſſet, et ibi in caſtro moram aliquam cum viro ſororis ſuæ feciſſet, inmemor ſuæ profeſſionis et fidei obligationis quam fecerat, confuſionem objectionis ſuæ non ferens, in tranſmarinis partibus propoſuit navigare, prædictos obſides quos ut dictum eſt dederat, à retro ſe in mortis periculo dimittendo. Et cum transfretare aperte non auderet, novum genus fraudis invenit, & ſeſe feminam ſimulavit cujus ſexum ſemper odit, veſtemque ſacerdotis in habitum convertit meretricis. Proh dolor! vir factus eſt femina, Cancellarius Cancellaria, ſacerdos meretrix, epiſcopus ſcurra. De caſtro igitur ſuperiori licet claudus eſſet pedibus prælegit properare ad litus, tunica feminea viridi & enormiter longa pro tunica ſacerdotis jacinctina indutus, capam habens ejuſdem coloris deformiter manicatam pro planeta, peplum in capite pro mitra, pannum lineum quaſi ad vendendum in manu ſiniſtra pro manipulo, virgam venditoris in dextra pro baculo paſtorali. Talibus ornatus antiſtes deſcendit ad mare. Et qui loricam militis ſæpius geſtare ſolebat, mira res quod tam effeminati animi factus animum femineum prælegit. Cum enim ſederet in litore ſupra petram, piſcator quidam ſcortum reputans invenire, ſtatim propius acceſſit, & qui quaſi nudus de mari deſcenderat, calefieri cupiens cucurrit ad monſtrum, & manu ſiniſtra collum complectens, dextera partes inferiores rimatur. Cumque tunicam ſubito ſublevaſſet, & nimis inverecunde ad partes verecundas manum extendiſſet, femoralia audacter ſenſit, & virum non feminam certis argumentis agnovit, & vehementer admirans retro proſiliens, totus attonitus voce magna proclamat: Venite omnes & videte mirabilia, quia in femina inveni virum. Protinus ſervientes ejus & noti qui ſtabant à longe, acceſſerunt, & quadam modeſta violentia eum repulerunt, & ut taceret increpaverunt. Tacuit ergo piſcator & clamor ille quievit; & ſedebat Hermofroditus tempus navigationis expectans. Interim mulier quædam exiens de villa videns pannum lineum quem ille ut illa geſtabat vendicioni expoſitum, & procedens cœpit inquirere quanti eſſet precii, & pro quanto ulnam daret. Ille non reſpondebat quia linguam *Anglicanam* prorſus ignorabat. At illa magis inſtabat, & continuo ſupervenit alia mulier illud idem inſtanter inquirens & plurimum inſtans, ut ei precium venditionis aperiret. Cumque ille nichil reſponderet ſed magis ſubrideret, cœperunt inter ſe confabulari & quærere, quiſnam eſſet. Et dolum arbitrantes, projecerunt manus ad peplum quo facies tegebatur, & ſubmittentes à naſo uſque deorſum, viderunt faciem hominis nigram & noviter raſam: cœperunt ſtupeſcere ultra modum, & corruentes eum ad terram, voces ad ſidera tollunt, dicentes, Venite, lapidemus hoc monſtrum qui deformavit utrumque ſexum. Et facta eſt ſtatim multitudo virorum & mulierum extrahentium de capite peplum, & trahentium eum in terra proſtratum per manicas & capucium ignominioſe per arenam et ſaxa, non ſine aliquali corporis læſione. Servientes autem ſui bis vel ter impetum in turbam fecerunt ut eum liberarent, ſed non potuerunt, quia totus populus eum inſaciabili corde perſequens, ipſum verbis, alapis, ſputis, pluribus modis turpiter tractaverunt. Et ſic per totam villam ductum in quodam celario tenebroſo per magiſtratum loci eum carcerali cuſtodiæ mancipaverunt, quouſque ſciretur quid ſuper hoc regni proceres decernerent & magnates.

Tractus eſt igitur qui traxerat, captus eſt qui ceperat, ligatus qui ligaverat, & incarceratus qui incarceraverat; ut ſecundum quantitatem culpæ commenſurabilis videretur quantitas pœnæ. Factus eſt ergo obprobrium vicinis ſuis valde, & timor notis ſuis, & datus eſt in deriſum omni populo. *Iohannes* quidem comesagnito quid acciderat hoſtili animo exultavit, atq; aliquid in eum quo magis dehoneſtaretur ordinare voluit & ſancire. At vero epiſc. juſto rubore confuſi, quod tam fœda res in perſona epiſcopali accidiſſet, vigore eccleſiaſtico ut dimitteretur egerunt. Poſt octo igitur dies *Johannes* frater regis præcepit illum à carcere liberari, & dedit illi licentiam transfretandi. Dimiſſus autem & quantum poterat dolorem quo intus urebatur foris diſſimulans, abiens in *Flandriam* transfretavit. Tyranno igitur qui regnum turbaverat expulſo, epiſcopi & optimates cum *Johanne Londoniis* congregati, de regni ordinatione tractare cœperunt, & prius quidem de omnibus, regis *Ricardi* propter Chriſtum peregrinantis fidelitate ſervata, fratri ſuo *Johanni* fidelitatem juraverunt, & quod ipſum in dominum ſuum & regem reciperent ſi rex deceſſerit ſine prole. Et tunc regni adminiſtrationem *Rothomagenſi* archiepiſcopo, quem ad hoc ut prædictum eſt idem rex à *Sicilia* in *Angliam* miſerat, communi decreto & conſilio tradiderunt, amotis tyrannicis provinciarum miniſtris, eorumque locis aliis ordinatis. Quibus actis, *Anglia* in cunctis ſuis finibus pacem recepit, & ſub novis rectoribus decenti cœpit moderamine gubernari, malis plurimis cum ipſo tyranno eliminatis, juxta illud *Salomonis, Eice deriſorem & exibit cum eo jurgium, ceſſabuntque cauſa & contumelia.*

Dictus autem Cancellarius in *Flandriam* ut prædicitur poſitus, cum iter ageret, quidam de terra illa quibus ipſe dum eſſet Juſticiarius in *Anglia* injuriam fecerat, manus in eum & homines ſuos injecerunt, & donec eis ſatisfecit tenuerunt. Et procedens inde venit *Pariſius*, & dedit *Mauricio* epiſcopo lx. marcas argenti pro eo quod ipſe eum recepit ibidem in eccleſia cum proceſſione ſolempni. Deinde rediit *Normanniam*. Sed per mandatum *Rothomagenſis* archiepiſcopi pro excommunicato habebatur omni loco quo ipſe in archiepiſcopatu prædicto venit, & quamdiu ibi moram fecit eccleſiaſtici à divina celebratione ceſſabant. At ille Cancellarius priori ſuperbia adhuc elatus, *Anglos* pungere & caſtigare ut ante fecerat meditatus, memor piæ recordationis avi ſui qui ſervilis conditionis in pago *Beluacenſi* aratrum ducere & boves caſtigare conſueverat, nunciis ſuis ad papam *Celeſtinum* miſſis, ſignificavit ei, qualiter *Johannes* Comes *Moretonii* & complices ſui eum à regno eicientes, à regimine ejuſdem depoſuerant quod rex illi in ſuo receſſu tradiderat, & conquerens ſibi de injuria reſtitutionem ablatorum petebat, juri ſe offerens pariturum. Et quod ſi domino regi facta ejus & expenſæ non placuiſſent, ipſe in omnibus ejus ſatisfaceret voluntati. Super quo papa commotus ſcripſit univerſis archiepiſcopis & epiſcopis in hac forma.

CEleſtinus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis in regno* Angliæ *conſtitutis, ſalutem, & apoſtolicam bene-*

benedictionem. Cum dilectus in Chriſto filius noſter Ricardus *illuſtris rex* Anglorum *quando ſe ſuſcepto ſigno crucis ad ulciſcendum injuriam redemptoris accincſit, tutela regni ſui curas, quod ſicut vir intelligens et requirens Deum duxerit obſequio poſtponendum, ſub apoſtolica protectione dimiſerit; ſtatum regni ſui, ac jura & honorem ipſius tanto majori ſtudio conſervare volumus & debemus, quanto de noſtra protectione confiſus majoribus periculis perſonam ſuam & res pro exaltatione ſancta religionis expoſuit, & in obſequio creatoris laudabilius, favente Domino cum eo ſignum in bonum, atque ferventius ſicut ex ſuis operibus eluceſſit cognoſcitur ſe habere. Quoniam igitur quadam tam contra regnum ipſum quam contra venerabilem fratrem noſtrum* Willielmum Elienſem *epiſcopum apoſtolica ſedis legatum cui regnum tradidit gubernandum, per* Johannem *Comitem* Moretonii *& quoſdam alios accepimus attemptata qua nonnulla in ſe ſuſpicionis continent argumenta, & ſi vera ſunt non in modicam noſcuntur ſedis apoſtolica contumeliam redundare, eidem praſumpcioni tanto maturius duximus occurrendum, quanto ex mora ipſa jam dicto regi &* Jeroſolimitanæ *terra gravius detrimentum ac nobis & eccleſia Romana major inde poſſet ignominia provenire. Proinde univerſitati veſtra per apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientia pracipimus, quatinus, ſi prout nobis inſonuit, memoratus Comes vel alius in jam dictum epiſcopum manus violentas injecere, vel eum capere vel juramentum quodlibet ab eo per violentiam extorquere, ſeu eum in captione tenere, ſeu ſtatum regni à ſerenitate regia in receſſu ſuo diſpoſitum aliquatenus immutare praſumpſerit vel praſumpſit, omni dilatione vel ſimultate poſtpoſita convenientes in unum, pradictum Comitem & omnes antedicta praſumpcionis conſiliarios, auctores, complices & fautores accenſis candelis & pulſatis campanis, omni appellatione & excuſatione necnon & perſonarum acceptione poſtpoſitis, publice nuncietis vinculo excommunicationis aſtrictos, & tamdiu faciatis eos ſicut excommunicatos ab omnibus arcius evitari, necnon & in terris eorum & in aliis quas invaſerit, prater pœnitentias & parvulorum baptiſmata divina penitus ſine appellationis obſtaculo prohibeatis officia celebrari, donec jam dicto legato tam à captione quam à juramento primitus abſoluto, & regno ipſo in ſtatum à pranominato rege in receſſu ſuo diſpoſitum reformato, cum teſtimonio literarum ipſius legati & veſtrarum pariter ad ſedem veniant apoſtolicā abſolvendi: Sciturі pro certo, quod ſi in hujuſmodi noſtri executione pracepti negligentes fueritis aut remiſſi, non minorem in vos praſtante Domino duximus ultionem, quam ſi pradicta injuria perſonæ noſtræ vel uni de fratribus noſtris eſſet irrogata. Dat.* Laterani iiij.*non. Decembris pontificatus noſtri an. primo.*

Auctoritate igitur literarum iſtarum prædictus *Willielmus Elienſis* epiſcopus domini regis cancellarius & apoſtolicæ ſedis legatus ſcripſit *Hugoni Lincolnienſi* epiſcopo, in hac forma.

WIllielmus *Dei gratia* Elienſis *epiſcopus & apoſtolica ſedis legatus & domini regis cancellarius venerabili fratri & amico kariſſimo* Hugoni *eadem gratia* Lincolnienſi *epiſcopo, ſalutem, & ſincera dilectionis affectum. Quanto de dilectione veſtra pleniorem fiduciam tenemus majoremque conſtanciam in vobis invenimus, tanto confidentius diſcrecioni veſtra eccleſia Dei negocia & domini regis & noſtra committimus exequenda, confidentes in Domino de vobis quod praceptis apoſtolicis & noſtris veſtra caritas pontificaliter reſpondebit. Mandamus igitur vobis et in virtute obedientia et ea qua fungimus auctoritate pracipimus, quatinus ad exequendum mandatum apoſtolicum univerſis archiepiſcopis & epiſcopis* Angliæ *deſtinatum, ut cateris fratribus noſtris omnibus vel quibuſdam cito conveniatis, ne diutius in eccleſia Dei & ſacerdotibus ejus laicalis iniquitas malignetur, ne tergiverſatione vel diſſimulatione aliqua illorum malignitas nobis debeat imputari. Ea vero qua dominus Papa mandavit de perſona* Johannis *Comitis* Moretonii *temperavimus, differentes uſque Dominicam qua cantatur* Eſto michi, *ut ſi forte interim reſipiſcere vellet, nos inde Deo gratias redderemus, & pro eo in conſpectu domini Papa & domini Regis* Angliæ *athleta Crucifixi preces funderemus affectuoſas ut delicti ſui veniam mereretur, & modis omnibus honori & commodo ejus, ſalva fidelitate domini Regis & honeſtate ſacerdotii noſtri, operam adhiberemus & diligentiam efficacem. In terris autem excommunicatorum nulla divina celebrari permittatis prater baptiſma parvulorum & pœnitentias. Nomina autem eorum qui à domino papa excommunicati ſunt & à nobis denunciata, quorum factum ita evidentia facti notorium ſit quod nulla poterunt tergiverſatione juſticiari, hac ſunt,* Walterus *Rothomagenſis archiepipiſcopus*, Godefridus *Wintonienſis*, Hugo *Coventrenſis epiſcopi,* Willielmus *Mareſcallus,* Gaufridus *filius Petri,* Willielmus Bruuer, Hugo Bardolf, Ricardus Malebiſe, *&* Hugo *frater ejus,* Jacobus *&* Simon *filii* Simonis, Simon *de Averenches,* Rogerus *filius* Ranfray, *&* Gilbertus *&* Ranfray *filii ejus,* Gerardus *de Chanvilla comes de* Sareſbiri, Johannes *Mareſcall comes de Melent*, Gillebertus Baſſet, Thomas Baſſet, Henricus *de Veer,* Goſſelinus *filius* Ranfray, Stephanus Ridell *Cancellarius* Moretonii *quem ut epiſcopus & papa legatus vobis denunciamus excommunicatum, & magiſtrum* Benedictum *qui ſigillum domini Regis contra ſtatuta regni & contra prohibitionem noſtram ferre præſumit, &* Johannem Oxonienſem *archidiaconum. Ad hæc vero vobis ſpecialiter & diſtricte pracipimus, quod* Hugonem Coventrenſem *epiſcopum quem ſolempniter excommunicavimus non ſolum quia verbo & opere epiſcopum diffitetur, ſed quia in manu pia recordationis* Baldewini Cantuarienſis *archiepiſcopi fidem corporaliter praſtitit de comitatibus non tenendis, verum quia totius ſubverſionis regni* Angliæ *conſulator extitit manifeſtus & auctor, & turbator pacis & contra regiam dignitatem & utilitatem publicus advocatus, publice denuncietis excommunicatum, & faciatis ab omnibus arcius denunciari, ne de catero ovis tam morbida gregem domini valeat inficere & maculare.* Hugonem *vero* Bardolf *qui ad prius non fuit in ejectione & captione noſtra, à pradicta denunciatione excipimus ut ſtatim ammonitus* Willielmo de Stutevilla *reſignet caſtella de* **Scardeburg** *& de tota* Everwikſchira *& de* **Weſtmerland** *qua detinet occupata. Prohibeatis eciam univerſis in veſtra dioceſi conſtitutis ſub interminatione anathematis, ne pro illis qui ſe in* Anglia *Juſticiarios gerunt aliquid faciant nec in aliquo violenti & uſurpata obediant poteſtati. Valete.*

Aliam eciam literam *Elienſis* epiſcopus miſit eidem *Lincolnienſi* epiſcopo ſub eo qui ſequitur tenore.

WIllielmus *Dei gratia* Elienſis *epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus et domini Regis Cancellarius*, Hugoni *eadem gratia* Lincolnienſi *epiſcopo venerabili fratri & amico ſalutem. Ea qua fungimus auctoritate vobis mandamus & in virtute obedientiæ præcipimus, quod archidiaconatum & omnes redditus* Johannis Oxenefordenſis *archidiaconi in manu noſtra ſaiſiatis & recipiatis & conſervetis donec apoſtolicum aut noſtrum mandatum inde acceperitis, qui cum avunculo* Rothomagenſi *archipræpilato pacem & tranquillitatem regni* Angliæ *perturbat, & malum quodcumque poteſt domino Regi & regno tanquam hoſtis regni & nobis perquirit, unde auctoritate domini Papæ illum excommunicationis vinculo innodavimus.*

Similiter dictus *Elienſis* epiſcopus quibuſdam aliis epiſcopis *Angliæ* in quibus fiduciam habebat ſcripſit. Sed nullus eorum mandatum domini Papæ nec ſuum eſt executus, non enim eum pro legato neque regis cancellario habebant. Sed dictum reſcriptum apoſtolicum quadam cautela epiſcoporum *Angliæ* deluſum viribus caruit. Unde præfatus *Rothomagenſis* archiepiſcopus & cæteri domini regis Juſticiarii eum ab epiſcopatu ſuo diſſeiſiaverunt, & propter theſauros regis quos ipſe adnichilaverat, ad opus regis redditus epiſcopi collegerunt. Videns ergo dictus epiſcopus *Elienſis* regis cancellarius pro ſe nichil agi poſſe, *Johanne* adverſo, per clandeſtinos nuncios cum eodem *Johanne* & *Elianora* regina matre ſua colluſit, utpote qui prædictæ reginæ multa dederat & ſe plura daturum promiſerat, & qui eciam dicto *Johanni* pro auxilio ſuo & reſtitutione ſua in regimine regni habenda quindecim milia marcarum promiſerat. Unde dicta ſumma illi *Johanni* præſtita, vel ut prædicitur promiſſa, in favorem ejus & reginæ confidens, audacter in *Angliam* apud *Doveriam* applicuit, & mox ut litus attigit, tanquam ad detergendum dedecus quod ibidem incurrerat, erectis ſuæ legationis inſigniis glorioſus refulſit. Non tamen ulterius eſt progreſſus, ſed ibi in caſtro apud *Mathæum de Clere* virum germanæ ſuæ reſedit donec agnoſceret utrum metu regio vel apoſtolico, cum jam *Johannem* maximum omnium placaſſet, adverſarii ſui eum reciperent inclinati. Hujus ergo gratia nunciis *Londoniam* ad reginam & comitem *Johannem* & archiepiſcopum *Rothomagenſem* & alios Juſticiarios *Angliæ* miſſis, reſtitutionem ablatorum ſibi fieri poſtulavit, offerens ſe in omnibus quæ adverſus eum dicerent paratum eſſe ſtare juri & regiæ voluntati. Regina autem & filius ejus *Johannes* comes antedictus pluribus modis pacem inter illum & dictum *Rothomagenſem* archiepiſcopum & cæteros regni magnates facere conantes, dicebant, » quod ſicut illi » credebant,multum regi ſine illius præcepto dejectio » ſua à regni regimine diſpliceret. Sed exceſſibus & importunitatibus quas ipſe Cancellarius in plebem *Anglicanam* ſibi commiſſam exercuerat à dicto archiepiſcopo *Rothomagenſi* & aliis prælatis & regni magnatibus recitatis & intellectis, regina prædicta quievit, & *Johannes* filius ejus acceptis à dicto archiepiſcopo *Rothomagenſi* & cæteris *Angliæ* Juſticiariis duabus milibus marcis argenti de theſauro regis fratris ſui, eorum conſilio adquievit, & una cum illis & matre ſua regina dicto *Elienſi* epiſcopo ne ulterius procederet mandavit, & ſic univerſi directis ad eum viris honoratis eum tanquam regni turbatorem hoſtemque publicum à regni finibus recedere juſſerunt.

Cancellarius ergo à deſiderio ſuo fruſtratus moram ibidem diutius facere non audebat; ſed territus & confuſus mari tranſito multum eſt genti *Anglicanæ* comminatus. Et ut dicebatur ſtatim poſtquam applicuerat, ad *Philippum* regem *Franciæ* domini ſui regis *Angliæ* inimicum perrexit, & familiariter cum eo moram faciens, multa, ut dictum erat, in domini ſui regis & regni pernicie machinatus eſt.

Interim clerici quos *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus prædictus poſt dejectionem *Willielmi Elienſis* epiſcopi antedicti *Romam* miſerat cum literis ſuis & literis epiſcoporum *Angliæ*, contra eundem *Elienſem* epiſcopum, domino ſuo *Rothomagenſi* archiepiſcopo ſub eo tenore qui ſequitur reſcripſerunt.

WAltero *Dei gratia* Rothomagenſi *archiepiſcopo kariſſimo domino & patri clerici ſui ſalutem. Omittimus pericula & labores quos in via ſæpius nos oportuit ſuſtinere, & quod frequenter inſidiis declinatis tandem incidimus in latrones, boniſque omnibus præter quædam equos & literas ſpoliati ſine omni viatico ad urbem venimus ſumptuoſam* iij. *die Februarii, apud beati* Petri *eccleſiam curia commorante. Ibi invenimus* Cancellarii *clericos jactantes plurima & multa ut videbatur proſperitate gaudentes; nam plenæ legationis officio impetrato, jam ſæpe dominus Papa & quidam Cardinalium* Elienſi *epiſcopo cum ſubſcriptione legati ſuas epiſtolas dirigebant, & jam principalibus legationis bullatis literis inde nondum traditis ſeſe receſſui inminenti nuncii præcingebant. Etenim dominum Papam ex toto pronum invenimus ut partes Cancellarii tueretur. Et qui domino Papæ familiarius aſſident & adhærent, ipſius negocia tanquam propria promovebant. Verum per Dei gratiam ad adventus noſtri inſtantiam literæ ſunt retentæ, quibuſdam qui negocia noſtra devocius reſpiciunt ſæpe & multum dicentibus interfuiſſe attencius, adeo quod neceſſaria erat veſtrorum præſencia nunciorum. Porro quando potuimus audiendi copia impetrata coram domino Papa & Cardinalibus univerſis literas propoſuimus à vobis & epiſcopis & prælatis & juſticiariis* Angliæ *deſtinatas, cum diligentia digna, cætera adnectentes quæ intentioni noſtræ credimus expedire. Cum vero nuncii* Elienſis *epiſcopi attemptaſſent obicere tam reſponſionibus quam objectis, dominus Papa in veſtri depreſſione negocii plurima indignanter & cum amaritudine proponebat, multiplicatis inculcans ſermonibus & affirmans*, » Scimus quod » illuſtris Rex *Anglorum*, domino *Elienſi* epiſcopo » regni ſui totius adminiſtrationem reliquit, » nec aliquem ei adhibuit minorem vel majorem. » Literas domini Regis ſuper eo vidimus, revocatorias » aut contraria, non vidimus, nec videmus,nec » earum tranſcriptum ſigillis appoſitis & autenticis » conſignata. Sed multæ venerabiles perſonæ ſcribunt » contra dominum Cancellarium; & pro domino » Cancellario multarum recepimus venerabilium » literas perſonarum. Sed literæ quas vos portatis » eorum ſunt qui dominum Cancellarium expulerunt, » nec miramur admodum ſi pro ſe ſcribere » videantur. Scimus quia dominus Rex nulli unquam »

» mortalium tantam dilectionem exhibuit vel honorem impendit quantam domino *Elienſi*: ipſum namque fecit epiſcopum venerandæ ſedis & ditiſſimæ *Elienſis*, ſed & Cancellatum, ſed & regnum *Angliæ* univerſum ejus ſollius cuſtodiæ commendavit. Sed nec omnibus iſtis contentus eſſe potuit dominus rex, ſed & pro Legationis officio domino Cancellario committendo & bonæ recordationis Domino *Clementi* & nobis eciam ſupplicavit. Vide quam tenere amabat eum: quem unquam hominum tantum diligit vel dilexit? Ad preces domini regis & inſtantiam multam præſentem legationem indulſimus domino *Elienſi*. Ab homine quantum dilexerat regem tam ſubito tantam gratiam revocaſſe, vix credere poſſumus, niſi literas ejus & ſigillum regium videremus. Et quod domino regi dedimus puta legationem domini *Elienſis*, ſine falſitatis nota nec ſuſpendere poſſumus nec auferre. Sed omnes *Anglicani* Epiſcopi pro eodem legationis officio confirmando nobis proprias literas tranſmiſerunt, & nobis unanimiter ſupplicantes pro eodem Cancellario commendationem plurimam porrexerunt, & modo contrarium poſtulatur ab eis, ſuæ potius levitati imputandum videtur. Sed & dominus veſter *Rothomagenſis* archiepiſcopus nobis pro domino *Elienſi* plenas devotione literas deſtinavit; & cum pro ipſo ſcripſiſſet dum proſperis uteretur, contra ipſum exilii calamitate oppreſſum eos grave eſt exaudiri, cum contra eos ſcriptum ſit,

Cum fueris felix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.

» Porro cum priſtina felicitate gauderet & legationis vice apud nos fungeretur, quæ unquam eccleſia, quod monaſterium, quæ perſona, quis vulgaris aut nobilis ſuper errogationibus domini *Elienſis* vel eccleſiarum gravamine verbum ad nos miſerat vel querelam? omnes applaudebant felici, omnes murmurant in oppreſſum: Amici fortunæ fuerant, cum fortunæ gratia recedentes.

Hæc quidem & multa alia à domino papa oppoſita fuerunt qui ſuperiorem non habet, & à pontifice ſummo & Judice & cujus voluntati nemo eſt qui reſiſtat. Sed & multum contra vos quibuſdam facere videbatur, quod dominus rex in receſſione ſua ſupplicavit pro vobis ut in Normanniæ *partibus & cæteris tranſmarinis vobis legatio confirmaretur, unde prima facie nemini videbatur quod regiæ eſſet voluntatis vos in* Angliæ *partibus adminiſtrationem habere, cum &* Angliæ *tutelam gerere & legationis officium in* Normannia *exercere uni & eidem homini nec promptum nec facile videbatur. Sed & forma regiæ voluntatis quæ pro vobis fuerit à rege Cancellario deſtinata ſeneſcallo* Normanniæ *à Rege dicebatur tranſmiſſa, ut & ipſe in* Normanniæ *partibus veſtro conſilio fungeretur. Ad quæ & ſimilia cum reſponſiones idoneas haberemus, tamen domini papæ favor & adjutorium in partem contrariam vertebantur. Verumtamen dubitare coactus, tum ad inſtantiam veſtram tum Cardinalium aliquorum favore quos in partis veſtræ gratiam traxeramus, Cardinalibus omnibus congregatis in unum ſingulorum conſilia requiſivit; veſtroque negocio diu ſuſpenſis deliberationibus agitato, ſuam dominus papa ſedens pro tribunali ſententiam protulit ſub hac forma, (puta ut breviter & ſummatim procedamus:) Cancellarium à veſtra & domini decani* Rothomagenſis *denunciatione abſolvit, & vice mutata ſententiam Elienſis epiſcopi quam occaſione quarundam probabilium literarum in vos tulerat & decanum & alios quoſdam Cancellario odioſos nullam fuiſſe judicavit. Porro dominus papa in ſua procedens ſententia ſuper injuria* Eboracenſi *archiepiſcopo irrogata ſine forma præſcripta Cancellario purgationem indixit. Legationem autem nec ejus executionem ademit, cum jam ipſum ad precum regiarum inſtantiam contuliſſet; & vobis eciam ſupplicantibus cum pontificibus* Angliæ *univerſis; eam tamen legationem protulit exequendam ſub hac exceptione adjecta, quod ipſe interdictum vel ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferendi in vos vel in decanum* Rothomagenſem *vel epiſcopos* Angliæ *vel Juſticiarios vel magnates nullam habeat poteſtatem. Cujus interpretationem ſententiæ nos habituros confidimus utiliorem, verborum faciem vobis in ipſis proximis literis tranſmiſſuros. Sentenciæ vero prænominatæ adjecit, quod concilio Cardinalium convocato noſtroque adhibito & nunciorum domini* Elienſis, *perſonas venerabiles in veſtris partibus providebit, quibus mediantibus inter vos & dominum Cancellarium poſſit pax & concordia reformari, ſaltim quantum ad mutuum rancorem animi remittendum. In hujus autem deliberationis tractatu & prædicta forma ſententiæ, eas profecto credimus ex toto literas revocandas, quæ cum eſſent ab epiſcopis tocius* Angliæ *deſtinatæ tamen occaſione ipſarum idem Cancellarius vos cum multis aliis excommunicationis vinculo denunciavit aſtrictos. Super qua tamen denunciatione cum nos domino papæ ad mandatum domini* Rothomagenſis *decani propoſuiſſemus querelam in Conſiſtorio coram univerſis Cardinalibus & populo, lectis eiſdem literis & inſpectis, quantum proteſtatus eſt voce coram omnibus exaltata,* » quod nunquam prædictæ literæ à conſcientia ejus originem habuerunt, *cœtu Cardinalium de ſe ibidem cum admiratione plurima conclamante. Et cum nuncii Elienſis epiſcopi papæ inſtantiſſime reclamarent, nemini aurem propitiam vel fautricem impendit. Verum nocte ſequenti venerunt nuncii Elienſis epiſcopi ad dominum papam, & exprobrantes illius inconſtantiam dixerunt.* » Nunquam putavimus ex ore veſtro audiſſe quod ita impudenter negaretis factum veſtrum. Nonne confirmaſtis ſententiam excommunicationis quam dominus *Elienſis* epiſcopus devotus filius veſter & *Romanæ* eccleſiæ dedit in *Rothomagenſem* archiepiſcopum & complices ſuos qui in dejectione illius unanimes extiterant, & literas veſtras archiepiſcopis & epiſcopis *Angliæ* inde miſiſtis? Quid ergo in eum diſplicuit paternitati veſtræ, aut quis vos ſeduxit ut ita palam in Conſiſtorio coram univerſis Cardinalibus & clero & populo dixeritis, quod nunquam prædictæ literæ à conſcientia veſtra originem duxerunt? Precamur ergo domine ſanctitatem veſtram ut ſaltim pro amore Dei & *Romanæ* eccleſiæ reducatis ad memoriam ſervicia quæ vobis dominus noſter *Elienſis* epiſcopus devote exhibuit, & ut teſtimonium veritatis comprobetur, & obprobrium veſtrum & domini noſtri tollatur, ne inimici noſtri de injuſta condempnatione veſtra exhillareſcant, *Hiis & aliis hujuſmodi exhortationibus*

tionibus clerici Elienſis *epiſcopi adeo domini papæ animum in conatus ſuos alexerunt, quod in craſtino idem papa ſedens pro tribunali coram Cardinalibus, clero & populo dixit,* » Fratres mei, confiteor vobis me graviter peccaſſe in dominum *Elienſem* epiſcopum & clericos ejus. Recordati enim ſumus, quod literæ iſtæ confirmationis noſtræ ſuper ſententia excommunicationis quam dominus *Elienſis* dederat in Comitem *Moretonii* & in *Rothomagenſem* archiepiſcopum & complices ſuos, qui eum violenter à regimine *Angliæ* dejecerunt, à conſcientia noſtra & voluntate emanarunt, & eas adhuc ratas habemus & eas præcipimus inviolabiliter conſervari donec prædicti Comes de *Moreton* & archiepiſcopus *Rothomagenſis* & complices ſui, ad condignam ſatisfactionem perveniant. Valete, &c.

Interim *Hugo Dunolmenſis* epiſcopus in communi audientia epiſcoporum *Angliæ* contra *Galfridum Eboracenſem* Archiepiſcopum ad dominum Papam, ut ſupra ſcribitur, appellavit, & ſeipſum & epiſcopatum ſuum & omnes redditus ſuos & eccleſias cum perſonis, capellanis & clericis ad eccleſiam *Dunolmenſem* pertinentes in protectione Dei & *Romanæ* eccleſiæ & domini Papæ poſuit; & iterum ſecundo & tercio eodem modo ad ſummum pontificem appellavit, aliquando coram eodem archiepiſcopo, aliquando ſine illo in *Eboracenſi* eccleſia, & ſcriptum appellationis ſuæ de ratihabitione ſua ſuper altare ſancti *Petri Eboracenſis* eccleſiæ poni fecit. Sed archiepiſcopus ille nulli detulit appellationi; immo poſtquam ſemel, ſecundo & tercio prænominatum *Dunolmenſem* epiſcopum ut veniret ad metropolitanam eccleſiam *Eboracenſem* ad ſibi canonicam profeſſionem faciendam citaſſet, & ille venire noluit, ſententiam excommunicationis in eccleſia ſancti *Petri Eboraci* accenſis candelis & pulſatis campanis in eum publice tulit, tum quia *Dunolmenſis* canonicam ei profeſſionem ſicut Metropolitano ſuo facere recuſavit, tum quia idem epiſcopus jura eccleſiæ *Eboracenſis*, ſcilicet de **Rumspeny**, id eſt de denario ſancti *Petri*, & proceſſiones ebdomadæ Pentecoſtes de eccleſiis de **Howden** & **Hemmyngburght** & de **Schipewik** & de **Brentyngham** & **Kirkeby** & de **Homendelay** & de **Alverton** & **Waldyngton** detinuit occupatas. At *Dunolmenſis* epiſcopus ſententiam quam *Eboracenſis* archiepiſcopus in illum dederat pro nulla habuit, nec illam tenere voluit ullam, tum quia ipſe fuit *Romæ* à ſummo pontifice conſecratus, tum quia poſt appellationem ſuam ad Curiam *Romanam* illa in eum ſententia lata fuit.

Hiis temporibus *Hugo Lincolnienſis* epiſcopus cum magnam partem epiſcopatus ſui viſitaſſet, demum ad Abbathiam monialium de **Godeſtowe** pervenit, ubi eccleſiam intrans cum ante magnum altare prolixius oraſſet, vidit ibi quoddam ſepulcrum ante altare panno ſerico coopertum & cereos circum aſtantes cum lampadibus ardentibus, quod à prædictis monialibus in magna reverentia habebatur. Qui à circumſtantibus quæſivit, cujus eſſet ſepulcrum illud; & reſponderunt ei, quod illud erat ſepulcrum *Roſamundæ* quam *Henricus* rex *Angliæ* tantum dilexerat, & quod ille pro ejus amore domum illam, quæ prius erat pauper & mendicans, multis & magnis redditibus ditaverat & nobilibus ædificiis decoraverat, ac redditus magnos ad lumen illud indeficiens circa ſepulcrum illud inveniendum eidem eccleſiæ contulerat. Quibus epiſcopus ait, Tollite eam hinc, quia ſcortum fuit, & amor ille qui inter regem & illam fuit illicitus erat & adulterinus. Sepelite eam cum aliis mortuis extra eccleſiam, ne Chriſtiana religio vileſcat, & ut exemplo illius cæteræ mulieres exterritæ ab illicitis adulterinis concubilibus ſibi caveant. Et illi fecerunt ſicut præceperat eis epiſcopus; & tollentes eam, extra eccleſiam humaverunt.

An. Dñi 1192.

Anno ab incarnatione Domini M.C.nonageſimo ſecundo *Ricardus* rex *Angliæ* erat in terra *Jeroſolomitana* apud *Turemud*, id eſt *Alturum des chevales* in ipſo die nativitatis Domini, & *Berengera* filia regis *Navarrorum* uxor ejus, & *Johanna* regina *Siciliæ* ſoror ejus, & filia *Iſaac* Imperatoris inſulæ de *Cipre* eodem die nativitatis in terra *Jeruſalem* in cuſtodia ejuſdem regis *Ricardi* fuerunt, & *Guido* de *Lezinan* rex *Jeruſalem* in illa ſolempnitate cum illo erat, & magnus Chriſtianorum exercitus gentium diverſarum. *Philippus* autem rex *Franciæ*, qui à terra *Jeruſalem* ut ſupradictum eſt peregrinatione ſua inperfecta receſſerat, eodem die nativitatis Domini in dominica terra ſua *Francia* apud *Fumayne blanchand* ſanus & incolumis fuit, jactans ſe inpudenter terras regis *Angliæ* in proximo vaſtaturum. Et eodem die nativitatis Domini *Elianora* regina *Angliæ* mater regis *Ricardi* fuit in *Normannia*. Et *Johannes* Comes *Moretonii* frater regis *Ricardi* fuit in *Anglia* apud **Howden** cum *Hugone Dunolmenſi* epiſcopo. Unde *Gaufridus Eboracenſis* archiepiſcopus illum & omnes qui cum præfato epiſcopo *Dunolmenſi* comederant pro excommunicatis habuit; ſed ipſi tandem pœnitentia ducti, ad ſatisfactionem venientes abſolvi ab ipſo archiepiſcopo meruerunt.

Poſt natale Domini *Philippus* rex *Franciæ* venit in octabis ſancti *Hillarii* inter *Giſortium* & *Trie* ad colloquium inter illum & *Willielmum* filium *Radulphi* ſeneſcallum *Normanniæ* & proceres ducatus ejuſdem; et cirografo conventionis inter ipſum et regem *Angliæ* apud *Meſſanam Siciliæ* civitatem factæ illis oſtenſo, ſecundum illius conventionis tenorem *Aleſiam* ſororem ſuam quæ in turri *Rothomagenſi* cuſtodiebatur, ab eis peciit ſibi reddi; et peciit cum illa caſtellum *Giſorcii* cum omnibus appendiciis ſuis, & comitatus de *Alba marla* & de *Auca*. Sed Seneſcallus & proceres *Normanniæ* nichil horum quæ petebat ei tradere voluerunt, dicentes ſe nullum inde mandatum à Domino ſuo rege *Angliæ* recepiſſe. Unde rex *Franciæ* multum eis comminans iratus dixit, quod potenter adquireret quæ ſibi facere negabant. Seneſcallus autem & proceres *Normanniæ* minis ſuis auditis Caſtella ſua fortiter munierunt. Interim rex *Franciæ* videns, quod in malicia pro voluntate ſua minime procedere poſſet, *Johanni* Comiti *Moretonii* fratri regis *Angliæ* mandavit, ut feſtinanter veniret cum eo in *Francia* locuturus, & ipſe *Aleſiam* ſororem ſuam in conjugem ei daret, & matrimonio inter eos contracto *Normanniam* et omnes terras regis *Angliæ* ciſmarinas ipſum faceret poſſidere. Quod cum *Elianoræ* reginæ adhuc in *Normannia* exiſtenti conſtabat, omnibus poſtpoſitis aliiſque negociis omiſſis de *Normannia* in *Angliam* transfretavit, & invenit

Johannem filium ſuum Comitem *Moretonii* jam paratum navigare de *Anglia* in *Normanniam* cum rege *Franciæ* locuturum. At mater ejus et *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus et cæteri *Angliæ* Juſticiarii prohibuerunt eum ex parte regis & ſua ne ipſe transfretaret: quod ſi ipſe faceret, ipſi omnes terras et caſtella ſua in manu Domini regis ſaiſirent.

Hiis igitur et aliis matris ſuæ monitionibus *Johannes* Comes *Moretonii* adquieſcens, poſtpoſitis regis *Franciæ* mandatis, propoſitum ſuum mutavit in melius. Deinde *Elianora* mater regis et fere omnes principes et magnates *Angliæ Londoniam* venientes, regi *Angliæ* et hæredi ſuo fidelitates contra omnes homines juraverunt. Cumque rex *Franciæ* vidiſſet quod *Johannes* Comes *Moretonii* ad eum venire noluit, *Normanniam* hoſtiliter invadere proponebat, ſed milites regni ſui in hoc non conſentientes, dixerunt, quod perjuri fierent ſi ipſi guerram in terra regis *Angliæ* facerent dum ipſe in ſervicio Dei eſſet. Die autem purificationis beatæ *Mariæ*, prædictus *Eboracenſis* archiepiſcopus iterum excommunicavit *Hugonem Dunolmenſem* epiſcopum quia ei noluit obedire, ſimiliter tam clericos quam laicos qui cum illo manducarent aut biberent vel ſibi aliquid vendiderint aut in domibus ſuis eum reciperent aut aliquam communionem cum illo haberent, et in hunc modum eodem die purificationis fecit illum excommunicari per omnes eccleſias ſuæ dioceſis in quibus habebat eccleſiaſticam poteſtatem. At præfatus *Dunolmenſis* epiſcopus in nullo illi ſententiæ detulit; ſed multa ut videbatur proſperitate gaudens, ad proſequendum appellationem ſuam quam ad dominum papam contra dictum *Eboracenſem* archiepiſcopum fecerat, ſe parabat. Et cum jam tempus proficiſcendi inſtaret, regina *Elianora* et archiepiſcopus *Rothomagenſis* utrumque ſcilicet *Eboracenſem* archiepiſcopum et *Dunolmenſem* epiſcopum convocarunt, ad controverſiam quæ inter eos vertebatur audiendam, et ſi poſſent fine debito terminandam.

Qui cum poſt medium quadrageſimæ *Londoniam* veniſſent, & ibidem coram prædictis regina et archiepiſcopo *Rothomagenſi* et fere totius *Angliæ* epiſcopis in unum congregatis cauſas ſuas oſtendiſſent, dictus *Dunolmenſis* epiſcopus in examine dictæ reginæ & archiepiſcopi *Rothomagenſis* & omnium epiſcoporum *Angliæ* privilegiis ſuis ſalvis ſe ponere offerebat. Sed dictus *Eboracenſis* epiſcopus noluit ſe in illorum examine ponere, niſi ipſe *Dunolmenſis* prius ad limina beati *Petri Eboracenſis* veniſſet ab eo abſolvendus, & juri in omnibus pariturus. Quo audito, dictus epiſcopus *Dunolmenſis* dixit, ſe nullam cum dicto *Eboracenſi* archiepiſcopo pacem facere, niſi ille proprio ore ſuo confeſſus foret coram omni populo; & maxime in *Eboracenſi* eccleſia ubi ſententiam excommunicationis in eum dederat, quod illa ſententia nulla fuit nec teneri debuit. Sed prædictus archiepiſcopus illud facere nec dicere voluit ullo modo; et ſic diſcordes ut prius receſſerunt. Præterea dictus *Eboracenſis* archiepiſcopus prima die qua *Londoniam* venit, Crucem ſuam à *novo Templo* in quo hoſpitatus fuerat uſque *Weſtmonaſterium* ante ſe portari fecit. Sed *Ricardus Londonienſis* epiſcopus & cæteri *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei adverſus eum inde murmurantes prohibuerunt illi ne eam ſub pœna fractionis ejuſdem in illa dioceſi amplius portare præſumeret, et in hoc quod eam jam portaverat ipſum pro excommunicato habebant; & jam eam fregiſſent, niſi fuiſſet filius regis & frater regis, & archiepiſcopus adhuc novus. Prædictus etiam *Londonienſis* epiſcopus *novum Templum* in quo archiepiſcopus *Eboracenſis* fuerat hoſpitatus, à divino ſuſpendit officio & ſonitu campanarum; Unde ipſe *Eboracenſis* dolens & confuſus citius inde receſſit, portata minime cruce ſua.

Poſtea nuncii quos *Dunolmenſis* epiſcopus contra *Ganfridum Eboracenſem* archiepiſcopum Curiæ *Romanæ* miſerat, redierunt portantes literas ſummi pontificis in hac forma.

CEleſtinus *ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus* Lincolnienſi & Roffenſi *epiſcopis, & dilecto ſuo Abbati de* Burgo *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ea quæ à venerabilibus fratribus coepiſcopis noſtris circumſpectione provida & ratione prævida ſtatuuntur debemus illibata ſervare: ita quæ minus quandoque conſiderate aguntur, providentia pleniori corrigere & in ſtatum debitum nobis iminet reformare. Cum itaque venerabilis frater* Gaufridus Eboracenſis *archiepiſcopus in venerabilem fratrem noſtrum* Hugonem Dunolmenſem *Epiſcopum & quoſdam alios excommunicationis ſententiam promulgaſſet, & eorum nunciis ad noſtram præſentiam venientibus in Conſiſtorio noſtro fuiſſet hinc inde ſuper ea ſententia & quibuſdam aliis articulis plenarie diſceptatum; Nos cognoſcentes tam in ipſum quam in alios jaculatam ſententiam inconſulte fuiſſe prolatam, nullius cauſæ rationabilis munimine roboratam, eam de conſilio fratrum noſtrorum denunciamus publice non tenere, irritantes eam, ne quid auctoritatis habeat inhibentes. Itaque ut quod nos decrevimus per partes veſtras publice nuncietur, per apoſtolica ſcripta vobis mandamus ut eandem ſententiam, per eccleſias veſtras prædicetis auctoritate ſedis apoſtolicæ irritatam, ut fidelium populus tam ipſi epiſcopo quam aliis una cum epiſcopo injuſte ligatis ſuperna communionis participium ſecure impendat, & ab illorum nullatenus propter hoc communione recedat.*

Dum vero hæc ita agerentur dominus papa *Celeſtinus* duos legatos Cardinales à latere ſuo in *Normanniam* miſit, quorum unus dicebatur *Octovianus Hoſtienſis* epiſcopus & alter *Jordanus Abbas* de *Foſſa* tituli ſanctæ *Anaſtaſiæ* Presbyter Cardinalis, ad litem controverſiæ quæ erat inter *Willielmum Elienſem*, & *Walterum Rothomagenſem* archiepiſcopum & quoſdam alios dirimendam. Quibus in *Normanniam* ad *Giſortium* venientibus, milites caſtelli & Burgenſes portis Villæ per præceptum *Willielmi* filii *Radulphi* ſeneſcalli *Normanniæ* clauſis, illos intus recipere noluerunt, dicentes quod rex *Ricardus* illorum dominus nondum de peregrinatione rediens omnes terras ſuas ciſmarinas & tranſmarinas ſub protectione Dei & *Romanæ* eccleſiæ & Domini papæ poſuerat, nec aliquem legatum in terra ſua recipi præceperat; & ideo illos neque alios hujuſmodi viros ſine illius mandato recipere voluerunt. Cardinales vero hæc contradicentes dixerunt, quod illi advenerunt portantes pacem & illuminantes patriam, dare pacem gentibus & liberare populum Domini. Sed neque propter hoc neque propter illorum minas milites prædicti vel burgenſes eos recipere voluerunt, immo illos retroire cum gladiis & fuſtibus coegerunt. Illi autem ibant gaudentes à conſpectu populi, quoniam digni habiti ſunt pro nomine *Jheſu* contumeliam pati. Quibus de *Normannia* exeuntibus, *Octovianus Hoſtienſis* epiſcopus ſententiam Interdicti in *Normanniam* dedit,& prædictum excommunicavit *Normanniæ* ſeneſcallum & omnes complices ſuos, fautores, conſiliarios ac dictæ præſumptionis autores. *Jordanus* vero de *Foſſa nova* regem *Angliæ* diligens noluit in *Normanniam* ſententiam dare nec quicquam moleſte inferre; Unde rex *Franciæ* iratus eum à regno ſuo fugavit. Quod cum in *Anglia* *Elianoræ* reginæ & *Johanni* filio ſuo, ac *Waltero Rothomagenſi* archiepiſcopo ſummo totius *Angliæ* juſticiario & aliis regni juſticiariis nunciatum fuiſſet, *Hugonem Dunolm.* epiſcopum ad illos de ultra mare miſerunt, ut per illius induſtriam ſententia in *Normanniam* & in Seneſcallum ejuſdẽ ab illis illata relaxaretur, & ut prædicti Cardinales ob honorẽ Dei & reverentiã *Romanæ* eccleſiæ honorifice tractarentur.

Sed prædictus *Dunolmenſis* epiſcopus ab *Anglia* recedere nolebat, donec pro voluntate ſua omnia clericorum ſuorum negocia implerentur, videlicet negocia *Henrici* Mareſcalli Decani ſancti *Petri Eboracenſis*, *Buccardi* ejuſdem eccleſiæ Theſaurarii, *Hugonis Murdac* & *Adæ* de *Tornover* ejuſdem eccleſiæ Canonicorum, ac *Petri* de *Ros* archidiaconi *Carliolenſis* quos *Gaufridus Eboracenſis* archiepiſcopus anathematis vinculo innodaverat. Unde ad inſtantiam dicti *Dunolmenſis* epiſcopi *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus & cæteri *Angliæ* Juſticiarii *Gaufrido Eboracenſi* archiepiſcopo per literas Domini regis ſigillo ſuo ſignatas diſtrictius in mandatis dederunt, ut omni excuſatione et dilatione remota dictis *Dunolmenſis* epiſcopi clericis omnes redditus ſuos & cætera omnia quæ eis abſtulerat reddere non tardaret. Quod ſi facere nollet, *Willielmum* de *Stoteville* & viros potentes qui illum ad hoc faciendum compellerent vel totum archiepiſcopatum ſuum in manu regis caperent ſtatuerunt. Quibus ad dictum *Eboracenſem* archiepiſcopum venientibus, & pro redditibus & poſſeſſionibus dictorum clericorum eidem ſupplicantibus, dictus archiepiſcopus petitiones illorum exaudire noluit, niſi omnes illi clerici pro abſolutionibus ſuis habendis nudi ad beati *Petri* eccleſiæ *Eborac.* limina advenirent, ſecuritate de ſtando judicio *Eboracenſis* Capituli prius data.

Qui per aliam viam procedere nequiviſſent, præfati *Bucardus*, *Hugo Murdac*, *Adam* de *Tornover*, & *Petrus* de *Ros* contra archiepiſcopum ſuum & animarum ſuarum paſtorem diutius malignari nolentes, ad eccleſiæ *Eboracenſis* limina venerunt, & ibi abſolvi juxta formam prætactam & Canonicorum capituli judicium meruerunt. Quos, redditibus & illorum poſſeſſionibus eis redditis, idem archiepiſcopus *Eboracenſis* in oſculo pacis & in menſa recepit, & inter præfatum *Buccardum* eccleſiæ *Eboracenſis* Theſaurarium & *Hamonem* ejuſdem eccleſiæ præcentorem pacem fecit & finalem concordiam in hunc modum. » Quod prædictus *Buccardus* pro bono » pacis dedit prædicto *Hamoni* eccleſiam de *Alna* » quæ eſt menbrum Theſaurariæ *Eboracenſis* » eccleſiæ principale, & ipſe *Hamo* Theſaurariam illam » dicto *Buccardo* quietam clamavit. Ita tamen » quod poſt illius deceſſum vel vitæ mutationem » vel ad majorem promotus fuerit dignitatem, » theſauraria illa ad *Hamonem* præcentorem rediret, et » ipſe deinde Theſaurarius fieret. Iſtam pacem et finalem concordiam *Gaufridus Eboracenſis* archiepiſcopus de voluntate et arbitrio ſuo inter viros prædictos fecit, & ſigilli ſui munimine confirmavit. *Henricus* autem Mareſcallus *Eboracenſis* eccleſiæ decanus ſe humiliare nolens, ad ſatisfactionem venire ſicut ſocii ſui prænominati fecerant recuſavit. Unde ipſo in ſententia qua prius remanente, & contra dominum ſuum archiepiſcopum ſemper loquente, idem archiepiſ. maledictionem addidit maledictioni, & quamdiu ipſe ibidem manſit civitatem ceſſare fecit à celebratione divinorum & ſonitu campanarum.

Hugo vero *Dunolmenſis* epiſcopus voluntatem & ordinationem reginæ & *Johannis* Comitis *Moretonii* & juſticiariorum *Angliæ* adimplere cupiens, mare inter **Dover** & **Whitſande** tranſito, in *Franciam* applicuit, & quamcitius potuit *Pariſius* veniens Cardinales prædictos ibi invenit, quos blando ſermone allocutus, dolorem illorum quem in animo de repulſa in *Normannia* eis facta adverſus ſeneſcallum ejuſdem conceperant, mitigavit, & cum magno labore & induſtria effecit, quod prædictus *Oſtienſis* Epiſcopus ſententiam quam in dictum ſeneſcallum et complices ſuos & in *Normanniam* dederat relaxavit, ſi ipſe tamen ſeneſcallus & complices ſui ſuper injuria dictis Cardinalibus illata juraſſent ſe eccleſiaſtico ſtare Juri, et illos non ut Cardinales ſed ut advenas in *Normanniam* venire uſque *Rothomagum* libere permiſiſſet; clero tamen *Normanniæ* expenſas eis x. dierum ad l. homines et xl. equos inveniente, et tunc prædicti Cardinales arbitrio *Hugonis Dunolmenſis* epiſcopi, et *Johannis Rothomag.* decani de pace inter illos facienda ſupponerent ſe omnino. Sed quia ſeneſcallus nullo modo concedere voluit quod ipſi Cardinales ſine licentia domini regis *Angliæ* in *Normanniam* venirent, abeuntibus illis, ipſe excommunicatus et terra ſub Interdicto remanſit, dicto *Dunolmenſi* epiſcopo ad inſtantiam ſeneſcalli pro pace inter eos facienda illos uſque *Verzealicum* ſequente; Quam quidẽ ſententiam et Interdictum dominus papa interim relaxavit, et à legatis relaxari fecit, et præcepit quod *Norman.* non intrarent.

Quia vero qualiter rege peregrinãte res *Anglicæ* et regia negocia in regno et *Normannia* aliqualiter iverũt ſuperiori narratione perſtrinximus, nunc ad explicanda ejuſdem peregrinantis facta in *Siria* redeamus.

Rege vero *Francorum* à terra ſancta in die ſancti *Petri* ad vincula digreſſo, cum rex *Angliæ* circa reparationem *Joppen* & *Cæſariæ* per aliquos dies ſtetiſſet, et cognoviſſet quod muri *Aſcalonis* diruerentur, voluit illuc exercitum ducere et eam à diripientibus eruere muroſque ejus reparare, eo quod eſſet civitas maritima et peregrinis valde oportuna. Sed *Gallici* qui circa reparationem *Joppen* plurimum laborabant noluerunt huic conſilio aſſentire. Exeunte vero jam menſe Septembris, exercitus valde minorabatur, multis per navigium diſcedentibus uſque *Achon*, et ibi morantibus in tabernis. Quos cum rex *Ricardus* per mediationem regis *Guidonis* ad exercitum revocare non poſſet, ipſe illuc profectus eſt, et ibi verbo Dei ad populum efficaciſſime prædicato, quam plurimos ab *Achon* uſque *Joppen* ſecum reduxit, quo eciam reginas cum puellis tranſtulit, ſeptem ibidem ad gentem coadunandam commorans ſeptimanis. Cum autem die quadam cum pauciſſimis familiaribus cum falconibus ſuis ſpaciatum egreſſus eſſet, ex itinere fatigatus & labore oneratus, in quodam loco ſub divo dormivit, & ecce *Turci* ut ipſum inproviſum comprehenderent, cum impetu irruebant. Qui ex advenientium ſonitu expergefactus, equum velocius aſcendit & extracto gladio *Turcis* cum ſuis obviam procedit, quos uſque ad locum inſidiarum ſuarum fugam ſimulantes inſequitur, ubi plures ſubito erumpentes fortiter regem cum pauciſſimis ſuis circumdederunt. Quem tunc omnino deſtitutum auxilio comprehendiſſent, ſi de eo plenam notitiam habuiſſent. Sed ecce confuſo certamine illis contendentibus, unus ſociorum regis, nomine *Willielmus de Purcellis* ydiomate *Saracenico* exclamavit, & ſe regem eſſe veraciter affirmavit. Quod *Turci* verum credentes, ipſum *Willielmum* apprehenſum confeſtim ad ſuum exercitum deduxerunt captivum. Fama ad exercitum *Chriſtianorum* perveniens ipſos ad arma commovit. Qui dum progrediuntur regem quæſituri, ei revertenti occurrunt. Abierant *Turci* longius putantes ſe regem abducere, cujus quatuor ſocii in illo conflictu ceciderant interfecti.

Poſt hæc rege ad caſtellum de *Planis* reparandum cum exercitu proficiſcente, cuſtodibus *Joppen* præcepit, ut ſatagerent muros ejus et portas conſummare ne quis de populo abiret præter mercatores victualia aſportantes. Et dum rex *Ricardus* reſtaurationi duorum caſtellorum de *Mayon* et *Planis* inſtaret, ſæpe *Turcorum* impetus qui *Chriſtianos* multipliciter infeſtabant repreſſit, de quibus eciam plures inter quos duos admiraldos nobiles interfecit. Menſe Novembris cum rex *Ricardus* per legatos à *Saladino* regnum *Siriæ* ex integro et tributum à *Babilonia* exegiſſet, *Saladinus* ſub forma pacis optulit totam terram *Ieroſolomitanam*, ſcilicet à flumine *Iordane* uſque ad mare occidentale, liberam Chriſtianis, ita ut *Aſcalon* dirueretur et inpoſterum non reædificaretur à *Chriſticolis* nec à *Turcis*. Attendens autem rex *Ricardus* res turbatas bellique caſus in ambiguum eſſe, dilapſum eciam populi et regis *Francorum* diſceſſum, hanc pacem admittere decrevit, ita quod caſtrum de *Crak* diruerent *Saraceni*. Denique rex *Saffadinum* fratrem *Saladini* in familiaritatem recollegit, ſperans per ejus mediationem celerius aſſequi votum ſuum. Sed cum per negotii exitum certior factus eſſet, quod *Saladinus* caſtrum de *Crak* diruere nolebat, et perpendit *Saffadinum* ſibi tantum verba dixiſſe, verſus *Ramulam* cum exercitu ſe divertit, cujus muros *Saffadinus* diruens aufugit. *Saladinus* eciam de caſtro *Baruc* ſe tranſtulit *Ieruſalem*, cujus exercitus relictus abiit ad montana. Rex autem *Ricardus* de *Ramula* cum exercitu progrediens, *Bethonopolim* pervenit, ubi populus eximie lætabatur, quia Dominicum ſepulchrum in proximo videre ſperabat.

Anno Domini M.Cxcij. regnique regis *Ricardi* iij. rex *Ricardus* convocato concilio cum viris ſapientibus et diſcretis tam peregrinis quam illius terræ incolis tractare cœpit et inquirere, an ulterius verſus *Ieruſalem* progredi expediret. Qui omnes unanimi decreto protunc obſidionem *Ieruſalem* diſſuaſerunt, multas rationes et varias allegantes, quarum una et maxima erat, quod civitatem capere non expediret, niſi ſtatim viri robuſtiſſimi ad urbis cuſtodiam ponerentur, quod non poſſe fieri æſtimabant, præſertim cum plebem avidam ad peregrinationem conſummandam perperdiſſent; ut inde repatriarent ſinguli ſine mora. Sed melius circa reparationem *Aſcalon* inſiſtere judicarunt. Quæ ſententia divulgata plebem inæſtimabili dolore percuſſit. Cum autem reverſus eſſet exercitus uſque *Ramulam*, cœpit plurimum diminui, parte *Francorum* maxima recedente, quorum quidam *Achonem*, quidam *Joppen*, quidam vero *Tyrum* ad Marchiſum dirigunt iter ſuum. Rex *Ricardus* nichilominus cum *Henrico* comite *Campaniæ* & reliquo exercitu relicto, *Aſcalonem* perrexit. Naves autem regis cum victualibus ad *Aſcalonem* tendentes, & galeæ illuc tranſmiſſæ cum omnibus fere quæ in eis erant, in tempeſtatibus perierunt. Rex itaque omnem operam circa muros *Aſcalonis* reparandos propriis manibus ut exemplum laborandi aliis daret, adhibuit. In cujus reparatione, ut quidam volunt, rex ad ducem *Auſtriæ* miſit, ut partem ſuam pro aliqua portione muri reparandi cum ſuis acciperet. Qui indignanter nunciis reſpondens, dixit, Quod pater ſuus nunquam carpentarius vel latomus erat. Quam reſponſionem rex audiens, & indigne ferens, cum quodam die cauſa ſpaciandi iviſſet, & dictum ducem ſibi obvium habuiſſet, ipſum adhuc curialiter ore proprio rogavit, ut circa reparationem murorum pro aliqua portione cum ſuis inſiſteret. Qui ſuperbo vultu ei reſpondit, ſicut ſuperius nunciis ſuis reſponderat. Unde rex iratus ipſum ſtatim, ut dicitur, cum pede percuſſit, prohibens ne de cætero vexillum ſuum in ſua comitiva erigeretur. Quapropter dictus dux à rege & exercitu *Chriſtiano* verſus partes ſuas ſe divertens, dixit, Quod ſi unquam tempus oportunum captaret, ſe de rege pro illa ignominia vindicaret. Et cum poſtea tres partes urbis diligentia & ſumptibus regis conſummatæ eſſent, contigit ut per domeſticos *Saladini* mille ducenti Chriſtiani verſus *Babiloniam* ducerentur. Qui cum ad caſtrum quod *Darun* dicitur, veniſſent, rex *Ricardus* cum electa manu militum ſupervenit, & captivis de manibus *Turcorum* excuſſis, *Turcos* inſequitur fugientes, quorum plurimis occiſis xx. de majoribus vivos comprehendit, & ſecum uſque *Aſcalonem* deduxit.

Dum autem rex reſiduæ parti murorum *Aſcalonis* totis viribus intenderet, & ſtipendia *Francis* deeſſent; dux *Burgundiæ* quem rex *Francorum* capitaneum ſuorum reliquerat, à rege *Ricardo* pecuniam ex mutuo ſibi concedi petivit; cui cum rex *Ricardus* non annueret, eo quod pecunia ſibi alias ſolutioni accommodata in nichilum defluiſſet, dux cum *Francis* ſuis ab *Aſcalone* diſcedens, perrexit ad *Achon*, ubi cum *Piſanos* & *Januenſes* invicem confligentes inveniſſet, in auxilium *Januenſium* qui partem Marchiſi zelabant, contulit ſe cum *Francis*. *Piſani* vero prævalentes, eos à civitate excluſerunt, portas ejus firmiter obſerantes. Quod audiens Marchiſus, cum urbem tribus diebus oppugnaſſet, audito quod rex *Ricardus* à *Piſanis* vocatus adveniret, reverſus eſt ad *Tyrum*. Reformata autem pace inter *Piſanos* & *Januenſes*, Rex & Marchiſus ex condicto ad caſtellum *Imberti* ad colloquium convenerunt, ubi cum Rex Marchiſum monuiſſet, ut ad unitatem exercitus rediret, & querelam regni ad quod aſpirabat juvaret, ſicut rex alias per legatos ei mandaverat, ipſum obtemperare nolentem à terris redditibuſque promiſſis de majorum concilio abjudicavit. Adveniente Paſcha *Franci* ſe velle diſcedere dicebant, quos ut ulterius remanerent rex *Ricardus* nullis precibus ſeu ſtipendiis promiſſis potuit optinere. In ſolempnitate Paſchali *Saladinus* ad Dominicum ſepulcrum veniens, cum vidiſſet lampadem ibi pendentem divino igne accendi, & per eum bis extincta tercio accendi, aſſeruit ſe vel infra breve moriturum, vel ſanctæ civitatis dominium amiſſurum; unde juxta prænoſticationem ſuam mortuus eſt in quadrageſima proxima ſequente.

Poſt Paſcha venit ab *Anglia* Prior *Herfordenſis* ad regem miſſus per *Willielmum* epiſcopum *Elienſem* regis Cancellarium, nuncians ei, eundem Cancellarium alioſque per regem ad regni cuſtodiam deputatos jam fuiſſe à regimine regni & munitionibus terræ exturbatos, & quod *Johanne* fratre regis procurante, idem Cancellarius de *Anglia* in *Normanniam* erat fugatus; poſt cujus deceſſum præfatus *Johannes* à comitibus & proceribus regni juramenta, fidelitates & ſubjectiones caſtrorumque cuſtodias pertinaciter exigebat, necnon & manus ad annuas regii fiſci præſtationes de Scaccario extenderat uſurpandas, & quod confœderatus fuerat cum rege *Francorum*, qui magnam pecuniæ ſummam ei mutuo tradidit, ut fratri ſuo regi *Ricardo* gravamina ſuſcitaret. Unde rex *Angliæ* hujuſcemodi nuncio conturbatus, repatriare diſpoſuit, duobus milibus & CCC. peditum ibi relictis quibus ſtipendia exhiberet. Communicato ſuper hoc conſilio, cum prudentiores ſentirent, regem ante ejus receſſum in illa terra ſtatuendum, rex optulit ſe regnum illi daturum quem de duobus eligerent, *Marchiſum* ſcilicet vel *Guidonem*. Qui omnes *Marchiſum* elegerunt. Et licet rex levitatem eorum qui prius *Marchiſo* detraxerant redarguebat, ſtatim tamen per legatos *Marchiſum* vocavit, & hoc duabus maxime de cauſis, una quia ille *Conradus Marchio* princeps *Tyri* ad regnum aſpirans cum duce *Burgundiæ* & nobilibus *Francorum* regi *Ricardo* adverſabatur pro *Guidone*; quem ipſe rex ſuſtinuerat, ut ſuperius prædictum eſt; & eciam quia regina *Jeroſolimorum* quæ prædicto *Guidoni* infeliciſſime nupſerat, parum ante defuncta fuerat, & ſpes ipſius *Guidonis* cum ipſa extincta periit. Sed antequam ille Marchio ad regem veniret, cum quodam die cum epiſcopo *Beluacenſi* comediſſet, à convivio rediens, à duobus aſſaſinis ſive ſicariis à quodam pagano quaſi in obſequium miſſis interemptus eſt. Nam captata oportunitate, inter ſuos & ſua propria civitate cultris eum clamdeſtinis peremerunt. Capti tunc & ad mortem ducti nichil certum confeſſi ſunt. Creditur tamen quod fuerunt de genere *Altæ nutricis*, qui mortem non metuunt ut juſſa majorum adimpleant, credentes in hoc ſe poſſe ſalvari & beneficiari. Ipſius tamen interitus regi *Anglorum* imputatus eſt, occaſione recentis diſcordiæ qua cum rege *Ricardo* et rege *Ieroſolimorum Guidone* diſceptaverat, præcipue regem *Angliæ* diffamantibus ſuper hoc *Francis* qui pro Marchione contra *Guidonem* zelabant.

Poſt mortem vero dicti *Conradi* Marchiſi *Franci* qui nondum diſceſſerant, petebant ab uxore Marchiſi ad opus regis *Franciæ* cuſtodiam urbis *Tyri*. Quæ reſpondit eis, Se nulli eam reddere niſi regi *Anglie*, ſicut dominus ſuus moriens ordinavit. Rex autem *Franciæ* audito hoc quod Marchioni acciderat, extunc non niſi armatis ſtipatus in publicum proceſſit. Mirantibus vero ſuis hanc novitatem regiam, ut eis in hoc ſatisfaceret, & gentem ſuam in regem *Anglorum* accenderet, rogaverunt: unde convocato *Pariſius* concilio ſic eos allocutus eſt; » Nemo mirari debet quod præter ſolitum morem » cuſtodiam mei ipſius diligentiorem adhibeam, » cum manifeſtus ille proditor rex *Ricardus* animæ » meæ inſidians illum Marchionem nobilem interemit. Et ſubintulit: » Ecce enim literæ à diverſis » perſonis michi ſuper hoc directæ, qui in hoc » facto quod mihi caveam & cura diligenti » prævideam, » conſulunt. Adjecitque cordi ſibi eſſe ſe » velle libenter de proditore hujuſmodi vindicare. Ad hæc autem quibuſdam reſpondentibus & adulatorie dicentibus, Bonum eſſe & honeſtum quod ſic faceret, & pro celeri diſponeret ultione. Prudentiores tamen reſpondentes intulerunt, Cautelam tuam, ô rex! qua te contra incertos caſus habundantius forte ſervare proſpicis, non culpamus, præmaturæ vero ultionis propoſitum minime approbamus. Rex autem *Franciæ* licet pro tunc ad modicum quievit, quod ſequitur tamen doloſe imaginatus eſt. Miſſis enim ad regem *Dacorum* nunciis, germanam ſuam ſibi dari petiit in uxorem, & nomine dotis ſibi concedi antiquum jus regis *Dacorum* in regno *Anglorum*, & ad hoc aſſequendum exercitum *Daciæ* & claſſem petiit uno anno. Quibus rex, Rem, inquit, grandem & difficilem poſtulat, deliberabo tamen. Quæſitoque à ſuis conſilio reſponderunt, Satis nobis difficile eſt contra paganam gentem *Wandalorum* noſtris finibus vicinam colluctare, & nos & patriam noſtram ab eorum incurſibus defendere & tueri: unde non eſt ſanum, illis dimiſſis, gentem *Anglorum* Chriſtianam & innoxiam invadere, nec noſmet ipſos duplici periculo inmergere. Porro gens *Anglorum* magna eſt & famoſa, atque in tantum valida, ut contra omnem externam gentem ſufficere credatur. Aliud ergo petat rex *Franciæ* dotis nomine, quoniam huic petitioni non eſt annuendum, ſed viribus potius reſiſtendum. Placuit ergo regi conſilium eorum ſobrium atque ſanum, & vocatis nunciis dixit, ut aliud peterent dum tamen quid haberent aliud in mandatis. Illi vero petitione prima exſpirante, decem argenti marcarum millia petierunt. Quibus rex ait, Iſtam petitionem ultimam gratanter ſuſcipimus, & eam pro voto mature implebimus. Pactis ergo initis & ſacramento à legatis præſtito, ſororem ſuam ut decuit perornatam, cum quibuſdam viris honoratis ex ſuis in *Franciam* deſtinavit. Rex autem *Franciæ* eis *Ambianis* occurrens, & eam gratanter acceptans, matrimonio ſolempniter contracto thoro adaptavit. Mane autem facto, diſplicuit ſibi ipſa conjux, & ut fingunt quidam, propter fætidum anelitum vel latentem infirmitatem, vel ipſam corruptam invenit, virginem quam credebat. Statimque miſſis ad papam nunciis divortium fieri poſtulavit. Papa vero de regno poſtulantis judices delegavit, qui ſuo regi faventes, affinitate imaginaria approbatum per execrabile juramentum duorum epiſcoporum, *Beluacenſis* ſcilicet & *Carnotenſis*, divortium celebrarunt. Rex autem *Dacorum* repudiatæ ſororis dedecus ægre ferens, divortium non rite celebratum, ſed in gratiam regis *Francorum* mendaciter contaminatum per reſponſales idoneos in audientia ſedis apoſtolicæ allegavit, & geſta præcedentium temporum proferens, ſeriatim oſtendit, reges *Francorum* & *Danorum* nulla conſanguinitate vel affinitate contingere, de divortio in fraudem

dem ſan[illegible]rum canonum contaminato pertinaci inſtantia [illegible]cium fieri poſtulavit. Sed hoc fruſtra, cum regis *Francorum* metus in hac parte vel gratia prævaleret, nam eandem reginam ſuam ſic repudiatam quaſi carcerali cuſtodiæ poſtea mancipavit.

Interea *Conrado* Marchiſo, ut prædicitur, occiſo, *Henricus* comes *Campaniæ* ab univerſis magnatibus peregrinis, & populo in regem *Jeruſalem* eligitur; ſuper quo rex *Angliæ* eximie lætatus, ſtatim eidem civitatem *Achon* conceſſit in dominium ſempiternum. Poſt hæc rex *Ricardus* ad fortiſſimum caſtrum *Darun*, decem & ſeptem turribus munitum, profectus, illud obſidione poſita infra quatuor dies cepit, captumque *Henrico* comiti *Campaniæ* jam in regem electo dedit cum omnibus pertinentiis adquiſitis. Poſt hoc caſtrum quod dicitur *Ficnum* cepit, cui deinde per *Cannetum Struellorum* redeunti, occurrit quidam clericus ab *Anglia* veniens, nomine *Johannes de Aleton*, nuncians ei *Angliam* per *Johannem* fratrem regis turbatam, qui à rege *Franciæ* crebris intercurrentibus nunciis ad fraternam proditionem ſolicitatur. Super quo rex *Ricardus* valde commotus cum omnino repatriare diſpoſuiſſet, ſermone cujuſdam capellani moram uberiorem eidem eleganter perſuadentis propoſitum mutavit. Deinde rex *Bethonopolim* profectus, *Jeruſalem* diſpoſuit obſidere; ubi audito quod *Turci* in montanis in inſidiis ſedebant, illuc ivit, & illos improvide comprehendit, de quibus plurimis interfectis, præconem *Saladini* cepit, prædamque maximam lucratus eſt. Cum autem apud majores altercatio eſſet de obſidione *Ieruſalem*, rex de communi omnium aſſenſu xx. fecit eligi viros, quinque videlicet *Templarios* & quinque *Hoſpitalarios*, quinque *Sirianos* illius terræ indigenas, & quinque de peregrinis, qui jurati arbitrarentur, quid de obſidione *Ieruſalem* agendum utilius reputarent. Quibus convenientibus & ſuper hoc adinvicem tractantibus, regi interim ab exploratoribus ſuis nunciatur, Carvanniam *Saracenorum* de *Babilonia* egreſſam verſus *Ieruſalem* profecturam. Ad quam comprehendendam rex cum exercitu progreſſus, ipſam juxta *Rotundam Ciſternam* bipartito exercitu in cuſtodes & duces diviſam irruens, comprehendit, ubi *Turcorum* & equitum in diverſis locis peremptorum numerus æſtimabatur ad mille ſeptingentos, exceptis peditibus in maxima multitudine ad mortem contritis, camelorum vero & dromedariorum onera portantium ad quatuor milia ſeptingentos numerus æſtimatur. Multitudo vero riculorum & aſinorum onerariorum ſub numero leviter non cadebant.

Portabant autem diverſi generis ſpecies precioſas, aurum & argentum, pallia oloſerica, purpuram, ſiclades, oſtrum, & multiformium veſtium ornamenta; Præterea arma varia, tela multiplicis generis, infinitas loricas, culcitras de ſerico acu variatas operoſe, papiliones & tentoria precioſiſſima, panes bis coctos, frumentum, ordeum, & farinam, electuaria plurima, pelves, utres & ſcaccaria, ollas argenteas & candelabra, piper, ciminum, zucaram & ceram, aliaſque diverſorum generum ſpecies electas, pecuniam infinitam, & innumerabiles rerum copias aliarum. Aſſerebantque plurimi, quod nunquam temporibus aliquorum præliorum tanta ſimul & ſemel fuerant adquiſita. Quibus, rege cum exercitu revertente, uſque *Bethaven* deductis, rex ea inter milites & ſervientes proportionaliter diviſit juxta merita ſingulorum. Poſt hæc rex inde profectus venit *Bethonopolim*, ubi cum exercitus multum erat deſolatus, eo quod obſidio *Jeruſalem* diſſuaderetur, nec à *Saladino* potuit rex inducias impetrare niſi diruta *Aſchalone*, juſſit rex caſtrum *Darun* ſolo tenus dirui, & de *Hoſpitalariis*, *Templariis*, & aliis treſcentos miſit milites, qui *Aſchalonem* munirent & firmiſſime cuſtodirent. Tunc propter aliquas diſſenciones, æmulationes, & multas difficultates fame valida ingraveſcente, exercitus repatriare diſpoſuit *Chriſtianus*, æmulis de rege *Ricardo* dicentibus, quod regem *Francorum* inſidiis appetiſſet, & *Conradum* Marchionem per ſicarios nepharie peremiſſet, & cum *Saladino* de proditione *Terræ ſanctæ* nequiſſime colluſiſſet. Ille tamen præ animi magnitudine cœptis inſiſtens, maledicta omnium contempnebat, & circa *Aſchalonem* reædificandam & ejus munitionem profuſis opibus inſiſtere juſſit.

Videns tandem quod contra conſpirantem exercitum nichil proficeret, deliberavit cum ducibus & nobilibus univerſis ut ad propria reverſuri aliquos de ſuis ordinarent qui *Chriſtianos* fines ſervarent. Et ſic concordi decreto dictum *Henricum* comitem *Campaniæ* in regem *Ieruſalem* jam, ut prædicitur, electum, utriuſque regis *Francorum* ſcilicet & *Anglorum* communem nepotem, principem *Chriſtianæ* adquiſitionis conſtituerunt. Quo facto, principes & populi catervatim repatriare cœperunt anno ab expugnatione *Tholomaydæ* ſecundo, tempore autumnali. Sane cæteris præter eos qui erant ad præſidia urbium ordinati repatriantibus, rex *Ricardus* qui jam fere theſaurum ſuum exhauſerat, cum parte exercitus *Achonem* conſcendit ad propria reverſurus. Sed eadem die qua rex *Ricardus* ad *Achonem* venit, *Saladinus* in craſtino cum maximo exercitu *Joppen* veniens, urbem obſedit, eaque celeriter expugnata, *Turci* fracto muro ingreſſi ſunt, omnia diruentes, & *Chriſtianos* quoſcumque crudeliter perimentes. Turrim eciam principalem in quam multi confugerant, ſtatim epugnaſſent; ſi induciæ uſque ad tres dies per patriarcham acceptæ non fuiſſent, ita ut niſi tunc ſubſidium à Chriſtianis veniret, turris illico redderetur, & quilibet vir qui in turri erat pro capite ſuo decem bizancia, mulier quinque, & puer tria ſolveret *Saladino*.

A principio vero obſidionis ejuſdem, nuncii in *Achonem* pro ſubſidio quærendo miſſi, regem ad repatriandum paratum invenerunt, nam ſeptem galeas cum gente armata ad capiendum de *Baruth* per quam erat tranſiturus, præmiſerat. Qui mox ut ſiniſtri eventus nuncium accepiſſet, naves cum aliquibus militibus ſtatim aſcendens, verſus *Joppen* per mare progredi feſtinavit, reliquo exercitu terreno itinere gradiente. Venti autem contrarietate triduo retardatus, tandem in portu *Joppe* pervenit nocte præcedente diei Sabbati, cujus hora nona terminus erat turris reddendæ, & præfatæ redemptionis ſolvendæ. Cognito autem regis adventu *Turci* ad litus catervatim ruunt, parmas & ancilia ad reſiſtendum habentes, ne aliqua parte applicantibus liber aſcenſus in terram pateret. Pluunt denſiſſime *Turcorum* jacula & ſagittæ, quorum multi equites in mare profundius ſe agebant ſpicula miſſuri, ne poſſent appulſi litus modo aliquo occupare. Cum autem nonnulli regi ſuaderent nichil ulterius temptandum, quia inter tot hoſtium milia litoris aditum impoſſibilem aſſerebant, nec credibile eſſe *Chri-*

ſtianos pro quorum ſalvatione advenerat vivos eſſe, præſertim cum jam *Turci* terminum præfixum prævenientes, à mane bizancias exigerent, & nichilominus poſt ſolutionem poſtpoſita fidelitate quoſcumque necarent: ecce ad regem ſacerdos quidam natando advenit, qui in galeam regis admiſſus, ſpiritu fatigato, & corde adhuc palpitante ad regem ait, O rex magnifice! gens reſidua quæ tuum aſpirat adventum, cito enſibus vibratis periet laniſtarum, niſi te cooperante divinum aſſit remedium. Cui rex inquit, Sunt adhuc vivi? Cui ſacerdos. Eciam domine, ſed cito in maximo periculo finiendi. Quo audito, Periat, inquit rex, modo qui non proceſſerit. Galeis igitur regis ad litus ſuo imperio propulſis, ipſe primus in mari uſque ad pubem ſe miſit; poſt quem primi erant & proximi *Galfridus de Boſco*, & *Petrus de Pratellis*, quos, omnes in mari proſilientes ſequebantur, verſus litus pedites procedebant. Rex autem ſingularis audaciæ, baliſta qua manu geſtabat, *Turcos* in litore paſſim proſternit, cujus eciam comites electi per litoris ampla *Turcos* cædentes proſequebantur. Litore à *Turcis* evacuato, rex per cocliam quandam quam forte proſpexerat de domibus *Templariorum* ſolus primo intravit, ſuiſque ſequentibus, juſſit ſua vexilla eminentius explicari.

Quibus cognitis, *Turcorum* multitudo quæ ad tria milia infra urbem æſtimabatur, plurimum conturbatur. Rex cum ſuis extracto gladio progrediens, *Turcos* jam fugientes inſequitur, & qui in turri erant, reſumptis viribus egreſſi, regiæ miliciæque conjuncti, horrendam ingerunt *Turcis* ſtragem. *Saladinus* autem audito regis adventu & ejus congreſſu cum hiis qui urbem occupaverant, à ſuis papilionibus velociter fugiens abceſſit. Rex autem *Ricardus* poſt diſceſſum *Saladini* in eodem loco papiliones & tentoria ſua fixit. In craſtino vero die Dominica & duobus diebus ſequentibus, reparationem murorum ſolicite procuravit, ſed ſine calce & cemento, ut qualemcumque qui in urbe erant munitionem haberent. Interim quidam juvenes de genere *Saracenorum* dicti *Ordini* & *Melones*, mutuum ingerunt inter ſe fœdus, jactantes, quod regem *Ricardum* in ſuo tentorio comprehenderent, & *Saladino* infra biduum præſentarent. Hora igitur noctis media ad lunæ ſplendorem armati, procedunt ſuper agendis adinvicem confabulantes. Et ecce Deus minarum qui in ipſo ſperantes non negligit, in eos ſpiritum contentionis inmiſit, & dum inter ſe certant qui pedites procedere, & qui equites obſervare debeant, moram ſic procedendo inmittunt uſque ad auroram diei lucide apparentem. Egreſſi itaque de caſtris ad loca campeſtria quidam forte fuerant *Jannenſes*, qui audito itinerantium ſtrepitu obſtupuerunt, & demiſſo capite viderunt contra cœlum eminus ſcintillare vertices galearum. Curſu igitur rapido ad caſtra reverſi non ceſſabant clamare voce vehementi, ut ſe armarent celerius univerſi. Rex ex clamore audito expergefactus, de ſtratu ſuo proſiliens, lorica & armis ſuis induitur, jubens omnes ſuos feſtinanter armari, quorum quamplurimi exurgentis articuli conturbatione conſternati, ad bellum nudis tibiis procedebant.

Apropinquantibus autem *Saracenis* & *Turcis*, cum rex proceſſurus equum aſcendit, ſocios habebat equites tantum decem, videlicet *Henricum* comitem Leyceſtriæ, *Brachium* de Mortuo mari, *Radulphum* de Malo leone, *Andream* d[illegible]enegin, *Girardum* de Furnivall, *Rogerum* de Lacy, *Willielmum* de Stagno, *Hugonem* de Nevilla ſervientem probiſſimum, *Henricum* Teutonicum, & *Reginaldum* Signiferum. Hii tantum equos habebant. Per ordines igitur diſponuntur agmina, & ſingulis caſtigandis aſſignantur præfecti, lociſque maritimis deſtinantes milites probiores, quoniam ibi verſus eos venerunt *Turci* agmine denſiori;. Extra ortos ſuburbanos aſſignantur *Jannenſes* & *Piſani*. *Turci* cum diverſa gente commixta clamore horrendo irruunt, ad quorum impetus ſuſcipiendos *Chriſtiani* milites ſe aptabant, dextrum genu ſolo figentes, pedumque dextrorum articulos in terra affigebant, pedes vero ſiniſtros ſinuato poplite habebant. Manus ſiniſtræ tenebant clipeos, dextræ lanceas; quarum capita poſteriora in terra figebantur, anteriora vero cum cuſpide ferrata adverſariis irruentibus oppoſita tenebant. Rex inter quoſlibet duos ſic aptatos, duos ſtatuit baliſtarios, quorum unius officium eſſet baliſtam tendendi, alterius pila jugiter jaciendi. Quod non modicum nocuit hoſtibus, & plurimum profuit *Chriſtianis*. Hoſtilis exercitus per ſeptem acies & turmas fuerat ordinatus, quarum prima militibus *Chriſtianis* prædicto modo diſpoſitis appropinquans, cum jam imineret irrutura, quia hos *Chriſtianos* attendit inmobiles, ſubito reſiliens ab eis in partem ſe divertit. Eodem modo ſecunda acies & tercia. Reliquæque modo ſimili cum cominus viderentur præliaturæ, verſuta calliditate in partem alteram flexis loris equos celerius regirabant. Quod cum rex diutius proſpexiſſet, non æſtimans eos aliud acturos, cum prædictis equitibus ſuis equos calcaribus ſubductos demiſſis lanceis in denſiorem hoſtium turbam vehementius agebatur, graviſſimoque prælio conſerto, rex comitem *Leyceſtria* equo dejectum defenſurus, ocius advenit, atque ad ſtandum ſibi obſequium præſtitit. Videns eciam *Radulphum de Malo leone* captum ab hoſtibus trahi, celerius accurrit, & à *Turcorum* manibus ipſum eripuit. Rex itaque ea die adeo Martis exercitio vexabatur, ut cutis dextræ vibrantis gladium rumperetur.

Interea factus eſt clamor magnus ab acie *Turcorum* jam villam *Joppen* certatim occupantium. Quo audito, rex cum multitudine baliſtariorum, equitibus tantum duobus eum comitantibus, accurrit, & in ipſa platea duos *Turcos* ſibi obvios deiciens, duos equos lucrifecit. Repulſiſque *Turcis*, murorum interrupta reparari mandavit, adhibens cuſtodes qui urbem à *Turcorum* incurſibus cuſtodirent. Deinde ad litus maris accedens, multos qui in galeis fugam temptabant, efficaciſſimis verbis ad prælium revocavit: cum quibus ad locum pugnæ unde digreſſus fuerat adveniens, ferociſſimo impetu in turbam *Turcorum* dimicantium irruit, qui regem undique circumvallabant, ita ut à ſuis fere non videbatur, & ibi ipſum opprimere conabantur. Sed ille tanta vivacitate in illa *Turcorum* multitudine ſe habuit, ut hoſtes ſuos tranſverberaret undique irruentes, inter quos admillum quemdam cæteris eminentiorem, & inſigni apparatu nobiliorem, unico ſed admirabili vulnere interfecit; nam cum alios velut deſides redarguens, equo ſublimi vectus, curſu rapido obvius regi ad ipſum deiciendum veniſſet, rex tota virtute gladium elevans, caput cum ſcapula dextra & brachio amputavit. Quo viſo, cæteri *Turci* viam ſpacioſam ei dantes, à longe ſagittas & pila in ipſum tantum emittere ſatagebant. Tandem rex *Ricardus* miles eximius, cujus armatura & equi ſui pilis & ſagittis infixis circumquaque obſita erant, à prælio graviſſimo à mane uſque ad veſperam commiſſo, cum laude & victoria reverſus eſt.

Mira res quod *Chriſtiani* tam longe impares numero, cum paganis certamina ſuſtinebant. Sed revera Dei miſerantis opitulatione non eſt dubitandum hoc eſſe patratum, cum in illa die funeſta non corruit noſtrorum niſi tantum unus vel duo, et *Turcorum* amplius quam ſeptingenti. Porro *Joppen* potenter ut prædicitur liberata, ex prædicti prælii fatigatione, et cadaverum fœtore unde locus corruptus erat, *Chriſtiani* quamplurimi deceſſerunt, et rex incidit in langorem. Invaleſcente nimium ægritudine, rex de ſanitate recuperanda deſperatus eſt. Unde tam pro aliis quam pro ſeipſo nimis anxius, maluit citius eligere ut inducias peteret, quam infecto negotio recedens, terram depopulandam omnino deſereret ſicut fere omnes alii fecerant, jam catervatim in navibus abeuntes. Optinuit itaque à *Saladino* inducias ſub hac forma, videlicet, ut *Aſchalon* civitas, quæ terror erat *Saladino*, dirueretur, à nullo homine reparanda ante finem trium annorum ad paſcha proximum incipientium; poſt triennium vero quiſque qui ſuperiori vigeret potentia *Aſchalon* occuparet. Conceſſit autem *Saladinus* ut *Joppen* reſtauraretur Chriſticolis libere et quiete, cum univerſa regione vicina, lociſque maritimis et montanis. Confirmandam eciam ſanxit pacem inter Chriſticolas & paganos: Totoque tempore induciarum ſalvum eſſe per omnia acceſſum ad ſanctum Domini ſepulcrum abſque cujuſcumque penſionis exactione, ita quod expletis orationum ſolempniis, Chriſticolæ cum fructu devotionis ſuæ finibus ſe redderent *Chriſtianis*. Conceſſit eciam liberum tranſitum deducendi res quaſcumque venales per omnem terram, & commercia libere exercenda.

Rex autem *Ricardus* licet ægre tulit, urbem *Aſchalon* everti, in cujus reſtauratione ſumptuoſe & magno labore ſudaverat, à *Chriſtianis* tamen inductus, ipſas inducias amplexus eſt. Induciæ ergo à proxima ſolempnitate paſchali in tres annos, tres menſes, tres ſeptimanas & tres dies concorditer conceſſæ ſunt. Sed quia rex in infidelibus minime ſperare poterat, utpote æger & modico fretus auxilio, & non prorſus ab inimicorum aberat ſtatione quam miliariis duobus, induciis ſcriptis & juramentis confirmatis, *Cayphan* ut ſanaretur fecit citius ſe deduci, ubi ſalutiferis medicinis acceptis, ſtatuit ut populus qui vellet Dominicum ſepulcrum viſitaret, ita quod oblationes ſuas ad auxilium murorum *Joppe* conficiendorum integre reportaret. Populus igitur ſepulcrum Domini viſitare volens, in tres turmas dividitur; quarum primæ præfuit *Andreas de Cheveigni*, ſecundæ *Robertus Teſun*, terciæ *Hubertus Sariſbirienſis* epiſcopus, qui in omni expeditione individuus extiterat comes Regi; per quem rex propter pericula emergentia à ſuis ire in propria perſona non conſultus, oblationem devotionis regiæ illuc miſit.

Expedita Chriſtianorum peregrinatione, *Saladinus* epiſcopum ad ſui colloquium invitavit: poſt quod *Saladinus* epiſcopo dixit, ut ab eo peteret quod optaret. Qui peciit ut apud Dominicum ſepulcrum & in *Bethleem* atque *Nazareth*, duo presbyteri *Latini* cum tot diaconis divina poſſent celebrare. Quod optinuit. Et tunc dictus epiſcopus, expleto peregrinationis officio, ad regem cum gaudio remeavit. Quibus actis, rex *Ricardus* inſulam de *Cypre Guidoni* olim *Jeroſolimorum* regi & *Henrico* Comiti *Campania* nepoti ſuo, quem *Chriſtianis* finibus juxta votum populi ut prædicitur præfecerat, liberalitate mera dedit: Quibus ſuam reverſionem citra induciarum expletionem Deo propicio promiſit, caractere Dominico quo inſignitus advenerat in argumentum propoſitæ reverſionis retento.

INterea regis *Ricardi* navigium inſtruitur, & omnia neceſſaria pro reditu ſuo præparantur. Tunc pro *Willielmo* de *Parcell* redimendo, qui ſe regem ut regem ſalvaret in pugna, ut præſcribitur, exclamavit, decem ex nobilioribus *Turcis* commutandos libere dimiſit.

Die autem ſancti *Dioniſii* rex *Ricardus* à *Siria* digrediens, duabus reginis, ſcilicet ſorore ſua vidua & conjuge propria, cum omni fere familia præmiſſis & proſpere in *Sicilia* applicantibus, ipſe cum paucis agiliori navigio ſequebatur. Ortaque tempeſtate valida, & navi qua vehebatur inclementioribus auris arrepta, circa feſtum ſancti *Martini* in terra imperii *Conſtantinopolitani* applicuit; verum quoniam verſutiam Imperatoris & *Gracorum* ſuorum ſuſpectam habuit, nolens ibi videri, cum piratis forte inventis paciſcens, dat eis pro naulo quantum poſtulabant, rogans eos ut ipſum expeditius in terram commodiorem tranſveherent. Relicta igitur claſſe regia, ſe regem habitu mutato diſſimulans, cum paucis tranſvectus eſt in *Sclaviam*. Inde pertranſiens, inter *Aquileiam* & *Venetiam* naufragium paſſus eſt, ubi inter cæteros naufragos aliquantiſper perſonam propriam celans, inani cautela periculum evadere ſtuduit; nam cito percrebuit inſignem in terra illa oberrare naufragum & latere. Mox nobilibus ſimul & populo ad illum inveſtigandum intentis, ut mortem Marchionis quæ ſibi imputabatur in eo vindicare poſſent: contigit ut quidam Comes terræ illius nomine *Maynardus* rege *Ricardo* latenter per fugam elapſo, octo de ſuis comprehenderet. Deinde in epiſcopatu *Salburgenſi* loco qui dicitur *Friſarum*, ſex viris de ſuis à quodam *Frederico* detentis, cum quatuor tantum perſonis comitibus nocturno tempore ad partes *Auſtria* properavit.

Limpoldus vero dux *Auſtria* qui olim ut ſupradictum eſt ſtipendiarius ejus fuerat, beneficii accepti inmemor, in ultionem cujuſdam læſionis & contemptus nuper per regem in *terra ſancta* ſibi factæ ex igne ſæviens, *Anglicanaſque* opes tanquam avarus & perfidus ficiens, audito quid regi *Ricardo* acciderat, cautiſſimos per omnes viarum tranſitus cuſtodes poſuit, ne locus eſſet inſigni profugo evadendi. Qui demum xiij. kal. Januarii in ſuburbio *Vienna* indicio tali captus eſt Dum unus ex ſuis eſcas lautiores emeret, comprehenſus & intenta morte requiſitus cuinam peregrino talia procuraret, per inmiſſos ſatellites caute de eo inquirentes rex captivatus eſt, Ingreſſique ad eum armati confeſtim, inquiunt, *Ave Rex* Anglorum, *fruſtra perſonam tuam pallias, te enim manifeſtum facies tua facit.* Cumque vir ingentis animi gladium arriperet, *Noli ô*

Rex, inquiunt, *timere vel temere agere, non enim morieris ſed potius à morte ſervaberis in medio tuorum hoſtium* Conradi Marchionis *propinquorum, qui utique te quærunt ut animam tuam perdant; In quorum namque manus ſi caſu forte incideres, eciamſi centum vitas haberes nec una tibi ſalva remaneret.* Captus eſt igitur Rex nobilis & Duci nequiſſimo præſentatur anno à partu virginis M.C. nonageſimo ſecundo menſe Decembris, & citra decus regium vinculis mancipatur.

Rumores autem iſtius captionis ad *Teutonicum* Imperatorem *Henricum* vj. in *Germania* partibus tunc conſtitutum mature delati ſunt; qui *Anglicanas* ſiciens divitias, miſſis ad *Limpoldum* ducem *Auſtriæ* nunciis, allegavit, Regem non decere à Duce teneri, nec eſſe indecens ſi ab Imperatoria celſitudine decus Regium teneretur. Et cum hoc à duce negari non poſſet, inſignem captivum ſic à duce pacto interveniente reſignatum Imperator avarus in cuſtodiam ſuam duxit. Nec hoc regem *Francorum* latere voluit Imperator. Sed miſſis ad eum nunciis, iſtius ſuæ læticiæ participem eum fecit. Qui ſupra modum lætatus, reſcripſit & procuravit, ut perpetua foret inſignis captivi detentio, tanquam publicæ pacis perturbatoris & mortis ſeductoriæ proditoris.

Miſſis ergo nunciis conſobrinam Imperatoris ſibi dari peciit in uxorem. Cujus petitionem gratanter amplexus, ſtatim ipſe Imperator Comitem *Palatinum* patrem puellæ accerſivit; nec latuit ea res matrem puellæ conſobrinæ Imperatoris. Quæ filiam ſuam unicam ſecreto advocans, ait illi; Viſne filia mea, honorabiles nuptias & thoro regio adhærere? Tunc illa, Audivi, inquit, à multis de hoc Rege quomodo nobiliſſimam puellam Regis *Dacorum* germanam fœdavit & turpiter abjecit, unde adhuc vereor hoc exemplum. Ad quam mater, Quis, ait, in votis tuis eſt potior? Cui illa, Si mea, inquit, vota proſperentur, ab *Henrico* ducis *Saxoniæ* filio cui me didici in annis infantiæ deſponſatam, nunquam disjungar. Et mater ait, Confide filia, quia per maternam operam optato connubio potieris: Moxque eundem *Henricum* Regis *Anglorum* ex ſorore nepotem, ſecretis literis accerſivit. Qui feſtinanter adveniens, & promptiſſime votis parens, dilectam tradente matre accepit virginem in uxorem. Imperator hoc audiens, & de conſenſu Comitis hoc eſſe factum credens, in eum excanduit vehementer, tum quia juvenem oderat, tum quia factum erat aliter quam volebat. Cumque reſpondiſſet Comes, omnia per conjugem ſuam eſſe facta, prætextu cujuſdam juramenti patri ipſius juvenis præſtiti de puella ſibi deſponſanda cum ad annos nubiles perveniſſet, Imperator ſubintulit, Vade ait, & nebulone illo expulſo reſcinde citius quod actum eſt. Et ille, Noli, inquit, ſic loqui Imperator, nam uſque huc res ipſa rite proceſſit, ita quod abſque ſempiterno unicæ filiæ meæ dedecore reſcindi non poteſt. Et reverſus ad propria blande ſuo genero locutus eſt, eumque in filium adoptans egregie dotavit. Sicque rex *Franciæ* qui propriam repudiaverat conjugem, nuptiis diu ſperatis Dei judicio caruit & optatis. Plures eciam feminæ nobiles ex poſt facto prædictum exemplum puellæ *Daciæ* verentes ejus conjugium aſpernebant. Alias eciam cum quandam virginem nobiliſſimam de Imperio *Theutonico* expetiſſet, ſic voto fraudatus eſt. Cum enim alius vir potens eam prius petiſſet, & à parentibus regiam magis petitionem admittentibus ad *Franciam* pompatice duceretur, per fineſque proci prioris tranſiens, ſponte ejus manibus ſe injecit, à quo volens retenta & ſolempniter ducta, vota regia ſic deluſit.

Deinde rex *Franciæ* per literas *Henrici* Imperatoris de captivitate regis *Angliæ* ut præſcribitur certificatus, miſit ad *Johannem* regis *Ricardi* germanum ut cum eo fœdus iniret. Qui confeſtim ad eum veniens, & de ejus auxilio ad regnum *Anglicanum* aſpirans, pepigit cum eo fœdus. Et in *Angliam* cito rediens, congregatis ſibi vagis & profugis, caſtella & loca munita fratris ſui regis quam citius occupavit. Regni vero optimates fide integri animiſque juſtis infracti, collecta manu valida nephariis auſibus vecordiſſimi juvenis ſe oppoſuerunt, & caſtrum de **Windeſoure** die & nocte fortiter oppugnantes ad deditionem coegerunt. Quod cum *Johannes* videret & obſeſſis ſubvenire non poſſet, pro eorum ſalute ad tempus diffinitum inducias petiit, & caſtrum obſeſſoribus reſignavit. Quo facto, *Johannes* Comes fratrem ſuum regem nunquam credens à cuſtodia Imperatoris liberari, imo potius quicquid pro redemptione ſua daretur perdi, ſtatim transfretavit, & ad regem *Franciæ* ſe contulit, ſecum contra fratrem indecenter militaturus.

Denique poſt paſchalem feſtivitatem Imperator *Henricus* regem *Ricardum* in multis accuſavit. Inprimis quod per ejus auxilium & conſilium regnum *Siciliæ* & *Apuliæ* quod ſibi jure hæreditario debebatur defuncto rege *Willielmo*, amiſerat, pro quo adipiſcendo exercitum permaximum data infinita pecunia conduxerat, cum idem rex auxilium ſibi ſe fore præſtiturum fideliter ſpoſpondiſſet, ut à *Tancredo* regnum illud optineret. Deinde accuſatur de rege *Cipri* qui ei affinitate conjunctus fuerat, quod eum injuſte ab imperio ejecerat & carcerali cuſtodiæ deputaverat, & terram ejus cum theſauris invaſerat, & inſulam vendiderat ſive dederat cuidam alieno. Poſtmodum vero ipſum de morte *Marchiſi de Monte ferrato* hæredis ſui accuſavit, quod videlicet per ejus proditionem ab aſſiſinis peremptus fuit, quos eciam miſerat ad dominum ſuum regem *Franciæ* perimendum, cui nullam fidelitatem ut debuerat ſervavit, ſicut in communi eorum peregrinatione inter eos juramenti ſacramento fuerat confirmatum. Deinde conqueritur, quod ſignum Ducis *Auſtriæ* conſanguinei ſui in terra ſancta Deo militantis ob ejus contemptum in cloacam dejecerit, & verbis & factis ipſum & ſuos *Theutonicos* dehoneſtavit. Super hiis autem omnibus rex *Ricardus* hillari fretus conſcientia conſtantique & libera reſponſione ita diluit objecta, ut omnibus audientibus ſufficienter ſe excuſavit. Unde Imperator non ſolum ad miſericordiam verumeciam ad ejus reverentiam flecti videretur. Multiſque præ gaudio in lacrimas reſolutis, regem inclinatum ipſe eciam Imperator dignanter erexit, uberiorem de cætero gratiam ſibi pollicens & ſolatia ampliora.

Inſuper rex *Ricardus* miſit imperialem legationem ad *Veterem de Monte* rogans ipſum & aſſiſinos ſuos, ut per ejus epiſtolam ſuper dicto crimine de morte Marchiſi ei per ducem *Auſtriæ* maxime impoſito, innocentiam ſuam purgaret; Quod per hujuſcemodi literam poſtea factum eſt.

Limpoldo *duci* Auſtriæ Vetus de Monte *ſalutem. Cum plurimi Reges & Principes ultra mare* Ri-

cardum *regem* Angliæ & *dominum de morte Marchiſi inculpant, juro per Deum qui in æternum regnat & per legem quam tenemus, quod in ejus morte culpam non habuit. Eſt cauſa ſiquidem mortis Marchiſi talis. Unus ex fratribus noſtris in unam navem de* Salteleya *ad partes noſtras veniebat, et tempeſtas forte illum apud* Tyrum *impulit, & Marchiſus fecit illum capi & occidi, & magnam ejus pecuniam rapuit. Nos vero Marchiſo nuncios noſtros miſimus, mandantes, ut pecuniam fratris noſtri nobis redderet, & de morte fratris noſtri ſatisfaceret, quam ſuper* Reginaldum *dominum* Sidonis *poſuit. Et nos tantum fecimus per amicos noſtros quod in veritate ſcivimus, quod ipſe fecit illum occidere & pecuniam illius rapere. Et iterum alium nuncium noſtrum nomine* Ewriſum *miſimus ad eum, quem in mari mergere voluit; Sed amici noſtri illum à* Tiro *feſtinanter fecerunt recedere, qui ad nos cito pervenit, & iſta nobis nunciavit. Nos quoque ex illa hora Marchiſum deſideravimus occidere. Tunc quoque duos fratres miſimus ad* Tirum *qui eum aperte & fere coram omni populo* Tiri *occiderunt. Hac itaque fuit cauſa mortis Marchiſi. Et bene dicimus vobis in veritate, quod dominus* Ricardus *rex* Angliæ *in hac Marchiſi morte nullam culpam habuit. Et qui propter hoc domino regi* Angliæ *malum fecerant injuſte fecerunt, & ſine cauſa. Sciatis pro certo quod nullum hominem hujus mundi pro mercede aliqua vel pecunia occidimus, niſi prius malum nobis fecerit. Et ſciatis quod literas iſtas fecimus in domo noſtra ad caſtellum noſtrum* Meſſiat *in dimidio Septembris anno ab* Alexandro *papa quinto.*

Fama vero ſuper inventis accuſationibus regi *Ricardo* objectis ſufficienter purgata, & epiſtola quam *Vetus de Monte* duci *Auſtriæ* tranſmiſerat jam perlecta, *Celeſtinus* papa, & multi Principes *Germaniæ* indigne ferentes regem *Angliæ* ab Imperatore ſic diu captivum detineri, ſuggeſſerunt ei & duci *Auſtriæ*, & ab eodem papa amoniti ſunt tam idem Dux quam Imperator, ut in pace regem *Ricardum* dimitterent & libere ſinerent ad propria remeare, neque merita ejus ſic recompenſanda erant, qui pro totius Chriſtianitatis negotio tantis laboribus & periculis expoſitus fuerat & attritus. Imperator vero tam opimam prædam nullo modo dimittere volens, ipſum uſque *Maguntiam* tranſtulit captivatum, & in ſui excuſationem dicebat ſe ab eo exigere pecuniam quam à terra ſua *Siciliæ* ipſum jam aſſeruit ſpoliaſſe. Contra quod rex *Ricardus* nichil niſi dotem ſororis ſuæ à rege *Tancredo* retulit exegiſſe. Sane autem rex *Ricardus* ſic detentus à multis inſignibus viſitabatur: Inter quos *Willielmus* epiſcopus *Elienſis*, propter inſolentes mores ab *Anglia* jam pridem ut præſcribitur extruſus, ad eum venit ut regis circa ſe animum exploraret. Quem cum adumbratæ devotionis præſtigiis non poſſet diludere, deſperata gratia ſed cauteriata comitante conſcientia, ad *Franciam* rediit. Tamen quidam volunt, quod ipſe à rege non diſceſſit, ſed ſemper ei aſſiſtens negocia ipſius ſtrenue miniſtrabat. Venit eciam ad eum vir venerabilis *Hubertus Sariſbirienſis* epiſcopus, qui ejuſdem regis in *Siria* individuus comes fuit. Qui cum in *Sicilia* applicuiſſet, & quod regi acciderat cognoviſſet, ad eum illico properabat; Quem rex in *Angliam* direxit tum pro neceſſaria regni cura, tum pro liberationis ſuæ negocio maturando, quam pro certa redemptione infra breve ſperabat.

Rebus igitur ita circa regem *Angliæ* ſe habentibus, *Philippus* rex *Franciæ* miſſis ad eum viris honoratis hominium quo ſibi aſtrictus videbatur ſolempniter refutavit, bellumque vincto indicens, hoſtile propoſitum declaravit. Diſplicuitque res ipſa Imperatori & ſuis nobilibus, eo quod inauditum & indecorum ſit valde, homini vincto & ſui penitus inpotenti bellum indicere. Scripſit igitur ei Imperator ſupplicando ut à vincti rebus quieſceret, & ſaltim uſque ad tempus in pace remaneret. Porro rex *Franciæ* non adquieſcens, imo promiſſa ingenti pecuniæ ſumma Imperatorem corrumpere temptavit, ut eundem vinctum ſibi traderet cautius cuſtodiendum, allegans multa mala evenire ſi tantus turbator irrumperet. Congregato igitur exercitu fideque poſtpoſita & juramento fracto, quo ſe præfato regi *Angliæ* ante receſſum ſuum de *Achon* aſtrinxerat, *Normanniam* ſtatim hoſtiliter invaſit, & *Giſorcium* nobile caſtellum proditione *Gilebarti de Vaſcalio* cuſtodis ejuſdem recepit. Ulterius vero ad alia caſtella progreſſus, invenit neminem reſiſtentem. Cumque jam *Albemarlam*, *Angun* atque alia caſtella plurima, urbemque *Ebroicenſem* in ejus poteſtate cepiſſet, eccleſias Dei in ſpiritu vehementi contrivit, nec pepercit epiſcopatibus, abbathiis aliiſve monaſteriis; quinimo monachos eiciens, redditus eorum cepit & in proprios uſus convertit. Tandem *valle Rodolii*; & *Novo burgo* captis, metropolim *Normanniæ Rothomagum* cum exercitu adiit. At Comes *Leiceſtriæ Robertus*, qui cum rege *Ricardo* in orientali expeditione fidiſſimus fuerat, paulo ante urbem ingreſſus, animos civium erexit, & ut viriliter agerent egregie roboravit. Rex vero *Franciæ* urbe per dies aliquot obſeſſa & fruſtra oppugnata, jacturaque magis accepta quam illata, receſſit & ad faciliora negotia exercitum revocans, munitiones nobiles *Paſcy* & *Luercy* abſque difficultate optinuit. Tunc ad ejus impetum pro tempore frænandum, illi qui vices vincti gerebant ingentis ſummæ pactione ad certum tempus duxerunt inducias redimendas, & iv. electa caſtella loco pignoris tradiderunt. Per idem tempus mortuo *Saladino* Soldano & in inferno ſepulto, *Saffadinus* frater ejus ei ſucceſſit.

Circa hæc tempora *Stephanus* quidam procurator *Andegaviæ* qui ſub diebus *Henrici* ſecundi & hujus *Ricardi* prudenter egerat, conjectans tam delicati corporis principem ex longo itinere & periculo vel non vel difficile poſſe in terram ſuam reverti, abſente rege cœpit fines creditæ poteſtatis petulanter excedere; Unde & ſuadente ſibi quodam familiari ſuo, nigromanticum conſulit, utrum rex *Ricardus* eſſet reverſurus. At ille ducens *Stephanum* ad locum ſecretum, caput æneum ſpiritum habens incluſum ei oſtendit. Quære, inquit, ab iſto quæ volueris, ſed pauca & breviter, nam ad multiloquium & ad plura non reſpondet. Tunc ille interrogans dixit, Nunquid viſurus ſum Regem *Ricardum*? & reſpondit, Nequaquam. Iterum inquit, Quamdiu durabit michi adminiſtratio ſuſcepta? Reſpondit, Uſque ad mortem tuam. Tercio quæſivit *Stephanus*, ubi eſſet moriturus.

Et reſponſum eſt, In *pluma*. Nec licuit ei ulterius quærere. Sed dimiſſus à vate præcepit ſuis, ne quid plumeum occaſione aliqua ſibi applicaret. Cœpit exhinc confidentius ſolito agere, ſubditos conterere, & maxime quendam de nobilibus, qui aliquando in caſtrum ſuum à facie *Stephani* perſequentis fugiens, ipſum *Stephanum* negligencius in obſidione oberrantem cepit & laniatum trucidavit. Munitio vero illa dicebatur *Pluma*, ſicq; patuit cavillatio ſpiritus illuſoris.

Simile contigit *Gilberto* pſeudopapæ, prout ſuperius tempore regis *Ethelredi* fratris ſancti *Edwardi* regis & martiris expreſſum eſt; qui quæſivit à diabolo quando eſſet moriturus, & reſponſum eſt, Quando celebraret in *Jeruſalem*; ſed in *Roma* erat eccleſia nuncupata *Jeruſalem* qua ſingulis annis *Romanus* pontifex ſolet celebrare Dominica quadrageſimæ qua cantatur *Lætare Jeruſalem*; ubi tandem celebrans illuſionem dæmonis expertus eſt. De *Alberico* quoque comite *Northumbriæ* ſimile narratur, qui cum eſſet præpotens, ſuo tamen ſtatu non contentus, conſulto dæmone audivit, quod *Græciam* eſſet poſſeſſurus, unde & partes adiens orientis, *Græciam* ingreſſus eſt. Cumque auditum eſſet à *Græcis* quod ſuper eos foret regnaturus, nudatum bonis omnibus de finibus ſuis expulerunt. Poſt annos aliquot homo laboribus & ærumpnis feſſus, *Normanniam* ad regem *Henricum* rediit, à quo & nobilem viduam cum toto patrimonio in conjugem recepit, at cum in benedictione nuptiali ſacerdos diceret mulieri, Domina *Græcia* complacetne tibi in iſto viro? Agnovit *Albericus* aſtutiam ſpiritus illuſoris qui mentem hominis cupidam erexerat in ſpem vanam.

Eodem tempore eccleſia *Cantuarienſi* vacante, rex de *Alemannia* Electoribus ſcripſit, perſonam eis *Huberti Sariſbirienſis* epiſcopi in quo ſibi complacebat, utpote virum in multis probatum & præclaræ famæ agnitum commendando. *Cantuarienſes* cum epiſcopis convenientes eundem *Hubertum*, juxta voluntatem regiam ad primæ ſedis regimen concorditer & ſolempniter electus eſt, qui nimirum accepto pallio intronizatus, mox ſumpto apud **Merton** canonicæ profeſſionis habitu, *Cantuarienſibus* quos fervor *Baldewini* prædeceſſoris ſui paulo indiſcretior exulceraverat, moleſtus non fuit. Præfatus namque *Baldewinus* quanquam alias vir bonus, prudens & religioſus, ante annos aliquot jus & prærogativam eligendi pontificem *Cantuarienſem* à *Cantuarienſibus* monachis transferre elaboraverat, cujus rei gratia regio favore fretus nova ædificia juxta majorem *Cantuariæ* eccleſiam ad præbendas canonicorum ſecularium non ſine ſanguine conſtruere cœperat, ut ibidem poſtmodum ſuffraganei epiſcopi cum clericis convenientes, de futuri pontificis electione, extruſis monachis deliberarent. At contra monachi, ad *Romanum* pontificem appellantes, opus inceptum interim ſuſpenſum poſt mortem *Baldewini* uſque ad ſolum complanaverunt. In quo facto mirandum fuit, tantum virum qui ex archidiacono monachus, & poſt abbas *Ciſterſienſis* ordinis, & ex abbate *Wigornenſis* epiſcopus, ac ex ſuffraganeo tandem metropolitanus effectus eſt, quod inperfectioris vitæ homines, canonicos ſcilicet ſeculares, loco perfectiorum ſubrogare voluiſſet, cum olim ſancti principes & pontifices in *Anglia* illud genus clericorum minus habundare volentes, optionem illis dederint, ut aut beneficia relinquerent, aut mutantes vitam & habitum in religionem tranſirent.

Poſt paucos autem dies imperator *Henricus* ad locum ubi rex *Angliæ* ſervabatur veniens, præſentibus & mediantibus epiſcopis, ducibus atque magnatibus pluribus, per dies aliquot cum eo colloquium habuit & tractatum, & tandem in vigilia apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, omni quæ vertebatur inter eos quæſtione deciſa, & ſumma redemptionis regiæ declarata, imperator regem de cætero honeſtius ſervari decrevit ſine vinculo & cathena. Denique jubente imperatore, epiſcopi & duces cum univerſa nobilitate quæ aderat certam regis liberationem poſt ſatisfactionem pecuniæ ejuſdem, id eſt, centum milium librarum argenti, in imperatoris animam juraverunt, cujus pecuniæ tercia pars duci *Auſtriæ* qui eundem regem captivatum tranſmiſerat ex pacto imperatoris quando eundem regem à duce recepit, competere dicebatur. Quo facto, *Ricardus* rex univerſis ſuis fidelibus ſcripſit, ut redemptionis ſuæ precium præparantes, liberationem ſuam modis omnibus maturarent. Negotium igitur illud *Elianora* matre regis in omnibus viribus ſuis procurante, executores regii in cunctis *Angliæ* finibus urgebant, nulli parcentes, nec ulla erat diſtinctio clerici & laici, ſecularis & religioſi, ruſtici & urbani. Sed omnes indifferenter juxta ſubſtantiæ ſuæ vires vel reddituum quantitatem pro redemptione regia portionem ſuam ſolvere cogebantur. Privilegia, prærogativæ, immunitates eccleſiarum tunc ſilebant penitus, & vacabant; omnis enim dignitas & libertas os ſuum undique opilabat. *Ciſtercienſis* quoque ordinis monachi qui ab omni exactione regia hactenus immunes extiterant, tanto magis tunc onerati fuerant, quanto minus antea pupplici oneris ſenſerant gravitatem. Exacti quoque & coacti lanam ſuarum ovium reſignarunt,

Congregata per totam *Angliam* ingenti pecuniæ ſumma, cum univerſæ particulæ ejuſdem *Londoniam* conveniſſent, ad ſummam redemptionis regiæ minime attingebant, licet ab inicio crederetur quod tanta coacervatio eandem ſumam excedere deberet, Quod collectorum fraude creditur accidiſſe. Denique propter hanc primæ collectionis inſufficientiam miniſtri regii ſecundam tertiamque collectionem inſtaurant, quoſdam eciam pecuniis locupletiores ſpoliant, factum ſuum nomine redemptionis regiæ palliantes. Poſtremo ut nulla vacaret occaſio, ad vaſa ſacra & utenſilia eccleſiæ ventum eſt. Itaque per omnem *Anglici* regni latitudinem ſacri calices exactoribus regiis traduntur, vel paulo infra pondus redimuntur: Vaſa eciam alia, cruces prælatorum, anuli cum auro de Sanctorum feretris abraſo ſunt conflata. Nec erat hoc ſecundum patrum decreta illicitum, cum urgentiſſimus neceſſitatis articulus inſtaret. Cum jam fere exinanita pecuniis *Anglia* videretur & laſſatis executoribus regiis occaſiones eciam exquirendi pecunias langueſcerent, tota tamen illa coacervatio, ut dicitur, ad ſummam regiæ redemptionis atque expenſarum ejus complendam minus ſufficere potuit. Quamobrem prætaxatæ ſummæ parte majori miniſtris imperatoris appenſa, rex conſulte ne ſua ſupra modum protraheretur relaxatio, pro parte reſidua imperatori per obſides idoneos, videlicet *Rothomagenſem* archiepiſcopum & *Bathonienſem* epiſcopum, vel ſecundum quoſdam epiſcopum *Elienſem* cum aliis nobilibus ſatisfecit.

Igitur rex *Anglorum* poſt *Alemanicæ* detentionis tædium, quod pleno anno & tribus menſibus duraverat, menſe demum Januarii ſolempniter relaxatus, à *Maguncia* tetendit in *Coloniam*, ab archiepiſcopo civitatis illius inſtantiſſime invitatus, à quo in eccleſia cathedrali receptus Miſſam audivit ipſo archiepiſcopo cantoris officium ſupplente, et officium illud *Nunc ſcio vere* celebriter inchoante. Deinde verſus *Angliam* accelerans, ſtatim portum qui *Swina* dicitur in *Flandria* adiit, inde in regnum proprium Deo propicio tranſiturus. Ubi dum pro providentia neceſſarii apparatus reparanda, vel propter flatus adverſos duobus plene menſibus moram traxit, indultæ ei gratiæ ut dicitur imperatorem pœnituit, & eum relaxatum ad detentionem cogitavit perpetuam revocare; perfidus namque imperator & *Alemanni* inſtabiles dixerunt ad invicem conferentes: Quid, inquit, fecimus emittentes ad orbis periculum tremendi roboris & ſæviciæ ſingularis tyrannum? ergo velociter ad vincula revocetur in ſecula minime relaxandus. Pœnituit enim imperatorem regem relaxaſſe, ſicut quondam *Pharaonem Iſrael* dimiſiſſe. Quæ quidem res non latuit quendam regis *Ricardi* benivolum, qui feſtinato nuncio eidem mittendo conſuluit, ut confeſtim navem aſcendens pocius ſe elementis quam infidis hominibus crederet: quod & factum eſt tam cautela celeri quam ſalubri. Mox imperatorii apparitores affuerunt, & eum in arido non inventum, ſequi per liquidum timuerunt. Talia imperatori nunciantes, confeſtim imperator præcipitem ſui animi motum in innoxios obſides tranſtulit, & quos prius indulgentius & liberius habuit, arciori jam cuſtodia caſtigavit. Porro ſecundi flatus regem *Anglorum* excipientes, ſalvum atque incolumem ipſum cum omni comitatu ſuo regno proprio tradiderunt.

APplicuit ergo iij. idus Marcii quadrageſimali tempore apud *Sandewicum*, & tunc primo à captivitate ſe credidit liberatum cum navi egrediens *Anglicanum* ſolum calcavit. Et inde pedes tanquam peregrinus humilis *Cantuariam* procedens, Deo & beato *Thomæ* grates & gratias impendebat. Et cum gratulatorio occurſu à provincialibus acceptus *Londoniam* veniſſet, cives ejuſdem, adventu ejus præcognito, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro mœroris ſpiritu aſſumpſerunt. Et ita ad principis ingreſſum ornata eſt facies ampliſſimæ civitatis, ut nobiles *Alemanni* qui cum eo venerant, & *Angliam* pro redemptione regia exinanitam crederent, conſpecta opum magnitudine obſtupeſcerent. Quorum unus in ipſa ſolempni pompa ad principem converſus, ita dixit. » O Rex, gens tua prudentia mira pollet, quæ, te nunc ſibi reddito, opum ſuarum claritatem ſecure oſtentat, paulo ante paupertatis deploratrix dum te noſtri imperatoris cuſtodia detineret. Revera ſi has opes *Anglicanas* imperator ſciviſſet, *Angliam* non facile poſſe exhauriri opibus credidiſſet, nec te niſi intollerabilis redemptionis ſumma duxiſſet à carcere dimittendum. Rex autem poſt recens captivitatis tædium pauſam & delicias aſpernans, mora exigua *Londoniæ* facta, ſanctum *Edmundum* adoraturus adiit, deinde ſanctum *Albanum Angliæ* prothomartyrem viſitavit. Inde uſque **Notyngham** progrediens, omnes quos comes *Johannes* frater ejus corrumperat, edomuit, caſtrum cepit, & poſtea caſtrum de **Tykehull** quæ miniſtri dicti Comitis tenebant. Rex igitur caſtellanos incarceravit, qui miſericordiam implorantes regiæ ſe tantum clementiæ ſubmiſerunt. Iſtis igitur caſtris ſic captis, & eorum detentoribus ac omnibus adverſariis ſuis infra breve in *Anglia* ſubactis, confeſtim rex *Johanni* fratri ſuo qui contra ſe infideliter ſe erexerat, ob enormem culpam ingratitudinis ac perfidiæ omne jus priſtinum & honorem impenſum ſolempni judicio procerum ſuorum abjudicavit. Et cito poſt omnis motus hoſtilis in *Anglia* conquievit. Hiis Deo propicio feliciter geſtis, rex ſolempnitatem paſchalem apud *Hamptoniam* celebravit atque apud *Wintoniam* in octabis paſchæ, ignominia captivitatis jam deterſa, quaſi rex novus v. regni ſui anno ſolempniter coronatus eſt, *Huberto Cant.* archiepiſc. miſſam celebrante, & *Willielmo* rege *Scottorum* piiſſimo tunc præſente. Rex igitur ſtatim poſt illa coronationis ſuæ ſolempnia, portus marinos ſtatuit obſervare, ne qua videlicet navis alienigenarum vel indigenarum in aliena regna annonas frugum vel aliqua alia victualia deportaret, ut ubertate propriorum bonorum quæ *Anglia* gigneret non careret. Coros eciam frugum & modios rerum venalium ſive quaſcumque menſuras, quæ tunc diverſiſſimæ in plurimis locis habebantur, per totum regnum fere ſtatuit uniformes, quas ne quis forte minueret vel quoquo modo viciaret, ſummitates hujuſmodi vaſorum ſtatuit circulis ferreis coronari. Similiter & de batis vel amphoris ſeu metretis, quas vulgo **galones** dicimus, legitimas ſtatuit menſuras, & juſſit hujuſmodi regales menſuras apud ſingulos provinciarum præfectos vel urbium præpoſitos fideliter conſervari; & ad probandum veras & falſas, & cum neceſſe fuerit convincendas, eis tribuit poteſtatem. Telas eciam pannorum in latitudine per totum duarum ulnarum infra oras, atque ubique fideliter æque contextas ſine quocunque fuco vel ſuperinductione fallaci fieri ſtatuit, alterius cematis inventas, non obſtante cujuſcunque auctoritate indigenæ ſeu alienigenæ, à regiis ſanxit miniſtris comburi. Fecit eciam fieri ulnas ferreas quas diminuere de facili nemo poterat. Unam inſuper monetam per totam terram ad magnam populi utilitatem qui ex ejus diverſitate gravabatur ſtatuit atque fecit. Ad vincendum ſophiſticationem pannos vendentium, qui ex repercuſſione meliorum [illegible] vel ex adverberatione locorum colores adulterinos gratiores reddebant, talia penitus abolevit. Ad hæc eciam *Judeis* procuratores propoſuit, qui inter *Chriſtianos* & *Judæos* vel eciam inter ipſos *Judeos* ſi quid querelæ emergeret diffinirent. Ad cohibenda eciam doloſa *Judæorum* machinamenta ſtatuit, inter Catholicum & *Judæum* nichil clam contrahendum, ſed ſub quorundam teſtimonio ad hoc deputatorum publice contractus fieri, ſuper quibus trina conficerentur ſcripta; quorum unum apud fiſcanos, aliud ſub cuſtodia viri fide digni, tercium vero penes *Judæum* maneret; in quo ſi quid doli ut prius machinaretur, ex duplici ſcriptura prædicta convinceretur. Chriſtianum fœneratorem fieri prohibuit, aut quacunque conventionis occaſione aliquid recipere ultra id quod mutuo conceſſit. Quod ſi quid, forte redditus vel terras, in pignus accepiſſet, unde annuum proveniret emolumentum, recepta tantum ſorte obligatam poſſeſſionem redderet ad Dominum, non obſtante pactione cujuſcunque termini nondum tranſacti. Hæc eciam & alia populo terræ ſuæ neceſſaria zelo juſtitiæ à rege conſtituta toto ejuſdem tempore ſervabantur illæſa. Juſticiariis autem ſuis præcepit, ne cuiquam conquerenti juſtitiam denegarent. Advertens eciam rex nonnullas eccleſiarum campeſtrium argenteis calicibus carere, cum didiciſſet eos ſuæ redemptioni occaſione ſublatos, ſibi tanquam reo imputans, ac tulta divina minus digne in hac parte celebrari, calices quamplurimos per loca diverſa juſſit fieri, eoſque eccleſiis indigentibus diſtribui ſine mora.

Rex igitur poſt iſta proſpera paululum demoratus, quaſi rex novus & de novo factus negotia regia diſponere revocareque curavit, & fere quicquid illi mutandum & innovandum in novitate prima placuiſſe videbatur, duxit pro libito facere in ſecunda. Denique quod cum ipſe iter verſus orientem arriperet & regnum ipſum multipharie ſciderat, ad integritatem ſatagebat priſtinam revocare. Quicquid enim ab illo tunc fuerat datum vel ponderoſe venundatum, ſub nomine repetiit commodati; & regiarum poſſeſſionum emptoribus haſtute loquebatur, dicens, » Non decet ſublimitati regiæ fœnerari; ſi ergo ſortem veſtram de fructibus rerum noſtrarum jam » percepiſtis, ea contenti eſſe debetis, ſi minus, de » proprio quidem ſuplebo. Novit ergo prudentia » veſtra ſedis apoſtolicæ reſcriptum, quo prohibemini » ſortem veſtram excedendo regi proprio fœnerari. Illi autem emptores mox regio metu attoniti, nulla habita quæſtione de ſorte non percepta, confeſtim omnia reſignarunt. *Dunolmenſis* eciam epiſcopus qui comitatum *Northumbriæ* gravi ſumma comparatum per aliquot annos poſſederat reſignando, deſinens eſſe Comes, in ſimplicem Epiſcopum rediit ut prius. Præterea rex ſive pro liberandis obſidibus apud imperatorem & ducem *Bavariæ* relictis, ſive eciam pro ſumptibus guerræ cum rege *Francorum* gerendæ, tributum minus uſitatum univerſo regno, à ſingulis ſcilicet carucatis terræ indifferenter geminatum ſolidum exigebat, privilegiis clericorum religioſorum & quorumlibet aliorum vacantibus. Abbatibus *Ciſtercienſis* ordinis coram eo tunc præſentibus congratulando ſic dixit, » Devotionem, inquit, » veſtram & liberalitatem circa nos, quâ potiſſimum » ſubſtantiæ veſtræ, id eſt vellera ovium veſtrarum » redemptioni noſtræ impendiſtis, ut dignum eſt approbamus, & uberiorem gratiam, ſi vita comes fuerit, pro iſta gratia rependere cogitamus. Ut autem vobis ſimus gratiæ perpetuæ debitores, oportet » ut adhuc ſemel veſtrum ad nos declarantes affectum, lanam veſtram anni præſentis nobis non gravamini accommodare: nam cum ab imperatore » dimiſſi cum ſumma paupertate ad propria tenderemus, de vobis confiſi urgenteque neceſſitate, » lanæ veſtræ precium à mercatoribus ſumpſimus » tranſmarinis, quod proculdubio ad Scaccarium » noſtrum menſe Octobris vobis reddemus cum gratiarum eciam actione. Hoc modo religioſos illos quaſi blandiendo ſpolians, clariſſimis monaſteriis egeſtatem inſolitam irrogavit.

Rebus igitur in *Anglia* diſpoſitis, & *Cantuarienſi* archiepiſcopo principali procuratore regni conſtituto, exercituque *Anglicano* qui cum eo transfretaret ordinato, cum rex apud *Weſtmonaſterium* in aula ſua quæ dicitur *parva* quadam die pranderet, certos accepit rumores, quod *Philippus Francorum* rex *Normanniam* ingreſſus, *Vernolium* obſideret; Quo audito, regem *Ricardum* juraſſe fertur, ſe nunquam averſurum faciem ſuam quouſque regi *Francorum* cum eo occurreret pugnaturus. Unde effracto muro aulæ de directo per aperturam, cujus uſque hodie veſtigium oſtenditur, ſtatim egreſſus, ad mare apud **Porteſmuth** deſcendit, ubi propter elementorum contrarietates aliquandiu exſpectans, ſæpiuſque elementa incuſans, tandem auris ad vota ſpirantibus iiij. idus Maii in *Normanniam* transfretavit. Qui ibi à ſuis cum inmenſo gaudio ſuſceptus, eorum animos in præclaram fiduciam erexit. Interea rege *Francorum Vernolii* oppidum obſidente, rex *Anglorum* contracto paulatim exercitu non longe à *Vernolio* apud caſtellum quod dicitur *Aquila* caſtrametatus eſt. Cumque per dies aliquot ibidem conſediſſet, *Francorum* exercitus licet in oppugnatione oppidi multo caſſoque labore ſudaverat, ſoluta tamen obſidione recedens, bellum cum rege *Anglorum* committere non audebat.

Porro rex eorum tanquam ad detergendum pudendæ receſſionis obprobrium, urbem *Ebroicenſem* quam prius ſpoliaverat, pertinaci furore evertit, jubens eccleſiam beati *Taurini* igne ſuccendi, & cum præ timore Dei nephariæ juſſionis nullus executor exiſteret, ipſemet cum quibuſdam perditis ex illo hominum genere quos *Ribaldos* vocant, ignem ſacris inmiſit ædibus & receſſit. Quippe rex *Anglorum* de munitionibus quæ illi perierant caſtellum nobile quod *Luches* dicitur cum quibuſdam aliis bellica ſorte recepit, hoſtium quoque fines ingreſſus, nonnullis fortiter & proſpere geſtis, *Windonicum* veniens, ibidem per dies aliquot exercitum recreavit; rex autem *Francorum* cum eum hinc abeſſe putaret, non longe à *Wyndonico* caſtra poſuit, ſed cognito regem *Ricardum* in civitate eſſe, de nocte illico receſſit. Mane vero facto, rex *Anglorum* abeuntem exercitum proſecutus, fugientis regis plauſtra & clitellas cum quibuſdam archanis & gazis multimodis variaque ſupellectili comprehendit. Et ne adhuc rex *Francorum* revertendo *Pariſius* nichil feciſſe videretur, munitiunculam quandam, ad cujus cuſtodiam deputati fuerant homines octo, cepit.

Eodem tempore rex *Anglorum* à *Galfrido Ranconenſi* & à comite *Engoliſmi* cum quibuſdam *Francis* eis adjunctis inquietabatur in *Aquitannia* nimis forte, ubi filius regis *Navarrorum* frater germanus *Berengeræ* reginæ *Angliæ* cum exercitu veniens, terras utriuſque deſertoris vaſtavit, & audita morte patris ſui, ſucceſſionis gratia ad propria remeavit. Rex eciam *Angliæ* ſtatim cum exercitu veniens nobile caſtellum dicti *Galfridi* comitis *Ranconenſis* quod dicitur *Taleburgum* matura deditione optinuit. Moxque impetum in alium deſertorem convertens, civitatem *Engoliſmi* cruenta celeritate fortiter expugnavit, civitatemque *Turonenſem* cepit, canonicos regi *Franciæ* faventes inde expellens; & in *Pictaviam* ſubito tranſiens, omnes ibi adverſarios ſuos redire coegit, ita ut à caſtello *Vernolii* uſque ad *crucem Karoli* qui ei reſiſteret nullus erat.

An. Dñi 1194.

Anno Domini M.C.nonageſimo iiij. circa feſtum beati *Petri ad vincula*, poſt multos conflictus & caſus varios, treugæ inter reges viris honoratis mediantibus ſancitæ ſunt in annum, infra quem avaritia principum in pecuniis adquirendis vehementius excanduit, dum magis cogitationes belli quam pacis cogitaverunt, & ad futura prælia modis ſe omnibus præpararent. Omnis enim indulgentia principum qua cavetur religioſos ab omni exactione ſeculari eſſe inmunes, in hac oppreſſione ceſſavit. Rex namque *Francorum* cum à peregrinatione ſua de partibus orientis ad propria remeaſſet, pro ineſtimabili odio quod erga regem *Anglorum* geſſit, in virum quaſi alterum mutatus eſt, & maxime religioſis & clericis admodum gravis apparuit, ita quod omnes ſumptus

belli quod cum rege *Ricardo* gerebat, ab eccleſiis & monaſteriis extorquebat, ſecundum quod dixerat vir venerabilis *Johannes Lugdunenſis* archiepiſcopus qui tunc *Londoniam* venerat: ubi dum inter quoſdam viros honoratos exiſterent qui de proprii principis duricia quærerent, Nolite, inquit, ſic loqui, dico enim vobis quod rex veſter in comparatione regis *Francorum* heremita eſt.

Currentibus autem inter reges induciis, rex *Ricardus* in *Angliam* tranſiens ſtatuit facta armorum, quæ vulgo *Torneamenta* dicuntur, in *Anglia* exerceri, ut *Anglici* qui robuſti ſunt, ad bella per exercitationem fierent agiliores: nam niſi in diebus regis *Stephani* nunquam in *Anglia* fuiſſe noſcitur hæc concertatio militaris. Temporibus quoque *Henrici* ſecundi qui *Stephano* ſucceſſit tyronum exercitiis in *Anglia* prorſus inhibitis, illi qui armorum cupiebant gloriam transfretabant, ut illa ſaltim in illis confinibus exercerent. Conſiderans igitur rex *Ricardus*, *Gallos* in conflictibus tanto eſſe acriores quanto exercitatiores armorum extiterant, milites ſui regni in propriis finibus talia voluit exercere, ut ex torneamentorum ſolempni præludio artem & uſum addiſcerent præliorum. Et licet hujuſmodi torneamenta in tribus conciliis à *Romanis* pontificibus, *Innocentio*, *Eugenio* & *Alexandro* fieri prohibeantur, in quibus mortes hominum & pericula animarum ſæpe proveniunt, cum adjectione pœnæ ſequentis, quod ſi quis ibidem mortuus fuerit quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur, tamen Chriſtiana careat ſepultura: Milites nichilominus ferventes & armorum laudem & gloriam affectantes, proviſionis eccleſiaſticæ edictum uſque in præſens ſeculum contempſerunt.

Eo quoque tempore rege in *Normanniam* reverſo, *Johannes* frater regis *Angliæ* ruptis naturæ legibus contra fratrem ſuum *Ricardum* cum rege *Franciæ* militabat. At ubi captæ ſunt munitiones quas fratri ſuo abſenti fraudulenter abſtulerat, quaſi nichil habens effectus eſt; videnſque rex *Franciæ* quod ad nocendum fratri ſuo regi penitus inpotens eſſet, tanquam operibus ſuis non indigens de cætero eum ſprevit, & cum idem *Johannes* vidiſſet ſe ſic deprehenſum, & fratrem ſuum in cunctis proſperantem, mediante matre ſupplex ad fratrem rediit, miſericordiam petens & veniam de commiſſis. Cui rex indulgendo dicitur reſpondiſſe, » *Utinam apud me delictum tuum in oblivionem tranſeat, ita quod* » *apud te in memoria permaneat quod feciſti.* Qui ad pacem fraternam receptus contra regem *Franciæ* poſtea fortiter militavit, priores exceſſus novis officiis expians, & fraternam caritatem in ſe ad plenum & plenarie ſic reformans. Unde rex reſtituit ei comitatum *Moretonii* & comitatum *Gloverniæ* cum Honore de *Eya*, dans ei annuatim pro terris ſuis reſiduis octo milia librarum *Andegavenſis* monetæ.

Eodem eciam tempore cum rex *Anglorum* pluſquam viginti milia marcarum duci *Auſtriæ* pro liberatione obſidum ſuorum tranſmittenda præparaſſet, illi iidem obſides affuere, mel & lac ſub lingua habentes, ducem *Auſtriæ* hoſtem immaniſſimum pondere divini judicii obrutum nunciantes. Dicebant eciam quod ante ejus mortem multæ peſtilentiæ acciderant terræ ſuæ, incendia plurima, ſiccitates inmenſæ ſterilitatem non modicam inducentes, fluvius eciam *Danubii* ſuos fines excedens adjacentia loca cum ingenti hominum exterminio occupavit; nec terruerunt iſta cor nequam & avarum quo minus adhuc *Anglicanis* opibus inhiaret, licet plurima jam marcarum milia à rege captivo ſumpſiſſet, & à *Romano* pontifice pro injuſta captione & detentione regis *Ricardi* anathemate fuerat innodatus; avaritia tamen fortius peturgente, ſententiam ſuperbe deriſit. Denique quaſi inclitus de bonis captivi effectus, convocatis multis nativitatem Dominicam in multa oſtentatione & gloria apud *Graciam* diſpoſuit celebrare. Et die quidem primo glorioſus effulſit, ſed in die ſancti *Stephani* jam pranſus exiens, ut in campo cum ſuis militibus luderet, equus ejus decidens ſeſſorem ad terram dejecit, pedem ejus cum tibia ſic comminuens, ut oſſa hinc inde confracta rupta cute exterius prominerent. Acciti mox medici apppoſuerunt quæ expedire credebant. In craſtino vero pes ita denigratus apparuit, ut decerneretur à medicis incidendus, & cum non inveniretur qui hoc faceret, accitus tandem cubicularius ejus & ad hoc coactus, dum ipſe dux dolabrum manu propria tibiæ apponeret, malleo vibrato vix trina percuſſione abſcindere potuit pedem ejus. Medici vero medicamentis appoſitis cum eum in craſtino viſitarent, ſignis ambiguis mortem ejus in januis cognoſcentes dixerunt, Diſpone domui tuæ quia morieris & non vives.

Deſperatus igitur, accitis epiſcopis qui ad ſolempnitatem invitati advenerant, in conſpectu optimatum à vinculo anathematis quo eum papa innodaverat peciit relaxari. Reſponſum eſt à clero, quod nullatenus abſolvi poſſet niſi ſub juratoria cautione, quod ſuper injuriis regi *Ricardo* irrogatis judicio eccleſiæ ſtaret. Optimatibus quoq; pariter jurantibus quod ſi forte judicium eccleſiaſticum per eum minus procederet, ipſi ne quid ex hiis quæ ſtatuerentur in irritum cederet modis omnibus procurarent. Hac igitur cautione præſtita, abſolutionis munus promeruit: & mox præcepit regis *Anglorum* obſides liberari; verum cum ingraveſcente moleſtia exſpiraſſet, ſuccedens filius paternæ avaritiæ voluit eſſe hæres; unde per laudabilem cleri zelum demum conſternatus, memoratos obſides abſolute & libere relaxavit, & iiij. milia marcarum eis conceſſit regi *Anglorum* reportandarum. Illi vero ſic relaxati alacriter revertentes, ſuæ liberationis nuncii prævii extiterunt. Gaviſus ergo rex gratias Deo agebat, & mores in melius corrigens, extunc vixiſſe correctior perhibetur.

Accidit & aliud eo in tempore quod regem plurimum correxit: vir quidam *Cenomannicus* ad ſanctum *Jacobum* pia devotione profectus ſoſpes remeavit, qui poſtmodum pari devotione ignitus, ut ſanctum Domini ſepulcrum videret proceſſit. Cui forſan ſolivaga quidam terribilis apparuit; pavefactus homo crucis ſigno ſe munivit. Ille vero ſignaculum quaſi parvipendens, Nequaquam, inquit, hoc modo tueri te poteris quin meus ſis. Porro ſi procidens adoraveris me, faciam te locupletem. Ad hæc homo. Liquet te modo partis eſſe ſiniſtræ, ſint tua tibi, michi ſufficit Chriſti largitio quem ſolum adoro. Et ille, Oportet te nunc invitum aliquid de meo habere; & mox jactavit ſuper caput hominis pallium quaſi tenuis materiæ, quo crinibus aduſtis cutis capitis denigrata permanſit. Homo trepidus, ſanctum *Jacobum* inclamavit, qui mox aſſiſtens, dæmonem increpavit, ac quis eſſet quidve negotii haberet inquiſivit. Qui conſtrictus imperio ait, Dæmon ſum inquit, humano generi infeſtus. Ego *Chriſtianos* reges in orientali profectione impedivi. Ego regem *Ricardum* per miniſtrum meum ducem *Auſtriæ* captivavi. Ego quidem eidem regi poſtquam liberatus fuit, jugiter aſſiſto, potiſſime circa cubile ejus & circa theſauros quos recondit. Hiis dictis, dæmon diſparuit; & homo confortatus dimiſſo itinere intento, *Cenomanniam* rediit ac regi *Ricardo* quæ vidiſſet retulit, caput uſtulatum oſtendit. Unde & rex de reliquo cubile ſuum caſtius cuſtodivit, & elemoſinas erogavit.

Circa hos dies *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus procuravit poteſtatem legationis ſuæ ſuper clerum *Eboracenſis* provinciæ dilatari. Unde idem *Hubertus* apoſtolicas & regias in *Anglia* vices gerens, mortuo jam *Eboracenſi* archiepiſcopo, *Eboracam* metropolim adiit, ſuppreſſo pro tempore Primatis nomine, magnam ibi poteſtatem exercuit, ac nullo obſiſtente ſeu reclamante concilium celebravit.

HIC admirabile quampluribus videtur qua ratione vel occaſione duo metropolitani *Anglorum* per longa jam tempora de prioratu ſive prærogativa primatiæ contenderint. *Eboracenſis* quidem perſpicua auctoritate beati *Gregorii* ſe tuetur; ſcribens enim *Gregorius Auguſtino Anglorum* primo epiſcopo, *Eboracenſem*, inquit, epiſcopum tuæ fraternitatis diſpoſitioni volumus ſubjacere, Poſt obitum vero tuum ita præſit epiſcopis quos ordinaverit, ut *Londonienſis* epiſcopi nullo modo ſubjaceat ditioni, Sit vero inter *Londonienſem* & *Eboracenſem* epiſcopos impoſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. De iſta diſtinctione quære ſuperius tempore *Ethelberti* regis *Cantiæ*, quem iſte ſanctus *Auguſtinus* ad lumen veræ fidei produxit. *Cantuarienſis* vero epiſcopus quem beatus *Gregorius Londonienſem* vocat, aſſerit huic auctoritati poſteriori tempore derogatum, quando papa *Vitalianus* venerabilem *Theodorum* univerſis *Angliæ* eccleſiis præfecit primatem, cujus ſucceſſores eadem prærogativa diu uſi ſunt. Unde conſtat hanc prærogativam non perſonæ ſed eccleſiæ fuiſſe conceſſam. Reſpondetur à parte *Eboracenſis*, quod beatus ſancivit *Gregorius* manifeſti & ſolidi eſſe juris, & nullo quidem tempore abrogatum. Sed aliquo tempore ratione ipſius temporis in uſu non fuiſſe, tanquam ſoporatum quiddam & ſuo tempore excitatum. *Anglis* ſiquidem nuper converſis rudes & indocti ex ipſa gente epiſcopi præeſſe cœperant, quibus neceſſario informandis *Romanus* pontifex pia providentia doctum præfecit *Theodorum*, non quidem evacuans decretum *Gregorii* ſed tantum conſulens tempori. Succeſſores vero *Theodori* aut ſimiliter tempori conſulendum duxerunt, aut temporibus melius ſe habentibus præſumptores fuerunt, potiſſime cum *Eboracenſes* ſimplicitate quadam ruſtica de propriæ ſedis prærogativa minus curarent, ac uſum pallii à diebus *Paulini* primi diu necligerent.

Ad hæc dicit *Cantuarienſis*, quia & poſtquam uſus pallii *Eboracæ* ſic reſtitutus, plures *Eboracenſes* epiſcopi *Cantuarienſi* tanquam ſui primatis juriſdictioni ſubjacuiſſe noſcuntur. Reſpondet *Eboracenſis*, Quia ſicut ratio temporalis neceſſitatis ſolido juri *Eboracenſis* eccleſiæ derogare non debuit, ita nec ſimplicitas ſeu negligentia antiſtitum ejuſdem eccleſiæ præjudicare debuit. Denique iſta de prioratu primatum tam vana contentio *Anglorum* metropolitanos longo & ſumptuoſo labore exercuit. Vaniſſime autem uterque illorum ſe ſcribit totius *Angliæ* primatem, cum neuter habeat ſignificatam hoc nomine poteſtatem. Ut autem ſuperius inter reges regni *Canciæ* habetur, poſt deceſſum ſancti *Auguſtini Dorobornenſis*, id eſt, *Cantuarienſis* archiepiſcopi, quidam *Laurencius* in ſede illa ei ſucceſſit, qui cum *Mellito Londonienſi* epiſcopo, & *Juſto Roffenſi* epiſcopo fidem fundatam ſtrenue auxit, & *Britonibus* & *Scotis* in obſervatione paſchæ tunc errantibus epiſtolam ſuam miſit. Quo *Laurencio* decedente, *Mellitus Londonienſis* epiſcopus in archiepiſcopatu *Dorobornenſi* ſibi ſucceſſit. Et *Mellito* mortuo, *Juſtus Roffenſis* epiſcopus ei ſucceſſit. Iſte *Juſtus* archiepiſcopus pallio recepto, quendam *Paulinum* in epiſcopum ordinavit, quem ad regem *Northumbriæ Edwinum* et populum ſuum convertendum miſit. Quibus ad fidem converſis, *Paulinus* factus eſt primus archiepiſc. *Eboracenſis* poſt adventum S. *Auguſtini*. Dicto vero *Juſto* mortuo, *Paulinus Eborac*: archiepiſc. quendam *Honorium* in archiepiſc. *Dorobernenſem* ordinavit. Quo *Honorio* mortuo, ſucceſſit ei *Deuſdedit*, qui cum x. annis ſediſſet & ſedes per iij. annos vacaſſet, ſupradictus *Theodorus Romæ* in archiepiſcopum *Doroberniæ* ordinatur. De iſto *Theodoro Dorobernenſi* archiepiſcopo, & de concilio in loco qui *Saxonico* vocabulo **Hatfeld** nominatur per ipſum cum epiſcopis *Britannicis* celebrato, vide ſuperius inter reges *Canciæ*, & magis diffuſius inter reges *Southſaxiæ*. Iſto *Theodoro* viam univerſæ carnis ingreſſo, *Brithwoldus* primo abbas **Raculf** loco ipſius electus eſt, & archiepiſcopus *Dorobernenſis* conſecratus. Et nota quod uſque ad iſtum *Brithewoldum Romani* fuerunt archiepiſcopi, & tunc primo *Angli* eſſe archipræſules inceperunt. Quod autem archiepiſcopus *Eboracenſis Thomas* à *Lanfranco Cantuarienſi* archiepiſcopo conſecratus fuerat, & obedientiam ſcriptam eidem *Lanfranco* tunc fecerat, & poſtea de calumpnia ejuſdem *Eboracenſis* erga dictum *Cantuarienſem* de primatu coram Papa mota, & de controverſia inter eoſdem de eodem habita, quære ſupra tempore regis *Willielmi* Conqueſtoris ubi de iſta materia diffuſe habetur.

Poſtea eciam de iſta materia ſuper diſſenſione inter *Thurſtinum Eboracenſem* archiepiſcopum & *Radulphum Cantuarienſem* archiepiſc. tam pro ſubjectione quam profeſſione quas dictus *Thurſtinus Eboracenſis* dicto *Radulpho Cantuarienſi* facere nolebat, quære ſupra in duobus locis tempore *Henrici* primi dicti *Clerici*. Poſtea eciam quære ſupra de diſſenſione inter archiepiſcopos *Angliæ* in ſecunda coronatione ejuſdem regis *Henrici* primi apud **Windeſour**. Papa *Alexander* tertius, qui *Adriano* ſucceſſit, decretalem inter metropolitanos *Angliæ* de delatione crucium ordinavit, anno Domini M.C.lix. & regis *Henrici* ſecundi filii *Matildis* imperatricis quinto. Vide inſuper tempore ejuſdem regis *Henrici* ſecundi de diſcordia inter *Ricardum Cantuarienſem* & *Rogerum Eboracenſem* pro clericis & officialibus eccleſiæ ſancti *Oſwaldi Glouceſtriæ*, & in primo poſtea folio de concilio *Cantuarienſis* apud *Weſtmonaſterium* celebrato, & de calumpnia per clericos *Eboracenſes* in eodem concilio propoſita. Et poſtea eciam quære tempore ejuſdem *Henrici* ſecundi de concordia inter dictos *Ricardum* & *Rogerum* archiepiſcopos de delatione crucium, & de eccleſia ſancti *Oſwaldi Glouceſtriæ* per concilium ejuſdem regis apud *Wyntoniam* facta. Cito poſtea adhuc ſupra quære de concilio per iſtum regem *Henricum* ſecundum apud **Northampton** congregato, ubi ab epiſcopis *Scociæ* cum *Willielmo* eorum rege ibi convenientibus *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus de epiſcopis *Glaſcuenſibus* per oſtenſionem munimentorum ſubjectionem vendicabat, de qua ſubjectione inter *Cantuarienſem* & eundem *Eboracenſem* diſſenſio ibidem orta eſt. Nam uterque illorum ſubjectionem illam ſuæ eccleſiæ fieri dicebat, Unde finito regis concilio dicti epiſcopi *Scociæ* ſine ſubjectione aliqua de regis licentia ad propria remearunt. Item vide poſtea tempore ejuſdem regis *Henrici* ſecundi de contentione inter archiepiſcopos *Angliæ* pro ſedibus ſuis in Concilio *Hugezoun* Cardinalis apud *Weſtmonaſterium* celebrato. Et poſtea conſequenter de concordia inter eos facta ſaltim ad certum tempus in concilio apud *Wintoniam* per regem congregato. Item quære ſupra tempore regis *Ricardi* qualiter *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus apud Abbathiam de **Pippewel** protulit coram rege *Ricardo* & multis prælatis pro jure eccleſiæ ſuæ cartam regis *Willielmi* conqueſtoris contra *Galfridum* fratrem regis *Ricardi* primo *Lincolnienſem* Electum & poſtea *Eboracenſem* Electum, cui idem rex *Ricardus* archiepiſcopatum *Eboracenſem* ibidem apud **Pippewel** conſequenter contulerat; & de appellatione ad ſedem apoſtolicam pro jure eccleſiæ *Cantuarienſis* per ipſum *Baldewinum* ibidem interpoſita.

CIrca hos dies duo erant qui pari propoſito licet diſpari cauſa commoda regia quærere videbantur. Abbas namque *Cadomenſis* fraudem officialium regiorum apud ipſum regem *Ricardum* culpabat. Ideoque eorum inſolentiam cum quiete provincialium caſtigandam fore cenſebat. *Willielmus* vero cum *longa barba* inſolentiam divitum qui propriis fortunis parcentes pauperes onerabant, fortiter accuſabat. Igitur accepta poteſtate, Abbas *Cadomenſis* menſe Februarii *Londoniam* venit, præſides provinciarum ad ratiocinia ſua reddenda diſtricte convenit, ſed morte præventus, ſicuti & ille *Willielmus* memoratus, paſchalia feſta non vidit. De iſto quoque ferunt *Willielmo* quod *Londonia* oriundus à barba prolixa cognomen accepit, quam ideo enutrivit, ut hoc quaſi inſigni in cœtu & concione magis conſpicuus & ſpectabilis appareret. Qui cum eſſet ingenio acer, mediocriter literatus, eloquens ſupra modum, innata quadam animi & morum petulancia nomen ſibi grande facere volens, moliri nova & audere ingencia cœpit. Denique inhumana & inpudens ejus actio in proprium germanum ſignum erat veſaniæ ejus in cæteris; Fratrem nempe ſuum civem *Londonienſem* qui eum in ſcolis exhibuerat, apud regem tanquam regiæ proditionis reum, pro eo quod profuſiora ſolito ſumptuum ſolatia non ei invenit, inſtanter accuſabat. Sed quamvis à principe in hoc deriſus fuerit, favore quorundam inter magiſtratus *Londonienſes* locum optinuit. Denique clamdeſtina opera & venenatis ſuſurris apud plebem divitum inſolentiam per quam pauperes indigne tractabantur ſuggillans, mediocres ad immoderatæ libertatis amorem inflammans, adeo plurimos quaſi præſtigiis faſcinnatos ſibi adjunxit, ut quinquaginta duo milia *Londonienſium* indigenarum ad ejus nutum tanquam communi cunctorum proviſori obtemperarent. Tanto itaque fretus conſciorum numero, tanquam zelans pro pauperculo populo & commodo regio, cœpit in omni cœtu nobilibus reſiſtere, prætendens quod eorum fiſcus plurimum deperiret. Cum illi propter hoc contra eum fremerent, ad regem transfretavit, pro cujus fide potentum injurias ſe paſſum oſtendebat. Inde reverſus, calliditate ſolita cœpit de cætero tanquam regio favore ſubnixus fiducialius agere, & proprios complices fortius animare. Cum jam initæ conſpirationis rumor crebreſceret, Dominus *Cantuarienſis* archiepiſcopus cui regni regimen commiſſum fuerat, plebem convocat, natos rumores replicat, ad tollendum omnem ſiniſtram ſuſpicionem obſides dari rogat. Blandiloquio ejus populus placatus obtemperat, obſideſque donat; Nichilominus homo ille cœptis inſiſtens, vallatus turbis pompatice procedebat, conventus publicos faciebat, *Salvatorem pauperum* ſe vocabat, frænandam in brevi potentum proterviam granditer intonabat; Unde & ſumpto de ſacris ſcripturis themate ita exorſus eſt. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* » Ego, inquit, ſum pauperum ſalvator. Vos pauperes duras » divitum manus experti haurite nunc de fontibus » meis aquas doctrinæ ſalutaris, & hoc cum gau» dio, quia jam venit tempus viſitationis veſtræ; » Ego enim dividam aquas ab aquis, Aquæ nem» pe, populi ſunt; dividam itaque populum humi» lem & fidelem à populo ſuperbo & perfido, di» vidam electos à reprobis, veluti lucem à tene» bris.

Igitur regni moderator *Cantuarienſis* archipræſul, de conſilio procerum evocavit *Willielmum* ad obicienda ſatisfacturum. Qui oportune affuit, ſed ita turbis vallatus eſt, ut evocator ejus territus mollius ageret & judicium protelaret. Explorata tandem per duos cives *Londonienſes* oportunitate, qua ſolus ſine turbis reperiri poſſet, ad capiendum eum armata manus emittitur. Sed alterum de civibus qui eum exploraverat, ipſe *Willielmus* bipenne mactavit, alterum *Willielmi* complex trucidavit. Illico *Willielmus* cum paucis ſuorum & quadam concubina ſua inſeperabiliter ei adhærente; in vicinam eccleſiam beatæ *Mariæ* demonſtratæ *Arcubus* confugit, qua non tanquam à felonia ſed velut caſtello ad tempus voluit ſe tueri, ſperans populum ſuum, ſed fruſtra, ad ejus liberationem mature affuturum. Qui nimirum etſi de ejus periculo dolerent, reſpectu tamen obſidum quos dederant, ac metu armatorum militum quos viderant, ad ejus ereptionem non occurrunt. Juſſus ergo *Willielmus* egredi, ſed nolens, igne & fumo appoſitis exire tandem cogitur. Egredienti autem filius civis illius quem peremerat, cultro ventrem diſſecuit. Captus tamen, judicio Curiæ primo equis diſtractus, deinde cum ſociis novem qui illi deeſſe noluerant, patibulo ſuſpenſus eſt. Porro conjurati ejus archiepiſcopum velut homicidam non ſolum diffamaverunt, ſed eciam ut conſpirationis ſuæ dedecus abſtergerent, & dampnatores *Willielmi* improbos comprobarent, arte et aſtu nomen illi & gloriam martyris quæſierunt. Denique, ut fertur, ſacerdos quidam propinquus ejus cathenam qua vinctus fuerat, febricitanti cuidam ſuppoſuit, & mox ſanitatem ſubſecutam fuiſſe publice prædicavit. Quo vulgato, populus patibulum ejus nocturno furto ſuſtulit, terram ſanguine ejus cruentatam veluti ſacrum quiddam in uſus curationum uſque ad foſſam non modicam per minucias abraſit.

Fama itaque late ſic diſperſa, ſtultorum & curioſorum hominum greges confluebant. Excubabat ibidem nocturno tempore inſulſa jugiter multitudo, quantum honoris defuncto impendens, tantum dedecoris ejus dampnatori impingens; tantumque invaluit cœptus error, ut prudentes quoſque faſcinaſſet, niſi ea quæ de illo geſta cognoverant cautius advertiſſent. Sane excepto eo quod paulo ante captionem ſuam homicidium perpetraverat, quod utique cuilibet cordato viro ne pro martyre coleretur ſufficere debuerat, ipſius extrema ſub morte confeſſio ſuos debuit cultores verecundaſſe; Quippe cum à non nullis quamvis ſero, ſub humili peccatorum confeſſione dare gloriam deo moneretur, confeſſus eſt ſe eccleſiam beatæ *Mariæ* dum ibi exſpectaret ſemine polluiſſe. Inſuper eciam cum ad votum per ſuos citius non eriperetur, negato *Mariæ* filio eo quod eum non liberavit, diabolum ad ſuam liberationem invocaſſe. Inficiebantur iſta *Willielmi* juſtificatores, atque maligna conficta dicebant. Porro litem hanc diremit in brevi fabricatæ vanitatis occaſus; veritas nempe ſolida eſt & tempore convaleſcit: concinnata vero falſitas in brevi evaneſcit. Igitur archiepiſcopus *Cantuarienſis* regni moderator in ſacerdotem præfatum eccleſiaſtica præeunte vindicta, armatam cuſtodiam in loco illo poſuit, & acceſſum concurrentium arcebat. Et ſic infra dies non multos machina concinnatæ ſuperſtitionis concidit, & popularis opinio conquievit.

Circa hos dies obiit *Reſus* princeps *Walliæ*, de quo ſic canitur. O belli gloria, miliciæ clipeus, patriæ tutamen, armorum decus. Brachium fortitudinis, largitatis manus, rationis oculus, honeſtatis ſplendor, animoſitatis apex. Pectore gerens *Herculis* probitatem, *Achillis* aſperitatem, *Neſtoris* modeſtiam, *Tidei* audaciam, *Sampſonis* fortitudinem, *Hectoris* gravitatem, *Euriali* agilitatem, *Paridis* formam, *Ulixis* facundiam, *Solomonis* ſapientiam, *Aiacis* animoſitatem. O nudorum veſtis, famelicorum morſus, omnium denique poſtulantium plena ſatisfactio. O dulcis eloquio, comis obſequio, actu honeſtus, ſermone modeſtus, vultu hilaris, facie decorus, ſingulis benignus, omnibus æquus.

Nobile Cambrenſis cecidit diadema decoris,
Hoc eſt, Reſus obit, Cambria tota gemit.
Reſus obit, non fama perit ſed gloria tranſit.
Cambrenſis tranſit gloria, Reſus obit.
Reſus obit, decus orbis abit, laus quaque tepeſcit.
In gemitu vivit Cambria, Reſus obit.
Reſus abit, inimicus adeſt. Reſus quia non eſt,
Jam ſibi nil prodeſt Cambria. Reſus abeſt.
Non moritur ſed ſubtrahitur, quia ſemper habetur
Ipſius egregium nomen in orbe novum.
Grande decus tenet iſte locus ſi cernitur ortus,
Si quis ſit finis quæritur, ecce cinis.
Hic tegitur ſed detegitur, quia fama perhennis
Non ſinit illuſtrem voce latere ducem.
Exceſſit probitate modum, ſenſu probitatem,
Eloquio ſenſum, moribus eloquium.

Expleto tandem induciarum tempore cum reges pacis fœdera nulla ratione ſuſcipientes, pace in reliquum deſperata in valle quæ *Rulli* dicitur, non longe à *Rothomago*, (quam cum ſua munitione & aliis plurimis rex *Franciæ* regi *Anglorum* abſtulerat dum in captivitate *Alemannica* teneretur) cum ſuis exercitibus menſe Julio convenirent; Cumq; ibidem ampne interlabente, uterque exercitus ſub meditatione pugnæ per dies aliquot in caſtris excubaret, videnſque rex *Francorum* ſe illa vice viribus imparem, de fuga citius cogitavit. Sed quia non poterat ſecure fugere niſi munitione prius diruta, confeſtim arci & mænibus ſuffodiendis die nocteque inſtabat, adverſæ partis impetum interim callide ſuſpendens, doloſe de pace tractando. Verum rex *Anglorum* ex repentina ruina arcis ſuffoſſæ, dolum intelligens, turmas ſuas ad pugnam ingenti animo ordinabat. Porro *Francorum* exercitus non exſpectato belli diſcrimine abiit, compoſitis tamen ordinibus, ut prudenter cedere & non turpiter fugere videretur. Rex vero *Ricardus* ampne tranſito non eſt eos inſecutus; ſed munitioni totis viribus ſe contulit reformandæ.

Circa hos dies rex *Francorum* verbis pacificis in dolo utens iiij. nuncios ad regem *Anglorum* miſit, ut ſumptibus & laboribus inutilibus utrobique ceſſantibus, ſub certamine quinque virorum ab utroque regno electorum dirimerentur amborum quæſtiones. Placuit proviſio iſta regi *Anglorum* dummodo rex *Franciæ* quintus inter ſuos & rex *Angliæ* quintus inter ſuos in propriis perſonis in illo certamine apparerent; quod rex *Franciæ* vecorditer recuſavit. Eodem quaſi tempore rex *Ricardus* per militiam ſuam ſtipendiariam quas *Ruchas* vocant expugnato & capto *Iſonduno* cum quibuſdam aliis munitionibus, fines ſuos in *Birutenſi* provincia egregie dilatavit. Comitem quidem *Alvernenſem* qui ab eo pridem receſſerat, per eoſdem ſtipendiarios captum cum ſuis munitionibus in ſuam redegit viriliter poteſtatem. Interim vero mediantibus viris prudentibus bimeſtres induciæ intervenerunt, ut in hoc ſpacio deliberaretur de ſolida pace deo propicio facienda, vel de ipſis ſaltem induciis in annos aliquot ulterius protelandis.

Eodem tempore *Senex de monte*, non pro ætate ſic dictus ſed pro ſapientia & gravitate, Princeps gentis orientalis, quam *Haſſiſinos* vocant, licet prius ut ſupra duci *Auſtriæ* regem *Ricardum* de morte Marchionis excuſando ſcripſerat, Principibus tamen Europæ univerſis ipſum regem *Ricardum* de morte prædicta excuſans, epiſtolas ſuas in forma quæ ſequitur deſtinavit.

Vetus de Monte *Principibus Europæ & omni populo Chriſtiano ſalutem. Nolumus alicujus innocentiam noſtri operis occaſione laborare, cum nulli inmerito & inſonti mali quippiam irrogemus, eos vero qui in nos deliquerint, deo auctore non patimur diu de illatis ſimplicitati noſtræ injuriis gratulari. Significamus igitur univerſitati veſtræ teſtantes per quem ſalvari ſperamus, quod nulla regis* Anglorum *machinatione* Marchio *ille* de Monte ferrato *interfectus ſit, qui pro eo facto quod in nos deliquerat & ammonitus emendare neglexerat, noſtra voluntate & juſſione per ſatellites noſtros juſte interiit. Conſuetudinis quippe noſtræ eſt eos qui nobis vel amicis noſtris in aliquo injurioſi extiterint, primo ut nobis ſatisfaciant ammonere; Quod ſi contempſerint, per miniſtros noſtros, (qui tanta nobis devotione obtemperant ut ſe à deo glorioſe remunerandos non dubitent, ſi mandatum noſtrum exequendo occumbant,) cum ſeveritate ultionem expetere curamus. Audivimus eciam de prænominato rege vulgatum, quod nos tanquam minus integros & conſtantes induxerit, ut de noſtris aliquos regi* Franciæ *inſidiaturos*

turos emitteremus; Quod proculdubio falſum & vaniſſimæ ſuſpicionis comentum eſt, cum nec ipſe deo teſte aliquid circa nos attemptaverit de præmiſſis, nec nos homini inmeritum malum moliri reſpectu honeſtatis noſtræ ſineremus. Bene valete.

Has denique literas cum rex *Franciæ* coram ſe ſolempniter recitatas audiſſet, dixiſſe fertur, Regem *Anglorum* de tam infami nota præclare purgatum, ſeque cum ipſo poſſe de cætero fœderari cum in eum nulla alia forcius exarſerit quam ſuſcepta ſuſpicione de nece dilectiſſimi Marchionis. Hæc dicens ſubticuit, quia eodem tempore à ſuis ad fœdus in eundum cum rege *Franciæ* movebatur.

Hiis diebus Imperator *Henricus* regnum *Apuliæ* & *Siciliæ* mortuo *Tancredo* qui *Willielmo* regi injuſte ſucceſſerat ſibi ſubjugavit; duxerat enim uxorem regis *Willielmi*, cui regnum illud mortuo fratre juſtius ſucceſſerat. In *Apulia* namque plurimos ſibi rebelles diverſis pœnis affecit. *Tancredum* vero filium *Tancredi* regis *Siciliæ* cum matre ſua *Margareta* ac regem piratarum captivos in *Alemanniam* ſecum duxit. Hiis temporibus rex *Saracenorum* de *Marrok* in *Hiſpaniam* erumpens ſtragem in *Chriſtianos* exercuit inopinatam, & rege *Caſtellæ* devicto magnam partem abſtulit terræ ſuæ. Finitis igitur induciis cum corda regum ad concordiam facile emolliri poſſe crederetur, omnis ſpes pacis elanguit, & cauſis rurſum ingraveſcentibus inſtigante diabolo eorum furor excanduit redivivus. Erat autem hiemps & adventus Domini, & fames valida quæ totam fere premebat *Europam*. Nec iſta locum habere potuerunt quin populationibus, cædibus, incendiis inſiſterent & rapinis. Rex autem *Franciæ* audito quod rex *Ricardus* aliis eſſet intentus, *Fondonum* oppidum obſedit, petulanti animo jurans ſe non inde niſi expugnato oppido diſceſſurum. Obſeſſi vero cibis & armis ſufficienter muniti, clara fiducia ſuper murum ſtantes, non ſunt veriti neque cunctati contrarium jurare. Fitque per dies aliquot vehemens oppugnatio, ſed oppugnantibus magis dampnoſa.

Interea rex *Anglorum* hoc audito, impiger oppidum advolat, ingrediturque ſecurus, obſeſſore ſaltim ingreſſum ſibi prohibere non attemptante, ſed diſceſſum potius adornante. Moxque turmas ad pugnam diſpoſitas ingenti animo in campum educit, paratus diem ultionis excipere atque laudis. Poterat ſane dies illa longi certaminis declarare victorem, niſi *Francorum* providentia ſibi cautius proſpexiſſet. Cum enim ad dimicandum minus ſufficerent, & de fuga cogitantes ferocem inſecutorem timerent, dominum ſuum regem ſalubri conſilio impulerunt, ut illis in arto poſitis certo belli diſcrimine declinato, honeſtam pacem amplecti & facere dignaretur. Qui exercitus ſui facies quaſi ad fugam converſas videns, cum ipſe in extremo agmine exiſteret quod fortius cautiuſque inſtructum fuerat, contra faciem inſequentis qui in facie ſui exercitus gradiebatur, attendens, colloquium regis *Ricardi* per viros expeciit honoratos. Et ſtatim reges ſicut erant in equis armati inter ſuos exercitus modico intervallo diſtantes, ſibi mutuo occurrerunt. Itaque ſoli abſque arbitro diuſcule collocuti, in conſpectu utriuſque exercitus, capitibus exarmatis, in amplexus mutuos ſe dederunt. Statimque in exercitibus concordiam Principum ingens lætitia ſequitur, dulce nomen pacis ſonoris vocibus conclamantes. Facta ſunt hæc deo propicio nonas Decembris, & populi ad ſua cum gaudio redierunt, intentionem bellicam ad pacis ſtudia & ad Dominici natalis celebranda ſolempnia convertentes. Principes vero formam pacis quam inter ſe ſecreto ſtatuerant apud ſe continebant, poſt expleta Dominici feſti gaudia declarandam.

In illa ſolempnitate nativitatis Domini rex *Angliæ* fuit apud *Pictaviam*, & deinde in feſto ſancti *Hilarii* apud *Loviers* dicti Principes cum magna Nobilium frequentia ad ſolempne colloquium convenerunt; Ubi declaratum eſt & conſenſu publico confirmatum, quod reges inter ſe ſub clipeis ſtatuerunt. Rex *Franciæ* quietum clamavit regi *Ricardo* & hæredibus ſuis *Iſondoun* cum pertinentiis ſuis, & totum jus quod habuit in *Berria*, *Alvernia*, & *Vaſconia*, & reddidit ei quiete caſtellum de *Arches*, & comitatum de *Albamarla* & alia cætera caſtella quæ de jure regis *Angliæ* tempore *Alemannicæ* detentionis occupaverat minus juſte. Et rex *Angliæ* quietum clamavit regi *Franciæ* *Giſortium* cum quibuſdam aliis munitionibus & caſtellis & totum *Normannicum vigeſium*. Et cum hæc omnia rata haberentur, pœnam xv. milium marcarum in prævaricatorem pactorum ſub fidejuſſione Abbatum de majori monaſterio de *Cluniaco*, de Sancto *Dioniſio* & de *Caritate* adinvicem ſtatuerunt. Et cum rex *Angliæ* omnia prædicta ſibi conceſſa in pace poſſideret, pœnituit regem *Franciæ* tale commercium feciſſe, unde in eos qui pacis conſilium ei dederant ſucenſus proclivior fuit ad pacem reſcindendam quam tenendam. Rex quoque *Anglorum* pro ſuorum finium modica mutulatione, nulla compenſatione contentus, irritandi regem *Franciæ* ut pacem infringeret ex ipſa præſcriptæ pacis forma occaſionem & artem invenit, & omnes res & poſſeſſiones dictorum Abbatum de *Cluniaco*, de Sancto *Dioniſio*, & de *Caritate* ubicunque infra dominium & poteſtatem ſuam inventas in manu ſua ſayſiri præcepit. Nam illi Abbates ſuper pactione dictæ pacis tenendæ fidejuſſores regis *Franciæ* erant, Quæ talis fuit, quod ſi rex *Franciæ* pactum non ſervaret ipſi pecuniam ſolverent prætaxatam.

Rurſus igitur bellicæ intentionis inter principes rabies exarſit; Turbatio autem *Britonum* & tumultus quem contrá regem *Angliæ* exercebant, regem *Francorum* ad experiendam fortunam belli iterum acuebat. Cum enim idem rex *Ricardus* tutelam nepotis ſui *Arthuri* tunc decennis filii fratris ſui *Galfridi* quondam Comitis *Britanniæ* uſque ad annos legitimos expoſceret, quidam nobiles & primi *Britonum* hoc in ipſum non conſentientes, ſed pro puero & patria fortiter æmulantes, cum eo à facie patrui imminentis ad interiora *Britanniæ* receſſerunt. Eodem autem tempore ſolempne jejunium quadrageſimale & quaſi inſtans feſtum Paſchæ aeriſque inclementia per provincias ſupra modum deſæviens, Regibus ne commode poſſent ad bella concurrere obſtarunt; itaque pro amicis ſuadentibus conceptum furorem pro tempore ſuſpenderunt, & mediantibus induciis pro tempore quieverunt.

In octabis Pentecoſtes hora diei prima duo ſoles in cœlo, ſol ſcilicet verus & alius tanquam æmulus, apparuere; nec facile diſcerni poterat niſi ſolito proceſſu quis illorum eſſet ſol verus; quod ſignum *Willielmus* de *novo Burgo* in ſua Cronica teſtatur ſe vidiſſe. Cumque diuſcule hoc ſignum cum multis aliis reſpexiſſet, tandem evanuit ille æmulus veri ſolis. Hiis diebus *Walterus Maap* de quo multa jocunda referuntur, ex præcentore *Lincolnienſi* archidiaconus *Oxonienſis* efficitur. Non multum poſt expleto dictarum induciarum tempore iterum cruentus furor principum excanduit, totiſque viribus in arma ruitur, igne ferroque florentes provinciæ corrumpuntur. Et rex quidem *Franciæ* cum ſuis *Albemarlam* obſedit, rex vero *Anglorum* caſtrum quod *Nova turris* dicitur olim quidem ſui juris obſidione eciam circumcinxit. Quo caſtro per regem *Angliæ* mature potito, à ſuis ut obſidionem regis *Francorum* de alio caſtro ſolveret rogabatur, ſed diſſimulavit confidens de virtute ſuorum qui caſtellum obſeſſum egregie defendebant.

Rex ergo *Angliæ* ad fines hoſtiles depopulandos converſus, ſolicite ſatagebat abſque mutui ſanguinis effuſione avertere obſeſſorem; ſed rex *Franciæ* inceptis pertinaciter inſiſtens, cum multo tandem ſui exercitus ſudore & ſanguinis effuſione caſtellum deditum erat ei. Inimicitiis ergo magis creſcentibus, reformandæ pacis à bonis & ſapientibus inaniter ſtudebatur, cum ipſi principes ad omne conſilium pacis aures dare benivolas non curarent. Aggravata eſt eciam tempore illo manus Domini ſuper populum Chriſtianum in peſte & fame, ut illud pene propheticum impletum eſſe videretur: *Plaga inimici percuſſit te caſtigatione crudeli.* Et quidem fames valida ex intempeſtivis imbribus proveniens per annos jam aliquot *Galliam* & *Angliam* vehementer attriverat. Cumque vulgus pauperum paſſim inedia deperiret, ſecuta eſt e veſtigio peſtis ſæviſſima, ſcilicet febris acuta, quæ tot & tantos ſingulis diebus arripiens finaliter proſternit, ut vix invenirentur qui curam languidis vel ſepulturam mortuis exhiberent. Ceſſabatque conſuetus funeris apparatus, quia quacumque hora diei quis obiiſſet, niſi eſſet quis ditior vel perſona nobilior, matri terræ illico tradebatur. In pleriſque eciam locis foſſæ receptui cadaverum non modicæ fiebant, eo quod non eſſet facultas unumquemque per ſe recondere juxta morem. Tandem volente Domino poſt ſex fere menſes quievit hiemali rigore conſopita.

An. Dñi 1195.

Sane rex *Anglorum* paulo ante, obſides ſuos apud Imperatorem relictos abſolute receperat, ſumma redemptionis pactæ illi perſoluta. Quibus receptis dixiſſe fertur, Nunc ſcio me vere à captivitate *Alemannica* liberatum. Liberatus itaque ab exactore tam gravi, intentione integra bellicis negociis inſiſtebat, de reverſione in *Siriam* cui ſe redire devoverat nichil vel tepide cogitando. In eventu tamen ibi bene contigerat, quia mortuo tunc *Saladino* ſciſſum eſt ejus imperium juxta numerum ſuccedentium filiorum; ipſiſque inter ſe diſcordantibus orta eſt rixarum materia & bellorum, & in domo ſumma confuſio facta eſt, Induciarum expletionem ſub *Henrico* Imperatore præſtolantibus interim *Chriſtianis*. Porro iſte *Henricus* Imperator ut quaſi expiaret quod in Chriſtianum Principem *Ricardum* regem *Angliæ* ab oriente revertentem tam fœde commiſerat, propoſuit *Anglicanis* opibus orientales reliquias viſitare, unde anno Domini M. C. nonageſimo quinto, convocatis ſui Imperii eccleſiaſticis laiciſque perſonis, & devotione propria cunctis declarata, ad æmulandum pro Chriſto multos ex ſubditis provocavit. Apoſtolicæ eciam ſedis legatus qui ibi præſens erat cum prælatis & clericis qui dignitate & facundia præcellebant, per dies octo continuos in auribus Chriſtianæ multitudinis potenti eloquio declamantes, in tantum animos populi & devotiones hominum erexerunt, ut fas eſſet ibi dicere, *Vere digitus Dei hic eſt*. Magnis ergo præſulibus & præclaris ducibus cum multitudine virorum fortium dominicum caracterem certatim ſumentibus, ipſe Imperator paratus fuit eodem ſigno cum cæteris inſigniri. Sed hoc altiori conſilio eſt ab omnibus diſſuaſum, ut ipſe in imperio ſuo manens, progreſſo exercitu de victualibus & expenſis & de militia iterato mittenda cum neceſſe fuerit provideret. Itaque *Germanicarum* atque *Italicarum* gentium expeditio totis viribus in *Siria* parabatur, cum reges noſtri nil ſanum vel ſobrium meditantes ſed proprium tantum furorem cum multorum diſcrimine exercebant.

Hiis diebus *Britones* qui à rege *Anglorum* jam pridem ceciderant depopulatione ejuſdem regis conſtricti, in ejuſdem regis *Ricardi* fœdus & gratiam cum *Arthuro* eorum Principe redierunt. Bellum quoque Toloſanum quod illuſtri *Anglorum* regi *Henrico*, & filio ejus *Ricardo* res ſummi negotii fuerat, & per multos annos vires multorum attriverat, eodem tempore volente ſic Domino exſpiravit. Comes enim Sancti *Egidii* pactis cum rege *Angliæ* celebratis *Johannam* ſororem ejus, quæ olim regi *Siciliæ* nupſerat, cum ingenti gloria in conjugem duxit, & ſic inveteratum illud odium conquievit. Rex itaque *Angliæ* qui perprius quaſi minus potens & diviſus fuerat, tunc quaſi integer redditus, cœpit robuſtius agere & terribilior hoſtibus apparere. Regibus namque *Angliæ* & *Franciæ* in diſcordia & odio inſtigatione diabolica ſic ſemper perſiſtentibus, tantus ex utraque parte debaccantium furor erat, ut nec ſacris quadrageſimæ diebus deferrent, deprædationibus & incendiis loca prius florentia corrumpentes, nec ſacerdotibus Domini ſi forte inciderent, pluſquam popularibus parcendum ducentes.

An. Dñi 1197.

Anno Domini M. Cxcvij. continuato ipſius facinoris jam anno quinto, cœpit rex *Franciæ* mollius agere quam prius, rex vero *Angliæ* magis proſperatus & viribus auctus, vicum inſignem qui dicitur ſancti *Valerici* repente aggreſſus, potenter effregit, munitionem evertit, & præda demum onuſtus abiit. Nec multum poſt in pago *Beluacenſi* per ſuos caſtrum quod *Melliacum* dicitur expugnavit. Quod audiens *Beluacenſis* epiſcopus homo animi ferocis & propinquitate regia inclitus, ſumptis propere armis bellicoſus magis pontifex quam religioſus apparuit. Sed fortuna mutata captus & vinctus una cum *Willielmo de Merlan*, & filio ſuo, & quibuſdam aliis nobilibus, regi *Anglorum* in armis ſuis munus gratiſſimum oblatus eſt. Qui cum *Rothomagi* vinctus ſervaretur, duo ex clericis ſuis ſupplices ad regem venerunt poſtulantes regis gratiam, ut domino ſuo poſſent in vinculis miniſtrare. Quibus rex inquit,
» Vos inter me & veſtrum dominum judicate, nam
» certe ab oriente rediens, & ab imperatore *Theutonico*
» detentus, ob reverentiam regiæ perſonæ
» mollius tractabar cum decentia & honore. Superveniens
» autem iſte dominus veſter, quaſi in
» veſpere cum imperatore ſecreto tractavit, & cujus
» rei gratia venerit & apud imperatorem nocte
» quid egerit, mane duriter ſum expertus. Aggravata

» gravata eſt enim ſuper me manus imperatoris, » quod mox tanto oneratus ſum ferro quantum » vix equus vel aſinus ferre poſſet; juſte ergo de- » cernite qualem apud me dominus veſter habere » debeat cuſtodiam, qui apud detentorem meum » talem me fecit duritiam poſſidere. Clerici ergo ad hoc non habentes quid dicerent, fruſtrati ad propria redierunt. Bellicoſus itaque pontifex in vinculis ſervabatur, & ab hoſtibus forte mitius quam meruerat tractabatur, ſed plane durius quam epiſcopum decebat. Interpellavit eciam per ſuos ſummum pontificem, ut eccleſiaſtici vigoris inſtancia liberaretur de manibus detentoris. Sed ille ſummus pontifex prudenter conſiderans, quod rex *Angliæ* epiſcopum non prædicantem ſed præliantem cepiſſet, & hoſtem magis rigidum quam præſulem pacificum in vinculis teneret, ut illum vinctum relaxaret noluit illi moleſtus eſſe; ſed interpellanti ſapienter & diſcrete reſpondit, improperans quod ſecularem militiam eccleſiaſticæ prætuliſſet, ſumendo pro braculo paſtorali lanciam, pro mitra galeam, pro alba loricam & clipeum pro ſtola, & gladium ferreum pro gladio Spiritus quod eſt verbum Dei: negansſque ſe pro eo ſic capto & vincto regi *Anglorum* imperaturum, ſed pro liberatione ſua ſupplicaturum ſe dixit. Pro quo cum papa ſcriberet ut liber à carcere dimitteretur, curialiter regem increpans quod *Philippum Beluacenſem* epiſcopum fratrem ſuum kariſſimum ſic cepit & detinuit; rex ergo miſſa lorica epiſcopi in qua captus fuit, domino papæ pro fratre ſuo ſcribenti in epiſtola ſua dixit, *Vide ſi tunica fratris tui ſit an non.* Et papa deſinente pro eo amplius petere, per redemptionem poſtea epiſcopus liberatur.

EOdem tempore defecerunt à rege *Francorum* quidam regni ſui potentes pro illatis eis à rege injuriis irritati. Tunc vero munificentia regis *Ricardi* multos *Francorum* ſibi allexit, præcipue comitem *Flandriæ Baldewinum*, *Campanos*, *Britones* & plures nobiles *Francigenarum*, qui rege *Franciæ* relicto, *Ric.* regi *Angliæ* adhæſerunt & vires ejus auxerunt. Dictus itaque Comes *Flandrenſis* juris ſui hæreditarii media fere parte à rege *Franciæ* fraudatus, & regis *Anglorum* pecuniis roboratus, nobile oppidum quod dicitur *Doway* obſeſſum deditione recepit, & quaſdam eciam munitiones alias occupavit. Quibus ſucceſſibus confortatus, creſcente fiducia, *Attrabatenſem* obſedit civitatem. Sane reges noſtri tunc tanquam ex induſtria loca diverſa exercebant, occurſum mutuum devitantes. Et rex quidem *Angliæ* in pago *Bituricenſi* munitiones aliquas fortiter expugnavit. Rex vero *Francorum* munitionem *Dagon* nominatam quæ ab ipſo paulo ante defecerat, papilionibus circumcluſit, qua tunc mature dedita & everſa, memoratæ urbis obſidionem à comite *Flandrenſi* factam ſolvere feſtinavit, obſeſſores autem adventu ejus præcognito, obſidionem deſeruit. Cum autem poſtea amicis mediantibus de pace inter partes tractaretur, Comes oblatam pacem nec abſolute reſpuit nec recepit. Attendens regi *Angliæ* ſufficientem ſecuritatem ſe per obſides idoneos præſtitiſſe, atque ab eo cautionem viciſſim accepiſſe, quod neuter eorum ſine altero bellum pro pace mutaret: Pactis tamen inter partes formatis conſenſu regis *Angliæ* pro tempore ſanciendis ad propria rediit rex *Francorum*. Comes vero cum feſtinatione regem *Anglorum* adiit, ut ad pacem conſenſum ejus aliceret concedendam.

Illis quoque diebus quidam propheta efficaciſſimus in *Francia* ſurrexit, ſcilicet magiſter *Fulco*, pro quo Dominus manifeſte dignatus eſt mirabilia operari. Hic ſummo opere uſuram conabatur extirpare. Hic eciam *Fulco* quendam religioſum ac facundum prædicatorem abbatem ſcilicet de *Flay* ordinis *Ciſtercienſis* in *Angliam* miſit ad commercia quæ Dominicis diebus ſolebant tunc fieri deponenda. Circa eciam hos dies imperator *Henricus* ſextus *Panormo* in *Siciliæ* obiit, propter detentionem regis *Ricardi* adhuc, ut dicebatur, excommunicationis vinculo innodatus. Sed neſcitur ſi clam egerit pœnitentiam abſolutus: Nam divina ultione perterritus, capitulo, ut dicitur, *Ciſtercienſium* redemptionem regis *Ricardi* legavit ad calices & thuribula argentea facienda. Quo *Henrico* mortuo, *Otho* filius *Henrici* ducis *Saxoniæ* nepos regis *Ricardi* ex ſorore *M.tilde*, eodem rege *Ricardo* expenſas habundanter procurante, à quibuſdam *Theutoniæ* principibus in regem *Romanorum* eligitur; aliis eligentibus *Philippum* ducem *Sueviæ* fratrem *Henrici* quondam imperatoris. Hunc igitur confœderavit *Philippus* rex *Francorum*, ſperans per eum comitem *Flandriæ* facilius ſubicere & *Anglorum* regem *Ricardum* fortius impugnare. *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus auctoritate apoſtolica fultus, clericos quos *Hugo Ceſtrenſis* epiſcopus ejectis monachis apud *Coventreiam* jam poſuerat amovit, monachoſque reduxit. Papa *Celeſtinus* cum ſediſſet annis ſex, menſibus octo, diebus undecim obiit. Cui ſucceſſit *Innocentius* tertius natione *Campanus*, in feſto ſancti *Petri* in cathedra conſecratus. Ad quem rex *Ricardus* nuncios miſit & conqueſtus eſt de rege *Francorum* ſuper fide fracta & juramento nullatenus obſervato. Super quo cum vellet dominus papa eum convenire per legatum, prælati *Franciæ* ipſum nolentem reſpondere apud dominum papam excuſabant, rogantes ut juriſdictionem non læderet regis *Francorum*, quos ſuper petitione irrationabili papa redarguit vehementer ſicut patet extra. *De judiciis* capitulo *Novit ille*.

An. Dñi 1198

Itaque reges jam tantum pacis avidi quantum bellici laboris feſſi, anno à partu virginis M.Cxcviij. menſe Septembris cum optimatibus ſuis & omni frequentia ſubditorum ad ſolempne colloquium certo loco in confiniis convenerunt, ubi quidem de plena pace minus actum eſt, eo quod animi principum à longa inveterati odii paſſione difficiliter ſanarentur, ſed treugas unius anni & quatuor menſium tanquam arram futuræ pacis inter ſe ſtatui maluerunt, adicientes in pactis, ut negociantibus regiones eſſent perviæ, mutuiſque provinciæ gauderent ſolaciis, & ut captivi ex utraque parte competenti & tollerabili redemptione poſſent interim relaxari. Soluto igitur iſto colloquio facultas data eſt militantibus ad propria remeandi, & feſſæ provinciæ gratanter pauſam modicam ſuſceperunt.

EOdem tempore rex *Ricardus* illuſtris apud vicum qui *Andelaicus* dicitur, quem locum pro tuitione *Normanniæ* ad caſtrum conſtruendum pro irruptionibus hoſtium rex ipſe notaſſet aptiſſimum, caſtrum nobile quod vulgariter dicitur *caſtellum Gaillard* in illo loco aptiſſimo ex oppoſito manerii ſui de *Andeleye* flumine de *Andeleye* interjecto profuſis valde ſumptibus cœpit ædificare. Locus autem ille antiquum patrimonium eccleſiæ *Rothomagenſis* erat; ſed quia rex *Ricardus* timebat ne forte idem locus ad hoc ipſum à rege *Franciæ* hoſtiliter occuparetur, eundem duxit præoccupandum, contra voluntatem *Walteri Rothomagenſis* archiepiſcopi, qui in regis peregrinatione & *Alemannica* detentione fidelis extiterat *Angliæ* procurator. Et quia rex ſæpe ammonitus ab incepto deſiſtere noluit, idem archiepiſcopus ſuper injuria ſibi à rege illata, ad curiam *Romanam* appellavit, & totam *Normanniam* ſub interdicto concluſit, & ſic ad curiam *Romanam* adiit appellationem ſuam in propria perſona proſequendo: pro cujus interdicti ſententia relaxanda, & cauſa illa contra archiepiſcopum defendenda, Rex Cancellarium ſuum *Willielmum Elienſem* epiſcopum, ac *Dunolmenſem*, & *Lexovienſem* epiſcopos ad *Romanam* curiam deſtinavit. *Willielmo* vero *Elienſi* epiſcopo obeunte, ſocii ejus *Romam* pervenientes; concordiam inter regem & archiepiſcopum ſine dampno utriuſque procurarunt. Et quia archiepiſcopus accepto à papa reſponſo quod patienter ſuſtineret, quouſque pax plena inter reges eſſet reformata, reverſus eſt, & cum rege poſtea concordatus. Rex enim pro prædicto vico litigioſo commutationem cum dicto archiepiſcopo fecit, & eccleſiæ *Rothomagenſi* pro illo vico & villis adjacentibus de jure eccleſiæ *Rothomagenſis*, dedit molendina ſua apud *Rothomagum*, ita quod archiepiſcopus elemoſinas de illis ab antiquo ſtatutas ſolvat. Dedit eciam eidem eccleſiæ *Rothomagenſi* villam de *Depe*, & villam de *Buſſeles*, ita quod ſolvat in elemoſinam aſſignatam CCCC. ſeptuaginta duas libras *Andegavenſis* monetæ. Dedit eciam eidem eccleſiæ manerium de *Louers* & foreſtam de *Alerinand*, cum feris & omnibus aliis pertinentiis ſuis; & omnia per cartam confirmavit, & archiepiſcopum in ſpecialitatem priſtinam reaccepit.

Dicto *Willielmo Elienſi* epiſcopo, ut prædicitur, defuncto, *Euſtachius Sariſberienſis* decanus fit epiſcopus *Elienſis*. Tunc autem temporis regi *Ricardo* intimatur, quod naves ex *Anglia* victualia inimicis ſuis cum opus haberent in ſuum magnum detrimentum deferentes, ad ſanctum *Walericum* conſueverant applicare. In cujus injuriæ ultionem villam combuſſit, monachos diſperſit, feretrumque ſancti *Walerici* cum reliquiis in *Normanniam* tranſvexit. In portu autem illo naves frumento onuſtas invenit, quarum nautas ſuſpendi præcepit, navibuſque combuſtis victualia ſuis militibus errogavit. Circa hos dies orta eſt diſſencio inter archiepiſcopum *Cantuarienſem* & monachos ſedis ſuæ propter eccleſiam quam idem archiepiſcopus apud **Lambithe** in honore beati *Thomæ* conſtruxerat: timuerunt enim monachi, quod archiepiſcopus ſedem ſuam cathedralem illuc transferret, ſicut fuerat eis comminatus: unde *Romam* profecti papæ *Innocentio* conqueſti ſunt, & ut archiepiſcopus à Juſticiaria *Angliæ* deponeretur impetrarunt. Inde enim cornua ſumpſit & audaciam reluctandi. Non enim decebat archiepiſcopum talibus ſe negociis ſecularibus implicare, ubi periculum ſanguinis verſabatur intereſſe. Archiepiſcopo igitur per papam à Juſticiaria amoto, rex loco ejus *Galfridum* filium *Petri* ſubrogavit. Dicta vero eccleſia apud **Lambithe** à *Baldewino* archiepiſcopo prædeceſſore iſtius *Huberti* primo inchoata, & poſtmodum per eundem *Hubertum* conſtructa, de mandato domini papæ *Innocentii* tercii diſſoluta eſt.

Sane dum rex *Angliæ* circa ædificationem dicti caſtri de *Gaillard* intenderet, in illo loco rem ferunt mirabilem contigiſſe. Nam menſe Maii paulo ante Dominicæ Aſcenſionis ſolempnia cum rex adeſſet & opus operarioſque de feſtinatione urgeret, repente imber ſanguine mixtus diſcendit. Cunctis igitur qui cum ipſo rege aderant ſtupentibus, cum ipſi in ſuis veſtibus veri ſanguinis guttas conſpicerent, & rem tam inſolitam malum protendere formidarunt, verum ex hoc idem rex non eſt territus quo minus operi intenderet, & illud pro viribus promoveret. Ædificato itaque caſtro & infra eundem annum plenarie completo, ferunt ipſum regem magnatibus ſuis circumſtantibus verba hujuſmodi protuliſſe, *Ecce quam pulcra filia unius anni.* Dilexit enim eundem locum & nimis gloriabatur in hoc facto.

Illis quoque diebus tempore dictarum induciarum expleto, rex *Francorum Philippus* & rex *Angliæ Ricardus* inter *Games* & *Vernonem* congreſſi ſunt, ubi rege *Francorum* pondus belli ſuſtinere impotente, de conſilio ſuorum per fugam *Vernonem* pro refugio cum ſuis peciit. Sed antequam caſtellum poſſent ingredi, *Ricardus* illos in ore gladii inſecutus xx. milites & xl. ſervientes ex eis cepit. Eodem anni curriculo rex *Angliæ Ricardus* omnibus viribus congregatis tria caſtella ſuper regem *Francorum* per inſultum cepit, ſcilicet *Sire*, *Fontanum*, *Buricum* & caſtrum de *Curceles*, laudabili *Anglorum* auxilio fultus. Rex vero *Franciæ* cum quadringentis militibus & mille ſervientibus cum communis de *Mancua* & aliis locis auctus, ad ſuccurrendum caſtro de *Curceles* quod nondum credidit eſſe captum exiens profectus eſt. Quod cum ſciret rex *Ricardus*, inter *Curceles* & *Giſortium* obviam ei venit, ubi inter eos campeſtre prælium nimis cruentum commiſſum eſt, cujus prælii pondus rex *Francorum* ferre non valens, coactus cum ſuis ad caſtrum *Giſorcii* aufugit; & cum fugiendo pontem *Glomericum* de *Giſorcio* aſcendiſſet, pons præ multitudine tranſeuntium confractus eſt, & ipſe rex *Francorum* equum armatus inſidens caſu in flumen de *Eethe* cecidit, & ab unda rapida & profunda à limo extractus eſt, vix à mortis diſcrimine liberatus. Electiſſima autem pars poſterior *Francorum* fugientium ut rex eorum de profundo à limo extraheretur pro ereptione ſua mortis periculo ſe expoſuit, & contra regem *Ricardum* reverſa eſt, ubi prælium ſatis cruentiſſimum renovatur, tandem parte regis *Ricardi* prævalente, tres electi milites regis *Francorum* capti ſunt, *Mathæus* ſcilicet *de monte Moretino*, *Alanus de Ruſci*, & *Fulco de Gilerval* præter alios milites & pedites quamplures. Super hac autem glorioſa victoria rex *Ricardus* epiſtolam ſcripſit conſolatoriam prælatis in *Anglia* commorantibus & amicis.

Videns autem rex *Francorum* vires regis *Angliæ* diatim excreſcere, ſupplicavit papæ, ut ipſe pacem vel treugas pro tempore procuraret. Papa igitur *Petrum Campanum* diaconum cardinalem legatum ſuum in *Franciam* miſit, per quem epiſtolam ſpecialiſſimam *Ricardo* regi *Anglorum* deſtinavit, rogans ipſum affectuoſe, ut favorabilis in pacis compoſitione precibus ſuis foret. Rex igitur *Ricardus* qui promotionem *Othonis* nepotis ſui affectavit, ſectavit, ut ſcilicet in regem *Alemanniæ* & imperatorem *Romanorum* coronaretur, ad quod ut domini *Innocencii* papæ favorem haberet, ſupplicantis precibus adquievit. Reges igitur in unum convenientes treugas quinquennes tali pactione juraverunt, Quod homines & mercatores utriuſque regni per terras alterutras ire & redire, emere & vendere ſine dampno poſſent & impedimento. Quo facto, rex *Anglorum* abbatem *Ciſtercienſem*, & *Reimundum* monachum ſancti *Albani* qui eodem tempore pro negociis eccleſiæ ſuæ ad regem in *Normannia* tranſmiſſus fuerat, *Romæ* miſit, ut ibidem negocia prælocuta de promotione dicti *Othonis* nepotis ſui ad dignitatem imperialem perducerent ad effectum. Et ad hæc negotia perficienda rex de unaquaque carucata terræ totius *Angliæ* quinque ſolidos de auxilio percepit: unde ſexto idus Julii dicto *Othoni* *Aquiſgranum* quod nuper obſederat redditum eſt, & ibidem in regem *Alemanniæ* coronatur. In cujus craſtino uxorem duxit ſeptennem ducis *Brabanciæ* filiam & hæredem. Quarto vero idus ejuſdem menſis ab *Adulpho Colonienſi* archiepiſcopo ex mandato papæ *Innocencii* tercii coronatus, ſedem aſcendit cum gaudio *Auguſtorum*.

Treugis inter reges *Franciæ* & *Angliæ*, ut dictum eſt, ſtatutis, rex *Ricardus* in quoſdam Barones *Pictaviæ* ſibi rebelles formidabile vexillum direxit. Et cum militem quendam ſuper inventione theſauri, quem ſolent ſibi principes vendicare, convenire voluiſſet, ille ſeveritatem regiam veritus, ad vicecomitem *Lemovicenſem* aufugit. Qui à rege ut militem redderet rogatus, & parere neglexit, rex terras ejus ingreſſus, quoddam caſtrum quod *Caluca* dicitur juxta *Lemovicas* obſedit, & fortiter impugnavit: ſeptimo vero kal. Aprilis dum caſtrum conſiderando inermis circuiret, quidam *Bertramus Gordon* ſpiculo baliſtæ ſuæ ipſum regem in humero ſiniſtro ſive in muſculo brachii ſubito letaliter vulneravit. Vulnere, ut dicebatur, male cuſtodito cœpit mortis imminentis periculum rex ſentire. Ad quem fertur tres abbates *Ciſtercienſis* ordinis acceſſiſſe, quibus omnia peccata ſua cum ſingultu & fletu confeſſus eſt, quos cum ad injungendam vel innoteſcendam ſibi pœnitentiam ſalutarem cerneret ſtupefactos, dixit, Si placeat Deo juſto judici meo, libens pœnam purgatoriam uſque in diem judicii pro delictis meis admittam.

Caſtro demum capto & dicto *Bertramo* occiſore ſuo coram eo ducto, rex ab eo quæſivit. Quid tibi mali feci quare me interemiſti? At ille audacter reſpondit, Quia tot mala mundo intuliſti, & patrem meum alias occidiſti, ſume de me quamcumque volueris vindictam. Sed rex tunc pietate commotus, mortem ſuam ſibi pro amore Dei condonavit, & liberum abire permiſit. Centumque ſolidos *Anglicanæ* monetæ ſibi dare præcepit. Sed quidam *Marchadeus* rege neſciente ipſum tenuit, & poſt obitum regis excoriatum ſuſpendit. Rex vero moriturus theſaurum ſuum in tres partes diviſit, unam *Othoni* nepoti ſuo in regem *Romanorum* jam coronato, alteram ſervientibus ſuis, & tertiam pauperibus reliquit. Corpus ſuum apud *Fontem Ebrulfi* ad pedes patris ſui, cujus proditorem ſe confitebatur, ſepeliri juſſit. Cor ſuum inexpugnabile *Rothomagenſi* eccleſiæ propter præcipuam dilectionem quam adverſus illam gerebat, legavit; apud caſtrum vero prædictum viſcera ſua recondere in eccleſia ordinavit; ſtercora ſua *Pictavenſibus* propter notam ſuæ proditionis reliquit. Tandem dierum undecim labore vexatus, die duodecimo viij. idus Aprilis ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, diem clauſit extremum.

Iſte rex *Ricardus*, propter magnanimitatem cordis ſui, qua quæque ardua agredi non refugit, *Cor leonis* appellatus eſt ab *Anglicis* & *Normannicis*; nam tremor illius non ſolum finitimas ſed externas invaſit gentes, cujus fama per totum mundum volavit. Occulto tamen Dei judicio & juſto, hoc genere mortis occubuit. Ipſe ſiquidem hoc genus ſagittandi quod *arcubaliſtarum* dicitur jamdudum ſopitum, in uſum, ut dicitur, revocavit, unde & in eo peritus plures manu propria peremit, quo & ipſe poſtmodum in terra propria inpræmunitus & inopinate interiit, neque enim lex ulla æquior eſt,

Quam necis artifices arte perire ſua.

In Cronicis autem *Walteri de Giſebourn* ſcribitur, quod rex *Ricardus* non apud dictum caſtrum de *Caluca* ſed apud memoratum caſtrum de *Gaillard*, quod in uno anno, ut præſcribitur, conſtruxerat, jaculo baliſtæ occubuit. Nam ibi commemorat, quod dicto caſtro de *Gaillard* ædificato, & treugis, ut prædicitur, inter reges ad tempus firmatis, & rex *Angliæ* ſe ad alia divertebat, cuſtodes dicti caſtri negligentes in ſua cuſtodia extiterunt. Lotrices namque ex more ad pannos lavandos in lacu ſubtus caſtrum egreſſæ erant, nec ſuſpicabantur cuſtodes acceſſum ex parte illa haberi poſſe. Et ecce ingenioſi *Franci* ſibi multociens à longe prævidentes, præordinatis ſcaphis & allatis, dum quadam die lotrices egrederentur, lacum cum ſcaphis tranſierunt, & apprehenſis lotricibus caſtrum ingreſſi ſunt, quibuſdam ex cuſtodibus ad eorum introitum fugientibus & aliis comprehenſis, confeſtim alios attraxerunt, & facti ſunt quaſi robur inmenſum. Quod cum audiſſet rex *Ricardus*, mox cum ſumma feſtinatione concurrit, & caſtrum ſic inveniens præocupatum iratus eſt valde, & commota ſunt viſcera ejus in hoc facto. Qui cito ad manerium ſuum de *Andele* quod ſitum erat ex oppoſito ejuſdem interjecto flumine, declinavit; cumque die quadam ſpaciatum pergeret, caſtrumque & loci ſitum circumſpiceret, à quodam baliſtario cognitus eſt, & telo ab eo emiſſo graviter vulneratur. Vocatique ſunt Chirurgici qui dicunt ei, quod ob gratiam recuperandæ ſanitatis ab omni contactu mulierum eſt ei totaliter abſtinendum. Locus enim ſcapulæ in quo percuſſus eſt periculoſus erat & profundus, propter quod interdixerunt ei omnem uxoris amplexum, tactum etiam atque viſum. Qui cum eſſet lubricus valde, & in amore mulierum excandeſcens, delicias ſuas reprimere noluit; ſed ſalubre conſilium parvipendens, de vulnere eo quod modicum ſibi videbatur non curavit. Quo infeſtato, venenum crevit, & vitæ deſperatio ſecuta eſt.

Cumque vitæ illius nulla ſpes eſſet, & mors horrenda in januis jam pateret, ingreſſus eſt ad eum dictus dominus *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus, ſibi dicens, Diſpone domui tuæ ô rex! quia morieris & non vives. Cui rex, Minæ ſunt epiſcope & quaſi truffæ quas loqueris. Cui epiſcopus, Non ſunt truffæ rex, ſed inevitabilis mors in januis te exſpectat. Cui rex, Quid ergo vis ut faciam? Cogita de filiabus tuis maritandis, & age pœnitentiam. Et rex, Hoc eſt quod primo dixi, truffæ enim ſunt quod loqueris, tu enim noſti me nunquam filios aut filias procreaſſe. Et epiſcopus, Imo rex. tres habes filias, & diu eſt quod eas habuiſti & aluiſti. Primogenitam tuam habes *Superbiam*, ſecundam *Avaritiam*, & terciam *Luxuriam*: Has enim habuiſti & ſupra modum à juventute tua dilexiſti. Verum, inquit rex, iſtas habui, & eas ſic volo continuo maritare. Primogenitam enim meam concedo *Templariis* qui faſtu tument, & præ cæteris ſunt elati. Secundam ſcilicet *Avariciam*, Monachis griſeis, qui omnibus vicinis ſuis per avaritiam nocent ut diaboli effrænati. Et ultimam ſcilicet *Luxuriam* aſſigno Monachis nigris, qui aſſata & frixa comedunt nunquam ſatiati. Iſta enim tria genera hominum rex odio habuit, & ideo eis nominatas filias præ cæteris maritavit. Ad hæc ille epiſcopus, Non loquaris ita rex quia tempus reſolutionis tuæ jam inſtat & prope eſt. Et rex, Quid, inquit, mihi faciendum eſt? Age, inquit, pœnitentiam, & peccata quæ commiſiſti confitere, confidens in *Chriſto* & miſericordia ejus quæ eſt ſuper omnia opera ejus, qui promptior eſt dimittere quam eſt peccator veniam poſtulare. Rex itaque in verbis epiſcopi motus, in lacrimas prorupit, & ait, Pœniteo valde, & pœnitentiæ ſigna teſtificaberis epiſcope & videbis. Moxque confeſſore ſuo accito, peccata ſua gravia cum inmenſo dolore confeſſus eſt, & abſolutionis beneficium aſſecutus. Præcepitque pedes ſibi ligari & in altum ſuſpendi, nudumque corpus flagellis cædi & lacerari, donec idem ipſe præciperet ut ſilerent. Cumque diu tæderetur, ex præcepto ad modicum ſiluerunt. Et ſpiritu iterum reaſſumpto, hoc idem ſecundo & tercio in habundantia ſanguinis compleverunt. Tandem in ſe revertens afferri viaticum ſibi juſſit, & ſe velut proditorem & hoſtem contra dominum ſuum ligatis pedibus fune trahi. Et viatico cum magna cordis reverentia & tremore accepto, adjecit dicens, Miſericordia Domini magna eſt quæ vult omnes homines ſalvos fieri, juſtitia tamen eſt ejus recta, quæ vult omne delictum puniri & debite flagellari: verum in miſericordia ejus confidens, & de juſtitia timens, lego me & corpus meum vermibus corrodendum, animam autem meam uſque in diem judicii igne purgatorii cruciandum in ſpe miſericordiæ Dei in qua credo me poſſe ſalvari in illum diem. Et hiis dictis modico ſupervixit tempore; & mortuus, eſt ſepultus juxta patrem ſuum in monaſterio *Fontis Ebrardi* menſe Aprilis anno Domini M. Cxcix.

Sicque leo ferox qui vivens in corpore cor & animum leonis habuiſſe fertur, per induſtriam diſcreti pontificis ad Chriſtum dirigitur velut agnus mitiſſimus, & pœnitens glorioſus. Rumore itaque mortis ejus in curia regis *Franciæ* audito, gaviſi ſunt gaudio magno valde, & congratulabantur regi ſuo dicentes, Gaudendum eſt tibi, ô rex! quia hoſtis tuus inmanis corruit & mortuus eſt. Quibus rex, Non michi, inquit, gaudendum eſt ſed potius condolendum, quia corruit princeps nobilis, & ſtrenuiſſimus miles totius Chriſtianitatis, & licet in ſuo tempore eum ad tempus adverſarium ſenſiſſem, ſperabam tamen michi haberi poſſe integrum amicum & hominem fidelem. Vobis eciam in morte ipſius doloris materia orta eſt, quia qui contra eum ſtipendiis meis jamdudum ſumptuoſe militaſtis, nunc poteſtis ſtipendiis propriis militare. Et ſic licenciati incidenter doluerunt qui materiam ſolacii intexere nitebantur. Et ut dictus *Walterus* conſequenter in Cronica ſua ſcribit, rex *Franciæ* interfectori ſuo qui magna ſe meruiſſe crediderat, ait, Quia principem ſtrenuiſſimum occidiſti non quidem in bello ſed in dolo, mala morte morieris, unde ex regis præcepto equis ad furcas tractus ſuſpenſus eſt.

De diviſione corporis regis *Ricardi* in tribus locis ſepulti quidam metricus ſic ait.

Viſcera Daroelum, *corpus fons ſervat* Ebrardi,
Et cor Rothomagum, *magne* Ricarde, *tuum.*
In tria dividitur unus qui plus fuit uno:
Nec ſupereſt uno gratia tanta viro.
Chriſte, tui calicis prædo fit præda Calucis,
Ære breve deicis qui tulit æra crucis.

Mortem iſtius regis *Ricardi* magiſter *Galfridus de Nine ſalvo* in libro quem de eloquentia compoſuit, verſibus hiis deplorat.

N*Euſtria ſub clipeo regis defenſa* Ricardi,
Indefeſſa modo geſtu teſtare dolorem.
Exudent oculi lacrimas, exterminet ora
Pallor, connodet digitos tortura, cruentet
Interiora dolor, & verberet æthera clamor;
Tota perit ex morte ſua, mors non fuit ejus
Sed tua; non una ſed publica mortis origo.
O Veneris lacrimoſa dies! ô ſidus amarum!
Illa dies tua nox fuit, & Venus illa venenum,
Illa dedit vulnus. Sed peſſimus ille dierum,
Primus ab undecimo qui vita victricus ipſam
Clauſit, uterque dies homicida tyrannide mira.
Trajecit clauſus excluſum, tectus apertum,
Providus incautum, miles munitus inermem
Et proprium regem. Quid miles perfide, miles
Perfidiæ, miles pudor orbis, unica ſordes
Miliciæ, miles manuum factura ſuarum
Auſus es hoc in eum ſcelus? hoc ſcelus iſtud es auſus.
O dolor! ô pluſquam dolor! ô mors! ô truculenta
Mors! eſſes utinam mors mortua. Quid meruiſti
Auſa nephas tantum? Placuit tibi tollere ſolem
Et tenebris dampnare ſolum. Scis quem rapuiſti?
Ipſe fuit jubar in oculis & dulcor in aure,
Et ſtupor in mente. Scis impia quem rapuiſti?
Ipſe fuit dominus armorum, gloria regum,
Deliciæ mundi, nichil addere noverit ultra.
Ipſe fuit quicquid potuit natura: ſed iſtud
Cauſa fuit quare rapuiſti. Res precioſas
Eligis, & viles quaſi dedignata refutas.
Et de te Natura queror, quia nonne fuiſti,
Dum mundus puer eſſet adhuc, dum nata jaceret
In cunis in eo ſtudioſa? nunc ante ſenectam
Deſinit hoc ſtudium. Cur ſudor tantus in orbem
Attulit hoc mirum, ſi tam brevis abſtulit hora?
Sudorem tantum placuit tibi tollere mundo
Et revocare manum, dare ſic & tollere donum.
Cur irritaſti mundum? vel redde ſepultum,
Vel forma ſimilem. Sed non tibi ſuppetit unde
Quicquid erat tecum vel mirum, vel precioſum,
Huic erat impenſum, theſauri deliciarum,
Hic ſunt exhauſti. Ditiſſima facta fuiſti,
Ex hac jactura fieri pauperrima ſentis.
Ex hac jactura ſi felix ante fuiſti,
Tanto plus miſera quanto felicior ante.
Si fas eſt accuſo Deum, Deus optime rerum
Cur ſic degeneras? cur obruis orbis amicum?
Si recolis, pro rege facit Joppe *tua, quam tot*

Militibus oppoſitus ſolus defendit & Acon,
Quam virtute ſua tibi reddidit, & crucis hoſtes
Quos vivus omnes ſic terruit ut timeatur
Mortuus, Ipſe fuit ſub quo tua tuta fuerunt.
Si Deus es ſicut eſſe decet fidelis & expers
Nequitiæ, juſtus & rectus cur minuiſti?
Ergo dies ejus potuiſti parcere mundo,
Mundus egebat eo; ſed eum magis eligis eſſe
Tecum quam ſecum, Mavis ſuccurrere cœlo
Quam mundo. Domine dicam, ſi dicere fas eſt
Pace tua, poteras feciſſe decentius iſtud.
Sed properaſſe nimis ſaltem dum frena dediſſet
Hoſtibus, & facti mora tunc nulla fuiſſet,
Res erat in foribus, nunc poſſet honeſtius ire
Et remeare tibi. Sed in hac re ſcire dediſti,
Quam brevis eſt riſus, quam longa lacrima mundi.

Rex Ricarde *jaces, ſed ſi mors cederet armis,*
Victa timore tui cederet ipſa tuis.
Laus tibi prima fuit Siculi, Ciprus *altera,* Joppe
Tercia, quarta Dromo, *quinta* Taverna *fuit.*
Suppreſſi Siculi, Ciprus *peſſundata,* Joppe
Tenta, Dromo *merſa, capta* Taverna *fuit.*

MOrtuo rege *Ricardo* & ſepulturæ apud *Fontem Ebrardi* tradito, *Johannes* frater ejus in tranſmarinis partibus tunc exiſtens, pacem ſuam *Anglicis* nunciavit. Hic à patre *Johannes ſine terra* cognominatus fuit, fratribus ſuis ad ampliſſimos honores ſublimatis; puta *Henrico* in regem *Angliæ* coronato, *Ricardo* ducatu *Aquitanniæ*, & *Galfrido* ducatu *Britanniæ* inſignitis, ipſe nichil habebat; quanquam poſtea comitatibus *Moretanniæ* in *Normannia*, & *Glovernia* in *Anglia* ditatus fuit, collatis inſuper eidem à patre omnibus terris in *Hibernia* conquiſitis. Hic *Johannes* triginta duorum annorum erat cum in octabis Paſchæ apud *Rothomagum* gladio ducatus *Normanniæ* cingeretur, & homagium nobilium ſuſcepit. Multi tamen *Arthuro* comiti *Britanniæ* filio ſenioris fratris ſui *Galfridi*, quaſi naturali domino & recto hæredi *Angliæ* & *Normanniæ* adhæſerunt, & hoc ſeminarium odii & diſpendii magnum fuit. Statim tamen cum gladio prædicto cinctus fuiſſet, in *Angliam* transfretavit, & *Londoniam* veniens in feſto Aſcenſionis Domini vj. kal. Junii anno Domini M.Cxcix. ab *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo in eccleſia beati *Petri Weſtmonaſterii* innugitur, & in regem *Angliæ* coronatur; aſſiſtente prælatorum, comitum, & baronum, & aliorum nobilium multitudine infinita. *Philippo* tamen *Dunolmenſi* epiſcopo ne coronatio illa in abſentia *Galfridi Eboracenſis* archiepiſcopi fieret appellante. Et porro rege *Ricardo* defuncto, *Philippus* rex *Franciæ* omnia quæ libuit ſibi licere putans, induciis quas juramento firmaverat non deferens, *Normanniam* ingreſſus *Ebroicam* urbem cepit, terraſque regis *Angliæ* uſque *Cenomanniam* undique vaſtavit. *Arthurus* autem nepos regis *Johannis* ex ſeniore fratre *Galfrido* duce *Britanniæ*, ad regnum tanquam verus hæres aſpirans regi *Franciæ Cenomannis* occurrens, comitatu *Andegavenſi* in manu valida occupato, pro eodem homagium ei fecit. *Elianora* quoque regina pro ducatu *Aquitanniæ* quem jure hæreditario poſſedit, eidem regi *Franciæ* cum *Turonis* adveniſſet, homagium fecit. *Johannes* rex ſolempnitate coronationis ſuæ peracta, claſſe in portu de **Schorham** coadunata cum exercitu magno xiij. kal. Julii in *Normanniam* transfretavit. Dictum enim *Arthurum* filium fratris ſui, cui multi magnates adhæſerunt, timebat. Nam præter regem *Franciæ* qui eum fovebat, magnates *Andegaviæ*, *Cenomanniæ*, & *Turoniæ*, quaſi ligio domino ei adhæſerunt, dicentes, Conſuetudinem, jus & judicium eſſe ut *Arthurus* filius fratris ſenioris in patrimonio ſibi debito ſuccedat, quod videlicet *Galfridus* pater ejuſdem *Arthuri* eſſet habiturus ſi regem *Ricardum* ſupervixiſſet. Idcirco *Conſtantia* mater *Arthuri* ipſum regi *Francorum* cuſtodiendum commendavit, qui ipſum diligenter propter inſidias *Pariſius* educavit. Unde eodem anno rex *Johannes* urgentibus cauſis rebuſque in *Normannia* pro articulo temporis diſpoſitis in *Angliam* reverſus eſt. Interea concilium ſub *Huberto Cant.* archiepiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato *Londoniæ* celebratum fuit; ubi x. kal. Octobris ſanctus *Hugo Lincolnienſis* epiſcopus obiit. Qui mox virtutibus claruit atque ſignis. Nam dum corpus ejus à *Londonia* uſque *Lincolniam* portaretur, non erat hora licet tempus aliquando procelloſum fuerit, in qua in aliquo cereorum qui circa feretrum portabantur ignis & lux accenſa deeſſet. Iſte ſanctus *Hugo* de imperiali *Burgundia* oriundus à juventute ſua inter viros religioſos educatur: primo factus eſt monachus regularis, deinde ampliori in Deum proficiens deſiderio, quo magis carnem ſuam à mundanis oblectamentis abſtraheret, ordini *Cartuſienſi* ſe tranſtulit, ubi inter monachos devotione claruit ſingulari. Cujus religioſæ ſanctitatis fama ad aures regis *Angliæ Henrici* ſecundi illapſa, ipſum in amore ejus vehementer accendit, qui vix multis precibus, ut in domo quadam ejuſdem ordinis in *Anglia* quam idem rex in dioceſi *Bathonienſi* multis prædiis & privilegiis ditatam fundaverat, curatoris officium admitteret potuit optinere; quem dum ibi rex ſæpius viſitaret, verbis & virtutibus ejus delectatus, vacante ſede *Lincolnienſi* canonicis eccleſiæ ſuaſit, ut *Hugonem* domus ſuæ Priorem in epiſcopum eligerent & præficerent in paſtorem. Sed electioni favore regio celebratæ vir Dei non conſentiens, decanum cæteroſque majores eccleſiæ qui pro ipſo venerant vacuos dimiſiſſet, ſi non eum unanimi libera voluntate iterum elegiſſent. Egreſſus autem à monaſterio ut jam curam paſtoralis officii admiſſam exequeretur, prima nocte inter ſoporem & vigiliam conſtitutus, vocem ad eum cœlitus miſſam audivit dicentem, Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Fragilitatis autem ſuæ non inmemor, ſolebat leproſos ad oſculum pacis admittere: ſuper quo obicienti ſibi Cancellario ſuo, quod *Martinus* oſculando leproſos ſanabat, urbana humilitate reſpondit, Oſculum *Martini* carnem leproſi ſanabat: ſed oſculum leproſi animam meam ſanat. Itaque in vita multis virtutibus clareſcens, xiiij. fere annis tenuit præſulatum. Qui quanti meriti fuerit apud Dominum, oleum ex ejus tumba deſudans crebraque ſanitatum miracula teſtantur. In cujus exequiis apud *Lincolniam* omnes *Angliæ* proceres & potentes intererant. Nam rex *Johannes* de *Normannia* in *Angliam*, ut dictum eſt, reverſus, parliamentum ſuum uſque *Lincolniam* convocaverat, & *Willielmo* regi *Scottorum*, de cujus fide hæſitabat, per *Philippum Dunolmenſum* epiſcopum & *Rogerum Bigott* cum literis patentibus de ſalvo conductu miſerat, ſtatuens ei diem ſcilicet in craſtino ſancti *Edmundi* regis & martiris ad ſe uſque *Lincolniam* veniendi, & abſque omni prorogatione vel cavillatione homagium faciendi, qui accepto hujuſmodi mandato, ad diem & locum eoſdem properavit. Ubi poſt multos tractatus adinvicem habitos, idem *Willielmus* rex *Scottorum* in die ſanctæ *Cecilia* virginis x. kal. Decembris eo anno feria iiij. ſupra montem extra civitatem *Lincolnia* coram optimatibus utriuſque, & in conſpectu omnis populi regi *Johanni* homagium fecit, & ſuper crucem *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi fidelitatem de pace ſibi & regno ſervanda ſolempniter juravit, & eidem regi *Johanni* tanquam domino ſuo per cartam ſuam conceſſit, quod *Alexandrum* filium ſuum ſicut hominem ligium ipſius regis *Johannis* per aſſenſum ſuum maritaret: promittendo firmiter in eadem carta, quod idem *Willielmus* rex *Scottorum* & *Alexander* filius ſuus filio & hæredi regis *Johannis* tanquam ligio domino ſuo contra omnes mortales fidem & fidelitatem tenerent. A quo quidem *Willielmo* rege *Scottorum* poſtmodum, pro eo quod filium ſuum præter ipſius regis *Johannis* domini ſui aſſenſum deſponſaverat, debitam ſatisfactionem pro tranſgreſſione & temeraria præſumpcione accepit.

FINIS.

GERVASII
MONACHI
DOROBORNENSIS
SIVE
Cantuarienſis,

- Tractatus de combuſtione & reparatione *Dorobornenſis* Eccleſiæ.
- Imaginationes de diſcordiis inter Monachos *Cantuarienſes* & Archiepiſcopum *Baldewinum*.
- CHRONICA de tempore Regum *Angliæ*, *Stephani*, *Hen.II.* & *Ricardi* I.
- Vitæ *Dorobornenſium* Archiepiſcoporum.

Cui acceſſerunt
Vitæ Eboracenſium Archiepiſcoporum.

PER
THOMAM STUBBES
DOMINICANUM.

Nunc primum edita ex MSS. codicibus fideliter collatis.

CHRONICA GERVASII.

Pars prima.

Incipit tractatus, de combuſtione & reparatione Cantuarienſis Eccleſiæ.

ANno gratiæ verbi Dei M. C. lxxiiij. juſto ſet occulto Dei judicio combuſta eſt eccleſia Chriſti *Cantuariæ*, chorus ſcilicet ille glorioſus induſtria & ſollicitudine *Conradi* prioris magnifice conſummatus, anno dedicationis ſuæ xliv. Modus autem combuſtionis & reparationis hic erat. Anno igitur gratiæ verbi Dei M. C. lxxiiij. non. Septembris, hora quaſi nona, auſtro fere ultra humanam æſtimationem furente, accenſus eſt ignis ante portam eccleſiæ extra muros atrii, quo tres domunculæ ſemiuſtæ ſunt. Quo cum cives concurrerent & prædictum incendium diſſiparent, carbones & ſcintillæ vento rapidiſſimo in altum delatæ ſuper eccleſiam depoſitæ ſunt, & vi furentis venti per juncturas plumbi intruſæ, in tabulis ligneis ſemiputridis reſederunt. Sicque paulatim calore creſcente, aſſeres putridi accenduntur. Deinde tigni groſſiores cum ligaturis ſuis nemine vidente vel curam agente ſuccenduntur. Cœlum inferius egregie depictum, ſuperius vero tabulæ plumbeæ ignem interius accenſum celaverunt. Diripiuntur interim domunculæ tres unde furor iſte aſcenderat, & jam tumultu populi ſedato, ad ſua quique redierunt. Sola Chriſti eccleſia nemine adhuc ſciente quaſi inteſtino premebatur incendio. Tignis etenim & tignorum ligaturis ardentibus, flammaque uſque in ſumma tecti faſtigia elata, tabulæ plumbeæ tanto calori ulterius reſiſtere non valentes, paulatim liqueſcere cœperunt. Ventus igitur furens aditu liberiori reperto, flammas interiores in immenſum furere coegit. Et ecce, ſubito flammis pauliſper apparentibus, clamatum eſt à pleriſq; in atrio eccleſiæ, Væ væ, eccleſia ardet. Accurrunt plurimi laici cum monachis, aquas hauriunt, ſecures vibrant, gradus aſcendunt, eccleſiæ Chriſti jam jamque perituræ ſuccurrere cupientes. Pervenerunt igitur ad ſarta tecta, & ecce teter fumus & atrox flamma repleverant omnia. Deſperati igitur qui concurrerant, ſuæ ſaluti providentes redierunt. Et ecce juncturis tignorum & peſſulorum igne diſſolutis, ligna ſemiuſta in chorum deorſum ſuper monachorum ſedilia corruerunt. Sedilia igitur multa lignorum mole compacta ſuccenduntur, & ſic undique mala multiplicata ſunt. Erat in hoc incendio mirabile, immo miſerabile videre ſpectaculum. Chorus namque ille glorioſus igne conſumptus, ſe pejus conſumebat. Flammæ enim ex tanta lignorum congerie multiplicatæ uſque in cubitos quindecim in altum porrectæ parietes & maxime columpnas eccleſiæ cremaverunt. Accurrunt plurimi ad ornamenta eccleſiæ, pallia & cortinas deiciunt, alii ut rapiant, alia ut eripiant. Scrinia reliquiarum de ſublimi trabe deorſum in pavimentum dejecta confracta ſunt & reliquiæ diſperſæ. Veruntamen ne ab igne conſumerentur, à fratribus collectæ & repoſitæ ſunt. Fuerunt autem quidam iniqua & diabolica cupiditate ſuccenſi, qui res eccleſiæ igni quidem ſubtraxerunt, ſet abſportare non timuerunt. Hoc itaque modo domus Dei hactenus ut paradiſus delitiarum delectabilis, jam tunc in incendii cinere jacebat deſpicabilis, & quaſi in ſolitudinem redacta, tempeſtatum aeriarum patebat injuriis. Mirantur populi tantam Dei patientiam, & præ dolore & anguſtia quodammodo furentes, capillos trahunt, cervicibus & palmis parietes & pavimentum eccleſiæ tundunt, enormia quædam maledicta in Dominum & ſanctos ejus, patronum ſcilicet eccleſiæ jaculantur. Fuerunt eciam tam laici quam monachi qui ſe mallent morte carnis decedere, quam ſic eccleſiam Dei miſerabiliter deperire. Non enim ſolummodo chorus hoc incendio conſumptus eſt, verum eciam domus infirmorum cum capella ſanctæ *Mariæ* & aliis quibuſdam curiæ officinis. Ornamenta quoque eccleſiæ quamplurima & bona in cinerem redacta ſunt. Quis putas dolor corda filiorum eccleſiæ in tanta tribulatione contrivit? Non puto ærumpnas *Cantuariæ* minus eſſe flebiles quam olim *Jeroſolimæ* ſub fletu & planctu *Jeremiæ*. Non puto aliquem poſſe dolores & anguſtias filiorum eccleſiæ quantæ fuerint mente concipere, nedum verbis edicere, vel ſcriptis edocere. Verum ut miſerias ſuas aliquantula conſolatione relevarent, in aula eccleſiæ altare & ſtationem ſibi qualemcunq; compoſuerunt, ubi horas diurnas & nocturnas ejularent pocius quam cantarent. Quoniam vero patroni eccleſiæ ſanctus videlicet *Dunſtanus* & ſanctus *Elfegus* in ſolitudine illa remanſerant, ne pluviarum & tempeſtatum vel ad modicum paterent injuriis, cum dolore & anguſtia incredibili flentes & lugentes tumbas Sanctorum aperuerunt, & ipſos cum ſarcofagis ſuis de choro extraxerunt, cum ſumma tamen difficultate & labore, acſi Sancti reniterentur: poſuerunt itaque illos in navi ad altare ſanctæ crucis quam decentius potuerunt. Sic ergo filii *Iſrael* occulto quidem ſet juſto Dei judicio de terra promiſſionis, immo de paradiſo delitiarum ejecti, ut eſſet ſicut populus ſic ſacerdos, & ut lapides Sanctuarii in angulis platearum ſternerentur, per quinquennium in aula eccleſiæ muro parvulo à populo ſegregati in lacrimis & luctu permanſerunt. Quærunt interim fratres conſilium quomodo vel qua ratione eccleſia combuſta poſſet reparari, ſet non inveniunt. Columpnæ enim eccleſiæ quæ vulgo pilarii dicuntur nimio ignis fervore debilitatæ fruſtratim decidentes & vix conſiſtere valentes, omnibus eciam ſapientioribus conſilium verum & utile ſubtraxerunt. Convocati ſunt igitur artifices *Franci* & *Angli*: ſed & ipſi in dando conſilio diſſenſerunt. Alii namque prædictas columpnas ſine dampno operis ſuperioris reparare promiſerunt. Sed horum rationibus alii contradicentes, totam eccleſiam diruere oportere dixerunt, ſi quidem monachi ſecuri vellent exiſtere. Quod verbum etſi verum fuerit, eos tamen dolore cruciavit. Nec mirum. Non enim ſperare potuerunt monachi opus tam magnum temporibus ſuis aliquo humano ingenio poſſe conſummari. Advenerat autem inter alios artifices quidam *Senonenſis Willielmus* nomine, vir admodum ſtrenuus, in ligno & lapide artifex ſubtiliſſimus. Hunc cæteris omiſſis propter vivacitatem ingenii & bonam famam in opus ſuſceperunt. Huic & providentiæ Dei opus perficiendum commiſſum eſt. Hic cum monachis per plurimos degens dies, muri aduſti ſuperiora & inferiora, interiora & exteriora ſollicite conſpiciens, quid eſſet facturus aliquandiu conticuit, ne eos puſillanimes effectos acrius trucidaret. Nec tamen ea quæ operi erant neceſſaria ſeu per ſe ſeu per alios præparare ceſſavit. Cum autem monachos aliquantulum conſolatos videret, confeſſus eſt pilarios igne læſos & omnia ſuperpoſita oportere dirui, ſi opus tutum & incomparabile monachi vellent habere. Conſenſerunt tandem ratione convicti, opus quod promiſerat & maxime ſecuritatem habere cupientes. Chorum itaque combuſtum diruere conſenſerunt patienter etſi non libenter. In adquirendis igitur lapidibus tranſmarinis opera data eſt. Ad naves onerandas & exonerandas, ad cementum & ad lapides trahendos tornamenta fecit valde ingenioſe. Formas quoque ad lapides formandos his qui convenerant ſculptoribus tradidit & alia in hunc modum ſollicite præparavit. Chorus igitur deſtructioni adjudicatus diruitur, & præter hæc toto anno illo nichil factum eſt. Quoniam vero novum opus in alium ſtatum mutatum eſt, non inutile duxi ſtatum deſcribere vetuſtatis, & deinde novitatis. *Edmerus* venerabilis cantor in opuſculis ſuis veterem eccleſiam ex more *Romanorum* factam deſcribit, quam *Lamfrancus* archiepiſcopus cum archiepiſcopatum ſuſciperet combuſtam inveniens, funditus evertit. Eccleſiam Chriſti tercio combuſtam eſſe legimus. Primo, quando beatus martyr *Elfegus* à *Danis* captus eſt & martyrio coronatus. Secundo, cum *Lamfrancus Cadomenſis* abbas archiepiſcopatum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuſcepit regendum. Tercio vero, tempore *Ricardi* Archiepiſcopi & *Odonis* Prioris. Hanc ultimam quidem non legimus, ſet quod miſerabilius eſt, oculis perſpeximus. Nunc ergo veteris eccleſiæ deſcriptionem ſicut eam deſcribit *Edmerus* ſubiciam.

Edmerus. Venerabilis *Odo* corpus beati *Wilfridi* pontificis *Eboracenſium* de Rhipun ſublatum *Cantuariam* tranſtulerat, & illud in editiore entheca ut ipſemet ſcribit, hoc eſt in majori altari quod in orientali presbiterii parte parieti contiguum de impolitis lapidibus & cemento extructum erat, digniter collocaverat. Erat enim ipſa eccleſia quod per exceſſum dici pacienter quæſo accipiatur, ſicut in hiſtoriis *Beda* teſtatur, *Romanorum* opere facta, & ex quadam parte ad imitationem eccleſiæ beati apoſtolorum principis *Petri*, in qua ſacratiſſimæ reliquiæ totius orbis veneratione celebrantur decenter compoſita. Porro aliud altare congruo ſpatio ante poſitum prædicto altari erat, dedicatum in honorem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ubi cotidie divina myſteria celebrantur. In quo altari beatus *Elfegus* caput ſancti *Swithuni* quod ipſe à pontificatu *Wintonienſi* in archiepiſcopatum *Cantuarienſem* tranſlatus ſecum tulerat, cum multis aliorum Sanctorum reliquiis ſolenniter repoſuerat. Ad hæc altaria nonnullis gradibus aſcendebatur à choro cantorum quam criptam vel confeſſionem *Romani* vocant. Subtus erat ad inſtar confeſſionis ſancti *Petri* fabricata, cujus fornix eo in altum tendebatur ut ſuperiora ejus non niſi per plures gradus poſſent adiri. Hæc intus ad orientem altare habebat, quo caput beati *Furſei* ut antiquitas fatebatur in ſe habebat. Sane via una quam curvatura criptæ ipſius ad occidentem vergentem concipiebat, uſque ad locum quietis beati *Dunſtani* tendebatur, qui maceria forti ab ipſa cripta dirimebatur. Ipſe namque ſanctiſſimus pater ante ipſos gradus in magna profunditate terræ jacebat humatus, tumba ſuper eum in modum piramidis grandi ſublimique ſtructura, habente ad caput Sancti altare matutinale. Inde ad occidentem chorus pſallentium in aulam eccleſiæ porrigebatur, decenti fabrica à frequentia turbæ ſecluſus. Deinde ſub medio longitudinis aulæ ipſius duæ turres erant, prominentes ultra eccleſiæ alas. Quarum una quæ in auſtro erat ſub honore beati *Gregorii* papæ altare in medio ſui dedicatum habebat, & in latere principale hoſtium eccleſiæ, quod antiquitus ab *Anglis* & nunc uſque Suthdure dicitur. Quod hoſtium in antiquorum legibus regum ſuo nomine ſæpe exprimitur. In quibus eciam omnes querelas totius regni quæ in hundredis vel comitatibus, uno vel pluribus, vel certe in curia regis non poſſent legaliter diffiniri, finem inibi ſicut in curia regis ſummi ſortiri debere diſcernitur. Alia vero turris in plaga aquilonali è regione illius condita fuit, in honorem beati *Martini*, clauſtra in quibus monachi converſabantur hinc inde habens. Et ſicut in alia forenſes lites & ſecularia placita exercebantur, ita in iſta adoleſcentiores fratres in diſcendo eccleſiaſtica officia die ac nocte pro temporum vicibus inſtituebantur. Finis eccleſiæ ornabatur oratorio beatæ matris Dei *Mariæ*. Ad quod quia ſtructura ejus talis erat, non niſi per gradus cujuſvis patebat acceſſus. In cujus parte orientali erat altare in veneratione ipſius Dominæ conſecratum, & in eo caput beatæ virginis *Auſtrobertæ* habebatur incluſum. Ad hoc altare cum ſacerdos ageret divina miſteria, faciem ad populum qui deorſum ſtabat ad orientem verſam habebat. Poſt ſe vero ad occidentem cathedram pontificalem decenti opere ex magnis lapidibus & cemento conſtructam, & hanc longe à Dominica menſa remotam, utpote parieti eccleſiæ qui totius templi complexio erat omnino contiguam. Hic ſitus fuerat eccleſiæ *Cantuarienſis*. Quem ea re hic ita paucis deſcripſimus, ut cum præſentis ætatis homines & futuræ antiquorum de hoc ſcripta audierint, nec juxta relationem illorum ita invenerint, ſciant illa vetera tranſiſſe & omnia illa nova eſſe. Siquidem poſt innumeras perſecutiones quas ſæpiſſime paſſa eſt intus & foris, occulto noſtris diebus ſed juſto judicio Dei, incendio conſumpta eſt, & cum omnibus ornamentis & utenſilibus ſuis in nichilum pene redacta. Sed his diſpenſante Deo patratis, paucis interpoſitis annis *Lamfrancus Cadomenſis* cœnobii abbas vir magnus & prudens eccleſiæ ipſius archiepiſcopatu functus eſt, & incendii reliquias nova omnia conſtructurus evertit funditus. Levatis igitur corporibus præcipuorum patrum *Dunſtani* atq; *Elfegi* necnon & aliorum Sanctorum quorum patrociniis locus ipſe gloriatur atque munitur, cum altaria quæ nominavimus ſubverterentur, ſanctuaria omnia quæ in eis ut diximus antiquorum auctoritas patrum eſſe aſtruxerat) ſine diminutione reperta ſunt. Quæ ita ſe habuiſſe ſine ulla ambiguitate fateri veraciter poſſum, quippe qui propriis oculis omnia cum fierent intuitus ſum, & diligentiori ſtudio tenaci memoriæ commendavi. Huc uſque *Edmerus*. Sequentia vero ſicut & præcedentia quocunque ſtilo proſequetur *Gervaſius*.

PRimo igitur opus *Lamfranci* à majore turre incipiens ſummatim deſcribam, non quia tota ipſius eccleſia deſtructa ſit, ſet quia aliqua pars ipſius in alium ſtatum mutata. Turris ergo in medio eccleſiæ maximis ſubnixa pilariis poſita eſt, ſicut in medio circumferentiæ centrum. Hæc habebat in pinna ſua cherubin deauratum. Ab hac verſus occidentem navis vel aula eſt eccleſiæ, ſubnixa utrinque pilariis octo, hanc navem vel aulam finiunt duæ turres ſublimes cum pinnaculis deauratis. In medio hujus eccleſiæ corona dependet deaurata. Pulpitum vero turrem prædictam à navi quodammodo ſeparabat, et ex parte navis in medio ſui altare ſanctæ crucis habebat. Supra pulpitum trabes erat, per tranverſum eccleſiæ poſita, quæ crucem grandem & duo cherubin & imagines ſanctæ *Mariæ* & ſancti *Johannis* apoſtoli ſuſtentabat. In ala ſeptentrionali oratorium & altare erat ſanctæ *Mariæ*. In hac prædicta navi ut in ſuperioribus dictum eſt poſt incendium per quinquennium exulavimus. Prædicta magna turris crucem habebat ex utroque latere, auſtralem ſcilicet & aquilonalem. Quarum utraque in medio ſui pilarium fortem habebat, qui fornicem à parietibus prodeuntem in tribus ſui partibus ſuſcipiebat. Utrarumque iſtarum una fere eſt deſcriptio. Crux auſtralis ſupra fornicem organa geſtare ſolebat, ſupra fornicem & ſubter porticus erat ad orientem porrecta. In parte inferiori altare erat ſancti *Michaelis*. In parte ſuperiori, altare omnium Sanctorum. Ante altare ſancti *Michaelis* ad auſtrum ſepultus eſt *Feologildus* archiepiſcopus. Ad aquilonem vero, ſancta virgo *Siburgis*, quam ſanctus *Dunſtanus* propter ejus ſanctitatem in eccleſia fecit ſepeliri. Inter hanc porticum & chorum ſpatium eſt in duo diviſum, ſcilicet in gradus paucos per quos itur in criptam, & in gradus multos per quos ad ſuperiora eccleſiæ pervenitur. Crux aquilonalis ſimiliter duas habet porticus. In ſuperiori altare eſt ſancti *Blaſii*, in inferiori vero ſancti *Benedicti*. In hac inferiori ad dexteram introeuntis ſepultus eſt *Willielmus* archiepiſcopus qui in gloria magna dedicavit eccleſiam Chriſti quam utcumque deſcribo. Hic etiam fundavit eccleſiam ſancti *Martini* monachorum de *Dovra*. Ad ſiniſtram jacet prædeceſſor ejuſdem *Willielmi Radulfus* archiepiſcopus, qui licet ſapientia prudens, eloquentia clarus fuerit, in ipſius tamen contemptum *Calixtus* papa exaltavit & privilegiavit *Turſtanum Eboracenſem* archiepiſcopum & *Hugonem* ſancti *Auguſtini* abbatem. In eadem porticu ante altare ad dexteram jacet *Egelnothus* archiepiſcopus, ad ſiniſtram *Vulfelmus*. Poſt altare ad dexteram *Adelmus*, ad ſiniſtram *Chelnothus*. His patribus prædicta porticus ornata eſt. Inter porticum & chorum ſpatium eſt in duo diviſum, ſcilicet in gradus qui in criptam deſcendunt, & in gradus qui ad partes eccleſiæ orientales aſcendentes tranſmittunt. Inter hoc ſpatium & prædictam porticum murus ſolidus eſt, ante quem glorioſus ille martyrum conſors & apoſtolorum conviva ſanctus videlicet *Thomas* gladiis furentium corpore quidem occubuit, ſpiritum vero invictum regni æterni gloria & honore mox coronandum cœlo tranſmiſit. Hic locus martyrii ex oppoſito habuit hoſtium clauſtri, quo ingreſſi ſunt quatuor illi diaboli cancellarii ut autentici martyrum privilegii bullam inter incudem & malleum poſitam fabricarent, id eſt, ut caput ſancti *Thomæ* inter pavimentum & gladios proſtratum moneta ſummi regis palma ſcilicet martyrii decorarent. Pilarius autem ille qui in medio crucis hujus ſteterat & fornix ei innitens, proceſſu temporis ob reverentiam martyris demolita ſunt, ut altare in loco martyrii elevatum, ampliori ſpatio cerneretur. In circuitu vero ad altitudinem fornicis prædictæ via quædam facta eſt qua pallia & cortinæ poſſint ſuſpendi. De hac cruce in turrem, de turre in chorum per gradus plurimos aſcenditur. Deſcenditur vero de turre per oſtium novum in crucem auſtralem. Item de turre deſcenditur in navem per duas valvas. Hactenus de eccl. *Lamfranci*. Nunc autem ad chorum utcunq; deſcribendum ne ejus memoria deleatur veniendum eſt.

ECcleſiam quæ à *Lamfranco* archiepiſc. conſtructa eſt videlicet navem, cruces, turres & earum continentiam quam brevius potui perſtrinxi, & tanto brevius quod ea efficacius docebit viſio quam dictio. Scias autem lector bone quod chorum *Lamfranci* non vidi nec ab aliquo deſcriptum reperi. *Edmerus* quidem veterem eccleſiam quæ ut dixit ante *Lamfrancum* opere *Romanorum* conſtructa eſt deſcripſit. De opere vero *Lamfranci* quod vetuſtati illi ſucceſſit, & de choro *Conradi* ſancti *Anſelmi* tempore facto qui *Lamfranco* ſucceſſit mentionem quidem fecit ſet non deſcriptionem. Quoniam igitur prædictus chorus *Conradi* glorioſe conſummatus temporibus noſtris miſerabiliter igne conſumptus eſt, ne tanti viri vel tam præclari operis memoria deleatur, ad ejus deſcriptionem quamvis ſimplex & inſipidus ſtilus vertendus eſt. Nec tamen noſtri fuit propoſiti lapidum compoſitionem ſcribere, ſet quia non plene potui loca ſanctorum & requiem qui in diverſis eccleſiæ partibus poſiti ſunt edicere, niſi prius loca ipſa in quibus vidente & cooperante & ſcribente *Edmero* poſiti ſunt quoquo modo deſcriberem: De præfata igitur magna turre quæ ut prædictum eſt in medio totius eccleſiæ poſita eſt, verſus orientem procedendum eſt. Pilarii turris orientales muro ſolido prominebant, & in rotundum ſemipilarium formati ſunt. Deinde per ordinem & lineam novem erant ex utraque parte chori æquis fere ſpatiis ab invicem diſtantes. Poſt quos ſex in circuitu erant ad circinum poſiti, de nono ſcilicet auſtrali uſque ad nonum in parte ſeptentrionali, quorum duo extremi in arcum quendam conveniebant. Super hos pilarios tam in directum quam in circuitu poſitos de pilario in pilarium arcus volvebantur. Super quos murus ſolidus parvulis & obſcuris diſtinctus erat feneſtris. Hic murus chorum circuiens in circinatione illa pilariorum in capite eccleſiæ in unum conveniebat. Supra quem murum via erat quæ triforium appellatur, & feneſtræ ſuperiores. Hæc fuit muri interioris conſummatio. Super hunc tectum erat, & cœlum egregia pictura decoratum. Ad baſes pilariorum murus erat tabulis marmoreis compoſitus, qui chorum cingens & presbiterium, corpus eccleſiæ à ſuis lateribus quæ alæ vocantur dividebat. Continebat hic murus monachorum chorum, presbiterium, altare magnum in nomine *Jeſu Chriſti* dedicatum, altare ſancti *Dunſtani*, & altare ſancti *Elfegi* cum ſanctis eorum corporibus. Supra prædictum murum in circinatione illa retro altare & ex oppoſito ejus cathedra erat patriarchatus ex uno lapide facta, in qua ſedere ſolebant archiepiſcopi de more eccleſiæ in feſtis præcipuis inter miſſarum ſolennia uſque ad ſacramenti conſecrationem, tunc enim ad altare Chriſti per gradus octo deſcendebant. De choro ad presbiterium tres erant gradus. De pavimento presbiterii uſque ad altare gradus tres. Ad ſedem vero patriarchatus gradus octo. Ad cornua altaris orientalia erant duæ columpnæ ligneæ auro & argento decenter ornatæ, quæ trabem magnam ſuſtentabant, cujus trabis capita duorum pilariorum capitellis inſidebant. Quæ per tranſverſum eccleſiæ deſuper altare trajecta auro decorata majeſtatem Domini, imaginem ſancti *Dunſtani*, & ſancti *Elfegi*, ſeptem quoque ſcrinia auro & argento cooperta & multorum Sanctorum reliquiis referta ſuſtentabat. Inter columpnas crux ſtabat deaurata, in cujus patibulo per circuitum ſexaginta criſtalli erant perlucidi: ſub hoc altari *Chriſti* altare erat in cripta ſanctæ virginis *Mariæ*, in cujus honorem tota fuit cripta dedicata. Quæ cripta eiſdem fere ſpatiis & anfractibus per longum & latum dilatata erat inferius ſicut chorus ſuperius. In medio chori dependebat corona deaurata, viginti quatuor ſuſtinens cereos. Hic erat chori ſtatus & presbiterii. Murus autem exterior alarum ſcil. ſic erat. A martyrio S. *Thomæ*, i.e. à cruce *Lamfranci* ſumens initium verſus orientem uſq; ad crucem ſuperiorem directus tres tantum in ſe feneſtras continebat. Pilario vero quinto chori oppoſitus & ab eo arcum ſuſcipiens & ad ſeptentrionem opus dirigens, crucem formavit ſeptentrionalem. Pilarius quintus & ſeptimus latitudinem crucis obtinebant, à ſeptimo enim pilario ſicut & à quinto murus procedens ad ſeptentrionem duas porticus faciens crucem formavit in parte orientali. In cujus porticu auſtrali altare fuit S. *Stephani*, ſub quo in cripta altare erat S. *Nicholai*. In porticu aquilonali altare erat ſancti *Martini*, ſub quo in cripta altare ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*. Ad altare ſancti *Martini* jacebant duo archiepiſcopi, ad dexteram *Vulfredus*, ad ſiniſtram *Livingus*. Ad altare ſancti *Stephani* ſimiliter duo, ad ſiniſtram *Athelardus*, ad dexteram venerabilis *Cuthbertus*. Hic magna præditus ſapientia liberam eccleſiæ *Chriſti* adquiſivit ſepulturam. Solebant enim corpora non ſolummodo archiepiſcoporum ſet & omnium in civitate morientium à tempore ſancti *Auguſtini* ad eccleſiam apoſtolorum *Petri* & *Pauli* extra civitatem ſitam antiquitus efferri & ſepeliri. Dicebatur enim in illo tempore civitatem non eſſe mortuorum ſet vivorum. Beatus vero *Cuthbertus* dolens ſe poſt obitum ab eccleſia ſua & à filiorum ſocietate debere ſeparari quos in vita ſummo karitatis ſtudio dilexit, *Romam* petiit & à ſummo pontifice liberam eccleſiæ *Chriſti* ſepulturam impetravit. Iſte primus voluntate Dei ut credimus ſummi pontificis auctoritate & regis *Angliæ* permiſſione in eccleſia *Chriſti* ſepultus eſt, & omnes archiepiſcopi ſucceſſores ejus præter unum ſolum nomine *Jambertum*. Ex hac porticu ſancti *Stephani* prædictus procedens murus ad orientem feneſtram habebat magno altari ex latere oppoſitam. Deinde turris erat excelſa quaſi extra murum jam dictum poſita, quæ ab altari ſancti *Andreæ* quod in ea erat, turris ſancti *Andreæ* eſt appellata, ſub qua in cripta altare erat *Innocentium*. De turre præfata murus paululum circinando procedens & in feneſtram ſe aperiens, ad capellam ſibi proximam pervenit, quæ in fronte eccleſiæ ad orientem porrecta, ſummæ cathedræ archiepiſcopi erat oppoſita. Set quoniam de capellæ ejus continentia aliqua dicenda ſunt, ante ipſius introitum paululum ſubſiſtendum eſt quouſque murus auſtralis cum partibus ſuis ad ipſius capellæ producatur ingreſſum. Murus igitur auſtralis ad porticum ſancti *Michaelis* à cruce *Lamfranci* ſumens initium, in tribus feneſtris ad crucem pervenit ſuperiotem. Crux iſta ſuperior in orientali parte ſui ſicut & alia duas porticus habebat. In porticu auſtrali altare erat ſancti *Gregorii*, ubi jacebant duo ſancti archiepiſcopi; ad auſtrum ſanctus *Bregewinus*, ad aquilonem ſanctus *Plegemundus*; ſub hoc in cripta erat altare ſancti *Audoeni Rothomagenſis* archiepiſcopi. In alia porticu altare erat ſancti *Johannis* Evangeliſtæ, ubi jacebant archiepiſcopi duo; ad dexteram *Ethelgarus*, ad ſiniſtram *Eluricus*: ſub quo in cripta altare ſancti *Paulini*, ubi ſepultus eſt *Siricus* archiepiſcopus. Ante altare ſancti *Audoeni* in media fere planitie erat altare ſanctæ *Katerinæ*. Murus autem à ſupradicta cruce procedens feneſtram contra majus altare habebat, deinde turrim excelſam in qua erat altare apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Sanctus vero *Anſelmus* illuc tranſlatus & retro altare poſitus altari nomen dedit & turri. De hac turri murus paululum procedens, & in circinatione ſua feneſtram aperiens, ad prædictam capellam ſanctæ Trinitatis in fronte eccleſiæ poſitam pervenit. Arcus vero ex utroque muro auſtrali ſcilicet & aquilonali procedens, utriuſque circinationem continuavit. Capella vero extra murum poſita eidem tamen conjuncta & ad orientem porrecta altare habebat ſanctæ Trinitatis, ubi beatus martyr *Thomas* die conſecrationis ſuæ primam miſſam celebravit. In hac capella ante exilium & poſt, miſſas celebrare, horas audire, & frequenter orare ſolebat. Retro altare jacebant duo archiepiſcopi, ad dexteram ſanctus *Odo*, ad ſiniſtram ſanctus *Wilfridus Eboracenſis* archiepiſcopus: ad auſtrum vero juxta parietem venerabilis *Lamfrancus* archiepiſcopus, ad aquilonem *Theodbaldus*. Subter in cripta duo erant altaria, ad auſtrum ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli, ad aquilonem ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Juxta parietem auſtralem archiepiſcopus jacebat *Ethelredus*, juxta parietem aquilonalem *Eadſinus*. In hujus capellæ medio ſtabat columpna quæ arcus & fornicem undecunque venientes ſuſtentabat. Ad hujus baſim ex parte orientali reconditum eſt illud martyrum privilegium tercio kalend. Januarii. Cujus bulla die præcedenti à quatuor diaboli cancellariis, ut prædixi, fabricata eſt. Hic eſt, inquam, locus in quo beatiſſimus martyr *Thomas* ſequenti die poſt martyrium ſuum ſepultus eſt. Hic eſt locus in quo privilegii iſtius dignitates à ſummo pontifice deo ſcilicet indultæ lectæ ſunt, cujus vox audita eſt in toto orbe terrarum. Nec quiſquam mihi ſuccenſeat quæſo quod beatum *Thomam* privilegium martyrum apello. Non mea præſumptio eſt ſet rationis audacia. Et ut longe petantur exempla, à primitiva eccleſia quæ in apoſtolis per fidem quæ in *Chriſto* & ad *Chriſtum* fundata eſt, rationis hujus ſumamus initium. Fide igitur catholica *Jeſu Chriſti* prædicatione in primitiva eccleſia, id eſt in Apoſtolis accenſa, in martyribus dare cœpit lucem, quam nec tormenta nec carceres nec ipſa mors aliquatenus potuit obfuſcare. Proceſſu vero temporis fide ipſa in multitudine quidem creſcente ſet in ſingulis fere tepeſcente, in Sanctorum tamen meritis Confeſſorum lucem ſuæ claritatis oſtendit. Sicque temporis proceſſu paulatim cœpit fervor ille fidei tepeſcere, ut raro inveniretur qui juſte & ſancte vivendo vitam duceret ſine vitio. Nunc autem in fine, immo & in fæce temporum ſic ad mala perpetranda feſtinatur, ut neſcire crimina crimen eſſe videatur. Nec ſolummodo ſeculares peccatis deſerviunt, verumeciam eccleſiæ prælati gulæ illecebris & cupiditatis nexibus aſtricti cupiditatem palliantes juſticiam vendunt, victualia pauperibus auferunt & ſcurris tribuunt, ſubditos perturbant quos fovere debuerant, & creatoris dulcedinem poſtponentes, in terrenis deſideriis, immo miſeriis delectantur. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Quis vel juſtus his diebus apoſtolos vel martyres tot & tanta tormenta ſuſtinuiſſe, quis noſtrum ſanctos dei talia credit feciſſe miracula? Cum paſſiones vel converſationes miraculave Sanctorum leguntur, ficticia vel apocriſa ab imperitis & incredulis eſſe dicuntur. Sed beatus martyr noſter *Thomas* de gloria ſeculari ad ſanctam religionem, de terreno palatio ad eccleſiæ principatum, de regio famulatu ad Dei ſervitium vocatus, fidelitatem quam regi terreno in gloria ſeculari miniſtraverat, regi regum Deo ſcilicet mente devota ſervare propoſuit. Mandata itaque domini ſui in quibus viriliter ſtare cogitaverat, multitudine vitiorum peſſundari conſpiciens, vehementer indoluit & audacter reſiſtere incepit. Sentiens autem ſe ſolum tot malignitatibus non poſſe reſiſtere, quo tutius principem mundi cum omnibus ſatellitibus ſuis & pompis debellaret, uſque in ſeptennium lacrimis & orationibus inſiſtens exulavit. Septimo quidem anno rediens, & jam de domini ſui regis æterni adjutorio ſecurus exiſtens, omne vitioſum ab eccleſia Dei reſecare propoſuit. Sed ecce quatuor milites regis terreni, ſatellites autem diaboli, Dei ſacerdotem & hoſtiam in eccleſia *Chriſti* ſanguinem ejus & cerebrum effundentes interfecerunt, & autentico bullam privilegio appoſuerunt. Subſecuta ſunt è veſtigio miracula, quæ ſicut innumera, ita ſeculis ſunt inaudita. Eccleſia *Chriſti* fere toto illo anno à miſſarum ſolenniis vacabat, ſed cotidie ſanctus Dei martyr noſter in oculis & ore populi miracula faciendo jubilabat. Dicere potuimus cotidie, Laudetur Deus in ſervo ſuo quia mirabilia vidimus hodie. Primo fiebant miracula circa ejus tumbam, deinde per totam criptam, deinde per totam eccleſiam. deinde per totam *Cantuariam*, deinde per *Angliam*, deinde per *Franciam*, *Normanniam*, *Germaniam*, & ut breviter dicatur, per totam fiebant Chriſti eccleſiam in toto orbe diffuſam, & ubique ejus meritis multiplicata ſunt mirabilia. Et ut vetera ſanctorum miracula à cordibus humanis quodam modo per incredulitatem abolita plenius reſtituendo confirmaret, primo quaſi præludia quædam præmittendo à modicis incepit miraculis, & ſic paulatim aſcendendo fide ſanctitatis ejus creſcente pervenit ad ſumma, & omnia Evangelica vel Apoſtolica in brevi percurrit miracula. Sic bonus paterfamilias de bono ſuo theſauro fere omnibus pie petentibus nova protulit & vetera. Nova in oculis noſtris operando, novitate autem iſta vetera confirmando. Quoniam igitur per hujus glorioſi martyris opera ſanctorum miracula quaſi quædam vetuſtate conſumpta quodammodo renovata & per fidem confirmata ſunt, recte beatus iſte *Thomas* Sanctorum privilegium nuncupatur. Ex re enim nomen habet. Hic beatus cuidam clerico nomine *Thoma* ei devoto in viſione apparens, ex fonte plenitudinis ſuæ multa revelavit dulcia ſciſcitanti, & eidem clerico adjecit dicens hæc verba, Tantum feci, tantum feci quod nomina monachorum iſtius eccleſiæ ſimul cum nominibus clericorum iſtius civitatis familiarium iſtius eccleſiæ ſcripta ſunt in libro vitæ. Clericus autem de ſe ſollicitus ait Sancto, Domine quid dicis de me? At ſanctus ſubridens, caput clerici manibus attrectavit, & vertice ipſius deoſculato, dixit, Fili, fili. Et poſt aliquantulum ſpatium exſurgens Sanctus, albam oloſericam exuit, ejuſdem partem inferiorem ad complicandum clerico tradidit. parte ſuperiore ſibi retenta. Sic inter ipſos duos alba complicata, ſanctus Dei ad clericum quaſi pro ſervitio caput inclinavit, & ad locum requiei ſuæ receſſit. Cum quo ad tumbam ipſius & ad propoſitum noſtrum redeamus & nos. Quoniam igitur deſcriptio eccleſiæ jam jamq; diruendæ pro poſſe meo abreviata uſq; ad tumbam martyris quæ in fine ipſius eccleſiæ poſita eſt pervenit, cum ipſo fine eccleſiæ deſcriptio eciam finem ſorciatur. Quæ etſi paulo amplius quam propoſuerim extenſa eſt, multa tamen ut breviter diceretur ex induſtria dimiſſa ſunt. Quis enim tantæ & tam magnæ eccleſiæ tot diverticula, tot diſcurſus, & tot anfractus ſcribere vel ſaltem dicere valeat? Nunc igitur omiſſis his quæ nobis neceſſaria non ſunt, ad vetera deſtruenda & nova omnia mirabiliter ædificanda fidenter accingamur, & quid interim magiſter noſter *Willielmus* fecerit videamus. Cœpit, ut longe ante prædixi, novo operi neceſſaria præparare & vetera deſtruere. In iſtis primus annus completus eſt. Sequenti anno, id eſt, poſt feſtum ſancti *Bertini*, ante hiemem quatuor pilarios erexit, id eſt, utrinque duos; peracta hieme duos appoſuit, ut hinc & inde tres eſſent in ordine: ſuper quos & murum exteriorem alarum, arcus & fornicem decenter compoſuit, id eſt, tres claves utrimque Clavem pro toto pono ciborio, eo quod clavis in medio poſita partes undecunque venientes claudere & confirmare videtur. In iſtis annus ſecundus completus eſt. Anno tercio duos utrimque pilarios appoſuit, quorum duos extremos in circuitu columpnis marmoreis decoravit, & quia in eis chorus & cruces convenire debuerunt, principales eſſe conſtituit. In quibus appoſitis clavibus & fornice facta, à turre majore uſque ad pilarios prædictos, id eſt, uſque ad crucem, triforium inferius multis intexuit columpnis marmoreis. Super quod triforium aliud quoque ex alia materia & feneſtras ſuperiores aptavit. Deinde fornicis magnæ tres claves, à turre ſcilicet uſque ad cruces. Quæ omnia nobis & omnibus ea videntibus incomparabilia & laude digniſſima videbantur. De hoc ergo tam glorioſo principio hilares effecti & futuræ conſummationis bonam ſpem concipientes, conſummationem operis ardentis animi deſiderio accelerare curavimus. In iſtis igitur annus tercius completus eſt, & quartus ſumpſit initium. In cujus æſtate à cruce incipiens, decem pilarios erexit, ſcilicet utrinque quinque. Quorum duos primos marmoreis ornans columpnis contra alios duos principales fecit. Super hos decem, arcus & fornices poſuit. Peractis autem utriſque triforiis & ſuperioribus feneſtris, cum machinas ad fornicem magnam volvendam in anni ~~quinti initio præparaſſet, repente~~ ruptis trabibus ſub pedibus ejus & inter lapides & ligna ſimul cum ipſo ruentibus, in terram corruit, à capitellis fornicis ſuperioris altitudine, videlicet pedum quinquaginta. Qui ex ictibus lignorum & lapidum acriter diverberatus ſibi & operi inutilis effectus eſt, nulluſque alius præter ipſum ſolum in aliquo læſus eſt. In ſolum magiſtrum vel Dei vindicta, vel diaboli deſævit invidia. Magiſter itaque ſic læſus, & ſub cura medicorum ob ſpem ſalutis recuperandæ aliquandiu lecto decumbens, ſpe fraudatus convaleſcere non potuit; veruntamen quia hiems inſtabat, & fornicem ſuperiorem conſummari oportebat, cuidam monacho induſtrio & ingenioſo qui cementariis præfuit opus conſummandum commendavit. unde multa invidia & exercitatio malitiæ habita eſt, eo quod ipſe cum eſſet juvenis potentioribus & ditioribus prudentior videretur. Magiſter tamen in lecto recubans, quid prius, quid poſterius fieri debuit ordinavit. Factum eſt itaque ciborium inter quatuor pilarios principales; in cujus ciborii clavem videntur quodammodo chorus & cruces convenire. Duo quoque ciboria hinc & inde ante hiemem facta ſunt. Pluviæ autem fortiter inſiſtentes plura fieri non permiſerunt. In iſtis annus quartus completus eſt, & quintus ſumpſit initium. Eodem anno ſcilicet quarto, facta eſt eclipſis ſolis octavo idus Septembris hora quaſi ſexta ante caſum magiſtri. Sentiens itaque præfatus magiſter nulla ſe medicorum arte vel induſtria poſſe convaleſcere, operi renunciavit, & mari tranſito in *Franciam* ad ſua remeavit. Succeſſit autem huic in curam operis alius quidam *Willielmus* nomine, *Anglus* natione, parvus quidem corpore, ſet in diverſis operibus ſubtilis valde & probus. Hic in anni quinti æſtate crucem utramque auſtralem ſcilicet & aquilonalem conſummavit, & ciborium quod deſuper magnum altare eſt volvit, quod ne fieret præterito anno, cum omnia parata eſſent, pluviæ impedierunt. Præterea ex parte orientali ad incrementum eccleſiæ fundamentum fecit, eo quod capella ſancti *Thomæ* ibidem ex novo fieri debuit. Hic ergo locus ei proviſus eſt, capella ſcilicet ſanctæ Trinitatis ubi primam miſſam celebravit, ubi lacrimis & orationibus incumbere conſuevit, ſub cujus cripta per tot annos ſepultus fuit, ubi Deus per ejus merita multa fecit miracula, ubi pauperes & divites, reges & principes eum venerati ſunt, unde exivit ſonus laudis ejus in totum orbem terrarum. Cœpit igitur magiſter *Willielmus* cauſa fundamenti monachorum cimiterium fodere, unde compulſus eſt multorum ſanctorum monachorum oſſa effodere. Quæ diligenter in unum collecta repoſita ſunt in foſſa grandi, in angulo illo qui eſt inter capellam & domum infirmorum ad meridiem. Facto itaque muri exterioris fundamento firmiſſimo ex lapide & cemento, murum eciam criptæ uſque ad baſes feneſtrarum erexit. In iſtis annus quintus completus eſt, & ſextus ſumpſit initium; vere autem ejuſdem, id eſt, ſexti anni poſt incendium intrante & tempore operandi inſtante, deſiderio cordis accenſi chorum præparare curaverunt monachi, ut ad proximum paſcha introire poſſent. Videns autem magiſter monachorum deſiderium viriliter inſtitit, ut voluntati conventus ſatisfaceret. Murum igitur qui chorum circuit & presbiterium cum ſumma feſtinatione conſtruxit. Altaria quoque tria presbiterii erexit. Locum requietionis ſancti *Dunſtani* & ſancti *Elfegi* ſollicite præparavit. Paries quoque ligneus ad ſecludendas tempeſtates ex parte orientis per tranſverſum inter pilarios penultimos poſitus eſt, tres vitreas continens feneſtras. Chorum itaque cum ſummo labore & feſtinatione nimia utcunque vix tamen præparatum, vigilia Paſchæ cum novo igne intrare voluerunt. Sed quia omnia quæ fieri oportebat illo die ſabbati propter ſolennitatem ſancti diei ad plenum ut decebat fieri non valebant, neceſſe fuit ut ſancti patres & patroni noſtri, ſanctus videlicet *Dunſtanus* & ſanctus *Elfegus*, coexules monachorum ante diem illum in novum transferrentur chorum. Prior igitur *Alanus* aſſociatis ſecum novem fratribus ejuſdem eccleſiæ quorum fidei credendum erat, ne tumultus vel aliquod fieret incommodum, tumbas Sanctorum de nocte adiit, & obſeratis eccleſiæ hoſtiis, ſtructuram lapidum quæ circa illos erat diruere præcepit. Monachi igitur & ſervientes eccleſiæ præceptis Prioris obedientes, ſtructuram illam diſtraxerunt, & ſaxeos Sanctorum loculos aperuerunt, & ſublevantes Sanctorum reliquias in veſtiarium tulerunt. Sublevatis autem panniculis in quibus fuerant obvoluti, nimia vetuſtate & putredine in magna parte conſumptis, aliis palliis decentioribus operuerunt & lineis cingulis conſtrixerunt. Sic Sancti præparati ad altaria ſua delati, in arcis ligneis intus & extra plumbo coopertis repoſiti ſunt. Arcæ vero undique plumbo coopertæ ferreis quoque nexibus fortiter ligatæ, lapidibus plumbo liquido conſolidatis circumquaque incluſæ ſunt. *Ediva* quoque regina quæ ſub altari ſanctæ crucis poſt incendium poſita fuit, ſimiliter in veſtiarium delata eſt. Facta ſunt hæc nocte præcedente feriam quintam ante ſanctum Paſcha, videlicet xvj. kal. Maii. In craſtino autem cum hæc Sanctorum tranſlatio ad notitiam totius perveniret conventus, admirantes indignati ſunt valde, eo quod iſta præſumptio abſque conniventia Conventus facta eſt, propoſuerant enim ut dignum fuit tranſlationem patrum ſuorum cum multa & devota ſolennitate facere. Appellaverunt itaque Priorem & qui cum eo ibidem fuerant ad præſentiam venerabilis *Ricardi Cantuarienſis* archiepiſcopi de injuria ſibi & ſanctis patronis eccleſiæ præſumptuoſe illata. Ad hoc itaque fere perventum eſt, ut tam Prior quam cæteri qui cum illo fuerant ſuis officiis cogerentur renuntiare. Sed agente præfato archiepiſcopo aliiſque non modicæ auctoritatis viris, digna ſatiſfactione & humilitate præmiſſa, benevolentia Conventus impetrata eſt: facta igitur concordia inter Priorem & Conventum, ſabbato ſancto dixerunt horas in capitulo, quia ſtatio monachorum & altare quod erat in navi eccleſiæ demolita ſunt, propter ſubſequentem ſanctam Paſchæ ſolennitatem. Adveniente igitur hora diei quaſi ſexta, archiepiſcopus cappa indutus, mitra redimitus, Conventum albis indutum ſecundum eccleſiæ conſuetudinem ad novum ignem præceſſit, benedictoque igne, cum ymno inventor rutili novum chorum ingreſſus eſt. Veniens autem ad hoſtium eccleſiæ qui præeſt martyrio ſancti *Thomæ*, ſuſcepit à monacho quodam pixidem cum euchariſtia quæ deſuper majus altare pendere ſolebat, quam archiepiſcopus reverenter ſuſcipiens, uſque ad magnum altare novi chori deportavit. Sic Dominus noſter *Jheſus Chriſtus* præceſſit nos in *Galileam*, id eſt, in novæ eccleſiæ tranſmigrationem. Cætera tantæ ſolennitatis officia ut conſuetudo eſt diei ſolenniter & devote celebrata ſunt. Quibus expletis, ſtans ad aram pontifex infulatus, ſonantibus ſignis *Te Deum laudamus* incepit, Conventus vero cum magna cordis lætitia cantum ſuſcipiens, cordis & vocis jubilo cum dulciſſimis lacrimis pro impenſis beneficiis Deum laudaverunt. Ejectus eſt autem Conventus per incendium de choro ſicut *Adam* de paradiſo anno

Verbi Dei M. Clxxiiij. menſe Septembri, quinta die menſis, hora quaſi nona. Manſit autem Conventus in navi eccleſiæ per annos quinque, menſes ſeptem, dies treſdecem. Rediit in novum chorum anno Gratiæ M. Clxxx. menſe Aprili, nonodecimo die menſis, hora quaſi nona, vigilia Paſchæ. Gaudet itaque & exultat in Domino, qui percutit filium ſuum virga, & liberat animam ejus de morte. Qui percutit peccantes & pie conſolatur pœnitentes. Erexerat autem artifex noſter extra chorum quatuor altaria, ubi corpora ſanctorum archiepiſcoporum repoſita ſunt ſicut antiquitus fuerunt, ſicut ſuperius dictum eſt. Ad altare ſancti *Martini Livingus* & *Wilfridus*: ad altare ſancti *Stephani*, *Athelardus* & *Cuthbertus*. In cruce auſtrali ad altare ſancti *Johannis*, *Elfricus* & *Ethelgarus*. Ad altare ſancti *Gregorii*, *Bregewinus* & *Plegemundus*. *Ediva* quoque regina quæ ante incendium fere in medio crucis auſtralis ſub feretro jacuerat deaurato, ad altare ſancti *Martini* ſub feretro *Livingi* repoſita eſt. Præterea in eadem æſtate, anni videlicet ſexti, murus exterior circa capellam ſancti *Thomæ* ante hiemem præteritam inceptus, uſque ad fornicem volvendam elevatus eſt. Inceperat autem magiſter turrim ex parte orientali, quaſi extra muri ambitum, cujus fornix inferior ante hiemem perfecta eſt. Capella quoque ſanctæ Trinitatis de qua ſuperius mentio facta eſt ſolo tenus diruta eſt, quæ hucuſque ob reverentiam ſancti *Thomæ* qui ſub cripta jacuit integra permanſit. Sanctorum quoque corpora quæ in ſuperiore parte ejus jacuerant, alias tranſlata ſunt: verum ne memoria eorum quæ in tranſlatione eorundem gſtea ſunt deleatur, paucis dicenda ſunt. Octavo igitur idus Julii confractum eſt altare ſanctæ Trinitatis, indeque factum eſt altare ſancti *Johannis* apoſtoli. Hoc ideo dixerim ne memoria ſancti lapidis hujus deleatur, quia ſanctus *Thomas* ſuper hunc primam miſſam cantavit & multociens inibi proceſſu temporis divinum celebravit officium. Structura quoque lapidum quæ poſt altare erat diſſipata eſt, in qua, ut prædictum eſt, ſanctus *Odo* & ſanctus *Wilfridus* longo jacuerant tempore. Sublati ergo præfati Sancti in capſis ſuis plumbeis in chorum delati ſunt. Sanctus *Odo* in capſa ſua poſitus eſt ſub feretro ſancti *Dunſtani*, & ſanctus *Wilfridus* ſub feretro ſancti *Elfegi*. *Lamfrancus* autem archiepiſcopus in tabula plumbea ponderoſa valde inventus eſt, in qua à die primæ ſepulturæ ſuæ intactis menbris mitratus, ſpindulatus, uſque in illum diem jacuerat, annis videlicet ſexaginta novem & aliquot menſibus. Hic in plumbo ſuo in veſtiarium delatus & repoſitus eſt, donec definiretur in communi quid de tanto patre fieri deberet. Cumque tumba *Theolbaldi* archiepiſcopi tabulis compacta marmoreis aperiretur & uſque ad ſarcofagum perveniretur, exiſtimantes monachi qui affuerant illum in pulverem redactum, vinum & aquam ad ipſius oſſa lavanda afferri fecerunt. Sed ſullato ſarcofagi lapide ſuperiore integer & rigidus apparuit, oſſibus & nervis, cute & carne ſed extenuata cohærens. Mirati ſunt aſtantes & manibus appoſitis ſuper tabulam geſtatoriam eum poſuerunt, ſicque in veſtiarium ad *Lamfrancum* delatus eſt, ut de utroque Conventus diſcerneret quid decentius fieri oporteret. Inſonuit interea rumor in populo, & jam à pleriſque propter inſolitam integritatem ſanctus *Theodbaldus* appellatus eſt. Pluribus enim eum videre cupientibus oſtenſus eſt, per quos in reliquum vulgus hujus rei fama diſperſa eſt. Levatus eſt itaque à ſepulchro ſuo corpore incorrupto veſtibus ſericis integris anno obitus ſui nonodecimo. Ex ſententia igitur Conventus ante altare ſanctæ *Mariæ* in navi eccleſiæ in arca plumbea ſepultus eſt, quod & ipſe dum vixit deſideravit. Tumba quoque marmorea ſicut ante fuerat ſuper eum compoſita eſt. *Lamfrancus* autem levatus eſt, ut prædixi, de ſarcofago ſuo in tabula plumbea, in qua jacuerat à die primæ ſepulturæ ſuæ intactus uſque in illum diem, annis ſcilicet ſexaginta novem. Qua de cauſa eciam oſſa ejus multa putredine conſumpta, fere omnia in pulverem redacta ſunt. Temporis enim diuturnitas, veſtium humiditas, plumbi naturalis frigiditas, & quod majus eſt humanæ fragilitas conditionis tantam effecerant putredinem. Oſſa tamen majora cum reliquo pulvere collecta, in capſa plumbea ad altare ſancti *Martini* repoſita ſunt. Duo quoque archiepiſcopi qui in cripta à dexteris & à ſiniſtris ſancti *Thomæ* jacuerant ſublati ſunt, & in capſis plumbeis ſub altari ſanctæ *Mariæ* in cripta ad tempus poſiti ſunt. Horum igitur tranſlationibus patrum modo prædicto peractis, capella illa cum cripta ſua ſolo tenus diſſipata eſt: ſolus ſanctus *Thomas* ſuam reſervavit tranſlationem uſque ad capellæ ſuæ conſummationem. Decet enim, & perſuadet ratio ut hujus autentici privilegii tranſlatio valde ſolennis ſit & divulgata in mundo. Parata eſt interim ſuper tumbam ejus & in circuitu capella lignea pro loco & tempore ſatis honeſta. Extra cujus parietes ex lapide & cemento fundamento facto, octo pilarii novæ criptæ cum capitellis ſuis conſummati ſunt. Introitum eciam de veteri in novam criptam magiſter prudenter aperuit. In iſtis annus ſextus completus eſt & ſeptimus ſumpſit initium: ſed priuſquam hujus ſeptimi anni opera proſequar, non inutile duxi aliqua de ſuperioribus recapitulare, quæ ſive per oblivionem negligenter, ſive propter brevitatem ſcienter dimiſſa ſunt. Dictum eſt in ſuperioribus quod poſt combuſtionem illam vetera fere omnia chori diruta ſunt, & in quandam auguſtioris formæ tranſierunt novitatem. Nunc autem quæ ſit operis utriuſque differentia dicendum eſt. Pilariorum igitur tam veterum quam novorum una forma eſt, una & groſſitudo, ſed longitudo diſſimilis. Elongati ſunt enim pilarii novi longitudine pedum fere duodecim. In capitellis veteribus opus erat planum, in novis ſculptura ſubtilis. Ibi in chori ambitu pilarii viginti duo, hic autem viginti octo. Ibi arcus & cætera omnia plana utpote ſculpta ſecure & non ſciſello, hic in omnibus fere ſculptura idonea. Ibi columpna nulla marmorea, hic innumeræ. Ibi in circuitu extra chorum fornices planæ, hic arcuatæ ſunt & clavatæ. Ibi murus ſuper pilarios directus cruces à choro ſequeſtrabat, hic vero nullo interſticio cruces à choro diviſæ in unam clavem quæ in medio fornicis magnæ conſiſtit, quæ quatuor pilariis principalibus innititur, convenire videntur. Ibi cœlum ligneum egregia pictura decoratum, hic fornix ex lapide & tofo levi decenter compoſita eſt. Ibi triforium unum, hic duo in choro, & in ala eccleſiæ tercium. Quæ omnia viſu melius quam auditu intelligere volenti patebunt. Hoc tamen ſciendum eſt quod novum opus altius eſt veteri quantum ſuperiores feneſtræ tam corporis chori quam laterum ejus à tabulatu marmoreo in altum porriguntur. Ne autem futuris temporibus cuiquam veniat in dubium, qua de cauſa tanta chori latitudo quæ eſt juxta turrim tantum in capite eccleſiæ coarctetur, cauſas dicere non inutile duxi. Quarum una eſt, quod duæ turres, ſancti *Anſelmi* videlicet & ſancti *Andreæ*, in utroque latere eccleſiæ antiquitus ad circinum poſitæ latitudinem chori in directum ad lineam non permiſerunt procedere. Alia cauſa eſt quod capellam ſancti *Thomæ* in capite eccleſiæ conſtituere conſilioſum fuit & utile, ubi fuerat capella ſanctæ Trinitatis quæ multo ſtrictior fuit quam chorus. Magiſter igitur turres prædictas diſſipare non volens, integras autem transferre non valens, latitudinem illam chori uſque ad confinium turrium in directum compoſuit. Deinde paulatim turres utrimque devitans, & tamen latitudinem viæ illius quæ extra chorum eſt quantum potuit propter proceſſiones ibidem frequenter faciendas conſervans, pedetemtim obliquans opus conſtrinxit, ita ut ex oppoſito altaris opus decenter contraheret, & exinde ad tercium pilarium ad formam latitudinis capellæ quæ ſanctæ Trinitatis dicebatur opus coartaret. Deinde quatuor pilarii ejuſdem latitudinis ſet alterius formæ utrimque poſiti ſunt. Poſt quos alii quatuor ad circinum ſunt ſtatuti, in quibus opus ſuppoſitum conveniebat in unum. Hic eſt modus ſtationis pilariorum. Exterior autem muri ambitus à turribus prædictis progrediens primo in directum ad lineam procedit, deinde flectitur in girum, & ſic in turre rotunda convenit uterque murus in unum, ibidemque conſummatur. Hæc omnia clarius & delectabilius oculis poſſunt videri quam dictis vel ſcriptis edoceri. Hæc autem dicta ſunt ut utriuſque operis novi ſcilicet & veteris differentia poſſit agnoſci. Nunc autem videamus attentius quid vel quantum operis cementarii noſtri in hoc ſeptimo combuſtionis anno perfecerint. Quod ut breviter dicatur, anno ſeptimo facta eſt nova cripta ſatis formoſa, & ſuper criptam parietes exteriores alarum uſque ad capitella marmorea: feneſtras autem non potuit nec voluit magiſter volvere propter ingruentes pluvias, nec pilarios ſtatuere interiores. In iſtis annus ſeptimus completus eſt, & octavus ſumpſit initium. In hoc octavo ſcilicet anno ſtatuit magiſter octo interiores pilarios, arcus & fornicem cum feneſtris in circuitu volvit. Turrim vero exaltavit uſque ad baſes ſummarum feneſtrarum ſub fornice. Nonus annus vacavit ab opere ob defectum expenſarum. Decimo anno perfectæ ſunt feneſtræ ſuperiores turris cum fornice. Super pilarios vero inferius triforium & ſuperius, cum feneſtris & fornice majori. Tectum quoque ſuperius ubi crux eſt in eminenti & tectum alarum uſque ad poſitionem plumbi. Turris quoque cooperta eſt, & alia plurima hoc anno facta ſunt. Hoc anno electus eſt *Baldewinus Wigornienſis* epiſcopus ad regimen *Cantuarienſis* eccleſiæ xviij. kal. Januarii. Fuit autem intronizatus *Cantuariæ* in ſequenti ſolennitate ſancti *Dunſtani* xiiij. kal. Junii. Qui quanta mala, quot pericula, quot adverſitates in primis annis ſuis *Cantuarienſi* fecerit eccleſiæ, quærenti ſedulo in ſubſequentibus patebit.

Imaginatio Gervaſii *quaſi contra monachos* Cantuarienſis *eccleſiæ*.

NUntii ſumus venerande pater domini noſtri filii veſtri *Cantuarienſis* archiepiſcopi ad ſanctam majeſtatis veſtræ præſentiam ab eo directi. Tranſivimus quodammodo pie patet per ignem & aquam, pericula videlicet multa, ſed per ejus, ut credimus, orationes nos Deus in veſtrum eduxit refrigerium. Ad vos quippe confugit dominus noſter ut ad patrem & dominum kariſſimum, qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Et cum in vobis non modicam habeat fiduciam, ex aſſenſu regis *Anglorum* de injuriis ſibi illatis in audientia veſtra ſuam proferimus querimoniam. Inſurrexerunt etenim in eum filii iniqui, filii degeneres, monachi videlicet *Cantuarienſes* una cum Priore ſuo qui vobis aſtare videtur. Cum enim eum veterano inſequantur odio, poſt multas ei illatas injurias ſuis non parcentes debitis vel expenſis, ad ſedem apoſtolicam non timuerunt appellare. Odium inquam veteranum eſt, quod manifeſtis patet indiciis. Nam electionem ipſius per epiſcopos & clerum *Angliæ* cum aſſenſu regis canonice factam reſpuerunt, nec eum in patrem & paſtorem aliquatenus ſuſcipere dignati ſunt, donec ipſe rex in propria perſona debilis, eciam pede *Cantuariam* veniens, eis ſupplicaret in communi. Sed nec ſic præ ponderoſo *Phariſæorum* ſupercilio aſſentire voluerunt, niſi illa tam juſte & tam ſolenniter facta renovaretur electio. O ſuperbia & elatio monachorum comprimenda! Suſceptus itaque à dominis illis humillimus archiepiſcopus, cum ſua repeteret & alienata revocaret, reſtiterunt ei monachi ſui, & ſedem apoſtolicam ut effrenati appellarunt. Sed inſtinctu bonorum virorum in brevi redeuntes ad ſe cum ſibi eſſent male conſcii, non ratione ſed impetu factæ renuntiaverunt appellationi, & ſeſe ſuaque omnia ſui paſtoris ut decet & ſuadet ratio ſubdiderunt arbitrio. Hæc eſt ordinis monaſtici ſecundum beatum *Benedictum* inſtitutio. Hæc ipſius *Cantuarienſis* eccleſiæ ab antiquis temporibus uſque in præſens deducta & privilegiata conſuetudo, ſcilicet ut omnia intus & extra in *Cantuarienſi* eccleſia, ſui archiepiſcopi, immo & abbatis nutum attendant & diſpoſitionem non omittant: nec ſolum ad eum omnimoda pertinet diſpoſitio, ſed & poſitio & depoſitio Prioris, ſubprioris, cæterarumque perſonarum eccleſiæ, ſed & ſervientium curiæ tam intus quam extra. Et ut de aliquibus ſumamus exempla, *Theodbaldus* Priorem depoſuit *Jeremiam*, & poſtea *Walterium*. Si ergo Priorem ponere poteſt & deponere, quid de cæteris agendum eſt? Has conſuetudines, hanc poteſtatem, hanc prælati ſui prærogativam monachi illi eciam reticendo confeſſi ſunt cum ſuæ tam ſolenniter factæ non ſteterunt appellationi. Stetiſſent quidem ſaltem pro pudore ſeculi & ſtrepitu vulgi, niſi ſibi male conſcii eſſent. Stetiſſent, inquam, niſi de ſua juſtitia deſperarent. Nunc autem pater metuende, reſumpto flatu & viribus receptis, in paſtorem ſuum iterum inſurgunt, appellationibus provocant, detractionibus lacerant, angariis multis & irriſionibus afficiunt. Obedientiam debitam ſubtrahunt, minuunt dignitates, poteſtatem ſubnervant adeo ut non liceat ei non ſolum monachorum rebus diſponere, ſed nec in fundo proprio eccleſiam fundare, nec ut ipſi garriunt erigere molendinum. Propoſuerat enim novam & mirabilem in ſuburbio *Cantuariæ* fundare eccleſiam ad honorem Dei & beati martyris *Thomæ*, ſed & *Cantuarienſis* eccleſiæ munimen æternum. Quod audientes monachi illi, in dedecus ſuum & ordinis detrimentum, & maxime in contumeliam & contemptum domini *Cantuarienſis* ſatis inhoneſte catervatim de clauſtro ruentes clamaverunt, apellaverunt, huc illucque ut indomiti diſcurrerunt. Aſtiterunt eis in hoc ſpectaculo quamplurimi ex ſervientibus ſuis & civitatis vulgus ignobile, acſi eſſent in ingreſſu eccleſiæ dimicaturi vel ipſum archiepiſ. legatum veſtrum comprehenſuri. Dominus autem *Cantuarienſis* volens in manſuetudine eorum tam inordinatam, tam diſſolutam compeſcere contumaciam, ſuſpenſionis eis minas intorſit, ſed nec ſic voluerunt à ſuo deſiſtere pertinaci propoſito. Ab illo ergo die deinceps ob nimiam ſuarum abundantiam divitiarum incorrigibiles effecti, Domino noſtro prælato ſuo & legato veſtro debitam ſubtrahunt obedientiam. Divina quoque parvipendentes officia, nec parvula quidem ſatisfactione eciam oblatam ſibi promereri volunt ſuſpenſionis abſolutionem. Quorum contumaciæ niſi citius manum protectionis & correctionis veſtræ oppoſueritis, ſtatum penitus ſubvertent eccleſiæ, dominum noſtrum conquaſſabunt, & teterrimum ſuperbiæ dabunt exemplum. Miſerunt ad vos monachos iſtos totius malitiæ incentores, ut mendaciis ſuis vel quolibet molimine veſtram circumveniant ſanctitatem, & ſibi cæteriſque qui domi reſiderunt adipiſcantur ſui ſceleris impunitatem. Sed denuntiamus hos & illos digne puniendos, iſtos vero *Cantuarienſis* eccleſiæ fugitivos, & à petitione ſua penitus repellendos. Sicut enim petendum non eſt quod juſte poterit negari, ſic negandum eſt quod injuſte petitum eſſe poterit comprobari. Petit autem dominus noſter *Cantuarienſis* archiepiſcopus & veſter filius ut ei paterno affectu jura ſua velitis conſervare, & prædeceſſorum ſuorum dignitates & commoda non permittatis decreſcere ſed augere curetis. Quia notum eſt omnibus quod & probabile eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ *Jeſu Chriſti*. Et manifeſtum eſt quod boni patris & benivoli accedit gloriæ, ſi filium habeat glorioſum.

Imaginatio Gervaſii *quaſi contra B. archiepiſcopum.*

PErpendere poterit ex auditis venerande pater veſtræ prudentia majeſtatis & vobis aſſiſtentium præclara ſapientia, quantis in terra noſtra gravamur anguſtiis, fatigamur obprobriis, cum hic in præſentia veſtra nos adverſarius convitiis appetat & contumeliis afficiat. Si eciam confugientes ad vos convitiis appetunt noſtri archiepiſcopi reſponſales, quid putas faciunt ubi inimici noſtri ſunt judices? Et ſi nos ubique velit conterere humana malitia, veſtræ tamen reverentia majeſtatis omnem propellere conſuevit injuriam. Nunc autem ex aſſiduitate nocendi veſtra eciam & confratrum veſtrorum ſpreta præſentia, obiciunt plurima convitiis admixta ſed quaſi nitida loquacitate palliata. Quibus omnibus ſi ad unguem voluerimus reſpondere, brevitatem cauſidici in hiſtorici prolixitatem convertemus, ſed inviti. Inviti dico, non quod tædeat nos verum dicere vel falſitatem refellere, ſed ne prolixa veritas vel vera prolixitas faſtidium generet audienti. Cum enim in cauſa ſua vera falſis, mollibus aſpera, religioſa prophanis connexa ſint, cogimur eciam hiſtoriarum præteriti temporis aliqua vobis enodare capitula, ne falſitas palliata locum teneat veritatis. Hæc autem omnia deo adjuvante breviter edocebimus. Ut autem de electione domni *Baldewini* dicendi ſumamus initium, veſtræ notificamus pietati, quod & toti patet *Angliæ*, nos in electione ſua ſæpe & multum eſſe vexatos. Nam ad præſentiam regis Prior *Alanus* ſæpius vocatus, non ſolum extra ſepta eccleſiæ vel extra ſuæ fines provinciæ, ſed ultra provinciarum ſpatia, non cum duobus vel tribus monachis, ſed aliquotiens cum tercia fere parte Conventus ex præcepto regis curiam ſecutus eſt. Cum enim monachi in electione canonicam quærerent libertatem, nitebantur aulici ut quocunque modo domnus eligeretur *Baldewinus*. Videntes autem filii *Cantuarienſis* eccleſiæ eligendi libertatem penitus ſubverti & conſuetudines eccleſiæ depravari, ſi ad nutum regis ordinis alterius hominem eligerent, perſonam quidem ipſius nec novo nec veteri inſequentes odio, non reſpuerunt, ſed liberam quærebant electionem. Verbo tenus omnis eligendi libertas eis promiſſa eſt, ſic tamen ut ſpretis omnibus domnus *Baldewinus* eligeretur. Tandem ſub ſpe adipiſcendæ libertatis *Londonias* vocati, cum monachi noſtri in ſecreto cubiculo reſiderent, & reſponſum regis per *Cantuarienſem* archidiaconum & quoſdam monachos expectarent, in abſentia eorum elegerunt epiſcopi domnum *Baldewinum*: quem in eccleſiam ſequentes non trahentes, *Te deum* neſcio vel *te reum* clamaverunt. Unde cum omnes obſtupeſcerent, monachi gementes & anxii à curia diſceſſerunt. Rex autem eos in brevi uſque *Cantuariam* ſecutus, obtinuit tandem ut eum denuo conventus eligeret, ſic tamen ut electio præpoſtera caſſaretur, & ipſe in audientia diceret ſe non velle nec debere *Cantuarienſem* eccleſiam regere niſi per Priorem & Conventum. Hæc in audientia cleri & populi dicta & intellecta ſunt, & ipſe ſubſequenter à Priore hoc modo electus eſt. Unde exclamandum non eſt, O ſuperbia monachorum! ſed ô præſumptio Epiſcoporum! ô ambitio religioſorum! ô depreſſio monachorum! Quod enim vidimus tunc per ſpeculum in ænigmate nunc autem facie ad faciem, noſtræ ſcilicet depreſſionem eccleſiæ. Suſceptus autem apud *Cantuariam* & intronizatus, verbo tenus ſpem intulit nobis magnæ proſperitatis & pacis. Nam inter loquendum in Sermone nitido cunctis audientibus dixit, Hoc eſt maximum fratres mei & domini in omnibus deſideriis meis, ut unum ſimus in Domino. Et poſt pauca. Scio fratres quod vobis debeo non ſolum corpus ſed corpus & animam. Sub hac pacis ſpecie vix dimidium tranſegimus annum, ſed in brevi aurum æruginavit, argentum verſum eſt in ſcoriam, oleum in amurcam, & color optimus mutatus eſt. Nodum enim repperimus in cirpo, angulum in rotundo, abyſſum in ſolido. Nam ut prædiximus menſe Maio intronizatus eſt, & in Decembri cœpit in nos manus extendere. Debita enim villarum noſtrarum exenia nobis ſubtraxit, & ſubſequente Januario eccleſias tres paſtui pauperum per venerabilem *Ricardum* archiepiſcopum & *Alexandrum* Papam ſimul & *Lucium* aſſignatas & confirmatas, nobis neſcientibus abſtulit. Non eum pauperum reclamatio vel languentium miſeranda deſolatio, ſed nec prædeceſſoris ſui & *Romanorum* pontificum confirmatio ab hac immanitate cohibere potuerunt. Poſt modicum menſe videlicet Februario aſcivit Priorem *Alanum* & quoſdam officiales eccleſiæ, ut omnium ſibi uſurparet dominium, & Conventui rerum ſuarum omnem ſubtraheret poteſtatem. Unde præmuniti miſerabiles monachi compulſi ſunt ab omni gravamine ſedem apoſtolicam appellare. Archiepiſcopus vero ſui quo *Romana* tenetur eccleſiæ immemor juramenti, oſtenſa ſibi privilegia reſpuit, appellationem contempſit, & abſque dilatione villas noſtras & redditus invaſit. Servientes noſtri fugati ſunt, cuſtodes excluſi, ita ut nec panniculos ſuos eis liceret abſportare. Omnia quaſi in direptionem tradita ſunt, acſi undique hoſtili agmine eſſemus obſeſſi. Quod audientes amici *Cantuarienſis* eccleſiæ, abbates & viri religioſi hinc inde plurimum elaboraverunt ut nos factæ renuntiaremus appellationi, & archiepiſcopus nobis ablata reſtitueret in univerſum. Nos itaque neque male conſcii neque de noſtra juſtitia diffidentes ſed tam minis quam blandiciis allecti, ſalvo ſtatu eccleſiæ renuntiavimus appellationi. Quo facto, archiepiſcopus tantummodo villas noſtras nobis reſtituit, ſed eccleſias & exenia uſque in præſens reddere noluit. Promiſerunt nobis Abbates prædicti in verbo veritatis cum quibuſdam à ſecretis archiepiſcopi nos omnia in brevi recepturos eſſe, inſuper & benivolentiam ejus, ſi ad modicum tempus operam dare vellemus patientiæ. Suſtinuimus itaque venerande pater, cum omni humilitate pacem & non eſt bonum, tempus curationis & ecce dira turbatio. Medio enim tempore commutavit inter nos quoſdam officiales contra morem & ſtatum eccleſiæ, & eccleſias illas nobis quidem, immo pauperibus viduis & orphanis ablatas, clericis ſuis divitibus aſſignavit. Prædeceſſores ſui Martyres & Confeſſores pauperibus & peregrinis omnimodam ſtuduerunt curam impendere, ſed Domnus *Baldewinus* pauperibus collata ſubſidia ſubtrahit, eademque crumenæ infundit ditiori. Et quod altius urit nos, famam noſtram in Conſiſtorio veſtro & in foro regis *Angliæ* voluit denigrare, dicens per nuncium nos præ nimia rerum abundantia incorrigibiles eſſe. De facili forſitan vos inclinaſſet ad credendum, niſi Dei ſapientia veſtrum præclarum præveniſſet animum, & mille miſia hominum clamarent in contrarium. Novit enim populi univerſitas quod & *Romanæ* filiis innotuit eccleſiæ, conventum noſtrum neque nimiis abundare cum nimiis expenſis ære non modice prematur alieno, & in his quæ decet & Dei ſunt Domini noſtri archepiſcopi ſuſceperimus patienter correctionem, eciam in diſpendium eccleſiæ. In his omnibus non eſt averſus motus ejus, ſed adhuc manus ejus extenta. Nam eccleſiam quandam ſecularium clericorum juxta nos immo fere intra nos conſtituere quaſi ex veſtra permiſſione deſiderat. Quæ nulla occaſione conſtrui poterit niſi in detrimentum *Cantuarienſis* eccleſiæ & in ſubverſionem ſtatus & ordinis noſtri qui jam ſeptengentis annis ſub protectione Dei & ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ uſque ad adventum Domni claruit *Baldewini*. Nunc autem ut dicitur in vindictam electionis ſuæ, cui aliquando ob libertatem eccleſiæ noſtræ ut prædictum eſt viſi ſumus aliquando reſtitiſſe, præfatam *Cantuarienſem* eccleſiam per tot annos liberam, tot ſanctorum archiepiſcoporum miraculis glorificatam, non ſolum ſervituti ſubicere, ſet & perpetuam & probroſam perturbationem ei conatur procurare. Nam hac intentione baſilicam illam ex conſenſu quorundam epiſcoporum fundare nititur ut ibi criſma conſecret, epiſcopos benedicat, eccleſias nobis & redditus ſubtrahat, Epiſcopalem denique ſedem illuc transferat, & ut breviter dicatur, omnem eccleſiæ *Cantuarienſis* epiſcopalem veteranam & privilegiatam ſubtrahat dignitatem. Sed forte dicet aliquis, Sola ſuſpicio hæc ſuggerit quæ falſum in credendo æque ſuſcipit ut verum. Qua ratione quove prodigio jura *Cantuarienſis* eccleſiæ *Romanæ* & apoſtolicæ ſedis ſpecialiſſime filiæ & jam vetulæ in hoc fine temporum poterunt avelli? Cui ego. Craſſa plane & ſupina laborat ignorantia qui hæc gravamina *Cantuarienſis* eccleſiæ claro non intuetur aſpectu. Quis enim tali & tantæ reſiſtere poterit congregationi? In diminutionem noſtram & omnium ſuorum præjudicium ſucceſſorum de eccleſiis ſuis ſimul & noſtris præbendas fecit vel canonicas. Omnes epiſcopos *Angliæ* & Comites ditiores canonicare propoſuit. Ipſum quoque regem *Angliæ* & Cancellarium hujus ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ. Quid ergo dicemus ad hæc? Nos igitur tot & tantis malis afflicti, tot minis cruciati, tot periculis expoſiti, ex admonitione beati *Thomæ* Martyris glorioſi unicum & ſingularem tantæ maliciæ oppoſuimus gladium *Petri*, & ad veſtram ſanctam venerandamque appellavimus præſentiam, in initio menſis Decembris. Non enim aliud in tantæ neceſſitatis articulo potuimus invenire refugium. Dominus enim *Baldewinus* archiepiſcopus eſt & apoſtolicæ ſedis legatus, totius *Angliæ* primas & dominus. Et cum ipſum regem confœderationis magnæ teneat in vinculis & ab ipſo teneatur, non eſt qui ſuæ poſſit reſiſtere voluntati. Verum cum ſummam in Domino & beati privilegio *Petri* haberemus fiduciam, denunciata eſt ei hæc appellatio per tres monachos noſtros vij. idus Decembris cum ſuos introducturus clericos *Cantuariam* properaret. Verbo tenus auditæ detulit appellationi, ſet ne totum diſſimularet ſpiritum, unum ex appellantibus de conventu noſtro & eccleſia juſſit amoveri. Quarta vero die cum omnia ad ſolennitatem illam deo & noſtræ inimicam eccleſiæ præparata fuiſſent, præmiſimus nos monachos plures non diſcurrentes nec ulli aptos ſcurrilitati ſed maturos & religioſos, qui eciam in introitu illius baſilicæ auctoritate veſtra non ſua tantæ reſiſterent improbitati. Sed omnia pro nichilo reputata ſunt, reverentia veſtra & appellatio & beati *Petri* prærogativa. Populus quidem ut cauſatur adverſarius civitatis accurrit, non ut pugnarent, ſed ut tam magnum & prodigioſum viderent ſpectaculum. Licet enim cives & ſuburbani ſed & comprovinciales nobis de facili ſi peterentur aſtarent in conflictu, ſolo tamen *Petri* gladio pugna noſtra vincenda eſt. Craſtino Priorem noſtrum ſuſpendit & monachos omnes qui eum præceſſerant ad appellandum. Deinde quædam captioſa promulgavit edicta ne quis fratrum noſtrorum qualibet occaſione vel neceſſitate ſepta monaſterii egrederetur, & alia hujuſmodi. Quæ ſi à nobis obſervarentur, ex noſtra taciturnitate periculum immineret eccleſiæ: ſi vero ſervata non eſſent, culpam in nos refunderet inobedientiæ. Miſit præterea per totam *Angliam* prædicatores ad colligendam pecuniam copioſam ad ædificationem illius eccleſiæ, omnemque epiſcopalem obliviſcens diſcretionem, novam & inauditam tam venialium quam criminalium indulſit relaxationem. Poſt diſceſſum vero noſtrum redditus noſtros ſaiſivit & Prioratum, acſi unius eſſent omnia non univerſorum. Præterea niſus eſt per manum regis & mandatum mediantibus quibuſdam epiſcopis ut cauſa noſtra veſtræ ſubtraheretur præſentiæ, & tam regis quam epiſcoporum decideretur arbitrio, ut in nos ſcilicet qui vobis aſtamus iram regis & regni ſtrepitum refunderet, & in Conventum noſtrum veſtrum contemptum & culpam irrogaret proditionis. Sed tanta unitas & devotio in Conventu noſtro inventa eſt, ut nec minis nec blanditiis à veſtro valeant avelli Conſiſtorio. Voluit eciam ut ſuſpenſi noſtri eo quod apellaverant ei ſatisfacerent in publico, non in capitulo. Sed hoc beati *Benedicti* non docet regula, nec ſuadet ratio, nec hoc eccleſiæ noſtræ habet conſuetudo. Quid enim gravius, quid deterius, quam diſciplinam regularium, ſecreta Capituli ſcurris publicis propalare? Nonne ridiculum eſt? Si offenſa eſt, in capitulo exigenda eſt & exibenda ſatisfactio, cum tamen nichil habeamus ſcrupuli in conſcientia, niſi quod veſtram apellavimus præſentiam, & noſtra per vos tentamus jura repetere. Nullam ei ſubtrahere volumus debitam obedientiam, nullam minuere poteſtatem vel gloriam. Sed omnem humilitatem, omnem reverentiam ei exibere deſideramus, dummodo nobis noſtra conſervare velit illæſa. Ipſe autem abſtractus & illectus, ut credere volumus, aliena magis ſuggeſtione quam ſua deliberatione, in præcipuis feſtivitatibus eccleſiæ *Cantuarienſi* debitum ſubtrahit obſequium. De qua & cauſa cujus redditus habet & poſſeſſiones, gloriam & poteſtates, ſed & victus neceſſaria. Prædeceſſores ſui martyres & Confeſſores temptati ſunt, proſcripti ſunt, occiſi ſunt, ne oves ſuæ aliqua læderentur concuſſione. Domnus vero *Baldewinus* ad hoc ſuos exacuit animos ut moriantur oves; & quod durius eſt hoc conatur efficere, ut ovis miſera ſuo nudata vellere, luporum & canum vallata agmine, ſub æterno vivat interitu. Cotidie nobis duriora apponit verbera, acſi criminoſum videatur quod dire flagellato licuit flere ſub verbere. A prima enim percuſſione ſua uſque nunc vix unum diem nobis permiſit habere quietum. Cum igitur venerande pater in omnibus his *Cantuarienſis* eccleſia unicum ad vos habeat refugium, petit attentius ut ſecundum datam vobis à deo ſapientiam oportunum ei præbeatis ſolatium, & ingruentia mala manu miſericordiæ repellatis. Hæc etenim noſtra cauſa totius *Anglicanæ* eccleſiæ & omnium ſubditorum cauſa eſt, & exemplum erit in poſterum. Unde vobis pie pater ſumopere præcavendum eſt & opponendum remedium, ne futuris temporibus vel præſentibus iſta retrahantur in conſequentiam, ne perverſi paſtores gregem conturbent ſibi commiſſum, ne paſtores convertantur in lupos, ne grege fugato eciam ovilia deſtruantur. Succurrat igitur, ſuccurrat pie pater filiis veſtris benigna paternitas, ne cæteris oppreſſis ſpem ſubtrahat protectionis & metum inferat deſperationis.

Perſecutio cauſæ contra B. *archiepiſcopum.*

AUdiſtis heſterno die venerande pater domini noſtri archiepiſcopi modum electionis, cauſam primæ apellationis, formam renuntiationis, enormia quoque gravamina pro quibus ſecundo apellatum eſt, & ejuſdem apellationis executionem. In electione perſpicue palliatam videtis intruſionem, in utraque apellatione manifeſtum contemptum, in ædificatione illius baſilicæ perpetuam diſcordiam & detrimentum eccleſiæ, ordinis & ſtatus noſtri ſubverſionem. Nunc autem ad ea quæ cauſa brevitatis ſponte dimiſſa ſunt ſancta paternitas veſtra pium præbeat auditum. Novus autem litigandi modus eſt, quia nova & inaudita cauſa litigii. Quis enim audivit tale aut quis vidit huic ſimile? Non eſt auditum in *Chanaan* neque viſum eſt in *Theman*, ut Conventus *Cantuarienſis* in aliquo ſuo reſiſteret archiepiſcopo. Tanta enim unitas eos tenebat in caritate, tantus affectus in unitate, ut in defenſione eccleſiæ ſolida membra pugnarent pro capite, caput eciam dolores & anguſtias & ipſam mortem patienter & libenter ſubiret pro corpore. Nunc autem omnia in *Cantuarienſi* eccleſia confuſa ſunt, dum vice caritatis ſuſtineat pravitatem, lolium pro lilio, venenum pro vino, fermentum pro frumento, pro paſtore habeat perſecutorem. Dicemus igitur ſi placet ſummatim de prima origine *Cantuarienſis* eccleſiæ, de ipſius augmentatione, de archiepiſcopi dignitate & poteſtate, de ſuorum actibus prædeceſſorum, de obedientia qua ei tenemur ſecundum regulam ſancti *Benedicti* & conſuetudinem noſtræ eccleſiæ. Quorum in explanatione ab olitanis temporibus incipiendum eſt & breviter ad hæc tempora noſtra recurrendum. Tempore igitur quo beatus *Gregorius* ſanctam ac celebrem *Romanam* rexit eccleſiam, miſit in noſtram *Britanniam* quæ nunc *Anglia* vocatur ſanctum *Auguſtinum* & cum eo monachos timentes deum, ut ad fidem converterent gentem *Anglorum*. Qui ſecenteſimo gratiæ anno in *Angliam* venientes converterunt in proximo regem *Ethelbertum* & nonnulla milia populi. Dedit autem eis præfatus Rex manſionem in civitate *Dorobernia* quæ nunc eſt *Cantuaria*, quæ totius regni ſui erat metropolis, ut ibi prædicarent, baptizarent & quoſcunque poſſent ad fidem *Jeſu Chriſti* vocarent. Conſecrato igitur beato *Auguſtino* ex præcepto beati *Gregorii* ab *Eleutherio Arelatenſi* epiſcopo, & pallio ſuſcepto à beato *Gregorio*, conſtruxit *Auguſtinus* in eadem civitate *Cantuaria* eccleſiam, quam in honorem Salvatoris *Jeſu Chriſti* dedicavit, ibidemque non alias, ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſedem inſtituit metropolitanam. Congregatoque monachorum conventu concurrerunt undique populi, alii baptiſma, alii monachatum petentes, ſeſe ſuaque omnia, redditus, poſſeſſiones in uſus pauperum & eorum maxime ſuſtentationem qui ibidem divino fuerant mancipati ſervicio contulerunt. Fluxerunt ab hoc tempore *Auguſtini* uſque ad *Normannorum* adventum in *Angliam* anni circiter CCCC. xvij ſuccedentibus ſibi *Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopis uſque ad *Lanfrancum* xxx. duobus. Omnia autem quæ medio tempore collata fuerant, non archiepiſcopis, non decanis qui nunc Priores vocantur, non alicui perſonæ ſingulariter data ſunt, ſed deo, & per eum toti monachorum congregationi. Nec uſpiam ut reor aliquo in ſcripto ſimplici vel bullato inveniri poterit aliter vel alteri omnia illa eſſe collata. Tempore autem prædicto *Normannorum* quo dux *Willielmus* cum ſuis armatis copiis *Angliam* intravit, vaſtavit penitus & ſubegit, omnia in prædam data ſunt, & eccleſia *Chriſti* concremata eſt. Rexit autem eo tempore *Cantuarienſem* eccleſiam *Anglus* quidam *Stigandus* nomine, qui à domino Papa *Alexandro* primo juſtis ex cauſis depoſitus eſt, & à rege *Willielmo* in carcerem poſitus vitam finivit. Cui cum *Lanfrancus Cadomenſis* abbas ſuccederet in archiepiſcopatum, regnumque & ſacerdotium mutuo gauderent amplexu, conſuetudines eccleſiæ ſimul & regni quaſi in novam tranſierunt nativitatem. Cœpit enim *Lamfrancus* ſub patrocinio *Alexandri* papæ et novi regis *Willielmi Cantuarienſis* eccleſiæ jura perdita revocare, eccleſiaſticas poſſeſſiones quas prædo abſtulerat reſtituere, ordinemque violatum reformare, ipſam quoque Salvatoris eccleſiam et omnes ejus officinas, palatium epiſcopale cum ipſo conſtruxit ambitu utriuſque Curiæ, non autem alibi, ſed in ipſa civitate *Cantuarienſi* ubi ſedem ſuam primo locaverat ſanctus *Auguſtinus Anglorum* apoſtolus. Verum ut pacis et concordiæ vinculum partis utriuſque capitis videlicet et corporis futuris temporibus inviolabiliter ſervaretur, monachis ſuis in novam ordinis formam redactis, Priori et Conventui rerum ſuarum omnimodam conceſſit adminiſtrationem. Rerum ſuarum dico, non quia velim inſinuare redditus et omnia quæ habent archiepiſcopi *Cantuarienſis* eccleſiæ bona non eſſe, cum ei collata ſint omnia et non alteri: ſed quia ab antiquis temporibus aſſignaverunt neſcio qui archiepiſcopi villas et redditus Conventui ſufficientes, cæteris ſibi pacifice retentis. Sibi eciam reſervaverunt Comites, Barones, et Milites, monachis vero aſſignaverunt ruſticos et agricultores. Dicunt autem quidam *Lamfrancum* id feciſſe. Hæc ideo facta ſunt non ut unitas ſcinderetur eccleſiæ, ſed ut perpetuo utrobique conſervaretur utilitas dum rerum ſuarum plenam utrique haberent libertatem. Si vero aliqua emendatione digna emergebant in eccleſia, non alicujus præſumptione vel tyrannide ſed communicato conſilio fiebant omnia ad utilitatem eccleſiæ. Obiit autem bonæ memoriæ pater monachorum *Lamfrancus* anno patriarchatus ſui xx. Poſt cujus obitum per quinquennium confiſcata ſunt epiſcopalia ſub novo rege *Willielmo* ſecundo. Conventus autem ſolita ſimul & debita ſuorum gaudebat libera diſpoſitione. *Lamfranco* autem ſucceſſit beatus *Anſelmus*. Qui conventui ſuo conſuetam libertatem conſervavit et auſit, et quam non habuerant vel habitam perdiderant indulſit dignitatem. Medietatem quoque oblationum altaris *Chriſti* eis donavit & confirmavit, novumque chorum et presbiterium per manum *Conradi* Prioris fieri conceſſit. Obiit autem anno pontificatus ſui xvij. & feliciter migravit ad dominum. Cui poſt annos iv. ſucceſſit *Radulfus*. Cujus poſt annos pontificatus ix. ſucceſſit *Willielmus*. Quo poſt annos xij. defuncto ſucceſſit *Theobaldus*. A quo ſolo qua ratione dominus noſter *Baldewinus* malefaciendi ſumat audaciam ſi placet audite. Hic *Theobaldus* triceſimus vij. ab *Auguſtino Cantuarienſis* eccleſiæ ſedem adeptus, cum eſſet natura ſimplex & aliquantulum literatus, aſcivit clericos ſcolares, quorum conſilio ſuo impetu quolibet ducebatur. Poſt annos vero quinque minus quam deceret conſiderata ratione, *Jeremiam* Priorem qui eum elegerat depoſuit, eciam poſt apellationem, aliumque ſubſtituit. *Jeremias* autem tam de ſuæ juſtitię cauſæ quam de *Romani* pontificis æquitate confidens, ad ſedem apoſtolicam acceſſit, & de ſua reſtitutione litteras optinuit. Reſtitutus itaque in Prioratum apoſtolica auctoritate, poſt modicum ceſſit, ne archiepiſcopus cauſa ſui aliqua cæteris inferret gravamina. Hujuſmodi depoſitio Prioris antea penes nos facta non eſt, & jam nunc nobis verſa eſt in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Succeſſore autem ſuo *Waltero* ad epiſcopatum *Ceſtrenſis* eccleſiæ vocato, ſubſtitutus eſt in prioratum *Cantuarienſis* eccleſiæ *Walterius* parvus, archiepiſcopi capellanus. Erat autem tota *Anglia* his diebus bellico ſtrepitu confuſa, incendiis et rapinis expoſita. Nam diſcordia quæ verſabatur inter regem *Stephanum* ut dicam regem mutuatum qui *Henrico* regi primo latenter ſucceſſit in regnum, et quoſdam *Angliæ* Comites qui jura regni domino noſtro regi *Henrico* tunc autem puerulo conſervare volebant, toti *Angliæ* dolendum minabatur excidium. Hac ergo ſæviſſima tempeſtate quaſſata erat eciam *Cantuarienſis* eccleſia, ut quæcunque habere poterat ei non ſufficerent ad expenſas. Confluebant enim undecunque pauperes & mendici, eo quod alibi nullum vel modicum haberent ſolatium. Erat enim fames in terra. Hac igitur occaſione diſtracta ſunt et diſtributa egenis ornamenta quædam eccleſiæ *Chriſti*, quæ tempore pacis reſervari ſolent ad gloriam, in neceſſitate vero ad utilitatem. Conſiderans igitur *Walterius* Prior eccleſiæ poſſeſſiones de tanta ſtrage non poſſe reſurgere, niſi membris ſuis caput eccleſiæ ſubveniret, ex conſilio Conventus acceſſit ad archiepiſcopum, rogans humiliter et petens ut conventus ſui miſereretur, et laborantis eccleſiæ condoleret ærumpnis. Cui archiepiſcopus, In quo, inquit, miſerebor? Et Prior; Ut poſſeſſiones, ait, eccleſiæ militia quam de eccleſia habetis, contra raptores cotidie irruentes velitis defendere, poſſeſſiones bonis evacuatas reſtaurare, et de eiſdem Conventui veſtro in neceſſariis victualibus providere. Dum enim in *Anglia* tantus ſtrepitus eſt, omnia noſtra tam intus quam extra veſtræ committimus diſpoſitioni. Reſtitit primo Archiepiſcopus petitionibus Prioris, & nulla ratione induci potuit ad conſentiendum. Sed in brevi clericorum ſuorum inſtantia à ſuo propoſito revocatus, propoſuit ut conſentiret ſi pulſu tali denuo peteretur. Aggreditur itaque denuo Prior archiepiſcopum, et jam de facili conſenſu adhibito, omnia cepit in manus, & tam intus quam extra cuſtodes ad ſuum poſuit libitum, monachum videlicet & quendam clericum, qui ei ſingularem omnium redderent rationem. Initia malorum & laborum ſunt hæc. Quod enim tunc factum eſt neceſſitate cogente ad utilitatem, jam in angariis revocatur ad memoriam et pernicioſam conſequentiam. Utilitas plane deteſtanda eſt in qua libertas eccleſiæ periclitatur. *Theodbaldus* autem omnium dominus & procurator effectus cœpit primo viriliter agere, ac ſi continuo vellet omnia in ſtatum priſtinum revocare. Sed in brevi ſuis condolens expenſis, in primo paſſu poſitum retraxit pedem: & quod perdiderat ut ſibi videbatur ſtuduit revocare. Sicque factum eſt, ut quod ſponte vel neſcius prædo reliquerat, archiepiſcopus vel ejus miniſtri auferre non formidarent. Exterioribus itaque ſpoliatis, in miſeros monachos ultima deſævit avaritia. Hoſpes enim fere omnis excluſus eſt, pauperes expulſi. Conventus ipſe qui in præcipuis feſtivitatibus lautioribus refici ſolebant alimentis, jam pane groſſiore ſimul & olere ſuam temperabant eſuriem eciam combinati. Videns autem Prior & monachi eccleſiæ *Cantuarienſi* deteſtabilem imminere ſubverſionem, flebilibus archiepiſcopum exoraverunt precibus, ut errata corrigeret, & eam quam in ſuſceptione poſſeſſionum eccleſiæ inierat ſervaret conventionem, ne conventus diutina frangeretur inedia, ne eccleſia probroſam ſubiret everſionem. Audiens hæc archiepiſcopus primo ſatis placide ſed deinde contumelioſe reſpondit, et Prior de omni emendatione deſperatus receſſit. Sed adepta congrua oportunitate & conventus unitate unicum oppreſſorum oppoſuit remedium, & ab omni gravamine illato vel inferendo in die ſolenni ſedem apoſtolicam appellavit. Archiepiſcopus autem ſuo excandeſcens impetu, adeo contempſit appellantem, & eum ad quem appellatum eſt, ut conventum canibus compararet, equos Prioris violenter raperet, januas clauderet, divinum in eccleſia ſervitium per manum clerici interdiceret, monachos appellationem proſequentes interciperet, interceptos incarceraret, ſcripta & privilegia & expenſas eiſdem ſubriperet. O imitandum, immo deteſtandum paſtoris exemplum! Confluxerunt ad hoc ſpectaculum viri religioſi ſatagentes ærumpnas ovium propellere, & paſtoris ſævitiam vel ſpecie tenus temperare. Factum eſt tandem mediantibus ipſis ut archiepiſcopus ſaltem dilaniatas conventui ſuas reſtitueret poſſeſſiones, ſententiam laxaret, conventum diligeret, conventus vero appellationi renuntiaret, & debitam patri ſuo & paſtori reverentiam exhiberet, & ut injurias invicem illatas perpetuæ traderent oblivioni. Quod & factum eſt in parte. Archiepiſcopus autem ſentiens monachos appellationi ſuæ renuntiaſſe, villas & redditus eis reſtituens, ipſarum villarum eccleſias & exenia retinuit, jurans in ſecreto quod nunquam plenam haberent reſtitutionem, niſi Prior ipſe ſponte ſua dimitteret Prioratum. Verum ſi ad indicium humilitatis ob reverentiam archiepiſcopi prioratum reſignaret, & in brevi prioratum ex conſilio fratrum eidem reſtitueret, et paternum affectum in verbo veritatis ſpoſpondit ſe exhibiturum. Aſſerebant idem fide interpoſita ſummi conſiliarii archiepiſcopi, dicentes & pejerantes archiepiſcopum nichil aliud quærere, niſi ut videretur à Priore honorari, à quo in appellatione illa videbatur contempni. Credidit Prior verbis mendacii, & in capitulo coram conventu præſidente archiepiſcopo reſignavit Prioratum. Cumque diceret Prior inter loquendum, *Ego prioratum reſigno*, et cogitarent plurimi quod dicere vellet archiepiſcopus, *Et ego te reſtituo*, præcipitanter dixit, *Et ego te depono*. Præcepit autem ut eum uſque *Londoniam* ſequeretur, plenam ibidem ſuſcepturus reſtitutionem. Ille vero fratrum ſuorum ſpreto conſilio acceſſit ad archiepiſcopum apud **Lamhethe** cum aliquibus eccleſiæ ſenioribus. Quibus ſeorſum vocatis quaſi de Prioris reſtitutione cum archiepiſcopo eſſent locuturi, ſervientes archiepiſcopi rapuerunt *Walterium* Priorem depoſitum, trahentes eum uſque *Gloceſtriam*, præcipientes abbati ex parte archiepiſcopi ne eum aliquatenus exire permitteret. Fuit itaque Prior depoſitus ibidem incarceratus quamdiu deinceps vixit archiepiſcopus. Amoto igitur ſupradicto Priore, ex conſenſu multorum *Wibertum* inſtituit Priorem, et deinceps Conventum in multa habens reverentia, multa bona contulit eccleſiæ: eciam in extremis pœnitentiam agens, quod tam dire et injuſte Conventum offenderit. Sedit autem præfatus *Theodbaldus* annis xxij, et mortuus eſt. Cui poſt annum unum ſucceſſit beatus martyr *Thomas*. Qui poſt duos fere pacis annos pro libertate eccleſiæ ſex annis exulans, ſeptimo revocatus, non contra eccleſiam ſed pro eccleſia et in ipſa eccleſia glorioſo meruit martyrio coronari. Qui quamdiu vixit, nichil in præjudicium egit Conventus, ſed omnem eis exhibuit gratiam et dilectionem. Solebat monachorum capitulis præſidere, collationibus intereſſe, in clauſtro cum ipſis lectioni intendere, in eccleſia orationi, in ſecretioribus cum Priore & ſenioribus de utilitate eccleſiæ ut bonus paſtor, ut pius pater conferre. Promiſit eciam quod majorem eis facturus eſſet honorem, quam aliquis anteceſſorum ſuorum. Verum martyrio præventus eſt, et Deus athletæ ſui glorioſius exſolvit promiſſionem. Huic vero cum ſucceſſiſſet *Ricardus*, et jura *Cantuarienſis* eccleſiæ ab adoleſcentia ſua cognoviſſet, in audientia cleri et populi dioceſis ſuæ villarum noſtrarum eccleſias penſionales et privilegiatas per ipſum *Adriani* papæ reſtituit privilegium, quod ſuper altare *Chriſti* nobis aſtantibus poſuit. *Romam* vero profectus et ab *Alexandro* papa conſecratus, cum quoſdam ex clericis ſuis qui nunc eciam nobis adverſantur pro reſtitutione eccleſiarum noſtrarum murmurare videret, nolens eos contriſtare, conſenſit ut illa tam ſolennis & juſta reſtitutio per ipſos caſſaretur. Rediens autem in *Angliam* conſecratus & legatus, poſt aliquot annos tres eccleſias cum capellis ſuis nobis reſtituit & ſigillo ſuo confirmatas victualibus pauperum per nos diſtribuendas aſſignavit. Dederat enim eidem in mandatis dominus papa *Alexander*, ut de præfatis eccleſiis cum Conventu componeret, & ſibi creditam in pace conſervaret eccleſiam. Unde factum eſt, ut pauperibus & peregrinis à monachis erogandas aſſignaret & confirmaret eccleſias. Alias vero parentibus ſuis dederat & clericis. Villarum eciam noſtrarum exenia non abſtulit ſed conceſſit. Quæ eciam tunc temporis eccleſia habuit cum tempore exilii ſancti *Thomæ* tyrannus ille *Randulfus del Broch* ex præcepto regis exulantis cuſtodiret epiſcopatum. *Ricardo* poſt annos decem pontificatus mortuo, ſucceſſit iſte qui nunc eſt domnus *Baldewinus*. Res nova & ſeculis inaudita. Sicut enim inuſitatum eſt ordinis *Ciſtercienſis* monachum *Anglicanæ* præeſſe eccleſiæ, ita *Cantuarienſi* eccleſiæ inexpertum eſt, ut aliquis archiepiſcoporum conventui ſuo tot inferret injurias, tot dampna & tot diminutiones. Cum enim à bonis ſumenda ſint exempla, omnium ſanctorum prædeceſſorum ſuorum Martyrum videlicet & Confeſſorum veſtigia contempnens, à ſolo *Theodbaldo* malefaciendi ſumit auctoritatem. Sed nec eum in bonis ſuis imitatur operibus, ſed ea ſola quæ perperam geſſit revocat ad memoriam, & ærumpnoſam trahit ad conſequentiam. Et ut eidem præcellat in meritis, majorem quia perpetuam eccleſiæ *Cantuarienſi* minatur ruinam. Nam exenia ſubtrahit, eccleſias rapit, ſubtrahit victualia pauperibus & orphanis, & clericis aſſignat ditiſſimis. *Romanorum* pontificum privilegia contempnit, appellationes parvipendit, appellantes eciam ſuſpendit et proſcribit. Bonæ famæ gloriam obfuſcare nititur & infamiam mendoſe irrogare conatur. Regum & principum indignationem in nos & eccleſiam noſtram ſuſcitat, quo nec iram Dei vel ad modicum formidat. Super hæc omnia turrim fortiſſimam feſtinat erigere, qua non ſolum filios confundat eccleſiæ, ſed ut matris *Anglicanæ* eccleſiæ virtutem & viſcera valeat ſuffocare. Succurrat igitur pie pater filiæ veſtræ in tanta clade *Romana* clementia, ne generoſæ matri vertatur in opprobrium ſpecialis et devotæ filiæ detrimentum. Non optamus nec petimus ut patri noſtro licet duro jura debita velitis ſubtrahere, ſed ne velit vel valeat filiorum ſuorum evertere libertatem nec perturbare quietem. Verum eſt quidem quod eciam teſtatur adverſarius quod ſcilicet dominus noſter *Cantuarienſis* archiepiſcopus non quærit quæ ſua ſunt ſed quæ *Jeſu Chriſti.* Sed ad quid? Opera ejus conſiderate quæ ſola teſtimonium perhibent veritati. Et his credite quia non quærit ea ut ſalvet & cuſtodiat, ſed ut mactet & perdat.

Replicatio operum Baldewini *archiepiſcopi.*

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad aures veſtræ perveniat pietatis. Clamor noſter reverende pater jam in tercium annum protractus eſt,ut ex aſſiduitate clamoris & mœroris noſtri non ſolum in hac urbe *Romana*,ſed in orbe terrarum clamoris hujus ſonitus audiatur. Clamavimus enim & reclamavimus & iterum clamamus, & jam raucæ factæ ſunt fauces noſtræ, defecerunt oculi noſtri dum ſperamus quod quærimus optinere. Expectavimus pacem & non eſt bonum, tempus curationis & ecce turbatio. Clamavimus inquam, clamavimus tempore *Urbani* papæ contra tot injurias & oppreſſiones nobis illatas, & præcipue contra baſilicam illam contra nos erectam quæ eſt totius fons et origo diſcordiæ. Hac enim occaſione ſola, ſcilicet quia nomen veſtrum invocavimus ſuper nos, tormentis variis et anxietatibus oppreſſi ſumus uſque in præſens, ut nec ad modicum liceat nobis reſpirare. Verum quia clamor noſter jam quodammodo in tragœdiam verſus eſt,breviter à capite repetendum eſt & ſummatim recitandum quæ nobis pater noſter archiepiſcopus à primo ingreſſu ſuo uſque nunc inferre non deſinit gravamina. Poſtquam igitur domnus *Baldewinus* manu regia magis quam electione libera poſt multos & varios labores *Cantuarienſis* eccleſiæ paſtor effectus eſt, à primo ingreſſu ſuo manum in nos extendit duriorem, ut à dimidio anno uſque in hodiernum diem, vix unum diem ſinat nos habere quietum. Primo etenim villarum noſtratum nobis debita tulit exenia,deinde eccleſias victui pauperum deputatas, deinde maledictam illam & prophanam reclamantibus nobis & apellantibus fundavit eccleſiam. Quoſdam deinde ex fratribus noſtris eo quod apellaverant ab altari ſuſpendit, quoſdam à cœtu noſtro expulit, quoſdam vero excommunicavit. Deinde nonnullas ex villis noſtris violenter nobis inconſultis occupavit. Audiens hæc prædeceſſor veſter *Urbanus* papa,archiepiſcopo dedit in mandatis ut ablata omnia nobis reſtitueret, fratres quos ſuſpenderat abſolutos haberet, inhibens artius ne in capellæ illius procederet opere, nec aliqua de cætero nobis inferret gravamina. Quod ſi mandatis apoſtolicis obedire contempneret, tres abbates mandati conſtituit executores. Paruit archiepiſcopus ſed in contrarium, ut quod prius in capella erat ligneum, quo firmius ſtaret factum eſt lapideum. Executores vero contumeliis & dampnis affecti ſunt, eo quod archiepiſcopi ſententiam in monachos latam dixerant non tenere. Admirans ad hæc venerandus *Urbanus*, ſcripſit eidem archiepiſcopo diſtricte præcipiens ut omnia nobis reſtitueret ablata & à gravaminibus noſtris ceſſaret. Caſſavit quoque & deduxit prorſus in irritum, quicquid de novæ capellæ fecerat conſtructione, vel Canonicorum inſtitutione. Et quia de obedientia archiepiſcopi eciam nunc diffidebat, tres abbates mandati ſui conſtituit executores. Qui cum viderent archiepiſcopum & monitis ſuis & mandatis apoſtolicis inobedientem, diem ſibi conſtituerunt peremptorium quo apoſtolicum exequerentur mandatum. Sed inſtinctu archiepiſcopi callide procuratum eſt ut die illo peremptorio quo ad mandatum domini papæ *Cantuaria* convenire debuerant, ex mandato regiæ juſticiæ *Londoniis* ex parte regis jubebantur adeſſe; quibus eciam ex parte regis inhibitum eſt, ne aliquatenus inconſulto rege apoſtolicum exequerentur mandatum. Monachis quoque noſtris minaciter imperatum eſt,ne perquiſitionibus uterentur indultis, ſed de ipſis & de aliis eccleſiæ privilegiis regium peterent & expectarent aſſenſum. Archiepiſcopus autem jam ex hoc apoſtolico magis irritatus mandato, in *Normanniam* properans gravioribus eccleſiæ inſtitit dampnis, & in contemptum ſedis apoſtolicæ novæ capellæ mandavit clericis, ut abſque mora circa capellam ipſam domos fabricarent, ibidemque manerent, vel collata ſibi eccleſiaſtica beneficia reſignarent. Unde nec mirum motus venerandus *Urbanus*, ex conſilio fratrum tercio eidem ſcripſit archiepiſcopo diſtricte præcipiens, ut quicquid in ipſa capella vel in ædificiis clericorum fuerat factum, ſuis penitus demoliretur expenſis. Ipſum quoque capellæ locum maledictum pronuntians & prophanum, clericos omnes qui ibidem celebraverant ab officio ſuſpendit ſimul & beneficio, donec apoſtolico ſe conſpectui præſentarent. Sed nichil horum penitus factum eſt. Nam ad preces archiepiſcopi qui jam cum rege erat in *Normannia* procuratum eſt, ut rex miniſtrorum ſuorum manu capellam ipſam & Canonicos & ea quibus ſummus pontifex maledixerat in ſuam acciperet protectionem. Ex ore itaque regio edicto publico *Cantuaria* prohibitum eſt, ne quis Canonicis vel capellæ regis moleſtiam vel aliquod præſumeret inferre gravamen. Sic pater reverende tempore *Urbani* clamatum eſt, ſic pronuntiatum, & eo uſque domini archiepiſcopi contemptus invaluit, ut ad ejus nutum apoſtolicum mandatum manu laica præpediretur & penitus duceretur in irritum. Interea domnus *Urbanus* de medio ſublatus eſt, & *Gregorius* ſanctæ hujus *Romanæ* eccleſiæ ſuſcepit pontificatum. In ejus præſentia clamor noſter congeminatus eſt, quia noſtra duplicata ſunt tormenta. Sed eo ut noſtis in brevi ſublato,non ſumus exauditi. Ad honorem itaque Dei & eccleſiæ ut credimus clementia veſtra ſubſtituta eſt, & univerſalis eccleſiæ Dei ſummum adepta eſt ſacerdotium. Clamavimus ilico & nomen veſtrum invocavimus ſuper nos, ſed in ſinu veſtro gravioribus dampnis et anguſtiis attriti ſumus et deducti pene in nichilum. A primo enim pontificatu veſtro dominus noſter archiepiſcopus rediens in *Angliam* atrocius ſolito deſævit in nos, & inauditis contrivit injuriis. Nam infra ſacros dies dominicæ nativitatis ipſo præcipiente manu laica omnia nobis ablata ſunt, ut extra januam nec paſſum pedis nobis relinqueret ad victum. Murus eciam curiæ noſtræ ligonibus effractus eſt, officinarum ſeræ & hoſtia avulſa, hoſpitum & infirmorum victualia, ut de nobis taceatur,aſportata ſunt. Servientes noſtri et clerici non ſolum in curia ſed & in atrio eccleſiæ graviter verberati et incarcerati ſunt. Armatorum multitudine die & nocte miſera *Cantuarienſis* eccleſia vallata eſt, acſi eſſet caſtrum jam jamque penitus ſubvertendum. Tribus diebus et totidem noctibus janua cimiterii obſerata eſt ne mœrentium monachorum aliquatenus exiret miſeria,vel ad eos aliqua introiret miſericordia. Fratres noſtri ad archiepiſcopum pacis intuitu miſſi, in curia ipſius & ipſo præcipiente equis ſpoliati ſunt & excommunicati pedites redierunt. Famuli noſtri juramento conſtricti ſunt ne quemquam ex nobis exire permitterent, vel exeuntes retinerent. Portus maris nobis, & noſtris prohibiti ſunt, viæ & ſemitæ artius cuſtoditæ, nec incluſis noſtris ulla dabatur requies. Supprior noſter & ei in cauſa conſentientes à presbiteris parochialibus excommunicati ſunt acſi crimen eſſet quod jura ſuæ tuerentur eccleſiæ, & pro ſtatu ſuo contra tot gravamina ſedem apoſtolicam apellaſſent. Noſtra nobis omnia ut audiſtis ablata ſunt, & aliena mendicare non poſſumus. Ea eciam pauca quæ fratribus noſtris à civibus *Cantuaria* allata ſunt à janitoribus ſuis crudeliter ablata & retenta ſunt, ut ſaltem fame nos compellerent apellationi renuntiare. Hæc nobis reverende pater in ſinu veſtro gravamina illata ſunt, ſic viſitavit nos pater & paſtor noſter in ſacris diebus Dominicæ nativitatis. Placuit autem ſanctitati veſtræ ex conſilio fratrum ut ei ſecundum formam litterarum *Urbani* Papæ ſcriberetis de reſtitutione ablatorum, de deſtructione illius maledictæ & prophanæ capellæ, de ſuſpenſione clericorum & de ceſſatione gravaminum. Sed nichil horum penitus factum eſt, niſi quod foſſa grandi & profunda capella ſimul & clericorum domus vallatæ ſunt, ipſi quoque artiori mandato conſtricti ut inibi habitent vel eccleſiaſticis renuntient beneficiis. Ab illo ergo die uſque in præſens miſerabiles monachi noſtri rebus omnibus ſpoliati, cum de ſuo nec unius precium panis habeant, elemoſinis pauperum comprovincialium utcunque ſuſtentantur. Anathematis autem veſtri ſententia quæ ex deliberatione veſtra & conſilio fratrum in invaſores illos & complices eorum lata eſt, in nullo penitus obſervatur, ſed nobis vertitur in opprobrium. Si quis vero more Chriſtiano excommunicatos illos vitare præſumpſerit, dampnis afficitur & contumeliis, & tandem miſer in ergaſtulum pellitur publicum, acſi quicquam egiſſet criminoſum. Sic clamavimus ſanctiſſime pater in præſentia domini *Urbani*, *Gregorii* tempore brevi clamor noſter duplicatus eſt eo quod noſtra duplicata ſunt gravamina. Nunc autem in protectione veſtra mala noſtra mirabiliter, immo & miſerabiliter multiplicata ſunt, ut clamoris hujus ſonitus jam exierit in orbem terrarum. In ſinu veſtro poſiti rebus omnibus ſpoliati ſumus, anguſtiis multis & angariis macerati, ut obſeſſis fratribus noſtris & jam fame tabidis vix. ſola vita & ipſa miſeranda remaneat. Jam iij. ann. eſt quod in hac ſacroſancta ſtetimus curia, clamantes jugiter et dicentes, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione. Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos. Pupilli facti ſumus abſq; patre, cum ipſe crudeliter perſequatur nos, & vix modicum reportavimus ſolatium. Expectavimus pacem et non eſt bonum, tempus curationis & ecce dira & intolerabilis tribulatio. Fratres enim noſtri & flos eccleſiæ Prior & cæteri pro libertate eccleſiæ tuenda mortui ſunt, & jam filia veſtra *Cantuar.* eccleſia tot anguſtiis preſſa vix ſpirans clamat, Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. Defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter, facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio, & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt. Nunc ergo Domine totiens repetitus clamor omittendus eſt, luctus & dolor aſſumendus & tragœdia perſonanda eſt, ut vel ſic mereamur ab hoſtibus liberari. Succurrat ergo, ſuccurrat ſereniſſime pater filiæ veſtræ *Cantuarienſi* eccleſiæ jam in extremis laboranti pietas veſtra, ne tunc primo correctionis manum velitis apponere cum non poſſit aliquatenus eccleſia reſpirare, vel ſi eam ut penitus pereat, quod abſit, vultis permittere, vobis ſaltem tot & tam graves illatas injurias nolite diſſimulare. Monuit enim malefactores noſtros pietas veſtra ut ab inceptis deſiſterent, diſtricte mandavit ut reſipiſcerent & errata corrigerent, & noluerunt adquieſcere. Replicaſtis mandatum & noluerunt audire, ſententiam anathematis intuliſtis, & hanc eciam obdurati contempſerunt. Sententia enim veſtra tam ſolenniter & juſte in invaſores lata, in deriſum & contemptum habita eſt, ut & bruti ruſtici & vulgus ignobile presbiterorum ſuorum & paſtorum anathema non timeant, cum nec veſtram ſententiam conſpiciunt non teneri. Gladius enim *Petri* reverende pater ſecundum datam vobis à Deo ſapientiam arripiendus eſt, & in *Malcum* maleficum manu forti & brachio extento vibrandus, ut amputata aure aſinina mandata veſtra clarius audiat, & præceptis veſtris ut dignum eſt aliquando incipiat obedire, ne videlicet per orbem terræ veſtra vileſcat auctoritas, ne *Romanæ* gloriæ inſultent imperiti, vel peccandi ſumant audaciam arrogantes. Quia peſtilente flagellato ſtultus ſapientior efficietur. Verum quia litteræ veſtræ domino archiepiſcopo pro nobis directæ quamlibet commonitoriæ vel urgentes ſint, archiepiſcopo tamen adeo ſunt contemptibiles, nobis autem inutiles, ut ad ſingula mandata veſtra novis & exquiſitis afficiamur injuriis, alia ſi placet via alloquendus eſt. Præterea poteſtas archiepiſcopi in *Anglicanis* partibus ex conſenſu regis tam magna & tam formidabilis eſt, ut in tota *Anglia* cujuſlibet ordinis vel dignitatis perſona inveniri non valeat, qui præter ejus beneplacitum veſtris audeat vel in modico obedire mandatis, maxime in cauſa *Cantuarienſis* eccleſiæ, quam ut omnibus eciam lippis liquidum eſt, manifeſte conatur evertere. Nec alia, novit Deus & mundus, tantæ perſecutionis cauſa eſt, niſi quod ſedem apoſtolicam apellavimus, & quod in ejus promotione liberam & canonicam quæſivimus electionem. Si eccleſia tali ex cauſa tanto odio & malignitate perſequenda eſt ut & veſtra contempnat mandata, vos ipſe judicate: Æſtimo quod dominus noſter archiepiſcopus adeo contemptor effectus eſt, ut nichil penitus niſi ad nutum regis ex omnibus faceret, eciamſi *Petrus* apoſtolus in propria perſona hac de cauſa veniret in *Angliam*. Attamen quia modis omnibus temptandum eſt ut à tanta clade liberetur eccleſia, legatum petimus à veſtro latere dirigendum, ut ſi eccleſiam à tanta perſequentium rabie liberare non potuerit, oculata ſaltem fide cominus conſpiciat, quæ vel quanta per archiepiſcopum poſt ejus promotionem ne dicam intruſionem perpeſſa ſit acerba gravamina; vel nobiſcum morientem plangat eccleſiam.

Literæ Urbani *papæ archiepiſcopo per monachos.*

U*Rbanus* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii noſtri Prior & quidam fratres ejus monachi eccleſiæ tibi commiſſæ ad noſtram præſentiam venientes de eccleſia quam ædificare cœpiſti, tantum ſibi & eidem eccleſiæ propoſuerunt diſpendium proventurum, quod niſi ab ejus fuerit conſtructione ceſſatum, præſcripta eccleſia ſuæ dignitatis & ſtatus miſerabile ſuſcipiet detrimentum. Sane cum per Dei gratiam litteratus ſis & in religione diutius converſatus, ignorare non debes, ſicut nec te credimus ignorare, quomodo propter ſcandalum à bonis eſt interdum operibus abſtinendum. Nos autem ſollicite providere volentes ne inter te & fratres tuos remaneat materia jurgiorum, cum non poſſint convenienter obſequiis divinis intendere qui ſunt contentionibus dediti, de conſilio & deliberatione fratrum noſtrorum monemus fraternitatem tuam, mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus donec cauſa cognita ſtatuamus quid de ipſo ædificio fieri debeat, occaſione, contradictione & appellatione poſtpoſita, ab illius novæ eccleſiæ conſtructione & canonicorum inſtitutione deſiſtas, & eciam ab exactione fraternitatis quam ob favorem ipſius operis diceris ſtatuiſſe, aliis litteris non obſtantibus à ſede apoſtolica impetratis. Si quid autem contra hanc prohibitionem noſtram fuerit attemptatum, nos id auctoritate apoſtolica irritamus. Dat. *Veron.* viij. id. Maii.

Caſſatio fraternitatis Baldewini. *Litera* Urbani *papæ prælatis* Angliæ.

U*Rbanus* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus epiſcopis & dilectis filiis abbatibus & aliis eccleſiarum prælatis per *Angliam* conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filii noſtri Prior & fratres *Cantuarienſis* eccleſiæ de conſtructione novæ eccleſiæ quam venerabilis frater noſter *Cantuarienſis* archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus de novo extra *Cantuariam* incepit, gravia ſe querantur diſpendia ſubituros, nos eorum juri volentes prout tenemur ex officio providere, ex deliberatione fratrum noſtrorum ipſi archiepiſcopo diſtricte præcepimus ut in conſtructione præſcriptæ novæ eccleſiæ vel in inſtitutione canonicorum, donec cognita cauſa ſtatuamus quid ex hoc fieri debeat, non procedat. Mandamus itaque univerſitati veſtræ atque præcipimus quantinus fraternitatem, aut prædicationem quam occaſione illius eccleſiæ prædictus archiepiſcopus de novo conſtituit uſque ad deciſionem cauſæ in parochiis veſtris nullatenus admittatis, nec prædicatores ſi qui ad hoc deſtinati fuerint in ipſis parochiis patiamini prædicare, vel à fidelibus beneficia quærere, ſed eos potius ab his deſiſtere ſublato appellationis obſtaculo auctoritate noſtra, eccleſiaſtica diſtrictione cogatis. Dat. *Veron.* vij. idus Maii.

Indulgentia ne teneatur ſententia pendente lite.

U*Rbanus* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui *Cantuariæ* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noſter *B.* archiepiſcopus veſter, ſicut ex multiplici veſtra conqueſtione didicimus, tranquillitatem veſtram crebra moleſtatione perturbet, & ſtatum monaſterii veſtri multimodis inquietet, dignum eſt & conſonum rationi, ut qui ex injuncto nobis officio tenemur ab oppreſſis injuriam propulſare, vobis contra indebita gravamina ipſius, favorem protectionis apoſtolicæ impendamus. Ea propter auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut pendente lite quæ inter vos & eundem archiepiſcopum habere dignoſcitur, archiepiſcopus ipſe nullam in eccleſiam vel perſonas veſtras excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententiam audeat promulgare, vel eccleſiæ hominibus aut poſſeſſionibus veſtris aliquod gravamen inferre; quod ſi memoratus archiepiſcopus in vos aut eccleſiam veſtram aliquam prædictarum ſententiarum promulgare præſumpſerit, ſententiã ipſam ſicut contra indulgentiam apoſtolicam promulgatam, vires decernimus non habere, & in nullo penitus obſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & conſtitutionis infringere vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Ferar. v. non. Octobris.

Litera Urbani *de reſtitutione ablatorum.*

U*Rbanus* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Si uſque modo fraternitati tuæ detulimus, & licet provocati plurimum, nequaquam tamen proceſſimus in gravamen tuum, illa præcipua cauſa fuit quod cum vir religionis fueris & ordinis, & nunc in eccleſia Dei ad ſummum dignitatis apicem ſis aſſumptus, cor tuum ab oppreſſione Conventus commiſſæ tibi eccleſiæ, etſi non pro noſtra reverentia quam aliter quam te deceat viſus es in hoc contempſiſſe, ſaltem metu credidimus divini judicii revocandum; ſperavimus equidem & ſuadente nobis conſcientia credebamus, quod poſtquam illum quem optines in *Anglicana* eccleſia celebrem locum adeptus eſſes, tu obedientiæ & reverentiæ ſacroſanctæ ſedi apoſtolicæ ab omnibus viris eccleſiaſticis exhibendæ forma fieres alijs & exemplum: unde te circa noſtræ & tuæ pariter promotionis initia inuſitato hactenus & novo modo curavimus honorare, credentes nos pro honore noſtro eccleſiæ virum fideliſſimum inveniſſe; ſed quod ſine gravi admiratione non dicimus, fruſtrati ſumus in cogitationibus noſtris, & quem fidum tutorem honoris noſtri eſſe credidimus, nunc in membris noſtris oppugnatorem ſentimus. Multociens enim pro quiete fratrum eccleſiæ tibi commiſſæ litteras noſtras tranſmiſimus, ut ab eorum inquietatione deſiſteres, & jura ipſorum ſaltem pro noſtra reverentia non turbares. Sed tu non ſolum in hoc ſed etiam in aliis, ſicut ubique fama divulgante fere ab omnibus prædicatur, litteras noſtras, & appellationes ad ſedem apoſtolicam interpoſitas parvipendens, quid contra eos poſt multiplices appellationes et prohibitiones noſtras feceris, nos enarrare confundimur, ſed tu ipſe revolve in animo, & ſi benefeceris in conſcientia tua deliberes & decernas. Nos vero quia clamores ipſorum fratrum & contemptum ſedis apoſtolicæ pertranſire ſurdis auribus nec poſſumus, nec debemus, adhuc licet in vanum videamur juſſiones noſtras effundere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & in obedientiæ virtute præcipimus, quate useo eciam non obſtante ſi ab eccleſia tua abſens fueris, quicquid poſt appellationem ad nos factam vel inhibitionem noſtram in opere capellæ quam erigere in deſtructionem *Cantuarienſis* monaſterii ſtatuiſti actum eſt, tuis expenſis non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis canonicis & aliis quæ circa capellam factum & enormiter innovatum, locum eciam illum habens maledictum & prophanum, & eos qui celebraverunt in capella ipſa poſt inhibitionem noſtrum habeas & teneas pro ſuſpenſis ab officio & beneficio donec noſtro ſe conſpectui repræſentent, demolitis univerſis operibus quæ inibi facere præſumpſerunt. Miniſtros eciam conventus, quos poſt appellationem ad nos interpoſitam amoviſti quos nos reſtituimus habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem excommunicare vel ſuſpendere præſumpſiſti, habeas nihilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoque & aliorum quæ ante appellationem habuerant et ablatione nihilominus aliarum rerum in ſtatum priſtinum appellatione ceſſante reducas, illicitos invaſores poſſeſſionum eorundem fratrum niſi ſatisfecerint vinculo excommunicationis aſtringens uſque ad emendationem debitam facias manere ligatos. Sententias eciam excommunicationis et interdicti quas in quoſdam ipſorum fratrum temere promulgaſti publice nunties non tenere, ac de cætero pendente lite circa ſtatum monaſterii nil immutes. Sciturus quod ſi Deo & nobis hac vice inobediens fueris & rebellis, & ultra xxx. dies poſt ſuſceptionem præſentium præceptum noſtrum diſtuleris adimplere, nos univerſa quæ prædiximus alios exequi faciemus, & ſuffraganeis tuis diſtricte præcipiemus ut ſicut nobis obedientiam debitam ſubtrahis, ita ipſi tibi abſoluti à nobis omnem obedientiam & reverentiam denegent & honorem. Dat. *Ferar.* v. non. Octobris.

Sententia data in invaſores rerum eccleſiæ Chriſti.

CLemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori de **Feverſham** & magiſtro *Firmino* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Horrendi facinoris deteſtanda præſumptio vehementer animum noſtrum pro ſui atrocitate commovit ut illos debitæ ſeveritatis jaculo feriamus, qui more prædonum *Cantuarienſis* eccleſiæ poſſeſſiones nequiter invaſerunt, vel in ſepta curiæ monachorum & officinas effractis muris crudeliter irruentes eorum bona ſacrilego auſu diripuiſſe noſcuntur. Eos quoque qui monachis & hominibus eorum violentiam inferentes, curiam ipſis contradicentibus occuparunt. Unde quoniam prædictorum fratrum injurias diſſimulare nec poſſumus nec debemus, quibus tanto benignius in ſuo jure tenemur adeſſe, quanto in partibus *Anglicanis* majori præminent honeſtate, præſumptores illos qui tam enormis ſacrilegii facinus admiſerunt, & eorum complices uſque ad ſatisfactionem condignam auctoritate præſentium decernimus anathemati ſubjacere, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatinus ipſos ſi admoniti noluerint congrue ſatisfacere excommunicatos ſicut moris eſt contradictione & appellatione ceſſante ſolempniter & publice nuntietis, & faciatis ab omnibus cautius evitari; attentius proviſuri ne quod abſit ex deſidia veſtra in hac parte mandatum apoſtolicum negligatur, quia grave nobis eſſet modis omnibus & moleſtum, nec poſſemus æquanimiter ſuſtinere. Quod ſi ambo his exequendis nequiveritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Dat. *Laterani* xvj. kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno primo.

Litteræ ejuſdem ad archiepiſcopum de eodem.

CLemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto in eccleſia Dei ſcientiæ munere & religionis præmines honeſtate, dignitatiſque apicem in partibus *Anglicanis* optines ampliorem, tanto decet caritatem tuam vigilantiori ſtudio à ſubjectorum injuriis vel oppreſſionibus temperare, & his poſtpoſitis quæ juſtitiæ pulchritudinem decolorant, odoremque bonæ opinionis extingunt, obedientiam & reverentiam debitam majoribus exibere. Unde non ſine cauſa miramur quod ſicut proponitur poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam, & bonæ memoriæ prædeceſſoris noſtri *Urbani* prohibitionem, adeo circa novæ capellæ conſtructionem & alia multa manus tuas in eccleſiæ tibi commiſſæ fratrum moleſtias aggravaſti, ut nil eis de interpoſitæ appellationis remedio acceſſiſſe, prout ratio juris expoſtulat æſtimetur, nec tu honori ſacroſanctæ *Romanæ* eccleſiæ matris tuæ videaris prout oportuit detuliſſe. Licet autem propoſitum nobis ſit fraternitati tuæ quantum cum Deo poſſumus deferendi, & perſonam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt ſtatuerimus honorare, quia tamen eorundem fratrum preſſuras pariter & clamores cum bona conſcientia præterire clauſis oculis nec poſſumus nec debemus, fraternitati tuæ de conſilio fratrum noſtrorum per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus omni contradictione & occaſione poſtpoſita, eo eciam non obſtante ſi te abeſſe contigerit ab eccleſia tua, quicquid poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam, vel prædeceſſoris noſtri prohibitionem in opere capellæ actum eſt non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & perperam innovatum. Eos eciam qui poſt inhibitionem ſæpedicti prædeceſſoris noſtri in capella ipſa divina officia celebrare præſumpſerunt, donec condignam nobis ſatisfactionem exhibeant, ab officio & beneficio habeas interdictos. Miniſtros conventus quos poſt appellationem interpoſitam amoviſti quos & idem prædeceſſor noſter reſtituit, habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem interpoſitam excommunicare vel ſuſpendere voluiſti, habeas nihilominus abſolutos; & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoque & aliorum quæ ante appellationem habuerant, & ablatione ſimiliter aliarum rerum in ſtatum priſtinum appellatione & contradictione ceſſante reducas. Ad hæc quia ſecundum formam juris poſt appellationem nil eſt innovandum, volumus & præcipimus ut pendènte judicio in eorundem fratrum detrimentum circa ſtatum monaſterii nichil omnino ſatagas immutare. Nichilominus præcipiendo mandantes, ut omnia quæ ipſis monachis poſt appellationem vel ante abſque juris ordine illicite abſtuliſti, in exeniis, eccleſiis, villis, poſſeſſionibus, redditibus ſeu rebus aliis, cum congrua recompenſatione fructuum poſtea illicite perceptorum, & libertatibus & adminiſtratione competenti & libera, infra quadraginta dies poſt harum receptionem reſtituere non moreris. Ipſis quoque monachis præcipiendo mandamus ut ſi aliqua contra jus tuum & honorem præſumpſerunt, ſatisfactionem tibi appellatione remota exhibeant competentem. Quia vero Prior ipſius monaſterii in proſecutione negotii conceſſit in fata, volumus & præcipiendo mandamus, ut in inſtitutione Prioris contra privilegia ſedis apoſtolicæ vel regulam beati *Benedicti* atque rationabilem conſuetudinem monaſterii hactenus obſervatam non procedas, & ſi feceris, appellatione remota non differas revocare, nullis litteris obſtantibus in præjudicium juris eorum à ſede apoſtolica impetratis. Alioquin dilecto filio noſtro *Johanni* titulo ſancti *Marci* presbytero Cardinali apoſtolicæ ſedis legato dedimus in mandatis, ut apoſtolica auctoritate te & omnes contradictores & monachos ipſos ſi rebelles extiterint, ad hæc remoto appellationis obſtaculo eccleſiaſtica diſtrictione compellat, & eos quos ad veritatem plenius indagandam ſcierit nominari, quod gratia & timore poſtpoſitis teſtimonium perhibeant veritati ſimili cenſura cogere non poſtponat. Dat. *Laterani* iiij. idus Marcii pontificatus noſtri anno ſecundo.

Littera Johannis *Legati ad Conventum.*

JOhannes *Anagninus* Dei gratia titulo S. *Marci* presbyter Cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto fratribus & amicis *G.* Suppriori & conventui eccleſiæ Chriſti *Cantuarienſis* ſalutem in ſalutari Domini. Devotionem & reverentiam quam circa *Romanam* eccleſiam & perſonam noſtram geritis, ad cujus diffugium & conſolationem ſpe non modica ducti recurritis, propenſius attendentes, eccleſiæ veſtræ libertati conſervandæ provida ſollicitudine intendimus, veſtriſque profectibus largiente Domino operam dabimus efficacem. Sane gravaminibus & preſſuris quibus indeſinenter ex litterarum veſtrarum tenore vos intelleximus laborare debita benignitate compatimur, Dominoque juvante niſi malignus homo impedimentum aliquod irrogaverit, in proximo finem debitum imponere cogitamus. Cupientes igitur laborem veſtrum & anguſtias ex adventu noſtro in parte mitigari, litteras noſtras archiepiſcopo deſtinavimus, dando eidem in mandatis ut omni mora & contradictione ceſſante juxta tenorem mandati apoſtolici vobis cuncta reſtituat, & alia omnia facere non omittat; ut etiam liberum aditum & egreſſum habentes, ſolita libertate & rerum veſtrarum adminiſtratione recepta, nullis de ſuis vobis obſtantibus ſeu contradicentibus, tam ad dominum Papam quam ad nos pro veſtris neceſſitatibus ſecure venire ac redire poſſitis. Pro certo ſcituri quod voluntatem gerimus & propoſitum, quantum cum Deo & honeſtate noſtra poterimus, vobis adeſſe & utilitatibus veſtris aſpirare. Vos autem quicquid vobis factum fuerit nobis ſignificare non omittatis.

Item, Littera Johannis.

JOhannes *Anagninus* Dei gratia titulo S. *Marci* presbyter Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto fratribus & amicis *Cantuarienſi* capitulo ſalutem & dilectionis affectum. Recepimus nuper litteras veſtras per quas nimirum multa vobis illata gravamina narrabatis, unde novit Deus & movemur plurimum & dolemus. Sane nuper ſcripſeramus vobis per fratres veſtros *J.* & *H.* ut ad nos aliquos ex veſtris fratribus mitteretis, quod vel amicabilem compoſitionem poſſent eligere vel ſubire judicium. Sed quia majora nobis negotia imminent, & quæ nulla poſſumus dimittere ratione, nolentes vos expenſis vel laboribus prægravari, præſentium vobis duximus ſignificatione mandandum, ut uſque ad noſtrum adventum ſuſtineatis omnia patienter; conſummatis enim negotiis quæ nobis imminent citra mare nec poſſumus relinquere imperfecta, protinus volente Deo ad veſtram eccleſiam accedemus; ubi cuncta melius poterunt explicari.

Teſtimonium Johannis *de gravaminibus Conventus.*

JOhannes *Anagninus* Dei gratia titulo S. *Marci* presbyter Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, omnibus ad quos litteræ præſentes pervenerint æternam in Domino ſalutem. Univerſitati veſtræ notum facimus quod ſicut prope poſiti audivimus & poſtea præſentes apud *Cantuariam* vidimus, monachi eccleſiæ *Chriſti* in pace quam cum archiepiſcopo ſuo fecerunt vim paſſi ſunt, & metu regio qui eodem tempore *Cantuariam* venerat cum epiſcopis ſuis, omnia compulſi ſunt ſuſtinere. Hoc autem ideo ſcripto mandare curavimus, ut rei veritas omnibus innoteſcat, nec poſſit quod ſic factum eſt eorum juſtitiæ præjudicium generare. Quod ſi jam dictus archiepiſcopus vel aliquis ejus ſucceſſor ſcripturam ſuper forma pacis hujus quandoque protulerit, noveritis ipſam fratribus jam dictæ eccleſiæ nec conſentientibus nec ſcientibus confectam fuiſſe, nobiſque petentibus non exhibitam, qui ad cauſam ipſam à ſummo pontifice deſtinati rem geſtam vel confirmare debuimus ſi juſtitiæ concordaret, vel ſi ſecus acta eſſet, infirmare. Cognoſcentes itaque violentiam manifeſtam facto huic interceſſiſſe, auctoritate qua fungimur ſtatuimus apoſtolica, quod neque concordia ſic facta, neque compromiſſio violenter extorta, neque ſcriptum ſic conceptum valere debeat, aut aliquod ſæpedictis monachis in poſterum præjudicium afferre, quia omnia præſentibus nobis & contradicentibus facta ſunt.

Caſſatio operum B. *archiepiſcopi.*

CEleſtinus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui eccleſiæ Chriſti *Cantuarienſi* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ad apoſtolatus noſtri debitum pertinere dignoſcitur hiis quæ rite & recte ordinata conſiſtunt, vigorem conferre perpetuum, ita nimirum eis quæ ſecus fiunt quam deceat vires detrahere, enervare & infirmare tenemur. Ea propter dilecti in domino filii cum *B.* quondam archiepiſcopus ſive motu proprio ſive inſtinctu alieno vos & eccleſiam veſtram moleſtiis multis & injuriis quandoque afflixerit, & ſcripta aliqua à ſede apoſtolica in præjudicium juris veſtri falſa ſuggeſtione ut dicitur impetraverit, quem magis tranquillitati veſtræ dare operam decuiſſet, paci veſtræ paterna volentes in poſterum ſollicitudine providere, omnia quæ per memoratum archiepiſcopum circa vos vi vel metu acta ſunt, apoſtolica auctoritate revocamus in irritum, & nominatim ea quæ legato *Romana* eccleſiæ præſente & contradicente contra mandatum ſedis apoſtolicæ facta dicuntur, ſicut in autentico ejuſdem Legati *J.* videlicet *Anagnini* quondam presbyteri Cardinalis ob cauſam veſtram in *Angliam* directi continetur, & quæcunque contra jus veſtrum vel privilegiorum veſtrorum tenorem idem archiepiſcopus impetravit, viribus carere decernimus, ſtatuentes ut nullus unquam hominum ea quæ male geſſit trahere audeat in conſequentiam, neque poſſint ea quæ tacita veritate à ſede apoſtolica impetravit juri veſtro aut privilegiis ullo unquam tempore in aliquo præjudicium generare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conſtitutionis paginam infringere vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* et *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. *Romæ* apud ſanctum *Petrum* v. kal. Junii pontificatus noſtri anno primo.

Item caſſatio.

C*Éleſtinus* epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Bathonienſi* epiſcopo & dilectis filiis de **Radinges** & de **Waltham** abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Moleſtias & injurias quas per bonæ memoriæ *B. Cantuarienſem* archiepiſcopum conventus ejuſdem loci paſſus eſt, diſcretionem veſtram non credimus ignorare. Quoniam igitur jam dictus archiepiſcopus quamvis de reformando ſtatu fratrum ipſorum in integrum mandatum felicis recordationis *Urbani* et *Clementis* prædeceſſorum noſtrorum ſuſcepiſſet, nondum cum iter peregrinationis arripuit ad plenum reformaverat, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus omni dilatione, contradictione & appellatione ceſſante, eccleſias cum fructibus inde perceptis & alia quæ ſæpedictus archiepiſcopus ipſis abſque juris ordine abſtulit, noſtra freti auctoritate cum integritate reſtitui faciatis, & eorum detentores ſi opus fuerit cenſura non differatis eccleſiaſtica coercere, modis omnibus obſervantes ne in loco quem apoſtolica condemnavit auctoritas divina de cætero celebrentur, ſed potius capella ibidem ut dicitur erecta funditus deſtruatur, & ſicut à patribus noſtris decretum eſſe dinoſcitur, canonicorum inſtitutionem revocantes in irritum, eos denuntietis & teneatis ſuſpenſos qui in loco ipſo poſt prohibitionem apoſtolicam divina ſcienter præſumpſerunt officia celebrare, donec ad ſedem apoſtolicam veniant abſolvendi. Illos quoque qui ſententiam piæ recordationis papæ *Clementis* incurriſſe noſcuntur, cautius faciatis ab omnibus evitari, donec exhibita ſatisfactione competenti eccleſiæ, per vos mereantur abſolvi. Qui vero hujuſmodi communicaverunt ſcienter, congrue ad arbitrium veſtrum ſatisfaciant. Hæc autem omnia tanto diſtrictius veſtræ diſcretioni duximus injungenda, quanto injuriam apoſtolicæ ſedi continere videtur eadem toties iterare, & religionem veſtram minus deceret ſi mandatum apoſtolicum ſegnius exequeremini, nec poſſemus ſine moleſtia tantum in vobis neglectum aliquatenus ſuſtinere. Nullis litteris juri eorum præjudicium facientibus ſi quæ apparuerint à ſede apoſtolica impetratæ. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur. Dat. *Romæ* apud ſanctum *Petrum* x. kal. Junii pontificatus noſtri anno primo.

Imaginatio Gervaſii *contra* R. *abbatem S.* Auguſtini *quaſi in conſiſtorio papa* Alexandri.

AD præſentiam ſanctæ majeſtatis veſtræ pater venerande directi ſumus à domino noſtro miſeræ & laceratæ *Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopo. Accedimus fiducialius ad vos, hinc de juſtitia cauſæ, illinc de bonitate *Romanæ* eccleſiæ confiſi, quæ uſque nunc ſuos fideles ſimplices quoque & veraces fovere, criminoſos vero, litigioſos, mendaces & contumaces conſuevit debellare: Venimus, inquam, falſitatem refellere, veritatem potius legendo quam verboſitando enodare. Conqueritur igitur dominus noſter flebilis ille & deflendus, & ſi flere non poſſumus, miſeræ *Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopus de filio ſpecialiſſimo abbate S. *Auguſtini* ſibi & eccleſiæ *Cant.* violenter & injuſte contra tenorem privilegiorum ſuorum & jura canonum ſublato. Dolet ipſe & confunditur *Cantuarienſis*, immo tota *Anglicana* miratur eccleſia. Miratur & expaveſcit quænam ſit iſta repentina mutatio qua filius patri, filia matri, porticus eccleſiæ ſubtrahitur & rebellare conatur. Currit ad ſpectaculum univerſus populus & tam enormem ſtultitiam admiratur. Et ſi jura *Cantuarienſis* eccleſiæ conterere voluit malignorum invidia, juvare eam debuit longiſſimi temporis quingentorum ſcilicet Lxxv. annorum poſſeſſio, quibus S. *Auguſtini* eccleſiam ut filiam ſpecialiſſimam dulci amplexu fovere non deſiit. Debuit tanti temporis prodeſſe poſſeſſio, & ſi non alia haberet munimenta, cum ſecundum canones & legum volumina eciam xl. annorum præſcriptio non debeat commutari. Habet ad hæc *Romanorum* pontificum privilegia, habet eciam auctoritates & exempla ſanctorum qui eccleſiam ſancti *Auguſtini* inconcuſſe uſque ad hæc tempora poſſederunt, & cui voluerunt regendam tradiderunt à beati *Auguſtini* tempore qui primus eam inſtituit uſque ad ſanctum *Theodorum* qui ultimus ex *Romanis Cantuarienſis* archiepiſcopus extitit. Hic cum vir eſſet admodum ſanctus & ſapiens prædeceſſorum ſuorum ſecutus veſtigia, dedit eam de qua ſermo agitur eccleſiam cuidam capellano ſuo *Benedicto* cognomento *Biſſop.* Quo per licentiam *Theodori Romam* adeunte, dedit abbatiam alteri capellano ſuo *Adriano.* Poſt *Adrianum* abbas fuit *Albinus* ſub *Brithwaldo* archiep. qui ſucceſſit *Theodoro*; & ſic de cæteris utrorumque ſucceſſoribus. Quis autem plenius aut liberius rem aliquam poſſidet quam ille qui eam cui vult & quando vult donat & retrahit? Perſeveravit hæc libertas *Cantuarienſi* eccleſiæ in donatione prædictæ abbatiæ à tempore ſancti *Auguſtini* uſque ad *Normannorum* adventum in *Angliam*, cum omnia vaſtantes totam terram ſibi ſubdiderunt, debita ſimul & indebita ſibi uſurpaverunt. Uſque ad hæc tempora *Normannorum* prædicta abbatia ſancti *Auguſtini* tam ſpecialis, tam familiaris *Cantuarienſi* eccleſiæ extitit filia, ut archiepiſcopi *Cantuarienſes* inibi cum vellent pauſarent, minuerent, curias tenerent, miſſas celebrarent, diurnis & nocturnis horis orarent, unde & beato *Dunſtano* ibidem de nocte oranti apparuit chorus virginum coram ſancta *Maria* in ejuſdem dominæ capella quæ ibi tunc temporis erat, verſus *Sedulii* pſallens & dicens, *Cantemus Domino ſocia, cantemus honores*, &c. In hac tanta & tam jocunda unitate ſolebant archiepiſcopi *Cantuarienſes* eccleſiam illam ut filiam ſpecialiſſimam poſſeſſionibus amplis ditare, ornamentis variis decorare, dignitatibus augere, intus & extra contra omnes injurias malignantium defendere. Sed nunc matri ſuæ hanc mercedem retribuit, ut eam velit ſub pedibus ſuis conculcare. Quomodo autem vel quibus

bus de cauſis, vel unde hæc tanta malitia initium vel incrementum ſumpſerit, quam brevius potero intimabo. Regnante rege *Willielmo* primo qui armis *Angliam* adquiſivit, cœpit eccleſia dignitates ſuas dediſcere. Nam idem rex *Willielmus* regno ſublimatus, tam eccleſiaſtica jura quam ſecularia ſibi uſurpavit, ſacerdotes & eccleſias oppreſſit, epiſcopos depoſuit, & quos voluit ſuppoſuit; unde *Stigando* qui multa eccleſiæ ſancti *Auguſtini* beneficia contulit incarcerato & mortuo, *Lamfrancus Cadomenſis* abbas vir admodum ſapiens & litteratus ſucceſſit. Hic quam carus papæ *Alexandro* & curiæ *Romanæ* fuerit ſatis notum eſt; nam eidem *Lamfranco Romam* venienti, papa *Alexander* aſſurrexit, & duo pallia contulit; unum ut cæteris archiepiſcopis de more *Cantuarienſis* eccleſiæ, & aliud cum quo ipſe papa miſſas celebrare ſolebat in ſignum ſpecialis prærogativæ. Huic prædictus papa non ſolum eccleſiæ ſancti *Auguſtini*, ſed & totius *Angliæ*, *Walliæ*, & *Britanniæ* ſecundum morem antiquorum conceſſit & confirmavit primatum. Huic *Lamfranco Scothlandus* abbas ſancti *Auguſtini* profeſſionem fecit, ubi & quando archiepiſcopus voluit, & *Lamfrancus* eum ut pater filium dilexit, & contra omnes injurias protexit. Defuncto autem *Scothlando*, *Lamfrancus* petivit regem ut ſibi donationem abbatiæ concederet ſicut omnes prædeceſſores ſuos conſtat habuiſſe. Reſpondit rex & dixit, Se velle omnes baculos paſtorales *Angliæ* in manu ſua tenere. Hæc eſt origo malorum. *Lamfrancus* ad hæc miratus eſt, ſed propter majores eccleſiæ Chriſti utilitates quas ſine rege perficere non potuit, ad tempus ſiluit. Conſentiente tamen rege *Guidonem* quendam monachum ſuum litteratum & prudentem elegit, benedixit, & ab eo profeſſionem accepit ante altare Chriſti *Cantuariæ*, & benedictum ad cœnobium miſit. Ad hæc monachi indignantes dixerunt, Se non velle eum pro abbate ſuſcipere, non quia in eccleſia Chriſti benedictus fuit, nec quia archiepiſcopo profeſſionem fecit, ſed quia ſui abbatis electio ad eos pertinebat. Archiepiſcopus autem eorum importunitatem duris verbis & blandis compeſcuit, & tandem prædictus abbas in cœnobio ſuſceptus, eccleſiam quam *Scothlandus* inceperat ædificare ſategit. Mortuo *Willielmo* rege primo, filius ejus *Willielmus Rufus* ſucceſſit in regnum, & coronatus eſt à *Lamfranco*. Qui poſt obitum *Lamfranci* cepit eccleſias vacantes in manu ſua, & ita venales fecit ut qui magis pro illis daret eas citius optineret; unde & eccleſia Chriſti poſt obitum *Lamfranci* per quinquennium vacavit. Eccleſia quoque ſancti *Auguſtini* poſt deceſſum *Widonis* cum nonnullis aliis eccleſiis vacavit. Poſt quinquennium decidit rex in lectum, & timore mortis perterritus dedit archiepiſcopatum ſancto *Anſelmo*. Hic in *Cantuarienſi* civitate conſecratus ab *Urbano* papa pallium ſuſcepit, & tantam ejus gratiam habuit, ut eum alterius orbis papam vocaret, & in *Angliam* reverſo pallium *Eboracenſi* archiepiſcopo donandum mitteret. Hic pro *Romana* deſudans eccleſia, petente papa contra *Græcorum* hæreticos diſputavit, & eoſdem devicit. Rege autem *Willielmo* ſagitta confoſſo & mortuo, frater ejus *Henricus* in regnum ſucceſſit. Quo regnante & donante *Hugoni* cuidam abbatiam ſancti *Auguſtini*, idem *Hugo* à monachis ſuis præſentatus eſt *Anſelmo* ut eum benediceret. Petentibus autem monachis & ipſo rege pro monachis ut eum in capella regis benediceret, reſpondit *Anſelmus*, Non eſt meum miſſam in capella regis celebrare niſi cum regem debeo coronare. Nec volo hac vice honorem ſoli regi domino meo debitum abbati meo impendere, ſed quia non vacat mihi pro hac re *Cantuariam* ire, hic jn capella hoſpicii mei eum ſi vultis benedicam. Conſenſerunt, & benedictus eſt apud **Lamhee**, & ibidem archiepiſcopo profeſſionem fecit ſine contradictione. Decedente *Anſelmo* tempore regis *Henrici*, ſucceſſit ei *Radulfus Roſenſis* epiſcopus, qui cum *Romam* profectus à *Paſchale* papa pallium ſuſcepiſſet, in feſtivitate ſancti *Gregorii* ſuper altare ſancti *Petri* aſtantibus Cardinalibus miſſam celebravit, & in *Angliam* rediit. Elapſo autem aliquanto tempore cum idem *Radulfus Romam* iturus *Angliam* exiſſet, *Paſchalis* obiit, & duo ſubſtituti ſunt, *Gelaſius* ſcilicet & *Gregorius*; *Gregorius Romam* obtinuit, *Gelaſius* vero in *Franciam* venit. Qui cum dura quædam & inaudita contra eccleſiam proponeret, morte præventus *Cluniaci* ſepultus eſt. Cardinales vero & *Romani* qui cum papa venerant præcaventes ſibi, archiepiſcopum *Vienenſem* ſubſtituerunt & *Calixtum* nominaverunt. Quem cum *Radulfus* archiepiſcopus decreviſſet videre, ulcere percuſſus in facie retentus eſt. Unde *Calixtus* vehementer iratus, *Eboracenſem* eccleſiam & ſancti *Auguſtini* abbatiam contra *Cantuarienſem* eccleſiam erexit. Defuncto autem *Radulfo*, *Willielmus* electus eſt & ſacratus. Pallium ſuſcepit à *Calixto* papa, cum exprobratione tamen quod prædeceſſor ſuus *Radulfus* contempſerit eum in *Francia* videre. Hæc eſt prima occaſio qua *Cantuarienſis* eccleſia matris ſuæ *Romanæ* eccleſiæ incurrit odium. Hac ſola cauſa *Eboracenſem* ſibi ſubtraxit profeſſionem & *Auguſtinianorum* incepit rebellionem. Judicet & dirigat Deus cauſam ſuam. *Willielmus* itaque archiepiſcopus à *Calixto* papa pallio ſuſcepto & confirmatione primatus *Angliæ*, dignitatum quoque antiquarum eccleſiæ Chriſti, apoſtolicæ ſedis legatus rediit in *Angliam*. Anno ſecundo *Hugo* abbas ſancti *Auguſtini* & monachi ſui obtulerunt *Willielmo* archiepiſcopo ſcedulam ſcriptam nova quædam & inaudita contra jura & dignitatem eccleſiæ Chriſti continentem. Dicebant autem *Calixtum* papam hujuſmodi privilegio eccleſiam ſancti *Auguſtini* honoraſſe. Petiit ergo archiepiſcopus ut ipſum privilegium bullatum poſſet videre, alioquin ſe dixit fidem ſcedulæ non habere. Sed nulla prece voluerunt monachi privilegium bullatum oſtendere. Poſt aliquot annos idem *Hugo* obiit, & rex *Henricus* alteri *Hugoni* monacho *Roſenſi* abbatiam dedit. Quem cum monachi archiepiſcopo apud *Londoniam* benedicendum præſentaſſent, voluit archiepiſcopus ut in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* ſolenniter benediceretur. Cui reſiſtentes monachi dicebant, Hoc non debere fieri eo quod prædeceſſor ſuus *Cantuariæ* non fuerit benedictus. Petiit archiepiſcopum rex tædio affectus importunitate monachorum, ut abbatem benediceret ubi alter *Hugo* à beato *Anſelmo* fuit benedictus. Annuit archiepiſcopus precibus regiis, ſet emergentibus aliis cauſis, ex præcepto regis venit *Wintoniam* ad regem cum nonnullis primoribus regni. Inde peracto rediens negotio, mandavit *Hugoni* quatinus ei apud *Ciceſtriam* occurreret, ibidem benedictionem ſuam ſuſcepturus

rus. Venit *Ciceſtriam*, profeſſionem fecit, & benedictus eſt. Defuncto rege *Henrico Stephanus* regni ſuſcepit gubernacula coronatus à *Willielmo* archiepiſcopo. Poſt tres annos obiit *Willielmus* archiepiſcopus, cui ſucceſſit *Theodbaldus*, quem ſacravit *Albericus Hoſtienſis* epiſc. in eccleſia Chriſti *Cant.* Erat enim tunc temporis in *Anglia* apoſtolicæ ſedis legatus. Hic *Romam* profectus ſuſcepto pallio à papa *Innocentio Cantuariam* reverſus eſt. Erat autem tunc temporis *Henricus Wintonienſis* epiſcopus Apoſtolicæ ſedis in *Anglia* legatus, eo quod eſſet frater regis *Stephani*, & vacante ſede *Cantuarienſi* legatione fungeretur. Monachi autem ſancti *Auguſtini* depreſſionem *Cantuarienſis* eccleſiæ molientes, querimoniam depoſuerunt in præſentia prædicti legati dicentes, Se multum gravari in penſione ſinodalium, ſcilicet quinquaginta ſolidorum, & ſeptem denariorum quos ſacriſta ſancti *Auguſtini* ſingulis annis afferre ſolebat ab antiquo ſuper altare Chriſti. Dicebant præterea ſe gravem ſervitutis contumeliam ſuſtinere, eo quod ſingulis annis in cœna Domini ſolverent arietes, panes & potum eccleſiæ Chriſti. His de cauſis inter duas eccleſias controverſia diutius ventilata, hoc tandem ex utriuſque partis conſenſu fine conquievit, ut eccleſia *Cantuarienſis* obtineat duo molendina quæ fuerant eccleſiæ ſancti *Auguſtini* pro L. ſolidis & vij. denariis. Pro arietibus vero, panibus & potu, vel tribus ſolidis qui pro illis quandoque ſolvebantur aſſignaverunt eccleſiæ Chriſti redditum trium ſolidorum & terram unde ſumeretur, ita quod de cætero eccleſia Chriſti prædictos L. ſolidos & ſeptem denarios, nec tres ſolidos qui pro arietibus ſolvebantur vel alium redditum de eccleſia ſancti *Auguſtini* non exigat, ſalva in cæteris utriuſque eccleſiæ dignitate. Hæc pacis pactio ſcriptis & privilegiis utrique eccleſiæ confirmata eſt. Fiebant hæc omnia inſtinctu cujuſdam *Willielmi* qui nepos erat abbatis & cœnobii cauſas agebat. Erat autem hic *Willielmus* cognomento *Diabolus* appellatus, artifex ſubtiliſſimus & novarum rerum adinventor peritiſſimus. Hic cum eſſet totius diſcordiæ incentor primo, primus cœpit de privilegiis antiquis jactitare, & abbatiam ſancti *Auguſtini* quæ uſque ad ipſius tempora maligna *Cantuarienſis* eccleſiæ erat cor unum & anima una, cœpit novo nomine baptizare, & *Romanam* capellam nominare. Uſque ad hujus prædicti *Willielmi* tempora *Cantuarienſis* eccleſia contra abbatiam illam *Romanis* privilegiis non fuit munita. Quis enim de capa ſua vel pallio, tunica vel caliga *Romana* quærit privilegia? Primatu *Angliæ* contenta indeque privilegiis vallata, de ſingulis ſuis dignitatibus ſpecificare nolebat, neque enim tunc temporis opus erat. Hujus autem œſtri diabolici ſtimulis agitata & fallaciis edocta, fraternas acies, bella civilia, inteſtinorum repugnantiam experta, præcavens in futurum Apoſtolicis & Regiis ſe munivit privilegiis *Innocentii*, *Lucii*, *Eugenii*, *Adriani*, *Alexandri*, licet hic *Alexander Rogerium* abbatem benedixerit in odium & contumeliam *Ricardi* archiepiſcopi & *Cantuarienſis* eccleſiæ. Mortuo papa *Lucio* qui poſt *Innocentium* ſedit, *Eugenius* ſucceſſit, & in *Franciam* veniens Concilium *Remis* celebravit. Ad quod quia *Theodbaldus* archiepiſcopus abſque regis licentia, quam impetrare non potuit, miniſtris regis ne tranſiret mare obſervantibus, naufragium perpeſſus ire præſumpſit, à domino papa tanto gaudio ſuſceptus eſt, ut diceret eum ob reverentiam *Petri* & ſuam natando magis quam navigando veniſſe. Peracto concilio cum *Cantuariam* veniſſet, juſſu regis ab *Anglia* expulſus eſt, redditus ſui confiſcati & homines ſui rebus propriis ſpoliati ſunt; unde archiepiſcopus iratus, zelo ductus juſticiæ totam terram regis ſuſpendit, nec à ſententia deſtitit donec pacato rege ad ſuam in pace rediret eccleſiam. Monachi autem ſancti *Auguſtini* præceptum archiepiſcopi contemnentes, nuncios ad papam miſerunt. Qui à domino papa contumeliis affecti, domum redire & archiepiſcopo ſuo obedire compulſi ſunt. Dedit autem in mandatis *Eugenius* papa archiepiſcopo, ut monachi pro contumacia ſua condignam ſubirent vindictam. Ceſſaverunt itaque obedienter quantum cantaverant contumaciter à iiij. ſcilicet idus Martii uſque kalend. Auguſti. Excommunicavit autem *Willielmum Diabolum* abbatis nepotem, & quendam *Silveſtrum* qui totius diſcordiæ fuerant incentores. Abbas autem *Hugo Willielmo* nepoti ſuo imprecatus eſt, ut cum *Datan* & *Abiron* participaret, eo quod ipſum contra matrem eccleſiam *Cantuarienſem* incitaſſet. Quæ maledictio ipſi *Willielmo* non ceſſit in vanum. Nam poſt annos plurimos cum idem *Willielmus* ageret in extremis, tormentis pluribus affectus eſt. Inſanus enim factus, nunc ad formam pueri contrahebatur in ſperam, nunc autem ultra humanam effigiem diſtendebatur; nunc oculi ejus parvuli, nunc prominebant ut tauri. Hæc & alia dictu difficilia circa eum contingebant. Hæc idcirco diximus, quia per hunc *Willielmum* alioſque plurimos manifeſto didicimus documento, neminem impune *Cantuarienſem* eccleſiam injuſte impugnare. Poſt obitum *Hugonis* abbatis, ad abbatiam *Silveſtro* electo, idem *Silveſter* benedictionem petiit à *Theodbaldo* archiepiſcopo, ſed profiteri noluit. Nolente autem archiepiſcopo eum ſine profeſſione contra morem antiquorum benedicere, *Eugenium* papam adiit, litteras impetravit ut eum archiepiſcopus in eccleſia ſua ſine profeſſione benediceret. Quod & factum eſt. Iſte *Silveſter* primus in eccleſia ſua ſine profeſſione benedictus eſt, nec alium præter iſtum invenire quis poterit, qui apud ſanctum *Auguſtinum* benedictus ſit vel profeſſionem non fecerit. Defuncto *Eugenio*, ſucceſſit *Anaſtaſius*. Qui ſciens *Eugenium* contra *Cantuarienſem* eccleſiam injuſte pronuntiaſſe indeque graviter pœnituiſſe, dedit in mandatis *Silveſtro* abbati quatinus eandem profeſſionem faceret *Theodbaldo* archiepiſcopo, quam conſtaret ſibi prædeceſſores ſuos feciſſe. Appellante *Silveſtro*, ſcripſit ei in eandem formam papa *Adrianus* ſucceſſor *Anaſtaſii*, & appellationem inhibuit. Vocato igitur *Silveſtro* coram *Henrico* rege & archiepiſcopo, aſſidentibus epiſcopis, & primoribus *Angliæ*, compulſus *Silveſter* ex mandato apoſtolico profeſſionem facere, de profeſſione prædeceſſorum ſuorum ſibi non conſtare dicebat. Aſtantes autem viri religioſi & fideles tactis ſacroſanctis affirmabant ſe præſentes fuiſſe profeſſioni *Hugonis* prædeceſſoris *Silveſtri*, quam fecit *Willielmo* archiepiſcopo, & in manum ejus porrexit. Sentiens *Silveſter* ſibi ulterius diverticula non patere, *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo profeſſionem fecit, & in manus ipſius tradidit. Hujus profeſſionis & deciſionis litis teſtimonium habet eccleſia *Cantuarienſis* ſub ſigillis ſeptem epiſcopo-

tum

rum qui ibi præſentes fuerunt. Poſt hanc profeſſionem archiepiſcopus *Theodbaldus* & abbas *Silveſter* ut pater & filius concordes extiterunt. Defuncto papa *Adriano*, *Alexander* ſucceſſit. In cujus tempore ſanctus *Thomas* poſt *Theodbaldum Cantuarienſem* regens eccleſiam, pro libertate eccleſiæ ſex annis proſcriptus eſt, & ſeptimo reverſus glorioſo martyrio coronatus eſt. Cui poſt annum ſucceſſit *Ricardus Cantuarienſis* eccleſiæ monachus. Qui *Romam* profectus, ab *Alexandro* papa conſecratus, legatione, primatu, & privilegiis roboratus *Cantuariam* reverſus eſt. Ejecto autem *Clarebaldo* abbate electo qui *Silveſtro* ſucceſſerat, & benedictionem ſancti *Thomæ* refutaverat, agente *Ricardo* archiepiſcopo, *Rogerius Cantuarienſis* eccleſiæ monachus & ejuſdem archiepiſcopi profeſſus ad regimen abbatiæ electus eſt. Qui cum benedictionem ſuam ab archiepiſcopo peteret, & inauditæ formæ profeſſionem afferret, archiepiſcopus eum cum tali profeſſione benedicere noluit, ne in *Cantuarienſem* eccleſiam novam introduceret conſuetudinem. *Rogerius* autem ſemel & ſecundo *Romam* petiit, & tandem ab *Alexandro* papa benedictus eſt, ſalvo tamen jure & dignitate *Cantuarienſis* eccleſiæ, ut ipſe papa eidem *Rogero* ante benedictionem dixit & archiepiſco ſcripſit. Hoc agente *Rogerio*, tantam indignationem domini Papæ & Cardinalium incurrit *Ricardus* archiepiſcopus ut nec quingentorum LXXV. annorum præſcriptio, nec primatus vel privilegiorum munitio, nec auri vel argenti effuſio, nec tot abbatum profeſſiones, nec epiſcoporum teſtimonia, nec veritatis hiſtoria, nec conſuetudo diutina, nec ſancti *Thomæ* glorioſa & miraculoſa victoria, ſed nec ulla ratio domini *Alexandri* potuerunt indignationem avertere, quin *Rogerium* abbatem à juriſdictione *Cantuarienſis* eccleſiæ ſubtraheret, & in contumeliam archiepiſcopi eidem *Rogero* mitram, & anulum, & ſandaria conferret. Adjecit poſtmodum *Romana* juſticia ut abbatis clericos & laicos archiepiſcopo ſubtraheret, ſed ad tempus. O vere diaboli ſupradicti pertinax inventum, cujus nequitia *Cantuarienſis* eccleſia tanti diſcidii incurrrit opprobrium. Quæ enim in eccleſia Dei major eſſe poteſt abuſio, quam quod archiepiſcopus primas non valet criminoſis quibuſlibet vindictam inferre, cum viderit ſacerdotes & clericos à monachis vel laicis flagellari, eccleſias homicidio vel quolibet accidenti flagitio pollui, homicidas furere, adulteros cæteroſque criminoſos multiplicare, cum nec in civitate ſua injurias Dei valeat vindicare? Parochiani clerici & laici presbiteros contempnunt, ſua flagicia Chriſtiani non erubeſcunt, non confitentur, non communicant, judaizant aliqui, paganiſmum inducunt plurimi, ſimpliciores confundunt hæretici, & in ultionem quorumlibet criminun archiepiſcopus primas non poteſt manum apponere? Hæc in diminutionem *Cantuarienſis* eccleſiæ ſibi ſuo abbate exempto enormia ſuccreverunt. Quid de familiaritate ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ & fidelitate *Cantuarienſi* eccleſiæ referam? A tempore florigero beati *Gregorii* papæ uſque nunc *Romana* eccleſia *Cantuarienſem* eccleſiam indeſinenter ſuo fovebat amplexu, tuto regimine protegebat ut filiam ſuam ſpecialiſſimam. Hæc enim non eſt *Romanæ* eccleſiæ capella de longe ſed filia ſpecialis generoſæ matris ex intimo progenita ſanguine. *Cantuarienſis* eccleſia *Romanam* gloriam per totam *Angliam*, *Scotiam*, *Walliam*, *Britanniam*, cæteraſque circumjacentes inſulas dilatavit. Ipſa ſola mediante non ſolum ſancti *Auguſtini* cœnobii, ſed & omnium eccleſiarum *Angliæ* & *Walliæ* obtinere conſuevit principatum, & beati *Petri* ſuſcipit denarium. Quod enim *Roma* eſt ad *Franciam* & *Angliam*, & ad univerſalem eccleſiam, hoc eſt *Cantuaria* ad *Anglicanam* eccleſiam. Tanta enim extitit hucuſque familiaris unitas inter *Romanam* & *Cantuarienſem* eccleſiam, ut non duæ ſed una & eadem videretur, quantum attinet dico ad prælationem & ſubjectionem. *Romana* enim ſecuritas ut dignum eſt non ſolum *Cantuarinæ* ſed & toti mundanæ præferri debet eccleſiæ. Hanc prærogativam *Cantuarienſis* eccleſiæ inſtituit *Gregorius*, hanc conſervavit omnis ſucceſſor ejus. In hoc autem noſtro fœdo fine temporum pro univerſis ſuis hoc ſuſcepit meritis, ut ſub patris ſui *Romani* pontificis protectione non ſolum ab abbate ſancti *Auguſtini* & ſuis monachis, ſed & ab inceſtis clericis, pellipariis & ſutoribus contempnatur. Timendum eſt pater pie quod minantur & ſuggerunt plurimi, ne mater filiam profugam faciat quam crebris injuriis irritare, dignitatibus ſuis & ſubditis privare non ceſſat. Sed jam nunc pater pie juris & æqui vires reſume, filiæ veſtræ *Cantuarienſis* eccleſiæ dolorem & injurias reſpice, privilegia inſpice, jura ſua eidem reſtitue, & ſaltem quod nulli hominum denegare ſolet *Romana* benignitas, hoc ei & ſuo paſtori concedatur, videlicet ut abbatiam ſancti *Auguſtini* & cæteras dignitates ſuas ei liceat poſſidere ſicut omnes prædeceſſores ſuos conſtat obtinuiſſe.

Imaginatio cauſæ quaſi pro abbate.

Licet ad veſtram pater ſereniſſime ſpectet providentiam cura & ſollicitudo univerſalis eccleſiæ, ſpecialiter tamen *Anglicana* eccleſia veſtræ celſitudinis expetit juridictionem, quam per matricem ſcilicet *Cantuarienſem* eccleſiam mediante *Auguſtino* Chriſtianæ fidei ſemini-verbio ab hac ſancta *Romana* eccleſia generoſi ſanguinis traxit originem. Quæ cum lumen & ſol eſſe ſoleat occidentis, glorificavit eam Deus multis præconiorum inſigniis, temporali ſcilicet copia bonorumque ſpiritualium manifeſtis inditiis & innumeris miraculorum ſignis. Quæ tamen cum omnium bonorum plena ſit & fertilis, in hoc ſolo ſuum tam magnum & tam glorioſum minuit meritum, quod eccleſiam noſtram filiam ſuam ſpecialiſſimam conatur opprimere, cum unicam & ſingularem ipſius quam à primis noſcitur habuiſſe minuere quærit dignitatem. Cum enim tot fulgeat divinis, tot dignitatum emineat præconiis, ut hujus ſacroſanctæ *Romanæ* eccleſiæ ſpecialis exiſtat filia & *Anglicana* mater eccleſiæ, ſolque ſit, ut diximus, & lumen occidentis, quæ neceſſitas eſt ut tam enormiter ſuam tam copioſam augeat gloriam, ſuamque tam propriam, tam unicam deprimat & ſpoliet filiam? Inique ſævit qui ſuos perſequitur. Attamen hæc perſecutio familiaris temporis inſtantis eſt non antiqui ab orthodoxis patribus inſtituti. A primo etenim tempore quo *Anglicana* mater, viz. *Cantuarienſis* eccleſia *Romano* proceſſit ab utero, tanta pax, tanta unitas inter primos patres archiepiſcopos ſcilicet *Cantuarienſes* & abbates noſtros extitit, ut idem velle, idem nolle inter eos & utriuſque conventus eccleſiæ, veræ & firmæ vinculum eſſet dilectionis, adeo ut archiepiſcopi non minus noſtræ, id eſt, ſancti *Auguſtini* providerent eccleſiæ, quam ſuæ metropolitanæ ſedi videlicet *Cantuarienſi*. Et quod familiaris noſter ſed adverſarius aſſerit hoc & nos dicimus. ſcilicet quod archiepiſcopi *Cantuarienſes* in cœnobio ſancti *Auguſtini* propter liberiorem aerem ſolebant quieſcere, potionari, minuere curiam tenere, miſſas celabrare, & plura hujuſmodi. Multa eciam eidem eccleſiæ conferre ſolebant beneficia. Inter ipſos conventus tanta extitit unitas ut in publicis proceſſionibus ſimul procederent, ſimul redirent, & ad libitum cantoris matricis eccleſiæ non diverſa ſed eadem canerent. Hæc inter paſtores utriuſque eccleſiæ & conventus, clerum eciam & populum ſemper fere uſque ad hæc noviſſima tempora extitit unitas. Ad hæc primorum patrum decreto hoc inſtitutum eſt, ut omnes tam archiepiſcopi quam monachi, cives eciam & ſuburbani poſt obitum nobiſcum ſepelirentur. Erat enim tunc temporis eccleſia noſtra unicum & ſingulare civitatis *Cantuarienſis* cimiterium. Hæc erat venerande pater ex inſtitutione beati *Auguſtini* & ſucceſſorum ipſius unitas & concordia, quam nunc iſtis temporibus nobis ſubtractam eſſe dolemus acriter & ingemiſcimus. Hanc nobis ut dignum eſt reſtitui, hanc nobis deſideramus confirmari. Hoc enim continent tam divinæ leges quam humanæ, ut ante litis ingreſſum omnia reſtituantur ablata. Primo etenim noſtrum invaſerunt cimiterium, nobiſque generalis ſepultura ſubtracta eſt, unde tanta quam auditis præſens diſcordia ſumpſit initium. Deinde noſtrorum archiepiſcoporum, ut verum fatear, præſentia ſimul & beneficia nobis ſubtracta ſunt, horumque violenta commutatione jugum nobis ſervitutis impoſitum eſt, ut matrici eccleſiæ novum & inſolitum ſolveremus tributum. Et qui prius unici filii eramus & liberi, cum in nobis nulla repperiretur repugnantiæ macula, ſubditi ſumus, ut prædiximus, ſervituti. Proceſſu vero temporis ab abbate noſtro profeſſio de qua nunc agitur extorta eſt, & nobis ipſius abbatis electio. Hæc quidem gravamina nobis illata ſunt tempore regis *Anglorum Willielmi* primi & cujuſdam *Lamfranci Cantuarienſis* archiepiſcopi. Cum enim hic *Lamfrancus* ſapientia & ſcientia rerumque temporalium floreret copia, rex vero novus ſeveritate regia, dum Regnum & Sacerdotium in noſtrum detrimentum mutuos commutarent amplexus, præfatus *Lamfrancus* omnes *Angliæ* ſubjugavit eccleſias, noſtramque quia proxima eſt ſibi fecit tributariam. Licet prius honeſtis donis matrici eccleſiæ datis omnem deſignaret ſubjectionem, ut ſcriptum eſt, abſorbebit fluvium & non mirabitur, & ſpem habet ut influat Jordanis in os ejus. Sic igitur venerande pater eccleſia noſtra miſere ſubacta eſt, ſic uſque ad hæc veſtra ſanctiſſima tempora poſſeſſa eſt. Et cum prius ut audiſtis eſſet libera, tali violentia facta eſt ancilla. Dicant igitur quondam noſtri archiepiſcopi, nunc autem adverſarii, dicant inquam, dicant ſe multas abbatum noſtrorum obtinuiſſe profeſſiones, dicant annuum & perhenne ſe ſuſcepiſſe tributum, trecentorum vel quingentorum ſe dicant annorum habere præſcriptionem *Romanorum* pontificum, vel alia quælibet proferant privilegia, vel quovis munimine cauſæ ſuæ juſtitiam aſtruant, nos in omnibus violentiam nobis atrociter illatam accuſamus. Ad hæc tam regia quam *Romana* proferemus privilegia, quibus eccleſia noſtra ſacroſanctæ *Romana* eccleſiæ non novo ſed veterano nomine propria capella aſſignata eſt, licet ab adverſario hoc ipſum nobis ſed & vobis quodammodo vertatur in improperium. Sed eſto. Dicat quantum libet & improperet, veſtra venerande pater capella eſt, unde eam contra omnes adverſarios defenſare tenemini. Incumbit itaque veſtræ magnificentiæ ſanctæ hujus *Romana* eccleſiæ jura tueri, & à Deo datam gloriam non amittere, ne *Romana* eccleſiæ cedat ad dampnum, vobis autem ad vituperium ſi gloriam veſtram volueritis alteri conferre, filioſque veſtros à debita protectione repellere. Quia ſecundum ethicum,

Non minor eſt virtus quam quarere, parta tueri.

Turpe eſt enim & indecorum & eccleſiæ *Romana* inſolitum, confugientes ad ſe à ſinu repellere pietatis. Noſtrum igitur, immo & ſuum *Cantuarini* repetant & recipiant cimiterium, quod pacis & concordiæ primum poterit eſſe præparatorium. Beneficia diu deſiderata nobis conferant, & erunt unitatis vinculum. De profeſſione ceſſent litigia, eritque fortis funiculus triplex, qui quanto magis replicabitur, difficilius rumpetur. Licet enim plurimum de tantis oppreſſionibus ſcandalizati fuerimus & exacerbati, cum oblationes ſepulturæ redierint, cum beneficia propenſius collata fuerint, amaricatum animum noſtrum citius dulcorabunt.

Nemo enim *adeo ferus eſt qui non miteſcere poſſit.*

Intendat igitur ſereniſſime pater vobis innata ſapientia vobiſque aſſidentium Cardinalium tam generoſa quam glorioſa copia, quia non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Verum quia tam diutinæ præſcriptionis prætendunt privilegium, nec *Romani* moris eſt antiqua divellere, in ſignum ſpecialis prærogativæ abbati noſtro mitram conferri petimus, anulum, & ut de cætero ab exactione profeſſionis veſtro privilegio muniamur. Ut ſi antiqua libertate vel beneficiis perfrui non valemus, novis ſaltem collatis inſigniis gratulemur. Et ut ex veſtræ plenitudinis gloria noſtra vel in modico parvitas eniteſcat.

Ingreſſus ad prologum operis ſequentis.

TRia ſunt kariſſime frater quæ maxime genus humanam impugnant & ad mala quælibet perpetranda inſtigant, videlicet dæmonia, mundus, & caro. Dæmonia enim mala ſuggerunt in cogitatione; Mundus allicit in rerum ſenſibilium viſibili oſtenſione; Caro autem de facili concutitur ex innata ſibi fragilitate. Horum itaque incurſu triplici ſpiritus ſæpe vincitur ut opus pravum opere compleatur. Dæmonum ſuggeſtio peſſima eſt, quæ mentem hominis quaſi ex motu proprio fraudulenter irrumpit, ut in foveam temptationis & in puteum pravæ præcipitet actionis. Mundi quoque glorioſa vanitas vel vana gloria quot in ſe habet oblectationum genera, tot in captivis ſuis habet temptationum fomenta. Sed deterreat te quod dicitur, quia qui voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. Melius eſt autem, & incomparabiliter melius, mundi quam Dei eſſe inimicum. Carnis enim miſeranda pernicies maxime timenda eſt, quia inevitabilis, tantoque eſt ad nocendum promtior quanto privatior hoſtis. Nulla enim peſtis efficacior eſt ad nocendum quam familiaris inimicus, cujus quanto magis neceſſarium obſequium tanto plus doli inevitabiles & periculoſum contubernium. Nam ſi ei ne inſoleſcat victualia ſubtrahimus, nos ipſi deficimus: ſi debita propenſius vel deſiderata largimur, acrius inſurgit ut ex collato beneficio nos ſibi ſubiciat & de conceſſo concludat. Verumtamen ad ejus evincendam contumaciam , mente ſedula cogitandum eſt quod

Omnis caro fenum, flos feni gloria carnis,
Hæc nichil eſt, nichilo quid minus eſſe poteſt?

Carnis enim locus proprius terra eſt. Quæ quantumlibet glorietur in ſua petulantia, in proximo tamen eſt ut ſit putrida & vermium eſca. Diabolus enim quaſi Propoſitionem componit in occulta cogitatione; ſubjungit mundus Aſſumptionem in rerum ſpectabilium cupida admiratione ; Concluſio autem carne perficitur, in pravi operis perpetratione. Sed horum trium argutiis tria ſunt oppoſita remedia , quibus humana fragilitas erudiatur ad pugnam , & provocetur ad victoriam, videlicet prohibitio, præceptum & exemplum. Inſtruitur enim his tribus humana conditio ut mala fugiat & bona appetat. Prohibitione enim à vitiis retrahimur, Præcepto autem ad bona opera incitamur, Exemplo vero in bonis quæ facimus per Dei gratiam conſolidamur. Prohibitionum & præceptorum tam veteris Teſtamenti quam novi multiplex eſt numerus. Quamvis tamen prohibitiones multæ ſint & variæ, animum tamen legentium vel audientium inclinare contendunt ad unum, ſcilicet ut mala ſtudeant evitare. Similiter & Præcepta legis Dei quamvis diffuſe & quovis idiomate dicta ſint, una tamen eſt eorum intentio, ſcilicet ut bonum faciamus. Quæ omnia etſi multa ſint eximius prophetarum in brevi verſiculo concludit dicens, *Declina à malo & fac bonum.* Præmium quoque ſubjungit in eodem, *& inhabita in ſeculum ſeculi.* Hæc eſt univerſæ divinæ Scripturæ ſumma intentio, ſcilicet ut mala vitemus & bona faciamus. Hoc indicant Patriarchæ, clamant prophetæ, ſcribunt apoſtoli, exponunt & docent eccleſiæ magiſtri, ſcilicet à malo declinare & bona facere : ſed genus humanum invidia diaboli & ſuggeſtione in primo parente ſeductum, fragilitate propria corruptum, denſitate tenebrarum harum involutum, prædicatione tam brevi nec à malo declinare nec bonum potuit deſiderare. Et quod mirabile, immo & miſerabile eſt, nec malum à bono, nec bonum à malo ad plenum potuit diſcernere. Oportunum igitur fuit valdeque neceſſarium ut tantæ & tam caliginoſæ tenebras ignorantiæ plurima illuſtrarent luminaria. Præceſſerunt itaque prohibitiones ut malum quodlibet vitaretur, ſucceſſerunt præceptiones ut bonum quodlibet moribus & vita teneretur , appoſita ſunt ſanctorum patrum glorioſa exempla, quæ in hiſtoriis utriuſque teſtamenti ampliſſima & dilatata relatione continentur. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Sunt autem quamplurimi quorum mentes facilius inclinantur ad malum vitandum vel ad bonum faciendum exemplis quam prohibitionibus vel præceptis. Cum enim alicujus pœnam ob contemptum illatam legunt vel audiunt, timore territi mala fugiunt, ne ſimilem ſortiantur vindictam. Simili modo cum alicujus gloriam propter ſuam obedientiam legunt vel audiunt, de facili à malo coercentur, & in bonis operibus attentius & ardentius delectantur. Sunt eciam plurimi adeo per exempla ſanctorum inflammati, ut à Dei dilectione bonorumq; operum executione nec proſperis, nec adverſis, nec pœnarum anguſtiis, ſed nec mortis amaritudine valeant coerceri. Sunt econtrario quamplurimi quorum infinitus eſt numerus , quod cum dolore & gemitu dicendum eſt, qui nec prohibitionibus nec præceptis , ſed nec ſanctorum exemplis patrum à ſuis moribus peſſimis avelluntur. Lætantur enim cum malefecerint & exultant in rebus peſſimis; Vitiis quibuſlibet obſeſſi ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt non redituri. Quorum miſeria potius deflenda eſt , quam ſcribenda.

Incipit prologus in Cronicam Gervaſii.

SAnctorum vero orthodoxorum patrum glorioſa & imitanda exempla continentur in hiſtoriis vel annalibus quæ alio nomine Cronica nuncupantur. In quibus multa quærenti ſedulo bene vivendi repperiuntur exempla, quibus humana ignorantia de tenebris educitur, & ut in bono proficiat edocetur. Hiſtorici autem & Cronici ſecundum aliquid una eſt intentio & materia, ſed diverſus tractandi modus eſt & forma varia. Utriuſque una eſt intentio , quia uterque veritati intendit. Forma tractandi varia , quia hiſtoricus diffuſe & eleganter incedit, cronicus vero ſimpliciter graditur & breviter. Proicit hiſtoricus ampullas & ſeſquipedalia verba ; Cronicus vero ſilveſtrem muſam tenui meditatur avena. Sedet hiſtoricus inter magniloquos & grandia verba ſerentes, at cronicus ſub pauperis amiclæ pauſat tugurio ne ſit pugna pro paupere tecto. Proprium eſt Hiſtorici veritati intendere , audientes vel legentes dulci ſermone & eleganti demulcere, actus, mores, vitamque ipſius quam deſcribit veraciter edocere, nichilque aliud comprehendere niſi quod hiſtoriæ de ratione videtur competere : Cronicus autem annos incarnationis Domini annorumque menſes computat & kalendas, actus eciam regum & principum quæ in ipſis eveniunt breviter edocet, eventus eciam, portenta vel miracula commemorat. Sunt autem plurimi qui cronicas vel annales ſcribentes, limites ſuos excedunt , nam philacteria ſua dilatare & fimbrias magnificare delectant. Dum enim cronicam compilare cupiunt hiſtorici more incedunt, & quod breviter ſermoneque humili de modo ſcribendi dicere debuerant, verbis ampulloſis aggravare conantur. Inter ipſos eciam Cronicæ ſcriptores nonnulla diſſenſio eſt. Nam cum omnium unica & præcipua ſit intentio annos Domini eorumque continentias ſupputatione veraci enarrare , ipſos Domini annos diverſis modis & terminis numerant, ſicque in eccleſiam Dei multam mendaciorum confuſionem inducunt. Quidam enim annos Domini incipiunt computare ab annuntiatione, alii à nativitate, quidam à circumciſione, quidam vero à paſſione. Cui ergo iſtorum magis credendum eſt ? Annus ſolaris ſecundum *Romanorum* traditionem & eccleſiæ Dei conſuetudinem à kalendis Januarii ſumit initium, in diebus natalis Domini, hoc eſt in fine Decembris ſortitur finem. Quomodo ergo utriuſque vera poterit eſſe computatio, cum alter in principio, alter in fine anni ſolaris annos incipiat incarnationis? Uterque eciam annis Domini unum eundumque titulum apponit cum dicit: Anno ab incarnatione tanto vel tanto, facta ſunt illa & illa. His aliiſque ſimilibus ex cauſis in eccleſia Dei orta eſt non modica diſſenſio. Eſt & alia veriſimilis mentiendi occaſio. Quidam enim dicunt Dominum paſſum triceſimo ſecundo ætatis ſuæ anno, alii xxxiij. alii vero xxxiiij. Quæ omnia ſimul ſtare non poſſunt, Non enim paſſus eſt Dominus

minus & xxxij. & xxxiij. & xxxiiij. ſed aliquo iſtorum paſſus eſt. Eſt & alius inter compotiſtas & cronicarum Scriptores error & diſſonantia. Nam inter ſupputationem *Dioniſii* & illam quæ ſecundum evangelium eſſe dicitur, anni reperiuntur xxij. Diverſis enim diverſa ſcribentibus, omnibus autem & ſingulis ad ipſum veritatis ſacrarium recto calle venire ſtudentibus, multæ falſitates de factis regum & dictis principum conſcriptæ ſunt. Annorum eciam computatio cui tota rerum conſcriptio inniti deberet, ex ſupradictis cauſis multotiens veritate carere probatur. Hæc de annalium vel cronicarum materia, veritate, falſitate & diverſitate breviter dicta ſufficiant. Nunc autem quoniam aliqua geſtorum præteriti temporis & futuri compilare potius quam ſcribere cupio, nec illam ſupputationem annorum quam à retroactis temporibus, ſcilicet à mille centum triginta quinque annis plures conſcripſerunt refellere vel emendare ſit alicui poſſibile, præcedentium ſcriptorum & maxime *Dioniſii* computationem vera ſit an falſa prout potero proſequi curabo. Si quis autem annos Domini qui ſecundum evangelium dicuntur eſſe conſcripti noſſe deſiderat, ſupputationi *Dioniſii* quem 'imitamur viginti duos annos apponat. Hæc eſt enim de annis Domini inter evangelium & præfatum *Dioniſium* diſſonantia, ſicut in ſuis cronicis teſtatur *Marianus Scotus*, ſpatium ſcilicet annorum viginti duorum. Quoniam igitur prædicta cronica *Mariani* ex auctoribus diverſis collecta nomini tamen ejuſdem *Mariani* dicata, tempora & annos ab initio mundi uſque ad Chriſtum & à Chriſti incarnatione uſque ad M. C. XXXXV. incarnationis annum, ſcilicet uſque ad obitum *Henrici* primi regis *Anglorum* & regnum regis *Stephani* ſatis compendioſe & lucide digeſſiſſe videtur, à tempore regis *Stephani* dicendi ſumo principium. Non tamen omnia memorabilia notare cupio, ſed memoranda tantum, ea ſcilicet quæ digna memoriæ eſſe videntur. Me autem inter Cronicæ ſcriptores computandum non eſſe cenſeo, quia non bibliotecæ publicæ ſed tibi mi frater *Thoma* & noſtræ familiolæ pauperculæ ſcribo. Et quia novi quod otioſitas inimica eſt animæ, otium meum hoc negotio curavi occupare. Sit ergo ſpiritus ſanctus proſecutor operis qui præbuit initium bonæ voluntatis, *Amen*.

Scias igitur ô lector bone quiſquis es, quod quia me ipſum & omnia quæ mea ſunt gratiæ Dei commendare cupio, annos Domini quos ſubſcribere geſtio propter nimiam cronicarum falſitatem & ſcribentium diſſonantiam gratiæ Dei quæ per Jeſum Chriſtum facta eſt aſcribo. Annos enim quos quidam dicunt Incarnationis, alii Nativitatis, alii ætatis Domini, alii vero Paſſionis, hos ego in ſubſequentibus annos Gratiæ dicam. Volo enim quantum valeo nævum mendacii fugere, ne quis canum meorum ſcripta mea vel in ſillaba una poſſit arguere falſitatis. Dicat ergo *Dioniſius*, dicant & alii compotiſtæ vel cronici annos dominicæ incarnationis, nativitatis, ætatis, paſſionis, aſcenſionis eciam ſi placuerit: Ego autem eoſdem annos gratiæ nuncupo, quia in omnibus Chriſti operibus gratiam & veritatem invenio. Attamen quia gratia Domini ſalvatoris noſtri quæ ab incarnatione in utero virginis latuit, in nativitate manifeſte apparuit, in ipſa ſacra ſolennitate qua Deo gloria, hominibus bonæ voluntatis pax ab angelis nuntiata eſt, anni præteriti finem facio, ab ipſa vero feſtivitate ſubſequentis anni principium ſumo. Sic enim anni ſolaris curſum, ordinem quoque terminorum ſeriemque rerum & temporum, & maxime ciclum decennovalem valebo comprehendere, quem præ cæteris ciclis huic negotio neceſſarium eſſe exiſtimo. Hac ut æſtimo ratione inducti ſunt omnes fere qui ante me hujuſmodi cronicas ſcripſerunt, ut à natali Domini ſubſequentis anni ſumerent initium Cogitaveram quidem jam olim ab Annuntiatione dominica annos meos incipere: ſed nequaquam potui abſque fuco falſitatis propoſitum meum ad effectum perducere. Hac ergo intentione poſtpoſita, prædeceſſores meos ſequi cupio, & annos ſubſcriptos à natali Domini incipio. Ab hac tamen regula ſancti *Thoma* martyris diem paſſionis excipio ut in fine anni M. Clxx. feria tercia, & quinta die natalis Domini ſervetur.

Cronicam parvulam puſillus ego conſcripturus, & ſecundum propoſiti mei tenorem à regno regis *Stephani* incepturus, neceſſarium eſſe video aliqua ſummatim perſtringere de rege *Henrico* & ejus progenie, de qua in ſubſequentibus bona & mala, proſpera & adverſa plurima ſunt dicenda.

CRONICA GERVASII.

An. Gr̃æ 1122.

ANNO igitur gratiæ ſecundum *Dioniſium* M.C. ſecundum evangelium vero M.C.XXII. ſuſcepit *Henricus* primus monarchiam totius *Angliæ*, & coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium* iiij. non. Auguſti à *Mauritio Londonienſi* epiſcopo, quia eo tempore exulabat beatus *Anſelmus Cantuarienſis* archiepiſcopus ex perſecutione *Willielmi* regis *Rufi*. Manifeſtum eſt autem & omnibus fere notum, reges *Angliæ* ſoli Deo obligari & teneri ex ipſius regni adeptione, & eccleſiæ *Cantuarienſi* ex coronatione. Ad ipſam etenim ex veterana dignitate regum *Angliæ* pertinet coronatio. Si aliquando aliter præpoſtere actum eſt, ab ipſius *Cantuarienſis* eccleſiæ patrono deo ſcilicet dire punitum eſt, ut in ſubſequentibus patebit. Coronatus itaque rex *Henricus* beatum *Anſelmum* ab exilio revocavit & cum honore recepit. Duxit autem idem rex uxorem filiam ſcilicet *Malcolmi* regis *Scociæ*, *Matildam* nomine, quam coronavit ſanctus *Anſelmus Cantuarienſis* archiepiſcopus in die Sancti *Martini* apud *Weſtmonaſterium*. Secundo anno regni concepit regina & peperit filiam, quæ de nomine matris *Matildis* appellata eſt. Tercio regni anno peperit maſculum quem vocavit *Willielmum*. Alium quoque habuit filium *Ricardum*, & ceſſavit parere. Anno octavo imperator *Henricus* petivit filiam *Henrici* regis *Angliæ* & accepit eam in uxorem. Quæ octavo idus Maii *Mogontiæ* deſponſata eſt, & imperatrix facta, ab imperatore non concepit. Videns autem rex *Angliæ Henricus* in ſolo filio ſuo *Willielmo* ſpem ſucceſſionis eſſe, tercio decimo filii ſui anno coacto concilio fecit omnes principes & potentes *Anglicani* regni adjurare terram & regnum *Willielmo* filio ſuo. Obiit autem *Matildis* regina *Angliæ* anno regni ſui xviij. kal. Maii & apud *Radingas* ſepulta eſt. Interjectis autem paucis diebus cum rex eſſet una cum filio ſuo in partibus tranſmarinis, præfatus filius ejus ex præcepto regis lege maritali accepit uxorem filiam ſcilicet *Fulconis* Comitis *Andegaviæ*. Quo facto, rex *Henricus* cum apparatu regio rediit in *Angliam*. In qua navigatione mirandum accidit infortunium. Navis enim infauſta quæ regis geſtabat filios *Willielmum* & *Ricardum*, filiam quoque & neptem, cum omnibus qui erant in ea nobiliſſimis viris & puellis, abſque omni turbine vel tempeſtate ſubmerſa eſt, periitque in ſcopulis *Barbefluvii*; ubi Dei manifeſtum apparuit judicium. Cum enim eſſet ille filius regis & ſocii ſui incomparabili ſuperbia tumidi, luxuriæ & libidinis omnis tabe maculati, mare tranquillo perierunt, undis abſorpti, & à piſcibus devorati, acſi nollet deus *Angliam* ipſorum libidine denuo maculari. Et ſicut *Merlinus* prædixerat, catuli leonis in æquoreos piſces ſunt transformati. Rex autem *Henricus* peractis diebus luctus ſui, ob ſpem prolis adipiſcendæ duxit uxorem filiam ſcilicet *Godefridi* Ducis *Lovanii* nomine *Adelizam*. Quæ à rege *Henrico* non concepit. Anno autem *Henrici* regis *Anglia* 26. *Henricus* imperator abſque hærede imperium dereliquit. Quo audito, rex *Henricus* cum eſſet in partibus tranſmarinis revocavit filiam ſuam jam viduam, eamque ſecum duxit in *Angliam*. Et quia hæredem maſculum habere non potuit, fecit principes & potentes *Anglia* adjurare eidem filiæ ſuæ & hæredibus ſuis legitimis regnum *Anglia*, ſi quidem rex pater ſuus *Henricus* decederet abſque hærede. Facta eſt autem hæc adjuratio anno regni *Henrici* regis xxvij. Viceſimo vero octavo *Normanniam* petiit, ducens ſecum filiam ſuam eximperatricem jam *Anglia* hæredem. Quæ jubente patre nupſit, ſed invita, *Gaufrido* Comiti *Andegavia*, & rex proceſſu temporis in *Angliam* reverſus eſt. Cujus regni anno xxxiij. concepit eximperatrix jam comitiſſa & peperit filium, quem ex patris ſui nomine vocavit *Henricum*. Proceſſu quidem temporis peperit *Willielmum*, & poſtea *Gaufridum*. Eodem anno quo natus eſt puer *Henricus*, rex *Henricus* transfretavit in *Normanniam*, & xxxvj. anno regni ſui fatali muræna qua nimis avide paſcebatur infectus, apud *Liuns* in *Normannia* defunctus eſt iiij.non. Decembris. Cujus corpus *Rothomagum* allatum eſt, ibique oculi ejus eruti, cerebrum & viſcera extracta & conſepulta ſunt. Reliquum autem corpus cultris circumquaque diſſecatum & multo ſale conſperſum coriis taurinis reconditum eſt, cauſa fœtoris evitandi, qui multus & infinitus afficiebat circumſtantes, unde & ipſe qui magno precio conductus, ſecuri caput ejus diffiderat, ut fœtidiſſimum cerebrum ejus extraheret, quamvis lintheo caput ſuum obvolviſſet ea tamen mortuus cauſa precio male gaviſius eſt; Hic fuit ultimus de multis quem rex *Henricus* occidit. Inde vero cadaver regium *Cadomum* deportatum eſt, ubi diu in eccleſia poſitum in qua pater ejus ſepultus erat, quamvis multo ſale repletum eſſet & multis coriis reconditum, tamen continue de corpore niger humor & horribilis coria pertranſiens decurrebat & vaſis ſuppoſitis abiciebatur. Tandem reliquiæ regalis cadaveris allatæ ſunt in *Angliam* & ſepultæ apud *Radingum*. Vide igitur quicunque legis, quomodo regis potentiſſimi corpus, cujus cervix corona aurea & gemmis electiſſimis quaſi diei ſplendore vernaverat, cujus manus ſceptris præradiaverat, cujus reliqua ſuperficies auro textili tota rutilaverat, cujus os tam delicioſiſſimis cibis paſci ſolebat, cui omnes aſſurgere, omnes congaudere, quem omnes expaveſcere, omnes admirari ſolebant; vide inquam, vide quo corpus illud devenerit, quamque miſerabiliter fuerit abjectum; vide rerum eventum, ex quo ſemper pendet judicium, & diſce contempnere quicquid ſic exterminatur, quicquid ſic adnichilatur. Dum igitur cadaver *Henrici* regis hoc modo in *Normannia* conderetur, in *Angliam* transferendum, *Stephanus Theodbaldi Bolonienſis* Comitis frater, junior eo, vir magnæ ſtrenuitatis & audaciæ, regis *Henrici* ex ſorore nepos, Comes vero *Bolonia* & *Moritonii* celeri navigio trans mare vectus, à *Dovrenſibus* repulſus, & à *Cantuarinis* excluſus, à *Londonienſibus* & quibuſdam primoribus *Anglia* cum honore ſuſceptus eſt. Cum autem ibidem inter ipſum *Stephanum* & ſublimiores *Anglia* proceres præſente *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo de ſucceſſione regni ſermo citus & efficax conſereretur, & *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus & primas *Anglia* propter jusjurandum filiæ regis *Henrici* factum, diadema regni cuiquam imponere formidaret, aſtitit quidam ex potentiſſimis *Anglia*, jurans & dicens ſe præſentem affuiſſe ubi rex *Henricus* idem juramentum in bona fide ſponte relaxaſſet. Quo audito, prædictus *Stephanus* à cunctis fere in regem electus eſt, & ſic à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo coronatus undecimo kal. Januarii apud *Weſtmonaſterium*. In cujus coronatione inter miſſarum ſolennia triſte contigit præſagium futurorum. Nam cum præfatus archiepiſcopus poſt *Agnus Dei* corporis & ſanguinis Salvatoris ſacramenta conficeret, oſculum pacis quod in populo dare ſacroſancta conſuevit eccleſia oblivioni penitus traditum eſt. *Stephanus* autem ut prælibatum eſt novus rex conſecratus, tenuit ibidem curiam ſuam more regio in die dominicæ nativitatis.

XVI.

M.C.xxxvi. Gratiæ Dei anno, iiij. nonas Januarii adlatum eſt corpus *Henrici* regis de *Normannia* in *Angliam*. Cui rex *Stephanus* occurrens ſcapulas ſuas feretro ſubpoſuit. Corpus itaque *Radingas* delatum cum honore debito in ipſa eccleſia ante altare ſepultum eſt. Hæc de rege *Henrico* primo pauca ſufficiant, cum tamen plurima de eo eſſent digna relatu. An. Gr̄æ 1136.

Sullimatus igitur rex *Stephanus* in regno cum opitulante ſibi fratre ſuo *Henrico Wintonienſi* epiſcopo regios obtinuiſſet theſauros, univerſoſque *Anglia* proceres confederatos haberet, prima regni ſui tempora viſus eſt habere tranquilla. Sed proceſſu temporis ex ipſius rectoris injuſtitia vel deſidia, creſcente paulatim diſcordia, facta ſunt omnia repentinis diſſenſionibus & rebellionibus confuſa. Primus quidem omnium *Baldewinus* de *Reduers* caput ſuum levavit in regem firmato contra eum caſtello *Exonienſi*. Rex autem collecto exercitu *Anglorum* & *Flandrenſium* quos in *Angliam* vocaverat *Domnaniam* penetravit, caſtellum prædictum obſedit & cepit. *Wechtam* quoque inſulam eidem ſubripuit, tandemque ipſum *Baldewinum* omnibus ſpoliatum cum uxore ſua & filiis ab *Anglia* fugavit. *Walenſes* autem reminiſcentes malorum quæ in eos geſſerat rex *Henricus* injurias ſuas vindicare cupientes, multas hominum ſtrages fecerunt, eccleſias, villas & ſuburbana deſtruxerunt. Undecimo kal. Aprilis coronata eſt uxor regis *Stephani* apud *Weſtmonaſterium*. Eodem anno factum eſt grave prælium apud *Karadigan* menſe Octobri, ebdomada ſecunda. In qua tanta hominum ſtrages facta eſt, ut exceptis viris in captivitatem ductis, de mulieribus captivatis decies centum decimæ remanerent, maritis earum cum parvulis innumeris partim aqua demerſis, partim flamma conſumptis, partim gladio trucidatis. Eratque ibi magnam videre miſeriam, cum fracto ponte ſuper fluvium *Tuida* fieret huc illucque diſcurſantibus pons humanorum corporum ſive equorum inibi demerſorum congeries horrenda.

Præfuit interea *Anglicanæ* eccleſiæ *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus. Hic M.C.xxx. gratiæ anno ante obitum videlicet glorioſi regis *Anglorum Henrici* dedicavit eccleſiam Chriſti *Cantuariæ* iiij. nonas Maii in munificentia multa & gloria incomparabili, præſentibus & cooperantibus non ſolum *Angliæ*, verum etiam exterarum epiſcopis provinciarum, abbatibus eciam multis, rege quoque *Henrico* cum regina & primoribus regni. *David* eciam rex *Scottorum* affuit & nobilium ſuorum multitudo. Dotavit autem prædictam eccleſiam idem archiepiſcopus ſingulis annis redditu decem librarum. Rex quoque *Henricus* dedit in dotem præfatæ eccleſiæ *Chriſti* capellam regiam, eccleſiam ſcilicet ſancti *Martini* de *Doura* cum omnibus pertinentiis & proventibus ſuis tam in terra quam in mari, quod & ipſe carta regia confirmavit. Erant autem ab antiquo in prædicta *Dourienſi* eccleſia Canonici ſeculares qui gulæ illecebris & luxuriæ nexibus aſtricti & negotiis ſecularibus intenti, officia divina parvipendebant. Conſiderans autem dominus archiepiſcopus horum vitam & mores conſpectui divino & bonorum judicio diſplicere, locumque ipſorum in medio villæ parvulæ & populoſæ ſitum, religioſorum converſationi aptum non eſſe, oportune providit novam eccleſiam extra villam ædificare, in qua viri religioſi ſine ſtrepitu ſeculari divino eſſent ſervitio mancipati. Summa igitur feſtinatione conſtructa eſt nova eccleſia cum officinis ſuis, & in plurima parte conſummata. Sed dominus archiepiſcopus decidit in lectum doloris apud **Murtelac**, & fere perductus eſt ad extrema. Verumtamen de nova *Dourienſi* eccleſia valde ſollicitus, quod diu mente propoſuerat ante mortem cogitavit explere. Aſcerſitis itaque duobus epiſcopis, *Johanne* ſcilicet *Roſenſi* & *Bernardo Menevenſi*, injunctum eſt eis ab archiepiſcopo, ut cum *Helewiſo* archidiacono *Cantuarienſi Douram* irent, & in novam eccleſiam conventum introducerent canonicorum regularium de *Meretona*. Favebat enim archiepiſcopus parti & ordini Canonicorum quia ipſe canonicus erat, & prædictum *Helewiſum* de canonico archidiaconum *Cantuarienſis* eccleſiæ fecerat. Venerunt igitur Epiſcopi *Cantuariam*, canonici eciam cum quadrigis & utenſilibus ſuis, & ſic in craſtino utrique *Dovoriæ* convenerunt. Inſtante hora placita induuntur epiſcopi, baculoſque tenentes mitrati incedunt, & ante introitum eccleſiæ aquam ſanctificant qua canonicos introducendos ex more præveniunt, convocato & conveniente interim clero & populo totius fere *Dovoriæ*. Advenerat autem ſub feſtinatione multa monachus quidam *Cantuarienſis* eccleſiæ *Jeremias* nomine tranſmiſſus à Conventu, ut eis in faciem reſiſteret. Hic diſſimulata pauliſper adventus ſui cauſa, epiſcopos tandem & archidiaconum alloquitur in hunc modum.

Video, inquit, ô epiſcopi quo intenditis & quid agere velitis. Sed pauliſper attendite, & quod vobis ex parte Conventus noſtri breviter edixero retinete. Eccleſia Sancti *Martini* cum omnibus pertinentiis ſuis eccleſiæ *Cantuarienſi* ex dono regio ceſſit in poſſeſſionem. Dedit enim eam rex *Henricus* eccleſiæ noſtræ in dotem cum ipſius dedicationi intereſſet, quod & munimine regii ſigilli eidem eccleſiæ noſtræ in perpetuum pluribus aſtantibus cleri & populi teſtibus dinoſcitur eſſe confirmatum. Nunc autem vos qui Eccleſiæ *Cantuarienſis* jura tueri & ſacramento & profeſſione tenemini, ipſam eccleſiam matrem veſtram ut aſtantibus liquet honore ſibi collato & confirmato ſpoliare conamini. Vultis enim canonicos iſtos viros extraneos & alienæ religionis in poſſeſſionem ipſius ſine aſſenſu noſtro introducere. Sed interdico vobis ex parte Dei & conventus noſtri & per obedientiam profeſſionis veſtræ, ſub appellatione eciam ſedis apoſtolicæ, ne hos vel alios in hanc eccleſiam introducatis, nec aliquam de hac eccleſia vel de his quæ ad eam pertinent diſpoſitionem faciatis. Ad hæc *Bernardus* Epiſcopus reſpondit. Contra matrem noſtram *Cantuarienſem* eccleſiam vel profeſſionem noſtram qua eidem tenemur, nullam machinamur injuriam, nec eam in aliqua poſſeſſionis ſuæ particula diminuere temptamus. Sed archiepiſcopus noſter & veſter dominus ad hoc opus exequendum tranſmiſit nos, cujus mandatis non poſſumus non obedire. Ac *Jeremias*. Eccleſia iſta non archiepiſcopo ſed eccleſiæ noſtræ, conventui ſcilicet data eſt, ideoque ſine conventu hoc vel aliud inde facere non valetis. Ad hæc archidiaconus intumeſcens, Satis, inquit, per conventum eſt, cum hic ſumus ex parte archiepiſcopi, & Prior veſter ſit nobiſcum pro conventu. Fertur enim quod ibi fuerit Prior *Elmerus* vir magnæ ſimplicitatis & eximiæ religionis. Cui *Jeremias*, Vere, inquit, Prior noſter eſt ſed in hac parte contra nos eſt, unde & ipſum in jam facta appellatione innodamus. Conticuerunt ad hæc epiſcopi; & conſilio inter ſe ſeorſum habito, hæc tandem monacho retulerunt. Ex præcepto domini archiepiſcopi huc venimus, tu vero contra ejus præceptum ſedem apoſtolicam appellaſti. Non eſt aliquis noſtrum qui hac de cauſa ad præſens *Romam* velit videre. Sed ſicut venimus revertemur & domino noſtro archiepiſcopo quid fecerimus, quid audierimus referemus. Diſceſſerunt igitur abinvicem, et prædicti Canonici aliena inviti relinquentes, cum quadrigis ſuis et ſupellectili non ſine verecundia redierunt. Relata ſunt hæc archiepiſcopo; ille vero non modice motus animo, *Cantuariam* ſe deferri præcepit, & poſt dies aliquot xi. ſcilicet kal. Decembris in pace quievit, anno patriarchatus ſui quinto decimo. Quo mortuo, miſit Conventus *Cantuarienſis* Monachos duodecim ad *Dovoriam*, et Priorem eis conſtituit *Willielmum* de *Longavilla*. Vacavit autem eccleſia *Cantuarienſis* poſt obitum *Willielmi* annis duobus menſe uno quatuordecim diebus.

XVII.

M. C. xxxvij. Ex quorundam veridico auditum eſt relatu quod apud *Windeſhoram* uno dierum ſtante populo ad celebrationem miſſæ lux quædam infulſit in interioribus eccleſiæ. Quo attoniti quidam foras exierunt, et elevatis ſurſum oculis, aſpiciunt ſtellam inſolitam cœlo radiantem, animadverteruntq; de radiis ſtellæ lucem intus deſcendiſſe. Miraculum ſuccedit miraculo. Videbant enim plures crucem quæ ſuper altare ſtabat ſe moventem, et nunc dextera ſiniſtram, nunc ſiniſtra dexteram more plangentium conſtringentem. Hoc factum eſt tercio.

An. Gra
1137.

Crucem deinde videbant totam tremere & defluenti humore totam ſudare fere mediæ horæ ſpatio; poſtremo autem in priſtinum ſtatum reverti. Rex autem *Stephanus* menſe Marcio mare tranſivit ut *Normanniam* quoque ſuæ ditioni ſubjugaret. Ex cujus adventu attoniti *Normanni*, declinaverunt ad eum fere univerſi; Et ſic in brevi civitates munitas & plurimas obtinuit munitiones.

Fluctuabat interea jam ab annis ſeptem eccleſia *Romana* propter papatum duorum, *Gregorii* ſcilicet qui & *Innocentius*, & *Petri* qui *Anacletus* dicebatur. Quorum cauſa inter *Lotharium* Imperatorem & *Rogerium* Ducem *Appuliæ* diſcordia gravis exorta eſt. Imperator enim *Innocentium* fovebat, dux vero *Anacletum* præferre cupiebat. Cardinales vero amore pecuniæ nunc *Innocentium Anacleto*, nunc *Anacletum Innocentio* præferebant. In hoc tandem utriuſque partis principes reſedere conſilio, ut fortuna belli finem faceret altercationi. Congregato itaque non modico exercitu Imperatoris & Ducis, pugnatum eſt diutius utrimque, & tandem Imperatori ceſſit victoria. Dux autem fugam iniit, & poſt modicum in terra ſua vitam finivit. Lancea vero Ducis auro fulgida mirifice reperta ad Imperatorem delata eſt, & corona aurea quam ſecum tulerat in expeditione ob ſpem obtinendæ victoriæ, acſi citiſſime victor effectus deberet imperio ſublimari. Sed in brevi devictus, de vita ſollicitus aufugit & obiit.

Obiit hoc anno venerandæ memoriæ *Elmerus* Prior *Cantuarienſis* eccleſiæ: In cujus locum Conventus *Jeremiam* de quo ſupra diximus, unanimi conſenſu ſubſtituit.

Tercio nonas Junii combuſta eſt eccleſia ſancti *Andreæ Roffenſis* & tota civitas cum officinis epiſcopi et monachorum. Die vero ſequenti apud *Eboracum* combuſta eſt beati *Petri* eccleſia ubi ſedes eſt epiſcopatus, & extra muros eccleſia beatæ *Mariæ* ubi eſt abbatia cum egregio Hoſpitali quod fundavit *Turſtanus* archiepiſcopus.

Duodecimo kal. Julii obiit *Johannes* epiſcopus *Roffenſis*.

Wintonienſis autem epiſcopus *Henricus* cum eſſet *Angliæ* dominus utpote frater regis & apoſtolicæ ſedis legatus, novum conventum de *Dovoria* expulit & *Cantuariam* redire coegit. Illa eciam quæ à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo ad ædificationem novæ eccleſiæ coadunata fuerant abſportavit.

Obiit hoc anno rex *Franciæ Lodovicus* qui appellatus eſt *Groſſus*. Cui ſucceſſit in regnum filius ejus junior *Lodovicus*. Senior enim filius cum de ſpaciatu equo ſedens *Pariſius* rediret, exiliens porcus à domo pedes caballi præpedivit, & filium regis *Philippum* nomine dejecit: qui collo confracto expiravit, & fratri ſuo regnum dimiſit.

Turbatur interea regnum *Angliæ*, unde in *Angliam* rex *Stephanus* revocatus eſt, nondum *Normannicis* expeditionibus ad plenum expletis. Menſe itaque Decembri rex in *Angliam* rediit, & in nativitate Domini curiam ſuam tenuit apud *Dunſtapelam* in provincia *Bedefordenſi*. XVIII.

An. Gr̃æ 1138.

M. Cxxxviij. Poſt feſtum nativitatis Dominicæ rex obſedit caſtellum *Bedefordenſe* & cepit.

Defuncto vero ſedis apoſtolicæ invaſore *Petro Leone* invaſionis ſuæ anno nono, *Gregorius* qui & *Innocentius* ſanctam *Romanam* rexit eccleſiam, & pacificatis omnibus conſecravit in die paſchæ *Albericum Vercellenſem* abbatem ad regimen eccleſiæ *Hoſtienſis*. Eodem anno prædictus *Albericus* apoſtolica functus legatione venit in *Angliam*, domini papæ litteras ad regem deferens. Lectis itaque litteris coram rege & primoribus *Angliæ*, licet non in primis, vix tandem pro reverentia domini papæ ſuſceptus eſt. Doluit enim rex fratrem ſuum *Wintonienſem* epiſcopum legatione potita privari, qua vacante ſede *Cantuarienſi* admodum gloriabatur. Circuivit ergo prædictus legatus *Angliam*, conſiderans omnia conſtituendo concilio corrigenda.

Inter hæc fama volat per circuitum hoc factum miraculum. In archiepiſcopatu *Treverenſi* cœnobium nobile ſitum eſt, quod *Brumia* dicitur, in honore ſanctorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* dedicatum, ab antiquis temporibus à *Pippino* rege *Francorum* patre *Karoli* magni fundatum, in qua talis novitas rei ab omnibus ibidem converſantibus accidiſſe refertur. Quodam mane cum cellerarius ejuſdem monaſterii cellam vinariam ut vinum ad altaris ſacrificium more ſolito daret, cum famulo ſuo intraſſet, repperit unam de cupis quam heſterna die plenam reliquerat uſque ad foramen obicis qui uſitato nomine clepſedra dicitur evacuatam, et vinum per pavimentum diffuſum. Qui graviter de dampno quod acciderat ingemiſcens, famulum qui aſtabat aſperime increpavit, dicens eum præterito veſpere minus diligenter obicem firmaſſe, ideoque dampnum hujuſmodi contigiſſe. His dictis, ſub interminatione præcepit ei ne alicui diceret quod acciderat, veritus ne ſi abbas hoc animo perciperet, contumelioſe eum officio ſuo privaret. Facto autem veſpere priuſquam fratres irent cubitum, cellarium intravit, obices vaſorum in quibus vinum habebatur diligentiſſime firmavit, clauſoque hoſtio lectum petivit. Mane autem facto, cum cellarium ſicut conſueverat intraſſet, vidit aliam cupam uſque ad meatum obicis ſicut pridie vino defluente vacuatum. Quo viſo, cujus negligentiæ dampnum hoc imputaret ignorans, graviter non ſine magna admiratione indoluit, famuloque ſuo ne cuiquam proderet quod acciderat denuo præcipiens. Priuſquam veſpere lectum peteret omnes obices cuparum diligentia qua potuit muniens, triſtis & anxius adiit ſtratum. Surgenſque diluculo, aperto cellario vidit die tercia cupæ peſſulum extractum & vinum uſque ad foramen effuſum. Unde non inmerito ſuper his quæ acciderant perterritus & diutius commune dampnum ſilere metuens, ad abbatem feſtinavit, ejuſque pedibus provolutus quæ viderat per ordinem intimavit. Qui habito cum fratribus conſilio, juſſit ut obices quæ vinum habebant, adveſperaſcente die criſmate circumlinerentur. Quod & factum eſt. Illuceſcente autem die prædictus frater ex more cellarium ingreſſus, repperit puerulum nigrum mirandæ parvitatis in uno de peſſulis manibus hærentem. Quem feſtine comprehendens & ad Abbatem deferens; En, ait, Domine puerulus iſte quem vides omne dampnum quod in promtuario pertulimus nobis intulit. His dictis, retulit ei qualiter eundem puerulum in obice pendentem invenit. Abbas autem ejuſdem puerulì qualitatem ultra quam credi poteſt admiratus, accepto conſilio monachalem habitum ei parare juſſit, & cum ſcolaribus puerulis in clauſtro converſari. Quo facto, puerulus idem ſicut abbas juſſerat ſcolares puerulos nocte dieque comitatus, nunquam tamen cibum aut potum ſumebat, nulli publice aut privatim loquebatur: Aliis nocturnis aut meridianis horis quieſcentibus ipſe in lecto reſidebat, ſine intermiſſione plorans & ſingultus creberrimos emittens. Inter hæc Abbas quidam alterius eccleſiæ orationis gratia ad eundem locum veniens, aliquantis diebus ibidem detentus eſt. Cumque ſcolares pueri ante eum ſæpius tranſirent, ubi cum Abbate & majoribus eccleſiæ ejuſdem reſidebat, puerulus ille parvulus protenſis ad eum manibus cum lacrimis reſpiciebat quaſi aliquid petens ab eo. Quod dum ſæpius ageret, abbas idem parvitatem ejus admirans ſciſcitatus eſt aſſidentes ſibi ut quid puerum tam parvulum in conventu vellent habere. Qui ſubridentes, Non eſt, inquiunt, Domine talis ille puerulus ut æſtimas. Et narraverunt ei dampnum quod eis intulerat, & qualiter in peſſulo cupæ hærens manibus inventus ſit, ſeu qualem ſe exhibuerit intrans & exiens inter eos. Quibus auditis Abbas expavit, & altius ingemiſcens, Quamtocius eum, ait, de monaſterio expellite ne majus dampnum vel graviſſimum incurratis periculum. Manifeſte enim diabolus eſt, in humana latens effigie, ſed Dei miſericordia vos protegente per merita ſanctorum quorum hic habentur reliquiæ, non potuit vobis amplius nocere. Protinus ad imperium Abbatis ejuſdem eccleſiæ puerulus adductus eſt, & cum eum monachali habitu ſpoliarent, inter manus eorum ut fumus evanuit.

Rex autem *Stephanus* jam inſtante nativitate ſancti *Johannis* Baptiſtæ *Oxenefordiam* profectus eſt. Auditoque quod caſtellum *Diviſas* nuncupatum contra illum firmaretur, miſſis nuntiis ad ejuſdem caſtelli fundatorem *Rogerium* ſcilicet *Saresberienſem* epiſcopum tunc apud *Malmesberiam* poſitum, ad ſuum jubet venire colloquium. Quam juſſionem valde ſuſpectam habens, duos ſecum nepotes ſuos, epiſcopos videlicet *Lincolnienſem* & *Elienſem*, cum maximo militum apparatu armis & equis multipliciter inſtructos adduxit. Quo viſo rex proditionem ſuſpicatus, ſuos ſe armis munire, & ad ſui defenſionem ſi neceſſe eſſet paratos juſſit adeſſe: Epiſcopis igitur ad regem venientibus & cum eo cauſas diverſas tractantibus, inter utramque militum partem cauſa hoſpitiorum tumultus magni furoris incanduit Unde regiis ad arma concurrentibus, fugam ineunt epiſcopales, apparatibus ſuis poſt terga relictis. Capitur à rege magnus ille *Saresberienſis* epiſcopus *Rogerius* una cum *Lincolnienſi* et filio ejus *Rogerio* ſcilicet paupere ſenſu. *Helienſis* vero elapſus *Diviſas* caſtellum adiit, munivitque contra regem & tenuit. Unde rex ira commotus epiſcopos captos ignominioſe cuſtodiri præcepit, tercio vero ſuſpenſionis minatur ſupplicium niſi ſibi citius reddatur caſtellum. Hoc videns *Rogerius* ſuo metuens filio, juramento ſe ſtrinxit non manducaturum neque bibiturum donec rex prædictum haberet caſtellum. Quod et factum eſt. Tribus enim diebus non manducavit neque bibit. Erat autem his diebus in partibus tranſmarinis Comes *Glaornienſis*, *Robertus* nomine, frater Imperatricis, filius *Henrici* regis ſed nothus. Qui miſſis ad regem inimicitiis nuntiis, fidei & ſacramentis quibus regi tenebatur renuntiavit: diſpoſitiſque in *Briſtovia* cæteriſq; ditionis ſuæ caſtellis fortium militum præſidiis, regi viriliter reſiſtere propoſuit. Inſurrexerunt tempore illo in regem plurimi, & non ſolum contra eum ſua caſtella tenuerunt, ſed & nova paſſim erigere cœperunt. *Milo* quoque princeps militiæ regis avertit ſe à rege. Quo comperto, rex obſedit caſtellum de **Briſto**, ſed nimium protracta pertæſus obſidione, ad alia Comitis ſe caſtella convertit. Raptabatur enim nunc huc nunc illuc, & ideo vix aliquid perficiebat. Sed & cotidie ſuccreſcentes multiplicabantur ipſius inimici. Aſciverat autem de *Flandria* milites & pedites multos, & maxime quendam *Willielmum* de *Ypre*, qui quaſi dux fuit & princeps eorum. Hujus conſiliis rex maxime confidens, principes *Angliæ* admodum offendebat. Interea conjuratio in regem facta per Comitem *Glaornenſem* & *Milonem* ſummum regis Conſtabularium invaluit. Nam miſſis nuntiis, quorum ipſe Comes *Robertus* unus erat, aſciverunt eximperatricem, promittentes ei quod infra quinque menſium ſpatium regnum eſſet adeptura paratum, ſicut ei vivente patre fuerat à primoribus *Angliæ* adjuratum. Intereà rex *Scotiæ David* in multitudine gravi equitum & peditum de finibus ſuis egreſſus, circa terminos *Northimbriæ* cœpit rura, villas & oppida concremare, & fere totam terram devaſtare. Archiepiſcopus vero *Eboracenſis Turſtanus* conſilio habito cum *Eboracenſibus*, *Scotticis* conatibus viriliter reſiſtere propoſuit, unde ipſe rex *David* vehementius iratus, diſſuadentibus eciam amicis ſuis, *Eboracenſes* ſubito præoccupare putavit. Sed cum exercitus uterque menſe Auguſto in unum conveniſſent & ferociter pugnatum eſſet utrimque. rex tandem vix fuga vitam ſalvavit, amiſſis ex ſuis fere decem milibus. Eodem anno *Rogerius* epiſcopus *Saresberienſis* caſtellorum & domorum fundator egregius pridie nonas Decembris vitam finivit. Inventa ſunt autem in theſauris ipſius ut dicebatur, xl. fere milia marcarum argenti, aurum quoque multum & varia ornamenta. Quæ omnia venerunt in uſum regis *Stephani*. Theſaurizavit & neſcivit cui congregavit ea.

Cum autem jam inſtaret tempus celebrandi concilii, & prædictus legatus ſingulis perſonis *Angliæ* citatorias miſiſſet litteras, de eligendo *Cantuarienſi* archiepiſcopo, hanc *Jeremiæ* Priori & Conventui *Cantuarienſis* eccleſiæ, clero quoque & populo epiſtolam direxit.

Albericus *Dei gratia* Hoſtienſis *epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus dilectis in Chriſto fratribus* Jeremiæ *Priori totique conventui, H. archidiacono, clero, nobilibus, populo* Cantuariæ *ſalutem & benedictionem. Suſceptum apoſtolicæ legationis officium nos conſtringit, & cor noſtrum inſtanti ſollicitudinis pulſat aculeo, ut eccleſiis regimine deſtitutis idoneum paſtoris ſolatium providere ſtudeamus. Veruntamen* Cantuarienſis *eccleſiæ diuturna deſolatio nos vehementius angit, quippe quæ & diadema regni habet, & omnibus eccleſiis* Angliæ *ordinata paſtore, futura eſt exemplum ruinæ vel reſurrectionis. Proinde caritati veſtræ his apicibus noſtris inſinuamus, quod epiſcopos & abbates omnes cæteraſque religioſas hujus regni perſonas apoſtolica auctoritate convocavimus ad colloquium quod* Lundoniæ *habere diſpoſuimus apud* Weſtmonaſterium *dominica adventus Domini qua cantabitur* Gaudete in domino, *quatinus ibi Deo volente* Exonienſem *electum conſecremus, & de ordinatione eccleſiæ* Cantuarienſi, *de cæteris eciam eccleſiaſticis atque apoſtolicis negotiis divino præeunte auxilio tractemus: Ea propter vobis præcipimus, ut prima dominica adventus Domini litteras iſtas coram univerſo clero & populo* Cantuarienſi *exponi faciatis, & invocata* *ſancti ſpiritus gratia, pramiſſiſque orationibus, indicto jejunio & elemoſinis, talem vobis præficiendam provideatis perſonam, cui ſacrorum canonum auctoritas in nulla valeat obviare, cui eciam comprovinciales epiſcopi pariter debeant aſſentire, & cui dominus noſter rex nec poſſit nec debeat aſſenſum ſuum juſte denegare. Quocirca dilectioni veſtra mandamus, & apoſtolica auctoritate pracipimus, ut tot & tales perſonas illuc generalitatis vice vobiſcum adducatis, qua omnium veſtrum voce loquantur, & cunctorum in ſe praferant aſſenſum. Certi autem eſtote quia juſtæ poſtulationi veſtræ in quantum poterimus ſecundum Deum conſilio & auxilio non deerimus. Pracipimus eciam ut quinta aut ſexta feria ante prædictum terminum* Lundoniam *veniatis, quatinus de hoc & de ceteris negotiis aliquantulum vobiſcum deliberare valeamus. Valete.*

Idus Decembris celebrata eſt ſinodus apud *Weſtmonaſterium.* Cui præfuit ſupradictus *Albericus Hoſtienſis* epiſcopus, & domini papæ *Innocentii* in *Angliam* & *Scotiam* legatus, cum epiſcopis diverſarum provinciarum numero xvij. abbatibus fere xxx. & cleri & populi multitudine numeroſa. Ubi poſt multarum diſcuſſiones cauſarum hæc capitula ſubſcripta promulgata ſunt.

I. S*Anctorum patrum canonica inſtituta ſequentes, auctoritate apoſtolica interdicimus, ut pro criſmate, pro oleo, pro baptiſmate, pro pœnitentia, ſeu pro deſponſatione mulierum, pro viſitatione infirmorum, ſeu pro unctione, pro communione corporis Chriſti, pro ſepultura, nullum omnino precium exigatur. Et qui præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat.*

II. *Statuimus eciam, ut non pluſquam octo dies corpus domini ſervetur, neque ad infirmos niſi per ſacerdotem vel diaconem, vel quemlibet clericum inſtante neceſſitate cum ſumma reverentia deportetur.*

III. *Item apoſtolica auctoritate ſancimus, ut in conſecrationibus epiſcoporum vel abbatum benedictionibus, non capam, non indumentum eccleſiaſticum, neque quicquam ab epiſcopo vel à miniſtris ejus exigatur. In dedicationibus quoque eccleſiarum non tapete, non manutergium, non bacinia, nichilque omnino præter corredium ſacris canonibus inſtitutum requiratur.*

IV. *Si quis epiſcoporum in dioceſi ſua per alium epiſcopum eccleſiam conſecrari fecerit, apoſtolica auctoritate prohibemus, ne quid inde ultra corredium ejuſdem exigat.*

V. *Nullus omnino de manu laici eccleſiam ſeu qualibet eccleſiaſtica beneficia accipiat. Cum autem inveſtituram per epiſcopum aliquis acceperit, pracipimus ut ſuper evangelium juret, ſe nichil propter hoc per ſe vel per aliam perſonam dediſſe alicui vel promiſiſſe. Et ſi præſumptum fuerit, irritum fore decernimus.*

VI. *Clericos ab alienis epiſcopis abſque litteris proprii epiſcopi ordinatos à ſuſceptorum ordinum officiis inhibemus, ſolique* Romano *pontifici eorundem plenaria reſtitutio reſervetur, niſi religionis habitum ſuſceperint.*

VII. *Sanctorum patrum veſtigiis inhærentes, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, uxoratos, concubinarios, eccleſiaſticis beneficiis & officiis privamus: Ac ne quis eorum miſſas audire præſumat, apoſtolica auctoritate prohibemus.*

VIII. *Venatores clericos & turpia lucra ſectantes ac publica ſecularium negotia procurantes, ab officio & beneficio eccleſiaſtico nichilominus removendos eſſe cenſemus.*

IX. *Si quis clericum vel monachum vel ſanctimonialem ſeu quamlibet eccleſiaſticam perſonam occiderit, incarceraverit, vel nepharias eis manus intulerit, niſi tercio admonitus ſatiſfecerit, anathemate feriatur, neque quiſquam ei præter* Romanum *pontificem niſi mortis urgente periculo modum pœnitentiæ finalis injungat. Si inpœnitens mortuus fuerit, corpus ejus inhumatum maneat.*

X. *Si quis res eccleſiarum mobiles vel inmobiles violenter uſurpare præſumpſerit, niſi per canonicam vocationem emendaverit, eum excommunicari præcipimus.*

XI. *Apoſtolica auctoritate prohibemus, ne quis abſque præcepto Epiſcopi ſui in poſſeſſione propria eccleſiam vel oratorium conſtruat.*

XII. *His ſubjunximus* Nicholai *papæ decretum dicentis, Cum diſcreti ſint milites Chriſti à militibus ſeculi, non convenit militem Chriſti ſeculo militare, per quam ad effuſionem ſanguinis neceſſe ſit pervenire. Denique ſicut turpe aut pernicioſum eſt, laicum miſſas facere, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti conficere: ita ridiculum & inconveniens eſt clericum arma ſuſtollere, & ad bella procedere, cum* Paulus *egregius prædicator dicat,* Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis.

XIII. *Adicimus decretum* Innocentii *papæ dicentis, Monachi diu in monaſteriis morati, ſi poſtea ad clericatus honorem pervenerint, non debent aliquatenus priori propoſito deviare, ſed ſicut in monaſteriis poſiti fuerunt, ita in clericatus ordine degere debent, & quod diu ſervaverunt, in altiori gradu poſiti amittere non debent.*

XIV. *Prohibemus eciam auctoritate apoſtolica ſanctimoniales variis ſeu griſiis, ſabelinis, marterinis, beverinis pellibus, hereminis, anulis aureis uti; cujus decreti quæ inventa fuerit violatrix anathemati ſubjaceat.*

XV. *De omnibus primitiis rectas decimas dare apoſtolica auctoritate pracipimus, quas qui reddere noluerint anathematis in eos ſententia proferatur.*

XVI. *Magiſtri ſcolarum ſi aliis ſcolas regendas commiſerint, prohibemus ne propter hoc quicquam ab eis exigant, quod ſi fecerint, eccleſiaſticæ vindictæ ſubjaceant.*

Soluto igitur prædicto concilio & quibuſque in ſua redeuntibus, *Jeremias* Prior *Cantuarienſis* eccleſiæ cum aliquibus ex conventu à rege vocatus, præſente legato ſimul & rege, nonnullis primoribus & epiſcopis *Angliæ*, elegit *Theodbaldum* abbatem *Beccenſem* ad regimen ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ proximo ſabbato ante natale: unde *Henricus Wintonienſis* epiſcopus frater regis & *Innocentii* papæ legatus vehementer indignans, ordines quos jam inceperat dicitur reliquiſſe. Ambiebat enim archiepiſcopatum *Cantuarienſis* eccleſiæ, ſed per regem ſimul & reginam male concupito fraudatur honore; Unde dictus eſt à nonnullis in partes imperatricis cum Comite *Roberto* & *Milone* ſummo regis Conſtabulario declinaſſe.

XIX.

M.Cxxxix. *Theodbaldus Cantuarienſis* electus venit *Cantuariam*, & conſecratus eſt ab *Alberico Hoſtienſi* epiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato ſexto idus An. Dñi 1139.

idus Januarii ad altare Chriſti, aſtantibus & cooperantibus omnibus fere epiſcopis *Anglia*. Poſt dies autem paucos transfretavit legatus. Conſecratus igitur *Theodbaldus*, monachos xij. miſit ad novam *Dovorenſem* eccleſiam, & præpoſuit eis Priorem *Aſcelinum Cantuarienſis* eccleſiæ ſacriſtam. Eodem menſe videlicet Januario transfretavit *Theodbaldus Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopus, *Romam* pro pallio profecturus. Facta eſt hoc anno eclipſis ſolis circa horam nonam xiij. kal. Aprilis, & apparuerunt ſtellæ plurimæ circa ſolem. *Theodbaldus* archiepiſcopus ſuſcepto pallio à *Roma* reverſus, eſt à *Cantuaritis* cum honore debito ſuſceptus.

Menſe Julio reverſus eſt Comes *Robertus* in *Angliam*, ducens ſecum ſororem ſuam eximperatricem cum grandi exercitu pugnatorum, & aplicuit apud *Porteſmutham*. Suſcepta eſt imperatrix jure hoſpitii cum ſociis ſuis in caſtello de **Arundell** quod mari vicinum eſt, ab *Adeliza* quondam regis *Henrici* regina, tunc autem amica vel uxore *Willielmi* Comitis de *Arundello*. Comes vero *Robertus* ſorore ſua ibidem dimiſſa, alias prudenter divertit. Initia laborum & dolorum ſunt hæc. Licet enim tota terra ante ejus adventum turbata fuerit, adventus tamen ipſius diſcidium graviſſimum, immo pene ultimum toti patriæ intulit excidium. Rex autem diebus illis obſidebat caſtellum de **Marleberge**. Qui audito rumore de adventu Imperatricis & Comitis, vehementer turbatus obſidionem ſolvit, & cum feſtinatione nimia verſus *Arundellum* iter arripuit. At regina ex regis adventu tremefacta, ne dignitatis vel juris quod in *Anglia* habuerat dampna pateretur, Regis iram jurejurando placavit, quod nemo ſcilicet inimicorum ſuorũ ejus conſilio *Angliam* intravit, ſed ſalva dignitate regia & fidelitate viris auctoritatis utpote ſibi quondam familiaribus hoſpitium præbuit. Pacificatus itaque rex præcepit fratri ſuo *Wintonienſi* epiſcopo, ut cognatam ſuam videlicet imperatricem uſque *Briſtoviam* perduceret: ipſe vero cum omni exercitu ſuo Comitem *Robertum* perſecutus eſt. Comes autem præmunitus regis conatus prudenter declinavit. Imperatrix vero per duos menſes apud *Briſtoviam* reſedit. Indeque ſecedens, menſe Octobri *Glaornenſem* venit ad urbem. Rumore igitur per omnem *Angliam* de adventu ejus diffuſo, *Milo* regis Conſtabularius multique procerum cum multa militum manu ab obſequio regis receſſerunt, & priſtinis fidei ſacramentis innovatis, ad partem imperatricis tuendam converſi ſunt. Sola itaque cupiditate regnandi multiplicata ſunt mala in terra. Quorum multitudinem non valet quiſquam ad plenum comprehendere contextu hiſtoriæ, quanto minus cronicorum compilatione? Sed ut ſummatim aliqua breviter dicantur; Rex & regiæ majeſtati utcumque faventes, quæcumque mala inferri vel excogitari poterant, his qui imperatricis partes tuebantur inferebant. E contra Comes *Robertus* pro ſorore agens creſcebat indies, & quoſcumque ſibi reſiſtentes vel regi parentes comprehendere potuit, non ſolum vinculis ſed & tormentis *Datianis* vel *Diocletianis* afficiebat, & diverſis mortibus perimebat. Hæc non ſolum Rex vel Comes faciebant, ſed & omnes partibus eorum faventes. *Flandrenſes* igitur terræ incolis ab olim invidentes, relicto natali ſolo, depoſitoque quod illi populo familiare & quaſi proprium eſt texendi officio, catervatim in *Angliam* confluunt, & famelicorum more luporum fœcunditatem terræ *Anglicana* ad nichilum redigere ſtuduerunt. Nec tantum Rex pro ſe & Comes pro imperatrice ſibi invidebant, ſed cauſa eorum nec vicinus in proximo, nec amicus in amico, nec frater in fratre potuit fidem habere. His ita ſe mirabiliter, immo miſerabiliter habentibus, rex *Walingeſfordiam* obſedit, & nichil profecit. Obſidionis vero diutinæ labore pertæſus, turrim ligneam ante caſtellum fieri præcepit, quam militibus & armis fortiter munivit, & ſic ad *Malmeſberiam* expugnandam profectus eſt. Exercitus vero Comitis *Roberti* civitatem *Wigornia* expugnavit ſeptimo idus Decembris, & in parte plurima combuſſit, tandemque capta præda receſſit. Cuſtos autem civitatis ejuſdem hinc ultionem expetens *Sudlegiam* adiit, vaſtavit, & capta præda *Wigorniam* rediit.

M.C.xl. Ciclus decennovennalis incipit. I. An. Dñi 1140.
Poſt natale domini rex venit *Radingum*, indeque progreſſus ad *Helienſem* civitatem movit exercitum. Quo audito, *Helienſis* epiſcopus fugam iniit, & in partes *Glaornia* ad comitem *Robertum* ſeceſſit. Rex autem *Helienſe* caſtellum obtinuit. Hoc anno *Turſtanus* archiepiſcopus *Eboracenſis* apud *Pontemfractum* monachicum ſumpſit habitum xij. kal. Februarii, & nonis ejuſdem ibidem vitam finivit & ſepultus eſt, epiſcopatus ſui anno xxvij. Cujus corpus poſt annum & menſes 5. integrum & odoriferum repertum eſt. Menſe Februario deſponſavit *Euſtachius* filius regis *Stephani* ſororem regis *Francia Lodovici*, nomine *Conſtantiam*, præſente matre ſua regina *Anglia Adeliza* aliiſque nobilibus viris utriuſque regni in partibus transmarinis. Suſcepit etiam idem *Euſtachius* ducatum *Normannia*, indeque regi *Francia* fecit homagium. Eclipſis ſolis facta eſt circa horam terciam xj. kal. Aprilis feria ſecunda. Ante nativitatem ſanctæ *Maria* comes *Robertus* inſtinctu *Radulfi Painelli* in fortitudine gravi invaſit repente urbem **Snotingeham**, & bellico apparatu vacuam reperiens cœpit eam vaſtare, civibus undique ad eccleſias fugientibus. Quorum plurimi capti, aliqui trucidati, plures autem in ipſis eccleſiis concremati ſunt. Unus autem è civibus qui ditior videbatur, ſtrictius detentus ad domum ſuam ductus eſt, & pecuniam ſuam perſecutoribus proferre coactus eſt. At ille in ſubterraneum ſuum prædones adduxit, eo quod ibi omnem ſupellectilem ſuam repoſuiſſe fatebatur. Illis itaque circa direptionem rerum, hoſtiis & ſeris frangendis intentis, ille callide elapſus, cameras & aulam egreſſus eſt, & hoſtia omnia poſt ſe diligenter firmavit. Deinde impoſito igne, domos & omnia quæ habuit cum ipſis prædonibus incendio tradidit. Ferunt autem amplius quam xxx. ibi combuſtos eſſe, & ex hoc incendio totam civitatem eſſe combuſtam. Dum hæc & his ſimilia modo miſerabili gererentur in *Anglia*, comes *Gaufridus Andegavenſis* zelo depreſſæ conjugis ſcilicet eximperatricis vehementer turbatus, propoſuit animo regem *Anglia* pro poſſe ſuo ſaltem in *Normannia* perturbare. Congregato itaque exercitu non modico, *Normanniam* intravit, civitates & oppida viriliter expugnavit & cepit, tandemque totam *Normanniam* ſibi ſubjugavit. Rex autem perturbationibus *Anglicis* intentus, nullum potuit *Normannis* conferre ſolatium. II.

M.C.xlj. *Randulfus* comes *Ceſtrenſis* regi admodum infeſtus imperatricem extollere feſtinabat. 1141. Quo cum ſummis viribus adverſus regem decertante, ac tandem *Lincolnia* civitatem violenter obtinente, rex cum omni virtute ſua eandem urbem hoſtiliter adiit, & deficientibus à *Ranulfo* modicæ fidei civibus, arcem civitatis obſidione fortiſſima cinxit. Quo audito, Comes *Robertus* cum exercitu ſuo *Lincolniam* petiit, cui Comes *Ranulfus* cum ſuis copiis peditum ſcilicet & equitum electorum gratulabundus occurrens, junctus eſt ei, & factus eſt utriuſque partis exercitus innumerabilis. Dum autem rex *Stephanus* eccleſiam intraret in die tantæ ſolennitatis ſcilicet Purificationis miſſam auditurus, prædicti conſules *Robertus* & *Ranulfus* in regem acies ſuas diſponebant. Primam aciem habebat comes *Ranulfus*, ſecundam, hi quos rex *Stephanus* juſte vel injuſte exhæreditaverat, terciam comes *Robertus* cum *Walenſibus* qui à latere procedebant, audacia magis quam armis inſtructi. Tunc comes *Ceſtrenſis* vir bellicoſus & armis inſignis *Robertum* comitem alioſque proceres ſic allocutus eſt.

GRatias tibi Dux multas, vobiſque proceres & commilitones mei cum ſumma devotione perſolvo, qui uſque ad vitæ periculum amoris affectum michi magnanimiter exhibuiſtis. Cum igitur ſim vobis cauſa periculi, dignum eſt ut me periculo prius ingeram, & infidiſſimi regis qui datis induciis pacem fregit aciem prius allidam. Ego quidem tam de regis injuſtitia quam de mea confidens virtute, jam jamq; regalem cuneum diffindam, gladio michi viam per medios hoſtes parabo, veſtræ virtutis erit ſubſequi me præeuntem & imitari ferientem. Jam videor michi præſago animo regias acies tranſvolare, regemq; gladio tranſverberare. Dixerat. Et Comes *Robertus* ſic juveni reſpondit, in loco ſtans eminenti.

NOn indignum eſt quod iſtus primi dignitatem tam ex nobilitate quam virtute qua præcellis videris appetere; ſi tamen de nobilitate contendas, ego filius regis & nepos antecello; ſi de virtute, hic ſunt multi quibus nemo viventium poteſt præferri probitate, ſed longe alia me movet offenſa; Rex enim contra ſacramentum quod ſorori meæ fecit, regnum crudeliter uſurpavit, & omnia conturbans, multis milibus cauſa necis extitit; ad exemplumque ſui nil juris habentibus terras diſtribuit, jure poſſidentibus diripuit. Ab ipſis itaque nequiter exhæredatis Deo cooperante & vindictam ſubminiſtrante prius erit agrediendus: Reſpiciet qui judicat populos, &c. & injuſtum juſte appetentes in hac tanta neceſſitate non relinquet. Unum vero eſt proceres quod vobis animo firmiter ingerere volo, quod per paludes quas pertranſiſtis, nulla poteſt eſſe fugientibus reverſio; hic eſt igitur vel vincendum vel ſuccumbendum, ſpes fugæ nulla, hoc ſolum ſupereſt ut in urbem gladiis viam paretis, hoc autem quod fugere nuſquam poteſtis illud eſt quod hodie Deo vobis adjuvante victoriam præſtabit. Neceſſe eſt enim ut ad probitatem confugiat cui non poteſt aliud eſſe diffugium. Cives autem Lincolniæ *qui ſtant urbi ſuæ proxime in impetus veſtri gravedine ad domos ſuas transfugere videbitis. Verumtamen contra quos geratis bellum attendite:* Alanus Britonum *Dux contra vos, immo contra Deum procedit armatus, vir nefandus & omnium genere ſcelerum pollutus, malitia parem neſcius, cui nunquam nocendi defuit affectus, cui ſe non eſſe crudelitate incomparabilem ſolum & ſuppremum videtur opprobrium. Procedit quoque contra nos Comes* Mellenſis *doli callidus, fallendi artifex, cui innata eſt in corde nequitia, in ore fallacia, in opere pigritia; magnanimus ore, puſillanimis corde; ad congrediendum ultimus, ad digrediendum primus; tardus ad pugnam, velox ad fugam. Procedunt cæteri Conſules & proceres latrociniis aſſueti, rapinis delibuti, homicidiis ſaginati, omnes tandem perjurio contaminati. Vos igitur viri fortes quos rex* Henricus *erexit, iſte dejecit, ille inſtruxit, iſte deſtruxit, erigite animos, & de virtutibus veſtris, immo de Dei juſtitia confiſi, vindictam vobis à Deo oblatam de facinoroſis præſumite, & gloriam vobis & poſteris veſtris adquirite ſempiternam. Et jam ſi vobis idem animus eſt, ad hoc Dei judicium perpetrandum progreſſionem vovete, fugam abjurate, erectis in cœlum unanimiter dextris.* Vix finierat, & omnes extenſis in cœlum manibus, terribili clamore fugam abjuraverunt, & ſe in armis colligentes, in hoſtes ſplendide progrediuntur. Rex interea *Stephanus* curarum magnis exæſtuans fluctibus, ut prædictum eſt, miſſam in tanta ſolennitate Purificationis audivit. Accidit autem ibidem triſte præſagium futurorum. Cum enim cereum rege dignum de more offerens manibus *Alexandri* epiſcopi imponeret, in fruſta cereus eſt confractus. Pixis quoque quæ cum euchariſtia deſuper altare pendebat, abrupto vinculo corruit, ſignumque dedit occaſus. Rex tamen nichilominus ſtrenuiſſimus audacter egreſſus eſt, acieſque cum ſumma ſecuritate bello diſpoſuit. Ipſe pedes circa ſe omnem multitudinem loricatorum equis abductis ſtrictiſſime collocavit. Comes vero cum ſuis in duabus aciebus equis pugnaturos inſtituit, ſed admodum parvæ equeſtres acies illæ comparuerunt. Paucos enim ſecum ficti & factioſi conſules adduxerant. Acies autem regalis maxima erat, uno tantum ſcilicet regis inſignita vexillo. Tunc quia rex *Stephanus* feſtiva caruit voce, *Baldewino* magnæ nobilitatis viro ſermo exortatorius ad univerſum cœtum injunctus eſt. Qui loco ſtans eminenti, omnium oculis in eum erectis, ubi attentionem eorum modeſta taciturnitate compeſcuit, in hunc modum exorſus eſt. *Omnes qui aciebus diſpoſitis conflicturi ſunt, tria prævidiſſe oportet. Primum juſtitiam cauſæ; deinde militum copiam; poſtremo aſtantium probitatem. Juſticiam cauſæ, ne periculum animæ incurratur. Copiam militum, ne hoſtium numeroſitate comprimatur. Probitatem aſtantium, ne numero confiſa, debilibus tamen innixa ſubruantur. In his omnibus negotium quo tenemur conſpicimus expeditum; cauſæ ſiquidem noſtræ juſticia eſt, quod regi ea quæ coram Deo vovimus ſervantes, contra ſuos in eum perjuros in periculo mortis aſtamus. Numerus vero nobis in equitibus non inferior, in peditibus confertior. Probitatem vero tot Conſulum, tot militum bellis aſſuetorum quis vocibus exequetur? Virtus autem ipſius regis infinita nobis loco mille militum præſtabit. Cum igitur ſit in medio veſtrum dominus veſter, unctus Domini, cui fidem devoviſtis, votum Deo perſolvite, tanto magis donativum à Deo accepturi, quanto fidelius & conſtantius pro rege veſtro fidi contra infidos, legitimi pugnaveritis contra perjuros. Qui eciam ſecuri & ſumma repleti confidentiæ contra quos bellum geratis perpendite.* Roberti *comitis vires notæ ſunt. Ipſe quidem multum de more minatur, parum operatur, ore leoninus, corde leporinus, clarus eloquentia, obſcurus inertia. Comes autem* Ceſtrenſis *vir audaciæ irrationabilis, promptus ad conſpirandum, inconſtans ad perficiendum; ad bellandum*

dum impetuoſus; periculi inprovidus, altiora uſurpans, impoſſibilibus anhelans, aſſiduorum paucos adducens, advenarum diſperſam multitudinem congregans; nichil habet quo debeat timeri, ſemper enim quicquid viriliter inceperit, effeminate reliquit, in omnibus quippe geſtis ſuis infortunate rem agens, vel in congreſſionibus victus aufugit, vel ſi raro victor extitit majora victis ſuſtinuit detrimenta. Walenſes *autem quos ſecum adduxit ſoli vobis deſpectui ſint qui inermem bello præferunt temeritatem, arte & uſu belli carentes quaſi pecora in venabula decurrentes; alii vero tam proceres quam milites transfuga & girovagi utinam numero plures adducerentur, qui quanto numero plures tanto ſibi deteriores. Vos igitur Conſules & viri conſulares, meminiſſe vos decet veſtræ virtutis & nobilitatis; hodie probitates veſtras innumeroſas in cacumen fortiſſimum extollite, & patrum imitatores filiis veſtris ſplendorem relinquite ſempiternum. Aſſiduitas infortuniorum incentivum illis fiet fugiendi. Jam ſiquidem, nec fallor, eos pœnitet veniſſe, et jam de fuga meditantur ſi locorum aſperitas eos admittat. Cum ergo nec illis confligere nec confugere ſit poſſibile, quid aliud egerunt niſi quod vobis Dei nutu & ſe & impedimenta ſua obtulerunt?*

Cur capiantur habent, non cur metuantur ab hoſte.

Equos itaque eorum & arma & ipſorum corpora ditioni veſtra ſubjecta conſpicitis. Extendite igitur animos veſtros & dextras inexpugnabiles viri bellicoſi, ad deripiendum cum ſummo tripudio quod ipſe vobis optulit Deus. Sed jam antequam orationis finem terminaret, clamor adeſt hoſtium, clangor lituorum, equorum fremitus, terræ ſonitus, Principium pugnæ. Acies exhæreditatorum quæ præibat percuſſit aciem regalem, in qua Conſul *Alanus* & ille de *Mellento* et *Hugo Bigod* et *Simon* Comes & ille de *Warenna* inerant tanto impetu, quod ſtatim quaſi in ictu oculi diſſipata eſt, & diviſio eorum in tria devenit. Alii namque eorum occiſi ſunt, alii capti, alii aufugerunt. Acies vero cui principabatur Comes de *Albemarle* & *Willielmus Yprenſis* percuſſit *Walenſes* qui à latere procedebant, & in fugam coegit. Sed acies Conſulis *Ceſtrenſis* perculit cohortem prædicti Comitis & diſſipata eſt in momento ſicut acies prior. Fugerunt ergo omnes equites regis, & *Willielmus Yprenſis* vir magnæ probitatis. Qui cum eſſet belli peritiſſimus ſuam videns impoſſibilitatem, diſtulit regi auxilium ſuum in tempora meliora. Rex itaque *Stephanus* cum acie ſua pedeſter relictus eſt in medio hoſtium circumſeptus. Circuierunt igitur eum & circumquaque impugnabant, ſicut caſtellum ſolet expugnari. Tunc vero horrendi belli faciem videres in circuitu regalis aciei, ignem proſilientem ex galearum & gladiorum colliſione, ſtridorem horrendum & terrificum clamorem. Reſonabant colles, reſonabant undique muralia. Impetu igitur equorum regalem turmam offendentes, quoſdam cædebant, alios ſternebant, nonnullos abſtractos capiebant. Nulla eis quies, nulla reſpiratio dabatur, niſi in ea parte qua rex fortiſſimus ſtabat, horrentibus eciam inimicis incomparabilem animi ejus virtutem & ictuum immanitatem. Quod ubi comes *Ceſtrenſis* nobilis ille et admirabilis *Rannulfus* comperit, regis invidens gloriæ, cum omni pondere armatorum irruit in eum. Tunc vero apparuit virtus regis fulminea, bipenni maxima proſternens hos, & diruens illos. Tunc novus oritur clamor, omnes irruunt in regem, & rex quaſi intrepidus omnibus reſtitit. Tandem regia bipennis ex immanitate ictuum frequentium confracta eſt. Ipſe autem incunctanter abſtracto gladio, dextra lævaque rem mirabiliter agit, donec & ipſe gladius confractus non modicam incuſſit deſperationem. Quod videns *Willielmus de Kahames* miles validiſſimus irruit in regem quem videbat inermem, & eum galea arripiens voce magna clamavit & dixit, Huc omnes huc, regem teneo. Advolant igitur omnes, & rex accepto in capite vulnere, captus tenetur; & diligentiſſime cuſtoditur. Captus eſt eciam *Baldewinus* ille qui orationem fecerat, multis confoſſus vulneribus, ubi egregie reſiſtendo gloriam meruit ſempiternam. Captus eſt eciam *Ricardus filius Urſi*, qui in ictibus dandis & recipiendis apparuit glorioſus. Capti ſunt alii plures quorum nomina ut reor inutile eſſet memoriæ commendare. Capto autem rege adhuc pugnabat acies regalis, neſciens forſitan quod ſuo jam privaretur tutore, nec enim circumſepti fugere poterant, donec omnes fere capti ſunt vel occiſi. Civitas igitur hoſtili lege direpta eſt, & rex in eam miſerabiliter introductus eſt. Videres itaque rem ineſtimabilem accidiſſe, omnia enim in contrarium commutata ſunt; nam audaces timidi effecti ſunt, & quos ante pudibundus timor invaſerat, jam verſa vice leoninam audaciam præferebant, & qui huc uſque regis erant fautores jam ipſius inſectatores effecti ſunt. Captus eſt itaque rex *Stephanus* die purificationis S. *Mariæ* Dominica ſexageſimæ, decennovennalis cicli anno ſecundo, regni vero ſui anno ſexto. Capti ſunt cum eo quamplures ex fidelibus ſuis, & vinculis mancipati; ſic igitur obſidione ſoluta, & civitate ſubacta, rex captivus primo ad *Gloeceſtriam*, ubi imperatrix tunc temporis erat, deinde ad *Briſtoviam* abducitur, & cuſtodiæ ſub vinculis mancipatur. Morabatur interea imperatrix in civitate *Gloeceſtrenſi* quæ ob hujuſmodi eventum vehementer, nec mirum, eſt exhilarata. Habito igitur cum ſuis conſilio, feria quinta poſt acceptos cineres à *Gloeceſtria* ſeceſſit, & Epiſcopis, Baronibus, militibus & fautoribus multis comitata *Cireſtenſem* adiit civitatem. Inde ſecedens, cum ad civitatem *Wintoniæ* appropinquaret, occurrerunt ei præſules *Angliæ* & abbates plurimi cum Baronibus & militibus multis, occurrerunt ei quoque ex ipſa civitate duo conventus monachorum, tercius ſanctimonialium cum clero & populo civitatis, in laudibus & melodiis proceſſionalibus. Traditum eſt ei dominium civitatis, & turris cum corona regni. Ipſe quoque epiſcopus *Wintonienſis* & regis frater ſtans in ſullimi, maledixit omnibus qui ei videlicet imperatrici maledicerent vel contradicerent, & benedixit omnibus qui ei benedicerent & conſentirent. Qua peracta ſolempnitate, à *Wintonia* egreſſa, *Wiltoniam* adiit, ubi ad ſalutandum eam affuit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus & *Angliæ* primas. Affluxit eciam tam copioſa populorum frequentia, ut præ multitudine introeuntium vix ſufficeret aditus portarum. Inde jam peractis feſtis paſchalibus, ad *Radingum* infra Rogationes veniens, cum magnis honoribus ſuſcepta eſt. Inde *Oxenefordiam* properans, accepit de manu *Roberti de Olli* caſtellum ipſius loci. Sicque omnis facies circumjacentis regionis cum ipſa urbe ejus ſubditur ditioni. Inde cum exultatione magna profecta, apud ſanctum *Albanum* ſuſcepta eſt cum gloria & honore. Venerunt ad ipſam cives *Londonienſes*, ibique inter eos & imperatricem multiplex ſermo habitus eſt de reddenda civitate. Concurrentibus itaque inter eos pacificis ſermonibus, à ſancto *Albano* digreditur, ſicque ſecurior effecta, *Londonienſem* properavit ad urbem. Apud *Weſtmonaſterium* cum proceſſionali gloria ſuſcepta eſt, ibique aliquantis diebus de regni ſtatu diſpoſitura reſedit.

His diebus horrendum quid in *Wigornienſi* contigit dioeceſi, quod relatu dignum judicamus; ſiquidem quarta feria ante octavam Aſcenſionis circa nonam diei horam apud villam quæ *Weleſburna* dicitur, ventus turbinis vehemens exortus eſt, & caligo teterrima pertingens à terra uſque ad cœlum, & concutiens domum presbyteri cui nomen *Leouredus*, & officinas ejus omnes ſolo tenus proſtravit & minutatim confregit. Tectum quoque eccleſiæ abſtulit & ultra *Avenam* flumen projecit. Domos eciam ruſticorum fere quinquaginta ſimili modo dejecit & inutiles reddidit. Grando quoque ad magnitudinem ovi columbini cecidit; cujus ictibus percuſſa quædam mulier expiravit. Imperatrix vero dedit epiſcopatum civitatis *Londonia* cuidam monacho *Radingenſi* nomine *Roberto de Sigillo*. Regina autem pro domino ſuo rege ſollicita, interpellavit eam ſupplicationibus multis, ut virum ſuum regem captivum liberaret. Interpellata eſt pro eadem cauſa à majoribus ſeu primoribus *Anglia*, obſidibus multis, caſtellis & divitiis magnis ſuæ ditioni tradendis, ſi rex abſolutus non regno ſed ſuæ tantum redderetur libertati; ſe etenim regi perſuaſuros eſſe ſpoponderunt, ut regno dimiſſo Deo ſoli ſive monachus ſeu peregrinus de cætero deſerviret. At illa non exaudivit eos. Rogata eſt ab ipſo *Wintonienſi* epiſcopo ut comitatus qui erat ſui fratris nepoti ſuo daretur, ſcilicet filio regis; ſed nec hunc exaudivit. Interpellata eſt à civibus *Londonienſibus*, ut leges *Edwardi* regis quæ optimæ videbantur eis liceret obſervare. Verum illa præ nimia auſteritate intumeſcens, non adquievit eis. Innotuerunt hæc celeriter civibus *Londonienſibus*, indeque vehementer indignati ſunt, factaque conjuratione adverſus eam, quam cum honore ſuſceperant, cum dedecore comprehendere ſtatuerunt. At illa à quodam civium præmunita, ignominioſam cum ſuis arripuit fugam, omni ſua ſuorumque ſupellectili poſt terga relicta. Quo viſo, *Wintonia* præſul *Henricus* ad liberationem fratris ſui mentem appoſuit, atque ad hoc peragendum *Londonienſium* civium animos virtutemque concitavit. Porro imperatrix fugiens per *Oxenefordiam* concito curſu *Gloeceſtriam* pervenit, ubi cum *Milone* fideli ſuo habito conſilio, cum eodem mox ad *Oxenefordiam* reverſa eſt, melioris fortunæ eventus præſtolatura, diſperſoſque milites ſuos revocatura. Quia vero ejuſdem *Milonis* præcipue fruebatur conſilio & auxilio fovebatur, utpote quæ eatenus nec unius diei victum nec menſæ apparatum aliunde quam de ipſius munificentia ſive providentia acceperat, pro magnæ remunerationis præmio & ut eum ſuo artius vinciret miniſterio, dedit ei comitatum *Herefordia*. Inde jam militum virtute roborata & numero, appropinquante feſto ſancti *Petri* quod dicitur *ad vincula*, ignorante fratre ſuo Comite *Roberto*, *Wintonienſem* venit ad urbem; ſed eam jam à ſe alienatam inveniens, in caſtello ſuſcepit hoſpicium. Cujus inopinatum adventum epiſcopus *Henricus* admirans, indeque vehementer turbatus, per aliam portam egrediens, ſeſe tunc & deinceps conſpectibus ejus abſentavit, & congregata conſpirantium multitudine civitatem ipſam fortiter cœpit obſidere. Congregati ſunt ex adverſo ad defenſionem imperatricis amici ipſius, frater ejus Comes *Robertus* & fideles ejus, & repleta eſt civitas multitudine virorum fortium & pugnatorum. Civium quoque *Londonienſium* ut inchoata perficerent affuit multitudo. Hinc jam diſcordiis in alterutrum prorumpentibus, civitas famoſa ſecunda die menſis Auguſti, agente & præcipiente ejuſdem civitatis epiſcopo, traditur incendio, quo monaſterium ſanctimonialium cum officinis ſuis, & pluſquam viginti eccleſiis cum meliori parte civitatis, & cœnobio ſancti *Grimbaldi* cum ædibus ſuis in cinerem redactum eſt. Septem igitur ſeptimanis in obſidione tranſcurſis, epiſcopus tandem ad obſeſſorum animos fallendos præcepit per urbem pacem prædicari, & portas civitatis aperiri, adveſperaſcente jam die quæ feſtivitatem exaltationis ſanctæ crucis præcedebat. Imperatrix itaque cum diutinæ obſidionis graviſſimas fuiſſet perpeſſa moleſtias, deſideravit animo locum mutare, animumque turbatum alibi commodius recreare. Jam imperatrix equum aſcenderat, comitante ſecum fratre ſuo *Reginaldo* Comite *Cornubia*, domeſticis quoque & amicis ſuis multis. Porro Comes *Robertus* cum grandi procerum militumque caterva ſequebatur à tergo. Jam ipſi proceſſerant, & ecce ſubito juſſit epiſcopus ſuos ad arma convolare, & hoſtes viriliter perſequi, comprehendere & necare. Epiſcopales itaque ex improviſo exilientes, cum impetu magno & clamore abeuntes inſequuntur, cædunt & ſcindunt, & plurimos captos vinculis ſtringunt. Territa imperatrix aufugit velocius, & ad caſtellum quo tendebat de **Lutegareſhale** triſtis & exanimis advenit, ſed & ibi propter metum epiſcopi ſecura eſſe non potuit. Unde hortantibus amicis uſu maſculino equo ſuperpoſita, uſque ad caſtellum *Diviſas* nuncupatum perducta, cum nec ibi ſe tutari poſſe formidaret, jam pene exanimis feretro invecta & quaſi cadaver funibus ligata, equis eam deferentibus ad civitatem *Glaornenſem* deportatur. Porro Comes *Robertus* per aliam viam à *Wintonia* egreſſus, ab inſequentibus oppreſſus eſt, atque in loco qui **Stoubregge** dicitur cum Comite *Warennia* aliiſque pluribus captus, & reginæ per epiſcopum civitatis in urbe *Wintonia* reſidenti præſentatus. Traditur itaque Comes *Robertus Willielmo Iprenſi* qui *Cantia* abutebatur, & per ejus imperium in turre *Rofenſi* cuſtodiæ mancipatur. *Milo* eciam Conſtabularius qui ut ſupradictum eſt à rege receſſit, ab hoſtibus circumſeptus, ſed mirabiliter elapſus, de ſola vita lætus venit *Gloeceſtriam* fere nudus. *Johannem* eciam nobilem quendam fautorem eorum ad monaſterium *Warwellenſem* fugientem milites epiſcopi perſequentes cum eum exinde extrahere non valerent, in ipſa feſtivitate ſanctæ crucis eccleſiam cremaverunt cum domibus, & libris & veſtimentis Sanctimonialium inclementer ablatis, humanoque ſanguine coram ipſo altari effuſo, prædictum vero *Johannem* nec capere, nec expellere potuerunt. His itaq; geſtis, præſul *Henricus* ira quantulumcunq; ſedata ſed cupiditate admodum dilatata, ſuggerente Priore novi monaſterii nuperrime conflagrati, tulit ex combuſta cruce quingentas argenti libras, auri quoque marcas triginta, diademata tria cum totidem ſcabellis ex auro *Arabico* puriſſimo & lapidibus precioſiſſimis undique operta opere pulcherrimo & mirifico facta, eaque in ſuis recondidit theſauris. Servabantur interea hinc rex inde Comes ſub cuſtodia diligenti. Veruntamen regina ſatagente pro rege & comitiſſa admodum deſudante pro comite, multis internuntiis & amicis hinc inde diſcurſantibus talis vix tandem providetur conditio, ut rex ſuo reſtitutus regno & comes ſub eo totius *Angliæ* ſublimaretur dominio, fierent ambo regni & patriæ juſti moderatores ſicut ante fuerant omnium malorum incentores. At Comite id agere renuente abſque conſenſu imperatricis relata ſunt hæc ad imperatricem. Illa vero contradixit, omnemque pacem & concordiam erga regem *Stephanum* abnegavit. Inter amicos tamen utriuſque partis hæc tandem facta eſt compoſitio, vel ut verius dicatur colluſio, ut regina Comitem liberum dimitteret, & Comitiſſa regem regno reſtitueret. Acta ſunt hæc circa feſtivitatem omnium Sanctorum. III.

An. Gr̃æ 1142. M.Cxlij. Annus gratiæ multis & maxime pauperibus ingratus effectus eſt, quia fere totus in ædificatione caſtellorum, combuſtione villarum, violatione eccleſiarum, & maxime completus eſt in pauperum deprædatione; unde coacto apud *Londonias* concilio, præſidente *Henrico Wintonienſi* epiſcopo, & apoſtolicæ ſedis legato, cum venerabili *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo conſidentibus epiſcopis *Angliæ* & abbatibus plurimis, in talium actores, præceptores, executores, ſed & in caſtellorum fundatores, monachorum vel clericorum ſpoliatores, cæteroſq; malefactores, ſententia excommunicationis publice ac ſolempniter prolata eſt. Sed hanc parvipendentes impii, acrius ſolito rapinis intendebant, lætantur enim cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Rex eciam & Comes à vinculis liberati, & libertati propriæ reſtituti malitiam ſuam adinvicem non ſolum innovare ſed & multiplicare ſtuduerunt; rex namque vires ſuas & expenſas reparavit, Comes vero *Gloceſtriæ* mare tranſivit, & Comitem *Andegaviæ Gaufridum* adiit, quem bellicis rebus occupatum invenit. *Normannia* enim ex novo ſubacta, reſtiterunt ei quidam præpotentes ex *Andegavia*, quos expugnare & ad debitam ſubjectionem ſtuduit inclinare. Cui Comes *Robertus* cauſam ſui adventus inſinuans, rogavit attentius ut in manu robuſta ſecum in *Angliam* veniat, & regni coronam uxori ſuæ filiiſque debitam de manu raptoris tam juſte quam violenter eripiat. At Comes *Gaufridus* reſpondit & dixit, Non expedire ſibi *Angliam* adire, & præſentiam ſuam *Andegavenſibus* nondum plene pacatis, aut *Normannis* ſubtrahere nuper ſubactis. Adquievit *Robertus Gaufridi* rationibus, & tandem aſſumpto ſecum *Henrico* filio ejus primogenito adhuc puerulo, nonnulliſque ex *Normannicis* & *Andegavenſibus* militibus electis, ut in *Angliam* rediret, ad mare deſcendit. Rex autem *Stephanus* dedit archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ cuidam clerico nomine *Willielmo*, quibuſdam clericis ejuſdem eccleſiæ conſentientibus, aliis vero ut audebant reclamantibus; unde factum eſt ut cum *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus ſic factæ non conſentiret electioni, *Henricus* frater regis *Wintonienſis* epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, præſumptuoſa ſemper magnanimitate famam colligens, prædictum electum apud *Wintoniam* conſecraret. Abiit itaque novus ſacratus *Eboracum*, & vix duobus annis ſedit in pace.

Inſtante vero feſtivitate ſancti *Michaelis* imperatrix cum ſuis venit ad *Oxenefordiam* ibidem ad modicum pauſatura, & de neceſſariis tractatura. Rex autem jam reſumpto ſpiritu ut audivit Comitem tranſfretaſſe & imperatricem apud *Oxenfordiam* in pace quieſcere, civitatem ipſam obſeſſurus cum multa peditum equitumque caterva ſubito furibundus advenit, vaſtatiſque omnibus extra urbem poſitis, uſque ad portas nullo jam obſtante pervenit. Conſummatis itaque in obſidione plus duobus menſibus, conſumptiſque jam intra urbem alimoniarum univerſis ſumptibus, appropinquante nativitatis Dominicæ ſolempnitate, erat domina imperatrix in magna cordis anguſtia & dolore cum ſuis conſtituta. Comes autem *Robertus* cum *Henrico* puerulo cæteriſque ſuis copiis applicuit in *Angliam* apud portum *Warhamiæ*. Audiens autem ſororem ſuam à rege fortiter obſeſſam, cupienſque regem ab obſidione revocare, cœpit viriliter caſtellum *Warhamiæ* obſidere. Erant autem in ipſo præſidio milites regis plurimi ſub manu *Hereberti de Luci* conſtituti. Fuitque Comes *Robertus* in obſidione illa per tres ſeptimanas. Imperatrix autem & hi qui cum ipſa erant cum jam pro defectu victualium uſque ad deditionis opprobrium cogeretur, prudenti & neceſſario uſa conſilio fugam meditata eſt artificioſam. Hiemps quippe erat fortiſſima ita ut *Tamenſis* fluvius juxta fluens dura glacie ſtringeretur; nix eciam faciem terræ operuerat. Cum igitur rex urbem ſe capturum ſperaret, & ob hoc *Waramenſibus* obſeſſis nullum voluiſſet præſtare ſubſidium, *Waramenſes* Comiti *Roberto* caſtellum reddiderunt. Imperatrix vero à militibus quinque per poſticum educta, ob fruſtrandos vigilum oculos nitidiſſimis lintheis ſimul omnes cooperti, per nives & glacies, per foſſas & valles, per quinque fere miliaria pedeſtres cucurrerunt fugientes, & ſub ipſa nocte uſque ad caſtellum *Walingefordiæ* mirantibus cunctis qui aderant pervenerunt: ſic fœminea virtus per concretas *Tamenſis* fluvii aquas impetum perſecutoris eluſit, regiæque virtutis labores in irritum duxit. Rex autem audito quod acciderat, confuſus ab *Oxenefordia* receſſit. Comes vero cum jam recepto caſtello *Warhamiæ Oxenefordiam* cogitaret adire, audivit ſororem ſuam manus regis evaſiſſe, unde lætus effectus feſtinavit eam videre. Videns autem imperatrix fratrem filiumque ſuum primogenitum *Henricum*, admodum exhilarata eſt, dolores ſuos & labores priſtinos parvipendens. Puer autem *Henricus* ſub tutela Comitis *Roberti* apud *Briſtoviam* degens, per quatuor annos traditus eſt magiſterio cujuſdam *Mathæi* litteris imbuendus & moribus honeſtis ut talem decebat puerum inſtituendus. IV.

M.Cxliij. Rex *Stephanus* poſt multarum irruptiones eccleſiarum, exuſtiones & deprædationes villarum, quas per manus *Flandrenſium* ſatellitum multis in locis exercuerat, tandem cum fratre ſuo *Wintonienſi* epiſcopo in manu forti venit *Wiltoniam*, ut ex monaſterio ſanctimonialium opportunum ſibi conſtitueret præſidium ad arcendos *Sariſberienſium* excurſus, qui pro tuenda imperatricis parte multa fortiter contra regales gerebant. Quod ubi cognovit bellator fortiſſimus Comes *Robertus*, congregato velociter exercitu prima die menſis Julii occidente jam ſole ſuper *Wiltoniam* repente irruit, eamque adhibitis ignibus undique ſuccendit. Rex autem cum intra ipſa monaſterii ſepta hoſpitatus eſſet & nichil hoſtile metueret, ubi repentinam hoſtium irruptionem agnovit, tantus timor illum invaſit, ut fugam arriperet inhoneſtam. Sic rex commilitonibus An. Gr̃a 1143.

bus ſuis, vaſis aureis & argenteis, cæteriſque rebus ſuis poſt terga relictis, ſub ipſa noctis caligine una cum fratre ſuo *Wentano* epiſcopo manus Comitis utcumque evaſit. Sodales igitur Comitis ferociter regales invadunt, capiunt, cædunt, & ſcindunt, vaſaque regii miniſterii quaſi licenter diripiunt. Comprehenſi ſunt ex regiis plurimi; inter quos quidam præpotens & regis amicus *Willielmus Martellus* captus eſt & abductus: ſed datis pro redemptione ſui CCC. marcis cum caſtello de **Sireburne** libertati propriæ reſtitutus receſſit. Paucis vero diebus evolutis, imperatrici triſte contigit infortunium. Nam *Milo* Comes *Herefordenſis* ſpecialis ipſius conſiliarius morte præventus vitam finivit. Cujus mors imperatrici non modicam ingeſſit mœſtitiam. Succeſſit autem ei in curam comitatus *Rogerius* filius ejus primogenitus, ætate quidem juvenis ſed in armis acer nimis. Hoc anno ſacravit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus *Gilebertum Lanelnenſis* eccleſiæ electum apud **Lambethe**, accepta prius ab eo profeſſione, aſtantibus & cooperantibus *Roberto Londonienſi* epiſcopo, & *Aſcelino Roſenſi* epiſcopo.

Regebat his diebus prioratum eccleſiæ *Cantuarienſis*, vir vitæ venerabilis, *Jeremias* nomine, qui à *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo à die quo ab ipſo *Jeremia* electus eſt, in tanta reverentia habitus eſt, ut ei vices ſuas aliquotiens committeret, & ex auctoritate archiepiſcopi ſacerdotibus *Cantia* focarias inhiberet, & ne quis in eccleſiis quæ ad conventum pertinent jus aliquod uſurparet niſi per *Jeremiam* Priorem. Proceſſu vero temporis invidia diaboli & maledicorum ſuggeſtione procuratum eſt, ut tanta pax & unitas *Cantuarienſis* eccleſiæ ſcinderetur, & caritas in odium verteretur. Cœpit itaque eorum dilectio juſtis vel injuſtis cauſis paulatim decreſcere, & incentivum malitiæ adeo deſævire, ut ejuſdem Prioris depoſitio immineret; unde Prior præmunitus coactus eſt ſedem apoſtolicam appellare. Archiepiſcopus autem ſicut erat impetuoſus appellationi non deferens, eum penitus amovit à prioratu, aliumque ſubſtituit nomine *Walterium*. *Jeremias* autem dominum papam *Innocentium* petiit, & de reſtitutione ſua litteras urgentes impetravit. Rediens itaque *Cantuariam*, per venerabilem *Henricum Wintonienſem* epiſcopum, & apoſtolicæ ſedis legatum, ex mandato apoſtolico in priſtinum gradum reſtitutus eſt, *Walterio* qui ei in prioratum ſucceſſerat apud *Dovoriam* interim moram faciente: unde *Theodbaldus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* nimia acerbitate commotus, benevolentiam ſuam avertit à Conventu, jurans ſe nichil in eccleſia ſacramentale facturum, quamdiu *Jeremias* in eadem ſubſiſteret eccleſia. Videns autem Prior ſui cauſa toti periculum imminere Conventui, timens ne & ipſe conventus ſui indignationem incurreret, ſi ipſius intuitu ab archiepiſcopo aliqua gravamina ſuſtineret, prudenti & neceſſario utens conſilio prioratui ceſſit, acceptis C. marcis pro debitis ſolvendis. Accepta igitur conventus licentia, ceſſit, ut prædictum eſt, & receſſit, & in cœnobio ſancti *Auguſtini* quoaduſque vixit perendinavit, obiit & ſepultus eſt.

Nota lector quod ea quæ ſuperius de *Jeremia* ſcripta ſunt, non in unius anni revolutione contigerunt, ſed quia omnes termini vitæ illius & obitus, perſecutionis & reſtitutionis tempora michi incerta erant & dubia, in hoc anno breviter omnia poſui, videlicet ante obitum *Innocentii* papæ qui ei reſtituit prioratum, & poſt modicum hoc ſcilicet anno vitam finivit: cui ſucceſſit *Celeſtinus*, qui ſedit menſibus quinque & mortuus eſt: cui ſucceſſit *Lucius*.

V.

An. Gr̄æ 1144.

M. Cxliiij. Rex *Stephanus* cepit Comitem *Gaufridum* de *Mandavilla* in curia ſua apud ſanctum *Albanum* magis ex neceſſitate quam ex honeſtate. Niſi enim hoc feciſſet, ut à pluribus dicebatur, perfidia Comitis regno privandus eſſet. Captus itaque Comes nulla potuit occaſione liberari, niſi ſua caſtella reſignans regiæ pareret voluntati. Reddidit ergo turrim *Londonia* & caſtellum de **Waldene**, & illud de **Pleſſiz** & liberatus eſt. Comes igitur munitionibus carens, & à militari crudelitate ſe cohibere non valens, invaſit abbatiam de *Rameſeia*, & de eccleſia Dei non veritus juſtitiam ſpeluncam fecit latronum. Erat enim vir ſummæ probitatis ſed magnæ contra Deum obſtinationis, ſummæ in mundanis diligentiæ, ſed magnæ negligentiæ in divinis. Qui cum ad obſidionem caſtelli de **Burwelle** quod rex conſtruxerat properanter armatus incederet, & in exitu ſilvæ pauſandi gratia caloriſque vitandi in gramine recubaret, herba viridiſſima ſub eodem emarcuit, ut eo ſurgente quaſi præmortua videretur, nec toto fere anno viriditatis ſuæ vires recuperavit; unde datur intelligi quam deteſtandum ſit conſortium excommunicatorum. Hic cum multas pro rege & contra regem *Stephanum* exercuiſſet militias, tandemque in obſidione ſupradicti caſtelli de **Burwelle** in ſcuto & lancea contra adverſarios viriliter decertaſſet, ob nimium calorem caſſidem depoſuit, & loricæ ventilabrum ſolvit, ſicque nudato capite intrepidus militavit, æſtus quippe erat. Quem cum vidiſſet quiſpiam de caſtello & adverſarium agnoſceret, telo gracili quod ganea dicitur eum jam cominus poſitum petiit, quo teſtam capitis ipſius male nudati perforavit; ſed *Gaufridus* letiferum ſui capitis vulnus deridens, nec ſic à ſuo ceſſavit furore, ideoque poſt dies paucos excommunicatus ſpiritum exalavit. *Robertus* eciam *Marmion* nec Deum timens, nec ad homines reverentiam habens, de eccleſia *Coventrenſi* ſibi fecerat caſtellum. Sed in utroque iſtorum ſub celeritate ira Dei manifeſta eſt; nam cum idem *Robertus* inter ingentes ſuorum cuneos in hoſtes inſurgeret, coram ipſo monaſterio ſolus interfectus eſt. Ecce laudabilis & omnibus ſeculis prædicanda ejuſdem ſceleris eadem vindicta. Dum autem eccleſia illa pro caſtello haberetur ebullivit ſanguis à parietibus eccleſiæ, quod & multi viderunt. Eodem quoque anno *Ernulfus* filius Comitis qui poſt mortem patris eccleſiam incaſtellatam retinebat, captus eſt & in exilium fugatus. Cujus princeps militum ab equo corruens effuſo cerebro ſpiritum exalavit. Magiſter autem peditum ſuorum qui plus cæteris ſolitus erat eccleſias concremare & frangere, dum mare tranſiret cum uxore ſua, ut multi perhibuerunt, navis immobilis facta eſt. Quod monſtrum nautis ſtupentibus & ſorte data rei cauſam inquirentibus, ſors cecidit ſuper eum. Quod cum ille totis viribus, nec mirum, contradiceret, ſecundo & tercio ſors jacta in eum devenit: formidantibus igitur nautis poſitus eſt in cymbam parvulam ipſe & uxor ejus & eorum pecunia nequiter adquiſita, ut cum illis eſſet in perditione; quo facto, navis ut prius maria libere ſulcavit,

vit, cymba vero in voragine ſubſiſtens circumducta & abſorta eſt. VI.

An. Gr̃æ 1145. M. Cxlv. Papa *Lucius* obiit, cui ſucceſſit *Eugenius*, ordinis *Ciſtercienſis* monachus. Quo ſedente, ordo *Ciſtercienſis* in immenſam exaltatus eſt. Claruit enim his diebus vir venerandus & ſanctus *Bernardus Clarevallenſis*, qui tunc temporis domini Papæ dominus & magiſter videbatur.

Rex autem *Stephanus* cum *Walingefordiam* in multitudine gravi diutius oppugnaſſet, nec obſeſſis quolibet impetu vel ingenio prævalere potuiſſet, contra *Walingefordiam* ligneum conſtruxit caſtellum **Craumers** vocatum ad cohibendos militum *Walingefordenſium* egreſſus & excurſus; ubi Comes *Ceſtrenſis* jam regi concordia vinctus dicitur affuiſſe. Deinde vero poſt paululum cum idem Comes nil ſiniſtri ſuſpicans ad regis curiam apud *Northamtoniam* pacifice veniſſet, rex eum nil tale metuentem cepit & in carcerem truſit. Comes itaque captus & incarceratus cum aliter manus impias evadere non valeret, reddidit regi caſtellum *Lincolniæ* & alias munitiones ditionis ſuæ. Quo facto, Comes de carcere liberatus eſt, & libertati propriæ utcumque reſtitutus. Propoſuit igitur animo amaro regem *Stephanum* pro viribus infeſtare, & caſtella ſibi nequiter ablata revocare, vel ſaltem ſuas injurias vindicare.

Hoc anno combuſta eſt eccleſia ſancti *Gregorii Cantuariæ* vj. non. Julii. VII.

1146. M. Cxlvj. *G'willielmus* cognomento *Turbo* ſuſcepit epiſcopatum *Norwicenſis* eccleſiæ, & conſecratus eſt apud *Cantuariam* à *Theodbaldo* ejuſdem civitatis archiepiſcopo.

Degebat his diebus in provincia *Dorſetenſi* in villa quæ **Heſeleſberge** dicitur ſacerdos quidam, *Wlfricus* nomine, converſatione anachorita, ſanctitate plenus & gratia Spiritus ſancti. Hic cum loricam quam carni proximam ſemper habebat ſudore & vetuſtate demolitam videret, à domino ſuo terreno aliam poſtulavit & obtinuit. Quam cum ipſo præſente induiſſet, longitudini ejus infenſus ne ſub veſte quidem appareret, arrepta forcipe ſub giris & manticarum veſtibulis ferrum compaginatum quaſi lineam texturam diſſecuit, rurſumque forcipem apponens ſi quid inæquale erat ſine mora Dei ſervus abſcidit. Quod videns dominus ſuus, inæſtimabili gaudio repletus corruit ad pedes ejus : vir autem Domini pudibundus erectum conjuravit ne alicui diceret. Res tamen celari non potuit. Nam plerique religioſi viri ejuſdem loricæ annulos habere ſe gaudent, & fama celebris regni fere totius partes circumquaque perluſtravit. Hic in ſpiritu prædixit *Henrico* puerulo ſecum loquenti quod rex *Angl.* futurus erat.

Interea *Gaufridus* Comes *Andegaviæ* cum jam *Normannis* ſubjugatis quorundam eciam *Andegavenſium* ſibi rebellare volentium impetum refrænaſſet, jam pace potitus de ſolo filio ſuo primogenito *Henrico*, nec mirum, ſollicitus erat, quem ante annos quatuor ad inſtantiam Comitis *Roberti* in *Angliam* miſerat. Affligebatur ipſius animus filium ſuum indeſinenter revolvens, ne forte inter tot *Angliæ* bellicos ſtrepitus, ipſum quoque pugnantium inſania involviſſet. Miſit igitur tres proceres nobiliores cum militum apparatu in *Angliam* ad Comitem *Robertum*, rogans ut ſibi ſuum primogenitum mitteret filium, ſaltem pauliſper conſpiciendum, & ſi opus eſſet cum celeritate remittendum. Annuit tandem Comes *Robertus* Ducis *Gaufridi* petitionibus, & apud **Warham** transfretaturum non modico militum agmine ſtipatum adduxit *Henricum*, ulterius illius faciem in carne non viſurus. Tranſmiſſo itaque puero, Comes *Robertus* feſtinanter reverſus eſt. Veniens igitur *Henricus* ad patrem, eum admodum lætificavit, fuitque in partibus tranſmarinis annis duobus & menſibus quatuor. Interea Comes *Robertus Gloceſtriæ* poſt multos & varios militiæ labores febre tactus acerba defunctus eſt in initio menſis Novembris, & apud *Briſtovium* ſepultus eſt. VIII.

An. Gr̃æ 1147. M. Cxlvij. Rex *Stephanus* jam aliquantulum glorioſus quod *Lincolniæ* civitatem una cum caſtello obtineret, ad natale Domini in ipſa civitate *Lincolniæ* regali diademate inſignitus eſt, quo nullus regum quibuſdam ſuperſticioſis prohibentibus auſus fuit introire. Cum autem diſceſſiſſet inde rex, venit illuc in manu forti Comes *Ceſtrenſis*, ut eam quocumque modo ſuæ revocaret ditioni, ſed fruſtra. Nam cum ipſe & qui comitabantur cum eo fortes auxiliarii portis appropinquarent, & impetu facto conarentur intrare, reſtiterunt ei cives viriliter, ipſumque Comitem fugere compulerunt, pluribus ex ſuis captis vel trucidatis.

Obiit hoc anno *Aſcelinus Roſenſis* epiſcopus anno epiſcopatus ſui ſexto ix. kal Februarii. Cui ſucceſſit *Walterius Cantuarienſis* archidiaconus frater *Theodbaldi Cantuarienſis* archiepiſcopi, qui ſecundum antiquam conſuetudinem in capitulo *Cantuarienſi* electus eſt à monachis *Roſæ*. Cujus electionis primam habuit vocem *Hugo* abbas ſancti *Auguſtini*, eo quod apud eccleſiam *Roſenſem* monachicum ſuſceperat habitum. Ad præfatam vero abbatiam tranſlatus, cum monachis *Roveceſtriæ* coram *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo ad quem ſpectat de jure antiquo epiſcopatus ipſius donatio, in capitulo *Cantuarienſi*, in præſentia totius Conventus *Cantuarienſis*, cleri & populi multitudine, ut prædictum eſt, ipſum elegit *Walterium*. Qui more anteceſſorum ſuorum juravit ſuper quatuor Evangelia ſe fideliter obſervaturum dignitatem *Cantuarienſis* eccleſiæ quam habet in eccleſia *Roſenſi*. Eſt autem in eccleſia *Cantuarienſi* conſuetudo ab antiquis temporibus conſtituta, & à piis patribus obtenta, videlicet quod epiſcopus *Roſenſis* debeat eligi in capitulo *Cantuarienſi* ex dono archiepiſcopi & electione Conventus *Roſenſis* eccleſiæ. Facta autem electione debet electus jurare ſuper quatuor Evangelia fidelitatem eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* & archiepiſcopo, & quod non debeat epiſcopus *Roſenſis* operam dare vel conſentire, ut eccleſia *Cantuarienſis* privetur honore vel dignitate quam habet in eccleſia *Roſenſi*, & quod debeat baculus paſtoralis epiſcopi *Roſenſis* defuncti à monachis *Roſenſibus* ad altare Chriſti *Cantuariæ* deferri, & quod vacante ſede *Cantuarienſi* vel abſente archiepiſcopo, debeat epiſcopus *Roſenſis* in *Cantuarienſi* eccleſia epiſcopalia miniſtrare ſicut proprius & privatus *Cantuarienſis* eccleſiæ capellanus, ſi tamen à Conventu *Cantuarienſi* fuerit vocatus. Hac igitur facta fidelitate conſecratus eſt ab ipſo fratre ſuo *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo. Quo conſecrato, dedit archiepiſcopus archidiaconatum *Cantuariæ* cuidam *Rogerio de Ponte Epiſcopi*, qui & ipſe *Cantuarienſi* eccleſiæ fidelitatem juravit ſicut archidiaconi facere conſueverunt.

Imperatrix autem jam *Anglicanæ* diſcordiæ tædio affecta, ante quadrageſimam in *Normanniam* tranſfretavit, malens ſub tutela mariti ſui in pace quieſcere quam in *Anglia* tot moleſtias ſuſtinere.

Eugenius papa à *Roma* recedens pervenit in *Franciam*, ut *Ciſalpinorum* præſulum concilium celebraret. Convocati ſunt itaque ex mandato domini papæ præſules & prælati ut eidem *Remis* occurrerent. In media quadrageſima celebravit *Eugenius* papa concilium magnum *Remis*. Ad quod concilium *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus ſcriptis & nuntiis domini papæ cum cæteris epiſcopis *Angliæ* vocatus, petita à rege ſed non conceſſa licentia, per multos labores acceſſit. Nam miniſtri regis diverſos maris portus obſervaverunt ne archiepiſcopus transfretaret. Effecerat enim epiſcopus *Wintonienſis Henricus* frater regis invidia ſtimulante, ut ſi archiepiſcopus transfretaret, à rege proſcriberetur: ſi vero ad concilium non veniret, ob contemptum à domino papa ſuſpenderetur vel penitus deponeretur. Sed archiepiſcopus Deum magis quam regem metuens, clanculo mare adiit, & vix tandem in cimba fracta tranſvectus vix terram tetigit & domino papæ ſe præſentavit. Quanto autem gaudio & honore à domino papa ſuſceptus ſit, non de facili ſcribi poteſt, qui natando magis quam navigando dictus eſt ab ipſo papa coram concilio ob reverentiam & obedientiam beati *Petri* & curiæ *Romanæ* illuc adveniſſe. Aſtiterunt in hoc concilio clerici *Eboracenſis* eccleſiæ una cum *Henrico Murdac* tunc temporis abbate de *Fontibus*, accuſantes *Willielmum Eboracenſem* archiepiſcopum, & dicentes, Eum neque canonice electum, neque legitime conſecratum, ſed auctoritate regia intruſum. Tandem præfatus *Willielmus* convictus & depoſitus eſt *Alberico Hoſtienſi* epiſcopo pronuntiante ſententiam, & dicente, Decernimus auctoritate Apoſtolica *Willielmum Eboracenſem* archiepiſcopum à pontificatu deponendum, eo quod *Stephanus* rex *Angliæ* ante canonicam electionem eum nominavit. Cum igitur dominus papa *Eugenius* beatum *Willielmum Eboracenſem* archiepiſcopum *Pariſius*, minori parte Cardinalium ſibi conſentiente, propria voluntate ut prædictum eſt, depoſuiſſet, capitulum *Eboracenſis* eccleſiæ ad ejus mandatum in unum conveniens, elegerunt archiepiſcopum; pars capituli major dominum *Hylarium Ciceſtrienſem* epiſcopum, pars altera *Henricum Murdac* abbatem de *Fontibus*. Prædictus autem papa *Eugenius* cum utraque electio ſequenti hieme ei fuiſſet *Amiſſiodori* præſentata, electionem prædicti *Henrici Murdac* confirmavit, & alteram cum plurima tamen electæ perſonæ commendatione caſſavit, & ipſum *Henricum* propriis manibus conſecravit. *Willielmus* autem hoc modo depoſitus, rediens in *Angliam* manſit apud *Wintoniam* cum *Henrico* ejuſdem civitatis epiſcopo, uſque ad obitum *Eugenii* papæ, & prædicti *Henrici* epiſcopi per omnia conſiliis inhærebat. Soluto denique concilio, *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus, accepta domini papæ benedictione & redeundi licentia, *Cantuariam* proſpere perveniens, à Conventu ſuo & civibus *Cantuariæ* honorifice ſuſceptus eſt. Quo audito, rex qui tunc forte *Londoniæ* morabatur ita commotus, celeriter *Cantuariam* venit, & inter ipſum & archiepiſcopum multis per internuntios habitis ſermonibus ſed minus quam decebat ad pacem proficientibus, tandem archiepiſcopum *Angliam* celeriter exire coegit. Qui, poſt paucorum inducias dierum, apud *Doveriam* tranſfretavit, & in *Franciam* ſeceſſit; ubi per aliquod tempus demoratus, à regina & *Willielmo Yprenſi* ad ſanctum *Audomarum* revocatus eſt, ut eum juxta poſitum regii nuntii facilius poſſent adire. Sacravit autem ibidem *Gilebertum Herefordenſis* eccleſiæ electum nonis Septembris, aſtantibus & cooperantibus epiſcopis tranſmarinis *Thidrico Ambianenſi* & *Nicholao Cameracenſi*. Hinc igitur & inde venientibus crebro ac redeuntibus nuntiis epiſcopis, abbatibus, clericis & laicis, ſed ad bonum pacis minus accedentibus, miſſis epiſtolis ad diverſas *Anglorum* eccleſias, interdicti ſententiam ad ſtatutum terminum, id eſt, pridie idus Septembris obſervandam promulgavit archiepiſcopus. Monachi autem ſancti *Auguſtini* ad audita ſtomachantes, ante præfixum datæ ſententiæ diem duos monachos *Nigellum* & *Abſalonem* ad dominum papam miſerunt. Quorum adventus cauſam cum papa didiciſſet, præcepit eis ut domum redirent, & archiepiſcopo per omnia obedirent. Interea homines archiepiſcopi acrius ſolito premebantur, & redditus ipſius archiepiſcopi à regiis exactoribus ante terminos rapiebantur. Audiens autem archiepiſcopus indoluit, volenſque ſuis utcumque ſubvenire, relicto ſancto *Audomaro* ad portum de **Graveninges** mare cum ſuis intravit, & proſpero curſu in terra Comitis *Hugonis Bigod* apud **Goſeford** applicuit. Cui occurrens idem Comes cum magno eum ſuſcepit honore, & quamdiu in terra ſua eſſe voluit, ſedulo neceſſaria miniſtravit; ſtatuto autem termino totam terram quæ regis imperio ſubjacebat interdixit, nec à ſententia deſtitit, donec epiſcopi *Robertus* ſcilicet *Londonienſis*, *Hylarius Ciceſtrenſis*, *Willielmus Norwicenſis*, pluresque alii nobiles ad eum venirent in **Northfolc** apud **Framelingeham** caſtellum Comitis, & tandem inter ipſum & regem pace compoſita, inde illum cum honore & lætitia *Cantuariam* deducerent. Audiens autem archiepiſcopus monachos S. *Auguſtini* interdictum ſuum contempſiſſe, & ob hoc ad *Romanum* pontificem miſiſſe, de domini papæ benevolentia ſecurus, ſententiam ſuam aggravavit, & præfatos monachos excommunicavit; maxime *Silveſtrum* Priorem eorum & *Willielmum* cognomento *Diabolum* abbatis *Hugonis* cognatum, qui cæterorum duces fuerunt & incentores. Excommunicavit etiam omnes qui tempore interdicti divina inter eos acceperant ſacramenta. Confuſi itaque monachi & omnibus quaſi abominabiles effecti, duos iterum monachos ad dominum papam miſerunt, ut inconſulto archiepiſcopo abſolverentur. Ad curiam itaque venientes, ad dominum papam acceſſum habere non potuerunt, eo quod ipſos audierat eſſe excommunicatos. Plurimorum tamen precibus flexus, quouſque cum eo haberent colloquium, præmiſſa verborum caſtigatione abſolvit eos, ut verbis ipſius utar, non vice apoſtolici ſed vice *Cantuarienſis* archiepiſcopi. Audita vero adventus eorum cauſa, temeritatem eorum increpans, præcepit ut domum redirent, & archiepiſcopo ſuo per omnia obedirent.

Hoc anno *Conradus* imperator *Alemanniæ* & *Lodovicus* rex *Franciæ* una cum regina ſua *Alianor*, & *Theodericus* Comes *Flandriæ*, multique nobiles & ignobiles *Franci* & *Angli*, *Normanni* & *Britones*,

nes, ſed & multarum regionum viri peregre profecti ſunt *Jeruſalem*, ad debellandum paganos qui non modicam ſanctæ terræ illius occupaverant quantitatem. Sed Chriſtiani multis laboribus vexati, & expenſis perditis, nullum vel modicum hac vice reportaverunt triumphum. Nam propria temeritate & *Saracenæ* gentis induſtria, fere ad nichilum deducti ſunt. Rex autem *Franciæ Lodowicus* cum non modico exercitu qui per terram venerant, obſedit *Damaſcum*, & fere ad deditionem coegit, interfectis de gente pagana qui egreſſi fuerant ad pugnandum contra Chriſtianos, fere decem milibus. Cum autem civitas Chriſtianis reddenda eſſet, acceſſerunt *Templarii*, dicentes, Se primam habituros pugnam, ut omnes deinde in communi victoriam obtinerent. Statuerunt itaque tentoria ſua inter civitatem & exercitum Chriſtianorum, & cum his qui erant in civitate paganis proditionis pactum inhierunt. Cives igitur eorum agnoſcentes cupiditatem, promiſerunt eis tres cados plenos Biſantiis aureis, ſi eos ab obſidione liberarent. Deluſi itaque Chriſtiani per milites Templi, à *Damaſco* receſſerunt. Poſt modicum vero cum *Templarii* promiſſos à civibus recepiſſent cados, in eiſdem non nummos aureos ſed cupreos invenerunt, miraculoque aſcripſerunt. Exercitus autem qui in *Hiſpaniam* navigio venerat, civitatem egregiam *Leſeboniam* obſederunt, quæ Chriſtianis vigilia *Simonis* & *Judæ* reddita eſt. Alia quoque civitas capta eſt, *Almaria* dicta.

Tercio idus Novembris benedixit *Theodbaldus* archiepiſcopus *Cantuarienſis Clarebaldum* abbatem primum de **Faverſham** ad altare Chriſti *Cantuariæ*, accepta prius ab eo profeſſione de canonica ſubjectione. Et quia de cella & ordine *Cluniacenſi* aſſumptus eſt, allatæ ſunt literæ abbatis *Cluniacenſis* & Prioris de *Caritate*, & coram omnibus lectæ, in quibus *Clarebaldum* liberum & abſolutum ab omni ſubjectione monaſtica qua eis tenebatur reddiderunt. Huic benedictioni præſentes fuerunt epiſcopi quatuor, quos archiepiſcopus prius abſolverat de ſententia quam incurrerant propter inobedientiam, quia de mandato domini papæ una cum archiepiſcopo ſuo ad concilium *Remenſe* non venerant, videlicet *Simon* Wigornienſis, *Robertus* Bathonienſis, *Robertus* Exonienſis, & *Hilarius* Ciceſtrenſis. Abbas itaque benedictus ad eccleſiam ſuam de **Faverſham** deductus eſt. Quartodecimo kal. Januarii *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus ſacravit *Robertum Lincolnienſis* eccleſiæ electum, & *David Menevenſem* ad altare Chriſti *Cantuariæ*, aſtantibus & cooperantibus *Hilario* Ciceſtrenſi, *Gileberto* Herefordenſi, *Walterio* Roſenſi, & *Patricio* Lunicenſi de *Hibernia*. IX.

An. Gr̃æ 1148.

M. Cxlviij. Redierunt à *Roma* monachi ſancti *Auguſtini*, & uſque *Boloniam* venientes, illos qui præceſſerant monachos ibidem repererunt, ſicque ſimul omnes *Cantuariam* venerunt. Mandaverat autem dominus papa archiepiſcopo, ut de eis ſimul & aliis debitam exerceret vindictam. Archiepiſcopus igitur habito cum ſuis conſilio, *Silveſtrum* Priorem ab officio prioratus depoſuit, & *Willielmum* ſecretarium ab introitu chori ſuſpendit. Decretum eſt eciam ut tanto temporis ſpatio à divinis ceſſarent cæteri, quanto illicite contra præceptum archiepiſcopi eadem miſteria celebraverant. Dignum namque videbatur, ut cantantibus & gaudentibus cæteris ipſi ſilerent qui cæteris tacentibus contumaciter cantare præſumpſerunt. Cœperunt igitur à divinis ceſſare, & à pulſatione ſignorum ebdomada ſecunda quadrageſimæ, & ſiluerunt à quarto idus Martii uſque ad kal. Auguſti. Solebat his diebus regina regis *Stephani* curiam S. *Auguſtini* frequentare, quia opus de **Faverſham** quod ipſa cum domino ſuo rege *Stephano* à fundamentis inceperat perficere cupiebat, & quia *Auguſtinianis* ſilentium impoſitum eſt, monachos eccleſiæ Chriſti vocare ſolebat, ut ei apud ſanctum *Auguſtinum* divina celebrarent.

Nota Lector quod ea quæ ſupra dicta ſunt, ſcilicet de concilio *Remenſi* in media quadrageſima celebrato, de relegatione archiepiſcopi poſt concilium & propter concilium facta, de interdicto terræ pridie idus Septembris inchoato quando monachi ſancti *Auguſtini* ceſſantibus aliis cantaverunt, de concordia eciam archiepiſcopi ad regem, de excommunicatione monachorum ob contumaciam & contemptum, de ceſſatione eorundem quæ incepit ſecunda ebdomada quadrageſimæ feria ſexta quarto idus Marcii; Hæc omnia reperies ſcripta in pleriſque codicibus ſub anno M. Cxlviij. quæ omnia ſimul ſtare non poterunt in cronicis illius maxime qui annos gratiæ incipit à Dominica nativitate, niſi velit duas quadrageſimas in uno anno conſtituere, & ſuſpenſionem monachorum quæ poſt concilium ſequenti quadrageſima facta eſt velit in ipſa quadrageſima anteponere, ſcilicet ebdomada ſecunda iiij. idus Marcii, & in ipſa media quadrageſima concilium *Remenſe* ſtatuere, quod fuit tercio kal. Aprilis, & ſic terciam ebdomadam quatuordecim faciet dierum vel eo amplius. His de cauſis neceſſe erat & docuit ratio concilium *Remenſe* poni in anno M. Cxlvij. ſuſpenſionem vero monachorum & reconciliationem eorundem in anno M. Cxlviij. X.

An. Gr̃æ 1149.

M. Cxlix. *Henricus* filius imperatricis menſe Maio mediante cum grandi comitatu militum electorum & peditum rediit in *Angliam*, & in adventu ſuo multorum animos contra regem *Steph.* excitavit; nolebant enim comites *Angl.* et proceres contra regem *Steph.* aliquam excitare ſeditionem, eo quod *Robertus* & *Milo* Comites univerſæ carnis viam ingreſſi fuerunt, & imperatrix transfretaverat, niſi ipſe quem omnia de jure contingebant, in *Angliam* rediret. Hac igitur occaſione, ut prædictum eſt, rediit in *Angliam*, poſtpoſitiſque litterarum ſtudiis exercitia cœpit militaria frequentare. Aſſumpto itaque ſecum nobili *Ranulfo Ceſtrenſi* Comite, & *Rogerio* Comite *Herefordenſi*, aliiſque nonnullis præter illos quos ſecum duxerat de *Normannia* militibus famoſis, adiit regem *Scotiæ David* conſanguineum ſuum. A quo cum ſumma lætitia & honore ſuſceptus, militari quoque balteo cum nonnullis coætaneis ſuis in ſacra ſolempnitate Pentecoſtes accinctus eſt. Ab illo ergo die cœpit *Henricus* mentem regis *Stephani* filiique ſui *Euſtachii* multis ex cauſis adverſum ſe excitare. Cum autem congregati eſſent in prædicta ſolempnitate Pentecoſtes rex ſcilicet *Scottorum* cum viribus ſuis, & nepos ſuus *Henricus* cum occidentalibus *Angliæ* proceribus, timens rex *Stephanus* ne *Eboracum* invaderent, venit in urbem cum magno exercitu, ibique moratus eſt menſe Auguſto. Rex autem *Anglorum Stephanus*, & rex *Scottorum David*, quorum alter erat apud *Eboracum*, alter vero apud **Carduil**, ſibi mutuo caventes & offendere timentes, ſponte ſua abinvicem receſſerunt. *Euſtachius* autem filius regis

Stephani miles factus, multa mala exercuit in terris comitum & procerum qui *Henrici* partibus favebant.

Gwalterius Durus dens vir eximiæ religionis & ſacris litteris apprime eruditus regebat his diebus prioratum *Cantuarienſis* eccleſiæ. Qui à Conventu *Coventrenſi* canonice electus in epiſcopum *Coventrenſis* eccleſiæ vj. non. Octobris data profeſſione conſecratus eſt in eccleſia Chriſti *Cantuariæ*, aſtantibus & cooperantibus *Roberto* Londonienſi, *Waltero* Roſenſi, & *Nicholao* Clamorgacenſi. Cui ex conſilio conventus & inſtitutione *Theodbaldi* archiepiſcopi ſucceſſit in prioratum *Walterius parvus* ejuſdem archiepiſcopi capellanus. Hoc eodem tempore *Willielmus* Prior *Dovoriæ* factus eſt abbas de **Eveſham**, cui ſucceſſit in prioratum ſecretarius *Cantuarienſis* eccleſiæ *Hugo de Cadamo*. XI.

An. Græ 1150. M. Cl. Obiit *Robertus* epiſcopus *Londonienſis*. Septimo kal. Martii ſacravit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus apud **Lamhethe** *Galfridum* electum ſancti *Aſaph* aſtantibus & cooperantibus *Willielmo Norwicenſi*, & *Waltero Roſenſi*.

Hoc eodem anno, quarto non. Martii ſacravit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus *Johannem* clericum ſuum ad regimen *Wigornienſis* eccleſiæ ad altare Chriſti *Cantuariæ*, accepta prius ab eo profeſſione de canonica ſubjectione, aſtantibus & cooperantibus ſuffraganeis ſuis *Hylario Ciceſtrenſi*, & *Walterio Roſenſi*.

Henricus autem filius *Gaufridi* Comitis *Andegaviæ*, Duciſque *Normanniæ*, & *Matildis* imperatricis jam miles effectus in *Normanniam* transfretavit in principio menſis Januarii. Erat autem his diebus tota *Anglia* bellico ſtrepitu confuſa, incendiis & rapinis expoſita. Nam diſcordia quæ verſabatur inter regem *Stephanum*, regem, ut dicam, mutuatum, qui *Henrico* regi primo ſucceſſit in regnum, & quoſdam *Angliæ* Comites qui jura regni *Henrico* jam militi juvenculo conſervare volebant, toti *Angliæ* dolendum excidium minabatur. Hac ergo ſæviſſima tempeſtate quaſſata erat eciam *Cantuarienſis* eccleſia, ut quæcumque habere poterat ei non ſufficerent ad expenſas. Confluebant enim undecunque pauperes & mendici, eo quod alibi nullum vel modicum invenirent ſolatium. Erat enim fames in terra. Hac igitur occaſione diſtracta ſunt & diſtributa egenis ornamenta quædam ejuſdem *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ tempore pacis reſervari ſolent ad gloriam, in neceſſitate vero ad utilitatem. Conſiderans igitur *Walterius* Prior eccleſiæ poſſeſſiones tantis expenſis non poſſe diu ſufficere, niſi membris ſuis caput eccleſiæ ſubveniret, licet eciam bene litteratus eſſet & eloquentiæ ſtudens, erat tamen in exterioribus inſufficiens procurator, de conſilio quorundam acceſſit ad archiepiſcopum, rogans humiliter & petens, ut Conventus ſui miſereretur, & laborantis eccleſiæ ſuæ condoleret ærumpnis. Cui archiepiſcopus, In quo, inquit, miſerebor? Et Prior: Ut poſſeſſiones eccleſiæ per militiam quam de Deo habetis & eccleſia *Cantuarienſi* contra raptores cotidie irruentes velitis defendere, ipſaſque poſſeſſiones bonis evacuatas reſtaurare, & de eiſdem conventui veſtro in neceſſariis victualibus providere. Omnia enim tam intus quam extra veſtræ committimus diſpoſitioni dum tantam in *Anglia* videmus perturbationem. Reſtitit primo archiepiſcopus petitionibus Prioris, & nulla ratione induci potuit ad conſentiendum: ſed in brevi clericorum ſuorum inſtantia revocatus, propoſuit ut conſentiret ſi pulſu ſimili denuo peteretur. Prior igitur *Walterius* jam ſecundo vel tercio aggreſſus eſt archiepiſcopum, & jam de facili conſenſu adhibito archiepiſcopus ad precem Prioris & Conventus omnia cepit in manus, & tam intus quam extra cuſtodes ad ſuum poſuit libitum, qui ei ſingulatem omnium redderent rationem. Initia malorum & laborum ſunt hæc. Quod enim tunc factum eſt neceſſitate cogente ad modicam utilitatem, timendum eſt ne futuris temporibus in angariis revocetur ad memoriam & ad conſequentiam pernitioſam. Cogitatio ſiquidem hominis ad malum prona eſt: præſertim ubi exceſſum ſuum palliare poteſt exemplo deceſſorum; utilitas plane deteſtanda eſt, in qua libertas eccleſiæ periclitatur. *Theodbaldus* autem archiepiſcopus ad hanc precem vix tandem omnium dominus & procurator effectus, cœpit primo viriliter agere, acſi continuo vellet omnia in ſtatum priſtinum revocare. Sed in brevi multæ familiæ gravatus expenſis, in primo paſſu poſitum retraxit pedem, & jam quod de proprio perdiderat ut ſibi videbatur, de alieno reſarcire ſtuduit. Habuit ad hoc illius temporis plurimos incentores; ſicque factum eſt, ut quod ſponte vel neſcius prædo reliquerat, archiepiſcopus per manus officialium ſuorum auferre non formidaret. Exterioribus itaque ſpoliatis, in miſeros monachos ultima deſævit parcitate. Hoſpes enim fere omnis à curia eorum excluſus eſt, & pauperes expulſi. Conventus ipſe qui in præcipuis feſtivitatibus lautioribus refici ſolebant alimentis, jam pane groſſiore ſimul & olere ſuam temperabant eſuriem, & ad unum panem ſæpius combinati. Videns autem Prior & ſeniores eccleſiæ *Cantuarienſi* deteſtabilem imminere ſubverſionem, humillimis precibus archiepiſcopum exoraverunt, ut eorum ſtatum emendaret, & eam conventionem quam in ſuſceptione poſſeſſionum eccleſiæ inierat obſervaret, ne conventus diutina frangeretur inedia, ne ipſe infamiam & eccleſia probroſam incurreret ſubverſionem. Audiens hæc archiepiſcopus, primo quidem modeſte, poſtremo indignans contumelioſe reſpondit. Prior autem de omni emendatione deſperans, inſtitit, ut ſaltem dilaniatas conventui reſtitueret poſſeſſiones: ſed ille aſpernatus omnia, eciam Priorem deponere minabatur. Prior autem adepta congrua oportunitate, & totius conventus unitate, unicum oppreſſorum oppoſuit remedium, & ab omni gravamine illato vel inferendo in die ſancti *Audoeni* ſedem apoſtolicam appellavit. Sed archiepiſcopus ſuo excandeſcens impetu, adeo contempſit appellantem & eum ad quem appellatum eſt, ut conventum canibus compararet, & equos Prioris violenter raperet, januas curiæ monachorum clauderet, & armatos cuſtodes apponeret, divinum in eccleſia ſervitium per manum clerici interdiceret, monachos duos appellationem proſequentes interciperet, captos incarceraret, ſcripta & privilegia & expenſas eiſdem auferret. Confluxerant ad hoc ſpectaculum viri religioſi ſatagentes ærumpnas ovium propellere, & paſtoris ſævitiam vel ſpecie tenus temperare. Tenuit enim Conventus paſtoris ſui ſuſpenſionem eciam poſt appellationem decem & octo diebus, unde & ipſe archiepiſcopus cum ſuis ſero pœnitens valde confuſus eſt. Conventus autem jocundus exultabat in Domino, malens omnia ſubire pericula quam eccleſiæ ſuæ patienter tam enormia dampna ſuſtinere. Diſcurrentibus autem viris religioſis inter archiepiſcopum & Conventum, ad hoc tandem perventum eſt, ut archiepiſcopus Conventui ſaltem extenuatas redderet poſſeſſiones, ſententiam ſuſpenſionis relaxaret, Conventum diligeret; Conventus vero appellationi renuntiaret, & debitam patri ſuo & paſtori reverentiam exhiberet, & ut injurias invicem illatas perpetuæ contraderent oblivioni. Quod & factum eſt in parte. Archiepiſcopus autem ſentiens monachos appellationi ſuæ renuntiaſſe, villas quidem & redditus eis reſtituit, eccleſias vero villarum ipſarum & exenia quæ certis ſolempnitatibus proveniebant retinuit, jurans in ſecreto quod nunquam plenam habituri eſſent reſtitutionem, niſi Prior ſponte ſua Prioratum reſignaret. Verum ſi ad humilitatis exemplum ob reverentiam archiepiſcopi Prioratum dimitteret, & eidem in brevi Prioratum ex conſilio fratrum reſtitueret, & omnibus deinde paternum exhiberet affectum. Aſſerebant idem fide interpoſita ſummi conſiliarii archiepiſcopi dicentes & pejerantes, archiepiſcopum nichil aliud quærere niſi ut non videretur à Priore ſuperari à quo in appellatione illa videbatur contempni. Credidit Prior verbis mendacii, & in capitulo coram Conventu præſidente archiepiſcopo reſignavit Prioratum. Cumque inter loquendum diceret Prior, Ego ob veſtri reverentiam Prioratum reſigno, & cogitarent plurimi quod dicere vellet archiepiſcopus, Et ego tibi Prioratum reſtituo, præcipitanter dixit, Et ego te depono. Præcepit autem ut eum uſque *Londoniam* ſequeretur, plenam ibidem ſuſcepturus reſtitutionem. Diſſuaſit ei conventus ne egrederetur, futuram coniciens proditionem. Ille vero fratrum ſuorum ſpreto conſilio, acceſſit ad archiepiſcopum apud **Lambethe** cum quibuſdam ſenioribus eccleſiæ. Quibus ſeorſum vocatis, quaſi de Prioris reſtitutione cum archiepiſcopo eſſent locuturi, ſervientes archiepiſcopi *Walterium* rapuerunt, trahentes eum uſque *Gloeceſtriam*, præcipientes abbati ex parte archiepiſcopi ne eum aliquatenus permitteret exire. Fuit itaque Prior depoſitus ibidem quaſi incarceratus quam diu deinceps vixit archiepiſcopus. Amoto igitur, ut prædictum eſt, *Walterio* Priore, ex conſenſu multorum Priorem conſtituit *Wibertum* ſubpriorem, virum commendabilem & in operibus bonis mirabilem. Conventumque deinceps in multa habens reverentia, multa eccleſiæ contulit beneficia & de novo conquiſivit. Scias tamen Lector quod ea quæ ſuperius de *Walterio* Priore ſcripta ſunt, ſub unius ejuſdemque anni continentia non contigerunt. Hic autem ſcripta ſunt eo quod annus Liij. quo appellatio illa & maneriorum reſtitutio Prioriſque proditio facta eſt, hoſtili ſtrepitu plenus eſt, & ut lectio tantum ex ordine continuata demonſtraret eventum. Archiepiſcopus vero tenuit villas utcumque à Paſcha uſque ad feſtum ſanctorum *Proti* & *Jacincti*. XII.

An. Gr̃æ 1151. M. Clj. *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus celebravit Concilium generale in media quadrageſima apud *Londoniam*, ubi rex *Stephanus* affuit & *Euſtachius* filius ejus. Totum autem Concilium novis & inuſitatis infrenduit appellationibus. Inuſitatæ enim in *Anglia* appellationes erant uſque quo *Henricus Wintonienſis* epiſcopus extitit legatus. Eodem anno Comes *Gaufridus Andegavenſis* mortis legibus conceſſit, & tam de comitatu *Andegaviæ* quam de ducatu *Normanniæ* filium ſuum reliquit dominum & hæredem. Corpus autem *Gaufridi* in eccleſia *Cenomanenſi* ſepultum eſt.

Obiit hoc anno *Hugo* Abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, qui à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo benedictionem acceperat, eique fecerat profeſſionem. Monachi autem Sancti *Auguſtini* obtinuerunt à rege *Stephano*, ut in eligendo abbate ſuo canonicam eis concederet libertatem. Elegerunt itaque *Silveſtrum* quondam Priorem ſuum, qui à *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo ſuppliciter petiit benedictionem, & debitam optulit profeſſionem. Annuit archiepiſcopus electi petitionibus, ſic tamen ut in *Cantuarienſi* eccleſia quod petitum eſt conſequeretur. Noluit abbas in *Cantuarienſi* eccleſia profiteri, ſed nec benedici, ſed alibi ubicumque archiepiſcopo placeret. Quod cum renueret archiepiſcopus, collecta pecunia *Silveſter Romam* profectus eſt, dominique Papæ litteras obtinuit ut archiepiſcopus prædictum *Silveſtrum* in eccleſia ſua benediceret, nulla exacta profeſſione. Archiepiſcopus autem ex mandato domini Papæ acceſſit ſed invitus ad eccleſiam Sancti *Auguſtini*, ut mandatum domini Papæ exequeretur. Prior autem *Walterius Cantuarienſis* eccleſiæ probroſum videns imminere periculum, de conſilio fratrum illuc acceſſit, & licet januis clauſis prudenter ingreſſus eſt. Videns vero archiepiſcopum jam ſacris veſtibus indutum, eum de tanta injuria *Cantuarienſi* eccleſiæ illata & inchoata ad ſedem apoſtolicam appellavit, & ne procederet conſtanter inhibuit. Hac occaſione benedictio illa ad præſens dilata fuit. *Silveſter* igitur ad dominum papam regreſſus, ſumpta occaſione ipſius animum quaſi ob contemptum archiepiſcopi ſtimulavit, ſicque litteras urgentiores obtinuit, ut archiepiſcopus *Silveſtrum* abſque profeſſione in eccleſia ſua benediceret omni occaſione & appellatione remota. Quod & factum eſt. Iſte primus & noviſſimus in eccleſia ſua ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* benedictionis non munus ſed execrationis onus accepit.

Rex autem *Stephanus* iterum *Wireceſtram* irrupit, et quia caſtellum præterito anno capere non poterat, ad ejus captionem totis viribus deſudabat. Porro cum obſeſſi viriliter reſiſterent, duo caſtella ad illud expugnandum conſtruxit, ibique quoſdam proceres relinquens alias divertit; ſed quia mos erat regis multa ſtrenuiter incipere, pauca laudabiliter finire, conſilio conſulis *Roberti* de *Leiceſtria* caſtella regis demolita ſunt, & obſeſſum callide liberatum. Labor itaque regis & ſtudium ut ſæpe ſolebat emarcuit & elanguit, flore caruit ac fructu.

Hoc anno *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus iiij. kal. Octobris ſacravit ad altare Chriſti *Cantuariæ Ricardum Londonienſis* eccleſiæ electum, accepta prius ab eo profeſſione de canonica ſubjectione, aſtantibus & cooperantibus *Gilberto Herefordenſi*, *Hylario Ciceſtrenſi*, *Walterio Roſenſi*. XIII.

M. Clij. Poſtquam reverſus eſt rex *Franciæ Lodovicus* à peregrinatione *Jeroſolimitana*, orta eſt quædam diſcordia inter ipſum & reginam ſuam *Alianor* ex quibuſdam forte quæ melius tacenda ſunt quæ in illa peregrinatione contigerunt. Et ecce ſubito ſub conſanguinitatis imagine moliri cœpit ma- An. Gr̃æ 1152.

trimonii ſolutionem. Divortio itaque inter regem *Lodovicum* & reginam ſuam *Alianor* labore multo & artificioſo juramento in facie eccleſiæ ſolempniter celebrato, *Gallicos* amplexus jam ſibi decrepitos faſtidiens, fines quoque *Gallia* egreſſa, in terram ſuam *Pictaviam* ſe recepit. Degebat his diebus dux *Henricus* in *Normannia* finibus, & erat in omnium oculis gratioſus. *Alianor* autem jam repudiata & propriæ libertati reddita, terram ſuam *Aquitaniam* ſcilicet & *Pictaviam* aliaſque terras ſuas quæ eam jure contingebant hæreditario ut domina poſſidebat. Quæ miſſis clanculo ad Ducem nuntiis, liberam & abſolutam ſe nuntiat eſſe, & ad matrimonium contrahendum Ducis animum ſtimulat. Dicebatur enim artificioſam repudiationem illam ex ipſius proceſſiſſe ingenio. Dux vero generoſitate feminæ & maxime dignitatum quæ eam contingebant cupiditate illectus, amoris & moræ omnis impatiens, paucis ſecum aſſumptis ſociis viam longiorem diſcurrit in brevi, infra tempus modicum conjugio illius jam olim concupito potitus eſt. Nuptiis igitur celebratis, genuit ex ea filium quem ex proavi ſui nomine vocavit *Willielmum*. Audiens autem rex *Lodovicus* reginam repudiatam Duci *Henrico* lege maritali conjunctam, acerbo felle commotus, innumerum fecit convocare exercitum, ut reginam olim ſuam, immo magis *Aquitaniam* ſi fieri poſſet revocaret. At dux ad tantos belli ſtrepitus manens intrepidus, convocatis undecumque militum & peditum copiis regem furentem ab ingreſſu provinciæ ſuæ conſtanter reppulit. Conſpiraverat autem cum rege frater Ducis junior *Gaufridus*, & fratrem proprium pro poſſe ſuo infeſtare cupiebat. Sed Ducis prudentia præventus, in brevi debellatus manus dedit & in gratiam regis utcumque receptus eſt. Revertente itaque duce, rex *Francia* pauculos agros & villas in ultimis *Normannia* finibus ne nil ageretur vaſtavit. Munitiunculis eciam quibuſdam per deditionem occupatis, ſubita febre detentus lecto decubuit. Quo audito, exercitus ejus paullatim defluens, ipſum poſt modicum in *Franciam* redire coegit. Dux igitur cum conjuge ſua poſſeſſionibus amplis, videlicet *Aquitania* & *Pictavia* in pace retentis, liberalitate ſua ſimul & prudentia omnium in ſe provocavit affectum. Rex autem *Stephanus* novi ducis *Normannia* & *Aquitania* & Comitis *Andegavia* *Henrici* probitatem ſimul & potentiam licet adoleſcentis valde ſuſpectam habens, de ſucceſſione regni *Anglicani* ſollicitus erat, ne in primo gradu hæreditas caſſaretur fraude retenta. Convocato igitur apud *Londoniam* generali Concilio, *Theodbaldo* ſcilicet archiepiſcopo *Cantuarienſi*, epiſcopis quoque & proceribus *Anglia*, propoſuit animo filium ſuum *Euſtachium* regio diademate inſignire, & de jure debito & jurato *Henricum* prævenire & penitus privare. Poſtulans autem à prædicto *Cantuarienſi* archiepiſcopo, ad quem de antiquo jure *Cantuarienſis* eccleſiæ regum *Anglia* pertinet coronatio, & cæteris epiſcopis quos ibidem congregaverat, ut *Euſtachium* filium ſuum in regem ungueret & benedictione ſua confirmarent, repulſam vehementer indoluit. Dominus ſiquidem Papa litteris ſuis *Cantuarienſi* prohibuerat archiepiſcopo, ne filium regis qui contra jusjurandum regnum uſurpaſſe videbatur, in regem ſublimaret. Hoc autem factum eſt ſubtiliſſima providentia & perquiſitione cujuſdam *Thoma* clerici natione *Londonienſis*; pater ejus *Gilebertus*, mater vero *Matildis* vocabatur. Rex igitur *Stephanus* & filius ejus *Euſtachius* eorumque complices vehementer irati, omnes epiſcopos cum primate ſuo *Cantuarienſi* archiepiſcopo in una domo includi juſſerunt, minis & terroribus extorquere cupientes quod prece vel precio non potuerunt. Archiepiſcopo autem firmiter in ſuo perſiſtente propoſito, quidam epiſcopi timore perculſi à ſui archiepiſcopi conſilio receſſerunt. Archiepiſcopus autem mirabili caſu egreſſus, trans fluvium *Tameſim* in cymba vectus prudenter aufugit, & citiſſime apud *Doveriam* transfretavit. Sicque factum eſt ut à minis regis & *Euſtachii* ereptus ipſum regis filium male concupito privaret honore. Rex autem audiens archiepiſcopum transfretaſſe, omnibus eum poſſeſſionibus ſpoliavit. Rex deinde caſtellum de **Nutberi** obſedit & cepit, deinde *Walengefordiam* obſedit, & caſtello ibidem erecto omnem incluſis egrediendi ſubripuit facultatem. Tunc hi qui ibidem fuerant obſeſſi, etſi non ante graviſſime compreſſi, à domino ſuo duce *Normannia* per internuntios petierunt vel auxilii exhibitionem, vel caſtellum in manus regis reddendi licentiam, unde dux *Henricus* iratus in *Angliam* cum exercitu iter paravit.

Hoc anno *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Anglia* primas & apoſtolicæ ſedis legatus benedixit *Thomam* abbatem de *Boxeleia* ad altare Chriſti *Cantuaria* vi. non. Martii.

Obiit hoc anno *Matildis* regina v. non. Maii & ſepulta eſt in cœnobio quod cum rege *Stephano* fundaverat apud **Faverſham.** X I V.

M. Cliij. Dux *Henricus* ſopitis circumquaque tranſmarinis bellorum turbinibus, ut eciam in *Anglia* qui à rege *Stephano* cotidie premebantur ſubveniret, armatorum copiis inſtructus venit in *Angliam* in initio menſis Januarii, die ſcilicet dominicæ apparitionis. Cum autem eccleſiolam intraret, miſſam vel ſaltem evangelium auditurus, vel paulatim more militum oraturus, ex inſperato incepit presbyter officium miſſæ diei dicens, *Ecce advenit dominator dominus & regnum in manu ejus*, et cætera. Igitur audita per totam *Angliam* adventus ſui fama, Comites & proceres qui partem ejus fovebant unanimiter ad eum confluebant, conferentes cum eo quid primo quidve poſtremo eſſet faciendum. Ex communi denique conſilio perrexit verſus *Malmesberiam*, fuſiſque in campeſtri planicie pugnatorum copiis, caſtellum fortiter obpugnavit, & in brevi muros exteriores occupavit. Expugnata tandem urbe, turris excellentiſſima *Jordani* quam ſpeciali regis conſervabat præcepto, ſola fame domabilis remanſit; Unde *Jordanus* cum ſumma feſtinatione egrediens, rem geſtam regi *Stephano* propalavit. Rex itaque *Stephanus* congregato exercitu *Cirecestram* venit, craſtinoque diſpoſitis agminibus *Malmesberiam* properavit quaſi cum Duce dimicaturus & obſeſſos liberaturus. Sed non longe à caſtris poſitus impetum cohibuit, & ne protinus pugnaretur ſolicite curavit. Obſtabat enim ſævientis hiemis inſolita aſperitas, qua nonnulla centenaria hominum perierunt & jumentorum. Apertis enim cataracteribus cœli tantas in facies eorum miſit deus inundationes, tantas acerrimi frigoris obſtinationes, tantas ventoſi turbinis impulſiones, ut Deus ipſe vel aeris intemperies pro Duce viderentur pugnare. Ibant tamen aciebus diſpoſitis quaſi contra Dei potentiam contendentes. Erat enim Duci tempeſtas à

An. Gr̄æ 1153.

tergo, regi vero in faciem, ut nec arma ſuſtinere nec lanceas ymbribus profluentes contrectare valerent. Rex igitur Deo & Duci reſiſtere non valens, celerius receſſit & *Londonias* properavit. Deus enim ſine ſanguinis effuſione Duci præparavit triumphum. Hi ergo qui in turri erant regio ſuffragio deſtituti, impetrata rebellionis impunitate turrem cum reliquo præſidio in manus Ducis tradiderunt. Exinde nobilis *Robertus* Comes *Leiceſtrie* cœpit partem Ducis fovere, eique per aliquod tempus neceſſaria miniſtrare. Triginta eciam vel eo amplius munitiſſima caſtella cum poſſeſſoribus ſuis & pertinentiis per conſilium Ducis ſe Duci ſubdiderunt.

Obiit hoc anno papa *Eugenius*, eique ſucceſſit *Anaſtaſius*.

Dux autem congregata militum copia, *Wallingefordenſibus* jam fame & inopia perituris ſuccurrere feſtinavit. Obſedit itaque Caſtrum de **Craumerſe**, rem arduam & inæſtimatam laudabiliter incipiens, cinxitque caſtellum regis & exercitum illum vallo maximo, ut ſuis tantum per caſtellum de **Wallingeford** pateret egreſſus, obſeſſis vero nullus exitus permitteretur. Quo audito, rex *Stephanus* cum magno exercitu *Walingefordiam* properavit, fautores Ducis qui in eodem erant caſtello acrius quam ſolebat obſeſſurus, vel ſaltem ſuos quos Dux obſederat ab iminenti periculo liberaturus. Anxius enim Rex duplici ex cauſa anhelo ſpiritu laborabat, ſcilicet ut vel ſuos liberaret, vel adverſarios impugnaret. Sciebat enim quod quocumque ſe verteret Ducem ipſum in exercitu ſuo inter primos obvium incunctanter haberet. Obpugnaverat autem idem Rex jam ſæpius præfatum caſtellum tempore quo fuit Imperatrix in Anglia et aliquotiens poſtea, ſed non prævaluit adverſus quendam prudentem ibi *Britonem* caſtellanum nomine *Brieunum*. Verum quia expugnare non potuit ſuper pontem *Tamenſis* fluvii turrem ligneam cum propugnaculis erexerat, ad arcendos videlicet *Walingefordenſium* militum excurſus: Dux vero ex improviſo cum paucis armatis è præſidio proſilivit, fabricam hoſtilem non ſine ſuorum periculo expugnavit, regioſque ſatellites manibus fidelium ſuorum deorſum præcipitavit. Sic dux cum ſuis armatorum copiis libere progreſſus, in campeſtri planitie contra regis exercitum caſtra metatus eſt. Vix tribus ſtadiis inter ſe diſtabant caſtra Regis & caſtra Ducis. Cum autem rex de ordinandis aciebis cum ſuis Comitibus & Baronibus eminus tractaret, equus regis priores pedes in ſublime erexit, & non ſine periculo ſedentis in terram pronus eliſus eſt. Hoc ſecundo & tercio eſt repetitum. Cunctis itaque portenti hujus novitate attonitis, *Willielmus* Comes de *Arundello* vir eloquentiſſimus hujuſmodi prorupit in vocem. » Evidentibus, inquit, ô rex docemur indiciis ſi inſtantis pugnæ contra Ducem ſubierimus conflictum, minime nobis » fore tutum, cum & illum ineundi certaminis juſtior cauſa ſolicitet, & pugnax cum illo exhæredatorum per te manus ardentibus animis periculo immineat capitum noſtrorum. Præterea » tanta eſt in utroque exercitu conſanguineorum » atque nepotum ſed & fratrum inter ſe diſſidentium multitudo, ut cum permixtis contrariis agminibus pugnatum fuerit, neceſſe ſit ut quamplures paricidali contagio polluantur. Quieſcat » igitur civilis belli nefanda rabies, miſſiſque viciſſim bonæ & probatæ fidei legatis, diſcordes » conſanguineorum hinc inde mentes ad debitæ » dilectionis unitatem revocentur, acceptiſque belli » induciis odiorum cauſæ interim conquieſcant. His dictis conſenſit rex, conſenſerunt & alii qui regi aſtabant. Tandem hoc inter principes regios decretum eſt, ut Rex cum Duce ſeorſum de pace colloqueretur, deinde pax inter ipſos facta, ad utriuſque partis principes referretur. Poſtquam igitur hæc principum conſideratio per internuntios fideles ad noticiam ducis in bella furentis delata eſt, vix tandem compellentibus amicis ſuis præbuit aſſenſum. Dolebat enim tantos belli apparatus debere prorſus evaneſcere, nequibat juvenilis pectoris fervorem citius temperare. At tamen urgentibus amicis, immo vim inferentibus animo illius, regi venienti properanter occurrit, & ſolo *Tamenſi* fluminis alveo interjecto ubi ſtrictior videbatur et ad loquendum aptior ab illo diviſus, ſecretos diutiſſime confederationis ſermones conſeruit. Poſt finem colloqui, dux ad ſuos alacriter regreditur, et rex ad ſuos in caſtra rediit. Tandem convenientibus in id ipſum partium diverſarum voluntatibus, armis depoſitis valedicunt. Unde *Euſtachius* regis filius & Ducis æmulus vehementer indignans, patrem de pace inita corripuit, & ſic furibundus à curia recedens patrem dereliquit, omnemque vaſtaturus patriam *Cantabrigiam* petiit; Propoſuerat enim animo nec ſacris locis nec ſanctorum prædiis fore parcendum. Unde cum beati *Eadmundi* petiſſet cœnobium, ibidemque reverenter exceptus et ſplendide refectus, cum petitam pecuniam in ſatellites ſuos erogandam non accepiſſet, furibundus abceſſit, et in die ſancti *Laurentii* circumquaque et maxime ſancti *Eadmundi* meſſes prædari præcepit, et in caſtrum ſuum quod ibi erat proximum deduci. Sed cum ad menſam, ut in ſcriptis legimus, pranſurus ſediſſet, ad primum edulii guſtum inſanus effectus miſerabiliter interiit, et pro contumacia martyribus illata, diras mortis pœnas exolvit. Sepultus eſt tamen apud **Faverſham**. *Simon* quoque Comes *Northamtonie* eodem tempore defunctus eſt. Uterque juvenis, eodem morbo, eadem ebdomada deperierunt. Circa idem tempus plures regis complices mortui ſunt. Unde virtus & ſpes omnium Duci rebellantium emarcuit ex inproviſo. *Rannulfus* eciam nobilis ille & famoſus Comes *Ceſtrie* vir admodum militaris, per quendam *Willielmum Peverellum*, ut fama fuit, veneno infectus, poſt multos agones militaris gloriæ vir inſuperabilis audaciæ vix ſola morte territus & devictus vitam finivit temporalem & ſepultus eſt. Qui licet Ducis faveret partibus, parum tamen pro Duce faciebat niſi quod in ſua mente habebat, pro rege vero nichil. Dux autem impiger ut leo rugiens in venatione terciam congeſſit obſidionem circa caſtellum de **Stanford**. Subacta vero urbe, rebellantes ei qui in turri fuerant nuncios ad regem miſerunt, ſibi neceſſarium auxilium poſcentes. Rex autem obſederat caſtellum de **Gipeſwich** quod Comes *Hugo Bigod* contra eum tenebat. Cujus obſidionem cum nollet dimittere nec incluſis à Duce auxilium impendere, caſtellum de **Stanford** cum ipſa turri Duci redditum eſt. Sed & caſtellum de **Gipeſwich** regio traditum eſt arbitrio. Dux autem **Notingeham** petiit & obſedit & abſque mora cepit.

Theodbaldus interim *Cantuarienſis* archiepiſcopus cum rege, cum duce de componenda pace tractabat. Cum rege ſingulariter colloquens, duci vero frequenter nuntios mittens. *Henricus* vero epiſcopus *Wintonienſis* qui prius quidem regnum funeſte turbaverat, cum omnia videret rapinis, incendiis & cædibus demolita, pœnitentia motus ad tantorum finiendam malorum malitiam concordiæ principum invigilabat. Factum eſt autem ut menſe Novembri in fine menſis ex præcepto regis & ducis convenirent apud *Wintoniam* præſules & principes regni, ut & ipſi jam initæ paci præberent aſſenſum, & unanimiter juramenti ſacramento confirmarent. Facto itaque in civitate *Wintoniæ* conventu publico, & duce cum ingenti gaudio in epiſcopali ſede ſuſcepto, rex *Stephanus* ipſum ducem cunctis videntibus adoptavit in filium, atque interpoſito omnium juramento, conceſſit & confirmavit ei totius *Angliæ* principatum. Dux autem ſuſcepit eum in locum genitoris, concedens ei omnibus diebus vitæ ſuæ nomen & rem regii culminis optinere. His itaque rebus apud *Wintoniam* feliciter geſtis, rex ducem ſecum ducens cum magno procerum & præſulum comitatu *Londoniam* properavit, dominumque totius *Angliæ* prædicari eum præcepit. Hujus rei fama circumquaque diffunditur, & quiſquis pacis filius admodum gloriatur. Sic Dei miſericordia noſtris ærumpnis finem, pacis auroram regno diruto tribuit *Anglorum*. His igitur peractis, cum ſummo gaudio & amore rex *Stephanus* & filius ejus novus adoptatus nuper conventuri diſceſſerunt. Hæc etenim concordia ante natale Domini confirmata eſt. Utrimque igitur in pace diſceſſum eſt. XV.

An. Græ 1154. M.CLiv. Dux *Henricus* cum jam annum in expugnatione, immo in reſuſcitatione *Angliæ* peregiſſet, in octavis Epiphaniæ una cum rege *Stephano* venit *Oxenefordiam*, ibique Comites & Barones *Anglicani* regni ex præcepto Regis Duci debitam juraverunt fidelitatem, ſalvo nimirum honore regio quoad viveret rex. Hac itaque facta ſecuritate, abinvicem in pace diſceſſerunt. Poſt modicum vero temporis convenerunt *Dunſtapelam* denuo de ſtatu & pace regni tractaturi. Ibi aliquantulum quidem clariſſima dies obnubilata eſt; diſplicebat enim Duci quod caſtella poſt mortem *Henrici* regis in peſſimos uſus circumquaque conſtructa non diruerentur, ſicut confirmatum & ſancitum fuerat inter eos in concordiæ firmiſſimo fœdere. Pars quidem magna jam erat diruta; quibuſdam tamen ſuorum caſtellis regis clementia vel verſutia parcens, pacti communionem debilitare videbatur. Dux igitur ſuper hoc modeſte regem increpans, repulſam quidem paſſus eſt. Veruntamen patri ſuo novo deferens, ægre quidem rem diſtulit, ne concordiæ lumen extinguere videretur.

Menſe Januario die ſancti *Vincentii* cum dominus *Hugo Eboracenſis* eccleſiæ theſaurarius & *Wintoniæ* archidiaconus ad eccleſiam *Dunelmenſem* vacantem epiſcopus communiter eligeretur, *Henricus* archiepiſcopus *Eboracenſis* electionem quantum in ipſo fuit caſſavit. Sed prædictus theſaurarius electus ad curiam *Romanam* cum ſuis electoribus ivit: Et ibi ſuam conſecrationem à domino papa *Anaſtaſio* poſt dominum ipſum *Eugenium* ſubſtituto, ſubſequenti vigilia ſancti *Thomæ* apoſtoli ſuſcepit. Beatus igitur *Willielmus* ſubſequenti tercia die ad curiam *Romanam* venit, quem prædictus *Dunelmenſis* epiſcopus honorifice ſuſcepit, & negotium ipſius uſque adeo procuravit & promovit, quod ei reſtitutionem ſui archiepiſcopatus à prædicto papa *Anaſtaſio* & tota curia *Romana* perquiſivit, & ei pallium quod nunquam prius habuerat antequam inde recederet impetravit. Poſt modicum temporis dux *Henricus* una cum rege *Stephano* & quibuſdam optimatibus *Angliæ* venit *Cantuariam*, ubi à Conventu Chriſti ſolempni proceſſione cum innumera cleri et populi multitudine ſuſceptus eſt. Exinde in quadrageſima *Dovoriam* ſimul venientes cum Comite *Flandriæ Theodrico* & Comitiſſa Ducis amita colloquium habuerunt. Cum autem rex et dux dimiſſo Comite *Cantuariam* redirent, et ex conjuratione *Flandrenſium* qui Duci ſimul et paci invidebant, interfectio Ducis præparata fuiſſet, ecce ſubito Regis filius junior *Willielmus* nomine conſpirantium conſcius ſuper *Berehamdoniam* decidit equo, tibiaque nutu Dei confracta omnes fere circa ſe coadunavit in planctum. Dux interim præmeditatas agnoſcens inſidias *Cantuariam* concito veniens æmulorum ſuorum inſidias declinavit. Inde feſtinanter per *Roffam* & *Londoniam* ad mare deſcendens, in *Normanniam* transfretavit, & ulterius faciem regis *Stephani* non vidit.

Willielmus Eboracenſis archiepiſcopus in *Angliam* rediit, et in paſchali ſolennitate alumpnam ſuam *Wintonienſem* eccleſiam viſitavit. Deinde ad ſedem propriam *Eboracum* perveniens, in ſacra ſolempnitate pentecoſtes inter Miſſarum ſolempnia veneno infectus eſt, & poſt paucos dies migravit ad Dominum.

Eodem anno *Rogerius Cantuarienſis* archidiaconus electus eſt ad regimen *Eboracenſis* eccleſiæ, & conſecratus eſt à *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo apud *Weſtmonaſterium* vj. idus Octobris, aſtantibus et cooperantibus *Ricardo* Londonienſi, *Roberto* Lincolnienſi, *Gileberto* Herefordenſi, *Waltero* Roffenſi, *Roberto* Bathonenſi, *Nigello* Helienſi, *Willielmo* Norwicenſi, & *Johanne* Wigornenſi. Dedit autem archiepiſcopus *Cantuarienſis* archidiaconatum cuidam clerico ſuo ſcilicet *Thomæ* de *Londonia* viro admodum ſtrenuo atque ingenii perſpicacis. Menſe Octobri rex iterum Comiti *Flandrenſi* apud *Dovoriam* occurrit, et cum eo colloquium habuit. Dimiſſo autem poſt colloquium Comite, Rex ſubito ilii dolore cum veterano emoroidarum fluxu violenter corripitur, & ibidem in curia monachorum decumbens diem clauſit extremum octavo kal. Novembris. Corpus vero ipſius ad **Faverſham** delatum eſt, et in eccleſia ſepultum. Tumulato itaque rege *Stephano* tanta pax per *Angliam* nutu divino et cooperante *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo facta eſt, ut inter tot militum et *Flandrenſium* luporum cohortes nemo in alium manus mitteret violentas. Poſt mortem itaque regis *Stephani* evoluto menſis unius ſpatio et amplius eo, Dux *Henricus* de obitu regis certior effectus, à principibus *Angliæ* vocatus et à populo deſideratus, magna ſtipatus nobilium caterva ad mare deſcendit. Et licet repugnantibus auris, et navigio diſperſo, in *Anglia* tamen apud **Hoſtreham** applicuit ſexto idus Decembris. Congregatis vero quos mare diſperſerat ſociis, *Wintoniam* pervenit, ibique confluentium ad ſe principum fidelitates accepit. Deinde *Londoniam* petiit, proxima Dominica ante nativitatem Domini coronandus. Igitur ſextodecimo kal. Januarii coronatus eſt rex *Henricus* filius *Matildis* imperatricis à *Theodbaldo Cantuarienſi* archiepiſcopo totius *Angliæ* primate et apoſtolicæ ſedis legato, apud *Weſtmonaſterium*, aſtantibus & cooperantibus archiepiſcopis

epiſcopis duobus, epiſcopis xiv. Comitibus & Baronibus *Anglicanis* & tranſmarinis & innumera multitudine plebis. Regina quoque *Alianor* à rege *Francorum Lodovico* repudiata cum ipſo coronata eſt. Conſiderans autem venerandus pontifex *Cantuarienſis Theodbaldus* regiæ mentis utpote juvenilis mutabilitatem, corporis agilitatem, eumque totum cereum in vitia flecti, videns eciam luporum aulicorum inveteratam malitiam & inſatiabilem cupiditatem, timebat juveni, timebat & ſibi; juveni quidem, ne malignantium adulatorum tabe inficeretur, fieretque monitoribus aſper: ſibi vero, ne ipſo diſſimulante juvenis rex greſſus ſuos à via veritatis averteret, & ſubjugatis regni adverſariis Dei eccleſiam impugnaret. Egit igitur apud Regem, ut ſtatim in initio regni Cancellariam concederet clerico ſuo *Thomæ Londonienſi*, cui anno præterito *Cantuarienſis* eccleſiæ dederat archidiaconatum. Cernebat quippe pontifex præfatum *Thomam* frequenti experientia jam doctus in agendis ſtrenuum, in conſiliis fidum, in dubiis ſecurum, in adverſis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad juſſa promtum, in obſequio ſedulum, & in omni opere providum & diſcretum, unde & talem aula dignum & aulæ gratum futurum nec inmerito arbitratur, ſperans exinde iſtius ope & opera inter regnum & ſacerdotium deinceps pacis gratiam & vinculum firmum. *Thomas* igitur Cancellarius factus aulicos omnes facetia ſuperavit & gloria, ut in brevi Regis rector efficeretur & quaſi magiſter. In nativitate Domini tenuit rex curiam ſuam apud *Beremundeſeiam*, ubi cum principibus ſuis de ſtatu regni & pace reformanda tractans, propoſuit animo alienigenas gentes de regno propellere, & munitiunculas peſſimas per totam *Angliam* ſolo tenus diſſipare.

XVI.

An. Græ 1155. M.C.lv. *Gwillielmus de Ypre* & omnes fere *Flandrenſes* qui in *Angliam* confluxerant, indignationem & magnanimitatem novi regis metuentes, ab *Anglia* receſſerunt; & caſtella paſſim per *Angliam* ad rapinas pauperum & divitum excurſus ædificata ex præcepto Regis ſubverſa ſunt. Rex igitur *Eboracum* & occidentales *Angliæ* partes viſitavit. Quod audiens *Willielmus Peverellus* cum de morte Comitis *Ranulfi* ſibi eſſet male conſcius, novi regis illuc adventantis magnanimitatem metuens, in cœnobio quodam ditionis ſuæ relictis omnibus attonſus eſt & cucullatus. Rege vero menſe Februario ab *Eboraco* digrediente, & in provinciam de **Notingeham** ubi prædictus latebat cucullatus perveniente, idem *Willielmus* latenter evaſit & aufugit, cunctaſque munitiones ſuas ubertate refertas regiæ reliquit voluntati. Menſe Martio peperit regina *Alianor* filium ſuum in civitate *Londonia*, quem baptizavit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & ad nomen patris ſui ſcilicet regis vocavit *Henricum*. Paucis vero diebus poſt hæc evolutis, convocatis univerſis fere regni primoribus cœpit rex rationem ponere cum eis qui adhuc tenebant præſidia regii juris. Erat enim fixa in animo ipſius ſententia omnem rebellionum materiam exſtirpare, & ſuſpicionum cauſas ſubmovere. Cognito itaque regiæ intentionis decreto, Comes *Herefordenſis Rogerius* illius magni *Milonis* filius, ſeductus iniquorum conſiliis clam à curia diſceſſit, & cum ſumma feſtinatione *Gloeceſtriam* pervenit, jam enim decreverat apud ſe omnia prius rebellionis pericula & incommoda ſubire, quam turris *Gloeceſtriæ* & caſtelli de **Hereford** dominationem Regis arbitrio ſubjugaret. Munivit itaque præfata & alia quæ habebat præſidia armis & alimentis & *Walenſium* copiis, à quibus mater ſua originem trahebat. Stimulabant Comitis animum ad rebellandum quidam potentes proditores in *Anglia* ſimul & *Walia*, & præcipue *Hugo de Mortuo mari*, qui eciam prout potuit rebellare cupiebat. Quod ut vidit *Gilebertus Foliot* eo tempore *Herefordenſis* epiſcopus, conſanguineum ſuum Comitem *Rogerium* adiit, ejuſque ferocis animi impetum facunda cohibuit eloquentia, eumque tandem in paſſione Domini ad debitam regis reverentiam revocavit & gratiam, reſignatis quidem præſidiis quibus admodum viſus eſt gloriari. *Hugo* autem *de Mortuo mari* novo regi rebellare geſtiens, tria contra regem caſtella firmavit & tenuit, videlicet **Cleoberi**, **Wigemoꝛe**, & **Bruges**. Rex autem *Henricus* citius eo advolans, exercitum ſuum in tres turmas diviſit, & prædicta caſtella incontinenti obſedit & poſt in brevi cepit, ipſumque *Hugonem* ad deditionem coegit. Poſt paſcha vero factus eſt conventus generalis præſulum & principum totius *Angliæ* apud *Walingefordiam*, ubi adjurata eſt *Anglia* Regi & hæredibus ſuis, *Willielmo* ſcilicet ſi pluſquam pater viveret, & *Henrico* puerulo ſi *Willielmo* fataliter accidiſſet. Sic in brevi Domino cooperante pax per *Angliam* nata & confirmata omnes pacis filios lætificavit, & cuncta bellica perturbavit.

Theodbaldus Cantuarienſis archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus non. Junii ſacravit *Robertum Exonienſem* electum ante altare Chriſti *Cantuariæ*, aſtantibus & cooperantibus *Hilario Ciceſtrenſi*, *Jocelino Saresbirienſi*, *Nigello Helienſi*, *Walterio Roffenſi*.

XVII.

An. Græ 1156. M.C.lvj. Rex *Henricus* transfretavit, & *Thomæ* Cancellarii ſui magno fretus auxilio caſtra *Ganfridi* fratris ſui qui rebellare temptabat valide optinuit, hominia & obſides de tota *Aquitania* & *Gaſconia* exegit, & accepit. Quo facto, reditum in *Angliam* paravit.

XVIII.

1157. M.C.lvij. Benedixit *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus *Hugonem* abbatem ſancti *Edmundi* apud *Coleceſtriam*, accepitque ab eo profeſſionem de canonica obedientia.

Rex autem *Henricus* expugnato fratre ſuo *Gaufrido*, rediit in *Angliam*, & convocati ſunt ad eum præſules & principes regni, abbates nonnulli, aliique inferioris ordinis perſonæ apud *Norhamtoniam*, *Theodbaldus* quoque *Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus affuit, & *Silveſter* abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ*. Poſt varios autem ſermones & regni negotia, actum eſt eciam de profeſſione *Silveſtri* abbatis archiepiſcopo *Cantuarienſi* facienda. Dederat enim Papa *Adrianus* in mandatis eidem abbati ut archiepiſcopo profeſſionem faceret, in hunc modum.

ADrianus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Silveſtro *abbati ſancti* Auguſtini *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Injuncti nobis à Deo ſummi pontificatus officium & ſuſceptæ regimen dignitatis nos admonet modis omnibus & invitat, ut unicuique & præſertim fratribus noſtris archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis ſua jura integra debeamus & illibata ſervare, ut ipſi tanto magis de grege ſibi commiſſo poſſint eſſe ſolliciti, quanto amplius noſtræ defenſionis auxilio ſe perſpexerint communiri. Ut igitur venerabilis frater noſter*

noſter Theodbaldus Cantuarienſis *archiepiſcopus ſe minorationem ſuæ juſticiæ ſuſtinere quantum in nobis eſt nullatenus conqueratur, per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus juxta mandatum prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ* Anaſtaſii *Papæ memorato fratri noſtro cum ab eo fueris requiſitus, profeſſionem facere non recuſes, ita quidem ſi conſtet prædeceſſores tuos eandem profeſſionem ipſius anteceſſoribus præſtitiſſe. Dat.* Benev. *idus Januarii.* Item ad eundem.

ADrianus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio abbati ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto amplius venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus ab ipſo promotionis ſuæ tempore ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ fidelis ſemper ac devotus noſcitur extitiſſe, tanto propenſius eum & commiſſam ſibi eccleſiam diligere nos oportet, & jura ſua eidem illibata debemus & integra conſervare. Inde eſt quod dilectioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſicut aliquem anteceſſorum tuorum conſtat alicui prædeceſſori ejuſdem fratris noſtri archiepiſcopi obedientiam aliquo tempore exhibuiſſe, ita eam omni appellatione & occaſione remota, infra* xxx. *dies poſt ſuſceptionem præſentium litterarum ipſi non differas exhibere.*

His auditis, *Silveſter* dicebat ſibi non conſtare aliquem prædeceſſorum ſuorum hujuſmodi profeſſionem feciſſe. Faciam, inquit, archiepiſcopus tibi incunctanter conſtare. Aſtiterunt itaque viri religioſi, fideles & ſenes qui tactis ſacroſanctis juraverunt, ſe præſentes fuiſſe profeſſioni *Hugonis* prædeceſſoris ejuſdem *Silveſtri*, quam fecerat *Willielmo* archiepiſcopo prædeceſſori *Theodbaldi*. Quibus auditis, *Silveſter* ulterius reſiſtere non valens, judicio omnium archiepiſcopo *Cantuarienſi* abſolutam fecit profeſſionem. In hujus profeſſionis teſtimonium compoſitæ ſunt ibidem litteræ ſeptem epiſcoporum ſigillis ſignatæ, quæ uſque in hodiernum diem ad cautelam futurorum in eccleſia Chriſti reſervantur. Harum litterarum iſte eſt textus.

Univerſis ſanctæ eccleſiæ filiis & fidelibus Ricardus *Londonienſis*, Rotrodus *Ebroicenſis*, Robertus *Bathonienſis*, Willielmus *Norwicenſis*, Hilarius *Ciceſtrenſis*, Gilebertus *Herefordenſis*, Robertus *Lincolnienſis epiſcopi ſalutem. Rerum geſtarum memoria provide litteris committitur, ne tractu temporis ea quæ ſemel recte terminata ſunt, iteratis refragationibus perturbentur. Inde eſt quod univerſitati veſtræ præſentis ſcripti atteſtatione notum facimus, quod controverſia temporibus noſtris nata quæ inter venerabilem patrem noſtrum* Theodbaldum Cantuarienſis *eccleſiæ archiepiſcopum &* Silveſtrum *abbatem monaſterii ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ſuper facienda ſibi profeſſione ab eodem abbate verſabatur, juxta mandatum domini papæ* Adriani *ſub præſentia noſtra hoc modo terminata eſt. Dederat enim ipſi abbati prænominatus papa in mandatis, præcipiendo quatinus infra* xxx. *dies poſt ſuſceptionem litterarum ſuarum omni appellatione & occaſione remota, eam eidem archiepiſcopo faceret profeſſionem, ſicut aliquem abbatum illius monaſterii alicui archiepiſcoporum* Cantuarienſium *feciſſe conſtabat. Sed quia abbas diffitebatur ſibi conſtare prædeceſſores ſuos hanc profeſſionem feciſſe, licet hoc in regno publice innotuiſſet, religioſi viri tactis ſacroſanctis evangeliis juraverunt ſe vidiſſe & audiſſe* Hugonem *ejuſdem* Silveſtri *deceſſorem memoratam profeſſionem* Willielmo *piæ recordationis* Cantuarienſi *archiepiſcopo more debito ſine contradictione feciſſe. Ad hæc eciam vidimus ſcedulas in quibus profeſſiones multorum abbatum ipſius monaſterii manifeſte nobis ſcriptæ apparuerunt. Facta itaque fide abbati & his qui aderant, prædeceſſorum ſuorum ſecutus veſtigia profeſſionem in hac verba fecit & crucis ſigno complevit atque munivit. Ego* Silveſter *abbas eccleſiæ apoſtolorum* Petri *&* Pauli *&* beati Auguſtini *primi* Anglorum *archiepiſcopi promitto ſancta* Dorobernenſi *eccleſiæ & tibi reverende pater* Theodbalde *ejuſdem eccleſiæ archiepiſcope tuiſque ſucceſſoribus canonicam per omnia obedientiam. Ex hus igitur intelleximus quod nulla de cætero inter ipſorum ſucceſſores de facienda profeſſione contradictio debeat inſtaurari. Facta eſt hæc profeſſio apud* Northamtoniam, *anno gratiæ* M.C.lvij. Henrici *regis ſecundi anno* iij. *menſe Julio* xvj. *kal. Auguſti, præſentibus epiſcopis octo, abbatibus* xij. *ipſo quoque rege* Henrico *& quampluribus aliis tam de tranſmarinis quam de partibus* Anglicanis.

Hoc itaque concilio ſoluto, rex *Henricus* expeditionem paravit in *Gualias*, contra *Gualenſes* dimicaturus. Quo perveniens, & nimis ferociter & minus prudenter inſiſtens, utpote regionis & doloſitatis illius gentis ignarus, multos perdidit ex ſuis. Signifer enim regius *Henricus de Eſſeſſia* nomine dum inter hoſtiles cuneos impeteretur, vexillum regium in terram demiſit. Quo viſo, *Gualenſes* audaciores, *Angli* vero timidiores effecti ſunt, exiſtimantes regem in prælio corruiſſe. Ex hoc infortunio *Henricus* cum eſſet nobiliſſimus inter principes *Angliæ* perpetuum incurrit obprobrium & exhæredationem. Rex *Henricus* tamen exegit & accepit à quodam rege *Gualiæ* & aliquibus Baronibus hominium & obſides, & reverſus eſt.
XIX.

M.C.lviij. Rex *Henricus* transfretavit & *Pariſius* profectus à rege *Franciæ Lodovico* in magna gloria An. Græ 1158.
& honore ſuſceptus eſt, filiam ejus filio ſuo *Henrico* petiit & accepit. Eo tempore per induſtriam *Thomæ* Cancellarii à *Lodowico* Rege *Francorum* Chriſtianiſſimo, viro tamen nimis ſimplici optinuit, ut quaſi ſeneſcallus Regis *Francorum* intraret *Britanniam*, & quoſdam ibidem inter ſe inquietos & funebre bellum exercentes coram ſe convocaret & pacificaret, & quem inveniret rebellem violenter coherceret. Hic fuit primus ingreſſus ejus ſuper *Britones* edomandos, & ſic civitatem de *Nantes* ad jus ſuæ dominationis inflexit. Dehinc expugnato *Toarco*, Regem *Franciæ* à *Cenomannica* urbe ad *Montem* ſancti *Michaelis*, & exinde per *Baiocas*, *Cadomum*, *Rotomagum*, non inpari quam ille eum per *Franciam* gloriæ & honoris magnificentia in *Franciam* deduxit. Eodem anno terræ motus factus eſt in pluribus locis per *Angliam* & fluvius *Tamiſia* apud *Londoniam* deſiccata eſt, ut ſiccis pedibus tranſiretur.

M.C.lix. Ciclus decennovennalis incipit. I.

Adrianus papa obiit & *Alexander* ſucceſſit. Qui 1159.
cum ſe tanto honori idoneum non eſſe profiteretur, & Cardinales ejus electioni firmiter conſentirent, & inſtarent ut eum facerent aſſentire, ex parte adverſa *Octavianus* paucis ſibi faventibus mantum præpoſteratum ſuſcepit & papatui ſe ingeſſit. Cardinales & *Romani Alexandrum* fovebant, Imperator vero *Octavianum* præferre cupiens, *Alexandri* fautores

fautores infeſtabat. Hac de cauſa non ſolum *Romana* ſed & tota eccleſia confundebatur.

Hoc anno rex *Henricus* ſcotagium ſive ſcutagium de *Angliæ* accepit, cujus ſumma fuit centum milia & quater viginti milia librarum argenti. De aliis vero terris ſibi ſubjectis inauditam ſimiliter cenſus fecit exactionem. Dehinc verſus *Toloſam* copioſum valde movit exercitum, obſeditque urbem à nativitate ſancti *Johannis* Baptiſtæ uſque ad feſtum omnium Sanctorum. Erant autem cum illo in obſidione illa *Malcolmus* rex *Scotiæ* & quidam rex *Gualiæ*, & omnes comites atque barones *Angliæ* & *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, *Andegaviæ*, & *Guaſconiæ*, & multi alii ex diverſis regionibus milites & pedites ad eum veniebant. Sed *Francorum* rege *Lodovico* civitatem prædictam tuente, fruſtrata eſt intentio regis *Anglorum*; Nam obſidione ſoluta, poſt ſummam pacem & concordiam inter eos factam diſcordia maxima poſt modicum eſt ſuborta. II.

An. Gr̄æ 1160. M. Clx. *Romanorum* Imperator *Fredericus* in *Papienſi* Concilio Cliij. epiſcoporum *Octaviani* ſciſma favore ſuo & auctoritate roboravit: De cujus ſuſceptione regi *Franciæ Lodovico*, & *Henrico* regi *Anglorum* ſpectabiles legatos cum litteris ſuis miſit. Sed reges prædicti parti & obedientiæ catholici papæ ceſſerunt *Alexandri*. Hoc anno obiit regina *Franciæ*, filia ſcilicet Imperatoris *Hiſpanorum*. Rex autem *Lodovicus* maſculinæ prolis deſiderio affectus, filiam *Theodbaldi* Comitis ſenioris jure ſibi copulavit matrimonii. *Henricus* eciam filius regis *Angliæ* nondum ſeptennis quem peperit ei *Alianor* regina, filiam regis *Franciæ Lodovici* nondum biennem deſponſavit.

Ægrotavit his diebus *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus; qui apud *Cantuariam* occumbens diem ſuum expectavit extremum. Quod audientes electi duo *Ricardus* ſcilicet *Coventrenſis* & *Bartholomeus Exonienſis*, ex mandato archiepiſcopi *Cantuariam* venerunt ut ſaltem præſente archiepiſcopo munus ſuſciperent conſecrationis. *Walterius* itaque *Roffenſis* epiſcopus in præſentia archiepiſcopi, qui utcumque in capellam ſuam delatus eſt, ſacravit prædictum *Ricardum* ad regimen *Coventrenſis* eccleſiæ, facta prius profeſſione archiepiſcopo de canonica ſubjectione. *Bartholomæi* autem *Exonienſis* electi conſecratio in modicum tempus dilata eſt, quouſque regi *Angliæ* in partibus tranſmarinis degenti feciſſet homagium. Transfretavit itaque prædictus *B. Exonienſis* electus, & *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus morbo invaleſcente ad extrema perductus eſt. III.

1161. M. Clxj. Obiit venerandæ memoriæ *Theodbaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus anno pontificatus ſui xxij. quartodecimo kal. Maii, & ſepultus eſt in eccleſia Chriſti *Cantuariæ*: Cujus corpus poſt decem et novem annos ſepulturæ ſuæ integrum & rigidum inventum eſt, oſſibus & nervis cute et carne ſed extenuata cohærens. Poſt cujus obitum vacavit eccleſia *Cantuarienſis* anno uno, menſe uno, diebus quatuordecim. Ex condicto vero venerabilis *Wiberti* Prioris & Conventus *Cantuarienſis* eccleſiæ, & *Walteri Roffenſis* epiſcopi convenerunt epiſcopi *Cantuariæ*, una cum electo *Exonienſi* quem ſacravit *Walterus Roffenſis* epiſcopus ad altare Chriſti, data profeſſione de canonica ſubjectione *Cantuarienſi* eccleſiæ et archiepiſcopo futuro exhibenda. Erat autem his diebus *Thomas Cantuarienſis* archidiaconus et regis Cancellarius in *Angliæ* potentiſſimus, in omnium oculis glorioſus, ſapientia præclarus, nobilitate cordis omnibus admirabilis, inimicis & æmulis ſuis terribilis, utpote regis amicus et in regno ſecundus, ſed et regis rector et quaſi magiſter. IV.

M. Clxij. Rex *Henricus* ſuis tranſmarinis impeditus negotiis, admirabilem illum *Thomam* Cancellarium ad expedienda regni negotia tranſmiſit in *Angliam*; hac tamen prima & præcipua intentione ut in archiepiſcopum *Cantuarienſis* eccleſiæ eligeretur. 1162. Poſt modicum menſe videlicet Maio venerunt *Cantuariam* nuntii ex parte & præcepto domini regis, epiſcopus ſcilicet *Ciceſtrenſis*, epiſcopus *Exonienſis*, epiſcopus *Roffenſis*, abbas de *Bello* & frater ipſius *Ricardus de Luci*, portantes Conventui domini regis apices & mandatum, ut Prior cum aliquibus monachis una cum epiſcopis & clero *Angliæ* apud *Londoniam* convenirent ſibi archiepiſcopum totique patriæ primatem electuri. Hoc igitur audito nuntio, venerandus ille *Wibertus* Prior aſſumptis ſecum ſenioribus *Cantuarienſis* eccleſiæ monachis *Londoniam* venit, ibique præſules & proceres *Angliæ* congregatos invenit. Multis itaque & variis de electione facienda conſertis ſermonibus, tandem *Wibertus* Prior & qui cum eo erant invocata Spiritus ſancti gratia *Thomam* regis Cancellarium in nomine ſanctæ Trinitatis elegerunt. Facta igitur electione cum electus *Cantuariam* tenderet conſecrandus, in viſu noctis apparuit ei perſona venerabilis dans ei decem talenta. Ipſe autem ſtatim ob iter inſtituit ſibi magiſtros idoneos qui ejus errata corrigerent ſi forte excederet in aliquo. Convenerunt itaque *Cantuariæ* præſules & principes regni ut tantæ aſſiſterent conſecrationi. Sabbato igitur octavarum pentecoſtes in presbiterii gradum ordinatus eſt, in craſtino in archiepiſcopum conſecrandus. Cum autem omnia conſecrationi neceſſaria præparata fuiſſent, orta eſt aliquantula inter epiſcopos altercatio de conſecratione facienda. Archiepiſcopus enim *Eboracenſis* per internuntios licet abſens dicebat, conſecrationem illam ſibi de jure dignitatis antiquæ contingere, ſeque ad exequendum eſſe paratum ſi novo electo cæteriſque placeret. Fatentur quoque epiſcopi *Eboracenſem* archiepiſcopum de jure antiquo debere *Cantuarienſem* electum conſecrare, quod & eidem de facili concederent, ſi tamen *Cantuarienſi* eccleſiæ juſte reſtitueret quam injuſte ſubtraxerat canonicam ſcilicet ſubjectionem & tam debitam quam privilegiatam profeſſionem. Renuit ille quod mandatum eſt, & ſic omnium judicio petitio archiepiſcopi *Eboracenſis* repulſa eſt. Quidam autem epiſcopus de *Gualia* benedictionem illam ſuam dicebat, eo quod eſſet primus omnium quia præ omnibus conſecratus. Epiſcopus econtra *Roffenſis* ſuam eſſe contendit, quia ab antiquo *Cantuarienſis* eccleſiæ proprius erat capellanus. Fuerant autem quidam qui pro epiſcopo *Wintonienſi* qui in *Cantuarienſi* eccleſia cantoris gaudet officio allegarent. Cum autem his diebus *Londonienſis* vacaret eccleſia mortuo ejuſdem eccleſiæ epiſcopo qui ab olitanis temporibus in *Cantuarienſi* eccleſia decanatus præeminet dignitate, Canonici præfatæ *Londonienſis* eccleſiæ novo ſcripſerunt electo, ſuppliciter poſtulantes quatinus epiſcopo *Wintonienſi* liceret in conſecratione illa *Londonienſis* epiſcopi vices agere, ſicut hactenus in minoribus fecerat ſacramentis. Conſenſerunt itaque vix tandem epiſcopi, et conſecravit eum *Henricus Wintonienſis* epiſcopus Dominica octavarum pentecoſtes iij. non. Junii, quadrageſimo circiter ætatis ſuæ anno, aſtantibus et cooperantibus omnibus fere ſuffraganeis eccleſiæ *Cantuarienſis*. Eorum qui affuerunt nomina ſunt hæc: *Henricus* Wintonienſis, *Nigellus* Helienſis, *Robertus* Bathonienſis, *Jocelinus* Sareſberienſis, *Willielmus* Norwicenſis, *Hylarius* Ciceſtrenſis, *Ricardus* Ceſtrenſis, *Bartholomaus* Exonienſis, *Robertus* Lincolnienſis, *Walterus* Roffenſis, *Nicholaus* Landavenſis, *David* Menevenſis, *Godefridus* Lanelvenſis, *Gilebertus* Herefordenſis. Tres epiſcopatus in *Anglia* vacabant quia eorum paſtores deceſſerant, ſcilicet *Londonienſis*, *Wigornienſis*, & *Bangornenſis*. Mentiuntur plane qui dicunt *Londonienſem* electioni *Thoma* archiepiſcopi reſtitiſſe, quia ſedes illa *Londonia* ſcilicet illis diebus vacavit, & poſtea uſque ad nativitatem Domini. Conſecratus autem ut prædictum eſt *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus inſtituit feſtivitatem principalem ſanctæ Trinitatis ſingulis annis inperpetuum die octavarum pentecoſtes celebrandam, unde & ipſe eadem die miſſam celebravit.

Hoc anno *Frethericus* Imperator inclitam *Italia* urbem ſubvertit *Mediolanum*.

Alexander vero papa Imperatoris impetum ferre non valens & *Romanorum* ſciſma devitans, navibus advectus primo apud montem *Peſſulanum* applicuit, ibique aliquamdiu moram fecit, deinde venit in *Galliam*, *Senoniſque* per aliquot annos reſedit. Ad quem ſtatim poſt conſecrationem ſuam miſit archiepiſcopus litteras & nuntios, rogans & petens ut ſibi & eccleſiæ *Cantuarienſi* pallium tranſmitteret, & ex antiquo jure *Cantuarienſi* eccleſiæ debitam & conſuetam Metropolitani conſervaret dignitatem. Abeuntes itaque nuntii dominum papam benignum repererunt & affabilem, & accepto pallio, in die ſancti *Laurentii Cantuariam* ſunt reverſi.

Menſe Decembri rex *Henricus* venit in *Angliam*, cui occurrit *Thomas* archiepiſcopus, & in die natalis Domini miſſam celebravit in eccleſia ſancti *Pauli Londoniæ*, quia ut prædictum eſt vacavit tunc ſedes illa, nec potuit archiepiſcopus *Cantuarienſis* redire tempeſtive ad diem feſtum illum. V.

An. Gr̃æ 1163.

M. Clxiij. Cogitans archiepiſcopus quis hucuſque fuerit & quis nunc factus ſit, cœpit ſtatim ab initio actus, mores & vitam componere, ſeſeque in virum alterum tranſmutare, omnemque illam mundi gloriam qua cæteris hucuſque præfulſerat, in religionem Deique timorem pariter & amorem convertere. Propoſuit animo in ſancta converſatione præcedere ſicut hactenus in mundi gloria cæteris ſolebat præminere. Induit igitur ad carnem cilicium, induxit deſuper monachi habitum. In exterioribus canonicus apparebat, cupiens in trina veſte trium magnatorum exiſtere ſedulus imitator. In cilicio extitit imitator *Johannis* Baptiſtæ, qui non mollibus ſed pilis camelorum veſtiebatur; In cuculla ſecutus eſt ſanctum *Benedictum*; In veſte canonica magnum *Auguſtinum*. Actu, mente vel uſu perdita elemoſinis, lacrimis & orationibus reſtaurare cupiebat. Sed non eſt horum intentio cronicorum totum hunc tantumque virum deſcribere. Scripſerunt de eo alii ſatis eleganter & hyſtorice, ſed nec ſic ad unguem pertingere potuerunt, Veruntamen etſi non poſſimus tantum virum digne perſcribere, non tamen iccirco debet eum parvitas noſtra penitus ſilere.

Menſe Januario tranſlatus eſt *Gilebertus* cognomento *Foliot* epiſcopus *Herefordenſis* ad epiſcopatum eccleſiæ *Londonienſis*. Egerat enim *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus apud dominum papam *Alexandrum* et regem *Anglia* ut ab *Herefordenſi* epiſcopatu ad ſublimiorem eccleſiam transferretur, eo quod eſſet ſacris litteris apprime eruditus, & in religione monaſtica probatus ſpem non modicam profectus eccleſiæ proferebat. Hoc anno electus eſt *Clarebaldus* ad abbatiam ſancti *Auguſtini Cantuaria*. Hoc quoque anno interfuit rex *Anglorum* una cum archiepiſcopo proceſſioni monachorum eccleſiæ Chriſti *Cantuaria* in die palmarum. Orta eſt autem inter eundum tempeſtas valida, qua tentorium quod ibidem pro conſuetudine & ſolennitate diei erectum eſt, ſolo-tenus deciſſum eſt & diſſipatum.

In octavis pentecoſtes celebravit papa *Alexander* Concilium epiſcoporum & abbatum ciſalpinorum in eccleſia *Turonenſi*, ubi affuit *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus cum quibuſdam ſuffraganeis ſuis. Qui à domino papa ſimul & cardinalibus & nonnullis eccleſiarum prælatis qui convenerant cum tanto honore ſuſceptus eſt, ut ipſo ad dominum papam ingrediente, præ nimia prælatorum frequentia compelleretur papa ne conculcaretur locum ſeſſionis mutare. Soluto tandem Concilio, cum honore debito privilegiatum eum dominus papa dimiſit in oſculo pacis. Quo in *Angliam* in æſtate proxima proſpere reverſo, & à *Cantuaritis* cum debito honore ſuſcepto, poſt modicum mota eſt quæſtio inter ipſum & regem de conſuetudinibus regni & jure eccleſiaſtico, quæ per filios perditionis moliebatur eccleſia Dei ſubvertere libertatem. Cum enim geſtiret archiepiſcopus jura *Cantnarienſis* eccleſiæ in integrum revocare, neceſſario coactus eſt multorum & maxime potentum animos adverſum ſe concitare. Repetebat enim ab ipſo rege cuſtodiam caſtelli *Roffenſis* et turris. Saltwde eciam & Hethe, & ad dominium ſedis ſuæ peculiariter pertinere dicebat De Comite *Clarenſi* homagium caſtelli de Tunebregge cum adjacenti leuca petebat; terram quoque *Willielmi de Ros*, & alia hujuſmodi quamplura. Unde factum eſt ut animum regis & benivolentiam adverſus archiepiſcopum denigrarent. Unde inter ipſum & regem orta diſcordia diutius protracta eſt, quæ magis ac magis augebatur in dies. Si quis autem hujus cauſam & initium diſcordiæ noſſe deſiderat, vitam ipſius conſulat à magiſtro *Hereberto* dictatam. Rex autem propria feritate & maliloquorum ut dictum eſt acerbitate ſeductus, jura eccleſiaſtica quærebat conterere, & quoſlibet clericos ad ſecularia judicia contorquere. Sed cum vidiſſet archiepiſcopum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuis conatibus velle reſiſtere, occaſione cujuſdam clerici quem archiepiſcopus citra canonum auctoritatem ſuſtinere noluit in foro ſeculari de crimine ſibi objecto contendere, nec niſi eccleſiaſtico judicio convinceretur, noluit quamvis exauctoratum ſecularibus poteſtatibus relinquere puniendum: Convocatis epiſcopis apud *Weſtmonaſterium* ſimul cum archiepiſcopo de criminoſis clericis contra canonum libertatem male tractandis uſque in veſperam ſermo pertinacior eſt protractus. Cui cum archiepiſcopus ad vota non reſponderet, quæſivit ab epiſcopis an vellent ſuas avitas conſuetudines obſervare.

vare. At illi cum primate ſuo *Cantuarienſi* archiepiſcopo exinde ſeorſum loquentes, ex condicto reſponderunt regi ſe velle de plano regis & regni conſuetudines obſervare, ſalvo nimirum ordine ſuo & jure eccleſiæ. Rex ad hæc indignatus juravit verbum illud *ſalvo* ſcilicet *ordine ſuo*, penitus amovendum. Sed epiſcopi primati ſuo firmiter adhuc adhærentes, à propoſito verbi illius blanditiis vel terroribus non potuerunt avelli. Solus vero *Hylarius Ciceſtrenſis* epiſc. de ſua nimium præſumens facundia, inconſulto archiepiſc. & cæteris fratribus ut ſibi videbatur argute mutavit verbum, dicens ſe jura regni & conſuetudines avitas obſervaturum *bona fide*. Rex autem nec ſic ad præſens pacatus eſt. Voluit enim de conſuetudinibus illis conſervandis certificari, abſque omni fidei vel ordinis adjectione. Ipſa denique die in confinio noctis iratus diſceſſit, & in craſtino munitiones quas archiepiſcopus à tempore Cancellariæ hucuſque cuſtodiebat, repetiit & accepit, & inſalutatis epiſcopis clam à *Londonia* receſſit. Multis igitur modis procuratum eſt ex conſilio quorundam qui columnæ eccleſiæ videbantur ut unitas eccleſiæ ſcinderetur, & in partes regis epiſcopi transferrentur. Converſi itaque minis et terroribus quidam ex eis qui ab antiquo iram regis incurrerant, primatem ſuum allegationibus variis à via veritatis avertere nitebantur. *Hylarius* autem ille *Ciceſtrenſis* epiſcopus primatem abeuntem ſubſecutus eſt, & ſub ſpecie caritatis pacem eccleſiæ commendat, tanti horrorem litigii eccleſiæ diſcrimen eſſe commemorat, et præcipue verbuli unius occaſione, aſſerens et affirmans ſine regis benevolentia pacem non poſſe rebus dari. Monet attentius ut conſuetudines avitæ vel verbo tenus omni tacita conditione regi concedantur, quæ contra regis libitum avelli non poſſent. Hæc & hujuſmodi plurima proſecutus, cum primatem reperiſſet immobilem, pro verbo illo inconſulte mutato à primate correptus ad propria reverſus eſt. Comes eciam *Vendomiæ* & magiſter *Robertus de Meleduno* & abbas de *Elemoſina* venerunt ad archiepiſcopum, ſuadentes attentius ut regiæ conſentiat voluntati. Aſſerebat prædictus abbas ſe à domino papa eſſe directum ut eum petitionibus regiis moneret & induceret conſentire. Dicebat enim regem Cardinalibus jurejurando promiſiſſe, quod nichil in præjudicium quæreret eccleſiæ, ſed ſolummodo coram optimatibus ſuis honorari. Aſſerebant hii & illi regi ſufficere ad pacem qualemcunque promiſſionem, ut qui coram optimatibus ſuis repulſus eſt, eiſdem audientibus honorem haberet concupitum. Magnorum itaq; virorum gravitate & maxime familiarium ſuorum inſtantia perſuaſus, ad conſentiendum quodammodo coactus eſt: unde rex hilarior effectus juſſit poſt modicum apud *Clarendoniã* pontificum & procerum cogi Concilium quo promiſſa ſolenniter ſolverentur.

Interea magiſter *Robertus de Meleduno* electus eſt ad regimen *Herefordenſis* eccleſiæ, quem conſecravit *Thomas* archiepiſcopus in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* xj. kal. Januarii, accepta prius ab eodem profeſſione de canonica ſubjectione. V I.

An. Græ 1164. M.C.lxiiij. Congregati ſunt præſules, & proceres *Anglicani* regni apud *Clarendoniam* in feſtivitate ſancti *Hylarii*. Rex igitur *Henricus* quod ante blandiens vel ſæviens poſtulaverat, jam nunc quaſi minaciter exegit ut ſibi promiſſa ſolverentur. Archiepiſcopus autem promiſſionem jam regi factam ſuſpectam habens, eo quod principes ultra quam debeant manus extendunt, maluit apud regem magis quam apud Deum periclitari, & iccirco ab eo quod ante male ſeductus promiſerat, propoſuit reſilire. Quod cum ad notitiam regis perveniſſet, videns & invidens ſe iterum à petitione ſua repelli, vehementer cœpit iraſci, totumque ſe quaſi extra ſe eſſet intuentibus oſtendere furibundum. Timuerunt ad hæc epiſcopi qui adhuc cum archiepiſcopo utcumque ſteterunt. Quidam autem ex eis qui ab antiquo iram & odium regis incurrerant, timentes ſibi ne hujus turbinis cauſa in ipſis acrior deſæviret vindicta, archiepiſcopum adeunt, flebilibus deprecantes vocibus ut animi pertinaciam relaxet ne ipſe carcerem, clerus exterminium, ipſi vero capitis incurrant dampnationem. Sed & *Robertus* Comes *Leiceſtriæ*, & cum eo *Reginaldus* avunculus Regis & Comes *Cornubiæ* ambo ſapientia præclari & in regno potentiſſimi archiepiſcopum aggreſſi dicebant, quia niſi Regiæ voluntati adquieſceret, ad inferendam violentiam ex imperio Regis erant cogendi, quæ Regi & ipſis perpetuam infamiam irrogaret. Sed archiepiſcopus nec minis concutitur, nec ſeducitur blandimentis. Succedunt duo *Templarii Ricardus* ſcilicet de *Haſtinges*, & ſocius ipſius *Hoſteus* nomine de *Bolonia* ambo ſapientes, ambo regis admodum familiares. Hii primatem ſuppliciter adeuntes genua flectunt, ſuſpirant, lacrimas fundunt, monent attentius ut ſibi caveat & cleri miſereatur. Non tulit archiepiſcopus ipſorum ſupplicationes nec geniculationes, nam videbantur eum plangere quaſi in ipſius caput jam jamque vibratos gladios viderent. Diſcurrerunt certe quidam ſatellites per cameras regis ſecures ſplendidas vibrantes, ſuccincti & quaſi in capita epiſcoporum irruituri. Unde miſeratione commotus ſuoque renitens propoſito, regiæ annuit parere voluntati, promiſitque in verbo ſacerdotali de plano ſe velle avitas conſuetudines regni cuſtodire. Similiter epiſcopi promiſerunt & juraverunt. Ipſe vero archiepiſcopus cecidit in verbo, ſed in brevi rediens ad cor, fortior ſurrexit in opere. Neſciebant huc uſque quæ eſſent illæ conſuetudines, ſed pravas eſſe ſuſpicabantur, eo quod tanta inſtantia peterentur. Verum quia dies illa altercationibus variis pertracta erat in veſperum, uſque in craſtinum negotium protelatur. Craſtino autem cum in unum conveniſſent, & de heſternæ diei ſerie pauca retuliſſent, ſciens rex quod qui major ætate major eſt & iniquitate; Ite, ait, ætate & ſapientia provectiores & avi mei conſuetudines diſquirite, ut in ſcriptum redactæ deducantur in medium & publice recenſeantur. Qui cum ſeorſum veteres actus & pravitates revolviſſent, hæc tandem ſcripta modo cirografi protulerunt.

I. *Si controverſia emerſerit inter laicos vel laicos et clericos, in curia dom. Regis tractetur et terminetur.*

II. *Eccleſia de feudo domini Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius.*

III. *Clerici rectati & accuſati de quacunque re ſummoniti à juſtitia Regis venient in curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc unde videbitur curia regis quod ſit ibi reſpondendum, & in curia eccleſiaſtica unde videbitur quod ſit ibi reſpondendum, ita quod juſtitia regis mittet in curiam ſancta eccleſiæ ad videndum qua ratione res ibi tractabitur. Et ſi clericus convictus vel confeſſus fuerit, non debet de cætero eccleſia eum tueri.*

IV. *Archiepiſcopis, epiſcopis & perſonis regni non licet exire de regno abſque licentia domini regis; & ſi exierint, ſi domino regi placuerit, aſſecurabunt* *quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo perquirent malum, vel dampnum domino regi, vel regno.*

V. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare juramentum, ſed tantum vadium et plegium ſtandi judicio eccleſia ut abſolvantur.

VI. *Laici non debent accuſari niſi per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia epiſcopi, ita quod archidiaconus non perdat jus ſuum nec quicquam quod inde habere debeat, & ſi tales fuerint qui culpantur quod non velit vel non audeat aliquis eos accuſare, vicecomes requiſitus ab epiſcopo faciet jurare* xij. *legales homines de viſneto ſeu de villa coram epiſcopo quod inde veritatem ſecundum conſcientiam ſuam manifeſtabunt.*

VII. *Nullus qui de rege teneat in capite nec aliquis dominicorum miniſtrorum ejus excommunicetur, nec terra alicujus illorum ſub interdicto ponantur niſi prius dominus rex ſi in terra fuerit conveniatur, vel juſticia ejus ſi extra regnum fuerit, ut rectum de ipſo faciat, & ita ut quod pertinebit ad curiam regiam ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabit ad eccleſiaſticam curiam ad eandem mittatur ut ibidem tractetur.*

VIII. *De appellationibus ſi emerſerint, ab archidiacono debent procedere ad epiſcopum, ab epiſcopo ad archiepiſcopum. Et ſi archiepiſcopus defuerit in juſticia exhibenda, ad dominum regem eſt perveniendum poſtremo, ut præcepto ipſius in curia archiepiſcopi controverſia terminetur, ita quod non debet ulterius procedere abſque aſſenſu domini regis.*

IX. *Si calumpnia emerſerit inter clericum & laicum vel inter laicum & clericum de ullo tenemento quod clericus velit ad elemoſinam attrahere, laicus vero ad laicum feudum, recognitione* xij. *legalium hominum per capitalis juſticiæ regis conſuetudinem terminabitur, utrum tenementum ſit pertinens ad elemoſinam ſive ad feudum laicum coram ipſa juſticia regis. Et ſi recognitum fuerit ad elemoſinam pertinere, placitum erit in curia eccleſiaſtica: ſi vero ad laicum feudum, niſi ambo de eodem epiſcopo vel barone advocaverint, erit placitum in curia regia. Sed ſi uterque advocaverit de feudo illo eundem epiſcopum vel baronem erit placitum in curia ipſius, ita quod propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat qui prius ſaiſiatus fuerat.*

X. *Qui de civitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio domini regis fuerit, ſi ab archidiacono vel epiſcopo de aliquo delicto citatus fuerit unde debeat eis reſpondere, & ad citationes eorum noluerit ſatisfacere, bene licet eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari priuſquam capitalis miniſter regis villæ illius conveniatur ut juſticiet eum ad ſatisfactionē venire. Et ſi miniſter inde defecerit, ipſe erit in miſericordia domini regis, & exinde poterit epiſc. ipſum accuſatum eccleſiaſtica juſticia coercere.*

XI. *Archiepiſcopi & epiſcopi & univerſa perſonæ regni qui de rege tenent in capite, habent poſſeſſiones ſuas de domino rege ſicut baroniam & inde reſpondent juſticiis & miniſtris regis, & ſequuntur & faciunt omnes rectitudines & conſuetudines regias, & ſicut barones cæteri debent intereſſe judiciis curiæ regis cum baronibus uſque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem.*

XII. *Cum vacaverit archiepiſcopatus vel epiſcopatus, vel abbatia, vel prioratus de dominio regis, debet eſſe in manu ejus, & exinde percipiet omnes redditus & exitus ſicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum eccleſia, debet dom. Rex mandare propter potentiores perſonas eccleſia, et in capella ejus debet fieri electio aſſenſu domini regis & conſilio perſonarum regni quas ad hoc faciendum vocaverit, & ibi faciet electus homagium & fidelitatem domino regi ſicut legio domino de vita & membris & de honore ſuo terreno; ſalvo ordine ſuo, priuſquam ſit conſecratus.*

XIII. *Si quiſquam de proceribus regni defortiaverit archiepiſcopo, vel epiſcopo, vel archidiacono de ſe vel de ſuis juſticiam exhibere, dominus rex debet juſticiare. Et ſi forte aliquis disfortiaret domino regi rectitudinem ſuam, archiepiſcopi, epiſcopi, et archidiaconi debent eum juſticiare ut domino regi ſatisfaciat.*

XIV. *Catalla eorum qui ſunt in forisfacto regis non detineat eccleſia vel cimiterium contra juſticiam regis, quia ipſius regis ſunt ſive in eccleſiis ſive extra fuerint inventa.*

XV. *Placita de debitis quæ fide interpoſita debentur vel abſq; interpoſitione fidei ſint in juſticia dom. regis.*

XVI. *Filii ruſticorum non debent ordinari abſq; aſſenſu domini de cujus terra nati eſſe dignoſcuntur.*

His igitur perverſitatibus in audientia omnium perlectis, requiritur archiepiſcopi ſigillum ad confirmationem. Obſtupeſcit ad hæc vehementer archiepiſcopus, & nullatenus tam perverſis nequitiis adquieſcit. Unde vociferatur & dicit ſe nequaquam promiſiſſe ut confirmaret, ſed ut dominum ſuum regem cui aliquando viſus eſt reſtitiſſe coram optimatibus ſuis verbo tenus honoraret. Illi autem partem unam cyrographi in manus ejus dederunt, alteram *Eboracenſi* archiepiſcopo, tercia vero pars reponenda erat in regio theſauro. At ille, Hoc, inquit, teſtimonio malitia eorum convincetur, qui matrem ſuam ſanctam confundere quærunt eccleſiam. His dictis à curia diſceſſit, & verſus *Wintoniam* iter dirigens, ſe ſuoſque epiſcopos quibus maxime timebatur periculo ſubtraxit. Gravem ſibi vero pro temeraria promiſſione pœnitentiam inſtituens, diebus fere xl. ab altaris officio ſe ſubtraxit, donec à domino papa *Alexandro* qui *Senonis* morabatur abſolveretur. Agebat interea pro pace facienda inter regem & archiepiſcopum epiſcopus *Ebroicenſis*, ſed perficere non potuit, niſi conſuetudines illæ regi confirmarentur. Cogitabat autem rex & mente ſedula pertractabat quomodo vel qua arte conſtantiam archiepiſcopi conterere valeret vel elidere virtutem. Miſſis itaque nuntiis & donis variis clanculo petivit dominum papam ut ſibi vel cui vellet, *Rogero* ſcilicet *Eboracenſi* *Anglicani* regni concederet & confirmaret legationem. Sciens autem pontifex ſummus hoc in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ & gravamen archiepiſcopi poſtulari, regiæ petitioni ad plenum conſentire noluit nec penitus repellere petitorem. Verum ne in archiepiſcopum gravior ira ſuccreſceret, legationem regi conceſſit, quæ tamen *Cantuarienſi* archiepiſcopo nullum poſſet inferre gravamen, unde archiepiſcopus à domino papa præmunitus eſt. Rex autem ad tempus de præfata legatione admodum viſus eſt gloriari. Cum autem litteras legationis minus quam vellet videret efficaces, cum multa indignatione domino papæ illas reſtituit. Sciens autem archiepiſcopus multam eſſe malitiam in terra & in homine perverſitatem, cotidianas angarias ſibi & clero illatas et multiplicatas æquo animo non potuit ſuſtinere. De regis igitur amicitia deſperatus fomentum flammis ſubtrahere cupiens, mare adiit, apud **Rumenel** mare aſcendit, & neſcientibus ſuis non modicam maris partem tranſvectus eſt. Timentes autem nautæ ne regis iram incurrerent ſi archiepiſcopum ſine regis conſenſu tranſportarent, dicebant ſe adverſis auris non poſſe procedere, & ſic archiepiſcopum diutius fatigatum in terram unde venerant reſtituerunt. Inde archiepiſcopus nocturnum iter arripiens, *Cantuariam* pervenit, convocatiſq; quibuſdam ejuſdem monachis, quid ſibi acciderit enarravit. Deinde cœna breviſſima refectus, quievit ad modicum. Mane autem facto, venerunt miniſtrales regis *Cantuariam*, volentes ut dicebant omnia fugitivi archiepiſcopi victualia confiſcare. Sed audita viſaque ipſius in eccleſiam euntis præſentia, confuſi tacuerunt. Rex autem audito ipſius fugientis reditu, admodum gaviſus eſt. Timebat enim ne ſi forte transfretaſſet ſibi infamiam, toti vero provinciæ induceret divinorum ſuſpenſionem.

Octavianus ſciſmaticus graviter ægrotans, diebus xv. ante obitum ſuum freneticus effectus obiit quarta feria poſt octavas paſchæ in urbe *Lucenſi*, & ſepultus eſt in eccleſia ſancti *Martini* ubi ſedes eſt epiſcopalis & famoſa illa ymago crucis. Cui ſucceſſit in hæreſim & papatum *Wido de Crema*, & *Paſchalis* appellatus eſt. Poſt paſcha *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus conſecravit in eccleſia Chriſti *Rogerium* ad regimen *Wigornienſis* eccleſiæ, accepta prius profeſſione de canonica obedientia. Timens autem rex *Angliæ* ne impune manus ejus *Cantuarienſis* archiepiſcopus evaderet, jam edoctus multiplici cogitatione & pravorum eruditione quibus eum pravitatum laqueis innodaret, præcepit præſules & proceres regni apud *Northamtoniam* una cum ipſo archiepiſcopo convenire. Qui cum die tercia ante feſtum ſancti *Calixti* papæ conveniſſent, archiepiſcopus in multis accuſatus eſt. Primo quod cuidam *Johanni* coram ipſo litiganti plenam juſtitiam non exhibuit, & ſuper hoc ad regis præſentiam vocatus venire contempſit. Reſpondens archiepiſc. præfato *Johanni* dixit condignam non defuiſſe juſticiam, & *Johannem* non legaliter curiam ſuam infamaſſe, qui non ſuper evangelium ut moris eſt ſed ſuper veterum cantuum codicellum quem ſecum tulerat voluerit pejerare. Quod autem ſuper hoc citatus ad regis non venit præſentiam, non contemptus fuit, ſed infirmitate valida invitus retentus eſt, atque ſuper hoc per duos legales viros quos ipſe miſerat excuſatus eſt. His rationibus archiepiſcopus excuſari non potuit ſed curiali judicio & epiſcoporum conſenſu condempnatus eſt, ita ut omnia ipſius mobilia in miſericordia regis ponerentur. Quo facto, repetit ab eo rex quingentas libras quas ei dum eſſet Cancellarius dicebat commodaſſe: cumque allegaret archiepiſcopus è contra & diceret præfatam non commodatam ſed de plano datam eſſe pecuniam, nichilominus de ſuis hominibus fidejuſſores idoneos coactus eſt exhibere. Et hæc opera ſecundæ diei. Tercia vero die appetitur abſque miſericordia jubeturque de fiſcalibus & epiſcopatibus & abbatiis vacantibus ratiocinia reddere, quas in cuſtodia ſua habuerat tempore Cancellariæ. Reſpondit ſe ſuper his non teneri, eo quod die electionis ſuæ de hujuſmodi non fuerit quæſtione pulſatus, & quod eccleſia *Cantuarienſis* eum ſuſceperit ab omnibus his liberum & abſolutum. Attamen ſuper his prudentiores ſe velle conſulere dicebat, & de conſulto reſpondere. Convocatis igitur epiſcopis, quæſivit archiepiſcopus quid domino Regi ſuper hujuſmodi quæſtione eſſet reſpondendum. Cui *Gilebertus* epiſcopus *Londonienſis* & *Cantuarienſis* eccleſiæ decanus, quantum perverſus tantum perverſa locutus, hujuſmodi fertur dediſſe reſponſum.

Si pater, inquit, recolis unde te dominus rex ſuſtulit, quid tibi contulit, conſiderata temporum malitia, quam ruinam catholicæ eccleſiæ & nobis omnibus paraveris, ſi in his regi reſiſtere volueris, non ſolum archiepiſcopatui *Cantuariæ*, ſed in decuplo ſi tanti fuerit, cedere deberes. Et forſitan ſi hanc in te viderit humilitatem, te reſtituet in univerſum.

Satis, inquit *Cantuarienſis*, innotuit quid conſulto reſponderis. Deinde *Henricus Wintonienſis* epiſcopus ſubintulit.

Hæc, ait, forma conſilii catholicæ eccleſiæ penitus pernicioſa nos omnes obligat & confundit, quia ſi archiepiſcopus noſter & totius *Angliæ* primas nobis id reliquerit exemplum, ut ad nutum & comminationem principis auctoritati & curæ animarum ſibi commiſſæ quis epiſcopus debeat cedere, quis erit de cætero ſtatus eccleſiæ niſi ut nulla agantur de jure, ſed omnia confundantur pro libitu, & ſic erit ſacerdos ſicut & populus?

Hylarius itaque *Ciceſtrenſis* epiſcopus, nam & ipſe glorioſus in verbis, ſubjunxit.

Niſi, inquit, temporis inſtantia & catholicæ eccleſiæ perturbatio aliud exigerent, ſtandum utique eſſet verbi ſententiæ. Verum ubi nutat canonum auctoritas plurimum ſubtrahendum eſt ſeveritati, ut in eo proficiat diſpenſatio, quod poſſet deſtruere ſevera correctio. Cenſeo igitur cedendum regiæ voluntati ſed ad tempus, ne præpropere procedamus id ſtatuere unde ſequatur durior retractatio, nec ſine rubore.

Epiſcopus deinde *Lincolnienſis Robertus* ſimplex quidem homo & minus diſcretus.

Patet, inquit, vitam hominis iſtius & ſanguinem quæri, & neceſſario alterum horum erit, aut archiepiſcopatui aut vitæ cedendum. Quis ſibi fructus de archiepiſcopatu proveniet ſi proinde vitæ ceſſerit, nec id video.

Exonienſis autem epiſcopus *Bartholomeus*,

Palam eſt, ait, quoniam dies mali ſunt. Et ſi poſſimus ſub diſſimulationis umbra hujus tempeſtatis impetum pertranſire illæſi, id præcipue procurandum; nec ad id de facili perveniendum niſi ſubtrahatur plurimum ſeveritati. Temporis inſtantia id requirit, maxime cum non ſit generalis ſed perſonalis hæc perſecutio. Satius eſt igitur unum caput in parte periclitari, quam totam *Anglicanam* eccleſiam inevitabili exponere diſcrimini.

Wigornienſis epiſcopus *Rogerius* requiſitus & ipſe quid inde ſentiret, ita temperavit reſponſum ut & negando palam faceret quid animi haberet.

Nullum, ait, in hac parte dabo conſilium, quia ſi dixero à Deo ſuſceptam animarum curam ad regiam comminationem & voluntatem oportere relinqui, contra conſcientiam meam & in capitis mei condempnationem loquetur os meum: Si cenſeam regi reſiſtendum, ecce qui ſui ſunt audiunt per quos id ipſum innoteſcet regi ſtatimque eiciar extra ſynagogam, & erit ſors mea de cætero cum publicis hoſtibus & condempnatis; iccirco nec hoc dico, nec illud conſulo.

His ita geſtis ſederunt aliquamdiu ſub ſilentio, nec erat qui amplius his aliquid adderet, eciam arte quæſita ut pateret eis exitus, incluſi enim erant. *Nigellus*

Elyenſis epiſcopus ea tempeſtate tactus eſt paraliſi, nec ad curiam venit. *Willielmus Norwicenſis* excuſavit ſe, ſecreto aſſerens *Elyenſem* feliciter à Deo defenſum, & quod ipſe vellet ſimili plaga percelli. Acceperat enim à *Gaufrido Ridel* quid rex conceperat contra *Cantuarienſem*. Volo, inquit dominus *Cantuarienſis*, loqui cum duobus Comitibus qui cum Rege ſunt, *Roberto* ſcilicet *Legeceſtrenſi* & *Reginaldo Cornubenſi*. Quibus, illico apertis oſtiis, aſtantibus dixit *Cantuarienſis*. Super his de quibus nos dominus rex convenit contulimus; & quia non habemus ad præſens eos quibus res ipſa magis innotuit, ideo uſque in craſtinum petimus inducias, tunc reſponſuri ſicut Deus nobis inſpiraverit.

Datis igitur utcumque petitis induciis, ea die diſceſſerunt ab invicem. Craſtino autem die ſcilicet dominica uſque in ſecundam feriam dilatum eſt negotium. Archiepiſcopus autem ea nocte iliaca paſſione diriſſime vexatus lecto decubuit anxiatus. Mane autem facto, ad curiam acceſſitur & in abſentem ſævitur. Verum quia putabant aulici quod ægritudinem fingeret, miſſi ſunt ad eum Comites duo quos ſupra nominavimus, qui licet viderent eum excuſabilem, mandatum tamen curiæ ægrotanti retulerunt. Ipſe autem uſque mane ſequentis diei petens inducias, fatetur ſe venturum in curiam eciamſi lectica eſſet deferendus. Renuntiantibus illis in palatio quæ audierant & viderant, ſecreto intimatum eſt archiepiſcopo quod ſi in curiam veniret, vel trucidaretur, vel in carcerem truderetur. Craſtino ſummo mane venerunt ad eum epiſcopi plures ſuadentes ei, ut ad pacem eccleſiæ & evitandum tanti periculi ſcandalum rigorem animi mitigaret, & regis penitus ſe committeret arbitrio, adicientes, Et quod niſi fieret ſic, jam audiret in curia regis perjurii ſibi crimen imponi & tanquam proditorem judicandum, eo quod terreno domino honorem terrenum non ſervaret, cum avitas regni conſuetudines obſervaturum firmaſſet, Ad quas ſpecialiter obſervandas, juriſjurandi nova ſe & illos aſtrinxerat religione. At ille inquit, *Fateor fratres inexcuſabilis ſum ante Deum contra Deum præſtans juramentum. Sed quia melius eſt ad animum redire quam perire, legem legi Dei repugnantem non admitto.* Davit *male juravit ſed pœnituit*, Herodes *juramento ſuo ſtetit & periit. Ideo vobis præcipio ut reſpuatis quæ reſpuo, ſuffocantes ea quæ ſanctam ſuffocant eccleſiam. Deteſtabile quidem eſt quod vos non ſolum me ſolum deſeruiſtis in certamine, ſed & me qualemcunque patrem veſtrum jam per duos dies una cum aulicis judicaſtis, qui ſimul mecum ſtare deberetis. Quod ne fiat de cætero, vobis in virtute obedientiæ prohibeo, unde & matrem noſtram* Romanam *eccleſiam appello. Quod ſi ut rumor eſt in me violenta manus injecta fuerit, vobis itidem in virtute obedientiæ præcipio, quatinus diſtricta excommunicationis ſententia eccleſiaſticas injurias vindicetis.* Quod audiens *Gilebertus Londonienſis* epiſcopus appellavit. Diſceſſerunt igitur epiſcopi ad curiam properantes. Archiepiſcopus autem in eccleſiam ingreſſus ſacris indutus veſtibus & pallio redimitus, devotiſſime de ſancto *Stephano* miſſam celebravit, officium inchoans *Etenim ſederunt*, &c. non ut alii dixerunt tanquam pro perſona ſua officium inchoaret, ſed quia idem altare beato *Stephano* eſſet dedicatum, juſſit archiepiſcopus miſſam de martyre celebrari. Igitur expleto miſterio amotoque ab humeris cum inſula pallio, cæteris indutus ſacris veſtibus cappa clericali ſuper injecta, curiam introivit. Intraturus autem cameram qua rex & aulici ipſius præſtolabantur adventum, de manu clerici *Alexandri* nomine crucem accepit, eamque manu propria portavit. Unde admirantes epiſcopi qui eum prævenerant, aſſurgentes ei de manu ipſius quaſi pro reverentia crucem accipere voluerunt, ne iram regis crucem bajulando magis accendere videretur. *Herefordenſis* ſibi eam tradi petivit. *Londonienſis* vero eam concupivit, dicens eum non debere contra regem dominum ſuum armatum incedere; ſi viderit, inquiens, rex te armatum intrare, gladium ſuum in caput tuum exeret fortiorem, & tunc videbis quid tibi proderunt arma tua. Hæc, ait *Cantuarienſis*, Deo committimus. Et *Londonienſis*, Stultus hactenus, inquit, fuiſti, & ab hac ſtulticia ut video non recedis, hodie in te tua fatuitas apparebit. Audiens autem rex quod ſic *Cantuarienſis* archiepiſcopus armatus incederet, ſeceſſit citius in cameram ulteriorem, ſedente hac ſeorſum *Cantuarienſi* ſolo fere, cum ſuis admodum paucis, epiſcopis loco & animo ſedentibus ex adverſo. Rex autem multo ſtipatus agmine cogitabat archiepiſcopum de clericis male tractandis primo appetere. Sed ne epiſcopi qui jam eum ſolum reliquerant, pro clericis pugnaturi ad eum redirent, fieretque ex conſenſu in regem conflictus acrior, ex conſulto aulicorum rex ad alias calumpnias ſe convertit. Vocatis igitur epiſcopis & proceribus, gravem & grandem rex deponit querimoniam, quod archiepiſcopus ſic armatus in curiam veniens, ipſum & ſuos omnes inaudita à ſeculis forma nævo notaverit proditoris. Cum autem rex inde ſupra modum excandeſceret, & univerſi fere ipſius animum ſtimularent, abierunt retrorſum etiam ipſius archiepiſcopi adverſarii, acſi jam in caput ejus vibratum viderent gladium. Unde & in arcto pontifices poſiti, volvunt & revolvunt quid agendum, qualiter hæc ſit neceſſitas evitanda. Et tandem ex communi conſilio, Nos, inquiunt, eum appellabimus coram papa, de facili convincetur, ſine remedio deponetur. Quæ cum plurimum placerent regi, continuo exierunt omnes epiſcopi ad *Cantuarienſem*; quorum unus cæteris eloquentior & arrogantior, *Hylarius* ſcilicet *Ciceſtrenſis* epiſcopus prorumpens in vocem,

Quandoque, ait, noſter fuiſtis archiepiſcopus & tenebamur tibi obedire; ſed quia domino regi fidelitatem juraſti, hoc eſt vitam, membra & terrenam dignitatem ſibi per te ſalvam fore, & conſuetudines quas ipſe repetit conſervandas, & tu niteris eas deſtruere, cum præcipue ſpectent ad terrenam ſui dignitatem & honorem, iccirco te reum perjurii dicimus, & perjuro archiepiſcopo de cætero obedire non habemus; nos itaque & noſtra ſub domini papæ protectione ponentes, te ad ipſius præſentiam appellamus ſuper his reſponſurum.

Audio, inquit *Cantuarienſis*, quæ dicitis. Subtraxerunt ſe itaque epiſcopi ex adverſo ſedentes diutius in ſummo ſilentio. Rex autem interius cum principibus ſedens pro tribunali, Euntes, ait, diſcernite quid perjurus & contumax proditor debeat ſuſtinere. Itur. Judicatur. Et à quo vel qualiter pronuntiandum eſſet judicium informatur. Proceſſerunt tandem à rege Comites & Barones cum turba multa, quorum primi & præcipui erant *Robertus Leiceſtria* & *Reginaldus* Comes *Cornubia*. Qui cum archiepiſcopo quaſi improperantes retuliſſent quæ &

quanta ei bona dominus Rex contuliſſet, tandem Comes *Leiceſtriæ* qui erat dux verbi, cœpit ſubtiliter inflectere ſermones quaſi ad Judicium Curiæ in archiepiſcopum proferendum. Præſentiens hoc archiepiſcopus, mox non expectato Judicio ſurgit, proteſtans non eſſe eorum archipræſulem ſuum judicare de crimine. Non eſt, inquit, in eum ferenda ſententia qui judicem ſuperiorem appellavit, eciam ſi laico liceret epiſcopum judicare. Unde tibi Comes *Leiceſtriæ* poteſtate mihi à Deo collata ut filio eccleſiæ præcipio, ne in patrem tuum ſpiritualem judicium proferre præſumas. Verum mox improperatum & conclamatum à nonnullis eſt, quod tanquam perjurus & proditor à Curia diſcederet. Ipſe vero ſic ſe vertens & auſtero vultu reſpiciens reſpondit, quod niſi ordo ſacerdotalis obſtaret, & ſi ſibi fas eſſet, in armis bellicis à perjurio & proditione ſe contra ipſos defenderet. His dictis à curia diſceſſit, & per aulam tranſiens probris multis à curialibus affectus eſt. Cum autem januam clauſam repperiſſet, & janitor puero verberando intendiſſet, accurrens quiſpiam clavem repperit, januam aperuit, patrem dimiſit, & ſic pater patriæ manus impiorum evaſit. Ille vero eccleſiam ſancti *Andreæ* ingreſſus, Deo gratias egit, & reliquum diei in laudibus divinis & pauperum refectione complevit. Vocatis autem tribus epiſcopis quos artius diligebat, ipſis mediantibus petivit à rege liberum de terra egreſſum. Cujus petitionis reſponſum ſuſpendit rex uſque in craſtinum. Archiepiſcopus autem ſuſpectam hanc habens dilationem, in noctis conticinio à quibuſdam viris fidelibus ut ſibi caveret admonitus, juxta altare præcepit lectum ſuum quaſi ibidem pauſaturus eſſet honeſte parari. Sed prima noctis vigilia letania dicta tribus tantum aſſumptis fratribus iter arripuit, villamque egreſſus, primum habuit hoſpicium apud **Graham**, ſecundum apud *Lincolniam*, in domo *Fulconis*, tercium vero apud ſolitarium quendam ſibi notum in medio aquarum ſitum, ubi per tres dies manſit. Inde ſecedens habitu ſimul & nomine mutato, non jam *Thomas* archiepiſcopus ſed frater *Chriſtianus* vocatus, in cellis paſſim poſitis per dies latuit, noctu vero procedens tandem per *Cantuariam* ad villam monachorum *Cantuarienſis* eccleſiæ quæ *Eſtreia* vocatur clanculo pervenit. Ubi per aliquot dies moram fecit in conclavi juxta eccleſiam, factoque parvulo foramine in pariete, miſſam audivit, pacis oſculum ab uno ſolo conſcio clerico ſuſcepit. Poſt miſſam vero ipſo preſbytero neſciente & populo epiſcopalem dedit benedictionem. Tandem vero procurato tranſitu, cum anguſtia huc illucque depulſus vix tandem à duobus presbyteris iv. non. Novembris in fragili cimba tranſvectus, juxta *Graveninges* in *Bolonenſi* applicuit territorio. Inde cappam humeris portans pedeſtre iter arripiens, cum ex modico lutoſo tamen itinere laſſaretur, ſocii ſui uno tantum denario conducto jumento veſtimenta ſua impoſuerunt, & eum deſuper ſedere fecerunt, ſicque ad *Clarum mariſcum* perductus eſt. Unde cum ſocii fratres ſcilicet habitu ſicut & ipſe eum per aquam ad ſanctum *Bertinum* deducerent, & de penuria piſcium eſum carnis ſuggerendo quærerent, inter loquendum exiliens piſcis de aqua quem brennam vocant cum impetu corruit in gremium archiepiſcopi, fuitque tam jocunda quam miraculoſa navigatio. Rex autem *Henricus* cognito quod fugiſſet archiepiſcopus, miſit ilico ad regem *Franciæ Lodovicum* & ad dominum Papam litteras & ſpectabiles nuntios, qui ipſius regis prece vel precio malitiam palliarent, & archiepiſcopi machinarentur depoſitionem, vel ſaltem rei geſtæ meram confunderent veritatem. Elegerat enim eos quos magis noverat archiepiſcopi eſſe adverſarios, pravos in actione, ſubdolos in locutione, cum aliis tamen quibuſdam qui eum diligebant in veritate, ſed pro ipſo verbum facere non audebant. Quorum nomina ſunt hæc. *Rogerius Eboracenſis* archiepiſcopus, *Gilebertus Londonienſis*, *Bartholomeus Exonienſis*, *Rogerus Wigornienſis*, *Hylarius Ciceſtrenſis*, *Ricardus* archidiaconus *Pictavenſis*, *Guido Ruffus* decanus, *Johannes de Oxenefordia*, *Willielmus* Comes de *Arundello*, *Hugo de Gundevilla*, *Reginaldus de* ſancto *Valerico*, *Henricus* filius *Geroldi*, & alii quamplures. Hi cum litteris Regis & muneribus tanta feſtinatione profecti ſunt, ut eadem nocte ipſi & archiepiſcopus transfretarent, eademque nocte apud Sanctum *Audomarum* utrique fuerint. Neſciebant tamen præfati nuntii regis quod archiepiſcopus ibidem præſens adeſſet. Ipſi autem dum transfretarent naufragium fere perpeſſi ſunt, & archiepiſcopi ſcapha placidis tranſivit in undis. Venientes igitur præfati nuntii Regis ad Regem *Franciæ* litteras eidem Regi *Franciæ* porrexerunt, quarum erat continentia. *Thomam* ſcilicet quondam *Cantuarienſem* archiepiſcopum ut proditorem de *Anglia* fugiſſe, quem ne in terra ſua reciperet poſtulavit. Eandem eciam litterarum Comiti *Flandriæ* deſtinaverat formam. Cum autem Rex *Franciæ* dicente lectore audiſſet, *quondam archiepiſcopum*, quæſivit quis eum depoſuerit, & ait, Ego quidem Rex ſum ſicut & ipſe, nec tamen poſſum terræ meæ minimum quemquam clericum deponere; Et adjecit, Novi *Thomam* quondam Cancellarium regi domino veſtro diu & fideliter deſerviſſe; nunc autem id mercedis accipit, quod eum ab *Anglia* fugatum, à *Francia* quoque propellere conatur? Inſiſtunt nuntii ut dominum Papam ſcriptis ſuis moneat ne archiepiſcopi contra Regem *Angliæ* ſuggeſtionibus crederet. Verum cum eis Rex non reſponderet ad vota, ad dominum Papam *Senonis* profecti ſunt. Cui in conſiſtorio una cum Cardinalibus ſedenti *Londonienſis* ſic ait.

PAter ſancte, ad vos ſpectat catholicæ eccleſiæ cura & ſolicitudo, ut qui ſapiunt per veſtram foveantur providentiam ad exemplum morum, & qui deſipiunt, auctoritate apoſtolica corripiantur & corrigantur ut ſapiant: ſed apud veſtram ſapientiam non creditur ſapere qui in ſua ſapientia & fratrum concordiam & eccleſiæ pacem regiſque devotionem perturbare contendit. Nuper ſiquidem in *Anglia* orta eſt diſſenſio inter regnum & ſacerdocium ex levi & minus utili occaſione, quæ facilius poſſet extingui ſi adhibita ei fuiſſet moderata curatio. Verum quia dominus *Cantuarienſis* ſuo & ſingulari in hac parte & non noſtro uſus conſilio, acrius æquo inſtitit, non conſiderata temporis malitia quod vel quale diſpendium ex tali impetu poſſit provenire, & ſibi & fratribus ſuis contexit laqueos, & ſi ei in ſuo propoſito noſter affuiſſet aſſenſus, jam res ipſe ad deteriorem calculum deveniſſet; Quia igitur noſtram coniventiam ſicut nec debuit ad id quo tendebat habere non potuit, niſus eſt in dominum regem & nos, immo in totum regnum ſuæ temeritatis culpam retorquere. Quocirca ad decolorandam mutuæ fraternitatis famam, vim nemine inferente vel minas intendente fugam iniit, ſicut ſcriptum eſt, *Fugit impius nemine perſequente.*

Ad hæc dominus papa; Parce inquit frater. Et *Londonienſis*; Domine parcam ei. Et dominus papa; Non dico frater quod ei parcas ſed tibi. Ad hanc igitur apoſtolicam vocem & tubam ſenſus *Londonienſis* eſt infatuatus à Domino ita demum quod non potuit amplius mutire. Excepit proinde ſermonem facundus *Hylarius Ciceſtrenſis* epiſcopus magis de ſua confidens eloquentia quam de juſticia & veritate, quod innotuit ex poſt facto.

Pater, inquit, & domine, intereſt beatitudinis veſtræ quod perperam actum eſt in perniciem univerſitatis ad pacis & concordiæ debitum ſtatum citius revocare, ne unius hominis immoderata præſumptio multorum ſtragem & catholicæ eccleſiæ ſciſſuram poſſit procreare. Id parum attendit dominus *Cantuarienſis* dum relicto maturiori conſilio ſe ſolum conſuluit, ut ſic ſibi & ſuis, regi & regno, clero & populo graviores labores & anguſtias procuraret. Et certe virum tantæ auctoritatis id non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat, inſuper ſui ſi ſaperent non oportuerunt ſibi in talibus præbuiſſe aſſenſum. Audito itaque qualiter facundus ille grammaticus & rethor atque cauſidicus proſiliret de portu in portum, ſoluti ſunt in riſum univerſi. Inter quos unus prorumpens in vocem, Male, inquit, tandem veniſti ad portum. In quo verbo epiſcopum illum ita infatuavit Dominus, quod de cætero factus eſt ſicut mutus & elinguis. *Eboracenſis* autem priorum ruinam attendens, animi impetum ſtuduit temperare.

Pater, inquit, *Cantuarienſis* mores & ſtudia nemini innotuerunt pluſquam mihi, & id animi ejus novi propoſitum ab initio, ut quod ſemel arripuerit ex ſententia, ab eo de facili non poſſit avelli. Quare facilius credi oportet ipſum in hanc obſtinatiam de ſua levitate pro more incidiſſe, & aliam non video viam ad ejus correctionem, niſi ut veſtra diſcretio ad id efficiendum manum apponat graviorem. Intelligenti ſatis dictum puto. Epiſcopus *Exonienſis* ſubjunxit.

Pater ait, Non oportet multum in his immorari. Cauſa iſta in *Cantuarienſis* abſentia non habet terminari. Petimus igitur legatos qui inter dominum regem & *Cantuarienſem* cauſam iſtam poſſint audire & auditam decidere. Et ſubticuit. Nec poſt eum aliquis epiſcoporum amplius adjecit. Id autem videns Comes de *Arundello*, ſtabat enim in ordine ſuo cum multitudine militum, audientiam poſtulat. Et facto ſilentio,

Domine, ait, Quid locuti fuerint epiſcopi nos illiterati penitus ignoramus, idcirco nos oportet ediſſerere quomodo poſſumus ad quid ſumus miſſi; nec ad hoc utique ut contendamus vel ut cuiquam faciamus contumelias in conſpectu maxime tanti viri, cujus nutui & auctoritati ſe de jure totus inclinat mundus, ſed ad hoc proculdubio venimus, ut domini regis devotionem & amorem quæ circa vos gerere conſuevit & adhuc gerit, in præſentia veſtra & totius *Romanæ* curiæ vobis præſentemus. Per quos, inquam? Per majores & nobiliores quos habere potuit in omnibus terris ſibi ſubjectis, hoc eſt, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Comites, & Barones. His ſuperiores in ſua poteſtate non potuit invenire, & ſi inveniſſet, utique deſtinaſſet ob reverentiam veſtram & ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ. His adicimus quod paternitas veſtra ſatis experta eſt in novitate veſtræ promotionis, domini regis fidelitatem & devotionem, dum ſeipſum ſuos & ſua omnia veſtræ penitus expoſuit voluntati. Et pro certo ſub catholicæ fidei unitate quam habetis in Chriſto regere, ut credimus, non eſt eo fidelior, vel Deo devotior, ſeu ad eam ad quam aſſumptus eſt pacis conſervationem moderatior. Nichilominus & dominus archiepiſcopus in ſuo gradu & ordine æque inſtructus, in his quæ ad eum pertinent providus & diſcretus, licet ut quibuſdam viſum eſt aliquando nimis acutus; Et niſi iſta quæ nunc eſt inter dominum regem & dominum archiepiſcopum eſſet diſſenſio, regnum & ſacerdotium mutuo congauderent adinvicem paci & concordiæ ſub principe bono & paſtore optimo. Eſt igitur hæc noſtra ſupplicatio ut ad tollendam iſtam diſſenſionem & ad pacis & amoris reformationem veſtra gratia attentius invigilare velit.

Hæc itaque Comes eleganter ſed in lingua ſua propoſuit, ita quod communiter ab omnibus ejus plurimum modeſta commendaretur diſcretio. His eciam dominus Papa vigilanter intendens reſpondit.

Scimus fili Comes & memoriter recolimus ex quanta devotione rex *Angliæ* plurima & largiora nobis contulerit beneficia, cui data oportunitate quantum cum Deo poterimus in deſiderio animæ habemus pro meritis reſpondere; ſed quia legatos poſtulaſtis habebitis & legatos.

Oſculato itaque pede domini papæ, quæſivit *Londonienſis* ex conſulto, in qua poteſtate eſſent venturi. In debita, inquit dominus papa. Immo ait *Londonienſis*, Id petimus ut poſſint cauſam dirimere appellatione remota. Hæc eſt, inquit dominus papa, gloria mea quam alteri non dabo. Et certe cum judicandus fuerit, à nobis judicabitur, quia nulla permittit ratio ut eum in *Angliam* remittamus, ab adverſariis & inter inimicos judicandum. Adjecit eciam, ut archiepiſcopi pauliſper expectarent adventum, in cujus abſentia nichil erat de jure ſtatuendum, nec id quod petebant annuendum. Qui cum dicerent ſibi à domino rege terminum eſſe præfixum, nec optinerent, aſpernantes omnia receſſerunt. Interea archiepiſcopus aliquot diebus apud ſanctum *Bertinum* degens, cum regis *Anglorum* & Comitis *Flandriæ* cognationem haberet ſuſpectam, ſuffragio *Milonis Ternanenſis* epiſcopi & abbatis ſancti *Bertini* prudenter in *Sueſſionem* perductus eſt. Quo cum craſtino adveniret dominus rex *Franciæ Lodovicus*, ad hoſpitium archiepiſcopi feſtinus deſcendit, eique in omnibus regiam optulit protectionem, & de regio fiſco ſuam & ſuorum procurationem. Cui cum archiepiſcopus prout debuit gratias egiſſet, & eam quam optulerat procurationem ad præſens renuiſſet, cum gratia ipſius ſimul & conductu ad dominum papam *Senonis* profectus, & à domino papa honorifice ſuſceptus eſt. Poſt aliquot autem adventus ſui dies in ſecretiorem cameram admiſſus, coram domino Papa & Cardinalibus cum ſtare vellet ſedere juſſus ſic exorſus eſt.

« Licet non multum ſapientes nec tamen uſque
« adeo ſumus fatui, ut regem *Angliæ*, ſuos & ſua
« pro nichilo relinqueremus, & ſi vellemus ſuæ
« per omnia placere voluntati, in ſua poteſtate vel
« regno non eſſet quis qui nobis pro libito non obe-
« diret. Et dum ſub hac conditione ſibi militavi-
« mus,

«mus, quid fuit quod nobis non ſucceſſit ad votum? Ex quo vero aliam ingreſſi ſumus viam, & facti ſumus memores profeſſionis & obedientiæ quam pro Deo ſuſcepimus, quem ad nos habuit tepuit profecto prior affectus. Adhuc autem ſi ab hoc propoſito vellemus reſilire, ad ejus recuperandam gratiam nullius interventu perſonæ egeremus. Verum quia *Cantuarienſis* eccleſia ſol ſolet eſſe occidentis & in noſtris temporibus ejus obfuſcata eſt claritas, quodlibet tormentum ſed & mille mortis genera ſi tot occurrerent libentius exciperemus in Domino, quam ſuſtineremus ſub diſſimulatione his diebus mala quæ patitur. Porro ne videar curioſe vel optentu vanæ gloriæ hæc inchoaſſe, expedit ut oculata fide conſtet de facto. Et producens ſcriptum in quo conceptæ fuerunt conſuetudines illæ de quibus contendebatur, cum lacrimis inquit, « Ecce quæ ſtatuit rex *Angliæ* contra libertatem catholicæ eccleſiæ. Si hæc licet diſſimulare ſine diſpendio animæ vos videritis.

Quibus perlectis, moti ſunt omnes uſque ad lacrimas, communi voce Deum laudantes dum vel unum ſibi reſervavit, qui pro eccleſia Dei in illa tempeſtate auſus fuit ex adverſo aſcendere. Poſtea vero in ſecretiori thalamo cum domino Papa Cardinalibus reſidentibus affuit & dominus *Cantuarienſis*, hæc inquiens: « Patres mei & domini, Mentiri nemini licet alicubi nedum coram Deo & veſtri præſentia; unde volens ſed & gemens fateor, quia has *Anglicanæ* eccleſiæ moleſtias mea miſerabilis culpa ſuſcitavit. Aſcendi in ovile Chriſti ſed non per ipſum hoſtium, velut quem non omnino canonica vocavit electio, ſed terror publicæ poteſtatis intruſit. Et licet hoc onus invitus ſuſceperim, tamen ad hoc me induxit humana & non divina voluntas. Quid igitur mirandum ſi michi ceſſit in contrarium? Verum ſi ad regis comminationem, ut confratres noſtri perſuaſerunt, inſtantius renuntiaverim epiſcopalis auctoritatis michi indulto privilegio, ad principum nutum & voluntatem, catholicæ eccleſiæ perniTioſam relinqueretur exemplum. Diſtuli igitur uſque ad veſtram præſentiam. Nunc autem recognoſcens ingreſſum meum minus canonicum, & timens proinde exitum mihi provenire deteriorem, videns eciam vires meas oneri impares, ne gregi inveniar præeſſe ad ruinam cui datus ſum qualiſcunque in paſtorem, in manu tua pater archiepiſcopatum *Cantuariæ* reſigno.

Moxque de digito tranſumens anulum, in manum ſummi pontificis tradidit. Orationem itaque complens in lacrimis dominum papam & alios omnes compulit illacrimari. Seorſim igitur ſedente archiepiſcopo, dominus Papa ſuper his cum Cardinalibus cœpit conferre. His viſum eſt oblata occaſione, regis iram ſedari poſſe facilius dum in alia perſona *Cantuarienſi* eccleſiæ conſuleretur, & *Cantuarienſi* archiepiſcopo poſſit alias competentius provideri. Illis autem qui apertos habebant oculos viſum eſt in diverſum, quaſi is qui pro tuenda eccleſiæ libertate ſummo periculo & diſcrimini non ſolum divitias & gloriam, dignitatem, auctoritatem, ſed & vitam expoſuit, ad libitum regis deberet ſuo jure privari, ſicut forma fieret aliis in conſimili cauſa regibus reſiſtendi ſi ei ſua juſtitia ſervaretur illæſa, ſic eo cadente caderent univerſi epiſcopi, ut nullis futuris temporibus audeat quis obviare principis voluntati, & ſic vacillabit ſtatus catholicæ eccleſiæ & *Romani* pontificis auctoritas deperibit. Expedit igitur, inquiunt, hunc reſtitui eciam invitum, & ei qui pro nobis omnibus dimicat omnimodis eſt ſuccurrendum. Complacuit omnibus ſententia. Vocatoque domino *Cantuarienſi*, dominus papa reſtituit ei officium archiep. *Cantuar.* & curam, ſpondens ei *Romanæ* eccleſiæ congruum ſuffragium. His ita geſtis, commendavit eum abbati *Pontiniacenſi* qui tunc præſens erat ex condicto cum fratribus ſuis exibendum non quidem ſplendide, ſed ſimpliciter ut decet exulem & Chriſti athletam. Accepta itaque ſummi pontificis benedictione *Pontiniacum* profectus, & à fratribus ſummo cum gaudio ſuſceptus eſt. Dominus autem papa ex communi fratrum conſilio adhuc præſente archiepiſcopo præfatas illas dampnaverat pravitates. Eſt autem præfatum cœnobium *Pontiniacus* ſcilicet in *Burgundia* ſitum, ubi *Cantuarienſis* archiepiſcopus à feſto ſancti *Andreæ* proximo poſt exilium, per duos fere annos in multa humilitate & ſpiritualibus exercitiis converſatus eſt. VII.

An. Gr̄æ 1165. M. Clxv. Menſe Januario terræ motus magnus factus eſt in *Anglia* nocte media Converſionis S. *Pauli* apoſtoli. Rex autem *Angliæ Henricus* ad modum & ſupra modum iratus eo quod ipſe in nuntiis ſuis & petitionibus tam à rege *Franciæ* quam à domino papa eſſet repulſus, juſſit furore plenus res & redditus archiepiſcopi & omnium ſuorum confiſcari, totamque cognationem ſuam & omnes qui eum quovis titulo contingebant exilio dampnari. Nulli igitur ætati, fortunæ vel ordini pepercit iſta crudelitas. Nam mulieres in puerperio decubantes, pueri quoque vagientes in cunis acti ſunt in exilium. Senes cum junioribus propulſi ſunt, domibus eorum & rebus in exterminium datis. Adulti quoque coacti ſunt jurare quod abſque dilatione vel diverticulo *Pontiniacum* peterent, & archiepiſcopo ſuo regis autem proditori ſe præſentarent, ut ipſe ſolus tot anguſtias cordis ſuſtineret quot cauſa ſui coexules egentes videret. Proceſſit ulterius furor immanis. Nam publice terrore laico prohibitum eſt, ne quis eum non dico donis vel ſcriptis viſitaret, ſed ne quis pro eo in *Anglicana* eccleſia oraret. Exerceebantur iſtæ & hujuſmodi enormitates per quendam filium perditionis *Randulfum del Broc*, cui rex ad cuſtodiendum immo ad deſtruendum commendaverat archiepiſcopatum. Hic itaque accepta poteſtate aſſociatis ſibi nequioribus ſe circumquaque graſſabatur: oderat enim archiepiſcopum ex antiquo, ideoque crudelitate non poterat ſatiari. Res autem & redditus monachorum *Cantuarienſium* ſemper ſervavit illæſas, nullamque rerum ſuarum eis ſubripuit poteſtatem. Factum eſt hoc ut credi poteſt nutu Dei & induſtria prudentis *Wiberti* Prioris. Rex autem *Henricus* quo facilius domini papæ vel eciam *Cantuarienſis* archiepiſcopi ſi forte promulgaretur declinaret ſententiam, coadunato exercitu copioſo ad debellandam *Walliam* profectus eſt. Illis vero valide reſiſtentibus, parum vel nichil profecit, multos tamen ex ſuis tam milites quam pedites perdidit & reverſus eſt. Summus autem pontifex *Alexander* jam *Senonenſibus* valedicens, in Paſcha in *Italiam* profectus eſt. Hoc quoque anno menſe Auguſto natus eſt filius *Lodovico* regi *Franciæ* Chriſtianiſſimo, quem peperit ei filia Comitis *Theodbaldi* ſenioris,

nioris. Ex cujus ortu tota *Franciæ* lætificata eſt eo quod hucuſque maſculum non habuit hæredem. Puer autem baptizatus, ad nomen Comitis *Flandriæ Philippus* appellatus eſt. VIII.

An. Græ 1166 M. Clxvj. Rex *Henricus* in *Normanniam* tranſfretavit, habitoque cum ſuis Epiſcopis & Baronibus conſilio, inſtituit quandam collectam fieri denariorum per omnes terras ſuas; unde ſcriptum compoſitum eſt ipſo præcipiente in hunc modum.

EGo Henricus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ *apud* Cenomanniam, *proxima tercia feria poſt Dominicam qua cantatur* Miſericordia Domini, *primo cum ibi adeſſent archiepiſcopus* Rothomagenſis *& tres epiſcopi* Normanniæ, *& epiſcopus* Cenomanenſis, *& quidam barones mei, Iterato apud* Cenomanniam *tercia feria poſt ſequentem Dominicam cum adeſſent pariter tres archiepiſcopi* Rothomagenſis, Turonenſis, Burdegalenſis, *& epiſcopi plures*, Baiocenſis, Luxovienſis, Sagienſis, Cenomanenſis, Andegavenſis, Vanetenſis, Pictavenſis, Engoliſmenſis, Petragoricenſis, Agenenſis, Beſacenſis, *& multi barones mei de* Normannia, *de* Cenomannia, *de* Turona, *de* Andegavia, *de* Britannia, *de* Guaſconia, *conſilio & aſſenſu omnium, petitione & precibus domini regis* Francorum *& exemplo ſuo qui per terram ſuam ſimiliter ſtatuit fieri, ſtatui ut ad defenſionem & juvamen eccleſiæ & terræ orientalis unuſquiſque de terris ſuis, de omni mobili quod habet ſive ſit aurum, ſive argentum abſque lapidibus, ſive animalia, ſive nummi, ſive quicquid ſit abſque veſtibus, inciſis, & de redditibus ſimiliter det hoc anno* M. Clxvj. *de unaquaque libra duos denarios. Deinde quatuor ſequentibus annis de ſingulis libris ſingulos denarios. Hoc quoque faciat de culturis & vineis, ita quod non computetur ſumptus & conſtamentum earum. Hoc eciam de debitis de quibus recipiendis certitudinem habent. Hoc faciant archiepiſcopi, epiſcopi, abbates qui regale habent, & clerici, comites, barones, vavaſores, milites, cives, burgenſes, ruſtici. Omnis homo domum habens & non valorem libræ det unum denarium. Homo non habens valorem libræ & tamen aliquod officium agens det unum denarium. Statutum hoc ego primus manu propria me obſervaturum affidavi in manu archiepiſcopi* Rothomagenſis, *deinde archiepiſcopi, epiſcopi, comites, barones, vavaſores, ſub fide ponentes quod idem faciemus affidare omnes ſub poteſtate noſtra conſtitutos. Hoc itaque ab omnibus qui prænominati ſunt per omnes terras meas fieri præcipio. Elemoſina iſta ſolvetur à die ſancti* Remigii *infra dies xv. ſequentes. Et ſi quem infra hunc terminum mori contigerit, prius ſolutis debitis ſuis decimam partem ſuæ partis dabit in hanc elemoſinam. Et erit truncus in omnibus civitatibus, & in eccleſia epiſcopali, & per ſingulas villas in eccleſiis, ubi quiſque poſt juramentum ita fideliter mittet rebus ſuis diligenter numeratis quicquid ex eis modo prædicto colligi poterit, ita veraciter ne infringat juramentum, neque incidat in excommunicationem, quæ fiet ſuper eos qui aliquid defrudaverint. Truncus vero habebit tres claves, quarum unam cuſtodiet presbyter, duas fideliores viri de parochia. Infra feſtum quidem omnium Sanctorum pecunia in villis collecta ad epiſcopatum deferatur per eoſdem qui collegerunt, & per alios legitimos teſtes. Deinde ſimul colligetur per terras meas ubi ego aſſignavero per archiepiſcopos & epiſcopos qui mecum ad hoc ſtatuendum interfuerint. Condonata eſt tercia pars pœnitentiæ ſuæ omnibus qui fideliter de rebus ſuis hanc eleemoſinam perſolverint.* Hæc acta ſunt anno ab incarnatione Domini M. Clxvj.

Degebat interea *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus & jam apoſtolicæ ſedis legatus, in cœnobio *Pontiniacenſi* ſpiritualibus diſciplinis & ſtudiis cœleſtibus intentus, immo totus Deo deditus & ad eum ſuſpenſus. Tantam habuit in corde humilitatem & benignitatem ut cum cæteris fratribus ad agrorum exiret labores, cum metentibus meteret eciam infirmus, & fenum coadunaret. Coexulum vero ſuorum ærumnas continuo volvebat in corde, cum de ſingulorum ſollicitaretur ſuſtentatione. Verum ſuper omnia dampna preſſuras eccleſiæ deflebat. In ſe autem reverſus, cum jam ulterius tot illatas injurias diſſimulare non auderet, ſecundo exilii ſui anno per abbatem ordinis *Ciſtercienſis* regi *Anglorum* commonitoriam dulcem & ſuavem miſit epiſtolam, nil correptionis vel amaritudinis habentem. Nuntius vero in brevi reverſus, pro mollibus aſpera, pro dulcibus amara, pro commonitione duram retulit objurgationem. Quod audiens archiepiſcopus, ſecundo commonuit regem per alios viros religioſos, aſperiores eidem dirigens litteras: ſed & hi nichil penitus præter contumelias reportaverunt. Zelus itaque juſtitiæ apprehendit eum, ut non jam commonitorias ſed comminatorias proferre decreviſſet actiones. Acceſſit igitur ad eccleſiam ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* in feſtivitate ipſius, & poſt elegantem ad populum ſermocinationem, in regem *Angliæ* emiſit comminatorium. Unde fama divulgante præmunitus rex, citiſſime miſit in *Angliam*, mandans *Ricardo de Luci* qui præfecturam agebat in *Anglia*, ut epiſcopos & perſonas *Angliæ* ſet & monachos *Cantuariæ* contra archiepiſcopum compelleret appellare. Hoc ipſum à domino rege in *Normannia* factum eſt. Cum igitur epiſcopi & abbates *Angliæ* apud *Londoniam* convenirent & appellarent, *Cantuarienſes* monachi prudenti conſilio erepti ſunt, petitis & acceptis induciis ad regis præſentiam veniendi. Hac igitur celebri celebrata & accelerata appellatione, miſit rex, miſit & archiepiſcopus nuntios ad dominum Papam; à quo tandem hoc à regiis nuntiis impetratum eſt, ut ad pacem reformandam inter regem & archiepiſcopum duos à latere mitteret legatos. Interea videns & invidens hoſtis antiquus *Thomam* de virtute in virtutem indies procedere, miſit in cor regis per linguas malignantium toxicatas, ut archiepiſcopum de tam grato propelleret hoſpicio. Miſit igitur litteras comminatorias generali capitulo *Ciſtercienſi*, ſignificans quod quendam de inimicis ſuis ſuſcepiſſent & ſecum haberent, *Thomam* videlicet *Cantuarienſem* archipræſulem; unde & mandavit quod ſicut carum habebant quicquid in terra ſua ciſmarina aut tranſmarina poſſidebant, ne eum amplius tenerent ſecum. Expleto igitur capitulo, venerunt ad archiepiſcopum abbas ipſe *Ciſtercienſis*, epiſcopus *Papienſis* ordinis illius quondam monachus, & ejuſdem ordinis quidam abbates. Et venerunt feſtinantes, nomine capituli nuntiantes ſe tales regis litteras & tale in eis ſuſcepiſſe mandatum. Et ad archiepiſcopum ſermonem convertentes, Domine, inquiunt, capitulum propter mandatum tale nec fugat, nec expellit te, nec licentiat, ſed tibi & prudenti tuo conſilio hoc ſignificat, ut poſt tale mandatum videas & attendas quid agendum. Archiepiſcopus autem incontinenti cum ſuis conſilio habito mox reſpondit, Se nulla velle ratione quod aliqua ſui occaſione ipſi ordinis ſui aliquam incurrerent læſionem. Adiciens, quod quocumque diverteret vel ubicumque caput ſuum reclinaret, ab eis ſe citiſſime amoveret. Quo audito reſponſo, præfati nuntii in craſtino reverſi ſunt. Nuntiata ſunt igitur hæc Chriſtianiſſimo regi *Francorum Lodovico.* At ille gaudens in Domino, nuntio dixit.

Ex hoc quod michi nuntias infortunio, gaudeo plane ſimul & doleo: Doleo, inquam, quia monachi iſti ordinis *Ciſtercienſis* quos putabam ſolum Deum amare & timere, nunc ob favorem mortalis hominis vel timorem huic viro Dei ſuam ſubtrahunt elemoſinam, hoc eſt quod doleo. O! inquit, religio ubi eſt? Et adjecit: Gaudeo autem, quod ad obſequium tanti viri gratam invenimus oportunitatem. Veniat igitur, veniat ad nos, & *Francigenæ* gentis piam ſentiat bonitatem.

Quo dicto, miſit rex nobiliſſimum quendam cum treſcentis viris in occurſum ejus, qui eum à *Pontiniaco* cum honore debito deducerent in *Franciam.* Unde monachi *Pontiniacenſes* cum ipſo abbate ſuo uſque ad effuſionem lacrimarum contriſtati ſunt. Tanta enim benedictione cœleſti ad ipſius ingreſſum aucti ſunt, ut cauſa ipſius & multitudinis coexulum ad eum confluentium, non plus ſolito per anni circulum ſe expendiſſe certiſſime probarent. Igitur archiepiſcopus, ut prædictum eſt, circa diem feſtum ſancti *Martini Pontiniacenſibus* valedicens, dum cum abbate ipſius cœnobii iter ageret, ſubito prorupit in lacrimas. Quarum cauſam cum inſtantiſſime abbas quæreret, & ille diutius ſileret, importunitate tandem abbatis coactus ait, Ea quæ de me ſunt ô abba finem habent. Nocte quippe hac michi viſum eſt in viſu noctis, quod in eccleſia neſcio tamen qua contra dominum regem *Anglorum* in auditorio domini Papæ & Cardinalium pro eccleſiæ cauſa contenderim, domino quidem Papa parti meæ favente, ſed Cardinalibus adverſantibus pro rege contra me; cum ecce ſubito quatuor ſupervenerunt milites qui mox rapientes me ab auditorio, in eadem eccleſia capitis mei ſummitatem ubi coronæ meæ locus eſt excoriaverunt, adeo ut michi videbatur anguſtiatus quod videbar michi defeciſſe. Et ex revelatione hac conturbor ſic & contriſtor. Non quidem propter revelationem vel ejus ſignificationem, ſed propter eos qui ſecuti ſunt me, qui percuſſo paſtore diſpergentur ut oves non habentes paſtorem. Aliam quoque viſionem, immo manifeſtam martyrii ſui propheciam dicitur vidiſſe. Cum enim quadam die in fletu & gemitu miſſam celebraſſet, coram altari oravit, & vox de cœlo lapſa eſt dicens, *Thoma, Thoma,* eccleſia mea glorificabitur in ſanguine tuo. Et reſpondit *Thomas,* Tu quis es Domine? Dicit ei *Jeſus.* Ego ſum *Jeſus Chriſtus* filius Dei vivi pater tuus. Et reſpondit *Thomas,* Utinam glorificeris in ſanguine meo. Dicit ei Dominus, Eccleſia mea glorificabitur in ſanguine tuo, & tu vere glorificaberis. Profectus itaque *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus in die ſancti *Martini* ſecundo exilii ſui anno, ut prædictum eſt, à *Pontiniaco,* cum honore multo ab *Hugone* tunc *Senonenſi* archiepiſcopo, clero quoque & populo *Senonis* receptus, in cœnobio ſanctæ *Columbæ* per quatuor continuos annos perendinavit. Poſt paucos autem dies reverſi ſunt nuntii archiepiſcopi dicentes, Cardinales duos ad faciendam pacem ſi poſſent in proximo eſſe venturos. Reverſus eſt eciam quidam regis clericus *Johannes de Oxenefordia* nomine, quem archiepiſcopus denuntiaverat excommunicatum eo quod conventione quadam cum ſciſmaticis facta eorum incurriſſet contagium. Hic à *Romano* rediens pontifice prædicabat ſuperbe, dominum papam legatos miſiſſe ad honorem regis *Angliæ,* & archiepiſcopi *Cantuarienſis* confuſionem, ipſoſque legatos jam in proximo eſſe venturos. Verum cum hæc arrogantis & garruli verba domino papæ nuntiata fuiſſent, præcavens in futurum, poſt prædictos legatos litteras miſit, mandans eos ut paci quidem componendæ pro viribus intenderent, ſed ne quid magnum contra archiepiſcopum ordine facerent judiciario. Suſpectus enim erat archiepiſcopo quidam ex eis cui nomen erat *Willielmus Papienſis,* alter vero *Otho.* Qui licet multum haberent pectoris ſimul & oris, lucrum tamen auræ & auri ſitiebant. IX.

An. Gĩæ 1167.

M. Clxvij. Rupta eſt pax & concordia, & bella reparata ſunt inter *Lodovicum* regem *Franciæ* & *Henricum* regem *Angliæ* propter *Toloſam* civitatem & varias hinc inde cauſas, & maxime ut credi poteſt propter *Thomam Cantuarienſem* archiepiſcopum; unde præter alia mala comitatus *Augenſis* & pagus *Vilcaſſinus* rapinis & incendiis maxime vaſtati ſunt, rege *Francorum* quatriduo in *Vilcaſſino* cum exercitu ſub demorante. *Matheus* eciam Comes *Boloniæ* frater vero *Philippi* Comitis *Flandriæ* ſecentas naves, ut fama fuit, *Flandrenſibus* armavit, juratus in *Angliam* venire, unde motus magnus in *Anglia* factus eſt. Subtraxerat enim ei rex quoſdam redditus in *Anglia* quos dicebat ſibi de jure antiquo competere. Quos quia prece non potuit, armis conatus eſt revocare. Sumpſit audaciam ſuæ præſumptionis eo quod rex *Angliæ* tranſmarinis diſſenſionibus eſſet occupatus. Verumtamen conatus ejus inanis effectus eſt *Ricardo de Luci* cum *Anglicana* militia cuſtodiam procurante.

Interea venerunt in *Franciam* præfati legati *Willielmus* & *Otho*; & cum archiepiſcopo *Sempnis* de reformanda pace locuti ſunt. Inde ad regem euntes, eumque in propoſito ſuo pertinacem nimis reperientes, in octavis ſancti *Martini* colloquium indixerunt. Suggeſſerat enim eiſdem legatis rex, quod hæc omnia mala de conſilio & ſuggeſtione *Cantuarienſis* archiepiſcopi proceſſerant, aſſerens eum in propria perſona ad loca guerrarum acceſſiſſe, & tam regem *Franciæ* quam comitem *Flandriæ* nil rancoris habentem pro viribus ſuis in ipſum animaſſe. Sed rex *Franciæ* prædictos legatos ad ſuum admittens colloquium, archiepiſcopi purgavit innocentiam, etiam cum juramento dicens: Quod ei ſemper conſilium dederat ut pax ſervaretur ſalvo honore utriuſque regis. Ipſi autem ne nil egiſſe viderentur, inter *Giſortium* & *Triam* in octavis ſancti *Martini* cum archiepiſcopo loquentes, quæſtionibus plurimis ipſius animum ſcrutari cœperunt. Sed immobilem reperientes & ejus invincibiles rationes attendentes, de quibus audierant contulerunt; & ſic demum omni penitus infecto negotio

Romam redierunt. Eadem autem nocte cujus in craſtino conveniendus erat archiepiſcopus vidit ipſe ſompnium quod in calice aureo propinaretur ei venenum. Et quidem ſic accidit. Illi etenim verba regis compoſita eidem offerebant quæ palliatione proterva audientium ſubverterent intellectum & faciendæ concordiæ facerent dilationem. Sed legati, ſagacis archiepiſcopi (regis animum noſcentis & mores) audita prudentia, redierunt ad curiam. Videntes autem fautores regis quod in omnibus defeciſſet eorum verſutia, iterum generalem innovaverunt appellationem.

Hoc anno venit in *Angliam Colonienſis* electus qui & ſciſmaticus, ut *Matildem* regis *Anglorum* filiam duci *Saxonum* peteret in uxorem. Petiit & obtinuit; & regina *Alianor* cum filia ſua apud *Dovoriam* transfretavit.

Civitas autem *Mediolanenſis* reædificata eſt invito Imperatore *Frederico.*

Obiit hoc anno bonæ memoriæ *Wibertus* Prior *Cantuarienſis* eccleſiæ v. kal. Octobris.

Thomas autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus quoſdam regis familiares excommunicavit juſtis ex cauſis. X.

An. Gr̃æ 1168.

M. C.lxviij. *Matildis* filia regis *Angliæ* nupſit duci *Saxonum Henrico.* Comes *Patricius Sariſberienſis* vir nobilis & militaris à *Pictavenſibus* occiſus eſt, qui à rege *Anglorum* defecerant ob quaſdam libertates ſibi reciſas; unde diſcordia regum *Angliæ* ſcilicet & *Franciæ* cujus partem fovebant *Pictavi* cotidie cepit incrementum. Venerunt interea ad regem *Angliæ* nobiliſſimi *Alemanniæ* & ſpectabiles legati, dux ſcilicet *Saxonum* gener regis, *Maguntinus* archiepiſcopus, *Colonienſis* electus, & *Leodicenſis* epiſcopus, cum multa ambitione & faſtu miſſi ab imperatore *Frederico*, multa ex *Alemannis* adverſum *Francos* ſpondentes auxilia, multiſque temtantes moliminibus qualiter regem *Angliæ* in ſciſmatis ſui partem inducerent, & ob favorem ipſius regnum *Francorum* cum bellico apparatu intrarent. Rex autem prædictos legatos cum multo ſuſcepit honore, reſponſis prudentibus & blandiloquiis ſatisfaciens, ipſoſque abeuntes proſecutus eſt multis gratiarum actionibus precioſis honoratos muneribus. Horum itaque cauſa legatorum fecit rex ditiores ex *Anglia Judæos* transfretare, & reliquos in quinque milibus marcis deſcribere. Porro illi recedentes turbidas in *Francos* minas pro innato genti ſtolidæ vitio barbarizabant, eo quod religioſus *Francorum* rex eorum utpote ſciſmaticorum & excommunicatorum noluit colloquio participare. Circa Pentecoſten celebravit *Fredericus* imperator concilium permaximum apud *Wicheburch.* In quo, cum de pace & concordia inter ipſum & papam *Alexandrum* ſabbato & ſecunda feria Pentecoſtes tractaretur, ſuperveniens *Colonienſis* electus in medio omnium proteſtatus eſt dicens, Domine, inquit, imperator concilia quæ adverſus papam *Alexandrum* hucuſque captaſtis nichil vobis profuerunt, nichil ei nocuerunt. Nam & de noſtris plurimi obediunt & adhærent ei, ſicut dominus *Maguntinus* & alii; ſed ſi michi & conſilio meo adquieveritis in promtu erit *Alexandri* dejectio & papæ noſtri *Paſchalis* exaltatio. En ego adquiſivi noſtræ parti L. epiſcopos cum archiepiſcopis ſuis, & plures numero de dominatione regis *Angliæ* qui papæ *Paſchali* & vobis adhærebunt ſi vos *Alexandri* obedientiam & eo decedente cujuſque de parte ejus electi abjuraveritis. In hujus rei confirmationem ecce aſſunt nuntii regis *Angliæ* qui in perſona regis nobiſcum jurabunt. Placuit imperatori forma conſilii. Sed cum à quibuſdam hujuſmodi juramentum differre volentibus diceretur, quod *Colonienſis* primo jurare deberet qui hujuſmodi dedit conſilium, & ille uſque ad lacrimas reluctaretur: Imperator vehementer iratus ait, En apparet quod tanquam proditor operatus ſis adverſum me & animam meam. Et apparet quod bonum conſilium dedit michi *Maguntinus Octoviano* defuncto, ſuadens mihi ne de tanto periculo liberatus, iterum me in conſimile involverem; unde tibi ſcripſi dans in mandatis ne me inconſulto de eligendo pontifice quicquam tractares. Tu vero clam me ignorante auctoritate tua iſtum elegiſti, & *Te Deum* cantaſti. Paraſti nobis foveam, modo primus incides in eam. Primus igitur omnium juravit *Colonienſis*, deinde Imperator, poſtea dux *Saxonum* gener regis *Angliæ.* Juraverunt cæteri qui præſentes fuerunt tam epiſcopi quam principes. Juraverunt eciam duo clerici nuntii regis *Angliæ* in perſona regis. Eorum vero juramentum qui abfuerunt dilatum eſt uſque in octabas apoſtolorum *Petri & Pauli.* Per totam eciam *Angliam* ex præcepto regis à populo juratum eſt, quod ad præceptum regis faciendum omnes forent parati; unde & congregatio epiſcoporum, & abbatum, & aliarum perſonarum eccleſiaſticarum apud *Londonias* facta eſt. Sed & ſupprior & monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ ex imperio regis juſſi ſunt ibidem adeſſe. Cum autem ſuper hoc juramento faciendo convenirentur epiſcopi, & ipſi tam deteſtabile juramentum contra Deum & *Alexandrum* papam præſtare noluiſſent, dilatum & infatuatum eſt tam iniquum & enorme negotium, & quiſque ad ſua repedavit. Homo proponit ſed Deus diſponit. Homo propoſuit ſciſmaticum exaltare, ſed Deus diſpoſuit, immo & depoſuit eum, nam in brevi *Paſchalis* ille defunctus eſt. Imperator tamen cæterique ſciſmatici jam duobus defunctis tercium falſum papam ſubſtituerunt. Circa natale Domini diſcurrerunt inter reges adhuc in inmenſum diſcordes, viri religioſi utriuſque fideles verba pacis & concordiæ ad alterutrum deferentes. Pax itaque tandem utcumque formata eſt, quæ quo melius firmaretur, in Epiphania Domini mutuo ſibi indixerunt colloquium. XI.

An. Gr̃æ 1169.

M. C. lxix. Convenerunt Reges & principes die Epiphaniæ apud *Montem mirabilem* de pace jam formata collocuturi, ubi poſt alias confirmandæ pacis allegationes, Rex *Angliæ Henricus*, *Lodovico* Regi *Franciæ* ita fertur dixiſſe. Hac die domine mi rex qua tres reges Regi regum munera obtulerunt me ipſum, natos meos & terram veſtræ commendo cuſtodiæ. Cui reſpondit Rex *Franciæ.* Quia vobis hoc inſpiravit Rex qui regum munera ſuſcepit, exhibeant nati veſtri præſentiam ſuam ut à manſuetudinis noſtræ titulo terras ſuas poſſideant. Acceſſit itaque *Henricus* regis primogenitus & ſuſcepit à rege *Franciæ* dominium *Britanniæ* cum pago *Andegavenſi* & *Cenomannico*: de his faciens regi *Franciæ* hominium, cum jam pro ducatu *Normanniæ* idem feciſſet. *Ricardus* quoque filius regis *Angliæ* accepit in uxorem filiam regis *Franciæ* quam habuit de filia regis *Hiſpanorum*, & ſuſcepit ducatum *Aquitaniæ*, fecitque hominium regi *Franciæ* ſuper honore Ducatus. *Pictavi* quoque & *Britones* qui cum rege *Franciæ* contra regem *Angliæ* arma moverant, in hoc colloquio in gratia regis *Angliæ* redierunt.

Interea perſuaſum eſt *Thomæ Cantuarienſi* archiepiſcopo à quibuſdam nobiliſſimis viris & religioſis; ab his eciam quos dominus papa ad pacem deſtinaverat reformandam, ut ipſe archiepiſcopus regis animum aliqua humilitate coram optimatibus utriuſque regni, in præſentia quoque regis *Franciæ* mitigaret, litiſque deciſionem regis penitus committeret arbitrio omni tacita conditione, & ſic in plenitudinem gratiæ ipſius proculdubio rediret. Inſonuerat enim rumor in populo, quod rex *Angliæ* crucem peregrinationis in *Jeroſolymam* vellet accipere, ſi ad honorem ſuum pacem eccleſiæ reſtituiſſet. Quod quamvis ipſius regis ut poſtea claruit eſſet fictitium, archiepiſcopus tamen denique adeo ſuaſus, tractus, pulſus & impulſus eſt, ut perſuaſus videretur. Itaque cum à pacis mediatoribus & aliis hinc inde ſtipatus jam duceretur ad reges, erant quippe adhuc duo ſimul adhuc pacis finem expectantes, inter ipſa verborum initia mox ad pedes regis ſe proſtravit, quem rex ipſe vix proſtratum confeſtim apprehenſum erexit. Archiepiſcopus vero ante reges ſtans, humiliter & devote pro *Anglicana* eccleſia ſibi licet indigno commiſſa regiam cœpit interpellare clementiam, ſolum ſuis meritis tantam aſcribens eccleſiæ perturbationem & afflictionem tam duram. Et adjecit, Totam, inquit, domine cauſam unde inter nos orta eſt diſſenſio in præſentia domini regis *Francorum*, pontificum & principum veſtro committo arbitrio, ſalvo honore Dei. Rex autem *Angliæ* hoc audito ultimo verbo, ſtatim incanduit in archiepiſcopum multis eum afficiens contumeliis, multa improperans, plurima exprobrans, arguens & increpans eum tanquam ſuperbum & elatum, & regiæ munificentiæ ſibi inpenſæ inmemorem & ingratum. Ea eciam quæ pro ipſo rege dum eſſet Cancellarius geſſerat magnifica malitioſe exprobravit, acſi nequiter facta fuiſſent univerſa: dicens eum tunc temporis ideo fuiſſe adeo magnificum, ut eum eciam à regno propelleret. Archiepiſcopus vero in omni patientia hæc audiens, ſic ad omnia ſuum temperavit reſponſum, ut neque rigidus neque remiſſus appareret, inter alia regi hæc dicens. Ea, inquit, domine quæ pro veſtro negotio in Cancellaria geſta ſunt, unde veſtram perpetuo debuiſſem promeruiſſe gratiam, nunc ex ira michi exprobramini & vertere vultis in culpam. Videns autem rex quod archiepiſcopi multum audientibus placeret reſponſio, ipſius verba interrumpens regi *Franciæ* dixit, Domine mi rex attende ſi placet, Quicquid iſti diſplicuerit dicet honori Dei eſſe contrarium, & ſic ſua & mea omnia ſibi vendicabit. Sed ne videar in aliquo honori Dei velle reſiſtere, hæc ei offero. Multi fuerunt in *Anglia* reges ante me majoris vel minoris auctoritatis quam ſum ego; multi fuerunt ante eum arhciepiſcopi *Cantuariæ* magni & ſancti viri; quod igitur anteceſſorum ſuorum major & ſanctior fecit anteceſſorum meorum minimo, hoc mihi faciat & quieſco. Ego quidem non expuli eum à regno, ſed ipſe nemine compellente clandeſtinam arripuit fugam, nunc autem vobis & magnis viris inſinuat quod cauſam eccleſiæ Dei agat. Ego quidem ſemper volui & conceſſi, & volo & concedo adhuc ut eccleſiam ſuam teneat & regat in omni ea libertate in qua aliquis deceſſorum ſuorum eam melius rexit & liberius. Cumque clamarent undique, Satis ſe humiliat rex; rex *Franciæ* aliquantulum motus in archiepiſcopum, dixit; Domine archiepiſcope, vis major eſſe ſanctis vel melior *Petro?* quid dubitas? Ecce pax in promptu eſt. Dixit autem archiepiſcopus, Se velle libenter eccleſiam ſuam recipere in ea libertate qua anteceſſores ſui eam habuerunt, conſuetudines autem ſanctorum patrum inſtitutis adverſantes ſe non recepturum dicebat. Cum autem ad clandeſtinam fugam excuſandam verba formaret, & mediatores illi contentionem non pacem ſuboriri viderent, rapuerunt archiepiſcopum de medio coronæ circumſtantium, ſtudentes & impellentes, clamantes & dicentes ut tacito honore Dei daret gloriam regi. At ille: Patres, inquit, noſtri paſſi ſunt quia noluerunt nomen *Chriſti* ſubticere, & ego ut hominis michi gratia reſtituatur honorem Dei debeo ſupprimere? Abſit, ait, abſit. Inſurrexerunt itaque in eum magnates plurimi utriuſque regni, ipſius imputantes arrogantiæ impedimentum pacis, & dicentes; Quia utriuſque regis voluntati reſiſtit, deinceps neutrius eſt dignus auxilio, ſed ejectum ab *Anglia* non recipiat *Francia*. Jam dies erat deductus ad veſperam, & ipſi mediatores conſtantiam viri pertinaciam judicantes continuo receſſerunt regibus jam in equis abeuntibus. *Thomas* autem relictus in medio ibat per viam ſuam gaudens quod pro honore Dei meruiſſet contumeliam pati. Averſus eſt itaque ab eo animus regis *Franciæ* ut per dies aliquot nec eum more ſolito viſitaret, nec per ſuos ut conſueverat miniſtros victualium neceſſaria miniſtraret. Cum autem archiepiſcopus in hoſpicio ſuo *Senonis* receptus de tanta cum ſuis conferret anguſtia, & de pane ſuo eciam pedes alias mendicando uno tantum ſecum aſſumpto laboris ſocio cogitaret, omnia tamen quæ eum contingebant diſpoſitioni Dei committeret, pauciſſimis evolutis diebus accurrit quidam ſerviens regis *Franciæ* dicens archiepiſcopo quod vocaret eum rex. Annuit archiepiſcopus ut regem adiret, volutans in corde quod eciam ex ſuis aliquis dicebat, ſcilicet ut ex ore regis licentiati continuo *Francorum* propellerentur à regno. Venientes itaque ad regem eoque humiliter ſalutato, invenerunt eum triſti vultu ſedentem nec ut ſolebat archiepiſcopo aſſurgentem. Conſidentibus autem illis & diutius facto ſilentio, rex tandem quaſi invitus abeundi daret licentiam, ſubito mirantibus cunctis proſiliens abortis lacrimis projecit ſe ad pedes archiepiſcopi cum ſingultu dicens.

« Domine mi pater, vere tu ſolus vidiſti, & con-
geminans cum ſuſpirio, « Vere, ait, tu ſolus vidiſti,
« Nos omnes cæci fuimus, qui tibi contra Deum
« dedimus conſilium ut ad nutum hominis hono-
« rem Dei reticeres. Pœniteo pater, ignoſce rogo,
« & ab hac culpa me miſerum abſolve, regnum me-
« um & meipſum ex hac hora tibi offero.

Elevato itaque rege & abſoluto, poſt dulcia & amica colloquia data benedictione archiepiſcopus *Senonis* reverſus Deum glorificabat qui non deſerit ſperantes in ſe, & de ſua virtute glorantes humiliat. Poſt aliquot autem dies regi *Franciæ* nuntiatum eſt, quod rex *Angliæ* omnes conventiones illas quas cum *Pictavis* & *Britonibus* ipſo rege *Francorum* mediante in ſupradicto colloquio apud

Montem mirabilem fecerat, jam in tantillo temporis ſpacio confregiſſet: unde rex *Francorum* admirans ait, O quam prudens, quam diſcretus & providus eſt ille *Cantuarienſis* archiepiſcopus qui ita nobis omnibus tam conſtanter obſtitit ne pacem faceret quam volebant! ipſius ſemper debuiſſemus quæſiſſe conſilium qui regis illius mores & animum novit. Alii quoque mediatores magni ſimiliter ipſius conſtantiam prædicabant. Vulgus eciam & pueri cum viderent eum uſpiam prætereuntem dicebant adinvicem, Ecce ſanctus ille archiepiſcopus qui propter reges Deum negare noluit nec honorem Dei reticere. His auditis, rex *Angliæ* mandavit regi *Francorum* ſe plurimum mirari, quod archiepiſcopum in terra ſua diutius retineret qui pacem ſibi oblatam contumaciter refutavit. Rex autem *Franciæ* nuntiis dixit, Ite, dicite domino veſtro, quia ſi ipſe conſuetudines quas avitas vocat non vult dimittere, nec ego veteranam regum *Franciæ* libertatem volo propellere, quæ cunctis exulantibus & præcipue perſonis eccleſiaſticis conſuevit ſubvenire. Videns igitur *Cantuarienſis* archiepiſcopus quod cum manſuetudine pacem eccleſiæ non valeret obtinere, voluit eam ſi poſſet cum ſeveritate revocare. Miſſis ergo litteris ex licentia domini papæ & propria auctoritate ſuſpendit & excommunicavit omnes eccleſiæ malefactores certis ex cauſis & eorum nominibus expreſſis; ſed eos ſpecialiter perculit anathemate qui bona *Cantuarienſis* eccleſiæ rapuerant vel rapta detinuerunt. Cujus ſententia hic vel alias data paſſim profuſa eſt, ut vix in capella regis inveniretur qui regi de more eccleſiæ pacis oſculum dare valeret. Omnes enim fere notabiles facti ſunt aut ex ipſa ſententia, aut ex partitione. Timentes itaque ſibi cæteri tam epiſcopi quam principes regni ne ſimilis eos feriret ultio, iterum & iterum archiepiſcopum appellaverunt. Rex autem familiarium ſuorum dampnationem ferre non valens, duos archidiaconos *Romam* miſit conquerens de injuria ſuis illata, petens ſibi tranſmitti legatos qui ſuos excommunicatos abſolverent, pacem reformarent, ne aliter ſecuritati ſuæ & honori proſpicere compelleretur. Miſit eciam archiepiſcopus nuntios ſuos, non aurum neque argentum ſed cedulas & nuda verba portantes. Et tandem optentum eſt ut duo legati multum pectoris & oris habentes mitterentur, *Gratianus* ſcilicet *Eugenii* quondam ſummi pontificis nepos & *Vivianus Romanæ* curiæ in cauſis advocatus. Quibus regem alloquentibus, conceſſit eis rex ut archiepiſcopus in *Angliam* rediret, archiepiſcopatum ſuum & poſſeſſiones in pace teneret ſalvo honore regni ſui. Qui vana ipſius conceſſione lætificati decreverunt ut *Vivianus* in *Angliam* tranſiret & excommunicatos abſolveret, *Gratianus* vero pacem condictam pro poſſe perficeret. Craſtino autem cum rex diſceſſiſſet & ipſi regiis promiſſis dolum ineſſe vidiſſent condictis fallaciis ſtare noluerunt. Verum ut adhuc ipſius temptarent animum, miſerunt poſt eum *Petrum Papienſem* archidiaconum, qui dure ſuſceptus & turpiter apprehenſus, rebus eciam ſuis ſpoliatus eſt, vix tandem violentas manus ſine cæde genitalium evaſit. Igitur *Gratianus* ſocio ſuo *Viviano* vivacior, regem conſtanter oportune importune obſecrans & increpans, omnia ipſius ſprevit donaria, tandemque citiſſime *Romam* reverſus eſt *Viviano* illo poſt terga relicto. Rex autem illius tam repentinum reditum habens ſuſpectum, videnſque hic regis *Francorum* animum ex confracta pace ira commotum, excogitavit qua ſubtilitate regis animum mitigare valeret, & archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſi forte daretur occaſio vel ſpecie tenus pacem reſtituere, ne inſtantia *Gratiani* cogeretur invitus. Pœnitentia enim, ut dicebatur, ductus eſt, quod archiepiſcopo pacem non dederit poſtulatam. De colloquio autem cum rege *Francorum* habendo deſperatus quaſi orandi gratia venit in *Franciam*. Cui cum rex *Franciæ* ſponte vel invitus apud *Montem martyrum* occurriſſet, poſt alia pacis eloquia de pace & concordia *Cantuarienſis* archiepiſcopi ſupplicabant univerſi. Annuit itaque rex ut archiepiſcopus in pace & ſecuritate repatriaret, & archiepiſcopatum ſuum in ea libertate reciperet & teneret qua prædeceſſores ſuos tenuiſſe conſtaret. Promiſit eciam ſe eidem mille marcas daturum ad reditus ſui præparationem. Archiepiſcopus autem ablatorum omnium reſtitutionem repetens, conſtanter mediatoribus dicebat nullatenus remitti peccatum niſi reſtituatur ablatum; Cujus erat taxata ſumma xxx. milia marcarum. Sed rex *Franciæ* cæterique utriuſque optimates regni ſuadebant archiepiſcopo ne pro repetenda pecunia juſte vel injuſte ablata domini ſui gratiam refutaret. Cum igitur omnia complanata fuiſſent, ex mandato domini papæ pacis initæ cautionem quærebat archiepiſcopus ad confirmationem. Cum autem hi & illi dicerent hujuſmodi cautionem præſertim de domino ſuo non eſſe petendam, ſibi ſufficere dicebat pacis oſculum ex ore ſibi regio datum. Quod cum per regem *Franciæ* alioſque mediatores regi *Angliæ* eſſet intimatum, ſe quidem hoc libenter facturum eſſe reſpondit, niſi quia iratus publice juraverat archiepiſcopum ſe nunquam oſculaturum eciamſi aliquando pacem ei redderet & gratiam, nec propterea adverſus eum aliquem retinere rancorem. Suſpicans autem rex *Franciæ* cæterique mediatores mellitis regis ſermonibus ineſſe venenum, ſolum regis reſponſum archiepiſcopo referebant, nec hoc nec illud ſuadere volebant. Archiepiſcopus autem ut vir providus & diſcretus & aſtutis aſtutior id ipſum intelligens, oblatam pacem recipere noluit, niſi eciam pacis oſculum traderetur. Cum igitur dies jam perducta eſſet in veſperam, & regum hoſpicia *Mantuæ* præparata fuiſſent, pace inperfecta omnes abinvicem diſceſſerunt. Ibat itaque rex *Angliæ* per viam ſuam archiepiſcopum maledicens, eo quod propter eum tot & tantas ſuſtinuerit vexationes. Dum hæc ita agerentur, archiepiſcopus in capella quæ *Martyrum* nuncupatur, regis *Anglorum* præſtolabatur reſponſum. Miſit igitur rex *Franciæ* litteras & nuntios cum his quos archiepiſcopus ad ſummum miſerat pontificem, petens in virtute amoris & obtentu obſequii ne ulterius fruſtratorias prorogaret dilationes. Sed & *Willielmus* venerandus *Senonenſium* antiſtes in propria perſona papam petiit ut terra regis *Angliæ* interdicto ſubiceretur niſi pax eccleſiæ redderetur. Quod regem penitus latere non potuit. Ille vero alia & enormia quærens diverticula, novas pravitates in *Angliam* miſit, mandans & diſtricte præcipiens ut omnes ſenes cum junioribus eas cuſtodirent, & ut omnes earum obſervationem compellerentur jurare. Harum traditionum iſta eſt forma.

Si quis à feſtivitate S. Dionisii *inventus fuerit in* Angliam *ferens litteras domini Papæ vel* Thomæ *archiepiſcopi* Cantuarienſis, *vel aliquod mandatum ex parte eorum de interdicto, capiatur & ſtatim fiat de eo juſticia ſicut de traditore domini regis & regni ſui. Verumtamen illi qui capti ſunt cum mandato vel litteris hujuſmodi ante feſtum ſancti* Martini, *cuſtodiantur uſque ad eundem terminum, & poſtea fiat de eis juſtitia ſicut præceptum eſt.*

Si epiſcopi vel abbates cujuſcumq; ordinis ſint vel quicumque clerici vel laici ſententiam interdicti tenuerint, ſtatim eiciantur à terra & tota cognatio eorum, & tali modo ut nil ferant de catallis ſuis ſecum, ſed omnia catalla eorum & omnes poſſeſſiones ſuæ in manu domini Regis ſeiſiantur.

Omnes clerici qui habent redditus in Anglia *& ſunt extra* Angliam *ſummoneantur per omnes comitatus & provincias, quod infra feſtum ſancti* Hylarii *redeant in* Angliam, *& ſi non venerint ad terminum illum, omnes redditus eorum capiantur in manus domini Regis & ipſi ſint ſine ſpe revertendi. Et vicecomites faciant hoc ſcire archiepiſcopis, epiſcopis de provinciis ſuis.*

Nulla fiat appellatio ad dominum Papam neque ad Thomam Cantuarienſem *archiepiſcopum, nec aliquod placitum eorum mandato teneatur. Et ſi quis à feſto ſancti* Dionisii *inventus fuerit hoc faciens capiatur & retineatur, & omnia catalla ejus & poſſeſſiones capiantur in manu domini Regis, ſive epiſcopus fuerit ſive abbas vel monachus, aut canonicus, aut clericus, vel cujuſcunque ordinis fuerit.*

Si quis laicus venerit de ultra mare, ubicumque applicuerit intente exquiratur utrum portet aliquid quod ſit contra honorem domini Regis. Et ſi quid tale ſuper eum inventum fuerit, capiatur & incarceretur. Et ſimiliter fiat de laicis qui veniunt ad mare transfretare.

Si clericus, vel canonicus, vel monachus, vel converſus ſeu cujuſcumque religionis fuerit de ultra mare venerit, exquiratur, & ſi nil hujuſmodi cum illo inventum fuerit, niſi habeat litteras domini regis de paſſagio ſuo non procedat ulterius, ſed quam citius poterit revertatur; Et ſi aliquod hujuſmodi ſuper eum inventum fuerit, capiatur & incarceretur.

Nullus clericus, vel canonicus, vel monachus, vel cujuſcumque religionis Dei fuerit permittatur transfretare, niſi habeat litteras de paſſagio ſuo.

Si quis Walenſis *clericus vel laicus applicuerit, niſi habeat litteras domini Regis de paſſagio ſuo, capiatur & cuſtodiatur, & omnes* Walenſes *qui ſunt in ſcolis in* Anglia *eiciantur. Omnes vero vicecomites totius* Angliæ *faciant omnes milites & libere tenentes & omnes illos qui quindecim annos habent de comitatibus ſuis jurare in pleno comitatu & per omnes civitates & burgos, quod hæc mandata ſuper vitam & membra ſua ſervabunt, & miſſis ſervientibus ſuis per omnes villatas* Angliæ *faciant jurare omnes illos qui ad comitatus non fuerunt, quod hæc mandata cum cæteris tenebunt.*

Coacti ſunt itaque omnes per univerſam *Angliam* à ſene decrepito uſque puerum *Thomæ* archiepiſcopi & papæ *Alexandri* obedientiam abjurare. Epiſcopi tandem in unum coacti, & auctoritate ſua ſacramentum vulgi corroborare rogati, tam turpiter, tam imprudenter contra Deum cervicem erigere, ſaltem verecundia coacti conſentire noluerunt.

XII.

An. Græ 1170.

M.C.lxx. Rex *Henricus* in *Angliam* tranſfretaturus ad mare deſcendit. Quod cum ex magna parte tranſmiſiſſet vehementi tempeſtate conquaſſatus & jam fere de ſalute deſperans, quinque naves perdidit, & vix tandem multa fatigatus anguſtia v. non. Marcii in *Anglia* aplicuit. Audiens autem papa regem in *Angliam* tranſfretaſſe, ne diutius eccleſia diſpendium ſuſtineret, renovavit mandatum ad *Rothomagenſem* & *Nivernenſem*, præcipiens ut ſi neceſſe eſſet in *Angliam* transfretarent omnibus modis regem de pace commonituri. Rex autem convocatis optimatibus ſuis inſtituit abbates & clericos, comites & milites qui circuierent terram, dans formam inſcriptam quomodo eis eſſet agendum.

In *Cantiam*, *Suthreiam*, & *Middelſexe*, & *Berkeſcire*, & *Oxenefordſcire*, & *Bukingehamſcire*, & *Bedefordeſcire* miſſi ſunt abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, Abbas de *Cherteſeie*, Comes de *Clara*, *Willielmus* de Abrancis, *Maneſier* de Dammartin, *Geroldus* filius *Radulfi*, *Gilebertus* de Pinkeni, *Williemus* filius *Helt*. *Willielmus* filius *Nigelli*, *Willielmus* filius *Martini*, *Radulfus* de Hoſpitali, *Radulfus* de Dene. Hi omnes ſimul ſupradictos comitatus circuierunt. In hunc modum per alios comitatus *Angliæ* inquiſitores miſſi ſunt. Et hæc inquirere debuerunt.

In primis exigent Barones errantes vadium & plegium ab omnibus vicecomitibus qui fuerunt vicecomites poſtquam rex tranſfretavit in *Normanniam*, & ab omnibus qui poſt terminum illum fuerunt bailivi & miniſtri illorum quamcumque bailiam de illis habuerunt, & ab omnibus illis qui poſt terminum illum hundredos Baronum quos ipſi habent in comitatibus ſive illos habuerunt ad firmam ſive in cuſtodia, quod erunt coram domino rege die quem ipſi eis conſtituent ad rectum faciendum & addretiandum ei & hominibus ſuis quod addretiare debuerunt. Et ſi vicecomites ante illos venire non poſſint, mittant loco ſuo qui pro eis reſpondeant, & illi dent vadium & plegios ſufficientes pro vicecomitibus, & ipſe ipſis, quod facient coram domino rege hoc quod vicecomites facere deberent ad diem conſtitutum. Poſtea capient ſacramentum ab omnibus Baronibus, militibus & liberis hominibus de comitatu & cæteris hominibus & ab omnibus civibus & burgenſibus quod verum dicent de hoc quod ab eis inquiretur ex parte domini Regis, & quod non celabunt veritatem neque pro alicujus amore nec odio, nec prece, nec precio, nec timore, nec pro aliqua promiſſione, nec pro ulla re.

In primis inquiratur de vicecomitibus & bailivis eorum quid vel quantum acceperint de ſingulis hundredis & ſingulis villatis & ſingulis hominibus poſtquam rex noviſſime tranſfretavit in Normanniam, *unde terra vel homines gravati ſunt. Et quid acceperint per judicium comitatus vel hundredi, & quid ſine judicio. Et quod inquiſierint captum eſſe per judicium ſcribatur ſeperatim, & quod ſine judicio ſimiliter ſeperatim ſcribatur. Et de omnibus priſis inquirant cauſam & teſtimonium.*

Similiter inquiratur quot & quas terras vicecomites vel bailivi eorum emerint, vel invadiaverint.

Similiter inquiratur de archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, vavaſoribus, militibus, civibus, burgenſibus, & eorum ſeneſcallis, præpoſitis & miniſtris, quid vel quantum acceperint per terras ſuas poſt terminum ſupra-

dictum de ſingulis hundredis ſuis vel villatis & de ſingulis hominibus ſuis per judicium, vel ſine judicio. Et omnes priſas, & cauſas, & occaſiones earum ſcribant ſeparatim.

Similiter inquiratur de omnibus illis qui poſt terminum illum habuerunt aliquas bailias de rege in cuſtodia, ſive de archiepiſcopatu, ſive de epiſcopatu, ſive de abbatia, vel de baronia, ſive de honore aliquo vel aliqua eſchaeta, quid & quantum in bailia illa adquiſierint.

Similiter inquiratur de bailivis regis qui per terram ſuam erraverunt pro negotiis regis faciendis quid eis datum ſit.

Et de catallis fugitivorum pro aſſiſa de **Clarendune**, *& de catallis eorum qui per aſſiſam illam perierunt, inquiratur quid actum ſit, & quid inde exierit de ſingulis hundredis & ſingulis villatis & ſingulis hominibus. Et inquiratur an aliquis in aſſiſa illa injuſte rectatus fuerit pro præmio vel promiſſione, vel odio, vel aliquo modo injuſto, & an aliquis de rectatis relaxatus fuerit vel reverſus pro præmio, vel promiſſione, vel amore, & quis inde præmium acceperit. Et inquiratur de auſilio ad maritandam filiam regis quid inde exierit de ſingulis hundredis, & de ſingulis villatis, & de ſingulis hominibus, ſive in redditis, ſive in pardonis, & cui illud traditum & liberatum fuerit.*

Et inquiratur quid & quantum acceperint foreſtarii, & bailivi, & miniſtri eorum poſt terminum ſupradictum in bailiis ſuis, quocumque modo illud acceperint vel quacumque occaſione. Et ſi quid pardonaverint de rectis domini regis pro præmio, vel promiſſione, vel amicitia alicujus. Et de forisfactis foreſtarum, & de his qui in foreſtis ſuis forisfecerunt de cervis, & biſſis, & aliis beſtiis ſalvagiis: et ſi foreſtarii vel bailivi eorum aliquem acceperint vel attacaverint per vadium, & per plegium, vel rectaverint, & poſtea ſine juſticia per ſe relaxaverint. Et qui hæc fecerint inquirantur, & inbrevientur.

Et omnes qui rectati fuerint de quocumque recto ponantur per vadium & per plegium quod ſint coram domino rege die quem eis ponent, & quod rectum facient, & addretiabunt ei & hominibus ſuis quod adretiare debuerint. Et quibus plegii defuerint cuſtodiantur.

Et inquiratur ſi vicecomites, vel quicumque bailivi eorum, vel domini villarum, vel bailivi eorum aliquid reddiderint de his quæ acceperant, vel ſi pacem aliquam cum hominibus fecerint poſtquam audierunt adventum domini regis pro diſturbare ne inde ante regem vel juſticias querimonia veniret.

Et de amerciatis inquiratur ſi aliquis relaxatus fuerit pro præmio, vel amore de hoc quod primo fuit amerciatus. Et per quem hoc factum fuerit.

Et ſimiliter inquiratur per omnes epiſcopatus quid & quantum & qua de cauſa archidiaconi vel decani injuſte & ſine judicio ceperint, & hoc totum ſcribatur. Et inquiratur qui debent regi homagium & nondum fecerunt neque illi neque filio ſuo, & inbrevientur.

Facta autem hac inquiſitione mirabili omnes juſſi ſunt ut eſſent coram rege in civitate *Londoniæ* xviij. kal. Julii. Interea *Rotomagenſis* & *Nivernenſis* verſus *Angliam* iter arripientes ſcripſerunt regi indicantes ei quod vel quale præceptum à domino Papa ſuſcepiſſent. Ipſe vero reſcripſit eis, monens & mandans ne maris periculis ſe inponerent, ſpondens ſe noviter venturum & formæ pacis inter ipſum & archiepiſcopum per conſilium eorum aſſenſum præbiturum. Convenerunt interim die ſtatuto ex mandato Regis ad *Londoniam* totius *Angliæ* Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, Vicecomites, Præpoſiti, Aldermanni cum fidejuſſoribus ſuis timentes valde omnes. Quiſque juxta conſcientiam ſuam metuebat, neſciebant enim quid Rex ſtatuere decreviſſet. Ipſa die *Henricum* filium ſuum qui eadem ſeptimana de *Normannia* venerat militem fecit, ſtatimque eum ſtupentibus cunctis & mirantibus in regem ungui præcepit & coronari. Appoſuit autem ei manus infauſto quidem auſpicio, ſicut exitus declarabit, *Rogerius* ille *Eboracenſis* archiepiſcopus, non veritus juſticiam & timorem Dei abiciens, & prohibitionem domini Papæ contempnens, utpote à promotione ſua in archiepiſcopum *Eboracenſem Cantuarienſis* eccleſiæ pertinaciſſimus hoſtis, quæ tamen ipſum à paupere ad id honoris culmen exaltaverat. Cui aſtiterunt in conſecratione, immo execratione illa *Cantuarienſis* eccleſiæ degeneres ſuffraganei, tantæ malitiæ & enormitati non reſiſtentes. Noſcitur enim quod regum *Angliæ* coronatio ab antiquo tempore ſolius ſit *Cantuarienſis* archiepiſcopi. Coronatus itaque novus rex ex præcepto patris ſui Comitum & Baronum ſuſcepit fidelitates, & ſic timore culparum depoſito omnes ad propria redierunt. Deputatis autem novo Regi tutoribus & magiſtris, & his præcipue qui *Thomam Cantuarienſem* archiepiſcopum veterano inſequebantur odio, Rex pater ad mare deſcendit & transfretavit habiturus colloquium cum rege *Franciæ* in feſtivitate ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*. Quoniam vero jam dies inſtabat in terram Regis dandæ Sententiæ, nec erat ulterius locus divertendi, ipſe & archiepiſc. in confinio *Carnotuſiæ* & *Cenomanniæ* in prato quodam amœniſſimo quod quondam ab incolis *pratum proditorum* appellatum eſt, primo per intermeantes perſonas, deinde per ſe ipſos longos traxere ſermones. Cumque diutius locutum fuiſſet, rogavit Regem archiepiſcopus ut injuriam quam *Eboracenſis* archiepiſcopus cæterique epiſcopi ſuffraganei ſui in coronatione novi regis matri ſuæ *Cantuarienſi* intulerant eccleſiæ, abſque ipſius offenſa liceret punire. Cui cum annuiſſet Rex, noluit enim quicquam contradicere, ſubito deſcendit archiepiſcopus equo, regis pedem apprehenſurus & deoſculaturus. Rex è contra diſſilivit equo & ſtaphum archiepiſcopi arripiens eum levavit in equum, dicens, Decet ut majori minus dignus ſerviat. Sic itaq; Rex archiepiſcopo gratulabundus occurrit, ſic eum jocunde allocutus eſt acſi ante nichil rancoris habuiſſet. Quem cum Rex ſecum vellet abducere, dicens ſibi expedire ut pax inita cunctis manifeſta nulli veniret in dubium, archiepiſcopus reſpondit. Ingratus videbor domine ſi benefactoribus meis ſaltem non valedixero. Rediit ergo archiepiſcopus & regi *Franciæ* cæteriſque benefactoribus ſuis gratias agens, cum rege *Angliæ* antequam rediret in *Angliam* non ſemel locutus eſt, tandemque reditum paravit in *Angliam*. Aſſignaverat autem ei rex clericum quendam qui ei ex parte domini regis redeundi ſolatium præberet.

Idus Septembris nocte media duo planetæ ſic conjungi videbantur ut quaſi una eademque ſtella fuiſſent appareret, ſed ilico adinvicem ſeparati ſunt. Miſit autem archiep. nuntios ſuos in *Angliā* cum litteris patentibus regis quas filio ſuo direxerat in hunc modum.

HEnricus *Rex* Angliæ *&* *Dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *&* *Comes* Andegaviæ, *kariſſimo filio ſalutem : Sciatis quod* Thomas Cantuarienſis *pacem mecum fecit ad voluntatem meam, & ideo præcipio quod ipſe & ſui pacem habeant, & faciatis habere ei & ſuis qui pro eo exierunt ab* Anglia, *res ſuas bene & in pace & honorifice ſicut habuerunt tribus menſibus antequam ipſe archiepiſcopus receſſiſſet ab* Anglia. *Et faciatis venire coram vobis de antiquioribus et legalioribus militibus de honore de* **Saltwode**, *& eorum ſacramento faciatis recognoſci quid ibi habeatur de feudo archiepiſc.*Cantuariæ. *Et quod recognitum fuerit de feudo ejus eſſe ipſi archiepiſcopo habere faciatis. Teſte* Rotrodo Rothomagenſi *archiepiſcopo apud* Chinum.

Menſe Octobri venerunt prædicti nuntii in *Angliam* & archiepiſcopatus domos fractas & vacuas, orrea demolita, terras incultas & ſilvas ſucciſas ſuſceperunt. Audito etenim rumore concordiæ *Randulfus* ille cognomento *del Broc* quaſi ante nichil mali vel parum feciſſet omnia diſtrahere & vaſtare feſtinabat. Archiepiſc. quoque *Eboracenſis* & *Gilebertus Londonienſis* & *Jocelinus Sareſberienſis* præteritorum malorum incentores de pace inita contriſtati, aſſociatis ſibi *Gervaſio* vicecomite *Cantiæ*, *Reginaldo de Warenna* & prædicto *Randulfo del Broc*, neſcio quid novum facturi *Dovoriam* petierunt. Quod cum archiepiſcopus qui jam *Witſandum* venerat agnoviſſet, præmiſit ſuppellectilem ſuam & *Robertum* eccleſiæ *Chriſti* ſacriſtam ad præparanda neceſſaria venientibus. Præcepit eciam hominibus ſuis ne libri, unde plurimam habuit copiam, alibi quam in eccleſia *Cantuariæ* reconderentur. Illis itaque ſollicite *Dourenſe* litus obſervantibus, tentus eſt prædictus monachus *Robertus* fidemque dare ſecundum leges noviſſime promulgatas coactus, quod quam citius auram redeundi haberet congruam transfretaret, eo quod litteras domini Regis de ſuo tranſitu non haberet ad manus. Et ecce puer qui cum eo præmiſſus eſt domini Papæ litteras porrexit epiſcopis, quibus *Eboracenſis* & *Dunelmenſis* ſuſpenſi, *Londonienſis* vero & *Sareſberienſis* cæterique epiſcopi *Angliæ* pro temeraria præſumptione coronationis novi Regis excommunicati ſunt. Die vero craſtina dum furibundi litora circuirent quaſi archiepiſcopum applicantem apprehenſuri, ipſe Spiritu ſancto quo regebatur edoctus navem aſcendit, & eorum devitans nequitiam proſpero curſu in portu *Sandwico* pridie kal. Decembris applicuit. Nuntiato autem apud *Dovoriam* archiepiſcopi adventu, arreptis armis ſatellites plurimi cum feſtinatione nimia *Sandicum* petierunt, Epiſcopis illis ſuſpenſis vel excommunicatis apud *Dovoriam* ſubſiſtentibus. Audito autem in *Sandwico* armatorum adventu, homines de villa cucurrerunt ad arma pro domino ſuo & paſtore ſi neceſſe eſſet pugnare volentes ; idem ſiquidem fecerant burgenſes *Dovoriæ*. *Johannes* denique *de Oxeneford* quem ad conducendum archiepiſcopum Rex tranſmiſerat in *Angliam*, antequam accederent occurrit armatis, increpans eos acrius & ſuadens ut depoſitis armis ſi neceſſe eſſet archiepiſcopum alloquerentur. Acceſſerunt igitur inermes, & utcumque ſalutato archiepiſcopo, ſciſcitabantur animoſe cur in primo adventu ſuo eciam ante ingreſſum epiſcopos in contumeliam Regis ſuſpenderit vel excommunicaverit; comminabantur eciam Regis futuram indignationem cum jam perpetrata crudelitas regis ad notitiam perveniret. Archiepiſcopus ad hæc manſuete reſpondit dicens, regem ob id non debere offendi quod de ſua permiſſione fuit factum. Cum autem præfati nuntii epiſcoporum peterent abſolutionem, ab archiepiſcopo uſque in craſtinum dilatum eſt negotium. Illi vero alias litigandi quærentes occaſiones, petunt ſibi fides dari ad ſecuritatem regis à clericis extraneis quos ſecum adduxerat archipræſul. Sed ab hac petitione ſatis modeſte repulſi, ad conſiliarios ſuos epiſcopos mutilatos *Dovoriam* redierunt. Archiepiſcopus autem die craſtina kal. ſcilicet Decembris cum multo honore & lætitia & dulciſſimis lacrimis à clero & populo & conventu *Cantuarienſi* ſuſceptus eſt. Venerunt itaque ex condicto *Cantuariam* milites præfati cum quibuſdam clericis epiſcoporum ab ipſis epiſcopis miſſi, petentes inſtantius epiſcoporum abſolutionem. Dixit autem archiepiſcopus ipſos à ſuperiori judice fuiſſe ligatos, nec ipſius eſſe à tanto judice datam ſententiam relaxare, veruntamen inquit, de domini Papæ clementia confidens ipſos curabo abſolvere, ſi præſtita cautione ſtare voluerint judicio eccleſiæ ſuper his pro quibus fuerunt excommunicati. Illi vero ad audita ſtomachantes turbidas jacientes minas abierunt. Archiepiſcopus igitur poſt ſex annos exilii à filiis ſuis, ut prædictum eſt, *Cantuariæ* receptus poſt dies paucos regem juniorem viſurus *Londoniã* properavit. Verum per duos milites qui à latere regis miſſi fuerant eidem tumide nuntiatum eſt, ne civitates ejus ingrederetur ſed *Cantuar.* rediens ibidem reſideret. Paruit archiepiſc. prohibenti, & ut Deus diſpoſuit *Cantuar.* reverſus ſpiritualibus ſtudiis intendebat. Ipſi autem ſuſpenſi et excõmunicati mare tranſito regem in *Normannia* adierunt, et pedibus ejus provoluti malo ſuo pacem factam eſſe dixerunt, aſſerentes quod ipſi & omnes qui coronationi filii ſui interfuerant per dom. *Thomam* archiepiſc. à domino Papa eſſent excommunicati. Dicebant eciam quod ipſe archiepiſcopus ante & retro multo ſtipatus agmine militum filium ſuum regem juniorem adiret quærens regias introire munitiones. His auditis, rex pluſquam ſuam deceret majeſtatem iratus & fere jam extra ſe poſitus cepit ſe miſerum conclamare, aſſerens ſe ignobiles & ignavos homines nutriviſſe, quorum nec unus tot ſibi illatas injurias voluerit vindicare. His igitur & hujuſmodi regis lamentationibus milites quatuor irritati, in ipſa nocte Dominicæ nativitatis quæ feria ſexta fuit juramento ſe conſtrinxerunt, & ſic à curia latenter in ipſa feſtivitate receſſerunt. Erant autem hi quatuor generis nobilitate conſpicui, militia præclari & regi admodum familiares ut ſocii. Quorum nomina ſunt hæc, *Reginaldus* filius *Urſi*, *Willielmus de Traci*, *Ricardus Brito*, & *Hugo de Morvill*. Cum feſtinatione nimia deſcenderunt prædicti quatuor milites ad mare, & ſine impedimento aliquo vel mora tranſpoſiti, applicuerunt juxta *Dovoriam* in loco qui *portus canum* appellatur. Gloriabantur admodum de tam facili tranſitu acſi Deo malignitatis ſuæ placeret conſpiratio, adeoque liberum eis præparaſſet introitum. Noctem igitur illam in caſtro de **Saltwode** quod erat in cuſtodia *Randulfi del Broc* duxerunt inſomnem. Die vero craſtina, quinto ſcilicet natalis die, feria tercia, congregata ſatellitum comprovincialium turba, curiam ſancti *Auguſtini* ingreſſi de re facienda cum *Clarembaldo* ipſius cœnobii electo contulerunt. Dato tandem & accepto conſilio cum jam pranſus archiepiſcopus cum monachis ſuis & clericis de rebus tractaret neceſſariis, quatuor illi interiorem archiepiſcopi cameram ingreſſi nullam præmittentes ſalutationem ante pedes ejus ſolo tenus reſederunt, tandemque dixerunt, » Venimus de partibus tranſmarinis præcepta regis ad te deferentes. Quibus ait, » Vultis hæc publice vel privatim dicere? » At illi, ut tibi placet. Juſſit igitur archiepiſcopus domeſticos ſuos paulatim ſecedere. Et auditis eorum ſermonibus, » Volo, inquit, ut hæc à pluribus audiantur. Revocatis igitur tam monachis quam clericis, ille *Urſides* ait, » Dicimus tibi ex parte domini Regis ut » regem adeas, facturus ei quod facere debes domino » tuo. Cui archiepiſcopus. » Feci ei quod facere debui. » Non, inquiunt; Nam epiſcopos ejus ſuſpendiſti nec abſolvere voluiſti. Unde videtur quod » ei velles coronam de capite tollere. Coronam, » ait, ejus auferre non cupio, ſed alias ſi poſſem capiti » ejus imponerem, ſalvo tamen honore Dei & ſalute » animæ meæ. Epiſcopos vero non ſuſpendi ſed dominus Papa. » Satis, inquiunt, eos ſuſpendiſti quia » hoc tuo molimine factum eſt. » At ille Ratum, inquit, & gratum habeo ſi dominus Papa vindicat » injurias eccleſiæ Dei & meas. Compellor & ego » injurias michi vel meis illatas vindicare. Nam præter cætera quæ poſt pacem datam, michi vel meis » illata ſunt, clerici mei & ſervientes verberantur, » eccleſiæ meæ ab invaſoribus occupantur, vina mea » conductu regis in *Angliam* advecta michi ablata » ſunt, nec adhuc reſtituta, jumentum quoque in » ſervitio meo inventum, in contemptum meum & » contumeliam cauda turpiter truncatum eſt. Præcindunt illi verba loquentis dicentes. » Si querimonias tuas ad audientiam optimatum retuliſſes condignam juſticiam reportaſſes. » Non, inquit. Nam » petitiones meæ repulſæ ſunt, & ne in propria perſona regem adirem, prohibitus ſum. Nec tamen pro » omni re minima currendum eſt ad curiam. Tu *Reginalde* præſens fuiſti & pluſquam ducenti milites, » ubi dominus rex conceſſit ut eos ad condignam » ſatisfactionem eccleſiaſtica cenſura compellerem, » qui ſanctam eccleſiam conturbaſſent. Nec poſſum » de cætero diſſimulare quin curæ paſtoralis officium exerceam. Ad hanc vocem exilientes clamabant, » Hujus rei teſtes non ſumus. O minæ! minæ! » Domini monachi, ex parte Regis vobis præcipimus ut eum cuſtodiatis, ſi evaſerit, à vobis requirend[illegible] eſt. Et exierunt continuo. Archiepiſcopus autem ſequens eos uſq; ad hoſtium cameræ exterioris dixit, » Sciatis me non veniſſe ut fugiam, & minas veſtras parvipendo. At illi, » Non minæ tantum, ſed & aliud erit.

Exeuntes itaque de palatio introduxerunt in curiam archiepiſcopi, quos præ foribus reliquerant, ſatellites dum cum archiepiſcopo loquerentur. Exeuntes autem ſe cappis & tunicis apparuerunt loricati. Dum igitur hii & alii ſe armis induerent & monachi in eccleſia veſperas cantarent, vix tandem archiepiſcopo perſuaſum eſt ut veſperas auditurus eccleſiam introiret. Cum autem à monachis impulſus magis quam ductus eccleſiam fuiſſet ingreſſus, & jam in eccleſia aliquot gradus aſcendiſſet, ecce à tergo quatuor illi armati per clauſtrum exertis gladiis eccleſiam cum impetu ingrediuntur. Quorum cum primus exclamaſſet, Ubi eſt traditor ille, & nemo reſponderet, ſubjunxit, Ubi eſt archiepiſcopus? Ipſe autem omnium voces præveniens, de gradibus quos aſcenderat deſcendens ait, En ego. Et adjecit, *Reginalde, Reginalde*, multa tibi contuli beneficia, nunc ingredieris armatus ad me? At ille pallium archiepiſcopi apprehendens ait, Hoc ſcies jam. Egredere, jam morieris. Archiepiſcopus autem de manu illius pallium excutiens, Non egrediar, ait. At ille dixit, Fuge ergo. Non, inquit, fugiam, ſed ſi me quæritis, prohibeo ex parte Dei & ſub anathemate, ne alicui ex meis quicquam mali faciatis. Ille autem paululum retrocedens, & ſocios ſuos jam adeſſe conſpiciens, in caput archiepiſcopi gladium vibravit quo brachium clerici magiſtri ſcilicet *Edwardi* fere amputavit, ipſumque archiepiſcopum in capite, excuſſo pilleo, vulneravit, & exclamavit, Percutite, percutite. Extenderat enim clericus ille brachium ſuum ſuper caput archiepiſcopi ut ictum elideret ferientis. Videns autem jam de cætero Sanctus vocandus horam ſuæ paſſionis adeſſe, inclinato contra lictorum gladios nudato capite, hæc ultima verba dixit, Deo & ſanctæ *Mariæ* & ſancto *Dioniſio* & ſanctis hujus eccleſiæ patronis commendo me ipſum & cauſam eccleſiæ. Accurrens autem alter ex eis & his loricatus, cum magno impetu gladium ſuum in teſtam ſancti Martyris profundius incuſſit & cerebrum violavit. Jam labare cœpit in corpore hoſtia Chriſti ſed mente firmior, & ferientibus cæteris quaſi ad orationem in pavimento proſtratus eſt, omnibus membris decenter compoſitis, acſi manibus dirigerentur humanis. Quidam autem ex eis immanior cæteris & inhumanior, jam jacentis, jam expirantis teſtulas capitis quas alii inciderant abſcidit, & ex facili tranſitu pavimentum offendens gladii cuſpidem fregit. Plaga autem à cono capitis uſque ad cellam memorialem deſcendens, partem illam occipitii patulam fecit. Acceſſit poſtremo quidam *Hugo* re & nomine *Malus clericus* appellatus, enſis cuſpidem patenti capiti crudeliter inpreſſit, cerebrum penitus diſſipavit, extraxit & in pavimentum cum teſtulis & ſanguine ſparſit. Unus autem ex eis, Eamus, inquit, mortuus eſt. Et redeuntes per clauſtrum, in ſignum dampnatæ militiæ ſuæ clamabant, Regales milites, regales. Dum hæc itaq; fierent in eccleſia, cæteri malignitatis hujus complices in palatio beati martyris ſæviebant. Nam confractis ſeris & hoſtiis omnique ſuppellectile ejus exquiſita, quæcumque concupiſcibilia fuerunt tulerunt et abierunt. Privilegia quoque & munimenta *Cantuarienſis* eccleſiæ in ſcriniis Sancti inventa rapta tulerunt. Accurrens autem populus civitatis patrem patriæ ſuumque paſtorem tam dire in eccleſia Dei interemtum videre cupiebant. O admirabilis viri ſancti conſtantia! Non regis inſania, non epiſcoporum vel principum malicia, non exilium, non amicorum vel parentum ſuorum proſcriptio, non gladius, ſed nec ipſa mors eum à via veritatis avellere potuerunt. Et quod mirabilius eſt, militi percutienti non caput avertit, non veſtem vel manum interpoſuit, ſed percutienti caput inclinavit, in pedibus ſtans donec conſummaretur. In terram corruens membra quaſi ad orandum compoſuit. Jacens non pedem, non manum movit vel caput, niſi quantum expiranti conceditur. Sed ut æſtimo, Deum habuit diſpoſitorem & angelos cooperatores. Necdum animam expiraverat, & ecce ab omnibus fere ſanctus *Thomas* appellatus eſt. Vix aliquem in tanta videres multitudine qui ejus ſanguine non vellet eſſe intinctus; nam in ejus ſanguine digitos imprimebant, & ipſius Sancti nomen invocantes in frontibus ſuis, vel oculis ſignum crucis faciebant. Collectus eſt ille ſacroſanctus ſanguis cum cerebro & teſtulis & diligenter repoſitus eſt, poſt modicum toti mundo propinandus.

pinandus. Delatum eſt autem corpus exanime ante altare Chriſti,ubi tota nocte illa clauſis oculis,compreſſis labiis, membriſque decenter compoſitis adeo vividus intuentibus apparuit acſi vivens in corpore carperet ſompnum. Cumque dies craſtina illuceſceret, & monachis lugentibus nuntiatum fuiſſet malignos illos conſpiraſſe ut corpus ſanctum violenter de eccleſia extraherent & ignominioſe tractarent, vel in locum fœtidum proicerent, territi monachi clauſis eccleſiæ januis corpus in criptam detulerunt. Sublatis autem ab eo veſtimentis exterioribus in habitu monachali & cilicio inventus eſt. Quis in tam ſtupenda viſione temperaret à lacrimis,cum patris patriæ, archiepiſcopi & primatis & legati interiora capitis tam dire diſſipati viderentur? Quis inquam temperaret à lacrimis cum monachi paſtorem ſuum quem clericum putabant elatum, jam monachum viderent humilem & ciliciatum? Non enim ſciebant huc uſque quod hujuſmodi veſtimentis uteretur. Flebant itaque monachi & ridebant, lugentes gaudebant, plangentes plaudebant. O lætus dolor in triſti gaudio! Tandem utcumque temperantes à lacrimis, dimiſſis circa eum veſtibus illis precioſis, cuculla ſcilicet ſtaminia & cilicio, pontificalibus induerunt, & in novo ſarcofago marmoreo ſepelierunt. Clauſa ſunt illico hoſtia criptæ, ut vix alicui pateret ingreſſus.

XIII.

An. Gr̃æ 1171.

M C.lxxj. Per totum fere annum uſque ad feſtum ſancti *Thomæ* apoſtoli eccleſia Chriſti ab officiis ceſſavit divinis, & monachi nocturnas horas & diurnas in capitulo ſuo ſine modulationibus muſitabant. Cruces eccleſiæ ſicut in paſſione Domini fuerunt velatæ & altaria denudata. Mater eccleſiarum *Anglicanarum* parricidium lugebat, & filiæ ejus & æmuli maxime gaudebant, pulſantes & cantantes in jubilo acſi matris ſuæ ærumpnis inſultarent. Sed beato martyre noſtro conſummato & in pace diſpoſito, viſitavit nos oriens ex alto in viſionibus nocturnis,martyris novi ſanctitatem oſtendens,& futurorum mirabilium quaſi quandam credulitatem præmittens. Subſecuta ſunt è veſtigio uſitata & experta miracula, quæ ſicut innumera ita ſeculis ſunt inaudita. Reſerata ſunt tandem hoſtia criptæ & confluentibus undique populis dicere potuimus cotidie, quia mirabilia vidimus hodie. In primis tamen beatus martyr quaſi quædam præludia præmittens, minimis quibuſdam cœpit coruſcare miraculis. Deinde paulatim ad majora & maxima pertingens, omnia in brevi evangelica miracula complevit. Nam primo ad ejus tumbam, deinde per totam eccleſiam, & poſtmodum per totam *Angliam* ad invocationem nominis ejus qualibet infirmitate gravati convaluerunt. Quibuſdam eciam genitalibus abſciſis & oculis effoſſis nova membra reſtituit,aliiſque morte jam depoſita vitam redonavit. Extant in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* duo volumina miraculorum ejus,quæ ut huic compendio insererem non eſt neceſſe. Quomodo autem vel qua occaſione ſanguis novi martyris aquæ mixtus ad potandum & portandum pie petentibus datus ſit,non ab re eſt dicere. Quidam namq; ſacerdos *Willielmus* nomine, *Londonienſis* natione,in die ſancti *Stephani* prothomartyris obmutuit. Huic in viſione dictum eſt, ut *Cantuariæ* novum martyrem adiret, ſanguinem ipſius potaret ut ſic convaleſceret. Ivit, *Cantuariam* venit, ſanguinem petivit & obtinuit, guſtavit & convaluit. Divulgatum eſt ilico verbum hoc in populo, & jam petentibus pluri mis aquæ limpidæ mixtus & ſic ægrotantibus ad potandum porrectus eſt, ne videlicet ſacer ſanguis citius effunderetur, vel indignis daretur uberius. Hac de cauſa aqua ſancti martyris ſanguine ſanctificata in univerſum mundum delata, ægrotantibus porrecta & mortuis quibuſdam infuſa, per ſancti *Thomæ* merita ægrotantibus ſanitatem & pleriſque mortuis vitam reſtituit.

Hæc de beati noſtri martyris *Thomæ* vita, paſſione et miraculis dicta ſufficiant. Nec mihi ſuccenſeat lector bone tua benignitas quod cronici regulam pauliſper exceſſerim, vel quod multa de tanto viro dimiſerim. Dimiſſa ſunt enim plurima quoniam alibi uberius ſcripta ſunt,et ne forte legenti faſtidium generarent. Quamvis faſtidire non debeant quæcumque de tanto martyre veraciter poſſunt enarrari. Provocavit affectũ meum illius ſanctitas, et benignitas allexit; Michi namq; monachatum conceſſit eo anno quo ipſe fuit in archiepiſcopum ſacratus. Et ei profeſſionem feci,et ipſe me ad ſacros ordines promovit. Apparuit eciam cuidam fratri meo nominis ſui inter alia ſecreta dulcia hæc dicens ei. Tantum feci, tantum feci quod nomina monachorum meorum et clericorum qui eis ſunt alligati ſcripta ſunt in libro vitæ.Cumque clericus ille de ſe ſollicitus Sancto diceret,Domine quid erit de me? caput clerici manu ſua Sanctus blande ſubridens attrectavit & vertici ejus oſculum impreſſit. Compellit eciam me prologus meus, in quo ſpopondi me non omnia memorabilia ſed memoriæ digna relaturum. Quid autem memoria dignius eſt quam hominem ſimilem nobis paſſibilem,heri mundo odioſum, hodie mundo glorioſum referre; heri nobiſcum comedentem & bibentem, hodie miraculis coruſcantem; heri à viliſſimis quibuſdam contemptum, hodie à regibus & principibus precioſis muneribus honoratum, præſentialiter adoratum?

Nec te moveat lector bone tua prudentia,eo quod dixerim ſanctum *Thomam* martyrio eſſe coronatum anno gratiæ M. Clxx. cum invenias eum paſſum fuiſſe anno ab incarnatione Domini M. Clxxj. Lege precor prologum meum & jam ut æſtimo dubietatis ſcrupulum non habebis. Diverſis etenim terminis & rationibus anni Domini incipiuntur. Quidam enim incipiunt ipſos annos Domini ab annuntiatione, quidam à paſſione, quidam à circumciſione, id eſt ab initio anni ſolaris; Quamplures autem (quorum ego imitator ſum) annos gratiæ ſolent incipere à nativitate. Omnium enim hominum annos & ætates non à conceptione ſed à die nativitatis computare ſolemus. Anno igitur gratiæ M. Clxx. ſanctus *Thomas* in fine quidem anni martirio coronatus eſt. Dies enim natalis Domini erat in ſexta feria, ſancti *Stephani* in ſabbato, ſancti *Johannis* in die dominica, ſanctorum *Innocentium* feria ſecunda, feria vero tercia ſanctus *Thomas* paſſus eſt dum monachi veſperas cantarent in choro, quod in anno ſequenti videlicet M.Clxxj. eſſe non potuit. In craſtino vero in cripta ſepultus eſt. Non arguo ſententiam illorum qui annos incarnationis inchoant ab annunciatione, ſed magis illis conſentio quorum imitator exiſto, eorum ſcilicet qui annos & ætatem Domini computant à nativitate. Utrorumque ratio ſatis probabilis eſt, ſed iſtorum facilior ſimul & utilior eſſe dinoſcitur. Inter eos una & ſola eſt altercatio, ſub cujus videlicet anni continentia debeant annotari ea quæ contingunt inter nativitatem Domini & ejus annunciationem.

tionem. Qui aſſerit ſanctum *Thomam* martyrizatum anno M.Clxx. Annum incipit & terminat in Annunciatione: Qui autem dicit eum paſſum eſſe anno gratiæ M. Clxx. primo, annum præcidit alterius, & anticipat trium menſium ſpatio. Utriuſque tamen computatio unius anni ſolaris ſcilicet continentia eſt.

Sed quoniam unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, redeamus ad nos, & breviter referamus aliqua ex his quæ geſta ſunt poſt ſancti martyris paſſionem. Glorioſi igitur martyris paſſio miraculoſa circumquaque divulgata tandem ad regis *Angliæ* & *Alexandri* papæ notitiam pervenit. Unde ambo admodum confuſi & nimia cordis anguſtia conſternati ſunt, ſed diverſis ex cauſis. Dolebat enim rex de modo martyrii, & famæ ſuæ plurimum metuebat, ne proditoris elogio ubique terrarum notaretur. Utpote qui ſancto viro poſt tot adverſitatum vexationes illatas aſtantibus & videntibus populis & linguis firmam pacem & plenam dederat, eundem in *Angliam* præmiſiſſet ſubito perimendum. Dolebat & papa *Alexander* male ſibi conſcius de cauſa eccleſiæ pro qua ſanctus Dei *Thomas* jam per annos ſex labores plurimos ſuſtinuerat, quod eam ſcilicet male defendiſſet, & tandem ipſum eccleſiæ pugilem in manus perſequentium tradidiſſet. Uterque igitur, papa ſcilicet & rex, aſpectibus publicis ſe per dies aliquot præ pudore ſubtrahentes, in cameris ſuis interioribus jejuniis & orationibus intenderunt, adeo ut ad eos vix alicui pateret ingreſſus. Rex autem ſibi timens & ſuis præcavens ne anathematis vinculo nodaretur, remedium appellationis oppoſuit, miſitque nuncios ſpectabiles & admodum loquaces ad dominum papam qui eum de morte ſancti *Thomæ* martyris excuſarent. Qui cum *Romam* veniſſent & à Papa ſimul & quibuſdam Cardinalibus contumelioſe repellerentur, nec poſſent libere ſummi pontificis conſpectibus apparere, aliam viam ſupplicandi, more ſcilicet *Romano* ſunt aggreſſi. Vix tandem quingentis marcis interpoſitis admiſſi ſunt. Juraverunt autem ex decreto curiæ *Romanæ* in perſona regis, quod rex ſtaret judicio eccleſiæ de morte ſancti archiepiſcopi. Obtinuerunt igitur hoc ſacramento ne rex vel ejus regnum ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam ſuſciperent. Omnes autem interfectores ſancti viri & eorum adjutores & conſiliarii & qui eos foverent vel in terra ſua ſcienter ſuſciperent, anathematis gladio percuſſi ſunt. Decrevit & hoc *Romana* curia, ut duo legati ad cognoſcendam cauſam eccleſiæ mitterentur in *Normanniam*, & ad ultionem de morte ſancti *Thomæ* inferendam. Quod cum regi innotuiſſet citiſſime transfretavit in *Angliam*, præcipiens portuum præpoſitis ciſmarinis & tranſmarinis quatinus portus diligentiſſime cuſtodirent. Et ſi quis litteras de interdicto ſi forte daretur portare præſumeret, caperetur & in carcerem poneretur. Præcepit eciam ne quis clericus transfretaret niſi juraret quod nec regi nec regno dampnum quæreret vel malum. Adjecit & hoc, Ne quis litteratus ad eum venire præſumeret. Aplicuit autem apud **Porteſmuthe** iij. no. Auguſti & exercitu non modico congregato, expeditionem paravit in *Hiberniam* apud **Penbroc.** Legati igitur de quibus prædictum eſt venerunt in *Normanniam*, & rex cum exercitu ſuo navigavit in *Hiberniam.* Tribus autem ut fertur de cauſis *Hiberniam* adiit. Nam Comes *Ricardus* nepos *Hervei de Monte Mauricii* iram regis ante annos tres incurrerat, adeo ut neque per ſe neque per ſuffectas perſonas regem placare valeret, nec ea quæ ſui juris fuerant in pace poſſidere valeret. Unde prædictus Comes triſtis effectus licentiam abeundi petiit & obtinuit. Aſſumptis itaque ſecum paucis commilitonibus & armigeris, avunculum ſuum *Herveum* qui terram prius exploraverat in *Hiberniam* navigavit. Conſilio itaque dato & accepto conſiderantes terram ſpatioſam ſimul & ſpecioſam ſed cultore vacuam, cœperunt prædari, & homines ſimplices & ſeminudos depopulari. Sicque paulatim indies creſcens terram non modicam ſed incultam circa litus maris obtinuit. Tandem *Dubliniam* civitatem egregiam adeptus, *Hibernienſes* cœpit acrius infeſtare. Unde reges & incolæ terræ irritati, crebris inſultibus pro modulo ſuo eos propellere geſtierunt. Sed cum eis paucioribus quidem numero ſed prudentioribus conſilio ſeque fortioribus prævalere non poſſent, legatos miſerunt ad regem *Angliæ*, ut in *Hiberniam* veniret, eiſque contra importunitatem *Ricardi* Comitis ſuccurreret, ſibique dominium *Hiberniæ* aſſumeret. Comes autem *Ricardus* metuens ne ſibi rex quod adquiſierat ſubtraheret, miſſis nuntiis quod adquiſierat regi obtulit, ſic tamen ut illud de rege teneret. Hæ ſunt duæ cauſæ quare rex *Hiberniam* petiit, vocatio ſcilicet *Hibernienſium* ut contra *Ricardum* defenderentur, & vocatio *Ricardi* ne contra eum protegerentur. Tertia vero ſumma, ut æſtimo, erat et præcipua, videlicet ut ſententiam interdicti ſi forte daretur, facilius declinaret vel ocultius obſervaret. Quæcumque autem ſui adventus occaſio fuerit ipſe cum CCCC. ut fertur navibus in *Hibernia* circa feſtum *Calixti* papæ applicuit.

Cœlum non animū mutant qui trans mare currunt.

Summo igitur cum honore ab incolis terræ *Anglis* & aliis receptus, poſt tempus parvulum regum & principum terræ, archiepiſcoporum ſimul epiſcoporum ſuſcepit fidelitates. Hi autem ſunt qui *Henrico* regi *Angliæ* *Matildis* reginæ filio fidelitatem ſicut domino juraverunt. Rex *Corcenſis*. Rex *Limeric*. Rex de *Oſſeria*. Rex de *Mida*. Rex *Cognagtenſis*; hic Regi *Angliæ* nec occurrere nec fidelitatem præſtare dignatus eſt. Dicebat enim totam *Hiberniam* de jure ſuam eſſe, cæteroſque reges terræ illius ſuæ ditioni ſubjugari debere. Quo in ſuo jure juſte vel injuſte pertinaciter perſiſtente, cum regibus cæteris juraverunt § archiepiſcopus *Armachenſis* & *Hiberniæ* primas, et cum eo ſuffraganei ſui Epiſcopus *Lughbdunenſis*. Epiſcopus *Cenenenſis*. Epiſcopus *Tarenſis*. Epiſcopus *Ardahactenſis*. Epiſcopus *Thuenenſis*. Epiſcopus *Condetenſis*. Epiſcopus *Radenſis*. Epiſcopus *Duenenſis*. Epiſcopus *Rathponenſis*. § Archiepiſcopus *Caſſelenſis*, et hi ſuffraganei ejus. Epiſcopus *Liſmorenſis*. Epiſcopus *Corcenſis*. Epiſcopus *Kildabwenſis*. Epiſcopus *Immeletenſis*. Epiſcopus *Waterfordenſis*. Epiſcopus *Cluanuimenſis*. Epiſcopus *Arthfertenſis*. Epiſcopus *Artmorenſis*. Epiſcopus *Roſenſis*. Epiſcopus *Lunmacenſis*. Epiſcopus *Finnabrenſis*. § Archiepiſcopus *Duvelinenſis*, et hi ſuffraganei ejus. Epiſcopus *Biſtaghnenſis*. Epiſcopus *Fernenſis*. Epiſcopus *Lethglenſis*. Epiſcopus *Kildarenſis*. Epiſcopus *Earipolenſis*. § Archiepiſcopus *Guaimenſis*, et hi ſuffraganei ejus. Epiſcopus *Chienfernenſis*. Epiſcopus *Killatenſis*. Epiſcopus *Maigonenſis*. Epiſcopus *Aelfinenſis*. Epiſcopus *Achabteonrenſis*. Hi omnes juraverunt fidelitatem regi *Henrico* cum primo fuit in *Hibernia* poſt martyrium ſancti martyris *Thomæ*. Conſtruxerunt autem regi virgeum apud *Duvelinam* palatium magnum, in quo rex feſtivitatem natalis Domini more regio celebraret. Dum hæc igitur et his ſimilia agerentur in *Hibernia*, et prædicti Legati *Theodinus* ſcilicet et *Albertus* regis adventum in *Normannia* expectarent, *Odo* Prior & Conventus eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* dolentes admodum, quod eccleſia Chriſti tam diu à divinis ceſſaret, et quaſi ovili ſimilis haberetur, nuntium et litteras miſerunt ad Legatos, petentes ut auctoritate ſua et licentia per epiſcopos *Angliæ* valeret eccleſia Chriſti reconciliari. Audientes autem legati et videntes petitionem Conventus eſſe rationabilem, datis litteris ſuum præbuerunt aſſenſum. Convocatis itaque duobus epiſcopis *Exonienſi* et *Ceſtrenſi* reconciliata eſt eccleſia Chriſti *Cantuariæ* xij. kal. Jan. Toto illo anno à die ſcilicet paſſionis ſancti *Thomæ* Martyris uſque in diem ſancti *Thomæ* Apoſtoli, à ſacris Miſſarum ſolenniis ſuſpenſa ſed miraculorum numeroſitate populorumque frequentia cotidie magnifice glorificata eſt. Hoc anno eccleſia *Norwicenſis* cum officinis ſuis miſero conflagravit incendio, et monachi diſperſi ſunt. XIV.

An. Gr̄æ 1172.

M. Clxxij. Gratiæ anno propoſuerunt legati *Theodinus* et *Albertus* ſeverius in regem agere. Miſerant enim ad eum commonitorias epiſtolas & comminatorias, aſpera ſimul & levia eidem per internuntios proponentes. Ipſe vero, ut longe ante prædictum eſt, ſtrictius inhibuerat, ne quis ad eum accederet litteratus. Rediens autem tandem ad cor, feria ſecunda paſchæ in *Angliam* reverſus eſt, & diſpoſitis utcumque regni negotiis circa Domini aſcenſionem in *Normanniam* transfretavit, & cum legatis publice & privatim locutus eſt.

Rex autem *Franciæ Lodovicus* non modice indignatus eſt, eo quod *Margareta* filia ſua cum viro ſuo *Henrico* rege juniore non fuit coronata. Rex igitur *Angliæ Henricus* inſtinctu legatorum miſit in *Angliam* ſimul cum filia regis *Franciæ* prædictum filium ſuum jam coronatum, ut ambobus in *Anglia* corona regni imponeretur. Miſit eciam cum eis *Rotrodum Rotomagenſem* archiepiſcopum & *Ægidium Ebroicenſem* epiſcopum. Coronati ſunt itaque in civitate *Wintonia* manu *R. Rotomagenſis* archiepiſcopi vj. kal. Sept. Hoc jam ſecundo coronatus eſt junior *Henricus* in præjudicium & contumeliam *Cantuarienſis* eccleſiæ; Nam primo conſecravit et coronavit eum *R. Eboracenſis* archiepiſcopus apud *Londoniam*, qui proprius & fere unicus extitit æmulus *Cantuarienſis* eccleſiæ & inimicus. Nunc autem denuo coronam ei & ſuæ reginæ impoſuit alterius regni epiſcopus apud *Wintoniam* in dioceſi ſcilicet *Cantuarienſis* eccleſiæ. Scimus autem & in eccleſiaſticis legimus regulis, quod non debeat epiſcopus vel quiſlibet presbiter alterius jura invadere, vel in parochia ejus abſque licentia ipſius quicquam ſacerdotalis officii miniſtrare. Et non qualibet dignitate ſua *Cantuarienſi* eccleſiæ hæc eſt illata violentia, ſed in ea qua nichil dignius vel ſpecialius habere dignoſcitur & à diuturnioribus temporibus optinere. Nec hanc ſuam prærogativam ab heſterno ſed ab antiquitatum vetuſtate ſemper inconcuſſe conſuevit poſſidere. Coronatione igitur expleta redierunt epiſcopi in *Normanniam* rege juniore cum ſua regina in *Anglia* dimiſſo. Convenientes autem regem ſeniorem prædicti legati de morte *Cantuarienſis* archiepiſcopi, cum ad ſatisfaciendum ſatis humilem repererunt. Decreverunt igitur legati, ut in facie eccleſiæ ad purgandam innocentiam ſuam tam de ſancti archiepiſcopi morte quam de aliis ſubſcriptis capitulis ſacramentum præſtaret juramenti. Annuit rex & tactis ſacroſanctis apud *Abrincas* v. kal. Oct. juravit.

I. Quod nec præcepit nec voluit ut *Cantuarienſis* archiepiſcopus occideretur, & quando audivit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos qui præfatum archiepiſcopum occiderunt habere non poterat, (qui tamen in deliciis venationum aliquamdiu poſtea fuerant cum ipſo commorati) & quia timebat ipſos illud prophanum opus cauſa motus animi quem in eo viderant perpetraſſe, de ſatiſfactione tale præſtitit ſacramentum.

II. Juravit eciam quod ab *Alexandro* ſummo pontifice & ab catholicis ejus ſucceſſoribus non recederet quam diu ipſum ſicut regem catholicum habuerint.

III. Juravit eciam quod neque appellationes impediret neque impediri permitteret quin libere fierent in regno ſuo ad *Romanum* pontificem in eccleſiaſticis cauſis. Sic tamen ut ſi ei ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant quod malum ſuum vel regni non quærerent.

IV. Juravit eciam quod ab inſtante nativitate Domini uſque in triennium crucem acciperet in proxima ſequenti æſtate in propria perſona *Jeroſolymam* iturus, niſi remanſerit per *Alexandrum* ſummum pontificem vel per catholicos ſucceſſores ejus. Sed ſi interim perurgente neceſſitate in *Hiſpaniam* ſuper *Saracenos* profectus fuiſſet, quantum in illo itinere conſummaret tantumdem *Jeroſolymitanæ* profectionis ſpacium poſſet prolongare.

V. Juravit eciam quod interim tantum pecuniæ daret Templariis quantum ad arbitrium fratrum templi ſufficere poſſet ad retinendum CC. milites ad defenſionem *Jeroſolimitanæ* terræ per ſpatium unius anni. Præterea pardonavit iram & malivolentiam ſuam omnibus tam clericis quam laicis qui pro beato *Thoma* archiepiſcopo *Cantuarienſi* erant in exilio, & conceſſit eis libere & in pace ad propria remeare.

VI. Juravit eciam quod poſſeſſiones *Cantuarienſis* eccleſiæ ſi quæ ablatæ erant in integrum reſtitueret ſicut habuit uno anno antequam beatus *Thomas* ab *Anglia* egrederetur.

VII. Juravit eciam quod conſuetudines quæ inductæ ſunt contra eccleſias terræ ſuæ in tempore ſuo penitus dimitteret.

Hæc omnia juravit ſe fore obſervaturum bona fide & abſque malo ingenio. Et ut hæc in memoria *Romanæ* eccleſiæ haberentur, præcepit rex ſigillum ſuum cum ſigillis Cardinalium ſcripto illi apponi in quo prædicta capitula continebantur.

Dum hæc itaque agerentur in *Normannia*, juvenis rex ex conſilio tutorum ſuorum mandavit *Odonem* Priorem & monachos eccleſiæ *Cantuarienſis*, ut ad eum quamtocius venirent, & archiepiſcopum ſibi & ſuæ eccleſiæ eligerent. Acceſſit itaque Prior *Odo* cum monachis ſuis ad curiam, & conſerto ſermone de pontifice eligendo, Prior liberam de more eccleſiæ petivit electionem. Quæ cum ab aulicis Priori penitus denegata, vel, ut mitius dicam, dilata fuiſſet, quaſi ſub ſpecie pietatis monuerunt, ut *Cantua-*

riam rediret, & poſt tres ebdomadas conſiliis & orationibus inſtructior atque paratior ad regis præſentiam denuo veniret. Prior igitur *Cantuariam* rediit, & confratrum ſuorum fultus orationibus, circa feſtum ſancti *Michaelis* regem & regios magiſtros magis quam miniſtros adiit, & in petitione liberæ electionis conſtanter perſeveravit. Abnegant aulici denuo quod petitum eſt, præcipientes ſeverius, ut regem patrem in partibus tranſmarinis degentem adiret, ipſius auditurus voluntatem. Prior igitur *Odo Cantuariam* rediens in proximo tranſfretavit, regem in *Normannia* degentem adiit, eumque magis ſupplicantem quam imperantem repperit. Veritus eſt enim *Odonis* conſtantiam, ne ſeverum quempiam hominem in archiepiſcopum eligeret, qui beati *Thomæ* Martyris in negotiis eccleſiaſticis exiſteret imitator. Hac de cauſa Rex *Odoni* Priori plurimum ſuplicans, manibus protenſis & ſemiflexis genibus rogabat, ut ſui miſereretur, ne malefactis ſuis aliquid deterius ſuperaddere cogeretur. Volebat enim rex & Priorem exorabat, ut epiſcopus *Baiocenſis* eligeretur. Erat enim vir ille nimiæ ſimplicitatis, qui de facili ab intentione ſua alias quolibet valeret avelli. Sed Prior *Odo* regiæ petitioni reſpondit, ſe ſcilicet prædictum epiſcopum nec alium quemlibet ſine conventus conſenſu poſſe ſuſcipere, nec ſe propterea tranſfretaſſe. Rex igitur *Odonem* cum litteris ſuis remiſit in *Angliã*, rogans attentius quatinus conventum eccleſiæ Chriſti ad conſentiendum induceret. Priore itaque *Cantuariam* reverſo, convocati ſunt epiſcopi & clerus *Angliæ* apud *Londoniam*, ibidemque cum cæteris adfuit *Odo* Prior. Multis autem de electione facienda hinc inde conſertis ſermonibus, nullaque electionis libertate tradita, ſpe fraudati quique redierunt ad propria, & Prior *Cantuariam* reverſus eſt. XV.

An. Gŕæ 1173. M. Clxxiij. Idus Februarii apparuit in cœlo ſignum mirabile nocte pluſquam media. Nam rubor quidam videbatur in aere inter orientem & occidentem in parte aquilonali. Radii autem albi per tranſverſum ruboris illius erant, qui nunc graciles in modum lancearum, nunc vero lati in modum tabularum, & nunc hic nunc ibi quaſi à terra ſurſum in cœlum erecti. Erant prædicti radii candidi ut radii ſolis cum denſiſſimam penetrant nubem. Subſecutus eſt ſplendor lucidus auroræ ſimilis æſtivæ cum in diem clare luceſcit; poſtremo denſiſſima nubes ſubnigra in eodem climate quaſi à terra elevata eſt, quæ diem illum paulatim ſuccreſcens obumbravit.

Prior autem & Conventus præcaventes ſibi ne in aliquo pertinaciæ notarentur, malitiam temporis metuentes, in capitulo ſuo arbitratu proprio tres viros commendabiles nominaverunt, mandantes & rogantes *Ricardum* de *Luci* ut uni ex ipſis tribus regium præberet aſſenſum. Erat enim prædictus *R.* in regno potentiſſimus utpote præfectus *Angliæ*, qui ſub rege regni negotia diſponebat. Hic cum Prioris & Conventus petitionem audiſſet, lætus et libens annuit, & apud *Londoviam* epiſcopos *Angliæ* menſe Februario congregavit. Prior itaque cum quibuſdam monachis affuit, & tandem *Rogerium* abbatem *Beccenſem* ſolenniter elegit. Conſentientibus utcumque epiſcopis & aſſenſu regio electione confirmata ſinguli ad ſua receſſerunt, & Prior *Cantuariam* rediens ut ſuum electum adduceret in proximo tranſfretavit. Sed ſpe ſua fraudatus eſt, quia prædictus electus nullius inſtantia induci potuit ad conſentiendum. Inſtitit autem Prior acrius per regem & legatos qui adhuc erant cum rege in *Normannia*, vim electo inferre geſtiens ut conſentiret. Sed fruſtra. Nam cum inſtarent rex & legati ſimul cum Priore nec prævalerent, apud ſanctam *Barbaram* in cœna Domini ab electione eſt abſolutus. Rex itaque Priorem *Odonem* blande conſolans, *Cantuarienſi* eccleſiæ multa promiſit, villam x. librarum quam antea ſubtraxerat eccleſiæ reſtituit, præter hanc, redditum xxx. librarum in *Scapaia* dedit, liberam electionem *Anglicanis* conceſſit eccleſiis, et inſtinctu *Odonis* Prioris dedit abbatiam *Berkingenſem Mariæ* ſorori ſancti *Thomæ Cantuarienſis* martyris. Prior igitur renovatus ad certamen, in octavis paſchæ *Cantuariam* rediit. Ante mediam vero quadrageſimam orta eſt diſcordia non modica inter regem *Angliæ* ſeniorem et filios ejus. Nam rex junior cum circa feſtivitatem omnium Sanctorum fuiſſet in *Anglia*, vocatus à patre invitus venit in *Normanniam*, et ex præcepto patris cum regina ſua regem adiit *Franciæ* ut cum eo loqueretur. Rex enim deſideravit eum & filiam ſuam jam reginam *Angliæ* videre; Inde ad patrem ſuum rex junior rediens, inſtinctu regis *Franciæ* petivit à patre, ut *Angliam* vel *Normanniam* ei aſſignaret. Sed abnegata petitione ſiluit indignans. Accidit præterea, ut rex proponeret dare *Johanni* filio ſuo juniori tria caſtella in *Normannia*, danda ſcilicet in dotem filiæ comitis *Huberti de Mauritania* quam deſponſare debebat. Sed juvenis rex non ſolum contradixit, ſed eciam à patre non petita licentia noctu receſſit; Fratres eciam ipſius *Ricardus* & *Gaufridus* aufugerunt. Regina vero *Alienor* cum mutata veſte muliebri receſſiſſet apprehenſa eſt, & ſub arta cuſtodia reſervata. Dicebatur enim quod ex machinatione ejus & conſilio omnia hæc parabantur. Erat enim prudens femina valde, nobilibus orta natalibus, ſed inſtabilis. Recedentibus itaque omnibus regis filiis, ſolus *Johannes* qui puer parvulus erat cum patre remanſit. Rex autem *Franciæ* juvenem regem *Angliæ* gratioſe ſuſcipiens, in audientia procerum *Galliæ* juravit, quod ei et fratribus ſuis contra patrem ſuum indeficiens præbere vellet auxilium. Comes eciam *Flandriæ Philippus* ſuũ pro poſſe ſpopondit auxilium juveni regi, faciens homagium cum juramento. Cui pro ſervitio ſuo promiſit rex cum tota *Cantia* M. librarum redditum, caſtellum quoq; de *Roſa* cum caſtello de *Doveria*. *Matthæus* Comes *Boloniæ* frater Comitis *Flandriæ* ſuſcepit in promiſſis pro homagio & ſervitio ſuo totam ſocam de *Kirketonia* in *Lindiſia*, cum comitatu de *Moretonia*. Comiti *Theodbaldo* promiſit rex caſtellum de *Ambatio* et quingentas libras *Andegavenſium*. In hunc modum cæteris fautoribus ſuis ſolis promiſſionibus ſatisfaciens, quamplures tam *Angliæ* quam *Franciæ* principes in patris odium et regni *Angliæ* excidium incitavit. Dum hanc itaq; diebus ſacris paſchalibus molirentur explere maliciam convocati ſunt epiſcopi et clerus *Angliæ* ad *Londoniã* circa finem menſis Aprilis. Omiſſa igitur electione paſtoris *Cantuarienſis* eccleſiæ, electi ſunt ad libitũ regis et curialium epiſcopi vj. videlicet *Ricardus Wintonienſis*, *Gaufrid. Helienſis*, *Ric. Herefordenſis*, *R. Bathonienſis*, *Lincolnienſis*, *Ciceſtrenſis*. Noviſſime de electione *Cantuarienſis* eccleſiæ conſeritur ſermo. Sic erunt noviſſimi primi, et primi noviſſimi &c. Prior igitur *Odo* in medium vocatus à prima petitione liberæ electionis non avellitur, ſed obſecrat ut *Cantuarienſis* electus de ſua, id eſt de *Cantuariæ* eccleſia, ſumatur. Conſenſerunt utcumq; epiſcopi, ſed quia de regis beneplacito dubitabant, decreverunt ſcriptis ſuis cum Prioris nuntiis regium animum prætemptare. Prior his libens annuit, ſed ſubito epiſcopi legationem hanc ſuſpectam habentes, quod prius petierant, refutare cœperunt. Prior autem epiſcoporum mentes ad plenum noſſe deſiderans, dixit abbatem de *Geraſis* virum eſſe commendabilem, & regis non modica gratia pollere. Audientes epiſcopi, prædictum abbatem utpote ignotum & alterius regni perſonam refutaverunt, ſed ſubito redeuntes ad cor, conſenſerunt, conditionem hanc interponentes, ut ſcilicet eorum eſſet electio, & epiſcopi *Londonienſis* vox prima. Contradicente Priore, inſtiterunt ut electio in ſcedula ſcriberetur, & ſic ab utroque Priore ſcilicet & epiſcopo *Londonienſi* in audientia legeretur; ſed & hoc Prior ut frivolum refutavit. Petierunt igitur ut Prior privatim inter eos electionem faceret, & epiſcopus *Londonienſis* in audientia omnium eandem referret. Non conſentiente Priore, primum reſumpſerunt conſilium, ſcilicet ut regis aſſertio ſuper electione facienda per fideles nuntios inquireretur. Miſſi ſunt itaque ad regem in *Normannia* monachi duo, *Ricardus* Prior *Doveriæ* & alius; Qui regem ſatis gratioſum repperientes, ſed nullam ſuæ voluntatis certitudinem reportantes, ex præcepto regis citiſſime in *Angliam* reverſi ſunt. Rex vero per privatos nuntios *Ricardo de Luci* & avunculo ſuo Comiti *Cornubiæ* ſuæ voluntatis revelavit archanum. Coacto igitur concilio apud *Londoniam* in initio menſis Junii, cum Prior *Odo* à petitione liberæ electionis minis vel blandiciis non valeret avelli, etſi tarde tamen obtinuit quod petivit. Multis itaque hinc inde ſermonibus prolatis, tandem *Ricardus* Prior *Doveriæ* Dominica octavarum Pentecoſtes iij. non. Junii apud *Weſtmonaſterium* electus eſt. Sequenti die Sabbati ab epiſcopis & electis *Angliæ*, clero & populo *Cantuarienſis* eccleſiæ honorifice ſuſceptus eſt, in craſtino ſicut dicebatur conſecrandus. Sed cum omnia tantæ conſecrationi neceſſaria præparata fuiſſent, ecce litteræ novi regis *Henrici* ex adverſa parte in medium allatæ ſunt; quarum iſte eſt textus.

HEnricus *Dei gratia Rex* Angliæ *& Dux* Normanniæ, *& Comes* Andegaviæ, *Regis* Henrici *filius, charo & fideli ſuo* O. *Priori* Cantuarienſis *eccleſiæ & univerſo Conventui ſalutem & dilectionem. Ex certa quorumdam relatione recepimus, quod in eccleſia veſtra & eciam in provincialibus eccleſiis perſonas quaſdam minus congruas pater meus inſtituere attemptet. Et quoniam abſq; aſſenſu noſtro id nequaquam fieri debet qui ratione regiæ unctionis regnum & totius regni curam ſuſcepimus, ſuper hoc* Romanam *ſedem in multorum præſentia appellavimus, & appellationem factam venerabilibus patribus noſtris & amicis* Alberto *&* Theodino *Cardinalibus apoſtolicæ ſedis legatis ſcripto & nuntio noſtro denuntiavimus; Qui ſicut viri prudentes appellationi detulerunt. Hanc eciam ipſam appellationem fidelibus noſtris* Londonienſi, Exonienſi, *&* Wigornienſi *epiſcopis ſcripto noſtro denuntiavimus. Et quemadmodum appellavimus, iterato ſub teſtimonio veſtro appellamus.*

Dubitantibus igitur epiſcopis & conferentibus quid factꝰ opus eſſet, cum quidam conſecrationi conſentirent, quidam appellationi deferrent, tandem aſſenſu omnium conſecratio illa dilata eſt. Miſit igitur *Cantuarienſis* electus nuntios & litteras tam ſuas quam omnium epiſcoporum & electorum *Angliæ* & Conventus eccleſiæ *Chriſti* ad dominum Papam, & ipſe poſt modicum in propria perſona ſubſecutus eſt.

Dum hæc itaque in *Cantuarienſem* electum perfidorum machinaretur invidia, regem eciam *Angliæ Henricum* maligna conſpiratio non reliquit immunem. Nam conjurati illi cum milibus ſuis intraverunt in *Normanniam*, vaſtantes & prædantes, & omnia peſſumdare geſtientes. Sed cum quidam eventus proſperi veſaniam illorum ad majora facinora perpetranda ſtimularent, glorioſus ille Comes *Flandriæ* quodammodo ſubnervatus eſt. Nam frater ejus *Mathæus* Comes *Boloniæ* dum in regis odium caſtellum de *Driencurt* obſideret, à quodam arcubaliſta letaliter confoſſus, poſt modicum obiit, & ſepultus eſt. Verum ne *Anglia* propria quiete gauderet vel alienis inſultaret ærumpnis, circa feſtum ſancti *Lucæ* miſſus eſt in *Angliam* junior *Rodbertus* Comes *Leiceſtriæ* & cum eo nonnulla *Flandrenſium* milia, & à Comite *Hugone Bigot* ſunt recepti. Capto autem de facili caſtello de Hageneth, cum *Leiceſtriam* tenderent, in territorio S. *Edmundi* menſe Octobri occurrerunt eis milites regni, *Reginaldum Cornubiæ* Comitem & Comitem de *Arundello* ſequentes; A quibus perterritus cum *Flandrenſibus* ſuis Comes *Rodbertus* fugam iniit. Sed captus eſt ipſe & uxor ſua, & *Flandrenſium* tria milia vel eo amplius trucidati perierunt. Et digne: Nam *Flandrenſes* lupi *Anglicanæ* copiæ ab olim invidentes, naturali negotio textoria ſcilicet arte dimiſſa, *Angliam* ſe jam cepiſſe jactitabant. Sed ante conflictus aliquos trucidati, in ea quam vorare cogitaverant terra putruerunt. Cæteri vero quos Comes *Hugo Bigot* in caſtellis ſuis receperat abire permiſſi, ſolam vitam utcunque reportantes, in *Flandriam* reverſi ſunt.

REx *Angliæ Henricus* ſolennitate natalis Domini apud *Cadomum* celebrata, cepit inducias à rege *Franciæ Lodovico*, à feſto ſancti *Hylarii* uſque ad clauſum Paſcha, quia ad ipſius nutum cæteri complices movebantur. Medio tempore, ſcilicet die ſanctorum *Fabiani & Sebaſtiani*, obiit piæ memoriæ *Willielmus Turbo* epiſcopus *Norwicenſis*. Interea *Ricardus Cantuarienſis* electus nonnullis laboribus & expenſis fatigatus, *Romam* pervenit, ibidemque tam electionis quam conſecrationis ſuæ fortes repperit adverſarios. Quidam enim pro rege ſeniore cum electo ſtabant, quidam vero pro rege juniore in contrarium nitebantur. Sed diſperſo rumore ſimulato de concordia regum, cum electus jam quaſi deſperatus regredi ſimularet, à domino papa *Alexandro* revocatus eſt, & electione confirmata conſecratus eſt ab ipſo papa Dominica poſt Paſcha qua canitur ad introitum *Miſericordias Domini*. Deinde more anteceſſorum ſuorum primatu *Angliæ*, legatione, privilegiiſque vallatus verſus *Angliam* iter reflexit. Coactus eſt his diebus peregrinationis ſuæ quos nunquam habuerat theſauros effundere, ut vel ſic malignantium inſidias evitaret. Præcluſerat enim Cancellarius Imperatoris in odium Papæ *Alexandri* omnium ciſalpinorum ſemitas, adeo ut vix per mare ad eum quiſquam ex noſtris valeret accedere. Dum itaque *Cantuarienſis* archiepiſcopus repedaret, & inter reges & principes noſtros omnis ſpes pacis deperiſſet, perfidorum invaluit rabies, & in omnibus terris regis *Angliæ* proditorum furor incanduit. Nam rex *Franciæ* & comes *Flandriæ* milites electos miſerunt in *Angliam*, quos ex mandato regis junioris comes *Hugo* in ſuis recepit caſtellis. *Willielmus* eciam rex *Scotiæ* parti favens regis junioris, cum multo exercitu *Walenſium* & *Scottorum Northimbriam* vaſtavit. Nulli ætati, ſexui, vel ordini, gladius ipſius pepercit. Nam *Scotti* & *Walenſes* mulieres prægnantes findebant, & infantes lancearum cuſpidibus ſuſcipiebant, clericos & ſacerdotes in ipſis eccleſiis trucidabant, & alia in hunc modum enormia ſicut rumor erat faciebant. Ipſe tandem rex caſtellum de **Alnewic** obſedit. Comes vero *Hugo Bigod* civitatem *Norwicenſem* cum prædicta militia ſibi deſtinata effregit, viros in ea & mulieres interfecit, & cum præda multa nimis receſſit. Rex eciam junior & Comes *Flandriæ* conjurati quod in *Angliam* venirent, naves multas & exercitum copioſum ad mare convenire fecerunt. Rex *Franciæ Normannos* infeſtare, vel ſi quid temptarent, compeſcere decrevit. Rex *Angliæ* ab omnibus fere Comitibus, fidelibus & infidelibus ſuis ſolus relictus eſt, adeo ut vix aliquem haberet ex omnibus caris ſuis cui ſe committeret vel ſuæ mentis archana fidenter revelaret; Extranei & non ſui ſequebantur eum, non ob perſonæ ipſius dilectionem, ſed ob pecuniæ multæ quam effundere cogebatur inſatiabilem cupiditatem. Undique igitur coartatus, & de tranſmarinis terris ſuis quaſi in deſperationem ductus, in *Angliam* celeriter navigavit, ut eam ſaltem ſolam ſibi reſervaret. Rex itaque in *Angliam* veniens in initio menſis Julii, & felici ſibi ductus conſilio omnia regni negotia quaſi poſtpoſuit, & corde pœnitenti *Cantuariam* ad ſanctum *Thomam* peregre profectus eſt. Feria igitur ſexta ſexto idus Julii in veſte lanea, nudis pedibus ab eccleſia S. *Dunſtani* quæ longe extra urbem poſita eſt uſque ad tumbam ſancti *Thomæ* martyris perveniens, ibidemque diutius & devote procumbens, ab omnibus qui aſtabant epiſcopis, abbatibus, & monachis ſingulis eccleſiæ *Chriſti* voluntate ſpontanea verberatus eſt. Perſeveravit in orationibus ibidem juxta ſanctum martyrem tota die illa & nocte, cibum non ſumpſit, nec ad requiſita naturæ egreſſus eſt ſed ut venit ita permanſit, non tapetum, non aliquid hujuſmodi ſibi ſupponi permiſit. Poſt matutinas laudes circuivit altaria ſuperioris eccleſiæ & corpora Sanctorum inibi jacentium, & denuo ad tumbam ſancti *Thomæ* in criptam reverſus eſt. Luceſcente autem die Sabbati, miſſam petiit & audivit. Sancta denique martyris aqua potatus & ampulla inſignitus, lætabundus à *Cantuaria* receſſit, & Dominica ſequenti *Londoniam* pervenit. Ipſo autem die Sabbati quo rex à *Cantuaria* receſſit, *Willielmus* rex *Scotiæ* miſerat commilitones ſuos ad prædandum, paucis ſecum in obſidione caſtelli de **Alnewic** ſodalibus retentis. Cui cum ex inproviſo ſuperveniret exercitus *Eboracenſis*, & ipſe putaret ſocios cum præda reverſos quos habuit adverſarios, ſubito circumſeptus ab eis & captus eſt. Reliqui de ſuis qui aderant trucidati ſunt vel fuga collapſi. Rex vero junior & Comes *Flandriæ* cæterique conjurati audientes, quod Rex *Henricus* in *Angliam* abiſſet, mutato conſilio relictis navibus redierunt, & *Rothomagum* una cum rege *Franciæ* obſederunt. Qui dum exterius ferociter oppugnarent & cives interius viriliter reſiſterent, *Hugo Bigod* cæterique adverſarii humiliter ſe regi *Henrico* ſubdiderunt. Rex autem milites illos electos & nobiles quos juvenis rex in *Angliam* præmiſerat, pacifice permiſit repatriare. In tribus itaque ſeptimanis poſt peregrinationem regis bellorum ſtrepitus in *Anglia* ſedati ſunt. Rex igitur ſui non immemor corde & ore Deum & ſanctum *Thomam* laudans & benedicens, circa feſtum ſancti *Laurentii* transfretavit, ut *Rothomagenſibus* obſeſſis ſubveniret. Duxit autem ſecum trans mare captivos ſuos, Regem ſcilicet *Scotiæ*, Comitem *Leiceſtriæ*, Comitem *Ceſtriæ*, Comitem de *Ferrers*. Advenerat jam de *Roma* vix tandem *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & regiæ claſſi in ipſo litore juxta *Cadomum* jocundus occurrit, eademque die regem ſecum prandere coegit. Interea Rex *Franciæ*, juvenis Rex, & Comes *Flandriæ* cum innumeræ multitudinis exercitu *Rothomagum* obpugnabant, & toto conatu & diverſis machinis civitatis muros effringere vel penitus ſubvertere nitebantur. Sperabant enim ante regis adventum civitatem egregiam expugnare, ut per eam regem à *Normannia* valerent excludere. Sed homo proponit & Deus diſpoſuit. Nam cives interius viriliter reſiſtentes, extra poſitos principes contumeliis, reliquum vero vulgus machinis & armis laceſſere non ceſſabant. Rex autem *Henricus* archiepiſcopo *Cantuarienſi* gratioſe dimiſſo, feſtinavit *Rothomagum*, & archiepiſcopus in *Angliam* navigavit. Sed cum principes oppugnantium civitatem regis *Henrici* proſperum noviſſent adventum, ab impugnatione civitatis paulatim ceſſare cœperunt. Tandem depoſita ferocitate propoſita, miſſis ad regem *Angliæ* ſpectabilibus legatis recedendi licentiam impetraverunt, conſtituto tamen loco & tempore colloquii de pace facienda inter regem & filios ſuos. Receſſit igitur rex *Franciæ Lodovicus* cum exercitu ſuo, Comite *Flandriæ* cum milibus ſuis ne forte cives irrumperent poſt terga dimiſſo. Acta ſunt hæc mediante jam menſe Auguſto circa Aſſumptionem ſanctæ *Mariæ*. *Ricardus* vero archiepiſcopus perendinavit apud *Londoniam* per quinque ſeptimanas, apoſtolico detentus mandato; quod ſibi per litteras clauſas uſque dum perveniret *Londoniam* celatum eſt. Dum itaque ibi moraretur invitus, & rex *Angliæ Henricus* ad debellandum *Ricardum* filium ſuum exercitum præpararet in *Pictaviam* dirigendum, eccleſia *Chriſti Cantuariæ* tam mirabili quam miſerabili incendio ſui parte potiori cum quibuſdam officinis curiæ non. Septembris combuſta eſt. *Ricardus* autem *Pictaviæ* Comes impetum patris ſui ferre non valens, lacrimabiliter manus dedit. Quo facto, rex *Henricus* ad colloquium conſtitutum properavit, & in craſtino poſt feſtum ſancti *Michaelis* filios ſuos in gratiam recepit. Sicque pace regis undique firmata Deus in martyre ſuo *Thoma* glorificatus eſt. Archiepiſcopus vero *Cantuarienſis* tandem tercio non. Octobris *Cantuariam* venit, & cum magno cleri & populi tripudio ſuſceptus eſt. In craſtino ſacravit in eccleſia Chriſti epiſcopos quatuor, omnes examinans & à ſingulis profeſſionem accipiens, *Ricardum* Wintonienſem, *Gaufridum* Elienſem, *Robertum* Herefordenſem, *Johannem* Ciceſtrenſem. *Reginaldus* epiſcopus *Bathonienſis* qui apud ſanctum *Johannem de valle Moriana* ab archiepiſcopo *R.* conſecratus eſt, in audientia omnium ſe archiepiſcopo *Ricardo* confeſſus eſt feciſſe profeſſionem. Hoc anno *Warinus* celerarius eccleſiæ Chriſti Prior *Dovoriæ* factus eſt. XVII.

An. Gr̄æ 1175. M. C. lxxv. Rex *Angliæ Henricus* undique pace potitus una cum filio ſuo *Henrico* in *Angliam* reverſus eſt menſe Maio. *Ricardus* vero *Cantuarienſis* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus convocato clero *Angliæ* celebravit Concilium in eccleſia beati *Petri* ad *Weſtmonaſterium* xv. kal. Junii Dominica ante Aſcenſionem Domini. Affuerunt in hoc concilio omnes ſuffraganei *Cantuarienſis* eccleſiæ præter *Wigornienſem* quem ſua infirmitas excuſavit, & *Norwicenſem* qui diem clauſerat extremum. In hoc concilio ad emendationem *Anglicanæ* eccleſiæ aſſenſu domini regis & primorum omnium regni, hæc ſubſcripta promulgata ſunt capitula. Ad dextram primatis ſedit epiſcopus *Londonienſis*, quia inter epiſcopos *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeos decanatus præminet dignitate. Ad ſiniſtram ſedit epiſcopus *Wintonienſis*, quia cantoris officio præcellit. Cæteri tam epiſcopi quam abbates ſecundum primogenita conſecrationis ſuæ conſederunt. Ipſe vero archiepiſcopus primas & legatus reſidens in ſublimi, poſt ſermonem quem tam facunde quam diſerte fecit, in communi de ſcripto legi fecit ſtatuta concilii ſui ſub hac forma.

Ideo in eccleſia Dei ſecundum antiquam conſuetudinem patrum Concilia congregantur, ut hi qui conſtituti ſunt in eminentiori cura paſtorali vitam ſubditorum de communi conſilio regularibus inſtitutis informent, & enormitates quæ pullulant inceſſanter conſultiore cenſura compeſcant. Nos itaque potius inhærentes orthodoxorum patrum regulis quam aliquid de novo ſtatuentes, quædam certa capitula duximus in medium promulganda, quæ univerſis provincialibus noſtris firmiter & inviolabiliter obſervanda injungimus. Omnes enim ſacrorum cenſemus canonum tranſgreſſores qui ſtatutis hujus ſacroſanctæ ſinodi præſumpſerint contraire.

I. *Si quis ſacerdos vel clericus in ſacris ordinibus conſtitutus eccleſiam vel eccleſiaſticum beneficium habens publice fornicariam habeat, & ſemel ſecundo & tercio commonitus fornicariam ſuam non dimiſerit, & à ſe prorſus non expulerit ſed potius in inmunditia ſua duxerit perſiſtendum, omni officio & beneficio eccleſiaſtico ſpolietur. Si qui vero infra ſubdiaconatum conſtituti matrimonia contraxerint, ab uxoribus ſuis niſi de communi conſenſu ad religionem tranſire voluerint, & ibi in Dei ſervitio vigilanter permanere, nullatenus ſeparentur: Sed cum uxoribus viventes, eccleſiaſtica beneficia nullo modo percipiant. Qui autem in ſubdiaconatu vel ſupra ad matrimonia convolaverint, mulieres eciam invitas & renitentes relinquant. Decrevimus eciam ejuſdem epiſtolæ auctoritate ne filii ſacerdotum in paternis eccleſiis amodo perſona inſtituantur, nec eas qualibet occaſione media non intercedente perſona optineant.*

II. *Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, nec publicis potationibus interſint niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis vero tale quid fecerit, aut ceſſet aut deponatur.*

III. *Hiis qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt judicium ſanguinis agitare non licet: unde prohibemus ne aut per ſe membrorum truncationes faciant aut inferendas judicent. Quod ſi quis tale fecerit conceſſi ordinis privetur officio & loco. Inhibemus eciam ſub interminatione anathematis ne quis ſacerdos habeat vicecomitum aut præpoſiti ſecularis officium.*

IV. *Clerici qui comam nutriunt ab archidiacono eciam inviti tondeantur. Veſtimentis eciam vel calciamentis niſi qui honeſtatem & religionem deceant uti eis non liceat. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat.*

V. *Quia quidam clerici deſperantes ab epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem extra provinciam ſuam interdum eciam à tranſmarinis epiſcopis ordinantur vel ordinatos ſe mentiuntur, ignota ſigilla epiſcopis ſuis deferentes, ſtatuimus talium ordinationem irritam eſſe habendam; ſub interminatione anathematis inhibentes ne à quoquam ad officii ſui executionem ſuſcipiantur. Epiſcopum quoque noſtræ juridictionis qui talem ſciens & prudens ordinaverit vel ſuſceperit, ab illius ordinis collatione ad quem eum ordinavit vel ſuſcepit, uſque ad condignam ſatisfactionem ſe noverit eſſe ſuſpenſum.*

VI. *Cum eccleſia Dei ſecundum evangelicam veritatem domus orationis eſſe debeat & non ſpelunca latronum & ſanguinis forum, ſeculares cauſas in quibus de ſanguinis effuſione vel de pœna corporali agitur, in eccleſiis vel in cimiteriis agitari ſub interminatione anathematis prohibemus; abſurdum enim eſt & crudele ibi judicium ſanguinis exerceri ubi eciam reis conſtituta eſt tutela refugii.*

VII. *Dictum eſt ſolere in quibuſdam locis pro perceptione criſmatis nummos dari; ſimiliter pro baptiſmo & communione; Hoc ſimoniacæ hæreſis eſſe deteſtata eſt ſancta ſinodus & anathematizavit. Statuimus ergo ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro criſmate, nec pro baptiſmo, nec pro extrema unctione, nec pro ſepultura, nec pro communione, nec pro dedicatione quicquam exigatur. Sed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit anathema ſit.*

VIII. *Nulli liceat eccleſiam nomine dotalitii ad aliquem transferre, vel pro præſentatione alicujus perſonæ pecuniam vel aliquod emolumentum pacto interveniente recipere. Quod ſi quis fecerit, & in jure vel convictus vel confeſſus fuerit, ipſum tam regia quam noſtra freti auctoritate patrocinio ejuſdem eccleſiæ in perpetuum privari ſtatuimus.*

IX. *Secundum inſtituta patrum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici cauſa lucri negotientur, & ne monachi à clericis vel laicis firmas teneant, neque laici eccleſiaſtica beneficia ad firmas ſuſcipiant.*

X. *Quicunque ex clero videntur eſſe arma non ſumant nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ voca-*

vocabulum religioſis moribus & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorum contemptores & eccleſiaſticæ auctoritatis prophanatores & proprii gradus amiſſione multentur, quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.

XI. *Illud eciam de vicariis qui perſonis fide & juramento obligati ſunt duximus ſtatuendum, quod ſi fide vel ſacramenti religione contempta perſonatum ſibi falſo aſſumentes, contra perſonas ſe erexerint, ſi ſuper hoc in jure vel confeſſi vel convicti fuerint, de cætero in eodem epiſcopatu ad officii ſui executionem non admittantur.*

XII. *Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de fructibus arborum, ſive de aliis fructibus, Domini ſunt & illi ſanctificantur. Sed quia multi modo inveniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus ut juxta domini papæ* Alexandri *præceptum admoneantur ſemel, ſecundo & tercio, ut de grano, de vino, de fructibus arborum, & de fœtibus animalium, & de lana, & de agnis, & de caſeis, & de lino, & de canebe, & de reliquis quæ annuatim renovantur, decimas integre perſolvant. Quod ſi commoniti non emendaverint, anathemati ſe noverint ſubjacere.*

XIII *Calumpniam & audaciam temere litigantium condempnando in expenſas & alio multiplici remedio imperialis ſanctio compeſcit. Et quoniam igitur hoc ſacris inſtitutis conſonare dinoſcitur, præcipimus ut de cætero in cauſis pecuniariis quæ inter clericos agitabuntur victus victori condempnetur in expenſis. Qui autem ſolvendo non fuerit, eum in arbitrio epiſcopi ſui relinquimus puniendum.*

XIV. *Invenimus tantum x. præfationes in ſacro cathalogo recipiendas. Unam in albis Paſchalibus*; Et te omni quidem tempore. *Secundam in Aſcenſione Domini*; Qui poſt reſurrectionem ſuam. *Terciam in Pentecoſte*; Qui aſcendens. *Quartam in Nativitate Domini*; Quia per incarnati Verbi. *Quintam in Apparitione Domini*; Quia cum unigenitus tuus. *Sextam de ſancta Trinitate*; Qui cum unigenito. *Septimam de ſancta Cruce*; Qui ſalutem humani generis. *Octavam de ſancta Mariæ*; Et te in veneratione. *Nonam de Apoſtolis*; Et te Domine ſuppliciter. *Decimam de jejunio Quadrageſimali, tantum feria quarta & ſexta dicendam*; Qui corporali jejunio. *Hujus igitur decreti, & domini papæ* Alexandri *auctoritate diſtricte præcipimus ne quis præfatis præfationibus aliquam omnino præſumat adicere.*

XV. *Inhibemus ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui euchariſtiam tradat. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantum diſcipulo quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti hujus inſtitutionem ſignaret.*

XVI. *Præcipimus ne conſecretur euchariſtia niſi in calice aureo uel argenteo: & ne ſtagneum calicem aliquis epiſcopus amodo benedicat interdicimus.*

XVII. *Nullus fidelis cujuſcunque conditionis ſit occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta à ſacerdote publice nubat in Domino. Si quis ergo ſacerdos aliquos occulte conjunxiſſe inventus fuerit, triennio ab officio ſuſpendatur.*

XVIII. *Ubi non eſt conſenſus utriuſque non eſt conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis nichil faciunt niſi uterque puerorum poſtquam venerint ad tempus diſcretionis conſentiant. Hujus ergo decreti auctoritate inhibemus ne de cætero aliqui quorum uterque vel alter ad ætatem legibus conſtitutam & canonibus determinatam non pervenerit conjungantur, niſi forte urgente neceſſitate pro bono pacis talis conjunctio toleretur.*

In ipſo Concilio ad inſtantiam clericorum eccleſiæ S. *Aſaph*, & ad monitionem *Alexandri* ſummi pontificis, & conſilio coepiſcoporum ſuorum dominus *Cantuarienſis* archiepiſcopus præcepit *Godefrido* epiſcopo de ſancto *Aſaph* in virtute obedientiæ, ut ad epiſcopatum ſuum quem diu reliquerat rediret, vel domino *Cantuarienſi* reſignaret. Nolens itaque ad epiſcopatum redire, nec ulterius valens retinere, anulo ſuo depoſito reſignavit epiſcopatum in manus *Ricardi Cantuarienſis* archiepiſcopi. Electus eſt autem ad eundem epiſcopatum ſancti *Aſaph* magiſter *Adam*, & poſt tempus modicum ab eodem *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo conſecratus eſt.

Peracto itaque prædicto Concilio & fere ſingulis qui affuerant ad propria redeuntibus, rex *Anglorum Henricus* cum filio ſuo *Henrico*, comitante *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo *Cantuariam* ad ſanctum *Thomam* peregre profectus eſt, Deo & martyri grates rependens debitas pro pace ſibi contra ſpem multorum, immo fere omnium tam glorioſe reſtituta. Poſt tempus modicum aſſenſu regio conſentiente *R.* archiepiſcopo electi ſunt tres monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ ad tres abbatias *Angliæ*. Prior *Odo* ad abbatiam de *Bello*. *Radulfus* ad abbatiam *Salopeſberiæ*. *Rogerus* ad abbatiam ſancti *Auguſtini Cantuariæ* in locum *Clarebaldi*, quem monachi ſui ante duos annos ejecerant. Accuſaverant enim eum in præſentia papæ *Alexandri* de crimine inceſtus; unde papa, nec mirum, irritatus dedit in mandatis *B. Exonienſi*, & *Rogero Wigornienſi* epiſcopis, ut agnita veritate ſi ita res haberet *Clarebaldum* deponerent. Accedentes itaque epiſcopi *Cantuariam* in abſentem non convictum nec confeſſum ex accuſatione ſola ſententiam depoſitionis dederunt. Huic, ut prædictum eſt, ſucceſſit *Rogerius*. *Benedictus* vero domni *Cantuarienſis* Cancellarius prioratum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſortitus eſt. Quinto kal. Octobris *R. Cantuarienſis* archiepiſcopus ad abbatiam de *Burgo* veniens, manifeſtis ex culpis accuſatum & convictum abbatem depoſuit nomine *Willielmum*. Applicuit in craſtino à domino papa miſſus *Hugutio* legatus, ut in *Angliæ* domini papæ vices agens legatione fungeretur. Hic in fine menſis Octobris in *Angliam* veniens, à rege & à primoribus *Angliæ* honorifice ſuſceptus eſt, Rex enim ſuam exoſam habens reginam quam ſub munitiſſimi oppidi teneri fecit cuſtodia, eo quod ſupradicta perſecutio ex ipſius reginæ conſilio emanaſſe dicebatur, omni conatu divortium moliri videbatur. Ideoque et prædictum legatum dicebatur evocaſſe, eumque blanditiis & donis ſubnervavit. Legatus quoque plus regis quam gregis vel veritatis gratiam quærens, in primis legationis ſuæ veſtigiis annuit regi, ut pro captis beſtiolis clericos inplacitaret. Ecce quam triſti initio & enormi exemplo *Romanæ* Cardinalis eccleſiæ & legatus ſuam exorſus eſt agriculturam. Hæccine eſt *Romanæ* protectionis tuta ſecuritas, ut clerici in laicam trahantur curiam, ibidem pro beſtiolis aulicorum judicio condempnentur?

condempnentur. Sed quid quod non faciat *auri ſacra fames?* Etſi *Romanum* noſtrum auri fulgor regii ad conſentiendum illexit, reminiſci tamen debuit exempli ſancti *Thomæ* martyris, qui pro clericis tuendis ſexenne exilium rerum diſpendium ſuſtinuit, ſed & caput proprium pro eis tribuit mactandum. Quo ergo fine legatus vices ſibi commiſſas perficiet, qui tam pernitioſum ſumpſit initium? Sed nunquid

Debile principium melior fortuna ſequetur?

Circuivit igitur legatus *Angliam*, conſiderans omnia proviſo & conſtituendo Concilio corrigenda. Et quia eradicare venerat & plantare, à dextris & à ſiniſtris donantium manus donis exoneravit allatis, quæ in ſuis cofinis complantavit. Menſe Decembrio obit *Reginaldus* Comes *Cornubiæ* regis *Henrici* ſecundi avunculus, cujus corpus *Radingas* dilatum ibidem ſepultum eſt. XVIII.

An. Gr̃æ 1172. M. C. lxxij. Rex *Angliæ Henricus* convocatis regni primoribus apud *Northamtoniam* renovavit aſſiſam de *Clarendonia* eamque præcepit obſervari, pro cujus execrandis inſtitutis beatus martyr *Thomas Cantuarienſis* uſque in ſeptennium exulavit, & tandem glorioſo martyrio coronatus eſt. Menſe Marcio circa mediam quadrageſimam venit rex *Londoniam* cum filio ſuo *Henrico* una cum domno *Hugutione* legato, qui convocato clero *Angliæ* concilium celebrare proponebat. Cum itaque in medio ſublimi reſideret legatus & *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus de jure primatus *Angliæ* dexteram obtineret, *Rogerius Eboracenſis* archiepiſcopus innata ſibi invectus arrogantia ſiniſtram ſibi debitam reſpuens, inter legatum & *Cantuarienſem* archiepiſcopum irreverenter natibus innitens ſedere niſus eſt, adeo ut in primatis ſui gremio reſideret. Vix tamen umbone ſuo quo decertare conſueverat dominum *Cantuarienſem* attigerat, cum à quibuſdam epiſcopis, clericis & laicis turpiter apprehenſus de gremio archiepiſcopi ereptus & in terram dejectus eſt. Sed cum baculis & pugnis undique impeteretur, exiliens archiepiſcopus *Cantuarienſis* bonum pro malo reddidit, æmulumque ſuum & ab olim *Cantuarienſis* eccleſiæ inimicum tantæ cladi ſubripuit. Ipſe tandem *Eboracenſis* contumax à terra reſurgens, cum cappa ſua in tumultu illo turpiter deciſſa regis proſtratus veſtigiis in *Cantuarienſem* archiepiſcopum calumpniam intorſit mendoſam. Sed audita ſuæ præſumptionis veritate, ſuæ dignos veſaniæ cachinnos reportavit. Dum autem ad regem, ut prædictum eſt, fugeret, clamare cœperunt in concilio plurimi dicentes, Vade, vade, traditor ſancti *Thomæ*, adhuc manus tuæ fætent ſanguine. Legatus autem ſibi præcavens *Cantuarienſem* archiepiſcopum appellavit. Archiepiſcopus econtra ſe ſibique ſubditos apoſtolicæ protectioni ſupponens ipſum legatum appellatione ſolenniter facta provocavit. Sentiens autem legatus vim verbi, ſe eciam ulterius in *Anglia* nullam habere poteſtatem, quaſi ſponte ſed invitus legationi ceſſit, & abire non diſtulit. Intercedentibus tamen utriuſque parte amicis, appellationes factas mutuo dimiſerunt, animos irritatos diſſimulantes utrimque. Ad proximum Paſcha prædictus *Hugutio* venit *Cantuariam*, & ipſius diei Paſchalis in eccleſia Chriſti miſſarum ſolenniis intereſſe deſpiciens, in camera archiepiſcopi ubi fuit hoſpitatus cum ſuis delituit ſervientibus. Inde recedens & ad mare perveniens, cum tanto affectu tranſvectus eſt ut ſi forte ventus tranſeunti deeſſet, remorum auxilio ne rediret vel diutius moraretur quocunque modo transfretaret. Abiit ergo prædictus *Hugutio* circa feſtum apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, & in proximo menſe ſequenti applicuit alter quidam *Vivianus* nomine, in *Hiberniam* & *Scotiam* legatus. Qui cum ſuperbe more *Romano* apud *Douram* non petita licentia ſibi hoſpitium uſurparet, & minaciter loqueretur, dominos domus paululum irritavit: unde cum turpiter ejici debuiſſet, aſſumpta humilitate petiit hoſpitium caritative, ſtatimque benigne ſuſceptus, eciam ſibi reſiſtentes collaudavit.

In die feſto *Mariæ Magdalenæ*, venerunt *Cantuariam* decanus & cantor clericique plures *Carnotenſis* eccleſiæ, qui ob honorem & amorem ſancti *Thomæ* martyris & *Cantuarienſis* eccleſiæ excellentiam elegerunt in capitulo *Johannem* de *Saliſberia* ad regimen *Carnotenſis* eccleſiæ. Erat enim hic *Johannes* à juventute ſua *Cantuar.* eccleſiæ clericus, primo *Theodbaldo* archiepiſcopo, poſtea ſancto *Thomæ* eciam in exilio fideliter adhærens. Pronuntiata itaque electione coram Conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ, & lectis epiſtolis de conſenſu capituli *Carnotenſis*, deduxerunt electum ad altare, canoris vocibus Deum collaudantes.

Menſe Septembrio miſit rex *Henricus Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum, alioſque nuntios ſpectabiles cum *Johanna* filia ſua quam petierat rex *Siciliæ Willielmus* ſibi dari in uxorem. Commendavit interea *Cantuarienſis* archiepiſcopus vices ſuas *Gileberto Londonienſi* epiſcopo utpote *Cantuarienſis* eccleſiæ decano, & transfretavit. Hac itaque fretus auctoritate epiſcopus conſecravit in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* menſe Novembrio Priorem de **Weneloc** *Petrum* nomine, ad regimen *Landavenſis* eccleſiæ, aſtantibus & cooperantibus epiſcopo *Roſenſi* & epiſcopo *Wigornienſi*, facta prius profeſſione quam debet *Cantuarienſi* eccleſiæ.

Tranſlatus eſt hoc anno *Willielmus Senonenſis* archiepiſcopus ad eccleſiam *Remenſem* regendam. Erat enim frater reginæ *Francorum* ſapientia præditus & religionis exemplar. His de cauſis ſedem digniorem adeptus regis & regni quaſi dominus effectus eſt. XIX.

M. C. lxxvij. Rex *Angliæ Henricus* apud **Windelſores** degens, miſit *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum, & *Gilebertum* epiſcopum *Londonienſem*, & *Gaufridum Elyenſem* ad eccleſiam ſanctæ crucis de **Waltham**. Propoſuerat enim rex canonicos ibidem inſtituere regulares, quia clerici ſeculares qui ibidem hucuſque manſerant mundanis operibus & illecebris illicitis magis quam divino ſervitio intendebant. Reſignavit itaque decanus præfatæ eccleſiæ dictus *Wido Ruffus* decanatum ſuum in manus *Ricardi Cantuarienſis* archiepiſcopi. Præcepit itaque rex ibidem novam ædificari eccleſiam cum ſuis officinis, & poſt aliquot menſes in veterem eccleſiam introduci præcepit canonicos regulares, Sex de *Cireceſtria*, ſex de *Oſeneia*, quatuor de *Chic.* Miſit quoque rex *Bartholomeum Exonienſem*, & *Rogerium Wigornienſem* ad abbatiam de *Ambreſberia*, ut abbatiſſam aliaſque monachas de manifeſto lenocinio convictas eicerent, & in eandem eccleſiam ſanctimoniales de fonte *Ebrardi* de *Andegavia* introducerent. An. Gr̃æ 1177.

In proxima quadrageſima venerunt ad regem

Angliæ ſpectabiles viri juris periti & mirabiles cauſidici, miſſi à dominis ſuis duobus regibus *Hiſpaniæ*, *Aldefonſo* ſcilicet rege *Caſtellæ*, & *Sanctio* rege *Navarræ*. Dum enim ſibi adinvicem adverſarentur licet cognatione conjuncti, prædis tamen & præliis operam dabant. Cum autem nulla ratione vel ſapientum induſtria nequirent paci conſentire, vix tandem intermeantibus amicis præbuerunt aſſenſum, ut regis *Angliæ Henrici* de pace facienda ſubirent arbitrium. Aſtiterunt itaque regis *Angliæ* ſolio prædicti nuntii regum *Hiſpaniæ*, cauſas ſuas in contrarium proponentes, & diverſis anfractibus rationibus rethoricis veriſimiliter explicabant. Accepto tandem poſt Paſcha de cauſa ſua tanta verſutia intricata regis judicio, læti reverſi ſunt, dominoſque ſuos reges regumque populos paci reſtituerunt & tranquillitati.

Contulit hoc anno rex *Henricus* novas quaſdam libertates eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ*; unde & ante Paſcha in cœna Domini *Cantuariam* peregre profectus, ſuper tumbam ſancti *Thomæ* cum nonnullis aureis hanc devote optulit Cartam.

HEnricus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ, *archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, juſticiis, vicecomitibus, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis* Francis *&* Anglis *totius* Angliæ *ſalutem. Sciatis quod ad honorem Dei, & pro redemptione animæ meæ, & patris & matris meæ, & regis* Henrici *avi mei & anteceſſorum meorum, & præſertim ad honorem ſanctæ Trinitatis & omnium Sanctorum qui requieſcunt in eccleſia Chriſti* Cantuariæ, *conceſſi & confirmavi eidem eccleſiæ omnes poſſeſſiones & libertates quas proavus meus rex* Willielmus *et rex* Henricus *avus meus eidem eccleſiæ conceſſerunt & confirmaverunt. Præterea dono eis & concedo & hac Carta mea confirmo has libertates, ſcilicet* **Geld**, & **Denegel**, *Hidagium, pecuniam pro murthro, opus pontium, caſtellorum, parcorum, clauſularum, auxilium pecuniæ pro exercitu*, **Wardpeni**, **Blodwite**, **Childwite**, *per omnia dominia archiepiſcopi & monachorum, & villanagia. Volo eciam quod dominia eorundem & villanagia ſint libera & quieta à ſiris & hundredis, & leſtis hundredorum. Quare volo & firmiter præcipio quod ipſa eccleſia Chriſti* Cantuariæ *habeat & teneat omnes prædictas libertates, ſicut ſupra determinatum eſt, cum terris & omnibus ſuis bene & in pace, libere & quiete, integre & plenarie, & honorifice, in boſco & plano, in pratis & paſturis, in aquis & molendinis, in vivariis & ſtagnis, piſcariis & mariſcis, in viis & ſemitis, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad eas pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus, ſicut eidem eccleſiæ conceſſi & hac Carta mea confirmavi. Teſtibus his*, Ricardo Wintonienſi, G. Elienſi, J. Saresbirienſi, H. Baiocenſi, R. Bathonienſi, A. ſancti Aſaph, *epiſcopis*. J. *decano* Salesbiriæ, R. de Luci, & cæteris qui in Carta regis ſunt apud *Merleberge*. *Henricus* quoque regis filius cartam ſuam dedit in eadem forma.

Advenerat *Cantuariam* eadem die cœnæ Domini *Philippus* Comes *Flandriæ*, & *Willielmus de Mandavilla*, ut accepta licentia à beato *Thoma Jeroſolimitanum* iter arriperent, ſperantes ſe aliquid magnum contra paganos eſſe facturos. Et profecti ſunt: ſed parum vel nichil profecerunt. Ante Aſcenſionem Domini electus eſt ad abbatiam de *Burgo Bemedictus* Prior *Cantuarienſis*. Eique ſucceſſit in Prioratum *Herlewinus* domni *Cantuarienſis* capellanus. Redierant interea à rege *Siciliæ Willielmo* nuntii regis *Angliæ* quos miſerat cum filia *Johanna*. Et hanc Cartam regis *Willielmi* Cartam de fœdere dotalitii filiæ ſuæ regi *Henrico* obtulerunt.

IN *nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri* Jeſu Chriſti *Amen. Rerum fœdus & concordiam humanarum inter cætera pacis bona ligat fortius & aſtringit vinculum conjugale; Quod & ſacramenti altitudine venerandum, & ipſa ſuæ inſtitutionis eſt ſingularitate præclarum, & ſolenni ab initio mundi & temporis conſuetudine celebratum. Cujus itaque virtus & forma quia de divina inſtitutione traxit originem, nec de peccato induit maculam, nec de longævi ſerie temporis deſuetudinis potuit ſentire jacturam. Quin etiam id honoris venerando acceſſit miſterio, ut maris & feminæ conſenſus in matrimonium Chriſti & eccleſiæ teneat ſacramentum. Tanti ergo miſterii ratione ſimul & veneratione inducti, nos* Willielmus *divina favente clementia rex* Siciliæ, *& ducatus* Apuliæ, *& principatus* Capuæ, Johannam *puellam regii excellentia ſanguinis illuſtriſſimam, filiam* Henrici *magnifici regis* Angliæ *divino nutu & felici auſpicio ſacri lege matrimonii & maritali nobis fœdere copulamus, ut bonum conjugii caſtæ dilectionis fides exhibeat, unde nobis in poſterum proles regia Deo dante ſuccedat, quæ divini gratia muneris, virtutum ſimul & generis titulo, ad regni poſſit & debeat faſtigium ſublimari. Quia vero noſtræ dignum eſt celſitudine ut tam nobile ac inſigne conjugium decenti dotario debeat honorari; per hoc præſens ſcriptum damus & in dodarium concedimus præfatæ reginæ kariſſimæ uxori noſtræ comitatum ſancti* Angeli *ſicut inferius eſt annotatum, videlicet in demanio civitatis montis ſancti* Angeli *civitatem* Siponti, *& civitatem* Veſtæ, *cum omnibus juſtis tenementis & pertinentiis earum. In ſervitio autem concedimus ei de tenementis Comitis* Gosfridi, Aleſine, Peſchizam, Bicum, Caprile, Baranum *&* Sfilizun, *& omnia alia quæ idem Comes de honore ejuſdem comitatus montis ſancti* Angeli *tenere dinoſcitur. Concedimus etiam ei ſimiliter in ſervitio* Candelarium *ſanctum* Clerum, *caſtellum* Paganum, Berſentium, *&* Cagnanum. *Inſuper concedimus ut ſint de honore ipſius dodarii monaſterium ſancti* Johannis de Lama, *& monaſterium ſanctæ* Mariæ de Pulſano *cum omnibus tenementis quæ ipſa monaſteria tenent de honore prædicti comitatus ſancti* Angeli. *Ita quidem ut ipſa regina uxor noſtra prædicta omnia ſemper recognoſcat ab hæredibus noſtris nobis noſtra ordinatione in regnum ſuccedentibus, & de omnibus prædictis tenementis ſervitium prout exigit feudum eorum integre & illibate jam dictis hæredibus noſtris faciat, & maneat ſemper in eorum fidelitate. Ad hujus autem donationis & conceſſionis noſtræ memoriam & inviolabile firmamentum, præſens privilegium per manus* Alexandri *noſtri Notarii ſcribi, & bulla aurea noſtro tipario impreſſa roboratum, noſtro ſigillo juſſimus decorari. In quo familiares* *noſtri & aliæ perſonæ præcepto noſtro ſe ſcripſerunt, anno menſe & indictione ſubſcriptis.*

Ego *Walterus Panorm.* archiepiſcopus. ſſ.
Ego *Alphanus Capuanus* archiepiſcopus. ſ.
Ego *Ricardus Siracuſanus* epiſcopus. ſ.
Ego *Bartholomans Agreger* epiſcopus. ſſ.
Ego *Reginaldus Baren.* archiepiſcopus. ſſ.
Ego *Nicholaus* primus *Meſſelenſis* archiep. ſſ.
Ego *Ruffus Conſentinus* archiepiſcopus. ſſ.
Ego *Theodbaldus* epiſc. abb. regal.
Ego *Robertus Cathanienſis* epiſcopus.
Ego *Wido Cephelenſis* epiſcopus.
Ego *Elyas Troianus* electus.
Ego *Juſtus Mizz.* epiſcopus.
Ego *Robertus Tricaricenſis* epiſcopus.
Ego *Petrus Galetanus* epiſcopus.
Ego *Johannes Potentinus* epiſcopus.
Ego *Robertus de Bizino.*
Ego *Robertus Malcovenanz.*
Ego *Alexander Gupill.*
Ego *Mathæus* domini regis vicecancellarius.
Ego *Robertus Caſertanus* Comes.
Ego *Amphuſus* Comes *Scrullac.*
Ego *Jocelinus* Comes *Jert.*
Ego *Hugo* Comes *Catazarii.*
Ego *Ricardus Fundatus* Comes.
Ego *Walterus Demoro* regii fortunati ſtolii admiratus.
Ego *Aldwerinus* de *Candida* domini regis ſeneſcallus.
Ego *Berardus Gentilis* regiæ privatæ familiæ Conſtabularius.
Ego *Ricardus* ſacri regii palatii logothet.
Ego *Bainalis* de *Monte forti* magiſter Juſticiarius.
Ego *Perſicus* regiæ curiæ magiſter Juſticiarius.
Ego *Fredericus* regiæ curiæ Juſticiarius.

Data in urbe Panormi felicis *per manus* Walterii *venerabilis* Panormi *archiepiſcopi, &* Mathæi *regis vicecancellarii, &* Ricardi *venerabilis* Siracuſani *epiſcopi domini regis familiarium anno incarnationis Domini* M. C. lxxvij. *menſe Februarii, Indictione x. regni vero domini noſtri* Willielmi *Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi regis* Siciliæ, *ducatus* Apuliæ, *& principatus* Capuæ *anno* xj.

Poſt feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* revelatione divina inventæ ſunt reliquiæ ſancti *Amphibali* magiſtri ſancti *Albani* prothomartyris *Anglorum* apud **Redburne**, & in eccleſiam ſancti *Albani* honore debito delatæ ſunt cum aliis ſimul inventis. Cujus ne ſanctitas cuiquam veniret in dubium, crebreſcentibus miraculis confluentibus populis manifeſta eſt.

Apropinquante autem feſto ſancti *Jacobi* apoſtoli, *Alexander* ſummus pontifex *Venetiam* cum Cardinalibus ſuis venit, & cum multis ſanctæ matris eccleſiæ filiis & prælatis tam archiepiſcopis quam epiſcopis: *Fredericus* quoque *Romanorum* imperator venit illuc obviam ei cum archiepiſcopis, epiſcopis, & principibus *Teutonici* regni ad faciendum pacem inter ipſum & ſummum pontificem, ut deſciſſo ſciſmate quod jam fere xix. annis duraverat, pax eccleſiæ Dei reſtitueretur. Sunt autem hæc nomina virorum qui ex parte domini papæ fuerunt:

Ymbaldus epiſcopus *Hoſtienſis* Cardinalis.
Willielmus de *Pavia Portuenſis* epiſcopus Cardinalis.
Walterius Albanenſis epiſcopus Cardinalis.
Conradus Saviæ epiſcopus Cardinalis.
Manifridus Paleſtinus epiſcopus Cardinalis.
Johannes Neapolitanus presbiter Cardinalis.
Theodinus presbiter Cardinalis.
Petrus de Bona presbiter Cardinalis.
Boſus presbiter Cardinalis.
Herembrandus presbiter Cardinalis.
Jacinctus diaconus Cardinalis.
Herdizan diaconus Cardinalis.
Chuiche capellanus diaconus Cardinalis.
Laborandus diaconus Cardinalis.
Hugo Boloniæ diaconus Cardinalis.
Hugotio diaconus Cardinalis.
Rainerus diaconus Cardinalis.
Archiepiſcopus *Vienenſis.*
Archiepiſcopus *Bituricenſis.*
Archiepiſcopus de *Melam.*
Archiepiſcopus de *Ravenna.*
Archiepiſcopus de *Salerna.*
Epiſcopus de *Claro monte.*
Abbas *Bonæ vallis.*
Comes *Rogerius de Andria.*
Tieri de Cartuſa, & multi alii principes & prælati.

Hi vero ſubſcripti cum Imperatore venerunt & prædictæ paci intereſſe meruerunt.

Archiepiſcopus *Madeburgenſis.*
Archiepiſcopus *Maguntinus.*
Archiepiſcopus de *Trevis,* prothonotarius Imperatoris.
Archiepiſcopus *Colonienſis.*
Archiepiſcopus de *Beſenzum.*
Electus de *Vermeiſe.*
Comes *H.* de *Diſce.*
Marcio *Albertus.*

Sedente itaque papa *Alexandro* in cathedra ſua cum Cardinales ei aſtarent antequam veniſſet Imperator, dum nautæ galeas ſuas huc illucque deducerent, inter utriuſque partis fautores diſſenſio non modica otta eſt, ita ut Cardinales aufugerent & papam *Alexandrum* in cathedra ſua ſolum relinquerent. Et ecce imperator de ſummo navis ſuæ ſolario deſcendens ix. kal. Auguſti vigilia *Jacobi* apoſtoli, ſicut prius tractatum fuerat & depoſitum, venit ad eccleſiam beati *Nicholai*, & ibi tam ipſe quam archiepiſcopi, epiſcopi, & alii principes *Teutonici* regni abrenuntiantes ſciſmati, per epiſcopos & Cardinales quos dominus Papa ad eos abſolvendos miſerat abſolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt *Venetias*, ibique ante eccleſiam beati *Marci* prædictus Imperator domino Papæ ſicut ſummo pontifici omnem obedientiam & reverentiam humiliter exhibuit, & recepto ab eo pacis oſculo eum devote dextravit, & cum magna devotione uſque ad altare in eccleſiam introduxit. Sequenti vero die in feſto ſancti *Jacobi* apoſtoli imperator venit obviam domino papæ & in eccleſiam denuo introduxit. Peractis autem miſſarum ſolenniis uſque ad eccleſiæ januam eum dextravit. Aſcendente autem Papa Imperator ſtafam tenuit, & omnem exhibuit reverentiam. In hoc Concilio *Johannes* abbas de *Struma* qui vocatus fuerat *Calixtus* papa, qui eciam tercius & ultimus ſciſmatis hujus antipapa extiterat, degradatus eſt & ab ipſo imperatore & ab omnibus principibus eccleſiaſticis ſecularibus *Teutonici* regni abrenuntiatus eſt. Similiter omnes archiepiſcopi, epiſcopi, & abbates *Teutonici* regni qui ab eo vel ab aliis antipapis prædeceſſoribus ſuis, ſcilicet ab *Octaviano* qui & papa *Victor* vocabatur, vel à *Widone de Crema* qui vocabatur *Paſchalis* ordinati fuerant, degradati ſunt. Similiter altaria quæ ab eiſdem ſciſmaticis dedicata fuerant, ſubverſa ſunt. In ipſo Concilio *Conredus* frater conſobrinus prædicti imperatoris recepit à manu *Alexandri* papæ archiepiſcopatum *Sanceburge*, & annuente ipſo imperatore dominus papa conceſſit eidem *Conredo* legatiam totius *Teutonici* regni quamdiu ipſe vixerit, quia iſte *Conredus* cum electus eſſet tempore ſciſmatis ad archiepiſcopatum *Maguntinum*, noluit ab *Octaviano* antipapa conſecrari. Sed malens inter catholicos pro nomine *Chriſti* degere quam inter ſciſmaticos divitiis & tranſitoriis abundare, electioni ſuæ abrenuntiavit, & venit in partes *Galliarum* uſque *Senonenſem* civitatem, & invento ibi *Alexandro* ſummo pontifice qui ea tempeſtate citra montes illuc pervenerat ad celebrandum concilium, pro amore Dei & pace eccleſiæ ſeipſum ſponte depoſuit, & à præfato papa catholico honorifice ſuſceptus, inter epiſcopos Cardinales connumeratus eſt, & in ipſo concilio factus fuit epiſcopus Cardinalis de epiſcopatu *Savinia*. *Chriſtianus* quoque Cancellarius ipſius imperatoris ſucceſſit præfato *Conredo* in archipræſulatum *Maguntinum*, & pallium ſuſcepit à *Widone de Crema*. Ideoque facta pace inter dominum papam & imperatorem, propriis manibus pallium ſuum combuſſit *Venetia* præſente Papa *Alexandro* & Cardinalibus ſuis. Quo facto, abſolvit eum dominus papa, palliumque eidem reſtituit. Facta igitur & confirmata unitate eccleſiæ, miſit dominus papa litteras ſuas *R.* archiepiſcopo *Cantuarienſi* in hunc modum.

ALexander *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus* Ricardo Cantuarienſi *archiepiſcopo totius* Angliæ *primati & apoſtolicæ ſedis legato, & ſuffraganeis ejus, & dilectis filiis abbatibus ſpecialiter ad* Romanam *eccleſiam pertinentibus in archiepiſcopatu* Cantuarienſi *conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Immenſas laudes & gratias agimus omnipotenti Deo qui licet navem* Petri *diu permiſiſſet procelloſa maris tempeſtate quaſſari, nunc tandem imperavit ventis & mari, & f. t. m. ita ut pacatis maris ſævientis fluctibus, prædicta navis ad portum quietis reducta ſit & ſalutis. Sane kariſſimus in Chriſto filius noſter* Fredericus *illuſtris* Romanorum *imperator proximo præterito die Dominico ante feſtum beati* Jacobi *cum principibus eccleſiaſticis & ſecularibus* Teutonici *regni in magna devotione venit* Venetiam *ad præſentiam noſtram, & ibi coram innumera multitudine virorum & mulierum altis vocibus reſonantium laudes altiſſimo, nobis ſicut ſummo pontifici omnem reverentiam & honorem exhibuit, & in craſtino, ſcilicet in feſto ſancti* Jacobi *nobis ad preces ejus beati* Marci *eccleſiam adeuntibus pro celebrandis miſſarum ſolenniis obviam venit, & finita miſſa quam à nobis licet indignis reverenter audivit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt exhibere. In kalendis vero inſtantis menſis Auguſti præfatus imperator ubi erat numeroſa hominum multitudo jurare fecit, & principes ſui quos præſentes habebat tam eccleſiaſtici quam ſeculares, præſtito juramento firmaverunt quod pacem eccleſiæ perpetuo, & pacem kariſſimi in Chriſto filii noſtri* Willielmi *illuſtris* Siciliæ *regis uſque ad xv. annos & trengam* Longobardorum *à prædictis kalendis Auguſti uſque ad ſex annos, ſicut pax & trenga ipſa diſpoſita eſt & tractata & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſervare. Sicut autem idem imperator nos in catholicum papam & ſpiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem & uxorem ejus in catholicam imperatricem & filium ipſorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias creatori noſtro qui ſponſam ſuam ſacroſanctam eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones quibus graviter preſſa eſt & attrita, per ſuam gratiam plenam pacem reddidit & quietem.* Data *Venetiæ* in *Rivo alto* viij. kal. Auguſti.

Scripſit eciam dominus papa *Alexander* archiepiſcopo *Eboracenſi* & capitulo *Ciſtercienſi*. Imperator quoque ſcripſit capitulo *Ciſtercienſi* de prædicta pace in hunc modum.

FRedericus *Dei gratia* Romanorum *Imperator & ſemper* Auguſtus, *univerſis abbatibus & fratribus* Ciſtercienſis *ordinis ſalutem & dilectionis integritatem. Quoniam de unitate & concordia eccleſiæ & bono ſtatu imperii noſtri fraternitatem veſtram gaudere et lætari non dubitamus, idcirco univerſitati veſtræ religionis imperiales apices mittere dignum duximus; inſinuantes veſtræ dilectioni quoniam Dei operis dono nutuque cujus occulto judicio quandoque diſcordiæ mala creantur, et ipſo moderante diſcordes ad concordiam revocantur, dominum* Alexandrum *in patrem ſpiritualem et ſummum pontificem recepimus. Notum autem veſtræ religioni facimus quoniam operantibus dilectis noſtris viris magnæ ſanctitatis atque diſcretionis* P. *epiſcopo* Claromontano, *et abbate* Bonæ vallis *et fratre Theoderico converſo* Cartuſæ, *qui ſtudioſe et efficaciter pro pace et concordia inter nos et jam nominatum* A. Romanæ *eccleſiæ pontificem laboraverunt, diſcordia et lis quæ diu viguerat penitus eſt conſopita, et dilectio quæ inter nos perierat, ipſis mediantibus eſt reformata. Quapropter veſtræ ſanctitati præſentes litteras dirigimus, modis omnibus rogantes quatinus ipſorum bonitati perfectæ ſuper omnibus gratias referentes, tam nobis quam ipſis de pacis reformatione gaudeatis, atque ut ad honorem Dei et eccleſiæ in bono ſtatu et Dei timore poſſimus perſeverare, ipſi omnium conditori atque gubernatori piiſſimas preces fundatis.*

Pullulaverat his diebus in *Toloſani* Comitis territorio hæreſis maligna quæ fidem & orthodoxorum patrum eccleſiaſtica inſtituta evacuans, non ſolum vulgus ſimplex ſed & eccleſiæ Dei ſacerdotes & epiſcopos cum principibus laicis tabe confecit nefanda. Hujus hæreſis deteſtanda perverſitas in litteris Comitis *Toloſæ* facilius poterit agnoſci, quas idem Comes generali capitulo miſit *Ciſtercienſi*. Harum litterarum iſte eſt textus.

Domino

D*Omino ſuo ac venerabili* Ciſtercienſi *abbati* A. *univerſoque conventui in generali capitulo conſtituto, naufragans circa ſuperna Comes* Toloſæ *dux* Narboniæ *Marchio* Provinciæ *cum ſalute eorum benedictionibus confirmari orationibuſque fulciri. Quoniam in ſcientia & ſapientia veſtræ theſauris clareſcit quod noſtris in partibus vulpes parvulæ vineas quas plantavit dextera excelſi demoliuntur, & fontes ſine aqua & nebula turbinibus agitati, fontem qui patet domui* David *in ablutionem immunditiæ & menſtruæ evacuare nituntur, & rivuli virus diffundunt ut ligna quæ plantata ſunt ſecus decurſus aquarum evellant, Rogo & obſecro quatinus aſcendatis ex adverſo. Et ne iſtorum ſermo qui ut cancer ſerpit convaleſcat, opponatis vos murum pro domo* Iſrael. *In tantum equidem hæc putida hæreſis tabes prævaluit, ut omnes fere illi conſentientes arbitrentur obſequium ſe præſtare Deo, & ipſe iniquus qui miſterium jam operatur iniquitatis in filios diffidentiæ, ſic transfigurat ſe in angelum lucis, ut uxor à viro, filius à patre, nurus à ſocru diſcedant, proh dolor ! Inſuper ſic in finibus noſtris obſcuratum eſt aurum, ut quaſi lutum ſub pedibus diaboli ſternatur. Quoniam & qui ſacerdotio funguntur hæreſis fœditate depravantur, & antiqua olimque veneranda eccleſiarum loca inculta jacent, diruta remanent, baptiſmus negatur, eucariſtia abominatur, pœnitentia parvi penditur, hominis plaſmatio, carnis reſurrectio abnegando reſpuitur, & omnia eccleſiaſtica ſacramenta annullantur, & quod dici nefas eſt, duo eciam principia introducuntur. Et nunc quid dicam ? Non ſunt qui recogitent & dicant in cordibus ſuis, Quid facimus quia homines iſti multa mala faciunt ? Si dimittimus eos ſic, omnes credent in eos. Et qui abſorbuit fluvium & non mirabitur, ex iniqua præſumptionis audacia influet* Jordanis *in os ejus. Ego quidem qui uno è duobus divinis accingor gladio, & qui me ira Dei vindicem & miniſtrum Dei in hoc ipſum conſtitutum confiteor, dum tali infidelitati modum ponere & finem dare innitor, ad tantum et tale negotium complendum vires meas deficere cognoſco, quoniam terræ meæ nobiliores, jam prælibata infidelitatis tabe aruerunt, & cum ipſis maxima hominum multitudo à fide corruens aruit, unde id perficere non audeo nec valeo. Nunc igitur ad veſtrum confugiens ſubſidium, humili cordis imploro affectu, quatinus ad extirpandum tantum infidelitatis malum manum conſilii veſtri & auxilii cum virtute orationis porrigatis. Scitote etenim quia in tantum hæreſis virulenta inviſcerata manet, quod niſi manu Dei valida ejuſque brachio extento extirpari non poteſt. Talium namque caput induratum quaſi lapis ſic manet, ut in ſtipulam ei vertantur lapides funda. Quoniam igitur ſpiritualis gladii virtutem nil perficere poſſe cognoſcimus, ad tantam hæreſis pravitatem extirpandam, oportet ut corporalis gladii animadverſione compellatur. Ad quod peragendum dominum regem* Francorum *accerſiri veſtris ex partibus perſuadeo, quia per ipſius præſentiam tanta mala finem ſuſcipere ſuſpicor. Ipſi quippe præſenti civitates aperiam, vicos & caſtella ſub ejus cenſura tradam, hæreticos oſtendam, & uſque ad ſanguinem in quocunque noſtri indiguerit negotio ad conterendos hoſtes & omnes Chriſti inimicos illi aſſiſtam. Valete.*

Orta eſt interea diſcordia & diſceptatio inter regem religioſum *Franciæ Lodovicum* & nobiliſſimum regem *Anglorum Henricum*. Unde legatus quidam miſſus à papa *Alexandro* ad poſtulationem regis *Franciæ* venit, ut terram regis *Angliæ* ſuſpenderet niſi permitteret *Ricardum* filium ſuum Comitem ſcilicet *Pictavenſem* & filiam regis *Franciæ* ſecundum quod inierant pactum ſibi lege matrimonii copulare. Prudentiſſimus autem rex *Anglorum Henricus* acceptis induciis die locoque collocutionis inter ipſum & regem *Franciæ* conſtituto, annuit ut *Ricardus* filius ſuus præfatam regis *Lodovici* filiam acciperet in uxorem. Sed quoniam prædicti reges ſæpe adinvicem fuerant irati, ſæpe concordati, ſed nullo caritatis vinculo confirmati, in unam convenerunt dilectionis ſententiam; tandemque ſcriptum ſubſcriptum quaſi pignus amoris concuderunt, & ne in poſterum aliquatenus infringeretur, ſigillis ſuis confirmaverunt.

S*Ciant omnes tam præſentes quam futuri, quod ego* Lodovicus *Dei gratia rex* Francorum, *& ego* H. *eadem gratia rex* Anglorum *volumus ad omnium tam præſentium quam futurorum notitiam pervenire, nos Deo inſpirante promiſiſſe & juraſſe quod ſimul ibimus in ſervitium Chriſtianitatis & crucem ſuſcipiemus ituri* Jeroſolimam *ſicut in ſcripto de ſuſceptione crucis inter nos facto continetur. Volumus eciam ut omnes ſciant, quod ſic ſumus & amodo volumus eſſe amici, quod uterque noſtrum alteri conſervabit vitam & membra & terrenum honorem ſuum contra omnes homines pro poſſe ſuo. Et ſi quæcunque perſona alterutri noſtrum malum facere præſumpſerit, ego* H. *juvabo* Lodovicum *regem* Franciæ *dominum meum contra omnes homines pro poſſe meo. Et ego* Lodovicus *juvabo* Henricum *regem* Angliæ *contra omnes homines pro poſſe meo ſicut hominem & fidelem meum, ſalva fide quam debemus hominibus noſtris quamdiu ipſi nobis fidem ſervabunt. Et neuter noſtrum amodo retinebit inimicum alterius in terra ſua ex quo requiſitus inde fuerit. Et ut inter nos amodo tollatur omnis materia diſcordiæ, conceſſimus adinvicem quod de terris & poſſeſſionibus & aliis rebus quas quiſque noſtrum modo poſſidet, alter adverſus alterum inde nichil amodo petet, excepto eo de* Alvernia *unde contentio inter nos eſt, & excepto feudo de caſtro* Radulphi, *& exceptis minutis feudis & diviſis terrarum noſtrarum de* Berria, *ſi homines noſtri aliquid inde interceperint inter ſe vel adverſus alterum noſtrum. Si autem ſuper his quæ ſuperius excepta ſunt per noſmet ipſos convenire non poterimus, ego* Lodovicus *rex* Franciæ *elegi tres epiſcopos,* Claromontenſem, Nivernenſem, Treternenſem, *& tres Barones, Comitem* Theodbaldum, *& Comitem* Robertum *&* Petrum *de* Curtenia *fratres meos. Et ego* H. *rex* Angliæ *elegi tres epiſcopos,* Willielmum Cenomanenſem, Petrum Petragorenſem, *&* R. Nannatenſem: *et tres Barones,* Mauricium de Croun, Willielmum Mangot, *&* Petrum de Monte Rabel, *ex parte mea, qui inquiſitam diligenter hinc et inde veritatem tam per ſeipſos quam per juramenta terrarum illarum prædicti epiſcopi in verbo veritatis aſſeverabunt, & laici jurabunt quod quæcumque cognoverint de jure cujuſque noſtrum eſſe, hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter ſtabimus. Si vero omnes illi epiſcopi quos ego* Lodovicus *elegi intereſſe non poterint, nihilominus ſtabimus dicto illo-*

rum duorum qui intererunt. Et ſi omnes Barones ex parte mea nominati non interfuerint, pro eo non remanebit quin ſtemus dicto illorum duorum qui interfuerint. Et ſimiliter erit de illis quos ego Rex H. *elegi tam de epiſcopis quam de Baronibus. Juravimus eciam quod nullum malum faciemus eis propter hoc quod veritatem inde dixerint. Et ſi forte, quod Deus avertat, inter nos de terris noſtris aliqua querela amodo oriatur, per eoſdem bona fide & ſine malo ingenio ſine dilatione terminetur. Si autem aliqua prædictarum perſonarum interim mortua fuerit, altera loco ipſius ſubſtituatur. Si vero alteruter noſtrum ante ſuſceptionem crucis iter peregrinationis arripere voluerit, alter qui remanebit terram illius qui in peregrinatione erit & homines ut ſua propria & dominica fideliter cuſtodiet & manutenebit. Poſtquam vero Deo volente crucem ſuſceperimus, homines noſtros qui nobiſcum ibunt jurare faciemus, quod ſi alteruter noſtrum in via deceſſerit, quod Deus avertat, ita illi qui ſuperſtes erit fideliter ſervient, ſicut ſervirent Domino ſuo ſi vivus eſſet quamdiu in terra* Jeroſolymitana *morari voluerit; pecuniam vero defuncti habebit vivus ad faciendum ſervitium Chriſtianitatis præter illam partem quam ante iter ſuum certis locis & certis perſonis dandam decrevit. Et ſi uterque noſtrum deceſſerit, eligemus ſi nobis Deus ſpatium indulſerit, de probis & fidelibus hominibus quibus committetur pecunia utriuſque noſtrum ad ſervitium faciendum Chriſtianitatis, & qui ducent & regent homines noſtros. Antequam eciam iter arripiamus poſt ſuſceptam crucem faciemus illos jurare quos cuſtodes & gubernatores conſtituemus terrarum noſtrarum, quod ipſi bona fide cum omni poſſe ſuo ſi neceſſe fuerit ſe invicem juvabunt ad defendendum terras ſuas cum abinvicem requiſiti fuerint. Ita quod illi quos ego* H. *rex* Angliæ *præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni poſſe ſuo juvabunt ad defendendum terras* Lodovici *regis* Franciæ *domini mei quemadmodum terras meas defenderent ſi civitas mea* Rothomagi *obſeſſa eſſet. Et eodem modo illi quos ego* Lodovicus *rex* Franciæ *præfecero ad gubernandum terras meas, cum omni poſſe ſuo juvabunt ad defendendum terras* H. *regis* Angliæ *quemadmodum terras meas defenderent ſi civitas mea* Pariſius *obſeſſa eſſet. Volo eciam ut mercatores & omnes homines tam clerici quam laici de terra regis* Franciæ *domini mei cum omnibus rebus ſuis ſint ſecuri & pacem habeant per omnes terras meas. Hæc autem ſupraſcripta nos firmiter obſervaturos promiſimus & juravimus in præſentia venerabilis* Petri *tituli ſancti* Griſogoni *presbiteri Cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, & in præſentia* Ricardi Wintonienſis *epiſcopi, &* Johannis Carnotenſis *epiſcopi, &* Henrici Bajocenſis *epiſcopi, &* Frogerii Sagienſis *epiſcopi, &* Egidii Ebroicenſis *epiſcopi, &* Henrici *regis filii* H. *regis* Angliæ, *& Comitis* Theodbaldi, *& Comitis* Roberti, *&* Petri *de* Curtenai, *& Comitis* Simonis, *&* Willielmi de Humez *& multorum aliorum tam clericorum quam laicorum.*

Hoc anno vigilia ſancti *Andreæ* Apoſtoli hora necdum prima apparuit in *Cantia* rubor quidam quaſi flamma ardens & volans inpulſu venti qui veniebat. Quidam vero certiſſime affirmabant draconem flammeum criſpo capite ſe manifeſte eadem hora vidiſſe. Dixerunt plurimi ſignum hoc ſive draconis ſeu flammæ ardentis vel ruboris per totam *Angliam* apparuiſſe. Die tercia ventus flavit fortiſſime à ſupradicto climate, cujus pulſu intollerabili ædificia, arbores, tegumenta domorum ſed & tabulæ plumbeæ eccleſiarum ut panniculi parvuli corruerunt. Ipſo die populus Chriſtianus innumerata milia paganorum conſerto prælio confecerunt, ita ut ex eis xxx. vel eo amplius milia trucidarent, cæteroſque cum dedecore fugarent. Advenerat enim in fines *Jeroſolimitanos* infinitus exercitus paganorum cum parvulis ſuis & uxoribus ad expugnandam, immo ad poſſidendam civitatem ſanctam *Jeruſalem*. Sed favente Deo paganorum populus periit, & in membris ſuis videlicet Chriſtianis Jeſus Chriſtus triumphavit.

Rogerius autem *Auguſtinianorum* electus jam fere biennio poſt electionem ſuam expleto, de benedictione ſua tandem ſollicitus extitit. Prædeceſſorum itaque ſuorum veſtigia ſecutus *Ricardum Cantuarienſem* archiepiſcopum adiit, benedictionem poſtulavit. Annuit archiepiſcopus electi petitionibus, & debitam ſibi petiit profeſſionem. Conſilio igitur habito contradixerunt monachi primo, ſed in proximo redeuntes ad cor, conſenſerunt ut electus ſuus profiteretur. Sic tamen ut in eccleſia *Cantuarienſi* non fieret & in ſcedula profeſſioni ſubſcriberetur, *Salvis utriuſque privilegiis eccleſiæ*. Reſponſum eſt abbati ut archiepiſcopo ſuo debitam & canonicam profeſſionem faceret, & deinde non ex ſcripto ſed ex corde diceret. *Salve ſancta parens*, vel *ſalve feſta dies*, vel *ſalvis privilegiis*, vel quidlibet aliud. Noluit abbas conſentire nec ſui monachi, ſed toto conatu ſcripturæ intenderunt. Renuit tandem archiepiſcopus quod petitum eſt & frivolum reputavit, ne *Cantuarienſis* eccleſiæ antiquam dignitatem diminueret, novamque & inauditam profitendi formam introduceret. *Rogerius* igitur *Romanum* adiit pontificem, eique eccleſiam ſuam faciens tributariam, curiam *Romanam* in odium *Cantuarienſis* archiepiſcopi quocumque potuit molimine incitavit, adeo ut in contumeliam archiepiſcopi abbati conferret inſignia. I.

An. Gr̃æ 1178.

M. Clxxviij. *Rogerius* rediit in *Angliam* elatus admodum anulo & mitra, domino *Cantuarienſi* litteras papæ deferens, ut eum in eccleſia ſua abſque profeſſione benediceret. Archiepiſcopo autem ad tam enorme gravamen appellante benedictio illa ſuſpenſa eſt. *Rogerius* igitur clam regiis ſuffultus litteris denuo *Romam* petens, animoſitatem papæ *Alexandri* in archiepiſcopum magis accendit, quaſi in *Romani* pontificis præcepti tranſgreſſorem. Citati ſunt interea prælati ſanctæ eccleſiæ ad Concilium papæ *Alexandri* in proxima quadrageſima *Laterani* celebrandum. Archiepiſcopus quoque *Cantuarienſis* cum ſuis ſuffraganeis vocatus eſt. Cujus cum dominus Papa diutius præſtolaretur adventum, Abbatis ſupradicti protelavit benedictionem. Noluit enim etſi archiepiſcopum non diligeret, in alienam meſſem falcem mittere, donec utriuſque diligentius cauſam cognoſceret, litigandique rationem. Dicebatur enim quod debitam archiepiſcopo benedictionem abbatis voluerit reſervare. Archiepiſcopus autem *Pariſius* uſque progreſſus, adulatorum ſuorum familiarium ſuggeſtione & propria temeritate retentus, in *Angliam* reverſus eſt. Quo audito, dominus papa maliloquorum ſtimulis in archiepiſcopum incitatus, & quaſi fide oculata contemptum ſui coniciens, *Rogerium* abbatem exaltare, benedicere glorificareque non diſtulit.

Hoc anno die dominica ante nativitatem ſancti *Johannis* Baptiſtæ poſt ſolis occaſum luna prima ſignum apparuit mirabile quinque vel eo amplius viris exadverſo ſedentibus. Nam nova luna lucida erat, novitatis ſuæ more cornua protendens ad orientem, & ecce ſubito ſuperius cornu in duo diviſum eſt. Ex hujus diviſionis medio proſilivit fax ardens, flamma carbones & ſcintillas longius proiciens. Corpus interim lunæ quod inferius erat torquebatur quaſi anxie, & ut eorum verbis utar qui hoc michi retulerunt & oculis viderunt propriis, ut percuſſus coluber luna palpitabat, poſt hoc rediit in proprium ſtatum. Hanc viciſſitudinem duodecies & eo amplius repetiit, videlicet ut ignis tormenta varia ſicut prælibatum eſt ſuſtineret, iterumque in ſtatum rediret priorem. Poſt has itaque viciſſitudines, à cornu uſque in cornu ſcilicet per longum ſeminigra facta eſt. Hæc michi qui hæc ſcribo retulerunt viri illi qui ſuis hoc viderunt oculis; fidem ſuam vel jusjurandum dare parati quod in ſupradictis nichil addiderunt falſitatis.

Menſe Septembri vigilia ſanctæ crucis feria iv. luna xxvij. hora quaſi ſexta facta eſt eclipſis ſolis in *Cantia* non univerſaliter ſed particulariter. Corpus enim ſolis corniculatum apparuit ad occidentem cornua tendens ut luna ſolet cum viceſima eſt. De reliqua ſolis rotunditate nichil amplius videbatur. Nam quædam nigra ſperula ſolis reliquum texit ſplendorem, quæ paulatim deſcendens ſplendorem illum corniculatum circa ſe in parte ſuperiore rotavit, donec utraque cornua penderent utrimque quaſi in terram reſpicientes. Cumque illud nigrum paulatim procederet, cornua ſupradicta tandem ad orientem verſa ſunt ut in novilunio quæ prius erant ad occidentem. Sicque ſperula illa nigra paulatim tranſeunte, ſuam ſol recepit claritatem. Aer vero nubibus pauliſper obtectus, viſibus humanis præbuit adjutorium quo facilius ſupradicta viderentur. Diverſis interea locis coloribus variis aer tinctus erat, videlicet rubeo, croceo, viridi & pallido. Hæc à me & fere ab omnibus in *Cantia* conſtitutis videbantur. Alibi autem eclipſis fuit univerſalis, ut in meridie nox videretur tenebroſa, ut ſocius ſocium juxta ſe poſitum non videret. In *Francia* quoque eclipſis iſta viſa eſt.

Hoc anno *Ricardus de Luci* præfectus *Angliæ* mente revolvens ſedula quia quod antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt, in villa ſua quæ **Wlſeſnes** dicitur novam ædificavit eccleſiam, & canonicos ibidem poſuit regulares.

Guerricus autem Prior *Beremundenſis* electus ad abbatiam de **Faureſham** *Cantuariam* venit, archiepiſcopo *Ricardo* profeſſionem fecit & benedictionis munus accepit. II.

An. Græ 1179. M.Clxxix. Facta eſt choruſcatio cum terribili tonitruo cum vento magno & grandine in *Cantia* in aurora diei proxime poſt epiphaniam Domini: quod tunc temporis magnum dicebatur eſſe prodigium.

Abbas autem ſancti *Auguſtini* ſui non immemor negotii, cum nec reſiſtentem ſibi nec contradicentem haberet, in contumeliam *Cantuarienſis* archiepiſcopi à domino papa benedictus eſt in initio menſis Februarii. Sed ne benedictio iſta in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ temporibus futuris in conſequentiam traheretur, Papa dixit Abbati. Frater nos tibi manum benedictionis imponimus ſalvo jure & dignitate *Cantuarienſis* eccleſiæ. Unde & litteras ſuas miſit *Cantuarienſi* archiepiſcopo, quarum iſte eſt textus.

Alexander *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri* Ricardo Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus filius noſter* R. *nunc abbas tunc vero electus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *non ſine gravibus laboribus & expenſis ſecundo ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, pro eo ſicut dicebat quod ei juxta mandatum noſtrum & inſtitutionem ſanctæ recordationis patris & prædeceſſoris noſtri* Eugenii *papæ & juxta tenorem ſcripti noſtri in monaſterio ſuo manum nolebas benedictionis imponere, nos eum ſalvo jure & dignitate tua & ſucceſſorum tuorum benediximus in abbatem. Inde eſt quod nos tibi & eccleſiæ tuæ volentes in poſterum providere apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quod de prædicto electo benedicendo fecimus, juri tuo vel eccleſiæ tuæ nullum poſſit præjudicium generare. Data* Laterani 5 *idus aprilis.* Non enim voluit dominus papa *Cantuarienſis* eccleſiæ in poſterum jura conterere, etiamſi ad ſuggeſtionem malignantium in perſonam archiepiſcopi ad tempus voluerit vindicare.

In media quadrageſima coadunati ſunt epiſcopi & prælati ſanctæ eccleſiæ *Laterani* in eccleſia ſancti *Johannis*, ubi dominus papa *Alexander* Concilium celebravit & hæc ſubſcripta xxvj. capitula promulgavit.

I. Licet de vitanda diſcordia in electione *Romani* pontificis manifeſte ſatis à prædeceſſoribus noſtris Conſtituta manaverint, quia tamen ſæpe poſt illa per improbæ ambitionis audaciam gravem paſſa eſt ſciſſuram eccleſia, nos eciam ad malum hoc devitandum de conſilio fratrum noſtrorum & ſacri approbatione Concilii aliquid decernimus adjungendum. Statuimus igitur ut ſi forte inimico homine ſuperſeminante zizaniam, inter Cardinales de ſubſtituendo pontifice non potuerit eſſe plena concordia, & duabus partibus concordantibus tercia pars concordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit ordinare, ille *Romanus* pontifex habeatur qui à duabus partibus electus fuerit & receptus.

II. Si quis autem de terciæ partis nominatione confiſus, quia ratione non poteſt nomen ſibi epiſcopi uſurpaverit, tam ipſe quam qui eum receperint excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri ordinis privatione mulctentur, ita ut viatici eciam eis niſi tantum in ultimis communio denegetur, & niſi reſipuerint, cum *Datan* & *Abiron* quos terra vivos abſorbuit accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus aliquis quam à duabus partibus electus fuerit ad apoſtolatus officium, niſi major concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur, & prædictæ pœnæ ſubjaceat ſi humiliter noluerit abſtinere. Ex hoc tamen nullum canonicis conſtitutionibus & aliis judiciis præjudicium generetur, in quibus majoris & ſanioris partis debet ſententia prævalere, quia quod in eis in dubium venerit, ſuperioris poterit judicio definiri. In *Romana* vero eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non poteſt ad ſuperiorem recurſus haberi.

III. Quia vero nonnulli modum avaritiæ non ponentes, & diverſas eccleſiaſticas dignitates & plures eccleſias parochiales contra ſacrorum canonum inſtituta nituntur adquirere, ita ut cum unum officium vix implere. Sufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum, ne id de cætero fiat diſtrictius inhibemus. Cum igitur vel eccleſia vel eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere. Quod ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros canones acceperit amittat, Et qui dederit, largiendi poteſtate privetur. Et quia tantum quorundam proceſſit ambitio, ut non duas vel tres, ſed ſex vel plures eccleſias perhibeantur habere, nec duabus poſſunt debitam proviſionem impendere: per fratres & coepiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus, & de multitudine canonibus inimica (quæ diſſolutionis & vagationis materiam inducit, & certum continet periculum animarum.) eorum qui eccleſiis deſervire valeant indigentiam ſublevari.

IV. Quia in omnibus fere locis crimen uſurarum ita invaluit, ut multi aliis negotiis prætermiſſis quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriuſque teſtamenti pagina condempnentur nequaquam attendunt, ideo conſtituimus ut uſurarii manifeſti nec ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam ſi in hoc peccato deceſſerint accipiant ſepulturam. Sed nec oblationem eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, aut Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ; et ea quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui archiepiſcopi ſatisfecerit, ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus.

V. Cum in officiis caritatis primo loco illis teneamur obnoxii à quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe; econtra quidam clerici cum ab eccleſiis ſuis multa bona perceperunt, bona per eccleſiam adquiſita tamen in alios transferre præſumunt. Hoc igitur quia & antiquis canonibus conſtat inhibitum, nos eciam nichilominus inhibemus. Indempnitati itaque eccleſiarum providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint, ſive aliis quod non licet conferre voluerint, penes eccleſias eadem bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub precio ſtatuuntur qui decani vocantur pro certa pecuniæ quantitate epiſcopalem juriſdictionem exercent, præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cætero id præſumpſerit, officio ſuo privetur, & epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

VI. Cum in cunctis eccleſiis quod pluribus & ſenioribus fratribus viſum fuerit incunctanter debeat obſervari, grave nimis eſt & reprehenſione digniſſimum, quod per quaſdam eccleſias pauci quandoque non tam de ratione quam de propria voluntate ordinationem multorum impediunt & ordinationem eccleſiaſticam procedere non permittunt: Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, ut ubi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter fuerit oſtenſum, appellatione remota prævaleat ſemper & ſuum conſequatur effectum quod à majoris & ſanioris conſilii parte fuerit conſtitutum. Nec Conſtitutionem noſtram impediat ſi forte aliquis ad conſervandam eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſe juramento dicit aſtrictum. Non enim dicenda ſunt juramenta, ſed perjuria potius quæ contra utilitatem eccleſiaſticam & ſanctorum patrum veniunt inſtituta. Si quis autem hujuſmodi conſuetudines quæ nec ratione juvantut, nec ſacris congruunt inſtitutis jurare præſumpſerit, donec condignam egerit pœnitentiam à perceptione Domini corporis alienus exiſtat.

VII. Quoniam in quibuſdam locis fundatores eccleſiarum & hæredes eorum poteſtate in qua eos eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur: Et cum in Dei eccleſia unus debet eſſe qui præſit, ipſi plures ſine reſpectu ſubjectionis eligere moliuntur: Et cum una eccleſia unius debeat eſſe rectoris, pro ſua defenſione, plurimos repræſentant: Quocirca præſenti decreto ſancimus, ut ſi forte in plures partes fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur eccleſiæ qui majoribus juvatur meritis, & plurium eligitur & probatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiverit, ordinet antiſtes eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam. Idipſum eciam faciat ſi de jure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competat infra tres menſes non fuerit diffinitum.

Quod à prædeceſſore noſtro felicis memoriæ *Innocentio* factum eſt innovantes, ordinationes ab *Octaviano*, *Guidone*, hæreſiarchis, necnon & *Johanne Strumenſi*, qui eos ſecutus eſt, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus. Adicientes eciam, ut qui dignitates eccleſiaſticas ſeu beneficia per prædictos ſciſmaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes quoque ſeu invaſiones quæ per eoſdem ſciſmaticos ſeu laicos factæ ſunt de rebus eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad eccleſiam ſine omni ejus onere revertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe noverit ſubjacere. Illos autem qui ſponte juramenta de tenendo ſciſmate præſtiterunt, à ſacris ordinibus & dignitatibus decernimus manere ſuſpenſos.

VIII. Cum in cunctis ſacris ordinibus & eccleſiaſticis miniſteriis & ætatis maturitas & gravitas morum & litterarum ſcientia ſit quærenda, multo fortius in epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam poſitus aliorum in ſe ipſo debet oſtendere qualiter alios oporteat in domo Dei converſari. Ea propter ne, quod de quibuſdam ex neceſſitate temporis factum eſt, in exemplum trahatur à poſteris, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in epiſcopum eligatur, niſi qui jam triceſimum ætatis annum egerit, & de legitimo ſit matrimonio natus, qui eciam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur. Cum autem qui electus fuerit & confirmationem electionis acceperit, & eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis epiſcopis à canonibus diffinito, is ad quem ſpectant beneficia quæ habuerat diſponendi de illis liberam optineat facultatem. Inferiora eciam miniſteria, ut puta decanatus, archidiaconatus & alia quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parochialium eccleſiarum regimen, niſi qui jam xxv. annum ætatis attingerit, & qui ſcientia & moribus commendandus exiſtat. Cum autem aſſumptus fuerit, ſi archidiaconus in diaconem, decanus & reliqui ammoniti, non fuerint præfixo à canonibus tempore in presbyteros ordinati, & ab illo removeantur officio & aliis conferatur, qui velint & poſſint illud convenienter implere.

Nec proſit eis appellationis diffugium, ſi forte in tranſgreſſione conſtitutionis iſtius per appellationem voluerint ſe tueri. Hoc ſane non ſolum de promovendis, ſed de iis eciam qui jam promoti ſunt, ſi canones non obſiſtant, præcipimus obſervandum. Clerici quidem ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi poteſtate privatos, & ab eccleſiaſticis beneficiis triennio noverint ſe ſuſpenſos. Dignum eſt enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coherceat ſeveritas diſciplinæ. Epiſcopus autem ſi aut fecerit contra hoc, aut conſenſerit fieri, in conferendis prædictis officiis, poteſtatem ſuam amittat, & per capitulum, aut per metropolitanum, ſi capitulum nequiverit, ordinentur.

IX. Nulla eccleſiaſtica miniſteria, ſeu eciam beneficia vel eccleſiæ alicui tribuantur, ſeu promittantur antequam vacent; ne deſiderare quis mortem proximi videatur in cujus locum & beneficium ſe credit ſucceſſurum. Cum enim id etiam in ipſis gentilium legibus inveniatur inhibitum, turpe nimis eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi eciam condempnare gentiles homines curaverunt. Cum vero præbendas, eccleſias, ſeu quælibet officia in aliqua eccleſia vacare contigerit, vel ſi eciam modo vacant, non diu maneant in ſuſpenſo; ſed in vj. menſes perſonis quæ digne adminiſtrare valeant conferantur. Si autem epiſcopus ubi ad eum ſpectaverit conferre diſtulerit, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad capitulum electio pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, epiſcopus ſecundum Deum, hoc cum conſilio religioſorum virorum exſequatur. Aut ſi forte omnes neglexerint, metropolitanus de ipſis ſecundum Deum, abſque illorum contradictione diſponat. Præterea epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo de quo neceſſaria vitæ percipiat in Diaconem, vel Presbyterum ordinaverit, tam diu ei neceſſaria ſubminiſtret; donec ei in aliqua eccleſia convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet, niſi talis fortequi ordinatur extiterit qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

X. Cum in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum eſt gratis rependi, horribile nimis eſt quod in quibuſdam eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro epiſcopis, vel abbatibus ſeu eciam quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſive introducendis presbyteris in eccleſiam, necnon pro ſepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium ſeu aliis ſacramentis aliquid requiratur. Putant autem ex his plures ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur: non ſatis quia cupiditate cæcati ſunt attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne hoc igitur de cætero fiat, vel pro perſonis eccleſiaſticis deducendis ad ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu eciam benedicendis nubentibus, ſeu aliis ſacramentis aliquid exigatur diſtrictius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum *Giezi* ſe noverit habiturum, cujus factum exactione turpi muneris imitatur. Prohibemus inſuper ne novi cenſus ab epiſcopis vel abbatibus aliiſve prælatis imponantur eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partes reddituum ſuis uſibus approbare præſumant; ſed libertatem quam majores ſibi conſervari deſiderant, minoribus quoque ſuis bona voluntate conſervent. Siquis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur.

XI. Cum dicat Apoſtolus, habundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, è contra quidam quæ ſua ſunt non quæ *Jeſu Chriſti* quærentes, leproſis qui ſanis cohabitare non poſſunt, vel ad eccleſiam cum aliis convenire, eccleſias vel cimiteria non permittunt habere, nec proprii juvari miniſterio ſacerdotis. Quod quia procul à Chriſtiana pietate eſſe dinoſcitur, de benignitate apoſtolica conſtituimus, ut ubicunque tot ſimul ſub communi vita fuerint congregati, qui eccleſiam cum cimiterio ſibi conſtruere & proprio valeant gaudere presbytero, ſine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant tamen ut injurioſi veteribus eccleſiis de jure parochiali nequaquam exiſtant, quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare; ſtatuimus eciam ut de ortis, & & de nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur.

XII. *Judei* ſive *Saraceni*, nec ſub alendorum puerorum obtentu, nec pro ſervitio vel alia qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere. Excommunicentur autem qui cum eis præſumpſerint habitare. Teſtimonium *Chriſtianorum* adverſus *Judeos* in omnibus cauſis cum illi adverſus *Chriſtianos* teſtibus ſuis utantur, recipiendum eſſe cenſemus. Et anathemate decernimus feriendos quicunque *Judeos Chriſtianis* voluerint in hac parte præferre, cum eos Chriſtianis ſubjacere oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foveri. Sed qui præterea Deo inſpirante ad fidem ſe converterint Chriſtianam, à poſſeſſionibus nullatenus excludantur, cum melioris conditionis converſos ad fidem eſſe oporteat, quam antequam ſuſciperent fidem habebantur. Si autem ſecus factum fuerit, principibus ſeu poteſtatibus eorundem locorum ſub pœna excommunicationis injungimus, ut portionem hæreditatis, & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

XIII. Monachi non precio recipiantur in monaſterio, non peculium permittantur habere, non ſinguli per villas & opida ſeu quaſcunque parochiales ponantur eccleſias, ſed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, *Salomone* dicente, *Va ſoli*. &c. Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. Is autem qui eum receperit, officii ſui privatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, niſi ab abbate fuerit pro injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat ſepulturam. Quod eciam de diverſis religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem qui diligenter iſta non curaverit, officii ſui jacturam ſe noverit incurſurum. Prioratus quoque ſeu obedientiæ precii datione nulli tradantur. Alioquin & dantes & accipientes à miniſterio fiant eccleſiaſtico alieni. Priores autem cum in conventualibus eccleſiis fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta & rationabili cauſa non mutentur, videlicet ſi dilapidatores fuerint, ſi incontinenter vixerint, aut aliquid tale egerint pro quo amovendi merito videantur, aut ſi eciam pro neceſſitate majoris officii de conſilio fratrum fuerint transferendi.

XIV. Sicut ait beatus *Leo*, licet eccleſiaſtica diſciplina ſacerdotali contenta judicio cruentas effugiat ultiones, catholicorum tamen Principum conſtitutionibus adjuvatur, ut ſæpe quærant homines ſalutare remedium dum corporale ſuper ſe ſupplicium metuunt evenire. Ea propter quia in *Gaſconia*, *Albegeſio*, & partibus *Toloſanis*, & aliis locis ita hæreticorum (quos alii *Cataros*, alii *Publicanos*, alii *Paterinos*, alii aliis nominibus vocant) invaluit dampnanda perverſitas, ut jam non in occulto, ſicut alibi, nequitiam ſuam exerceant, ſed errorem ſuum publice manifeſtent, & ad conſenſum ſuum ſimplices attrahant & infirmos, eos, & defenſores eorum, & receptores anathemati decernimus ſubjacere,& ſub anathemate prohibemus, ne quis ipſos in domo, vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, nec ſub privilegiorum noſtrorum quibuſcunque indultorum obtentu, nec ſub alia quacunque occaſione, aut oblatio pro eis fiat, aut inter Chriſtianos accipiant ſepulturam. De *Brabantionibus* & *Arragonenſibus*, *Navariis*, *Baſculis*,& *Coterellis*, qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent, ut nec eccleſiis, nec monaſteriis deferant, non viduis & pupillis, non pueris aut ſenibus, nec cuilibet ætati parcant, aut ſexui; ſed more paganorum omnia vaſtent & perdant, ſimiliter conſtituimus, ut ipſi & qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint per regiones, in quibus taliter debachantur, in dominicis, & aliis diebus ſolemnibus, per eccleſias excommunicati publice nuncientur,& eadem omnino ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur aſtricti, nec ad communionem recipiantur eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera & hæreſi abjuratis. Relaxatos autem ſe noverint à debito fidelitatis & hominii, ac totius obſequii Chriſtiani donec in tanta iniquitate permanſerint, qui cum illis aliquo pacto tenentur annexi. Principibus autem cunctiſque fidelibus in remiſſionem injungimus peccatorum, ut tantis cladibus viriliter ſe opponant, & contra eos armis tueantur populum Chriſtianum. Confiſcentur quoque bona eorum, & liberum ſit principibus hujuſmodi peſtilentes homines ſubicere ſervituti. Qui autem in vera pœnitentia ibi deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Nos vero de dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* autoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint; & ad epiſcoporum, ſive aliorum prælatorum conſilium ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœnitentia relaxamus. Aut ſi longiorem moram ibi habuerint, epiſcoporum diſcretioni quibus hujus rei cura fuerit injuncta committimus, ut ad eorum arbitrium ſecundum modum laboris major eis indulgentia tribuatur. Illos autem qui ad monitionem epiſcoporum in hujuſmodi parere contempſerint, à perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Eos vero qui ardore fidei ad expugnandos ipſos laborem iſtum aſſumpſerint,ſicut eos qui ſepulchrum Domini viſitant, ſub eccleſiæ defenſione recipimus, & ab univerſis inquietationibus tam in rebus, quam in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſquam interim eos moleſtare præſumpſerit, per epiſcopnm loci excommunicationis ſententia feriatur, & tam diu ſententia ab omnibus obſervetur, donec ablata reddat, & de illatis dampnis congrue ſatisfaciat. Epiſcopi vero ſive presbiteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui ſuſpenſione multentur, dones miſericordiam Apoſtolicæ ſedis obtineant.

XV. Non minus pro eorum peccato qui faciunt quam pro illorum detrimento qui ſuſtinent grave nimis eſſe dinoſcitur, quod in diverſis partibus mundi rectores & conſules civitatum, necnon & alii qui poteſtatem habere videntur, tot eccleſiis onera frequenter imponunt,ita gravibus eas & crebris exactionibus premunt, ut deterioris conditionis ſub eis factum ſacerdotium videatur, quam ſub *Pharaone* fuerit, qui divinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis ſervituti ſubjectis, ſacerdotes ſuos & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtravit. Iſti vero univerſa fere onera ſua imponunt eccleſiis, & tot angariis ipſas affligant, ut illud ei quod *Jeremias* deplorat competere videatur, *Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo*: ſive quidem foſſata, ſive expeditiones,ſive alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis eccleſiarum, clericorum, & pauperum Chriſti uſibus deputatis cuncta fere volunt compleri. Juriſdictionem, & autoritatem epiſcoporum, & aliorum prælatorum ita evacuant, ut nichil poteſtatis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Super quo dolendum eſt pro eccleſiis, dolendum eſt nichilominus & pro ipſis qui timorem Dei, & Eccleſiaſtici ordinis reverentiam videntur penitus abjeciſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione ſeverius prohibemus, ne talia de cætero attemptare præſumant, niſi epiſcopus vel clerus tantam neceſſitatem & utilitatem inſpexerint, ut abſque coactione ad relevandas communes neceſſitates, ubi lucrorum non ſuppetunt facultates,ſubſidia per eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules, aut alii de cætero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere noluerint, tam ipſi quam fautores eorum excommunicationi ſe noverint ſubjacere. Nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatisfactionem fecerint competentem.

XVI. Præterea quia in tantum quorundam laicorum proceſſit audacia, ut epiſcoporum autoritate neglecta clericos inſtituant in eccleſiis & removeant cum voluerint, poſſeſſiones quoque, atque alia eccleſiaſtica bona pro ſua plerumque voluntate diſtribuant; & ita tam eccleſias ipſas quam homines earum talliis, & exactionibus gravare præſumant. Eos qui amodo iſta commiſerint anathemate decernimus eſſe feriendos. Presbyter autem ſive clericus qui eccleſiam per laicos ſine proprii epiſcopi autoritate receperit communione privetur. Et ſi perſtiterit, à miniſterio eccleſiaſtico & ordine deponatur. Sane quia laici quidam eccleſiaſticas perſonas,& ipſos etiam epiſcopos judicio ſuo ſtare compellunt, eos qui de cætero id præſumſerint, à communione fidelium decernimus ſegregandos. Prohibemus inſuper ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo tranſferre. Si quis vero receperit, & eccleſiæ non reddiderit, Chriſtiana ſepultura privetur.

XVII. Clerici in ſubdiaconatum & ſupra, & in minoribus quoque ordinibus, ſi ſtipendiis eccleſiaſticis ſuſtentantur,coram ſeculari Judice advocati in negotiis fieri non præſumant. Si quis autem adverſus hoc venire temptaverit, quia contra doctrinam apoſtoli dicentis, *Nemo militans Deo ingerat ſe ſecularibus negotiis*, ſeculariter agit, ab eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus, pro eo quod officio clericali neglecto, fluctibus ſeculi ut potentibus ſeculi placeat ſe immergit. Diſtrictius autem decernimus puniendum, ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum auſus fuerit attemptare.

XVIII. Ita quorundam animos ſæva occupavit cupiditas, ut cum glorientur nomine Chriſtiano, *Saracenis* arma, ferrum & ligamina deferant galearum, & pares aut etiam ſuperiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Chriſtianos arma eis, & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam qui pro ſua cupiditate in galeis *Saracenorum* navibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab eccleſiæ communione præciſos, & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, & rerum ſuarum per Principes ſeculi catholicos, & Conſules civitatum privatione mulctari, & capientium ſervos ſi capti fuerint fore cenſemus. Præcipimus autem ut in eccleſiis maritinarum urbium crebra & ſolempnis in eos excommunicatio proferatur. Excommunicationis quoque pœnæ ſubdantur, qui *Romanos* aut alios *Chriſtianos* pro negotiatione aut aliis honeſtis cauſis navigio vectos, aut capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi autem qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundum fidei regulam auxilio eſſe tenentur, dampnanda cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, niſi ablata reddiderint, excommunicatione ſe noverint ſubjacere.

XIX. Felicis memoriæ paparum *Innocentii* & *Eugenii*, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles nundinas, vel ferias quas vulgo tornamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temerarie congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

XX. Treugas à quinta feria poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis, & ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à ſeptuageſima uſque ad octavas Paſchæ, ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treugam frangere temptaverit, poſt terciam commonitionem, ſi non ſatisfecerit, epiſcopus ſuus excommunicationis ſententiam dictet, & ſcriptam vicinis epiſcopis annuntiet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatum in communionem ſuſcipiat, immo ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem violare hoc præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubjaceat. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus ut Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam, mutuum ſibi conſilium, & auxilium præbeant. Neque hoc alicujus amore, vel odio prætermittant. Quod ſi quis in hoc opere Dei tepidus inventus fuerit, dampnum propriæ dignitatis incurrat.

XXI. Cum & plantare ſacram religionem, & fovere plantatam modis omnibus debeamus, nunquam hoc melius exequemur, quam ſi nutrire quæ recta ſunt, & corrigere quæ profectum veritatis impediunt, penſemus. Fratrum autem & coepiſcoporum noſtrorum vehementi conqueſtione comperimus, quod *fratres Templi*, & *Hoſpitalis*, alii quoq; religioſæ profeſſionis indulta ſibi ab apoſtolica ſede privilegia excedentes contra apoſtolicam auctoritatem multa præſumunt, quæ & ſcandalum faciunt in populo Dei, & grave pariunt periculum animarum. Propoſuerunt enim quod eccleſias recipiunt de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad eccleſiaſtica ſacramenta, & ſepulturam admittant, in eccleſiis ſuis præter eorum conſcientiam, & inſtituant, & amoveant ſacerdotes; & fratribus eorum ad elemoſynas quærendas euntibus, cum indultum eis ſit ut in eorum adventu ſemel in anno aperiantur eccleſiæ, atque in iis divina celebrentur officia, plures ex eis de una ſive de diverſis domibus ad interdictum locum ſæpius accedentes indulgentia privilegiorum noſtrorum in celebrandis officiis abutuntur, & tunc mortuos apud interdictas eccleſias ſepelire præſumunt. Occaſione quoque fraternitatum quas in pluribus locis faciunt, robur epiſcopalis auctoritatis enervant, dum contra eorum ſententiam ſub aliquorum privilegiorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem voluerint ſe conferre. In his autem quia non tam de majorum conſcientia quam de minorum diſcertatione quorundam exceditur, & removenda ea in quibus exceditur, & quæ dubitationem faciunt, decrevimus declaranda. Eccleſias ſane & decimas ſine conſenſu epiſcoporum, de manu laicorum tam illos quam quoſcunque alios religioſos recipere prohibemus, dimiſſis etiam quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt. Excommunicatos & nominatim interdictos, tam ab illis, quam ab omnibus aliis juxta epiſcoporum ſententiam ſtatuimus evitandos. In eccleſiis ſuis quæ ad eos pleno jure non pertinent, inſtituendos presbyteros epiſcopis repræſentent: ut eis quidem de plebis cura reſpondeant, ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos autem inconſultis epiſcopis non audeant removere. Si vero *Templarii*, ſive *Hoſpitalarii* ad eccleſiam interdictam venerint, non niſi ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur, nec tunc ibi corpora ſepeliant mortuorum. De fraternitatibus autem hoc conſtituimus, ut ſi non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis duxerint manendum, propter hoc ab epiſcoporum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios parochianos ſuos exerceant, cum pro ſuis exceſſibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum eſt, ab aliis quoque religioſis qui præſumptione ſua epiſcoporum jura præripiunt, & contra canonicas eorum ſententias, & tenorem privilegiorum noſtrorum venire præſumunt, præcipimus obſervari. Si autem contra inſtitutum hoc venerint, & eccleſiæ in quibus hæc præſumpſerint ſubjaceant interdicto, & quod egerint irritum & vacuum habeatur.

XXII. Quoniam eccleſia Dei, & in his quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, & in his quæ ad profectum proveniunt animarum, indigentibus ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi & proficiendi oportunitas ſubtrahatur, per unamquamque cathedralem eccleſiam, magiſtro qui clericos ejuſdem eccleſiæ & ſcolares pauperes doceat, competens beneficium aliquod tribuatur. Aliis quoque reſtituatur eccleſiis, ſeu monaſteriis, ſi retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum, quo docentis neceſſitas ſublevetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam. Pro licentia vero docendi nullus omnino precium exigat, vel ſub obtentu alicujus

cujus conſuetudinis ab eis qui docent aliquid quærat, nec docere quemquam expetita licentia qui ſit idoneus interdicat. Qui vero contra hoc præſumpſerit, ab eccleſiaſtico beneficio fiat alienus. Dignum quidem eſſe videtur ut in eccleſia Dei fructum laboris non habeat, qui cupiditate animi dum vendit docendi licentiam eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

XXIII. Reprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdam partibus inolevit, ut cum fratres & coepiſcopi noſtri ſeu eciam archidiaconi appellaturos quoſdam exiſtimant, in cauſis ſuis, nulla penitus admonitione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam in eos ferunt. Alii eciam dum ſuperioris ſententiam & diſciplinam canonicam reformidant, ſine ullo gravamine appellationem obiciunt, & ad defenſionem iniquitatis uſurpant quod ad præſidium innocentium dinoſcitur inſtitutum. Quocirca, ne vel prælati ſine cauſa valeant gravare ſubditos, vel ſubditi pro ſola voluntate ſub appellationis obtentu correctionem valeant eludere prælatorum, præſenti decreto ſtatuimus, ut nec prælati niſi canonica ammonitione præmiſſa ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubditos, niſi talis ſit culpa quæ ipſo genere ſuo excommunicationis pœnam inducat: nec ſubditi contra eccleſiaſticam diſciplinam ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis erumpant. Si vero quidam pro neceſſitate ſua credent appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur, infra quem ſi forte proſequi neglexerit, libere tunc epiſcopus auctoritate ſua utatur. Si vero in quocunque negotio aliquis appellaverit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellaverit venire neglexerit: ſi proprium habuerit competentem ei faciat recompenſationem expenſarum, ut hoc ſaltem timore perterritus, in gravamen alterius non facile quis appellet. Præcipue vero in locis religioſis hoc volumus obſervari, ne monachi ſive quicunque religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem prælati ſui & capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter ac devote ſuſcipiant quod pro ſalute ſua eis fuerit injunctum.

XXIV. Clerici in ſacris ordinibus conſtituti qui mulierculas in domibus ſuis ſub incontinentiæ nota tenuerint, aut abiciant eas & continenter vivant, aut ab officio & beneficio eccleſiaſtico fiant alieni. Quicunque vero in incontinencia illa quæ contra naturam eſt propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & duas civitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare, eiciantur à clero, vel ad pœnitentiam agendam in monaſteriis retrudantur. Si laici, excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni. Præterea monaſteria ſanctimonialium ſi quis clericus ſine manifeſta cauſa & neceſſaria frequentare præſumpſerit, per epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit, à beneficio eccleſiaſtico reddatur immunis.

XXV. Cum apoſtolus ſe aut ſuos propriis manibus decreverit exhibendos ut locum prædicandi auferret pſeudoapoſtolis, & illis quibus prædicabat non exiſteret oneroſus, grave nimis & emendatione dignum eſſe dinoſcitur, quod quidam fratrum & coepiſcoporum noſtrorum ita graves in procurationibus ſubditis ſuis exiſtunt, ut pro hujuſmodi cauſa interdum ipſa eccleſiaſtica ornamenta ſubditi compellantur exponere, & longi temporis victum brevis hora conſumat. Quocirca ſtatuimus quod archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diverſitate provinciarum & facultatibus eccleſiarum xl. vel l. evectionis numerum, epiſcopi xx. vel xxx. Cardinales vero xx. vel xxv. nequaquam excedant. Archidiaconi vero quinque aut ſeptem, decani conſtituti ſub epiſcopis duobus equis contenti exiſtant. Nec cum canibus venatoriis aut avibus proficiſcantur, ſed recte procedant, ut non quæ ſua ſunt ſed quæ Jeſu Chriſti quærere videantur. Prohibemus eciam ne ſubditos ſuos talliis & exactionibus epiſcopi gravare præſumant. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus quæ aliquotiens ſuperveniunt, ut ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, cum caritate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare. Cum enim dicat apoſtolus, *Non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis*: multum longe à paterna pietate videtur, ſi præpoſiti ſubditis ſuis graves exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris more debent fovere. Archidiaconi autem ſive decani nullas exactiones, vel tallias in presbyteros, ſeu clericos exercere præſumant. Sane quod de numero evectionis ſecundum tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſervari, in quibus ampliores ſunt redditus & eccleſiaſticæ facultates. In pauperibus autem locis tantam volumus teneri menſuram, ut ex acceſſu majorum minores non debeant gravari, ne ſub tali indulgentia illi qui paucioribus equis uti ſolebant hactenus, plurium ſibi credant poteſtatem indultam.

XXVI. Innovamus eciam ut presbyteri, clerici, monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes & redeuntes, in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & quæ ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur. Nec quiſquam alicubi novas pedagiorum exactiones ſtatuere, aut ſtatutas de novo tenere, aut veteres augere aliquo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit & commonitus non deſtiterit, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes præcipimus, ut donec ſatisfaciat communione careat Chriſtiana.

Hoc eodem ſcilicet M. C. lxxix. gratiæ anno benedixit *Walterius Roſenſis* epiſcopus primum abbatem *Lieſnenſis* eccleſiæ apud *Roſam*, accepta ab eo profeſſione de canonica ſubjectione.

Quarto idus Aprilis feria ſcilicet tercia poſt octavas Paſchæ eidem *Roſenſi* eccleſiæ triſte accidit incommodum. Nam ipſa eccleſia ſancti *Andreæ* cum officinis ſuis cum ipſa civitate igne conſumpta eſt & in cinerem redacta.

Menſe Julio *Ricardus de Luci* præfectus *Angliæ* in eccleſia de **Lieſnes** quam ipſe fundaverat, veſte mutata vitam finivit, & in capitulo ſepultus eſt.

Octavo idus Auguſti *Herlewinus* Prior *Cantuarienſis* eccleſiæ reſignavit prioratum anno tercio ſui prioratus. Senuit enim & caligaverant oculi ejus & videre non poterat. Cui ſucceſſit eadem die magiſter *Alanus*, ante paucos annos *Beneventana* eccleſiæ canonicus, ſed natione *Anglus* & *Cantuarienſis* eccleſiæ quinquennis fere novitius. De quo tanta ſpes probitatis & converſationis honeſtæ habita eſt, ut ex conſilio & conſenſu totius fere Conventus *Ricardo* archiepiſcopo quodammodo vis inferretur ut eum in prioratum promoveret.

Facta eſt eclipſis lunæ xiiij. kalend. Septembris. Quæ manifeſte *Henrico* regi *Angliæ* & his qui cum eo erant apparuit, cum tota nocte equitans *Lodovico* regi *Francorum* occurreret apud *Dovoriam* ad mare, qui ad ſanctum *Thomam* orandi gratia veniebat, ob ſpem recuperandæ ſalutis. Decimo kal. ejuſdem ambo reges cum honore debito & gaudio ineffabili ſuſcepti ſunt à venerabili *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo, & epiſcopis *Angliæ*, & conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ, & innumera multitudine magnatum regni *Anglorum*, & ad memoriam beati martyris deducti. Ubi rex *Franciæ* facta oratione cuppam ſuam auream obtulit & redditum centum modiorum vini ſingulis annis in obſequium martyris & eccleſiæ Chriſti; ad tumbam martyris pernoctavit, & in craſtino in capitulo fraternitatem petiit & accepit, & data Carta lætus receſſit, & apud *Dovoriam* transfretavit.

Menſe Octobri venit epiſcopus *Acconenſis Cantuariam* orandi gratia, & kal. Novembris regis *Francorum Lodovici* filius *Philippus* ipſo patre præcipiente coronatus eſt. III.

An. Gr̃æ 1180.

M.C.lxxx. Perſecutio graviſſima facta eſt in trapezetas *Angliæ* qui monetam nimia corruperant falſitate. Qui præter alias vexationes varias compedibus colligati, duo & duo ſimul in carectis ad curiam regis ducebantur.

Tercio decimo kal. Maii Conventus *Cantuarienſis* eccleſiæ novum chorum intravit anno ſeptimo combuſtionis ejuſdem.

Menſe Aprili novus rex *Franciæ Philippus Lodovici* regis filius deſponſavit filiam Comitis de *Hano*; unde ſuorum avunculorum omniumque fere nobilium *Franciæ* indignationem incurrit, eo ſcilicet quod ſuorum ſpreto conſilio, Comiti *Flandriæ* ſoli credebat, & quod per ipſius conſilium uxorem de tam humili progenie ſibi aſſociare voluerit in reginam. Auxit quoque indignationem quod matri ſuæ annuere noluerit, ut in ſua diſpoſitione haberet caſtella vel villas ſuæ dotis. His & hujuſmodi de cauſis utriuſque partis conſentaneis ad arma convolantibus, ad hoc tandem perventum eſt, ut in ſolis redditibus matri ſuæ rex novus victualia conſtitueret; & armati in ſua pacifice redierunt.

Undecimo kal. Junii cum civitas *Cantuariæ* igne vaſtaretur, & jam pluribus conſumptis domibus eccleſiæ ſanctæ Trinitatis immineret periculum, tulerunt monachi feretrum ſancti *Audoeni* contra ignem; ſtatimque flamma ſtridens quaſi à vento, immo à virtute Dei in ſe retorta ulterius procedere non præſumpſit. Quarto idus Auguſti conſecravit *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus *Baldewinum* pium abbatem de Fordes ad regimen *Wigornienſis* eccleſiæ apud Lambethe, accepta ab eo profeſſione de canonica ſubjectione. Non multo poſt elapſo tempore Chriſtianiſſimus rex *Francorum Lodovicus* obiit xv. kal. Octobris anno regni ſui xliiij. enutritus in bona ſenectute. Cujus corpus ſepultum eſt apud *Barbel* in monaſterio ſuo quod ipſe fundaverat. Obiit *Warinus* Prior *Dovoriæ*, cui ſucceſſit in prioratum *Johannes* Celararius *Cantuariæ*, ſuſcepitque prioratum in capitulo *Cantuariæ* præſidente & præcipiente *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo & aſſentiente conventu. In die feſtivitatis ſancti *Martini* nova moneta inſtituta eſt in *Anglia*, & in ordinatione ſancti *Ælfegi* conſecratus eſt *Seinfridus Ciceſtrenſis* epiſcopus data profeſſione apud *Cantuariam* domno *Ricardo* archiepiſcopo ejuſdem civitatis. IV.

An. Gr̃æ 1181.

M.C.lxxxj. Mulier quædam prophetiſſa ſed & prodigioſa de *Gaſconia Romam* veniens, *Alexandro* papæ litteras à Deo ſibi miſſas porrexit, in quibus quædam futura prodigia legebantur. Hæc cum mira diceret, prælatis eccleſiæ feſtinum imminere dicebat periculum. Hæc in oculis domini papæ & curiæ *Romanæ* in tantum extitit admirabilis ut in papæ palatio recumbere diceretur. Nam à quarta feria uſque in ſabbatum omni ebdomada indeſinenter dormiebat. Loquebatur dormiens aliquid ſpirituale labiis compreſſis. In gutture quippe vox reſonans ad audientium pervenit noticiam. Profluebat interea ſanguis ex ipſius ore, oculis ſimul & naribus, quem ſabbato circa nonam evigilans propriis exterſit manibus. Et quod incredibile eſt, nuſquam deinde in ea ſanguinis eliquati veſtigia apparuerunt. Hæc michi viro dicenti vix credere potui, donec michi conſtare faceret hæc propriis oculis in papæ palatio vidiſſe & audiſſe.

Martyrizatus eſt hoc anno ad Paſcha apud ſanctum *Edmundum* à *Judæis* puer quidam *Robertus* nomine, qui in proximo in eccleſia ſancti *Edmundi* honorifice ſepultus, multis ut fama fuit claruit miraculis.

Sexto kal. Julii convenerunt apud *Londoniam Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus, epiſcopus *Dunelmenſis*, *Rogerius* abbas ſancti *Auguſtini* aliique non modicæ auctoritatis viri. Dederat enim in mandatis *Romanus* pontifex *Alexander*, præfato epiſcopo *Dunelmenſi* & abbati ſancti *Albani*, ut abbatem ſancti *Auguſtini* cogerent archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſua privilegia oſtendere, daretque copiam legendi. Continebant enim quædam capitula in contumeliam *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ magis falſa quam vera videbantur. Hoc jam tercio à ſede apoſtolica emanaverat mandatum, ſed invincibili tergiverſatione monachorum uſque in præſens dilatum eſt. Lege lector & intellige quod veritas non quærat angulos, & qui veritatem dicit non laborat. Protulerunt itaque tandem aliquando monachi abbatis ſcedulas duas, quas ſua originalia conſtanter eſſe dicebant. Quarum prima vetuſtiſſima erat raſa & ſubſcripta acſi eſſet emendata, & abſque ſigillo. Hanc dicebant regis *Ethelberti* eſſe privilegium. Alia vero ſcedula multo erat recentior, de qua bulla plumbea cum iconia epiſcopi nova valde dependebat. Hanc cartulam ſancti *Auguſtini* dicebant eſſe privilegium. In his autem privilegiis intuentium judicio hæc maxime notanda fuerunt. In prima, laudabilis quidem fuit vetuſtas, ſed raſa fuit & inſcripta, nec ullius ſigilli munimine roborata. In alia vero, reprehenſione dignum fuit, quod nova extitit ejus littera & bulla, cum vetuſtatis eſſe deberet annorum quingentorum octoginta, id eſt, à tempore beati *Auguſtini* cujus eſſe dicebatur. Fuit eciam notatum, immo notorium & notabile, quod bulla ipſius plumbea fuit, cum non ſoleant ciſalpini præſules vel primates ſcriptis ſuis autenticis bullas plumbeas apponere. Modus eciam *Latini* & forma loquendi à *Romano* ſtilo diſſona videbantur. Hæc duo ſolummodo privilegia in medium prolata ſunt, cum alia nonnulla ſe habuiſſe monachi jactitarent.

Reſignavit hoc anno *Gaufridus* regis *Henrici* filius ſed nothus epiſcopatum *Lincolniæ* anno electionis ſuæ octavo in manum *Ricardi Cantuarienſis* archiepiſcopi; & regis patris ſui factus eſt Cancellarius. Miſit autem rex *Angliæ* juſticias ſuas per totam *Angliam*, præcipiens ut divites & pauperiores arma ſibi ſinguli emerent ſecundum ſuas facultates, & hoc ſacramento juramenti interpoſito ne quis ſubterfugeret firmarent; unde factum eſt ut ruſtici imperiti vangis & foſſoribus aſſueti, armis militaribus gloriarentur inviti.

Obiit hoc anno menſe Auguſto papa *Alexander* anno papatus ſui xxiij. & *Lucius* ſucceſſit. *Rogerius* quoque *Eboracenſis* archiepiſcopus menſe Septembri mortuus eſt, qui beati *Thomæ* martyris & *Cantuariæ* eccleſiæ ſpecialis extitit inimicus.

Menſe Novembri hoſtilis perturbatio orta eſt inter regem *Franciæ Philippum* & patrinum ſuum Comitem *Flandriæ Philippum*. Fuerunt autem præſidio regi *Franciæ* junior rex *Angliæ* & fratres ſui filii ſcilicet regis *Angliæ* ſenioris. Dum igitur ex utraque parte infinitus conveniret exercitus & proponerent animo non citra victoriam aliquatenus ceſſare, regis tamen *Henrici* qui tunc temporis *Anglicis* fruebatur delitiis tam adventum quam conſilium expectabant utrimque. V.

An. Gr̃æ 1182. M. C. lxxxij. Rex *Anglorum Henricus* tantis malis finem dare deſiderans, menſe Martio pervenit ad mare; & in plurimorum audientia principum plane & plene ſuum fecit teſtamentum, acſi in craſtino vel in proximo eſſet moriturus. In ſcriptum quoque redigi præcepit quod teſtatum eſt, quod & ſuo præſulumque ſigillis xiiij. ut ſubſcriptum eſt voluit corroborari.

HEnricus *Dei gratia rex* Angliæ *& dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ, Henrico *regi*, *&* Ricardo, *&* Gaufrido, *&* Johanni *filiis ſuis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, archidiaconis, decanis, comitibus, baronibus, juſticiis, vicecomitibus, miniſtris, & omnibus hominibus & fidelibus ſuis tam clericis quam laicis totius terræ ſuæ citra mare & ultra, ſalutem. Notum vobis facio quod apud* **Waltham** *præſentibus epiſcopis* R. Wintonienſi, *&* Johanne Norwicenſi, *&* Gaufrido *Cancellario filio meo, & magiſtro* Waltero Conſtantienſi *archidiacono* Oxenefordiæ, *&* Godefrido *de* Luci *archidiacono de* Derebi, *&* Randulfo *de* Glanvill, *&* Rogero *filio* Reinfrei, *&* Hugone *de* Morewic, *&* Radulfo *filio* Stephani *Camerario, &* Willielmo Rufo *feci diviſam meam de quadam parte pecuniæ meæ in hunc modum. Domui* militiæ templi Jeroſolimæ *v. mille marcas argenti. Domui* Hoſpitalis Jeroſolimæ *v. mille marcas argenti. Et ad communem defenſionem terræ* Jeroſolimitanæ *v. mille marcas argenti, per manum et viſum magiſtrorum* Templi *et* Hoſpitalis Jeroſolimæ *habendas. præter pecuniam illam quam prius prædictis domibus* Templi *et* Hoſpitalis *commiſeram cuſtodiendam, quam ſimiliter dono ad defenſionem ipſius terræ* Jeroſolimitanæ *niſi eam in vita mea repetere voluero. Et aliis domibus religioſis totius terræ* Jeroſolimæ, *et leproſis, et incluſis, et heremitis ejuſdem terræ v. mille marcas argenti dividendas per manum & viſum patriarchæ* Jeroſolimæ, *& epiſcoporum terræ* Jeroſolimæ, *& magiſtrorum* Templi *&* Hoſpitalis. *Domibus religioſis* Angliæ, *monachorum, canonicorum, ſanctimonialium, et leproſis, et incluſis, et heremitis ipſius terræ v. mille marcas argenti dividendas per manum et viſum* Ricardi Cantuarienſis *archiepiſcopi, et* R. Wintonienſis, *et* B. Wigornienſis, *et* G. Elienſis, *et* J. Norwicenſis *epiſcoporum, et* Randulfi de Glanvilla *Juſticiæ* Angliæ. *Domibus religioſis* Normanniæ, *monachorum, canonicorum, ſanctimonialium, et incluſis, et heremitis ejuſdem terræ iij. mille marcas argenti, dividendas per manum et viſum archiepiſcopi* Rothomagenſis, *et* Baiocenſis, *et* Abrincenſis, *et* Sagienſis, *et* Ebroicenſis *epiſcoporum. Domibus leproſorum ipſius terræ CCC. marcas argenti per manum et viſum prædictorum dividendas. Monialibus* Moretoniæ *C. marcas argenti. Monialibus de* Julers *extra* Faleſiam *C. marcas argenti. Domibus religioſis terræ Comitis* Andegaviæ *patris mei exceptis Sanctimonialibus de ordine* Fontis Ebraudi *mille marcas argenti per manus epiſcoporam* Cenomanniæ *et* Andegaviæ *dividendas. Ipſis autem ſanctimonialibus* Fontis Ebraudi *et domibus ipſius ordinis ij. mille marcas argenti, dividendas per manum et viſum abbatiſſæ* Fontis Ebraudi. *Sanctimonialibus ſancti* Sulpitii Britanniæ *C. marcas argenti. Domui et toti ordini* Grandi montis *iij. mille marcas argenti. Domui et toti ordini de* Chartoſa *ij. mille marcas argenti. Domui* Ciſtercienſi *et omnibus domibus ipſius ordinis exceptis domibus ejuſdem ordinis quæ in terra mea ſunt, quibus diviſam meam feci, ij. mille marcas argenti, dividendas per viſum et manum abbatis* Ciſtercii *et* Clarevallis. *Domui* Cluniacenſi *mille marcas argenti præter quod eidem domui accommodavi, quod ei pardono niſi in vita mea repetere voluero. Domui Majoris monaſterii pardono mille marcas argenti quas ei commodavi, niſi eas in vita mea repetere voluero. Sanctimonialibus de* Marcilli *C. marcas argenti. Domui de* Premuſtre *et toti ordini exceptis domibus ejuſdem ordinis quæ in terra mea ſunt CC. marcas argenti. Domui de* Arroeis *et toti ordini exceptis domibus ejuſdem ordinis terræ meæ C. marcas argenti. Ad maritandum pauperes et liberas feminas* Angliæ *quæ carent auxilio CCC. marcas argenti dividendas per manum et viſum* R. Wintonienſis, *et* B. Wigornienſis, *et* G Elienſis, *et* J. Norwicenſis *epiſcoporum, et* R. de Glanvilla. *Ad maritandum pauperes & liberas feminas* Normanniæ *quæ carent auxilio C. marcas auri dividendas per manum et viſum* Rothomagenſis *archiepiſcopi, et* Baiocenſis, *et* Abrincenſis, *et* Sagienſis, *et* Ebroicenſis *epiſcoporum. Ad maritandum pauperes et liberas feminas de terra Comitis* Andegaviæ *patris mei C. marcas auri, per manum et viſum* Cenomanniæ *et* Andegaviæ *epiſcoporum dividendas. Hanc autem diviſam feci in prædicto loco anno incarnationis Domini* M. C. lxxxij. *quam vobis filiis meis per fidem quam michi debetis et ſacramentum quod inde juraſtis præcipio ut firmiter et inviolabiliter faciatis teneri, et quod ſuper eos qui eam fecerint manum non ponatis. Et quicunque contra hoc venire præſumpſerit, indignationem et iram omnipotentis Dei et maledictionem ipſius Dei et meam incurrat. Vobis eciam archiepiſcopis et epiſcopis mando, ut per ſacramentum quod michi feciſtis, et per fidem quam Deo et mihi debetis in ſinodis veſtris ſolenniter accenſis candelis excommunicetis et excommunicare faciatis omnes illos qui hanc diviſam meam infringere præſumpſerint. Et ſciatis quod dominus papa hanc diviſam meam ſcripto et ſigillo ſuo confirmavit, ſub interminatione anathematis.*

Ne autem iſta alicujus arte vel induſtria depravari vel mutari valerent, in tribus locis regni ſui principalibus juſſit hoc ſcriptum cum ſigillis appoſitis diligentius reſervari: videlicet in eccleſia *Cantuaria*, in coſtris ſuis, & in theſauro *Wintonia*. Quo facto, transfretavit rex, & ab omnibus transmarinis ut rex pacificus, ut magni conſilii angelus cum honore & gaudio ſuſceptus eſt. Qui in brevi prudenti conſilio tantam perturbationem & principes turbidos pacificavit, & ad ſua pacatis mentibus redire perſuaſit. Deum itaque & regem *Anglia* glorificabant pacis amatores, qui tantam in tam brevi ad nichilum malitiam redegit.

Sumſit initium hoc anno ſecta *Caputiorum*. Dum enim *Brabacenorum* in pacis amatores ſecta ſæviret, & univerſa ſibi reſiſtentia ſine delectu conditionis, ordinis vel ætatis abſque miſericordia vaſtarent, ſed nec eccleſiis parcerent, confugerunt ad eos exules quique & infames, monachi, canonici, moniales, ſed & cujuſque ordinis fugitivi, habituque mutato, nefandis lenociniis incumbere non ceſſabant. Cum igitur fere in infinitum hoc modo creſcerent, quæcumque oculis videre poterant ſua eſſe dicebant. Dolebant ergo hac preſſi malignitate viri quorum Deus tetigerat corda, & dum in eos mutire non auderent, eum qui conterit bella gemitibus & lacrimis contra tantam peſtem exorabant. Erat interea vir quidam in *Alvernia* fidelis & juſtus, arte faber lignarius & beatæ virgini valde devotus. Huic in viſione noctis apparuit beata virgo *Maria* dicens ei, Surge, vade, pacem prædica. Cui cum excuſationem prætenderet quod non eſſet habiturus auditores, denuo ſuggeſſit præcipiens ut pacem prædicaret. Surgens homo epiſcopum ſuum adiit, & quæ audierat tremulus enodavit. Agens autem ſollerter epiſcopus xij. cives viros probatæ fidei ejuſdem civitatis *Podii* ſcilicet ſecretius vocavit, eiſque prædictam viſionem recitans an paci conſentire vellent quæſivit. At ipſi de facili tranſeuntes in ſententiam, una cum epiſcopo ſuo qui terciuſdecimus fuit, de pace tenenda, prædicanda fœdus inierunt. Sacramentoque juramenti artius obligati plurimos in ſuum propoſitum converterunt. In brevi itaque tota civitate *Podii* cum adjacente regione converſa, in infinitum tandem multiplicati, non ſolum *Braibacenis* ſed & omnibus injuriam ſibi facientibus viriliter reſtiterunt. Epiſcopi, abbates, & monachi, ſed & omnis ordinis & fortunæ viri eorum ſocietatem quærentes juraverunt, Inprimis quod nulli fraudem facerent vel violentiam inferrent: illatas autem injurias ſibi vel ſuis fratribus uſque ad mortem communi concurſu vindicarent. Legitimum matrimonium laici contraherent, vel ſi continere mallent, pure celibatum tenerent. In ſignum vero ſectæ vel ordinis, habitum lineum habebant caputium, in quo beatæ virginis imaginem parvulam plumbo impreſſam vel ſtagno in pectore geſtabant. Nec hoc paſſim ſed ſolummodo in exercitu in ſignum religionis & ſocietatis ſuæ portabant Nullum Converſorum ordinem ſuum derelinquere permittebant vel habitum, ſed ut pacem ubique ſervarent. & ad quamlibet ulciſcendam vel propellendam injuriam, undecunque convocati ſine dilatione convenirent. Hi igitur, ut prædictum eſt, in immenſum multiplicati, ſpeciales pacis adverſarios *Braibacenos* ſcilicet poſt aliquot annos fere ad nichilum redegerunt. Hanc autem *Braibacenorum* deſtructionem hoc in loco non ſuo ſcripſimus, ne proceſſu temporis idem replicare cogeremur. Hæc tamen pauca ſufficiant, licet utriuſque ſectæ mores meminiſſe, vel ſcripto non oporteat commendare.

Obiit hoc anno menſe Julio *Walterus Roſenſis* epiſcopus anno epiſcopatus ſui xxxv. Quo mortuo & ſepulto, cum *Ricardus Cantuarienſis* archiepiſcopus eccleſiam *Roſenſem* ejuſque villas & poſſeſſiones de jure ſaiſiret, & innodaſſet anathemate eos qui antiquam *Cantuarienſis* eccleſiæ prærogativam abrumperent vel comminuerent dignitatem, prohibitus eſt per *Randulfum* præfectum *Anglia* abſque regis coniventia *Roſenſis* eccleſiæ jura vel dominium uſurpare. Miſſis itaque ad dominum regem nuntiis qui tranſmarinis intendebat negotiis, hoc in reſponſis retulerunt, ut *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Roſenſis* eccleſiæ vacantis, ut hactenus fieri ſolebat, ſicut dominium ſuum proprium quamdiu ſibi placeret in manu ſua teneret, & ad libitum ſuum in locum defuncti pontificem ſubſtitueret. Elegit igitur & inſtituit clericum ſuum *Gualerannum* archidiaconum ſcilicet *Baiocenſem* in eccleſia *Roſenſi*. In detrimentum quidem juris *Cantuarienſis* eccleſiæ in capitulo *Roſenſi* electus eſt, cum à tempore antiquo debeat epiſcopi *Roſenſis* electio in capitulo *Cantuarienſi* celebrari. Sed quod hoſtis antiquus *Cantuarienſis* eccleſiæ paravit in contumeliam, proceſſu temporis eidem eccleſiæ verſum eſt in gloriam. Menſe Novembri transfretavit *Ricardus* archiepiſcopus *Romam* iturus, ſed à rege *Anglia* in *Normannia* amicabiliter retentus, expoſuit regi contumelias &, opprobria quæ cotidie per abbatem ſancti *Auguſtini* ſibi & ſuæ inferebantur eccleſiæ; voluit enim idem abbas archiepiſcopo ſuo dignitates, immo & præſulatum quodammodo ſurripere, cum juriſdictioni ſuæ ſacerdotes ſuos & clericos, ſed nec laicos permitteret ſubjacere. Prohibuerat eciam ne quis ex ſuis pro archiepiſcopo vel ſuis officialibus quicquam faceret, ad ſinodum vel capitula non veniret, prohibitiones eorum vel præcepta non obſervaret, nec pro qualibet culpa vel crimine ſententiam excommunicationis vel anathematis formidaret. Dum igitur prædictus abbas matrem ſuam *Cantuarienſem* eccleſiam collatis cornibus juſti judicis Dei non formidans ſententiam ventilaret, & in ipſius domicilio primos conaretur temptare volatus, archiepiſcopus, ut prædiximus, à rege retentus eſt, & abbas ille trans mare vocatus. Voluit enim rex à domino papa petita & accepta permiſſione, inter archiepiſcopum & abbatem pacem reformare. *Romani* etenim aurum & argentum magis quam juſticiam ſitientes, ſeditiones inter eos & litigia commovebant. VI.

M.C. lxxxiij. Dum rex *Anglorum* aliique ſummi viri prædictæ paci faciendæ intenderent, ut ſaltem aliqua compoſitio inita pacem inter eos firmiorem proceſſu temporis enutriret, ecce ſubito exorta eſt hoſtilis perturbatio inter dominum regem & filios ejus. An. Græ 1183. Cum enim ſublimiores *Aquitania* viri dominum ſuum Comitem *Ricardum* propter nimiam ejus crudelitatem odio haberent, eumque de ducatu *Aquitania* & comitatu *Pictavia* pro poſſe ſuo cogitarent propellere, ad regem juniorem bonum & benignum principatum transferre geſtierunt. At *Ricardus* ſuæ confidens tirannidi, nec pro ipſo jure, nec pro patris prece vel præcepto regi juniori fratri ſuo homagium facere voluit. Vocatus autem à rege, cum appropinquaret ſubſiſtens, quos ſecum habebat ſocios armatos eſſe præcepit, de longe patris ſui præſtolans imperium. Suggeſtum eſt interea regi juniori ab his qui eum affectuoſius diligere videbantur, verecundum ſcilicet eſſe ſic eum contemptui ſubjacere, ut fratres ſui terras illi debitas pro voto ſuo diſponerent, ipſe vero nulla libertate gauderet, maxime cum de facili poſſet Comitem *Ricardum* omnibus odioſum de ducatu quo male in contumeliam ſui abutebatur propellere. Conjuratione igitur facta ex conſenſu & conſilio vicecomitis *Lemovicenſis*, una cum *Gaufrido* Comite *Britanniæ* fratre ſuo, & militibus nonnullis tranſtulit ſe in caſtellum *Lemovici*, rege patre ſuo qui tunc in civitate delitiis intendebat penitus ignorante. Clauſis itaque caſtelli januis & obſeratis, quod acciderat infortunium regis pervenit ad aures. Qui cum toti patriæ periculum conſpiceret imminere non modicum, pacis intuitu caſtellum adiit, ſed non eſt permiſſus intrare. Qui dum præ foribus pauliſper aſtaret, telo petiit eum quiſpiam de caſtello, quo territus licet non tactus infecto receſſit negotio. Diffuſa igitur hujuſcemodi fama, convolant omnes qui lætantur cum male fecerint & exultant in rebus peſſimis, milites ſcilicet ſtipendiarii, ut aliena rapientes ſuas indigentias relevarent. Affuerunt eciam & magni nominis milites & gloriæ, Comites & Barones, & hi maxime qui militiæ famam quærebant & gloriam. Alii quidem ut regem patrem infeſtarent, alii ut Comitem *Ricardum* confunderent, univerſi vero ut regi juniori victoriam reportarent. Amabilis enim erat omnibus & pulcher aſpectu, & præcipue gloriæ militaris inſignis, adeo ut nulli videretur eſſe ſecundus; humilis, docilis erat & affabilis, unde eum & prope poſiti & longe remoti affectuoſe diligebant. Comes è contrario *Ricardus* adeo omnibus erat odioſus, ut eum de terra eciam ſua eradicare deſiderarent. Dum igitur his de cauſis multus & infinitus exercitus conveniret, & prædictus *Ricardus* ſibi male conſcius regis patris ſui ſe committeret arbitrio, omneſque de regis junioris victoria cogitarent, ipſe rex acerba preſſus infirmitate in præfato caſtello *Lemovicenſi* decidit in lectum & mortuus eſt iij. idus Junii. O admirabilis Dei providentia! quam incomprehenſibilia ſunt judicia & inveſtigabiles viæ ejus! Quis non admiretur ſtupens & doleat? Ecce juvenis iſte rex, miles incomparabilis, aſpectu deſiderabilis, qui paulo ante totius fere mundi gratiam obtinebat & famam, morte præventus occubuit, jam jamque vermibus eſca futurus. Obiit autem anno regni ſui cujus nec hora vel dimidia rexit habenas xiij. eodem menſe & ebdomada, ne dicam die, qua in contumeliam *Cantuarienſis* eccleſiæ & ſancti *Thomæ* martyris à *Rogero Eboracenſi* archiepiſcopo coronatus eſt, ſed *Cantuarienſis* eccleſiæ ſpeciali adverſario. Exemplum reliquit poſteris ne contra dignitatem eccleſiæ *Cantuarienſis* coronam regni quamvis jure ſibi debitam per manum alterius quam archiepiſcopi *Cantuarienſis* uſurpare præſumant. Audiens autem rex pater filium ſuum vitam finiſſe, proditionem ſuſpicatus præcepit corpus *Rothomagum* deferri, nec ipſe volebat adeſſe. Cum igitur in luctu & lacrimis omnium verſus *Rothomagum* efferretur, & obiter in eccleſia *Cenomanenſi* de nocte pauſandi gratia poneretur, violentia epiſcopi *Cenomanenſis* & civium ibidem in eccleſia ſepultum eſt. Diſperſo autem exercitu de morte nati rex certior effectus, una cum *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo *Cenomanenſem* venit ad eccleſiam, filiique ſui regis videlicet junioris corpore ſublato, *Rothomagum* pervenit, ibidemque ſepeliri præcepit. Dum his itaque aliiſque de cauſis *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Ricardus* moram faceret in partibus tranſmarinis, conſecravit *Galterium de Conſtantiis* ad regimen *Lincolnienſis* eccleſiæ, & *Galeramnum* ad regimen *Roffenſis*, & in initio Auguſti in *Angliam* reverſus eſt. *Galeramnus* autem epiſcopus *Roſenſis* contra conſuetudinem prædeceſſorum ſuorum in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ abſque coniventia capituli *Cantuarienſis* electus, ac deinde in regno alieno, videlicet regis *Franciæ* contra ſtatuta canonum nullo epiſcoporum *Angliæ* comprovincialium ſuorum aſtante, à *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo conſecratus eſt. Unde epiſcopi *Angliæ*, nec mirum, & Conventus eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* vehementer indignati ſunt, hinc propter maternæ dignitatis & honoris *Cantuarienſis* videlicet eccleſiæ ſpoliationem, hinc pro ſuo contemptu & inuſitatum exemplum. Sed quod ſuadente adverſario ad eccleſiæ diſpoſitum eſt diſpendium, divina cooperante gratia verſum eſt illi ad dignitatis confirmationem & gloriæ augmentum. Nam prudentiſſimi Prioris *Alani* induſtria & Conventus conſilio elaboratum eſt, ut idem *Galeramnus* epiſcopus *Roſenſis* in capitulum *Cantuarienſis* eccleſiæ veniret præſente & præſidente *Ricardo* archiepiſcopo, magiſtro *Gerardo Pucella Ceſtrenſi* electo, *Benedicto* abbate de *Burgo*, *Moyſe* Priore *Coventrenſi*, *Alano* Priore *Cantuarienſi*, *Petro* archidiacono *Bathonienſi*, *Willielmo* archidiacono *Gloeceſtrenſi*, aliiſq; pluribus clericis, præſente Conventu *Cantuarienſi*, ſuper quatuor evangelia fidelitatem eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* ſe obſervaturum volens juravit aut nolens. Quod ejuſdem capituli ſeniores duos epiſcopos *Roſenſis* eccleſiæ, *Acelinum* videlicet & *Walterum* prædeceſſores ſuos in capitulo *Cantuarienſi* feciſſe, ſeque hoc oculis conſpexiſſe, prolatis ſacroſanctis evangeliis coram omnibus proteſtati ſunt. Quorum dictis, ipſe quoque archiepiſcopus in verbo veritatis perhibuit teſtimonium. Proteſtatum eſt eciam ſub ejuſdem ſacramenti tenore, quod electus *Roſenſis* ante conſecrationem ſuam homagium domino *Cantuarienſi* archiepiſcopo debeat facere ſtatim poſt electionem ſuam ſuper Baronia quam tenet de eo, & quod baculus paſtoralis epiſcopi *Roſenſis* defuncti, non in occulto ſed manifeſte *Cantuariam* ſtatim debeat afferri ſepulto epiſcopo, & in *Cantuarienſi* eccleſia reſervari, donec novus electus ibidem conſecretur & eodem baculo inſtituatur. Finito itaque prædicto capitulo, archiepiſcopus *Cantuarienſis Ricardus*, & epiſcopus *Roſenſis Galeramnus*, & cæteri omnes qui aderant, ad altare Chriſti proceſſerunt, ibique epiſcopus *Roſenſis Galeramnus* in audientia cleri & populi profeſſionem legit, lectam ſuper altare poſuit, à quo & baculum paſtoralem ſuſcepit & mitram aſtante *Ricardo* archiepiſcopo, Priore *Alano* cum Conventu eccleſiæ Chriſti & cæteris perſonis ſupra memoratis, & non modico clero & populo. Appoſuit ei mitram archiepiſcopus, & epiſcopus *Roſenſis* tam archiepiſcopo quam cæteris omnibus epiſcopalem dedit benedictionem. Acta ſunt hæc in eccleſia *Cantuarienſi* nobis aſtantibus anno gratiæ M. C. lxxxiij. xiiij. kal. Septembris. Septimo autem kal. Octobris conſecravit *Ricardus* archiepiſcopus ad altare Chriſti magiſtrum *Gerardum Pulcellam* clericum ſuum ad regimen *Ceſtrenſis* eccleſiæ, aſtantibus ſuffraganeis ſuis, *Reginaldo* Bathonienſi, *B.* Wigomienſi, *Petro* Menevenſi, & prædicto *Galeramno* Roſenſi, domino *Moyſe* Priore Coventrenſi more debito poſtulationem legente. In proximo autem poſtquam intronizatus eſt, acerba tactus ægritudine lecto decubuit, & obiit menſe quarto ordinationis ſuæ, idus Januarii, & apud **Coventre** ſepultus eſt. Erat autem rumor in populo eum interiiſſe veneno, quod & manifeſtis ſecundum fiſicos claruit indiciis. VII.

An. Gřæ 1184. M. C. lxxxiiij. Dum *Ricardus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* menſe Februario idus ejuſdem in villa quæ **Wrotheham** nuncupatur nocte ſobrius in ſtratu ſuo membra ſopori dediſſet. in viſu noctis apparuit ei perſona terribilis & majeſtativa, ſemel & ſecundo dicens ei, Tu quis es? Cui cum archiepiſcopus verbum non reſponderet timore compreſſus, perſona illa ſubjunxit & ait, Tu es qui diſſipaſti bona eccleſiæ tibi commiſſæ, & ego diſſipabo te de terra. Quo dicto, perſona diſparuit, & archiepiſcopus, nec mirum rurſum non obdormivit. Summo autem diluculo ſurrexit, & cum *Roſam* tendens cauſas tractaturus iter caperet, quibuſdam familiaribus ſuis ea quæ viderat ſtupidus enarravit; ſed vix ultimo viſionis verbo ex ore ejus elapſo, ſubito circumcinxit eum frigus, horror & ægritudo, ut vix ad villam *Roſenſis* eccleſiæ **Halenges** nomine perveniret: ubi lecto utcumque diſcumbens, colica paſſione aliiſque incommoditatibus adeo vexatus eſt, ut in proximo xiiij. kal. Martii feria ſexta noctu ſpiritum exalaret anno xj. ab electione ſua. Cujus corpus *Cantuariam* delatum, in eccleſia Chriſti in oratorio ſanctæ *Mariæ* xij. kal. Martii die Sabbati honorifice ſepultum eſt. Quam vero præceps & quam præciſa fuerit in hoc homine divina ſententia lector nota, qui viſione prædicta quam eadem nocte viderat clericis ſuis craſtino vix recitata, incontinenti ab omni poteſtate paſtorali præciſus eſt ut nullam poſſeſſionum ſuarum poſtea videret, nichil de eiſdem diſponeret, ſed nec benedictionem dare valeret.

Renovata eſt autem menſe Maio diſcordia inter regem *Franciæ* & Comitem *Flandriæ*, & in tantum aucta, ut de pace quæ anno præterito per regem *Angliæ* inter eos erat compoſita vires videretur ſumſiſſe malignitas. Congregaverunt enim multitudinem armatorum ut ſibi adinvicem nullo mediante concurrerent. Protulit hac vice rex *Francorum Philippus* ſignum regis *Karoli*; quod à tempore præfati principis uſque in præſens, ſignum erat in *Francia* mortis vel victoriæ. Et hæc erat cauſa diſcordiæ; obierat nuper abſque liberis comitiſſa *Flandriæ*, cujus erat patrimonium terra *Viromandorum* cum appenditiis ſuis. Quæ omnia ad regem *Franciæ* utpote dominum fundi pertinere videbantur. Sed Comes *Flandriæ* non eſt veritus dominum ſuum & ex fonte baptiſmatis filium jure debito privare, ſed & armis laceſſere non puduit. In detrimentumque domini ſui duxerat filiam regis *Portigalliæ*, quam cum multo faſtu & ſuperbia, nutu & adjutorio regis *Angliæ*, ante paucos dies duxerat in *Flandriam*. Exercitibus itaque ad præliandum utrinque paratis, rex *Angliæ* tantis malis prudenter obviavit. Acceptis enim inter eos uſque in annum induciis, ſingulos ad propria compulit repedare. Ipſe quoque in *Angliam* reverſus, ſancti *Thomæ* liminibus viſis *Londoniam* venit, & in *Gualiam* non paucos milites miſit. Eruperant enim *Gualenſes*, & regis abſentia effrenati plurimos ex hominibus regis occiderant *Anglos*.

Hoc autem expleto negotio, eccleſiæ *Cantuarienſis* cupiens rex ſtatum priſtinum reformare, ſpectabiles nuntios miſit *Cantuariam*, *Randulfum* ſcilicet Juſticiarium *Angliæ*, epiſcopum *Norwicenſem*, epiſcopum *Roſenſem*, archidiaconum *Cantuarienſem*, archidiaconum de *Derebi*, & *Hubertum Walterii*. Hi ergo ex parte regis in capitulum *Cantuariæ* venientes monuerunt conventum verbis pacificis, ut ad eligendum archiepiſcopum eſſent parati, cum eos rex pro hac cauſa vocaret ad curiam. Aſſerebant regis animum tam bene, tam pure ad utilitatem eccleſiæ eſſe affectum, ut in electione futuri pontificis non alicujus ſervitium, non familiaritatem, ſed ſolius Dei honorem & eccleſiæ profectum vellet obſervare. Hiis igitur aliiſque pacis verbis conventus lætificatus, abeuntibus nuntiis, Dei invocato auxilio communi conſenſu elegerunt virum commendabilem, Deo gratum, hominibus carum, regi & regno ut putabatur acceptum, ſcilicet abbatem de *Bello* ante paucos annos *Cantuarienſis* eccleſiæ Priorem. Verum ne regis benevolentia mutaretur in contrarium ſi hunc ſolum licet bonum eligere, omneſque regni perſonas viderentur refutare, appoſuerunt in nominatione iſta viros quatuor non modicæ probitatis & famæ: ut ſi rex primo nollet aſſentire, omnes ſine nota repellere non valeret. Prior quoque *Alanus* acceſſit ad regem ut de ejus familiari colloquio animum indagaret, & de voluntate ipſius certior efficeretur. Sed ſpe fraudatus citius rediit, ſolaſque contumelias & terrores adulationibus mixtas reportavit.

Interea dux *Saxonum Henricus* nomine cum uxore ſua prægnante filia ſcilicet regis *Angliæ* venit in *Angliam* circa feſtum beati *Jacobi* apoſtoli. Cum enim à terra ſua potenti manu Dei & violentia Imperatoris fieret alienus, in longinquis partibus, *Normannia* videlicet & *Anglia*, victualia compulſus eſt quæritare. Inexorabilis enim diſcordia ante annos quatuor inter ipſum & imperatorem exorta, ex conſilio archiepiſcopi *Colonienſis* cæterorumque tam præſulum quam principum *Alemanniæ* ad hoc tandem perducta eſt, ut de proditione imperatoris ſimul & imperii accuſandus ad curiam citatus imperatoris, cum adeſſe contempneret vel formidaret, judicio omnium in exilium actus eſt. Nam cum eſſet genere nobiliſſimus & ipſius imperatoris conſanguineus, miles optimus, ſtatura procerus, generoſitatem ſuam & famæ gloriam nimia fœdavit avaritia & infidelitate. Erat enim tenax ſui, boni cupidus alieni, ſuperbus, elatus nimium, & quod maxime principem dedecet, vix alicui fidem conſervans illæſam. Unde tanto odio etiam ſuis habitus eſt, ut cum duellio adjudicatus innocentiam ſuam purgare non auderet, ipſo in munitiſſimum fugiente præſidium, omnia ipſius caſtella & civitates in manus imperatoris tradita ſunt. Sentiens autem quod inter tot & tantos familiares adverſarios ſecurus eſſe non potuit, abeundi licentiam petiit & obtinuit, ſic tamen ut imperatori ex ſacramento juramenti fidem faceret, quod nullo in *Alemanniam* rediret molimine niſi ex Imperatoris gratuita benevolentia.

volentia. Venit igitur ad regem *Angliæ* in *Normannia*, proceſſuque temporis eundem regem, ut prædictum eſt, in *Angliam* ſecutus à *Cantuaritis* honorifice ſuſceptus eſt. Adorato itaque Deo & ſancto *Thoma* martyre *Londoniam* perductus eſt, & toto fere anno ad expenſas regis in *Anglicis* deliciis perendinavit. Exacta autem & attenuata pauliſper adventus ejus lætitia, *Cantuarienſes* monachi per alios nuntios ad regem citati, Priorem ſuum *Alanum* alioſque monachos *Radingum* miſerunt ad regem in initio menſis Auguſti. A rege itaque ſimul & ab aulicis ſpecie tenus honorifice ſuſcepti, de ſuo immo eccleſiæ Dei promovendo negotio non modicam ſpem ſed & multam ſumpſerunt confidentiam. Sed poſt multa pacis colloquia, tandem perſonis quas elegerant in audientia regis ſecretius tamen nominatis, averſus eſt ab eis regis animus, cum ſingulis quaſi rationabilem excuſationem prætenderet quare illi vel illi nollet aſſentire. Ortatur denique Priorem & cæteros ut domum redeant, dicens quod oporteret eos aliter orare & aliud habere conſilium. Erat enim fama vulgi regem omnimodis eo intendere, unde *Cantuarienſibus* timida videbatur oriri ſuſpicio, ne videlicet dignitates eccleſiaſticæ nimia remiſſione deperirent, ne poſſeſſiones religioſorum laicorum, immo luporum violentia diſtraherentur, ne conſuetudines eccleſiæ vel ordo monaſticus ab antiquo deductus inſtitutionibus novis mixtæ confunderentur, & maxime ne aulicorum tam importuna voluntas liberam eccleſiæ palliaret, immo penitus ſubverteret electionem. Prior autem *Alanus* & qui cum eo erant *Cantuariam* redierunt. Et cum in Domino ſummam haberent fiduciam, proponebant animo eccleſiæ ſuæ libertatem non deſerere niſi domini Papæ urgenti cogerentur mandato. Rex autem ſibi præcavens & voluntatem propriam adimplere geſtiens, ad dominum Papam nuntios miſit induſtrios, quorum ſignifer debuit eſſe *Galerannus Roſenſis* epiſcopus. Habebat autem, ut fertur, idem *Galerannus* deteſtandum in animo propoſitum, monachos ſcilicet de eccleſia *Roſenſi* propellere, ibidemque clericos inſtituere ſeculares. Qui cum *Roſam* veniret ut itineranti ſibi neceſſaria præpararet, morte præventus iiij. kalend. Septembris interiit & ſepultus eſt. Fuerunt tunc temporis juſticiæ regis apud *Cantuariam*: quibus cum ſuggererent maliloqui ut epiſcopatum *Roſenſem* in manus domini regis acciperent, reſponderunt non debere hoc fieri, quia de dominio eſt archiepiſcopi, nec ad hoc rex manus ſuas deberet apponere. Data eſt igitur cuſtodia in manus eorum qui archiepiſcopatum cuſtodiebant, ne unius ejuſdemque dominii cuſtodes eſſent diverſi. Monachi autem *Roſenſes* malitiam ſuam in obitu *Walterii* epiſcopi inchoatam renovantes, baculum paſtoralem quem de more antiquo *Cantuariam* ſolenniter afferre debuerant, obſeratis januis ne à quoquam impedirentur, cum epiſcopo ſuo ſatis ignominioſe ſepulto condiderunt. Cæteri vero complices *Galeranni* ob favorem regis ſuo inſiſtentes propoſito *Romanum* adierunt pontificem, ſatagentes animum ipſius more *Romano* emollire, & *Cantuarienſis* eccleſiæ ſubvertere dignitatem. Dilatum eſt interea negotium *Cantuarienſis* eccleſiæ ob adventum *Colonienſis* archiepiſcopi, quem Comes *Flandriæ* ad preces *Henrici* regis quaſi orandi gratia adduxerat in *Angliam*. Quibus rex apud *Cantuariam* gratulabundus occurrens, & cum gloria uſque *Londoniam* perducens, ſatagebat omnimodis generum ſuum, ducem videlicet *Saxonum*, archiepiſcopo reconciliare, qui ipſius ducis fortiſſimus hoſtis hactenus erat. Quod cum rex nullo conatu valeret efficere, præfatum archiepiſcopum indignanter remiſit. Cum autem Prior *Cantuarienſis* tam Regi quam Comiti reverenter occurreret, conqueſtus eſt Rex Comiti de Priore, dicens eum ſuperbia inflatum velle *Cantuarienſis* eccleſiæ propria voluntate archiepiſcopum facere, & quod voluerit in *Anglia* ſecundus Papa eſſe. Dederat enim in mandatis dominus Papa Priori *Cantuarienſi*, ut per totam *Angliam* denarium beati *Petri* colligeret, & in eccleſia *Cantuarienſi* reſervaret; unde rex ad inſtantiam quorundam epiſcoporum irritatus dixit, quod Prior vellet in *Anglia* ſecundus Papa eſſe. Cui reſpondit Comes dicens, Quod ante totius terræ ſuæ etiam eccleſias combureret, quam hoc ſuſtineret. Sed cum idem glorioſus eadem à *Londonia* via rediret, audivit in terram ſuam quoſdam cum armis intraſſe, rapinis ſimul & deprædationibus nonnulla vaſtaſſe. Feſtinavit igitur terræ ſuæ flammas extinguere qui in patrimonio crucifixi minabatur eccleſias concremare. Rex autem *Angliæ* miſit nuntios & litteras ad Conventum *Cantuarienſis* eccleſiæ, præcipiens, ut cum Priore ſuo plures ad eum mitterent monachos ad **Windleſores**. Quo cum veniſſent die ordinationis ſancti *Dunſtani* ſimul cum epiſcopis & clero *Angliæ*, dixit ad monachos rex, Miſeremini mei, domini mei, & amici mei; vos enim eſtis fideles mei & amici, omnes fere nati de terra mea, unde michi magis tenemini. Rogo igitur vos per fidem quam michi debetis, loquimini cum epiſcopis meis, & inter vos tale habetote conſilium, quod Dei & ſanctæ eccleſiæ honor conſervetur, & regni ſtatus perſeveret in pace, & ut honor debitus michi conſervetur indempnis, quem prædeceſſores mei in hac cauſa noſcuntur habuiſſe. Et plura in hunc modum. Cui cum Prior breviter reſpondiſſet de benevolentia gratuita gratias agens, in eundem fere modum ſeorſum cum epiſcopis rex ipſe abſque mediatore locutus eſt. Cum igitur Epiſcopi & Prior cum monachis conveniſſent in unum de conſilio regis tractaturi, dixerunt epiſcopi. Miramur admodum quod nos epiſcopos à conſiliis veſtris ſeparatis cum ſimus eccleſiæ veſtræ profeſſi, & fidem debeamus eccleſiæ *Cantuarienſi* ſicut & vos. Et epiſcopus *Bathonienſis*: Non eſt, inquit, aliquis princeps qui conſilio noſtro conſiliari non valeat. Pluraque in hunc modum proferebant. At Prior: Non, inquit, ſeparamus vos à conſiliis noſtris, cum fidem omnimodam per profeſſionem debitam eccleſiæ *Cantuarienſi*, ut dicitis, debeatis; ſed ſunt quædam conſilia quibus de jure intereſſe debetis: Sunt & conſilia quæ ad ſolum pertinent Conventum, maxime in hac electione, ſcilicet uſque ad publicam electionis pronuntiationem. Rogamus igitur vos quatinus in hac electione nobiſcum ſtare velitis ut profeſſi, ut fideles, ut epiſcopi *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganei, ut mater veſtra, ſcilicet *Cantuarienſis* eccleſia, etſi privata & privilegiata non valeat, canonica ſaltem gaudeat libertate. *Londonienſis* autem ad hæc indignans, nimia cæcus ſenectute, & quaſi lingua mutilata

lata balbutiens dixit, Feciſtiſne electionem ? Cui Prior: Etſi aliquam fecimus nominationem, nullam tamen celebravimus electionem. *Londonienſis* ad hæc: Nimium, inquit, proceſſiſtis qui ſine nobis contra domini papæ mandatum quempiam eligere præſumpſiſtis. Et Prior: Nunquid ſuper hoc domini papæ mandatum habetis ? At illi: Utique habemus. Adlatæ ſunt itaq; vix tandem agente Priore domini papæ litteræ præcipientes quatinus infra xl. dies epiſcopi *Angliæ*, Prior, & conventus *Cantuarienſis* idoneam eligerent perſonam. Dixit autem *Londonienſis*; Audiſtiſne quod dominus papa nos in electione facienda vobis præpoſuit ? Fiat, inquit Prior, ut vos in literis ſuis dominus papa præpoſuerit, nos tamen penitus non excluſit, unde litterarum iſtarum petimus tranſcriptum, ut ſecundi, vos autem ut primo poſiti bulla gaudeatis. Cum igitur ſuper hoc reſcripto tradendo, vel non tradendo, multa hinc inde prolata fuiſſent, ad hoc tandem perventum eſt, ut epiſcopi abſque regis licentia litteras illas tranſcribere non auderent. Si in tantillo epiſcopi matri ſuæ defecerunt, ut dicam nihilo, quid in ſummo facerent negotio ? In ſubſequentibus utique clarebit. Dum itaque de his & hujuſmodi cum monachis *Cantuarienſibus* plura conferrent epiſcopi, & Rex interea aliis indulgeret negotiis, timens ne ſi collocutione diutina conſentirent, ipſe penitus ab electione excluderetur, vel ſi diſſentirent, appellatione interpoſita electio differretur, properavit epiſcopos à monachis ſegregare, videlicet ut ipſe ſolus inter utroſque mediator exiſtens, omnium mentes ad libitum ſuum regeret, & utriuſque partis ſimul & electi, quaſi ex ſua liberalitate, & ſtudio gratiam obtineret. Evocati ſunt itaque caute epiſcopi quaſi cum Rege ſeorſum eſſent locuturi, ſed denuo non ſunt reverſi. Diviſi itaque ab alterutrum, monachi ſcilicet & epiſcopi, ſolius regis nutum et nuntium expectabant: Nam ſolus diſcurrebat inter eos, nec quicquam ex ſecretis quiſpiam ſcire poterat niſi quantum Rex proferre volebat. Nitebatur enim ut aſſerebat epiſcopos inducere ad conſentiendum perſonæ, quam Prior & monachi nominaverant, cui & ipſe Rex ſuum præbuerat aſſenſum. Promiſerat enim Priori & monachis in verbo regio cum juramento poſt multa convicia, quod unum ex nominatis ſuis habituri eſſent archiepiſcopum. Elaboratum eſt tandem ipſo rege mediante, ut eidem perſonæ utcunque epiſcopi conſentirent. De perſona igitur eligenda tandem utcunque ſopita quæſtione, de electione facienda, & perſona nominanda mota eſt controverſia. Dicebant enim epiſcopi quod ſuum erat archiepiſcopum *Cantuarienſem* utpote ſuum metropolitanum eligere, & quod epiſcopus *Londonienſis* ejuſdem ſcilicet *Cantuarienſis* eccleſiæ Decanus perſonam debeat nominare. Retulit hæc Priori & Monachis Rex. At Prior; Non, inquit, fiet iſtud. Ante prioratu *Cantuarienſi* carebo, ante de eccleſia exibo, ante in terra aliena exulabo. Non hæc in diebus meis *Cantuarienſi* eccleſiæ inſeretur contumelia, non perſonæ meæ hæc improperabitur infamia. Debet enim conventus *Cantuarienſis* de jure & antiqua conſuetudine ſuum paſtorem & pontificem eligere, & qui Prior eſt perſonam nominare. Juſtumne eſt ut epiſcopi abſque conventu quemcunque voluerint *Cantuaritis* mittant archiepiſcopum ? Nequaquam Audientes hæc epiſcopi, indignantes dixerunt: Non eſt ita, ſed noſtra eſt electio, & epiſcopi *Londonienſis* prima vox et nominatio. Dum hæc itaque diutius uſque in deſperationem pacis inter eos Rege mediante protenderetur altercatio, Rex tandem mœſtus ait ad Priorem: Non poteſt ut video res iſta hoc modo procedere, quia non valeo vobis epiſcopos, vel vos epiſcopis concordare: Medium aliquod videamus quo utriuſque partis pax & juſtitia conſervetur. Pax enim omnimodis amplectenda eſt, cum ille valde ſapiens fuerit qui dixit, *Fiat pax in diebus noſtris*, pro Deo pacem diligite, pacem quærite, & quantum poteſtis paci conſentite. Innuit autem Rex *Randulfo de Glanvilla* præfecto *Angliæ*, quem tunc forte ſecum duxerat, ut loqueretur, Qui dixit: Perturbatio iſta peſſima eſt, & tam vobis, quam toti *Anglicanæ* eccleſiæ pernicioſa. Revertimini ad vos, non enim poteſtis ita procedere quia nullo modo permittunt epiſcopi. Sed animos veſtros pauliſper flectite, & ad mediam viam quam dominus repperit Rex, corda veſtra inclinate. Indempnitati veſtræ ſtudet dominus meus Rex, de jure veſtro nihil peribit vel parum, & forte facilius inclinabuntur epiſcopi ad conſentiendum. Eſt autem hoc quod petit dominus Rex ut concedatis, videlicet ut epiſcopus *Londonienſis*, vel alius electionem dicat hoc modo: Nos epiſcopi, & Prior, & Conventus eccleſiæ *Chriſti Cantuariæ*, cum aſſenſu domini Regis eligimus iſtum. Vel ut Prior electionem pronuntiet & dicat, Epiſcopi *Angliæ*, & ego Prior & Conventus *Cantuarienſis* cum aſſenſu domini Regis eligimus iſtum. Quid enim nocebit ſi epiſcopos veſtros in electione nomine tenus præponatis ? Ad hæc Prior, Conferemus, ait, cum fratribus noſtris, & citiſſime reſponſum reportabo. Metuentes igitur, & metientes monachi malitiam temporis, & libertatem ſuam ſaltem palliatam habere cupientes, præbuerunt aſſenſum petitionibus Regiis, ſic tamen ut Prior *Cantuarienſis*, quod reliquum erat electionis exequeretur. Quo audito, præcipit Rex ut hæc pacis pactio ſcriberetur: Timentibus autem monachis, ne per hoc ſcriptum eis laqueus tenderetur inviſus ſi epiſcopis traderetur: dixit Rex, Ne timeatis, non enim hac de cauſa ſcriptum peto, ut epiſcopis tribuatur, ſed ne quid in re agenda ſuperfluum addatur, vel neceſſarium ſubtrahatur. Compoſito autem ſcripto dato & accepto, rogavit epiſcopos Rex, ut ſi non aliter vellent, huic ſaltem formæ pacis conſentirent. Diſputatum eſt ſuper hoc diutius, & tandem nec propter Regis metum manifeſte voluerunt contradicere, nec plane abſque conſenſu coepiſcoporum ſuorum qui ibi non aderant conſentire. Cumque videret Rex eorum pertinaciam, diemque protractum in veſperam, diſtulit hoc negotium uſque ad feſtum ſancti *Andreæ*, præcipiens omnibus, ut in prædicta feſtivitate omnes apud *Londoniam* convenirent ſub certiſſima ſpe archiepiſcopum, de quo ſermo habitus eſt, ſuſcipiendi. Juravit quoque Priori & monachis Rex, quod nunquam ab eis diſcederet, nec quicquam conventionis initæ aliquatenus mutaret. & quod epiſcopos ad conſentiendum induceret; Et quoniam Priori & aliis quibuſdam verba dura & contumelioſa dixerat, cum oſculo pacis veniam petiit, & omnes in pace dimiſit. Igitur ſinguli ad propria redierunt. Et denuo ad feſtum ſancti *Andreæ* apud *Londoniam* convenerunt. Credens itaque Prior promiſſionibus regiis, & ſperans ſe jam jamque ſuum archiepiſcopum ſuſcepturum alacriter acceſſit, ſed in ipſo aditu omnia in contrarium mutata conſpexit. Nam à primo die in craſtinum, de craſtino in diem tercium dilatum eſt negotium. Die vero tercia .iiij. ſcilicet non. *Decembris*, cum monachi *Cantuarienſes* una cum Priore ſuo reſiderent colloquentes & mirantes admodum quorſum iſta dilatio tenderetur, miſit ad eos Rex *Randulfum* præfectum *Angliæ*, alioſque ſpectabiles viros qui mentes monachorum tam à ſpe apud **Windleſores** concepta, quam à tota intentione ſua temptaverunt deviare. Maxime tamen laboraverunt efficere, ut monachi ſuo penitus omiſſo propoſito, cum epiſcopis de faciendo tractarent negotio ac ſi nihil ante eſſet inchoatum Quibus Prior in hunc modum reſpondit. Miramur admodum ſuper his quæ nobis affertis. Scitis enim quid convenit inter dominum noſtrum Regem & nos, cum altera vice in præſentia ipſius eſſemus. Unanimes enim fuimus de perſona quam ei nominavimus, & cum ipſe nobis ſuum præbuiſſet aſſenſum, de electione facienda ſola remanſit nominatio. Forma eciam eligendi ſcripto, ut ſcitis, commendata eſt; ſic à curia cum gratia domini Regis receſſimus, ſic conventui noſtro ea quæ facta ſunt recitavimus, ſic eciam nunc ad vocationem domini noſtri Regis acceſſimus. Et quia nobis nova ſunt, & miranda quæ proponitis, nec eorum quæ diximus, abſq; conventu noſtro quicquam mutari poterit, domini Regis præſentiam optamus, ut cum illo præſentialiter loquamur. Relata ſunt continuo Regi quæ audita ſunt. Ille vero nonnullis abbatibus ſecum aſſumptis, & quaſi de præteritis diſſimulans, dixit ad monachos. Ite domini mei, ite, & cum epiſcopis de paſtore eligendo pacifice tractate, & quemcunque unanimi conſenſu inter vos elegeritis, vel quodcunque feceritis ratum michi erit & gratum, meumque gratanter dabo aſſenſum. Cui cum Prior reſpondiſſet ea quæ ſuperius ſcripta ſunt quæ & nuntiis ejus dixerat, ipſe inter alia ſic reſpondit. Verum eſt ſic altera vice diſceſſiſtis, ſed ſcitote quod à conſilio regni mei nec volo recedere, nec valeo, ne videar in regno meo ſciſma vel diſcordiam enutrire: ſed pro Deo pacifice loquimini cum epiſcopis & abbatibus meis, & mementote quia vox populi, vox Domini. Mira res. Nuper apud **Windleſores** feſtinavit, quam tocius ab epiſcopis monachos ſeperare, nunc è contrario niſus eſt tum per ſe, tum per alios eos ſimul coadunare. Noverat enim mentes eorum & impetus, & quod in omnibus eccleſiæ neceſſitatibus maximis, regis magis quam Dei favorem quærebant. Fecerunt ſimiliter & patres, & prædeceſſores eorum. Nam ſancto *Anſelmo* tempore regis *Willielmi*, eciam obedientiam abnegaverunt. *Theobaldo* archiepiſcopo pro rege *Stephano* infeſti fuerunt. Sancto martyri *Thomæ* pro rege iſto *Henrico* adverſarii facti ſunt. In electione *Ricardi* archiepiſcopi ſupplantatores fuerunt; Nunc eciam in electione iſta aliquid ſiniſtrum machinari conantur. Incurrerant enim quidam ex ipſis regis indignationem & odium, quam nunc quolibet modo mitigare curabant. Poſt multas autem & varias collocutiones receſſit rex, & abbates illos quos ſecum duxerat ſubverſionis cauſa cum monachis dimiſit. Qui variis allegationibus conati ſunt Priorem inducere ut ad voluntatem regis cum epiſcopis loqueretur. Hoc ipſe rex dixit, hoc abbates, hoc aulici potentiores efficere conabantur. Videns autem Prior ſibi & eccleſiæ imminere periculum, quoſdam epiſcopos ſeorſum vocavit, eiſque reſponſum regis in bona fide revelavit. Fiat, inquiunt, epiſcopi. Nominate igitur veſtros & nos nominabimus noſtros. Nominavit itaque Prior viros tres magnæ probitatis & probatæ religionis. At epiſcopi: Boni, inquiunt, viri ſunt & religioſi, ſed nos non niſi unum volumus nominare, *B.* videlicet *Wigornienſem* epiſcopum. Quibus cum Prior reſpondiſſet; vir quidem bonus eſt, & litteratus, ſed ibo ad fratres noſtros, & exinde breviter conferemus. Reſponderunt epiſcopi. Ite & conferte velociter, quia non poterit res iſta diutius protelari. Redierunt epiſcopi ad coepiſcopos ſuos ſumptis ſecum duobus abbatibus vel tribus. Prior quoque de his cum monachis conferens ſuper hoc negotio miſit ad regem monachos duos, & archidiaconum *Cantuarienſem*. Et ecce ſubito miſerunt epiſcopi clericos ad Priorem & monachos dicentes: Vocant vos epiſcopi, ut ſecundum præceptum domini papæ faciendæ interſitis electioni. Boni quidem viri ſunt quos nominaſtis, ſed quem ipſi nominaverunt melior eſt & optimus, ideoque illum adhuc nominant & eligunt. Stupentibus ad hæc monachis, continuo clerici ad epiſcopos redierunt. Et ecce ſubito ſtupentibus cunctis auditus eſt ſignorum ſonitus et cantantium voces. Quærentibus autem omnibus & fere ſingulis, rege quoque interrogante, quaſi miraretur quid hoc eſſet, accurrit quidam dicens epiſcopos elegiſſe ſibi archiepiſcopum, & *Te Deum* cantaſſe. Mirantibus itaque, nec mirum, cunctis qui aderant, & lacrimantibus plurimis, *Cantuarienſis* eccleſiæ monachi receſſerunt. Videns autem rex electionem hanc ordine præpoſtero, & in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ factam ratam non eſſe, ſub feſtinatione nimia miſit *Cantuariam* ſpectabiles nuntios abbates & clericos, qui conventus amaritudinem verborum mulcerent dulcedine, & animos perturbatos mitigantes ad conſentiendum perſonæ utcumq; electæ, cum melioratione cauſæ inducerent. Venientes itaque prædicti regis nuntii non. Decembris *Cantuariam* hoc tandem pacificis allegationibus effecerunt, ut Prior in proximo ad dominum regem *Lundoniam* veniret conventus reſponſa laturus, & quam meliorationem tanti ſcandali eſſet eccleſia Chriſti habitura inquiſiturus. Venit igitur Prior ut præmiſſum eſt ad regem iv. idus Decembris, & cum honore multo ſpecie tenus à rege & aulicis ſuſceptus eſt. Deinde contumelias & terrores minis & blanditiis inter loquendum admixtas audivit nec timuit, nec conſentire voluit niſi rex in propria perſona *Cantuariam* veniens ore proprio Conventus benivolentiam nullo mediante poſtularet, & epiſcoporum electionem modo ſubſcripto penitus caſſaret; videlicet, ut rex impetrato Conventus conſenſu, à *Cantuaria Londoniam* rediens, in audientia cleri & populi fateretur electionem illam aliter quam deberet vel deceret factam fuiſſe, unde & digna eſſet congrua emendatione. Ipſe quoque electus proteſtari deberet & dicere, quod non vellet neque deberet regimen ſubire *Cantuarienſis* eccleſiæ, niſi per Priorem & Conventum. Hæc omnia ut prædicta ſunt ibidem fieri debuerunt, ubi tranſgreſſio illa epiſcoporum facta eſt, ſcilicet in capitulo *Weſtmonaſterii*. Conſenſerunt vix tandem huic formæ rex, Prior & cæteri, & *Cantuariam* properatum eſt. Epiſcopi autem paci initæ, immo & Priori invidentes abierunt retrorſum. Craſtino vero vel perendie rex aliquantulum obiter infirmatus, filios ſuos *G.* videlicet Comitem *Britanniæ*, & *Johannem* Dominum

num *Hiberniæ*, Abbatem de *Burgo*, & clericos regis familiares miſit *Cantuariam*, ut ipſi regi referrent, ſi ea quæ Prior fecerat Conventus univerſitas concederet: Timuit enim regia ſullimitas repulſam pati, ideoque per filios ſuos & privatos Convenventus voluit præſcire conſenſum. Priori namque ſe committere noluit, cujus prudentiam ſimul & conſtantiam, eciam inter injurias & minas expertus eſt. Venerunt itaque prædicti regis filii *Cantuariam*, ſeque Conventui pro patre quaſi obſides ſtatuentes, unitatem in conſentiendo viderunt, & receſſerunt. Craſtino videlicet feria vi. nonodecimo kal. Jan. Rex ipſe *Cantuariam* venit, & humiliter adorato Deo, & beato *Thoma* Martyre, poſt multos et varios, ſermones ſcripto quoque de forma pacis, et de caſſatione electionis factæ compoſito, in capitulum ſolus intravit præſente toto conventu ejuſdem *Cantuarienſis* eccleſiæ. Rex itaque inter monachos quaſi unus ex eis reſidens dixit. Ecce domini, ut voluiſtis venimus ad vos ſicut ad kariſſimos dominos meos, de re iſta quæ male diducta eſt veniam petiturus. Et ſciatis quod vobis teſtor per Deum, quod nunquam michi placuit quod vos eccleſiæ veſtræ jura perdidiſtis. Res quoque ad honorem eccleſiæ veſtræ aliter perducta fuiſſet, ſi ea quæ vobis mandaveram fideliter relata fuiſſent; ſed jam nunc rogo vos per Deum, ut ad honorem Dei, et eccleſiæ veſtræ, et pacem regni mei perſonam hanc de qua ſermo agitur ſuſcipere velitis, cum melioratione cauſæ ſicut convenit inter nos, et dominum Priorem veſtrum, quod et vos latere non æſtimo. Quo dicto, flexis genibus cum lacrimis peroravit. Reſpondens Prior dixit. Res quidem iſta domine, ut aſſeritis, aliter quam debuit acta eſt, unde et nos ex corde dolemus. Sed ſciatis certiſſime quod in his quæ uſque ad præſens à nobis ſuper hoc negotio dicta vel facta ſunt, nichil penitus contra vos vel honorem vobis debitum voluimus attemptare. Eccleſiæ noſtræ dignitas ſolummodo fuit in cauſa, & ſtatus ab antiquo huc uſque deductus. Verum ob reverentiam perſonæ veſtræ qua nos filios veſtros admodum lætificaſtis, petitioni veſtræ noſtrum præbemus aſſenſum. Perſonam illam utcunque electam ſuſcipimus, rogantes attentius humilitate qua poſſumus, ut quantum poteritis emendationem procuretis, et de cætero jura eccleſiæ hujus et nos, perſonam quoque per vos ſuſceptam in negotiis ſuis, et neceſſitatibus protegere et promovere velitis. Annuit rex et abiit, et die craſtina *Londoniam* pervenit. Veniens autem Prior *Londoniam* cuncta quæ promiſſa ſunt præparata exiſtimans, ſpe fruſtratus Regem repperit alienatum et conſilium mutatum. Prior autem regem increpans, monuit ut ea quæ Conventui *Cantuarienſi* promiſerat opere compleret: Reſpondit rex, et dixit ſe ea non poſſe perficere, nec velle epiſcopos ſuos ita confundere, ut quod ipſi fecerant in irritum penitus duceretur. Hæc audiens Prior expalluit, et ſtupor apprehendit univerſos. Priorem autem amplius circumdedit horror et mentis anguſtia, ut jam jamque ſpiritum exalare videretur. Diffunditur ilico in Conſiſtorio Priorem *Cantuarienſis* eccleſiæ ſpiritum exalaſſe; et concurrentibus plurimis rex ipſe ſtupefactus accurrit. Videns autem Priorem laborioſe ſpirantem, timuit ne ſi ibidem moreretur, ipſe innocens proditionis notaretur. Poſtulans autem aquam, et in faciem Prioris jaciens, exclamavit dicens, Confortare domine Prior, confortare, ludens locutus ſum, quod volueris faciam, quod promiſi dicam et amplius, confortare tantum et eſto jocundus. Prior autem paſſione tranſacta, reſumpto ſpiritu reſedit. Cui rex ſuperiores voces ingeminans, Eia inquit agamus, quod verbo tenus promiſſum eſt, opere compleamus. Congregato igitur clero & populo multo in capitulo *Weſtmonaſterii*, ubi hæc contigerunt, indictoque poſt ſtrepitum ſilentio, rex ait: Res iſta, electio videlicet *Wigornienſis* epiſcopi, aliter quam debuit in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ facta eſt: Nolo autem ut præfata *Cantuarienſis* eccleſia aliquatenus jure ſuo privetur, ſed quod ſuum eſſe dignoſcitur eidem permaneat illibatum. Volo igitur & præcipio, ut in præſentia veſtra electio *Cantuarienſis* archiepiſcopi meliori fine claudatur. Epiſcopus vero *Wigornienſis* ſubjunxit dicens: Epiſcopi *Angliæ* fratres mei me renitentem, ut ſcitis, elegerunt, ſed dixi quod & adhuc dico, quod non volo, nec debeo regimen ſubire *Cantuarienſis* eccleſiæ, niſi per Priorem & Conventum. Quo dicto, prolata ſunt in medium privilegia *Cantuarienſis* eccleſiæ de libera electione, & de prima voce. Quibus in audientia lectis, Prior ut potuit dixit. Audiſtis qui adeſtis qua fulgeat dignitate *Cantuarienſis* eccleſia in ſui pontificis electione. Clarum quidem eſt quod electio epiſcoporum, quam in impetu ſuo fecerunt, quaſi nulla eſt, quia præſumptuoſa & penitus caſſanda. Nos ergo in nomine ſanctæ Trinitatis eligimus virum venerabilem dominum *B. Wigornienſem* epiſcopum in patrem & paſtorem *Cantuarienſis* eccleſiæ. Et ſurgentes introduxerunt novum electum in eccleſiam, cantantes & Deum laudantes, ſonantibus ſignis non ſolum *Weſtmonaſterii* ſed & totius *Lundanæ* civitatis. Acta ſunt hæc anno gratiæ M. C. lxxxiiij. menſe Decembrio, ſeptimo decimo kal. Jan. et dominica tertia adventus Domini. Vacaverat autem *Cantuarienſis* eccleſia à die obitus *Ricardi* archiepiſcopi menſibus ix. diebus xij. in Febr. et xiiij. in Decemb. Hæc autem aliquantulum diffuſe, multis tamen prætteritis ſtilo rudi ſcripta ſunt, ad cautelam illorum, qui futuris temporibus electioni *Cantuarienſis* Archiepiſcopi debent intereſſe. VIII.

An. Græ 1185:

M. Clxxxv. Miſſi ſunt nuntii Regis & conventus *Cantuarienſis* ad *Romanam* curiam, qui à domino Papa *Lucio Cantuarienſi* electo pallium poſtularent, & antiquæ privilegium prærogativæ.

Quarto kal. Febr. venit *Cantuariam* orandi gratia *Heracleus* patriarcha *Jeroſolimitanus*. Hic quidem in *Angliam* venerat ut regem *Angliæ* ſi fieri poſſet ſecum duceret *Ieroſolimam*. Rex etenim *Ieroſolimitanus* ante paucos annos lepra percuſſus toti regno ſcandalum ingeſſit, & inimicis crucis Chriſti paganis videlicet non modicam contulit audaciam. Interim tamen adoleſcentem quendam regis *Anglorum* conſanguineum regem *Ieroſolimitanum* conſtituerunt, quo magis regis *Anglorum* captarent benivolentiam. Rex autem *Angliæ* filiorum ſuorum ſæviciam agnoſcens, totique regno ſuo ſciens imminere periculum ſi ſua relinquens alienis & tam remotis quam ignotis ſe implicaret negotiis, petitioni non annuit patriarchæ. Hoc eciam ei in conſiliis datum eſt convocatis apud *Londoniam* totius *Angliæ* primoribus. Verumtamen ne tanti labor itineris patriarchæ videretur inutile, promiſit ei rex ad defenſionem terræ *Ieroſolimitanæ* L. milia marcas argenti.

Sequenti menſe Maio prima die menſis facta eſt eclipſis ſolis particularis circa horam ſeptimam.

Quartodecimo kal. Junii die ſcilicet ſancti *Dunſtani Cantuarienſis* electus à conventu ſuo honorifice ſuſceptus eſt. Qui pallio ſibi ab apoſtolica ſede tranſmiſſo redimitus, in ſede patriarchatus *Cantuarini* collocatus eſt. Sequenti autem feſtivitate ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli, ad preces *R.* Abbatis ſancti *Auguſtini* & conventus ad eccleſiam ſancti *Auguſtini* veniens honorifice ſuſceptus eſt. Miſſam quoque in die ſolenni celebravit & duo cimiteria dedicavit. Abbas autem in ſuſceptione archiepiſcopi reverenter mitram depoſuit, nec eam deinceps capiti ſuo voluit apponere, donec ab archiepiſcopo præciperetur.

Miſit hoc anno rex *Henricus Iohannem* filium ſuum juniorem in *Hiberniam*, ut totius *Hiberniæ* dominus vocaretur & eſſet.

Regina autem *Alianor* ad preces *B. Cantuarienſis* archiepiſcopi à diutino carcere ſuo tempore modico liberata eſt quo per annos fere xij. tenebatur incluſa. Quo facto, tranſfretavit Rex et patriarcha *Ieroſolimitanus* ut Regem *Franciæ* et Comitem *Flandriæ*, qui ſibi adinvicem hoſtiliter minabantur occurrere, pacificaret. Vix tandem per regem *Angliæ* elaboratum eſt, ut Comes *Flandriæ* domino ſuo Regi *Francorum Philippo* nonnulla caſtella terraſque reſignaret, aliquibus tamen ſibi retentis. Tranſfretavit hoc anno in *Normanniam* Dux *Saxonum H.* cum uxore ſua & matre ejus regina videlicet *Anglorum Alianor.*

Electus eſt hoc anno, immo intruſus ad regimen *Ceſtrenſis* eccleſiæ *Hugo de Nunant.* Et archiepiſcopus *Cantuarienſis B.* dedit epiſcopatum *Rofenſis* eccleſiæ clerico ſuo *Gilberto de Glanvilla* cognomine. Cum autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Cantuariæ* propinquaret, convocatis epiſcopis ſuis ut electum *Rofenſem* in die ſancti *Michaelis* conſecraret, acceſſit ad eum Prior *Cantuarienſis A.* in villa quæ dicitur **Tenham** cum pluribus monachis, & dixit ad eum.

Domine pater venimus ad vos ut filii ad patrem à conventu miſſi *Cantuarienſi.* Rogamus igitur vos, rogant & cæteri confratres noſtri, quatinus dignitates & jura veſtræ *Cantuarienſis* eccleſiæ, & ea maxime quæ ad vos ſpectant, ſicut debetis velitis conſervare. Specialiter autem de electo *Rofenſi* noſter ſollicitatur conventus, cujus electio aliter & alibi quam debuit celebrata eſt, quam ad præſens ob reverentiam veſtram pacis intuitu ſilencio præterimus. Veruntamen de baculo ſermo ſerendus eſt, quem monachi *Rofenſes* ſtatim poſt obitum *Galeranni* de more antiquo *Cantuariam* debuerant attuliſſe. Hæc eſt veterana *Cantuarienſis* eccleſiæ prærogativa quæ ab olitanis temporibus uſque ad hæc tempora inconcuſſa permanſit. Verum poſt obitum *Walteri Rofenſis* epiſcopi cui ſucceſſit *Gal.* monachi *Rofenſes* baculum prædictum contumaciter retinuerunt. *Galeranno* autem in præjudicium *Cantuarienſis* eccleſiæ male electo, & in partibus tranſmarinis nullo comprovincialium epiſcoporum aſtante conſecrato, cum rediret in *Angliam* actum eſt à conventu *Cantuarienſi* ut dignitas eccleſiæ *Cantuarienſis* revocaretur, vel epiſcopus præfatus pro epiſcopo non haberetur. Recordatum eſt igitur in Capitulo *Cantuarienſi* xiv. kal. Decembr. quod defuncto epiſcopo *Rofenſi* & ſepulto, ſtatim debeat paſtoralis baculus à monachis *Rofenſibus* non in occulto ſed palam *Cantuariam* ad altare Chriſti deferri, ibidemque uſque ad conſecrationem novi electi conſervari. Cum autem placuerit archiepiſcopo *Cantuarienſi* cuilibet epiſcopatum *Rofenſem* dare, in capitulo *Cantuarienſi* debet electio celebrari, ibidemque novus electus debet archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſtatim poſt electionem homagium facere, & tam ſibi quam *Cantuarienſi* eccleſiæ fidelitatem jurare. Aſtiterunt eciam ſeniores noſtri affirmantes cum ſacramento juramenti ſe præfatam hanc conſuetudinem tempore duorum epiſcoporum vidiſſe. Ipſe quoque archiepiſcopus *R.* cum cæteris viſis evangeliis idem ſe vidiſſe juravit. Quo audito, *Galerannus* R. archiepiſcopo prædeceſſori veſtro & eccleſiæ fidelitatem fecit, ad altare Chriſti profeſſionem legit, & de eodem altari baculum ante paucos dies allatum ſuſcepit. Fuerunt huic aſſertioni præſentes archiepiſcopus *R. G.* electus *Ceſtrenſis*, *Gal.* epiſcopus *Rofenſis*, *B.* abbas de *Burgo*, archidiaconus *Gloceſtriæ*, archidiaconus *Bathonienſis*, Prior *Cantuarienſis*, *Moyſes* Prior *Coventrenſis*, aliique plures clerici & laici cum ipſo conventu *Cantuarienſi.* Hæc eſt igitur ut diximus *Cantuarienſis* eccleſiæ prærogativa uſque ad hæc tempora veſtra conſervata. Nunc autem malitiis hominum qui *Cantuarienſem* obpugnant eccleſiam prudentiam veſtram opponite, ut exinde mente ſecura Deo reſpondere valeatis.

Archiepiſcopus ad hæc breviter reſpondit. Dignitates & jura *Cantuarienſis* eccleſiæ Deo annuente pro poſſe meo per conſilium veſtrum ſervabo. De baculo autem *Rofenſis* eccleſiæ de quo ſermo agitur, quid facere valeam ignoro. Nulla enim ratione monachos *Rofenſes* inducere valeo ut baculum prædictum *Cantuariam* velint afferre: nunquam enim factum fuiſſe conſtanter affirmant. Reſpondit Prior & dixit. Manifeſtum eſt eos inniti mendacio, cum hic ſint tam monachi quam laici qui in *Cantuarienſi* capitulo fuerunt quando ſupradicta facta eſt recordatio. Et poſt pauca. Hæc eſt, inquit Prior, domine pater prima quæſtio quæ in præſentia veſtra contra *Cantuarienſem* eccleſiam mota eſt. Neceſſe eſt igitur tam famæ veſtræ quam utilitati eccleſiæ & paci, ut ſic contumaciam iſtam compeſcere velitis, ne cæteri Dei eccleſiæ adverſarii ſumant audaciam reſiſtendi. Si enim in hac novitate veſtra remiſſum magis quam rigidum ſenſerint, eciam mutilatis dabitis cornua repugnandi. Dicite igitur, archiepiſcopus ait, quid facto opus ſit. Et Prior. De rigore juſticiæ juſte poteritis Priorem & monachos *Rofenſes* pro injuria vobis & eccleſiæ veſtræ illata ſuſpendere. Quis ergo, ait archiepiſcopus, pro conſecrando epiſcopo petitionem faciet? Sed date conſilium quo eccleſia *Cantuarienſis* quod ſuum eſt recipiat & conſecratio epiſcopi rite procedat. Scandalum enim erit importabile nec veſtræ profectus eccleſiæ ſi epiſcopi noſtri qui de longe venerunt revertantur illuſi. Sed convocentur monachi illi & clerici noſtri, quia verbum propalatum eſt, & quid velint dicere audiamus. Quo facto, dixit archiepiſcopus ad *Rofenſes.* Audivimus fratres jura *Cantuarienſis* eccleſiæ maxime de baculo paſtorali eccleſiæ veſtræ, videlicet quod illum mortuo & ſepulto epiſcopo *Cantuariam* debeatis afferre; Vos autem in contrarium allegatis. Nunc ergo præcipio vobis in virtute obedientiæ & in periculo ordinis veſtri, ut quid ſoleat fieri nobis dicatis, nec eccleſiæ *Cantuarienſi* quod ſuum eſt ſubtrahere velitis. Monachi ad hæc, ſtupidi effecti, habito conſilio tandem dixerunt quod mortuo epiſcopo *Roſenſi* baculus paſtoralis non ad *Cantuariam* ſed ad archiepiſcopum ubicunque fuerit vel præceperit debeat afferri. Ad hæc archiepiſcopus. Si ad archiepiſcopum ubicunque fuerit vel præceperit afferri debet, quare non melius ad *Cantuarienſem* eccleſiam? At illi: propter calumpniam monachorum. Mirumne eſt, inquit archiepiſcopus, ſi eccleſiæ ſuæ jura quærunt? At illi. Nunquam factum eſt, nec unquam fiet. Et archiepiſcopus. Ecce præſentes ſunt qui hoc à multo tempore fieri viderunt. At illi. Juvenes, inquiunt, ſumus nec quicquam ſcimus niſi quod vidimus. Segregatis igitur illis, dixit archiepiſcopus. Solam malitiam ſapiunt verba iſtorum. Nam ſi eis præciperetur ne *Cantuariam* baculum afferrent, ut puto niterentur in contrarium. Nos ergo ſi laudatis recipiamus ab eis quod ipſi fatentur eſſe noſtrum, & de injuria illata dent cautionem noſtro ſtandi judicio. Placuit omnibus quod dictum eſt, & ſic revocati ſunt *Roſenſes*; Quibus dixit archiepiſcopus. Vos fatemini quod ad nutum noſtrum debeat à vobis baculus paſtoralis afferri. Reſignate ergo illum ut quod meum eſſe ratum eſt, in præſenti recipiam. Dato itaque baculo & accepto dixit archiepiſcopus. Date eciam cautionem noſtro ſtandi judicio tam de tota cauſa quam de illata injuria. Et dederunt Prior ſcilicet *Roſenſis* cæterique pro ſe ſuoque conventu. Quo facto, dixit archiepiſcopus. Gratum eſſet nobis ſi tu Prior *Roſenſis* baculum iſtum in altari Chriſti *Cantuariæ* manu propria velles offerre. Sed quia tibi ingratum eſt, Priori *Cantuarienſi* illum trado *Cantuariam* deferendum. Ad hæc Prior *Cantuarienſis* dixit. Si Prior *Roſenſis* quod ſuum eſſe dinoſcitur facere contempnit, quod noſtri juris eſt non refutamus. Et accepto de manu archiepiſcopi baculo, *Cantuariam* venit & ſuper altare Chriſti baculum poſuit. *Roſenſes* autem confuſi & quaſi elingues effecti ſunt. Dominica ſequenti, die ſcilicet ſancti *Michaelis* archangeli conſecravit archiepiſcopus *Baldewinus G. Roſenſem* electum ad altare Chriſti, accepta prius ab eo fidelitate in capitulo *Cantuarienſi* cum debito juramento, aſſidente ſibi in eodem capitulo *Reg.* epiſcopo *Bathonienſi*, *Seinf.* epiſcopo *Ciceſtrenſi*, *Petro Menevenſi*, *W.* electo *Landavenſi*, Priore *A.* & toto Conventu *Cantuarienſi*, & multitudine multa cleri & populi. Facta igitur fidelitate in capitulo cum debito juramento, data profeſſione ad altare Chriſti conſecratus rediit *Roveceſtram*, & ab archiepiſcopo *Cantuarienſi B.* intronizatus eſt.

Interea Comes *Flandriæ Philippus* graviter ferens præ pudore quod tot & talia per regem *Franciæ* amiſiſſet caſtella, propoſuit animo pauca quæ utcunque retinuerat armis munire & propugnaculis, & contra regem *Franciæ* dominum ſuum firmiter tenere. Videns autem rex quod ea quæ gratuita benignitate licet ingrata Comiti dimiſerat, in contemptum & contumeliam ſuæ perſonæ & regni *Francorum* vertentur in detrimentum, habito conſilio decrevit omnia quæ ſui juris erant revocare & rebellandi cauſas ſubtrahere. Territus autem Comes & de ſua virtute diffidens Imperatoris filium adiit, ejuſque petens auxilium, eciam de comitatu *Flandriæ* contra naturalem dominum ſuum eidem fecit homagium. Sed Deus omnipotens dilatione congrua ipſius conatus eliſit & infatuavit conſilium *Architofel*. Nam Imperator injuſte petitum negavit ſolatium, inhibens filio ne ei contra juſtum & æquum aliquatenus præberet auxilium. Veruntamen injurias Comiti illatas promiſit repellere ſi rex *Franciæ* eidem Comiti jura debita temptaret abripere. Hoc ergo deluſus eloquio Comes à ſuo cecidit propoſito, & in proximo volens nolens Domini ſui ſe commiſit arbitrio.

Obiit hoc anno Papa *Lucius* circa feſtum ſancti *Andreæ* & *Veronæ* ſepultus eſt. Cui ſucceſſit incontinenti *Mediolanenſis* archiepiſcopus & *Urbanus* appellatus eſt.

IX.

M. Clxxxvj. *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus de quo tantæ religionis effulſerant præconia quaſi redempturus eſſet *Iſrael*, in primis ſanctitatis ſuæ operibus à ſanctuario Domini incipiens, electionis ſuæ die anniverſario ante natale, eccleſiam Chriſti *Cantuariæ* ſpoliavit ſuis exeniis ut prædictum eſt quæ vulgo *præſentia* vocantur. Hæc in natali Domini & paſcha de villis monachorum in curiam eorundem conſueverant ab antiquo deferri, & ad uſus infirmorum & hoſpitum Celerario tradi. Quod cum monachi *Cantuarienſes* patienter etſi non libenter ſuſtinerent, ne paſtoris ſui operum initiis viderentur aliquatenus repugnare, archiepiſcopus jam quodammodo invento aditu propoſuit animo in monachos ſuos & eccleſiam *Cantuarienſem* primos experiri conatus. Subverterant enim quidam clerici ſeculares ipſius ſimplicitatem, fabricantes continua ſuggeſtione de litteratura ejus arma malitiæ & nequitiæ. Averſa eſt itaque mens ejus & intentio à dilectione Conventus, & quos fovere debuit ſtuduit impugnare. Inconſulto igitur Priore & Conventu, per manus clericorum ſuorum eccleſias tres cum capellis ſuis tam violenter quam fraudulenter ſurripuit octavo kal. Februarii, quæ victualibus pauperum per venerabilem *Ricardum* archiepiſcopum aſſignatæ fuerant & confirmatæ. Deceperunt enim clerici ad hoc ab eo directi prædictarum ſacerdotes eccleſiarum, mutuatis ab eis clavibus acſi evangelia eſſent audituri. Suſtinuit & hoc utcunque Conventus, ſupplicans archiepiſcopo in humilitate ut ſibi commiſſæ parceret eccleſiæ, & pauperum & peregrinorum patriæ miſereretur. Qui non ſolum non exaudivit eos, ſed ad majora manus extendit. Nam villas & redditus victualibus monachorum ab antiquo deputatas invaſit, & clericis ſuis & laicis tradidit cuſtodiendas. His igitur & hujuſmodi gravaminibus afflicti, compulſi ſunt monachi xij. kal. Marcii ſedem apoſtolicam appellare. Archiepiſcopus autem nec ſupplicationibus nec appellatione voluit à propoſito deſiſtere. Nam villas quas ante appellationem non invaſerat poſt appellationem occupavit. Propoſuit eciam animo nec ſanctuario Dei parcere, ſed omnia intus & extra violenter occupare. Divulgata ſunt hæc circumquaque fama volitante per vicinos & longe poſitos, & mirati ſunt univerſi. Obſtupuerunt enim famam tanti viri tam ſubito & tam fœde violari, de quo tantæ bonitatis præconia primitus effulſerunt. Dolent itaque & indignantur amici *Cantuarienſis* eccleſiæ de matris ſuæ tam dira oppreſſione. Ad cujus conſolationem venerunt *Cantuariæ* abbates tres, ut inter patrem & filios pacem violatam vel ſpecie tenus reformarent. Qui inter conventum & archiepiſcopum prope poſitum ſcilicet apud **Wingeham**

An. Gr̄æ 1186.

diſcurrentes hoc tandem utcunque elaboraverunt, ut conventus ſalvo ſtatu eccleſiæ renuntiarent appellationi, & archiepiſcopus monachorum villas occupatas & redditus in integrum reſtitueret. Factum eſt autem. Renuntiatum eſt tandem appellationi, & archiepiſcopus villas tantum ablatas reſtituit. Eccleſias autem & exenia ſub ſpe recuperandæ pietatis retinuit donec altiori conſilio inſtrueretur, & conventus benevolentia ſimul & patientia alliceretur. Erant autem quidam ex fratribus *Cantuarienſis* eccleſiæ ſubtilioris ingenii & majoris conſtantiæ, qui nullo intuitu voluerunt appellationi renuntiare niſi archiepiſcopus in integrum ablata reſtitueret omnia. Ex quibus unus domino papæ *Vrbano* tacito tamen ſcribens nomine ſcripſit univerſa. Modum ſcilicet electionis, cauſam appellationis, & formam renuntiationis. Archiepiſcopus autem verbo tenus ad Conventum pacem ſervabat quam in pectore non habebat. Nam ſub hoc cujuſcunque pacis tempore præfatas eccleſias clericis ſuis dedit, quorum unum & ad *Romanum* pontificem miſit ut datas eccleſias confirmaret, & fabricandæ eccleſiæ apoſtolicam daret auctoritatem.

Orta eſt his diebus diſcordia grandis inter dominum Papam & Imperatorem *Fretbericum* hac occaſione. Dederat Imperator cuidam nepoti ſuo archiepiſcopatum *Treverenſis* eccleſiæ, ſed canonici alium quendam canonice elegerunt. Ventilata eſt igitur cauſa in conſiſtorio domini papæ, & tandem canonicæ electioni ceſſit victoria. Confirmavit enim canonice electum & conſecravit. Quo audito, Imperator non modice motus eſt, & novi archiepiſcopi confiſcavit poſſeſſiones. In ipſum quoque dominum papam edictum ſtatuit, totius imperii appellationes inhibuit, aliarumque regionum appellationes impedivit, & quos apprehendere poterat ad papam euntes vel ab eo redeuntes incarceravit: Alios lingua capulata, naſo & aliis membris mutilatis dimiſit, multos in carcere mori coegit: Maxime apud civitatem *Tvoricam* & caſtrum *Toringum* quæ ingredientibus *Longobardiam* primo occurrunt. *Tvorica*, via quæ venit à *Monte Jovis*. *Toringum*, via quæ venit à *valle Moriana*. Poſſeſſiones quoque domini papæ quaſdam civitates & prædia abſtulit, propoſuit & omnia auferre.

Agebat interea rex *Anglorum Henricus* in partibus tranſmarinis. Cujus filius *Ricardus* Comes *Pictavenſis* collecto grandi exercitu nonnullas villas in terra Comitis ſancti *Egidii* vaſtavit, & aliqua caſtella vi vel fraude occupavit.

Contigit hoc anno eclipſis Lunæ totalis quinto die menſis Aprilis prima hora noctis. Subſecuta eſt eclipſis ſolis particularis ignei coloris prima die menſis Maii & prima hora diei. Prædicatæ ſunt & præſcriptæ per aſtrologos civitatis *Toleti* tempeſtates hoc anno futuræ, unde *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus in provincia ſua triduanum inſtituit jejunium. Sed abundantia frugum & opulentia rerum, ſed & ſerenitas aeris eorum infatuavit prophetiam. Nam aliæ tempeſtates vel aeris paſſiones in *Anglia* viſæ non ſunt niſi quas ipſe domnus *Bald.* in ſua ſcilicet *Cantuarienſi* tonuit eccleſia, ut in ſequentibus patebit. Menſe Maio venit rex in *Angliam*, & poſt modicum peregre profectus eſt *Cantuariam*. Sperans autem archiepiſcopus ſe de facili poſſe *Cantuarienſis* eccleſiæ jura ſubvertere & monachorum libertatem non annuæ ſed perpetuæ ſubicere ſervituti, ſi Prior *Alanus* quocunque modo *Cantuarienſi* careret prioratu, egit apud regem eidem ocius occurrens ut præfatus Prior *A.* in electionibus in proximo faciendis vacantium eccleſiarum aliquem ſortiretur dignitatis honorem. Coadunato igitur clero *Angliæ* menſe Maio apud **Egeneſham** in præſentia regis & archiepiſcopi iſtæ factæ ſunt electiones. Prior de *Chertoſa* ſecundum hominum opinionem vir admodum juſtus electus eſt ad eccleſiam *Lincolnienſem*. *Willielmus de Norhalle* ad *Wigornienſem*. *Willielmus de Ver* ad *Herefordenſem*. Prior *Cantuarienſis A.* electus eſt abbas *Theokesberiæ* quaſi in pœnam ſuæ conſtantiæ, & Prior *Rofenſis Abendoniæ*; *Robertus de Haſtinges Cantuarienſis* cucullatus, *Ceſtriæ*, ob meritum ſuæ perfidiæ qui pro *B.* archiepiſcopo ſuo defuit conventui in die neceſſitatis. Ne igitur intentio archiepiſcopi qualibet impediretur occaſione, *Cantuariam* advolans benedixit Priorem *Alanum* jam electum Abbatem *Theokesberiæ*, xvij. kal. Julii. Prædictum quoque *Robertum* benedixit in Abbatem cœnobii *Ceſtriæ* iij. idus Julii. Eademque die ex aſſenſu & petitione conventus ſuum quondam capellanum *Honorium* prius cœlerarium ſubſtituit in prioratum. Epiſcoporum vero conſecratio uſque ad feſtum ſancti *Michaelis* dilata eſt.

Interea *Ganfridus* Comes *Britanniæ* ex adverſa valitudine preſſus diem clauſit extremum in *Francia*, & *Pariſius* ſepultus eſt. Quo audito, rex *Angliæ* dominatum *Britanniæ* ſibi voluit revocare, ſed rex *Francorum Philippus* ipſius impediebat propoſitum. Eſt enim *Britannia* minor de dominio regni *Franciæ*, quam rex *Angliæ* quodammodo reſignaverat, cum præfatum Comitem *Ganfridum* ſuum videlicet filium una cum uxore ſua & terra regis *Franciæ* traderet ditioni. Diſperſa igitur per prædictam *Britanniam* hujuſcemodi fama, Comites & Conſtabularii *Britonum* quodammodo verſi ſunt in ſeditionem. Nam quidam ex eis in odium regis *Angliæ* adhærebant regi *Franciæ*, alii autem regis *Angliæ* partibus favebant, quidam vero nec huic nec illi conſentire volebant. His igitur de cauſis cum ſinguli arma præparare cogitarent, rex *Anglorum* miſſis nuntiis ad regem *Franciæ* petiit & accepit inducias. Sperabat enim more ſuo regis *Franciæ* conatus pecunia mediante ſubvertere, & commotum juvenis animum aureis & argenteis *Anglicis* videlicet unguentis delinire; rex autem *Franciæ* iſtam jam edoctus ad pugnam, toroſa brachia ferientis eliſit. Nam Comites & commilitones *Franciæ* artiori conſtrinxerat juramento, quod de rege *Angliæ* nec aurum nec argentum hac de cauſa eſſent accepturi. Fuit & aliud hujus incentivum furoris. Egerat enim rex *Angliæ* per internuntios ut junior regina *Angliæ*, uxor videlicet filii ſui *Henrici* regis, filia autem regis *Lodovici* & hujus ſoror *Philippi* jam vidua, regi nuberet *Hungariæ*, ut puella regis junioris vidua doti ſuæ caſtellis ſcilicet & villis cederet dum in remotis partibus ſe viri alterius amplexibus ſociaret. Quo facto, occupaverat rex *Angliæ* tam ea quæ cum filio ſuo in dotem præfatæ puellæ dederat, quam ea quæ cum filia ſua rex *Franciæ Lodovicus* ipſius contulerat marito. Fuit

&

& aliud regi *Franciæ* doloris augmentum. Nam rex *Angliæ* aliam regis *Philippi* ſororem jam per annos plurimos in *Anglia* ſub artiſſima ſervabat cuſtodia, quam rex *Lodovicus* interventu regis *Angliæ* filio ſuo maritandam Comiti *Pictavenſi* conceſſerat *Ricardo*. Hæc omnia rex *Philippus* pace vel pugna cupiebat revocare.

Rediit interea nuntius domini *B.*archiepiſcopi, & ea quæ tacita veritate vel falſa ſuggeſtione à domino papa impetraverat exponens, dominum ſuum non modice lætificavit. Exinde igitur domnus *B.* effrenis effectus, jam non ſolum eccleſias vel oblationes auferre, ſed & totum ſtatum & tranquillitatem *Cantuarienſis* eccleſiæ penitus vel in parte plurima ſubvertere cogitabat. Aſſociatis ergo ſibi quibuſdam epiſcopis quos novit in beatum *Thomam* & *Cantuarienſem* eccleſiam diutinam exercuiſſe malitiam, regem adiit, dicens ſibi peroptimum ineſſe propoſitum, ut extra civitatem *Cantuariæ* ſecularium clericorum canoniam faceret, & in nomine ſancti *Thomæ* martyris novam & mirabilem eccleſiam fabricaret. Cernens itaque ſubtiliſſimus rex hoc commento jura *Cantuarienſis* eccleſiæ & libertatem quam maxime in electione ſui pontificis uſque ad hæc habuerat tempora poſſe ſubnervari, ſuggeſtionibus archiepiſcopi gratum, ut fertur, præbuit aſſenſum, & novæ conſtruendæ eccleſiæ regium promiſit aſſenſum. Quo comperto, domnus *B.* non veritus juſticiam, ne ſui vel alicujus ordinis religionem, congregationem ſecularium clericorum ſub feſtinatione propoſuit ſtatuere in eccleſia ſancti *Stephani*, quæ tribus fere ſtadiis à *Cantuaria* diſtat ad aquilonem. Et ut regem & epiſcopos *Angliæ* ſibi confederaret, regi, ut fertur, unum aſſignavit præbendam, & epiſcopis ſuffraganeis ſuis ſingulis ſingulas, ſic tamen ut ipſi præbendis & vicariis ſuis redditus neceſſarios invenirent. Addidit & hoc, ut quicunque eccleſiam habebat ex donatione *Cantuarienſis* archiepiſcopi vel monachorum, *Hakentonienſis* eccleſiæ titulo canonicus ſcriberetur. Ibi enim ut credebatur cogitabat epiſcopos conſecrare, criſma facere, ſinodos celebrare, tandemque ſedem epiſcopalem & omnem metropolitani transferre dignitatem. Sed Deus omnipotens qui jam per ſeeentos fere annos *Cantuarienſem* eccleſiam & monachos in ea degentes uſque ad hæc tempora domni *B.* ſub religione monaſtica cuſtodivit, hanc de facili pravorum machinationem poterit diſſipare. His igitur, ut prædictum eſt, archiepiſcopus armatus copiis, animo fervens ut ad proximum natale Domini compleret propoſitum, nichil vel parum hæſitans *Cantuariam* tetendit. Sed miſericors Deus & beati *Thomæ* martyris glorioſa victoria ipſius prævenit impetum, & monachos ſuos *Cantuarienſes* præmunivit per viſionem dignam memoria.

Dum enim domnus *B.* archiepiſcopus *Cantuariam* properanter adiret, & monachi illi de omnibus his nichil penitus ſcientes poſt laudes matutinas nocte beatæ *Katerinæ* ad modicum pauſarent, aſtitit uni ex ipſis bonæ indolis juveni & Levitæ perſona quædam reverendi vultus veſte indutus candida, dicens ei, *Andrea, Andrea, Andrea Johannes*, erat enim ex fonte baptiſmatis, & ex profeſſione monachili binominis. Cui quaſi expergefactus juvenis reſpondit, Quid vis Domine? Quid vobis placet? Videbatur ei quod ſanctus *Thomas* eſſet. Cui Sanctus reſpondit, Surge, veni mecum. Qui cum ſurgeret & prævium ſequeretur, exivit ſanctus de dormitorio & introivit chorum, ubi videbantur monachi congregati mœſto vultu quaſi ex animi contritione ſedentes. Qui cum beatum *Thomam* conſpicerent venientem aſſurrexerunt ei, & inclinato capite vel corpore eum devote adoraverunt. Sed cum prædictus monachus ſedile ſuum adire proponeret, reſpiciens Sanctus monachi manicam apprehendit, dicens ei, Sequere me. Veniens itaque Sanctus in turrim choro contiguam oſtendit monacho machinam quandam magnam & terribilem valde, rotam ſcilicet vaſtitatis inmenſæ, flammas emittens quaſi ceruleas, ita ut monachus expaveſceret ex viſu. Cui Sanctus dixit, Ecce rota *Katerinæ*, & hæc major illa, & majorem vobis minatur ruinam. Archiepiſcopus veſter fecit eam, & ecce adeſt ut videat illam. Volens autem monachus ille certiorari quiſnam eſſet, dixit ad eum. Quis es domine? Ego ſum, inquit, *Thomas* archiepiſcopus veſter, qui pro hac eccleſia, & in hac eccleſia martyrium paſſus ſum. Quem cum monachus genu flexo adoraſſet, cum ipſo paululum ſeorſum ſeceſſit. Et ecce cum ſtrepitu multo non modico ſtipatus agmine *Baldewinus* acceſſit. Qui cum per gradus aliquot veniſſet in turrim, tres maligni ex his qui comitabantur cum eo porrexerunt ei enſes tres atros & deformes. Ex quibus duos accipiens, cuſpides in pavimentum poſuit, & capitulis innitens ait, Ita, talem eam volo eſſe. Nunc autem vocate mihi Priorem. Quo cum vocatus una cum monachis quinque vel ſex Prior veniſſet *Honorius*, dixit ad eum. Novum illud opus volo deſtruere, & ad hoc feci rotam iſtam, ſed non valeo illam ſine vobis impellere. Vos ergo impellite eam, & totum opus illud diruite. Erat enim rota illa magna & horribilis valde, ab occidente in orientem porrecta, acſi per chorum ad altare curſum minaretur. Verum cum Prior paululum tardaret & rotam impellere formidaret, archiepiſcopus minaciter dixit ei, Impelle rotam, alioquin feriam te. Impulerunt igitur rotam Prior & monachi qui cum eo erant, ſed eam vertere non potuerunt. Quod ut vidit archiepiſcopus, Pauci ſunt, ait, plures vocate monachos. Advenerunt itaque monachi duo, ſed nec per eos rota potuit moveri. Et archiepiſcopus indignans, Totum, inquit, vocate Conventum. Qui cum vocatus fuiſſet, noluerunt accedere niſi monachi duo tantum. *Andreas* autem timore perterritus dixit ad Sanctum, Miſerere Domine, miſerere. Si Conventus venerit & rotam impulerit, novum opus penitus ſubvertetur. Si opus ceciderit, totum Conventum conquaſſabit. Cui ſanctus *Thomas* reſpondit, Ne timeas, non procedet. Quo dicto, extraxit miræ magnitudinis & ſplendoris gladium aureis litteris inſcriptum. Ad cujus ſplendorem cum monachus expaviſſet, paululum reſpexit, & admodum miratus eſt quod archiepiſcopus *B.* & omnes qui cum ipſo erant ſubito diſparuerunt. Prior vero & qui cum ipſo erant ex monachis, in chorum reverſi ſunt ad Conventum. Sanctus autem *Thomas* monacho oſtendit gladium quem tenebat & dixit, *Andrea* lege litteras iſtas. Qui cum ſub ſilentio litteras non legeret ſed cogitaret. Non ita, inquit Sanctus, ſed viva voce lege illas. Legit igitur quod erat ſcriptum in gladio ſic, *Gladius beati Petri apoſtoli*. Quo lecto, dixit Sanctus ad monachum, Accipe gladium iſtum & trade Priori, eique ex parte mea dicito ut cum gladio iſto percutiat rotam & deſtruat illam. Monachus autem cum de manu Sancti gladium ſuſcepiſſet, evigilavit, & tunc primo ſe dormiſſe cognovit. Admirans igitur non modice & recolens quid viderit vel quid fecerit, diem craſtinum in revolutione viſionis expendit. Proxima autem nocte cum idem monachus expletis matutinis laudibus ſopori membra dediſſet, apparuit ei ſanctus *Thomas* ſecundo cum prædicto gladio dicens ei, *Andrea,* quare non feciſti quod præcepi tibi ut faceres? Affer gladium iſtum Priori dicens ei, ut rotam illam percutiat & deſtruat. Qui cum manum extenderet & gladium acciperet, excuſſo ſompno obſtupuit, nec tamen Sancti juſſa complevit. Tercia nocte eidem monacho ut ante poſt matutinos dormienti apparuit tercio ſanctus *Thomas* in veſte candida cum gladio, vultu tamen ſeveriori dicens ei, Quid hoc eſt *Andrea?* Quare non feciſti quod tibi præceperam? Affer gladium iſtum Priori, & ex parte mea dic ei, ut rotam percutiat & deſtruat illam. Et ſi rotam hoc non percuſſerit gladio, ego eum hoc gladio percutiam. Suſcepto igitur gladio, monachus ſomno excutitur, ſollicite pertractans animo, quomodo vel quo ordine quod jam tercio injunctum erat exequeretur. Timuit enim ne ſi Priori viſionem diceret, ei Prior iraſceretur & frivolum reputaret; ſi autem penitus reticeret, ſanctum *Thomam* cui devotus erat offenderet. Veruntamen timorem ſuum timida tamen compreſſit audacia, & viſionem Priori *Honorio* ſemel & ſecundo ex ordine recitavit, ejuſque animum, nec mirum, ſollicitavit. Obſtupuit enim ad audita, & quid portenderet vel quorſum tenderet viſio penitus ignoravit. Subſecuta eſt è veſtigio alia viſio, quæ licet brevis ſit ſuo tamen eſt digna relatu. Monachus quidam ſacerdos vir bonæ actionis cum inter matutinos confratrum ſuorum intereſſet conventui, ſubito obdormivit, viditque *B.* archiepiſcopum *Cantuariam* veniſſe, ſcilicet ut ſanctum *Thomam* de loco requiei ſuæ transferret. Sublevato itaque martyre ſancto de ſuo ſarcofago, & ad transferendum expoſito, volebat *B.* archiepiſcopus caput ſancti martyris amputare. Quod videns monachus, tremefactus obſtupuit & dixit ad eum, Quid eſt hoc? Quid vis facere? Volo, inquit archiepiſcopus, caput illius amputare. Cui monachus ait, Si tanti martyris caput abſcideris, invidiæ vel odii incurres infamiam. Contempſit archiepiſcopus monachi conſilium, & perſtans in propoſito caput inclinavit, ſed mitra ejus diſparuit, martyr intactus remanſit, & monachus admirans evigilavit. Muſſitabant de his fratres adinvicem conferentes, & mirati ſunt univerſi.

Nec mora, diſpargitur rumor in civitate *Cantuaria* de adventu archiepiſcopi & de ipſius malitioſo propoſito. Contriſtati ſunt cives non modice, pupilli & viduæ lamentabantur & orphani. Et cum aliter pro eccleſia Chriſti matre ſua pugnare non valerent, inprecationibus multis *Baldewinum* & complices ipſius eccleſiæ Chriſti adverſarios non ceſſaverunt appetere. Præ omnibus & ſuper omnes dolere cœperunt monachi ejuſdem *Cantuarienſis* eccleſiæ, cum ſuum viderent ordinis exterminium & eccleſiæ ſuæ perpetuum imminere ſupplicium. Confuſi ſunt animo & contriſtati valde, & tantus quidem eos horror mentis invaſit, ut quidam ex eis lecto decumberent ægrotantes. Ad conſueta igitur arma fugientes, vigiliis & orationibus intenti, Dominum *Jeſum* & ſanctos patronos eccleſiæ non ceſſaverunt interpellare. Auditis vero prædictis viſionibus quæ paucis adhuc fuerant recitatæ, redierunt ad ſe & paululum quidem reſpirare cœperunt. Hi tamen qui erant animi fortioris, hæc tandem ſibi dicentes adinvicem, Quid facimus? Quid cogitamus? Eccleſiæ noſtræ gravamen videmus, ordinis ſubverſionem, noſtrum conſpicimus exterminium, & nos ignavia diſſoluti vel ſolo timore inerti diſſimulamus? Hæc eſt vere rota *Katerina* quæ omnimodam nobis minatur ruinam. Sed gladius *Petri* aſſumendus eſt, quo ſolo cuncta repelluntur gravamina. Verum ad hæc aliquis timidus reſpondit, Quomodo vel qua arte vibrandus eſt gladius iſte, cum caput noſtrum, ſcilicet archiepiſcopus ex aſſenſu regis nobis adverſetur, & epiſcopos hujus eccleſiæ ſuffraganeos eciam cum licentia domini papæ habeat conſentaneos? Econtra aliquis: Eſto quod archiepiſcopus, & rex, & epiſcopi, ſed & omnia nobis minas inferant, non tamen feriet quodcunque minabitur arcus. Et nos degeneres & ignavi exempla ſanctorum patrum noſtrorum imitari contempnimus, ſoloque minarum timore ſubacti vincimur? Probabile quidem & certum eſt ſolo *Petri* gladio, hoc eſt appellatione ſedis apoſtolicæ cum Dei adjutorio & patrum noſtrorum interceſſione nos ab intemptato nobis exterminio liberari. Si vero, quod abſit, nobis apoſtolica defuerit protectio, deſidiæ non erimus culpandi vel ignaviæ, cum in nobis non ſteterit eccleſiæ Dei & noſtra liberatio. Confugiamus igitur ad hoc unum & ſingulare ſolatium, & à præteritis, præſentibus & futuris gravaminibus appellemus. Conſenſit itaque tota fratrum coadunatio, & in unitate fidei conſtanter appellatum eſt, vj. idus Decembris feria ij. Miſit ergo Prior *Honorius* monachos tres qui *B.* jam non archiepiſcopo ſed tyranno *Cantuariam* properanti apud **Gillingeham** prudenter occurrerent, eique jam factam nuntiarent appellationem. Quibus ipſe dixit, Quæ eſt hujus cauſa appellationis? Cui reſpondit unus ex nuntiis, Diu eſt quod appellavimus ab omnibus gravaminibus, illatis videlicet & inferendis. Et ille: Quibus illatis? Cui nuntius: Primo quod exenia noſtra tuliſtis, deinde eccleſias victualibus pauperum deputatas rapuiſtis, & nunc eciam quod in curia *Romana* nos infamare voluiſtis, & maxime canoniam quandam ſecularium clericorum in diſpendium eccleſiæ noſtræ & ordinis ſubverſionem conſtituere propoſuiſtis, unde & jam quoſdam canonicos noſtræ eccleſiæ inimicos inſtituiſtis, & quod eccleſias noſtras, oblationes & bona nobis ablata ſed & dignitates eccleſiæ illuc transferre voluiſtis. Quod ne fiat, iterum & iterum ſedem apoſtolicam appellamus, & *Lætare Jeroſolima* terminum præfigimus appellationi. Non, inquit archiepiſcopus, in dedecus vel detrimentum eccleſiæ hoc facio, ſed ad ejus fortitudinem & decorem; & ut melius jura *Cantuarienſis* eccleſiæ conſerventur, & illibata permaneant. Et ego: Immo, inquam, ut ordo monaſticus penitus ſubvertatur, quia clerici monaſticæ religioni ſemper infeſti ſunt. Non enim bene conveniunt nec in una ſede morantur. Quot anni, quot tempora evoluta ſunt ex quo jura *Cantuarienſis* eccleſiæ abſque hujuſmodi clericorum conventu conſervata ſunt? Certe à tempore beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli uſque ad hæc domni tempora *B.* anni ſcilicet ſecenti ſexaginta novem. Dixit autem archiepiſcopus, Nonne licet michi in fundo meo eccleſiam fundare vel quod volo facere? Cui nuntius: Non utique, quia fundus tuus fundus noſter eſt, & terra tua terra noſtra eſt, ſed & omnia quæ videris habere, de jure noſtra ſunt. Nam ea quæ habes, de eccleſia habes vel cauſa eccleſiæ, quæ nec tibi nec archiepiſcopis, ſed eccleſiæ Chriſti collata ſunt omnia. Ideoque omnia quæ ad nos ſpectant intrinſecus & extrinſecus, perſonas omnes & ſtatum eccleſiæ ſub protectione domini papæ ponimus & ſedem apoſtolicam appellamus. Tunc dixit archiepiſcopus, Appellationem veſtram ſuſcipio, & ego ſi neceſſe fuerit, in propria perſona ibo, vel meum reſponſalem mitto. Diſceſſerunt igitur abinvicem, & die tercia, videlicet xvij. kal. Jan. feria tercia venit archiepiſcopus *Cantuariam*. Quia vero fama fuit quod hac de cauſa veniſſet, ut eadem die ſcilicet tercia feria quæ ob memoriam martyrii ſancti *Thomæ* celebris habetur, novos in eccleſiam ſancti *Stephani* clericos introduceret, præmiſit Prior *Honorius* monachos ad præfatam eccleſiam, ut eorum inſtitutionem appellatione interpoſita prohiberent. Sed præmunitus archiepiſcopus alias divertit, & uſque in craſtinum diſtulit propoſitum. Craſtino autem omnes monachos qui ibi affuerant ab altaris officio ſuſpendit, ſtatimque cum illis clericis ad prædictam eccleſiam acceſſit. Quem prævenientes monachi, prohibuerunt ei ex parte omnipotentis Dei ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ne eos introduceret, ipſis vero clericis ne introirent, perſonæ eciam ejuſdem eccleſiæ ne eos ſuſciperet. Nec ſic averſus eſt furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta. Nam clericos illos introduxit & miſſam miſer celebrare præſumpſit. Non eum appellatio, non ordinis ſui prævaricatio, non eccleſiæ *Cantuarienſis* confuſio, non populi & cleri reclamatio, non pauperum & pupillorum maledictio, ſed nec Conventus ſui inaudita perturbatio eum à pertinaci propoſito potuit prohibere. Eadem eciam die Priorem ſuſpendit à prioratus adminiſtratione. Janitores eccleſiæ juramento conſtrinxit, ne monachos abſque ſua conſcientia exire permitterent, ipſiſque monachis in virtute præcepit obedientiæ, ne qualibet occaſione vel neceſſitate abſque ſua licentia quoquam ire præſumerent. Ipſo quoque præcipiente unus ex his fratribus qui ei præfatam appellationem pronunciaverat, à conventu ſuo ſegregatus & proſcriptus eſt. Prior autem *Honorius* fiduciam habens in Domino & in beati *Thomæ* martyris adjutorio, ſuam & Conventus appellationem proſequens, in craſtino iter arripuit, & in proximo, hoc eſt vigilia beati *Thomæ* apoſtoli fere naufragus transfretavit. Archiepiſcopus autem à *Cantuaria* ſeceſſit, & in die natalis Domini eidem eccleſiæ quaſi in vindictam ſuam præſentiam ſubtraxit, & in villa parvula, ſcilicet *Ottefordia* utcunque Domini celebravit natale. Accidit autem ut eo ipſo quod eccleſiam Chriſti abſens confundere niſus eſt, ipſe in eadem confunderetur feſtivitate. Nam in hujus vigilia feſtivitatis applicuerunt in *Anglia* apud *Sandwicum* duo legati à domino papa in *Hiberniam* directi. Qui in die natalis Domini à conventu *Cantuarienſi* ſolenniter ſunt ſuſcepti. Non eſt ante hæc tempora archiepiſcopo *Cantuarienſi* talis illata injuria, ut in provincia ejuſdem archiepiſcopi, immo & in eccleſia, ut de cruce ſileam, legatus aliquis mitratus incederet. Nunc autem quidam *Romanæ* eccleſiæ Cardinalis quidem ſed diaconus, alter vero *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeus necdum ſacratus ſed *Coventrenſis* eccleſiæ electus, ambo mitrati incedentes, ambo præ ſe cruces ferentes, in *Cantuarienſi* provincia honorem & reverentiam habuerunt legationis. Qui à rege *Henrico* & primoribus *Angliæ* honorifice ſuſcepti, eciam in præſentia *Cantuarienſis* archiepiſcopi cum à rege vocatus & invitus accederet, mitras habuerunt & cruces. X.

M.C. lxxxvij. Diſcordia regum *Franciæ* videlicet & *Angliæ* in immenſum aucta eſt acſi jam jamq; eſſent dimicaturi. An. Græ. 1187 Rex enim *Franciæ* rogaverat regem *Angliæ* ut ea quæ pater ſuus *Lodovicus* cum filia ſua regi juniori quaſi in dotem dederat, ſibi & regno *Franciæ* reſtitueret pacifice. Injuſtum enim erat ut ipſe jure ſuo privaretur cum ipſe cui collata fuerant, abſque hærede ante annos aliquot obiiſſet. Voluit etiam ut *Britannia* minor & ſoror ſua, illa ſcilicet quæ ante annos plurimos Comiti *Ricardo* data eſt in conjugium, ſibi reſtitueretur, quæ quaſi captiva ſub arcta cuſtodia ſervabatur in *Anglia*.

Cum igitur rex *Angliæ*, ut prædictum eſt, regis *Franciæ* rationem ſpreviſſet & precem, rex *Franciæ* armis adquirere cupiebat quod prece non potuit. Collegit itaque exercitum copioſum ut expugnaret *Giſortium*. Rex autem *Angliæ* cum his diebus eſſet in *Anglia*, miſit ei obviam Comitem *Willielmum de Mandevilla*. Comes vero *Flandriæ* cum regi *Franciæ* domino ſuo debitum ſponderet auxilium, nonnulla centenaria *Flandrenſium* armatorum, ut ferebatur, miſit in *Angliam*, ut ſic quaſi ipſo neſcio ad defenſionem regis *Angliæ* in *Normanniam* transfretarent. Non enim poterant liberum habere tranſitum per terram Comitis *Pontivi*, eo quod ipſe cum Comite *Flandriæ* inimicitias exerceret.

Cum hæc itaque agerentur, *Baldewinus* archiepiſcopus prohibuit ſub interminatione excommunicationis, ne monachis *Cantuarienſibus* debiti redditus ſolverentur. Præcepit eciam monachis tribus quos abſque Conventus conſcientia vocaverat, ut ad nutum ejus & diſpoſitionem omnia eorum bona cuſtodirent. Conterriti ſunt ad hæc monachi, & cum Deum magis quam *Baldewinum* timerent offendere, reſponderunt ſe abſque conſilio & conniventia Conventus ſui hujuſmodi nolle ſubire mandatum. Cum autem hæc per eoſdem monachos ad noticiam Conventus deveniſſent, prohibuerunt ex parte Dei & ſub appellatione quam fecerant, ne hos vel alios quoſlibet rerum ſuarum cuſtodes faceret, nec ſtatum eccleſiæ pro cujus indempnitate jam ſæpius appellatum eſt, aliquatenus commutaret. Quibus archiepiſcopo per fideles nuntios relatis, addidit eidem nuntius dicens, Hoc enim Domine nunquam factum eſt, ideoque omnes malas novitates abicite & indebitas inſtitutiones. Ad hæc archiepiſcopus reſpondit, Dicitis vos quod nunquam hoc factum eſt? Cui nuntius: Etiam. Et archiepiſcopus. Immo, inquit, ante paucos annos factum eſt, ut ipſo Priore agente & in prioratu adminiſtrante, aliquis prædeceſſorum meorum tam intus quam extra omnem haberet adminiſtrationem. Et nuntius: Videtur quod de *Theodbaldo* archiepiſcopo iſta dicatis. Et ille: Eciam de illo dico. Nuntius ad hæc, Verum eſt quidem, omnem aliquando habuit adminiſtrationem, ſed per Priorem & Conventum, conſenſu omnium, & ſupplicatione univerſorum. Hoc

cuilibet liceret. Sic quiſlibet ruſticus eciam veſtras haberet poſſeſſiones. Sciatis autem quod conſulendo dico non ex mandato, quod ſi hoc feceritis, in infamiam vel dampnum prorſus incidetis. Si enim expenſas domus noſtræ & hoſpitalitatem volueritis reſcindere, rumor circumquaque diſcurrit infamis. Statum vero qui nunc eſt ſine magnis expenſis & mutuata pecunia non poteritis tenere. Conticuit ad hæc archiepiſcopus, & alias ſuam divertit intentionem. Nam cum diſcordia inter reges orta per diſcurrentes nuntios nobiles ad hoc perducta fuiſſet, ut rex *Angliæ* quodammodo cogeretur transfretare, placuit ei ſanctum *Thomam* viſitare, ſicque per *Dovoriam* quo brevis eſt tranſitus *Witſandum* adire. Nuntii enim regis *Franciæ* cum nuntiis ſuis ipſius ibidem, ut dicebatur, expectabant adventum. Sequebantur itaque regem ad mare feſtinantem pro negotiis ſuis expediendis epiſcopi, abbates, priores, comites & barones, & ſtrepitus concurrentium factus eſt multus. Sperans autem archiepiſcopus ſe monachorum de facili poſſe ſaltem timore regio ſubnervare conſtantiam, & conventus diſſolvere unitatem ſi rex vel ſpecie tenus quaſi pro archiepiſcopo ſuo partes ſuas apponeret, miſit nuntios ad regem rogans attentius ut mediatores aliquos *Cantuariam* dirigeret ad Conventum. Quo audito, rex alluſit nuntio & illuſit mandato, his qui aſtabant ſecretius dicens, Audiſtis quid michi mandat archiepiſcopus? Faciam quod petit, & nunc videbo quales ſunt monachi *Cantuarienſes*. Et converſus ad nuntios, Mittam, inquit, quot & quales voluerit archiepiſcopus. Miſit igitur *Hugonem Ceſtrenſem* electum apoſtolicæ ſedis legatum, & *Johannem Norwicenſem* epiſcopum, & *Willielmum Wigornienſem*. Erat autem prædictus legatus in negotiis agendis acer ingenio, captioſus in verbo, promptus ad maledicendum ut timidos faceret, mollibus utens ut firmos ſubverteret. *Norwicenſis* ille ſolis blandiciis aſſuetus eſt, ut facilius falleret quos ſecuros videret. *Wigornienſis* vero cum eſſet uſu magis quam arte peritus, in ſecretis agebat, ut coluber in via vel ceraſtes in ſemita. Hi ergo cum litteris regis & quibuſdam clericis archiepiſcopi qui totius malitiæ iſtius fuerant incentores, in capitulum *Cantuarienſis* eccleſiæ venientes ſtuduerunt quaſi ex timore regio vel favore à via veritatis avertere Conventum. Primum itaque ſermonem arripuit prædictus legatus, allegans avide de regis gratuita & experta benevolentia, de ejus poteſtate & de archiepiſcopi ſullimitate, de tantæ perturbationis diſcrimine, de favore *Romanæ* curiæ ad ipſos & de Conventus licet potentis imbecillitate. Quo poſt longos & varios verborum anfractus reticente, arripuit verbum ille *Norwicenſis* allegans ut alter de gratia regis, de bono pacis, & gloria tranquillitatis; de dampnoſis expenſis, & indignatione regis & cleri *Angliæ*, ſi monachi in propoſito ſuo vellent perſiſtere; de protectione regis & favore pontificum ſi vellent adquieſcere. Ad hæc cum ex condicto taceret Conventus & non reſponderet eis verbum, exiſtimans verſutus ille legatus animos jam effractos velle reſipiſcere, reſumpto ſermone quæſivit an vellent domini regis & epiſcoporum de tota cauſa ſubire judicium. Dicebat enim dominum regem pia inductum liberalitate hoc elaboraſſe, ut archiepiſcopus non ſolum regis ſed & epiſcoporum & abbatum ſe commiſerit arbitrio. Quapropter monuit attentius ut hoc idem faceret Conventus. Ne videlicet tantæ regis gratiæ viderentur ingrati, nec in ſuo pertinaces propoſito, ne denique tantorum impetu ſubacti, exprobrationis confunderentur elogio. Aſſerebat eciam monachos tantam regis habere gratiam, ut neſciret quo ipſius præponderaret affectus, ſive ad Archiepiſcopum ſive ad Conventum. Subjunxit denuo ſermonem ille *Norwicenſis* acſi ante nulla vel pauca prolata fuiſſent. Propoſuit enim dura & aſpera ſi regis & *Anglicanæ* conſilium eccleſiæ contempni videretur, gratiam vero & gloriam ſi omni remoto ſcrupulo eorum conſilio crederetur. His igitur tandem longis & replicatis ſermonibus expletis, vix tandem reſpondendi copia data eſt. Quibus venerabilis ſupprior *Gaufridus*, vir magnæ diſcretionis & manſuetudinis breviter reſpondit, dicens, Domino noſtro regi multiplices gratiarum referimus actiones pro univerſis beneficiis ſuis, & maxime pro præſenti compaſſione quam erga nos videtur habere. Conſilium ipſius & veſtrum aliorumque epiſcoporum *Angliæ* non refutamus, ſed cum omni devotione ſuſcipimus ſalvo Dei honore & jure noſtræ eccleſiæ. Veruntamen de his quæ nobis propoſita ſunt, uſque in craſtinum inducias petimus reſpondendi. Craſtino autem cum conveniſſent, majores intorſerunt minas, nec tamen blanditias penitus omiſerunt. Sed nec minis nec blanditiis ſuis aliud potuerunt elicere, quam quod Conventus unanimi conſenſu ſubpriori formaverat mandatum, quod erat hujuſmodi. « Grates referimus domino noſtro
« regi, quod per vos ad conſolationem noſtram
« litteras ſuas huc mittere dignatus eſt, vobis autem
« ut filiis eccleſiæ quod gratanter huic negotio
« intendere voluiſtis. Gratanter occurreremus ei ut
« domino de negotiis eccleſiæ tractaturi, ſed dominus
« noſter archiepiſcopus inhibuit ne quis noſtrum
« qualibet exeat occaſione, & janitores noſtros
« juramento conſtrinxit indebito, ne quemlibet
« noſtrum abſque ejus conſcientia egredi permittant.
« Hæc autem ſunt gravamina quæ ſibi
« per vos jubet Dominus Rex intimari, quibus atterimur
« à primo ingreſſu archiepiſcopi, adeo ut
« poſt primos ſex menſes uſque nunc, nec unum
« diem permittat nobis habere quietum. Nam
« primo villarum noſtrarum exenia quaſi pacifice
« ſubtraxit. Cui cum pro verecundia novitatis ſuæ
« nequaquam vellemus reſiſtere, adjecit in proximo
« ut eccleſias noſtras victualibus pauperum aſſignatas
« & confirmatas nobis penitus ignorantibus
« ſubtraheret, & majora minaretur inferre. Appellavimus
« igitur ſed inviti ab omni gravamine. Ipſe
« vero incunctanter villas noſtras invaſit & redditus.
« Servientes noſtri & clavigeri tam dire fugati
« ſunt, ut nec panniculos ſuos liceret eis
« abſportare. Officiales noſtros contra morem priſtinum
« commutavit in diſpendium eccleſiæ & incomparabile
« dampnum. Unde homines noſtri
« eciam ruſticani adeo glorioſi & effrenes effecti
« ſunt, ut debitis vel indebitis ſervitiis vix velint
« adquieſcere. Mediantibus autem amicis eccleſiæ
« ſub ſpe recuperandæ pietatis appellationi renuntiatum
« eſt, ſalvo tamen ſtatu eccleſiæ. Archiepiſcopus
« itaque villas quidem nobis reſtituit,
« eccleſias vero cum omnibus pertinentiis ſuis &
« fructibus clericis ſuis dedit, & ab uſu pauperum
« penitus alienavit. Ex quibus clericis perſpica-

« ciorem ad *Romanum* miſit pontificem petens per
« eum ut donationem archiepiſcopi confirmaret,
« & novæ conſtruendæ eccleſiæ conferret auctoritatem.
« Obtinuit ille de facili quod voluit, & cum
« non eſſet qui reſiſteret ſuggeſſit domino papæ nos
« præ nimia rerum abundantia incorrigibiles eſſe.
« Sufficere debuit eciam cuilibet tyranno temporalia
« ſubtrahere, dum non famam mendoſe macularet
« innocentum. Super omnia gravat nos nova
« illa eccleſia quam vult ædificare. Videmus enim
« in hoc opere quod & prudentioribus probabile
« eſt, noſtram ſcilicet deſolationem, ordinis ſubverſionem,
« poſſeſſionum & dignitatum iſtius eccleſiæ
« diminutionem. Quod ex verbis ipſius archiepiſcopi
« quæ Priori noſtro dixit etſi non aliunde
« poteritis perpendere. Ait enim, Prior, Prior,
« Hæc eſt eccleſia *Cantuarienſis* quam volo facere.
« Diffuſa igitur hujuſcemodi fama compulſi ſumus
« apoſtolicam appellare præſentiam. Denuntiata
« ei appellatio vij. idus Decembris apud **Gilingeham**
« per tres fratres noſtros viros probatæ religionis,
« cum ad ſuos introducendos canonicos *Cantuariam*
« veniret. Die autem ipſa qua *Cantuariam*
« venit & ſequenti, ex præcepto Prioris & noſtro
« miſſi ſunt fratres plurimi ſenes cum junioribus
« in occurſum ejus, ut in introitu illius eccleſiæ
« jam factam renovarent appellationem. Ipſe
« vero ſpretis omnibus nichilominus ſuos introduxit
« canonicos, monachos autem illos ab officio altaris
« ſuſpendit, priorem à prioratus adminiſtratione.
« Unum vero ex his qui apud **Gilingeham** formaverant
« appellationem, à ſocietate noſtra & deinde
« ab eccleſia præcepit amoveri. Redditus noſtros
« nobis ſubtraxit, & noſtram penitus perturbavit
« quietem. Et ut ſummatim omnia ejus gravamina
« comprehendam, poſt primos vj. menſes,
« ut prædictum eſt, vix unum ſed nec unum diem
« nobis permiſit habere quietum. His igitur de
« cauſis miſimus Priorem noſtrum ad dominum
« Papam cum litteris ratihabitionis & cauſæ commiſſæ.
« Quia igitur illum & fratres noſtros jam
« domino Papæ putamus aſtare, & in ejus conſiſtorio
« noſtra expoſuiſſe gravamina, non volumus nec
« valemus, ſed nec debemus hanc ei & domino papæ
« inferre injuriam, ut cujuſlibet perſonæ, regis
« vel alterius ex hac cauſa quæramus arbitrium.
« Unde & vobis qui eſtis filii hujus eccleſiæ cum
« omni ſupplicamus devotione, ne nobis inutile vel
« inhonorum dare velitis conſilium, quo matris veſtræ
« dignitas pereat vel auctoritas minuatur. His
dictis orationem complevit in lacrimis, ipſumque legatum & nuntios compulit lacrimari. Verum quia clerici archiepiſcopi ſuggeſſerant eis ſciſma eſſe inter monachos, & tres vel quattuor totum perturbare Conventum, quæſivit legatus an eadem eſſet omnium voluntas. Acclamatum eſt undique, Ita ita. Hæc eſt univerſitatis noſtræ unanimis voluntas, nec aliud volente Deo fieri permittemus. Nuntiata ſunt regi hæc in craſtino apud caſtrum de **Chileham**. Ipſe vero admirans omnia, juſſit in craſtino ſubpriorem *Gaufridum* cum tribus tantum monachis adeſſe. Subprior itaque *Gaufridus* intrepidus acceſſit ad regem, & eadem quæ nuntiis dixerat intimavit & regi. Cujus rex manſuetam admirans conſtantiam, ſermonis elegantiam, & Conventus unitatem, blande conſolatum remiſit *Cantuariam*.

Tercia vero die, hoc eſt quarta feria cinerum, videlicet iij. idus Februarii ipſe rex beatum martyrem *Thomam* oraturus acceſſit. Præceſſerant eum duo legati & archiepiſcopus *Cantuarienſis*, epiſcopus *Lincolnienſis*, epiſcopus *Norwicenſis*, epiſcopus *Dunelmenſis*, epiſcopus *Wigornenſis*, abbas *Weſtmonaſterii*, abbas ſancti *Eadmundi*, abbas de *Burgo*, Priores nonnulli, Comites & Barones plurimi. Erat enim rumor in populo, quod electiones quaſdam vacantium eccleſiarum ibidem eſſent facturi. Factus eſt igitur *Cantuariæ* concurſus populi innumerabilis, acſi omnia geſtirent ſubvertere. Totum vero prælium in monachos verſum eſt *Cantuarienſes*. Si enim non valerent terroribus concuti nec blanditiis ſubverti, ſpe ſaltem adipiſcendæ dignitatis flecterentur, & tantam unitatis conſtantiam converterent in archum pravum. Filii quidem *Effrem* intendentes & mittentes arcum converſi ſunt in die belli, ſed filii *Jeroſolimæ* conſtantes effecti ſunt, ut duo fugarent decem milia. Rex igitur una cum archiepiſcopo in capitulum veniens, præcepit diligenter introitum obſervari ne quis accedere præſumeret niſi ſpecialiter vocaretur ex nomine. Vocati ſunt itaque epiſcopi duo, *Norwicenſis* & *Dunelmenſis*, *Hubertus Walterii*, & *Petrus Bleſenſis* totius fere malitiæ hujus artifex impudicus. Subprior tandem *Cantuarienſis* vocatus eſt & quos habere volebat monachi pauci. Hi ſedebant demiſſo vultu ſed intrepidi, ut oves immolandæ. Archiepiſcopus autem cum ſuis epiſcopis & *Petro* ſuo ſtabat ex adverſo. Concurrit itaque populus innumerabilis, & monachi illi 5. quaſi ſpectaculum facti ſunt Deo, angelis, & hominibus. Conventus interea in eccleſia intendebat orationi. In veteri Teſtamento pugnabat populus & *Moyſes* orabat. Hic è converſo Subprior pugnabat & Conventus orabat: Rex autem mediator erat, & rationes archiepiſcopi ad monachos & monachorum reſponſa ad archiepiſcopum referebat, eratque conſiliarius utrobique. Diutius itaque cum archiepiſcopo & ſuis habito conſilio, ad monachos ſecedens in partem id agebat, ut monachi appellationi renuntiantes arbitrio ſtarent ipſius & epiſcoporum ſuper his de quibus inter ipſos & archiepiſcopum erat controverſia. Monachi vero dicebant bona eſſe hæc verba, ſed non illius temporis. Cauſa enim ad dominum papam tranſlata fuit & jam audita, nec poterant hanc injuriam domino papæ irrogare, ut ipſo ſpreto alterius ſubirent judicium. Quo relato ad archiepiſcopum reſponſo, Rex ad monachos rediens inſtitit ſubtilius & acrius ut compromitterent in arbitros ſi Prior conſentiret, ut vel monachos ſi non conſentirent quaſi de contemptu ſuo merito notaret, vel Priorem ſi conſentientibus ipſis contradiceret, à regno excluderet. Ad hoc monachi brevi quidem ſed ſaniori uſi conſilio præciſe reſponderunt, Se ſine præſentia & conſcientia Prioris ſui nichil omnino agere, niſi forte dominus archiepiſcopus eis ablata omnia reſtituere conſentiret. Aſſerebant præterea ſe jure poſſe proditionis argui, ſi ſine Priore cui cauſam commiſerant, aliquam inirent compoſitionem. Rex ergo ad archiepiſcopum regreſſus, videns circa hujuſmodi laborem perire & impenſam, ad alia animum convertit & os, ut videlicet monachi ſuſpenſi poſſent permiſſione archiepiſcopi divina celebrare, intelligens ſibi non modicum eſſe ad detrimentum, ſi tot ei ſacerdotum ſubtraheretur ſuffragium. Qui ad archiepiſcopum ſimul & monachos viciſſim uſque tercio iens & rediens, non potuit impetrare ut ſententiam ſuſpenſionis quam tulerat relaxaret, niſi monachi coram clericis ſuis & laicis ſatisfacerent, vel in capitulo eorum ſub teſtimonio unius epiſcopi & abbatum, ſcilicet ut teſtes haberet contra innocentes & immeritos, quod ſuſpenſi cognoviſſent culpam dum petiſſent veniam. Hoc itaque monachi intelligentes, dicebant ſe ad omnem ſatisfactionem eſſe paratos, ſecundum regulam & conſuetudinem eccleſiæ ſuæ, ſic tamen ut extraneus ad ſecreta capituli non admitteretur. His ergo in hoc verbo perſiſtentibus, & archiepiſcopo in propoſito ſuo pertinaciter perdurante, re propter quam convenerant penitus infecta receſſerunt abinvicem, & *Dovoriam* una cum rege convolant omnes. Archiepiſcopus tamen antequam diſcederet, generalem in capitulo fecit abſolutionem & in eccleſia Conventui cineres poſuit, & accepit, & receſſit.

Die iiij. poſt cineres, id eſt, xv. kal. Martii tranſfretavit rex & cum eo duo legati, poſt modicum temporis cum rege *Franciæ* de facienda pace habituri colloquium.

Convenerunt igitur reges in unum, ſed diffidentibus ipſis pax penitus elongata eſt, & uterque eorum jura ſua vel injurias tueri minabantur vel revocare. Attamen datæ ſunt induciæ uſque ad feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ*, & interim bellatorum fortium utrinque congregaverunt exercitum copioſum. Archiepiſcopus autem *Cantuariam* rediens mutavit locum ædificandæ eccleſiæ de cimiterio ſancti *Stephani* in campum qui eſt ante eccleſiam ſancti *Dunſtani*. Feria iiij. primæ ebdomadæ quadrageſimæ videlicet xij. kalend. Martii cœperunt fodere fundamentum, & eadem die tempeſtas grandinis facta eſt qualem nunquam in *Cantia* vidimus.

Miſit autem archiepiſcopus *Petrum Bleſenſem* ad *Romanum* pontificem, & alios legis peritos quos dolo vel malitia noverat eſſe perfectos. Prædictus itaque *Petrus* ſullimiores perſonas *Franciæ* concitare niſus eſt contra monachos *Cantuariæ*, & aliquorum litteras optinuit. Quidam eciam epiſcopi *Angliæ* domino papæ pro archiepiſcopo ſcripſerunt. Prior autem *Honorius* cum aliquibus monachis eoſdem præceſſerat nuntios, & à domino papa ſimul & tota fere curia honorifice ſuſceptus eſt. Audita autem adventus ſui cauſa mirati ſunt univerſi. Summus itaque pontifex *Cantuarienſis* eccleſiæ condolens ærumpnis, Priori ad archiepiſcopum litteras dedit, quarum iſta eſt continentia.

URbanus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dum ad mentem reducimus religionis tuæ fervorem & locum regiminis quem in eccleſia Dei ad procurandam ſalutem fidelium ſuſcepiſti, non poſſumus non dolere, ſi quid nobis de tuæ fraternitatis actibus proponatur, quod gravitati tuæ & pontificali officio contradicat. Dignum ſiquidem eſt & conſonum rationi ut ſicut te ſpeciale, videlicet membrum eccleſiæ ſinceræ in Domino caritate diligimus, ita de converſatione tua & moribus ſpecialem ſollicitudinem habeamus, quia veſtram non modicum crederemus læſionem, ſi laudabilis religionis tuæ opinio occaſione qualibet, quod Dominus avertat, læderetur. Sane veniens ad noſtram præſentiam dilectus filius noſter Prior eccleſiæ tuæ cum quibuſdam ex fratribus ſuis reverenti nobis inſinuatione monſtravit, quod poſt promotionem tuam in qua ſui conventus ſtatum crediderunt ad honorem Dei omnimodis augmentandum, à te enormia gravamina ſint perpeſſi, & cotidie ſuſtineant graviora. Pro quibus cum ad ſedem apoſtolicam appellaſſent, ut ad præſens cætera tranſeamus, Dominica qua cantatur* Lætare Jeroſolima *terminum præfigentes, tu quod mirabile gerimus & indignum, ipſi appellationi non deferens, in executione ipſius quendam ex fratribus ſuſpendiſti, qui eciam de præcepto tuo poſtmodum, ſicut dicitur, ab ipſa eccleſia eſt remotus. Poſt eandem eciam appellationem licet Prior & fratres ſe & ſua ſub apoſtolica protectione poſuerint, Priorem nichilominus ſuſpendiſti, obiciens ei quod unum ex fratribus ſuis ad præſentiam noſtram venire permiſerat, & quendam alium qui appellaverat, in eccleſia & conſortio fratrum ſuſcepit. Poſtquam autem ob prædicta gravamina iter arripuit ad ſedem apoſtolicam veniendi, in baſilica quam in eorum graviſſimum detrimentum conſtruere proponis, quoſdam ſeculares canonicos appellantibus & reclamantibus fratribus diceris ſtatuiſſe, eiſque ipſorum eccleſias aſſignaſti, & univerſos qui appellaverant ab altaris officio ſuſpendiſti. Quia vero licet ſuper principalibus quæſtionibus in termino appellationi præfixo tuos reſponſales nuntios expectemus, ea tamen quæ in contemptum ſedis apoſtolicæ dicuntur peracta, quantumcunque tuæ velimus fraternitati deferre, relinquere nolumus incorrecta, apoſtolica tibi auctoritate mandamus atque præcipimus, quatinus prædictarum ſuſpenſionum ſententias tam in Priorem quam in alios fratres ejuſdem eccleſiæ poſt appellationem ad nos interpoſitam promulgatas infra x. dies poſt ſuſceptionem præſentium publice denunties non tenere, & quod poſt primam appellationem in juris eorum præjudicium attemptaſti, in ſtatum priſtinum reducere non omittas. Sciturus quod ſi infra præſcriptum terminum exequi diſtuleris quod mandamus, nos nequaquam ſuper hoc poterimus injurias eccleſiæ ſuſtinere, jamque dilectis filiis noſtris de* Bello, *de* **Feureſham**, *& ſancti* Auguſtini *abbatibus dedimus in mandatis, ut id appellatione remota auctoritate apoſtolica exequantur: nullis literis veritati & juſticiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis obſtantibus. Data* Veronæ *kal. Martii.*

Quod ſi archiepiſcopus præceptis apoſtolicis obedire non vellet, prænominatis tribus abbatibus alias litteras miſit in hunc modum.

URbanus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis de* Bello, *de* **Feureſham**, *& ſancti* Auguſtini *abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Veniens ad apoſtolicam ſedem dilectus filius noſter Prior* Cantuarienſis *eccleſiæ cum quibuſdam ex fratribus ſuis diligenti nobis inſinuatione monſtravit, quod à venerabili fratre noſtro* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato poſt promotionem ſuam enormia gravamina ſint perpeſſi, & cotidie ſuſtineant graviora. Pro quibus cum ad ſedem apoſtolicam appellaſſent, Dominica qua cantatur* Lætare Jeroſolima *terminum præfigentes, idem archiepiſcopus appellationi non deferens, in executione ipſius quendam ex fratribus* *ipſis ſuſpendit, qui eciam poſtmodum de præcepto ſuo ſicut dicitur ab ipſa ecleſia eſt remotus. Poſt eandem eciam appellationem licet Prior & fratres ſe & ſua ſub apoſtolica protectione poſuerint, nichilominus Priorem ſuſpendit, obiciens ei quod unum ex fratribus ſuis ad præſentiam noſtram venire permiſit; & quendam alium qui appellaverat, in eccleſia & conſortio fratrum ſuſcepit. Poſtquam autem jam dictus Prior ob prædicta gravamina iter arripuit ad ſedem apoſtolicam veniendi, præfatus archiepiſcopus in baſilica quam in eorum graviſſimum detrimentum dicitur conſtruxiſſe, quoſdam ſeculares canonicos appellantibus & reclamantibus fratribus dicitur inſtituiſſe, eiſque ipſorum eccleſias aſſignaſſe, & univerſos qui appellaverant ab altaris officio ſuſpendiſſe. Quia vero licet ſuper principalibus quæſtionibus in termino appellationi præfixo reſponſales & nuntios ipſius archiepiſcopi expectemus, ea tamen quæ tam manifeſte in contemptum ſedis apoſtolicæ ſunt peracta relinquere nolumus incorrecta, eidem archiepiſcopo apoſtolica auctoritate præcepimus, quatinus ſuſpenſionum Sententias tam in Priorem quam in alios fratres ejuſdem eccleſiæ poſt appellationem ad nos interpoſitam promulgatas, infra x. dies poſt ſuſceptionem litterarum noſtrarum publice denuntiet non tenere, & quod poſt primam appellationem in juris eorum præjudicium factum eſt in ſtatum priſtinum reducere non omittat. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi præfatus archiepiſcopus infra præſcriptum terminum exequi diſtulerit quod mandamus, vos id omni dilatione & appellatione poſtpoſita, executioni mandetis, nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus ſi quæ apparuerint à ſede apoſtolica impetratæ. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur.* Dat. Veronæ *kal. Martii.*

Veniens igitur monachus quidam *Cantuarienſis* miſſus à conventu cum prædictis litteris ad archiepiſcopum apud Otteford viij. kal. Aprilis eidem archiepiſcopo domini Papæ litteras præſentavit. Quibus in audientia lectis, cum quæreret nuntius quid mandato domini Papæ reſponderet, & clerici archiepiſcopi cum calumpnia falſæ ſuggeſtionis contumelioſe cum monacho vellent litigare, archiepiſcopus decem adhuc dierum ſpacium ſe habere reſpondit. Monachus autem ſciens quod craſtino ſcilicet vij. kal. Aprilis *Londoniæ* vellet criſma conſecrare, rogavit humiliter ut de more anteceſſorum ſuorum criſma conſecraturus *Cantuariam* veniret, vel epiſcopum *Roffenſem* ut capellanum eccleſiæ mitteret, vel ſaltem ab eccleſia *Roffenſi* criſma ſuſcipi non negaret. Inauditum eſt enim *Cantuarienſem* eccleſiam ab eccleſia *Londonienſi* debere criſma ſuſcipere, vel aliud hujuſmodi, ſuo maxime proprio vivente paſtore. Archiepiſcopus autem indignans, nichil horum ſe facturum eſſe reſpondit. Cui nuntius; Noſtis, inquit, domine quod ab omni gravamine jam ſæpius appellatum ſit. Cum igitur in audientia præſumptio iſta maximum ſit gravamen, & in hoc maxime dignitas vacillet *Cantuarienſis* eccleſiæ cum ſuo vivente paſtore cogatur alias acſi vacaret, hujuſmodi ſacramenta mendicare, abſque injuria eccleſiæ & contemptu domini Papæ ad quem appellavimus hoc nequaquam poteritis explere. Et archiepiſcopus; Ad me, inquit, non ad ipſos hæc pertinet dignitas. Quid enim monachis cum criſmate? Quid ad eos pertinet? Monachus igitur his auditis rediit *Cantuariam*, & archiepiſcopus in craſtino oleum & criſma conſecravit *Londoniæ* contra appellationem, in eccleſia beati *Pauli*, de jure duplici, ſcilicet metropolitani & apoſtolicæ ſedis legati. Vacavit enim eadem eccleſia epiſcopo *Gilberto* beati *Thomæ* martyris perſecutore defuncto. Criſma tamen conſecratum *Cantuariam* delatum eſt, & ex more ſolito per manum ſacriſtæ ſacerdotibus *Cantiæ* diviſum. Cum autem archiepiſcopus de mandato domini Papæ infra dies decem vel ſupra nichil penitus exequeretur, prædicti Abbates volentes ei aliquatenus deferre, miſerunt ad eum monachos tres rogantes attentius, ut in executione mandati domini Papæ ipſis miſereretur & parceret ne ipſis ex neceſſitate mandati oporteret manum apponere, vel ſi penitus diſſimularent, contemptores apoſtolici viderentur eſſe mandati. Quibus reſpondit archiepiſcopus, ſe de mandato illo ex conſilio epiſcoporum *Angliæ* tantum feciſſe, quantum deberet facere de ratione. A mente ipſius forſitan elapſum eſt, verba ſacerdotis aut vera eſſe aut ſacrilega. Sub hac igitur ambage verborum redeuntes monachi, quæ audierant & viderant abbatibus nuntiaverunt. Illi ergo ulterius deferre nolentes, octava decima die poſt ſuſceptionem litterarum iij. idus Februarii publice denuntiaverunt ſententiam archiepiſcopi in monachos latam non tenere. Illum vero monachum qui ad præceptum archiepiſcopi de eccleſia miſſus eſt revocari fecerunt, cauſantes in cæteris capitulis litterarum obſcuritatem, licet ſatis omnia manifeſta fuiſſent. ſcripſerunt itaque domino Papæ ordinem rei geſtæ, & quam de litteris habuerint dubitationem. Quarta vero die venerunt *Cantuariam* duo clerici archiepiſc. qui totius erant artifices pravitatis. Qui audita monachorum abſolutione præfatos abbates contumeliis afflictos appellaverunt. Domnus autem *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus non minus à ſuo deſiſtens propoſito, cum lapides & cætera tanto operi neceſſaria non haberet, capellam ibidem ligneam octoginta circiter pedum ne nil ageretur erexit. Scripſit eciam univerſis *Anglorum* eccleſiis fraternitatem ſuam inſtituens & admirabilem peccaminum relaxationem, dicens ſed mentiens beatum *Anſelmum* & ſanctum *Thomam* martyrem in cujus nomine fabricanda erat baſilica, idem quandoque habuiſſe propoſitum: Dignum reputans cupiditatis commercium, ſi ex Sanctorum injuria quamvis mendoſe ſibi pecuniam poſſet aggregare. Sed lege lector utriuſque Sancti vitam & actus inſpice, & invenies utrumque, monachorum tutorem non turbatorem, ſuæque, id eſt *Cantuarienſis* eccleſiæ propugnatorem non raptorem fuiſſe. Introierunt enim per hoſtium in ovile ovium, & ut boni paſtores pro ovibus ſibi creditis eciam animas tradiderunt. Hic autem cum aſcenderit aliunde, ad hoc venit ut mactet & perdat. Nuntiata ſunt autem hæc domino Papæ *Urbano*. Unde cum fratribus habito conſilio *Cantuarienſi* ſcripſit archiepiſcopo in hunc modum.

URbanus *epiſcopus; ſervus ſervorum Dei*, B. Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quantò majoris es religionis, honeſtatis & nominis, tantò amplius tuæ detrahitur gravitati ſi quando apoſtolicæ juſſioni reſiſtis cui teneris in omnibus promtâ devotione deferre. Cum enim per alia ſcripta tibi dederimus*

dederimus in mandatis; ut ſi quid circa ſtatum eccleſiæ tuæ in perſonis vel rebus in præjudicium dilectorum filiorum noſtrorum Prioris & fratrum ejuſdem eccleſiæ poſt appellationem ab ipſis ad nos interpoſitam, vel poſtquam idem Prior cum quibuſdam fratrum ſuorum iter arripuit ad ſedem apoſtolicam veniendi feciſti in ſtatum priſtinum revocares, non ſine ratione miramur quod ſicut nobis innotuit mandatum noſtrum exequi noluiſti, cum non ignores quomodo & hi qui appellant & qui ad Romanam *eccleſiam veniunt, donec de controverſia cognoſcatur, nullum ſui ſtatus ſentire debeant detrimentum. Credentes autem quod hac vice facere debeas quod hactenus neglexiſti, fraternitati tuæ per iterata ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus quatinus quicquid circa ſtatum Prioris & fratrum ipſius eccleſiæ in perſonis vel rebus in eorum præjudicium commiſiſti poſtquam ad nos appellarunt, vel poſtquam idem Prior & quidam de ſuis aggreſſi ſunt iter ad nos veniendi, dilatione & appellatione poſtpoſita in ſtatum priſtinum reducere non poſtponas, eoſque in perſonis vel rebus contra juris ordinem deſinas amodo fatigare. Si vero id infra xv. dies poſt harum ſuſceptionem non expleveris; dilectis filiis noſtris de* Bello, *de* Faureſham *& ſancti* Auguſtini Cantuariæ *abbatibus id appellatione remota commiſimus exequendum. Ita ut ſi omnes his exequendis intereſſe noluerint vel nequiverint, duo ex ipſis ea nichilominus exequantur.* Abbatibus quoque tribus quos ſupradicti mandati fecerat executores hic jam ſecundo ſcribit dicens.

URbanus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis de* Bello, *de* Faureſham *& ſancti* Auguſtini Cantuariæ *abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Grave admodum gerimus & moleſtum quod venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus adverſus dilectos filios noſtros Priorem & fratres ſuos poſt appellationem reverentia ſedis apoſtolicæ prætermiſſa commiſerat, nec ad mandatum noſtrum nec ad commonitionem veſtram voluit ſicut accepimus revocare. Quod autem in executione mandati quod ſuper hoc vobis dedimus licet nimis tepide proceſſiſtis, gratum nobis eſt, ſed multo gratius eſſet ſi tenorem mandati noſtri taliter fuiſſetis executi, quod non cogeremur vobis ſuper eodem iteratas litteras deſtinare. Verum quia ſuper gravaminibus & moleſtiis ipſius Prioris & fratrum ſuorum non poſſumus non moveri, nos incorrectum ſuſtinere nolentes quod in eorum præjudicium non ſine contemptu ſedis apoſtolicæ conſtat eſſe commiſſum, memorato archiepiſcopo mandatum iteratum dedimus & præceptum, ut quicquid circa ſtatum ipſius Prioris & fratrum ſuorum in perſonis vel rebus in eorum præjudicium attemptavit poſtquam ad nos appellarunt, vel per eundem Priorem & quoſdam de ſuis aggreſſi ſunt iter ad noſtram præſentiam veniendi, id in ſtatum priſtinum dilatione & occaſione ceſſante reducat, eoſque contra juris ordinem in perſonis vel rebus deſinat amodo fatigare. Ne igitur fruſtra totiens ſuper eodem negotio ſcribere videamur, dilectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus ſi præfatus archiepiſcopus infra xv. dies poſt ſuſceptionem litterarum noſtrarum non impleverit quod mandamus, vos omni gratia & timore poſtpoſito, contradictione quoque, dilatione & appellatione ceſſante id efficaciter exequamini, proviſuri ne plus ei videamini quam nobis in hac parte deferre, quia non poſſemus adverſum vos non moveri, ſi alicujus gratia vel obtentu mandatis negligeretis apoſtolicis obedire, & ad corrigendam inobedientiam veſtram manum noſtram extendere cogeremur. Cæterum ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur.* Quoniam vero ædificationem novæ baſilicæ & canonicorum inſtitutionem cum ipſius fraternitatis prædicatione principalem habebat quæſtionem, nec ad præſentiam domini Papæ reſponſales archiepiſcopi accedere volebant, dum Prior *Cantuariæ* ibidem exiſteret, præfato *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſcripſit ſic.

URbanus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii noſtri Prior & quidam fratres ejus monachi eccleſiæ tibi commiſſæ ad noſtram præſentiam venientes de eccleſia quam ædificare cœpiſti tantum ſibi & eidem eccleſiæ propoſuerunt diſpendium profuturum, quod niſi ab ejus fuerit conſtructione ceſſatum, præſcripta eccleſia ſuæ dignitatis & ſtatus miſerabile ſuſcipiet detrimentum. Sane cum per Dei gratiam litteratus ſis & in religione diutius converſatus, ignorare non debes, ſicut nec te credimus ignorare, quomodo propter ſcandalum à bonis eſt interdum operibus abſtinendum. Nos autem ſollicite providere volentes ne inter te & fratres tuos remaneat materia jurgiorum, cum non poſſint convenienter obſequiis divinis intendere qui ſunt contentionibus dediti, le conſilio & deliberatione fratrum noſtrorum monemus fraternitatem tuam, mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus donec cauſa cognita ſtatuamus quid de ipſo ædificio fieri debeat, occaſione, contradictione & appellatione poſtpoſita ab illius novæ eccleſiæ conſtructione & canonicorum inſtitutione deſiſtas, & eciam ab exactione fraternitatis quam ob favorem ipſius operis diceris ſtatuiſſe, aliis litteris non obſtantibus à ſede apoſtolica impetratis. Si quid autem contra hanc prohibitionem noſtram fuerit attemptatum, nos id auctoritate apoſtolica irritamus.* Addidit eciam hoc dominus Papa ut de caſſanda fraternitate univerſo clero *Angliæ* ſcriberet ſic.

URbanus *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus epiſcopis & dilectis filiis Abbatibus & aliis eccleſiarum prælatis per* Angliam *conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filii noſtri Prior & fratres* Cantuarienſis *eccleſiæ de conſtructione novæ eccleſiæ quam venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus de novo extra* Cantuariam *cepit gravia ſe querantur diſpendia ſubituros, nos eorum juri volentes prout tenemur ex officio providere, ex deliberatione fratrum noſtrorum ipſi archiepiſcopo diſtricte præcepimus, ut in conſtructione præſcriptæ novæ eccleſiæ vel in inſtitutione canonicorum donec cauſa cognita ſtatuamus quid ex hoc fieri debeat, non procedat. Mandamus itaque univerſitati veſtræ atque præcipimus quatinus fraternitatem aut prædicationem quam occaſione illius eccleſiæ prædictus archiepiſcopus de novo conſtituit uſque ad deciſionem cauſæ in parrochiis veſtris nullatenus admittatis, nec prædicatores ſi qui ad hoc deſtinati fuerint in ipſis parrochiis patiamini prædicare, vel à fidelibus beneficia quærere, ſed eos* *potius ab his deſiſtere ſublato appellationis obſtaculo, auctoritate noſtra eccleſiaſtica diſtrictione cogatis.*

Hæ litteræ per totam *Angliam* delatæ, ab omnibus fere clericis & laicis cum ſumma devotione ſunt exauditæ. Dolebant enim quique fideles prout mutire audebant detrimentum matris ſuæ *Cantuarienſis* eccleſiæ, hoc autem non manifeſte ſed quaſi in occulto. Inſonuerat enim rumor in populo regem *Angliæ* partem archiepiſcopi fovere, eo quod eidem contradicere non volebat, & hoc in odium *Cantuarienſis* eccleſiæ quam adhuc intuitu martyris ſui prout potuit præ pudore inſequebatur. Archiepiſcopus autem de his omnibus per quendam de curia domini Papæ præmunitus cum *Cantuariam* prope eſſet, & ad diem Pentecoſtes procurationem ſuam *Dovoriæ* præparari juſſiſſet, mutato repente conſilio Priores duos fecit, *Dovoriæ* ſcil. *Willielmum* & hunc apud **Wingeham** contra conſuetudinem *Cantuarienſis* eccleſiæ. Alium vero ad eccleſiam ſancti *Gregorii Cantuariæ* nomine *Dunſtanum*. Quo facto, citiſſime receſſit, & *Londoniam* properavit. Exinde aſſumpta legatione plures occidentales *Angliæ* viſitavit eccleſias, & uſque in fines *Waliæ* elongatus eſt, acſi manus domini temptaret effugere, vel potius vires apoſtolici mutilare mandati. Allatæ ſunt tamen eidem litteræ domini Papæ per monachos duos *Cantuarienſes*, quibus ipſe quaſi ſubſannans hoc ſolum reſpondit. Litteras Papæ audivimus, & nos quod habemus facere inde faciemus. Recedentibus autem monachis reverentia hæc mandato domini Papæ exhibita eſt, ut capella quæ poſt appellationem & prohibitionem domini Papæ ex tabulis abiegnis compacta eſt, jam nunc ex lapide & cemento conſtrueretur. Præceptum eſt eciam quaſi ex edicto, ut omnes canonici eccleſiæ illius conjurati ſub feſtinatione nimia domos ſibi circa eandem capellam fabricarent. Hæc erat his diebus in *Anglia* apoſtolici cura mandati. Prior autem *Honorius* cum videret quod nuntii archiepiſcopi ex condicto nollent procedere, nec in conſpectu ſummi pontificis dum ibidem Prior adeſſet apparere, ex conſilio domini Papæ & Cardinalium à curia receſſit, & citra montes ſubſtitit in partibus *Galliarum*. Decanus enim *Remenſis Radulfus* de *Serris* nomine, ex intimo cordis affectu matris ſuæ & alumnæ *Cantuarienſis* eccleſiæ preſſuris compatiens, ejuſdem eccleſiæ nuntios euntes & redeuntes devote ſuſcepit hoſpitio, & quoad licuit de ſuo miniſtravit. Cum hoc itaque tam juſto, tam fideli amico Prior ſubſtitit, melioris fortunæ præſtolans eventum. Dum autem Prior in procinctu redeundi in *Franciam* eſſet, venerabilis *G.* ſupprior de conſilio conventus monachum unum *Verona* ad Priorem miſit, ut ſtatum eccleſiæ & fratrum ei nuntiaret, & ad conſilium Prioris debitum præſtaret pro poſſe ſuo conſilium & auxilium. Is frater occurrens Priori apud civitatem *Vercellenſem* quæ ſita eſt quaſi in bivio, via ſcilicet quæ ducit *Papiam* & via quæ ducit *Mediolanum*, optato ejus fretus colloquio nuntiavit ei omnia quæ in *Anglia* poſt receſſum ejus facta ſunt. Dominus autem Prior eidem vice verſa quæ *Veronæ* acta fuerunt retulit, & quid de cætero is acturus eſſet plenius inſtruxit. Et vale invicem dicto, monachus *Veronam* adiit, Prior autem *Franciam* properavit, dimiſſis in curia monachis duobus & quodam magiſtro *Pillio* cum gratia ſummi pontificis *Cantuarienſis* eccleſiæ advocato. Quo audito, nuntii archiepiſcopi lætati ſunt, & ſequenti ebdomada ad curiam venientes, nec ſic præfato præſente *Pillio* palam procedere vel de cauſa quicquam proponere voluerunt. Unde factum eſt ut eciam ipſe magiſter *Pillius* ex conſilio domini Papæ pauliſper abcederet, donec ipſi coram domino Papa aliquam propoſuiſſent actionem. Acceſſerunt igitur præfati archiepiſcopi reſponſales. Et in prima acie litteras archiepiſcopi, regis quoque & epiſcoporum *Angliæ* obtulerunt. Ex quibus aliquæ, Regis ſcilicet & archiepiſcopi, lectæ ſunt, aliæ autem ut fertur in feneſtram uſque in poſterum projectæ. Summus autem pontifex ad eoſdem nuntios dixit. Domini *Cantuarienſis* litteras audivimus & Regis, ſed utrum ſufficientes ſitis reſponſales, vel ſi de cauſa iſta noſtrum debeatis ſubire judicium nec ne, non audivimus. Si quæ tamen inpræſentiarum vultis proponere, dicite & audiemus. Propoſuerunt itaque de ædificatione baſilicæ, petentes omnium reſtitutionem, eorum ſcil. quæ ad Prioris petitionem dō. Papa conceſſerat, & ut omnia Priori indulta in irritum revocaret. Auditis igitur omnibus de quibus propoſuerant actitare, vocatus eſt magiſter *Pillius* ad curiam, & in craſtino dominus Papa conſiſtorium ingreſſus eſt. Cum igitur nuntii archiepiſcopi ulterius latere non valerent, de litteris Regis & ejus ſupplicatione & magnifica gratia primum ſuæ cauſæ habuerunt ingreſſum. Quibus reſpondit *Pillius*. Si de litteris domini Regis agendum eſt, dicimus cum tantæ benignitatis tantæque liberalitatis eſſe, ut hujuſmodi litteras in commodo ſuo cuilibet diviti vel mendico non negaret. Quid igitur magnum ſi dominus *Cantuarienſis* ejuſdem Regis apices impetravit cum eum in ſuis teneat vinculis, & ab eodem nexibus amicitiæ teneatur? Dixerunt autem adverſarii, dominum *Cantuarienſem* plenam omnium repetere reſtitutionem, ut ea ſcilicet revocarentur in irritum quæ *Cantuarienſi* fuerant indulta Priori; & ut ei procedere liceret in opere novæ baſilicæ, & canonicorum inſtitutione, & fraternitatis exactione. Ad quæ *Pillius* reſpondens dixit ad Papam. Ob reverentiam majeſtatis veſtræ & hoſtis abſentiam pater Sancte diſtulimus uſque nunc de facto vel jure ad plenum allegare, & non neganda poſtulare; nunc autem præſente adverſario omnium petimus ablatorum reſtitutionem, & ut novum opus archiepiſcopi ſolo tenus diruatur. Omnia quidem de jure nobis reſtituenda ſunt, cum ipſi nos ſpoliaverint qui ſibi petunt fieri reſtitutionem. Opus eciam de jure diſſipandum eſt, quia tacita veritate & falſa ſuggeſtione eſt impetratum, & poſt appellationem ad vos interpoſitam in contemptum veſtrum eſt ædificatum. Præcepit majeſtas veſtra ex fratrum deliberatione ut ab opere ceſſaretur, & non eſt ceſſatum. Nunc ergo præcipiendum eſt, ut quod factum eſt penitus ſubvertatur. Dominus autem Papa dixit ad nuntios archiepiſcopi. Quæ eſt hujus operis neceſſitas vel utilitas? Cui *Petrus Bleſenſis* nuntiorum princeps dixit. Neceſſitas Domine ſimul & utilitas magna eſt. Eccleſia enim *Cantuarienſis* ſublimis valde & glorioſa eſt, ideoque contra principes & poteſtates multo & maxime clericorum ſapientum indiget adjutorio, qui in expediendis negotiis prudentiores monachis exiſtunt & exercitatiores. Cui Papa; Nonne, inquit, monachi illius eccleſiæ ſunt cathedrales? Et *Petrus*. Domine, Cathedrales. Cui Papa. Si ergo cathedrales ſunt, quare dominus veſter eorum ut cathedralium non utitur conſilio? *Pillius* autem dixit ad Papam. Dominus archiepiſcopus

Cantuarienſis eccleſiæ epiſcopus eſt, & ut dicunt adverſarii, eorundem abbas monachorum; ſi ergo abbas eſt, abſque conventus ſui conſilio aliqua in cœnobio commutare non valet nec alienare. In eo autem quod epiſcopus, abſque eccleſiæ ſuæ conſenſu in ſundo eccleſiæ ipſius aliam eccleſiam vel baſilicam non poterit ædificare. Papa dixit ad *Petrum*. Quod eſt domini tui in hac ædificatione propoſitum? Vultne dominus tuus ſanctum *Thomam* illuc transferre ſicut audivimus, vel ſedem epiſcopalem commutare? Et *Petrus*. Nec ſedem *Cantuarienſem* commutare, nec ſanctum *Thomam* illuc transferre proponit; ſed deceſſores ſui ſanctus *Anſelmus* & ipſe beatus martyr *Thomas* hujus eccleſiæ conſtruendæ idem habuerunt propoſitum. Papa vero ejuſdem *Petri* præfocans ſermonem, Sta frater, inquit, ſta. Voluitne ſanctus *Thomas* in nomine ſuo eccleſiam ædificare? Hoc idem poterat objeciſſe de ſancto *Anſelmo* qui quartus fuit ante eum, an voluerit in nomine quarti ſucceſſoris ſui ædificare baſilicam. *Petrus* autem videns ſe deprehenſum, obmutuit. Multis itaque diebus ſuper his aliiſque quæ cotidie emergebant quæſtionibus coram ſummo pontifice à *Pillio* & *Petro* diſputatum eſt.

Cum igitur domnus *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus in *Anglia* nec in modico quidem apoſtolicis deferret mandatis, nullaque ſpes pacis inter Reges in partibus tranſmarinis haberetur, jam inſtante termino induciarum omnes ad campeſtrem pugnam animati ſunt. Rex itaque *Franciæ* nonnulla Regis *Angliæ* caſtella obſedit & cepit, & ex his aliqua ſolo tenus diruit. Cum autem caſtello quod vocatur *Radulfi* quod eſt in provincia *Bituricenſi* appropinquaret, & Rex *Angliæ* idem caſtellum cum exercitu ſuo tueretur, Comeſque *Ricardus* cum exercitu multo à latere caſtelli Regis impetum *Franciæ* elidere cogitaret, juxta idem caſtellum hujuſmodi accidit miraculum.

Eſt ibidem cœnobium monachorum habitus nigri, in honore beatæ virginis *Mariæ* dedicatum. Quo cum *Braibanceni* Regis *Angliæ* ſtipendiarii feſtinarent, ut ea quæ in eadem eccleſia repoſita erant abſportarent, *Lemovicenſis* vicecomes armatus acceſſit, eorumque ab ingreſſu eccleſiæ cohibuit furorem; fugatoque tandem latronum cuneo, remanſerunt quidam ex ipſis in ipſo atrio eccleſiæ teſſaræ ludentes. Cum ergo quidam ex ipſis ut moris eſt ſorte perderent, alii vero lucro inhiantes eos qui perdebant probris irritarent, hi qui perdebant furore ſuccenſi in Deum & beatam ejus genitricem nephandas blaſphemias jactitabant, acſi eorum eſſet culpa quod hujuſmodi infortunia eis accidebant; unus autem ex eis inſanior cæteris, arrepto lapide ad imaginem ſanctæ virginis *Mariæ* in lapide ſculptam projecit, quo infantem feriens, ejus manum dejecit in terram. Qua ruente, ipſe quoque puer è gremio lapſus eſt inferiuſque ſolito reſedit. De brachio autem pueri, ſimul & manu quæ jam in terram lapſa eſt ſanguis uberrime manavit, acſi viventis hominis vigor eſſet in lapide. Ipſa vero imago *Mariæ* acſi ſuo compateretur filio, conjectis manibus ad humeros proprios veſtimentum lapideum abrupit, & corpus proprium fere uſque ad mamillas detexit. Hic vero qui lapidem jecerat, abſque mora corruit & expiravit, cæterique amentes effecti ſunt. Vicecomes autem *Lemovicenſis* accurrens, manum pueri ſanguine madidam apprehendit, magnumque ſuæ defenſionis præmium læta-bundus abſportavit. Interea exercitus utrimque in acies ordinatur, & hujus eventus miraculi circumquaque diffunditur. Terrentur hinc inde milites armati, & de belli eventu dubio plurimi ſuſpicantur. Rex autem *Franciæ* juſſit incontinenti *Braibacenorum* quem habebat cuneum de ſocietate *Francorum* et exercitu amoveri. Vigilia tandem ſancti *Iohannis Baptiſtæ* cum omnia ad pugnandum præparata fuiſſent, & utrobique tam milites quam pedites aciebus ordinatis armati incederent, Comes *Flandrenſis* ad Comitem *Pictavenſem Ricardum* acceſſit, eumque in hunc modum allocutus ait. Domine Comes, ut michi videtur & pluribus, valde inſipienter agis, & non bono uteris conſilio, qui contra dominum tuum Regem dico *Franciæ* de cujus ditione multa habes & plurima ſperas, ut videmus armatus incedis, & ad bellandum contra eum exercitum ducis. Quomodo vel qua ratione de cætero te poterit amare, vel quo animo ea quæ te expectant beneficia poterit tibi conferre? Ætas juventutis ſuæ tibi contempnenda non eſt. Juvenis quidem ætate eſt, ſed animo ſenilis, prudens in agendis & ſtrenuus, & malorum maxime memor congeſtorum, non inmemor penitus beneficiorum. Expertis credendum eſt. Ego enim quandoque eidem infeſtus fui, ſed cum multo diſpendio eciam nunc pœnitentiam ago. Quam glorioſum eſſet & utile ſi domini tui benivolentiam haberes & gratiam. Reſpondet Comes *Ricardus* & dixit, Diſcalciatis pedibus vellem adiiſſe *Jeroſolimam* ut domini mei ſicut deberem gratiam haberem. Cui *Flandrenſis*, Non eſt, inquit, neceſſe, ut tam laborioſum iter arripias: Ecce rex *Franciæ* in proximo eſt. Non diſcalciatis ſed nec calciatis pedibus eundum eſt ut eum alloquaris. Sed ſicut nunc es armatus equo tuo armatura ſplendido inſidens accede, dominique tui gratiam deo annuente de facili poteris obtinere. Comes itaque *Ricardus* ipſo *Flandrenſi* prævio ad regem *Franciæ* inconſulto patre inter armatorum cuneos & acies ordinatas acceſſit, & cum eo diu habuit ſingulare colloquium. Tandemque pacato animo, ad commilitones ſuos reverſus eſt. Audiens autem rex *Angliæ* fama volitante quod acciderat, proditionem non pacem ſuſpicans vehementer indoluit, ilicoque miſit nuntium ad nobiliores *Franciæ* proceres, rogans eos ut quamtocius ad eum venirent. Venerunt igitur ad eum archiepiſcopus *Remenſis*, Comes *Theodbaldus*, Comes *Flandriæ*, Comes *Robertus* & alii quidam nobiliſſimi. Quibus rex *Angliæ* in hunc modum locutus eſt. Domini & amici & parentes mei, Notum vobis facio quod homo peccator ſum & hucuſque in pluribus male vixi. Nunc autem vitam meam & errores emendare cupio, & dum tempus habeo, deo reconciliari deſidero. Quia vero nunc expenſas & homines habeo, ſi domino meo regi *Franciæ* placuerit ſuper paganos ibo. Rogate ergo ex parte mea dominum meum, ut duorum michi tribuat inducias annorum; quos ſi dare noluerit, de ſalute animæ meæ coram Deo proculdubio reſpondebit. Vos eciam ibidem reſpondere tenemini, niſi hoc conſilium domino regi volueritis intimare. In hunc modum plurima proſecutus, videntibus cunctis & mirantibus lacrimatus eſt. Redeuntes proceres illi hæc ſuo regi *Franciæ* nuntiaverunt. At ille ſubridens ait illis. Creditis illi? At illi, Hæc nobis, inquiunt, referenda vobis ſuppliciter injunxit, & hæc vobis conſulimus, monemus

mus ut faciatis. Ite ergo, ait rex, eique dicite, quod ad ipſius petitionem & ad veſtram admonitionem duorum annorum concedo inducias. Redeuntes autem ſpectabiles illi nuntii ad regem *Angliæ*, eum jam à propoſito & petitione elongatum inveniunt. Dicebat enim ſe exinde artius & ſubtilius cogitaſſe, ſummumque in petitione ſua inveniſſe periculum. Unde fatetur ſe de omnibus his quæ petita ſunt & conceſſa, pro ullo infortunio nichil eſſe facturum. Redierunt itaque præfati Comites, regique ſuo non ſine verecundia quæ audierant retulerunt. Unde rex quaſi de ſua illuſione ſuccenſus præcepit in craſtino ſummo diluculo acies ordinari. Quod & factum eſt. Quæ cum regi *Anglorum* nuntiata fuiſſent, vocato citius Comite *Ricardo* dixit ei. Quid faciemus? Quod michi in tanto articulo das conſilium? Cui *Ricardus*. Quod conſilium dare potero, cum heſterno petitas & acceptas recuſaveris inducias? Nunc eaſdem inducias ſine grandi verecundia repetere non valemus. Cum autem idem *Ricardus* patrem ſuum regem anxium videret, dixit ad eum. Licet domine pater verecundum ſit, ibo ſi placet ad dominum noſtrum regem ſi forte potero quas petiſti heſternas inducias reportare. Fiat, inquit rex. Comes ergo *Ricardus* regem *Franciæ* jam armatum adiit, ſuoque eidem oblato gladio, nudato eciam capite & flexis genibus rogavit humiliter ut animi ſui motum mitigaret, ſuæque bonæ fidei vice patris daret inducias. Quas ſi pater ſuus aliquatenus infringeret, ipſe Comes corpus proprium *Pariſius* regis ſubmitteret arbitrio. Quo audito, rex *Franciæ* cum ſuis Comitibus & Baronibus ſuper hoc diutius ſeorſum habito conſilio, ſub prætaxata tandem conditione moroſe tamen conceſſit inducias. Armis igitur utrimque valedicitur, & ſingulis in ſua cum gaudio redeuntibus, ad oſtendendam cunctis initam concordiam rex *Franciæ* Comitem *Ricardum* in pace & gratia ſecum duxit in *Galliam*.

Rex autem *Babiloniæ Saladinus* vir paganus ſed miles egregius cum vidiſſet quod *Jeroſolimitani* & populus Chriſtianus una cum patriarcha *Eracleo* de adventu *Henrici* regis *Anglorum*, de quo in tantum præſumebant ut ei coronam & ſceptra regni offerrent, jam penitus eſſent deſperati, cum Comite *Tripolitano* Chriſtiano ſed perfido fœdus pepigit, eo quod ipſe Comes regi *Jeroſolimorum* regnum invideret & conjugem. Unde *Saladinus* ſecurior effectus, congregato exercitu copioſo cum Lxxx. millibus militum & eo amplius, ante feſtum apoſtolorum *Petri* & *Pauli Jeroſolimitani* regni terram intravit, & in brevi *Tabariam*, id eſt *Tyberiadem* occupavit. Cum autem domina loci ſe cum paucis militibus munitione caſtrorum tueretur, regi *Ieroſolimorum* & populo quæ acciderant nuntiata ſunt. Et cum regi conſilioſum videretur civitates & loca bellico apparatu munire, quam adeo ſubito ſe diſcrimini pugnæ obicere, tandem de conſilio Comitis *Tripolitani* qui eciam cum ipſo nuper fœdera pacis inierat, & ad inſtantiam multam cum lacrimis dominorum de *Tabaria* qui ad ſuccurſum matris hanelabant, rex proceſſit ad bellum verſus *Tabariam* per diætam unam. Deinde Comes *Tripolitanus* dux & prævius itineris, totum exercitum conduxit in eminentem & ſaxoſum locum. Ibi vero imminentibus hoſtibus undique neceſſitate compulſus rex, de Baronum conſilio bellum committere dignum duxit, & ad eorum inſtantiam magiſtro & militibus Templi primos ictus conceſſit, diſpoſitis per acies ſuo ordine cæteris militibus ad pugnam, & Comiti *Tripolitano* cæteriſque capitibus bellatorum traditis vexillis. Itaque *Militia Templi* ſicut leo fortis in hoſtes concurrens, partem ſtravit, partem fugavit. Cæteri vero regio ſpreto mandato, non proceſſerunt ad pugnam, nec ullum eis præſtiterunt ſuccurſum. Unde milites *Templi* retenti & trucidati ſunt. Poſtmodum vero Chriſtianorum exercitum laborioſo itinere confectum, & nimio caloris æſtu prægravatum aqua deficiente *Parthi* igne circumdederunt. Tunc ſex ex militibus regis quorum memoria in maledictione eſt, diabolico ſpiritu arrepti, ad *Saladinum* confugerunt & ſponte ſua renuntiantes de omni eſſe & propoſito atque continentiis Chriſtianorum inſtruxerunt. *Saladinus* autem qui de diſcrimine prælii anxius dubitabat, reſumpſit vires, et cum tubis et infinita multitudine bellatorum in Chriſtianos qui per loca ſaxoſa et invia pugnare non poterant, aſſultum fecit, et eos omni bellandi genere impugnavit et expugnavit. Tandem *Thochedinus Saladini* nepos regem fugam ambientem & crucem dominici ligni cepit. Cæteri omnes fere confracti, capti, trucidati, & vinculis mancipati ſunt, ab ipſis *Parthis* campo omnino, proh dolor! ſuperato. *Saladinus* autem ſtatim *Militiæ Templi* & *Hoſpitalis* milites ſegregari fecit ab aliis, & coram ſe decapitari. Ipſe propria manu principem *Reginaldum de Caſtellione* interfecit. Deinde civitatem *Accon* cepit & adjacentia loca & munitiones fere omnes de partibus illis. *Sirii* autem qui *Ieroſolimis* remanſerant, ſicut ferebatur, nuntios de reddenda civitate *Saladino* mittebant. In *Tiro* omnes qui de *Accon* confugerant & multitudo profugorum Chriſtianorum ſe recepit. *Aſcalona* victualibus & bellatoribus bene præmunita fuit. Et *Antiochia* & *Margar*. Cum tota fere terra principis, terra Comitis *Tripolitani* adhuc ſalva erat. Unde *Terricus* magnus præceptor *Templi* omnibus fratribus hujuſmodi miſit epiſtolam.

FRater Terricus *pauperrimæ domus* Templi *dictus magnus præceptor omniumque fratrum pauperrimus, & fere omnino adnichilatus conventus, univerſis præceptoribus & fratribus ad quos litteræ præſentes pervenerint ſalutem & in illum ſuſpirare cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur. Quot & quantis calamitatibus ira Dei noſtris peccatis exigentibus nos in præſenti flagellari permiſit, nec litteris nec flebili voce, proh dolor! explicare valemus.* Turci *enim inmenſam ſuarum gentium multitudinem congregantes, Chriſtianorum noſtrorum fines acriter invadere cœperunt. Contra quos noſtrarum gentium phalanges coadunantes infra octavas apoſtolorum* Petri *&* Pauli, *in eos congredi & verſus* Tiberiadem *quam violenter caſtro ſolo relicto ceperant, iter arripere præſumpſimus. Cumque in ſcopulis peſſimis nos impuliſſent, nos ita acriter expugnaverunt, quod ſancta cruce & Rege noſtro capto & omni multitudine noſtra interfecta & fratrum noſtrorum, ut in veritate credimus, eodem die* CC.xxx. *decollatis exceptis illis* xl. *qui prima die Maii interempti fuerunt, vix dominus Comes* Tripolitanus *& Dominus* Reginaldus Sidonius *& Dominus* Balianus *& nos de illo miſerabili campo evadere potuimus. Deinde Chriſtianorum noſtrorum ſanguine debaccati, verſus civitatem* Accon *cum omni ſua multitudine venire non diſtulerunt. Quam* *violenter capientes totam fere terram invaſerunt,* Jeroſolima, Aſcalona, Tiro, *& eciam* Beriton, *nobis & Chriſtianitati adhuc ſolis relictis. Iſtas eciam civitates omnibus fere earum civibus in prælio interfectis, niſi divinum & veſtrum præſto ſit auxilium, nullo modo retinere poterimus. Civitatem eciam* Tirum *inpræſentiarum acriter obſidentes violenter die noctuque expugnare non ceſſant. Et tanta eſt eòrum copia quod totam terræ faciem à* Tiro *uſque* Jeroſolimam *& uſque ad* Gazam *velut formicæ frequentes exiſtentes cooperuere. Nobis ergo & Chriſtianitati orientis ad præſens omnino diſperditæ quamtocius ſuccurrere dignemini, ut per deum & per veſtræ fraternitatis eminentiam, reſiduas civitates veſtro ſuffulti adminiculo ſalvare poſſimus. Valete.*

Hactenus de *Saladino.*

Baldewinus autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus à ſuo necdum deſiſtens propoſito cotidie ſuum affligebat conventum. Qui cum nec modice quidem apoſtolico deferret mandato, tres abbates illi, videlicet de *Bello*, de *Faureſham* & Sancti *Auguſtini Cantuariæ*, qui *Cantuarienſis* cauſæ fuerant execucutores, præfato archiepiſcopo commonitoriam miſerunt epiſtolam, eique vigiliam *Jacobi* apoſtoli diem peremtorium præfixerunt, rogantes ſuppliciter ut apoſtolico obediret mandato, ne eciam ipſis in obedientiæ periculum immineret. Sed cum prædicti Abbates & monachi *Cantuarienſes* de forma executionis cogitarent, ipſumque archiepiſcopum vel ejus nuntios reſponſales expectarent, à præfecto *Angliæ Randulfo* de *Glanvilla* hujuſmodi ſuſceperunt mandatum.

R. *De* Glanvilla *abbati de* Bello *ſalutem. Præcipio tibi ex parte Domini Regis per fidem quam ei debes & per ſacramentum quod ei feciſti, ut nullo modo procedas in cauſa quæ vertitur inter monachos* Cantuarienſes *& Dominum* Cantuarienſem *archiepiſcopum donec inde mecum locutus fueris. Teſte* Willielmo de Glanvilla *per præceptum domini Regis de ultra mare. Et omni dilatione & occaſione remota ſis ad me apud* Londoniam *proxima die Sabbati poſt feſtum Sanctæ* Margaritæ *virginis mecum inde locuturus, Teſte eodem apud* Weſtmonaſterium.

Suppriori quoque & conventui ſcripſit ſic.

R. *De* Glanvilla *ſuppriori & conventui eccleſiæ* Chriſti Cantuariæ *ſalutem. Præcipio vobis ex parte Domini Regis ne aliquo modo utamini contra Dominum* Cantuarienſem *archiepiſcopum aliqua perquiſitione quam contra eum quæſiſtis, donec inde mecum locuti fueritis. Et tu ſupprior abſque occaſione & dilatione ſis* Londoniis *in feſto ſancti* Jacobi *cum conſilio conventus tui, auditurus & facturus quod tibi dicetur ex parte Domini Regis, & ibi tunc tecum habeas perquiſitiones quæ perquiſita ſunt contra dominum* Cantuarienſem *archiepiſcopum. Teſte* Willielmo *de* Glanvilla *per præceptum Domini Regis de ultra mare. Per ipſum* Willielmum.

His auditis mirati ſunt univerſi. Cum autem ſupprior corporea detentus infirmitate *Londoniam* venire non valeret, miſſi ſunt ad *Randulfum* monachi duo ætate provecti, qui ex parte conventus ſupprioris abſentiam excuſarent, & tenorem regii audirent mandati. Cum autem præfectus *Angliæ R.* de ſupprioris abſentia cauſaretur, dicens ſimplicius quam deceret rem factam fuiſſe, ſubjunxit; Domino noſtro Regi inſinuatum eſt, quod vos habetis quaſdam perquiſitiones de *Roma* contra eum & regnum ipſius quibus jura regni vultis diminuere, & ipſius ſtatum commutare. Ideoque præcipit dominus Rex, & nos ex parte ipſius injungimus, ne perquiſitionibus illis utamini antequam inde cum ipſo domino Rege locuti fueritis. Unde præcipio ut infra xv. dies ad dominum Regem cum veſtris privilegiis monachos mittatis, ut ejus arbitrio vel approbentur vel penitus proiciantur. Seneſcallos vero illos & monachos quos terris veſtris præter conſcientiam archiepiſcopi præpoſuiſtis, præcipimus amoveri. His auditis, monachi illi *Cantuariam* continuo redierunt. Attamen miſſi ſunt alii nuntii à præfecto *Cantuariam*, qui in audientia Conventus eadem nuntiarent Edicta. Abbatibus quoque tribus minaciter ex imperio Regis inhibitum eſt, ne occaſione aliqua domini Papæ exequerentur mandatum. Miſſi ſunt itaque monachi ad Regem in *Normanniam*, ut cum aliis ejuſdem eccleſiæ monachis qui propter alia negotia eccleſiæ ad Regem diu ante ipſos miſſi fuerant, de falſa accuſatione abſque privilegiorum oſtenſione conventum excuſarent, ſuæque conſuetudines eccleſiæ in ſuarum rerum libera adminiſtratione ex antiquo regum tempore demonſtrarent. Archiepiſcopus autem jam nullum Domini Papæ formidans mandatum, cætera maneria monachorum ipſis penitus ignorantibus occupavit. Deinde *Dovoriam* tranſfretaturus properans, celararium mandavit, eique dixit. Hucuſque ſolo nomine celararius fuiſti, Nunc autem volo ut re ſimul & nomine celararius exiſtens, omnia quæ ad tuam pertinent obedientiam, ſcilicet villas & redditus & cætera libere poſſideas, ſic tamen ut michi ſoli & non alteri inde reſpondeas, meque inde facias ſecurum. Cui celararius, primo de benivolentia grates referens, reſpondit. Obedientiam illam de qua ſermo eſt ſi vobis placet & conventui ego tenebo in ea forma & ſtatu qua prædeceſſores mei per multa tempora tenuerunt, & ego eadem tempore veſtro uſque hodie tenui, & non aliter. Cumque diutius à clericis archiepiſcopi verbis undique impeteretur, dicentibus, quod archiepiſcopus eum celararium fecerit, reſpondit. Verum eſt, ſed ſub qua forma attendite. Prior ex parte conventus tres perſonas nominavit, & ipſe michi ut æſtimo ex inproviſo præbuit aſſenſum, non ex ſua deliberatione ſed ad præſentationem conventus. Sub hac forma tenui, tenebo, tenuerunt & alii ante me. Aliam formam contra conſuetudinem eccleſiæ non inducet per me. Dixit autem archiepiſcopus. Honorem tuum & libertatem deſiderans hæc tibi obtuli. Verum quia hæc omnibus qui aſſiſtunt audientibus renuis, præcipio tibi per obedientiam & ſub anathemate ne ulterius de obedientia illa te intromittas. Audio, inquit celararius, quæ dicitis, conventui referenda. Sciatis tamen certiſſime quod & ex parte conventus vobis annuntio, quod per nullum hominum niſi per eos quos illi rerum ſuarum ſecundum conſuetudinem eccleſiæ antiquam conſtituent miniſtros, non unius precium accipient refectionis, ſed nec unius panis. Si vero ſuper his quicquam volueritis commutare, contra antiquuum ſtatum eſt eccleſiæ noſtræ pro quo jam ſæpius appellatum eſt &

adhuc appellamus, pro quo & Prior noſter cum fratribus noſtris in præſentia Domini Papæ exiſtunt. In eundum fere modum reſponſum dederat *Simon* camerarius quem primo quaſi ſpecialis intuitu dilectionis ſuper hoc negotio allocutus eſt. Sed ille ſicut & cæteri magis timentes deum quam *Baldewinum*, nulla cupiditate ab eccleſiæ ſuæ fidelitate potuerunt deviare. Igitur archiepiſcopus de ſuo propoſito deſperatus, feſtinus ad mare deſcendit, & quaſi gaudens quod tam callide poteſtate laica apoſtolicum eliſiſſet mandatum, iij. idus Auguſti apud *Dovoriam* transfretavit. Præmiſſi ſunt autem ad regem ut prædictum eſt monachi duo, qui Conventum ab impoſitis excuſarent. Qui cum ſecretius cum rege de vocatione monachorum, de privilegiis exhibendis, de inhibitione mandati apoſtolici exequendi plura proferrent, Conventumque excuſarent, quod nil contra regem vel regnum perquiſiſſent, Rex ad omnia miratus juravit in verbo regio quod nec monachos mandaverit nec privilegia, & quod executio mandati apoſtolici per eum non ſteterit. De invaſione eciam maneriorum plurimum viſus eſt admirari, dicens archiepiſcopum in omnibus his, & maxime in ædificatione novæ eccleſiæ multum erraſſe, ſeque eidem archiepiſcopo ad conſtructionem operis hujuſmodi nunquam dediſſe conſilium, ſed ſimpliciter canoniæ faciendæ præbuiſſe aſſenſum. *Robertum* autem ſacriſtam & *Rogerium Noreis* pacis intuitu ſe retinuiſſe dicebat, ut per eos & per Priorem quem jam in *Franciam* audierat veniſſe, inter archiepiſcopum & conventum aliquam pacis faceret compoſitionem. Hac igitur audita regis excuſatione, monachus qui hac de cauſa miſſus eſt in *Angliam* regreſſus eſt, aliis qui præmiſſi fuerant cum Rege ſubſiſtentibus.

Pridie non. Septembris feria ſexta & hora ſexta luna xxviij. apparuit eclipſis ſolis in *Anglia* particularis. Apud *Veronam* autem *Longobardia* civitatem ubi recolendæ memoriæ Papa *Urbanus* tunc temporis morabatur, apparuit totalis ad modum cabi igniti. Omnibus itaque qui viderunt obſtupentibus factus eſt terræ motus adeo terribilis, ut omnia fundamenta civitatis ſolo tenus erui viderentur. Archiepiſcopus autem accedens ad Regem, iram ipſius & indignationem quantumcunque potuit adverſus conventum excitavit, adeo ut eidem per baculum paſtoralem reſignare geſtiret archiepiſcopatum. Convenerant autem regiæ ditionis proceres plurimi occaſione colloquii quod erant inter duos Reges habituri apud *Alenzun* v. kal. Septembris.

Quo cum archiepiſcopus adveniſſet una cum rege, monachi quoque *Cantuarienſes Robertus* ſacriſta & *Rogerius Noreis* affuerunt. Conſertus eſt igitur ſermo de gravaminibus *Cantuarienſis* eccleſiæ & de reſtitutione maneriorum & reddituum, quos archiepiſcopus quaſi ratione archiepiſcopatus ut omnium dominus acceperat. Multis itaque de reſtitutione ablatorum ſermonibus hinc inde prolatis, tandem ex conſilio regis inducti ſunt monachi ad conſentiendum, ut omnium poſſeſſionum ſuarum ſaltem ſimplicem ab archiepiſcopo ſuſciperent reſtitutionem. Archiepiſcopus autem ſuo nequam utens ingenio, ut poſteris ſuis teterrimæ inſtitutionis daret exemplum, arrepto capitis ſui pilleo præfatum *Robertum* ſacriſtam ſenem & natura ſimplicem quaſi de novo ſacriſtam conſtituit, omnibus eidem pertinentiis ſacriſtariæ ſpecialiter aſſignatis. *Rogerium* vero ætate juniorem vaniglorium & cupidum dominandi celararium fecit, eique villas & redditus ad cellarium ſpectantes ſpecialiter & perſonaliter aſſignavit, acſi ante horam hanc nunquam his *Cantuarienſis* eccleſia inſtituta fuerit, ſed per ſolum archiepiſcopum deberet inſtitui. Hanc igitur inſtitutionem per litteras ſuas inſinuavit epiſcopo *Roffenſi*, præcipiens ut ſub eadem forma *Simonem* Camerarium faceret vice ſua, & omnes cameræ pertinentias eidem ſpecialiter aſſignaret. Redeuntes itaque præfati monachi *Cantuariam*, nunciaverunt conventui ea quæ fecerant in partibus tranſmarinis. Confractis autem litteris archiepiſcopi quos ſuper hoc negotio vicario ſuo *Roffenſi* miſit epiſcopo, invenerunt reſignationem illam non conventui factam ſed ſupradictis tantum tribus perſonis. Admirantes igitur monachi ſuper his contriſtati ſunt valde, quod tantam & tam diutinam unitatem in tria diviſa viderent, & in hac reſtitutione omnia conventui ablata fuiſſe. Quorum murmur & ſtrepitum venerabilis ille ſupprior *Gaufridus* conſtantia ſolidus ut æs compeſcere geſtiens, ſic eos alloquitur. Noſtis fratres kariſſimi quod contra omnia gravamina pro ſtatu eccleſiæ ſemel & ſæpius appellatum eſt. Nunc autem quoniam in hac trina inſtitutione unitatem eccleſiæ ſcindi, ſtatumque noſtrum in parte plurima videmus ſubverti; ſuper hoc articulo ſpecialiter appellamus, prohibentes ex parte Dei & domini Papæ & noſtra, ne quis ſuper hac forma pernitioſa poſſeſſiones noſtras vel officia ingrediatur. Acclamantibus itaque omnibus & ſingulis, executio quoque negotii incunctanter ſubſecuta eſt. Fratres eciam illi qui ſic fraudulenter inſtituti fuerant, hujuſmodi inſtitutioni renunciaverunt incontinenti. Miſſi ſunt eciam ad Regem monachi tres cum *Rob.* ſacriſta qui à domino Rege non ab archiepiſcopo, conventui & non alteri debitam reſtitutionem repoſcerent, & eam quæ contra vetera munimenta eccleſiæ & conſuetudinem facta eſt, penitus refutarent. Appellatio quoque conventus ſuper hoc negotio, & fratrum renuntiatio archiepiſcopo allata eſt. Unde archiepiſcopus vehementer turbatus, nuntium ilico miſit ad regem in *Aquitaniam*, aliumque in *Angliam* ad officiales regis & ſuos vicarios, ut hinc et inde monachorum *Cantuarienſium* perturbaret negotium. *Rogerus* autem *Noreis* cujus dolo et arrogantia hæc facta ſunt *Cantuaria* ſub regulari diſciplina retentus eſt. Erat enim ab adoleſcentia monachatus ſui ſuperbus, elatus, pompoſus in verbis, doloſus in factis, cupidus prælationis, aſpernator religionis, ad ſuperiores adulator, ad inferiores contemptor, glorioſus in veſte, negligens in ordinis obſervatione, amicus feminarum, amator equorum, iracundus ad correptiones, paratus ad detractiones, in omnibus eciam incorrigibilis. Cæteri autem qui trans mare miſſi ſunt, in *Aquitania* ad Regem venerunt, eique pro quo miſſi ſunt intimaverunt negotium. At ille more ſuo reſponſum iterum & iterum procraſtinavit, dicens ſe velle ut ea quæ ſibi dixerant, in audientia faterentur archiepiſcopi ipſoque præſente. Cum autem monachi cras & cras & iterum cras expectarent, ipſis ignorantibus in *Britanniam* minorem pervolavit citiſſime. Officiales interim archiepiſcopi alias monachorum *Cantuarienſium* villas invaſerunt, fregerunt hoſtia, ſeras avulſerunt, ſervientes & clavigeros fidelitatem archiepipiſcopo jurare fecerunt, jurare nolentes expulerunt.

Cantuariam vero venientes, in eccleſia & loco quo beatus *Thomas* martirio coronatus eſt, vocato ſuppriore & monachis minaciter prohibuerunt ex parte Regis & archiepiſcopi, ne ulterius curiam tenerent vel alicui juſticiam facerent. Scirent eciam pro certo, quod eorum qui ad curiam Prioris poſt hanc venirent prohibitionem, non ſolum catalla ſed et corpora caperent & ſuæ cuſtodiæ manciparent. Quibus ſupprior ait. Habetis vos ſuper hac prohibitione veſtra litteras domini Regis vel archiepiſcopi? Et illi, Litteras non habemus, ſed hoc vobis ex parte eorum dicimus. Et ſupprior; Dominus, inquit, Rex de juſticia facienda in curiam noſtram litteras mittit, mandat & præcipit; Et vos inhibetis? Nos eciam vobis ex parte Dei & domini Regis interdicimus ne hodie vel cras quicquam manducetis vel bibatis. Tenuerunt itaque monachi eadem die et deinceps curiam ſuam ſicut ſolebant, et ipſi in comeſtione ſua inobedientes effecti ſunt.

Interea pax et concordia inter dominum papam et Imperatorem *Fretbericum*, ut videbatur, ad honorem Dei et eccleſiæ *Romanæ* formata eſt. Unde dominus Papa *Veronenſibus* valedicens, *Ferarienſem* adiit civitatem. *Cantuarienſis* autem eccleſiæ condolens ærumpnis, & labori Prioris *Honorii* qui jam ſecundo ad curiam venerat, contemptus quoque ſui diſſimulare nolens injurias, *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſcripſit ſic.

URbanus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Si uſque modo fraternitati tuæ detulimus, & licet provocati plurimum nequaquam tamen proceſſimus in gravamen tuum, illa præcipua cauſa fuit, quod cum vir fueris religionis & ordinis, & nunc in eccleſia Dei ad ſummum dignitatis apicem ſis aſſumptus, cor tuum ab oppreſſione conventus commiſſæ tibi eccleſiæ, & ſi non pro noſtra reverentia quam aliter quam te deceat in hoc viſus es contempſiſſe, ſaltem metu credidimus divini judicii revocandum. Speravimus equidem & ſuadente nobis conſcientia credebamus, quod poſtquam illum quem optines in* Anglicana *eccleſia celebrem locum adeptus eſſes, tu obedientiæ & reverentiæ ſacroſanctæ ſedi apoſtolicæ ab omnibus viris eccleſiaſticis exhibendæ forma fieres aliis & exemplum. Unde te circa noſtra & tuæ pariter promotionis initia, inuſitato hactenus & novo modo curavimus honorare, credentes nos pro honore noſtro eccleſiæ virum fideliſſimum inveniſſe. Sed quod ſine gravi admiratione non dicimus, fruſtrati ſumus in cogitationibus noſtris. Et quem fidum tutorem honoris noſtri eſſe credidimus, nunc in membris noſtris obpugnatorem ſentimus. Multotiens enim pro quiete fratrum commiſſæ tibi eccleſiæ litteras noſtras tranſmiſimus, ut ab eorum inquietatione deſiſteres. & jura ipſorum pro noſtra ſaltem reverentia non turbares. Sed tu non ſolum in hoc ſed eciam in aliis, ſicut ubique divulgante fama fere ab omnibus prædicatur, noſtras litteras, & appellationes ad ſedem apoſtolicam interpoſitas parvipendens, quid contra eos poſt multiplices appellationes & prohibitiones noſtras feceris, nos enarrare confundimur. Sed tu ipſe revolve in animo, & ſi bene feceris, in conſcientia tua deliberes & decernas. Nos vero quia clamores ipſorum fratrum & contemptum apoſtolicæ ſedis pertranſire ſurdis auribus non poſſumus nec debemus, adhuc licet in vanum videamur noſtras juſſiones effundere, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatinus, eo eciam non obſtante ſi abſens ab eccleſia tua fueris, quicquid poſt appellationem ad nos factam vel inhibitionem noſtram in opere capellæ quam erigere in deſtructionem* Cantuarienſis *monaſterii ſtatuiſti actum eſt, tuis expenſis non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & enormiter innovatum. Locum eciam illum maledictum habeas & prophanum, & eos qui celebraverunt in capella ipſa poſt inhibitionem noſtram, habeas et teneas pro ſuſpenſis ab officio & beneficio donec noſtro ſe conſpectui repræſentent, demolitis univerſis operibus quæ inibi facere præſumpſerunt. Miniſtros eciam conventus quos poſt appellationem ad nos interpoſitam amoviſti, quos nos reſtituimus habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem excommunicare vel ſuſpendere præſumpſiſti, habeas nichilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoq; & aliorum quæ ante appellationem habuerunt, & ablatione nichilominus aliarum rerum, in ſtatum priſtinum appellatione remota reducere non omittas. Sententias quoque excommunicationis & interdicti quas in quoſdam ipſorum fratrum temere promulgaſti publice nunties non tenere, ac de cætero pendente lite circa ſtatum monaſterii nil immutes. Sciturus quod ſi Deo & nobis hac vice inobediens fueris & rebellis, & infra* xxx. *dies poſt ſuſceptionem præſentium præceptum noſtrum diſtuleris adimplere, nos univerſa quæ prædiximus alios exequi faciemus, & ſuffraganeis tuis diſtricte præcipiemus, ut ſicut nobis obedientiam debitam ſubtrahis, ita ipſi tibi abſoluti à nobis omnem obedientiam & reverentiam denegent et honorem.*

Epiſcopis quoque & abbatibus quos operis hujus delegaverat executores, hujuſmodi miſit epiſtolam.

URbanus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus* Bathonienſi *&* Ciceſtrenſi *epiſcopis, & dilectis filiis de* Bello *& de* **Faureſham** *abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet fratres & coepiſcopos noſtros & præcipue qui in eccleſia Dei locum optinent digniorem ſpeciali teneamur caritate diligere, & in quantum cum Deo poſſumus honorare, cum tamen ab eis aliquod enorme committitur, tanto ad correctionem ipſorum propenſiori cura debemus intendere, quanto in ipſorum culpis pro eminentia dignitatis eccleſiaſticæ honeſtatis ſinceritas amplius denigratur. Sane clamores dilectorum filiorum noſtrorum Prioris & fratrum* Cantuarienſis *eccleſiæ contra gravamina quæ à* Cantuarienſi *archiepiſcopo patiuntur, jamdudum recepimus; & licet eidem archiepiſcopo libenter velimus in quantum poſſumus cum ratione deferre, quia tamen poſtpoſita reverentia mandatorum noſtrorum nimis videtur in incepta oppreſſionis propoſito perdurare, jam ſuſtinere nec poſſumus nec debemus, quin tranquillitati prædictorum fratrum pro noſtri officii debito conſulamus. Cum igitur in grave detrimentum ejuſdem eccleſiæ quædam capella à memorato*

rato archiepiſcopo incepta fuerit, & poſt appellationem ad nos factam & inhibitionem noſtram ne ulterius progrederetur opus, ſit in fraudem prohibitionis ejus prout credimus conſummata, ita quod quidam canonici circa eam ſua dicuntur habitacula conſtruxiſſe, & in ipſa pariter divina officia celebraſſe, eidem archiepiſcopo in obedientiæ virtute præcepimus, ut eo eciam non obſtante ſi abſens ab eccleſia ſua fuerit, quicquid poſt appellationem ad nos factam vel inhibitionem noſtram in opere capellæ actum eſt, ſuis expenſis non differat demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum, quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & enormiter innovatum. Locum eciam illum maledictum habeat & prophanum, & eos qui celebraverunt in capella ipſa poſt inhibitionem noſtram habeat pro ſuſpenſis ab officio & beneficio, & donec noſtro ſe conſpectui repræſentent ſic teneat pro ſuſpenſis, demolitis univerſis operibus quæ inibi facere præſumpſerunt. Miniſtros eciam Conventus *quos poſt appellationem ad nos factam amovit, quos nos reſtituimus habeat reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem ſuſpendere vel excommunicare præſumpſerit, habeat nichilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoque & aliorum quæ ante appellationem habuerant & ablatione nichilominus aliarum rerum, in ſtatum priſtinum appellatione ceſſante reducat. Sententias eciam excommunicationis & interdicti quas in quoſdam ipſorum fratrum temere promulgavit, publice nuntiet non tenere, ac de cætero pendente lite circa ſtatum monaſterii nil immutet. Ideoque diſcretioni veſtræ præſentium auctoritate mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatinus ſi memoratus archiepiſcopus præceptum noſtrum ultra xxx. dies poſt ſuſceptionem litterarum quas ei direximus diſtulerit adimplere, vos univerſa quæ prædiximus omni appellatione, dilatione quoque & excuſatione ceſſante, auctoritate noſtra executioni mandetis. Illicitos invaſores poſſeſſionum eorundem fratrum niſi ſatisfecerint vinculo anathematis innodantes, quouſque ad emendationem dignam faciatis manere ligatos. Provideatis autem ut taliter in his omnibus apoſtolicam exequamini juſſionem, ut videamini potius deferre Deo quam homini, & ne ullius tranſgreſſionis faciat vos non ſine gravi indignatione ſedis apoſtolicæ efficiat tranſgreſſores. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, tres veſtrum vel duo ea nichilominus exequantur.* Dat. *Feraria* v. non. Octobris.

Sciens autem dominus papa prohibitionem quæ ex parte regis per *Randulphum de Glanvilla* facta eſt, qua negotium *Cantuarienſis* eccleſiæ & mandatum domini papæ præpeditum eſt, ne de cætero aliquis regalium ſupradictam impediret executionem regi *Angliæ* hanc ſubſcriptam direxit epiſtolam.

URbanus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Illuſtri regi* Anglorum *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet univerſos principes & minores libenter velimus ad ſemitas rectitudinis provocare, & pro noſtri officii debito ad viam ſalutis inducere, id tamen excellentiam tuam tanto propenſius exequi volumus & debemus, quanto perſonam & regnum tuæ ſublimitatis majori amplectimur caritate, & tuis profectibus tam ſpiritualibus quam temporalibus habundatius congaudemus. Regalis ſiquidem ſolertia non ignorat, quod inter cætera quibus potes gratiam promereri, conſervatio ſtatus eccleſiarum regni tui & pro illarum præcipue quæ religionis & ordinis titulo decorantur, non modicam tibi adaugent gloriam & ſalutem. Cum igitur* Cantuarienſis *eccleſia antiquæ privilegio dignitatis & meritis novi martyris glorioſi non ſolum in regno tuæ celſitudinis, ſed fere per totum orbem celebris habeatur, quantum expediat regiæ bonitati eam ſemper immutabili pietate reſpicere, manutenere pariter & augere, tuæ diſcretionis prudentia non ignorat. Multum eciam expedit regno tuo, ut dictum glorioſum martyrem continuum interceſſorem habeas apud Deum, quod proculdubio ſi quantum in te fuerit ipſius permiſeris reverentia derogari, nequaquam in cœlis optinere poteris. Et quidem quot gravamina & oppreſſiones ab archiepiſcopo ſuo illa eccleſia pertulerit ſicut tua ſublimitas neſcire non potuit, ita diſſimulare non debuit, ſed tota intentione ſtudere, ad eundem archiepiſcopum ab oppreſſionis inceptæ propoſito revocandum. Verum quia hujus querelæ materia excrevit pariter & aſcendit nimis, nos licet ei ſæpedicto archiepiſcopo velimus in quantum poſſumus cum ratione deferre, nequaquam ruinam ipſius eccleſiæ clauſis poſſumus oculis pertranſire, ſed quibuſdam perſonis regni tui correctionem eorum quæ enormiter attemptata ſunt duximus committenda. Quocirca ſerenitatem tuam hortamur in* Domino, *rogamus attentius, & in remiſſionem tibi peccatorum injungimus, quod ſicut pius & catholicus princeps ad ipſius eccleſiæ tranquillitatem intendas, ne ipſam permittas quantum in te fuerit indebite moleſtari, & quod jam dicti judices à nobis delegati ſtatuerint obſervari facias, & nequaquam impedias vel à tuis impediri permittas, ita quod ex hoc de zelo rectitudinis tua ſerenitas commendari valeat, & ab omnipotenti Deo gratiam promereri.*

Interea rumor ille miſerabilis de deſtructione ſcilicet orientalis eccleſiæ, de civitatum captione, de captivitate regis & crucis Dominicæ in curia *Romana* diſperſus, aures & corda Cardinalium ſummique pontificis mira contrivit miſeratione, unde dominus papa *Urbanus* jam ſenio confectus præ nimio dolore incomparabiliter gravatus, ad extrema perductus eſt. Obiit autem ſolatium miſerorum dominus papa *Urbanus* xiiij. kal. Novembris & *Feraria* ſepultus eſt. Cui ſucceſſit in pontificatum die tercia *Albertus* Cancellarius, & *Gregorius* octavus appellatus eſt. Sciebant enim Cardinales quod idem *Albertus* multam imperatoris haberet gratiam, eo quod ipſius ſemper fovens partem, eidem omnia *Romanæ* curiæ revelaret ſecreta. Archiepiſcopo eciam *Cantuarienſi* obligatus, ipſius prout potuit non ut decuit promovit negotium. Veruntamen cum litteræ illæ domini *Urbani* papæ per tres monachos apud *Cadomum* archiepiſcopo porrectæ fuiſſent, & rex ſibi miſſas litteras per alios tres monachos ſuſcepiſſet, omnia eorum geſtus & verba in mitiorem & decentiorem formam commutata ſunt. Rex enim multum monachis blandiens, jus *Cantuarienſis* eccleſiæ publice proteſtatus eſt, dicens archiepiſcopum nullam debere dominationem habere in maneriis monachorum. Nam & ipſi in omnibus tenementis ſuis omnem ab antiquo legalem habuere juſticiam, videlicet ferrum, foſſam, furcas, & ſimilia. Juravit eciam rex in verbo regio quod nullam eorum vellet ſuſtinere diminutionem. Præcepit autem dapifero *Normanniæ* ut eis de fiſco regio inveniret expenſas, eiſque ad libitum aſſignaret hoſpicium, quo eum in *Britanniam* properantem facilius expectarent. Propoſuerat enim virum nobilem monachis aſſignare, qui cum ipſis in *Angliam* rediens, auctoritate regia omnes ablátas *Cantuarienſi* Conventui reſtitueret poſſeſſiones. Archiepiſcopus eciam licet mente turbatus & territus, benignius tamen ſolito monachis ad interrogata reſpondit. Clerici quoque archiepiſcopi quorum conſilio trahebatur & impellebatur, quaſi præter conſcientiam archiepiſcopi monachis dicebant, Quid eſt quod quæritis domini? quare vos tot atteritis laboribus, tot expenſis & anguſtiis aggravatis? Sufficietne vobis ſi dominus archiepiſcopus ſtatum veſtrum vobis reſtituerit quem habuiſtis ea die qua eum in patrem & paſtorem ſuſcepiſtis? Quibus magiſter *Haimo Cantuarienſis* monachus reſpondit, Hoc faciat & fiat pax. Hic eſt ille *Haimo* qui cum languerent omnes & ſinguli præ timore inerti, ſolus jus *Cantuarienſis* Conventus proteſtatus eſt. Et propria licet expenſas mendicante induſtria, cauſam eccleſiæ ſuæ non languentem ſed fere mortuam ſuſcitavit & extulit in immenſum, ut jam nota ſit per totum fere orbem terrarum. Cum autem monachi *Cantuarienſes* ſpem multam haberent ut ſuæ ſtatus eccleſiæ eis in integrum redderetur, crebreſcente fama de deſtructione ſacroſanctæ terræ *Jeroſolymæ*, regi *Anglorum* nuntiatum eſt filium ſuum *Ricardum* ſcilicet *Pictavenſem* Comitem cum multa militum copia crucem humeris appoſuiſſe, ſignum videlicet peregrinationis in *Jeroſolymam*, unde rex pater ipſius ſpecie tenus adeo turbatus eſt, ut per quatriduum omnium negotia ſuſpenderentur, & ad regem vix alicui pateret ingreſſus. Succeſſit in brevi rumor execrabilis de obitu ſcilicet *Vrbani* papæ, novique pontificis ſubſtitutione. Unde tam rex quam archiepiſcopus hinc admodum lætificati, illinc vero ſollicitati fuerunt & conturbati. Turbati ſunt & conterriti de deſtructione *Jeroſolymæ*; lætificati vero de obitu *Vrbani*, quem ſolum pro cauſa *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuis deſideriis adverſantem videbant. In hoc eciam eorum lætitia aucta eſt, quod totius iniquitatis fautor *Albertus* ſubſtitutus eſt. His igitur de cauſis omnia quæ *Cantuarienſis* eccleſiæ cauſam contingebant, in contrarium commutata ſunt. Miſera rerum commutatio: lepus enim in leonem, ovis in lupum, mus in murilegum commutatus eſt. Nam archiepiſcopus & ſui ſtimuli ſolito ferociores effecti *Cantuarienſes* monachos quibus paulo ante blandiri videbantur, vix aliqua reſponſione vel modica dignos judicabant. Rex eciam præfatos monachos ſponte vel invitus admittens acſi ante nil penitus cognoviſſet de cauſa, quid quærerent durius ſolito interrogavit. Cui monachi: Noſtis, inquiunt, ſereniſſime domine, quod maneriis & redditibus noſtris injuſte & abſque ordine judiciario ſpoliati ſumus, unde veſtram ſuppliciter expoſcimus reſtitutionem. Jam enim *Cantuarienſis* eccleſia ad tantum paupertatis articulum perducta eſt, ut deficiente expenſa cotidianum panem cogatur mendicare. Ruſticus pauper quiſlibet pro jugere perdito à veſtra clementia litteras optinere conſuevit rectitudinis, & nos miſeri tot rerum, tot reddituum, tot villarum violenter ablatarum debitam & juſtam optinere non poſſumus reſtitutionem. Væ nobis. Non longa retro temporum ſeries, non diuturna poſſeſſio, non prædeceſſorum veſtrorum regum cartæ, ſed nec veſtra confirmatio, miſeræ & deſolatæ *Cantuarienſis* eccleſiæ jura potuerunt conſervare. Quibus rex ait, Quid eſt hoc quod dicitis? Nonne archiepiſcopus veſter omnia vobis reſtituit apud *Alenzun* in præſentia mea & baronum meorum, cum vobis ſacriſtam, camerarium & celararium inſtituit? Non alia per me vobis fiet reſtitutio, nec volo ut jura archiepiſcopi ſibi minuantur in aliquo. Capellam vero ſancti *Thomæ* pro qua tantum laboratis & litigatis, cum canonicis & ædificiis ad eam pertinentibus in manu mea accipio, nec volo ut ibi aliquis præter me aliquam exerceat poteſtatem. Et monachi ad regem: Vos, inquiunt, facitis quod vultis ſicut Dominus. Veruntamen ſciatis quod reſtitutio illa apud *Alenzun* facta magis fuit univerſorum deſtitutio quam reſtitutio. Quod enim tribus tantum perſonis traditur, ſubtrahitur univerſitati. Unde quia contra Deum & antiquam eccleſiæ noſtræ conſuetudinem, & contra totius capituli noſtri prohibitionem facta eſt, eidem non conſentimus nec unquam conſentiemus. Quibus rex ait, Ite, nichil vobis aliud faciam. Cum igitur viderent monachi ſe per dies plurimos caſſo labore fatigari, expenſis gravari, tandemque à tam juſta petitione repelli, ex conſilio virorum fidelium & ſapientum à curia receſſerunt: & poſt modicum mari tranſito *Cantuariam* venerunt, nuntiantes Conventui quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Contriſtati igitur & conterriti *Cantuarienſes* monachi, quid agerent, quo ſe verterent penitus ignorabant, unde & frequenter potum ſuum cum fletu miſcebant. Nec mirum: videbant enim patrem & paſtorem ſuum ſibi in omnibus crudeliter adverſantem. regem vero eidem conſentientem, cauſæ ſuæ patronum, *Vrbanum* dico papam, de medio ſublatum, & ſpecialem amicum archiepiſcopi jam univerſali eccleſiæ præſidentem. His igitur concurrentibus, tam famoſæ, tam glorioſæ *Cantuarienſi* eccleſiæ perpetuum videbant imminere periculum: unde nec mirum contriſtati, nec inter epulas à lacrimis temperabant. Sed in brevi redeuntes ad cor, invocata Spiritus ſancti gratia patris ſui & paſtoris optimi non annuum ſed uſque in ſeptennium protelatum ruminabant martirium. Juſticiam quoque cauſæ ſuæ & libertatem eccleſiæ animo conſiderabant; unde ſenes cum junioribus animo commoti, proponebant animo omnia prius intemptata ſuſtinere pericula, quam probroſam & ignominioſam cum archiepiſcopo vel tyranno inirent compoſitionem. Et cum ſummam in Domino & ſanctis eccleſiæ patronis haberent fiduciam, ſicut archiepiſcopus regem *Angliæ* continuis mulcebat obſequiis, ſic ipſi Regem regum, & Dominum dominantium jejuniis, & orationibus. & nocturnis magis quam diurnis afflictionibus exorabant. Scripſerunt eciam Priori & fratribus qui cum ipſo erant, ut firmiter & fideliter in ſuo ſtarent propoſito, ne aliquo timore inerti vel adulatione fallaci frangerentur, vel gloriam à domino præparatam repellerent, vel honorem ſuum alteri darent. Audierant enim quod rex *Angliæ* per litteras ſuas & nuntios callidos & captioſos Priorem mandaſſet, minaſque molles in calce litterarum appoſuiſſet. Dederat autem in mandatis novus papa *Gregorius* omnibus ſanctæ eccleſiæ prælatis, ut litteræ *Urbani* papæ de litigiis dirimendis à tribus menſibus ante ipſius obitum traditæ, eandem & nunc haberent firmitatem quam haberent ſi adhuc vivens eſſet. Sed alias clanculo abſque conſcientia Cardinalium componens litteras, cauſam *Cantuarienſis* eccleſiæ ab hac univerſali excepit pietate, ut quæ majori indigebat ſolatio, à generali exciperetur conſolatione. Unde domnus *Baldewinus* hilarior ſimul & ſeverior effectus, nova tormenta non fomenta ſuo Conventui proponebat irrogare : ſed homo proponit & Deus diſponit. Cum enim domnus archiepiſcopus ex aſſenſu regis & *Romani* pontificis nutu ſæviret indignationibus, & miſerabilis Conventus *Cantuarienſis* Deum & patronos eccleſiæ continuis interpellarent orationibus, ſuus papa *Gregorius* xvj. kal. Januarii ex inopinato defunctus eſt. Cui ſucceſſit in pontificatum *Paulus Præneſtinus* epiſcopus, & *Clemens* tercius appellatus eſt. Archiepiſcopus autem hæc ignorans, & adhuc nimium de ſuo confidens *Gregorio*, accepta à rege licentia reditum paravit in *Angliam*. Eadem die ſcilicet xvj. kal. Januarii acceſſerunt miniſtri archiepiſcopi in curiam monachorum, prohibentes ex parte ipſius, & per obedientiam qua ei tenebantur, ne ulterius curiam tenerent vel de aliquo placito juſtitiam facerent. Hoc ideo forſitan factum eſt, ne dies electionis domni archiepiſcopi vel canonicorum *Hakintonienſium* inſtitutionis à memoria tolleretur, vel abiret in vanum. Qui licet novum prohibendi modum haberent, ut frivolum tamen & vanum quod dixerant reputatum eſt. Perfidus autem & prophanus ille *Radulfus de ſancto Martino* qui de opere maledictæ & prophanæ capellæ tempore ſancti *Thomæ*, & per ipſum, ut dicebat, inceptæ, in curia *Romana* falſum præſtiterat juramentum, ſuadere cœpit ut Conventus aliquos de fratribus archiepiſcopo venienti obviam mitterent, qui cauſam & omnia quæ cauſam contingunt cum dignitatibus eccleſiæ diſcretioni ipſius committerent & diſpoſitioni, dicens eum ſola humilitate eſſe vincendum. Sed garruli hujus verſuta loquacitas in ipſo locutionis aditu deprehenſa eſt & depreſſa. *Herbertus* eciam de *Boſeham* glorioſi pontificis & martyris *Thomæ* magiſter clericus, quaſi ex ſpeciali dilectione *Cantuariam* acceſſit, eleganti quo pollebat eloquio venerabilem & decora dignum memoria *Gaufridum* ſuppriorem inducere cupiens, ut totam eccleſiæ cauſam humilitate vel ſatisfactione interpoſita archiepiſcopi committeret arbitrio. Propoſuit enim inevincibili ut putabat ratione enormes litigandi difficultates, de obitu *Urbani*, de *Gregorii* gratia ad archiepiſcopum, de *Romana* curiæ mutabilitate, de potentia regis *Anglorum*, quam totam fere ad libitum archiepiſcopi effundebat, præter illam cotidianam & inveteratam malitiam qua *Cantuarienſis* eccleſiæ libertates & jura confundere nitebatur. His & hujuſmodi rationibus à præfato *Hereberto* prolatis, ſupprior in brevi omnem ipſius orationem præcidit & decidit. Eſto, inquit, domine & magiſter, quod dominus papa qui nobis unicum erat refugium jam deceſſerit, quod rex inſurgat, quod pater & paſtor noſter nos undique comprimat, fame & ſiti conventum afficiat, captos eciam ſi voluerit in carcerem trudat, capita quoque vel manus auferat, nec ſic volente Deo cauſæ noſtræ diſpendium vel eccleſiæ diſcrimen ſpontanei faciemus, nec infamiam gloriæ noſtræ inferemus. Cauſæ etenim juſtitia eſt, quod libertatem eccleſiæ quærimus cui tenemur ex profeſſione, quod ſtatum à patribus traditum & confirmatum conſervare contendimus. Scias denique pro certo, quod ab hoc tam juſto tamque ſalubri conſilio, quovis illato & inferendo gravamine non poterimus avelli. Hæc itaque cum audiſſet *Herebertus* miratur conſtantiam, tantæque congregationis obſtupeſcit unanimitatem. Ergo, inquit, ſi ita eſt, aut cedendum eſt turpiter, aut ſtandum viriliter. Statum eſt, inquit ſupprior, per Dei gratiam uſque in præſens, & in hac perſeverantia ſtabimus donec per dominum perficiatur. In hunc modum allegabant plurimi quaſi ex devotione vel compaſſione familiares amici & ad menſam ſocii, temptantes ſi quo modo valerent tantam ſedare perturbationem, vel archiepiſcopo jam in *Angliam* properanti ante pugnam reportare victoriam. In his igitur annus Gratiæ M. C. lxxxvij. & domni *Baldewini* tertius completus eſt.

XI.

M. C. lxxxviij. *Gilebertus* epiſcopus *Roſenſis* accepto mandato à domino *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo, cum aliquibus militibus & prophanis *Haketonenſis* ſinagogæ clericis *Cantuariam* venit, & impetrata à Conventu licentia quinto idus Januarii capitulum ingreſſus eſt. An. Græ 1188. Propoſuit itaque Conventui faceto eloquio de regis benevolentia, quod non modice tantæ compateretur perturbationi, & quod voluerit ſalva pace omnium priſtinum eccleſiæ ſtatum in integrum reformare. Commendavit admodum humilitatis virtutem, aſſerens quod hoc ſolo antidoto prælatorum eſſet evincenda duritia. Monuit attentius, ut archiepiſcopo venienti aliquam exhiberent humilitatem, & ab eo condignam exciperent humanitatem. Et poſt aliqua; Dolet, inquit, archiepiſcopus & contriſtatus eſt, eo quod hujus eccleſiæ tam ſublimis omittitur hoſpitalitas. Verum quia ſuper hoc qualemcunque prætenditis occaſionem, ſcilicet quod archiepiſcopus has teneat villulas, quæ non ad victum hoſpitum ſed ad veſtram pertinent cameram, vult archiepiſcopus ut has ſicut & alias recipiatis & teneatis ſicut in præſentia domini regis & baronum ſuorum per monachos veſtros apud *Alenzun* factum eſſe dinoſcitur, ſcilicet ut tres perſonæ fratres veſtri quos vobis aſſignavit, videlicet ſacriſta, camerarius, & his qui ibidem celararius conſtitutus eſt, miniſteriis ſuis debitas & diſtinctas habeant portiones, & poſt anni circulum archiepiſcopo de omnibus reſpondeant. Hæc vobis humilitatis gratia dominus offert archiepiſcopus, nos idem vobis ſuademus ut fratribus ut ita faciatis. Præterea mandat archiepiſcopus, vult & præcipit dominus rex, ut theſaurum eccleſiæ videamus, conſcribamus, & ſignemus. Audivit enim dominus rex quod eccleſiæ theſaurum diſtrahitis & diſſipatis. & in contumeliam ipſius & opprobrium archiepiſcopi in curia *Romana* expenſas multiplicatis. En domini mei cernitis quid tot labores & tot expenſæ vobis contulerunt. Omnia in momento, cum uno flatu cuncta perdita ſunt, cum jam nullius ſint momenti, nec unius valeant precium denarii. Omnia quidem à gemino ovo incipienda ſunt, & tandem præter regis coniventiam nil penitus poteritis conſummare. His de cauſis venimus ad vos ut theſaurum videamus. Præcepit eciam archiepiſcopus ut ſigillum veſtrum videamus ut diligentiori conſervetur cuſtodia, ne dampnum archiepiſcopo, vel periculum eveniat regno. Cum igitur ſuper his capitulis diutius allegatum fuiſſet, ſupprior in hunc modum reſpondit, Domino & patri noſtro archiepiſcopo omnem reverentiam omnemque parati ſumus exhibere quam prædicatis humilitatem, Salva cauſa noſtra & jure eccleſiæ, & ſummi pontificis auctoritate. Hoſpitalitatem pro cujus defectu tam regem quam archiepiſcopum turbari dicitis, pro penuria victualium quæ nobis ſubtraxit dominus archiepiſcopus tenere non poſſumus. Divitibus & pauperibus, ut novit mundus, liberaliter miniſtravimus quamdiu res noſtras in pace habere potuimus. Nec deerit nobis hæc omnibus patens benivolentia, ſi dominus archiepiſcopus ſtatum eccleſiæ priſtinum voluerit reformare. De aliis vero quæ nobis propoſuiſtis, uſque in craſtinum reſpondendi petimus inducias. Quod cum vix tandem cum difficultate tamen conceſſiſſet epiſcopus, & in craſtino Dominica ſcilicet infra octavas Epiphaniæ conveniſſent in unum, ſupprior eos ita allocutus eſt. Tria nobis heſterno die ex parte domini regis & archiepiſcopi propoſuiſtis. De receptione ſcilicet maneriorum noſtrorum ſicut factum fuiſſe dicitis apud *Alenxun*: de oſtendendo vobis eccleſiæ theſauro, et de inſpectione et copia ſigilli. Reſtitutionem illam, ſi quidem ut dicitis facta eſt, contra Deum & antiquam eccleſiæ conſuetudinem & totius capituli prohibitionem factam eſſe ſciatis. Nam ante factum ne ita fieret prohibuimus, & poſt factum contradiximus, & adhuc ſemper reclamamus. Quo dicto, aſtiterunt illico tres monachi illi dicentes, ſe de conſilio regis reſtitutionem illam ſimpliciter & ſine fraude ſuſcepiſſe. Sed poſtquam in *Angliam* venerant, per litteras archiepiſcopi rem aliter fuiſſe mutatam, ſeque ſtatim fraude nota ſcripto & dicto renunciaſſe & reclamaſſe dicebant. Juraverunt eciam in audientia omnium, quod in officiis quæ diu tenuerant nunquam aſſignata vel à cæteris diſtincta ſervaſſent maneria. His dictis, ſupprior quod inceperat proſecutus eſt dicens, Cum præcipuus eccleſiæ theſaurus conſtet in Sanctorum reliquiis, libris, cartis & privilegiis, & ſacris veſtibus; hæc vobis inſpicienda proferre non poſſumus nec debemus, ne cæteris eccleſiis teterrimum tribuamus exemplum. Si aurum vel argentum quæritis, in capſis Sanctorum quæ omnibus patent videre poteſtis. Sigillum vero eccleſiæ ſub quatuor clavibus eſt, nec unquam in alterius quam in Conventus cujus eſt fuit cuſtodia, nec noſtris erit temporibus. Veruntamen cum domino rege quem in proximo venturum eſſe dicitis, de his & aliis eccleſiæ negotiis plenius cum venerit loquemur. Unus autem ex militibus exclamavit & dixit, Si maneria veſtra ad libitum archiepiſcopi nolueritis recipere, nos hæc & alia omnia ex imperio regis capiemus. Ad hæc ſupprior: Vos, inquit, capietis? Prohibemus ex parte Dei omnipotentis & omnium Sanctorum qui in hac requieſcunt eccleſia, & ex parte domini papæ ad quem appellavimus & adhuc appellamus, ſed & ex parte domini regis, ne in poſſeſſiones eccleſiæ vel perſonas manus veſtras aliquatenus extendatis. Et converſus ad epiſcopum, Audivimus, inquit, ô epiſcope, quod ex præcepto domini archiepiſcopi tranſitus maris monachis ſolis præcluſus eſt, niſi archiepiſcopi vel veſtras deferant litteras. Hinc eſt quod vos ut ſpecialem eccleſiæ filium rogamus, ut litteras veſtras nuntiis noſtris craſtino vel perendie transfretaturis habere faciatis. Cui epiſcopus: Prohibeo vobis ex parte archiepiſcopi, & in virtute obedientiæ, ne ſepta eccleſiæ ullatenus exire præſumatis. Supprior ad hæc: Vultiſne prohibere ne cauſam eccleſiæ proſequamur vel appellationem? Cumque dimiſſo capite reticeret epiſcopus, ſubjunxit. Jam nunc ex parte domini papæ cui aſtamus vobis injungimus, ut litteras veſtras de transfretandi licentia nobis habere faciatis. Sciatis enim quod in craſtino vel perendie non in occulto ſed palam ad dominum papam nuntios mittemus. Videns igitur epiſcopus & qui cum eo venerant quod penitus eorum labor & impenſa periſſet, exierunt continuo, & omnia quæcunque monachi extra curiam habebant confractis ſeris & hoſtiis invaſerunt. Eadem eciam Dominica die monachorum occupaſſent curiam, niſi ipſi monachi novo ſibi aſſumpto officio, januas clauſiſſent. Clamabant autem adverſarii præ foribus, ut quicunque paſtum, vel potum, vel hoſpitium quæreret, ad curiam archiepiſcopi ſplendide reficiendus veniret. Craſtino vero ſc. ſecunda feria venit *Cantuariam Randulfus* præfectus *Angliæ*. Qui cum ſuppriore ſuper hac perturbatione diutius fuiſſet locutus, mera ipſius & vera audita ratione, pacatus abceſſit. Eadem die adveſperaſcente, apud *Dovoriam* applicuit archiepiſcopus. Qui cum feria tercia ad villam ſuam **Wingeham** quæ à *Cantuaria* per quinque diſtat miliaria veniſſet, feria quarta in octavis ſcilicet epiphaniæ miſſi ſunt ad eum à Conventu monachi duo, qui eum vice Conventus ſalutarent, & de tranſmarinis venienti debitam offerrent proceſſionem. Quos antequam ad ipſius præſentiam poſſent accedere, per internuntios denuntiavit excommunicatos, & equos in quibus ad honorem ipſius venerant eiſdem juſſit auferri. Ipſi autem intrepidi artificioſe tamen ad eum vix tandem accedentes, ſuper hoc & aliis illatis gravaminibus eum appellaverunt. Et digne. Ut qui eorum ignominioſe refutaverat humilitatem, conſtantem experiretur magnanimitatem. Quis enim hoc *Judæus* vel paganus faceret? Monachi & ſacerdotes opinionis bonæ ob honorem ipſius & reverentiam ad eum directi ſunt, non à qualicunque ſed à *Cantuarienſis* eccleſiæ conventu. Ipſe quoque mala pro bonis, pro mollibus aſpera, odium pro dilectione, pro caritate ut dicam canitatem retribuens, contumelioſe repulſos, equis ablatis ignominioſe *Cantuariam* redire coegit. Pedes igitur *Cantuariam* per vicos & plateas redeuntibus monachis, & jam conventu celebrem & ſolennem octavarum Epiphaniæ miſſam inchoante, *Willielmus* quidam *Filius Nigelli* nomine, qui quondam carnificum domini ſui beati ſcilicet *Thomæ* martyris particeps erat & conſcius, cum his qui à latere venerant archiepiſcopi acceſſit ad murum curiæ monachorum; Quo tandem ligonibus perforato, curiam hominibus vacuam intravit, ſeraſque ſibi reſiſtentes confringens & hoſtia, januam curiæ & omnes officinas occupaverat exteriores. Præconaverat autem idem miles & ejus complices edicto publico, ut ſi quis ſerviens monachorum in curia inveniretur, ferreis nexus vinculis truderetur in carcerem. Unde factum eſt ut

curiam

curjam defenſore vel cuſtode vacuam de facili occuparet. Quod cum conventui miſſam celebranti et natali Domini valedicenti nuntiatum fuiſſet, ſuſpenſis ilico ſignorum cordis pro jubilo ejulatum, pro lætitia luctum, pro plauſu planctum ſumpſerunt, et totius eccleſiæ pro tanta enormitate altaria nudaverunt. Altera vero die ſervientes curiæ convocati jurare compulſi ſunt, ut ſi quem monachum exire viderent, ſi poſſent caperent, ſi capere non poſſent, clamore levato fugientem notarent ut caperetur. Eos autem qui jurare nolebant, alios in curia, alios in cimiterio eciam clericos apprehendentes, dire tunſos & vinculis ligatos in ergaſtulum truſerunt. Alio eciam in loco murum tranſcenderunt, ſeras & hoſtia uſque ad ipſum clauſtrum confregerunt, monachorumque et hoſpitum nullo obſtante victualia abſportaverunt. In his non eſt averſus furor domini *B*. ſed adhuc manus ejus extenta. Miſſi ſunt enim à latere ipſius quaſi ipſo penitus ignorante epiſcopus *Roffenſis* & electus ille *Ceſtrenſis*, qui quaſi ex compaſſione et archiepiſcopo neſciente monachorum effringerent conſtantiam vel infirmiora viderent, ſi forte jam tot inſultibus et tot angariis effracti, nunc ſaltem ad votum cederent imperanti. Convocatis igitur ſuppriore *Ganfrido* & aliquibus eccleſiæ fratribus, in omnibus allegationibus ſuis actus archiepiſcopi laudantes excuſabant, & Conventus in plurimis accuſabant exceſſus. Dicebant enim eos enormem & inauditam archiepiſcopo in ſuſpenſione eccleſiæ feciſſe injuriam, regiſque non modicam ex hoc facto incurſuros eſſe indignationem. Quibus cum ſupprior & cæteri reſponderent, quod ipſi non ſuſpenderunt eccleſiam ſed enormitas operum, monuerunt minas inferendo, ut ad recuperandam tam regis quam archiepiſcopi gratiam, ſponte ſua more ſolito celebrarent divina. Reſpondentes monachi dixerunt, Eccleſiam tot & tantis ſacrilegiis crudeliter eſſe violatam, & ſacroſanctæ *Romana* eccleſiæ non modicam illatam fuiſſe injuriam. Ideoque nec velle nec debere fieri quod petebant, niſi de tot ſceleribus condigna ſatisfactio præmitteretur. Epiſcopi autem ex hac petitione penitus deſperati, imperativo modo dixerunt ſuppriori ut in eorum comitatu ad archiepiſcopum veniret ipſius auditurus voluntatem. Paruit ſupprior imperantibus, dicens ſe libenter iturum ſi totius conventus ſuper hoc haberet aſſenſum. Electus autem ille *Ceſtrenſis* in corde ſeptem habens nequitias, evocans ſeorſum ſuppriorem corruit ad pedes ejus, rogans & petens ut animi ſui rigorem flecteret, & ad gratiam archiepiſcopi conventus duritiam emolliret. Cum autem diceret ſupprior, quod hæc omnia referenda forent capitulo, receſſerunt epiſcopi. Sciens autem conventus quod in diſpendium cauſæ præfatum fuiſſet emiſſum mandatum, eciam licentiam petenti ſuppriori reſtitit in faciem. Erat enim celebre verbum in populo, quod archiepiſcopus non ſolum ſuppriorem, ſed & plures monachos ſenos & denos in quadrigis poſitos vellet emittere & diſpergere per *Angliam*. Poſuerant enim præfecti ſcelerum homines de villis archiepiſcopi denos & duodenos & vicenos cum gladiis, furcis & fuſtibus in curiam monachorum & in atrio eccleſiæ, qui omnes aditus & ſingulos nocte & die per vices ſuas diligentiſſima ſervarent obſervatione. Ipſi eciam janitores & cuſtodes murorum ſub ipſis januis & inter valvas nudatos vibraverunt gladios, ne quis civium vel peregrinus auderet accedere. Exterius quoque cuſtodes armati poſiti ſunt, qui ambitum curiæ ſimul & eccleſiæ ne irruerent cives vel erumperent monachi circuirent. Porro cunctis præceptum eſt, ut ſi alicubi inſtaret neceſſitas clamarent velociter vel cornicarent, ut concurrentibus cæteris acrior in monachos fieret conflictus. In his omnibus non eſt averſus furor ejus ſed adhuc manus ejus extenta. Sequenti enim dominica fecit ſuppriorem & omnes ei conſentientes per omnes parochias *Cantuaria* denuntiari excommunicatos. Licet noſſet ſuam penitus non tenere ſententiam tum propter totiens innovatam appellationem, tum propter *Urbani* papæ indulgentiam, qua pendente lite inter ipſum & monachos omnem ejus præſcidit ſententiam. Porta quoque cimiterii per quam ſolam his vj. diebus à Dominica in Dominicam patuit ingreſſus, tribus diebus & tribus noctibus clauſa eſt, ne videlicet monachorum, immo & martyrum in publicum exiret miſeria, vel ad ipſos aliqua intraret miſericordia, vel ut fame flexi in perpetuum eccleſiæ diſpendium omnem archiepiſcopi facerent voluntatem. Sed ex inproviſo viſitavit eos Deus oriens ex alto, qui non deſpicit ſperantes in ſe, & de ſua virtute gloriantes humiliat. Sibi etenim ſoli Deus hanc reſervavit gloriam, ne filii confeſſorum & martyrum genua ſua curvarent ante *Baal*. Dum enim archiepiſcopus ſpirans minarum tormentis inſiſteret, & conventus *Cantuarienſis* eccleſiæ omnia ſibi illata gravamina patienter etſi non libenter ſuſtineret, archiepiſcopus de obitu ſui papæ *Gregorii* certiſſimum audivit nuntium qui omnem ejus mutavit intellectum. Ex ipſius quidem confidentia, omnes quas prædiximus fecerat enormitates. Tercia ſequenti feria xiv. ſcilicet kal. Februarii receſſit à **Wingeham** & *Cantuariam* præteriens in parte aquilonali, per campos ad locum illum maledictum & prophanum pervenit, ibidemque ad populum ſermone excuſatorio edito *Londoniam* properavit. Quo ab *Hakintonia* recedente, miſſi ſunt ab eo ad Conventum Prior ſancti *Gregorii* & vicecomes *Cancie* cum militibus & clericis multis. Volebat enim archiepiſcopus ſermone blando, ſimplici rudique populo ſatisfacere & aures audientium blanditiis emollire. Hi igitur præfati nuntii per portam cimiterii vix tandem ingreſſi, obtulerunt Conventui ex parte archiepiſcopi omnes res & poſſeſſiones ſuas libere poſſidendas ſicut habuerunt tempore alicujus archiepiſcopi, præterquam *Ricardi*. Sic tamen ut ſacriſta, camerarius et celararius de portionibus ſibi apud *Alenzun* aſſignatis, poſt anni circulum archiepiſcopo reſponderent. Monuerunt eciam ut divina celebrarent, dicentes, eccleſiam nulla occaſione debere ſuſpendi abſque coniventia & auctoritate archiepiſcopi. Reſponderunt monachi dicentes, ſe velle libenti & jocundo animo res ſuas & poſſeſſiones ſet & totius ſtatum eccleſiæ in ea forma & libertate ſuſcipere qua fuit eccleſia die quo archiepiſcopus ab eis in patrem & paſtorem ſuſceptus eſt. Status quippe & libertas eccleſiæ per eum immutari vel deteriorari non debuit, qui per eum nullum hucuſque ſuſceperat incrementum. De celebratione vero divinorum id reſponſum eſt, quod non ipſi, ſed enormitas ſceleris canentium & jubilantium arterias præcluſerit & fauces. Abeuntibus itaque præfatis nuntiis, ea miſericordia miſeris obſeſſis indulta eſt, ut hoſtiolum portæ cimiterii ſolis peregrinis aperiretur, ne turmatim ſed ſingulatim ad beatos eccleſiæ Sanctos ingrederentur.

Poſt dies autem paucos porta cimiterii per vicecomitem *Cancia* aperta eſt, hominibus tamen archiepiſcopi hic & ubique cum gladiis, furcis & fuſtibus nocte & die per vices ſuas obſervantibus. Foris igitur pugnæ, intus timores. Omnes enim tam monachi quam eorum agniti vel cognati, proditores archiepiſcopi vocabantur. Verum ne aliquam intactam præterirent malitiam, & tam honeſtæ curiæ munditiam macularent, in officinas ejuſdem curiæ, aulas & cameras, publicas & privatas, ut cætera taceantur, duxerunt mulierculas. His igitur & aliis innumeris anguſtiis cotidie preſſi miſerabiles monachi, clamabant ad Dominum fortiter, ut eos eriperet de inimicis. Sed erat in ipſis formidoloſior trepidatio. Cum enim *Pauli* apoſtoli omnia ſuſtinuiſſent fere pericula, periculum tamen in mari & periculum in falſis fratribus plus cæteris formidabant. Periculum inquam in mari, ne fratres eorum & nuntii quos novo & inuſitato modo forma ſcilicet *Pauli* eadem die qua curia confracta eſt ad dominum papam direxerant, in ciſmarinis vel tranſmarinis partibus ab archiepiſcopo poſitas incurrerent inſidias, vel ipſius maris et aeris inquietudine morarentur. Periculum vero in falſis fratribus metuebant, ſcientes, quod nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum quam familiaris inimicus. Erat enim adhuc in eorum ſacro collegio perfidus ille Traſo *Rogerius Noreis*, cujus actio & arrogantia ex opere illo apud **Alenzun** facto, tot in eos & tanta intulerat tormenta. Sed ab his periculis Deus in brevi ſuam liberavit eccleſiam. Fratribus enim et nuntiis mari tranſito in tuto poſitis, et hominibus archiepiſcopi quos in inſidiis poſuerat ut monachos caperent, à tranſmarinis fidelibus apprehenſis et fere trucidatis, præfatus ille prophanus *Rogerius* nocturnum et ſuæ malitiæ congruum iter arripiens per cloacam elapſus aufugit, & in craſtino ad dominum ſuum archiepiſcopum apud **Otteford** pervenit, eique cuncta capituli ſecreta revelavit. Quid igitur facerent *Cantuarienſes* monachi tot tunſionibus & preſſuris expoſiti, vel quid dicerent? Difficillimum eſt, immo & impoſſibile verbo ſaltem vel ſcripto dicere quot anguſtiis & tribulationibus preſſa ſit his diebus domni *Baldewini Ciſtercienſis* ordinis monachi *Cantuarienſis* eccleſia. Deum tamen in omnibus laudantes plangebant & plaudebant, lotique lacrimis lætificati ſunt quod pro libertate eccleſiæ tantam & tam horridam meruiſſent ſuſtinere perſecutionem. Non enim meliores fuerunt quam patres ſui & paſtores qui varias temptationes, exilium quoque & martyrium patienter pro Chriſto & eccleſia *Cantuarienſi* ſuſtinuerunt. Monachi autem die & nocte hoſtibus & armis undique ſepti cum interpolato eſſent ſub jugulo, animas ſuas & corpora ad majores & maximas præparabant temptationes. Animas enim per confeſſionem & ſatisfactionem purgantes à viciis, corpus à corporeis expediebant impedimentis. Tanta enim erat in illis jugis conſtantia, tanta unitas, ut pro pace eccleſiæ non formidarent exilium, vincula, nec carceres, ſed nec in cervices perſecutoris vibratum gladium. Videntes autem cives ſuburbani ſed & conprovinciales & longe poſiti quod ablatis victualibus omnia præter eccleſiam & clauſtrum monachis martyribus ablata fuiſſent, & portam cimiterii per miniſtros regis apertam viderent, cum omni feſtinatione & affluentia panem & potum tulerunt in eccleſiam, ut tanti conventus refocillarent inediam. Cuſtodes vero murorum & janitores tantæ civium invidentes liberalitati & monachorum refectioni, panem portantibus abſtulerunt, & potum, ne videlicet monachi in ſuo perſiſterent propoſito, ſed ſaltem fame vel inedia flecterentur. Quod tamen ne [illegible]efet de cætero, per vicecomitem *Cantia* prohibitum eſt. Tanta deinceps in populo erat devotio, tanta largitas, ut quiſquis alterum dono feſtinaret præcellere & tempore prævenire. Pudor enim & obprobrium videbatur in populo ſi in tanta neceſſitate *Cantuarienſi* non ſubvenirent eccleſiæ. Tanta igitur affluentia, tanta devotione cibaria conventui collata ſunt, cum de omnibus ſuis tam amplis poſſeſſionibus nec unius panis haberent precium, ut de ſuperfluitate per ebdomadas ferme octoginta quatuor, homines fere ducenti cotidie paſcerentur. Nec eorum devotioni ſufficere potuit panem conferre natalicium, niſi eciam conventui panem conficerent piperatum. Legumina quoque & piſces, & infirmis volatilia, ſed & ligna mittebant ad coquinam. Sed nec *Judæis* hæc defuit miſeratio. Nam & ipſi in paſtum conventus panem miſerunt & potum, & pro conſtantia conventus in ſinagogis orabant. Archiepiſcopus non ceſſavit auferre, & *Judæus* non diſtulit conferre. Archiepiſcopus excommunicavit, & *Judæus* oravit. Mira rerum commutatio. Ex hujuſmodi igitur elemoſinis cotidie monachi adeo ſplendide refecti ſunt acſi omnes retro habitas divitias haberent; Ne videlicet tot & tanti viri ob penuriam victualium à via veritatis & juſtitiæ flecterentur.

Interea rex *Franciæ* & rex *Angliæ* ad colloquium inter *Giſortium* & *Triam* circa feſtum ſancti *Vincentii* venientes, de utriuſque regni negotiis & de neceſſitate orientalis eccleſiæ longos traxere ſermones. Cum autem de ſumenda cruce hinc inde prodirent eloquia, ſignum eis apparuit in cœlo, crux ſcilicet quinque ſtellarum, cum ſereno cœlo ſol in ſua luceret virtute. Rex itaque *Franciæ* licet junior tamen devotior, primo crucem accepit, poſtea rex *Angliæ*, deinde *Remenſis* & *Rothomagenſis* archiepiſcopi, Comes *Flandriæ*, aliique Comites *Franciæ* & *Normanniæ*, & milites multi. Reges igitur diſceſſerunt ab invicem: Et rex *Angliæ* applicuit in *Anglia* apud **Wincheleſe** tertio kal. Februarii. Cum autem proponeret animo *Cantuariam* peregre proficiſci, & eccleſiam *Cantuarienſem* à divinis audiret ſuſpenſam, turbatus animo alias divertit & ad *Northamtoniam* quo archiepiſcopus cum perſonis *Angliæ* colloquium erat habiturus properavit. Audita igitur de adventu ejus fama, occurrerunt ei præſules & principes regni, & hii præcipue qui interfuerunt conſecrationi *Hugonis Ceſtrenſis* epiſcopi, quem conſecraverat archiepiſcopus apud **Lamhes** iij. kal. Febr. Miſit autem rex ſpectabiles nuntios *Cantuariam* ad conventum, clericos ſcilicet, barones & milites, qui pridie nonas Februarii conventum in capitulo in hunc modum allocuti ſunt. Poſtquam applicuit dominus rex propoſuit animo ut ad hanc eccleſiam quæ omnium eccleſiarum regni ſui mater eſt peregre proficiſceretur. Sed audito hujus ſuſpenſionis eventu, miratur inde & turbatur, quod cum tota terra in ipſius adventu gaudeat, eccleſia hæc quæ cæteris major & dignior eſt, ad ipſius lugeat adventum. Ob hanc itaque cauſam nos dominus rex miſit ad vos & monet & vult & conſulit ut in eccleſia cantetis. Mandat eciam ut mittatis ei ſuppriorem veſtrum cum monachis illis qui fuerunt apud

Wingeham, & alios ſex vel octo quos volueritis cum aſſenſu capituli. Quibus ſupprior ille venerandus unus pro omnibus reſpondit dicens. Sciatis kariſſimi quod nos eccleſiam iſtam ob adventum regis non ſuſpendimus, ſed inauditæ crudelitates quæ nobis in adventu regis vel paulo ante illatæ ſunt, ſicut domino regi plane dicemus cum ad eum prout debemus habere poterimus acceſſum. Nunc autem quia omnia nobis ablata ſunt, nec habemus quid manducemus, nec aliqua equitaturis neceſſaria, inpræſentiarum ad regis præſentiam venire non poſſumus, præſertim cum dominus archiepiſcopus nobis omnem egrediendi præcluſerit licentiam, & per totam provinciam ſuam nos inmeritos denuntiaverit excommunicatos, licet ipſius penitus in nos non teneat ſententia, tum propter noſtram ſæpius innovatam appellationem, tum propter domini papæ indulgentiam, quæ lite pendente inter ipſum & nos omnem ejus præcidit ſententiam. Ad hæc, cuſtodes armati cimiterii noſtri januas obſervant; ſervientes eciam noſtri jurare compulſi ſunt, ut ſi quem noſtrum egredi viderint comprehendant. Verum ſi dominus rex liberum et ſolitum nobis fecerit habere egreſſum, et denuntiatum fuerit in populo quod archiepiſcopi non teneat ſententia, nos ad eum libenti animo veniemus, eique ut domino noſtras exponemus miſerias. Nuntii dixerunt. Nos cum domini regis barones ſimus et milites, vos ad eum in omni ſecuritate ducemus, equos et famulos et omnia neceſſaria vobis honorifice inveniemus, et reducemus incolumes. Indecens eſt, inquit ſupprior, et inpoſſibile, ut in cappis manicatis et ſellis aureis cum ſimus monachi veniamus. Videntes itaque nuntii quod de non veniendo rationabilem prætenderent excuſationem, dixerunt ſuppriori. Cum de vocatione regis ſatis modeſte reſponderitis, videtur nobis quod de noſtra prima propoſitione, de ſuſpenſione ſcilicet eccleſiæ unde rex adeo turbatus eſt, nobis inſufficiens dederitis reſponſum. Quibus ſupprior ait. Si cauſam ſuſpenſionis quæritis, gravamina ſunt quæ nobis intulit dominus noſter archiepiſcopus. Poſtquam enim omnia nobis abſtulit, murum quoque curiæ noſtræ perforavit, curiam invaſit, portas & hoſtia omnium officinarum curiæ & ſeras uſque ad hoſtium clauſtri confregit, & noſtra aſportavit victualia. Servientes noſtros eciam contra nos jurare compulit, & eos qui non juraverant, alios in curia, alios in cimiterio eciam clericos verberatos & ſpoliatos cepit, & vinculis ligatos in carcerem projecit. Vallati ſumus & obſeſſi gente armata, porta cimiterii per tridium clauſa eſt ne cui noſtrum pateret egreſſus. Monachi quos ad eum ob honorem ipſius miſeramus excommunicavit, deinde ablatis equis à **Wingeham** pedes indecenter redire compulit *Cantuariam.* Præterea ſuppriorem & omnes ei conſentientes per omnes *Cantiæ* parochias nec convictos nec confeſſos ſed nec commonitos, quod penes nos hactenus inuſitatum eſt, excommunicari præcepit. Hæc omnia ſed & plura non quidem agente, ſed præcipiente archiepiſcopo, poſt appellationen totiens innovatam, poſt domini papæ inhibitionem, poſt datam indulgentiam nobis illata ſunt gravamina. Hæc igitur ſunt noſtri luctus materia & cauſa ſilentii: Non enim poſſumus, ſed nec debemus in eccleſia cantare, & panem noſtrum, ut de ferculis taceatur, mendicare. Obmutuerunt ad hæc nuntii & obſtupuerunt, tandemque à conventu accepta licentia recedentes, quæ audierant & viderant domino regi nuntiaverunt.

Tercio idus Februarii convenerunt apud **Gaitintune** quæ à *Northamtonia* octo vel decem diſtat miliariis una cum rege præſules, & principes regni de defenſione ſacroſanctæ terræ *Jeroſolimæ* tractaturi. Unde variis & multis hinc inde prolatis ſermonibus, hæc tandem de cruce ſumpta, vel ſumenda, capitula ſubſcripta promulgata ſunt.

I. Quicunque clericus vel laicus crucem acceperit, ab omnibus peccatis ſuis, de quibus pœnituerit & confeſſus fuerit, auctoritate Dei, & beatorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* & ſummi pontificis liberatus eſt & abſolutus.

II. Diſpoſitum eſt à regibus, archiepiſcopis, epiſcopis & aliis principibus, quod omnes illi tam clerici quam laici qui hoc iter non arripient, decimas reddituum ſuorum unius anni & omnium catallorum ſuorum tam in auro quam in argento & in omnibus aliis dabunt, exceptis libris & veſtibus & veſtimentis clericorum, & capella & lapidibus preciofis tam clericorum quam laicorum, & exceptis equis & armis & veſtibus militum ad proprium corporis uſum pertinentibus.

III. Notandum eciam, quod omnes clerici & milites & ſervientes, qui hoc iter arripient, decimas terrarum ſuarum & decimas hominum ſuorum habebunt, & pro ſe nichil dabunt.

IV. Burgenſes qui ſine licentia crucem acceperint, nichilominus decimas dabunt.

V. Statutum eſt quod nullus enormiter juret, et quod nullus ludat ad aleas vel ad decios, et quod nullus poſt proximum paſcha utatur vario vel griſio vel ſabelo vel ſcarlato, et quod omnes contenti ſint duobus ferculis ex empto. Et quod nullus ducat ſecum aliquam mulierem in peregrinatione, niſi forte aliquam lotricem peditem de qua nulla habeatur ſuſpicio. Et quod nullus habeat pannos deciſos vel laceatos.

VI. Statutum eſt quod quicunque ſive clericus ſive laicus redditus ſuos ante ſuſceptionem crucis invadiaverat, exitus hujus anni inde integre habeat, et tranſacto anno, creditor redditus rehabeat, ita quod fructus quos inde perceperit, in ſolutione debiti computentur, et debitum poſt ſuſceptionem crucis quamdiu debitor erit in peregrinatione non uſuret.

VII. Statutum eſt quod omnes tam clerici quam laici qui in hac peregrinatione proficiſcentur, poſſint licite invadiare omnes redditus ſuos ſive eccleſiaſticos ſive alios, à paſcha in quo iter arripuerint uſque ad tres annos, ita quod creditores quicquid de debitoribus contingat, fructus omnes reddituum quos in vadio habebunt, à prædicto paſcha uſque ad tres annos integre percipiant.

VIII. Statutum eſt eciam quod quicunque in peregrinatione deceſſerit pecuniam ſuam quam ſecum in peregrinatione attulerit, ad ſuſtentationem ſervientium ſuorum, et ad auxilium terræ *Jeroſolimitanæ*, et ad ſuſtentationem pauperum dividet, juxta conſilium diſcretorum virorum qui ad hoc ſtatuentur.

Exurgens autem in medio jam aſſumpta cruce *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus, editoque ad populum ſermone exortatorio, excommunicavit omnes qui infra ſeptem annos guerram inciperent vel inceptam

ptam foverent. Deinde vero converſione facta ad monachos *Cantuariæ*, querimoniam inſtituit de Priore, quod cum eundem de exili feciſſet eximium, contra eum ſuum levaverit calcaneum. Denuntiavit eciam quod ſuppriorem excommunicaverat, præcipiens epiſcopis & cæteris, ut eum haberent excommunicatum. Suſcitavit autem Deus ſpiritum *Reg. Bathonienſis* epiſcopi, qui ſtans in ordine ſuo, dicebat monachos *Cantuarienſes* apoſtolica auctoritate fuiſſe munitos, ut pendente lite nullam in eos poſſet archiepiſcopus promulgare ſententiam. Incanduit ad hæc archiepiſcopus. Sed compreſſo ſpiritu, diſtulit ad tempus, totius malitiæ ſuæ Regem habere cupiens advocatum. Sumpſit autem crucem *Johannes* epiſcopus *Norwicenſis* & epiſcopus *Lincolnienſis* & populus multus. Tandemque finitis ſermonibus de defenſione orientalis eccleſiæ, de impugnatione *Cantuarienſis* eccleſiæ ſermo conſertus eſt. Cum enim querimoniam deponeret Rex de ſuſpenſione matris ſuæ *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ totius *Anglicani* regni prima eſt & præcipua, reſpondit archiepiſcopus præfatam eccleſiam abſque ſua auctoritate ſimul & conſcientia fuiſſe ſuſpenſam, ſeque ab ipſa penitus excluſum. Aſſerebat enim eccleſiæ januas contra eum clauſas fuiſſe & obſeratas, ne ſibi vel ſuis de trans mare venientibus pateret ingreſſus, unde & domini Regis auctoritate juſticiam ſibi de monachis fieri poſtulavit, volens ut ſupprior manu regia ut excommunicatus caperetur. Dixit autem rex non eſſe conſilioſum ut alicui monachorum manus imponeret, ne forte in eccleſia ſanguis funderetur, & eſſent poſteriora pejora prioribus, ſiquidem conſtaret monachos, ut dixerat *Bathonienſis*, auctoritate apoſtolica fuiſſe munitos. Cum autem optaret archiepiſcopus ut porta cimiterii clauderetur, qua ſola monachis martyribus victualia ferebantur, ſubſannans ait *Bathonienſis*. O quam glorioſam obtinebitis *Damaſcum* ſi ſic miſeros monachos *Cantuarienſis* eccleſiæ volueritis obſidere! Cum igitur quæſiſſet Rex à conſidentibus epiſcopis, quid ſuper his eſſet agendum, hoc tandem ab eis accepit conſilium, ut ad eccleſiam *Cantuarienſem* aliquos idoneos mitteret nuntios, qui ab ipſo conventu tantæ cauſam inquirerent perturbationis. Videns autem archiepiſcopus quod ex adventu nuntiorum *Cantuariam*, ex eorum teſtimonio jam in palatio ſua eſſet manifeſtanda confuſio, quo magis ſuam velaret malitiam, vel monachorum innodaret juſticiam, ſic ait. De tota controverſia, domine mi Rex, quæ inter me & monachos *Cantuariæ* vertitur, veſtro & epiſcoporum totius *Angliæ* & cleri paratus ſum ſiſti judicio. Si penes me vel in modico culpa reperta fuerit, eis ſatiſfaciam ut ſubditis, ipſi vero ſi reperti fuerint noxii, dignam michi ut prælato ſuo & abbati faciant ſatiſfactionem. Placuit omnibus oratio archiepiſcopi, & confeſtim diſpoſitis nuntiis miſſi ſunt à Rege *Cantuariam* cum litteris hujuſmodi.

Henricus *Rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ, *& Comes* Andegaviæ, *toti conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem. Mittimus ad vos dilectos & familiares & fideles noſtros*, S. Ciceſtrenſem, W. Herefordenſem, *&* W. Wigornienſem *Epiſcopos*, *&* W. *abbatem de* **Waltham**, *& magiſtrum* Oſbernum *clericum noſtrum de camera noſtra, per quos ſignificamus vobis quædam quæ ſicut intelligimus, & credimus, commodum & honorem eccleſiæ veſtræ & veſtrum contingunt. Diligenter ergo intendatis his quæ ex parte noſtra vobis dixerint, & occaſione remota ea faciatis, certam fidem eis adhibendo ſuper his quæ ex parte noſtra vobis proponent. Teſte* J. *epiſcopo* Norwicenſi *apud* **Gaitinton**.

His igitur præfatis nuntiis in capitulo *Cantuarienſi* una cum conventu reſidentibus, & in omnium præſentia perlectis litteris, *Willielmus Herefordenſis* epiſcopus ſic exorſus eſt.

» Poſtquam, inquit, dominus Rex per voluntatem
» Dei & gratiam ut audiſtis fratres kariſſimi
» applicuit in *Anglia*, aſſumptam peregrinationem
» ſuam ab hac ſancta eccleſia quæ regni ſui
» caput eſt, & à ſanctis hujus eccleſiæ videlicet
» beato *Thoma* & cæteris voluit inchoare. Sed audito
» ſuſpenſionis hujus eventu, turbatus animo &
» contriſtatus, ſancti *Eadmundi* poſtulaturus ſuffragia
» divertit alias, ne matris ſuæ hujus ſcilicet
» eccleſiæ tantam videret miſeriam. Obiter autem
» miſit ad vos viros nobiles, clericos ſcil. Barones &
» milites, qui vos inducerent ut ad eum ſuppriorem
» veſtrum alioſque fratres mitteretis, qui ei veſtra
» exponerent gravamina, & quæ eſſet hujus inopinatæ
» ſuſpenſionis materia. Hujuſmodi ut reor
» accepiſtis mandatum, ſed noluiſtis venire. Rex
» igitur in ſua quiete poſitus, convocatis epiſcopis
» ſuis quæſivit ab archiepiſcopo, an ipſius auctoritate
» ſuſpenſa fuiſſet *Cantuarienſis* eccleſia. Non,
» ait archiepiſcopus, domine mi auctoritate mea vel
» conſcientia ſuſpenſa eſt, ſed *Gaufridi* ſupprioris arrogantia,
» nec ob aliam cauſam hanc eſſe ſuſpenſam
» intelligo niſi quod ipſum ſuppriorem ob manifeſtam
» inobedientiam excommunicavi. De tanta
» igitur contumelia mihi & vobis illata veſtram expoſtulo
» juſtitiam, quia de tota cauſa quæ inter me
» & monachos vertitur, veſtram & epiſcoporum
» paratus ſum ſubire juriſdictionem. Cum igitur
» dominus Rex ſuper his conſuluiſſet epiſcopos, videbatur
» omnibus conſilioſum ut ad vos idoneos
» mitteret nuntios. His de cauſis fratres kariſſimi
» ex imperio Regis cum litteris ipſius quas audiſtis
» venimus ad vos. Monemus igitur & conſulimus
» in domino ut filii eccleſiæ & qui tenemur eidem
» ex profeſſione, ut ſuppriorem veſtrum vel alios
» fratres nobiſcum mittatis ad dominum Regem
» principem benignum & devotum & de veſtra inquietudine
» valde turbatum. Mirumne eſt ſi adverſariorum
» veſtrorum credat mendaciis, cum eorum
» dicta, vera ſint vel falſa, non vultis refellere,
» nec veſtram propalare veritatem? Accedite igitur
» ad dominum veſtrum regem, eique veſtra de
» plano exponite gravamina, veſtramque proculdubio
» reportabitis juſticiam.

Cumque ſermonem compleſſet epiſcopus, ſubjunxerunt & alii, omnes idem dantes conſilium, ut ad Regem nuntios monachos delegarent. Quibus ſupprior ait. Auditis his quæ nobis ex parte domini Regis propoſuiſtis, In primis ipſius Regis & archiepiſcopi omnem injuriam abnegamus & contumeliam. De aliis vero ſi placet conferemus adinvicem quid agere debeamus. Recedentibus itaque ſeorſum pauliſper epiſcopis, & ſuper his quæ dixerant variis hinc inde conſertis ſermonibus, placuit tandem omnibus

bus ut eis incontinenti breve quidem & purum ſed omnia complectens daretur reſponſum. Quibus in capitulum revocatis ſupprior ait. De adventu domini Regis in *Angliam* pro poſſe noſtro plurimum lætificati, ſperabamus quod ipſo adveniente ſalus eccleſiæ jam eſſet in januis. Audito autem quod diverteret alias, triſticia cordis noſtri congeminata invaluit. In proximo quidem ut aſſeritis poſt ipſius adventum, venerunt ad nos forſitan ab eo miſſi ſpectabiles nuntii, monentes ut more ſolito divina celebraremus in eccleſia, & ad Regem monachos mitteremus, & illos præcipue quos archiepiſcopus per totam provinciam ſuam denunciaverat excommunicatos. Equos, famulos & expenſas ituris promittebant, & in eundo & redeundo regiam ſecuritatem. Quibus de hujuſmodi profectione ſatis ſuperque reſpondimus, dicentes, indecens eſſe & indecorum & hactenus *Cantuarienſi* eccleſiæ fuiſſe inſolitum, ut monachi noſtri in ſellis aureis & cappis manicatis ad regis præſentiam ducerentur. His de cauſis ſubſtiterunt monachi vocati uſque in præſens, non equidem ob regis contemptum, ſed ne per vicos & plateas vulgi ſtrepitu excommunicatorum notarentur elogio, nec hanc eccleſiæ *Cantuarienſi* vel domino regi irrogarent infamiam. Præfati etenim nuntii licet nobiles eſſent & famoſi, regium tamen caracterem præ manibus non habebant. De ſuſpenſione autem quod præfatis nuntiis diximus, hoc iterum & vobis dicimus, quod nos eccleſiam non ſuſpendimus, ſed ea quæ per dominum archiepiſcopum nobis ſunt illata gravamina. A primo etenim ingreſſu ſuo ad nos uſque in præſens vix paucos dies nobis permiſit habere quietos. Primo namque congreſſu villarum noſtrarum xenia nobis ſubripuit, deinde eccleſias noſtras uſibus pauperum deputatas occupavit, quas eciam nobis reclamantibus & ſedem apoſtolicam appellantibus ſuis clericis contulit. Poſt modicum vero opus illud quod ex ore apoſtolico maledictum & prophanum eſt, poſt appellationem noſtram in confuſionem monaſticæ profeſſionis & detrimentum eccleſiæ, in contemptum quoque ſedis apoſtolicæ fundavit, & de bonis noſtris ditatos inſtituit canonicos, Priorem noſtrum eo quod appellaverat ſuſpendit à prioratu, monachos plures à menſa Dominica, ex quibus unum appellantium expulit eciam ab eccleſia. Poſt modicum monachos villarum noſtrarum cuſtodes amovit, & eoſdem poſt breviſſimum intervallum excommunicavit. Poſt hæc omnia tranſiens in *Normanniam*, redditibus noſtris & penſionibus eccleſiarum & xiiij. maneriis ſpoliavit. Cum autem nuper rediret in *Angliam*, non illa vel illa nobis abſtulit, ſed omnia, ut nec paſſum pedis nobis extra januam relinqueret. Hac de cauſa porta curiæ noſtræ, nec mirum, clauſa eſt, non contra eum quia non affuit, ſed contra hujuſmodi nepharios invaſores. Adjecit & ipſe jam apud **Wingeham** conſtitutus, ut murus curiæ noſtræ manu violenta perforaretur, alias vero tranſcenderetur, curia occuparetur, portæ & officinarum hoſtia confringerentur, & omnia noſtra victualia aſportarentur, ſed & hoſpitum & infirmorum. Servientes noſtri compulſi ſunt præſtare juramentum contra nos, ut ſi quem ex nobis exire viderent apprehenderent, ſi vero capere non poſſent, clamore levato abeuntem notarent. Illi vero qui jurare nolebant, alii in curia, alii in cimiterio eciam clerici capti & verberati ſunt, & tandem in ergaſtulum truſi. Omnes vero qui quovis titulo vel familiaritate monachos contingebant, Regis & archiepiſcopi proditores ſunt appellati. Vallati ſumus nocte & die multitudine armatorum, non tribus quidem vel quatuor, ſed quingentis & eo amplius cum gladiis, furcis & fuſtibus, ut omni hora diebus & noctibus jam jamque putaremus nos in clauſtro vel eccleſia capiendos vel capite puniendos. Hinc itaque noſtris aſportatis vel occupatis cibariis, illinc porta cimiterii per triduum clauſa & obſerata eſt, ut nulli pateret ingreſſus, vel ad nos quiſpiam valeret accedere, ne videlicet noſtra in publicum exiret miſeria, vel ad nos aliqua intraret miſericordia. Verum ne præteream quod archiepiſcopus in ſua perſona geſſit propria, fratres noſtros quos audito ipſius adventu ad eum deſtinavimus, ut eum nomine conventus ſalutarent & debitam offerrent proceſſionem, antequam ad eum poſſent accedere, per internuntios denuntiavit excommunicatos, tandemque ablatis equis pedes ad nos redire permiſit. Mandavit deinde ut ego ad eum quam citius venirem. Sed cum paratus eſſem, reſtitit mihi conventus, ne percuſſo paſtore grex diſpergeretur, vel ne juvenes noſtri non ex crebro, immo interpolato verbere irritati, in perſecutores ſuos acrius inſurgerent, ordinis & religionis oblita penitus reverentia, quippe cum ſolummodo clauſtrum & eccleſia ipſis relicta ſint, & ſemper immineat captio vel membrorum truncatio. Ipſe autem archiepiſcopus contra juris formam & ordinis, per totam provinciam me ſuppriorem & mihi conſentientes, totum ſcilicet conventum in parochialibus eccleſiis fecit excommunicare. In omnibus his nil profuit nobis totiens innovata appellatio, nec domini Papæ inhibitio, ſed nec datum privilegium, quod ſcilicet non valeat pendente lite in nos vel homines noſtros aliquam inferre ſententiam. Hæc ſunt patris noſtri nobis illata gravamina, hæc noſtram à divinis ſuſpenderunt eccleſiam. Non enim poſſumus famelici in eccleſia pſallere, & panem noſtrum cotidianum, ut de ferculis taceatur, mendicare. Crudele quiddam & incredibile dicam adhuc, ſed ſincera fultum veritate. Cum enim poſt receſſum archiepiſcopi porta cimiterii per officiales Regis poſt triduum fuiſſet aperta, ipſum panem & potum quem amici noſtri nobis incarceratis portabant, cuſtodes murorum noſtrorum & janitores portantibus auferebant. Inſatiabili eorum inſaniæ ſufficere non potuit ut noſtra raperent, niſi & collata beneficia ſuffocarent. Nunc igitur quia muſica in luctu importuna narratio, cæteris omiſſis iſta ſufficiant. Obſtupuerunt ad hæc præfati nuntii, & cum *G.* ſupprior paululum reſpiraſſet, dixerunt. Cum tantam habeatis querelæ materiam, de vocatione Regis quid dubitatis vel quid dicitis? Quibus ſupprior ait. Cum vos ſitis fratres noſtri & filii eccleſiæ & domini Regis nuntii, & ipſius ſuper hoc negotio litteras habeamus, domini Regis benivolentiæ grates referimus veſtræque devotioni. Ad dominum noſtrum regem gratanter aliquos mittemus ex fratribus qui ei noſtram exponant miſeriam, & ab eo nobis aliquam reportent miſericordiam, ſi tamen in eundo & redeundo in verbo vero ſpoponderitis regiam ſecuritatem. Inhibuit enim nobis archiepiſcopus ne aliquatenus egrediamur, & ſervientes noſtri & homines archiepiſcopi qui hucuſque januas noſtras cuſtodiunt jurare compulſi ſunt, ut quem exire viderint comprehendant. Hæc audientes epiſcopi, habito ſeorſum conſilio denuoque redeuntes, ex parte regis & archiepiſcopi dirigendis fratribus in fide ſua cum ſuis patentibus litteris in eundo & redeundo omnem promiſerunt ſecuritatem. Nos igitur, ait ſupprior, in hac fide ſecuri veniemus. Sed non exiſtimet quis veſtrum quod nos timore inerti vel formidine pœnæ ſecuritatis hujus nobis impendi quæramus gratiam, ſed ne nimis idiotæ vel ſimplices vel domino archiepiſcopo videamur inobedientes. Parati enim ſumus pro libertate eccleſiæ in carcerem & in mortem ire, membrorumque & capitis ſi Deus dederit ſuſtinere truncationem. Abbas autem de **Waltham** obſtupeſcens ad hæc; En, inquit, religioſorum virorum voces audio. *Oſbernus* regis clericus porrexit in inſtanti litteras domini Regis clerico vicecomitis *Cantiæ*, ut idem vicecomes de fiſco regio equos & expenſas honorifice monachis inveniret. Hæc audiens ſupprior ait. Inauditum & inuſitatum eſt uſque adhuc, ut monachi eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* ad expenſas Regis deducantur ad curiam. Nos autem licet mendici ſimus & miſeri, amicos tamen habemus & proximos, quorum procuratione ad dominum Regem tres vel quatuor monachos mittemus. Non equidem ut ibidem litigent vel compoſitionem faciant, ſed ut domini Regis audiant voluntatem. Diſceſſerunt igitur his dictis præfati nuntii, gaudentes in domino quod in tanta congregatione tantam unitatem, talemque repperiſſent conſtantiam. Verum ne ipſi vel *Cantuarienſes* monachi circumvenirentur in aliquo, ſuper his conſuluerunt archiepiſcopum jam apud **Cerringes** poſitum per *W. Wigornienſem* epiſcopum, an ſcilicet monachi libere & ſine omni ſuſpicione regiam poſſent adire præſentiam. Datis itaque de ſecuritate eundi & redeundi patentibus epiſcoporum litteris, monachi quatuor ad regem vj. kal. Marcii profecti ſunt. Qui licet viri prudentes eſſent & ſtrenui, à Rege tamen & quibuſdam aulicis apud *Clarendonam* cum indignatione ſuſcepti ſunt & contumeliis affecti. Rex autem quaſi parvipendens dulces & deprecatorias conventus litteras utcunque audivit, gravaminibus lectis vix aurem patienter præbuit, cartis ſuis & antiquorum regum munimentis contradicere non erubuit vel dejerare. Cum autem monachi undique contumeliis afficerentur & probris, ea die recedentes à curia ſibi tam ingrata, ex præcepto Regis *Wintoniam* miſſi ſunt ut ibidem Regis in *Gualiam* properantis reditum expectarent. Sed eiſdem jam apud *Wintoniam* poſitis, Rex à ſuo reſiliens propoſito mandavit eis, ut apud *Cirenceſtram* tam ipſius quam archiepiſcopi præſtolarentur adventum, mandans abbati ut eoſdem monachos ſuſciperet cum honore. Qui cum poſt dies aliquot archiepiſcopo venienti occurrerent, eumque pacifice ſalutarent, ipſe archiepiſcopus ſalutantibus nec verbum reſpondit niſi quod eſſent excommunicati. A clericis autem ipſius probris & contumeliis & minis affecti ſunt, tandemque cum ſubſannatione & deriſu receſſerunt, pluraque ex his quæ audierant regi retulerunt. Quibus cum diceret Rex quod omnes illi quaſi ex ore archiepiſcopi loquerentur, adjecit. Archiepiſcopus ſuper veſtro negotio mecum locutus eſt dicens, quod de tota cauſa quæ inter vos & ipſum vertitur, epiſcoporum vel abbatum quoſcunque volueritis eligere noſtroque communicato ſe committere velit arbitrio. Vos igitur moneo ut paci intendatis, pacem quæratis, quia nec volo nec valeo diutius hanc ſuſtinere perturbationem. Cui monachi. Si epiſcopi vel abbates tantum amarent nos quantum ipſius & veſtrum formidant principatum, parati eſſemus veſtro & ipſorum ſiſti judicio. Sed ſubditi ipſius ſunt, nec contra eum juſtam vel injuſtam pronuntiabunt ſententiam. Quibus Rex ait, Putatiſne quod epiſcopi vel abbates quos vos elegeritis aliquod injuſtum proferant judicium? Nequaquam. Sed jam nunc Priorem veſtrum & fratres revocate, ut communicato conſilio citius cum gaudio veſtra recipiatis. Cui monachi temptantes dixerunt, Si conventus noſter forte conſenſerit ut Prior & fratres à curia revocentur, quis interim conventum in victualibus neceſſariis ſuſtinebit? Videns itaque Rex ſe deprehenſum, demiſſo pauliſper capite dixit, Res ardua & difficilis eſt. Sed jam nunc domum redite, & ex his quæ audiſtis conferte adinvicem. Dum ergo redirent monachi, ad ſuggeſtionem archiepiſcopi miſit Rex clanculo literas ſuas ad conventum *Cantuarienſis* eccleſiæ, mandans & imperans ut alios tres monachos ad eum mitterent, quos eſſe noverat ætate ſenes, natura ſimplices, ut ex eorum verbis ſimplicibus & inconſideratis juniores involveret, & quaſi ex auctoritate ſeniorum eccleſiæ materiam ſumeret malignandi. Suſpectos enim habebat archiepiſcopus juniores licet maturos quos noverat perſpicaciores, unde & ſenum inſipidum ſitiebat eloquium. Sed tres illi quorum archiepiſcopus deſiderabat adventum, adverſa valitudine præventi ſunt. Nam unus ex illis ruptura læſus lecto decubuit, alter vero emoroidarum fluxu & iliaca paſſione detentus eſt, tercius autem dextra ſui corporis parte præmortua, fere inutilis effectus eſt. Qui licet grandævi eſſent & diutina religione probati, his tamen ex cauſis excuſabiles effecti ſunt, ne forte ex ipſorum verbo ſimplici juſticia periclitaretur eccleſiæ. Miſſi ſunt tamen ad Regem monachi duo viri religioſi, qui ne nimis moveretur Regis pacarent animum, eorumque quos vocaverat abſentiam excuſarent. Qui à Rege ſimul & ab aulicis ſatis modeſte ſuſcepti, rogaverunt ut ſuæ *Cantuarienſi* miſereretur eccleſiæ, & præ inopia deficienti ſuccurreret conventui. At ille, Vos, inquit, miſeremini eccleſiæ. Et adjecit. Doleo quidem quod noſtro non vultis credere conſilio. Sed jam nunc *Cantuariam* redite, quia cum archiepiſcopo quem mandavi de veſtro loquar negotio, & in proximo vobis meam mandabo voluntatem. Cui monachi. Mementote quod jam per ſeptimanas undecim elemoſinis pauperum vivimus & ſuſtentamur. Quibus Rex, Ite, inquit, ite, Deo annuente vos omnem habebitis ſufficientiam. Dum igitur præfati redirent monachi, & archiepiſcopus in fines ultimos *Waliæ* quaſi de ſumenda cruce prædicaturus aufugiſſet, per manum monachi *Cantuarienſis* qui eum callide ſubſecutus eſt domini Papæ *Clementis* hujuſmodi ſuſcepit mandatum.

Clemens *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto in eccleſia Dei ſcientia munere & religionis præmines honeſtate, dignitatiſque apicem in partibus* Anglicanis *obtines ampliorem: tanto decet caritatem tuam vigilantiori ſtudio à ſubjectorum injuriis vel oppreſſionibus temperare, & his poſtpoſitis qua juſticia pulchritudinem decolorant, odoremque bona opinionis extingunt, obedientiam & reverentiam debitam majoribus exhibere. Unde non ſine cauſa miramur, quod ſicut nobis proponitur poſt appellationem ad ſedem* *apoſtolicam factam, & bonæ memoriæ* Urbani *prædeceſſoris noſtri prohibitionem, adeo circa novæ capellæ conſtructionem & alia multa manus tuas in eccleſia tibi commiſſa fratrum moleſtias aggravaſti, ut nichil eis de interpoſitæ appellationis remedio acceſſiſſe prout ratio juris expoſtulat æſtimetur, nec tu honori ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matris tuæ videaris prout oportuit detuliſſe. Licet autem propoſitum nobis ſit fraternitati tuæ quantum cum Deo poſſumus deferendi, & perſonam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt ſtatuerimus honorare, quia tamen eorundem fratrum preſſuras pariter & clamores cum bona conſcientia præterire clauſis oculis nec poſſumus nec debemus, fraternitati tuæ de conſilio fratrum noſtrorum per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus omni contradictione & occaſione poſtpoſita, eo eciam non obſtante ſi te abeſſe contigerit ab eccleſia tua, quicquid poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam vel prædeceſſoris noſtri prohibitionem in opere capellæ actum eſt, non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum, quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & perperam innovatum. Eos eciam qui poſt inhibitionem ſæpedicti prædeceſſoris noſtri in capella ipſa celebrare divina officia præſumpſerunt, donec condignam nobis ſatiſfactionem exibeant, ab officio & beneficio habeas interdictos. Miniſtros eciam conventus quos poſt appellationem interpoſitam amoviſti quos et idem prædeceſſor reſtituit habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem excōmunicare vel ſuſpendere voluiſti, habeas nichilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem in eorum gravamen ſunt attemptata, videlicet in invaſione villarum & poſſeſſionum ſuarum, redditus quoque & aliorum quæ ante appellationem habuerant, & ablatione ſimiliter aliarum rerum, in ſtatum priſtinum ceſſante appellatione & contradictione reducas. Ad hæc quia ſecundum formam juris poſt appellationem nichil eſt innovandum, volumus & præcipimus ut pendente judicio in eorundem fratrum detrimentum circa ſtatum monaſterii nichil omnino ſatagas immutare. Alioquin grave nobis exiſteret modis omnibus & moleſtum, nec poſſemus ſine cohertione debita æquanimiter ſuſtinere. Dat.* Sen.vij.*kal.Febr. indictione ſexta.*

Expavit ilico vehementer archiepiſcopus & incanduit cum aſtantibus duobus epiſcopis præfatas litteras nudæ, quam expoſuerat, manui ſuæ ſubito ſentiret intruſas. Cum autem diſſimularet & eaſdem litteras audire & reſponſum reddere portitori, de porrectis legaliter litteris aſſumptis teſtibus, monachus receſſit & *Cantuariam* properavit. Hæc ilico mandato apoſtolico reverentia exhibita eſt, ut procuratores archiepiſcopi convocatis hominibus multis de villis archiepiſcopi cum feſtinatione nimia foſſa lata & profunda capellam cingerent, & domos clericorum, & portas aptarent, acſi caſtra conſtituerent ad obſidendam *Cantuariam*. Ipſe eciam archiepiſcopus eiſdem clericis fertur ſcripſiſſe quod hujuſmodi litteras ſuſcepiſſet, monens eoſdem ne formidarent, nec aliquatenus à divinis ceſſarent.

Interea tota *Anglia* in dandis decimis graviſſime vexata eſt, ut Chriſtiani lxx. milia librarum & eo amplius pecuniam darent, Judæi vero lx. milia. Nec alicui ultra *Paraſceven* dandi dilatio data eſt, præter eos qui duas marcas vel amplius dare debuerunt, quos Rex apud *Londoniam* poſt octavas Paſchæ ſecretius alloqui cupiebat. Cum igitur dolerent omnes & ſinguli de tanto gravamine, & formidarent plurimi de futura calamitate, omnes archiepiſcopum licet abſentem horrendis imprecationibus impetebant, eo quod audiſſent hujuſmodi decimas ex ipſius proceſſiſſe conſilio, & quod eccleſiam *Cantuarienſem* tam atroci perſequeretur malitia. Sed in brevi rumor undique diſperſus eſt, quod archiepiſcopus mente alienatus in reprobum ſenſum datus fuiſſet, vel quod expiraſſet. Ignorantibus itaque eciam ſuis quid de archiepiſcopo factum eſſet, jam inſtante cœna Domini miſerunt monachi *Cantuarienſes* nuntios ad *Gilebertum Roffenſem* epiſcopum utpote *Cantuarienſis* eccleſiæ capellanum, rogantes ut matrici eccleſiæ ſcilicet *Cantuarienſi* oleum & criſma tranſmitteret, preſbiteris *Cantiæ* per manum *Cantuarienſis* ſacriſtæ more ſolito dividendum. Renuit epiſcopus quod petitum eſt, dicens ſe domini archiepiſcopi ſuper hoc non accepiſſe mandatum. Quod audiens nuntius, ſolenniter appellavit, ne alteri quam monachis *Cantuariæ* criſma traderetur, & ne quis ſacerdotum *Cantuarienſis* dioceſis ab alio quam à monachis *Cantuariæ* contra morem antiquum olei vel criſmatis ſuſciperet ſacramentum. Detulit epiſcopus monachorum appellationi, & omnes eccleſiæ de ſinodo archiepiſcopi numero CCC.lv. criſmate ſimul & oleo privatæ ſunt. Contriſtati ſunt igitur omnes qui audierunt de tanta *Cantuarienſis* eccleſiæ oppreſſione, & quod in tanta ſolennitate Dominicæ reſurrectionis mater lugere deberet cum filiæ minores jubilarent. Sexta vero feria cum monachi miſerabiles ante crucem Domini devotiſſimis incumberent precibus, ecce nuntius Prioris in tribus ſeptimanis & iiij. diebus à *Roma* veniens, cum canendi mandato hujuſmodi litteras attulit.

CLemens *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori de* Faureſham *& magiſtro* Feramino *ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Horrendi facinoris deteſtanda præſumptio vehementer animum noſtrum pro ſui atrocitate commovit, ut illos debitæ ſeveritatis jaculo feriamus, qui more prædonum eccleſiæ* Cantuarienſis *poſſeſſiones nequiter invaſerunt, & in ſepta curiæ monachorum & officinas effractis muris crudeliter irruentes, eorum bona ſacrilego auſu diripuiſſe noſcuntur, Eos quoque qui monachis & hominibus eorum violentiam inferentes, curiam ipſis contradicentibus occuparunt. Unde quoniam prædictorum fratrum injurias diſſimulare nec poſſumus nec debemus, quibus tanto benignius in ſuo jure tenemur adeſſe, quanto in partibus* Anglicanis *majori præminent honeſtate, præſumptores illos qui tam enormis ſacrilegii facinus admiſerunt & eorum complices uſque ad ſatisfactionem condignam auctoritate præſentium decernimus anathemati ſubjacere, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatinus ipſos ſi admoniti noluerunt congrue ſatisfacere, excommunicatos ſicut moris eſt, contradictione & appellatione ceſſante, ſolenniter & publice nuntietis, & faciatis ab omnibus cautius evitari: attentius proviſuri ne, quod abſit, ex deſidia veſtra in hac parte mandatum apoſtolicum negligatur. quia grave nobis eſſet modis omnibus & moleſtum, nec poſſemus æquanimiter ſuſtinere. Quod ſi ambo his exequendis nequiveritis in-*

tereſſe, alter veſtrum ea nichilominus exequatur. Dat. Laterani xvj. *kal. Aprilis pontificatus noſtri anno primo.*

Diſperſo itaque de canendi licentia rumore in populo, gaudentibus omnibus & ſingulis & lacrimantibus præ gaudio, accurrit populus civitatis *Cantuarie*, & eccleſia Chriſti citiſſime mundata eſt, cortinis & palliis præter ſpem multorum ornata, & reſurrectionis Dominicæ ſacra ſolennitas in ymnis & canticis ſpiritualibus feſtive celebrata eſt. Organa ſola ſuſpenſa ſunt, ut hoc ſaltem indicio diminutio lætitiæ ſignaretur, eo quod excommunicati illi invaſores rebus adhuc monachorum incubarent. Qui cum ſecundum mandatum apoſtolicum ab executoribus publice commonerentur, ut reſipiſcentes digne ſatisfacerent, irriſionibus inſiſtebant, & quoſdam civium & ſervientes monachorum, ne ſoli punirentur anathemate, invitabant ad prandium. Trina autem admonitione interpolatis diebus ſolenniter & publice facta, cum ſacrilegi illi minis inſiſterent & probris, denuntiavit Prior de **Faureſham** ex aſſenſu *Feramini* omnes malefactores illos qui monachorum *Cantuarienſium* murum curiæ fregerunt, villas & officinas invaſerunt, & qui monachis vel ipſorum hominibus vel rebus aliquam violentiam intulerant, eorumque complices non ab ipſis executoribus vel monachis, ſed à ſummo pontifice cujus irrefragabilis ſententia eſt, ex conſilio fratrum eſſe excommunicatos, & ob hoc de cætero ab omnibus eſſe vitandos. Ipſi vero viam Domini non cognoſcentes, ſed hæc omnia parvipendentes, in ipſa quam occupaverant curia monachorum quaſi ad nuptias comeſuri conveniebant. Quidam autem ex ipſis gradu quidem ſacerdotii gloriantes, ſed nec Deum nec homines metuentes, cum ſibi eſſent ex participatione anathematis male conſcii, miſſas miſeri celebrare præſumpſerunt. Presbiteri eciam *Cantuaria* à prophanis canonicis inſtructi, parochianis ſuis prædicantes prohibebant ex parte Regis & Archiepiſcopi, ne quenquam ex his quos auctoritate apoſtolica excommunicatos audierant, aliquatenus vitarent, dicentes, in dioceſi archiepiſcopi apoſtolicam non tenere ſententiam. Ex præcepto quoque regio quidam è civibus *Cantuarie* in ergaſtulum publicum una cum nepote ſancti martyris *Thoma* miſſi ſunt, eo quod illis quos ſummus excommunicaverat pontifex communicare nolebant, ut quod minus quam volebant erat factum in martyre, ſaltem in ſuo ſanguine crimen parricidii conſummarent. Ipſi autem excommunicati hoc Regis edicto audaciores effecti, ipſum carcerem quo cives illi pro zelo Dei & eccleſiæ tenebantur incluſi, allato igne noctu concremare volebant. Sed importuno canum latratu repulſi, circuibant per vicos & plateas, ut ſi forte invenirent aliquos hujus viæ viros, vinculis vel verberibus attrectarent. Tegulas eciam domorum eorum qui incarcerati ſunt jactu lapidum confringebant. Præter hæc omnia & plura hujuſmodi quæ ab ipſis in contemptum domini Papæ & deriſum monachorum fiebant cotidie, accidit ut presbiter quidam ex ipſorum communione parvulum infantem moribundum repelleret à baptiſmate, donec ipſius patrem pueri deteſtando conſtringeret juramento, quod neminem ex his invaſoribus crederet excommunicatum, nec ipſorum in aliquo vitaret conſortium. Dum hæc igitur & his ſimilia à miniſtris domni *Baldewini* auctoritate ipſius tam in monachos quam in cives *Cantuarienſes* & amicos eccleſiæ agerentur, ipſe archiepiſcopus ab extremis *Gualia* finibus rediens *Londoniam* pervenit. Ingreſſuſque ad regem, contra omnia *Romane* curiæ mandata ſolenniter appellavit, ilicoque reverſus, cum ſumma abiit feſtinatione, acſi jam jamque *Romam* eſſet iturus. Verum tercio quartove die à Rege revocatus, ad ſuam talem qualem proſequendam appellationem epiſcopos & abbates dirigere voluit. Qui cum ſe ſuper hac excuſarent profectione, ne videlicet in hac cauſa, ut dicebant, perdita & fere putrida ut degeneres filii matrem ſuam *Cantuarienſem* impugnarent eccleſiam, ecce nuntius archiepiſcopi advolans à *Roma* nuntiavit eidem dominum Papam ſuper tot gravaminibus monachorum valde eſſe offenſum, & ad dirimendam cauſam ex conſulto curiæ legatum in proximo eſſe venturum. Nam archiepiſcopus omnes executores *Cantuarienſis* eccleſiæ & amatores cauſæ habebat exoſos, tantoque inſequebatur odio, ut non ſolum bona temporalia eiſdem ſurripere, ſed & vitam quodammodo ſubtrahere velle videretur. Primos etenim executores ſcilicet abbates odio habuit, eiſque & ſuis quotquot potuit intulit gravamina. Magiſtrum quoque *Feraminum* licet tepidum apoſtolicæ ſententiæ executorem, eo quod eum ſuis ex clericatu haberet in vinculis adeo inſecutus eſt, ut eidem boves & oves, aratrum & alia ad hoſpitale ſancti *Jacobi* pertinentia ſurriperet, & quæ poterat alia minaretur inferre gravamina. Timens autem *Feraminus* ne pauperculæ feminæ leproſæ quæ in præfato ſancti *Jacobi* degebant hoſpitali, quamvis modica quæ habebant ſub ipſius magiſterio victualia perderent, ſcienſque malitiam archiepiſcopi quod iram ſemel animo conceptam nunquam de plano remitteret, ab omni gravamine ſedem apoſtolicam compulſus eſt appellare. Unde irritati officiales archiepiſcopi, ut omnem more ſolito eliderent & confunderent appellationem, ipſum *Feraminum* dampnis affectum & contumeliis adeo perſecuti ſunt, ut præter alias quas eidem intulerant enormitates, ex parte regis & archiepiſcopi prohibuerunt ne pauperum mulierum ſegetes meterentur. Hæc & his ſimilia, ſed & pejora ut præ pudore taceantur, ex præcepto fiebant cujuſdam *Roberti* de *Boketune*, qui abſente archiepiſcopo omnium erat princeps & præceptor excommunicatorum. Ipſe quoque archiepiſcopus in nullo præceptis apoſtolicis deferens, cum ipſis excommunicatis in cibo et potu longoq; colloquio communicavit, dicens omnia pro quibus excommunicati fuerant ipſius auctoritate perpetrata fuiſſe. Dum igitur rex & archiepiſcopus cotidie minis inſiſterent, nec circa miſerias & egeſtates conventus *Cantuarienſis* ullo pietatis moverentur affectu, videretque ſummus pontifex *Clemens* quod eorum pertinacia in cauſa *Cantuarienſi* non niſi per legatum à ſuo latere miſſum comprimi valeret, ex conſilio fratrum Prioris *Cantuarienſis* annuit petitionibus, ut epiſcopus *Hoſtienſis* in *Angliam* veniens, ex decreto curiæ abſque reclamatione utriuſque partis apoſtolicum exequeretur mandatum. Dominus itaque Papa Priori *Cantuarienſi* & monachis in medium vocatis dixit. Si diligenter intendimus, cauſa veſtra fratres kariſſimi mœroris eſt, quæ & nos & fratres noſtros vobis compati facit & condolere. Vertitur enim inter patrem & filios qui unum eſſe & idem per omnia ſentire deberent, nec videtur vos pater affectu paterno tractare. Conqueritur tamen vos ei honorem debitum &

obedientiam non exhibere. Diu quidem ſtetiſtis in præſentia prædeceſſorum noſtrorum & noſtra ſemper parati ſtare judicio noſtro, habentes auctoritatem & mandatum capituli veſtri, ſed clerici fratris noſtri archiepiſcopi minus ſufficientes ſunt, & nullum mandatum habent, neque iſti qui præſentes ſunt, neque *Petrus* ille & alii qui receſſerunt; unde quia ad præſens res finem ſortiri non poteſt, mittemus à latere noſtro virum ſapientem & diſcretum qui in negotio veſtro juxta mandatum noſtrum & formam ſibi præſcriptam procedat. Hæc audientes clerici archiepiſcopi, *Hoſtienſis* epiſcopi legationem toto conatu præpedire curabant, eo quod eſſet juſtus valde & incorruptibilis conſtantiæ, munerum contemptor & adulationum, mœrentium conſolatio, & levamen miſerorum. Volebant autem præfati clerici aliquem habere legatum natione *Romanum*, qui unguentis *Anglicis*, auro ſcilicet & argento ſolent ad quælibet inclinari. Prioris tamen prævaluit petitio, & *Hoſtienſis* epiſcopus *Cantuarienſis* cauſæ cognitor & judex effectus eſt. Sed cum omnia ad proficiſcendum pararentur neceſſaria, & Prior non niſi diatim ſuo provideret hoſpitio, miſeræ *Cantuarienſi* eccleſiæ dolendum accidit infortunium. Nam *Hoſtienſis* epiſcopus tum ſenio tum infirmitate gravi ne procederet in cauſa detentus eſt. Cum autem epiſcopus poſt dies non paucos convaleſceret, Prior *Cantuarienſis* graviter infirmatus eſt, & fere perductus ad extrema. Horrida enim peſtilentia ex ardore æſtatis nimio & diverſis aeris paſſionibus quæ poſt feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* emerſerunt, *Romanum* adeo vaſtavit populum & maxime peregrinos, ut non nulla milia cleri & populi ſpiritus exalarent. Ex hac peſtilentia deteſtanda Cardinales quidam *Cantuarienſis* eccleſiæ patroni extincti ſunt, & ex ſociis Prioris monachi quinque & plurimi ſervientes. Cæteri omnes adverſa valetudine adeo detenti ſunt, ut nec unus alteri vel aquam frigidam valeret propinare. Prior autem *Honorius* jam fere præmortuus, beneficio epiſcopi *Hoſtienſis* in montana *Velletrenſis* provinciæ abſportatus eſt, ut ibidem liberiori refectus aere reſpiraret. Sed illa corrupti aeris deteſtanda infectio jam ipſius occupans vitalia, ad extrema perductum xij. kal. Novembris compulit exſpirare. Raptus eſt itaque venerandæ memoriæ *Cantuarienſis* Prior *Honorius* ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Eſt autem ſepultus Prior eccleſiæ *Cantuarienſis Honorius* vere honorandus in clauſtro *Lateranenſis* eccleſiæ. Alii vero monachi qui menſe Julio mortui ſunt, in diverſis eccleſiis ſepulti quieſcunt. Tantam enim gratiam dederat eis Dominus in civitate, ut pro habendis cadaveribus eorum in ſuis cimiteriis nobiliſſimi eciam cives & vulgus litigarent. Si cauſa, non pœna, ut legitur in ſcripturis, martyrem facit, quis *Honorio* Priori & ſociis ſuis negabit martyrium, qui pro pace & libertate eccleſiæ Dei conſervanda omnia relinquentes, non ſolum peregrinationem ſed & mortem ſuſtinere meruerunt? Quis majore fervere potuit caritate quam ipſi, qui pro honore Dei & pro fratribus ſuis metuerunt animas ponere? Sed juſti judicis Dei conſiſtorio determinandum eſt, quid quiſque vel quantum in præmio debeat optinere qui pro Deo & proximo ſeipſos impenderunt. Audiens autem epiſcopus *Hoſtienſis* Priorem *Honorium* jam mortuum & ſepultum, anxiatus plurimum redivivo languore correptus eſt, & poſt dies paucos in pace quievit. Quis igitur non obſtupeſcat ad hæc? *Cantuarienſis* eccleſiæ cauſa jam ſoli Deo relicta eſt, cum ex tot amicis & monachis vix unum ſolum monachum & ipſum languidum permiſerit eſſe ſuperſtitem. Tribulatio hæc tam præceps, tam ſæva videbatur & valida, ut in *Cantuarienſem* eccleſiam manus Domini videretur extenta. Et quamvis mortalitas hæc nonnulla milia hominum peremiſſet in populo, tamen propter nimiam & inopinatam monachorum oppreſſionem & inſolitam nuntiorum *Cantuarienſis* archiepiſcopi elationem, à pluribus dicebatur. Ecce quam malitioſa eſt archiepiſcopi *Cantuarienſis* intentio, qui cum monachos ſuos rerum omnium ablata copia fame vel infamia, vel eciam manu regia à via juſticiæ non poſſit flectere, ſaltem veneno conatur evincere. Hæc erat in populo plurimorum opinio, hæc erat jam in exitu cauſæ *Cantuarienſis* Prioris occupatio. Clerici autem archiepiſcopi cum viderent ex monachis aliquos ægrotare, alios exſpirare, reverſi ſunt pompoſe jactitantes quod rem ſtrenue effeciſſent. Canonici eciam ſed prophani *Hakentoniæ* & invaſores excommunicati monachis frequenter inſultabant, dicentes Deum pro archiepiſcopo manifeſta feciſſe miracula, non ſolum in captione ſanctæ civitatis *Jeroſolimæ*, ſed eciam in hoc peſſimum paganum imitantes *Saladinum*, dicebat enim idem *Saladinus* glorioſus in ſe, quod manifeſtum eſſet & probabile ſe juſtum & bonum Deum colere, qui antiquam patrum ſuorum ſibi reſtituit hæreditatem. Sic & iſti excommunicati dicebant, *Baldewinum* ob ſancta ſua merita, ideo ſcilicet quod *Cantuarienſem* devaſtaſſet eccleſiam, novis coruſcare miraculis. Quid interim putas *Cantuarienſis* ſuſtineret Conventus, qui hoſtibus publicis & privatis undique fuerunt obſeſſi. Præ multitudine dolorum & anxietatum, timore pariter & expectatione quaſi præmortui facti ſunt, cum de perpetuo periculo formidarent eccleſiæ, & præter cotidianas neceſſitates quas ſuſtinebant & inopias, novis undique rumoribus agitarentur & minis. Dicebant enim Romipetæ rumigeruli nunc dominum Papam, nunc Priorem, nunc Monachos quoſdam, nunc vero omnes vitam finiſſe. Minabantur eciam adverſarii nunc ſuppriorem, nunc monachos plures capiendos, nunc omnes expellendos, nunc portam qua ſola peregrinis patebat ingreſſus eſſe claudendam, nunc vero tumbam ſancti *Thomæ* martyris cujus oblationibus utcunque ſuſtentabatur Conventus, violentia regis & archiepiſcopi capiendam. Jam videre poteras quodammodo repræſentari conſilium *Architofel* & *Abſalonis*, vel ipſius *Herodis* & *Caiphæ*. Conventus autem licet in egeſtate plurima conſtitutus, firmiter in primo ſtabat propoſito, ſemper paratus pro libertate eccleſiæ contumelias & terrores, opprobria & malicias hominum ſuſtinere, & mortem vel quicquid humana vel diabolica poſſet excogitare malitia. Verum ne cauſa eccleſiæ una cum fratribus expiraret, ſi ea quæ de Priore ſuo & fratribus audierant veritate fulcita fuiſſent, licet in egeſtate nimia victualium conſtituti, quatuor monachos ad *Romanum* miſerunt pontificem, ut cum Priore & aliis fratribus ſi ſupereſſent cauſam eccleſiæ ſuæ proſequerentur, vel ipſi per ſe tam de jure quam de facto proponerent, ſi omnes alii vel aliqui penitus expiraſſent.

Claritas magna viſa eſt deſcendere ſuper eccleſiam *Cantuariæ* nocte fere media iiij. idus Octobris & tres perſonæ in ipſa claritate, duo ſcilicet epiſcopi mitrati, medius eorum erat abſque mitra. Torquebantur interim animo rex et archiepiſcopus excogitantes ſedulo an dolo vel violentia tantam poſſent violare conſtantiam. Sed dum de torquendis monachis, adhuc tamen vivente Priore, et de decimarum colligenda pecunia nimis affligerentur in ſe, præpediti ſunt ad modicum, quia ſcriptum eſt, homo proponit ſed Deus diſponit. Hoſtilis enim perturbatio in partibus *Gallicanis* orta eſt, ut omnes fere et ſinguli cogerentur ad arma convolare. Defuncto enim Comite ſancti *Egidii*, filius ejus regis *Franciæ* conſanguineus ſucceſſit in comitatum. Quem contempnens Comes *Pictavenſis Ricardus*, arma prendidit et milites congregavit, ſicque Comitis junioris caſtella et munitiones in confinio civitatis *Toloſæ* occupavit, ipſam civitatem tam à ſe quam à patre ſuo diu deſideratam geſtiens obſidere. Unde rex *Franciæ Philippus*, nec mirum irritatus, *Francorum* movit exercitum, et continuo in provincia *Bituricenſi* caſtellum quod vocitatur *Radulfi* prudenter obtinuit, pro quo anno præterito tantum diſcrimen factum eſt, ut rex *Angliæ* inducias obſecrans lacrimas funderet, Comeſque *Ricardus* genibus innitens et gladium regi offerens, eaſdem inducias tam ſibi quam patri ſuo ad bimatum indultas obtineret. Alia quoque rex *Franciæ* nonnulla ſubegit caſtella, & in brevi totam *Bituricam* obtinuit provinciam. Audiens hæc *Anglorum* rex non modice conterritus eſt, & hac ſumpta occaſione miſit archiepiſcopum *Cantuarienſem*, epiſcopum *Lincolnienſem* & illum *Hugonem Ceſtrenſem*, ut ipſi cum archiepiſcopo *Rothomagenſi* regem *Franciæ* adirent, eique quolibet integumento pro reformanda pace ſupplicarent. Archiepiſcopus itaque *Cantuarienſis* diutina induratus malitia, Conventus *Cantuarienſis* ærumpnis non condolens, transfretavit apud Wincheleſe xvj. kal. Julii una cum ſociis ſuis prædictis epiſcopis. Quorum cum rex *Franciæ*, ut fama fuit, vitaret, immo & vituperaret colloquia, rex *Anglorum* jam ſe præ ira non ſuſtinens, coactus eſt ſed invitus transfretare. Omnis igitur moræ impatiens acſi continuo in adventu ipſius pax undique reformari debuiſſet, mare ingreſſus ſed aliquotiens repulſus, vix tandem vj. idus Julii utcunque tranſvectus eſt, & fere naufragus juxta *Ou* in terram projectus. Dum enim Dominica die vj. idus Julii proſpero flatu ſulcaret maria, hora undecima orta eſt tempeſtas validiſſima venti & pluviæ intolerabilis, coruſchationis & tonitrui, grandiniſque ad magnitudinem ovi columbini. Hac itaque ſæviſſima tempeſtate tota nocte quaſſatus, feria ſecunda ſemivivus in terram projectus eſt. Inde feſtinus in *Normanniam* veniens, regis *Francorum* animum commotum miſſis nuntiis ſtuduit mitigare. Sed ille frendens ut leo, omnia ipſius ſprevit mandata, eo quod omnibus dolum ſuſpicaretur ineſſe. Solis armis rem cupiebat efficere, ſemper indies creſcens, utpote qui de facili munitiones regis *Anglorum* occupabat. Cum igitur rex *Angliæ* regis *Francorum* animum minis vel blanditiis non valeret effringere, quæſivit ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* & *Rothomagenſi* aliiſque ſuis conſiliariis quid facto opus eſſet, conquerens de pueri illius inopinata & importuna impugnatione & juvenilis animi pertinacia edomanda. Contempnebat enim ipſius ætatem puerilem, eo quod nondum eſſet xxiiij. annorum. Accepit itaque rex in conſiliis ut theſauros effunderet, milites innumeros undecunque convocaret & pedites, & modis omnibus regis impetum conaretur effringere, ne denuo *Franci* tales ſibi cogitarent inferre moleſtias. Hoc igitur accepto conſilio, licet pecuniam invitus effunderet, milia tamen militum & peditum *Gualenſium* coadunavit innumera. Quorum vallatus catervis, in extremis *Franciæ* finibus villas pauperculas admodum & pauculas ſuccendit, & vineas extirpavit, botros conculcavit, & cum ei nemo reſiſteret, capta præda pecudum illico reverſus eſt. Hæc audiens rex *Franciæ* patienter & ſuſtinens, ferocis animi cohibuit impetum, videre deſiderans quonam tenderet *Henrici* regis propoſitum. Dimiſerat enim ſuum pro parte exercitum, eo quod maturæ jam inſtaret tempus vindemiæ. Comes autem *Ricardus* jam patrem ſuum commotum regemque *Franciæ* quaſi deſolatum intuens, ne nil ageretur caſtello *Radulfi* tetendit inſidias. Tandemque nacta occaſione, portarum præcluſit introitum, eo quod quidam ex militibus *Francis* quibus commendatum erat præſidium, paululum exiſſent prædaturi. Quod agnoſcentes & gementes milites excluſi, facto impetu redierunt ad januas, & innuentes ſociis quos reliquerant in præſidio, irruerunt ſubito in obſidionem *Ricardi*, & viriliter cædentes, plurimos occiderunt, multos vulneraverunt, & nonnullos ceperunt. Ipſe quoque Comes jam de ſola fuga ſollicitus equo dejectus eſt, ſed cujuſdam beneficio carnificis robuſti valde liberatus evaſit. Rex itaque *Franciæ* in oculis omnium gratia plenus, jam militia revocata in omnibus agebat proſpere quæ incipiebat, ſemper creſcens & capiens, ut non ſolum de provincia *Biturica*, ſed & de aliis terris regem *Angliæ* propellere minaretur. E contrario rex *Angliæ* cotidie minuebatur, & cotidie in caſſum nonnulla milia marcarum male congregati effundebat ærarii. Suorum etenim tam Comitum quam Baronum & militum quos extenuaverat non habebat affectum. Tandem pro tanta calamitate hinc inde diſcurrentibus nuntiis vix tandem conſenſerunt utrique, ut in octavis ſancti *Martini* apud *Bonmulins* de reformanda pace collaturi reges & regii convenirent in unum. Videntes autem plurimi viri religioſi & milites famoſi ſenectutem regis *Anglorum* & detrimentum, regiſq; *Franciæ* prudentiam & incrementum, de futuro metuentes colloquio ſuadebant regi ut malefacta corrigeret & matris ſuæ *Cantuar.* eccleſiæ amoveret calamitates. Quibus cum reſponderet quod pace ſibi reſtituta paci & tranquillitati provideret eccleſiæ, ad colloquium perventum eſt. Comes autem *Ricardus* primitus regi *Franciæ* reconciliatus eſt, eo quod audiſſet patrem ſuum regem ſcilicet *Angliæ* de ſucceſſione regni ſibi voluiſſe fraudem facere, eo quod niteretur, ut fama fuit, coronam regni filio ſuo juniori *Johanni* imponere. Unde, nec mirum, commotus *Ricardus* regis *Franciæ* ante colloquium ſtuduit animum mitigare, ut deficiente ſibi patre ſaltem in eo aliquod inveniret ſolatium. Cum igitur reges apud *Bonmulins* conveniſſent in unum, prima die modeſte ſatis & pacifice collocuti ſunt. Sequenti vero die paulatim cœperunt verba turgeſcere. Tercia autem die cœperunt litigare, minaſque minis acriter inferre, adeo ut milites circumſtantes gladiis accingerentur. Attamen uſque in feſtum ſancti *Hilarii* ſibi mutuo dederunt inducias. Stabat autem in girum populus innumerabilis, amboque reges in medio, Comeſque *Ricardus* & archiepiſcopus *Remenſis*. Comes itaque *Ricardus* aſſumpto ſermone rogavit patrem ut eum ſicut hæredem ſuum de ſucceſſione regni faceret ſecutum. Qui cum *Ricardo* more ſuo ficte loquens non reſpondiſſet ad votum, & *Ricardus* in caſſum præfatis inſiſteret precibus, Jam nunc, inquit, videtur veriſimile quod ante mihi extitit incredibile. Et converſus ad regem *Franciæ*, diſcinctus gladio, aſtante patre, videntibus cunctis qui aderant, protenſis manibus eidem fecit homagium, ipſius implorans auxilium ne jure debito privaretur. Diſceſſerunt igitur abinvicem pater & filius, & mirati ſunt univerſi. Videns autem rex & pauliſper retrocedens obſtupuit, & quonam tenderet hæc inopinata conſpiratio, mente ſedula cogitavit. Non enim excidit ab ejus memoria vexatio quam intulerat ei *Henricus* filius ſuus ex conſenſu regis *Lodovici*, & ecce pluſquam *Lodovicus* pater ſuus eſt iſte *Philippus*. Cum igitur abinvicem, ut dictum eſt, reges diſcederent, & accurrerent populi qui prius à longe ſteterant in corona, rex *Franciæ* Comeſque *Ricardus* pariter receſſerunt. Rex autem *Angliæ* jam ſibi relictus, celeriter properavit in *Aquitaniam*, miſitque *Gaufridum* Cancellarium in *Andegaviam*, ut omnium munitionum tam regi *Franciæ* quam Comiti *Ricardo* præcluderet aditum.

Interea dominus papa pio corde deſolationem intuens *Cantuarienſis* eccleſiæ, ad petitionem monachorum *Cantuarienſium* qui nuper venerant, ex conſilio fratrum annuit, ut *Radulfus* Cardinalis cum literis domini papæ ad decidendam cauſam quæ verſabatur inter monachos & archiepiſcopum, in *Angliam* legatus dirigeretur, cum litteris hujuſmodi archiepiſcopo deferendis.

CLemens *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto in eccleſia Dei ſcientiæ munere & religionis præmines honeſtate, dignitatiſque apicem in partibus* Anglicanis *obtines ampliorem, tanto decet caritatem tuam vigilantiori ſtudio à ſubjectorum injuriis vel oppreſſionibus temperare, & his poſtpoſitis quæ juſticiæ pulcritudinem decolorant, odoremque bonæ opinionis extingunt, obedientiam & reverentiam debitam majoribus exhibere: unde non ſine cauſa miramur, quod ſicut nobis proponitur poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam, & bonæ memoria prohibitionem* Urbani *prædeceſſoris noſtri, adeo circa novæ capellæ conſtructionem & alia multa manus tuas in eccleſia tibi commiſſa fratrum moleſtias aggravaſti, ut nichil eis de interpoſitæ appellationis remedio acceſſiſſe prout ratio juris expoſtulat exiſtimetur, nec tu honori ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matris tuæ videaris prout oportuit detuliſſe. Licet autem propoſitum nobis ſit fraternitati tuæ quantum cum* Deo *poſſumus deferendi, & perſonam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt ſtatuerimus honorare, quia tamen eorundem fratrum preſſuras pariter & clamores cum bona conſcientia præterire clauſis oculis nec poſſumus nec debemus, fraternitati tuæ de conſilio fratrum noſtrorum per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus contradictione & occaſione poſtpoſita, eo eciam non obſtante ſi te abeſſe contigerit ab eccleſia, quicquid poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam, vel prædeceſſoris noſtri prohibitionem in opere capellæ actum eſt, non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & perperam innovatum. Eos eciam qui poſt inhibitionem ſæpedicti prædeceſſoris noſtri in capella ipſa divina officia celebrare præſumpſerunt, donec condignam nobis ſatisfactionem exhibeant, ab officio & beneficio habeas interdictos. Miniſtros Conventus quos poſt appellationem interpoſitam amoviſti, quos & idem prædeceſſor noſter reſtituit habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem interpoſitam excommunicare vel ſuſpendere voluiſti, habeas nichilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoque & aliorum quæ ante appellationem habuerant, & ablatione ſimiliter aliarum rerum, in ſtatum priſtinum appellatione & contradictione ceſſante reducas. Ad hæc quia ſecundum formam juris poſt appellationem nichil eſt innovandum, volumus & præcipimus ut pendente judicio in eorundem fratrum detrimentum circa ſtatum monaſterii nichil omnino ſatagas immutare. Nichilominus præcipiendo mandantes, ut omnia quæ ipſis monachis à tempore promotionis tuæ, vel poſt appellationem vel ante, abſque juris ordine illicite abſtuliſti, in eccleſiis, exeniis, villis, poſſeſſionibus, redditibus ſeu rebus aliis, cum congrua recompenſatione fructuum poſtea illicite perceptorum, & libertatibus & adminiſtratione competenti & libera, infra xl. dies poſt harum receptionem litterarum reſtituere non moreris. Ipſis quoque monachis præcipiendo mandamus, ut ſi ab eodem tempore aliqua contra jus tuum & honorem præſumpſerint, ſatisfactionem tibi appellatione remota exhibeant competentem. Quia uero Prior monaſterii in proſecutione negotii conceſſit in fata, volumus & præcipiendo mandamus ut in inſtitutione Prioris contra privilegia ſedis apoſtolicæ & regulam beati* Benedicti *& conſuetudinem eccleſiæ hactenus obſervatam non procedas, & ſi feceris, appellatione remota non differas revocare, nullis litteris obſtantibus à ſede apoſtolica impetratis. Alioquin dilecto filio noſtro* R. *titulo ſanctæ* Praxedis *preſbitero Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato dedimus in mandatis, ut Apoſtolica auctoritate te & omnes contradictores & monachos ipſos ſi rebelles extiterint, ad hoc remoto appellationis obſtaculo, eccleſiaſtica diſtrictione compellat. Dat.* Lat.iiij. *idus Decembris pontificatus noſtri anno primo.*

Cum igitur prænominatus legatus perveniſſet *Papiam*, & prædictas domini papæ litteras archiepiſcopo præmiſiſſet, nimia confectus abſtinentia & ex inſolito itineris labore fatigatus, decidit in lectum apud *Mortiers*, & infra dies x. defunctus & ſepultus eſt. Hæc audiens archiepiſcopus *Cantuarienſis* gaviſus eſt, nec in modico voluit apoſtolico parere mandato. Impunitas enim totiens repetitæ inobedientiæ cor ipſius ad omnia reddidit induratum. Monachus autem qui cum legato *Papiam* pervenerat, *Romam* illico reverſus eſt.

Splendor magnus viſus eſt in *Cantuaria* nocte media xiij. kal. Januarii, & xj. kal. ejuſdem obiit *Ricardus Wintonienſis* epiſcopus.

XII.

An. Gr̃æ 1189. M. C. lxxxix. Colloquium quod de reformanda pace inter reges *Franciæ* ſcilicet & *Angliæ* erat indictum, ad preces & excuſationes regis *Angliæ* à feſto ſancti *Hilarii* uſque ad Purificationem, & exinde uſque poſt Paſcha dilatum eſt. Ægrotabat enim rex *Angliæ* ſponte vel invitus, & poſt modicum pœnitentia ductus, eo quod filium ſuum offendiſſet *Ricardum*, eundem per archiepiſcopum *Cantuarienſem B.* alioſque ſpectabiles nuntios, ut ſolebat, minis interpoſitis blandiens ſtuduit revocare. Sed *Ricardus* prædicti archiepiſcopi colloquium ſimul & nuntium contumelioſe reſpuens ſe homini non credebat. Cum enim ſciret expertus quid eſſet in homine, in omnibus mandatis patris ſui & nuntii dictis, dolum & nequitiam ſuſpicabatur ineſſe.

Apparuit eclipſis lunæ media nocte iij. non. Februarii.

Sollicitabant interea regis *Anglorum* animum pro eccleſia *Cantuarienſi* Comites & Barones, ſupplicantes attentius ut ſui miſereretur & regni, dicentes in utroque manifeſtum Dei apparere judicium, eo quod regni ſui matricem eccleſiam ſcilicet *Cantuarienſem* tot injuriis permitteret agitari. Motus igitur ad modicum rex pacificas præcepit litteras fieri *Cantuarienſi* Conventui dirigendas. Quod audiens archiepiſcopus accurrit, exaratas litteras inſpexit, eaſque nimis benignas intuens confregit in fruſta, eaſque quas ſubſcripſimus regio impreſſit ſigillo.

HEnricus *Rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ *& Comes* Andegaviæ *toti conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem. Noveritis me moleſte tuliſſe & ferre diſcordiam & diſſenſionem inter vos & archiepiſcopum* Cantuarienſem, *& iccirco ipſum archiepiſcopum inde diligenter conveni, & inveni eum pro parte valde mitiorem & benigniorem quam fuerit; & quia nolo diutius ſuſtinere, nec ſuſtinendum eſt, quin inter vos concordia reformetur, ad eandem reformandam quantam operam & diligentiam potero adhibiturus ſum. Et ideo venturi ſunt ad vos* Helyenſis *&* Roffenſis *epiſcopi, &* Randulfus de Glanvilla, *&* Eboracenſis *&* Lincolnienſis *decani, quibus ſicut michi ipſi certam fidem habeatis ſuper his quæ vobis ex parte mea dixerint. Moneo autem vos affectuoſe & deprecor diligenter, ut ad pacis reformationem animum veſtrum inclinetis, cum dominus archiepiſcopus, quamvis ipſius condicio melior ſit quam fuerit, poſſit ut intelligo facilius induci quam potuit ad adquieſcendum conſilio meo & fidelium meorum ſuper ipſa concordia & pace reformanda. Conſulo autem ut amodo non improbe agatis, ſed bonum quod præſto eſt niſi per vos ſteterit benigne recipiatis. Et quidam ex vobis de melioribus et diſcretioribus conventus veſtri quos prædicti viri ad me venturos elegerint, veniant ad me cum prædictis epiſcopis et* Randulfo de Glanvilla *et aliis qui ad nos venturi ſunt, & cum litteris capituli veſtri de ratihabitione ſuper hoc quod apud me ipſis præſentibus factum fuerit de prædicta pacis reformatione. Si vero omnes prænominati non venerint ad vos, hiis tamen qui de prædictis venerint, certam fidem habeatis, & conſilio illorum adquieſcatis. Noveritis eciam pro certo quod parti illi quæ improbitati adhærebit in hac cauſa adverſarius ero, & mitiori parti efficax auxilium præſtare curabo. T. H. decano* Eboracenſi *apud* Cenom.

Machinabatur enim archiepiſcopus ut omnes quaſi ex ratione contemtus regii mandati *Cantuar.* eccleſiæ odirent Conventum ſi non venirent à rege vocati, ſi vero ſecundum præſcriptam formam ad curiam accederent, jura penitus in parte plurima ad regis arbitrium ſubverterentur eccleſiæ, & ſub hac fraude tenor apoſtolici elideretur mandati. Venerunt igitur *Cantuariam* prænominati regis nuntii præter epiſcopum *Helyenſem* ix. kal. Aprilis cum præfatis litteris regis, ſciſcitantes an Conventus regiæ vocationi de plano vellet adquieſcere. Quibus in capitulum denuo revocatis, ex conſulto Conventus ſupprior ita reſpondit, Licet in multa ut ipſi noſtis miſeria ſimus & inopia conſtituti, de benivolentia tamen domini regis lætificati grates referimus, veſtroque congaudemus adventui, qui huc ad noſtram venire voluiſtis conſolationem. Sed ſcitote quod nec tutum nec conſilioſum nobis eſt, ut in ea forma quam tuliſtis aliquos ex fratribus noſtris ad regem dirigamus, præſertim cum ex fratribus noſtris nec unus reperiatur ex omnibus, qui tam periculoſum audeat ſubire negotium. Diu enim ſtetimus & adhuc ſtamus in curia *Romana* ob innumera nobis illata gravamina. Et jam per Dei gratiam eouſque proceſſum eſt, ut in conſummatione cauſæ jam dictata & donata ſit ſententia, unde & archiepiſcopus jam quinto apoſtolicum ſuſcepit mandatum. Expectat itaque dominus papa totaque *Romana* curia, expectat & noſtra miſeria, ut dominus noſter & pater archiepiſcopus noſtra nobis reſtituens vel ſero apoſtolicum exequatur mandatum. Sic, inquam, in curia ſtetimus & ſtamus, ſic in eadem communi conſilio fratrum diffinitum eſt, nec ab hac recedere, nec in aliam curiam cauſam noſtram transferre valemus. Et *Randulfus* indignans, Nonne, inquit, ad curiam domini noſtri regis vultis accedere? Non, ait ſupprior, nec enim audemus ſub hac forma quam tuliſtis venire. Et ille: Si ſub hac vobis præſcripta forma venire non vultis, ſaltem duos vel plures ex fratribus quibus omnimodam habetis fiduciam non cum litteris ratihabitionis, ſed cum forma veſtræ deliberationis nobiſcum mittite, ut veſtra jure debito recipiatis, vel ſaltem iram regis & linguas detrahentium cohibere valeatis. Cui ſupprior: Domine, inquit, licet hoc tutum & utile videatur, ipſum tamen quod dicitis facere formidamus. Nec mirum: præterito etenim anno miſimus ad dominum noſtrum regem in *Normanniam* propter alia eccleſiæ negotia fratres noſtros, ubi male & contra ſtatum eccleſiæ & prohibitionem capituli in ſuſceptione villarum noſtrarum apud *Alenzun* circumventi ſunt. Nec tamen minus quod ibidem in diminutionem juris eccleſiæ perperam factum eſt, pendentibus litteris omnibus eſt propalatum. Cum igitur ad hæc præfectus *Angliæ* reticeret *Randulfus*, *Gilebertus* epiſcopus *Roffenſis* dixit, Ut mihi videtur & verum eſt, magnam in domino noſtro rege perpendere poteſtis benivolentiam, qui vos pro reformanda pace eccleſiæ veſtræ ad ſuam præſentiam præſertim per tales nuntios & litteras voluit vocare. Sed vos econtra non ſatis utile vel conſilioſum refertis reſponſum, cum pro curia *Romana* regium penitus & regalium refutatis auxilium. Saltem præfecti *Angliæ* qui præſens eſt adquieſcere deberetis conſilio, cui ſapientiores & ſublimiores vobis ſuum gaudenter præbent aſſenſum. Supprior ad hæc: Domine, inquit, epiſcope regis auxilium vel conſilium nullatenus refutamus, ſed in primis per Deum, deindè per homines, Comites ſcilicet & Barones, clericos & abbates, epiſcopos & archiepiſcopos indeſinenter imploramus. Domini eciam & patris noſtri archiepiſcopi ſupradictis mediantibus perſonis ſed & generali capitulo *Ciſterſienſi* benivolentiam quæſivimus & gratiam, quam uſque in præſens ipſo eciam papa præcipiente nequivimus obtinere. Forma tantum vocationis ut prædiximus nobis formidabilis eſt, quia Rumor de veteri faciet ventura timeri, & cætera. Dum itaque regales nuntii de mittendis monachis arguris inſiſterent admonitionibus, & monachi dolum in omnibus ineſſe putarent, de *Romana* curia ſubito curſor advenit, dicens dom. Papam ad dirimendam cauſam novum deſtinaſſe legatum. Unde ſupprior mente conſtantior effectus nuntiis regis dixit. » Multum domini & fratres noſtri kariſſimi jam per » biennium afflicti ſumus, ſæpe & ſupra domini re- » gis & archiepiſcopi per viros eminentes & magnos » gratiam poſtulavimus, ſed hucuſque fraudati ſu- » mus à deſiderio noſtro. Nunc igitur per Dei mi- » ſericordiam & per ejus ſanctam quæ inſtat An- » nuntiationem, & per ſanctos hujus eccleſiæ pa- » tronos rogamus & vos, ut fideliter interponatis » partes veſtras apud dominum Regem & archi- » epiſcopum, ut eccleſiam *Cantuarienſem* in priſti- » num ſtatum reſtituant & conſervent inpoſterum. » Nos enim domino noſtro archiepiſcopo debitam, » & devotam parati ſumus exhibere obedientiam. Diſceſſerunt itaque nuntii Regis compuncti corde dicentes, quod in conventu *Cantuarienſi* non invenerant quod putabant. Exiſtimabant enim quod ex aſſiduitate tunſionum converterentur in paleas, & ad omnem ventum diſpergerentur in foveas. Aſſerebant autem plurimi quod Rex apud *Cenomannum* ægrotaret, & quod hac occaſione in partibus tranſmarinis *Anglicanæ* vacantes eſſent conſulendæ eccleſiæ. Unde quidam *Osbernus* cucullatus non monachus *Cantuarienſis*, cupiditate honoris adipiſcendi abſtractus & illectus, jam cum *Rogerio* alter *Judas* effectus eſt, ut in ſuo quem in eccleſia *Cantuar.* gerebat habitu monachili, Dominica in paſſione domini jam in conventu cœna facta & ipſe cœnatus aufugeret in curiam archiepiſc. & compellentibus excommunicatis archiepiſcopo fidelitatis præſtitit ſacramentum. Conventus autem hæc audiens nec ipſius formidabat dolum, nec conſortium diligebat. Erat enim, ut verum fatear, ſuperbus & invidus, contumax ad correptiones, paratus ad detractiones, appetitor delitiarum, divitum adulator, & ſemper dolus inventus eſt in ore ipſius, clauſtrum fugiebat, comeſſationes & ſuſurrationes diligebat. Verum ne miſeri hujus nequitia amicos ſubverteret eccleſiæ ſi forte diceret ſe à Conventu miſſum, miſit Conventus nuntium ad curiam regis qui præfati proditoris præveniret inſidias, & de fuga illius amicos eccleſiæ *Cantuarienſis* præmuniret. Ille autem ad curiam archiepiſcopi ſub arta cuſtodia ductus, vix poſt biduum admiſſus eſt. Cum autem ſuaderent amici eccleſiæ ut ad Regem pacandum monachi mitterentur, directi ſunt monachi quatuor. Qui cum accederent ad januam cimiterii ut exirent ſabbato octavarum paſchæ, à janitoribus clauſis januis retenti ſunt. Unde factum eſt ut ad veſpertinalem ſinaxim antiphona evangelica plane ad litteram in conventu cantaretur: *Cum eſſet ſero die illo una ſabbatorum & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati*, &c. Audierant enim archiepiſcopales illi jam in proximo legatum eſſe venturum in *Franciam*, quem ad dirimendam cauſam eccleſiæ *Cantuarienſis* & ad pacem reformandam inter reges curia *Romana* direxerat. Hac de cauſa janitores plures ſolito & perverſiores ad januam conſtituti ſunt, qui monachis & eorum famulis multas intulerunt moleſtias. Cum autem exiſtimarent plurimi regem *Angliæ* quod ipſe fingebat languidum & deſperatum, audito adventu legati lætus exiliit ambulans & militans & minas jaciens tam in regem *Franciæ* quam in Comitem *Ricardum*. *Cantuarienſes* autem monachi, qui cum legato venerant, apud *Cinomannum* hujuſmodi litteras archiepiſcopo porrexerunt.

CLemens *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri* B. Cantuarienſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto in eccleſia Dei ſcientiæ munere & religionis præmines honeſtate, dignitatiſque apicem in partibus* Anglicanis *obtines ampliorem, tanto decet caritatem tuam vigilantiori ſtudio à ſubjectorum injuriis vel oppreſſionibus temperare, & his poſtpoſitis quæ juſtitiæ pulcritudinem decolorant, odoremque bonæ opinionis extingunt, obedientiam & reverentiam debitam majoribus exhibere. Unde non ſine cauſa miramur, quod ſicut nobis proponitur poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam, & bonæ memoriæ prædeceſſoris noſtri* Urbani *prohibitionem, adeo circa novæ capellæ conſtructionem & alia multa manus tuas in eccleſiæ tibi commiſſæ fratrum moleſtias aggravaſti, ut nichil eis de interpoſitæ appellationis remedio ucceſſiſſe prout ratio juris expoſtulat æſtimetur, nec tu honori ſacroſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matris tuæ videaris prout oportuit detuliſſe. Licet autem propoſitum nobis ſit fraternitati tuæ quantum cum Deo poſſumus deferendi, & perſonam tuam in omnibus quæ pro offitio nobis incumbunt ſtatuerimus honorare, quia tamen eorundem fratrum preſſuras pariter & clamores cum bona conſcientia præterire elauſis oculis nec poſſumus nec debemus, fraternitati tuæ de conſilio fratrum noſtrorum per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus omni contradictione & occaſione poſtpoſita, eo eciam non obſtante ſi te abeſſe contigerit ab eccleſia tua, quicquid poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam factam vel prædeceſſoris noſtri prohibitionem in opere capellæ actum eſt non differas demoliri, revocans & deducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis canonicis & aliis circa capellam factum eſt & perperam innovatum. Eos eciam qui poſt inhibitionem ſæpedicti prædeceſſoris noſtri in capella ipſa divina officia celebrare præſumpſerunt, donec condignam nobis ſatisfactionem exhibeant, ab officio & beneficio habeas interdictos. Miniſtros conventus quos poſt appellationem interpoſitam amoviſti, quos & idem prædeceſſor noſter reſtituit habeas reſtitutos, & eos quos pariter poſt appellationem interpoſitam excommunicare vel ſuſpendere voluiſti, habeas nichilominus abſolutos, & univerſa quæ poſt appellationem ipſam in eorum gravamen attemptata ſunt, in invaſione videlicet villarum & poſſeſſionum ſuarum, reddituum quoque & aliorum quæ ante appellationem*

pellationem habuerant, & ablatione ſimiliter aliarum rerum in ſtatum priſtinum appellatione & contradictione ceſſante reducas. Ad hæc quia ſecundum formam juris poſt appellationem nichil eſt innovandum, volumus & præcipimus ut pendente judicio in eorundem fratrum detrimentum circa ſtatum monaſterii nichil omnino ſatagas immutare. Nichilominus præcipiendo mandantes ut omnia quæ ipſis monachis poſt appellationem vel ante abſque juris ordine illicite abſtuliſti, in exeniis, eccleſiis, villis, poſſeſſionibus, redditibus, ſeu rebus aliis, cum congrua recompenſatione fructuum poſtea illicite perceptorum, & libertatibus, & amminiſtratione competenti & libera infra xl. dies poſt harum receptionem reſtituere non moreris. Ipſis quoque monachis præcipiendo mandamus, ut ſi aliqua contra jus tuum & honorem præſumpſerunt, ſatisfactionem tibi appellatione remota exhibeant competentem. Quia vero Prior monaſterii in proſecutione negotii conceſſit in fata, volumus & præcipiendo mandamus ut in inſtitutione Prioris contra privilegia ſedis apoſtolicæ & regulam beati Benedicti *atque rationabilem conſuetudinem monaſterii hactenus obſervatam non procedas: Et ſi feceris, appellatione remota non differas revocare, nullis litteris obſtantibus in præjudicium juris eorum à ſede apoſtolica impetratis. Alioquin dilecto filio noſtro* Johanni *tituli ſancti* Marci *presbitero Cardinali apoſtolicæ ſedis legato dedimus in mandatis, ut apoſtolica auctoritate te & omnes contradictores & monachos ipſos ſi rebelles extiterint, ad hæc, remoto appellationis obſtaculo, eccleſiaſtica diſtrictione compellat, & eos quos ad veritatem plenius indagandam ſcierit nominari, quod gratia & timore poſtpoſitis teſtimonium perhibeant veritati, ſimili cenſura cogere non poſtponat. Dat.* Lat. *iv. idus Marcii pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Archiepiſcopus igitur ſatis humiliter et devotius ſolito ob præſentiam legati ſuſcipiens litteras, cum omnes alias indignanter rapere ſoleret magis quam accipere, ſuppreſſa voce reſpondit quod non ſtetiſſet per eum quod monachi ſua non recepiſſent. Aſſerebat eciam ſe eſſe paratum ad reſtituendum, dum illi tantummodo non accederent ad recipiendum, quos odio habebat ex nomine eo quod jura eccleſiæ tueri viderentur. Cum autem mediante legato ab hac deſiſteret quæſtione, et regum reformandæ paci idem legatus inſiſteret, uſque ad adventum ipſius in *Angliam* dilatum eſt negotium, ne videlicet monachi in egeſtate conſtituti gravarentur in expenſis cum transfretare cogerentur. Reges autem et Comes *Ricardus* una cum legato et archiepiſcopis quatuor, videlicet *Cantuarienſi*, *Rothomagenſi*, *Remenſi*, et *Bituricenſi*, qui ad pacem reformandam conſtituti ſunt, cum innumera multitudine nobilium apud *Cenomannum* v. idus Junii ad colloquium convenerunt. Poſt igitur varias allegationes hinc inde prolatas, rex *Franciæ* ſatis modeſte ut erat breviloquus proteſtatus eſt, quod omnia quæ anno præterito vel præſenti regi *Anglorum* abſtulerat eidem redderet, hac interpoſita conditione, ut ſibi ſuam reſtitueret ſororem, quæ ante annos xxij. tempore *Lodowici* Comiti *Ricardo* data fuit in uxorem, quam in *Anglia* rex *Henricus* à tempore illo ſub artiſſima tenebat cuſtodia. Comes eciam *Ricardus* lege eccleſiaſtica ſuam ſibi ſupradictam reſtitui petebat uxorem, & *Anglici* regni ſibi ut hæredi fieri ſecuritatem, & ut frater ſuus junior *Johannes*, quem ut ferebatur amoto *Ricardo* pater in regnum cupiebat promovere, vice patris quem ætas ſimul & infirmitas à tanto labore excuſabat, comes individuus ſibi fieret in *Jeroſolimam*. Cum igitur his omnibus rex *Angliæ* non ſine convitio contradiceret, & ſic omnes ab alterutro diviſi ad arma convolarent, infra tercium diem civitas *Cenomanenſis* cum ſuburbanis ſuis eo quod eam rex tueri non poterat, combuſta & capta eſt, ut ipſe rex & omnes qui ei favebant alias divertere cogerentur. Inde *Randulfus* de *Glanvilla* in *Angliam* reverſus eſt, ut omnes *Angliæ* milites licet extenuatos & pauperes compelleret transfretare. Qui cum *Cantuariam* oraturus accederet, ſupprior eum *Gaufridus* in hunc modum allocutus eſt. *Quam grata domine & quam neceſſaria nobis eſt miſericordia, veſtra poteſt de facili perpendere prudentia.* At ille; Vos inquit nullam vultis habere miſericordiam, qui propter curiam *Romanam* nec domini Regis nec alterius vultis adquieſcere conſilio, nec pro archiepiſcopo veſtro quicquam vultis facere, nec ab eo ſupplicatione parvula veniam poſtulare. *Cui ſupprior ait.* Pro domino & patre noſtro archiepiſcopo quicquid debemus facere libenter facimus & faciemus, domini regis omniumque bonorum virorum conſilio parati ſumus acquieſcere, ſalvo ſtatu noſtro & jure eccleſiæ. Veruntamen de conſilio regis credendo valde nimirum repellit nos, quod cum ei notum ſit nos omnibus rebus & redditibus jam per duos fere annos eſſe ſpoliatos & quodammodo incarceratos, nullum hucuſque nobis reſtitutionis vel conſolationis præſtitit ſolatium. *Randulfus ad hæc.* Si regem inquit veremini, ſunt epiſcopi & abbates ordinis veſtri, ſunt eciam Barones & Clerici qui in cauſa ſibi credita nullatenus à vero deviabunt. *Et ſupprior;* Boni, inquit, & prudentes viri ſunt, ſed nobis ſuſpecti, eo quod ſemper foveant partem archiepiſcopi, nec in aliquo regi velint contradicere, nec juſticiæ noſtræ vel ſpecie tenus in aliquo favere; præterea domino papæ dure ſcripſerunt contra nos, ideoque non audemus in cauſa noſtra illorum arbitrio ſubjacere. His dictis, *Randulfus* indignans abiit & dixit, Solam *Romam* quæritis, ſola *Roma* deſtruet vos. Feſtinus igitur abceſſit & *Londoniam* properavit ut milites *Angliæ* congregaret in *Normanniam*, ad regem tranſmittendos. Affligebant enim eum rex *Franciæ Philippus* & Comes *Ricardus* acriter inſiſtentes, nec valebat eis reſiſtere, ſed de caſtello in caſtellum prævium, ne dicam fugitivum ſequebantur. Unde factum eſt ut circa feſtum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* undique premeretur invitus, adeo ut regi *Franciæ* novam cogeretur præſtare fidelitatem, & xxx. milium librarum ſummam polliceri. Utrique vero tam regi ſcilicet quam Comiti omnes ante negatas annuere petitiones, & Baronibus *Franciæ* xx. milium librarum facere promiſſionem. Cum igitur hoc modo pacificati à colloquio apud *Giſortium* habito abinvicem diſcederent, & rex *Angliæ* de ſolvenda pacta pecunia plus ſolito dolore cordis intrinſecus tangeretur, ex conſilio legati venerunt ad eum apud *Azai* quidam monachi *Cantuarienſes* pro eccleſia *Cantuarienſi* ſupplicantes, & temptantes ſi forte in ſuis ſentiret anguſtiis & reſipiſceret, quanta miſera *Cantuarienſes* eccleſia ab eo vel per eum preſſa egeret miſericordia. Qui cum ad eum vix tandem admitterentur, & dicerent inter cætera, quod Conventus ſalutaret eum ut dominum, acſi contumeliam audiſſet, cum acerba indignatione reſpondit. Dominus eorum fui, ſum & ero, mali proditores. Sed abite velocius, cum meis enim loquar fidelibus. Dum igitur ſecederent monachi, unus ex eis ex intimo corde trahens ſuſpiria dicebat. Omnipotens Dominus per ſuam ineffabilem miſericordiam & per merita beati *Thomæ* martyris, ſi vita ipſius vel paſſio ei placuit, nobis de tuo corpore in proximo juſticiam faciat. Rex autem pro contumelia monachis illata, à quodam clerico correptus, litteras fieri præcepit conventui dirigendas, & uſque ad adventum ſuum in *Angliam Cantuarienſis* eccleſiæ diſtulit negotium. Ipſe vero incontinenti percuſſus expalluit & diſſolutus eſt & male interiit ij. non. Julii apud *Chinum*, & apud *Fontem Ebrandi* miſerabiliter ſepultus eſt, ut præ pudore regio cætera taceantur. Male inquam interiit, ut propheticus ille verſiculus beato *Thomæ* martyri divinitus inſpiratus impleretur. Cum enim ſanctus *Thomas* ex perſecutione ipſius regis exularet, & quid de tanto perſecutore eccleſiæ & filiis ejus futurum eſſet mente ſedula pertractaret, verſiculus ille incidit in mentem ipſius,

Mors tulit una duos, tulit altera ſed male patrem.

Henricus etenim primogenitus ejus & *Ganfridus* Comes *Britanniæ* uterque diſſenteria obiit, ſed pater infra ſeptimum diem poſt imprecationem monachi male mortuus & ignominioſe ſepultus eſt. Monachi autem *Cantuariam* redeuntes has litteras ultimas *Henrici* regis Conventui porrexerunt.

HEnric. *Dei gratia rex* Angliæ *&* *dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ *&* *Comes* Andegaviæ *conventui eccleſia Chriſti* Cantuariæ *ſalutem. Super anguſtiis & moleſtiis quibus hucuſque oppreſſa eſt eccleſia Chriſti* Cant. *ſupra modum gravamur & movemur. Verum ſicut rei veritas ſe habet bene noſtis, & pro certo debetis habere, hoc neque me volente neque approbante neque conſentiente factum fuiſſe, ſed ad honorem Dei & eccleſia veſtræ ſi per me ſtetiſſet jam diu pacificata fuiſſet diſſenſio, quæ tam diu inimico ſuadente inter dominum archiepiſcopum & vos eſt protracta. Nunc autem ſicut audiſtis deſcendit ad partes noſtras* Johannes *ſancti* Marci *presbiter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus ad pacificandum tantæ diſſenſionis turbinem, cui quanta poterimus diligentia ad honorem Dei et domini archiepiſcopi & veſtrum aſſiſtemus. Sed quia in abſentia noſtra et domini archiepiſcopi in tam arduo negotio debito ordine procedere non poſſet, vobis mandamus & conſulimus, quatinus cauſa veſtra meritum ſollicite vobiſcum revolvatis uſq; in adventum noſtrum, & interim in unum convenientes, animos veſtros ſalvo in omnibus jure & honore eccleſiæ ad ea quæ pacis ſunt inclinetis, ut in adventu noſtro viam ad tanti negotii deciſionem faciliorem inveniamus. Teſte* Willielmo *de ſancta* Mariæ *eccleſia apud* Azai.

Obiit autem rex *Henricus* anno regni ſui xxxv. ij. non. Julii & apud ſanctum *Ebrandum* ſepultus eſt. Quo audito, rex *Franciæ* & Comes *Ricardus* convenerunt in unum apud *Giſortium*, & pacem illam quæ vivente *Henrico* rege inter eoſdem formata & confirmata eſt compromiſerunt adinvicem obſervare; videlicet ut rex *Franciæ* municiones illas & omnia quæ adquiſierat inſuper addita tota *Biturica* in ſua teneret cuſtodia et libera poſſeſſione, et ut inſequenti quadrageſima iter arriperent eundi in *Ieroſolimam*. Facto igitur homagio regi *Franciæ* de omnibus terris ſuis tranſmarinis, ſuſcepit et ipſe homagia concurrentium ad ſe Baronum et Comitum; fratremque ſuum *Iohannem* benigne ſuſcepit, blandeque conſolatus eſt. Omnibus benigne loquebatur qui ad eum veniebant. Unde amabilis valde inprimis effectus eſt.

Baldewinus autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus breviter eum alloquens, accepta licentia iter per *Witſandum* paravit in *Angliam*. Cum autem procuratum fuiſſet à quibuſdam qui male ſibi erant conſcii, ne legatus veniret in *Angliam*, idem legatus ſcripſit archiepiſcopo mandans ut de cauſa *Cantuarienſi* apoſtolicum exequeretur mandatum, et ne de cætero manus in monachos aggravaret. At ille nuntio benigne reſpondit, ſe et domini Papæ et Cardinalium præceptum libenter eſſe facturum. Et ſic ij. kal. Auguſti applicuit apud *Dovoriam*. Monachi vero *Cantuarienſes* cum non liceret eis libere quoquam egredi, miſerunt ad eum ſalutandi gratia Priorem ſancti *Gregorii*, ut de tranſmarinis redeunti vice conventus debitam offerret proceſſionem. At ille cum diceret per monachos eam ſibi debere offerri, & conventum in craſtino per clericos ſalutaret, miſſi ſunt ad eum monachi tres viri probatæ religionis, ut de tranſmarinis venienti præmiſſa ſalutatione de facienda proceſſione ipſius inquirerent voluntatem. Quibus ille dixit. Conventus ſalutationem ſuſcipio, non ſupprioris, quia excommunicatum eum habeo, & excommunicatum denuntio. Ideoque volo ut aut veniam petat & debitam accipiat abſolutionem, quia judicium de eo factum eſt & pœna pro foribus, aut interim alicubi recondatur, vel veſtram non ſuſcipiam proceſſionem. Cui monachus qui loquebatur inquit. Non habemus eum excommunicatum, nec excommunicatus eſt, nec eo amoto vel eciam quolibet minimo eccleſiæ monacho ulla ab aliis fiet proceſſio: Non enim ab invicem poterimus ſeperari. Et adjecit. Nunc ergo kariſſime pater & domine per miſericordiam Dei rogat ſupprior & cum eo conventus & per beatorum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſanctorum merita, ut domini papæ & quem miſit legati adimplere velitis mandatum. At ipſe non veritus juſtitiam reſpondit & dixit, quod jam apoſtolicum feciſſet mandatum. Et ſubjunxit. Ad eccleſiam meam veniam, Priorem meum inſtituam, Camerarium & ſacriſtam faciam et meum celerarium. Cumque ſuper hujuſmodi plurima minaretur, licentiati monachi receſſerunt, quæ audierant & viderant Conventui nunciantes. Archiepiſcopus autem quodammodo extra ſe poſitus, in impetu furoris ſui juvenem quendam à ſua fugavit curia, eo quod talis monachi abeuntis poſuiſſet calcaria, vel aſcenſorium tenuiſſet. Tercia deinde die cum archiepiſcopus veniret *Cantuariam*, nec vellent monachi à cœtu ſuo repellere ſuppriorem, nec eo præſente vellet archiepiſcopus ſolenniter ſuſcipi, ne nil ageretur ſigna ſolenniter in adventu ipſius pulſare fecerunt. Dominica autem die viij. ſcilicet idus Auguſti, mediantibus hinc inde amicis, tandem conſenſit archiepiſcopus, ut omnia conventui reſtituere vellet in integrum, videlicet poſſeſſiones & ante habitas libertates. Conſentiente conventu verbo tenus reſtituta ſunt omnia in audientia cleri & populi, & in oſculo pacis. Cum autem monachi vice conventus corporalem peterent poſſeſſionem, jam mutata conditione quam in oculis quingentorum fere hominum in oſculo pacis fecerat, dixit ſe non nomine univerſitatis illam feciſſe reſtitutionem, ſed tantum duobus. Quibus in inſtanti abſque conſcientia conventus tercium appoſuit, quem et Celerarium nominavit, ut hi tres ſecundum formam de *Alenzun* omnes eccleſiæ regerent poſſeſſiones. Denuntiavit etiam ſuppriorem excommunicatum, nec pati potuit ut prædictæ intereſſet reſtitutioni. Videns autem Conventus jam omnia commutata fuiſſe, per abbatem ſancti *Auguſtini R.* quem eciam in hoc negotio ſenſerunt adverſarium, & per Priorem ſancti *Gregorii* petierunt in craſtino, ut archiepiſcopus omni ambage ſepoſita de plano apoſtolicum exequeretur mandatum. Craſtino autem prævenit eos archiepiſcopus mandans quod omnia reſtituere vellet in integrum cum debita et libera adminiſtratione, ſicut aliquo habuerant tempore, vel eo eciam die quo ipſe archiepiſcopus factus eſt. Videlicet ut conventus monachos tres vel quatuor ad cuſtodiendas villas ordinaret, qui de redditibus omnibus theſaurariis à Conventu conſtitutis per taleas reſponderent, et illi celerario, ſacriſtæ et camerario, quorum inſtitutio ex aſſenſu conventus ad archiepiſcopum pertinere dinoſcitur, prout neceſſitas exigebat et ratio, expenſas erogarent, ſalvo in cæteris mandato domini papæ & querelis partis utriuſque. Relata ſunt hæc conventui. Et cum omnes parati eſſent ad ſuſcipiendum, reſilire cœpit archiepiſcopus à propoſito, dicens ſe velle ſibi reſervare theſaurariorum inſtitutionem, et eorum qui villis erant præponendi. Unde uſque in craſtinum petitæ & conceſſæ ſunt induciæ reſpondendi. Archiepiſcopus autem die craſtina licet matutinam horam non ſuſtinens, abiit ad villam ſuam quæ dicitur **Tenham**. Legatus interim ad preces Ducis in *Pictaviam* profectus eſt ad colligendas decimas, de cauſa *Cantuarienſis* eccleſiæ pro qua miſſus eſt penitus ſopita legatione. Maluit enim ad nutum principis pecuniis colligendis inſiſtere, quam ad præceptum ſummi pontificis *Cantuarienſis* eccleſiæ pacem debitam reformare.

Convenerunt interea apud *Wintoniam* epiſcopi & abbates & *Angliæ* nobiliores in occurſum Comitis & Ducis *Ricardi*, qui apud *Barbeſluctum* ad mare deſcenderat, ut ad coronationem ſuam celebrandam properaret in *Angliam*. Regina quoque *Alianor* quæ defuncto rege ſponſo ſuo *Henrico*, ad imperium filii ſui Ducis *Ricardi* à diutino carcere liberata eſt, ibidem cum proceribus *Angliæ* & *Randulfo de Glanvilla* filii ſui Ducis adventum expectabat. Conſertus eſt itaque ſermo inter eos in præſentia Reginæ de tribulatione *Cantuarienſis* eccleſiæ, unde & ipſius Ducis *Ricardi* ſuſceperant mandatum, tam archiepiſcopo *Cantuarienſi* quam ejuſdem Conventui deferendum. Placuit tandem omnibus ut *Iohannes* abbas de *Hida*, *Henrico* Priore de *Beremundeſeia* comitatus, pacis intuitu reformandæ *Cantuariam* mitteretur. Acceſſerunt itaque prædicti viri *Cantuariam*, conventui ex parte Reginæ & *Randulfi* præfecti comminatorias litteras deferentes. Admiſſi in capitulum, proponebant dura & aſpera valde, dicentes & per ſacramentum altaris dejerantes, quod ab ipſo duce jam emanaſſet mandatum, ut ſupprior ab eccleſia manu militari cum omnibus ſibi conſentientibus expelleretur niſi voluntati archiepiſcopi per omnia conſentirent. Paratus enim erat archiepiſcopus ut dicebant omnia reſtituere ſalvo jure & querelis utriuſque partis et mandato domini papæ. Venerabilis autem ſupprior *Gaufridus* præmunitus, biduo ante adventum abbatis ad mare deſcenderat ut tantam malitiam declinaret, vel ut ducem ſuper his alloqueretur & quem miſerat papa legatum. Videns vero conventus & ex ore nuntiorum audiens eccleſiæ *Cantuarienſis* inauditum imminere periculum, conſenſerunt tandem utcunque, ut his quem archiepiſcopus nominaverat celerarium, licet minus eſſet idoneus & contra morem eccleſiæ conſtitutus, pro bono pacis celerariam miniſtraret, ſalva in cæteris omnibus eccleſiæ libertate. Rediit igitur prædictus abbas ad archiepiſcopum ducens ſecum monachos quatuor, qui ex ore archiepiſcopi formam reſtitutionis audirent, & initium pacis conventui reportarent. Annuit igitur archiepiſcopus in præſentia epiſcopi *Baiocenſis* & Abbatis de *Hida* & Prioris de *Beremundeſeia* & prædictorum iv. monachorum cæterorumque qui aderant, ut illa reſtitutio quæ *Cantuariæ* publice facta eſt, ſtabilis permaneret, ſalvo ſcilicet mandato domini papæ, ſalvis eccleſiæ cartis & privilegiis & querelis & jure utriuſque partis. Similiter & monachi vice Conventus archiepiſcopo conſenſerunt ut quem nominaverat monachus celerariæ gauderet officio, ſalvis omnibus quæ ſuperius ſalvata fuerunt. Verum quia archiepiſcopus ſic loquebatur, ut priorum poſitiones verborum ſubſequentibus cavillationibus commutare vel extenuare velle videretur, petierunt prædicti monachi, quod & volebat conventus, ut ſinguli verborum articuli redigerentur in ſcriptum, & appoſitis ſigillis Archiepiſcopi ſcilicet Abbatis & Prioris, conventui mitterentur. Noluit archiepiſcopus præfato ſcripto ſigillum apponere, ſed ad petitionem monachorum ſæpedictos mediatores miſit *Cantuariam*, qui vice archiepiſcopi celerarium inſtituerent, & conventui cum villis & poſſeſſionibus omnibus curiam reſignarent. Cum igitur in craſtino pridie ſcilicet idus Auguſti mediatores illi veniſſent *Cantuariam*, & in conventu *Cantuariæ* de forma reſtitutionis & ſcripti, deinde de ſigillorum appoſitione multiplex & varius ſermo verteretur, cunctaque ſatis placita & complanata fuiſſent, dixerunt nuntii quod archiepiſcopus eis prohibuiſſet ne alicui ſcripto ſigillum apponerent, ſed de pacis reformatione verbo tenus perhiberent teſtimonium veritati. Mirabantur ad hæc univerſi, & in hunc modum abbatem ipſum allocuti ſunt. Domine, ut aſſeritis, vos ex parte reginæ & *Randulfi* de *Glanvilla* & cleri *Angliæ* ex mandato Ducis reformandæ pacis intuitu inter nos & Dominum archiepiſcopum huc acceſſiſtis, minaſque nobis terribiles ſcilicet de captione noſtra & ejectione attuliſtis. Nos autem quamvis non debeat eſſe ſtabile quod vi vel metu extortum eſt, tamen pro bono pacis eciam contra morem & jus eccleſiæ archiepiſcopi paruimus voluntati & veſtræ ſuggeſtioni. Nunc autem quia videmus archiepiſcopum verbo ſuo non ſtare ſed ſemper retrogradum eſſe, & omni momento in incertum commutari, reſilimus & nos à conceſſis, petentes nobis apoſtolicum in omnibus adimpleri mandatum. Sciatque dominus archiepiſcopus, quod & vobis conſtanter aſſerimus, quod omnes et ſinguli quotquot ſumus ſenes cum junioribus parati ſumus pro libertate noſtra et jure eccleſiæ non ſolum minas ſed et contumelias et carceres, et quicquid humana poteſt excogitare malitia, ſed & ipſam mortem ſi Deus dederit, ſuſtinere. Cumque omnes idem acclamantes aſſurgerent, obſtupuerunt nuntii tantam in tanto conventu unitatem ſimul & conſtantiam eſſe, animoque ſuo conſternati & anxii quid facerent ignorabant. Videbant enim hinc & inde periculum, & jam novam pullulare diſcordiam. Invocata tandem Spiritus ſancti gratia, bonum & utile conſilium artificioſe repertum eſt quo conventui ſatisfactum eſſe videbatur ad tempus, ne in poſterum cauſa vel jura periclitarentur eccleſiæ. Appoſuerunt enim ſigilla ſua ceræ impreſſa ſcripto coram omnibus facto in hunc modum.

JOhannes *Dei gratia abbas Sancti* Petri *de* Hida *&* Henricus *Prior de* Beremundeſeia *omnibus Chriſti fidelibus ad quos præſentes litteræ pervenerint ſalutem. Sciatis quod dominns* B. Cantuarienſis *archiepiſcopus reddidit Conventni eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *omnia maneria, redditus & poſſeſſiones ſuas ad tenendum ita libere & quiete ſicut tennerunt tempore quo promotus eſt in archiepiſcopum, ſalvis privilegiis eorum & cartis, & ſalvis querelis eorum & mandato domini Papæ in omnibus, & ſalvo jure archiepiſcopi & conventus. Hanc reſtitutionem ita factam ſigillorum noſtrorum appoſitione atteſtamur.*

Inſtituit igitur prædictus abbas vice archiepiſcopi in conventu celerarium, foreſque & hoſtia curiæ quæ jam anno uno & dimidio peſſulis & repagulis firmiſſime clauſa fuerant reſeravit, curiamque & officinas bonis omnibus vacuas conventui reſignavit. Mirabantur omnes qui aderant curiam *Cantuarienſis* eccleſiæ jam olim omnibus bonis refertam ad tantam & tam miſeram paupertatem redactam ut officinarum vix ſolos parietes obtineret illæſos. Miſſi ſunt ilico monachi duo ut villas eccleſiæ viſitarent et poſſeſſiones, ut ſaltem ibi victualium vel modicum invenirent ſolatium.

Præſtolabantur interea Prælati *Angliæ* ut prædictum eſt apud *Wintoniam Ricardi* ducis adventum. Cum quibus & *Gaufridus Ridellus Helienſis* epiſcopus pompoſus & faſtu plenus occurrens adverſa correptus valitudine decidit in lectum & mortuus eſt. Cujus cadaver ad **Heli** deportatum eſt & ſepultum. Inventa eſt autem in theſauris ejus non modica pecuniæ multitudo, (è quibus tria milia & CC. marcæ novo regi coronando collata ſunt pro anima epiſcopi, qui monachorum ſuorum ſpecialis extitit expugnator) mimis, & ſcurris dividendæ. Dux autem *Ricardus* applicuit in *Anglia* apud *Suthamtoniam* ij. idus Auguſti, & in vigilia Aſſumptionis apud *Wintoniam* ſolenniter receptus eſt. Audiens autem *Gualenſes* è finibus ſuis erupiſſe, & aliquas villulas vaſtaſſe in *Anglia*, divertit illuc ut illorum ſaltem ad tempus impetum cohiberet. Verum matris ſuæ videlicet *Alianor* reginæ conſilio revocatus eſt, pervenitque *Londoniam* iiij. non. Septembris, & in craſtino in ingenti gloria coronatus eſt à *Baldewino Cantuarienſi* archiepiſcopo aſtantibus & cooperantibus epiſcopis *Angliæ*. Propoſuit itaque novus rex octava die vacantibus eccleſiis de conſilio cleri paſtores præponere, ut tanto liberius ſuam in *Ieroſolimam* pararet peregrinationem, quanto rectius eccleſia Dei propria gauderet libertate. Videbatur enim in primis diebus quod omnem abnegaſſet impietatem, & quod avaritiam contempneret & dona ferentes. Sed in inſtanti à bono propoſito pravorum conſilio revocatus eſt, diemque faciendarum mutavit electionum, locumque de *Londonia* ad villam quæ *Gadintonia* nuncupatur. Videns autem B. *Cantuarienſis* archiepiſcopus quod abſque conſcientia ſua regium eſſet mutatum conſilium, iratus eſt valde. Ira etiam ipſius aliunde aucta eſt, eo ſcilicet quod *Iohannes* frater regis filiam Comitis *Gloceſtriæ* in tercio gradu conſanguineam duxiſſet uxorem. Unde eidem *Iohanni* comminatoriam miſit epiſtolam, inhibens ei ſub anathemate ut acceſſum non haberet ad virginem, præcipiens ut in die peremtorio in præſentia ipſius archiepiſcopi appareret de tanta tranſgreſſione reſponſurus. xvij. kal. Octobris convenerunt apud **Pipwelle** epiſcopi & abbates *Angliæ*, ubi in præſentia regis & archiepiſcopi iſti electi ſunt. *Godefridus Wintoniæ, Ricardus Londoniæ, Hubertus Saleſbiriæ, Willielmus* Cancellarius *Helienſi* eccleſiæ, & *Gaufridus* frater regis ſed nothus *Eboracenſi*. Abbates quoque electi ſunt, videlicet *Glaſtonenſis, Sirabnrnenſis, Perſorenſis* & ille de **Faureſham**. Igitur ſoluto prædicto Concilio, archiepiſcopus verſus *Cantuariam* iter reflexit, et pacem quam fecerat cum conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ primus violavit. Villis namque et redditibus ut promiſerat necdum ad plenum reſtitutis, eccleſias et villas tres eiſdem vel non reddidit vel iterum abſtulit, eo quod non auderent excommunicatis domini papæ et malefactoribus ſuis communicare. Petentibus autem monachis et orantibus ut eis omnia ſecundum quod promiſerat reſtituerentur, nunc dure nunc benigne ſed abſque effectu loquebatur. Dicebat autem quod in proximo venturus eſſet *Cantuariam*, ut conſilio conventus Priorem eis præficeret. Mirabatur ad hæc conventus, præſertim cum tanta diſcordia jam inter eos triennio tracta necdum ad plenum eſſet pacificata. Miſerunt igitur ad eum duos fratres ſeniores, rogantes attentius ut ab hac deſiſteret intentione. Qui cum repulſi à petitione domum rediſſent, craſtino iiij. ſcilicet non. Octobris miſſi ſunt ad eum uſque **Tenham** monachi tres qui eidem vice conventus preces porrigerent in hunc modum, Domine pater venerande venimus ad vos ex parte conventus humili prece ſuppliciter exorantes, ſicut et fratres noſtri qui heſterna die vobiſcum fuerunt, quatinus intentionem veſtram quam habere videmini de Priore faciendo aliquantulum differre velitis. Non enim ad præſens ordine debito hoc poteſtis efficere cum aſſenſum conventus noſtri non habeatis, eo quod inter vos et illos res acta non eſt ſecundum apoſtolicum mandatum. Præterea ſupprior noſter in proſecutione cauſæ noſtræ et appellationis ſuper hoc ſpecialiter factæ, in partibus tranſmarinis in præſentia Legati conſiſtit, & cum eo fratres noſtri, in quorum abſentia huic veſtræ voluntati aſſenſum dare nec poſſumus nec debemus. *Quibus archiepiſcopus*; Petitionem, inquit, veſtram non audio quia rationabilis non eſt, ſed faciam quod facturus ſum. Duos autem ex vobis in cuſtodia mea retinebo, tercius quolibet abſcedat. Quo dicto, irruentes undique famuli archiepiſcopi duos monachos cum famulis ſuis tenuerunt & equis, tercius vero *Cantuariam* reverſus eſt, ut ea quæ dicta ſunt vel facta conventui nuntiaret. Ipſe quoque archiepiſcopus in ſpiritu furoris ſui iij. non. *Cantuariam* veniens, fratres aliquos eccleſiæ ſeniores ſuam vocavit in cameram. Quos ſecretius alloquens, de Priore faciendo quæſivit conſilium. At illi omnes & ſinguli diſſuaſerunt ne fieret, dicentes conventum ſuper hoc ſpecialiter & contra omnia appellaſſe gravamina, nec ad eum de cætero aliquos venturos eſſe de fratribus niſi primo fratres quos extraordinarie ceperat reſtitueret. Hoc audiens archiepiſcopus fratres alios plures cæteris & eos maxime quos exoſos habebat ad ſe venire præcepit. Qui cum ſuper hoc mandato in conventu conferrent ad invicem, ecce, archiepiſcopus in clauſtrum irruens cum multa militum & plebis multitudine duxit ſecum fugitivos illos & proditores eccleſiæ, *Rogerium* ſcilicet *Norreis* & *Oſbernum* de *Briſto*. Unde territus conventus aufugit in eccleſiam & archiepiſcopus cum turba multa Capitulum ingreſſus eſt. Conventus autem miſſam de beata virgine *Maria* ſolemniter inchoavit, ut ſaltem ſic à perſecutoris protegeretur inſania. Quod audiens archiepiſcopus miſſis nuntiis vocavit eos ut ſic quaſi de inobedientia rationabilem malignandi videretur habere occaſionem. *Alanus* autem qui tunc temporis abſente ſuppriore cæteris præerat, habito conſilio cum quibuſdam fratribus inducias petiit uſque mane, quia conventus divinis ut dictum eſt erat intentus obſequiis, quas minime potuit obtinere. Conventus autem deum magis timens quam *Baldewinum*, miſſam beatæ virginis devote celebraverunt, ſcientes quoniam magis obedire Deo oportet quam *Baldewino*. At ille fratres quinque quos prudentiores noverat excommunicavit, præcipiens ut omni ſublato refugio altaris & eccleſiæ caperentur. Quo facto, Priorem ilico abſente conventu, ij. non. Octobr. nominavit *Rogerium*. Qui cum eſſet manifeſtus inimicus & proditor eccleſiæ, ut ſuperius diximus; per cloacam aufugit clauſtralem amœnitatem. Cum autem archiepiſcopus curiam monachorum miſſis in eam nuntiis occupaſſet, concurrerunt monachi, ipſoſque de curia ejecerunt. Villæ autem & omnia quæ extra januas habebant in manus archiepiſcopi capta ſunt, & novo Priori ad devorandum tradita, iterumque janitores ad portam cimiterii poſiti ſunt, ne monachi vel ſervientes eorum qui ad capiendum ex nomine deſignati ſunt, aliquatenus egrederentur. Ex quibus tamen aliqui capti ſunt & in vincula conjecti. Interea rex pravorum ſuggeſtione prævaricans, & juramentum quo in facie eccleſiæ aſtrictus eſt minus quam deberet obſervans, occaſione crucis aſſumptæ pecuniam undecunque juſte vel injuſte collectam habere cupiens, avaritiæ frena laxavit, vendiditque inter cætera ut ferebatur Prioratum *Coventrenſis* eccleſiæ *Hugoni* cuidam nefando *Ceſtrenſi* epiſcopo, qui à juriſdictione *Ceſtrenſis* epiſcopi per multa tempora fuerat emancipatus. Sciens itaque idem malignus epiſcopus quod trecentarum marcarum Regi cupido ſpopondiſſet pecuniam, vij. idus Octobris armata manu Prioratum invaſit, Priorem fugavit, monachos in eccleſiam fugientes verberibus attrectavit, alios vulneratos inutiles reddidit, alios in vincula projecit & carcerem, alios ſpoliatos ignominioſe fugavit. Omnia eciam eccleſiæ almaria confregit, cartas & privilegia quædam igne concremavit. Rex autem nuntios ſuos cum litteris miſit *Cantuariam*, qui iiij. idus Octobris in capitulum venientes, modis omnibus inſiſtebant ut conventus de tota cauſa dirimenda compromitterent in arbitros, omni occaſione & exceptione remota. Minis tandem & blanditiis effracti monachi, conceſſerunt ut aliquos ad Regem mitterent monachos, qui de conſilio Regis cæterorumque amicorum eccleſiæ de reformanda pace inter ipſos & archiepiſcopum tractarent, excepto tamen opere capellæ & perſona *Rogerii*, quibus nulla ratione conſentire volebant. Petierunt autem regii nuntii ut hi qui mittendi erant litteras haberent ratihabitionis, [illegible] id quod Rex in eorum decerneret præſentia, cæteri omnes incommutabiliter ratum haberent. Sed Conventus videns ex hujuſmodi miſſione non modicum eccleſiæ ſuæ & cauſæ iminere periculum, litteris hujuſmodi præbere noluerunt aſſenſum, ſed monachos aliquot ad Regem mittendos eſſe dixerunt, non ut abſque conventus auctoritate aliquid efficerent ſtabile, ſed ut domini regis quærerent conſilium & implorarent auxilium de reformanda pace. Reverſi ſunt autem in brevi à Rege monachi duo, qui ipſius prætemptare debebant animum, regias litteras conventui deferentes. Miſſi ſunt eveſtigio ad regem monachi tres qui ipſius quocunque modo captarent benivolentiam, & diem compromiſſionis faciendæ aliquantulum protelarent, ſi forte interim viſitaret eos oriens ex alto dominus, & à legato vel ab ipſo *Romano* pontifice aliquam mererentur habere conſolationem. Miſerant autem Legato colligendis decimis intento litteras in hunc modum.

R*Everendo patri & domino* Johanni, *Dei gratia tituli Sancti* Marci *presbitero Cardinali ſedis apoſtolicæ legato, Conventus eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *omnium conventuum miſerrimus & magis afflictus ſalutem & vale ultimum. Quotiens & pro quibus injuriis ſuffragium ſedis apoſtolicæ imploraverimus, diſcretionem veſtrã latere non credimus. Sed quanto amplius ad vos clamavimus, eo acrius afflicti ſumus. Semper tamen ſperavimus quod ſaltem aliquando exurgentes propter miſerias & gemitum pauperum & poſt diſſimulationes tot & tantas arriperent manus veſtra judicium. Nunc autem quia aliter accidit quam ſperabamus; nec aliquod per vos vel in minimo conſecuti ſumus auxilium, ſed majus ſuſtinuimus detrimentum, quod tamen inviti dicimus, non exiſtente qui nobis ſubveniat vel juſtitiam exhibeat, confundimur & deficimus coacti manum dare hoſtibus & in eorum compromittere arbitrium qui nos eorum judicabunt ad votum. Quod & plenius poteritis advertere ex litteris domini Regis quas nobis in hac forma nuper deſtinavit.* « Ricardus *Dei gratia Rex* Angliæ *& Dux* « Normanniæ *&* Aquitaniæ *& Comes* Andegaviæ « *Conventui Sanctæ trinitatis* Cantuariæ *ſalutem.* « *Mandamus vobis quod nullatenus confidatis* « *de apoſtolica ſedis legato, & quod in regnum noſtrum* « *nec propter negotium noſtrum nec veſtrum* « *ullatenus intrabit ad terram noſtram deſtruendam.* « *Sed ſi compromittere volueritis in Epiſcopos* « *& Abbates & viros religioſos regni noſtri,* « *nos id archiepiſcopo ſignificabimus, & nos neceſſaria* « *miniſtrari faciemus xij. monachis de conventu* « *veſtro qui propter hoc ad nos accedent cum* « *litteris ratihabitionis, & ſignificate nobis ſi id facere* « *volueritis. Quia igitur ad radicem arboris ſecuris poſita eſt, nec aliquo modo evadere poſſumus quin in arbitros compromittamus, ne nobis poſſit imputari, vel nos ab aliquo argui quod minus æquo & citra poſſe noſtrum fecerimus, hoc vobis ſignificamus. Vos videritis ſi ordine quo procedendum fuit proceſſiſtis, & ſi non, requirat Deus hujuſmodi de manibus veſtris. Clauſi ſumus & ob-*

ſeſſi, rebus & redditibus omnibus ſpoliati; quidam de fratribus noſtris excommunicati denuntiati, quidam capti & inhoneſte tractati, ſervientes noſtri in vincula projecti, omnes quotquot ſumus ita anguſtiati & afflicti, quod vita noſtra non ſolum tadioſa ſed eciam odioſa eſt nobis. De cætero nichil vobis ſcribemus quia nec ſcribendi copiam nec pueros habemus per quos negotia noſtra exercere poſſimus. Si nobis vel ſero volueritis ſubvenire, & famam veſtram cum vita noſtra redimere, multa opus eſt acceleratione. Alioquin actum eſt de nobis & de eccleſia Cantuarienſi, *cujus cauſa & conditio circumquaque notiſſima eorum faciet in infamiam redundare, quicquid ei de ſuo jure ſubtractum fuerit, & quorum patientia & diſſimulatione deperierint.*

Igitur monachi tres ad regem directi ſponſione quingentarum marcarum ipſius pacantes animum, audierunt ab ipſo in verbo regio quod capella ſtare non poſſet, & quod pro nominatione Prioris pax eccleſiæ non remaneret. Volebat enim ut duodecim monachi cum litteris ratihabitionis occurrerent ei & clero *Angliæ* hac de cauſa *Londoniam* venienti, ut auditis cartis & privilegiis utriuſque partis & allegationibus, omnium judicio tanta diſſenſio finem debitum ſortiretur. Hoc enim egerant archiepiſcopus & ille *Coventrenſis* epiſcopus nec non & alii epiſcopi qui miſeris monachis erant infeſti, ne legatus hac de cauſa veniret in *Angliam*, ut vel ſic apoſtolica auctoritas regia cenſura caſſaretur. Cum itaque Rex & Epiſcopi ex condicto veniſſent *Londoniam* & xij. monachi *Cantuarienſes* in capella infirmorum apud *Weſtmonaſterium* reſiderent, ſupervenit archiepiſcopus cum turba ſuorum, factaque breviter oratione mandavit cuidam ex monachis ut tanquam excommunicatus à capella egrederetur, nec locum ſacratum contaminaret. Inhibuit eciam cæteris ne eidem monacho in aliquo communicarent. Monachus autem ille nuntio reſpondit dicens, Dic archiepiſcopo frater, quod dominus Papa ipſius ſuſpendit poteſtatem, collata nobis indulgentia ne pendente lite ſua in nobis teneat ſententia. Indignans ad hæc archiepiſcopus, magnam ilico exercuit machinationem, ut vel illum monachum caperet, vel à cœtu ſeperaret cæterorum. Monachi vero intrepidi poſt aliquantulam moram mature palatium Regis ingreſſi, prudenter ipſius declinaverunt inſidias. Quos in brevi ſubſequens archiepiſcopus, in interius cubiculum ingreſſus ad Regem, de monacho illo quem ſe excommunicaſſe dicebat capiendo vel amovendo quia dux verbi videbatur, longum ſed inutilem traxit ſermonem. Sed cum nichil prævaleret, tam ipſe quam cæteri omnes in præſentiam regis & epiſcoporum convocati ſunt. Ex quibus unus ſenex & plenus dierum dixit ad regem. “Ad præſentiam regiæ Majeſtatis miſſi ſumus à conventu miſeræ *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ jam per triennium multis modis & anxietatibus variis injuſte afflicta eſt. Quæ cum *Anglicanæ* eccleſiæ uſque ad hæc noviſſima tempora mater exiſtat & domina, ſalutat vos ut filium, ſalutat ut dominum, orans & obſecrans ut ei per nos miſericordiam velitis impendere & curam adhibere ut dominus noſter archiepiſcopus pacem nobis reſtituat & ante habitas libertates. Parati enim ſumus & ſemper fuimus ei ut patri debitam exhibere reverentiam. His dictis, ſenior ille cum cæteris omnibus genua flectens, orationem complevit in lacrimis. Cum autem quæreret Rex an compromittere vellent in arbitros. Monachi dixerunt. Ob nimiam excellentiam archiepiſcopi omnes nobis quaſi adverſarii facti ſunt, ut nec unum quis audeat pro nobis allegare ſermonem. Sed jam nunc à latere veſtro nobis præſtari conſilium poſtulamus. Annuit rex ex aſſenſu archiepiſcopi monachorum juſtæ petitioni, et *R. Bathonienſis* cum *Gaufrido* magiſtro Templi ſeorſum cum monachis reſederunt. Viſis autem duabus cartis tantum Sancti videlicet *Anſelmi* & Regis *Willielmi* primi, eo quod regis impetus juvenilis moram non ſuſtineret, hoc conſilioſum videbatur & juſtum, ut ante litis ingreſſum plenam ablatorum repoſcerent reſtitutionem. Quam cum ad preces monachorum in audientia omnium peteret ille *Bathonienſis*, ilico reſponſum eſt quod ad pacem recipiendam non ad litigandum eſſent monachi ad curiam vocati. Poſt varios deinde ſermones undique prolatos, cum monachos interrogaret rex an pacem quærerent vel quid ab archiepiſcopo peterent. Monachus reſpondit. In primis petimus demolitionem capellæ quæ tocius mali hujus initium eſt; Deinde depoſitionem illius quem abſque ratione & contra morem eccleſiæ nominavit Priorem. Petimus eciam res & poſſeſſiones nobis ablatas. Petimus eccleſias & ex his omnibus fructus medio tempore perceptos. Petimus ut nobis reſtituantur monachi noſtri & famuli quos dominus archiepiſcopus adhuc tenet in vinculis. Petimus ut ſupprior noſter & fratres cæteri qui in tranſmarinis ſunt libere redeant; et cum obſervatione cartarum & privilegiorum de cætero ceſſent gravamina, & hactenus habitæ reſtituantur libertates. Hæc audiens archiepiſcopus dixit ad regem. Sicut ipſi repetunt quæ ſua ſunt, ſic & ego ea repeto quæ michi vi & injuſte ſubtraxerunt. Primo debitam obedientiam & ſubjectionis reverentiam. Deinde quorundam officialium inſtitutionem, ſigilli quoque & theſauri cuſtodiam, & alia hujuſmodi; primoque reſtituendus ſum, quia primus & caput eccleſiæ. Monachus ad hæc. Satisfaciat nobis dominus archiepiſcopus noſtra reſtituens, & parati erimus ei pro loco, tempore ſufficienter reſpondere. *Roffenſis* autem dixit ad regem. Theſaurus eccleſiæ veſter eſt, nec abſque veſtra conſcientia debuit amoveri. Verum eſt, inquit rex, theſaurus noſter eſt, ad defenſionem terræ contra hoſtes peregrinos. Sed jam noſſe velim, an utraque pars tam meum quam epiſcoporum regni mei & ſapientum de tota controverſia ſubire velint arbitrium. Quod audiens archiepiſcopus, de facili præbuit aſſenſum. Hoc enim optaverat ab initio cauſæ, hoc votis omnibus expetebat, ut *Romana* ſedis auctoritate repulſa, eorum judicio cauſa finiretur, qui ad remunerandum juſte vel injuſte factum judicium ſuæ erant juridictionis Videntes itaque monachi jam ex indignatione regis & præſulum tam ſibi quam eccleſiæ ſuæ maximum imminere periculum ſi id quod archiepiſcopus obtulerat refutarent, ne de juſtitia ſua diffidere viderentur, ſciſcitanti regi reſponderunt. Veſtro domine & epiſcoporum parati ſumus ſtare judicio, ſalvis cartis & privilegiis noſtris. Sic enim à conventu noſtro miſſi ſumus, hoc indicant litteræ ratihabitionis, & fines mandati non debemus excedere nec valemus. His dictis, regii ſed juvenilis animi motus moram non ſuſtinens, pranſurus abſceſſit, & reſiduum cauſæ diſtulit in craſtinum; Jam enim ſol vergebat ad veſperam Murmurabant autem clerici archiepiſcopi ſecretius colloquentes, quod ſi archiepiſcopus Cartis monachorum & privilegiis conſentiret, cum penitus non haberet quid obiceret, cadens à cauſa confunderetur, quippe qui privilegia non habebat à munimentis monachorum ſegregata. Unde uſque in medium noctis ſermo varius inter eos conſertus eſt, quomodo vel qua arte poſſet archiepiſcopus *Cantuarienſis* eccleſiæ privilegia mutilare. In craſtino autem reſidentibus cunctis una cum Rege & archiepiſcopo, monachi quoque *Cantuarienſes* in medium ducti ſunt; primoque litteræ ratihabitionis petitæ & porrectæ ſunt in hunc modum.

E*Xcellentiſſimo domino ſuo* R. *Dei gratia illuſtri* Anglorum *Regi, duci* Normanniæ *&* Aquitaniæ *& Comiti* Andegaviæ *Conventus Eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *miſerabilis & mendicus ſalutem ab eo qui dat ſalutem Regibus. Mittimus ad vos præſentium latores, ſignificantes vobis quod nos gratum & ratum habebimus quod ipſi fecerint ſecundum deum de tractanda pace inter nos et dominum archiepiſcopum, ſalvis privilegiis et cartis noſtris et ſtatu eccleſiæ. Valete.*

Deinde ſermo heſternus de conſenſu in arbitros facto in medium ductus eſt, ſed in verbo penultimo commutatus Dicebant enim quod ex conſenſu partium faciendum eſſet Judicium, Salvis ſolummodo antiquis cartis & privilegiis; nova penitus omnia volentes condempnare. Nitebatur enim archiepiſcopus omnia opera *Ricardi* archiepiſcopi prædeceſſoris ſui, eo quod monachus eſſet *Cantuarienſis* eccleſiæ, in irritum revocare. Unde regi ſecreto quærenti an cartis monachorum præbere vellet aſſenſum, reſpondit, Non. Mirantes autem monachi conſtanter aſſerebant ſe non ſic à conventu miſſos ad curiam veniſſe, nec heſterno die in hoc dediſſe conſenſum, ut cartæ novæ vel privilegia debita virtute carerent, ſed omnia nova ſcilicet & vetera hactenus habita gauderent firmitate. Hæc audiens rex, dicebat antiqua privilegia conſervanda, nova autem & ea maxime quæ à tempore *Ricardi Cantuarienſis* archiepiſcopi perquiſita ſunt non eſſe tenenda. Cui monachus; Quid, inquit, in cauſa eſt quod tantopere tempora *Ricardi* refutatis? Et ait Rex. Quia veſter monachus erat & veſtram in omnibus complevit voluntatem. Monachus ad hæc. Si facta *Ricardi* refutanda ſunt quia noſter monachus erat, quis præſentis archiepiſcopi ſervabit inſtituta quia monachus noſter non eſt? *Ricardi* facta grata de jure debent eſſe & rata, quia ab adoleſcentia ſua in clauſtro nutritus antiqua jura novit eccleſiæ. Tantoque firmiora, quia canonice electus & canonice ab *Alexandro* papa conſecratus & in *Angliam* remiſſus eſt apoſtolicæ ſedis legatus. Niſi forte, quod abſit, infirmiores eſſe debeant quos *Romana* promovit eccleſia. Cum igitur hæc altercatio de conſervandis ſcilicet vel abolendis privilegiis & cartis diutius protraheretur, viderentque ſinguli quod injuriam monachi violenter illatam ſuſtinerent, dixit ille *Ceſtrenſis* licet hoſtis eſſet monachorum. Minus ſufficientes ſunt litteræ quas tulerunt monachi iſti negotio quod præ manibus habetis. Videns autem *Dunelmenſis* qui multa præditus erat ſapientia & ætate, quod dies jam declinans expenderetur in caſſum, dixit ad monachos. Poteritne ſuſtinere veſtra diſcretio quod & conſonum videtur rationi, ut à tempore *Ricardi* archiepiſcopi cartæ inſpiciantur, ut quæ ſunt rationabiles maneant, & quæ ratione carent confringantur? Monachi autem dixerunt. Nuntii ſumus conventus noſtri, litteras tulimus ratihabitionis, nec fines mandati valemus excedere, ne nos inobedientes & noſtræ proditores eſſe videamur eccleſiæ. Sed jam nunc ſi placet date nobis inducias ut ſuper hac quæſtione conſulamus conventum, & quod ei ſuper hoc placuerit, nos abſque contradictione exequemur. Ad hæc rex indignans ait, Non faciam. Non enim diutius præſtolabor vos. Et dixit ad conſidentes. Vocate michi notarium, qui quos nominavero judices, ſcribat in medio noſtrum. Suggeſſerunt autem quidam ut archiepiſcopus ſibi placitos nominaret, & monachi ſimiliter facerent. Sed hoc noluit rex ne videlicet hac occaſione nova ſurgeret altercatio. Nominavit itaque rex in primis archiepiſcopum *Rothomagenſem*, epiſcopum *Dunelmenſem*, *Wintonienſem*, *Salesberienſem*, *Menevenſem*, electos *Londonienſem* & *Helyenſem*. Et præter hos nominavit Sancti *Albani*, Sancti *Eadmundi* abbates & Abbatem de *Radinges* & *Weſtmonaſterii*, abbatem de **Waltham** primicerium *Pictavenſis* eccleſiæ & Priorem *Meretoniæ*. Dixit autem rex. *Ecce quam magnos et ſapientes nominavimus viros, ut aſtricti juramento inter archiepiſcopum et vos verum et juſtum faciant judicium. Vultiſne adhuc conſentire*? Monachi dixerunt. Magni quidem & ſapientes viri ſunt, eorumque & veſtro conſentimus judicio, ſalvis cartis noſtris & privilegiis. Sic enim ut prædiximus à Conventu miſſi ſumus; quod & litteræ vobis tranſmiſſæ teſtantur. De mandato autem domini papæ vel de legato nullam ſinebant fieri mentionem. Rex autem volens archiepiſcopo per omnia ſatisfacere, novas cartas & privilegia *Cantuarienſis* eccleſiæ nitebatur mutilare, ut omnia ſcilicet ex prænominatorum Judicum penderent arbitrio. Rogavit autem regem unus ex monachis, ut ſi cartæ vel privilegia abſque exceptione ſalvari non poterant; ſaltem ſecundum cartas & privilegia juſtum fieret judicium. Unde rex vehementer indignans, monachum illum archiepiſcopo digito ſæpius deſignavit, acſi in eum acrior eſſet inferenda vindicta. Dicebat autem rex archiepiſcopo ſecretius neſcio quid ſed pravum ſuſpicor, acſi de torquendis monachis liberam habiturus eſſet diſpoſitionem. *Ceſtrenſis* autem exclamans & ſubſannans dixit ad regem. *Heohe! Nonne dixi vobis de monachis? Si michi velletis adquieſcere, infra breve ſpatium temporis nec unus remaneret in* Anglia. *Monachos? ad diabolos.* Similiter & clerici archiepiſcopi & cæteri omnes fere inſultabant. Pauciſſimi amici eccleſiæ ſub ſilentio monachis compatiebantur, ſed præ timore regio palam loqui non audebant. Rex autem ſubridens dixit ad illum *Ceſtrenſem*. Novimus quod odio habeas monachos, ideoque inter cæteros non eris nominatus. Attamen idem epiſcopus diverſis modis & motibus ſæpius innuit regi acſi daret indicium quid in monachos eſſet agendum. Stridebant igitur undique in miſeros monachos & clamor invaluit acſi oves eſſent in medio carnificum immolandæ. Erant autem eorum hoſtes publici ille malignus *Hugo Ceſtrenſis* & epiſcopus *Roffenſis Gilbertus*, cum ipſum regem non audeam nominare. Monachi autem tot & tantis contumeliis affecti ſtabant in medio ſtupefacti, & hi qui præſidebant minas & terrores eciam membrorum

membrorum

brotum ſuorum motibus deſignabant. Cum igitur omnes eis inſultarent, unus ex monachis turbatus ſpiritu & inpræmeditatus abſque fratrum ſuorum conſcientia dixit. Proponat archiepiſcopus cartas ſuas ſi quas habet & privilegia, dicat eciam quas quærat conſuetudines. Oſtendemus & nos cartas noſtras & privilegia, noſtras eciam exponemus conſuetudines, & deinde quod judicaverint Judices incunctanter ſuſcipiemus. Vehementer præſumens quod dominus papa juramentum ſecundum cartas & privilegia judicaret. Non enim animadvertit monachus ille eo quod eſſet quodammodo quaſi mente alienatus, quod in hoc verbo videbantur omnia ſubdita judicum voluntati, ut ea ſcilicet quæ ſibi placerent monachis concederent, & alia ad libitum penitus amputarent. Vix ille monachus ſermonem impleverat, & ecce cum multo ſtrepitu & chacinno undique acclamatur. Quæſitum eſt ilico an cæteri dictæ ſententiæ conſentirent. Unus autem ex eis ſenex ſapiens quam periculoſum eſſet verbum intelligens, cum in oculis omnium nollet illum fratrem confundere, dixit ad regem. Seorſum domine ſi placet pauliſper conferemus adinvicem, ſi verbo fratris noſtri ſtare debeamus. Quamvis ſcirent quod in tanto tumultu nullum poſſent habere ſecretum. Quod eis vix tandem conceſſum eſt. Colloquentes itaque videbant eccleſiæ non modicum imminere periculum, cum omnia voluntati judicum viderentur expoſita privilegia. Rogabant igitur regem ut ſuper his quæ audierant liceret eis per citiſſimum nuntium convenire conventum, ut ea quæ ibidem ex inproviſo tractata fuerant univerſitatis conſenſu rata forent & firma. Hæc audiens rex vehementer turbatus juravit & dixit, Per guttur Dei non remanebit unus pes ex vobis in eccleſia. Cum autem ei à monacho reſponſum fuiſſet, quia per beneplacitum Dei in eccleſia omnes remanerent, adjecit. Vos receditis, nec ita evadetis. Ego videbo qua parte incedetis & ſequar vos ad talos. His dictis, exiliit rex indignans & abiit, et clamor undique & blaſphemia convertitur in monachos. Illi vero confuſi & trepidi abierunt à conſpectu Concilii, gaudentes tamen in cordibus ſuis quod pro libertate eccleſiæ meruiſſent contumelias & terrores ſuſtinere. Dum autem irent, vix aliquis eos vultu placido audebat reſpicere, ſed omnes fere minas intemptabant. Solus Comes *Leiceſtriæ Robertus* eis obvius factus, cum audiſſet quid acciderat, ex intimo corde ſuſpirans dixit, In ea fide quæ deus eſt hoc unicum ex corde vobis do conſilium. Jacta cogitatum tuum in domino, ipſe te enutriet. Et adiecit Omnia pro Deo & libertate eccleſiæ perdenda ſunt. Alia in hunc modum Comes dicebat. Alter eciam nobilis eiſdem monachis dixit. Nunquam partem habeatis in cœlis, ſi ſponte Cartarum veſtrarum omiſeritis libertates. Alii eciam ſimiliter dicebant, non palam quidem ſed quaſi in occulto. Archiepiſcopus autem epiſcopos & clericos ſuos diutius alloquens, de capiendis & torquendis monachis diem traxit in veſperam. Directi ſunt ilico nuntii *Cantuariam*, famuli videlicet archiepiſcopi, ut eccleſiam *Cantuarienſem* & curiam monachorum multitudine armatorum ex inproviſo obſiderent. Quod & in craſtino factum eſt. Nam tota nocte equitantes nimium feſtinabant. Quod ignorantes monachi qui *Londoniis* fuerunt, petita à rege & utcumque accepta redeundi licentia, *Cantuariam* reverſi ſunt. Interea mirabiles & miſerabiles monachi *Cantuarienſes* cum ipſa eccleſia Chriſti & curia clauſis januis nocte & die armatorum multitudine undique obſeſſi ſunt, ne quis ex eis vel ipſorum famulis exire, vel ad eos quiſquam intrare valeret. Præterea victualia eis prohibita, eciam allata infirmis ablata ſunt, ementes eciam vel clanculo ferentes verberati, & ſi quis eis vel in modico compateretur beneficio, vel in aliquo contingeret titulo, contumeliis affectus, aut verbere vel carcere, regis et regni proditor et archiepiſcopi vocabatur. Peregrinos Sancti *Thomæ* martyris non ſolum maſculos, ſed eciam Sanctimoniales feminas, quod verecundum eſt dicere, ferme uſque ad nudum, ne dicam muliebria, ſub veſtimentis exquirebant. Tota die janitores illi contumeliis inſiſtebant, nocte vero choros ducebant pro foribus clamoribus inſiſtentes & ſaltibus, ne miſeris monachis nocte vel die tormenta deeſſent. Quidam eciam ex monachis in cimiterio interceptus, captus & turpiter abductus eſt, pedibus ipſius ſub ventre jumenti camo colligatis in carcerem truſus, fame & frigore afflictus eſt & utroque pede vinculis ferreis ad eos qui eum cuſtodiebant ruſticos colligatus. Relata ſunt hæc monachis illis qui de Concilio *Londoniæ* veniebant, & quod in craſtino per Miniſtros regis omnes eſſent monachi *Cantuarienſes* eiciendi, à minimo uſque ad maximum. Clerici quoque archiepiſcopi dicebant, quod infra paucos dies vice monachorum in eccleſia *Cantuarienſi* clerici eſſent inſtituendi. Si dolor, ſi mentis anxietas confuderit monachos cum ſuam viderent imminere diſperſionem & perpetuum religionis exterminium *Cantuarienſis* eccleſiæ non eſt mirandum. Illi vero qui de *Londonia* veniebant, fugientibus eorum famulis in curiam intrare permiſſi ſunt. Maluerunt enim communem cum fratribus ſuſtinere miſeriam, quam ſpecialem quærere libertatem. In craſtino autem ut male prophetatum eſt venerunt *Cantuariam* officiales regis & hoſtiarii cum clericis archiepiſcopi, videlicet ut monachos caperent vel ad conſentiendum quocumque modo coartarent. Cum autem miſeri, immo martyres monachi per aliquot dies minis & allegationibus variis vix tandem ut omnibus videbatur frangerentur, & jam jamque capi vel eici debuiſſent, utilius eis viſum eſt ad tempus regiæ parere voluntati & in arbitros compromittere, quam perpetuam ſubire diſperſionem. Unde gaviſi regii nuntii cum monachis iiij. à conventu miſſis cum litteris ratihabitionis redierunt ad regem. Illico januæ reſeratæ ſunt & amoti cuſtodes murorum. Rex interim ad Sanctum *Eadmundum* peregre profectus eſt, & regina mater ipſius venit *Cantuariam*. Porro epiſcopi & nobiles regni continuo citati ſunt, ut ad pacem reformandam occurrerent regi *Cantuariam* venienti. Applicuit interea apud *Dovoriam Johannes Anagninus* apoſtolicæ ſedis legatus, ſed continuo ex mandato reginæ ne procederet prohibitus eſt. Omnes anguſtiæ monachorum *Cantuarienſium* propter quos miſſus venerat eidem relatæ ſunt, ſed ipſe penitus diſſimulavit. Favorem enim regis & archiepiſcopi magis affectavit quam Dei. Solis minis intentus erat & adhipiſcendæ legationi. Quinto kal. Decembris rex venit *Cantuariam* & ab epiſcopis *Angliæ* & conventu *Cantuarienſi* cum organis & cantibus ſpiritualibus ſolenniter ſuſceptus eſt. Confluxit his diebus *Cantuariam* innumera nobilium & plebis multitudo, Epiſcopi videlicet & Abbates *Angliæ*, Comites & Barones, inter quos & rex *Sco-*

tia cum fratre ſuo *David* & electo *Eboracenſi*. Tanta itaque convenit multitudo conditionis diverſæ, quanta nunquam à retroactis temporibus in *Cantuaria* viſa eſt, adeo ut in clauſtro monachorum regis tentoria ponerentur. Monachi igitur *Cantuarienſes* quaſi ſpectaculum facti ſunt mundo, angelis & hominibus. In craſtino autem iiij. ſcilicet kal. Decembris miſit rex archiepiſcopum *Rothomagenſem* & aliquos epiſcopos primo ad archiepiſcopum, deinde ad conventum, ſcire volens ſi quo modo quid vel quantum vellent abſque judicio mentis ſuæ relaxare rigorem. Verba autem archiepiſcopi tunc ut ſemper erant quaſi ſimplicia, & ipſa pauca & ambigua. Monachorum autem reſponſa querelis & dampnis illatis plena, & ſemper jura eccleſiæ pacemque petentia & debitam tranquillitatem. Cum igitur euntes & redeuntes ſæpius epiſcopi peterent ut expreſſius aliquid loquerentur, monachi reſponderunt. « Multa nobis & innumera per triennium quæ longum eſt enarrare gravamina illata ſunt, ex quibus duo maxime urunt nos & urgent. Capella ſcilicet quæ omnium malorum iſtorum initium eſt, & illius Prioris nominatio. His itaque permanentibus, inter nos & dominum archiepiſcopum nulla unquam poterit eſſe concordia. Relata ſunt hæc regi per ipſos epiſcopos. Et reſpondit. Si iſta duo ſublata fuerint de medio, de cæteris querelis quid vel quantum facient monachi? Redeuntibus itaque nuntiis, & Conventui quæſtionem regis referentibus, monachi dixerunt. Si capella fuerit demolita funditus, & *Rogerius* de Prioratu depoſitus, cartis noſtris & privilegiis inſpectis, de omnibus angariis, & dampnis illatis & omnibus aliis querelis domini regis & epiſcoporum ſuſtinebimus arbitrium. Hæc audiens rex gaviſus eſt, promiſitque in verbo regio & in periculo peregrinationis ſuæ & ſic deus honorem ſibi ſervaret terrenum, quod hæc duo Capellam ſcilicet & Priorem penitus amoveret, ſi archiepiſcopus ad hoc faciendum non poſſet induci. Relata ſunt hæc archiepiſcopo in præſentia regis, & ipſius eciam ſuper hoc requiritur aſſenſus. Renititur archiepiſcopus regiæ poſtulationi, ſuggeſtione commotus quorundam epiſcoporum, qui monachorum ſpeciales erant inimici. Verum cum archiepiſcopi duritia nec per regem nec per alios pacis amatores & æqui poſſet flecti, & jam dies deductus eſſet in veſperam, archiepiſcopus uſque in craſtinum reſpondendi petivit inducias. Craſtino autem cum rediſſent in id ipſum, archiepiſcopi denuo de verbo heſterno requiritur aſſenſus, & jam de plano penitus abnegatur. Dicebat enim injuſtum eſſe de media parte cauſæ quaſi voluntarie ſuſtinere deciſionem, et tamen de alia parte ſubire judicium. Inſiſtunt monachi ſuppliciter petentes ut hinc et inde cartæ videantur et privilegia, conſuetudines recitentur et jura, indeque pars utraque ſuſcipiat quod juſte fuerit judicatum. Reſtitit et huic ſententiæ primo archiepiſcopus, nolens à ſuffraganeis ſuis judicari. Inhibuerat eciam epiſcopis legatus ne cauſam quæ in Curia *Romana* audita, examinata fuerat et terminata, præſumerent aliquatenus in *Anglia* judicare. Anxiatur rex, laborant epiſcopi de pace facienda, ne regis & regni tantus labor cedat in caſſum. Verum quia rex & proceres regni & prælati de maximis regni negotiis erant præpediti, epiſcopi ex parte regis ſuggeſſerunt conventui ut perſonæ numero pauciores eligerentur, qui utriuſque partis rationes audirent & privilegia inſpicerent, & ſic utrique parti non judiciali ſententia ſed placabili amicitia jura debita reſtituerent. Mirantur ad hæc monachi & omnes qui audierunt hoc verbum, quod ea quæ heſterna die in præſentia tot prælatorum ore regio ſancita ſunt & quodammodo terribili juramento confirmata, abſque reverentia veritatis in tot & tam diverſos verborum anfractus commutata fuiſſent. Conſenſerunt tamen & huic ſententiæ monachi, ſic tamen ut ſi res utrinque pacatis partibus concorditer finiri non poſſet, juſto judicio finem debitum ſortiretur. Illis tantum duobus articulis de ruina ſcilicet capellæ & intruſi Prioris penitus amotis, qui ore regio & epiſcoporum aſſenſu fuerant condempnati. Referuntur hæc in audientia regis & collandantur, ſed archiepiſcopo relata penitus refutantur. Jam enim non inde vel inde, ſed de tota cauſa inſtanter quærebat judicium. Sciebat enim quo judices vellent tendere epiſcopi. Cum igitur epiſcopi & cæteri prænominati convenirent ad auditorium, & monachi conſtanter cartas ſuas & privilegia præpararent, archiepiſcopus utrorumque carens ſuffragio, conſilio cujuſdam clerici ſui qui quondam monachicum geſſerat habitum, regulam beati *Benedicti* ſibi præcepit afferri. Minabatur enim idem clericus quod per eandem regulam tam nova quam vetera *Cantuarienſis* eccleſiæ poſſet caſſare privilegia. Dum itaque aliquandiu inter clericos archiepiſcopi & in ejus præſentia de articulis regulæ fuiſſet diſputatum, ſuggeſtum eſt regi à quibuſdam qui partes fovebant archiepiſcopi, ut alia incedens via præcaveret archiepiſcopo, caveret & monachis, ne ſi judicio tanta diſſenſio terminata fuiſſet, non pax perennis ſed perpetua utrimque fieret irritatio. Suggeſſit itaque rex monachis ut capella & Priore penitus depoſitis, de omnibus aliis dampnis illatis & angariis archiepiſcopi ſe ſubicerent arbitrio, & in periculo animæ ſuæ & peregrinationis ipſius implorarent miſericordiam; hoc erat regis conſilium. Convenerunt igitur monachi ſpecialiſſimos eccleſiæ filios & amicos, Epiſcopum ſcilicet *Bathonienſem*, abbatem de Waltham, magiſtros *Hoſpitalis* & *Templi*, de quorum fide & diligentiſſima devotione non erat dubitandum, ſolicitantes quid eis de conſilio regis eſſet faciendum. Timebant enim, ut aſſerebant, ne regis benivolentia verteretur in contrarium ſi contempneretur ipſius conſilium, timidum autem erat ſe & ſua archiepiſcopi ſubmittere voluntati, qui ſemper eis dura & aſpera inferebat. Unde per deum, inquiunt, & ſanctos eccleſiæ hujus conjuramus vos, ut in periculo animæ veſtræ ſecundum datam vobis à Deo ſapientiam & devotionem detis conſilium quid agere debeamus. Omnes igitur quaſi uno ore dicebant cum terribili imprecatione, conſentiendum eſſe regiæ voluntati, & hoc eſſe potiſſimum. Alioquin de cætero tam regem quam regnum pro ſuo contemptu manifeſtos haberent adverſarios. Sed convocentur, aiunt, & alii epiſcopi & abbates, ut quid ſuper hoc dicere voluerint audiamus. Convocati ſunt ilico *Rothomagenſis*, *Dunelmenſis*, *Norwicenſis*, *Salesberienſis*, *Roffenſis*, *Ceſtrenſis* epiſcopi, Electus *Helienſis*, Abbas ſancti *Eadmundi*, de *Radingo*, abbas *Ciſterſienſis*, abbas de *Boxeleia* & alii quamplures eccleſiaſticæ perſonæ. Omnium hæc erat ſententia, omnes in periculo animæ ſuæ regis optimum dicebant eſſe conſilium, ſcilicet ut ſolo tenus diruta capella & Priore depoſito, de cæteris omnibus archiepiſcopi peteretur

retur miſericordia; ſic ipſius benivolentiam, ſic Regis & Regni gratiam ampliorem, ſic pacem eccleſiæ, jura & dignitates ipſo eciam archiepiſcopo ſuffragante facilius & plenius optinenda fore dicebant: ſi enim archiepiſcopus de cætero contra conventum aliquid pravum ageret, omnes qui aderant haberet adverſarios. Quæſitum eſt igitur quid ſuper hoc monachi dicerent; & omnes licet trepide paci dederunt aſſenſum, ſic tamen ut in audientia omnium cartæ eccleſiæ quinque vel quatuor legerentur. His auditis gaviſus eſt Rex, gaudebant & cæteri omnes qui aderant, eo quod in iſta reformatione pacis tam Archiepiſcopo quam Conventui jura debita conſervarentur illæſa. Relata ſunt hæc archiepiſcopo, & ipſius nunc requiritur aſſenſus. Ille autem accedens ad Regem, eumque, paucis ſecum additis, ſecretius alloquens, neſcio quid ſed inutile ſuſpicor murmurabant. Conventus autem interim mœrens & anxius in capitulo reſidebat. Quo cum redirent epiſcopi & abbates & alii qui convenerant, prævenerunt eos ſpecialiſſimi conventus amatores, gaudentes & dicentes, jam jamque pacem eccleſiæ reſtituendam. Accurrit & ipſe Rex, & aliquos fratres ſecretius alloquens, monebat ut patienter ſuſtinerent ſi quid de capella vel Priore ad verecundiam tegendam archiepiſcopi aliter quam erat prælocutum diceretur. Orta eſt interim cahos & caligo tenebrarum inſolita, ut diem licet adveſperaſcentem obtenebreſcere faceret in noctem, adeo ut Regem in veſte lucida venientem vix videre valerent intuentes, acſi nova ſuperveniens aeris paſſio futuram deſignaret proditionem. Acceſſit tandem archiepiſcopus in capitulum, & populus innumerabilis. Igitur conſedere duces intentique ora tenebant, & cæteris indicto ſilentio, archiepiſcopus *Rothomagenſis* in medio ſtans proditionis ſuæ hoc habuit exordium. *Benedictus Deus & pater domini noſtri Jheſu Chriſti, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, viſitavit nos oriens ex alto.* Et quaſi præfocato gutture paululum ſuſtinens ſubjunxit. *Diſcordia quadam inter dominum archiepiſcopum & conventum iſtius eccleſiæ in longum protracta eſt, ſed ex conſilio domini Regis & epiſcoporum qui præſentes ſunt & noſtro via reformandæ pacis inventa eſt. Nos enim judicavimus quod archiepiſcopus ubicunque volebat ſuam poterat ædificaſſe capellam & inſtituiſſe Priorem. Conventus autem archiepiſcopi petat miſericordiam, & ſic archiepiſcopus eis ſuam remittet indignationem.* His dictis obſtupuerunt monachi & omnes ſpecialiſſimi *Cantuarienſis* eccleſiæ filii, & hi maxime qui ex intimo cordis affectu hucuſque fuerant pacis mediatores. Murmurabant autem inter ſe dicentes quod ea quæ *Rothomagenſis* ille dixerat, in præſentia Regis & epiſcoporum non fuerant prælocuta. Hoc quidem murmurabant, ſed præ timore regio & infinita archiepiſcopi malitia noluerunt publice proteſtari, nec ſe opponere murum pro domo domini. Quis dolor, quæ mentis anguſtia miſeros interim teneret monachos non eſt facile dictu. Videbant enim ſe undique afflictos, undique deſolatos. Pro hac etenim cauſa Prior & fratres ſui mortui ſunt, labor perditus & impenſa, legatus prope poſitus quidem ſed inutilis, quippe qui magis ſuam cupiebat ſatiare cupiditatem quam *Cantuarienſis* eccleſiæ amovere miſeriam. Videbant præterea Regem cupidum & doloſum, archiepiſcopum malitioſum, *Rothomagenſem* illum totius cauſæ proditorem, cæteros epiſcopos conſentaneos & participes. Quid igitur dicerent ad hæc? Reclamare non poterant, ne Regem & cæteros omnes uſque ad internecionem vel diſperſionem manifeſtos haberent adverſarios. Conſentire formidabant, ne Deus cauſam & eccleſiam requireret de manibus eorum. Sed periculoſior videbatur intemptata diſperſio, quam tantæ malitiæ dare conſenſum. Reſidente autem illo *Rothomagenſi*, juſſi ſunt ilico omnes monachi ſtare in medio. Quorum cum unus in medio ſtans de impenſa cura reformandæ paci tam Regi quam cæteris gratias referret, & in proſecutione pacti de demolitione capellæ & Prioris depoſitione verbum tangeret, protenſa manu & brachio extento Rex eidem monacho ſilentium impoſuit, & clamoribus hinc inde ſuſcitatis, loquentis monachi interrupit ſermonem. Monachi autem in medio omnium ſtabant ſtupefacti, quid agerent neſcientes. Præcepit autem Rex, acclamaverunt & cæteri ut genua flecterent, & fecerunt. Cum igitur omnes ſtarent inter tot clamores uſque in miraculum ſtupidi, de tanta & tam inopinata proditione mirantes, unus ex eis grandævus reſumpto ſpiritu dixit ad archiepiſc. *Si in aliquo reverende pater hujus occaſione perturbationis veſtram offendimus gratiam, veſtram nobis & noſtris remitti rogamus indignationem, & ut jura eccleſiæ habita & de jure habenda de cætero conſervare velitis.* Archiepiſcopus reſpondit, *Vobis & veſtris omnibus meam remitto indignationem præterquam ſuppriori qui ſua auctoritate meam à divinis ſuſpendit eccleſiam.* Item monachi omnes pro ſuppriore genua flectentes, eum in omnibus excuſaverunt. Tunc dixit archiepiſcopus, *Veniat ergo ſicut vos & petat veniam, & communem vobiſcum habeat gratiam.* Et adjecit, *Sicut vos meam vobis & veſtris remitti poſtulatis indignationem, ſic & ego rogo vos ut quod in verbo offendi vel opere, tam michi quam omnibus meis ex corde velitis remittere.* Exurgens autem *Roffenſis* epiſcopus dixit, Diſcordia hæc tam diu protracta de conſilio Regis & epiſcoporum qui præſentes ſunt ex aſſenſu domini archiepiſcopi & monachorum ita determinata eſt, ut dictus Prior amoveatur, capella vero ſic deleatur, ne de cætero clericorum ibidem fiat congregatio. Certum eſt quidem quod archiepiſcopus tam diu in ſuo non ſtetiſſet propoſito, niſi obſtinatio eſſet monachorum. Sed jam nunc de collata pace gratias agamus Domino, & euntes in eccleſiam cantemus & Deum laudemus, Archiepiſcopus deinde filios reconciliatos ſuſcipiat in oſculo pacis. Quod & factum eſt. In craſtino capitulum intravit archiepiſcopus & conventui villas reſtituit, dicens ſe Priorem quem fecerat abſolviſſe à Prioratu, & quod de cætero vellet conventui jura debita conſervare. Monebat attentius & exorabat, ut pax inchoata debitum utrinque ſuſciperet incrementum, & more vulneris in cicatricem ducti vel panni reſarciti vel funis religati valide convaleſceret & inviolabilis permaneret. Monuit eciam ne de cætero ſuſurrones vel detractores vel rumigeruli ante examinationem congruam mutuam inter eos extenuarent caritatem. Hoc igitur prædicto modo miſeræ *Cantuarienſis* eccleſiæ expleto negotio, de vocando vel repellendo legato in præſentia Regis & Epiſcoporum ſermo conſertus eſt, qui hucuſque ad vocem fœminæ apud *Dovoriam* tremulus ſubſiſtebat. Aſſerebant igitur quidam ex Epiſcopis eum honorifice eſſe vocandum, ſed ne procederet retinendum. Dicebant alii eum ab *Anglia* citius repellendum. Tandem ex conſilio eorum qui regis & archiepiſcopi per omnia favebant voluntati decretum eſt, ut ſolenniter cum inſigniis ſuſciperetur ſed citiſſime remitteretur ad mare transfretaturus. Venit igitur *Cantuariam Johannes Anagninus* apoſtolicæ ſedis legatus, & ab epiſcopis *Anglia* ſimul & conventu *Cantuarienſi* ſolenniter ſuſceptus eſt. In curia monachorum ſicut & ipſe archiepiſcopus ad expenſas archiepiſcopi hoſpitatus eſt, miniſtris archiepiſcopalibus undique ſeptus, ne præter eorum licentiam cuiquam ad eum pateret ingreſſus. Conventui tamen ſeorſum quaſi furtim vocato dicebat, ſe ex ore Regis ſub teſtimonio epiſcoporum audiſſe, quod eo fine ex conſenſu archiepiſcopi & monachorum cauſa fuiſſet determinata, ut Priore depoſito capella remaneret abſque conventuali collegio, duobus vel tribus ſacerdotibus in eadem pro anima regis *Henrici* divina celebrantibus. Cui cum reſponderet conventus & diceret, ſe nunquam hujuſmodi pactum audiſſe, nec ſuum aliquando præbuiſſe aſſenſum, idem legatus poſt aliqua dicebat. Non æſtimabam me fratres in partibus iſtis tantam invenire nequitiam. Et adjecit. Dolores veſtros & anguſtias audivimus & oculis perſpeximus, ſed nec nobis nec vobis ad præſens ſuccurrere valemus. Nam poſtquam venimus in hanc terram ita cuſtoditi ſumus quod nec vobis nec alteri libere loqui valemus, ſed nec noſtram egredi cameram, ut ea quæ natura requirit libere poſſimus expedire. Monachi dixerunt, Quicquid de aliis articulis cauſæ noſtræ nobis contingat, de excommunicatis domini Papæ quid faciemus quibus inviti communicare compellimur? Præceperat enim archiepiſcopus ut ſervientes qui præ cæteris malefactoribus dampna conventui & contumelias innumerabiles fecerant, in miniſteriis ſuis pacifice ſuſciperentur, licet ubique notum eſſet in populo, quod publice eſſent excommunicati. Militem eciam quendam qui fracto muro curiam invaſerat, per manum monachi fugitivi *Acelini* ſcilicet qui relicto conventu archiepiſcopum ſequebatur, omnia capituli denudans archana, miſit in conventum, mandans & præcipiens ut idem excommunicatus ab omnibus & ſingulis ſuſciperetur in oſculo pacis. Dixit autem legatus, Quantum poteſtis eos vitate, & ſi forte incideritis alterutrum confitemini. Quid aliud vobis dicam ignoro. Ego quidem exequi paratus ſum quod michi injunctum eſt, ſed vobis magis timeo Ego enim in periculo conſtitutus ſum ſi quid fecero, ſed in vos acrior vindicta deſæviet. Nunc autem vado, & craſtino vel perendie Regem ad mare feſtinantem inhonorus ſequi compellor. His dictis, valedicens abiit, & à clericis archiepiſcopi *Dovoriam* citiſſime perductus eſt, omni minarum & pompæ depoſita feritate. Et qui paulo ante ab archiepiſcopo oblatum refutaverat aurum, nunc ab eodem ſumarii petivit corium. Habeat ergo nunc & in ævum *Roma* pudorem. Transfretavit autem Rex & cum eo populus multus; & Cardinalis ille adverſis flatibus uſque in diem ſeptimum retentus eſt, & tunc demum *Angliæ* valedicens invitus transfretavit. Archiepiſcopus autem citiſſime *Londoniam* tendens monachos tres quos hucuſque captos tenebat præcepit revocari. Ex quibus unus ægritudine quam habebat in tibiis, vinculis eciam ferreis, fame quoque & frigore dum jaceret in carcere adeo vexatus eſt, ut die tercia poſt reditum ſpiritum exalaret.

ij. Kal. Januarii conſecravit archiepiſcopus duos epiſcopos apud **Lamhee** accepta prius ab eis profeſſione, *Londonienſem* ſcilicet & *Helyenſem*, qui & Regis erat Cancellarius *Willielmus* nomine. XIII.

An. Gr̄æ 1191.

M.C.xcj. *Baldewinus Cantuarienſis* archiepiſcopus necdum penitus à ſuo deſiſtens propoſito, ædificandæ baſilicæ locum quidem mutavit ſed non intentionem. Facta enim cum epiſcopo & monachis *Roffenſibus* commutatione quarundam terrarum quas habebant in territorio villæ eorum quæ vocatur **Lamhee**, præcepit clericis eliminatis de *Hakintonia Cantuariæ*, ut cum feſtinatione nimia & feſto ædificia ſua quæ apud *Cantuariam* multo diſpendio elevata ſunt ſolo tenus diſſiparent, & ad *Londoniam* trahentes apud **Lamhee** ædificarent. Ipſe primus in eodem campo ne nil ageretur in octavis Epiphaniæ papiliones ſuos quos ſecum *Jeroſolimam* ferre volebat præcepit elevari. Divulſis igitur poſt aliquod tempus apud *Cantuariam* clericorum domibus, ſola capella maledicta & prophana remanſit in medio, omnibus expoſita in deriſum & in ſimilitudinem improperii. *Rogerius* autem dictu citius pene depoſitus quam intruſus, ab archiepiſcopo benedictus *Eveſhamenſis* abbas effectus eſt. Quo facto, archiepiſcopus *Cantuariam* rediens, quoſdam ex monachis quos ſuæ voluntati favere putabat ſingulatim ſecretius alloquens, de faciendo Priore quæſivit conſilium. Sed omnium præterquam paucorum adulatorum ſpernens ſuggeſtionem, quaſi de communi conſilio fratrum quendam nominavit *Osbernum* ob meritum ſuæ perfidiæ, eo ſcilicet quod in die neceſſitatis ſuum reliquerat conventum. Stupentibus autem cunctis & ſilentibus, accurrunt duo ſeudofratres, ipſumque *Osbernum* dextra lævaque ducentes in ſedem Prioris poſuerunt. Deinde archiepiſcopus *Londoniam* properans, in conventu epiſcoporum quos apud *Weſtmonaſterium* xj. kal. Martii coadunari juſſerat, pro ſe, pro pace & ſtatu eccleſiæ *Cantuarienſis* ſedem apoſtolicam appellavit, excommunicationis adiciens ſententiam in omnes qui dum eſſet in peregrinatione prædictam perturbarent eccleſiam vel ipſius eccleſiæ diminuerent libertates. Inde rediit *Cantuariam*, & in audientia conventus cleri & populi ſuam innovavit appellationem. Eadem die vj. ſcilicet kal. Marcii, ab altari Chriſti accepit baculum & peram, & apud *Dovoriam* transfretavit ij. non. Marcii, & *Cantuarienſi* eccleſiæ ſimul & *Angliæ* ultimum valefecit. Reges eciam *Franciæ* videlicet & *Angliæ* de peregrinatione tenuere colloquium, proteſtantes in verbo regio quod non diutius ſuam differrent peregrinationem. Sed regina *Francorum* vehementer cœpit ægrotare & decidit in lectum *Pariſius*, & in brevi defuncta eſt & ſepulta. Hoc infortunio peregrinatio regum dilata eſt uſque poſt feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Tuncque reges *Turonis* menſe Julio colloquentes, cum omni comitatu ſuo in nomine Domini profecti ſunt. vj. kal. Auguſti cœnobium Sanctimonialium de *Mallinges* cum tota fere villa miſerabiliter igne conſumpta eſt.

Obiit *Willielmus Wigornienſis* epiſcopus, & in brevi aſſenſu regio & auctoritate Cancellarii alter electus eſt. *Willielmus* Cancellar. eciam qui & *Helienſis* erat epiſcopus, *Romanæ* & apoſtolicæ ſedis legatus effectus eſt. Acceſſit autem ad eum *Gilebertus Roffenſis* epiſcopus, dicens, injuriam factam fuiſſe *Cantuarienſi* eccleſiæ & ſibi, eo quod ipſo penitus ignorante aliquis in eccleſia *Wigornienſi* electus eſt cum ipſe *Cantuarienſis* eccleſiæ proprius eſſet capellanus, & dominus archiepiſcopus peregre profectus vices ſuas eidem commendaſſet. Rogavit itaque Cancellarium quem necdum noverat eſſe legatum, ne jura matris ſuæ *Cantuarienſis* eccleſiæ diminueret, & quod in electione illa aliter quam deberet factum eſt, ſaltem in ejuſdem electionis confirmatione ſimul & conſecratione electi corrigeretur, quippe cum omnibus in *Anglia* recte ſapientibus notum ſit, nullum debere eligi vel conſecrari abſque auctoritate *Cantuarienſis* eccleſiæ. Reſpondit legatus, Nulla volo jura diminuere *Cantuarienſis* eccleſiæ, & quod in electione iſta minus quam deceret factum eſſe conquereris, in ejuſdem electionis confirmatione ſimul & conſecratione compleatur. Prior igitur & monachi *Wigornienſes* ex mandato legati acceſſerunt ad hoſpitium *Roffenſis* epiſcopi, ſupplicitet exorantes ut electi ſui electionem auctoritate *Cantuarienſis* eccleſiæ corroboraret. Quod & factum eſt, præmiſſa congrua correptione de tranſgreſſione. Poſt aliquantulum temporis ſpacium, præcepit Legatus apud *Londoniam* coadunari epiſcopos *Angliæ* ut in *Weſtmonaſterio* concilium celebraret. Acceſſit autem ad legatum epiſcopus *Roffenſis* una cum Priore *Cantuarienſi Osberno*, & in hunc modum animo conſtanti prædictum legatum breviter allocutus eſt. Miramur admodum venerande pater, mirantur & cæteri comprovinciales epiſcopi & abbates, quod tu cum ſis *Cantuarienſis* eccleſiæ profeſſus, & ejuſdem eccleſiæ jura debita tenearis conſervare, abſente archiepiſcopo qui nobis licet indignis vices ſuas in *Anglia* commendavit, & poſt appellationem ipſius & excommunicationem, hujuſmodi voluiſti perquirere legationem. Sed eſto. Summæ ſedis apoſtolicæ legatus es, attamen *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeus. Rogamus igitur te ut apoſtolicæ ſedis legatum, vice autem archiepiſcopi & auctoritate *Cantuarienſis* eccleſiæ jubemus ut ſuffraganeum, ne quid in hoc concilio quod in præſenti celebrare diſponis contra jura *Cantuarienſis* eccleſiæ vel contra dignitatem vel appellationem archiepiſcopi præſumatur. Appellavit enim ut tu ipſe audiſti, & nos eandem innovamus appellationem. Reſpondit legatus & dixit. De perquiſita legatione de qua te mirari aſſeris tibi reſpondeo, quod eam non ego michi ſed dominus Rex adquiſivit. Dominus archiepiſcopus ut aſſeris vices ſuas tibi commendavit. Dominus autem Rex regnum michi regendum tradidit, & dominus Papa vices ſuas commendavit, ut malefactores quoſlibet utroque feriam gladio, *Salomonis* ſcilicet & *Petri*. Veruntamen contra matrem noſtram *Cantuarienſnm* eccleſiam nichil in hoc concilio vel alias quicquam ſtatuere cogitamus, ſed omnia jura ſua eidem auxiliante Deo volumus conſervare. Si quæ tamen ſpecialis quæſtio eſt quam in præſenti dicere velitis gratanter audiemus. Cui *Roffenſis* ait, Quæſtiones quidem & querelas habemus ad vos, quarum prima eſt, quod *Wigornienſis* electio facta eſt abſque aſſenſu *Cantuarienſis* eccleſiæ & ipſius vicarii, licet aliquantula emendatio per vos ſubſecuta ſit in confirmatione. De conſecratione autem rogamus vos ne tranſgrediatur, id eſt, ne ab alio fiat quam à capellano *Cantuarienſis* eccleſiæ, nec alibi quam in eccleſia *Cantuarienſi*. De ſede *Cantuarienſis* metropolitani vos optime noſtis quod legati cujuſque ſedere debeat ad dexteram. Hanc igitur ſedem eidem vel ei cui vices ſuas commendavit conſervari poſtulamus. Cui Legatus, Novi inquit quod epiſcopi ſuffraganei non alibi quam in ſede metropolitana debeant conſecrari. Conſecrationem autem & ſedem de qua loqueris dum archiepiſcopus præſens non eſt, *Londonienſis* de jure decani ſibi vendicare contendit. Præcellit enim cæteris epiſcopis ut *Cantuarienſis* eccleſiæ decanus. *Roffenſis* ad hæc, Quis eſt hic decanatus vel quod ipſius officium? Solummodo ut epiſcopos vice præconis convocet ad concilium. Sed hoc nichil ad me. Ipſe enim ad præceptum *Cantuarienſis* metropolitani præconis habet officium, *Roffenſis* vero quaſi intra ſepta *Cantuarienſis* eccleſiæ non præco ſed capellanus eſt, & vacante eccleſia vel abſente Metropolitano ipſius fere in omnibus vices exequitur. Unde ſedem illius ad dexteram veſtram in hoc concilio expeto & *Wigornenſis* electi conſecrationem. Reſpondit Legatus, Sedes iſta de qua ſermo eſt ut cum pace fiant omnia, vacua remaneat, vel Prior *Cantuarienſis* vice archiepiſcopi ſui eam obtineat. Ad hæc Prior, Sedes iſta vacua non eſt, quia vivente archiepiſcopo non vacat eccleſia. Ego eam obtinere non debeo, nec volo. Sedem enim propriam in Concilio habeo ſicut prædeceſſores mei habuerunt, & ſede Metropolitani non egeo. Non audivi deceſſores meos ibidem ſediſſe, nec archiepiſcopus recedens vices ſuas michi commendavit ſed proprio capellano ſuo *Roffenſi* epiſcopo. Si eidem jura ſua conſervare volueritis, animo libenti vobis aſſiſtemus; ſin autem, ad propria revertemur. Et Legatus, Jura, inquit, veſtra vobis conſervare cupio, ſed epiſcopi *Londonienſis* dignitatem mutilare non valeo. Receſſit igitur epiſcopus *Roffenſis* & Prior *Cantuarienſis*. Legatus vero ſuum celebravit Concilium in eccleſia ſancti *Petri Weſtmonaſterii* xvij. kal. Novembris. Deinde in octavis ſancti *Martini Cantuariam* veniens, à conventu *Cantuarienſi* honorifice ſuſceptus eſt. Obiit hoc anno *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus xiij. kal. Decembris in obſidione civitatis *Acon* & ſepultus eſt. *Hugo* autem *Ceſtrenſis* epiſcopus monachorum ſuorum honeſtatis & ordinis ſpecialis perſecutor, à *Coventrenſi* eccleſia quam neſcio quo judicio Dei ſuſceperat regendam, monachos omnes & ordinem monaſticum in natali Domini ejecit, ibidem clericos inſtituens ſeculares. Miſeri autem monachi per diverſa vagantes diſperſi ſunt, & Prior eorum *Moyſes Romam* profectus eſt. XIV.

An. Gr. 1192.

M. C. xcij. Applicuit cete in terra monachorum *Cantuarienſis* eccleſiæ quæ vocatur **Leiſdone**, quam dederat eis ante annos paucos rex *Henricus* & carta ſua confirmavit. Quod audientes vicini, cum quibuſdam miniſtris Regis accurrerunt, alii ut raperent, alii ut eriperent. Monachi autem *Cantuarienſes* nuntios miſerunt ad Cancellarium, eidem oſtendentes ex tenore cartarum ſuarum prædictum piſcem vel ſi quid hujuſmodi eventus eſt, non Regis, non vicecomitis nec alterius hominis eſſe niſi ſolummodo Conventus *Cantuarienſis*. Hæc audiens Cancellarius, datis litteris vicecomiti *Cantiæ* præcepit ut prædictum cete monachis redderetur, & ut in eadem terra *Leiſdoniæ* ſicut in terris ſuis omnes haberent libertates. Facta igitur diligentiſſima inquiſitione tam eccleſiaſtica quam auctoritate regia, reddita ſunt monachis ea quæ de piſce vi vel furto ablata fuerunt. Ipſi vero liberaliter circumquaque per provinciam de piſce miſerunt & Cancellario linguam cum non modica parte capitis quia vices Regis agebat. Rex autem *Angliæ* à nobiliſſima civitate *Siciliæ* ubi hiemaverat menſe Martio digrediens, proſpero curſu pervenit *Ciprum.* Sed ab incolis inſulæ ipſius & à quodam tyranno crudeli & perfido qui ſe fecerat Imperatorem nominari, non ſine verecundia repulſus eſt. Adventantibus autem navibus cum exercitu non modico inſulam illam intravit, populum debellavit, ipſumque cepit tyrannum, civitates occupavit, & oppida totamque terram ſuæ ſubdidit ditioni. Hoc itaque proſpere expleto negotio, aſcenſis navibus applicuit apud *Accon,* & in brevi cœperunt viriliter obſidere civitatem. Verum quia diſſenſio inter eos facta eſt quis eorum videretur eſſe major, nichil vel parum proſperitatis eis accidit. Attamen utcunque *Accon* capta eſt. Menſe Martio ex mandato regio per peregrinos de *Jeroſolima* paſſim venientes rumor increbuit de obitu *B. Cantuarienſis* archiepiſcopi. Unde *Londonienſis* epiſcopus quaſi de ſompno experrectus *Cantuariam* properans appellavit, & cum eo quidam de ſcaccario, ne quis abſque conſcientia epiſcopi vel aſſenſu regio in archiepiſcopum eligeretur. Hæc audientes monachi, Et nos inquiunt pro electione facienda, pro voce prima, pro univerſo ſtatu eccleſiæ & privilegiis ab omni gravamine appellamus. Hæc prima fuerunt bellorum præludia. Cancellarius autem confiſcavit archiepiſcopatum. Obiit papa *Clemens*, cui ſucceſſit *Jacinctus* diaconus Cardinalis & *Celeſtinus* appellatus eſt. Filius eciam Imperatoris *Fretherici* qui in peregrinatione *Jeroſolomitana* ſubmerſus & defunctus eſt *Romanum* ſuſcepit imperium, & *Romæ* coronatus eſt in Paſcha. Applicuit interea *Robertus* electus *Wigornenſis*, Cancellario legato domini Papæ deferens litteras ut eum in *Weſtmonaſterio* conſecraret, ſi quidem *Londonienſis* & *Roffenſis* epiſcopi de facienda conſecratione non conſentirent. Appellaverat enim uterque. Convenientibus igitur epiſcopis *Angliæ* apud *Weſtmonaſterium* dominica Palmarum, vij. ſcilicet idus Aprilis, ut in conſecratione *Wigornenſi* apoſtolicum exequerentur mandatum, venerunt & monachi tres *Cantuariæ* miſſi à Conventu, & eiſdem epiſcopis hujuſmodi litteras porrexerunt.

R*Everendis in Chriſto dominis & fratribus* W. *Dei gratia* Helienſi *epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato domini Regis Cancellario cæteriſque epiſcopis* Cantuarienſis *eccleſiæ ſuffraganeis* O. *Prior & conventus eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem ab auctore ſalutis. Noverit ſanctitas veſtra nos ad ſedem apoſtolicam appellaſſe ne* Wigornienſis *electus alias quam in eccleſia* Cantuarienſi *ſicut moris eſt conſecretur, & ne quis veſtrum qui indempnitati eccleſiæ* Cantuarienſis *vinculo profeſſionis providere tenemini, alias quam in eadem eccleſia ejus conſecrationi intereſſe præſumat. Valete.*

Hæc audientes Epiſcopi qui convenerant, una cum Legato conferebant in unum quid facto opus eſſet. Si enim in *Weſtmonaſterio* ut dominus Papa præceperat non fieret conſecratio, legatus apoſtolicum non exequeretur mandatum. Si vero ibidem fieret, matri ſuæ *Cantuarienſi* eccleſiæ debitam obedientiam viderentur abnegare. Omnibus tandem placuit ut in menſem conſecratio differretur, apud *Cantuariam* facienda. Recognitum eſt ibidem coram legato ſimul & epiſcopis, *Roffenſem* epiſcopum *Cantuarienſis* eccleſiæ proprium ab antiquo fuiſſe capellanum, eumque vacante *Cantuarienſi* ſede ad vocationem Conventus debere *Cantuariam* accedere, criſma conficere, & cætera ſacramentalia miniſtrare, eumq; in expenſis procurare deberet qui archiepiſcopatum cuſtodiret. Vivente autem archiepiſcopo ſed abſente vel ægrotante, ad vocationem ejuſdem ſimul & procurationem debet accedere. Hæc michi qui hæc ſcribo inſinuavit idem *G. Roffenſis* epiſcopus, huic matriculæ, ut verbo ſuo utar, ad preces ipſius inſerenda. Venit igitur *Cantuariam* ad proximum paſcha à conventu vocatus idem epiſcopus, & in curia Canonicorum ſancti *Gregorii* hoſpitatus eſt, ne videretur ignorantibus ad expenſas fuiſſe monachorum ſi in eorum curia haberet hoſpitium. iv. Non. Maii convenerunt apud *Cantuariam* epiſcopi vj. videlicet *Helienſis* qui & legatus & cancellarius, & *God. Wintonienſis* epiſcopus, *Reg. Bathonienſis*, *Seinf. Ciceſtrenſis*, *Gil. Roffenſis*, & ille *Hugo Ceſtrenſis.* Hi cum in eccleſia *Cantuarienſi* conveniſſent in unum, accerſito electo *Wigornenſi* cœperunt ejuſdem examinationem facere contra modum & formam eccleſiæ *Cantuarienſis.* Quod audiens Prior *O.* una cum. cantore & quibuſdam fratribus acceſſit, rogans legatum ut ſecundum conſuetudinem *Cantuarienſis* eccleſiæ examinationem illam faceret & conſecrationem. Reſpondit legatus, quod ſic deberet fieri ad exemplum domini Papæ qui ſic facere conſuevit. Cui Prior, Dominus, inquit, Papa quod ſibi placuerit faciat; nos autem conſuetudines hujus eccleſiæ petimus obſervari. Si quandoque aliter vel alibi factum eſt, violentia fuit vel diſcreta diſpenſatio. Hæc audientes epiſcopi, una cum legato ſurgentes quod inceperant dimiſerunt, indutique veſtibus ſacris interfuerunt de more proceſſioni monachorum. Cum igitur ante magnum altare de more conſiderent epiſcopi, exurgens *Gil. Roffenſis* epiſcopus dixit ad legatum.

Noſtis pater venerande quod dominus *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus peregre proficiſcens, vices ſuas in *Anglia* conſervandas nobis commiſit, unde nobis videtur quod omnia ſacramentalia quæ in eccleſia *Cantuarienſi* facienda ſunt, per manus noſtras ſicut per proprium eccleſiæ capellanum fieri debeant. Electio autem hujus fratris noſtri *Wigornenſis* electi aliter quam debuit facta eſt, ſed poſtea per vos in confirmatione aliquantulam accepit meliorationem. Allegat *Londonienſis* de jure decanatus ſui, ſed nichil ad nos. Nullam enim ei ſubjectionem debeo, in re nulla obedio, nec alteri, niſi ſoli dño meo *Cantuarienſi* archiepiſcopo: hunc igitur electum noſtrum, ordinatum noſtrum à vobis tanquam legato conſecrandum ſalvo jure noſtro præſentamus. Legatus ad hæc, Et nos illum per gratiam Dei ſacrandum ſuſcipimus, non de jure *Helienſis* epiſcopi, ſed de auctoritate apoſtolicæ ſedis legati. Conſecrabimus eum auctoritate qua fungimur, ſalvo jure veſtro, ſalvo jure *Londonienſis* epiſcopi. Sacratus eſt itaque iv. non. Maii *Robertus Wigornenſis* epiſcopus ad altare Chriſti, data profeſſione de canonica ſubjectione quam debet archiepiſcopo & *Cantuarienſi* eccleſiæ. Die craſtina venit in capitulum monachorum domnus legatus una cum novo *Wigornenſi* epiſcopo & clericis tribus, has litteras ex parte Regis conventui deferentes.

R Icardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& comes* Andegaviæ, *dilectis ſuis Priori* Cantuarienſis *eccleſiæ totique ipſius* *capitulo ſalutem. Devotionem veſtram ſcire volumus nos gratia Dei apud* Meſſanam *plena corporis & animi proſperitate vigere, de vobis idem audire continuo deſiderantes affectu. Ibi de morte venerabilis* Cantuarienſis *archiepiſcopi patris noſtri plenius quam deſideraremus certificati, in ipſius mortis importunitate vehementius moti, eccleſiæ veſtræ de neceſſitate condoluimus deſolationi. Quia tamen vir bona memoria venerabilis* Cantuarienſis *archiepiſcopus à nobis irrevocabiliter receſſerat, quia tantæ eccleſia regimini ipſius conſolationi potius quam lacrimis erat inſiſtendum, diligenter & attente penes nos deliberavimus, quomodo citius & melius tanto lapſui foret ſubveniendum. Tandem viri illuſtris* Willielmi *venerabilis* Montis regalis *archiepiſcopi diſcretionem, fidem, providentiam, quam re pluries didicimus attendentes, recolentes quia licet nobis ipſum fama vehementius commendaſſet, audito tamen & expectato longe commendabiliorem fides, providentia reddidiſſent, tanta eccleſia tanti viri regimen ſed & toti regno noſtro cognovimus profuturum. Magnatum itaque noſtrorum, archiepiſcoporum, epiſcoporum freti conſilio prædicto venerabili* Montis regalis *archiepiſcopo dignum duximus ſupplicare, quatinus ad* Cantuarienſis *eccleſia ſedem & regimen ſeſe nobis concederent transferendum. Qui poſt multam ſecum magnatibus noſtris deliberationem noſtris tandem adquieſcere dignum duxit petitionibus. Veſtræ igitur univerſitati diligenter mandamus, quatinus veſtra bonitatis intuitu precumque noſtrarum diligenti inſtantia, ipſum prædictum venerabilem* Montis Regalis *archiepiſcopum in pontificem veſtrum benignius recipiatis, in adventum ſuum unanimiter gaudeatis, ut inde vobis ad gratiarum teneamur actiones, & veſtræ eccleſiæ honori & utilitati benignius & diligentius teneamur providere. Teſtibus nobis ipſis apud* Meſſanam xxv. *die Januarii.*

His igitur auditis litteris, ſubjunxit legatus de probitate viri admirabilem commendationem, acſi monachi præfatum archiepiſcopum incontinenti eſſent electuri. Sed monachi prudenti petita & accepta dilatione, poſt dies aliquot in conventu epiſcoporum & procerum qui ob hanc cauſam apud *Norhamptoniã* convenerant hujuſmodi dederunt reſponſum. Noſtis omnes & ſinguli dominum noſtrum *B. Cantuarienſem* archiepiſcopum cum iter peregrinationis arriperet, pro ſe, pro eccleſia *Cantuarienſi* & omni jure ejuſdem ſedem apoſtolicam appellaſſe. Nunc autem petitio quædam ſed grandis, quia ſub nomine & ſigillo regio nobis porrigitur de quodam ignoto & alienæ regionis archiepiſcopo eligendo, cum de obitu noſtri archiepiſcopi ſimus incerti. Ideoq; juſtum videtur & conſonum rationi ut præſens negotium differatur, quouſque de obitu noſtri archiepiſcopi quem adhuc putamus vivere certiores efficiamur, ne forte de ipſius exitu ab imperitis gratulari videamur. Inſtiterunt igitur plurimi & primi regni auctoritate regia, ut præfatus *Montis Regalis* archiepiſcopus ad nutum Regis à monachis *Cantuarienſibus* eligeretur. Sed cum nulla proficeret ratione, tandem cum dilatione competenti coadunatio illa diſſoluta eſt, & ſinguli in ſua redierunt. Conferebant interea *Cantuarienſis* eccleſiæ monachi cum quibuſdam epiſcopis & amicis eccleſiæ, quid de petitione regia de jure eſſet faciendum. At illi dixerunt, Se non audere nec velle ſuper hujuſmodi re dare conſilium propter quoſdam corvini generis monachos qui in die neceſſitatis ab archa avolaverant; conventus ſui proditores effecti; qui hucuſque in conventu ſpecie tenus latitabant. Unde *Cantuarienſes* monachi ſuper hujuſmodi notorio plurimum ſtupefacti, conſilio habito hanc notam à ſe propellere ſtuduerunt. Amoti ſunt itaque vj. idus Maii cucullacertes à cœtu cæterorum & ille quartus *O.* videlicet dictus *Prior*, qui cæteris nequior in proditione eccleſiæ videbatur. Cum enim cæteris amotis ipſe infelix quæreret an adhuc de aliquo dubitarent, reſponderunt monachi ſatis placide licet ea quæ dicebantur non placerent. Animi noſtri diu turbati amotis iſtis aliquantulum pacificati ſunt, nunc autem ſupereſt quod perſona tua nobis admodum ſuſpecta eſt & odioſa. Turpiter enim in die tribulationis receſſiſti à nobis, & deinde contra nos & in contumeliam *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuſcepiſti Prioratum. Inde eſt quod ſcire te volumus quod de cætero Prior noſter non eris. Sed cede citius ut ſuper hoc quid agendum ſit conferamus. At ille confeſtim ſurrexit, & ſtans in medio dixit. Audite domini mei ut Deus exaudiat vos. Vobis notum eſt quam bene, quam firmiter in omnibus ſteterim vobiſcum in tribulationibus veſtris, unde & pro vobis aliquando ab archiepiſcopo excommunicatus ſum & nonnullas pertuli moleſtias. Abſceſſi tandem de conſilio magnorum virorum & quorundam fratrum noſtrorum inſtigante malitia, & in præſentia archiepiſcopi nunquam vobis nocui ſed ſæpe profui. Prioratum deinde adeptus ſum præcipiente archiepiſcopo volente Rege abſque omni reclamatione, unde & veſtrum aſſenſum uſque nunc adeſſe putabam. Novit Deus quod ſi aliter de vobis ſenſiſſem, nunquam Prioratum vel aliud officium ſuſcepiſſem. Nunc vero ſciatis quod nec prioratum vobis renitentibus retineo, nec quicquam præter beneplacitum veſtrum attentare curabo. Illo igitur ad imperium conventus egreſſo, reſidentibus xij. vel eo amplius eccleſiæ ſenioribus, cæteri omnes in medio ſtabant, ex quibus unus pro cæteris loquens cum ymbre lacrimarum dixit. Vos noſtis patres ſancti & experti eſtis quantis anguſtiis agitata ſit *Cantuarienſis* eccleſia uſque in præſens. Nec vos latet quam turpiter homo iſte *Osbernus* receſſit à nobis cum cæteris qui noſtri proditores fuerunt, & in quantum dedecus & detrimentum eccleſiæ ſuſcepit prioratum. Nunc autem quia ſponte ſua ceſſit, & vobis incumbit *Cantuarienſis* eccleſiæ diſpoſitio, quanta poſſumus humilitate petimus vos, ut talem nobis & vobis Priorem inſtituatis qui digne matrem noſtram hanc *Cantuarienſem* regat eccleſiam. Hunc præcipue qui nobis præſidet, qui in anguſtiis & tribulationibus variis fidelis & prudens inventus eſt, nobis Priorem poſtulamus. Surrexerunt igitur ſenes cum junioribus, ipſumque venerabilem ſuppriorem *Galfridum* dextra ſub lævaque trahentes in ſedem Prioris poſuerunt vj. idus Maii. Reclamabat acriter & flebat uberrime jurans & pejerans quod non regeret prioratum. Violenter tamen retentus eſt, & vix tandem poſt dies plurimos conventus ſui conſenſit voluntati. *Osbernus* autem honorifice in camera honeſtiori infirmorum exibitus eſt. Interea rumor in *Anglia* diſperſus eſt de electo *Eboracenſi G.* quod ex mandato domini Papæ deberet in *Francia* conſecrari. Unde ſtupefacti Epiſcopi videntes in hoc matris ſuæ *Cantuarienſis* eccleſiæ minui dignitatem, cum debeat ab antiquo *Eboracenſis* electus à *Cantuarienſi* metropolitano profeſſione præmiſſa *Cantuariæ* conſecrari, facta ſolenniter appellatione per monachum *Cantuarienſem* ſimul & clericum has litteras miſerunt in *Franciam*.

WIllielmus *Dei gratia* Helienſis *epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus & cæteri provinciæ* Cantuarienſis *epiſcopi, venerabilibus & in Chriſto dilectis archiepiſcopis & epiſcopis ad quos præſens ſcriptum pervenerit ſalutem in vero ſalutari. Quantis hucuſque gaviſa ſit immunitatibus mater noſtra* Cantuarienſis *eccleſia, veſtram credimus non latere notitiam. Inter quas retro habitas dignitates & privilegia eo hactenus functa eſt, ne* Eboracenſem *alias quam* Cantuariæ *& ab ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopo necnon totius* Angliæ *primate conſecrari liceret archiepiſcopum; unde venerabilis pater noſter* B. Cantuarienſis *archiepiſcopus ex privilegiorum prædictorum varia & multiplici inſpectione & antiqua conſuetudine prudenter edoctus, & antequam iter* Jeroſolimitanum *arriperet adverſus* G. Eboracenſem *electum jus ſuum proteſtatus & dignitatem, ne idem ab alio quam à ſe & in eccleſia* Cantuarienſi *facta eciam eidem profeſſione & obedientia conſecraretur, appellavit. Nos quoque ejuſdem patris noſtri jus & dignitatem filiali proſequentes devotione, volentes nichilominus prænominatæ noſtræ matris eccleſiæ dignitati providere, memorati patris noſtri* Cantuarienſis *appellationem innovantes ne prælibatus* G. Eboracenſis *electus ab aliquo veſtrum munus conſecrationis accipiat, ſedem apoſtolicam appellamus.*

Eclipſis ſolis fere totalis apparuit vigilia ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Pululaverant autem in *Anglia* diſcordiæ inter Cancellarium & Comitem *Johannem*, adeo ut hinc inde milites ſtipendiarii & comprovinciales milites convocati ad arma convolarent in obſidione caſtelli *Lincolniæ*. Interea venit in *Angliam Walterius* ille *Rothomagenſis* archiepiſcopus per licentiam regis à *Meſſana* reverſus circa feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ*. Convenerunt itaque una cum ipſo epiſcopi quidam & proceres *Angliæ*, ut quoquo modo tantæ diſſenſioni finem darent, ne meſſes quæ jam maturæ erant ad metendum in nichilum penitus redigerentur. Pace igitur facta ſed nondum firmata, armis valedicitur & in proximo prædictus Cancellarius & Comes iterum diſcordes efficiuntur. Mediantibus tamen primoribus *Angliæ* tandem utcumque pacificati ſunt & ne iterum levitate ſua redirent in id ipſum, alienigenæ ſtipendiarii ad ſuam patriam unde venerant revertuntur.

Celeſtinus papa mente revolvens ſedula quanta *Baldewinus* archiepiſcopus Conventui *Cantuarienſi* intuliſſet gravamina occaſione capellæ quam in ſuburbio civitatis *Cantuarienſis* erexerat, ipſorumque monachorum preſſuris compatiens, executoribus tribus viris fidelibus & diſcretis pro Conventu *Cantuarienſi* ſubſcriptam direxit epiſtolam.

CEleſtinus *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* R. Batonienſi *epiſcopo, & dilectis filiis de* Radinges *& de* **Waltham** *abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Moleſtias & injurias quas per bonæ memoriæ* B. Cantuarienſem *archiepiſcopum Conventus ejus loci paſſus eſt, diſcretionem veſtram non credimus ignorare. Quoniam igitur jam dictus archiepiſcopus quamvis de reformando ſtatu fratrum ipſorum in integrum mandatum felicis recordationis* Urbani *&* Clementis *prædeceſſorum noſtrorum ſuſcepiſſet, nondum cum iter peregrinationis arripuit reformarat ad plenum, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus omni dilatione, contradictione & appellatione ceſſante, eccleſias cum fructibus inde perceptis, & alia quæ ſæpedictus archiepiſcopus ipſis abſque juris ordine abſtulit noſtra freti auctoritate cum integritate reſtitui faciatis, & eorum detentores ſi opus fuerit cenſura non differatis eccleſiaſtica coercere, modis omnibus obſervantes ne in loco quem apoſtolica condempnavit auctoritas divina de cætero celebrentur, ſed potius capella ibidem, ut dicitur, erecta funditus deſtruatur, & ſicut à patribus noſtris decretum eſſe dinoſcitur canonicorum inſtitutionem revocantes in irritum eos denuntietis & teneatis ſuſpenſos qui in loco ipſo poſt prohibitionem apoſtolicam divina ſcienter præſumpſerunt officia celebrare, donec ad ſedem apoſtolicam veniant abſolvendi. Illos quoque qui ſententiam piæ recordationis papæ* Clementis *incurriſſe noſcuntur cautius faciatis ab omnibus evitari, donec eccleſiæ ſatisfactione competenti exibita per nos mereantur abſolvi. Qui vero hujuſmodi communicaverunt ſcienter, congrue ad arbitrium veſtrum ſatisfaciant. Hæc autem omnia tanto diſtrictius veſtræ diſcretioni duximus injungenda, quanto in injuriam apoſtolicæ ſedis redundare videtur eadem totiens inaniter iterare mandatis, & religionem veſtram minus deceret ſi mandatum apoſtolicum ſegnius exequeremini, nec poſſemus ſine moleſtia multum in vobis neglectum aliquatenus ſuſtinere. Nullis litteris juri eorum præjudicium facientibus ſi quæ apparuerint à ſede apoſtolica impetratæ obſtantibus. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur.* Dat. *Romæ* apud ſanctum *Petrum* v. kal. Junii pontificatus noſtri anno primo.

Hæc audientes & manibus attrectantes prædicti executores cum eſſent viri religioſi valde & diſcreti, non præcipitanter ſed moroſe ſuper hujuſmodi mandato habito conſilio, prædictæ capellæ rectoribus tandem ſcripſerunt in hunc modum.

R *Dei gratia* Bathonienſis *epiſcopus, &* H. *eadem gratia de* Radinges, *&* W. *de* **Waltham** *abbates, rectoribus capellæ de* Hakintonia *ſalutem. Mandatum domini papæ ſuſcepimus quo nobis injunctum eſt, ut modis omnibus obſervemus, ne in loco veſtro quem apoſtolica condemnavit auctoritas divina de cætero celebrentur, ſed potius capella ibidem, ut dicitur, erecta funditus dilatione & appellatione ceſſante deſtruatur. Si quis ergo veſtrum pro loco illo ſtare voluerit, & rationem proponere quare hoc fieri non debeat, intimamus vobis quod nos Deo donante in die ſanctæ* Margaretæ *virginis ad locum illum venire & mandatum apoſtolicum prout decet propoſuimus adimplere. Valete.*

Acceſſerunt igitur prædicti viri vel per ſe vel per legatos idoneos ad locum una cum clero populo civitatis *Cantuarienſis*, & cum non eſſet quiſpiam qui mandato apoſtolico reclamaret in aliquo, data ſententia pendentibus litteris profanam condempnaverunt capellam voce apoſtolica maledictam & profanam, quæ ſubito concurrentibus undique populis in pulverem minutiſſimum redacta eſt xij.

kal. Auguſti. Hujus autem judicatæ condempnationis de capella talis eſt forma.

O*Mnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis ad quos præſentes litteræ pervenerint,* R. *Dei gratia* Bathonienſis *epiſcopus, &* H. *de* Redinges *&* W. *de* **Waltham** *eadem gratia abbates ſalutem. Noverit fraternitas veſtra & vobiſcum univerſalis eccleſia, nos exequentes mandatum & præceptum ſummi pontificis ſcilicet* Celeſtini *papæ tercii publice judicaſſe & pronunciaſſe, ne de cætero in loco quem* B. *Dei gratia archiepiſcopus* Cantuarienſis *apud* **Hakintune** *conſtruere incepit divina celebrentur. Sed & ejuſdem auctoritate canonicorum inſtitutionem in eodem loco à prædicto archiepiſcopo factam in irritum revocantes, capellam ibidem conſtructam funditus deſtruendam judicavimus. Quia ſicut vobis innotuit inſpectione litterarum piæ recordationis* Urbani *papæ tercii, ſecundum quarum decretum prædictus papa* Celeſtinus *nos in executione ſui mandati procedere præcepit, prædictum locum maledictum & prophanum apoſtolica condempnaverit auctoritas, & ſuſpenſos ab officio & beneficio illos qui poſt apoſtolicam prohibitionem in capella illa divina celebrare præſumpſerunt, decreverat. Quapropter & nos eos ſuſpenſos denuntiamus & tenemus donec à ſede apoſtolica fuerint abſoluti.*

Alia quoque opera *B.* data ſententia caſſavit papa *Celeſtinus* ne futuris temporibus ab aliquibus trahantur in conſequentia. Cujus ſententiæ talis eſt textus.

C*Eleſtinus* *epiſcopus ſervus ſervorum* Dei*, dilectis filiis Priori & Conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ad apoſtolatus noſtri debitum pertinere dinoſcitur his quæ rite & recte ordinata conſiſtunt vigorem conferre perpetuum, ita nimirum eis quæ ſecus fiunt quam deceat vires detrahere, enervare, & infirmare tenemur. Ea propter dilecti in Domino filii, cum* B. *quondam archiepiſcopus ſive motu proprio, ſive inſtinctu alieno vos & eccleſiam veſtram moleſtiis multis & injuriis quandoque afflixerit, & ſcripta aliqua à ſede apoſtolica in præjudicium juris veſtri falſa ſuggeſtione, ut dicitur, impetravit, quem magis tranquillitati veſtræ dare operam decuiſſet; paci veſtræ paterna volentes in poſterum ſollicitudine providere, omnia quæ per memoratum archiepiſcopum circa vos vi vel metu acta ſunt auctoritate apoſtolica revocamus in irritum, & nominatim ea quæ legato* Romanæ *eccleſiæ præſente & contradicente contra mandatum ſedis apoſtolicæ facta dicuntur, ſicut in autentico ejuſdem legati* Johannis *videlicet* Anagnini *quondam presbiteri Cardinalis ob cauſam veſtram in* Angliam *directi continetur, & quæcumque contra jus veſtrum vel privilegiorum veſtrorum tenorem idem archiepiſcopus impetravit viribus carere decrevimus, ſtatuentes ut nullus unquam hominum ea quæ male geſſit trahere audeat in conſequentiam, neque poſſint ea quæ tacita veritate à ſede apoſtolica impetravit juri veſtro aut privilegiis ullo unquam tempore aliquod præjudicium generare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conſtitutionis paginam infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum* Petri *&* Pauli *apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.* Dat. *Romæ* apud ſanctum *Petrum* v. kal. Junii.

Autenticum vero *Johannis Anagnini*, cui dominus Papa *Celeſtinus* adhibet firmamentum, tale eſt.

JOhannes Anagninus *Dei gratia titulo ſancti* Martini *presbyter Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, omnibus ad quos litteræ præſentes pervenerint æternam in Domino ſalutem. Univerſitati veſtræ notum facimus, quod ſicut prope poſiti audivimus & poſtea præſentes apud* Cantuariam *vidimus, monachi eccleſiæ Chriſti in pace quam cum archiepiſcopo ſuo fecerunt, vim paſſi ſunt, & metu regio qui eodem tempore* Cantuariam *venerat cum epiſcopis ſuis, omnia compulſi ſunt ſuſtinere. Hæc autem ideo ſcripto mandare curavimus, ut rei veritas omnibus innoteſcat, nec poſſit quod ſic factum eſt eorum juſticiæ præjudicium generare. Quod ſi jam dictus archiepiſcopus vel aliquis ejus ſucceſſor ſcripturam ſuper forma pacis hujus quandoque protulerit, noveritis ipſam fratribus jam dictæ eccleſiæ nec conſencientibus nec ſcientibus confectam fuiſſe, nobiſque petentibus non exibitam qui ad cauſam ipſam à ſummo pontifice deſtinati rem geſtam vel confirmare debuimus ſi juſticiæ concordaret, vel ſi ſecus acta eſſet infirmare. Cognoſcentes itaque violentiam manifeſtam facto huic interceſſiſſe, auctoritate qua fungimur ſtatuimus apoſtolica, quod neque concordia ſit facta, neque compromiſſio violenter extorta, neque ſcriptum ſic conceptum valere debeat aut aliquod ſæpedictis monachis in poſterum præjudicium afferre, quia omnia præſentibus nobis & contradicentibus facta ſunt.*

Hæc autem omnia munimenta reſervantur in eccleſia *Cantuarienſi* ad extinguendam temporis futuri malitiam ſi qua ſuper hoc poterit exoriri. Nec te moveat rogo, lector bone, prudentia tua, quod tam prolixa narratione contra propoſitum meum vel promiſſum, electionem *Ricardi*, vel perſecutionem *Baldewini* recitavi, vel quod narrationi meæ tot epiſtolas inſerui. Juſta enim, ut arbitror, intentione utrumque factum eſt, videlicet ut futurorum ſciat neceſſitas temporum quod cui morbo opponat remedium, & quibus objectionibus juſtum & exemplare adhibeat reſponſum. Epiſtolas autem, quod Cronicorum non eſſe ſolet, plures inſerui, ut ipſis inſpectis & in arca memoriæ reconditis narratio brevietur & ſubtilius utiliuſque intelligatur. Sed jam nunc redeamus ad nos.

Quarto kal. Septembris ex mandato Cancellarii qui tunc temporis vicem & vires regias gerebat in *Anglia*, & Baronum auctoritate ſcaccarii convenerunt apud boſcum de **Blen** quod **Srutts** cognominatur Prior *Cantuarienſis G.* cum monachis vj, vicecomes *Cantiæ Regin.* cum militibus & hominibus multis. Ibique per ſacramentum xxiiij. legalium virorum de eodem viſneto deambulatio facta eſt in circuitu ejuſdem boſci. Et auctoritate regia monachis eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* aſſignatum eſt quicquid in prædicto boſco ex utraque parte ſtratæ regiæ de jure regio & dono eos contingebat, ſicut per cartam eiſdem ſuam confirmaverat, cum apud *Cantuariam* peregrinationis ſuæ iter arripuit. Occupaverant enim vicini quidam partem agrorum & nemoris, unde contra cartam regiam & ipſius puram elemoſinam nullam habebant autoritatem. Eſt autem Carta regis hunc habens modum.

Ricardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ & Aquitaniæ, *comes* Andegaviæ, *archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, juſticiariis, vicecomitibus, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis* Francis & Anglis *ſalutem. Sciatis nos pro amore Dei & beati* Thomæ *martyris, & pro ſalute noſtra omnium anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum conceſſiſſe & dediſſe, & præſenti carta confirmaſſe in liberam & puram & perpetuam elemoſinam Deo & monachis in eccleſia* Cantuarienſi *Deo ſervientibus totum boſcum noſtrum de* **Blen** *in longo & lato cum eſſartis omnibus ejuſdem boſci, & omnibus terris & redditibus ad eundem boſcum pertinentibus, ſalvo tantum uno ſummario quem pater noſter in elemoſinam conceſſit eccleſiæ & canonicis ſancti* Gregorii *in eodem boſco & carta ſua confirmavit. Probibemus autem ne vicecomes vel miniſtri ſui, vel aliquis alius de eodem boſco de cætero ſe intromittant, niſi ipſi bailivi ſui quos ibi pro voluntate ſua poſuerunt. Quare volumus & firmiter præcipimus quod jam dicti monachi habeant & teneant prædictum boſcum ita bene & in pace, libere & quiete, honorifice & plenarie ſicut unquam pater noſter eundem boſcum liberius, & melius, & plenius tenuit. Teſtibus* B. Cantuarienſi, W. Rothomagenſi, J. Dublinenſi *archiepiſcopis*; H. Dunelmenſi, R. Bathonienſi, H. Lincolnienſi, H. Conventrenſi, G. Wintonienſi, H. Sareſberienſi *epiſcopis*; Johanne *Comite* Mairrit. R. *Comite* Leiceſtriæ, H *Comite* War. W. *Comite* Saresb. J. Mareſcallo. W. Mareſcallo, W. de Stutevill, W. *de* ſancto Johanne, W. *filio* Adelmi. B. *de* Verdon, G. *filio* Petri, R. *filio* Reinf. G. Pipard, R. *de* Witefeld. *Datum per manum* Willielmi *Cancellarii noſtri &* Elienſis *Electi apud* Cantuariam *prima die Decembris anno primo regni noſtri.*

Miſerat eciam rex *Ricardus* à civitate *Meſſana* Conuentui *Cantuarienſis* eccleſiæ hanc Cartam.

Ricardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ & Aquitanniæ, *comes* Andegaviæ, *juſticiis, vicecomitibus, & omnibus balivis ſuis* Anglis *ſalutem. Præcipimus vobis quod permittatis Priori & Monachis eccleſiæ noſtræ* Cantuarienſis *facere fieri recognitiones in maneriis de tenementis ſuis quæ alienata ſunt de ipſis maneriis abſque licentia & aſſenſu Conventus ejuſdem eccleſiæ, & ea per recognitiones eaſdem ad propria revocare ſicut pater noſter hoc eis litteris ſuis patentibus conceſſit. Nolumus enim quod prædicta eccleſia quam diligere & fovere tenemur aliquid de jure ſuo per defectum noſtrum amittat.* T. *Savarico archidiacono* Northamt. *apud* Meſſanam xxviij. *die Februarii.*

Ex hoc mandato regio *Cantuarienſes* monachi, nec mirum, exhilarati, habito conſilio una cum conſenſu Cancellarii miſerunt monachos & quamplures ſuos prudentes viros in *Eſſeſſiam* ad villam ſuam **Middeltune** nuncupatam, ut auctoritate regii mandati partem præfatæ villæ videlicet **Suthcheriche** revocarent, quam per aliquot annos quidam occupaverat *Ricardus*. Juraverunt itaque tactis ſacroſanctis homines xij. de eodem tenemento quod prædictus *R.* in jam dicta terra nunquam habebat hæreditatem ſed ut firmarius, ad libitum monachorum ſolam habebat ut ſerviens cuſtodiam. Quo audito, decreverunt omnes prudentiſſimi qui ibidem fuerunt, ut monachi *Cantuarienſes* prædictum apendicium de **Middeltune** de cætero libere poſſiderent. Xviij. kal. Octobris applicuit apud *Dovoriam Gaufridus Eboracenſis* archiepiſcopus, qui nuper ex mandato *Celeſtini* papæ *Turonis* ab ejuſdem civitatis archiepiſcopo contra antiqua jura *Cantuarienſis* eccleſiæ & contra appellationem epiſcoporum *Angliæ* & Conventus *Cantuarienſis* erat conſecratus. Cui cum oppidani milites *Dourenſis* caſtelli violentas manus inicerent, tam prudenter quam viriliter tenentium eum manus evaſit, & eccleſiam monachorum ſancti *Martini* ingreſſus eſt. In qua per octo fere dies ab oppidanis & conprovincialibus militibus januis clauſis & obſeratis obſeſſus eſt. Suſpectus enim erat ipſius ingreſſus Cancellario & quibuſdam primoribus *Angliæ*, eo quod juraſſet fratri ſuo regi quod ſine aſſenſu infra triennium non rediret in *Angliam*; præterea ſuſpitionem adauſit, quod de fidelitate regia Conſtabulario *Dourenſis* caſtelli noluit præſtare juramentum. In proximo, ut fama fuit & verum videbatur, miſſi ſunt à Cancellario milites qui prædictum archiepiſcopum quocunque modo apprehenderent. Hii igitur præfatam eccleſiam quaſi pacifice ingreſſi monuerunt ut egrederetur, quo nolente, reverſi ſunt pauliſper ſed iterum eandem eccleſiam armati & loricati ingreſſi ſunt, & ipſum archiepiſcopum ab altari crucem portantem de medio monachorum eundem defendere volentium abſtractum aſportaverunt per medium aquæ fluentis, quæ **broc** appellatur, eum peditem duxerunt in caſtellum xiiij. kal. Octobris. Unde conſternati animo *Cantuarienſes* monachi miſerunt *Dovoriam* monachos ut eum repeterent, eo quod à cella *Cantuarienſis* eccleſiæ fuiſſet abſtractus. Qui cum à petitione tam juſta repulſi *Cantuariam* redirent, habito in communi conſilio ſingulis eccleſiæ *Cantuarienſis* ſuffraganeis nomine eccleſiæ ſcripſerunt ſic.

Reverendo *patri & domino* W. *Dei gratia* Helienſi *epiſcopo, & domini regis Cancellario,* G. *Prior & Conventus eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem & ſe ſemper devotiſſimos. Poterat glorioſi martyris noſtri* Thomæ *ſanguis in eccleſia* Cantuarienſi *effuſus emunitatem etſi aliunde non haberet perpetuam contuliſſe, & gloria ejus qua omnis terra repleta eſt terruiſſe ſacrilegos. Sed ut patet quod fidelibus eſt ad caſtigationem & virtutem, hoc impii & nequam malignitatis aſſumunt in exemplum. Ecce enim* Eboracenſis *archiepiſcopus innocens, ut creditur, ab eccleſia noſtra* Dovoris *ab ipſo altari manu militum armata violenter extractus crucem bajulans, per lutum & lacus, per abrupta locorum in caſtellum* Dourenſe *in carcerem protrahitur ejulante populo, ſacrilegis ipſis qui eum abduxerunt lacrimantibus. Clamat, petit, & repetit eccleſia ut ei reſtituatur ablatus, ſed non recipit. Ceſſat à divinis, nec mirùm, violata* Dourenſis *eccleſia, & concluſa ſunt ora canentium Dominum. Miratur mundus in facto tam enormi* Cantuarienſem *eccleſiam ſegnius agere, & matrem tam importabilem filiæ diſſimulare mœrorem. Genibus itaque veſtris obvoluta* Cantuarienſis *eccleſia vos rogat ut dominum, adjurat ut filium, quatinus ei in* *tam arto & arduo negotio non denegetis conſilium ſalutare, quo & eccleſiæ honor ſuus conſervetur illæſus, & veſtra circa eam devotio laudabilis comprobetur.*

In eundem modum cæteris ſcripſerunt epiſcopis. Reſponſum *W. Helienſis* epiſcopi.

W. *Dei gratia* Helienſis *epiſcopus & domini Regis Cancellarius, kariſſimis amicis ſuis Priori & Conventui ſanctæ Trinitatis* Cantuariæ *ſalutem & dilectionis plenitudinem. Dilectionem veſtram nullatenus volumus perturbari ſuper eo quod* Eboracenſis *archiepiſcopus apud* Doveriam *eſt detentus. Vobis autem indubitanter ſuggerimus, quod nec per nos nec de mandato noſtro captus fuit in eccleſia nec detentus, ſed præceperamus quod ſi ibidem forte applicaret, ſi fidelitatem domino regi quam nunquam fecit facere nollet, cum plena reſtitutione omnium rerum ſuarum & ſuorum* Witſandum *tranſmitteretur, quia domino regi juramento interpoſito promiſerat, (unde litteras ejuſdem archiepiſcopi patentes habemus) quod nullatenus dum idem rex in ſua peregrinatione exiſterit, in* Angliam *veniret.*

Reſcriptum *Godefridi Wintonienſis* epiſcopi.

G. *Dei gratia* Wintonienſis *epiſcopus, dilectiſſimis in Chriſto fratribus & amicis G. Priori & Conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Loquor in amaritudine animæ meæ triſtis & dolens ſuper injuriis & moleſtiis venerabili fratri noſtro* Eboracenſi *archiepiſcopo nimis atrociter, ut dicitur, illatis. Doleo quidem & dolenti condoleo, patior & compatienti compatior, ſed in ipſius paſſionibus & ignominiis totus homo meus interior gladio paſſionis eſt transfoſſus. Cum autem hujuſmodi factum redundet in injuriam totius eccleſiæ* Anglicanæ, *de communi fratrum & coepiſcoporum noſtrorum deliberatione procedere debet conſilium quod ſuper tam arduo negotio vobis dari poſtulatis. Porro ſi fratribus inconſultis verbum aliquod conſilii ſuper hoc præcipitarem, non inmerito poſſem ab eis argui tantæ præſumtionis. Verum largiente Domino quod ſolus aggredi non præſumo, præeunte & communicato conſilio domini* Londonienſis *& aliorum confratrum tractare non differemus.*

Nolebant enim epiſcopi ſingulariter dare conſilium donec diffineretur in communi quid facto huic tam enormi opus eſſet. Convocati ſunt itaque epiſcopi, & interim archiepiſc. die ſeptima eadem via qua educebatur reductus eſt in eccleſiam S. Martini, *dieque tercia* Cantuariam *profectus* Londoniam *properavit. Facta eſt igitur coadunatio epiſcoporum apud* Windeſores *ij. non. Octobris, una cum Comite* Johanne *& duobus archiepiſcopis,* Rothomagenſi *videlicet &* Eboracenſi. *Dederunt itaque anathematis ſententiam in omnes apprehenſores archiepiſcopi, conſentaneos quoque & participes, ſolus Cancellarius abſentavit ſe & fugit* Londoniam. *Quem Comes eveſtigio ſubſequens obſedit per dies paucos in* Turre Londonienſi. *Cui cum Cancellarius non valeret reſiſtere, petita licentia pervenit* Cantuariam. *Deinde in caſtello* Dovorenſi *receptus eſt. Inhibuerunt autem Juſticiarii* Angliæ *burgenſibus* Dovoriæ, *ne prædictum Cancellarium permitterent transfretare. Ipſe autem idem velle ſimulabat addito terribili juramento. Præ nimia tamen mentis anguſtia gemens & anxius, veſte virili depoſita muliebrem induit habitum, ut vel ſic mari tranſito perſecutorum declinaret inſaniam. Dum itaque linteo caput involutus navem expectans, & quaſi telam quam geſtabat venundans deambularet in litore, apprehenderunt paupercula mulieres, & turpiter cædentes amoto peplo in terram projecerunt, unde exorto clamore terribili accurrerunt burgenſes, eumque vix tandem eripientes, ut cætera præ pudore taceantur, arcius cuſtodiebant, donec data à Juſticiariis licentia transfretaret. Hoc igitur modo* Cancellario *amoto & ab* Anglia *fugato, archiepiſcopus* Rothomagenſis *qui ſibi vicecancellarium præfecturam* Angliæ *uſurpabat, ex aſſenſu Comitis* Johannis *aliorumque Juſticiariorum literas & nuntios miſerunt* Cantuariam *ad Conventum, auctoritate regia præcipientes, ut G. Prior cum monachis quibuſdam* Londoniam *venirent de electione facienda præmuniti. Venerunt igitur* Londoniam *epiſcopi* Angliæ *ad idem vocati, Prior quoque & monachi* Cantuarienſes, *& ſeorſum conſidentibus epiſcopis in atrio, convenitur Prior* Cantuarienſis *in eccleſia de ſuſcipiendo archiepiſcopo* Montis Regalis, *de quo ſupra ſermo habitus eſt. Reſpondit Prior ſe ſuper hoc negotio primo tempore quæſtionis de non ſuſcipiendo illo ſufficiens & gratum dediſſe reſponſum. Et adjecit: Nunc in id ipſum ex aſſenſu Conventus noſtri vobis referimus, quod hunc de quo ſermo agitur licet tamen valde commendabilem, ſalvo honore Dei, regis & regni, in archiepiſcopum* Cantuarienſis *eccleſiæ ad præſens ſuſcipere non valemus. Nunquid honorificum eſt Deo & eccleſiæ, regi & regno univerſas regni perſonas refutare, & ad mandatum regium in alieno regno perſonam ignotam mendicare? Abſit. Nec tamen ut verum fatear de ipſo eligendo vel non eligendo diffinitivam proferimus ſententiam, ſed differimus donec ignotum melius agnoſcamus & auxilium domini ſenciamus ſuper nos.* Rothomagenſis *igitur & cæteri conſidentes Juſticiarii de tam juſto & grato reſponſo grates referentes, monuerunt monachos ut* Cantuariam *redirent & examine inſiſterent orationibus.*

Parvo poſt elapſo tempore miſerunt iterum Juſticiarii *Cant.* ad Conventum litteras regias in hunc modum.

JOhannes *comes* Moretonii, & Walterus *Dei gratia* Rothomagenſis *archiepiſcopus, dilectis in Chriſto amicis Priori & Conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem. Propter præteritas quas audiſtis contentiones communi deliberatione fidelium domini regis ſtatutum eſt, ut ſub ſigillo domini regis de negotiis regni mandata regia fiant, communiter diſcurrant: unde vobis mandamus quatinus literis ad vos ſub eodem ſigillo directis fidem indubitatam habeatis, & quod in eis continebitur dilatione reciſa efficaciter impleatis.*

Dimiſerat enim rex in *Anglia* ſigillum parvum regia tamen majeſtate ſignatum, quo regni negotia debuerant inſigniri. Sed Cancellarius omnia ſibi aſcribens ſuo ſigillo fecit univerſa. Quo ſicut ſupra dictum eſt à præfectura amoto, ſigillum regium Juſticiarii reſumſerunt, ſub quo poſt modicum Conventui *Cantuarienſi* ſcripſerunt in hunc modum.

RIcardus *Dei gratia rex* Angliæ, *dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ, *Comes* Andegaviæ, *Priori*

& Conventui eccleſiæ Cantuariæ *& ejuſdem loci capitulo ſalutem & ſinceram in domino dilectionem. Noverit diſcretio veſtra quod dilectus & venerabilis pater noſter* W. Rothomagenſis *archiepiſcopus & J. comes* Moretonii *frater noſter dilectus & familiaris & aliæ Juſticiæ noſtræ cum illis ad vos* Cantuariam *venient tercio die poſt feſtum ſancti* Andreæ, *tractaturi ibidem per Dei gratiam cum conſilio veſtro de archiepiſcopatu* Cantuarienſi *ad honorem Dei, eccleſiæ, & regni, & veſtrum. Hinc eſt quod vobis duximus intimandum, quatinus ſuper negotiis eccleſiæ veſtræ interim conferentes, communi familiarium & fidelium noſtrorum conſilio ad honorem & ſecuritatem veſtram & totius regni & eccleſiæ veſtræ utilitatem pariter & concorditer adquieſcatis, in nullo quod abſit diſſentientes, unde dedecus & enorme dampnum eccleſiæ veſtræ proveniat. Ita igitur vos habeatis & geratis ut honor Dei & noſter, eccleſiæ veſtræ, in omnibus conſervetur. Quicquid enim facimus, pro honore Dei, & indemnitate noſtra & eccleſiæ veſtræ, & ſecuritate regni noſtri facimus. Teſte* W. Rothomagenſi v. *idus Novembris.*

Unde & epiſcopus *Londonienſis* qui inter epiſcopos decanatus præminet dignitate, & ad quem ſpecialiter pertinet ad nutum archiepiſcopi vel *Cantuarienſis* eccleſiæ epiſcopos convocare, epiſcopis *Angliæ* citatorias miſit litteras in hunc modum.

RIcardus *Dei gratia* Londonienſis *eccleſiæ miniſter, venerabili fratri & in Chriſto kariſſimo* S. *Dei gratia* Ciceſtrenſi *epiſcopo ſalutem & ſinceræ dilectionis inſtantiam. Ne mater noſtra* Cantuarienſis *eccleſia viduitatis ſuæ tempore ſi diutius protrahatur in ſpiritualibus ſive temporalibus detrimentum patiatur*, Johannis *comitis* Moretonii, *&* W. *archiepiſcopi* Rotomagenſis, *& aliorum quibus conſtat de voluntate domini regis aſſenſu communi proviſum eſt, ut eidem eccleſiæ de idoneo paſtore maturius provideatur, & ipſius electio loco competentiori in eccleſia videlicet metropolitana à filiis ſuis rite celebretur. Ea propter fraternitati veſtræ mandamus, quatinus die Lunæ proximo poſt feſtum ſancti* Andreæ *apoſtoli præſentiam veſtram apud* Cantuariam *occaſione, excuſatione ceſſantibus nobis exibeatis, ibidem per Dei gratiam cum fratribus & coepiſcopis noſtris de electione* Cantuarienſi *archiepiſcopi tractaturi. Valete.* In hunc modum aliis ſcripſit epiſcopis.

Convenerunt igitur apud *Cantuariam* ille *Rotomagenſis, R. Bathonienſis, H. Ceſtrenſis, G. Roffenſis*, ſed diem conſtitutum prævenerunt, unde penes Priorem & monachos *Cantuarienſes* ſuſpicio orta eſt acſi epiſcopi una cum comite J. qui cum cæteris aderat aliquam ſubito facerent electionem. Nec mirum. Non enim elapſa eſt à memoria intruſio *B.* & quæ *Cantuarienſi* eccleſiæ intulerat gravamina. Prior igitur non immemor præteritorum & præcavens in futurum præfato *Rotomagenſi* & cæteris dixit, Scripſiſtis nobis voce regia literaſque miſiſtis ſigillo regio ſignatas, ut in adventu veſtro de paſtore eligendo præmeditati eſſemus cum Dei gratia & parati. Ideoque epiſcopos hujus ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeos quos cernitis, ut reor, in id ipſum convenire feciſtis. Cum igitur auctoritate regia ex mandato veſtro parata ſint omnia, & quia nocuit differre paratis, in nomine ſanctæ Trinitatis *Regin.* eligimus *Bathonienſem.* Quem apprehendentes monachi, clamantem, plorantem & renitentem traxerunt in eccleſiam, & in ſedem metropolitanam poſuerunt v. kal. Decembris. *Rotomagenſis* autem ſpe fraudatus, pallidus & tremulus ſubſecutus eſt, & ne fieret appellavit; & poſt dies paucos convocatis primoribus *Angliæ* apud *Londoniam* iiij. ſcilicet non. Decembris interrogavit ille *Rotomagenſis Cantuarienſem* electum an monachorum conſentiret electioni. Cui reſpondit electus, Perpendere poteſtis ſi placet ex laboribus plurimis quos pro rege ſimul & regno in partibus tranſmarinis ſuſtinui, quanta devotione dominum regem ſemper dilexerim. Noſtis inſuper quomodo dilectiſſimum meum Cancellarium dico in ſua ſpreverim neceſſitate ut veſtræ per omnia parerem voluntati, Unde videtur quod nulla deberet oriri ſuſpicio quin domino regi & vobis fidem debitam velimus obſervare. Et adjecit. Convocati ſunt epiſcopi & nos ex mandato veſtro auctoritate regia ad electionem faciendam apud *Cantuariam.* Ubi poſt ſermones varios monachi matricis eccleſiæ ad quos ſpecialiter ſpectat electio perſonam noſtram elegerunt, renitentem & reclamantem ut ipſi vidiſtis. Nunc autem quia quæritis quid ſentiam, dico vobis mente munda ab omni contagio ambitionis; quod ſi electioni ſuæ ſtare voluerint monachi, anxius invitus conſentio; ſi vero reſipuerint gratulabundus cedo. Veruntamen quia contumelias quorundam & minas audivimus, prohibemus ex parte Dei & auctoritate *Cantuarienſis* electi ſub appellatione ſedis apoſtolicæ & anathematis interminatione, ne *Cantuarienſi* eccleſiæ vel *Bathonienſi* aliqua præſumatis inferre gravamina. Quo tacente dixit Prior *Cantuarienſis*, Ab electione quam tam juſte & legitime fecimus non reſipiſcimus, ſed unanimi conſenſu firmiter ſtamus, & ne quolibet molimine præpediatur ſedem apoſtolicam appellamus. Miſſi ſunt illico nuncii ad dominum papam pro pallio, & ſatis benigne confirmata eſt electio. Electus autem ægrotare cœpit, & decidit in lectum in villa ſua de **Dogemereſfeld**, & cucullam induens ſub titulo *Cantuarienſis* eccleſiæ vij. kal. Januarii quievit in pace, M.C.xcij.

Venit in *Angliam Alianor* regina, & monachis *Cantuarienſibus* erat præſidio ne à Juſticiariis regis aliqua ſuſtinerent gravamina pro electione quam fecerant de *Bathonienſi*. Mediante menſe Martio applicuit apud *Doveriam W. Helienſis* epiſcopus Regis Cancellarius & Apoſtolicæ ſedis Legatus, ſet citiſſime per literas reginæ de cujus conſilio venerat in *Angliam*, ut fama fuit, prohibitus eſt ne procederet ſet rediret; in inſtanti reverſus eſt epiſcopatu ſuo ſpoliatus. Rex autem *Franciæ* ab *Accone* recedens ad proximum Paſcha rediit in *Franciam*, & quod diu concupierat *Flandriam* adeptus eſt. Obierat enim Comes *Philippus* in obſidione civitatis *Accon*, & rex *Angliæ Ricardus* ad expugnandum *Saladinum* fere ſolus relictus eſt. Hoc anno grandis altercatio facta eſt inter *G. Eboracenſem* archiepiſcopum & *H. Dunelmenſem* epiſcopum. Voluit enim archiepiſcopus ut prædictus epiſcopus olim factam innovaret profeſſionem. Quod cum nollet epiſcopus & appellaret eumque ſuſpenderet, archiepiſcopus à *Romano* pontifice literas impetravit de exemtione. Quem cum excommunicaret archiepiſcopus, tandem ex mandato domini papæ judicibus delegatis apud *Norhantoniam* menſe Octobri ad obedientiam ſui metropolitani revocatus eſt. Rex autem *Angliæ* cum videret cotidie populum Chriſtianum tum fuga tum interitu defluere, conſternatus animo quod nec *Saladinum* expugnare, nec ſanctam civitatem *Jeroſolimam* obtinere valeret, gemens & anxius à *Saladino* treugas cepit in triennium; Comitemque *Campaniæ Henricum* cuſtodem terræ dimiſit & dominum. Aſcenſis itaque navibus venit *Ciprum*, diſpoſitiſque rebus in *Alemanniam*, & in terram ducis *Oſtrici* triſti infortunio appulſus eſt. Cumque rex *Angliæ* mutato habitu incederet ut *Templarius*, puerique ſui ſtomachantes nimis inſolenter agerent, & dicerent inquirentibus aſtute, quod homines eſſent mercatoris, conpulſi ſunt regis hoſpicium indicare. Nunciatum eſt ilico Duci regem *Angliæ* adeſſe, & miſſis nunciis ſubito interceptus eſt. Diſperſus eſt itaque rumor in populo de captione regia, concurrente vulgo turpiter & probroſe ductus eſt. Ab his & ille proditor appellatus eſt, ab aliis lapidandus, ab aliis capite plectendus, à nonnullis patibulo ſuſpendendus videbatur. Vix tandem ereptus eſt, & inimico ſuo Duci videlicet *Oſtrici* præſentatus & poſtremo Imperatori traditus eſt. Oderant enim eum & ipſius gloriæ invidebant, eo quod in obſidione & captione civitatis *Accon* in re militari promptior eſſet atque paratior; quod *Ciprum* inſulam grandem ſolus adquiſiſſet. Et cum multos ex merito haberet æmulos, ſpecialiter tamen ducis *Oſtrici* malignum incurrit odium. Cum enim civitatem *Accon* irrumperent Chriſtiani, & diverſi diverſa civitatis hoſpitia caperent, in nobiliſſimo civitatis palatio ſignum Ducis elevatum eſt. Quod intuens rex & invidens manu militum valida vexillum dejecit, ducemque tam grato ſpoliavit hoſpitio: unde dux & *Teutonici* omnes indignantes abierunt, regique redituro multis in locis poſuerunt inſidias, & tandem, ut dixi, captus eſt.

Mira rerum commutatio, ſed & famæ confuſio facta eſt. Cum enim plurimi adventum regis in *Normanniam* prædicarent, & ob hoc plurimi convolarent in *Normanniam*, de captione ipſius ſubito murmur increbuit, omniumque, & maxime invidentium ora reſolvit. Innovantur illico circumquaque per *Angliam* de fidelitate regi ſervanda ſacramenta, civitates & oppida muris & propugnaculis muniuntur. Verum à rege *Franciæ* qui primus erat invidentium et præcipuus, et Comite *Johanne* qui regis erat frater uterinus conjuratio valida facta eſt. Ad nutum itaque prædicti *Johannis* et mandatum regis *Franciæ* cui jam fecerat homagium, ſunt coadunatæ naves plurimæ apud *Witſandum*, et innumera *Flandrenſium* multitudo deliciis *Anglicanis* ab olim invidens et copiis, ut ad proximum paſca vel paraſceve bellaturi navigarent in *Angliam*. Sed eorum malitiam prævenit Dei ſapientia, eorum in *Angliæ* captis nuntiis & detectis inſidiis. Igitur ex mandato reginæ *Alianor* quæ tunc temporis regebat *Angliam*, in paſſione Domini et paſca et deinceps nobiles et ignobiles milites et ruſtici ad arma convolabant, lituſque maris quod *Flandriam* ſpectat obſervabant. Comes autem *Johannes* latenter venit in *Angliam* ut ex *Galenſibus* et *Scottis* ſatellites convocaret, *Flandrenſibus* occurreret, ut hinc et inde *Angliam* occuparet. Cum autem in *Angliæ* turbata videret omnia, pauliſper delituit militarem interim convocans copiam, ſed rex *Scotiæ* nullum Comiti præſtare volebat auxilium. *Galenſes* autem in confinio **Kingeſtune** et **Windleſores** ob defectum victualium prædas faciebant. Quod audientes juſticiarii, Eia, inquiunt, eia! nunc aliquid agamus ut ſaltem extinguamus incendium quod ipſi ſuccenderunt. Obſedit itaque caſtellum de **Windleſores** cum innumera multitudine militum et peditum ille malefidus archiepiſcopus *Rothomagenſis*, et captionem ipſius in dies diſtulit plurimos, eo quod in eodem caſtello conſanguineos ſuos haberet. Interea rex *Franciæ* cum exercitu ſuo invaſit *Normanniam*, et cum non haberet reſiſtentes, villas et opida de facili occupavit. *Giſortio* tandem per proditionem radito *Rothomagum* properavit. Quod audiens venerabilis Comes *Leiceſtriæ Robertus* nomine, altius ſuſpirans vehementer indoluit, omniumque ſuorum quaſi contemptor effectus cum civibus *Rothomagi* fœdus iniit, de communi conſenſu civitatem munivit et tenuit, et procuratorem, immo proditorem *Normanniæ* ut ferebatur vinculis coartavit. Rex autem obſedit civitatem, ſed reſiſtente eidem prudentia Comitis cum unanimitate civium, apertis portis ingredi non audebat. Repulſus eſt enim ab ingreſſu civitatis vaniglorius ille rex per fundibalarios et ſagittarios et pediſſequas civitatis quæ more virorum attonſæ picem eliquatam et alia immunda in obſidentes effundebant. Rex itaque confuſus rediit in *Franciam*, miſitque nuntios ad Imperatorem cum infinita pecunia, rogans attentius ut regem *Angliæ* utpote hominem ſuum ei mitteret liberum, vel eundem diutius retineret incarceratum. Comes autem *Johannes* cum videret conjurationem ſuam eſſe detectam, et quod fraudatus eſſet *Scottorum* et *Flandrenſium* adjutorio, caſtella quæ ſuæ ditionis erant fortiter munivit et transfretavit, et regi *Franciæ* faciens homagium indeſinenter adhæſit. Interea venerunt in *Angliam* nuntii regis, dicentes eum pro redemptione ſua centum milia marcarum Imperatori ſpopondiſſe pecuniam. Venit eciam in *Angliam* xij. kal. Maii venerabilis ille *Hubertus Salesbirienſis* Epiſcopus juſtus et bonus, in cujus adventu tota *Anglia* in brevi pacificata eſt. Cum enim caſtellum de **Windleſores** ad deditionem coegiſſet, cum Comite *Johanne* antequam rediret in *Franciam* pacem fecit, datis & acceptis induciis uſque ad feſtum Sancti *Michaelis*. Rex interim *Anglorum Ricardus* manu militum armatorum die noctuque viciſſim vigilantium ſub artiſſima tentus cuſtodia, cum amaro multa revolveret animo, duplici tamen ex cauſa frequentius angebatur. In primis ſiquidem ſuam deſiderabat liberationem, quæ ſola pecunia mediante, centum ſcilicet quinquaginta milia marcarum poterat expediri. Deinde conſolationem *Cantuarienſis* eccleſiæ in eligendo paſtore & archiepiſcopo deſiderabat accelerari, per quem ſuam redemtionem celerius ſperabat exolvi. Sciebat enim *Angliam* regni & ſacerdotii privilegio privatam cum nequiſſimos & cupidos haberet æmulos de facili poſſe perturbari cum utroque careret beneficio. Sciens autem rex quod à Conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ de facili non exaudiretur ſi denuo pro archiepiſcopo de *Monte Regali* unde ſuperius mentio facta eſt preces funderet, ad *Hubertum Salesbirienſem* Epiſcopum promovendum, quem ubique in peregrinatione ſua & in obſidione civitatis *Accon* virum induſtrium, prudentem, providum experimento didicerat, animum inflexit. Igitur Conventui *Cantuarienſi* ſcripſit, de electione facienda, breviter faciens mentionem, ne videretur ab aliquo qui alta ſapiunt electionis liberæ diminuere libertatem, nec aliqua violentia *Cantuarienſis* eccleſiæ privilegium mutilare cujus beneficio in regem conſecratus eſt. Reginæ vero matri ſuæ & Juſticiariis *Angliæ* per familiares & fideles ſuos ſubſcriptam miſit epiſtolam.

Ricardus *Dei gratia Rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitanniæ, *Comes* Andegaviæ, *kariſſimæ matri ſuæ* A. *eadem gratia Regina* Angliæ *ſalutem & filialis dilectionis inviolabilem firmitatem. Mandamus vobis quod vocatis Juſticiariis noſtris,* Lundonienſi, Wintonienſi, Lincolnienſi *&* Roſenſi *& aliis Epiſcopis* Cantuarienſis *eccleſiæ ſuffraganeis quos videritis evocandos, ſub qua poteritis celeritate in propria perſona* Cantuariam *ad Priorem & monachos accedatis, & cum omni ſtudio & diligentia efficiatis, quod carus & fidelis noſter venerabilis* H. Sareſbirienſis *Epiſcopus in* Cantuarienſem *archiepiſcopum eligatur, ſicut vobis prius per dilectum & fidelem noſtrum* W. de ſanctæ Mariæ eccleſia *ſignificavimus, niſi jam idem Epiſcopus electus ſit. Certiſſimum enim habemus quod ipſius promotio Deo erit grata, & regni noſtri defenſioni & pacis conſervationi & liberationi noſtræ accelerandæ valde neceſſaria. Unde vobis mater kariſſima ſupplicamus cum qua poſſumus devotione, quatinus ſicut nos diligitis hoc negotium cum qua poteritis feſtinantia ad effectum perducatis. Et ſi forte aliquod mandatum accepiſtis à nobis in contrarium, vel pro Cancellario, vel pro* Batonienſi *Epiſcopo, vel pro aliquo alio, proculdubio vos ſcire volumus quod illud caſſamus, & omne mandatum quod de cætero de Cancellaria noſtra emanabit contrarium. Satis enim veſtra novit dilectio quod dum in cuſtodia tenemur oportet nos precibus magnorum virorum cedere, & pro quibuſdam ſupplicare quos nullatenus promoveri vellemus. Quicquid autem ſcripſerimus aut in futurum ſcripturi fuerimus ſuper prædicto negotio, voluntas noſtra eſt firma & immutabilis, quod epiſcopus* Sareſbirienſis *in* Cantuarienſi *eccleſia promoveatur, quia de illo hoc volumus et non de alio. Et ſi forte nondum electus eſt, vel aliquo caſu interveniente, quod abſit, non poſſit eligi, volumus et firmiter præcipimus quod* Cantuarienſis *eccleſia de paſtore nullo modo ordinetur ante reditum noſtrum in* Angliam. *Cætera quæ ad præfati* Sareſbirienſis *epiſcopi ſpectant promotionem ſupplebis carus et fidelis noſter magiſter* Johannes de Brideport, *cui fidem ſuper hoc negotio promovendo indubitatam habeatis. Teſte meipſo apud* Warnaſiam.

Regina vero & *Rotomagenſis* cum videretur domini regis urgens eſſe mandatum, alios quoque juſticiarios per *Angliam* diſperſos, eo quod his diebus multis & innumeris perturbaretur incommodis, nec valeret ulterius tam utile tamque neceſſarium protelare negotium, viros induſtrios cum eis qui à rege venerant cum litteris commonitoriis *Cantuariam* miſerunt ad Conventum, monentes ut in die Dominica iiij. ſcilicet kal. Junii *Londoniam* venirent archiepiſcopum per Dei gratiam electuri. Videntes igitur monachi cum aſſenſu regio ſibi eciam nunc à Deo datam eligendi libertatem, cum non viderent aliquem in *Anglia Huberto* præſtantiorem, invocata ſancta Trinitatis gratia, cum ſabbato mirantibus nuntiis & fere deſperatis elegerunt. Prior itaque *G.* craſtino *Londoniam* avolans præfatum electum ſuis extraxit latebris, eumque in concione epiſcoporum qui ad electionem faciendam convenerant *Rothomagenſi* & reginæ regalibus inſtituendum præſentavit. Stupens ad hæc *R. Londonienſis* epiſcopus qui ſibi ſolennitatem electionis reſervatam putabat, ſed jam deſperans, ne nil ageretur, Priori et monachis dixit, Bene feciſtis qui nobis noſtrum adduxiſtis electum. Cui Prior: De veſtro, inquit, electo, quid feceritis, vel ſi quem elegiſtis, nos penitus ignoramus. Quod autem noſtra de jure debeat eſſe electio res in propatulo eſt cum regiæ curiæ noſtrum præſentamus electum. Factum eſt autem. Directi ſunt ilico nuntii ipſius Electi, et nuntii Conventus, cum nuntiis Regis ad curiam *Romanam*, pro pallio petendo et plenitudine poteſtatis. Qui benigne à domino papa ſuſcepti ſunt.

Factæ ſunt interea exactiones duriſſimæ per totam *Angliam* pro redemptione regis, ut omnes et ſinguli tam eccleſiaſticæ quam ſeculares perſonæ, quartam partem redditum ſuorum ſolvere cogerentur. Deinde calices eccleſiarum et ampullæ, cruces et candelabra, textus et turibula aurea vel argentea, capſæ eciam Sanctorum excoriatæ ſunt, et conflatæ, regiis aſſignatæ miniſtris. Afflicta eſt præcipue his diebus miſera *Cantuarienſis* eccleſia, quæ tunſionibus et preſſuris variis extenuata in nichilum pene redacta eſt. Convocati ſunt iterum et iterum apud *Londoniam* tam eccleſiaſticæ quam ſeculares perſonæ, ut ſubtilius requirerent ſi quid eſſet reſiduum ad ſolvendum. Cum igitur apud *Weſtmonaſterium* abſente *Cantuarienſi* Electo conſiderent in unum et ſecum quærerent, intravit quiſpiam crucem bajulans, quem archiepiſcopus *Eboracenſis* ſtupentibus cunctis à tergo ſubſequens præſumtione ſtolida turbavit univerſos. Quem tandem alloquens *G. Roſſenſis* epiſcopus ait, Si ordinate ut deceret ingreſſus fuiſſes, nos tibi cum gaudio aſſurgeremus et cum ſalutatione: Verum quia in dedecus patris noſtri *Cantuarienſis* Electi, quod et in noſtram redundat univerſitatem, præſumptuoſe crucem bajulans incedis, nullam tibi exhibemus reverentiam, ſed ad ſedem apoſtolicam appellamus. Quippe cum notum ſit et publicum *Cantuarienſem* eccleſiam ſuper hoc ab antiquo primatu privilegiatam eſſe, et quod non debeat *Eboracenſis* archiepiſcopus in dioceſi *Cantuarienſis* eccleſiæ, id eſt citra Humbre fluvium, ante ſe crucem deferre. Quia igitur ſuper hoc præſumſiſti, iterum et iterum ſedem apoſtolicam appellamus. Accurrit ilico *Herbertus Cantuarienſis* archidiaconus et epiſcopi qui aderant itidem acclamantes. At ille neſcio quid ſubmurmurans exivit continuo. Erat autem juvenis illiteratus, bleſus et balbutiens, qui licet regio natus eſſet ſanguine ut putabatur, notum tamen erat cunctis quod omnia ſuperbe et impie machinabatur. Quem ob favorem regis alloquentes aliqui ex nobilioribus *Londoniæ* civibus monuerunt attentius ut ſibi ſuiſque ſociis provideret, crucemque ſuam quam contra juſtum et æquum portabat abſconderet, ne irritati *Londonienſes* tales ei facerent contumelias quales intulerant prædeceſſori ſuo *Rogerio*, cujus crux in medio populi confracta eſt, qui eciam in concilio epiſcoporum cui præſedit *Hugutio* legatus, de ſede qua contumaciter ſedere geſtiebat dejectus et in terram proſtratus eſt cappa turpiter diſſipata. Cui nec præſentia regis *H.* nec auctoritas legati ullum vel modicum præbuerunt ſolatium. Paruit tandem archiepiſcopus tantis conſiliariis, & cruce recondita exivit à *Londonia.* *Eboracum* vero reverſus cum à ſubditis ſuis infinitam peteret pecuniam, ab omnibus tam clericis quam laicis ad ſedem apoſtolicam appellatus eſt.

Interea nuntii *Cantuarienſis* electi *Romam* venientes gaudenter excepti, gratanter exauditi ſunt, pallioque ſuſcepto una cum domini papæ legato menſe Octobri *Cantuariam* reverſi ſunt. Erat autem aliquantula diſſenſio inter clericos de portanda cruce. Quidam enim dicebant crucem poſſe portari ex quo electus erat & in epiſcopum ſacratus. Alii dicebant crucem non ferendam antequam pallium ſuſciperetur: illi leges, iſti decretales ſententias proferebant. Quorum ſententias infatuavit monachus quidam *Cantuarienſis G.* ſacriſta qui de jure officii ſui crucem attulerat vice conventus & capellani. Qui ſuper hoc ab electo ſciſcitatus reſpondit: Domine, inquit, magiſtri iſti dicant quod voluerint, & quod in ſuis habent ſententiis. Ego autem allego conſuetudinem *Cantuarienſis* eccleſiæ, quod vidi, & quod à ſenioribus audivi, & quod in ſcriptis repperi. Si quiſpiam epiſcopus electus fuerit crucem portare non debet antequam à domino papa confirmetur electio, quia ſecundum canones non debet epiſcopus de ſede ad ſedem transferri præter ipſius aſſenſum. Si is qui eligitur epiſcopus non fuerit, ſtatim poſt conſecrationem crucem habebit, Quia comitantia ſunt archiepiſcopatus *Cantuarienſis* & primatus totius *Angliæ.* Conſenſerunt itaque ſententiæ prædicti *G.* monachi electus & clerici. Qui *G.* ab electo recedens, & in craſtino rediens, crucem portans, obviavit electo à *Londonia* venienti, crucemque tradidit cum devotione apud **Leveſeham** iij. non. Novembris. Et ut ſciant poſteri quomodo fieri debeat, modus ſuſceptionis hic erat.

Cum igitur *Cantuariam* tendens prædictum *G.* qui hæc ſcripſit, crucem bajulantem appropiare videret, equo deſcendit in terram, corruens extenſis brachiis crucem adoravit, aſtante præfato *G.* cum epiſcopo *Roſenſi* & innumera multitudine. Surgenti autem & in genibus ſtatim erecto, dixit *Gervaſius.* Nuntius ſum, venerande pater, nuncium ferens optimum, non hominis ſed Dei, immo illius qui Deus eſt & homo *Jeſus Chriſtus.* Nec mirari debet quiſpiam vel iraſci ſi quod ſuum eſt nuntius exequitur. Nuncius, inquam, ſum regis ſummi qui ſalutat te ſalute æterna, rogat, mandat, & præcipit ut eccleſiam ſuam regendam ſuſcipias, eamque diligas & protegas in fide non ficta. In hujus ſignum nuncii ſummi regis vexillum tibi trado ferendum. Accipe libenter, porta fideliter, ut cum ſanctis prædeceſſoribus tuis *Cantuarienſis* eccleſiæ patronis in æternum gaudeas, *Amen.*

Cruce itaque ſuſcepta & clerico ferenda tradita, de cætero nominandus archiepiſcopus *Cantuariam* veniens ab epiſcopis *Angliæ* & conventu *Cantuarienſi* honorifice & in oſculo pacis vij. idus Novembris ſuſceptus eſt. Deinde alba indutus & cappa ſequente conventu nudus pedes incedens, pallium ſuſcepit per manum nuntii *Celeſtini* papæ. Quo redimitus pallio cum cæteris epiſcopalibus indumentis intronizatus eſt & miſſam celebravit. Facta eſt autem grandis altercatio inter epiſcopos *Londonienſem* ſcilicet & *Roſenſem*, quis eorum in hoc opere videretur eſſe major. *Londonienſis* enim dexteram archiepiſcopi totamque intronizandi ſolennitatem ſuam eſſe dicebat de jure antiquo, quia *Londonienſis* epiſcopus inter epiſcopos *Cantuarienſis* eccleſiæ decanatus optinet dignitatem. Econtra *Roſenſis* idem ſibi uſurpabat quia capellanus erat. Quidam autem dicebant quod Prioris & Conventus eſſet intronizatio quia eorum eſſet electio; alii dicebant quod eorum eſſet intronizatio quorum eſſet conſecratio, id eſt, epiſcoporum. Ad ſedandam igitur tantorum virorum diſſenſionem pro bono pacis ne tanta ſolennitas caſſaretur, utrimque proviſum eſt ut in ſuſceptione archiepiſcopi *Londonienſis* ejus dexteram optineret, ut in ſuſceptione pallii *Roſenſis*, ſalva utriuſque debita dignitate. *Londonienſis* vero dixit orationem & cum pallium humeris archiepiſcopi imponeretur, & cum in ſede patriarchatus locaretur, vij. idus Novembris à Conventu cœnobii ſancti *Auguſtini* ſolenniter in oſculo pacis ſuſceptus eſt, ibidemque miſſam celebravit. Ante natale Domini rex *Angliæ* mandavit matrem ſuam *Alianor* reginam & archiepiſcopum *Rotomagenſem* jam in ſpe poſitus recuperandæ libertatis, & archiepiſcopus *Cantuarienſis* præfectus *Angliæ* factus eſt. XVII.

An. Gratiæ 1194.

M. C. xciiij. Gratiæ anno, gratia Dei rex *Angliæ R.* à diutina cuſtodia liberatus eſt, & matri ſuæ propriæque libertati reſtitutus, ſoluta tamen in parte plurima quam promiſerat pecunia, & de reliquo datis obſidibus. Archiepiſcopus autem *Eboracenſis* ne nil videretur egiſſe, per dumos & devia crucem ferens, eo quod via regia non auderet incedere, ut regi occurreret venienti ad mare deſcendit. Sed ex mandato *Cantuarienſis* archiepiſcopi conatus ipſius inanis effectus eſt, & reverſus eſt *Eboracum.* Interea mirabili eventu interceptæ ſunt litteræ Comitis *Johannis* quas in *Angliam* miſerat de proditione: unde pauliſper commotus archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſubito obſedit caſtellum de **Merleſberge** quod erat Comitis & cepit. Deinde **Notingeham** duxit exercitum & obſedit caſtellum. Rex autem *Angliæ* mare ingreſſus eſt in *Alemannia* apud *Andwerpe*, proſpere applicuit in *Anglia* iiij. idus Marcii in portu de **Sandwic.** Erat autem murmur in populo & in ore eorum qui cum rege venerunt, quod rex *Franciæ* regi *Anglorum* ad mare præparaſſet inſidias, ut eum vel caperet vel debellaret; iij. idus Martii venit rex *Cantuariam*, & à conventu ſancti *Auguſtini* ſuſceptus in directum ad proceſſionem conventus matricis eccleſiæ, ſicque ab utroque conventu in eccleſiam Chriſti deductus eſt. Noluit enim aliquam eccleſiam ingredi donec matrem ſuam *Cantuarienſem* eccleſiam per quam coronam regni meruit accipere viſitaſſet. Craſtino cum receſſiſſet à *Cantuaria* & *Roffam* appropinquaret, obviavit archiepiſcopo *Cantuarienſi H.* ſibi gaudenter occurrenti, equoque deſiliens genu flexo corruit in terram, & archiepiſcopus ſimiliter jacebat è regione, tandemque ſurgentes oculis in amplexibus lacrimantibus, oſculis præ gaudio ſeſe refecerunt. Deinde rex una cum archiepiſcopo **Notingeham** properans, obſedit caſtellum & in brevi obtinuit. Convocatis autem prælatis *Angliæ* quæſivit & accepit conſilium ut regnum innovaret, & coronam regni ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* in Paſchali ſolennitate ſibi permitteret inponi. Paruit rex conſilio prælatorum, & *Wintoniam* undique properatum eſt.

Verum quia tanta ſolennitas in ipſo die Paſcæ in tantillo ſpacio non poterat expediri, uſque in octavas Paſchæ dilatum eſt negotium. Et quia modus coronationis hujuſmodi à multis retroactis diebus à memoria hominum ſublatus eſt, à *Cantuarienſi* eccleſia in qua rex *Stephanus* cum regina coronatus eſt quæſitum & inventum eſt hujuſmodi conſilium.

Inſtante hora tercia, & Rege cum Baronibus ſuis & Comitibus quibuſlibet precioſis tamen induto veſtibus, induantur epiſcopi & conventus albis & cappis, & ſequentes archiepiſcopum *Cantuarienſem* uſque ad regis cameram ordines ſuos teneant epiſcopi ſecundum primogenita conſecrationis, præter *Eboracenſem* archiepiſcopum ſi affuerit, *Londonienſem, Wintonienſem*, & *Roffenſem.* Quorum *Eboracenſis* ad dexteram ibit archiepiſcopi *Cantuarienſis, Londonienſis* ad ſiniſtram. Si forte defuerit *Eboracenſis, Londonienſis* ibit ad dexteram, *Wintonienſis* ad ſiniſtram. *Roffenſis* vero qui *Cantuarienſis* archiepiſcopi capellanus eſt, prope archiepiſcopum ſubſequetur à tergo, comitantibus eum à dextris & à ſiniſtris duobus monachis capellanis archiepiſcopi ut cum libro paratus ſit ad inveniendas congruas orationes. Regi autem ſuper tapetum vel pallium coram archiepiſcopo *Cantuarienſi* inclinato genibus vel ſtanti, *Cantuarienſis* archiepiſcopus coronam imponat auream, & ſceptrum in dextram, & hanc dicat orationem, *Coronet te Dominus, &c.* deinde ſonantibus ſignis cum cantu ducatur in eccleſiam. Quo flectente genua coram altari, finito cantu dicat archiepiſcopus has preces. *Domine ſalvum fac regem. Mitte eidem auxilium de ſancto. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Dominus vobiſcum. Quæſumus omnipotens Deus ut famulus tuus Rex noſter, &c.* Deinde ducatur ad thronum regium & miſſam celebret archiepiſcopus *Cantuarienſis*. Poſt evangelium ducatur rex ad offerendum. Poſt *Agnus* communicet rex & miſſa finiatur. Poſt miſſam deducant eum in palacium, Comites & Barones cereos ferant, & regium gladium in forulo.

Hic eſt modus hujus coronationis. Verum quia rex *Ricardus* à captivitate liberatus ex inſperato in regnum reverſus eſt, de conſilio *Cantuarienſis* eccleſiæ & prælatorum *Angliæ* in octavis Paſchæ apud *Wintoniam* ſic coronatus eſt xv. kal. Maii.

Primo præceſſit archiepiſcopus *Cantuarienſis* & epiſcopi aliique ſacris veſtibus induti cum conventu ſubſequente uſque ad cubiculum regis: ubi ſuper extenſum tapetum regalibus ornamentis expoſitis, ſcilicet pallio quadrangulo auro texto, tunica, ſandaliis, armillis, enſe, calcaribus, baculo, ſceptro & corona rex indutus eſt. Quibus indumentis ornato inpoſuit archiepiſcopus regis ſiniſtræ baculum aureum, dextræ ſceptrum, capiti vero coronam inpoſuit, & hanc dixit orationem, *Coronet te Dominus.* Poſtea incoato à cantore reſponſorio *Honor, virtus*, proceſſerunt omnes ad eccleſiam rege ultimo ſubſequente, portantibus iiij. Baronibus iiij. cereos accenſos ante eum, & aliis iiij. pallium in iiij. haſtis ſuper caput ejus. Tres vero Comites nobiliores *Angliæ* portaverunt tres gladios in vaginis aureis. Cum autem perveniſſent ſic ad gradum altaris inclinavit rex ſuper genua habens baculum aureum in ſiniſtra & ſcreptrum in dextra. Finito cantu dixit archiepiſcopus, *Domine ſalvum fac regem. Mitte ei Domine. Eſto ei Domine. Dominus vobiſcum. Oremus. Quæſumus omnipotens Deus ut famulum tuum.* Poſt hæc, reverſus eſt ad locum ubi thronus regis paratus eſt, ducente eum archiepiſcopo *Cantuarienſi* à dextris, *Londonienſi* à ſiniſtris. Deinde archiepiſcopo epiſcopalibus induto & pallio Miſſa incoata eſt. Poſt primam orationem Collecta dicta eſt pro rege. Deinde *Chriſtus vincit*, à tribus perſonis. Poſt evangelium, ab epiſcopis ductus eſt ad oblationem. In eundo & redeundo portati ſunt cerei coram eo & pallium. Poſt miſſam communicavit rex. His omnibus rite peractis duxit eum archiepiſcopus in palacium, exutus tamen pallio, & caſula & cappa indutus. Rex itaque accepta leviori corona ſedit ad menſam cum epiſcopis & magnatibus terræ.

Hæc fuit forma coronationis regis *Ricardi* poſtquam rediit de *Alemannia*, tantaque ſolennitas facta eſt propter præcedentem captionis contumeliam & inſperatum ipſius adventum. Rex autem *Stephanus* aliquando in eccleſia *Cantuarienſi* una cum regina ſua per manum *Theodbaldi Cantuarienſis* archiepiſcopi ſic coronatus eſt. Rex in veſte feſtiva cum regina ab epiſcopis & comitibus ductus eſt in eccleſiam. Ipſe rex ſtabat in ſede archiepiſcopi & regina ex adverſo. Archiepiſcopus utrique coronam inpoſuit, deinde miſſam celebravit. Facta eſt autem altercatio inter monachos & clericos dum utrique *Chriſtus vincit* cantarent. Clerici feſtinabant inportune ut ſibi victoriam cum benedictione reportarent: ſed habuerunt maledictionem, pro benedictione. Nam ab archiepiſcopo excommunicati ſunt, nec niſi petente rege vix poſt miſſam potuerunt abſolvi. Monachi vero tam devote quam moroſe canentes, à Deo gratiam, ab archiepiſcopo benedictionem, à rege & regno laudem ſuſceperunt. Rex autem *Ricardus* coronationis ſuæ quintodecimo kalend. Maii peracta ſolennitate ad mare deſcendit, & transfretavit iiij. idus Maii. X. kal. ejuſdem facta eſt eclipſis ſolis particularis hora ſexta. Archiepiſcopus *Cantuarienſis* cum à præfectura *Angliæ* non poſſet abſolvi *Londoniam* reverſus eſt, & ſacravit in octavis Pentecoſtes *Herbertum Cantuarienſem* archidiaconum ad regimen *Salesberienſis* eccleſiæ in eccleſia *Weſtmonaſterii.* Hoc anno imperator *Alemanniæ* totam invaſit *Apuliam* & *Calabriam*, & vaſtavit *Salernam.* Reges autem *Franciæ* ſcilicet & *Angliæ* numeroſa militum collecta multitudine nichil vel parum fecerunt, non enim audebant ſibi palam occurrere, ſed ſolummodo in alterutrum parabant inſidias. Rex tamen *Angliæ Taileburch* cèpit & comitatum de *Engoliſmo.* Menſe Auguſto confiſcavit archiepiſcopus *Cantuarienſis* ex mandato regio archiepiſcopatum *Eboracenſem.* Exigebat enim rex à prædicto archiepiſcopo fratre ſuo mille marcas argenti & eo amplius ut ferebatur. Qui licet transfretaret & ad *Romam* nuntios mitteret, nec fratri ſuo regi reconciliari, nec archiepiſcopatum potuit recuperare. His igitur aliiſque de cauſis Juſticiarii qui vocantur errantes ex mandato *Cantuarienſis* archiepiſcopi ad diſcutienda regni negotia menſe Septembri per *Angliam* miſſi ſunt.

Menſe Decembri mirandum in *Alemanniæ* accidit prodigium. Cum enim pueri civitatis *Oſtrici* de congeſta nive pro modulo ſuo caſtellum compoſuiſſent, & quidam ex eis extrinſecus oppugnarent, aliique intrinſecus viriliter repugnarent & prævalerent, contigit ducem *Oſtrici* qui regem *Angliæ* primo captivavotat cominus tranſire turba comitante ſuorum. Qui cum paululum præſtolaretur, & ſeditiones ſimulatorias inſpiceret puerorum, conqueſti ſunt pueri quod non poſſent reſiſtentibus prævalere, ejuſque implorabant auxilium quo facilius caſtellum niveum expugnarent. Annuit petitionibus puerorum, & illico emiſſarium quo ſedebat calcaribus urgens præfatum niveum aſcendit caſtellum. Quo de facili confracto, cum equus non haberet quo certius pedes figeret nimirum corruit Ducemque dejecit. Cujus tibia tam ſubito tamque perverſe confracta eſt, ut oſſis fractura cutem perforaret. Domum delatus tanto dolore & fætore repletus eſt, ut eum vix medici vel cubicularii viſitarent; tandem medici de ſalute Ducis deſperati perſuaſerunt ei ut pedem putidum & fætentem amputare permitteret, ſi forte vel ſic vivere valeret. Annuit dux; amputato pede cum tibia cum fætor orridus augeretur indies, dux tandem obiit, ſed ſepeliri non potuit quia pro captione regis *Angliæ* fuerat excommunicatus. Cumque per dies ſeptem inhumatus jaceret, & teterrimus fætor intollerabilis eſſet, filius ipſius compulſus eſt *Anglos* obſides quos pro pecunia nondum ſoluta tenebat, ſolvere & liberos repatriare. Tactis quoque ſacroſanctis juravit, quod vice patris de tanta enormitate judicio ſtaret eccleſiæ. Sicque Duce ſepulto obſides in *Angliam* redierunt. XVIII.

An. Gr̃æ 1195.

M.Cxcv. Menſe Martio obiit *Hugo Dunelmenſis* epiſcopus anno epiſcopatus ſui circiter xlij. & ſepultus in ſenectute bona. Rex *Franciæ* deſponſavit ſororem regis *Danorum*, ut vel ſic contra regem *Angliæ Danorum* haberet adjutorium. Sed ſubito neſcio quid ſecreti accidit ut rex ſuam quam optaverat Reginam repudiaret & ultimum moliretur divortium. Eodem anno menſe Junio *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus effectus occidentales viſitavit eccleſias, & apud *Eboracum* tam à monachis quam à clericis & laicis honorifice ſuſceptus eſt. Depoſuit autem cæteris ex cauſis accuſatum Abbatem ſanctæ *Mariæ Eboraci*, & per *Dunelmum* rediens miſit Abbates tres ut vice ſua in dioceſi *Eboracenſi* alias circumquaque poſitas viſitarent eccleſias. Feſtinabat enim redire *Londoniam* ad expedienda regni negotia quæ hinc inde ex mandato regio diſtrahebant. Menſe Julio inſtituit Abbatem ſancti *Albani Iohannem* nomine, defuncto *Warino* ejuſdem cœnobii Abbate. Septimo idus Junii hora quaſi ſexta ſignum accidit mirabile apud *Londoniam*. Nubes enim denſiſſima & teterrima oriebatur in aere creſcens valde ſole circumquaque clare lucente. In cujus medio foramine aperto quaſi de foramine molendini neſcio quid album defluebat. Quod ſub nube nigra in globum creſcens in confinio *Tamenſis* & hoſpitio *Norwicenſis* epiſcopi ſuſpenſum tenebatur. Inde quaſi globus igneus corruit in fluvium, iterumque turbine facto decidit infra ſepta curiæ præfati Epiſcopi. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* depoſuit Abbatem de **Tornete** de dilapidatione rerum monaſterii ſui accuſatum. Exinde archiepiſcopus per *Sudſeſſiam Cantuariam* veniens, tam à monachis matricis eccleſiæ quam à cœnobitis ſancti *Auguſtini* honorifice ſuſceptus eſt. Quarto idus Septembris adveſperaſcente jam die miranda claritas viſa eſt deſcendere ſuper eccleſiam *Cantuarienſem*. Reformata eſt pax inter regem *Franciæ* & regem *Angliæ*. Ad cujus confirmationem cum per ſpectabiles nuntios, videlicet archiepiſcopum *Remenſem*, epiſcopum *Helienſem* Imperatoris peteretur nec optineretur aſſenſus, iterum ad diſcordiam & inſidias revocantur. Menſe Octobri obiit *R.* epiſcopus *Wigornienſis*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* confiſcavit epiſcopatum. Videns autem quod res eccleſiæ & ordo monaſticus in parte plurima deperiſſent, & inter monachos frequenter eſſent litigia, quoſdam ex ipſis miſit *Cantuariam* & alias per *Angliam*, duoſque ex *Cantuarienſibus* miſit *Wigorniam* qui ordinem & res diſſipatas in bonum ſtatum reformarent. Menſe Novembri quidam regis clericus *Philippus* nomine electus eſt ad regimen *Dunelmenſis* eccleſiæ, & Archiepiſcopus *Eboracenſis* in Curia *Romana* diutiſſime ſtans laboratur plurimum in diminutionem primatus *Cantuarienſis* eccleſiæ, ut epiſcopatum ſuum à quo ſpoliatus eſt recuperare valeret. Cui clerici *Eboracenſes* & regis potentia adverſati ſunt. Menſe Decembri Juſticiæ qui vocantur errantes miſſi per *Angliam* ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, fuerunt apud *Cantuariam*, ibique per miniſtros regis judicio aquæ mundati ſunt vel perierunt criminoſi qui ad regiam pertinebant coronam. Qui vero ad Archiepiſcopum pertinebant in foſſa Archiepiſcopi apud **Weſtgate** ſalvati ſunt. Similiter qui ad Priorem & Conventum, in eadem foſſa ſalvati ſunt, miniſtris Prioris & Conventus ibidem præſidentibus. Ubi quidam *Elſgarus le Dret de* **Holingeburn** captus per aſſiſam de **Clarendune** pro bidentibus furatis & aliis furtis unde rectatus fuit per juramentum commune hundredi de **Aſhorn** & iv. villarum vicinarum, invadiavit judicium aquæ in curia monachorum, ivit ad aquam in foſſa ipſorum & mundatus eſt. Ibidem *Willielmus le Hert* rectatus de latrociniis & fruſſura domorum per juramentum commune de **Feleberge** & iv. villarum vicinarum ibidem mundatus eſt. Nec miretur quiſpiam *Cantuarienſes* monachos hac præminere dignitate, cum ab antiquis & modernis regibus *Angliæ* libertates plurimæ ſigillis appenſis eis confirmatæ ſint. Hæc eſt enim Cartarum ſententia. *Hæc & illa concedimus illis, confirmamus ſuper ſuos homines infra burgos & extra, in tantum & tam pleniter ſicut proprii miniſtri mei exquirere deberent, nolumus pati ut aliquis ſe intromittat de rebus quæ ad eos pertinent niſi ipſi & miniſtri eorum quibus ipſi committere voluerint, &c.* Fuerunt autem tunc temporis Juſticiarii in *Cancia Ogerius filius Ogeri, Galfridus de* **Sundereſſe** tunc Conſtabularius caſtelli de *Roſa* & *Hugo de Dudintonia* miſſi à *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo qui ſummum in *Anglia* Juſticiæ apicem tenebat, & *Henricus de* **Cornehelle** vicecomes erat in *Cantia*. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* in natali Domini *Eboracum* acceſſit & in eccleſia beati *Petri* natale Domini celebravit. XIX.

An. Gr̃æ 1196.

M. Cxcvj. Convenerunt reges ad colloquium cauſa pacis reformandæ circa Purificationem, & induciæ datæ utrinque ad feſtum ſancti *Johannis* Baptiſtæ. Convocati ſunt interea utrinque milites & pedites copioſi, & rex *Angliæ* obſedit & cepit *Nunntturt* & rex *Franciæ* obſedit *Nubemarle*. *Arturus* autem nepos regis *Angliæ* comes tamen *Britanniæ*, cum videret regem *Angliæ* in arto poſitum ex infeſtatione regis *Franciæ*, familiarium ſuorum & imperitorum ſeductus conſilio cœpit rebellare, & ab avunculi ſui *R.* ſcilicet regis *Angliæ* ſe ſubtraxit arbitrio. Hæc audiens rex diſſimulavit ad tempus, pueriles volens experiri conatus. Deinde cum exercitu intravit *Britanniam*, & nullo reſiſtente, diffugerant enim una cum *Arturo*, ut ſibi placuit omnia vaſtavit. Rex autem in brevi in parte plurima vaſtata *Britannia Francorum* irritatus exceſſu rediit in *Normanniam*. Verum cum reges campeſtri pugna ſibi adinvicem formidarent occurrere, in prædis & incendiis commilitones ſuos exercebant. Caſtella quoque vi vel fraude nunc hinc nunc inde ſurripiebant.

Orta eſt interea ſeditio peſſima in civitate *Londonienſi* per quendam homuncionem pauperculum *Willielmum* nomine, quod pudor eſt referre. Erat enim licet contemtibilis forma eloquentiſſimus, & vulgus inperitum in tantam produxerat pertinaciam ut eum contra primos civitatis in omnibus haberent advocatum, ejuſque magis obedirent imperio quam *Lundana* civitatis præfecto. Unde factum eſt ut omnes adinvicem cives dolum & nequitiam cogitarent, ut ſubverſio civitatis jam jamque videretur iminere. Die & nocte ſe & ſua armis & vigiliis ditiores civitatis propter timorem vulgi muniebant ne ab ipſis occiderentur. Cum autem hæc in tantum invaleſceret inſania, ut per ipſum præfatum *Willielmum* in civitate fierent omicidia, ipſe cum paucis ſociis fugeret in turrem contiguam eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* quæ dicitur *de arcu*, eamque cibariis munirent et armis. *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus qui tunc temporis ſummum juſticiæ tenebat apicem in *Anglia*, à cæteris Juſticiariis & Epiſcopis ſimul & Abbatibus *Angliæ* apud *Londoniam* coadunatis quærebat quid facto opus eſſet, ne tanta civitas & tam opulenta ipſis præſentibus tam verecundum incurreret excidium. Omnes animo volvebant illud autenticum *Salomonis* proverbium dicentis, *Eice deriſorem & exibit cum eo jurgium*. Miſit igitur *Cantuarienſis* archiepiſcopus ſpectabiles nuntios ut monerent *Willielmum* ut de turre deſcenderet & ab eccleſia exiret, judicioque ſtaret eccleſiæ, vitam habiturus et membra. Renuit hoc *Willielmus*, minas intulit et accepit, ſed nec ſic potuit avelli, propria enim loquacitas et favor vulgi tantam ei conferebant audaciam ut neminem formidaret. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* publice et privatim *Londonienſes* cives alloquens pro fidelitate regis, pro pace conſervanda obſides peciit et accepit. Quo facto, convocata non modica armata militia, vicos civitatis et plateas obſervare præcepit ne fœdus initum cives rumperent, vel id quod faciendum erat pro bono pacis negotium præpedirent. Succenditur itaque turris et eccleſia ſanctæ *Mariæ* ſabbato paſſionis Domini vij. Non. Aprilis, tandemque *Willielmus* cum ſociis ſuis captus eſt, et apud turrim *Londonienſem* archiepiſcopo præſentatus. Data tandem de communi conſilio dampnationis ſententia, collo caballi pedibus appenſus à prædicta turre per mediam civitatem ad ulmos tractus, demolitis carnibus ad ſilices obiter poſitos, catena ligatus ad ulmos eadem díe cum ſociis ſuis ſuſpenſus interiit. Sublato vero ipſius cadavere ſubito divulgatum eſt in civitate *Willielmum* novum martirem novis clareſcere miraculis. Verum poſitis inſidiis et flagellatis qui noctu venerant ad orandum, evanuerunt illico miracula ac viſitator omnis abceſſit.

Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ædificavit eccleſiam ſumptu non modico apud **Dierham**. De capella vero & canonia de **Lamhee** quam *Baldewinus* prædeceſſor ſuus incoaverat perficienda ſollicitabatur valde; Fluctuabat enim animo & quid utilius ageret neſciebat. Stimulabant enim ipſius mentem Epiſcopi quidam & clerici, quibus quaſi innatum eſſe videretur *Cantuarienſem* eccleſiam collatis ab antiquo dignitatibus velle privare. Capella quoque ibidem erecta & domunculæ quædam & locus aptus, quia prope civitatem tam nobilem *Londoniam* erant, curiam Regis quam archiepiſcopus *Cantuarienſis* pro negotiis eccleſiæ ſimul & regni frequentabat. Reſiſtebant prædictis rationibus pericula quædam maxima & multa quæ *Cantuarienſi* metropoli videbantur imminere ſi procederet in opere, lites quoque & diſcrimina quæ tempore *Baldewini* contigerunt hac de cauſa. Formidabat hinc offendere conventum *Cantuarienſis* eccleſiæ, à quo ſciebat ſe fuiſſe electum. Nolebat quoſdam epiſcopos & clericos commovere qui frequenter ipſius animum incitabant ad operandum. Senciebat præterea conventus *Cantuarienſis* ſtabilitatem, & domini papæ *Celeſtini* de eodem opere ſcivit prohibitionem cujus talis eſt formá.

Celeſtinus *epiſcopus ſervus ſervorum* Dei, *Venerabili fratri* Bathonienſi *epiſcopo, dilectis filiis de* Radinges *&* de **Waltham** *abbatibus ſalutem. Moleſtias & injurias quas per bona memoria* B. Cantuarienſem *archiepiſcopum conventus ejuſdem loci paſſus eſt, diſcretionem veſtram non credimus ignorare. Quoniam igitur jam dictus archiepiſcopus quamvis de reformando ſtatu fratrum ipſorum in integrum mandatum felicis recordationis* Urbani & Clementis *pradeceſſorum noſtrorum ſuſcepiſſet, nondum cum iter peregrinationis arripuit ad plenum reformaverat, diſcretioni veſtra per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus omni dilatione & appellatione ceſſante eccleſias cum fructibus inde perceptis & alia qua ſapedictus archiepiſcopus ipſis abſque juris ordine abſtulerit, noſtra freti autoritate cum integritate reſtitui faciatis, & eorum detentores ſi opus fuerit cenſura non differatis eccleſiaſtica cohercere, modis omnibus obſervantes, ne in loco quem apoſtolica condempnavit auctoritas divina de catero celebrentur, ſet potius capella ibidem ut dicitur erecta funditus deſtruatur, & ſicut à patribus noſtris decretum eſſe dinoſcitur, canonicorum inſtitutionem revocantes in irritum, eoſque denuncietis & teneatis ſuſpenſos qui in loco ipſo poſt prohibitionem apoſtolicam divina ſcienter praſumpſerunt officia celebrare, donec ad ſedem apoſtolicam veniant abſolvendi. Illos quoque qui ſententiam pia recordationis papa* Clementis *incurriſſe noſcuntur cautius faciatis ab omnibus evitari, donec exibita ſatisfactione competenti eccleſia per vos mereantur abſolvi. Qui vero hujuſmodi communicaverint ſcienter, congrue ad arbitrium veſtrum ſatisfaciant. Hac autem omnia tanto diſtrictius diſcretioni veſtra duximus injungenda, quanto injuriam apoſtolica ſedis continere videtur eadem totiens iterare, & religionem veſtram minus deceret ſi mandatum apoſtolicum ſegnius exequeremini, nec poſſemus ſine moleſtia tantum in vobis neglectum aliquatenus ſuſtinere; Nullis literis juri eorum prajudicium facientibus ſi qua apparuerint à ſede apoſtolica impetrata obſtantibus. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum*

ſtrum ea nichilominus exequentur. Datum Romæ *apud ſanctum* Petrum *x. kal. Junii pontificatus noſtri anno primo.*

Audiens autem papa *Celeſtinus* in fraudem mandati capellam & canoniam de *Cantuaria* uſque **Lamhee** tranſlatam, nolenſque *Cantuarienſem* eccleſiam aliqua ſui minui dignitate, executoribus mandati ſui ſcripſit ita.

CEleſtinus *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Ciceſtrenſi *epiſcopo, & dilectis filiis de* Radinges *& de* **Waltham** *Abbatibus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Summi pontificis moderamini noſcitur plurimum convenire, ut ſicut à ſucceſſoribus ſuis quæ rationabiliter ſtatuit deſiderat obſervari, ita prædeceſſorum ſuorum bene conſtituta & ratione pravia deliberationis provida judicio ſtabilita debeat inviolabiliter cuſtodire. Cum itaque felicis memoriæ* Urbanus *&* Clemens *prædeceſſores noſtri ædificationem novæ capellæ & clericorum inſtitutionem in præjudicium conventus eccleſiæ factam, quæ gravem parere videbatur materiam ſcandalorum, de conſilio fratrum ſuorum Cardinalium irritaverint & expreſſius inhibuerint ne de cætero illam capellam obſervarent, nec in ea divina officia celebrarent: Nos volentes quod ab ipſis in hac parte noſcitur ſtabilitum perpetua firmitate gaudere, ratum id & firmum habemus, & ſine refragatione cujuſquam præcipimus obſervari; Et quia quicquid ex eo ſequitur vel ob id quod prohibitionis perpetuæ cauſam habens interdicente canone à ſummis pontificibus conſtituto factum eſt, caſſum & inutile canonica judicant ſanctiones, & idem jura etiam civilia proteſtantur, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus clericos de* **Lamhee** *à juramento de obſervatione novæ capellæ* B. *quondam* Cantuarienſi *archiepiſcopo præſtito, auctoritate ſedis apoſtolicæ denuncietis publice abſolutos, ex parte noſtra ceſſante appellatione eis diſtrictius injungentes ne de cætero novam capellam vel eccleſiam de* **Lamhee** *debeant obſervare, nec per ſe nec per ſuos in ea ulterius miniſtrare, eos eccleſiaſtica cenſura dilatione & apellatione poſtpoſita cohercentes qui mandato noſtro duxerint contraire: Nullis literis obſtantibus harum tenore tacito à ſede apoſtolica impetratis. Quod ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur. Datum* Romæ *apud ſanctum* Petrum *xvij. kal. Junii pontificatus noſtri anno ſecundo.*

His & aliis de cauſis *Cantuarienſis* archiepiſcopus animo fluctuans, ut neutram partem offenderet monachorum vel clericorum & utrique placeret, propoſuit animo alienam relinquere poſſeſſionem ut in proprio *Cantuarienſis* eccleſiæ fundo, videlicet in villa quæ **Petdeſhane** vocatur opus propoſitum conſummaret, eo quod de loco *Cantuarienſis* eccleſiæ minus ineſſe videbatur periculum, & ut monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ facilius traherentur ad conſentiendum; ſed nec ſic conſentientibus monachis evanuit in brevi & hoc propoſitum, & ad **Lamhee** ſed languida intentio revertitur operandi. Miſſus eſt igitur ad archiepiſcopum monachus induſtrius ut ipſius animum mitigaret & expoſitis periculis cum exordio cauſæ ſimul & exitu mentem ejus à propoſito revocaret. Conſerto tandem ſuper hoc negotio ſermone allegat archiepiſcopus de ſobrietate ſimul & caſtitate clericorum, quod cum ſimul viverent ſemper honeſtatem ſaltem timore mutuo cogitarent. Subticuit tamen archiepiſcopus ea quæ diebus & noctibus in domunculis ſuis agitari ſolent, ne forte monacho reſpondendi ſuper hoc daret indicium ſi clericorum male viventium exponeret exemplum. Adjecit archiepiſcopus & aliud argumentum, quod opus illud facturus eſſet ad gloriam & augmentum *Cantuarienſis* eccleſiæ & ipſius defenſionem, eo quod eſſent clerici prudentiores & faciliores ad propugnandam eccleſiam quam monachi qui nil aliud ſaperent quam clauſtrum. Cui monachus reſpondit. Si cedendum eſt operi quia clerici prudentiores ſunt ad propugnandum, eo eis magis reſiſtendum eſt, quod nequiores ſunt ad inpugnandum. Nulla enim peſtis efficacior eſt ad nocendum quam familiaris inimicus. Omnem, inquit archiepiſcopus, *Cantuarienſi* eccleſiæ præſtabunt cautionem, ne de cætero nocere valeant etiamſi velint niſi ut perjuri. Et monachus, Quis, inquit, eos poſt obitum veſtrum, ſi tamen obituri eſtis, compellet ad juramentum, vel à perjurio prohibebit? Vacabit ſedes *Cantuarienſis* eccleſiæ quot annis voluerit rex, & interim vacantes cui voluerit dabit præbendas quæ de eccleſiis noſtris intitulatæ ſunt. Nunquid jurati vel non jurati clerici pro eccleſia *Cantuarienſi* regi contradicent in aliquo, cum ipſum ſolummodo contra nos habeant patronum? Eccleſias noſtras ex dono ipſius optinent, quo modo vel qua ratione contra eum una nobiſcum vel pro nobis futuri pontificis liberam petent electionem? Contra nos agunt cum rege in Eccleſiarum adeptione, nunquid nobiſcum contra regem ſtabunt in electione? De eccleſiis noſtris ſuſtentati, de decimis paſti inſurgent in nos non ſolum in electione ſed in omni actione. Quia Græculus, & Clericus, eſuriens in cœlum juſſeris ibit. Electionem præterea ſibi auctoritate regia uſurpabunt, electi ſubvertent animum, conſecrati depravabunt intellectum, ut qui pro *Cantuarienſi* eccleſia adverſus Principes & poteſtates ad exemplar prædeceſſorum ſuorum martirum & confeſſorum *Cantuariæ* pugnare deberent, de conſilio clericorum primo in ipſam ſponſam ſuam *Cantuarienſem* ſcilicet inſurgent eccleſiam. Ecce qualia quantaque pericula præter alia magna & innumera prædeceſſor veſter inſtituit *Baldewinus*, quem præ omnibus prædeceſſoribus veſtris ſolum vultis imitari; & noſtis ut reor quod hæc omnia ex unius epiſcopi riſu traxerunt originem. Et archiepiſcopus, Riſuſne, inquit, Epiſcopi tam pernicioſus eſſe poteſt ut tantas trahat enormitates? Non, ait monachus, Epiſcopi riſus, ſed ridentis, immo irridentis intentio. Dicitur enim quod deceſſor veſter *B. Cantuarienſis* in primis diebus archiepiſcopatus ſui cum apud *Weſtmonaſterium* vocati convenirent Epiſcopi ſeorſum vocavit eos, & de reformando ſtatu eccleſiæ *Anglicanæ* diutius & diſerte commonuit & de facili traxit ad conſenſum. Aſſentire videbantur omnes ut ſinguli in Epiſcopatu ſuo, & ipſe archiepiſcopus ut primas, per totam *Angliam* vicia extirparent, virtutes aptarent & reſiſtentes debellarent, omni penitus humano timore pariter & amore ſemoto. Cum igitur tantus inter eos videretur eſſe conſenſus ut ſola libertas eccleſiæ Dei quæreretur, quaſi murus inpenetrabilis conglutinati viderentur, unus ex eis exivit & abiit. Qui cum regem ſeorſum à latere ſtantem inſpiceret & ſubridens abiret, perpendit rex epiſcopum

ſcopum quem intus forſitan & extra noverat non ſine cauſa riſiſſe, & aſtantibus ait, Revocate epiſcopum illum. Quem ſecretius alloquens; Quare, inquit, novo mihi more riſiſti? Cui epiſcopus. Velleſne Domine ut plorarem? Nolo, inquit rex, ut plores, ſed rogo per fidem qua michi teneris ut michi fidenter cauſam riſus exponas. Diſſimulavit epiſcopus.* Et rex magis ac magis inſtitit, cauſam riſus expoſtulans. Voluntarie tandem victus epiſcopus expoſuit cauſam & epiſcoporum revelavit ſecretum, quod eccleſiæ Dei una cum archiepiſcopo ſuo conſtanter vellent libertates reſarſire diſſipatas. Rex autem quaſi cum gaudio alludens ait. Ehoe! ſic volo, ſic deſidero ut mei loquantur epiſcopi. Epiſcopus abiit, & Rex de ſe ſollicitus alias inter eos innectere ſollicitudines procuravit, ne videlicet Epiſcopi communicato conſilio exemplo beati *Thoma* martiris in eum acrius inſurgerent. Rex igitur paci ſuæ proſpiciens & tranquillitati, convocatis epiſcopis una cum archiepiſcopo talem eis propoſuit materiam ut ſolam eccleſiæ Dei videretur expetere libertatem, ipſumque dimitterent inmunem dum plures in propoſito ſuo reperirent adverſarios. Conqueſtus eſt enim lacrimantibus oculis ſe miſerum eſſe, non Regem; & ſi Regem, ſolo nomine ſe regiam optinere dicebat dignitatem, non poteſtate. Dicebat enim regnum *Anglia* quondam glorioſum & opulentum in tot particulas nunc eſſe diviſum ut ſibi modica portio relinqueretur inmunis. Hæc enim, inquit, & illa poſſident albi monachi & nigri & ordinis diverſi canonici; plures eciam ex tranſmarinis partibus magnas habent in *Anglia* portiones. Hi quoque omnes tales ſibi fratres aſſociant, pelliparios ſcilicet ſutores, quorum nec unus deberet inſtante neceſſitate in epiſcopum vel abbatem ſalva conſcientia noſtra promoveri. Clerici quoque ſeculares qui meas vel veſtras poſſident eccleſias generoſitatem ſuam & literaturam convertunt in pravitatem, ut de gratia ſibi data contra Deum erecto collo ſicut equus & mulus armari videantur. Elemoſinas populi diſtrahunt & expendunt in uſus pravos, dum magis cogitant de ſuarum pannis meretricum quam de ſuarum veſtimentis vel libris eccleſiarum, comeſſationes diligunt & ebrietates, & quo magis ſordeſcant in Venere, vino vel quolibet poculo debriantur. Tolerabile malum videretur ſi ſinguli ſuas mulierculas obſervarent, & ſaltem thorum non invaderent alienum nec aliis filios generarent. Cum ex talibus aliquem ob generis ſui favorem in epiſcopum vel archidiaconum promovemus, populo Dei non prædicatorem verbi Dei ſed placitatorem, ne dicam lætatorem præeſſe conſpicimus. Quid ergo miſeri in judicio Dei dicemus ad hæc? Præterea *Romani* propter debilitatem veſtram adeo nobis infeſti ſunt ut nobis ſolummodo videantur imperare, literulas ſuas nobis vendunt, nec juſtitiam quærunt ſed litigia fovent, multiplicant appellationes, redimunt placitantes, & cum ſolam pecuniam appetunt veritatem confundunt pacemque ſubvertunt. Quid ergo dicemus ad hæc? Quid in tremendo reſpondebimus judicio? Inite conſilium & date operam ut tot & tantæ enormitates corrigantur. Conticuerunt pauliſper Epiſcopi & regiis lacrimis quas effundebat uberius quaſi compatientes, tandem ipſius ſuper his conſilium pecierunt; & ait Rex. Salva pace veſtra & domini archiepiſcopi debita reverentia, michi miſero conſilioſum videtur ad præſens, ut monachi quique religionem ſuam & ordinem in pace conſervent; Clerici vero qui noſtras & veſtras optinent eccleſias, collegiati vivant, caſtitatem communiter obſervent, quo facilius nobis & vobis cum neceſſe fuerit occurrant. Sic facilius nobis & vobis poterunt adeſſe, & *Romanis* latronibus ſi tranſgrediuntur poterunt obeſſe. Placuit ſermo Regis omnibus epiſcopis, & de facili tracti ſunt in ſententiam; ut hi qui monachos cathedrales habebant, prope civitates ſuas eccleſias fundarent, ibidemque canonicos inſtituerent ſeculares. Ridiculum enim eis videbatur ut monachi aliquas haberent eccleſias cum non poſſent animas regere, vel ut paſtorum ſuorum liberam peterent electionem. *Baldewinus* igitur *Cantuarienſis* archiepiſcopus de cujus electione malignitas iſta ſumpſit originem, primus hominum ne nil ageretur clericos tres inſtituit, quorum unus ſemiſanus primus præſtitit juramentum. Locus eciam nominatus eſt prope *Cantuariam* eccleſia ſancti *Stephani* apud *Hakintoniam*. Miſſo tandem nuncio perfido & perjuro ad dominum papam *Vrbanum*, inſinuavit eidem, quod beatus *Anſelmus* idem habuerat ædificandi propoſitum, & ſanctus *Thomas* glorioſus martir ipſum cogitans martirio præventus opus dimiſerat incoatum. Hac falſitate fretus optinuit de facili operandi licentiam, non quidem conventualem eccleſiam ſed capellam. Venerandus autem *Vrbanus* comperta poſt modicum veritate opus inhibuit, & quod factum eſt irritavit. Cum autem audiret archiepiſcopum mandatum apoſtolicum adeo parvipendere, & in monachos eorumque poſſeſſiones violentas manus imponere, & ad ſingula mandata novum aliquod gravamen inferre, opus illud maledictum pronunciavit & profanum, ipſi archiepiſcopo ſuſpenſionis minas intorquens, univerſa quæ ibidem facta fuerunt funditus demoliri præcepit. Vera ſunt inquit hæc archiepiſcopus. Sed quid egerit Rex cum in capitulum veſtrum intravit quaſi pacem facturus forte nondum noviſti. Cui monachus ait. A vobis iſta gratanter audirem qui interfuiſtis ſi referre velletis. Et archiepiſcopus. Interfui quidem & inter archiepiſcopum & monachos v. qui ſtabant ex adverſo, cum Rege ſolus eram mediator. Et ut omnia breviter dicantur, ſic partium Rex ipſe verba referebat ut monachis ſuaderet ne à tam juſta cauſa vel modicum flecterentur, archiepiſcopo vero ne à monachis tam turpiter vinceretur: Et tandem utrorumque ad *Romanam* curiam miſſus eſt nuncius, ſed archiepiſcopus literas Regis optinuit, & tandem *Petrus Bleſenſis* miſſus eſt. Sic Rex pacificus alienum parvipendens incomodum pacis ſimulator non ſeminator pacem perturbavit alienam, ut cæteris ſubſannans ab omni perturbatione remaneret inmunis. Hæc et his ſimilia referente archiepiſcopo monachus reſpondit. Standumne eſt ergo adverſus *Cantuarienſem* eccleſiam in tali cauſa, quæ à fraude ſumpſit initium et mendacio fundata eſt, per inobedientiam ſumpſit incrementum, & tandem maledictionis excepit ſententiam? Et archiepiſcopus, Durum eſt, inquit, contra *Cantuarienſem* eccleſiam quæ me ad tantum vocavit honorem pugnare, verecundum eſt opus incoatum inperfectum relinquere. Igitur inſiſtendum eſt interim orationi, ut Deus nobis et vobis revelare dignetur voluntatem ſuam.

Eruperant interea *Gualenſes*, & agminibus congregatis circa fines *Angliæ* prædas & incendia exercuerunt. Quod audiens venerabilis *Hubertus*

Cantuarienſis archiepiſcopus, eo quod tunc temporis ſummum in *Anglia* regebat apicem, convocata milicia citiſſime advolans caſtellum de **Pole** obſedit & cepit, fugatiſque hoſtibus & pace firmata reverſus eſt. *Johannes de Conſtantiis* electus eſt ad regimen *Wigornienſis* eccleſiæ, & conſecratus eſt ab *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo apud **Stratford** xiij. kal. Novembris. Rediit à *Roma G. Eboracenſis* archiepiſcopus, quem cum frater ſuus non reciperet in gratiam, reverſus eſt.

Ciclus decennovenalis I.

An. Gr̃æ 1197. *Willielmus Helienſis* epiſcopus obiit *Pictavis* kal. Feb. & ſepultus eſt apud *Pigum*. Archiepiſc. *Cantuar.* necdum à ſuo deſiſtens propoſito, cum monachis *Roſenſibus* vi vel fraude pactum fecit abſque conſcientia Conventus *Cantuarienſis* eccleſiæ, deditque eis villam de **Rente** nomine in concambium & perpetuam poſſeſſionem pro villa de **Lamhee**, quod utrinque pactum appoſitis ſigillis confirmatum eſt. *Robertus* Prior *Dovrenſis* electus eſt ad abbatiam de **Egenesham**, & benedictus eſt ab *Hugone Lincolnienſi* epiſcopo. Cui ſucceſſit in prioratum *Felix* ſacriſta *Cantuarienſis* eccleſiæ. Eodem anno obiit *Ris Galenſis* rex. Epiſcopus *Belvacenſis* cum pro rege *Franciæ* inter milites & armigeros epiſcopalem, ut reor, oblitus reverentiam & gravitatem & ipſe diſcurreret armatus; à commilitonibus regis *Angliæ* vallatus & captus eſt, abductus & ferreis vinculis diriſſime vinctus & in carcerem truſus eſt. Archiepiſcopus *Cantuarienſis* à rege vocatus transfretavit in *Normanniam* xv. kal. Julii, & confœderati ſunt rex *Angliæ* & comes *Flandriæ*, datis utrinque obſidibus ut communicato conſilio regem *Franciæ* infeſtarent. Rex autem *Franciæ* minus provide intravit in *Flandriam*, & à comite *Flandriæ* inceptus, & captus eſt poſt Aſſumptionem beatæ *Mariæ*, ſed datis obſidibus de facienda pace tandem dimiſſus eſt. Sexto idus Septembris convenerunt reges ad colloquium apud *Inſulam*, & mediante *Cantuarienſi* archiepiſcopo pacificati ſunt utcumque datis induciis à ſequente nativitate Domini in annum, ita tamen ut qui tenet teneat donec de medio fiat. Eodem anno rediit à *Romana* curia *Walterus Rothomagenſis* archiepiſcopus, regi *Angliæ* domini papæ deferens mandatum, eo quod ſurripuerit ei rex eccleſiæ ſuæ locum amplum & aptum *Inſula* nomine, ibidemque tutiſſimum conſtruxerat caſtellum, qua de cauſa idem archiepiſcopus ſuum à divinis ſuſpenderat archiepiſcopatum. Mediante autem *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo dedit rex præfato *Rothomagenſi* in concanbium poſſeſſionem perpetuam villam maritimam quæ *Diepe* vocatur, & alia quædam. Menſe Auguſto electus eſt *Euſtachius* Cancellarius regis ad regimen *Helienſis* eccleſiæ, ſed conſecratio ipſius dilata eſt uſque in kal. Marcii. Eodem anno obiit *Henricus* imperator filius *Frederici* imperatoris. Poſt cujus obitum altercatio magna facta eſt, & diſſenſio in *Alemannia*, eo quod magnates terræ de ſucceſſione regni diſſentirent. Quidam enim regem *Angliæ* deſiderabant, alii ſed pauci regem *Franciæ*, alii *Henricum* ducem *Saxoniæ* qui tunc temporis erat in terra *Jeroſolimitana*, alii fratrem ipſius *Othonem*. Quidam vero nobiliſſimus *Philippus* nomine pro ſe agens ſpecie tenus puerulum quendam filium videlicet imperatoris *Henrici* toto conatu præferre cupiebat. Comes *Flandrienſis* partem *Othonis* fovebat, regi *Angliæ* per hoc cupiens placere. Tercio non. Novembris rediit archiepiſcopus *Cantuarienſis* in *Angliam*, & in craſtino à Conventu *Cantuarienſi* clero & populo honorifice ſuſceptus eſt.

Xvj. kal. Decembris venerunt *Cantuariam* ad Conventum ab archiepiſcopo miſſi tres abbates, ſcilicet de *Radinges*, & de *Cherteſeia*, & de **Waltham**; propoſuerunt itaque verbum in capitulum admiſſi de magna dilectione archiepiſcopi quam ſemper ad *Cantuarienſem* habuerat eccleſiam, quod probabili poſſent convincere ratione cum ſe & ſua eis ſemper expoſuiſſet ad votum. Quia igitur probatio dilectionis exibitio eſt operis, opus de **Lamhee** quod auctoritate regia prædeceſſor ſuus ad honorem Dei & *Cantuarienſis* eccleſiæ incoaverat imperfectum relinquere non valeret, Quia melius eſt bona non incipere quam ab incoatis retrorſum redire. Dicebant eum non licentiam ædificandi nec aſſenſum quærere, cum ad gloriam & honorem *Cantuarienſis* eccleſiæ perfectiſſimum haberet deſiderium, nec ab opere tam juſto vellet deſiſtere ulla ratione. Sed quia monachi aliqua formidarent futura pericula ex illo opere *Cantuarienſi* eccleſiæ imminere, omnem paratus erat providere & præſtare cautionem. Proferebant itaque prædicti abbates ſcedulam inſcriptam in hunc modum.

HÆ*c ſunt quæ dominus* H. Cantuarienſis *archiepiſcopus ſtatuit ad honorem Dei, &* Cantuarienſis *eccleſiæ, & pacem perpetuam firmandam inter Priorem & Conventum* Cantuarienſes *& Canonicos de* **Lamhee**. *Scilicet quod cuicumque dominus archiepiſcopus dederit præbendam vel dignitatem in eccleſia de* **Lamhee** *jurabit ſuper majus altare* Cantuarienſis *eccleſiæ, quod nec per ſe, nec per alium vendicabit ſibi vel eccleſiæ de* **Lamhee** *jus in electione* Cantuarienſis *archiepiſcopi, nec alicui in hoc conſentiet, aut auxilium, conſilium præſtabit, aut cum aliquo ſtabit in cauſa in præjudicium* Cantuarienſis *eccleſiæ. Jurabit etiam quod tranſlationi ſedis vel beati martyris T. aut aliarum reliquiarum illius eccleſiæ in præjudicium ejus non conſentiet, immo ſi aliqua perſona eccleſiaſtica vel ſecularis hæc transferre attemptaret, ipſe conſilio & auxilio reſiſteret, & contra omnes cum monachis* Cantuarienſibus *ſtaret. Illud quoque adiciet juramento, quod nunquam per ſe vel per alium procurabit, nec alicui procuranti conſenciet, quod criſma ſanctum conficiatur ab archiepiſcopo in eccleſia de* **Lamhee**, *vel quod juſtæ & antiquæ dignitates & libertates* Cantuarienſis *eccleſiæ in aliquo minuantur. Erit præterea in juramento quod hujus obligationis abſolutionem nec per ſe nec per alium quæret, & ſi forte quæſita fuerit ab aliquo non utetur ea, immo ſi aliquis ea vellet uti, ipſe utenti ſe fideliter opponet. Et ſciendum quod nullus cui archiepiſcopus dederit præbendam vel dignitatem in eccleſia de* **Lambethe** *poterit inſtallari niſi in propria perſona, nec aliquod beneficium percipiet de præbenda illa ante inſtallationem ſuam. Et poſtquam inſtallatus fuerit, ſine omni dilatione iter arripiet* Cantuariam *ad omnia prædicta juranda ſuper majus altare* Cantuarienſis *eccleſiæ. Quod ſi facere contempſerit, ſine appellationis obſtaculo præbenda illa privetur & alteri libere conferatur. Et ut pax & dilectio firmior ſit inter eos proviſum eſt, ut Prior* Cantuarienſis *habeat præbendam unam in eccleſia de* **Lamhee** *& primum ſtallum ex altera parte chori & capituli, & interſit conſiliis & ſecretis capituli, & utatur habitu clericali quamdiu fuerit in* **Lamhee** *eccleſia ſicut fit in aliis eccleſiis in quibus abbates ſunt canonici. Hæc omnia ſummus pontifex & dominus archiepiſcopus ſub anathematis ſententia confirmabunt, & omnes illos qui hoc attemptaverint violare, excommunicationis vinculo innodabunt. Ille eciam qui canonicis eccleſiæ de* **Lamhee** *præerit conſenſu capituli hanc ſententiam ſemel ſingulis annis publice ſolenniter cum omnibus ſacerdotibus ejuſdem capituli renovabit. Dominus enim archiepiſcopus procurabit quod hæc conſtitutio à domino rege confirmetur, & quod ſummus pontifex ſtatuet ut omnes ſucceſſores archiepiſcopi in receptione pallii apponent juramento ſuo, quod hoc ſtatutum firmiter & fideliter obſervabunt.*

Hæc audientes monachi mirati ſunt ad ſingula, & tandem in craſtinum reſpondendi petierunt inducias. Die craſtina cum in unum conveniſſent monachus unus ex condicto reſpondit pro omnibus, in hunc modum ait.

GRatum nobis eſt quod tales nuncios miſit ad nos dominus noſter archiepiſcopus quorum devotionem & affectum pluries & plene maxime in hac cauſa ſumus experti, non de facili poſſent tres viri in *Anglia* reperiri qui majorem Conventus affectum optineant & gratiam. De dulci vero & delectabili dilectione domini archiepiſcopi quam ſemper habuit ad nos gratias vobis referimus, & quod ſe ſuaque nobis omnia ſemper expoſuit ad votum indeficientem ad memoriam revocamus. De opere vero de **Lamhee** quod nulla ratione vel occaſione ut aſſeritis poterit præpediri miramur admodum. Cum enim patrem noſtrum vacante ſede *Cantuarienſi* præ omnibus hujus ſeculi ipſum deſideraremus habere prælatum, & tandem per Dei gratiam optineremus, in electione aſſumptus eſt, confirmatus eſt, & in hac ſede Sanctorum intronizatus eſt, & præfuit nobis uſque nunc in multa dulcedine dilectionis. Sperabamus itaque per eum ab omni tormento malitiæ & nequitiæ liberari, luctumque noſtrum converti in gaudium. Acſi diceremus ei quod ſcriptum eſt, *Panem noſtrum commedemus, veſtimentis noſtris operiemur, nomen tuum tantum invocetur ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Præterea pedibus ipſius totiens provoluti in capitulo præſenti lacrimiſque rigati ſupplicavimus, ut ab iſta *Cantuarienſi* eccleſia tantam reverteret ſcandalorum materiam, ſponſamque ſuam ab omni liberaret anguſtia. Nunc autem quod mœrentes & anxii dicimus, ſpes noſtra fefellit nos, fruſtrati ſumus à cogitationibus noſtris. Set ſcitote kariſſimi quod & tota fere novit Latinitas, quod diu eſt quod nos unanimiter contra hoc opus appellavimus, nec unquam ſic factæ renuntiavimus appellationi, ſet in ejus ſtetimus & adhuc ſtamus proſecutione, uno corde unaque devotione pro libertate eccleſiæ & noſtra liberatione & adhuc ſpecialiter appellamus. Rogamus igitur omnes & obſecramus in domino vos qui ab inicio cauſæ hujus executores apoſtolici fuiſtis mandati, ut & hoc domini papæ *Celeſtini* adimplere velitis mandatum: Et proferens monachus bullatam ſcedulam de abſolutione juramenti præſtiti clericorum de obſervatione capellæ de **Lamhee**, mirantibus cunctis oſtendit. Reſumtoque ſermone monachus ait, Scitote kariſſimi, ſciat & per vos dominus noſter archiepiſcopus quod ipſius mandatis cum omni humilitate obediemus, licet ad tanta mala nunquam vita comite conſentiemus. De cautionibus vero quas nobis promittit dominus archiepiſcopus ad præſens reſpondere non poſſumus, donec ſuper hoc filios eccleſiæ, epiſcopos ſcilicet conſulamus, qui fide ſimul & profeſſione tenentur honorem & indemnitatem *Cantuarienſis* eccleſiæ cuſtodire ſicut & nos. Ipſorum itaque & aliorum proborum virorum ſuper hoc audite decet conſilium, & tandem quod Deus dederit ad dominum noſtrum Archiepiſcopum referemus.

His auditis receſſerunt abbates & duo monachi per *Angliam* miſſi ſunt, ut quaſi conſilio magnatum fieret quod prius erat præcogitatum. Cum autem & abbates vidiſſent & audiſſent enormitates & gravamina quæ *Cantuarienſi* poſſent imminere eccleſiæ ſi de conſenſu conventus opus procederet incoatum; de conſenſu faciendo non audebant dare conſilium, ſet diverſas non adverſas proferebant rationes. Aſſerebant omnes animum archiepiſcopi ſupplicationibus demulcendum propter reverendam ipſius magnanimitatem & regiam quam habebat poteſtatem. De opere vero vel canonia nil præciſe concedendum præter conſcientiam curiæ *Romanæ*, quæ litem conteſtatam & cauſam audierat definitam, datoque judicio opus & canoniam ſemel & ſecundo tercioque damnavit tempore videlicet trium apoſtolicorum virorum. Hæc erat omnium præter unius epiſcopi ſententia eo quod junior eſſet & alligatior *Cantuarienſi*, qui in omnibus & per omnia domini archiepiſcopi quærendum eſſe ſuggerebat arbitrium. Vij. idus Decembris convenerunt apud *Oxenefordiam* archiepiſcopum epiſcopi *Angliæ*; & abbates, comites quoque, barones, & monachi *Cantuariam* reverſi ſunt. Conventus autem aſſiduis precibus Deum & ſanctos eccleſiæ patronos exorabant ut eos eriperent ab inimicis.

Inſtituit archiepiſcopus *Cantuarienſis* ex mandato *Celeſtini* papæ monachos in monaſterium *Coventrenſe* iij. idus Januarii, expulitque clericos ſeculares quos *Hugo* de *Nunant* epiſcopus *Ceſtrenſis* monachorum perſecutor ſpecialis ante annos viij. violenter ejecerat. Obiit eodem menſe Jan. *Celeſtinus*, papa cui per Dei gratiam ſucceſſit *Innocentius*. Qui cum eſſet junior omnibus Cardinalibus & gaudentibus omnibus invitus traheretur, conſecratus ſtatim à curia omnem cupiditatis & avaritiæ ſordes extruſit. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* cum quibuſdam epiſcopis & abbatibus accedens ad *Cantuariam*, quæſivit à conventu quid de his quæ per abbates mandaverat dicere decreviſſent. Reſponderunt monachi, ut ſupradictum eſt, ad abbates. Inſuper de conſilio fidelium eccleſiæ de cautionibus oblatis pro periculis *Romanam* curiam per quam cauſa diducta eſt conſulendam fore. Oſtenſa ſunt ei præterea ſecretius privilegia & ſcripta quorum auctoritas in parte plurima evacuata eſt quibus olim gaudebat *Cantuarienſis* eccleſia. Temporum enim varietas multas ut aſſolet amplectitur novitates. Hunc enim extollit & illum deprimit, hunc eximit à ſubjectione, illum redimit à juriſdictione prælati. Auditis igitur ſuper hiis allegationibus multis, quaſi ſponte annuit archiepiſcopus ut hinc & inde *Romam* mitteretur, ſic tamen ut neutra pars aliquid impetraret, vel poſtularet, vel eciam porrigeret ſine conſcientia partis adverſæ. Præmiſerat enim nuntios ſuos cum non modica quantitate donorum, ſicque monachorum ſimplicitatem circumvenire & pravitatem palliare ſperabat. Sed homo proponit & Deus diſponit. Nam archiepiſcopus abiit blando monachorum deluſus eloquio, & *Londoniam* veniens apud *Weſtmonaſterium* ſacravit *Euſtachium* regis Cancellarium ad regimen *Helienſis* eccleſiæ, accepta prius ab eo debita profeſſione kal. Marcii. Cæterum cum de obitu *Celeſtini* papæ nichil adhuc eſſet auditum in *Anglia* & Prior *Cantuarienſis* nimis, ut videbatur, tepide operaretur in cauſa, duo monachi quorum Deus juſticiæ zelo tetigerat corda, non petita licentia clanculo receſſerunt, & in egeſtate non modica *Romam* profecti ſunt: cumque *Celeſtino* ad patres ſuos appoſito *Innocentium* papam ſubſtitutum viderent, qui quandoque depreſſionem *Cantuarienſis* eccleſiæ in *Anglia* viderat oculata fide, & in *Romana* curia cauſam digeſtam noverat & deciſam, humili conqueſtione inſinuaverunt ei & Cardinalibus canoniam & capellam de **Lamhee** per archiepiſcopum *Hubertum* conſummandam fore, quæ tempore *Baldewini* per tres apoſtolicos viros de conſilio fratrum damnata eſt, niſi citius mater *Romana* eccleſia ſuæ ſpeciali filiæ, id eſt *Cantuarienſi* eccleſiæ ut pater filiis, medicus ægrotis manum apponeret ſalutarem. Audientes hæc Cardinales cum domino papa admirati ſunt valde, & de communi conſilio in capellam & canoniam de **Lamhee** condempnativam dederunt ſententiam. Audierant enim ex conqueſtione multorum multa ſiniſtra de *Cantuarienſi* archiepiſcopo: unde factum eſt ut nuntii ſui, nec donis variis, nec promiſſis, ſet nec ulla ratione legationem *Angliæ* vel aliquid aliud valerent impetrare. Monachi vero cum gratia domini Papæ & Cardinalium cum literis ſibi traditis à curia redierunt. Audiens autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus duos fratres ſine licentia receſſiſſe dedit in eos ſententiam, corripuitque de incuria Priorem, volens ut Conventus ſcriberet contra eos, inhibuitque ne ſuſciperentur in congregatione.

Viij. kal. Aprilis obiit *Hugo* de *Nunant Conventrenſis* epiſcopus apud *Beccum* in *Normannia* monachili veſte indutus, qui monachorum fuerat pertinaciſſimus hoſtis, & tandem obiit & ſepultus eſt monachis adhuc viventibus in laudibus Domini. Menſe Junio redierunt à *Roma* ſub feſtinatione nimia pueri curſores archiepiſcopi, nunciantes ei quæ audierant & viderant in curia ſolutis ſarcinulis, noctemque ducebant inſomnem. Archiepiſcopus ad hæc conſternatus animo in audientia cleri & populi civitatis *Londonienſis* pro ſe ſtatuque ſuo appellavit. *Roſenſis* quoque pro ſe. Clericus vero quidam pro canonia. Quibus apud *Cantuariam* auditis, miratus eſt admodum conventus, neſciens penitus quorſum factæ tenderent appellationes. Set craſtino vel perendie domini papæ ſupervenientibus litteris cum multa admirationis modeſtia mirati ſunt. Habita tandem ſuper his deliberatione miſerunt ilico vij. ſcilicet idus Junii per iiij. monachos litteras domini papæ ad archiepiſcopum qui tunc erat apud **Lamhee**, & clauſa eſt janua. Qui cum die tercia non poſſent admitti ut monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ, poſtulaverunt ingreſſum ſaltem ut nuntii domini papæ, & vix tandem admiſſi cum multa modeſtia litteras archiepiſcopo porrexerunt. Quarum litterarum talis eſt forma.

INnocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Cantuarienſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto perſonam tuam ſinceriori caritate diligimus, tanto majori dolore turbamur quotiens ea de tuis audivimus operibus quæ pontificali derogant honeſtati. Cum igitur* Cantuarienſis *eccleſia cui præeſſe dinoſceris inter* Anglicanas *eccleſias celebris habeatur, & religione inter alias conſueverit florere, nos & fratres noſtri grave gerimus & moleſtum quod ſicut dilecti filii noſtri Prior & Conventus humili nobis conqueſtione narraverunt, tu ad ipſius deſolationem eccleſiæ ſatagis multipliciter & laboras in conſtructione nova capellæ de* **Lamhee**, *contra prohibitiones felicis memoriæ* Urbani & Clementis Romanorum *pontificum bonæ memoriæ* B. *prædeceſſori tuo factas poſt appellationes multiplices ad ſedem apoſtolicam interpoſitas, in magnum* Cantuarienſis *eccleſiæ præjudicium propria temeritate proceſſeris, & de bonis ejuſdem eccleſiæ canonicos inſtituens in eadem, à cujus ſiquidem conſtructione ſi eam quam debes* Romanæ *eccleſiæ reverentiam & obedientiam exiberes, & commiſſæ tibi eccleſiæ proviſionem & ſolicitudinem gereres quâ teneris, tibi honori tuo melius conſulens deſtitiſſes, nec ſuper eo procedere ſtuduiſſes, quod prædeceſſori tuo ſic diſtricte cognoſceris fuiſſe à ſede apoſtolica interdictum. Cum igitur diminutionem* Cantuarienſis *eccleſiæ ſicut nec debemus nolumus aliquatenus ſuſtinere, prædictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, de fratrum noſtrorum conſilio fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus omni mora & occaſione poſtpoſitis, ſi eciam ab eccleſia tua abſens fueris non obſtante, quicquid poſt appellationes tam tempore prædeceſſoris tui quam tuo ad ſedem apoſtolicam interpoſitas vel inhibitiones anteceſſorum noſtrorum in opere actum capellæ noſcitur memoratæ, infra* xxx. *dies poſt ſuſceptionem præſentium tuis expenſis non deferas demoliri, in irritum prorſus revocans & deducens quicquid de inſtituendis canonicis vel aliis circa dictam capellam perperam factum eſt vel enormiter innovatum. Clericos præterea qui in capella ipſa poſt inhibitiones apoſtolicas divina officia celebrarunt, tamdiu ab officio & beneficio teneas pro ſuſpenſis donec ſuper hoc ſatisfecerint competenter, & univerſis operibus demolitis quæ apud eandem capellam facere præſumpſerunt, & univerſa quæ poſt appellationem in eorum ſunt attentata gravamen, de exenniorum videlicet eccleſiarum & aliorum invaſione quæ ante appellationem habuerant, in ſtatum priſtinum appellatione remota deducas, ſententias excommunicationis vel interdicti quas in quoſdam ipſorum fratrum diceris temere promulgaſſe, publice nuncies non tenere, ac de cætero circa ſtatum ipſius monaſterii contra prohibitionem noſtram hujus occaſione negotii non præſumas aliquid innovare. Illicitos invaſores villarum, poſſeſſionum, redditunm quoque ipſorum fratrum uſque ad ſatisfactionem idoneam vinculo excommunicationis aſtringens. Si vero, quod non credimus, mandatum noſtrum infra ſtatutum terminum neglexeris vel diſtuleris adimplere, quia juſtum eſt ut ei obedientia ſubtrahatur qui ſedi apoſtolicæ neglexerit* *obedire, venerabilibus fratribus noſtris ſuffraganeis tuis per ſcripta noſtra mandavimus, ut tibi reverentiam & obedientiam non inpendant. Quod ſi forte ab eis vel eorum aliquo contra prohibitionem noſtram tibi feceris aliquam obedientiam & reverentiam exiberi, ſcias te extunc ab epiſcopali dignitate ſuſpenſum, & tamdiu ipſi ſententia ſubjacere donec ſatisfacturus de contemtu noſtro te conſpectui repraſentes. Non autem diſtinguimus utrum in loco à pradeceſſoribus noſtris interdicto, an alio in pradicta capella conſtructione & canonicorum inſtitutione proceſſeris in eccleſia* Cantuarienſis *prajudicium & gravamen eadem contradictionis cauſa durante, niſi quod ex hoc magis credimus eidem eccleſia derogari quod in remotiori loco fabrica illa eſt tranſlata. Dat.* Romæ *apud ſanctum* Petrum viij. *kal. Maii, pontificatus noſtri anno primo.*

In eundem modum ſcripſit dominus papa omnibus epiſcopis *Anglia Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis. Archiepiſcopus autem indixit monachis terminum reſpondendi litteris domini papæ Dominica proxima ante feſtum ſancti *Johannis Baptiſta*, ſcilicet xj. kal. Julii apud *Cantuariam* ubi ſacrandus erat *G. Conventrenſis* electus. Interea miſit archiepiſcopus nuntios ſuos & literas ad omnes epiſcopos qui tunc erant in *Anglia* vel *Gaulia*, quaſi in contumeliam monachorum *Cantuarienſium* de ſupradictis querimoniam faciens, mandavit ut omnes ad conſecrationem epiſcopi *Cantuariam* venirent, & de cauſa conſilium daturi. Super hoc eciam ad dominum regem nuntios direxit, ut eciam ipſius indignationem in monachos commoveret. Xiij. kal. Julii feria vj. in crepuſculo noctis ſubito venit archiepiſcopus *Cantuariam*, eo quod audiſſet, mendacio tamen mediante, quod conventus *Cantuarienſis* nudis pedibus eum vellet ſuſcipere, miſericordiam ejus & benevolentiam vel ſic petiturus. Intimatum eſt eciam in civitate *Cantuarienſi* & divulgatum, quod cum armata milicia ſicut in captione *Willielmi* vellet eccleſiam & clauſtrum monachorum occupare. His de cauſis & aliis forte quaſi ſolitarius advolat, & in craſtino mirante conventu cum epiſcopis & abbatibus, clericis quoque & laicis capitulum ingreſſus eſt. Sedentibus itaque cunctis & tacentibus, arripuit ſermonem epiſcopus ille *Roſenſis* allegans de intima benevolentia archiepiſcopi & humilitate, de pura intentione operandi eccleſiam de **Lamhee**, ad gloriam ſcilicet & decorem *Cantuarienſis* eccleſiæ magnumque juvamen. Subjunxit verbum querulum de nova perquiſitione & præpeditione operis, falſa ſuggeſtione nimis licite per ordinis trangreſſores perquiſita, in dedecus & dampnum *Cantuarienſis* eccleſiæ, & diminutionem honoris & reverentiæ *Cantuarienſis* archiepiſcopi. Quo poſt longos verborum anfractus tacente ſumpſit eloquium ipſe *Cantuarienſis*, allegans diutius ſuper eiſdem capitulis & querelis; inſuper addens & mentiens, quod à perſonis illis capitulo quidem notis qui litteras ei portaverant non poſſet ſpatium impetrare, qui ingreſſum avide peterent non unius diei, non dimidii, ſed nec unius horæ. Conqueſtus eſt eciam quod tam enormes litteras ipſo neſcio adquiſierunt, & quod ipſo inconſulto litteras ei vel epiſcopis *Anglia* in ſuam contumeliam porrexerunt. His igitur & aliis multis allegationibus in medium prolatis, reſpondendi data eſt dilatio uſque in feriam ſecundam, quia ſabbatum occupaverant alia negotia. Dominicam vero prædictam conſecratio. Xj. kal. Junii ſacravit *Hubertus* archiepiſcopus *Cantuarienſis, G. Coventrenſem* epiſcopum electum ad altare Chriſti, legitque poſtulationem *Joibertus* Prior *Conventrenſis*. In craſtino venerunt in capitulum ad conventum abbas de *Radinges*, & ille de *Cherteſeia* cum abbate de **Feureſham**, & de **Waltham**, & Prior cum conventu, non ut nuntii ab archiepiſcopo miſſi, ſet ut eccleſiæ *Cantuarienſis* ſpeciales amici, ſupplicantes allegationibus variis ut indemnitati proſpiceretur eccleſiæ, ne dum archiepiſcopus tam enormiter confunderetur monachis immineret exterminium; eccleſiæ gloria duceretur in nichilum & ſempiternum incurrerent obprobrium. Dicebant enim ſe quædam noſſe ſecreta quæ ipſos valde trepidos reddebant & anxios. Arbitrorum tandem fidelium appetendum fore ſuadebant judicium dummodo capella de **Lamhee** non ſubſiſteret, ſet cum quaſi concorditer rueret archiepiſcopi verecundiæ ſpecie tenus parceretur. Tollerabilius enim videbatur archiepiſcopo quorumlibet inclinari judicio, quam domini papæ tam ſevero parere mandato. Suggeſſerunt præterea, quia jam plurimi dies præterierant ex quo dominus archiepiſcopus apoſtolicum ſuſceperat mandatum, & infra præſcriptum diem non poſſent omnia compleri, ut monacbi voluntate propria prolixiores darent inducias, acſi poſſent pro libito apoſtolicum protelare mandatum. Cumque ſuper his diutius allegaſſent, & deliberandi ſpatium peteretur, ingreſſi ſunt in capitulum nuntii regis, *Gaufridus* videlicet filius *Petri*, & *Hugo* filius *Bardulf* cum aliis multis, nunciantes ex parte regis ne quid contra coronam ſuam vel regnum agerent, nec perquiſitionibus illis uterentur quæ contra dignitatem regis & regni videbantur adeptæ. Hæc & alia viva voce conventui nunciabant, litteraſque regis porrexerunt, quarum talis eſt forma.

RIcardus Dei gratia rex *Angliæ*, dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ*, comes *Andegaviæ*, Priori & Conventui *Cantuarienſis* eccleſiæ ſalutem. Non ſatis admirari poſſumus, immo ultra quam credi poteſt movemur & turbamur de his quæ nuper audivimus, immo cognovimus, quoſdam ſcilicet de monachis veſtris nuper ad curiam *Romanam* accedentes, tacita veritate per falſi eciam ſuggeſtionem ad evertendam eccleſiam de **Lamhee** literas à domino papa archiepiſcopo *Cantuarienſi* directas fraudulenter impetraſſe. Cum enim à multis retroactis temporibus in regno *Anglia* vigorem legis obtinuit hæc conſuetudo, & liceat regibus, epiſcopis, baronibus in fundo ſuo eccleſiam conventualem conſtruere, dotare, & ditare, non ſine auſu temerario & præſumptione infrunita ad ſubverſionem hujus juris & dignitatis regni noſtri citra connivenciam noſtram properaſtis; tum enim de beneplacito veſtro eccleſia quæ apud *Hakintuniam* fuerat conſtructa, arbitrantibus nobis, una cum epiſcopis & baronibus regni uſque ad **Lamhee** fuerat tranſlata, munimentis noſtris & epiſcoporum qui tunc ibi aderant plurimorum, *Romanorum* pontificum auctoritatibus poſtmodum roborata & confirmata. De hoc autem inter cætera plurimum dolemus, quod hujus præſumptionis veſtræ noſtrum, ut audivimus, jactatis vos habere conſenſum. Et quoniam ea quæ in præjudicium coronæ noſtræ & dignitatis regni noſtri temere attemptata ſunt procedere, vel impunita relinquere nullatenus volumus vel valemus; mandamus vobis firmiter & præcipimus quatinus ſicut nos & honorem noſtrum diligitis, poſſeſſiones & libertates eccleſiæ veſtræ illæſas & inmutilatas per nos conſervari curatis, in proſecutione hujus temerariæ præſumptionis omnino deſiſtatis, reſcripto apoſtolico quod minus licite obtinuiſtis donec veritatem rei geſtæ & ordinem aſſertione noſtra curia *Romana* plenius agnoverit, penitus ſuperſedentes. Ad hæc tibi Prior firmiter injungentes præcipimus, quatinus una cum majoribus eccleſiæ cum ratihabitione conventus ſuper eo quod à te & monachis tecum venientibus in ſatisfactione hujus injuriæ actum fuerit, cum omni feſtinatione de injuria nobis & regno noſtro ſufficienter ſatisfacturus ad nos accedas. Qualiter enim ad honorem Dei & conſervationem dignitatis noſtræ res iſta procedet, Deo volente plenius diſponemus. Hoc autem te Prior & Conventum eccleſiæ *Cantuarienſis* non lateat, quod ad tuitionem prætaxati juris noſtri & dignitatis regni noſtri contra vos & reſcriptum domini papæ quod vix credimus ita obtentum, & ne archiepiſcopus *Cantuarienſis* vel quilibet alius in executione hujus mandati procedat ſolenniter appellavimus; & ut hoc vobis plenius innoteſcat, appellationem noſtram literis præſentibus innovamus. Set & ut forcius malitiæ veſtræ occurramus, eccleſiam dictam de **Lamhee** cum omnibus pertinenciis ſuis ſub cuſtodia & protectione noſtra ſuſcipientes bailivis noſtris in *Anglia* dedimus in mandatis, ut ſi archiepiſcopus *Cantuarienſis* vel quilibet alius ad demoliendam prædictam eccleſiam de **Lamhee** accingatur, eis viriliter auctoritate noſtra reſiſtant, & ne quid in diſpendium ejus fiat aliquo modo ſuſtineant, in vos & poſſeſſiones veſtras niſi ab hujus rei proſecutione deſiſtatis ſeverius animadvertentes. *T.* meipſo apud *Rupem Andel.* xiiij. die Junii.

In eundem fere modum ſcripſit omnibus epiſcopis *Anglia*, addito quod contra mandatum domini papæ patentibus literis appellarent: literarum portitoribus per ipſum regem tranſitum facientibus. Literæ quoque terciæ archiepiſcopo allatæ ſunt, ne videlicet ſuper eccleſiam de **Lamhee** manus apponeret. Juſticiariis igitur regis qui prædictas litteras cum verbis minantibus porrexerunt abeuntibus, breviſſimum petitum eſt & datum tempus ſuper hoc deliberandi. Verum poſt modicum cum viderent conventum quaſi tot articulis colloquentium innodatum, ut quid vel cui primitus reſponderent difficile videretur, ſubito mandaverunt conventui quod mandatum regis citiſſime adimplerent. Injunctum eſt ilico *R.* vicecomiti *Cantia* ut omnia monachorum tenementa in manus regis ſaiſiret: dilatum eſt tamen hoc factum per archiepiſcopum *Cantuarienſem* uſque in craſtinum, quod niſi per eum non eſſet inceptum. Acceſſerunt igitur die craſtina ad conventum quaſi cum miranda compaſſione nunc epiſcopi, nunc abbates, multis & variis allegationibus ſuggerentes, ut pro bono pacis ad tantam evitandam malitiam temporis in arbitros legitimos compromitterent, & de mandato domini papæ darent inducias, acſi voluntas ſummi pontificis in eorum eſſet arbitrio, capella enim diruenda ſtare non poterat ut aſſerebant; ſet ad hoc omnes anelabant ut archiepiſcopi verecundiæ parceretur, & ut eccleſia *Cantuarienſis* à doloribus & anguſtiis eſſet inmunis. Reſponſales autem conventus temperanter & quaſi timide pauciſque verbis reſponſa dederunt, prætendentes in omnibus quo tenderent temptatores. Sed cum in omnibus falſas & inſtabiles invenirent promiſſiones, & vana verba quaſi oculata fide viderent, quod omnes ſeudoſuggeſtores ad id ſolummodo tenderent, ut curia *Romana* contemptui videretur haberi, hoc tandem eis conſtanter dederunt reſponſum, quod nec in aliquos de eccleſiis vel aliunde abſque conſcientia domini papæ compromitterent arbitros, nec terminum diruendæ capellæ præfixum aliquatenus prolongarent. Nec enim ſuum erat apoſtolicam vel in jota temperare mandatum. Nunciata ſunt hæc archiepiſcopo ſeorſum ſedenti per nuncios epiſcopos ſcilicet & abbates huc illucque frequenter diſcurrentes. Et ipſo tandem cum indignatione multa à *Cantuaria* recedente, monachorum poſſeſſiones quaſi per regem adveſperaſcente jam die vigiliæ ſancti *Johannis Baptiſta* captæ ſunt. Et ſicut *Baldewinus* archiepiſcopus à quo omne malum, primo eccleſias ad elemoſinam pertinentes invaſit, ita iſte villam de **Chertcham** quam ſanctus *Edwardus* ad elemoſinam dicitur contuliſſe primitus occupavit. Remanſerunt tamen epiſcopi quidam & abbates, ut ſi quo modo poſſent adhuc flectere monachos ut ſaltem palliatam archiepiſcopo reportarent victoriam. Set jam jamque inſuperabiles effecti quia inſeperabiles apoſtolico fidenter inhærebant mandato. Recedentibus epiſcopis, miſſi ſunt ad conventum abbates duo, videlicet de *Boxeleia* & de *Ponte Roberti*, ut & ipſi aliquid facerent, ſet non adquieverunt eis. Præceperunt tandem ne nil ageretur auctoritate archiepiſcopi ut duo fratres ad eum *Londoniam* venirent, ut inter ipſum & conventum quaſi ſecretius verba pacifica reportarent. Quorum unus mandato tali dolum ineſſe ſuſpicans æger remanſit, alter vero ad archiepiſcopum accedens, multa audivit, & ad ſingula reſpondit. Injunxit eidem archiepiſcopus ut in curia *Romana* de inpoſitis eum excuſaret; at ille ſatis competentem prætendens excuſationem *Cantuariam* gaudens reverſus eſt. Sic deluſus undique *Hubertus* archiepiſcopus æſtuabat animo multotiens ab his & illis quærens conſilium quo modo, vel qua arte, vi, vel fraude monachorum poſſet enervare conſtanciam. Utebatur igitur utraque manu pro dextera ſicut ait. Hinc enim ad regem nuncios direxit & literas, ut ipſo mediante vel compellente pars utraque compromitteret in arbitros epiſcopos ſcilicet & abbates, & ut ipſius regis animum & benevolentiam averteret à Conventu. Inde vero ad dominum papam nuncios dirigendos paravit, & literas cum non modico pondere reliquiarum *Anglia Ruffini* ſcilicet & *Albini*. Præterea compoſitum eſt ſcriptum pravitate plenum & mendaciis refertum, cui ad preces archiepiſcopi appoſuerunt ſigilla tam epiſcopi quam abbates eciam, cum lacrimis, & neſcientes quid in eo contineretur inſcriptum. Nec ſolum hæc moliebatur *Hubertus*, ſet quicquid excogitare poterit humana verſutia contra *Cantuarienſem* eccleſiam exercebat. Erant autem tunc temporis verba archiepiſcopi quaſi ſimplicia, ſet tangebant ventris interiora. Monachi vero ſimpliciter & plane ſcripſerunt domino papæ ordinem rei geſtæ & fratribus qui ſuperſtites erant in curia, Deum ſemper & ſanctos eccleſiæ patronos lacrimis & devotione cordis interpellabant.

pellabant. Timens autem archiepiſcopus ne accuſaretur in curia de invaſione villarum, poſt paucos dies conventui fecit eas reſtitui; Cardinales enim *Romanæ* curiæ ſcripſerunt ei ut cum omni feſtinatione apoſtolicum adimpleret mandatum. Litterarum vero quarundam quas Cardinales ei miſerunt talis eſt forma.

VEnerabili in Chriſto fratri diligendo ſemper amico H. *Dei gratia* Cantuarienſi *archiepiſcopo* G. *miſeratione divina ſanctæ* Mariæ *trans* Tiberim *titulo ſancti* Calixti *presbiter Cardinalis in vero ſalutari ſalutem. Quanto magis ad ſectandam juſticiæ normam officii paſtoralis debitum vos inducit, diſcretioni veſtræ majori diligentia cavendum eſt, ne id agere debeat per quod jus lædatur eccleſia & veſtræ honeſtati derogetur. Inde eſt quod cum eccleſia* Cantuarienſis *multorum prædeceſſorum veſtrorum meritis & quorundam ſanguine mirifice illuſtretur, fraternitatem veſtram curavimus admonere ut à conſtructione canoniæ de* **Lamhee** *quæ in præjudicium* Cantuarienſis *eccleſiæ fieri dinoſcitur juxta mandatum domini Papæ quod de communi fratrum conſilio emanavit deſiſtere velitis, & ipſam matrem eccleſiam veſtram quæ vos ad culmen tantæ dignitatis erexit modis omnibus honoretis, bonæ memoriæ prædeceſſorum veſtrorum veſtigiis inhærentes, qui pro tuenda eccleſiæ libertate æterni nominis gloriam meruerunt.*

In hunc modum ſcripſerunt eidem archiepiſcopo cæteri Cardinales. Regi quoque ſcripſit dominus Papa ſic.

INnocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei illuſtri Regi* Angliæ *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam de regia celſitudine ſpem certam & fiduciam optinemus, ut eccleſias & miniſtros eccleſiaſticos digne ſatagat honorare ipſoſque tuæ defenſionis & protectionis munimine confovere, regalem magnitudinem ad hæc libenti animo apoſtolicis exortationibus invitamus, & animum tuum ad ea volumus inducere, per quæ Regi Regum cujus propitiante gloria regni optines dignitatem, dignis operibus valeas complacere, ipſiuſque tibi conſiliare favorem. Nos itaq; pro dilectis filiis noſtris monachis* Cantuarienſis *eccleſiæ preces apoſtolicas porrigimus, magnificentiam tuam rogamus, monemus & in Domino attentius exortamur, quatinus ipſos & eorum eccleſiam propenſius habeas commendatos intuitu precum noſtrarum & ob reverentiam glorioſi martyris Chriſti* Thomæ *qui ſanguine martirii* Cantuarienſem *eccleſiam illuſtravit, & à malignantium propulſione defendas & eis ſua jura illibata ſtudeas & integra conſervare. Datum* Romæ *apud ſanctum* Petrum *non. Marcii pontificatus noſtri anno primo.*

Cardinales quoque pro *Cantuarienſi* eccleſia domino Regi ſcripſerunt in hunc modum.

R. *Dei gratia Regi* Angliæ, *Duci* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *& Comiti* Andegaviæ, J. *Dei miſeratione tituli ſancti* Clementis *Cardinalis, &c. In præſenti feliciter & in futuro regnare perhenniter. Quanto perſonam & regnum veſtræ ſublimitatis majori amplectimur caritate, tanto propenſius exequi volumus & debemus ea quæ ſaluti veſtræ expediunt & honori. Veruntamen regiam certi ſumus non latere ſollertiam, quod inter cætera quibus poteſtis divinam gratiam promereri conſervatio ſtatus eccleſiarum regni, & illarum præcipue quæ religionis & ordinis titulo decorantur, non modicam vobis adaugent gloriam & ſalutem. Cum igitur* Cantuarienſis *eccleſia in regno veſtro fidei mater & Chriſtianæ religionis ſignifera per multa temporum volumina in dignitatis ſuæ ſtatu & quiete proceſſerit, & divini cultus obſequio gratiaque religionis circumquaque ſuaviter redoluerit, quietem ejus turbare nichil aliud fore credimus quam divinitatis ſacrario manum violentam inferre. Rogamus igitur patienter audite, & ut vos Deus in die neceſſitatis exaudiat clementer exaudite, ex animo attendentes quanta in promtu ſit materia ſcandalorum ſi canonia illa quam bonæ memoriæ* B. *quondam* Cantuarienſis *archiepiſcopus in ejuſdem eccleſiæ præjudicium, immo ſcandalum & ruinam primo apud* Hakintuniam *poſtea apud* **Lamhee** *erexit, habeat conſummationem. Intuitu igitur Dei & glorioſi martyris tui* Thomæ *reverentia cujus memoria in præfata viget eccleſia, clementiæ veſtræ gratia* Cantuarienſis *eccleſiæ deſolationi ſubveniat & ruinæ. Qua enim pace, qua libertate poterit de cætero gaudere, cum fictitiam illam & adulterinam viderit contra ſe erectam & ſpoliis ditatam? Et quis erit ſtatus* Anglicanæ *cum matrem ſuam* Cantuarienſem *eccleſiam tabeſcere viderit in anguſtia & mœrore? Timendum ne in ſe ipſa diviſa eccleſia deſoletur, & certe turbata eccleſia Regni negotiis pax & honeſta quies eſſe non poterit. Avertat hoc Deus & regia magnificentia veſtra. In ea igitur qua vobis fide & amore tenemur conſulimus & devote ſupplicamus, quatinus præfatam* Cantuar. *eccleſiam in eo ſtatu & libertate qua uſque ad hæc tempora ſub protectione Dei & veſtra duraverit pacifice conſervetis, nec aliquid fieri permittatis quod inſolentia novitatis ſcandalum eccleſiæ Dei generet & apoſtolicæ ſedis auctoritati deroget, pro certo habentes prædictam canoniam de* **Lamhee** *de conſenſu et deliberatione omnium Cardinalium à domino Papa et à prædeceſſoribus ſuis eſſe dampnatam, nec aliquo modo poſſumus pati opus illud procedere quod in tam nobilis eccleſiæ conſtruitur ſubverſionem. Nulla ergo ratione ſi placet dominum* Cantuarienſem *archiepiſcopum ab aliquo impediri permitattis, quo minus mandatum apoſtolicum ſuper demolitione prædicti operis de* **Lamhee** *ſibi directum poſſit implere, ſeu potius eum ad hoc ſi placet inducatis ut moram in faciendo non patiatur ſed honori ſuo maturius provideat et eccleſiæ ſuæ tranquillitati.*

In hunc modum ſcripſerunt & alii Cardinales, ſed omnia in deriſum & contemtum habita ſunt cum nil penitus de mandato perficeretur. Clerici enim Archiepiſcopi ſemper indefeſſi erant cum Rege ne forte contra canoniam prædictam aliquid fieret. Conventus autem duos monachos miſit ad Regem ut ejus animum quoquo modo mitigarent. Qui licet tarde tamen admiſſi minas & contumelias multas à Rege & cæteris quas longum eſt ſcribere audierunt, præſentibus clericis archiepiſcopi. Rex tandem præcepit litteras fieri quas per prædictos monachos miſit Conventui *Cantuarienſi* in hunc modum.

RIcardus *Dei gratia Rex* Angliæ, *Dux* Normanniæ *&* Aquitaniæ, *Comes* Andegaviæ, *dilectis ſibi in Chriſto Priori & Conventui eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ſalutem. Laudamus & conſulimus*

mus vobis quod in arbitrium quinque Epiſcoporum Angliæ, *quinque Abbatum ordinis veſtri quos eligere. volueritis compromittatis ſuper quæſtionibus quæ vertuntur inter venerabilem patrem veſtrum* H. Cantuarienſem *archiepiſcopum & vos ſuper eccleſia de* **Lamhec** *& aliis. Et compromiſſione facta ab Archiepiſcopo & à vobis, terminum præfigemus ad quem ipſe Archiepiſcopus & vos & arbitri nominati coram nobis comparebunt, tantum ſuper querelis illis fiet, quod negotium illud ad honorem Dei & eccleſia veſtra finem accipiet, ſumptuſque veſtri vobis ſalvi erunt quos in eundo & redeundo ad curiam* Romanam *impenderitis, & poſt impetrationes vobis à curia illa conceſſas nullatenus permitteremus eleemoſinarum collationes factas à prædeceſſoribus noſtris & prædicti Archiepiſcopi in irritum revocari. Teſte meipſo apud* Andeliacum xxiij. *die Julii.*

Audientes hæc monachi *Cantuarienſis* eccleſiæ tum per præſcriptas Regis litteras tum per eos quos ad eundem miſerant monachos, mirantes admodum contriſtati ſunt, eo quod jam quaſi præmortuam ſet iterum redivivam viderent pululare *Rothomagenſis* archiepiſcopi maliciam. Cum enim tempore *B.* archiepiſcopi à quo malignitas iſta ſumpſit inicium compellerentur *Cantuarienſes* monachi coram Rege ſimul & primoribus de tota cauſa in arbitros compromittere, nec ad hoc aliqua violentia valerent induci, falſo tamen eis impoſitum eſt quod cum præfato *B.* archiepiſcopo tam de capella transferenda quam de aliis cauſæ capitulis pacifice compoſuiſſent. Unde quodam ſet falſo ſcripto compoſito ad exemplum & teſtimonium temporum futurorum quidam Epiſcopi ſigilla ſua fecerunt apponi. Tradiderant ſiquidem oblivioni quod ſcriptum eſt, Verba Sacerdotis aut vera ſunt aut ſacrilega. Et falſus teſtis non erit inpunitus. Set hæc alias. Præmeditati igitur monachi & metuentes de præteritis futura, venienti morbo maluerunt occurrere quam languido præfocato ſubvenire. Scripſerunt itaque Regi litteram mittentes in hunc modum.

R *Dei gratia illuſtri Regi* Angliæ *&c.* G. *Prior et conventus* Cantuarienſis *eccleſiæ ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus. Gratias vobis multiplices referimus pro devotione quam erga* Cantuarienſem *eccleſiam & ſervos veſtros in ea Deo ſervientes geritis, vitam veſtram & incolumitatem ſibi ſervari multum deſiderantes; veſtræque voluntati quantum cum Deo poſſunt obedire paratos. Suſceptis domine reverende majeſtatis veſtræ literis, in quibus laudaſtis & conſuluiſtis ut in* v. *Epiſcopos, &* v. *Abbates compromitteremus de capella de* **Lamhec** *& de aliis quæ vertuntur inter venerabilem patrem noſtrum* H. *Archiepiſcopum & nos, diu ſuper hoc deliberavimus & multum tractavimus, & licet non ambigamus vos ita pro bono pacis nobis ſcripſiſſe, nullatenus tamen, quod ſalva pace veſtra dixerimus, id facere audemus vel poſſumus. Quia omnes fere Epiſcopi* Angliæ *& Abbates ita ad curiam* Romanam *pro domino Archiepiſcopo ſcripſerunt, quod ſi poſſent ea probare quæ contra nos & eccleſiam* Cantuarienſem *ſcribuntur, & cauſa noſtra penitus caſſaretur, & eccleſia* Cantuarienſis *deſtrueretur, & conſtat nobis quod non minus darent ei per arbitrium quam conantur adquirere per placitum. Cæterum domine kariſſime quo modo auderemus vel poſſemus cauſam iſtam à curia* Romana *revocare & in arbitrium Epiſcoporum vel Abbatum ponere, deſicut ſententia lata eſt de hac cauſa à quatuor apoſtolicis, cum non liceat alicui in terra veſtra ſine conſenſu & voluntate veſtra trahere aliquod placitum à curia veſtra ad minorem curiam? Unde quia in his videmus evidens periculum ſi ſic fiant eccleſiæ noſtræ imminere, majeſtatis veſtræ pedibus omnes & ſinguli provoluti cum lacrimis & gemitu ſupplicamus, quatinus intuitu Dei & Sanctorum eccleſiæ* Cantuarienſis *eiſdem periculis præcaventis, efficientes ſi placet erga dominum Archiepiſcopum ut ei ſufficiat quod tot ſanctis archiepiſcopis prædeceſſoribus ejus ſuffeciſſe dignoſcitur à tempore quo ad Chriſtianitatem regnum Angliæ fuit converſum. Valete.*

His auditis obſtupuit Rex, ſubito cernens ut erat ſagacis ingenii qua ratione monachi niterentur, nec appoſuit ſuper hoc eos denuo ſollicitare. Sciebat enim & aſſerebat non eſſe conſonum rationi, ut in eos compromitterent arbitros quos experimento probabili & ſcripto legibili noverant adverſarios. Scripſerant enim domino Papæ pro archiepiſcopo contra monachos mentientes ſub hac forma.

R*everendo patri & domino* J. *ſummo pontifici ſuffraganei* Cantuarienſis *eccleſiæ ſalutem. Gratias agimus gratiæ largitori qui ſuam fundans eccleſiam ſupra petram, in* Petro *& per eum in ſucceſſoribus ejus fratres ſuos confirmandos eſſe prædixit. Unde & cum de beatæ recordationis* Celeſtini *papæ tercii obitu eſſemus perturbati, ſuperveniens nuntius electionis veſtræ nubilum noſtræ triſticiæ deſiderabiliter ſerenavit. Non reliquit nos orphanos qui pro patribus filios, qui loco Sanctorum ſuſcitat* Nazareos. *Congratulamur gratiæ Dei qui vos à primitivis adoleſcentiæ motibus ita erudivit & informavit ad tantæ miſterium dignitatis, ut eccleſiæ incolumitas tota poſt Deum de veſtræ poteſtatis auctoritate pendeat, & quæ in aliquibus membris ſuis infirmata eſt ſub indulto nobis* Innocentio *ad juſtitiam & innocentiam convaleſcat. Noveritis igitur quod ſuſceptis paternitatis veſtræ literis ad venerabilem patrem noſtrum* Cantuarienſem *archiepiſcopum et nos directis, quarum vobis tranſcripta tranſmiſimus, ad mandatum prædicti patris & metropolitani noſtri* Cantuariæ *infra* xxx. *dies ſuſceptionis illius cum omni devotione convenimus, kariſſimo fratri noſtro* Coventrenſi *epiſcopo manum conſecrationis una cum eodem Archiepiſcopo inpoſituri, & ſuper his quæ à veſtra ſanctitate in mandatis accepta fuerant communi deliberatione & conſilio tractaturi. Nos autem ibidem pro his et ad hæc ſpecialiter conſtituti, prædictum patrem et archiepiſcopum noſtrum devotum invenimus, ut in his quæ injuncta fuerant licet gravia viderentur veſtræ diſpoſitionis imperio juxta mandati formam et noſtræ univerſitatis conſilium obediret. Cum autem ſatis exacta deliberatione ſuper his invicem tractaremus, quibuſdam noſtrum ſcilicet quibus rei geſtæ ſeries plenius quam ipſi archiepiſcopo innotuerat conſtanter aſſerentibus, multis eciam viris magnis & prudentibus & fide dignis id ipſum aſſertive proteſtantibus pariter advertimus, religionem veſtram ex ſuppreſſione veritatis multipliciter circumventam. Primo quod cum capella de qua agitur de ſpeciali indulgentia piæ recordationis* Urbani *papæ in honore beatorum marti-*

rum Stephani *et* Thomæ *à bonæ memoriæ* B. *Archiepiſcopo conſtructa fuerit, ſicut eam beatus martir* Thomas *plurimique ipſius prædeceſſores in honorem prothomartiris* Stephani *præconceperant conſtruendam, nec in literis* Urbani *papæ quæ de eadem capella demolienda dicantur emanaſſe, nec in præſcriptis veſtræ ſanctitatis apicibus quæ ipſius* Urbani *papæ literis maxime videntur inniti, de prædicta indulgentia mentio facta fuit, unde nec ipſius indulgentiæ vigor per has vel illas videbatur infirmari. Secundo, quod inclitæ recordationis* Gregorius *papa indulſit, ut per litteras domini* Urbani *prædeceſſoris ſui à tribus menſibus ante obitum ſuum, contra archiepiſcopum* B. *& clericos ſuos directas, niſi de novo mandato minime procederetur: unde cum litteræ ejuſdem* Urbani *per indulgentiam ejuſdem* Gregorii *ſuſpenſæ fuerint, & nulla* Clementis *papæ vel alterius poſt illum inhibitio ſuper hoc innotuerit, nil in apoſtolicæ prohibitionis contemtum circa præfatam capellam videtur attemptatum. Tercio, quod cum monachis* Cantuarienſibus *in cauſa dicta procedendi facultas non ſuppeteret, eo quod* Urbani *litteras* Gregorii *indulgentia ſuſpendiſſet, interventu domini* R. *illuſtris Regis* Angliæ *& venerabilis viri* W. Rothomagenſis *archiepiſcopi, necnon &* Dunelmenſis, Wintonienſis, Sareſberienſis, Conventrenſis, Roffenſis *Epiſcoporum & Cancellarii* Angliæ *tunc* Elienſis *electi hiſdem monachis inſtantibus in capitulo, domino & illuſtri Regi* Angliæ *& Abbate* Ciſterſienſi *multiſque aliis & magnis præſentibus recitata, ſuper hac ita convenit, ut capella quæ prope muros* Cantuariæ *fabricata fuit, in locum remociorem quemcunque delegiſſet Archiepiſcopus ſine ſubſecutura reclamatione libere transferretur. Sed et idem monachi omnibus aliis querelis ſpontanea voluntate renuntiaverunt, ſeque diſpoſitioni archiepiſcopi ſui per omnia ſubjecerunt. Et ſicut à quibuſdam fratrum noſtrorum audivimus, archiepiſcopus & monachi ſui ſe invicem in pacis oſculo receperunt. Quarto, quod cum bonæ memoriæ* Celeſtino *papæ proceſſus totius negotii innotuiſſet, præfato archiepiſcopo noſtro de prædicta capella & præbendis ejus ad indempnitatem* Cantuarienſis *eccleſiæ libere diſponendi facultatem indulſit, & ſic ſtatum capellæ confirmavit. Unde poſtmodum memoratis archiepiſcopo & monachis ſuper eadem diſpoſitione tractatum habentibus, unanimi aſſenſu complacuit per nuncios utriuſque partis ad ſedem apoſtolicam deſtinandos ſedis ipſius conſilium ſuper hoc expetere & expectare, archiepiſcopo id conſilio domini Papæ committente, ut in ejus eſſet diſpoſitione ſub quibus cauticnibus manente capella* Cantuarienſis *eccleſiæ provideretur indempnitati. Nuntiorum autem prædictorum iter duo de monachis* Cantuarienſibus *prævenientes præter conſcientiam vel Archiepiſcopi vel Prioris et Conventus, ſicut idem Conventus in capitulo ſuper hoc requiſitus viva voce proteſtatus eſt, à clauſtro clanculo recedentes, & ob hoc ab Archiepiſcopo non inmerito ſecundum regularem diſciplinam ſententia ſunt excommunicationis innodati, qui tacita veritate vel egreſſus eorum vel ſententiæ quam juſte ſuper hoc exceperant, idem eorum quas ſupra meminimus litteras prædictas ad ipſum Archiepiſcopum & nos impetraverunt. Hiis rationibus cum univerſitati noſtræ videretur eſſe juri conſentaneum veſtræque paternitati placiturum litterarum executioni ſuperſederi, donec ſuper rei veritate veſtra inſtrueretur religio. Dictus eciam archiepiſcopus ne quid manſuetudinis & humilitatis omitteret, ex habundanti tam per ſe quam per nos inſtanter obtulit, ut de electis quos monachi* Cantuarienſes *vellent Epiſcopis vel cujuſcumque ordinis viris religioſis de omnibus quæ præceſſerant & de hujus mandati executione acceleranda vel differenda eorum pareret arbitrio. Monachis autem hac voluntarię magis quam juſte recuſantibus præmiſſis moti rationibus ipſum archiepiſcopum ad hoc induximus, ut ipſo interim ſubſiſtente de ſolita ſedis apoſtolicæ clementia confidentes totum negotium ad veſtram excellentiam referremus, ſupplicantes attentius ut ita ſuper hoc veſtra diſponat prudentia ne inter regnum & ſacerdotium in* Anglia *jam orta diſſenſio invaleſcat. Turbati ſunt enim vehementer ex hoc mandato Rex & regni magnates, eo quod jure canonico videatur licitum & hactenus conſuetudine* Anglicana *optentum, ut tam archiepiſcopi quam epiſcopi, quam eciam laici auctoritate dioceſani Epiſcopi poſſint eccleſiam conventualem in ſuo conſtruere fundo. Vos igitur pater in Chriſto kariſſime quod ſuper hoc expedire videritis veritate cognita diſponatis, ſcituri profecto quia quod ſtatueritis dominus archiepiſcopus & nos debito & devoto exequemur affectu. Quod ſi ſanctitati veſtræ teſtimonium noſtrum videatur minus ſufficere ad fidem, placeat vobis pleniorem hujus veritatis inquiſitionem aliis quos elegeritis demandare, quorum relatione veſtra ſublimitas edocta, quod altiſſimo magis placere noverit diffiniendo decernat.*

Albi quoque monachi domino Papæ contra *Cantuarienſem* eccleſiam ſcripſerunt ſic.

REverendo domino & patri *Innocentio* Dei gratia ſummo pontifici, ſuæ ſanctitatis filii & ſervi devotiſſimi *E. Rievallis, R. de Boxeleia, J. de Forda, B. de Straford, W. de Ponte Roberti, H. de Stanlege,* & *W. de Baſingwas* Abbates totuſque *Ciſterſientium* Abbatum de *Anglia* conventus ſalutem debitam cum humili ſubjectione reverentiam & obedientiam. Cum ſacroſancta *Romana* eccleſia cui Domino diſponente præeſtis mater ſit omnium eccleſiarum in Chriſto, in multiplicandis eis, enutriendis ac defendendis materna caritate atq; ſedulitate uti conſuevit, & ſic de adulta jam ſobole gratulari ut novam cotidie procurare non deſinat. Quod ſi in tot filiis ejus duo aliqui ſe in utero ipſius aliquando collidunt, materna gravitate atque prudentia litem hanc dirimere novit, & in id ipſum reducere diſſidentes, ne & ipſi abinvicem conſumantur, & ipſa utroque orbetur filio una die. Hinc eſt quod pro beati *Thomæ* martiris eccleſia qui acſi recens purpura totam veſtit & ornat eccleſiam Dei, quanta poſſumus gemituum ac precum profuſione paterna viſcera pulſamus, ut convertamini aliquatenus & clemencius aliquid cogitetis ſuper eam. Securis enim apoſtolica jam ad radicem plantationis hujus novellæ, quod gementes dicimus, poſita eſt: ſet ſi terram non occupat, ſi fructum facit, ſi denique fructum plurimum, ſecurim veſtram vel ad modicum ſuſpendi humiliter ſupplicamus. Sane non ſine nutu divinæ diſpenſationis beatus martir in loco nativitatis ſuæ memoriam ſibi elegiſſe videtur, præſertim cum diffinitione Regum ac Principum, cum conſilio Epiſcoporum ac totius cleri, cum denique exultatione univerſæ terræ fundatam, ipſorum eciam monachorum

Cantuarienſium quæcumque ipſi veſtræ majeſtati ſuggeſſerint, ſolennem in audientia publica gratiam & aſſenſum meruerit. Denique, ſi monachis illis contra prælatum ſuum talem tantumque prælatum ad tam pium opus demoliendum res ad vota ceſſerit, nunquid non deinceps tam pernicioſi virus exempli omnem cœtum Religioſorum inficiet, & cornua increſcent omnibus inobedientiæ filiis, ut levi occaſione inſurgant & impingant in parentes ſuos? Omnis jam domus rupto pacis & obedientiæ vinculo deſolabitur, & ubi tanti auctoritas mali convaluerit, unuſquiſque vorabit carnem brachii ſui. Quidque ad loci hujus venerationem cum beati martiris illuſtri gloria præclara ſui merita fundatoris accedunt, qui de noſtro grege ad tanti officii culmen aſſumptus magni illius menſuram gradus, ut mundus teſtis eſt, glorioſe adimplevit, & in priori nichilominus humilitate, in multa omnium admiratione perſeveravit, & vir quidem ille & ita venerabilis & doctrina incomparabilis & ſignis illuſtris omnibus inter ſe & monachos ſuos illos ſolenniter conſopitis peragre conſumatus eſt, Chriſtianæ fidei pietati tam precioſa morte quam vita eximia teſtimonium reddens. Non moveat quæſumus ſanctitatem veſtram livor iſtorum nec poſt fata quieſcens, quibus ignoſcat Deus, quod quem vivum inexorabiliter ſunt perſecuti & veteres poſt mortem inimicitias in operum ejus reliquiis demoliendis diſſimulare non poſſunt. Reverendo proinde ſucceſſori ejus domino noſtro nunc *Cantuarienſi* archiepiſcopo contra quem præfati monachi ſuum levavere calcaneum, eciamſi ora humana tacuerint opera ejus teſtimonium perhibent de illo, cum luceant prorſus omnibus qui in domo ſunt. In viis ambulat glorioſorum prædeceſſorum ſuorum, qui ſi veteres & novi revolvuntur annales ſimilia à ſuis monachis pertuliſſe invenientur. Judicem eum eſſe incorruptiſſimum perſonarum prorſus & munerum acceptione deducta nemo eſt in regno *Anglicano* qui dubitet. Benedictio proinde parvulorum pauperum, puſillorum ac viduarum ſuper eum continua ac copioſa deſcendit. Religioſi omnes non dominum eum vel judicem ſet patrem inveniunt & advocatum. In camera ejus non ſolum ad colloquium ſed paſſim & indeferenter ad hoſpicii gratiam ſuſcipit eos. De conſciencia denique bona conſtans ei atque fidele teſtimonium perhibemus, quia ipſe eſt unica ac potentiſſima eccleſiæ *Anglicanæ* columna. Qui ſicut in omnibus cauſis ſuis ita & in hac tantam exibuit patientiam, lenitatem atque modeſtiam, quanta nec nos ſcripto ad præſens concipere poſſumus, & illi plenius vobis poterunt enarrare qui à latere ejus ad vos miſſi ore ad os vobis loqui merebuntur. Sed de pacientia ejus illi ſemper ad inpacientiam creſcunt, & lenitate ejus atque modeſtia abutentes contumaciores atque immitiores efficiuntur indies. Cadat ergo in conſpectu veſtro univerſitatis noſtræ humilis ſupplicatio, ut reſpondeat ei hodie ante tribunal veſtrum juſticia ſua, cui tot & tanta merita ſua & gloriæ beati martiris pia æmulatio & totius *Angliæ* communia vota ſuffragantur Unum eſt quod precibus noſtris adicimus, ut ſi nos in commendatione unius alteriuſve perſonæ timore ſeu gratia exceſſiſſe timetis, conſulere dignemini teſtimonium univerſæ terræ, & eos ſi placet præcipue qui de nigro ſunt ordine, cum in his utique non debeant eſſe de jure ſuſpecti, & invenietis nos ſervos veſtros fideles in omnibus partibus parcius fuiſſe locutos. Valeat in Domino ſancta paternitas veſtra.

Rex eciam *Angliæ* pro domino Archiepiſcopo ad dominum Papam devotas direxit literas, eidem ſcribens inter cætera, quod in his quæ ageret pro nullo deberet à tramite juſticiæ deviare, nec eciam ſi ipſe aliquid ab eo peteret quod eſſet obvium rationi concederet. Dum igitur nuntii *Romipetæ* cum hujuſmodi litteris & aliis pluribus ad curiam properarent, ſociis illis honoratis qui licet muti omnia perorarent, & *Gualenſes* agminibus ſuis congregatis in terminis *Angliæ* diſcurrentes prædas facerent, præpedivit eos non modico venerabilis exercitu congregato *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus, factoque congreſſu fugam inhiere *Gualenſes*, perierunt ex eis fere quinque milia. Archiepiſcopus inde victoria potitus *Lundoniamque* reverſus convocata multitudine nobilium *Angliæ* renuntiavit præfecturæ ipſius terræ, qua ſe gravatum admodum aſſerebat. Cui ſucceſſit ex condicto in præfecturam *Angliæ Gaufridus* filius *Petri* menſe Auguſto. Non. Septembris venit archiepiſcopus *Cantuariam*, & una cum conventu capitulum ingreſſus ſubridens & quaſi jocundus acſi omnia pacifice complanata fuiſſent mitius ſolito loquebatur, rictibus vel riſui ſic compoſita verba connectens; acſi de tota cauſa eorum ſubire decreviſſet arbitrium. Monachi vero genu flexo vel in terram ut ſæpe ſolebant toto corpore proſtrati, ſuis precibus & lacrimis humiliter petierunt eum ut paſtorem & dominum ut ſui miſereretur, & eccleſiæ *Cantuarienſis* pro qua eciam mori tenebatur novis ſaltem condoleret ærumnis, petraque ſcandali totius everſa, ſanctorum prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſequeretur, omnes & indebitas dimitteret novitates. Audiens autem in exitu ſupplicationis hujus ut ſaltem ſero apoſtolicum exequeretur mandatum, undecumque deluſus abceſſit, & compoſitis ſarcinulis Regem petiturus ad mare deſcendit. Quarto idus Septembris obiit *Ricardus Lundonienſis* epiſcopus. Obiit eciam eis diebus *Johannes Wigornenſis* epiſcopus. & *Willielmus Herefordenſis*.

Obſedit interea villam ſancti *Audomari* Comes *Flandriæ* & *Boloniæ* cum exercitu multo per menſem, tandemque villa Comiti reddita eſt tercio idus Octobris, eo quod à Rege *Franciæ* nullum obſeſſi potuerunt habere ſolatium. Venerunt in proximo vj. ſcil. kal. Octobris nuntii Regis & Archiepiſcopi literas hujuſmodi Conventui deferentes.

GAlfridus *filius* Petri *conventui* Cantuarienſi *ſalutem. Sciatis quod ex præcepto domini Regis mitto* Cantuariam *theſaurarium* Lundonienſem *&* *archidiaconum* Lundonienſem *& Priorem de* Meretona *& Conſtabularium* de Dovoria *& Vicecomitem de* **Kent**, *ad videndos theſauros eccleſiæ* Cantuarienſis, *& ideo vobis mando quod illos eis oſtendatis, & quod faciatis hoc quod ipſi vobis ex parte domini Regis et mea dicent.*

Mirabatur ad hæc conventus admiratione nimia, eo quod hujuſmodi mandata hactenus inaudita fuiſſent. Habitoque ſuper hoc conſilio per monachos hujuſmodi literas archiepiſcopo direxerunt, qui apud **Winchelese** auram placidam in *Normanniam* transfretaturus expectabat.

H. *Dei gratia* Cantuarienſi *archiepiſcopo & totius* Angliæ *primati conventus* Cantuarienſis *ſalutem & devotam in omnibus obedientiam. Suſcepimus*

pimus litteras ſanctitatis veſtræ per viros venerabiles Abbatem de **Feverſham** *& archidiaconum* Cantuarienſem, *in quibus nobis ſignificaſtis ut in præſentia illorum & ballivorum domini Regis qui ſimul advenerant cum literis domini* G. *filii* Petri *Juſticiarii domini Regis, theſauros eccleſiæ noſtræ videri & inbreviari faciamus, uno inbreviamento penes vos remanente, alio penes nos, tercio penes bailivos domini Regis. Exigebant eciam bailivi domini Regis, ut ſingulis inbreviatis reponantur in tuto & ſalvo loco ſub cuſtodia trium clavium, quarum una ſit domini Regis, alia veſtra, tercia noſtra. Vnde non minima ducti admiratione eo quod hactenus in eccleſia veſtra talis inaudita ſit exactio, paternitati veſtræ ſumma cum devotione ſuplicamus, quatinus honori veſtro & famæ melius providentes, eccleſiam veſtram ab indebitis exactionibus conſervetis indemnem, ne ipſius diſſimulantes injurias quas propulſare tenemini videamini inferre & earum, quod abſit, auctor exiſtere. Vale.*

Reſpondit ad hæc Archiepiſcopus dicens, ſe velle ut dominus Rex non ſolum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſet & ſuos & totius terræ vidiſſet theſauros, ſet nolo, inquit, ut de veſtro aliquod habeat ſcriptum vel clavem. Hæc dicens feſtinus transfretavit iv. kal. Octobris. Monachi vero *Cantuarienſes* citiſſime rebus omnibus & poſſeſſionibus ſpoliati ſunt, & miſerunt poſt Archiepiſcopum monachos duos, ut per eos vel per Regem reſtituerentur ablata. Videns interea *G.* Prior *Cantuarienſis* tantam eccleſiæ deſolationem, majoremque turbato Rege ſuſpicans deſtructionem, de conſilio conventus omnia relinquens mare tranſvectus *Romam* profectus eſt. Interea Rex *Franciæ* ab exercitu Regis *Angliæ* interceptus, ſet vix elapſus aufugit in *Giſorcium*, & exercitu ipſius diſperſo *C.* fere milites electi capti ſunt iij. kal. Octobris. Archiepiſcopus autem *Cantuarienſis* videns quod non valeret per ſe nec per Regem nec aliqua violentia monachos *Cantuarienſes* à via veritatis avertere, timens ne in curia *Romana* de nova accuſaretur ſpoliatione, obtinuit tandem ut Rex per prædictos monachos ad ſe miſſos literas hujuſmodi mitteret.

G. *Filio* Petri *ſalutem. Sciatis quod ad inſtantiam domini* Cantuarienſis *archiepiſcopi conceſſimus monachis* Cantuarienſibus *quod habeant maneria ſua integre ſicut habere debent, & mandamus vobis quod theſaurum illorum per viſum ſervientium domini archiepiſcopi inbreviari faciatis, & volumus quod ipſi nobis emendent in curia noſtra id quod erga nos deliquerunt, ſalvis domino* Cantuarienſi *dignitate & libertate ſua.*

Redierunt igitur monachi in *Angliam*, & audito in conſiſtorio Regis mandato reſtituti ſunt, ea conditione ut in curia Regis reſponderent de nondum nota tranſgreſſione. Nuntii vero conventus ſuper hoc reſponſuri *Lundoniam* vocati, & per dies aliquot ex condicto judicum anfractibus verborum, jejuniis & obprobriis fatigati de non oſtenſo theſauro ad imperium Regis, hoc tandem præciſe dederunt reſponſum. Cum eccleſia *Cantuarienſis* mater ſit omnium *Anglicanarum* eccleſiarum & in omnibus ab antiquo primatum teneat, ſuo poſt Deum proprio lætatur paſtore. Qui licet ad modicum commoveatur ad præſens, pro ipſa tamen in omnibus cauſis ut caput pro corpore reſpondere tenetur, ipſe de mandato domini noſtri Regis & veſtri in regionem aliam tranſfretavit, in cujus abſentia de nullo tenemur reſpondere negotio quo eccleſia ſibi commiſſa vel modicum incurrat diſpendium, vel ipſius in aliquo dignitas minuatur. Vos ex parte domini noſtri Regis de videndo theſauro noſtro veſtrum dediſtis mandatum. Sed cum Archiepiſcopus noſter idem penitus nobis non injunxerit faciendum, ejus ſuper hoc & omnibus aliis quæ noſtram ſcilicet & *Cantuarienſem* contingunt eccleſiam neceſſario ſi placet præſtolamur adventum. Mirabantur ad hæc Juſticiarii quod in nullo vellent à prælato ſuo monachi ſeparari ſalva in omnibus pace & indemnitate *Cantuarienſis* eccleſiæ, & cum in nullo reperiſſent eos reprehenſibiles, reſtitutis omnibus in pace dimiſerunt.

Dum igitur hæc agerentur in *Anglia* & Prior *Cantuarienſis* necdum *Romam* perveniſſet, præſentibus tamen & aſtantibus duobus tantum monachis *Cantuarienſibus* nuntii archiepiſcopi in conſiſtorio domino Papæ cum advocatis ſuis quicquid excogitaverant licite propoſuerunt xj. kal. Novembris. Die vero craſtina ſimplex monachorum veritas & vera ſimplicitas audita eſt. Et die tercia nuncii Archiepiſcopi ea quæ nudiuſtercius ſponte præterierant vel inviti placidis & benignis auditoribus referebant. Quorum audita pertinacia, dñs Papa cum Cardinalibus receſſit, factaque ſuper his quæ audierant moroſa deliberatione de demolitione capellæ de **Lamhee** & reſtituendis ablatis data tandem optata ſententia, literas archiepiſcopo ſuper hoc per proprium nuntium in hunc modum deſtinaverunt.

I*Nnocentius* epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri *H. Cantuarienſi* archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ex injuncto nobis apoſtolatus officio locum ejus licet immeriti teneamus qui juxta verbum propheticum liberavit pauperem à potente & inopem cui non erat adjutor, diligenti ſtudio ſatagere nos oportet ne minores à majoribus opprimantur, ſed ut prælati ſic acceptam exerceant juriſdictionem in ſubditos, ut prodeſſe probentur pocius quam præeſſe. Hoc ergo ſecundum officii noſtri debitum attendentes, diu tibi diſtricta juſſione mandavimus ut in negotio capellæ de **Lamhee** juxta formam literis apoſtolicis comprehenſam ab oppreſſione monachorum *Cantuarienſium* omnino ceſſares. Super quo venientes ad noſtram præſentiam dilecti filii noſtri de *Boxeleia* & de *Ponte Roberti* Abbates nuntii tui ſuper facto capellæ de **Lamhee** fraternitatem tuam nitebantur multipliciter excuſare. In primis ſiquidem proponentes quod cum bonæ memoriæ *Theodbaldus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* & glorioſus *Thomas* ſucceſſor ipſius attendentes, quod nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, & nolentes monachos *Cantuarienſes* relictis divinis officiis ad negotia ſecularia ſe transferre, ad honorem prothomartiris *Stephani* ædificandi eccleſiam voluntatem & propoſitum habuiſſent, & in ea clericos ſeculares ordinandi de ſuis proventibus & eccleſiis eis reditibus aſſignandis, per quos tam apud apoſtolicam ſedem quam apud curias ſeculares ſua poſſent negotia expedire, laudabile propoſitum primi obitus feſtinatus, & ſecundi longum exilium impedivit, ſicut in literis venerabilis fratris noſtri *J.* quondam *Lugdunenſis* archiepiſcopi plenius continetur expreſſum, quæ in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia fuerunt recitatæ. His bonæ memoriæ *B. Cantuarienſis* archiepiſcopus ita propoſito ut officio, voluntate ut dignitate ſuccedens prope ſuburbium civitatis *Cantuarienſis* quaſi per ſtadia tria vel quatuor ad honorem præfati prothomartiris & beati *Thomæ* cœpit conſtruere eccleſiam, felicis recordationis *Urbani* papæ prædeceſſoris noſtri ſuper hoc indulgentia primitus impetrata, cujus auctoritate ſibi conceſſum fuit ut in honorem ipſorum martirum & ædificare poſſet eccleſiam, & de perſonis idoneis ordinare, quibus in eccleſiaſticis beneficiis canonice provideret, ſic tamen quod eccleſiæ debitis obſequiis & neceſſariis ſtipendiis minime fraudarentur, Et licet idem *Urbanus* adverſus dictum *B*, prædeceſſorem tuum ſuper demolitione operis ſuas ſæpius litteras deſtinaſſet, quia in eis non faciebat de conceſſa jam indulgentia mentionem, ei dicebant per reſcripta ſequentia nullatenus derogatum, quæ præterea proponebant, & per falſi ſuggeſtionem & veritate tacita impetrata, & ad ipſius Archiepiſcopi noticiam minime deveniſſe, unde ſi eis non paruerat, de jure non poterat reprehendi. Reſcriptum quoque ſanctæ recordationis *Gregorii* papæ prædeceſſoris noſtri pro ſe pariter producebant, qui cum per literas indulſit generales ut reſcripta quæ à tribus menſibus ante obitum prædicti *Urbani* prædeceſſoris ſui fuerant impetrata eandem firmitatem haberent non obſtante obitu mandatoris, quam obtinere debuiſſent ſi tunc viveret, negotia quæ ipſum archiepiſcopum & ejus clericos contingebant ſub præmiſſa noluit generalitate concludi, per quod nimirum reſcriptum prædeceſſoris ſui dicebant literis derogatum quas adverſus archiepiſcopum direxerat ad inſtantiam monachorum. Quibus ſiquidem literis & eciam felicis memoriæ *Clementis* ſucceſſoris ſui qui ejus in hac parte fuerat imitator per factam tunc temporis amicabilem compoſitionem de partium voluntate inter archiepiſcopum & monachos memoratos per kariſſimum in Chriſto filium noſtrum *R. Anglorum* Regem illuſtrem, & venerabilem fratrem noſtrum *W. Rothomagenſem* archiepiſcopum & quoſdam epiſcopos & abbates dicebant penitus derogatum. Cum enim tempore præfati *B. Cantuarienſis* archiepiſcopi præmiſſi rex, archiepiſcopus, epiſcopi, & abbates *Cantuariam* acceſſiſſent, inter eos fuit tam de conſtructione capellæ quam de inſtitutione Prioris & quibuſdam aliis quæſtionibus à partibus compromiſſum. Ipſi autem diligenti deliberatione præmiſſa pariter judicaverunt, quod ipſe Archiepiſcopus rationabiliter ædificaverat eccleſiam memoratam. Ipſe tamen pro bono pacis conceſſit ad prædicti Regis inſtantiam & eciam aliorum, quod canonicorum collegium ad locum alium transferret quem eligeret competentem. Per hanc ergo compoſitionem dicti nuntii tui renunciaſſe dicebant monachos reſcriptis præcedentibus à ſede apoſtolica impetratis, cum exinde dictus Archiepiſcopus loco priore dimiſſo ubi ædificare non potuerat ſine ſcandalo monachorum, ad locum de **Lambee** per *L.* miliariaria diſtantem à civitate *Cantuarienſi* ſuum propoſitum tranſtulerit. ubi & eccleſiam ſicut prius fecerat ædificare cœpit ad honorem martirum prædictorum, ut ſic propter nimiam locorum diſtantiam nulla remaneret monachis materia conquerendi. Cui poſtea tu ſuccedens quod ab ipſo minus factum fuerat perficere voluiſti, & quod ipſum tibi liceret ex reſcripto literarum bonæ memoriæ *Celeſtini* papæ prædeceſſoris noſtri oſtendere nitebantur, qui anno pontificatus ſui vij. & extremo ad omnem inter eccleſias *Cantuarienſem* & de **Lambee** diſcordiam ſopiendam, & ne canonici de **Lambee** facultatem haberent contra cathedralem eccleſiam inſurgendi, diſponendi de ipſa eccleſia de **Lambee** interius & exterius, non obſtantibus literis ad venerabilem fratrem noſtram *Ciceſtrenſem* epiſcopum & dilectos filios noſtros de *Radinges* & de **Waltham** Abbates obtentis, conceſſit tibi liberam facultatem. Per has ergo literas præcedentia ſcripta ſua quæ his videbantur adverſa dicebant penitus revocata. Intentionem ergo ſuam probare dicti nuntii tui ſatagebant per laudabile propoſitum *Theodbaldi* & glorioſi *Thomæ* martiris pontificum præmiſſorum, & per *Urbani*, *Gregorii* & *Celeſtini Romanorum* pontificum indulgentias & reſcripta, & per præmiſſam compoſitionem factam de partium voluntate. Verum præmiſſis rationibus ex parte monachorum fuit ex ordine taliter obviatum. Quod de occultis hominum voluntatibus quas ſibi tantum Deus reſervavit qui renes & corda ſcrutatur, à nobis judicari non poterat nec debebat, nec ipſi valebant ad talia reſpondere, quæ proponere in judicio nil aliud erat quam de ſecretis cordium divinare. Sane per indulgentiam *Urbani* papæ prædeceſſoris noſtri de qua præmiſimus juri ſuo in nullo dicebant penitus derogatum, quia canonica beneficiorum aſſignatio per eam *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſervabatur, qui juxta conſtitutionem canonicam ſine tractatu & aſſenſu monachorum procedere non valebat, qui nedum quod ipſius facto in hac parte conſenſerint, verumeciam contradixerunt expreſſe, ſicut ſequentia docuerunt, & adhuc in eodem propoſito perſeverant. Eis ergo contradicentibus & ſuperioris judicium erit expectandum. Idem eciam ea ratione nitebantur oſtendere, quia juxta ſanctiones legitimas ſi quando alicui conceditur beneficium principale, puta libera factio teſtamenti, nichil aliud videtur indulgeri quam ut modo teſtetur legitimo & eciam conſueto. Ille quoque qui ut in loco publico poſſit ædificare à Principe ſimpliciter impetravit, ædificare cum alterius incommodo non valebit, niſi & hoc ipſum à Principe poſtulatum fuit & conceſſum. Per ſequentes eciam ipſius *Urbani* literas executorias quibus opus ipſum maledictum haberi voluit & profanum, aſſerebant præſcriptæ indulgentiæ derogatum. Quæ ſive coram eodem *Urbano* fuerit oſtenſa proponebant eam penitus abrogatam, cum ea non obſtante demolitio ipſius eccleſiæ fuerit demandata, ſive fuerit prætermiſſa ſibi debuit imputari; cum jure civili eciam caveatur quod ſub prætextu inſtrumentorum poſtea repertorum lites non debeant reſtaurari. Id ipſum per literas piæ recordationis *Clementis* papæ prædeceſſoris noſtri probare volebant, in cujus præſentia nuntiis partium conſtitutis cum dictus *B.* prædeceſſor tuus opus maledictum & prophanum voluiſſet contumaciter & pertinaciter conſummare, ad exemplum *Urbani* papæ prædeceſſoris ſui præfato Archiepiſcopo de conſilio fratrum diſtricte præcepit, ut quicquid fecerat in eccleſia nominata curaret ſine dilatione qualibet demoliri, quod de inſtituendis canonicis & aliis fuerat perperam attentatum in irritum penitus revocato, ubi ſive omiſſa fuerit præmiſſa indulgentia vel eciam allegata eorum non poterat ratione præmiſſa propoſitum inpedire. Per ipſam quoque compoſitionem de qua præmiſimus tanquam regio metu violenter extortam partem ſuam in nullo gravari poſſe dicebant. Cum enim dictus *Clemens* papa prædeceſſor noſter pro ſedanda diſcordia inter archiepiſcopum & monachos *Cantuarienſes* exorta bonæ memoriæ *Johannem Anagninum* tunc temporis tituli ſancti *Marci* presbiterum Cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum, poſtea vero epiſcopum *Praneſtinum* in *Angliam* ſpecialiter deſtinaſſet, poſtquam illuc transfretavit factum fuit dicto *B. Cantuarienſi* archiepiſcopo procurante, quod apud portum *Dovoriæ* contra voluntatem ſuam per dies plurimos teneretur, quod in gravem eccleſiæ *Romanæ* injuriam redundavit, nec ante fuit permiſſus *Cantuariam* proficiſci quam per dictum Regem *Angliæ* qui eodem tempore cum epiſcopis ſuis *Cantuariam* venerat, in pace quam fecerunt cum archiepiſcopo monachi vim paſſi fuerunt & compulſi ſunt omnia ſuſtinere. Quod ideo cum prope poſitus audiſſet & poſtea præſens apud *Cantuariam* cognoviſſet, ſcripto mandare curavit, ſicut in ſuis litteris patentibus continetur, quas coram nobis fecimus recitari; ut & rei veritas omnibus innoteſceret, & quod factum fuerat non generaret præjudicium juſticiæ monachorum, & ſi archiepiſcopus ipſe vel aliquis de ſucceſſoribus ſuis ſcripturam ſuper forma pacis quandoque proferret, ſciretur ab omnibus eam fratribus jam dictæ eccleſiæ nec conſentientibus nec ſcientibus fuiſſe confectam, nec ſibi exhibitam poſtulanti qui ad cauſam ipſam fuerat à ſummo pontifice deſtinatus, unde vel rem geſtam confirmare debuerat ſi juſticiæ concordaret, vel ſi aliter facta fuerat infirmare. Sic ergo cognoſcens facto illi interceſſiſſe violentiam manifeſtam, auctoritate qua fungebatur apoſtolica ſtatuit, quod neque concordia ſic facta valere deberet, neque compromiſſio violenter extorta, neque ſcriptum aliquod ſic conceptum, & quod ipſis monachis in poſterum præjudicium non afferret cum omnia eo præſente ac contradicente fuerint adimpleta. Poſt hæc cum bonæ memoriæ *Celeſtinus* papa prædeceſſor noſter omnia quæ per memoratum *B.* archiepiſcopum circa monachos vi vel metu acta fuerant auctoritate apoſtolica in irritum revocaret, nominatim ea quæ legato *Romanæ* eccleſiæ præſente & contradicente contra mandatum ſedis apoſtolicæ facta proponebantur, ſicut in autentico ejuſdem Legati *J. Anagnini* quondam presbiteri Cardinalis ob cauſam ipſam in *Angliam* deſtinati continebantur expreſſa, viribus carere decrevit, & quæcumque contra jus monachorum vel tenorem privilegiorum ſedis apoſtolicæ idem Archiepiſcopus impetravit. Inſuper ſtatuens ut nullus hominum quæ male geſſerat ad conſequentiam traheret, nec ea quæ à ſede apoſtolica obtinuerat tacita veritate juri monachorum vel privilegiis ullo unquam tempore in aliquo præjudicium generarent, quemadmodum nobis & fratribus noſtris ex ipſarum conſtitit continentia literarum. Ex ipſa quoque majore loci diſtantia ſibi aſſerebant monachi majus præjudicium generatum, quia cum in eorum defectum ſicut à tuis nuntiis dicebatur ſeculares clerici fuerint evocati, vix poſſent per eos vicinos *Cantuarienſis* eccleſiæ negotia monachis abſentibus procurari, quæ ipſis procul poſitis & quaſi eorum captata abſentia ſine monachorum conſcientia tractarentur & eis penitus inconſultis, unde *Cantuarienſis* eccleſia diſpendium incurreret & jacturam, ſic ergo per hoc nil eis acceſſit eadem contradictionis cauſa manente. Ultimum vero reſcriptum dicti *Celeſtini* papæ prædeceſſoris noſtri carere viribus aſſerebant, utpote per ſuppreſſionem veritatis ſurreptum, quoniam in eo nulla fiebat mentio mandatorum quæ ab *Vrbano* & *Clemente* præceſſerant, nec eciam confirmationis ipſius quam ipſemet ſuper caſſatione compoſitionis prædictæ conceſſit, & præſertim cum reſcriptum illud indulſiſſe dicatur eo tempore quo eum infirmitas admodum prægravabat. Ad fundandam ſane intentionem ſuam prædictorum *Vrbani*, *Clementis*, & *Celeſtini Romanorum* pontificum reſcripta necnon & noſtrum poſt illa idem monachi producebant, quibus urgentiſſime mandabatur ut quicquid de prædicta capella fuerat attentatum haberetur irritum & inane. Cum autem quæ præmiſimus & ſimilia in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia prudenter eſſent à nuntiis allegata, nos qui tempus accepimus juſticiam judicandi, volentes illius veſtigiis inhærere apud quem non eſt acceptio perſonarum, cujus locum licet indigni tenemus in terris, & ita via regia prudenter incedere ut non declinemus ad dexteram vel ſiniſtram, prædeceſſores quoque noſtros *Vrbanum*, *Clementem*, & eciam *Celeſtinum* credentes amplius imitandos, in illis maxime quæ deliberatione prævia ſtatuerunt: De communi conſilio fratrum noſtrorum per apoſtolica ſcripta mandamus & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatinus omni contradictione, excuſatione & appellatione ceſſantibus, infra xxx. dies poſt receptionem præſentium quicquid ædificatum eſt in eccleſia memorata expenſis tuis facias penitus demoliri, eo non obſtante ſi eciam abſens ab eccleſia tua extiteris, cum cautum ſit eciam legitima ſanctione ut ſi is cui opus novum fuerit nuntiatum ante remiſſionem ædificaverit, deinde agere cœperit jus ſibi eſſe ita ædificatum habere, ſibi debeat actio denegari, reducens prorſus in irritum quicquid de inſtituendis ibidem canonicis & aliis ad ipſam eccleſiam pertinentibus à te vel prædeceſſore tuo cognoſcitur ordinatum, eorum reditibus ad ſtatum priſtinum revocatis quos ab obligatione præſtiti juramenti pro eo quod ibidem inſtituti fuerunt, auctoritate noſtra per te denuntiari præcipimus abſolutos, cum enim amodo non teneat principale, quicquid ex eo vel ob id ſecutum eſt, ſub præmiſſa diſtrictione decrevimus irritandum ſicut ſancitum eſt traditione canonica & civili. Clericos præterea qui in capella ipſa poſt inhibitiones apoſtolicas divina officia celebrarunt, ſicut nos per alia ſcripta mandavimus, tam diu habeas pro ſuſpenſis, quouſque ſuper illud ſatiſfecerint competenter, & univerſa quæ in prædictorum monachorum ſunt attentata gravamen, exenniorum videlicet & eccleſiarum & aliorum invaſione, quæ ante appellationem habuerunt dictis monachis non differas reſignare, ac de cætero circa ſtatum monaſterii contra prohibitionem noſtram hujus occaſione negotii non præſumas aliquid innovare. Si vero, quod non credimus, præceptum noſtrum ſicut præmiſſum eſt vel contemſeris vel diſtuleris adimplere, à pontificali officio extunc noveris te ſuſpenſum, & pro contemtu mandati apoſtolici ad noſtram te volumus venire præſentiam reſponſurum. Venerabilibus quoque fratribus noſtris *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis de conſilio fratrum noſtrorum in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatinus niſi tu infra præmiſſum tempus mandatum noſtrum duxeris ad effectum, ipſi tibi nullam impendant obedientiam vel reverentiam, quia juſtum eſt ut ei non obediatur à ſubditis qui ſuo contemſerit obedire prælato. Quod ſi nec ſic te poterimus ad bonum obedientiæ revocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem ſæpius debet intermitti majorem tibi animadverſionem noveris imminere cum ferro ſint abſcindenda vulnera quæ fomentorum non ſentiunt medicinam. Sane ſuper præmiſſis in quibus ſalva conſcientia non poterimus alio modo procedere, fraternitatem tuam rogamus nullatenus contriſtari, quia teſte Deo non ex indignatione aliqua proceſſerunt, ſed quia cum ſimus licet inficientes in ſede juſticiæ conſtituti, unde jura ſua tenemur ſervare ſingulis illibata, fraternitati tuæ quam ſincerius amplexamur, cum te inter fratres & coepiſcopos noſtros honorabile membrum & in domo Domini columpnam immobilem habeamus, non potuimus ſine gravi creatoris offenſa deferre, nec nobis in hac parte potes aliquid imputare, cum ſecundum traditionem canonicam, quando non niſi peccando alicui conſuli poterit, tunc æſtimare debet homo quid faciat non habere. In ipſis eciam legibus ſecularibus invenitur, ut quæ facta lædunt pietatem, æſtimationem, verecundiam noſtram & generaliter quæ bonis moribus adverſantur, nec poſſe nos facere ſit credendum. Super eo quoque non ſufficimus admirari, quod cum dicta eccleſia jamdudum quaſi lapis offenſionis fuerit & petra ſcandali, pro qua nos & prædeceſſores noſtri adverſus te tuoſque prædeceſſores ita graviter ſumus moti, & viri religioſi pariter & prudentes monachi *Cantuarienſes* qui omnia dimiſerunt pro Chriſto, tot laboribus & doloribus, tot mortibus & periculis perſonas & res non dubitaverunt frequenter exponere, quod proculdubio tam illi quam iſti ut dictum eſt non feciſſent, niſi cognoſcerent præmiſſa reſpicere in grave *Cantuarienſis* eccleſiæ detrimentum. Ut de aliis omittamus, tu ſaltem pro vitando tam gravi ſcandalo proximorum ab his eciam tibi prohibitis non ceſſaſti, cum ſacræ ſcripturæ teſtimonio debueris didiciſſe, quod licet opera illa quæ ſine mortali peccato dimitti non poſſunt, non ſint pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debent pro vitando ſcandalo committi, quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt. Ab his tamen quæ committi poſſunt ſine peccato mortali, pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum & eis eciam pro vitando ſcandalo inſiſtendum. Unde apoſtolus in epiſtola dicit, *Si ſcandalizaretur frater, carnem non comederem in æternum.* Et Dominus in Evangelio contra eos qui ſcandali præſtant materiam, *Væ*, inquit, *homini illi per quem ſcandalum venit, melius eſt illi ut ſuſpendatur mola aſinaria ad collum ejus & demergatur in profundum.* Et licet majorum ſcandalum ſit vitandum, præcipue tamen vitandum eſt ſcandalum puſillorum juxta teſtimonium veritatis, *qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de puſillis iſtis minimis qui in me credunt* &c. Finis ergo his quæ præmiſſa ſunt à te de cætero taliter inponatur, quod præteritæ contradictionis rebellio per virtutem ſequentis obedientiæ valeat non immerito expiari. Dat. *Laterani* xij. kal. Decembris pontificatus noſtri anno primo.

Epiſcopis eciam *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis per proprium nuntium ſicut & alias literas direxit ſub hac forma.

INnocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus* Cantuarienſis *eccleſiæ ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ex injuncto nobis apoſtolatus officio « & cætera ſicut ſuperius ſcriptum eſt uſque » fraternitatis veſtræ literas ſuper facto ejuſdem eccleſiæ nobis ſub ſigillis omnium pariter deſtinatas cum debita benignitate recepimus, ſuper eo non modicum admirantes quod ſicut earum nobis ſerie intimaſtis quibuſdam veſtrum viſum fuit nos fuiſſe multipliciter circumventos, quando litteras noſtras eidem archiepiſcopo & vobis ipſis ſuper eodem negotio curavimus deſtinare. Sane ſicut literæ veſtræ continebant, in præmiſſam opinionem eos qui de nobis talia æſtimabant quatuor induxerant quæ ſequuntur. Quorum primum, ſecundum & ultimum erant indulgentiæ piæ recordationis* Urbani, Gregorii, *&* Celeſtini *pontificum* Romanorum, *quæ in noſtra et fratrum noſtrorum fuerunt præſentia recitata. Tercium, compoſitio facta per kariſſimum in Chriſto filium noſtrum* Ricardum *illuſtrem Regem* Anglorum *& venerabilem quoque fratrem noſtrum* W. Rothomagenſem *archiepiſcopum, & quoſdam alios inter Archiepiſcopum & monachos memoratos. Quibus & aliis quæ à nuntiis præfati Archiepiſcopi allegata fuerunt, qualiter ex parte monachorum ratione prævia fuerit obviatum ut cognoſcatis & approbetis plenius veritatem, univerſitati veſtræ præſentibus literis duximus explicandum. Inprimis ſiquidem præfati nuntii « & cætera ex ordine ſicut ſuperius ſcriptum eſt in literis archiepiſcopi. In fine vero iſtarum additum eſt ita. » Quo circa univerſitati veſtræ de conſilio fratrum noſtrorum in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatinus niſi ſæpedictus Archiepiſcopus infra premiſſum tempus mandatum noſtrum duxerit ad effectum, vos ei nullam obedientiam vel reverentiam impendatis, quia juſtum eſt ut ei non obediatur à ſubditis, qui ſuo contempnit obedire prælato. Pro certo ſcituri quod ſi præcepto apoſtolico in hac parte præſumpſeritis obviare, nos autore Deo inobedientiæ veſtræ curabimus per animadverſionem debitam reſpondere. Quod ſi forte nec ſic eundem Archiepiſcopum poterimus ad bonum obedientiæ revocare, propter quod malum numquam committitur, bonum autem debet ſæpius intermitti, majorem ſibi animadverſionem noverit imminere, cum ferro ſint abſcindenda vulnera quæ fomentorum non ſentiunt medicinam. Dat.* Laterani xij *kal. Decembris pontificatus noſtri anno primo.*

Sciens autem dominus Papa quod archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſummam in Rege *Anglorum* haberet fiduciam, nolenſque quod auctoritate regia ſuum archiepiſcopus præteriret mandatum, ipſi Regi ſcripſit ſub hac forma.

I*Nnocentius* epiſcopus ſervus ſervorum Dei kariſſimo in Chriſto filio *Ricardo* illuſtri Regi *Anglorum* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter alia quæ nos hortantur celſitudinis regiæ titulo congaudere, illud tanquam memoriale, quia perſonam tuam ſincera diligimus in Domino caritate, multa gratiarum actione proſequimur quod jamdudum nos regiis apicibus rogaviſti ut pro nullo deberemus in his quæ agimus à juſticiæ tramite deviare, nec illud fuit in eiſdem literis prætermiſſum, unde circumſpectionem regiam dignis laudibus commendamus, ut ſi forte à nobis interdum aliquid poſtularet quod eſſet obvium rationi, nolebat aliquatenus exaudiri. Nos ergo præter officii noſtri debitum ex quo cum licet indigni tempus acceperimus juſticiam judicandi, univerſis & ſingulis in jure ſuo exiſtimus debitores, Regiæ prudentiæ ſalutaribus exortationibus invitati, & volentes regia via prudenter incedere, nec declinare ad dexteram vel ſiniſtram, nuper in præſentia noſtra nuntiis venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi & dilectis filiis monachis *Cantuarienſibus* conſtitutis, in facto capellæ de **Lamhee** de communi conſilio fratrum noſtrorum proceſſimus ſicut nobis fuit divinitus revelatum, & literæ quas eidem archiepiſcopo & venerabilibus fratribus noſtris *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis deſtinamus continent evidenter. Ut autem mandatum noſtrum quod de pura conſcientia Deo teſte proceſſit liberiùs valeat adimpleri, ſerenitatem regiam prece qua poſſumus & affectione rogamus. quatinus hiis quæ à nobis facta ſunt benignius annuendo, non ſit impedimento quo minus debeant juxta reſcripti noſtri ſeriem effectui mancipare, quin pocius ſi quis ſe quod vix credimus duceret opponendum, ejus audacia quæſumus poteſtate tibi tradita reprimatur, ut mandata ſedis apoſtolicæ debitam optineant firmitatem. Alioquin quantumcumque magnificentiam tuam in domino diligamus, & ſibi velimus quantum cum Deo poſſumus honeſte deferre, contemptum apoſtolicæ ſedis & noſtrum non poterimus æquanimiter ſuſtinere, ſet eos qui ſe opponere noſtris in hac parte juſſionibus attemptabunt pœna magiſtra docere curabimus quam durum ſit contra ſtimulum calcitrare. Provideat igitur regia celſitudo, quod ita preces apoſtolicas in hac parte diligenter exaudiat, ſicut petitiones ſuas apud ſedem apoſtolicam cupit eciam in majoribus exaudiri, procurans attentius ut præfatos monachos quos ſub protectione noſtra ſuſcepimus ne minores à majoribus opprimantur, dextera ſuæ potentiæ protegat & defendat, ut apud eum æternæ retributionis præmia conſequatur, qui juxta propheticum teſtimonium liberavit pauperem à potente & inopem cui non erat adjutor. Dat. *Laterani* pontificatus noſtri anno primo.

III.

An. Gr̃æ 1199.

M. C. xcix. gratiæ Dei anno allatæ ſunt per proprium domini Papæ nuncium præſcriptæ literæ; lectæque ſunt in præſentia domini Regis ſuæ, & Archiepiſcopi ſuæ, ut ſinguli quique ſibi commiſſum explerent mandatum. Cujus tonitru ſolo pauliſper territi tam Rex quam Archiepiſcopus, videntes quod quantum ad ſuum propoſitum laboratio perierat & inpenſa, inito conſilio & unito conſenſerunt tandem ut capella de **Lamhee** funditus dirueretur & canonia ceſſaret. Denuntiatum eſt hoc ex mandato Archiepiſcopi apud **Lamhee** xij. kal. Februarii, ipſa quoque capella ſolo tenus diruta eſt vj. ejuſdem decemnovenalis cicli anno tercio. Clerici quoque juſſi ſunt adpropiare mare. Cum autem videret nuncius domini Papæ quod nil aliud fieret de mandato, *Romamque* rediret, Prior *Cantuarienſis* neſcius quid in *Anglia* factum eſſet de prædicta capella vel de rerum reſtitutione, accedens ad Papam querimoniam depoſuit lacrimoſam de rerum omnium ſecunda ſpoliatione. Unde commotus admodum dom. Papa Regi *Anglorum* ſcripſit ſic.

INnocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei illuſtri Regi* Angliæ *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum inter alios mundi principes perſonam tuam ſicut kariſſimi filii diſpoſuerimus prærogativa dilectionis & gratię honorare, & tam tuis quam tuorum utilitatibus paterna proviſione diligenter intendere, miramur plurimum & dolemus quod hoc propoſitum noſtrum ex quo nimirum quantum magnitudini tuę valeat honoris & utilitatis afferri ſerenitatem regiam non credimus ignorare, pravis quorundam ſuggeſtionibus niteris impedire. Cum enim negotium* Cantuarienſis *eccleſię dudum Deum ſolum habentes prę oculis ſtuduerimus ſecundum divinum beneplacitum terminare, in quo ſi perſonas vellemus accipere vel munera forſitan acceptare, partem* Cantuarienſis *archiepiſcopi proculdubio prętuliſſemus partibus monachorum, credebamus quod factum noſtrum ſolicitudo regia deberet gratiarum proſequi actione, quę nos hactenus de juſticia facienda ſępius exoravit, nec ſuſtineret aliqua ratione quod quiſquam deberet in hac parte apoſtolicis juſſionibus obviare. quin pocius ſi aliter feciſſemus, prę̈ter offenſam divinam & conſcientię lęſionem, plurimum verebamur ne diceremur oppreſſores pauperum & juſticię contemptores. Verum ſecus contigit quam vellemus & eciam credere deberemus. Nuper enim accedentes ad pręſentiam noſtram dilecti filii Prior et ſocii ſui et monachi* Cantuarienſes *lacrimabili nobis & flenda conqueſtione monſtrarunt, quod cum regia poteſtas & ſublimitas mandaviſſet de theſauro eccleſię redigendo in ſcriptis, & ſigillis tam Regis quam Archiepiſcopi necnon & monachorum conſignando, neque hoc, unde ipſos in domino commendamus, facere voluiſſent, ſicut erat prius in ipſorum perniciem cogitatum, ablatis eorum poſſeſſionibus & redditibus ad ſedem apoſtolicam nolentes pariter & dolentes compulſi ſunt venire. In quorum adventu renovatus eſt dolor noſter, quia ſuſtinuimus cum propheta pacem & non venit, quęſivimus bona, & ecce turbatio. Cum enim veterem ſet nondum inveteratam & prelatam quęſtionem ſępius ad ſedem apoſtolicam crederemus penitus extinxiſſe, cujus occaſione religioſi viri & Deum timentes* Honorius *quondam Prior & nonnulli* Cantuarienſium *monachorum pro libertate ipſius eccleſię animas poſuerunt, & hii qui nuper ad nos venerunt prędeceſſorum veſtigiis inhęrentes malunt mori pro eadem quam videre mala gentis ſuę & ſanctorum eccleſię, quaſi morbus pullulat recidivus, & facta ſunt noviſſima ejus pejora prioribus, quod triſtes referimus & dolentes. Porro quoniam auctoritatem ſedis apoſtolicę cui licet immeriti pręſidemus vigorem debitum volumus optinere, nec ſuſtinere poſſumus vel debemus ut in ſuggillationem ejus aliquid debeat attemptari, magnificentiam regiam de puro corde rogamus, monemus & hortamur & in remiſſionem peccatorum injungimus, quatinus revocatis omnibus quę contra eoſdem monachos attemptata noſcuntur, in priſtinum ſtatum reducas, quos pro reverentia ſedis apoſtolicę apud ſublimitatem tuam haberi volumus plurimum commendatos, mandatum noſtrum in cauſa quę inter ipſos & pręfatum Archiepiſcopum vertebatur emiſſum non ſuſtineas ab aliquo præteriri. Quod tanto fortius brachio potencię tuę credimus effectui mancipandum, quanto amplius in tuis negotiis & tuorum à nobis deſideras eciam in majoribus exaudiri. Neque ſuper hoc circumſpectionem tuam volumus dubitare, quin ſi pręmiſſa ſtudeas liberaliter adimplere, majorem ex hoc gratiam & favorem apud ſedem apoſtolicam valeas promereri, alioquin quantumcunque perſonam tuam in domino diligamus & honori tuo velimus quantum cum Deo poſſumus & honore noſtro deferre, contemptum noſtrum, immo Dei cujus locum licet* *indigni tenemus in terris non poterimus ulterius aquanimiter ſuſtinere, ſet in eos quicumque fuerint et terras eorum qua noſtra diſpoſitioni praſumpſerint obviare, eam animadverſionem ſine differentia perſonarum curabimus exercere, quod per exhibitionem operum oſtendemus nos velle regia via prudenter incedere, nec cujuſquam gratia vel favore declinare ad dextram vel ſiniſtram, Cum omnem inobedientiam ſedis apoſtolica prompti ſumus ulciſci. Si quis autem regia ſerenitati ſuggeſſerit quod de ipſa quicquam ſiniſtri à dictis monachis propoſitum fuerit coram nobis, fidem non adhibeatis, quin pocius afflictiones et moleſtias ſuas plus altero procurante quam de voluntate credant regia proceſſiſſe.*

Condolens autem dominus Papa doloribus & anguſtiis monachorum, metuenſque ne jugi frangerentur injuria, conventui *Cantuarienſi* conſolatoriam miſit epiſtolam in hunc modum.

INnocentius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui* Cantuariæ *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Niſi prudentes eſſetis & ſacrarum haberetis ſcientiam ſcripturarum, pro tribulationibus qua invenerunt vos nimis egeretis forſitan conſolationibus aliorum, ſet imitatores apoſtolorum effecti ut relictis omnibus liberius ſequi poſſitis Chriſtum pauperem & egenum, amiſſionem temporalium qua debetis cum apoſtolo tanquam ſtercora reputare ut Chriſtum lucrifacere valeatis, excipere cum gaudio vos oportet; nec pro ea ſicut cateri hominum contriſtari, ne per immoderatum dolorem poſtquam manum miſiſtis ad fortia retro aſpicere comprobemini, & manna contempto, ad* Ægypti *pepones & allia & ollas carnium aſpirare. Cum itaque non ſint condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam qua revelabitur in nobis, monemus univerſitatem veſtram & hortamur in domino, quatinus ad memoriam revocantes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero ſpem, ſpes autem ſecundum apoſtolum non confundit, ex hoc ipſo gratias agatis altiſſimo quod illi de quibus indubitatam fiduciam habebatis retribuentes mala pro bonis, vobis non ceſſant detrahere quia ſequimini bonitatem. Et quanto mundus qui vos odit quia de mundo non eſtis, alioquin quod ſuum eſſet diligeret, perſecutiones vobis excitat graviores: tanto amplius patri luminum, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, in gratiarum actionibus aſſurgatis qui vobis dedit pacientiam in adverſis. Deſpecta eſt enim confeſſio quam facit proſperitas teſte ſcriptura, qua dicit, Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Set illa magni momenti debet exiſtere quam non adimit vis doloris, ejus exemplo qui ait,* Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala quare non ſuſcipiamus? ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *Nos autem qui locum ejus licet indigni tenemus qui juxta propheticum teſtimonium liberavit pauperem à potente & inopem cui non erat adjutor, affectu paterno veſtris doloribus condolentes, non attendimus contra vos vultum potentis, ſet ut oppreſſionibus veſtris finis debitus imponatur, ſpe ſola retributionis aterna* Petri *gladium exeruimus ad juſticiam faciendam. Diſcretionem veſtram rogantes attentius & obſecrantes in Domino, quatinus hanc nobis retribuatis mercedem ut apud miſericordiſſimum judicem pro peccatis noſtris preces & lacrimas effundatis, puras ad eum manus ſine diſceptatione levantes, ut injunctum nobis apoſtolatus officium ad laudem & gloriam nominis ſui, ad honorem & profectum eccleſia, ad redemptionem & ſalutem anima noſtra concedat & faciat adimplere. Amen.*

Interea redeunte nuntio cum litteris prænotatis ad Regem *Anglia* pro Conventu *Cantuarienſi* directis, Conventui reſtituta ſunt omnia. Nec erat conſilioſum ut Rex de jam facta reſtitutione comminatorias ſuſciperet litteras, cum ante, omnia nutu divino fuiſſent completa. Verum cum tercio monachi *Cantuarienſes* rebus omnibus iij. idus Marcii fuiſſent ſpoliati, nec per Juſticiarios *Anglia* aliqua poſſent ratione vel ſupplicatione reſtitui, nec de ſpoliationis hujus cauſa inſtrui, monachum induſtrium miſerunt ad Regem & ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem* cum litteris hujuſmodi.

EXcellentiſſimo *domino ſuo* R. *Dei gratia illuſtri Regi* Angliæ *& catera, Conventus eccleſia Chriſti* Cantuariæ *ſalutem & felices ad vota ſucceſſus. Quando aliquid injuſti gravaminis nobis infertur quaſi nomine veſtro, ſcit Deus quod non tantum pro vexatione noſtra ſet eciam pro ſerenitate veſtra dolemus, quem decet magis eos protegere qui ſub patrocinio veſtro Deo ſervire diſponuntur, & pro vobis & pro veſtris Deum ſtudioſius exorare. Quia ergo ut dicunt de mandato veſtro rebus omnibus ut jam ſepius ſpoliati ſumus, celſitudini veſtra ſervi veſtri ſupplicamus ad pedes, quatinus pro amore Dei & honore veſtro jubeatis ſi placet eccleſia veſtra bona ſua reſtitui. Nil enim nos deliquiſſe credimus niſi quod in his in quibus injuriam paſſi ſumus ab eo qui in talibus nos habet judicare, juſtitiam nobis exhiberi poſtulamus.*

Sic enim ſcripſerunt archiepiſcopo *Cantuarienſi.*

H. Cantuarienſi *archiepiſcopo Conventus ſalutem & debitam obedientiam in omnibus. Quociens aliquid nobis injuſti gravaminis irrogatur quod nos non tam pati dedeceat quam alios inferre, non modo pro afflictione noſtra ſet & pro honore veſtro, ſcit Deus acrius cruciamur quam credunt quamplures, & aſſerunt mala qua patimur omnia procurare. Intelligimus quoque ſummum pontificem & eccleſiam* Romanam *cum talia ad eos perferuntur ſentire ſimiliter, & ideo contra celſitudinem veſtram acrius commoveri. Quod utique tanto portamus gravius quanto gratiam veſtram caput primum & cauſam jurgiorum præcipuam videmus deſtruxiſſe, & pacem de catero noſtram in manu veſtra perfici petimus & praſtolamur. Nunc ergo domine kariſſime noveritis quia domino Rege pracipiente rebus omnibus ſpoliati ſumus, eo quod vocati ſuper capitulis quibuſdam reſpondere qua ad regiam coronam pertinent dicimus ut ſemper nos ſine vobis utpote capite noſtro nec debere nec velle ſiſti judicio. Capitula vero ipſa in praſentia veſtra quandoque recitata ſunt. Indulgeat eis Deus qui hujuſmodi ad vexationem noſtram commentant. Petimus ergo quatinus pro reſtitutione noſtra pietas paterna ſicut hactenus ita et nunc erga dominum Regem, ſicut officii veſtri debitum expoſtulat, partes ſuas efficaciter ſi placet interponat, nec patrocinio veſtro nos reputetis indignos quibus nichil aliud imputari poteſt vel inponi niſi quod jus noſtrum ſub judice poſtulamus. Quod ſi aliquatenus movit, rogamus ne ani-*

mi veſtri benignitatem inmutet, ſet magis in ira miſericordia recordetur. Valete.

Domino eciam Papæ & Cardinalibus ſcripſerunt monachi *Cantuarienſes*, ut ſi nec per Regem nec per Archiepiſcopum ſublatas eccleſiæ poſſeſſiones optinere valerent, per Curiam ſaltem *Romanam* aliquo modo pax eccleſiæ redderetur. Hæc eſt autem forma litterarum.

J. *Dei gratia ſummo pontifici Conventus* Cantuarienſis *eccleſie ſalutem. Multa et diverſa, immo & quadam ſibi adverſa ſanctitati veſtræ quandoque ſignificamus quia talia ſunt qua nos premunt. Set in hoc confundimur quod ea qua vere fiunt & non ſcribuntur, dum loquimur, dum auditis, forte in contrarium mutata ſunt; adeo non ſimpliciter operantur qui nos affligunt, ut vel ita apud vos de mendacio nos poſſint arguere, vel quod uno aliquo non prævalent, multis nos poſſint vulneribus immutare; unde & modo feriunt, modo ictum ſuſpendunt, & iterum antequam ſciſſa coeant repercutiunt. Ea propter non levitati quaſumus imputetis quod diverſa vel ſibi diſſona nuntiamus, qui utique majeſtati veſtra decrevimus non mentiri, ſet nec omnia ſuggerere qua patimur in veritate. Nunc autem quia ſubſtantia ſpei noſtra apud vos eſt, & caſus urget quem ſilere non poſſumus, ſanctitati veſtra ſignificandum duximus, quod omnibus poſſeſſionibus noſtris quaſi de Regis mandato jam tercio ſpoliati ſumus poſtquam ad audientiam veſtram confugimus jus noſtrum ſub judicio veſtro poſtulare, nullius delicti nobis conſcii niſi quod in cauſa eccleſiaſtica jus nobis dici petimus ab eo cui commiſſa eſt ſollicitudo omnium eccleſiarum. Itaque ſanctiſſime pater & domine ſi quid poteſtis adjuvate nos. Omnia enim poteſtis pro juſticia, ſicut apoſtolus de ſe ait. Nos autem pauperes Chriſti non rerum momenta ſumus pro quibus debeat dignatio veſtra cum Principibus dimicare, ſet officii veſtri ſi placet memores eſtote. Et ſicut egregie Deo inſpirante egregie cœpiſtis, ipſo adjuvante ſpeciali filiæ veſtra* Cantuarienſi *eccleſia miſerias amovete. Valeat & vigeat in Chriſto ſemper ſanctitas veſtra ut per eam noſtra deleatur miſeria. Amen.*

Dum igitur præfatus monachus venerabilem *Hubertum Cantuarienſem* Archiepiſcopum breviter quia inutiliter alloqueretur, contumeliis tandem affectus properaret ad Regem, Rex caſtrum Comitis *Engoliſmi* quod *Nantrum* erat appellatum obſedit & tandem compulit ad deditionem: nam expenſis in ipſo caſtro cibariis, miſſis nuntiis obſeſſi miſericordiam ab ipſo Rege petebant & vitam. Qui cum peritam reſpueret pietatem, & ſola violentia vellet obtinere quod obſeſſorum benigna licet coacta voluntate fuerat eidem oblatum, oblitus forſitan quod in talibus periculoſa eſſet deſperatio, juvenis quidam *Johannes Sabraz* agnomine ſtans caſtelli in muro quadratum telum mediante baliſta direxit in incertum, orans Deum & petens ut ipſius dirigeret ictum & obſeſſorum innocentiam ab ipſa liberaret oppreſſione, jecitque ſagittam. Verum cum Rex tentorium egreſſus baliſtæ ſonum audiſſet infauſtum & ut ictum evitaret caput regium & inclinaret & corpus, in humero ſiniſtro letaliter percuſſus eſt. Deſperatus autem Rex undecima die pectus tundens et pœnitens verbo regio proteſtatus eſt, quod *Cantuarienſi* nunquam nocuiſſet eccleſiæ niſi per ſuggeſtionem aliorum. Fertur vero ab his qui tunc temporis antequam moreretur aſtabant, quod inſtanter quæreret quiſnam eum jaculo confodiſſet. Qui cum trepidus accederet adductus, & Regis pedibus proſtratus lacrimabiliter peteret miſericordiam, Rex eidem benignam pacem inpendit, mortem ſuam & vulnus indulſit, prohibuitque ſuis ne quis occaſione hujus infortunii aliquam ei inferret moleſtiam. Obiit itaque Rex *Ricardus* anno gratiæ M. C. xcix. cicli decemnovennalis anno tercio, regni vero ſui anno x. feria tercia, poſt primam Dominicam paſſionis Domini, viij. ſcilicet idus Aprilis. Qui effuſis inteſtinis viſceribus ſaleque conſperſus apud *Fontem* S. *Ebraudi*, ut ipſe præceperat, ſepultus eſt. Cor autem ipſius groſſitudine præſtans *Rothomagum* delatum eſt & honorifice tumulatum. Quibus auditis celeri volitante fama, monachus *Cantuariam* reverſus eſt, & ex hujuſmodi caſu per *Gaufridum* filium *Petri* monachi *Cantuarienſes* omnia quæ ſibi ablata fuerant præter nummos receperunt.

Verum quia pars iſta prima Cronicarum plura decenter capere non poteſt, de conſilio fratrum & ipſa ratione cogente huic parti primæ in obitu Regis *Ricardi* finem facio libri, ut in fine tanti Principis liber iſte finiatur, ut ea quæ in eo continentur facilius inveniantur. Cætera vero tam de cauſa tribulationis eccleſiæ *Cantuarienſis* quam de aliis eventibus, ad utilitatem legentium & eruditionem in alio libro, in ſecunda videlicet parte Cronicarum *Gervaſii* prædicti per Dei gratiam plenius invenientur; & ut prædictum eſt, ſicut primus liber in obitu Regis *Ricardi* finem ſortitus eſt: ſic ſecundus ab initio regni Regis *Johannis* cum ſuis eventibus ſumet initium.

Finito libro reddatur gratia Chriſto. Amen.

Actus Pontificum
CANTUARIENSIS ECCLESIÆ.
Autore
GERVASIO DOROBERNENSI prædicto.

Incipit prologus in actus Pontificum Cantuarienſis *eccleſiæ.*

QVia nomina regum *Britanniæ*, vel *Angliæ*, cum pauculis ipſorum factis breviſſime licet admodum laborioſe, quo certior fierem incerta quærendo tranſcurri: Reſtat ut ſecundum promiſſionis mei tenorem, ad geſta pontificum *Cantuarienſis* eccleſiæ ſtilum convertam: quæ quia breviter & curſim explananda ſunt, lectorem multivolum benivolum eſſe deſidero, ne videlicet dictamen ruſticanum reſpuat, vel ſuccinctam contempnat brevitatem; ſed ſi prædictorum patrum vitas vel paſſiones, miraculave ſcire deſiderat, illa magna quærat volumina quibus ſancta *Cantuarienſis* abundat eccleſia quæ de ipſis ſunt ſcripta, ſicque ſuo ſatisfaciet deſiderio. Mei namque laboris intentio talis eſt, ut expreſſis regum *Angliæ* & pontificum *Cantuarienſis* eccleſiæ nominibus, beneficia quoque quæ præfatæ *Cantuarienſi* eccleſiæ, vel quo titulo contulerunt, ſicut in ipſorum ſæpius legi munimentis exponam: habiturus ut ſpero aput poſteros poſt deceſſum amoris & livoris ſi non eloquentiæ titulum, ſaltem induſtriæ teſtimonium. Quædam etenim ipſis archiepiſcopis collata ſunt, alia conventui ſpecialiter, alia vero utriſque communiter videlicet eccleſiæ *Cantuarienſi*, ſicut in ſequentibus annuente Deo patebit. Ab *Auguſtino* ſiquidem *Anglorum* apoſtolo qui ſubſequentium ſignifer fuit archiepiſcoporum inchoandum eſt, & ſic per ſingulos ipſius ſucceſſores ſcilicet xlij. uſque ad venerabilem *Hubertum* diſcurrendum eſt.

De Sancto Auguſtino *Anglorum apoſtolo.*

ANno igitur ab incarnatione domini ſecundum *Bedam* quem ſpecialiter imitamur, D. Lxxxij. *Mauricius* ab *Auguſto* Liiij. imperium ſuſcepit. Cujus anno regni x. Sanctus *Gregorius* pontificatum apoſtolicæ ſedis ſortitus rexit annis xiij. menſibus vi. diebus x. Qui divino admonitus inſtinctu anno xiiij. ejuſdem principis, adventus vero *Anglorum* in *Britanniam* anno circiter Cxlvij. miſit ſervum Dei *Auguſtinum* monaſterii ſui quod eſt ad *clivum Scauri Romæ* præpoſitum, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletum, monaſterii regulis edoctum, & alios plures cum eo monachos timentes deum, prædicare verbum Dei genti *Anglorum*. Abiit igitur *Auguſtinus*, pervenitque *Britanniam* & applicuit cum ſociis ſuis ferme xl. in *Tanatos* inſula non modica. Regnabat hiis diebus rex *Ethelbertus* in *Cancia* potentiſſimus ſed paganus, qui aduſque flumen magnum **Humbre** vocatum fines imperii tetenderat. Habebat autem idem rex reginam nomine *Bertham* Deo devotam, filiam ſcilicet regis *Franciæ* Chriſtianiſſimam, quam ei *Franci* ea conceſſerant conditione, ut ſub cuſtodia Epiſcopi nomine *Liutardi* ritum Chriſtianitatis obſervaret. Rex autem de adventu *Romanorum* certior effectus, manere eos juſſit in ea quam adierant inſula, donec videret quid eis faceret. Ubi poſt dies aliquot cum rege locuti, optinuerunt licentiam prædicandi & quotquot poterant ad fidem Chriſti quam prædicabant convertendi. Erat autem prope civitatem ad orientem, eccleſia in honorem Sancti *Martini* antiquitus facta dum adhuc *Romani Britanniam* incolerent, in qua regina Chriſtianiſſima una cum Epiſcopo ſibi commiſſo divinis obſequiis intendebant. In hac ergo *Auguſtinus* & ſocii ejus monachi ex aſſenſu reginæ primo convenire, pſallere, orare, miſſas facere, prædicare & baptizare cœperunt. Rex tandem converſus & baptizatus eſt, deditque majorem prædicandi licentiam, & eccleſias fabricandi. Dedit eciam fratribus eiſdem locum ſedis perpetuæ in *Dorobernia* metropoli ſua, ſimul & neceſſarias in diverſis rebus poſſeſſiones. *Auguſtinus* autem pro tempore mare tranſiens, ab *Euletherio Arelatenſi* archiepiſcopo de mandato beati *Gregorii* ſacratus Epiſcopus, *Britanniam* rediit regioque ſuffultus adminiculo, recuperavit eccleſiam antiquo *Romanorum* opere factam, quam in honorem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſacravit, ibidemque ſedem epiſcopalem ſibi ſtatuit & cunctis ſucceſſoribus ſuis: habitationemque & ordinem in poſterum obſervandum ibidem inſtituit monachorum. Miſit eciam continuo nuncios ad dominum papam *Gregorium*, qui Chriſtum in *Anglia* ſuſceptum nunciarent, plures verbi Dei miniſtros peterent, & alia quæ ad uſum eccleſiæ erant neceſſaria, & de novæ eccleſiæ *Anglicanæ* inſtitutione novas facerent quæſtiones. Gaudebat admodum Papa *Gregorius* de converſione *Anglorum*, & de miraculis quæ deus per *Auguſtinum* faciebat. Plures igitur verbi prædicatores monachos, vaſa & veſtimenta ad uſum eccleſiæ neceſſaria, ſed & multorum reliquias Sanctorum & codices multos mittens, inter alia ſic ſcripſit *Auguſtino*.

Ethelbertus rex.

Q*Via nova* Anglorum *eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam te laborante perducta eſt, uſum tibi pallii in ea ad ſola miſſarum ſolennia agenda concedimus, ita ut per loca ſingula xij. epiſcopos ordines, qui tuæ ſubjaceant ditioni, quatinus* Lundonienſis *civitatis epiſcopus ſemper in poſterum à Synodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & apoſtolica ſede percipiat. Ad* Eboracum *vero civitatem te volumus epiſcopum mittere quem ipſe judicaveris ordinare; ita dumtaxat, ut ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque xii. epiſcopos ordinet, & metropolitani perfruatur honore, quem tamen tua fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita epiſcopis quos ordinaverit preſit, ut* Lundonienſis *epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter* Lundonienſis *&* Eboracenſis *civitatis epiſcopos impoſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Tua vero fraternitas non ſolum eos epiſcopos quos ordinaverit, neque tantummodo hos qui per* Eboracenſem *epiſcopum fuerint ordinati, ſed eciam omnes* Britanniæ *ſacerdotes habeas domino Deo noſtro* Jheſu Chriſto *auctore ſubjectos. In Galliarum autem epiſcopis nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium* Arelatenſis *epiſcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus.* Britanniarum *vero epiſcopos omnes tua fraternitati committimus.* Et alias ſcripſit eidem ſic. *Novit fraternitas tua* Romanæ *eccleſia conſuetudinem in qua ſe meminit eſſe nutritam. Sed mihi placet ut ſive in* Romana *ſive in* Galliarum *ſeu in qualibet eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in* Anglorum *eccleſia quæ adhuc ad fidem nova eſt inſtitutione præcipua quæ de multis eccleſiis colligere potuiſti infundas exempla. Singulis igitur eccleſiis quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hac quaſi in faſciculum collecta, apud* Anglorum *mentes in conſuetudinem depone.*

Miſit autem *Gregorius* pallium & plenitudinem poteſtatis archiepiſcopos & epiſcopos ſacrandi, & locis oportunis eccleſias fabricandi. Fundavit deinde rex *Ethelbertus* inſtinctu *Auguſtini* monaſterium extra civitatem ad orientem in honorem beatorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ut ibidem archiepiſcoporum & regum ſed & monachorum & populi civitatis corpora ſepulturæ traderentur honeſtæ. Dicebant enim *Romani*, civitatem non eſſe mortuorum ſed vivorum. Primus abbas ejuſdem loci fuit *Petrus*, ex inſtitutione Sancti *Auguſtini*. Fundavit eciam *Ethelbertus* rex eccleſiam *Roffenſem* in honorem Sancti *Andreæ* apoſtoli, & eccleſiam *Lundonienſem* in honorem Sancti *Pauli* apoſtoli. Sacravit autem *Auguſtinus Cantuarienſis* archiepiſcopus anno incarnationis domini DCiiij. *Juſtum* Monachum ad regendam eccleſiam *Roffenſem*; *Mellitum* vero ad regendam eccleſiam *Lundonienſem*. Rex autem Epiſcopis utriuſque eccleſiæ dona multa, ſicut & *Cantuariæ* optulit. Sed & territoria ac poſſeſſiones in uſum eorum qui erant cum epiſcopis adjecit. Invenit *Auguſtinus* tunc temporis in *Gallia* degentes de *Britonibus* epiſcopos, abbates, vel doctores contra morem eccleſiæ rectum viventes. Quos cum regis adjutorio ſemel & ſecundo convocans *Auguſtinus* commonuit ad recte vivendum; Sed fruſtra, ita ut nec mediante miraculo in cæcum facto potuit convertere, eo quod *Auguſtinus* eis non aſſurgeret cum ad præfatum concilium venirent. Unde poſt obitum *Auguſtini*, ſicut eis prædixerat, à rege *Ethelfrido* fortiſſimo & gloriæ cupidiſſimo, qui plus omnibus *Anglorum* primatibus gentem vaſtabat *Britonum*, ad nichilum redacti ſunt, cum tribus milibus monachorum monaſterii de Bangor, qui in campum bellatorum adducti ſunt ut regi adverſa imprecarent: hii omnes, ut fertur, de labore manuum ſuarum vivebant. Beatus autem *Auguſtinus* verbum Dei prædicans, & ubique pedibus non in equis faleratis incedens, concurrentibus populis baptizavit una die promiſcui ſexus decem milia in flumine quod ab incolis Swalewe vocatur, prope *Eboracum*. Proceſſu vero temporis *Laurentium* ſibi ſacravit ſucceſſorem, ne rudis *Anglorum* eccleſia paſtore deſtituta, inciperet vacillare. Obiit interea beatus papa *Gregorius* & ſepultus eſt anno dominicæ incarnationis DCv. eique ſucceſſit in papatum *Savinianus*. *Auguſtinus* eciam *Anglorum* apoſtolus poſt xvi. pontificatus annos deceſſit, & *Laurencius* pro eo *Anglicanam* rexit eccleſiam per *Ethelbertum* regem. Verumptamen priuſquam de *Laurencio* aliqua perſolvam, in his quæ prædicta ſunt tria mihi videntur eſſe notanda, videlicet qua de cauſa beatus *Gregorius* voluerit ut archiepiſcopus *Arelatenſis Auguſtinum Anglorum* ſacraret Epiſcopum, cum tot inpræſentiarum ſint archiepiſcopi *Anglia* viciniores. Forte tunc temporis tot epiſcopi non fuerunt, vel creſcente paulatim eccleſia crevit & gloria, ut epiſcopos in archiepiſcopos temporis intervallo *Romana* commutaret eccleſia. Cur autem in *Anglia* tres archiepiſcopos inſtituerit, ſcilicet *Cantuarienſem*, *Lundonienſem*, & *Eboracenſem*, ut ſinguli ſuos numero xij. haberent ſuffraganeos; res in propatulo eſt. Aut enim error erat ſcriptoris velociter ſcribentis ut nomina tranſponeret civitatum; aut exiſtimaret *Gregorius*, licet Sancti ſpiritus eſſet ſacrarium, ut civitates in *Anglia* nobiliſſimæ abinvicem æquali diſtarent proportione; & *Cantuarienſis* eſſet in capite, *Eboracenſis* in fine, *Lundonia* vero in meditullio terræ. Statum itaque ſciens *Auguſtini*, ſitum vero terræ neſciens, de tribus archiepiſcopis inſtituendis ſcripſit ut ſupradictum eſt. Attamen omnia ipſius *Auguſtini* ſubpoſuit diſpoſitioni. Cum *Cantuarienſis* archiepiſcopus xij. haberet ſuffraganeos, ubinam *Lundonienſis* ſuos xij. reperire poterit? certe nuſquam competenter. Iccirco diſpoſitioni divinæ cunta ſubpoſita ſunt qui diſponit omnia ſuaviter. Sicut dicitur, homo proponit ſed Deus diſponit. Præterea notandum eſt qua ratione nitantur qui dicunt & ſcribunt beatum *Gregorium* pallia miſiſſe tribus archiepiſcopis *Cantuarienſibus*, ſcilicet *Auguſtino* qui ſedit annis xvi. & *Laurentio* qui poſt *Auguſtinum* ſedit annis v. *Mellito* quoque qui ſimiliter ſedit annis v. qui conjuncti faciunt annos xxvi. cum ipſe *Gregorius* non ſederit niſi annis xiij. & menſibus vi. & diebus x. quæ cum ſimul omnia ſtare non poſſunt, unam & ſolam perpendo rationem, quam eciam in ſcriptis vidi, licet non autenticis, & à ſenioribus audivi. Videlicet quod Papa *Gregorius* tria pallia miſerit *Auguſtino* auctoritate *Romanæ* eccleſiæ pro loco & tempore *Cantuarienſi*, *Lundonienſi*, & *Eboracenſi* eccleſiæ tradenda, ſi quidem prædictæ civitates cum finitimis locis verbum Dei reciperent; quod quia compleri non poterit, & interim Sanctus *Gregorius* migravit ad dominum, primum pallium habuit *Auguſtinus*, eique poſt obitum conſepultum eſt. Secundum, *Laurencius Auguſtini* ſucceſſor primus. Tertium vero *Mellitus* qui *Laurencio* ſucceſſit. *Iuſto* enim qui quartus erat in ordine, *Bonefacium* papam legimus pallium miſiſſe anno xxx. poſtquam *Auguſtinus* in *Angliam* miſſus eſt. Hæc igitur de *Auguſtino Anglorum* apoſtolo compendioſe dicta ſufficiant. Si quis autem ampliora ipſius facta ſcire deſiderat, *Bedam* legat, & neſcio quem *Gocelinum*. Beatus *Auguſtinus* in eccleſia *Cantuariæ* ſedit annis xvi. & obiit & ſepultus eſt in eccleſia beati *Petri*, cui ſucceſſit *Laurencius* quem ipſe vivens ordinaverat.

De Sancto Laurencio *archiepiſcopo.*

LAurencius archiepiſcopi gradu potitus, ſtrenuiſſime fundamenta eccleſiæ quæ nobiliter jacta vidit augmentare, & ad profectum debiti culminis & crebra voce ſanctæ exortationis, & continuis piæ operationis exemplis provehere curavit. Denique non ſolum novæ quæ de *Anglis* erat collecta eccleſiæ curam gerebat, ſed veterum *Britanniæ* incolarum necnon & *Scottorum* qui *Hiberniam* inſulam *Britanniæ* proximam incolunt populis paſtoralem impendere ſollicitudinem curabat. Obiit interea *Ethelbertus* rex anno regni ſui lvi. baptiſmatis autem anno xxi. Cui cum magno eccleſiæ novæ detrimento filius ejus *Eadbaldus* ſucceſſit in regnum: patris enim ſed & Chriſti contempnens veſtigia, noluit baptizari. Mortuo eciam orientalium *Saxonum* rege *Seberto* Chriſtianiſſimo qui ad preces *Melliti Lundonienſis* epiſcopi & baptiſmum ſuſcepit, & monaſterium Sancti *Petri Weſtmonaſterii* fundavit & dotavit, tres filii ejus idolatriam repetentes, fidem Chriſtianam contempſerunt, & *Mellitum* epiſcopum à *Lundonia* fugaverunt. Qui cum *Juſto Roffenſi* epiſcopo ſimili clade cruciato *Cantuariam* venit; communicatoque conſilio cum *Laurencio Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Romam* ituri mare tranſierunt. Cum autem poſt eos abiturus eſſet *Laurencius* & in monaſterio beati *Petri* extra *Cantuariam* paululum reclinaſſet, apparuit ei *Petrus* apoſtolus, eumque durius increpans diriſſimis affecit flagellis, eo quod gregem Domini tam tenellum in medio luporum relinquere cogitaſſet. Hiis igitur anguſtiis animatus *Laurencius*, mane facto venit ad regem, & inter loquendum rejecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus oſtendit. Stupefactus rex extimuit multum, & confeſtim idolatriæ renuncians, credidit in Chriſtum & baptizatus eſt, ſtatimque juſſit revocari *Mellitum* & *Juſtum* in *Angliam*. *Iuſtus* itaque à *Roffenſibus* honorifice ſuſceptus eſt. Sed *Mellitus* à *Lundonienſibus* repulſus rediit *Cantuariam*. Non enim potuit eum rex *Eadbaldus* in priſtinum reſtituere gradum. *Laurencius* archiepiſcopus *Anglicanam* rexit eccleſiam annis v. & ſic cum Domino quievit in pace iiij. non. Februarii &, in eccleſia apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſepultus eſt, cui ſucceſſit in pontificatum

Rex Eadbaldus.

De Sancto Mellito.

MEllitus quondam *Lundonienſis* epiſcopus. *Iuſtus* autem adhuc ſuperſtes *Roffenſem* regebat eccleſiam. Hii cum magna cura & labore, novam *Anglorum* eccleſiam gubernabant. Erat autem *Mellitus* corporis quidem infirmitate, id eſt podagra gravatus, ſet mentis greſſibus ſanus, alacriter terrena quæque tranſiliens, atque cœleſtia ſemper amanda pervolans. Et hic poſtquam annis 5. *Cantuarienſem* rexit eccleſiam, *Eadbaldo* regnante migravit ad cœlos viij. kal. Maii & ſepultus eſt cum prædeceſſoribus ſuis, cui ſtatim ſucceſſit in pontificatum

De Sancto Juſto.

JUſtus, qui erat *Roffenſis* epiſcopus, miſitque ei pallium papa *Bonefacius* in ſacroſanctis myſteriis utendum; concedens eidem & confirmans ordinationes epiſcoporum exigente oportunitate celebrare. Hic *Iuſtus Cantuarienſis* archiepiſcopus ſacravit pro ſe *Romanum* ad regimen *Roffenſis* eccleſiæ; Et proceſſu temporis cum potentiſſimus *Northanhimborum* rex *Edwinus* licet adhuc paganus filiam regis *Ethelberti*, ſororem vero regis *Eadbaldi*, miſſis pro ea nunciis peteret in uxorem; virum venerabilem ſacravit *Paulinum*, eumque cum *Ethelburga* regis *Ethelberti* filia *Edwino* regi maritanda miſit *Eboracum*, ut ipſum regem ab idolatria ad Chriſtum converteret, & reginæ fidem integram ad Chriſtum conſervaret. Sacratus eſt itaque *Paulinus* à *Iuſto* apud *Cantuariam* anno dominicæ incarnationis DCxxv. & *Eboracum* cum virgine veniens regi *Edwino* eam deſponſavit. Quæ concepit & peperit filiam quam primam de tota *Northumbria* baptizavit *Paulinus*, & vocavit *Eanfledam*. Anno vero ſecundo poſt adventum *Paulini* rex *Edwinus* de rege *Weſtſaxonum* glorioſa potitus victoria *Quichelmo*, ſicut legitur plenius in hiſtoria *Anglorum*, inſiſtente *Paulino*, baptizatus eſt in domo lignea quam ob hanc erexerat cauſam, anno regni ſui xi. qui eſt annus incarnationis DCxxvij, Adventus vero *Anglorum* in *Britanniam* annus Clxxx. In quo poſtmodum loco, de cemento & lapide per quadrum ædificata baſilica, doctori ſuo *Paulino* ſedem epiſcopatus donavit. *Iuſtus* autem poſtquam *Cantuarienſem* rexit eccleſiam annis tribus iiij. idus Novembris obiit & ſepultus eſt, eique ſucceſſit

De Sancto Honorio.

HOnorius, quem ſacravit *Paulinus*. Verum cum rex *Edwinus* totam *Angliam* ſuo ſubjugaſſet imperio, *Honorius* papa duobus archiepiſcopis miſit pallia, *Honorio* ſcilicet *Cantuarienſi* & *Paulino Eboracenſi*, inter alia ſic ſcribens regi. *Duo pallia utrorumque Metropolitanorum id eſt* Honorio *&* Paulino *direximus, ut dum quis eorum de hoc ſeculo ad auctorem ſuum fuerit accerſitus, in locum ipſius alterum epiſcopum ex hac noſtra auctoritate debeat ſubrogare.* Hæc eadem idem papa literis ſuis patentibus *Honorio* inſinuavit *Cantuarienſi* archiepiſcopo. Unde mirandum eſt qua ratione, vel qua fronte *Eboracenſes* de primatu jactitare præſumant, cum certum ſit ſecundum *Bedam* qui in partibus illis natus hiſtoriam ſcripſit *Anglorum*, regem *Edwinum* ſedem epiſcopatus dediſſe *Paulino Eboracenſi* epiſcopo primo, anno xxx. vel eo amplius poſtquam *Auguſtinus* in *Angliam* miſſus eſt. Notandum eſt eciam qua fronte *Gaufridus Britonum* hiſtoriographus dixerit in *Britannia* tres archiepiſcopos fuiſſe, videlicet *Lundonienſem*, *Eboracenſem*, & *Bangornenſem*, ipſoſque xxviij. ſuffraganeos habuiſſe epiſcopos, cum certum ſit regem *Ethelbertum Lundonienſem* fundaſſe eccleſiam *Mellito Lundonienſi* epiſcopo primo, & *Edwinum* regem *Eboracenſem* eccleſiam inchoaſſe *Paulino* eciam ex aſſeribus & lignis cum nec domum haberet lapideam in qua digne ſuſciperet baptiſmum. Sed hiis pauliſper omiſſis, ad noſtrum propoſitum redeamus. *Honorius* igitur *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Felicem* quendam Epiſcopum de *Burgundia* natum & ordinatum quem de *Cancia* acceperat, miſit ad prædicandum in provinciam orientalium *Anglorum*. Hic credente provinciæ populo & baptizato, ſedem accepit in villa **Domnoc** donante rege, & ibidem poſt xvij. pontificatus annos quievit in pace. Perempto autem rege *Edwino* anno regni ſui xvij. baptiſmatis vero vi. perturbatiſque rebus in *Northumbria*, *Paulinus* archiepiſcopus aſſumpta ſecum regina *Ethelburga*, navigio venit in *Canciam*, & à rege *Eadbaldo* & *Honorio* archiepiſcopo honorifice ſuſceptus eſt. Submerſo autem *Romano Roffenſi* epiſcopo in fluctibus *Italici* maris, quem *Honorius* archiepiſcopus ad papam direxerat *Honorium*, dedit idem *Honorius Cantuarienſis* archiepiſcopus ex aſſenſu regis *Eadbaldi* prædicto *Paulino* epiſcopatum *Roffenſis* eccleſiæ. Qui poſt xviij. annos vi. idus Octobris ibidem quievit in pace. In cujus locum *Honorius* archiepiſcopus *Ithamar* ordinavit de gente *Cantuariorum*. Reliquerat autem *Paulinus* in eccleſia *Eboracenſi Iacobum* diaconum virum utique eccleſiaſticum & bonum, quem *Honorius* archiepiſcopus proceſſu temporis poſt fata *Felicis* epiſcopi orientalibus *Anglis* ordinavit epiſcopum. Qui quoniam cantandi erat peritiſſimus, ſcolas inſtituit cantationis juxta morem *Romanorum* ſive *Cantuariorum*. Quo quidem poſt annos quinque defuncto, *Honorius* ſubſtituit & ſacravit *Bonefacium* quendam de *Cancia* natum. Obiit autem Sanctus *Honorius Cantuarienſis* archiepiſcopus ij. idus Octobris pontificatus ſui anno xix. Poſt ipſius obitum vacavit eccleſia *Cantuarienſis* anno i. & menſibus vi. His temporibus venit ex *Scottis* rogatu regis *Oſwaldi* qui in regnum ſucceſſit *Edwino* pontifex *Aidanus*, & accepit ſedem epiſcopalem in inſula *Lindisfarnenſi*. Exin cœpere plures de *Scottorum*, id eſt *Hibernienſium* regione venire *Britanniam*, & *Anglorum* provinciis quibus præfuit rex *Oſwaldus* verbum fidei prædicare, & baptiſmi gratiam miniſtrare, quicunque ſacerdotali erant gradu præditi. Conſtruebantur ergo eccleſiæ per loca munere regio, donabantur poſſeſſiones ad inſtruenda monaſteria. Nam monachi erant maxime qui ad prædicandum venerant. Monachus & ipſe *Aidanus*. Venit & de *Hibernia* in *Angliam* presbyter & abbas *Columbanus* verbum Dei ſeptentrionalibus *Pictis* prædicaturus. Nam & auſtrales *Picti* antea prædicante *Ninia* epiſcopo baptizati ſunt. Eo tempore gens occidentalium *Saxonum* regnante *Kinegliſo* fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante verbum Dei *Birino* epiſcopo, quem *Honorius* papa prædicandi gratia miſit in *Angliam*, accepitque locum ſedis epiſcopalis in *Dorca*. Venit eciam tunc temporis de *Hibernia* pontifex quidam nomine *Agilbertus*, natione quidem *Gallus*, ſed tunc legendarum gratia ſcripturarum in *Hibernia* non modico tempore demoratus. Dominante rege *Kinewalchio* apud *Weſtſaxones* ſedem accepit Epiſcopatus. Sed proceſſu temporis barbarie linguæ pertæſus rex ſubintroduxit in provinciam alium epiſcopum nomine *Wine* & ipſum in *Gallia* ordinatum. Dividenſque in duas parochias provinciam, epiſcopo *Wine* in *Wintonia* ſedem tribuit epiſcopatus. Unde offenſus *Agilbertus* rediit in *Galliam*, & *Pariſius* ſedem epiſcopatus ſortitus eſt. *Wine* vero poſt aliquot annos ab ipſo rege à *Wintonia* pulſus, *Lundonia* epiſcopatum à rege *Merciorum Wlfere* nomine, precio obtinuit. Eodem tempore de *Hibernia* venit in provinciam orientalium *Anglorum* vir ſanctus nomine *Furſeus* (cujus admiranda facta leguntur) ad regem orientalium *Anglorum Sigebertum*, qui Sancto *Furſeo* dedit locum ad conſtruendum monaſterium, in quo & ipſe poſtmodum relicto regno monachus factus eſt.

Rex Ercombertus.

De Sancto Deuſdedit.

Deuſdedit electus eſt poſt *Honorium* ad archiepiſcopatum *Cantuarienſis* eccleſiæ de gente *Weſtſaxonum* oriundus, quem ordinaturus venit *Cantuariam Ithamar Roffenſis* epiſcopus. Sed & ipſe poſtmodum defuncto *Ithamar*, ſuſceptoque pallio à papa *Honorio*, ſacravit & inſtituit pro eo præfatæ *Roffenſi* eccleſiæ *Damianum* de genere *Weſtſaxonum*. *Deuſdedit Cantuarienſis* archiepiſcopus poſt decem pontificatus ſui annos ij. idus Julii quievit in pace, & cum prædeceſſoribus ſuis in eccleſia beati *Petri* ſepultus eſt. Vacavit autem *Cantuarienſis* eccleſia diverſis ex cauſis annis tribus. Interea *Aidano Lindisfarnenſi* epiſcopo de hac vita ſublato, *Finanus* à *Scottis* ordinatus eſt, & poſt eum *Colemannus*. Dederat autem *Alfridus* rex cuidam *Wilfrido* viro doctiſſimo locum amplum ad conſtruendum monaſterium, videlicet in **Ripun**, ubi & ipſe poſtmodum abbas & presbyter factus eſt. Congregata vero Synodo de conſenſu regis *Oſwii* in monaſterio *Hilda* abbatiſſæ, de die paſchæ celebrando ordine legitimo, & de tonſura regulari, altercatio non modica facta eſt. In qua Synodo *Wilfridus Colemannum* devicit epiſcopum & ſibi conſentientes. *Cedda* vero *Lundonienſis* epiſcopus, una cum rege *Oſwio* erat quaſi judex Concilii, quem vacante *Cantuarienſi* eccleſia ſacraverat *Finanus* epiſcopus *Lindisfarnenſis*. *Wilfridus* eciam proceſſu temporis ad preces regis *Alfridi* in *Gallia* in epiſcopum ordinatus eſt, ab *Agilberto Pariſiacenſi* epiſcopo apud *Compendium*. Frater vero prædicti *Ceadda* Epiſcopi *Lundonienſis*, *Cedda* nomine abbas erat monaſterii de **Laſtingei** & ad eccleſiam *Eboracenſem* regendam electus cum *Cantuariam* ſacrandus veniret *Deuſdedit* archiepiſcopus defunctus eſt, & ipſe *Cedda* ſacratus eſt à *Wine* occidentalium *Saxonum* epiſcopo: Non enim erat tunc temporis ullus excepto prædicto *Wine* in tota *Britannia* canonice ordinatus epiſcopus. Hic ergo *Cedda* non equitando ſed pedibus ambulando verbum Dei inſtantiſſime prædicabat. Interea venit in *Angliam Wilfridus* jam ſacratus epiſcopus, & hic ſimiliter verbum Dei prædicabat. Tota namque fuit tunc ſollicitudo doctoribus illis Deo ſervire non ſeculo. Tota cura cordis excolendi, non ventris. Unde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus. Ita ut ubicumque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Etiam ſi in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexa cervice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant, verbis quoque horum exortatoriis diligenter auditum præbebant. Et ſi quis ſacerdotum in vicum forte deveniret, mox congregati in unum vicani verbum vitæ ab illo expetere curabant. Nam nulla cauſa fuit ſacerdotibus vicos

RexEgebertus.

adeundi, niſi ut prædicarent, vel baptizarent, vel animas curarent. Qui eciam in tantum erant ab omni avaritiæ peſte caſtigati, ut nemo territoria, vel poſſeſſiones ad conſtruenda monaſteria à poteſtatibus ſeculi niſi coactus acciperet. Hiis temporibus nutu divino compuncti ſunt corde rex *Cancia Egebertus* & rex *Northanimbrorum Oſwius*, quod per annos tres paſtore debito *Anglicana* careret eccleſia, dum mater omnium videlicet eccleſia *Cantuarienſis* archiepiſcopum non haberet; *Scottorum* igitur non approbantes doctrinam cum electione & conſenſu *Anglicanæ* eccleſiæ aſſumpſerunt presbyterum nomine *Wihardum* de clero, id eſt de conventu *Deuſdedit* archiepiſcopi, eumque *Romam* miſerunt à *Vitaliano* papa conſecrandum. Qui cum *Romam* veniſſet priuſquam ſacratus eſſet morte præreptus eſt. Cum autem *Vitalianus* papa abbatem poſtularet *Adrianum*, eo quod ſacris eſſet literis eruditus & religioſus ut in *Angliam* pergeret, & ipſe tanto honore ſe reputaret indignum, ad ſuggeſtionem ipſius & præſentationem notum ſibi virum bonum, literis & moribus eccleſiaſticis imbutum, de *Tarſo Cilicia* natum monachum ſacravit nomine *Theodorum*, hac tamen interpoſita conditione, ut *Adrianus Theodorum* archiepiſcopum in *Angliam* comitaretur. *Benedictus* eciam cognomento *Biſſop* natione *Anglus* vir prudens cum eo miſſus eſt, ne *Anglicanas* inſtitutiones *Græca* commutaret novitate. Anno ſequenti, videlicet anno ab incarnatione domini, DC. lxix.

De Sancto Theodoro.

T*Heodorus* venit in *Angliam* cum pallio & plenitudine poteſtatis, & *Adriano* retento ab *Ebroino Gallicanæ* eccleſiæ tyranno, *Theodorus* in *Cantuaria* honorifice ſuſceptus eſt & intronizatus. Dedit monaſterium beati *Petri* eidem *Benedicto* jure abbatis regendum. Quo iterum & ſecundo *Romam* reverſo, *Adrianum* ab *Ebroino* dimiſſum in prædicto monaſterio abbatem inſtituit. *Benedictus* vero à *Roma* rediens, abiit in regionem & ſolum nativitatis ſuæ; & optinuit à rege *Egfrido* terram lxx. familiarum ad conſtruendum monaſterium ad hoſtium *Wiri* fluminis, quod proceſſu temporis *Romam* rediens liberum reddidit & abſolutum ab omni epiſcopali ſubjectione. *Theodorus* autem mox peragrata *Anglia* libentiſſime ab omnibus ſuſcipiebatur & audiebatur. Rectum enim vivendi ordinem & paſcha celebrandi *Adriano* cooperante diſſeminabat. Iſque primus in archiepiſcopis erat cui omnis *Anglorum* eccleſia manus dare conſentiret, & quia literis ſacris ſimul & ſecularibus abundanter ambo erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterva ſcientiæ ſalutaris cotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut metricæ artis & aſtronomiæ & arſmeticæ diſciplinam inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Neque umquam prorſus ex quo *Britanniam* expugnaverunt *Angli* feliciora fuere tempora, dum & fortiſſimos Chriſtianiſſimos haberent reges, barbaris nationibus formidabiles. Quicumque lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberent in promtu magiſtros qui docerent. Sed & ſonos cantandi in eccleſia quos hactenus in *Cancia* tantum noverant, ab hoc tempore per omnes *Anglorum* eccleſias diſcere cœperunt. *Theodorus* itaque perluſtrans univerſa, locis oportunis epiſcopos ordinavit, & ea quæ minus perfecta repperit, hiis quoque juvantibus corrigebat, & ordinationem Sancti *Ceddæ Merciorum* & *Lindiſfarorum* epiſcopi minus debite canonice factam, denuo catholica ratione conſummavit. In civitate eciam *Roffenſi*, ubi defuncto *Damiano* epiſcopatus jam diu ceſſaverat, *Puttam* virum eccleſiaſtica diſciplina inſtitutum ordinavit, & non multo poſt mortuo epiſcopo *Jarumanno* ac rege *Wlfere* petente & rege *Oſwio* concedente, juſſit *Ceddam Merciorum* ſimul & *Lindiſfarorum* pontificatum ſuſcipere: & quia moris erat eidem viro opus evangelii magis ambulando per loca quam equitando perficere, juſſit eum *Theodorus* ubicunque longius iter inſtaret, equitare, multumque renitentem manu ſua in equum levavit. Ille juſſus obtemperans magnæ vitæ perfectione ſuſceptum miniſterium adminiſtrare curavit. Sedemque habuit epiſcopatus apud **Licheſfelde**. *Wilfridus* autem adminiſtrabat epiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ nec non & omnium *Northanhimbrorum* ſed & *Pictorum*, quouſque rex *Oſwius* Imperium protendere poterat. Ordinavit eciam *Theodorus Leutherium* occidentalium *Saxonum* epiſcopum in *Wenta* civitate. Defuncto vero *Cedda* epiſcopo, & apud **Licheſfeld** ſepulto, ſacravit *Theodorus* virum bonum *Wilfridum* diaconum ipſius, qui præfuit provinciæ *Merciorum* & *Mediterraneorum Anglorum* & *Lindiſfarorum*. *Bonefacio* eciam orientalium *Anglorum* epiſcopo defuncto, *Theodorus* ſubſtituit & ordinavit *Biſi*. Quo adhuc ſuperſtite, ſed graviſſima infirmitate ab adminiſtrando epiſcopatu prohibito, duo ſunt pro illo electi & conſecrati epiſcopi, *Eata* videlicet & *Baldewin*. Quorum primus apud **Domoc**; ſequens vero apud *Helmeam* ſedem habuerunt. In civitate quoque *Lundonia* poſt alium *Ceddam Erconwaldum* conſtituit epiſcopum. Idem archiepiſcopus *Theodorus* offenſus ob meritum cujuſdam inobedientiæ depoſuit ab epiſcopatu *Wilfridum Merciorum* epiſcopum, & in locum ipſius elegit & ſacravit *Sexulfum*. Cum autem rex *Ethelredus Canciam* vaſtaret, & *Roffam* incenderet, *Putta* civitatis ejuſdem epiſcopus aufugit, & poſt modicum vitam finivit, pro quo ſacravit *Theodorus Cuikelmum*. Sed & illo poſtmodum ab epiſcopatu decedente, *Gebmundum* pro eo ſubſtituit. Sacravit eciam *Heddam* epiſcopum *Wintonienſem* in civitate *Lundonia*. Mortuo *Leutherio* ordinavit eciam *Eboraci Boſam* qui *Deirorum* & *Eatam* qui *Berniciorum* provinciam gubernarent, in locum *Wilfridi* quem expulit rex *Egfridus* à regno, ſicut legitur in vita ipſius. Huic archiepiſcopo *Theodoro* reſignavit prædictus *Wilfridus* cartam & villam de **Pageham** cum omnibus apendiciis, ſuis quam ei dederat rex *Weſtſaxonum Cedwale* nomine; cætera diffuſius in vita ipſius leguntur. Per hunc eciam *Theodorum Merciorum* provincia in quinque parochias diviſa eſt. *Boſel* ab eo ordinatus eſt ad *Wictiam* habens ſedem epiſcopatus in civitate *Wigornia*. *Cuthwinus* ad *Licheſfeldenſem*. *Saxulfus* ad mediterraneam *Angliam*, cujus ſedes eſt in civitate *Loegria*. *Ethelwinus* ad *Suthangliam* habens ſedem in *Sedena*. *Etla*, habens ſedem in **Dorkeceſtre**. Ordinavit eciam poſt abceſſum *Wilfridi Tumbertum*, ad eccleſiam *Auguſtaldenſem*, & *Trumwine*, ad terram *Pictorum*; remanente *Eata* ad *Lindiſfarnenſem*. *Theodorus* archiepiſcopus licet epiſcopos pro diverſis eccleſiæ negotiis ſæpius congregaret, tria tamen Concilia legitur in *Anglia* celebraſſe. Primum anno ſecundo poſtquam venit in *Angliam*, apud **Heortford**, ubi quinque tantum convenerunt epiſcopi. *Biſi* videlicet orientalium *Anglorum*, *Putta Roffenſis* epiſcopus, *Leutherius* occidentalium *Saxonum*, *Winfridus* provinciæ *Merciorum*, *Wilfridus Eboracenſis* per ſuos affuit legatarios. In hujus Concilii capitulo tercio ſancitum eſt, ut quæque monaſteria Deo ſacrata nullus epiſcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abſtrahere. Aſſeritur enim quod in pleriſque locis & maxime in eccleſia *Cantuarienſi* inſtituerit, ut ad majorem epiſcoporum excellentiam, & ad monachorum quibus præeſſe debeant tranquillitatem, eccleſiæ datas partirentur poſſeſſiones, ut pars utraque ſingulas ſibi aſſignatas ſortirentur & regerent portiones, eorum ſcilicet quæ nominatim archiepiſcopis vel ſpecialiter conventui, vel utriſque communiter collata fuerunt, cum libertatibus à regibus *Anglorum* conceſſis eccleſiæ & confirmatis & libera rerum diſpoſitione in partibus ſingulis, unde ſcripta autentica habentur in eccleſia *Cantuarienſi*; ſed hæc alias latius digeſta ſunt. In præfato quoque ſtatutum eſt Concilio, ut ſemel in anno apud **Cloveſho** epiſcopi convenirent. Secundum celebravit *Theodorus* Concilium apud **Hethfeld**, convocatis epiſcopis & doctoribus *Anglia* quos presbyteros appellabant licet monachi fuiſſent, inquirens ab omnibus & ſingulis de mandato *Agathonis* papæ de fide, ubi confirmatæ electiones epiſcoporum. Tercium celebravit *Theodorus* Concilium apud **Twiford** in præſentia regis *Egfridi*, ubi aſſenſu omnium electus eſt ſanctus *Cuthbertus* ad regimen *Auguſtaldenſis* eccleſiæ, verum quia plus dilexit præfici eccleſiæ *Lindisfarnenſi*, placuit omnibus ut auctoritate *Theodori Cantuarienſis* archiepiſcopi, *Eata* reverſo ad *Auguſtaldenſem* eccleſiam, *Cuthberthus* ſuſciperet *Lindisfarnenſem*, nec tamen ſtatim ordinatio decreta facta eſt, ſed peracta hyeme quæ iminebat in ipſa ſolennitate paſchali completa eſt *Eboraci* ſub præſentia regis *Egfridi*, convenientibus ad conſecrationem ejus epiſcopis vij. in quibus beatæ memoriæ *Theodorus Cantuarienſis* archiepiſcopus primatum tenebat. Siquidem à temporibus antiquis in partibus illis & epiſcopus cum clero & abbas ſolebat manere cum monachis, ſicut beatus *Auguſtinus* in Eccleſia *Cantuarienſi* dicitur ſtatuiſſe. Erat enim tunc temporis in *Anglia* ſtatutum, & quaſi decretali vel ſynodali ſententia diffinitum, ut epiſcopi & abbates ab ipſa eligerentur congregatione, cui præeſſe debuerunt, ſi tamen ibidem idoneus reperiretur: ſin autem, ex alio noto monaſterio unanimi fratrum conſenſu quibus præeſſe debuit eligeretur. Qui cum eſſet ordinatus epiſcopus, in omnibus eundem morem regularem cum monachis ſuis diligenti cura ſine intermiſſione cuſtodiret, nec epiſcopatus occaſione regulæ præcepta temere intermitteret, ſed cum grege ſibi commiſſo ſancto excelleret opere. Hoc etiam ſub rege *Eadgaro* ſynodali conſenſu firmatum eſt. Sed nunc in hoc fine vel fæce temporis poſt adventum ſcilicet *Normannorum* in *Angliam* inolevit vicium, ut clerici ſeculares monachis præferantur. Quam miranda ſtupendaque rerum mutatio, ut clericus in omni vita ſua rebus ſecularibus deditus, monachos regere debeat regulares & judicare, qui ſeipſos regere neſciunt, bonis præficiuntur ut vel ſic corrigantur vel ut penitus corruant. Sed hæc videat Deus & judicet, cum noſtrum non ſit Dei providentiam judicare. Sancti autem *Theodori* temporibus qui monachus erat, ſancta *Cantuarienſis* ſed tota *Anglicana* eccleſia tantum profectus ſpiritualis ſumpſit augmentum, quantum nunquam antea potuerunt. Hic nonnullas fundavit & ſacravit eccleſias, regemque *Northambimbrorum Egfridum*, & *Merciorum Ethelredum* ſibi hoſtiliter adverſantes pacificavit. Qui à papa *Vitaliano* ſacratus & in *Angliam* miſſus, ſedit in eccleſia *Cantuarienſi* annis xxij. ſenexque & plenus dierum id eſt annorum lxxxviij. defunctus eſt; ſepultus quieſcit in monaſterio apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Poſt cujus obitum vacavit eccleſia *Cantuaria* anno j. *Cantuarienſes* archiepiſcopi hucuſque fuerunt *Romani*, ſed poſtmodum *Anglici*.

Wihtredus Rex.

De Brihtwaldo *archiepiſcopo*.

Brihtwaldus autem qui erat abbas in monaſterio de **Raculf**, quod eſt juxta fluvium quod dicitur **Geanlade**, poſt ſanctum *Theodorum* in archiepiſcopum electus eſt, vir ſcientia ſcripturarum imbutus. Sed & eccleſiaſticis ſimul ac monaſterialibus diſciplinis ſumme inſtructus, ſacratus eſt anno ſequenti à *Godwino Galliarum* metropolitano epiſcopo. Suſcepitque pallium à papa *Vitaliano*, qui inter multos quos ordinavit epiſcopos, *Gebmundo Roffenſi* defuncto *Tobiam* ſubſtituit & ſacravit, virum quidem bonum, *Latina* lingua, & *Græca*, *Saxonicaque* multipliciter inſtructum. *Acca* quoque presbyter hiis diebus *Auguſtaldenſis* eccleſiæ ſuſcepit præſulatum, & mortuo poſt annos *Tobia Roffenſi* epiſcopo, *Brihtwaldus* ſubſtituit *Aldulfum*. Sacravit etiam *Aldelmum* & *Danielem*, qui *Hedda* epiſcopo ſucceſſerunt. Cujus parochia diviſa eſt in duo. *Daniel* obtinuit *Wintoniam* & *Aldelmus* urbem *Maidulfi*, id eſt, *Scireburnam*. Ipſo etiam agente ſanctus *Wilfridus* ad epiſcopatum ſuum revocatus eſt. *Brihtwaldus* autem cum per annos xxxvij. & menſes vj. *Anglicanam* rexiſſet eccleſiam, longa ſed optima conſumptus ætate v. idus Januarii migravit ad Dominum, & ſepultus eſt. Qui licet multa ſtrenue feciſſet in *Anglorum* eccleſia, ad *Theodori* tamen gloriam non pervenit; pro quo

Rex *Eadbrihtus*.

De Tatwino *archiepiſcopo*.

Tatwinus presbyter monaſterii quod vocatur **Brindun** de provincia *Merciorum* electus eſt & conſecratus in *Cantuaria* à *Daniele Wentano*, & *Ingualdo Londonienſi*, & *Aldwino Licheſfeldenſi*, & *Aldulfo Roffenſi* die decima menſis Junii: vir religione & prudentia inſignis, ſacris quoque literis nobiliter inſtructus. Suſcepit pallium à papa *Gregorio* miſſum, tribus annis *Cantuarienſem* rexit eccleſiam, & tandem iij. kal. Auguſti de ſeculo migravit. Cui *Nothelmus Londonienſis* presbyter in archiepiſcopatus officium ſucceſſit, quia monachus erat, & à papa *Gregorio* pallium ſuſcepit, annis v. rexit eccleſiam *Cantuarienſem* & xvj. kal. Novembris obiit, ſepultuſque eſt cum prædeceſſoribus ſuis. Cui ſucceſſit venerandæ memoriæ

De Cuthberto *archiepiſcopo*.

Cuthbertus Herefordenſis epiſcopus, qui *Romam* profectus ſuſcepit pallium & plenitudinem poteſtatis à papa *Gregorio*, optinuit etiam ut archiepiſcopi omnes de cætero ſepulturæ traderentur in eccleſia *Cantuariæ*, et ut cimiterium faceret intra civitatem *Cantuariæ*. Solebant enim à primis temporibus uſque ad iſtius obitum reges *Canciæ*, archiepiſcopi quoque & monachi eccleſiæ *Chriſti*, ſed & populus civitatis in atrio eccleſiæ apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſepeliri. Dicebant enim *Romani* primi in *Angliam* miſſi, civitatem non eſſe mortuorum, ſed vivorum, ſed Deo volente & beato *Cuthberto* procurante, auctoritate *Gregorii* papæ & aſſenſu Regis *Eadbrithi* ſtatutum eſt, ut omnes archiepiſcopi *Cantuarienſes* in ſua *Cantuaria* ſepelirentur eccleſia, videlicet ut illam haberent in requie quam in vita rexerant cum honore. Poſt hæc *Cuthbertus* in archiepiſcopatu plurimos feliciter vivens annos, plurima ob robur eccleſiæ Concilia fecit celebrari. Statuitque inter alia Conciliorum capitula feſtum ſancti *Gregorii* papæ & ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli ſolenniter in *Anglia* celebrari. Conſtruxit eciam baſilicam prope Eccleſiam *Chriſti* quam in honorem ſancti *Johannis* Baptiſtæ conſecravit, ubi ipſe & omnes ſucceſſores ſui honorifice ſepelirentur. Appropinquante autem vitæ ſuæ termino, cum xvij. annis *Cantuarienſem* rexiſſet eccleſiam, præcepit ne aliqua divulgatio infirmitatis ejus vel mortis fieret, nec ſignum pro eo pulſaretur, donec corpus ipſius ſepulturæ traditum eſſet. Obiit igitur vij. kal. Novembris, & ut præceperat ſepultus eſt. Cum ergo pro eo ſigna pulſarentur, & notitia mortis ejus palam divulgaretur, abbas ſancti *Auguſtini Iambertus* nomine cum ſociis ſuis feſtinus acceſſit, corpus archiepiſcopi juxta ritum priſtinum ſecum laturus. Sed cum jam ſepultum reperiret, & conſuetudinem illam veterem apoſtolica ſimul & regia auctoritate mutatam eſſe cognoſceret, nimis turbatus ad propria remeavit.

De ſancto Bregwino.

Bregwinus ſucceſſit *Cuthberto*, & ſacratus eſt in die ſancti *Michaelis*, qui ſuſcepit pallium à *Paulo* papa & plenitudinem poteſtatis. Sedit annis tribus, vir magnæ religionis, qui de præfata mutatione ſepulturæ archipræſulum, prædeceſſoris ſui ſtatuta multum laudavit, & eadem devotione qua ipſe fecerat eandem cauſam apoſtolica et regia auctoritate, addita & ſua confirmari fecit, & hoc quoque viij. kal. Septembris ex hac vita ſublato, filii eccleſiæ *Chriſti* in memorata baſilica ſancti *Iohannis* Baptiſtæ ubi prædeceſſor ſuus beatus *Cuthbertus* locatus fuerat ſepelierunt.

De Iamberto *archiepiſcopo.*

Sancto *Bregwino* ſucceſſit *Iambertus* abbas eccleſiæ ſancti *Auguſtini*, & ſacratus eſt in archiepiſcopum in die purificationis ſanctæ *Mariæ*, ſuſcepitque pallium à beato papa *Paulo*, & eccleſiam *Cantuarienſem* per annos xxvij. cum multo labore et diſpendio rexit. Rex enim *Merciorum Offa* contractis inimicitiis cum *Cantuaritis*, *Iambertum* archiepiſcopum primatu ſpoliare conatus eſt, miſſis epiſtolis ad *Adrianum* papam ſategit, ut pallio *Licheſfeldenſem* epiſcopum contra morem antiquum efferret: & *Iambertus* in ſynodo litigioſa quæ apud **Chealchite** celebrata eſt non modicam ſuæ parochiæ perdidit portionem. Qui poſtquam ſedit in eccleſia *Cantuariæ* ut prædictum eſt annis xxvij. & finem ſuum inſtare conſpiceret, duorum prædeceſſorum ſuorum volens ſtatuta mutare, præcepit ut vivus ad ædem ſancti *Auguſtini* deferretur, ut ibidem mortuus ſepeliretur, quod etiam factum eſt, quia *Chriſtus* eccleſiæ ſuæ honorem everſum iri noluit, virum ſummæ ſanctitatis, & ſapientiæ ſubſtituit.

Rex *Kenewlfus.*

De Athelardo *archiepiſcopo.*

Athelardum quondam abbatem, tunc autem epiſcopum *Wintonienſem*, qui poſt *Iambertum* electus eſt. Cujus ordinatio celebrata eſt xij. kal. Auguſti, qui *Romam* profectus ſuſcepit pallium & honorem metropolitani ab *Adriano* papa. Hic, *Offa* defuncto, regnante rege *Kenulfo* et ipſius aſſenſu, autoritate quoque ſancti *Leonis* papæ, quem *Romani* in letania majori captum cæcaverunt, et linguam radicitus abſciderunt, *Cantuariæ* honorem archiepiſcopatus reſtituit, et antiquitatis morem reparavit in ſolidum. Fuit enim idem *Athelardus* vir per omnia poſt primos doctores ſummis pontificibus comparandus, quem ſanctus *Leo* papa in epiſtola ſua prædicto *Kenulfo* regi miſſa vocat ſanctiſſimum, digniſſimum, cariſſimum & peritiſſimum. Cui non ſolum *Cancia* ingentis beneficii eſt obnoxia, quod eam ad priſtinam dignitatem laboribus ſuis et expenſis ſuſcitavit, verumetiam tota *Anglia* quam degeneri ſedi ſubſterni paſſus non fuerit. Hic epiſcopos locis oportunis ſacravit & concilia celebravit, unum apud **Clovesho**, quod præſente Rege *Cenewlfo* celebravit, in quo annuente ipſo Rege recuperavit dignitates & poſſeſſiones, quas *Offa* rex *Merciorum* abſtulerat *Iamberto*. Beatus autem *Athelardus* archiepiſcopus cum ſediſſet annis xiij. in pace quievit, & ſepultus eſt in eccleſia ſancti *Johannis* Baptiſtæ. Cui ſucceſſit

Cuthredus Rex.

De Wlfredo.

Wlfredus vir ſagaciſſimus, & à ſancto papa *Leone* ſacratus pallium ſuſcepit, & metropolitanæ plenitudinem poteſtatis. Indeque reverſus, multa ſtrenue agebat, & multas à regibus *Canciæ* eccleſiæ perquiſivit poſſeſſiones. Commutavit etiam quaſdam terras quas ipſe in portione ſua habuerat, ex aſſenſu conventus, pro **Burne** ſcilicet & aliis terris quas ipſe conventus habebat in portione ſua cum libertatibus & libera diſpoſitione quas prædictæ terræ prius habuerant, unde ſatis probabile eſt quod conventus *Cantuarienſis* etiam tunc liberam habuit poteſtatem diſponendi res ſuas. Conſideravit enim idem *Wlfredus* in omnibus operibus ſuis *Cantuarienſis* eccleſiæ quam regebat utilitatem & pacem. Tradidit idem quaſdam terras nepoti ſuo *Werehardo* presbytero in vita ſua cuſtodiendas, quas ipſe poſt obitum archiepiſcopi *Wlfredi* cum perductus eſſet ad extrema, Conventui reſtituit. De quibus plenius dicetur, cum ad dona regum & pontificum fuerit perventum. Sedit autem idem *Wlfredus* annis xxxviij. & in pace quievit, & in eccleſia Chriſti ſepultus eſt.

Rex *Edbritus.*

De Feolgildo.

Feologildus abbas poſt obitum *Wlfredi* electus eſt ad archiepiſcopatum vij. kal. Maii & ordinatus eſt v. idus Junii, & defunctus eſt in kal. Septembris.

De

De Ceolnotho.

POſtea *Ceolnothus Cantuarienſis* eccleſiæ decanus electus eſt iij. kal. Julii, & eodem anno conſecratus eſt vj. kal. Septembris, & ſuſcepit pallium à papa *Gregorio*: In proximo mortalitas magna in eccleſia *Cantuaria* de monachis orta eſt; ita ut omnes monachi præter v. tantummodo morerentur. Unde idem archiepiſcopus mœrens multum & anxius effectus eſt, æſtuabat enim animo quid in tali faceret articulo, cum non videret monachos niſi v. ubi cum decanus eſſet quem nos Priorem vocamus non modicum videre ſolebat Conventum; nec tamen invenit aliquos qui in tali periculo ſe vellent monachari. Præterea novum et magnum in *Cancia* erat infortunium. Tunc enim temporis venerunt in provinciam *Danici* piratæ pagani navibus advecti & deprædati ſunt cum multa hominum internecione, nunc *Scapaiam* inſulam, nunc *Tanathos*, nunc civitatem *Roffam*, nunc *Cantuariam*, et ejus ſuburbana, quandoque *Wintoniam* cum adjacentibus regionibus. Qui ſi quandoque à regibus *Anglia* fugarentur vel occiderentur, plures ſolito venerunt in *Angliam*, ut qui primitus cum tribus tantum venerant navibus, cum CCCl. navibus veniebant. Aliquando cum *Cantuaritis* pecunia mediante quaſi firmum fœdus & ſtabile promittebant, & tamen ſoluta pecunia quam eis *Cantuarii* promiſerant, totam *Canciam* depopulati ſunt. Hiis diebus glorioſo martyrio coronatus eſt ſanctus *Eadmundus*, ut in ejus ſacra legitur paſſione. Hiis igitur vallatus anguſtiis, *Chelnothus* archiepiſcopus presbyteris ſuis præcepit & clericis. ex aſſenſu tamen & petitione monachorum, ut in Dei ſervicio monachis devotum præberent auxilium, donec pace reddita plures faceret monachos. Sedit ita *Chelnothus* in tribulatione non modica annis xlj. ſicque defunctus in eccleſia *Chriſti* ſepultus eſt. Cui ex aſſenſu regis *Ethelredi* & *Aluredi* fratris ejus ſucceſſit in pontificatum *Cantuarienſis* eccleſiæ

De Athelredo *archiepiſcopo.*

Rex Ethelredus.

Athelredus Wintonienſis epiſcopus, eo quod antea fuiſſet monachus *Cantuarienſis* eccleſiæ. Qui cum veniſſet *Cantuariam* & ſuſcepiſſet pallium & honorem metropolitani, ab *Adriano* papa confirmatus in throno, mirabatur clericos inter monachos pſallere, illoſque ſtatim eicere cogitabat. Sed cognita rei veritate, ſuſtinuit & ipſe uſque ad tempora pacis & tranquillitatis. Sed pagani circumquaque vagantes in *Anglia*, nulli ordini ſexui vel ætati pepercerunt; deſtruxerunt enim eccleſias, altaria ſubfoderunt, fugaverunt monachos & moniales, & omnia rapinis & incendiis tradita ſunt, civitates et oppida deſtructa ſunt, & monaſteria paſſim vacua vix remanſerunt. Unde factum eſt tam in eccleſia *Cantuarienſi* quam in cæteris, ut clerici monachatum non ſuſciperent, nec ſuſceptum digne ſuſtinerent. Semper tamen monachi pauci *Cantuarienſis* eccleſiæ dominatum habebant. In hiis *Ethelredus* archiepiſcopus poſt xviij. annos obiit, et ſepultus eſt anno gratiæ DCCC. xciij. & vacavit eccleſia poſt eum annis ij. Cui bonæ memoriæ ſucceſſit

Aluredo a gente rege.

De Plegemundo *archiepiſcopo.*

PLegemundus vir admodum religioſus & ſacris literis nobiliter inſtructus. Qui in *Ceſtria* inſula quæ dicitur ab incolis **Plegemundeſham** per annos plures heremiticam duxerat vitam. Hic *Romam* profectus à *Formoſo* papa ſacratus eſt, palliumque ſuſcepit & metropolitani plenitudinem poteſtatis. Reverſuſque in *Angliam*, ex mandato *Formoſi* papæ & aſſenſu regis *Edwardi* deſtitutas vij. epiſcoporum eccleſias, per *Angliam* inſtituit, & in eccleſia *Cantuarienſi* vij. epiſcopos una in die conſecravit. Hic ſanctus *Plegemundus* pro loco & tempore Concilia celebravit, ſacravit epiſcopos, & regem *Edwardum* apud **Kingeſtun** ut fertur coronavit. *Plegemundus* archiepiſcopus *Romam* profectus eſt & beatum martyrem *Blaſium* cum multa pecunia auri & argenti emit, & ſecum rediens *Cantuariam* detulit, & in eccleſia *Chriſti* collocavit. Qui cum in eccleſia *Cantuarienſi* ſediſſet annis xxxiv. obiit in ſenectute bona & in eccleſia *Chriſti* ſepultus eſt. Cui ſucceſſit in pontificatu *Cantuarienſis* eccleſiæ

Rex Edwardus.

De Athelmo *archiepiſcopo.*

Athelmus Wellenſis epiſcopus, & à *Johanne* papa pallium ſuſcepit et plenitudinem poteſtatis. Hic regem *Athelſtanum* qui totius *Anglia* optinuit monarchiam, in villa regia quæ ab incolis dicitur **Kingeſtun** in regem unxit & coronavit. Quo poſt annos aliquot de medio ſublato, ſucceſſit

Rex Athelſtanus.

De Wlſelmo.

Wlſelmus Wellenſis epiſcopus, et à *Johanne* papa pallium ſuſcepit. Hic inter cæteros quos ſacravit epiſcopos, ad regimen *Sciraburnenſis* eccleſiæ ſanctum ſacravit *Odonem*. *Wlſelmus* ſedit annis xiij. obiit & ſepultus eſt, pro quo vir venerandæ virtutis

De ſancto Odone.

Rex Eadmundus.

ODo *Sciraburnenſis* epiſcopus electus eſt. Qui cum eſſet in habitu clericali cum eligeretur, conſtanter cœpit reniti ne morem majorum qui eum in eadem ſede præceſſerant, ambitione ſua turbari videretur. Nullum enim viderat ad id tempus *Cantuarienſis* eccleſiæ archiepiſcopum niſi monachili ſcemate indutum fuiſſe. Non enim erat his diebus honeſtum nec conſonum rationi, ut monachis regularibus clericus præeſſet ſecularis; cum à tempore beati *Auguſtini* ex inſtitutione ſancti *Gregorii* eadem *Cantuarienſis* eccleſia ſemper fuerit monachorum. Sed cum regis et regni, cleri ſimul et populi conſtantiam rationibus variis emollire non poſſet, miſſis tandem nunciis ad *Floriacum* ubi tunc temporis ſanctiſſima monachorum religio eſſe dicebatur, per manum abbatis qui ob hanc cauſam venit in *Angliam*, monachi mores induit et habitum, & ſic gaudentibus cunctis factus eſt archiepiſcopus *Cantuarienſis* et ſuſcepit pallium à papa *Agapito*. Hic inter nonnullos quos ſacravit epiſcopos, in *Cantuarienſi* eccleſia ſanctum ſacravit *Dunſtanum* ad regimen *Wigornienſis* eccleſiæ. Reges etiam coronavit *Eadredum* in villa regia quæ dicitur **Kingeſtun**; & poſt annos aliquot in eadem villa coronavit *Edwium*. Qui cum libidini nimis inſiſteret, et ob hoc beatum *Dunſtanum* abbatem ab *Anglia* fugaret, beatus *Odo* miſſis militibus mulierem fornicariam à curia regis violenter abſtraxit, et in facie candenti ferro deturpatam in exilium miſit. Quæ cum obducta cicatrice in *Angliam* rediret, per eundem archiepiſcopum iterum capta et ſubnervata eſt. Hic inter miſſarum ſolennia de euchariſtia quam manu tenebat precibus devotis ſanguinem manare fecit, ut vel ſic incredulos ibidem aſtantes ad fidem rectam revocaret. Qui cum *Eboracenſem* eccleſiam Primatis more viſitaret, oſſa corporis ſancti *Wilfridi* à *Rippenſi* eccleſia olim combuſta *Cantuariam* deferri præcepit, & ſummo cum honore tumulari. Plura ſunt hujus ſancti viri magnalia, quæ cum alias diffuſe ſcripta ſint, in hoc compendium comprehendi non poſſunt. Qui quot annis ſederit vel duo prædeceſſores ipſius, nondum ad noſtram pervenit notitiam. Verum cum per annos plures *Cantuarienſem* rexiſſet eccleſiam, & ejus tectum nimia vetuſtate corruptum reparaſſet, & interim per annos tres (ut in ipſius vita legitur) pluvias ſuſpendiſſet, vir quidem clarus ingenio, virtute laudabilis, ſpiritu quoque prophetiæ pollens, rebus exceſſit humanis, & ad æternam paradiſi gloriam deductus eſt: Et niſi *Dunſtanus* ſuccederet, ab omni *Anglorum* orbe deflendus. Obiit autem præſentibus univerſis eccleſiæ filiis; quibus eciam, nec mirum, flentibus promittebat, quod bonum eis paſtorem etiam poſt obitum ſuum Dominus provideret. Cui ſucceſſit non electione canonica ſed imperio regis, cujus manus impleverat,

De Elſſino.

Elſſinus *Wintonienſis* epiſcopus cognomento *Lippe*, et apud *Cantuariam* ſuſceptus eſt. Hic cum tumbam ſancti *Odonis* baculo quem manu tenebat percuſſiſſet improperans quod ille defunctus eſſet, ipſe vero archiepiſcopatus *Cantuarienſis* fungeretur honore, *Romam* de more pro pallio proficiſcens, cum *Alpes* aſcendiſſet, acerba tactus infirmitate exſpiravit ibidem, et ſepultus eſt: pro quo miſſus eſt *Cantuariam*

De Brihtelmo.

Brihtelmus *Doreſetenſium* epiſcopus, ſed cum poſt dies paucos ad tantam rem minus eſſet idoneus, juſſu regis ad ſuam rediit eccleſiam.

De ſancto Dunſtano.

Dunſtanus igitur *Wigornienſis* epiſcopus gaudentibus cunctis electus eſt. Cujus pater *Herſtanus*, mater vero *Kinedritha* vocabatur. Ea tempeſtate qua *Dunſtanus* pueriles agebat annos, *Glovernia* regalibus ſtipendiis addicta, propter frequentes bellorum ſtrepitus religionis penitus erat ignara. Nondum enim in *Anglia* præterquam in *Cantuarienſi* eccleſia communis vitæ ratio colebatur, non uſus deſerendi proprias voluntates ab hominibus affectabatur, abbatis nomen vix quiſquam audierat, conventus monachorum non ſatis quiſpiam viderat. Sed cui forte id voluntatis erat, ut peregrinam vellet tranſigere vitam, is modo ſolus in cella, modo paucos ejuſdem propoſiti comitatus, patrios fines egrediebatur, & qua oportunitas vivendi licentiam dabat illic alienigena vitam agebat. At *Dunſtanus* ab infantia ſua parentibus obediens, certabat omnes officio ſuperare, gratia & affabilitate omnes anteire, ſervare pudicitiam, fugere laſciviam, appetitor erat honeſti, turpitudinis omnis execrator, majorum natu colloquiis adeſſe, juvenum ludicra declinare ſolebat, ciborum abſtinere, ſompno temperans, inceſſu gravis, neque facile moveri loco, neque abrupte loqui. Principium bene agendi ſemper Deum habuit, finem vero facti eidem commendavit. Erat ita naturali præditus ingenio, ut facile quamlibet rem acutiſſime intelligeret, firmiſſime retineret, & quamvis aliis artibus magnifice polleret, muſicam tamen eam videlicet quæ inſtrumentis agitatur ſpeciali quadam affectione vendicabat. Sicut *David* pſalterium ſumens, citharam percutiens, modificans organa, cimbala tangens. Præterea manu aptus ad omnia, facere potuit picturam, literas formare, ſcapello inprimere ex auro, argento, ære & ferro & quidlibet operari. Signa quoque & cimbala faciebat. Nepos erat *Athelmi Cantuarienſis* archiepiſcopi & filius fratris, qui eum regi commendavit *Adelſtano*. In cujus palacio degens, ita ſe ad dijudicandas cauſas hominum ſapienter agebat, ut & Deo per omnia placeret, nec aliquem pie viventium ſua culpa offenderet. Sed cum fere ſemper fiat, ut ex bonorum induſtria aliorum creſcat invidia, & cum ad quam virtutem peſſimus quiſque non valet aſſurgere, eam in aſſurgente conetur expugnare, à pluribus ditioribus regi falſa criminatione ſuggeſtum eſt, ut *Dunſtanus* à curia pelleretur. Sed iterum divino revocatus, poſt modicum ex dono regis *Glaſtonia* regiam accepit manſionem. Ibi officinas congruas inſtruens, aſſociatis ſibi fratribus ibidem primus abbas effectus eſt: unde per regem *Edwinum* pro pelice per ſanctum *Odonem* ſubnervata pelleretur, rex idem vitā finivit indignam. Cujus frater *Edgarus Anglorum* regno ſublimatus, *Dunſtanum* abbatem ab exilio revocavit, & per aſſenſum & conſentionem *Odonis Cantuarienſis* archiepiſcopi *Wigornienſi* præfecit eccleſiæ. Cui cum poſtea vacantem *Lundonienſem* regendam commendaſſet eccleſiam, beatus *Odo* ad æternam tranſivit gloriam, & ut prædictum eſt *Dunſtanus* à clero & populo gratuitoque regis aſſenſu gaudentibus cunctis electus eſt. Non tædeat oro lectorem de ſancto *Dunſtano* repetiſſe lectionem. Quem ad *Romuleam* urbem profectum *Romanus* pontifex *Iohannes* ſacris pontificalibus & primatus honore decoravit, & quaſi columpnam lucis genti *Anglorum* remiſit. *Dunſtanus* itaque in eccleſia *Cantuarienſi* ut angelus Domini honorifice ſuſceptus eſt, in ſede patriarchatus intronizatus eſt. Ipſaq; die cum ſacris altaribus aſſiſteret, in columbæ ſpecie ſuper eum ſpiritus ſanctus apparuit, et peracto ſacrificio ſuper tumbam ſancti *Odonis* idem ſpiritus requievit. Ideoq; cum *Dunſtanus* ibidem tranſiret, materna lingua dicere ſolebat **Her lith Odo the gode**, quod nos dicimus, Hic jacet *Odo* bonus. *Dunſtanus* deinde univerſæ genti *Anglorum* necnon & aliis regionibus *Anglorum* regno ſubpoſitis patriarcha deſtinatus, feſtinabat ſingulas regionis digredi civitates, ut domeſticos fidei apoſtolica traditione ad bonum opus inſtrueret, cum propria ſane primatis dignitate, regio ſubfultus adminiculo, cujus primus et præcipuus erat conſiliarius; ubi per *Angliam* in omni homine cujuſcumq, fuerit dignitatis vel fortunæ vicia compreſſit, virtutes aggregavit, dirutas eccleſias et monaſteria reſtauravit, et clericos qui eos occupaverant ejecit, monachorum et monialium catervas aggregavit, et pluſquā xl. monaſteria de eiſdem inſtituit locis oportunis, paſtores inſtituit, et ſacravit *Oſwaldum* ad eccleſiam *Wigornienſem*, *Ethelwoldum* abbatem ad *Wintonienſem*, de qua etiā clericos ejecit

Rex *Edgarus.*

et monachos introduxit. Hic prædictus *Oſwaldus* annuente *Dunſtano* per annos aliquot tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ. Hic etiam *Dunſtanus* ſacravit & coronavit *Edgarum* regem aſtante *Oſwaldo Eboracenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Angliæ* in civitate *Acamanni* quæ nunc dicitur *Bathonia*. Sacravit etiam & coronavit renitentibus plurimis *Angliæ* primoribus *Edwardum* regem aſtante *Oſwaldo* poſt obitum regis *Edgari*. Mortuo autem per proditionem novercæ ſuæ rege *Edwardo*, *Dunſtanus* aſtante *Oſwaldo Eboracenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Angliæ* ſacravit & coronavit apud **Kingeſtune** *Egelredum* clitonem in regem. Sacravit etiam apud *Cantuariam Elfegum* abbatem ad regimen *Wintonienſis* eccleſiæ. In cujus electione cum magna fieret altercatio, dum clerici de eccleſiis ejecti clericum & monachi introducti monachum optarent, *Andreas* apoſtolus ſuo apparuit *Dunſtano* admonens ut abbatem eligeret & ſacraret *Elfegum*. Et cum iterum clerici monachos cogitarent eicere, coacto apud *Wintoniam* concilio, monachorum propugnator *Dunſtanus* ex adverſariis victoria potitus eſt, dum Dominici corporis forma vexillo crucis affixa clamaret dicens, *Abſit ut hoc fiat, abſit ut hoc fiat*. Tunc ordo monaſticus jamdudum crebro bellorum turbine lapſus, præcipue caput erexit. Nam eo tempore per principem & protectorem monachorum *Dunſtanum* in *Anglia* Sanctorum lumina effulſerunt, ut crederes ſidera è cœlo micantia arridere. Ipſe quoque *Dunſtanus* artium liberalium in tota inſula poſt regem *Elfredum* excitator erat mirificus. Ipſe regalium locorum reparator munificus. Terribilis in delinquentes, munificus & mitis in pauperes. In frivolis eciam pacis amator, ut in ciphis potantium clavos affigi præciperet aureos vel argenteos, ne quis proximum plus juſto gravaret in potando, nec quis plus quam deceret potum appeteret. Tunc clerici quondam ab eccleſiis expulſi, iterum & ſæpe in monachos & ſanctum *Dunſtanum* jam ſenio confectum rediviva prælia ſuſcitarunt. Verum cum apud **Calne** concilio coadunato in *Dunſtanum* validiſſimum eccleſiæ murum perſtreperent, ſolarium repente corruit, & pereuntibus plurimis, ſolus *Dunſtanus* in trabe ſtans illæſus remanſit. Exhinc odio novercali *Edwardo* rege perempto, *Ethelredus* in regnum ſublimatus, à beato *Dunſtano* aſtante *Wlſtano Eboracenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Angliæ*, apud **Kingeſtune** coronatus eſt. Cui ibidem prædixit ſanctus *Dunſtanus* quod non ceſſaret gladius de domo ipſius, quia per mortem fratris ſui ad regnum aſpiravit. Deinde cum idem rex propter quaſdam diſſenſiones *Canciam* infeſtaret, & civitatem *Roffenſem* obſideret, mandavit eidem beatus pontifex *Dunſtanus*, ut à ſtultitia deſiſteret. Monitis *Dunſtani* rex non adquievit. Sed acceptis centum libris argenti à beato *Dunſtano* miſſis, ab obſidione receſſit. Unde ſatis admirans ſanctus *Dunſtanus* ſic eidem ſcripſit dicens, *Quoniam prætuliſti pecuniam Deo, argentum apoſtolo, mea voluntati tuam cupiditatem, venient ſuper te mala qualia non fuerunt ex quo gens* Anglorum *regnare cœpit, uſque ad tempus illud*. Sanctiſſimus igitur Deoque dilectus *Dunſtanus*, cum jam eſſet omni virtutum cariſmate plenus, & Deum videndi deſiderio fatigatus, tranſitoriam præſentis vitæ deſerens lucem, ad æternam pervenit quietem, anno ab incarnatione Domini xij. minus à milleſimo, adventus *Anglorum* in *Britanniam* D. lxiij. nativitatis ſuæ circiter lxx. patriarchatus vero anno xxxiij. pro quo ſucceſſit

De Athelgaro.

A*Thelgarus Seleſigenſis* epiſcopus in archiepiſcopatum, & pallium ſuſcepit à papa *Johanne*. Uno ſedit anno & menſibus iij. obiit & ſepultus eſt in *eccleſia Chriſti*. Cui ſucceſſit in primatum *Cantuarienſis* eccleſiæ venerandæ memoriæ

De Sirico.

S*Iricus Wiltunienſis* epiſcopus, & ſuſcepit pallium à papa *Johanne*. Qui cum poſt dies aliquot clericos vidiſſet paucos inter monachos aliqua vel extrema officia miniſtrare, & ſigna pulſare, præcepit eos penitus amoveri, ne de cætero inter monachos comparerent; indignum reputans inter monachos eſſe conſortia clericorum. Per ejus conſilium *Angli* dederunt *Danis* tributum $\overline{\text{X}}$. librarum. Poſt modicum venerunt in *Angliam Anlafus* rex *Noreganorum*, & *Suanus* rex *Danorum* cum xciiij. navibus, trieribus & optinuerunt tributum $\overline{\text{xvj}}$. librarum. Obiit interea *Siricus* archiepiſcopus in ſenectute bona, & libros ſuos valde bonos *Cantuarienſi* dedit eccleſiæ. Sedit annis v. & cum patribus ſepultus eſt. Pro quo electus eſt vir eximiæ ſanctitatis

De ſancto Elfrieo.

E*Lfricus Sirabornenſis* epiſcopus, & ſuſcepit pallium à papa *Johanne*. Hoc tempore ſedes epiſcopalis *Lindisfarnenſis* tranſlata eſt *Dunelmum*. *Elfricus* autem archiepiſcopus in multa paganorum infeſtatione & ſumma religione *Cantuarienſem* rexit eccleſiam annis xj. & requieſcit in eccleſia Chriſti, & ad ſuperos tranſlatus eſt. Huic autem ſucceſſit

De ſancto Elſego.

E*Lfegus Wintonienſis* epiſcopus. Qui principium naſcendi ſplendidiſſimis trahens natalibus, magna prudentia & ſumma humilitate vitam inſtituit. Lectis autem & perlectis quæ ſaluti videbantur ſufficientia, totum philoſophiæ ſtudium convertit ad diligendum Deum, & apud **Dierherſte** monachus effectus eſt. Deum itaque in omnibus & per omnia diligere, officia ſibi credita ſedulo miniſtrare curabat, & alterius incommodo commodum ſibi facere non volebat. Quibuſcumque potuit profuit. Quibus autem non potuit prodeſſe, ſtuduit non obeſſe. Inde poſt annos *Bathoniam* ingreſſus, conſtructo habitaculo vitam ſolitariam ducere cœpit, culpans admodum omnes qui ſecularem habitum mutarent, & vitam non mutarent. Nec diu confluentibus ad eum plurimis, monachorum turba non modica ibidem congregata eſt. Interea felicis memoriæ *Athelwoldo Wentano* epiſcopo ex hac luce ſubtracto, per ſanctum *Andream* apoſtolum revelatione divina, *Elfegus* abbas per ſanctum *Dunſtanum* electus eſt, & ab eodem in eccleſia *Cantuarienſi* ſacratus, & deinde gaudentibus cunctis in eccleſia *Wintonienſi* intronizatus eſt. Deum itaque timens, ipſius ſummopere mandata ſervabat, & in ejus cotidie dilectione creſcebat, parcimoniam amplectens pauperes

Chriſti recreabat, ut nullum parochialium ſuorum publicæ ſubdi ſineret mendicitati, nec pauperem alienum ab eo vacuum recedere permittebat: horrendum nefas reputans ſi quod natura commune inſtituit hoc velit homo uſurpare privatum. Venerandæ vero memoriæ *Elfrico* archiepiſcopo *Cantuarienſi* ad cives ſuperos tranſlato, *Elfegi* nomen, ut prædictum eſt, ab omnibus attollitur. *Elfegus* eligitur, *Elfegus* magnificatur. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſexto, ætatis ſuæ circiter annum liij. univerſitate gratiæ repletus, *Romam* profectus à papa *Johanne* mirifice honoratus, patriarchatus pallium ſuſcepit, & in *Angliam* reverſus, à filiis ſuis *Cantuariæ* honorifice ſuſceptus eſt. Ab illo tempore frequenter & oportune non deſiit concilia celebrare, orthodoxam fidem patribus exponere, peccantes quoſlibet abſque perſonarum acceptione verbis & beneficiis ad Deum revocabat, ac pro omnium ſalute bis in die miſſam celebrabat. Totus erat clementia profluus, totus in lacrimas reſolutus, pauperum piiſſimus conſolator, oppreſſorum promptiſſimus relevator, liberalis in dando, difficilis in accipiendo; una ſpes omnibus ad ſe venientibus; afflictis erat unicum refugium. In feſtis præcipuis quibus illum ſacerdotalem gratiam pro populo exhibere oportebat, inter ympnos clamore ſolenniter decantatos privatas miſſas tanto devotius quanto remotius agebat. Inde plenus Deo ad altare rediens, quod prius inceperat officium peragebat. Deinde in veſtitu candido, deſuper amictus pallio, mitra cæſarie conſtrictus diem tranſigebat, ut ſpectatores ſui eo fierent devotiores ad reverentiam, quo illum ſpectarent decentiorem ad gratiam. Ornatum eccleſiæ ſuæ multis ac præclaris operibus ampliabat; pudicitiæ decus adeo amplexatus eſt, ut ipſo audiente verbum turpe nemo auderet proferre. Hoc eſt enim primum caſtitatis documentum, videlicet ne quis ore turpia proferat, ne in corde turpia verſare videatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Per idem tempus piratæ peſſimum genus prædonum ducibus *Suano* & *Turkillo* principibus *Danorum* fortiſſimis nonnullam terræ *Anglorum* maculam intulerunt. Licet enim eis affluenter & ſæpe ſumptus ex *Anglia* pararetur, & ad ſua vota tributum penderetur, non tamen deſtiterunt quin turmatim per provincias ubique diſcurrentes villas devaſtarent, rebus ſuis quoſdam ſpoliarent, plurimos necarent. Ad ultimum inter nativitatem ſanctæ *Mariæ* & ſancti *Michaelis* feſtivitatem, *Cantuariam* circumvallantes obſiderunt. Viceſimo autem obſidionis die, per inſidias *Elmari* archidiaconi (quem ſanctus *Elfegus* ne morti traderetur prius eripuit,) pars civitatis incenditur, exercitus ingreditur, urbs capitur. Alii ferro jugulantur, alii flammis conſumuntur. Plures quoque de muris præcipites dantur, nonnulli per verenda ſuſpenſi deficiunt. Matronæ crinibus per plateas civitatis diſtractæ demum flammis injectæ moriuntur. Parvuli à matrum uberibus avulſi, aut lanceis excipiuntur, aut ſuper acto carro minutatim conteruntur. Interea archipræſul *Elfegus* capitur, vincitur, tenetur & variis modis afficitur. *Elmarus* abbas ſancti *Auguſtini* abire permittitur. Capiuntur *Godwinus Roffenſis* epiſcopus, *Leofruna* abbatiſſa monaſterii ſanctæ *Mildrithæ*, *Elfredus* regis præpoſitus, monachi quoque, clerici, populuſque utriuſque ſexus innumerabilis. Exin eccleſia *Chriſti* ſpoliata comburitur, grex monachilis & turba virilis, ſed & muliebris, ſenilis, infantilis decimatur. Novem trucidantur, decimus vitæ reſervatur; quatuor monachis & octingentis viris decimatorum ſumma perficitur. Populo cæſo, urbe ſpoliata & tota concremata, archipræſul *Elphegus* vinctus extrahitur, impellitur, graviter ſauciatur, ad claſſem ducitur, poſt in carcerem retruditur, ibique ſeptem menſibus affligitur. Interea ira Dei in homicidam populum deſæviens, ex eis duo milia per diros internorum cruciatus proſtravit. Cæteri quoque ſimili modo percuſſi, à fidelibus commonentur ut pontifici ſatisfaciant, ſed differunt. Prævaluit interim clades, & nunc denos, nunc vicenos, nunc plures abſumpſit. Perfidus autem *Edricus* per cujus proditionem in *Anglia Dani* tam atrociter ſæviebant, & omnes *Angliæ* primates utriuſque ordinis ante Paſcha *Londoniæ* congregati ſunt, & ibi tamdiu morati, quouſque tributum *Danis* promiſſum quod erat xlviij. librarum perſolveretur. Interea ſancto ſabbato Dominicæ Reſurrectionis archipræſuli *Elfego* à *Danis* proponitur conditio, ut ſi vita ac libertate velit potiri iij. librarum perſolvat. Illo autem nolente, necem ejus uſque ad aliud ſabbatum protelant. Quo adveniente, adverſus illum exarſerunt ira magna, & quia vino nimis inebriati fuerant, & quia prohibuerat *Elfegus* ne quis pro ſua redemptione quicquam eis daret; proinde de carcere educitur, & ad eorum concilium pertrahitur. Mox illi è ſedibus proſiliunt, averſis ſecuribus illum deiciunt, lapidibus, oſſibus, bovinis capitibus obruunt. Ad ultimum quidam *Thrum* nomine quem confirmarat pridie, impia motus pietate ſecurim capiti ſuo infixit. Qui ſtatim in Domino obdormivit, & victorem ſpiritum cum triumpho ad cœlum direxit xiij. kal. Maii. Cujus corpus die ſequenti *Londoniam* defertur, à civibus honorifice ſuſcipitur, & ab epiſcopis *Eadnotho Lincolnienſi*, & *Alphuno Londonienſi* in eccleſia ſancti *Pauli* ſepelitur. Sedit autem beatus *Elfegus* in eccleſia *Cantuarienſi* annis vj. & menſibus vij. Cui ſucceſſit in pontificatum *Cantuarienſis* eccleſiæ bonæ memoriæ

De Livingo.

Livingus *Wellenſis* epiſcopus, & ſuſcepit pallium à papa *Benedicto*. Qui cum per vij. annos ſtrenue *Cantuarienſem* rexiſſet eccleſiam & ornamentis optimis decoraſſet, in pace bona quievit & ſepultus eſt. Poſt quem ſucceſſit in archiepiſcopatum

De Egelnotho.

Egelnothus ejuſdem eccleſiæ *Chriſti* decanus. Erant enim tunc temporis *Cantuar.* eccleſiæ monachi quaſi canonici cathedrales, monachorum quidem habitum gerentes, ſed regulam non adeo plene obſervantes. Non enim poterant clerici aſſumpti poſt martirium ſancti *Elfegi*, cum quo totus fere conventus exceptis quatuor tantummodo monachis gladiis *Danorum* occubuit, adeo plene informari, nec à propriis voluntatibus coerceri, ut omnimodis regulam obſervarent. Præpoſitum ſuum decanum vocabant, quem nos poſt adventum *Lamfranci* Priorem appellamus. Habebat etiam quondam *Cantuarienſis* archiepiſcopus corepiſcopum quendam qui in eccleſia ſancti *Martini* extra *Cantuariam* manebat; qui adveniente *Lamfranco* deletus eſt, ſicut ubique terrarum factum eſſe audivimus. *Egelnothus* autem propter nimiam & eximiam inſitam ſibi bonitatem anthonomaſtice *Bonus* appellatus eſt; qui poſt electionem ſuam *Romam* adiit, & à *Benedicto* papa cum honore multo ſuſceptus eſt, pallioque ſuſcepto cum honore primatus *Cantuariam* reverſus, *Cantuarienſem* eccleſiam in ſtatum priſtinæ dignitatis reparavit. Nam proceſſu temporis imperante & cooperante rege *Cnutone* reportavit corpus ſancti martyris *Elfegi* de *Londonia* ubi per x. annos jacuerat in eccleſia ſancti *Pauli* ad *Cantuarienſem* eccleſiam, ſedem videlicet patriarchatus ſui. Hiis etiam diebus & ipſo cooperante monachi poſiti ſunt in monaſterium ſancti *Eadmundi*. Habebat enim rex *Cnuto* valde carum prædictum *Egelnothum* archiepiſcopum & ejus conſiliis adhærebat, eo quod vir bonus eſſet, eumque ſacro criſmate liniſſet. Optinuit in brevi idem rex regnum *Angliæ*, *Daciæ*, *Norwegiæ*. *Egelnothus* ſedit annis xvij. & obiit iiij. kal. Novembris. Cui ſucceſſit

Rex Haroldus.

De Eadſino *archiepiſcopo.*

EAdſinus *Wentanus* epiſcopus regis *Haroldi* capellanus, & ſuſcepit pallium à papa *Alexandro*. Hic *Eadſinus* defuncto rege *Haroldo* ſacravit & coronavit regem *Eadwardum* apud *Wintoniam* aſtante *Alfrico Eboracenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Angliæ* in die Paſchæ. *Eadſinus* cum annis xj. optime rexiſſet pontificatum, & eidem eccleſiæ nonnulla contuliſſet beneficia, v. kal. Novembris defunctus eſt, & in eccleſia *Chriſti* ſepultus eſt. Cujus corepiſcopus *Siwardus* nomine apud *Abendoniam* defunctus ibidem ſepultus eſt. *Eadſino* ad ſuperos tranſlato, ex voluntate regis *Eadwardi*

De Roberto.

RObertus, genere quidem *Normannus*, ſed *Londoniæ* civitatis epiſcopus ſucceſſit in pontificatum *Cantuarienſis* eccleſiæ. Hunc *Edwardus* regno ſublimatus in *Angliam* vocavit, & primo *Londonienſis* eccleſiæ, deinde *Cantuarienſis* dedit pontificatum, eo quod inopiam ipſius quondam exulis pauliſculis relevaverat beneficiis cum adhuc eſſet monachus *Gemetenſis*. Verum cum inter *Normannos* & *Anglos* qui regi aſtabant *Edwardo* grandis fieret altercatio, tandemque per Comitem *Godwinum* cujus erat facundia facilis, ad fallendum incomparabilis, prolata ſententia in *Robertum* ejuſque complices videlicet *Normannos*, quod ſtatum regni conturbarent, ille pro ſua cauſa ſedem appellans apoſtolicam, *Romam* profectus eſt. Sed cum *Gemeticum* reverteretur, decidit in lectum & defunctus eſt. Sedit utcunque annis duobus; & ipſo adhuc vivente

De Stigando.

STigandus regis *Edwardi* capellanus qui quondam dimiſſo auſtralium *Saxonum* epiſcopatu *Wintonienſem* invaſerat eccleſiam, archiepiſcopatum etiam *Cantuarienſis* eccleſiæ invadere non formidabat, & aſſumpto *Roberti* adhuc viventis pallio archiepiſcopatu *Cantuarienſi* potitus eſt, nec tamen *Wintonienſem* dimiſit eccleſiam. Magnanimus enim erat valde & inæſtimabilis præſumptionis. Sancti etiam *Auguſtini* rexit cœnobium & ei nonnulla contulit beneficia, à quodam *Benedicto* papa ſchiſmatico pallium ſuſcepit. Hic primus in habitu clericali *Cantuariorum* præſumpſit invadere præſulatum. Hoc tempore tranſtulit *Herfaſtus* ſedem epiſcopatus de **Helmeham** ad *Thedfordum*. *Benedicto* à papatu depulſo, *Stigandus* ab officio per *Alexandrum* papam ſuſpenſus eſt, & poſt obitum ſancti regis *Edwardi* ſub rege *Willielmo* concilium *Wintoniæ* celebratum eſt, ubi per aſſenſum *Alexandri* papæ regiſque *Willielmi* qui *Angliam* adquiſivit, per duos Cardinales & in *Angliam* legatos *Stigandus* depoſitus eſt, & in carcere truſus, diras indomitæ præſumptionis luit pœnas, & ibidem defunctus eſt. Siquidem eodem mortuo, clavis parvula in ſecretis reperta eſt quæ ſera cubicularis ſcrinii appoſita innumerabilium theſaurorum dedit indicium. Cartæ quidem inventæ ſunt in quibus notata erat & metallorum qualitas & ponderum quantitas quæ per omnia prædia ſua compilata defoderat. Sedit tamen utcumque *Stigandus* annis xviij. & in ergaſtulo regio apud *Wintoniam* mortuus eſt, ſed in eccleſia ſancti *Suithini* ſepultus. Poſt ipſius depoſitionem vacavit eccleſia *Cantuarienſis* ij. annis; Poſtea

De Lamfranco.

LAmfrancus abbas *Cadomenſis* electus eſt. Qui autem vel unde fuerit iſte *Lamfrancus*, pauliſper lector attende. *Lamfrancus* erat natione *Lumbardus*, natus in urbe *Papienſi* civibus egregiis & honeſta conditione: pater ipſius *Hanbaldus* mater *Roza* vocabatur. Studiis literarum traditus, omnibus in brevi repletus eſt diſciplinis. Deinde totum animum convertit ad Deum, ut relictis omnibus ipſum ſolum ſequeretur. Nativitatis igitur patriam egreſſus, *Alpes* tranſcendit, & ſic pertranſiens *Franciam* venit in *Normanniam*, ubi ſibi aſſociatis clericis ſcolas regebat. *Rothomagum* autem pergens, obiter in ſilva grandi incidit in latrones, qui cuncta quæ habebat auferentes, ligatis à tergo manibus & capicio cappæ ante oculos admoto, duxerunt illum in eadem ſilva per devia & inter ſaltus condenſa frutecta in crepuſculo ſolum dimiſerunt. Talibus vallatus anguſtiis votum vovit, quod in proximo pauperimum ſuſciperet monachatum ſi dominus eum liberaret illæſum. Mane facto, à viatoribus ſolutis vinculis liberatus eſt, & ſic ad *Beccum* properavit, ubi abbas *Herlevinus* manſiunculas monachorum in ſuo fecit patrimonio, & tunc veniente *Lamfranco* manibus ſuis furnum faciebat. Ibi *Lamfrancus* attonſus per tres annos quaſi ſolitarius omnibus ignotus degebat, omni bonitati operam dans virtutum faſciculum viriliter componebat. Inde ſolitariam vitam quo magis proficeret deſiderans, cum abire clanculo decreviſſet, nutu Dei miraculoſe detectus retentus eſt, & ſuſcepit ibidem invitus Prioratum. Deinde emergentibus cauſis *Romam* profectus eſt, & coram *Nicolao* papa *Berengerii* hæretici devicit reſponſales, & *Willielmi* ducis *Normanni* negotia pro voto complevit. Dux autem cœnobium apud *Cadomum* fundavit, & ibidem *Lamfrancum* inſtituit abbatem. Poſtmodum cum armis optinuiſſet regnum *Anglorum*, ex aſſenſu papæ *Alexandri Lamfrancum* vocavit in *Angliam*. *Lamfrancus* igitur *Cadomenſis* abbas genere *Longobardus*

bardus vir undecumque doctiſſimus, omnium liberalium artium divinarumque ſimul ac ſecularium literarum ſcientia peritiſſimus, conſiliiſque ac gubernatione rerum mundialium æque prudentiſſimus, compellente rege *Willielmo* primo & jubente papa *Alexandro* venit in *Angliam*, pauco poſt tempore *Cantuarienſem* eccleſiam ſuſcepit regendam; eligentibus eum ſenioribus ejuſdem eccleſiæ cum epiſcopis & principibus, clero & populo *Anglia* in curia regis in Aſſumptione ſanctæ *Maria*. Qui cum *Cantuariam* veniret, ab utroque conventu eccleſiæ ſcilicet *Chriſti* & ſancti *Auguſtini* cum honore debito ſuſceptus eſt. Quem ſacravit *Willielmus Londonienſis* epiſcopus iiij. kal. Septembris, aſtantibus & cooperantibus epiſcopis *Anglia Walkelino Wentano*, *Remigio* Lincolnienſi, *Siwardo* Roffenſi, *Herfaſto* Helmeanenſi, *Stigando* Selegienſi, *Hermanno* Sireburnenſi, *Giſone* Wellenſi. Cæteri epiſcopi qui abſentes fuerant, cauſas ſuæ abſentiæ tam literis quam legatis oſtenderunt. Eodem anno *Thomas Eboracenſis* electus *Cantuariam* ſacrandus advenit, à quo cum *Lamfrancus* debitam peteret profeſſionem, nulla ratione, nulla probatione hoc facere voluit, ſed aſpematus omnia non ſacratus receſſit; unde commotus rex exiſtimans quod *Lamfrancus* indebita poſtularet, ad præſentiam ſuam convocavit utrumque cum epiſcopis *Anglia*, ubi partis utriuſque rationibus auditis, decretum eſt tandem ut *Thomas Cantuariam* rediret, & inter ſacrandum debitam eccleſiæ *Cantuarienſi* & *Lamfranco* faceret profeſſionem. Proinde *Cantuariam* venit, profeſſionem fecit, ſacratus receſſit. *Lamfrancus* autem *Romam* profectus, ſummo cum honore à domino papa *Alexandro* ſuſceptus eſt, adeo ut *Lamfranco* venienti papa aſſurgeret & duo pallia daret, unum videlicet de jure *Cantuarienſis* eccleſiæ, aliud in ſignum ſpecialis amicitiæ. Cum autem *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus qui cum *Lamfranco* venerat ibidem quæſtionem moveret de primatu, licet eum *Lamfrancus* in *Cantuarienſi* ſacraſſet eccleſia & ſubjectione trium epiſcoporum, auditis utriuſque partis allegationibus diſtulit dominus papa cauſam donec in *Anglia* ubi res mota erat fine debito clauderetur. Reverſo igitur in *Angliam* utroque archiepiſcopo, convocavit rex multitudinem nobilium *Anglia*, & in audientia omnium, audita partis utriuſque ratione, teſtimonioque virorum antiquorum & hiſtoriarum ſerie commotus *Thomas* debitam & abſolutam *Cantuarienſi* eccleſiæ, & *Lamfranco* fecit profeſſionem. Attamen pro bono pacis *Lamfrancus* ſponte conceſſit *Thomæ*, ut *Dunelmenſis* epiſcopus de cætero ſibi profiteretur, & ut ſuffraganeus obediret, ut vel ſic uno ſaltem decoratus epiſcopo, nomen archiepiſcopi obtineret. Legimus tamen epiſcopos *Eboracenſes* nonnullos ſine pallio toto vitæ ſuæ tempore prædictam *Eboracenſem* rexiſſe eccleſiam. Juſſu tandem regis & epiſcoporum aſſenſu factum eſt ſcriptum autenticum, totius cauſæ continens finem; quod in pluribus *Anglia* majoribus eccleſiis regio ſigillo inpreſſum cum ſubſcriptionibus epiſcoporum & abbatum qui præſentes fuerunt, poſitum eſt. Deinde *Lamfrancus* ab omnibus ſuffraganeis *Cantuarienſis* eccleſiæ petiit & accepit profeſſiones. Hos etiam archiepiſcopos & epiſcopos ſacravit *Lamfrancus* in diverſis temporibus, & ab eis debitas ſuſcepit profeſſiones. *Thomam* archiepiſcopum *Eboracenſem* in *Cantuarienſi* eccleſia. *Patricium Dublinienſem* in *Londonienſi*. *Oſbernum Exonienſem* in *Londonienſi*. *Petrum Licheſfeldenſem* in *Gloceſtria*. *Hernoſtum Roffenſem* apud *Weſtmonaſterium*. Huic dederat *Lamfrancus* prædictam *Roffenſem* eccleſiam, regendam in capitulo *Cantuarienſi*. *Hernoſto* poſt annum defuncto, dedit *Lamfrancus* eundem epiſcopatum *Gundulfo* in capitulo *Cantuarienſi*, & ſacravit eum ibidem in eccleſia *Chriſti*. Sacravit etiam *Robertum Herefordenſem* in eadem eccleſia *Chriſti*, & *Robertum Ceſtrenſem*, & *Willielmum Helmeanenſem*, & *Johannem Wellenſem*, & *Godefridum Cicceſtrenſem*. Sed diverſis temporibus. Abbates etiam ſancti *Auguſtini* benedixit, *Widonem* ſcilicet & *Scotlandum*, de quibus debitas accepit profeſſiones. Et quia à multis retroactis temporibus uſus Conciliorum obſoleverat, ad extirpanda vitia concreta & virtutes inſerendas, in diverſis locis concilia celebravit. *Primum* apud *Wintoniam*, in quo certis ex cauſis depoſuit *Wlfricum* abbatem de *Hida*, & alia plura & utilia inſtituit. *Secundum* tenuit concilium in eccleſia ſancti *Pauli Londonia*, in quo recognitum eſt à majoribus terræ quod *Eboracenſis* archiepiſcopus ſedere debeat ad dexteram archiepiſcopi *Cantuarienſis*, *Londonienſis* ad ſiniſtram, *Wintonienſis* juxta *Eboracenſem*. Si vero *Eboracenſis* defuerit, *Londonienſis* ſedebit ad dexteram, *Wintonienſis* ad ſiniſtram. Cæteri vero epiſcopi ſecundum tempus conſecrationis ſuæ ſedebunt, & ita deinceps obſervatum eſt. *Tercium* concilium tenuit apud *Wintoniam*. *Quartum* vero in *Londonia*, in quo depoſuit *Ailnothum Glaſtonienſem* abbatem. *Quintum* apud *Clandiam*. *Sextum* apud *Gloceſtriam*, in quo depoſuit *Wlfretelum* abbatem de **Cruland**. In hujus *Lamfranci* temporibus ſedes epiſcoporum de locis indignis ad loca digniora, videlicet urbes tranſierunt. *Licheſfeldenſis* ergo tranſiit in *Ceſtriam* quæ olim civitas *Legionum* dicebatur. *Selegenſis* in *Ciceſtriam*. *Helmeanenſis* primo in **Thetford**, nunc autem ab *Hereberto* epiſcopo in *Northwicum*. *Scireburnenſis* in *Saresberiam*. *Dorcaceſtrenſis* in *Lincolniam*, & nuper *Wellenſis* in *Bathoniam*. Adeo enim cœleſtis ſapor pectus *Lamfranci* & palatum infecerat, adeo latinitas omnis in liberalium artium ſcientiam per doctrinam ejus ſe incitabat, adeo ipſius exemplo vel metu profeſſio monaſtica in religione ſudabat, non tunc epiſcoporum ambitus, non tunc abbatum venalitas proficiebat. Ille majoris gloriæ & amplioris gratiæ apud regem & archiepiſcopum erat qui tenacioris ſanctitudinis opinionem habebat; & cum *Lamfrancus* per *Angliam* & *Hiberniam*, *Scotiam* & *Walliam* ſuam diffunderet ſapientiam, ſuam *Cantuarienſem* eccleſiam in omni promovit bonitate. Nam jura ipſius & libertates revocavit, & terras perditas quas prædo abſtulerat eidem eccleſiæ reſtituit; de quibus poſtmodum plenius dicetur. Et quia *Cantuar.* eccleſia tempore hoſtilitatis cum officinis igne conſumpta eſt, & monachorum numerus imminutus erat & ordo, omnia *Lamfrancus* innovans à fundamentis vetera evertit, & deinde ipſam eccleſiam *Chriſti* cum officinis infra ambitum muri cum ipſo ambitu ædificavit, proceſſu temporis centum monachos appoſuit; ſic prudenter inſtituens ut in eccleſia *Chriſti* monachi eſſent ſepties xx. vel centum & L. quibus ordinem ſcripſit, Priorem inſtituit & quamplurima de auro, & argento, & pannis ſericis, & in diverſis rebus innumera fecit ornamenta,

menta., eccleſiam quoque ſancti *Andreæ Roffenſis* quam rex olim fundaverat *Ethelbertus*, renovavit, conſummavit, quam etiam precioſis ornamentis & monachis ditavit. Eccleſiam etiam ſancti *Albani* quam rex *Ine* fundaverat olim, reſtauravit & ibidem monachos inſtituit. Eccleſiam ſancti *Gregorii* papæ extra *Cantuariam* & hoſpitale à fundamentis inchoavit, & conſummavit. Eccleſiam etiam ſancti *Nicholai* ad occidentem civitatis & hoſpitale fecit leproſorum; in quibus eccleſiis clericos inſtituit, ut prædictis ægrotis, vivis, & defunctis ſpiritualia miniſtrarent; victualia quoque eiſdem ægrotis & redditus aſſignavit. In maneriis ad archiepiſcopum pertinentibus eccleſias & domos honeſtas ædificavit. In congregatione illa famoſa nobilium *Angliæ* & ſeniorum quæ ex præcepto regis facta eſt apud Pinindene dirationavit *Lamfrancus*, & recuperavit terras ablatas, libertates & conſuetudines revocavit; & ſicut rex tenet libere conſuetudines ſibi debitas in terris ſuis, ita archiepiſcopus & eccleſia *Cantuarienſis* in omnibus locis tenet homines ſuos, conſuetudines, terras, jura & libertates ſecundum cartas regum quas eadem habet eccleſia, & principaliter ſancti *Edwardi* & omnium ſucceſſorum ipſius. Rex autem *Willielmus* in partibus tranſmarinis negotiis multis & magnis intentus, *Lamfrancum* in *Anglia* conſtituit judicem omnium & præceptorem. Is enim inter alios, immo præ aliis erat memorato regi *Willielmo* acceptus, & in cunctis Dei rebus non mediocriter intentus: Quapropter ſemper operam dabat, quatinus & regem Deo devotum efficeret, & religionem morum bonorum in cunctis ordinibus hominum per totum regnum revocaret. Nec privatus eſt deſiderio ſuo Multum enim inſtantia illius atque doctrina per totam *Angliam* religio aucta eſt, & ubique nova monaſteriorum ædificia conſtructa ſunt. Mortuo poſtmodum in *Normannia* rege *Willielmo* primo anno regni ſui xxj. convocatis epiſcopis & primoribus *Angliæ*, *Lamfrancus* elegit *Willielmum* filium regis, ſacravit & coronavit in regem apud *Weſtmonaſterium* v. kal. Octobris: hunc enim antea educaverat & militem fecerat. Deinde *Lamfrancus* ſicut & ante lectioni ſemper intentus erat, ut per ſe, vel per alios veteris & novi teſtamenti libros emendavit; pauperibus itaque dapſilis erat, ut quingentas libras quotannis ad elemoſinam erogaſſe dicatur. Conſanguineis monachorum ſuorum indigentibus ſufficientia beneficia inpendebat. Conſecrationis ejus pronoſticon erat, *Date elemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis*. Sed & ipſe dicere poterat, ab adoleſcentia crevit mecum miſeratio; fuit enim alacritate jocundus, humilitate ſubmiſſus, in elemoſinis largus, fide catholicus, Chriſtianæ religionis reparator, pauperum ſuſtentator, pupillorum protector, viduarum & oppreſſorum conſolator. Hiis & aliis virtutibus ornatus, fidem recte vivendo ſervavit, curſum bene moriendo conſummavit. Nam appropinquante termino vitæ ſuæ, decidit in ægritudinem, & anno patriarchatus ſui xix. v. kal. Junii feria ij. poſt octavas Pentecoſtes prima hora diei diem clauſit extremum & in eccleſia Chriſti quam ædificaverat præſente *Thoma Eboracenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Angliæ* ſepultus eſt. Poſt ipſius deceſſum annis iiij. viduata paſtore *Cantuarienſis* vacavit eccleſia. Quantas interim oppreſſiones quot dampna per regem *Willielmum* ſecundum, non ſolum *Cantuarienſis*; ſed & *Anglicana* ſuſtinuit eccleſia, deflendum eſt potius quam dicendum. Nam rex *Willielmus* effrænis effectus omni ſorduit libidine, nimiaque deſævit cupiditate ſimul & crudelitate. *Cantuarienſis* enim eccleſiæ tunc vacantis & omnium vacantium eccleſiarum terras confiſcavit & redditus, homines oppreſſit, jura minuit, libertates adnichilavit: ſic tenuit eccleſiam *Cantuarienſem* annis iiij. in omni crudelitate. Decidit tandem in lectum & deſperatus eſt: ſuggeſſerunt ei ſui ut Deum vel ſic formidans ſui miſereretur & eccleſias vacantes donaret, & maxime matrem omnium *Cantuarienſem* eccleſiam. Conſenſit ille, ſi quis tamen dignus inveniretur; & tandem

De ſancto Anſelmo.

ANſelmus abbas *Beccenſis*, qui tunc in *Anglia* ordini *Beccenſi* ſubditas viſitabat eccleſias, electus eſt. Sed ut paucula de prædicto patre ſuccincte dicantur, lector ſiſte gradum, & ſic devotius carpe viator iter. Natus eſt igitur *Anſelmus* in *Auguſta* civitate, patre *Gundulfo*, & matre *Ermenberga*. Qui concepit ab infantia timorem Domini, unde veræ juſtitiæ poſtmodum opera proceſſerunt: literis & honeſtati adoleſcens applicat animum, & explevit in brevi tempora multa. Exactis dehinc tribus annis in *Francia* vel *Burgundia*, *Lamfrancum* adiit in *Normannia*, ad quem audiendum de diverſis mundi partibus confluebant, quicunque ſapientiæ vel eloquentiæ profectum appetebant. Is enim omnium judicio præſtantiſſimus habebatur. Factus eſt ei *Anſelmus* familiaris præ cæteris, & magiſtri quodammodo exhauſit ſpiritum: unum tamen *Anſelmus* neceſſarium eſſe proſpexit, quod hujus mundi quælibet ſcientia veram non confert beatitudinem. Et cum ad obſequium Dei omnino animum inclinaſſet, tandem apud *Beccum* monachus factus eſt, ubi *Lamfrancus* ſub abbate *Herlewino* tunc temporis Prioratum regebat; à quibus *Anſelmus* informatus ſic profecit in triennio, ut univerſis videri poſſet ex merito lucidiſſimum veræ ſanctitatis exemplum. Aſſumpto vero *Lamfranco* in regimen monaſterii *Cadomenſis*, in Prioratum *Beccenſis* eccleſiæ eidem ſucceſſit *Anſelmus*. Studuit igitur in religione proficere, & mores hominum vitæ non habebat exemplum ſed verbum Dei: vigebat enim in eo legis Dei jugis meditatio, executio cauta, fida relatio, & oratio devota. De illo dici poteſt quod de *Martino*: Ori ejus nunquam Chriſtus defuit, ſive juſtitia, ſive pax, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Habebat ſemper ante oculos timorem Domini, & omnem peccati faciem ſuper omnia quæ dici poſſunt exorrebat. Pius erat ut omnibus paternum inpenderent affectum. Veræ ſcientiæ ſic ſcrutabatur vias, ut fidelia ſcripta perlegeret, & corruptiones librorum emendaret; fortitudinem vero animi à cultu veræ juſtitiæ non deflexit. Vigebat in eo ſpiritus conſilii, ut ad ipſum turmatim fluerent undique deſolati. Illuxerat ei tanta claritate facies veritatis, ut intelligeret prudenter ænigmata ſcripturarum, nodos quæſtionum potenter diſſolveret, manifeſta frequenter haberet occulta cordium, & quædam prophetandi gratia plerumque prædiceret arcana futurorum. Præſidebat in eo ſapientia ſpiritus ut nichil in eo ſaperet niſi Deus; profitebatur cum apoſtolo, *Corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.*

Quis infirmatur, & ego non infirmor ? quis ſcandalizatur, & ego non uror ? Aliorum quippe , præcipue juvenum et infirmorum , profectum curans, divinam ſibi gratiam adquirebat, et cum omnibus benignitate magis imperaret quam auctoritate, nichil tamen de vigore ordinis remittebat, ſed ad miſericordiam magis quam ad ſæviciam promior erat. Noverat enim auctoritatem et auſteritatem inferre timorem potius quam amorem, nec ſine amore eſt ordo, quia nulla vera eſt ſine caritate religio. utique non extorquebis amari. Operibus caritatis et miſericordiæ ſemper inſiſtens fructum plurimum domino adquirebat, et utilitati fratrum omnino ſtuduit inſervire. Licet autem omnibus obſequi , neminem lædere geſtiens , etiam cum hiis qui eum oderant eſſet pacificus, invidiam tamen quam aut virtus, aut felicitas, aut horum opinio ſemper accendit,non potuit declinare. *Anſelmus* dæmonibus imperat, morbos expellit, futura prænunciat, legem Dei facit et docet , et multis indiciis vir apoſtolicus eſſe comprobatur. His temporibus ſcripſit tres libros, unum de Veritate, alium de Libero Arbitrio, tercium de caſu Diaboli. Scripſit etiam librum de Grammatico, et Monologion, et alium cui Proſologion titulus eſt. Exinde ſemper magis ac magis mundum exhorruit, et verum monachatum ardentius amplexatus eſt; unde ad eum undique de remotis regionibus plurimi confluebant, aut auxilium, aut ipſius conſilium expectabant. Abbati vero *Herlewino* decedenti invitus quidem & renitens *Anſelmus* ſucceſſit. Ut autem orationi, lectioni & officio verbi liberius vacaret , cauſas & forinſeca negotia fratribus ad hoc idoneis delegavit : Vix enim aut nunquam exercentur lites ſine diſpendio caritatis. Tantam humilitatem hoſpitibus exhibebat, ut ſæpe eorum gratia fratrum refertorium ſpoliaret ; circa pauperes adeo miſericordiæ viſceribus affluebat, ut hoc ſolum quodammodo noſſe videretur, Omnipotenti te tribue. *Anſelmo* quidem aſcribendum eſt quod ſancti martyris *Elfegi* memoria ſolenniter celebratur. Cum enim veniſſet in *Angliam* ut ſibi commiſſas viſitaret eccleſias & magiſtrum ſuum jam archiepiſcopum videret *Lamfrancum* , inter alia dilectionis eloquia dixit *Lamfrancus* , quod *Angli* quoſdam ſibi inſtituiſſent Sanctos , inter quos & quendam *Elfegum* archiepiſcopum quidem quem *Dani* occiderunt, eo quod pro redemptione ſua homines ſuos nollet ſpoliare. Cui cum probabili ratione monſtraſſet *Anſelmus Elfegum* pro juſticia paſſum verum Dei martyrem eſſe, inſtituit *Lamfrancus* ipſius memoriam ſolenniter celebrari. De *Bregewino* vero, *Adelardo*, *Alfrico* , & aliis archiepiſcopis quia ſcripta autentica reperta non ſunt ſolennitates eſſe deſierunt. Viſo *Lamfranco* , tranſfretavit *Anſelmus* , & poſtmodum rege *Willielmo* primo in *Normannia* mortuo, *Willielmus* filius ejus à *Lamfranco* coronatus eſt. *Lamfranco* autem ad ſuperos tranſlato , annis quatuor vacavit eccleſia *Cantuarienſis*, & *Anſelmus* anno quarto à primoribus vocatus rediit in *Angliam*. Deinde progreſſus ad curiam, ab occurrente ſibi rege honorifice ſuſceptus eſt. Regem ſecretius alloquitur *Anſelmus*, exceſſus corripit , tranſgreſſiones exponit, ut reſipiſcat hortatur, & ſtatuit regem contra faciem ſuam. Diſgrediuntur ab invicem, & rex graviter infirmatus decidit in lectum & deſperatus eſt. Suggeſſerunt ei ſui ut ſaltem in hoc articulo miſereatur ſui; ut mater omnium *Cantuarienſis* eccleſia dignum ſortiatur paſtorem. Adquieſcit ille conſilio, & *Anſelmum* in hoc opus digniſſimum fore pronunciat. Acclamatur ab univerſis, & *Anſelmus* electus eſt ij. non. Marcii prima Dominica quadrageſimæ. Audit hæc ille, & contradicit, reluctatur & obſtat : prævaluit tamen eccleſiæ Dei conventus, & *Anſelmus* violenter in vicinam eccleſiam cum ympnis portatur magis quam ducitur. Cumque ad regem renitens traheretur, ut ſecundum morem de manu regia baculum ſuſciperet paſtoralem , abhorruit *Anſelmus* & quantum potuit reniſus eſt. Adjuncto tamen utcunque manui ipſius de foris baculo , præcepit rex ut ſine dilatione ac diminutione inveſtiretur de omnibus ad archiepiſcopatum pertinentibus intus & extra ; & ut ei civitas *Cantuarienſis* quam *Lanfrancus* ſuo tempore à rege tenebat , & abbatia Sancti *Albani* quam *Lanfrancus* & anteceſſores ejus habuerant, ad alodium *Cantuarienſis* eccleſiæ perpetuo jure tranſirent. Convaluit in proximo rex, & *Anſelmus* vix tandem electioni conſentiens , conſecratus eſt in eccleſia *Cantuarienſi* ij. non. Decembris à *Thoma* archiepiſcopo *Eboracenſi*, aſtantibus & cooperantibus epiſcopis *Angliæ*. Anno gratiæ M xciij. inde profectus ad regis curiam, tribus diebus natalis domini in lætitia magna tranſactis, rex adverſus eum graviſſimam concepit indignationem, quod ille mille libras argenti non dederat regi quaſi pro retributione archiepiſcopatus, quem ei dederat, ut dicebat, ſine prece vel obſequio. Cum autem rex properaret ad mare, & *Anſelmus* eum pro pace ſollicitaret eccleſiæ, iratus rex ipſum præcepit recedere, & ne tranſitum ejus diutius expectaret. Ab illo die eccleſia Chriſti magis concutitur, minuuntur poſſeſſiones, litibus & ſumptibus vexantur homines , & fiunt indies poſteriora pejora prioribus. Erat autem *Anſelmus* infirmus ad mundana & ratiociniis intereſſe non poterat, ſed omnia viro prudenti monacho commiſerat *Baudewino*. Scripſit interim librum de incarnatione Verbi. Regem vero de tranſmarinis redeuntem rogat *Anſelmus* , ut ei liceat pro pallio dominum papam adire *Vrbanum*. At ille ad *Vrbani* nomen intumuit, aſſerens in regno ſuo non debere apoſtolicum quempiam nominari ſine ipſius electione. Præfigitur dies et locus *Anſelmo* ut de hac temeritate reſpondeat. Aſſunt partes & voluntati regis omnes acclamant , præcipue tamen epiſcopi regiam ſententiam affirmabant ; quos cum divinis & canonicis rationibus infrænaſſet *Anſelmus* , omnes uno impetu vociferati ſunt eum deliquiſſe in regiam majeſtatem , qui voluntati ejus ſuas præpoſuerat leges. Nam nec Deo miſeri quicquam niſi rege [annuente] audebant aſcribere. Ad unam igitur regis vocem archiep. ſuo omnem obedientiam abnegant & communionem abjurant, rex ei manifeſtas inimicitias indicit, & omnem abnegat ſecuritatem. At ille conſtantior effectus à curia receſſit. Interea rex miſſis nunciis clanculo pallium à papa *Vrbano* quem odio habuerat petiit & obtinuit, ut vel ſic *Anſelmum* ad libitum inclinaret, vel eo penitus depulſo, archiepiſcopatum alteri cum pallio ipſo donaret. Quo cognito, renuit *Anſelmus* de manu regia pallium ſuſcipere, & gratiam ipſius mediante pecunia vendicare. Pallium igitur per Epiſcopum *Albanenſem Cantuariam* delatum eſt, & in altari Chriſti poſitum ſuſcepit *Anſelmus*. Procedente tempore cum *Anſelmus* regem alloqueretur de concilio celebrando, ut horrenda vicia paſſim oborta extirparet. Indignatus rex vehementer novum in *Anſelmum* exercuit furorem. *Anſelmus* autem veniens *Cantuariam*, primo à monachis , deinde à clero & populo licentiam accepit abeundi, expoſita publice cauſa itineris, ſumptoque ante altare Chriſti baculo & pera *Dovoriam* periit & transfretavit , . & rex omnes terras archiepiſcopi confiſcavit. Omnes igitur *Anſelmum* honorabant omnes occurrebant, omnes eum amabant, veneranda enim ſenis canities ingerebat reverentiam pariter et timorem. Omnis ætas, omnis conditio, omniſque profeſſio fatebatur *Anſelmus*, ſed domeſtici ejus videlicet epiſcopi ei adverſabantur. Et profecto *Cantuarienſis* eccleſia his diebus plus fidei repperit in extraneis quam in ſuis , filii enim perſequebantur patrem , & inimici hominis domeſtici ejus dum ſuo primati ſuffraganei erant infeſti. Quantas autem oppreſſiones, quot dampna per hos tres annos ſuſtinuerit *Anſelmus* ſub hoc rege *Willielmo* & poſtea ſub rege *Henrico* pro inveſtituris eccleſiarum, non eſt noſtri propoſiti tenor ad unguem hæc dicere. Monachi eciam *Cantuarienſes* non ſunt & hac immunes perſecutione. Legat *Edmeri* Cantoris opuſcula, vel novorum in *Anglia* qui prædicti patris dicta , vel facta plenius noſſe voluerit. Hunc licet *Urbanus* papa multum honoraret & libenter audiret, diſtulit tamen cauſam ipſius de mandato regis à ſolennitate paſchali in diem feſtum Sancti *Michaelis*. Scripſit interim *Anſelmus* librum *cur Deus homo*, & alium de conceptu virginali & originali peccato. In concilio *Barenſi* ad preces *Urbani* Papæ convicit *Anſelmus Græcos*, & in Concilio *Romano* Sententiam excommunicationis dedit *Urbanus* in omnes qui inveſtituras faciunt eccleſiarum vacantium, & qui eas accipiunt de manu laicorum. Ante diem vero *Anſelmo* præfixum obiit *Urbanus* & rex *Willielmus* in nova foreſta ſagitta percuſſus interiit, & *Henricus* frater ipſius junior in regem coronatus eſt, & ad conſolationem eccleſiæ Chriſti revocatur *Anſelmus*. Occurrunt primi monachi *Cantuarienſes*, & rex ipſe reditum *Anſelmi* procuravit. Rediit igitur *Anſelmus* et regis *Henrici* coronatione confirmata, reginam ejus *Matildam* apud *Weſtmonaſterium* coronavit. Verum cum regi recitaret *Anſelmus* quid à Domino papa de inveſtituris eccleſiarum actum ſit, rege turbato, omnia in contrarium verſa ſunt. Quot enim et quanta pro libertate eccleſiarum duobus annis et dimidio paſſus ſit, longum eſt enarrare. *Anſelmus* tandem ad preces regis *Romam* miſſus eſt, ut vel ſic à ſententia *Paſchalem* papam qui ſucceſſerat *Urbano* revocaret ; periit tamen labor et impenſa, et *Anſelmo* prohibitum eſt voce regia ne rediret in *Angliam*, et archiepiſcopatum juſſit rex confiſcari. *Paſchalis* papa *Eboracenſem* archiepiſcopum *Gerardum* ad debitam *Anſelmi* compulit ſubjectionem, & *Anſelmo* totius *Angliæ* confirmavit primatum. Rex autem *Henricus* ut comperit papam in ſua conſtanter ſtare ſententia, et *Anſelmum* inflexibilem eſſe , poſt annum & dimidium vocatus à rege venit in *Normanniam* , et in amicitiam regis ſuſceptus eſt, & ſua recepit. Exhinc cum proſpero curſu veniſſet in *Angliam*, cum gaudio multorum et honore ſuſceptus eſt. Rex ipſe non modice lætabatur quod fuerat *Anſelmi* pace potitus, & deinde prædeceſſorum ſuorum uſu relicto, nec perſonas elegit, nec eas per baculum, vel aliud inveſtivit. *Anſelmus* unum celebravit Concilium apud *Weſtmonaſterium* in quo affuit *Gerardus Eborac*. archiep. & epiſcopi *Angliæ* & abbates. In quo inter alia quæ promulgavit capitula, certis ex cauſis depoſuit *Widonem* abbatem de **Perſoꝛe**, *Wimundum* de **Taviſtock** , *Aldwinum* de *Rameſeia* , *Godricum* electum de *Burgo*, *Hamonem* de **Cernel**, *Egielricum* de **Mideltune**, *Ricardum* de **Heli**, *Robertum* de Sancto *Eadmundo* & illum de *Mucheleneia*. Hos autem diverſis temporibus ſacravit epiſcopos. *Samſonem* ad eccleſiam *Wigornienſem* , *Girardum* ad *Herefordenſem* , ambos in eccleſia Sancti *Pauli Lundoniæ*, aſtante *Thoma Eboracenſi* & epiſcopis *Angliæ*. Tempore vero regis *Henrici* ſacravit in eccleſia *Chriſti Cantuariæ*, *Willielmum Wintonienſem*, *Rogerum Sareſberienſem*, *Reinelmum Herefordenſem*, *Willielmum Exonienſem*, *Urbanum* de *Clamorgan*, cooperante *Gerardo Eboracenſi*, & vi. epiſcopis *Angliæ*. Sacravit eciam apud **Pageham** *Ricardum* epiſcopum *Lundonienſem*, & mortuo *Gundulfo Roffenſi* epiſcopo dedit *Anſelmus* epiſcopatum ejuſdem eccleſiæ *Radulfo* quondam abbati *Sagienſi*, et ſacravit eum in eccleſia *Chriſti Cantuariæ*. Abbatem eciam Sancti *Eadmundi* benedixit *Robertum* nomine, et *Hugonem* Sancti *Auguſtini Cantuariæ*, et debitam ſuſcepit profeſſionem. *Thomam Eboracenſem* Electum qui *Gerardo* ſucceſſit reſilire volentem, eciam poſt obitum ſuum per literas patentes eidem *Thomæ* et omnibus epiſcopis *Angliæ* miſſas, per induſtriam venerandi Prioris *Conradi* ad obedientiam et debitam revocavit profeſſionem. Conventum quoque *Cantuarienſis* eccleſiæ quem ſemper affectuoſe dilexerat, majori quam habere ſolebat donavit libertate, ut in portione ſua liberam ſemper haberent diſponendi libertatem. Tercio autem anno poſtquam à ſecundo exilio per regem *Henricum* revocatus eſt , cœpit *Anſelmus* viribus corporis deſtitui. Et laceſcente ſtomacho ſine dolore aliquo decidit in lectum, et adunato circa illum toto ſuorum monachorum conventu, ultimum ſpiritum in manus creatoris emittens xi. kal. Maii dormivit in pace anno gratiæ M.C. ix. pontificatus ſui anno xvi. ætatis vero lxxvi. et die craſtina cum honore debito in eccleſia *Chriſti* ſepultus eſt. Poſt ipſius obitum vacavit eccleſia *Cantuarienſis* annis v. anno ſexto jam inchoato poſt obitum *Anſelmi* archiepiſcopi.

De Radulfo.

Henricus I. Rex.

R*Adulfus Roffenſis* epiſcopus quondam abbas *Sagienſis* , homo ſummæ jocunditatis et non modice literis inſtructus, ad archiepiſcopatum electus eſt, et per manum *Anſelmi* legati ſuſcepit pallium miſſum à domino Papa *Paſchali*. Deditque *Radulfus* archiepiſcopus epiſcopatum *Roffenſis* eccleſiæ *Ernulfo* abbati de *Burgo*, et ſacravit eum in eccleſia *Cantuarienſi*. Et cum eo ſacravit *Gaufridum* ad eccleſiam *Herefordenſem*. Proceſſu temporis ſacravit idem *Radulfus Theowlfum* ad eccleſiam *Wigornienſem*, *Bernardum* ad eccleſiam Sancti *David* in *Wallia*, apud *Weſtmonaſterium*, & ibidem ſacravit *David* electum ad eccleſiam *Bangornenſem*. Sacravit eciam *Ricardum* ad eccleſiam *Herefordenſem*, *Robertum* ad *Ceſtrenſem*, *Everardum* ad *Norwicenſem*, *Gregorium* ad *Dublinienſem* in *Hibernia*, et hos apud **Lambee**. Hos eciam abbates benedixit. *Alboldum* ſcilicet abbatem Sancti *Eadmundi*.

Coronavit eciam *Aliziam* reginam filiam ſcilicet *Godefridi* ducis *Lotaringiæ*.Habita eſt interea cauſa de querela quæ inter *Radulfum Cantuarienſem* archiepiſcopum & *Turſtanum* electum *Eboracenſem* jam per annum fuerat verſata. Monuit enim archiepiſcopus *Radulfus* electum ut benedictionem ſuſciperet & debitam faceret profeſſionem: annuit ille ut benedictionem quidem acciperet, ſed nullum facere voluit profeſſionem. Rex autem *Henricus* ubi advertit *Turſtanum* in ſua pertinacia ſtare, aperte proteſtatus eſt, Illum aut morem anteceſſorum ſuorum tam in profeſſione facienda quam in aliis dignitatibus eccleſiæ *Cantuarienſi* ex antiquo jure competentibus executurum , aut epiſcopatu *Eboracenſi* cum benedictione funditus cariturum. Hiis auditis. *Turſtanus* inpræmeditatus renunciavit electioni, fide ſpondens interpoſita quod dum viveret archiepiſcopatum non reclamaret, nec aliquam calumniam inde unquam moveret,quicunque ſubſtitutus fuiſſet. Sed in proximo de hoc facto pœnituit , & quod invitus vel inproviſus abjecerat, ſtuduit revocare. *Radulfus* archiepiſcopus *Romam* adiit, & à *Romanis* honorifice ſuſceptus, in ſolennitate Sancti *Gregorii* Papæ in altari Sancti *Petri* miſſam celebravit, & reverſus eſt infecto negotio pro quo venerat ; *Paſchalis* enim papa obiit, & *Gelaſius* ſubſtitutus ob metum Imperatoris qui *Gregorium* inſtituit venit in *Franciam*. Qui cum hæc & illa perſonis inferenda minaretur, decidit in lectum & obiit, & *Kalixtus* in *Francia* papatum optinuit. Hic cum indixiſſet Concilium generale *Remis* celebrandum, & archiepiſcopus *Radulfus* infirmitate detentus non veniret, *Turſtanus* quondam electus *Eboracenſis* ad papam venit, & mox poſthabita ſponſione quam regi fecerat & fide,optinuit ilico ut ab ipſo papa conſecraretur; quod & factum eſt. Cujus conſecrationi ex juſſu papæ interfuerunt quidam Epiſcopi *Galliæ*,quia epiſcopi *Angliæ* nondum ad Concilium venerant.Unde commotus admodum rex,*Turſtano* et ſuis *Angliam* interdixit & *Normanniam* & omnem locum dominationis ſuæ. Sed poſtmodum ad preces & comminationes *Kalixti* in *Anglia* receptus eſt. Interea de reginæ maritatione & in regnum promotione actum eſt inter regni ſullimiores & in Windleſore ipſum negotium adminiſtrari diſpoſitum eſt, ubi cum epiſcopus *Saresberienſis* quia caſtrum ipſum in dioceſi ſua conſiſtit,officium ipſius copulæ niteretur adminiſtrare, contradictum & comprobatum ab aliis eſt magis ad archiepiſcopum *Cantuarienſem* id pertinere , ea ratione quod rex et regina ſpeciales ac domeſtici parochiani ſunt ipſius , nec dioceſem cujuſvis epiſcopi ei poſſe præripere quod ſui juris dinoſcitur eſſe, cum tota terra lege primatus *Cantuarienſis* parochia ſua ſit,et omnes epiſcopi totius inſulæ parochias quas habent non niſi per ipſum et ab ipſo habent. Sedata igitur in hiis controverſia eſt. In craſtino autem dum in reginam ipſa puella benedici debuiſſet & jam dicto introitu miſſæ pater *Radulfus* ipſum officium celebraturus ſacris altaribus aſtitiſſet, advertit regem in ſolio ſuo ſedere coronatum, & admiratus eſt ſciens regi coronam ſe non impoſuiſſe ; Nec illam ab alio poſitam ſe præſente jure ferre debuiſſe. Divertit igitur infulatus et ſui patriarchatus ſtola redimitus ab altari , & ad regem accedens eo ſibi ſuppliciter aſſurgente ſciſcitatus eſt quiſnam capiti ejus coronam impoſuiſſet. Ad quod ille demiſſo vultu ſe non magnam curam inde accepiſſe, & iccirco memoriæ id elapſum modeſta voce reſpondit : & archiepiſcopus ; Quicunque, ait, illam poſuit non id utique bene fecit jure , nec quamdiu capiti tuo hoc modo inſederit, propoſiti negotii executor exiſtam. Cui rex,Si non jure ut aſſeris inpoſita eſt fac quod juſte fore faciendum cognoſcis, me contradictorem in nullo habebis. Pontifex igitur elevatis manibus ſuſtulit coronam de capite regis; ipſo diſſolvente anſulam qua ſub mento innodata erat; ne capiti inſidens vacillaret. Quod hii qui circumſtabant intuentes,omnes elata voce pontificem parcere & regio capiti coronam remittere petierunt. Adquievit ille , & mox juxta regem coronatum ſtans; *Gloria in excelſis Deo* ad inceptæ officium miſſæ inchoavit, choroque ſub ſequentia ſequente altario repræſentatur. Regina itaque in regnum conſecrata eſt, & dies feſtivus & hilaris omni populo qui confluxerat habitus eſt. Erat autem regina vocabulo *Alizia* filia *Godefridi* ducis *Lotharingiæ*. Dedit eciam præfatus archiepiſcopus concedentibus & approbantibus monachis *Cantuarienſibus* archidiaconatum ipſius eccleſiæ *Johanni* nepoti ſuo in capitulo *Cantuarienſi* præſente fratrum conventu. Ubi de more ſolito juravit fidelitatem eidem eccleſiæ in omnibus ſervandam *Turſtanus* autem *Eboracenſis* in ſua perſtitit pertinacia. *Radulfus* archiepiſcopus ſedit annis viij.menſibus vj. et longa tandem ægritudine conſumptus iij. kal. Novembris ad vitam tranſivit æternam, et ſepultus eſt. Poſt ejus obitum menſe quarto, id eſt ij. non. Februarii factus eſt conventus epiſcoporum, abbatum ac procerum ex præcepto regis apud *Gloceſtriam* pro ſubſtituendo pontifice in locum defuncti. Juſſu quoque regis quidam ex monachis *Cantuarienſibus* venerunt illuc patrem ſibi electuri ſive ſuſcepturi. Verum dum ſui ordinis perſonam juxta morem à tempore beati *Auguſtini* eccleſiæ *Cantuarienſi* ſervatum monachi expeterent, et epiſcopos omnes eo quod clerici erant in hoc ſibi penitus infeſtos haberent,regis pedibus proſtrati petierunt lacrimoſa voce, ne inſuetæ profeſſionis hominem contra morem antiquum ſibi ſineret præponi, cum tot in *Anglia* monachos haberet et abbates. Ad hæc epiſcopi conturbati, nulla ratione præbere potuerunt aſſenſum. Petierunt inducias monachi, ut ſuper hiis conventum *Cant* et epiſcopum *Roffenſem* qui ibidem non erat propter ſuam quamhabebat infirmitatem [conſulerent.] Repulſi ſunt eciam ab hac petitione. Dixerunt enim epiſcopi eos ab eccleſia perpetuo eliminandos utpote tranſgreſſores et contemtores. Rex, inquiunt epiſcopi, dominus eſt nec veſtrum eſt in aliquo ſuæ contradicere voluntati. Cum igitur monachi monachum et epiſcopi clericum peterent, vir tandem eximiæ religionis et prudentiæ

De Willielmo.

WIllielmus Prior & Canonicus ſanctæ *Oſitha* de Chic electus eſt : quem in eccleſia *Cantuarienſi* ſacravit *Ricardus* epiſcopus *Londonienſis*, aſtante & cooperante *Willielmo Wintonienſi* & epiſcopis *Angliæ* xij. kal. Marcii anno Domini M. C. xxij. Poſtmodum in proximo *Romam* petiit, & à *Kalixto* papa pallium ſuſcepit & primatus dignitatem. Inde *Cantuariam* rediens, ab epiſcopis quatuor, conventu quoque monachorum, clero & populo ſummo cum honore ſuſceptus eſt, & pallio ſuo redimitus intronizatus eſt. Sacravit ibidem eadem die *Alexandrum* electum ad regimen *Lincolnienſis* eccleſiæ. Poſt hæc *Londoniam* veniens, ſacravit in ſede epiſcopali *Godefridum* eccleſiæ *Batonienſis* electum. Sacravit etiam *Seinfridum* abbatem ad eccleſiam *Ciceſtrenſem* apud **Lamhee**. In eccleſia vero *Cantuarienſi* ſacravit *Johannem* archidiaconum *Cantuarienſem* in epiſcopum *Roffenſem*, & *Simonem Wigornienſem*, *Gilebertum* quoque *Londonienſem*. *Henricum* vero *Wintonienſem* qui erat nepos regis ex ſorore ejus *Alizia*, monachus quidem *Cluniacenſis*, ſed abbas *Glaſtonienſis* ſacravit in eccleſia Chriſti *Cantuarienſi*. In eccleſia *Roffenſi* ſacravit *Rogerum* ad eccleſiam *Ceſtrenſem*, *Robertum* ad *Herefordenſem*. *Herveus* quondam epiſcopus *Bangornenſis*, tunc autem primus epiſcopus *Helienſis* obiit, eique ſucceſſit *Nigellus* quem ſacravit *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus. Hæc *Helienſis* abbatia commutata eſt in epiſcopatum tempore *Anſelmi*. Benedixit etiam *Herebertum* abbatem *Saropsberiæ*, & *Hugonem* ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, de cujus benedictione cum monachi ſui litigarent nec prævalerent, dixit rex *Henricus*, Per mortem domini noſtri eccleſia *Cantuariæ* omnium noſtrum mater communis ſub ſponſi ſui *Jeſu Chriſti* diſpoſitione ſeſe tuetur; nam omne quod agimus vel diſponimus contra eam ipſe oppugnat pro ea & vincit. Ipſe ſuper æmulos ejus in omni loco vim ſuæ virtutis exerit, triumphat, dominatur & regnat. Hiis diebus venit in *Angliam* legatus quidam, nomine *Johannes*; à *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo, & *Turſtano Eboracenſi*, & epiſcopis *Angliæ* nimis pompoſe ſuſceptus eſt. Poſt modicum idem legatus peragrata *Anglia* celebravit concilium apud *Weſtmonaſterium*, & totam *Angliam* in non modicam commovit indignationem. Videres enim rem eatenus regno *Anglorum* inauditam, clericum ſcilicet presbyterii tantum gradu perfunctum, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, totiuſque regni nobilibus qui confluxerant, in ſublimi ſolio præſidere, illos autem deorſum ſedentes ad nutum ejus vultu & auribus animum ſuſpenſum habere. Die quoque Paſchæ cum idem primo veniret in *Angliam*, officium diei loco ſummi pontificis in matrice eccleſia celebravit, eminenti cathedræ præſidens & inſigniis pontificalibus utens, licet non epiſcopus ſed ſimpliciter fuerit presbyter Cardinalis. Quæ res quam gravi multorum mentes ſcandalo vulneraverit, & inuſitata negotii novitas & antiqui regni *Anglorum* detrita libertas ſatis indicat. Toti enim regno *Anglorum* & circumjacentibus regionibus cunctis notiſſimum eſt, eatenus à primo *Cantuarienſi* metropolitano ſanctiſſimo, videlicet *Auguſtino*, uſque ad iſtum *Willielmum*, omnes ipſius *Auguſtini* ſucceſſores, monachos, primates, & patriarchas nominatos et habitos, nec ullius unquam *Romani* legati ditioni addictos. Hujus itaque ſcandali dicebant plures eſſe materiam, quod in eccleſia *Cantuarienſi* licet bonus tamen clericus monachis præſidebat. His de cauſis irritatus *Willielmus* archiepiſcopus *Romam* iturus transfretavit, ut in rebus quæ non recte proceſſerant operam daret corrigendi. Venit ergo *Romam*, & ab *Honorio* papa qui *Kalixto* ſucceſſerat, honorifice ſuſceptus eſt. Cui idem apoſtolicus vices ſuas in *Anglia* commiſit & *Scotia*, & apoſtolicæ ſedis legatum conſtituit. *Willielmus* archiepiſcopus in *Angliam* reverſus in nativitate Domini regem coronavit *Henricum* apud **Windleſore**, ubi cum *Eboracenſis* epiſcopus æqualitate *Cantuarienſis* archiepiſcopi regem vellet coronare, judicio omnium repulſus eſt, & ad eum coronam regni non pertinere una omnium ſententia concorditer promulgatur. Lator inſuper crucis quam in regis capellam ſe coram fecit deferri, extra capellam cum cruce ejectus eſt. Hujus inſtinctu, rex *Henricus* dedit & confirmavit eccleſiæ *Cantuariæ*, & *Willielmo* archiepiſcopo caſtellum quod eſt in civitate *Roffenſi*, ubi idem archiepiſcopus turrim egregiam ædificavit. Deinde *Willielmus* archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus celebravit generale concilium apud *Weſtmonaſterium*, ubi affuerunt epiſcopi xiiij. cæteri vel obierant, vel literas excuſatorias miſerant. Eccleſiam *Cantuariæ* à *Lanfranco* fundatam & conſummatam ſed per *Anſelmum* auctam iiij. non. Maii anno M. C. xxx. cum honore & munificentia multa dedicavit. Huic dedicationi interfuit rex *Anglorum Henricus*, & eidem eccleſiæ dedit in dotem eccleſiam ſancti *Martini* quam antiquitus rex *Cantiæ Wihtredus* fundaverat in villa de *Doura*. Rex etiam *Scotiæ David* interfuit præfatæ dedicationi & omnes epiſcopi *Angliæ*. Non eſt audita talis dedicatio in terra poſt dedicationem templi *Salomonis*. Tercio non. Maii dedicavit idem archiepiſcopus novam eccleſiam ſancti *Andreæ Roffenſis*. Poſt annos v. mortuo in *Normannia* glorioſo rege *Henrico*, cum *Anglia* rectorem non haberet idoneum, convocatis epiſcopis & proceribus *Angliæ* coronavit *Stephanum Boloniæ* Comitem apud *Weſtmonaſterium* xj. kal. Januarii eo quod eſſet nepos regis *Henrici*. In hac coronatione duo admodum miranda dicuntur accidiſſe: oſculum enim pacis quod in populo dare ſancta conſuevit eccleſia, oblivioni penitus traditum eſt, et inter manus archiepiſcopi dicitur hoſtia diſparuiſſe. Erant autem tunc temporis in veteri *Doverenſi* eccleſia canonici ſeculares, vitam viciis plenam pro more ſuo agentes. Conſiderans archiepiſcopus horum vitam peſſimam locumque in medio parvulæ & populoſæ [villæ] ſitum religioſorum converſatione aptum non eſſe, novam eccleſiam decenti opere factam extra villam ad auſtrum citiſſime juſſit ædificare, in qua canonicos regulares inſtituere propoſuit. Interea decidit in lectum infirmitate gravatus apud **Purtelac**, & canonicos de *Meretona* in novam eccleſiam præcepit introduci per manus duorum epiſcoporum, *Johannis* videlicet *Roffenſis*, & *Bernardi Menevenſis*. *Helewiſus Cantuarienſis* archidiaconus, & ipſe canonicus interfuit, & Prior *Cantuariæ* vir ſummæ ſimplicitatis *Elmerus* abſque conſcientia Conventus *Cantuariæ*, ſed cum *Jeremias* monachus *Cantuarienſis* illo citius adveniſſet, ad ſedem apoſtolicam ne fieret vice conventus appellavit, & ſic prædictum præpeditum eſt negotium. Relata ſunt hæc ad archiepiſcopum & ſic infirmior effectus, ad *Cantuariam* ſe præcepit in lectica deferri, ubi ingraveſcente morbo vj. kal. Decembris M. C. xxxvj. in pace quievit anno patriarchatus ſui xv. Quo cum honore decenti ſepulto, conventus *Canntarienſis* xij. monachos miſit *Dovoriam*, & poſtmodum *Elmero* Priore innocenti & ſimplici viro mortuo *Jeremiam* fecere Priorem. Poſt obitum *Willielmi* vacavit eccleſia *Cantuarienſis* annis duobus. Interea venit in *Angliam Albericus Hoſtienſis* epiſcopus & in *Angliam* legatus. Hic ex aſſenſu regis *Stephani* peragrata *Anglia* celebravit concilium apud *Weſtmonaſterium*

naſterium. Deinde vocati ſunt monachi *Cantuarienſes* in præſentia regis & legati ut ſibi & *Anglicane* eccleſiæ paſtorem eligerent; ubi præſente legato ſimul & rege & epiſcopis *Angliæ Jeremias* Prior & qui cum eo venerant monachi elegerunt abbatem *Beccenſem* nomine

De Theodbaldo.

THeodbaldum. Qui *Cantuariam* veniens ſacratus eſt à prædicto legato vj. idus Januarii anno prædicto ad altare Chriſti aſtantibus & cooperantibus epiſcopis *Angliæ*. Poſt dies paucos transfretavit legatus, & *Theodbaldus* archiepiſcopus monachos *Dourenſes* inſtituit anno prædicto & confirmavit, & ad *Romanum* pontificem pro pallio profectus eſt. Quo ſuſcepto à *Romano* pontifice *Innocentio* ſecundo, *Theodbaldus* in *Angliam* rediit & à *Cantuaritis* honorifice ſuſceptus eſt. Erat autem in diebus illis apoſtolicæ ſedis legatus *Henricus Wintonienſis* epiſcopus qui erat frater regis. Hic cum de jure legati licet privilegium ſuum pluſquam deceret extenderet in inmenſum, ſuumque archiepiſcopum & epiſcopos *Anglia* ut ſibi occurrerent quolibet evocaret, indignatus *Theodbaldus* & *Thoma* clerici *Lundonienſis* induſtria fretus, egit apud *Celeſtinum* papam qui *Innocentio* ſucceſſit, ut amoto *Henrico Theodbaldus* in *Anglia* legatione fungeretur. Oriuntur hinc inde diſcordiæ graves, lites & appellationes antea inauditæ. Tunc leges & cauſidici in *Angliam* primo vocati ſunt, quorum primus erat magiſter *Vacarius*. Hic in *Oxonefordia* legem docuit, & apud *Romam* magiſter *Gracianus* & *Alexander* qui & *Rodlandus* in proximo papa futurus canones compilavit. Interea mortuo *Turſtano Eboracenſi* archiepiſcopo, ex dono regio ſucceſſit *Willielmus*. Cujus electioni cum non conſentiret archiepiſcopus *Theodbaldus*, ſacravit eum apud *Wintoniam Henricus* ejuſdem civitatis epiſcopus. *Theodbaldus* autem diverſis temporibus & locis hos ſacravit epiſcopos. *Mauricium Bangornenſem*, *Willielmum Norwicenſem*, *Robertum Lundonienſem*, *Hillarium Ciceſtrenſem*, *Walterum* fratrem ſuum archidiaconum ſcilicet *Cantuar.* cui dedit epiſcopatum *Roffenſem* in capitulo *Cantuar.* *Nicholaum Landavenſem*, *Gilebertum Herefordenſem*, *Robertum Lincolnienſem*, *David Menevenſem* *Walterum Coventrenſem* qui Prior erat eccleſiæ *Cant.* *Johannem* etiam *Wigornienſem*, *Gaufridum* ſancti *Aſaph*, *Ricardum* quoque ſancti *Aſaph*, *Ricardum Lundonienſem*, *Robertum Exonienſem*, *Godefridum Laneluenſem*, *Ricardum Coventrenſem*; *Rogerum* etiam archidiaconum *Cantuarienſem* ſacravit apud *Weſtmonaſterium* ad regimen *Eboracenſis* eccleſiæ. Cui ex dono archiepiſcopi & aſſenſu conventus ſucceſſit in archidiaconatum *Thomas* clericus *Lundonienſis*. Abbates etiam iſtos benedixit *Theodbaldus*, *Lambertum* ſcilicet de *Boxeleia*, *Clarebaldum* abbatem primum de **Faureſham**, *Thomam de Boxeleia*, *Hugonem S. Eadmundi*, *Gregorium Malmeſberia*, *Walterum de Boxeleia*, *Silveſtrum* ſancti *Auguſtini Cant.* Egerat enim hic *Silveſter* favore regis *Stephani* & fratris ſui *Henrici Wintonienſis* epiſcopi, ut præciperet *Eugenius* papa prædictum abbatem in eccleſia ſua ſine profeſſione benedici, eo quod feciſſet eam *Roma* tributariam. At *Theodbaldus* temporis intervallo, regnante glorioſo rege *Henrico*, de mandato *Adriani* papæ apud *Norhamtoniam* in præſentia regis & epiſcoporum *Angliæ* compulit eum ad ſubjectionem ut ibidem debitam faceret profeſſionem. *Eugenius* autem papa *Romam* egreſſus, pervenit in *Franciam* & *Remis* reſedit. Quo cum vocati de mandato domini Papæ conveniſſent epiſcopi *Ciſalpini*; archiepiſcopus etiam *Cantuar.* multo labore fatigatus advenit: egerat enim ut fertur, epiſcopus *Wintonienſis* ut rex eidem archiepiſcopo tranſitum maris interdiceret, ut ſi transfretaret, regiæ majeſtatis contemptor proſcriberetur: ſi vero domino papæ non obediret, ob contemptum gravaretur. Quanto autem gaudio cum honore à domino papa ſuſceptus ſit, de facili ſcribi non poteſt, qui natando magis quam navigando dictus eſt ab ipſo papa coram omnibus ob reverentiam beati *Petri* illuc adveniſſe. In hoc concilio depoſitus eſt *Willielmus Eboracenſis* epiſcopus, & eidem ſucceſſit *Henricus*. Peracto concilio rediit archiepiſcopus *Cantuariam*, unde rex ira commotus, curſu concito pervenit *Cantuariam*, & archiepiſcopus ab *Anglia* fugatus eſt. Sed cum inter eos magni diſcurrerent mediatores, nec pacem reformarent, archiepiſcopus in *Angliam* rediens, applicuit apud **Goſeford**, & in terram quæ regis ſubjacebat imperio ſententiam dedit ſuſpenſionis; et ſic tandem hinc et inde diſcurrentibus epiſcopis pax reformata eſt, et archiepiſcopus ſua recepit. Verſabatur interea diſcordia gravis inter regem *Stephanum* et *Henricum Gaufridi* Comitis filium, quæ toti patriæ minabatur excidium. Hac ergo tempeſtate ſæviſſima quaſſata erat ſancta *Cantuarienſis* eccleſia, ut quæcunque habere poterat ei non ſufficerent ad expenſas. Confluebant enim undique pauperes et mendici, eo quod alibi nullum vel modicum invenirent ſolatium, erat enim fames in terra. Hac igitur occaſione diſtracta ſunt, et diſtributa egenis ornamenta quædam ejuſdem *Cantuarienſis* eccleſiæ, quæ tempore pacis reſervari debent ad gloriam, in neceſſitate vero ad utilitatem. Conſiderans igitur *Walterus* poſſeſſiones dirutas eccleſiæ tantis expenſis non poſſe diu ſufficere, niſi membris ſuis caput eccleſiæ ſubveniret, de conſilio quorundam acceſſit ad archiepiſcopum, rogans humiliter et petens ut conventus ſui miſereretur et laborantis eccleſiæ ſuæ condoleret ærumpnis. Cui archiepiſcopus: In quo, inquit, miſerebor? Et Prior, Ut poſſeſſiones eccleſia per Comites, Barones, et milites quos de eccleſia *Cantuarienſi* per Deum habetis, contra raptores cotidie irruentes velitis defendere, ipſaſque poſſeſſiones bonis evacuatas reſtaurare, et de eiſdem conventui veſtro neceſſaria providere; hac enim neceſſitate compulſi, omnia veſtræ committimus diſpoſitioni, dum tantam in *Anglia* videmus perturbationem. Reſtitit primo archiepiſcopus petitionibus Prioris, et nulla ratione induci potuit ad conſentiendum, ſed in brevi clericorum ſuorum inſtantia revocatus propoſuit ut conſentiret ſi pulſu ſimili denuo peteretur. Prior igitur *Walterus* jam ſecundo vel tercio archiepiſcopum aggreſſus eſt, et de facili conſenſu adhibito; archiepiſcopus ad preces Prioris et Conventus omnia cepit in manus, et tam intus quam extra cuſtodes ad ſuum poſuit libitum. Initia malorum et laborum ſunt hæc. Quod enim tunc factum eſt neceſſitate cogente utpote tempore hoſtilitatis, proceſſu temporis ad pernicioſam revocatum eſt memoriam. Cogitatio ſiquidem hominis ad malum prona eſt, præſertim ubi exceſſum ſuum palliare poteſt exemplo deceſſorum. Utilitas plane deteſtanda eſt in qua libertas eccleſiæ periclitatur. Cœpit autem archiepiſcopus primo viriliter agere acſi continuo vellet omnia in ſtatum priſtinum revocare. Sed in brevi multis gravatus expenſis, in primo paſſu poſitum retraxit pedem, & jam quod de proprio perdiderat, ut ſibi videbatur, de alieno ſtuduit reſarcire. Sicque factum eſt, ut quod ſponte vel neſcius prædo reliquerat, per manus officialium ſuorum archiepiſcopus non formidaret auferre. Exterioribus itaque ſpoliatis, in miſeros monachos ultima ſævit parcitate: hoſpes enim fere omnis à curia eorum excluſus eſt, & pauperes expulſi. Conventus ipſe qui in præcipuis feſtivitatibus lautioribus refici ſolebant alimentis, jam pane groſſiore ſimul & olere ſuam temperabant eſuriem ad unum panem ſæpius combinati. Videns autem Prior & ſeniores eccleſiæ *Cantuarienſis* deteſtabilem imminere ſubverſionem, humilimis precibus archiepiſcopum exorarunt ut eorum ſtatum emendaret, & eam conventionem quam in ſuſceptione poſſeſſionum eccleſiæ inierat obſervaret, ne conventus diutina frangeretur inedia, ne ipſe infamiam & eccleſia probroſam incurreret ſubverſionem. Audiens hæc archiepiſcopus, primo quidem modeſte, deinde indignans & moleſte, poſtremo contumelioſe reſpondit. Prior igitur de omni emendatione deſperans inſtitit, ut ſaltem dilaniatas conventui reſtitueret poſſeſſiones. Sed ille aſpernatus omnia, etiam Priorem deponere minabatur. Prior autem adepta congrua oportunitate, & totius conventus unitate unicum oppreſſorum oppoſuit remedium, & ab omni gravamine ſedem apoſtolicam appellavit. Sed archiepiſcopus ſuo excandeſcens impetu adeo contempſit appellantem, & eum ad quem appellatum eſt, ut conventum canibus compararet, equos etiam Prioris raperet, januas clauderet monachorum, & armatos cuſtodes apponeret, divinum officium per manum clerici interdiceret, monachos duos appellationem proſequentes interciperet, captos incarceraret, ſcripta & privilegia ſimul & expenſas eiſdem auferret. Confluxerunt ad hoc ſpectaculum viri religioſi, ſatagentes tantam enormitatem propellere, & paſtoris ſævitiam vel ſpecie tenus temperare. Actum eſt tandem ut conventus ſuæ renuntiaret appellationi, & archiepiſcopus cum reſtitutione ablatorum ſuſpenſionis ſententiam relaxaret. Archiepiſcopus quidem villas & redditus conventui reſtituit, ſed eccleſias quas quondam monachi in eiſdem fundaverint villis retinuit, clericis ſuis quos ſolito plus habebat cum vacarent tribuendas. Juravit etiam, ſed in ſecreto, quod nunquam plenam habituri eſſent reſtitutionem, niſi Prior qui eum offenderat humilitatis indicio dimitteret Prioratum. Annuit Prior, & ceſſit ſperans incontinenti reſtitui, ſed penitus deſtitutus eſt. Nam archiepiſcopum uſque *Lundoniam* ſequens captus eſt, & ad *Gloceſtriam* ductus, ſub arta cuſtodia poſitus eſt, quoaduſque vixit archiepiſcopus. Pro quo Priorem inſtituit *Wibertum*, qui multa bona opera fecit in eccleſia. *Theodbaldus* autem *Cantuarienſis* archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus celebravit concilium apud *Lundoniam* in media Quadrageſima, ubi rex *Stephanus* affuit, & *Euſtachius* filius ejus, totumque concilium novis & inuſitatis infrenduit appellationibus. Inuſitatæ enim erant in *Anglia* appellationes, ſicut prælibatum eſt, uſque quo *Henricus* extitit *Wintonienſis* epiſcopus. Deinde cum rex *Stephanus* de ſucceſſione regni ſollicitus eſſet, et *Euſtachio* filio ſuo coronam regni vellet imponi, convocato epiſcoporum et procerum conventu apud *Londoniam* convenitur; ſuper hoc archiepiſcopus et reſtitit ei, et deficientibus epiſcopis nec quidem conſilium dare volentibus, archiepiſcopus prudenter abiit, venit *Cantuariam*, et ſic apud *Dovoriam* tranſfretavit. Rex autem ilico confiſcavit archiepiſcopatum, et ſic *Euſtachius* male concupito fraudatus eſt honore. Hoc autem totum factum eſt ſubtiliſſima providentia cujuſdam *Thoma* clerici *Londonienſis*. Archiepiſcopus vero poſt modicum in *Angliam* revocatus eſt. Idem coronavit regem et reginam in eccleſia Chriſti *Cantuarienſi*. Tranſlato vero *Rogerio Cantuarienſi* archidiacono et ſacrato à *Theodbaldo*, dedit archiepiſcopus archidiaconatum *Cantuarienſis* eccleſiæ *Thoma* clerico *Londonienſi*. Et poſtmodum facta concordia inter regem *Stephanum* et ducem *Henricum* ſicut alias plenius ſcriptum eſt, rex *Stephanus* obiit, et apud **Faureſham** ſepultus eſt. *Theodbaldus* autem revocavit in *Angliam* ducem *Henricum*, et coronavit eum apud *Weſtmonaſterium* xvj. kal. Januarii aſtantibus et cooperantibus epiſcopis *Angliæ Rogeroque Eborac.* archiepiſcopo. Egit autem archiepiſcopus apud regem novum, ut *Thomas Cant.* archidiaconus regni fieret Cancellarius. Sedit archiep. *Theodbaldus* annis xxij. et obiit xiiij. kal. Maii anno Domini M. C. lxj. et in eccleſia Chriſti ſepultus eſt. Qualem autem quantamve egerit pœnitentiam quod eccleſiæ *Cantuarienſi* tam pauca bona et tot ingeſſerit mala, non eſt hoc meum ad præſens recitare. Poſt ejus obitum vacavit eccleſia *Cantuarienſis* anno j. menſe j. et paucis diebus. Corpus vero *Theodbaldi* poſt xix. annos ſepulturæ ſuæ integrum et rigidum inventum eſt, oſſibus et nervis, cute et carne, ſed extenuata, cohærens. Erat autem his diebus

De ſancto Thoma.

T*Homas Cantuarienſis* archidiaconus et regis *Henrici* Cancellarius, in *Anglia* potentiſſimus, *Londonienſis* urbis indigena, parentum mediocrium proles illuſtris, à primis adoleſcentiæ annis gratia multiplici ditatus. Cujus pater *Gilebertus*, mater *Matildis* vocabatur. E quibus natus et educatus *Thomas*, erat forma decorus, ſtatura procerus, ingenio perſpicax, dulcis et jocundus eloquio, venuſtate morum pro ætate amabilis; tantoque rationis vigebat acumine ut prudenter inauditas et difficiles ſolveret quæſtiones, adeoque felici gaudebat memoria ut quod ſemel in ſententiis aut verbis didicerat, quotiens volebat poſſet ſine difficultate proferre. Ab ineunte ætate ſicut referre ſolitus erat, à matre ſua didicit timorem Dei, et beatam virginem in omni negotio devotius invocare, publice mendicantibus pleno compatiebatur affectu et ſubveniebat effectu. Liberalium vero diſciplinarum ſcolas egrediens, ad curiarum ſe tranſtulit occupationes, et ſic commilitones et coætaneos anteceſſit; et cum vigerent in eo fidei zelus et magnificentia, erat tamen ſupra modum captator auræ popularis. Attamen admirandus et imitandus erat in corporis caſtitate. Deinde ducatu gratiæ contulit ſe ad archiepiſcopum *Theodbaldum*, et promerente induſtria familiaris ejus effectus eſt. Quot autem labores pro eccleſia ſuſtinuerit, quotiens ad expedienda negotia

Romam miſſus ſit, quam feliciter ſibi injuncta expedierit, non eſt hoc meum ad præſens recitare. Juri tandem civili & ſacris canonibus operam dedit, & ſanctæ *Cantuarienſi* eccleſiæ à cujus uberibus coaluerat archidiaconus inſtitutus eſt. Poſt modicum cum Dux *Normanniæ Henricus* Regi *Stephano* ſucceſſiſſet in regnum, per archiepiſcopum factum eſt ut archidiaconus ejus *Thomas* Cancellarius efficeretur. Fungens igitur *Thomas* Cancellarii officio in palacio regis tantam in oculis ipſius invenit gratiam, ut cum poſt deceſſum præfati *Cantuarienſis* archiepiſcopi primæ *Britanniarum* ſedi præfici procuraret quo totam facilius eccleſiam regeret *Anglicanam*. Vir autem tantæ curæ periculum ſatis acute ponderavit, utpote qui longo uſu didicerat quid ſedes illa habeat oneris, quid honoris, & cum miro calleret ingenio veraciſſime colligebat, quod ſi oblatum ſubiret officium Dei gratiam amiſſurus erat aut regis. Itaque aliquandiu regi & aliis eum promoveri volentibus reluctatus eſt. Sed electio divina et ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ tantum prævaluit, ut apud *Lundoniam* ab omnibus eligeretur. Convenientibus igitur apud *Cantuariam* epiſcopis & innumera multitudine ij. non. Junii die ſcilicet octavarum pentecoſtes anno M. C. lxij. conſecravit eum ad altare Chriſti *Henricus Wintonienſis* epiſcopus, eo quod tunc vacaret eccleſia *Lundonienſis*, & *Wentanus* ipſius in hoc ſicut & in cæteris ſacramentalibus ipſius vices agebat. Præterea nolebant epiſcopi ut *Eboracenſis* archiepiſcopus eum ſacraret niſi prius *Cantuarienſi* eccleſiæ debitam faceret profeſſionem. Miſſis ilico nunciis ad papam *Alexandrum* qui tunc *Romanorum* ſchiſma devitans degebat in *Francia*, pallium & plenitudinem poteſtatis petiit & accepit. Conſecratus autem ſtatim veterem exuit hominem, cilicium & monachum induit & idoneos ſibi magiſtros inſtituit qui ejus corrigerent exceſſus. Orationi & lectioni ſemper erat intentus, & ſic in altaris verſabatur officio acſi præſentialiter in carne geri cerneret Dominicam paſſionem, & intuentium fidem et mores ipſa contrectatio informaret, manus ſuas excuciebat ab omni munere & à domo ſua ſordes avaritiæ prorſus eliminabat. Erat etiam providus in conſiliis & in ventilatione cauſarum diligens & modeſtus auditor. In interrogationibus ſubtilis, in reſponſionibus promptus, juſtus in judiciis & juris per omnia rectiſſimus executor. Religioſos viros tanta reverentia excipiebat, ut credi poſſet ſe in eis Deum vel angelos venerari. In exercenda hoſpitalitate ſic pollebat, ut quicquid erat in facultatibus ejus commune patrimonium omnium videretur. In cibis & potibus medium tenuit. In veſte precioſa ſpiritu pauper. In facie læta corde contentus. In menſa lauta penuriam eligens: omnia factus ut Chriſto lucrifaceret univerſos. Pauperum erat pater et mœrentium conſolator, et prædicatio ejus tam pondere ſententiarum quam puritate verborum placens erat et efficax. Hæreticos et ſchiſmaticos infatigabiliter expugnabat, et zelo juſtitiæ fervens quod ſuum erat cuique ſervare nitebatur, perſonarum prorſus et munerum acceptione deducta. Præterea labia mendacia et linguam detrahentem ſemper deteſtabatur. A primæva ætate, jura et dignitates eccleſiæ quas publica ſibi poteſtas uſurpaverat reſarcire et in ſtatum debitum revocare conatus eſt: Unde neceſſario coactus eſt multorum et maxime potentum animos adverſum ſe concitare. Repetebat enim ab ipſo Rege dominium caſtelli *Roffenſis* et turris, Saltwde etiam et Hethe, terram quoque *Willielmi* de *Ros*, ſervitium ni fallor vij. militum & alia hujuſmodi. De Comite *Clarenſi* homagium caſtelli de Tunebregge cum adjacenti leuga quæ vulgo balie vocatur. Unde factum eſt ut animum Regis adverſus archiepiſcopum plurimi denigrarent; & orta inter eos exinde contentio diſcordia diutius protracta eſt. Si quis autem hujuſmodi cauſam & initium diſcordiæ, medium et finem noſſe deſiderat, illa magna ſcrutetur volumina quæ de eodem ſcripta ſunt; vitam ſcilicet quam ſocius paſſionum ejus præter martirium magiſter ſcripſit *Herebertus*, et aliam quam cum miraculis multis ſcripſit *Willielmus Cantuarienſis* monachus. Legat et volumen epiſtolarum ejus quas Prior compilavit *Alanus*. Legat et miracula quæ vidit et conſcripſit *Benedictus*; cum vita ipſius, quam breviter dictavit *Johannes Carnotenſis* epiſcopus. Modicum etiam ſi placet viſitet *Gervaſium* qui archiepiſcopatus ipſius geſta breviter tranſcurrit et annos, ſed de his alias. Diſcordia autem inter archiepiſcopum et regem crevit in immenſum. Poteſtas enim laica in res et perſonas omnino pro libitu uſurpabat, tacentibus epiſcopis et eccleſiaſtico jure contempto. Conatus eſt autem in primis rex archiepiſcopum blanditiis ad ſuum inclinare conſenſum ut à cultu juſtitiæ deviaret. Sed vir Dei fundatus in petra nec blanditiis emolliri potuit nec minis terreri. Hanc itaque mutationem dexteræ excelſi maligna interpretatione conati ſunt impii obfuſcare, ſuperſtitioni aſcribentes quod vitam ducebat artiorem. Zelum juſtitiæ crudelitatem mentiebantur: Quod eccleſiæ procurabat utilitates avaritiæ attribuebant, Contemptum mundani favoris venationem gloriæ eſſe dicebant, Curialis magnificentia fingebatur elatio, Quod divinitus edoctam voluntatem ſequebatur in plurimis nota ſupercilii inurebat, Quod anteceſſorum metas in jure tuendo ſæpe videbatur excedere, temeritatis arbitrabatur indicium, nichil jam ab eo vel dici vel fieri poterat quod non malitia malorum depravaret; adeo quidem ut regi perſuaderent, quod ſi archiepiſcopi poteſtas procederet, regia dignitas proculdubio deperiret. Duos interea ſacravit epiſcopos in eccleſia *Cantuarienſi*, *Rogerum* ſcilicet *Wigornienſem*, & *Rob. Herefordenſem*. De jure ergo eccleſiaſtico conſervando vel conterendo inter archiepiſcopum & regem primo apud *Weſtmonaſterium*, deinde apud *Clarendoniam*, poſtremo apud *Northamtoniam* ſermo gravis & plenus minarum protractus eſt, & inſtigante diabolo magis ac magis augebatur indies, nam rex ſibi conſuetudines conſervari volebat avitas, et adhuc epiſcopi cum archiepiſcopo ſuo ſtabant inmobiles, nec aliquam facere volebant promiſſionem niſi ſalvo ordine ſuo. Nitebantur ergo plurimi ſubplantare virum Dei. Sed hoſtes familiares peſſime perurgebant. Tractus eſt tandem ad conſenſum. Sed cum hujuſmodi conceſſionis peteretur et ſcriptum, reſtitit archiepiſcopus, cirographo tamen pravitatum penes ſe retento. Inſurgit igitur in eum rex & curia regalis et perjurum eum appellant epiſcopi; adeoque crudelis deſævit malitia, ut de membrorum detruncatione vel de vitæ periculo plurimi formidarent. Sed cum omnes opprimerentur, *Cantuarienſis* eccleſia ipſum magis angebat, cujus poteſtati, honori & utilitati plurimum derogabatur. Sed cum eum Curiales in cauſa pecuniaria condempnarent & alias intorquerent calumpnias, & in eum etiam dampnationis judicium proferre decreviſſent, ſumpto crucis vexillo publici Juris invocavit auxilium & appellavit, & à funeſta curia egreſſus & proditor conclamatus, mutato habitu nocte receſſit, & ad *Sandwicum* poſt aliquot dies perveniens à duobus tantum presbyteris in cimba parvula tranſvectus eſt anno M.C.lxiv, & ad ſanctum pervenit *Bertinum*. Actus ergo in exilium Chriſti Confeſſor, à domino papa *Alexandro Senonis* honorifice ſuſceptus eſt, & ab eo in monaſterio *Pontiniacenſi* commendatus eſt. Sed rex *Anglorum* epiſcopos & proceres ſuos & eos præcipue quos archiepiſcopi magis noverat adverſarios ad dominum papam deſtinavit, multa promittens, plurima dans petiit ut ad dirimendam cauſam in *Angliam* legati mitterentur omni appellatione remota. Sed cum ſe in hac petitione redeuntibus nunciis didiciſſet fuiſſe repulſum, eccleſiam & omnia bona archiepiſcopi & ſuorum præcepit confiſcari. Et quod in nullius hiſtoriæ ſerie legitur, totam cognationem ejus & omnes qui eum familiaritate aut quovis titulo contingebant proſcriptos addixit exilio, ſine delectu dignitatis aut ordinis, conditionis aut fortunæ, ætatis aut ſexus. Nam mulieres in puerperio decubantes & parvuli vagientes in cunis, in exilium acti ſunt. Proceſſit ulterius furor inmanis & piis auribus horrenda crudelitas. Cum enim catholica etiam pro hæreticis et ſchiſmaticis et perfidis *Iudæis* oret eccleſia, prohibitum eſt ne quis eum vel orationum ſuffragiis adjuvaret. Miniſtri quoque publicæ poteſtatis omnes adultos jurare cogebant, quod *Pontiniacum* peterent, ut vel ſic archiepiſcopum contriſtarent. Ibi enim ſe vir ſanctus diu jejuniis et orationibus maceravit, orans jugiter pro eccleſia, pro rege et regno *Anglorum*, donec eum inde rex per abbates *Ciſtercienſes* qui de terra ſua ad Capitulum generale convenerant, proturbare curavit. Sed antequam inde progrederetur, cœlitus ei oſtenſum eſt quod ad eccleſiam ſuam rediturus eſſet cum gloria, et per martirii palmam migraturus ad Dominum. Nolens autem ut occaſione ſui *Pontiniacenſibus* vel aliis inmineret diſpendium, ſponte diceſſit et ad *Francorum* regem *Lodowicum* ſe contulit, qui eum reverenter excipiens, donec pax reformaretur humaniſſime neceſſaria miniſtravit. Convenerunt autem Reges nunc apud *Montem mirabilem*, nunc apud *Montem martyrum* de pace ſua colloquentes, et rex *Franciæ* niſus eſt ut inter regem *Angliæ* et archiepiſcopum pacem reformaret. Verum quia honorem Dei et ordinis ſui reticere non voluit, diſcordes abinvicem receſſerunt. Convocati ſunt ilico apud *Lundoniam* præſules et prælati et proceres, ut contra mandata archiepiſcopi et papæ *Alexandri* omnes appellarent. Sed et monachi *Cantuarienſes* ad idem ſunt evocati. Sed miſeratione divina actum eſt ne ab eis aliqua fieret appellatio. Procuratum eſt etiam ut abjurata papæ *Alexandri* obedientia in partem ſchiſmatis tota *Anglia* transferretur. Miſertus autem *Anglicanæ* eccleſiæ deſolationem *Willielmus* epiſcopus *Senonenſis* ex aſſenſu regis *Francorum* ſedem apoſtolicam petiit, et à *Romana* eccleſia impetravit, ut rex *Anglorum* omni appellatione ceſſante ſubiceretur anathemati, & regnum interdicto, niſi pax eccleſiæ *Cantuarienſi* redderetur. Interim procurantibus his qui eccleſiæ pacem oderant, *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus in provincia *Cantuarienſi* poſt prohibitionem contra dignitatem eccleſiæ *Cantuarienſis* et antiquam conſuetudinem *Henricum* filium regis coronare præſumpſit, aſtantibus ſibi ſuffraganeis nec proteſtantibus jus *Cantuarienſis* eccleſiæ. Multiplicatis ergo injuriis, & perverſis hominibus patientia Chriſti ſemper abutentibus magis ac magis, in regem & ſuos multiplex & certa & cita comminatio procedebat. Inſtabatque peremptorius dies ut ſententia ulterius differri non poſſet. Artatus itaque rex ſeveritate canonica tandem adquievit, ut pax *Anglicanæ* eccleſiæ reformaretur. Sic itaque rex archiepiſcopo gratulabundus occurrit, ſic eum jocunde allocutus eſt acſi ante nichil rancoris habuiſſet. Verumtamen pacis oſculum eidem nolebat impendere. Quem cum rex ſecum vellet abducere ut pax inita nulli veniret in dubium, Ingratus, inquit archiepiſcopus, videbor ſi benefactoribus meis ſaltem non valedixero. Archiepiſcopus igitur reditum paravit in *Angliam*, et cum literis regis proprios nuncios miſit qui archiepiſcopum ſuſciperent & venientibus neceſſaria præpararent. Hæc audientes ſummi adverſarii ejus in occurſum ejus properaverunt ad mare, ubi cum archiepiſcopo pararent inſidias, ex mandato papæ *Alexandri Eboracenſis* archiepiſcopus ab officio epiſcopali ſuſpenſus eſt. *Gilebertus* vero *Lundonienſis* & *Gocelinus Saresberienſis* in ſententiam anathematis revocati ſunt. Quæ ſeveritas in ſancti *Thomæ* ingreſſu publicata regem amplius exacerbavit, & linguas toxicatas detrahentium efficaciores reddidit ad nocendum. Iterum ergo dampnis, iterum atrocioribus injuriis ſupra modum & numerum athleta Chriſti affectus eſt, et dicto publico prohibitus eccleſiæ ſuæ ſepta exire. Quiſquis ei vel alicui ſuorum faciem hilarem prætendebat hoſtis publicus cenſebatur. Ipſe vero *Cantuariam* veniens, cum ingenti gaudio & imbre lacrimarum à filiis ſuis ejuſdem eccleſiæ monachis in oſculo pacis ſuſceptus eſt, & ſolennitatem Dominicæ nativitatis ibidem cum gaudio celebravit. Quinta vero natalicii die, quæ feria tercia fuit, venerunt aulici quatuor cum archiepiſcopo loqui cupientes, ut vel ſic ipſius infirmiora viderent. *Reginaldus* ſcilicet *filius Urſi*, *Hugo* de *Morvilla*, *Willielmus* de *Traci*, & *Ricardus Brito*. Hii poſt varios verborum anfractus minas intorquent, & demum exilientes continuo exierunt in curtem, & ſub moro ramoſa loricis ſuper indutas veſtes abiciunt, & cum hiis quos de provincia vocaverant, in palatium archiepiſcopi redierunt. Ille antem non hortatu, non prece, non lachrimis ſuorum loco moveri poterat, donec de veſpertina ſinaxi in eccleſia decantanda ſuggerentes vim inferrent et propellerent reluctantem. Inde pedetentim et lecto greſſu progreſſus eſt tanquam ultroneus mortem expectaret. Denique ingreſſus eccleſiam, ſubſtitit in limine. Quidnam, inquiens, metuit gens iſta? Tumultuantibus interim clericis: Abite, inquit, puſillanimes. Sinite miſeros & cæcos delirare. Præcipimus in virtute obedientiæ, ne hoſtium occludatis. Adhuc eo loquente, ecce lictores perſcrutato pontificis palacio conglobati per clauſtra ruunt, ex quibus tres in lævis ſecures, unus bipennem vel bis acutam deferebat, omnes vero in dextris ſtrictos gladios vibrabant. Poſtquam igitur patens hoſtium irruperunt, diviſi ſunt abinvicem; *Urſides* dextram partem, tres alii ſiniſtram occupant. Jam archiepiſcopus aliquot gradus aſcenderat, & *Urſides* irruens quærit à quodam quem offendit, ubi eſt archiepiſcopus?

pus? Quod audiens ille, reverſus à gradu cum levi motu capitis primus omnium reſpondit, En ego, *Reginalde, Reginalde,* multa tibi contuli beneficia. & nunc ingrederis armatus ad me? Scies, ait. Tune es ille regis proditor? et prendens pallium, Huc abcedes; pilleumque mucrone decuſſit. Non, inquit, proditor ſum, nec egrediar vir abhominabilis, palliique ſui laciniam de manu militis excuſſit. Ergo, ſubintonat, Fuge. Subjunxit, Non fugiam, hic tuam explebis malitiam. Hiis dictis, ſicarius reſiliit percuſſurus. Interea tres alii inſurgunt inſultantes, Nunc morieris. Si caput, inquit, meum quæritis, prohibeo ſub interminatione anathematis ne cuiquam ex meis noceatis. Mortem libens amplector, dummodo eccleſia in ſanguine meo libertatem conſequatur & pacem. Dixit, caputque protenſum ferientibus coaptavit. Accelerans autem *Urſides* proſiliit, & toto conamine ſuo capiti protenſo vulnus incuſſit, exclamavitque tanquam devicto hoſte triumphans, Percutite, percutite. Itaque miniſtro confuſionis inſtigati carnifices, in vulnere vulnera congerentes, cerebrum excuſſerunt; unus autem ex carnificibus jam cadentem vel jacentem martyrem proſecutus, lapideo pavimento mucronem incuſſit, ſed acie diſſiliente redierunt per clauſtrum dicentes, Regales milites eamus, mortuus eſt: & ſic omnia quæ in domibus pontificis invenerant rapuerunt. Mirumque dictu; Nunc à pravis hominibus vivens, loquens, in pedibus ſtans regis proditor appellatus eſt, proſtratus vero ſed effuſo cerebro & adhuc ſpirans, ſanctus *Thomas* invocatus eſt. Paſſus eſt autem beatus martyr anno patriarchatus ſui ix. iv. kal. Januarii feria iij. dum monachi veſperas cantarent anno Domini M. C. lxx. Cujus corpus exanime in feretro poſitum ante altare Chriſti delatum eſt. Die vero craſtina in criptam à fratribus portatum, in ſarcofago marmoreo poſitum eſt: & ut verum fatear, quod oculis meis vidi & manibus attrectavi; habet ad carnem cilicium, deinde ſtaminiam, deſuper cucullam nigram, deinde albam in qua ſacratus eſt: tunicam quoque & dalmaticam, caſulam, pallium & mitram. Inferius vero, femoralia habet cilicina, deſuper linea, caligas laneas, & ſandalia. Si quis vero de eodem martyre ut decet ampliora noſſe deſiderat, legat libros vel ſcriptores quos ſuperius nominavi, videlicet *Herebertum*, *Johannem*, *Willielmum*, *Benedictum*, *Gervaſium*, & ejuſdem Sancti epiſtolas non omittat. Plures forſitan de eodem martyre plurima ſcripſerunt, ſed nec dum omnia quæ de eo ſunt potuerunt explanare. Vacavit autem eccleſia *Cantuarienſis* poſt martyrium ejus annis duobus et menſibus quinque. Sed quod ipſe viveret in Chriſto, crebreſcentibus miraculis in univerſo mundo declaratum eſt. Cui miſeratione divina ad electionem monachorum *Cantuarienſis* eccleſiæ, aſſenſu quoque Regis et Epiſcoporum Prior *Dovorenſis* ſucceſſit

De Ricardo *archiepiſcopo.*

R*Icardus* nomine, qui ab ineunte ætate in eccleſia *Cantuarienſi* monachicum geſſerat habitum. Qui cum eſſet de *Normannia* natus, artium liberalium ſcolas egreſſus, in eccleſia *Cantuarienſi* ſuſceptus ſub regulari diſciplina ſatis modeſte ſimul & honeſte converſatus eſt. Proceſſu temporis *Theodbaldi* archiepiſcopi capellanus effectus eſt, una cum beato *Thoma* eidem ſedulo miniſtravit. Bonis ſiquidem moribus & affabilitate qua præditus erat adeo gratioſus effectus eſt, ut omnium fere præterquam invidorum oculis placeret, & Prior *Dovorenſis* efficeretur. Deinde in archiepiſcopum aſſumptus, multo ſed injuſto labore fatigatus eſt. Nam cum electione ſolenniter apud *Lundonias* facta *Cantuariam* veniſſet, & ad ejus conſecrationem omnia parata fuiſſent, allatæ ſunt in medium literæ Regis junioris, inhibentes ſub appellatione ſedis apoſtolicæ, ne quis eum vel alium in archiepiſcopum promoveret ſine ſuo aſſenſu qui regni geſtabat coronam. Trepidantes igitur epiſcopi diceſſerunt abinvicem, & *Ricardus Cantuarienſis* electus *Romam* profectus eſt. Qui poſt varias adverſariorum obtrectationes à domino papa *Alexandro* conſecratus eſt & pallium ſuſcepit & totius *Angliæ* primatum. Quem etiam papa legatum & privilegiatum remiſit in *Angliam*. Reverſus itaque *Ricardus* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus, à conventu *Cantuarienſis* eccleſiæ clero & populo honorifice ſuſceptus eſt. Die craſtina ſacravit ibidem epiſcopos iv. *Ricardum* ſcilicet Wintonienſem, *Robertum* Herefordenſem, *Gaufridum* Helienſem, *Johannem* Ciceſtrenſem. Sacravit etiam diverſis temporibus & locis *Reginaldum* Bathonienſem, *Adam* ſancti Aſaph, *Gerardum* Coventrenſem, *Johannem* Norwicenſem, *Guidonem* Bangornenſem, *Baldewinum* Wigornienſem, *Galerannum* Roffenſem, *Walterum* Lincolnienſem, *Johannem* ſancti Aſaph. *Johannem* quoque benedixit abbatem de *Boxeleia*, & *Guerricum* de **Faureſham**. Archiepiſcopus *Ricardus* cum ad preces regis *Angliæ* in partibus ageret tranſmarinis, *Gilebertus Lundonienſis* epiſcopus ſacravit in eccleſia *Cantuarienſi*, *Petrum Menevenſis* eccleſiæ electum, qui eccleſiæ *Cantuarienſi* & archiepiſcopo *Ricardo* debitam fecit profeſſionem. Idem archiepiſcopus apud *Weſtmonaſterium* memoria dignum celebravit Concilium, & poſt ſermonem quem facunde ſententiis plenum expreſſit xviij. capitula promulgavit. In hoc Concilio *Godefridus* epiſcopus ſancti *Aſaph* per annulum ſuum reſignavit epiſcopatum. Depoſuit etiam certis ex cauſis *Willielmum* abbatem de *Burgo*, & eidem ex aſſenſu regis ſuppoſuit Cancellarium ſuum *Benedictum*. Cum autem *Hugutio* legatus ad vocationem regis *Angliæ* veniret in *Angliam*, & ad celebrandum Concilium epiſcopos & abbates *Angliæ* convocaſſet, accurrit *Rogerus Eboracenſis* archiepiſcopus & ipſius legati dexteram optinere voluit ut archiepiſcopum *Cantuarienſem* à debita repelleret ſeſſione. Sed advolantes eccleſiæ *Cantuarienſis* ſuffraganei, *Rogerum* à ſede deiciunt, cædunt & ſcindunt & à Concilio penitus eiciunt. Unde cum indignans legatus abiret, archiepiſcopus *Ricardus* pro ſe & dioceſi tota ſedem appellavit apoſtolicam, & ſic *Hugutionis* evanuit legatio. Archiepiſcopus *Ricardus* expulſis clericis ſecularibus de eccleſia ſanctæ Crucis de **Waltham** de mandato Regis, clericos ibidem inſtituit regulares. Mortuo autem *Waltero Roffenſi* epiſcopo, archiepiſcopus epiſcopatum cepit in manus, et ad velle ſuum dedit epiſcopatum cuidam clerico ſuo *Galeranno*, et ſacravit eum in partibus tranſmarinis; unde cum *Cantuarienſis* murmuraret conventus, præcipiente *Ricardo* archiepiſcopo *Galerannus* venit *Cantuariam*, et præſente conventu in capitulo ſuper iv. Evangelia *Cantuarienſi* eccleſiæ fidem juravit obſervandam, & deinde ad altare Chriſti debitam fecit profeſſionem quam ſuper altare poſuit, & ab eodem baculum paſtoralem & mitram ſuſcepit. Verum ne *Ricardus* archiepiſcopus nimia plus debito gauderet proſperitate ſuſcitavit ei inimicus adverſarium, *Rogerum* ſcilicet electum ſancti *Auguſtini.* Qui cum poſt duos electionis annos ab archiepiſcopo peteret benedictionem ſed debitam refutaret facere profeſſionem, *Romam* petiit, & ab *Alexandro* papa benedictionem accepit, ſalva tamen ut dixit & ſcripſit *Cantuarienſis* eccleſiæ dignitate, mitra quoque decoratus & annulo *Cantuariam* rediit. *Ricardus* autem archiepiſcopus primo electionis ſuæ anno omnes eccleſias de villis monachorum *Cantuarienſium* eiſdem reſtituit, quas confeſſus eſt in audientia multorum de jure & donatione eorum fuiſſe. Verumptamen quia reſtitutio illa per detractiones clericorum ſtabilis eſſe non poterat, ad eleemoſinam inſtaurandam quatuor reddidit eccleſias & confirmavit. Eccleſiam ſcilicet de **Munketune**; eccleſiam de *Eſtreia*; eccleſiam de **Mapeham** cum capellis & pertinentiis ſuis; eccleſiam quoque de **Eineſford** quam confeſſus eſt in audientia multorum, quod *Willielmus* dominus ejuſdem fundi dederat conventui *Cantuarienſi*; exenia quoque reddidit conventui quæ de quibuſdam villis monachorum ſolebant ſed injuſte archiepiſcopo deferri. Rexit autem prædictus archiepiſcopus *Ricardus* eccleſiam *Cantuarienſem* in manſuetudine bona annis x. menſibus viij. & adverſa valetudine tactus, apud **Halinges** decidit in lectum & obiit: cujus corpus *Cantuariam* delatum, in eccleſia *Chriſti* in oratorio beatæ *Mariæ* xij. kal. Marcii honorifice ſepultum eſt. Cui poſt menſes x. ſucceſſit

De Baldewino *archiepiſcopo.*

B*Aldewinus Wigornienſis* epiſcopus. Sed quid de iſto dicam *Baldewino?* Propoſui & promiſi de regibus & archiepiſcopis proſpera dicere; & bona quæ *Cantuarienſi* eccleſiæ fecerunt lectoribus aliqua nunciare. Sed cum facta *Baldewini* video, non bona ſed mala multa referre compellor invitus. In *Exonia* ex infimo genere natus, literis ſecularibus & ſacris eruditus eſt, & in omni honeſtate converſatus eſt. Deinde cum bonis polleret moribus, per epiſcopum *Exonienſem Bartholomæum* archidiaconus ibidem effectus eſt. Sed cum ad altiora tenderet greſſum, omnia mundana reliquit, & ordinis *Ciſtercienſis* habitum ſuſcepit in cœnobio *Fordenſi*, & poſt annos paucos abbas ibidem effectus eſt. Deinde poſt obitum *Rogeri Wigornienſis* epiſcopi *Baldewinus* electus eſt; & cum poſt deceſſum bonæ memoriæ *Ricardi* archiepiſcopi *Cantuarienſis* eccleſia viduata paſtore careret, mota quæſtione de paſtore ſubſtituendo in præſentia regis, poſt multas fatigationes monachi *Cantuarienſes* regi nominaverunt virum juſtum & bonum, *Petrum Menevenſem* epiſcopum. Annuit rex. Verumtamen ad præſens dilatum eſt negotium, & iterum apud *Londonias* redierunt in id ipſum. Epiſcopi vero per ſeipſos ſubito elegerunt *Baldewinum Wigornienſem* epiſcopum, & monachi *Cantuariam* redierunt. Subſecutus eſt eos rex, & in capitulo flexis genibus, & lacrimantibus oculis conventum precatus eſt, ut præfatum ſuſciperet electum; ſic tamen ut epiſcoporum penitus caſſaretur electio, & conventus de novo ſuam faceret electionem. Petitio regis exaudita eſt, & omnes *Londoniam* redierunt. Electione epiſcoporum denique caſſata, *Baldewinus* à monachis electus eſt. Miſſis itaque nunciis ad curiam *Romanam*, *Urbanus* papa ex aſſenſu fratrum monachorum electionem confirmavit, & eidem electo pallium miſit. *Baldewinus* igitur *Cantuariam* veniens, cum honore debito à monachis ſuſceptus eſt & intronizatus, de quo pacis & tranquillitatis tanta ſpes habita eſt, ut ſanctorum prædeceſſorum ſuorum concivis & ſocius fore putaretur. Dicebat enim fratribus inter cætera in ſermone facundo, Hoc eſt primum fratres & ſummum in deſideriis meis, ut unum ſimus in Domino; vobis enim debeo quicquid valeo. Sed & corpus & animam meam vobis teneor impendere. Sed cum de eodem tantæ religionis & gratiæ fulgerent præconia quaſi redempturus eſſet *Iſrael*, à clericis ſeductus in primis ſanctitatis operibus à ſanctuario Domini incipiens, eccleſiam *Chriſti Cantuariæ* quibuſdam ſpoliavit exeniis, quæ de villis monachorum ſolebant eiſdem ab antiquo deferri. Deinde neſcientibus monachis, miſſis clanculo clericis paſtui pauperum & orphanorum aſſignatas invaſit eccleſias; verum cum omnia ſubripere cogitaret, appellatio interpoſita eſt. Ipſe autem appellationi non deferens, aliquas monachorum villas invaſit, & mirati ſunt univerſi. Tamen elaboratum eſt à quibuſdam qui *Cantuariæ* convenerant, ut archiepiſcopus monachis reſtitueret ablata, & ipſi jam factæ renunciarent appellationi. Archiepiſcopus igitur villas quidem reſtituit, ſed eccleſias clericis ſuis dedit & exenia ſibi retinuit. Miſit interea nuncium ad papam *Urbanum* petens, ut jam datas confirmaret eccleſias, & novæ conſtruendæ baſilicæ apoſtolicam daret auctoritatem, quam dixit in curia clericus idem ſanctum *Thomam* inchoaſſe. Optinuit nuncius & rediit, & *Baldewinus* jam effrenis effectus, non ſolum eccleſias & oblationes fidelium auferre, ſed & totum ſtatum & tranquillitatem *Cant.* eccleſiæ ſubvertere cogitabat. Hæc audiens rex, de facili conſenſit. Aſſentiunt epiſcopi fideque interpoſita vel juramento firmatum eſt, ut omnes epiſcopi qui monachos habebant cathedrales eccleſias facerent de clericis ſecularibus conventuales, eiſque monachorum cum decimis darent & eccleſias. Audiens hoc conventus *Cantuarienſis*, nec mirum, admiratus eſt, & unicum oppreſſorum oppoſuit remedium & ad ſedem apoſtolicam appellatum eſt. Relata ſunt hæc in curia, & *Urbanus* papa ex aſſenſu fratrum ſemel & ſecundo & tercio operis illius inhibuit executionem, & per *Angliam* inſtitutam caſſavit fraternitatem. *Baldewinus* autem nichilominus deſiſtere noluit, ſed quingentorum pedum jaciens fundamentum, Priorem & fratres qui appellaverant ſuſpendit, & redditus debitos ſolvi prohibuit. Januas etiam monachorum præcepit obſervari, & ne quis egrederetur inhibuit, & deinde omnes villas monachorum occupavit. Scripſit iterum *Urbanus* archiepiſcopo præcipiens ut monachis omnia reſtitueret ablata, & opus inchoatum & locum maledictum pronunciavit & prophanum, & omnes qui ibidem celebraverant ſuſpendit. Ipſe vero contempnens omnia, quod in capella fuerat ligneum factum eſt lapideum; & ut omnes clerici ſui ibidem domos manſionarias citiſſime fabricarent præcepit, & ſic apud *Dovoriam* transfretavit. Agente autem rege, duobus monachis qui ad regem miſſi fuerant villas reſtituit, per literas clauſas ſuis inſinuans miniſtris, quod ea conditione prædictam fecerat reſtitutionem ut de illo villas tenerent, & ſingularem ei non conventui redderent rationem. Obſtupeſcunt ad hoc monachi, & omnia reſpuunt, magiſque volunt panem cotidianum mendicare quam eccleſiam *Cantuarienſem* tantæ ſubjicere ſervituti. Obiit interea *Urbanus* papa, et *Gregorius* archiepiſcopi patronus papatum ſuſcepit. Hic eccleſiarum prælatis et ſubditis indulſit, ut omnes literæ *Urbani* papæ à tribus menſibus ante obitum ipſius traditæ eandem firmitatem haberent acſi adhuc viveret. Cauſam vero *Cantuarienſis* eccleſiæ ab hac excepit pietate, ut quæ majori indigebat ſolatio majorem haberet deſolationem. Unde *Baldewinus* gaudens effectus in *Angliam* properavit et applicuit apud *Dovoriam*. Miſit ilico conventus monachos duos qui eum de tranſmarinis venientem ſalutarent, et debitam offerrent profeſſionem. Quos ſtatim per nuncios antequam ad eum poſſent accedere denunciavit excommunicatos, equos abſtulit, et ad *Cantuariam* pedites redire coegit, ſubpriorem et ei conſentientes per totam provinciam denunciari fecit excommunicatos, et omnia quæcumque monachi habebant extra portam eis[abſtulit,]et quia porta contra raptores hujuſmodi clauſa fuit, murus curiæ ligonibus perforatus eſt, et curia eorum cum officinis omnibus capta. Cibaria quoque conventus hoſpitum et infirmorum aſportata ſunt, et ſervientes jurare compulſi ſunt, ut ſi quem monachum exire viderent, illum apprehenderent vel clamore notarent. Servientes et clerici in curia vel cimiterio capti ſunt et verberati, et in carcerem truſi. Monachi ad eum miſſi abducti ſunt, et unus in atrio eccleſiæ captus, ligatus, abductus eſt et incarceratus, afflictus eſt, ut in triduo poſt reditum ſpiritum exalaret. Omnes etiam qui quovis titulo monachos contingebant, regis et archiepiſcopi proditores appellati ſunt. Nocte et die vallati ſunt multitudine armatorum, ut putarent ſe monachi in eccleſia vel clauſtro detruncandos; ſed nec cibum capere nec ſompnum carpere ſecure valebant: et ut breviter mala dicantur quæ nimis longa fuerunt, à primo ingreſſu *Baldewini* vix dies paucos habuere quietos, et cum monachi debita victualia non haberent, propter tot et tantas enormitates eccleſia *Cantuarienſis* à divinis ſuſpenſa eſt. *Gregorius* papa interim obiit, et *Clemens* ſucceſſit, et archiepiſcopi ſenſus inmutatus eſt. Cui poſt modicum papa *Clemens* ſcripſit ſecundum formam *Urbani* præcipiens ut opus inchoatum deſtrueret, monachis etiam reſtitueret ablata, et de cætero ab eorum gravamine ceſſaret; invaſores etiam curiæ eorum excommunicati ſunt. Obiit interea Prior *Honorius* apud *Romam*, et ſocii ejus v. *Hoſtienſis* etiam epiſcopus, et *Radulfus* Cardinalis, quos ad dirimendam cauſam papa *Clemens* mittere volebat in *Angliam*; et ſic eccleſia *Cantuarienſis* ſoli Deo relicta eſt. Conventus autem licet in egeſtate plurima conſtitutus, firmiter in primo perſeveravit propoſito, ſemper paratus pro libertate eccleſiæ contumelias et terrores, opprobia hominum et malicias ſuſtinere, vel mortem, vel quicquid humana vel diabolica poſſet excogitare malicia. Statimque fratres iiij. miſerunt ad curiam. Interea reges et principes, archiepiſcopus *Baldewinus* et epiſcopi plures acceperunt cruces ut irent in *Jeruſalem*. Set orta graviſſima diſcordia inter regem *Franciæ*, & regem *Angliæ*, & filios ipſius, obiit rex *Henricus*, cujus procuratione *Cantuarienſis* eccleſia adeo vexata eſt. Cui ſucceſſit in regnum *Ricardus* filius ejus, quem apud *Weſtmonaſterium* ſacravit & coronavit archiepiſcopus *Baldewinus*. Verum ne aliqua fieret perturbatio pro *Cantuarienſi* eccleſia, in coronatione illa, callide procuratum eſt, ut archiepiſcopus reſtitueret monachis curiam cum officinis, villas & redditus cum ea quam habuerant libertate; eccleſias autem & exenia non reddidit, & contra morem eccleſiæ *Rogerum* quendam proditorem abſente conventu nominavit Priorem. Quod cum contradicerent monachi, iterum dampnis & contumeliis afflicti ſunt, & poſſeſſionibus ſpoliati: unde poſtmodum in præſentiam regis vocati, expoſitis in audientia multorum gravaminibus illatis, compulſi ſunt ut cartas eccleſiæ proferrent in medium, ab æmulis ſuis, videlicet epiſcopis judicandas. Sed cum monachi nec hoc abſque convenientia conventus facere non valerent, exiliit rex & iratus juravit, quod nec unus ex eis in eccleſia remaneret. Verumptamen in proximo cum archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus, & proceribus multis rex venit *Cantuariam*, & poſt multos variosque ſermones hoc tandem elaboratum eſt, ut archiepiſcopus monachis reſtitueret ablata, capellam incultam dimitteret vel penitus diſſiparet, clericorum ædificia deponeret & adinvicem illatas remitterent injurias. *Rogerus* etiam à prioratu depoſitus eſt. Latebat interim apud *Dovoriam Johannes* legatus, qui ad reſtituendam eccleſiæ pacem miſſus erat in *Angliam*. Venit igitur *Cantuariam* ſcilicet à rege vocatus, & à monachis honorifice ſuſceptus eſt. Sed ad pacem illam faciendam vel jam factam vocatus, neque cum monachis niſi valde ſecretum habere potuit colloquium, nec eiſdem in tam arduo negotio neceſſarium ſcivit dare conſilium. In craſtino autem non ut legatus ſed ſimpliciter *Dovoriam* profectus eſt, & citiſſime poſt regem transfretavit. Archiepiſcopus autem à ſuo non deſiſtens propoſito, *Londoniam* adiit, & ne nil ageretur, apud **Lamhee** in planitie campi tentoria fixit, & præcepit ibidem lapideam fieri capellam, & ut clerici ibidem manſiones congruas fabricarent. Archiepiſcopus ſacravit apud **Lamhee** epiſcopos duos, *Ricardum Londonienſem*, et *Willielmum Helienſem*. Diverſis vero temporibus et locis ſacravit iſtos: *Gilebertum Roffenſem*, cui eundem dedit epiſcopatum. *Willielmum* etiam ſacravit *Landavenſem*, *Johannem Exonienſem*, *Willielmum Wigornienſem*, *Hugonem Lincolnienſem*, *Reinerum* ſancti *Aſaph*, *Willielmum Herefordenſem*, *Hugonem Coventrenſem*, *Godefridum Wintonienſem*, *Hubertum Sareſberienſem*. *Dioniſium* quoque benedixit abbatem de *Boxleia*, et *Algarum* de **Faureſham**, et *Johannem* de *Cumbwella*. Archiepiſcopus *Baldewinus* transfretaturus *Cantuariam* venit, baculum et peram in eccleſia Chriſti ſuſcepit. Ultimumque vale dicens monachis et *Angliæ* peregre profectus eſt, et tandem ad civitatem pervenit *Accon*. Ubi parum proficiens, ſed indies deficiens decidit in ægritudinem qua et mortuus eſt. Rexit eccleſiam *Cantuarienſem*, ſicut ſupradictum eſt, annis v. menſibus xj. et in obſidione civitatis *Accon* vitam finivit et ibidem ſepultus eſt. Cujus veſtimenta capellæ *Cantuariam* allata ſunt. Dimiſerat autem in eccleſia *Cantuarienſi* caſulam unam auro paratam, dalmaticam et tunicam auro textam et cappas duas.

Hæc de *Baldewini* archiepiſcopi factis pauca perſtrinxi, abbrevians mala quæ nimis prolixa fuerunt. ☞ Si quis de eodem viro ampliora deſiderat, ſcripta ſupradicti percurrat *Gervaſii* et inveniet quæ quærebat. Vacavit eccleſia *Cantuarienſis* poſt obitum ipſius annis ij. et menſibus vij. Obiit interea papa *Clemens*, et *Celeſtinus* ſucceſſit, cujus de mandato capella de *Hakintonia* funditus everſa eſt, et quicquid ob id à *Baldewino* factum eſt ab eodem papa dampnatum. Erat autem in diebus iſtis vir venerabilis

De Huberto *archiepiſcopo*.

H*Ubertus Sarisberienſis* epiſcopus, apud *Accon* in omnium oculis gratioſus, et in re militari adeo magnificus, ut eciam regi *Ricardo* eſſet admirandus. Erat enim ſtatura procerus, conſilio providus, ingenio callens licet non eloquio pollens. Cum præfecto quondam *Angliæ Randulfo de Glanvilla* quodammodo regnum *Angliæ* regebat, eo quod ipſius maxime conſilio idem *Randulfus* frueretur. Regni itaque negotiis intentus, humana magis quam divina curabat, & omnia regni novit jura, & eccleſiæ *Cantuarienſis* conventum in oppreſſione *Baldewini* ex animo diligere videbatur. *Eboracenſis* eccleſiæ decanus effectus eſt, & poſtmodum ad *Saresberienſem* eccleſiam vocatus, epiſcopus ſacratus eſt. Inde cum rege *Ricardo* & *Baldewino* archiepiſcopo innumeraque nobilium turba peregre profectus, ipſum *B.* archiepiſcopum poſt obitum ſepelivit. Capta vero civitate *Accon*, cum infecto pro quo venerant negotio digrederentur, rex *Angliæ* in *Alemannia* captus eſt, & *Anglia* tota pro redemptione regis graviſſime vexata eſt. Prædictus enim epiſcopus à rege *Ricardo* artiſſimæ cuſtodiæ mancipato, ad expedienda regis & regni negotia in *Angliam* miſſus adeo ſplendide, diſerte ſeduloque cum ad monachos *Cantuarienſes* quos primo allocutus eſt, cum ad omnes eccleſias & populum *Angliæ* regias expreſſit neceſſitates, ut tota perturbatio quæ in *Anglia* orta eſt pacificaretur in brevi, & ut rex ipſe poſt annum tantis redimeretur ærumnis. Verumptamen antequam rediret in *Angliam* conventui ſcripſit *Cantuarienſi* pro epiſcopo *Saresberienſi*, ut eum in patrem eligerent & paſtorem. Gaudens ilico conventus ad hæc, cum multas pro aliis habuiſſent potentum ſupplicationes, ſpretis omnibus & invocata Spiritus ſancti gratia præfatum *Hubertum Saresberienſem* epiſcopum in capitulo *Cantuarienſi* elegerunt, & in craſtino apud *Lundoniam* epiſcopis *Angliæ* ſuum præſentaverunt electum per manum *Gaufridi* Prioris. Miſſis igitur nunciis ad curiam, *Celeſtinus* papa confirmavit ejus electionem, & pallium deſtinavit, & in *Anglia* conſtituit legatum, & eidem confirmavit primatum. Archiepiſcopus *Cantuariam* veniens, honore debito à conventu ſuſceptus eſt & intronizatus. Cujus in ingreſſu *Cantuarienſis* eccleſia tempora prima videbatur habere tranquilla. In cujus præſentia cum apud *Londoniam Eboracenſis* archiepiſcopus in conventu epiſcoporum crucem ſuam ſibi præferri juberet, ab epiſcopis ilico repulſus eſt, crucem abſcondit & receſſit. Rex autem *Ricardus* à diutina cuſtodia liberatus in *Angliam* reverſus eſt, & à conventu *Cantuarienſi* cum honore receptus, de communi conſilio apud *Wintoniam* coronatus eſt ab *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo. Tantaque pax & dilectio erat inter regem & archiepiſcopum, tanta devotio utriuſque ad conventum, ut idem velle, idem nolle unitatis vinculum eſſe videretur. Vidit hæc & invidit hoſtis antiquus, & ad clericorum inſtantiam conſummare volebat archiepiſcopus capellam quam apud **Lamhee** inchoaverat *Baldewinus* in diminutionem *Cantuarienſis* eccleſiæ; quo tamen facilius monachorum flecteret animos virgultum ſuum eccleſiæ proximum ſuccindere juſſit, & ſic decenter atrium eccleſiæ ampliavit. Monachos præterea in eccleſiam *Coventrenſem* reſtituit, quos *Hugo Coventrenſis* epiſcopus fugaverat. Cum autem primo per nuncios, deinde per ſe conventum alloqueretur de conſummanda eccleſia de **Lamhee**, admirans conventus multociens ad pedes archiepiſcopi corruit, lacrimis & ejulatibus archiepiſcopo ſupplicans ut à tam nocivo deſiſteret propoſito. Repetita ſunt hæc frequenter apud *Cantuariam*, & tandem relata ſunt hæc omnia de conſenſu partium ad *Innocentium* papam qui *Celeſtino* ſucceſſit. Qui cum in cauſa *Cantuarienſis* eccleſiæ plantaria perverſitatum & tribulationum cerneret ſuccreſcere ſi opus procederet inchoatum, communicato cum fratribus conſilio, in præfatam capellam de **Lamhee** dampnationis dedit ſententiam, ſcribens archiepiſcopo & epiſcopis ut dirueretur: unde commotus admodum archiepiſcopus, per ſe ipſum, per alios hoc agere niſus eſt, ut de conſenſu conventus ad dominum papam iterum fieret relatio, ut vel ſic de capella diruenda fieret dilatio. Dicebat enim eum in data ſententia non modice circumventum fuiſſe. Quibus cum non conſentiret conventus literas comminatorias regis per manus præfecti *Angliæ* ſuſceperunt, & poſſeſſionibus ſuis ſpoliati ſunt. Præterea ſcripſit rex domino papæ pro archiepiſcopo: ſcripſerunt epiſcopi & nequius cæteris abbates ordinis *Ciſtercienſis*, & abbates alii penitus non tacuerunt. Poſt modicum vero monachi *Cantuarienſes* per archiepiſcopum ſua receperunt, ne accuſaretur in curia de invaſione: ſed inhibitum eſt in proximo per comitatus *Angliæ* voce regia, ne quis hominum monachis *Cantuarienſibus* aurum commodaret vel argentum. Deinde poſſeſſionibus ſuis ſpoliati ſunt, ne de ſuo quicquam haberent vel alieno. Emanavit etiam edictum per literas regis, ut theſaurus eccleſiæ à miniſtris regis & clericis archiepiſcopi videretur, conſcriberetur, & ſub tribus clavibus ſervaretur, quarum primam rex, archiepiſcopus alteram, tertiam haberet conventus; & ſic ad exemplum eorum fieret in omnibus eccleſiis epiſcoporum ubi monachi fuerunt: ſed de hac inſpectione theſauri nichil actum eſt, ne monachi *Cantuarienſes* cæteris malum darent exemplum. Ventilata eſt interim cauſa in curia *Romana*, & iterum ſententia dampnationis in capellam data eſt & capella ipſa ſolo tenus diruta diſparuit; Sed monachi tercio quartove villis ſuis ſpoliati ſunt. Rege vero *Ricardo* poſt modicum telo baliſtæ confoſſo & inter medendum mortuo, monachi *Cantuarienſes* per *G.* filium *Petri* reſtituti ſunt. Venit in *Angliam Johannes* frater regis *Ricardi*, & apud *Weſtmonaſterium* coronatus eſt ab *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo, qui regis Cancellarius, & quaſi regni dominus effectus eſt. Recuperavit archiepiſcopus dominium caſtelli *Roffenſis* & homagium Comitis de *Clara* de caſtello de **Tunebregge**, & alia quæ *Cantuarienſi* eccleſiæ fuerant ablata; & cum archiepiſcopus omnium dominus

minus videretur & eſſet. inſtaurat litem de erectione capellæ, & monachi repetunt omnia quæ ſibi ablata fuerunt. Protracta eſt hæc controverſia inter eos allegationibus variis uſque in annum, & tandem cum data eſſet ſententia judicum ut ad dominum papam propter ambigua verba mandati fieret relatio, de communi conſenſu & conſilio ſalubri tam archiepiſcopus quam epiſcopi & abbates, & ipſius judices cauſæ *Cantuariam* venerunt, & per tres dies ſermo multiplex & varius de reformanda pace conſertus eſt. Sed cum omnia cederent in caſſum, adeo ut abbates quidam abirent deſperati, ſolus archiepiſcopus invocata Spiritus ſancti gratia ſemel & ſecundo capitulum ingreſſus, ſermone dulci magis quam facundo conventum allocutus eſt, eorumque per Dei gratiam demulcens animos blandeque conſolans convertit ad conſenſum, quod nunquam aliquis hominum vel aliqua tribulatio potuit perficere, ut de tota cauſa compromitterent in arbitros. Igitur utrobique compromiſſione ſcripta & ſigillata, arbitrium quoque poſt dies aliquot pronunciatum eſt, & partis utriuſque ſigillis firmatum, & ſic à domino papa ſub interminatione anathematis confirmatum eſt. Archiepiſcopus interea Concilium apud *Weſtmonaſterium* celebravit, ubi poſt ſermonem decenter completum, poſt varias diſcuſſiones cauſarum capitula promulgavit, & in craſtino duos ſacravit epiſcopos, *Egidium* ſcilicet *Herefordenſem*, & *Johannem Norwicenſem*. Aliis vero temporibus & locis *Henricum* ſacravit *Exonienſem*, *Henricum Landavenſem*, *Henricum Wigornienſem*, *Alanum Bangornenſem*, *Robertum Bangornenſem*, *Savaricum Bathonienſem*, *Johannem Wigornienſem*, *Herebertum Sareſberienſem*, *Euſtachium Helienſem*, *Gaufridum Coventrenſem*, *Willelmum Londonienſem*, *Gaufridum Menevenſem*, *Simonem Ciceſtrenſem*, & ab his omnibus debitas ſuſcepit profeſſiones. *Malgerius* etiam *Wigornienſis* à domino papa *Innocentio* ſacratus, poſtquam in *Angliam* reverſus eſt, archiepiſcopo *Huberto* debitam fecit profeſſionem. Abbates etiam benedixit archiepiſcopus *Willelmum* abbatem de **Langedune**, & poſtea *Ricardum*, *Hugonem* de ſancta *Radegunda*: regem *Johannem* & *Iſabel* reginam apud *Lundoniam* coronavit. In eccleſia quoque *Cantuarienſi* in ſolennitate Paſchali eoſdem coronavit, & ſuis expenſis tantæ ſolennitati neceſſaria procuravit. Cujus tantæ gloriæ invidit hoſtis antiquus, & inter ipſum & regem privatas ſuſcitavit diſcordias ut ei Cancellariam ſubtraheret, munitiones quas habebat auferret, fratrique ſuo terrarum amplas ſurriperet portiones. Sed in brevi per admirandam archiepiſcopi prudentiam iterum regis rediit ad gratiam. Adeo dapſilis erat archiepiſcopus, liberalis & largus in hoſpitum & pauperum refectione, ut id quod habebat omnium proprietas videretur. In ædificiis magnis & honeſtis conſtructione mirabilis. In adminiſtratione officii divini devotus erat, & gloriæ incomparabilis, ut à pravis arrogans putaretur. Ad revocanda alienata vel perdita adeo intendit, ut cupidus diceretur. Recuperavit itaque **Salthwude**, **Hethe**, caſtellum de *Roſſa*, feodum *Gaufridi* de *Ros*, ſervicium ſcilicet militum v. & homagium Comitis de *Clara* de caſtello de **Tunebregge**, & ea quæ multo tempore perdita erant. Religionis & honeſti amator in tantum effectus eſt, ut per *Anglicanas* quas ex officio viſitabat eccleſias monachorum *Cantuarienſium* morum elegantiam prædicabat & honeſtatem; etiam tunc cum pro capella de **Lamhee** ſervire videretur. Sed quia nemo perfectus in omnibus, nec aliquid adeo juſte fieri valet ab aliquo quod per interpretes malos in partem ſiniſtram non valeat inflecti, detractoribus nimis benignum præbuit auditum, exiſtimans forſitan quod hæc vel illa dicerent ex caritate quæ maligna dicebantur pravitate: unde ſuos etiam amiciſſimos interdum offendebat. Hoc autem unum & magnum erat fidelitatis indicium, ut quoſcumque fideles in obſequio & in verbo veraces eſſe noverat ſuo in miniſterio ſociabat. Labia doloſa, & linguam mendacem, & os bilingue cum *Salomone* fugiebat. Controverſiam quam in odium & contemptum archiepiſcopi ſuſcitaverat *Gelardus Menevenſis* archidiaconus, ipſe archiepiſcopus prudentiſſime redegit ad nichilum, ut ipſe *G.* qui paulo ante *Menevenſis* eccleſiæ archiepiſcopus eſſe volebat, & eccleſiæ *Cantuarienſi* ſubjectionem debitam ſeptem epiſcoporum ſubtrahere moliebatur, ad pedes archiepiſcopi pronus accederet ſatisfaciens humiliter de tam iniqua præſumptione, & eidem archiepiſcopo ſuum reſignavit archidiaconatum. Archiepiſcopus autem poſt temporis intervallum eidem *G.* dedit eccleſiam xxv. marcarum, et clericus archiepiſcopi juratus factus eſt qui ante fuerat hoſtis iniquus; et quia idem *G. Menevenſis* eccleſiæ in curia *Romana* ſe dicebat electum, hoc ipſum caſſavit archiepiſcopus et alium ſacravit canonice electum. Dicant alii quod voluerint de operibus *Huberti*, ego iſtud maximum cenſeo, quod epiſcopos vij. in ſubjectione retinuit *Cantuarienſis* eccleſiæ, et rebellem *Gelardi* contrivit aſtutiam. Ad hæc, archiepiſcopus regis amicus adeo factus eſt, ut in oculis omnium dominus *Anglia* videretur. Dominus etiam papa et curia *Romana* eum valde venerabatur, eique petita mittebat privilegia et exenia precioſa. Operibus bonis ſemper erat intentus, et non ſolum in curia *Cantuarienſi* ſed etiam in maneriis ſuis egregia fecit ædificia et non modicam emendationem. Conventum quoque *Cant.* eccleſiæ magno diligebat affectu, et poſt tantam diſſenſionem quæ inter eos fuerat pro eccleſia de **Lamhee**, tanta dilectio inter eos data eſt, ut per Dei gratiam eſſent quaſi cor unum et anima una. Porro, cum archiepiſcopus *Hubertus* bonorum operum multo ferveret deſiderio ut inchoata compleret, & majora horum faceret, venit *Cantuariam* ut ibi ſua videret opera & conventum, & in die apoſtolorum *Petri* & *Pauli* majorem in conventu honorifice & devote miſſam celebravit, & poſt dies octo capitulum ingreſſus affectuoſe conventum allocutus eſt, & præter alia dulcia paſtoris verba dixit. Videte cariſſimi diligenter quæ ſint emendanda inter vos, & condignam adhibete correctionem, ego enim cum Deo placuerit moriturus ſum, vos autem qui mori non poteſtis, honori & utilitati eccleſiæ veſtræ diligentem curam impendite. Si quem veſtrum in aliquo offendi, veniam peto, & his qui me offenderunt penitus remitto. Et ſcitote cariſſimi quod pro veſtris magis quam pro meis propriis conſtringor adverſis. Cum autem de beneficiis ſibi inpenſis fratres eccleſiæ gratias agerent, et de receſſu ipſius dolerent, In proximo, inquit, redibo ad vos, et diutius ſolito vobiſcum manebo. Sicque Conventui data benedictione, infuſis lacrimis ultimum Conventui vale dixit et receſſit. Et in craſtino abiit ad villam quæ dicitur **Tenham** octavo idus Julii, ibique die iij. ex inſperato diriſſime infirmatus eſt, et ad extrema perductus. Vocato vero *G. Roffenſi* epiſcopo, et *G.* Priore *Cantuarienſi*, & aliis fidelibus ſuis monachis clericis & laicis ſatis lucide ſuum condidit, & ſcribi fecit Teſtamentum. In quo clare perpendi poterit quantæ ſapientiæ qualiſque fuerit memoriæ, quantoque affectu *Cantuariæ* dilexerat eccleſiam; & tandem viatico devotiſſime ſuſcepto, aliiſque ſacramentis quæ ad hunc pertinent articulum iij. idus Julii defunctus eſt. Cujus corpus *Cantuariam* delatum, à conventu lugubri ſed honorifice ſuſceptum eſt, & in craſtino debitis peractis ſolenniis, in eccleſia *Chriſti* cum luctu & lacrimis decentiſſime traditum eſt ſepulturæ ij. idus Julii feria v. Rexit autem eccleſiam *Cantuarienſem* annis xj. menſibus viij. diebus xij. Quam vero prophetica fuerint ipſius verba quæ in ultimo dixit capitulo, per ea quæ ſubſecuta ſunt poterit declarari. Dedit etiam idem archiepiſcopus eccleſiæ *Chriſti* ſubſcripta ornamenta. Eccleſiam ſcilicet de *Halegeſto* conceſſit & confirmavit præcentori ad emendandos eccleſiæ libros. Præterea dedit eidem *Cantuarienſi* pallia duo auro texta, caſulas iij. cappas iij. dalmaticas iij. tunicas iij. albas iij. ſtolas cum manipulis, amictus ij. calicem aureum, ampullas ij. criſtallinas, Altare geſtatorium de lapide calcedonio, crucem cum ligno Domini, zonam & pecten eburneum, mitras vj. Chirothecarum paria iij. omnia gemmis & auro parata decenter. Præterea mitras & chirothecas ſine auro, Candelabra, & ampullas, & acerram de argento, baccilia de argento & deaurata. Pannos ij. de ſerico auro paratos. Spindulas iij. de auro, mappulam de ſerico, cultellum de iaſpide, & alium de ceraſte. Vas criſtallinum cum balſamo. Cuppam auream & aliam argenteam & deauratam. Juſtas iij. argenteas ad criſma. Anulos aureos iiij. cum lapidibus precioſis, tapetum bonum. Biblium veteris & novi Teſtamenti. Pſalterium gloſſatum. Coſinos quatuor. Culcitram j. Equos iij. Capellam quoque egregiam quam in teſtamento ſuo vocavit principalem, eccleſiæ dedit. Sic tamen ut Conventus pro anima ſua expendendas darent CCC, marcas. Hanc rex *Johannes* eccleſiæ ſubtraxit.

FINIS.

CHRONICA PONTIFICUM ECCLESIÆ EBORACI.

Autore

THOMA STUBBS Dominicano.

SUper ſtatu *Eboracenſis* eccleſiæ & illa famoſa profeſſionis exactione quæ inter duas *Anglorum* metropolitanas eccleſias multo agitata eſt tempore, ſæpe michi multa cogitanti non parva ſubit admiratio, quomodo quidam propriam ignorantes menſuram terminos à patribus conſtitutos tranſgredi auſi ſint : Et cum apoſtolus univerſum mundum inſtruens generaliter omnibus dicat, *Honore invicem prævenientes*; &, *nemo circumveniat in negotio fratrem ſuum*; &, *ſoliciti ſitis ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis :* illi econtra paribus honore præferri affectantes ; fratreſque ſuos ſupergredientes, & in negotio circumvenientes, rupto pacis vinculo, illam unitatis & concordiæ tunicam, quæ uſque ad *Normannorum* tempora in *Anglorum* eccleſiis ſervabatur integra diſſuerunt , & fraternam paritatem qua æqualiter fundatæ ſunt, in ſectarum ſcandala diviſerunt. Nimirum quærunt quæ ſua ſunt & non quæ Jeſu Chriſti, & iccirco obducta mentis acie oberrant, & quæ de prætaxatis eccleſiis *Romani* pontifices in ſuis privilegiis ſtatuunt aut ſcienter neſciunt, aut faſtu mentis intellecta deſpiciunt. Verum quiſquis hiſtoriam *Anglorum* legerit, & via regia gradiens lectionem ſuam memoriter tenuerit, perſpicue intelligere poterit, quod illa profeſſionis exactio ſicut evidenter obviat rationi, ita ſine dubio primitivæ earundem eccleſiarum adverſatur inſtitutioni. Unde mihi tam hiſtoriæ *Anglorum* quam cronicorum necnon & apoſtolicorum privilegiorum collationem facienti, tandem animo incidit ob antiquitatis memoriam ad poſteritatis notitiam omnes *Eboracenſiũ* pontificum ſucceſſiones à S. *Paulino* uſque ad pontificatum venerabilis memoriæ magiſtri *Willielmi la Souche* archiepiſcopi ex ordine ponere, & quiſquis fuerit, vel quomodo pro eccleſia illa egerit, vel paſſus ſit , quantum parvitati meæ innoteſcere potuit, ad memoriam revocare.

Quod ſanctus Papa Gregorius Eboracenſem *eccleſiam* Cantuarienſi *conſtituit eſſe parem.*

EBoracenſis eccleſia licet *Cantuarienſi* divitiis impar & terrena potentia , pari tamen dignitate quamvis poſteriori tempore fundata , & eadem poteſtate qua & *Cantuarienſis* eccleſia eſt ſublimata ; Apoſtolicorum quoque privilegiorum dignatione indiſſimili auctoritate confirmata. Siquidem beatus *Gregorius* Papa ubi gentem *Anglorum* per prædicatores quos illuc direxerat, ad Chriſtum converſam eſſe didicit, miſit ſancto *Auguſtino* univerſa quæ ad cultum ac myſteria eccleſiæ generaliter erant neceſſaria, videlicet vaſa, veſtimenta, ornamenta ſacerdotalia, vel clericalia indumenta, apoſtolorum ac martyrum reliquias, necnon & codices plurimos. Miſit eciam ei & privilegium in quo duos tantum in *Anglia* metropolitanos ordinavit, ipſoſque officio, dignitate & ſuffraganeorum numero pares eſſe conſtituit ; qualiterque ipſi inter ſe mepropolitani agerent edocuit ; Honorem quoque dignitatis, vel prioratus inter eos in eodem privilegio diſtinxit. Quod privilegium cum cæteris apoſtolicorum privilegiis ideo in calce hujus opuſculi ſcriptum eſt, ut facilius lector privilegium inveniat quod quæſierit, cum omnia ſimul ante oculos ſine interruptione poſita invenerit. Cujus privilegii principium tale eſt cujus tenor inſeritur in libro *Bedæ* de geſtis *Anglorum* libro primo xxix. capitulo, *Cum certum ſit pro omnipotenti Deo laborantibus, &c.*

Quare in hac paritate conſtituenda Londonienſem *non* Cantuarienſem *Papa nominavit.*

QUod aliter in eodem privilegio inter *Londonienſem* & *Eboracenſem* archiepiſcopos hanc metropolitanæ dignitatis paritatem & honoris atque ordinationis viciſſitudinem beatus *Gregorius* diſtinguens nullam fecit de *Cantuarienſi* mentionem, hæc in cauſa fuiſſe reor, quod *Londonia* antiquitatis prærogativa nobiliſſima & totius meridianæ *Britanniæ* ab ortu in occaſum frequentatione erat famoſiſſima; multorum emporium populorum terra marique confluentium ad eam. Non autem *Cantuaria* ita; *Eboraca* vero & ipſa totius aquilonaris & ſeptentrionalis *Britannia* civitas principalis, omniumque in eo cœli tractu urbium antiquiſſima, multarum inundatione rerum erat celebratiſſima, ſed nec ita *Cantuaria*. Itaque ſicut prædictas duas civitates tam antiquitate & rerum opulentia, quam populorum frequentia *Britannia* præ cæteris nominatiſſimas habebat : ita diſcretiſſimus pater duos *Angliæ* metropolitanos archiepiſcopatus ſedes in eis habere decreverat, quamquam pro tempore & loco & rerum eventu poſtea aliter acciderit. Memorandum etiam quod tempore *Lucii* Regis filii *Coyli* receperunt primo *Britones* fidem Chriſti, poſtulante eodem *Lucio* miſſis in *Angliam* ab *Eleutherio* papa (xiiij. à beato *Petro*, *Lino* & *Cleto* computatis) viris religioſis & catholicis *Fagano* & *Damiano* anno ab incarnatione Domini C. lvj. ſicut in Cronicis continetur & in libro *Bedæ* primo iiij. capitulo. Poſt iſtum fuerunt ante *Gregorium* xlv. papæ. Sanctus enim *Auguſtinus* mox ut ad Regem *Ethelbertum* pervenit,

venit, donante eodem Rege (quamvis adhuc pagano) manſionem in civitate *Dorobernenſi* accepit, & poſtquam per ejus prædicationem ad Chriſtum converſus eſt, donavit eidem idem Rex ſedem archiepiſcopalem in eadem civitate *Dorobernenſi*, quia ipſa erat totius Regni ſui metropolis. *Londonia* enim non ſui juris erat ut in ea metropolitanam ſedem conſtitueret, ſed erat metropolis regni Regis *Seberti* nepotis ſui. Ideoque extunc ſanctus *Auguſtinus* in *Dorobernia* quaſi in archiepiſcopatus ſui ſede remanſit, hæc eſt *Cantuaria*. Obiit autem beatus papa *Gregorius* antequam civitas *Eboraca* ad Chriſtum eſſet converſa, & ideo pallium quod ipſe illuc ſicut in privilegio ſuo promiſerat, mittere decreverat, uſque ad *Honorium* papam, qui ab eo quintus *Romana* eccleſiæ præfuit, dilatum eſt.

De ſancto Paulino *Archiepiſcopo.*

HUjus papæ temporibus potentiſſimus *Northumbrorum* Rex *Edwynus* adhuc paganus, *Edelbergam* virginem Chriſtianam filiam Regis *Cantuariorum Edelberti* jam defuncti, à fratre ſuo rege *Edelbaldo* ſibi in conjugium dari petiit. Cumque ei reſponſum eſſet, non eſſe licitum Chriſtianam virginem pagano in conjugium dari, ne fides & ſacramenta cœleſtis regis prophanarentur conſortio regis qui veri Dei cultus eſſet prorſus ignarus: Promiſit ergo Rex ſe eandem quam virgo colebat ſubiturum religionem, ſi tamen à prudentibus examinata ſanctior poſſet inveniri. Itaque virgo regia Regi promittitur, diſpoſitumque eſt ut ordinaretur epiſcopus vir Deo dilectus *Paulinus*, qui cum illa veniret, eamque & comites ejus ne paganorum poſſent ſocietate pollui, cotidiana exhortatione & ſacramentorum cœleſtium celebratione confirmaret. Ordinatus eſt itaque *Paulinus* epiſcopus à *Juſto Cantuarienſi* archiepiſcopo ſub die xij. kal. Auguſti, anno ab incarnatione Domini DC. xxv. Et ſic cum præfata virgine quaſi comes copulæ carnalis ad Regem *Edwinum* advenit. Iſte *Juſtus* quartus fuit à beato *Auguſtino*, quia poſt *Auguſtinum* fuit *Laurentius*, poſt eum *Mellitus* qui fuit *Londonienſis*. Poſt eum *Juſtus* qui fuit *Roffenſis*. Poſt eum *Honorius* quem *Paulinus* conſecravit *Lyncolniæ*. Cui & *Paulino Honorius* papa primus pallium miſit. Sed ipſe potius toto animo intendens, ut gentem quam adibat ad agnitionem veritatis advocans juxta vocem apoſtoli, uni viro ſponſo virginem caſtam exhibere Chriſto. Iſte eſt *Paulinus* quem ſanctus Papa *Gregorius* ſuggerente ſibi ſancto *Auguſtino* multam quidem ſibi eſſe meſſem ſed operarios paucos, cum *Mellito* & *Juſto* & pluribus cooperatoribus ac verbi Dei miniſtris eidem *Auguſtino* ad prædicandum direxit. E quibus *Mellitus* à ſancto *Auguſtino* ad ſedem *Londonienſem* ordinatus eſt. Procedente tempore pro defuncto *Laurentio* qui *Auguſtino* ſucceſſerat in Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* à ſua ſede eſt tranſlatus. Similiter & *Juſtus* à ſancto *Auguſtino* ad ſedem *Roffenſem* primo eſt ordinatus. Deinde & ipſe pro defuncto *Mellito Cantuarienſi* eccleſiæ eſt ſubrogatus. Tercius vero eorum ſocius *Paulinus* præfatæ virgini Chriſtianitatis & fidei cuſtos datur. Ab archiepiſcopo *Juſto* epiſcopus ordinatus, cum eadem virgine ad prædictum Regem *Edwinum* eſt deſtinatus.

De prædicatione ejus.

IGitur ad prædicationem ſancti *Paulini* Rex *Edwinus* ad Chriſtum converſus baptizatus eſt in civitate *Eboraci* cum cunctis gentis ſuæ nobilibus ac plebe plurima anno Dominicæ incarnationis DC.xxvij. Cathedram archiepiſcopalem eidem doctori atque antiſtiti ſuo *Paulino* in eadem civitate ſua conſtituit, in qua ipſe *Paulinus* uſque ad finem vitæ Regis *Edwini* ſedit, verbumque domini cum omni alacritate & inſtantia in ea prædicavit provincia. Tantus autem fertur tunc fuiſſe fervor fidei ac deſiderium lavacri ſalutaris genti *Northumbrorum*, ut quodam tempore *Paulinus* veniens cum Rege & Regina in villam regiam quæ vocatur **Adgefrin** in provincia *Berniciorum* xxxvj. diebus illuc cum eis catechizandi & baptizandi officio deditus moraretur, quibus diebus cunctis cum à mane uſque ad veſperum nil aliud ageret quam confluentem ei de cunctis locis plebem Chriſti verbo ſalutis inſtruere, atque inſtructam in proximo flumine **Gleyn** lavacro remiſſionis abluere; Sed in provincia *Deirorum* ubi ſæpius manere cum Rege ſolebat, baptizabat in fluvi *Sualna* quæ vicum *Cataractam* præterfluit. Magnam itaque partem *Deira* & *Bernicia*, nam in has duas provincias *Northumbria* antiquitus fuit diviſa, ſanctus *Paulinus* primus, quintus à beato *Gregorio*, ad fidem Chriſti convertit.

Quod Honorius *papa pallium ſancto* Paulino *miſit.*

QUod ubi papa *Honorius* didicit ſcilicet gentem *Northumbrorum* cum Rege ſuo *Edwino* ad fidem Chriſti *Paulino* evangelizante converſam eſſe, miſit eidem *Paulino* pallium ſicut in privilegio beati papæ *Gregorii* fuerat decretum. Iſtæ literæ continentur in libro *Bedæ* de geſtis *Anglorum* primo capitulo xvij. & xviij. & incipiunt, *Domino excellentiſſimo Regi &c.* Item, Dilectiſſimo fratri *Honorio* &c. miſitque Regi *Edwino* literas exhortatorias in quibus ad paritatem quam ſanctus *Gregorius* inter duos *Angliæ* metropolitanos ſtatuerat, etiam ipſe poteſtatem eis ſeſe viciſſim ordinandi eiſdem metropolitanis conceſſit, ſcilicet ut cum *Dorobernenſis* vel *Eboracenſis* antiſtes de hac vita tranſierit, is qui ſuperſtes eſt conſors ejuſdem gradus, habeat poteſtatem alterum ordinandi in loco ejus qui tranſierat ſacerdotem, ne ſit neceſſe uſque ad *Romanam* civitatem per tam prolixa terrarum & maris ſpatia pro ordinando epiſcopo ſemper fatigari; ſimiliter & *Honorio* archiepiſcopo hoc idem literis inſinuat ſicut inferius poſt privilegium *Gregorii* continetur.

Quod Paulinus **Lyndeſeye**, *&* Lincolniam *ad dominum convertit &* Cantuarienſem *archiepiſcopum in ea conſecravit.*

PRædicabat autem beatus *Paulinus* non ſolum in *Northumbria* ſed etiam in provincia *Tranſhumbria*, hoc eſt in **Lyndeſeye**, ipſamque gentem & civitatem *Lyncolniam* ad Dominum convertit, & in eadem civitate eccleſiam operis egregii de lapide à fundamentis conſtruxit. Hæc autem infra. *Juſtus* archiepiſcopus ad cœleſtia regna ſublatus, & *Honorius* pro illo in archiepiſcopatum *Cantuarienſem* eſt electus. Qui ordinandus venit ad *Paulinum*, &

occurrente ſibi illo in *Lindecolnio* in præfata eccleſia quintus *Dorobornenſis* eccleſiæ ſecundum inſtitutionem papæ *Honorii* à *Paulino* conſecratus eſt antiſtes.

Quod occiſo Rege Edwino Paulinus Cantiam *rediit & curam* Roffenſis *eccleſia ſuſcepit.*

IGitur *Paulinus* primus *Eboracenſis* archiepiſcopus ſex annis continuis fidem Chriſti prædicando cathedram archiepiſcopalem ſublimiter rexit, quibus expletis, rebellaverunt adverſus Regem *Edwinum Cedwalla* rex *Britonum* & *Penda* rex *Merciorum*. & conſerto gravi prælio in campo qui vocatur Hetfeld occiſus eſt rex *Edwinus*; factaque eſt maxima ſtrages in eccleſia *Northumbrorum*. Itaque turbatis rebus, interfectis ducibus, graſſantibus hoſtibus, cum nichil auxilii, nil alicubi præſidii niſi in fuga ſupereſſet, *Paulinus* aſſumpta ſecum Regina & pueris regiis, navigio *Canciam* unde venerat rediit, atque ab *Honorio* archiepiſcopo quem ipſe *Paulinus* ſacraverat, & à Rege *Edelbaldo* qui eundem *Paulinum* cum ſorore ſua ad regem *Edwinum* miſerat, multum honorifice ſuſceptus eſt, & quia eo tempore *Roffenſis* eccleſia paſtorem minime habebat, eo quod *Romanus* præſul illius ad *Honorium* papam à *Juſto* archiepiſcopo miſſus abſortus fuerat fluctibus *Ytalici* maris, invitatione *Honorii* archiepiſcopi & *Edbaldi* Regis curam præfatæ eccleſiæ ſuſcepit ſanctus *Paulinus*. In qua etiam eccleſia ipſe poſt plures annos à terrenis ad cœleſtia migrans pallium quod ab *Honorio* papa acceperat reliquit.

De ſancto Cedda *archiepiſcopo* Eboracenſi.

SEcundus *Eboracenſis* archiepiſcopus ordinatus eſt ſanctus *Cedda* anno Domini DC. lxiiij. quia multo temporis intervallo recedente propter perſecutionis inmanitatem ſancto *Paulino*, *Eboraci* eccleſia proprium per xxx. annos non habuit epiſcopum, ſed *Lindifernenſis* eccleſiæ pontifices cujus eccleſia propter barbarorum incurſiones poſt multos annos *Dunelmum* tranſlata eſt, ſcilicet *Aidanus*, *Finanus*, *Colmanus*, & *Tuda*. Quatuor iſti ſicut ſibi ordine ſuccedebant totius *Northumbria* adminiſtraverunt pontificatum. Verum triceſimo pontificatus eorum anno expleto, finitoque inter *Wilfridum* & *Colmanum* de obſervantia paſchali conflictu. convictiſque *Scottis* & patriam ſuam repetentibus, defunctoque in brevi *Tuda* qui *Colmano* in epiſcopatu ſucceſſerat, miſſus eſt ſanctus *Wilfridus* à Rege *Berniciorum Alfrido* conſilio patris ſui *Oſwii* in *Gallias* ut ſibi ſuiſque ordinaretur epiſcopus. Quo adhuc in tranſmarinis partibus propter ordinationem demorante, imitatus induſtriam filii ſui rex *Oſwyus* fecit ſibi ordinari in archiepiſcopum *Eboracenſis* eccleſiæ virum ſanctum, modeſtum moribus, ſcripturarum lectione ſufficienter inſtructum, & ea quæ in ſcripturis agenda didicerat operibus ſolerter exequentem, vocabulo *Ceddam*, fratrem reverendiſſimi antiſtitis orientalium Saxonum *Cedda*, presbyterum & abbatem monaſterii quod vocatur Laſtyngaen. Qui cum eccleſiam tribus annis ſublimiter rexiſſet, dulcedine quietioris vitæ archiepiſcopatum dimiſit, & ad monaſterium ſuum quod eſt in Laſtyngaen receſſit: unde primus poſt non multum tempus, poſtulante archiepiſcopo *Theodoro* & concedente Rege *Oſwio*, aſſumptus, & petenti Regi *Merciorum Wilfero* miſſus, pro defuncto *Jarumano Lichefeldenſi* eccleſiæ eſt ſubſtitutus, & cum eandem eccleſiam duobus annis & dimidio glorioſe rexiſſet migravit ad Dominum; ſepultus eſt primo juxta eccleſiam ſanctæ *Mariæ*, ſed poſtmodum conſtructa eſt ibidem eccleſia ſancti *Petri*. Et in eandem ſunt oſſa ejus honorifice ac devote tranſlata.

De ſancto Wilfrido *archiepiſcopo* Eboracenſi *qui apud* Ripon ſepultus eſt.

TErcius *Eboracenſis* eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit ſupradictus vir ſanctus *Wilfridus*, qui à rege *Berniciorum Alfrido Haunguſtaldenſis* eccleſiæ fuerat epiſcopus conſtitutus, cui quia conſilio providus & actione ſtrenuus, curam *Eboracenſis* eccleſiæ tunc per reſignationem *Cedda* epiſcopi vacantis commiſit *Deirorum* rex *Oſwius*, de quo cum largior ſit ſcribendi materia, nos breviandi gratia multa omittentes, ſummatim exprimamus quam illuſtris & ſtrenuus fulſerit in eccleſia. Qui cum eſſet annorum xiiij. primo in *Lyndifernenſi* eccleſia lectioni operam inpendens, animatvertit minime perfectam eſſe vitam quæ tradebatur à *Scotis*, unde *Romam* perrexit, ibique meditationi rerum eccleſiaſticarum cotidiana mancipatus inſtantia, quatuor evangeliorum ex ordine libros compotum paſchæ rationabilem, & alia multa eccleſiaſticis diſciplinis accommoda à conſiliario ipſius papæ viro doctiſſimo *Bonifacio* didicit. Inde *Britanniam* veniens, cum in *Gallias* deveniſſet, tribus annis cum *Dalfino Lugdunenſi* commoratus, attonſus eſt ab eo; ſicque patriam perveniens, conjunctus eſt amicitiis ſupradicti *Alfridi* regis *Berniciorum*, & ad ejus juſſionem presbyter ordinatus. Interea mota, ut ſuperius memoravimus, inter *Anglos* et *Scotos* quæſtione de obſervantia Paſchæ, quam contra morem eccleſiaſticum celebrant *Scoti*, *Wilfridus* contra eos & eorum doctorem *Colmanum Lindifernenſem* epiſcopum conflictum iniit, & congregata ſynodo non parva ſub præſentia regum ſcilicet *Oſwii* qui *Deirorum* & filii ſui *Alfridi* qui *Berniciorum* ſub patre ſuo regebat regnum, ſententiam *Scotorum* confutavit, ſectam reprobavit, & catholicam Paſchalis obſervantiæ regulam promulgavit. Quem conflictum à venerabili *Beda* luculenter editum in hiſtoria legimus *Anglorum*. Proceſſu vero temporis miſit eum præfatus rex *Alfridus* in *Gallias*, ut ſibi ſuiſque ſpecialiter ordinaretur epiſcopus, eique individuus comes & ſacerdos eſſet & doctor catholicus. Ordinatuſque eſt itaque ſanctus *Wilfridus* epiſcopus apud *Compendium* à *Gilberto Pariſiorum* epiſcopo, cum quo & alii undecim epiſcopi convenientes multum honorifice miniſterium impleverunt. Rediens autem *Wilfridus* in *Britanniam*, & per *Canciam* veniens, quia ſedes *Cantuarienſis* defuncto *Honorio* archiepiſcopo vacabat, & *Theodorus* necdum ad ſedem ſuam venerat, ipſe *Wilfridus* in *Cancia* presbyteros & diaconos uſque dum archiepiſcopus ad ſedem ſuam perveniret ordinabat; ſicque ad regem *Alfridum* perveniens apud Heſtoldeſham ſedem ab eo epiſcopalem accepit. Hæc inter ſupradictus *Eboracenſis* archiepiſcopus ſanctus *Ceddi* quietam magis vitam diligens, dimiſſo archiepiſcopatu in monaſterium ſuum in Laſtyngaen receſſit. Et ſanctus *Wilfridus* curam eccleſiæ *Eboracenſis* invitante rege *Oſwio* accepit, necnon & omnium *Northumbrorum* ſed & *Pictorum* quouſque rex

Oſwius imperium protendere poterat. Mortuo autem rege *Oſwio* ſucceſſit *Egfridus* filius ejus in regnum, qui poſt beatam *Etheldredam* quam nomine tenus conjugem primo duxerat, *Emburgam* ſortitus eſt in matrimonium. In cujus corde hoſtis malignus ſibi hoſpicium fecerat, ubi odiorum & invidiæ contra beatum *Wilfridum* fomenta conficiens, per linguam mulieris incendit animum regis ad expulſionem uſq; pontificis. Sed quia rex pontificem de ſede ſua præter conſenſum *Theodori* archiepiſcopi *Cantuar.* pellere nequibat, mandavit archiepiſcopo ut adeſſet; auditiſque quas accuſatores ejus finxerant cauſis, pulſus eſt ab epiſcopatu ſanctus *Wilfridus* anno ab incarnatione Domini DC. lxxviij. qui eſt annus epiſcopatus ſui xiij. & per decennium exulavit. Duoque in loco ſuo epiſcopi à *Theodoro* ſunt ſubſtituti. *Boſa* videlicet qui *Deirorum*, & *Eata* qui *Berniciorum* provinciam gubernaret, *Boſa* in civitate *Eboracenſi*, *Eata* in eccleſia *Hanguſtaldenſi*. At *Wilfridus* pro cauſa ſua *Romam* iturus & de ea coram apoſtolico Papa acturus, ubi navem aſcendit, *Freſiam* appulſus, primus genti illi verbum Dei prædicans ad Chriſtum eam convertit. Deinde *Romam* veniens ventilata eſt cauſa ſua in concilio centum & viginti quinque coepiſcoporum. Abſolutionis ſuæ literas ab *Agathone* papa accepit, redienſque *Britanniam*, cum propter inimicitias *Egfridi* regis in epiſcopatum ſuum recipi non poſſet, divertens ad provinciam *Auſtralium Saxonum*, quinque annis, id eſt, uſque ad mortem ipſius *Egfridi* ibidem moratus, gentem illam in Chriſtum credere fecit, & donante rege illius provinciæ nomine *Edelwach* inſulam quæ vocatur **Seleſen**, ubi ſuos dum exularet recipere poſſit, cum omnibus hominibus & facultatibus quæ in ea erant, in poſſeſſionem accepit, ubi & monaſterium conſtruxit, & regularem inibi vitam inſtituit. Similiter & *Vectam* inſulam per verbi Dei miniſtros quos illuc direxit, ab idolatriæ cultu liberavit, & dono regis *Cedwalla* qui interfecto rege prædicto *Edylwach* inſulam ſibi ſubjugavit, tertiam ejuſdem inſulæ partem in poſſeſſionem accepit; quam poſtea pacatam repetens, nepoti ſuo *Britwino* commendavit. Interim dum ſanctus *Wilfridus Romam* iret & rediret, & in provincia ſupradicta moraretur, *Eata*, qui pro ipſo ad ſedem *Hanguſtaldenſem* à *Theodoro* fuerat ordinatus, principio regni *Alfridi*, qui poſt fratrem ſuum *Egfridum* regnavit, defunctus eſt, & ſanctus *Johannes* præſulatum *Hanguſtaldenſem* accepit, & uno anno tenuit. Anno autem ſecundo regis *Alfridi*, eodem rege invitante, ſanctus *Wilfridus* epiſcopatum ſuum recepit, & S. *Johannes* de **Heſtoldeſham** ad *Eboracum* tranſlatus, pro jam defuncto *Boſa*, in archiepiſcopatum eſt ſublimatus. Tranſactis autem quinque annis ſanctus *Wilfridus* denuo accuſatus, ab eodem rege & plurimis epiſcopis præſulatu pulſus eſt, venienſque *Romam*, cum præſentibus accuſatoribus acciperet locum defendendi ſe, omnium judicio probatum eſt, accuſatores ejus falſas contra eum machinaſſe calumpnias: ſcriptumq; eſt regibus *Anglorum*, ut eum in epiſcopatum ſuum facerent recipi, eo quod injuſte fuerat accuſatus. Reverſus itaque *Britanniam* ſub *Offredo* rege filio *Alfridi*, xiij. ſecundæ ſuæ pulſionis anno, *Hanguſtaldenſis* eccleſiæ epiſcopatum recepit, ſicque quatuor annis, id eſt, uſque ad diem obitus ſui vitam duxit in pace. Fuit autem beatus *Wilfridus* temporibus *Oſwii* & *Egfridi*, *Alfredi*, & *Offredi* cujus anno quarto diem clauſit extremum, functus epiſcopatu per multas tribulationes xlv. annis, qui ſic colliguntur. Manſit in epiſcopatu in pace ante primam expulſionem xiij. annis, pulſus ab epiſcopatu decennio exulavit, reverſus de exilio v. annis in epiſcopatu fuit, iterum pulſus xiij. annis in exilio fuit, ſecundo reverſus quatuor annis in pace epiſcopatum rexit. Defunctus eſt autem in monaſterio ſuo apud *Undalum*, quod eſt juxta **Stamfoꝛd**, & inde miniſterio fratrum delegatus, in monaſterio ſuo apud *Riponum* eſt ſepultus Anno Domini DCC. ix.

De Boſa *Archiepiſcopo*.

Quartus *Eboraci* eccleſiæ præfuit vir magnæ ſanctitatis & humilitatis *Boſa*, qui ſtatim poſt primam expulſionem ſancti *Wilfridi*, à *Theodoro Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Eboraco* eſt ordinatus, & pro ſancto *Wilfrido* ad ejuſdem eccleſiæ regimen eſt ſubſtitutus, totoque fere decennio quo ſanctus exulabat *Wilfridus* eccleſiam illam rexit, & principio regni *Alfridi* defunctus, apud *Eboracum* eſt ſepultus.

De ſancto Johanne *Archiepiſcopo* Eboraci.

Quintus *Eboraci* rexit eccleſiam, ſanctus, & digne laudabilis archiepiſcopus *Johannes*, hic de gente *Anglorum*, natalibus nobilis, puer *Theodoro Cantuarienſi* archiepiſcopo ad imbuendum literis traditus, propter ejus excellentem in ſcripturis ingenii vivacitatem, *Johannes*, i. e. *Gratia Dei*, ab eo eſt appellatus. Cujus doctrinis accurate inſtitutus, & gratia Dei adjutus, in tantam literarum ſcientiam claruit, ut eo de Auditorio egreſſo ſtatim ad eum audiendum diſcipuli catervatim undique confluerent, & cœleſtis philoſophiæ ab eo documenta pectore ſitibundo indeſinenter haurirent, quos & ipſe tanta religionis inſtitutione formabat, ut eos non ſolos divinarum ſcripturarum lectioni vacare, ſed etiam operibus juſtitiæ ſe faceret exemplo ſui exercere. Inter quos radiantiſſima totius *Britanniæ* lucerna *Beda*, qui inter illuſtres eccleſiæ doctores celeberrimus habetur inſigniſſimus ejus Auditor fuit, quem & ipſe tum pro vitæ ſanctitate, tum pro ſenſus ſubtilitate, miro amplexus amore, digno quoque venerabatur honore. Denique proceſſu temporis ipſe *Iohannes* propter affluentem cœleſtis doctrinæ gratiam de Auditorio ſuo ad docendos populos, & eccleſias inſtruendas fraterna ubique charitate invitatus, tantæ excellentiæ illuſtratus gratia, in monaſterio *Streneſalenſi* aliquantis detinetur diebus ab *Elfride* abbatiſſa. Poſtquam autem non ſolum ibi, ſed etiam in regionibus circumſtantibus, verbum Dei rudibus adhuc *Anglorum* populis evangelizavit, ad heremiticam ſe offerens vitam, ſuper ripam *Tyna* fluvii in loco qui **Arneſhange** dicitur, quod interpretatur mons aquilæ, diu ſeipſum Deo in magna contemplationis pietate immolavit. Sed cum eſſet vir multum ſingularis, & apoſtolicæ gratiæ virtutibus inſignis, ne tanta Domini lucerna ſub modio tecta lateret, inde principio regis *Alfridi* aſſumptus primo ad *Hanguſtaldenſem* eccleſiam, pro defuncto *Eata* ſubſtitutus, & poſtmodo ad eccleſiæ *Eboraci* cathedram pro defuncto *Boſa* tranſlatus, magniſque in utraque ſede claruit miraculis. Quia vero procedente tempore, dum ipſe adhuc Auditorium regeret, multæ ſanctitatis & ſcientiæ plures habuerat diſcipulos, de ipſis poſtmodo ad Pontificatum aſſumptus electiſſimos ſacris ordinibus mancipavit, & ad reverendum ſacri altaris miniſterium dignos Deo cooperatores promovit, de quibus eſt ille clariſſimus *Anglorum* doctor *Beda*, de quo ſupra meminimus, cujus ſcripta tota miratur *Europa*, quem beatus Pontifex electum Deo miniſtrum conſtituens diaconii arce ſublimavit, & poſt ſacerdotii honore veſtivit; de quorum etiam collegio extitit *Herebaldus*, qui ejus erat à puero diſcipulus comeſque commanens & individuus, quem ſanctus Pontifex pro inobedientia equo lapſum, & toto corpore contritum de portis mortis ad vitam orando reduxit. Ex eodem quoque numero fuit beatus *Brithunus*, quem pro vitæ ſanctitate, & conſiliorum profunditate præ cæteris familiatem habuit, quique poſtea in monaſterio *Beverlacenſi* quod ipſe à fundamentis conſtruxerat, abbatem ſanctimonialis vitæ inſtituit. Claruit etiam inter eos venerabilis memoriæ *Wilfridus* junior, qui in tantum merito ſanctitatis excrevit, ut eum beatus *Johannes* præ cæteris eligeret, & ſe vivente archiepiſcopum *Eboraci* eccleſiæ pro ſe ordinaret. Inter ipſos quoque digna relatione memorandus eſt *Sigga* ejus diaconus, qui quantæ pietatis in conſpectu Dei fuerit, iſte ſanctus in ſeipſo expertus eſt virtute Spiritus ſancti. Cum enim aliquando apud *Eboracum* in metropolitana eccleſia ſua ſecretius oraret, & totus ſupernis intentus animam ſuam ſicut aquam in conſpectu Dei infunderet, viſibiliter ei in ſpecie cadentis columbæ Spiritus ſanctus apparuit, qui primo ante eum ſuper altare, deinde ſuper caput ipſius orantis ineffabiliter reſplendens reſedit, cujus eradiante per quæque foramina candore niveo, omnis eccleſia illuxit lumine magno. Mirantibus itaque cunctis tantam claritatem auſu familiaritatis confiſus accurrit ſupradictus *Sigga* diaconus ad viſionem, & intentis in ſanctum Dei oculis, gloriam participat divinæ viſionis. In argumentum autem tantæ temeritatis contrahitur facies ejus in rugam ſicut ab uſtione ignis. Et velut converſa in carbonem carne, pœnam excepit temeritatis illatæ. Sed quia nichil eum latere poterat, cum quo erat qui omnia noverat, ſenſit illico per Spiritum ſanctum ſanctus Dei diaconum participem viſionis, accitumque ad ſe tactu emaculat dextræ, compoſitaq; in priſtinum decorem facie, obſecrat, proteſtatur, adjurat, ne quoad ipſe in hac vita viveret, viſionem illam alicui mortalium detegeret. Cum autem beatus *Johannes* ad ultimam uſque ſenectutem eccleſiam *Eboraci* glorioſiſſime rexiſſet, & adminiſtrando epiſcopatui minus ſufficeret, electo & ordinato pro ſe cum totius cleri & populi unanimitate ad ſedem *Eboraci* eccleſiæ *Wilfrido* capellano Presbytero ſuo, de quo ſuperius dictum eſt, ipſe in monaſterium ſuum, quod apud *Beverlacum* fundaverat, ſeceſſit, ibique quatuor annis in Angelica converſatione degens, miraculorum gloria inſignis, nonas Maii feliciter vitam finivit. Sepultus eſt ibi in eccleſia, ex tunc uſque nunc ſemper glorioſis non ceſſat publicare virtutibus, functus epiſcopatu xxxiij. annis & viij. menſibus & xiij. diebus. Fuit autem beatus *Iohannes* temporibus *Alfridi* regis, & *Ofredi*, *Eduredi*, & *Offrici*, cujus regni principio migravit ad Dominum Anno incarnationis Domini DCC. xxj.

De ſancto Wilfrido *juniore Archiepiſcopo* Eboraci.

SExtus *Eboraci* eccleſiæ regimen ſuſcepit *Wilfridus* junior, de clero & diſciplinatu beati *Iohannis*; ejus capellanus fuit. Quia vero plures in hiſt: *Angl: Wilfridos* legimus epiſcopos, diſcernat prudens lector nominum identitatem vel ſimilitudinem, temporum qualitatem, & locorum differentiam, ne in perſonis erret, cum hiſtoriam *Anglorū* legerit. Ibi enim nunc *Wilfridus*, nunc *Wilfrid*, nunc *Winfridus* per *n* non per *l.* ſcribitur. Eſt autem una eademque perſona *Wilfridus* & *Wilfrid*, ſed illud Latinum, iſtud barbarum. Iſte eſt *Wilfridus* ſenior, qui diſcendi gratia *Romam* perrexit, revertens per *Galliam* cum *Dalfino Lugdunenſi* archiepiſcopo tribus annis commoratus eſt. Et cum idem Archiepiſcopus ex crudelitate reginæ *Brunchyld* ad decollandum duceretur, ſicut *Beda* refert, ſecutus eſt eum *Wilfridus* clericus illius deſiderans pro eo, vel cum eo pariter occumbere; ſed ubi hunc peregrinum atque oriundum de natione *Anglorum* cognoverunt carnifices, pepercerunt illi, neque eum trucidare cum ſuo voluerunt Pontifice. Ecce & hic dictus eſt *Wilfrid* ſecundum barbaram patriæ appellationem, & clericus illius tam propter benedictionem quia clericum eum fecerat, quam propter triennii converſationem. Eſt & alius tam nomine quam perſona diverſus *Winfridus*, ſc. per *n.* non per *l.* diaconus ſancti *Cedda*, & poſt eum *Merciorum* epiſcopus à *Theodoro* ſubſtitutus, ſed poſt duos annos per meritum cujuſdam inobedientiæ ab epiſcopatu ab eodem *Theodoro* depoſitus. Rediens ad Barne ibi & defunctus & ſepultus eſt. Eſt & tertius *Wilfridus* de quo nunc agimus, à beato *Johanne* pro ſe ſubſtitutus: ſed & epiſcopus provinciæ *Berniciorum Wilfridus* eſt appellatus, ſicut *Beda* meminit, huic *Wilfrido* archiepiſcopo contemporaneus. Fuit tertius *Wilfridus Wigornia* epiſcopus, qui ſancto *Egwino* ſucceſſit, & pene eodem anno cum *Wilfrido* juniore obiit, anno Dñi DCC. xxxvj. Iſte copiam librorum quater peregrinatus advexit, artifices lapidearum, & vitrearum feneſtrarum primus omnium *Angliam* aſcivit. Hujus corpus apud Thorney transfertur. Fuit autem iſte *Wilfridus* temporibus *Ofrici* & *Ceolwldi* regum, peractis in epiſcopatu xv. annis ſucceſſorem habuit *Egbertum.*

Qui fuerunt eo tempore in Northumbria *contemporanei.*

HUC uſque de ſucceſſionibus archiepiſcoporum *Eboraci* à primo *Paulino* uſque; ad *Wilfridum* juniorem ſecundum *Bedam* diximus, poſſumus autem ex ipſius *Beda* hiſtoria à principio fidei *Northumbrorum* uſque ad ultima ipſius *Bedæ* tempora colligere iſtos præclaræ ſanctitatis viros poſt *Paulinum* in *Northumbrorum* eccleſia contemporaneos fuiſſe, *Wilfridum* ſeniorem, *Ceddam*, *Eatam*, *Boſam*, *Cuthbertum*, *Iohannem*, & *Wilfridum* juniorem. *Hilda* quoque abbatiſſa hiiſdem temporibus claruit, in cujus monaſterio aliquanto tempore in divina eruditione commorati ſunt quinque ſingularis meriti & ſanctitatis viri: ſcil. *Boſa* qui *Eboracenſi*, *Eata* qui *Dorcaceſtrenſi*, *Otifor* qui *Huictienſi*, *Iohannes* qui *Eboracenſi*, *Wilfridus* qui *Hanguſtaldenſi* eccleſiæ præfuit. *Benedictus* etiam conſtructor monaſteriorum *Petri* & *Pauli* in *Weremunda*, i. **Weremouth**, & in *Girum*, nutritor & abbas ipſius *Bedæ*, *Ceolfridus* quoque poſt *Benedictum*, ejuſdem *Bedæ* abbas, ipſe quoque doctor incomparabilis *Beda* eiſdem temporibus inſignis fuit.

De Beda *& ejus ſcripturis.*

UT autem aliquanto latius nobis noſter *Beda* innoteſcat, natus eſt anno ab incarnatione Domini DC. lxxvij. qui eſt annus nonus adventus *Theodori* in *Britanniam* anno uno ante primam expulſionem beati *Wilfridi*, ſancto *Cuthberto* tunc ſolitariam vitam agente. Natus eſt autem in præfati monaſterii territorio, & cum eſſet vij. annorum traditus eſt à parentibus præfato abbati *Benedicto*, atque ut ipſe de ſe atteſtatur, omnem fere uſque ad finem vitæ in ejuſdem monaſterii habitatione peregit ætatem. Converſatus eſt etiam aliquanto tempore in diſciplinatu beati *Iohannis*, & xix. anno vitæ ſuæ diaconatum, xxx. gradum presbyteratus, utrumque per miniſterium ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis *Iohannis* ſuſcepit. Videtur autem quibuſdam incredibile, quod in extremo mundi angulo ſit vir, qui nunquam maria transfretaverit ob addiſcendam ſapientiam ſcholas philoſophorum non frequentaverit, tanta eruditione clareat, tanta librorum compoſitione ubique mundo innoteſcat; ſed hoc non eſſe mirandum ipſe idem docet qui inter DC. viros beatæ vitæ & mirabilis ſcientiæ, quod ſinguli habuerunt, omne hoc ipſe in uno cordis ſui vaſculo, Spiritu ſancto illuminante converterat. Habuerat etiam præ oculis copiam omnis generis librorum quos abbas ſuus *Benedictus* inter alia diverſa ornamenta donatione apoſtolicorum *Vitaliani* & *Agathonis* ad monaſterium ſuum contulerat. Præterea & erat eo tempore quo magna ſcientiæ ſtudia floruerant in *Anglia*, quando *Theodorus* archiepiſcopus & abbas *Adrianus* peragrata inſula quaquaverſum ubi gentes commorabantur, ſcolas ſacrarum ſimul & ſecularium literarum inſtituebant, ut quicumque cuperent erudiri haberent in promptu magiſtros qui docerent. Unde ipſe *Beda* loquens de hiis, » Indicio eſt, inquit, quod uſque » hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis qui Latinam, » Græcamque linguam æque ut patriam in qua » nati ſunt norunt. Ab hiis eorum diſcipulis prudens inſtitutus adoleſcens in lege domini meditabatur die ac nocte, ita etiam ut ſuos doctores ipſe doctior ſupergrederetur. Oſtendit etiam ipſe quod non *Franciam* nec *Italiam* nec *Græciam* diſcendi cauſa adierit, dicens ubi & à quibus quæ ſcripſerat didicerit, ſcribit enim ita in primo libro expoſitionis ſuper Cantica canticorum, » In hoc vero, inquit, opere » lectorem amoneo, ne me ſuperfluum judicet, qui » de natura arborum ſive herbarum aromaticarum » quæ in hoc volumine plurimæ continentur, juxta » quod in literis antiquorum didici, latius explicare » voluerim. Feci namque hoc non arrogantiæ ſtu» dendo, ſed meæ meorumque inperitiæ conſulendo, » quod longe extra orbem, hoc eſt in inſula maris » occeani nati ſumus & nutriti, & quæ in primis par» tibus orbis, *Arrabia* dico & *India*, *Iudæa*, & *Æ» gypto* geruntur, non niſi per eorum qui interfuere » ſcripta noſcere valemus. Quantum autem ſtudium ſanctis ſcripturis inpenderit, ex indicio opuſculorum ejus ſcire poſſimus, quæ ipſe in fine hiſtoriæ *Anglorum* enumerat ſcribens ita: » Hoc, in» quit, in ſcripturam ſanctam meæ meorumque ne» ceſſitati ex opuſculis venerabilium patrum habe» tur annotare, ſive etiam ad formam ſenſus & in» terpretationis eorum ſemper adicere curavi. In » principium *Geneſis* uſque ad nativitatem *Iſaac* & » ejectionem *Iſmaelis* libros tres. De tabernaculo » & vaſis ac veſtibus ſacerdotum libros tres. In pri» mam partem *Samuelis*, id eſt, uſque ad mortem » *Saulis* libros iv. Item in Regum librum triginta » quæſtionum. In proverbia *Salomonis* libros tres. » In Cantica canticorum libros ſex. In *Eſdram* & » *Neemiam* libros tres. In canticum *Abacuc* libros » tres. In librum beati patris *Thobiæ* explanationis » allegoricæ de Chriſto & eccleſia librum unum. » Item capitula lectionum in Pentateucum *Moiſi*, » *Ioſue*, Judicum, in libros Regum & verba die» rum. In librum beati patris *Iob*. In Parabolas, » Eccleſiaſten & Canticum canticorum. In *Iſaiam* » prophetam, *Eſdram* quoque & *Neemiam*. In e» vangelium *Marci* libros iv. In evangelium *Lucæ* » libros ſex. Omeliarum evangeliorum libros duos. » In Apoſtolum, quæcumque in opuſculis ſancti *Au» guſtini* expoſita inveni cuncta per ordinem tran» ſcribere curavi. In Actus Apoſtolorum libros ij. » In Epiſtolas vij. canonicas libros ſingulos. In A» pocalypſin *Iohannis* libros tres. Item capitula le» ctionum in totum Novum Teſtamentum excepto » evangelio. Item librum Epiſtolarum ad diverſos, » quarum una de vj. ætatibus ſeculi, una eſt de » manſionibus filiorum *Iſrael*, una de eo quod *I» ſaias* ait, *& claudentur ibi in carcerem, & poſt » multos dies viſitabuntur.* De ratione biſexti una. » De æquinoctio juxta *Anatholium* una. Item de » hiſtoriis ſanctorum librum vitæ & paſſionis ſancti » *Anaſtaſii*, male de Græco tranſlatum & pejus à » quodam imperito emendatum, prout potui ad ſen» ſum correxi. Vitam ſancti patris monachi ſimul » & antiſtitis *Cuthberti* & prius heroico metro & » poſtea plano ſermone deſcripſi. Hiſtoriam abba» tum monaſterii hujus in quo ſupernæ pietati de» ſervire gaudeo, *Benedicti*, *Ceolfridi*, & *Huae» therthti* in libellis duobus. Hiſtoriam eccleſiaſti» cam noſtræ inſulæ ac gentis in libris quinque. » Martilogium de natalitiis. Hæc de imortali ejus ingenio quo ſe inſulamque *Britanniæ* fama perhenni illuſtravit breviter quidem dicta ſunt; nunc ad glorioſum ejus finem veniamus. Anno autem ætatis ſuæ lix. langueſcens die aſcenſionis Dominicæ cum jam exitus ejus inſtaret, cœpit in oratione dicere antiphonam, *O rex gloriæ domine virtutum*, uſque in finem; adjunctaque laude ſanctæ Trinitatis, ſcilicet, *Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto*, in nominatione Spiritus ſancti ſuum emiſit ſpiritum, anno Dñicæ incarnationis DCC. xxxv. qui eſt vij. annus *Ceolwlfi* regis, ad quem nuper ediderat hiſtoriam gentis *Anglorum*. Sepultus eſt autem in eodem loco quo glorioſe converſatus eſt ſcilicet in *Girvium*, ſed poſtea oſſa illius ad corpus ſancti *Cuthberti* ſunt tranſlata. Hiis per exceſſum ob notitiam virorum illuſtrium qui in *Northumbrorum* eccleſia contemporanei extiterunt curſim memoratis, revertamur ad ordinem pontificalis ſucceſſionis.

De Egberto *qui primo pallium ſuſcepit poſt ſanctum* Paulinum.

SEptimus igitur *Eboracenſis* eccleſiæ cathedram ſuſcepit *Egbertus*, vir de ſemine regio nobilis &

induſtris de regali ſemine ortus, qui poſt *Paulinum* primus ab apoſtolica ſede pallium accepit, ſeptimo anno regni *Ceolwlfi* regis, hoc eſt anno Dominicæ incarnationis DCC. xxxvj anno. Poſt deceſſum ſancti *Paulini* Curam *Eboracenſis* cathedræ adminiſtraverunt *Lyndiſernenſis* eccleſiæ pontifices; annis xxx. *Cedda* iij *Wilfridus* ſenior xlv. *Iob.* xxxiij. *Wilfridus* junior xv. Porro *Egbertus* archiepiſcopus xxxij. anno ſui epiſcopatus defunctus ſucceſſorem habuit *Albertum* anno Dominicæ incarnationis DCC. lxvj.

De Alberto *archiepiſcopo.*

OCtavus *Eboracenſi* eccleſiæ præfuit *Albertus*, qui ſeptimo anno accepti epiſcopatus ab *Adriano* papa pallium ſibi directum accepit ſeptimo anno *Alchredi* regis; & poſt, ſeptem aliis annis in epiſcopatu peractis ſucceſſorem habuit *Embaldum.*

De Embaldo *archiepiſcopo.*

NOnus eidem eccleſiæ præfuit *Embaldus*, qui adhuc vivente *Alberto* prædeceſſore ſuo ordinatus eſt anno Dominicæ incarnationis DCC, lxxx. regnante *Alfwoldo*, eodemque anno pallium ab Apoſtolica ſede accepit, & expletis in archiepiſcopatu xvij. annis defunctus eſt in loco qui dicitur **Aclete**. Corpuſque ejus magno comitante agmine ad *Eboracenſem* civitatem portatum, & in eccleſia ſancti *Petri* honorifice eſt ſepultum anno Domini DCC. xcvij.

De Embaldo *archiepiſcopo* Eboracenſi.

DEcimus eidem regimini ſucceſſit alius *Embaldus* eccleſiæ ejuſdem presbyter regnante *Eardulpho*, qui ſtatim poſt prædeceſſoris ſui obitum electus convenientibus ad ordinationem ejus *Adelberto Haunguſtaldenſi*, & *Higbaldo Lyndiſarnenſi*, atque *Radulpho* epiſcopis in monaſterio quod dicitur **Socaburgh** xiij. kal. Septembris die Dominica ordinatus eſt, & anno ſequenti accepto ab apoſtolica ſede pallio in archiepiſcopum genti *Northumbrorum* vj. idus Septembris ſolempniter confirmatus eſt, & eodem anno conſecravit pro defuncto *Edelberto*. *Eadredum* ad eccleſiam *Haunguſtaldenſem.* Tertio autem pontificatus ſui anno, qui eſt annus Dominicæ incarnationis DCC. xcviij. regni vero *Kenulphi* regis *Merciorum* tercius, congregata eſt ſynodus non parva in loco qui vocatur **Pinchamhalch**, cui ipſe præſidens cum magnis & ſapientibus perſonis quamplurimis, quorum prudentia & juſtitia ſtatus regni *Northumbrorum* illis temporibus incredibiliter redolebat: Poſtquam multa de utilitate ſanctæ eccleſiæ gentiſque *Northumbrorum* omniumque provinciarum, & de obſervatione Paſchalis feſti & Judiciorum divinorum atque ſecularium, & de augmento eccleſiaſtici ſervicii, & de honore & de neceſſitatibus ſervientium Deo rationabili conſilio providentes tractaverant, præcepit antiſtes *Embaldus* ad confirmationem fidei omnium recitare fidem v. ſynodorum, de quibus in hiſtoria *Anglorum* ſic habetur » Suſcipimus ſanctas & univerſales quinque » ſynodos beatorum & Deo acceptabilium patrum » ſicut præſentis libri continet textus. Glorificamus » ſane & adoramus atque veneramur Dominum » noſtrum Jeſum Chriſtum ſicut iſti glorificaverunt, » nichil addentes vel ſubtrahentes, & » anathematizamus corde & ore quos anathematizaverunt » prædicti patres, glorificantes Deum patrem » & omnipotentem ſine initio, & filium ejus » unigenitum ex patre generatum ante ſecula, & » Spiritum ſanctum procedentem ex patre & filio » inenarrabiliter, ſicut prædicaverunt hii quos ſupra » memoravimus, ſancti apoſtoli, & prophetæ, & » doctores; & nos credimus, propter quod & locuti » ſumus. Hos itaque prædictos patres nos pie atque » ortodoxe juxta divinitus inſpiratam doctrinam eorum » profeſſi, credimus conſtanter & confitemur » ſecundum ſanctos patres proprie & veraciter patrem » & filium & ſpiritum ſanctum, trinitatem in » unitate conſubſtantialem, & unitatem in trinitate, » hoc eſt unum Deum in tribus ſubſiſtentibus perſonis » conſubſtantialibus, æqualis gloriæ & honoris. Hiis ita recitatis confirmati & corroborati in fide reverſi ſunt unuſquiſque ad propria.

De Wlſio *&* Wymondo *archiepiſcopis* Ebor.

EMbaldo ſucceſſit *Wlſius* xj. & *Wlſio* ſucceſſit *Wymondus* xij. ambo regnante *Conredo.*

De Wilfero *archiepiſcopo* Eboracenſi.

WYmundo poſt xvj. annos *Wilferus* xiij. ſucceſſit. Hiis temporibus infinita barbarorum manus navibus advecta in *Angliam* ferro & igne omnia vaſtaverunt. *Eboracum* vero veniens oppugnabat civitatem vaſtantes omnia per circuitum. Paulo ante adventum illorum *Northumbri* expulſerant regem ſuum, ſubſtituto in regno *Ella* quodam regii ſeminis extraneo; ſed inſtante neceſſitate revocaverunt expulſum, & tam ille quam alius qui pro eo ſubſtitutus fuerat, adunatis viribus totis *Northumbrorum* apud *Eboracum* bella contra hoſtes agentes, non ſine magna inimicorum ſtrage utrique pene cum ſuis omnibus perierunt. Reliquis qui ſuperſuerant pagani præfecerunt ſub dominio ſuo regem *Egbertum*, reconciliatis ab eis hoſtibus. Inter has ſtrages remotius agebat apud **Addyngham** epiſcopus. Hac etiam tempeſtate paſſus eſt ſanctus martyr *Edmundus*. Poſt vij. autem annos *Northumbri* uno conſpirantes conſilio regem ſuum *Egbertum* cum epiſcopo ſuo *Wilfero* de finibus ſuis propulſarunt, & quemdam *Ricſium* in regnum ſubſtituunt. Deinde poſt annum *Egberto* rege defuncto, in ſedem ſuam revertitur epiſcopus, & xlvij. accepti epiſcopatus anno vita diceſſit.

De Adelbaldo *archiepiſcopo.*

QUartus decimus ſucceſſit *Adelbaldus* anno incarnationis Dominicæ DCCCC. qui iiij. poſt acceptum pontificatum anno pallium accepit regnante *Edwardo* ſeniore *Elfredi* regis filio.

De Lodewardo *archiepiſcopo.*

QUintus decimus fuit *Lodewardus* archiepiſcopus *Eboracenſis.*

De primo Wlſtano Ebor. *archiepiſcopo.*

SExtus decimus fuit *Wlſtanus* quem rex *Athelſtanus* primus *Anglorum* monarcha anno regni ſui ſexto illic archiepiſcopum conſtituit & eccleſiæ ſancti *Petri* & archiepiſcopo *Wlſtano* & ſucceſſoribus ſuis totam **Agmundernes** quam à paganis emerat, in perpetuam elemoſinam dedit & privilegio confirmavit quod ſic incipit, *Fortuna fallentis ſeculi &c.* Defuncto poſt decem annos rege *Adelſtano* & fratre ſuo *Edmundo* qui ei ſucceſſit anno vj. regni ſui innocenter occiſo, tercius eorum frater *Eddredus* in regnum ſucceſſit. Apud quem cum præfatus archiepiſcopus ſæpius accuſaretur captus eſt ab eo & in arta cuſtodia poſitus; ſed poſt annum à cuſtodia ſolutus, & poſtea biennio necdum expleto vij. kal. Januarii defunctus apud *Undalum* eſt ſepultus.

De Oskytello *archiepiſcopo.*

SEptimus decimus ſucceſſit vir recentiſſimus *Oskytillus* & ſedit annis xvj.

De Adelwoldo *archiepiſcopo.*

OCtavus decimus *Adelwoldus* regnante *Edgaro* regis *Edmundi* filio cum magis quietiorem vitam diligeret pontificatum dimiſit.

De *ſancto* Oſwaldo *archiepiſcopo.*

ANno igitur Dom. incarnationis DCCCC.lxxj. ſanctus *Oſwaldus* jubente rege *Edgaro* & maxime annuente ſancto *Dunſtano*, de epiſcopatu *Wygornenſi* tranſlatus *Eboracenſis* eccleſiæ regimen pro *Adelwoldo* xix. ſuſcepit, & anno ſequente *Romam* veniens, à *Stephano* papa pallium accepit. Deinde ipſius regis *Edgari* donatione, & papæ *Formoſi* qui *Stephano* ſucceſſit conceſſione, epiſcopatum *Wygorniæ* de quo tranſlatus fuerat in ſua manu tenuit, regem vero *Edgarum* quando primo totius *Angliæ* coronatus eſt rex, ſanctus *Dunſtanus* & ſanctus *Oſwaldus* conſecraverunt, ſimiliter & filium regis *Edgari Edwardum* poſtea martyrem, & eo martyrizato fratrem ejus *Agelredum* patrem ultimi *Edwardi*, in regem apud **Kyngeſton** elevatum coronaverunt anno archiepiſcopatus ſui xxj. Jam tranſlato ad ſuperos ſancto *Dunſtano*, monaſterium quod ipſe & Dei amicus dux orientalium *Anglorum Edewynus* conſtruxerunt, divino adjutus auxilio vij. idus Novembris feria iij. conſecravit, & anno ſequenti ij. idus Marcii migravit ad Dominum, & *Wygorniæ* in eccleſia ſanctæ *Mariæ* quam ipſe à fundamentis conſtruxerat requieſcit. Hujus infula purpurea et auro gemmis ornata & priſca pulcritudine fulgida *Beverlacenſi* adhuc reſervatur eccleſia.

De Adulfo *archiepiſcopo.*

VIceſimus *Eboracenſis* eccleſiæ archiepiſcopus fuit venerabilis abbas *Medeſhanſtedenſis*, id eſt, **Burg** *Adulphus*, qui & ipſe ſicut prædeceſſor ejus ſanctus *Oſwaldus* concedente rege *Adelredo Wygornenſem* epiſcopatum in manu ſua habuit. Ipſe xij. epiſcopatus ſui anno congregatis coepiſcopis, abbatibus multiſque religioſis viris, ſancti *Oſwaldi* archiepiſcopi oſſa anno regis *Agelredi* xxv. Indictione xv. vij. kal. Maii feria iv. è tumulo levavit, & in ſcrinio quod paraverat honorifice collocavit, & non multo poſt, id eſt ij. Non. Maii ipſe defunctus eſt & in eccleſia ſanctæ *Mariæ Wygorniæ* ſepultus.

De alio Wlſtano *archiepiſcopo.*

VIceſimus primus *Eboracenſi* eccleſiæ præfuit alius *Wlſtanus*, ipſe quoque ſicut & prædeceſſores ſui *Oſwaldus* & *Adulphus*, concedente rege *Knuto* epiſcopatum *Wygornenſem* habuit. Cujus regis anno iij. iſte *Wlſtanus* adjunctis ſibi multis aliis epiſcopis, eccleſiam quam idem rex & comes *Turkillus* in monte qui **Aſſendun** dicitur conſtruxerant, illis præſentibus cum magna gloria dedicavit, & tercio dehinc anno, hoc eſt archiepiſcopatus ſui xx. qui eſt annus ab incarnatione Dñi M.xxiij. v. kal. Junii iij. feria defungitur, & dilatus apud **Ely** ibidem ſepelitur.

De Alfrico *archiepiſcopo.*

VIceſimus ſecundus ſucceſſit *Alfricus Wyntonienſis* præpoſitus, qui anno iij. accepti præſulatus *Romam* ivit, & à *Johanne* papa pallium accepit. Ipſeque cum *Edſio Dorobornenſi* archiepiſcopo & ferme totius *Angliæ* præſulibus die Paſchæ regem *Edwardum* inunxit *Wyntoniæ*. Iſte capſam auro & argento & lapidibus precioſis opere incomparabili apud *Beverlacum* fabricari fecit, & elevatum de ſepulcro ligneo mirabili artificio inſculpto precioſum corpus glorioſi patris ſancti *Iohannis* archiepiſcopi cum ingenti clero plebiſque exultatione, multis additis reliquiis, in eam honorificentiſſime collocavit. Ipſe etiam à quodam divite nomine *Forceo* pecunia ſua adquiſivit eccleſiæ ſancti *Iohannis* terram apud **Willetune** & apud **Holm** & quinque bovatas apud **Fredichthorp** cum pecunia & hominibus qui erant in ea. Anno ab incarnatione Domini M. lj. apud **Suthwelham** defunctus & apud **Burgh** ſepelitur.

De Kinſio *archiepiſcopo.*

VIceſimus tercius ſucceſſit regis *Edwardi* capellanus *Kinſius*. Iſte *Magſuem* ad eccleſiam *Gleſcuenſem* ordinavit epiſcopum, ſimiliter & ſucceſſorem illius *Magſuem Johannem* eidem eccleſiæ ſubrogatum conſecravit, & ab eis cartam profeſſionis accepit, quæ in conflagratione *Eboracenſis* eccleſiæ à *Normannis* facta, cum ornamentis & libris & privilegiis & cæteris cartis combuſtæ ſunt. Et *Kinſius* ad eccleſiam ſancti *Iohannis* apud *Beverlacum* turrim excelſam lapideam adjecit, & in ea ij. præcipua ſigna poſuit, & ipſam eccleſiam libris & ornamentis ornavit: ſimiliter & in cæteris eccleſiis archiepiſcopatus ſui quæ ſunt trans *Humbram*, ſcilicet apud **Southwelham** & apud **Ston**, ſigna ejuſdem magnitudinis & ſoni contulit. De ipſo vulgaris opinio eſt, quod non natus ſed de ventre matris cæſus fuit. Nono autem anno pontificatus ſui ſcilicet xj. kal. Januarii defunctus apud **Burgh** eſt ſepultus.

De Aldredo Eboracenſi *archiepiſcopo.*

VIceſimus quartus *Eboracenſem* cathedram ſuſcepit regendam ſanctæ recordationis *Aldredus*, ultimus de *Angligenis* ſed inter præcipuos nominandus, qui primo *Wyntonienſis* monachus, deinde abbas *Lamſtokenſis*, poſtea factus eſt epiſcopus *Wygornenſis*. Iſte apud regem *Edwardum* tantæ erat auctoritatis, ut cum eo mortales inimicos reconciliaret, &

& de inimiciſſimis amiciſſimos faceret. Nam *Swanum* Comitem qui à facie regis *Edwardi* in *Flandriam* fugerat, regem etiam *Wallanorum Griffinum* cum rege *Edwardo* pacificavit. Ipſe quoque adjuncto ſibi *Heremanno Wyntonienſi* epiſcopo *Romam* perrexit, & inde reverſus pro defuncto *Eadwino Wynchecumbenſi* abbate *Bodricum* ſubſtituit, & Comitem *Agelwinum*, qui erat eccleſiarum amator, pauperum recreator, viduarum & pupillorum defenſor, oppreſſorum ſubventor, virginitatis cuſtos monachizavit; eccleſiam quoque quam ipſe epiſcopus in civitate *Glovernia* à fundamentis conſtruxerat, honorifice dedicavit, & *Wlſtanum* à ſe ordinatum abbatem *Wygorniæ* conſtituit. Et quia in conſiliis & tractatibus regni vir magnæ prudentiæ & multæ erat ſtrenuitatis, cum ingentibus exenniis ad imperatorem *Allamanniæ*, regis *Edwardi* fungitur electione. A quo ſimul & *Heremanno Colonienſi* archiepiſcopo magno ſuſceptus honore, per annum integrum cum eis commoratus, multa quæ ad honeſtatem eccleſiaſticæ obſervantiæ, multa quæ ad rigorem eccleſiaſticæ diſciplinæ pertinent audivit, vidit & memoriæ commendavit, quæ poſtea in eccleſiis *Anglorum* obſervari fecit. Reverſo poſt annum ab imperatore, cum defuncto *Edelſtano Herfordenſi* epiſcopo & occiſo ſucceſſore ſuo *Leofgaro* ſedes illa vacaret, commiſſus eſt ei epiſcopatus ille à rege *Edwardo*. Deinde præſulatu *Wyltunienſis* eccleſiæ qui ſibi propter induſtriam ſuam commiſſus fuerat dimiſſo, & *Heremanno* reddito, mare tranſivit, & per *Pannoniam* profectus eſt *Ieroſolimam*, quod nullus archiepiſcoporum vel epiſcoporum *Angliæ* dinoſcitur eatenus feciſſe. Anno ſecundo poſt reditum ejus ab *Ieroſolima*, defuncto *Kynſio Eboracenſi* archiepiſcopo, ipſe *Aldredus* ad archiepiſcopatum illius eccleſiæ in nativitate Domini pro eo eſt electus. Et *Herfordenſis* præſulatus cujus curam geſſerat, *Waltero Lotharingo* eſt datus. Sed epiſcopatus *Wygornenſis* ab eo ſicut à prædeceſſoribus ſuis *Oſwaldo*, *Adulpho*, & *Wlſtano* eſt retentus.

Qualiter pallium accepit.

SEquenti anno cum *Toſti* comite *Romam* perrexit, & cum à *Nicholao* papa pallium peteret, objectis ſibi duabus cauſis, videlicet quod de minori ad majorem ſedem abſque conſenſu papæ transferebatur, & quod adhuc epiſcopatum non dimiſiſſet à quo transferebatur, pallium impetrare non potuit. Priorem tamen epiſcopatum apoſtolicus ei ex gratia conceſſit, & ſic infecto negotio rediit. Et cum jam unius diei iter feciſſet, incidit in latrones, à quibus nimis crudeliter tractatus, cæſiſque ſuis & vulneratis, ipſe uſque ad extrema ſpoliatus eſt. Cumque conſuluiſſent eum qui cum eo erant quid facto opus eſſet, ipſe conſtanti corde reſiſtens reſpondit, Non nunc, inquit, nunc ſecuriores ex infortunio quod nobis accidit, redeamus ad *Petrum* qui non derelinquet vicarium ſuum. Et converſus in urbem rediit, & totum infortunium ſuum coram apoſtolico retulit. Itaque papa *Nicholaus* ſuper eum pietate commotus, & totius curiæ interceſſione pro eo exoratus, & archiepiſcopatum ei dato pallio confirmavit, & ordinandi pro ſe alterum ad epiſcopatum *Wygornenſem* poteſtatem dedit, & hoc totum privilegio ei confirmavit: quod ſic incipit, *Nicholaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto confratri & coepiſcopo* Aldredo Ebora*cenſi archiepiſcopo Apoſtolicæ benedictionis privilegium & ſalutem & per eum ſuæ eccleſiæ ſuiſque ſucceſſoribus canonice promovendis imperpetuum. Quia divinitatis occulta diſpenſatio &c.* Accepto itaque pallio cum privilegio reverſus *Britanniam* feſtinanter ad regem venit, & apoſtolicum ei privilegium coram optimatibus regni legit. Erat autem ipſe archiepiſcopus *Aldredus* propter multiformem à Deo ſibi collatam gratiam precioſus in oculis *Edwardi* regis, utpote qui in omnibus regiæ majeſtatis agendis potens erat operibus & verbis. Itaque rex hillari mente apoſtolicis ſanctionibus obedivit, ſtatimque comitum, ducum & procerum ſuorum conſilio inito, quod Apoſtolicus privilegio ſuo ſanxerat, ipſe etiam ſuo privilegio confirmare non diſtulit. Cujus privilegii hoc initium eſt, *In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis, Ego* Edwardus *divina gratia largiente* Anglorum *rex &c. Quoniam religioſi anteceſſores noſtri &c.* Nec multo poſt ipſe archiepiſcopus *Aldredus* aſſociatis ſibi plurimis coepiſcopis, præſente etiam viro celebris famæ *Eremenfredo Sedunenſi* epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato, qui à domino *Alexandro Nicholai* ſucceſſore ad dominum regem *Edwardum* pro reſponſis eccleſiaſticis in *Angliam* venerat, die Dominico quo nativitas ſanctæ Dei genitricis *Mariæ* ab eccleſia celebratur, virum venerabilem *Wlſtanum*, quem Priorem deinde abbatem *Wygorniæ* conſtituerat, cum magna totius populi exultatione ſolempniter pro ſe quaſi ſuffraganeum ſuum conſecravit epiſcopum. Et quia *Eboracenſis* eccleſia tempore *Wlferi* archiepiſcopi perſecutione barbarorum pene ad nichilum redacta fuerat, aſſentiente & hoc ipſum ordinante rege *Edwardo* xij. villas de epiſcopatu *Wygorniæ* ſibi in uſus & ſumptus proprios retinuit, quas etiam ſucceſſor ejus poſt eum vir memorabilis multumque amabilis *Thomas* ſenior diu habuit.

Quod ipſe Haraldum *&* Willielmum *reges ſacravit.*

DEfuncto ſancto *Edwardo* rege, ipſe archiepiſcopus *Haraldum* comitem quem rex *Edwardus* regni ſucceſſorem ſtatuerat, à totius *Angliæ* principibus ad regale culmen electum regem honorifice ſacravit. Eodem quoque anno interfecto in bello dicto rege *Haraldo*, & ſubjugata à duce *Normannorum Willielmo Anglia*, ipſe archiepiſcopus *Aldredus* aſſumptis ſecum *Wlſtano Wygornenſi* epiſcopo, *Waltero Herfordenſi* epiſcopo & Clitone *Edgaro* & Comitibus duobus germanis *Edwino* & *Morcharo* multiſque de nobilioribus *Angliæ*, præfatum *Normannorum* ducem *Willielmum Londoniæ* apud *Weſtmonaſterium* die natalis Domini in regem totius *Angliæ* ſublimiter coronatum inunxit & conſecravit anno Dominicæ incarnationis M.lxvj. ſed priuſquam conſecraretur ante altare ſancti *Petri* ſicut ipſe archiepiſcopus ab eo exigebat, coram clero & populo jurejurando promiſit, quod ſanctas Dei eccleſias & earum Rectores defenderet, necnon & cunctum populum ſibi ſubjectum juſte ac regali providentia regeret, rectam legem ſtatueret & teneret, rapinas & injuſta judicia penitus interdiceret. Secundo poſt hoc anno venit comitiſſa *Matildis* de *Normannia* in *Angliam*, quam die Pentecoſtes idem archiepiſcopus *Aldredus* conſecravit in reginam, quo anno ante nativitatem ſanctæ *Mariæ*, *Suani Danorum* regis filii *Karoldus* & *Knutus*, & patruus eorum *Obbernus* comes & epiſcopus eorum *Chriſtianus*, comes quoque *Turkillus* cum CC. & xl. navibus de *Danubia* venientes in hoſtio *Humbræ* fluminis applicuerunt, ubi eis Clyto *Edgarus*, Comes *Wallevus* & *Merleſwen* multique alii cum claſſe quam paraverant occurrerunt. Affuit & *Coſpatricus* Comes cum totis viribus *Northumbrorum* unanimiter contra *Normannos* congregati. De quorum omnium adventu *Aldredus* archiepiſcopus valde triſtis effectus precibuſque ad Deum effuſis ne eccleſiæ ſuæ deſtructionem nec patriæ videret deſolationem, incidit in infirmitatem, & decimo archiepiſcopatus ſui anno iij. idus ſeptembris feria vj. ut Dominum rogaverat, vitam finivit, & in eccleſia ſancti *Petri Eboraci* ſepultus eſt.

De conſtantia ejus.

QUantæ autem conſtantiæ vir iſte fuerat, exemplo unius facti illius perpendi poterit. Morabatur in una ſolempnitatum *Eboraci* & deferebantur ei victualia ex poſſeſſionibus vicinis civitatis. Contigit autem tunc temporis vicecomitem regis de civitate cum ingenti populo exire, & miniſtris archiepiſcopi cum equis & quadrigis tritico & cæteris ad victum pertinentibus oneratis non longe ab urbe obviare. Interrogatique qui eſſent, & cujus eſſent quæ afferebant. Servi, inquiunt, archiepiſcopi ſumus, quæ neceſſaria ſunt ad ejus procurationem deferimus. Ille parvipendens archiepiſcopum & famulos ejus, præcepit ſatellitibus ſuis omnia afferebant, ad caſtellum *Eboracenſe* divertere, & in granarium regis ponere. Quod ita factum cum nunciatum eſſet archiepiſcopo, ille ſine mora legatos cum clericis & civibus poſt vicecomitem dirigens, mandavit ei ut ſua ſibi redderet, & ſancto *Petro* ſibique ejus vicario ſatisfaceret, alioquin ſciret ipſum de tam contumelioſa injuria deinceps pontificaliter acturum. Ad quod mandatum vicecomes indignatus ſuperbe reſpondens, plura & majora comminatus, ipſos legatos injuriis & contumeliis affecit. Qui ad archiepiſcopum reverſi, quæ audierant & pertulerant narraverunt. Itaque archiepiſcopus ut erat vir magnanimus & expediti conſilii, illico præparans ſe & ad regem concito tendens *Londoniis* eum invenit. Percrepuit illico rumor per totam civitatem veniſſe archiepiſcopum *Eboracenſem*. Moxque epiſcopus illius civitatis cum multitudine cleri & populi ei ut tanto debeat pontifici obviam pergens, orationis gratia, primo ad eccleſiam ſancti *Pauli*, deinde ad eccleſiam ſancti *Petri Weſtmonaſterii* ubi rex erat eum honorifice comitatus eſt. Cum autem veniſſet coram rege, & rex ei aſſurgere & oſculum porrigere paraſſet, ille ſubſtitit, & cum baculo pontificali ſtola circumdatus nil veritus majeſtatem regiam neque aſtantium principum proterviam, eum talibus verbis allocutus eſt. » Audi, inquit, *Willielme* rex, cum eſſes » alienigena & Deo permittente noſtræque gentis » ſuperbiam puniente regnum *Britanniæ* quamvis » multo cum ſanguine optinuiſſes, ego te in regem » conſecravi, & coronam capiti tuo cum benedictione » impoſui. Nunc autem quia ita meruiſti, pro » benedictione maledictionem tibi inponam, ſicut » eccleſiæ Dei perſecutori & miniſtrorum ejus oppreſſori, & » promiſſionum atq; juramentorum quæ » mihi coram altare ſancti *Petri* juraſti tranſgreſſori. Ad hæc verba rex tremefactus procidit ad pedes ejus, humiliter efflagitans, ut in quo tam gravem meruiſſet ſententiam aperiret. Qui vero aſſiſtebant regi primates regni in archiepiſcopum frementes, miniſque & terroribus adverſus eum inſurgentes, ipſum merito de medio debere tolli vel in exilium extra regnum expelli qui tanto regi tantam injuriam irrogaſſet; urgebant eum ut regem quam citius erigeret. Ille vero non minis vel terroribus territus; Sinite, inquit, boni viri, ſinite illum jacere, non enim jacet ad pedes *Aldredi* ſed ad pedes *Petri* apoſtoli. Debet enim experiri *Petri* potentiam, qui non eſt veritus *Petri* vicario irrogare injuriam. Cumque eos auctoritate pontificali repreſſiſſet, apprehenſa dextera regis erexit eum. Adventuſque ſui cauſam & rem ei ex ordine pandit. Quod rex graviter accipiens & conſcientiam ſuam humiliter excuſans, cum precibus aſtantium procerum petiit, ut maledictionem quam ei comminatus fuerat in benedictionem commutaret. Quod cum ad libitum regis factum eſſet, rex eum dignis honoribus & pretioſis muneribus regaliter remunerans, miſſo de ſibi familiariſſimis uno procerum, & per eum directis ad comitatum *Eboracenſem* literis. fecit ei omnia ſua in integrum uſq; ad ligamen ſacci reſtitui. Ipſum vero vicecomitem quali & quanta ſibi placeret vindicta præcepit puniri. Itaque ab illo die nullus potentium auſus fuit aliquam ſibi vel ſuis injuriam inferre vel contumeliam.

Quanta in archiepiſcopatu operatus eſt bona.

MAgnificentiam quoque animi ſui teſtantur multa quæ in archiepiſcopatu operatus eſt bona, de quibus hic aliqua licet pauca ex multis ſubjecta ſunt. Terras multas de ſuo proprio emit & eas eccleſiæ ſuæ adjecit, & de quibuſdam præbendas apud Suthwell fecit & refectoria ubi canonici ſimul veſcerentur, unum *Eboraci*, alterum *Suthwellæ* ſtatuit. Nam refectorium & dormitorium *Beverlaci* à prædeceſſoribus ſuis *Alfrico* & *Kinſio* incepta fuerant, ſed ipſe perfecit & poſſeſſionibus ampliavit & conſuetudinibus melioravit; ſiquidem ſicut intra eccleſiam ſic intra refectorium, & ſicut intra atrium ita intra clauſtrum refectorii pacis ſecuritatem & violatæ pacis emendationem confirmavit. Veterem quoque eccleſiam adjecto novo presbyterio ampliavit, quod in honore ſancti *Johannis* evangeliſtæ dedicavit, totamque eccleſiam à presbyterio uſque ad turrim ab anteceſſore ſuo *Kinſio* conſtructam, ſuperius opere pictorio quod cœlum vocant, auro multiformiter intermixto mirabili arte conſtruxit. Supra hoſtium etiam chori pulpitum ære, auro & argento opereque incomparabili fabricari fecit, & ex utraque parte pulpiti arcus, & in medio ſupra pulpitum arcum eminentiorem crucem in ſummitate geſtantem ſimiliter ex ære, auro & argento opere Teutonico fabrefactos erexit. Feriam quoque annuam in nativitate *Johannis Baptiſtæ* cum libertatibus & optimis conſuetudinibus à rege *Edwardo* datis xij. marcis auri comparavit. Hujus quoque patris induſtria clerus archiepiſcopatus ſui à populo parum eatenus vita vel veſte diſcretus ad correctioris vitæ normam & eccleſiaſticæ inſtitutionis diſciplinam revocatus eſt.

Hic finiunt Angligenæ *archiepiſcopi & ſuccedunt* Normanni.

FInita ſucceſſione pontificum qui de natione *Anglorum* oriundi, poſt primum *Paulinum* uſque ad ultimum *Angligenam* beatæ memoriæ *Aldredum Eboracenſi* præfuerunt eccleſiæ; Commemoratis quoque regibus quorum temporibus claruerunt à primo *Northumbrorum* Chriſtiano *Edwino* uſque ad ultimum *Angligenam* regem *Haroldum*, tandem ad *Normannorum* tempora pervenimus. De quorum adventu in *Angliam* contigit, quod ſicut in *Anglia* ſub *Normannis* regibus regni ſtatus mutatus eſt, ſic ſub *Normannis* pontificibus pax eccleſiarum *Angliæ* eatenus inter *Angligenas* pontifices ſervata, per ipſos *Normannos* pontifices eſt turbata. Cum enim in *Anglia* duo tantum ſunt metropolitani, non ſolum poteſtate, dignitate, & officio, ſed etiam ſuffraganeorum numero pares à ſancto *Gregorio* conſtituti, & Apoſtolus dicit, *Nemo fratrem ſuum in negotio circumveniat*, dum alter ab altero profeſſionem exigere præſumpſit, eccleſiarum pacem turbavit, diſcordiam excitavit, & laborem multiplicavit: ſicut manifeſte cognoſcere poterit qui hiſtoriam *Eboracenſium* pontificum duntaxat *Normannorum* diligentius perſpexerit, quam vir admirabilis & digne memorabilis ejuſdem eccleſiæ Cantor *Hugo* veraci ſtilo digeſſit homo venerandæ ætatis, & jocundæ urbanitatis, de quo vere dici poteſt,

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes:

quique cum eiſdem pontificibus, *i. e. Thoma* ſeniore, & *Gerardo*, *Thoma* juniore, & *Thurſtino* neceſſarius, tam in divinis quam in humanis tractatibus conſiliarius, multo tempore converſatus eſt, quibuſdam etiam eorum uſque ad mortem comes adhæſit individuus. Unde & ipſius controverſiæ ſeriem, quæ per annos amplius quam quinquaginta inter duas *Angliæ* metropolitanas eccleſias agitata eſt, ejuſq; ortum & progreſſum fere totum à tempore *Urbani* papæ *Paſchalis*, & *Gelaſii*, *Honorii*, & *Innocentii* diligenter audivit, præſentialiter vidit, memoriter retinuit. De cujus ſcriptis plurima quæ in hoc opuſculo poſuimus diligenter excerpſimus. Et quæ apud alios invenimus, cum iſtis conferentes concorditer addidimus: ſed de hiis iſta ſufficiunt. Nunc ut cœpimus pontificalium ſucceſſionum ordinem exequamur.

De Thoma *ſeniore archiepiſcopo.*

VIceſimus quintus *Eboracenſem* eccleſiam ſuſcepit regendam primus de *Normannigenis Thomas* ſenior, qui *Baiocis* oriundus in *Galliis* eruditus ardore diſcendi in *Germaniam* profectus omnem *Saxonum* & *Teutonum* ſcolam eſt perſcrutatus; inde per *Franciam* reverſus, *Normanniam* perrexit ad *Hiſpanias*, ibique multa alia quæ alibi non potuit addiſcens, pectus ſuum *Hiſpanicarum* fecit armarium ſcientiarum. Tandem ad natale ſolum reverſus, magnifici viri *Odonis Baiocenſis* epiſcopi familiaritatem nactus, tum propter morum elegantiam, tum propter multimodam ſcientiam, *Baiocenſis* eccleſiæ ab eodem epiſcopo aſſecutus eſt theſaurariam; nec multo poſt cum eodem epiſcopo veniens in *Angliam*, regis *Willielmi* ſenioris conſecutus eſt capellariam. Recepit *Thomas* ſenior epiſcopatum anno Domini M. lxx. & vixit in epiſcopatu annis xxx. *Girardus* vero vixit vij. annis, & menſibus fere ſex. *Thomas* junior vixit annis quinque, & menſibus fere ix. *Thurſtinus* vixit xxv. annis. & menſibus vj. & mortuus ſepultus eſt apud *Pontemfractum*. Anno autem quarto regni ipſius regis, anno ſcilicet Domini M. lxx. dedit idem rex archiepiſcopatum *Eboracenſem* præfato theſaurario, ſcilicet *Thoma* capellano ſuo. Ea tempeſtate tota fere *Northumbria* ab eodem rege ferro & flamma in ſolitudinem redacta, ipſi epiſcopi metuentes novi regis crudelitatem, exteræ gentis dominium cujus nec linguam, nec mores noverant, relictis ſedibus ſuis diverſas regiones adhærebant. E quibus *Dunelmenſis* epiſcopus *Agelwinus* dum *Coloniam* navigio peteret, ventis contrariis repulſus, *Scotiam* eſt appulſus; inde *Angliam* reverſus apud Ely eſt captus, & apud *Abendoniam* cuſtodiæ mancipatus ibidem eſt defunctus. Sicque factum eſt ut ordinatio ipſius per tres fere menſes delata eſt, eo quod *Eboracenſis* eccleſia illo tempore ſuffraganeos à quibus ordinari poſſet non habebat, & ſedes *Cantuarienſis* depoſito *Stigando* adhuc vacabat, donec *Lanfrancus* pro *Stigando* à prædicto rege ſubſtitutus, à ſuis ſuffraganeis ordinatus eſt. Iſte eſt *Lanfrancus* qui primus omnium ab *Eboracenſi* archiepiſcopo profeſſionem exegit, ſuiſque ſucceſſoribus hoc idem exigendum exemplum dedit; Cum enim apud regem & *Normannos* magnæ opinionis haberetur, perſuaſit novo & credulo regi *Eboracenſem* eccleſiam *Cantuarienſi* debere ſubici, & electum illius ordinandum ordinatori ſuo profiteri. Porro, utile eſſe ad regni integritatem & firmitatem ut *Britannia* uni quaſi Primati ſubderetur, alioquin contingere poſſe, ut de exteris gentibus quæ *Eboracum* navigio venientes regnum infeſtare ſolebant, unus ab *Eboracenſi* archiepiſcopo & ab illius provinciæ indigenis rex crearetur, & ſic regnum turbatum ſcinderetur.

Quomodo Thomas Lanfranco *fecerit profeſſionem.*

IGitur cum *Thomas* à *Lanfranco* ſecundum inſtitutionem *Honorii* papæ conſecrari requireret, & *Lanfrancus* ab eo profeſſionem ſubjectionis exigeret, *Thomas* ex auctoritate privilegii beati *Gregorii* conſtanter renuit, ipſamque exactionem regi retulit. Qui primo moleſte accipiens mandavit archiepiſcopo ut abſque profeſſione eum conſecraret; ſed poſtea perſuaſionibus *Lamfranci* multimodis diſtractus perſuaſit *Thomæ*, ut propter unitatem & pacem regni profeſſionem faciens, conſecrationem acciperet. Sed cum hæc neque precibus, neque blanditiis vel promiſſis rex à *Thoma* impetrare poſſet, magis contra eum mox exarſit in iram perpetuumque odium, ſuique & ſuorum omnium tam de *Anglia* quam de *Normannia* comminatus eſt expulſionem, ſi non ſaltem perſonalem *Lanfranco* faceret profeſſionem. Inde tam ſuum quam ſuorum exilium pertimeſcens, ille irrationabilem regis iram cognoſcens, ſuorum qui hæc metuebant conſilio adquieſcens, poſt multa profeſſionem flens & dolens perſonaliter tamen ſicut rex popoſcerat *Lanfranco* fecit. Sed cartam profeſſionis neque ipſe ſcripſit neque ſcribi fecit, nec à *Cantuariis* ſcriptam legit vel *Lanfranco* tradidit.

Quod pro eo ab Urbano *papa* Thomas Romam *venire juſſus eſt.*

HÆC ſic extorta profeſſio ad aures *Urbani* papæ pervenit; quod ille graviter accipiens, *Thoma* *mæ* archiepiſcopo ſuper hæc litteras miſit, quarum principium tale eſt. *Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Thomæ Eboracenſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Querelam non modicam, &c.

Quod defuncto Lanfranco Thomas *in provincia ejuſdem epiſcopalia fecerit.*

DEfuncto vero *Lanfranco* ſedes *Cantuarienſis* aliquot vacabat annis. Ex antiquo tamen extitit conſuetudo inter duos *Angliæ* metropolitanos, ut altero defuncto alter in provincia defuncti archiepiſcopalia faceret, utpote epiſcopos conſecrare, regem coronare, Coronato rege natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes majorem miſſam cantare. Hæc interim fecit *Thomas* archiepiſcopus, nec quiſquam epiſcoporum erat qui hæc in ſua ipſius dioceſi præſente archiepiſcopo præſumeret. Ordinavit etiam epiſcopos, *Herveum Norwicenſem*, *Radulphum Ciceſtrenſem*, & *Herveum Bangornenſem*.

Qualiter Thomas *archiepiſcopus* Anſelmum *conſecravit.*

SUcceſſit autem *Lanfranco Anſelmus.* Quem cum ex decreto *Honorii* papæ *Thomas* archiepiſcopus pontificalibus indutus *Cantuariæ* conſecrare paratus eſſet, ſcripta autem petitione & lecta ut eum in Primatem totius *Britanniæ* conſecraret, & *Thomas* diſceſſit, & ſe pontificalibus exuit. Erant autem cum archiepiſcopo ibidem venerabiles perſonæ de *Eboracenſi* eccleſia *Hugo* decanus, *Rannlfus* theſaurarius, *Durandus* archidiaconus, *Gilbertus* cantor, & aliqui ex canonicis. Exierunt ſtatim poſt archiepiſcopum, ipſe *Anſelmus* ordinandus & *Walkelinus Wintonienſis* epiſcopus, & pedibus archiepiſcopi affuſi humiliter deprecati ſunt, ne moleſte acciperet. Quibus archiepiſcopus reſpondit, Cum duo tantum, inquit, ſint metropolitæ in *Britannia*, alter ſuper alterum eſſe non poteſt. Si timore vel amore, & juvenili conſilio perſonaliter & indebite alicui me ſubjeci, liberatus ſum, in primatem neminem conſecrabo. Et illi: Diſponite, inquiunt, petitioni pro voluntate veſtra; nolumus nec in petitione, nec in conſecratione, niſi quæ pacis ſunt & caritatis, & quæ Dei ſunt quærere. Hiis verbis archiepiſcopus placatus, pontificalibus ſe iterum induens ad altare regreſſus eſt. Quod ergo ſcriptum erat, *in Primatem*, minime lecto & ex toto abraſo, petitione correpta ut in metropolitanum *Cantuarienſem* conſecraretur, aſſiſtentibus fere totius provinciæ coepiſcopis, abbatibus plurimis, & diverſi ordinis clericis & laicis *Anſelmus* à *Thoma* archiepiſcopo ſolempniter ſicut tantum dicebat virum in metropolitanum conſecratus eſt.

Quod Thomas *civitatem Lincolnienſem quaſi propriam parochiam calumpniatus eſt.*

IN craſtino autem *Thomas* archiepiſcopus à *Cantuariis* receſſurus, *Anſelmo* archiepiſcopo coram multis qui aderant ex parte Dei, & ſancti *Petri*, & domini papæ, & ſocietatem quam adinvicem habere debebant interdixit, ne *Robertum Bloet Lincolnienſis* eccleſiæ electum conſecraret, non prohibebat quin eum *Dorkaceſtrenſem* ordinaret epiſcopum, ſicut & anteceſſores ſui fuerant; verum *Lyndecoldinum* opidum, & magnam partem provinciæ *Lyndiſiæ* dicebat fuiſſe, & jure eſſe debere parochiam *Eboracenſis* eccleſiæ, & injuria illi ereptam eſſe cum iij. villis, ſcilicet **Ston**, & **Ludam**, & *Nywerta*. Sed & ipſo electo *Roberto* hoc idem ibidem calumnpniabatur. Venerat vero ad conſecrationem archipræſulis ſui ab ipſo in proximo *Lyncolniæ* ordinandus epiſcopus: Sed propter hanc calumpniam ordinatio illius diu delata eſt, donec rex *Willielmus* quandam concordiam vel potius diſpenſationem fecit inter illos. *Thoma* quidem archiepiſcopo invito, & renitente, & coacto, nec conſentiente, ſed inconſulto *Eboracenſi* capitulo. Hoc autem tota *Anglia* novit quod propter hanc concordiam, *Robertus* epiſcopus *Willielmo* regi etiam mille libras dedit. Jam antea ejuſdem *Roberti* anteceſſori *Remigio* epiſcopo qui ſub rege *Willielmo* ſeniore epiſcopalem ſedem de *Dorkaceſtra* illuc tranſtulerat eandem fecerat calumpniam. Et cum *Remigius* eandem eccleſiam dedicare paratus eſſet, *Thomas* ei interdixit ne eam dedicaret. At rex *Willielmus* junior pro pecunia quam ei *Remigius* dederat, totius fere *Angliæ* epiſcopis mandavit, ut in unum convenientes vij. idus Maii eccleſiam illam dedicarent. Sed biduo ante diem ſtatutum occulto Dei judicio ipſe epiſcopus migtavit à ſeculo, & eccleſiæ propter hoc remanſit dedicatio.

In quanta deſtructione patria & vaſtatione Thomas *archiepiſcopatum ſuſceperit.*

QUando *Thomas* iſte archiepiſcopatum ſuſcepit, civitas *Eboraca* & tota regio circa jubente rege *Willielmo* à *Normannis* ferro & flamma penitus fuit deſtructa. Incenſa quoque beati *Petri* metropolis, eccleſia & ornamenta, illius cartæ, & privilegia combuſta vel perdita fuerunt. Cuncta circumcirca hoſtili vaſtatione invenit depopulata: patria vero à cultore deſtituta à magno flumine *Humbra* uſque ad ultimos fines fluminis *Tynæ* per ix. annos horrida ſolitudine ſqualebat. Ipſis autem *Normannis* in tantum animus defecerat, ut non ſolum terras & honores qui eis offerebantur recipere non auderent, ſed etiam ſpem perſiſtendi in patria omnino non haberent. Retundatur itaque eorum malivolentia, qui ipſum archiepiſcopum invida detractione ſuggillant, quod eccleſiæ ſancti *Petri* terras multas & largas non adquiſierit, cum ipſe neminem qui eas formidine indigenæ gentis & horrore vaſtæ ſolitudinis ſuſcipere auderet invenerit. Sed quid in hiis immomur? omittamus ea quæ ipſe pro impoſſibilitate non fecit, & loquamur de hiis quæ ipſe pene ultra poſſibilitatem ſuam fecit.

Quod eccleſiam diſperſam revocaverit.

DE ſeptem canonicis (non enim plures fuerant) tres tantum reperit, cæteri vel mortui erant, vel metu, vel deſolatione patriæ exulabant. Eccleſiæ vero recoopertæ & juxta poſſibilitatem ſuam reſtructæ, canonicos quos invenit reſtituit, diſperſos revocavit, & aliquos addidit, refectorium & dormitorium refecit, præpoſitum conſtituit qui cæteris præeſſet & eos procuraret. Villas aliquas & eccleſias dedit, & ablatas reddidit, plurima de ſuo proprio canonicis neceſſaria miniſtravit, & archidiaconos per dioceſim diviſit. Ipſe vero dono regis aliquamdiu

diu xij. villas habuit quas *Aldredus* de *Wygornenſi* epiſcopatu retinuerat; ſed eas molimine *Lamfranci* ei rex abſtulit. Annis plurimis canonicis communiter veſcentibus, quorundam conſilio placuit archiepiſcopo de terra ſancti *Petri*, quæ adhuc multum vaſtata erat, ſingulas præbendas partiri. Tunc quidem ſtatuit decanum, theſaurarium, cantorem, nam magiſtrum ſcolarum ante ſtatuerat. Eccleſiam quæ nunc eſt à fundamentis fecit, & eam clericis, libris & ornamentis ornavit & munivit. Nec tamen cujuſlibet rei quam bonos & honeſtos habendi clericos cupidus fuit, cum quibus nunc legere, conferre, diſputare, nunc cantare, nunc organizare, nunc cantus & organa facere & docere, nunc rithmis, proſa, & verſu, ut qui in hiis doctiſſimus erat certare jocunde ſolebat.

Quos epiſcopos ordinavit.

AD hunc *Thomam* conſilio & imperio regis *Scotorum Malcholmi* & reginæ *Margaretæ* venit *Foderoch* epiſcopus ſancti *Andreæ* de *Scotia*, & tranſgreſſionem ſuam confitens, eo quod à *Scotis* ordinatus fuerat cum ab *Eboracenſi* metropolitano jure conſecrari debuerit, profeſſionem ipſi archiepiſcopo *Thomæ* ſuiſque ſucceſſoribus fecit, ſcriptamque legit & tradidit quæ ſic incipit, *Ego* Foderoch Scotorum *epiſcopus in ſede ſancti* Andreæ *apoſtoli, &c.* Ipſe etiam epiſcopus *Foderoch* jubente eodem archiepiſcopo *Thoma* in *Eboraco* eccleſias dedicavit. *Ranulphum Dunelmenſem* epiſcopum in octavis Pentecoſtes *Londoniis* in eccleſia ſancti *Pauli* nonas Junii idem archiepiſcopus *Thomas* conſecravit. Cui idem epiſcopus *Ranulphus* profeſſionem fecit, & legit, & tradidit, quæ ſic incipit, *Ego* Ranulphus *ſanctæ* Lyndefarnenſis *eccleſiæ, &c. Orchadenſium* etiam electum *Rodolphum* idem archiepiſcopus ſacravit, facta, lecta & tradita profeſſione quæ ſic incipit, *In aſpectu Dei & hujus eccleſiæ, Ego* Rodolphus, &c.

Ubi defunctus ſit & ſepultus.

VIxit autem in archiepiſcopatu annis ferme xxx. & octavis ſancti *Martini*, hoc eſt xiiij. kal. Decembris apud **Rypon** obiit. Sed delatus *Eboracum* juxta prædeceſſorem ſuum beatæ memoriæ *Aldredum* in *Eboracenſi* eccleſia ſepultus eſt. Cujus Epitaphium hoc eſt.

Orba jacet viduata bono paſtore patrono,
Urbs Eboraca *dolet, vix habitura parem.*
Qualia vix uni, perſona, ſcientia, vita,
Contigerat Thomæ, *nobilis, alta, bona.*
Canicies, hilaris facies, ſtatura venuſta,
Angelici vultus ſplendor & inſtar erat.
Hic numero atque modo doctrinæ ſeu probitatis,
Clericus omnis erat, vel magis omnis homo.
Hæc domus & clerus ſub tanto præſule felix,
Pene quod eſt & habet, muneris omne ſui eſt.
Octavis ergo Martini *tranſiit ille,*
Cui pietate Dei ſit comes in requie.

De Girardo *archiepiſcopo.*

VIceſimus ſextus ſubſtitutus eſt *Eborac.* eccleſiæ *Girardus* de *Herfordenſi* epiſcopatu ad archiepiſcopatum tranſlatus. Iſte fuit *Willielmi* primi & ſecundi regum Cancellarius, ſcientia & eloquentia ſuo tempore paucis ſecundus. Ab hoc *Anſelmus* ſuorum inſtinctu monachorum profeſſionem exegit. Et quia ipſe *Girardus* renuit literas quas ab eo ad papam petebat, pro dimiſſione & tranſlatione ſua, & pro pallii requiſitione diu tradere negavit. Tandem promiſſo, ſe à *Roma* reverſum quicquid juſte deberet facturum, acceptis illius literis *Romam* profectus, aliquot dies ibi moratus eſt, ut in pluribus cauſarum actionibus, ubi etiam in præſentia ejus & facundia laudata & approbata, ipſe à papa *Paſchali* & à tota curia honoratus, & magnifice laudatus, acceptoque ab apoſtolica ſede pallio & privilegio cum gaudio reverſus eſt, nec de profeſſione quiſquam adverſus eum locutus. Quamquam à quibuſdam confictum ſit, quod ille *Girardus* ſeptimo epiſcopatus ſui anno manu ſua impoſita manu *Anſelmi* pollicitus ſit, ſe illam ſubjectionem & obedientiam ipſi in archiepiſcopatu exhibiturum, quam *Herfordenſi* eccleſiæ ab eo ſacrandus epiſcopus promiſerat. Quod diligentius & ſecundum temporis proceſſum & ſecundum rationis intuitum à prudentibus conſideratum facile patebit quam ſit à veritate alienum. Qui enim antequam *Romam* pallium petiturus pergeret, hoc omnino facere renuit, regreſſus à *Roma* & pallio in archiepiſcopatu confirmatus, qua neceſſitate paucis ante obitum ſuum menſibus id facere eſt coactus? Ad hoc accedit, quod rex *Anſelmo* archiepiſcopo adverſarius erat propter inveſtituras epiſcopatuum & abbathiarum, quas prohibebat, in prælationem ejus amplius extendi nolebat. Per conſecrationem enim ad profeſſionem cogi non poterat qui jam epiſcopus conſecratus ad archiepiſcopatum tranſlatus fuerat. Privilegium vero ejus quod ab apoſtolico accepit, tale initium habet. Paſchalis *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Girardo Eboracenſi *archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter cætera regna terrarum ad apoſtolicæ ſedis ſubjectionem, &c.* Placuit poſtea archiepiſcopis *Anſelmo* & *Girardo* concilium celebrare. Quo in *Weſtmonaſterio* congregato, cum monachi archiepiſcopo ſuo ſedem ſingulariter celſam paraſſent, *Girardus* indignatus & Dei odium ei qui ſic paraverat vulgariter orans pede ſubvertit, nec ſedere voluit donec ſibi ſede cum archiepiſcopo pari parata. Liquido oſtendens in hoc facto, archiepiſcopum *Eboracenſem Cantuarienſi* archiepiſcopo parem eſſe, nullamque ſubjectionem ſibi debere.

Quanta eccleſiæ ſuæ perquiſierit.

IſTe *Girardus* archiepiſcopus eccleſiam de *Laghtona Eboracenſi* eccleſiæ à rege dari optinuit, & vj. alias eccleſias à rege impetravit; quarum una eſt de **Sneyd**, dedit ſancto *Germano* & eccleſiæ de **Selleby**. Cæteras dedit beato *Petro Eboracenſi* eccleſiæ, hoc eſt, de **Dryffeld**, de **Lyllum**, de **Pokelyngton**, de *Pykeryngа*, de **Burgh**. Ipſe etiam *Rogerum Rodolfi* ſucceſſorem *Orcadenſium* ordinavit epiſcopum, accepta ab eo prius profeſſione quæ ſic incipit, *Ego* Rogerus Orcadenſis *eccleſiæ ſanctæ nunc ordinandus epiſcopus, &c.* Hunc quoque epiſcopum *Girardum Anſelmus Cantuarienſis* archiepiſcopus, quinque ſimul epiſcopos conſecraturus, multa prece ſecum *Cantuariam* duxit, ut conſecrationi coepiſcoporum coadjutor ejus intereſſet.

Conſecrati ſunt itaque iij. idus Auguſti die Dominica ab *Anſelmo Cantuarienſi* archiepiſcopo coadjuvante *Girardo Eboracenſi* archiepiſcopo, *Wintonienſi* eccleſiæ *Willielmus*, *Saresburienſi Rogerus*, *Herefordenſi Ramelinus*, *Exeſtrenſi Willielmus*, *Glomorgacenſi* in *Wallia Urbanus*. Non habebat illius temporibus memoria tot epiſcopos ſimul ordinatos in *Anglia* à tempore regis *Edwardi* ſenioris uſque ad tempus *Henrici* regis; regnante enim rege *Edwardo* ſeniore patre *Adelſtani* primi monarchæ *Anglorum Plegmundus Cantuarienſis* archiepiſcopus vij. epiſcopos vij. eccleſiis una die ordinavit. Vixit autem in archiepiſcopatu annis vij. menſibus fere ſex. Obiit autem xij. kal. Junii apud **Suthwell**, ſepultuſque eſt *Eboraco*.

De Thoma *juniore archiepiſcopo.*

VIceſimo ſeptimo loco ſeptimo die ſucceſſit in archiepiſcopatu *Eboracenſi Thomas* junior regis capellanus, eccleſiæ ſancti *Johannis Beverlaci* præpoſitus, ac nepos venerandi *Thoma* ſenioris. Cui rex eadem die vel in proxima *Londonienſem* epiſcopatum daturus, requiſitione *Hugonis* decani & *Eboracenſis* mutavit conſilium, & *Eboracenſem* eccleſiam ei tradidit. Hunc ad conſecrandum *Anſelmus* archiepiſcopus monachorum inſtinctu *Cantuariam* vocare, & ab eo profeſſionem exigere ſtatuit; ſuper quo *Thomas* regem conſuluit, qui primo benigne reſpondit, & ne profiteretur prohibuit. Quo jam morante, venit *Herbertus Norwicenſis* epiſcopus ad electum *Eboracenſem*, dicens, quod archiepiſcopus profeſſionem ſuam dimitteret ſi tantum in Primatem eum recognoſceret, ſed nec hoc electus voluit concedere, bonam confidentiam habens de rege. Itaque *Anſelmus* archiepiſcopus moram conſecrationis ſuæ litteris redarguit, oſtendens electum archiepiſcopum ultra xl. dies non conſecratum non eſſe debere; ſtatuit ergo illi diem ut *Cantuariam* veniret facere & ſuſcipere quod debebat. Ille vero moram ſuam literis excuſabat. Miſit iterum archiepiſcopus ad electum duos epiſcopos, videlicet *Ricardum Londonienſem*, & *Radulphum Roffenſem*, ſubmonentes eum quatinus die ab illis ſtatuta *Cantuaria* eſſet, facere quod debebat & ſuſcipere. Ille ſe illuc gaudenter velle venire, ſed nullo modo ſe velle profiteri reſpondit. Interea ille *Hugonem* decanum ad regem in *Normanniam* miſit. Qui acceptis à rege quales petebat literis, ad dominum papam *Romam* perrexit. Miſit itaque papa *Olricum* presbyterum Cardinalem cum decano, & pallio, & literis de contentionis diffinitione, ſed antequam in *Normanniam* veniſſent, *Anſelmus* archiepiſcopus migravit à ſeculo De quo monachi tam inpudenter quam mendaciter confinxerunt, quod priuſquam obiret *Thomam* electum *Eboracenſem* excommunicaverit niſi *Cantuarienſi* profeſſionem faceret. Regreſſus in *Angliam* rex, epiſcoporum, abbatum, & *Cantuarienſium* monachorum ſuggeſtionibus & perſuaſionibus, muneribus, & pollicitationibus diſtractus, mandavit *Thomæ* ut conſecrationem accipiens, eccleſiæ *Cantuarienſi* profeſſionem faceret ſine præjudicio eccleſiæ ſuæ & ſucceſſorum ſuorum propter amorem ſuum & pacem regni. Illo vero inmobiliter in propoſito ſuo perſiſtente, rex indignatus mandavit ei dicens, Quod ſi profeſſionem faceret amorem ſuum haberet, ſi non, imperpetuum perderet, & omnes de genere ſibi propinquos exterminaret. Conſultus ſuper hoc Cardinalis nihil conſilii dedit. *Sampſon Wigornenſis* epiſcopus, & *Ricardus Baiocenſis* pater & frater illius, & de parentela ejus magni & probi viri ad hoc vim ei inferebant. Temptavit etiam *Dunelmenſis* epiſcopus *Ranulphus* animum regis, pollicens ei mille marcas argenti & reginæ centum pro eo, ut ſecundum judicium & juſtitiam *Eboracenſi* eccleſiæ conſentiret, ſed nichil profecit. Sic ergo angariatus & diſtractus, mœſtus & gemens, canonicis ſancti *Petri* eccleſiæ *Eboracenſis* qui ſecum venerant, nec concedentibus, nec contradicentibus, tandem facere conſenſit. Quod quidem nullatenus conſenſiſſet, ſi exilii, & fatigationis, & eccleſiarum incommoditatum corpus patiens haberet, ſed corpulentus erat, & pinguior quam optaret. Proxima autem die Dominica à *Ricardo Londonienſi* epiſcopo & coepiſcopis in eccleſia beati *Pauli* conſecratus eſt; profeſſione facta nova, barbaraque, perſonali ſed nulli perſonæ, ſalva obedientia & fidelitate domini papæ & regis *Anglia*, & ſalvo jure *Eboracenſis* eccleſiæ. Proclamatumque eſt ab *Herberto Norwycenſi* epiſcopo in eccleſia plena præcepto regis, quod hoc quod *Thomas Eboracenſis* archiepiſcopus hic faciebat, non judicio ſed regis juſſu & voluntate erat. Quod *Dunelmenſis* epiſcopus altius aſcendens melius ſupplevit dicens. *Eboracenſis* electus *Cantuaria* aut *Eboraci* conſecrari debet; quod modo hic conſecratur & profitetur, non judicamento ſed voluntate regis & imperio quadam diſpenſatione factum eſt, nec vult rex *Eboracenſi* archiepiſcopo, nec ſucceſſoribus *Thomæ* hoc eſſe in præjudicium, nec *Cantuaria* in exemplum. De hoc appello vos omnes in teſtimonium. In hujus rei teſtimonium rex litteras iſtas fieri & ſigillo ſuo ſigillari fecit.

Privilegium regis Henrici *de profeſſione quam* Thomas *fecit* Cant. *eccleſia defuncto* Anſelmo.

HEnricus *Dei gratia rex* Anglorum, *&c. Epiſcopis & Baronibus totius regni* Angliæ *ſalutem. Sciatis quod profeſſio illa quam* Thomas *ſecundus* Eboracenſis *archiepiſcopus fecit* Cantuarienſi *eccleſia defuncto* Anſelmo, *hoc modo facta eſt. Voluntas mea & conſilium quorundam meorum fidelium fuit propter quaſdam neceſſitates, quamquam ipſe* Thomas Eboracenſis *archiepiſcopus, &* Eboracenſis *eccleſia per privilegia ſua parati eſſent ratiocinare quod facere non deberet. Fecit igitur eam de ſola perſona ſua pracepto meo coactus, ſalva prius obedientia* Romani *pontificis & fidelitate mea; eo videlicet tenore, ut* Eboracenſis *eccleſia aliquam libertatem vel privilegia qua ipſa juſte habere debeat, per hoc praceptum meum vel ipſius factum nullo tempore perdat. Et ſi aliquando de eadem re inter eaſdem eccleſias vel archiepiſcopos earum placitum fuerit, quod illa vice mea voluntate & pracepto factum fuit,* Eboracenſi *eccleſia vel archiepiſcopis ejus ad dirationandum libertatem ſuam nullo modo noceret.*

Quod accepto pallio Turgotum *archiepiſcopum S.* Andreæ *de* Scocia *conſecravit.*

COnſecratus itaque rediit *Eboracum* adducens ſecum *Olricum* Cardinalem pallium deferentem. Accepto igitur pallio archiepiſcopus miſſam celebravit, et *Turgotum* qui fuerat Prior *Dunelmenſis* eccleſiæ epiſcopum ſancti *Andreæ de Scotia* præſente Cardinali conſecravit. Qui ei profeſſionem fecit et ſcriptam tradidit, quæ ſic incipit, *Ego Turgotus Scotorum epiſcopus*, &c. Cardinalis vero licet parum, id eſt tribus diebus, honorifice tamen cum archiepiſcopo commoratur, & juxta facultatem ſuam magnifice donatus, honorifice et accurate uſque ad fluvium *Trentam* eſt reductus. Cumque digrederentur, Cardinalis invitavit archiepiſcopum nichil tale interim ſuſpicantem quatinus domino papæ præſentiam ſuam exhiberet, ſupra hoc ſatisfacturus quod contra ſtatutum beati *Gregorii* & contra ſententiam *Romanæ* Curiæ profeſſus fuerat. Sed cum archiepiſcopus id ſe regi mandare dixiſſet, Cardinalis ſub amore regis ſeu timore invitationem remiſit.

Quos epiſcopos conſecraverat.

ISte *Thomas* ſanctum virum *Michaelem* quem *David* Comes poſtea Rex *Scotiæ Glaſguenſis* eccleſiæ epiſcopum ſtatuit, & ipſi *Thomæ* ordinandum tranſmiſit, eidem eccleſiæ epiſcopum conſecravit, qui *Eboracenſi* eccleſiæ & archiepiſcopo *Thomæ* ſuiſque ſucceſſoribus canonicam obedientiam profitendo ſcriptam tradidit, quæ ſic incipit, *Ego Michael Gleſguenſis eccleſiæ*, &c. Hic aliquamdiu cum archiepiſcopo converſatus, in dioceſi noſtra juſſu archiepiſcopi eccleſias dedicavit, & in eccleſia de *Morlonnd* ordines fecit. In qua felici fine ad Deum migrans ſepultus requieſcit. *Wymundum* quoque Inſularum epiſcopum idem *Thomas* ordinavit, qui ei profeſſionem ſcriptam tradidit; quæ ſic incipit, *Ego Wymundus ſanctæ eccleſiæ de Schid*, &c. *Radulfum* etiam urbis *Eboracenſis* presbyterum in eccleſia ſancti *Petri* ab *Orcadenſibus* electum idem *Thomas Orcadum* inſularum ordinavit epiſcopum, qui ei profeſſionem fecit & ſcriptam tradidit, quæ ſic incipit, *Ego Radulfus Orcadenſis ſanctæ eccleſiæ*, &c. Ipſe etiam archiepiſcopus duas eccleſiæ ſancti *Petri* præbendas fecit. *Hanguſtaldenſem* vero eccleſiam conſtituendis ibi canonicis regularibus tradidit, & aliquas circum terras dedit. Præbendæ ſanctæ *Mariæ* de *Southwella* eandem libertatem à rege *Henrico* primo optinuit quam ſancti *Petri Eboraci*, & ſancti *Johannis Beverlaci*, & ſancti *Wilfridi* de Rypon præbendæ habent. Et quod ad ipſum pertinebat, ab omni epiſcopali conſuetudine & exactione in eccleſiis & terris liberas eas eſſe & quietas conceſſit & confirmavit. *Aldredus* bonæ memoriæ ultimus *Angligena* archiepiſcopus præbendas illas de terra empticia fecit, ſed regias conſuetudines vel exactiones ab illis emere non potuit quibus vendere non licebat. Vixit autem junior in archiepiſcopatu annis quinque & menſibus fere ix. & obiit xj. kal. Marc. juvenis adhuc ætate, qui cum cæteris ſanctarum virtutum etiam & in virginitatis puritate perrexit ad Dominum. Quanta vero morum probitate & vitæ innocentis puritate ante epiſcopatum & in epiſcopatu enituerat, nullis verbis arbitror poſſe explicari. Sepultus eſt autem *Eboraco* juxta bonæ memoriæ viros *Aldredum* & *Thomam*.

De Turſtino *archiepiſcopo.*

VIceſimus octavus ſuſcepit *Eboracenſem* eccleſiam *Thurſtinus Henrici* regis capellanus *Londonienſis* eccleſiæ ſancti *Pauli* canonicus, literis admodum eruditus: In ſecularibus prudens & induſtrius: In providendis & agendis domi militiæque neceſſariis efficax & ſtrenuus, propter quæ regi *Willielmo* juniori domeſticus fuerat & carus, regi vero *Henrico* familiaris & ſecretarius. Per illum rex *Henricus* præſens & abſens in *Anglia* & *Normannia* plurima diſponebat, diſtribuebat efficiebat, qui prudenter & liberaliter agendo principibus & cæteris notus erat & dilectus. In deferendo & faciendo honorem advenis & ignotis, Religioſis, & ſecularibus hilaris & largus. Quomodo autem in archiepiſcopatu egerit & qualiter pro eccleſia ſua ſteterit, quam viriliter pro libertate ejus certaverit, quam prudenter eam à jugo indebitæ profeſſionis Deo adjuvante eruerit, neſcio ſi poſſit digno ſermone proferri.

Quod per Radulphum Cantuarienſem *archiepiſcopum nec ipſe* Romam *ire nec pro ſe aliquem mittere permiſſus eſt ſacrari.*

CUM igitur ſubdiaconus jam erat et à *Willielmo Wintonienſi* epiſcopo quem ipſe familiarem & dominum habebat diaconus ordinatus eſt: Cum vero in *Normanniam* cum rege veniſſet, conſilio *Canonis* apoſtolicæ ſedis legati à *Radulpho Dunelmenſi* epiſcopo ſuffraganeo ſuo *Baiocis* presbyter eſt ordinatus, vel vellet *Romam* ire vel pro ſe mittere, ſuggeſtione *Radulphi Cantuarienſis* archiepiſcopi neutrum agere permiſſus eſt, ſed ejuſdem molimine juſſu regis de *Normannia* in *Angliam* reverſus eſt, ubi cum apud *Lundoniam* rex de ſtatu regni colloquium haberet, electus aſſumptis ſecum *Galfrido Rothomagenſi* archiepiſcopo, & epiſcopis *Johanne Luxovienſi*, & *Radulpho Dunelmenſi*, *Radulphum* archiepiſcopum de conſecratione ſua humiliter requiſivit. Sed ipſe niſi profeſſione facta manus illi ſe inponere denegavit. Et cum electus diceret, de hoc ſe in ſententiam & conſilium domini papæ poſiturum, adjecit archiepiſcopus. Si dominus papa mihi ore ad os præciperet ut vos ſepoſita profeſſione conſecrarem, de hoc illi minime obedirem: Quod & in dominum papam perperam jaculatum omnes qui audierant reputaverunt.

De contradictione ejus Regi.

IN Concilio quoque *Saleſburienſi* cum rex ei verbum abreviatum & disjunctum feciſſet, ſcilicet ut aut ipſe profeſſionem faceret aut perpetuum odium regis incurreret, nec ullus de parentela ſua in regis poteſtate remaneret: ipſe pauca præmeditatus accepto à Deo conſilio ſic ait. Grave quidem mihi eſt ſempiternum regis odium ſuſtinere, gravius autem Deum & *Romanam* eccleſiam ſcienter offendere; ut autem neutrum faciam, quod rex mihi dedit eligo potius dimittere. Quod dixit & fecit, regique manum porrigenti quod ei donaverat regi dimiſit. Divulgato per *Angliam*, *Normanniam*, & *Franciam* hoc verbo, etiam uſque *Romam* tanti fama facti pervenit. Quod papa *Paſchalis* & tota curia graviter ferens, literas regi de ejus reſtitutione, & *Radulpho* de reſtituti conſecratione miſit, quæ infra ſcripta ſunt. Itaque reſtitutus ad ſuos regreditur, & cum magno gaudio ſuſcipitur.

De Gelaſio *papa.*

INterim obeunte papa, *Johannes Cajetanus*, & in monaſterio *Caſſini* montis ab infantia monachus nutritus & adultus in miniſterio venerabilium apoſtolicorum, *Deſiderii*, *Urbani* & *Paſchalis* aſſidue Cancellarii officio functus, pro papa *Paſchali* in *Gelaſium* papam eſt ſubſtitutus. Quapropter electus *Normanniam* regreditur, inde ſi poſſet ad novum papam profecturus. Qui jam de ſtatu illius apud urbem *Ravennam* certius edoctus, ſcripſit regi, ut ſi in conſecratione *Eboracenſis* electi *Radulphus* archiepiſcopus, & *Thurſtinus* electus non conſentirent, ipſe utroſque ad ſuam præſentiam dirigeret; Ipſis eciam hoc idem literis mandavit. Rex vero inſtinctu *Radulphi* archiepiſcopi, non ipſum ire ſed quem vellet mittere permiſit, ſed papa *Gelaſio* vero in brevi defuncto & apud *Cluniacum* ſepulto, *Guido Viennenſis* archiepiſcopus in papam *Kalixtum* eſt aſſumptus. Qui cognita electi *Eboracenſis* habitudine, miſit *Radulpho* archiepiſcopo literas in quibus eum ſuperbum vocat, & de contemptu prædeceſſorum ſuorum *Paſchalis* & *Gelaſii* acriter redarguit, miſit ei & alias literas quæ cum cæteris literis ſubſcriptæ ſunt. In quibus ipſius *Radulphi* literis reſpondit. Non multo poſt, concilium *Remis* celebraturus regi *Henrico* literis mandavit, ut *Radulphum* archiepiſcopum, etiam *Eboracenſem* electum ad concilium venire permitteret. Ipſis etiam literis ſingulariter miſſis hoc idem præcepit. Videns igitur quod eum diutius retinere non poterat, licentiam abeundi conceſſit. Qui feſtinans *Turonis Romanum* papam invenit, ubi à domino Papa & à tota Curia honorifice ſuſceptus, ipſi Papæ & Curiæ individuus per dimidium annum comes effectus eſt. Deus quoque dedit illi gratiam in conſpectu regis *Franciæ*, epiſcoporum, principum & procerum, & omnium qui ad papam undique confluebant. Ubi autem *Remis* ventum eſt, cum *Cantuarienſis* archiepiſcopus non veniſſet nec pro ſe canonicam excuſationem miſiſſet, die Dominica in metropoli eccleſia beatæ *Mariæ* in qua numeratæ ſunt perſonarum perſonalium virgæ CCCC.xxiv. qui ad generale concilium venerant, *Eboracenſis* electus *Turſtinus*, aſtantibus & aſſentientibus & coadunantibus tot & tantis perſonis, domini papæ *Kalixti* tanquam beati *Petri* manibus archiepiſcopus *Turſtinus* conſecratus eſt, & die xij poſt conſecrationem ſuam pallium accepit.

Quanto amore dominus Papa & Cardinales eum amplectebantur.

SOluto Concilio, cum reverſi epiſcopi *Angliæ* regi et archiepiſcopo qualiter ſacratus eſſet referrent, rex fidem ſpoſpondit vel ſe ſpoſpondiſſe dixit, quod in vita ſua *Turſtinus Angliam* non ingrederetur, niſi *Cantuarienſi* profeſſionem faceret. Tanto ſiquidem contra eum pro conſecratione ſua ferebatur odio, quod in colloquio juxta *Giſortium* de concordia duorum regum *Franciæ* et *Angliæ* quod ipſe maxime concinnaverat, nec blandimentis, nec prece, nec fidei quam ſe ſpoſpondiſſe dicebat abſolutione dominus papa quicquam ab eo potuit impetrare, quin potius ſtatim miſit in *Angliam* qui eum de archiepiſcopatu diſſaiſirent: quod archiepiſcopo non ad detrimentum ſed ad majoris gloriæ augmentum fiebat, ſiquidem dominus Papa et Cardinales majori eum amplectebantur amore et copioſius honorabant. In conſiliis et cauſis et judiciis erat inter illos quaſi unus ex illis, et à nullis fere eorum ſeperatus vel ſegregatus ſecretis; Clerici ſui tanquam domini papæ clerici, familia quaſi familia ipſius. In miſſarum celebrationibus et altarium conſecrationibus eum proximum et collateralem ut Cardinalem habebat. Si duo altaria in una eccleſia conſecraturus erat, alterum, illi tradito uno vel duobus epiſcopis, conſecrare præcipiebat: ſi vero eccleſiam dedicare debebat, quodcumque jubet ordo intus et extra, cuncta illiuſque ad conſecrationem altaris adjuncto aliquo quaſi ſuffraganeo facere injungebat. In ſolempnibus proceſſionibus equitando factis quando more Apoſtolico coronatus fuit, ſicut in die natalis Domini, *Auguſtudum*, et die Epiphaniæ *Cluniaci* epiſcopus *Hoſtienſis* qui magiſter inter eos et dignior erat, eum parem ſibi eſſe voluit; et peracto tantæ ſolempnitatis officio, archiepiſcopus ſicut et ſui Cardinales biſanceos aureos quod preſbyterium vocant, à domino papa ſuſcepit. *Gebenenſis* eccleſiæ præpoſitum electum epiſcopum, juſſu domini papæ in præſentia ipſius feria iv. archiepiſcopus hoſtiarium, lectorem, exorciſtam, accolitum, craſtina vero die ſubdiaconum ordinavit, ipſe papa proximo ſabato quod reliquum erat ſupplevit. Nam et uſum pallii quam diu in exilio eſſet illi conceſſit, illis diebus et officiis quibus in provincia ſua ex prædeceſſorum ſuorum conſuetudine uteretur. Etenim extra provinciam et regnum abſque permiſſione ſummi pontificis metropolitæ pallio uti non licet: unde et in curia *Romana* aliquociens inter ſe contulerunt, *Radulphum* archiepiſcopum exceſſiſſe, quod in alio regno, et in capellis et in locis non decentibus palliatus cantabat.

De honore ſibi inpoſito per Papam & Cardinales. Et qualiter Eboracenſis *eccleſia redditur libera à profeſſione facienda.*

POſtquam vero judicio curiæ *Romanæ* et multorum qui aderant diffinitum eſt *Eboracenſem* eccleſiam ab illa indecenti profeſſione liberam eſſe et ſolutam, hoc apud *Vapingum* in capite jejunii Apoſtolico privilegio confirmatum eſt. Quo cum cæteris literis accepto, archiepiſcopus rogavit dominum papam ut ei de Sanctorum reliquiis et balſamo daret. Cui benigne de utroque donans, ait, Et certe ſi noſtro ſanguine opus haberes non tibi conferre denegarem. Apoſtolica itaque benedictione accepta, ipſe et qui cum ipſo erant clerici in oſculo et lacrimis diſceſſerunt, à Cardinalibus et epiſcopis et clericis longe extra civitatem comitati. Miſit autem dominus papa domino regi literas de ejus receptione. Quibus lectis, habito inter ipſum regem et legatum *Canone* de hoc ipſo colloquio, rex tandem aſſenſit, quod de archiepiſcopatu eum eveſtiret. Relictis itaque de ſuis qui de reveſtitura archiepiſcopatus in *Angliam* afferrent: ipſe cum legato in *Franciam* reverſus, compoſitioni pacis et concordiæ inter duos reges mediator et prælocutor cum archiepiſcopis et epiſcopis et primoribus *Franciæ* interfuit. In Concilio quoque *Baluacenſi* cum ab ipſo legato epiſcopi *Normanniæ* qui Concilio non fuerant excommunicandi eſſent, ipſe ſententiam illam mutari fecit; Unde rex coram epiſcopis ſuis, ait, Melius fuiſſet nobis D. marcas argenti perdidiſſe quam *Eboracenſi* archiepiſcopo caruiſſe.

Ubi ad regem in Angliam *advenerit.*

REverſo autem in *Angliam* rege, et oſtenſis *Radulpho* archiepiſcopo et epiſcopis literis domini papæ de ejus receptione, conſilio omnium literis revocatus, ad eum apud *Wyndeſoras* venit, et ab eo et à nova regina epiſcopiſque et proceribus gaudenter ſuſceptus eſt. Inde ad ſedem ſuam revertenti et ad civitatem apropinquanti, tantus concurſus factus eſt ei obviam exeuntium clericorum, monachorum, procerum, militum, virorum ac mulierum, ut ex hoc quibuſdam ad mentem reduceretur, quod de beato *Johanne* ſcriptum eſt. Occurrit beato *Johanni* ab exilio revertenti omnis plebs virorum ac mulierum amantium & dicentium, Benedictus qui venit in nomine Domini. Ubi vero in cathedra ſua cum exultatione & tripudio repoſitus eſt, lecto & expoſito in tanta audientia de libertatis *Eboracenſis* eccleſiæ reformatione Apoſtolico privilegio, omnes gratulati ſunt & Deo gratias reddiderunt. In proxima cœna Domini criſmate ſolempniter conſecrato vij. denarios de ſingulis eccleſiis parochialibus & iv. de capellis quos ex antiqua conſuetudine quolibet anno pro criſmate reddebant liberaliter remiſit, & inperpetuum remittendos decrevit. Precium quoque pro ſepultura, vel pro unctione infirmorum, vel pro baptiſterio exigere, vel accipere, niſi ſpontanee datum, omnibus interdixit.

De Willielmo *qui* Radulpho *ſucceſſit.*

SEquenti anno obiit *Radulphus* archiepiſcopus, eique ſucceſſit *Willielmus*, cui eodem die *Thurſtinus* archiepiſcopus *Eboracenſis* per *Eboracenſem* abbatem *Gaufridum* & per ſancti *Oſwaldi* Priorem *Adelwoldum* mandavit, quod eum conſecrare volebat ſicut debebat; & cauſa humilitatis & amicitiæ ſalva eccleſiæ ſuæ dignitate id ſe in *Cantuaria* facere offerebat. Sed ille hoc diffugiens, à *Ricardo Londonienſi* epiſcopo & cæteris coepiſcopis irrogata *Eboracenſi* eccleſiæ injuria ſe in Primatem totius *Britanniæ* conſecrari fecit. Unde cum uterque *Romam* veniſſet, *Eboracenſis* videlicet propter Concilium ad quod literis papæ vocatus fuerat, *Cantuarienſis* propter electionem ſuam & pallium, Cardinales & Curia tota electionem ſuam non eſſe canonicam inter ſe diſputantes, illum de iv. articulis impetendum cenſuerunt; videlicet, quod non, à quibus, neque de quibus, neque ubi debuit fuit conſecratus; quinto à quibuſdam adjuncto, quod clericus monachis præerat: Deciſumque eſt eum pallium non habere, ſed ex indulgentia poſſe epiſcopatum unum optinere. Quo audito, *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus dominum papam pro eo obnixe deprecatus eſt, et apud Curiam pro eo interceſſit. Tandem poſt xv. dies conceſſum eſt ei pallium dari. Quo accepto, ſtatim cœpit adverſus *Eboracenſem* de prioratu & profeſſione contentio. Juſſa ſunt itaque legi privilegia *Cantuarienſis* eccleſiæ quæ de primatu habebant. Erant quædam *Romanorum* pontificum nominibus prætitulata, ſed ſtilum *Romanorum* nichil ſapiebant. Quibus perlectis interrogatum eſt ſi privilegia illa bullas haberent. Dicentibus illis, ſe illa bullata in eccleſia reliquiſſe, & eorum exempla detuliſſe. Scrutati ſunt ſi hoc vellent jurare: Concilio locuti dixerunt, Bullas eſſe conſumptas vel perditas. At illi ſubridentes illudendo dixerunt. Mirum eſt plumbum conſumptum fore vel perditum & pergamenum durare. Dicentibuſque illis, forſitan eo tempore bullas non fieri. Reſponſum eſt quoque, à tempore beati *Gregorii* bullas fuiſſe, & adhuc in *Romana* eccleſia aliqua ipſius privilegia bullata ſervari. Itaque nec privilegia illa cum credulitate, nec verba eorum in gratiam ſunt recepta. *Thurſtinus* vero archiepiſcopus conſilio domini Papæ & Curiæ oſtendit ſua munimenta. Primo epiſtolam beati *Gregorii* ad *Auguſtinum*. Deinde epiſtolam *Honorii* papæ ad *Paulinum* & *Honorium* archiepiſcopos. Poſtea literas *Urbani* papæ ad *Thomam* archiepiſcopum. Poſtea literas papæ *Paſchalis* & *Gelaſii*, & præſentis *Kalixti* ad *Radulphum* & *Turſtinum* archiepiſcopos. Noviſſime privilegium quod ipſe papa *Kalixtus Thurſtino* archiepiſcopo fecerat, quæ omnia omnes noverant bullas habere. Itaque de contentione inter *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* archiepiſcopos juſto judicio ſecundum *Eboracenſis* voluntatem deciſum foret, ſi *Cantuarienſis* ſicut *Eboracenſis* archiepiſcopus diem quam ad eam finiendam Curia eis offerebat rege inconſulto vellet accipere. Accepta demum licentia redierunt archiepiſcopi in patriam ſuam. *Cantuarienſis* cum privilegio et pallio. *Eboracenſis* cum gratia Papæ & Curiæ, & cum literis ad regem. Sed & ipſi *Willielmo Cantuarienſi* archiepiſcopo in proximo Septembri alias idem papa literas miſit.

De contentione prioratus.

ANno vero poſt hunc proximo papa *Kalixtus* obiit, & *Lambertus Hoſtienſis* epiſcopus homo juſtus in papam *Honorium* eſt ſubſtitutus. Apud hunc *Cantuarienſis* archiepiſcopus clamorem renovavit de prioratu: Unde utrique papa ut illi ſuam exhiberent præſentiam literas miſit. Quod audiens rex *Thurſtino* mandavit, quatinus eccleſias ſic eſſe dimittteret ſicut ſub patre ſuo fuerant. Ille gratanter ſe velle ſic dixit ſicut ſub patre ſuo fuerant vivente *Aldredo* archiepiſcopo; aliter, inquit, non poſſum, niſi ut deſtruam privilegium meum, & ad hoc vocati ſumus ut in audientia domini papæ, contentio noſtra ſedis apoſtolicæ judicio terminetur. Itaque quia inter archiepiſcopos hoc modo pax ſtabiliri non poterat, alia via per regem & alios mediatores cogitata eſt, ut *Cantuarienſis* archiepiſcopus de provincia ſua magna *Eboracenſi* archiepiſcopo tres epiſcopatus concederet, *Ceſtrenſem*, *Bangornenſem*, & tercium inter hos duos medium, ſed pro vaſtitate & barbarie epiſcopo vacantem: Hac quidem conventione, quod *Thurſtinus* archiepiſcopus *Cantuarienſem* archiepiſcopum ſolo verbo in Primatem ſuſciperet, ſucceſſores autem ejus *Cantuarienſi* obedientiam ſeu reverentiam qualis debetur Primati manu in manum promitterent in miſericordia & voluntate domini papæ, rege & *Johanne Trevienſi* (qui tunc temporis in *Anglia* legatione fungebatur) ad hoc obnixe laborantibus, vix ab utroque concedi extortum eſt. Hæc convenientia ab ipſo legato ſcripta & *Romam* ab eodem perlata eſt. Eo tempore *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus et *Thurſtinus Eboracenſis*, et *Alexander Lincolnienſis* epiſcopus perrexerunt *Romam*, anno videlicet domini videlicet M. C. xxv. Cumque legatus coram archiepiſcopis in Curia verbo & ſubſcripto concordiæ modum enarraret, ***Willielmus*** archiepiſcopus de tertio epiſcopatu ſine nomine nec mentionem ſe audiſſe negavit. Miratus eſt legatus & multi qui aderant & hæc audierant, & ipſe jurare ſe obtulit pro veritate teſtificanda & pro pace facienda ſic eſſe conventum, & ſcripto præſenti inde facto coram rege et utroque archiepiſcopo & *Rothomagenſi* archiepiſcopo & epiſcopis *Luxovienſi* & *Ebroicenſi*. At illo in negando perſiſtente, quia de dubio & contentioſo privilegium firmare abſurdum erat, vix tandem optentum eſt, ut ſalva cujuſque cauſa eos regredi liceret, nam de concordia deſcripta nec verbum deinceps audire voluerunt.

Quod Thurſtinus *archiepiſcopus coram Apoſtolico clamorem fecerit de* Johanne Gleſguenſi *adverſus ſe rebellante.*

QUia vero *Johannes Gleſguenſis* epiſcopus ibi in curia præſens erat, *Thurſtinus* archiepiſcopus clamavit ſe de eo coram apoſtolico, eo quod ipſe *Johannes* in *Eboracenſi* eccleſia ſicut ſuffraganeus ejus electus & per literas ſuas à papa *Paſchali* conſecratus, poſtea nec propter literas ejuſdem papæ *Paſchalis*, neque *Kalixti*, quas ibi recitari fecit, quicquid obedientiæ vel reverentiæ ei voluit exhibere: ſimiliter & de epiſcopis *Scotiæ* conqueſtus eſt. Perſuaſum fuerat papæ *Scotiam* non eſſe de regno *Angliæ*, quia volebant pallium requirere epiſcopo ſancti *Andreæ*, & ita archiepiſcopum ibi creari. Sed archiepiſcopus *Turſtinus* & ſecreto & palam in Curia oſtendit *Scotiam* de regno *Angliæ* eſſe, & regem *Scotorum* ligium hominem regis *Angliæ* eſſe. *Gleſguenſis* autem epiſcopus querelæ archiepiſcopi ita reſpondit, ſe non veniſſe vocatum, & in legatione domini ſui regis *Scotiæ* ibi eſſe. Decretumque eſt diem illi ſtatuere & epiſcopos *Scotiæ* & abſentes per literas domini papæ ſummonere. Statuitque papa *Turſtino* archiepiſcopo & *Johanni* diem à proxima quadrageſima in alteram, ſic dicens *Johanni* epiſcopo. Frater, in quibus bonæ memoriæ papa *Gelaſius* te ligavit nos te abſolvimus. Epiſcopos *Scotiæ* ad diem deſignatum per literas vocare diſpoſuit. Sicque factis & infectis negotiis archiepiſcopus *Cantuarienſis* cum legatione ſicut rex petierat, & *Eboracenſis* archiepiſcopus cum literis papæ quæ inferius continentur rediit.

De injuria quam Willielmus Cantuarienſis *archiepiſcopus fecit* Turſtino.

ADveniente natali Domini *Thurſtinus* archiepiſcopus venit ad Curiam regis, inde ad diem inter ipſum & *Iohannem* ſtatutum *Romam* profecturus, ſed ibi in tanta ſolempnitate propter *Cantuarienſem* archiepiſcopum nec crucem ſibi præferre, nec ad regem coronandum manum mittere permiſſus eſt. Unde in craſtinum natalis Domini recedens à Windeſour *Lundonium* venit, ibi regem expectans & ad iter ſe præparans. Quo quinto die rex cum rege *Scotorum* adveniens quadam concordiæ proviſione inter ipſum archiepiſcopum & epiſcopos, *Scotiæ* conſenſu quoque regis *Davit* perſuaſit ei quatinus iter ſuum ad præſens differens ipſe legatos *Romam* mitteret, petentes ex parte regis & ſua ſuper hac cauſa dare ſibi inducias uſque ad alteram quadrageſimam, & interim inter eos concordandi licentiam. Quibus ita conceſſis, archiepiſcopus *Romam* miſit & has inducias impetravit.

Quod Thurſtinus *archiepiſcopus ad Concilium quod ſine ſe vocabatur venire noluerit.*

POſt hæc, *Cantuarienſis* archiepiſcopus ex jure legationis Concilium convocavit, ad quod cum ipſe *Thurſtino* archiepiſcopo apoſtolica auctoritate venire præcepiſſet et ille non veniſſet, *Cantuarienſis* apud regem conqueſtus eſt, quod quaſi dedignatus eſſet ad ſuum concilium venire, cui rex ait; Et merito. Magnum enim ei dedecus in mea curia feciſti, mihi vero non minus; pro qua injuria dominus papa literas *Cantuarienſi* archiepiſcopo miſit.

Quos epiſcopos ordinaverit.

LOngum eſt univerſa ponere quæ vir venerabilis *Thurſtinus* archiepiſcopus pro defenſione vel recuperatione eccleſiæ ſuæ juſte & viriliter reluctando ante conſecrationem & poſt conſecrationem inperterritus & indefeſſus ſuſtinuit quinque annis & duobus menſibus, modo exul, modo in patria ſine conſecratione fuit. Ordinavit autem tres epiſcopos diverſis temporibus, ſcilicet *Gaufridum Lyndefarnenſi*, *Adelwoldum Karreliolenſi*, *Gilaldanum Candida Caſa*, hoc eſt *Herwicernenſi* eccleſiæ, & *Girardum* abbatem *Caldenſi* monaſterio, quorum omnium profeſſiones ſcriptas accepit.

Qualiter canonicis ſuis tam vivis quam defunctis providerit.

TAntam autem erga eccleſiarum ſuarum Canonicos caritatem habebat, ut eis non ſolum in vita ſed etiam poſt mortem provideret. Ideoque memoriale ſuum à generatione in generationem in eccleſiis ſuis permanet. Conceſſit etiam & firma decreti ſanctione ſtatuit, ut quicumque canonicorum ſuorum ſive æger ſive incolumis, ſi vel monachus vel regularis canonicus devenerit, ſi vixerit aut vita diceſſerit, per totum annum duas partes præbendæ ſuæ habebit, vel eccleſiæ cui ſe tradit conferendas, vel egenis parentibus ſive aliis indigentibus erogandas, vel ſi aliquo obligatus ſit debito, pro ſui acquietatione largiendas. Tertia vero pars ipſius præbendæ per totum ſimiliter annum remanebit eccleſiæ cujus extitit canonicus, ad ipſius reædificationem ſive aliam ejus neceſſitatem ſecundum capituli ſui proviſionem. Si quis nec vita nec habitu mutatus in propria eccleſia obierit, per totum annum totam ſimul præbendam habebit. Hoc canonicis ſancti *Petri Eboraci*, ſancti *Iohannis Beverlaci*, ſancti *Wylfridi* de *Rypon*, ſanctæ *Mariæ* de *Suthwella*, ſancti *Oſwaldi* de *Glouceſtria* conceſſit, & inde per cartam in eccleſia *Eboracenſi* firmavit.

Ubi defunctus ſit & ſepultus.

VIxit autem in epiſcopatu xxv. annis & vi. fere menſibus & multis laboribus ſenioque & infirmitate confractus, dimiſſo ſponte archiepiſcopatu, die converſionis ſancti *Pauli* ad converſationem monachorum converſus, ad *Pontemfractum* ſeceſſit, ibique monachizatus, nonas Februarii in domino obdormiens honorifice in eccleſia ſepultus eſt.

Hæc de ſucceſſionibus pontificum qui à principio Chriſtianitatis *Northumbrorum*, id eſt, à S. *Paulino* uſque ad bonæ memoriæ *Thurſtinum* archiepiſcopum *Eboracenſi* eccleſiæ præfuerunt, tam de hiſtoria *Anglorum* quam de diverſorum annotationibus cronicorum ſtudioſius quæſitorum in unum collegi. Quæ quia pro diſtinctione temporum latius ſunt digeſta, nunc ob memoriam conſervandam eorum pontificum, Regum quoque ſub quibus claruerunt nomina ex ordine ſunt ponenda.

De Henrico Murdak *archiepiſcopo.*

VIceſimus nonus ſucceſſit in archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ *Henricus Murdak* Ciſtercienſis ordinis monachus ac profeſſor probatiſſimus, vir magnæ ſanctitatis & abſtinentiæ laudabilis. Defuncto namque, ut præmittitur, *Thurſtino Eboracenſi* archiepiſcopo, convocatiſque ad electionem pontificis canonicis eccleſiæ *Eboracenſis*, *Willielmus* ejuſdem eccleſiæ Theſaurarius & canonicus exigentibus ſuis meritis à majori & ſaniori parte in archiepiſcopum eſt electus. Erat enim ſtrenuiſſimi comitis *Herberti* filius ex *Emma* ſorore regis *Anglorum Stephani* progenitus. Vir quidem genere nobilis, ſed morum excellentia & vita mundiſſima incomparabiliter inſignis. Interea vero *Osbertus* archidiaconus *Eboracenſis* invidiæ ſtimulo agitatus, facta inter eligentes diſſenſione, confirmationem ipſius electi licet ab omnibus dignus haberetur pertinaciter impedivit: ſuſpenſo igitur negotio partibuſque coram *Romano* pontifice ſuper hujus electionis diſcuſſione perſonaliter vocatis, idem *Willielmus* perſequentibus illum adverſariis ſuis & injuſte accuſantibus conſecrationis gratiam minime potuit optinere. Lite ergo in curia *Romana* ſub papa *Innocentio* ſecundo, *Celeſtino* ſecundo, & *Lucio* ſecundo per annos quinque & amplius debito proceſſu currente, nichil inventum eſt quod ejus conſecrationem deberet elongare. Verum ſummus paſtor *Eugenius Ciſtercienſis* ordinis monachus, anno Dominicæ incarnationis M.C.xlvj. in Papam conſecratus electionem dicti *Willielmi* non ratione perſonalis inhabilitatis, ymmo pro libito ſuæ voluntatis caſſavit. Et præfatum *Henricum Eboracenſis* eccleſiæ archiepiſcopum ordinavit. Conſecratus itaque *Henricus* cilicium carni ſuæ proximum induit, corpuſque ſuum mirabiliter & multipliciter afflixit, ac plebem ſibi commiſſam verbo rigidæ exhortationis & exemplo piæ converſationis regere ac informare ſtuduit. Vixit autem *Henricus* in archiepiſcopatu vij. annis, quibus completis obiit apud **Schireborne** anno Domini M.C.liij. cujus corpus uſque *Eboracum* delatum in eccleſia ſancti *Petri* cum honore debito traditur ſepulturæ.

De ſancto Willielmo Eboracenſi *archiepiſcopo.*

TRiceſimus vero *Eboracenſis* archiepiſcopus regimen præfatus *Willielmus* ſuſcepit. Hic autem defuncto *Henrico* archiepiſcopo, à fratribus ſuis canonicis eccleſiæ *Eboracenſis* pro majori & digniori parte in archiepiſcopum iterum electus *Romam* profectus eſt, adventus ſui cauſam venerabili papæ *Anaſtaſio* qui *Eugenio* inmediate ſucceſſerat ſeriatim oſtendit. At ille de prædeceſſoris ſui *Eugenii* dolens ſententia, electionem *Willielmi* canonicam confirmavit, & eidem ſummo cum honore conſecrationis & pallii decus gratanter impendit. Acceptaque apoſtolicæ benedictionis gratia *Willielmus* in *Angliam* reverſus, ubicumque advenit caſtimonia ac innocentis vitæ puritate laudabiliter effulſit. Qui cum veniſſet *Cantuariam*, *Rogerus Cantuarienſis* eccleſiæ archidiaconus deſiderio mutuæ collationis cum eo habendæ ſpecialiter accenſus, eum pro ſuæ ſanctitatis reverentia devote viſitavit. Cum vero poſt optata tanti patris colloquia, *Rogerus* ad propria remeaſſet, *Willielmus* archiepiſcopus talem de eo protulit ſententiam, aſtantibus dicens. Iſte erit ſucceſſor meus. Quod & factum eſt. Et exinde progrediens ad eccleſiam ſuam *Eboracenſem* iter arripuit. Venit autem *Eboracum* die Dominica proxima ante feſtum aſcenſionis Dominicæ vij idus Maii, anno Domini M. C. liv. Et maxima cum devotione cleri & populi ſibi occurrentis ſuſceptus in civitatem perductus eſt. Cum autem ultra pontem *Uſe* tunc ligneum comitante plebe innumera tranſiret, dirupta præ populi ponderoſitate lignei pontis ſtructura, magna virorum ac mulierum & præcipue infantium multitudo in profundum fluminis ex alto corruens, inter rapida fluvii fluenta periclitando volutabat. Quod cum audiſſet ſanctiſſimus pater *Willielmus*, fuſa cum lacrimis ad Dominum oratione ne pro eo Deum laudantes profundum abſorberet, ſubmerſos ſigno crucis ſignavit, & mox orationis ſuæ virtute univerſos à periculo mortis ſuccurrente divina pietate liberavit. Nec multo poſt ſanctus præſul *Willielmus* ad celebrandum ſanctæ Trinitatis feſtum ſe ſolempniter accinxit, ut per aſſumptionem cœleſtis panis uni & trino Deo ſeipſum munus redderet acceptum. Completis vero tantæ ſolempnitatis myſteriis præſul *Willielmus* gravi morbo ſubito correptus, ad palatium ſuum rediit, & hoſpitibus ſuis epulas habundanter miniſtrari præcepit. Illis autem ſplendide epulantibus, intravit cameram ſuam beatus pater & familiaribus ſuis obitus ſui diem ſpiritu prophetico prædixit. Per octo igitur dies vi febrium fatigatus non alterius quam cœleſtis medici manum admiſit medicantem, die autem nono ægritudinis ſuæ, hoc eſt xxx. die ex quo venit *Eboracum*, vj. idus Junii, anno ſupradicto, regni vero regis *Stephani* xix. & ultimo vale dicto fratribus ſuis, in palacio ſuo *Eboraci* vitam finivit temporalem percepturus à Domino ſine fine manſuram: ſepultuſque eſt in eccleſia ſancti *Petri Eboraci*. Quo in loco effluente de ſacro corpore ejus oleo ſalutifero, Deus optimus per ejus merita plurima pro infirmis operatus eſt miracula.

De Rogero *archiepiſcopo.*

TRiceſimus primus *Eboracenſis* archiepiſcopus ſucceſſit *Rogerus* regis *Henrici* ſecundi capellanus & eccleſiæ *Cantuarienſis* archidiaconus; conſecratus eſt ab *Anaſtaſio* papa iv. anno Dñi M.C.liv. regni vero regis ejuſdem primo. Iſte *Rogerus* anno pontificatus ſui xv. coronavit in regem *Henricum* filium præfati regis *Henrici*, ſancto *Thoma Cantuarienſi* archiepiſcopo per idem tempus in *Galliis* exulante. Prætextu cujus coronationis gravis in eccleſia *Anglicana* orta eſt diſſenſio. Anno vero ſequente idem *Thomas* ad inſtantiam *Alexandri* papæ & *Lodowici* regis *Francorum* concordatus eſt in partibus tranſmarinis cum rege *Henrico* ſeniore in feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, & libera facultas redeundi ad eccleſiam ſuam eidem conceditur. Nec multo poſt, cum idem ſanctus *Thomas* vix per menſem in eccleſia ſua reſediſſet, v. die nativitatis Dominicæ feria iij. in eccleſia ſedis ſuæ *Cantuarienſis* martyrium paſſus eſt anno Domini M.C.lxx. Cujus mortem pretioſam celeberrima ſubſecuta ſunt miracula. Hic etiam *Rogerus* archiepiſcopus *Eboracenſis* coram *Rotoricho Rothomagenſi* archiepiſcopo ſolempniter de morte ſancti *Thomæ* ſe purgavit. Idem etiam *Rogerus* chorum eccleſiæ cathedralis ſancti *Petri Eboraci* cum criptis ejuſdem & palacium archiepiſcopale in *Eboraco*, quod juxta ipſam eccleſiam ſitum eſt, de novo conſtruxit. Condidit etiam capellam ſancti Sepulcri ad januam ipſius palacii ex parte boreali ejuſdem eccleſiæ beati *Petri*, ac ipſam in honore Dei genitricis *Mariæ* & ſanctorum Angelorum dedicavit, eamque undecim eccleſiis quarum quinque ex propria ſua largitione ſex vero ex collatione quorundam fidelium ſuæ dioceſis extiterant quas eidem capellæ conferri procuraverat, dotavit, & xiij. miniſtros eccleſiaſticos diverſi ordinis ad celebrationem divinorum in ea perpetuos inſtituit, quorum quatuor eſſe ſacerdotes, quatuor diaconos, & quatuor ſubdiaconos & unum ſacriſtam qui præeſſet reliquis decrevit, quem cuſtodem ipſius capellæ & procuratorem proventuum omnium dictarum xj. eccleſiarum ad eandem capellam pertinentium conſtituit. Et ne eiſdem miniſtris competens deeſſet ſuſtentatio, ſtatuit idem archiepiſcopus, ut unuſquiſque prædictorum presbyterorum decem marcas; unuſquiſque autem diaconorum C. ſolidos, unuſquiſque ſubdiaconorum ſex marcas argenti quolibet anno per manus ſacriſtæ perciperet. Reſiduum vero prædictorum reddituum in uſum ſacriſtæ converti diſpoſuit. Et quia canonici præfatæ eccleſiæ beati *Petri* ſuper ſitum dictæ capellæ, eo quod nimis adhæſit matrici eccleſiæ, penes archiepiſcopum *Rogerum* graviter murmurabant, ſtatuit idem archiepiſcopus ad eorum canonicorum & ſucceſſorum ſuorum exonerationem, & perfectæ pacis & caritatis & unitatis inter ipſos archiepiſcopum & capitulum eccleſiæ beati *Petri* & ſucceſſores ejuſdem perpetuam firmitatem, ut ſacriſta ejuſdem capellæ ea quæ ad eoſdem canonicos ſpectant in die cœnæ Dominicæ tam in epulis quam in vino, cerviſia & vaſis et aqua calida ad ablutionem pedum ipſorum canonicorum & clericorum & pauperum & x^{s}. argenti lx. pauperibus poſt ablutionem pedum ſuorum diſtribuendos, & victualia quæ ſecundum conſuetudinem matricis eccleſiæ ſolebant ipſo die pauperibus poſt ablutionem pedum miniſtrari, ſumptibus ſuis propriis inveniret: Hæc & alia multa *Rogerus* ad honorem Dei & eccleſiæ cui præerat decorem in archiepiſcopatu geſſit utilia. Idem etiam *Rogerus* anno epiſcopatus ſui xxvij. & ultimo, ex mandato *Alexandri* papæ totam *Scotium* interdixit & regem excommunicavit, eo quod *Johannem* epiſcopum recipere noluit. Vixit autem *Rogerus* in archiepiſcopatu ſuo xxvij. annis. Quibus completis, obiit apud **Schirebourne** vj. kal. Decembris anno Domini M.C.lxxxj. regni vero præfati regis *Henrici* xxvij. & in medio chori beati *Petri* eccleſiæ *Eboracenſis* quem ipſe de novo conſtruxerat honorifice ſepultus eſt. Poſt cujus obitum ſedes pontificalis *Eboracenſis* per x. annos fertur vacaſſe.

De Galfrido *archiepiſcopo.*

TRiceſimus ſecundus *Eboracenſis* eccleſiæ ſuſcepit regimen *Galfridus* filius regis *Henrici* ſecundi baſtardus. Vir quidem magnæ abſtinentiæ & ſummæ puritatis, qui prius ad epiſcopatum *Lyncolnienſis* eccleſiæ electus, & de voluntate patris ſui non conſecratus epiſcopatum reliquit. Hic anno Domini M.C.lxxxix. eodem ſcilicet anno quo pater ſuus *Henricus* rex obiit & *Ricardus* frater ejus patri ſuccedens in regem coronatus eſt, electus ad archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ *Romanam* curiam adiit, & anno Domini M.C.xcj. conſecratus *Angliam* reverſus eſt. Cujus pontificatus anno xvj. qui eſt Dominicæ incarnationis M.CC.vij. regni vero *Johannis* regis fratris ejus qui *Ricardo* fratri ſuo in regnum ſucceſſerat viij. idem rex *Johannes* exegit & cepit xiij. partem omnium catallorum per totam *Angliam* tam religioſorum quam ſecularium per juramentum uſque ad dimidium baconem. Et quia *Galfridus Eboracenſis* archiepiſcopus frater Regis huic exactioni negavit aſſenſum, ab *Anglia* receſſit. Cujus poſſeſſiones in manum regis ſeiſitæ ſunt. Interea ſæva deprædatione bonorum eccleſiaſticorum per regem & miniſtros facta, plures *Anglorum* epiſcopi exilia petierunt. Eodem anno *Innocentius* papa tercius totam *Anglicanam* eccleſiam & *Wallenſem* interdicto ſubjecit ix. kal. Aprilis, quia rex *Johannes* magiſtrum *Stephanum* de *Langton* presbyterum cardinalem recipere noluit in archiepiſcopum *Cantuarienſem*, eo quod ſine aſſenſu ſuo electus erat et conſecratus, quem idem dominus papa *Innocentius* in ſua præſentia canonice electum ſuis ſacris manibus conſecraverat. Hoc autem interdictum per ſexennium menſes tres dies vero xvij. durans ſolutum eſt anno vij. quinto non. Julii. Secundo autem anno hujus interdicti videlicet anno Domini M.CC.ix. conceſſum eſt eccleſiis conventualibus ſemel in ebdomada miſſam celebrare. Denique cum præfatus archiepiſcopus *Galfridus* in partibus tranſmarinis per quinquennium exulaſſet, anno archiepiſcopatus ſui xxj. ſcilicet anno Domini M.CC.xij. regni vero præfati regis *Johannis* xiij. in partibus tranſmarinis defunctus eſt. Quo defuncto ſedes archiepiſcopatus *Eboracenſis* quatuor annis vacavit.

De Waltero Gray *Eboracenſi archiepiſcopo.*

TRiceſimus tertius *Eboracenſi* eccleſiæ præfuit *Walterus Gray*, qui cum eſſet epiſcopus *Wygornenſis*, facta pro eo poſtulatione & admiſſa tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum *Eboracenſis* eccleſiæ vj. kalend. Aprilis anno Dominicæ incarnationis M.CC.xvj. pontificatus vero papæ *Innocentii* tercii anno xix. & ultimo, regni quoque regis *Johannis* xvij. & ultimo. Iſte archiepiſcopus *Walterus* pecunia ſua adquiſivit & appropriavit archiepiſcopatui villam de **Thorp** prope *Eboracum* cum pertinentiis, quam in manu ſucceſſorum ſuorum quadam annua penſione xx. marcarum argenti hoc modo inperpetuum oneravit, ut univerſi ſucceſſores ſui *Eboracenſes* archiepiſcopi ſingulis annis x. marcas argenti pro obitu ſuo in matrici eccleſia *Eboraci* tempore quo contigerit faciendo, canonicis, vicariis, diaconis, ſubdiaconis, & cæteris ipſius eccleſiæ miniſtris qui officio intereſſent inde perſolverent, ac alias x. marcas uni capellano perpetuo divina celebranti infra manerium archiepiſcopale præfatæ villæ de **Thorp** per ipſos ſucceſſores ſuos inveniendo perpetuis temporibus miniſtrarent. Ordinavit inſuper & ſtatuit iij. cantarias perpetuas celebrandas ad altare ſancti *Michaelis* infra eandem eccleſiam *Eboraci* ubi corpus ejus jacet humatum; pro quibus cantariis inveniendis contulit abbati & conventui beatæ *Mariæ* de *Fournays* & eorum ſucceſſoribus quandam eccleſiam in proprios uſus perpetuis temporibus optinendam. Statuit etiam in diverſis locis ſuæ dioceſis plures capellanos perpetuos, quorum ſuſtentationi perpetuas poſſeſſiones deputavit. Hic etiam venerabilis paſtor in augmentum cultus divini dedit eccleſiæ beati *Petri Eboraci* xxxij. capas ſericas precioſas pro choro, quarum una medietas erat Indi coloris, altera vero rubei, quæ hucuſque in eadem eccleſia ſubſiſtere perhibentur. Hic etiam ſucceſſoribus ſuis in futurum prudenter providens, ordinavit gratuita bonitate & ſtatuit certum numerum cujuſque generis animalium ex ſuis propriis ſucceſſori ſuo ad ejus relevationem per ipſum in obitu ſuo relinquendum, atque à ſede apoſtolica & *Anglorum* rege *Henrico* tercio hoc idem confirmari procuravit, ut ad ejus exemplum ejus ſucceſſor archiepiſc. *Eboracenſis* inperpetuum eundem numerum animalium ad opus ſucceſſoris ſui infra dioceſim *Eboracenſem* in obitu ſuo relinqueret. Vixit autem in archiepiſcopatu annis xxxix. quibus expletis, obiit primo die Maii anno Dominicæ incarnationis M. CC. lv. regni vero regis *Henrici* tercii xxxix. & in eccleſia beati *Petri Eboraci* honorifice ſepultus eſt. Hujus itaque tempore duo ſolempnes ordines, ſcilicet fratrum *Prædicatorum* & *Minorum* ſumpſerunt initium; quorum prior per beatum *Dominicum* in partibus *Tholoſanis* anno Domini M. CC. xviij. alter vero per beatum *Franciſcum* prope civitatem *Aſſiſiam* anno Domini M. CC. xxvj. inſtituitur.

De Sewallo *archiepiſcopo*.

Triceſimus quartus *Eboracenſem* rexit eccleſiam *Sewallus* ejuſdem eccleſiæ decanus per poſtulationem, eo quod defectum patiebatur in natalibus, & ideo non fuit ſecum diſpenſatum quoad talem dignitatem. Cujus electioni cum rex *Henricus* iij. negaret aſſenſum, idem electus miſit ad curiam *Romanam*, & dominus papa *Alexander* iv. confirmavit ejus electionem, & ut in eccleſia *Eboracenſi* conſecraretur, cum eo gratioſe diſpenſavit. Conſecratus eſt autem *Sewallus* in eccleſia beati *Petri Eboraci* à ſuffraganeis quos advocaverat, die Dominica x. kal. Auguſti anno Domini M. CC. lvj. & ſic nolente volente rege optinuit & pontificatum & pallium. Hic autem conſiderans proventus xj. eccleſiarum apropriatarum capellæ ſancti Sepulchri *Eboraci* per celebris memoriæ *Rogerum* quondam *Eboracenſem* archiepiſcopum pro ſuſtentatione ipſius capellæ & xij. miniſtrorum eccleſiaſticorum ac unius ſacriſtæ tantummodo eidem capellæ in divinis officiis jugiter inperpetuum miniſtrantium, à prima fundatione ipſius capellæ multipliciter augmentari ordinavit & ſtatuit de conſilio magiſtri *Gilberti* de *Tywa* tunc ſacriſtæ & cuſtodis ipſius capellæ, in unaquaque ipſarum xj. eccleſiarum vicarium perpetuum qui curam gereret animarum, portionemque ſufficientem unicuique ipſorum vicariorum de ea cujus curam gerebat eccleſia juxta facultates ejuſdem pro ſui ſuſtentatione deputavit; quorum præſentationem ſacriſtæ & ſuis ſucceſſoribus concedens, inſtitutionem ſeu deſtitutionem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus archiepiſcopis *Eboracenſibus* reſervavit. Statuit quoque præterea certam ſummam pecuniæ pauperibus parochianis cujuſlibet prædictarum xj. eccleſiarum juxta poſſibilitatem cujuſque eccleſiæ, ſingulis annis per præfatum ſacriſtam & ſucceſſores ſuos inperpetuum nomine elemoſinæ diſtribuendam. Ordinavit inſuper ut unuſquiſque dictorum xij. miniſtrorum, quos de novo canonicos appellari decrevit, horis nocturnis pariterque diurnis in præfata capella jugiter exiſtens ſingulis diebus iij. denarios præter proventus præbendæ ſuæ prius inſtitutæ, de burſa ſacriſtæ perciperet. Ordinavit præterea, quod præter xij. canonicos prædictos duo eſſent in eadem capella ſacerdotes ſingulis diebus in perpetuum pro defunctis celebrantes, ſimiliterque duo diaconi & duo ſubdiaconi ſacerdotibus in dicta capella celebrantibus jugiter miniſterium devotum exhiberent. Et ut ipſi duo ſacerdotes, duo diaconi, & duo ſubdiaconi tanto diligentius miniſtrarent quanto uberius remunerarentur, ſtatuit ut unuſquiſque dictorum duorum ſacerdotum quinque marcas, unuſquiſque duorum diaconorum tres marcas & unuſquiſque duorum ſubdiaconorum duas marcas & dimidiam annuas pro ſtipendiis de burſa ſacriſtæ perciperet. Facta eſt autem hæc ordinatio ſecunda iv. nonas Maii anno Domini M. CC. lviij. Vixit autem *Sewallus* in archiepiſcopatu annis ij. quibus exactis obiit vj. idus Maii, anno archiepiſcopatus ſui ſecundo, anno Domini ſupradicto, regni vero regis *Henrici* tercii xlij. & in eccleſia beati *Petri Eboraci* honorifice ſepultus eſt.

De Godefrido *archiepiſcopo*.

Triceſimus quintus defuncto *Sewallo* ſucceſſit *Godefridus* de *Ludham* eccleſiæ *Eboracenſis* decanus, qui in curia *Romana* ix. kal. Octobris anno Domini M. CC. lviij. conſecratus eſt ab *Vrbano* iv. Hic anno pontificatus ſui tertio civitatem *Eboracenſem* ſuppoſuit interdicto, quod duravit à principio quadrageſimæ uſque ad feſtum inventionis ſanctæ Crucis proximo ſequens. Vixit autem in epiſcopatu annis vj. menſibus iij. diebus vero xviij. quibus completis, obiit ij idus Januarii anno pontificatus ſui vij. & anno Domini M. CC. lxiv. Regni vero regis *Henrici* tertii xliv. & in eccleſia beati *Petri Eboraci* ſepelitur. Quo ut præmittitur defuncto, *Willielmus* de *Langton* ejuſdem eccleſiæ canonicus & decanus circa feſtum ſancti *Gregorii* electus eſt, cujus electio ratione pluralitatis beneficiorum eccleſiaſticorum caſſata fuit in curia *Romana*, cum tamen non haberet niſi unam eccleſiam cum decanatu *Eboracenſi*.

De Waltero Giffard *archiepiſcopo*.

Triceſimus ſextus *Eboracenſem* rexit eccleſiam *Walterus Giffard*. Hic autem idibus Octobris anno Domini M. CC. lv. regni vero regis *Henrici* tercii xlix. ab eccleſia *Badonenſi* & *Wellenſi* ad archiepiſcopatum *Eboracenſem* tranſlatus, in feſto omnium Sanctorum intronizatus eſt tempore *Clementis* iv. Vixit autem in archiepiſcopatu *Eboracenſi* xj. annis, menſibus vj. diebus xxiij. Quibus tranſactis, obiit iij. kal. Maii anno archiepiſcopatus ſui xij. & Dominicæ incarnationis M.CC.lxxvij. regni vero *Edwardi* filii regis *Henrici* quinto. Cujus corpus in eccleſia beati *Petri Eboraci* cum honore traditum eſt ſepulturæ.

De ſancto Willielmo Wykwane *archiepiſcopo.*

TRiceſimus ſeptimus ſuſcepit regimen *Eboracenſis* eccleſiæ *Willielmus Wykwane* canonicus & ejuſdem eccleſiæ cancellarius. Hic in feſto ſancti *Albani* anno Domini M.CC.lxxix. electus, xiij. kal. Octobris proximo ſequenti in curia *Romana* conſecratus eſt à papa *Nicholao* iij. Cujus venerabili miniſterio cooperantibus xj. epiſcopis qui convenerant tranſlatio ſanctiſſimi confeſſoris *Willielmi* quondam *Eboracenſis* archiepiſcopi ſolempniter in eccleſia *Eboracenſi* facta eſt die Dominico v. idus Januarii anno Domini M. CC. lxxxiij. pontificatus vero ipſius patris *Willielmi* iv. regni autem *Edwardi* filii regis *Henrici* tertii xj. Et notandum quod annus iſte in quo tranſlatio ſancti *Willielmi* facta fuiſſe memoratur extitit biſexilis, à kal. enim Januarii uſque ad locum biſexti qui eodem anno contigit, *B* litera dominicalis habebatur, poſt biſextum abjecta *B*, *A* litera dominicalis reſiduo anni tempore permanſit, & per conſequens patet ipſam tranſlationem iv. die ab Epiphania utroque die computato, non tercio ut quidam volunt, eſſe completam. Hujus itaque glorioſi *Willielmi* confeſſoris tranſlationem nobilis vir *Antonius de Bek* electus ad regimen epiſcopatus *Dunelmenſis*, cum eſſet ejus electio confirmata diligenter procuravit & omnes expenſas impendit, ſicut magiſter *Thomas* frater ejus circa tranſlationem ſancti *Hugonis* epiſcopi *Lyncolnienſis* prius fecerat. Eodem vero die tranſlationis ſancti confeſſoris *Willielmi Eboracenſis* archiepiſcopi, idem *Antonius* præſente domino rege *Edwardo*, & regina *Elianora* & majori parte magnatum totius *Angliæ* qui tranſlationi interfuerant, per manus ſancti patris *Willielmi Eboracenſis* archiepiſcopi in eccoleſia beati *Petri Eboraci* epiſcopus *Dunelmenſis* eſt conſecratus. Idem etiam venerabilis pater *Willielmus* ſumma devotione illuſtratus maximam partem eccleſiarum ſuæ diœceſis ad honorem cultus divini ampliandum ſuo tempore dedicavit. Functus eſt archiepiſcopatu quinque annis & dimidio. Quibus expletis, ceſſit pontificatui & in partes tranſmarinas ſeceſſit. Et cum veniſſet *Pontiniacum* gravi infirmitate aliquanto tempore vexatus & uſque ad extrema perductus, in domino feliciter obdormiens vitam finivit. Obiit autem idem venerabilis pater *Willielmus* apud *Pontiniacum* vij. kalend. Septembris anno pontificatus ſui vj. & anno Domini M.CC.lxxxv. regni vero regis *Edwardi* xiij. & in eccleſia monaſterii *Pontiniacenſis* cum honore tanto patri debito ſepultus eſt; ubi per ejus merita divina pietas plurima operatur miracula.

De Johanne *dicto* Romano *archiepiſcopo.*

TRiceſimus octavus ſucceſſit *Willielmo Johannes* dictus *Romanus* eccleſiæ *Eboracenſis* canonicus. Hic autem iv. kalend. Novembris anno Domini M.CC.lxxxv. electus iv. idus Februarii proximo ſequenti à papa *Honorio* quarto in curia *Romana* conſecratus eſt. Hujus pater *Johannes* genere *Romanus Eboracenſis* eccleſiæ Theſaurarius & canonicus partem crucis eccleſiæ beati *Petri Eboraci* borialem, quæ ſe extendit verſus palatium archiepiſcopi, & egregium campanile in medio crucis ejuſdem eccleſiæ erectum ſumptibus ſuis propriis conſtruxit. Hic etiam domum illam præcipuam infirmariæ pauperum hoſpitalis ſancti *Petri Eboraci*, in qua viri à mulieribus ſegregati converſantur. ſumptibus ſuis propriis pro majore parte conſtruxiſſe, & alia multa pietatis opera feciſſe memoratur. Hic itaque venerabilis præſul *Johannes* ſuper omnes prædeceſſores & ſucceſſores ſuos *Eboracenſis* eccleſiæ archiepiſcopos dapſilis, munificus & in retinendis militibus honorabilis incomparabiliter exiſtens, honorem eccleſiæ cui præfuit & gloriam in omnibus quærebat & laudabiliter in manu tenebat. Hujus pontificatus anno quinto in feſto ſancti *Barnabæ* apoſtoli *Henricus de Newerk* inſtallatus fuit in decanatu eccleſiæ beati *Petri Eboraci*. Hujus etiam pontificatus anno vj. anno vero Domini M. CC. xc. in craſtino animarum exulati fuerunt *Iudæi* à regno *Angliæ*, & hoc eodem die per totam *Angliam*. Eodem autem anno pontificatus dicti patris *Johannis* & anno Domini M. CC. xcj. ſcilicet viij. idus Aprilis, ſcilicet die veneris proxima poſt Dominicam qua cantabatur *Lætare Jeruſalem*, inchoatum fuit fundamentum navis majoris eccleſiæ beati *Petri Eboraci* à parte *Auſtrali* ad orientem, præſentibus præfato *Johanne* archiepiſcopo, *Henrico de Newerk* ejuſdem eccleſiæ decano, *Petro de Ros* præcentore, & aliis canonicis ipſius eccleſiæ tunc reſidentibus. In cujus operis fundamento idem archiepiſcopus invocata Spiritus ſancti gratia lapidem primarium eadem die propriis manibus devotiſſime collocavit. Vixit autem in archiepiſcopatu annis decem, menſe uno & fere j. die, quibus completis obiit in manerio ſuo apud **Burton** prope *Beverlacum* die Dominica prima in paſſione Domini v. idus Marcii ad veſperam, anno pontificatus ſui xj. & anno Domini M.CC.xcv. regni vero *Edwardi* filii regis *Henrici* xxiij. & die ſabbati ſequenti in eccleſia beati *Petri Eboraci* honorifice ſepultus eſt.

De Henrico de Newerk *Eboracenſi archiepiſcopo.*

TRiceſimus nonus præfuit *Eboracenſi* eccleſiæ *Henricus de Newerk* qui fuit ejuſdem eccleſiæ decanus. Hic nonis Maii anno Domini M.CC.xcvj. electus miſſis ad curiam *Romanam* procuratoribus ſuis impetravit gratiam & licentiam conſecrandi à papa *Bonefacio* iv. in eccleſia *Eboracenſi*, & ſic viij. kal. Julii anno Domini M. CC. xcviij. per manus Domini *Antonii Bek* Dunelmenſis epiſcopi in eccleſia *Eboraci* conſecratus eſt. Vixit autem in archiepiſcopatu uno anno, ebdomadibus vij. diebus iij. Et obiit in feſto aſſumptionis beatæ *Mariæ* anno pontificatus ſui ſecundo, Dominicæ vero incarnationis M. CC. xcix. regni autem *Edwardi* regis filii *Henrici* anno xxvij. & in eccleſia *Eboraci* ſepultus eſt.

De Thoma de Corbrig *archiepiſcopo.*

QUadrageſimus autem *Eboracenſis* eccleſiæ ſortitus eſt regimen *Thomas de Corbrygge* ejuſdem eccleſiæ canonicus & cuſtos capellæ ſancti ſepulcri *Eboraci*, ſacræ theologiæ doctor egregius, & non ſolum theologiæ, immo quod raro uni mortalium accidit, omnium artium liberalium profeſſor extitit incomparabilis. Qui prius officio cancellariæ in eccleſia *Eboraci* longo tempore functus eſt.

Poſtmodum reſignata cancellaria cuſtos & ſacriſta præfatæ capellæ ex collatione venerabilis in Chriſto patris *Johannis* dicti *Romani Eboracenſis* archiepiſcopi fuerat effectus. Hic itaque *Thomas* ij. idus Novembris anno ſupradicto electus in paſtorem, curiam petiit *Romanam*, ubi tercio kal. Marcii eodem anno conſecratus eſt à Papa *Bonifacio* viij. Quo quidem conſecrato, dominus Papa cuſtodiam dictæ capellæ uni ex clericis propriis conſanguinitate ſibi propinquo eo quod in curia vacabat indilate conceſſit. Nec multo poſt per mortem dicti clerici dicta capella vacavit. Qui cum adhuc vivens in extremis jam conſtitutus jaceret velut exanimis, reſumpto tamen ſpiritu vocavit ad ſe dominum Papam, dicens ſe pro capella *Eboracenſi* eo quod proventus ejus inutiliter expenderat inmenſa meruiſſe ſupplicia; unde dominum Papam ſuppliciter rogavit pro ſalute animæ ſuæ, quatinus cuſtodiam dictæ capellæ alicui diſcreto corporalem in ea reſidentiam facturo concedere dignaretur. Nec mora, idem dominus Papa per literas mandavit *Thomæ Eboracenſi* archiepiſcopo, quatinus cuſtodiam dictæ capellæ alicui excellenti theologo quem ipſemet duceret eligendum quamtocius conferret. At ille mandatis obtemperans apoſtolicis, ipſam capellam magiſtro *Gilberto de Segrave* egregio ſacræ theologiæ doctori *Lyncolnienſis* eccleſiæ canonico contulit, & ipſum in eandem inſtituit. Hiis peractis, rex *Edwardus* filius regis *Henrici* archiepiſcopum pluries rogavit, quatinus ipſam capellam *Johanni Buſh* notario ſuo conferre non negaret. Inter hæc vero archiepiſcopus ſuper collatione ejuſdem capellæ penes regem ſe ſæpius excuſavit, aſſerens ipſam virtute mandati apoſtolici fuiſſe collatam & plenam exiſtere. Quocirca rex iratus tres baronias archiepiſcopatui *Eboracenſi* ex antiquo collatas & eidem annexas poſt multas perſecutiones & irrogatas archiepiſcopo injurias ſeiſiri fecit, & eas uſque ad obitum archiepiſcopi in manu ſua tenuit. Quo infra breve defuncto, ſedeque vacante, decanus & capitulum eccleſiæ beati *Petri Eborac.* ad inſtantiam domini regis expulſo dicto magiſtro *Gilberto* cuſtodiam dictæ capellæ præfato *Johanni* contulerunt, ac ipſum in eadem inſtituerunt. Vixit autem venerabilis pater *Thomas* in archiepiſcopatu annis tribus menſibus vj. diebus vero x. Quibus tranſactis obiit apud **Lanum** x. kal. Octobris anno pontificatus ſui iv. Dominicæ incarnationis M.CCC.iij. regni autem regis *Edwardi* filii regis *Henrici* xxxj. & in eccleſia collegiata **Suthwell** *Eboracenſis* dioceſis ſepultus eſt.

De Willielmo de Grenesfeld *Eboracenſi archiepiſcopo.*

Quadrageſimus primus *Eboracenſis* eccleſiæ curam ſuſcepit regendam *Willielmus de Grenesfeld* ejuſdem eccleſiæ canonicus ac domini regis *Edwardi* filii regis *Henrici* cancellarius, vir quidem eloquentia, conſilio & curialitate præclarus. Hic autem *Willielmus* die Veneris ij. non. Decembris anno Domini M.CCC.iij. à fratribus ſuis *Eboracenſis* eccleſiæ canonicis in paſtorem canonice electus curiam apoſtolicam cauſa conſecrationis expetiit: ubi cum ij. annis moram feciſſet continuam iij. kal. Febr. anno Domini M.CCC.v. Regni vero præfati regis *Edwardi* xxxiij. à domino Papa *Clemente* quinto, pontificatus ipſius domini Papæ anno primo *Lugduni* conſecratus eſt. Hujus pontificatus anno ij. Fratres militiæ templi *Jeroſolomitani* per totam *Angliam* conſtituti ſunt uno eodemque die, hoc eſt iv. idus Januarii, de mandato domini Papæ *Clementis* ad inſtantiam domini Regis *Francorum*, prout dicebatur, generaliter comprehenſi, artæ cuſtodiæ *Londoniæ* & *Eboraci* ſunt deputati. Facta interim tam *Eboraci* quam *Londoniæ* ſolempni examinatione articulorum per æmulos ſuos eis objectorum, coram venerabilibus patribus *Willielmo Eboracenſi* archiepiſcopo & *Radulpho de Baldok Londonienſi* epiſcopo ad hoc per dominum Papam ſpecialiter deputatis, præſentibus ipſis Templariis & ad omnia eis objecta convenienter reſpondentibus; quamvis in multis eſſent accuſati, nichil tamen inventum eſt quod de jure videretur ſtatum illorum anullare. Poſtmodum vero idem dominus Papa collecto *Vyennæ* concilio generali anno pontificatus ſui vij. & anno Domini M.CCC.xij. qui eſt annus pontificatus præfati patris *Willielmi* vij. die Lunæ iij. die Aprilis commiſſa via proceſſus Judiciarii de fratrum quorundam conſilio & aliorum aſſidentium ordinem illius militiæ templi celeberrimum auctoritate apoſtolica damnavit, caſſavit & perpetuo anullavit. Inſuper inhibuit nequis de cætero dictum ordinem ingrederetur, nec profeſſionem in eo faceret, nec habitum illius ordinis deferret vel reciperet ſub pœna excommunicationis majoris, quam ſi quis in aliquo contraveniret ipſo facto incurret. Huic autem concilio interfuit idem archiepiſcopus *Willielmus*, qui à domino Papa maximo cum honore ſuſceptus primus & præcipuus poſt Cardinales & poſt *Treverenſem* archiepiſcopum domino Papæ aſſidebat. Deleto itaque præfato ordine fratres hoſpitalarii ſancti *Johannis* poſſeſſiones eorum pro majori parte adepti, uſque in præſentem diem occupant. Archiepiſcopus *Willielmus* pietate motus ſuper ſtatu Templariorum ſuæ dioceſis omni auxilio deſtitutorum, eos in diverſa ſuæ dioceſis inſtituit monaſteria, eiſque ſuo perpetuo vitæ neceſſaria miniſtrari præcepit. Vixit autem in archiepiſcopatu venerabilis pater *Willielmus* ix. annis menſibus xj. diebus ij. qubus completis obiit apud **Kawode** die ſabbati viij. idus Decembris anno pontificatus ſui x. Dñicæ vero incarnationis M.CCC.xv. regni vero regis *Edwardi* filii regis *Edwardi* viij. & in eccleſia beati *Petri Eboraci* in porticu ſancti *Nicholai* cum honore tanto patri congruo ſepultus eſt.

De Willielmo Melton *archiepiſcopo.*

Quadrageſimus ſecundus *Eboracenſis* eccleſiæ regimen ſortitus eſt *Willielmus de Melton* ejuſdem eccleſiæ canonicus ac *Beverlacenſis* eccleſiæ præpoſitus. Hic in feſto ſanctæ *Agnetis* anno Domini M. CCC. xv. à fratribus ſuis concanonicis ad inſtantiam domini Regis in paſtorem electus curiam *Romanam* conſecrandus expetiit: ubi cum aliquantam feciſſet moram, contigit ſedem apoſtolicam per mortem domini papæ *Clementis* quinti ad tempus vacare; cui ſucceſſit *Johannes* xxij. archiepiſcopus *Rothomagenſis*, qui conſecratus eſt in feſto decollationis ſancti *Johannis Baptiſtæ* anno Domini M. CCC. xvij. Cum autem præfatus *Eboracenſis* electus moram continuam in curia *Romana* cauſa conſecrationis traxiſſet fere per biennium, die Dominica vij. kal. Octobris anno ſupradicto, regni vero regis *Edwardi* filii regis *Edwardi* x. à præfato papa *Johanne Avinione* conſecratus eſt. Patriam vero ante

Adventum Domini rediens, in eodem Adventu primo ſcil. apud *Beverlacum*, deinceps omni tempore anni debito, ita quod ſæpiſſime quinquies per annum in propria perſona, quandoque per ſuffraganeos vel aliquos admiſſos, ordines celebrans, ſacerdotes multos ordinatos quoad vixit multiplicavit. Dominica itaque ſexageſimæ proximo ſequenti, videlicet xvij. kal. Marcii civitatem *Eboracum* ingrediens, & per tres dies convivium lautiſſimum in palatio continuans ſolempniter intronizatus eſt, honeſte ſemper vivens & caſtimoniam præcipuam ſervans, magnam familiam & hoſpitalitatem adunavit, ac incomparabiliter adunatos reficiens, omnes ſuos bis in anno veſtivit. Parcus ſibi, egenis & præcipue religioſis tam mendicantibus quam aliis largus extitit. Corpus proprium vigiliis & jejuniis edomans, hora valde matutinali ſingulis diebus quamquam ſuis ſæpius remurmurantibus ad horas canonicas non ſegniter ſurgens perſolvendas, cum ſuis, divinis officiis continue intendens, labore nunquam ſatiatus ſuos redegit ſæpiſſime fatigatos. Pauperum amator & protector, onera, amerciamenta in curia ſua per ſeneſcallos ſuos tenentibus ſuis impoſita, firmas & debita egenis & inopibus multociens relaxavit vel omnino condonavit. Ad omnia epiſcopalia opera ſemper promptus erat facienda. Pueros ubique confirmavit. Infirmos libenter viſitans, & abſolvens corpora defunctorum omnium quamvis hoſtiatim egentium, ad abſolvendum ſibi oblata vehiculo deſcendens ſemper & ubiq; acceptis ſtola & libro prompta abſolvebat devotione. Primus omnium pontificum *Eboracenſium* prolixam decani & canonicorum controverſiam habitam, ſub forma compoſitionis à dño papa *Iohanne* xxij. confirmatæ xxiij. die Feb. [terminavit.] An. Dñi M. CCC. xxviij. & pontificatus ſui xij. capitulum *Eboracenſis* eccleſiæ legitime viſitavit, pluraq; commoda dignitati archiepiſcopatus acquiſivit & addidit. Hic ſemper ſapiens & habundans divitiis, ſeverus in corripiendo rebellos & contumaces, benignus humilibus, & familiaris ſemper exiſtens. Regi patri & filio, cujus quandoque Cancellariæ, quandoque Theſaurariæ functus eſt officio, & aliis terræ proceribus per ſua bona tam ex mutuo quam ex dono ſæpiſſime in maximis ſubveniebat negotiis, omnes conſanguineos & alios ſibi ſervientes promovens, ſæpiuſque donis profluis ſublevabat. Dominium vero, terras & redditus de **Kyngeſkyllum** et **Kyngeſcler**, **Wentworth**, per licentiam prædicti *Johannis* papæ de manibus epiſcoporum *Normannorum* eccleſiæ *Rothomagenſis* per multa tempora poſſeſſas redimens, filio fratris ſui defuncti & hæredibus ſuis aſſignavit. Tumbam vero ſancti *Willielmi* ſumptibus xx. librarum renovabat. Occidentalem partem navis eccleſiæ beati *Petri Eboraci* DCC. libris argenti appoſitis conſummabat. Locum in *Eboraco* qui dicitur Vetus ballium primo ſpiſſis & longis xviij. pedum tabulis; ſecundo, lapideo muro fortiter includebat. Viginti duobus annis, menſibus quinque, diebus xx. accepti epiſcopatus terminatis vitam apud **Cawode** v. die Aprilis finiens in eccleſia *Eboracenſi* ad fontem ſepultus eſt.

De Willielmo la Souche *Eboracenſi archiepiſcopo.*

Quadrageſimus tercius magiſter *Willielmus le Souche* tunc decanus ad ſecundam diem menſis Maii tunc proximo ſequentis, videlicet anno Domini M.CCC.xl. facta canonicorum convocatione, à majori parte eorum in archiepiſcopum electus eſt. Curiamque *Romanam* apud *Avinionem* tunc exiſtentem petens, poſt longam habitam controverſiam in eadem curia ex parte domini *Willielmi de Kyllesby* ad ſuggeſtionem & preces domini *Edwardi* regis tercii poſt conqueſtum regni *Angliæ* à quibuſdam canonicis expetiti, tranſacto biennio vj. die menſis Julii à papa *Clemente* vj. ibidem conſecratus eſt. Anno Domini M. CCC. xlvj. & pontificatus ſui anno iv. cuſtos aquilonalis partis *Angliæ* factus, domino *Edwardo* rege *Angliæ* tunc in *Francia* agente, cum Comitibus & Baronibus ſuis & alia plebe perplurima, prædictus archiepiſcopus cum dominis *Mowbray*, *Percy*, *Nevill*, & vicecomite *Eboracenſi* colligens exercitum, juxta civitatem *Dunelmenſẽ Scotos* devicit, capto *David Bruis* rege eorum cum aliis Comitibus, Baronibus, & militibus multis, interfectiſq; tribus Comitibus *Murref*, *Gotherland*, *Levenar*, & aliis pluſquam nongenta armatorum xvij. die menſis Octobris. Hujus igitur tempore videlicet anno Dñi M.CCC.xlviij. incepit mortalitas hominum in *Anglia* circa feſtum ſancti *Michaelis* archangeli. Poſtea circa feſtum natalis Domini vij. die à nativitate Domini erat inundatio *Uſæ* ita quod extenderet finem pontis verſus **Mikelgate** uſque ad quadrivium. Et poſt hæc circa aſcenſionem Domini incepit mortalitas in civitate *Eboraci*, quæ violenter duravit uſque ad feſtum ſancti *Jacobi* apoſtoli. Hujus vero tempore fuit annus Jubileus. Anno vero xj. pontificatus ſui videlicet anno Domini M.CCC.lij. & regni regis *Edwardi* tercii poſt conqueſtum xxvj. graviſſimo morbo diutiſſime laborans opus cujuſdam capellæ contiguæ eccleſiæ beati *Petri Eboraci* in parte auſtrali inchoari fecerat in qua diſpoſuerat ſepeliri, ſed ante conſummationem ejus vitam finivit in Domino, viz: xiv. kal. Auguſti. Sepultuſque fuit in eccleſia prædicta vj. idus Auguſti coram altari ſancti *Edwardi* regis & confeſſoris. Sepulcrumque ejus diu poſtea pavimento lapideo jacuit coopertum, in argumentum magnitudinis parentum ſuorum & aliorum quibus eximius dum vixit extiterat benefactor.

De magiſtro Johanne de Thuresby *Eboracenſi archiepiſcopo.*

Quadrageſimus quartus Mr *Iohannes Thuresby* vir venerabilis & honeſtæ converſationis, primo *Menevenſis* epiſcopus conſecratus, poſtea ad epiſcopatum *Wygornenſem* tranſlatus, dñi regis *Edwardi* tertii poſt conqueſtum Cancellarius factus, demum à capitulo *Eboracenſi* in archiepiſcopum poſtulatus *Eboracenſis* eccleſiæ curam regendæ ſuſcepit: hic domini regis *Edwardi* tertii poſt conqueſtum hortatu, procerumque regni *Angliæ* conſilio, & maxime mutuæ charitatis ac humilitatis affectu ductus, cum *Cantuarienſi* archiepiſcopo concordabat pro cruce ſua deferenda infra *Cantuarienſem* dioceſin ſine capituli ſui *Eboracenſis* aſſenſu. Poſtquam vero præſul prædictus pallium ſuum à *Romano* papa ſibi deſtinatum ſuſcepiſſet, & licentiam ad archiepiſcopatum ſuum *Eboracenſẽ* tranſeundi à dño rege precibus humilimis optinuiſſet, gregem ſuum ut paſtor bonus viſitare diſpoſuit, omni cura ſeculari poſtpoſita. Cum vero prope *Eboracum* veniſſet, in feſto nativitatis beatæ *Mariæ* Virginis, à clero & populo honorifice ſuſceptus eſt, & eodem die in ſua ſede *Eboracenſi* intronizatus eſt. Anno Dñi M.CCC.liv.

&

& pontificatus ſui *Eboracenſis* anno tertio. Idem vero archiepiſcopus lites & contentiones ubiq; delevit, & præcipue magnam litem motam in curia domini regis, apud *Weſtmonaſterium*, inter cives ſuos *Eborac.* & abbatem & conventum monaſterii beatæ *Mariæ Eborac.* prudenter proſtravit, eoſque benigne paternali affectione concordavit. Omnia quidem opera epiſcopalia diligentiſſime exercuit, & ſingulis diebus hora matutinali clericos ſuos in capella ſua præveniens, ad horas canonicas perſolvendas, diviniſque officiis continue intendens, & labore nunquam ſatiatus, ſuos multotiens redegit ſudoribus fatigatos. Anno igitur pontificatus ſui x. viz. iij. calend. Auguſti, novi chori ſuæ eccleſiæ beati *Petri Eborac.* fabricam inchoavit, communi capituli ſui aſſenſu, quam in primi poſitione lapidis centum marcis de ſuo proprio datis dotavit, & ſic poſtea annuatim dum vixit, fabricæ prædictæ ducentas libras perſolvebat. Et ut operi prædicto ſubvenire devotionem fidelium ardentius excitaret, omnibus ejuſdem fabricæ benefactoribus, indulgentias largiſſimas à ſanctiſſimis patribus Apoſtolicis conceſſas, ſua petitione impetravit, & ad remedium animarum ſuorum ſubjectorum & aliorum quorumcunque manum adjutricem præbentium, cum propriis indulgentiis & benedictione miro affectu illas participavit. Idem vero archiepiſcopus ut verus amator Virginis capellam ejuſdem dei genitricis & virginis *Mariæ* mirabili artis ſculptura, atque notabili pictura peregit. Ibique plurimorum venerabilium pontificum prædeceſſorum ſuorum corpora à choro ſuperius tranſlata, propriis expenſis fecit tumulari, & ibidem pro anima ſua & animabus omnium fidelium defunctorum capellanum pro ſuo perpetuo celebraturum conſtituit. Quem quidem capellanum ſuoſque ſucceſſores habitum perſonalem in eccleſia cathedrali prædicta geſtaturum, ad perpetuam ejus memoriam compoſuit, domos & poſſeſſiones de ſuo proprio acquiſitas, perpetuam eleemoſynam prædicto Presbytero & ſucceſſoribus ſuis pro ſuo perpetuo contulit duraturas. Vixit autem in ſuo archiepiſcopatu *Eborac.* xxj. annis xx. diebus, tranſiit autem de hoc mundo ad Dominum die Dominica in feſto ſancti *Leonardi* abbatis apud *Thorpum* juxta *Eboracum*. Sepultuſque eſt coram altari beatæ *Mariæ* Virginis in novo opere chori, die Jovis, in vigilia ſancti *Martini*, anno Domini M. CCC lxxiij. & regni regis *Edwardi* tertii poſt conqueſtum xlvij.

FINIS.

EPISTOLA RADULPHI ARCHIEPISCOPI *Cantuarienſis*, *Calixtô* Papæ miſſa, querentis de injuria ſibi & Eccleſiæ *Cantuarienſi* illata in conſecratione Archiepiſcopi, & cauſis Eccleſiæ *Eboracenſis*.

Reverendiſſimo domino & unice colendo patri ſummo pontifici Calixto, *& univerſæ ſanctæ & apoſtolicæ Eccleſiæ* Romanæ, Radulphus Cantuarienſis *Archiepiſcopus, & tota Eccleſia* Cantuarienſis *in Domino ſalutem & debitam ſubjectionem.*

Quoniam exigentibus malis noſtris nova quidem temporibus his eccleſiæ *Cantuarienſi*, & ab exordio Chriſtianitatis *Anglorum* inaudita ſubintravit adverſitas: alio modo jam quam prior uſus erat, veſtræ majeſtatis alloqui præſumimus excellentiam, O beatiſſime domine & unice colende pater! Cogimur namque ad querelas. Viderit Deus cauſam eccleſiæ ſuæ, qui mutat & ordinat omnia prout ipſe novit. Siquidem ex quo beatus pater *Gregorius* ſanctum & venerabilem virum *Auguſtinum* ad prædicandum populis *Anglorum* deſtinavit, in conſuetudinem religionis devenit; quatenus apoſtolica ſedes quicquid dignitatis, primatus, & privilegii catholico & canonico more decebat, eccleſiæ *Cantuarienſi* impenderet; & eccleſia *Cantuarienſis* quicquid humilitatis, ſubjectionis & fidei Chriſtiano & eccleſiaſtico jure decebat, Apoſtolicæ ſedi perpetua ſtabilitate referret. Id firmum & illibatum ſervatum eſt, excepto quod *Stigandus* quidem hujus ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ contra canonicam & propriam conſuetudinem præſulatum invaſit, qui tempore *Alexandri* ſecundi papæ aſſiſtentibus Cardinalibus ab apoſtolica ſede directis in *Wintonienſi* urbe accuſatus, convictus & depoſitus, à ſuperba temeritate deſivit. Præter hunc neminem *Cantuarienſium* epiſcoporum contra ſedem apoſtolicam quicquam invaſiſſe vel præſumpſiſſe hiſtoria, vel memoria didicimus; unde recte & pulchre actum eſt, ut quingentis jam & eo amplius annis, quicquid prima & ſumma apoſtolicæ ſedis authoritas ad catholicæ fidei veritatem confirmandam, ad ſanctæ & univerſalis eccleſiæ pacem obſervandam, vel ad bonorum morum honeſtatem dilatandam in poſteros derivaret: id totum ſancta *Cantuarienſis* eccleſia inviolate cuſtodiens per omnes *Britanniarum* partes inter ſubditos prædicaret; & quis erit vel etiam noſtræ partis ſummus adverſarius qui infra tot annorum ſpatia aliud quicquam de noſtra eccleſia ſe didiciſſe audeat confiteri? Nempe, quod pace veſtra dictum iri potuerit, quis veterum hiſtoriarum noſtræ eccleſiæ ſeriem noſſe contendat, tam diutumam & æternam inter ſedem Apoſtolicam & eccleſiam *Cantuarienſem* reperit benevolentiam, ut non jam quaſi duas, id eſt, illam majorem & iſtam minorem, judicaverit: ſed quantum ad imperii & obedientiæ eandem attinet voluntatem illam & iſtam unam & eandem eſſe putaverit: facile namque inter Chriſtianorum animos juſtum imperium & voluntarium obediendi obſequium multorum comparat unitatem. Porro quod *Roma Cantuariæ*, id *Cantuaria* toti *Britanniæ* voluntate & beneficio miniſtravit. Unde igitur obſcuratum eſt aurum, & mutatus eſt color optimus? Aſtutia quippe & dilatione hominum pauculorum excellentia veſtra turbata eſt, & rumore novitatum tantæ diuturnitatis concordia cœpit pauliſper infirmata deficere; & niſi quia Deo permittente adeo potuit præſentium dierum malitia, indignum erat, ut dilatorum novitas tanta facilitate in noſtram graſſaretur injuriam, & Chriſtianæ pacis confunderet unitatem. Porro cum ſcriptum ſit, *Ne tranſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui*, irreligioſum eſt, ut epiſcopus *Eboracenſis* ultra pedem tendat novæ præſumptionis, quam eccleſiæ ſuæ facultas fuit & norma priſcæ conſuetudinis. Cæterum epiſcopo *Cantuarienſi* indebitum & æternæ ignominiæ dedecus erit, ſi de privilegiis eccleſiæ ſuæ quicquam diminuat, & unde juſte ab antiquo illam inveſtitam reperit, inertiæ ſuæ conſenſu diebus ſuis expoliari permittat. *Malo*, inquit beatus *Gregorius*, *qualibet adverſa pati, quam eccleſiam* Petri *temporibus meis degenerari.* Cum igitur *Paulus* dicat, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, nihil indebitum ab epiſcopo *Eboracenſi* epiſcopus *Cantuarienſis* expoſtulat, niſi ut ſibi canonicam ſubjectionis humilitatem debeat, quam anteceſſores ejus anteceſſoribus ſuis debuiſſe fideliter conſtat; unde beatus *Gregorius*, *Omnia*, inquit, *quæ antiquitas ſtatuit intemerata ſerventur*: nempe nulli ſapienti incognitum, cujus capitis membrum eſt, qui propriæ vanitate ſurreptionis alterius eccleſiæ juſtitiam deterit, & cui teſtamento Chriſtianæ inſtitutionis ſubjectus eſt, ei contra fas rectitudinis ſimilis eſſe contendit. Apoſtoli nimirum ſententia eſt, *Qui poteſtati reſiſtit*, *Dei ordinationi reſiſtit.* Hoc eſt igitur, hoc eſt (ſereniſſime pater) quod tota conqueritur eccleſia *Cantuarienſis*, quia, ſicut dictum eſt, in injuriam noſtram pauculorum hominum nova graſſatur importunitas: & locus qui eccleſiæ noſtræ hactenus beneficio aliquantulum habuit ſtatum religionis, in fine dierum juſticiæ noſtræ detrahit audacia propriæ adinventionis. Et certe non immerito moti ſumus, quia patriæ, ut ita dicam, extremus angulus in eccleſia Dei diſſenſionis intulit moleſtiam, & tam perpetuam eccleſiæ *Cantuarienſis* abolere nititur eminentiam. Quod ſi hucuſque ignorat *Eboraca*, quid jam per quadringentos & eo amplius annos utilitatibus ſuis *Cantuaria* contulit, vel quid ipſa *Cantuariæ* debuit, vix erit ut aſſertionibus noſtris credere velint; publicas & veteres gentis *Anglorum* hiſtorias relegant, tam *Eboracenſis* quam *Cantuarienſis* eccleſiarum privilegia inquirant, nec veritati quos non habet angulos inducant; quod ſi veterum patrum inſtitutis & literis non credunt, nec verbis noſtris credituri ſunt.

Miramur, inquiunt, quibus inſtitutis veterum gloriantur, præſertim cum beatus *Gregorius*, qui primus populis *Anglorum* Chriſtianitatis officium procuravit, & eccleſiarum noſtrarum leges & conſuetudines inſtituit in *Anglia*, duo pallia duas ſedes metropolitanas, *Lundonienſem* videlicet & *Eboracenſem*, duos archiepiſcopos ordinaſſe videatur, quibus poſt obitum *Auguſtini* hanc diſtinctionem imponit, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur: id ſane, ut videtur, intendens, ut non *Cantuaria* ſed *Lundonia* metropolis diceretur & eſſet; unde verum ſapientibus liquet, quia alterius metropolis tranſmutatio alteri non tranſlatæ, nec fuit, nec eſſe debuit priſcæ dignitatis ablatio. Sed *Cantuarienſis*, inquam, metropolis, nec ante illud decretum, nec poſt tranſlata fuiſſe reperitur, nil ergo noſtra intereſt quicquid inter *Londoniam* & *Eboracam* diſtinguitur, tantum ab utraque *Cantuaria* canonica reverentia teneatur: ſiquidem in eccleſiaſtica hiſtoria gentis *Anglorum* quam venerabilis *Beda* presbyter luculento & veriſſimo ſtylo deſcribit, luce clarius eſt, quia prædicante *Auguſtino* & ſociis ejus verbum Dei *Cantuariorum* populo, tam eorum rex quam idem populus, relicto gentilitatis ritu, unitati ſe ſanctæ Chriſti eccleſiæ credendo ſociavere; nec diſtulit rex quin etiam ipſis doctoribus ſuis locum ſedis eorum gradui congruum in *Dorobernenſi* metropoli ſua donaret, ſimul & neceſſarias in diverſis ſpeciebus poſſeſſiones conferret. Interea vir Domini *Auguſtinus* venit *Arelas*, & ibi juxta quod juſſa ſancti patris *Gregorii* acceperat, genti *Anglorum* ordinatur archiepiſcopus; reverſuſque inde *Britanniam*, jam non *Lundonienſis* ſed *Dorobernenſis* archiepiſcopus, miſit continuo *Romam Laurentium* presbyterum & *Petrum* monachum, qui beato pontifici *Gregorio* gentem *Anglorum* fidem Chriſti ſuſcepiſſe, ac ſe epiſcopum non *Lundonia* ſed *Dorobornia* factum eſſe referrent; ſimul & de eis quæ neceſſario videbantur quæſtionibus ejus conſulta flagitans. Nec mora, congrua quæſtioni reſponſa recepit, quæ etiam hiſtoriæ ſuæ *Beda* inſerere commodum duxit. Porro ſciendum quia tunc in *Lundonia* & finitima gente ejus, ſicut idem Hiſtoriographus memorat, necdum ad fidem converſa, principatum habebat non ipſe rex, ſed quidam nepos *Ethelberti* regis *Cantuariorum*, quamvis ſub poteſtate poſitus ejuſdem *Ethelberti*: at vero *Auguſtinus*, teſtante *Beda*, ubi in regia civitate ſedem epiſcopalem (ut prædiximus) accepit, recuperavit in ea, regio fultus adminiculo, eccleſiam quam inibi antiquo *Romanorum* fidelium opere factam fuiſſe didicerat, & eam in nomine ſancti Salvatoris ſacravit, atque ibidem ſibi habitationem ſtatuit, & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Revertentes igitur poſt hæc, qui, ſicut dictum eſt, *Romam* miſſi fuerant, retulerunt ſecum ad *Auguſtinum* illam famoſiſſimam beati patris *Gregorii* epiſtolam; in qua inter *Lundonienſem* & *Eboracenſem* epiſcoporum diſtinctionem ſæpe dictam feciſſe videtur, de cujus diſtinctionis intelligentia, ne quid dubium remaneret, *Johannes* Levita *Romanus* in vita beati *Gregorii* ad *Johannem* papam ita ſcribit dicens, *Miſit*, inquit, *beatus* Gregorius Auguſtino *pallium, jubens, ut ſub metropoli ſua* Cantiæ *duodecim epiſcopos ordinaret, ad* Lundoniam *&* Eboracam *ſingulos epiſcopos mitteret, qui duodecim ſub ſe nihilominus epiſcopos conſecrantes pallium ab apoſtolica ſede perciperent, & poſt* Auguſtini *obitum ipſe inter eos primus haberi debuiſſet qui primus conſecrari meruiſſet.* Juxta quam prudentis viri ſententiam nequaquam ſucceſſoribus *Auguſtini* beatus *Gregorius* debere ſubtrahi præſignavit quicquid primatus ſeu dignitatis illi ſicut ejuſdem gentis Apoſtolo apoſtolicæ ſedis authoritate conceſſit; nam & ipſum ab illo uſque in præſens inveſtitura *Cantuarienſium* epiſcoporum indeſinenter obtinuit. Denique in eadem epiſtola beatus *Gregorius* ita; *Ad* Eboracam; inquit, *civitatem te volumus mittere, quem ipſe judicaveris ordinandum: ita ut ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim epiſcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur:* At vero neque *Auguſtinus*, neque *Laurentius*, neque tertius ab *Auguſtino Mellitus Dorobernenſis* archiepiſcopus aliquem ad *Eboracam* deſtinavit ordinandum epiſcopum. Quartus autem ab eo *Juſtus Paulinum* antiſtitem conſecravit, & eum provinciæ *Eboracenſis* populis prædicatorem delegavit; de quo *Juſto* ſcire velim, an eum *Eboracenſes* erga ſe minoris fuiſſe dignitatis aſſeverent, quam *Gregorius Auguſtinum* fore decrevit, an ejuſdem qui fecit quod ille facere debuit, nec tamen fortaſſe potuit. Ni fallor, ejuſdem prorſus, inquient, quia nil impedit perſonarum diverſitas, ubi idem facit eadem & voluntas & poteſtas: ita tamen ut ſucceſſores *Paulini* itidem cenſerentur cum ſucceſſoribus *Juſti*, quales futuri eſſe decernuntur cum ſucceſſoribus *Auguſtini*. Habuit igitur vel unum *Auguſtinus* ſucceſſorem quem eccleſia *Eboracenſis* & habuit et habere debuit primatem.

Sed enim *Paulinus* gentem ad quam miſſus eſt à gentilitatis errore convertit, et ab apoſtolica ſede pallium ſuſcipiens, in *Eboraca* cathedram epiſcopalem inſtituit, epiſcopum tamen in provincia ſua neminem creavit. Ac deinde poſt hæc, defuncto *Juſto*, *Honorius* pro eo *Cantuarienſis* ſuccedit epiſcopus; turbatis itaque rebus *Northanhymbrorum*, cum nil alicubi præſidii niſi in fuga eſſe videret, *Paulinus* rediit ad matrem ſuam *Cantuarienſem* eccleſiam, atque ab *Honorio* archiepiſcopo multum honorifice ſuſceptus eſt. Quo in tempore *Roſenſis* eccleſia, quæ *Cantuaria* non ſolum magiſterio, verumetiam temporali dominio hucuſque ſerviebat; paſtorem minime habebat, ac per hoc curam ipſius præfatus *Paulinus* invitatione & præcepto *Honorii* archiepiſcopi ſuſcepit & tenuit, uſque dum & ipſe ſuo tempore ad cœleſtia regna cum glorioſi fructu laboris aſcendit. In qua eccleſia moriens, pallium quoque quod à *Romano* epiſcopo acceperat, reliquit. Quocirca ſimplicium auribus planum eſt, quia in omni primatu ſui ſimilem alterum habuit *Auguſtinus* ſucceſſorem, niſi forſan *Eboracenſes* dicant *Paulinum* ſuum interim non ſubjectum quamdiu ſuus, ſubjectum vero quia *Roſenſis* poſtmodum erat epiſcopus; ſane quicquid egit ſubjectionis prætendit indicium, & quod recepit eccleſiæ *Cantuarienſis* inſigne erat beneficium. Denique in tota illa hiſtoria venerabilis *Beda* presbyteri certum eſt, *Eboracam* nec fidei, nec religionis ullam habuiſſe conſtantiam niſi beneficio & gratia *Cantuarienſis* eccleſiæ, quippe quæ uſque ad hæc *Normannorum* tempora vix unquam clericos vel monachos inſtituit, nec in provincia ſua aliquem epiſcopum procreavit, neque ipſa ſuis etiam pontificibus ſepulturam procuravit. Interea poſt diſceſſionem. *Paulini* provincia *Northanhymbrorum* religione fluctuabat, & fide; quocirca rogatu Deo dilecti regis *Oſwaldi Scottorum* epiſcopi beatæ memoriæ *Aidanum* conſecratum antiſtitem in *Angliam* tranſmiſerunt, qui primus in *Lindisfarnenſi* inſula ſedem epiſcopalem accepit; tempore vero ſequenti, mutatis rebus qui tunc epiſcopus *Lindisfarnenſis* nunc dicitur & eſt *Dunelmenſis*, poſt quem itidem *Scotti* uſque ad quatuor viritim epiſcopos ad eandem inſulam direxerunt: de quibus *Scottis* prætereundum non eſt, quia juxta decretum beati patris *Gregorii* ſuffraganei erant *Cantuarienſis* archiepiſcopi; in illa namque ſæpe dicta epiſtola poſtquam de diſtinctione *Lundonienſis* & *Eboracenſis* epiſcopi unde movetur tanta contentio, ſatis actum eſt, Beatus *Gregorius* ad *Auguſtinum* ita ſubjungit dicens, *Tua vero fraternitas non ſolum eos epiſcopos quos ordinaverit, neque hos tantummodo qui per* Eboracæ *epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes* Britanniæ *ſacerdotes habeat, Deo Domino noſtro Jeſu Chriſto auctore ſubjectos*: & idem in reſponſionibus ad eundem ita, *In* Galliarum *epiſcopis nullam tibi auctoritatem tribuimus*, Britanniarum *vero omnes epiſcopos tua fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi perſuaſione roborentur, perverſi authoritate corrigantur. Britannias* ſiquidem appellat pluraliter propter diverſas ejuſdem inſulæ provincias & linguarum diviſiones. *Beda* namque cum *Britanniæ* qualitatem deſcriberet, *Hæc*, inquit, *inſula in præſenti juxta numerum librorum quibus lex divina ſcripta eſt, quinque gentium linguis unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſullimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur*, Anglorum *videlicet*, Britonum, Scottorum, Pictorum, & Latinorum, *quæ meditatione Scripturarum cæteris omnibus eſt facta communis.* Idem in tertio ejuſdem hiſtoriæ libro; *Denique*, inquit, *omnes nationes & provincias* Britanniæ *quæ in quatuor linguas, id eſt*, Britonum, Pictorum, Scottorum & Anglorum *diviſæ ſunt, in ditionem* Oſwaldus *accepit.* Et ſæpenumero idem in eodem volumine evidenter diſtinguit inter *Scottos* qui *Britanniam*, & illos qui incolunt *Hiberniam.* Epiſcopos igitur *Scotiæ* beatus *Gregorius* ſuffraganeos deputavit *Cantuarienſis* eccleſiæ, illos ſane duntaxat illa apoſtolicæ ſedis authoritate decernens, qui ante beati *Auguſtini* adventum in *Angliam* ab olim converſis *Britonibus* & *Scottis* inſtituebantur antiſtites, *De quibus*, ut ibi legitur, *plurimos* Auguſtinus *in exordio epiſcopatus ſui convocavit ad colloquium ſuum, fraterna admonitione ſuadens, ut pace Catholica ſecum habita, communem Evangelizandi gentibus pro Domino laborem ſuſciperent; qui cum longa diſputatione habita,* Auguſtino *& ſociis ejus aſſenſum præbere noluiſſent, tandem utriuſque partis concordia cæcus adducitur in medium, cujus illuminatione conjectum eſt vera eſſe quæcunque* Auguſtinus *aſtruebat: attamen illi nil horum quæ aſtruebantur ſe facturos, neque illum pro archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant: unde factum eſt ut minitante & prædicente* Auguſtino *ſua poſtmodum cum ſuis graviſſimam paterentur cenſuram perverſitatis, quia utiliter noluerunt obedire allegationibus veritatis.* Et de *Laurencio* ſucceſſore *Auguſtini* ita ſubſequitur, dicens. *Denique*, inquit, *non ſolum novæ quæ de* Anglis *erat collecta eccleſiæ curam gerebat, ſed & veterum* Britanniæ *incolarum necnon &* Scottorum *qui* Hyberniam *inſulam* Britanniæ *proximam incolunt, populis paſtoralem impendere ſollicitudinem curabat.* Quam viz. paſtoralis curæ ſollicitudinem nunquam poſtea *Cantuarienſis* eccleſia, tam univerſæ *Britanniæ* quam *Hyberniæ* beneficio ſimul & Primatu impendere ceſſavit, niſi modo quando à novis & omnium veterum acutiſſimis *Eboracenſis* eccleſiæ doctoribus omnia in aliud & melius corriguntur. Porro defuncto *Honorio, Deuſdedit* ſextus in epiſcopatum eccleſiæ *Dorobernenſis* accipitur: cujus in tempore vir quidam *Ceadda* nomine, magnæ & religioſæ ſimplicitatis in epiſcopatum eccleſiæ *Eboracenſis* eligitur; cumque *Doroberniam* conſecrandus adveniret, *Deuſdedit* archiepiſcopum jam migraſſe de ſeculo reperit; quapropter ad quendam illius ſuffraganeum qui ſolus in tota *Britannia* orthodoxus remanſerat, divertit, & ab eo conſecratus *Eboracum* rediit. Interea quoque, vacante *Dorobernia*, quidam *Wilfridus* à rege *Northanhymbrorum* electus, *Galliam* mittitur, & conſecratus *Angliam* revertitur: igitur tam rex *Cantuariorum* quam rex *Northanhymbrorum*, licet ipſe duos jam epiſcopos in provincia ſua conſecrari obtinuiſſet, *Britanniam* tamen totam à nuper accepta Chriſtiana religione vacillare timentes quia *Cantuaria* archiepiſcopum non haberet, pari conſenſu electum quendam presbyterum nomine *Wighardum* ad apoſtolicam ſedem conſecrandum direxerunt; qui apud *Vitalianum* papam optime ſuſceptus, ſuperveniente peſtilentia ibidem obiit peregrinus; quo defuncto, quidam magnæ virtutis monachus, *Theodorus* nomine, *Tharſo Ciliciæ* natus, tam lingua Græca quam Latina præditus, tam ſecularis philoſophiæ quam eccleſiaſticæ ſapientiæ gratia refertus, ab ipſo papa eligitur, conſecratur, & comitante eum *Adriano* abbate æque viro ſapientiſſimo, non ſolum *Doroberniæ*, ſed ſicut *Beda* ſæpenumero memorat, totius *Britanniæ* archiepiſcopus deſtinatur; cujus laudis vitæ & primæ dignitatis præconium, ſæpe dictus Hiſtoriographus eleganter exprimit dicens, *Ut enim*, inquit, *breviter dicam, tantum profectus ſpiritualis tempore præſulatus illius* Anglorum *eccleſiæ, quantum nunquam ante potuere ceperunt: neque unquam prorſus ex quo* Britanniam *petierunt* Angli *feliciora fuerunt tempora, dum & fortiſſimos Chriſtianoſque habentes reges cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœleſtis regni gaudia penderent, & quicunque lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberent in promptu magiſtros qui docerent.* Pervenit igitur *Theodorus* ad eccleſiam ſuam non aliunde ſed ab apoſtolica ſede directus, comitante *Adriano* (ſicut *Beda* refert) *Qui cooperator exiſtens diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati, fidei & eccleſiæ Græcorum more in eccleſiam cui praeſſet introduceret: moxque peragrata inſula tota quaquaverſum* Anglorum *gentes morabantur (nam & libentiſſime ab omnibus ſuſcipiebatur & audiebatur) rectum vivendi ordinem tam clero quam populo diſſeminabat, quæque erant mutanda mutabat, quæ corrigenda corrigebat, cujus primatu & doctrina tam eccleſiæ ſtatus quam epiſcoporum numerus proficiebat; iſque erat primus in archiepiſcopis* Doroberniæ, ſicut *Beda* ejuſdem verbis teſtatur, *cui omnis* Anglorum *eccleſia manus dare conſentiret.* Ubi tunc *Eboracenſium* hæc nova & admirabilis induſtria quæ jam in noviſſimis diebus male molitur eripere quod jam eccleſia *Cantuarienſis* per quadringentos & eo amplius annos inviolate meruit poſſidere, nec hiſtoria docet, nec memoria tenet: quando per tam diuturnum ſpatium primatu ſuo eccleſia *Cantuarienſis* exuta fuiſſe dicatur, niſi modo quando *Eboracenſium* novitas in noſtram injuriam vehementer & proſpere elevatur: vel beati *Gregorii*, vel ſacrorum canonum authoritate didicimus, quia quicquid altera eccleſia ſaltem per triginta vel quadraginta annos illibate meruit obtinere, alterius poſtmodum eccleſiæ improbitate non debeat amittere; nobis autem omnium miſerrimis nec quadragintorum annorum poterit quicquam diuturnitas ſubvenire: fatendum plane eſt quia juxta prophetam pertranſierunt multi, & novorum *Eboracenſium* multiplex eſt ſcientia, ſi voluerint fateantur, & acclament quia illorum ſumus, quia eccleſia *Cantuarienſis* illorum mancipatur ſervitio: ſit eis pro ratione & voluntas & præſumptio, vel dicant, quo tempore, quo authore eccleſia *Eboracenſis* hanc manus dationem excuſſit, quam poſt beatum *Theodorum* uſque modo eccleſia *Cantuarienſis* merito beneficio & primatu obtinere promeruit. Cæterum interim videamus quid *Beda* referente, beatus *Theodorus* circa *Eboracam* & ejus provinciam egerit, quid Chriſtianæ religionis, quid fidei, quid eccleſiaſticæ & canonicæ inſtitutionis ibidem operatus fuerit, niſi forte caſſare velint quicquid ille ordinavit; quia illis abſentibus, immo nequicquam exiſtentibus, quicquam ordinare præſumpſit; igitur *Theodorus* audiens quod *Ceadda Eboracenſis* epiſcopus, aſſiſtentibus non catholicis epiſcopis, fuerit ordinatus, depoſuit eum; ſed quia vir vitæ venerabilis & miræ religionis erat, aliquanto tempore poſt canonice reconciliatum præfecit eum in provincia *Dorobernenſi* eccleſiæ quæ modo *Ceſtrenſis* appellatur: adminiſtrante *Eboracæ* civitatis epiſcopium prædicto viro venerabili *Wilfrido*, qui non ſolum *Eboracenſis* ſed etiam omnium *Northanhymbrorum* epiſcopus erat. Cum autem idem *Wilfridus* emergentibus cauſis ab epiſcopatu, *Egfrido* rege cogente, per authoritatem *Theodori* pulſus fuiſſet, ipſe *Theodorus* nolens provinciam *Northanhymbrorum* epiſcoporum ſolatio carere, duos epiſcopos ordinavit, & unum *Eboracenſi*, alterum eccleſiæ *Lindisfarnenſi* præfecit: quibus etiam oportuno tempore poſt in eadem provincia locis oportunis alios tres addidit, & eorum aliis decedentibus, alios quos volebat ſubrogavit. Quanta ibi bona *Theodorus* fecerit, quoties concilia congregaverit, quot monaſteria per diſcipulos ſuos inſtituerit, in eccleſiaſtica *Anglorum* hiſtoria luce clarius eſt videri. Occiſo autem rege *Egfrido*, ipſe *Theodorus* præfatum *Wilfridum* à *Ciceſtrenſi* pontificatu, quem ipſe *Wilfridus* in *Seleſei* converſa per ſe ad fidem Chriſti tota auſtralium *Saxonum* provincia primus inſtituit abſtractum, *Eboracæ* & toti provinciæ *Northanhymbrorum* epiſcopum reſtituit, remotis iis quos jam olim eo repulſo ipſemet eidem provinciæ, ut diximus, inſtituerat; tranſlato autem ad cœleſtia *Theodoro*, ſucceſſor ejus *Birhtwaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus coacto generali concilio in parrochia *Eboracenſi* ſæpe nominatum *Wilfridum* propter cujuſdam contra eccleſiam *Cantuarienſem* factam inobedientiæ culpam, loco pontificatuque ſummovit, & poſtmodum monitus à *Romano* pontifice *Johanne* ſuis omnibus eum reveſtivit, ſicque in pace quatuor annis ſupervixit, quinto ad Dominum tranſiit, juxta quod ei à *Roma* remeanti, & apud *Meldum Galliæ* urbem infirmanti ſanctus *Michael* archiangelus repromiſit. Nulli ergo ſapienti dubium tam *Theodorum* quam ejus ſucceſſorem in *Eboraco* & ejus provincia primatum habuiſſe, qui toties in eiſdem locis epiſcopos inſtituerunt & reſtituerunt, & quibus omnes, ut *Beda* teſtatur, manus dare conſenſerunt. Hucuſque gentis noſtræ fidem & eccleſiæ primitias, & antiquam ſeriem venerabilis *Beda* commemorat.

Verum *Eboracenſes*, velut ex aliqua paritate ſibi non mediocriter arrogare videntur, quia viz. *Honorius* papa inter *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* epiſcopum ita convenire judicat, ut cum eorum alter ex hac vita tranſierit, qui ſupereſt alterum in loco defuncti debeat ordinare: & quidem id ita conſtat hucuſque fuiſſe ſervatum quatenus, viz. quandocunque epiſcopus *Eboracenſis* à *Cantuarienſi* conſecrandus erat, ubicunque jubet *Cantuarienſis* illuc *Eboracenſis* conſecrandus adiret; vel quandocunque *Cantuarienſis* ab *Eboracenſi* conſecrandus erat, illuc conſecraturus adveniret ubi *Cantuarienſis* juberet; non eſt igitur acclamanda parilitatis æqualitas, ubi tempore, primatu, cura & beneficio totum jure vindicat alterius & facultas, & inveſtituræ illibata diuturnitas; &, ni fallor, nec hiſtoria, nec memoria tenent *Eboracenſes*, quod omnibus his contradicere valeant. Unde Chriſtianis auribus ſatis liquet, cujus temeritatis audacia eſt matri filiam velle rebellare, cujus ſemper miniſterio religionis ſuæ lac ſumpſit & gratiam: ſuperbe igitur *Eboracenſis Cantuarienſi* ſubtrahere nititur, quod tanto merito priſcæ ſubjectionis debetur, *Grave nimis eſt*, inquit beatus *Gregorius*, *contra veterum uſum ſacerdotes ſibi quicquam arripere, religio Chriſtiana veritatis eſt malle ubi decet humiliter ſubjici, quam ſuperbe majoribus ubi non decet æquari.*

Fuit, inquiunt, iſta ſubjectio quamdiu eccleſia *Eboracenſis* fuit ſine pallio. Revera, inquam, ſicut in veteribus Chronicis *Anglorum* invenitur, centum viginti quinque annis ſine pallio perduravit: non igitur temere debet prætermitti quod tanto tempore potuit obtineri; & ſi adeo meruit eccleſia *Eboracenſis* per *Cantuarienſem* enutriri, non ſit tamen ingrata beneficio, ſed eo magis humilis & obnoxia matris ſolatio; Pullorum crudelitas notari ſolet, qui, poſt incrementum ætatis, intendunt jugulo matris; & Dominus per Prophetam, *Filios*, inquit, *enutrivi & exaltavi*, *ipſi autem ſpreverunt me*. Porro ſi reſtituto pallio aliquatenus meruit creſcere, non tamen adeo ut per ſe valeat exiſtere. Quomodo namque metropolitanus vel archiepiſcopus jure vocatur, cui nulla epiſcoporum provincia ſuffragatur? Habet, inquiunt, *Lindisfarnenſem*, qui & *Dunelmenſem*, habent *Gleſguenſem*. Excepto inquam interim hoc *Normannorum* tempore, fatemur plane quia tempore priori nunquam *Eboracenſis* archiepiſcopus aut *Lindisfarnenſem* ſuffraganeum habuit aut *Gleſguenſem*. Sane dicant *Eboracenſes* quem unquam archiepiſcopus *Eboracenſis* epiſcopum inſtituit; quem unquam in provincia ſua conſecravit? immo ſi pace illorum dici poteſt, *Ripenſem* & *Haguſtaldenſem* quos eccleſia *Cantuarienſis* inſtituit, eccleſia *Eboracenſis* per terrenæ poteſtatis ſurreptionem deſtituit. At vero de *Gleſguenſi* breviter intimandum, quod eſt antiquorum *Britonum* epiſcopus, quos beatus pater *Gregorius* ſingulatim epiſcopo *Cantuarienſi* ſubjectos fore decrevit, cujus viz. eccleſiæ epiſcopus, ſicut à majoribus natu illorum traditur, uſque ad hæc *Normannorum* tempora, vel ab epiſcopo *Scottorum*, vel *Gualenſium Britonum* conſecrari ſolebat, cæterum de *Lindisfarnenſi* à quibus inſtitui vel conſecrari ſolebat, luce clarius ſupra oſtenſum eſt, ſed de inſtitutis antiquorum, quid interim *Eboracenſibus* ſua intereſt providere. Invadant ſecuri & dicant, Alii laboraverunt, nos autem in labores eorum introeamus, lapidatus eſt *Naboth*, nullo impediente ſecuri poſſideamus vineam ejus. Eſto tamen, habeat duos *Eboracenſis* ſuffraganeos epiſcopos, quibus vel eorum altero defunctis, qualiter alios canonice ſolus reſtituat, perſpicuum non eſt: niſi forte cum voluerit uti libuerit, vel archiepiſcopum *Cantuarienſem*, vel ejus provinciales accerſiri jubeat, quibus dicto citius adventantibus, ſuos *Eboracenſis* inſtituat. *Decernit*, inquiunt, *beatus* Gregorius, *ut epiſcopus* Eboracenſis *duodecem epiſcopos ordinare debeat, qui ſua poſtmodum ſubjaceant ditioni.* Habeat, inquam, dominus *Eboracenſis* vel duodecem, vel tredecem, vel quot ipſe creavit epiſcopos, & conſecravit, illos ſaltem *Cantuarienſi* benigne dimittat quos *Cantuarienſis* inſtituit, & diu ſine calumniarum retractione obtinuit.

Quid enim, inquiunt, reſtituto pallio, neminem archiepiſcopus *Eboracenſis* ſuffraganeum habuit? Si habuit, inquam, oſtendant, vel per veritatis hiſtoriam, vel per teſtimoniorum memoriam, uſque ad hæc *Normannorum* tempora alicujus epiſcopi ſuam inveſtituram. Denique *Alcuinus* qui & *Albinus* famoſiſſimus, & antiquus *Caroli* imperatoris magiſter, ad *Adelardum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſcribens, inter cætera ſic dicit: *Eccleſiaſtica dignitas ubique exaltetur, ſanctaque ſedes qua prima fuit in fide, prima ſit in ſanctitate & honore, qua quidem partim diſciſſa eſt, non rationabili, ut videtur, conſideratione, ſed quadam poteſtatis cupiditate; quod ſi fieri poſſet ut pacifice aduniatur, & ſciſſio reſarciatur, bonum videtur hoc fieri cum conſilio omnium ſacerdotum Chriſti; ita tamen ut ille pallio diebus ſuis non exuatur, licet ordinatio epiſcoporum ad ſanctam & primam ſedem recurrat.* Teſtatur etiam *Alcuinus* in eadem epiſtola, quia per invaſores regni hæc eccleſiæ diſciſſio & prædicta pallii reſtitutio provenit: nam & *Leo* papa, quo invaſore id uſurpatum eſt, inſinuat ſcribens ad *Coenwlfum* regem *Merciorum* qui ſunt populi *Anglorum*. *De epiſtola*, inquit, *quam* Ethelardus *reverendiſſimus & ſanctiſſimus nobis emiſit, quemadmodum popoſcit veſtra excellentia, ſicut decebat, ſanctitati ejus enucleatius reddidimus reſponſum: quia nos de clerico illo apoſtata qui aſcenderat in regnum, ſimilem deputantes* Juliano *depravato, & anathematizantes, abicimus, quatenus eum à nequiſſimo expellamus regno, & de ſalute anima illius procuremus. Nam pro hujuſmodi valde laudavimus fratrem noſtrum præfatum archiepiſcopum, quia pro fide orthodoxa animam ſuam poſuit.* Ecce antiqua & hactenus illibato more *Roma Cantuariam* pro defenſione fidei orthodoxæ beatificat, invaſorem regni & apoſtatam notat, quo authore contra eccleſiæ *Cantuarienſis* debitam honeſtatem, alter qui non debebat palliatur. Ecce alterius & longinqui imperii magiſter jam per ſeculum uſitato nomine primam ſedem appellat, & manente pallio, ordinationem epiſcoporum ad primam ſedem recurrere debere judicat: quam in fine ſeculorum contra veterem & illibatum uſum, nova temeritate eccleſia *Eboracenſis* exhæreditare feſtinat. O mira & inaudita perverſitas! ſi plus valeat uſurpatæ temeritatis audacia, quam diuturnæ & inconcuſſæ veritatis fida memoria. Contra hujuſmodi *Leo* papa ſic ſcribit. *Nec mos nec noviter introducta fuit conſuetudo eccleſia noſtra contra antiqua ſtatuta, nova vel inuſitata præſumere, ſicut ex veterum hiſtoriarum authoritate didicimus, credimus, propter quod & loquimur.* Hæc fuit toto *Anglorum* tempore eccleſiæ *Cantuarienſis* prima excellentia. O beatiſſime papa & unice colende pater! Cæterum toto hoc *Normannorum* tempore qualiter inter *Cantuarienſes* & *Eboracenſes* convenerit, præſens & viva memoria declarabit; ſiquidem à *Normannis Anglia* debellata, & ſicut ante dictum eſt *Stigando* depoſito cum vacaret eccleſia *Cantuarienſis*, electus eſt in archiepiſcopum *Lanfrancus Cadomenſis* abbas, vir reverendiſſimus, & omnis tam divinæ quam ſecularis philoſophiæ peritiſſimus, & totius latinitatis magiſter doctiſſimus: qui conſecratus in ſede propria à ſuis, invitavit electum *Eboracenſem* virum honeſtæ caſtitatis, & bene literatum *Thomam* nomine, quatenus ad primam ſedem *Cantuarienſem* conſecrandus adveniret, Venit, & profiteri monitus primo diſtulit, tandem poſt hæc profeſſus conſecratus eſt; interea *Romam* ambo veniunt, & apud *Alexandrum* papam de palliis morem gerunt. Fortaſſis arrogantiæ videretur edicere, quanta tunc reverentia *Lanfranco* apud ſedem apoſtolicam aſſurgitur, vel quanta ſubjectione *Lanfrancus* omnibus diebus ſuis apoſtolicæ majeſtatis imperium proſequitur. Acceptis itaque palliis, *Thomas* de appetita & accepta profeſſione coram papa calumniam movet, & *Lanfrancus* pro loco & tempore eccleſiæ ſuæ privilegia exhibet. At vero dominus papa bona deliberatione præcepit, quatenus uterque revertatur ad propria, & collectis in unum majoribus natu tam epiſcopis quam nobilibus *Britannia*, illorum memoria & veterum hiſtoriarum teſtimonio tanta diſciſſio terminetur. Igitur, peractis his, nihil aliud definiri potuit, quam quod eccleſiarum priſca conſuetudo, ſicut præfati ſumus, & tenuit & inſtituit. Quocirca *Thomas* ſibi hactenus incognitam rerum veritatem edoctus, & humiliter veniam petens, *Lanfranco* & primæ ſedi reconciliatur. Eo ſane reconciliationis tempore quæcunque in poſterum ſuboriri poterat altercationis occaſio removetur, & tunc primum *Eboracenſium* metropolitanæ eccleſiæ *Lindisfarnenſis* epiſcopus, *Lanfranco* concedente, ſuffraganeus adhibetur. Ita duntaxat quatenus in poſterum de facienda profeſſione ſcrupuloſitas nulla remaneret, & *Cantuaria* prima ſedes in ſui primatus honore priſtino perduraret; unde & *Alexander* papa inter alia quæ *Lanfranco* mittebat, ita ſcribit. *Accepimus*, inquit, *à quibuſdam venientibus de veſtris partibus ad limina ſanctorum apoſtolorum* Petri *&* Pauli, *quod quidam clerici, aſſociato ſibi terrena poteſtatis laicorum viz. auxilio, diabolico ſpiritu repleti moliuntur de eccleſia ſancti* Salvatoris *in* Dorobernia, *qua eſt metropolis totius* Britanniæ, *monachos expellere, & clericos inibi ſtatuere.* Igitur *Thomas Eboracenſis* tres viritim ſibi ſuccedentes epiſcopos, quorum unus hodieque ſupereſt, in *Lindisfarnenſi* eccleſia conſecravit. Nec tamen in urbe ſua, quippe ſolus non poterat, ſed ubi eccleſia *Cantuarienſis* in provincia ſua concedebat, & epiſcoporum ſuorum ſolatia exhibebat. Poſt hæc *Lanfrancus* in ſenectute bona defungitur, & in locum ejus beatæ memoriæ *Anſelmus* abbas *Beccenſis* eligitur; cujus vitam virtutibus & miraculis glorioſam, ſpiritualis & incomparabilis ſapientiæ quidam divinus ſplendor illuminavit; hunc *Thomas Eboracenſis* in *Dorobernia* metropoli ſua ordinaturus advenit, & totius *Britanniæ* primatem conſecravit. Qui cujus obedientiæ, & humilitatis, & fidei erga ſedem Apoſtolicam fuerit, teſtantur perſecutiones, exilia & pericula, quæ ſicut pene totus mundus agnovit, pro libertate *Romanæ* eccleſiæ patienter ſuſtinuit Quem quidem cum *Willelmus* junior, rex *Anglorum* crudeliſſimus, ad abnegandum *Urbanum* papam illum coegiſſet, ſolus pene cum eccleſia ſua in tota *Anglia Romani* nominis ſplendorem non fœdavit; quapropter inter alia quæ paſſus eſt, etiam ille dominus *Thomas Eboracenſis*, nec Dominum timens, nec *Romanæ* majeſtatis fidem reverens, Chriſtiano & ſancto viro, juſſu quidem prædicti regis, nefando ore fraternitatem abnegavit. Quo tandem defuncto, in locum ejus quidam *Girardus* ſuccedit, de cujus electione, vita, moribus & miſerrimo obitu, melius eſt ſilere quam quicquam quod Chriſtianæ pietatis aures offendat enarrare. Interea ſedes apoſtolica de inveſtituris eccleſiarum cum rege *Anglorum* conſtanter actitabat: unde & bonæ memoriæ *Paſchalis* papa ſcribens ad *Anſelmum* archiepiſcopum, cum provida deliberatione non debere per manus laicorum inveſtituras eccleſiarum dari decreviſſet, poſtea ſic infert. *Hæc ita doceas*, inquit, *ſicut tuo ſcis primatui expedire, quem profecto fraternitati tuæ ita plenum & integrum confirmamus ſicut à tuis conſtat prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſum.* De cujus primatus confirmatione item *Paſcalis*, *Anſelmo ſic*. *Quondam*, inquit, *in literis ab apoſtolica ſede tibi directis*, Cantuarienſis *eccleſiæ primatum ita tibi plenum conceſſimus, ſicut à tuis conſtat prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſum: nunc autem petitionibus tuis annuentes, tam tibi quam tuis legitimis ſucceſſoribus eundem primatum, & quicquid dignitatis ſeu poteſtatis eidem ſanctæ* Cantuarienſi *ſeu* Dorobernenſi *eccleſia pertinere cognoſcitur, literis præſentibus confirmamus.* Porro *Girardus*, accepto pallio de *Roma*, *Britanniam* veniens, contra decretum domini papæ pro voluntate regis graviter mentitus eſt: in ea namque fide qua vivere epiſcopus debet, juravit, quia contra decretum ſuum dominus papa regi *Anglorum* inveſtituras eccleſiarum conceſſit. Qua de re epiſtolæ vel *Anſelmi* ad *Paſcalem*, vel *Paſcalis* ad *Anſelmum* habentur. Hæc & alia hiis ſimilia *Girardus Eboracenſis* contra *Romanam* eccleſiam attemptare præſumebat, dum *Anſelmus Cantuarienſis* pro illa perſecutiones & exilia libenter pati non formidabat. Væ peccatis meis, quibus ad malum imputatur quicquid prædeceſſores mei optime meruerunt, & dominus *Thurſtinus Eboracenſis* ſola noſtræ partis injuria redimit, quicquid prædeceſſores ejus male geſſerunt; vel ſi illi imputari non debet prædeceſſorum ſuorum culpa, mihi prodeſſe non debebit prædeceſſorum meorum virtus & juſtitia. Quia etſi peccata *Radulphi* tanta ſunt ut pati talia debeant, *Auguſtini*, *Theodori*, *Lanfranci*, & *Anſelmi* peccata nulla ſunt, ut noviſſimis temporibus pati iſta mereantur. Porro *Girardus* cum *Anſelmo* de facienda profeſſione data fide juraſſet, fallaci tamen ut erat animo, profiteri diſtulit; quippe ſe interim erga regem in via ſua proſperari, & dominum *Anſelmum* in via Dei & fide ſedis apoſtolicæ cernebat injuriis & odiis hominum affligi. Tum *Girardo* bonæ memoriæ *Paſcalis* ita ſcribit. *Quanquam*, inquit, *grave adverſum nos, immo contra matrem tuam ſanctam* Romanam *eccleſiam te non ignoremus egiſſe, præſentibus tamen literis tibi mandamus, ut profeſſionem tuam venerabili fratri noſtro* Anſelmo Cantuar. *archiepiſcopo facere non negligas: Audivimus enim quondam prædeceſſorem tuum ex hac eadem re contentionem moviſſe, & cum in præſentiam domini* Alexandri *ſecundi papæ ventilata eſſet, ex præcepto ejus, definitione habita, poſt varias quæſtiones*, Lanfranco *prædeceſſori ſuo & ſucceſſoribus ſuis eandem profeſſionem feciſſe; unde & nos, quod tunc temporis definitum eſt volumus, authore Domino, firmum illibatumq; ſervari.* Interea *Girardus Ebor.* miſerrima & ſubita morte defungitur, & in locum ejus vir valde caſtus, & bene literatus *Thomas* junior ſubrogatur; qui, non longe poſt hæc, defuncto in pace Chriſtianiſſimo viro *Anſelmo* archiepiſcopo, profeſſus ſanctæ & primæ eccleſiæ *Cantuarienſi* conſecratus eſt in *Lundonia* ab ejus urbis epiſcopo. Is itaque quendam *Britonem Gleſguenſi* eccleſiæ ordinavit epiſcopum, quæ jam pene præter memoriam non habuerat epiſcopi ſolatium; de quo epiſcopo ſciendum, quia ſicut prædictum eſt, ſi antiquorum *Britonum* epiſcopus eſt, ſecundum beati *Gregorii* decreta *Cantuar.* eccleſiæ ſuffraganeus eſt; quod ſi forte propter provinciarum viciniam, licet mutato & loco & populo idem *Pictorum* epiſcopus debet putari, nihilominus eccleſiæ *Cant.* ſuffragatur, utpote inſtitutus & creatus à *Theodoro* archiepiſcopo, ſicut *Beda* teſtatur, veruntamen ſicut in geſtis ſanctorum virorum, *Columbæ* viz. presbyteri & abbatis, qui *Beda* referente ante adventum beati *Auguſtini* in *Britannia* primus *Scotorum* & *Pictorum* populis Chriſtum prædicavit, & venerabilis *Cantugerni* epiſcopi qui primus *Gleſguenſi* eccleſiæ præfuit invenitur, non iſte eſt *Candida caſa* epiſcopus quem *Theodorus* inſtituit, ſed unus de illis antiquis *Britanniarum* epiſcopus fuit, quos, ſicut ſæpe dictum eſt, ſingulatim beatus *Gregorius* eccleſiæ *Cantuarienſi* ſubjugavit.

Hæc eſt igitur *Cantuar.* & *Eboracenſis* eccleſiarum priſcæ conſuetudinis inſtitutio, quam non momentaneo & novo ritu, ſed per quadringentos & eo amplius annos illibato more ſanctorum patrum acceptavit, & facultas Chriſtianæ ſimplicitatis tanta diſpenſatio. O beatiſſime papa & unice colende pater! Hoc eſt, hoc eſt quod requirit eccleſia *Cantuar.* quod non extorquetur impetu ſuperbiæ ſed debetur officio Chriſtianitatis & obedientiæ, equidem juſtitiæ fas eſt non culpa vehementiæ, ſacerdotes non ſegniter vindicare; quicquid eccleſiæ ſuæ poſtulat & uſus libertatis & privilegium gratiæ, unde & *Auguſtinus* ad *Simplicianum* libro primo; Quis non videat, inquit, iniquitatis neminem argui poſſe, qui quod ſibi debetur exegerit, nec eum certe, qui quod ei debetur donare noluerit; & quis inquam ore ſobrio dominum *Eborac.* reprehendat, quaſi acceptæ calamitatis & contumeliæ, ſi primæ ſedi & ſanctæ *Cantuar.* eccleſiæ ſolvere velit, quicquid olim dignum fuiſſe deprehenditur, & diuturnitate conſuetudinis & merito juſticiæ? Unde & concilio *Toletano* xj. capitulo, unuſquiſque qui ad gradus eccleſiaſticos eſt acceſſurus, non ante honoris conſecrationem accipiat, quam placiti ſui innodationem promittat. Et certe *Radulfus* peccator non merito arguendus eſt alicujus infamiæ, quippe qui Chriſtianæ fidei vinculo detinetur, quatenus eccleſiæ ſuæ cujus licet indigne ſuſcepit regimina, non debeat excellentiam libertatis ſubvertere, quam tanto tempore tot prædeceſſores ejus ſanctiſſimi & ſapientiſſimi viri voluerunt & potuerunt obtinere. Solent enim *Romani* pontifices, de obſervandis indeclinabiliter decretis anteceſſorum ſuorum ante conſecrationem ſuam profiteri, & mihi quiſquam audeat imponere, quatenus eccleſiæ meæ privilegia debeam evacuare; quod ſi forte alicujus occaſionis articulo tantum nefas præſumam attingere, certum eſt quod ſpiritualis reus ero adulterii, quia primam fidem irritam feci. Hinc profecto beatus *Gregorius* ſcribit ita. *Grave nimis*, inquit, *& contra ſacerdotale conſtat eſſe propoſitum, velle cujuſquam eccleſiæ privilegia olim indulta confundere.* Quod autem nec ipſi ſummo pontifici liceat ſanctorum patrum traditionibus contraire, *Zoſimus* papa ſic teſtatur. *Contra ſtatuta*, inquit, *patrum aliquid concedere vel mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt authoritas.* Viderit igitur apoſtolicæ ſedis ſumma prudentia, quanta benevolentia veritatis digni ſunt, quorum aſtutia & dilatione veſtra adverſum nos ingratitudo convaluit, quatinus de conſecratione domini mei *Eboracenſis* epiſcopi dignaretur incipere, quod nemo per tot tempora prædeceſſorum noſtrorum conſuevit vel ſaltem inchoavit, & avertat Deus ne majeſtati veſtræ ſurrepat illorum invidia, qui malevole dicunt *Cantuariam* contra nos tranſgredi, quia juxta paternarum inſtitutionum terminos juſte exigit legitimam ſubjectionem *Eboracenſis* epiſcopi. Errant, inquam, quia hoc *Cantuaria* meruit, hoc ſalva benevolentia *Romanæ* ſedis excellentiæ non contra *Petrum*, ſed cum *Petro*, & ſub *Petro* multis millibus dierum tenuit, hoc priſcæ conſuetudinis inveſtitura & antiquitatis reverenda majeſtas inſtituit. Et ut interim beati *Gregorii* utamur verbis, *Quia cunctis liquet unde* Britanniarum *regionibus fides ſancta prodierit, cum priſcam conſuetudinem ſedis apoſtolicæ eccleſia* Cantuarienſis *humilitas repetit, quid aliud quam bona ſoboles ad ſinum matris recurrit.* *Ravennas* olim epiſcopus in tempore beati *Gregorii* de uſu pallii in ſolennibus Letaniis eccleſiæ ſuæ priſcam conſuetudinem ſolo teſtium juramento comprobavit: nobis nec veritatis hiſtoria, nec apoſtolicæ ſedis data privilegia, nec tanta diuturnitatis inveſtitura prodeſſe ſufficiet.

Admonitus, inquiunt, ad dominum papam cum prope eſſes venire noluiſti: Venire, inquam, nolui quia non potui; novit Deus qui me voluntate ſua corripuit, quia paſſionis meæ moleſtia tantæ majeſtatis tumultum & terrorem ſuſtinere non potuit; denique infirmitas non habet legem, quantumcunque igitur velit lapidabit me domini mei *Eboracenſis* epiſcopi & ſuorum violentia, certe non dabo vineam meam, nec vendam hæreditatem patrum meorum.

Habeamus, inquiunt, veritatis & oportunitatis judicium, facile eſt oſtendere quod nihil debemus *Cantuariæ*, niſi quod omnis eccleſia omni eccleſiæ. Totam illorum, inquam, de qua glorientur facilitatem ſuperius expoſuimus, ô ſereniſſime domine & reverendiſſime pater. Quæ tamen illarum facultas quantacunq; ſit, hic jure ventilanda eſſet, ubi antiquitatis hiſtoriæ, ubi veterum chronica habentur, ubi provinciæ & provinciarum ſingula loca dinoſci, & præſens teſtium memoria poteſt adhiberi: & quidem in ſecularibus judiciis ſolent minores poteſtates cum ſuis inferioribus, quæcunque inter ſe diſcrepare videntur, in ſua curia tractare, nec antea majoris poteſtatis curiæ præſentari, quam juſticiæ veritatem in ſua deprehendantur violaſſe, nec judicatur ibi debere quenquam ſubire judicium donec inveſtiatur, unde ſine judicio paſſus eſt ſpoliari. Qua in re nec ſacri canones diſſentire videntur, qui etiam ad veritatis definitionem triginta vel quadraginta annorum inveſtituram in rebus eccleſiaſticis ſatis eſſe teſtantur. Et quid de hominibus jactare conamur, cum inter dominum & eccleſiarum poteſtates iſta ſit habitudo, ut quicquid earum judicio in curia religionis eccleſiaſticæ fuerit ſolutum, in cœlo ſolutum credatur, & quod hic fuerit ligatum, ibi etiam ligatum teneatur. Nihil erga indignum excellentiæ veſtræ ſi eccleſia *Cantuarienſis* quæ, ſicut notum eſt, de pietate apoſtolicæ ſedis fidei primordia, lucra virtutis, & religionis accepit incrementa, in Chriſtiana fide mereatur intra curiam provinciæ ſuæ obtinere, quod tanto tempore prædeceſſorum noſtrorum legitima voluntate potuit habuiſſe; neque dominus *Eboracenſis* pace veſtra indignetur reddere ſanctæ *Cantuarienſi* eccleſiæ quod ab anteceſſoribus ſuis redditum eſt, humiliter intendens, & in mente cum Propheta ita revolvens, *Neque melior ſum quam patres mei.* Memineritque ſapienter, quia diſcernit Chriſtus reges ſuper columbam, & *maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter.* Sapiatque quorum caput eſt, qui dixit in corde ſuo, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſſimo.* Nullius rem concupiſcimus aut invadimus, terminos quos poſuerunt patres noſtri juſte vendicamus, manus dationem, ſubjectionem, & profeſſionem *Eboracenſis* eccleſiæ ſemper eccleſia *Cantuarienſis* obtinuit, idem requirimus, quia ita inveſtitam reperimus.

Quicirca viderit ſanctæ ſedis apoſtolicæ ſumma juſtitia, ſi ſpoliari debet per ſurreptionem unius hominis quod potuit haberi per ſpacium tanti temporis: Mementote quod pace veſtra dixerim, quid apoſtolus dicat. *Patres*, inquit, *nolite provocare ad iracundiam filios veſtros*: & propter Dominum, providete ne ſuper nos obvenerit quod ipſa veritas clamat. *Tradentur filii à parentibus.* Neque vero quiſquam ſapiens & benevolus juſtum eſſe fateatur, ut quoties ab aliquo juris noſtri ſuffraganeo provocamur, toties *Romanæ* majeſtatis curiam adeamus. Denique ſanctitatis & juſtitiæ veſtræ celſitudinem appellamus, quatenus eccleſiæ noſtræ terminos quos poſuerunt patres noſtri firmos & integros obſervetis, quatenus more ſuo eccleſia *Cantuarienſis* totius bonæ voluntatis veſtræ ſequatur imperium & optimum principatum. Quod ſi vobis utile nec oneroſum videtur, poteſtis & debetis de Cardinalibus veſtris, & de *Galliarum* epiſcopis quos volueritis huc tranſmittere, in quorum præſentia ſapienter aſtruatur, ſi ita fuit primatus eccleſiæ noſtræ ſicut prælocuti ſumus, necne, vel ſi quicquam habeant *Eboracenſes* quod contra hæc omnia certum valeant approbare. Iterum atque iterum majeſtatem veſtram appellamus, ne in diebus noviſſimis ſanctæ *Cantuarienſis* eccleſiæ bonam fidem, & erga beati *Petri* ſummam & primam ſedem optimam obedientiam deſpiciatis. Valeat in Chriſto, ſanctitas veſtra ô beatiſſime papa & unice colende pater!

FINIS.

DECRETA PAPALIA DE Primatu CANTUARIÆ.

DECRETUM BONIFACII,

De dignitate Eccleſiæ *Dorobernenſis*, quam ſi quis imminuere viſus fuerit perenni Anathematis vinculo dampnatus ſit.

Dilectiſſimo fratri Juſto Bonifacius *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

Suſceptis veſtræ dilectionis apicibus in quibus repperimus inter alia plurimos ex gentilitate ibidem degentium Deo omnipotenti & Domino noſtro *Jeſu Chriſto* auxiliante converſos, maxime autem in partibus *Cantia* ad veri Dei noſtri fidem veſtris laboribus perductos valde gratulati ſumus; *Eadbaldi* quoque regis animum ad veræ agnitionis viam eſſe correctum: Deum omnipotentem in id laudavimus, qui ſui nominis ſacramentum veſtrique laboris fructum non deſeruit, ſicut ipſe prædicatoribus evangelii veraciter repromiſit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Multa eſt clementia apud Deum, multa eſt in vobis demonſtrata, cum aperiantur corda barbararum gentium ad ſuſcipiendum prædicationis veſtræ ſingulare miſterium. Ut enim proficerent, veſtris meritis eſt eorum ſalvatio propinata, Domino dicente, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Et alibi: *Conſummati operis vobis merces à retributore omnium bonorum Domino tribuetur.* Cognovi ſiquidem in veſtris ſyllabis ut ſanctæ recordationis prædeceſſor veſter *Gregorius* conſtituit *Auguſtino* & omnibus ſucceſſoribus ſuis in poſterum metropolitanam, & primitivam ſedem in civitate *Dorobernia*, ubi caput totius gentis *Anglorum* à diebus paganorum habetur. At vero nunc per revelationem *Jeſu Chriſti* qui eſt origo & caput Chriſtianitatis eadem civitas exaltatur; & orthodoxa fides quæ eſt radix nobiliſſima ibidem collocatur, ut ex illa ſegete uberrimum fructum boni operis ad pabulum cœleſtis patriæ omnes inſulani metere queant. O quam felix illa civitas quæ meruit in ſe Chriſtum habitatorem habere! expulſis antiqui hoſtis inſidiis. Felix illa civitas, felix & tota gens cum illos ſuperna miſericordia viſitare non dedignata ſit, quos ante mundi creationem prædeſtinaverat ſibi ſociare. Qua ex re abſit ab omni Chriſtiano ut ex illa civitate *Dorobernia* aliquid minuatur, aut in aliud mutetur, nunc vel futuris temporibus, quæ à prædeceſſore noſtro domino papa *Gregorio* ſtatuta ſunt, quoquo modo res humanæ caſſentur. Sed magis ex auctoritate beati *Petri* apoſtolorum principis idipſum præcipientes firmamus, ut in *Dorobernia* civitate ſemper in poſterum metropolitanus totius *Britannia* locus habeatur: Omneſque provinciæ regni *Anglorum* ut præfati loci metropolitanæ eccleſiæ ſubiciantur, immutilata perpetua ſtabilitate decernimus. Hanc autem eccleſiam, utpote ſpecialiter conſiſtentem ſub poteſtate & tuitione ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, ſi quis conatus fuerit imminuere, eique de conceſſæ poteſtatis jure quicquam abſtulerit: auferat eum Deus de libro vitæ, ſciatque ſe ſub Anathematis vinculis eſſe nodatum. Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime frater.

Privilegium quod *Honorius* Papa conceſſit eccleſiæ *Dorobernenſi*: ut Primatum omnium eccleſiarum *Britannia* pontifex *Cantuariorum* obtineat.

Dilectiſſimo fratri Honorio Honorius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

Suſceptis veſtræ dilectionis litteris, in eis repperimus veſtri laboris ſollicitudinem circa vobis commiſſum gregem, multa fatigatione occupatam, multo labore & anguſtia crebreſcentibus malis & mundanis uſibus mentis veſtræ difficultatis ſæpius ſuſtinere gravitatem. Nos vero hortamur veſtram dilectionem, ut opus Evangelii quod cœpiſtis, teneatis, quia in eo tibi laborandum atque perſeverandum magis quam omittendum neceſſe eſt, memento Evangelici præcepti quo dicitur. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et item in Apoſtolo, *Fratres ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini, ſemper ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Ideo ſuppliciter veſtram dilectionem admonemus, ut fide & opere in timore Dei & caritate veſtra adquiſitio deceſſorumque veſtrorum, quæ per domini *Gregorii* exordia pullulat, convaleſcendo amplius extendatur. Ut ipſa promiſſio Dominici eloquii vos ad æternam feſtivitatem evocet quæ dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et iterum, *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Interea tuæ ſedis auctoritatem noſtræ auctoritatis privilegio firmari poſtulaſti. Nos vero abſque ulla dilatione gratuito animo annuimus, quia rectum eſt ut quæ ſemel ſtatuta atque diſpoſita à prædeceſſoribus noſtris cognovimus, hoc ipſum & nos confirmemus. Eorum itaque veſtigia aſſequentes juxta ritum priſcæ conſuetudinis quæ à temporibus ſanctæ recordationis *Auguſtini* prædeceſſoris veſtri nunc uſque tua eccleſia detinuit, ex auctoritate beati *Petri* apoſtolorum principis, primatum omnium eccleſiarum *Britannia* tibi *Honorio* tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere concedimus. Tuæ ergo juriſditioni ſubici præcipimus omnes eccleſias *Anglia* & regiones, & in civitate *Dorobernia* metropolitanus locus & honor archiepiſcopatus, & caput omnium eccleſiarum *Anglorum* populorum ſemper in poſterum ſervetur, & à nulla perſona per aliquam malam ſuaſionem in alium locum mutetur. Aliter autem ſi quis fecerit tipo ſuperbiæ inſtinctus, & noſtræ præceptioni inobediens, & pronominatæ eccleſiæ conceſſis ſuæ dignitatis rationibus contenderit reniti, ſciat ſe ſeparatum à participatione corporis & ſanguinis Domini & Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti*. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater.

DECRETUM FORMOSI;

Quod in civitate *Dorobernia* metropolis & prima ſedes ſit totius regni *Anglorum*.

Fratribus & filiis in Chriſto omnibus epiſcopis Angliæ Formoſus.

AUditis nefandorum ritibus Paganorum partibus in veſtris repullulaſſe, & vos tenuiſſe ſilentium ut canes non valentes latrare, gladio ſeparationis à corpore Dei eccleſiæ vos ferire deliberavimus, ſed quia ut nobis dilectus frater noſter *Pleigmundus* intimavit tandem invigilaſtis, & ſemine verbi Dei olim venerabiliter jacta in terra *Anglorum* cœpiſtis renovare, mucronem denotationis retrahentes, Dei omnipotentis & beati *Petri* apoſtolorum principis benedictionem vobis mittimus, orantes ut in bene cœptis perſeverantiam habeatis. Vos enim eſtis fratres de quibus Dominus loquens inter alia inquit, *Vos eſtis ſal terræ, & ſi ſal evanuerit in quo ſalietur?* Et iterum, *Vos eſtis lux mundi*; ſignificari volens per verbi ſapientiam condiri mentes hominum à vobis debere; Et in moribus & vita veſtra bonæ actionis ſtudium quaſi lumen apparere fidei, per quod gradientibus ad vitam quomodo caute ambulent videant, ut ad promiſſionem æternæ beatitudinis ſine offenſa currentes valeant pervenire. Nunc ergo accingimini & vigilate contra leonem qui circumit quærens quem devoret, & non patiamini ulterius in regione veſtra penuria paſtorum Chriſtianam religionem violari, gregem Dei vagari, diſpergi, diſſipari, ſed cum unus obierit, alter qui idoneus fuerit canonice protinus ſubrogetur. Nam ſecundum legem *plures facti ſunt ſacerdotes eo quod morte prohibeantur permanere*. Quod *David* conſiderans, & in ſpiritu Chriſti eccleſiam futuram fore permanſuram ad finem uſque ſeculi proſpiciens, ait, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes*. Nulla itaque mora ſit ſubrogandi alium cum quilibet ſacerdotum ex hac vita migraverit.

Ut illi, qui primæ ſedis principatum getens inter vos cæteris epiſcopis præeſſe dinoſcitur, fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonice alter conſecratus ſuccedat. Quis autem inter vos principatum tenere debeat, quæve ſedes epiſcopalis cæteris præpolleat, habeatque primatum abolitanis temporibus, notiſſimum eſt. Nam ut ex ſcriptis beati *Gregorii* ejuſque ſucceſſorum tenemus, in *Dorobernia* civitate metropolim primamque ſedem epiſcopalem conſtat regni *Anglorum*, cui venerabilis frater noſter *Pleigmundus* nunc præeſſe dinoſcitur, cujus honorem dignitatis nos nullo pacto imminui permittimus, ſed ei vices apoſtolicas per omnia gerere mandamus, & ſicut beatus papa *Gregorius* primo gentis veſtræ epiſcopo *Auguſtino* omnes *Anglorum* epiſcopos eſſe ſubjectos conſtituit, ſic nos prænominato fratri *Dorobernia* ſive *Canterberiæ* archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus, mandantes, & auctoritate Dei & beati *Petri* apoſtolorum principis præcipientes, ut ejus canonicis diſpoſitionibus omnes obediant, & nullus eorum quæ ei ſuiſque ſucceſſoribus apoſtolica auctoritate conceſſa ſunt violator exiſtat. Si autem quivis hominum contra hæc aliquando niti ac imminuere temptaverit, ſciat ſe proculdubio multandum fore gravi Anathemate, & à corpore ſanctæ eccleſiæ quam iniquietare molitur perpetuo niſi reſipuerit ſeparandum.

FINIS.

Chronica Guill:
THORNE
Monachi S. Auguſtini Cant.

De rebus geſtis

ABBATUM
Sancti *AUGUSTINI*

CANTUARIÆ.

Cui acceſsit

CHRONOLOGIA
quondam ſpectans ad

PRÆDICTUM COENOBIUM

AUGUSTINENSE.

PROLOGUS WILLIELMI THORNI monachi S. *Auguſtini Cantuariæ.*

VALENS labor & laude dignus, per quem ignota noſcuntur, occultata ad notitiam pateſcunt, præterita in lucem, præſentia in experientiam & futura temporibus non omittantur; & quia labilis eſt humana memoria, neceſſe conſtat ſcriptis inſeri memoranda, ne humanæ fragilitatis contingens oblivio fieret poſteris inopinata confuſio. Set ad manipulum ſpicas colligere meam exilitatem maxime puderet, ſi non daret ratio, quod melius ſit illas colligere quam terram pati pululantia grana iterum abſorbere. Sic ad fructum quem præſens eccleſia protulit operam dabo, ad cujus operis perfectionem quia minus ydoneum me dijudico, ſaniorum & diſcretiorum correctioni totaliter me ſubmitto: Et quia quidam laborarunt, utputa *Thomas Sprot* & alii, quos deſiderium hortabatur proficiendi, quos & vincebat zelus domus hujus, me autem in labores eorum partim intrare contingit, conſiderans quod diverſos eventus temporis elapſi temporis antiquitas à memoriis præſentium quaſi totaliter abſorbebat: Ego *Willielmus* dictus *Thorne* neceſſario compulſus, & exemplo priorum merito provocatus, quædam ſuperflua à compilatione dicti *Thomæ* reſecans, quædam notabilia ſuis in locis eidem ſuperaddens, aggregatis hinc inde diverſorum proceſſuum codicellis, proprii ſudoris labore, ad utilitatem fratrum & commoditatem legentium, reliquum temporis in unum corpus propagare curavi; cupiens ut ad plurimorum poſſet devenire profectum, quod de diverſis actibus & parcellis eſt ſtudioſe collectum. Intendens à fine dicti *Thomæ*, ſcilicet anno incarnationis Dominicæ M.CC.lxxij. abbate *Rogero* de *Ciceſtria* debitum ſuæ carnis tunc exſolvente, uſque ad tempus meæ reſolutionis vita comite & ſanitate ſubſequente, geſta & eventus tam in proſperis quam in adverſis ſtilo recenti delegare futuris; loca & tempora quando, ubi & per quas perſonas diverſæ res ſic agebantur, præſentium oculis memorialiter inprimendo. Et quia de tribus perſonis tota præſens maxime conſtat operatio, ideo congruit rationi illas tres in capite marginali evidenter conſignare, ſcilicet Regem, & Archipræſulem, noſtrumque Paſtorem. *Regem*; ut eccleſiam poſſeſſionibus dotantem: *Abbatem*; ſibi comiſſa conſervantem: & *Dioceſanum*; exemptos quandoque perturbantem; ut hii tres ad eorum proceſſum de eis ſubſcriptum valeant in effectu quoreſpondere per capitula & paragraphos ſeriatim diſtinguendo.

IGITUR cum veniſſet plenitudo temporis in quo miſit Deus lumen juſtitiæ, ut ſedentes in tenebris et umbra mortis illuminaret, et in viam pacis & ſalutis dirigeret greſſus erroris, regionem *Anglorum* per baptiſmi laticem dignatus fuit renovare, & ut proderent de tenebris ad lucem fidei & cognitionis, per verbi Dei miniſtros clementer diſpoſuit revocare.

Cap. I.

§. 1. *Revocatio S.* Gregorii *itineris incepti.*

An. Dñi 578. ANno igitur Dominicæ incarnationis quingenteſimo lxxviij. beatus *Gregorius* abbas monaſterii ſancti *Andreæ*, quod ipſe ad clivum *Scauri* in urbe *Romana* fundaverat *Benedicti* papæ primi anno ſecundo, in quo poſt *Laurionem* & *Maximianum* primos abbates tercius ipſe præfuit, vidit in foro *Romano* tres pueros *Anglicos* lactei candoris venales, audienſque à mercatoribus totam *Angliam* ſimili candore nitere, ſet ritibus paganicis detineri, longa trahens ſuſpiria, patriam, nomen regis, & multa alia rethorice ethimologizans, mox acceſſit ad *Benedictum* papam, & licentiam *Angliam* adeundi pro fide Chriſti ibidem prædicanda inſtantiſſime petiit, & vix inpetravit; attamen tercio die ſui itineris ad querelam *Romanorum* dicentium, *Petrum offendiſti, Romam deſtruxiſti, quia Gregorium dimiſiſti*, idem papa perterritus *Gregorium* revocavit, & ad proprii monaſterii ſui curam redire coegit: ſet proximo anno ſequente prædictus papa videns eum virtutum gradibus ad alta contendere, violenter abſtractum à monaſterio Levitam Cardinalem ad ſui adjutorium conſecravit. Mortuo *Benedicto*, ſcilicet anno incarnati quingenteſimo lxxxj. An. Dñi 581. per labores & afflictiones quæ tunc temporis in *Italia* per invaſiones *Longobardorum*, multa etiam fame & mortalitate hominum comitante imminebat, ſucceſſit *Pelagius* ſecundus, qui per aeris corruptionem maximam mortalitatem hominum inducentem idem papa x. anno ſui regiminis extinctus eſt, poſt quem favente Deo ad apoſtolatum *Romanorum Gregorius* electus eſt.

§. 2. *Ordinatio* Gregorii.

ANno incarnationis Dominicæ D. xcij. ſecundum *Bedam* in Hiſtoria *Anglorum* quarto non. 592. Septembris *Gregorius* in ſummum pontificem conſecratus eſt; & verbum Dei quod ipſe aliquando in perſona propria genti *Anglorum* diſpoſuerat ſeminandum, per ſuum alumpnum *Auguſtinum* explere curavit.

§. 3. *Adventus* Auguſtini *in* Angliam.

IGitur *Gregorius* quinto ordinationis ſuæ anno, ſcilicet anno quingenteſimo xcvj. 596. aſſumpſit beatum *Augu-*

Auguſtinum monaſterii ſui quod ipſe infra urbem conſtruxerat tunc præpoſitum, ut quondam *Petrus Barnabam* vel *Paulum*,in opus Dominicum;& miſit cum eo alios quamplures monachos ac verbi Dei miniſtros quaſi numero xl. genti *Anglorum* fidem prædicare catholicam. Applicuerunt vero in inſula de **Taneth** in loco qui dicitur **Retesbourgh**, ubi patre *Auguſtino* de navi deſcendente, ſupra quandam petram à caſu ſtetit, & pedem ejus eidem quaſi luto inpreſſit. Cujus rei gratia idem lapis aſſumitur & intra capellam de eodem Sancto ibidem fundatam honorifice collocatur, ſed & ſingulis annis die ſuæ depoſitionis ob devotionem & ſpem recuperandæ ſanitatis fit concurſus populorum dicentium, *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Sancto *Auguſtino* ſic applicato, continuo mittit regi *Etherberto*, ſe mandans veniſſe de *Roma* & nuncium ſibi afferre optimum qui ſibi optemperantibus æternis promiſit beatificari. Quibus auditis, rex in eadem inſula juſſit eos ad tempus permanere. Veniens igitur rex ad inſulam die oportuno, *Auguſtinus* primum ore intonat ſic evangelico. « Ad tuam ô rex « tociuſque hujus regni perpetuam ſalutem huc « ingreſſi optimum nuncium offerimus tibi;ſi ſuſceperis, « hic & in æterno regno beatificaberis. Hæc & multa alia *Auguſtino* referente, rex ait. Pulcra quidem ſunt hæc dicta & promiſſa quæ affertis, dignaque invitatoria. Sed quoniam nobis nova viſa ſunt & hactenus incognita; non nobis competit hiis animum præbere, & majorum ritus per totam *Angliam* hucuſque deſerere ſervatos. Ait eciam. Et quia de longinquo ut nobis videtur noſtræque ſaluti conſulendo adveniſtis, volumus ergo benigna vos hoſpitalitate fovere, & vitæ ſubſidia ſufficienter præbere, permittendo ut quoſcumque poteſtis ad veſtram profeſſionem prædicando aſſumatis, & conceſſit eis locum habitationis in civitate *Dorobernia* ſituatum, videlicet in parochia ſancti *Aelphegi* ex oppoſito regiæ ſtratæ verſus aquilonem, per quam murus palacii archiepiſcopalis in longitudine ſe extendit, in quo *Auguſtinus* cum ſuis domeſticis uſque ad converſionem regis hoſpitatus eſt : illa tamen quæ per viam extiterant ſarcinis honuſtata, loco prædicto longo poſtea tempore ſtabulata ſunt, ob quam cauſam uſque in hodiernum diem ſitus ille **Stablegate** vocatus eſt ; fuerat enim tunc temporis quaſi oratorium pro familia regis, ut ibi adorarent & diis ſuis libamina immolarent. Sanctus vero ille hoſpes tanta hoſpitium ſuum voluit libertate promovere & ab exactionibus quorumcunque perpetualiter acquietare, quod neque civibus civitatis in tallagiis & aſſeſſionibus quoquomodo debeant reſpondere, vel eis ſubſidium aliquod præſtare, ſet archiepiſcopo in omnibus ſubjacere, & ut ſuum palacium firma libertate gaudere, ſi fures vel homicidæ vel alii quamvis indictati ſitum de **Stablegate** valent introire, ut in eccleſia libertate gaudebunt.

An. Dñi 597.

Anno Domini quingenteſimo xcvij. *Auguſtinus* cum ſuis ſociis illo in loco converſans vitam cœpit imitari apoſtolicam, & ipſum regem *Ethelbertum* per reginæ ambitus, per oportunos acceſſus, per dulcia æternæ felicitatis blandimenta, & per vigilata ad Deum precamina debito modo accerſivit, At ipſe ſervorum Dei vita mundiſſima delectatus, & promiſſis eorum ſuaviſſimis, quæ miraculorum oſtenſione vera eſſe perſpexerat, in fide roboratus catholica, cum ſuis comilitonibus die pentecoſtes Chriſto regeneratus eſt. Rege itaque baptizato & in fide confirmato, *Auguſtinus* ad civitatem *Galliarum Arelatenſem* progreditur & ab ejuſdem urbis archiepiſcopo *Etherio* nomine archiepiſcopus *Anglorum* ordinatus eſt xvj. kal. Decembris anno prædicto.

§. 4. *Ordinatio Sancti* Auguſtini.

ORdinatuſque *Auguſtinus Angliam* rediit, & cum gloria & omni qua decuit ſolempnitate à rege & populo ſuſceptus eſt, & continuo *Laurentium* presbyterum & *Petrum* monachum *Romam* miſit, qui beato pontifici *Gregorio* referrent regem fidem Chriſti ſuſcepiſſe, & ſe genti *Anglorum* epiſcopum fore ordinatum.

§. 5. *Eccleſia S. Salvatoris recuperata eſt.*

An. Dñi 598.

ANno vero ſequenti dedit idem rex palatium ſuum regium infra civitatem *Auguſtino* & ſucceſſoribus ſuis, ut ibi haberent ſedem metropolitanam imperpetuum, quod regio fultus auxilio recuperavit in eccleſiam, & eam in nomine ſancti Salvatoris conſecravit, atque ibidem habitationem ſibi ſtatuit & cunctis ſucceſſoribus ſuis, quæ uſque hodie vocatur Eccleſia Chriſti *Cantuaria* tocius *Angliæ* matrix & metropolis. Erat autem non longe ab ipſa civitate ad orientem, quaſi medio itinere inter eccleſiam ſancti *Martini* & muros civitatis, phanum ſive ydolum ſitum, ubi rex *Ethelbertus* ſecundum ritum gentis ſuæ ſolebat orare, & cum nobilibus ſuis dæmoniis & non Deo ſacrificare,quod phanum *Auguſtinus* ab inquinamentis & ſordibus gentilium purgavit, & ſimulacro quod in ea erat confracto, ſynagogam mutavit in eccleſiam, & eam in nomine ſancti *Pancraſii* martyris dedicavit, & hæc eſt prima eccleſia ab *Auguſtino* dedicata. Extat adhuc altare in porticu ejuſdem eccleſiæ auſtrali, in quo idem *Auguſtinus* ſolebat celebrare ubi prius ſteterat ſimulacrum regis, in quo altari dum *Auguſtinus* primo miſſam celebraret, diabolus videns ſe de domo quam per longa tempora inhabitaverat expulſum, nitebatur prædictam eccleſiam funditus evertere, cujus rei indicia adhuc apparent exterius orientali muro porticus ſupradictæ.

§. 6. *Conſtructio eccleſiæ S.* Petri *& Pauli.*

HIis itaque geſtis *Auguſtinus* prædictam ſancti *Pancraſii* eccleſiam à rege optinuit una cum terra adjacente, in cujus fundo prædictus rex, ſuggeſtione ſancti patris *Auguſtini*, eccleſiam in honore apoſtolorum *Petri* & *Pauli* à fundamentis conſtruxit, & in eadem eccleſia præfatus rex ſibi & ſucceſſoribus ſuis *Cantiæ* regibus ſepulturam elegit. In hac etiam eccleſia *Auguſtinus* ſe & ſucceſſores ſuos *Cantuariorum* archipræſules ſtatuit ſepeliri. Hæc igitur eccleſia uſque in hodiernum diem monaſterium apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſanctique *Auguſtini* ab omnibus terræ incolis appellatur; ſed & epiſcopia & alia monaſteria idem rex ob expiationem peccaminum ſuorum, ſuggerente ſemper *Auguſtino* & hortante, in dies paſſim fundare machinatur. Dum iſta fuerunt ſic in agendo, *Auguſtinus* cum cultoribus agri Dominici per univerſam regionem *Anglorum* verbi Dei ſemina undique ſeminavit. Ibat namque ſemper tam in via peregrinationis ſuæ verſus *Angliam*

Ethelb. *gliam* & in *Anglia*, tam poſt præſulatum quam ante, pedes abſque vehiculo, patiens laborum ut vetus aſſecla ſanctorum apoſtolorum, nichil ſecum tulerat in hac peregrinationis via, de cupiditate mundana liber & expeditus currebat Dei mandatorum ſemita trahens ſecum ſequacia agmina. Sed ut paucis multa comprehendam, viſis tot miraculorum ſignis turmatim ad baptiſma convolarunt ſacrificiis Idolorum abnegando.

§. 7. *Introductio monachorum in iſtud monaſterium.*

SUſcepto pallio à beato *Gregorio* per *Laurentium* & *Petrum*, de quibus ſupra fit mentio, *Doroberniam* reverſus eſt, & cum apoſtolicis inſigniis in ſua ſede conſecratus intronizatur; & in præfato monaſterio monachos inibi perpetuis temporibus Deo ſervituros inſtituens, *PETRUM* monaſteriali prælatione dignum eidem collegio præfecit, rege aſtipulante, in Abbatem primum. Anno Dominicæ

An. Dñi 605.

incarnationis DCv. *Ethelbertus* rex in fide roboratus catholica, una cum *Berta* regina, filioque eorum *Edbaldo*, ac reverentiſſimo præſule *Auguſtino* cæteriſque optimatibus terræ, ſolempnitatem natalis Dominici celebravit *Cantuariæ*. Convocato igitur ibidem communi conſilio tam cleri quam populi die quinto idus Januarii, omnium & ſingulorum approbatione ac conſenſu, monaſterium ſupradictum per ipſum beatum *Auguſtinum* Deo & monachis ibidem perpetuo domino ſervituris cum dotatione ejuſdem tradidit, atque perpetua libertate donavit, poſſeſſionibuſque terrarum variis & aliis donis ampliſſimis ditavit; ac eidem monaſterii congregationi monachorum ejuſdem, *Petrum* monachum ſuperius nominatum ad abbatiam præpoſuit. Et ut hæc legentibus manifeſtius appareant, tenorem codicellarum regis *Ethelberti* & etiam *Auguſtini* dignum duxi annotare.

§. 8. *De ſitu monaſterii.*

IN *nomine Domini noſtri* Jheſu Chriſti. *Notum ſit omnibus tam præſentibus quam poſteris, quod ego* Ethelbertus *Dei gratia rex* Anglorum *per evangelicum genitorem meum* Auguſtinum *de ydolatra factus Chriſticola, tradidi Deo per ipſum antiſtitem aliquam partem terræ juris mei ſub orientali muro civitatis* Doroberniæ, *ubi ſcilicet per eundem in Chriſto inſtitutorem monaſterium in honore principum apoſtolorum* Petri & Pauli *condidi, & cum ipſa terra & cum omnibus quæ ad ipſum monaſterium pertinent perpetua libertate donavi, adeo ut nec michi nec alicui ſucceſſorum meorum regum, nec ulli unquam poteſtati ſive eccleſiaſticæ ſive ſeculari quicquam inde liceat uſurpare, ſet in ipſius abbatis ſint omnia libera dicione. Si quis vero de hac donatione noſtra aliquid minuere aut irritum facere temptaverit, auctoritate Dei & beati papæ* Gregorii *noſtrique apoſtoli* Auguſtini *ſimul & noſtra inprecatione, ſit hic ſegregatus ab omni ſancta eccleſia communione, & in die judicii ab omni electorum ſocietate. Circumcingitur hac terra hiis terminibus. In oriente eccleſia ſancti* Martini *& inde ad orientem* **be Sewennedowne**, *& ſic ad aquilonem* **be Wykengemearke**. *Iterum ad orientem & ad auſtrum* **be Burewaremearke** *& ſic ad auſtrum & occidentem* **be Kyngyſmearke**, *ſicque ad occidentem* **to Reverchepe**, *& ita ad aquilonem* **to Drontingeſtrete**. *Actum eſt hoc in civitate* Doroberniæ *anno ab incarnatione Chriſti ſexcenteſimo quinto.*

Augustini. Iſta autem occultata interpretatio traditur ſic intelligentiæ modernorum. Circumcingitur, &c. in oriente eccleſia ſancti *Martini*, & inde ad orientem **be Pellehelle**, & ſic ad aquilonem **be Wibeſcrowche**, iterum ad orientem & ad auſtrum uſq; ad **Fiſſpole**; & ſic ad auſtrum & occidentem uſque ad regiam viam ducentem à **Chaldane crouch** uſque *Cantuariam*. Sicque ad occidentem **to Reverchepe**, & ita ad aquilonem **to Drontynton**. Actum, &c.

§. 9. *Donatio de* Chiſtelet & Sturreya.

REx Anglorum Ethelbertus *miſericordia Dei omnipotentis catholicus, Omnibus ſuæ gentis fidelibus & adventum gloriæ magni Dei & ſalvatoris Domini noſtri* Jheſu Chriſti *beata ſpe expectantibus ſalutem vitaque æternæ beatitudinem. Largienteque ſummi regis clementia, Ego* Ethelbertus *in ſolio paterno confirmatus, paceque divinitus conceſſa, eo jam per decem quinquennia ſeptrigera poteſtate potitus, per venerabiles ſacræ fidei doctores Spiritus ſancti gratia irradiatus, ab errore falſorum Deorum ad unius veri Dei cultum toto corde converſus, ne ingratus beneficiorum appaream, illi à cujus ſancta ſede nobis in regione umbræ mortis ſedentibus lux veritatis emicuit, inter alias quas fabricavi eccleſias monitu & hortatu beatiſſimi papæ* Gregorii *& ſancti patris noſtri* Auguſtini *epiſcopi, beatiſſimo apoſtolorum principi* Petro *& doctori gentium* Paulo *monaſterium à fundamentis conſtruxi, illudque terris variiſque poſſeſſionum donariis decorare ſtudui, inibique monachos Deum timentes aggregari feci, & cum conſilio ejuſdem reverentiſſimi archipræſulis* Auguſtini, *ex ſuo ſancto ſanctorum collegio venerabilem virum ſecum ab apoſtolica ſede directum* Petrum *monachum elegi, eiſque ut eccleſiaſticus ordo expoſcit abbatem præpoſui. Hoc igitur monaſterium ad provectum debiti culminis promovere deſiderans, ſuarumque poſſeſſionum terminos dilatare geſtiens, ſana mente integroque conſilio cum* Eadbaldi *filii mei, aliorum nobiliumque optimatum meorum conſenſu, ob redemptionem animæ meæ & ſpem retributionis æternæ obtuli ei etiam villam nomine* Sturyagao. *alio nomine dictam* **Chiſteley**, *cum omnibus redditibus ei jure competentibus, cum mancipiis, ſilvis cultis vel incultis, pratis, paſcuis, paludibus, fluminibus & contiguis ei maritimis terminis eam ex una parte cingentibus, omnia mobilia vel immobilia, in uſus fratrum ſub regulari tramite & monaſtica religione inibi Deo ſervientium, miſſurium etiam argenteum, ſcapton aureum, iterum cellam cum freno aureo & gemmis exornatam, ſpeculum argenteum, armigaiſia oloſerica, camiſiam ornatam quod michi de domino papa* Gregorio *ſedis apoſtolicæ directum fuerat. Quæ omnia ſupradicto monaſterio gratanter optuli. Quod etiam monaſterium ipſe ſervus Dei* Auguſtinus *ſanctorum apoſtolorum ac martyrum reliquiis, variiſque eccleſiaſticis ornamentis ab apoſtolica ſede ſibi tranſmiſſis copioſe ditavit, ſeſeque in eo & cunctos ſucceſſores ſuos ex auctoritate apoſtolica ſepeliri præcepit ſcriptura dicente non eſſe civitatem mortuorum ſed vivorum, ubi etiam michi & ſucceſſoribus* *meis ſepulturam providi. Sperans me quandoque ab ipſo apoſtolici ordinis principe, cui dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit, & claves regni cœlorum tradidit, à peccatorum nexibus ſolvi, & æternæ beatitudinis januam introduci, quod monaſterium nullus epiſcoporum, nullus ſucceſſorum meorum regum in aliquo lædere aut inquietare præſumat, nullam omnino ſubjectionem in ea ſibi uſurpare audeat. Sed Abbas ipſe qui ibi fuerit ordinatus, intus & foris cum conſilio fratrum ſecundum timorem Dei libere eam regat & ordinet, ita ut in die Domini dulcem illam piiſſimi redemptoris noſtri vocem mereatur audire dicentis,* Euge ſerve bone, *&c. Hanc donationem meam in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti largitate divina, ut michi tribuatur peccatorum remiſſio, per omnia cum conſilio reverentiſſimi patris* Auguſtini *condidi, idque ad ſcribendum* Augemundum *presbyterum ordinavi. De hiis igitur omnibus quæ hic ſcripta ſunt, ſi quis aliquid inde minuere præſumpſerit, ſciat ſe æquiſſimo Judici Deo & beatiſſimis apoſtolis* Petro *&* Paulo *rationem eſſe redditurum. Confirmata eſt hæc donatio præſentibus teſtibus reverentiſſimo patre* Auguſtino Dorobernenſis *eccleſiæ archiepiſcopo primo,* Mellito *quoque &* Juſto Londonienſis *&* Roffenſis *eccleſiæ præſulibus, &c. Actum ſane xlv. anno regni noſtri, anno Domini* DC.v. Iſta exennia, ſcilicet miſſurium argenteum, &c. quo jam devenerunt penitus ignoratur; quidam opinantur quod tempore quo *Dani* iſtam terram vaſtarunt, propter frequentes eorum in partibus iſtis irruptiones iſta fuerunt abſcondita in locis abditis, ſicut & multæ reliquiæ tunc fuerunt, quæ nondum ſunt omnes adhuc patefactæ. Alii dicunt, quod tempore redemptionis regis *Ricardi* à carcere ducis *Oſtriciæ* prædicta exennia fuerunt extracta ab hoc monaſterio, ſicut & calices & cætera vaſa aurea & argentea, in adjutorium redemptionis antedictæ; quod ſaltim de omnibus non videtur eſſe verum: Nam reliquiæ quas ſanctus *Auguſtinus* ſuperius memoratur huic monaſterio dediſſe multæ manent uſque adhuc, ſicut crux biſurcata, & de tunica inconſutili, de capillis beatæ *Mariæ*, de virga *Aaron*, &c. multæ quæ longum eſſet enarrare. Habemus eciam bibliam ſancti *Gregorii* & evangelium ejuſdem & quaſdam capas veteres, quæ omnia idem *Gregorius* miſit *Auguſtino* una cum pallio per *Laurentium* presbyterum & *Petrum* monachum.

§. 10. *Privilegium ſancti* Auguſtini.

AUguſtinus *epiſcopus* Doroberniæ *ſedis famulus, quem ſuperna inſpirante clementia beatiſſimus papa* Gregorius Anglicæ *genti Deo adquirendæ legatarium miſit ac miniſtrum, Omnibus ſucceſſoribus ſuis epiſcopis cunctiſque* Angliæ *regibus cum ſuis poſteris atque omnibus Dei fidelibus, & in fide & gratia ſalutem & pacem. Patet omnibus, quod Deo amabilis rex* Ethelbertus *primus* Anglorum *regum Chriſti regno ſacratus, noſtra inſtantia & ſua prodiga benevolentia inter cæteras eccleſias quas fecit & epiſcopia, monaſterium extra metropolim ſuam* Doroberniam *in honore principum apoſtolorum* Petri *&* Pauli *regaliter condidit, & regalibus opibus ampliſque poſſeſſionibus ditavit, dilatavit, magnificavit, perpetua libertate, & omni jure regio cum omnibus rebus & judiciis intus & foris illi pertinentibus munivit, ſuoque regio privilegio & ſuperni judicii imprecatione atque apoſtolica ſancti papæ* Gregorii *interminatione excommunicatoria contra omnem injuriam confirmavit. Ego quoque ejuſdem libertatis adjutor & patrocinator, omnes ſucceſſores meos archiepiſcopos omneſque eccleſiaſticas vel ſeculares poteſtates per Dominum* Jheſum Chriſtum *& apoſtolorum ejus reverentiam obteſtor, atque apoſtolica memorati patris noſtri papæ* Gregorii *interminatione interdico, ne quiſquam unquam ullum potentatum aut dominatum aut imperium in hoc Dominicum vel Apoſtolicum monaſterium, vel terras vel eccleſias ad illud pertinentes uſurpare præſumat, nec ulla prorſus ſubjugationis aut ſervitutis aut tributi conditione, vel in magno vel in minimo, Dei miniſtros inquietet aut opprimat. Abbatem à ſuis fratribus electum in eodem monaſterio non ad ſuum famulatum ſed ad dominicum miniſterium ordinet, nec ſibi hunc obaudire ſed Deo ſuadeat; Nec vero ſibi ſubjectum, ſed fratrem, ſed conſortem, ſed collegam & comminiſtrum in opus Dominicum eum reputet. Non ibi miſſas quaſi ad ſuæ ditionis altare, nec ordinationes vel benedictiones uſurpative ſine abbatis vel fratrum petitione exerceat. Nullum ſibi jus conſuetudinarium vel in viliſſima re exigat, quatinus pacis concordia unum ſint in Domino utrimque: Nec quiſquam, quod abſit, dominandi diſſidio in judicium incidat diaboli, qui ſuperbia tirannide corruit de cœlo.* Reges gentium, *inquit dominus,* dominantur eorum, vos autem non ſic. *Cumque ab alienigenis non à filiis accipiantur tributa, ſic ipſe dominus concludit,* ergo liberi ſunt filii. *Qua ergo irreverentia patres eccleſiarum in filios regni Dei ſibi vendicant dominationem, maxime autem in hanc eccleſiam ſanctorum theſaurariam, in cujus materno utero tot pontificum* Doroberniæ *regumque ac principum corpora ſperamus alma refovenda ſepultura requie, ex auctoritate ſcilicet apoſtolica, & hinc ad æternam gloriam reſuſcitanda? Tales ſupremi judicis amicos ſi quis offendere non metuens hujus privilegii ſtatuta violaverit, vel violatorem imitando vim ſuam tenuerit, ſciat ſe apoſtolico beati* Petri *gladio per ſuum vicarium* Gregorium *puniendum niſi emendaverit. Hæc igitur omnia uti hic ſunt ſcripta, apoſtolica ipſius inſtitutoris noſtri* Gregorii *comprobatione & auctoritate ſervanda ſancimus, ſuoque ore confirmamus, præſente glorioſo rege* Ethelberto *cum filio ſuo* Eadbaldo *& collaudante cum ipſo, & omnibus optimatibus regiis, atque ultro volentibus reverentiſſimis fratribus noſtris à ſancta* Romana *eccleſia huc mecum vel ad me in evangelium Domini deſtinatis: ſcilicet* Laurentio, *quem nobis Deo favente ſucceſſorem conſtituimus, &* Mellito Londonienſi *epiſcopo, &* Juſto Roffenſi *epiſcopo, &* Petro *venerabili ejuſdem monaſterii principum apoſtolorum abbate primo, cum cæteris in Domino adjutoribus meis obnixe poſtulantibus, ſimulque in eos qui hæc fideliter ſervaverint benedictionem, aut inpenitentes, quod nolumus, tranſgreſſores dampnationem exercentibus.*

Iſtud privilegium habetur ſub bulla ejuſdem *Auguſtini* plumbea, de qua nemo miretur, nam cum idem *Auguſtinus Romanus* eſſet et legatione *Anglorum* apoſtolus, eundemq; potuit ſervare modū quantum ad perſonæ ſuæ dignitatem ratione legationis

ſuæ

Ethelb.

ſuæ apoſtolicæ in eccleſia *Anglicana*, quem modum tunc ſervavit dominus apoſtolicus *Gregorius* in eccleſia *Romana*. Similiter eciam modernis temporibus quidam epiſcopi in partibus tranſmarinis utebantur bulla plumbea, unde cum prædictum *Auguſtini* privilegium argueretur falſi propter bullam plumbeam ab archiepiſcopo *Cantuarienſi Ricardo*, quidam epiſcopus tranſmarinus dedit domino *Philippo* Comiti *Flandriæ* talem bullam plumbeam qua ipſe epiſcopus & anteceſſores ſui utebantur. Quam bullam idem Comes ad majorem veritatis evidentiam miſit Abbati ſancti *Auguſtini*. Quæ bulla plumbea cum cæteris monimentis ſemper reſervatur. In cujus bullæ una ſuperficie hæc eſt ſcriptura. *Sigillum Prothomartiris Stephani*, alterius ſuperficiei ſcriptura minus apparente. Sancti autem papæ *Gregorii* nullum omnino habemus privilegium, nam idem papa anno DCV. iiij idus Marcii diem clauſit extremum.

§. 11. *Obitus* Auguſtini.

MOnaſterio igitur iſto regali donatione ſic dotato, & apoſtolico *Auguſtini* privilegio perpetua libertate confirmato, anno quo ſupra ſeptimo kal. Junii feria iij. Deo dilectus pater *Auguſtinus* de cœlo vocatus eſt; ſepultuſque eſt foras eccleſiam apoſtolorum *Petri & Pauli*, quia nondum tunc erat perfecta nec eciam dedicata. Mox vero ut dedicata eſt, introlatum eſt corpus ejus, & in porticu illius aquilonali honore quo decuit per ſuum ſucceſſorem *Laurentium* ſepultum eſt, in qua eciam porticu ſubſequentium archiepiſcoporum corpora ſunt tumulata uſque ad *Theodorum*, Qui & ſui ſucceſſores in eccleſia alibi ſunt ſepulti, eo quod prædicta porticus plura corpora capere non poterat. Hæc porticus erat in veteri eccleſia ubi nunc eſt capella beatæ virginis. In cujus medio erat altare in honore beati *Gregorii* dedicatum, ut *Beda* in libro ſecundo de geſtis *Anglorum* capitulo tertio commemorat. De anno obitus beati *Auguſtini* multi erraverunt, putantes eum obiſſe anno Domini DC. xiij. Cauſa hujus erroris eſt quædam falſa ſcriptura in quorundam cronicis, quæ dicit *Auguſtinum* ſediſſe in epiſcopatu xvi. annis. *Beda* enim libro ſecundo de geſtis *Anglorum* ca. iij. refert *Auguſtinum* ordinaſſe duos epiſcopos ſcilicet *Mellitum* & *Juſtum* anno domini DC. iiij. *Mellitum* ad *Lond.* *Iuſtum* ad *Roff.* Et parum poſt in eodem capitulo habetur ſic. *Defunctus eſt Deo dilectus* Auguſtinus *& poſitum eſt corpus ejus, &c.* *Bonifacius* papa iiij. in privilegio confirmationis & libertatis hujus monaſterii cujus data eſt iij. kal. Marcij anno Domini DC. x. ſic narrat. *Vbi & ipſe veſter præfatus vere Deo dilectus & in gloria reſurrecturus pater* Auguſtinus *requieſcit*. In textu autem ſancti *Adriani* ſic ſcribitur. *Anno Domini* DC. v. iiij *idus Marcij obiit beatus Gregorius, & eodem anno vij. kal. Iunii beatus Auguſtinus*. Ex quibus ſatis liquide apparet *Auguſtinum* non ſediſſe xvi. annis. Nam anno domini D.lxxxxvj. ad *Angliam* mittitur, anno ſequenti in archiepiſcopum ordinatur. Anno domini DC j. ſuſcepit pallium & anno DC v. moritur, quo defuncto ſucceſſit ſanctus *Laurentius*, quem adhuc vivens beatus *Auguſtinus* iccirco in epiſcopum ordinaverat, ne tam rudis eccleſiæ ſtatus ſe defuncto vel ad horam paſtore deſtitutus inciperet vacillare.

Laurent.

§ 12. *Obitus Petri.*

An. Dñi. 607.

ANno Domini DC. vij. venerabilis *Petrus* hujus monaſterii Abbas primus dum ad *Gallias* à rege *Ethelberto* nuntius mitteretur, in ſinu maris juxta *Bononiam* ſupra mare qui vocatur **Amfleet** ſubmerſus eſt, atque ab incolis loci illius ignobili traditus ſepulturæ. Sed omnipotens Deus ut qualis meriti vir fuerit demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulcrum ejus cœleſtis ſplendor apparuit, donec animadvertentes vicini qui opinabantur ſanctum eſſe virum qui ibi eſſet ſepultus, & inveſtigantes unde vel quis eſſet, abſtulerunt corpus ejus, & in *Bononia* civitate juxta honorem tanto viro condignum in eccleſia ſanctæ *Mariæ* ſepelierunt.

CAP. 2.

§. 1. *Præfectio* Johannis *in abbatem.*

INtellecta igitur morte venerabilis abbatis *Petri*, *Iohannes* ejuſdem congregationis monachus & ab apoſtolica ſede cum beato *Auguſtino* directus, eligente fratrum collegio & rege *Ethelberto* approbante per *Laurentium* archiepiſcopum in abbatem benedicitur. Anno domini DC. ix. *Mellitus Londonienſis* epiſcopus miſſus eſt à rege *Ethelberto* & archiepiſcopo *Laurentio* ad *Bonifacium* papam quartum, de neceſſariis eccleſiæ *Anglorum* tractaturus, ac etiam confirmationem ſedis Apoſtolicæ pro iſto monaſterio optenturus. Quem idem papa honorifice ſuſcipiens, congregavit Synodum epiſcoporum *Ytaliæ* de ſtatu eccleſiæ tractaturus. In qua Sinodo ipſo præſente *Mellito*, monaſterium iſtud confirmavit, & confirmationis privilegium recitavit ſub hac forma, *Bonifacius epiſcopus, &c. Omnipotentis Dei*, & infra. *Petitio tua hæc eſt, ut eccleſia beatiſſimorum apoſtolorum* Petri *&* Pauli *&c. Hujus igitur beatiſſimi apoſtolorum principis* Petri *auctoritate ordinamus atque perpetua ſtabilitate ſtabilimus, ut præfatum monaſterium apoſtolicis prærogativis præmunitum, in initio naſcentis Chriſtianæ religionis in veſtro regno conſtructum, atque in monaſtico ordine primum, cum omnibus ad ſe pertinentibus ab omni ſervicio ſit liberum, ab omni mundiali ſtrepitu inconcuſſum, nec eccleſiaſticis conditionibus ſeu angariis vel quibuſcumque obſequiis ſecularibus ullo modo ſubjaceat, nullis canonicis juribus deſerviat, quia incongruum valde videtur, qualicumque modo alterius ditioni deſervire quod apud vos eſt primum in hac religione. Vnde interdicimus in nomine domini noſtri Iheſu Chriſti, ex auctoritate ejuſdem beatiſſimi apoſtolorum principis* Petri, *cujus vice huic Romanæ præſidemus eccleſiæ, ut à præſenti nullus præſulum, nullus ſecularium præſumat in dominium hujus eccleſiæ aliquo modo ſeſe ingerere, vel quamlibet imperandi poteſtatem ſibi uſurpare, vel alicujus inquietudinis moleſtias inferre, vel aliquam conſuetudinem omnino quamvis leviſſimam ſibi attribuere, vel etiam niſi abbatis rogatu vel fratrum in ea miſſas facere, ſet communis filius noſter abbas* Johannes *omnia libere teneat, poſſideat, cum conſilio fratrum deum timentium omnem utilitatem loci intus vel foris bene ordinet atque diſponat; & ſic remota vexatione & cuncto gravamine divinum ſervitium peragant cum tota animi devotione. Poſt*

cujus

Edbaldus. *cujus obitum non extraneus aſſumatur ſet de eadem congregatione, & quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit. Et qui electus fuerit ſine dolo vel venalitate aliqua ordinetur atque in eodem loco conſecretur. Si autem, quod non optamus, aptam inter ſe perſonam invenire nequiverint, ſolerter ſibi de aliis monaſteriis ſimiliter eligant ordinandum. Hac itaque noſtra inſtitutionis decreta, &c. Data iij. kal. Marcij Anno DC. x.* Quod privilegium habetur ſub bulla plumbea & in archivis noſtris reſervatur cum bullis & privilegiis *Ethelberti* atque *Auguſtini*.

§. 2. *Sanctus* Auguſtinus *ſepelitur in eccleſia* Petri *&* Pauli.

An. dñi. 613. ANno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo xiij. beatus *Laurentius* archiepiſcopus ab *Hibernientium* & *Scottorum* prædicatione regreſſus conſecravit eccleſiam iſtam præſente rege *Ethelberto* cum confluis turbis, & ſanctum corpus *Auguſtini* in eccleſiam introduxit conſecratam, atque in porticu aquilonali ut prædictum eſt ſepelivit. Corpus vero ſancti *Letardi* & *Bertæ* reginæ in porticu ſepelivit ſancti *Martini*, iſta enim duo corpora extra eccleſiam primo fuerant ſepulta eo quod tempore obitus eorum eccleſia non fuerat conſecrata. Et nota quod iſta *Berta* fuit filia *Auberti* regis *Pariſiorum* qui fuit pronephos *Clodovei* regis *Francorum* primi Chriſtiani. Nam mortuo *Clodoveo* quatuor ejus filii, videlicet *Theodoricus*, *Clodomirus Childebertus & Clotarius* regnum inter ſe diviſerunt, ſcilicet *Theodoricus Metis* cum *Germania*. *Clodomirus Aurelianis* cum *Burgundia* & *Provincia* & *Aquitania*. *Childebertus* apud *Pariſium* regnans habuit *Flandriam* & *Normanniam*. *Clotarius Sueſſion* cum *Lotoryngia*. Et iſte *Letardus* epiſcopus *Silvanectenſis* in *Galliis*, cujus metropolis eſt archipræſulatus *Remenſis* in eccleſia ſancti *Martini*, ipſi reginæ Chriſti cultus myſteria exhibebat, ubi eciam *Auguſtinus* cum ſociis obſequiis ſe dedere divinis, ipſo rege *Ethelberto* ritibus paganicis adhuc ſerviente. Anno ab incarnatione domini ſexcentecimo ſextodecimo 616. qui eſt annus xxj. ex quo beatus pater *Auguſtinus* cum ſociis ad prædicandum *Anglis* miſſus eſt, *Ethelbertus* rex *Cantiæ* poſt regnum temporale quod lvj. annis ſtrenuiſſime tenuerat, æterni cœleſtis gaudia ſubiit xxiiij. die menſis Februarii, atque in porticu ſancti *Martini* intro eccleſiam ſepultus eſt, ubi *Berta* regina jacet condita. Cui ſucceſſit in regnum *Edbaldus* filius ejus, quod tenello eccleſiæ ſtatui adhuc magno detrimento fuit; ſiquidem non ſolum fidem Chriſti recipere noluerat, ſet & fornicatione pollutus eſt tali qualem nec inter gentes auditam apoſtolus teſtatur, ita ut uxorem patris haberet, & novercæ ſuæ pudorem per inceſtum expugnaret. Unde contigit ut reguli quos pater ſuus ſuo imperio ſubjugaverat per vices rebellarunt. Iſte multociens crebro efflatus dæmonio inconſtans fide incertus pendebat, ſed divina diſpenſatione atque *Laurentii* archiepiſcopi aſſidua prædicatione, demumque verberibus apoſtolicis ipſi *Laurentio* propter ipſum regem mirabiliter inflictis, (prout in vita ejuſdem *Laurencii* lucidius patet) idem rex omnino ydolatriæ cultu relicto, abdicatoque connubio illegitimo, ad paternam pietatem converſus, fidem Chriſti ſuſcepit, & baptizatus à *Laurentio* archiepiſcopo eccleſiæ rebus in quantum valuit in omnibus conſulere ac favere curavit. Unde & in iſto monaſterio eccleſiam in honore ſanctæ Dei genitricis ob facinorum ſuorum expiationem fundavit, & ipſam eccleſiam manerio de **Nordborn** regaliter dotavit. *Laurentius &c.*

§. 3. *Donatio de* **Nordburne**.

HOc manerium eſt xxx. aratrorum ut in codicella ejus apparet, quod manerium huic monaſterio ita libere contulit ſicut pater ſuus aut ipſe unquam liberius tenuerunt. Iſta autem eccleſia beatæ Virginis à principio fuit poſita ad orientem monaſterii; & erat cimiterium fratrum inter ipſam eccleſiam & monaſterium, ſet poſt dilatato monaſterio fuit iſta eccleſia penitus proſtrata, & ibi ſuperædificata cripta, ſicut nunc apparet. Ipſa fuit eccleſia quam beatus *Dunſtanus* ita aſſiduo frequentabat, in qua vidit choros angelicos cum ipſa Dei genitrice cantantes & dicentes, *Cantemus Domino ſocia, cantemus honorem.* Iſtud manerium fuit datum ſub anno Domini 618.

§. 4. *Fundatio eccleſiæ S.* Petri *vulgo* **Weſtmoſter.**

CIrca hæc tempora quidam civis *Londonienſis* ad inſtigationem quondam regis *Ethelberti* conſtruxit eccleſiam in honore ſancti *Petri* apoſtoli in occidentali parte ejuſdem urbis, in loco qui **Thorneie** tunc dicebatur, & ſonat quaſi *Spinarum inſula*; nunc autem dicitur *Weſtmoſterium*. An. dñi. 618.

CAP. III.

§. 1. *Obitus* Johannis *Abbatis*.

ANno dominicæ incarnationis DC. xviij. venerabilis *Iohannes* hujus monaſterii abbas ſecundus paſtoris curam relinquens cœlo ſumptus, in eccleſia dei genitricis memorata ſepultus eſt. Set poſtea cum aliis ſanctis ab eadem eccleſia delatus poſitus eſt in muro retro altare ſancti *Gregorii*. Cui ſucceſſit *Ruffinianus* & ab apoſtolica ſede cum *Auguſtino* olim directus, & ab archiepiſcopo *Laurentio* in iſto monaſterio eſt benedictus. Anno ſequenti *Laurentius* archiepiſcopus ſolum pro cœlo iij. Non. Febr. commutans, in memorato monaſterio juxta prædeceſſorem ſuum *Auguſtinum* ſepelitur. Et *Laurentio* ſucceſſit *Mellitus* qui erat *Londonienſis* epiſcopus primus, qui poſtquam v. annis *Dorobornenſem* rexiſſet eccleſiam viij. kal. Maij diem ſuum clauſit extremum, ſepultus cum patribus ſuis *Auguſtino* & *Laurentio*; Cui ſucceſſit *Juſtus* tunc epiſcopus *Roffenſis* primus, vir plenus omni ſanctitate. Anno domini DC. xxvi. moritur *Ruffinianus* hujus loci abbas iij. & cum *Iohanne* prædeceſſore ſuo ſepelitur. Poſtmodum in majorem eccleſiam aliis eſt conjunjunctus. Cui ſucceſſit *Gracioſus* qui eodem anno à *Iuſto* archiepiſcopo eſt benedictus, & etiam iſte erat *Romanus*, & cum beato *Auguſtino* directus. Anno domini Dc. xxxv. ſanctus *Iuſtus* iiij. idus Novembris moritur & cum prædeceſſoribus ſuis ſepelitur. 635. Et in ſecundo anno poſt ſucceſſit in præſulatum *Honorius*, de ſacro collegio apoſtolici viri *Auguſtini* antea aſſumptus. Anno DC. xxxviij. 638. *Gracioſus* hujus monaſterii abbas iiij. obiit. Ubi vero fuerit ſepultus

Ercombert. Rex. pultus mentio non habetur. Cui ſucceſſit *Petronius*
Romanus qui ab archiepiſcopo *Honorio* in eccleſia
An. Dñi *Petri* & *Pauli* eſt benedictus anno Domini DC. xl.
640. Et eodem anno xj. kal. Febr. obiit *Eadbaldus* rex
ſui regiminis anno xxij. & eſt ſepultus juxta patrem
ſuum in loco ſuperius nominato. Et ſecundo anno
poſt moritur *Emma* regis *Eadbaldi* uxor, & regina;
atque regis *Francorum* filia; et eſt ſepulta juxta virum
ſuum. Set modo jacent ambo ad altare ſancti
653. *Johannis*. Et anno domini incarnati DC. liij. moritur
Honorins archiepiſcopus ultimo die menſis Septembris,
& cum prædeceſſoribus ſuis congrue ſepelitur,
& vacavit archiepiſcopatus per annum unum &
654. menſes vi. Anno DC. liiij. *Petronius* hujus cœnobii
abbas quintus moritur, & ubi ſepelitur mentio non
habetur. Cui ſucceſſit *Nathanael* vir probitate decoratus,
quondam cum *Mellito* & *Juſto* à *Roma* ad
655. *Angliam* deſtinatus, qui anno DC. lv. à beato *Deuſdedit*
ſucceſſore *Honorii* in ercleſia ſua ad magnum
altare ſancti *Petri Auguſtini* fuit benedictus,
regnante tunc ſuper *Cantiam* rege *Ercomberto* filio
& hærede *Eadbaldi*. Iſte *Ercombertus* primus in toto
regno ydola deſtruxit. Jejunium quadrageſimale
664. obſervare præcepit. Anno Domini DC. lxiv. rex
Cantiæ Ercombertus obiit & cum patribus ſuis ſepultus
eſt in monaſterio prædicto. Et eodem anno
idus Julii *Deuſdedit* archiepiſcopus ergaſtulo hujus
vitæ abſolutus bravium ſui itineris comprehendit, &
cum prædeceſſoribus ſuis ſepelitur. Anno domini
667. DC. lxvij. *Nathanael* hujus monaſterii abbas vj.
diem clauſit ultimum, & quo ſepultus fuerat ſicut de
duobus aliis ſcriptura non commemorat. Et vacavit
monaſterium per duos annos.

§.2. *Adventus* Adriani & Theodori.

670. ANno Dominicæ incarnationis DC. lxx. ſexto
kal. Junii beatus *Theodorus* miſſus à *Vitaliano*
papa ad regimen *Cantuarienſis* eccleſiæ, acceperat
enim legationis poteſtatem à præfato apoſtolico
ſuper *Angliam*, *Scotiam* & *Hiberniam*. Qui ſtatim
ut abbatiam iſtam per obitum *Nathanaelis* intellexit
vacantem, proviſionem ejuſdem monaſterii ſuper
ordinando abbate ad opus beati *Adriani* auctoritate
apoſtolica reſervavit. Præceperat enim Dominus
papa *Theodoro* abeunti, ut in dioceſi vel provincia
ſua provideret & daret locum beato *Adriano* in
quo cum ſuis apte degere poſſet, ut ei dux, comes &
cooperator eſſet evangelicus, ne *Theodorus*, eo quod
Græcus eſſet, veritati aliquid diſſonum & fidei,
Græcorum more, in eccleſiam introduceret. Igitur
anno domini DC. lxx. iij. kal. Octobris beatus *Adrianus*
à carcerali cuſtodia Ducis *Ebronii Galliæ*
dimiſſus, ad beatum *Theodorum* pervenit; Qui ſtatim
dedit ei apoſtolica fretus auctoritate, monaſterium
iſtud ad regendum, ſicque qui totius *Anglicanæ*
eccleſiæ ſubterfugit primatum, divina diſponente
clementia apoſtolorum *Petri* & *Pauli* primum &
præcipuum in eccleſia *Anglicana* ſortitus eſt monaſterium.
Quis & qualis & unde fuerat iſte *Adrianus*,
& de adventu ejus & miraculis tractatus legenti
lucide poterit apparere. *Adrianns* abbas ſeptimus
poſtquam regimen hujus monaſterii fuit adeptus,
impetravit privilegium à *Deodato* papa ſecundo
ſuper libertate hujus monaſterii, & ſuper electione
Abbatis, in quo juxta finem, contra tranſgreſſores
ſic addit. *Si quis hæc decreta apoſtolicæ ſedis contraire*
Theodorus Archiep. *temptaverit, ſi præſul eſt vel miniſter eccleſiæ
ſciat ſe proprio privatum eſſe officio: ſi vero laicus
vel ſecularis, à participatione corporis & ſanguinis
Iheſu Chriſti ſciat ſe eſſe alienum.* Hoc privilegium
non habemus ſub plumbo, ſed tranſcriptum
in textu *Adriani* & in pluribus aliis locis. Impetravit
eciam privilegium *Agathonis* papæ & concordat
cum privilegio *Bonifacii* papæ iiij. quod habetur
ſub plumbo.

§. 3. **Stodmerſh** & **Fordwyc** *data ſunt.*

An. Dñi 673. ANno domini DC. lxxiij. *Lotharius* rex x. anno
regni ſui dedit huic monaſterio terram trium
aratrorũ in mariſco, quæ appellatur **Stodmerſh**
ita libere ſicut eam prædeceſſores ſui umquam tenuerunt.
677. Et anno DC. lxxvij. *Theodorus* archiepiſcopus
collecto venerabilium ſacerdotum & doctorum
congregavit ſynodum apud **Hethflete** de articulis
fidei ad tractandum, inter quos idem pater *Adrianns*
lumine ſcientiæ & intellectus præ cæteris irradiabat.
680. Anno Domini DC. lxxx. quarto *Lotharius*
rex nonas Februarii moritur, & in eccleſia juxta
686. *Ercombertum* ſepelitur. Et anno DC. lxxxvj.
Edricus rex ſucceſſor *Lotharii* dedit huic monaſterio
pro decem libris argenti quas à beato *Adriano*
abbate acceperat, terram quæ contigua eſt terræ
quam *Lotharius* rex apud **Stodmerſh** contulit. Quæ
terra determinatur iſto modo. Ex una parte habet
vadum quod appellatur **Ford** ſtrata publica in directum,
& à parte alia flumen quod nominatur
Sture. Iſtis temporibus fuit interfectio *Ethelredi*
& *Ethelberti* ſub *Egberto* rege, & fundatio monaſterii
de **Menſtre** in *Thaneto*; quæ omnia geſtis
687. *Rogeri* ſecundi relinquuntur addenda. Anno domini
DC. lxxxvij. *Mulus* rex alienigena moritur, & in
eccleſia iſta cum aliis regibus ſepelitur. Iſte *Mulus*
frater erat regis Suſſexiæ *Cedwalli*, qui poſt mortem
Edrici invadens *Canciam*, eam undique depopulavit,
venienſque *Cantuariam* dum ſibi à civibus
reſiſteretur, ſuis pene omnibus interfectis, fugit ad
quandam domum cum xij ſociis; quo comperto,
Cantnarita domum prædictam vallaverunt, flammis
circumdederunt, & ſic dictum *Mulum* regem
intruſorem cum ſuis ſociis in ipſa domo pariter extinxerunt,
pro cujus morte rex *Weſtſaxonum Ine*
recepit à *Cantuaritis* iij. M. libras.

§.4. *De terris de* **Bodeſham** *& aliis datis.*

CIrca hæc tempora quidam *Swebardus* rex qui
regnum *Cantuariorum* violenter obtinuerat, dedit
Eabbæ Abbatiſſæ de **Menſtre** quæ præceſſit beatam
Mildredam, terram quæ continet xliiij. manentes,
in loco qui dicitur **Inſudaneye** juxta inſulam
de **Thanet**; & curtem xij. manentes habentem in
loco qui dicitur **Sturreye**. Parvoque poſtea tempore
idem rex dedit eidem abbatiſſæ terram duorum
aratrorũ in **Sturie** & terram trium aratrorũ in loco
qui dicitur **Bodeſham**. Per idem tempus *Oſwynus*
rex dedit prædictæ abbatiſſæ quandam terram in
Sturre x. manentes habentem, & terram in
Thanet xviij. manentes continentem. Circa hæc
tempora idem *Oſwynus* rex dedit abbati *Adriano*
terram unius aratri quæ tunc pertinebat ad Curiam
de *Lemynge* in qua terra ſolebat eſſe mina ferri.
690. Anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo xiij. kal.

Witbredus. Rex. Octobris obiit ſanctus archiepiſcopus *Theodorus*, ſenex & plenus dierum, ſepultuſque eſt cum prædeceſſoribus ſuis in eccleſia *Petri* & *Pauli* prænominata. Sequenti anno *Witredus* rex *Cancia* cum uxore ſua *Kynegitha* dedit *Eabba* abbatiſſæ ſupradictæ terram iiij. aratrorum in **Thaneto**, quæ terra vocatur **Dymaton & Ledene**. Et anno ſequenti primo die menſis Julii electus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem Britwaldus* abbas tunc monaſterii de **Ryculvere**, & ordinatus eſt anno ſequenti tertio kal. Julii à *Godwyno Gallia* metropolitano epiſcopo. Hic *Brithwaldus* fuit primus *Anglicus* qui ſedi *Cantuarienſi* præſidebat, nam prædeceſſores ſui erant omnes *Romani*.

§. 5. *Donatio de* **Litleborne**.

An. Dñi 690. ANnno domini DC. lxxxx. menſe marcio *Withredus* rex *Cancia* cum conjuge ſua *Ethelberga* dedit huic monaſterio & *Adriano* abbati in puram & perpetuam elemoſynam terram quinque aratrorum quæ appellatur **Litleborne**: hac conditione interpoſita, ut tam ejus quam reginæ tam in orationibus noſtris quam in miſſarum ſolempniis memoria jugiter haberetur. Anno ſequente tertio idem rex archiepiſcopo *Brithwaldo* perſuadente, dedit ſæpedictæ abbatiſſæ de **Menſtre** terram nominatam **Haeg** xl. manentium.

§6. Adrianus *obiit & ſucceſſit* Albinus.

708. ANno ab incarnatione domini DCC. viij. reverentiſſimus pater *Adrianus* abbas hujus monaſterii ſeptimus, cooperator in verbo Dei bonæ memoriæ archiepiſcopi *Theodori* defunctus eſt, & in monaſterio ſuo in eccleſia Dei genitricis quam *Edbaldus* rex ſuperius ſcribitur conſtruxiſſe ſepultus, qui eſt annus xli. ex quo à *Vitaliano* papa directus eſt, ex quo autem *Britanniam* venit xxxix. Cui ſucceſſit in regendo *Albinus* prædicti patris diſcipulus de gente *Anglorum* oriundus. Iſte *Albinus* in divinarum Scripturarum ſtudiis ita erat à beato *Adriano* inſtitutus, ut Græcam linguam ſimul & Latinam non minus quam maternam quæ ſibi naturalis erat, æque noverat. Iſte eſt primus *Anglicus* qui ad regimen iſtius monaſterii eſt provectus, nam omnes prædeceſſores ſui erant *Romani*, benedictuſque eſt in monaſterio ſuo à *Brithwaldo* archiepiſcopo dominica in octavis paſchæ anno ſupradicto. Hujus *Albini* ortatu ſimul & adjutorio venerabilis *Beda* hiſtoriam de geſtis *Anglorum* compoſuit, prout idem refert in prologo hiſtoriæ memoratæ. Anno domini 721. DCC. xxi. *Ethelbertus* filius *Withredi* regis dedit terram unius aratri circa flumen de **Limene** & tria jugera prati in loco qui dicitur **Hammeſpoth** ſanctæ *Mildredæ* abbatiſſæ tunc de **Menſtre** xi. die menſis Julii. Anno ſequenti tercio idem *Ethelbertus* dedit prædictæ *Mildredæ* terram dimidii aratri quæ dicitur **Wynormonde**. Anno ſequenti ix. kal. Maij obiit *Withredus* rex, & cum prædeceſſoribus ſuis ſepelitur in monaſterio memorato, & eſt ultimus regum in hoc monaſterio quieſcentium. Anno domini DCC. xxxi. *Brithwaldus* archiepiſcopus longa conſummatus ætate quinto idus Januarij defunctus eſt, atque cum prædeceſſoribus ſuis in eccleſia memorata eſt ſepultus. Et eodem anno *Tatwinus* de provincia Merciorum cum fuiſſet presbyter in monaſterio quod vocatur *Briedum*, in archiepiſcopum *Cantuarienſem* à venerabilibus patribus *Daniele Wyntonienſi*, *Ingualdo Londonienſi* & *Ealdwyno Roffenſi* præſulibus decimo die menſis Junij conſecratus eſt. *Tatwinus.* Archiep. An. Dñi 732. Anno domini DCC. xxxij. venerabilis pater *Albinus* hujus monaſterii abbas octavus in pace conſummatus, ſepultus eſt in eccleſia Dei genitricis ſuperius annotata, juxta beatum *Adrianum* prædeceſſorem ſuum, ſet in tranſlatione ſancti *Auguſtini* ſociorumque ejus, idem pater *Albinus* cum beato *Adriano* cæteriſque ibidem conſepultis de præfata eccleſia Dei genitricis in majorem eccleſiam eſt tranſlatus, poſituſque in muro retro altare *ſancti Gregorii*, ubi nunc quieſcit in gloria Sanctorum reſurrecturus. Succeſſit *Nodbaldus* nonus, qui à *Tatwyno* archiepiſcopo eſt benedictus. Anno DCC. xxxv. ultimo die menſis Julij *Tatwinus* dies ſuos finivit in pace, ſepultus vero eſt cum prædeceſſoribus ſuis prædictis in eccleſia memorata. Cui ſucceſſit *Nothelmus* cathedralis eccleſiæ ſancti *Pauli Londoniæ* archipresbyter ſub anno Domini DCC. xxxvj. ſeditque tribus annis & mortuus cum prædeceſſoribus ſuis ſepelitur in eccleſia apoſtolorum prænotata.

§. 7. *Sepultura ad eccleſiam* Chriſti *producta eſt*.

741. CUi ſucceſſit *Cuthbertus Herefordenſis* archiepiſcopus quintus & ſub anno domini DCC. xlj. conſecratus eſt, huic monaſterio parum profuturus; ut in ſequentibus plenius apparebit. Hic tamen *Cutbertus* anno DCC. xlvij. menſe Septembris in Synodo apud *Cloveſhot* omnibus *Anglorum* epiſcopis ſubſcribentibus, inter cætera illius ſynodalia decrevit, ut feſtivitates ſancti *Gregorii* papæ & ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli perpetuis temporibus præcipua ſolempnitate obſerventur; rege *Ethelbaldo* Merciorum tunc cum optimatibus præſente & hoc approbante. Anno Domini DCC. xlviij. mortuo *Nothbaldo* hujus monaſterii abbate nono ſucceſſit ei vir prudens nomine *Aldhunus* & eodem anno à *Cutberto* archiepiſco in eccleſia *Petri* & *Pauli* benedicitur. Et quia tempore iſtorum duorum ſcilicet *Cutberti* & *Aldhuni* abbatis, ſepultura archiepiſcoporum huic monaſterio eſt ablata per eundem *Cuthbertum*, & ad eccleſiam ſanctæ Trinitatis fraudulenter ſubplantata, contra tenorem juſtitiæ ac etiam beati patris noſtri *Auguſtini* inſtitutionem, nec non ſummorum pontificum ſcilicet *Gregorii*, *Bonefacii quarti*, *Adeodati*, *Agathonis* cæterorumque decreta: Ideo antequam ulterius progrediar, ad notitiam futurorum modum iſtius ſubplantationis vulpinæ dignum duxi præſentibus annotare. *Cutbertus* igitur *Cantuarienſis* archiepiſcopus à beato *Auguſtino* undecimus ſub anno domini DCC. xliij. animadvertens deſtitutionem eccleſiæ cui præſidebat, eo quod nullo honorabilis ſepulturæ decore fulgeret, dum defunctis archiepiſcopis eorum corpora auferrentur & ad monaſterium iſtud juxta decreta ſummorum pontificum tumulanda transferrentur, dolo concepto iniquitatem parturiendo condoluit, & qualiter illa conſuetudo mutaretur tam ſtudioſe quam ſeditioſe tractavit. Acceſſit ad regem tunc apicem regni tenentem *Eadbertum* & axe fletibus vultum ſuum perfundens, cauſam ſimulatæ mœſtitiæ columbinæ regis ſimplicitati prudentia pandit ſerpentina, & ut rex prædictam ſepulturæ conſuetudinem mutaret

Edbertus. &c. Rex.

taret, ac mutatam ſuo regio edicto confirmaret non minus fraudulenter quam inſtanter efflagitavit. Quod tandem vix licet ſurrepticie non tam prece quam precio interveniente pro voto obtinuit. Igitur anno dominicæ incarnationis DCC. xlviij. An. Dñi 748. prædictus archiepiſcopus *Cuthbertus* tactus dolore cordis & mori pergens, tempus opportunum jam inſtare animadvertit, quo dolum adverſus *Auguſtinianam* eccleſiam jam dudum conceptum longa parturitione gravidus in lucem ederet fœtum ſerpentinum, matrem interficientem. Appropinquante vitæ ſuæ termino in eccleſia ſua ſeorſum decumbens, totam ſuam familiam ac etiam conventum monachorum ad hoc non ſegnem ſub jurejurando aſtrinxit, ne aliqua divulgatio infirmitatis ejus aut mortis fieret, nec ſignum aliquod pro eo pulſaretur aut exequiæ ejus celebrentur, donec ejus corpus per aliquot dies traditum foret ſepulturæ. Quod & factum eſt. Sepulto vero eo, jam die tercio ſigna pro eo pulſantur, notitia mortis ejus palam divulgatur. Quo audito, abbas *Aldhunus* ſancti *Auguſtini* cum monachis acceſſit, corpus archiepiſcopi juxta ritum priſtinum ſecum laturus. Set cum jam ſepultum reperiret, antiquamque ſepulturæ conſuetudinem regia auctoritate mutatam eſſe cognoſceret, turbatus & anxius ſuo privatus deſiderio ad propria remeavit. Eodem anno obiit *Eadbertus*, cui ſucceſſit *Ethelbertus* frater ejus. Et ſucceſſit in archiepiſcopum prædicto *Cutberto Bregwynus*, qui de præfata mutatione ſepulturæ archiepiſcoporum, prædeceſſoris ſui ſtatuta multum laudavit, & ejuſdem vulpina ſequens veſtigia eandem mutationem regia auctoritate ac etiam apoſtolica, ut quidam opinantur, confirmari fecit. Ipſo quoque ex hac luce clam ſubtracto ac juxta prædeceſſorem ſuum ſepulto, ſigna pro ejus exequiis celebrandis ex inſpirato ſolempniter, prout decuit, pulſantur. Mox autem ut hoc innotuit conventui ſancti *Auguſtini*, *Jambertus* tunc abbas ſancti *Auguſtini* ad eccleſiam ſanctæ Trinitatis cum manu armata acceſſit, & corpus defuncti archiepiſcopi ſi non gratis ſibi liberaretur vi rapere diſpoſuit, ſet cum illud jam ſepultum cognoviſſet, ſe jam altera vice ſupplantatum perpendens, domum vacuis manibus eſt reverſus, appellationibus tamen pro ſtatu & libertate ſui monaſterii & à gravaminibus illatis ad ſummum pontificem multipliciter interpoſitis. Igitur monachi eccleſiæ ſanctæ Trinitatis paſtoris ſolatio deſolati, prædicti abbatis *Jamberti* animadvertentes conſtantiam, & tam in rebus eccleſiaſticis quam ſecularibus prudentiam & ſapientiam, timenteſque ne ſi appellationes interpoſitas proſequeretur ſepulturam archiepiſcoporum ad priſtinum ſtatum juſticia exigente revocaret, in hoc ſuæ fraudi conſulentes, *Jambertum* abbatem hujus monaſterii in eorum patrem & paſtorem poſtularunt. Monachi autem beati *Auguſtini* tanti patris patrocinio deſtituti, à proſecutione appellationum ſuper mutatione ſepulturæ prædictæ etſi non propter ſui inertiam, ſaltem ob *Jamberti* archiepiſcopi reverentiam deſiſterunt; quod pro dolor! rei eventus manifeſtius declarat.

§. 8. Albanus *tranſlatus, & fundatio monaſterii illius.*

Cuthberti &c. Archiep.

CIrca hæc tempora regnavit rex Merciorum *Offa*, qui reliquias beati *Albani* martyris uſque ad illud tempus obſcure reconditas elevavit, & in ejus honore Monaſterium fundavit & ibidem congregationem monachorum adunavit ſub anno DCC. xc. Iſte vero *Offa* ſedem archiepiſcopatus *Cantuarienſis* ad **Lichfeld** transferre conatus eſt; quapropter *Iambertum* archiepiſcopum huic novæ tranſlationi reſiſtentem multis gravaminibus fatigavit. Tandem de omnibus prædiis ſuis quæ in finibus ejus erant etiam & epiſcopatus ditione eum ad tempus indebite privavit. *Iambertus* autem poſtquam præſulatus dignitatem magna animi conſtantia annis plurimis adminiſtraverat, cum finem ſuum ſibi inſtare conſpiceret, volens anteceſſorum ſuorum illegitima mutare ſtatuta, & ſepulturam epiſcoporum juſtitia ſuadente ad antiquam revocare conſuetudinem, juſſit ut poſt obitum ſuum ad eccleſiam apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ubi & omnes ſancti prædeceſſores ſui requieſcunt, corpus ſuum ſepeliendum deferretur. Eo ergo defuncto præceptum ejus impletum eſt. Corpuſque ejus in capitulo apud ſanctum *Auguſtinum* traditum eſt ſepulturæ anno domini DCC. lxxxix. pridie idus Auguſti. Cui ſucceſſit *Athelardus Wyntonienſis* epiſcopus, qui prædeceſſoris ſui *Jamberti* ſtatuta de memorata ſepultura irrita faciens, & *Cutberti* atque *Bregwyni* veſtigiis inhærens, juſſit ſe cum in fata decederet in eccleſia ſua ſepeliri. Monachi vero ſancti *Auguſtini* prædictam ſepulturæ epiſcoporum tranſlationem parvipendentes propter ſui nimiam ſimplicitatem, & archiepiſcoporum & regum qui in hoc archiepiſcopis favebant obſtinationis nimiæ auſteritatem, neque calumpniam neque querelam coram ſummo pontifice ſuper prædicta injuria eis illata hactenus propoſuerunt. Et ſic ex ſua ſtolida ſimplicitate ſepulturam epiſcoporum perpetuo amiſerunt. Sicque *Lya Rachelem* amplexibus *Jacob* ſub unius noctis conductione perpetuo privavit, utinam de cætero eam in aliis non ſubplantet. Quod autem monachi ſanctæ Trinitatis in cronicis ſuis ſcribunt *Cutbertum* archiepiſcopum hujus malitiæ non ſine ſuæ animæ diſpendio inventorem acceſſiſſe ad *Gregorium* juniorem tunc *Romana eccleſia* præſidentem ſub anno Domini DCC. xliij. & ab eodem licentiam & auctoritatem mutandi prædictam ſepulturæ conſuetudinem per privilegium ſuum obtinuiſſe, non eſt tam incredibile quam impoſſibile. Nam *Gregorius tercius* quem hic vocat juniorem, circa annum domini DCC. xl. ſecundum cronicas ſummorum pontificum ſcribitur mortuus, nec dum *Cuthbertus* archiepiſcopatum fuerat adeptus. Nec alius legitur *Gregorius* uſque ad *Gregorium* quartum qui ſedit anno Domini 827. His prætermiſſis ad ſeriem temporis ſubſequentis quam certa ex cauſa ad præſens tranſſilii calamum converto. Anno domini DCC. xlviij. *Aldhunus* in abbatem hujus eccleſiæ electus à *Cutberto* archiepiſcopo benedicitur. Nichilque iſtius reperio præter illud quod ſupra ſcriptum eſt de amiſſione ſepulturæ archiepiſcoporum.

§. 9. *Pars terræ in* **Quenegate** *per* Dunwaldum *data monaſterio ſancti* Auguſtini.

An. Dñi. 760.

ANno domini DCC. lx. quidam nomine *Dunwaldus* miniſter regis *Ethelberti* huic eccleſiæ contulit quandam partem terræ juxta **Quenegate**. Hæc terra circumcincta eſt his terminis. A **Quenegate** in meridiem extenſas habens iij. perticas, & inde

Eadbertus. Rex. in occidentem rectiſſima linea dividit terram regis & iſtam xxiij. perticis uſque in maceriam quæ in aquilonali parte civitatis muro adjacet virgas habens xxxiij.

CAP. IV.

§. 1. Jambertus *in Abbatem benedictus eſt.*

An. Dñi 760. ANno itaque domini DCC. lx. *Aldhunus* hujus monaſterii abbas decimus moritur. Set quo ſepelitur neque ſcriptura neque monumentum aliquod ſicut de multis aliis abbatibus ſequentibus, teſtatur; & venerabilis vir *Jambertus* à *Bregwyno* archiepiſcopo ad altare ſancti *Petri* in abbatem benedicitur.

§. 2. *Donatio terræ de parva* **Pongeham.**

ET ſequenti anno *Eadbertus* rex *Cantiæ* filius regis *Wythredi* dedit huic Monaſterio ob affectionem abbatis *Jamberti* terram ſex arattorum in auſtrali parte vici antiqui **Pundlyngham.** Hæc eſt illa terra quæ vocatur parva **Pungeham.** Anno ſequenti moritur *Bregwynus* archiepiſcopus & *Jambertus* ad archiepiſcopatum ut ſupra ſcribitur vij. idus Januarii aſſumptus, & à *Paulo* apoſtolico pallii honore anno ſecundo ſequenti inſignitur, & xxvij. annis archiepiſcopatum ſtrenue gubernavit.

§. 3. *Donatio manerii de* **Bewefelde.**

ANno dominicæ incarnationis DCC. lxiiij. *Jamberto* hujus monaſterii abbate undecimo in archipræſulem aſſumpto, *Ethelnodus* hujus congregationis regimen ſuſcepit, & à *Jamberto* archiepiſcopo benedicitur. Huic abbati rex *Merciorum Offa* contulit terram duorum aratrorum in loco qui appellatur **Bewefelde**, & dedit ei licentiam paſcendi porcos & pecora in ſilva regali æternaliter, & unius capreæ licentiam in ſilva quæ vocatur **Snelwlyns** ubi
787. capræ regis vadunt. Anno domini DCC. lxxxvij. *Ethelnodus* abbas xij. moritur, nec reperio quo ſepelitur. Et in locum ipſius *Guturdus* ſubrogatur & à *Iamberto* benedicitur. *Guturdoque* mortuo *Cunredus* ſubſtituitur; & à *Wulfredo* archiepiſcopo benedicitur ſub anno domini 803. *Cunredoque* defuncto circa annum domini DCCC. xxij. *Wernodus* ſucceſſit & à *Wulfredo* prædicto benedicitur.

§. 4. *Revocatio archiepiſcopatus ad priorem locum.*

790. ET anno domini DCC. lxxxx. *Kenulfus* rex *Merciorum Offæ* ſucceſſor ſcripſit *Leoni* papæ *Adriani* ſucceſſori pro revocanda ſede archiepiſcopatus ad ſuum priorem locum, inter cætera ſic. *Nam quia beatæ recordationis* Auguſtinus *qui verbum Dei imperante* Gregorio *Anglorum genti miniſtrabat, & glorioſiſſime eccleſiis præfuit* Saxoniæ, *in eadem civitate divine obiit, & corpus illius in eccleſia beati* Petri *apoſtolorum principis quam ſucceſſor ejus* Laurentius *ſacravit conditum fuiſſet, viſum eſt cunctis gentis noſtræ ſapientibus quatinus in illa civitate metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus pauſat qui hiis partibus fidei veritatem inſeruit primo.*
826. Anno domini 826. prædictus *Wulfredus* archiepiſcopus & familia monacharum de **Menſtre** in **Tanet** dederunt prædicto *Wernodo* abbati terram ſex jugerum, quæ terra vocatur **Dodyngland**, in eſcambium pro vj. jugeribus terræ apud **Caldenſord**; & ſunt termini circumjacentes prædictam terram quæ vocatur **Dodyngland** ab aquilone & oriente, & ab auſtro circumjacet terra quæ vocatur **Groenlyng** & **Federing.** Anno domini DCCC. iiij. fuit manerium de **Lenham** nobis datum per iſtos reges ſubſcriptos Deo & abbati, quia iſte *Wernodus* abbas conſanguineus fuit *Athelwulfy* & *Kenewulfy* regum. Unde *Kenewulf* rex *Merciorum* & *Cuddredus* rex *Cantiæ* divino ducti amore & fœdere conſanguinitatis allecti, dederunt Abbati *Wernodo* terram xx. arattorum quod jam vocatur **Lenham** cum omnibus rebus ad illud recte & rite pertinentibus, & xiij. dennes glandes portantes, Primum **Papulderherſt.** 2. **Friderynden.** 3. **Frideslaac.** 4. **Cumbden**, 5. **Snatynden**, 6. **Wyſleherſt.** 7. Alterum **Papulderherſt.** 8. **Babbyngden.** 9. Alterum **Babbyngden.** 10. Tertium **Babbyngden.** 11. **Tunlaſaherſt.** 12. **Pluſſyngherſt.** 13. **Friderelah** & **Fereden.** An. Domini ſcilicet DCCC. xxxviiij. *Athelwolfus* rex occidentalium & *Cantiæ* propter duo M. & centum mancuſas argenti dedit prædicto *Wernodo* abbati terram quinque aratrorum apud **Lenham** cum omnibus ad illam recte & rite pertinentibus. Hæc terra modo vocatur **Eſtlenham.** Et jacet inter locum vocatum **Scelfe** ab oriente & **Lenham** ab occidente. Hæc donatio facta fuit in villa de **Faverſham** quinto idus Marcij anno ſupradicto. Anno domini DCCC. l. rex *Athelwulfus* contulit prædicto abbati in puram & perpetuam elemoſinam xl. caſſatos terræ apud **Lenham** cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus; & cum ingreſſu trium cartorum in ſilva quæ dicitur **Blean.**

Wlfredus. archiep.

An. Dñi 838.

CAP. V.

ANno domini DCCC. xliiij. *Wernodus* abbas hujus monaſterii xv. moritur; nec reperitur locus ejus ſepulturæ. Et ſucceſſit ei *Diernodus*; & à *Cealnodo* archiepiſcopo benedicitur. Hujus *Diernodi* tempore quidam potens vir *Wymundus* regis *Edwolphi* amicus dedit **Snaves**, per tale ſcriptum. *In nomine Dei cœli Ego* Wymundus *amicus* Edwolphi *do & concedo Deo ſanctoque* Auguſtino *terram de* **Borewarmers** *cum terra del* **Wyk** *imperpetuū liberam ſicut prædictus dominus meus michi donavit, pro redemptione ipſius animæ & meæ parentumque noſtrorum, ubi ſepulturæ requiem michi elegi. Si quis hoc infregerit anathema ſit.* 844.

§. 1. **Mertone** *datur per* Ethelbertum *regem ſecundum.*

861. ANno domini DCCC. lxj. *Ethelbertus* rex occidentalium *Saxonum* ſucceſſor *Egberti* dedit prædicto abbati tria aratra terræ in loco qui vocatur **Mertone** in orientali plaga *Kanciæ*, & pro iſta terra dedit idem *Diernodus* regi lx. mancuſas auri optimi.

§. 2. *De firma manerii do* **Braborne.**

CIrca hæc tempora quædam bona matrona nomine *Ealburga* domina de **Braborne** in teſtamento ſuo cum conſenſu amicorum ſuorum ordinavit.

Edmundus Rex.

vit, ut qui teneret manerium de **Brabourne** ſingulis annis redderet de prædicto manerio eccleſiæ ſancti *Auguſtini* xl. ambras braſij, iiij. boves, xl. arietes, CC. panes, unam pis: butyri, unam pis: caſij, iiij. caractatas lignorum, & xx. gallinas. Hac conditione interpoſita, ut poſt obitum ipſius, Monachi ſingulis diebus pro ejus anima decantent pſalmum, *Exaudiat te Deus.* Iſtum redditum & jugum terræ apud **Horton** & terram de **Hengeſteſſelle** juxta **Wyveleſburgw** *Hugo de Monford* abſtulit, cui & epiſcopo *Baiocenſi Willielmus Baſtard* fere omnes terras *Cantiæ* contulit contradicentibus monachis ſet minime prævalentibus. Et nota quod omnes iſtæ terræ prius nominatæ ſunt de dominio Comitis de **Penebroke**.

§. 3. *De terra de* **Linchesore**.

An. Dñi 864.

ANno domini DCCC. lxiiij. *Diernodus* abbas obiit, cui ſucceſſit *Wynherus* hujus monaſterii abbas xvij. Cui *Wynhero* anno ſequenti *Edelwuf* rex occidentalium *Saxonum* dedit quandam terram in orientali parte *Cantiæ* quæ vocatur **Linchesore**.

§. 4. *De manerio de* **Berewaremerſch**.

SUb hiis diebus quidam *Edbald* nepos regis dedit *Wynemundo* amico ſuo pro DCCC. denariis quandam partem agelluli in loco qui dicitur **Bourewaremerſſe**. Quam quidem terram prædictus *Wynemundus* dedit Deo & ſancto *Auguſtino* in elemoſynam. Hæc terra habet in meridie terram de **Folcanſton**, in aquilone **Lymene**. Anno domini

866.

DCCC. lxvj. abbate *Wynhero* defuncto ſucceſſit *BEADMUNDUS*, cui vero *KYNEBERTUS*, cui *ETAUS*, cui *DEGMUNDUS*, cui *ALERIDUS*, cui *CEOLBERTUS*, cui *BECTANUS*, cui *ATHELWOLDUS*, cui *TILBERTUS*, cui *EADREDUS*, cui *ALCHMUNDUS*, cui *GUTTULFUS*, cui *EADREDUS*, cui *LULYNGUS*. Iſti invicem ſucceſſerunt qui licet multa bona ut credimus temporibus ſuis geſſerunt, tamen quia vetuſtas omnia abſorbuit & delevit, vix ad tempora noſtra illorum tenuis fama pervenit. Et quia quaſdam terras reperio perquiſitas temporibus tamen ſubincertis, ideo duxi eas nunc ſub incertitudine temporum annotare. *Egebredus de* **Fordwich**, offerens filium ſuum in monachum obtulit cum eo ad iſtud monaſterium vj. hagas, iij. acras terræ, & quandam partem prati ex parte auſtrali villæ de **Fordwych**. Anno Domini DCCC. lxix. xij. kal. Decembris S. *Edmundus* rex occiſus eſt. Eodem anno *Lulyngo* abbate defuncto ſucceſſit *Beornelmus* xxxj. Iſte *Beornelmus* ad curiam portavit elemoſynam regis *Elfredi* beati *Edmundi* regis ſucceſſoris inmediati. Iſte *Elfredus* fuit primus rex *Angliæ* qui inunctus erat. Hic conſtituit **Hundred & Leſtes**.

§. 5. *De* **Wyveleſberg** *&* **Hengeſteſſelle**.

CIrca hæc tempora terra de **Wyveleſbergw** fuit empta à quodam *Eadulfo* filio *Edwoldi* pro duobus M. denariis. Hiis eciam diebus quidam nomine *Aethelferh* legavit in teſtamento ſuo huic monaſterio quandam partem terræ in parochia de **Wyveleſburgw** quæ terra vocatur **Ateleſworde** & iſta terra eſt cenſualis, & reddit annuatim x. s. Eodem tempore idem *Aethelferh* legavit huic monaſterio terram de **Hengeſteſſelle** quæ eſt parochia contigua parochiæ de **Wyveleſburgw** ex parte boriali. Set iſtam *Hugo de Montfort* huic monaſterio abſtulit tempore *Willielmi Conqueſtoris*. Iſte enim *Ethelferh* erat miniſter abbatis, unde & legavit illi quinque mancuſas auri, ij. boves, ij. vaccas, j. equum, x. porcos, x. oves & eciam decem capras.

Odo Archiep.

§. 6. *Reſtitutio terræ de* **Werburgyland**.

An. Dñi 825.

ANno Domini DCCC. xxv. rex *Saxonum* & *Anglorum Ethelſtan* die coronationis ejuſdem in craſtino ordinationis ſancti *Gregorii* dedit huic monaſterio terram xiiij. aratrorum in inſula de **Tanet** quæ vocatur **Werburgynland** quæ injuſte fuerat rapta ab iſta eccleſia per annos multos. Set illam terram idem rex iterum ſancto *Auguſtino* reſtituit cum conſenſu epiſcoporum et duorum principum & aliorum multorum. Et ex hac donatione & similiter ex permutatione terrarum facta cum *Wulfredo* archiepiſcopo quæ vocatur **Dodyngland** ſatis apparet quod multas terras habebat monaſterium in inſula de **Thaneto** priuſquam rex *Knuthus* dedit nobis manerium de **Menſtre**.

§. 7. *De maneriis de* **Sybertyſweld** *&* **Swalclyve**.

942.

ANno Domini DCCCC. xlij. *Beornelmus* hujus monaſterii abbas xxxj. moritur & in locum ejus *Alfricus* ſubrogatur, qui ab *Odone* archiepiſcopo in ſuo monaſterio benedicitur. Hic *Alfricus* familiaris erat regis *Edmundi*, ob quam cauſam prædictus rex dedit illi duo aratra terræ apud **Sibertesweldes** ſecundo anno regiminis *Alfrici*. Cui terræ rex *Ethelredus* addidit poſtea duos caſſatos terræ in loco prius dicto. Iſtæ terræ alienatæ fuerunt poſtmodum à noſtro dominio per abbatem *Scotlandum*, prout temporibus ſuis dicetur. Anno Domini DCCCC. xlvj. *Eadredus* rex qui ſucceſſit *Edmundo* in regnum tocius *Britanniæ* dedit terram de **Swaleclyve** cuidam miniſtro ſuo nomine *Hereſige*; & prædictus miniſter dedit illam terram huic monaſterio, & in eodem loco ſibi ſepulturam elegit.

946.

§. 8. *Privilegium* Johannis Papæ xiij.

955.

ANno dominicæ incarnationis DCCCC. lv. *Johannes* papa xiij. ſcripſit Regi *Eadredo* literas commendaticias et auctenticas pro hoc monaſterio, prædeceſſorum ſuorum *Bonifacii*, *Adeodati*, *Agathonis* & aliorum veſtigiis adhærendo. Et in fine ſic. *Unde Canonicis de monaſterio ſancti* Salvatoris *illi loco invidentibus præcipimus ne hujus devotionis cultum inquietare præſumant. Quod ſi fecerint ſciant ſe anathematis vinculo innodatos.* Scripſit etiam idem Papa *Johannes* prædicto regi, *Odoni* archiepiſcopo & omnibus epiſcopis, Ducibus & Abbatibus & cuncto populo *Anglicæ* gentis ſub hac forma. *PRIVILEGIUM.* Johannes *epiſcopus &c. Inter præclaras ſacræ fidei.* Et infra. *Statuimus quatinus ipſa apoſtolica eccleſia ſicut in gratia principum apoſtolorum cenſetur apud vos primogenita, ſic cæterorum monaſteriorum veſtri regni quæ poſt ſurrexerunt vel deinceps in omnem poſteritatem*

naſcentur

Edgarus Rex. *naſcentur mater primaria, ſit inquam regia & apoſtolica confirmatione regalis & apoſtolica, ſit ab omni ſeculari ſervitute libera, ita ut nullus epiſcoporum, nullus ſucceſſorum veſtrorum regum in aliquo eam lædere aut inquietare præſumat: archiepiſcopus vero non typo prælationis ſet officio caritatis ubi poſcitur ſe inpendat, abbatemque ipſius acſi* Romanum *legatum & comminiſtrum Evangelii pacis habeat, & fraternum ſibi ſocium æſtimat non ſubjectum, per omnia ſicut ſancti & Deo dilecti filii ſedis apoſtolicæ archipræſul* Theodorus *& abbas* Adrianus *ſe habuere. Nullum vero poteſtatum in hanc etiam præripiat, nec quodlibet officium ſine abbatis favore & fratrum ſibi arroget. Set neque ub ipſis intimis & peculiaribus locis aut parochiis, vel in omni privilegio ipſius, juris quicquam præter ejuſdem abbatis aſſenſum accipiat vel faciat.*

§. 9. *De morte regis* Edmundi *in iſto monaſterio.*

Iſte *Edmundus* de quo ſupra fit mentio, venit *Cantuariam* in feſto ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli. Diſtumbente illo in menſa quendam latronem reſpexit nomine *Loth*, quem pro latrocinii maleficiis quondam dampnaverat exilio; & protinus ſurgens invaſit latronem & ad terram proſtravit: latro vero cultellum educens interfecit regem; miniſtri tamen regis inſurgentes in latronem, occiderunt eum. Corpus vero regis *Wyntoniæ* traditum eſt ſepulturæ.

§. 10. *Donatio manerii de* Plumſtede.

An. Dñi 960. ANno Domini DCCCC. lx. *Edgarus* rex qui ſucceſſit *Eadredo* dedit huic monaſterio terram quatuor arattorum quæ nominatur Plumſtede, ſet hanc terram *Godwynus* Comes *Cantiæ* fraude & injuſte ſancto *Auguſtino* abſtulit, eamque *Toſtico* filio ſuo dedit, ſet eam ſanctus *Edwardus* beato *Auguſtino* reſtituit. Ipſamque iterum in adventu *Willielmi* conqueſtoris *Odo Baiocenſis* calumpniavit. Sicque variis eventibus poſſeſſa, ablata & reſtituta, ne jam ulterius calumpniæ pateret, *Willielmus* Conqueſtor *Angliæ* prædictam terram de Plumſtede ſancto *Auguſtino* confirmavit, & *Odo* epiſcopus *Baiocenſis* calumpniam quam habebat in ipſa terra ad preces regis Abbati & Conventui remiſit, & autentice ſubſcripſit. Anno Domini DCCCC. lxxj. mortuo *Alfrico* hujus loci abbate xxxij. *Elſnothus* ſucceſſit, & à beato *Dunſtano* benedicitur.

§. 11. *De centum acris paſturæ apud parvam* Mongeham.

TErtio anno ſequenti quædam bona matrona nomine *Wynfled* dedit huic monaſterio centum acras terræ apud Monyngham. Iſta donatio facta fuit apud Kingeſton licentia *Edgari* regis teſte *Dunſtano* archiepiſcopo. Iſta terra non jacet apud *parvam* Monyngham, ſet ſunt illæ centum acræ prati, & paſturæ, & terræ arabilis quæ jacent ex parte boriali curiæ de Northborne, & extendunt ſe verſus orientem verſus Monyngeham.

Dunſtan. Archiep.

§, 12. *Dedicatio hujus monaſterii, & viſio* Cantemus Domino.

An. Dñi 978. ANno Domini DCCCC. lxxviij. dedicata fuit iſta eccleſia à beato *Dunſtano* in honore ſanctorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* atque ſancti *Auguſtini*. Anno Domini DCCCC. lxxx. *Elſnothus* hujus monaſterii abbas xxxiij. moritur, & *Siricus* in locum ejus eligitur, & in eccleſia ſua à beato *Dunſtano* benedicitur. Circa hæc tempora vidit *Dunſtanus* reginam cœli cum aliis cœleſtibus ſpiritibus, inter quos etiam vidit ſanctum *Adrianum*, choreas ducentes in eccleſia ipſius genitricis quam *Eadbaldus* rex præſcribitur fundaſſe, & cantabant cum ipſa Dei genitrice ſic incipiente & dicente, *Cantemus Domino, &c.* Felix homo qui hæc videre meruit, ſet & felix locus in quo talis viſio appatuit. Hoc tamen patet plenius in vita ſancti *Dunſtani*.

§. 13. *Monaſterium de* Menſtre *per* Danos *vaſtatum*.

EOdemque anno inſula de Thanet à *Danis* piratis devaſtatur. Monaſterium monialium de Menſtre comburitur cum clericis & populo qui illuc confluxerant. Anno Dni DCCCC. lxxxviij. 988. *Siricus* hujus monaſterii abbas procurante beato *Dunſtano* in epiſcopatum *Wyntonienſem* eſt aſſumptus. Et eodem anno xiiij. kal. Junii obiit *Dunſtanus*, & *Ethelgarus* ei ſucceſſit anno uno & menſibus iij. Anno DCCCC. lxxxix. *Ethelgaro* de hac luce ſubtracto, *Syricus Wintonienſis* epiſcopus & quondam hujus loci abbas, de *Wyntonienſi* eccleſia ad eccleſiam *Cantuarienſem* eſt tranſlatus; & dum hæc agerentur, electus eſt in abbatem *Wilfricus* qui ſenior appellatur. Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xc. *Siricus* archiepiſcopus benedixit *Wlfricum* abbatem in eccleſia iſta ad magnum altare. Huic abbati *Brumannus* portreve dedit duas hagas, Fordwich, & unum pratum cum pertinentiis; hac conditione interpoſita, ut reciperetur in fraternitatem domus, & teneret prædictas haghas & pratum in vita ſua, reddendo inde ſingulis annis ſancto *Auguſtino* vij. s. j. d. & poſt obitum ſuum reverteretur terra prædicta ad dominium S. *Auguſtini*.

§. 14. *Donatio terræ de* Coumbe.

CIrca hæc tempora quidam *Edwardus de Coumbe* cujus filius nomine *Leofardus* iſtius monaſterii erat monachus, legavit in teſtamento ſuo huic monaſterio prædictam terram Coumbe nominatam. Tempore etiam iſtius abbatis quidam *Brithricus* legavit nobis terram de Woderyngborne.

§. 15. *Canonici ab eccleſia S.* Trinitatis *expulſi ſunt*.

ANno Domini M. v. induſtria *Alfrici* archiepiſcopi & *Wlfrici* abbatis expulſi ſunt canonici ab eccleſia ſanctæ *Trinitatis* & introducti ſunt monachi. Tamen *Willielmus Malmesbury* in libro *De geſtis Pontificum* dicit hoc non fuiſſe verum. *Immo conſtat monachos fuiſſe in eccleſia ſanctæ* 1005.

Athelredus Rex.

Alfricus Archiep.

Trinitatis *à tempore beati* Laurentii *qui beato* Auguſtino *ſucceſſit, ſicut ex epiſtola* Bonifacii *papæ* iiij. *ſancto* Ethelberto *per* Mellitum *tranſmiſſa apparet*; cujus epiſtolæ verba hæc ſunt. *Domino excellentiſſimo regi* Ethelberto, Bonifacius *epiſcopus, &c. Dum Chriſtianitatis*, & infra, *Quapropter fili glorioſe quod ab apoſtolica ſede, & per coepiſcopum noſtrum* Mellitum *poſtulaſti, libenti animo concedimus, id eſt, ut veſtra benignitas in monaſterio in* Dorobernenſi *civitate conſtituto, quod ſanctus doctor veſter* Auguſtinus *in ſancti* Salvatoris *nomine conſecravit, cui ad præſens praeſſe dinoſcitur dilectiſſimus frater noſter* Laurentius, *licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat. Auctoritate apoſtolica decernentes, &c.* Sed ſi omnia prius dicta ſerio conſiderentur iſta ſtant ſimul; nec eſt contradictio quod à primæva inſtitutione fuiſſent monachi in eccleſia ſanctæ *Trinitatis*, & quod volvente rota fortunæ variabilis, propter eorum inſolentias aut alia de cauſa fuiſſent dejecti, & canonici loco eorum introducti, & modo tempore iſtius *Alfrici* archiepiſcopi iterato reſtituti. Nam & epiſtola *Johannis* papæ xiij. regi *Eadredo* directa ſub anno Domini DCCCC. lvij. teſtatur, in illa eccleſia ſancti *Trinitatis* canonicos pro tempore illo eſſe, non monachos, cujus epiſtolæ mentionem ſuperius fecimus. Nam ſicut refert prædictus *Willielmus* ubi ſupra. « Monachi *Cantuarienſes* tempore *Lanfranci* ſecularibus non longe diſſimiles erant, niſi forte pudicitiam non facile proderent, canum curſibus avocari, avium prædam raptu aliarum volucrum per mane ſequi, ſpumantis equi tergum premere, teſſaras quatere, potibus indulgere, delicatiori victu & accuratiori cultu frugalitatem neſcire, per ſymoniam abnuere, & cætera illius generis, ut magis illos conſules quam monachos pro frequentia famulantium diceres. Et quia *quod nova teſta capit*, &c. Proh dolor! iſte modus vivendi inter religioſos peſſimus ita à primævis temporibus illi monaſterio inolevit, quod uſque ad hæc tempora ſuccidi non poſſit; utinam fœditatis exemplo vicinos non inficiant.

CAP. VI.

§. 1. *De* 100. *acris terra apud* Sturtone.

An. Dñi 1006. ANno Dom. M. vj. *Wlfricus* abbas xxxiiij. moritur, cui ſucceſſit vir magnæ ſanctitatis *Elmerus*, qui in eccleſia ſua ad magnum altare benedicitur ab archiepiſcopo *Alfrico*. Hiis temporibus quidam nomine *Godwoldus* in teſtamento ſuo legavit huic monaſterio centum acras terræ apud Sturtone ex parte boreali.

§. 2. Dani *decimaverunt monachos S.* Trinitatis.

1011. ANno Domini M. xj. inter feſtum nativitatis beatæ *Mariæ* & ſancti *Michaelis* tota *Cantia* à *Danis* vaſtatur, civitas *Cantiæ* obſidetur; & viceſimo die obſidionis proditione *Almerici* archidiaconi & civium capitur & incenditur; *Alfegus* archiepiſcopus comprehenditur & apud Grenewych martirizatur, *Elmerus* abbas abire permittitur, capiuntur *Godwynus Roffenſis* epiſcopus, *Leofryma* abbatiſſa ſanctæ *Mildredæ*, *Alfredus* regis præpoſitus, eccleſia ſanctæ *Trinitatis* ſpoliata comburitur, grex monachorum & turba popularis utriuſque ſexus occiduntur, Monachi ibidem decimantur, novem trucidantur, & decimus reſervatur; unde quatuor monachi tantum in illa occiſione vivi remanſerunt. Set quod dictu eſt mirabile, inter has *Danorum* perſecutiones *Cantuariæ*, & totius *Canciæ* tam populi quam eccleſiarum devaſtationes, hoc ſolum monaſterium *Auguſtinianum* ipſo Domino in cujus ſunt manu omnia jura regnorum protegente, manebat intactum, & à *Danica* perſecutione ſecurum; quod ex hoc accidebat miraculo. Cum autem *Dani Cantuariam* ferro undique & flamma vaſtantes, quidam illorum ſacrilegi non cauſa orandi ſet deprædandi malitia monaſterium iſtud ultro introierunt, moxque unus eorum ad malum proclivior ad ſepulcrum apoſtoli noſtri *Auguſtini* ubi tunc jacebat tumulatus, improbe acceſſit, palliumque quo illud precioſum *Auguſtini* mauſoleum operiebatur, furtim rapuit, atque ſub acella ſua illud abſcondit; ſet divina ultrix miſeratio raptorem mox rapuit, palliumque illud ſub acella furis abſconditum quaſi connativa cutis acellis furis inhæſit & unguibus, nec ulla violentia aut arte deponi poterat, donec reatum ſuum coram Sancto prædicto & loci fratribus veniam poſcendo de commiſſis fur ipſe prodiderat. Quæ ultio ita cæterorum *Danorum* multitudinem terruit, ut hujus monaſterii non ſolum fieri timerent eſſe invaſores, ſet majus ejus præcipui forent defenſores. Circa hujus perſecutionis tempora quædam matrona venerabilis nomine *Elfgina* in fraternitatem hujus congregationis recepta dedit confratribus lx. l. & cuilibet monacho xx. s. ſingillatim. Tempore eciam hujus perſecutionis multæ ſanctorum reliquiæ ac eciam precioſa hujus monaſterii jocalia in diverſis locis fuerunt abſcondita, nec jam ſunt propalata, nam morientibus illis qui huic abſcontioni interfuerunt, locorum memoria pariter cum illis eſt extincta.

§. 3. Knutus *rex* Angliam *ingreſſus eſt*.

An. Dñi 1017. ANno Dominicæ incarnationis M.xvij. poſt diuturnam bellorum tempeſtatem, *Ethelredo* rege defuncto, rex *Knutus* natione *Danus*, non ſucceſſione hæreditaria, ſet armorum violentia in regnum *Anglorum* ſucceſſit. Hic vero *Knutus* cum religioſiſſima devotione cuncta fere *Angliæ* cœnobia regali munificentia veneraretur, & opibus ditaret, ita præcellentiſſimi patris *Auguſtini Anglorum* apoſtoli, & apoſtolorum *Petri* & *Pauli* monaſterium coluit, ut hoc ſolum ſibi curæ inter cætera eſſe videretur; adeo autem beatum *Auguſtinum* in omnibus elegerat patronum, & ita fratrum iſtius monaſterii religioſum amplectebatur contubernium, ut hinc epiſcopos & magiſtros aliarum affectaret eccleſiarum.

§. 4. Elmerus *fit epiſcopus* Schyreburniæ.

1022. UNde & venerabilem virum *Elmerum* hujus monaſterii tunc abbatem in pontificatus *Schyreburniæ* cum vitæ merito aſſumpſit dignitatem ſub anno Domini M. xxij. quæ ſedes *Schyreburniæ* ſucceſſu temporis ad epiſcopatum *Sareſberienſem* unita eſt. Hic vero *Elmerus* poſtquam aliquot annis epiſcopatum ſibi commiſſum ſtrenuiſſime rexerat, *Knutus Rex,&c.* rat, judicio Dei cæcus effectus, epiſcopatum tam voluntarie reliquit quam involuntarie aſſumpſerat, rediensque ad domum ſuam ſancti *Auguſtini*, de prælato factus eſt ſubjectus, vivens in cella infirmorum cum omni puritate & devotione uſque ad exitum vitæ ſuæ. Et ut de meritis ejus aliqualiter retexam, Quadam die dum puer ſuus ſecundum conſuetudinem ad deferendum ſibi ſua cibaria ad coquinarium exiſſet, quidam milvus de ſua parapſide ſuas carnes ſubito unguibus rapuit, & ad alta revolavit. Cujus rei geſtum ſerviens prædictus magiſtro ſuo indicare non omiſit; Quod audiens ſervus Dei, intimas gratias egit Deo, dicens, Se carnes non comeſturum niſi hoc velle Deum intelligeret tali ſigno, quod ſcilicet milvus reſtitueret raptam carnem. Cum ergo miniſter hoc votum ignorans, iret ad coquinam pro quærendis *Elmero* novis cibariis, mirum dictu, rapax avis carnes ſupradictas in vaſculum ſuum de quo prius rapuit, intactas reportavit. Quod cum vir Dei cognoviſſet ſumebat de illis cum actione gratiarum. Hic non cum epiſcopalibus inſigniis ſet tantum in cuculla velut ſimplex monachus ex oppoſito altaris ſancti *Johannis* eſt ſepultus. Super cujus tumbam prinſquam ad locum ubi nunc requieſcit transferetur, lux cœlica ſæpius fertur viſa. Quem licet ſanctum eſſe pie credamus, de ipſo ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ celebrare non audemus. De hoc beato *Elmero* epiſcopo notatur in *Cronica Gotſelini* de tranſlatione ſancti *Auguſtini* lib. 2. An. Dñi 1017. cap. 1. Anno Domini M. xvij. *Elmero* hujus monaſterii abbate in epiſcopum *Schyrebornienſem*, ut ſupradictum eſt, aſſumpto, *Elſtanum* hujus monaſterii tunc Priorem, virum apud eccleſiam & ſeculum prudentiſſimum rex *Knutus* ad epiſcopatum *Wyntonienſem* nitebatur promovere. *Elſtanus* vero cum nulla ratione acquieſceret epiſcopatum ſuſcipere, fraternis pulſus precibus & regiis coactus hortamentis propriæ abbaciæ regimen ſuſcepit, & ab archiepiſcopo *Anotho* in eccleſia iſta benedictus eſt.

§. 5. Mildreda *datur cum manerio de* **Menſtre**.

1027. ANno Domini M. xxvij. *Knutus* rex dedit S. *Auguſtino* & fratribus hujus monaſterii corpus beatæ *Mildredæ* cum tota terra ſua ſub tali forma. *Notum ſit vobis omnibus, me dediſſe ſancto* Auguſtino *patrono meo corpus ſanctæ* Mildredæ *glorioſæ virginis cum tota terra ſua infra inſulam de* **Thanet** *& extra, cum omnibus conſuetudinibus ad ſuam eccleſiam pertinentibus. Hæc omnia ita libera & quieta reddo Deo & abbati* Aelſtano *& fratribus loci ſicut ego unquam melius habui, tam in terra quam in mari & in litore, ut habeant & poſſideant imperpetuum, &c.* Anno Domini 1030. M. xxx. prædictus *Elſtanus* abbas corpus beatæ *Mildredæ* xv. kal. Junii de *Thaneto* ad monaſterium ſuum tranſtulit, rege *Chnuto* ſuper hoc licentiam præbente ſpecialem, & fuit conditum ante principale altare ſancti *Petri*. Ibique jacuit uſque ad tempora *Wulfrici* junioris; qui volens eccleſiam ſuam dilatare, tranſtulit eam in porticum ſancti *Auguſtini*. 1037. Et anno Domini M. xxxvij. in vigilia ſancti *Leonardi Knuto* rege mortuo, ac duobus filiis ſuis ſibi invicem in regnum ſuccedentibus, ſcilicet *Haraldo* & *Hardeknuto*, ſanctus *Edwardus* filius *Etheldredi* regis & *Emmæ* reginæ in regnum ſucceſſit ſub anno Domini M. xliij. & eodem anno idem rex confirmavit donationem quam ſtrenuus rex *Knutus* huic manaſterio fecerat de manerio de **Menſtre** cum omnibus pertinentiis in inſula de *Thaneto* & extra; ſet & omnes donationes poſſeſſionum vel facultatum quas prædeceſſores ſui reges huic monaſterio contulerunt, ipſe regia poteſtate atque firma aſtipulatione cum conſenſu epiſcoporum & principum ſuorum per cartam ſuam abbati *Elſtano* & fratribus tradidit & confirmavit, ſtatuens hoc monaſterium cum omnibus appendiciis perpetua libertate gaudere. *Eadſinus* Archiep.

§. 6. *De terris de* **Bodeſham, Bourne, Wilrenton.**

CIrca hæc tempora quidam nomine *Egelricus Bigge* cum conſenſu regis *Edwardi* dedit huic eccleſiæ terras de **Bodeſham** & **Wilrington** tali pacto, ut *Wade* ejus miles & *Loſwine* occuparent illa temporibus ſuis; & poſt obitum illorum remanerent huic monaſterio temporibus ſempiternis. An. Dñi 1045. Anno Domini M. xlv. *Eadſinus* archiepiſcopus dedit ſancto *Auguſtino* quinque acras terræ extra **Radingate**, & unum pratum pertinens ad terram prædictam, hac conditione interpoſita, ut monachi ſancti *Auguſtini* haberent ejus memoriam in orationibus ſuis ſpecialem. Sequenti anno traditum fuit manerium de **Patynton** cuidam *Turſtino* domicello abbatis, & poſtea venditum, & à ſancto *Auguſtino* alienatum. 1047. Anno Domini M. xlvij. mortuo venerabili *Elſtano* hujus cœnobii abbate xxxvj. ſucceſſit ei vir probi conſilii *Wulfricus*, & in eccleſia ſua ad magnum altare ab archiepiſcopo *Eadſino* benedictus eſt. Iſto anno *Edwardus* rex dedit eidem archiepiſcopo terram unius aratri apud **Littlebourne**, & hanc terram idem archiepiſcopus contulit huic monaſterio cum conſenſu prædicti regis; & ſunt illi tres manſi, ſcilicet **Bourne**, **Dene**, & **Wilryngton**. Dedit eciam ij. calices bonos, & centum marcas ad turris ædificationem quæ tunc fuerat in conſtruendo. Dedit eciam Pſalterium gloſatum minori gloſa. Circa hæc tempora *Emma* mater ſancti regis *Edwardi* extra alia plurima bona quæ fecit, omnia corpora ſanctorum hujus loci precioſis palliis adornavit.

§. 7. *Abbas ſancti* Auguſtini *debet aſſidere abbati* Montis Caſſini.

1055. ANno Domini M. lv. *Edwardus* rex dedit huic monaſterio totam terram quam habuit in *Fordwyco*. Anno ſequenti *Leo* papa x. ſymoniacam hæreſim in *Francia* debellabat. Mittitur ad eum conſenſu regis & regni *Wulfricus* abbas pro negotiis regni & eccleſiæ *Anglicanæ* reſponſurus. Cujus reſponſo papa intelligens *Anglos* cæteris innocentiores; & *Anglicanæ* eccleſiæ profectui congratulans, inter alia multa confirmabat, ut archiepiſcopus *Cantuarienſis* in conciliis vel ſynodis celebrandis aſſidere debeat ſanctæ *Ruffinæ* pontifici. Abbas vero *Auguſtinienſis* abbati *montis Caſſini*. Ipſi quoque abbati *Wulfrico* de eccleſiæ ſuæ dilatatione & Sanctorum ibidem quieſcentium honore memoriam facienti, dictus Apoſtolicus quod petebat libenter annuit & benedixit. Rediens autem prædictus abbas facta legatione templum ſuum à fronte diruit, beatiſſimam virginem *Mildredam* ante principale

Edwardus Rex. cipale altare, ut prius dictum eſt, conditam, in porticum ſancti *Auguſtini* tranſtulit, & juxta aquilonarem partem collocavit; erat enim tunc porticus *Auguſtini* ubi nunc eſt capella ſanctæ *Mariæ* in navi eccleſiæ. Fuerat namque ad orientem prædicti monaſterii oratorium beatæ *Mariæ* quod rex *Edbaldus* quondam conſtruxerat, in quo multa ſanctorum corpora requieſcebant. Quod oratorium reginæ cœli tam erat gratum, ut juxta *Anglicum* proverbium *Mariæ* ſacrarium diceretur ſeu veſtiarium. Ibi vero mundi domina ſæpius apparebat. Ibi miraculorum fulgura coruſcabant, ibi concentus angelorum & organa beatarum virginum frequenter audiebantur; ibi beatus *Dunſtanus* vidit manifeſte ſanctum *Adrianum* inter choros cœleſtium cum ipſa regina mundi collaudantem Deum; ibi manifeſte oculo corporali & aure audivit ipſam Chriſti matrem cum ſuis virginibus alternis vocibus ſic cantantes, *Cantemus Domino, &c.* Hujus oratorii partem occidentalem pro dilatando ſuo monaſterio non tam prudenter quam deſideriose cum porticibus quibus cingebatur in circuitu dejecit, & inter eccleſiam antiquam & oratorium prædictum, fratrum cimiterio quod adjacebat purgato, totum ſpacium ad fabricam occupavit. Set regina cœli non ferens ruinam templi ſui, trina revelatione per quandam anum veteranam mandavit abbati *Wulfrico*, ipſum corporali morte eſſe plectendum propter injuriam quam ſibi in ſui oratorii deſtructione intulerat. Set magnanimus abbas mandatum cœleſte credere renuens tanquam inanes fabulas propter nuncii vilitatem, reus incidit in divinam ultionem; percuſſus eſt enim letali ægritudine circa cœnam Domini: ipſa tamen die cœnæ & quinque diebus ſequentibus cum ſua forti infirmitate miſſas in conventu celebravit majores, ſet ſubſequenti nocte priuſquam monachi occurrere poſſent obiit tranſitu repentino. Quæ divina ultio, ut pie credi poteſt, ſignum fuit præfatæ præſumptionis cum adjutorio piæ intentionis.

§. 8. *Pontificalia abbati conceſſa.*

An. Dñi 1059. ANno Domini M.lix. *Wulfrico* ſic defuncto, *Egelſinus* ſucceſſit, & à *Stigando* archiepiſcopo eſt benedictus. Hic *Egelſinus* ad papam *Alexandrum* ſecundum neſcio qua legatione eſt miſſus ſub anno Domini M.lxiij. ubi primus inter hujus monaſterii abbates ab eodem papa mitra & ſandaliis uti jure pontificali eſt juſſus cum ſuis ſucceſſoribus prædicti monaſterii abbatibus, eodem papa ſic pronunciante, « Hunc apicem habere perpetuo rectorem decernimus *Auguſtinenſem* ob ipſius ſcilicet *Romanorum* alumpni & *Anglorum* apoſtoli dignitatem. Hanc itaque prærogativam ipſe *Egelſinus* in *Auguſtinenſi* eccleſia aliquandiu habuit. Set ubi præ timore novi regis *Willielmi* Conqueſtoris abbatia derelicta in *Daciam* fugit, ſucceſſori jura ſua dereliquit. Succeſſores tamen ejus tum propter ſui ſimplicitatem, tum propter archiepiſcoporum infeſtationem iſta dignitate uti omiſerunt uſque ad tempora *Rogeri* abbatis primi, ut ſuo loco planius dicetur. Iſte *Egelſinus* tradidit terram de Dene in gavelkende *Blakemanno* & *Athelredo* filiis *Brithmeri*. 1064. Anno Domini M.lxiiij. *Stigandus* archiepiſcopus inter cætera bona quæ huic monaſterio contulit, crucem magnam argento undique coopertam in navi eccleſiæ ſuper pulpitum erectam S. *Auguſtino* dedit. Jocale ſatis pulcrum & ſibi memoriale inperpetuum.

§. 9. Willielmus *Conq. venit in* Angliam.

Stigandus Archiep. ANno Domini (ſupradicto) *Willelmus* dux ij. idus Octobris apud Pevenſey applicuit, habitoque congreſſu cum *Haroldo* & ipſo interfecto, civitateque London in ditionem ſuam accepta, prædictus *Willelmus* verſus caſtrum *Dovoriæ* iter ſuum direxit, ut illud cum cæteris partibus comitatus ſuæ ſubiceret poteſtati. Quo comperto, *Stigandus* archiepiſcopus, & abbas *Egelſinus*, & totius *Cantiæ* majores advertentes totum regnum in maligno poſitum, & ubi de *Anglicis* ante adventum prædicti *Willielmi* nullus fuerat ſervus, jam omnes indifferenter tam nobiles quam plebanos perpetuæ ſervituti *Normannorum* ſubactos, ex vicinorum periculis ſibi & patriæ materiam ſalutis ordientes, populum univerſum totius *Kantiæ Cantuariæ* congregaverunt, eique pericula imminentia, proximorum miſeriam, *Normannorum* inſolentiam, ſerviliſque conditionis anguſtiam expoſuerunt, ac totus populus potius eligens vitam terminare infelicem, quam inſolitum ſervitutis jugum ſubire, communi conſilio decrevit duci *Willielmo* occurrere, & cum eo pro patriis legibus decertare. Prædicti vero archiepiſcopus & abbas eligentes cicius mori in bello quam videre mala gentis ſuæ, & ſanctorum *Machabæorum* animati exemplis fiunt duces exercitus. Statutoque die univerſus populus apud Swaneſcomp convenit adventum prædicti ducis latitantes in ſilvarum latebris expectando; & quia habundans cautela non nocet hoc inter ſe prælocuti ſunt, ut adveniente duce omnibus tranſitibus præocupatis ne ex aliqua parte pateret ei diffugium, ſinguli ſingulos ramos tam equites quam pedites ad cautelam portarent. Veniens igitur dux in craſtino in campeſtribus juxta locum prædictum, omnem patriam in circuitu ejus poſitam quaſi nemus mobile, & ſibi greſſu moderato appropinquans non ſine mentis conſternatione admiratur; at ubi duces populi *Kancialis* ducem *Willelmum* in medio eorum circumvallatum conſpiciunt, dato ſigno buccinæ erectiſque in altum vexillis ramos proiciunt, arcubuſque tenſis, gladiis evaginatis, haſtis cæteriſque armorum generibus protenſis, ſe paratos ad prælium oſtendunt. Dux autem & qui cum eo erant, nec mirum, ſtabant ſtupefacti; & qui jam totam *Angliam* pugillo ſuo tenere credebat, nunc de propria vita vehementer diffidebat. Miſſi ſunt ergo ex parte populi *Kanciæ* archiepiſcopus & abbas ſuperius nominati ad ducem *Willelmum*, ei nuncium ferentes in hæc verba. « Domine Dux! Ecce populus *Kantiæ* tibi obviam procedit te tanquam ligium dominum ſuum recepturi, rogantes ea quæ pacis ſunt, ſub hac tamen conditione, ut univerſus populus *Kantiæ* imperpetuum habita gaudeat libertate patriiſque utatur legibus & conſuetudinibus; alioquin tibi & tuis in præſenti bellum parati indicunt, volentes hic potius occumbere quam à patriis legibus & conſuetudinibus aliqualiter recedere, aut inexpertæ ſe ſubmittere ſervituti. Dux autem videns ſe in arto poſitum deliberatoque cum ſuis conſilio, prudenter advertens, quod ſi ab iſto populo qui eſt clavis *Angliæ*, repulſam pateretur aut aliquod incommodum, totum negotium quod prius geſſerat

foret

Willielmus Rex. foret infectum, et omnis ſua ſpes et ſecuritas verteretur in periculum, quod populus *Canciæ* petiit non tam libenter quam ſapienter conceſſit. Firmato igitur fœdere, datis ex utraque parte obſidibus læti *Kantiales* lætos *Normannos Roffam* deducunt. Ducique comitatum *Cantiæ* cum nobili caſtro **Dovoꝛe** in ditionem ſuam contradunt, ſicq; antiqua *Anglorū* libertas pattiæque leges & conſuetudines, quæ ante adventum Ducis *Willielmi* per totam *Angliam* æqualiter ſe habuerunt, in ſola *Kancia*, & hoc induſtria *Stigandi* archiepiſcopi & abbatis *Egelſini* uſque ad hæc tempora inviolabiliter permanſerunt.

§. 10. *Fuga* Egelſini *Abbatis.*

An. Dñi 1067. ANno Domini M.lxvij. die natalis Domini *Willielmus* Dux *Normannorum* coronatus eſt in regem *Anglorum* in civitate *Londonienſi*. Qui videns ſe in ſublimi poſitum & in regni ſolio confirmatum, ſubito ad alium virum mutatus de rege factus eſt tyrannus; expulſiſque regni nobilibus, epiſcopis, comitibus, abbatibus, & clericis multis, quos longum eſſet nominatim exprimere, eorum poſſeſſiones & prædia diatim ſuis diſtribuebat *Normannis*. Quo etiam tempore quidam *Normannorum* prædia nonnulla hujus monaſterii violenter occupaverunt. *Egelſinus* perpendens ſe odium incurriſſe regis propter libertates *Kanciæ*, prædia & poſſeſſiones monaſterii ſui *Normannis*, timore compulſus, invitis ſuis fratribus conceſſit. Tandem attendens iram regis erga ſe inplacabilem, plus ſuæ ſaluti quam gregis ſibi commiſſi conſulens, exhauſtis precioſis quibuſcumque monaſterii ſui theſauris, in *Daciam* navigio affugit, nec uſquam comparuit. Sicque grex dominicus fugiente paſtore luporum voracitati exponitur, vinea domini electa vulpeculis undique demolitur. 1070. Anno Domini M.lxx. *Willielmus* Conqueſtor dictus, in multis promiſſa violavit, monaſteria tocius *Angliæ* perſcrutari fecit & pecuniam ſimul & cartas in quarum libertatibus nobiles *Angliæ* confidebant & quas rex in arto poſitus obſervaturum ſe juraverat, ab eccleſiis ubi in ſecuro jacuerant auferri præcepit, & in ærarium ſuum deferri. Eodemque anno *Wyntoniæ* celebratum fuit concilium eccleſiæ *Anglicanæ*, in quo rege ordinante *Stigandus* archiepiſcopus ignominioſe degradatus vinculis perpetuis mancipatur. Et *Langfrancus* incontinenti ſubrogatur. Plures etiam Epiſcopi & Abbates in dicto Concilio ipſo rege diſponente ſuis beneficiis privati ſunt.

CAP. VII.

§. 1. Scotlandus *in abbatem ſubrogatur.*

ANno Domini quo ſupra, comperto quod *Egelſinus* ſic in *Daciam* fugerat, ſuamque eccleſiam abſque licentia regis petita aut optenta dereliquerat, prædictus rex monaſterium ſancti *Auguſtini* cum omnibus internis & externis apendiciis confiſcavit, & eidem monaſterio quendam monachum nomine *Scotlandum* natione *Normannum* in abbatem præfecit, monachis *Auguſtinenſibus* tum propter regis tyrannicam potentiam tum propter ſui monaſterii ex omni parte depreſſionem multiplicem, licet non ſine mentis amaritudine ad tempus hoc tolerantibus. *Scotlandus* tamen multa & magna laude digna temporibus ſuis feciſſe ſcribitur; terras & poſſeſſiones à monaſterio injuſte ablatas regio fultus auxilio multas licet non omnes recuperavit, quaſdam de novo perquiſivit, quaſdam abſque conſenſu Conventus alienavit. Lanfrancus Archiep. Hujus igitur ſupplicatu idem rex terram de **Plunſted** huic monaſterio reſtituit, quam terram *Odo Baiocenſis* epiſcopus frater regis *Willielmi* & poſtea Comes *Kanciæ* calumpniavit, quia ipſam terram *Godwynus* prædeceſſor ſuus ante tenuerat. Ad inſtantiam tamen regis prædictus *Odo* calumpniam quam habuit in eadem reliquit, & regio cirographo libens ſubſcripſit.

§. 2. **Foꝛdwych** Scotlando *abbati reſtituta eſt.*

B*Urgum* de **Foꝛdwych** quem quondam *Egelſinus* prædeceſſor *Scotlandi* dederat *Hamoni* vicecomiti, idem rex ad inſtantiam *Scotlandi* huic monaſterio reſtituit; unde ſcripſit in hæc verba, Willielmus *Dei gratia Rex* Angliæ, Lanfranco *archiepiſcopo* Cantuarienſi, *&c. ſalutem. Mando & præcipio ut faciatis ſanctum* Auguſtinum *& Abbatem* Scotlandum *reſayſire burgum de* **Foꝛdwych** *quem tenet* Haymo *vicecomes, omneſque alias terras quas abbas* Egelſinus *fugitivus meus levitate vel timore vel cupiditate alicui dedit vel habere conceſſit. Et ſi aliquis, &c.* Eodem tempore prælibatus *Odo* dedit ſancto *Auguſtino* & abbati *Scotlando* omnes domos quas habuit in villa de **Foꝛdwych** cum conſuetudinibus ad illam pertinentibus tam in terris quam in aliis. Et hoc fecit de licentia regis, prout carta illius regis teſtatur.

§. 3. *Donatio eccleſiæ de* **Favirſham.**

ANno quo ſupra, idem rex contulit ſancto *Auguſtino* & fratribus ejuſdem loci eccleſias de **Favirſham & Middelton** & decimas de omnibus redditibus provenientibus ex illis duobus maneriis ſcilicet de **Middelton & Favirſham**, & decimam de omnibus appendentibus, videlicet de terra, ſilva, pratis & aqua; excepta decima mellis & gabuli denariorum. Et ſunt iſtius donationis ſeptem cartæ diverſorum regum præter iſtam: ſcilicet *Henrici* primi, regis *Stephani, Henrici* ſecundi, & carta ejuſdem *Henrici* de decimis dandis de boſcis aſſartatis apud **Noꝛthwode, Rodeſtedene, & Kyngeſdowne, & Tirtholte.** Item carta regis *Ricardi*, regis *Johannis*, regis *Henrici* tertii, & regum *Edwardi* primi, ſecundi & tertii.

§. 4. *Donatio manerii de* **Newynton.**

TEmpore iſtius Abbatis idem rex *Willielmus* dedit iſto monaſterio octo præbendas in **Newynton**, & omnes terras ad illas pertinentes liberas & quietas cum omnibus conſuetudinibus ſuis. Et ſunt quatuor cartæ ſuper confirmatione ejuſdem præter iſtam, ſcilicet Carta *Willielmi* ſecundi, *Henrici* primi, *Stephani*, & *Henrici* ſecundi. Iſta eccleſia de **Newynton** fuit à nobis poſſeſſa uſque ad tempus *Nicholai* Abbatis, cujus tempore per quandam ſimplicitatem tradita fuit Abbati de **Leſnes** ad tempus certum. Set ipſe Abbas de **Leſnes**, abbate ſancti *Auguſtini* & ſuo Conventu inſciis, fecit quandam falſam ſuggeſtionem domino papæ & regi, ſanctum *Auguſtinum* defraudaverunt, *Willielmus primus.* Rex. runt, ut ſuo loco plenius patebit. Anno Domini M.lxxj. idem rex confirmavit libertates de ſaka & ſokna, &c. quas libertates ſanctus *Edwardus* & *Chnutus* prius huic monaſterio contulerant. Et eſt Carta duplex; una in Latino & alia in Anglico; eandemque libertatem pene omnes reges ſubſequentes Cartis ſuis confirmaverunt.

§. 5. *Dimiſſio calumpniæ ſuper manerio de* **Plumſtede.**

An. Dñi 1074. ANno Domini milleſimo lxxiv. *Odo* frater regis & Comes *Canciæ* calumpniam dimiſit de **Plumſtede** & donationem fecit in hæc verba, *Ego* Odo Baiocenſis *epiſcopus & Comes* Kanciæ *donationem facio ſanctis* Petro *&* Paulo *necnon* Anglorum *apoſtolo ſancto* Auguſtino *de hiis quæ michi ſubjecta ſunt. In primis de medietate villæ* de **Plumſtede**, *deinde terram reddo quæ dicitur* **Smedeton** *cum adjacentiis ſuis quæ poſſidebat* Ranulphus; *tunc decimas aliquas quas mei fideles habebant, ſcilicet in tribus villis quæ dicuntur* **Knolton, Tygenherſt,** *&* **Rengelton,** *& decimam tocius terræ* Turſtini, *necnon decimam de* **Bedleſhangre,** *decimam eciam in villula de* **Boclande.** *Hæc omnia dono.* Set decimas de **Knolton & Ryngelton,** *Willielmus de Albintio* ſucceſſu temporum illarum terrarum Dominus per ſuam potentiam huic monaſterio abſtulit, & decimam de **Boclande** *Rogerus de Memires* à nobis abripuit. 1079. Anno Domini milleſimo lxxix. quidam *Herebertus* in fraternitatem capituli receptus dedit decimas quinque manſionum vel C. ſolidos annuos, quod in arbitrio Abbatis & Conventus conſtituit utrum decimas ipſas vel centum ſolidos pro decimis acceptarent; & ſunt hæc **Clives**, **Ewelle**, **Oſprenge**, **Heregedeſham**, & **Langedone**. Omnes iſtas decimas & eciam prædictos C. s. quidam *Willielmus Penrel* prædictarum manſionum dominus ſucceſſu temporum à nobis injuſte extorſit. Circa idem tempus Abbas *Scotlandus* tradidit *Wadardo* militi terram quinque ſolidorum circa villam de **Norborne** ad terminum vitæ ipſius, hac interpoſita conditione, ut ipſe miles redderet ſingulis annis in feſto Pentecoſtes ſancto *Auguſtino* xxx s. et daret decimas omnium rerum ſuarum quæ de illis poterunt pervenire, & poſt obitum *Wadardi* ad dominicum ſancti *Auguſtini* pro inperpetuo rediret. Hiis eciam diebus idem abbas tradidit terram de **Rippele** & **Alnetonne**, interpoſita eadem conditione quæ cum *Wadardo*.

§. 6. **Sybertiſweld** *dimittitur ad firmam.*

TRadidit eciam cuidam *Hugoni* filio *Fulberti* terram duorum aratrorum de **Sibertefwelde** conditione qua ſupra, reddendo ſingulis annis in feſto ſancti *Andreæ* apoſtoli xx. s. cum decimis exinde provenientibus. In cujus cimiterio idem *Hugo* ſibi elegit ſepulturam cum omnium rerum ſuarum larga donatione.

§. 7. *Dilatatio hujus monaſterii.*

PRælibatis aliquantis geſtis *Scotlandi* abbatis memoria dignis quibus jura monaſterii & poſſeſſiones nitebatur ampliare, nunc qualiter eccleſiam ſui monaſterii dilatare ſatagebat, parumper ut in ſcriptis repperi, hic annotare decrevi. *Langſt.* Archiep. *Scotlandus* ex donatione regis *Willielmi* regimen hujus congregationis adeptus, ad dilatandum monaſterii ſui templum largum extendit animum, cui cum videbatur nimis anguſtum ordinatum à ſuperius memorato *Wlfrico* templalis areæ ſpacium, è contrario terrebat ipſum, hinc, factum in prædictum *Wulfricum* pro rupta Dei genitricis eccleſia judicium; inde, antiquæ & ruinoſæ eccleſiæ periculum. In iſtis igitur angoribus poſitus abbas *Scotlandus*, mittitur *Romam* à rege *Willielmo* ad Papam *Alexandrum ſecundum*, ibique poſt regia reſponſa conſilium accepit ab ipſo apoſtolico & benedictionem de transferendis Sanctis & de deſtruendo vetera ædificia & nova ſuis votis reformando. Abbate domum reverſo, novum opus ſui prædeceſſoris ſcilicet *Wulfrici* penitus ſubvertit, cogitanſque totum prædictum Dei genitricis oratorium occupare, hoc præſumere tamen non audebat, donec illa Dei genitrix ſuis devotorumque fratrum jejuniis, orationibus & lacrimis placaretur. Quo facto, primum abbas exportari fecit ſolempniter corpora Sanctorum ibidem quieſcentium, id eſt, ſancti *Adriani* abbatis, cujus quidem reliquias cum ſarcofago in ſancti *Auguſtini* porticu collocavit, ſet & ſucceſſoris ſui *Albini*, & *Johannis* abbatis ſecundi, necnon & aliorum ſanctorum reliquias quorum indicia cartualiter inſcripta flamma quondam conſumpſerat, ſet et quatuor regum corpora, id eſt *Edbaldi* qui ipſum oratorium conſtruxerat, *Lotharii* quoque cujus mater ſancta *Sexburga*, Regis etiam *Muli* alienigenæ, & legitimi regis *Wychredi*. Qui omnes cum ſuis regalibus uxoribus et liberis ac longa nepotum genealogia inibi quieſcebant. Sicque prædictum oratorium ſuis pignoribus evacuatum ad ſolum evertitur, et complanatur, et in eodem loco cripta beatæ virgini conſtruitur, et ſuper ipſam criptam thalamus ſancti *Auguſtini* cum ſuis ſociis transferendis et principum apoſtolorum domus cacuminatur ſicuti nunc apparet. Perfecit autem Abbas *Scotlandus* ipſum opus novum incipiendo à ſupradicto virginis oratorio uſque ad porticum ſancti *Auguſtini* in qua antiquitus quieſcebat. Verum ipſum *Scotlandum* ulterius in opus procedere mors obvia prohibebat. Cujus tamen ſucceſſor *Wydo* tam in eccleſiæ fabrica conſummanda quam in ſanctis transferendis quod ipſe dimiſerat ſtrenuiſſime adimplevit.

§. 8. *Juriſdictio ordinaria perdita tempore* Scotlandi.

SET quoniam teſte mundi philoſopho nullus mortalium ita felicitate undique beatur quin ex aliqua ſui parte miſeriis relinquatur ſubjectus, prædictus venerabilis abbas *Scotlandus* licet poſſeſſiones et jura temporalia monaſterii ſibi commiſſi undique potenter defenderet, utpote amicus regis et principum terræ: Jura tamen monaſterii ſui ſpiritualia et libertates in detrimentum hujus eccleſiæ minus provide procuravit, ut ex dicendis plenius elucebit. A tempore enim beati papæ *Gregorii* ac ſancti patris *Auguſtini*, id eſt à ſexcenteſimo Dominicæ incarnationis Anno uſque ad milleſimum octogeſimum hæc illius ſummæ matris eccleſiarum ſpecialis filia et ſpiritualis alumpna regni *Anglorum*, cœnobiali dignitate et monachili religione primaria, gratia omnipotentis Dei qui libertate vult filios

ſuos

Willielm. I. Rex. ſuos frui, et non ut fiant cum ſervis tributarii, ac ſanctione ſancti patris *Gregorii* cæterorumque *Romanorum* pontificum necnon beati *Auguſtini* omnique eccleſiaſtica pace, honore ac libertate uſa eſt, nec ullus unquam præſulum ſive alia perſona eam inquietare auſa eſt, hoc excepto, quod canonici ſanctæ Trinitatis qui tunc erant contra matris eccleſiarum dignitatem & ſanctionem ſupraſcriptam jam ex aliquanto tempore quorundam archiepiſcoporum corpora in epiſcopio ſepelierant, monachis noſtris ſemper conquerentibus & de matris ſuæ eccleſiæ *Romanæ* injuria ex intimis dolentes. An. Dñi 1080. Anno incarnationis Dominicæ M.lxxx. *Lanfrancus* archiepiſcopali pallio in *Cantuaria* potitus, hanc eccleſiam apoſtolicam perſequi incepit, & dominium quod ſuper eam juſte habere non potuit, ut aliquo modo obtineret per ſe & ſuos complices machinari non deſtitit. Hic ergo poſtquam aliquot annis dignitate archiepiſcopali functus eſt, abbatem *Scotlandum* quaſi in magnæ amicitiæ familiaritatem ſibi in dolo aſſociavit, ut ſub umbra hujus mutuæ dilectionis quod ſæpius optabat celerius adipiſceretur. Erant autem quaſi compatriotæ & vicini & cum dicto duce *Willielmo* paulo ante in regnum promoto, de tranſmarinis partibus ſubſecuti, & ideo ſibi invicem gratiores & fideliores amici. Hoc ergo mutui amoris vinculo archipræſul roboratus, per ſe aliaſque honeſtas perſonas ſæpius appetiit abbatem, ut ad ſermonem ſuum tantummodo audiendum, & ut ſynodus ſua ſpecioſior appareret, ſacerdotes ſuos ſibi præſtaret: Quod cum abbas ſæpius negaret, ac contra jus apoſtolicum ac uſum ſuæ eccleſiæ apoſtolicæ ſe nullo modo facere poſſe diceret, tandem eidem monaſterio non præcavens, tantæ calliditatis minus providus, quin tam familiarem ſibi amicum offendere timens, omnes ſacerdotes ſuos ad ſynodum archiepiſcopi, monachis ſuis contradicentibus ire coegit, non de aliqua re ibi placitaturos, ſet tantum ad audiendum ſermonem archiepiſcopi pro utilitate ſua propria, omni malo ingenio & cauſa perverſa ſemota. Iterum iterumque archiepiſcopus abbatem aggreditur quatinus presbyteros ſuos ad utilitatem animarum ſuarum ad ſynodum tranſmittat. Quod cum frequenter rogaſſet & abbas præ timore vel amore non negaret, archiepiſcopus conſuetudinarie & quaſi eſſent ſub juris & ditionis ſuæ honore ac dignitate, ad ſynodum & capitulum ſuum omnes presbyteros parochianoſque eorum venire compulit, ſicque monaſterio ſancti *Auguſtini* dignitatem & honorem cauteloſe ſubtraxit, quem ab exordio naſcentis in *Anglia* eccleſiæ libere, pacifice & ſine omni injuriatore ſemper optinuerat. Ante iſtum *Lamfrancum* tam ſacerdotes quam homines tocius abbatiæ de nulla contra Chriſtianitatem offenſione niſi ſoli abbati & ſuis commiſſariis ſolebant reſpondere. Ipſe enim abbas & ejus deputati capitulum & convocationem eorum quandocumque volebant vel ratio aut neceſſitas expoſcebat, libere, pacifice & ſine omni hominum contradictione faciebant, & de omni crimine vel commiſſo qualem volebant & culpa exigebat emendationem accipiebant per omnia, ſicut archiepiſcopus in dioceſi ſua.

§.9. *Obitus* Willielmi *Regis conqueſtoris.*

1085. ANno Domini M.lxxxv. obiit *Willielmus* rex *Anglorum*, Conqueſtor nuncupatus. Et nota quod iſte rex coronatus fuit die natalis Domini, ut tactum eſt, ab archiepiſcopo *Eboracenſi Aldredo*, quia *Stigandus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* tunc fuerat ſuſpenſus per papam *Alexandrum* & poſtea degradatus, quia vivente *Roberto* archiepiſcopo *Cantuarienſi* archiepiſcopatum ejuſdem eccleſiæ invaſerat, & ſimul archiepiſcopatum, & *Wyntonienſem* epiſcopatum unde extitit apoſtolatus ſimul tenuit.

§.10. *De reſtricta pulſatione ſignorum hujus monaſterii.*

Lanfrancus Archiep. ANno ſequenti *Lamfrancus* inſtigatione monachorum ſuorum hiis malis non contentus, interdixit monachis iſtius eccleſiæ ne ſigna ſua in ullà hora canonica pulſarent niſi prius in epiſcopio pulſaretur: Non attendens ubi Spiritus Dei ibi libertas. Inde ergo iræ, rixæ, murmurationes, exordinationes ſæpiſſime in domo Dei fiebant; quia cum injuria *Romanæ* eccleſiæ facta ſervicium Dei frequenter tarde & indecenter & irregulariter lacrimoſis ſuſpiriis exercebant. De tanta ergo ignominia tamque nefanda irreverentia domino apoſtolico ac *Romanæ* eccleſiæ cujus eſt illa propria & ſpecialis capella irrogata, flebilibus vocibus præcordialibuſque gemitibus monachi ſuum abbatem adeunt, exorant & arguunt, ut celerius domino papæ hoc tantum facinus ac ſuum maximum dedecus annunciet. Quos ille deſpiciens & contra Deum ſanctamque *Romanam* dignitatem ac ſanctionem ſupradictorum patrum ſatis annotatam archiepiſcopo favens, monachos diſtringere ac ne de curia vel de clauſtro ullo modo exirent omnino artari cœpit. Suſpicabatur nimium & timebat ne ipſi aliquo modo domino papæ dampnum & dedecus ſibi illatum inſinuarent, archipræſuliſque arrogantiam ac ipſius abbatis turpem conſenſionem manifeſtarent. Quod cum eis in arta cuſtodia poſitis exire non liceret, & cenſus et expenſæ tanti negocii vel itineris non eſſent, Deo cauſam ſuam & eccleſiæ injuriam commiſerunt qui dixit, *Michi vindictam & ego retribuam*, quandoque de hac triſtitia reſpectum divinæ clementiæ & patris ſui Domini apoſtolici ſubventionem diu & ſuſpirioſe expectantes.

CAP. VIII.

§.1. Wydo *abbas à* Lamfranco *benedictus eſt.*

An. Dñi 1087. ANno Domini milleſimo lxxxvij. tercio nonas Septembris obiit *Scotlandus* hujus monaſterii abbas xlj. Quo defuncto *Lamfrancus* archiepiſcopus videns tempus ratum & oportunum quo *Auguſtinenſem* eccleſiam ſuæ ſubderet ditioni, unum de monachis ſuis nitebatur iſti monaſterio præficere in abbatem, unde & regem *Willielmum* filium *Willielmi* conqueſtoris adiit, & ut ſibi donationem abbatiæ prædictæ daret inſtanter petiit. Set non optinuit, eo quod monachi *Auguſtinenſes* exhibuerant regi privilegia ſua, ſcilicet *Auguſtini*, *Ethelberti* regis, *Bonifacii* papæ quarti, *Agathonis* & *Adeodati* ſummorum pontificum; ex quibus liquide regi apparebat quod electio abbatis ejuſdem loci tam de jure communi quam de privilegio ſpeciali ad eoſdem pertinebat. Unde *Lamfrancus* proſpiciens votum ſuum ex parte regis fore fruſtratum, nova doli excogitans machinamenta, *Simonis Magi* uſus eſt inpudenti pruden-

Williel. II. Rex. prudentia; & ut monachi *Auguſtinenſes* aliquem de monachis ſuis & ſuæ fraudis complicibus in abbatem hujus loci eligerent, non tam precibus præviis quam preciis pecuniarum promiſſis inſtantiſſime poſtulavit; pacemque ſimulans in dolo ſe amicum *Auguſtinenſis* monaſterii futurum præſtantiſſimum ſi vota ejus complerentur ſpopondit. Set *Auguſtinenſes* monachi prudenter animadvertentes anguem latentem in herba, timentes ne eis venenum aſpidum & inſanabile in aureo poculo ſub dulci Sirenarum voce propinaretur, ex præteritis *Lamfranci* geſtis futurorum eventus certiſſimos metuentes, pecuniam ejus ſic oblatam in offerentis perditionem velut anathema ſpreverunt, ſed & monachum quendam ex hujus gremio moribus & literatura inſignem ac regi *Willelmo* juniori amantiſſimum nomine *Wydonem* Chriſto prævio elegerunt; *Lamfrancus* archiepiſcopus ſpe concepta ex omni parte fruſtratus, non tam dolore cordis intrinſeco affectus quam iracundiæ furia contra monachos ſancti *Auguſtini* invectus, prædictum *Wydonem* electum in eccleſia *Auguſtinenſi* ſecundum tenorem privilegiorum ſuorum benedicere aliquandiu recuſavit. Set regis *Willelmi* victus inſtantia, prædictum electum ad altare majus ſui monaſterii benedixit die ſancti *Th. Apoſtoli*. Et anno ſequenti obiit *Lamfrancus* arcpiepiſcopus.

§. 2. *Placitum pro villa de* Stonor.

An. Dñi 1090. ANno Domini M. lxxxx. fuit magna diſceptatio inter cives *Londonienſes* & abbatem & homines ejus de Stonore. Cives *Londonienſes* vendicaverunt dominium villæ de Stonore tanquam de maris portu civitati *Londonienſi* ſubjecto. Set rege *Willelmo Ruffo* favente parti Abbatis, dirationatum eſt in eadem villa per Juſticiarios, quod nullus de cætero aliquid clamet ibidem, Set *Wydo* abbas & ſuus conventus libere & quiete terram illam & totum litus uſque ad medietatem aquæ habeant ſine calumpnia aliqua, & quod abbas ſancti *Auguſtini* libere poſſideat omnes rectitudines & conſuetudines ad prædictam villam pertinentes. Et ſuper iſto proceſſu ſunt cartæ duplices prædicti regis. Recordum ſive diratiocinium prædictum confirmant videlicet *Henricus* rex primus, *Stephanus*, *Johannes* & *Henricus* tercius reges *Angliæ* temporibus ſuis illud idem cartis ſuis confirmaverunt.

§. 3. *Tranſlatio S.* Auguſtini *per* Wydonem *abbatem.*

1091. ANno Domini M. lxxxxj. *Wydo* hanc eccleſiam dignitate paſtorali gubernans eccleſiam ſuam quam prædeceſſor ſuus *Scotlandus* morte prohibente ad ſummum perficere non potuit fœliciter conſummavit & de transferendis Sanctis efficaciter elaboravit. Igitur anno quo ſupra viij. idus Septembris tranſtulit corpus beati *Auguſtini* de loco ubi per quingentos annos jacuerat, & repoſuit omnia oſſa majora ipſius Sancti & caput in quadam ſaxea tumba ferro & plumbo peroptime ſigillata, cujus ſuperſcriptio talis erat.

Inclitus Anglorum *præſul pius & decus altum*
Hic Auguſtinus *requieſcit corpore ſanctus.*

Et quia in partibus *Canciæ* tam *Danorum* quam *Normannorum* frequens erat irruptio formidabilis, & tam in ſanctos Dei indebita reverentia & deteſtabilis, ne ex inſperato gens barbaricæ nationis irrumpens corpus ſancti apoſtoli *Auguſtini* venerabile & cunctis gentibus deſiderabile violenter raperet, & tanto theſauro non ſolum hoc cœnobium ſet totam *Angliam* privaret; completa ergo tranſlationis ſolempnitate & omnibus ad propria remeantibus, venerabilis abbas cum quibuſdam ſenioribus fratribus ad feretrum ſancti *Auguſtini* nocte clam acceſſit; amotoque cooperculo quod nondum erat perfecte completum, ſublatoque corpore beati *Auguſtini* cum capite exceptis quibuſdam oſſiculis & parte cineris, in tumba ſaxea ad hoc præparata in muro ſub orientali feneſtra juxta feretrum ejuſdem prædictum corpus abſcondit, paucis admodum fratribus hoc ſcientibus & illud ſecretiſſime celantibus, & quibuſdam viam univerſæ carnis ingreſſis, memoria hujus rei geſtæ pariter eſt extincta. Latuit ibi corpus venerandum ab omnibus incognitum per centum triginta annos uſque ad tempora videlicet abbatis *Hugonis* tercii ſub anno Domini milleſimo CC. xxj. Et ne populus confluens ad venerationem ejus ſpe optata fruſtraretur, prædictus abbas *Wydo* reliquam partem oſſium licet parvam & cineres vaſculo quodam plumbeo incluſit, illudque in imo congeriei lapidum feretri ſupradicti abſcondit. In ſummitate vero feretri argentei in quodam vaſculo plumbeo ſet parvulo repoſuit quandam particulam carnis nondum ex toto in terram redactæ, ſet fuit quaſi terra humida ſanguine coagulata, cum aliis reliquis diverſis & precioſis, de quorum omnium revelatione dicetur ſub tempore abbatis *Hugonis tercii* ut ſupra. Fertur eciam à quibuſdam fratribus fide dignis dum ipſi in puerili ætate exiſterent ipſos à fratribus hujus monaſterii audiviſſe, & à nonnullis etiam laicis venerandis ſenio confectis, multas reliquias Sanctorum diverſa per loca hujus eccleſiæ fuiſſe abſconditas; ſet cum Deo & Sanctis placuerit revelandas. *Vacatio.*

Cap. IX.

1091. EOdem anno ſcilicet M. lxxxxj. viij. idus Auguſti venerabilis *Wydo* abbas xlij. moritur, & in criptis ad altare ſancti *Ricardi* ſepelitur. Quo tumulato, monachi *Auguſtinenſes* regem *Willielmum* dictum *Ruffum* adeunt, licentiam eligendi ſibi abbatem inpetraturi. Quibus rex non ſolum licentiam petitam denegavit, ſet ne eligerent pœnis comminatoriis interdixit, dicens, *ſe velle omnes baculos paſtorales per totam* Angliam *manu ſua tenere, & de eis pro libito ſuæ voluntatis diſponere.* Erant enim tunc eccleſiæ per totam *Angliam* ita venales, ut qui pro eis plus daret citius obtineret. Sicque monachi noſtri ſpe fruſtrati domum repedant triſtes & anxii. Erat autem eo tempore in hoc monaſterio monachus quidam religione juvenis, ætate tamen & moribus provectus, natione *Normannus*, & regis *Willielmi* conſanguineus nomine *Hugo de Floriaco*. Iſte enim *Hugo* miles fuerat ſtrenuus qui regi *Willielmo* ſeniori & prædicto *Willielmo* regi *Ruffo* tam in *Normannia* quam in *Anglia* diutius militaverat. Hic vero *Hugo* adhuc ſeculo miles quodam tempore cum rege *Will. Ruffo Cantuariam* veniens ſanctum *Auguſtinum* orandi gratia viſitavit, ubi ſuperna aſpirante gratia tanta ſanctorum amoris dulcedine raptus, atque monachorum vitæ mundicia delectatus, ſepta monaſterii noluit exire niſi prius in fratrem monaſterii & monachum recipi mereretur. Abbas er-

Will. II. Rex. go & conventus tanta rei novitate ſtupefacti, nolentes ſpiritui Dei reſiſtere, quod prædictus miles *Hugo*, ymmo rex pro ſuo milite & conſanguineo inſtanter petierunt libenter annuentes, prædictum *Hugonem* in monachum receperunt. Hiis itaque ſic geſtis prædictus *Hugo* prudenter attendens, neminem Deo perfecte militare niſi prius renunciaverit omnibus quæ poſſidet, in *Normannia* regreſſus, diſtractis prædiis & poſſeſſionibus ſuis quibus ampliſſime habundabat, aliis, eccleſiis erogatis, aliis, conſanguineis ſuis diſtributis, eo quod neque uxorem aut filium habuerat, aliis in pecuniam redactis & pauperibus erogatis, monaſterium ſancti *Auguſtini* repetiit, ſecum non modicam pecuniæ ſummam deferens, quam in uſus fratrum & monaſterii utilitatem abbati *Wydoni* tunc præſidenti continuo reſignavit, monachilemque habitum ſuſcepit, ſicque in poſterum monachus permanſit. Igitur defuncto *Wydone* ut dictum eſt, monachis noſtris ſuper electione futuri abbatis per prædictum regem diu perturbatis, tandem communi conſilio decretum eſt, ut duo circumſpecti monachi una cum prædicto *Hugone* qui jam vix annum probationis expleverat, ad regem mitterentur, ipſius regis animum prece vel precio emollituri, ut eis licentiam eligendi abbatem concederet. Quibus ſe regio conſpectui præſentantibus, rex ut vidit conſanguineum ſuum quondam ſibi in faſtu militari nunc autem Chriſto in habitu monachili militantem, ita animo eſt conſternatus ut erumpentibus lacrimis diceret, *Hunc meum conſanguineum vobis in abbatem concedo, ipſumque Auguſtinenſi monaſterio ad veſtras preces præficio, nec alium vobis eligere permitto. Quem niſi in præſenti ſuſceperitis in brevi monaſterium veſtrum in cineres conflagrabo.* Monachi igitur noſtri non tam regis furorem pertimeſcentes, quam fervorem religionis quam idem *Hugo* erga Deum & eccleſiam ſuam habuerat attendentes, voluntati regis ac beneplacito ſe ſubmiſerunt in præmiſſis, ſet prædictus *Hugo* oblatum ſibi honorem diu recuſavit, dicens ſe tanto honore ſimul & onere fore non tam indignum quam inſufficientem, eo quod eſſet homo quaſi illiteratus, & tam in religione quam in eccleſiaſticis inſtitutis parum admodum edoctus. At rex & monachi prædicti *Hugonis* vitæ merita pluſquam literaturam ponderantes, oblatum honorem ipſum licet invite ſuſcipere coegerunt, nec eum à curia regis rex recedere permiſit quouſque in abbatem benediceretur.

§. 1. Hugo Flory *in capella regis* Weſt. *benedicitur.*

IGitur anno ſupradicto idem *Hugo de Flori* benedictus eſt à *Mauricio Londonienſi* epiſcopo in capella regis apud *Weſtmonaſterium* die dominica infra aſcenſionem Domini, *Anſelmo* archiepiſcopo tunc exulante; Facta tamen proteſtatione quod non cederet in præjudicium libertatis monaſterii iſtius, ſuper eo quod abbas ſancti *Auguſtini* tam de privilegio quam de conſuetudine in eccleſia ſua ſancti *Auguſtini* ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* benedici deberet & conſuevit. *Hugo* igitur de *Flori* apicem monaſterii hujus ſic adeptus, paſtorale officium quod invitus ſuſcepit, ad Dei laudem & monaſterii ſui utilitatem officioſiſſime exercuit, multaque laude & memoriæ digna temporibus ſuis in monaſterio ſibi commiſſo perpetravit, quorum plenam notitiam tam vetuſtas temporis quam ſcribendi negligentia parumper delevit. Inter cætera *Anſelmus* Archiep. tamen ſua memorialia, capitulum & dormitorium à fundamentis conſtruxit ex theſauris quos in ingreſſu ſuo huic monaſterio contulit. Pulpitum eciam in eccleſia fecit; candelabrum eciam magnum in choro æreum quod *Jeſſe* vocatur in partibus emit tranſmarinis. Tabulam eciam argenteam inferiorem magni altaris fecit, capam pulcherimam, caſulam, albam cum ſtola & manipulo auro & gemmis mirabiliter contextas, quæ uſque in hodiernum diem *Floria* vocantur, fieri fecit. Anno Domini M. lxxxx. An. Dñi 1098. viij. *Willielmus* rex occiſus eſt, & *Henricus* frater ejus non. Auguſti in regnum ſucceſſit. Iſte *Henricus* ſub anno Domini M. Cij. confirmavit libertates de ſaka &c. ſicut prædeceſſores ſui huic monaſterio conceſſerant. Confirmavit etiam donationem patris ſui *Willelmi primi* de eccleſiis de **Faverſham** & de **Middelton** cum viij. præbendis de **Newenton.**

§. 2. *De* Theloneo *non præſtando.*

ANno milleſimo Ciij. idem rex conceſſit abbati 1103. *Hugoni* ut ſervientes monaſterii ſui ſint quieti per totam *Angliam* ab omni theloneo in omnibus quæ poterunt affidare ſe emere ad dominicos uſus monachorum ſancti *Auguſtini*, prout carta regis plenius teſtatur. Anno ſequenti impetravit à rege ut ſervientes monaſterii qui nec emunt nec vendunt nec mercatum ducunt, non talliantur ad auxilia facienda Burgenſibus *Cantuariæ*.

§. 3. *Feria conceditur in tranſlatione* S. Auguſtini.

ITem eodem anno conceſſit huic monaſterio habere feriam in tranſlatione ſancti *Auguſtini*, ita quod duraret per quinque dies, ſcilicet per duos dies ante feſtum & duos dies poſt. Et quod eccleſia ſancti *Auguſtini* habeat medio tempore omnes conſuetudines quas rex habet per civitatem *Cantuariæ*. Iſtam feriam monachi tenuerunt uſque ad tempora *Edwardi* filii regis *Henrici*, quo tempore illam feriam omnino dimiſerunt propter jurgia & lites & eciam pugnas quæ in cimeterio eorum frequenter fiebant, ac eciam propter quaſquam graves exactiones panis & cerviſiæ quas ballivi de villa in cellario noſtro vendicabant durante feria prædicta.

§. 4. *Feria in feſto apoſtolorum* Petri *&* Pauli.

POſtmodum vero *Stephanus* rex conceſſit feriam in feſto ſanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Nec ipſa propter noſtram inertiam utimur eciam in præſenti, ſic namque pro minimo onere in parcendis cibis patri noſtro *Auguſtino* in augendo degenerantes, commodis illarum feriarum & cuſtumis privamur & honore. Habemus tamen quandam feriam ad averia tantum feria quinta videlicet poſt feſtum exaltationis, in recompenſatione feriæ prænominatæ. Anno Domini milleſimo C. x. *Hugo* abbas dirationavit 1110. in curia *Henrici* regis primi terras de **Rippele** & de **Langedon** cum omnibus pertinentiis contra *Manaſſerum Arſic*.

§. 5. *Mercatum conceditur apud* **Menſtre.**

ANno ſequenti ſexto conceſſit idem rex abbati & ſuis ſucceſſoribus habere mercatum apud

Menſtre

Henricus I. Rex. Menſtre in inſula de Thanet cum omnibus conſuetudinibus foris facturis & placitis, ita libere & quiete in perpetuum ſicut habet aliquam terram vel rem ſancti *Auguſtini*. Anno Domini milleſimo An. Dñi 1120. C. xx. *Calixtus* papa ſecundus contulit huic monaſterio autenticum privilegium inter cætera ſic dicens, *Sicut monaſterium apoſtolorum* Petri *&* Pauli Cantuarienſe *in inicio naſcentis Chriſtiane religionis apud regnum* Anglicum *in monaſtica religionis obſervantia extitit primum, ita in poſterum cum omnibus ad ſe pertinentibus ab omni maneat ſervicio liberum, ab omni mundiali ſtrepitu inconcuſſum, nec eccleſiaſticis conditionibus ſeu angariis vel quibuſlibet obſequiis ſecularibus ullo modo ſubjaceat, aut ullis canonicis juribus ſerviat.*

§. 6. *Privilegium ſuper pulſatione ſignorum.*

ET parum poſt ſequitur, *Illud adicientes, ut liceat vobis pro divini ſervitii celebratione cum vobis placuerit ſigna eccleſiæ veſtræ pulſare. Illam præterea turpem arietum, panum & potus extortionem ab eodem monaſterio penitus removemus, quam ibi ſanctæ Trinitatis monachi ex quadam quaſi conſuetudine ſibi vendicare contendunt.* Et ſequitur gravis excommunicatio in contravenientes, & eſt ſententia lata.

§. 7. *De criſmate & oleo & extorſione panis & potus.*

ET quia hic fit mentio de quadam conſuetudine panum, arietum & potus, quomodo iſta conſuetudo, immo juris corruptio traxit originem, dignum duxi annotare. Symoniaca hereſis ab antiquis temporibus per totam *Angliam* ita inolevit, ut non ſine venalitate Chriſti ſacramenta haberi poſſent. Et licet *Lanfrancus* iſtam ſymoniam fere per totam *Angliam* quantum valuit, purgavit, ipſam tamen in ſua eccleſia purgare non curavit. Sicque ex aliorum oculis feſtucas evellens in propriis trabem dereliquit; immo quia error cui non reſiſtitur approbatur, ſymoniacos ſanctæ Trinitatis in ſuo errore validius confirmavit. Unde & ſucceſſores ſui *Cantuarienſes* archiepiſcopi electos in abbates ſancti *Auguſtini* ſecundum antiqua privilegia monaſterii in ipſo monaſterio ſine profeſſione & precio benedicere, criſma & oleum in eccleſiis ſuis neceſſarium dare libere detrectabant, ſet & duos arietes & panem & potum ſibi dari in cœna Domini pro oleo vendicabant. In hoc caſu magis ut æſtimo pontifices Judæorum ſive *Gyeſy* quam *Symonem Magum* imitantes. Cujus tamen doctrinam imitati I. s. & vij. d. ſibi dari pro criſmate à monachis ſancti *Auguſtini* per aliquot annos extorquebant. De quibus in ſequentibus ſub anno Domini milleſimo C. xliij. plenius apparebit. Unde monachi *Auguſtinenſes* tantæ injuſtæ exactionis pondere preſſi, pro remedio ſuper præmiſſis optinendo ad *Romanam* curiam tanquam ad matrem propriam & ultimum refugium confugiebant, & contra inimicos novo ſe privilegio *Calixti* ut prædicitur obtinuerunt præmuniri. Scripſit eciam idem papa archiepiſcopo & monachis ſuis in hæc verba, *CALIXTUS*, &c. *beatorum apoſtolorum* Petri *&* Pauli, & infra. *Cæterum ſicut accepimus vos eam tardis ſignorum ſuorum pulſationibus & indecenti arietum & panum & potus extortione gravatis, quod omnino & ſanctorum patrum inſtitutionibus & prædeceſſorum noſtrorum privilegiis adverſatur.* Willielmus Archiep. *Quamobrem præſentibus literis fratres in eadem eccleſia ſervientes in ſanctorum feſtivitatibus quorum reliquiæ apud eos ſunt, ſigna pulſare cum voluntate permittatis, Indignum eſt enim ut eccleſia tanta* Romanorum *pontificum libertate donata, hujuſmodi debeat exactionibus ſubjacere.*

§. 8. *Inſtitutio abbatis* Hugonis *primi.*

INter cætera ſui temporis geſta quæ prædictus abbas *Hugo* in eccleſia ſua fecit, inſtituit ut ſingulis annis imperpetuum quinto non. Julii fiat commemoratio pro animabus omnium Benefactorum hujus loci, & animalibus parentum & fratrum iſtius congregationis vivorum & mortuorum; & paſcantur xxx. pauperes in aulam ejus anniverſario. Inſtituit etiam quotieſcumque aliquis monachus hujus loci obierit, de propriis expenſis abbatis antequam corpus defuncti ſepulturæ tradatur imperpetuum dari quinque ſolidos.

CAP. X.

§. 1. *Hugo 2. monachus* Roffenſis *per* Sifredum Ciceſtrenſem *epiſcopum benedicitur in abbatem.*

ANno Dominicæ incarnationis M. C. xxiiij. vij. An. Dñi 1124. kal. Aprilis obiit bonæ memoriæ *Hugo Flory* primus eccleſiæ iſtius abbas prælustris, ſepultus eſt in capitulo ante gradus ex parte auſtrali, quam domum ipſe à fundamentis conſtruxit. Et cum abbatia poſt obitum ejus ad tempus vacaret, anno ſequenti *Henricus* rex contulit abbatiam cuidam monacho *Roffenſis* eccleſiæ tunc capellano ſuo nomine *Hugoni de Trotteſclive* viro utique tam monaſterialibus quam ſecularibus diſciplinis erudito. Quem *Willelmus Cantuarienſis* archiepiſcopus in eccleſia *Auguſtinenſi* benedicere recuſavit, dicens prædeceſſorem ſuum non in ipſa eccleſia ſet in capella regis apud *Weſtmonaſterium* ab *Anſelmo* archiepiſcopo fuiſſe benedictum. Et ideo conſtanter aſſeruit ſe nolle nec debere abbati *Auguſtinenſi* alibi quam in eccleſia ſanctæ Trinitatis benedictionem ſolempnem inpendere. Econtra monachi *Auguſtinenſes* reſponderunt, abbatem ſuum alibi quam in eccleſia ſancti *Auguſtini*, tam de antiqua conſuetudine quam *Romanorum* pontificum auctoritate benedici non debere. Erat illis diebus in *Anglia* dominus *Johannes de Cromonio* Cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, qui in menſe Aprili concilium celebravit *Londoniæ*; ubi coram Rege & Cardinali ſupradicto monachi *Auguſtinenſes* inſtanter archiepiſcopum requirunt, ut electo eorum benedictionem ſolempnem inpendat in monaſterio ſuo; ſet & archiepiſcopus, ut prius reſpondit, ipſum in eccleſia Chriſti *Cantuaria* benedici debere, pro ſe jus commune inducens. Econtra electus *Auguſtinenſis* dicit ſe in eccleſia ſua ſancti *Auguſtini* benedici debere & non alibi, antiquam conſuetudinem & privilegia allegans. Hiis & aliis multis rationibus coram Rege & Cardinali variis vicibus hinc inde propoſitis, cum archiepiſcopus nec prece, neque præcepto regis, neque monitu Cardinalis ad hoc induci poſſet, ut electo ſancti *Auguſtini* in ſua eccleſia benedictionem inpenderet, idem Cardinalis dedit in mandatis *Sifredo*

Stephanus Rex.

Ciceſtrenſi epiſcopo, ut ipſe fretus auctoritate apoſtolica electum *Auguſtinenſem* ſecundum privilegiorum ſuorum tenorem in eccleſia ſua *Auguſtinenſi* benedicat, non obſtantibus quibuſcumque archiepiſcopo aut monachis ſuis reclamationibus, unde epiſcopus *Ciceſtrenſis* eidem electo *Hugoni* ſecundum quod in mandatis acceperat munus benedictionis inpendit, monachi tamen ſanctæ Trinitatis multas & varias appellationes licet frivolas interpoſuerunt.

§. 2. *Dedicatio eccleſiæ ſanctæ* Trinitatis *ab archiepiſcopo* Willielmo.

An. Dñi 1128. ANno Domini M. C. xxviij.. iiij. nonas Maii fuit eccleſia ſanctæ Trinitatis dedicata à præfato *Willelmo* archiepiſcopo, quæ poſtmodum eccleſia Chriſti *Cantuariæ* eſt vulgariter vocitata. *Hugo* igitur ſecundus cognomento *Trotteſclyve* in abbatem ſic benedictus, licet de alterius eccleſiæ gremio ad iſtam fuerat aſſumptus, iſtius tamen eccleſiæ paterfamilias fuit prudens ac diſpenſator fideliſſimus, ut ex ſequentibus liquido apparebit.

§. 3. *Certæ terræ certis officiis aſſignatæ per abbatem* Hugonem *ſecundum.*

ATtendens igitur vir philoſophicus quod ſicut corpus humanum turpe foret & monſtruoſum niſi debitis proportionibus & certis membris fuerit organizatum, ſic & corpus cujuſlibet reipublicæ invalidum eſſe & inſtabile, niſi per certa fuerit officia ordine congruo diſtinctum: unde ipſe primus inter abbates, hujus monaſterii officia diſtinxit, atque certis officiis certa prædia, poſſeſſiones & redditus aſſignavit: unde & molendinum de **Abbotiſmelle** quod ipſemet proprio labore adquiſivit ad ſacriſtiam deputavit; hac interpoſita conditione, ut tota annona curiæ ſancti *Auguſtini* ibidem libere abſque theloneo molatur. Decima prædicti molendini elemoſinariæ ſancti *Auguſtini* ſolvatur. Reſiduum quoque profectus illius molendini in uſus ſacriſtiæ convertatur. Aſſignavit etiam ad ſacriſtiam eccleſiam de **Menſtre** in **Thanet** cum capella ſanctorum *Johannis, Petri,* & *Laurentii*, cum omnibus redditibus, decimis & aliis rebus ad prædictam eccleſiam & capellam pertinentibus, ut ſuper iſta donatione carta ipſius abbatis teſtatur. Iſtam autem donationem & aſſignationem confirmavit *Theodbaldus* archiepiſcopus per ſuas patentes.

§. 4. **Chiſtelet** *ad infirmariam,* **Northburne** *ad elemoſynariam, &* **Ripple** *&c. ad veſtitum monachorum aſſignantur.*

ASſignavit etiam idem *Hugo* cum conſenſu conventus ſui eccleſiam de **Chiſtelet** ad infirmariam, & eccleſiam de **Northburne** ad elemoſinariam cum capellis ſuis. Hanc autem aſſignationem duarum eccleſiarum prædictarum prædictus archiepiſcopus confirmavit, ſententiamque excommunicationis in omnes quoviſmodo dictam aſſignationem infringentes fulminando in ſcriptis. Aſſignavit etiam ad veſtitum monachorum iſta maneria de **Ryppele, Langedone, Sellynge,** & **Swalclyve,** decimam de **Graveſende,** decimam *Wyberti,* decimam de **Sores**, de **Hopelonde** xx. s. decimam *Lamberti* de **Schoveldon**, decimam *Radulphi* de **Becleſhangre**, decimam de **Piſinge**, decimam *Hamonis* capellani de **Faverſham**, & de eccleſia de *Fordwico* x. s. Et ſtatuit ut duo monachi conſtituantur ſuper prædicta maneria conſideratione abbatis & conſilio totius conventus, quorum labore & communi teſtimonio diſtribuantur fratribus ea quæ ad veſtitum ſuum ſibi ſunt neceſſaria, & aſſignavit eidem cameræ unum pratum juxta vivarium quod dicitur **Fiſpol**.

Theobaldus Archiep.

§. 5. *Ne panis & potus debeat extorqueri.*

An. Dñi 1139. ANno Domini M. C. xxxix. prædictus abbas *Hugo* impetravit privilegium ab *Innocencio* 2. papa qui prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, ſcilicet *Bonifacii*, *Adeodati*, *Agathonis*, *Johannis* atque *Calixti*; & addit, Quod iſtud monaſterium ſit ſub juriſdictione ſedis apoſtolicæ ſpecialiter conſtitutum, cum omnibus poſſeſſionibus & juribus ſuis in præſenti habitis vel in futurum habendis. Illamque pravam & turpem conſuetudinem, arietum ſcilicet panis & potus extortionem, ſicut *Calixtus* prædeceſſor ſuus, penitus removit, & precium pro ea dari vel recipi prohibuit. Prohibuit eciam ne poſt obitum abbatis, ſervientes regis habeant poteſtatem res eccleſiæ ordinandi vel diſponendi, ſet omnia intus & foris providentiæ Prioris & totius conventus diſponenda libere dimittantur. De pulſatione ſignorum idem ut *Calixtus*, & eſt iſta bulla cum ſubſcriptione vij. Cardinalium.

§. 6. *Proceſſus* Theobaldi *archiepiſcopi ſuper pane & potu.*

OCcaſione autem hujus privilegii *Theobaldus* archiepiſcopus multum indignatus, monaſterium iſtud undique infeſtavit, & de eccleſiis noſtris diſponere nos non permiſit; immo violenta dominatione eccleſias noſtras firmatas per vices fregit, & presbyteros ſuos invito abbate & ſuis monachis contra *Romanæ* ſedis privilegia in illis eccleſiis violenter intruſit. Nec hiis malis contentus ſed adiciens iniquitatem iniquitati, abbatem ipſum & homines ejus ad placitandum ſuper hoc in curiam ſuam trahere voluit, pœnas graviſſimas eis infligere moliendo. Et nota quod iſte *Theobaldus* primo abbatem & conventum ad cauſas trahere conatus eſt, præterea l. s. vij. d. pro datione criſmatis & olei ſacri per miniſtros ſuos monachos ſanctæ Trinitatis violentius & ardentius extorquebat. Super quibus omnibus & ſingulis moleſtiis monachi *Auguſtinenſes* querimoniam depoſuerunt coram apoſtolico antedicto. Unde & idem papa ſcripſit eidem archiepiſcopo, ut à prædictis gravaminibus & injuriis abbati & conventui ſancti *Auguſtini* illatis deſiſteret. Et ne idem archiepiſcopus vel miniſtri ſui ſupradictos l. s. vij d. exigi faciat vel permittat, & monachis ſancti *Auguſtini* ne ipſos ultra perſolvant penitus interdixit. Et niſi prædictus archiepiſcopus à præfatis moleſtiis deſiſteret, citavit eum papa per idem reſcriptum ſuum, ut infra tres menſes à ſuſceptione literarum apoſtolicarum compareat coram *Henrico Wyntoniæ* epiſcopo & apoſtolicæ ſedis tunc legato & fratre regis *Stephani*, aut in conſpectu domini papæ, quod ratio dictaverit monachis ſancti *Auguſtini* ſuper prædictis moleſtiis & injuriis reſponſurus. Scripſit eciam *Henrico* epiſcopo literas commen-

Stephanus Rex.

Theobaldus Archiep.

commendaticias pro iſto monaſterio. In quibus inter cætera ſic ait. *Fraternitati tuæ maximas gratias agimus, quoniam erga ea quæ beati* Petri *ſunt attentam ſollicitudinem geris, & abbati & fratribus monaſterii ſancti* Auguſtini Cantuariæ *in ſuis neceſſitatibus adjutor & protector aſtitiſti. Et quoniam non incepiſſe ſet perfeciſſe virtutis eſt, experientiæ tuæ rogando atque præcipiendo mandamus, quatinus præfatum monaſterium & fratres ibi Domino ſervientes more ſolito manuteneas, & pro beati* Petri *ac noſtra reverentia nullis injuriis aut moleſtiis ab aliquo fatigari permittas, ſummopere providens, ut tam erga regem quam erga omnes alios prout neceſſarium fuerit conſilium & auxilium eis per omnia præbeas, & ita eos vice noſtra ſtudeas confortare, ut & ipſi de ſua quiete & libertate congaudeant, & nos ſollicitudini tuæ pleniores gratias referre poſſimus.* Item ſcripſit literas commendaticias pro domo iſta *Stephano* tunc *Angliam* regenti. INNOCENTIUS *epiſcopus, &c. Quanto omnipotens Deus*, & infra, *unde etiam tibi eſt injuncta neceſſitas religioſa loca diligere, & quæ beati* Petri *ſunt filialis devotionis intuitu nullis injuriis aut moleſtiis fatigari permittere. Secure namque contra adverſarios conſiſtit in terris quiſquis eundem apoſtolorum principem patronum habere meretur in cœlis. Nunquam enim regnum tuum melius confirmari poterit vel augeri, quam ſi eccleſias vel perſonas eccleſiaſticas ſtudueris venerari. Proinde ſerenitati tuæ rogando mandamus & hortamur in Domino, quatinus monaſterium ſancti* Auguſtini Cant. *quod utique idem beatus vir apoſtolorum principi optulit, & Romani pontifices ac prædeceſſor tuus* Ethelbertus Anglorum *rex libertate donarunt & ſuis privilegiis munierunt, nullis moleſtiis inquietes aut ab aliquo infeſtari permittas; ſet ſic illud ab omnibus forinſecis perturbationum tumultibus protegas, ut & illi qui intus Deo ſerviunt de ſua quiete & libertate congratulantes ipſi Deo pro te & pro pace regni tui preces fundere attentius ſtudeant, & nos ſerenitati tuæ uberiores inde gratias agere valeamus.* Scripſit etiam abbati & conventui literas exhortatorias ſuper morum honeſtate & obſervantia diſciplinæ regularis, ſub hiis verbis. INNOCENTIUS *epiſcopus, &c. Literas & nuncios veſtros paterna benignitate ſuſcepimus, & ea quæ nobis ſignificaſtis diligenter attendimus, & nos quidem monaſterium veſtrum utpote ſub beati* Petri *tutela & proprietate conſiſtens ſpeciali amore diligere volumus, atque in libertate à prædeceſſoribus noſtris & nobis ſibi collata familiariter confovere, veſtroſque turbatores auctoritate apoſtolica comprimere. Veſtra itaque dilecti in Domino filii intereſt, ut ſicut monaſterium veſtrum in* Anglia *religionis fuit initium, ita nichilominus ad monaſticæ profeſſionis obſervantiam laudabiliter intendatis, & tales vos coram Deo & hominibus exhibere curetis, quod Deus omnipotens de veſtris actibus honoretur, & ſedes apoſtolica maternis affectibus gratuletur. Mandamus etiam vobis ut bibliam manualem parvi voluminis qualem* Romanum *pontificem deceat ad opus noſtrum fieri faciatis. Quia vero dilecte in Domino fili* Hugo *occaſione parentum tuorum idem monaſterium multa dampna & gravamina ſuſtinere accepimus, mandando tibi præcipimus, quatinus eos à dominatione maneriorum monaſterii amoveas, ut locus ipſe ab hujuſmodi onere liberetur, & perſona tua nullam exinde blaſphemiam vel peccatum ulterius incurrere mereatur.* Hubertum *quoque monachum quem turbatorem fratrum & eidem loco pernicioſum eſſe audivimus, ad ſuum monaſterium, videlicet ſancti* Andreæ *redire compellas, & negotia ipſius loci Prioris & fratrum conſilio, non extraneorum quorumlibet ordines atque pertractes, & numerum eorum qui imminutus eſſe dicitur conſilio eorundem de honeſtis & religionis perſonis ſtudeas adimplere. Præcepta etiam quæ in apoſtolicæ ſedis autenticis privilegiis collatis præfato monaſterio continentur firmiter teneas & obſerves. Præterea ſi qua tibi vel fratribus tuis adverſa contigerint, tuum erit ad communem omnium fidelium matrem eccleſiam* Romanani *recurrere, vel eoſdem fratres tuos tranſmittere, ut tam tu quam ipſi dignis apud nos conſolationibus foveantur, & à ſuis oppreſſionibus releventur. Nos autem fratri noſtro* Theobaldo *archiepiſcopo* Cantuarienſi, *ne illos* l. s. & vij. d. *qui à vobis pro acceptione criſmatis & ſacri olei exigebantur ulterius exigat interdicendo mandavimus, vobiſque ne ipſos amodo perſolvatis pariter inhibemus. Dat.* Laterani xij. *kal. Decembris.* Set archiepiſcopus prædictus mandatis apoſtolicis inobediens, ab extortione prædictorum l. s. vij. d. & aliis quam plurimis dampnis & injuriis monaſterio ſancti *Auguſtini* illatis manum non retraxit. Unde & *Auguſtinenſes* iterato coacti ſunt querimoniam deponere coram ſummo pontifice prædicto. Anno igitur Domini M. C. xlij. comparentibus tam archiepiſcopi nuntiis quam monachis iſtius eccleſiæ coram ſummo pontifice, cauſaque inter dictum archiepiſcopum & monaſterium iſtud coram eodem per nuncios utriuſque partis diutius ventilata; Quia vero ſuper multis articulis hinc inde propoſitis veritatis notitia ad plenum ibidem inquiri non poterat, eo quod partes principales abſentes erant, ideo prædictus papa commiſit cauſam prædictam domino *Henrico Wyntonienſi* epiſcopo & apoſtolicæ ſedis in *Anglia* tunc legato, & *Roberto* epiſcopo *Herefordenſi*, ſub hiis verbis. INNOCENTIUS *epiſcopus &c. Sicut noſſe poteſt veſtra fraternitas, occaſione* l. s. *&* vij. d. *quos monachi ſancti* Auguſtini Cantuarienſi *archiepiſcopo annis ſingulis perſolvere conſueverunt, inter ipſos controverſia diutius agitata eſt; idem namque monachi audito interdicto venerabilis fratris noſtri* Alberici Hoſtienſis *epiſcopi apoſtolicæ ſedis legati, ut pro criſmate & oleo & aliis eccleſiaſticis ſacramentis precium non daretur, eoſdem denarios præfato archiepiſcopo ſolvere renuerunt, aſſerentes ipſos denarios pro criſmate & oleo diutius non perſolviſſe: unde ab archiepiſcopo ſicut ipſi nobis poſtea conqueſti ſunt, plurima dampna & injuriæ eis illata ſunt; pro quibus ad noſtram præſentiam evocatus cum pro guerris & tribulationibus illius terræ venire non poſſet, præfixum ei terminum prolongavimus, & ut præteritis beati* Martini *octabis per ſe aut per nuntios ſuos eiſdem monachis in præſentia noſtra reſponderet, præcipiendo mandavimus. Tandem utraque parte ante nos præſentata, cum monachi de injuriis & dampnis querimoniam ſuam innovarent, nuncii archiepiſcopi dixerunt, ſe querimoniis eorum minime debere reſpondere niſi primum denarii reſtituerentur, quibus* Cantuarienſem *eccleſiam ſine judicio ſpoliatam*

An. Dni 1142.

Stephanus Rex.

eſſe conquerebantur. Monachi vero econtra reſpondebant, denarios illos non eſſe reſtituendos, eo quod à legato noſtro, ſicut prædictum eſt, interdictum fuerat ne pro criſmate & oleo denarii darentur; & teſtes ſuper hoc producebant. Præterea dicebant quod & verum eſt à nobis prohibitum eſſe, ne denarii illi pro criſmate & oleo darentur. Inſuper ad hoc comprobandum monachi in argumentum adducebant, quod eadem die ſuper eandem menſam criſma & oleum dabantur & denarii perſolvebantur, ita etiam quod ſi denarii non ſolverentur criſma & oleum denegabantur. Legati vero archiepiſcopi hoc negantes, eoſdem denarios pro cenſu & honeſta cauſa datos eſſe, & id multis ydoneis teſtibus in Anglia *ſe probaturos affirmabant. Et iterum præfati monachi adverſus eundem archiepiſcopum conquerebantur, quod tam ipſe quam homines ſui multas & graves injurias eis intulerant, & multa de jure monaſterii ſui injuſte detinebant. Quæ fere omnia legati archiepiſcopi denegabant. Quibus omnibus diligenter auditis, quoniam principales perſonæ abſentes erant, & in partibus illis ſuper hiis omnibus plenior poteſt haberi noticia; habito fratrum noſtrorum conſilio, dignum duximus cauſam ipſam veſtræ diſcretioni committere terminandam. Mandamus itaque vobis quatinus congruis loco & tempore utramque partem ante veſtram præſentiam evocetis, ut auditis hinc inde rationibus & diligenter inquiſitis præſtante Domino fine debito terminetis. Dat.* Laterani.

An. Dñi 1143.

Anno igtur Dominicæ incarnationis M. C. xliij. conſilio adunato apud *Wintoniam* præſidente *Henrico* ejuſdem civitatis epiſcopo & apoſtolicæ ſedis tunc legato, conſidentibus archiepiſcopo Cantuarienſi *Theobaldo*, cum fratribus & coepiſcopis *Roberto* Londonienſi, *Goſelyno* Salesburiæ, *Alexandro* Lincolniæ, *Seyfredo* Cyceſtriæ, *Roberto* Herefordiæ, *Rodberto* Bathonienſi, *Rogero* Ceſtriæ, *Willielmo* Dunelmiæ, *Aſcelino* Roſeceſtriæ, *Symone* Wygorniæ, *Adelulpho* Karduliæ, *Uthredo* Clamorganiæ, una cum abbatibus & cæteris pluribus religioſis, controverſia magna de prænominatis l. s. vij. inter *Theobaldum* archiepiſcopum & monachos ejuſdem, & *Hugonem* abbatem ſancti *Auguſtini* ejuſdemque monachos jam diutius habita, quinetiam in conſiſtorio ſummi pontificis *Innocentii* ſecundi ſæpius agitata, tandem eodem papa jubente michi *Henrico Wyntonienſi* epiſcopo in hac patria vices ſuas agenti & *Rodberto Herefordenſi* epiſcopo, ipſo archiepiſcopo cum ſuis, & abbate cum ſuis eandem juſſionem ſingulis literis deferentibus, quia de illa cauſa plenior noticia in *Anglia* haberi poterat, commiſſa eſt terminanda. Congruo igitur tempore utraque parte ad præſignatum conſilium evocata, cum didiciſſemus in privilegiis *Romanorum* pontificum, monaſterium ſancti *Auguſtini* ut jus proprium ſedis apoſtolicæ munientium, nulliuſque alterius ditioni ſubditum, abbatem & monachos prædicti loci neque ſubjectionem, neque conſuetudinem, neque redditum aliquem ſeu in magno ſive in minimo archiepiſcopo & eccleſiæ ſanctæ *Trinitatis* ſolvere debere, licet ſupradictos l. s. vij. d. ſe jam diutius fateretur dediſſe pro oleo & criſmate, nec aliter illa habere potuiſſe; quod eciam ſicut antea in præſentia domini papæ ſupradicti literis ejuſdem teſtantibus, ita & in noſtra ſe probaturos plurimis allegationibus & teſtibus offerebant, archiepiſcopum vero nullam honeſtam cauſam de qua eoſdem denarios habuiſſet vel exigere potuiſſet comperiſſemus; conſultum duximus tam anxiam cauſam, tam gravem utriuſque eccleſiæ laborem amicabili modificatione ſedare, & matri eccleſiæ noſtræ *Cantuar.* cui nos epiſcopi profeſſi ſumus debitum honorem, licet eccleſiæ beati *Auguſtini* videamur gravamini reſervare: Conſulimus utique & quodammodo coegimus abbatem & monachos, ut darent archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem aliquam liberam lx. s. valentem, quippe ut potenti vicino & in multis perneceſſario, utpote in datione olei & criſmatis, in dedicandis eccleſiis, in ordinibus faciendis, cæteriſque negotiis prout poſtulatur; iſta videlicet conditione, ut illa poſſeſſione ſemel accepta, ſibi abinde proprium haberet, & eccleſia ſancti *Auguſtini* à prædictorum denariorum ſolutione imperpetuum foret libera, & ſecundum privilegia ſua maneret in omnibus quieta. Eodem vero anno quia *Romam* ituri eramus, convocatis iterum fratribus, circa feſtum ſancti *Andreæ*, *Londonienſis* archiepiſcopus cum monachis ſuis prædictam conventionem ſic executam fuiſſe teſtaretur: literaſque noſtras ſuper præfata cenſura ne quis hinc inde poſſet eam violare, exigeret. Habito fratrum conſilio literas hujuſmodi terminationis rationabili ejus petitioni ſigillatas dedimus; abbati quoque & ſuis fratribus ſimiliter fecimus. Quarum tenor eſt iſte.

Theobaldus archiep.

HENRICUS *Dei gratia* Wyntonienſis *epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, univerſis ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus ſalutem. Scire volumus univerſitatem veſtram* Hugoni *abbati & monaſterio beati* Auguſtini à Theobaldo Cantuarienſi *archiepiſcopo & eccleſiæ ſanctæ* Trinitatis *de* l. s. vij. d. *controverſiam motam & ſæpius in conſiſtorio domini papæ* Innocentii *ſecundi agitatam, & tandem eodem jubente amicabili compoſitione interveniente per nos hoc modo terminatam. Monaſterium beati* Auguſtini *præfato archiepiſcopo & eccleſiæ ſanctæ* Trinitatis *duo molendina apud* Dovoriam, *&* xx. s. *de præbenda quum idem monaſterium habet in eccleſia ſancti* Martini de Dovor. *hac conditione dedit, ut nec eidem archiepiſcopo, nec alicui ſucceſſorum ſuorum, per ſe, ſive per miniſtros ſuos ab eodem monaſterio, vel fratribus aliquid ulterius exigere liceat imperpetuum.*

An. Dñi 1144.

Anno vero Domini M.C.xliiij. dum nos pro negotiis noſtris *Theobaldus Cantuarienſis* archiepiſcopus, & *Henricus Wyntonienſis* epiſcopus, plureſque alii confratres & ſocii præſentiæ domini *Lucii* papæ aſſiſtaremus, ecce interfuerunt Prior & quidam fratres monaſterii beati *Auguſtini*. Cumque inter alia negotia ſua confirmationis apoſtolicæ irrefragabilem roborationem ſuper pace à nobis facta de l. s. vij. d. ex utraque parte poſtularent, archiepiſcopus conqueſtus eſt; ſe & eccleſiam ſuam ſpoliari adhuc de iij. s. quos ſibi pro pane potu & arietibus ſolvere conſueverant. Econtra monachi ſe nullo modo eos debere ſolvere, cum nunquam juſte & rationabiliter eoſdem dediſſent. Inſuper & idem denarii ab ipſis apoſtolicis *Calixto* atque *Innocentio* privilegiis ſuis dari & recipi prohibiti fuiſſent. Et memorandum quod ipſi vendicabant, ſcilicet de pane xxx. paneſculos, & debent quatuor valere j. d. & duos optimos mulctores, & iij. anforas, ij. de medone, & terciam de cervicia, & ſexcentos denarios ſolvi in cœna Domini, Dum

ergo

Stephanus Rex.

ergo in hac cauſa tota curia diutius detineretur, cum fere omnes archiepiſcopo faverent, quia amici divitum multi, licet munimenta eorum contradicere nequierunt, placuit domino papæ tam fatigabili liti, tam prolixæ utriuſque eccleſiæ animarum rerumque ſuarum deſtructioni inviolabilem finem inponere, ac perpetuis futuris temporibus huic anxiæ cauſæ firmam pacem ſolidare; hac ſcilicet conſideratione, ut eccleſia ſancti *Auguſtini* daret adhuc modo quo ſupra, Tres ſolidatas terræ de dominio ſuo archiepiſcopo & eccleſiæ ſanctæ *Trinitatis*, licet nil ei, ut ſupradictum eſt, juſte deberet, tamen pro ejus ubi poſceretur juvamine & amicabili pace, quippe cum ei ſufficiens & ſatis placita placatio tam de iij.*s.* quam de l. s. & vii.d. facta fuiſſet, & cum ipſe & eccleſia ſua ultra juſtum & debitum & ſuper uſurpativam priorem exactionem augeretur in multo. Nam ne à memoria ſequentium rei veritas ſubtrahatur, (ætas enim fert omnia ſub ſilentio) dicimus quod pro l. s. vij. d. lx. ſolidorum poſſeſſio conventionata eſt, ſet in hoc ſine alio gravamine non potuit pacari niſi de jure beati *Auguſtini*, nam inter plura de dominicis noſtris ſibi oblatis, & omnibus ab eodem archiepiſcopo denegatis, tandem concedunt ei duo molendina apud *Dovoriam* lx. s. annuatim ab antiquo reddentia. Archiepiſcopo vero in hoc obiciente temporis ſiccitatem, hoſtium vaſtationem, aliaſque opinabiles fortunas quare iſta ei non ſufficerent: Abbas vero & monachi ut ei per omnia ſatisfacerent; nec enim prædicti conſilii decretum hujuſque pactiones & pacis fas erat violare, addiderunt xx. s. de præbenda ſua de *Dovor*, quod archiepiſcopus libentiſſime annuit. Hoc itaque modo licet ſit pudor fateri, quatuor libratas pro l. s. & vij.d. archiepiſcopus habet & poſſidet. Monachi vero noſtri licet triſtes & non protecti contradicere non valentes nec debentes, præfatam ſanctionem conventionati ſunt adimplere, ut abinde ab omni archiepiſcoporum miniſtrorumque ſuorum inquietudinibus & gravaminibus ſecundum privilegia ſua in pace Deo ſervire poſſent. Sic quoque omnis materia & occaſio mortiferæ peſtis illius invidioſæ ſuperbiæ quæ omnibus uſurpative appetit dominari, omnino deletur. Dominus autem apoſtolicus hanc conventionem indelibili corroboratione ſuarum literarum munivit, eaſdemque literas archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ, abbati quoque & eccleſiæ ſuæ, licet ad diverſas perſonas eundem tamen tenorem habentes, tam de l. s. vij.d. qui apud *Wyntoniam* coram præſcriptis præſulibus terminati ſunt, quam de illis iij. ſolidatis quos ipſe & curia ſua terminaverunt, in teſtimonium fœderatæ pacis tradidit. Præcipiens etiam quatinus hoc idem archiepiſcopus literis ſuis & ſigillo eccleſiæ ſuæ in *Anglia* confirmaret, eaſdemque eccleſiæ ſancti *Auguſtini* in teſtimonium æternæ pacis contraderet. Quæ literæ papales ita ſe habent. LUCIUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Hugoni *abbati beati* Auguſtini Cantuar. *ejuſque fratribus ſalutem*, &c. *Venerabilium locorum cura nos admonet de eorum perpetua ſecuritate tractare*, & infra. *Concordiam itaque quæ inter vos & venerabilem fratrem noſtrum* Theobaldum *archiepiſcopum* Cantuarienſem *ſuper* l s. & vij.d. *quos veſtrum monaſterium eccleſiæ* Cantuar. *ſingulis annis ſolvere conſueverat, ſicut per venerabilem fratrem noſtrum* Henricum Wyntonienſem *epiſcopum & alios diſcretos viros pacis intuitu rationabiliter facta eſt, apoſtolica auctoritate firmamus & ratam manere cenſemus, ut videlicet eccleſia ſanctæ* Trinitatis Cant. *duo molendina apud* Dovor. *quæ juris ipſius erant monaſterii, & xx.s. de præbenda quam idem monaſterium habet in eccleſia ſancti* Martini *de* Dovor. *hac conditione, ut de cætero memoratos* l. s. vij. d. *non exigat, ſalva in cæteris utrinſque eccleſiæ per omnia dignitate. Statuimus etiam ut in concambium illorum trium ſolidorum qui pro pane, potu, & arietibus, archiepiſcopo & eccleſiæ* Cant. *à monachis beati* Auguſtini *annuatim ſolvebantur, ſicut pro bono pacis & utriuſque eccleſiæ quiete, à nobis & fratribus noſtris proviſum eſt, quod archiepiſcopus præfatas tres ſolidatas terræ ipſius monaſterii recipiat, quas eccleſia* Cant. *de cætero imperpetuum quiete habeat, ita ut nec eidem archiepiſcopo nec alicui ſucceſſorum ſuorum per ſe ſive per miniſtros ſuos ab eodem monaſterio vel fratribus aliquid exigere liceat. Si quis autem contra hæc temere venire præſumpſerit niſi tercio commonitus reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, anathematis gladio feriatur.* Illas vero tres ſolidatas terræ quas monachi in curia *Romana* conventionati ſunt reddere, ſicut exitus ipſe probat, prædicti abbas & monachi de proprio jure ſuo dederunt præfato archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ extra aquilonalem portam civitatis *Cant.* tres videlicet manſuras ſimul conjunctas contra ſcilicet auſtralem angulum cimiterii ſancti *Gregorii* juxta magiſtram viam à dextris ſicut itur in civitatem. Hanc compoſitionem & concordiam prius dictam confirmaverunt multi *Romanorum* pontifices, ſcilicet *Eugenius* tertius, *Alexander* tertius, *Urbanus* tertius, *Celeſtinus* tertius, *Innocentius* tercius, & *Gregorius* viij. & ex certa ſcientia ratificaverunt. Anno Dom. M.C.xliiij. idem papa conceſſit privilegium ſimile ut *Innocentii* ſui prædeceſſoris. Et addit ſic: *Præterea confirmamus vobis* Eſtanoris *& totum litus uſque ad medietatem aquæ, ſicut à bonæ memoriæ* Henrico *&* Stephano Anglorum *regibus monaſterio veſtro eſt conceſſum.* Et hæc bulla eſt cum ſubſcriptione xx. Cardinalium. Eodemque anno idem papa confirmavit aſſignationem quam *Hugo* ſecundus fecit de ſacriſtia & camera ſub hiis verbis.

Theobaldus Archiep.

§. 7. *Molendinum abbatis & x. marcæ* de Middilton.

LUCIUS, &c. *Quotiens à nobis illud petitur*, & infra, *conceſſionem itaque poſſeſſionum ſive reddituum ad luminaria continuanda, & ipſum monaſterium reparandum & ornandum à te fili abbas* Hugo *cum fratrum conſilio rationabiliter factam & ſcripto tuo confirmatam, præſentis ſcripti pagina confirmamus, & ratam manere cenſemus, videlicet duo molendina infra civitatem, x. marcas de eccleſia de* Middelton, *ita ut tres ſint ad libros faciendos, & cætera ſeptem reddantur altari, & omnes denarios qui oblati fuerint in feſto ſanctorum* Coſme *&* Damiani *in veſtra capella de* Chiſtelet, *& omnes denarios quos ſolebat habere de capella ſanctæ* Mildredæ *in* Thanet; *& etiam medietatem candelarum & ceræ quæ oblatæ fuerint in memorato ſcilicet feſto* Coſme *&* Damiani, *Conſtitutionem ad veſtitum monachorum à vobis communi conſilio & aſſenſu ſimili modo factam nichilo-*

Stephanus Rex. *nichilominus confirmamus. Si quis autem hujus noſtra confirmationis paginam ſciens contra temere venire temptaverit, ſecundo & tercio commonitus ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, honoris & officii ſui dignitate careat,* &c. Anno An. Dñi 1046. Domini M. C. xlvj. iſte *Hugo* reparavit antiquum numerum monachorum iſtius monaſterii & erant lx. monachi profeſſi præter abbatem; hoc eſt, quinque conventus in univerſo. Eodem anno conceſſit *Eugenius* papa privilegium per omnia ſonans ut *Lucii* & *Innocentii* prædeceſſorum ſuorum.

§ 8. *Carta regis* Stephani *de donatione molendini de* **Eſtbregge** *vulgo* **Kingeſmelle.**

PRæterea aſſignationem reddituum & poſſeſſionum ad ſacriſtiam & camerariam confirmat cum eccleſia de **Middelton & Favreſham**, & molendino de **Eſtbregge** infra civitatem. Et eſt hic notandum quod molendinum de **Eſtbregge** quod vocatur nunc **Kingeſmelle**, aliquando fuit de dominio S. *Auguſtini* ex donatione regis *Stephani.* Rex autem *Stephanus* in neceſſitate poſitus mutuaverat ab abbate *Hugone* ſecundo centum marcas argenti, in recompenſationem cujus argenti dedit huic monaſterio prædictum molendinum, ut carta prædicti regis de hoc teſtatur. Fuerat enim in maxima ſumma pecuniæ multatus pro ſua captione apud *Lincolniam.* Effectus ſuæ cartæ ita ſe habet. STEPHANUS *rex* Angliæ, *archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus,* &c. *ſalutem. Sciatis quia pro ſalute anima mea,* &c. *dedi & conceſſi Deo & eccleſia ſancti* Auguſtini *molendinum quod habui infra civitatem* Cantuariæ *juxta* **Eſtbregge**, *& totum curſum aqua illius molendini in reſtauratione vademonii centum marcarum quas ego pro neceſſitate mea ab eadem eccleſia cepi praſentibus baronibus meis. Quare volo & firmiter pracipio quod prafata eccleſia ſancti* Auguſtini *teneat & habeat pradictum molendinum cum omnibus eidem pertinentibus, ad ſervicium altaris illius eccleſia, ita bene & in pace libere & quiete, & honorifice, ſicut ego aut aliquis rex pradeceſſor meus melius, liberius, & quietius tenuit.* Qualiter vero prædictum molendinum à dominio hujus monaſterii ſucceſſu temporum alienatum fuerat ſub anno M. C. lxxix. manifeſto patebit intuenti.

§. 9. *Interdictum totius* Angliæ.

1148. ANno Domini M. C. xlviij. *Eugenius* papa tercius in *Gallias* veniens, concilium apud civitatem *Remenſem* celebravit. Ad quod *Theobaldus* archiepiſcopus *Cant.* ſine licentia regis *Anglia* acceſſit; propter quod cum rediret, ab *Anglia* per regem *Stephanum* eſt expulſus. Qua de cauſà idem archiepiſcopus de mandato ſummi pontificis totam *Angliam* interdixit. Hanc interdictionis ſententiam abbas *Hugo* humiliter ſuſcepit, & à celebratione divinorum ceſſavit. Set Prior hujus monaſterii nomine *Silveſter* cum quibuſdam aliis fratribus ſuis, privilegiis monaſterii plus debito innitentes, non advertentes auctoritatem legatariæ poteſtatis dicti archiepiſcopi, qua auctoritare prædictam interdicti ſententiam fulminavit, ſet ſolum hanc ſententiam ex poteſtate juriſdictionis ordinariæ proceſſiſſe arbitrantes, divina officia licet minus provide celebrarunt. Propter quod prædictus archiepiſcopus Theobaldus Archiep. præfatum *Silveſtrum* Priorem & alios quamplures monachos & etiam ſeculares eis adhærentes aut eciam eis quoquomodo communicantes tam generaliter quam ſpecialiter excommunicavit, & qualiter monachi ſancti *Auguſtini* ſententiam interdicti violaverunt domino papæ ſignificavit. Hiis itaque ſic habitis, abbas *Hugo* per quoſdam monachos ſuos iſtius violationis interdicti conſcios dominum papam conſuluit quid ſuper hiis omnibus fieri deberet. Quibus à ſententia excommunicationis qua innodati fuerant abſolutis, dominus apoſtolicus abbati in hæc verba reſcripſit. EUGENIUS *epiſcopus*, &c. *Antiquus humani generis inimicus hiis qui ſe Chriſti diſcipulos publicis actibus profitentur aſſueta inſidiari nequitia non quieſcit, ſed aſſidua calliditate laborat, ut animas creatori omnium ſervientes in qualibet parte decipiat & eas in odium creatoris adducat. Cujus ſuggeſtione, cum tu interdicti ſententiam quam ex noſtro mandato venerabilis frater noſter* Theobaldus Cantuarienſis *archiepiſcopus promulgavit ſuſciperes humiliter & teneres, fratres tamen tui monaſtica diſciplina conſideratione poſtpoſita, divina officia prout in veritate comperimus celebrarunt. Ne igitur tantus exceſſus maneat inpunitus, & multis aliis tribuatur materia ſimile committendi, tamdiu poſtquam praſentia ſcripta ſuſceperis, monaſterium cui praſides à divinis pracipimus officiis abſtinere, quamdiu poſt interdictum ibi fuerunt indebite celebrata. Illos vero qui noſtro ſe conſpectui praſentaverunt, ſatiſfactione ſuſcepta, à vinculo excommunicationis abſolvimus. Priorem vero &* Willelmum *qui caput & incentores hujus contumacia extiterunt, quos videlicet frater noſter archiepiſcopus excommunicationis ſententia innodavit, ei gratia ſedis apoſtolica poteſtatem abſolvendi conceſſimus. Nolumus autem ut pro eo quod ei in hoc facto deferimus, per eum vel per ſucceſſores ſuos monaſterio. ſancti* Auguſtini *contra antiquam ejus conſuetudinem vel privilegia ab apoſtolica ei ſede conceſſa gravamen aliquod in poſterum inferatur. Porro Priorem pro rebellione & contumacia ab officio prioratus ſuſpendimus, ea videlicet ratione, ut nullus abſque noſtro mandato licentiam habeat eandem ſententiam relaxandi. Alios vero monachos qui participatione excommunicatorum maculam traxerunt, tibi committimus abſolvendos. Dat.* Viterbii xv. *kal. Februarii.* Pervenit autem iſtud reſcriptum papale ad notitiam abbatis & conventus die ſancti *Gregorii* in Marcio anno Domini M. C. xlix. & ſtatim illo An. Dñi 1149. die incepit tam abbas quam conventus, tam intus quam exterius à celebratione divinorum omnino ceſſare, & fuit iſtud monaſterium ſuſpenſum à dicta celebratione à feſto ſancti *Gregorii* ſupradicto uſque ad feſtum ſancti *Petri* ad vincula, ſcilicet per xx. ſeptimanas & duos dies. Prior vero *Silveſter* & *Willelmus* monachus archiepiſcopo ſe præſentarunt, beneficium abſolutionis juxta mandatum apoſtolicum ab eo inſtanter poſtulantes; quod eis prædictus archiepiſcopus proterve denegavit. Inſuper omnes ſeculares in hoc monaſterio ſervientes quos pro communicatione excommunicatorum excommunicaverat, præter cenſuram eccleſiaſticam ad gravem pecuniæ redemptionem contra juris æquitatem & ſanctorum patrum decreta coegit. Quibus

de

Henric. II. Rex.

de cauſis idem abbas neceſſitate compulſus eſt dominum Papam iterata vice conſulendus, & ſuper hiis diſcriminibus remedium apoſtolicum imploraturus. Unde & dominus Papa ſententiam ſuſpenſionis & interdicti iſtius eccleſiæ aliquantulum mitigavit, & Archiepiſcopo ſcripſit ſuper abſolutione *Silveſtri* Prioris & *Willelmi* monachi; In quibus literis præcepit eidem archiepiſcopo, ut pecuniam quam à ſervientibus & familiaribus hujus monaſterii pro eorum abſolutione injuſte extorſerat, in integrum reſtitueret eiſdem. Literæ domini Papæ ſuper relaxatione interdicti ita ſe habent. EUGENIUS, &c. *Dilecto filio* Hugoni *abbati ſancti* Auguſtini Cantuariæ, &c. *Obedientia & patientia quæ in aliis hominibus religionis Chriſtianæ requiritur, ab hiis qui perfectiorem vitam aſſumpſiſſe noſcuntur præcipue expectatur, qui utique tanto amplius reprehenſibiles judicandi ſunt, quanto ſine cauſa ad indignationem vel inobedientiam provocantur. Quamvis igitur pro eo quod ſententiam noſtram fratres tui violare auſu temerario præſumpſerunt, contra eos & præfatum monaſterium manus noſtras ex rigore Canonum amplius aggravare poſſemus, tamen quia magis pios nos eſſe convenit quam ſeveros, eis ita duximus indulgendum, ut nec eorum exceſſus omnino remaneat impunitus, nec compellantur inobedientiæ pœnam juxta quod promeruerunt diutius ſuſtinere; Ideoque monaſterio ſancti* Auguſtini *uſque ad proximas kal. Auguſti divina celebrari officia prohibemus, extunc vero ut inibi aſſueta & debita celebrentur officia licentiam indulgemus. Tua itaque intereſt ut per tuum ſtudium & laborem ita provideas, ne fratres tui propter ſuos exceſſus tale quid de cætero debeant ſuſtinere, & indignationem beati* Petri *& noſtram incurrant. De altaribus vero geſtatoriis in quibus excommunicati divina officia celebrarunt, rigorem illum quem tenere conſueviſtis volumus obſervari.* Reſcriptum archiepiſcopo directum ſuper abſolutione *Silveſtri* Prioris tale eſt:

EUGENIUS &c. *Venerabili fratri* Theobaldo *archiepiſcopo* Cantuarienſi *ſalutem &c. Quoniam perſonam tuam ſpeciali affectione diligimus, iccirco te quantum permittit juſtitia honoramus, hoc itaque caritatis amore commoti, Priorem ſancti* Auguſtini *&* Willielmum *monachum à pœna quam eis pro eo quod ſe contra tuum interdictum erexerant ex juſticiæ rigore infliximus fraternitati tuæ deferentes tibi eos abſolvendos commiſimus. Ne igitur apoſtolicæ ſedis gratia tuæ caritati exhibita ſibi dampnoſa exiſtat, & ipſi jam dictum exceſſum plus juſto deflere cogantur, diſcretioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, quatinus nequaquam eos ulterius hac pœna cruciari permittas, ſet tandem eorum miſertus, eos à ſententia qua tenentur abſolvas. Præterea ſicut nobis ſignificatum eſt, homines ejuſdem monaſterii pro participatione excommunicatorum præter eccleſiaſticam pœnam fuerunt ad redemptionem coacti. Quod inſolitum videtur & à rationis tramite alienum. Non enim bis in id ipſum aliqui ſunt puniendi, & maxime qui dominorum ſuorum mandatis obedire coguntur. Quia vero non plus ſeveros quam miſericordes nos eſſe convenit, fraternitati tuæ mandamus quatinus omnia quæ hac occaſione ſunt eis ablata ſine vexatione reſtitui facias. Nolumus enim ut nova in veſtra eccleſia inducantur.*

Theobaldus Archiep.

§. 10. *Fundatio Hoſpitalis ſancti* Laurentii.

Circa hæc tempora idem abbas fundavit hoſpitale ſancti *Laurentii*. Ad cujus fundationem contulit novem acras terræ in quibus ipſum hoſpitale ſitum eſt. Contulit eciam eidem totam decimam de dominico de **Langepoꝛt** & tres carectatas feni. Unam de **Langepoꝛt**, aliam de ſacriſta, & terciam de camerario. Fuit autem illud hoſpitale ad hoc ſpecialiter inſtitutum & fundatum, ut ſi contingat quod aliquis monachus iſtius monaſterii morbum contagioſum & præcipue lepram incurrat, ratione cujus morbi infra ſepta monaſterii abſque ſcandalo fratrum converſari non poterit, providebitur illi in loco prædicto de camera competenti, & ibidem habebit victum & veſtitum, non de bonis hoſpitalis prædicti ſet de monaſterio iſto, ſicut & alius frater. Si vero contingat parentem alicujus monachi, patrem videlicet aut matrem, ſororem aut fratrem ad tantam inopiam devenire, ut cum ſcandalo monaſterii & illius fratris oportuerit ipſum hoſtiatim mendicare, providebitur ipſi in eodem hoſpitali competens ſuſtentatio ſecundum facultatem illius domus, per conſiderationem abbatis & magiſtri hoſpitalis prædicti qui pro tempore fuerit ibidem. *Notum ſit omnibus Dei fidelibus tam præſentibus quam poſteris, quod ego ſecundus* Hugo *Dei gratia abbas* S. Auguſtini *ejuſdemque loci conventus, pro redemptione animarum noſtrarum, prædeceſſorum noſtrorum atq; ſucceſſorū conceſſimus ac dedimus in elemoſinam vij. acras terræ de dominio noſtro precio quondam adquiſitas, ad faciendum hoſpitale in illis vij. acris ſupra memoratis juxta viam quæ à* Canterburia *ducit ad* **Doure** *in dextra parte viæ. Contulimus eciam illi loco ad ſuſtentationem infirmorum aut pauperum decimam tocius annonæ de tota terra illa quam habemus in dominio in dextra parte viæ, & omnem decimam frumenti & piſarum tocius terræ quæ adjacet ad* **Langepoꝛt** *de dominio noſtro in ſiniſtra parte viæ. Quicumque ergo pro amore Dei benefecerint infirmis illic habitantibus, & locum illum manutenuerint, benedictionem Dei habeant & gratiam ſimul & commune beneficium loci noſtri.*

Donatio terræ de **Dodingdale** *hoſpitali prædicto.*

Rogerus de Marci *omnibus ſuis* Francis *&* Anglicis *tam præſentibus quam futuris ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe & dediſſe decimas terræ meæ de* **Dodyngdale** *hoſpitali ſancti* Laurentii *quod eſt juxta* Cantuariam *in perpetuam elemoſynam pro ſalute animarum prædeceſſorum meorum & meæ & uxoris meæ & meorum infantium. Quare volo & præcipio quatinus prædictum hoſpitale decimas prædictas habeat & poſſideat bene & in pace & libere. Præcipioque ex parte Dei & ex parte mea, ut fratres & ſorores prædicti hoſpitalis habeant decimas illas nominatim ad lineum pannum emendum in feſto ſancti* J. Baptiſtæ, *quia credo quod tunc mei & meorum memores erunt.*

CAP. XI.

§. 1. *Benedictio* Silveſtri *abbatis, cum proceſſu.*

Anno Dominicæ incarnationis M.C.lj. in craſtino nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ* obiit celebris

An. Dñi 1151.

Henric. II. Rex.

celebris memoriæ *Hugo* dictus ſecundus abbas hujus eccleſiæ xliv. & in capitulo ante gradus ex parte boriali in oppoſito *Hugonis de Flori* prædeceſſoris ſui tumulatur. Cujus corpore ſic tradito ſepulturæ, electus eſt *Silveſter* Prior hujus monaſterii in abbatem, qui *Silveſter* cum ſecundum ſui monaſterii privilegia & conſuetudinem benedictionem ſibi inpendi ab archiepiſcopo *Theobaldo* poſtulaſſet, idem archiepiſcopus primo objecit ſibi infamiam. Propter quam purgandam electus tranſtulit ſe ad curiam *Romanam*; cujus purgatione ab *Eugenio* papa recepta, ipſum confirmavit, remandavitque ad archiepiſcopum *Cantuarienſem* more ſolito ſecundum privilegia dicti monaſterii ab eodem benedicendum in hæc verba: EUGENIUS *epiſcopus &c. Venerabili fratri* Theobaldo Cantuarienſi *archiepiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato ſalutem &c. Sicut nuntii tui quos ad noſtram præſentiam deſtinaſti potuerunt fraternitati tuæ referre, quod de monaſterii ſancti* Auguſtini *electo ſiniſtris infamatoribus dicebatur, eis præſentibus in conſpectu fratrum noſtrorum & Cardinalium ſubtili examinatione diſcuſſimus & diligenter perſcrutati ſumus: ſed cum ad id comprobandum nemo contra eum canonice vellet procedere, quoniam de ratione aliud non potuimus nec debuimus, ad ultimum tandem refugium venientes, ex conſilio fratrum purgationem ab ipſo ex ſuperhabundanti recepimus. Quia ergo poſt exhibitam purgationem ordinatio ejuſdem electi denegari ſibi non debet neq; differri, quamvis per nos ipſos ei benedictionis gratiam conferre poſſemus, tuæ tamen fraternitati deferre volentes, ipſum ad te duximus remittendum, per præſentia ſcripta mandantes, quatinus juxta tenorem privilegiorum quæ à* Romanis *pontificibus eidem cœnobio indulta ſunt, ad locum ipſum accedas, & memorato electo conſecrationis munus praeunte ſpiritus Sancti gratia conferas. Nolumus enim ut ipſum monaſterium proprii paſtoris ſolatio amplius careat, & ob hoc tam ſpiritualiter quam temporaliter detrimenta ſeu incommoda debeat ſuſtinere. Dat.*

§. 2. *Benedictio* Silveſtri *per Priorem* **Walterum** *defertur.*

REverſus igitur *Silveſter* electus in *Angliam* cum literis papalibus archiepiſcopo directis, pridie nonas Marcii ſummo mane apud **Tenham** coram multis literas apoſtolicas eidem tradidit, quas idem archiepiſcopus eodem die legere noluit, ſet eaſdem legendi triduanas inducias *Silveſtro* dedit. Quarta autem die præcepit afferri ſibi privilegia iſtius monaſterii. Quibus allatis & inſpectis, poſuit eidem terminum, non benedictionis faciendæ ſet certum quid faciendi. Tandem vero præfixit ſibi certum diem benedictionis inpendendæ videlicet Dominica in ramis palmarum. Quo die adveniente, archiepiſcopus ad monaſterium ſancti *Auguſtini* acceſſit cum abbatibus de **Favirſham** & de *Boxleia*. Acceſſit & cum eis *Walterus* Prior ſanctæ Trinitatis & cum eo monachorum turba nou modica, cum armorum manu validiſſima, ita ut ex omni parte replerentur turbis monaſterii clauſtra. Quid plura? Ornatur archiepiſcopus veſtimentis ſuis pontificalibus more ſuo, quaſi benedictionem electo inpenſurus. Ornatur electus cum monachis ſuis velut ab eodem in præſenti benedicendus; ſet longe aliter res ipſa in mente archiepiſcopi ſe habuit, ut jam tota civitas publice predicaverat futurum, & eciam eventus rei ipſe probavit. Nam exſpectantibus monachis *Auguſtinenſibus* juxta mandatum apoſtolicum benedictionem ſui electi, dum de benedictione archiepiſcopus plurimum loqueretur, *Walterus* Prior prædictus, favente archiepiſcopo & miniſtris ſuis ei locum facientibus, ſilentiumque & voce & manibus indicentibus, in pedes ſe erigens, dixit, » Domine archiepiſcope vos contra Deum agitis & » contra fidem & profeſſionem quam debetis eccleſiæ veſtræ; vultis namque facere hic neſcio benedictionem ſive maledictionem. Ideoque ex parte » Dei & noſtra & domini Papæ ne ulterius in hoc » facto procedatis interdicimus; & ad hoc quod huc » veniſtis invitamus vos ad præſentiam domini Papæ, diemque præfigimus in octabis ſancti *Martini*. Te quoque *Silveſter* electe qui falſis precibus & injuſtis ſuaſionibus, à domino Papa literas » ſurrepticias extorſiſti, ad eundem terminum invitamus ibidem. Tibi quoque *Rogere* archidiacone & vobis abbatibus ex parte domini Papæ » prohibemus, ne domino Archiepiſcopo in hoc » præbeatis aſſenſum. Addiditque idem Prior. » Has vero appellationes & ego & monachi qui mecum ſtant non ſoli facimus ſet totus conventus » eccleſiæ noſtræ loquitur per os meum. His dictis, diſceſſit cum tumultu maximo. Et archiepiſcopus ſeceſſit in partem cum ſuis. Poſtea vero archiepiſcopus vocavit electum & monachos, dicens illis. Quoniam res in arto poſita eſt, date michi inducias donec habito conſilio ſuper hoc cum coepiſcopis noſtris eorum vobis ſignificemus conſilium. Non enim poſſumus hanc benedictionem facere ſine illorum conſilio. Ad hæc monachi *Auguſtinenſes* reſponderunt. Domine archiepiſcope ſi placet non eſt nobis tutum dare vobis inducias capiendi conſilium contra præceptum domini Papæ. Conſulimus igitur & ex parte domini Papæ rogamus, ut quod dominus Papa vobis præcipit, ſine delatione faciatis. Hoc idem monachi *Auguſtinenſes* archiepiſcopo denunciarunt per internuncios ab archiepiſcopo monachis directos. Et ut breviter concludam, Infecto negotio & mandato apoſtolico minime completo archiepiſcopus diſceſſit, & electum ſancti *Auguſtini* cum monachis ſuis triſtes nec mirum & anxios dereliquit. Iſtum *Walterum* Priorem ſervientes archiepiſcopi apud **Lamhed**, eodem archiepiſcopo præcipiente rapuerunt, trahentes eum uſque *Glowceſtriam*, præcipientes abbati ex parte archiepiſcopi ne eum aliquatinus permitteret exire. Sic fuit idem Prior depoſitus & quamdiu advixit incarceratus. Electus igitur ſpe ſuæ benedictionis diſſimulatione ſubdola per archiepiſcopum ſic fruſtratus, inito conſilio cum fratribus ſuis hæc omnia ita plane & plene uti ſcripta & geſta fuerant, per quoſdam monachos domino Papæ ſignificavit, ejus conſilium pariter & auxilium queruloſa & lamentabili voce implorando. Unde & dominus Papa non ſine magna animi commotione archiepiſcopo ita reſcripſit: EUGENIUS, &c. *Quoniam electum monaſterii beati* Auguſtini *ad tuam fraternitatem benedicendum remiſimus, non de juſtitia ſet de benignitate ſedis apoſtolicæ fecimus, tu vero affectum & benignitatem quam erga perſonam tuam & honorem commiſſæ tibi eccleſiæ gerimus attendere ſeu cognoſcere ſicut dignum eſt non videris,*

Theobaldus archiep.

Stephanus Rex. *videris, cum ipſi electo juxta mandatum noſtrum benedictionis gratiam conferre quadam diſſimulatione nolueris, immo & ejus monaſterium in eadem cauſa inutiliter fatigare & plurimum gravare dinoſceris. Quia igitur commiſſi nobis officii cura conſtringimur pro univerſarum eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti atque tranquillitati quantum cum Deo poſſumus ſalubriter providere; Per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus ſi abſque tui periculo poteris ad locum ipſum quemadmodum in eorum privilegiis continetur accedas, & prædictum electum omni appellatione & occaſione ſepoſita, in abbatem ipſius monaſterii præeunte Spiritus ſancti gratia benedicas. Dat. &c.* Reſcriptum papale ob illam cauſam *Silveſtro* electo directum. EUGENIUS, & infra. *Laboribus & expenſis commiſſi tibi monaſterii tanquam ſpecialis domus noſtræ paterno affectu compatimur, & quia cauſa tua ſicut ſperavimus nondum habuit complementum, nobis plurimum diſplicet & graviter ferimus. Quod autem nuncium tuum apud nos tam diu detinuimus, turbatio terræ & ſiniſtri rumores quos de partibus illis nuper accepimus non alia cauſa nos ad id faciendum coegit. Ut autem negotium tuum ſine tarditate optatum ſorciatur effectum, venerabili fratri noſtro* Theobaldo Cantuarienſi *archiepiſcopo per apoſtolica ſcripta mandavimus, quatinus ſi abſque ſui periculo poterit, ad monaſterium tuum, quemadmodum in tuis privilegiis continetur, accedat & te omni appellatione & occaſione ſepoſitis in abbatem ipſius loci præeunte Spiritus ſancti gratia benedicat. Obedientiæ vero profeſſionem ſi à te forte exigerit nolumus ut ei exhibeas; ſi vero, quod non credimus, idem frater noſter juxta mandati noſtri tenorem, ad monaſterium tuum accedere & tibi benedictionis munus conferre noluerit, noſtræ voluntatis eſt ut hoc æquanimiter ſufferas, quoniam poſtquam ipſius monaſterii adminiſtrationem per noſtræ confirmationis auctoritatem canonice optinuiſti, pro ſubtractione benedictionis illius non minorem poteſtatem ſuper animas commiſſi tibi gregis habebis. Dat. Siginæ &c.*

Item ad conventum. EUGENIUS *epiſcopus, &c. Quod cauſa Electi veſtri optatum nondum habuit complementum, pro turbatione quæ in noſtris partibus nuper emerſit, non propter noſtram necgligentiam accidit. Nos ſiquidem vos & locum veſtrum ſincera in domino caritate diligimus, & juſticiam veſtram vobis integre cuſtodiri volumus ac ſervari. Inde eſt quod venerabili fratri noſtro* T. Cantuarienſi *archiepiſcopo per apoſtolica nuper ſcripta mandavimus, quatinus ſi abſque* ut ſupra. *Et Electo veſtro benedictionis munus omni appellatione & occaſione ſepoſita* ut ſupra. *Quod ſi forte, quod non credimus, effectui mancipare noluerit, præſentium vobis auctoritate mandamus, ut ob hoc eidem Electo non minus debitam obedientiam & reverentiam faciatis. Nolumus enim eum minus auctoritatis habere, quam ſi ab eodem fratre noſtro benedictionis gratiam conſecutus fuiſſet. Dat.* ubi ſupra. Igitur archiepiſcopus ſupradictis mandatis apoſtolicis non audens neque valens reniti, ad monaſterium ſancti *Auguſtini* acceſſit & prædictum *Silveſtrum* abſque exactione profeſſionis ſecundum antiquam conſuetudinem in abbatem benedixit die S. *Auguſtini* doctoris ſub anno Domini M.C.lij. præſentibus venerandis dominis *Willelmo* epiſcopo *Norwycenſi*, *Rogero* archidiacono *Cantuarienſi*, cum aliis innumeris tam clericis quam laicis. Theobaldus Archiep.

§. 3. *Profeſſio per abbatem archiepiſcopo non eſt facienda.*

An. Dñi 1153. SET adhuc tribulationis nondum finis. Nam anno Domini M. C. liij. *Eugenio* apoſtolico defuncto *Anaſtaſius* ſucceſſit. Coram quo prædictus archiepiſcopus querelam depoſuit, quod *Silveſter* abbas ſancti *Auguſtini* debitam ſibi de jure communi profeſſionem violenter ſubtraxit. Set ipſo *Anaſtaſio* inter hæc poſt annum ex quo cathedram ſuſcepit defuncto, negotium archiepiſcopi remanſit infectum. *Anaſtaſio* ſucceſſit in apoſtolatum *Adrianus* natione *Anglicus*. Coram quo prædictus archiepiſcopus per nuncios ſuos iterato querimoniam innovavit ſuper profeſſione abbatis ſibi facienda. Unde dominus Papa tam ex importunitate nunciorum ejuſdem, quam propter ſiniſtros rumores quos de eodem archiepiſcopo nuper ex multorum querelis audierat, dictante juſtitia animo commotus reſcripſit eidem literis valde comminatoriis inſuper & reprehenſoriis ſuper exceſſibus ſuis. In quarum literarum fine de profeſſione abbatis ſic loquitur. *Ad hæc noſſe te volumus, quod Abbati ſancti* Auguſtini *juxta petitionem nunciorum tuorum dedimus in mandatis, ut profeſſionem tibi exhibeat, ſi canonice & legitime conſtiterit prædeceſſores ejus ipſam profeſſionem tuis anteceſſoribus præſtitiſſe. Quod ſi non eſſe conſtiterit, occaſione literarum illarum profeſſionem ab eo non audeas ulla violentia extorquere, Alioquin in fervore animi noſtri tam pro hoc quam pro aliis prælibatis tuum candelabrum concutiemus, & tantam præſumptionem cum gravibus uſuris auctore domino exigemus.* Item ſic, *bene vocaris & merito* Theobaldus *quaſi* turbaldus, *quia quamplures turbando inquietas.* Hiis igitur mandatis papalibus prædictus archiepiſcopus attonitus & timore percuſſus, ab exactione profeſſionis ſupradictæ manum retraxit & perſequi eccleſiam ſancti *Auguſtini* ultra ceſſavit.

§. 4. *Aſſignatio eccleſiæ de* Nordborne *per abbatem* Silveſtrum *ad elemoſynariam.*

ANno Domini M. C. liv. *Silveſter* abbas cum conſenſu conventus ſui aſſignavit eccleſiam de Nordborne cum capellis & aliis pertinenciis ad elemoſinariam. Et eodem anno die ſcilicet ſanctorum *Criſpini* & *Criſpiniani* obiit *Stephanus* rex *Anglorum* qui conſtruxit monaſterium de Faverſham, & *Henricus* dictus ſecundus in proximo natali coronatus eſt. Anno ſequenti ſecundo, *Adrianus* papa iv. aſſignationem confirmavit prædictæ eccleſiæ de Nordborne. Quam aſſignationem *Celeſtinus* iij. *Alexander* iij. & *Urbanus* iij. poſtea confirmaverunt. 1154.

§. 5. *Inſtitutio Abbatis* Silveſtri.

CIrca hæc tempora idem abbas inſtituit ut ſingulis annis imperpetuum in prima die quadrageſimæ ſuſcipiantur in aula tot pauperes quot habentur fratres in congregatione, & ibi per totam quadrageſimam cibo & potu reficiantur, unuſquiſque pauperum unum panem l.s. ponderis & duo & duo j. ferculum piſarum & j. ferculum cujuſcunq;

Henricus II. Rex. generis piſcium et qui defuncti fuerint infra annum ſimiliter habeant ſuum pauperem. In anniverſario obitus prædicti *Silveſtri* & *Hugonis primi* paſcantur xxx. pauperes in aula pro animabus eorum & animabus fratrum & benefactorum iſtius loci & omnium fidelium defunctorum. Et prædictus abbas *Silveſter* qui hoc inſtituit ſuum habebit pauperem ſingulis annis imperpetuum. An. Dñi 1161. Anno Domini M. C. lxj. idus Auguſti obiit bonæ memoriæ *Silveſter* abbas hujus loci xlv. & in capitulo ante anologium ſub lapide plano ſubalbido ſepelitur.

CAP. XII.

§. 1. Clarembaldus *per regem intruſus eſt.*

ANno eodem poſt mortem *Silveſtri* quidam ſecularis nomine *Clarembaldus* per potentiam regis in prædictum monaſterium violenter fuit intruſus, de quo infra dicetur, ſet & vacavit de facto monaſterium poſt mortem prædicti abbatis *Silveſtri* per quindecim fere annos, uſque ad electionem abbatis *Rogeri* primi ſub anno Domini M. C. lxxvj. ad magnum incommodum iſtius monaſterii & deſtructionem. Tempore iſtius vacationis, *Alexander* papa tertius indulſit iſti monaſtererio ſub hac forma. *Devotioni veſtræ duximus indulgendum, ut liceat vobis in parochialibus eccleſiis veſtris clericos eligere ac dioceſano epiſcopo præſentare. Quibus ſi ydonei fuerint, epiſcopus curam animarum committat ut ſibi de ſpiritualibus vobis de temporalibus debeant reſpondere.* Item prohibet ne Abbas vel Prior iſtius monaſterii eccleſias vel poſſeſſiones abſque aſſenſu capituli aſſignarent vel alienarent. Item inhibet, ne ſacriſtia vel cameraria ſine conſenſu capituli tradatur ad firmam. Confirmavit eciam eccleſiam de **Nordborne** ad elemoſinariam.

§. 2. *Monaſterium ſancti* Auguſtini *comburitur.*

1168. ANno Domini M.C. lxviij. die decollationis ſancti *Johannis Baptiſtæ* combuſta fuit iſta eccleſia pro maxima parte, in qua combuſtione multæ codicellæ antiquæ perierunt, ſet & ipſum feretrum ſancti *Auguſtini* & eciam multorum ſanctorum hujus loci flebiliter ſunt deformata. Nec mirum, cum ipſa pene tota eccleſia igne fuerat conſumpta. Cujus infortunio miſertus *Alexander* papa eccleſiam de **Faverſham** ad reparationem eccleſiæ ſic igne conſumptæ confirmavit, eciam & eccleſiam de **Menſtre** & **Middelton** ad ſacriſtiam pro reparatione iſtius eccleſiæ deputavit.

§. 3. *Pueri non debent recipi ad habitum monachalem.*

ET quia nonnulli abbates carnali ducti amore ac eciam divitum & præpotentum patriæ coacti importunitate, pueros vix ablactaneos ſolebant ad monachilem habitum pro libito ſuæ voluntatis ſuſcipere, in ſcandalum religionis & detrimentum eccleſiæ, ideo ſub hoc tempore conventus ex præteritis dampnis futura pericula doctus præcavere, impetravit à prædicto papa privilegium inhibitionis, ne de cætero pueri infra xv. annorum ætatem in iſto monaſterio ad habitum monachalem nullo modo recipiantur.

Thomas archiep.

§. 4. *Cuneus monetæ in civitate* Cantuariæ.

MEmorandum quod iſte *Silveſter* abbas & eciam multi prædeceſſores ejus abbates habuerunt cuneum monetæ in civitate *Cantuaria* ſicut per inquiſitionem factam per *Arnoldum Ferre, Wulſinum Mercere* & alios, qui jurati dixerunt; Quod quidam abbas ſancti *Auguſtini*, *Silveſter* nomine, habuit in civitate *Cantuaria* j. cuneum monetæ, & *Elverdus Porrere* cuſtodivit cuneum illum ex parte illius abbatis, & quando ille abbas obiit ſeiſita fuit abbatia in manu domini regis una cum prædicto cuneo: Nec unquam aliquis abbas qui ei ſucceſſit illius cunei recuperavit ſeiſinam. Et fuit iſta inquiſitio facta temporibus *Henrici ſecundi* regis, & regis *Ricardi* filii ejuſdem. Anno igitur milleſimo C. lxj. ut dictum eſt, *Silveſtro* abbate hujus vitæ abſoluto, & *Clarenbaldo* in locum ejus per regiam potentiam intruſo, habitum quanquam ſecularem geſtante, bona & poſſeſſiones monaſterii interius & exterius violenta manu occupavit. Monachi tamen quantum valebant ei viriliter reſtiterunt, nec ipſum unquam aut capitulum intrare vel miſſas celebrare aut alias ſolempnitates in eccleſia facere permiſerunt. Et eodem anno obiit *Theobaldus* archiepiſcopus hujus monaſterii inimicus infeſtiſſimus.

§. 5. *Sanctus* Thomas *archiepiſcopus factus eſt.*

ANno vero ſequenti ſanctus *Thomas* tunc Cancellarius *Angliæ* in archiepiſcopum *Cantuarienſem* ab *Henrico Wyntonienſi* epiſcopo conſecratus eſt, cui *Clarembaldus* ſeculari adhuc habitu indutus optulit ſe in abbatem ſancti *Auguſtini* benedicendum, monachi tamen *Auguſtini* reclamarunt ne benediceretur, & appellationes multiplices interpoſuerunt; ſicque benedictio *Clarembaldi* differtur.

§. 6. *Diſſenſio inter Regem & archiepiſcopum.*

POſt vero non multum temporis orta diſſenſione inter *Henricum* regem & archiepiſcopum *Thomam* regnum *Anglicanum* undique turbatur, eccleſia *Anglicana* miſerabiliter affligitur & deſolatur. Qua de cauſa monachi ſancti *Auguſtini* à proſecutione appellationum ſuarum contra prædictum *Clarembaldum* ſiluerunt, ipſumque in rebus monaſterii quantum ad temporalia libere diſponere permiſerunt, ſereniorem expectantes auram, qua monaſterium ſuum in tam nubiloſo & inquieto ſalo expoſitum clareſcentibus juſticiæ radiis jam diu obnubilatis traheret ad portum quietis.

§. 7. *De cuſtodia ſigilli communis.*

INterea *Clarembaldus* cœpit quoſdam de fratribus licet paucos ad partem ſuam fovendam nunc minis nunc muneribus inclinare, & ad ſuam jam partem inclinatos ſuper alios commonachos ultra quam decuit aut licuit ſublimare; In tantum, ut unus de fautoribus ſuis cuſtodiam ſigilli communis ſolus optineret. Tunc videres poſſeſſiones monaſterii diſtrahere, contractus mutuos & obligationes graves ſigillo communi ſignare, in detrimentum eccleſiæ non modicum & gravamen, monachis hujus monaſterii invitis & omnino inconſultis. Quæ omnia & ſingula

Henric. II. Rex. gula gravamina monaſterii prædicti; *Auguſtinenſes* pro ſtatu zelantes domino papæ non ſegniter intimaverunt, ejuſque auxilium ſuper ejus exceſſibus efflagitantes, unde idem papa ſcripſit conventui ſancti *Auguſtini* in hæc verba.

ALEXANDER, &c. *Ea qua in prajudicium*: Et infra, *Ea propter dilecti in domino filii vobis & monaſterio in quo divino mancipati eſtis obſequio, veluti quod ad noſtram diſpoſitionem & ordinationem nullo mediante ſpectare dinoſcitur, volentes in poſterum ſicut debemus utiliter providere, donationes ſub teſtimonio ſigilli veſtri vobis invitis & inconſultis in detrimentum ejuſdem monaſterii factas & obligationes contractas vacuas penitus & irritas eſſe cenſemus. Et ne in poſterum ſimilia aliquorum temeraria præſumptione fiant, ſub interminatione anathematis prohibemus, ſtatuentes ut ſigillum veſtrum ſecundum antiquam monaſterii veſtri conſuetudinem conſervetur, ita quidem quod nulla perſona niſi de communi conſenſu & voluntate fratrum vel ſanioris partis conventus cartam aliquam continentem contractus donationis vel obligationis poſſeſſionum ejuſdem monaſterii prædicto ſigillo conſignare audeat, vel alicui confirmare.* Poſtea *Alexander* iiij. illud idem confirmavit, inhibens virtute obedientiæ, ne aliquas literas ſeu membranas noſtro ſigillo communi munitas ad contrahendum mutuum, niſi pro utilitate noſtri monaſterii & de conſcientia & conſenſu omnium vel majoris partis capituli de cætero alicui concedamus, decernens irritum & inane ſi ſuper hoc ſecus contigerit attemptari.

§. 8. *Capituli ſecreta*; *&* Claremb. *amovetur*.

EXiſtis privilegiis conſuetudo quædam in parte inolevit, ut videlicet profitentes in hoc monaſterio, die tercio, quo die locum primo in capitulo tanquam profeſſi adipiſcuntur, jurabunt, ut nec ipſi in quantum in ipſis eſt non permittent iſtud monaſterium pro alieno debito obligari; Item, quod nulli omnino hominum revelabunt ſecreta capituli. CLAREMBALDUS vero qui pro electo ſe gerebat in nullo penitus mores ſuos correxit, ſet de die in diem malum malo accumulans exceſſibus ſuis & enormitatibus in tantum monaſterium iſtud deformavit, ut illud jam fere ad ultimum defectum produceret. Monachi vero iſtius loci reſumptis viribus, licet tarde, prædictos exceſſus & enormitates domino papæ denunciaverunt, petentes ipſum ab adminiſtratione monaſterii amoveri, & alium loco ejus qui dignus ſit ſubrogari. Unde dominus papa *Alexander tercius* ſcripſit reverendis patribus *Exonienſi* & *Wygornienſi* epiſcopis, & *Clarembaldo* abbati de *Faverſham*, quatinus ipſi ſtudioſius inquirerent ſuper exceſſibus & enormitatibus prædicti *Clarembaldi* electi, & veritate cognita ſi ipſum amotione dignum invenirent, eum ab adminiſtratione bonorum monaſterii ſine appellationis remedio removerent. Quod & factum eſt. Nam ipſo amoto, prædicti epiſcopi & abbas ut præmittitur judices delegati, totum proceſſum cauſæ iſtius & quicquid contra amotionem prædicti *Clarembaldi* domino papæ ſignificarunt. Quam amotionem idem papa confirmavit, literas ſuper hiis tam prædictis judicibus quam conventui ſancti *Auguſtini* dirigens ſpeciales in hæc verba. “ ALEXANDER papa, &c. “ Auditis olim à multis & præſertim ex tranſmiſſa relatione veſtra & dilectorum filiorum noſtrorum ſancti *Auguſtini Cant.* enormitatibus & exceſſibus quondam electi ſui, & ſuſcepta eciam querela illorum ſuper deſtructione monaſterii quod per negligentiam & culpam prædicti electi ad ultimum fere defectum pervenerat: Nos vero ruinæ & caſui ejuſdem monaſterii tanquam noſtri ſpecialis & proprii paterno compatientes affectu, vobis dedimus in mandatis, ut veritate ſuper hiis ſtudioſius inquiſita, ſi electum prædictum ita inutilem & monaſterio pernicioſum eſſe cognoſceretis, quod ſine ipſius amotione non poſſit monaſterium reformari, eum ab adminiſtratione ſublato appellationis remedio removeretis. Nunc autem ex literis veſtris manifeſte nobis innotuit, quod cum vos juxta mandati noſtri tenorem, ea quæ fuerunt adverſus electum ipſum propoſita diligenter inquireretis; ipſum inveniſtis tot exceſſibus & criminibus publicis irretitum quæ per literas veſtras nobis fuerunt recitata; auribus noſtris nimium præſtiterunt tædium & dolorem: Propter quæ ipſum ſicut à nobis acceperatis in mandatis, ab adminiſtratione penitus amoviſtis. Nos itaque amotionem ejus ratam et firmam habentes, eamque apoſtolica auctoritate confirmantes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſi prædictus *Clarembaldus* auſu temerario et pernicioſo in ipſam eccleſiam cujuſlibet potentis uſus violentia, ipſam eccleſiam ſive ejuſdem poſſeſſiones occupare vel aliquo modo diſtrahere ſeu perturbare præſumpſerit, accenſis candelis publice eum excommunicatum noſtra auctoritate denuncietis, & eum tamquam excommunicatum ab omnibus cautius faciatis evitari, donec de exceſſibus & enormitatibus ſuis ſatisfacturus noſtro ſe aſpectui repræſentet. Item conventui quaſi ſub eadem forma, præter quod ubi loquitur per ſecundam perſonam loquitur hic in tercia, & in fine ſic. “ Nos itaque amotionem ejus ratam & firmam habentes, eamque auctoritate apoſtolica confirmantes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus in perſonam ydoneam & honeſtam hoc tanto officio congruam, ſine qualibet ſciſſura vel ſcandalo concorditer convenire curetis, eamque vobis in abbatem & magiſtrum eligere, per cujus curam & ſollicitudinem idem monaſterium ſpiritualibus inſtitutis Domino cooperante proficiat, & temporalibus profectibus augeatur. Item ejuſdem ad conventum pro rerum diſtractionibus *Clarembaldi*. “ ALEXANDER, &c. noſtræ ſollicitudinis: *& infra*, Ea propter dilecti in domino filii veſtris juſtis poſtulationibus gratum impertientes aſſenſum, & officii noſtri debitum proſequentes, quicquid *Clarembaldus* quondam electus veſter, immo deſtructor eccleſiæ veſtræ de bonis vel poſſeſſionibus ipſius eccleſiæ abſque conſilio & aſſenſu totius capituli in ejus præjudicium feciſſe dinoſcitur, auctoritate apoſtolica caſſamus & viribus omnino carere cenſemus.

Thomas. Archiep.

§. 9. *Combuſtio eccleſia* Cantuariæ.

An. Dñi 1174. ANno Domini M.C. lxxiiij. fuit eccleſia *Chriſti Cantuaria* combuſta die ſancti *Bertini* abbatis. Anno quo ſupra iſta terra ſupponitur interdicto ab *Alexandro* Papa ob cauſam & exulationem ſancti

Henric. II. Rex. *Thoma* ipſo *Thoma* ſententiam hujuſmodi interdicti exequente, unde & ſcripſit eidem *Clarembaldo* locum paſtoris occupanti in hæc verba.

§. 10. *Interdictum totius* Angliæ.

« QUanto ſacroſancta *Romana* eccleſia monaſterium veſtrum ampliori donavit gratia, tanto diligentius ipſius debetis obedire mandatis. Unde de veſtra obedientia ſpem certam concipientes, vobis auctoritate domini papæ & noſtra, in virtute obedientiæ, in periculo honoris, officii & gradus præcipiendo mandamus, quatinus infra xv. dies à ſuſceptione præſentium abſtineatis ab omnibus divinis, excepta pœnitentia morientium & viatico, quod januis clauſis & laicis excluſis privatim fieri ſi neceſſitas expoſcit religionis impetrat favor. Sub eadem quoque interminatione præcipimus, ut in omnibus locis juriſdictionis veſtræ eccleſiaſticæ faciatis quantum in vobis eſt hujus interdicti ſententiam inviolabiliter obſervari. »

Et nota quod iſte *Clarembaldus* qui ſe gerebat pro electo hujus monaſterii, fuit quidam monachus fugitivus & apoſtata in *Normannia*, de qua terra idem *Henricus* rex iſti monaſterio adduxit ad præſidendum. Occupavit autem idem *Clarembaldus* iſtam eccleſiam loco abbatis per xiij. circiter annos, per quod tempus iſtud monaſterium diverſimode indebitavit, & bona & poſſeſſiones ejuſdem diſtrahendo dampnabiliter alienavit.

§. 11. *Martyrium S.* Thomæ *archiepiſcopi Cantuarienſis.*

An. Dñi 1170. ANno Domini M. C. lxx. S. *Thomas* archiepiſcopus fuit martyrizatus in eccleſia ſua iiij. kal. Januarii. Et anno iiij^{to} & quinto ſequenti fuit proceſſus habitus per prædictos epiſcopos & abbatem ut prius tactum eſt ad depoſitionem *Clarembaldi*. Poſt cujus amotionem fuit iſta abbatia in manu regis ſeiſita per duos annos & dimidium. Qui rex ob prædictam ſui intruſoris ejectionem habuit iſtum locum in iram & maximam indignationem. 1173. Anno Domini milleſimo C. lxxiij. *Ricardus* Prior *Dovoræ* electus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem*, & ſequenti anno *Romæ* conſecratus eſt.

CAP. XIII.

§. 1. *Rogerus in abbatem benedicitur, cum proceſſu inde.*

1176. ANno dominicæ incarnationis milleſimo C lxxvj. ejecto *Clarembaldo*, conventus interim aliquandiu tractavit de perſona idonea juxta mandatum domini papæ in abbatem eligenda. Convenientibus tandem in unum monachis, die ſtatuto electionis, ſcilicet die ſancti *Dioniſii*, elegerunt quendam monachum eccleſiæ ſanctæ Trinitatis nomine *Rogerum* qui cuſtos erat altaris ad quod ſanctus *Thomas* fuit martyrizatus, ſperantes per ipſum reliquias beati martyris conſequi ſpeciales, nimis fatue ultra mare quærentes aquam, quaſi ipſi in ſuo monaſterio tot regum & archiepiſcoporum & aliorum diverſorum apoſtolorum martyrum & cæterorum ſanctorum non habuiſſent aquas ſalutares, puta reliquias. In hoc tamen eos ſua non fefellit opinio, quia per ipſum *Rogerum*, una cum aliis reliquiis prædicti martyris, habebant maximam partem effuſi ſanguinis, & quandam particulam abciſæ coronæ, una cum cerebro prædicti martyris non modico. Pro iſtis autem reliquiis ſic pacifice habendis edita fuit quædam compoſitio inter nos & Priorem loci ejuſdem nobis multum inutilis & incommoda. Cujus forma talis eſt. *Ricardus* Archiep.

§. 2. *Compoſitio inter Monachos S.* Auguſtini *& eccleſiam S. Trinitatis.*

« BENEDICTUS Prior & Conventus eccleſiæ Chriſti *Cant.* univerſis Chriſti fidelibus ſalutem. Univerſitati veſtræ notum eſſe volumus, qualiter cum *Rogero* electo monaſterii ſancti *Auguſtini* & conventu ejuſdem loci, quaſdam terras pro quibuſdem terris ſuis commutavimus. Idem electus et conventus quaſdam terras habuerunt ex parte meridiana cimiterii noſtri juxta campanile noſtrum; terras ſcilicet *Gervaſii de* **Cornhell** unde habebant annuatim v. s. x. d. terram *Willelmi Furbatoris* unde ij. s. terram *Willelmi Rycold* unde viij. s. de quibus prædictis terris reddebant ad firmam regi per annum xx. d. unde debemus eos acquietare erga regem, terram eciam *Baldewyni* presbyteri & *David* fratris ejus unde ij. s. terram *Philippi Parmentarii* unde xx. d. terram quæ fuit **Everwaker**, unde xvij. d. terram quæ fuit **Godekyn**, unde habebant xx. d. ſumma xx. s. xj. d. Quoniam vero hæ prædictæ terræ nobis & eccleſiæ noſtræ periculoſæ fuerunt propter crebra incendia, iccirco prædictus *Rogerus* electus & conventus prænominati monaſterii ad preces domini noſtri *Henrici* regis *Angliæ* & noſtras, conceſſerunt, dederunt & aſſignaverunt in concambium nobis et eccleſiæ noſtræ has terras liberas & quietas ab omni quæſtione & querela; ſalvo tamen eorum jure qui prænominatas terras de monaſterio ſancti *Auguſtini* tenebant. Nos autem pro jam dictis terris conceſſimus, dedimus & aſſignavimus in concambium eidem electo & conventui ad electionem ipſorum quaſdam de terris noſtris liberas & quietas ab omni quæſtione & querela. Salvo quidem jure eorum qui terras illas de nobis tenere ſolebant, ſcilicet terram *Roberti*, ut in compoſitione plenius poterit apparere. Summa tamen harum manſionum xv. ſet ubi ſituantur non invenitur ſcriptum. Summa tocius redditus nobis per eoſdem in concambium ſic aſſignati xxij. s. ij. d. Facta eſt autem hæc compoſitio vel conventio Anno ab incarnatione Domini milleſimo C. lxxvij.

§. 3. *Quod* Thanetenſes *tenentur fruges coppare.*

ANno quo ſupra, quinto idus Auguſti pacti ſunt homines de *Halmoto* de **Menſtre** in *Thaneto* fide data in manu domini *Rogeri* electi, fruges ſuas omnes coppare extunc & deinceps; & ſic per coppas omnes decimas ſuas ipſi & hæredes ſui amodo & in æternum legitime dare, & omnes alias decimationes quas ſolebant dare ſicut eas umquam melius dederunt à tempore dedicationis eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* de **Menſtre**, libertates quoque omnes quibus idem do-

Henric. II. Rex.

dominus *Rogerus* invenit Abbatiam ſeiſitam, & omnia ſervicia quæ alicui prædeceſſorum ſuorum inpenderunt, fide interpoſita pacti ſunt cuſtodire & ei fideliter impendere, ejuſque honori ſine dolo ſemper intendere. Et idem dominus *Rogerus* illis promiſit de novis decimis quæ exiguntur, videlicet lana & caſeo, quod ſi cenſura eccleſiaſtica & judicium eccleſiæ has novas decimas aliis remiſerit, et ipſe illis hæc eadem remittet. Electo igitur *Rogero* ut prædictum eſt, monachi hujus monaſterii ad archiepiſcopum tunc *Ricardum* acceſſerunt, poſtulantes ut ad monaſterium eorum accederet, et electum eorum ſecundum privilegia ſua ibidem benediceret. Archiepiſcopus reſpondit. Ipſum non debere neque velle ad monaſterium eorum accedere nec in ipſo electum eorum benedicere, cum et idem electus de jure communi debeat in eccleſia metropoli *S. Trin.* benedici et ibidem tam archiepiſcopo quam eccleſiæ prædictæ obedientiam et cætera quæ juris ſunt profiteri; econtra monachis ſancti *Auguſtini* reſpondentibus, quod licet hoc eſſet verum de jure communi quod dominus archiepiſcopus aſtruebat, tamen tam ex conſuetudine longævi temporis præſcribente quæ eſt optima legum interpres, quam ex jure ſpeciali, privilegiorum videlicet ſummorum pontificum, electus *Auguſtinenſis* debeat in ſuo monaſterio ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* abſque exactione profeſſionis benedici, ſicut et *Silveſter* quondam abbas prædeceſſor iſtius *Rogeri* à domino *Theobaldo* quondam archiepiſcopo prædeceſſore beati *Thomæ* martiris benedicebatur. Set archiepiſcopus hiis reſponſionibus monachorum non adquievit, ſicque contrariis contraria ſentientibus, habitis inter ſe multorum tractatuum induciis, & nichil omnino proficientibus, tandem ad dominum papam ex parte electi & monachorum ſuorum eſt appellatum. Habebat enim tunc prædictus archiepiſcopus duos commenſales clericos ut vulgo dicebatur juris peritos, veritatis tamen & juſtæ juſtitiæ æmulos, magiſtrum *Gerardum de Pucella* & *Petrum Bleſenſem*. Hii duo inter omnes mundi tunc temporis æſtimabantur nec inmerito eloquentiores, & in *Auguſtinenſe* monaſterium velut lupi feroces, & in illud & contra illud toto mentis conamine ſemper graſſabantur. Horum fretus conſilio, & eorum facundia dictus archiepiſcopus confiſus nephanda, monaſterium iſtud ex omni parte ferocius inpugnabat. Unde electus & monachi coram domino *Alexandro* iij. querelam depoſuerunt ſuper eo quod prædictus archiepiſcopus electum *Auguſtinenſem* benedicere recuſavit. Quare dominus papa eidem archiepiſcopo dedit in mandatis, ut ipſum electum in ſuo *Auguſtinenſi* monaſterio abſque exactione profeſſionis benediceret; quod ſi archiepiſcopus prædictum electum benedicere nollet, tunc ipſe per ſe aut per ſufficientem reſponſalem citra feſtum purificationis conſpectui domini papæ ſe repræſentet, ipſi electo ſuper ejus benedictione reſponſurus. Nolens igitur archiepiſcopus electum ullatenus benedicere, conſtituto ſibi termino miſit ad curiam domini papæ procuratores ſuos, duos illos clericos ſuperius nominatos, de quorum ſingulari eloquentia plus quam de ſuæ cauſæ juſtitia confidebat. Electus igitur *Rogerus* perſonaliter cum monachis ſuis quibuſdam ad curiam ſimiliter ſe tranſtulit. Comparentibus igitur partibus coram domino papa & Cardinalibus habita eſt ibidem longa inter partes diſceptatio. Tandem auditis hinc inde propoſitis, inſpectiſque privilegiis ex utraque exhibitis, dominus papa ad ſententiam diffinitivam proceſſit; & pro electo ſancti *Auguſtini* & ejus monaſterio ſententiavit in hunc modum. ALEXANDER *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Rogero *electo & fratribus ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Recepta olim querimonia ex parte veſtra, quod venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus tibi fili electe in monaſterio veſtro, quod ad juriſdictionem* Romanæ *eccleſiæ nullo mediante pertinet, nollet benedictionem impendere, eidem archiepiſcopo apoſtolicis ſcriptis dedimus in mandatis, ut vel te, fili electe, in præſcripto monaſterio abſque exactione profeſſionis benediceret, aut uſque ad feſtum purificationis proxime præteritum per ſe aut per ſufficientem reſponſalem ſuum noſtro ſe conſpectui præſentaret; Cumque tam tu fili electe quam dilecti filii noſtri magiſter* Gerardus Pucella *& magiſter* Petrus Bleſenſis *procuratores ejuſdem archiepiſcopi, ad noſtram pro cauſa ipſa veniſſetis præſentiam, & longam diſceptationem coram nobis habuiſſetis ad invicem, illis aſſeverantibus, quod in eccleſia* Cantuarienſi *ab archiepiſcopo benedici, & obedientiam ei præſtare deberetis, vobis quoque contra proponentibus, quod in monaſterio veſtro benedictionem ſine exactione obedientiæ deberet impendere; Nos inſpectis antiquis privilegiis eccleſiæ veſtræ, & præcipue privilegio beati* Auguſtini Cantuarienſis *archiepiſcopi quod veſtro monaſterio indulſit; Conſideratis quoque ſcriptis piæ recordationis prædeceſſorum noſtrorum* Anaſtaſii *&* Adriani Romanorum *pontificum, quibus idem archiepiſcopus videbatur inniti; Cognito eciam quod ſanctæ memoriæ pater & prædeceſſor noſter* Eugenius *papa* Theobaldo *quondam* Cantuarienſi *archiepiſcopo injunxiſſet, ut* Silveſtro *quondam electo monaſterii veſtri benedictionis in eodem monaſterio munus impenderet, ita quod ab eo profeſſionem obedientiæ non poſtularet; Te ab inpetitione ipſius archiepiſcopi communicato conſilio fratrum noſtrorum abſolvimus, ſtatuentes ut* Cantuarienſis *archiepiſcopus te & ſucceſſores tuos in monaſterio veſtro abſque exactione obedientiæ contradictione poſtpoſita benedicat. Ut autem hæc noſtræ diffinitionis ſententia perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur, eam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c.* Sententia igitur pro electo ſancti *Auguſtini* ejuſdemque monaſterio ut prædictum eſt lata per dominum papam & confirmata, dominus papa volens obedientiæ virtutem in prædicto archiepiſcopo plenius experiri, prædictum electum ſancti *Auguſtini* remiſit ad præfatum archiepiſcopum juxta formam prædictæ ſententiæ latæ benedicendum, cum literis domini papæ ita ſe habentibus.

Ricardus Archiep.

« *Alexander* epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filii noſtri electus beati *Auguſtini Cant.* & magiſter *G. Pucella* & magiſter *P. Bleſenſis* clerici tui pro cauſa quæ inter te & eundem electum vertebatur ſuper benedictione illi exhibenda, noſtro ſe conſpectui præſentaſſent, & in audientia noſtra tam pro te quam pro altera parte multa varia & diverſa allegata fuiſſent, Nos inſpectis privilegiis *Romanorum* pontificum eccleſiæ beati *Auguſtini* indul-

Henric. II. Rex.

« indultis, & præcipue privilegio quod beatus *Auguſtinus Cantuarienſis* archiepiſcopus monaſterio illi conceſſit: Conſideratis quoque ſcriptis piæ recordationis *Anaſtaſii* & *Adriani Romanorum* pontificum quibus videbaris inniti. Cognito etiam quod ſanctæ memoriæ pater & prædeceſſor noſter *Eugenius* papa *Theobaldo* quondam *Cantuarienſi* archiepiſcopo injunxiſſet, ut *Silveſtro* quondam Electo monaſterii ſancti *Auguſtini* benedictionis munus inpenderet, ita quod ab eo profeſſionem non poſtularet, Electum ipſum ab inpetitione tua & ſucceſſorum tuorum communicato fratrum noſtrorum conſilio, abſolvimus, ſtatuentes ut archiepiſcopus *Cantuarienſis* qui pro tempore fuerit electum in eccleſia beati *Auguſtini* abſque exactione obedientiæ de cætero benedicat: Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatinus prædictum Electum in monaſterio ſuo nulla exacta obedientia benedicas. Quod ſi infra triginta dies poſtquam exinde requiſitus fueris, ipſum benedicere forte nolueris, venerabili fratri noſtro *Wygornienſi* epiſcopo dedimus in mandatis, ut eum nullius contradictione vel appellatione obſtante auctoritate fretus apoſtolica benedicat.

Reſcriptum directum *Wygornienſi Epiſcopo*.

« *Alexander* epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri *Wygornienſi* epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum venerabili fratri noſtro *Cantuarienſi* archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato dedimus in mandatis, ut dilecto filio noſtro Electo ſancti *Auguſtini Cant.* in monaſterio ſuo quod ad juriſdictionem *Romana* eccleſiæ nullo mediante pertinet, munus benedictionis non differret aliquatenus impertiri: Ex eo quod idem archiepiſcopus hoc recuſavit, de jure potuiſſemus eidem Electo benedictionem ipſam per nos vel per alium qui nobis non ita de facili contradiceret exhibere, volentes autem in eo adhuc obedientiæ virtutem plenius experiri, poſt longam diſceptationem quam idem archiepiſcopus in præſentia noſtra per nuncios ſuos contra ipſum Electum ſuper controverſia habuerit benedictionis, quæ de communi conſilio fratrum noſtrorum deciſa eſt, quod *Cantuarienſis* ipſum & ſucceſſores ſuos in monaſterio ſancti *Auguſtini* abſque exactione profeſſionis benedicat, contradictione poſtpoſita, ex conſueta & habundanti ſedis apoſtolicæ benignitate eundem Electum pro munere benedictionis ad memoratum archiepiſcopum duximus remittendum. Attendentes igitur labores & expenſas quas idem monaſterium ſuper hoc jam longo tempore ſuſtinuit, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & in virtute obedientiæ injungimus, quatinus ſi memoratus Archiepiſcopus infra terminum noſtris literis conſtitutum, eundem Electum ſicut à nobis diffinitum eſt, benedicere diſtulerit, tu noſtra fretus auctoritate omni excuſatione, contradictione, appellatione ceſſante quam citius ſuper hoc fueris requiſitus, illud efficere non moreris, nullo decreto noſtro vel alterius quo præceptum ſit appellationi deferendum inpediente, nullis eciam literis obſtantibus à nobis inpetratis vel inpetrandis, nulla exceptione quo minus vel tardius mandatum noſtrum adimpleas reſiſtente.

Ricardus Archiep.

Rogerus igitur electus cum ſupraſcriptis literis apoſtolicis in *Angliam* regreſſus, archiepiſcopo prædicto *Cantuariæ* mandatum apoſtolicum & ſe ipſum juxta idem mandatum benedicendum ſecundo optulit. Archiepiſcopus vero inducias petiit ut quid ſuper hiis faceret cum capitulo ſuo cæteroque conſilio plenius deliberaret. Sicque multarum prorogationum datis induciis, variiſque tractandi ſuper hiis diebus aſſignatis & locis, tandem finaliter benedicere prædictum electum juxta formam à domino papa præſcriptam archiepiſcopus recuſavit. Quare prædictus electus ad epiſcopum *Wygornienſem* acceſſit, & ab eo juxta formam mandati domini papæ ſibi ſuper hoc directi benedici poſtulavit. Iſte *Wygornienſis* per dominum archiepiſcopum ſubornatis multus nugatoriis induciis prædictum electum non ſine magno diſcrimine laboris & expenſarum ipſius diutius protelavit. Tandem reſpondit, ſibi inhibitum fore per dominum regem, ne electo *Auguſtinenſi* munus benedictionis, in læſionem regiæ majeſtatis & præjudicium eccleſiæ *Cantuarienſis*, cujuſcumque papalis mandati auctoritate auſus ſit imponere. Rei enim veritas eſt, quod prædictus archiepiſcopus eundem electum *Auguſtinenſem* & ipſum monaſterium multipliciter diffamaverat apud regem; dixerat enim regi, quod prædictus *Rogerus* electus fecerat monaſterium ſancti *Auguſtini* Cenſuale *Romanæ* eccleſiæ in decem marcis auri ſingulis annis perpetuo ſolvendis, ut ſic illud monaſterium à regis ditione ac archiepiſcopi in utriuſque præjudicium doloſe auferret, & illud ſolo *Romano* Pontifici tam in temporalibus quam ſpiritualibus abſque omni medio ſubjectum eſſet: & in argumentum ſuæ falſæ fidei adjecit, quod ideo dominus papa in literis ſuis ſcribit prædictum monaſterium ad *Romanam* eccleſiam nullo medio pertinere. Qua falſa ſuggeſtione rex adverſus eundem electum ira commotus, in omnibus ejus negotiis multum ſibi infeſtus fuit & contrarius. Sicque electus *Auguſtinienſis* ſpe optata ſuæ benedictionis hac vice fruſtratus, neutro epiſcoporum mandatum apoſtolicum ſuper prædicta benedictione electi adinplente, ſecundo perſonaliter *Romam* rediit non ſine magno itineris & expenſarum diſcrimine, & à domino papa benedici humiliter poſtulavit.

§. 4. *De benedictione* Rogeri *abbatis per manus papæ, & reſtitutione annuli & mitræ.*

An. Dñi 1179.

ANno igitur Domini M.C.lxxix. dominus papa *Alexander* iij. archiepiſcopi *Cantuarienſis* plenam attendens pertinaciam, Conſideranſque ipſi monaſterio ſancti *Auguſtini* multa & irreparabilia dampna ex tam diuturna deſolatione paſtoris poſſe ſuccreſcere, volens ipſius electi laboribus ſimul parcere & expenſis, eundem *Rogerum* electum beati *Auguſtini* in propria perſona *Tuſculani* benedixit quinto kal. Februarii anno quo ſupra, aſſiſtentibus in hac benedictione tocius curiæ Cardinalibus & aliis diverſis prælatis numero xlvj. & clero & populo infinito. Reſtitutis ipſi *Rogero* mitra & anulo à prædicto papa, quæ diu in monaſterio beati *Auguſtini Cantuariæ* per ſimplicitatem quorundam abbatum fuerant intermiſſa. Miſit idem papa *Alexander* prædicto Abbati *Rogero* & monaſterio ſancti *Auguſtini* plumale ſuum & zonam ſuam in ſignum & memo-

riam

Henric. II. Rex.

An. Dñi 1180.

riam specialitatis & dilectionis perpetuæ. Et venit plumale istud ad sanctum *Augustinum* vj. kal. Julii per nuncium *Franconis* Camerarii domini papæ. Succedente vero tempore, hoc est anno Domini M.C.lxxx. idem *Alexander* papa misit huic ecclesiæ & abbati prædicto sandalia; sambucam eburneam vij. idus Maii; cujus papæ memoria perpetuis temporibus merito est celebranda. Literasque suas super prædicta benedictione præscriptam diffinitivæ sententiæ formam continentes prædicto electo *Augustinensi* dedit in hæc verba. « ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilecto filio *Rogero* abbati sancti *Augustini* salutem & apostolicam benedictionem. Cum venerabile fratre nostro *Ricardo Cantuariensi* archiepiscopo apostolicæ sedis legato tibi recusante in monasterio tuo benedictionis munus impendere, ad nostram jampridem præsentiam accessisses, & postulasses ab apostolicæ sedis clementia quod tibi faceremus in monasterio tuo benedictionis munus inpendi, Nos sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri papæ *Eugenii* vestigiis inhærentes, prædicto archiepiscopo de communi fratrum nostrorum consilio mandavimus, & per scripta nostra districte præcepimus, ut infra xxx. dies post receptionem literarum nostrarum tibi absque ulla exactione professionis in monasterio tuo munus benedictionis impertiretur: quod si infra tempus præscriptum facere nollet, venerabili fratri nostro *Wigorniensi* episcopo in obedientiæ virtute præcepimus id ipsum maturius adimplendum. Illis autem minime nostrum præceptum adinplentibus, ad nostram præsentiam rediisti, cavere desiderans ne monasterium tibi commissum pastorali diutius provisione careret; unde tam in archiepiscopum quam in episcopum pro contemptu præcepti nostri merito potuissemus durius vindicare, & eidem archiepiscopo & successoribus suis successores tuos benedicendi deinceps adimere facultatem: mitigantes tamen motum animi, & rigorem justiciæ de solita benignitate sedis apostolicæ temperantes, tibi licet inmeriti, salvo jure ipsius archiepiscopi & successorum suorum in benedictione abbatis, benedictionis munus Domino auxiliante impendimus. Statuentes ut de cætero *Cantuariensis* archiepiscopus qui pro tempore fuerit, successores tuos sine exactione professionis in commisso tibi monasterio benedicat. Quod si infra xl. dies postquam fuerit requisitus eos benedicere forte omiserit, nisi manifestam & canonicam excusationem prætendere potuerit, ad *Romanam* ecclesiam benedicendi accedant, vel per episcopum per quem *Romanus* pontifex decreverit, benedictionem consequantur. Ut autem hæc nostra Constitutio perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, eam auctoritate apostolica roboramus & præsentis scripti &c.

§. 5. *Defamatio* Rogeri *Abbatis apud Regem.*

Et quia prædictus electus *Rogerus* nunc autem abbas, apud dominum Regem per ipsum archiepiscopum ut prius scriptum est fuerat falso diffamatus, ideo dominus papa prædicto domino regi scripsit literas suas excusatorias & simul recommendaticias pro ipso *Rogero* abbate sancti *Augustini* in hæc verba. « ALEXANDER episcopus servus servorum Dei *Henrico* illustri regi *Anglorum* salutem & apostolicam benedictionem. Audivimus regiæ magnitudini falso fuisse suggestum, dilectum filium nostrum *R.* abbatem nunc sancti *Augustini Cant.* nullam apud vos gratiam invenisse, quia monasterium suum ecclesiæ *Romanæ* in x. marcis auri annuatim solvendis fecerat censualem. Quod utique omnino est alienum à vero, & miramur si prudentia tuæ serenitatis hujusmodi suggestioni fidem potuit quomodolibet adhibere, cum hoc nec in mentem descenderit, nec etiam ab ore vel ex parte ipsius abbatis verbum de aliquo censu à prælibato monasterio constituendo. Noluimus autem tuam sublimitatem latere quia non est consuetudo *Romanæ* ecclesiæ hujusmodi census statuere, aut quamlibet ecclesiam tali modo gravare. Sane quod ita pro benedicendo jam dicto Abbate venerabili fratri nostro *R. Cantuariensi* archiepiscopo legato sedis apostolicæ superscripsimus, hæc fuit causa, quod à longis retro temporibus Abbates sancti *Augustini* pro benedictione habenda multas difficultates, plurimos labores atque dispendia consueti fuerant sustinere, veniendo *Romam*, remeando in *Angliam* & *Romam* iterum redeundo. Nam tempore beatæ memoriæ patris & prædecessoris nostri *Eugenii* papæ, electus qui tunc erat à *Cantuariensi* archiepiscopo benedictionem optinere minime potuit, donec bis *Romam* in magnis sumptibus venit & in *Angliam* remeavit. Is autem qui nunc est non valens gratiam benedictionis ab archiepiscopo percipere, compulsus est sicut antecessores ejus fecerant, *Romam* venire, & in *Angliam* non absque difficultate reverti, ad eundem archiepiscopum literas districtionis reportans, ut infra xxx. dies in monasterio suo sine exactione professionis illi benedictionis munus inpertiri curaret. Quod si forte facere nollet, sub eadem districtione venerabili fratri nostro *Wygorniensi* episcopo id ipsum infra alios xxx. dies præcepimus adimplendum. Neutro autem mandatum implente, idem abbas ad nos coactus est non sine multo discrimine rerumque dispendio laborare. Licet autem moti fuerimus & turbati, & injuriosum reputaverimus nimium, quod archiepiscopus & episcopus præceptum nostrum non sunt executi, & de jure potuissemus archiepiscopo & successoribus ejus abbatem sancti *Augustini* de cætero facultatem benedicendi auferre, mitigantes tamen motum animi & de consueta clementia sedis apostolicæ rigorem justiciæ temperantes, prædicto abbati benedictionis munus impendimus, salvo jure archiepiscopi & successorum suorum in benedictione abbatis; videlicet quod abbates sancti *Augustini* in eodem monasterio sine exactione professionis benedicere debeant. Ipsum itaque regiæ celsitudini commendantes, rogamus attentius & monemus, quatinus prædictum abbatem divini amoris intuitu & pro reverentia beati *Petri* & nostra diligas, manuteneas & defendas, nec sinas eum pro debitis *Judæorum* ulterius molestari, nec adversus eum vel monasterium movearis, quod literis nostris exprimimus ipsum monasterium nullo mediante ad nos pertinere, quia nos de persona ecclesiastica non seculari super hoc intellectum habemus, & in hoc minime honori tuo derogatur.

Richardus Archiep.

Henric. II. Rex.

§.6. **Kyngeſmelle** *ad civitatem* Cant. *deventum eſt.*

Rogerus in gratiam & amorem regis aliqualiter ſic ſuſceptus, abbatia quæ in manu ſua per duos annos & dimidium extiterat ſeiſita, cum omnibus ſuis appendiciis molendino de **Eaſtbrigge** duntaxat excepto ſibi tunc reſtituta. Et nota quod iſtud molendinum per *Clarembaldum* ſuperius nominatum cum aliis rebus & poſſeſſionibus per eum nequiter diſtractum, domino regi *Henrico* & ſucceſſoribus ſuis alienatum, & ad opus ſuæ civitatis rehabitum: Iſte tamen *Henricus* rex ad recompenſationem hujus injuriæ iſti monaſterio multas libertates ſcribitur conceſſiſſe; ut in ſequentibus debet apparere.

Et quia nonnulla memoriæ digna pendente lite ſuper benedictione prædicta in iſto monaſterio feruntur geſta, ideo nunc, expedita & deciſa controverſia prædicta, ad illa quæ omiſſa ſunt manus convertatur ſcriptura.

§.7. Thanetenſes *debent venire ad curiam S.* Auguſtini.

An. Dñi 1176.

Anno Domini milleſimo C.lxxvj. anno autem regis *Henrici* ſecundi xxij. menſe Decembri in vigilia ſancti *Thomæ* apoſtoli *Rogerus* electus beati *Auguſtini Cant.* & homines de *Thaneto* qui pertinent ad tenementum beati *Auguſtini* tali modo pacificati ſunt. Controverſia quippe inter monachos ſancti *Auguſtini* & homines de *Thaneto* diutius agitata eſt, ipſis *Thanetenſibus* aſſerentibus ſe ad capitalem Curiam beati *Auguſtini Cant.* placitandi cauſa vel judicium ſuſtinendi nullo modo debere accedere, ſed in halimoto ſuo in *Thaneto* omnia judicia ſua exerceri, unde idem electus poteſtatem regiam interpellans, optinuit, quod ex regio mandato eadem controverſia in comitatu *Canciæ* debitum finem ſortiretur. Die itaque conſtituto *Cantuariæ* in eodem comitatu aſtantibus utriſque partibus in conſpectu *Johannis de Kardyf* ſupplentis vices *Roberti filii Bernardi* vicecomitis, iidem *Thanetenſes* coacti ratione æquitatis recognoverunt, ſe debere ad curiam ſancti *Auguſtini Cant.* venire quociens ſummoniti fuerint, & ibidem ſi de aliqua re erga eos querelam abbas habuerit, placitum inire & judicio curiæ ſtare, ſicut homines alterius villæ. Et recognoverunt quod illud idem dirationatum fuerit contra ſe tempore *Clarembaldi* quondam electi ſancti *Auguſtini*, de rebellione vero ſua guagium dederunt electo in manciam ipſius, & in manu *Radulphi* ſenioris ſancti *Auguſtini* vidente toto comitatu & teſtificante.

§. 8. *Terra permutata in* **Burgate.**

1177.

Anno Domini M. C.lxxvij. facta eſt quædam commutatio terrarum cenſualium inter monaſterium iſtud & monaſterium *ſanctæ Trinitatis.* Habebat enim iſtud monaſterium quaſdam terras ex parte meridiana cimiterii *ſanctæ Trinitatis* juxta campanile eorum, quæ terræ reddebant huic monaſterio ſingulis annis xx. ſolidos & xj. denarios. Et quia iſtæ terræ erant ipſis de *ſancta Trinitate* ita propinquæ, & in caſu multum periculoſæ, ideo prædictus electus & Conventus ſancti *Auguſtini* licet inviti, precibus tamen regis *Henrici* coacti, mutaverunt prædictas terras cum quibuſdam terris quæ fuerunt de dominio *ſanctæ Trinitatis* diverſis locis in civitate jacentibus: Quæ terræ reddebant ſingulis annis xxij. s. ij. d. Hæc commutatio eſt confirmata ſigillo regis *Henrici* & ſigillis utriuſque monaſterii. Cujus rei Compoſitio ſuperius eſt deſcripta. Eodem eciam anno & tempore & prædictarum terrarum permutationis cauſa, Conventus eccleſiæ *ſanctæ Trinitatis* ratificavit confirmationem quondam *Theobaldi* archiepiſcopi ſuper eccleſiis de **Menſtre** & **Northborne** cum capellis ad certos uſus hujus monaſterii deputatis. Confirmaverunt eciam quicquid juris in hiis vel in aliis noſtris eccleſiis idem *Theobaldus* archiepiſcopus huic monaſterio conceſſit, & per conſequens eccleſias de **Faverſham** & **Middelton** cum capellis quantum in ipſis fuit ratificaverunt. De hac Confirmatione *Theobaldi* archiepiſcopi dicitur ſupra ſub tempore Abbatis *Hugonis* primi.

Ricardus Archiep.

§.9. *Cervus in Foreſta de* **Tonebrugg.**

Anno M. C. lxxvij. Rogerus de Clare *Comes Herefordiæ, Omnibus hominibus & amicis ſuis* Francis *&* Anglis *ſalutem. Sciatis quod dedi Deo & Eccleſiæ ſancti* Auguſtini *j. cervum annuatim in foreſta mea de* **Tonbrigge.** *ita quod homines mei illum capient & liberabunt miniſtris abbatis ſancti* Auguſtini *quicumque abbas fuerit. Volo itaque & firmiter præcipio quod donum iſtud habeat eccleſia ſancti* Auguſtini *libere & quiete & inconcuſſe de me & hæredibus meis.*

§.10. *Alienatio eccleſiæ de* **Faverſham** Oſberno *de* Camera.

An. Dñi 1178.

Anno ſequente prædictus electus ſancti *Auguſtini Rogerus* ad preces regis *Henrici* dedit eccleſiam de **Faverſham,** inconſulto ſuo conventu, cuidam clerico nomine *Oſberno de Camera*, ſub annua penſione ſex marcarum reddenda ſingulis annis monachis ſancti *Auguſtini,* tamquam veris perſonis eccleſiæ prædictæ: Quæ tamen donatio magno fuit ſancti *Auguſtini* detrimento, eo quod per iſtam donationem eccleſia de **Middelton** ad preces regis *Henrici* ac etiam *Matildis* imperatricis, poſſeſſio & proprietas utriuſque eccleſiæ, niſi Deus propenſius nos reſpexiſſet, perpetuo huic monaſterio fuiſſet amiſſa, ut inferius planius apparebit.

§. 11. *Eccleſia de* **Middelton** *datur clerico domini regis.*

Eodem anno *Rogerus* electus poſtquam de *Roma* prima vice rediit, ad petitionem domini regis *Henrici,* conceſſit cuidam clerico, nomine magiſtro *Franconi*, xij. marcas annuæ penſionis de camera ſua percipiendas, prius enim eidem *Franconi* dedit quatuor marcas ad petitionem camerarii domini papæ. Has igitur

Ricardus I. Rex.

igitur xvj. marcas prædictus *Franco* petiit ſibi aſſignari in loco certo; unde prædictus *Rogerus* electus conſentientibus ſibi quibuſdam de conventu licet paucis, ad petitionem ipſius domini regis prædicti, aſſignavit prædicto *Franconi* eccleſiam de **Middelton**, donec ei alias provideret; retinuit tamen abbas ſibi & conventui decimas de dominico regis, & de reſiduo eciam eccleſiæ prædictæ xl. s. ultra xvj. marcas penſionis ſupradictæ. Super hac aſſignatione prædictus *Franco* literas regis optinuit, & per vicecomitem in poſſeſſionem prædictæ eccleſiæ ductus fuit, quod maximo detrimento huic monaſterio fuit, nam per has duas conceſſiones eccleſiarum de **Faverſham** & de **Middelton** ad preces regias, non ſolum proprietatem quam in prædictis eccleſiis hoc monaſterium prius habuerat & adhuc habet, verum eciam & ipſarum eccleſiarum advocationem ſive patronatum perpetuo amiſiſſet tempore *Johannis* regis, niſi juſtitia ex alto clementius proſperiſſet, ipſo rege *Johanne* jus patronatus prædictarum eccleſiarum vendicante jure anteceſſorum ſuorum, & ratione ultimæ præſentationis, ut loco ſuo, Deo juvante, dicetur. Anno eodem kal. Maii pontificatus domini *Alexandri* papæ tercii anno xix. idem dominus *Alexander* papa tercius dedit huic monaſterio privilegium ſuum autenticum ſuper confirmatione libertatum & jurium iſtius monaſterii. In quo privilegio cum *Eugenio*, *Lucio*, *Innocentio* & cæteris prædeceſſoribus ſuis, hoc excepto in illa clauſula, *obeunte te nunc*, &c. ubi in fine capituli in aliis dicitur, *Perſona quam ſibi in abbatem elegerint abſque omni venalitate in eodem monaſterio benedicatur*; In iſto privilegio dicitur, *ſine aliqua profeſſionis exactione in eodem monaſterio benedicatur*. Iſta bulla eſt cum ſubſcriptione xiij. Cardinalium.

§. 12. *De terris aſſartatis in* **Kingeſdowne**.

EOdem anno ſopita fuit controverſia inter *Rogerum* abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* & *Warinum* Priorem, & fratres hoſpitalis *Jeroſolimitani* ſuper decimis de **Kingeſdowne** amicabili compoſitione in hunc modum, videlicet quod prædicti fratres hoſpitalis habebunt imperpetuum omnes decimas de aſſartis de **Kingeſdowne**, de terra *Fulconis*, & de aliis aſſartatis quas *Hamo* miles tenet, & de omnibus aliis terris quæ fuerunt aſſartatæ die qua hoc cyrographum factum fuit die *S. Katerinæ* virginis anno ſupradicto. Reddendo inde eccleſiæ beati *Auguſtini Cant.* imperpetuum decem ſolidos ſterlingorum per annum ad feſtum *S. Michaelis*. Et ſi contingat alias terras aſſartari de eodem **Kingeſdowne** in poſterum, omnes decimas de illis terris aſſartatis libere & ſine omni reclamatione prædictorum fratrum eccleſia beati *Auguſtini Cant.* imperpetuum percipiet. Act. & dat. anno & die ſupradictis.

Cap. XIV.

§. 1. *Legatus nos interdicere vel excommunicare non debet.*

An. Dñi 1179.

ANno Domini M. C. lxxix. *Alexander* papa prædictus indulſit huic monaſterio, ne *Cantuarienſis* archiepiſcopus, aut archidiaconus ejus, ſeu officiales ſive aliquis legatus obtentu legationis monaſterium iſtud vel monachos ejus aliqua ſententia gravare præſumat, nec eccleſias, clericos vel homines noſtros contra privilegia ſedis apoſtolicæ interdicere vel excommunicare præſumat, niſi à latere fuerit *Romani* pontificis deſtinatus, vel niſi mandatum ab eo ad hoc ſuſceperit ſpeciale. Indulſit eciam per idem privilegium, ut criſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ordinationes monachorum & clericorum qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, à *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſuſcipiamus ſi gratiam & communionem ſedis apoſtolicæ habuerit, & ea gratis & abſque ulla pravitate impertiri voluerit, alioquin quemcumque voluerimus poterimus catholicum adire epiſcopum, qui quidem papæ fultus auctoritate nobis quod poſtulatur indulgeat.

Ricardus Archiep.

§. 2. *Privilegium de præſentatione eccleſiarum & licentia excommunicandi malefactores noſtros.*

ANno eodem ſupradictus papa conceſſit nobis privilegium ſuum prohibitorium; ſub hac forma. ALEXANDER *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Rogero *abbati & monachis ſancti* Auguſtini *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. De minori poſſemus*, & infra, *Auctoritate apoſtolica prohibemus, ne in eccleſiis ad præſentationem veſtram ſpectantibus ulli niſi à vobis præſentati fuerint ordinentur, ſet ſi quos vobis non præſentantibus ordinari contigerit, ab eiſdem eccleſiis amoveantur, & eorum ordinatio penitus irrita habeatur, niſi forte, quod abſit, præſentationem clericorum vos conſtiterit malicioſe deferre.*

Eodemque anno prædictus papa indulſit nobis per aliud privilegium ut poſſimus excommunicare malefactores noſtros ſub hac forma. ALEXANDER *epiſcopus ſervus ſervorum Dei* Rogero *abbati ſancti* Auguſtini, *&c. Cum in noſtra eſſes*, & infra. *Nos itaque attendentes monaſterium ipſum ad diſpoſitionem beati* Petri *& noſtrum ſpecialiter pertinere, & ob hoc te amplius debitorem exiſtere, tibi & ſucceſſoribus tuis de conſueta clementia ſedis apoſtolicæ indulgemus, ut ſi archiepiſcopi, vel epiſcopi, aut alii eccleſiarum prælati vobis de malefactoribus veſtris parochianis ſuis, tercio per vos requiſiti humiliter & devote plenam non fecerint rationem, eos excommunicandi auctoritate noſtra, contradictione & appellatione ceſſante, liberam habeatis de cætero facultatem; & ſententiam ipſam rationabiliter latam nullus audeat niſi ſatisfactione congrua præſtita immutare.* Indulſit etiam per aliud privilegium prædictus papa, ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat nobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare.

§. 3. *De privilegiorum accuſatione & præſentatione clericorum.*

An. Dñi 1181.

ANno Domini M. C. lxxxj. præfatus ſiquidem archiepiſcopus ab exactione profeſſionis abbatis ſancti *Auguſtini* ſententialiter abjudicatur, cæteris anteceſſoribus ſuis contra prædictum monaſterium acrius inſurgebat, & ut ipſius monaſterii

ſtatum

Henric. II. Rex.

Ricardus Archiep.

ſtatum funditus pro poſſe everteret molitur, aggreſſus eſt ejuſdem monaſterii privilegia arguere falſitatis, Claves eccleſiarum noſtrarum vacantium tam ipſe quam archidiaconus ſibi arripere, in eiſdem eccleſiis perſonas & alios clericos invitis fratribus ordinare, clericos ſervientes & alios homines ipſis fratribus quoquo modo obſequentes excommunicare. Super quibus omnibus & ſingulis gravaminibus fratres iſtius monaſterii ad dominum papam appellaverunt, unde idem dominus papa ſcripſit prædicto archiepiſcopo edictum prohibitorium, quod hucuſque cum cæteris privilegiis reſervatur; In quo prohibetur ne vacantibus eccleſiis noſtris claves ipſarum contra antiquam conſuetudinem iſtius monaſterii præſumat archiepiſcopus accipere, aut in eis perſonas aliquas invitis fratribus ejuſdem monaſterii ordinare, ſeu clericos homines noſtros eccleſiaſtica ſententia aggravare. Scripſit eciam idem papa archiepiſcopo & archidiacono conjunctim in hæc verba. *Gravis admodum ad nos querela*, & infra. *Præſentium auctoritate vobis mandamus atque præcipimus, quatinus cum prædicti abbas & fratres ſancti* Auguſtini *ad eccleſias ſuas vacantes perſonas duxerint idoneas præſentandas, eas ſine calumpnia occaſione & excuſatione ceſſante recipiatis, nec in eis ſine præſentatione ipſorum quoſlibet inſtituere præſumatis. Quod ſi præceptum noſtrum in hac parte duxeritis negligendum, ſicut prædicto monaſterio de benedictione abbatis prævidimus, ita Domino auxiliante providere curabimus, quod aſſenſu ſeu auctoritate veſtra non requiſita eccleſias ſuas poterint de quibuſcumque perſonis voluerint ydoneis ordinare.* Super accuſatione vero privilegiorum prædictorum idem dominus papa ſcripſit *Herefordenſi* & *Wygornienſi* epiſcopis, & magiſtro *Petro de Melidis*, ut ſi præfatus archiepiſcopus privilegia quibus idem abbas & fratres ſe ab ejus impetitione defendi credunt, vellet redarguere falſitatis, ea ſibi facerent quamtocius exhiberi, & quæ præponerentur hinc inde appellatione remota diligentius audientes, eadem privilegia facerent fideliter & ſtudioſe conſcribi. Hujus mandati auctoritate prædicti delegati *Wygornienſis* epiſcopus & magiſter *Petrus de Melidis*, *Herefordenſi* epiſcopo abſente, venientes *Cantuariam* archiepiſcopum & abbatem ſancti *Auguſtini* coram ſe evocari fecerunt in eccleſia ſancti *Gregorii*, quæ ſub muro civitatis poſita quaſi thalamus ipſius archiepiſcopi reputatur. Confluxerat enim illuc tota ſinodus quæ celebrabatur eodem die, erantque vici, plateæ & atria plena hominibus temerariis, ad diſpendium abbatis ſancti *Auguſtini* & fratrum paratis, & ad hoc per ipſum archiepiſcopum ſpecialiter adductis. Delegatis itaque ſupraſcriptis in ipſa eccleſia ſancti *Gregorii* pro tribunali ſedentibus, evocatiſque coram ſe partibus monachis ſancti *Auguſtini*, judices ipſi præceperunt, ut omnia privilegia quæcunque à tempore beati *Gregorii* papæ penes ipſos eſſent, archiepiſcopo ipſi exhiberent. Set ad hoc monachi ſancti *Auguſtini* reſponderunt, Non omnia privilegia in mandato apoſtolico contineri; ſet quædam, illa duntaxat quæ arguere vellet falſitatis. Nec mandatum fuiſſe, ut adverſario exhiberentur, ſed judicibus. Nec de loco exhibendi aliquid in mandato expreſſum habebatur, unde & locum ipſum merito eis ſuſpectum dicebant. Tandem multis altercationibus ex utraque parte habitis, ad inſtantiam judicum tanquam hoc de voluntate archiepiſcopi peterent, conceſſerunt prædicti monachi, ut cum tribus clericis & monachis tribus ipſe archiepiſcopus ſeptimus apud beatum *Auguſtinum* videret illorum privilegia & tractaret. Set cum hoc archiepiſcopus renuiſſet, eiſdem adhuc judicibus poſtulantibus, monachi ſancti *Auguſtini* annuerunt, ut ipſe archiepiſcopus cum vj. monachis & vj. clericis ipſe terciuſdecimus una cum judicibus copiam privilegiorum haberet. Set & hoc archiepiſcopus reſpuit, non propter laborem, cum eccleſia beati *Auguſtini* à loco judicii prædicto per tractum arcus unius vix diſtare videatur. Monachi vero ſancti *Auguſtini* perpendentes in duobus caſibus à judicibus mandati ſui fines excedi, præcipientibus omnia ſimul privilegia & adverſario exhiberi, cementeſque ſuperhabundantem conceſſionem ſuam ab archiepiſcopo contempni, ad appellationis remedium confugerunt. Judices tamen appellationi non deferentes, ipſis partibus diem prorogarunt *London.* craſtino poſt feſtum ſancti *Laurencii*; ubi monachi ſancti *Auguſtini* peremptorio die conventi ſub judicibus tribus poſt interpoſitam appellationem, audientes terminum præſcriptum, ſtatim appellationis remedium innovaverunt, cauſas ejus multiplices in ipſa appellatione exponentes. Poſt quam appellationem archiepiſcopus quoſdam ipſorum monachorum S. *Auguſtini* clericos ſuſpendit, & aliquas eorum eccleſias interdicto ſuppoſuit. Et quod mirabilius dictu eſt, quidam officiales prædicti archiepiſcopi literas apoſtolicas recipi eiſque obediri vetuerunt. Monachi vero *Auguſtinenſes* appellationes ſuas proſequentes coram domino papa, cauſam prædictam aliis committi judicibus inpetraverunt. Dominus vero papa commiſit cauſam prædictam *Eboracenſi* & *Dunelmenſi* epiſcopis, & ſancti *Edmundi* & ſancti *Albani* abbatibus ſub hac forma. *Recepimus literas quas dilecti*, & infra. *Attendentes tempus ad proſequendam appellationem præſcriptam nullatenus expectandum, cum privilegia niſi inſpecta argui non valeant falſitatis, & difficile ſit & periculoſum ea apud ſedem apoſtolicam exhiberi: de communi fratrum noſtrorum conſilio cenſuimus, ut coram vobis exhibeantur privilegia quæ archiepiſcopus duxerit arguenda, in clauſtro prædictorum fratrum, vel in alio loco ipſis omnino ſecuro & illi congruo ad arbitrium veſtrum uſque ad proximum feſtum nativitatis beati* Johannis Baptiſtæ. *Nolumus autem exhiberi omnia ſimul, ſet uno exhibito & ipſius inſpiciendi & conſcribendi ſi neceſſe fuerit copia præſtita, reddatur illud fratribus ipſis, & aliud præſentetur. Deinde uſq; ad Purificationem beatæ* Mariæ *ſequentis anni, archiepiſcopus ſufficienter inſtructus ad redarguenda privilegia prædicta per ſe vel ſufficientem reſponſalem ad apoſtolicam ſedem accedat. Si vero nec venerit nec ſufficientem miſerit reſponſalem, ei ſuiſque ſucceſſoribus perpetuum ſit ſilentium impoſitum privilegia ipſa ulterius arguendi. Interim autem privilegia ipſa nolumus vacillare. Set præcipimus ſententiam quæ ſuper ſtatu monaſterii lata eſt inviolabiliter obſervari. Mandamus etiam ut ſententia in clericos ejuſdem monaſterii vel eccleſias appellatione remota denuncietur publice non tenere. Et qui prohibuerunt literis apoſtolicis obediri aut eas recipi, compellantur ſuſpenſi ad ſedem apoſtolicam laborare.*

Quia

Henric. II. Rex.

Ricardus Archiep.

Quia igitur quanto amplius de prudentia veſtra & honeſtate confidimus, tanto ſtudioſius & fidelius decet vos commiſſum experientia veſtra negotium ventilare, diſcretioni veſtra mandamus atque præcipimus, quatinus in facto juxta formam quam præſcripſimus, omni gratia & timore poſtpoſito, ſublato appellationis diffugio procedatis, & in præſcripto feſto Purificationis reſcripta privilegiorum quæ vobis exhibita fuerint, cum literis veſtris rei veritatem continentibus ſub ſigillis veſtris nobis tranſmittatis incluſa. Ne autem contentio præ multitudine oriatur, jubemus ut archiepiſcopum in inſpectione privilegiorum duodecimum numerum excedere non ſinatis, ſet eum duodecim inter clericos & monachos faciatis eſſe contentum. Si autem omnes hiis exequendis, &c. Monachi vero ſancti *Auguſtini* appellationem ſuam prædictam proſequentes, quædam privilegia quæ idem archiepiſcopus arguere intendebat ad curiam ſecum detulerant, ea domino papæ oſtenſuri tempore oportuno, videlicet privilegium *Bonifacii* quarti & *Agathonis*, quæ hujus monaſterii privilegia ſunt primaria. Igitur poſtquam nuncii archiepiſcopi delegata, ut prætactum eſt, cauſa redargutionis prædicta, à curia verſus partes *Anglicanas* receſſerant, prædicti monachi privilegia antedicta domino papæ præſentaverunt. Quibus diligentius conſideratis & inſpectis, dominus papa perpendens ſtatum iſtius monaſterii in ipſis ſtabiliſſime fore fundatum, noluit ea remittere, ne aliquo caſu fortuito per viam poſſint deperire, ſet ea bulla ſua ſigillata præcentori *Lateranenſis* eccleſiæ tradidit ſalvo cuſtodienda uſque ad deciſionem cauſæ redargutionis falſi ſuperius annotatæ. Super qua retentione privilegiorum dominus papa ipſos judices in prædicta cauſa delegatos per bullam ſuam certificavit. In cujus ſcripti fine ſic ſcribitur. *Præfato archiepiſcopo & officialibus ejus auctoritate apoſtolica inhibere curetis, ut donec ſupradicta quæſtio terminetur, contra tenorem privilegiorum monaſterii antedicti de poſſeſſionibus ejus vel hominibus clericis vel laicis, intus vel foris ſe aliquatenus non intromittant, quoniam quæſtione ipſa durante præcipimus privilegia de quibus arguitur firmitatem habere. Dunelmenſis* epiſcopus & abbas ſancti *Albani* in iſta cauſa, ut prædictum eſt, judices delegati, juxta præſcripta apoſtolica partes coram ſe evocari fecerunt *Londoniæ* in monaſterio de **Bermondeſeye**. Partibus itaque in judicio conſtitutis, *Cantuarienſis* archiepiſcopus inſtanter petiit ſibi fieri exhibitionem privilegiorum eccleſiæ beati *Auguſtini* per quæ defenditur libertas ipſius eccleſiæ, ut inſpiciendi & tranſcribendi copia ſibi præſtaretur. Abbas vero & fratres reverenter & devote judicibus obtemperantes, de privilegiis quæ nominatim fuerant exhibenda, & quæ ipſi judices exhiberi præceperant, duo privilegia ipſis judicibus exhibuerunt, videlicet privilegium beati *Auguſtini* ejuſdem eccleſiæ patroni, & privilegium *Ethelberti* regis, ejuſdem monaſterii fundatoris. Cumq; aliorum privilegiorum exhibitionem prædicti judices ſibi fieri poſtularent, conſtanter & veraciter aſſeruerunt eciam privilegium beati *Gregorii* nec habere, nec unquam habuiſſe. Aſſeruerunt eciam privilegia *Adeodati* & *Johannis* paparum aut non habere, aut ignorare an haberent. Requiſiti de aliis privilegiis adjecerunt, *Agathonis* quod archiepiſcopus nominaverat, & privilegium *Bonifacii* quarti quod in petitione archiepiſcopi non fuerat nominatum, ad ſedem apoſtolicam tranſmiſſa fuiſſe, & a papa propter viarum pericula non fore remiſſa. Cui dicto fidem faciebant literæ domini papæ ipſis judicibus ſpecialiter directæ. Eodem autem die petebat dominus archiepiſcopus ſibi exhiberi privilegia *Innocentii, Calixti, Eugenii, Lucii*, quæ ante diem illum ſibi exhiberi non petierat. Set quia ad eorum exhibitionem tempus juriſdictionis præfatorum delegatorum non ſufficiebat, ideo petitio illa archiepiſcopi quantum ad illa fruſtrata fuit. Præterea de officialibus archiepiſcopi qui ſupra feruntur vetuiſſe literis apoſtolicis obediri aut eas recipi, præfati judices delegati domino *Cantuarienſi* archiepiſcopo de aſſenſu partis adverſæ injunxerunt ut ſuper hoc diligenter inquireret; & ſi ita eſſe invenerit, ipſos ſuſpenſos ad ſedem apoſtolicam mittere non poſtponeret. Hiis itaque geſtis, præfati judices tranſcripta privilegiorum beatorum *Auguſtini* & *Ethelberti* una cum proceſſu habito in exhibitione privilegiorum prædictorum literis ſuis domino papæ *Alexandro* retulerunt. Set antequam prædicta judicum relatio ad curiam perveniret, dominus papa prædictus *Alexander* tercius ex hac luce ſubtractus migravit ad Chriſtum. Cui ſucceſſit *Hubaldus Hoſtienſis* epiſcopus, & vocatur *Lucius* tercius. Defuncto igitur papa *Alexandro*, ac lite pendente inter archiepiſcopum & abbatem & monachos ſancti *Auguſtini*, prædictus archiepiſcopus *Ricardus* cum papa juſto defuncto ipſam eciam juſticiam fore credidit defunctam; monaſterium ſancti *Auguſtini* attrociſſime infeſtavit, ipſum in poſſeſſionibus, eccleſiis, clericis, hominibus intus & foris undique perturbando. Et quod gravius dictu fuit, profeſſionem ab ipſo abbate violenter extorquere nitebatur. Set licet abbas *Rogerus* ſancti *Auguſtini* in proſecutione cauſæ prædictæ tepeſceret, & ipſi archiepiſcopo quantum ad profeſſionem præſtandam ſi à monachis ſuis permitteretur libenter adquieviſſet, monachi tamen velut lapides ſolidiſſimi minus cedentes quo magis cæduntur, reſumptis viribus prædicto archiepiſcopo opponentes ſe murum pro domo domini viriliter reſtiterunt; miſſiſque nunciis gravamina quæ eis archiepiſcopus intulerat, domino papæ *Lucio* ſignificarunt, ejus remedium ſuper tantis oppreſſionibus implorantes. At dominus papa oſtendens juſticiam non eſſe mortuam ſet nec ſopitam, ſet *Mathatia Judaici* populi defenſore defuncto *Judam* fortiſſimum *Machabæum* in locum patris ſurrexiſſe, prædeceſſoris ſui facta confirmans, ſe patrem & patronum monachis ſancti *Auguſtini*, & hoc dictante juſticia exhibuit; unde primo ſententiam *Alexandri* papæ prædeceſſoris ſui ſuper benedictione abbatis ſancti *Auguſtini* ipſe *Lucius* papa per privilegium ſuum confirmavit. Hoc adiciendo ſtatuens, ut monaſterium ſancti *Auguſtini* cum omnibus pertinentiis intus & foris in ea ſemper libertate permaneat, in qua unquam melius uſque in hodiernum diem noſcitur extitiſſe, eo omnino non obſtante quod de privilegiis noſtris moverit præfatus archiepiſcopus quæſtionem. Item ſcripſit archiepiſcopo, archidiacono & eorum officialibus apoſtolica auctoritate interdicendo, ne de poſſeſſione hujus monaſterii hominibus, clericis vel eccleſiis, intus vel foris lite pendente ſuper privilegiis ullatenus ſe intromittant; & addit in fine dicens, *Scituri quod ſi ſecus egeritis, auctore Deo in operis experientia ſentietis, quam grave nobis*

Henric. II. Rex.

bis ſit contemptum à vobis de inobedientia ſuſtinere. Item inhibuit hominibus ad juriſdictionem iſtius monaſterii ſpectantibus tam clericis quam laicis, ne archieſpicopo in aliquo reſponderent vel ejus officialibus, donec de privilegiis falſi quæſtio terminaretur.

§. 4. *De exactione profeſſionis.*

INhibuit etiam archiepiſcopo in virtute obedientiæ, ne ab abbate ſancti *Auguſtini* profeſſionem aliquatenus exigeret, nec per ſe, nec per alium propter hoc eidem monaſterio moleſtus exiſteret, cum per hoc juri *Romana* eccleſiæ derogari videretur. Inhibuit prædictus papa abbati ſancti *Auguſtini* ſub periculo dignitatis & ordinis, ne archiepiſcopo profeſſionem faceret aut promitteret. Et invenientur iſtæ inhibitiones in regiſtro domini *Lucii* papæ tercii in ſecundo quaterno, & tenent fere totum tercium folium & principium quarti. Scripſit etiam prædictus papa ſub eodem tempore literas recommendatorias domino regi *Henrico* tunc regnanti pro domo beati *Auguſtini*. Sub eodem eciam tempore prædictus *Lucius* indulſit huic monaſterio, ne *Cantuarienſis* archiepiſcopus', ſeu archidiaconus, ſive officiales eorum, vel aliquis legatus obtentu legationis monaſterium ipſum, vel monachos ejus aliqua gravare ſententia, vel eccleſias, clericos aut homines noſtros interdicere valeat, vel excommunicare, niſi fuerit à *Romani* pontificis latere deſtinatus, vel mandatum ab eo ſuſceperit ſpeciale. Iſtud privilegium confirmavit ſuo tempore *Urbanus* 3. hujus ſucceſſor.

§. 5. *Criſma &c. poteſt recipi per nos à quocunque epiſcopo.*

PRæterea quod criſma, & oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ordinationes monachorum & clericorum à quocumque voluerimus epiſcopo catholico poterimus ſuſcipere, nec ea nobis audeat aliquatenus denegare.

§. 6. *Beneficiati debent jurare fidelitatem.*

INdulſit eciam abbati, ut ſi quis clericus beneficium eccleſiaſticum ab hoc monaſterio adeptus ſolitum fidelitatis juramentum requiſitus præſtare contempſerit, ipſum auctoritate apoſtolica à beneficii perceptione abbas ſuſpendat, & donec antiquitus conſuetam ſecuritatem præſtiterit, faciat manere ſuſpenſum.

CAP. XV.

§. 1. *Compoſitio inter archiepiſcopum* Ricardum *& nos.*

An. Dñi 1182.

ANno Domini M. C. lxxxij. cum controverſia diu fuiſſet mota inter *Ricardum* archiepiſcopum, & abbatem *Rogerum* ſancti *Auguſtini* & ejuſdem loci conventum ſuper accuſatione privilegiorum iſtius monaſterii, exactione profeſſionis ejuſdem abbatis, & cæteris quæ prius tacta ſunt, tandem monachi ſancti *Auguſtini* gravaminibus & expenſis multipliciter afflicti, rege *Henrico* partem archiepiſcopi favente, compulſi ſunt per ipſum regem cum prædicto archiepiſcopo pacem & concordiam per modum compoſitionis inire, licet non ſine detrimento ſtatus monaſterii & libertatis, privilegiorum ejuſdem præjudicio irremediabili. Cujus compoſitionis vis & effectus ita ſe habent.

Ricardus Archiep.

COMPOSITIO.

“CUm inter dominum *Ricardum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* totius *Angliæ* primatem, & dominum *Rogerum* abbatem ſancti *Auguſtini* *Cant.* ſuper privilegiis ſancti *Auguſtini* quæ præfatus archiepiſcopus ſe accuſaturum falſitatis comminabatur, & de exactione profeſſionis ejuſdem abbatis, de ſubjectione quoque clericorum & laicorum de tenemento ipſius abbatis, controverſia verteretur, tandem amicabili compoſitione conquievit in hunc modum. Præfatus ſiquidem archiepiſcopus & conventus ſanctæ Trinitatis accuſationi privilegiorum quam comminati fuerant renunciaverunt. Idem eciam archiepiſcopus cum aſſenſu ſui conventus in perſona ſua renunciavit exactioni profeſſionis à perſona præfati *Rogeri* abbatis. Ipſe vero abbas & conventus ſuus concedunt, quod præfatum archiepiſcopum in cœna Domini ad abſolvendos monachos ſuos invitabunt, quandoque etiam ad celebranda in monaſterio ſuo ſancti *Auguſtini* miſſarum ſolempnia in diebus ſolempnibus, rogatuſque idem archiepiſcopus baſilicas ad monaſterium ſancti *Auguſtini* pertinentes dedicabit, Monachos etiam ejuſdem monaſterii ad ordines oblatos ordinabit, & cætera ſacramenra eccleſiæ quæ epiſcopi conferre ſolent exhibebit. De ſubjectione autem clericorum & laicorum ita convenit, Quod clerici omnium eccleſiarum & eorum parochiani de tenemento ſancti *Auguſtini* reſpondebunt archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & ejus officialibus, & in juriſdictione ſpirituali ſubjacebunt. Inſtitutiones etiam perſonarum & vicariorum in eccleſiis ſancti *Auguſtini* à memorato archiepiſcopo vel ejus officiali fient ad præſentationem abbatis ſancti *Auguſtini*. Ita quidem quod cum perſonam vel vicarium decedere contigerit, retentio clavium eccleſiarum cum fructibus apud abbatem reſidebit; ſalva in omnibus defuncti ultima voluntate. Ipſe vero abbas infra xl. dies ad vacans beneficium memorato archiepiſcopo, vel ejus officiali perſonam, vel vicarium præſentabit: medio autem tempore rogatu abbatis in vacante eccleſia aliquis vicinus ſacerdos miniſtrabit, donec ad notitiam archiepiſcopi vel ejus officialis hoc perveniat, Et poſtmodum ibidem auctoritate ipſius archiepiſcopi vel ejus officialis celebrabit. Archidiaconus quoque *Cantuarienſis* vel ejus officialis, ea dona annuatim ab eccleſiis ſancti *Auguſtini* habebit, quæ à triginta annis retro dari conſueverunt; & annuam recipiet procurationem in eccleſiis ſancti *Auguſtini* in tribus equis. Exceptis tribus eccleſiis, ſcilicet de **Menſtre**, **Northborne**, de **Chiſtelet**, quæ immunes erunt tam à donis quam à procuratione archidiaconi & ejus officialium. Eccleſiæ quoque de **Middelton** & de **Faverſham** cum in proprios uſus monachorum ſancti *Auguſtini* redierint, eadem cum prædictis tribus eccleſiis gaudebunt libertate. Clerici ſiquidem eccleſiarum ſancti *Auguſtini* ſinodos & capitula archiepiſcopi & archidiaconi frequentabunt. Et ſi acci-

Henric. II. Rex.

« acciderit aliquem de clericis vel de parochianis eorum in cauſam trahi, abbas ſi voluerit monachum vel clericum mittet ad ſinodum vel capitulum ut videat & audeat qualiter tractus in cauſam ibidem tractetur, & ſi voluerit advocet, & ad archiepiſcopum provocet, nullam aliam ibidem habiturus poteſtatem. Et ſive abbas miſerit ſive non miſerit clericum vel monachum, nichilominus archidiaconus vel ejus officialis officium ſuum exequatur. Si autem acciderit tractum in cauſam in pœnam pecuniariam condempnari, pœna eadem ſummam dimidiæ marcæ argenti non excedet, quæ ſumma eciam ſi opus fuerit, juramento ſacerdotis cujus parochianus fuerit condempnatus, duorumque comparochianorum ſuorum qui ſint de tenemento abbatis, inſpectis facultatibus condempnati ne gravetur, taxabitur. Et ſi parochiani qui vocati fuerint ad taxationem faciendam, ad diem eis aſſignatum non venerint, juramento ſacerdotis tantum procedet taxatio. Promiſerunt quoque præfati archiepiſcopi & abbas cum aſſenſu ſuorum conventuum, quod nichil contra formam hujus pacis impetrabunt aut impetratis contra eandem formam aliquatenus utentur, in cæteris quæ hic expreſſa non ſunt, privilegiis monaſterii ſancti *Auguſtini* robur ſuum debitum optinentibus. Facta eſt hæc Compoſitio viij. idus Marcii anno ſupradicto coram rege *Henrico* ſecundo apud *Pictaviam* præſentibus *Baiocenſi* & *Roffenſi* epiſcopis & aliis multis.

Et ſciendum eſt quod per iſtam Compoſitionem nichil adquiſitum eſt monaſterio huic, ſet ablata ſunt multa; ſicut inſtitutio & deſtitutio rectorum & vicariorum, juriſdictio clericorum & laicorum & cætera quæ ad hæc pertinent. Sub eodem anno archiepiſcopus *Ricardus* confirmavit huic monaſterio eccleſias de **Thanet**, de **Northborne**, de **Chiſtelet**. Anno ſubſequente obiit *Henricus* rex *Anglorum* ſub quo paſſus eſt ſanctus *Thomas*, qui confirmavit huic eccleſiæ vel monaſterio eccleſias & decimas de **Middelton** & **Faverſham** cum omnibus redditibus in boſcis plano & in aquis, excepta decima mellis & gabuli denariorum. Item quod eccleſia de **Middelton** habeat omnia tenementa ſua in capellis & decimis, & præcipue de terris quæ ſunt aſſertatæ de boſco de **Northwode**, & de **Bodeſtal**, & **Kyngyſdone**, & **Tirchylholte**.

§. 2. *Confirmatio eccleſiæ de* **Northborne** *ad elemoſinariam per regem.*

CONfirmavit eciam eccleſiam de **Northborne** ad elemoſinam. Quam eccleſiam *Hugo* abbas ſecundus ſuperius deſcribitur eidem aſſignaſſe. Confirmatio regis ita ſe habet. HENRICUS *rex* Angliæ, *&c. Sciatis me conceſſiſſe & confirmaſſe Hoſpitali quod eſt ante portam S.* Auguſtini Cant. *eccleſiam de* **Northborne** *cum omnibus pertinentiis ſuis, quam abbas & conventus ſancti* Auguſtini *illi dedit & conceſſit. Et volo & firmiter præcipio quod habeat & teneat ita bene & in pace libere & honorifice ſicut Carta abbatis & conventus teſtatur.* Cui eciam hoſpitali eandem eccleſiam *Clemens* papa tercius, *Adrianus* quartus, *Alexander* tercius, & *Urbanus* papa quartus temporibus ſuis confirmaverunt. Eodem anno obiit *Ricardus* archiepiſcopus. Iſti archiepiſcopo apparuit Dominus in viſu dicens, Tu diſſipaſti bona eccleſiæ meæ, & ego extirpabo te de terra. Inde perterritus obiit viij. die poſt. Cui ſucceſſit *Baldewynus*, qui à ſede *Wygornienſi* ad ſedem *Cantuarienſem* tranſlatus eſt, & ſecundo anno ſequenti die ſancti *Dunſtani* intronizatur. Hic vero *Baldewynus* monachis ſanctæ Trinitatis *Cant.* multa gravamina & diſpendia inferre temporibus ſuis dicebatur.

Baldewinus Archiep.

§. 3. *Eccleſia S.* Edmundi *de* **Redingate** *monialibus S.* Sepulchri *data eſt.*

An. Dñi 1184.

ANno Domini M. C. lxxxiiij. *Rogerus* abbas & conventus hujus monaſterii conceſſerunt eccleſiam beati *Edmundi* de **Redingate** in puram & perpetuam elemoſinam monialibus ſancti *Sepulchri Cant.* Ita tamen quod moniales prædictæ in recognitionem juris quod ſanctus *Auguſtinus* habet in prædicta eccleſia de **Redingate**, duodecim denarios de ipſa eccleſia ſingulis annis reddent ſuper altare ſancti *Auguſtini* in die ipſius ſancti ad organa reparanda: & ſuper hoc tam Prioriſſa & ſupprioriſſa in capitulo noſtro fidelitatem juraverunt multis teſtibus præſentibus. Anno ſubſequente *Urbanus* papa tercius conceſſit huic monaſterio ſuum auctenticum privilegium ſuper libertatibus & juribus iſtius eccleſiæ, & prædeceſſorum ſuorum veſtigiis in omnibus & per omnia inhæret; & eſt iſta bulla cum ſubſcriptione xvij. Cardinalium quorum nomina in bulla ipſa patent. Set de hoc *Celeſtinus* iij. plenius loquitur prout infra dicetur. Sub hoc eciam tempore idem *Urbanus* confirmavit appropriationes eccleſiarum de **Thanet** & de **Middelton**. Item per aliud privilegium inhibuit, ne eccleſias de **Menſtre**, de **Northborne**, de **Sellyng**, de **Faverſham**, & præbendam de **Guſton** liceat alibi alicui ſeculari perſonæ ſeu quovis alio modo præterquam in uſus ad quos deputatæ ſunt alienare. Et addit in fine, *Prohibemus inſuper ne aliquis epiſcopus vel archidiaconus, ſeu quilibet officialis eorum, aut quavis alia perſona vos ad dandum vel faciendum quod præſenti pagina prohibetur aliqua diſtrictione compellat.* Item per aliud privilegium confirmavit appropriationes eccleſiarum de **Faverſham** & de **Middelton**.

1185.

§. 4. *De hundredo de* **Fordwych**.

ANno ſupradicto ſopita fuit diſcordia inter abbatem S. *Auguſtini* & homines ſuos de *Fordwyco* in curia domini regis apud **Marleburgh** anno xxxij. regni regis *Henrici* ſecundi coram *Ranulpho* de *Glanvill* & ſociis ſuis Juſticiariis domini regis inter *Rogerum* abbatem *S. Auguſtini Cant.* & homines ſuos de hundredo ſuo de *Fordwyco*, videlicet quod prædicti homines ſui de *Fordwyco* juraverunt ſuper quatuor evangelia in hundredo de *Fordwyco*, quod amodo facient prædicto abbati ſancti *Auguſtini* & ſucceſſoribus ſuis & conventui ejuſdem eccleſiæ imperpetuum, totum ſervicium & omnes conſuetudines quas ipſi vel anteceſſores ſui fecerunt unquam melius & plenarius ipſi abbati vel anteceſſoribus ſuis, & de omnibus querelis quæ eveniunt in prædicto hundredo de *Fordwyco*, poſtquam ventum fuerit ad judicium, fiet judicium in hundredo de *Fordwyco* infra quadraginta dies. Et ſi infra illum terminum non fuerit judicium factum in hundredo de *Fordwyco*, loquela illa unde fieri deberet

judicium

Ricardus I. Rex. judicium in prædicto hundredo præſentabitur & recordabitur per vj. homines vel per plures de hundredo de *Fordwyco* in curia prædicti abbatis apud *Cantuariam*, & ibi judicio ejuſdem curiæ terminabitur. Et homines per quos loquela illa præſentabitur & recordabitur, poſt recordationem à curia libere & ſine occaſione ſi voluerint recedant.

§. 5. *Allenatio terrarum in parochia de* **Wollyng** *monialibus de* Scapeya.

An. Dñi 1186. ANno Domini M. C. lxxxvj. *Rogerus* abbas tradidit *Agneti* prioriſſæ ſanctæ *Sexburgæ*, de *Scapeya* quaſdam decimas quas monaſterium *S. Auguſtini* ratione eccleſiæ de **Middelton** habuit in parochia de **Wollyng**, tenendas de beato *Auguſtino*. Reddendo inde ſingulis annis decem ſolidos ſterlingorum, ſcilicet die natalis Domini v. s. & die nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ* v. s. hac interpoſita conditione, ut omnes domini focorum qui ſunt ſive erunt in fundis ex quibus ſurgunt prædictæ decimæ, ſive fuerint uxorati ſive non, ſingulis annis ter requirent matricem eccleſiam de **Middelton** cum oblationibus ſuis ſecundum facultatem ſuam, ſcilicet in die natalis Domini, in die purificationis beatæ *Mariæ*, & in die Paſchæ. Et ubi viri non fuerint, viduæ ſive puellæ ſi fuerint loco dominorum eodem modo ut de viris dictum eſt eccleſiam de **Middelton** requirent. 1187. Anno Domini M. C. lxxxvij. abbas ſancti *Auguſtini* fuit à ſede apoſtolica executor deputatus in negotiis inter archiepiſcopum *Baldewynum*, & Priorem & capitulum ſanctæ Trinitatis tangentibus ſuper ædificiis & eccleſia canonicorum ſecularium conſtruenda in campo apud **Hakynton**: inter cætera papa *Urbanus* ſic ſibi & ſuis ſociis ſcribit. *Dilectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus ſi præfatus archiepiſcopus infra* xv. *dies poſt ſuſceptionem literarum noſtrarum non impleverit quod mandamus, vos omni gratia & timore poſtpoſito, contradictione quoque, dilatione & appellatione ceſſante, idem efficaciter exequamini, proviſuri ne plus ei videamini quam nobis in hac parte deferre.* Unde idem papa poſtea illum locum prophanavit & maledixit. 1188. Anno Domini M. C. lxxxviij. *Rogerus* abbas ſupradictus tradidit prioriſſæ de *Scapeya* decimas de **Weſtlonde** intra parochiam prædictæ prioriſſæ pro quatuordecim ſolidis ſterlingorum annuatim reddendis ſacriſtæ *S. Auguſtini*.

§. 6. *Privilegia diverſa* Celeſtini *papæ*.

EOdem anno *Celeſtinus* papa tercius indulſit huic monaſterio ut poſſimus celebrare divina in generali interdicto; & iſtud monaſterium cum omnibus juribus & poſſeſſionibus habitis vel in futurum habendis ſub protectione curiæ *Romanæ* ſuſcepit. Eodem anno prædictus *Celeſtinus* papa confirmavit ſententiam *Alexandri* papæ tercii ſuper benedictione abbatis *S. Auguſtini*. Et eſt duplex privilegium ipſius *Celeſtini* ſub duplici tenore. Eodem anno prædictus papa *Celeſtinus* confirmavit eccleſiam de **Northborne** cum capellis ad opus elemoſinariæ noſtræ. Confirmavit eciam per aliud privilegium præbendam de **Cuſtone** ad veſtitum monachorum hujus monaſterii. Eodem anno indulſit huic monaſterio ne abbas ſeu prælatus quiſquam hujus eccleſiæ poſſit ſacriſtiam vel camerariam ad firmam tradere vel eas ſibi aſſumere. Indulſit eciam prædictus papa anno ſupradicto quod abbas poſſit ſuſpendere beneficiatos noſtros à perceptione beneficiorum ſuorum ſi ſacramentum fidelitatis nobis præſtare renuerint. Indulſit eciam idem *Celeſtinus* aliud privilegium, quo pro dolor uſu non ſumus! ſub hiis verbis. CELESTINUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto f.* R. *abbati ſancti* Auguſtini, *&c. Audivimus & audientes*: & infra. *Auctoritate apoſtolica prohibemus, ne aliquis clericorum tuorum commiſſam ſibi eccleſiam cuiquam ad firmam aſſignet; quod ſi fecerit liceat tibi eum uſque ad ſatisfactionem congruam ipſius eccleſiæ beneficio auctoritate apoſtolica ſpoliare.* CELESTINUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Cum de antiqua*: & infra. *Præſentibus tibi literis indulgemus, ut ſi quis beneficium eccleſiaſticum à monaſterio eodem adeptus ſolitum fidelitatis juramentum præſtare contempſerit, eum auctoritate noſtra à beneficii perceptione ſuſpendas, & donec ſolitam ſecuritatem præſtiterit facias manere ſuſpenſum.*

Hubertus Archiep.

An. Dñi 1189. Anno ſequenti iij. non. Septembris *Ricardus* rex *Londoniæ* coronatus eſt. Eodem anno xij. die Octobris rex *Ricardus* confirmavit donationem anteceſſorum ſuorum abbati *S. Auguſtini* ſuper eccleſiis & decimis de **Middelton** & **Faverſham** ſicut in carta prædicti regis *Ricardi* plenius continetur. Eodem anno & die prædictus rex confirmavit libertatem de *ſaka* & *ſokna* & pacis fractura, *&c.* 1191. Anno Domini M. C. xcj. *Celeſtinus* papa prædictus dedit huic monaſterio privilegium ſuper libertatibus & juribus iſtius eccleſiæ, & dicit per omnia ſicut *Urbanus* papa tercius & cæteri prædeceſſores ſui, & eſt iſta bulla cum ſubſcriptione xv. Cardinalium. Et obiit *Baldewinus* archiepiſcopus & ſubrogatur *Hubertus*.

§. 7. *Ne legatus obtentu legatiæ poſſit nos excommunicare.*

1193. ANno Domini M. C. xciij. idem *Celeſtinus* conceſſit huic monaſterio ſatis nobile privilegium ſub hiis verbis. CELESTINUS *epiſcopus, &c. Quanto monaſterium veſtrum*: & infra. *Paci & tranquillitati veſtræ paterna ſolicitudine providere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus, ne* Cantuarienſis *archiepiſcopus vel archidiaconus, ſeu officialis ejus, vel aliquis legatus optentu legationis monaſterium veſtrum ingredi, vel abbatem vel monachos ejus aliqua gravare ſententia vel ſumptibus moleſtare, eccleſias, clericos aut homines veſtros interdicere vel excommunicare attemptet, niſi fuerit à* Romani *pontificis latere deſtinatus, vel mandatum ab eo ſuſceperit ſpeciale ad vos nominatim directum.* Et iſte papa hoc anno privilegiavit monaſterium ſancti *Albani*.

CAP. XVI.

§. 1. Hubertus *archiepiſcopus ad nos gravandum inſurrexit*.

CIrca iſtud tempus idem *Hubertus* archiepiſcopus totius *Angliæ* tunc Cuſtos & Juſticiarius, & Apoſtolicæ ſedis in *Anglia* Legatus, tum faſtu ſecularis potentiæ, tum optentu legationis quo æmulorum

Ricardus I. Rex.

lorum noſtrorum ductus inſtinctu, immo magis ſeductus quia vir erat juris ignarus, &, quod pudet dicere laicus & illiteratus, cœpit monaſterium iſtud graviter perſequi, homines & clericos noſtros excommunicando, eccleſias nonnullas interdicendo, & quod execrabilius fuit obedientiam ab abbate noſtro & monachis exigendo; ſuper quibus gravaminibus monachis noſtris domino Papæ conquerentibus, dominus Papa ſcripſit prædicto *Huberto* archiepiſcopo in hæc verba:

CELESTINUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei* Huberto Cant. *archiepiſcopo &c. Si diligenter velis attendere quantum gratiæ & honoris ſacroſancta* Romana *eccleſia mater tua tibi contulerit hiis diebus, credimus firmiter & ſperamus quod ad ea dirigeres actus tuos quæ illi merito debeant complacere. Non enim fraternitatis tuæ prudentiam credimus ignorare, quod prædeceſſoribus tuis nunquam fuit gratia illa exhibita quam nos tibi noſtris temporibus curavimus exhibere, & ideo ſumma eſt tibi ſollicitudine præcavendum, ut non ea efficias per quæ nos in aliquo offendere videaris. Ad noſtram ſiquidem audientiam noveris perveniſſe, quod poſtquam exercere curaſti officium legationis tibi injunctæ, à dilectis filiis abbate & conventu Sancti* Auguſtini Cant. *qui ad nos nullo mediante pertinent, cum inſtantia poſtulaſti, ut tibi obedientiam exhiberent; quod utique ſi verum eſt, tanto nos gravat amplius & moleſtat, quanto magis id videtur contra nos &* Romanam *eccleſiam attemptatum. Nam legati quos à noſtro latere ad diverſas provincias aliquando deſtinavimus, nunquam id ab aliquibus eccleſiis audivimus egiſſe. Nolentes igitur prædictæ eccleſiæ gravamen clauſis oculis pertranſire, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus totaliter ab hujuſmodi deſiſtas propoſito, & ab aliarum eccleſiarum eidem eccleſiæ pertinentium gravaminibus conquieſcas, quod de te nullam querimoniam audiamus, quia quantumcunque perſonam tuam ſincera in Domino caritate diligamus, id non poſſemus in patientia ſuſtinere.*

§. 2. *Obedientia archiepiſcopo non præſtanda.*

Scripſit eciam idem *Celeſtinus* papa tercius abbati & conventui hujus loci literas inhibitorias ſuper obedientia præſtanda archiepiſcopo in hæc verba:

CELESTINUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* R. *abbati S.* Auguſtini *&c. Cum eccleſia tuæ cura commiſſa*: & infra. *Super eo autem quod à te & fratribus tuis* Hubertus *frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus prout accepimus exigebat, eidem ſcripta apoſtolica deſtinavimus, ut à veſtris gravaminibus conquieſcat. Volumus autem & auctoritate apoſtolica firmiter inhibemus, ut ſi aliquando à vobis duxerit exigendam, ei nullam præſumatis obedientiam exhibere.*

§. 3. *Quod Abbas habet libertatem legis.*

An. Dñi 1194.

ANno Domini M. C. xciv. in vigilia S. *Mathei* apoſtoli ſedentibus Juſticiariis domini Regis *Ricardi Cantuariæ*, ſcilicet *Gilberto Roffenſi* epiſcopo & ſociis ſuis Juſticiariis itinerantibus comitatus de **Kent**, teſtabatur coram præfatis Juſticiariis, quod abbas de ſancto *Auguſtino Cant.* debet habere, & quod anteceſſores ejus habuerunt libertatem legis, ſcilicet judicii aquæ & ignis & duelli, & quod pertinet ad regalem juſticiam in curia ſua de hominibus ſuis de terris ſuis. Hæc notula annotata eſt in Rotulis de anno dñi Regis *Ricardi* vj.

Hubertus Archiep.

§. 4. *Advocatio capellæ de* **Garwynton.**

EOdem anno die Veneris proxima poſt feſtum ſancti *Mathei* apoſtoli anno regni *Ricardi* vj. coram domino *Gilberto* epiſcopo *Roſenſi* & ſociis ſuis Juſticiariis, facta eſt finalis concordia in curiâ domini Regis apud *Cantuariam* inter *Ricardum* de **Garwynton** petentem, & abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cant.* tenentes de advocatione capellæ de **G. rowynton**: unde placitum fuit inter eos in præfatâ curia; ſcilicet, quod prædictus *Ricardus* totum jus & clamium eccleſiæ ſancti *Auguſtini Cant.* de ſe & hæredibus ſuis imperpetuum [remiſit.] Et idem abbas & conventus conceſſerunt præfato *Ricardo* & hæredibus ſuis divinum officium celebrari per tres dies in ſeptimana in præfata capella per ſacerdotem de **Littelborne.**

§. 5. *De ſeneſcallia hujus monaſterii.*

An. Dñi 1197.

ANno Domini M. C. xcvij. in curia domini Regis apud *Weſtmonaſterium* ſexto die poſt tranſlationem ſancti *Edwardi* anno regni Regis *Ricardi* nono, coram domino *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo cum ſociis Juſticiariis dñi Regis facta eſt finalis concordia inter *Reginaldum de Cornhell* & *Matildam* uxorem ejus petentes & *Rogerum* abbatem ſancti *Auguſtini* & ejuſdem loci conventus tenentes de ſeneſcalea ejuſdem abbathiæ cum pertinentiis, ſcilicet quod prædicti *Reginaldus* & *Matilda* uxor ejus remiſerunt & quietum clamaverunt prædicto *Rogero* Abbati & Conventui totum jus & claimeum ſuum quod habuerunt in prædicta ſeneſcalea cum pertinentiis de ſe & hæredibus ſuis imperpetuum, & pro hoc fine & concordia & quietâ clamantia prædicti abbas & Conventus dederunt præfatis *Reginaldo* & *Matildæ* uxori ſuæ quaterviginti marcas argenti, & quinquaginta acras terræ quæ jacent inter parcum de **Littelborne** & **Wolton**, tenendas eiſdem & hæredibus ſuis de prædicto abbate & conventu per liberum ſervicium duodecim denariorum per annum ad feſtum S. *Michaelis.*

§. 6. *De aſſignatione ad ſacriſtiam.*

SUB eodem tempore *Rogerus* abbas aſſignavit terram de **Alvelonde** ad ſacriſtiam ſub tali conditione, ut ſacriſta qui pro tempore fuerit faciat curiæ de **Menſtre** omnia ſervicia de dicta terra de **Alvelonde** debita & conſueta.

§. 7. Thanetenſes *debent ſequi magnam curiam.*

1198.

ANno Domini M. C. xcviij. anno ſcilicet regis *Ricardi* decimo, coram *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo, *Ricardo* epiſcopo *Londonienſi*, *Galfrido* filio *Petri* & ſociis eorum tunc temporis Juſticiariis domini Regis apud *Weſtmonaſterium*, queſti ſunt homines de *Thaneto*, quod abbas de ſancto *Auguſtino Cantuar.* exigebat ab eis ſervicia & conſuetudines quæ facere non deberent; & maxi-

Johannes Rex.

me quod faciebat eos ſequi curiam ſuam de ſancto *Auguſtino* & ibi placitare & recto ſtare, quod ipſi dicebant ſe non debere facere ibi, ſet in **Thanet** apud **Wenſtre**. Venerunt ergo & poſuerunt loco ſuo ad lucrandum vel perdendum xxx. homines in ipſa querela ſocios verſus ipſum abbatem. Die autem conſtituto utrique parti, intra paſcha venerunt ipſi xxx. pro aliis hominibus de **Thanet** qui ad abbatem non tenebant & retraxerunt ſe, & judicati ſunt in miſericordia pro falſo clamore, & *Samuel* & *Norman* remanent in priſona quia tenuerunt ſe cum armis in eccleſia. Et obiit *Ricardus* rex *Anglorum* M.C.lxxxix.

§. 8. *Quod monaſterium iſtud in nullo teneatur* Judæis.

EOdem anno abbas fecit inquiri per totam *Angliam* ſi ipſe vel aliquis prædeceſſorum ſuorum in aliquo tenebatur *Judæis*; & compertum eſt quod nichil. Quod irrotulatum eſt in banco regis in magno rotulo de anno regis *Ricardi* decimo, ſub hac forma: ROGERUS *abbas de ſancto* Auguſtino Cant. *& ejuſdem loci conventus debent duas marcas auri ut ſcribatur in magno Rotulo, Quod inquiſitum eſt per* Simonem de Patiſhul *& alios precepto Juſticiar. domini Regis per loca qua Judæi inhabitant* Angliam, *& per ipſos* Judæos *quod prædicti abbas & conventus in nullo tenebantur ad aliquid reddendum alicui* Judæo *nec pro ſe nec pro aliquo abbate qui ipſum præceſſerit die quo hæc ſcripta fuerunt, videlicet die Jovis proximo poſt feſtum ſancti* Nicholai *anno regis* Ricardi *decimo.*

§. 9. *Confederatio cum Capitulo S.*Edmundi *Regis.*

An. Dñi 1200.

ANno Domini M.CC. extitit quædam compoſitio inter nos & monaſterium ſancti *Edmundi*, videlicet ut ſi qui ex uno conventu ad alium commeare voluerint domeſtico ſuſcipiantur affectu, & ne juſte quicquam ſibi conquerantur abeſſe, liberalis honeſtas neceſſitatis uſibus profutura diſpenſet. Placuit eciam quod ſi quis monachorum relicta domo ſua confugerit ad aliam, piæ compaſſionis foveatur inpenſa, quouſque domui ſuæ conſignetur ad pacem: quod tamen ei non competit, quem arguit flagitium reatus horribilis. Placuit eciam ut ſibi ad auxilium neceſſitate concurrant & provida ſagacitate indempnitati ſuæ proſpiciant. Et cum abbas eligendus fuerit è diverſo, fratres hinc inde conveniant ut communi conſilio canonica celebretur electio. Et ſi dignus inventus fuerit in eccleſia cui præficiendus eſt aſſumatur, ſi aliqua cauſa obviaverit recurratur ad aliam, ſi alteruter abbatum aut ejus monachus in fata deceſſerit, idem ei pietatis perſolvatur officium à conventu alio quod abbati ſuo vel monacho domeſtica conſuetudo dependit.

CAP. XVII.

§. 1. *Conflictus pro eccleſia de* **Faverſham** *cum* Joh: *Rege.*

1201.

ANno Domini M.CC.j. Rex *Johannes* quorundam æmulorum iſtius monaſterii conſiliis ſtimulatus, cœpit graviter iſtud monaſterium perſequi, ratione eccleſiæ parochialis de **Faverſham**, cujus patronatum ſimul & donationem ſibi vendicabat, licet minus juſte; ſicut enim ſuperius dictum eſt, *Rogerus* iſte abbas tempore quo electus fuerat, ob ejus benedictionem promerendam multas anguſtias ſuſtinuit ab archiepiſcopo *Ricardo* & capitulo *Chriſti Cant.* ejus benedictionem inpedientibus; ut igitur ſibi amicos & præcipue in curia regis perquireret, ad preces regis *Henrici* patris regis *Johannis*, prædictus *Rogerus* tunc electus ſuo Conventu inconſulto ac reclamante, dedit eccleſiam de **Faverſham** cuidam clerico de camera Regis privato, nomine *Osberno de Camera*, ſub penſione ſex marcarum annuarum reddendarum monachis ſancti *Auguſtini* tanquam rectoribus eccleſiæ antedictæ. Hac igitur cauſa & ratione rex *Johannes* jus ſibi præſentandi in eadem eccleſia vendicabat. Mortuo igitur *Osberno* qui ſe pro rectore eccleſiæ parochialis de **Faverſham** gerebat, ut ſupradictum eſt, ſub die aſcenſionis Dominicæ anno ſupradicto miſſus eſt *Brandanus* monachus & quidam magiſter *Stephanus* ex parte abbatis & conventus ſancti *Auguſtini*, ut corporalem acciperent de eccleſia prædicta de **Faverſham** poſſeſſionem. Qui venientes apud **Faverſham** die ſabati proximo ſequente poſt mortem *Osberni* prædicti, invenerunt magiſtrum *Everardum* tunc officialem archidiaconi *Cantuarienſis* in porticu ipſius eccleſiæ. Proteſtati igitur prædictus *Brandanus* monachus & magiſter *Stephanus* coram officiali antedicto jus abbatis et monachorum ſancti *Auguſtini Cant.* quod ſe in eccleſia de **Faverſham** habere dicebant, exhibuerunt inſtrumenta autentica tam regum *Willielmi*, *Henrici* ſecundi, & *Ricardi*, quam archiepiſcoporum *Theobaldi*, & *Huberti*. Confirmationem quoque *Celeſtini* papæ inhibentem expreſſe abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, ne eccleſias de **Faverſham** & de **Middelton** alienent ab uſu proprio, aut aliquo alienationis titulo prædictas eccleſias perſonæ conferant ſeculari. Quorum auctoritate inſtrumentorum prædicti *Brandanus* & *Stephanus* ſtatim ingreſſi ſunt poſſeſſionem ipſius eccleſiæ de **Faverſham** nomine abbatis & conventus, & coram parochianis pro ſe & pro ſuo monaſterio & eccleſiis ſuis & maxime pro eccleſia de **Faverſham** ad dominum papam ſolempniter appellaverunt. In eodem eciam porticu prædictus *Brandanus* monachus præſentavit officiali antedicto quendam capellanum *Herebertum* nomine ex parte abbatis & conventus miniſtraturum in ipſa eccleſia, quia archiepiſcopus tunc agebat in remotis. Quem capellanum cum officialis non admiſiſſet, iterum eodem die in capitulo de **Oſprenges** præſente eodem officiali ipſum capellanum præſentavit, & prædicta inſtrumenta in audientia tocius capituli fecit recitari, & appellationes ut ſupra ſolempniter innovavit. Abbas vero ex quibuſdam veriſimilibus & probabilibus conjecturis quantum ad jus & proprietatem eccleſiæ ſuæ antedictæ de **Faverſham**, periculum ſibi & monaſterio ſuo imminere perpendens, die Jovis proximo ante feſtum Pentecoſtes ad eccleſiam ſuam prædictam cum majoribus de ſuo conſilio perſonaliter acceſſit; & primo in domibus perſonatus eccleſiæ ſupradictæ pro ſe & ſuo monaſterio ad dominum Papam ſolempniter appellavit, ac eciam pro ſtatu clericorum eccleſiarum & parochianorum omnium ad monaſterium ſancti *Auguſtini* pertinentium, & maxime pro eccleſia ſua de **Faverſham** & pro monachis ſuis in

Hubertus Archiep.

ipſa

Johannes Rex.

Hubertus Archiep.

ipſa eccleſia nomine ipſius & monaſterii ſancti *Auguſtini* tunc exiſtentibus. Indeque profectus ad ipſam eccleſiam, convocatis parochianis in præſentia decani loci & aliorum quamplurimorum, eandem appellationem innovavit. Duplex enim imminebat conflictus & duplex periculum. Rex advocationem eccleſiæ prædictæ vendicabat, archidiaconus cuſtodiam ipſius eccleſiæ prædictæ tanquam vacantis, & fructus medii temporis ac eciam cæterarum eccleſiarum noſtri patronatus quæſivit.

SET de altercatione cum domino Rege me expediam, ad archidiaconum poſtea rediturus. Defuncto igitur *Oſberno de Camera* qui eccleſiam de **Faverſham** ut ſupradictum eſt tenuerat, Rex *Johannes* ipſam eccleſiam contulit cuidam *Simoni* archidiacono *Wellenſi* & archiepiſcopi Vicecancellario, & ipſum *Simonem* ad eandem eccleſiam archiepiſcopo præſentavit; ſet monachis noſtris per appellationes & alia juris remedia ſe opponentibus, & tam in eccleſia quam in domibus perſonatus prædicto *Simoni* & ejus inſtitutioni viriliter reſiſtentibus, inſtitui nullatenus potuit. Quibus auditis, rex ſcripſit abbati & Conventui ſancti *Auguſtini* in hæc verba: JOHANNES *Dei gratia rex* Angliæ &c. *Dilectis abbati & conventui ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem. Conceſſimus ut noſtis, dilecto & fideli noſtro* Simoni *archidiacono* Wellenſi *eccleſiam de* **Faverſham**, *quæ eſt de donatione noſtra, et eum domino* Cantuarienſi *archiepiſcopo ad eam præſentavimus. Verum quia ſicut accepimus vos jus vobis in ea vendicantes, jus noſtrum & præſentationem noſtram & ipſius clerici noſtri inſtitutionem hactenus inpediſtis; unde miramur non modicum & movemur, mandamus vobis rogantes, quatinus occaſione & dilatione remotis, ipſum in hac parte de cætero non inpediatis, ſet permittatis quod ipſe in ea inſtituatur ſive ad nos pertineat donatio ſive non, ſicut vultis ad nos in negotiis veſtris recurſum habere et à nobis exaudiri. Teſte me ipſo*, &c. Hiis itaque geſtis habita deliberatione quid conſultius foret, miſſi duo monachi noſtri ex parte abbatis & conventus ad Regem tunc in partibus *Normanniæ* agentem. Qui ingreſſi ad regem exhibuerunt ei Cartam *Willelmi* Conqueſtoris ſuper donatione eccleſiarum de **Middelton** & de **Faverſham**, ac eciam cartas *Henrici* primi, *Stephani*, *Henrici* ſecundi & *Ricardi* regum *Angliæ* ſuper confirmatione prædictarum eccleſiarum; confirmationem quoque *Theobaldi* & *Huberti* archiepiſcoporum, ac eciam confirmationem *Celeſtini* papæ, ſimul & inhibitionem, ne abbas vel conventus prædictas eccleſias de **Middeltone** & de **Faverſham** alienent ab uſu proprio, aut aliquo alienationis titulo perſonæ conferant ſeculari. Petierunt inſuper monachi noſtri & obnixius precabantur, ut prædictas eccleſias dominus Rex ſicut & progenitores ſui fecerant ipſe eciam confirmaret. Et ut petita facilius impetrarent, magnam pecuniæ ſummam pro hujus confirmatione ſe daturos Regi ſpondebant; ſet Rex nec prece nec precio inclinatus petitis nullatenus adquievit: unde & ſub hac forma non multum poſt reſcripſit: JOHANNES *Dei gratia rex* Angliæ, &c. *Abbati & monachis ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem. Volumus vos ſcire, quod nos jam dedimus dilecto & fideli noſtro* Simoni *archidiacono* Wellenſi *eccleſiam de* **Faverſham** *quæ vacat & eſt de donatione noſtra, & ipſum domino* Cantuarienſi *præſentavimus; & quoniam, ſicut nobis & conſilio noſtro videtur, ratione Cartarum quas nobis oſtendiſtis nullum jus vobis competit eam conferendi vel in proprios uſus retinendi; prohibemus vobis ne vos aliquatenus opponatis quo minus donatio noſtra rata conſiſtat; moleſte enim feremus ſi quid feceritis in hac parte contra jus noſtrum & libertatē, nec illud fieri ſuſtinebimus. Unde vobis conſulimus, quod ita vos contra nos & eundem* Simonem *in hoc negotio habeatis, ſicut vultis quod nos habeamus nos erga vos in negotiis veſtris & domus veſtræ. Teſte me ipſo, &c.* Set & ipſe archiepiſcopus pro eodem *Simone* ſcripſit ſub hac forma:

Litera archiepiſcopi.

HUBERTUS Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus tocius *Angliæ* primas, dilectis in Chriſto abbati & conventui S. *Auguſtini Cant.* ſalutem, gratiam et benedictionem. Audivimus dominum Regem vobis ſcripſiſſe pro dilecto filio noſtro *Simone* archidiacono *Wellenſi* ſuper eccleſiam de **Faverſham**, & quoniam ſcimus certiſſime dominum Regem ipſius *Simonis* in hac parte velle promotionem, quam & nos ſimiliter multum deſideramus, dilectioni veſtræ diligenter duximus ſcribendum, monentes, conſulentes & effectuoſe ſupplicantes, quatinus intuitu Dei & petitionis domini Regis & noſtri, ſalvo jure veſtro, memoratum *Simonem* in eccleſia illa promovere velitis, ipſam ei quantum in vobis eſt benigne ſi placet concedentes; ſi vero per vos in hac promotus fuerit, credimus & certi ſumus quod per eum poterunt facilius cartæ veſtræ tam de eccleſia illa quam de aliis à domino Rege vobis confirmari, & alia negotia domus veſtræ promoveri, ad quæ nos curam & ſollicitudinem diligenter apponemus; ſcire autem volumus quod non habemus aliquem tam carum vel tam ſpecialem, cujus promotionem magis deſideramus quam ipſius *Simonis* in hac parte. Valete.

Set monachi *Auguſtinenſes* nec archiepiſcopi adulationibus flexi, nec regiis minis à propoſito moti, licet multum conſternati ſe viriliter in ipſa eccleſia de **Faverſham** & in ipſis domibus perſonatus tenuerunt, & tam regiis miniſtris quam archiepiſcopi officialibus ingreſſum undique conſtanter prohibuerunt. Quibus auditis, Rex quaſi in furiam verſus juſſit tam ipſi eccleſiæ de **Faverſham** quam domibus perſonatus ejuſdem ignem apponi, & tam monachos quam ſeculares qui in ipſis inventi eſſent ſimul cum ipſis domibus & eccleſia conflagrari; ſet nemine tam ſævam juſſionem adimplere volente, ſet cunctis diſſuadentibus Regi ne tam horridum facinus perpetraret, Rex tandem animi furorem temperans licet non deponens, ſcripſit vicecomiti *Kanciæ* in hæc verba:

JOHANNES *Dei gratia rex* Angliæ, &c. R. *vicecomiti* Kanciæ *ſalutem. Scias quod dedimus dilecto noſtro* Simoni *archidiacono* Wellenſi *eccleſiam de* **Faverſham** *quæ vacat & eſt de noſtra donatione. Et quoniam ſicut audivimu abbas & monachi ſancti* Auguſtini *jus ſibi in eccleſia illa vendicantes donationem noſtram nituntur inpedire, tibi mandamus & firmiter præcipimus, quod ſi forte prædicti monachi ſe in eccleſiam illam intruſerint, & ſe in eadem eccleſia tenuerint, ipſos monachos & fortiam eorum inde ſine dilatione facias amoveri,*

Johannes Rex.

& curam diligentem apponas ad jus noſtrum in eccleſia illa conſervandum, & ad hoc ut prædictus archidiaconus illam habeat. Teſte, &c.

Ejectio monachorum de perſonatu.

Vicecomes igitur hoc accepto regis mandato, impiger ad explendam Regis juſſionem, utpote qui adverſariorum noſtrorum in hoc ſtimulabatur pecunia, ad eccleſiam de **Faverſham** acceſſit, & primo quendam noſtrum monachum *Osbertum* nomine, qui ad cuſtodiam domorum perſonatus per abbatem deputabatur, complices ipſius vicecomitis, *Henricus* videlicet cognomine *Doget*, *Radulphus Blundus*, *Osbertus* filius *Reimberti* & *Galfridus de Middeltone* juſſu ipſius vicecomitis & auctoritate tam ipſum *Osbertum* monachum quam alios ſeculares qui cum eo erant, manu violenta extraxerunt à domibus prædictis, & tam ipſum monachum quam ejus ſocios male tractaverunt, plagis inpoſitis ſemivivos relinquentes. Inicia dolorum hæc ſet nondum ſtatim finis. Nam ipſe vicecomes manum habens ad malum extentam, ad eccleſiam de **Faverſham** perſonaliter acceſſit, & inveniens ipſam intrinſecus munitam non tam monachis quam eciam ſecularibus validis, ab ingreſſu ipſius eccleſiæ non minus ſapienter quam reverenter ſe temperavit, quoniam fores erant clauſæ, & intus milites cuſtodientes templum. Videns itaque vicecomes quod ei liber non pateret introitus in eccleſiam, ipſam ex omni parte artiſſima obſidione vallavit, ponens cuſtodes in ipſis hoſtiis eccleſiæ per diem & noctem, ut ſic monachi fame & anguſtia afflicti compellerentur eccleſiam gratis deſerere. Duravitque hæc obſidio continue à pridie kal. Auguſti uſque in craſtinum aſſumptionis ſanctæ *Mariæ*; quæ qualiter tunc ſolvebatur poſtea dicemus cum de perſecutione archidiaconi *Cantuarienſis* magiſtri *Henrici de Sanford* parumper pertractaverimus.

Defuncto *O. de Camera* perſona quondam de **Faverſham** ut ſupra dictum eſt, monachiſque S. *Auguſtini* ipſius eccleſiæ de **Faverſham** poſſeſſionem pacifice ingreſſis, capellano per eoſdem monachos officiali archidiaconi præſentato, ſet non admiſſo, licet nulla cauſa recuſationis tunc objecta, evolutis aliquantis diebus poſt præſentationem & recuſationem prædictas, magiſter *Everardus* officialis domini archidiaconi ad eccleſiam de **Faverſham** accedens, eccleſiam ipſam ſuſpendit, monachos in ea reſidentes & omnes eis communicantes de facto excommunicavit, cum de jure non poſſet, tum propter privilegia eorum tum propter appellationes ab eiſdem ad ſedem apoſtolicam interpoſitas; ſepulturam eciam mortuorum interdixit, unde multa defunctorum corpora extra cimiterium ipſius eccleſiæ tradita fuerunt ſepulturæ, & purificationes eciam quarundam mulierum extra parochiam fuerunt celebratæ; nam parochianis de **Faverſham** mandavit archiepiſcopus per officialem ſuum, ut alias eccleſias licenter & libere frequentarent, & in ipſis eccleſiaſtica ſacramenta perciperent, defunctorumque ſuorum corpora ad alia loca humanda pro libito deferrent.

Set ipſi parochiani, nec per tribulationem nec per anguſtiam à devotione quam erga matricem ſuam habebant eccleſiam, velut fidiſſimi filii nullatenus potuerunt amoveri, ſet ſuper hiis omnibus ad papam unanimiter appellaverunt. Unde effluxo aliquantuli temporis curriculo quoſdam majores de **Faterſham** qui monachis ſancti *Auguſtini* communicaverant, fecit archiepiſcopus nominatim excommunicatos denuntiari, & Juſticiario domini Regis literis ſuis mandavit, ut caperentur & in carcerem Regis puniendi detruderentur; ſet & ipſi timentes archiepiſcopi tyrannidem quia tunc cuſtos erat *Angliæ* ipſo rege in partibus *Normanniæ* agente, miniſtrorum regis manus qui ad eos capiendos mittebantur fugæ præſidio evaſerunt. Ipſe eciam archiepiſcopus cum per villam de **Faverſham** tranſitum faceret, occurrenti ei populo villæ & benedictionem ejus petenti dixit, ſe eos nec velle nec debere benedicere, eo quod habebat eos omnes excommunicatos. Super quibus & ſingulis injuriis multis appellationibus interpoſitis, univerſitas *Burgenſium* de **Faverſham** domino Papæ ſatis lacrimoſis epiſtolis conquerebatur, in fine ejuſdem epiſtolæ ſic concludendo: *quod niſi divina miſeratio &* Romana *pietas illis velit celerius ſubvenire, & tam circa ipſos quam circa monachos* Auguſtinenſes *errata ultrice manu efficaciter ſtuduerit corrigere, omnes populi quocumque fumus rerum geſtarum ſe diffuderit, in errorem corruent irremediabilem, ut qui hucuſque legem & prophetas ac evangelium fuerint ſecuti, de cætero pro poetarum figmentis omnia reputabunt: vileſcetque eccleſiaſtica doctrina, & à reverentia* Romanæ *eccleſiæ quæ apud* Cantuarienſes *archiepiſcopum & archidiaconum nulla eſt, populus totaliter nec inmerito recedet.* Set nunc ad monachos obſeſſos in ipſa ſæpedicta eccleſia revertamur.

Hubertus Archiep.

Inſtante feſto aſſumptionis beatæ virginis *Mariæ*, *Rogerus* abbas ut erat vir magnanimus condolens monachorum ſuorum & ſervorum afflictioni & anguſtiæ, eo quod acceperat per internuncios quod niſi quantocius obſeſſis ſubveniret, ipſam eccleſiam gratis deſererent, ut qui jam quatuor diebus tranſactis nichil cibi aut potus habuiſſent, omnibus victualibus eorum conſumptis, præter alia incommoda quæ ſuſtinebant. Unde deliberato cum fratribus & aliis amicis conſilio, in craſtino aſſumptionis ad eccleſiam de **Faverſham** abbas iter ſuum direxit magna ſtipatus familia & manu valida. Cujus adventum præſentientes miniſtri Regis, immo Sathanæ ſatellites, qui ipſam eccleſiam obſederant, fuga dilapſi ſunt. Abbas vero ipſam eccleſiam intrans, eam fere per menſem pacifice tenuit, donec vicecomes *Kanciæ* per miniſtros ſuos & complices ipſum abbatem de præfatæ eccleſiæ poſſeſſione violenter ejecit; nam octavo kal. Octobris miniſtri vicecomitis *Kanciæ* cum quibuſdam militibus ac etiam populi multitudine non modica acceſſerunt in manu armata; quorum adventum abbas *Rogerus* præſentiens ſeipſum cum quinq; monachis & paucis quibuſdam familiaribus in ipſa eccleſia obſeratis, ut qualitercumq; januis intercluſis ad cautelam continuit, malens injuriam ſuſtinere quam aliis inferre. Sed Sathanæ ſatellites nec honori Dei aut eccleſiæ differentes, in ipſam eccleſiam ſicut leones in prædam irruerunt, hoſtia cum machinis appoſitis effregerunt, Abbatem violenter ejecerunt, monachos vero alios per brachia, alios per pedes colliſis in terra capitibus extraxerunt, pavimento eccleſiæ ſanguine monachorum undique rubricato.

Abbas vero ejectus incontinenti ad audientiam ſummi pontificis appellavit, ne eccleſia illa reconciliaretur,

ciliaretur, nec divina in illa celebrarentur donec ſuper hoc dominus Papa conſuleretur. Nichilominus tamen *G.* decanus per laicam manum introductus eſt in ipſam eccleſiam quaſi loco archiepiſcopi, & cuſtodiam ipſius eccleſiæ per aliquantulū tempus habuit. Dum hæc itaque gererentur, miſſi ſunt ad archiepiſcopum ex parte abbatis *Brandanus* monachus & magiſter *Stephanus* clericus. Qui invenientes eum apud **Uffington** juxta **Stanfoꝛd** expoſuerunt ei qualiter officialis archidiaconi poſt appellationes abbatis tot & tociens interpoſitas, non ſolum monachos in eccleſia de **Faverſham** conſiſtentes, ſet etiam omnes Rectores eccleſiarum de patronatu ſancti *Auguſtini* eorumque familiares & parochianos omnes, qui terras aliquas de abbate tenuerunt, generaliter excommunicavit, & per totam dioceſim excommunicatos denunciari mandavit, eccleſias eciam ipſorum omnes ſuſpendit, ſacramentalia in eis interdixit præter baptiſmum parvulorum & penitentias morientium. Prædicti ſiquidem nuntii abbatis rogaverunt archiepiſcopum, ut prædictas ſententias tam erroneas per officialem archidiaconi latas ipſe revocaret. Quibus reſpondit archiepiſcopus, ſe ratum & gratum habere quicquid officialis archidiaconi fecerit, & ſe manum aggravare niſi citius cuſtodiam eccleſiæ de **Faverſham** gratis traderent, ignorans penitus adhuc de ejectione abbatis. Et ecce ipſis adhuc loquentibus acceſſerunt duo monachi ſancti *Auguſtini* eidem archiepiſcopo graviter conquerentes, quod abbas ſancti *Auguſtini* & monachi ſui de eccleſia de **Faverſham** violenter per manum laicam fuiſſent ejecti, factum & injuriam ex ordine ſibi exponentes. Quo audito, archiepiſcopus ultra quam credi poteſt animo conſternatus, timens quod factum ejus nomine fuiſſet licet ipſo ignorante, nec ratum habente, quoquomodo per lapſum temporis in caput ſuum redundaret, ſtatim tulit ſententiam excommunicationis in genere in omnes illos qui dictam violentiam abbati & monachis intulerant, dicens, quod tam horribile factum aut tam enorme non fuit perpetratum in *Anglia* poſt interfectionem ſancti *Thomæ* martiris. Quam ſententiam excommunicationis tam in generali ſynodo quam alibi archiepiſcopus multociens innovavit, & per totam ſuam provinciam literis ſuis demandari præcepit. Sententiam eciam ſuſpenſionis & interdicti quam officialis archidiaconi in eccleſias & parochianos de patronatu ſancti *Auguſtini* tulerat, ipſe revocavit, quæ ſententia per ſeptem ebdomadas duraverat. Acta fuerunt hæc die Veneris proximo poſt feſtum S. *Michaelis* anno ſupradicto.

Eodem anno in craſtino apoſtolorum *Simonis* & *Judæ H.* archidiaconus, *E.* officialis ejuſdem & *G.* decanus cum aliis quibuſdam capellanis vicinarum eccleſiarum venerunt ad eccleſiam de **Faverſham**, ut altaria in ipſa diruerent in deteſtationem & obprobrium monachorum ſancti *Auguſtini*. Quod præſentiens Prior ſancti *Auguſtini* eis occurrit, & innovans appellationem ab initio factam, requiſivit qua auctoritate & qua de cauſa hæc attemptarent. Cui *E.* officialis pro archidiacono reſpondit; quod per præceptum archiepiſcopi, eo quod monachi excommunicati in ipſis celebraverant. Super quo prædictus Prior ſpecialiter appellavit coram multitudine parochianorum qui condolentes confluxerant. Archidiaconus tamen ſpreta appellatione altaria diruit, eccleſiam reconciliavit, ipſas eciam pallas altarium & corporalia fecit comburi & calices conflagrari. Abbas igitur *Rogerus* & conventus S. *Auguſtini* talibus & tantis undique inpetiti injuriis & vexati opprobriis, in ſola Dei miſericordia & Curiæ *Romanæ* ſubſidio ſpem ponentes, mittunt Priorem ſuum *Romæ* ad papam *Innocentium* iij. qui ei injurias & gravamina monaſterio ſancti *Auguſtini* illata deberet exponere, & ſuper tantis exceſſibus remedium in forma juris expetere. Quibus tam in privato quam in publico Conſiſtorio expoſitis Papa ſic fertur reſpondiſſe: » Nos qui providente Dei miſericordiâ ad univerſalis eccleſiæ regimen ſumus vocati, eccleſiæ beati *Auguſtini Romana* eccleſiæ propriæ & ſpecialis præ cæteris filiæ in juribus ſuis & privilegiis nulla ratione poterimus nec volumus deeſſe, ſet eam Domino juvante contra potentes potenter defendemus quatinus ordo juris expoſcit & ſuadet ratio æquitatis. Unde ſcripſit quibuſdam conjudicibus delegatoriis in hæc verba:

INNOCENTIUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Elienſi *epiſcopo, & dilectis filiis abbati & Priori ſancti* Edmundi Norvvicenſis *dioceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cant. *quod cum eccleſia de* **Faverſham** *cujus fuerant poſſeſſionem adepti, ad ſe pertinere contenderent pleno jure, licet & cariſſimus in Chriſto filius noſter* Johannes *rex* Angliæ *illuſtris, & venerabilis frater noſter* Cantuarienſis *archiepiſcopus jus ſibi in ea vellent vendicare, laici quidam, propriis nominibus nobis deſignandi,* Cantuarienſis *dioceſis, in abbatem & monachos infra ipſam eccleſiam uſque ad effuſionem ſanguinis manibus violentis injectis, ipſos de eadem eccleſia per violentiam temere ejecerunt. Volentes igitur eiſdem abbati & monachis paterna ſollicitudine providere, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi res ita ſe habet, laicos ipſos & eorum complices tam diu appellatione remota excommunicatos pupplice nuncietis, & mandetis ab omnibus arcius evitari, donec paſſis injuriam ſatisfaciant competenter, & cum veſtrarum teſtimonio literarum noſtro ſe conſpectui repræſentent. Auctoritate quoque noſtra ſub interminatione anathematis diſtricte prohibemus, ne quis in civitatibus, oppidis, villis aut aliis locis ad quæ ipſos contigerit devenire ipſis præſentibus præter baptiſma parvulorum & pœnitentias morientium divina celebrare præſumat, aut cum eis ſub ſpecie cujuſcumque contractus aliquid permutare. Volumus eciam & mandamus, ut amoto quolibet illicito detentore, non obſtante cujuſcumque præcepto, ſublato appellationis obſtaculo in eum ſtatum reducatis & conſervetis abbatem & monachos antedictos, in quo fuerant ante violentiam attemptatam. Teſtes autem qui nominati fuerint, &c. quod ſi non omnes, &c. tu frater epiſcope, &c.*

Commiſit eciam dominus Papa eiſdem Judicibus cauſam ſpoliationis domorum perſonatus & violentiæ factæ *Oſberto* monacho in ipſa ſpoliatione. Et quia iſtius Commiſſionis licet verba diſcrepent vis tamen & effectus eſt idem cum priore, niſi quod in iſta Commiſſione nominantur *Henricus Doget* & complices ſui qui ſuperius nominantur in ipſa ejectione ipſius *Oſberti*, ideo cauſa brevitatis formam iſtius ſecundæ Commiſſionis non ſcribo. Set iſtæ literæ domini Papæ, quæ ſperabantur eſſe conſola-

Johannes Rex.

tionis & auxilii, niſi Deus proſpexiſſet, fuiſſent cauſa majoris afflictionis & periculi. Nam cum iſtæ literæ fuiſſent Judicibus oblatæ & ipſi in cauſa monachorum ſecundum formam eis à domino Papa traditam judicialiter incepiſſent procedere, milites & alii majores qui Abbatem de poſſeſſione ejecerant, ad *Galfridum* filium *Petri* Com. *Eſexiæ* & tunc capitalem Juſticiarium *Angliæ* confluxerunt, conſilium & auxilium ejus contra abbatem ſancti *Auguſtini* poſtulantes. Qui Comes aſſumptis ſecum eorum majoribus, ad regem tunc in *Normannia* exiſtentem transfretavit, exponens regi quomodo abbas ſancti *Auguſtini* literas apoſtolicas impetraſſet ad dominum *Elienſem* & ſocios ſuper ſpoliatione ipſius eccleſiæ de **Faverſham**, & quomodo Judices in cauſa ipſa proceſſerunt. Adjecit eciam prædictus Comes, quod niſi proceſſus iſte per judicium cicius revocetur, erit in confuſionem omnium qui in ejectione ipſius abbatis fuerant, & eciam in opprobrium regiæ dignitatis cum hæc de mandato ejus proceſſiſſent. Quo audito, rex iracundia fremens literas comminatorias ſimul & prohibitorias abbati & conventui direxit in hæc verba.

Prohibitio Regis ne Abbas procedat in cauſa contra eum.

JOHANNES *Dei gratia, &c. Abbati & conventui ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem quam meruerunt. Scimus vos non ignorare qualiter decedente Rectore alicujus eccleſiæ ſi de ea inter aliquos de præſentando oriatur contentio, ea ſecundum regni noſtri conſuetudinem in manu dioceſani loci ſalvo debet conſiſtere, quouſque in curia noſtra diſcuſſum fuerit ad quem ejuſdem præſentatio debeat pertinere, & ſi qua partium in eam ſeſe interim duxerit intrudere, ea manu regia ſi opus fuerit amovere debebit. Cum itaque decedente rectore eccleſiæ de* **Faverſham** *innotuiſſet nobis eam ratione ultimæ præſentationis ad nos tanquam ad patronum pertinere, & nos eandem cuidam clericorum noſtrorum duximus conferre, vos auctoritate propria in noſtri & juris noſtri contemptum eam occupare, & contra nos & regni noſtri conſuetudinem violenter detinere præſumpſiſtis, qua de cauſa vos ab ea de conſilio magnatum & fidelium noſtrorum ſecundum regni noſtri conſuetudinem fecimus amoveri. Nolentes in perſona noſtra prætermittere quod univerſis de jure & regni noſtri conſuetudine tenemur inpendere. Veniente vero nuper in* Normanniam *dilecto & fideli noſtro* G. *filio* Petri *Com.* Eſſexiæ *& Juſticiario noſtro, tam per fidelem ejuſdem quam aliorum qui cum eo venerant inſinuationem accepimus, quod vos qui fideles noſtri eſſe deberetis, literas apoſtolicas, quod ſine admiratione & mentis turbatione non dicimus, contra nos & coronæ regiæ dignitatem quam in diebus noſtris pro poſſe deprimere contenditis, ad dilectos dominum ſcilicet* Elienſem *& conjudices ſuos impetrare curaſtis, in quibus inter cætera continetur, quod laicos quoſdam qui ex præcepto noſtro vos dictam eccleſiam contra nos & dignitatem noſtram violenter detinentes, ab ea ſecundum regni noſtri conſuetudinem amoverunt, & eorum complices (quod nos tangere liquido perpendiſtis) excommunicatos ubique denuntiarent, reducentes vos ad ſtatum & in eo conſervantes quem antequam amoti eſſetis habuiſtis. Et quia in hujus impetratione contra nos & coronam noſtram (quod per Dei gratiam cum ſe locus optulerit nullatenus relinquemus inultum,) manifeſte venire præſumpſiſtis: nec credimus dominum Papam ſi ſibi de jure & inveterata regni noſtri conſuetudine plenius innotuiſſet pro vobis ſcripſiſſe ſub hac forma. Unde in fide quam nobis & coronæ noſtræ ſervare tenemini mandamus atque præcipimus, quatinus ab hujuſmodi proſecutione mandati apoſtolici quod contra nos & regni noſtri conſuetudinem fraudulenter & infideliter elicere procuraſtis, ſicuti ea quæ de nobis tenetis diligitis deſiſtatis. Ita vos in hoc & in aliis exhibentes, ne indevotionis veſtræ exceſſus majoris quam deceret ſit occaſio tumultus, & regiæ indignationis ſeveritatem ultra quam expediret in ſe mereatur provocare. Teſte meipſo apud* Rothomagum xxx. *die Marcii.*

Hubertus Archiep.

Inhibitio facta Judicibus per Regem: Scripſit eciam Rex domino Elienſi *& conjudicibus ſuis* ſub hac forma.

JOHANNES *Dei gratia rex* Angliæ, &c. *Venerabili in Chriſto patri* E. *eadem gratia* Elienſi *epiſcopo, & dilectis ſibi abbati & Priori de ſancto* Edmundo *ſalutem. Inter cæteras regni noſtri conſuetudines:* & infra. Ubi enarrat de conſuetudine quando eſt lis inter aliquos de advocatione alicujus eccleſiæ, ut in priori reſcripto. Narrat eciam qualiter monachos per manum laicam fecerat amoveri; & poſt: *Veniente nuper ad nos in* Normanniam *dilecto & fideli noſtro* G. *filio* Petri *Com.* Eſſexiæ, *& Juſticiario noſtro, tam per ejuſdem quam aliorum qui cum eo venerant fidelium noſtrorum inſinuationem accepimus, monachos ſancti* Auguſtini, *quod ſine admiratione non dicimus, literas apoſtolicas vobis porrexiſſe, in quibus inter cætera continetur, quod laicos quoſdam qui ex præcepto noſtro ſub forma prætaxata abbatem & monachos ſuos, qui eccleſiam de* **Faverſham** *contra nos & regni conſuetudinem violenter detinentes auctoritate noſtra amoverant & eorum complices excommunicatos ubique denunciaretis, dictos abbatem & monachos ad eum ſtatum reducentes & in eo conſervantes, quo fuerunt antequam ab ipſa eccleſia fuerant amoti. Et quia eos in hujuſmodi impetratione contra nos & coronæ noſtræ dignitatem (quod ſub diſſimulatione nullatenus poterimus præterire,) manifeſtius conſtat veniſſe, nec credimus dominum Papam ſi ſibi de jure & veterata regni noſtri conſuetudine plenius innoteſceret diſcretioni veſtræ ſcripſiſſe ſub hac forma, vobis qui regni & coronæ noſtræ jura & dignitates nobiſcum manu tenere debetis & tueri, in fide qua nobis tenemini mandamus, quatinus in hujus mandati cognitione ſicuti ea quæ de nobis tenetis diligitis deſiſtatis omnino. Dat.* Rothomagi xxx. *die Marcii.*

Talibus igitur inhibitionibus regiis monachi S. *Auguſtini* terrebantur, nec mirum. Set à propoſito minime flectebantur. Confidentes enim de cauſæ ſuæ juſticia, apud Judices ſuos acrius inſtabant, ut ipſi in mandato apoſtolico ſecundum formam eis traditam abſque perſonarum acceptione procederent. Judices igitur non volentes nec valentes monachis in ſua deeſſe juſtitia, ne forte inobedientes apoſtolicis arguerentur mandatis, literas excuſatorias domino Regi ſcripſerunt ſub hac forma.

Excuſationes

Johannes Rex.

Excuſationes Judicum ad Regem.

Domino ſuo dilectiſſimo Johanni *Dei gratia illuſtri Regi* Angliæ, &c. E. *divina permiſſione* Elienſis *eccleſiæ miniſter humilis & S. eadem gratia abbas & H. Prior ſancti* Edmundi *ſalutem & debitum ac fidele obſequium. Literas ſerenitatis veſtræ nuper recepimus, quarum ſerie inter cætera continebatur, à temporibus anteceſſorum » veſtrorum hanc invaluiſſe conſuetudinem in » regno veſtro, ut ſi pendente lite de præſentando » ad eccleſiam vacantem aliqui in eam ſeſe » intrudere præſumpſerint, ipſi auctoritate regia debeant » amoveri: ſuper quo ſatis admirantes, cum hoc nec conſuetudinis eſſe nec aliquando factum fuiſſe audierimus; hæc regiæ manſuetudinis auribus ſuggeſta ſicut debemus non poſſumus non dolere. Eſt autem moris in regno veſtro ut intruſi in eccleſiis poſtquam ſolempniter ab epiſcopo loci fuerint excommunicati & publice denunciati, ſi obſtinati in contumacia exire noluerint ad poſtulationem epiſcopi loci, poteſtas ſecularis auctoritate eccleſiæ debeat excludere taliter reſiſtentes. Adjectum eſt » eciam in eiſdem literis veſtris, quod abbatem & » monachos ſancti* Auguſtini *juxta præfatum » conſuetudinem de eccleſia de* **Faverſham** *per » ballivos veſtros feceritis amoveri. Quæ confeſſio ſicut nobis viſum eſt circumſpectius & regiæ honeſtati congruentius tacita fuiſſet quam ſcripto vel verbo publicata, quia ſicut dicitur non ſine violenta manuum injectione & enormi factum illud » perpetratum fuit. In fine vero literarum, In fide qua » vobis tenemur diſtrictius nobis inhibere curaſtis, » ne eos qui prænominatos abbatem et monachos de » eccleſia prædicta de* **Faverſham** *per violentiam » eicere præſumpſerant, juxta tenorem mandati » apoſtolici (quod ſuper hoc valde diſtrictum » accepimus) excommunicatos denunciaremus. Sane certiſſimum teneat dominatio veſtra nos prompta voluntate & firmo propoſito jura & dignitatos regias paratos eſſe in omnibus conſervare, & mandatis veſtris tanquam cariſſimi domini obtemperare, quatenus ordo noſter & obedientia qua in omni plenitudine tenemur domino Papæ permiſerit: ſcitum eſt autem & veſtra diſcretio non ignorat, quod nulli quicquam debere poſſumus niſi ſalva obedientia qua eccleſiæ* Romanæ *tenemur aſtricti.* Et *ideo non indignanter ferat regia celſitudo ſi in tam diſtricto mandato ejus cui nullo jure reſiſtere poſſumus procedamus, præſertim cum illud ſicut nobis viſum eſt regiæ dignitati non obviet ſet congruat honeſtati. Valete.*

Rex autem ut vidit quod propter inhibitiones ſuas nec monachi à proſecutione ſuæ cauſæ nec Judices prædicti delegati ab apoſtolici mandati executione ceſſarent, æmulorum beati *Auguſtini* inſtigatione totus in furiam verſus manum ſuam extendens ad malum, juſſit ut omnes poſſeſſiones ipſius abbathiæ quæ de ipſo rege tenentur in capite, confiſcarentur. Miniſtri autem regis quibus hoc opus demandatum fuerat, ſicut leones rugientes ut raperent, non ſolum poſſeſſiones temporales in manus Regis ſeiſierunt, verum eciam omnia bona mobilia & inmobilia tam in eccleſiis quam extra ubicumque eſſent inventa occuparunt, aſportarunt & diſtraxerunt, & quod inauditum eſt, bona quorundam hominum confiſcarunt eo quod ipſi amici ſancti *Auguſtini* bona ipſius rapere noluerunt: vere dolor iſte monachorum ſancti *Auguſtini* & anguſtia ſuper omnem dolorem, & omne cor eorum mœrens. Contigit autem ut in hac tempeſtate dominus *Johannes* legatus *Scotiæ* presbyter Cardinalis tituli S. *Stephani* in *Monte Cœlio*, cum à legatione ſua rediret per *Cantuariam* tranſitum faciens, ad eccleſiam beati *Auguſtini* orandi gratia divertit, & inveniens totam curiam ſancti *Auguſtini* miniſtris regis occupatam, ſuper afflictione monachorum condoluit. Convocanſque conventum conſolabatur eos, exhortans & conteſtans ne in tanta tribulatione deficerent, ſet de Dei adjutorio propter ſuæ cauſæ juſtitiam firmiter ſperarent. Cui conventus reſpondit, ſe poſt Dei miſericordiam de ſola domini Papæ paternitate & Romanæ curiæ protectione conſolationem & remedium exſpectare.

Hubertus Archiep.

Iſtis ſic actis, prædictus legatus ad tumbam ſancti *Auguſtini* in honore ipſius ſancti miſſam ſolempniter celebravit, tota civitate in ipſa miſſa turmatim concurrente. In qua miſſa idem legatus miniſtros regios qui ipſam abbaciam ſic occupaverant, omni timore poſtpoſito, ſolempniter excommunicavit & excommunicatos denunciavit. Interim ſcripſit idem legatus pro monachis ſancti *Auguſtini* domino Papæ, exponens ei per ordinem eorum anguſtiam & afflictionem, regis tirannidem, archiepiſcopi *Cantuarienſis* & archidiaconi ſui cæterorumque æmulorum callidam machinationem. Unde in fine literarum ſuarum ſic ſcriptum eſt. *Attendat itaque ſancta paternitas veſtra, quod niſi maturius & plenius eidem eccleſiæ provideritis & tanta inpugnantium malignitati in manu potenti occurrere velitis, funditus evertetur & jam ruit irrecuperabiliter: ſi igitur hoc per manifeſtum defectum* Romanæ *eccleſiæ in fundamento fidei & religionis in* Anglicana *eccleſia invalnerit, adnichilabitur auctoritas apoſtolica non ſolum in* Anglicano *regno ſet quocumque hujuſmodi peſtifer fumus ſe diffuderit.* Abbas igitur & conventus tam de conſilio ipſius legati quam aliorum amicorum iterato mittunt Priorem ſuum ad curiam *Romanam* cum literis prædicti legati, ſatis querulofis gemitibus domini Papæ implorantes auxilium, ut ipſe ſuæ capellæ & ſpeciali filiæ in tantis tribulationibus celerius ſuccurrat, & ne irremediabiliter ruat, jamque ruenti manum ſuam extendat. Dominus vero Papa tam ex literis legati quam ex relatione ipſius Prioris negotio plenius intellecto, Regis ſævitiam cupiens delinire, literas deprecatorias pro domo ſancti *Auguſtini* ſcripſit Regi in hæc verba:

INNOCENTIUS *epiſcopus &c. Non decet regiæ ſerenitatis benignitatem ad ſuggeſtionem cujuſquam in læſionem alterius declinare, nec ob gratiam alicujus aliorum lædere rationem. Sane ſignificarunt nobis dilecti filii abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cant. *quod cum poſſeſſionem eccleſiarum de* **Faverſham** *& de* **Middelton** *quæ ipſis fuerant in uſus proprios per ſedem apoſtolicam confirmatæ, fuiſſent ingreſſi, quidam qui eos indebite inſequuntur, uſque adeo benevolentiam regiam commoverunt contra eos, ut bona eorum mandaret & faceret confiſcari. Cum igitur regiam ſerenitatem non deceat non ſolum in monachos & clericos eciam ſeu quoſlibet regulares juriſdictionem indebitam exercere, cum ſervus domino ſuo ſtet aut cadat, rogamus munificentiam tuam & exhortamur*

in

Johannes Rex.

in domino quatinus ob reverentiam beati Auguſtini *qui monaſterium ſuum ſepultura regum* Angliæ *dicitur deputaſſe, ablata eis reſtitui facias univerſa, nec impedias nec impediri permittas quo minus ſuam juſtitiam proſequantur. Laicis eciam ſi quibus bona ſua forſan ablata ſunt & confiſcata fuerint, quia in abbatem & monachos manus noluerunt mittere violentas, reſtitui faciat regia celſitudo.*

Et ut prædictum mandatum apoſtolicum meliorem ſortiretur effectum, dominus papa ſcripſit *E. Elienſi* & *M. Wigornenſi* epiſcopis & abbati ſancti *Edmundi*, ut ipſi regem adirent et efficaciter inducerent ad omnia & ſingula prout dominus papa ei ſcripſerat exſequenda. Quod & ipſi tam literis ſuis quam vivæ vocis oraculo ſatis efficaciter expleverunt. Et quia ſuggeſtum fuerat domino papæ per abbatem & conventum, quod dominus rex ad inſtigationem et per procurationem domini *Cantuarienſis* archiepiſcopi et *Simonis Wellenſis* archidiaconi et prædicti domini *Cantuarienſis* Vicecancellarii præcipue hæc mala ſupradicta eis intulerat, dominus papa ſcripſit dominis *Elienſi* et *Wigornenſi* epiſcopis ſupradictis, ut ipſi ſuper hoc tam per teſtes idoneos quam per famam viciniæ diligentius inquirerent ſublato quolibet appellationis obſtaculo, et quicquid invenirent domino papæ ſub ſigillis ſuis referrent. Quod mandatum tam archiepiſcopum quam prædictum *S.* Vicecancellarium valde terruit, unde et ab illo die à perſecutione monaſterii ſancti *Auguſtini* maturius ſe temperaverunt, et pacem inter regem et monaſterium prædictum prout poterant reformari procurarunt. Sicque regis furore aliquantulum delinito, regii miniſtri qui ipſam abbaciam ſancti *Auguſtini* occupaverant, per ipſum regem amoventur. Set poſſeſſiones minime reſtituuntur, unde de conſilio amicorum mittuntur duo nuncii, ſcilicet *Brandanus* monachus et magiſter *Gervaſius* clericus ex parte abbatis et conventus ad dominum regem, ut ſi forte prece vel precio poſſeſſiones monaſterii de manu regis velut clavam de manu *Herculis* extorqueant. Accedunt igitur humiles ad indignantem, ſupplices ad furentem, et ſermonibus rethoricis prout ambo erant eloquentiſſimi regiam deprecantur majeſtatem, ſuppliciter expoſcunt miſericordiam, ut ablata reſtituat, et more anteceſſorum ſuorum libertates et jura eccleſiaſtica et maxime eccleſias de **Faverſham** de ſua gratia eis confirmare dignaretur. Et ut facilius petita inpetrarent domino regi ducentas marcas et unum palefridum regiæ ſellæ ſatis elegantem ex parte abbatis et conventus offerunt, rex tamen licet more principum pecuniæ ſatis avidus, neque pecuniam neque palefridum pro tunc ſe acceptare velle reſpondit quouſque ſuper hiis dominum *Cantuarienſem* conſuluerit, eo quod ad ejus inſtantiam bona monaſterii ſancti *Auguſtini* confiſcari mandaverit. Dimiſſi igitur nuncii noſtri ſub ſpe bona ad propria redeunt, tempore opportuno ad ipſum regem reverſuri. Igitur ſuper hiis dominus rex conſuluit archiepiſcopum per literas ſuas quarum tenor iſte eſt, « JOHANNES Dei gratia, &c. *H.* archiepiſcopo ſalutem. Acceſſerunt ad nos nuncii Abbatis & conventus S. *Auguſtini* inſtanter petentes & humiliter poſtulantes quod cartas anteceſſorum noſtrorum eis ſuper eccleſia de **Faverſham** collatas miſericorditer confirmaremus. Et quia in multis nos offenderunt, propter gratiam noſtram & poſſeſſionum ſuarum quæ in manu noſtra ſunt reſtitutionem obtinendam, nobis ducentas marcas & unum palefridum optulerunt. Nos vero licet ſuper eorum petitionem & oblationem plurimum movebamur, noluimus tamen in hiis eos plene exaudire, quouſque ſuper hiis veſtrum haberemus conſilium, unde vobis mandamus quod ſuper hiis nobis conſilium veſtrum ſignificetis.

Hubertus Archiep.

Reſponſio archiepiſcopi in hæc verba.

Reverendo domino ſuo J. *Dei gratia illuſtri regi* Angliæ *&c.* Hubertus *eadem gratia* Cantuarienſis *archiepiſcopus ſalutem & debitam in domino reverentiam. Placuit excellentia veſtra à nobis conſilium petere ſuper confirmandis cartis anteceſſorum veſtrorum quas monachi ſancti* Auguſtini Cant. *habent ſuper eccleſia de* **Faverſham** *& ſuper reſtituendis eis poſſeſſionibus ſuis quæ ſunt in manu veſtra. Licet autem ipſi monachi & vos & nos domine multum offenderint, & ita tam à vobis quam à nobis magis promeruerint malum quam bonum, nolumus tamen eis malum pro malo reddere nec fidem quam vobis debemus male vobis conſulendo pro eis lædere. Immo ita vobis volumus conſulere ſicut fidem noſtram erga vos & conſcientiam erga Deū cupimus ſalvare. De cartis igitur anteceſſorum veſtrorum confirmandis vobis reſpondemus, quod cum conſtet nobis quod idem monachi habeant cartam bonæ memoriæ regis* Willelmi *qui prædictam eccleſiam de* **Faverſham** *eis concedit quantum ad patronū pertinet, nec non confirmationem regis* Henrici *filii ſui, & confirmationem regis* Henrici *patris veſtri, confirmationem quoque* Ricardi *regis fratris veſtri ſuper eadem eccleſia, videtur nobis quod vos quoque juſte poſſitis & debeatis hoc ipſum quod prædeceſſores veſtri memoratis monachis de eadem eccleſia conceſſerunt & confirmaverunt quantum ad patronum pertinet eis confirmare. De reſtituendis vero eorum maneriis quæ ſunt in manu veſtra vobis dicimus, quod cum nullo modo fuerit laudabilis vel laudanda talis eorum maneriorum deſtitutio, bona & laudabilis erit celeris eorum reſtitutio. Set de recipienda oblata vobis pro eorundem reſtitutione & pro gratia veſtra pecunia, nil vobis conſulere volumus, cum pocius abſque pecunia ſit facienda reſtitutio ut nobis videtur quam pro illa, quia taliter ablata potius cum ſatisfactione quam pro precio ſunt reſtituenda. Vos autem inde faciatis quod vobis bonum videbitur. Scimus quidem quod vos ex deſtitutione illa parum commodi habueritis cum prædicti monachi habuerunt plurimum dampni, & aliqui fortaſſe miniſtri veſtri non modicum lucri, de vobis enim in hac parte dici poteſt, quod vos dumos excuſſeritis, & alii aves collegerunt. Valete.*

Rex igitur hoc archiepiſcopi accepto & acceptato conſilio, nuncios S. *Auguſtini* prædictos revocat, pecuniam per eos ſibi prius oblatam reſpuit, ſet palefridum victus nunciorum precibus acceptat omnibus poſſeſſionibus ſuis monaſterio reſtitutis, & in recompenſationem dampnorum qualemcunque quæ huic monaſterio intulerat, cartas prædeceſſorum ſuorum ſuper eccleſiis de **Faverſham** & de **Middelton** & ſuper juribus & libertatibus monaſterii, ut pauliſper poterit elucere, gratanter confirmat. Sicque factus eſt iſtius monaſterii patronus & protector qui prius fuerat immaniſſimus perſecutor.

CAP.

Johannes Rex.

CAP. XVIII.

§. 1. *Conflictus pro eccleſia de* **Faverſham** *cum archiepiſcopo & archidiacono.*

An. Dñi 1202.

ANno Domini M.CC.ij. conflictu cum *Johanne* rege ſuper eccleſia de **Faverſham** ſic expedito & uſque ad finem optatum ſumptuoſe perducto, ad conflictum qui cum archiepiſcopo *Cantuarienſi* & archidiacono ejuſdem habebatur ſuper eadem eccleſia revertamur. Igitur monachis S. *Auguſtini* ut ſuperius dictum eſt à domibus perſonatus prædictæ eccleſiæ poſt interpoſitam appellationem ejectis violenter & à poſſeſſione ſua pacifica ſpoliatis, Archidiaconus *Cantuarienſis*, ad cujus inſtantiam ejecti fuerant, poſſeſſionem prædictarum domorum ingreſſus violenter tenuit; unde monachi S. *Auguſtini* appellationes ſuas coram domino papa *Innocentio* cum effectu ſunt proſecuti. Partibus itaque monachorum & archidiaconi coram domino papa conſtitutis, Monachi propoſuerunt ſe à poſſeſſione ſua pacifica in eccleſiæ domibus de **Faverſham** poſt appellationem legitime interpoſitam violenter & contra juris ordinem per archidiaconum ſpoliatos, quare petebant ſe reſtitui. Procurator archidiaconi ex adverſo reſpondit, cuſtodias eccleſiarum vacantium in archidiaconatu *Cantuarienſi* tam de conſuetudine quam de jure communi ad ipſum archidiaconum pertinere. Hiis & multis aliis in præſentia domini papæ judicialiter propoſitis, ſicut ex illa decretali apparet *extra de appellationibus bonæ memoriæ O. de Camera* quæ ſuper iſtum caſum eſt fundata, papa mandavit *Londonienſi* & *Roffenſi* epiſcopis, & Priori ſancti *Albani*, ut ipſi abbatem S. *Auguſtini Cant.* & monachos in eundem ſtatum reſtituerent in quo fuerunt tempore appellationis emiſſæ. Cujus mandati auctoritate, prædicti executores vocatis ad præſentiam partibus, poſſeſſionem prædictæ eccleſiæ de **Faverſham** abbati S. *Auguſtini* adjudicaverunt cum omnibus fructibus medio tempore perceptis. Unde archidiaconus *Cantuarienſis Henricus* nomine de **Stanford**, coram prædictis executoribus ceſſit à poſſeſſione eccleſiæ antedictæ ratione ſententiæ contra ipſum prolatæ. Remiſit eciam abbati S. *Auguſtini* omnes actiones quas habebat erga ipſum ratione cuſtodiæ eccleſiæ de **Middelton** & reſignavit, literis ſuper hiis impetratis, in manus executorum prædictorum. Et abbas S. *Auguſtini* remiſit prædicto archidiacono *Cantuarienſi* omnes fructus & obventiones quos medio tempore perceperat de eccleſia de **Faverſham**; exceptis fructibus tunc in grangiis exiſtentibus: ſicut quædam litera tam executorum prædictorum quam archidiaconi ſigillis munita plenius teſtatur, Sicut ſuperius dictum eſt.

De archiepiſcopo Cantuarienſi in cauſa quæ ſupra.

Cauſam iſtam eccleſiæ de **Faverſham** quantũ ad violentiam per archiepiſcopum & laicos abbati & monachis S. *Auguſtini* illatam, ab initio commiſerat *Londonienſi* & *Elienſi* epiſcopis & Abbati & Priori S. *Edmundi*. Set ipſis mandatum apoſtolicum minus rigide exſequentibus propter partis adverſæ frivolas exceptiones & dilationes fruſtratorias. Unde dominus papa iterato mandat eiſdem judicibus ſub hiis verbis.

Hubertus Archiep.

INNOCENCIUS *epiſcopus, &c. Venerabilibus fratribus, &c. Grave gerimus & moleſtum & de diſcretione veſtra compellimur non mirari ſolummodo ſet moveri, quod cum jam ſit annus elapſus ex quo ſuper negotio eccleſia de* **Faverſham** *mandatum recepiſtis apoſtolicum exequendum, in tantum appellationibus fruſtratoriis & frivolis exceptionibus detuliſtis, ut nondum ſub examine veſtro potuerit habere proceſſum. Unde dilecti filii abbas & fratres ſancti* Auguſtini Cant. *præter grandes injurias & jacturas graves nichilominus labores & ſumptus ſunt ſubire coacti. Volentes igitur eiſdem fratribus qui poſt Deum alium præter nos defenſorem non habent, in tanta neceſſitatis articulo ſubvenire, devotioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtricte præcipimus, quatinus omni gratia & timore poſtpoſitis, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, cogatis partem adverſam per diſtrictionem eccleſiaſticam litem protinus conteſtari, & teſtes quos utralibet pars tam ſuper principali quam quolibet incidenti duxerit producendos, infra duos menſes poſt litis conteſtationem recipere ac examinare curetis, ita quod ſi nequiveritis perſonaliter intereſſe, per viros diſcretos id nichilominus exequamini, à quibus non liceat aliquatinus appellare, cum hoc mandatum celerem velimus ſortiri effectum, ne præfatum monaſterium cogatur diutius laborare. Atteſtationibus vero receptis, præfigatis partibus terminum competentem, quo cum ipſis, recepturi ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent: Ad quem ſi qua partium venire noluerit, nos nichilominus procedemus. Si vero pars adverſa litem noluerit infra triduum conteſtari, vos procuratorem monaſterii omni appellatione & contrarietate remota in poſſeſſionem rei de qua agitur inducatis & defendatis inductum. Inſuper ſi voluerit infra annum, non vobis ſet nobis legitimam offerat cautionem. Teſtes vero qui nominati fuerint*, &c.

Hujus igitur mandati novitate excitati ſupraſcripti Judices delegati, vocatis ad ſuam præſentiam partibus in ipſa cauſa proceſſerunt in forma quæ ſequitur. Quem quidem proceſſum quia ipſum inter quædam acta & atteſtationes prædictam cauſam contingentia ſcriptum reperi, hic annotare dignum duxi, nichil augendo vel diminuendo in hæc verba.

CUm coram dominis *Londonienſi* & *Elyenſi* & abbate S. *Edmundi* judicibus à ſede apoſtolica delegatis lis inter archiepiſcopum & abbatem ſancti *Auguſtini* & monachos inicium capere debuiſſet, contigit archiepiſcopum & dominos *Elienſem* & *Londonienſem* ex cauſis neceſſariis transfretare, ſicque propter eorum abſentiam cauſa uſque ad eorum reditum cepit dilationem. Quibus reverſis, archiepiſcopus citatus edicto peremptorio, ſtatim ſe per procuratorem defendit, nec ſubterfugium aliquod quærens nec eciam exceptionem aliquam proponens, dicebat ſe paratum litem conteſtari & intentionibus abbatis & conventus reſpondere, ſi viciſſim abbas & conventus archiepiſcopo eos reconvenire volenti reſponderent. Cumque & judicibus & partibus placeret reconventionem eſſe admittendam, procurator abbatis & monachorum S. *Auguſtini* intentionem ſuam propoſuit in hunc modum.

¶ « Archiepiſcopus, poſt appellationem abbatis « S. *Auguſtini* pro ſe & pro monachis ſuis, pro eccle-

Johannes Rex.

« cleſiis eciam abbatiæ ſuæ cum parochianis earum, & præcipue pro eccleſia de **Faverſtam** cum parochianis ſuis ad dominum papam legitime interpoſitam, poſt eandem eciam appellationem ſolempniter innovatam, & contra libertatem monaſterii ſancti *Auguſtini*; per magiſtrum *Everardum* quondam officialem archidiaconi & per decanos quoſdam & capellanos, quoſdam monachos ſancti *Auguſtini* excommunicavit.

« Item eccleſias quæ pertinent ad donationem abbatis S. *Auguſtini*, poſt eandem appellationem, & poſt appellationem Rectorum earum, & contra tenorem libertatis monaſterii S. *Auguſtini*, generali ſuppoſuit interdicto. Parochianos eciam earum à divini officii & ſacramentorum perceptione ſuſpendit, mortuorum eciam ſepulturam interdixit.

« Item cum archiepiſcopus tranſitum faceret per **Faverſham** parochianis ſibi occurrentibus benedictionem ſuam denegavit, denuncians eos excommunicatos eo quod monachis S. *Auguſtini* communicaverant; hoc eciam poſt dictam appellationem abbatis factum eſt.

« Item quod archiepiſcopus impedit jus abbatis et conventus in eccleſiis ſuis vacantibus, differendo inſtitutiones clericorum ſuorum, utpote magiſtri *I.* qui præſentatus eſt ad eccleſiam de **Stone** et *R.* clerici præſentati ad eccleſiam de **Langedon.**

« Propoſitum eſt eciam à procuratoribus ſupradictis, quod cum ipſe archiepiſcopus poſt appellationem ad dominum papam pro eis interpoſitam coram eodem ſuper eccleſia de **Stone** vacante ne quid in præjudicium eorum fieret, et *I.* clerici quem ad eandem eccleſiam præſentaverunt, poſt appellationem eciam procuratoris ipſius clerici pro eo ſic interpoſitam, eandem eccleſiam ſuppoſuit interdicto, quod interdictum fere per annum duravit et dimidium.

« Procurator vero archiepiſcopi reconveniendo abbatem & conventum ſuper pluribus articulis & approbata reconventione reſpondit hoc modo.

« Archiepiſcopus neſcit an abbas appellaverit, ſi tamen appellaverit ejus appellationi in eo caſu non fuit differendum, quia manifeſta fuit ejus intruſio in eccleſiam de **Faverſham.** Probet igitur abbas ſe appellaſſe, & ſi forte hoc probaverit, nos probabimus illi appellationi non fuiſſe differendum.

« Item procurator archiepiſcopi confeſſus eſt excommunicaſſe in genere omnes illos qui ſe intruſerant in eccleſiam de **Faverſham**, & eum eccleſias de **Faverſham** & **Stone** ſuſpendiſſe & quaſdam alias eccleſias monaſterii S. *Auguſtini*, ſet neſcit quas vel quot; & dixit has ſententias excommunicationis & interdicti juſte tuliſſe ob delictum manifeſtum monachorum ſcilicet intruſionem. Cum enim monuiſſet eos, ut aſſeruit, ut ab intruſione ſua deſiſterent, & illi ſemper pertinaciter in ea perſeverarent, credebat eos ſic ſaltem à ſua intruſione revocare.

« Adjecit eciam idem procurator, ſententias illas latas fuiſſe non in præjudicium alicujus appellationis legitime factæ, nec contra libertatem aliquam monaſterii S. *Auguſtini* competentem.

« Adjecit eciam, quod archiepiſcopus ingrediens **Faverſham** unica benedictione benedixit omnibus habitantibus in ea. Set poſtea cum villa ſit magna et populus multus, non potuit ſingulis ſibi occurrentibus ſigillatim benedicere, nulli tamen benedictionem denegavit qui prius univerſitati benedixerat. Nullum eciam ſibi occurrentium nominatim denunciavit excommunicatum.

Hubertus Archiep.

« Adjecit eciam, archiepiſcopum juſte differre inſtitutiones duorum clericorum ſibi præſentatorum, jure enim ſuo utitur, et juris executio non habet injuriam. Monachi enim in illas duas eccleſias ſe intruſerunt de **Langdon** ſcilicet et **Stone**, et adhuc eas detinent, unde ad præſentationem intruſorum nullum debuit archiepiſcopus admittere nec inſtituere in illis, ipſis in intruſione perſeverantibus. Recedant ergo monachi ab intruſione, et archiepiſcopus libenter admittet clericos ab eis præſentatos.

§. 2. *Conflictus pro eccleſia de* **Middelton** per archiepiſcopum.

« Idem reconvenit abbatem & monachos S. *Auguſtini* dicens, quod ipſi mortuo *Francone* perſona eccleſiæ de **Middelton**, in eccleſiam de **Middelton** vacantem quadriennio tranſacto ſe intruſerunt, & fructus & obventiones ejus ad valenciam lxxx. marcarum minus rationabiliter in uſus proprios converterunt, & quod ſæpius per archiepiſcopum moniti, tamen neque ei clericum idoneum ad ipſius regimen præſentarunt, neque ipſum vel ejus officialem cuſtodiam ipſius tanquam vacantis habere permiſerunt. Petit ergo archiepiſcopus ut auctoritate dominorum judicum monachis ab eadem eccleſia amotis, ei cuſtodia dictæ eccleſiæ tanquam vacantis tradatur. *Secundo*, ut monachi ſolvant ei & officialibus ſuis omnes fructus & obventiones quas perceperunt à tempore quo ſe intruſerunt. *Tercio*, ut ſatisfaciant ſibi ſuper injuria ab eis ſibi illata ſuper dicta eccleſia dicto modo. *Quarto*, ut ipſe ſinatur clerico cui voluerit dummodo idoneo eccleſiam illam auctoritate *Lateranenſis* concilii dare, irrequiſito monachorum conſenſu, ſalvo eis poſtmodum jure patronatus ſi ſalvum eſſe debeat. Item, mortuo *O. de Camera* perſona eccleſiæ de **Faverſham**, dicti monachi ſe in illam eccleſiam intruſerunt ſpreta auctoritate archidiaconi, omnes obventiones illius ſibi indebite appropriantes. Et licet ſæpius moniti nondum tamen quemquam ad illius regimen archiepiſcopo præſentaverunt, et ibidem miſſas celebrare indebite & alia ſacerdotalia miniſtrare præſumpſerunt. Petit igitur archiepiſcopus ſibi ſuper hiis injuriis ſatisfieri, obventiones à tempore intruſionis prædictæ perceptas ſibi vel officiali ſuo reſtitui, & ut liceat ei eccleſiam illam clerico idoneo auctoritate *Lateranenſis* concilii dare.

« Adjecit eciam quod monachi ſancti *Auguſtini* in eccleſiam de **Stone** elapſo anno ſe intruſerunt, & obventiones ad valentiam xx. marcarum indebite uſurparunt, jus archiepiſcopi & archidiaconi ſui in ea enervantes. Petit igitur ut monachis ab ea amotis ſibi ſuper hac injuria ſatisfiat, & obventiones à tempore vacationis perceptæ ei vel officiali ſuo reddantur; & ut liceat ei eciam de hac eccleſia auctoritate *Lateranenſis* concilii diſponere, cum præſcriptio ſex menſium auctoritate *Lateranenſis* concilii currens contra patronum omnino non præſentantem æque curratur ſicut contra patronum vicioſum præſentantem.

Adjecit

Johannes Rex.

« Adjecit eciam ſimilem querimoniam ſuper eccleſia de **Langedon**, in qua monachi ſimiliter ſe nuper intruſerant, petens ſimiliter illius cuſtodiam ſibi cedi & ſuper injuria ſibi ſatisfieri.

« Adjecit eciam procurator archiepiſcopi, archiepiſcopum & archidiaconum ſuum debere habere cuſtodiam omnium eccleſiarum vacantium in quibus monachi S. *Auguſtini* habent jus patronatus.

« Adjecit quoque archiepiſcopum & archidiaconum ſuum eſſe in poſſeſſione hujus juris, unde petit ut hoc jure libere & ſine impedimento uti poſſit.

¶ « Procurator abbatis & monachorum ſancti *Auguſtini* reſpondit, quod cum archiepiſcopus proponeret abbatem & monachos intruſos in eccleſiam de **Middelton**, eo quod ut aſſerebat eccleſia illa vacans erat & cuſtodia ejus dum vacaret ad ipſum vel archidiaconum ſuum pertineret, certificari voluerint abbas & monachi, utrum archiepiſcopus contenderet ſe an archidiaconum jus cuſtodiæ habere in eccleſia prædicta.

¶ Et incontinenti reſponſum eſt à procuratore archiepiſcopi, « Cuſtodiam illius eccleſiæ principaliter ad archiepiſcopum, ſecundario & auctoritate archiepiſcopi ad archidiaconum ſuum pertinere.

¶ Conſequenter reſpondit procurator abbatis, « Quod etſi vacaret eccleſia de **Middelton**, nichilominus cuſtodia illius & claves & proventus non ad archiepiſcopum, immo ad abbatem & monachos tempore vacationis pertineret. Adjecit quoque, illam non eſſe vacantem, immo abbatem & monachos S. *Auguſtini* ejuſdem perſonatum habere, ſeu canonicum titulum percipiendi omnes proventus illius, & ſic eos jure ſine conſilio fraudis ſeu intruſionis eccleſiam ſibi retinere. Et ideo archiepiſcopus fruſtra ad vacantem ſuper proventibus & ipſius quaſi vacantis fruſtra eos moleſtabat, fruſtra, quaſi injuria ei illata fuiſſet ſibi petebat ſatisfieri, cum abbas & monachi jure ſuo uſi fuerint, & juris executio non habet injuriam. Super eccleſia de **Faverſham** omnino idem; eam totam in uſus ſuos ſibi retinuerunt, quandoque eciam clericis ſecularibus nunc ſub majori, nunc ſub minori penſione, numquam tamen ad firmam conceſſerunt. Tandem defuncto *Osberno de Camera* cui eccleſiam illam ad inſtantiam *Henrici* regis ſub penſione ſex marcarum conceſſerant, jure ſuo & licite, & citra injuriam archiepiſcopi, & ſic citra vicium intruſionis ingreſſi ſunt poſſeſſionem illius eccleſiæ.

¶ Requiſitus procurator abbatis à procuratore archiepiſcopi, « Quo inſtituente habuerunt monachi jus patronatus in eccleſiis de **Faverſham** & de **Middelton**; habita deliberatione reſpondit in hunc modum.

¶ « Abbas & conventus credunt, quod tempore conceſſionis & confirmationis regis *W.* primi ſuper eccleſiis de **Faverſham** & de **Middelton** eis factæ, archiepiſcopus *Cantuarienſis* qui tunc fuit inſtituit abbatem & conventum in eaſdem eccleſias. Set ad idem probandum nec teſtes habent, nec inſtrumenta ſuper hoc ſpecialiter confecta. Verum pro certo ſciunt quod archiepiſcopus *Theobaldus* conceſſit eis eccleſias illas, & bonæ memoriæ *Celeſtinus* eaſdem eis confirmavit. Præterea adjecit procurator abbatis, quod archiepiſcopus falſo ſuggeſſit domino papæ monachos manu armata detinuiſſe eccleſiam de **Faverſham**.

Hubertus Archiep.

Adjecit eciam, archiepiſcopum fruſtra prætendere ignorantiam circa appellationem abbatis cum publice innovata fuiſſet. Adjecit eciam, quod nuncii abbatis & monachorum cum literis eorum acceſſerunt ad archiepiſcopum apud **Slyndon**, conquerentes quod poſt eorum appellationem factam & ſolempniter innovatam magiſter *Everardus* tunc officialis archidiaconi *Cantuarienſis* in præjudicium & contra libertatem monaſterii S. *Auguſtini* monachos in eccleſia de **Faverſham** tunc exiſtentes auctoritate archiepiſcopi excommunicavit, & eccleſias abbatiæ generali ſuppoſuit interdicto. Cumque inſtantius peterent ut archiepiſcopus illas ſententias irritaret, archiepiſcopus warantizare eas voluit nec eas irritare, dicens, dictis appellationibus non fuiſſe deferendum. Cum igitur appellatio abbatis ad notitiam archiepiſcopi pervenit, & ipſe nichilominus illas ſententias poſt appellationem factas ratas habuit, cum ratihabitio retro trahatur, excuſationem ignorantiæ ſi quam ab initio habuit ex poſt facto amiſit, adiciens, hæc omnia à magiſtro *Everardo* & per eum & auctoritate ejus facta fuiſſe.

¶ Super eccleſiis de **Stone** & de **Langedon** reſpondit procurator abbatis & conventus, « Quod cum cuſtodia earum & aliarum ſui patronatus ad abbatem & monachos pertineret, cum & ipſi ad illarum eccleſiarum regimen perſonas idoneas archiepiſcopo præſentaſſent, archiepiſcopus eos ſuper cuſtodia earum ſeu proventibus injuſte moleſtabat. Item procurator abbatis & conventus confeſſus eſt in jure monachos S. *Auguſtini* detinuiſſe eccleſias de **Stone** & de **Langedon** ex quo vacaverunt, & adhuc detinere, & nolle cuſtodiam earum archiepiſcopo vel archidiacono dimittere, nec debere, cum ad eos ſpectaret cuſtodia omnium eccleſiarum vacantium ſui patronatus & non ad archiepiſcopum vel archidiaconum, & eos in poſſeſſione hujus cuſtodiæ eſſe, & non archiepiſcopum vel archidiaconum.

HIS itaque hinc inde propoſitis utriuſque partis teſtes ſunt admiſſi, multi quidem. Quorum multitudo à judicibus ad minorem numerum redacta fuiſſet, niſi quia partes inſtabant ut omnes admitterentur propter articulorum probandorum multitudinem. Publicatis demum atteſtationibus, paratus fuit archidiaconus à judicibus ſententiam accipere, & hoc inſtanter petiit, ut ſcilicet ipſi inſpectis atteſtationibus ſententiarent. Set pars adverſa ſententiam domino papæ maluit reſervare. Deinde cum renunciatum eſſet productioni ſuper teſtibus repellendis, die ad idem præfixo facta eſt inſtrumentorum ſancti *Auguſtini* exhibitio. Poſtmodum vero die ſcilicet Martis proxima poſt caput jejunii, dicti judices partibus peremptorium præfixerunt diem, ſcilicet diem natalis beatæ *Mariæ* quo coram domino papa compareant ſententiam recepturi. Set amicis mediantibus & de pace tractantibus, rex ipſe ſcripſit archiepiſcopo ſupplicando, ne ipſe abbatem ſuper eccleſiis de **Faverſham** & de **Middelton** moleſtaret ſeu impediret quo minus de prædictis eccleſiis poſſit diſponere & in uſus proprios convertere. Igitur archiepiſcopus *H.* tandem volens ea quæ pacis ſunt & non belli, ob regis reverentiam, prædictas eccleſias prædeceſſoris ſui *Theobaldi*

Johannes Rex. *baldi* veſtigiis inhærendo ratificavit perpetuo poſſidendas.

An. Dñi 1204. Anno Domini M. CC. iiij. facta fuit finalis concordia in curia domini regis apud *Weſtmonaſterium* coram Juſticiariis ſuis inter *Willelmum David* petentem, & *R.* abbatem tenentem de lv. acris cum pertinentiis in **Plunſtede**, unde recognitio de morte anteceſſoris ſubmonita fuit inter eos in præfata curia, ſcilicet quod prædictus *W.* remiſit & quietum clamavit de ſe & hæredibus ſuis prædicto abbati & ſucceſſoribus ſuis totum jus & clameum quod habuit in prædicta terra cum pertinentiis. Et pro hac quieta clamatione, fine & concordia idem abbas dedit eidem decem marcas. Anno ſequenti *Gaufridus* Prior eccleſiæ Chriſti & ejuſdem loci capitulum confirmationem ſuperius nominatam per litteras ſuas patentes ſigillo eorum communi ſignatas ratificaverunt; ſet & totus proceſſus ſigillis judicum ſignatus penes nos remanſit, partibus coram papa, eodem archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, die præfixo ibidem minime comparentibus.

De eccleſia de **Borden**.

Cum controverſia mota fuiſſet inter abbatem & Priorem de *Ledis* ſuper eccleſia de **Borden**, tandem ſub hac fine quievit, videlicet quod pro bono pacis & ob litem ſuper prædicta eccleſia inter partes ſopiendam, idem Prior unam marcam argenti eccleſiæ beati *Auguſtini* annuatim ad duos terminos, ſcilicet ad feſtum S. *Michaelis* & in Paſcha æqualiter perſolvet. Hujus compoſitio eſt inter partes communis ſigilli appoſitione roborata.

§. 3. *Dimiſſio manerii de* **Preſton** J. *filio* W. Capel.

1206. ANno ſequenti, viz. M. CC. vj. dimiſit abbas *Rogerius* manerium de **Preſton** ad feodi firmam ſub hoc tenore. *Sciant præſentes & futuri,* &c. *quod ego* Rogerus *Dei gratia abbas,* &c. *conceſſimus & dimiſimus & præſenti carta noſtra confirmavimus* Johanni *filio* Willelmi Capel *totum manerium noſtrum de* **Preſton** *cum hundredo quod* Willelmus Capel *pater prædicti* Johannis *de nobis tenuit, Tenendum & habendum de nobis hæreditarie ſibi & hæredibus ſuis imperpetuum, reddendo inde nobis ſingulis annis de feudi firma de dominico ipſius manerii decem libras ſterlingorum in quatuor anni terminis, in natali Domini ſcilicet de firma* l. s. *in Paſcha de firma* l. s. *in natali ſancti* Johannis Baptiſtæ *de firma* l. s. *in eodem termino pro hundredo ipſius manerii* xxx. s. *ſingulis annis, in feſto ſancti* Michaelis C.ij.s. *ſcilicet de firma* l s. *& pro redditu hominum tenentium ipſius manerii* l. s. *ſimiliter annuatim de* **Romeſcot** ij. s. *& pro dono vicecomiti* iiij. s. *annuatim temporibus quibus dari conſueverunt. Inveniet eciam prædictus* Johannes *& hæredes ſui ſex homines de prædicto manerio de* **Preſton** *ad levandum & taſſandum fœnum noſtrum de* **Langeport** *ad ſummonitionem noſtram in cibo Celeraris noſtri. Ipſe autem* Johannes *& hæredes ſui ſequentur curiam noſtram ſancti* Auguſtini. *Jus vero patronatus eccleſiæ jam dicti manerii de* **Preſton** *nobis & eccleſiæ* Auguſtini *imperpetuum retinemus; in quo ſcilicet patronatu dictus* Johannes *vel hæredes ſui nil inperpetuum debent vendicare. Et ſi placitum emerſerit in hundredo de* **Preſton** *quod ibi non poſſit terminari, ad curiam noſtram de ſancto* Auguſtino *veniet & ibi terminabitur. Facta eſt autem hæc dimiſſio anno Domini* M. CC.vj. *in craſtino S.* Petri *ad vincula.* Hubertus Archiep.

Nec occaſione iſtius traditionis eſt credendum quod manerium de **Preſton** ſit tunc primo extra traditum, nam ſicut ex ſupraſcripta indentura & ex tranſcripto cujuſdem literæ quod ſequetur liquido apparebit, *Willelmus Capel* pater prædicti *Johannis Capel* tenuit manerium de **Preſton** antedictum de abbate ſancti *Auguſtini* ad feodi firmam xij. librarum & xij. s. Tenor vero illius tranſcripti ſicut invenitur in textu ſancti *Adriani*, eſt iſte.

Sciant præſentes & futuri, quod ego Rogerus *Dei gratia electus ſancti* Auguſtini *& ejuſdem loci conventus conceſſimus* Rogero *filio* Reinfridi *& hæredibus ſuis cuſtodiam hæredum* W. Capel, Johannis *videlicet &* Olympiæ *ſororis ſuæ cum tota terra ſua, ſcilicet feudo de* **Dene** *& firma de* **Preſton**, *ſalvo ſervicio quod eædem terræ debent eccleſiæ noſtræ ſancti* Auguſtini, *& ſalva firma de* **Preſton**, *ſcilicet* xij. l. *&* xij. s. *quatuor anni terminis. Ita quod* Rogerus *habebit prædictam wardam donec pueri habeant ætatem quod poſſint terram tenere, & tunc maritabit illos, ita quod non ſint diſperagiati.*

§. 4. *De advocatione eccleſiæ de* **Preſton**.

EX prædictis liquet quod de eodem manerio debetur warda & maritagium, & per conſequens homagium. Cujus primæ traditionis occaſione exſtitit quædam contentio inter dominum *R.* tunc electum hujus monaſterii & *Johannem Capel* ſuperius nominatum de advocatione eccleſiæ; unde recognitio magnæ aſſiſæ ſummonita fuit in curia regis apud *Cantuariam*, ſcilicet quod prædictus *J.* recognovit prædictam advocationem eſſe jus ipſius abbatis & eccleſiæ ſancti *Auguſtini*, & illam remiſit & quietam clamavit de ſe & hæredibus ſuis prædicto abbati & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum. Quando vero iſtud manerium primo fuerit extra traditum, nullius memoriæ potui invenire veſtigium. Fuit enim cum hundredo antiquis temporibus pertinens ad cameram monachorum S. *Auguſtini*, & defendebat ſe pro v. ſolinis & fuit appreſſiatum ad xix. l. ut patet in **Domeſday** regis *Willelmi*. Ignoſcat ei Deus qui à cameraria illud manerium primo alienavit.

CAP. XIX.

§. 1. Alexander *monachus noſter in abbatem creatus eſt.*

ANno Domini M. CC. xij. die undecim mille virginum obiit dominus *Rogerus* abbas hujus monaſterii ſenex & plenus dierum. Qui diebus ſuis pro juribus ſuæ eccleſiæ multa adverſa ſuſtinuit, ſet omnia Deo cooperante illæſa cuſtodivit, & in capitulo ſub lapide albo ſepelitur. Quo defuncto, magiſter *Alexander* hujus monaſterii monachus & ſacræ Theologiæ profeſſor eximius in abbatem eligitur. Vir utique facundiſſimus, tam ſeculari quam eccleſiaſtica ſapientia eruditiſſimus, & ipſi regi *Johanni* amantiſſimus utpote ejus connutricius, qui à An. Dñi 1212.

rege

Johannes Rex. rege *Johanne* gratanter receptus cum ab archiepiſcopo *Stephano* inſtanter peteret, ut ipſe eum in eccleſia ſua ſancti *Auguſtini* ſine exactione profeſſionis benediceret juxta tenorem ſui monaſterii privilegiorum, archiepiſcopus omnino ipſum benedicere denegavit; à quo gravamine interpoſita appellatione cogitur electus *Alexander* tranſmarinas petendo patrias pro ſua benedictione optinenda *Romanum* adire pontificem. Conſtitutis igitur in præſentia domini papæ *Innocentii* iij. *Alexandro* electo ſancti *Auguſtini* ex una parte, & magiſtro *R.* procuratore archiepiſcopi *Cantuarienſis* ex altera, electus noſter firmiter aſſeruit, ipſum debere benedici ab archiepiſcopo ſine exactione profeſſionis, ſicut per ſententiam bonæ memoriæ *Alexandri* papæ iij. in benedictione *Rogeri* abbatis fuerat diffinitum, procuratore archiepiſcopi contra obiciente, quod eadem ſententia per eundem *Alexandrum* papam poſtmodum fuit revocata, ſicut quarundam literarum tranſcriptis nitebatur oſtendere; quarum tenor de verbo ad verbum poſtea loco ſuo ſubinſeritur. Set dominus papa vacationis noſtræ diſpendio cupiens providere, & utrique parti ſine alterius juris præjudicio conſulere, electum noſtrum *Alexandrum* in abbatem benedixit, danſque archiepiſcopo literas teſtimoniales, quod eundem electum abſque præjudicio archiepiſcopi benedixiſſet, aſſignans tam ſibi quam abbati terminum peremptorium in concilio generali proximo futuro. In quo ſi archiepiſcopus poſſet ſufficienter oſtendere, quod abbas S. *Auguſtini* in benedictione ſua deberet archiepiſcopo facere profeſſionem, eam faceret ſibi humiliter exhiberi, alioquin ipſum abbatem ab impetitione archiepiſcopi penitus abſolveret; ſicque abbas noſter domi revertitur, & à *Johanne* rege familiariter recipitur, ipſi regi firmiter inhærendo cum fere omnes prælati *Anglia* & barones ipſum dereliquerant in execrabili diſcordia inter eos exorta.

§. 2. *De monachis ſancta* Trinitatis *ab exilio redeuntibus.*

An. Dñi 1214. ANno Domini M.CC. xiiij. redierunt monachi eccleſiæ Chriſti ab exilio pace eorum facta cum rege per abbatem *Alexandrum*. Et reverſi laborem abbatis male remuneraverunt, archiepiſcopum *Stephanum* ad officium ſuum in omnibus exercendum de tranſmarinis partibus quem in exilio poſuerat ad eccleſiam ſuam vocavit.

§. 3. *De liberis electionibus epiſcoporum & aliorum pralatorum* Angliæ.

EOdem anno conceſſit omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus per Cartam ſuam pro dampnis & ablatis eorum tempore interdicti una toti eccleſiæ *Anglicana*, quod qualiſcumque conſuetudo in eadem eccleſia *Anglicana* fuerit obſervata, & quicquid juris ſibi hactenus vendicaverit in electionibus quorumcumque prælatorum, ipſe ad ipſorum petitionem communi conſenſu baronum conceſſit, ut de cætero in univerſis & ſingulis eccleſiis & monaſteriis cathedralibus & conventualibus totius *Anglia* liberæ ſint imperpetuum electiones, ſalva ſibi cuſtodia eccleſiarum vacantium quæ ad ſe debent pertinere. Promiſit eciam quod non inpediat nec permittet ſeu procurabit inpedire, quin in ſingulis eccleſiis & monaſteriis poſtquam vacaverint; quandocumque voluerint libere procedant electores, petita tamen prius ab ipſo licentia eligendi, quam non promiſit denegare. Data fuit ſupraſcripta carta apud novum templum *Londonia* in craſtino S. *Hilarii* anno ſupradicto. Quam Cartam *Innocentius* papa tercius confirmavit ſub hac forma.

Stephanus Archiep.

INNOCENTIUS *epiſcopus*, &c. *Dignis laudibus*: & infra. *Cum enim inter regnum & ſacerdotium* Angliæ *non ſine magno periculo atque dampno ſuper electionibus pralatorum gravis fuerit controverſia diutius agitata, illo tandem cui nichil eſt inpoſſibile, quique ubi vult ſpirat, mirabiliter operante, cariſſimus in Chriſto filius noſter* Johannes *rex* Angliæ *illuſtris, liberaliter ex mera & ſpontanea voluntate de conſenſu communi ſuorum Baronum, pro ſalute anima ſua ac pradeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum vobis conceſſit & ſuis literis confirmavit, ut de catero in univerſis & ſingulis eccleſiis ac monaſteriis cathedralibus & conventualibus totius regni* Angliæ *imperpetuum libera fiant electiones quorumcumque pralatorum magnorum eciam & minorum. Nos igitur gratum & ratum hoc habentes, conceſſionem hujuſmodi vobis & per vos eccleſiis & ſucceſſoribus veſtris prout in ejuſdem regis literis perſpeximus contineri, auctoritate apoſtolica confirmamus, & praſentis ſcripti patrocinio communimus, & ad majorem autem firmitatem & perpetuam memoriam hujus rei, literas regis ſuper hoc confectas praſentibus inſeri fecimus. Quarum tenor talis eſt,* Johannes *Dei gratia rex* Angliæ, *&c.*

§. 4. *Profeſſio per abbatem archiepiſcopo non eſt praſtanda.*

An. Dñi 1215. ANno Domini M. CC. xv. abbas *Alexander* iter ſuum arripuit verſus *Romam* ad concilium generale quod fuit eodem anno ſub die S. *Martini*, ut juxta præfixum ſibi terminum procederet in cauſa quæ vertebatur inter ipſum & archiepiſcopum ſuper profeſſione exhibenda. Partibus igitur in præſentia papæ conſtitutis, abbas inſtanter petiit, ut ſecundum præſcriptam eis formam papa procederet. Archiepiſcopo reſpondente, quod tunc agere non poſſet tum quia erat aliis negotiis præpeditus, tum quia venerat minus inſtructus. Papa tamen videns fruſtratoria archiepiſcopi ſubterfugia, nolens litem protelare, indixit archiepiſcopo, ut ipſe ageret cum ipſe ad audientiam Papæ ſuper hoc appellaſſet, aut ipſe Papa prædeceſſoris ſui *Alexandri* Papæ iij. ſententiam confirmaret, perpetuum ſilentium archiepiſcopo ſuper exactione profeſſionis inponendo. Igitur archiepiſcopus videns ſibi ſubterfugium non patere, exhibuit quarundam literarum apoſtolicarum tranſcripta, ex quibus nitebatur oſtendere, quod idem *Alexander* Papa ſententiam quam pro abbate noſtro *Rogero* tulerat poſtea revocaſſet. Quarum literarum totum tenorem ad futurorum memoriam & cautelam hic ſubiciemus.

ALEXANDER *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Cantuarienſi *archiepiſcopo apoſtolica ſedis legato, & dilecto filio Priori ejuſdem eccleſia ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Memoriter recolimus qualiter inſpectis tenoribus privilegiorum S.* Auguſtini Cant. *tibi frater archiepiſcope abjudicavimus profeſſionem dilecti filii noſtri*

Johannes Rex.

Rogeri *abbatis ejuſdem monaſterii, & eum à tua & ſucceſſorum tuorum ſubjectione duximus abſolvendum. Verum quia pro certo comperimus ea tranſcripta pro maxima parte eſſe falſa, quoſdam eciam anteceſſorum noſtrorum profeſſionem abbatis ſancti* Auguſtini *prædeceſſoribus tuis ſententialiter adjudicaſſe, literas illas quas prænominato abbati ſuper profeſſione tibi non facienda indulſimus, auctoritate apoſtolica revocamus. Dat.* &c. Item **ALEXANDER** *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo* Cantuarienſi *& apoſtolicæ ſedis legato, &c. Ideo ſumus in eminentia ſedis apoſtolicæ conſtituti, ut æqua lance juſtitiæ ſingulis ſua jura reddamus, & ſi quid minus æqualiter factum eſt, illud ad rectitudinis tramitem revocemus. Licet itaque monaſterium S.* Auguſtini Cant. *tanquam ſpecialiter noſtrum, paterno diligamus & foveamus affectu, ipſi tamen eam libertatem indulgere nolumus, per quam tuis & eccleſiæ tuæ dignitatibus derogetur. Quoniam igitur quorundam ſuggeſtionibus & quibuſdam privilegiis falſis, ſicut poſtea manifeſte comperimus, ab abbatibus ſancti* Auguſtini *tibi debitam tuis anteceſſoribus diu exhibitam tibi abſtulimus profeſſionem, Nos intuitu æquitatis & ob reverentiam beati* Thomæ *martyris, tibi & ſucceſſoribus tuis imperpetuum confirmamus. Dat.* Laterani *&c.* Set quoniam archiepiſcopus non oſtendebat originalia iſtarum literarum, neque earum copiam ſub manu publica, cum hoc fuiſſet ſibi tunc maxime neceſſarium, ipſæ literæ habitæ ſunt ſuſpectæ: unde quæſito regiſtro ipſius *Alexandri* papæ tertii & diligenter exquiſito, nulla omnino mentio de ipſis literis eſt reperta, quare ipſa duo paria literarum ſunt condempnata falſi & cancellata ab ipſo Papa *Innocentio* tertio in ipſo concilio generali non ſine magna archiepiſcopi confuſione & erubeſcentia. Ipſa vero ſententia quam idem Papa *Alexander* tulerat pro monaſterio ſancti *Auguſtini* ſuper profeſſione non exhibenda archiepiſcopo, de verbo ad verbum inventa eſt regiſtrata. Quibus ita geſtis, turbatus archiepiſcopus & animo conſternatus, ne nichil videatur egiſſe, propoſuit in ipſo concilio quod abbas teneretur ſibi de jure communi facere profeſſionem, quare eam ſibi humiliter petebat exhiberi. Set abbas ex adverſo reſpondit, quod etſi ad illud teneretur de jure communi, de jure tamen ſpeciali erat exemptus. oſtendens tam privilegia fundationis monaſterii ſui quam ſententiam felicis recordationis *Alexandri* Papæ ſupradictam pro monaſterio ſuo promulgatam. Et reconveniens ipſum archiepiſcopum quod contra tenorem privilegiorum ſuorum homines ſervientes & clericos ſuos de facto cum de jure non poſſit excommunicaſſet, & eccleſias ad monaſterium pertinentes eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Cumque ſuper his aliquandiu fuiſſet diſputatum, prædictus archiepiſcopus alium peciit ſibi terminum indulgeri, infra quem cum ſuo poſſet deliberare conventu. Unde Papa præfixit ei terminum, feſtum ſcilicet omnium Sanctorum proximo futurum, ſub hac forma, Quod niſi deliberaret pocius cedere quam contendere in hac cauſa, extunc in expenſis legitimis quas hactenus propter hoc fecerit abbas aut extunc faceret, ipſum archiepiſcopum condempnaret, ſi contigerit ipſum ſententiam contrariam reportare. Scripſitque dominus Papa domino *Gualoni* presbytero cardinali tunc legato in *Anglia*, recitans ſibi iſtud proceſſum, ut ſi partes duxerint coram ipſo litigare, ipſe legatus citato conventu eccleſiæ Chriſti & archiepiſcopo cauſam audiret, & in ea ſufficienter inſtructus ad apoſtolicum examen tranſmitteret, præfigens partibus terminum quo ſe apoſtolico conſpectui præſentarent ſententiam recepturi. Set archiepiſcopus de merito ſuæ cauſæ diffidens, ſemper ſubterfugiendo & negotium protelando coram ipſo legato nullo modo voluit litigare. Sub eodem tempore dominus Papa ſcripſit prædicto legato, ut ipſe tam ſuper ſtatu monaſterii ſancti *Auguſtini* in ſe & in ſuis pertinentiis in quo fuerat à tempore latæ ſententiæ prædictæ per *Alexandrum* Papam tertium ſuperius memoratæ, quam ſuper aliis diligenter inquirens, corrigeret quæ correctione noverit indigere, vel ad Papam referret corrigenda. Eodem anno *Innocentius* Papa tertius indulſit huic monaſterio ne per literas apoſtolicas traheremur in judicium ultra tres diætas à monaſterio noſtro.

Stephanus Archiep.

§. 5. *De penſionibus non dandis.*

IDem papa intelligens quod monaſterium noſtrum gravem patiebatur jacturam, eo quod clerici multociens per preces & interdum per minas principum & aliorum potentum, annuas penſiones à nobis extorquebant, inhibuit nobis ne de cætero hujuſmodi penſiones in dampnum monaſterii noſtri alicui concederemus, mandans ſuper hoc epiſcopo *Roſenſi* & Prioribus *Roſenſi* & de *Ledis*, ut ſi penſiones hujuſmodi vel beneficia contra canonicas ſancciones promiſſa invenerint vel collata, ſublato appellationis obſtaculo legitime revocarent.

§. 6. Lodowicus *miſit epiſtolam ad abbatem* Alexandrum.

An. Dñi 1216.

ANno ſequenti *Lodowicus Philippi* regis *Francorum* primogenitus veniens in *Angliam* cum magno exercitu ut eam ſuæ ſubderet dicioni, applicuit apud *Stonoram* xij. kal. Junii, animadvertens quod *Alexander* abbas hujus loci haberet poteſtatem ſententialiter contra eum procedendi, elegantem eidem abbati & conventui miſit epiſtolam, jus quod ſibi in *Anglicano* regno competere contendebat declarando in hæc verba.

« **LODOWICUS** domini regis *Francorum* primogenitus abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cant.* ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Ne quis in facto noſtro de regno noſtro « *Angliæ* ſimplicitatem veſtram per falſas circum« veniat ſuggeſtiones vel conſcientias veſtras contra « nos reddat ſcrupuloſas, nudam & meram ipſius « rei veritatem ad univerſitatis veſtræ notitiam « volumus pervenire. Noſtis itaque, quod propter « proditionem notoriam quam *Johannes* quondam « rex *Angliæ* commiſit contra fratrem ſuum regem « *Ricardum* dum eſſet in partibus *Jeroſolimitanis*, « in reditu ejuſdem fratris ſui legitime fuit citatus, « accuſatus & in judicio coram paribus ſuis & per « eos legitime tanquam proditor condempnatus, quæ « ſententia condempnationis per os *Hugonis de* « *Pinſac* tunc epiſcopi *Dunelmenſis* fuit ſolempni« ter promulgata: unde mortuo rege *Ricardo* devo« lutum eſt jus regni *Angliæ* ad reginam *Caſtellæ* « & hæredes ſuos, quæ ſola tunc de omnibus fratri« bus & ſororibus ſuis ſuperſtes fuit præter dictum « *Johannem*.

Johannes Rex.

« *Johannem*. Ipſa autem regina & hæredes ſui jus
« quod habuerunt in regno nobis & filiæ ſuæ quam
« habemus uxorem liberaliter conceſſerunt, propter
« quod *Hubertus* quondam *Cantuarienſis* archiepi-
« ſcopus in coronatione ipſius *Johannis* publice di-
« xit, quod non ratione ſucceſſionis ſet per electi-
« onem ipſum in regem coronabat. Illa autem ele-
« ctio vel coronatio qualiſcumque nobis non præ-
« judicavit, tum quia per violentiam facta fuit, tum
« quia jus quod habuimus nobis ſine culpa aut con-
« ſenſu noſtro auferre non potuit. Præterea ſatis notũ
« eſt, quomodo de murdro *Arthuri* nepotis ſui in
« curia chariſſimi domini & genitoris noſtri regis
« *Francorum*, cujus ambo erant homines ligii, per
« pares ſuos citatus, & per eoſdem pares tandem
« fuit legitime condempnatus. Quod quidem mur-
« drum eiſdem partibus pluribus in *Anglia*, & plu-
« ries prædictus *Johannes* eſt confeſſus, per quam
« condempnationem bona ſuà ubicumque erant aut
« undecumque ea haberet per uſitatas conſuetudines
« foriſfecit, & tunc iterato nobis tanquam vero hæ-
« redi ceſſit jus regni *Anglia*, maxime cum adhuc
« de carne ſua hæredem non haberet. Nos vero pro
« jure noſtro extunc eidem *Johanni* guerram movi-
« mus, quam contra ipſum continuavimus abſque
« omni interruptione pacis vel treugæ uſque ad dies
« iſtos. De guerra enim quæ poſtmodum inter cha-
« riſſimum dominum & genitorem noſtrum & ipſum
« facta fuit, nec fuimus requiſiti nec alium requiſivi-
« mus licet præſentes eſſemus, unde nec crucis aſ-
« ſumptio nec aliqua conditio poſtmodum lite pen-
« dente ſuſcepta poteſt ipſum tueri, quin contra
« ipſum jus noſtrum proſequamur. Ad hæc, cum
« præfatus *Johannes* in coronatione ſua ſolempniter
« prout moris eſt juraſſet, ſe jura & conſuetudines
« eccleſiæ & regni *Anglia* conſervaturum, contra
« juramentum ſuum abſque conſilio vel conſenſu
« Baronum ſuorum idem regnum quod ſemper fuit
« liberum, quantum in ipſo fuit domino papæ ſub-
« jecit & fecit tributarium, bonas conſuetudines
« ſubvertens, malas inducens, tam eccleſiam quam
« regnum multis oppreſſionibus multiſque modis
« ſtudens ancillare, quas oppreſſiones vos melius
« noſtis quam nos, ut qui eas familiari ſenſiſtis ex-
« perimento. Pro quibus cum poſt multas requiſi-
« tiones guerra mota eſſet contra ipſum à Baroni-
« bus ſuis, tandem inter cætera de ejus expreſſo con-
« ſenſu ita convenit, ut ſi idem *Johannes* ad flagitia
« prima rediret, ipſi Barones ab ejus fidelitate rece-
« derent nunquam ad eam poſtmodum reverſuri.
« Verum ipſe nichilominus paucis diebus evolutis,
« fecit noviſſima ſua pejora prioribus, ſtudens Ba-
« rones ſuos non tantum opprimere ſet potius peni-
« tus exterminare. Qui de communi regni conſilio
« & approbatione, ipſum regno judicantes indi-
« gnum, nos in regem & dominum elegerunt. Unde
« apparet, quod ſive ad ſucceſſionem ſive ad electi-
« onem habeatur reſpectus, nos potiſſime jus in re-
« gno *Anglia* habemus. Nos autem cum iſtis &
« aliis rationibus ad dominum papam ſolempnes
« nuncios noſtros dudum deſtinavimus. Et audien-
« tes interim quod Cardinalis quidam *Gualo* nomi-
« ne, veniret in *Franciam*, miſimus ad eum rogantes
« ne contra nos aliquid ſtatueret donec nuncii noſtri
« à curia *Romana* redirent, aut à domino papa novum
« reciperet mandatum poſtquam nuncios noſtros
« audiviſſet. Et cum jam idem Cardinalis ad do-
« minum noſtrum & genitorem regem *Francia* ac-
« ceſſiſſet, idem in præſentia prælatorum & magna-
« tum *Francia* fecimus dici coram nobis, expreſſe
« jus & propoſitum noſtrum proteſtantes. Ipſe au-
« tem Cardinalis tunc contra nos in nullo proceſſit,
« nec viſus eſt velle procedere : At nunc in *Angliam*
« ingreſſus, ſuggeſtionibus & muneribus inimicorum
« noſtrorum inmutatus, nos & noſtros ut audivi-
« mus per prælatos & officiales eccleſiarum intendit
« gravare. Quapropter veſtram attente rogamus
« diſcretionem, quatinus ſicut ad libertatem eccle-
« ſiæ & regni *Anglia* venimus, ut videlicet tam re-
« gnum quam eccleſiam antiquæ & debitæ per Dei
« gratiam reſtituamus libertati, propter nullius fal-
« ſam ſuggeſtionem vel iniquam juſſionem nos veli-
« tis turbare, vel noſtrum bonum & pium propoſi-
« tum & commune bonum *Anglia* inpedire, nec
« aliquid contra nos vel noſtros nobis irrequiſitis
« promulgare : ſcituri, quod qui bona fide in hac
« parte nobis aſſiſterint, perpetuum nos amicum con-
« tra quemlibet habebunt & defenſorem, nec pro
« lucro vel dampno ei aliquo unquam tempore de-
« erimus : illi vero qui ſecus egerint, nos perpetuum
« ſentient inimicum. Valete.

Stephanus Archiep.

Set abbas *Alexander* ut alter *Alexander Macedo* magnanimus, nec *Lodowici* precibus et blandiciis emollitus, nec comminatoriis perterritus à favore regis *J.* & auxilio nullatenus ſe elongavit, ſet in ipſum *Lodowicum* et ejus complices et eis adhærentes, conſilium, auxilium vel favorem eis præbentes, ſententias excommunicationis et Interdicti inceſſanter promulgavit et executioni demandavit, ſecundum quod à papa hoc negocium ei fuerat delegatum, nam et ipſe papa in Concilio *Lateranenſi* eundem *L.* vivæ vocis oraculo excommunicaverat. Complices vero & fautores ejus hac ſententia irritati, primo in inſula de *Thaneto*, poſtea in ſingulis maneriis noſtris blada, animalia, victualia, &c. quæcumque invenire poterant deprædaverunt, vix à ſanctuario noſtri monaſterii manus ſuas continentes.

§.7. *Proceſſus ſuper benedictione abbatis cum archiepiſcopo.*

An. Dñi 1218.

ANno Domini M.CC.xviij. *Innocentius* papa iij. viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Cui ſucceſſit *Honorius* iij. Ad quem abbas *Alexander* miſit nuncios *R.* monachum & magiſtrum *Euſtachium* qui negotium in quæſtione archiepiſcopi ſuper benedictione abbatis proſequerentur juxta ſuperius præſcriptam partibus formam à papa *Innocentio*. Partibus itaque in præſentia papæ conſtitutis, nuncii noſtri inſtanter petierunt, ut dominus papa juxta præſcriptam formam in negotio procederet ſi archiepiſcopus contendere duceret, vel perpetuum ſilentium ſuper hoc archiepiſcopo inponeret, nec pateretur monaſterium noſtrum capcioſis diffugiis archiepiſcopi ulterius fatigari. Set archiepiſcopus reſpondit, Quod licet induciæ fuiſſent ſibi datæ ad deliberandum cum conventu ſuo utrum deberet agere vel non; quia tamen nondum ad eccleſiam ſuam reverſus fuerat, & alias non ſolum eccleſia ſua ſet etiam totum regnum erat turbatum, cum ſuo igitur conventu deliberare nequivit, quare petebat ſibi ulteriores inducias indulgeri. Procuratores autem noſtri ad hoc reſponderunt, Quod archiepiſcopus etſi non perſonaliter, tamen per nuncios & literas deliberare ſuper hoc potuerat cum ſuo conventu : unde non

Henric. III. Rex. erant ei ulteriores induciæ indulgendæ ne protogato judicio videretur juſticiæ derogari. Set dominus papa magis archiepiſcopo favens, eo quod Cardinalis erat, feſtum *Michaelis* pro termino peremptorio ei indulſit. Acta fuerunt hæc xvj. kal. Aprilis anno ſequenti, archiepiſcopus tamen terminum aſſignatum cavilationibus & ſubterfugiis inhærens cautuloſe declinavit.

§.8. *Advocatio eccleſiæ de* **Snaves** *Abbati conceſſa eſt.*

An. Dñi 1219. ANno Domini M.CC.xix. apud *Weſtmonaſterium* coram domino *R. Roffenſi* epiſcopo & aliis Juſticiariis domini regis facta fuit finalis concordia inter *Robertum* de **Snaves** petentem & *Alexandrum* abbatem ſancti *Auguſtini* defendentem de advocatione eccleſiæ de **Snaves**, ſcilicet quod prædictus *Robertus* remiſit & quietum clamavit Deo & eccleſiæ ſancti *Auguſtini* totum jus & clamium quod habuit in advocatione eccleſiæ antedictæ, de ſe & hæredibus ſuis inperpetuum, & pro hac quieta clamantia & concordia idem abbas & conventus ſancti *Auguſtini* receperunt ipſum *Robertum* in beneficiis domus ſuæ.

§.9. Alexander *abbas moritur. Et litera Legati.*

1220. ANno ſequenti cum bonæ memoriæ dominus *Alexander* abbas noſter ita graviter ægrotaret ut de eo penitus deſperaretur, hoſpitatus eſt in monaſterio ſuo dominus *Ricardus de Mariſco* epiſcopus *Dunelmenſis* frater & amicus noſter, qui ad infortunium noſtrum ſcripſit pro nobis domino regi ac etiam domino *Pandulfo* tunc legato in *Anglia*, & *Norwicenſi* electo & domini Papæ Camerario quaſi ſub eodem tenore qui talis eſt. *NOVERIT ſancta paternitas veſtra, quod cum nuper veniſſemus uſque* Cantuariam, *chariſſimum amicum noſtrum & devotum veſtrum abbatem ſancti* Auguſtini Alexandrum *invenimus ita graviter ægrotantem quod de eo deſperaretur; & quia ſi de eo humanitus contingeret Ballivi domini regis ad terras & res eccleſiæ ſancti* Auguſtini *manus extendent, quod ſine gravi diſpendio ipſius eccleſiæ fieri non poterit, vobis ſupplicamus quatinus indempnitati eccleſiæ memoratæ pro deſiderio conſulentes, velitis quod monachi ipſius eccleſiæ terras & res ſuas in ſua diſpoſitione & cuſtodia habeant quam diu eccleſia paſtore fuerit viduata, ne res ſuæ tempore guerræ miſerabiliter deſtructæ nunc manibus ballivorum domini Regis miſerabilius deſtruantur; Et ipſi monachi de exitibus terrarum ſuarum, ſicut cuſtodes, domino regi reſpondeant.* Statimque cum iſtæ literæ ad notitiam domini legati perveniſſent, ad regem perſonaliter acceſſit, & cuſtodiam iſtius abbathiæ durante vacatione à domino rege ſine difficultate optinuit. Et inter hæc moritur Deo dilectus abbas *Alexander*, nocte videlicet Dominica iv. non. Octobris. Illo igitur defuncto, conventus adhuc neſciens quod dominus legatus cuſtodiam abbathiæ à rege impetraverat, ordinavit literas ſatis queruloſas & lamentuoſas ad dominum regem, ad dominum legatum, ad epiſcopum *Wyntonienſem*; & quia rex tunc erat in cuſtodia epiſcopi erudiendus; & eciam ad Juſticiarios regni capitaneos de ſignificatione mortis abbatis, & pro cuſtodia abbatiæ tempore vacationis obtinenda, Miſſi igitur duo monachi noſtri cum prædictis literis verſus *Londoniam*, obviaverunt pœnitentiario domini legati nomine *Willielmo* & profeſſione monacho, qui inquiſita cauſa itineris monachorum noſtrorum, fecit eos ſecum reverti eo quod ipſe miſſus fuerat à domino legato pro eodem negotio jam expedito, pro quo ipſi miſſi erant expediendo. Reverſi igitur cum dicto pœnitentiario venerunt *Cantuariam*. Qui mox ut ingreſſi ſunt monaſterium, convocato conventu ingrediuntur capitulum, & ſtatim prædictus pœnitentiarius legit literas tam regis quam legati Conventui in hæc verba. HENRICUS *Dei gratia &c. militibus, liberis hominibus & omnibus aliis tenentibus de abbatia ſancti* Auguſtini *ſalutem. Sciatis nos commiſiſſe dilecto nobis fratri* W. *monacho pœnitentiario venerabilis patris noſtri* P. *Dei gratia* Northwicenſis *electi & domini Papæ Camerarii & apoſtolicæ ſedis legati abbatiam ſancti* Auguſtini *cum omnibus ad eam pertinentibus cuſtodiendam, quam diu nobis placuerit: Et ideo vobis mandamus quatinus eidem f.* W. *tanquam cuſtodi dictæ abbatiæ in omnibus quæ ad eam pertinent intendentes ſitis & reſpondentes. In cujus rei &c.*

Stephanus Archiep.

Litera Legati.

Audita morte dilecti nobis in Chriſto Alexandri *quondam abbatis veſtri doluimus plurimum & dolemus, conſiderato eccleſiæ veſtræ ſtatu. Verum quia in omnibus in quibus cum Deo & noſtra poſſumus honeſtate vobis adeſſe volumus & prodeſſe, ne addatur afflictis afflictio, ex parte domini Regis & noſtra dilectum filium f.* W. *pœnitentiarium noſtrum ad vos duximus deſtinandum, ut curam & cuſtodiam diligentem habeat domus veſtra. Quocirca diſcretionem veſtram monendam duximus attentius & hortandam, vobis tenore præſentium firmiter injungentes, quatinus in omnibus quæ ad dominum regem ſpectant eidem fideliter & humiliter intendatis.*

Quibus auditis literis & cum gratiarum actione ſuſceptis, conventus non modicam accepit conſolationem. Statimque prædictus pœnitentiarius ad cuſtodiam abbatiæ ſic admiſſus, petiit ſibi exhiberi ſigilla abbatis & conventus. Quibus ſine difficultate ſibi exhibitis, ſignavit ea ſigillo ſuo, & ſignata depoſuit ea in ſalva cuſtodia conventus, ubi prius ſigillum commune ſervari conſueverat. Clavem quam abbas ſolebat habere penes ſe retinuit. Prior & conventus rogabant eum quatinus ſex clericos qui debebant ipſo die monachari prout ipſi aſſerebant de permiſſione Abbatis jam defuncti admitteret. Set pœnitentiarius reſpondit, ſe eſſe miſſum ad exonerandum domum pocius quam onerandum. Erat enim tunc domus iſta ære alieno in tantum depreſſa, ut in grave ſcandalum eccleſiæ & religionis inproperium inimicis crucis Chriſti Judæis videlicet venderentur corredia monachorum. Set pro ipſis corrediis intervenerat contractus illicitus, immo & feuda & miniſteria domus vendebantur. Set hæc omnia prædictus pœnitenciarius fieri prohibuit, & Judæis corredia ſua totaliter abſtulit, & hæc omnia legato domino ſuo literis ſuis ſignificavit. Nec multum poſt prædictus legatus miſit conventui literas ſuas in hæc verba. PANDULPHUS *Dei gratia &c. Audita morte* Alexandri *quondam abbatis veſtri doluimus plurimum conſiderato eccleſiæ veſtræ ſtatu. Monemus igitur diſcretionem veſtram & hortamur*

Henric. III. Rex.

in domino, quatinus habentes præ oculis ſolum Deum, greſſus veſtros taliter dirigatis, quod divino non deſtituamini auxilio & humano poſſitis conſilio refoveri, mortem abbatis veſtri domino regi quantocius ſignificantes & poſtulantes ab eodem licentiam vobis dari abbatem ſecundum regni conſuetudinem eligendi. Nos & in hiis & aliis quæ cum Deo & noſtra poſſimus honeſtate parati ſumus pro poſſe vobis adeſſe tamquam Romanæ *eccleſiæ ſpecialibus filiis & devotis.* Lectis igitur iſtis literis in conventu, accepta conſolatione, conventus miſit nuncios duos monachos cum literis conventus ad dominum regem & etiam ad legatum pro licentia eligendi abbatem optinenda, quam apud utrumque benigne inpetrarunt & liberaliter conceſſerunt.

Cap. XX.

§. 1. Hugo *iij. in abbatem benedictus eſt.*

ANno igitur ſupradicto vij. kal. Septembris habita licentia domini regis & eciam legati de eligendo abbatem, omnes & ſinguli de conventu unanimiter concordaverunt, ut data poteſtate tribus fratribus eligendi fide dignis, quem ipſi tres jurati magis idoneum de congregatione tam ad curam animarum quam ad diſpoſitionem temporalium ſana conſcientia eligerent. Qui tres ſic jurati elegerunt fratrem *HUGONEM* tunc camerarium, virum moribus & ætate maturum. Et ſtatim omnes & ſinguli huic electioni conſenſerunt. Ordinatis ſuper hoc inſtrumentis & literis ac aliis neceſſariis, Prior cum quinque fratribus & electo noſtro miſſus eſt ad dominum regem *Henricum*, ut ipſe electioni regium præberet aſſenſum, & ad legatum, ut ipſe legationis ſuæ officio electionem ſic rite factam confirmaret. Venientes igitur monachi noſtri *Londoniam*, præſentarunt electum domino Juſticiario epiſcopo *Wyntonienſi* primo apud **Lambeth**, poſtea apud *Weſtmonaſterium* ad ſcaccarium coram eiſdem & aliis magnatibus tunc ibidem præſentibus. Qui omnes benigne reſpondentes & multa bona de electo prædicantes poſuerunt negotium in reſpectum uſque ad adventum domini legati; qui ea die venit ad *Novum Templum.* Monachi itaque noſtri, petita licentia à Juſticiario, venerunt ad *Novum Templum*, adventum legati præſtolaturi. Venienti igitur legato literas conventus ſibi exhibuerunt, & electum eidem præſentarunt, & ipſe eos benigne recepit, & negotium uſque in craſtinum protelavit. Die autem craſtina invenerunt ibi Juſticiarium domini regis & multos alios magnates. Tandem poſt multa conſilia, monachi noſtri ſeorſum evocati, præſentarunt electum noſtrum ipſi legato & aliis cum eo exiſtentibus. Qui gratanter admiſſus coram ipſis juravit fidelitatem domino regi ſuper crucem ipſius Legati. Deinde in craſtino electum domino regi præſentarunt, qui eum honorifice admiſit & dedit ſibi literas ſuas vicecomiti *Kanciæ* de liberatione abbatiæ, & literas patentes ad homines totius abbatiæ. Scripſit eciam rex legato, ut electum confirmaret; ſet legatus noluit negotium conſummare donec vidiſſet decretum totius Capituli cum ſubſcriptione ſingulorum. Unde electo interim *Londoniæ* commorante, Prior domum revertitur, ut juxta voluntatem legati ſubſcriptiones ſingulorum ipſi reportaret. Interim dum hæc fierent, antequam ſubſcriptiones mitterentur, loquente electo cum legato *Londoniæ* præcepit ei ut domum reverteretur, quoniam ipſe in brevi veniret *Cantuariam* negotia ſua expediturus; quod & factum eſt.

Stephanus Archiep.

Feria vj. anno ſupradicto ante adventum Domini prædictus legatus veniens ad S. *Auguſtinum* ſtatim poſt factam ei proceſſionem ingreſſus eſt Capitulum, convocatoqve conventu, ſub interminatione excommunicationis & virtute obedientiæ præcepit, quatinus ei ſtatim exponerent quem habuerunt modum eligendi, qualiter ad eligendum procederent, & in eligendo quid in eo quem elegerunt principaliter conſiderarent. Cumque Prior ad illa ſingillatim & ad alia quæ poſtmodum objecit conſtanter reſpondiſſet, & vidit quia univerſitas in reſponſis ſibi concordaret: juſſit omnes exire de Capitulo, examinavit ſingulos de conventu à maximo uſque ad minimum, ultimo vero electum tam de regula quam ibi juſſerat exhiberi, quam de literatura probando temptavit, quo facto, inſpexit omnia privilegia illud negotium tangentia. Et vocatis omnibus dixit, Quia hora diei non ſufficit inſtans terminare negotium, inminebat enim crepuſculum noctis, faciemus vobis cras dante Domino quod facere de jure debemus. Ibant igitur omnes à conſpectu concilii gaudentes in ſpe bonæ conſummationis. In craſtino veniens dominus legatus in Capitulum, propoſuit coram omnibus quia iterum audire voluit ſi vota & voluntates ſingulorum in eo quem elegerunt perſtitiſſent. Conventu vero in eodem propoſito fortiter permanente, ita quidem quod nec ab alio in ſillaba etiam diſſonaret, favente Domino electionem quam canonice fecerunt, auctoritate apoſtolica confirmavit. Facta proceſſione ad eccleſiam & ympno *Te Deum laudamus* terminato, ipſe legatus dixit collectam, & poſtmodum electum noſtrum propriis manibus inſtallavit. Hiis itaque geſtis conventus inſtantiſſime rogavit legatum, ut ipſe eorum paupertati plenius compatiens, per aliquem de epiſcopis *Angliæ* ſecundum privilegia monaſterii eidem electo munus benedictionis auctoritate domini papæ & ſuæ legationis officio faceret inpendi, aſſerentes quod de jure ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* deberet benedici, Set ipſe tunc in tranſmarinis partibus agebat. Set legatus hoc negotium diſtulit quouſque dominum papam conſuluiſſet. Unde per ij. fratres de conventu ſcripſit papæ ex integro ſeriem totius rei geſtæ tam in electione quam in ejus confirmatione, una cum capitulis privilegiorum quæ de benedictione abbatis & loci exemptione fidem faciunt, ſic in fine literarum ſuarum concludendo, *Cum igitur prædicti electus & conventus nuncium ſuum latorem præſentium propter hoc ad pedes veſtræ dirigant ſanctitatis, paternitati veſtræ pro eis ſupplico humiliter, & devote, quatinus eidem monaſterio veſtro de conſueta miſericordia pio providentes affectu, ne ultra quam poteſt laboribus fatigetur & expenſis, juxta honeſtam ſuæ petitionis continentiam dictos fratres ac nuncium eorundem miſericorditer exaudire dignemini, prout veſtra viderit ſanctitas expedire.* Nuncii ergo noſtri ad curiam venientes cum literis regiis & legati & aliorum magnatum regni, à domino Papa & Cardinalibus ſatis favorabiliter ſunt recepti. Set quia controverſia inter archiepiſcopum *Stephanum* & *Alexandrum* abbatem prædeceſſorem iſtius *Hugonis* ſuper benedictione ipſius *Alexandri* abſque exactione pro-

Hen. III. *Rex.*

ſeſſionis adhuc ſub examine domini Papæ indiſcuſſa manebat, ſicut ex ſuperius ſcriptis plenius liquet, dominus Papa habita cum Cardinalibus ſuper hoc pleniori deliberatione, rationabilius & pro monaſterio iſto ſecurius eſſe judicabat, ſi ipſe electus perſonaliter ad curiam accederet benedictionem ſuam accepturus, cum & ipſis in partibus terminus peremptorius eſſet præfixus ut tunc ad deciſionem cauſæ peremptorie agerent, vel perpetuo ſilerent: ſicque electus noſter *Hugo*, hiis mandatis domini Papæ auditis, licet non ſine gravi labore verſus curiam iter ſuum arripuit, pro quo dominus Rex ſcripſit Papæ in hæc verba:

« Vacante nuper, pater beatiſſime, nobili eccleſia ſancti *Auguſtini Cantuaria* filia veſtra ſpeciali & devota, convenientibus & concordantibus fratribus ejuſdem eccleſiæ ſingulis & univerſis, in virum honeſtum ipſius eccleſiæ quondam camerarium *Hugonem*, virum utique providum, ſcientia & moribus ornatum, quem ſibi unanimiter elegerunt in abbatem & paſtorem, nos quod regali convenit majeſtati in eodem *Hugone* electo gratanter duximus adimplendum, ipſius electioni benigne annuentes aſſenſum, tanto nos ei & domui ſuæ amore diligimus favorabiliores & benigniores, quanto de inpenſo nobis & progenitoribus noſtris multiplici devotionis & fidelitatis obſequio nos effecerunt frequenter jocundiores. Verum cum ita ſit eccleſia memorata ſanctæ *Romana* eccleſiæ & vobis devotionis prærogativa inmediate ſubjecta, ut nullius præterquam ſacrarum manuum veſtrarum benedictionis munus admittat electus ejus, ſanctitati veſtræ pro electo illo, qui pedibus veſtris humiliter provolvitur, devote duximus ſupplicandum quanta poſſumus & audemus precum inſtancia, quatinus inpenſo ei benedictionis munere tanto dignemini ſi placet ejus ad propria accelerare regreſſum, quanto fatigata diutius ſponſa ſua ſumptibus & inpugnationibus variis, in amplexus ſuos ſuſpirando ſe lætaretur ipſum celerius recepiſſe cum gratia veſtra revertentem.

Set & epiſcopus *Wyntonienſis* domini Regis cuſtos, & ſuus capitalis Juſticiarius pro iſto negotio ſatis amicabiliter ſcripſit.

Literæ conventus ad dominum Papam pro eodem electo talem continent formam.

« Sanctiſſimo p. & domino domino *Honorio* Dei gratia ſummo pontifici frater *Johannes* S. *Auguſtini* dictus Prior & ejuſdem loci conventus pauper & modicus ſe ipſos ad oſcula pedum beatorum cum imbre lacrimarum. Cum nuper *Anglia* fines occupans *Gallica* rabies hoſtilitatis in omnes quos potuit ſæviſſime graſſaretur, in eos exarſit acrius quos conſtitit vobis adhærere conjunctius. Nos itaque ſanctæ *Romana* eccleſiæ filii ſpeciales, domini Regis & regni fideles cæteris amplius intus & exterius vaſtati ſumus, ut quod reſiduum eſt, nobis minime ſufficiat ad ſolatium pauperum, ad ſuſceptionem hoſpitum, & conventus alimentum, propter quod heu cogimur pauperibus minus ſolito erogare, hoſpitalitatem ſyncopare, numerum fratrum diminuere. Vivimus utcumque non de noſtro ſet ex ære alieno, quod inportunus exactor inſtanter exigens cum fœnore minime patitur liberis nos mentibus Deo ſervire. Super hæc omnia, recenter nos tetigit manus Domini, tollens de medio *Alexandrum* abbatem & paſtorem noſtrum; poſt cujus deceſſum invocata Spiritus ſancti gratia, domini Regis petita licentia & optenta, poſt multas afflictiones, orationes & jejunia dignum elegimus ſucceſſorem, virum induſtrium *H.* videlicet noſtrum quondam camerarium, cui ſcientia ad fructum, & mores exuberant ad exemplum, cujus ortus non lege reprobabilis, nec objectus parentela; cujus converſatio intus honeſta, foris nichilominus bonum & integrum habens teſtimonium. Cujus rei gratia dominus *P.* apoſtolicæ ſedis legatus tactus dolore cordis intrinſecus propter deſolationem noſtram, quam oculata fide cognovit, ad nos præſentialiter acceſſit, & ut de facto noſtro ſibi plenius conſtaret, ſingulorum conſcientias prudenter inveſtigavit. Qui mox ut formam electionis, perſonam & mores electi, conſenſum eligentium, aſſenſum Regis & principum audivit, electionem canonice factam auctoritate ſuæ legationis ſolempniter confirmavit: propterea clamamus ad patrem patrum, pauperes pauperum devote ſupplicantes, quatinus intuitu divinæ pietatis eidem electo noſtro ad pedes ſanctitatis veſtræ venienti dextra largitatis veſtræ munus benedictionis inpendat, & gregi deſolato ſi placet tempeſtive remittat, quoniam ruina domorum, inprobitas exactorum, ſubſtantia tenuis & calamitas quam patimur, regreſſum ejus deſiderant feſtinatum. Conſervet altiſſimus incolumitatem veſtram, & veſtram vitam ſanctæ ſuæ eccleſiæ in tempora longiora profuturam.

Stephanus Archiep.

Legatus autem & alii magnates terræ quamplurimi ſcripſerunt eidem & ſingulis Cardinalibus pro illius expeditione. Cum quibus literis electus ad curiam properavit, benedictionem ſuam petiturus, quam & ſatis faciliter optinuit, non obſtante quod controverſia inter nos & archiepiſcopum ſuper benedictione abbatis coram eodem Papa ſub termino tunc peremptorio maneret tunc indeciſa; quia archiepiſcopus fundamentum ſui juris advertens fore lubricum, tutius fore decrevit ſi ſub diſſimulatione terminum ſibi peremptorium tranſiret, quam ſi labores & expenſas in ſui ipſius confuſionem diutius miniſtraret. Sicque ab illo die in poſterum nec ille nec aliquis ſucceſſorum ſuorum contra benedictionem noſtri electi apponere ſe præſumpſit. Anno igitur Domini M.CC.xxj. prima Dominica menſis Aprilis de mandato domini Papæ à domino *S. de Nova Foſſa* Cardinali benedicitur, pluribus aſtantibus Cardinalibus & aliis curiæ magnatibus. Rediensque à curia *Romana* abbas *Hugo*, in *Francia* cum Rege tunc *Lodowico* regnante utpote ei familiariſſimus uſque ad kalendas Auguſti moratus eſt.

An. Dñi 1221.

§.2. Auguſtinus *in corpore per Abbatem* Hugonem *tertium revelatur.*

ANno ſupradicto ciclo decemnovenali vj. litera Dominicali C, quinto kal. Maii *Johannes de Mariſco* Prior ſancti *Auguſtini Cantuaria* cum ſenioribus domus, cupiens certificari ubi depoſitum eſſet corpus beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli patroni ſui, præcedentibus jejuniis, vigiliis cum orationibus ac diſciplinis, conſilio quorundam fratrum quibus facta fuit trina revelatio, fecit murum frangi juxta altare ſancti *Auguſtini* in orientali parte ſub media feneſtra, ubi inventa eſt tumba ſaxea ferro & plumbo peroptime ſigillata; cujus ſuperſcriptio talis erat.

Inclitus

Hen. III. Rex.

Inclitus Anglorum *præſul pius & decus altum,*
Hic Auguſtinus *requieſcit corpore Sanctus.*

In craſtino autem ſolempnitate ut decuit facta, poſt completorium, præcepto Prioris feretrum argenteum à quibuſdam fratribus ammotum eſt, & altare & totum illud opus lapideum ſuper quod ſtetit feretrum, cauſa emendationis & decoris fractum eſt. In cujus medio ſcilicet in imo congeriei lapidum, ex inopinato inventum eſt plumbum magnum fere ad longitudinem vij. pedum, cujus ſuperſcriptio talis erat. *Hic habetur pars oſſium & cineris beati* Auguſtini Anglorum *apoſtoli, qui olim miſſus à beato* Gregorio *gentem* Anglicam *ad fidem Chriſti convertit, cujus precioſum caput & oſſa majora alio ſaxeo vaſculo* Guido *abbas honorifice tranſtulit; ſicut tabula plumbea cum eiſdem oſſibus poſita indicat, anno ab incarnatione Domini* M. xc. j.

Set quia illud opus ad effectum perduci non potuit niſi ammoto plumbo, ammotum eſt, & ſaxeum vaſculum in quo continebatur caput & majora oſſa beati *Auguſtini*, ad magnum altare ab abbatibus de *Bello* & de **Langedon** & à Prioribus S. *Edmundi*, de **Favirsham**, & de S. *Radagunda* & à quampluribus aliis viris religioſis *Te Deum* cantantibus cum magna veneratione deportatum eſt. Ubi poſtea qualibet nocte à quatuor monachis coram magno altari vigilantibus, & pſalmos ſuos cantantibus, uſque ad ejus primam tranſlationem cum magna diligentia & veneratione cuſtoditum eſt, tum propter abſentiam domini *H.* abbatis, qui tunc temporis pro quibuſdam negotiis coram domino *Lodowico* rege *Francorum* expediendis, in tranſmarinis partibus moram fecerat, tum quia noluerunt nec honeſtum eis viſum fuerat duas habere tranſlationes: poſt adventum domini abbatis diſſigillatum eſt illud vas ſaxeum ſuper magnum altare in quo continebatur caput & majora oſſa, præſentibus Abbatibus, Prioribus & magnatibus terræ, vidente clero & populo ad hoc à magiſtro *H. Sandford* tunc temporis archidiacono ibi invitato. Ubi inventa eſt lamina plumbea cum capite & oſſibus, cujus ſuperſcriptio talis erat. *Anno ab incarnatione Domini* milleſimo nonageſimo primo, *regnante* Willelmo *rege* Anglorum *filio* W. *regis qui* Angliam *adquiſivit, tranſtulit abbas* Guido *corpus beati* Auguſtini *de loco ubi per quingentos annos jacuerat, & repoſuit omnia oſſa ipſius Sancti in præſenti loculo, & alia plura de corpore ſancto collocavit abbas in feretro argenteo, ad laudem regnantis in ſecula.* Item in tercio loco, ſcilicet in ſummitate feretri argentei inventum eſt plumbum parvum in quo erat de carne ſua nondum ex toto in terram redacta; ſet fuit quaſi terra humida & ſanguine coagulata, cujus ſuperſcriptio talis erat. *Continet hoc plumbum partem ex pulvere corporis beati* Auguſtini; *nam cætera hic penes habentur.* Juxta quod plumbum inventæ ſunt reliquiæ precioſiſſimæ, ſcilicet de capillis beatæ *Mariæ* virginis, de tunica inconſutili, de columpna ubi dominus ligatus & flagellatus fuit, & multæ aliæ de quibus hic non fit mentio. Et ſicuti trina revelatione revelatum eſt quod in tribus locis debuit ejus corpus glorioſum inveniri, quod exitus rei poſtea verum eſſe probavit: Ita & modo dominus *H.* iij. & conventus, ejus corpus in tribus locis divina inſpiratione fecerunt honorifice recondi. Eſt enim major pars ſurſum ſub feretro argenteo ferro fortiter ligata & plumbo peroptime ſigillata. Secunda pars inferius ſub tumba marmorea. Et tercia ſub media feneſtra in orientali parte ubi puer quidam per merita ipſius Sancti viſum recepit. Caput vero ad inſtantiam magnatum qui interfuerunt, & ad devotionem populi excitandam, fecit idem abbas *H.* extra feretrum retineri & ſuis ſumptibus in auro & argento & lapidibus precioſis, ſicut modo videtur, mirifice decorari.

Stephanus Archiep.

§. 3. *Redditus Reginaldi de Cornhelle.*

ANno vero quo ſupra *Reginaldus de Cornhelle* civis *Cant.* & vicecomes *Canciæ* ob culpam & tranſgreſſionem patris ſui erga regem in MM.C.xvj^{li}. argenti indebitatus, ad ſolutionem hujus debiti coactus, prædia & poſſeſſiones ſuas quibus in diverſis comitatibus largiter habundabat diſtraxit & diverſimode alienavit. Unde omnes redditus quos habuit in Dominico S. *Auguſtini* in civitate *Cantuaria* et in ejus ſuburbio cum releviis & eſcateis, exceptis certis meſuagiis, ſcilicet *Ricardi* Seneſcalli quod eſt ante portam S. *Auguſtini* cum aliis tribus, abbati & conventui in perpetuam elemoſinam carta ſua perpetualiter confirmavit; ſumma hujus liberi redditus tam in **Langport** quam in civitate ad ſummam ix.li. iv.s. v.d. ob. annuatim ſe extendit.

Eodem tempore data fuit eccleſia de **Batuelſelde** Priori de **Columbwell** per compoſitionem, quæ talis eſt: *Sciant præſentes & futuri, quod ego* J. *Dei gratia abbas de* C. *& ejuſdem loci conventus tenemus de abbate & conventu ſancti* Auguſtini Cant. *in perpetuam elemoſinam jus quod habent in eccleſia de* B. *Reddendo inde eis penſionem annuatim decem ſolidorum in perpetuum in feſto ſancti* Michaelis. *Eo expreſſo quod ego* J. *ſive alius abbas de* C. *qui pro tempore fuerit ad conſilium & adjutorium eccleſiæ beati* Auguſtini *erimus ubicumque cognoverimus eam noſtro conſilio & adjutorio indigere. Eo etiam expreſſo, quod non poterimus exigere decimas garbarum de* xxv. *acris de* **Napulhurſt**, *quas jam dicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini *quandoque conceſſerunt* T. de Neweſole. *Minutas autem decimas de ſupradictis acris percipiet eccleſia de* B. *pro eccleſiaſtico ſervicio quod faciet hominibus ſancti* Auguſtini *qui ibi habitant, & hoc ex liberali conceſſione abbatis & conventus ſancti* Auguſtini. *Quando autem hæc conceſſio & donatio nobis facta fuit in capitulo ſancti* Auguſtini, *ego* Johannes *ibidem pro me & conventu noſtro de* C. *in verbo veritatis promiſi, nos fidelitatem eccleſiæ beati* Auguſtini *& hæc omnia inviolabiliter obſervaturos; & ut hæc omnia firma inperpetuum & inconvulſa ex parte noſtra permaneant, præſentis ſcripti teſtimonio & ſigilli eccleſiæ noſtræ appoſitione roboravimus.*

§. 4. *De hoſpitio noſtro in* **Suthwerk.**

An. Dñi 1223.

ANno Dñi M.CC.xxiij. nobilis matrona *Matildis* viceconitiſſa, uxor videlicet ſupradicti *Reginaldi* legavit huic monaſterio ad anniverſarium ſuum faciendum xx s. annui redditus de diverſis domibus in civitate *Cantuaria* provenientibus. Vendidit autem idem *Reginaldus* abbati & conventui hoſpitium quod ſitum eſt in **Suthwerk** juxta **London** inter cimiterium S. *Olavi*, & terram de feodo pontis *Londonienſis*, & conceſſit. Pro qua conceſſione

Henric. III. Rex. ne & warantizatione dicti monachi dederunt ſibi ſexies viginti marcas; & hoc principaliter ad redimendum eum de priſona Regis & ad finem acquietandum.

§. 5. *De* Cantaria *de* **Lukedale.**

CONceſſum eſt eciam per Abbatem eidem *Reginaldo* & *Matildi de Lukedale* uxori ſuæ habere Cantariam in capella manerii ſui de **Lukedale**, ſalvo in omnibus jure matricis eccleſiæ de **Littlebourne.** Reddent idem *Reginaldus* & hæredes ſui integre & plenarie decimas omnium terrarum quas habent in eadem parochia tam magnas quam minutas matrici eccleſiæ de **Littelborne**: præterea dabunt decimas duarum partium molendini de **Bremlyng** & terciæ partis ſi eam recuperare potuerunt, & decimam feni tantilli prati, & ij. ſolidos annuos ſuper altare matricis eccleſiæ de *L.* Viſitabunt eciam matricem eccleſiam cum oblationibus ſuis in quatuor anni feſtivitatibus; ſcilicet Natalis, Purificationis, Paſchæ & ſancti *Vincentii.* Sacerdos qui in dicta capella pro tempore celebraverit fidelitatem faciet perſonæ eccleſiæ de **Littleborne**, quod in nullo defraudabit eam in decimis magnis vel minutis, nec in prædictis oblationibus, confeſſionibus ſeu teſtamentis, ſponſalibus ſeu purificationibus, tricenalibus, nec in aliquibus ad jus eccleſiæ de *L.* quoquo modo pertinentibus.

CAP. XXI.

§. 1. Robertus de Bello *in abbatem eligitur.*

An. Dñi 1224. ANno Domini M.CC.xxiv. tercio non. Novembris, obiit dominus *Hugo* abbas hujus eccleſiæ, & ſepultus eſt in navi eccleſiæ ſuæ juxta altare ſanctæ crucis in parte muri borialis. Quo defuncto, electus eſt in abbatem in craſtino S. *Clementis* vir providus & diſcretus *Robertus de Bello*, hujus monaſterii monachus & Theſaurarius. Et quia ob controverſiam inter *Alexandrum* & *Hugonem* hujus eccleſiæ abbates & *Stephanum Cantuarienſem* archiepiſcopum tunc Cardinalem, pro benedictione eorundem ab eodem archiepiſcopo ſine profeſſionis exactione recipienda nondum terminatam, nec propter ſubterfugias archiepiſcopi finaliter diſcuſſam, non valens à quoquam pontifice gratiam benedictionis citra *Romanam* curiam promereri, neceſſitate compulſus in laboribus et expenſis exceſſivis præſentiæ apoſtolicæ ſe præſentavit. Ubi tamen prædictus archiepiſcopus ut vir inibi potens opere & ſermone, prædictum electum in ſuis agendis multipliciter impedivit, & benedictionem ejuſdem ſuis cavillationibus per aliquod tempus injurioſe protelavit; unde electus videns ſuam cauſam ad votum non expediri niſi ſummus pontifex promiſſis & muneribus placaretur, ob benedictionem celerius promerendam, plus ſuæ temporali expeditioni conſulens quam monaſterii *Auguſtinenſis* commodo quod in ſuis juribus & poſſeſſionibus erat conſervaturus, eccleſiam de **Littleborne** monaſterio *montis Merteti*, quod monaſterium idem papa *Gregorius* ix. à fundamentis erexit, ad preces papæ aſſignavit, & à jure beati *Auguſtini* conditionaliter tamen inperpetuum alienavit. Cujus formam alienationis & modum non multum poſt noticiæ ſignare non omittam. *Stephanus* Archiep. An. Dñi 1225. Igitur anno Dñi M.CC.xxv. die aſcenſionis Domini idem *Robertus* benedictus eſt *Romæ* in eccleſia *Lateranenſi* de mandato Papæ à domino *Patricio Albanenſi* epiſcopo Cardinali.

§. 2. *De eccleſia S.* Petri *in* Sandwyco.

1227. ANno Domini M. CC. xxvij. ſedata fuit quædam controverſia inter Abbatem & Barones de *Sandwico* de eccleſia ſancti *Petri* ibidem, per hanc quæ ſequitur formam.

Hæc eſt compoſitio facta inter dominum R. *abbatem S.* Auguſtini Cantuariæ *& ejuſdem loci conventum ex una parte, & barones portus de* Sandvvyco *ex altera, inter quos cum controverſia orta eſſet ſuper jure patronatus eccleſiæ ſancti* Petri *in* Sandvvico, *tandem de prudentum virorum conſilio & utriuſque partis aſſenſu in hunc modum conquievit; videlicet, quod quotieſcumque eccleſia S.* Petri *in* Sandvvyco *vacat, Abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *& barones de* Sandvvyco *ſemper ſimul præſentabunt. Ita ſcilicet quod abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *una vice libere pro voluntate ſua, & barones alia vice pro voluntate ſua, conferent eccleſiam prænominatam cui voluerint. Præſentabunt autem abbas & conventus per literas facientes mentionem de jure baronum de* S. *& barones ſimiliter de* S. *præſentabunt per literas facientes mentionem de jure abbatis. Iſtud eciam ſciendum eſt quod quotieſcunque barones de* Sandvvico *ibunt in ſervicium domini Regis, capellanus ſancti* P. *ibit cum eis ad ſolidatas* vj.d. *qualibet die quamdiu fuerit in expeditione, ſive abbas ſive barones dictam eccleſiam contulerint: & ut hac compoſitio firma & ſtabilis imperpetuum perſeveret, præſenti cirographo ſigilla ſua altrinſecus appoſuerunt.*

§. 3. *Forragium pro caſtro* Dovoriæ *ulterius non extorquendum.*

EOdem anno *Henricus* rex ad inſtantiam conquerentium dimiſit illam gravem extorſionem quæ exigebatur à *Kancialibus* à miniſtris caſtri *Dovoriæ* ſub nomine *Forragii* in hæc verba.

HENRICUS *Dei gratia, &c. Archiepiſcopis, epiſcopis, &c. et omnibus ballivis et fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis nos intuitu Dei & pro ſalute animæ noſtræ et animarum anteceſſorum et hæredum noſtrorum, pardonaſſe et quietum clamaſſe de nobis & hæredibus noſtris imperpetuum omnibus de comitatu* Kanciæ, *conſuetudinem illam quæ nominatur* furragium; *quod quidem furragium Conſtabularii noſtri* Dovoriæ *et alii commorantes in eodem Caſtro capere conſueverunt ad equos eorum in caſtro* Dovoriæ *ſuſtentandos. Ita quod nullus Conſtabularius ejuſdem caſtri nec alii cum eo cõmorantes in eodem caſtro de cætero furragium illud capiant ab aliquo ſive de ſtramine, ſive de feno, ſive de veſcia, ſive de piſis, ſive de fabis, ſive de quocumque alio furragio, ſive de blado, ſive de quacumque alia re nomine furragii. Quare volumus et firmiter præcipimus pro nobis et hæredibus noſtris, quod omnes de prædicto comitatu inperpetuum ſint quieti de prædicto furragio; ita quod nullus Conſtabularius ſive alii commorantes in eodem*

Henric. III. Rex. *dem caſtro de cætero illud furragium vel aliquid nomine furragii ſicut prædictum eſt capiant quoquomodo.*

Et eſt hæc carta tripartita, una in archivis noſtris cuſtoditur, & aliæ duæ in eccleſia S. Trinitatis *Cantuariæ*, & in eccleſia S. *Martini Dovoriæ* reſervantur.

§. 4. *Civitas* Cantuariæ *per ballivos ordinatur regenda.*

CONceſſit idem rex *Henricus* iſtis temporibus civitatem ſuam *Cantuariæ* civibus ejuſdem ſub gubernaculo duorum ballivorum regendam, ad feodi firmam lx. librarum ad ærarium ſuum annuatim ſolvendarum, cum omnibus juribus & conſuetudinibus ad eandem civitatem pertinentibus cum molendino de **Eaſtbrigge** vel aliter **Kyngeſmell** dictum. Et hic nota quod prædictum molendinum per *Stephanum* regem eccleſiæ beati *Auguſtini* ut dictum eſt extiterat datum, per *Clerembaldum* intruſorem *Henrico* regi tunc *Anglorum* alienatum, & à ſucceſſoribus regibus ad opus civitatis injurioſe detentum, & per iſtum *Henricum* prædictis civibus una cum burgo prædicto in forma præmiſſa reſignatum.

§. 5. *Tranſlatio S.* Thomæ *martyris.*

An. Dñi 1228. ANno ſequenti *Stephanus* archiepiſcopus fecit tranſlationem S. *Thomæ* martiris nonas Julii; & feria vj. proximo ſequenti idem archiepiſcopus diem clauſit extremum.

☞ Hucuſq; Cronica ſua partim perduxit *T. Sprot*; abhinc idem frater *Willelmus* ſui temporis digeſſit hiſtoriam.

§. 6. *Placitum pro manerio de* **Sybertiſweld.**

1232. ANno M. CC. xxxij. dirationatum fuit in curia domini Regis apud *Roffam* coram Juſticiariis iterantibus inter *Robertum* abbatem S. *Auguſtini* & *Ricardum* filium *le Rois* & uxorem ſuam pro una carucata terræ in **Syburtiſwelde**; tandem *R.* & uxor ſua recognoverunt dictam terram cum ſuis pertinentiis eſſe jus ipſius abbatis & eccleſiæ ſuæ. Et pro hac recognitione, fine & concordia idem Abbas conceſſit eiſdem prædictam terram cum pertinentiis. Habendum & tenendum ipſis & hæredibus ſuis de præfato abbate imperpetuum, Reddendo inde annuatim xxiv. s. ad feſtum ſancti *Andreæ* apoſtoli. Ubi prius non reddiderunt niſi xx. s. tantum.

§. 7. *Proceſſus ſuper eccleſia de* **Chiſtelet.**

1233. ANno ſequenti quidam *Willelmus* dictus *Clericus* ad vicariam de **Chiſtlet** per abbatem & conventum tantummodo præſentatus. Qui quidem *Willelmus* vicaria non contentus prædicta, in Rectorem inſtitutus eſt majores decimas occupando. Unde abbas & conventus ſuper tali injuſta occupatione coram ſummo pontifice querimoniam deponentes, per Priores *Weſtmonaſterienſem* & de **Waltham** per ſedem apoſtolicam in hac parte judices deputati optinuerunt, ut idem *Willelmus* à præfata eccleſia per ſententiam diffinitivam abjudicaretur, eidem ſuper ea perpetuum ſilencium imponendo, & pro fructibus medio tempore perceptis in l. marcis eum ſimiliter condempnando.

1234. Anno Domini M.CC.xxxiv. magiſter *Edmundus de Habindon* theſaurarius *Salesberienſis* in archiepiſcopum *Cantuarienſem* conſecratus eſt. Edmundus Archiep.

§. 8. *Compoſitio inter S.* Edmundum *archiepiſc.* Cantuarienſem *& nos.*

ISte vero archiepiſcopus ſanum reputavit conſilium lites & diſcordias pro poſſe ad uniformitatem reducere, & ea quæ ſub incerto pendebantur ad rectitudinis tramitem reformare. Set & materias quæſtionum perpetualiter cupivit amputare. Unde cum domino *Roberto* abbate ex conſenſu partis utriuſque ſuper exemptionibus, juribus & privilegiis hujus monaſterii edidit compoſitionem in hunc modum; *Noverint univerſi præſens ſcriptum inſpecturi vel audituri, quod cum inter dominum* Edmundum *Dei gratia* Cantuarienſem *archiepiſcopum totius* Angliæ *primatem, magiſtrū* S. de Langeton *archidiaconum* Cantuarienſem *ex una parte, & dominum* Robertum *abbatem & conventum beati* Auguſtini Cantuariæ *ex altera, controverſia diutius mota fuiſſet ſuper eccleſia de* **Chiſtlet** *et juriſdictione cohercendi homines & clericos ipſorum abbatis & conventus delinquentes in dioceſi* Cantuarienſi *extra ſepta ſui monaſterii quæ continent elemoſinariam extra portam eorum, necnon ordinatione vicariarum in capellis ſpectantibus ad eccleſiam de* **Menſtre**, *& pulſatione campanarum quæ fieri conſuevit, ut dicunt, in eccleſiis ſuis in adventu ipſius abbatis, & de incluſione anachoritarum, & de annuis præſtationibus quas in diverſis eccleſiis ſui patronatus dicti abbas & conventus ab antiquo perceperunt, & ſuper eccleſiis de* **Middelton** *& de* **Faverſham**, *necnon ſuper cuſtodia eccleſiarum vacantium de patronatu ipſorum & clavibus & fructibus medii temporis & ſequeſtris & miſſione in corporalem poſſeſſionem, & procurationibus & benedictione abbatis ſine exactione profeſſionis in monaſterio ſancti* Auguſtini *per archiepiſcopum facienda; ut omnis materia litis amputetur in futuro & hactenus mota conquieſcat, ad perpetuam pacem ſuper articulis prænotatis, tandem amicabiliter ſic convenit, Archiepiſcopus ſiquidem memoratus inſpecta compoſitione inter bonæ memoriæ prædeceſſorem ſuum* Ricardum *&* Rogerum *tunc abbatem ſancti* Auguſtini *cum conſenſu conventus utriuſque olim facta, ſub ſigillis eorundem & ſub ſigillo illuſtris quondam Regis* Angliæ Henrici *verbo ad verbum teſtificata, accuſationi privilegiorum ſancti* Auguſtini *pro ſe & conventu ſuo ſicut dictus prædeceſſor ſuus ante fecerat cum conſenſu dicti archidiaconi renunciavit. Idem eciam archiepiſcopus inſpecta ſententia bonæ memoriæ* Alexandri *papæ contra præfatum* Ricardum *prædeceſſorem ſuum & ſucceſſores ipſius communicato fratrum conſilio promulgata; Inſpectis eciam privilegiis* Romanorum *pontificum* Lucii *&* Urbani *qui dictam ſententiam ex certa ſcientia confirmarunt, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis concedit in futuro, benedictionem inpendere electis ſancti* Auguſtini *in eodem monaſterio ſine exactione profeſſionis cum ad hoc fuerit requiſitus. Cum autem dictus archiepiſcopus ad benedicendum electum ut dictum eſt venerit, cum proceſſione & pulſatione à conventu recipietur, non tanquam ordinarii ſet tanquam domini Papæ miniſtri ad hoc faciendum ratione privilegiorum dicti monaſterii ſpecialiter deſtinati. Ita ut per hoc in nullo eorum privilegiis derogetur, vel*

idem

Hen. III. Rex.

idem aliquid juris poſſit ea vice vel alia infra ſepta dicti monaſterii & contra tenorem privilegiorum ſuorum vendicare. Electus vero beati Auguſtini *ſtatim in acceptione benedictionis mitram geret & inſignia abbatis conſueta ejuſdem loci. De ſubjectione autem clericorum & hominum abbatis & conventus ſancti* Auguſtini *ſic convenit, quod clerici eorum & homines maneriorum & abbaciæ archiepiſcopo* Cantuarienſi *& archidiacono & eorum officialibus in ſpiritualibus ſubjacebunt ratione delicti extra ſepta antedicta perpetrati: hac diſtinctione ſervata, quod clerici ſive ſervientes capitales in maneriis ipſorum cum ſint de familia abbatis ſi aliquando feciſſe dicantur aliquid quod excommunicationem inducat majorem vel minorem, ante diſcuſſionem facti niſi forte factum eſſet notorium, vel antequam confeſſi fuerint vel convicti vel in opere deprehenſi vel contumaces, poſt legitimam citationem extra ſepta monaſterii ſibi factam ab Ordinariis, nec excommunicari poterunt nominatim nec ſuſpendi; ſi quis autem taliter extra ſepta delinquentium ad monaſterium confugerit, abbas vel is qui pro tempore præerit monaſterio, compellet eum ſtare juri coram eiſdem, vel expellet eum de abbacia, omni tamen juriſdictione ordinaria ſeu cohercione infra ſepta monaſterii ceſſante. Inſtitutiones eciam perſonarum ſeu vicariorum in eccleſiis ſancti* Auguſtini *ab archiepiſcopo vel ejus officiali fient ad præſentationem abbatis & conventus ſancti* Auguſtini. *Ita quidem quod cum perſonam vel vicarium in ipſorum eccleſiis decedere contigerit, retentio clavium penes abbatem & conventum reſidebit, donec ad præſentationem eorum aliquis inſtituatur, & poſt factam inſtitutionem miſſio fiat per archidiaconum in corporalem poſſeſſionem, ſalva tamen interim juriſdictione archidiacono debita ſi ad illas eccleſias accedat vel mittat. Fructus vero medii temporis inter abbatem & archidiaconum dimidiabuntur, & ei qui vice archidiaconi faciet miſſionem, abbas & conventus tradent clavem, archidiaconus vero vel ejus nuncius omnem reſiduam facient ſolempnitatem, ſimilis eciam erit dimidiatio ſequeſtrorum. Item pro bono pacis concedunt abbas & conventus, quod archidiaconus quando viſitationis exercet officium, in eccleſiis eorum ſicut in aliis eccleſiis dioceſis* Cantuarienſis *recipiat procurationem conſuetam, exceptis propriis eorum eccleſiis, ſcilicet de* **Menſtre**, *de* **Norborne**, *de* **Chiſtlet**, *de* **Faverſham**, *de* **Middelton**; *quæ cum ſuis capellis immunes erunt in futuro tam à donis quam à procuratione archidiaconi & ejus officialium. Item quamvis pro litibus ſopiendis in futuro concedant abbas & conventus quod in eccleſiis ipſorum inſtitutiones perſonarum & vicariorum fiant per archiepiſcopum vel ejus officialem, & per archidiaconum ut præmiſſum eſt miſſio in corporalem poſſeſſionem, prænominatæ tamen propriæ ipſorum eccleſiæ liberæ erunt ab omni ſuſpenſione & interdicto Ordinariorum inperpetuum, cum eis à ſede apoſtolica ſit indultum ne* Cantuarienſis *archiepiſcopus vel archidiaconus ſeu ejus officialis eccleſias eorum ſuſpendere poſſint vel ſubponere interdicto, ſalva tamen omni juriſdictione ut dictum eſt in perſonas. In capellis vero de* **Menſtre** *ſcilicet ſanctorum* P. *&* Johannis *&* Laurentii *præſentabunt domino Archiepiſcopo idoneos capellanos perpetuos ad altaragia, ita tamen quod ſingula altaragia valeant* x. *marcas, qui hac portione tantum erunt contenti ſub pœna amiſſionis dictæ portionis ſi coram judice quocunque ex certa ſcientia plus aliquando petierint, præſertim cum vicarius matricis eccleſiæ de* **Menſtre** *cui eſt ſufficiens vicaria ab antiquo taxata in eiſdem ratione vicariæ ſuæ, minutarum percipiat decimam decimarum, agnorum videlicet & porcorum, & obventiones ex matrimoniis & purificationibus poſt partum & corporum quorundam ſepultura provenientes, aliis eccleſiarum ſuarum capellis in quibus fuerint vicarii in ſuo ſtatu remanentibus; præfatus ſiquidem archiepiſcopus cum conſenſu archidiaconi, inſpectis* Romanorum *pontificum privilegiis & prædeceſſorum ſuorum ſcilicet* Theobaldi, Ricardi *memorati &* Huberti, *necnon & capituli ſui & illuſtrium regum* Angliæ *ſcriptis autenticis, memoratas eccleſias ſcilicet de* **Menſtre**, *de* **Norburne**, *de* **Chiſtelet**, *de* **Faverſham**, *de* **Middelton**, *cum capellis ſuis & decimis quas ratione earum perceperunt ab antiquo & omnibus pertinentiis ſuis, lite mota per prædeceſſores ſuos non obſtante, concedit & confirmat eiſdem cum prebenda de* **Cuttiſton** *uſibus ipſorum perpetuis pacifice retinendas cum libertate ſupradicta. Salvis vicariis conſuetis in omnibus, dum tamen vicarius eccleſiæ de* **Chiſtelet** *qui pro tempore fuerit de ſua vicaria ad quam ſpectant omnes obventiones & minores decimæ præter garbas & fœnum, quinque marcas annuas ſolvat eiſdem. Quod autem pulſatio campanarum fiet de cætero contra abbatem in eccleſiis dictorum abbatis & conventus ſecundum quod fieri conſuevit archiepiſcopus ſuſtinebit. Anachoritæ vero de cætero non fient in eccleſiis ſancti* Auguſtini *ab abbate niſi per Ordinarium, nec per Ordinarium niſi de conſenſu abbatis. Pro annuis autem penſionibus quas ut præmiſſum eſt in diverſis eccleſiis ſui patronatus abbas & conventus hactenus perceperunt, concedit eiſdem dictus archiepiſcopus in eccleſia de* **Preſton** *vel de* **Sellyng** *quam citius vacare contigerit, viginti marcas annuas perpetuo percipiendas. Ita tamen quod cæteræ ipſorum eccleſiæ de cætero ſint liberæ ab hujuſmodi præſtationibus & penſionibus, & dicti abbas & conventus nichil amplius in illa nec in aliis eccleſiis quas tunc in proprios uſus non habent, aliquam appropriationem de jure vendicabunt in futuro niſi de novo eis concedantur. Ut autem tollatur omnis ſiniſtra ſuſpicio, dicti abbas & conventus nullam eccleſiam ſui patronatus de cætero habebunt ad firmam niſi de conſenſu Ordinariorum. Si qua vero partium prædictarum contra iſtam compoſitionem aliquid nunc impetravit vel inpetraverit in futuro, irritum habeatur & inane, compoſitione nichilominus firmum robur obtinente. Facta eſt autem hæc compoſitio anno ab incarnatione Domini* M. CC. xxxvij. *pontificatus dicti domini* E. Cantuarienſis *archiepiſcopi quarto.*

Edmundus Archiep.

An. Dñi 1238. Anno Domini M.CC.xxxviij. *Edmundus* archiepiſcopus mandavit officialibus & decanis ſuis, ut in capellis & eccleſiis parochialibus denunciari facerent in genere excommunicatos omnes illos qui malicioſe terras vel poſſeſſiones occuparunt, libertates ſcienter inpugnarunt, decimas vel redditus injuſte detinuerunt ad iſtud monaſterium de jure ſpectantes. Hoc addens in fine, *Hoc mandatum noſtrum exequentes, quod non de negligentia redargui ſet de diligentia debeatis merito commendari.*

Eodem anno idem archiepiſcopus hoſpitatus in

iſto

Hen. III. Rex.

iſto monaſterio teſtatus eſt ſub tali forma.

NOVERIT univerſitas veſtra, quod cum de mandato ſedis apoſtolicæ ſpeciali dominus Otto *apoſtolicæ ſedis legatus in domibus noſtris apud* Cantuariam *morabatur, nos de ſpeciali gratia abbatis & conventus monaſterii ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ad* Romanam eccleſiam *nullo medio pertinentis & in eorum domibus infra ſepta ſui monaſterii per aliquot dies in noſtris expenſis hoſpicium habuimus, Proteſtantes per hoc eorum privilegiis & compoſitioni inter nos & ipſos inita nos in nullo velle in poſterum derogari; & ut de hac noſtra proteſtatione & voluntate ſucceſſoribus noſtris liqueat in futuro, has literas noſtras &c.*

§. 10. *Inſtitutiones* Roberti *abbatis.*

An. Dñi 1240.

ANno Domini M. CC. xl. inſtituit idem abbas, ut in tricennali cujuſlibet fratris iſtius congregationis defuncti, omni die quando non dicitur in conventu *Placebo* & *Dirige* ab ebdomada magnæ Miſſæ juncto ſibi ſocio Miſſæ matutinalis in adjutorium, ante altare S. *Gregorii* ad analogium debet dici. Item ordinavit quod præcentor qui pro tempore fuerit tenetur ſcribere tabulas omnium feſtivitatum vinum habentium, & tabulas obitus fratrum & aliorum defunctorum pro quibus vigiliæ debent reddi à conventu in choro.

§. 11. *Sepultura deciſa inter nos & eccleſiam Chriſti.*

EOdem anno quidam ſecularis nomine *Reginaldus* qui fuit janitor eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* legavit in teſtamento ſuo & ſua ultima voluntate corpus ſuum ad ſepeliendum in cimiterio eccleſiæ S. *Auguſtini.* Set ipſo defuncto quidam monachus *ſanctæ Trinitatis* tulit corpus prædicti *Reginaldi* & ſepelivit in cimiterio eccleſiæ prædictæ. Set iſtis cognitis, abbas & conventus querimoniam depoſuerunt coram *Ottone* titulo S. *Nicholai* in carcere *Tulliano* diacono Cardinali & apoſtolicæ ſedis in *Anglia* tunc legato. Iſte *Otto* venit in *Angliam* xv. kal. Auguſti anno Domini M. CC. xxxvij. & traxit moram in terra iſta per iiij. annos & receſſit anno quinto. Qui recepta querela juſta abbatis & conventus, & audita utraque parte conquerentium & defendentium, eos fecit concordari per viam compoſitionis in hac forma.

“ NOTUM ſit omnibus has literas viſuris vel auditurïs, quod cum orta eſſet contentio inter dominum *Robertum* Dei gratia abbatem & conventum S. *Auguſtini* ex una parte, & capitulum eccleſiæ Chriſti ex altera, ecce quod quidam *Reginaldus* dicti capituli quondam janitor, in ultima voluntate ut dicitur apud eccleſiam dictorum abbatis & conventus ſepulturam elegiſſet & cucullam recepiſſet eorundem; ipſo poſtmodum viam univerſæ carnis ingreſſo, quidam frater memorati capituli ope & inductione ſecularium capitulo ſuo ignorante, corpus dicti defuncti fecerat requiri, & ad eccleſiam ſuam deferri. Set hujuſmodi factum dicti abbas & conventus non ſuſtinentes, coram eodem *Ottone* Cardinali querimoniam depoſuerunt, cujus literarum auctoritate procederet. Intelligens ſupradictum Capitulum conquerentium monitionem, cui monitioni per ſe non dederat occaſionem, cum eiſdem gratanter inivit pacis tractatum. Cum igitur parti conquerenti eſſet ſuper hoc amicabiliter ſatisfactum, pro futuris temporibus inter partes ad mutuæ pacis obſervationem in conſimilibus ſic conquievit, Quod neutra eccleſia tenenti vel ſervienti ſine conſenſu alterius eccleſiæ ſepulturam ſive cucullam de cætero concedet, niſi prius licentia fuerit petita, ut ſic in poſterum ſine ſtrepitu utriuſque eccleſiæ familiarium decedentium ſatisfaciat voluntati. Hanc autem compoſitionem ſine dolo inperpetuum utraque pars bona fide obſervaturum promittit. In cujus rei teſtimonium.

Edmundus Archiep.

§. 12. *Concordia inter abbatem &* R. Rokeſle *pro* Elvyngton.

EOdem anno facta fuit quædam finalis concordia in curia domini regis apud *Cantuariam* inter abbatem S. *Auguſtini Cantuariæ* petentem, & *Ricardum Rokeſle* pro xl. acris terræ in Elvyngton. Unde recognitio magnæ aſſiſæ ſummonita fuit inter eos in eadem curia, ſcilicet quod prædictus *Ricardus* recognovit prædictam terram cum pertinentiis eſſe jus ipſius abbatis & eccleſiæ ſuæ prædictæ. Et pro hac recognitione ſive concordia idem abbas conceſſit eidem *Ricardo* prædictam terram cum pertinentiis, reddendo inde per annum xviij. s. ad feſtum ſancti *Michaelis* & xij. d. pro auxilio vicecomitis pro omni ſervicio, ſecta curiæ & exactione; ſalvis eidem abbati & ſucceſſoribus ſuis releviis & eſcaetis de prædicto tenemento cum acciderint.

§. 13. *Ratificatio capituli eccleſiæ Chriſti ſuper compoſitione facta apud* Horingbrok *in mora de* Scherle.

N*Overit univerſitas veſtra nos compoſitionem factam inter venerabilem patrem dominum* E. Cantuarienſem *archiepiſcopum ex una parte, & viros religioſos abbatem & conventum ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ex altera ſuper quadam parte mora de* Scherle *inſpexiſſe in hac verba.*

“ Noverint univerſi ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod cum controverſia nota eſſet inter venerabilem patrem dominum *E.* archiepiſcopum *Cantuarienſem* ex parte una, & dominum *Robertum* abbatem & conventum S. *Auguſtini* ex altera, unde placitum motum fuit inter eos in comitatu *Cantiæ* per breve domini regis de diviſis de quadam mora in Scherle & quodam broko in cujus poſſeſſione diutina aſſerebat pars archiepiſcopi ipſum & ſuos prædeceſſores extitiſſe, parte monachorum id negante, & aſſerente ſe dictum brokum ſicut & aliam partem ipſius quæ eſt vicinior boſco ipſorum à longis retro temporibus continue poſſediſſe, & moram ſimiliter ad ipſos de jure pertinere, ſicut per diviſas quondam factas ex præcepto regis *Johannis* erant docere parati: Tandem de conſilio virorum prudentum prædicta controverſia per compoſitionem amicabilem ſic quievit; videlicet quod tota mora prædicta de cætero domino archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, brochum vero præfatum integre abbati & conventui S. *Auguſtini* inperpetuum permaneat. Et ne de loco diviſionis moræ & brochi prædictorum poſſit in futurum dubitari, factum eſt foſſatum continens xij. pedes in latitudine inter moram & brochum

Henric. III. Rex.

« chum præſcriptum de terra partis utriuſque æqualiter. Et quocienſcunque terra creſcente foſſatum illud debeat renovari vel mundari, communibus expenſis fiet per ballivos de **Aldington** & de **Snaves**. Ut autem hæc compoſitio firma & ſtabilis perpetuis temporibus perſeveret, ſigilla partium &c. hoc firmiter utrimque promiſſo, quod dominus archiepiſcopus et ejus ſucceſſores in dicto broko, abbas vero & conventus in dicta mora nil juris de cætero vendicabunt. *Nos ergo dictam compoſitionem ratam habentes in ſignum ratihabitionis noſtræ præſenti ſcripto ſigillum capituli noſtri fecimus apponi.*

§. 14. *Concambium terrarum inter Camerarium & Elemoſinarium.*

« OMNIBUS præſentes literas inſpecturis vel audituris *Robertus* Dei gratia &c. Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, nos ex certis & neceſſariis cauſis de communi conſilio capituli noſtri ea quæ præſenti ſcripto cyrographato annotata ſunt ſtatuiſſe, & ut perpetuis temporibus robur obtineant firmitatis ſigillo capituli noſtri roboraſſe, videlicet quod elemoſinarius domus noſtræ de cætero habebit omnes decimas de **Scholdover** & de **Fengleſham** & de **Becleſhangre** tam majores quam minores, quas aliquando Camerarius noſter percipere conſuevit. Camerarius vero habebit omnes decimas tam majores quam minores quas Elemoſinarius conſuevit percipere in **Pertone** & **Orone** & de— quæ tenentur de curia de **Norborne** in capite cum decimis majoribus de **Winkelond** quæ ad elemoſinariam pertinere noſcuntur. Reddet autem Camerarius annuatim abbati de **Langedon** vel illi qui pro tempore divina tenentibus noſtris de **Orone** miniſtrat iij. buſſellos ordei. Prædictus vero Elemoſinarius in ſupplementum decimarum prædictarum Camerario qui pro tempore fuerit reddet annuatim v. marcas ſterlingorũ in cathedra ſancti *P.* & ſi aliquando à ſolutione dictarum quinque marcarum in dicto termino facienda ceſſaverit, niſi conſenſus Camerarii intervenerit, ad vinum ad opus conventus dimidiam marcam præſtabit; ſuſpendetur etiam ab illo die ab officio adminiſtrationis Elemoſinarius intus & foris uſque ad quindenam proximo venturam completam. Et dictus Camerarius infra dictum terminum quindenæ de bonis Elemoſinarii per manum ſuam v. marcas ſibi debitas per viſum duorum fratrum de conventu fide dignorum ex præcepto abbatis ſine ulla contradictione, fideliter tamen & ſine vaſto faciet. Inſuper ſi aliquando lis mota fuerit Camerario ſuper decimis quas in excambium recepit, vel aliqua portione earum, dictus Camerarius ſumptibus ſuis & laboribus decimas illas defendet, & ſi in ſolidũ vel pro parte aliqua convincatur; arbitrio abbatis & iiij. fratrum de conventu ſanioris et peritioris conſilii ſufficienter Camerario ſatisfaciet, & Camerarius conſervabitur indempnis. Hoc idem in decimis quas Elemoſinarius in excambiũ receperit per omnia volumus obſervari. Eodem anno obiit *S. Edmundus* archiep.

§. 15. *Advocatio eccleſiæ de* **Tentwarden.**

An. Dñi 1240.

ANno Domini M. CC. xl. congregato capitulo domini archidiaconi *Cantuarienſis* in eccleſia de **Tentwarden** dominus *Hugo Norman* dictæ eccleſiæ Rector ab officiali in virtute obedientiæ ad hoc eſt aſtrictus ad dicendum quis eum præſentaſſet, & inſtituiſſet in eadem cum lx. annis & amplius eam tenuiſſet, quia propter diuturnitatem temporis dubitari poſſet ſuper jure patronatus eccleſiæ prædictæ. Qui reſpondit coram omnibus, ſe tempore bonæ memoriæ *Rogeri* abbatis ſancti *Auguſtini* veri patroni dictæ eccleſiæ à *Ricardo* archiepiſcopo fuiſſe præſentatum & per ipſum inſtitutum in eadem. Requiſitus eciam, utrum occaſione ſuæ præſentationis & inſtitutionis mota fuiſſet ab aliquo controverſia, & reſpondit ſe ſine alicujus contradictione ad dictam eccleſiam præſentatum fuiſſe et inſtitutum. Cujus *Hugonis* rectoris aſſenſu concurrente quidam *R.* de *Cantuaria* capellanus ad præſentationem abbatis & conventus domino *Edmundo* tunc archiepiſcopo ad vicariam ipſius eccleſiæ fuit admiſſus & inſtitutus in eadem. Anno ſequenti magiſter *S. Langedon* archidiaconus *Cantuarienſis* auctorizavit exemptionem noſtram per hanc formam.

« OMNIBUS Chriſti fidelibus, &c. Noverit univerſitas veſtra quod cum tempore vacationis eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* poſt deceſſum venerabilis patris *Edmundi* piæ memoriæ archiepiſcopi *Cantuarienſis*, propter evidentes conjecturas & cauſas rationabiles & manifeſtas non poſſemus in civitate *Cantuarienſi* ſecure & commode officium prædicationis exercere, conceſſerunt nobis ad magnam precum noſtrarum inſtantiam viri venerabiles dominus *Ro.* abbas & conventus ſancti *Auguſtini* infra ſepta ſui monaſterii, quod ab omni ordinariæ juriſdictionis exercitio per ſedis apoſtolicæ privilegium liberum eſt & exemptum, verbum domini populo prædicare: unde quoniam eidem venerabili loco ſpecialiter eſt indultum ne archiepiſcopus vel archidiaconus *Cantuarienſes* vel eorum officiales niſi rogatu dictorum abbatis & conventus vel ſine licentia eorum petita prius & obtenta, aliquid ordinariæ juriſdictionis ibidem debeant exercere, præſentibus literis noſtris duximus proteſtandum, nos nullo jure noſtro ſet eorum licentia petita & obtenta ibidem verbum Domini ſeminaſſe, ne credatur vel dicatur in poſterum per gratiam ab ipſis in hac parte nobis factam privilegiis eorum in aliquo derogari.

§. 16. *Compoſitio inter nos et eccleſiam S.* Trinitatis *ſuper conſuetudinibus maritimis.*

QUia vero ſæpius extitit controverſia inter eccleſiam iſtam & eccleſiam ſanctæ *Trinitatis* ſuper terris, redditibus, conſuetudinibus maritimis, & aliis juribus variis & diverſis, ad ſedandam perpetualiter omnem litem exiit inter eos ſub anno Domini M. CC. xlij. compoſitio formam continens infraſcriptam.

An. Dñi 1242.

« Noverint univerſi præſens ſcriptum inſpecturi, quod cum inter viros religioſos dominum *Robertum* abbatem & conventum ſancti *Auguſtini* ex parte una, & dominum *R.* Priorem & Capitulum eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* ex altera, ſuper terris, redditibus, conſuetudinibus maritimis, juribus variis ac diverſis agitata eſſet diutius materia quæſtionis, tandem de communi voluntate, & aſſenſu partium, & de conſilio virorum prudentum amicacabiliter in hunc modum conquievit, videlicet quod abbas & conventus prænominati pro bono pacis perpetuæ concedunt, quod Prior & Capitulum memorati terras & redditus de feudo ſancti *Auguſtini* quas dicebantur hactenus occupaſſe, de cætero habeant, tam in civitate quam extra, ita tamen quod æquivalentes terras ac redditus permutationis nomine alibi recipiant ab eiſdem. Simili modo concedunt Prior & capitulum memorati abbati & conventui prædictis in ſimilibus ſimilem permutationem, ita tamen quod de cætero neutra pars terras vel redditus alterius partis intrabit vel ſibi appropriare præſumet, niſi licentia ſuper hoc petita prius & optenta. Item pro bono pacis conceſſum eſt à Priore & capitulo antedictis, quod de cætero ad fletum de **Menſtre** per flumen de *Sandwico* liber ſit acceſſus per navigium & receſſus. Hoc adjecto, quod ſi in ipſo flumine ante dictum fletum aliqua navis anchoram fixerit, vel levandæ navis vel negociandi ſeu merces alias transferendi cauſa ſe ibidem exoneraverit, dicti Prior & capitulum conſuetudines maritimas habeant. In fleto autem antedicto nil juris de cætero vendicabunt. Set omnes conſuetudines & emolumenta libere percipient abbas & conventus prædicti ratione fundi in eodem. Ita tamen quod tenentes dictorum Prioris & capituli liberi ſint & quieti ab omni conſuetudine qua hactenus liberi eſſe conſueverunt, nec dictum fletum malitioſe ampliabunt abbas & conventus prædicti in dictorum Prioris & capituli detrimentum. Simili modo proviſum eſt quod Prior & capitulum memorati omnes conſuetudines maritimas habeant in portu de *Sandwico* ex utraque parte fluminis, ſecundum tenorem & uſum cartarum ſuarum infra terminos in ipſis cartis contentas, quia ſic hactenus uſi ſunt; Ita tamen quod dicti abbas & conventus in villa ſua de **Stanores** & in terris ſuis dominium habeant et uſum conſuetum. Quod ſi in dicta villa de **Stanores**, ſive in terris dictorum abbatis et conventus, ſive in flumine infra dictos terminos, inter quaſcumque perſonas diſcordiæ vel contentiones emerſerint, ſecundum qualitatem delicti juſtitia ſuper hiis fiet ſicut hactenus fieri conſuevit. Ultra locum autem qui vocatur **Hennebrigge** prope **Stanores** verſus **Cliveſende**, **Rammeſgate**, **Margate**, **Weſtgate**, ſive in aliis terris dictorum abbatis & conventus tam in *Thaneto* quam extra, & ex alia parte maris in tenemento ipſorum de **Northborne** idem abbas & conventus omnes conſuetudines maritimas ratione applicationis et terræ ſuæ percipient. Ita tamen quod in mari nil juris vel conſuetudinis maritimæ percipient præterquam ut diſtinctum eſt ratione applicationis & terræ ſuæ. Nec impedient nec procurabunt quo minus dicti Prior et capitulum per ſuos miniſtros in mari ſecundum tenorem cartarum ſuarum et uſum, jura et conſuetudines maritimas requirere et capere poſſint, nec aliquam quærent occaſionem vel aliquid facient per quod dictorum Prioris et capituli jura et conſuetudines maritimæ infra ſuos terminos maris et terræ ſuæ in aliquo minuantur. Similiter dicti Prior et capitulum ultra dictum locum qui dicitur **Hennebrigge** nil juris aut maritimæ conſuetudinis quæ dictis abbati et conventui ratione applicationis et terræ ſuæ provenire poſſunt, accipient vel inpedient, nec procurabunt quo minus naves quæ applicare voluerint ad terras dictorum abbatis et conventus applicent, et conſuetudines maritimas reddant quæ ipſis ratione applicationis et terræ ſuæ debentur. Nec aliquam quærent occaſionem vel facient aliquid per quod dictorum abbatis et conventus jura et conſuetudines in terris ſuis in aliquo minuantur, ſet locis ſuis utrique libere utantur conſuetis. Item, concedunt liberaliter Prior et capitulum memorati quod in navicula ipſorum prædicti abbas et conventus et eorum familia propria tranſitum habeant liberum in portu antedicto, ſet hanc paſſagii libertatem ad tenentes dictorum abbatis et conventus qui non ſunt de eorum familia propria non extendent. Item, quoniam per clericos recuſatos à capitulo ſancti *Auguſtini* et à capitulo eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* aliquando ad monachatum admiſſos, et è converſo, ſæpius conſuevit diſcordiæ fomes ſeminari, conceſſum eſt ab utriſque quod de cætero ex cauſa culpæ vel defectus recuſatus ab alterutro capitulo à neutro recipiatur. Item proviſum eſt de monachis utriuſque capituli fugitivis, quod de cætero ſcienter non recipientur nec admittantur niſi gratiam ſui capituli habuerint. Item, proviſum eſt ab utriſque, quod cum abbas S. *Auguſtini* in aliqua ſolemnitate in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* fuerit requiſitus cum ſuis inſigniis divina celebrare, cum commode potuerit libenter accedet, ita tamen quod infra ſepta dictæ eccleſiæ ſolempnem benedictionem non dabit. Ita etiam faciet Prior eccleſiæ Chriſti in eccleſia ſancti *Auguſtini* cum ſuis inſigniis, cum ſuper hoc ab abbate fuerit requiſitus; quod ſi Abbas vel Prior defuerit, prælatus qui præſens fuerit à conventu alterius eccleſiæ ad præmiſſa facienda cum voluerit & commode potuerit requiſitus accedet. Ita tamen quod per talem acceſſum neutrius eccleſiæ privilegiis, juribus aut conſuetudinibus in aliquo derogetur. Item ad commodum & honorem utriuſque eccleſiæ proviſum eſt & conceſſum, quod utraque eccleſia alteri in agendis ſuis conſilium & auxilium fideliter præſtabit & diligenter. Item, ut omnis materia quæſtionis & occaſio litis ſive realis ſive perſonalis amputetur in futuro, & hactenus habita vel concepta inperpetuum conquieſcat, pro bono perpetuæ pacis & concordiæ amicabiliter eſt proviſum et ab utriſque conceſſum, quod ſi de cætero aliqua controverſia inter eccleſias memoratas emerſerit, duo monachi ſanctæ Trinitatis ab eccleſia ſancti *Auguſtini*, & duo ſimiliter de eccleſia ſancti *Auguſtini* ab eccleſia Chriſti *Cant.* eligentur per quos ſine ſtrepitu judiciali dicta controverſia bona fide terminabitur. Ita tamen quod per hanc proviſionem neutri eccleſiæ contra alteram quoad aliquam juriſdictionem exercendam aliquod præjudicium generetur. Et ut hæc compoſitio perpetuum robur firmitatis obtineat renunciatum eſt ab eccleſiis memoratis omnibus litibus eccleſiaſticis ſive mundanis huc uſque inter eas ex quacunque cauſa motis vel conceptis, et omnibus quæ in articulis in hac compoſitione contentis obeſſe poterunt in futuro inpetratis et in poſterum inpetrandis.

Henr. III. Rex.

CAP. XXII.

§. 1. *Quod annuæ penſiones de noſtris eccleſiis per nos non petantur.*

EOdem anno idem *Robertus* abbas ad diſpoſitionem ſæpedicti archidiaconi renunciavit omnibus penſionibus quas iſta eccleſia ab antiquo ſolebat de eccleſiis noſtri patronatus annuatim percipere pro xx. marcis in eccleſia de **Preſton** recipiendis, quouſque dicta eccleſia de **Preſton** poſſet nobis appropriari; ſub iſta forma.

OMNIBUS Chriſti fidelibus &c. magiſter Simon de **Langeton** *archidiaconus* Cantuarienſis *ſalutem. Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, quod cum pro penſionibus ſive præſtationibus annuis quas abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *in diverſis eccleſiis ſui patronatus ab antiquo perceperant, felicis recordationis* E. *quondam* Cantuarienſis *archiepiſcopus de conſenſu noſtro, capitulo eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *id per omnia poſtmodum approbante, prout in compoſitione inter nos inita, & per ſedem apoſtolicam confirmata liquido continetur, xx. marcas annuas in eccleſia de* **Preſton** *vel de* **Selling** *quam citius vacare contingeret duxerit concedendas. Vacante poſtmodum eccleſia de* **Preſton**, *quia dicti abbas & conventus certam portionem decimarum in dicta eccleſia ad valenciam xx. marcarum ſibi petierunt aſſignari: Nos auctoritate ſedis* Cantuarienſis *quæ tunc vacabat, inquiſitione legitima de valore dictæ eccleſiæ prius facta, medietatem majorum decimarum pro penſionibus memoratis, de conſenſu* H. *de* **Wyngham** *clerici, quem ad reſiduam dictæ eccleſiæ portionem legitime præſentarunt, eiſdem aſſignavimus, percipiendam perpetuis temporibus in eadem, & præterea dicti abbas & conventus ſolvent annuatim* G. *vicario quam diu erit vicarius xl. s. quos Rector illius eccleſiæ reddere conſuevit. Ita quod amodo omnes eccleſiæ ipſorum penſionales & capellæ à memoratis penſionibus quietæ & liberæ remanebunt. Unde ad cautelam nomina omnium eccleſiarum patronatus ipſorum penſionaliũ præſenti ſcripto duximus inſerenda, ne ſuper jure dictorum abbatis & conventus dictis eccleſiis, vel liberatione & quieta clamatione penſionum poſſit in poſterum dubitari. Nomina eccleſiarum ſunt hæc, eccleſia de* **Menſtre** *cum tribus capellis ſuis, ſ. ſanctorũ* P. J. *&* Laurentii *quæ conſueverunt reddere xij. s. eccleſia de* **Stonore** *ij. s. eccleſia ſancti* Petri *in* Sandwico *ij. s. eccleſia de* **Norburne** *cum capellis de* **Soldene** *&* **Mungeham** *&* **Langedon** *vj. s. eccleſia de* **Littleborne** *cum capella de* **Garewinter** *iij. s. eccleſia de* **Swaleclive** *xij. d. eccleſia de* **Faverſham** *cum capella de* **Cheldwich** *iiij. l. eccleſia de* **Chiſtelet** *x. s. eccleſia de* **Weſtbere** *xij. d. eccleſia de* **Fordwich** *&* **Sture** *x. s. eccleſia de* **Preſton** *iij. s. eccleſia de* **Middelton** *cum capella xl. s. eccleſia de* **Selling** *xliij. s. eccleſia de* **Lenham** *cum capella de* **Royton** *ix. s. viij. d. eccleſia de* **Frithenden** *ij. s. eccleſia de* **Swanes** *xij. d. eccleſia de* **Brokel** *ij. s. eccleſia de* **Stone** *ij. s. eccleſia de* **Mechch** *ij. s. eccleſia de* **Burwermerſch** *ij. s. eccleſia de* **Tanterdenn** *iij. s. eccleſia de* **Kenington** *x. s. eccleſia de* **Wyfelusburg** *ij. s. In civitate* Cantuariæ *eccleſia ſanctæ* Mildredæ *x. s. eccleſia ſanctæ* Mariæ *juxta caſtrum xij. d. eccleſia ſancti* Johannis *vj. d. eccleſia ſanctæ* Margaretæ *iij. s. eccleſia omnium Sanctorum xij. d. eccleſia S.* Andreæ *xij. d. eccleſia S.* Mariæ Magdalenæ *xij. d. eccleſia S.* Pauli *iij. s. Quas omnes penſiones dicti abbas & conventus futuris temporibus remiſerunt, ſalvo ſibi jure patronatus in eiſdem in perpetuum, & omni reverentia quæ patronis debetur à jure & pulſatione contra abbatem conſueta. Hac proteſtatione prius ab eis facta, quod nichilominus remanebunt decimæ prædiales quas in quibuſdam parochiis perceperunt ab antiquo, & quinque marcæ in vicaria de* **Chiſtelet** *quas retinent per compoſitionem, & cereus unius libræ de eccleſia de* **Stodmerſch** *in ſignum patronatus, & xx. s. de eccleſia de* **Syberteſweld** *quas nomine decimarum dominii de* **Syberteſweld** *à Rectore dictæ eccleſiæ percipiunt annuatim, & xiij. s. iiij. d. de eccleſia de* **Borden**, *& x. s. de eccleſia de* **Beweſfeld**, *quos quando dictas eccleſias Prioribus de* **Ledis** *& de* **Combwell** *contulerunt ſibi in ſignum dominii tanquam firmam reſervarunt; & duas marcas de eccleſia de* **Sutton** *quas nomine decimarum ſuorum tenentium in dicta parochia ad vitam Rectoris qui nunc eſt retinent de ipſius voluntate & aſſenſu, & iiij. l. quas ab abbate & conventu de* **Faverſham** *pro redemptione decimarum dominii ſui percipiunt annuatim, & xxiiij. ſolidos de capella de* **Bobbyns** *quos à monialibus de* **Scapeye** *ratione quarundam decimarum ſimili modo percipiunt, & x. s. de* **Rodmyrſham** *quos ratione decimarum percipiunt, & ille quem ad reſiduam dictæ eccleſiæ videlicet de* **Preſtone** *porcionem dicti abbas & conventus in poſterum præſentabunt, ſimul cum procuratore archidiaconi vel ejus officiali, omnia onera ipſius eccleſiæ conſueta & debita perpetuo ſuſtinebit: Et quoniam omnes domos dictæ eccleſiæ cum fundo in quo ſitæ ſunt Rectori ejuſdem aſſignamus, ut dicti abbas & conventus in dicta parochia certum locum haberent ad orrea conſtruenda in quibus collocare ſuas garbas valeant in futuro, unam acram de terra dictæ eccleſiæ eis ad ædificandum tenore præſentium aſſignamus, & dicti abbas & conventus dictis fundo et majorum medietate decimarum contenti erunt in perpetuum nomine xx. marcarum ut dictum eſt, niſi de novo uberior eis gratia ab illis quorum intererit concedatur. In cujus.*

Bonifacius Archiep.

Iſta namque penſionalium permutatio huic monaſterio exigui fuit commodi, immo eidem deperditionem adduxit ut opinor non parvam, nam inprimis ſumma xx. marcarum nobis ſic ordinata ad penſiones prius nobis debitas æqualiter ſe non extendit. Item ſuccedente tempore, ut jam eſt in facto, prædicta eccleſia de **Preſton** una cum aliis certis eccleſiis in iſta compoſitione nominatis nobis poſtmodum unitis & appropriatis, reliquæ eccleſiæ quæ ſunt de patronatu adhuc manſiſſent penſionales.

§. 2. *Alienatio eccleſiæ de* **Stodmerch**.

An. Dñi 1243.

ANno Domini M. CC. xliij. *R.* abbas ad inſtantiam magiſtri *S. de Langeton* archidiaconi *Cantuariæ* conceſſit & alienavit eccleſiam de **Stodmerch** hoſpitali pauperum ſacerdotum in *Cantuaria*. Quod hoſpitale idem archidiaconus diverſorum elemoſinis dicitur fundaſſe. Tenor conceſſionis talis eſt.

Omnibus ſanctæ matris &c. R. *Dei gratia &c. Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, nos divinæ pietatis intuitu ad inſtantiam viri*

Henr. III. Rex.

venerabilis & amici noſtri chariſſimi magiſtri Simonis de L. *archidiaconi* Cantuariæ; *eccleſiam S.* Mariæ *de* **Stodmerch** *quæ ad noſtram pertinuit donationem, perpetuo conceſſiſſe & dediſſe Hoſpitali pauperum ſacerdotum, quod ſitum eſt in parochia de ſancta* Margareta *in* Cantuaria, *ad ſuſtentationem eorundem cum pertinentiis quatuor acrarum ſingulis annis de dominico noſtro de* **Stodmerch** *antiquo more de gratia noſtra ſpeciali percipiendum. Hoc adjecto, quod in dicta parochia nullas terras vel redditus de noſtris tenentibus dicti ſacerdotes vel eorum procuratores ement, vel aliquo titulo ſibi appropriabunt, niſi de noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum licentia ſpeciali, nec decimas aliquas de dominico noſtro de* **Stodmerch** *requirent in futuro.*

Quando autem dictam eis fecimus donationem ſindicus dicti Hoſpitalis de voluntate archidiaconi memorati nomine dictorum ſacerdotum & H. ſupradicti nobis & eccleſiæ noſtræ ſacramentum præſtitit fidelitatis. Et hoc idem facient omnes ſucceſſores ſui. Dictus autem procurator vel aliquis ſacerdos Hoſpitalis ſupradicti omni anno ſuper majus altare in eccleſia noſtra in die ſancti *Auguſtini* dabit unum cereum unius libræ in ſignum recognitionis præmiſſorum.

§. 3. *Moniales* Sepulchri *non ingrediantur poſſeſſiones S.* Auguſtini.

An. Dñi 1244. ANno ſequenti, Prioriſſa ſancti *Sepulchri* obligavit ſe & domum ſuam, ne quoquo modo de feodo ſancti *Auguſtini* ſibi appropriarent, per ſuam Cartam cujus forma talis eſt.

Omnibus Chriſti fidelibus &c. Prioriſſa & moniales ſancti Sepulchri *extra* Cantuariam *æternam in Domino ſalutem. Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, nos promiſiſſe, & hac præſenti Carta noſtra conceſſiſſe, quod terras vel redditus ad abbatem & conventum S.* Auguſtini *ſpectantes non ingrediemur, nec aliquo titulo nobis appropriabimus, niſi eorum licentia ſuper hoc prius petita pariter & obtenta. Quod ſi aliquo tempore fecerimus, volumus quod factum noſtrum irritum fiat & inane. In cujus rei &c.*

Harum fundator fuit *Anſelmus* archiepiſcopus; & quamquam infra limites feodi beati *Auguſtini* ſint conſtitutæ, tamen in ſolo archiepiſcopatus ſitæ ſunt. Erat namque ibi eccleſia parochialis in honore ſancti *Sepulchri* de patronatu archiepiſcopi exiguis terris circumcincta, ubi in præſenti conſtat eas eſſe fundatas. Eodem anno *Bonefacius* in archiepiſcopum conſecratus eſt.

§. 4. *De ſepultura Hoſpitalis de* **Hoſpringe**.

1245. ANno Domini M. CC. xlv. facta fuit quædam compoſitio ſive gratia per abbatem *Robertum* fratribus Hoſpitalis de **Hoſpringe** modum continens infra ſcriptum.

« Omnibus præſentes literas inſpecturis *Robertus* Dei gratia &c. Noverit univerſitas veſtra, quod nos divinæ caritatis intuitu concedimus fratribus hoſpitalis de **Hoſpringe** ſepulturam fratrum habitum ipſorum geſtantium ibidem, & infirmorum tantummodo quos in dicto hoſpitali in fata decedere contigerit. Ita tamen quod omne emolumentum tam in oblationibus quam in teſtamentis, ſeu confeſſionibus, ſeu quibuſcumque modis aliis quod ex eorum obitu provenerit, libere & abſque diminutione aliqua eccleſiæ noſtræ de **Faverſham** reſignetur. Si qua vero fuerit familia in dicto hoſpitali in habitu ſeculari, omnia jura ſpiritualia à vicario de **Faverſham** in eccleſia de **Faverſham** recipiet, & eccleſiam memoratam in præcipuis anni feſtivitatibus frequentabunt. Sacerdotes qui pro tempore miniſtrabunt in hoſpitali memorato nullam audient confeſſionem niſi tantum fratrum & pauperum ibidem ægrotantium, & eiſdem perſonis viaticum & extremam unctionem & omnia divina inpendent, et in eo caſu omnia emolumenta exinde provenientia vicario de **Faverſham** ſine retentione aliqua perſolvent. Item nullum parochianum eccleſiæ de **Faverſham** ſolempnibus diebus, maxime in natali Domini, in Purificatione beatæ *Mariæ*, & in Paſcha, Aſſumptione beatæ *Mariæ*, & in dedicatione eccleſiæ, nec cæteris diebus ad divina recipient. Et ſi aliquis parochianus de **Faverſham** oblationes aliquas in dicto hoſpitali fecerit, eccleſiæ matrici ſine diminutione reddentur. Item nullum annale nec tricennale de parochianis de **Faverſham** aliquo tempore recipient. Et ad majorem omnium præmiſſorum ſecuritatem frater œconomus una cum ſacerdotibus ibidem miniſtrantibus & commorantibus, ſacramentum fidelitatis præſtabunt vicario de **Faverſham** qui pro tempore fuerit in eccleſia eadem, quod eccleſiam matricem in **Faverſham** in ſupradictis & omnibus aliis pro ſuis viribus indempnem conſervabunt. Pro hac autem ſepultura quam de præfatis perſonis dicto hoſpitali conceſſimus dabunt nobis ſingulis annis dicti fratres xij. d. liberi redditus in Paſcha in domo noſtra de **Faverſham**, & j. cereum duarum librarum eccleſiæ noſtræ de **Faverſham** die Aſſumptionis beatæ *Mariæ*. Et ut hæc noſtra &c.

Bonifacius Archiep.

§. 5. **Beketteſtone** *datur ad elemoſinam.*

An. Dñi 1247. ANno Domini M. CC. xlvij. quidam Dei cultor *Adam de Cliveſhend* nomine dedit abbati *Roberto* & eccleſiæ ſuæ xiiij. acras terræ in **Beketteſtone** in parochia de **Littleborne** in perpetuam elemoſinam, unde idem abbas & conventus eum gracioſe reſpicientes, conceſſerunt ei annuam liberationem tempore ſuæ vitæ duraturam, & ad veſtitum ejus & calciamenta eidem xx. s. annuatim inſuper contulerunt.

§. 6. *De domibus & terris conceſſis Priori S.* Bartholomæi Londoniæ.

EOdem anno *Robertus* abbas conceſſit Priori & conventui ſancti *Bartholomæi* de **Smithefeld** quandam terram cum domibus ſuper factis in civitate *Londonia* in parochia ſancti *Dunſtani* juxta turrim *Lundonienſem* ſituatam, reddendo inde eccleſiæ ſancti *Auguſtini* per annum xij. s. Et pro iſta dimiſſione idem Prior & Conventus in ſpiritualibus beneficiis monachos *Auguſtinenſes* in poſterum receperunt, Abbas vero eiſdem gratiam conſimilem rependendo.

Henr. III. Rex.

§. 7. *De decimis de* **Horyngbrok** *inter Abbatem & Priorem* Dovoriæ.

EOdem anno fuit quædam lis & contentio inter Abbatem *R.* & Conventum & Priorem *Dovoria* ſedata ſuper petitione decimarum de **Horyngbrok** in hunc modum.

« Notum ſit omnibus, quod cum controverſia mota fuiſſet inter abbatem ſancti *Auguſtini Cantuaria* & conventum ex una parte, & Priorem & conventum ſancti *Martini Dovoria* ex altera, ſuper decimis terrarum quas dicti abbas & conventus habent in dominico de **Horyngbrok** & in **Scherle**, dicto Priore petente decimas prædictarum terrarum eo jure quod ſunt infra limites parochiæ ſuæ de **Apuldore**, abbate & conventu è diverſo proponentibus, quod ipſe & conventus ſuus per privilegia à præſtatione decimarum ſunt immunes: Tandem de conſilio virorum prudentum in hunc modum quievit, videlicet quod dicti Prior & Conventus proteſtati ſunt & conceſſerunt, quod quando abbas & conventus ſancti *Auguſtini* dictas terras propriis ſumptibus excolunt, à præſtatione decimarum per privilegia ſua ſunt & erunt immunes, ſet quociens dictas terras perſonis ſecularibus, clericis vel laicis non ſumptibus abbatis & conventus excolendas ad firmam pro denariis, vel ad dimiſiones garbarum tradiderint, Prior & Conventus *Dovoria* omnes decimas libere & ſine difficultate ratione perſonarum terras prædictas ſuis ſumptibus excolentium & non ratione prædii recipient. Hoc moderamine obſervato, quod pars garbarum & denariorum ad abbatem pertinens, ei libere & ſine decimatione remanebit, privilegiis omnibus ſancti *Auguſtini* penitus in ſuo robore permanentibus.

§. 8. *Compoſitio inter nos & Rectorem de* **Preſton**.

An. Dñi 1249.

ANno Domini M. CC. xlix. edita fuit quædam compoſitio inter *Robertum* abbatem & rectorem de **Preſton**; ita quod præfati abbas & conventus tradiderunt dicto *H.* rectori ad firmam in vita ſua medietatem majorum decimarum prædictæ eccleſiæ de **Preſton** quam magiſter *S. de Langedon* abbati & conventui perpetuis temporibus in eadem eccleſia aſſignavit nomine xx. marcarum annuatum, quas pro diverſis penſionibus ſive præſtationibus eccleſiarum ſui patronatus *Edmundus* quondam archiepiſcopus & idem *S.* archidiaconus in eadem eccleſia duxerint concedendas; Habendum & tenendum dictam medietatem majorum decimarum ad firmam quoad vixerit pro xx. marcis ſterlingorum. Et ſi dictæ domus quas idem *H.* rector inhabitavit per defectum & negligentiam dicti *H.* vel ſuorum comburantur vel pereant, de precio ſuper eas arbitrio bonorum virorum poſito dictis abbati & conventui fideliter reſpondebit, niſi forte per infortunium aliunde deſtruantur, quod nec ſibi nec ſuis merito debeat imputari.

§. 9. *Donatio terra de* **Kenewelbourne** *in* **Bregg**.

EOdem anno *Robertus* abbas dedit *Radulpho* clerico terram de **Kenewelbourne** in parochia de **Bregg** cum domibus deſuper conſtructis, redditibus & omnibus pertinentiis, Reddendo inde annuatim xx. s. ad quatuor anni terminos principales.

Bonifacius Archiep.

§. 10. *De anniverſario* Bartholomæi *de* Ferentino.

EOdem anno magiſter *Bartholomæus* Rector eccleſiæ de **Broklond** zelo Dei tactus poſſeſſiones beati *Auguſtini* augmentavit in hunc modum.

« Omnibus Chriſti fidelibus &c. magiſter *Bartholomæus* de *Ferentino* Rector eccleſiæ de **Broklond** in mariſco ſalutem. Noverit univerſitas veſtra me dediſſe & præſenti carta mea confirmaſſe pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, kariſſimis dominis meis abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cantuaria* in liberam elemoſynam xl. s. v. d. ob. annui redditus quos emi de *Adam* & *Willelmo* de *Wiskebeth* in tenura de **Chiſtelet**. De quibus xl. s. v. d. ob. unam marcam aſſignavi ad panem diſtribuendum pauperibus die anniverſarii mei imperpetuum, De reſiduis vero duabus marcis v. d. ob. michi quamdiu vixero vel meo certo aſſignato. Et ſi religionem intravero prælati ejuſdem domus in vita tantum mea reſpondebunt. Poſt obitum vero meum ſive ſim in religione ſive extra, dictum reſiduum ad uſus & ſolatium infirmorum monachorum ſancti *Auguſtini* ſtatui concedendum. Et quia propono per Dei gratiam dictum redditum uſque ad quatuor marcas augmentare, eodem modo penitus de marca prætaxata & de tribus marcis reſiduis fiat ſicut ſuperius eſt annotatum.

Contulit eciam idem magiſter *Bartholomæus* huic monaſterio terras, redditus & tenementa apud **Mopſtone** in tenura de **Littleborne** ad valenciam decem marcarum ſingulis annis. Ob igitur memoriam tanti beneficii, decretum eſt ab abbate *Roberto* & toto conventu ejus anniverſarium fieri, ſub iſta forma.

« Noverit univerſitas veſtra, nos intuitu divinæ pietatis magiſtrum *B.* de *F.* de conſenſu tocius capituli noſtri in fratrem recepiſſe, & omnium beneficiorum quæ in domo noſtra fiunt & fient imperpetuum ſpecialiter conſtituiſſe participem. Nos igitur de mera voluntate noſtra eidem magiſtro *Bartholomæo* cum de morte ſua nobis fuerit manifeſtum quod viam univerſæ carnis fuerit ingreſſus, pro ſervicio ſuo nobis olim collato x. marcas ſterlingorum pro anima ſua diſtribuendas per manus elemoſinarii noſtri de theſauraria noſtra damus, concedimus, & hac carta confirmamus pro voluntate ejuſdem abſque omni contradictione, cavillatione, dolo, fraude, malo ingenio ſingulis annis imperpetuum ad perficiendum pium propoſitum ejuſdem, ſicut inferius liquebit. Una cum prædictis x. marcis iij. marcas annui redditus aſſignavit quas apud **Wyskebeth** in parochia de **Chiſtelet** comparavit una cum centum marcis argenti quas nobis mera voluntate contulit & donavit. Dictæ vero xiij. marcæ ſingulis annis à theſauraria noſtra recipiantur, & per manus elemoſinarii noſtri diſtribuantur ſub hac forma: videlicet, die anniverſarii ſui x. s. pauperibus hoſtiatim mendicantibus in cimiterio ſancti *Auguſtini* omni anno imperpetuum in pane erogentur. Item, eodem die omni anno xxiiij. s. in veſtimentis & calciamentis pauperum erogentur. Item, ad ſuſtinendum unum

cereum

Henr. III. Rex.

« cereum ponderis x. librarum perpetuis tempori-
« bus, quem idem magiſter *Bartholomæus* in criptis
« monaſterii iſtius ad honorem beatæ virginis arden-
« dum aſſignavit, & ad illum annuatim in feſto An-
« nunciationis beatæ virginis innovandum detur una
« marca argenti. Et ſi in dicto cereo illa marca per
« annum expenſa non fuerit, reſiduum ad augmen-
« tationem luminis ibidem expendatur. Item, die
« ſui anniverſarii nobis abbati & conventui pro
« pitancia j. marcam omni anno perpetualiter con-
« ceſſit. Item ordinavit idus Junii conventui iiij.s.
« pro pitancia pro anima domini *J. Egidii.* Item,
« conventui in vigilia ſancti *Andreæ* pro anima uxo-
« ris ejuſdem *Egidii*, videlicet dominæ *Romanæ* iiij.s.
« Item, in craſtino *Simonis* & *Judæ* conventui pro
« pitancia pro anima patris ſui iiij.s. Item, in die
« *Philippi* & *Jacobi* pro anima matris ſuæ iiij. s.
« Item fratribus & ſororibus ſancti *Laurencii* iiij.s.
« pro anima *Reynonis* ſocii ſui, in feſto ſancti *Blaſii.*
« Sex vero reſiduæ marcæ ad emendationem dor-
« mitorii annuatim reſerventur & expendantur. Pro
« hoc vero ſpeciali beneficio vj. marcarum quas dor-
« mitorio noſtro ſuſtinendo aſſignavit, conceſſimus ei
« cum ſpecialibus benefactoribus noſtris ſpecialem
« fructum & memoriam in illa miſſa de Spiritu ſan-
« cto quæ cotidie celebratur ad bonam conſerva-
« tionem vitæ ſuæ. Et in miſſa quæ cotidie celebra-
« tur pro fidelibus defunctis, ſpecialem fructum pro
« ſalute animæ ſuæ inperpetuum poſtquam de eo
« humanitus contigerit. Et ne quod abſit futuris
« temporibus aliquis obedienciarius ad quem ratio-
« ne officii pertinebit, ne in aliquo articulo ordina-
« tionis antedictæ per ignorantiam ſe valeat excu-
« ſare, ordinamus & concedimus hanc noſtram ſalu-
« brem proviſionem ſingulis annis in noſtro capitulo
« die anniverſarii ſui recitandam. Ordinamus eti-
« am & quantum in nobis eſt conceſſimus pro no-
« bis & ſucceſſoribus noſtris præfato magiſtro *Bar-*
« *tholomæo*, ut ipſum plenum effectum ex ſua in-
« tentione in omnibus articulis prænominatis ſine
« difficultate conſequatur inperpetuum. Et ſi auſu
« temerario ſeu per negligentiam quicquam in ſuis
« temporibus fuerit omiſſum, quod nichilominus
« effectualiter & integre ſuplebitur quam cito fuerit
« compertum, cum gravi pœna infligenda eidem qui
« in præmiſſis negligens repertus fuerit aut remiſſus.
« Quæ omnia ut perpetuis temporibus ſtabilem ha-
« beant firmitatem nos in verbo veritatis & in vir-
« tute Spiritus ſancti pro nobis & ſucceſſoribus no-
« ſtris fideliter promiſimus ſine fraude & malo in-
« genio quantum in nobis eſt obſervaturos. Ita
« quod prædicta omnia diſtribuentur & ſane invio-
« labiliter impleantur ſecundum intellectum ipſius
« magiſtri *Bartholomæi* prout ſuperius manifeſte eſt
« expreſſum. In cujus rei &c.

§. 11. *Compoſitio inter Rectorem S.* Margaretæ *& Hoſpitale Sacerdotum.*

EOdem anno fuit quædam compoſitio facta inter Rectorem eccleſiæ ſanctæ *Margaretæ* de conſenſu domini *Roberti* abbatis, & hoſpitale pauperum ſacerdotum pro eo quod in eadem parochia conſtat eſſe ſituatum, videlicet quod capellanus qui pro tempore in dicto hoſpitali miniſtrabit, quod nullas oblationes, decimas vel obventiones in præjudicium eccleſiæ parochialis ſanctæ *M.* recipiet. Omnes ſervientes in dicto Hoſpitali à Rectore dictæ eccleſiæ ſacramenta recipient. In feſtivitatibus in quibus oblatio debetur eccleſiis, ad prædictam eccleſiam venient ſicut alii parochiani. Si aliquem ex peregrinis ibidem infirmari contigerit, ſpiritualia ab eodem Rectore recipiet. Habebunt poteſtatem recipiendi annalia ſive tricennalia pro illis qui non ſunt parochiani ejuſdem eccleſiæ, vel ſi ſunt parochiani ſi fuerint ab eiſdem procurati & ſuper hoc convicti, plene reſtituent quicquid taliter perceperunt. In feſto S. *Margaretæ* ſuper altare ipſius eccleſiæ in ſignum juris parochiani duos cereos trium librarum offerri faciant vel xviij.d. Item de tenemento domini abbatis & conventus ſancti *Auguſtini* nullum ſibi tenementum perquirent niſi de eorum voluntate. Si aliquo tempore in eodem Hoſpitali capellanus non fuerit ſet laicus procurator, ad conſimile ſacramentum tactis ſacroſanctis ſe aſtringat ad obſervationem præmiſſorum. In diebus Dominicis & feſtivitatum in quibus oblationes fuerint generales non celebrabunt miſſam in dicto Hoſpitali donec evangelium in eccleſia ſanctæ *M.* fuerit perlectum; & illis diebus parochianos ſanctæ *M.* ad divina non admittent niſi cum miſſa in eccleſia ſanctæ *M.* fuerit completa. Campanas vero in prædicto loco non habebunt. Et ſi qua partium contra formam hic ſcriptam venire præſumpſerit, unam marcam nomine pœnæ tociens ſolvet abbati ſancti *Auguſtini* & archidiacono *Cantuarienſi* vel cui viderint ſecundum Deum libere conferendum, quociens contravenerit; compoſitione nichilominus firmum robur obtinente.

Bonifacius Archiep.

Privilegium *Innocencii* Papæ iiij.

INNOCENTIUS *epiſcopus &c. Dilectis filiis Abbati & Priori ſancti* Edmundi, *&c. Sicut dilecti filii abbas & conventus monaſterii ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ſua nobis petitione monſtrarunt, quod tam idem abbas & conventus quam prædeceſſores eorum, eccleſias, redditus, poſſeſſiones, maneria, penſiones & quædam alia bona dicti monaſterii datis ſuper hoc literis & interpoſitis juramentis, necnon & pœnis adjectis, in enormem læſionem ipſius, nonnullis clericis & laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibuſdam vero ad non modicum tempus & aliis perpetuo ad firmam vel ſub cenſu annuo conceſſerunt, quorum aliqui ſuper hiis literas confirmationis in forma communi à ſede apoſtolica inpetrarunt: Nos itaque dictorum abbatis et conventus ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ea quæ de bonis ejuſdem monaſterii per confeſſiones hujus monaſterii alienata inveneritis illicite vel diſtracta, non obſtantibus prædictis juramentis, pœnis et literis ſeu confirmationibus, ad jus et proprietatem ipſius ſtudeatis legitime revocare, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.*

§. 12. *De duabus marcis redditus de* Oris *in* **Chiſtelet.**

An. Dñi 1251.

ANno Domini M.CC.lj. quidam *Nicholaus de Hopelonde* dedit domino *Roberto* abbati & conventui duas marcas liberi redditus de quinta parte terræ de *Oris* in tenemento de **Chiſtelet.**

Henric. III. Rex.

CAP. XXIII.

§. 1. *Benedictio abbatis* Rogeri *de* Ciceſtria.

An. Dñi 1252.

ANno ſequenti obiit dominus *Robertus* abbas hujus monaſterii in craſtino ſancti *Mauri* abbatis, & in capella beatæ *Mariæ* in navi eccleſiæ in corpore ejuſdem capellæ ſepultus eſt. Et eodem anno die ſancti *Laurencii* archiepiſcopi electus eſt in abbatem *Rogerus de Ciceſtria* camerarius per viam compromiſſi; pro cujus benedictione *Innocencius* papa iiij. ſcripſit *Bonifacio* archiepiſcopo *Cantuarienſi* inter cætera ſic.

Quocirca fraternitatem tuam rogamus & monemus attente per apoſtolica ſcripta tibi mandantes, quatinus eidem Rogero *in monaſterio ſupradicto juxta tenorem compoſitionis inter ſancta memoria beatum* Edmundum Cantuarienſem *archiepiſcopum & monaſterium ipſum inita ac per ſedem apoſtolicam, ut dicitur, confirmatæ, munus benedictionis inpendas, recepturus ab ipſo poſtmodum pro nobis &* Romana *eccleſia fidelitatis debitæ juramentum ſecundum formam quam tibi ſub bulla noſtra mittimus intercluſam. Formam autem juramenti quod ipſe præſtabit de verbo ad verbum per ejuſdem patentes literas ſuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium nobis quamtocius ſtudeas deſtinare. Alioquin liceat ei quemcunque maluerit catholicum adire antiſtitem gratiam & communionem ejuſdem ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate ſibi quod poſtulatur inpendat.*

Archiepiſcopo vero eidem electo in ſuo monaſterio ſine profeſſionis præſtatione benedicere penitus recuſante, die decollationis ſancti *Johannis Baptiſtæ* in eccleſia ſua ab epiſcopo *Londonienſi* benedictus prælationis accepit dignitatem. Item, *Innocentius* iiij. indulſit eciam huic eccleſiæ quod non tenemur ad proviſiones nec proviſores admittere niſi ſub certa forma. Tenor hujus talis.

INNOCENTIUS. *Dilectorum filiorum precibus inclinati, eis per noſtras literas duximus indulgendum, ut per reſervationes & inhibitiones quas ſibi prætextu literarum ſuper quorumcumque proviſionibus à ſede apoſtolica obtentarum per quas non ſit plenum jus alteri adquiſitum ſeu inpetrandarum, in poſterum fieri contigerit, nullum poſſit eiſdem abbati & conventui fieri obſtaculum interponi, quo minus eccleſias & alia beneficia eccleſiaſtica ad ipſorum collationem ſpectantia cum vacaverint conferre, ac ad eccleſias qua ad præſentationem ipſorum pertinent perſonas idoneas præſentare libere valeant, niſi eadem litera impetranda plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & toto tenore ipſius fecerint mentionem.* Hujus privilegii Abbas & Prior ſancti *Edmundi* exiſtunt conſervatores.

Idem indulſit huic monaſterio autenticum privilegium, quod cum penſionarii noſtri eliguntur in epiſcopos, ceſſabit penſio eorundem, unde ſic.

INNOCENTIUS *epiſcopus*: & infra. *Nos veſtris ſupplicationibus annuentes, penſionem aliquam prætextu prioris conceſſionis cuiquam electo in pontificem de cætero ſolvere minime teneamini.* Item privilegium. INNOCENTIUS *epiſcopus*: & infra. *Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate præſentium indulgemus ut ad receptionem vel proviſionem alicujus in penſionibus ſeu eccleſiaſticis beneficiis cogi de cætero per noſtras literas non poſſint niſi de hac indulgentia plenam fecerint mentionem.*

Bonifacius Archiep.

Item ne aliquis delegatus vel ſubdelegatus, executor vel conſervator poſſit nos excommunicare, INNOCENTIUS *epiſcopus*: & infra. « Ut igitur ex ſpeciale devotione quam ad nos & *Romanam* eccleſiam ad quam monaſterium tuum ſicut dicitur nullo medio pertinet, habere dinoſceris, ſencias tibi favorem apoſtolicam accreviſſe, ut nullus delegatus vel ſubdelegatus, executor aut eciam conſervator auctoritate ſedis apoſtolicæ vel delegatorum ipſius, in te vel eccleſiam tuam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſententias valeat promulgare abſque mandato ſedis apoſtolicæ ſpeciali, faciente plenam de hac indulgentia mentionem, auctoritate tibi præſentium indulgemus.

Item, aliud de procurationibus non dandis de eccleſiis quas habemus in proprios uſus, iſto tenore: « INNOCENTIUS. Principalem cauſam: *& infra.* Eccleſiæ igitur veſtræ ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectæ, à futuris gravaminibus quibus tales, inpellente pleroſque ad hæc zelo invidiæ, interdum ſolent affici, providere volentes, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne quis prætextu eccleſiarum quæ ſunt vobis in uſus proprios per ſedem apoſtolicam deputatæ, procurationes ratione viſitationis à vobis exigere vel extorquere, ſeu alia vobis aut eccleſiis ipſis inponere onera contra juſtitiam quoquo modo præſumat, de quarum proventibus eſt congrua portio pro conſuetis oneribus ſuſtinendis earundem eccleſiarum vicariis aſſignata.

An. Dñi 1253.

Anno Domini M.CC.liij. tranſmiſſa fuerunt ſtatuta *Gregorii* papæ ix. una cum litera papali ſuper hiis executoria *Bonifacio* archiepiſcopo *Cantuarienſi*; qua quidem litera mediante, cum idem archiepiſcopus monaſterium ſancti *Auguſtini* ut de dictis ſtatutis inquireret ingredi voluiſſet, nec à conventu iſtius loci admiſſus fuiſſet, idem archiepiſcopus quaſdam ſententias in iſtud monaſterium & in quaſdam certas perſonas ipſius proferebat, Quas quidem ſententias & juriſdictionem eidem archiepiſcopo in hac parte attributam revocari procurarunt ſub hac forma quæ inferius annotatur.

Litera directa archiepiſcopo ſuper revocatione proceſſus.

« INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Bonifacio* archiepiſcopo, *&c.* Licet monaſterium ſancti *Auguſtini Cantuar.* ordinis ſancti *Benedicti* eo favorabiliter proſequi debeamus quod ad *Romanam* eccleſiam nullo pertinet mediante, inde tamen illud ſpecialiori amplectamur in Domino caritate, quod inter alia ejuſdem ordinis monaſteria, & regularis obſervantia, & hoſpitalitatis bonum, prout accepimus, præcipue locum optinet in eodem. Sane olim ſub certa forma per noſtras tibi literas dedimus in præceptis, ut ſtatuta pro reformatione dicti ordinis à felicis recordationis *Gregorio* papa prædeceſſore noſtro edita faceres ab univerſis perſonis ejuſdem ordinis tuæ civitatis & diœceſis ex-

« acta

Henric. III. Rex.

« acta diligentia obſervari. Quarum literarum auctoritate « ſuper hoc præceptum apoſtolicum exequens, « diligenter in præfato monaſterio, ut dicitur, « proceſſiſti : cum igitur de ipſius monaſterii perſonarum « religione ac vita bonam habentes opinionem « fide dignorum teſtimoniis informatam, ſententias « ſi quas ob hoc in perſonas ſæpedicti monaſterii « promulgaſti relaxari mandamus, fraternitatem « tuam rogandam duximus & ortandam per « apoſtolica ſcripta mandantes, quatinus prædictarum « literarum occaſione ipſius perſonas monaſterii « ulterius non moleſtes, ſet habeas ipſas cum eodem « monaſterio pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia « in ſuis juribus propenſius commendatas, adverſus « aliorum moleſtias eiſdem quantum in te eſt « favorabilem & benivolum te inpendens. Set idem archiepiſcopus mandatis apoſtolicis non parens prædictas ſententias in monaſterium & diverſas perſonas ejuſdem latas non revocavit, ſet eaſdem ratas & firmas eſſe promulgavit; unde abbas *Rogerus* pro remedio ſalubriori dominum papam iterum conſulere coactus eſt.

Anno igitur Domini M. CC. liij. ab abbate de **Waltham** in hujuſmodi negotio per dominum *Innocentium* papam iiij. delegato emanavit eidem archiepiſcopo mandatum ſub hac forma. *Venerabili in Chriſto patri* Bonifacio &c. E. *eadem gratia abbas de* **Waltham**, &c. *Mandatum domini papa ſuſcepimus in hac verba* : « *Innocentius* epiſcopus : « *& infra.* Olim ad noſtram perlato audientiam, « quod Abbates, Priores, & Monachi ordinis ſancti « *Benedicti Cantuarienſis* provinciæ ſtatuta pro reformatione « ipſius ordinis à felicis recordationis « *Gregorio* papa prædeceſſore noſtro edita non ſervabant, « venerabili fratri noſtro *Cantuarienſi* archiepiſcopo « ejuſque ſuffraganeis per noſtras ſub « certa forma literas dedimus in præceptis, ut inquiſita « ſuper hoc diligenter veritate, ſtatuta ipſa facerent « ab univerſis perſonis ejuſdem ordinis ſuarum « civitatum & dioceſum tam exemptis quam « non exemptis exacta diligentia obſervari. Nos « igitur dilectorum filiorum abbatis & conventus « monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuaria* dicti ordinis « precibus inclinati, præſentium vobis auctoritate « mandamus quatinus ſi quas excommunicationis, « ſuſpenſionis vel interdicti ſententias idem « archiepiſcopus in eundem abbatem vel perſonas « alias ejuſdem monaſterii ipſumque monaſterium, « literarum auctoritate hujuſmodi, per ſe vel per « alium promulgavit, vos ipſas vice noſtra ſine difficultate » aliqua relaxantes, non permittatis eoſdem « literarum vel ſententiarum ipſarum prætextu « ab aliquibus moleſtari, moleſtatores hujuſmodi « per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita « compeſcendo, non obſtante, &c. *Hujus igitur auctoritate mandati ſi quas ſuſpenſionis, excommunicationis vel interdicti ſententias in eundem abbatem vel perſonas alias ejuſdem monaſterii ipſumque monaſterium protuliſtis, ipſas ſecundum formam præſcripti mandati relaxamus, paternitatem veſtram rogantes vobiſque firmiter injungentes, quatinus ipſos occaſione dictarum ſententiarum nullatenus moleſtetis, prædictam relaxationem in ſingulis eccleſiis veſtra civitatis & dioceſis publice denunciari facientes.*

Bonifacius Archiep.

§. 2. *Privilegium diſpenſandi ſuper ſtatutis* Gregorii ix.

ANno ſupradicto idem Papa *Innocentius* quartus ob ſingularem affectionem quam habuit erga iſtud monaſterium conceſſit Abbati & Priori hujus loci ſuper ſtatuta *Gregorii* noni gratiam diſpenſandi ſub iſto tenore.

« *INNOCENTIUS*, &c. Ex parte tua « fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum obſervantia « tui ordinis ab ipſa ſui inſtitutione multum « ſit rigida & difficilis ad ferendum, fuerintque « poſtmodum per felicis recordationis *Gregorium* « papam prædeceſſorem noſtrum ſuperaddita gravia « ſtatuta diverſarum pœnarum adjectione vallata, « ne contingat ſub tantis oneribus deficere « oneratos, providere ſuper hoc paterna ſollicitudine « curaremus. Attendens igitur quod expedit « calamum quaſſatum non conteri, & in eraſione « æruginis vas non frangi, devotionis tuæ precibus « inclinati præſentium tibi auctoritate concedimus, « ut ſuper obſervatione ſtatutorum quæ de ſubſtantia « regulæ non exiſtant tu & ſucceſſores tui cum « monaſterii tui monachis præſentibus & futuris libere « diſpenſare poſſitis, hiis caſibus dumtaxat exceptis « ſuper quibus in eadem regula eſt diſpenſatio « interdicta, in quibus caſibus diſpenſandi ſuper pœnis « adjectis & irregularitatibus quas tui ſubditi « hactenus incurrerunt vel incurrent de cætero, eoſque « abſolvendi ab excommunicationis vinculo quo « ipſos ob tranſgreſſionem prædictorum ſtatutorum « involvi contigit vel contigerit, injuncta ſic abſolutis « pœnitentia ſalutari, libera ſit tibi & eiſdem « ſucceſſoribus de noſtra permiſſione facultas. Priori « nichilominus monaſterii tui ac ipſius ſucceſſoribus « concedendi tibi tuiſque ſucceſſoribus hujuſmodi « diſpenſationis & abſolutionis beneficium ſi fuerit « oportunum indulgentes auctoritate præſentium « facultatem, non obſtantibus aliquibus literis venerabili « fratri noſtro archiepiſcopo *Cantuarienſi* vel « cuicumque alii ab apoſtolica ſede ſub quocumque « tenore directis & proceſſibus habitis per eaſdem, « de quibus forſitan oporteat fieri mentionem, & « eciam obtinendis, licet contineatur in eiſdem literis « apoſtolicis non obſtante ſi aliquibus abbatibus, « prioribus, aut monachis, & eorum collegiis « quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non « valeant à ſede apoſtolica ſit indultum, ſive quibuſcumque « indulgentiis, privilegiis, immunitatibus « ſeu literis apoſtolicis obtentis vel eciam obtinendis, « & aliis eciam per quæ hoc inpediri vel deferri « valeat, & de quibus vel de quorumlibet ordinibus « vel locis, aut eorum nominibus in noſtris « litteris ſpecialem & expreſſam oporteat fieri « mentionem. Hujus privilegii ſunt conſervatores abbas de **Waltham** & de *Bello*.

Indulſit eciam huic monaſterio idem papa quod per literas apoſtolicas vel legatorias de eccleſiis noſtris vel penſionibus non tenemur providere. Iſtam ſequens formam.

§. 3. *Privilegium contra Proviſores.*

INNOCENTIUS *epiſcopus &c. Devotionis veſtra merita* : & infra. *Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati devotioni veſtræ auctori-*

Hen. III. Rex.

auctoritate præſentium indulgemus, ut nulli de cætero per literas apoſtolicas vel legatorias apoſtolicæ ſedis impetratas, niſi jam ſit earum auctoritate proceſſum, vel eciam inpetrandas, de beneficiis eccleſiaſticis in quibus jus patronatus habetis, aut penſionibus in monaſterio veſtro vel eccleſiis veſtris provideri valeat, nec vos vel rectores eccleſiarum ipſarum per hujuſmodi literas ad cujuſcumque proviſionem in prædictis beneficiis vel penſionibus compelli poſſitis, niſi plena & expreſſa in eiſdem literis apoſtolicis de monaſterio ſancti Auguſtini Cantuariæ, *& hujuſmodi toto tenore indulgentia mentio habeatur, etiamſi in eiſdem literis contineatur expreſſe quod ipſis aliqua ſedis apoſtolicæ indulgentia non obſiſtat ſub quacumque forma vel expreſſione verborum aliquibus conceſſa per quam facta eis gratia impediri valeat vel differri, aut de qua vel de cujus tenore ſpecialem vel expreſſam, ſeu de verbo ad verbum fieri oporteat in noſtris literis mentionem.* Conſervatores hujus privilegii abbas ſancti *Edmundi* cum ſuo Priore.

Idem conceſſit huic monaſterio ſuum autenticum privilegium, ſcilicet quod poſſumus ſemper providere de eccleſiis vacantibus, quamvis papa ſuſpendit & reſervat ſibi collationem, ſub iſto tenore.

« *INNOCENTIUS* epiſcopus. Devotionis veſtræ: *& infra.* Veſtris itaque precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad eccleſias vel non habentes curam animarum annexam nunc vacantes vel inpoſterum vacaturas, in quibus jus patronatus habetis, perſonas idoneas præſentare canonice valeatis, non obſtantibus aliquibus ſuſpenſionibus à beneficiorum collatione, ſeu illarum reſervationibus per literas apoſtolicas generales vel ſpeciales factis aut in poſterum faciendis; etiamſi in eiſdem literis contineatur expreſſe, quod aliqua ipſis apoſtolicæ ſedis indulgentia non obſiſtat, de qua oporteat eciam de verbo ad verbum fieri mentionem. Conſervatores hujus illi qui ſupra.

Idem eciam quod nec per generales nec per ſpeciales literas papæ vel legati de eccleſiis noſtris providere non debemus.

« *INNOCENTIUS: & infra.* Veſtris itaque precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut per apoſtolicæ ſedis vel legatorum ipſius literas generales vel eciam ſpeciales cujuſcunque tenoris exiſtant, nulli vobis invitis de eccleſiis in quibus jus patronatus habetis valeat provideri, nec vos ad providendum de illis cogi aliquatenus valeatis, niſi eædem literæ apoſtolicæ plenam & expreſſam de veſtro monaſterio & hac indulgentia ejuſque toto tenore fecerint mentionem, etiamſi dicatur in illis quod eis aliqua indulgentia ſedis apoſtolicæ non obſiſtat, de qua oporteat etiam de verbo ad verbum fieri mentionem. Defenſores hujus privilegii conſervatores ſupraſcripti.

Idem eciam conceſſit abbati & hujus loci monachis & indulſit, ne ultra duas diætas à noſtro monaſterio ſuper hiis quæ idem optinet negocii trahi in cauſas vel ad judicium per apoſtolicas literas, niſi eædem literæ plenam & expreſſam fecerint de indulgentia mentionem. Conſervatores hujus abbas & Prior prænominati.

Item de confirmatione libertatum hujus monaſterii ſic.

Bonifacius Archiep.

« *INNOCENTIUS* epiſcopus: *& infra.* Propterea dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, libertates & immunitates ac jura à prædeceſſoribus noſtris monaſterio veſtro conceſſa, necnon exemptiones ſecularium exactionum à regibus, principibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas; terras quoque, poſſeſſiones & alia bona veſtra ſicut ea omnia juſte ac pacifice optinetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus.

§. 4. *Confederatio cum capitulo* Wintonienſi.

ANno Domini M. CC. liiij. dominus *Rogerus* abbas ſancti *Auguſtini Cant.* & dominus *Willelmus* Prior ſancti *Swythuni Winton.* annuente conventu utriuſque loci & conſenciente convenerunt in hæc vota. An. Dñi 1254. Imprimis, ut utrumque monaſterium utrique conventui gratia mutuæ confederationis commune ſit & unum, adeo ut fratres alterutrum qualibet neceſſitate pulſati in alterutro loco oportunum refugium habeant & ſubſidium. Et loca ſua tam in choro quam in capitulo, tam in dormitorio quam in refectorio ſecundum converſationis ſuæ tempus utrimque conſequantur. Pro abbate vero ſancti *Auguſtini* cum contigerit eum in fata decedere, idem fiet ſervicium in conventu ſancti *Swythini* quod pro Priore ſuo fieri conſuevit, & è converſo. Pro ſingulis autem monachis utriuſque collegii defunctis hoc in utroque monaſterio ſpecialiter obſervabitur, quod audito obitu alicujus illorum, ſtatim convenient fratres in eccleſiam *Verba mea* in choro pſallentes, & campanas uſque tercio ſolempniter pulſantes; hoc idem facturi tribus continuis diebus poſt capitulum. Habebit & ipſe defunctus tres miſſas ſolempnes in conventu cum vigiliis, quarum prima cum regimine chori & ſonitu campanarum celebrabitur; reliquæ vero ſimpliciter: ſinguli ſacerdotes iij. miſſas ſpeciales, cæteri inferioris ordinis tres quinquagenas pro anima ipſius perſolvent. Nomina autem fratrum hinc inde decedentium in martirologio ſcribentur, ſingulis annis in capitulo juxta morem loci recitanda.

§. 5. *Tunica liberatæ in feſto S.* Auguſtini.

ANno ſequenti *R.* abbas ordinavit per providentiam *Adæ de Clare* tunc camerarii, quod pro liberatione xx. tunicarum quæ ante illud tempus erant de ſaga, fieret liberatio in feſtivitate ſancti *Auguſtini*, xx. tunicarum de bono burneto precium ulnæ ij.s. ad minus. 1255. Idem *Rogerus* abbas conſtruxit & fundavit capellam de **Kingeſdoun** in ſolo & terra quam *R. de Cornhull* filius *G. de Cornhull* S. *Auguſtino* contulit in perpetuam elemoſinam.

Anno Domini M.CC.lviij. *Urbanus* iiij indulſit ſuum privilegium in hæc verba: 1258.

URBANUS *epiſcopus:* & infra. *Quia ex apoſtolica cura tenemur officii circa religioſorum augmentum attenti & vigiles inveniri, ſuper hiis digne veſtris votis annuimus in quibus honorem veſtri ordinis & animarum profectum ſentimus. Hinc eſt quod nos veſtræ precibus devotionis inducti, auctoritate præſentium vobis indulgemus, ut profeſſis in veſtro monaſterio ac eciam non profeſſis volentibus veſtro aggregari collegio, qui ſuſpenſionis aut interdicti vel excommunicationis ſententiis fuerint*

Henr. III. Rex. *rint ligati tu fili abbas aſſolutionis beneficium poſſis juxta formam eccleſiæ impertiri, & cum eiſdem ſuper irregularitate ſi quam ſe inmiſcendo divinis exinde contraxerunt diſpenſare, dummodo idem non profeſſi infra unum menſem poſt abſolutionem hujuſmodi in dicto monaſterio regularem profeſſionem emittant: Alioquin hujuſmodi abſolutio & diſpenſatio quoad non profeſſos ipſos nullius penitus ſint valoris. Ita tamen quod ſi aliqui ex eis & aliis prædictis propter debitum ſeu alias pro jure alterius fuerint ſententiis prædictis aſtricti, ſuper hiis ſatisfaciant ut tenentur.*

Eodem anno dedicatio capellæ de **Kenyton**.

§. 6. *Proviſiones ordinatæ per abbatem* Rog. 2.

An. Dñi 1259. ANno ſequenti idem abbas cum conſenſu conventus ſui ordinavit & diſpoſuit proviſiones & ordinationes aut augmentationem granarii, firmam videlicet bladorum de diverſis maneriis, firmam porcorum, multonum, aucarum, gallinarum de eiſdem maneriis. Et heæ omnes proviſiones aſſignatæ ſunt inperpetuum eſſe tenendas. Quas vero ordinationes nec præſentes nec, pro dolor! hii qui futuri ſunt debeant videre in ſuo effectu eſſe completas.

§7. *Conſuetudo & ſervicium manerii de* **Royton**.

EOdem anno facta fuit finalis concordia in curia Regis apud *Weſtmonaſterium* inter *Rogerum* Abbatem ſancti *Auguſtini* & *Simonem* filium *Adæ* de conſuetudinibus & ſerviciis quæ idem Abbas exigebat de prædicto *Simone* de libero tenemento ſuo quod de eodem abbate tenet in **Royton** & unde idem abbas exigebat de eodem *S.* quod redderet ei per annum unam marcam argenti, & quod faceret ſectam ad curiam de **Lenham** de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas pro prædicto tenemento. Tandem idem *S.* conceſſit pro ſe & hæredibus ſuis quod de cætero reddent ſingulis annis abbati & ſucceſſoribus ſuis unam marcam argenti in Pentecoſte, & quod facient ſectam ad ſcutagium quando ceſſum eſt ad xx.s. xij d. & ad plus plus, & ad minus minus, & facient ſectam ad curiam *Cantuariæ* bis per annum, ſcilicet in feſto Michaelis & in Paſcha. Et pro hac recognitione idem abbas remiſit pro ſe & eccleſia ſua totum jus & clameum quod habuit in ſecta curiæ de **Lenham** inperpetuum.

1260. Anno Domini M.CC lx. conſtructum eſt novum refectorium & ſexto anno ſequente eſt completum. Et *Otto* legatus venit in *Angliam* ad reformationem ſtatus monachorum.

1261. Anno ſequenti *Urbanus* ſupradictus *Licet ſicut*: & infra. *Nos igitur indempnitati præfati monaſterii volentes in poſterum præcavere, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut eiſdem privilegiis & indulgentiis dummodo non ſit per præſcriptionem vel alias legitime derogatum, negligentia ſeu omiſſione hujuſmodi non obſtante, uti de cætero libere valeatis.*

Cap. XXIV.

§. 1. *De vita & origine ſanctæ* Mildredæ *virginis.*

1262. ANno Domini M.CC.lxij. x. kal. Marcii poſitum eſt corpus ſanctæ virginis *Mildredæ* in feretro in quo nunc jacet. Set ut conſequentius hæc referre potero, ordinem nativitatis & vitæ progreſſum ejuſdem virginis, necnon tranſlationem ejus primam & ſecundam, & de manerio *de* **Menſtre** nobis dato volo breviter demonſtrare. *Ethelbertus* rex habuit ex regina *Berta* filium *Edbaldum* filiamque *Ethelburgam* alio nomine *Thate* dictam quæ data fuit *Edwyno* regi *Northanhymbrorum* in conjugem, quem ſanctus *Paulinus* miſſus cum *Ethelburga* convertit ad fidem & eundem baptiſavit cum ſua gente. Poſt cujus regis interfectionem reverſa eſt regina ad fratrem ſuum *Edbaldum* qui tunc rex *Kanciæ* erat. Ipſe vero *Edbaldus* dedit ei villã *de* **Lymynge**, quæ fecit ibi monaſterium & ibidem ſepulta eſt idus Decembris. *Edbaldus* habuit de uxore filiam *Enſwytham* quæ apud **Falkſtane** pauſat. *Ermenredus* ex uxore ſua *Oſlava* habuit *Ethelredum* & *Ethelbrythum*, & ſorores eorundem *Ermembergam*, & *Dompnenam*, *Ermemburgham* & *Ermemgriham*. Fuerunt autem rex *Egbertus* & rex *Lotarius* & dicta *Ermembild* & *Ercongota* filii *Ercomberti* regis fratris *Ermenredi* & reginæ *Sexburgæ* uxoris *Ercumberti*. *Dompnena* quæ ſecundum quoſdam eſt dicta *Ermemburga* traditur in uxorem filio *Pendæ* regis *Merciorum* nomine *Merwale*, quæ genuit ſibi filium nomine *Merſin*, filiaſque tres, ſanctam *Milburgam*, ſanctam *Mildretham* & ſanctam *Milgitham*. Poſt quorum procreationem rex & regina pro merenda vita æterna Deo devoverunt caſtitatem. Medio tempore mortuus eſt *Ermenredus*, qui reliquit duos filios ſuos prædictos ſcilicet *Ethelredum* & *Ethelbrythum* fratri ſuo *Ercumberto* ut eos cuſtodiret, & cum adulti eſſent eiſdem hæreditatem ſuam fideliter reſignaret, qui per tempus dum viveret fratris deſiderium adimplevit, obiit tamen ante legitimam puerorum ætatem die ſancti *Deuſdedit*, & pueros prædictos *Egbrito* filio ſuo in hæreditatem regiam ſuccedenti attentius commendavit ſub forma & cauſa ſupradictis: Erat tunc quidam regis præfectus nomine *Tunor* qui permiſſione & conſenſu regis *Egbriti* prædictos parvulos, ſuos videlicet conſobrinos & fratres *Dompnenæ* apud *Eaſtri* interfecit & eos ſub regio ſolio abſcondite ſepelivit. Sed lux cœleſtis ſuper innocentes lucens poſt mortem, ſcelus abſconditum hominibus revelavit. Quod videns rex *Egbertus* multum expavit, & ea de cauſa poſt ſororem eorum *Dompnenam* miſit, ut ipſa interfectionis precium reciperet. Quæ veniens recepit terram in *Thaneto* ſcilicet terram xlviij. aratrorum. Ibique poſtea conſtruxit monaſterium monialium adjutorio regis illius. Hiis ſic actis, ſanctus *Theodorus* archiepiſcopus & ſanctus *Adrianus* abbas monaſterii hujus & clamor totius populi regem pro conſenſu paricidii arguebant, & ſuadent eidem ut ſororem juvenum occiſorum accerſiat *Dompnenam* & petat ab ipſa veniam pro ſcelere perpetrato. Accerſita, venit rex triſtis, venam petiit & dona plurima poſuit coram ipſa. Illa vero munera renuit & regi veniam conceſſit, hoc ſolummodo petens, ut ei daret locũ in *Thaneto* ubi poſſet monaſterium ædificare pro fratrum ſuorum memoria, & regis indulgentia impetranda. Ipſe petita conceſſit. & rogat dicere quantum ſibi placeat poſſidere. Reſpondit *Dompnena*, Quantum, inquit, cerva mea currere poterit uno curſu. Quo conceſſo, in conſpectu regis & multorum procerum ac populi in *Thaneto* emiſſa cerva currit velociter, rege & cæteris ſequentibus atque eventum rei expectantibus. Illo tem-

Bonifatius Archiep.

Henric. III. Rex.

tempore prædictus *Tunor* invidus occiſor Innocentium clamavit *Dompnenam* incantricem, & inſipientem regem qui terram tam fertilem & nobilem bruti animalis indicio tradidit auferendam. Necdum verba compleverat & ira Dei aſcendit ſuper eum, & aperta terra ipſum miſerum deglutivit. Sic ſubito ſepultus & mortuus deſcendit in inferna, agro & loco in quo ſic cecidit nomen **Tunorſleap** ex eventu rei perpetim relinquendo. Hoc facto, timor & tremor venerunt ſuper regem, & momordit eum conſcientia maculata. Jam cerva rediens excuſſo termino longo & lato xlviij. aratrorum ad dominæ ſuæ veſtigia ſe recepit. Et totum ſpacium terræ excurſum *Dompnena* rex tradidit & ſuæ poſteritati eccleſiaſticæ, beato *Theodoro* benedicente & iſta firmiter confirmante. Ipſa vero *Dompnena* cum regis adjutorio conſtruxit cœnobium virginale, videlicet manerium de **Menſtre** & ſuperiorem partem capellæ in eodem manerio, quam in honore beatæ *Maria* virginis ſanctus *Theodorus* archiepiſcopus dedicavit. Poſtea ipſa *Dompnena* filiam ſuam *Mildredam* in partes tranſmarinas ad monaſterium virginum quod *Kalun* vocatur tranſmiſit, ut ibidem imbueretur regulæ diſciplina. Quam illuc advenientem abbatiſſa ejuſdem monaſterii cujus nomen *Wilcoma* eam ſuſcepit cum honore. Contigit poſtea ut quidam propinquus ejuſdem abbatiſſæ beatam virginem in uxorem nimium adoptavit, qui ſuam voluntatem abbatiſſæ expoſuit, & ipſa virginem aggreditur multis modis, & *Mildreda* voluntatem ad connubia nititur inclinare. Sed ipſam blanditiis non conſentientem & ſignis & verbis minacibus fortiter reſiſtentem abbatiſſa in ardentem clibanum miſit ferociter comburendam. Poſt trium horarum ſpatium dum mortua crederetur aperitur clibanus, & virgo pulcherima egreditur incombuſta. Interim non longe poſtea cum ſola abbatiſſa ſolam virginem haberet obviam, ſubito ruit in eam, allidit in terram, & crines capitis extirpat unguibus furioſis, ac virgo avulſam ſuam comam & parvum pſalterium quem ſua manu ſcripſerat non per multum temporis deſtinavit ſuæ matri, ſupplicans devote ut periclitanti citius ſuccurretet virginitati. Mater triſtis hæc audiens miſit nuntios denuo, & filiam ſuam inter terram propriam revocavit. Sed ipſa *Mildreda* non permiſſa monaſterium exire, furtive cum clavo Dominicæ confictionis & aliis reliquiis quas emerat pervenit ad nuncios ſupra mare, & navim ingrediens cum gaudio transfretavit. Venienſque ad matrem ſuam, poſt parvum tempus à ſancto *Theodoro* velata cum lxx. virginibus quas ſua mater *Dompnena* congregaverat præſidebat eis, ſicque facta eſt abbatiſſa dux ſiderea & mater lactiflua ſeptuaginta virginum. Ipſumque monaſterium quod ſua mater conſtruxerat ſuſcepit regendum, & datum ei & ſororibus ſuis cum omnibus poſſeſſionibus ſuis perpetuo regendum. Vixit autem cum ſororibus ſuis uſque ad terminum vitæ ſuæ. Qua mortua & ſepulta cum matre ſua *Dompnena*, ſecunda abbatiſſa ſucceſſit ei in regimine beata *Edburgha* matertera ſanctæ *Mildredæ*, *Ermengytha* uſque ad finem vitæ cum ea manſit, ibiq; dum adhuc viveret elegit pauſam uno milliario ad orientem monaſterii quod beata *Edburga* in honore apoſtolorum *Petri* & *Pauli* conſtruxerat, quæ ſupradictæ virgini *Mildreda* immediate ſucceſſerat: In quo & corpus ejus decenter locaverat, ubi per CCC. fere annos requievit, quouſque revelatione divina ad hoc monaſterium fuit tranſlata ab abbate *Elſtano*, ut infra clarius apparebit. Illa eccleſia quam conſtruxit beata *Edburga* in honorem apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, in quam poſt aliquos annos tranſtulit corpus beatæ *Mildreda* totum integrum & incorruptum, & illud ad partem aquilonalem in feretro collocavit, eſt inferior pars verſus occidentem capellæ manerii noſtri de **Menſtre**, in qua ſepulcrum ejuſdem virginis apparet. Quæ eccleſia immediate eſt conjuncta capellæ beatæ *Maria* virginis, quam beata *Dompnena*, ut ſuper legitur, fieri procuravit. *Serburgha* regina *Kancia* monaſterium ſanctæ *Maria* conſtruxit in *Scepeia*, & Deo famulantes ibidem legavit; filius ejus rex *Lotarius* poſſeſſionem terrarum unde vitam duceret ipſi dedit. Fuerunt autem ſancta *Syxburga* & ſancta *Etheldretha* & ſancta *Wychburgh* filiæ *Yna* regis orientalium *Anglorum*. Beata *Etheldretha* data erat *Egfrido* regi *Northanhymbrorum* in conjugem, quæ tamen virgo ſemper manſit, & requieſcit in monaſterio quod dicitur **Ely** cum ſorore ſua *Wynburgha*. *Ermenold* filia *Ercomberti* regis & *Sexburgh* uxoris ſuæ datur *Fulchero* filio *Penda* regis *Merciorum* in conjugem: Quorum tempore gens *Merciorum* fidem ſuſcepit & baptiſmum, & ſanctam virginem *Werburgham* genuerunt quæ *Laycerna* requieſcit. *Ermenyloa* cum matre *Coiburga* & matertera *Etheldretha* apud **Ely** ſepulta eſt. Sancta *Eromgeta* ſoror ejus ultra mare ad materteram ſuam miſſa eſt & ibidem mortua. Erat *Wygrodus* rex *Kantia* filius *Ebrechi* regis. Mortua beata virgine *Mildreda* abbatiſſa beata *Erburt* quod dictum eſt, qua mortua, anno Domini ſextingenteſimo quinquageſimo primo ſucceſſit *Sigeburtha* conſecrata à *Cutberto* archiepiſcopo. Tempore hujus, *Dani* ſingulis annis advenientes *Thanati* inſulam devaſtabant, & moniales paucæ factæ ſunt vexatæ à tribulatione malorum nimium & dolore. Poſt obitum *Sigeburth* abbatiſſæ *Seledritha* à rege *Cudredo* ſubrogatur, ab *Alderaldo* archipræſule conſecrata. Iſta numerum monialium deſtructum per adventum *Danorum* quantum valuit augmentavit. De aliis abbatiſſis iſtam conſequentibus niſi de ultima per *Danos* captivata quicquam non reperi ſcripturis. Anno M.xj. mortuo *Ethelredo* rege *Anglorum* & *Edmundo* filio ejus *Swera* rex *Danorum* pater *Knuti* cum magno exercitu veniens deſtruxit totam inſulam *Taneti*, & dictum monaſterium beatæ *Maria* conſtructum à *Dompnena* cum monialibus ſacerdotibus clericis & aliis pupillis incluſis funditus concremavit. *Leofrima* abbatiſſa prædicti monaſterii captivata, & eodem anno inter feſtum natalis beatæ *Maria* & feſtum ſancti *Michaelis* capitur *Cant.* & poſtea deſeruitur tota *Kancia*, ſed corpus beatæ virginis *Mildreda* & ſepulcrum in quo jacuit in *Taneto* intacta certiſſimi permanſerunt à *Thanetenſes* qui aliqua cautela manus aufugerant iniquorum perietus ſtantes monaſterium combuſti ſed non ut prius monit concerunt pro monialibus in ipſum monaſterium clericis inſtitutis, qui quaſi in eccleſia parochiana miniſtrabant fidelibus uſque ad tempus tranſlationis beatæ virginis *Mildreda* ad monaſterium beati archipræſulis *Auguſtini*. Mortuo autem *Swera* vel *Swano* quod idem eſt, anno quarto poſt adventum ſuum, anno proximo ſequenti venit filius ejus *Knutus* rex *Dacia*, *Noriworgia* & *Scotia*, & ſubjugata ſibi *Anglia* & diviſo regno *Anglorum* in *Anglos* & *Normannos*, in *Anglia* xx. annis regnavit, qui iſtud monaſterium & beati regis & martyris *Edmundi* amplius quam cætera

Bonifacius Archiep.

Retinui ſcripturam Ms. C. C. Cant. licet mendoſiſſimam.

Henr. III. Rex.

tera prædilexit, unde ſanctum *Elmerum* abbatem hujus monaſterii aſſumpſit in epiſcopum de **Schirburn**, quæ ſedes jam ad epiſcopatum *Sariſuerienſiam* vurta eſt, qui cæcus factus reliquit epiſcopatum & redit ad monaſterium iſtud, & hic mortuus ante altare ſancti *Iohannis* jacet ſepultus. Scilicet & eodem tempore rex *Knutus Elſtanum* monachum hujus loci in epiſcopum *Wyntoniæ* aſſumere nitebatur. Sed contra totis viribus renitente ab *Elnotho* archiepiſcopo conſecratum abbatem hujus loci conſtituit poſt *Elmerum*. Itaque abbas *Elſtanus* dilectus regi & omnibus ante piabilis poſtquam emerat villam de **Felkeſtan** pro qua venditor medietatem poſſeſſionis eccleſiæ beatæ *Mildredæ* qui poſſidebat tunc repoſuit, cogitabat qualiter regis licentiam pro virgine transferenda poterit optinere. Sed cum inſiſteret devotis orationibus implorans virginis conſenſum & Dei adjutorium ut in his ſuum deſiderium impleretur, quadam nocte apparuit ei quidam dicens, Lætare pater, certiſſime de precioſi almæ *Mildredæ* corporis tranſlatione votum tuum & deſiderium conſequeris. His auditis remoto dubio pergit ad *Alfwynum* pro ſe factum epiſcopum *Wyntoniæ* ſuum benevolum ſpecialem. Qui ſimul ad regem venientes dicunt eidem quæ abbati *Elſtano* ſunt divinitus revelata; devote ſupplicantes regiæ majeſtati, ut liceat abbati ad monaſterium ſuum transferre corpus ſanctum virginis glorioſæ. Rex gratiſſime audiens petitionem eorum, dimittit abbati prædicto reliquam portionem poſſeſſionis almæ *Mildredæ*; & omnes terras cum pertinentiis quæ tunc ad dictum monaſterium beatæ *Mildredæ* pertinebant vel ablatæ fuerant quoviſmodo, conceſſit et dedit pro ſe & hæredibus ſuis prædicto abbati & conventui monaſterii noſtri in veram, puram & liberam poſſeſſionem perpetuo duraturam, iſtam donationem cartæ ſuæ pleno robore confirmando. Sed corpus beatæ virginis *Mildredæ* transferendum adhuc non conceſſit, ſed abbatem in ſpem poſuit ſuum deſiderium conſequendi. Contigit autem non multum poſt quod idem rex *Knutus Romam* adire voluit pro certis cauſis. Qui dum iter arripuit venit cauſa orandi ad eccleſiam iſtam cum prædicto *Alfwyno* epiſc. *Wintonienſi*, qui movit regem de tranſlatione beatæ virginis *Mildredæ* ut præmittitur concedenda. Tunc rex *Knutus* manum imponens ſuper altare ſancti *Auguſtini* votum vovit Deo & ſancto *Auguſtino* in præſentia procerum qui ſecum venerant & prædicti abbatis et multorum fratrum præſentium, patria voce dicens: « Si gratia Dei & « beati *Auguſtini* patroni mei adjutorium deduxerit & reduxerit me proſperum in terram meam, « promitto veraciter corpus beatæ virginis *Mildrethæ* in hoc monaſterio beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli transferendum. Poſt factum votum egreditur rex ad ſedem apoſtolicam. Expeditis negotiis pro quibus venerat, cum abſolutione & benedictione apoſtolica, ad regnum ſuum dirigit greſſus ſuos. Cum *Cant.* rex veniſſet in altitudine maris ita ut regnum ſuum videre poſſet, tempeſtas fere remerſit eum, cum claſſe magna magnatum *Angliæ* qui venerant obviam regi ſuo, ſed per vocatum *Auguſtini* adjutorium tempeſtas ceſſavit & arripuit litus optatum perdito nullo viro. Rex cum omnibus ſuis ad eccleſiam beati *Auguſtini* properat ad orandum, & notum facit omnibus mirum quod eis evenerat infra mare. Et iterum motus rex per prædictum epiſcopum *Wyntonienſem* dedit abbati licentiam tranſferendi corpus prædictæ virginis *Mildrethæ*, reddens Domino votum ſuum. Præcepit tamen rex abbati, ut proxima pentecoſte quæ prope erat, ad ſe veniret; & tranſlationem faciendam ipſe rex per conceſſum procerum & per literas ſuas firmius confirmaret. Abbas autem *Elſtanus* diem præveniens limitatum, ipſo ſancto ſabbato per favorem *Emmæ* reginæ & magnatum qui aderant regias literas optinuit tranſlationem prædictam adhuc faciendam firmiter confirmantes. Inde ſine mora eadem die adiit *Thanetum*, & amicis & vicinis convocatis proximo die ſequenti videlicet ipſa Dominica pentecoſtes fecit convivium in domo ſua. Peracta igitur ſolempnitate diei, convivæ revertuntur ad propria cum benedictione abbatis, negotio pro quo ibidem venerat omnibus celato. Ipſa quidem nocte cum ſecretariis ſuis ſibi conſciis quid fieret idem abbas *Elſtanus* eccleſiam ingreditur, & præmiſſa oratione, cum reverentia & timore accedit ad ſepulcrum beatæ *Mildredæ* virginis venerandæ. Et dum niterentur totis viribus qui aderant extrahere reverenter theſaurum abſconditum, nulla cautela, nullis inſtrumentis tumbam virginis poterant aperire. Tunc abbas triſtis valde in ſpiritu humilitatis & corde contrito Deo & ſanctæ *Mildredæ* virgini fudit orationem cum lacrimis, ut ipſum quem ſancta *Mildreda* per revelationem ad transferendum corpus ſuum ad eccleſiã ſancti *Auguſtini* invitaverat, domum ſine ſuo corpore pro quo venerat vacuum non remittat. Item vovit ibidem abbas *Elſtanus*, quod ſi transferri dignaretur, quod ad ejus feretrum, quod tunc in eccleſia ſancti *Auguſtini* ante altare paratum erat pro ipſa imponenda, omni die celebraretur miſſa matutinalis, & ejus feſtivitas omni tempore inter feſta ſolempnia fieret principalis. Hiis dictis, permollitur durities lapidum, & aperitur ſepulcrum beatæ *Mildredæ* virginis; & egreditur odor ſuaviſſimus; & aſſumptum corpus beatæ *Mildredæ* jam reſolutum poſuit in linthiamen nitidum, & ipſum linthiamen cum reliquiis mittit in paratum ſcrinium. Sicque ipſe abbas *Elſtanus* et dominus *Godwynus* decanus & *Benedictus* & *Radulphus* venerabiles fratres hujus monaſterii fugerunt verſus domum, portantes ſcrinium cum corpore beatæ virginis *Mildredæ*, nichil ibidem de prædictæ virginis reliquiis relinquentes. Homines autem de *Thaneto* neſcio qualiter hoc ſcientes, inſequuntur abbatem & comitivam ſuam cum gladiis & fuſtibus & magna vi armorum, cupientes eripere ab eis corpus virginis glorioſæ. Sed ante eorum adventũ abbas cum comitiva ſua & reliquiis navem intraverat, & fere pervenerat ad litus optatum, & dum perſecutores nichil habuerunt in quo poterant perſequi fugientes, ad propria vacui revertuntur. Anno igitur Domini M. xxx. xv. kal. Junii anno regis *Knuti* xiv. & domini abbatis anno vij. videlicet xv. kal. Junii die ſupradicto, idem abbas *Elſtanus* tranſtulit de *Thaneto* corpus beatæ virginis *Mildredæ*, & clauſum in prædicto ſcrinio poſitũ eſt ante magnæ altare hujus eccleſiæ in tumba ad hoc parata. Ad cujus caput prædictum altare conſtructum erat, in quo miſſa matutinalis celebrata fuit omni die. Jacuit autem beata virgo *Mildreda* in eodem loco videlicet paululum ſuperius quam magnum candelabrum vocatum *Jeſſe* ſtat in choro, uſque ad tempora *Wilfrici* junioris, qui dilatans eccleſiam ſuam tranſtulit eandem virginem in porticum

Bonifac. ius Archiep.

Henr. III. Rex.

cum *Auguſtini* ubi tunc jacebat idem *Auguſtinus*. Sed poſt, propter *Danorum* inminentem devaſtationem & ipſorum in Sanctos Dei irreverentiam, per *Scotlandum* tunc abbatem reliquiæ prædictæ virginis ſub tumba antedicta etſi non ſatis decenter ibi tamen ſatis ſagaciter ſunt reconditæ in ſaxeo ſarcophago; ubi remanſerunt, donec dilatata eccleſia, cum aliis ejuſdem eccleſiæ Sanctis in ſuam quam nunc habent porticum transferretur, ſarcophago illo adhuc integre permanente. In qua tranſlatione tale contigit miraculum, & evidens argumentum contra *Gregorianos* corpus beatæ virginis *Mildredæ* fallaciter uſurpantes. Quidam monachus hujus loci nomine *Maurus* ſacriſta, jacens in pulpito eccleſiæ nocte proximo præcedente diem hujus tranſlationis videlicet tempore *Scotlandi* factæ, vidit vigilans ſibi apparentem virginem in habitu moniali. Et ipſo quærente quæ & qualis eſſet, & quid ibi ageret tunc temporis; Reſpondit virgo apparens, Neſcis ait quæ ſim? craſtino ſcies & me videbis oculo corporali. At ille frater *Maurus* devotius ſupplicavit eam, dicens, Rogo domina ut mihi indices nomen tuum. At illa, Ego ſum, inquit, quam veneranter habetis, quam ſanctam *Mildredam* appellatis, die craſtina me videbitis dixit; & quaſi ad thalamum ſui porticus remeavit. Contemplator multum admiratus quid eſſet hoc *& dixit die craſtina videbitis me*, diverſis cogitationibus plurimum vexabatur. Nocte præterita, proxima die ſequente hora diei tercia prædictus abbas *Scotlandus* convocat multos fratres in porticum beati *Auguſtini*, ubi ipſa jam ut prædicitur fuerat tumulata. Nam cum primo eſſet tranſlata de *Thaneto* per *Elſtanum* abbatem poſita eſt in ſcrinio undique munito & bene obſerato in tumba ante altare, ut prædicitur: clavim hujus ſcrinii abbas *Egelſinus* fugiens in *Daciam* ſecum aſportavit, ſed remiſit eam abbati *Scotlando* divina ut credimus voluntate. Nam ab aſtantibus cum *Scotlandus* quærit ſi clavim cognoſcant, nullus eorum eam cognovit præter ſolum dominum *Godwynum* decanum, qui cum *Elſtano* abbate erat in prima tranſlatione virginis ſupradictæ. Tunc abbas *Scotlandus* dixit, Hanc clavem dominus *Egelſinus* prædeceſſor noſter fugiens à timore novi regis in *Daciam*, remiſit mihi dicens, ut hanc glorioſam virginem cautius reconderem ab iniquo *Danorum* exercitu inminente. Sic abbas *Scotlandus* cum aliis qui aderant feretrum virginis aperit, & ſeram ſcrinii prædicti cum clavi ex utraque parte indentata aperit reverenter. Patuit archa, & in archa plumbea theca. Qua reſerata, invenerunt ligneam ciſtam fere conſumptam nimia vetuſtate: In ciſta aperta nitidum linthiamen aſpiciunt, & in linthiamine omnium præſentium oculis, inter quos frater *Maurus* prædictus extitit, apparuerunt oſſa nitida & pulvis corporis reſoluti ſanctæ *Mildredæ* virginis glorioſæ. Tunc frater *Maurus* retulit eis certam quam nocte præcedenti viderat viſionem. Hiis itaque viſis, abbas *Scotlandus* cum magna reverentia ſingula repoſuit loco ſuo. Recondita eſt itaque glorioſa virgo in ſarcophago novo in porticu ſancti *Auguſtini*, donec tranſvecta eſt in locum in quo nunc jacet, & intacta permanſit uſque ad tempus abbatis *Rogeri* ſecundi; Qui eam iterum tranſtulit ſub hac forma. Anno ſupradicto ſcilicet Domini M.CC.lxij. abbas *Rogerus* perpendens corpus ſanctæ virginis tranſlatum de *Thaneto* per abbatem *Elſtanum* minus reverenter quam decuit collocatum, propter excitandum populi devotionem de ejuſdem tranſlatione falſa ſuſpicantis, monumentum virginis in porticu ſua prædicta videlicet aquilonali à patre noſtro *Auguſtino*, quo ſcilicet modo prædicta virgo reconditur, humili devotione aggreditur, & ſarcophagum prædictæ virginis in dicto feretro reperit occultatum; in quo epitaphium invenit ſcriptum iſtis verſibus,

Bonifatius Archiep.

Clauditur hoc ſaxo Mildreda *ſacerrima virgo,*
Cujus nos precibus adjuvet ipſe Deus.

Tunc abbas lætus ad orientem reſpiciens ſarcophagi, invenit quoddam vas plumbeum, quod cum magna reverentia adaperiens, laminam plumbeam cum tali ſcriptura reperit in eadem.

Hoc in loculo habetur pulvis Deo dilectæ virginis Mildredæ, *oſſa vero ejus in tumba ipſius clauſa ſaxo duriſſimo requieſcunt.*

Iſtas ſanctas reliquias idem abbas *Rogerus* repoſuit ſicut invenerat, quouſque eiſdem decentius pararetur. Iſta autem omnia paucis ſcientibus facta fuerunt in ſecretis. Materiem huic dependentem anno Domini M.CC. lxix. require.

§.2. **Avercorn** *de* **Menſtre** *debet ſolvi in menſura.*

N*overint univerſi quod cum temporibus retroactis quidam tenentes abbatis ſancti* Auguſtini *in manerio de* **Menſtre** *quoddam ſervicium annuum quod* **Avercorn** *vocatur, ſub menſura minus certa prout ipſis tenentibus videbatur, eiſdem abbati & conventui annuatim apud* **Menſtre** *ſolvere tenerentur, ad petitionem dictorum tenentium idem abbas & conventus divinæ pietatis intuitu, quod ſub incerto ut dicti tenentes aſſerebant ſolvebatur, futuris temporibus certum facere cupientes, conceſſerunt pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod pro menſura quæ uſque ad hujus ſcripti confectionem eis tenentibus videbatur incerta, fiat menſura continens duos buſſellos & dimidium regalis menſuræ tempore confectionis præſentium exiſtentis, per quam menſuram idem tenentes & eorum hæredes omnibus futuris temporibus dictum redditum qui dicitur* **Avercorn** *terminis conſuetis inperpetuum perſolvent, & ut antea ſolebant ad granarium dicti manerii de* **Menſtre** *dictum bladum portabunt, & extra binnam ſuper eorundem tenentium proprium pannum menſurabunt, & totidem menſuras certas & raſas omnibus futuris temporibus perſolvent quod antea ſolvere conſueverunt ſub incerto. Acta anno Domini M.CC.lxiij. die Dominicæ Annunciationis.*

An. Dñi 1263.

§.3. *Statuta in derogationem Regis edita, per abbatem* Rogerum *revocata ſunt.*

ANno ſupradicto abbas *Rogerus* recepit ab epiſcopo *Nordwycenſi* poteſtatem revocandi confederationes & colligationes quæ fuerunt editæ à Baronibus in derogationem regiæ majeſtatis, & per ipſum regem quamquam invitum prædictis ſtatutis conſentientem, ſub hac forma quæ ſequitur. *S. permiſſione divina* Nordwicenſis *epiſcopus &c. Venerabili in Chriſto patri domino* Rogero *abbati &c. Mandatum domini papæ recepimus in hac verba.* « *Vrbanus* epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili: & infra. *Cum igitur honeſtati congruat, utilitati conveniat & ſubjectorum ſaluti expediat ſummi*

Hen. III. Rex.

ſummi pontificis obedire mandatis, præſertim in hiis per quæ revocari poſſint errantes à deviis, & domini regis paci & tranquillitati ſalubriter provideri, ac ſtatus regni reformari in melius; diſcretionem veſtram monemus & exortamur in domino auctoritate domini papæ qua fungimur, & in virtute obedientiæ qua ſedi apoſtolicæ tenemini diſtrictius injungentes, quatinus ſtatuta, ordinationes & colligationes quæ Barones Angliæ *machinati ſunt & in derogationem regiæ poteſtatis, ipſo licet conſentiente & ad hujuſmodi obſervationem juramento ſe aſtringente, in eccleſia veſtra conventuali & in ſingulis eccleſiis vobis ſubjectis publice & ſolempniter denuncietis eſſe revocata, & tam dominum* Henricum *regem* Angliæ *quam dominam* Elianoram *reginam uxorem ejus, nobileſque viros dominos* Edwardum & Edmundum *natos eorundem ac omnes magnates* Angliæ *ab omni vinculo juramenti ſupradicti denuncietis abſolutos; Contradictoreſque & rebelles excommunicationis ſententia denuncietis involutos. Quam ſententiam excommunicationis injungimus vobis puplicandam per vos in conventuali eccleſia veſtra & in ſingulis eccleſiis vobis ſubjectis ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis.*

Cap. XXV.

§. 1. *De Cantaria magiſtri* Hamonis Doge.

An. Dñi 1264

ANno Domini M.CC.lxiv. magiſter *Hamo Doge* ſua noviſſima memorans ordinavit Cantariam pro anima ſua parentum ſuorum & pro anima domini *Rogeri de Ciceſtria* abbatis S. *Auguſtini*, & pro animabus ſucceſſorum ſuorum & pro conventu ejuſdem loci & benefactoribus ſuis & eorum ſucceſſoribus de toto capitali meſuagio cum omnibus ad idem pertinentibus in nova ſtrata in parochia ſancti *Pauli* ſito cum quinquaginta & vij. acris terræ & iv. libratis vj.s. & ix. d. annui redditus; Habendum & tenendum omnia prædicta, ſcilicet ut in terris redditibus meſuagiis viis planis paſturis releviis curiis ſectis eſcaetis wardis maritagiis & omnibus aliis libertatibus. Et ordinavit in prædicta Cantaria duos capellanos inperpetuum, quorum unus celebraret in prædicto meſuagio ſive Cantaria, & alius ad altare ſancti *Johannis* Baptiſtæ in eccleſia ſancti *Pauli Cant.* niſi infirmitate vel aliqua neceſſitate rationabili fuerint præpediti. In creatione vero cujuſlibet novi capellani & perpetui ad prædictam Cantariam admiſſi, idem capellanus ſolvet abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cant.* xiij.s. iv.d. nomine relevii pro omnibus terris & tenementis quæ de ipſis tenuerit. Jus vero conferendi, inſtituendi & in corporalem poſſeſſionem inducendi & inductum tuendi, abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus dedit & confirmavit, ita quod vacante abbatia collatio illa ſpectet ad Priorem & conventum loci ejuſdem ſi tempore vacationis contigerit. Ordinavit eciam, quod cedente vel diſcedente capellano qui pro tempore fuerit, Abbas vel Prior qui tunc temporis præfuerit, omnes terras & tenementa, ornamenta & utenſilia ad dictam Cantariam ſpectantia in manus ſuas capiet & ſalvo cuſtodiet; & capellano ſuccedenti, qui per eos infra xl. dies vacationis ejuſdem Cantariæ inſtituetur, cum exitibus medio tempore perceptis fideliter reſtituent; cujus inſtitutionem ſub periculo animarum ſuarum ultra prædictum tempus malicioſe non prorogabunt. Salvis tamen expenſis circa Cantariam tempore vacationis rationabiliter factis. Salvis etiam domino *Martino* nunc ibidem capellano et ſucceſſoribus ſuis ibidem capellanis ſic inſtitutis & eorum executoribus, omnibus bladis in terris ſeminatis quam in orreis tempore obitus eorum exiſtentibus, & eciam omnimodis eorum catallis mobilibus & ſe moventibus ubicumque inventis, ad inde plenarie ſine contradictione prædictorum abbatis & conventus & omnium aliorum ordinandis ſecundum ultimam voluntatem teſtatoris. Item, quod quilibet capellanus in ſuo deceſſu teneatur ſuo ſucceſſori capellano in centum ſolidis ſterlingorum vel in centum ſolidatis catallorum, exceptis illis quæ de ſpeciali gratia ſua ſuo ſucceſſori legare voluerit. Nec liceoit cuiquam ibidem capellano domum vel arborem ad præfatam Cantariam ſpectantes ſtrepare vel eradicare, nec aliquid de eodem tenemento ad firmam tradere vel alienare, niſi ad utilitatem dictæ Cantariæ, & hoc de conſilio & conſenſu prædictorum abbatis & conventus. Nec licebit capellano ibidem terras vel tenementa de feodo dictorum abbatis & conventus ingredi ſine licentia eorum petita & optenta; capellam vero prædictam, domos & ædificia in competenti ſtatu conſervabit. Si vero aliquis capellanus in forma prædicta inſtitutus dilapidator præmiſſorum repertus, vel de manifeſto crimine canonice convictus fuerit, licebit prædicto Abbati vel Priori qui tunc præfuerit, ipſum prædicta cantaria & tenementis privare, & alii idoneo eandem in forma prædicta ſtatim conferre. Capellanus vero admiſſus in præſentia Abbatis vel Prioris tempore vacationis jurabit eis canonicam obedientiam & reſidentiam perſonalem, niſi de ſpeciali gratia eorum ad tempus ei conceſſum fuerit. Nec licebit eiſdem capellanis aliquod annuale vel trigintale ullatenus recipere; ſet omnes oblationes ad dicta altaria provenientes ad vicarium ſancti *Pauli* ſpectabunt, exceptis veſtimentis, luminare & ornamentis ad fabricam & ornatum illorum collatis, & exceptis ſpecialiter legatis eiſdem capellanis, quæ eis licebit retinere undecumque provenerint. Idem vero capellanus ſic admiſſus, ſi capellanum ſecundarium ſuper aliquo crimine manifeſto canonice convictum habuerit, ad ammonitionem Abbatis vel Prioris tempore vacationis ipſum ſtatim amovebit, & alium idoneum infra xl. dies ſequentes loco ſui ſubſtituet, vel Abbas vel Prior extunc alium ſibi aſſociabit. Tamen in ultima voluntate ſua ordinationes & ſuſtentationes capellanorum & omnia alia præmiſſa penitus revocavit, & ordinationem omnium præmiſſorum abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus pure & ſponte conceſſit.

Bonifacius Archiep.

§. 2. *Confirmatio Cantariæ ſupradictæ ab* Honorio *papa iij.*

« SAne petitio veſtra nobis exhibita continebat,
« quod quidam magiſter *Hamo Doge* clericus
« provide ſua noviſſima memorans, et diligenter attendens,
« quod utilitatibus propriis melius applicare
« non poterat bona ſua, quam ſi de ipſis ſaltem
« aliqua in honorem illius qui eſt omnium bonorum

Hen. III. Rex. « largitor expenderet, et de cujus habundanti gratia gratis receperat univerſa, quandam capellam in parochia ſancti *Pauli Cantuariæ*, quam in uſus proprios canonice ſicut aſſeritis optinetis, de bonis propriis veſtro ad id conſenſu accedente conſtruxit, ipſique capellæ quaſdam terras et poſſeſſiones, redditus aliaque bona ad ipſam ſpectantia, ad ſuſtentationem duorum ſacerdotum qui divina officia in capella celebrabunt eadem, de liberalitate pia et provida conferens, ſtatuit, Quod ad abbatem qui erit pro tempore vel Priorem monaſterii ſupradicti, ſi forte illud vacare contingeret, capellæ memoratæ collatio ſeu diſpoſitio pertineret, prout in literis inde confectis et veſtro & ejuſdem magiſtri *Hamonis* ſigillis ſignatis plenius dicitur contineri: Nos igitur ſupplicationibus veſtris inclinati, id prout pie ac provide ſine juris præjudicio alicui factum eſt, ratum et firmum habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. 3. *Quando incepit raſura fratrum per ſeculares.*

USque ad tempus hujus *Rogeri* abbatis radebant ſe mutuo fratres in clauſtro, ſet iſte propter læſuras & diverſa pericula quæ frequenter contigerunt inter eos quia rudes et neſcii erant in officio radendi, ordinavit cum conſenſu conventus, quod raſura fieret in camera juxta balneatorium per ſeculares quociens opus eſſet. Et quod diebus raſuræ poſt *Verba mea* in capitulo dicantur tres collectæ, ſcilicet, *Abſolve*, *Inclina*, et *Fideles*, in memoriam illius beneficii et pro anima *Rogeri* abbatis &c.

§. 4. *Molendina comburuntur per homines de* **Stonore**.

An. Dñi 1266. ANno Domini M. CC. lxvj. die ſabbati poſt Epiphaniam homines de **Stonore** & *Sandwico* ſuæ ſalutis immemores combuſſerunt ij. molendina Abbatis aquatica, unum ſcilicet apud **Stonore**, & aliud apud **Hepesflete**.

1267. Anno ſequenti taxatio icariæ de **Tentwarden** xj. kal. Junii.

Eodem anno frater *Adam de Kyngeſnoth* hujus loci Camerar. iſti monaſterio gratuite multa exhibuit beneficia. Inprimis Camerar. à gravi debito totaliter acquietavit, & ad illius ſuggeſtionē cum conſenſu *Rogeri* abbatis & capituli ſtatutum eſt, ut in tricennali uniuſcujuſque monachi hujus eccleſiæ inperpetuum, de camera dentur v. s. ad panem pauperū, & in primo obitu cujuſlibet monachi ſimiliter v. s. cauſa qua ſupra. Decem coopertoria in conventu per ordinem ſingulis annis dari ipſo ſuggerente ſtatutum eſt. Et ſingulis annis xx. paria ſtragularum, x. capucia & x. burans; quæ omnia quando debent diſtribui ab abbate & conventu per ipſum certis terminis anni diffinitum eſt. Comparavit eciam puturam pulpiti in eccleſia & gabuli in refectorio, & balneatorium ex novo conſtruxit, & ipſa balnea in eo fecit, j. campanam in eccleſia et ad ornatum ejuſdem pelves argenteas optimas, ſcrineum eburneum, iij. albas brullatas, vij. capas brullatas, calices quoque iij. fecit comparari. lxx. s. ad cameram Prioris faciendam, C. li. ad dormitorum plumbo cooperiendum, xxx. li. in adjutorium ad piſtrinum & bracinum tranſmutandum, & xx. marcas ad capellam ſuper portam conſtruendam, & xx. marcas pro infirmaria emendanda, xx. marcas ad incrementum ornamentorum eccleſiæ, & lx. marcas ad lavatorium decens faciendum. Idem eciam *Adam* acquietavit nos penes Judæos tunc *Cantuariam* inhabitantes de CC. marcis. Item iij. amictus argenteos pulcherrime deauratos & unum ſalarium argenteum ad ſal benedicendum de ſua mera liberalitate donavit, ob quorum beneficiorum memoriam conſtitutum eſt ab abbate & conventu, ut cum in fata deceſſerit principale habeat anniverſarium. Iſte *Adam* ob meritorum ſuorum exigentiam ad curam paſtoralem monaſterii de **Certeseye** poſtea aſſumptus eſt.

Bonif. Archiep.

§. 5. *Compoſitio cum civibus Cantuariæ.*

An. Dñi 1268. ANno Domini M. CC. lxviij. in craſtino purificationis anno *Henrici* regis xlij. apud *Weſtmonaſterium* coram eodem domino rege convenit inter abbatem S. *Auguſtini Cantuariæ* & cives dictæ civitatis ſuper quibuſdam contentionibus motis inter eos; videlicet, quod ſi aliquis latro captus fuerit cum manuopere, ita quod poſſit vocari **Insongenthef**, de porta cimiterii occidentalis S. *Auguſtini* uſque ad domum *Henrici Fabri*; & à domo *Henrici Fabri* uſque ad domum *Nicholai de la Berton*, et deinde per vicum quæ vocatur **Loderslane** uſque ad novam ſtratam, & ſic à nova ſtrata uſque ad ſanctum *ſepulcrum* à dextris, remanebit de cætero civibus & libertati civitatis *Cantuariæ* ſine contradictione prædicti abbatis vel ſucceſſorum ſuorum vel eccleſiæ ſancti *Auguſtini* imperpetuum; ſive ille qui captus ſit de hominibus abbatis vel de libertate ſua interius vel exterius fuerit. Et ſi qualiſcunque captus fuerit qui ſimiliter vocari debeat **Insongenthef** in ſiniſtra parte prædictarum bundarum & metarum, vel à ſancto *ſepulchro* uſque ad **Chaldane** quantum fuerit de feodo ipſius abbatis ex utraque parte, & ſimiliter à domo prædicti *Henrici Fabri* per viam qua itur apud **Fispol**, ex utraque parte uſque ad **Fyspole**; ſcilicet quicquid ſit de feodo ipſius abbatis: Et ſimiliter ſi talis latro inventus fuerit in campis de **Northome** & per vicum quæ ducit ad portam ſancti *Auguſtini*, de cætero remaneat prædicto abbati & ſucceſſoribus ſuis & eccleſiæ ſuæ inperpetuum. Ita quod ſervientes ipſius abbatis illos licite capere poterint infra prædictas metas & bundas, & juſtitiam facere de ipſis ſecundum cartam ſuam & legem & conſuetudinem *Angliæ* ſine contradictione prædictorum civium vel hæredum ſuorum inperpetuum, ſive ille qui captus fuerit ſit de villa vel de libertate prædictæ civitatis vel aliunde, ita tamen quod propter iſtam conventionem nichil depereat prædictis civibus de juribus ſuis quæ habuerunt in tenentibus prædicti abbatis qui manentes ſunt infra metas & bundas prædictas qui remanent tam prædicto abbati quam prædictis civibus, quin illi qui mercandiſas faciunt ſint in **lot** et **scot** & in tallagio et in defenſione ipſorum contra omnes ſicut prius fuerunt ſine aliqua contradictione ipſius abbatis vel ſucceſſorum ſuorum inperpetuum; Ita quod quando tallagium aſſeſſum eſt ſuper eos, tallagium illud colligatur per viſum ballivi domini abbatis ſi intereſſe voluerit, & ſi non, tunc licite per ballivos prædictæ civitatis. Dicti eciam cives nichilominus infra metas prædictas et bundas habebunt per coronatorem ſuum viſum hominum mortuorum & vulneratorum, & præſentationem

Henr. III. Rex. onem quæ pertinet ad coronam domini regis coram Juſticiariis in adventu ſuo ſicut prius habuerunt anathemarum & priſonum omnium eorum de quibus dictus abbas non poteſt facere juſtitiam in curia ſua. Et ſi ille qui captus fuerit per prædictum abbatem infra prædictas metas & bundas evaſerit de priſona dicti abbatis, dicti cives non debebunt reſpondere de ipſo eſcapio coram Juſticiariis, ſet dictus abbas & ſucceſſores ſui ipſos acquietabunt coram eiſdem. Et conceſſum eſt hinc inde, quod ſi aliqua contentio oriatur inter eos de aliquibus articulis, quibus fortaſſe dictus abbas dicit ſe uſum fuiſſe vel dicti cives dicent ſe habuiſſe in feodo ipſius abbatis, & non poſſunt inter eos inde convenire: ſine aliquo placito, querens veniet ad curiam, & habebit breve domini regis ad vicecomitem, quod per ſacramentum xij. tam militum quam aliorum liberorum & legalium hominum forinſecorum per quos rei veritas melius ſciri poterit, & qui nec prædictum abbatem nec prædictos cives aliqua affinitate contingant, inquiratur rei veritas de jure & uſu, & per illos xij. terminabitur contentio; quia utraque pars conceſſit quod ſine aliqua calumpnia tenebit ſe contentam de hoc quod prædicti juratores utrique parti dabunt per ſacramentum ſuum.

§. 6. *De fructibus & proventibus eccleſiæ de* **Snaves.**

EOdem anno idus Februarii fuit controverſia inter abbatem & conventum ſancti *Auguſtini* & *Henricum* Rectorem eccleſiæ de **Snaves** occaſione fructuum & proventuum eccleſiæ de **Snaves** ab abbate perceptorum ac præſentationis ad eandem factæ. Tandem per magiſtrum *Ricardum de Podeo* arbitrum ſive compoſitorem fuit diffinitum & ſententialiter ordinatum, Quod abbas prænominatus eidem rectori pro ſuis laboribus & expenſis in xxiiij. marcis condemnetur, ipſi *Henrico* rectori ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium inponendo. Anno quo ſupra ordinatio vicariæ ſancti *Pauli* facta per magiſtrum *Hugonem de Mortuo Mari* per aſſenſum domini *Rogeri* abbatis & magiſtri *Hamonis Doge* ultimi rectoris ibidem quinto idus Decembris facta.

§. 7. *Quod abbas non debet talliari cum civitate.*

An Dñi 1269. ANno Domini M. CC. lxix. fuit declaratum, quod abbas non debet talliari cum civitate ſub tali forma: *Rogerus* abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, Prior eccleſiæ *Chriſti*, Prior ſancti *Gregorii* & magiſter *Hamo Doge* perquiſiverunt breve domini regis directum Baronibus de ſcaccario, quod vicecomes *Kanciæ* venire faceret vj. de diſcretioribus hominibus villæ *Cantuariæ*, & ſex tam milites quam alios liberos & legales homines de viſneto ejuſdem villæ per quos rei veritas melius ſciri poterit, ad certificandum eoſdem Barones ſi prædicti Abbas &c. et eorum prædeceſſores unquam talliari conſueverunt ratione tenementorum quæ habent in *Cantuaria* vel non. Et poſtea venit inquiſitio per *Rogerum de Nordwod, Ricardum de Pontefracto* milites & alios, qui dixerunt ſuper ſacramentum ſuum, quod prædicti abbas & Priores nunquam talliari conſueverunt cum burgenſibus ejuſdem villæ ratione tenementorum ſuorum prædictorum. Dixerunt eciam quod anteceſſores prædicti *Hamonis Doge* ratione mercandiſarum ſuarum quas fecerunt in eadem *Bonif.* Archiepi civitate talliari conſueverint, ſet ipſe non, quia nullas exercuit mercandiſas. Et ideo conceſſum eſt quod prædicti abbas & Priores ab hujuſmodi tallagio ſint quieti, unde *Henricus* rex vicecomiti *Cantiæ* ſic, *Conſtat nobis per inquiſitionem quam nuper fieri fecimus, quod abbas & alii ſuperius nominati nunquam conſueverunt talliari ratione tenementorum ſuorum quæ habent in eadem villa, quando cives ejuſdem civitatis talliati fuerunt. Ideo tibi præcipimus quod de demanda quam facis prædictis Abbati & Prioribus de tallagio ratione tenementorum ſuorum quæ habent ibidem, pacem habere permittas & averia ſua ſeu catalla ſi qua capta fuerint occaſione prædicta, eis deliberari facias.*

Eodem anno peractum fuit novum refectorium ab abbate *Rogero* et in tercio anno ſequente lavatorium quod ante hoſtium ejuſdem ſitum eſt per eundem abbatem in propriis expenſis CCC. marcarum.

§. 8. *Inſtitutio* Rogeri *abbatis ne monaſterium obligetur.*

An. Dñi. 1270. ANno Domini M. CC. lxx. idem *Rogerus* abbas inſtituit ne monaſterium iſtud alicujus obligetur debitis iſto tenore: *Omnibus Chriſti fidelibus*, Rogerus *Dei gratia &c. Nuper ad reformationem ordinis & ſtatus domus noſtræ viſitatoribus à capitulo generali deputatis ad nos accedentibus; diligenti inquiſitione habita ſuper præſcriptis, perpendentes dicti viſitatores tam propter necgligentiam prælati quam ſubditorū in pluribus ſtatum monaſterii poſſe periclitari, inter cætera maxime quod nonnunquam proniores erant quam monaſterio expediret, et contra interdictum apoſtolicum necnon & generalis capituli ſtatutum, ad obligandum ſe & ſuum monaſterium in contractibus mutuo faciendis, tam pro religioſis quam pro ſecularibus perſonis: ordinaverunt & firmiter ſtatuerunt, ut ſuper obſervatione ipſius ſtatuti apoſtolici necnon & generalis capituli, ſtatutum tam à prælatis quam à ſubditis univerſis, corporale præſtaretur ſacramentum. Nos igitur abbas & conventus univerſi & ſinguli inſpectis ſacroſanctis in verbo veritatis ſacerdotii & religionis juramus & præſenti pagina profitemur, nos contra tenorem dicti ſtatuti ſuper hoc editi de cætero non contraventuros. Et ut in omnibus dictum ſtatutum clarius illuceſcat, ipſius tenorem duximus præſentibus inſerendum, Qui talis eſt:*

« ALEXANDER epiſcopus, *Et infra.* Firmiter inhibemus, ne quis præſumat eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis gravare debitis, aut literas alicui ſeu ſigilla eorundem quibus poſſent eccleſiæ obligari concedere, decernentes ſi ſecus fuerit attemptatum, ad ſolutionem talium debitorum eccleſias non teneri. Si quis autem contra præmiſſa de cætero venire præſumpſerit, ab adminiſtratione temporalium noverit ſe ſuſpenſum. *Nos eciam prædicti abbas & conventus ſtatuentes nichilominus, generalis capituli auctoritate interveniente, quod abbas quicumque ſucceſſu temporis ad regimen hujus congregationis electus, in prima ſua creatione ſacramentum prædictum de obſervando ſtatuto prædicto præſtet & renovet ſacramentum, nichilominus eciam ne cæteri proceſſu temporis in iſto monaſterio monachicum ordinem ſuſcepturi, contraveniant, ſtatim poſt profeſſionem ſuam idem ſacramentum facient & obſervent.*

Henr. III. Rex.

Eodem anno dedicatum fuit altare ſanctæ *Mildredæ* virginis ab epiſcopo *Batonienſi*. Et obiit *Bonifacius* archiepiſcopus *Cantuarienſis*.

§. 9. *Juriſdictio & dominium abbatis in* **Stonore**.

ANno ſupradicto accidit in villa de **Stonore** quod cum quidam *Flemengi* occidiſſent unum *Flemingum* ſuper litore maris ſupra plenum mare, & frater ipſius mortui cum quatuor ſociis ſuis *Flemengis* veniſſent ad ipſum mortuum fratrem ſuum inventum ibidem alium mortuo ipſo relicto fratrem ſuum mortuum cum ſociis ſuis aſportaverunt. Et ſtatim ſuper eodem facto venit *Johannes Coleman* tunc præpoſitus domini abbatis in **Stonore** cum clamore & uthesio, & invenit prædictos *Flemingos* ſuper mortuum prædictum & infra villam prædictam; ipſo neſciente alios homicidus ipſos areſtavit & inpriſonavit ſecundum conſuetudinem villæ. Tercia die ſequenti tenta fuit curia de **Stonore**, et ipſi *Flemmengi* ducti fuerunt coram ſeneſcallo domini Abbatis & aliis tunc ibidem præſentibus. Et inpoſitum fuit eis per ſeneſcallum de morte prædicta quod inde fuiſſent culpabiles vel conſencientes. Reſponderunt quod non, & de hoc ſe poſuerunt ſuper villam de **Stonore**. Et ſuper hoc venit *Simon Wybert* tunc Major de *Sandwico* cum pluribus aliis de *Sandwico*, & exigebant prædictos priſones ad hundredum ſuum de *Sandwico*, dicentes quod dominus abbas non habuit nec habere debuit infra villam de **Stonore** talem curiam nec talem libertatem, quod tales priſones nec alios malefactores captos vel areſtatos deliberandos ad judicium & de talibus faciendis niſi eſſet in præjudicium Prioris eccleſiæ *Chriſti Cantuariæ* & communitati de *Sandwico*. Quibus reſponſum eſt, quod dominus abbas dicto domino Priori ſuper hoc facto injuriari noluit in aliquo, quia antequā dominus Prior aliquod juris habuiſſet in villa de *Sandwico*, habuit dominus abbas ſancti *Auguſtini* villam de **Stonore** cum omnibus ſuis libertatibus ex dono & conceſſione regum *Angliæ* prædeceſſorum domini regis, & ex confirmatione domini regis qui nunc eſt, ita libere quam aliquis rex aliquando tenuit. Et inſuper dictum fuit, quod Prior ultra plenum mare verſus **Stonore** in dominium domini abbatis ſicut in quadam compoſitione facta inter duas eccleſias plenius continetur. Et communitati reſponſum fuit, quod dominus abbas in nullo contra libertatem de *Sandwico* venire voluit, deſicut idem dominus abbas eſt combaro de *Sandwico* & par eorum, rogatum fuit eis quod ipſi non inpedirent nec diſturbarent quin dominus abbas in ſua villa de **Stonore** libertates ſuas ſicut debet & ſolet uti poſſet. Et ſuper hiis relaxata eſt reclamatio. Et præceptum fuit hominibus de **Stonore**, quod ipſi diligenter inquirerent & veritatem dicerent, ſi prædicti *Flemengi* non eſſent culpabiles vel conſentientes de morte antedicta ſicut eis inpoſitum fuit, & ſi eſſent culpabiles vel non, inde rectum & conſuetum judicium facerent. Et ipſi homines de **Stonore** tunc ibidem præſentes prædictos *Flemmingos* de prædicta morte & conſenſione per ſacramenta ſua penitus acquietarunt, per quod conſideratum fuit, quod de morte illa *Flemmengi* illi eſſent quieti. Et ſeneſcallus tunc coram omnibus præſentibus ipſos ſecundum conſiderationem curiæ deliberatos & quietos clamavit.

Robertus Archiep.

§. 10. *Alienatio eccleſiæ S.* Margaretæ.

An. Dñi 1271.

ANno Domini M. CC. lxxj. data fuit eccleſia ſanctæ *Margaretæ Cantuariæ* hoſpitali pauperum ſacerdotum ibidem in liberam & perpetuam elemoſinam ab abbate *Rogero*, quæ fuit ante noſtri patronatus. Et non licebit ſyndico vel ſacerdoti hoſpitalis prædicti aliquas terras, redditus vel tenementa in dicta parochia ſanctæ *Margaretæ* de tenentibus noſtris emere, vel aliquo titulo ſibi appropriare ſine licentia abbatis & conventus ſpeciali. Syndicus autem prædicti hoſpitalis qui pro tempore fuerit in recognitionem juris noſtri prædicti ſacramentum nobis præſtabit fidelitatis in capitulo cum ad hoc fuerit requiſitus. Pulſatio vero in eadem eccleſia fiet contra dominum abbatem quociens eum per illam eccleſiam tranſire contigerit. Eodem anno die tranſlationis ſancti *Auguſtini* facta fuerunt tonitrua & coruſcationes & tanta inundatio pluviæ, ut civitas *Cantuaria* pene ſubmerſa eſſet. Occupaverat vero aqua totam iſtam curiam pariter & eccleſiam ut prope ſubmerſæ eſſent, niſi virtus ſanctorum ibi quieſcentium obſiſteret. Et *Robertus Kylwarby* de ordine prædicatorum in archiepiſcopum *Cantuarienſem* conſecratus eſt.

CAP. XXVI.

§. 1. Nicholaus *in abbatem eligitur*.

1272.

ANno Domini M. CC. lxxij. die ſanctæ *Luciæ* virginis obiit *Rogerus de Ciceſtria* abbas hujus loci, & ante altare ſanctæ *Katerinæ* ſub lapide cum imagine ſculpto eſt ſepultus. Eodem anno obiit *Henricus* rex *Anglorum* in craſtino tranſlationis ſancti *Auguſtini* anno ſui regni lv.

1273.

Anno ſequenti in craſtino circumciſionis domini electus eſt in abbatem *NICHOLAUS de Spina* tunc tercius Prior, via compromiſſi, quæ fuit talis.

« Cum nos *Gervaſius* ſacriſta, I. *cocus*, Martinus *Elemoſinarius*, H. *Camerarius*, W. *Theſaurarius* *Nicholaus* tercius Prior *T. Theſaurarius* monachi monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* habeamus ſpeciale mandatum à Priore & conventu hujus monaſterii in forma compromiſſi providendi per electionem de gremio ipſius monaſterii eidem monaſterio viduato de paſtore, Ego *T.* theſaurarius vice dictorum Prioris & conventus ex ſpeciali conſenſu & mandato compromiſſariorum & vice mea & eorum eligo *N.* tercium Priorem commonachum noſtrum, virum videlicet providum & honeſtum, in temporalibus & ſpiritualibus circumſpectum, valentem & ſcientem jura monaſterii tueri, in paſtorem & abbatem. Huic autem electioni prædictus Prior & conventus ſecundum formam compromiſſi ſuum præbuere conſenſum. Acta iiij. non. Januar.

Iſtis ſic actis, volens idem *N.* ſuam electionem celeriter expedire, habito proceſſu electionis, literiſque regiis & magnatum ſimul optentis, apoſtolico conſpectui ſe præſentavit. Proceſſu in curia diligenter examinato die ſancti *Ambroſii* confirmatus quinto idus Aprilis ſcilicet ſancto die Paſchæ ab epiſcopo

Edwar. I. Rex.

epiſcopo *Portuenſi* Cardinali de mandato papæ *Nicholai Roma* benedictus eſt. Igitur rex *Edwardus* ad inſtantiam reginæ & Comitis *Glovernia* ſuſcepit Priorem, Conventum & omnes poſſeſſiones monaſterii in ſuam protectionem, & commiſit eidem Priori cuſtodiam per unum annum integrum cum eſcaetis, wardis & maritagiis, durante vacatione, advocationibus eccleſiarum dumtaxat exceptis, per finem quingentarum librarum.

§.2. *De meſuagio apud* **Weterlok**, *& reſignatione manerii de* **Wycham** *in* **Plumſted.**

EOdem anno quidam *Edmundus de Cambio* dedit monaſterio ſancti *Auguſtini* quoddam meſuagium in venella de **Weterloke** in parochia de **Northgate** prope domos Templariorum; quod meſuagium abbas *Nicholaus* anno ſeptimo ſequente dedit & conceſſit cuidam *Philippo de Stureye* clerico ſibi & hæredibus ſuis inperpetuum, reddendo eccleſiæ S. *Auguſtini* per annum xviij. s.

An. Dñi 1274

Anno Domini M. CC. lxxiiij. adivit idem abbas generale Concilium *Lugduni* in expenſis CC. librarum. Eodem anno in feſto S. *Nicholai* quidam *Jacobus de Camera* conceſſit & dimiſit eidem abbati omnia tenementa quæ tenuit de ipſo in **Wycham** & **Plumſted** ut in terris, meſuagiis, tenentibus & eorum ſerviciis, ſectis, releviis, cuſtodiis, maritagiis & omnibus aliis libertatibus & homagiis, cujus forma talis eſt:

« Reverendo in Chriſto patri &c. *Jacobus* filius *Roberti* de *Camera* ſalutem cum honore & reverentia. Homagium quod vobis feceram & in quo ſucceſſoribus veſtris ego vel hæredes mei tenemur vel tenebimur, cum omnibus tenementis quæ de vobis teneo vel tenere clamo in tenura de **Plumſted** & **Wycham**, in manibus veſtris reddo & plene reſigno.

§. 3. *Subſidium receptum de tenentibus.*

EOdem anno recepit ſubſidium à tenentibus ſuis ſub nomine palefridi ſui ſcilicet

De tenentibus de **Menſtre**	liiij.--li. vj. s.viij.d.
De tenentibus de **Northburne**	xxviij.l.viij.s. iij.d.
De tenentibus de **Chiſtlet**	viij.--li.xvij.s. v.d.
De tenentibus de **Sture**	iiij.--li.xiiij.s.
De tenentibus de **Langport**	l. s.
De tenentibus de **Littleborne**	vj.--li. ix.d.
De tenentibus de **Stodmerſh**	xl. s.
De tenentibus de **Swanes**	viij. li. xj. s.
De tenentibus de **Borewarmerſh**	xx.s.
De tenentibus de **Lenham**	xij. li. vij. s.
De tenentibus de **Newenton**	xxvij s.
De tenentibus de **Plumſted**	vij. li.
De tenentibus de **Neuſole**	iiij. s. xj.d.
De tenentibus de **Mentriſzoc**	iij. s. ij.d.
Et de **Mentrypſzoc**	xxj.d.
De tenentibus de **Horton**	v.s.
De domino *Willielmo Criel* pro j. feodo militis & dimidio	xx.s.
De *Henrico Ruſſi* & *Ricardo Coyn*	iiij.s.

Summa — Cxxxviij. li. xj. d.

§.4. *Anniverſarium pro abbate* Rogero *&* Hamone Doge.

ANno ſupradicto ordinatum fuit anniverſarium per abbatem *Nicholaum* pro abbate *Rogero* ſuo prædeceſſore & *Hamone Doge*, ad quod aſſignatæ fuerunt ſex marcæ annuales, ſcilicet de **Patingdon** v. marcæ, de firma de **Ores**.j. De quibus ſex marcis ij. marcæ & dimidia ad pitanciam conventus, iij. reſiduæ in pane pauperum, & dimidia marca in ſotularibus eorundem liberantur.

Robertus Archiep.

Idem magiſter *Hamo* contulit huic eccleſiæ Bibliam pulcram & totum corpus Juris opperatu ordinario gloſatum. Propter igitur horum beneficia ſtatutum eſt ab eodem *Nicholao* abbate & conventu, ut iſta collecta, *Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam* in miſſa ſanctæ *Maria* in criptis habeatur perpetuo. Similiter qui ad altare ſanctæ *Katerina* celebrant ubi corpora prædicti abbatis & *Hamonis* quieſcunt, habebunt eorum memoriam cotidie in miſſis ſuis ſpecialem.

§. 5. *De* 110 *garbis debitis eccleſia de* **Sellyng.**

EOdem anno fuit inquiſitio facta in eccleſia de **Selling** ſuper præſtatione centum garbarum eidem eccleſiæ debitarum de terra de **Rode** pro ſepultura tenentium de **Rode**. Cui quidem inquiſitioni idem tenentes ſponte ſubmiſerunt ſe coram officiali domini archidiaconi, qui audita & intellecta veritate per ſacramentum dictorum tenentium de **Rode** & aliorum qui ad hoc fuerant in teſtes producti, quod dictæ garbæ de jure ſolvi deberent de propriis bladis tenentium & non de decima, pronunciavit idem officialis ſententialiter & diffinitive, quod dicti tenentes de **Rode** de cætero ſolvant centum garbas eccleſiæ de **Sellyng** de ſuis propriis bladis & non de decima ad eccleſiam de **Faverſham** ſpectante. Et de eo quod eccleſiæ de **Sellyng** non ſolverunt ante tempora, eidem ſatisfacient competenter.

§. 6. *Compoſitio inter vicarium de* **Menſtre** & *vicarium ſancti* Laurentii.

An. Dñi 1275.

ANno Domini M. CC. lxxv. in craſtino nativitatis beatæ *Mariæ* dominus *Robertus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* benedixit cimiterium ſancti *Laurentii* in *Thaneto* gratia ſepulturæ, ſub hac forma.

« Noverit univerſitas veſtra, quod nos religioſorum virorum venerabilis viri domini *Nicholai* Dei gratia abbatis monaſterii S. *Auguſtini* ejuſque loci conventus, ac *Willelmi* perpetui vicarii eccleſiæ beatæ *Mariæ* de **Menſtre** in *Thaneto* precibus inclinati, cimiterium apud capellam S. *Laurentii* in *Thaneto* gratia ſepulturæ ibidem de cætero faciendæ benediximus, ſtatuentes & ordinantes de conſenſu prædictorum religioſorum & prædicti vicarii de **Menſtre**, ut omnes dictæ capellæ parochiani terram tenentes apud ſuam matricem eccleſiam de **M**. debeant ſepeliri, prout parochiani dictæ capellæ prius ſepeliri conſueverunt, nec licebit alicui dictæ capellæ parochiano terram tenenti in cimiterio præfatæ capellæ ſepeliri niſi de conſenſu & expreſſa vicarii de **Menſtre** proceſſerit voluntate, quamvis in teſtamento ſuo ſepulturam ibidem elegerit ſeu alio quocunque titulo corpus ſuum in prædicto cimiterio ſepeliri ordinaverit. Pueri vero & pauperes ejuſdem capellæ parochiani terram non tenentes reliquaque

Edw. I. Rex.

“ familia apud dictam capellam ſepeliantur: proviſo, ut omnes obventiones, oblationes, & legata provenientes ſeu provenientia ratione dictæ ſepulturæ ſeu corporum apud prædictam capellam ſepultorum, pure, plene & abſque dolo & fraude inter dictos eccleſiæ de M. & ſancti *Laurentii* vicarios integraliter dividentur. Quæ omnia tam obventiones, oblationes, & legata vicarius ſancti *Laurentii* & capellani ſui fideliter reponent & ſalvo cuſtodient, donec per dictos vicarios facta fuerit dimidiatio ſupradictorum; quæ fieri debent de menſe in menſem apud capellam ſancti *Laurentii* niſi per vicarium de Menſtre ſeu capellanum ejus vel procuratorem ſuper dicta dimidiatione facienda citius fuerint requiſiti. Et ſciendum quod per hujuſmodi ordinationem nullum in poſterum fiet præjudicium matrici eccleſiæ de Menſtre quoad deſponſationes & purificationes, & apud dictam matricem eccleſiam de M. fiant in poſterum prout hactenus ante ordinationem hujuſmodi factam conſueverunt. Ad hæc autem omnia & ſingula ſupradicta plene & ſine dolo firmiter & imperpetuum obſervanda ſtatuimus, ordinamus de conſenſu prædictorum abbatis & conventus, & prædicti vicarii de M. ut *Johannes* dictæ capellæ vicarius, capellani ſui & clerici necnon & ejuſdem vicarii ſucceſſores eorumque capellani & clerici in eadem capella de cætero miniſtrantes, infra quindenam à tempore quo fuerint per vicarium de Menſtre qui pro tempore fuerit, ſeu ejus procuratorem aut capellanum requiſiti dicti cimiterii, extunc ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, quouſque vicario de M. qui pro tempore fuerit ſatisfactum fuerit competenter. Super quibus omnibus & ſingulis ꝗ. vicarius dictæ capellæ S. *Laurentii*, capellani ſui & clerici, & eorum ſucceſſores ſtabunt juramento vicarii de M. ſeu aliis legitimis probationibus abſque cauſæ cognitione & ſtrepitu judiciali, renunciantes libelli oblationi, petitioni, appellationi, & in integrum reſtitutioni, omni actioni, exceptioni, defenſioni, & rei qui eiſdem poſſit prodeſſe & vicario de M. obeſſe, atque omnia & ſingula, tam in ſacramentis quam in pœnis renunciabit, & aliis omnibus in ordinatione prædicta. Volumus & ordinamus de conſenſu prædictorum religioſorum omnes illos qui de cætero in dicta capella ſancti *Laurentii* vicarii fuerint inſtituti, necnon eorum capellanos clericos in dicta capella miniſtraturos obligari & teneri, & vinculo perpetuitatis aſtringi.

An. Dñi 1276.

Anno ſequenti inita fuit quædam compoſitio inter dominum *Nicholaum* abbatem ſancti *Auguſtini* & ejuſdem loci conventum, & dominum *Thomam* Priorem eccleſiæ Chriſti & ejuſdem loci capitulum ſuper diverſis articulis; ſet quia prædictis *N.* & *T.* honori & officio cedentibus tractatus ille ad effectum debite non proceſſit, ſucceſſores tamen eorundem, ut in ſequentibus patebit, ſupradictam formam in omnibus ſuis articulis plenarie obſervarunt.

Eodem anno facta fuerunt ſcilicet interior camera domini Abbatis proximo coquinam & clauſtrum cum columpnis & tecto, & Refectorium dealbatum. Eodem anno die Mercurii ante feſtum Paſchæ *Willelmus de Leyborne* miles recognovit ſectam pro manerio ſuo de Preſton, relevium ſuum ſolvit, videlicet xiv.li. vij.s. & fecit homagium abbati.

Robertus Archiep.

Anno Domini M.CC.lxxvj. *Johannes* papa xxj. conceſſit ſua privilegia huic loco per hæc verba: “ *JOHANNES* epiſcopus: *& infra.* Auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut in illis parochiis in quibus habetis & juſte percipitis majores ac veteres novalium quoque decimas de quibus aliquis hactenus non percepit, pro ea portione qua veteres vos contingunt juxta conſtitutionem & declarationem felicis recordationis *Alexandri* papæ prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editas, libere percipere valeatis ſine juris præjudicio alieni.

Item idem *JOHANNES*. “ Auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut poſſeſſiones & alia bona mobilia & inmobilia quæ perſonis liberas fratrum veſtrorum ad monaſterium veſtrum è ſeculo fugientium & profeſſionem facientium in eodem, ſi remanſiſſent in ſeculo ratione ſucceſſionis vel alio juſto titulo contigiſſent, & ipſi libere potuiſſent aliis elargiri, feudalibus duntaxat exceptis, petere, percipere ac retinere libere valeatis ſine juris præjudicio alieni.

§.7. *Conventionales literæ miſſæ per abbatem.*

An. Dñi 1277.

ANno Dñi M CC.lxxvij. fuerunt quædam literæ conventionales miſſæ ad diverſa monaſteria *Angliæ* ſub tali tenore. “ *NICHOLAUS* Dei gratia abbas apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſanctiq; *Auguſtini Anglorum* apoſtoli *Cant.* viris diſcretis & venerandæ religionis amicis & confratribus in Deo ſpecialiter dilectis *Glaſtoniæ* ſancti *Edmundi* & cæteris domibus conventionalibus, præcentoribus univerſis & ſingulis gaudium optatæ ſalutis cum incremento religionis, gratiæ & honoris. Cum jam pridem inter prædicta ſacræ religionis loca & monaſterium noſtrum apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ſanctique *Auguſtini Anglorum* apoſtoli *Cant.* à piarum recordationum patribus & prædeceſſoribus noſtris & veſtris confœderatio ſpecialis & conventio ſatis utilis prudenter fuerunt proviſæ perpetim obſervandæ, hiis diebus ut dicitur tempore ſuperveniente & ebetata caritate hujuſmodi confœderatio & conventio ſic ſancte initæ in quibuſdam locis oblivioni traduntur, ſet apud nos hucuſque ſine diminutione ſunt in omnibus obſervatæ. Et quia ſiniſtræ relationi fides certa non eſt adhibenda quouſque inde audiatur relatio veri diſcuſſiva, vobis omnibus & ſingulis devotius ſupplicamus, quatinus veritatis & æquitatis ac fraternæ caritatis intuitu ſuper prætacta ambiguitate nos & conventum noſtrum dignemini certiorare, & in præſenti cedula diſtincte ſubſcribere quicquid in ſingulis locis veſtris facitis pro abbatibus apoſtolorum *P.* & *P.* ſanctique *Auguſtini* &c. & fratribus ejuſdem loci defunctis. In abſentia cujuſque præcentoris, petitionem noſtram adimplere dignetur diſcretio chorum regentis, parati quidem ſumus & erimus conventionem & confœderationem prout prædicitur initas erga omnes illos obſervantes in omnibus obſervare, & aliis legem talionis funditus adimplere.

Qui omnes domini Abbatis *Nicholai* votis ſe conformantes, ſuæ confœderationis modum & formam ſimilatione ſepoſita fideliter reſcripſerunt. Quorum nomina omnium religioſorum diverſimode ſic confœderatorum quilibet in ſorte ſita, ob brevitatis cauſam martirologio expediens duxi annotare, in quo

quid

Edw. I. Rex.

quid & quantum ſinguli eorum pro abbatibus & hujus loci fratribus defunctis in hujuſmodi opere caritatis devote fecerint, & quomodo nos devotioni eorundem vice verſa recompenſamus, quærenti poterit elucere.

§. 8. Nicholaus *Abbas fit conſervator ordinis Præmoſtratenſis.*

EOdem anno dominus *Nicholaus* per literas apoſtolicas recepit in defenſionem & tuitionem omnes religioſos ordinis *Præmoſtrenſis* per *Angliam* conſtitutos, unde inter alia multa Priori *Weſtmonaſterii* ex officio ſuæ conſervationis ſcripſit ſub iſta forma: NICHOLAUS *Dei gratia abbas ſancti* Auguſtini Cant. *Conſervator privilegiorum abbati* Præmoſtrenſi *ejuſque coabbatibus & fratribus* Præmonſtrenſis *ordinis à ſede apoſtolica indultorum R. viro domino Priori* Weſtmonaſterii *ordinis ſancti* Benedicti *ejuſque Commiſſariis quibuſcumque ſalutem. Cum abbati* Præmoſtrenſi *ac ipſius coabbatibus, conventibus & fratribus ab apoſtolica ſede ſpecialiter ſit indultum, ut per eaſdem ſedis literas à quoquam non valeant nec debeant in judicium evocari, aut cuiquam poterit juriſdictio attribui, neque literæ aliquam habeant firmitatem qua tacito nomine* P. *ordinis fuerint impetratæ contra libertates ipſis* Præmoſtrenſibus *conceſſas; Nos attendentes quod vos ſeu Commiſſarii veſtri prætextu quarundum literarum à ſede prædicta contra religioſos viros abbatem & conventum de* **Langele** P. *ordinis* Nordwicenſis *dioceſis per* W. *de ſancto* G. *rectorẽ eccleſiæ de* N. *ejuſdem dioceſis impetratarũ, quæ nullam de indulto hujuſmodi faciunt mentionem, ad ejuſdem Rectoris inſtantiam in ſuæ ſalutis diſpendium judicialiter procedere intenditis, & hactenus proceſſiſtis, quod publicum manifeſtum aſſeritur & notorium; in prædictorum abbatis & conventus præjudicium, privilegii papalis læſionem, ac eluſionem noſtræ juriſdictionis qui ad tuitionem privilegiorum eiſdem religioſis & ſuo ordini* P. *indultorum contra puplicos manifeſtos & notorios injuriatores eorundem ſimus à ſede apoſtolica ſpecialiter deputati, quique licet auctoritate nobis commiſſa in vos animadvertere poſſemus pro præſumptis, volentes tamen veſtram & Commiſſariorum veſtrorum prudentiam plenius experiri, ad cohercionem procedere differimus in præſenti; vos rogantes, monentes & in Domino exorantes auctoritate qua fungimur Apoſtolica, ſub pœna cohercionis canonicæ firmiter injungendo, quatinus receptis præſentibus difficultate qualibet ac dilatione remotis ſuperſedeatis cauſæ cognitioni occaſione literarum prædictarum coram vobis hactenus agitatæ, de ipſa de cætero ac meritis ejuſdem nullatenus cognituri. Ipſum rectorem nichilominus citantes peremptorie quod compareat coram nobis vel Commiſſariis noſtris in eccleſia noſtra conventuali* Cantuariæ *proximo die juridico poſt feſtum converſionis ſancti* Pauli *ſuper temeraria fatigatione & injuria factis abbati & conventui de* **Langele** *memoratis reſponſurus, facturus & recepturus quod juris fuerit & rationis. Quid autem ſuper præmiſſis feceritis, nos dictis die & loco per veſtras patentes literas harum ſeriem continentes vel commiſſarios noſtros reddatis certiores. Dat. apud* **Rading**.

Robertus Archiep.

Set iſto rectore à fatigatione prædictorum religioſorum non ceſſante, neque monitionibus conſervatoris obtemperante, idem dominus *Nicholaus* abbas ſcripſit decano loci illius in hæc verba: NICHOLAUS *Dei gratia. Cum ex auctoritate nobis à ſede apoſtolica commiſſa ſpecialiter incumbat, religioſos viros, abbates, conventus & fratres* Præmoſtrenſis *ordinis per* Angliam *conſtitutos contra publicos notorios & manifeſtos injuriatores eorundem defendere & tueri, Ac publicum exiſtat manifeſtum & notorium, quod* W. *de ſancto* G. *rector eccleſiæ de* N. *abbatem & conventum de* **Langele** *dictæ dioceſis ordinis* Præmoſtrenſis *in cauſam traxit coram domino Priore* Weſtmonaſterii *& ipſius commiſſariis, & adhuc contra eoſdem indebite proſequendo ipſos laboribus fatigare non ceſſat & expenſis, contra ſuorum tenorem privilegiorum: Vobis auctoritate qua fungimur apoſtolica ſub pœna canonicæ diſtrictionis firmiter injungendo mandamus, quatinus moneatis & efficaciter inducatis Rectorem ſupradictum, quod à moleſtationibus ſupradictis religioſis eiſdem illatis penitus deſiſtat, atq; ipſos in pace permittat, ſub pœna excommunicationis majoris quam exnunc in perſonam ipſius in hiis ſcriptis proferimus ſi noſtris monitionibus parere contemſerit.*

§. 9. *Decima conceſſa in ſubſidium Terræ ſanctæ.*

ANno ſupradicto erat decima conceſſa in ſubſidium Terræ ſanctæ in tota *Anglia* & duravit per vj. annos continuo. Et fuerunt collectores hujuſmodi per iv. annos in dioceſi *Cantuarienſi* fratres ſcilicet dñs *W. Wylmynton* hujus loci Prior, *Johannes Belham*, & repertum fuit quod ſũma omnium receptorum pro toto tercio anno per dictum Priorem collectorem

Eſt ſumma ——— DCCC iv^{l} —— ij^{s}-- ij^{d}.
Receptorum quarti anni M DCC vi^{l} — - x^{s}- vij^{d}.
Receptorum quinti anni DCCC xxviij^{l}- xiv^{s}- v^{d}- ob.
Et receptorum ſexti anni M xxvij^{l}-- —— - iv^{s}--
Et recept. de arreragiis de duobus primis an. quibus non extiterunt collectores-- Cxxvj^{l} —— - xiv^{d}- ob.
Et receptorum à primis collectoribus in depoſito —— M CC lxiv^{l}-- vij^{s} — xj^{d}- ob.

Summa omnium receptorum per
eoſdem in dioceſi *Cantuarienſi*
MMMMM C xxv^{l}--- v^{d}-- ob.

§. 10. *Tenentes Abbatis non debent placitare in civitate.*

ITem eodem anno die Martis proximo ante annunciationem beatæ *Mariæ* petiit dominus abbas curiam ſuam de tenentibus ſuis qui attachiati fuerunt ad placitandum in curia civitatis *Cantuariæ*, ſcilicet **Burgmot**, & poſuit ſe tunc in judicio utrum haberet curiam ſuam de eiſdem necne. Et conſideratum fuit per totam curiam illam, Ipſum de jure debere habere curiam ſuam de eiſdem, Et petita fuit tunc dicta curia per fratrem *Willielmum Wylmynton* & *Hamonem Picte de Romen* tunc ſeneſcallum; & ita dictus dominus Abbas inde aſportavit curiam ſuam per judicium curiæ prædictæ de eiſdem tenentibus eodem die.

§. 11. *Aldermannia de* **Weſtgate** *pro* x. li. *dimittitur ad firmam.*

ANno Domini M.CC.lxxviij. *Nicholaus* abbas cum conſenſu ſui conventus conceſſit & dimiſit

An. Dñi 1278.

Edw. I. Rex.

ſit cuidam magiſtro *Nicholao Doge* Aldermanniam de **Weſtgate** quæ tunc ad iſtud monaſterium pertinebat, Tenendam & habendam eandem cum omnibus appendiciis tam in civitate *Cant.* quam extra in ſuburbio ejuſdem vel alibi, de præfato abbate & conventu in perpetuum; Reddendo inde annuatim in theſauraria noſtra x.li. ſterlingorum pro omnibus ſerviciis, ſalva ſecta *Bourmoti Cant.* quam ob eandem cauſam facere tenetur. Quomodo autem à poſſeſſione hujus eccleſiæ devenit non memini me reſpexiſſe.

§.12. *De manerio de* **Newenton.**

EOdem anno concambium cum domino *Almarico de Lucy* pro parte manerii de **Newenton** in iſto tenore:

« Omnibus Chriſti fidelibus ad quos præſens « carta pervenerit *Almericus de Lucy* ſalutem in « Domino. Cum antiquis temporibus de voluntate « regis *Angliæ* tunc exiſtentis quædam pars redditus « & caſci ad manerium de **Newenton** tunc ſpectantis « diviſa eſſet in vij. partes, de quibus duæ « partes de elemoſyna Regis conſtituta datæ & aſſignatæ « fuerunt abbatiæ ſancti *Auguſtini Cant.* « Quas duas partes poſtmodum abbatia prædicta « per multa tempora uſque ad tempus meum percipere « & pacifice optinere conſuevit. Quia vero « tempore quo poſſeſſor manerii de **Newynton** extiti « inter *N.* tunc abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* « & me fuiſſent inde diverſæ contentiones motæ, « tandem amicabili compoſitione interveniente, « omnes contentiones prædictas arbitrio & ordinationi « diſcreti viri domini *Stephani de Peneceſtre* « ſuppoſuimus. Ejus arbitrio & ordinationi de noſtro « communi conſenſu dictæ contentiones ſub hac « forma conquieverunt, videlicet quod ego prædictus .« *Almericus* in eſcambium dedi, conceſſi & præſenti « carta mea confirmavi dicto abbati & ejus « conventui quinque marcas & ij. s. annui redditus « in denariis & denariatis, ut in redditibus, releviis, « ſectis, ſerviciis & omnimodis conſuetudinibus tenementorum « ſubſcriptorum & ſuorum tenentium « & eorum tenuræ ubicumque infra hundreda de « **Middelton**, de **Merden** & de **Eihorne** [fuerunt « ad quinque marcas & ij. ſolidos extenſæ & appreciatæ,] « una cum omnibus ſectis *Lagedayorum* « quæ Prior de **Ledes** & omnes alii eorum tenentes « debuerunt ad **Laghedaya** mea de **Newenton** « per tenementa quæ de ipſis tenent in hundredis « prædictis; Tenendum & habendum totum prædictum « redditum in eſcambium cum releviis, ſectis, « excaetis & omnibus aliis ſuis pertinentiis tam « prænominatis quam non nominatis prædicto abbati « & conventui & eorum ſucceſſoribus libere, « quiete, integre & abſque ullo retenemento & reclamio « mei vel hæredum ſive aſſignatorum meorum, « ſicut liberam, puram, perpetuam elemoſynam « & quietam inperpetuum. Ita quod ego vel hæredes « ſive aſſignati mei de cætero ſuper tenentes « prædictos vel ſuos hæredes aut eorum tenentes vel « tenementa aliquam diſtrictionem quantamcunq; « de cætero facere non poterimus. Et ego *Almaricus* « & hæredes mei warantizabimus, defendemus, acquietabimus « dicto abbati & conventui & eorum « ſucceſſoribus omnes redditus, conſuetudines & « ſervicia prædicta cum pertinenciis verſus dominum « Regem et omnes gentes ſicut liberam, puram, « perpetuam elemoſinam & quietam imperpetuum, « & pro hac donatione & conceſſione abbas & conventus « remiſerunt michi in eſcambium prædictas « duas partes redditus denariorum & caſei ad iv. « libras, viij ſolidos, unum denarium & ob. appreciatas, « quas ut prædictum eſt percipere conſueverunt. « Ita quod ipſi vel eorum ſucceſſores de « cætero aliquid inde non vendicabunt, ſicut carta « eorum quæ penes me reſidet teſtatur. Et ut hæc « omnia prædicta perpetuis temporibus ſtabilia permaneant « &c.

Robertus Archiep.

§.13. *De catallis dampnatorum & fugitivorum.*

CUM igitur à regibus *Angliæ Johanne* ſcilicet et *Henrico* filio ejus conceſſum ſit eccleſiæ beati *Auguſtini*, quod ipſa habeat catalla dampnatorum & fugitivorum ſuorum cum anno & vaſto ubicumque terras vel tenementa haberet, ac per multa tempora hujuſmodi libertate pacifice uſa fuiſſet: Unde cum in itinere magiſtri *Rogeri de Seyton* repertum fuiſſet eccleſiam prædictam de hujuſmodi catallis in diverſis hundredis particulatim de diverſis foriſfacturis prout inferius patebit ſeiſitam eſſe, ac in ſignum perpetuæ firmitatis & poſſeſſionis ad ſcaccarium domini Regis in rotulis de memorandis indelibiliter irrotulatum ac pro perpetua libertate in eiſdem rotulis per tale ſignum ad futuram rei memoriam inſertum, tamen per intervallum temporis cum prædictum ſignum ſancti *Auguſtini* in præſcriptis catallis fugitivorum à margine ſupradictorum rotulorum de Scaccario per aliquos non amicos eſſet deletum, & ſic ſupradicta venirent in ſubmonitionem ad vicecomitem quaſi ad evacuationem cartarum regum prædictæ abbatiæ conceſſarum, miſit dominus *Nicholaus* Abbas quendam de fratribus ſuis attornatum ad curiam domini Regis, Quo procurante per conſiderationem Baronum de Scaccario ſignum ſic nequiter deletum fuit repoſitum & reſcriptum, & abbas ſuum ſtatum priſtinum recuperavit ſub anno Domini M.CC.lxxix. & regis *Edwardi* vij. præſentibus Baronibus de Scaccario die depoſitionis ſancti *Edwardi* confeſſoris.

An. Dñi 1279.

De tenentibus manerii de **Lenham** in hundredo de **Eyhorne** de catallis *Alexandri de Swedlington* fugitivi xxv. s.

De eodem de exitu & provenientibus terræ ejuſdem xij. s.

De catallis *Rogeri le Bedel* fugitivi iij. s.

De anno & vaſto terræ *Iohannis le Wynere* fugitivi x. s.

In hundredo de **Langeberg** de tenentibus de **Kenynton** de catallis *Ricardi de Stomok* fugitivi x. s.

De anno & vaſto ejuſdem medio tempore xl. s.

In hundredo de **Bregg** de ten. ſacriſtiæ de catallis *Iohannis le Rede* ſuſpenſi xv. s. viij. d.

In hundredo de **Dunhamford** de ten. de **Littleborne**, de catallis *Bernardi de Cucleſcumbe* fugitivi ij. s.

De catallis *Iohannis Rob. Gyngelot* fugitivi xij. d.

In hundredo de **Querinlo** de tenentibus de **Norborne** de catallis *Willelmi* filii *I. Spakenot* fugitivi xxv s.

De anno & vaſto terræ ejuſdem xxiv. s.

De medio tempore terræ ejuſdem xlviij. s.

De catallis *Iohannis* clerici *de Merton* ſuſpenſi iv. s. ix. d.

De

Edward. I. Rex.

De anno & vaſto ejuſdem ix. s.

De catallis *Luca Alulph* ſuſpenſi vj. s.

In hundredo de **Beweſburg** de tenentibus de **Rippele** & **Newſole** de catallis *N.* de **Newſole** ſuſpenſi ix. s.

In hundredo de **Alleneſburg** de tenentibus de **Swanes** de catallis *Walteri Sprimget* ſuſpenſi v. s.

De anno & vaſto terræ ejuſdem x. s.

In hundredo de **Rinſlo** de ten. de **Penſtre** de catallis *Ada Fabri* fugitivi v. s. vj. d.

De catallis *Andrea le Brode* fugitivi vj. s. viij. d

De catallis parvi *Walteri* fugitivi xiij. s. iv. d.

De anno & vaſto terræ ejuſdem xxij. s.

In hundredo de **Blengate** de ten. de **Chiſtlet** & **Sture** de catallis *Thoma Pukel* fugitivi xxvj. s. viij. d.

De catallis *Thoma* filii *Ada de Wiskebeg* fugitivi vij. s. iv. d.

De catallis *Iohannis Bate* ſuſpenſi vj. s. viij. d.

De anno & vaſto terræ ejuſdem xiij. s. iv. d.

In hundredode **Blakeheth** de tenentibus *Ricardi Star.* vij. s.

De catallis *Willelmi Leverich* fugitivi x. s.

De anno & vaſto terræ *Henrici Morkoc* fugitivi vj. s. viij. d.

De exitu & proventibus terræ ejuſdem ij. s.

De catallis *Roberti le Engloys* ſuſpenſi ij. s.

Civitas *Cant.* de catallis hominis de **Eſlyng** fugitivi vj. s.

§. 14. *Confirmatio libertatum pratactarum.*

EDWARDUS *Dei gratia &c. vicecomiti* Kanciæ *ſalutem. Quia abbas ſancti* Auguſtini Cantuariæ *per cartas pradeceſſorum noſtrorum regum* Angliæ *clamat habere catalla hominum ſuorum fugitivorum & dampnatorum in maneriis ſuis qua ſunt in comitatu tuo, Tibi pracipimus quod demandam quam facis per ſummonitionem Scaccarii noſtri ponas in reſpectum, & diſtrictionem dicto abbati eadem occaſione factam interim relaxes.*

§. 15. *Archiepiſcopus cum cruce delata ingreſſus eſt monaſterium cum proteſtatione.*

EOdem anno dominus rex facto homagio regi *Francia* pro terris tranſmarinis rediens in *Angliam* hoſpitatus eſt in iſto monaſterio. Ad quem *Johannes Pecham* archiepiſcopus *Cantuarienſis* accedens cruce prævia ſub tali proteſtatione. « Univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint, frater *Johannes* permiſſione divina *Cantuarienſis* eccleſiæ miniſter humilis &c. Noveritis quod cum nos abbatiam ſancti *Auguſtini Cantuaria* in feſto ſancti *Dioniſii* anno Domini M.CC.lxxix. cauſa viſitandi Chriſtianiſſimum regem *Anglia* & reginam tunc exiſtentes ibidem cruce prævia intraremus, confitemur & recognoſcimus de plano quod per hoc non intendebamus, nec volumus abbati & conventui loci ejuſdem aliquod præjudicium generari, nec per hoc eciam eorum privilegiis nunc vel in poſterum in aliquo derogare, nec nobis aliquid juris acquirere quod aliunde nobis aut eccleſiæ noſtræ non fuerit acquiſitum.

§. 16. *Capitulo generali abbas* N. *praſidebat.*

ANno ſupradicto idem *N.* cum abbate *Glaſtonia* capituli generalis jam ſecundo præſidendo apud **Apenden** celebrati, ordinaverunt quaſdam mitigationes & declarationes ſuperiorum ſtatutorum per eoſdem abbates apud *Radingam* ſuperius editorum. In quo multa ardua & rigida, ut in veteri martirologio ſeriatim poterit videri, obſervari præcipiuntur. In quo ſtatutum eſt, ut *Oxon.* ubi ordinis noſtri fratres de diverſis monaſteriis cauſa ſtudii tranſmittendi decenter habitare valeant & honeſte, unanimiter conceſſum eſt, quod omnis domus religionis noſtræ provinciæ *Cant.* de ſingulis marcis omnium ſpiritualium & temporalium ſuorum ſecundum taxationem, ij. d. conferat ad emendationem & ſuſtentationem habitationis ſupradictæ: unde communiter inolevit, ut in omni capitulo provinciali pro ſupradicto negotio ſit collecta ordinata & in opus hujuſmodi levata.

J. Pecham Archiep.

CAP. XXVII.

§. 1. *Calumpnia abbatis & conventus de* **Leſnes** *de advocatione eccleſia de* **Newyngton**, *eo quod ſita eſt in ſolo fundatoris eorundem, videlicet domini* Almeryci de Lucy.

An. Dñi 1281.

ANno Domini M.CC.lxxxj. anno *Edwardi* regis vij°. facta fuit quædam finalis concordia coram *Johannis de Reygate* & ſociis ſuis inter *Nicholaum* abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* querentem, & *Robertum* abbatem de **Leſnes** deforciantem, de advocatione eccleſiæ de **Newynton** juxta **Middelton**, unde aſſiſa venit recognitura, quis præſentavit ultimam perſonam quæ mortua eſt, ad eccleſiam de **Newynton**, cujus advocationem abbas S. *Auguſtini* clamat verſus abbatem de **Leſnes**. Et unde prædictus abbas ſancti *Auguſtini* dicit, quod quidam *R.* prædeceſſor ſuus ultimo præſentavit ad eccleſiam prædictam quendam *Radulphum* clericum, & ad præſentationem ſuam fuit ipſe inſtitutus & ultimo obiit perſona in eadem. Et abbas de **Leſnes** dicit, quod non vacat, immo plena eſt & conſulta de ipſo abbate & conventu ſuo qui eam tenent in proprios uſus, de dono cujuſdam *Ricardi Lucy*; qui tanquam verus patronus quendam prædeceſſorem ſuum inde feofavit, & profert cartam regis *Johannis* quæ teſtatur, quod ipſi habent prædictam eccleſiam de dono prædicti *Ricardi*. Profert eciam cartam prædicti *Ricardi* quæ teſtatur quod dedit eis prædictam eccleſiam de **Newynton**. Tandem per communes amicos contentiones hinc inde conquieverunt ſub hac forma; videlicet, quod prædictus abbas ſancti *Auguſtini* pro ſe & ſucceſſoribus ſuis remiſit & quietum clamavit præfato abbati de **Leſnes** totum jus advocationis eccleſiæ de **N.** ſupradictæ. Et pro hac recognitione, remiſſione, quieta clamatione & concordia abbas de **Leſnes** conceſſit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod ipſi ſumptibus ſuis infra annum proximo venturum intrabunt mariſcum de **Plumſted** & **Leſnes**, ſcilicet totam terram quæ jacet verſus orientem inter gutteram de **Borſtall** & novam *Wallam* quam *Johannes Renger* conſtruxit in **Heyſete**, quam *Wallam* per j. menſem ſequentem ſumptibus ſuis contra mare ſuſtinebunt. Et extunc prædictus abbas ſancti *Auguſtini* & ſucceſſores ſui, abbas de **Leſnes** & ſucceſſores ſui ſimul cum tenentibus eorum de prædicto mariſco pro portione tenementorum ipſos in prædicto mariſco contin-

Edw. I. Rex.

contingente ſecundum uſum & conſuetudinem mariſci prædictam wallam ſuſtinebunt. Et ſciendum quod abbas ſancti *Auguſtini* dedit prædicto abbati de **Leſnes** in auxilium ad prædictam wallam conſtruendum ij. marcas argenti & M. quingentas cleias de virgis ejuſdem in *le* **Helde** ſumptibus abbatis de **Leſnes** ibidem quærendas.

ET quia ſupra in tercio folio fit mentio de manerio de **Newynton** & de vij. partibus ejuſdem, ideo qualiter fuit in primis temporibus de illo manerio, & qualiter abbatia ſancti *Auguſtini* duarum partium illius poſſeſſionem fuit adepta, præſenti calamo inſerere duxi expediendum. Igitur apud manerium de **Newynton** fuerunt quondam moniales quæ tenuerunt manerium illud integre, ſcilicet id quod dominus abbas ſancti *Auguſtini* tenet, & id quod hæres domini *G. de Lucy* tenet, & id quod hæredes *B. de Ripariis* tenent præter id quod *Ricardus de Lucy* adquiſivit de *Brunello* de **Middelton**, & tunc defendebatur illud manerium pro j. ſullyngata terræ verſus regem apud **Middelton.** Poſtea contingebat quod prioriſſa ejuſdem manerii ſtrangulata fuit de coco ſuo noctu in lecto ſuo, & poſtea tractata ad puteum quod vocatur **Nunnepet.** Quo comperto, cepit dominus rex manerium illud in manum ſuam, & tenuit illud in cuſtodia ſua cæteris monialibus uſque *Scapeiam* inde amotis. Poſtea *Henricus* rex pater *Johannis* regis ante martyrizationem ſancti *Thomæ* martyris per conſilium conſtituit ibi vij. ſacerdotes quaſi canonicos ſeculares, & dedit illis dictum manerium integrum cum xxviij. piſis caſei de manerio de **Middelton.** Subſequenti vero tempore unus occiſus fuit inter eos, de qua morte quatuor fuerunt culpabiles, & duo reliqui culpabiles non inventi per licentiam domini regis portionem ſuam dederunt abbatiæ ſancti *Auguſtini*, & quinque partes remanſerunt in manu regis uſque dedit illas partes domino *Ricardo de Lucy* Juſticiario ſuo : unde abbas ſancti *Auguſtini* tenuit prædictas duas partes quouſque per concambium, ut ſupradictum eſt, una cum xj. s. v. d. annui redditus in hamello de **Chetham** fuit ſibi ſatisfactum, qui quidem hamellus poſtea devenit in manus abbatis de **Faverſham** ex dono prædicti *Ricardi de Lucy*; qui abbas de prædicto redditu eccleſiæ beati *Auguſtini* reſpondet in præſenti. Alia quædam ſcriptura tradit illos vij. præbendarios tempore regis *Willelmi* conqueſtoris ſic deliquiſſe, per quorum delictum omnia ſua ibidem in manum regis fuerunt forisfacta. Qui quidem dominus *Willelmus* rex duas partes ſæpe nominatas dedit abbati ſancti *Auguſtini*. Quis vero iſtarum opinionum ſit verus in effectu ad eligendum relinquo obſioni legentis.

§. 2. *De terris de* **Newſole** *inter nos & abbatem de* **Langele.**

CIrca hæc tempora fuit quædam contentio orta inter abbatem ſancti *Auguſtini* & abbatem de **Langele**, occaſione quarundam terrarum & tenementorum in tenura prædictorum abbatis & conventus ſancti *Auguſtini* de **Neweſole** per abbatem de **Langele** in feodum perquiſitorum. Tandem prece dictorum abbatis & conventus de **Langele** & caritatis intuitu, prædicti abbas & conventus ſancti *Auguſtini* conceſſerunt eiſdem & eorum ſucceſſoribus prædictas terras & tenementa, tenendum de ipſis & ſucceſſoribus eorundem in perpetuum, reddendo inde per annum eccleſiæ ſancti *Auguſtini* xlviij. s. v. d. q. faciendo ſimiliter eiſdem de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas ſectam curiæ de **Newſole** & conſuetudines & auxilia ad relevationem abbatiæ S. *Auguſtini* poſt unamquamque vacationem ſicut alii tenentes ejuſdem tenuræ; feoditatem eciam & relevium xxv. s. & ij. d. poſt mortem, reſignationem, diſceſſionem vel qualemcumque amotionem abbatis de **Langele**, Ita tamen quod de cætero terras vel tenementa aliqua in tenura abbatis & conventus S. *Auguſtini* ſine eorum licentia ſpeciali non perquirent.

J. Pecham Archiep.

Eodem anno quædam permutatio redditur cum Comite de *Warennia* pro hoſpicio abbatis in **Suthwerk** ſub tali tenore. *Omnibus ad quos præſens carta pervenerit*, J. *Comes de* Warennia *ſalutem. Noveritis nos omnino remiſiſſe & quietam clamaſſe pro nobis & hæredibus noſtris inperpetuum* Nicholao *abbati ſancti* Auguſtini Cant. *& ejuſdem loci conventui & eorum ſucceſſoribus ſectam curia noſtræ de* **Suthwerk** *quam nobis debuerunt pro toto meſuagio ac domibus ſupra ædificatis & omnibus ſuis pertinentibus, quod habent de feodo noſtro in* **Suthwerk** *ſito ſuper* Tamiſiam *inter* le **Breggehouſe** *& eccleſiam ſancti* Olavi : *& idem meſuagium cum ædificiis ſuperædificatis, & omnibus ſuis pertinentiis eis & eorum ſucceſſoribus conceſſimus, Tenendum in perpetuam elemoſinam de nobis & hæredibus noſtris quietum ab omni ſervicio ſeculari ad nos vel ad hæredes noſtros inde pertinente. Salvo ſervicio aliis inde debito ſi quod cuicumque alii quam nobis inde debeatur. Et pro hac remiſſione & conceſſione idem abbas & conventus dederunt nobis quinque ſolidos annui redditus in* **Suthwerk**, *& receperunt nos & hæredes noſtros in omnibus beneficiis quæ fient in eccleſia eorum inperpetuum.* Quam vero ſectam quidam *Willelmus Craſpeys* eidem Comiti pro eodem meſuagio tenebatur facere, & eccleſiam S. *Auguſtini* verſus eundem Comitem priori tempore in omnibus acquietare.

Anno quo ſupra fuit finalis concordia facta in curia regis apud *Cantuariam* coram *Iohanne de Reygate* & ſociis ſuis Juſticiariis itinerantibus inter *Nicholaum* abbatem petentem per *W. Cokfeld* poſitum loco ſuo ad lucrandum vel perdendum, & *Hamonem Fayreport* & uxorem ejus tenentes de xxiiij. acris terræ cum pertinentiis in **Chiſtelet**; unde placitum fuit inter eos in eadem curia; ſcilicet quod prædicti *H.* & uxor ſua recognoverunt prædictam terram eſſe jus ipſius abbatis; & tres acras terræ de prædicta terra quæ jacent juxta **Weſtberectruch** ei reddiderunt, & pro ſe & hæredibus ſuis eidem abbati remiſerunt & quietum clamaverunt.

§. 3. *Hoſpitatio archiepiſcopi in maneriis noſtris.*

ANno Domini M. CC. lxxxij. dominus *Johannes* archiepiſcopus fecit moram in diverſis maneriis noſtris; unde nolens per hoc factum huic eccleſiæ præjudicium generari in futurum, conceſſit nobis ſuas literas ſub tali forma : *Frater* Johannes *&c. Cum ex libertate conceſſionis veſtræ ut nos & noſtri quando locus & tempus ſe offerunt in veſtris* An. Dñi 1282.

maneriis

Edward. I. Rex. *maneriis ac locis aliis hoſpitemur, ut aliquos actus nobis qualitercumque incumbentes exerceamus, non debeatis incomodum aliquod reportare, tenore præſentium vobis notum facimus, quod præmiſſa ſic fieri volumus & intendimus ut cum gratiarum actione eo amplius propter hoc vobis aſtricti, abſque omni veſtro dampno & præjudicio tam ſuper exemptione veſtra quam juriſdictione, ac juribus veſtris & aliis quatenus ex privilegiis vobis conceſſis ut aſſeritur hactenus ſunt optenta, ſingula quæque per nos ibidem acta procedant, vobis & veſtris ſucceſſoribus jus in præmiſſis omnibus & ſingulis obſervantes priſtinum & illæſum.*

Circa hæc tempora fuerunt adquiſitæ ad manerium de **Menſtre** per fratrem *Hamonem de Herbam* tunc cuſtodem ibidem xxxvj. acræ terræ una cum annuo redditu de xix.s. iij.d.

§.4. *Compoſitio cum hominibus de* **Stonore** *&* Sandwico.

An. Dñi 1283. ANno ſequenti concordatum fuit inter abbatem ſancti *Auguſtini* & homines de **Stonore** & *Sandwico* de omnibus contentionibus inter eos diverſa vice motis, ſub hac forma: « Notum ſit univerſis, quod cum contentiones motæ eſſent inter *Nicholaum* abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* & ejuſdem loci conventum ex parte una, & homines de **Stonore** & *Sandwico* ex altera, de hoc quod præfati abbas & conventus exigebant, quod præfati homines de **Stonore** facerent eis redditum, relevium, feoditatem, ſectam ad curiam ſuam & alias diverſas conſuetudines pro omnibus & ſingulis tenementis ſuis in **Stonore**, quæ quidem ſervicia præfati homines de **Stonore** prius in parte dedixerunt, & diverſas diſtrictiones ob hoc captas deforciaverunt. Tandem *Stephano de Peneceſter* & *Rogero de Norwod* mediantibus, de conſenſu partium conventum eſt inter eos & concordatum, videlicet quod præfati homines de **Stonore** pro ſe & hæredibus ſuis conceſſerunt tenere omnia tenementa ſua in **Stonore** de præfatis abbate & conventu & eorum ſucceſſoribus in perpetuum, faciendo eis debita ſervicia, ut in fidelitate, redditu, releviis & ſectis curiæ & aliis conſuetudinibus debitis. Ita quod ſummonicio curiæ ipſius abbatis fiat ſemper tercia die ante curiam tentam. Et quod liceat præfatis abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus tenentes de **Stonore** in curia ſua ibidem de omnimodis rebus juſtitiam exigentibus per ballivos proprios per ipſos abbatem & conventum conſtitutos, ſecundum legem & juſtitiam juſticiare; & quod omnimodum dominium habeant in **Stonore** prout in cartis regum *Angliæ* plenius continetur. Et pro hac recognitione prædicti abbas & conventus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis conceſſerunt, quod præfati tenentes de **Stonore** & hæredes eorum per mare navigantes ſive merchandiſas exercentes, à tempore ſummonitionis curiæ ipſius abbatis uſque poſt eandem curiam tentam, ſuper mare vel alibi extra comitatum in negotiis ſuis & merchandiſis exiſtentes, in curia illa non ponantur in defaltam, nec aliquod dampnum incurrant propter abſentiam ſuam, niſi placitent vel inplacitentur. Proviſo tamen, quod reſidui tenentes rationabiliter ſubmoniti ad curiam illam, ſcilicet de **Menſtre**, venient in propriis perſonis, vel per eſſoniatorem, vel attornatum rationabiliter in curia ipſius abbatis conſtitutos, & quod Juſticia & Judicia curiæ ipſius non prorogentur; ſet per eoſdem plenaria juſticia fiat unicuique. Et inſuper conceſſerunt prædicti abbas & conventus quod ſupradicti tenentes de **Stonore** ibidem commorantes habeant & paſcant in mariſco abbatis de **Stonore** infra **Hennebergh** oves proprias & non alienas; ſolvendo annuatim pro herbagio earundem, videlicet pro ſingulis iiij. bidentibus j.d. in vigilia *Johannis Baptiſtæ*. Ita quod extra **Hennebergh** nullam paſturam poſſint clamare. Et nichilominus liceat præfatis abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus oves ſuas proprias in eodem mariſco paſcere, & molendina & alia ædificia pro voluntate ſua conſtruere. Cum vero placuerit dictis abbati & conventui mariſcum vel aliquam partem ejuſdem includere, tenentes de **Stonore**, extunc nichil debent infra illud incluſum habere, vendicare vel clamare. Et ſi fortaſſe advenerit quod clauſtura dicti mariſci per maris impulſum deſtruatur, ita quod abbas illum mariſcum tenere non poſſit incluſum, extunc dicti tenentes habeant totam paſturam in mariſco illo in forma ſupradicta. Concordatum eſt eciam quod nullus de communitate de **Stonore** vel *Sandwico* de cætero intret mariſcum abbatis ad effodiendum in eodem ſive ad terram inde aſportandam contra voluntatem abbatis. Item quod nullus de eadem communitate in wallis contra mare inter **Stonore** & **Clyveſende** petram colligat de cætero nec aſportet, nec laſtagia navium capiat, niſi ſub pleno mare in communibus fluctibus inter fluctum altiſſimum & fluctum infimum. Præterea quod nullus de eadem communitate de cætero aliqua de cauſa ballivos abbatis apud **Stonore** inpedire præſumat, quo minus dictus abbas tenentes ſuos de **Stonore** & alios ibidem delinquentes poſſit juſticiare, & conſuetudines ſuas ibidem ſine calumpnia & impedimento levare. Concordatum eſt eciam quod diſtrictiones quas ballivi abbatis facient in **Stonore** & in mariſco infra **Hennebergh** remaneant infra **Hennebergh** & extra non fugentur. Et conceſſum eſt ex utraque parte quod ſi aliqua pars contra iſtam concordiam aliquid facere præſumpſerit, alia pars habeat ſuum recuperare per Breve de judicio exiens de iſto recordo. Et pro hac conceſſione prædicti homines vadeant abbati C. marcas.

J. Pecham Archiep.

Abbas tamen ad inſtantiam epiſcopi *Wellenſis* remittit eiſdem totum prædictum debitum pro x. doliis vini precii xxx. marcarum.

Omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit S. de Peneceſter *miles ſalutem in Domino ſempiternam. Cum dominus* Alexander de Balliolo *&* Yſabella *de* **Dover** *Comitiſſa de* Aſſolin *uxor ejus, de homagio & ſervicio hæredum* Walteri de Wengham *de feodo de* **Sybertiſweld** *debitis me feofaverunt, Tenendum de capitalibus dominis feodi illius abſque ullo medio, Concedo & recognoſco pro me & hæredibus meis idem homagium, ſervicium, & feodum tenere de abbate ſancti* Auguſtini Cant. *& ſucceſſoribus ſuis, & eccleſia ſua ſancti* Auguſtini *in capite per ſervicium feodi* j. *militis ut in homagiis, ſectis curiæ ſuæ, releviis, ſcutagio & aliis ad feodum* j. *militis ſpectantibus: & præterea per* xxiiij.s. *inde reddendos in theſauraria ſua ſancti* Auguſtini Cant. *inperpetuum.*

Edward. I. Rex.

§. 5. *Dimiſſio demandæ ſubſidii ab tenentibus noſtris de* Sellyng *&* Swalclive.

An. Dñi 1283.

EOdem anno ſcilicet anno Domini M.CC.lxxxiij. abbas *Nicholaus* quietos clamavit tenentes de Sellyng & Swalclyve de ſubſidio tempore vacationis faciendo, ſub iſto tenore.

Cum à tenentibus noſtris de Sellyng *&* Swalclyve *ad cameram noſtram ſpectantibus aliquando exigebamus, quod poſt quamlibet vacationem rationabile ſubſidium ad relevationem domus noſtræ præſtarent, ſicuti alii tenentes noſtri de antiqua conſuetudine facere conſueverunt & hactenus fecerunt, Quia præfati homines ad nullum officium præterquam ad cameram intendere conſueverunt, & dictum ſubſidium nunquam facere conſueverunt ut aſſerebant; Nolentes eoſdem vel eorum hæredes contra eorum antiquas conſuetudines indebite prægravari, remiſimus & quietam clamavimus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris omnem demandam prædicti ſubſidii, ita quod ipſi & hæredes eorum de cætero ab exactione dicti ſubſidii perpetuis temporibus ſint quieti.*

§. 6. *Hundreda de* Rinſlo, Blengate, *&* Dunhamford *ad firmam conceduntur.*

ANno ſupradicto *Edwardus* rex conceſſit eidem *N.* abbati & conventui hundredis de Rinſlo, Blengate, & Dunhamford per feodi firmam C. s. ad ſcaccarium in feſto ſancti *Michaelis* & Paſchæ annuatim ſolvendos. Ratione quorum hundredorum dominus abbas & prædeceſſores ſui poſſunt facere judicium de latronibus cum manuopere captis in quibuſcumque feodis infra hundreda prædicta contentis. Eodem anno ordinavit, quod ſingulis diebus feſtivalibus in quibus abbas magnam miſſam tenetur celebrare, vel Prior in ejus abſentia, ebdomada magnæ miſſæ, vel alius rogatu ipſius dicet horas de die in conventu; & quicumque dixerit horas eo die celebrabit, & dabit benedictionem in refectorio, & dicet completorium, & dabit aquam benedictam quod facere ſolebat ebdomada miſſæ matutinalis, vel ejus vicarius.

§. 7. *Inſtitutio abbatis* N. *de abbreviatione divini ſervicii.*

ISte autem abbas *Nicholaus* ut confratres ſui commodius poſſent vacare orationi & contemplationi, inſuper & ut in diverſis libris quandoque ſtudendo operam darent, capellam in dormitorio cum ſtudiis eidem annexis ad maximam commoditatem conſtruxit; & quia ſibi cura fuit de omnibus & ita bene de temporalibus ſicut de ſpiritualibus curam gerens ſolertem, ordinavit & ſtatuit de conſenſu unanimi, ad ſupradicta melius & liberius cuſtodienda, ut de divinis officiis quæ ſcilicet de regulæ noſtræ ſubſtantia non exiſtant, aliqualiter moderentur: unde iſta reddi & cantari ſufficere credidit in conventu, videlicet *Pſalterium, Tmpnare, Cantulare, Regula monachorum, Omnia invitatoria, Verſus omnium Reſponſoriorum & proceſſus. Regula prima, Antiphonia de laudibus, & omnia reſponſoriola, Sex communes feriæ integræ & totum commune Sanctorum.* Cætera autem omnia ter reddere in libro, & ſuper librum in conventu cantari *Verba mea* quod poſt *Laudes* dici ſolebat ſemper, niſi dum fratris duraverit trigintale, licite poteſt intermitti. In principalibus vero feſtis vel quaſi, de cruce & de omnibus ſanctis, ad veſperas & ad laudes ſufficit memoria in conventu. Hujus vero prætextu moderationis ordinavit, quod divinum officium moroſius & devotius ab omnibus ſuſtentetur, & eciam ut reliquo tempore in ſtudiis & bonis occupationibus diligentius quiſque ſe occuparet. Item, quod gardiani & alii ultra quinque dies extra monaſterium abſque ſocio non morentur. Item, quod ſeneſcalli & omnes cuſtodes clerici & ballivi libertates & conſuetudines quas de jure & conſuetudine habere deberemus cuſtodiant & defendant; & quod nullæ novitates introducantur vel purpreſturæ unde inpoſterum eccleſia gravamen poſſet ſuſtinere; & quod diligentiam adhibetent ſpecialem, ne à quibuſcunque ſuper nos purpreſturæ fiant quoquo modo; & quod pauperes tenentes noſtri defendantur contra cacherellos quantum de jure poſſent. Item quod in hundredis vicinis die quo tenentur ſit aliquis de noſtris ad explorandum ſi ibi tractentur aliqua quæ nos tangunt; & ad hoc curam habeat ſeneſcallus, clericus curiæ & ballivus magnæ curiæ. Item, quod ſeneſcallus inquirat diem aſſignatum vicecomiti *Kantiæ* ad computandum *Londoniæ* ad ſcaccarium, ut ibidem poſſet eſſe in negotiis quæ nos tangunt in eodem, & ad talem diem ſemper vadat inſtructus. Item ſi inter nos & cives *Cant.* quæſtio aliqua vertatur ſuper juribus & conſuetudinibus eccleſiam noſtram & ipſos contingentibus, quod ſecundum compoſitionem inter nos & ipſos habitam procedatur, niſi alio modo facilius hujuſmodi quæſtio poſſet terminari. Item, ſi contingat quæſtionem moveri inter nos & archiepiſcopum vel ejus tenentes de ſubtractionibus, purpreſturis, dampnis ſeu aliis injuriis hinc inde factis, quod conſuetudo illa quæ dicitur Bilage obſervetur. Item, ſi contingat quæſtionem moveri inter nos & Priorem & Capitulum S. *Trinitatis*, ſi ſit de facto quod nobis fieret præjudicium ſuper juribus terrarum, tenementorum, conſuetudinum, vel reddituum, niſi per ſeneſcallum utriuſque eccleſiæ vel cuſtodes poſſet commode emendari, ſtatim procedatur juxta formam compoſitionis inter nos & ipſos habitam ad ipſius delicti emendationem, & quod ſemper habeantur certi ordinatores ad hujuſmodi caſus terminandos. Item, quod ſeneſcallus & cuſtodes noſtri diligenter inquirant de injuriis per ballivos vel cacherellos vicecomitis nobis vel tenentibus noſtris factis, & quod de hujuſmodi injuriis notare faciant annum & diem & locum, & delicti qualitatem vel modum.

J. Pecham Archiep.

Ordinavit eciam quod cedentibus vel diſcedentibus rectoribus vel vicariis in eccleſiis noſtri patronatus, ſtatim per cuſtodem loci illius claves eccleſiæ accipiantur, & facto inventario de libris, veſtimentis, & aliis ad illam eccleſiam pertinentibus, tradat cuſtos prædictus illas claves & curam illius eccleſiæ alicui fideli ſacerdoti jurato, quod res hujuſmodi ſalvo cuſtodiet & eccleſiæ deſerviet uſque ad inſtitutionem alterius rectoris vel vicarii, & quod claves illas nulli tradet niſi cuſtodi noſtro vel ſuo certo attornato, à quo rector vel vicarius proximo inſtituendus eas debet recipere in inſtitutione ſua; & quod fructus medii temporis per cuſtodem bene conſiderentur, quia dividi debent inter abbatem & archi-

Edwar. I. Rex.

archidiaconum. Et ideo poſt inſtitutionem rectoris vel vicarii, computare debent abbas & archidiaconus de fructibus illis medii temporis, quibus eciam ſuſtentari debet ſacerdos qui deſervit eccleſiæ ſi ſufficiant, ſi vero non ſufficiunt, communibus expenſis abbatis & archidiaconi debet ſuſtentari. Item, quod nunquam rector vel vicarius inſtituatur in eccleſiis noſtris niſi cuſtos ejuſdem loci præſens ſit vel aliquis ex parte abbatis. Item, quod omnes rectores vel vicarii noſtri qui non fecerunt fidelitatem ut moris eſt in noſtro capitulo, per cuſtodes locorum citentur, ut ad certum diem veniant ad faciendum quod de jure & conſuetudine facere debeant eccleſiæ noſtræ in hac parte. Item, quod non permittatur quod fiant novæ cantariæ infra limites noſtrarum eccleſiarum. Item, quod ſeneſcalli & alii miniſtri diligenter provideant, ne miniſtri regis ſeu cujuſcunque alterius in noſtris hundredis, curiis, foris, mercatis, officium vel factum aliquod exerceant unde nobis poſſet fieri præjudicium in futuro. Item, quod fratres noſtri ad venias ſint domi in capitulo niſi rationabilis cauſa eos impedierit, & quod cuſtodes provideant de capis & cellis ad opus fratrum qui ſecum per vices moraturi ſunt ad recreationem. Et quod nullus cuſtos aliquod opus conſtruat de cuſtu C. s. abbate inconſulto, exceptis walliis contra mare, grangiis, boveriis, & aliis valde ſibi neceſſariis. Item ob affectionem & amorem quem habuit erga ſuos fratres quos ſemper dilectionis proſequebatur affectu ſtatuit & unanimi aſſenſu ordinavit, ut contra Purificationem beatæ *Mariæ* fiat liberatio ceræ in hunc modum; videlicet abbati xl. l. Priori xv. l. ſuppriori ix. l. præcentori vij. l. cuſtodi beatæ *Mariæ* xv. l. xxvj. ſenioribus ſingulis eorum vij. l. xviij. fratribus mediis cuilibet v. l. cæteris autem minoribus cuilibet iiij. l. Item de diſtributione argenti ordinavit ſic; videlicet abbati iiij. l. Priori xxx. s. ſuppriori xv. s. præcentori xv. s. xxvj. ſenioribus ſingulis xiij. s. Item xviij. fratribus mediis cuilibet xj. s. ij. d. cæteris autem minoribus ſingulis vij. s. vj. d. Hæc & multa alia idem *Nicholaus* conſtituit & ordinavit pro ſtatu & utilitate ſuæ eccleſiæ. Quæ ſi fuerint in ſuo effectu obſervata, hæc eccleſia in temporalibus floreret incremento, & in ſpiritualibus læſionem minime ſuſtineret. Iſte tamen abbas quadam opinione ſingulari circumventus, more mendicantium vel hoſpitalium unum ſignum, ſcilicet campaniolam tantum in iſta eccleſia ad convocandum fratres ad ſervicium divinum diſpoſuit ordinaſſe; ſed conventu prout debuit reſiſtente hujuſmodi deſiderio merito fruſtratus eſt. Et nota quod tempore iſtius *Nicholai* abbatis eccleſia *Auguſtinenſis* ſua libertate pacifice in omnibus proſpere egit & immunitatibus quamplurimum gaudebat, unde de præcedentibus non recolo me per eorum actus in regimine vidiſſe illum excellentem, nec vero in ſubſequentibus ſurrexit ſibi quoæqualis.

CAP. XXVIII.

§. 1. Thomas Fyndone *in abbatem creatus eſt.*

An. Dñi 1283.

J. Pecham Archiep.

ANno igitur Dom. ſupradicto, ſc. M.CC.lxxxiij. cum bonæ memoriæ dominus *Nicholaus de Spyna* paſtor hujus eccleſiæ per x. annos, & de ſequenti per quatuor vel quinque ſeptimanas gregem ſibi commiſſum ſtrenuiſſime rexiſſet, & ea quæ prius in *Romana* curia ob zelum tamen domus ſuæ ibidem fecerat mente revolvens, quia vir erat ſtrictæ conſcientiæ, videns ſemetipſum pro hujuſmodi cauſa in conſcientia fore læſum, nec ulterius paſtorale officium poſſe ſibi de cætero juſto titulo competere; ipſe petita licentia à rege & obtenta, eodem autem rege cauſam ſui tranſitus minime cognoſcente, tranſfretavit; ipſoque coram ſummo pontifice conſcientiam ſuam demonſtrante, & eodem pontifice ſuper hujuſmodi offenſa cum eodem *Nicholao* libenter voluiſſe diſpenſaſſe, tamen ipſe omnibus ſepoſitis continue ceſſionem ſuam cum maxima inſtantia procuravit. Tandem die ſancti *Pancraſii* martyris dominus apoſtolicus *Martinus* papa iiij. ſuam ceſſionem admiſit. Qua admiſſa, idem papa fratrem *Thomam de Fyndone* tunc tercium Priorem S. *Auguſtini Cant.* in *Anglia* exiſtentem præfecit in abbatem apud urbem veterem anno pontificatus ſui iij. Injunxit vero idem papa eidem *N.* in ſua ceſſione, ut nominaret ſibi perſonam magis habilem monaſterii cui præſidebat. Ille vero prædictum *Thomam* denominavit eſſe virum prudentem, moribus, ſcientia & ætate multipliciter decoratum, in temporalibus & ſpiritualibus circumſpectum. Et quia idem papa noticiam illius perſonæ temporibus retroactis memorialiter habebat, eidem denominationi libenter annuit & conſenſit. Egreſſæ ſunt ergo bullæ papales, & in octabis apoſtolorum *Petri & Pauli*, eidem *Thomæ* extiterant præſentatæ, quæ fuerunt lectæ ſtatim eodem die præſentibus Comite *Cornubiæ*, *Stephano de Peneceſter* tunc conſtabulario *Dovoriæ*, magiſtro *Iohanne de Lacy*, & multis aliis; & ſtatim idem dominus *Thomas* ſic creatus in abbatem, arripuit iter verſus regem ad oſtendendum ei bullam apoſtolicam. Quem invenit apud **Snouden** apud **Karnarvan** xix. die Junii; qui bullam cum dicto abbate benigne admiſit. Et prædictus dominus *Thomas* abbas eidem regi totum proceſſum ceſſionis prædicti *N.* & eciam ſuæ creationis ore tenus expreſſit. Iſtis ſic habitis, benedictus eſt *Londoniæ* die ſancti *Ambroſii* de mandato domini papæ ab archiepiſcopo *Dublinenſi*.

Cum vero fama laboraſſet ſic de ſupradicta ceſſione, venit eſcaetor regis die nativitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, & abbatiam in manus domini regis ſeiſivit, & eam tenuit tanquam excaetam uſque diem Mercurii proximo ſequentem; quo die venit *P. Huntyngfeld* vicecomes *Cantiæ*, & prædictam abbatiam cuſtodiendam recepit per tale breve.

EDWARDUS. *Cum abbas ſancti* Auguſtini Cant. *abbatiam ejuſdem loci in manus domini papæ reſignaverit ut accepimus, tibi præcipimus quod abbatiam prædictam cum pertinentiis in manum noſtram capias & ſalvo cuſtodire facias, donec aliud inde tibi præceperimus, ita quod de exitibus ejuſdem nobis reſpondere poſſis à tempore reſignationis prædictæ, Inquirens diligenter de tempore quo vacare incepit.*

Et idem *P.* iſtam abbatiam ſic habuit cuſtodiendam uſque xx. diem Julii, quo die dominus rex per breve ſuum tradidit dominis *Iohanni de Borne* & *N. de Ryngelton* dictam abbatiam ad cuſtodiendum. Qui eam cuſtodiebant uſque ad diem ſanctæ *Fidis* virginis, qua die *Thomas de Fynden* abbas fecit finem cum domino rege apud **Acton Bournel**

Edwar. I. Rex. in parliamento pro eo quod ſic fuerat creatus in abbatem licentia domini regis minime petita, pro CCCC. marcis, de quibus rex remiſit centum ad inſtantiam domini epiſcopi *Batoniæ* tunc Cancellarii regis. Et ſic liberata fuit eidem *Thomæ* abbathia ſua per literam domini regis patentem. Cujus tenor talis eſt.

EDWARDUS *&c. Militibus, liberis hominibus, & omnibus aliis tenentibus de abbatia ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem. Sciatis quod cum ſummus pontifex per ceſſionem* Nicholai *nuper abbatis dictæ abbatiæ eam in manum ſuam reſignavit, de perſona* Thomæ de Fyndene *monachi dicti monaſterii tunc in* Anglia *exiſtentis eidem monaſterio providerit, & ipſum præfecit in abbatem ſicut per litteras ſuas patentes nobis ſignificavit: Nos eidem* Thomæ *abbati temporalia ejuſdem abbathiæ cum juribus, libertatibus, & omnibus aliis ad eandem pertinentibus ſicut prædeceſſores ejus tenuerunt reddidimus. Et ideo vobis mandamus, quod eidem* Thomæ *abbati tanquam domino veſtro in omnibus quæ ad abbathiam illam pertinent intendentes ſitis & reſpondentes.*

Et ſciendum eſt quod dominus rex liberavit abbathiam prædicto domino *Thomæ* abbati ſalvis ſibi exitibus temporalium à die ſancti *Pancracii*, quo die abbatia cœpit vacare, uſque diem ſanctæ *Fidis* Virginis, quo die liberata fuerit abbathia prædicto abbati apud **Acton Burnel**, ut ſupra notatur, expenſis abbatis & conventus & eorum familiæ neceſſariis per idem tempus deductis; de quo tempore prædicti abbas & cuſtodes una cum *Petro de Hunyngfeld* vicecomiti *Kanciæ* reſponderunt, videlicet de tallagio aſſeſſo, per idem tempus, per diverſa maneria xlj.l. xvj.s. viij d. de placitis & perquiſitis omnium curiarum xxx.l. vj.s. vj.d. ob. Et de redditu aſſiſo & forinſeco lxxx.l. x s. viij.d. Et de venditione bladi & redditu in quibuſdam maneriis præter ſuſtentationem monachorum & eorum familiæ liiij.l. xiij.s. ix.d. ob. Et de omnibus aliis exitibus & conſuetudinibus per idem tempus de diverſis parcellis lxxxxj.li. xij.s. iiij.d. Et eſt totalis ſumma CCC. l.

§. 2. *De ſervicio unius militis in* Wallia.

An. Dñi 1284. ANno Domini M. CC. lxxxiiij. dominus *Thomas* abbas fecit ſervicium unius militis in exercitu regis in *Wallia*, & pro expeditione ſua ibidem per dominum *Henricum de Cobeham* pro xx.l. quod vero ſervicium & quicquid eidem incumbebat pro dicto abbate fideliter fecit, & eum ſuper hoc verſus regem in prædicta ſua expeditione totaliter quietavit & conſervavit indempnem. Pro qua cauſa fuit ſcutagium levatum de feodis militaribus abbathiæ S. *Auguſtini* pro ſupradicto ſervicio abbatis. Et fuit quodlibet feodum militare integrum aſſeſſum tunc ad xl.s. Et ſciendum eſt quod ſcutagium eſt aliquando majus & aliquando minus ſecundum voluntatem regis, & ſecundum hoc capiatur. Eodem anno idem abbas levavit ſubſidium à tenentibus ſuis ad opus ſui palefridi, ſicut & fecit ſuus prædeceſſor *Nicholaus*.

§. 3. *Compoſitio cum Priore S.* Trinitatis *pro caya in* Fordwico.

1285. ANno Domini M. CC. lxxxv. die Lunæ proxima poſt feſtum tranſlationis ſancti *Thomæ* martyris ſedata eſt diſcordia quæ mota fuerat inter abbatem ſancti *Auguſtini* & Priorem ſanctæ *Trinitatis* de quadam caya & domo ædificata in quodam prato apud *Fordwicum* per Priorem ſanctæ *Trinitatis*, quæ ædificia abbas ſancti *Auguſtini* deſtrui præcepit; quibus iterum per Priorem ibidem ædificatis abbas ſecundo funditus evertit meremio & omnibus aliis ibidem inventis in *Sturam* projectis; unde ad prædictam litem pacificandam dominis *Henrico* epiſcopo de *Verdun*, *Otes de Gronſonn*, *Stephano de Peneceſter*, & aliis nobilibus per dominum regem ad hoc ſpecialiter aſſignatis, ſub hac forma conquieverunt. Quod Prior pro ſe & ſuis ſucceſſoribus conceſſit, quod in prato verſus eccleſiam in oriente de cætero aliquam domum alicujus ædificii ſine gratia & licentia abbatis nunquam levabit. Et quia prædictus Prior non poteſt bene eſſe ſine domo ſuper ripam de *Fordwico* pro ſuis vinis & aliis ſuis victualibus recipiendis & ſervandis, abbas prædictus conceſſit Priori & ſuis ſucceſſoribus unam placeam in *Fordwico* ſuper ripam ſituatam, quæ tenet in longitudine ix. perticatas, perticata de xvj. pedibus & dimidia, & in latitudine xxij. pedes, Reddendo inde abbati ſancti *Auguſtini* unam roſam in feſto ſancti *Johannis Baptiſtæ* pro omnibus ſerviciis, ſectis curiarum, & omnibus aliis demandis, dominio, judiciis, executionibus & omnibus aliis delictis ibidem factis eidem abbati ſemper ſalvis, ſicut in aliis locis ejuſdem villæ idem abbas habet vel ſolet habere; Ita quod in dicto manſo aliquas marcandizas res vel victualia præterquam propria bona ejuſdem Prioris non recipiet nec permittet quoquo modo fore recepta. Pro hac autem conceſſione prædictus Prior dedit abbati & eccleſiæ ſuæ iij. acras prati cum omnibus ſuis pertinentiis in *Fordwico*, unde j. acra jacet ex latere prati elemoſinarii ſancti *Auguſtini*, & aliæ duæ jacent particulariter in prato ubi domus prius ſic fuit levata; & partim in aliis locis prope pratum abbatis ſicut bundæ monſtrant & teſtantur, Reddendo inde Priori unam roſam in feſto ſancti *Johannis Baptiſtæ* pro omnibus ſerviciis & demandis. Ordinatum fuit eciam quod barreræ & piles per abbatem in curſu aquæ erectæ ſuper calcetum ibidem per cuſtodem quinque portuum deponentur, & illud calcetum per abbatem & homines ſuos de *Fordwico* reparatum fiat communis abbati, Priori, & communitati villæ prædictæ, à quibus omnibus perpetuis temporibus ad fugandum & cariandum debet ſuſtentari. Nec licebit Priori & ſucceſſoribus ſuis in eadem villa de cætero aliquid perquirere de tenura abbatis ſine ejus voluntate vel ſucceſſorum ſuorum. ET QUIA per iſtam compoſitionem ſeu ordinationem totum pratum in quo continetur quædam walla vocata walla ſeu chaſea cellerarii eccleſiæ Chriſti *Cant.* quæ continet xx. perticatas in longitudine & xx. pedes in latitudine data fuerat abbati & conventui ſine quacumque forpriſa, in excambium pro placea apud *Fordwicum* ubi domus Prioris & conventus ſanctæ *Trinitatis* ædificatur, nec poterant dicti Prior & conventus extunc de jure habere uſum dictæ wallæ ut prius habebant; ſuper quo poſtea inter partes controverſia ſuborta, per magnam compoſitionem ſequentem proviſum fuerat, quod wallia ſeu chacea prædicta remaneret dictis Abbati & Priori communis ad cariandum & chaceandum tantum quociens neceſſe habuerint & ſibi viderint expedire.

J. Pecham Archiep.

§. 4. *Fide-*

§.4. *Fidelitas facta per Priorem de* **Combwell** *pro eccleſia de* **Beansfeld.**

EOdem anno venit frater *Johannes* Prior de **Combwell** & in Capitulo præſtitit abbati & conventui juramentum fidelitatis ſicut ipſe & ſucceſſores ſui ſecundum formam compoſitionis inter dictas partes factæ pro eccleſia de **Beansfeld** & quibuſdam decimis in illa compoſitione tactis, & fecit iſta in craſtino ſanctæ *Agathæ* virginis anno ſupradicto.

§.5. *Confirmatio Regis pro terris* Joh. Botſweyn.

An. Dñi 1286. ANno Domini M. CC. lxxxvj. rex *Edwardus* confirmavit iſti eccleſiæ quæ de *Johanne Botſweyn* fuerant adquiſita, per ſuam cartam quæ talis eſt. *EDWARDUS Dei gratia &c. Sciatis quod de gratia noſtra ſpeciali pardonavimus dilectis nobis in Chriſto abbati & conventui ſancti* Auguſtini *tranſgreſſionem quam fecerunt adquirendo ſibi & ſucceſſoribus ſuis in feodo j. molendinum, ſexaginta acras terræ, j. virgatam & iv. acras prati & dimidiam, x. acras boſci & xxv. s. redditus cum pertinentiis in* **Sture** *de* Johanne Botſweyn, *& ea ingrediendo poſt publicationem ſtatuti de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis editi, licentia noſtra ſuper hoc non optenta; Et conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt eiſdem abbati & conventui, quod ipſi molendinum, terram, pratum, boſcum & redditum prædicta cum pertinentiis habeant & teneant ſibi & ſucceſſoribus ſuis inperpetuum ſine occaſione vel inpedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, Juſticiariorum, Eſcaetorum, Vicecomitum, aut aliorum Ballivorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque.*

Eodem anno die Jovis poſt feſtum ſancti *Andreæ* Apoſtoli, fuit inquiſitio capta coram *Stephano Peneceſtre, Radulpho de Sandwyco* per ſacramentum xxiv. bonorum & legalium hominum ſuper novella levatione cujuſdam cayæ & domus in *Fordwyco* per Priorem ſanctæ Trinitatis *Cant.* ſi eſſet ad nocumentum & præjudicium domini regis & abbatis iſtius loci necne. Qui dixerunt ſuper ſacramentum ſuum: Quod prædicta domus & caya levata fuerunt per prædictum Priorem dum prædicta abbatia S. *Auguſtini Cant.* fuit vacans per ceſſionem *Nicholai* abbatis ibidem prædeceſſoris abbatis nunc; eciam dum eadem abbatia fuit in manu domini regis. Requiſiti vero ad quod nocumentum, dixerunt quod prædictus dominus rex tempore vacationis prædictæ, & ſimiliter idem abbas ſede plena, habere debent & eciam temporibus retroactis habere ſolent in prato adjacenti & in eodem loco ubi prædictæ domus & caya ſita fuerunt, towagium; quod inpeditum eſt per levationem prædictam. Dixerunt eciam quod dominus rex tempore vacationis & ſimiliter abbas ſede plena, habent & ſemper habere ſolent communam in loco illo ubi prædicta domus ſita fuit, inter feſtum ſancti *Petri* ad vincula & feſtum Purificationis; unde dicunt quod eſſet ad nocumentum ſi prædicta domus ibidem ſtaret. Dixerunt eciam quod rex tempore vacationis & eciam abbas habent prata ſua juxta locum prædictum, per quem locum viam habere debent ad fena carianda ſicut habere ſolent. Quæſiti eciam ſi prædicta domus fuit proſtrata vel non, dixerunt quod Prior ſupradictus perpendens domum illam eſſe levatam injuſte tempore vacationis, illam fecit proſterni. Et quia convictum eſt per Inquiſitionem, prædictam domum eſſe proſtratam nec tamen locum ubi ſita fuerat in eodem ſtatu eſſe reductum quo fuerat tempore ceſſionis *Nicholai* abbatis, conceſſum eſt quod prædicta domus proſtrata teneatur, & locus ubi ſita fuit in ſtatum priſtinum reducatur ad cuſtus ipſius Prioris. Et quia præfatus Prior per quendam monachum ſuum inplacitare fecit dominum *J. de Bourne* dum fuit cuſtos præfatæ abbathiæ occaſione inpedimenti quod eidem Priori fecit de prædictis domo & caya levandis, ideo Prior attacheatus fuit, quod eſſet coram rege vel ejus locum tenente ubicumque &c. pœnam pro demeritis recepturus in hac parte.

§.6. *Compoſitio inter nos & Rectorem de* **Rippele.**

ANno Domini M CC. lxxxvij. in craſtino ſancti *Letardi* extitit Compoſitio inter Abbatem & Rectorem de **Rippele**, videlicet quod Rectores eccleſiæ prædictæ percipiant de omnibus terris feodi cameræ ſupradictæ jacentibus à dominicis de **Norborne** apud **Cornelo** ex parte occidentali uſque ad ſemitam quæ ducit de **Sorteſtrete** ad **Northrippele** ex parte orientali et à terra de **Greneweye** & **Southſtrete** quæ ſunt ex parte auſtrali uſque ad terras tenentium de **Monynham** & feodum de **Northrippele** verſus aquilonem, totam plenariam decimam pro partitione tertiæ partis prædictæ. Et abbas per camerarium ſuum de omnibus aliis terris & reſiduo dicti feodi ſui in **Rippele** circa & extra fines ſeu terminos prænominatos omnes majores decimas pro dictis duabus partibus ſuis plenarie percipiat; minoribus eciam decimis de omnibus tenentibus dicti feodi in **Rippele** Rectoribus dictæ eccleſiæ ut prius ſemper ſalvis. Excepto quod de nutrimentis animalium & aliis bonis dicti camerarii nullo umquam tempore petat jure decimæ vel exquirat. Ante iſtius Compoſitionis tempus partitio ſive diviſio decimarum provenientium de terris de feodo cameræ hujus monaſterii fieri conſuevit in hunc modum. Quod videlicet Camerarius ſemper duas partes, & Rector de **Rippele** terciam partem decimarum permixtim caperent & haberent. Et capella in cimiterio quæ dicitur **Charner** peracta eſt. An. Dñi 1287.

Eodem anno *Lora de Rogers* domina de **Horton** quietum clamavit pro ſe & hæredibus ſuis *Thomæ* abbati ſancti *Auguſtini* & ejuſdem loci conventui & eorum ſucceſſoribus quicquid juris habuit vel aliquo modo habere potuit in duabus carucatis terræ & l. acris boſci in manerio de **Plumſted**, pro qua quieta clamatione conceſſerunt aliquando prædictæ *Loræ* & hæredibus ſuis quod ſint participes omnium beneficiorum quæ in iſta eccleſia fient ſicut fratres ſui proprii & domeſtici. De iſto facto *S. Peneceſtre, R. Mariſco* & *J. Kyrkebi* milites & alii teſtantur in hunc modum. *NOVERITIS quod cum b. memoriæ* Robertus *quondam abbas ſancti* Auguſtini *medietatem manerii de* **Plumſted** *verſus* Ricardum *de* Ros *conſanguineum dictæ* Loræ *cujus hæres ipſa eſt per judicium curiæ regis recuperaſſet, ac prædicta* Lora *jus ſibi inde vendicaſſet, proponens*

Edwar. I. Rex.

dictum abbatem inde traxiſſe in placitum, tandem ut actione ſua inde & hæredis finem caperet & in perpetuum ſopiretur, jus ſi quod inde habuit prædicto abbati & ſucceſſoribus ſuis perpetuo remiſit & quietum clamavit, & ad ejus inſtanciam hæc teſtificamus.

Eodem anno coquina conventus fuit incepta ad feſtum ſancti *Petri* ad vincula per fratres *Thomam de Ciceſtria, Willielmum de Romenal*, & *Henricum de Kokeryng* monachos hujus monaſterii; & fuit completa per fratrem *Henricum de Kok*, anno iv. ſequente circa idem feſtum. Expenſæ factæ pro eadem per tempus prædictum CCCC. xiv.l. x.s. q.

§.7. *Tria noſtra hundreda in manus Regis ſeiſita ſunt.*

ITem anno quo ſupra hundredis de **Ryngſlo, Blengate**, & **Dunhamford** per ceſſionem *N.* una cum aliis appendiciis dicti monaſterii in manus regias reſignatis, fecit inquiri de vero valore eorundem, ut ſi dominus rex prædicta hundreda tenuerit in manu ſua, quid et quantum per annum valere poſſunt in omnibus exitibus ad opus ſuum, per ſacramentum &c. Qui dixerunt per ſuum ſacramentum, quod ſi dominus rex dicta hundreda tenuerit, ſecundum conditionem temporis retroacti nullos exitus inde perciperet, quia dicunt quod illa hundreda nunquam à tempore quo extat memoria fuerunt aſſeſſa niſi tantummodo pro priſone deliberando & præcepto domini regis per breve audiendo, ubi nullus ballivus dictum hundredum tenens aliquos exitus ad opus domini regis cepit. Et quantum ad hundreda de **Blengate** & **Dunhamford**, Jurati dicunt quod de nullo valore æſtimant nec aliquem certificare volunt, quia non cognoſcunt ſtatum nec conditionem aliorum hundredorum. Et quantum ad hundredum de **Ringſlo** dicunt quod non poſſunt reſpondere ſine tenentibus archiepiſcopi *Cant.* & Prioris ibidem qui tertiam partem tenent hundredi prædicti, qui toto tempore ſecum reſpondere conſueverunt coram quibuſcumque Juſticiariis & miniſtris domini regis. Tamen prædicti tenentes archiepiſcopi & prioris dicunt quod non tenentur nec volunt reſpondere coram aliquo ballivo domini regis ad inquiſitionem per ſacramentum faciendum, niſi habeat literas domini regis patentes videlicet in eodem hundredo. Inquiſitione hujuſmodi ſic recepta, dominus rex perpendens quod modicum vel nichil conſequeretur commodi de eiſdem ſi prædicta hundreda ad opus ſuum exiſterent reſervata, retradidit abbati hundreda prædicta pro quadam annua firma, inperpetuum de eodem rege tenenda. Cujus forma talis eſt. *EDWARDVS &c. Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis quod conceſſimus dilecto nobis in* Chriſto Thomæ *abbati S.* Auguſtini Cant. *& ejuſdem loci conventui hundreda noſtra de* **Ringſlo, Blengate** *&* **Dunhamford** *cum pertinentiis quæ* N. *nuper abbas loci prædicti prædeceſſor ipſius* Thomæ *in manus noſtras reddiderat, ut jus noſtrum, Habendum & tenendum prædictis abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus de nobis & hæredibus noſtris ad feodi firmam inperpetuum. Reddendo inde de dominicis abbathiæ prædictæ nobis & hæredibus noſtris per manus vicecomitis noſtri* Kanciæ *qui pro tempore fuerit centum ſolidos. Vnam ſcilicet medietatem in feſto* Michaelis *& aliam in feſto Paſchæ; Ita quod homines de hundredis prædictis ad ſolutionem dictorum C.s. non teneantur, nec terræ vel tenementa eorundem eâ occaſione arententur.* Item alia militibus libere tenentibus & omnibus aliis de hundredis de **Ringſlo, Blengate**, & **Dunhamford** de intendentia ſic. *Cum conceſſerimus dilecto nobis in Chriſto* T. *abbati ſancti* Auguſtini *& ejuſdem loci conventui hundreda prædicta cum pertinentiis quæ* Nicholaus *abbas &c. Habenda et tenenda &c. vobis mandamus quod eiſdem abbati & conventui & eorum ſucceſſoribus ac miniſtris eorundem quos ad cuſtodiam eorundem hundredorum deputaverint, in omnibus quæ ad hundreda illa pertinent tanquam miniſtris noſtris intendentes ſitis & reſpondentes in forma prædicta.*

J. Pecham Archiep.

§.8. *Magna Compoſitio inter Abbatem noſtrum & Priorem S. Trinitatis.*

An. Dñi 1287.

ANno ſupradicto ſcilicet M.CC.lxxxvij. edita fuit *magna Compoſitio* inter abbatem & conventum hujus loci & Priorem eccleſiæ Chriſti & capitulum ejuſdem loci, formam continens infra ſcriptam. “ NOVERINT univerſi præſentes literas inſpecturi, quod cum inter religioſos viros dominum *Nicholaum* abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cant.* ex parte una, & dominum *Thomam* Priorem & capitulum eccleſiæ Chriſti *Cant.* ex altera, ſuper terris, redditibus, tenementis, juribus variis & diverſis articulis agitata fuiſſet diutius materia quæſtionis, ac auctoritate eorundem & communi utriuſque partis aſſenſu proviſum eſt, quod per fratres *Johannem de Eſtre*, & *Lambertum de Clyve* monachos eccleſiæ *Chriſti* prædictæ, necnon per fratres *Willielmum B.* & *Willielmum Breton*, & *W. de Eleya* monachos monaſterii S. *Auguſtini* prædicti ordinatores ad hæc hinc inde electos omnes querelæ & contentionum materiæ ſopirentur, adjunctis ſibi ea vice ſine præjudicio Compoſitionis priſtinæ fratre *H. de Cockeryng* tunc theſaurario ſancti *Auguſtini* & fratre *Waltero de Chylindenne* tunc ſubpriore eccleſiæ *Chriſti* in adjutorium præmiſſorum: Ipſis incipientibus ſic tractare ſuper reformatione hujuſmodi facienda, ac prædictis prælatis *N.* & *Th.* cedentibus, uterque ſcilicet honori & officio loci ſui, reformationis illius tractatus ad effectum debitum non proceſſit. Set & fratribus *L.* et *W.B.* præſcriptis viam univerſæ carnis ingreſſis, ac fratre *Galfrido de Chileham* loco ſui dicti fratris *L.* & *B.* de *L.* loco ſui fratris *W. B.* concorditer ſubrogatis, dictæ tamen ordinationis negotio incompleto; tandem venerunt patres dominus *Thomas* abbas monaſterii S. *Auguſtini* prædicti & dominus *H.* Prior eccleſiæ *Chriſti* ſucceſſores proximi *N.* & *Th.* qui præceſſerant, ſicut ſupra pro omnibus cauſis & actionibus realibus & perſonalibus litibus ſeu querelis & omnium diſſenſionum articulis cauſatis hactenus amicabiliter terminandis, & ut via ſimilibus quatenus poterit in poſterum præcludatur, voluerunt, conceſſerunt & aſſignarunt de ſuo & utriuſque partis conventus ſeu capituli expreſſo conſenſu & unanimi voluntate, quod dicti fratres *I. E.* & *G.* de *C.* pro parte ſui Prioris & Capituli, ac fratres *Rogerus* de *L.* & *W.* de *H.* prædicti pro parte ſui abbatis & conventus ſecundum formam cujuſdam compoſitionis factæ antea inter ipſos & ſub forma cujuſdam literæ ſubmiſſoriæ ſuper hoc à parti-

Edwar. I. Rex.

« partibus eis datæ ordinatores ſeu compoſitores
« amicabiles & ut ſupra electi & communiter aſſi-
« gnati, adjunctis ſibi ea vice ut prius fratre *Wal-*
« *tero de Chilinden* monacho eccleſiæ *Chriſti* & fra-
« tre *H. de Cokeryng* Camerario ſancti *Auguſtini*
« prædicti, ſuper omnibus ut ſupra cauſarum, acti-
« onum & diſſenſionum articulis antea non deciſis,
« quæ à retroactis temporibus uſque ad datam præ-
« ſentium alteri monaſterio qualitercumque con-
« tra alterum competebant, vel materiam ſeu
« occaſionem diſcordiæ inducebant per reformatio-
« nem pacis perpetuam amicabiliter terminandis &
« tollendis omnino diligenter provideant, fideliter
« ordinent & ſtatuant, prout ad utilitatem & pacem
« firmam, concordiam & quietam utriuſque mona-
« ſterii provide conſpexerint ordinandum, ipſorum
« ordinatione per omnia inviolabiter obſervanda.
« Inprimis* igitur anno videlicet gratiæ M. CC.
« lxxx. ſeptimo, iij. non. Decembris in dei nomine
« convenientibus hiis in unum, computatum fuit inter
« ordinatores eoſdem de tenementis & redditibus
« in alterius eccleſiæ feodo à parte altera perquiſi-
« tis ſeu eciam occupatis. Et compertum fuit, quod
« Prior & capitulum eccleſiæ Chriſti prædictæ te-
« nebantur Domino abbati & conventui prædictis
« in duodecim ſolidis quinque denariis & ob. annui
« redditus de tenementis ſubſcriptis, videlicet de
« terris incluſis à granario dicti Prioris & Capituli
« uſque ad terram abbatis & conventus verſus **Que-**
« **nigate.** Item de domo *Edmundi le Dumbe* in
« parochia ſancti *Michaelis* de **Borgate.** Item de
« quatuor pedibus terræ in **Borgate.** Item de qua-
« dam domo juxta ſynagogam *Iudaorum*, verſus
« *Auſtrum.* Item de domo *Geroldi* juxta Gayolam.
« Quæ tenementa, redditus & feoda omnia per or-
« dinationem factam concorditer à prædictis conceſ-
« ſerunt abbas & convẽtus præſcripti pro ſe & ſucceſ-
« ſoribus ſuis, quod totaliter remaneant memoratis
« Priori & Capitulo eccleſiæ Chriſti & eorum ſuc-
« ceſſoribus libera & quieta ab omni ſervicio & red-
« ditu in perpetuum dominium & jus ſuum. Com-
« putantibus ſimiliter ordinatoribus antedictis ſuper
« articulis prænotatis, liquido fuit compertum, quod
« ſæpedicti Abbas & Conventus ipſis Priori & Capi-
« tulo tenebantur in undecim ſolidis & octo denariis
« annui redditus de tenementis ſubſcriptis, videlicet
« de domo *Benedicti Braciatoris* de terra **Ampoler.**
« Item de quadam domo in parochia ſanctæ *Mil-*
« *dredæ.* Item de tenemento quod fuit *Iohannis de*
« *Oſprenge* in **Patyndon.** Ordinarunt eciam ordi-
« natores præſcripti ac ipſi & capitulum aſſignarunt
« & conceſſerunt ipſis abbati & conventui ſeptem
« denarios & ob. annui redditus de tenemento quon-
« dam *Roberti le Scot*, & duos denarios annui reddi-
« tus de tenemento *G. le Couper* in parochia S. *Pauli* in
« recompenſationem novem denariorum et ob. annui
« redditus quos Prior & Capitulum abbati & Con-
« ventui plus debebant quam Abbas & Conventus
« eiſdem. Quæ tenementa, redditus et feoda concordi
« ordinatione prædictorum aſſignarunt & conceſſe-
« runt dicti Prior & Capitulum eccleſiæ Chriſti pro
« ſe & ſuis ſucceſſoribus in permutationem terrarum,
« tenementorum & reddituum quæ ſeu quos ſupra-
« dicti abbas & conventus ſuperius conceſſerunt eiſ-
« dem Priori & Capitulo, quod remaneant ipſis ab-
« bati & conventui & eorum ſucceſſoribus libera &
« quieta ab omni ſervicio & redditu, in perpetuum

J. Pecham Archiep.

« dominium & jus ſuum. Præterea quod de prato
« dictorum Prioris & Capituli eccleſiæ Chriſti apud
« *Stureyam* loco qui dicitur le **Pehend** jacentem ſub
« curia ipſius abbatis & ſuis dominicis undique cir-
« cumcluſo, ſæpius contentiones oriebantur, eo quod
« per animalia partium dampna fiebant hinc inde,
« ut de cætero tollatur materia omnis diſcordiæ;
« prædicti ordinatores pro utriuſque partis utilitate
« & tranquillitate concorditer ordinarunt, quod ipſi
« Prior & Capitulum aſſignarunt & conceſſerunt
« prædictis Abbati & Conventui totum pratum ſu-
« pradictum cum pertinentiis, & viginti ſolidos &
« tres denarios annui redditus cum pertinentiis, vide-
« licet de *W.* de **Patyndon** de tenemento ſuo in **Pa-**
« **tyndon** ſex ſolidos et tres denarios. De domo
« quondam *Richeri* in parochia ſancti *Pauli* novem
« ſolidos. De magiſtro *Iohanne Coco* de duabus
« ſchoppis ſuis juxta domum ſuam in eadem paro-
« chia duos ſolidos. De *Iohanne Diſſere* de domo
« ſua in eadem parochia iv. denarios. De *Virgilio*
« *Capellano* de domo quæ fuit *Thomæ Ackholte* in
« eadem parochia duos ſolidos et octo denarios.
« Quod pratum, redditus et tenementa cum perti-
« nentiis ſuis remaneant eiſdem abbati et conventui
« et eorum ſucceſſoribus libera et quieta ab omni
« ſervicio et redditu in feodum et dominium ut jus
« eccleſiæ ſuæ S. *Auguſtini* prædicti inperpetuum.
« Et ſimili modo concorditer ordinarunt ordinato-
« res prædicti, quod ipſi abbas & conventus aſſi-
« gnarunt & conceſſerunt ſæpedictis Priori & Capi-
« tulo in concambium prati & redditus prædictorum,
« quatuor acras terræ & dimidiam cum pertinentiis
« quæ vocantur **Piperiſland**, jacentes inter **Diſe-**
« **leſland** quæ dicitur **Aſſelymeſacre** & ſemitam
« quæ ducit ad **Hertwell**, & terram ſupradicti Pri-
« oris & ſemitam quæ ducit verſus **Sturel**, & duas
« acras prati cum pertinentiis quæ fuerunt *Martini*
« capellani jacentes juxta pratum Bertonæ ipſorum
« Prioris & Capituli quod vocatur **Charned**, &
« unam acram prati cum pertinentiis jacentem jux-
« ta dictam Berthonam, & tres ſolidos & quatuor
« denarios redditus cum dominio de ſupradicta
« terra **Dyſeleſland** vocata; & viginti ſolidos &
« tres denarios annui redditus cum pertinentiis vi-
« delicet de hæredibus *Euſtachii de Hakinton* de
« una acra prati jacente ſub Berthona prædicta tres
« denarios obulum & quadrantem. Et de terris et
« tenementis quæ dicti abbas et conventus habu-
« erunt infra **Quenygate**, videlicet tres ſolidos &
« octo denarios de duabus domibus ſacriſtiæ ſuæ et
« octo denarios de una vacua placea jacente à vico
« ibidem uſque ad murum eccleſiæ Chriſti prædi-
« ctæ. Item quatuor ſolidos & octo denarios red-
« ditus de quadam domo elemoſinariæ ſuæ quam
« ibidem *Aſſelmus* tenuit, ſimul cum una pecia
« terræ quam ſimiliter idem *Aldelmus* tenuit ibi-
« dem. Item undecim ſolidos de tribus domibus
« Theſaurariæ ſuæ ibidem. Quæ tenementa & red-
« ditus cum pertinentiis remaneant dictis Priori &
« Capitulo & eorum ſucceſſoribus libera & quieta
« ab omni redditu & ſervicio in feodum & domini-
« um ut jus eccleſiæ ſuæ inperpetuum. Ordinatum
« eſt eciam per prædictos, quod neutra pars reddi-
« tus vel tenementa in feodo alterius mediate vel
« inmediate de cætero perquirat, vel ſibi appropri-
« are præſumat, niſi prius ſuper hoc à parte altera
« petita licentia & optenta. Quod ſi ſecus attem-

ptatum fuerit, de hoc, domino feodi pars attemptans ſatisfaciat competenter; alioquin liceat domino feodi terras, redditus & tenementa taliter perquiſita libere ingredi & ſine contradictione et reclamatione ut jus proprium retinere, exceptis terris, redditibus & tenementis parti alterutri in alterutrius feodo legatis infra libertates civitatis *Cantuariæ*, quæ pro voluntate teſtatoris legatariis remaneant, ſalvis ſerviciis et diſtrictionibus dominis feodi debitis & conſuetis. Proviſum eſt inſuper & conceſſum quod walla ſeu chaſia celerarii eccleſiæ Chriſti prædictæ apud *Fordwycum* quæ continet viginti perticatas in longitudine et viginti pedes in latitudine, remaneat communis Abbati & Priori ad cariandum & chaſiandum quociens neceſſe habuerint. De libero eciam paſſagio abbatis & familiæ ſuæ in portu de *Sandwyco* in navicula Prioris ſtet ſicut in Compoſitione altera continetur: Hoc adjecto, quod ſi monachus vel aliquis de familia abbatis ad dictum portum ex quacunque parte fluminis veniens batellum dicti paſſagiarii ibi præſentem invenerit, et paſſagiarius vel ſui noluerint ipſum vel tardaverint tranſducere ſeu tranſire, tunc ipſe alium ſibi batellum conducat, de quibus cuſtibus legitime probatis coram Ballivis Prioris, dictus paſſagiarius ſtatim in duplo ſatisfaciat conquerenti, & pro tranſgreſſione ſit in miſericordia Prioris. Simili modo puniatur paſſagiarius ſi ipſe vel ſui aliquid extorſerint pro tranſitu ab eodem. De jure eciam ſepulturæ concordatum eſt pro bono pacis perpetuæ et conceſſum, quod de cætero liceat unicuique, ſalvo jure matricis eccleſiæ, in altero quo voluerit monaſterio ſibi eligere ſepulturam; et quod neutra pars corpus alteri legatum ad ſepulturam recipiat, nec alliciat vel inducat ſervientes alterius vel tenentes ſeu quoſcunq; alios ut omiſſa una in alia ſibi eligat ſepulturam. De familiis eciam utriuſque monaſterii firmiter eſt ſtatutum, quod ſive infra civitatem ſive extra ubique ob quamcumque cauſam convenerint, neutra familia vel eorum aliquis contra alteram ſe opponat, ſet mutuo ſe diligant, foveant et adjuvent in omnibus ſicut poſſunt. Et ſi quis eorum hanc ordinationem infregerit et ſuper hoc probabiliter convictus ſit, ammotus ab eccleſia et ſervicio in quo ſtetit ſine ſpe reverſionis recedat, et ab alia nullatenus admittatur. Quod eciam de aliis eſt adjectum, ut ſi quis ſcilicet ſerviens pro manifeſta cauſa culpæ à ſervicio ſuo fuerit ejectus ab una, non recipiatur in alteram cum hoc fuerit ſibi intimatum. Præterea de clericis ab alterutra eccleſia recuſatis ſtet ordinatio ſicut in Compoſitione priſtina continetur: Hoc tamen adjecto, quod hujuſmodi recuſatio per præcentorem loci recuſantis alterius monaſterii præſidenti ſeu præcentori proprio nomine ſpecialiter nuncietur. Et ut obnixius pax et tranquillitas utriuſque eccleſiæ conſervetur, De clericis, Advocatis, Seneſcallis, Ballivis et eorum clericis ac aliis miniſtris utriuſque eccleſiæ eſt ſtatutum, quod firmiter injungatur eiſdem per Abbatem et Priorem et quatenus plus poterunt benigne ſuadentes inducant, quod in agendis utriuſque monaſterii negotiis fidele conſilium et auxilium mutuum impendant, cum ſuper hoc fuerint requiſiti, vel cum alias ipſas eccleſias noverint indigere. Sicque in perſonis ſubjectis et rebus præcluſa materia jurgiorum. De fratribus monachis eſt proviſum quod ſi monachus unius eccleſiæ monacho alterius eccleſiæ prædictæ verbo vel facto vel utroque injuriam inferat vel moleſtiam, delinquens taliter à ſuo prælato canonice ſecundum regulam arguatur, ut per ordinationem prælatorum ipſorum infra quindecim dies poſtquam hoc ad eorum noticiam pervenerit fiat pax et ſatisfactio canonica et emenda. Ordinatum eſt eciam concorditer ad pacis proviſæ cuſtodiam et quietis, quod duo monachi ſacerdotes ſolliciti et prudentes ac unitatis zelatores de uno monaſterio, et duo alii ſimiles de altero communiter eligantur ſecundum formam priſtinæ Compoſitionis, et ſic electi permaneant in hac cura diligentiſſime intendentes; quod ſi aliquo caſu pars alterutra de dictis aut factis alterius moveatur merito vel turbetur, utriuſque auctoritate Capituli infra menſem à tempore noticiæ corrigenda corrigant et reforment, alioquin per prælatos utriuſque eccleſiæ arceantur quouſque pax et tranquillitas per eoſdem fuerit reformata. Et ſi aliquis prædictorum ordinatorum decedat, vel cedat ex aliqua cauſa rationabili, tunc alius ejuſdem monaſterii cujus erat monachus qui defuerit, in locum ſuum jus & potentiam quantum ad præmiſſa à tribus ſuperſtitibus & remanentibus ſine moræ diſpendio ſubrogetur, ita quod ipſe ſolus cujus ſocius defuerit tantundem poteſtatis in ſocium ſibi eligendo et aſſumendo habeat, quantum duo alii in hac parte. De loco inſuper quo ordinatores hujuſmodi ad ſuum exercendum officii conveniant concorditer eſt proviſum, quod videlicet in eccleſia Chriſti *Cant.* & in monaſterio ſancti *Auguſtini* prædictis ſemper altero die conveniant, ut alternis locis alternis diebus ordinent & ſtatuant quæ incumbunt. Per hanc autem ordinationem voluerunt ſcienter et concorditer ſtatuerunt ordinatores prædicti, omnes querelas et actiones tam reales quam perſonales ex quibuſcunque cauſis majoribus & minoribus à retroactis temporibus uſque ad confectionem præſentium parti alterutri qualitercumque contra alteram competentes remitti totaliter ſeu tolli et extingui omnino, ita quod neutra eccleſia poſt hujuſmodi ordinationem et datam præſentium tenetur alteri in cenſu nec redditu, nec quovis alio debito vel jure debiti ſeu tributo; priore Compoſitione cum adjectionibus hiis præſcriptis ſemper et per omnia ſuo robore firma et inviolabili permanente. Et ut præmiſſa melius ſciantur ab omnibus quos contingunt, concordatum eſt eciam et condictum, quod hæc ordinatio utriuſque partis martyrologio inſcribatur, et ſingulis annis in craſtino Palmarum in pleno utriuſque loci capitulo lecta per ſingulos articulos intelligibiliter conventui recitetur. In cujus rei &c.

Eodem anno facta fuit talis confederatio inter eccleſias. *Cum dominus abbas* ſancti *Auguſtini* obierit, præcentor ejuſdem loci obitum abbatis præcentori *Cantuariæ* celeriter nunciabit, & ipſe præcentor conventui. Et cum capitulum diei regularis terminatum fuerit, Conventus *Cantuarienſis Verba mea* dicturus cum trino ſonitu ac ſolempni de capitulo in chorum procedet, & abbatis prout moris eſt ebdomadam abſolvet; ſi vero die obitus abbatis poſſit celebritas fieri & fidelibus pro eo fiet *Placebo*

&

Edward. I. Rex.

& *Dirige*, & officium in conventu cum ſonitu generali ſicut pro j. archiepiſcopo defuncto; ſi vero ipſa die hæc fieri non poſſint, altera die competentiori fiant, & quilibet ſacerdos miſſam pro fidelibus pro eo celebrabit ſpecialem, cæteri vero inferioris ordinis ſeptem pſalmos pœnitentiales cum letania dicent cum cæteris beneficiis ſibi univerſaliter conceſſis. Et hoc idem in eccleſia S. *Auguſtini* fiet pro Priore *Cantuariæ*; ſi vero monachus *S. Auguſtini* obierit, præcentor ipſius loci concito præcentori *Cantuariæ* obitum defuncti nunciabit, & ipſe præcentor conventui, & qui præſidebit in capitulo ipſius animam abſolvet. Sacriſta vero *Cantuariæ* die obitus illius monachi infra miſſam majorem ſi ſic moriatur, vel infra veſperas terminum ſolitum ac ſolempnem pro eo faciet. Et ſi die obitus fieri poſſit in conventu fiet *Placebo* & *Dirige* cum ſonitu mediocri, & in craſtino miſſa celebrabitur pro fidelibus; ſi vero ipſa die hæc fieri non poſſint, altera die competentiori fiant, & quilibet ſacerdos miſſam pro fidelibus pro eo celebrabit ſpecialem. Cæteri vero inferioris ordinis xv. pſalmos cum una Collecta *Inclina Domine* dicent, & hoc idem in eccleſia S. *Auguſtini Cant.* dicetur, & fiet pro monacho eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ.*

§. 9. *Appropriatio terrarum diverſis locis conceſſa per regem.*

An. Dñi 1288.

ANno Domini M. CC. lxxxviij. dominus rex mandavit vicecomiti *Cantiæ*, quod per ſacramentum proborum diligenter inquireret, ſi eſſet ad dampnum vel præjudicium regis ſi concederet nobis licentiam adquirendi terras & redditus, videlicet in tenura de **Menſtre** xc. acras dimidiam & de redditu lj. s. j. d. Et de tenura de **Chiſtelet**, **Sturre** & **Weſtbere** lvij. acras de redditu viij. s. In **Norborne**, **Eaſtſutton**, **Langdon**, **Lyden**, **Ripple Soldover**, **Dale** lxiij. acras j. rodam de redditu xij. s. iiij. d. ob. In **Lenham** lxiiij. acras dimidiam. In **Plumſted** xxx. acras dimidiam & dimidiam rodam. In **Sellyng** lxxx. x. acras de redditu xxj. s. x. d. cum una gallina. Qui jurati dicunt per ſacramentum ſuum quod non eſt ad dampnum vel præjudicium regis licet concedat Abbati prædicta tenementa & redditus appropriare ſibi & ſuis ſucceſſoribus inperpetuū. Unde prædictus rex eandem adquiſitionem confirmavit per cartam ſuam, quæ talis eſt.

EDWARDUS Dei gratia, &c. Licet de communi concilio regni noſtri providerimus, quod non liceat viris religioſis ſeu aliis ingredi feodum alicujus ita quod ad mortuam manum deveniat, ſine licentia noſtra & capitalis domini de quo res illa inmediate tenetur: volentes tamen tenentibus dilectorum nobis in Chriſto abbatis & conventus ſancti Auguſtini *gratiam facere ſpecialem, dedimus eis licentiam quantum in nobis eſt quod ipſi x. li. viij. s. & vj. denariatas terræ & redditus cum pertinentiis in* **Menſtre** *& in aliis villis & hamellis dictorum abbatis & conventus dare poſſint & aſſignare eiſdem abbati & conventui, Tenendas & habendas ſibi & ſucceſſoribus ſuis inperpetuum; Et eiſdem abbati & conventui quod prædictam terram & redditum à præfatis tenentibus ſuis recipere poſſint in forma prædicta ſecundum quantitatem particularum contentarum in quadam inquiſitione facta per vicecomitem noſtrum Cancia & coram nobis retornata, ac etiam in rotulis Cancellariæ noſtræ irrotulata licentiam ſimiliter concedimus ſpecialem. Nolentes quod tenentes illi ſeu prædicti abbas & conventus ratione ſtatuti prædicti per nos vel heredes noſtros inde occaſionentur in aliquo vel graventur.*

J. Peckham Archiep.

Eodem anno erat proceſſus ad inquirendum ſuper commutatione quarundam terrarum & redditunm inter abbatem ſancti *Auguſtini* & Priorem eccleſiæ *Chriſti*, de quibus terris & redditibus fit mentio in compoſitione ſuperiori. Dominus rex mandavit per breve ſuum vicecomiti *Kanciæ*, quod per ſacramentum proborum & legalium hominum diligenter inquireret ſi ſit ad dampnum vel nocumentum regis aut aliorum ſi concedat licentiam abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cant.* quod ipſi dare poſſint & aſſignare Priori & conventui eccleſiæ *Chriſti Cant.* vij. acras & dimidiam terræ & prati & xxxvj. s. & ob. cum pertinentiis in [illegible] in *Cantuaria* in ſuburbio *Cantuariæ* pro vij. acris & dimidia prati & xxxij. s. viij. d. ob. redditus cum pertinentiis in **Natingdon** in *Cantuaria* & ſuburbio ejuſdem & **Sture**, Tenendum & habendum utramque partem terræ, prati & redditus prædictis partibus per eſcambium imperpetuum, necne; & ſi pars illa quam præfati abbas & conventus præfatis Priori & conventui taliter dimittent in eſcambium plus valeat parte illa quam ab eiſdem Priore & conventu recipient ut prædictum eſt, necne, & à quo vel à quibus terræ pratum & redditus teneantur; & per quod ſervicium. Unde facta ſuper hoc inquiſitione diligenti auctoritate ſupradicti mandati per milites & alios liberos homines, dicunt per ſacramentum ſuum, quod non eſt ad dampnum vel nocumentum regis aut aliorum, licet rex concedat dictis abbati & conventui quod ipſi date poſſint & aſſignare Priori &c. ſupradicta tenementa per prænominata eſcambia ab ipſis recipienda, tenenda & habenda illa excambia utrique parti imperpetuum. Dicunt etiam quod neutra pars illorum eſcambiorum plus valet altera ſet ſunt ad commodum & ayſiamentum utriuſque partis. Dicunt eciam quod prædicta tenementa & redditus quæ prædicti abbas & conventus dant & aſſignant Priori &c. fuerunt de antiquo dominico abbatiæ ſancti *Auguſtini*, & tenementa quæ Prior &c. fuerunt de antiquo dominico eccleſiæ *Chriſti*, ita quod neutra pars de prædictis tenementis ſic datis in eſcambium alicui aliquod ſervicium facere conſuevit. Inquiſitione hujuſmodi ſic recepta dominus rex confirmat illud eſcambium per talem cartam.

EDWARDUS &c. Licet de communi conſenſu &c. volentes tamen dilectis nobis in Chriſto abbati & conventui ſancti Auguſtini *gratiam facere ſpecialem, dedimus eis licentiam quantum in nobis eſt, quod ipſi vij. acras & dimidiam terræ & prati xxxvj. s. & ob. redditus cum pertinentiis in* Cantuaria *&c. dare poſſint & aſſignare Priori & conventui eccleſiæ Chriſti in eſcambium pro vij. acris prati & dimidia & xxxij. s. viij. d. ob. redditus in* **Sturre** *&c. Tenendum et habendum ſibi et ſucceſſoribus inperpetuū. Et eiſdem Priori et conventui quod prædicta terram, pratum et redditum cum pertinentiis à præfato abbate totaliter in eſcambium recipere poſſint tenore preſentium ſimiliter licentiam concedimus ſpecialem. Nolentes quod idem abbas et conventus ſeu Prior et conventus aut ſucceſſores ſui per nos vel heredes noſtros vel miniſtros quoſcumque occaſione eſcambii vel permutationis occaſionen-*

Edw. I. Rex.

ſionentur in aliquo vel graventur.

Eodem anno peracta fuit capella de **Charnel**. Et eodem anno idem rex conceſſit nobis, quod poſſemus dare in eſcambium Priori *ſancta Trinitatis* terras & redditus ad valorem x. li. in *Cantuaria* & ſuburbio & villis de **Monketon**, **Eaſtri**, **Monynham**, **Herham** & in **Seſaltre**; & Prior nobis tantum in *Cantuaria* & ſuburbio ejuſdem, *Forwyco*, **Norborne Littleborne**, **& waleclive** et in **Brok**.

Eodem anno dominus rex dedit nobis licentiam appropriandi unum meſuagium, xxxiiij. acras terræ, unam acram prati & dimidiam, quatuor acras boſci, l. acras mariſci, iij. s. iiij. d. annui redditus jacentia in **Stureye** & **Chiſtelet**, & lxvij. acras terræ cum pertinentiis in **Littleborne**, **Nordborne**, **Sutton**, **Menſtre** & **Kenyton**. Unde terræ perquiſitæ in tenura de **Stureye** jacent apud **Bokwell**, in tenura de **Norborne** apud **Hoo**, **Herleſwod**, **Sthodon**, **Becſangre**, **Brekepotteſgore** & apud **Fenleſham**.

Cap. XXIX.

§. I. *Archiepiſcopus invitatus per regem ad convivandum in monaſterio.*

An. Dñi 1289.

ANno Domini M. CC. lxxxix. cum dominus rex *Edwardus* de partibus *Vaſconicis* in *Angliam* perveniſſet, et apud ſanctum *Auguſtinum* hoſpitatus cum regina, filiis ſuis et multis aliis in vigilia Aſſumptionis, quæ tunc dominica erat, fratrem *Johannem Pecham Cantuarienſem* archiepiſcopum fecit invitari, ut in ipſo feſto die Aſſumptionis ſecum in loco iſto comederet. Quo feſto plures et majores regni qui ad regem convenerant interfuerunt. Quo audito, abbas et conventus metuentes ſibi et ſuæ exemptioni præjudicium generari ſi archiepiſcopus veniret cum cruce erecta, inſtabant multum apud dominum regem & ſuum concilium, ne permitteret archiepiſcopum ſic venire cum cruce in libertatum eorum læſionem ſuique monaſterii præjudicium et gravamen; ſet rege adhuc volente quod archiepiſcopus veniret, & archiepiſcopo nolente niſi cruce prævia & erecta, præcepit rex cancellario quod faceret abbati & conventui habere literas archiepiſcopi meliores quas ſciret, & eciam literas regis, quod hujuſmodi ingreſſus archiepiſcopi ſeu crucis delatio eis non poſſet vel ſuis libertatibus in aliquo præjudicare. Unde dicti abbas & conventus non valentes reſiſtere nec audentes contradicere regiæ voluntati, ne ejuſdem offenſam ſeu graviſſimam læſionem incurrerent ob majorem timorem hujus periculi annuerunt in hoc fieri beneplacitum regis, ut intraret cum cruce tunc archiepiſcopus; habitis tamen prius proteſtationum literis ab eodem de ſalvo ſtatu ſuo, ſet habita maxima altercatione ſuper forma hujuſmodi inter partem archiepiſcopi & abbatis. Petierunt interea clerici domini archiepiſcopi vice ſua, ut ſibi exhiberentur privilegia inſpicienda quibus ſe pars abbatis defendebat quod archiepiſcopus non intraret; Quod eciam dominus *Elienſis* epiſcopus & regni theſaurarius cum inſtantia requirebat. Ad quod pars abbatis multis rationibus reſpondebat, ſe non teneri de jure nec velle facere maxime clericis archiepiſcopi illa vice. Ipſi tamen epiſcopo quædam privilegia ut amico & ob reverentiā domini regis in ſuo capitulo monſtraverūt. Et ſic partibus ab invicem recedentibus, advenit dominus *Bathonienſis* epiſcopus & regis cancellarius, viditque privilegia prius exhibita epiſcopo *Elyenſi*. Quibus viſis & auditis, ſatis eiſdem epiſcopis conſtabat evidenter quare archiepiſcopus ingredi non debebat. Et cum neutra pars vellet in unam formam literarum aliquatinus conſentire, dictus dominus *Bathonienſis* miſſus ad hoc ſpecialiter per regem ut in formam aliquam concordarent, quædam pauca verba de clericorum regis conſilio appoſita fuerunt illi formæ literarum quam præordinaverat pars abbatis. Et illis literis pars abbatis cauſa majoris vitandi periculi pro beneplacito regis ſtare conſenſit, quæ talis eſt.

J. Pecham Archiēp.

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint, frater Johannes *permiſſione divina* Cantuarienſis *eccleſiæ miniſter humilis, tocius* Angliæ *primas, ſalutem et pacem in Domino ſempiternam. Noverit univerſitas veſtra, quod cum nos ſpecialiter invitati à Chriſtianiſſimo domino noſtro domino Edwardo rege* Angliæ *illuſtri ut cum eo eſſemus in prandio die feſti aſſumptionis glorioſæ virginis* Mariæ, *anno Domini M. CC. lxxxix. ad ipſius inſtantiam et rogatum abbaciam monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinentis, in qua dominus rex prædictus cum ſuis proceribus tunc ſolempniter feſtivabat, cruce prævia intraremus; Confitemur et recognoſcimus de plano, quod per hoc non intendimus nec volemus abbati et conventui loci ejuſdem aliquod præjudicium generare, nec per hoc eorum privilegiis aut juribus nunc vel in poſterum in aliquo derogare, nec nobis adquirere poſſeſſionis aliquid juriſdictionis aut juris. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum die feſto et anno prædictis.*

Set eas ſigillare pars archiepiſcopi recuſavit omnino. Venerunt iterum ad abbatem ex parte archiepiſcopi archidiaconus *Cantuarienſis*, magiſter *Lucas* cancellarius archiepiſcopi, & magiſter *Reginaldus de Brandon*, ſimul cum magiſtro *Willelmo de Halcberghe* & domino *Iohanne de Lewes*; & dixerunt archiepiſcopi nomine hujuſmodi nuncium abbati. « Salutat vos dominus noſter archiepiſcopus, & quia ut ſcitis dominus rex invitavit eum ut comedat ſecum hodie in hac domo, rogat vos quatinus permittatis ut poſſit venire cum decentia ſtatus ſui & ſine præjudicio ſtatus veſtri, quia non curat præjudicare in aliquo aut contravenire libertatibus veſtris, & hoc ſi placet velitis ſic concedere aut verſus dominum regem tantum facere & procurare quatinus rex noſtrum dominum habeat excuſatum quod huc non veniat, ſet ut bene de regis licentia poſſit in domo propria remanere. Deliberante vero abbate ſuper hiis cum ſuo conſilio & reſpondente, quod voluit licet invitus ut oportuit in forma prætacta ſicut antedixerat præceptis regiis obedire. Et ſtatim miſſi ab archiepiſcopo receſſerunt. Cumque hæc poſtmodum eſſent relata domino regi per Cancellarium ſuum prædictum, deliberato conſilio mandavit rex per ipſum Cancellarium archiepiſcopo ne veniret, ſet ad cuſtum regis ipſa die extra in proprio hoſpicio remaneret. Ex quo archiepiſcopus multum offenſus, aliquaque verba comminatoria contra partem abbatis ut dicebatur proferens, remanſit ſic extra in proprio hoſpitio, & perrexit in craſtino extra villam.

§. 2. *Gra-*

dward. I. Rex.

J. Pecham Archiep.

§. 2. *Gravamina per archiepiſcopum nobis illata quia negatur ei ingreſſus.*

ET poſt pauca temporis intervalla Archidiaconus & Commiſſarius *Cantuarienſes* auctoritate cujuſdam mandati dicti archiepiſcopi eis & magiſtro *Aſelino* rectori eccleſiæ de *Eſtria* directi, abbatem apud **Sture** exiſtentem monuerunt, ut privilegia exhiberet proximo die juridico poſt feſtum S. *Clementis* in eccleſia S. *Gregorii Cant.* juxta formam dicti mandati illos diem & locum ad hoc eis dicti nuncii aſſignantes. Cujus mandati tenor talis eſt.

Frater Johannes *permiſſione divina* Cantuarienſis *archiepiſcopus tocius* Angliæ *primas, dilectis in Chriſto filiis archidiacono* Cantuarienſi, *magiſtro* Martino *Commiſſario, conſiſtorio ejuſdem loci & magiſtro* Aſelino *rectori eccleſiæ de* **Eſtre** *ſalutem, gratiam & benedictionem. Inter cætera quæ ex paſtoralis officii debito noſtris humeris inportabiliter incumbere dinoſcuntur, illa neceſſaria & majora præcipue arbitramur, quæ ſalutem principaliter animarum reſpiciunt, obloquendi materiam & ſcandalum auferunt, ac pacem tranquillitatemque ordinant & præparant ſubditorum. Sane licet religioſos viros abbatem & conventum S.* Auguſtini *civitatis* Cant. *noſtræ dioceſis iteratis vicibus ex intima viſceribus charitatis ſuper articulis infraſcriptis nunc per nos nunc per alios ſollicitari fecerimus & moneri, qui noſtris & aliorum ſuaſionibus ac monitionibus in hac parte non ſine contumaciæ nota, ut videtur, parere hactenus non curarunt, proquo contra eoſdem ad graviora procedere potuiſſemus juſtitia mediante, Cupientes tamen ſine ſtrepitu humiliter & omni qua decet manſuetudine cum religioſis agere ſupradictis, quos ſpecialis affectionis gratia proſecuti ſumus hactenus & favore, ſperantes etiam quod ducti ſpiritu ſenioris conſilii prædictam negligentiam & contemptum cautiore ſubſequente prudentia velint & affectent efficacius expiare, vobis firmiter injungendo mandamus, quatinus dictos abbatem & conventum vice & auctoritate noſtra ſolempniter citetis & competenter moneatis & exortando efficaciter inducatis, quod coram nobis aut Commiſſariis noſtris & aliorum virorum numero competenti in aliquo locò congruo & ſecuro* Cantuariæ *vel prope* Cantuariam *juxta diſcretionem veſtram eiſdem religioſis aſſignando, proximo die juridico poſt inſtans feſtum S.* Clementis *Papæ & martyris, privilegia ſedis apoſtolicæ ſeu jura alia & munimenta ſi quæ habent inſpicienda exhibeant & oſtendant, per quæ eccleſias quas in proprios uſus maxime de novo in civitate & dioceſi* Cantuariæ *habere dicuntur, de quibus in compoſitionibus dudum habitis inter bonæ memoriæ archiepiſcopos* Cantuarienſes *prædeceſſores noſtros ex parte una, & abbates & conventum dicti monaſterii S.* Auguſtini *ex altera mentio non habetur, tanquam appropriatas ſibi valeant taliter detinere, penſioneſque percipere de diverſis eccleſiis, & decimarum portiones vel precium earundem infra limites diverſarum parochiarum noſtræ dioceſis quæ propriis ſuis reguntur rectoribus, nec non per quæ privilegia ſive jura dictus abbas S.* Auguſtini *benedictionem more epiſcopali in eccleſia Chriſti civitate* Cant. *& dioceſi ac alibi in Cant. verſus communem ſolitamque ſedis apoſtolicæ indulgentiam & ſanctorum patrum ſtatuta inpendere publice debeat quod videtur in noſtri præjudicium facere non veretur. Et per quæ in eccleſiis quas in proprios uſus de novo ſeu ad firmam tenere dicuntur, idem abbas campanas in adventu ſuo pulſari facit & procurat, Iura epiſcopalia incautius ſibi in talibus uſurpando. Oſtendant inſuper et exhibeant quare nobis aut vices noſtras gerentibus obedientiam canonicam pro eccleſiis quas in propriis uſibus habere ſe aſſerunt præſtare non debeant, viſitationemque noſtram dioceſanam admittere & ſuſcipere, et ad capitula noſtra ſeu illorum qui vices noſtras gerunt in hac parte in dioceſi* Cantuarienſi *celebrata venire non curant, et quare nos ad miſſas in eodem monaſterio diebus ſolempnibus celebrandas, et pro abſolutione die cœnæ ipſius monaſterii monachis impendenda invitare ſeu rogare dedignantur, cum idem abbas et conventus ad hoc ex ſua promiſſione teneantur, prout in ſupradictis compoſitionibus plenius continetur. Immo quod abſurdius eſt, gravius & multo deteſtabilius, ingreſſum noſtrum perſonalem erecta cruce prævia infra ſepta ſui monaſterii corpora ſanctorum archiepiſcoporum* Cantuarienſium *prædeceſſorum noſtrorum in eodem monaſterio quieſcentium viſitandi cauſa ſeu peregrinandi ibidem prout ab aliis communiter moris eſt, verbumque Dei inibi clero et populo proponendo, quamquã ſine præjudicio ipſius monaſterii monachorumque ac privilegiorum eorundem ſi quæ habeant hoc facere voluerimus et proteſtati fuerimus ſæpius ex cauſis jam dictis et aliis conſimilibus quibus jus ipſius monaſterii minime læditur, multipliciter impediunt nimis irreverenter, in noſtri contemptum, eccleſiæ noſtræ præjudicium, & grave ſcandalum plurimorum. In quibus tamen omnibus executioni præmiſſorum ſeu aliquorum eorundem parati ſumus & proteſtamur libenti animo velle cedere prout ex tenore privilegiorum ſuorum ſi quæ ſint cum ea exhibuerint liquide nobis poterit apparere, qualiter prædicti abbas & conventus, jus ſpeciale & ſufficiens habeant in præmiſſis ſeu ad prædicta vel eorum aliqua quocumque jure communi vel privato minime teneantur. De die autem receptionis præſentium & qualiter hoc mandatum noſtrum fueritis executi & cujuſmodi reſponſum receperitis in præmiſſis, infra menſem à tempore receptionis harum nobis plene, fideliter & diſtincte conſtare faciatis per veſtras literas patentes harum ſeriem continentes. In quibus exequendis ſi non omnes intereſſe poteritis, duo veſtrum tertio minime expectato faciant nichilominus quod mandatur. Valete. Dat. apud* **Mortelak** *iiij. idus Octobris.*

An. Dñi 1289. Anno Domini M. CC. lxxxix. Ordinationis noſtræ xi. Abbas vero archiepiſcopum, ſuum non eſſe judicem proponens, nec ſe teneri ſuo obtemperare mandato, ſtatim ex hujuſmodi gravaminibus viva voce ſedem apoſtolicam appellavit, dictique archidiaconus & Commiſſarius conſulerunt abbatem ut ipſe ſano conſilio iterum ſub via pacifica plenius reſponderet. Abbas hoc annuit, ut per viam amicitiæ & pacis maturius reſponderet. Miſit ergo fratrem *H. de Cokeryng* theſaurarium ſancti *Auguſtini* ad archiepiſcopum, qui poſt multa verba obtinuit ut ſcriberetur, ſub litera tamen clauſa & ſigillo indorſata, archidiacono & commiſſario ſupradictis quod omnia prædictum mandatum & abbatem contingentia conquieſcerent uſque adventum archiepiſcopi

in

Edward. I. Rex.

in *Kanciam*, & fuit tenor literæ talis. *Salutem. Ad preces & inſtanciam domini abbatis ſancti* Auguſtini Cant. *volumus & mandamus, quod omnia quæ dictum abbatem & monaſterium ejuſdem contingunt auctoritate noſtra vobis alias demandata exnunc conquieſcant, donec ad partes illas venerimus, quod propter quadam negotia alia eccleſiæ noſtræ erit in brevi Domino concedente. Speratur enim quod per viam pacis & concordiæ expediri poterunt ſupradicta. Valete.*

Set illi nolebant facere abbati copiam hujus literæ ſibi miſſæ. Cumque die & loco præfixis, ſcilicet ad ſanctum *Gregorium* domini archidiaconus & commiſſarius nichilominus poſt veniſſent, occurrit eis ibidem dictus frater *H.* ſciturus ab eis quid intenderent tunc ibidem. Et ipſis reſpondentibus quod nichil ſuper aliquo tangente monaſterium S. *Auguſtini*, ſet ut ea omnia conquieſcerent ſicut ſupra, & quod ob aliam certam cauſam ibi venerant, rediit domum dictus frater *H.* & *Johannes de Cambio* clericus & procurator remanſit illuc uſque ad horam nonam, & tunc ſub teſtimonio publici notarii procuratoris nomine proteſtabatur, publico inſtrumento inde plenius poſtea confecto.

Poſtea die Mercurii proximo ante feſtum ſancti *Vincentii* martiris anno Domini ſupradicto, juxta formam prælocutionis inter dominum archiepiſcopum *Cantuarienſem* & abbatem poſt aliquas præmiſſiones venit abbas perſonaliter ad archiepiſcopum apud **Lambeth** tunc exiſtentem: & convenientes tunc ibidem in camera ſua; præmiſſa ſalutatione, abbas ſic dixit archiepiſcopo: Domine, nos venimus nunc hic ad vos ut amicum noſtrum ſi placet per viam bonæ pacis & concordiæ, multum optantes tranquillitatem & quietem veſtram quantum in nobis eſt, & rogamus quatinus vellitis audire benigne quendam hic *J.* de noſtris dicenda noſtra ſi placeat. Archiepiſcopus reſpondit, Bene placet nobis. Et tunc magiſter *Salvagius* clericus abbatis propoſuit in hunc modum.

« Domine pater reverende, dominus abbas qui
« hic eſt non venit huc coram vobis ut ad judicem
« vel figura judicii &c. ſet ut homo pacis, & tran-
« quillitatem & pacem veſtræ conſcientiæ multum
« affectans, & juxta quod alias amicabiliter præ-
« locutum fuit placet, ad ſerenandam conſcientiam
« veſtram & placandam oſtendere vobis coram cle-
« ricis veſtris quæ per ipſum fuerunt oſtendenda.

Et tunc dictus abbas exhibuit literam procurat. magiſtri *H. de mortuo Mari*, cujus copiam tantum habuit archiepiſcopus, & ſuper quinque eccleſiis **Preſton**, **Tenterdene**, **Sellyng**, ſancti *Pauli Cantuariæ* & **Plumſted** tranſcripta bullarum appropriationis ſub ſigillis dicti officialis *Cantuarienſis* & epiſcopi *Roffenſis* coram archiepiſcopo, magiſtro *Luca* aliiſque multis. Quibus viſis archiepiſcopus in parte viſus eſt ſe contentari.

Ut autem præſcriptis articulis archiepiſcopi conſultius in futurum reſponderetur, dominus abbas ex quorundam peritorum conſilio rationes eiſdem articulis coreſpondentes in ſcripturam quæ ſequitur provida deliberatione redigere mandavit. Ad primum ſic, quod mandatur ut oſtendat privilegia ſedis apoſtolicæ & alia munimenta ſuper eccleſiis appropriatis de novo de quibus in compoſitione S. *Edmundi* non fit mentio, videtur quod dominus papa ſuper hiis ſic ſuæ appropriationis indulgentiam ſcienter

J. Pecham Archiep.

ordinaverit, ut dioceſani vel cujuſcunque alterius conſenſu minime requiſito poſſent ingredi libere & habere, vicario omnia epiſcopalia & alia onera ſuſtinente, dummodo ſuper hiis in continua & pacifica poſſeſſione quam non eſt credibile ſine ſufficienti examinatione & ratione habuiſſe principium & tanto tempore eſſe permiſſum, & vicariorum condicio aliis vicariis diſſimilis, & à dioceſanis ſcienter & ſæpius appropriabatur. *De Penſionibus*, de diverſis eccleſiis nobis præſtitis & de particularibus portionibus decimarum quas in diverſis parochiis optinemus quo jure hæc. Licet hujuſmodi ab aliquo qui longiſſimis temporibus competenti titulo hæc poſſedit non ſit quærendum de jure, veruntamen ut ſatisfaciat ſuper his quærentis reverenciæ, compoſitio magiſtri *M.* archidiaconi ſpecificat manifeſte; & præterea penſiones recipimus tantum de eccleſiis jure noſtri patronatus. *De Benedictione abbatis*, in magna compoſitione fit mentio per quam non reſtringitur nec mutatur, & ideo ſtare non prohibetur; præcipue cum hoc in dicto abbate nemini præjudiciale exiſtit, ſicuti nec in alio benedicente per dioceſim tranſeunte dum archiepiſcopus non ſit præſens. *De Pulſatione contra abbatem*, tam illa compoſitio *M.* archidiaconi quam alia magna compoſitio plenam facit mentionem. *De Obedientia abbatis*, ratione eccleſiarum apropriatarum & quare ad capitula ſua in dioceſi celebrata non venit, & quare viſitationem ſuam tanquam dioceſani non admittit. Hæc omnia cum ſint epiſcopalia, aſſenſu ordinarii vicarii ſuſtinent onera tam de privilegio quam de facto, & ſumus omnino ſuper hiis à tempore quo eas ſumus adepti in poſſeſſione quieta & continua libertate. *De invitatione* ad miſſas celebrandas quia in diebus ſolempnibus uti habet pallio & aliis inſigniis archiepiſcopalibus, quibus non niſi in eccleſiis ſibi commiſſis et ſubjectis uti debet: unde in eccleſia ſancti *Auguſtini* miſſas celebrare non debet, cum eam à ſua juriſdictione conſtet eſſe exemptam. *De Abſolutione* monachorum &c. quia non habet poteſtatem in eos, nec eos poteſt abſolvere, nec ligare ad prædicandum populo &c. quia plus hoc convenit facere in propria eccleſia quam non ſua. *Ad ultimum*, ſuper crucis delatione hoc videtur eſſe juriſdictionis & ſubjectionis indicium; unde nos exempti in locum noſtrum ſibi non ſubjectum cum hujuſmodi inſigniis ipſum ſane admittere ſalvo ſtatu noſtro non poſſumus, licet proteſtationem fecerit; quam quidem proteſtationem quaſi contrario facto ſuo ſublatam tamen propter exemplum populi noſtris immunitatibus ſufficere nullatenus reputamus. Iſtis reſponſionibus coram archiepiſcopo propoſitis, & quodamodo per eaſdem ſatisfactus, à citationibus manum retraxit, & abbas quantum ad ipſum dimiſſus eſt in pace, die comparitionis eidem nullatenus aſſignato.

§. 3. *Proceſſus cum rectore de* **Waldwarſare.**

An. Dñi 1289.

ANno Domini ſupradicto ſcilicet M.CC.lxxxix. habitus eſt proceſſus contra rectorem de **Waldwarſare.** Qui rector tam in capitulis archidiaconi quam alibi querelam deponens contra fratrem *Martinum* tunc elemoſinarium iſtius eccleſiæ ſuper occupatione quarundam decimarum de quibuſdam hamelettis, videlicet **Mendetre**, **Eſtſole**, **Weſtodwold** & **Eſſele** provenientium, ipſum elemoſinarium

Edward. I. Rex.

moſinarium aſſerentem dictas decimas & omnia jura parochialia inhabitatoribus dictorum locorum, ac præcipue omnes oblationes & obventiones ad eccleſiam de Norborne qualitercumque provenientes ad ipſum elemoſinarium & vicarium ejuſdem taliter ſimul cum cantaria ſpectare debere, & quod ſic ſpectant & ſpectabant ab antiquo pacifice, publice, & notorie, nec dimiſiſſet in pace, optenta fuit quædam litera conſervatoria decano de *Sandwico* directa; per quam præcipiebat eidem & in virtute obedientiæ mandavit, quatinus dictum *Stephanum* rectorem ſupradictum moneret legitime & efficaciter induceret, ut de omnibus præmiſſis ablatis, ſæpedictis religioſis plene ſatisfaceret infra menſem, inhibens eidem ne in eos vel eorum eccleſias de cætero plus attemptet. Quod ſi monitionibus & inhibitionibus ſuis parere contempſerit, ipſo facto ab officio & beneficio idem conſervator ſuſpendit, mandans eidem decano quod ipſum in ſingulis eccleſiis decanatus ſui ſingulis diebus dominicis & feſtivis quouſque condigne ſuper illis ſatisfecerit, ſuſpenſum faceret nunciari. Set executione ejuſdem literæ ad tempus dilata, idem rector pendente dilatione procuraverat ab archidiacono quandam literam in forma communi contra omnes parochianos ſuos ad ſolvendum ſibi ea quæ ab eis elemoſinarius exigebat. Et tunc auctoritate prædictæ conſervatoriæ ipſe *S.* rector publice diebus feſtivis in vicinis ibi eccleſiis ab officio & beneficio fuit denunciatus ſuſpenſus. Et ipſe divinis ſe immiſcuit nichilominus ſic ligatus. Interim autem impetrata fuit alia conſervatoria eidem decano directa, cujus tenor talis eſt.

Abbas eccleſiæ ſanctæ Crucis de Waltham *&c. Cum vos alias ad mandatum noſtrum, immo verius apoſtolicum* Stephanum *rectorem de* Wal. *monueritis & induxeritis, ut dictis abbati & conventui ſancti* Auguſtini *ſuper majoribus & minoribus decimis ac aliis juribus parochialibus ipſos religioſos & eorum eccleſiam de* Norburne *ſpectantibus & per ipſum rectorem ablatis & invaſis plenarie ſatisfaceret infra menſem à die confectionis mandati noſtri, & quia monitionibus & inhibitionibus præmiſſis parere contempſerit, ipſum denunciaveritis eſſe ſuſpenſum. Et quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna, vobis in virtute obedientiæ qua ſedi apoſtolicæ tenemini, & ſub pœna cohercionis canonicæ firmiter injungimus & mandamus quatinus ſingulis diebus Dominicis & feſtivis in ſingulis eccleſiis decanatus veſtri inter miſſarum ſolempnia publicetis adhuc ex habundanti, quod rector ille de ablatis ſatisfaciat ſub pœna excommunicationis majoris quam in hac parte ſi non paruerit exnunc ut extunc in eundem rectorem proferimus in hiis ſcriptis. Vobiſque injungimus & mandamus, ut poſt lapſum menſis ipſius ipſum rectorem cum ſolempnitate præmiſſa niſi ſatisfecerit pulſatis campanis, candelis accenſis ſic excommunicatum eſſe denuncietis, & denunciari faciatis.*

Iſtis ſic habitis, idem rector pro tuitione curiæ *Cantuarienſis* ſedem apoſtolicam appellavit, procurans ab officiali curiæ *Cantuariæ* ſcribi & mandari eidem decano & ſibi inhibendo, ne pendente in curia *Cantuarienſi* hujuſmodi tuitorio appellationis negotio quicquam in præjudicium rectoris appellantis attemptare faceret quo minus haberet liberam appellationis ſuæ proſecutionem; & eciam citaret abbatem & conventum ſancti *Auguſtini* & vicarium de N. quod comparerent coram ipſo ſeu commiſſario in eccleſia beatæ *Mariæ* de arcubus in dicto tuitionis negotio facturos & recepturos quod poſtulaverit ordo juris. Die adveniente & rectore prædicto per procuratorem in conſiſtorio de arcubus comparente, & non parte abbatis, poſt proclamationem, propoſuit magiſter *Salvagius* clericus abbatis non ut procurator ſet ut amicus, quod dictus abbas & conventus cum ſuis ita ſunt exempti quod non debebant nec volebant ibi vel alibi coram eis ſuper aliquo reſpondere, nec eciam ſuper hiis privilegia ſua exhibere. Interim autem impetrata fuit alia litera ab abbate S. *Edmundi* conſervatore inhibitoria, ne officialis *Cantuarienſis* & decanus de arcubus eidem rectori de Wal. tuitionis beneficium conferrent aut partem abbatis contra ſua privilegia in aliquo gravarent, ſet ipſos ſecundum libertatis & exemptionis ſuæ exigenciam ab omni judiciali examine libere dimitterent, cum nullo jure vel conſuetudine poſſent in eos juriſdictionem aliquam ſeu poteſtatis exercicium abſque ſedis apoſtolicæ ſpeciali mandato & expreſſe ad eos directo aliquatenus vendicare, quorum privilegiorum contravenientes ſine dubio per multa *Romanorum* pontificum privilegia excommunicationi aſſeruit ipſo facto ſubjacere.

J. Pecham Archiep.

§. 4. *Tractatus de pace cum eodem rectore de* Walmarſare.

DIe vero in conſiſtorio de arcubus adveniente, & tractatu de pace ſuper hiis præhabito extra judicium in aula domini epiſcopi *Londonienſis*, præmiſſa ceperunt dilationem in hunc modum, videlicet quod partibus juratis de ſtando dicto & ordinationi magiſtri *Iohannis de Selvynſton* officialis *Londonenſis* & alterius ex parte dicti abbatis ſuper prædictis, illi duo terminatores citra Paſcha proximum perſonaliter accedent ad locum, & diligenter examinabunt et videbunt per vicinos et illos qui inde magis ſciunt, ad quem illa de quibus eſt quæſtio de jure ſpectare deberent, et partes ſtarent ſuper hiis in omnibus dictis eorum, & quæcunque apparuerunt medio tempore & à tempore querelæ injuſte percepta parti cui de jure debentur, plenarie ab altera refundentur.

An. Dñi 1290.

Anno Domini M. CC. lxxxx. dominus *Thomas* conceſſit domino regi in feſto tranſlationis beati *Edwardi* quinquaginta pſalteria duo milia CCC. & 4. miſſas pro animabus progenitorum ſuorum & reginarum *Angliæ*. Milleſimo CC. iiij^{xx}. x^{o}. Commutatio facta eſt inter dominam *Elianoram* conſortem regis *Edwardi* & conventum *Cantuariæ* de diverſis terris ab eadem receptis pro portu & villa *Sandwici*. Et anno ſequenti data eſt domino regi xv^{a}. omnium temporalium & ſpiritualium totius *Angliæ* circa feſtum ſancti *Andreæ* apoſtoli: unde xv^{a}. concernens abbathiam ſancti *Auguſtini* de bonis eorum mobilibus ſecundum veram taxationem eorundem in omnibus maneriis ſuis Cxxxvij. li. xv. s. xj. d. q.

§. 5. *De redditu in* Natyngdon *inter nos & Priorem eccleſiæ Chriſti.*

EOdem anno facta eſt finalis concordia inter abbatem S. *Auguſtini* querentem & *H.* Priorem eccleſiæ Chriſti *Cant.* deforciantem de vj. s. iij. d. annui

Edwar. I. Rex. annui redditus cum pertinentiis in **Patindon**; tandem prædictus Prior recognovit prædictum redditum cum pertinentiis eſſe jus ipſius abbatis & eccleſiæ ſuæ prædictæ, & illum remiſit & quietum clamavit de ſe & ſucceſſoribus ſuis prædicto abbati & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum; & prædictus abbas & ſucceſſores ſui receperunt ipſum Priorem & ſuos ſucceſſores in ſingulis orationibus & beneficiis quæ de cætero fient in eccleſia ſua imperpetuum.

§. 6. *Recordum ſuper eccleſia de* **Norborne**.

An. Dñi 1292. ANnno Domini M. CC. xcij. xiiij. kal. Maii archidiaconus *Cantuarienſis* habuit in mandatis à dominis *Wyntonienſi* & *Lincolnienſi* epiſcopis collectoribus decimæ terræ ſanctæ ad inquirendum an fructus & proventus eccleſiæ de **Norborne** elemoſinariæ ſancti *Auguſtini* apropriatæ, qui ad lx. marcas ſunt taxati, in uſus pauperum & infirmorum ſecularium & ſororum totaliter convertantur, & an de præfata eccleſia ſit decima exigenda vel non: Unde idem archidiaconus auctoritate mandati ſibi directi; ſuper omnibus articulis, per rectores vicarios decanatus de *Sandwico*, in quo eccleſia de **Norborne** eſt ſituata, & per xxiiij. viros utique maturos fide dignos & juratos, tam de parochia prædicta de **N.** quam eciam de iiij. parochiis adjacentibus, inquiſitionem fecit diligentem, Qui omnes & ſinguli dixerunt per ſacramentum ſuum, quod eccleſia de **Norborne** elemoſinariæ ſancti *Auguſtini* eſt & fuit ab antiquo apropriata, ac fructus & proventus ejuſdem in uſus pauperum & infirmorum ad eandem elemoſinariam undecumque confluentium ac ſcolarium & ſororum in eadem continue exiſtentium ſpecialiter & totaliter convertuntur: adicientes, quod idem fructus una cum quibuſdam bonis temporalibus ad hoc aſſignatis non ſufficiunt, quin oporteat dictum elemoſinarium annuatim mutuo recipere aliquando iiij^{xx}. ſummagia bladi, aliquando plus pro dicta elemoſinaria ſuſtinenda, una cum adjutorio elemoſinæ domini abbatis & alibi provenientis. Dixerunt eciam quod dicta eccleſia fuit taxata & decima ab eadem petita, nunquam tamen fuit ſoluta. Et ordinatio vicariæ de **Plumſted**.

§. 7. *Compoſitio cum abbate de* **Faverſham**.

1293. ANno ſequenti fuit quædam Compoſitio edita inter abbatem ſancti *Auguſtini* & abbatem de **Faverſham** in hunc modum.

Noverint univerſi præſens ſcriptum viſuri vel audituri, Quod cum inter venerabiles & religioſos viros abbatem & conventum ſancti Auguſtini *eccleſiam de* **Faverſham** *parochialem in proprios uſus optinentes, & abbatem & conventum ſancti* Salvatoris *de* Faverys, *ſuper dampnis & injuriis prædictis abbati & conventui ſancti* Auguſtini *illatis in quibuſdam decimis in campo prædictorum abbatis & conventus de* **Faverſham** *ex parte boriali dictæ eccleſiæ parochialis de* **Faverſham** *provenientibus, & per impedimentum prædictorum abbatis & conventus de* **Faverſham**, *ut dicebatur, conſumptis; nec non ſuper jure, uſu & poſſeſſione itineris quærendi & educendi blada, ac eciam omnimodas decimas de campo prædicto more ſolito & conſueto, diſſenſionis materia orta eſſet: Tandem communibus amicis intervenientibus & ad concordiam partium prædictarum ſtudioſe laborantibus, hujuſmodi diſſenſio conquievit in hunc modum; videlicet quod præfati abbas & conventus de* **Faverſham** *pro bono pacis ſatisfecerunt abbati ſancti* Auguſtini *ſuper decimis prædictis conſumptis præſtatione unius ſummæ frumenti, & ſuper omnibus aliis dampnis & expenſis quæ & quas fecerunt & ſuſtinuerunt occaſione hujuſmodi diſſenſionis motæ quæ ad x. marcas æſtimabantur, partes prædictæ reſervarunt & reliquerunt arbitrio domini* H. *Prioris eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *ordinandum, ſolvendum, vel relaxandum ſeu reſtituendum. Conceſſerunt eciam præfati abbas & conventus de* **Faverſham** *pro ſe & ſucceſſoribus ſuis eccleſiæ* S. Auguſtini, *quod liceat abbati & miniſtris ſuis decimas hujuſmodi de campo prædicto abſque contradictione vel inpedimento quolibet plene & libere requirere, percipere, & educere tempore autumpnali per portam dictorum abbatis & conventus de* **Faverſham** *quæ eſt à parte boriali ejuſdem campi, quouſque idem abbas & conventus de* **Faverſham** *de aliquo alio itinere competenti & idoneo prædictis abbati & conventui ſancti* Auguſtini *ad cariandum hujuſmodi decimas, ſcilicet tempore prædicto providerint. Nec poterunt prædicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini *vel eorum ſucceſſores aliquid juris vel proprietatis eundi vel redeundi per portam prædictam ſeu iter prædictum, cum ſibi proviſum fuerit de itinere hujuſmodi competenti, in poſterum exigere vel vendicare occaſione prædicta, niſi ſolummodo liberum ingreſſum & egreſſum tempore autumpnali quærendi & educendi decimas prædictas prout ſuperius eſt expreſſum.*

J. Pecham Archiep.

§. 8. *Publicatio privilegii per Priorem ſancti* Auguſtini.

ANno ſupradicto Prior S. *Auguſtini* & decanus *Cantuarienſis* ad mandatum Conſervatorum privilegiorum noſtrorum, ob vexationes adverſariorum & ad cautelam futurorum, coram officiali domini archidiaconi & de **Weſtbere**, de **Bregge** & *Sandwico*, **Elham**, **Lymene**, **Cherring**, & de **Oſpringe** decanis, & coram aliis multis in capitulo ſancti *Auguſtini*, Dominica j^{a}. poſt octavas Epiphaniæ, privilegia ſcilicet beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli primi *Cant.* archiepiſcopi, ac *Romanorum* pontificum *Bonifacii*, *Agathonis*, *Celeſtini*, *Calixti*, *Innocentii*, *Vrbani*, *Eugenii*, *Lucii*, *Alexandri*, *Gregorii*, *Innocentii*, *Alexandri* & *Honorii* aperte recitarunt & ſolempniter publicarunt, ita videlicet quod monaſterium ſancti *Auguſtini*, abbas & fratres cum pertinentibus ad eoſdem exempti ſunt omnino à quorumlibet Ordinariorum juriſdictione, ſubjectione, & poteſtate, ac ſpecialiter à domini *Cantuarienſis* archiepiſcopi officialis & archidiaconi ejuſdem, necnon à cujuſlibet alterius judicis legati delegati præter ſedis apoſtolicæ ſpeciale mandatum ad dictos religioſos nominatim directum plenam & expreſſam de indultis hujuſmodi faciens mentionem. Et quod idem religioſi, res, poſſeſſiones, homines & clerici eorundem, apoſtolicæ ſedi inmediate ſubjecti & non alteri. Et quod privilegia hujuſmodi contravenientes ſcienter cum ſuis fautoribus canonica monitione præmiſſa per prædictum ſanctum *Auguſtinum* ſocioſque ſuos *Laurentium*, *Mellitum*, & *Juſtum Cantuarienſes* archiepiſcopos excom-

Edward. I. Rex.

J. Pecham Archiep.

excommunicati, ac per ſupradicta privilegia apoſtolicam eciam indignationem incurrunt ab officio cleri ſubmoti, à communione Sanctorum alieni, proprioque privati officio excommunicationi ſubjaceant eo ipſo. Et quod eccleſias de **Menſtre, Chiſtelet, Nordborne, Middelton & Faverſham**, cum capellis non valeat Ordinarius interdicere vel ſuſpendere quoquo modo. Et quod in aliis eccleſiis ſibi apropriatis una cum iſtis non ipſi religioſi, ſet ſui ipſorum locorum vicarii debent Ordinariis de oneribus ordinariis teneri & juribus epiſcopalibus reſpondere. Set ſuper cuſtodia vacantium eccleſiarum noſtri patronatus decedentibus perſonis vel vicariis eccleſiarum prædictarum, claves earundem in capitulum noſtrum deferri, & cuſtodia & obventiones prædictarum eſſe in manu abbatis & conventus, donec perſonæ vel vicarii archiepiſcopo ad eaſdem fieret præſentatio tam antiqua quam moderna experta tradit uſitatio. Set & ſuper privilegiis *Innocentii* papæ iiij. hic ſuperius ad mandatum conſervatorum ut prætactum eſt publicatis, *Thomas* Prior eccleſiæ Chriſti *Cant. Guydo* Prior S. Gregorii, & *Thomas* decanus Chriſtianitatis ejuſdem civitatis eadem privilegia inſpexiſſe ad certitudinem futurorum teſtati ſunt. Horum privilegiorum tenores ſic ſe habent, Innocentius *epiſcopus &c. Abbati & Priori ſancti* Edmundi *&c. Exigentibus dilectorum filiorum:* & infra. Item, Innocencius *epiſcopus &c. Abbati & Priori ſancti* Edmundi *&c. Merita devotionis:* & infra. Item, tercium privilegium ejuſdem ad eoſdem, *Devotionis dilectorum filiorum:* & infra.

§. 9. *Statutum de Religioſis.*

An. Dñi 1293.

ANno Domini M. CC. xciij. *Edwardus* rex æmulorum ſanctæ eccleſiæ inſtigatione circumventus ſtatuit & conſilio procerum ſuorum ordinavit, quod nullus religioſus aliqua tenementa emere vel vendere, vel ex dono alicujus aliquid percipere, aut alio qualicunque modo, arte vel ingenio quicquam adquirere, & ſi ſecus à quoquam religioſo fuerit attemptatum, liceret domino regi illud ſic adquiſitum, emptum vel datum per eſcaetorem ſuum ingredi & in perpetuum tenere in feodo & hæreditate.

Heu, heu, pro dolor! quomodo non ſolum periit tunc liberalitas illa Deo grata, qua devoti reges, proceres, cæterique fideles pro magno deſiderio habuerant religioſos fundare, prædia & poſſeſſiones in honorem Dei liberaliſſime conferre, & ipſos tueri: Verum extunc opere hujus caritatis palam tabeſcente, & unoquoque manum ſuam à talibus beneficiis retrahente, non ſolum poſſunt religioſi quicquam novum adquirere, quineciam nec antiquis ſuis poſſeſſionibus propter oppreſſionem laicorum, ne dicam magnatum, proſpere ut laici gaudere, ſet hiis noviſſimis temporibus ſapientes hujus ſeculi horum proſperitati invidentes, ſuæque fraudi conſulentes, univerſos religioſos ne ſic oblata acceptarent, & quod nequius eſt, ſibi quicquam apropriarent, per decretum & ſeniorum judicium, ut dictum eſt, coartarunt, & ſic de eis veraciter poſſet dici, quod egreſſa fuit iniquitas à ſenioribus judicibus qui filiam *Iſrael*, puta eccleſiam, nequiter condempnaverunt.

Eodem anno *Edwardus* rex præcepit vicecomiti, quod in pleno comitatu publice proclamare faceret, Quod omnes illi qui habent cartas de libertatibus poſt tempus allocationum prædictarum anno xviij. regni regis *Henrici* factarum, tam tempore progenitorum ipſius regis quam tempore ſuo, quod ipſas cartas ſub foriſfactura habeant coram Theſaurario & Baronibus ſcaccarii ipſius. Hujus prætextu mandati abbas *Thomas* per fratres *T.* de *Sellyng*, *J.* de *Barnevyle* commonachos, & *Philippum* de *Hynkbrigge* clericum, oſtendit cartas ſuas de libertatibus ſuis ad ſcaccarium *Weſtmonaſterii* coram magiſtro *Willelmo de Marchia Bathonienſi & Wellenſi* epiſcopo tunc domini Regis Theſaurario, dominis *Philippo de Wyleby* Cancellario de ſcaccario, *W. de Carleton & Petro de Leiceſtre* ejuſdem ſcaccarii Baronibus, & multis aliis; videlicet cartas ſancti *Edwardi*, regis *Willelmi* primi, *Henrici* primi, *Henrici* ſecundi, *Ricardi*, *Johannis*, & *Henrici* tercii, & ibidem collatione facta dimiſerunt ſupradicti attornati abbatis tranſcripta dictarum cartarum penes Theſaurarium & Barones memoratos.

Anno ſupradicto dominus rex diligenter fecit inquiri ubique in Chronicis & Annalibus, tam domorum religioſorum quam alibi, de jure & dominio quod reges *Angliæ* ſolebant habere ſuper regnum *Scotiæ*, & de homagio & ſervicio quod reges *Scotiæ* facere conſueverunt regibus *Angliæ*. Et ne illa oblivionis nebula in poſterum delerentur, juſſit in Chronicis noſtris perpetualiter annotari.

§. 10. *Miraculum* Mildredæ *pro manerio de* **Menſtre.**

An. Dñi 1294.

ANno Domini M. CC. xciiij. ad ſuggeſtionem æmulorum eccleſiæ Dei peciit dominus rex verſus abbatem S. *Auguſtini* maneria de **Menſtre & Langeport, Chiſtelet, Sturre & Salmanſton** cum pertinentiis ut jus ſuum per quinque brevia de recto, dicens quod dominus *Henricus* rex pater domini regis *Ricardi* conſanguineus ſuus, de prædictis maneriis ſeiſitus fuit tempore pacis, & de ipſo domino *Henrico* rege deſcendit *Ricardo* regi ut filio & hæredi, quo ſine hærede defuncto deſcendit jus regi *Iohanni* ut fratri & hæredi; & quod tale ſit jus domini regis paratus eſt verificare.

Igitur iiij. idus Julii acceſſit *Cantuariam* rex *Edwardus* cum domino *I. de Berewych.* & aliis Juſticiariis ſuis ſuper prætacta materia per brevia de Waranto & de Recto proceſſuri, & eccleſiam *Auguſtinenſem* manerio de **Menſtre** dampnabiliter privaturi; & antiquum hoſpitium ſuum relinquens, in eccleſia Chriſti reverenter ſuſceptus eſt. Nocte ſiquidem quæ almæ *Mildredæ* digno tranſitu illuſtratur, videbatur regi in ſompnis à *Flandria* navigio *Angliam* advenire. Set & per pelagus tantis tempeſtatibus & procellis quaſſatus eſt, quod & videbatur ei abſortibus maris incontinenti deperire. Juſſit igitur ut inſulæ *Thanetenſium* quo citius poterant navim applicarent, quæ inſula viſum ſibi fuit fore vicina: ſet & dum locum affectatum quaſi adeptus eſſet, aſtitit ſuper litus regia virgo veſtitu circumdata moniali, & baculo ſuo roſtrum navis fluctibus maris per vices reipellens, ita quod videbatur ipſo regi in januis mortis fore conſtitutum; ſet inter iſta rex in hanc vocem prorupit. « O tu famula Dei! ecce adeſt nobis mortis periculum, & nos non ſinis applicare, ſet noſtram vitam infelicem hiis fluctibus proponis terminare. Ad hæc ſancta virgo. « Cum tu rex terram iſtam quæ

Edward. I. Rex.

« mea eſt à domo requieſcionis meæ craſtina die auferre diſponis, ſcias te beneficio iſtius terræ ab inſtanti periculo liberari non debere. Igitur ſpiritu conturbato & ſimiliter ſtrepitu ſignorum quæ more principali in monaſterio ſancti *Auguſtini* in matutinis laudibus pulſabantur rex expergefactus, cubicularium advocavit, quare & ubi eſſet iſte ſonitus inquiſivit. Ad hæc ille : O domine mi rex ! iſte ſonitus in eccleſia ſancti *Auguſtini* ob annualem ſolempnitatem ſanctæ *Mildredæ* ibidem tumulatæ conſtat haberi, quæ abbatiſſa in monaſterio de **Menſtre** extitit prima. Certe, inquit rex, illa eſt quæ per viſum michi apparuit, & in ſompnis plurimum me conturbavit. Quid plura ? Mane autem facto miſit idem rex unum militem de camera ſua ut interdiceret Juſticiariis antedictis ne ſuper breve illoſ forent ulterius proceſſuri. Quod cum ſic ex parte regis nunciatum fuiſſet, unus veritatis inimicus ſic proterve reſpondit, O ſapientia regis ! nos commodum ſuum affectamus, & quod in hac parte nobis incumbebat ſolliciti eramus, & negotium quaſi debito fine concludimus, & ecce conſilio minus provido jam decretum eſt ſuperſedere. Si vero ſuper iſtis pauliſper procederemus, in medulla *Canciæ* cum incorporaſſemus. Nunciatum eſt domino abbati quod celebraret regi miſſam ſolempnem ad tumbam ſanctæ *Mildredæ*, & quod vocem ſuam ob præſentiam & reverentiam regis unam notam cantando exaltaret. Ad hæc abbas : O kariſſime ! bene nos & fratres noſtri merito & perpetualiter poſſumus lugere, ſcito pro certo quod cantus me non delectat, regiis tamen mandatis prout debemus volumus complacere. Volens igitur abbas faciem regis ſpiritu humilitatis prævenire, præcepit ut quiſque monachus alba indueretur ; & ita à gradu qua ad corpora Sanctorum aſcenditur uſque ad hoſtium clauſtri proni in terram vultu regio ſe oſtenderunt. Novitate cujus rei rex obſtupefactus, interrogavit abbatem cur ita monachi ſic ſe haberent. Cui ille : O domine mi rex ! irruit ſuper nos formido & pavor in magnitudine decreti tui, cum à maneriis noſtris nobis à regibus *Anglorum* antiquitus collatis ſumus auferendi. Cui rex: Confortamini, inquit, devoti mei, & nolite timere, proxima eſt conſolatio veſtra ; hæc vero mutatio dexteræ excelſi. Quibus auditis, monachi ſpiritum conſolationis aſſumpſerunt, & miſſam feſtivalem peregerunt. Qua finita, rex abbati viſionem ſuam narravit ; & ob reverentiam Sanctorum iſtius cœnobii maneria quæ calumpniatus eſt eiſdem in præſenti perpetualiter confirmavit, cujus tenor talis eſt.

EDWARDUS *&c. Sciatis quod cum nos maneria de* **Langport, Chiſtelet, Sturre, Menſtre** *&* **Salmanſton** *in comitatu* Kantiæ *cum pertinentiis nuper in curia noſtra coram dilectis & fidelibus noſtris* Johanne de Berewyk *& ſociis ſuis Juſticiariis noſtris itinerantibus in eodem comitatu per brevia noſtra de Recto verſus dilectum nobis in Chriſto abbatem ſancti* Auguſtini Cant. *petiviſſemus ut jus noſtrum : Nos caritatis intuitu & ob reverentiam prædicti Sancti remiſimus pro nobis & hæredibus noſtris præfatis abbati & conventui loci prædicti omnem actionem quam erga eundem abbatem habuimus in maneriis prædictis cum ſuis pertinentiis quibuſcumque, Volentes & concedentes pro nobis & hæredibus noſtris quod prædicti abbas & conventus habeant & teneant maneria prædicta cum ſuis pertinentiis ut jus eccleſiæ ſuæ prædictæ ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſicut ea habuerunt & tenuerunt ante impetrationem brevium noſtrorum prædictorum ſine occaſione vel inpedimento noſtri vel hæredum noſtrorum inperpetuum.* Ob quam cauſam juſſum eſt per *Angliam* ab executione hujus brevis tam de waranto quam de recto manus continere. Propterea quamplurimi dicti regni religioſi talem providentiam divinam experti, *Cantuariam* uſque proficiſcentes, almam *Mildredam* actionibus gratiarum quam devote obſequuntur. Eodem anno in vigilia tranſlationis ſancti *Auguſtini* fuit magiſter *Robertus de Wynchelſe* in *Romana* curia conſecratus.

Robertus Archiep.

§. II. *Penſio conceſſa* Nicholao *quondam Abbati.*

ANno ſupradicto abbas *Thomas* communi conſenſu caritatis intuitu conceſſit domino *N.* quondam abbati loci iſtius annuam penſionem in iſta forma :

Univerſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis Thomas *permiſſione &c. Noverit univerſitas veſtra, quod cum venerabilis & dilectus noſtri monaſterii quondam abbas, videlicet dominus* N. *dictus* de Spina *dudum ob cauſam & frugem tranquillioris vitæ ducendæ ſe ad ordinem* Cartuſienſem *tranſtulerit, ibique poſtea ex ordinis ejuſdem auſteritate aliiſque eventibus debilitatem, ut audivimus, non modicam incurrerit & langorem ; Nos eidem in Chriſti viſceribus compatientes intuitu caritatis eidem ex mera noſtra liberalitate concedimus, promittimus, atque damus per has literas noſtras patentes ſingulis annis quoad vixerit x. marcas ſterlingorum. Volentes & intendentes ſpecialiter in hoc facto quod ſupradicta pecunia in ſubventionem & conſolationem prædicti domini* N. *convertatur, ſuo Priore mediante ſeu providente prout melius juxta illius ordinis regulam ſeu eciam regulæ permiſſionem ad ejuſdem* Nicholai *adjutorium & levamen poſſit converti.*

Et nota quod iſte *Nicholaus* ſupradictus ad ordinem *Cartuſienſem* in loco **Selby** nuncupato in comitatu *Ebor.* ſe tranſtulit ad inhabitandum. Prior vero *T.* petita licentia à *Johanne* archiepiſcopo & optenta factus eſt albus monachus ordinis *Ciſtercienſis* apud *Bellum locum.*

Anno prænominato conceſſit rex huic monaſterio cartam ſuam ſuper hiis duplicatam, videlicet quod abbas & ſucceſſores ſui univerſi inperpetuum habeant & percipiant omnia catalla & bona omnium hominum & tenentium ſuorum felonum fugitivorum & dampnatorum ubicunque in regno ſuo.

Eodem anno totum tectum dormitorii tam meremio quam plumbo innovatum eſt : & ſuperviſores operis fratres *T. de Sellynge*, & *J. Bernevyle* ad cuſtus Dxcvj. li. vij. s. x. d. Et eccleſia iſta ad maris cuſtodiam ad vj. equos cum pertinentiis eſt onerata.

CAP. XXX.

§. I. *Vexatio* Roberti *archiepiſcopi pro eccleſiis nobis appropriatis.*

An. Dñi 1295.

ANno Dom. M.CC. nonageſimo quinto dominus *Robertus de Winchelſe* archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſupradicto *Johanni* immediate ſuccedens,

Edwar. I. Rex.

de eccleſiis de novo adquiſitis obedientiam peciit ab abbate; unde idem abbas metuens ſibi & monaſterio ſuo ex hujuſmodi petitionibus epiſcoporum poſſe præjudicium generari in futurum, ac commemorans quod jacula prævisa minus lædunt, ſubſcriptas rationes petitioni archiepiſcopi obſiſtentes, ad memoriam futurorum in ſcriptura quæ ſequitur provide redegit.

Licet in veſtra dioceſi apropriatas nobis eccleſias à ſede apoſtolica teneamus, obedientiam tamen vel alia jura epiſcopalia vobis inde ſolvere non tenemur, nec nos illis juribus convenit defraudari. Super quibus ſummus pontifex qui bene potuit ſcienter ſic voluit, & in literis apropriationis expreſſit, quod vicarii noſtri in illis eccleſiis per Ordinarium inſtituti, omnia jura epiſcopalia vobis inde ſolvere teneantur. Unde ſecundum prædicti domini ſummi pontificis intentionem expreſſam & tenorem Commiſſionis ejuſdem juxta modum prædictum uſi continuo ſuper hiis pacifice ſic fuerit retro tantis temporibus à veſtris temporibus obſervatum, humiliter petimus quatinus & vos velitis ſi placet modo fore de obſervantia prædicta contenti & ſic in futurum teneri, à noſtris moleſtiis benevole deſiſtentes.

Anno quo ſupra fuit penſio x. librarum domino *Beraldo Albanenſi* epiſcopo Cardinali conceſſa ad terminum ſuæ vitæ pro ſuis beneficiis nobis multipliciter inpenſis.

§. 2. *Temporalia omnium prælatorum in manu regis ſeiſita.*

An. Dñi 1296.

ANno M. CC. xcvj. recepit *Robertus* archiepiſcopus mandatum papale publicandi conſtitutionem *Bonifacii* papæ viij. de non dando aliquid laicis. Et eodem anno tenuit dominus rex parliamentum apud S. *Edmundum*, convocato illuc toto clero, & indicta laicis xij^a. omnium bonorum, & à clero ſubſidium ſibi habundanter elargiri. Unde archiepiſcopus cum clero ſuper his conſilium habuit; Et deliberatione habita, propter novam conſtitutionem ſuper hoc editam, viam neſcierunt invenire per quam ſana conſcientia *Romana* curia inconſulta hoc facere poſſent, negotio incompleto de ſubſidio præſtando ſinguli ad propria redierunt. Et ecce mox edictum exiit per totum regnum, ut omnia temporalia archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum & religioſorum, vel quorumcumque clericorum ubique per regnum *Angliæ* exiſtentia, in manus regis caperentur. Et habito rex parliamento cum ſuis Baronibus clero excluſo, ſtatutum eſt ut bona clericorum ſententialiter abjudicarentur tanquam foriſfacta; unde multi propter timorem ſtatuti redemptionem fecerunt, & literas de protectione regis receperunt. Et monaſterium iſtud redemptionem fecit pro ducentis libris & CC. ſummis bladi diverſi generis. Archiepiſcopus vero nec aliquid dare nec protectionem regiam vellet adquirere: unde omnia temporalia ejus confiſcata ſunt, & quod horrendum eſt, quicquid habebant monachi ibidem infra portas ſuæ eccleſiæ ſeiſita ſunt; ita quod non haberent ad quod manus apponerent pro vitæ neceſſariis niſi ſecundum quod vicini eorum religioſi & alii mittebant eis intuitu charitatis. Et hoc tam diu duravit donec Prior & Capitulum neceſſitate compulſi redemptionem fecerunt. Archiepiſcopus vero nec regis protectionem nec ſua voluit redimere quoquo modo; ſed amota majori parte familiæ ſuæ cum uno clerico vel duobus & ſimpliſſima familia apud **Chertam** morabatur, & fere ſingulis diebus dominicis & feſtivis circuibat per loca verbum Domini prædicando.

Robertus Archiep.

§. 3. *Procurator pauperum ſacerdotum fecit fidelitatem.*

EOdem anno die ſancti *Iamberti* archiepiſcopi, magiſter *Guydo de Well.* rector eccleſiæ de **Swalclyve** tunc Syndicus ſive procurator hoſpitalis pauperum ſacerdotum *Cantuariæ*, venit in capitulum noſtrum & ibidem præſtitit publice ſacramentum fidelitatis ratione eccleſiarum ſanctæ *Margaretæ* in *Cantuaria* & beatæ *Mariæ* de **Stodmerſh**, quas de conceſſione capituli noſtri tenent apropriatas ſecundum conſuetudinem & formam compoſitionis inter nos & hoſpitale prædictum initam, in qua continetur, quod quilibet Syndicus dicti hoſpitalis in ſua novitate tale debet præſtare ſacramentum.

Forma fidelitatis faciendæ.

Ego N. *de* C. *juro ad hac ſancta Dei evangelia præſtito corporaliter ſacramento, quod fidelis ero abbati ſancti* Auguſtini *& ejuſdem loci conventui ab hac hora in poſterum, & ſecreta eorum ſeu capituli ſui nemini ſine licentia eorundem pandam, & ea quæ ſcivero vel audiero quæ dicenda ſunt & quæ celata redundarent in eorum dampna & præjudicium eis revelabo; & eis in omnibus aliis diebus vitæ meæ fidelis ero, Sic me Deus adjuvet &c.* Quam fidelitatem Prior de **Combwell** pro eccleſia **Beawfeld** modo prædicto facere tenetur.

Anno ſupradicto conſecrationis dicti archiepiſcopi anno ſecundo, in Quadrageſima, frater *Petrus de Todyndon* Prior ſancti *Auguſtini* perſonaliter acceſſit ad archiepiſcopum apud **Biſſoppeſbourne**, aſſiſtentibus eidem Priori fratre *Ricardo de Cant.* & aliis, & eciam domino *Henrico* de **Apoldrefelde** ſeneſcallo ſancti *Auguſtini* & aliis, & dictum archiepiſcopum humiliter & devote rogavit, ut placeret ſibi videre privilegia & munimenta monaſterii ſancti *Auguſtini* & eccleſiarum ſibi apropriatarum, ad ſerenationem conſcientiæ ſuæ. Et archiepiſcopus Priori reſpondit, Quod alias eadem privilegia inſpicere & videre vellet ſet non tunc. Et hæc facta fuerunt ante aliquam inchoationem viſitationis ejuſdem. Et eodem anno abbas recognovit ſervicium unius militis faciendum domino regi in *Vaſconia* & fecit finem pro C. marcis, ſet de prædictis ſervicio & fine nil fuit tunc factum vel ſolutum.

An. Dñi 1297.

Anno Domini M. CC. xcvij. citra feſtum Purificationis beatæ *Mariæ* idem archiepiſcopus ſuam dioceſim viſitare inchoavit. Et dominus *Thomas* abbas ad manerium de **Wyngham** ad illum perſonaliter acceſſit, ſupplicavitque eidem, quod ſi quæ in ſua viſitatione inveniret quæ ad ſtatum dicti monaſterii in aliquo eidem offenderet, illa eidem abbati ob reverentiam *Romanæ* ſedis notificare dignaretur. Quod idem archiepiſcopus libenti animo concedebat: Unde licet ex habundanti aliquando per Priorem, aliquando per alios, & aliquando per ipſum abbatem idem archiepiſcopus ſæpius requiſitus fuiſſet, ut munimenta & alia privilegia hujus monaſterii vellet inſpicere, ille tamen hæc videre vel audire omnimodo recuſavit; & eundem abbatem

Edwar. I. Rex.

& conventum notorie exemptos ad judicium evocavit: Et quam cito hujuſmodi citatio ad notitiam abbatis perveniſſet, miſit ad eum rogans, quod placeret eidem hujuſmodi citationem revocare, & ſine figura judicii videre privilegia & munimenta ſua. Qui reſpondit, quod noluit aliquo modo revocare citationem ſuam; ſet dixit quod cito poſt veniret *Cantuariam*, & tunc poſſet abbas habere colloquium cum ipſo de eodem. Et licet dictus archiepiſcopus conceſſiſſet abbati & firmiter promiſiſſet, ſe eadem privilegia & munimenta inſpicere voluiſſe, diſtulit tamen per multum tempus ſub diſſimulatione ea videre, & tandem aſſeruit ſe nolle ea videre niſi judicialiter. Et cum dominus abbas allegaſſet ſe & monaſterium ſuum in tantum eſſe privilegiatum, quod non tenebantur nec debebant coram dicto archiepiſcopo judicialiter comparere vel reſpondere, idem archiepiſcopus fecit eos citari peremptorie, ut certo die ubicumque tunc in dioceſi vel provincia *Cantuaria* coram ipſo ſufficienter comparerent titulum ſeu jus ſpeciale ſi quæ haberent, per quæ poſſent ipſas eccleſias & hoſpitale ſancti *Laurentii* ſic tenere, non obſtante compoſitione dudum inter archiepiſcopum *Cantuarienſem* prædeceſſorem ſuum ex parte una, & dictos religioſos ex altera, & per capitulum *Cantuarienſe* approbata, & per ſedem apoſtolicam confirmata ſuper quibuſdam de prædictis eccleſiis cum capellis ſuis, prout in compoſitione ſuper hæc confecta & ſigillis partium conſignata plenius continetur. Aſſerens eciam minus veraciter, ſe in ſua viſitatione inveniſſe, dictos religioſos decimas & penſiones annuas in diverſis eccleſiis ſuæ dioceſis contra jus commune percipere, ipſos citavit reſponſuros quo jure iſta ſic percipiebant; licet in veritate nullas unquam penſiones præterquam in eccleſiis ſui patronatus vel decimas percepiſſent. Inſuper citavit eundem abbatem, ut oſtenderet quare ſibi obedientiam facere non deberet. Propter quæ omnia idem abbas & conventus ſentiens ſe per prædictum archiepiſcopum indebite prægravari, ad ſedem apoſtolicam appellarunt; ſet idem archiepiſcopus hujuſmodi appellationi non deferens, ipſos fecit iterum citari coram ſe ubicumque eſſet in civitate, dioceſi, vel provincia *Cant.* ſuper eccleſias de **Tanterdene**, **Lenham**, de **Sellyng**, de **Preſton**, de **Littleborne**, de **Scheldwich**, & ſancti *Pauli Cant.* necnon & ſuper hoſpitale ſancti *Laurentii*, & ſuper decimis & penſionibus prædictis jus ſpeciale ſi quod haberent præciſe & peremptorie propoſituri & oſtenſuri. Subticuit tamen proceſſum inſertum ſuper prænominatis eccleſiis in compoſitione contentis, faciendo tamen mentionem de eccleſia de **Scheldwich**, quæ eſt capella eccleſiæ de **Faverſham**, non obſtante quod in dicta compoſitione continetur. Pro quibus iterum ad prædictam ſedem eſt appellatum. Quibus appellationibus non obſtantibus, dictus archiepiſcopus fecit eos citari peremptorie ad alium brevem diem quod comparerent coram eo ubicumque &c. ſuper eccleſiis prænominatis præciſe & peremptorie oſtenſuri, ut ſupra, & priores contumacias ut dicebat legitime fulminaturus; non tamen ultra proceſſit contra nos ſuper eccleſia de **Scheldwich**, nec de decimis & penſionibus ſupradictis. Et quia idem abbas judicialiter minime comparuit, archiepiſcopus reputavit dictos religioſos contumaces, & pronunciavit dictas eccleſias præter **Scheldwich** eſſe vacantes, Mandando & faciendo eos moneri per magiſtrum *Martinum* Commiſſarium ſuum *Cant.* ut infra quinque ſeptimanas proximo ſequentes perſonas idoneas ſibi tanquam dioceſano præſentarent ad eccleſias prænominatas; à qua quidem pronunciatione & mandato fuit iterum per procuratorem abbatis in præſentia dicti archiepiſcopi ad ſedem apoſtolicam legitime appellatum.

Robertus Archiep.

Anno ſequenti die ſancti *Thomæ* martyris Prior de **Combwell** præſtitit corporale ſacramentum fidelitatis in capitulo noſtro pro eccleſia de **Betweſelde**.

An. Dñi 1298.

Anno Domini M. CC. xcviij. *Bonefacius* papa miſit litteras executorias *Roberto* archiepiſcopo in hæc verba: « *BONIFACIUS* epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *R.* archiepiſcopo *Cantuarienſi* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Conſtitutus in præſentia noſtra dilectus filius *Thomas* dictus *Cuſte* de **Maydeſton** pauper presbyter tuæ dioceſis nobis humiliter ſupplicavit, ut cum ipſe ſicut aſſerit nullum ſit eccleſiaſticum beneficium aſſecutus, provideri ſibi de benignitate apoſtolica mandaremus, Quia igitur illi &c. fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus &c. de aliquo eccleſiaſtico beneficio ſecundum probitatis ſuæ merita competenti cum cura vel ſine cura conſueto ab olim clericis ſecularibus aſſignari, ſpectante ad collationem vel præſentationem dilectorum filiorum abbatis & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini* extra muros *Cant.* ordinis ſancti *Benedicti*, communiter vel diviſim, ſi quod in civitate vel dioceſi *Cant.* vacat, ad præſens vel quamprimum ad id optulit ſe facultas, per te, vel per alium, ſeu alios providere procures, inducens eum in corporalem poſſeſſionem ejuſdem beneficii & defendens inductum &c. non obſtante ſi nos vel *Romani* pontifices prædeceſſores noſtri de beneficiis ad prædictorum abbatis & conventus collationem vel præſentationem ſpectantibus ſub ea forma in qua pro pauperibus clericis beneficiandis interdum ſedes apoſtolica ſcribere conſuevit, ſeu quavis alia fecimus aut mandavimus quodcumque fuerint provideri, dummodo non niſi unus ex eis pro quibus in eadem forma pauperum per nos ſcriptum forſitan extitit, quibus omnibus nullum volumus per hoc præjudicium generari, beneficium ratione hujus pauperum proviſionis expectet; vel ſi eiſdem abbati & conventui aut perſonis ipſius eccleſiæ à ſede apoſtolica ſit indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, vel quod alius nequeat de beneficiis ad eorundem abbatis & conventus præſentationem vel collationem ſpectantibus alicui providere per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, qualibet alia præfatæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat per quam effectus præſentium inpediri valeat vel differri. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo &c. Mandatum noſtrum in hac parte taliter inpleturus, quod in eo inpendiſſe lauderis miſericordiam pauperi & obedientiam mandatori.

Prætextu hujus mandati ſcripſit idem archiepiſcopus abbati in hæc verba.

“*ROBERTUS* permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. executor in negotio proviſorio *Thomæ* dicti *Cuſte de* **Maydeſton** presbyteri à ſede apoſtolica deputatus. Religioſis viris abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cant.* ſalutem in omnium ſalvatore. Sanctiſſimi patris noſtri Domini *Bonifacii* papæ octavi literas nos noveritis recepiſſe, quas vobis inſpiciendas tranſmittimus et earum portitori ſub pœna excommunicationis majoris quam exnunc in rebelles proferimus in hiis ſcriptis illico retradendas. Quia igitur diligenti inquiſitione præmiſſa juxta mandatum hujuſmodi apoſtolicum nobis in hac parte directum invenimus dictum *Thomam* liberum eſſe et legitimum vitæque laudabilis ac converſationis honeſtæ, nec quicquam ſibi obſtare quo minus ſibi valeat de beneficio eccleſiaſtico congrue provideri; Volentes mandatum hujuſmodi reverenter exequi, ut tenemur auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, præfato *Thomæ Cuſte* providimus de beneficio eccleſiaſtico competenti cum cura vel ſine cura, cujus redditus ſeu proventus æſtimationem in dictis literis apoſtolicis contentam non excedunt ſi quod ad veſtram præſentationem ſeu collationem communiter vel diviſim ſpectans vacat ad præſens in civitate vel dioceſi noſtra; illudque eidem *Thomæ* contulimus ac eum de ipſo per noſtrum birretum præſentialiter inveſtimus, alioquin beneficium proximo inibi vacaturum collationi noſtræ reſervamus, eidem *Thomæ* per nos ſeu illum vel illos cui vel quibus in hac parte vices noſtras committendas duxerimus conferendum. Quocirca apoſtolica auctoritate qua fungimur in hac parte vos monemus, vobiſque auctoritate præſentium inhibemus, ne ad præſentationem, collationem, ſeu ordinationem hujuſmodi beneficii per vos, aut per alium vel alios aliquatenus procedatis ſeu procedi conſentiatis, nec quicquam in noſtræ proviſionis, inveſtituræ ac reſervationis hujuſmodi præjudicium per vos aut per alium attemptetis vel attemptari conſentiatis. Alioquin in præſentantem & conferentem ac quemlibet alium ſeu alios proviſionem & collationem, inveſtituram, reſervationem & inhibitionem præfatas quomodolibet perturbantes ſeu perturbari procurantes, exnunc in hiis ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus, decernentes nichilominus irritum & inane ſi ſecus de beneficio hujuſmodi per quemcumque quavis auctoritate contigerit quomodolibet attemptari. Vobis etiam mandantes quod ſi quod tale beneficium ad præſens vacet vel quam cito vacaverit in futurum, nos de ejuſdem vacatione certificare curetis plenius ſine mora.

Qua litera abbati oblata & ibidem perlecta, idem abbas privilegia contra hujuſmodi proviſores ſibi & monaſterio ſuo indulta incontinenti recitari fecit. Quibus perlectis & auditis, cum idem Capellanus expreſſe videns dictam inpetrationem ſuam non valere pro privilegiis antedictis, jus ſuum quod habuit ſuper inpetratione proviſionis prædictæ in manibus domini abbatis totaliter reſignavit per publicum inſtrumentum, quod ſic ſequitur.

An. Dñi 1298.

In Dei nomine Amen. Per præſens inſtrumentum omnibus appareat evidenter quod anno Domini M. CC. lxxxxviij. ſecundum curſum &c. Thomas *dictus* Cuſte *de* **Maydeſton** Cantuarienſis dioceſis *presbyter perſonaliter conſtitutus in magna Aula infra ſepta monaſterii ſancti* Auguſtini *extra muros* Cantuariæ *ad* Romanam *curiam nullo medio pertinentis, coram reverendo patre fratre* Thoma *abbate ejuſdem monaſterii ibidem perſonaliter tunc exiſtente, conſiderans & intelligens ut dixit, quod per privilegia viris religioſis abbati & conventui prædicti monaſterii ordinis ſancti* Benedicti *à ſede apoſtolica indulta poſſet effectus literarum proviſoriarum quas à ſede apoſtolica impetravit de proviſione ſibi facienda auctoritate ſedis ejuſdem per reverendum patrem dominum Dei gratia* Cantuarienſem *archiepiſcopum totius* Angliæ *primatem, executorem ſibi in hac parte à ſede apoſtolica deputatum, de beneficio eccleſiaſtico cum cura vel ſine cura ad collationem vel præſentationem religioſorum virorum abbatis & conventus prædicti monaſterii ſancti* Auguſtini *ſpectante adnullari, pura & ſpontanea & mera voluntate ſua propria, non coactus, eiſdem literis proviſoriis quas ut præmittitur & omni proceſſui habito & habendo, omnique commodo quod ſibi evenire poſſet per eaſdem renunciavit, expreſſe promittens michi tabellioni infraſcripto ſolempniter ſtipulanti nomine omnium & ſingulorum quorum interfuit, quod contra hanc renunciationem non unquam in aliquo veniet in futurum, & juravit corporaliter inſpectis ſacroſanctis Evangeliis quod contra præmiſſas renunciationem, promiſſionem, vel alteram earundem nullatenus veniet in futurum.*

Anno ſequenti die ſancti *Cutberti* epiſcopi dedicata fuit capella in cimiterio quæ dicitur **Charner** ab epiſcopo *Herefordenſi*; & dedit prædictæ capellæ omni anno, die ſcilicet dedicationis, unum annum indulgentiæ & omnibus feſtis beatæ *Mariæ* per annum xl. dies.

§. 4. *Proceſſus verſus archiepiſcopum* Rob. Wynchelſe.

SEquitur de proceſſu inter archiepiſcopum & nos ſcilicet de injuriis & vexationibus nobis illatis, unde abbas longa trahens ſuſpiria ait; Heu heu, inquit, quamdiu hiis opprobriis afficiemur! quamdiu eccleſia ſancti doctoris *Anglorum* apoſtoli *Auguſtini* prima mater moniarchalis *Anglorum* tot & tantas contumelias, injurias et vexationes archiepiſcoporum permiſſa eſt ſuſtinere! quamdiu illa quæ in nativis ſuis libera fuit, quomodo jam videtur ancillare! Pro veritate, inquit, ad tales injurias evitandas aut priſtina libertate Deo juvante gaudebit, aut communi legi ut cæteræ ſubjacebit. Quid plura? magna ſumma denariorum tam de diverſis dividendis per conventum receptis & recipiendis, quam de forinſecis omni qua potuit via ad opus hujuſmodi levandis, directi fuerunt ad curiam *Romanam* propter hujus negocii expeditionem fratres *Willelmus de Romenal* & *Robertus de Fekenham* procuratores cum procuratorio eorundem. Qui quidem procuratores tantum procurarunt, quod iſtud negocium fuit ſpecialiter commiſſum domino *Iohanni* monacho tituli ſanctorum *Marcellini & Petri* presbytero Cardinali ad audiendum. Inſuper conceſſa eſt inhibitio, per quam inhibitum fuit archiepiſcopo, ne pendente lite in curia *Romana* indeciſa, aliquid contra dictos religioſos attemptaret. Pendente vero lite coram eodem Cardinali, inpetratum fuit in gravibus

Edwar. I. Rex.

bus expenſis ab apoſtolico *Bonifacio* viij. novum privilegium, in quo decernit omnia privilegia iſtius monaſterii antiqua in ſuo robore permanere, reducendo monaſterium ad ſtatum antiquum. De novo eciam exemit nos non obſtante compoſitione quacumque; & alia multa concedit ſicut ex inſpectione dicti privilegii in ſequentibus latius apparebit.

Suggeſtio facta per Procuratores ad ſummum Pontificem.

Supplicant ſanctitati veſtræ, veſtri humiles filii Abbas & Conventus ſancti *Auguſtini Cant.* expoſitis veſtræ ſanctitati iſtis gravaminibus, et viſis per vos privilegiis monaſterii prædicti, quatinus abbatem et conventum et ipſum monaſterium cum ſuis membris ad quietis, immunitatis, libertatis et exemptionis plenitudinem per veſtrum privilegium reducere, et non obſtante quacumque compoſitione perpetuo robore dignemini permanere, quatinus dictum monaſterium veſtrum ne dum in ſuo ſtatu antiquo, verum ſanctiſſimæ poteſtatis veſtræ gratia taliter inſignitum conſervare, ac ſic in futurum ſuper eodem monaſterio et ejus ſtatu diſponere, et præmiſſa gravamina proceſſus et ſententias contra ipſos præjudicialiter data revocari vel potius nulla nunciciari præcipere dignemini; et mandare, quod exemptio et libertas à tantis et tam ſanctis, et præcipue à beato *Bonifacio* papa iiij. patribus introducta ad futuram ſanctitatis veſtræ memoriam et ſanctiſſimæ ſedis cui merito præſidetis honorem, per vos pater ſanctiſſime *Bonifacium* papam viij. tanquam octava beatitudine percepta, futuris temporibus ſub ea ſtabilitate ac perpetua libertate permaneat quod veſtræ placuerit ſanctitati. Hujuſmodi igitur precatu, immo pocius muneribus redemptus et inclinatus privilegium conceſſit ſubſcriptum.

CAP. XXXI.

§. 1. *Privilegium novum* Bonifacianum.

«BONIFACIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ad *Romanam* eccleſiam nullo medio pertinentis ordinis ſancti *Benedicti* ſalutem et apoſtolicam benedictionem.

«Circumſpecta ſedis apoſtolicæ providentia qualitates agendorum cum ſumma deliberatione diſcutiens fidelium ſtatui libenter proſperitatis incrementa procurat, noxia ſubtrahit et moleſtis viam præcludit eventibus prout negotii qualitas exigit, perſonarum et locorum exquirit conditio et inſtantia æquitatis expoſcit. Et idcirco quamvis univerſæ orbis eccleſiæ, apoſtolicæ ſedi, (quæ diſponente domino ſuper illas principatum optinet) ordinaria poteſtate ſubeſſe noſcantur, aliquas tamen interdum ſedes ipſa de ſuæ auctoritatis plenitudine ſpecialius ſibi ſubdit, ſic eas à cujuſlibet juriſdictione prorſus eripiens ut nullum ſibi niſi *Romanum* pontificem ſuperiorem et dominum recognoſcant, conſtituendo ipſas quodam ſingulari privilegio liberas penitus et exemptas, ut earum vitatis noxiis votivis ſucceſſibus et quietis plenitudine proſperentur. Nos quidem ad apoſtolicæ dignitatis apicem ſuperna diſpoſitione vocati, ex incumbente nobis paſtoralis officii debito circa omnium eccleſiarum ſtatum ſolertem conſiderationem habentes, ad vos et monaſterium veſtrum inſtantia propenſioris ſollicitudinis excitamur, et tanto libentius et favorabilius quietis veſtræ commoda, veſtrorumque incrementa profectuum promovemus, quanto per amplius beatorum patrum *Benedicti* et *Auguſtini* recolendas memorias reveremur, quantoque benignius vos et monaſterium prælibatum, de quorum fama laudabili et virtutum exercitio fragranciam ſuavitatis accepimus, paternæ ſinceritatis affectibus amplexamur. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod licet monaſterium veſtrum à principio fundationis ipſius à tempore cujus memoria non exiſtit, cum omnibus membris ſuis exiſtentibus ubicunque, fuerit exemptum per ſpecialia privilegia ſedis apoſtolicæ à juriſdictione qualibet ordinaria, prout evidentius in ipſis privilegiis continetur; Vobis tamen poſtmodum nunc hinc nunc inde vexationibus & anguſtiis fatigatis ſuper hujuſmodi exemptionibus & libertatibus contentis in ipſis, Inter bonæ memoriæ *Ricardum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* cum ſui conſenſu capituli ex parte una, & quondam *Rogerum* tunc abbatem cum conſenſu conventus dicti monaſterii ex altera, primo, & poſtmodum inter quondam *Symonem* de Langedon archidiaconum *Cantuarienſem* cum conſenſu ſanctæ memoriæ beati *Edmundi* archiepiſcopi *Cantuarienſis* ſucceſſoris dicti *Ricardi* & capituli eccleſiæ Chriſti *Cantuaria*, & quondam *Robertum* abbatem ipſius monaſterii cum conſenſu dicti ſui conventus, ac deinde inter præfatos *Edmundum* archiepiſcopum & archidiaconum ac eoſdem *Robertum* abbatem & conventum quædam compoſitiones initæ, factæ ſeu habitæ fuiſſe noſcuntur, quarum una ſcilicet cum eodem *Edmundo* habita eciam fuit per ſedem apoſtolicam ex certa ſcientia confirmata. Verum cum per hujuſmodi compoſitiones prædictis veſtris privilegiis & libertatibus non modicum derogetur, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis & ipſi monaſterio ſuper hiis paterna ſollicitudine dignaremur, vos & illud ad quietis, immunitatis, libertatis & exemptionis plenitudinem reducendo. Nos igitur monaſterium ipſum condignis efferre honoribus & communire libertatibus cupientes, ut quo minus aliorum moleſtiis turbatum fuerit, eo amplius divina favente gratia proſperetur, veſtris ſupplicationibus inclinati, hujuſmodi privilegia, exemptiones & libertates eidem monaſterio & vobis à prædicta ſede conceſſa in ſuo volumus & decernimus robore permanere; ac nichilominus ut in dictæ ſedis ſinu plenius quieſcatis, vos & monaſterium ipſum cum omnibus membris ſuis & eccleſiis, capellis, cenodochiis, hoſpitalibus, Cantariis, necnon caſtris, villis, maneriis, domibus, grangiis, & poſſeſſionibus, terris, redditibus, & quibuſcumque bonis ad vos & præfatum monaſterium in præſentiarum ſpectantibus ac hiis quæ ex largitione principum collatione fidelium, & aliis juſtis modis & titulis inpoſterum dante domino poteritis adipiſci in quibuſcumque fuerunt diœceſibus conſtituta, & omnibus perſonis veſtri ordinis & aliis ſubjectis vobis degentibus in eiſdem, ab omni poteſtate, juriſdictione, ſubjectione atque dominio tam venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi & dilectorum filiorum capituli *Cantuaria* qui nunc ſunt, & qui pro tempore fuerint, quam quorumlibet

Robertus Archiep.

Edward. I. Rex.

« libet archiepiſcoporum, epiſcoporum, capitulorum, abbatum & prælatorum & officialium ſuorum & aliarum quarumlibet eccleſiaſticarum perſonarum abſolvimus, eximimus, & perpetuo liberamus, de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ac ea omnia totaliter & inmediate ſoli dumtaxat *Romano* pontifici & præfatæ ſedi decernimus ſubjacere. Ita quod nec idem archiepiſcopus *Cantuarienſis* jure metropolitico ſeu diœceſano aut legationis vel tuitionis prætextu, quas in provincia *Cant.* habere ſe aſſerit, nec Prior & Capitulum dictæ eccleſiæ Chriſti occaſione hujuſmodi tuitionis quam in dicta provincia tempore vacantis eccleſiæ *Cantuarienſis* ſibi vendicare dicuntur, nec quivis alius juriſdictionem quamlibet ordinariam in diœceſi ſeu provincia *Cant.* hujuſmodi tempore vacationis exercens, ne vos idem archiepiſcopus vel quivis ex eiſdem archiepiſcopis, epiſcopis, ſeu prælatis officialibus ſeu miniſtris, nec quævis alia perſona eccleſiaſtica in vos abbatem et conventum & prædictum monaſterium aut quævis membra vel loca ſeu bona ad vos & monaſterium ipſum ſpectantia, ſeu quæ ſpectabunt in poſterum, quoquo modo, vel in veſtros & ejuſdem monaſterii ſubditos & perſonas præfatas cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtunt, utpote omnino libera et exempta et præfatæ ſedi apoſtolicæ dumtaxat inmediate ſubjecta, poſſint ullatenus ex quacunque occaſione vel cauſa juriſdictionem aliquam vel poteſtatem ſive dominium ſibi vendicare, exactiones facere, collectas imponere, obedientias vel procurationes exigere, viſitationes vel correctiones facere aut cenſuram eccleſiaſticam quomodolibet exercere ſine mandato prædictæ ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Nos enim excommunicationum, ſuſpenſionum et interdicti ſententias quas contra tenorem exemptionis hujus promulgari et proceſſus quoſlibet quos contra præmiſſa fieri contigerit et haberi, exnunc irritos decernimus et inanes ac nullius penitus exiſtere firmitatis. Præterea criſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ordinationes monachorum et clericorum qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, à *Cantuarienſi* ſuſcipiatis archiepiſcopo ſi gratiam et communionem præfatæ ſedis habuerit et ea gratis et abſque pravitate aliqua vobis voluerit inpertiri, alioquin quemcumque malueritis adeatis antiſtitem catholicum, qui noſtra fretus auctoritate quod poſtulatur indulgeat, nec id vobis audeat aliquatinus denegare. Non obſtantibus prædictis et quibuſcumque aliis compoſitionibus, ordinationibus, conſtitutionibus, et conſuetudinibus ſeu factis ſuper hoc in contrarium quocunque modo vel tempore hactenus habitis, editis vel optentis, aut quod in compoſitione nominata ſuperius, quæ fuit per ſedem apoſtolicam ut prædicitur confirmata, inter alia continetur, Quod ſi qua partium prædictarum contra ipſam compoſitionem aliquid inpetraſſet vel impetraret inpoſterum, illud inane & irritum haberetur, & confirmatio ipſa firmum robur nichilominus optineret, aut appellationibus interjectis ſeu quibuſcumque proceſſibus et ſpecialiter cauſis nunc motis inter venerabilem fratrem noſtrum *Robertum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* ex parte una, & vos ex altera, ſuper eccleſiis de **Leynham, Plumſted, Tenterdenne, Hellyng, Preſton, Litleborne**, ſancti *Pauli Cant.* hoſpitali ſancti *Laurencii* ac Cantaria pro magiſtri *Hamonis Doge* anima ordinata, ſeu ſuper aliis quibuſcumque eccleſiis vobis à ſede appropriatis eadem. Eciamſi cauſa pendeat ſuper præmiſſis in quocumque foro vel coram quocunque judice, aut quibuſcumque literis & indulgentiis apoſtolicis in quacumque forma verborum optentis, de quibus quorumque totis tenoribus debet in noſtris literis fieri mentio ſpecialis. Ad indicium autem hujus perceptæ à ſede apoſtolica libertatis volumus, ut præfatum monaſterium unam marcam ſterlingorum nomine cenſus in feſto reſurrectionis dominicæ perſolvat nobis noſtriſque ſucceſſoribus annuatim; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, exemptionis, liberationis, irritationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. *Laterani* iiij. kal. Marc. pontificatus noſtri an. vj.

Robertus Archiep.

An. Dñi 1300.

Anno Domini M. CCC. die lunæ in vigilia ſancti *Ealſegi* archiepiſcopi, ad abbatem primo pervenit iſtud novum privilegium cum bulla conſervatoria ejuſdem, cujus forma talis eſt.

BONIFACIUS *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Weſtmonaſterii, de **Waltham**, *& de ſancto* Edmundo *monaſteriorum abbatibus* Londonienſis & Norwicenſis *diœceſis, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Circumſpecta ſedis apoſtolica* ut ſupra. *Quocirca diſcretioni veſtra per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel per alium ſeu alios, abbatem, conventum, monaſterium, perſonas, mēbra, eccleſias, capellas, ſenodochia, hoſpitalia, cantarias, caſtra, villas, maneria, domos, grangias, poſſeſſiones, terras, redditus & bona omnia ſupradicta contra hujuſmodi abſolutionis, exemptionis, liberationis, irritationis & conſtitutionis noſtra tenorem non permittatis à quoquam indebite moleſtari. Moleſtatores hujuſmodi auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus à prafata ſit ſede indultum quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.*

Auctoritate hujus privilegii & præcepto conſervatorum ejuſdem, reſumpſit dominus Abbas cum conſenſu conventus ſui omnem ſtatum antiquum quoad juriſdictionem exercendam. Sub proteſtatione tamen, quod ſi forſan contingeret illum aliud facere quam procederet de ſummi pontificis voluntate, paratus eſſet cum hoc ſibi conſtaret reſumpta revocare. Die lunæ proxima ante feſtum apoſtolorum *Philippi* & *Iacobi* anno ſupradicto dicta bulla conſervatoria exhibita fuit abbati *Weſtmonaſterii* apud le **Neyte** juxta *Weſtmonaſterium* per fratrem *Ricardum de Cant.* & alios; & die lunæ ſequenti abbati de **Waltham** per fratrem *Willelmum Byholte* & alios. Qui quidem abbates mandatum apoſtolicum reverenter admiſerunt; eorumque proceſſum & tenorem venerabilibus patribus archiepiſcopo *Cantuarienſi* & epiſcopis *Londonienſi* & *Roffenſi* eorumque archidiaconis, capitulis & Commiſſariis univerſis ſcripſerunt; primo archiepiſcopo ſub tali forma.

Vene-

Edward. I. Rex.

« VENERABILI in Chriſto patri, domino *Roberto* Dei gratia &c. Ejuſdem permiſſione *Weſtmonaſterii* & de **Waltham** abbates in hac parte executores & conſervatores à ſede apoſtolica deputati ſalutem & mandatis necnon privilegiis apoſtolicis cum ea qua decet reverentia obedire. Præſentato nuper nobis & exhibito ſanctiſſimi patris noſtri *Bonifacii* papæ viij. privilegio exemptionis infra tacto ex parte abbatis & conventus S. *Auguſtini Cant.* literas conſervatorias recepimus in hæc verba.

« *BONIFACIUS* epiſcopus &c. Confiderantes igitur, quod ſi privilegii & literarum prædictarum vobis & cæteris quibus convenit notificatio fiat debita & notificatio manifeſta ſanctæ & apoſtolicæ voluntatis benigna liberalitas ipſorum religioſorum S. *Auguſtini* in præſcriptis de novo impetratis, verum antiquis ipſorum privilegiis ex decreto apoſtolico in ſuo robore duraturis, tam perſonalis quælibet quam realis contenta immunitas & libertas, vobiſque executionis vel conſervationis officium quod incumbit, liberius, plenius, ac quietius debitum conſequentur effectum; ea omnia & ſingula vobis pater reverende notificamus, publicamus ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum. Vobiſque nichilominus auctoritate apoſtolica condigna tamen reverentia monemus & exhortamur in domino, et in virtute obedientiæ qua dictæ ſanctæ ſedi tenemini firmiter injungimus & mandamus, quatinus dictis religioſis ſancti *Auguſtini* ſuiſque ſubjectis qualiſcumque conditionis exiſtant, quam quoad monaſterium ipſum, membra, eccleſias, capellas, hoſpitalia, cantarias, villas, maneria, poſſeſſiones, redditus & quæcunque alia bona ſua ubi libet in dioceſi & provincia veſtra *Cant.* conſtituta quæ in præſenti optinent vel auctore domino in futurum adquirent, una cum degentibus in eiſdem, quacumque conditione, compoſitione, ſtatuto, conſuetudine editis vel factis non obſtantibus in aliquo, libera exemptione gaudere ob indulgentis & ſanctæ ſedis reverentiam permittatis, nullum omnino verbo vel facto perpetrantes obſtaculum quo minus tam modernæ indulgentiæ quam privilegiorum & ſtatus antiquorum ipſius monaſterii, clericorum & ſubjectorum ſuorum prout per eandem reducuntur ad primævi roboris firmitatem. Et quid in hac parte decreveritis faciendum infra viij. dies in virtute ſanctæ obedientiæ nobis reſcribatis.

Et ſimiliter ſcripſerunt epiſcopis *Londonienſi* & *Roffenſi* & aliis prout viſum fuerat eiſdem expediendum. Præmiſſis vero literis Prælatis prædictis omnes & ſinguli certificarunt. Primo archiepiſcopus ſic.

Religioſo viro & diſcreto abbati de **Waltham** *executori ſeu conſervatori in hac parte à ſede apoſtolica deputato* Robertus *permiſſione divina &c. ſalutem in omnium ſalvatore. Mandatum infra ſcriptum iiij. Non. Maii nuper recepimus ſub hac forma.* Venerabili in Chriſto patri, &c. *Cui quidem mandato prout tenemur & de jure artamur parere intendimus ſicut decet. Valete.* EPISCOPUS *Roffenſis* ſub hac forma. *Venerabilibus viris & diſcretis dominis Dei gratia* Weſtmonaſterii *& de* **Waltham** *monaſteriorum abbatibus, executoribus vel conſervatoribus à ſede apoſtolica deputatis in hac parte frater* T. *ejuſdem permiſſione* Roffenſis *epiſcopus ſalutem, reverentiam, & honorem. Literas veſtras recepimus &c. Huic ergo mandato paremus & parebimus reverenter quatenus poſſumus & de jure tenemur. Valete.*

Robertus Archiep.

§.2. *Decanatus ordinati per abbatem* Tho. Fyndon.

ISTIS ſic habitis anno ſupradicto die Lunæ prima die Junii dominus *Thomas* abbas hujus loci in eccleſia ſua pro tribunali ſedens, aſſidentibus ei multis diſcretis viris, comparuerunt coram eo ex citatione Rectoris ſancti *Andreæ Cant.* qui recepit in mandatis hoc facere, omnes rectores & vicarii & omnes curam animarum habentes. Et hii omnes & ſinguli recognoſcebant eundem dominum abbatem Ordinarium ſuum & non alium ſub domino papa. Et ipſo inſtanti ſponte canonicam obedientiam in ſcriptis & inſpectis ſacroſanctis evangeliis eidem abbati corporaliter fecerunt in forma quæ talis eſt.

EGO N. *ero obediens ſancta* Romanæ *ſedi & domino abbati ſancti* Auguſtini Cant. *qui pro tempore fuerit, & ejuſdem domini abbatis Officialibus & miniſtris quos de conſilio fratrum ſuorum ad juriſdictionis ſuæ exemptæ exercitium aſſignabit, in canonicis mandatis; ſic me Deus adjuvet, & hac ſancta Dei evangelia.* Quibus ſic actis, dictus dominus abbas ordinavit decanatum ſub nomine de **Sturre**, aſſignans et nominans eccleſias de **Sturre**, de *Fordwico*, de **Littleborne**, **Stodmerſh**, **Preſton**, **Nordborn**, **Scholdon**, **Caſtlangedon**, parva **Monyngham**, ſancti *Pauli*, ſancti *Andreæ*, ſancti *Johannis*, ſanctæ *Mildredæ*, beatæ *Mariæ de Caſtro*, *Omnium ſanctorum*, beatæ *Mariæ Magdalenæ*, ad dictum decanatum debere ſpectare in futurum.

Item ordinavit alium decanatum, *viz.* de eccleſiis de **Menſtre**, ſanctorum *Petri*, *Iohannis*, & *Laurentii*, de **Stonore**, **Chiſtelet**, **Swaleclive**, & de **Weſtbere**, mandans & præcipiens illum decanatum vocari de cætero decanatus de **Menſtre**.

Item ordinavit alium decanatũ videlicet de eccleſiis de **Favirſhã**, de **Middelton**, de **Sellyng**, de **Scheldwych**, de **Kenyton**, de **Wynelesburgh**, de **Tenterdene**, de **Swanes**, de **Fretingden**, de **Brocklond**, de **Stone**, de **Borewaremerſh**, de **Demecherche**, de **Kyngeſdon** & de **Lenham**, quam caput dicti decanatus eſſe voluit & mandavit. Cum vero idem pater ſic per decanatus ſuam juriſdictionem diviſiſſet & in ſingulis eorundem decanum præfeciſſet, ab omnibuſque obedientiam recepiſſet, omnes & ſingulos ſibi ſubjectos tam præſentes quam abſentes monuit & eis firmiter injunxit, ut decenter in verbis, geſtis & omnibus ſuis erga venerabilem patrem archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſe haberent, ac reverentiam ſibi & ſuis facerent, nec ipſum archiepiſcopum vel ſuos in aliquo contempnerent, & quod in eccleſiis & alibi ſe bene gererent, & hæc eadem voluit de omnibus parochianis ſubjectis ſuis; proteſtans pro ſe & monaſterio ſuo extunc ſe ita exiſtere paratum in omnibus honori dicti patris & ſuorum ſicut unquam prius ante exhibuerat. Demum ordinavit eis Commiſſarium per talem formam. THOMAS *permiſſione divina &c. diſcreto viro fratri* Willielmo *eccleſiæ noſtræ elemoſinario ſalutem. In omnibus cauſis & negociis ad juriſdictionem noſtram pertinentibus una cum conſilio fratrum noſtrorum exercendam in civitate & dioceſi* Cant. *vobis vices noſtras cõmittimus cum canonica cohercionis*

Edward.I. Rex.

nis poteſtate. Inſtitutionibus & deſtitutionibus perſonarum eccleſiaſticarum ac viſitatione cleri & populi nobis ſpecialiter reſervatis. Proviſo tamen quod juriſdictione moderate utamini & exceſſum quemlibet evitetis. Eodem anno in eccleſia de **Menſtre** idem *Willielmus* pro tribunali ſedens, congregatis coram eo & convocatis ejuſdem decanatus rectoribus & vicariis necnon clericis & laicis in multitudine copioſa, Capitulum ſuum ſolempniter, pacifice & quiete & ſine contradictione aliqua ibi celebravit, faciendo omnia quæ juriſdictionis erant, ſpecialiter & generaliter exercendo quæ in Conſiſtoriis & Capitulis conſimilibus per regnum *Angliæ* ordinari, fieri & exerceri conſueverunt.

Eodem anno iij. kal. Auguſti reconditæ fuerunt reliquiæ ſancti *Auguſtini* in ſculptis lapidibus, ut inpræſentiarum cernitur, & invenitur epitaphium in ſcrineo lapidis ſculptum,

Hic pater Anglorum *præſul pius & decus altum,*
Hic Auguſtinus *requieſcit corpore ſanctus.*
Ad laudis cumulum patris almi ductus amore
Abbas hunc tumulum Thomas *ditavit honore.*

Et rex *Angliæ* xiij. Kal. Februarii in parliamento *Lincolniæ* magnam Cartam de libertate nec non & aliam foreſtarum ſigilli ſui impreſſione ſigillatas Baronibus ſuis dedit. Et *Edwardum* primogenitum conſtituit Principem *Walliæ* & Comitem *Ceſtriæ*.

In pacifica vero poſſeſſione reſumptæ juriſdictionis fuerunt ipſi abbas & conventus per duos menſes & amplius nullo reclamante vel contradicente, quouſque idem archiepiſcopus & Capitulum *eccleſiæ Chriſti Cantuariæ* & archidiaconus oppoſuerunt ſe, appellantes unanimiter ad ſedem apoſtolicam, dicentes, ſe enormiter eſſe gravatos de tali juriſdictione reſumpta, per quam fuerat ab eiſdem plebs revocata nec ipſis intendebat ut ſolebat. Et iſta lite ſic inter partes pendente, idem archiepiſcopus conſtituit iv. Commiſſarios qui vice ſua rigide procederent contra rectores & vicarios clericos & eciam laicos qui in prædicta juriſdictione reſumpta ipſis abbati & conventui intendebant: Qui omnes in ſupradictos rectores vicarios &c. rigide proceſſerunt. In primis rectores vicarios & preſbyteros eccleſiarum noſtrarum homines ſubditos, vaſſallos, ſervientes, familiares & alios adhærentes eiſdem nominatim excommunicarunt, & excommunicari fecerunt de facto, pro eo quod abbati & ſuis commiſſariis parebant & intendebant; Et inſuper inhiberi fecit archiepiſcopus per eoſdem ſub pœna excommunicationis, ne quis parochianorum ipſis rectoribus & vicariis decimas aut proventus ſolvat aut eis de juribus parochialibus reſpondeat. Item eccleſias beatæ *Mariæ Magdalenæ*, beatæ *Mariæ de Caſtro*, & beatæ *Mildredæ* Civitatis *Cantuariæ*, & eccleſiam de **Kenyngton** de facto contulit eciam non vacantes. Item præfatus archiepiſcopus fratres *Willielmum de Byholte* & *W. de Elham* monachos, magiſtros *Willielmum de Roucebi*, *Iohannem de Becles* notarium publicum et *W. de Caſtro* clericos & familiares ipſius abbatis excommunicavit et excommunicari fecit, pro eo quod in ſubditos ipſius abbatis juriſdictionem exercebant. Item idem archiepiſcopus prætendens rectores et vicarios eccleſiarum parochialium quæ de patronatu noſtro exiſtebant in excommunicationis ſententia quam in eos ut præmittitur tulerat ex eo quod nobis parebant et intendebant per annum et amplius perſeveraſſe, ipſos rectores et vicarios citari mandavit,

Robertus Archiep.

et fecit quod coram eo comparerent, quicquid haberent pro ſe propoſituri pro termino peremptorio et oſtenſuri, quare ipſos de eccleſiis et vicariis ipſorum non debet privare. Commiſſarii ſupraſcripti inponebant abbati quamplures abuſus et exceſſus privilegii conceſſi, et ſtatum et exemptionem ipſorum ſive privilegium ſiniſtra interpretatione coram clero et populo ad hoc in eccleſia Chriſti *Cantuariæ* ſpecialiter convocato interpretantes, propter quæ populum et clericos ſimplices archiepiſcopo majus obedire quam privilegiis apoſtolicis informarunt. Idem archiepiſcopus facto publico ſermone in eccleſia ſua excommunicavit omnes qui ſuæ eccleſiæ juribus, libertatibus vel poſſeſſionibus minuerant quæ prius habuerat vel conſueverat obtinere. Item corpora quorundam qui à ſententia excommunicationis appellarunt defata deceſſerunt, quique in articulo mortis poſiti à ſacerdotibus eorum confeſſiones ipſorum audientibus abſolutionis beneficium fuerant conſecuti, humata in ſanctuario fecit exhumari, & extra cimiterium proici. Item una vice lxxx. homines abbatis & conventus, quia recuſabant expellere monachos in eccleſia de **Chiſtelet** exiſtentes, carceri *Cantuariæ* fecit mancipari. Propter quas injurias tam inormes & graves ſuggeſtum fuit domino papæ, quod ſcriberet regi pro defenſione hujus monaſterii; Quod & factum eſt. Unde petitum fuit ab ipſo rege, quod ratione dicti privilegii ſcriberet archiepiſcopo quod non moleſtaret ipſum abbatem vel eccleſiam ſuam in hominibus & rebus ſuis. Item ſupplicatum eſt regi, quod provideret ne homines dicti abbatis per aliquam excommunicationem per ipſum archiepiſcopum latam, quamvis pro ipſorum captione regiæ majeſtati ſcribatur, nullo modo capiantur. Item, quod vellet ſcribere vicecomiti ſuo, quod ſi archiepiſcopus per violenciam laicæ poteſtatis de facto vellet eoſdem expellere de eccleſiis ſuis, hujuſmodi laica poteſtate auctoritate regia, dictum monaſterium à quoquam offendi non permitteret, ſet defenderet eoſdem prout eſt per Apoſtolicum rogatus. Habita vero aliquali deliberatione, rex in propria perſona reſpondit ſic, Libenter ſcribemus domino *Cantuarienſi* pro defenſione veſtra. Ad ſecundam petitionem reſpondit, Quod nullus caperetur poteſtate regia ad requiſitionem archiepiſcopi. Ad terciam petitionem ſic reſpondit, Quod non potuit credere quod tam diſcretus Prælatus ſicut eſt ipſe archiepiſcopus, ipſos Abbatem & Conventum per vim & laicam poteſtatem auctoritate propria expelleret, & propterea non videbatur ſibi quod ſuper hiis vicecomiti eſſet ſcribendum. Adjecit poſtea idem rex dicens abbati in hunc modum: Domine abbas requirimus, conſulimus & præcipimus, quod viriliter defendatis bona veſtra & poſſeſſiones veſtras, & nos cum opus fuerit defendemus & vos juvabimus in hac parte.

Litera Regis archiepiſcopo directa.

EDWARDUS &c. *Rogatu & monitu ſedis apoſtolicæ excitamur ut monaſterium ſancti* Auguſtini Cant. *ob reverentiam dictæ ſedis recommendatum habentes, illud ad cujuſquam petitionem in rebus ſuis non offendamus, nec offendi quantum in nobis ab aliis permittamus &c.* in fine concluſit ſic: *alioquin ſcire vos volumus, quod cum pium arbitremur & congruum indebitis eorum oppreſſionibus*

Edwar. I. Rex.

bus ſubvenire, quantum in nobis eſt oportunæ defenſionis remedio per quod ipſorum abbatis & conventus bona tuta permaneant, curabimus eis ſuccurrere ac regii fulcimento favoris quatenus juſtitia permiſerit confovere.

§. 3. *Excommunicatio archiepiſcopo* Roberto *facta per abbatem S.* Auguſtini.

An. Dñi 1300.

MEdio hujuſmodi tempore & anno ſupradicto ſcilicet M.CCC. idem abbas ſubdelegatus magiſtri *Petri Roderici* ſuper præpoſitura de **Wyngham** per ſummum pontificem *Bonifacium* viij. conſtitutus, cum rite in eccleſia de **Kenynton** proceſſiſſet contra eundem archiepiſcopum *Cantuarienſem*, & pro ſua contumacia & offenſa manifeſta primo ab ingreſſu eccleſiæ, & ſubſequenter à divinis, & tandem ejus creſcente contumacia, juxtra traditam ſibi formam auctoritate apoſtolica excommunicavit, et excommunicatum denunciavit, pro eo quod quendam clericum nomine *Amadeum* ad dictam præpoſituram promovendam multipliciter impedivit; unde idem archiepiſcopus adverſus iſtud monaſterium acrius inſurgebat, & non obſtantibus noſtris privilegiis et præcipue novæ exemptionis, cuidam *Roberto Paulym* primam tonſuram habenti minus voluntarie eccleſiam prædictam de **Kenynton** quæ plena fuit duxit conferendam. Qui vi armata et manu hoſtili cum magna multitudine armatorum, pridie non. Marcii anno ſupradicto, fractis hoſtiis et feneſtris tam ipſius eccleſiæ quam rectoriæ, non ſine violenta manuum injectione et ſanguinis effuſione clericorum et laicorum abbatis inibi exiſtentium, in eandem eccleſiam violenter ingrediens nequiter ſe intruſit. Similiter eccleſiam beatæ *Mariæ Magdalenæ* cuidam *Iacobo* presbytero et rectori. Eccleſiam beatæ *Mildredæ* cuidam *Willielmo*; prædictam eccleſiam beatæ *Mariæ* juxta caſtrum cuidam *Thomæ Pycard*. Qui quidem omnes hii intruſores ad prædictas eccleſias accedentes, manu potenti, hoſtia cum malleis ferreis cum ſuis complicibus fregerunt, monachos clericos et alios inibi exiſtentes nequiter expellentes non ſine ſanguinis effuſione atrociter vulneraverunt.

Eodem anno conceſſa eſt penſio magiſtro *Petro de Denne* x. librarum per annum. Quando vero iſta penſio fuit ſibi conceſſa, ipſe in capitulo promiſit et ſacramento fidelitatis ſe aſtruxit, quod omnibus diebus vitæ ſuæ fidelitatem omnimodam eccleſiæ noſtræ obſervaret, expeditioni cauſarum et negociorum eccleſiæ iſtius cum ad ejus notitiam pervenerint in regno *Angliæ* fideliter vacabit; et præcipue in cauſis omnibus motis vel movendis inter archiepiſcopum *Cantuarienſem*, Priorem et archidiaconum ejuſdem loci et nos.

§. 4. *Proceſſus verſus* P. *de* Mildeſtede *vicarium de* **Faverſham**.

1301.

Robertus Archiep.

ANno Domini M.CCC. primo quidam, capellanus nomine *Petrus Mildeſtede* inſtitutus per abbatem ad vicariam eccleſiæ de **Faverſham**, qui quidem *Petrus* ob diverſa gravamina univerſis rectoribus, vicariis & ſubditis hujus monaſterii per archiepiſcopum & ſuos commiſſarios dampnabiliter illata, ſuæ ſalutis inmemor, poſt canonicam obedientiam pro vicaria ſua ad ſancta Dei evangelia corporaliter præſtitam, à præfata obedientia reſiliens, & ſuper hoc poſtmodum in præſentia dicti abbatis, judicialiter convictus & confeſſus, ſe ſponte voluntati abbatis & ordinationi ſubmiſerat. Iterum tamen poſt præſtitum juramentum continuæ reſidentiæ perſonalis in ipſa vicaria, cura ſibi commiſſa deſerta, in eccleſiis adjacentibus divina celebrare, immo pocius prophanare præſumpſerat, trahendo parochianos eccleſiæ de **Faverſham** alectionibus & machinationibus quibus potuit ad eccleſias convicinas ad ſacramenta et ſacramentalia, in abbatis & eccleſiæ ſuæ de **Faverſham** præjudicium non modicum & gravamen. Poſtmodum ſuper hiis & aliis notoriis criminibus coram dicto Domino abbate & ejus commiſſario multociens ad judicium evocatus, nec aliquo modo comparens, à celebratione divinorum ſuſpenſus, & majoris excommunicationis ſententia, ut inferius per commiſſarium dicti abbatis liquide patebit, innodatus eſt. Dominus vero abbas ſuſcipiens curam ipſius eccleſiæ & parochianorum ſuorum, fecit eis miniſtrari per ſuos monachos & honeſtos presbyteros abſentiam prædicti *Petri* adinplentes. Contigit vero, quod quidam parochianus ejuſdem eccleſiæ deceſſerat jacens in feretro, quem dictus *Petrus* machinatus fuerat cum ſuis complicibus extra parochiam de **Faverſham** apud **Preſton** præjudicialiter humare, unde monachi ſancti *Auguſtini* & alii presbyteri aſſumptis ſecum clericis & laicis, domum ipſius defuncti cum manſuetudine debita cauſa officii mortuorum peragendi adierunt, & invento corpore dicti defuncti in archa concluſo, feretro ſuppoſito, cum paratos ſe offerrent exequias pro defuncto debitas inibi celebrare, & illud corpus ad matricem eccleſiam de **Faverſham** facere deportari, Ecce *Thomas Everard* major dictæ villæ & quaſi tota communitas ibidem utriuſque ſexus cum gladiis, lanceis, fuſtibus, ſecuribus, lapidibus & aliis diverſorum armorum generibus præfatis monachis, presbyteris, clericis cum prædicto corpore in feretro pacifice inermibus verſus eccleſiam incedentibus inſultum fecerunt, ipſumque funus rapere & à ſepultura debita retrahere niſi fuerunt, nec non quoſdam ex eis tam monachos quam clericos in ſtrata publica in capitibus, brachiis & corporibus ſuis percuſſerunt, atrociter vulneraverunt & lapidibus obruerunt, non ſine enormi ſanguinis effuſione. Set hiis malis non contenti, prædictus major & maxima pars dictæ communitatis machinati ſunt inſtinctu diabolico ad deſtruendum per incendium vel alio modo facinoroſo præfatam eccleſiam de **Faverſham** et domos rectoriæ ejuſdem, & propter hoc domicelli & ſervientes de monaſterio deſtinati fuerunt ad dictorum maleficum malitiam reprimendam, & dictam eccleſiam cum domibus rectoriæ defendendam; & incontinenti major cum ſuis complicibus proclamaverunt vocibus & cornu communi totam ejuſdem villæ coortem utriuſque ſexus, & præfatis monachis domicellis clericis & laicis inſultum fecerunt, & eos cum gladiis, arcubus & aliis diverſorum armorum generibus in maxima multitudine tam ipſius villæ quam patriæ adjacentis hoſtiliter eos inſequentes, quoſdam ſemivivos reliquerunt, quoſdam nequiter vulneraverunt, alios incarceraverunt, & tanquam latrones presbyteros clericos & laicos in compedibus & vinculis per longum tempus detinuerunt; cæteros vero indumentis ſuis pecuniarum ſummis & aliis bonis fraudilenter ſpoliatis exanimes in ſtratis publicis reliquerunt. Addentes inſuper iniquitatem iniquitati, adhibito ſibi *Petro de Mildeſtede* antedicto perjuro et excommunicato tocius facinoris auctore principali cum complicibus ſuis, eccleſiam antedictam & domos ſanctuarii ejuſdem auſu ſacrilego invadentes, portas & hoſtia fregerunt, & ingreſſi campanile aſcenderunt, cordas campanarum amputarunt, trabes quibus pendebant gladiis inciderunt, ornamenta eccleſiæ una cum indumentis ſacerdotalibus & diaconi ipſius eccleſiæ ipſo diacono inibi verberato malicioſe aſportarunt. Inſuper vero inimicus noſter non dormiens, ſet ſuper injuriis noſtris manum extendens ad malum, *Robertus* archiepiſcopus eccleſiam de **Faverſham** cum cœmiterio interdici mandavit. Anno quo ſupra, interrogatus fuit idem *Petrus de M.* in hoſpicio ſuo apud **Faverſham** à magiſtro *Willielmo Ronſby* ſi vellet de cætero obedire domino abbati & ſuis commiſſariis juxta ſacramentum ſuum; & dixit ſe velle obedire archiepiſcopo. Item interrogatus, ſi quid pro ſe circa ſtatum ſuum in curia *Romana* impetraverat ſuper eo quod à bono obedientiæ dicto abbati præſtitæ reſiliendo perjurium incurrerat, aut contra canonicas ſanctiones commiſſam ſibi dictæ vicariæ curam deſerens reſidentiam continue perſonalem juratam et promiſſam præpararet omittendo, dixit quod de hiis omnibus non curabat.

Sequitur proceſſus contra eum.

Cum dudum præfatus vicarius non vi nec metu ſet ſponte, una cum aliis rectoribus & vicariis, nobis abbati ſancti *Auguſtini* tanquam Ordinario ſuo feciſſet et juraſſet ad ſancta Dei evangelia, tactis et inſpectis ſacroſanctis, occaſione ipſius vicariæ canonicam obedientiam ſub hac forma: *Ego* Petrus *ero obediens ſancta* Romanæ *ſedi & domino abbati ſancti* Auguſtini Cant. *ad eandem ſedem nullo medio pertinenti qui pro tempore fuerit, & ejuſdem domini abbatis officialibus & miniſtris quos de conſilio fratrum ſuorum ad ſuæ juriſdictionis exemptæ exercitium aſſignabit, in canonicis mandatis. Sic me Deus adjuvet.*

Nuper vero idem vicarius juramento obedientiæ penitus derelicto, domino archiepiſcopo tanquam ſuo Ordinario pro eadem vicaria corporale præſtiterat obedientiæ ſacramentum, et in ſignum hujuſmodi ſubjectionis unum denarium optulerat in magno altari eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ*. Pro quibus ſic actis idem abbas aſſignavit ſibi diem peremptorium, videlicet proximum diem juridicum poſt feſtum exaltationis ſanctæ Crucis in eccleſia ſancti *Auguſtini Cant.* committens vices ſuas commiſſario ſuo generali ſub hac forma.

Thomas *permiſſione &c. diſcreto viro fratri* Willielmo *&c. in omnibus cauſis & negociis*, ut ſupra in omnibus; præter quod hic non dicitur *Proviſo &c.* Cujus auctoritate mandati prædictus Commiſſarius citavit eum per decanum de **Lenham**; cujus tenor talis eſt. *Commiſſarius venerabilis patris Domini* Th. *Dei gratia abbatis monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinentis in ſua juriſdictione exempta de fratrum ſuorum conſilio deputatus, decano de* **Lenham** *ſalutem in ſalutis auctore. Cum* Petrus *vicarius de* **Faverſham** *proximum diem juridicum poſt feſtum exaltationis proximo præteritum ex præfexione legitima coram domino abbate vel ſuo Commiſſario habuiſſet in eccleſia ſancti* Auguſtini, *ad faciendum & recipiendum ſecundum formam prætactorum quod juris foret & rationis, Qui* Petrus *die & loco legitime proclamatus & diu expectatus nullo modo comparere curavit, pronunciavimus contumacem, & propter ejus contumaciam ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendimus juſticia exigente. Iccirco vobis injungimus & mandamus, quatinus ipſum ſic ſuſpenſum in eccleſia de* **Faverſham** *denuncietis ſeu denunciari faciatis publice & ſolempniter; ipſum nihilominus citetis peremptorie, quod compareat coram domino abbate vel ejus Commiſſario in eccleſia ſancti* Auguſtini Cant. *proximo die juridico poſt commemorationem animarum proximo futuram, facturum et recepturum quod juris fuerit & rationis. Quid autem ſuper hiis feceritis nos die & loco per literas veſtras patentes harum ſeriem continentes certificetis.*

Certificatorium.

Veneranda diſcretionis viro commiſſario venerabilis patris Dei gratia abbatis eccleſia ſancti Auguſtini Cant. *ſuus humilis & devotus decanus de* **Lenham** *obedientiam, reverentiam & honorem. Mandatum veſtrum ſuſcepi in hac verba &c. Auctoritate cujus mandati præfatum vicarium quod compareat coram vobis dictis die & loco peremptorie citavi, dicitur tamen vulgariter quod eſt abſens & vagabundus. Et ſic mandatum veſtrum ſecundum ſui formam & effectum reverenter quatenus potui ſum executus.*

Set cum pluries proclamatus et debite expectatus, per ſe vel per reſponſalem aliquem minime compareret, dictus dominus abbas ipſum reputavit contumacem, et de juriſperitorum conſilio contra eum proceſſit et pronunciavit in ſcriptis et forma quæ talis eſt.

In Dei nomine Amen. Nos Thomas *&c. magiſtrum* Petrum *qui ſe gerit pro vicario eccleſiæ noſtræ de* **Faverſham**, *quem alias pro ſua manifeſta contumacia ab ingreſſu eccleſiæ & eciam à divinis juſticia exigente ſuſpendimus & ſuſpendi mandavimus, pro ſua multiplicata contumacia excommunicamus in hiis ſcriptis, decernentes eum ſic ſuſpenſum & excommunicatum in dicta eccleſia de* **Faverſham** *nec non in aliis eccleſiis decanatus de* **Lenham** *fore publice denunciandum diebus dominicis & feſtivis, donec abſolutionis beneficium meruerit optinere.*

Anno quo ſupra in eccleſia ſancti *Auguſtini Cant.* in loco publico ubi jus reddi conſuevit, prædictus Commiſſarius ſedens pro tribunali fecit publice voce præconia præfatum *Petrum* ad eoſdem diem et locum peremptorie citatum; et diu expectatus noluit aliqualiter comparere, recitato toto proceſſu contra eum habito, ſententiam diffinitivam protulit in hunc modum.

De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Olim in præſentia venerabilis patris domini Thomæ *Dei gratia &c. in conventuali eccleſia monaſterii ejuſdem pro tribunali ſedentis conſtitutus perſonaliter propter hoc* Petrus *vicarius eccleſiæ ſuæ de* **Faverſham**, *confitendo expreſſe dictum dominum abbatem ſub eccleſia* Romana *Ordinarium ſuum, non vi nec metu ſet ſponte eidem domino inſpectis ſacroſanctis pro dicta vicaria canonicam*

Edwar. I Rex.

nonicam fecit obedientiam in ſcriptis & forma quæ talis, Ero obediens &c. ut ſupra. *Poſtea cum dictus vicarius ſalutis ſuæ inmemor, veſano ductus ſpiritu ab eadem obedientia reſiliens, in ſuæ ſalutis diſpendium nequiter receſſerat, & cum pluries ad judicium pro delictis vocaretur ſemel & ſecundo contumaciter ſe abſentans, & in ſua malicia obſtinata cervice perſeverans, & incorrigibilis exiſtens, animo indurato & contumaciam contumaciis accumulans comparere vel reſpondere per ſe vel per alium noncuraret: Nos venerabilis patris domini abbatis generalis Commiſſarius in civitate & dioceſi* Cantuariæ *deputatus, conſiderantes quod in emiſſo camo ludit cujus maxillas domantis frænum non reſtringit, & quod ſecundum canones nil comparentibus præſentia prodeſſet ſi abſentia contumacibus non obeſſet, ipſum vicarium reputamus contumacem, & ſuper tot & tantis notoriis criminibus contra eum ad ejus punitionem procedentes, auctoritate nobis commiſſa, eundem* Petrum *tanquam excommunicatum incorrigibilem pronunciamus, & ab eadem vicaria & domibus, quatenus earundem poſſeſſioni de facto incumbit, amovendum eſſe decernimus, & eciam amovemus per hanc noſtram ſententiam diffinitivam in hiis ſcriptis.*

§. 5. *Quod archiepiſcopus* Rob. *inſtituit in eccleſiis noſtri patronatus.*

An. Dñi 1302.

ANno Domini M. CCC. ij. idem archiepiſcopus adverſus hanc eccleſiam adhuc inſtigatus, mandavit Commiſſario ſuo, quod inponeret preſbyteros in eccleſiis & vicariis noſtris ad deſerviendum in eiſdem ipſius auctoritate; ſub tali forma.

ROBERTUS *permiſſione divina &c. Cum eccleſiæ de patronatu abbatis & conventus ſancti* Auguſtini *ac vicariæ eccleſiarum ipſis apropriatarum, per privationem noſtram & ceſſionem rectorum, & vicariorum ipſorum noſcantur vacare, & cura earundem eccleſiarum ac vicariarum ad nos inmediate pertineat ipſa vacatione durante; tibi committimus & mandamus quatinus ipſas eccleſias & vicarias facias per ſacerdotes idoneos deſerviri, ita quod debitis non fraudentur obſequiis, nec cura earum aliquatenus negligatur, Salvo jure archidiaconali in fructibus & obventionibus earundem juxta conſuetudinem hactenus obſervatam.*

Ob qualem injuriam tam manifeſtam nona die menſis Julii in eccleſia ſancti *Gregorii* coram archiepiſcopo ibidem tunc exiſtente vicarius eccleſiæ ſancti *Pauli* procurator rectorum & vicariorum ſcilicet ſancti *Andreæ, omnium Sanctorum*, ſancti *Johannis de Fordwico*, de **Swaleclive**, de **Stonoꝛe**, de parva **Pongeham**, de **Eſtlangedon**, de **Wytreleſberg**, de **Boꝛewarmerſh**, de **Bꝛoklond**, de **Fritindenne**, de **Kingeſdon**, de **Weſtbere**; Eccleſiarum rectores de **Littleboꝛne**, de **Pꝛeſton**, de **Penſtre**, ſancti *Laurentii*, de **Noꝛdburn**, de **Tanterdenne**, de **Lenham**, de **Middelton**, de **Cheldwich** eccleſiarum vicarii, habentes virtute mandati ſui procuratorii inter cætera poteſtatem agendi, defendendi, provocandi, & appellandi, & ibidem coram eodem archiepiſcopo pro defenſione prædictorum appellavit & apoſtolos peciit cum effectu.

Mandavit inſuper archiepiſcopus, hujuſmodi appellatione non obſtante, archidiacono ſuo, quod compelleret omnes parochianos decanatus de **Weſtbere** quod non ſolverent decimas & obvenciones dictarum eccleſiarum niſi collectoribus per ipſum aſſignatis, per talem formam. *VACANTIBUS olim eccleſiis de* **Weſtbere**, *de* **Swaleclive**, *de* **Chiſtelet**, *de* **Penſtre**, *ſanctorum* Laurencii, *&* Johannis *in* Thaneto, *& adhuc tanquam vacantibus in cuſtodia noſtri archidiaconi exiſtentibus, perceptioneque fructuum & obventionum ipſa vacatione durante ad ipſum archidiaconum & non ad alium notorie pertinente, vobis mandamus quatinus moneatis canonice & efficaciter inducatis omnes & ſingulos parochianos dictarum eccleſiarum, & omnes tam ſeculares quam religioſos cujuſcumque condicionis aut ſtatus exiſtant, terras & bona in parochiis dictarum eccleſiarum habentes, ut decimas tam bladi quam fœni in campis dimittant per collectores percipiendas, & minutas decimas & alia quæ ipſis eccleſiis & vicariis debentur fideliter perſolvant cuſtodibus vel collectoribus per nos deputatis ſub pœna excommunicationis majoris quam in non parentes proferimus in hiis ſcriptis, rege, regina, & eorum liberis ab iſta ſententia duntaxat exceptis.*

Robertus Archiep.

Unde propter iſta & multa alia gravamina per archiepiſcopun, archidiaconum, & eorum commiſſarios, officiales, & miniſtros directi fuerunt iterum ad curiam *Romanam* fratres *Robertus de Fekenbam*, & *Adam de Rydenne* procuratores qui prædicta gravamina contra tenorem privilegii ſui dicto monaſterio & ſubjectis ejuſdem illata domino papæ in ſcriptis palam demonſtrarunt. Et nota quod durante iſta graviſſima tribulatione abbates ſupradicti privilegii conceſſi conſervatores miniſterium ſuum fideliter adimplentes canonicam ultionem fulminando dicto archiepiſcopo, archidiacono, commiſſariis, officialibus, & miniſtris eorundem, ne talia attemptarent ſub interminatione prohibuerunt, Proteſtantes palam & publice quod non intendunt officium ſuæ conſervationis excedere, nec aliud ſeu ad aliud quam privilegium exigit ex parte religioſorum ſancti *Auguſtini* vel ſubditorum ſuorum procedere in hac parte.

Unde ex parte archiepiſcopi ante portam S. *Auguſtini* extitit appellatum in forma quæ ſequitur.

« LICET *Weſtmonaſterii* & de **Waltham** monaſteriorum abbatibus una cum abbate S. *Edmundi Londonienſis* & *Norwycenſis* dioceſis ſuper « exemptionibus religioſis viris abbati & conventui « ſancti *Auguſtini* ut prætendunt innovatis, & eiſ« dem de novo conceſſis à ſede apoſtolica prout aſ« ſeritur conſervatoribus deputatis, pro eo quod « idem conſervatores poteſtatem & modum conſer« vationis hujuſmodi contra venerabilem patrem ar« chiepiſcopum *Cantuarienſem* patenter exceſſerant, « necnon & ex aliis probabilibus conjecturis nomine « patris ejuſdem & pro eo adhærentibus, dudum ad « ſedem apoſtolicam extitit provocatum, ne per « prædictos conſervatores vel religioſos viros ſancti « *Auguſtini*, vel eorum nomine aliquid attemptetur, aut aliquid hujuſmodi fieri quoquo modo: « dicti tamen abbas & conventus ſancti *Auguſtini*, « præmiſſis nequaquam obſtantibus dictas exemptiones ſi quæ ſint & vires earum contra juſticiam « excedentes, juriſdictionem ordinariam nedum in « eccleſiis quas dicunt ſibi apropriatis, & parochiis « & parochianis earundem, ſet eciam in eccleſiis in « quibus jus patronatus habere ſe aſſerunt in earum parochiis parochianis ipſarum, cum tamen nulla

Edwar. I. Rex. « nulla juriſdictio ordinata vel delegata eis competere liqueat in hac parte, ſibi temere uſurpare, « officiales & decanos rurales cæteroſque miniſtros « ad exercitium juriſdictionis hujuſmodi præficere, « rectores & vicarios in eccleſia ſui patronatus in« ſtituere in *Cantuarienſi* civitate & dioceſi noviter « præſumpſerunt, ac juriſdictionem eandem de facto « exercentes inhibuerunt ſeu inhiberi fecerunt, tam « clero quam populo dictarum eccleſiarum, ne do« mino archiepiſcopo vel ſuis officialibus in aliquo « obediant vel intendant. Dictarum eciam eccleſia« rum rectores, vicarios, & presbyteros ad facien« dum & jurandum eiſdem abbati & conventui « tanquam ſuis ordinariis obedientiam compulerunt « & indies compellere moliuntur.

§. 6. *De proceſſione Pentecoſtes ad iſtum eccleſiam.*

« SOlempnes inſuper proceſſiones quæ à clero & « populo dictarum eccleſiarum ſicut à cæteris « dictæ *Cantuarienſis* dioceſis ſingulis annis in ebdo« mada Pentecoſtes ad eccleſiam Chriſti *Cant.* ma« tricem & in ea publice fieri conſueverint ſic fieri « nuper inpedientes vel inpediri perperam procuran« tes, ipſam proceſſionem ad ſuum monaſterium in « ultima Pentecoſte publice fieri procurarunt, ſub« jectionem debitam & honorem conſuetum dicti « archiepiſcopi & eccleſiæ ſuæ nequiter ſubtrahendo « & ipſius juriſdictionem minus provide pertur« bando.

Et nota quod in illa proceſſione Pentecoſtes fuerunt rectores, vicarii, & ſacerdotes eccleſiarum ſubſcriptarum, videlicet de **Weſtbere**, de **Swaleclyve**, de **Chiſteleth**, de **Menſtre**, ſanctorum *Laurencii*, *Johannis* & *Petri* in *Thaneto*, **Stone**, **Bozeharmerſſh**, **Demecherche**, **Swanes**, **Wyuelesberg**, de **Broklond**, de **Kenniton**, de **Fritenden**, de **Lenham** cum capellis de **Roton**, de **Middelton**, de **Faverſham**, de **Schelдwich**, de **Kingeſdon**, de **Plumſted** cum capella de **Eſtwicham**; quarum quædam appropriatæ, cæteræ vero de patronatu, una cum non modica parte populi earundem publicam proceſſionem & ſolempnem fecerunt cum oblationibus & cæteris devotionibus ſecundum conſuetudinem obſervatam in eccleſiis matricibus dicti regni.

§. 7. *Subſidium receptum per archiepiſcopum contra nos.*

IN *tranſitu quoque dicti patris per civitatem* Cantuarienſem *ob reverentiam & honorem ejus campanæ pulſari debeant, & ab antiquo ſolebant; ſet religioſi prædicti reverentiam & honorem hujuſmodi ſubtrahi facientes, hoſtia ipſarum eccleſiarum in illius tranſitu claudi fecerunt, & eciam inhiberi & impediri quo minus taliter pulſaretur, in dicti patris injuriam & ſuæ eccleſiæ præjudicium manifeſtum; unde idem dominus archiepiſcopus ſenciens ſe & eccleſiam ſuam ex hujuſmodi novis præſumptionibus prægravari, ne ulterius ab eiſdem talis juriſdictio exerceatur, ſacroſanctam ſedem apoſtolicam appellat in hiis ſcriptis.* Quid plura? Suffraganeos ſuos conſuluit, & ut *Auguſtinenſe* cœnobium deprimere, & Bullam de nova exemptione anullare devote ab eiſdem ſuffragium flagitavit; Qui omnes pro defenſione juris eccleſiæ metropolitanæ ſubſidium copioſe dederunt, videlicet de qualibet marca taxæ ipſorum epiſcoporum iiij.d. præter archidiaconum, commiſſarios, officiales, & alios ipſius archiepiſcopi familiares; quorum quidam xl.l. & alii xl. marças, & quidam majus & quidam minus in omnem eventum largiti ſunt. Iſtis habitis & receptis, miſſi ſunt procuratores archiepiſcopi & capituli ſui ad curiam *Romanam*, ut averterent judicium & juſticiam, papam & totam curiam pecunia corrumpentes. *Robertus Archiep.*

§. 8. *Proceſſus coram Papa inter archiepiſcopum & nos.*

ANno igitur Domini M. CCC. iij. volens dominus papa uno dierum partes inibi conſtitutas audire, fecit eos vocari in privato conſiſtorio xv. kal. Februarii. Et fuerunt tunc pro parte archiepiſcopi advocati dominus *Fornya*, & *Albertus de Caſula Romani*, & duo monachi eccleſiæ Chriſti procuratores, & duo juris civilis profeſſores *Anglici*. Pro parte vero abbatis fuerunt domini *Jacobus de Caſulis*, & *Benenutus de Puſyo* advocati curiæ *Romanæ*, & duo monachi, ſcilicet *Robertus de Fekenham*, & *Adam de Rydenne* procuratores, & magiſter *Johannes de ſancto Claro Anglicus*. Conſtitutis igitur partibus in præſentia domini papæ juſſit partem archiepiſcopi proponere primo, Quæ propoſuit, quod privilegium fuit inpetratum per falſi ſuggeſtionem; & quod privilegia eorum antiqua fuerunt falſa; ſimiliter abbas & conventus exceſſerunt nimis per abuſum, juriſdictionem exercendo, capitula celebrando, clerum eciam & populum ab obedientia & juriſdictione archiepiſcopi nequiter ſubtrahendo. Objecit eciam quod ipſi conſtituerunt decanos rurales & eciam alios officiales ad exercicium hujuſmodi juriſdictionis contra conſuetudines & libertates archiepiſcopi & eccleſiæ ſuæ antiquas. Pro parte vero abbatis fuit propoſitum de gravaminibus, ipſis & eorum ſubditis per archiepiſcopum & ſuos commiſſarios illatis, eos videlicet ſuſpendendo, excommunicando, & demum eorum captionem apud regiam poteſtatem procurando; contra privilegium eiſdem à domino papa indultum. Et propter iſta & multa alia gravamina ipſis religioſis illata petita fuit inſtanter dicti archiepiſcopi vocatio perſonalis & ſuorum commiſſariorum. Poſtquam vero fuerat, ut dictum eſt, pro utraque parte ſic propoſitum, dixit dominus papa, Ego plantavi, *Apollo* rigavit. Ego, ſuple *Gregorius* papa; Ego, ſedes iſta *Romana* plantavi illam eccleſiam ſancti *Auguſtini*; *Apollo* rigavit, hoc eſt beatus *Auguſtinus* per Chriſti gratiam & ſuam prædicationem *Anglos* baptizavit; Deus incrementum dedit per beatum *Thomam* martyrem. Et adjecit, utraque eccleſia nobilis eſt: & ita bene novimus jura & libertates utriuſque eccleſiæ ſicut illi monachi qui ibi ſtant, erigens faciem ad monachos procuratores ſuperius nominatos. Una, inquit, eccleſia utitur jure communi, alia gaudet privilegio ſingulari. Et ideo in ſignum ſuſceptæ libertatis ab eccleſia *Romana*, in adventu legati ad illam terram debet abbas mittere unum monachum obviam illi uſque ad medium maris qui portabit ſecum crucem, & ibi erigent eam & incipient cantare *Te Deum laudamus*. Ipſe vero monachus portabit crucem erectam ante lega- An. Dñi 1303.

Edwar. I. Rex.

tum dummodo fuerit in illa terra. Ad hoc quod vos dicitis, quod privilegium fuit impetratum per falſi ſuggeſtionem, & quod privilegia eorum antiqua ſunt falſa, non eſt verum. Nos dedimus ipſis illud privilegium. Præterea nos inſpeximus privilegium beati *Bonifacii* quarti ſatis amplum pro ſuo tempore, & nos illud corroboravimus, & ſi adhuc eſſet dandum adhuc eiſdem daremus, & ſi non eſſet eorum monaſterium exemptum, de novo eximeremus. In fine dixit partibus, quod ipſi ponerent in ſcriptis ea quæ voluerunt proponere, & probare, & ſibi liberarent: ſicque receſſerunt à conſiſtorio. Acta fuerunt hæc coram domino Papa & Cardinalibus in privato Conſiſtorio.

Articuli liberati pro parte abbatis & conventus S. Auguſtini *ſic ſe habent.*

INprimis, pater ſanctiſſime, exponitur, quod præfatum monaſterium ſanctiſſimorum patrum *Gregorii* & *Auguſtini* monitu & inſtantia, beatus *Ethelbertus* rex *Angliæ*, quem dictus pater *Auguſtinus* cum ſua gente ad fidem Chriſti convertit, in ſepulturam ſui & ſucceſſorum ſuorum regum *Angliæ* & præſulum præfatæ urbis *Cantuariæ* à fundamentis conſtruxit, & bonis propriis ditavit, & ibidem congregationem monachorum collocavit. Cui monaſterio dictus pater *Auguſtinus* primo præfecit auctoritate ſedis apoſtolicæ *Petrum* abbatem confeſſorem per beatum *Gregorium* ſecum miſſum ad convertendum *Anglicos*. Quo *Petro* mortuo, apoſtolica ſedes præfecit *Johannem*. Item, prædictum monaſterium, ut præmittitur, ſic fundatum dictus *Anglorum* apoſtolus & ſanctiſſimæ ſedis *Romanæ* legatus *Auguſtinus*, auctoritate beati papæ *Gregorii* & ex ore ejuſdem, dominicum eſſe voluit & apoſtolicum ordinavit, ac terras & eccleſias ad ipſum pertinentes ab omni ordinaria poteſtate, potentatu, dominatu aut imperio exemit & privilegiavit, prout in ejuſdem privilegio latius continetur. Item prædictum monaſterium ſanctus pater dominus *Bonifacius* papa quartus ad preces dicti ſancti *Ethelberti* regis & ſancti *Melliti* confeſſoris tunc *Londonienſis* epiſcopi, ſancti regis ad hoc nuncii & legati, in generali Concilio *Italiæ* perpetua libertate munivit & privilegiavit. Item, prædictum monaſterium virtute dictorum privilegiorum & ipſorum cujuſlibet pro tempore ſuo ab initio fundationis ſuæ ita liberum fuit & exemptum ab omni ordinaria poteſtate tam in capite quam in membris & omnibus ad idem pertinentibus intus & extra, & notorie habitum pro exempto, & ſolum ſanctiſſimæ *Romanæ* ſedi inmediate ſubjectum, quod nullus præter *Romanum* pontificem, vel cui ad hoc ſpecialiter committeret, quicquam juriſdictionis vel poteſtatis in dictum monaſterium, abbatem vel monachos & clericos homines, vel tenentes de dominio, vel de ſubjectione ipſorum abbatis & conventus, nec in aliquos ipſi monaſterio tributa vel redditus quomodolibet exſolventes nullatenus exerceret, verum abbas cum ſuo conventu omnem juriſdictionem in omnibus eccleſiis ſuis & parochianis earum, tam in clericis quam laicis, pacifice & plene exercuit & habuit, clericos in eccleſiis ſuis tam ſuis uſibus apropriatis quam aliis inſtituit & deſtituit. Cauſas eciam matrimoniales audivit; & omnimodam juriſdictionem exercuit ſicut epiſcopi in ſuis dioceſibus exercere conſueverunt. Et iſtum ſtatum pacifice & notorie habuit iſtud monaſterium per CCC. annos & ultra, ſcilicet uſque ad tempus *Lucii* papæ tertii, cujus tempore licet archiepiſcopus *Cantuarienſis* ipſius monaſterii ſtatum, exemptionem & juriſdictionem inquietaret, dictus tamen dominus *Lucius* mandavit per bullam ſuam archiepiſcopo *Cantuarienſi*, quod non intromitteret ſe de aliqua juriſdictione quantum ad clericos vel homines ſpectantes ad juriſdictionem ipſius abbatis. Item mandavit abbati quod juriſdictionem hujuſmodi exerceret; & ſimili modo mandavit clericis & laicis dictæ juriſdictionis, quod non obedirent archiepiſcopo *Cantuarienſi* in aliquo, verum dicto abbati, præſertim pendente inquietatione prædicta. Poſtea dominus *Celeſtinus* iij. quoad prædicta jura & alia dictum monaſterium privilegialiter communivit. In quo ſtatu dictum monaſterium uſque ad tempus *Gregorii* papæ ix. permanſit & uſum eſt ſuis libertatibus ut ſupra. Iſte *Gregorius* mandavit per ſcripta apoſtolica & præcepit tunc archiepiſcopo, quod dictos abbatem & conventum aliqua non gravaret ſententia, & quod ipſorum eccleſias, clericos vel homines interdicere vel excommunicare non præſumeret, vel cenſus ſibi debitos ſolvi minime inpediret. Item tempore ipſius domini *Gregorii* propter nimias vexationes & gravamina quæ ſentivit ipſum monaſterium per potentiam archiepiſcoporum, intervenit compoſitio anno ſui pontificatus xij. quæ adeo derogavit præmiſſo ſtatui illius monaſterii & juri, quod extunc archiepiſcopus *Cantuarienſis* & archidiaconus ibidem inceperunt prætextu dictæ compoſitionis habere inſtitutionem & deſtitutionem in eccleſiis ipſius monaſterii ad præſentationem religioſorum, & in ſuos clericos & homines juriſdictionem omnimodam exercere, reſervatis tamen quibuſdam prærogativis præteritæ juriſdictionis & exemptionis abbati prædicto. Item, iſtius compoſitionis forma hinc inde fuit ſervata uſque ad tempus domini *Roberti* nunc *Cantuarienſis* archiepiſcopi, qui eciam contra compoſitionem prædictam innumeris gravaminibus ipſum monaſterium ſolito plus vexavit. Primo videlicet recuſavit admittere quendam clericum idoneum præſentatum ab ipſis ad eccleſiam eorum de **Fritendenne**, ſet mandavit ipſis religioſis per literas ſuas quod præſentarent certam perſonam quem in ſuis literis nominavit, & adjecit, quod nullum alium vellet admittere illa vice. Item ſubſequenter peciit ab ipſo abbate obedientiam, tam contra prætacta privilegia quam compoſitionem præmiſſam quam debuit illis temporibus obſervare. Item fecit citari dictos abbatem & conventum ad terminum nimis brevem & ad locum incertum, nulla abbreviationis cauſa expreſſa, ita quod ipſi comparerent coram ipſo ubicumque eſſet in civitate, dioceſi vel provincia *Cant.* propoſituri, oſtenſuri, necnon probaturi peremptorie quo jure vel titulo eccleſias de **Middelton**, de **Littleborne**, de **Preſton**, de **Menſtre**, ſanctorum *Laurentii* & *Petri*, de **Chriſtelet**, de **Faverſham**, de **Scheldwich**, de **Hellyng**, de **Canterdenne**, de **Norborne**, de **Lenham**, & ſancti *Pauli Cant.* in uſus proprios poſſiderent, necnon porciones & penſiones quas finxit eoſdem habere in certis locis, licet in veritate nullas haberent ibidem, ac eciam ut dicto termino privilegia ſuper apropriationē eccleſiarum noſtrarum & aliis libertatibus ipſius monaſterii cum gravi periculo delationis exhibendorum

Roberti Archiep.

Edward. I. Rex.

dorum pro termino peremptorio exhibituri, & ulterius de die in diem proceſſuri ubicumque idem archiepiſcopus ſe transferret. Item ad magis gravandum dictos religioſos excitavit adverſus eos plures adverſarios citando in eccleſiis in quarum parochiis ipſi religioſi penſiones vel porciones habebant, ac eciam in aliis ubi nichil perceperunt omnino, quod omnes quorum intereſſet coram ipſo archiepiſcopo comparerent ſe ipſis religioſis in hujuſmodi penſionibus efficaciter oppoſituri, ita quod à dicta perceptione expelli poſſent in poſterum & excludi. Item, licet eidem archiepiſcopo oblatum fuiſſet multis vicibus ex parte religioſorum & ante eorum citationem & poſt, ſuper omnibus quorum occaſione fatigavit eoſdem, loco & tempore congruis & ipſum in illis debite informare, ipſos tamen in hoc audire ſæpius recuſavit, nec detulit quamvis ſibi conſtaret de eorum appellationibus, ſet eccleſias ipſorum religioſorum nullo juris ordine ſervato vacantes eſſe pronunciavit, & mandavit eiſdem quod ad ipſas eccleſias tanquam ad vacantes infra xl. dierum ſpacium idoneos clericos præſentarent, denunciando eiſdem religioſis quod alioquin eccleſias conferret eaſdem. Item, dum dictarum appellationum negotia apud hanc ſanctam ſedem de præcepto veſtro, pater ſanctiſſime, remanſerunt, inhibitum fuit eidem auctoritate veſtra, ne quicquam in dicti monaſterii ſeu dictarum appellationum præjudicium attemptaret lite pendente; quibus tamen appellationibus vel inhibitioni papali non detulit, nec eciam veſtræ ſanctitatis privilegiis licet ſibi conſtaret ad plenum de ſingulis eorundem. Item, cum dictum veſtrum privilegium eſſet eidem necnon capitulo ſuo per conſervatores ſuper hoc deputatos oſtenſum & in eorum præſentia lectum, idem conſervatores per ſuum Commiſſarium virum providum & diſcretum, facta tamen ſibi prius fide de privilegiis antiquis, & de ſtatu antiquo quem habebat ante dictas compoſitiones quantum ad inſtitutionem & deſtitutionem clericorum in beneficiis, injunxerunt abbati quod ipſe omnem ſtatum antiquum, tam quoad exemptionem quam juriſdictionem, plene reſumeret, ac omnia & ſingula quæ fieri conſueverunt ante prædictam compoſitionem libere exerceret; dictus vero abbas ſciens ſtatum eccleſiæ ſuæ antiquum fuiſſe ita plenum & liberum, ipſum reſumpſit ſecundum modum obſervatum antiquitus & quatenus veſtro credebat privilegio convenire. Poſtmodum idem archiepiſcopus per officialem ſuum & alios miſit *Cantuariam*, mandans quod abbas & conventus coram ipſis in eccleſia ſancti *Pauli* exemptionem & privilegia quibus vellent uti contra ipſum, coram ipſis Commiſſariis notorie ſuſpectis, & dicti monaſterii inimicis eciam tempore meſſium exhiberent. Qui Commiſſarii inponebant religioſis quamplures abuſus & exceſſus privilegii conceſſi. Tamen ex parte abbatis & conventus facta fuit proteſtatio, quod non intendebant in aliquo excedere vel illo quoquo modo abuti; verum ſi quid dubii circa veſtrum privilegium emerſiſſet vel in futurum emergeret, veſtræ ſanctitatis declarationem humiliter expectaret, & petebatur quod hoc faceret pars adverſa cum effectu. Item dicti Commiſſarii præmiſſa omnia vilipendentes clericos & homines ipſius monaſterii tributa vel redditus ſolventes, necnon cæteros exemptos in locis ejuſdem degentes, excommunicaverunt & præceperunt ſub pœna excommunicationis, ne quis parochianorum ſuorum de ſuarum eccleſiarum proventibus vel juribus parochialibus reſponderent. Et ut plus viderentur inimici veſtroque privilegio inobedientes, de die in diem tam contra perſonas exemptas quam loca exempta proceſſerunt; propter quod licet per conſervatores veſtri privilegii fuiſſent moniti, quod à talibus exceſſibus notoriis deſiſterent & errata corrigerent ſub pœna excommunicationis latæ in eoſdem ſi ſecus agerent, idem tamen injurias injuriis accumulantes ſtatum & exemptionem ipſius monaſterii plus ſolito inquietarunt, veſtræ ſanctitatis privilegium ſiniſtrâ interpretacione coram clero & populo exponentes. Item, dictus archiepiſcopus facto publico ſermone ad populum in eccleſia ſua excommunicavit omnes qui ſtatum ſuæ eccleſiæ in juribus, libertatibus, vel poſſeſſionibus minuerant quæ prius habuerat vel conſueverat optinere. Item, clericos eorundem per ejus Commiſſarium de facto non de jure excommunicatos, non obſtante quod proceſſus & ſententia prædicta eſſent auctoritate veſtri privilegii nulla & irrita eciam per conſervatores ex habundanti debite revocata, fecit mancipari cuſtodiæ carcerali regia poteſtate mediante. Iſtis articulis audienciæ apoſtolicæ ſic traditis & liberatis procuratores abbatis receſſerunt.

Robertus Archiep.

Anno quo ſupra per ſpacium temporis, videlicet idus Marcii vocata fuit pars abbatis & conventus per ſe in ſecretiori thalamo coram domino papa, qui dixit quaſi increpando; Non ſecundum voluntatem noſtram, ut intelleximus, fecerunt ipſi abbas & conventus in eccleſiis juris patronatus eorum, quia inſtituerunt & deſtituerunt in eiſdem. Reſponſum fuit, Pater ſancte, Non: ſet poſuerunt ibi perſonas idoneas ut ipſis deſervirent quouſque aliud ſcirent de veſtra voluntate. Quantum ad pulſationem contra archiepiſcopum, negatum fuit expreſſe quod nunquam fuit prohibitum quin pulſaretur contra eum. Tercio inquirebat de eccleſiis appropriatis quid ſentirent. Ad illud fuit allegatum de præſcriptione & de ſtatu monaſterii antiquo ad quem reducti fuerunt per ſuum privilegium. Tunc dixit dominus Papa, Non ponatis vos in talibus, quia talia poſſunt eſſe privilegia quæ juriſdictionem populi ſimul cum appropriatione eccleſiarum ſapiunt, & alia quæ non. Ad illud quod objecit de exceſſu quoad inſtitutionem & deſtitutionem reſponſum fuit, Pater ſancte, conſervatores privilegii veſtri viſo ſtatu monaſterii antiquo injunxerunt abbati quod ipſe reſumeret omnem ſtatum antiquum quoad exercicium juriſdictionis: & ipſe hoc fecit ſub proteſtatione tali, Quod ſi contingeret illum aliud facere quam quod de veſtra procederet voluntate, paratus eſſet cum hoc ſibi conſtaret reſumpta revocare. Hiis dictis, juſſi ſunt recedere. Et continuo vocata fuit pars archiepiſcopi & diu tractavit cum eis: denuo vocata fuit pars abbatis. Conſtitutis vero partibus coram domino Papa objecit pars archiepiſcopi illa quæ ſuperius ſunt oſtenſa. Tunc dixit dominus Papa, Taceatis, non curamus de talibus, quia totum negotium ad tria puncta reſtringimus, videlicet ad Juriſdictionem, Pulſationem, & Proceſſionem, & de iſtis volumus deliberare & ordinare ſicut nobis videbitur expedire; ſicque totum negotium ſibi prima vice reſervavit; deinde locutus eſt procuratoribus archiepiſcopi dicens, Nos audivimus de illo *Cantuarienſi* quod male ſe habuit in parliamento *Lyn-*

colnia quia ipſe ſeminavit zezannia inter Regem & Barones; & niſi fuiſſet ſapientia regis, terram ſuam inperpetuum amiſiſſet, ipſe corruet & finaliter ipſe corruet, & per Deum bene vindicabo regem de eo. Reſpondit magiſter *Johannes de Ros* procurator archiepiſcopi, Pater ſancte, niſi fuiſſet ſua conſtancia & prædicatio, multa majora ſcandala fuiſſent in illo regno exorta. Papa reſpondit, Tu mentiris, tu mentiris, bene ſcimus veritatem. Tunc juſſæ ſunt ambæ partes recedere.

Poſt aliquos vero dies pecunia mediante epiſcopali traditum fuit dictum negotium ad notarium ut expediretur. Perpendit autem pars abbatis quod nota non fuerat bene concepta pro parte ipſorum, vehementer inſtabat quod poſſet habere acceſſum ad dominum Papam. Tandem intervenientibus amicis ingreſſi ſunt, ſupplicantes ſibi pro Dei miſericordia quod ſibi placeret habere pietatem de monaſterio ſuo: & reſpondit, Eccleſia beati *Auguſtini* eſt antiquior in illo regno, & ideo magnum vituperium eſſet curiæ *Romanæ* ſi non eſſet exempta ex quo plura monaſteria ſunt ibi exempta, nec decet quod ſit pejoris conditionis quam aliæ eccleſiæ, quæ fuit prima inter eas. Iniciatio ibidem religionis Chriſtianæ, antiquitas loci & veneratio beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli movet nos ad fovendum jura illius monaſterii in quantum poſſumus cum juſtitia. Et hiis dictis receſſerunt. Inſuper firmiter promiſſum fuerat eiſdem per organum domini papæ quod negotia bene expedirentur pro parte illorum, tamen quia curia fuit in motu verſus *Agnaniam* dicebatur, quod nichil potuit expediri quouſque illuc venirent. Igitur venientibus procuratoribus abbatis poſt Paſcha *Agnaniam*, requirebant à referendario quod negotia expedirentur ſecundum quod promiſſum eiſdem fuerat. Qui reſpondit verbis diſſimulatoriis, ſe ad plenum non ſcire de voluntate domini; unde prædicti procuratores inſtiterunt ut ſcirent finem negotii. Tandem dictum fuit eis, quod irent ad notarium & inſpicerent quandam notam quam dominus præcepit fieri, ut dicebatur. Inſpecta vero nota, diſplicuit per omnia eo quod ex toto fuit eis contraria. Placuit tamen procuratori archiepiſcopi qui inſtanter egit quod inbullaretur. Venerunt igitur procuratores abbatis ad referendarium dicentes, Pater, quid eſt quod intenditis facere? Si illa nota tranſeat, inperpetuum confuſi erimus nos & domus noſtra, nec auſi erimus redire ad propria. Magnum certe peccatum eſt quod tantum à domo noſtra extorſiſtis pecuniæ nec quicquam conſecuti ſumus amplioris gratiæ. Qui reſpondit, Quid igitur vultis ut faciam vobis? Nonne ſufficere poteſt vobis quod habeatis ſtatum aliorum exemptorum? Reſponſum fuit, Pater ſufficit. Et dixit, Requiratis ergo ſtatum eorum, & Dominus faciet vobis bonam gratiam. Unde requiſita fuit copia privilegii ſancti *Albani*, & ad curiam ſub manu publica delata. Quibus exhibitis reſpondit dominus Papa, Quod non ſatis credidit notoriis *Anglicanis* niſi hujuſmodi privilegia poſſent inveniri in curia regiſtrata. Demum regiſtris inſpectis compertum eſt privilegium *Honorii* tercii anno ejuſdem tercio de verbo ad verbum; & illud optime faciebat pro ſtatu quem petebant. Interea pendente negocio ſub diſſimulatione infecto, procuratores archiepiſcopi inpetrarunt plures literas contra rectores, vicarios, & alios ſubditos ipſorum abbatis & conventus; Quibus procuratores abbatis contradixerunt. Et cum multa eſſet pro hujuſmodi hinc inde controverſia, dixit Auditor contradictoriarum procuratoribus abbatis, Concedo vobis terminum uſque ad publicum conſiſtorium, ut poſſitis conſulere dominum ſi hæ literæ debeant tranſire vel non.

In proximo igitur conſiſtorio publico, ſcilicet die ſancti *Adriani*, inter cætera propoſuit pars religioſorum coram domino Papa & Cardinalibus, quod procuratores archiepiſcopi inpetrarunt literas in audientia contra privilegium novum conceſſum. Inſuper quod de novo citari fecerunt procuratores abbatis coram domino *Johanne* monacho presbytero Cardinali ad procedendum ſuper illa nota ſuperius memorata. Tunc reſpondit dominus Papa, Nos ob reverentiam beati *Auguſtini* dedimus eis illud privilegium & ſtatum illius monaſterii corroboravimus & renovavimus: verumtamen ipſi monachi non ſunt contenti finibus ſuis, & adjecit de cauſa quæ fuerat in dubio coram Cardinali, alloquens ipſum Cardinalem, dicens ſic, *Johannes* fili audis tu iſtam cauſam. Qui reſpondit, Pater ſancte, Vocati fuerunt coram me & propoſuerunt in ſcriptis excipiendo quod vos reſervaſtis veſtræ audienciæ; & ſuper hoc petebant procuratores prædicti inſtanter veſtram ſanctitatem conſuli eo quod vos non agebatis in remotis. Qui reſpondit, Ego tibi præcipio ne amplius iſtam cauſam audias, nos enim illam nulli omnino hominum committimus nec committemus; ſed nos iſtud negocium cum omnibus ſequelis ſuis volumus terminare: & ſub iſto modo iſtam cauſam ſibi ſecundo reſervavit. Conſiſtorio celebrato, venerunt procuratores abbatis nunciantes auditori contradictoriarum quæ dicta fuerant à domino Papa. Qui reſpondit, Volumus conſulere dominum: & quia procuratores archiepiſcopi valde fuerant infeſti Auditori quod prædictæ literæ tranſirent, fecit Auditor partes citari. Quibus coram eo in judicio conſtitutis, poſt multas allegationes hinc inde factas dixit Auditor. Quia nos non habemus cognoſcere de veritate precum, nos iſtas literas diſcernimus abſolvi, ſub iſta tamen conditione, Quod ſi illæ eccleſiæ ſeu perſonæ de quibus agitur in prædictis literis pertinent ad ipſum monaſterium pleno jure, vel ſunt membra ipſius monaſterii, vel ſi ſint eccleſiæ vel perſonæ de quibus omnibus cauſa pendet coram Papa, literæ non procedant contra abbatem ſeu aliquas alias perſonas ipſi monaſterio ſubjectas. Non multum poſt procurator archiepiſcopi habito ingreſſu ad dominum Papam propoſuit coram eo, Quod procurator abbatis inpediebat literas communis juſticiæ in audientia quo minus tranſire poſſent: & multos alios articulos propoſuit coram eo. Papa reſpondit, Redigas in ſcriptis ea quæ probare volueris & trades nobis. Et ſi probaverimus quod verum dixeris, nos acrius procedemus contra prædictos religioſos: ſi autem probaverimus te falſum dixiſſe promittimus Deo quod puniemus falſitatem tuam.

Igitur proximo conſiſtorio liberavit procurator archiepiſcopi articulos prædictos domino Papæ, qui ſic incipiunt, *Gravamina noviter attemptata.* Dictus tamen procurator non artavit ſe ad probandum articulos in aliquo, nec per publica inſtrumenta, ſeu quovis alio juris ordine: ſed in fine articulorum quaſi concludendo dixit, « Pater ſancte, hæc « omnia recepi literatorie à domino meo *Cantuarienſi* & Priore Capituli ejuſdem. Quando vero dicti articuli liberati fuerunt, petita fuit eorum copia inſtanter per procuratorem abbatis. Et incontinenti petitum fuit per eoſdem, quod dominus Papa vellet ſubſequenter audire partem, cauſam & articulos abbatis. Et reſpondit, Satis eſt; & adjecit, Nos ob reverentiam beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli ſtatum ipſius eccleſiæ renovavimus, corroboravimus, & multa addidimus. Verumtamen abbas & ipſi monachi nimis ſunt elati, & faciunt multos exceſſus; & ſimiliter archiepiſcopus aliquantulum eſt elatus, & utinam aliquantulum, quia nimis magnus theologus eſt, ipſe eſt de Rypariis, bene novimus eum. Et dixit, Conſulimus quod utraque pars contenta ſit finibus ſuis; & placeret nobis quod bona pax eſſet inter eos; quia ſi contingat nos tangere illas, utraque pars dolebit. Et ſic receſſerunt à Conſiſtorio illa vice. Quibus articulis archiepiſcopi quanquam nobis omnino contrariis à domino Papa conceptis, juſſit notam quæ alias fuerat *Anagnia* concepta procedere. Quod videns procurator abbatis inſtitit viriliter quatinus habere poſſet copiam dictæ notæ, dicens, Se poſſe proponere & probare per rationes efficaces quod illa nota non poſſet tranſire. Quod cum nunciatum fuiſſet domino Papæ, juſſit copiam liberari prædicto procuratori. Tamen procurator archiepiſcopi conſtanter egit, quod prædicta nota tranſiret. Cui tamen reſponſum fuit, quod dominus intellexit quod pars abbatis haberet plures rationes probabiles & efficaces quare prædicta nota tranſire non deberet, & iccirco voluit adhuc audire partes & dictum negotium ampliori deliberatione tractare.

Et ſcito quod illa nota quæ dicitur fuiſſe concepta *Anagnia* erat hæc: *Habeant præſentationem rectorum & clericorum*, tum & cætera quæ ſequuntur in bulla declarationis. Contra quam notam procuratores abbatis rationes produxerunt efficaces in forma quæ talis eſt: *Habeant præſentationem &c.* Hæc dictio tantum abſorberet jus monaſterii, quia de jure communi alia competunt patronis quam præſentatio ſola, quia abbas & conventus habent cuſtodiam vacantium eccleſiarum de patronatu, & percipiunt medietatem fructuum ipſarum tempore vacationis, & eciam ſequeſtrorum. Item, retinent claves ipſarum eccleſiarum vacantium. Item, pulſantur campanæ propter reverentiam ipſius abbatis, quando tranſit per loca. Et hæc competunt & compecierunt ab eo tempore quo memoria non extat, & eciam per compoſitiones fuerant reſervata expreſſe. *Item archiepiſcopus habeat ſpiritualia in eiſdem* hoc excepto, quod propter privilegia & compoſitionem interdicere & ſuſpendere non poteſt, ſicut patet per compoſitiones, quinque eccleſias in compoſitione nominatas, ut ſuperius in eadem compoſitione patebat. *Nec alias quam eis ex præſenti declaratione*: Hoc eſt limitandum quoad ſpiritualem juriſdictionem, quia temporalem habuerunt & habent in prædictis ab eo tempore quo non extat memoria. *permittitur* Ex hac conceſſione nichil permittitur quod juriſdictionem ſapiat. Præterea eadem jura habent in hoc genere apropriatarum eccleſiarum quæ habent in illis quæ ſunt de ſolo patronatu. Et ideo oportet hoc mutari. *Et aliarum quarumcumque eccleſiarum* Cantuarienſis *civitatis & dioceſis* Si hoc ita generaliter ponatur extendetur ad eccleſias pleno jure eiſdem ſubjectas, & ſic inducitur ſervitus ſuper rem omnino exemptam, *Qualemcumque juriſdictionem habere noſcuntur* quæ ſunt iſta? verendum eſt ne ex hiis verbis detur materia in poſterum litigiis. *In cæteris contentis in eo.* Inpropria videntur hæc verba, quia de hiis quæ declarata ſunt nichil in privilegiis continetur, & exceptio non fit niſi de eo de quo eſt regula.

Petitiones procuratoris archiepiſcopi ſubſequenter productæ; Quæ tales ſunt.

Abbas & Conventus monaſterii S. *Auguſtini Cant.* aſſeruerunt coram vobis, Quod licet monaſterium eorum à principio fundationis ipſius cum omnibus membris ſuis fuiſſet exemptum per ſedem apoſtolicam à juriſdictione qualibet ordinaria, eis tamen poſtmodum exactionibus & anguſtiis fatigatis per nonnullos archiepiſcopos *Cantuarienſes* ſuper exemptionibus eorundem, quædam compoſitiones intervenerint inter partes, ex quibus dicti Abbas & Conventus dicentes plurimum derogari libertatibus eorundem, ſupplicarunt ſe reduci ad plenitudinem libertatis exemptionis. Unde vos decreviſtis privilegia, libertates, & exemptiones ipſis à dicta ſede conceſſa in ſuo robore permanere, ac nichilominus ipſos & dictum monaſterium cum omnibus membris ſuis ab omni poteſtate, juriſdictione, ſubjectione, & dominio archiepiſcopi, & capituli *Cantuariæ*, & omnium aliorum abſolviſtis, exemiſtis, & perpetuo liberaſtis, & decreviſtis ea omnia totaliter & inmediate *Romano* pontifici ſubjacere, ita quod nec archiepiſcopus nec quævis alia perſona eccleſiaſtica in ipſos juriſdictionem aliquam ſibi poſſent vendicare; criſma autem, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ordinationes monachorum & clericorum à *Cantuarienſi* archiepiſcopo ſuſciperent. Mandaſtiſque certis judicibus ut non permitterent eos contra exemptionem hujuſmodi moleſtari. Poſtmodum archiepiſcopus perpendens quod prædicti judices exceſſerant fines mandati, & quod dicti Abbas & Conventus uſurpabant ſibi juriſdictionem ordinariam, nedum in eccleſiis eis apropriatis & parochianis earum, ſet eciam in eccleſiis in quibus jus patronatus tantum habebant & parochianis ipſarum, ac inpediebant ſolempnes proceſſiones quæ conſueverunt fieri à clero & populo ipſarum eccleſiarum ad *Cantuarienſem* eccleſiam, procurando eam fieri ad dictum monaſterium; & quod in tranſitu ipſius archiepiſcopi per civitatem *Cantuaria* ſibi ſubtrahebant pulſationem campanarum, ad ſedem apoſtolicam appellavit. Igitur nunc petitur pro parte archiepiſcopi ut ſtatuatis quod ad eccleſias *Cantuarienſis* civitatis & dioceſis in quibus dicti abbas & conventus obtinent tantum jus patronatus & futuris temporibus optinebunt, & ad ipſarum eccleſiarum rectores, clericos, & parochianos, non extendatur hujuſmodi veſtra exemptio; & quod eccleſiæ quas habent & habebunt in proprios uſus, & rectores, ſeu vicarii, clerici, vel parochiani earum quoad juriſdictionem ſpiritualem ſeu eciam temporalem per eandem exemptionem non intelligantur exempti, ſet illas tantum eccleſias & per exemptionem ipſam cenſeatis exemptas quæ pleno jure ipſi monaſterio ſunt ſubjectæ; & mandetis quod per eoſdem abbatem & conventum, per rectores & alios clericos parochianos prædictarum & aliarum eccleſiarum *Cantuarienſis* civitatis & dioceſis, in quibus

Edwar. I. Rex.

ipſi Abbas & Conventus qualemcunque habeant juriſdictionem, faciant ipſi archiepiſcopo obedientiam & reverentiam debitam in pulſando campanas, in proceſſionibus faciendis, & in omnibus aliis in quibus conſueverunt & debent. Et quod omnes proceſſus, ſive per prædictos conſervatores, vel per eoſdem Abbatem & Conventum, aut per præfatum archiepiſcopum, vel eorum aliquem, vel quemcunque alium factos occaſione præmiſſorum caſſetis & irritetis. Et quia omnes, tam majores quam inferiores avariciæ ſtuduerunt, pecuniæ ſummopere obtemperantes, petitiones archiepiſcopi juſtas, rataſque eſſe judicantes, rationibus religioſorum contra notam privilegii ſuperius conceptis non obſtantibus, dominus papa declaravit in hunc modum.

§. 9. *Declaratio privilegii* Bonifaciani.

Bonifacius *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Dudum pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventus monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *ordinis ſancti* Benedicti *fuit expoſitum coram nobis, quod licet eorum monaſterium à principio fundationis ipſius, ſeu à tempore cujus memoria non extabat cum omnibus membris ſuis exiſtentibus ubicunque, fuiſſet exemptum per ſpecialia privilegia ſedis apoſtolicæ à juriſdictione qualibet ordinaria, prout evidentius in privilegiis contineri dicebatur eiſdem, eis tamen poſtmodum per nonnullos archiepiſcopos* Cantuarienſes *qui pro tempore fuerant, nunc hinc, nunc inde vexationibus & anguſtiis fatigatis, quædam compoſitiones ſuper exemptionibus & libertatibus contentis in dictis privilegiis intervenerant inter partes. Verum cum idem Abbas & Conventus aſſererent per hujuſmodi compoſitiones prædictis eorum privilegiis & libertatibus non modicum derogari, Nos eorum ſupplicationibus inclinati hujuſmodi privilegia, exemptiones & libertates ipſis & dicto monaſterio à præfata ſede conceſſa in ſuo voluimus & decrevimus robore permanere; ac nihilominus ipſos Abbatem & Conventum dictumque monaſterium cum omnibus membris, eccleſiis, capellis, xenodochiis, hoſpitalibus, cantariis, necnon caſtris, villis, maneriis, domibus, grangiis, terris, poſſeſſionibus, redditibus, & quibuſcunque bonis ſuis in quibuſcunque forent dioceſibus conſtituta, & omnibus perſonis ſui ordinis, & aliis eis ſubjectis degentibus in eiſdem, ab omni poteſtate, juriſdictione, ſubjectione atque dominio tam venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi, & dilectorum filiorum capituli* Cant. *qui tunc erant & qui pro tempore forent, quam quorumlibet archiepiſcoporum, epiſcoporum, capitulorum, prælatorum, & officialium ſuorum, & aliarum quarumlibet eccleſiaſticarum perſonarum duximus per noſtras ſub certa forma literas eximendum, & eis ſuper exempcionis noſtræ privilegio dilectos filios* Weſtmonaſterii *& de* **Waltham** *ac ſuper iſtis ſub certa forma literis conſervatores nichilominus deputavimus. Poſtmodum autem venerabili fratre noſtro archiepiſcopo* Cantuarienſi *prætendente, quod præfati* Weſtmonaſterienſis *&* de **Waltham** *Abbates in hujuſmodi conſervationis negocio procedentes fines mandati noſtri in hac parte ſuper certis articulis patenter exceſſerant, & quod memorati Abbas & Conventus S.* Auguſtini *prædictas exempciones & vires earum contra juſtitiam excedentes, juriſdictionem ordinariam nedum in eccleſiis quas ipſi Abbas & Conventus appropriatas ſibi eſſe dicebant, & vicariis, clericis, parochiis, & parochianis earundem eccleſiarum, ſet eciam in eccleſiis in quibus idem Abbas & Conventus aſſerebant jus patronatus duntaxat habere, ac in rectoribus, clericis, parochiis, & parochianis earundem eccleſiarum ſibi temere uſurpare, ac juriſdictionem ipſam in civitate ac dioceſi* Cantuarienſi *diverſis modis exercere. Solennes inſuper proceſſiones quæ à clero & populo dictarum eccleſiarum ſicut à cæteris clericis & populis dictarum* Cantuarienſis *civitatis & dioceſis ſingulis annis certis diebus ad eccleſiam Chriſti* Cantuariæ *publice fieri conſueverunt inpedire; pulſationem quoque campanarum quæ in tranſitu ipſius archiepiſcopi per prædictas civitatem & dioceſim* Cantuariæ *ob ejus reverentiam & honorem fieri conſueverat ab antiquo, ſubtrahere vel ſubtrahi facere in eccleſiis prædictis præſumpſerat, fuerunt tam pro parte memorati archiepiſcopi* Cantuarienſis *eccleſiæ, quam ſibi adhærentium & adhærere volentium diverſæ appellationes ad ſedem apoſtolicam interjectæ. Cumque negotium appellationum hujuſmodi pro parte ipſius archiepiſcopi per ejus procuratorem præſente procuratore ipſorum Abbatis & Conventus fuiſſet propoſitum coram nobis, nos volentes de ipſius qualitate negotii plenius informari, per viam proviſionis & ordinacionis negocium ipſum ex officio noſtro ſub compendio diffinire, procuratoribus ipſis duximus injungendum, ut tam ſuper exempcione prædicta quam ſuper appellationibus memoratis nos de juribus pertinentiarum earundem verbo tenus & in ſcriptis plenius informarent. Qui pro partibus ipſis ſuper earum juribus nos juxta hujuſmodi mandatum noſtrum informare curarunt. Nos igitur hujuſmodi informatione recepta, volentes ſuper præmiſſis ipſarum partium cavillationibus obviare, ac amputare litigiorum & jurgiorum affractus & diſpendia inter eas, providendo & ordinando declaramus, & declarando decernimus, Quod præfati Abbas & Conventus monaſterii S.* Auguſtini Cant. *in eccleſiis* Cantuarienſis *civitatis & dioceſis in quibus ipſi jus patronatus dumtaxat optinent & futuris temporibus obtinebunt,* « habeant præſentationem rectorum & clericorum, *& alia quæ jura continent patronatus. Archiepiſcopus vero* Cantuarienſis *qui nunc eſt & qui pro tempore fuerit habeat in eiſdem eccleſiis inſtitutionem & deſtitutionem, & tam in eis quam in rectoribus clericis & parochianis ipſarum,* « eciam alia ſpiritualia, *prout hinc & inde jura communia permittunt. In eccleſiis quoque ipſarum civitatis & dioceſis quas idem Abbas & Conventus in proprios uſus habere noſcuntur, & quas eis in futurum optinere contigerit, & rectoribus ſeu vicariis, clericis & parochianis earum, ipſi Abbas & conventus habeant temporalia ſua. Idem autem archiepiſcopus habeat ſpiritualia in eiſdem,* « nec alias quam eis ex præſenti noſtra « declaratione permittitur, *memorati Abbas & Conventus in prædictis eccleſiis in quibus ipſi, ut dictum eſt, jus patronatus dumtaxat habent vel habebunt, et rectoribus, clericis, et parochianis earum, et in eccleſiis quas in proprios uſus obtinent vel optinebunt, aut in rectoribus, ſeu vicariis, clericis, parochiis, et parochianis earum juriſdictionem ſibi vendicent, aut in eos exercere quoquo modo præſumant.*

Robertus Archiep.

Edwar. I. Rex.

ſumant. Declaramus inſuper quod clauſula de perſonis degentibus in eccleſiis, capellis & ceteris locis eorundem, ad monachos & perpetuo converſas referatur. Inſuper autem per rectores & alios clericos, necnon parochianos prædictarum, “ & aliarum “ quarumcunque eccleſiarum *Cantuarienſis* civita- “ tis & dioceſis *in quibus ipſi abbas & conventus* “ qualemcunque juriſdictionem habere noſcuntur, *debitum honorem & reverentiam in pulſando campanas, in proceſſionibus faciendis & in omnibus aliis in quibus conſueverunt & debent, volumus & præcipimus exhiberi archiepiſcopo memorato, debitis & conſuetis temporibus atque locis, præfato exempcionis noſtræ privilegio* “ in cæteris contentis *in eo in pleno robore duraturo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, conſtitutionis & præcepti infringere, vel ei auſu temerario contraire &c.*

An. Dñi 1303.

Quæ quidem Declaratio ſic fuerat publicata anno ſupradicto ſcilicet M.CCC.iij, die S. *Dunſtani* archiepiſcopi, in eccleſia *Chriſti Cant.* inmediate poſt factam ibidem proceſſionem, præſentibus tunc clericis et laicis in magna multitudine ad eundem diem ſpecialiter vocatis et rogatis. *Henricus* Prior eccleſiæ prædictæ prædicavit populo, cujus thema fuit hoc, *Fili non dimittas legem matris tuæ, non tranſgredieris terminos quos poſuerunt patres tui.* Declarationem publicavit, notificavit et in lingua materna publice expoſuit. Poſtea vero dominus archiepiſcopus, archidiaconus et eorum officiales compellebant omnes parochianos noſtros et tenentes ac alios qui nobis medio tempore adhæſerunt, viliſſimas et inportabiles pœnitencias facere, fuſtigantes circa eccleſias et per merketa, ac ad deferendum cereos ad feretrum ſancti *Thomæ* contra voluntatem eorum, videlicet unumquemque ſecundum facultatem bonorum ſuorum, pro eo quod medio tempore nobis et noſtris fuerant intendentes & obedientes. Igitur iſta publicatione facta, omnes & ſinguli rectores & vicarii qui prius abbati adhærebant ſe à divinis ceſſabant, feſtinantes ſe de quærendo gratiam & præſentiam archiepiſcopi. Qui in præſentia ipſius conſtituti, vi & metu ducti fatebantur ſe ipſos ſententia majoris excommunicationis per ipſum & ſuos Commiſſarios fuiſſe innodatos, & petierunt reformationem ſtatus ſui; Factaque ſibi reſignatione & ceſſione beneficiorum ſuorum & facto juramento de ſtando mandatis eccleſiæ, juxta eorum petitionem obtinuerunt. Et ſic omnia beneficia abſque paſtoribus manſerunt deſolata; & dicti rectores & vicarii irregulares ibidem fuerant pronunciati per archiepiſcopum ſupradictum. Similiter & capellani parochiales & alii annalia celebrantes à divinis ceſſarunt, gratiam & benevolentiam ejuſdem humiliter petentes confitebantur ſeipſos ſententia excommunicationis fuiſſe ligatos, petentes reformationem ſtatus ſui, præſtitoque juramento de ſtando mandatis eccleſiæ optinuerunt. Et aliqui eorundem pronunciati fuerunt ibidem irregulares, quidam vero poſtmodum gratiam optinuerunt. Set rector de **Brokland** & vicarius de **Penſtre** non reputantes ſe aliqua ſententia fuiſſe ligatos, non ſtatim ſubmiſerunt ſe quia proceſſum archiepiſcopi tunc pendente cauſa in curia *Romana* indeciſa aliquo modo credebant non poſſe valere. Rector eccleſiæ de **Fritindenne** volens ab animarum cura exonerari, pure, ſponte & abſolute in manus domini abbatis in hoſpicio ſuo apud **Southwerk** reſignavit.

Robertus Archiep.

Viſis iſtis doloribus, gravaminibus & anguſtiis, rectoribus vicariis capellanis parochialibus & annalia celebrantibus, nec non tenentibus parochianis & aliis ante Declarationem abbati adhærentibus per archiepiſcopum, archidiaconum, Commiſſarios & alios miniſtros eorundem illatis, & qualiter graviora in poſterum comminantur inferre, prædicti abbas & conventus miſerunt ad eum dominum *Johannem Tavy* militem, duos monachos cum aliis, tunc apud *Celeceſtriam* exiſtentem. Et poſt ſalutationem ſibi factam, idem dominus *Johannes* dixit archiepiſcopo qualiter ſolebat eſſe amicus eccleſiæ ſancti *Auguſtini*, & rogavit eum ex parte abbatis & conventus, quod illam ſuam amicitiam antiquam vellet continuare in futurum, et quod placeret ei aliquam bonam viam ordinare quod pax & concordia eſſet de cætero inter ipſum & abbatem, et quod placeret ſibi nulla gravamina inferre clericis vel laicis adhærentibus prædictis abbati & conventui ante publicationem Declarationis antedictæ pro diſſenſionibus, diſcordiis & contentionibus inter ipſos prius habitis. Cui reſpondit archiepiſcopus, Quod caritatem habuit eſſentialem, ſet eam in effectum oſtendere non poterat, quia gravatus fuit per eos ſumptibus, expenſis & laboribus. Et quando ſuper hiis competens emenda ſibi per eoſdem fuerit facta, tunc foret amicus ſicut ſolebat eſſe.

Paucis vero diebus tranſactis, abbas acceſſit ad eum apud **Denemoly**; & cum rogaſſet eum ut omnem indignationem ab eis placeret amovere, & multa alia pro pace & benevolentia ſua captanda ſibi proferret; archiepiſcopus reſpondit, Quod ſuper hiis nondum ſe deliberaverat. Et cum idem abbas ab ipſo parumper declinaſſet, & quaſi ad propria licentiatus divertere incepiſſet, & poſtea confeſtim rediret ob ipſius reverentiam, petebat ab eo ut ſibi benedictionem impenderet. Qui dixit, Quod hoc tunc non faceret quia non erat in ſtatu benedictionem recipiendi cum eſſet excommunicatus. Et abbas reſpondit; quod hoc non credebat. Et ſic ab eodem archiepiſcopo cum omnibus ſuis ad propria declinavit.

§.10. *De pacis tractatu inter archiepiſcopum & nos.*

ANno Domini ſupradicto ad tractatum pacis efficacius proſequendum, ad inſtantiam domini abbatis nobiles viri domini, *Amerycus de Valencia* Comes de **Penebrok**, *Ricardus de Ingkepenne*, *H. de Apolderfeld*, & *Johannes Tavy* milites, magiſtri *Henricus de Norwod*, & *Jacobus Synobaldi* de Florencia clerici, fratres *Ricardus de Cant.* & *Radulphus de Gatewych* monachi acceſſerunt apud **Lamhed** ad archiepiſcopum; & cum idem archiepiſcopus & comes prædictus ſimul ſedentes circa ſolis occaſum et in ſecretis, de forma pacis inter ipſum et abbatem tractaſſent, archiepiſcopus alta voce reſpondit. Quod propter diverſas occupationes poſt horam prandii emergentes officium quod ſibi incumbebat non dixerat, & propter hoc in craſtinum eos ut decuit vellet benigne audire. In craſtino vero cum idem domini redirent, dominus *Henricus de Apoldrefeld* tradidit ei cedulam, Cujus forma talis eſt.

Sire, nous ſumes a vous venuz a la requeſte del abbe

Edward. I. Rex.

abbe & du covent de ſeint Auſtin *de* Canterbirs *qe nous ount pris & requis que nous vous voſiſſomes dire acune choſes que touchent & vos & eaus de conthes & debaths que ſont moiez entre vous a damage de montz genz que coupe nen ount. E pur ſe ſire qil entendent & que vous lavez ſi entenduz qil pleſt a noſtre ſeignour le apoſtaile que bone pes e tretis de accord ſe ſeit entre vous et le abbe e covent avandiz, voillantz humblement tant que en eus eſt acompli le volunte de noſtre ſeignour le apoſtaille, nous ount ſi envoies a ſaver ſil vous pleſt de aver tretis de acord de ces contekes & debatz perantre vous, e ſil vous pleſt il ſerront preſtz en ceo qe lour touche, iſſi qe en eus ne ſerra trove nulle defaute ne deſmeſur qe covenable pes e accord ne ſe face, e qe-nous lur feyſſuoms a ſaver de ceſte choſe voſtre volunte.*

Tunc dictus dominus Comes & alii ſecum exiſtentes archiepiſcopum humiliter requiſierunt, quod vellet habere tractatum de bona & firma pace. Qui reſpondit quod hoc utile eſſet, & talis tractatus bene ſibi placeret. Et dixit quod voluntas ſua fuit, & eciam ratio & æquitas hoc prætendunt, quod prædicti abbas & conventus facerent ſibi emendam ſupra infraſcriptis gravaminibus; & aliter non potuit oſtendere verſus eos aliqua ſigna amicitiæ vel pacis. Quæ ſunt hæc.

Inprimis religioſi de ſancto *Auguſtino* eccleſias parochiales *Cantuarienſis* civitatis et dioceſis, nedum quas ſibi prætendunt fuiſſe & eſſe appropriatas, verumeciam eccleſias in quibus jus patronatus dumtaxat habere ſe aſſerunt, earumque rectores, clericos, miniſtros & populum ab obedientia debita archiepiſcopo, quoad omnem juriſdictionem ordinariam, niſi ſunt totis viribus contra juſticiam ſubtrahere, jus & poſſeſſiones archiepiſcopi & eccleſiæ ſuæ injuſte perturbando.

Item inhibuerunt tam clero quam populo dictarum eccleſiarum nedum eidem archiepiſcopo vel miniſtris ſuis obediant in aliquo vel intendant.

Item ne fierent in eccleſia *Cantuaria* proceſſiones pentecoſtes, quæ à clero & populo dictarum eccleſiarum retroactis temporibus conſueverunt; proceſſionem eandem necnon oblationes procurarunt fieri ad ſuum monaſterium, ubi nunquam fieri conſueverunt.

Item in eiſdem eccleſiis inhibuerunt campanas pulſari in tranſitu ejuſdem archiepiſcopi et oſtia dictarum eccleſiarum ignominioſe claudi fecerunt, honorem & ſubjectionem nequiter ſubtrahendo.

Item licet nullo modo liqueat eiſdem religioſis aliqualem juriſdictionem aliqualiter competere in perſonis aliquibus dictæ dioceſis, idem tamen religioſi juriſdictionem ordinariam ſibi vendicabant et uſurpabant in eccleſiis prædictis earumque parochianis, conſtituerunt et præfecerunt officiales, decanos rurales, cæteroſque miniſtros ad exercicium hujuſmodi juriſdictionis adulterinæ.

Item compulerunt rectores, vicarios & presbyteros dictarum eccleſiarum ipſis religioſis tanquam Ordinariis præſtare obedientiæ juramentum, juriſdictionem archiepiſcopi minus provide perturbando.

Item rectores & vicarios, quorum inſtitutio ad archiepiſcopum ſolebat pertinere, & ad quas vacantes eccleſias ſolebant dicto archiepiſcopo perſonæ idoneæ præſentari, idem religioſi inſtituere & deſtituere in eiſdem temere præſumpſerunt.

Robertus Archiep.

Item in eccleſia de **Faverſham** ſibi appropriata per ſanguinis effuſionem polluta dicti religioſi celebrabant et fecerunt celebrari divina & alia ſacramenta et ſacramentalia in eadem miniſtrari, ac mortuos in cimiterio ibidem ante reconciliationem ſepeliti.

Item Petrum dictæ eccleſiæ vicarium eadem vicaria privarunt & privatum eſſe publice nunciarunt, ipſum à domibus dictæ vicariæ ſententialiter amoventes.

Item in quibuſdam aliis eccleſiis ſibi appropriatis & eciam ſui patronatus noſtra auctoritate eccleſiaſtico ſubpoſitis interdicto, per monachos ſuos & alios presbyteros auctoritate noſtra majori excommunicatione innodatos fecerunt divina celebrari, & in eis ſacramenta & ſacramentalia per eoſdem presbyteros ſic excommunicatos, parochianos eciam abhorrentes ipſorum excommunicatorum miſſas audire vel ſacramenta ab eis recipere excommunicari fecerunt de facto & excommunicatos publice nunciari.

Igitur non poſt multos dies venit abbas ad epiſcopum *Dunelmenſem* qui tunc apud **Wynham** hoſpitatus fuit, qui & erat huic eccleſiæ amicus fidiſſimus. Iſte epiſcopus ibidem expoſuit abbati, quod archiepiſcopus fuit multum offenſus, & quod ipſe replicaverat gravamina ſibi illata per ipſum abbatem & ſuos. Et abbas epiſcopo reſpondit, Quod non videbatur rationabile quod in aliquo offenderetur, quia ipſe proſecutus fuerat jus ſuum & cauſam ſuam ſicut tenebatur pro defenſione juris monaſterii ſui, Verumtamen multum affectabat habere pacem cum ipſo & ſuam bonam voluntatem. Propter hoc cito poſt miſit ſibi per ſolempnes nuncios quoſdam articulos, ut ſi placeret ſibi eoſdem concedere libenter ſibi de ſuo ſerviret.

Articuli per Abbatem.

Inprimis ſupplicavit abbas et conventus, quod placeret domino archiepiſcopo quoad eccleſias eis appropriatas, ſic teſtificari & ratificare ſtatum eorundem, quod non poſſint in poſterum ſuper eiſdem inquietari, quamquam ſuper prædictis habeant ſufficientem titulum per ſedem apoſtolicam.

Item quod velit informari ſuper privilegiis quæ habent de ſuis familiaribus clericis & laicis, & illum ſtatum acceptare; ita quod de cætero lis ſive contentio minime oriatur.

Item quod jus præſentandi ſit eis ſalvum in eccleſiis nunc de jure vacantibus.

Item quod poſſent pacifice habere cuſtodiam & fructus colligere eccleſiarum ſui patronatus per mortem vel alio modo debito vacantium.

Item quod antiqua conſuetudo quæ dicitur **Bllage** eſſet uſitata ubicunque & quandocumque neceſſitas poſtulaverit.

Item pro pace fovenda quod illa quæ in poſterum forent dubia hinc inde poſſent examinari, declarari et certificari per commune conſilium utriuſque partis amicabiliter abſque aliqua lite bona fide, ita quod jus utriuſque partis hinc inde ſemper ſervetur.

Reſponſio Archiepiſcopi ad Articulos.

Ad primum articulum de ratificatione eccleſiarum illis appropriatarum reſpondetur per archiepiſcopum,

Edwar. I. Rex.

ſcopum, quod viſis appropriationibus eccleſiarum ſuarum paratus erit facere eis quod ſecundum Deum & bonam conſcientiam facere poteſt, quantum ad hoc.

Ad ſecundum articulum de privilegiis quantum ad familiares clericos et laicos reſpondetur ſic. Quod videtur eidem, quod Declaratio domini papæ expedit quod in iſto articulo petitur.

Ad tercium articulum de præſentatione ſalvanda in eccleſiis ſuis rationabiliter vacantibus reſpondetur, quod ſuper hiis pendet conſultacio domini papæ.

Ad quartum articulum de cuſtodiis eccleſiarum tempore vacationis ipſarum, et pro receptione fructuum earundem durante vacatione. Quoad primam iſtius articuli reſpondetur, Quod declaratio domini papæ ipſam primam partem expedit. Quantum ad ſecundam ſcilicet de receptione fructuum reſpondetur, Quod illud tangit archidiaconum de quo reſpondere non poteſt.

Ad quintum videlicet de cohercione malefactorum ipſorum reſpondetur, Quod paratus erit facere id quod licite poteſt & de jure.

Ad ſextum articulum petitur quid intelligitur per hanc dictionem **Bilage**. « Dicunt quod quidam « uſus vel conſuetudo qui **Bilage** in partibus *Kan-* « *tia* vulgaliter appellatur ſic ſe habere conſuevit, « Quod cum contentio vel controverſia aliqua ſub- « orta fuerit inter aliquos ſuper finibus ſeu limiti- « bus, debent ſeneſchalli ſeu ballivi partium vel « aliæ perſonæ fide dignæ ad hoc per partes ſpecia- « liter deputatæ, in loco de quo eſt contentio conve- « nire, remque oculis ſubiecre, informationeque per « viros vicinos fide dignos habita, abſque ſtrepitu « judiciali & figura judicii mox totam dirimere « quæſtionem.

Ad iſtum articulum reſpondit, quod vellet facere per conſilium ſuum & non aliter.

Ad ultimum articulum de rebus dubitabilibus examinandis & diſcutiendis per conſilium utriuſque partis, reſpondetur, Quod in hiis in quibus probabilis dubietas emerſerit intendit in eventum providere quod conveniens fuerit et oportunum. Veruntamen pacis et concordiæ fervidi zelatores eundem archiepiſcopum ut à vexationibus clericis et laicis abbatis ut prædictum eſt inhumaniter illatis, et ab actione de demandis per prædictos abbatem et conventum ut prætendit pro gravaminibus ſibi factis una cum confirmatione ſtatus eorundem cum ſtabilitate pacis perpetuæ rogantes ſedulo, ipſorum interventu placuit eidem archiepiſcopo ipſis religioſis pro pacis tranquillitate quærenda et imperpetuum auctore Domino confovenda concedere infraſcripta.

Conceſſiones archiepiſcopi.

Inprimis concedit idem archiepiſcopus pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, quod electis in abbates ſancti *Auguſtini* in monaſterio eorundem cum ad hoc fuerit requiſitus per archiepiſcopum inpendatur munus benedictionis ſine exactione profeſſionis ejuſdem abbatis, quam ſolebant recipere ſui prædeceſſores.

Item quod cum veniens ad dictum monaſterium pro electo benedicendo cum proceſſione & pulſatione receptus fuerit à conventu, nil juris ea vice vel alia infra ſepta dicti monaſterii vendicabit, per quod poſſit ipſorum religioſorum privilegiis in aliquo derogari.

Robertus Archiep.

Item quod electus ſic benedictus Mitram gerat & abbatis inſignia conſueta.

Item quod clerici ſive ſervientes capitales in manerlis ipſorum religioſorum cum ſint de familia abbatis, ſi aliquando feciſſe dicantur aliquid quod excommunicationem inducat majorem vel minorem, ante diſcuſſionem facti, niſi forte factum eſſet notorium, vel antequam confeſſi convicti vel in opere deprehenſi aut contumaces poſt legitimam citationem, extra ſepta ipſius monaſterii ſibi factam, per archiepiſcopum vel ſuos miniſtros non excommunicabuntur nec ſuſpendentur, nec excommunicati vel ſuſpenſi denunciabuntur nominatim, dum tamen abbas vel hic qui pro tempore præerit monaſterio, extra ſepta taliter delinquentem & ad ipſum monaſterium confugientem, coram dictis Ordinariis compulerit ſtare juri, vel ipſum expulerit de abbatia.

Item quod omnis juriſdictio & cohercio ordinaria infra monaſterii ſepta ceſſet.

Item cum perſonam vel vicarium in eccleſiis dictorum religioſorum mori contigerit vel aliter cedere, liceat ipſis religioſis habere retentionem clavium penes ſe vacationis tempore, donec ad præſentationem eorum alius inſtituatur in eiſdem, ſalvo jure archidiaconi *Cantuariæ* qui pro tempore fuerit quoad juriſdictionem ſuam medio tempore in eiſdem eccleſiis exercendam, & quoad medietatem fructuum & ſequeſtrorum interim perceptorum, ita quod claves ei qui vice archidiaconi præſentatos inducet in corporalem poſſeſſionem, à dictis religioſis tradantur.

Item concedit quod eorum eccleſiæ ſcilicet de **Menſtre**, de **Northborn**, de **Chiſtelet**, de **Faverſham**, & de **Middelton**, cum ſuis capellis liberæ ſint ab omni ſuſpenſione & interdicto Ordinariorum imperpetuum; Salva tamen Ordinariorum juriſdictione in clero & populo earundem.

Item quod dictas quinque eccleſias non obſtantibus dictis contentionibus & litibus eiſdem religioſis confirmabit ſalvis vicariis earundem.

Item quod fiat pulſatio campanarum in eccleſiis ipſorum contra abbatem ſecundum quod fieri conſuevit.

Item archiepiſcopus Anacoritas non faciet de cætero in eccleſiis dictorum religioſorum niſi de conſenſu abbatis memorati.

Poſtremo proteſtatur archiepiſcopus quod nondum ad tractatum pacis eſt paratus, licet ſæpedicti religioſi ut videtur aliud facere non intendant; ſet ipſius pacis dulcorem guſtare deproperans, ipſam bonis condicionibus & honeſtis quantum poterit per ſe & ſuos ſatagit procurare, & ſub tali pacis diſſimilatione nec oblata pro pacis tranquillitate ex parte abbatis vellet admittere, vel ſuper conceſſione ſua eos permitteret aliqualiter deliberare. Set quod ſuperius conceſſit & admiſit, velut inprobus & contentionum amator ſubdole denegavit; unde & ad lites & jurgia ad tempus convolarunt. Inprobitatem cujus negationis monachi *Cantuariæ* ſuſcitarunt.

§. 11. *De creatione & fine papæ* Bonifacii.

An. Dñi 1304.

ANno Domini M. CCC. iv. *Bonifacius* papa viij. extinctus eſt. Et quia iſte *Bonifacius* magnis theſauris ab iſta eccleſia exhauſtis eandem quam lucide privilegiavit, per partem adverſam ampliori bus ſibi inpenſis conceſſum privilegium irritavit,

&

Edwar. I. Rex. & quaſi ad perpetuam enervationem hujus monaſterii perpetualiter revocavit. Et quia experientia ſæpius approbata inſtruimur, quod turbantes & indebite naviculam *Petri* fluctibus agitantes ad felicem finem minime pervenire probantur, modum ſuæ papalis creationis pariter & finitionis, licet nichil nobis pertinere noſcatur, dignum duxi memoriæ commendare.

An. Dñi 1294. Anno igitur Domini milleſimo xc.iv. volens *Benedictus*, qui poſtea *Bonifacius*, ad pontificatum *Romanorum* aſpirare, dominum *Celeſtinum* tunc Papam cum quibuſdam Cardinalibus ſuis fautoribus cum quaſi cotidie decipiebat, & quia vir ſimplex fuit, inter fratres ſuos Cardinales quaſi in obprobrium factus eſt, plureſque literæ albæ ſigillo ſuo ipſo inconſcio ſigillatæ ſine ſcriptura inventæ fuerunt ad enervationem ſtatus ſui conceptæ & fabricatæ: unde idem papa majus periculum declinando conſiderans ipſum eſſe inſufficientem ad onus illud, tum ratione inſcientiæ tum quia ſenex & inpotens corpore, & quia in illo ſtatu ſine periculo ſui ſtare non poſſet, die ſanctæ *Luciæ* virginis reſignavit papatui, oneri & honori. Et in craſtino ſancti *Thomæ* martyris *Benedictus* ſuperius nominatus exemplum ſumens *Juliani*, in ſummum pontificem conſecratus eſt, & vocatus *Bonifacius* viij. Anno igitur ſuperius nominato ſcilicet M.CCC.iv. idem *Bonifacius* dum mundi hujus gloriam theſauris innumerabilibus ſollicite & cautuloſe adquiſitis æſtuaret, in ſolo patrio in manibus inimicorum ſuorum dominorum *Jacobi* & *Petri de Columpna* Cardinalium quos à Cardinalatu & ab urbe una cum nepotibus ſuis violenter ejecerat, eorumque palacia ſolo tenus everteret loca ſale conſpergendo ut quaſi terram omnino faceret inutilem, tandem miſerabiliter ab omni prorſus auro & argento ac univerſis quæ precioſa penes eum fuerunt inventa ſpoliatus eſt, quia abundanter theſaurizavit & ignoravit cui congregavit ea. Ipſi vero *Petrus & Jacobus* papam ſecum triduo detinentes, ut papatui cederet pluries hortati ſunt. Illo vero in papatu vivere & mori affirmante, aſinina pelle recenter excoriata eum induerunt, carcerali cuſtodia eum per triduum coartantes. Non multum poſt dolore cordis abſortus xij. die menſis Octobris anno ſui pontificatus nono diem cum luctu clauſit extremum, dignam pro meritis ſubiturus terminationem. Unde prophetia ejuſdem,

Vulpes intravit, tanquam leo pontificavit,
Exiit utque canis, de divite factus inanis.

Cui ſucceſſit *Benedictus* papa xj.

§. 12. Johannes Pontoyſe *epiſcopus* Wintonienſis *obiit*.

EOdem anno die ſanctæ *Luciæ* virginis obiit magiſter *Johannes Pontoiſe* epiſcopus *Wintonienſis* vir prudens in conſilio, ſcientia clarus & per omnia bene diſpoſitus. Iſte abbatis & conventus hujus loci præſto fuit ad præſidia amicuſque conſtantiſſimus et adjutor quoad vixit validiſſimus. Hic non conſentit actibus & voluntati eorum qui archiepiſcopo *Roberto* ut ſupradictum eſt ad exinanitionem privilegii conceſſi et ſtatus *Auguſtinenſis* cœnobii marcam de taxa ſuorum bonorum contributi ſunt. Set à tyrannide & juriſdictione ejuſdem pro ſe & omni clero ſuo & populo per ſedem apoſtolicam ad vitam exemptus eſt. Robertus Archiep. Hic autem pro defendendo jure hujus monaſterii in cauſis inter archiepiſcopum & nos ſuperius motis, & ad promovendum hujuſmodi negotia ne in illa tribulatione ſuccumbat vel deficiat, de ſua mera voluntate quinque millia librarum per diverſas tamen obligationes inter partes accommodavit. Tandem eodem venerabili pontifice ad exitum ſuæ vitæ tendente, acceſſit ad eum dominus *Thomas* abbas ſancti *Auguſtini*, rogans obnixe ut eccleſiæ ſuæ adhuc in miſericordia habere dignaretur, & ut de prætaxata ſumma ſibi per eoſdem debita viam bonam vellet diſponere & ordinare gratioſam. Qui ſtatim præcepit ſibi afferri omnes contractus & obligatoria iſtud monaſterium quacunque de cauſa concernentia, & præſente abbate fregit univerſa, omnem actionem eorundem condonando, & præter hoc C.li. in teſtamento ſuo nobis largitus eſt. Cujus teſtamenti ſumma ad x. mille marcas extendebatur. Executores teſtamenti ſupradicti, epiſcopi *Sareſbirienſis* & *Wygornienſis*, dominus *Hugo de Spenſer*, cum aliis xv. Morte iſtius conſilio regis denunciata non multum poſt idem rex mandavit breve ſuum abbati in hæc verba.

EDWARDVS Dei gratia &c. Quia bonæ memoriæ Johannes *nuper* Wintonienſis *epiſcopus nobis ad ſcaccarium noſtrum in diverſis debitis die quo obiit tenebatur, & ex parte executorum ejuſdem nobis eſt oſtenſum, quod iv. ciſtæ quæ fuerunt præfati Epiſcopi ſigillis executorum ſignatæ in cuſtodia veſtra exiſtunt, in quibus jocalia & alia diverſa continentur, de quibus idem executores nobis ſatisfacere poſſunt de debitis ſupradictis, vobis mandamus quod ciſtas prædictas habeatis ad ſcaccarium prædictum in craſtino ſancti* Michaelis *&c.*

Cujus mandati prætextu abbas prædictas ciſtas miſit. Quibus apertis, inventa fuerunt vaſa argentea & diverſa jocalia ſet nulla moneta. Et ſic idem abbas verſus executores quoad ciſtas prædictas receſſit quietus, nec rex nec executores epiſcopi ſæpedicti abbatem de aliqua ſumma denariorum inquietarunt, quia omnia obligatoria ſigillis partium ſignata inventa fuerunt confracta. Pro illius magnificis beneficiis conceſſum eſt ab eodem abbate & toto conventu ut anniverſarium ſuum fiat principale inperpetuum; et pro anima illius ordinatum eſt diſtribuere annuatim ad opus pauperum per manus theſaurarii xx. s. & ad ſolamen conventus per manus ſacriſtæ tantum; & proveniunt de mariſco de **Stonore**.

§.13. *Archiepiſcopus* Rob. *accuſatur ſuper proditione Regis.*

ANno Domini milleſimo CCC. quinto, cum ſupradictus archiepiſcopus *Robertus* ſuper multis articulis, & præcipue ſuper proditione quam cum quibuſdam Comitibus proceribuſque multis pactus erat in dolo ut regem à regni ſolio deicerent, et filium ejus *Edwardum* in trono ſubrogarent & patrem perpetuo carceri manciparent, à rege calumpniaretur, & objecta non poſſet juſticiare, timore vehementi perterritus ad pedes regis pronus cadens in terram ut ejus mereretur aſſequi clementiam, ſeſe per ſingula flens & ejulans regiæ ſubdidit voluntati. Sic ergo humiliatus eſt ille Deo odibilis & ſuperbus qui per totum *Anglorum* orbem oris ſui flatu more meretricio & ſacerdotium deturpavit & clerum, & An. Dñi 1305.

in

Edwar. I. Rex.

in populo tirannidem exercuit inauditam, & qui regem *dominum ſuum* literatorie ei ſcribens nominare renuit ſuperbiendo; nunc autem humiliatus & regem & dominum ſuum fatetur & nominat, obediens factus invitus ei devocius ſerviendo.

Eodem anno dominus papa prædictum archiepiſcopum ſuper exceſſibus accuſatum multimodis in pleno Conſiſtorio uſque tercio ore tenus vocavit, vocatumque publice in palacio & foro ſolempniter ſub voce præconia & tuba proclamante à temporalibus & ſpiritualibus uſque ſe ſuo repræſentaret aſpectui ſuſpenſum eſſe promulgavit, omnibuſque et ſingulis de archiepiſcopo conqueri volentibus juſtitiam facere repromiſit. Cumque archiepiſcopus ſe citandum conſpiceret, regem adiit transfretandi licentiam petiturus. Cujus adventum cum rex cognoviſſet, thalami ſui oſtia omnibus intrare volentibus patere juſſit, ut ſermo quem adverſus eum habiturus eſſet circumſtantes non lateret. Quem hiis verbis rex ſic alloquitur.

« Licentiam transfretandi quam à nobis poſtu-
« lare veniſti libenter tibi concedimus, revertendi
« autem tibi licentiam nullam permittimus ſive da-
« mus, memores doli & fraudis ac proditionis quas
« in parliamento *Lincolniæ* cum Baronibus noſtris
« in regiam machinatus es majeſtatem, cujus rei
« litera ſigno tuo ſigillata teſtis eſt et teſtimonium
« perhibet contra te evidenter, ſet propter amorem
« beati *Thomæ* & eccleſiæ cui præes reverentiam &
« honorem, vindictam hucuſque diſtulimus, reſer-
« vantes eam papæ qui noſtras in te injurias ulciſce-
« tur, & prout meruiſti retribuet tibi, utpote credi-
« mus & ſperamus. A protectione vero noſtra quam
« ipſe requiris te prorſus excludimus, tibi omnem
« gratiam negantes & miſericordiam quia vero ſem-
« per immiſericors fuiſti, & iccirco miſericordiam
« conſequi non mereris.

Demum vero cum per ſummi pontificis nuncios à ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenſus ac eciam peremptorie citatus continuo transfretavit, qui dignitatis ſuæ ſtatum animo revolvens & tanquam exilio proſcriptus de reditu ſuo prorſus deſperans, flere cœpit ultra modum mœſticia plenus et dolore. Infelix homo ille qui ſuperbe jactando ſæpe dicebat, Hominem ſub cœlo non timeo, nunc autem mendax factus & papam timet & regem, ſua verens amittere aut ſibi pejora pro ſuis demeritis evenire. Cumque ſe ſummi pontificis repræſentaret obtutibus, ab ipſo velut à vehementer indignante & irato continuo repulſus eſt, nullamque pene per annum ad papam ingrediendi aut cum eo loquendi habere potuit facultatem, papa vero per annum illum permiſſu regis & ſpiritualia & temporalia univerſa per quendam *Vaſconem* ad uſus proprios applicavit. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quia pater *Auguſtinus* habet poteſtatem in terra puniendi peccata & ſuos indebite gravantes vindictam inferendi, & ut credentes ipſum & ſuos honoretis in nomine ejus.

§.14. Eboracenſis *archiepiſcopus hoſpitatus eſt in monaſterio S.* Auguſtini.

EOdem anno archiepiſcopus *Eboracenſis* rogatus ab abbate ad convivandum ſecum; facta tamen litera quod non in præjudicium domus veniret per crucis erectionem, quæ talis.

UNIVERSIS Chriſti fidelibus &c. Willielmus *permiſſione &c. Noverit univerſitas veſtra quod nos in craſtino ſancti* Benedicti *anno Domini M.CCC. quinto, ex rogatu domini* Thomæ *Dei gratia abbatis monaſterii S.* Auguſtini Cant. *ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinentis, ad monaſterium prædictum cauſa hoſpitandi cruce prævia hoſpitantes & ibidem pernoctantes, confitemur & recognoſcimus de plano, quod per noſtrum ingreſſum vel moram ſeu crucis noſtræ delationem non intendimus nec volumus privilegiis, immunitatibus aut juribus ipſius abbatis & conventus monaſterii prædicti nunc vel in poſterum in aliquo derogare, nec eciam nobis vel ſucceſſoribus noſtris aliquid poſſemus juriſdictionis aut juris acquirere per quod eis poſſet in futurum præjudicium generari.*

Robertus Archiep.

§.15. *Abbas non debet talliari cum civibus* Cant.

An. Dñi 1306.

ANno Domini milleſimo CCC.vj. dominus *Rogerus de Hirham* Baro de Scaccario, dominus *Walterus de Gloceſtr.* Eſchaetor in comitatu *Cantiæ* ad opus domini regis talliandum aſſignati tenementa abbatis S. *Auguſtini* in Civitate *Cantuariæ* talliaverunt. Propter quod dominus *Thomas* abbas perquiſivit brevia ſubſequentia.

REX Theſaurario & Baronibus ſuis de Scaccario ſalutem. Quia ex parte dilecti nobis in Chriſto abbatis S. Auguſtini *nobis datur intelligi, quod prædeceſſores ipſius abbatis ratione tenementorum ſuorum in civitate* Cantuariæ *in tallagiis per progenitores noſtros quondam reges* Angliæ, *in civitatibus, burgis et dominicis ſuis aſſeſſis non conſueverunt talliari temporibus retroactis, vobis mandamus, quod ſcrutatis rotulis ſcaccarii prædicti de tallagiis temporibus progenitorum noſtrorum in civitatibus, burgis et dominicis ſuis aſſeſſis, ſi inveneritis quod prædeceſſores prædicti abbatis ratione tenementorum ſuorum in eadem civitate non fuerunt talliati, tunc levationi tallagii ſuper ipſum abbatem ratione tenementorum ſuorum in eadem civitate ſuperſedeatis, & ipſum inde prout juſtum fuerit quietum eſſe faciatis.*

Iſtud breve eſt in filaciis Mareſcalli.

§. 16. *Compoſitio cum abbate de* **Faverſham** *de decimis ſuis.*

1307.

ANno Domini M. CCC. vij. pro pacis tranquillitate edita fuit quædam compoſitio inter abbatem ſancti *Auguſtini* & abbatem de **Faverſham** formam continens infraſcriptam.

« Pateat univerſis per præſentes, quod die lunæ
« proximo ante feſtum ſancti *Petri* in cathedra ſu-
« per quibuſdam altercationibus ortis inter religio-
« ſos viros, abbatem & conventum monaſterii ſancti
« *Auguſtini Cant.* ex parte una, & abbatem &
« conventum monaſterii ſancti Salvatoris de **Fa-**
« **verſham** ex parte altera, inter partes prædictas
« in forma quæ ſequitur convenit, videlicet quod
« prædicti abbas & conventus ſancti *Auguſtini* &
« eorum ſucceſſores habeant & percipiant de ma-
« nerio dictorum abbatis & conventus de **Faver-**
« **ſham,** cum pertinentiis in **Faverſham** vj. marcas
« annui redditus ad iiij. anni terminos principales
« in theſauraria ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ſingulis
« annis perſolvendas, videlicet ad feſta *Michaelis*

na-

Edward. II. Rex.

« natalis domini Paſchæ, & ſancti *Iohannis Baptiſta* per æquales porciones. Et quod habeant duas vaccas paſcentes cum vaccis ſuis apud **Faverſham** à feſto apoſtolorum *Philippi* & *Iacobi* uſque ad feſtum ſancti *Petri* ad vincula ſub cuſtodia dictorum abbatis & conventus de **Faverſham**, in ſua paſtura horis debitis & conſuetis. Et vij. bovectas cum bovectis ſuis apud le **Blean** per tempus prædictum. Et vj. porcos tempore pannagii cum porcis ſuis in pannagio ipſorum abbatis & conventus de **Faverſham** quolibet anno, & ſub cuſtodia prædicta. Et percipient vij. carectatas ad duos equos bulch. Fagatorum in boſco ſuo apud le *Blean* per viſum alicujus miniſtri eorundem abbatis & conventus de **Faverſham**, ſi intereſſe voluerit quolibet anno inter feſtum ſancti *Martini* hiemale & natalis Domini. Quæ omnia & ſingula ſupradicta dicti abbas & conventus de **Faverſham** recognoverunt quod abbas & conventus ſancti *Auguſtini Cantuaria* & prædeceſſores ſui hucuſque ſemper integre habuerunt, & annuatim perceperunt in forma præmiſſa virtute cartæ celebris memoriæ *W.* conqueſtoris quondam regis *Anglia* quam inſpexerunt, & ea habere & percipere debent & conſueverunt, & ipſorum diutinam & pacificam poſſeſſionem acceptantes, dicti abbas et conventus de **Faverſham**, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, dictis abbati et conventui ſancti *Auguſtini* et ſuis ſucceſſoribus inperpetuum ratificarunt, & tenore præſentium confirmarunt. Remiſerunt eciam dicti abbas et conventus de **Faverſham**, pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, dictis abbati et conventui et ſucceſſoribus ſuis totum jus et clameum ſi quod habuerunt vel ullo tempore habere potuerunt in futurum in advocatione eccleſiæ parochialis de **Faverſham** cum pertinentiis ſuis, præfatis religioſis ſancti *Auguſtini Cantuaria* canonice appropriatæ, ita quod nichil juris aut poſſeſſionis inde clamare poterunt in futurum. Et prædicti abbas et conventus ſancti *Auguſtini Cantuaria* pro ſe et monaſterio ſuo inperpetuum remiſerunt, et quietum clamaverunt dictis abbati et conventui de **Faverſham** et ſucceſſoribus ſuis inperpetuum totum jus quod habuerunt, habent, et habere poterunt in decimis provenientibus de **Pelſeld** et **Suthſeld**, et quibuſdam campis ex dudum apud **Lambertſlonde** aſſertatis, videlicet **Eaſtſtrete**, **Weſtrete**, **Pucheſeld**, et le **Coumbe**, quamdiu prædictas terras propriis manibus et ſumptibus excolunt. Item quod dicti abbas et conventus ſancti *Auguſtini Cant.* vel ſui ſucceſſores aliquid juris vel poſſeſſionis exinde clamare non poterunt aliqualiter in futurum ſalvis dictis abbati et conventui ſancti *Auguſtini* et eorum ſucceſſoribus decimis provenientibus de una acra et dimidia in campo de **Pelſeld**, et una acra in **Suthſeld** quas dicti abbas et conventus de **Faverſham** adquiſierunt et de terris de novo excolendis, aſſartatis et aſſartandis, perquiſitis et per ipſos in poſterum adquirendis, ita quod eorum privilegiis ſi quæ habent in præſenti in aliquo minime derogetur. In cujus rei, &c.

Eodem anno nonas Julii obiit rex *Edwardus* filius regis *Henrici* apud **Karlel** in *Scocia*. Cui ſucceſſit in regnum *Edwardus* filius ejus, et in feſto ſancti *Matthei* apud *Weſtmonaſterium* ab epiſcopis *Wyntonienſi*, *Ciceſtrenſi* et *Saleſbirienſi*, archiepiſcopo *Roberto* adhuc in *Romana* curia agente et eiſdem vices ſuas committente, coronatus eſt.

Robertus Archiep.

Iſte dominus *Thomas* abbas unanimi fratrum conſenſu inſtituit, ut ſingulis annis inperpetuum in principio Quadrageſimæ die qua librarium defertur in capitulum, vivorum animæ commendantur & abſolvantur animæ defunctorum per quos librarium hujus eccleſiæ fuerit aliqualiter emendatum; & quod pro vivis quam citius commode fieri poterit una miſſa de Spiritu ſancto celebretur ſolempniter in conventu & alia pro defunctis cum oratione, *Inclina*, & aliis quæ ſequuntur.

Circa hæc tempora quidam *Aymericus* nomine, magiſter fratrum prædicatorum in *Anglia* recepit abbatem & totum conventum ad fraternitatis ſuffragia in tali forma.

Religioſis Chriſti famulis Domino Thomæ *abbati eccleſia ſancti* Auguſtini Cant. *cæteriſque fratribus ejuſdem conventus frater* Aymericus *fratrum ordinis prædicatorum &c. ideoque devotionis veſtræ merito qua ordini noſtro ſpecialis caritatis affectu jungimini ſollerti conſideratione penſato, vobis omnium miſſarum, orationum, prædicationum, jejuniorum, abſtinentiarum, vigiliarum, laborum, cæterorumque bonorum qua per fratres ordinis noſtri per mundum dominus fieri dederit univerſum participationem concedo tenore præſentium ſpecialem in vita pariter & in morte, ut multiplici ſuffragiorum præſidio & hic à malo protegi, & in futuro mereamini in æterna tabernacula fœliciter introduci. Volo inſuper & ordino, ut poſt deceſſus veſtros anima veſtra in noſtro generali capitulo devote & ſpecialiter recommendentur, & injungantur pro vobis miſſarum & orationum ſuffragia ſicuti pro fratribus & familiaribus noſtri ordinis defunctis fieri conſuevit.*

Item ſtatutum eſt ab eodem abbate, ut ſingulis annis in feſto ſanctæ *Lucia* virginis, cuſtos altaris ſancti *Benedicti* iij. libras ceræ à cuſtode altaris ſanctæ *Maria* ubi miſſa pro eccleſia cotidie celebratur, pro quodam redditu apud **Litleborne** de quadam terra quæ vocatur **Wyſebere** proveniente percipiet annuatim.

§. 17. *Beneficia fratris* Johannis Pecham.

An. Dñi 1308.

ANno Domini M. CCC. viij. fuerunt inſcripta & memoriæ commendata beneficia fratris *Johannis Pecham* confratris hujus congregationis, quibus ſervivit conventui in variis & arduis negotiis de hiis quæ de licentia domini abbatis apud ſe in cuſtodia ſua habuit ultra proviſionem ſuam & compotum ſunt hæc quæ ſequuntur. Inprimis dum cuſtos extitit præter multa bona quæ fecit firmam ſuam bene & integre perſolvit, & ultra proviſionem ſuam aliquid in fine anni ulterius dedit. Idem eciam dedit ad intrandum mariſcum de **Plumſtede** C. marcas. Item alia vice ad idem opus percomplendum dedit lx. marcas. Item fecit duas capas pulcherrimas brudatas. Item ne interdiceretur eccleſia noſtra & ſuſpenderentur abbas & conventus pro decima domini papæ dedit C. marcas. Item in ſubſidium eccleſiæ contra archiepiſcopum *Robertum* dedit C xx. li. Item ſolvit per interpoſitam perſonam pro lana totius abbatiæ præ manibus vendita C. xx. li. & eandem lanam nobis contulit ſuo tempore poſtmodum vendendam, quæ vendebatur pro C. li.

Edwar. II. Rex.

C. li. Item alias ad ardua negocia dedit CCl. marcas. Item ad quandam campanam fundendam xl. li. Item ad inceptionem novæ portæ dedit xx. marcas. Item ne tolleretur portio ſpecierum clauſtralium dedit xx. li. Item ad novum torale faciendum dedit xx. marcas. Item alias pro relevatione monaſterii à gravi debito dedit D. marcas. Item alia vice dedit conventui pro ſpeciebus ne tollerentur xl. li. Item pro vacatione inpetranda videlicet pro fine ejuſdem domino regi faciendo ducentas marcas. Item dedit domino *Radulfo* electo eunti verſus curiam l. li. Item dimiſit conventui poſt obitum ſuum CCC. li. Idem eciam præter multa bona quæ in cuſtodia ſua fecit tres grangias bonas, magnas, & pulcras, ultra proviſionem & compotum de novo conſtruxit, unam in perſonatu de **Litleborne**, aliam apud **Litlemungham**, & tertiam apud **Norborne**. Ob memoriam igitur tanti beneficii & exemplum aliis præbendum ſuo monaſterio benefaciendi, unanimiter ſtatutum eſt ut ejus anniverſarium fiat inperpetuum ſub ſolempnitate tertiæ dignitatis. Eodemque anno nono kal. Maii archiepiſcopus *Robertus* reſtitutus eſt ad ſtatum ſuum à quo per quatuor annos extiterat ſuſpenſus, & à vexatione hujus monaſterii manum retraxit.

Cap. XXXII.

§.1.Radulfus *abbas electus eſt, & de ejus convivio.*

ANno Domini M. CCC. ix. venerabilis pater dominus *Thomas de Fyndon* hujus cœnobii *Clarembaldo* excluſo abbas lij. cum hanc eccleſiam xxvij. annis cum primo anno *Radulphi* abbatis incipiente videlicet à feſto ſanctæ *Iuliana* virginis uſque feſtum ſancti *Petri* ad vincula proximum ſtrenue gubernaſſet, die ſanctæ *Iuliana* virginis ſeculi hujus ergaſtulo abſolutus ad præmium æternitatis vocatus eſt, & in capella ubi cotidie celebratur Miſſa pro eccleſia, ex oppoſito antiquæ requieſcionis beati *Auguſtini*, ſub lapide marmoreo ad ſolum ſuppreſſo, in forma præſulis ſepelitur. Tempore iſtius *Thoma*, ut ſuperius eſt expreſſatum, coquina conventus à fundamentis conſtructa eſt, tectum dormitorii totum innovatum, Torale lapideum ædificatum, capella abbatis cum nova camera & magna janua, & hæc maxime de theſauro *Petri de Deue*, & ſtalla in choro & feneſtra in fronte, & multa alia per ipſum facta ſunt. Set & per totum ſuum tempus iſta eccleſia multa ſuſtinuit adverſa. Erat iſte *Thomas* in aſſumpto regimine pervigil & ſollicitus, in faciendis judiciis providus atque juſtus, afflictis & infirmis erat valde compatiens, & circa relevandas pauperum indigentias jugiter pro Chriſto viſcera pia gerens. Igitur mortuo abbate *Thoma* die prænominato, literis regiis de licentia eligendi optentis xij. die menſis Marcii frater *Radulfus de Borne* in abbatem hujus loci electus eſt, & kal. Aprilis iter arripuit verſus curiam *Avinione*, & die reliquiarum cum electoribus ad curiam in craſtino conſtitutus in porticu ſuperioris palacii ante hoſtium, per quod intrare conſueverunt Cardinales ad Conſiſtorium privatum ad dominum papam, petivit cum inſtantia ab eo qui tunc hoſtium prædictum cuſtodiebat, quod eum intrare permitteret, ad repræſentandum ſe conſpectui domini papæ cum debita reverentia. Tandem tertia die ſequente proteſtatus eſt, quod deinceps ſibi terminus non curreret, cum jam ſucceſſive tribus diebus continuis intrandi gratiam humiliter & cum inſtantia poſtulaſſet, nec ullum ſibi vel electionis de eo factæ præjudicium juri deinceps afferret, cum per eum non ſtaret quod ſe cum reverentia qua debuit & decuit locis & temporibus congruis & debitis minime præſentaſſet. Tandem in craſtino ſancti *Letardi* habuit ingreſſum ad dominum papam poſt prandium, qui eum tam ad pacis oſculum quam ad alia dilectionis inſignia recepit, religionem domus noſtræ & monaſterium multum commendando: Et poſtea de die in diem, ut moris eſt, omnes Cardinales viſitavit; & iij. kal. Junii propoſitum fuit negotium electionis in publico conſiſtorio coram Papa & Cardinalibus; & dati fuerunt Judices Cardinales ad examinandum proceſſum electionis & perſonam electi, & in octavis ſancti *Auguſtini*, facta erat examinatio, & in craſtino illius relatio, & in publico Conſiſtorio ejuſdem confirmatio; & xvij. kal. Julii fuit confirmatus, & in vigilia ſancti *Albani* ab *Hoſtienſi* epiſcopo Cardinali de mandato papæ meruit benedici. Et die tranſlationis ſancti *Thoma* præſtitit obedientiæ ſacramentum. Inpetravit eciam inter hæc gratiam appropriandi eccleſias de **Sturre** & de **Keniton**, *ut inter eccleſias patebit inferius.* Iſtis ſic expeditis, die ſancti *Auguſtini* Doctoris iter arripuit verſus *Angliam*, & xj. kal. Octobris applicuit apud **Dovor**, & cuſtodibus regni, rege in expeditione *Scocia* tunc exiſtente, fidelitate facta recepit temporalia ab eiſdem, & in vigilia ordinationis ſancti *Auguſtini* cum celebri convivio inſtallatur.

Robertus Archiep.

Et quia tempora moderna in rerum copiis & affluentia terrenarum facultatum temporibus elapſis minime valeant comparari, providentiam circa prædictam inſtallationem factam, non ut ſequentes eam parſitate imitentur, ſet ut eam potius admirentur, expediens duxi ad ſcribendum. Quæ fuit talis.

De frumento liij. ſummas, precii	xix. li.	
De braſio lviij. ſummas, precii	xvij. li.	x. s.
De vino xi. tonellos, precii	xxiiij. li.	
De avena pro hoſpitibus tam infra portas quam in villa xx ſummas	iiij. li.	
Pro ſpeciebus	xxviij. li.	
De cerea CCC. li. precii	viij. li.	
De amigdalis D. li. precii		lxxviij. s.
De carcoiſis boum xxx. precii	xxvij. li.	
De porcis C. pretii	xvj. li.	
De multoribus CC. precii	xxx. li.	
De aucis M. precii	xvj. li.	
De caponibus & gallinis D. precii	vj. li.	v. s.
De pulonibus iiij. C. lxiij. precii		lxxiiij. s.
De porcells CC. precii		C. s.
De Cignis xxxiiij. precii	vij. li.	
De cuniculis vj. C. precii	xv. li.	
De ſcentis de **Braun** xvij precii		lxv. s.
De perdicibus, mallardis, butores, alaudis, precii	xviij. li.	
De ollis terreis M. precii		xv. s.
De ſale ix. ſummas precii		x. s.
De ciphis M. iiij C.		
Et de diſcis & platellis MMM. CCC.		
De ſcopis & Gachis	viij. l.	iiij. s.
De piſce, caſeo, lacte, alleis, precii		l. s.
De ovis ix. M. vj. C. precii	iiij. li.	x. s.

Edwar. II. Rex.

In croco & pipere	xxxiiij. s.
In carbonibus, doleis & furneſiis locatis	xlviij. s.
In CCC. ulnis de canev̄	iiij. li.
In tabulis, treſtellis, dreſſoriis faciendis	xxxiiij. s.
Item datum cocis & eorum garcionibus	vj. li.
Et Meneſtrallis	lxx. s.

Summa CC. lxxx. vij. li.—v. s.— Cum allocatione exenniorum, Et fuerunt tam viri potentes quam alii diverſis in locis primo diſcumbentes vj. mille hominum & eo amplius, ad tria millia ferculorum quo reſpondentes.

§. 2. *Subſidium ad* Palefridum *abbatis* Radulfi *de* **Borne**.

An. Dñi 1310. ANno Domini M. CCC. x. abbas *Radulfus* recipit ſubſidium de ſuis tenentibus ad ſuum palefridum ſicut & prædeceſſores ſui domini *Nicholaus* & *Thomas* temporibus ſuis receperunt.

§. 3. *De augmentatione ſtragularum.*

1311. ANno Domini M. CCC. xj. dominus *Radulfus* abbas ordinavit ad augmentationem liberationum conventus provida diſpoſitione, quod ſingulis annis inperpetuum augeantur xx. ſtragulæ, quinque copertoria, quinque longelli ultra antiquam liberationem, ita videlicet quod ſint xl. ſtragulæ pro xx. fratribus & xv. copertoria, xv. longelli ad diſtribuendum fratribus ſecundum quod fieri conſuevit. Et ad hoc melius faciendum aſſignavit ad uſus cameræ manerium de **Caſſulton** juxta **Rippele** libere cum omnibus ſuis pertinentiis inperpetuum. Et ne de cætero de prædictis liberationibus poſſit fieri calumpnia, ordinatum eſt quod fratres qui per licentiam domini abbatis in alios uſus liberationes ſuas converti voluerint, recipiant de camerario pro copertorio xij. s. pro pari ſtragularum vj. s. & pro longello iij. s. pro pellicia v. s. pro tunica vj. s. Hoc proviſo quod camerarius de fratribus hujuſmodi licentiam habentibus congruo tempore ſit præmunitus. Ad hæc ſi per eventum contingat quod aliquæ liberationes de voluntate domini abbatis & conventus aſſignentur ad alia facienda, dabit camerarius pro liberatione pelliciarum xvj. li. pro duplici calciamento xij. li. pro ſtragulis v. l. pro copertoriis vij. l. x. s.

§. 4. *Meſuagium* W. Meneter *appropriatum per regem.*

1312. ANno Domini M. CCC. xij. *Edwardus* rex conceſſit abbati & conventui per cartam ſuam, quod ipſe poſſit terras & tenementa de proprio feodo appropriare ad valorem lx. li. in hæc verba

EDWARDUS &c. Sciatis quod cum nuper per finem quem dilectus nobis abbas ſancti Auguſtini *fecit nobiſcum conceſſerimus & licentiam dederimus pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt præfato Abbati & conventui, quod ipſi terras & tenementa de feodo ſuo ad valentiam lx. li. terræ per annum adquirere poſſint, Habendum & tenendum ſibi & ſucceſſoribus inperpetuum, ſtatuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obſtante: Nos in partem ſatisfactionis prædictarum lx. li. terræ conceſſimus & licentiam dedimus pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt magiſtro* W. Meneter, *quod ipſe unum meſuagium, lxj. acras terræ & xlij. s. redditus cum pertinentiis in* **Menſtre**, *&* Waltero le Spenſer *ſeniori quod ipſe ij. acras terræ cum pertinentiis in eadem villa, &* W. Naples *quod ipſe duas acras terræ in eadem villa, &* Ricardo de Bere *quod ipſe xlvj. acras terræ & iiij. acras prati cum pertinentiis in* **Littleborne**, *quæ ſunt de feodo ipſius abbatis: Quæ eciam meſuagium, terræ, prata, una cum redditu prædicto ad C. xij. s. viij. d. per annum extendunt, ſicut per inquiſitionem per dilectum & fidelem noſtrum* R. *de* W. *eſcaetorem noſtrum citra Trentam de mandato noſtro factam, & in Cancellaria noſtra retornatam eſt compertum, dare poſſint & aſſignare præfatis abbati & conventui, Habendum & tenendum ſibi & ſucceſſoribus ſuis inperpetuum, & eiſdem abbati & conventui, quod ipſi prædicta meſuagium, terras, prata & redditus à præfatis* W. *&* W. *&* W. *& R. poſſint recipere & tenere ſibi & ſucceſſoribus ſuis inperpetuum ſicut prædictum eſt, tenore præſentium ſimiliter licentiam dedimus ſpecialem ſtatuto prædicto non obſtante. Nolentes quod prædicti* W. W. W. *&* R. *vel hæredes ſui aut præfatus abbas et conventus ratione dicti ſtatuti per nos vel hæredes noſtros inde occaſionentur in aliquo ſeu graventur.*

Walterus Archiep.

§. 5. *Beneficia fratris* Petri de Dene.

EOdem anno fuerunt ſpiritualia beneficia conceſſa magiſtro *Petro de Denne* pro ſuis temporalibus beneficiis quæ hic ſequuntur. Inprimis idem clericus nobis & monaſterio iſti per multa tempora laudabiliter, utiliter & fideliter deſervivit, qui licet pro nobis & noſtro monaſterio multa gravamina & diſpendia perpeſſus fuiſſet, pro jure tamen & defenſione monaſterii conſtantem ſe ſemper exhibuit defenſorem. Idem eciam *Petrus* nobis in maxima neceſſitate conſtitutis donavit CC. marcas, & domos juxta frontem capellæ infirmitorii à parte boreali fecit conſtrui ſuis ſumptibus non modicis et expenſis, quæ in hodiernum diem inportant nomen ſui fundatoris. Nos autem hæc & alia multa beneficia non inmerito ad memoriam revocantes unanimi conſenſu concedimus, quod iij. monachi ad iij. altaria, videlicet ſanctorum *Auguſtini*, *Adriani*, & eciam in infirmitorio celebrantes orent omni die nominatim pro eo & pro animabus parentum, propinquorum & benefactorum ſuorum, & pro ejus anima cum obierit dicentes collectas ſpeciales. Concedimus eciam quod tam pro eodem clerico quam pro parentibus prædictis omni anno die ſanctæ *Margaretæ* fiat in eccleſia iſta anniverſarium principale, & de theſauraria noſtra per manus theſaurariorum noſtrorum dentur conventui xl. s. pro pitancia & vino, & xx. s. in pane pauperibus erogando, necnon omnia alia ſuffragia fiant pro eodem clerico tam in vita quam poſt mortem, ac eciam pro ſuis patre & matre, benefactoribus & propinquis, quæ pro fratribus & præcipuis benefactoribus fieri conſueverunt. Cum autem idem clericus fuerit ab hac luce ſubtractus, hujuſmodi anniverſarium & erogatio pecuniæ non in dicto die ſanctæ *Margaretæ* ſet die quo obierit fient inperpetuum omni anno. Hæc autem omnia concedimus & bona fide promittimus perpetuis temporibus obſervare. Et ad ea omnia & ſin-

Edwar. II. Rex. ſingula ſicut præmittitur facienda & obſervanda nos & ſucceſſores noſtros & noſtrum monaſterium obligamus. De CC. vero marcis prædictis ſimul cum l. marcis per dictum magiſtrum *Petrum* adjectis empta fuit terra **Bothſweyn** apud **Sturreye** cum molendino aquatico, pratis, boſcis, redditibus & aliis pertinentiis quæ valent communibus annis xx. marcis.

Item anno prænominato *Radulfus* abbas & conventus conceſſerunt ut ad altare ſancti *Adriani* miſſa de Spiritu ſancto pro animabus *Edwardi* regis & *Elianoræ* reginæ & *Petri Cauſton* per unum annum omni die diceretur cum aliis miſſis quingentis. Adicientes prædictis, ut participes ſint inperpetuum omnium beneficiorum ſpiritualium, videlicet miſſarum, orationum, vigiliarum, jejuniorum, diſciplinarum, elemoſynarum, largitionum & cæterorum benefactorum quæ per nos & ſucceſſores noſtros operari dignabitur clementia ſalvatoris.

§. 5. *Confirmatio* E. 2. *omnium libertatum.*

An. Dñi 1313. ANno Domini M. CCC. xiij. xj. kal. Junii, *Edwardus* rex confirmavit omnes cartas & libertates ab anteceſſoribus ſuis *Angliæ* regibus huic monaſterio conceſſas, ut in confirmatione *Edwardi* regis ſubſequentis ſub anno domini M. CCC. lxij. latius poterit apparere.

§. 6. *Citatio facta abbati per archiepiſcopum* Walterum *ad comparendum pro eccleſiis nobis appropriatis.*

ET *Robertus* archiepiſcopus obiit idus Maii, & vj. nonas Octobris *Walterus Reinold* tunc epiſcopus *Wigornenſis* in archiepiſcopum conſecratus eſt. Quo ſuam dioceſim viſitante, citavit abbatem *Radulfum* ad oſtendendum quare ratione eccleſiarum ſuo monaſterio appropriatarum in ſua viſitatione generali comparere ſeu eidem obedientiam præſtare non deberet. Unde idem abbas in manerio dicti archiepiſcopi quod vocatur *Le* **place** prope **Lambed** perſonaliter comparens emiſſa primitus quadam proteſtatione per magiſtrum *I. Oſward* clericum quod non intendebat nec voluit coram eodem archiepiſcopo tanquam coram ſuo judice ſeu ſuperiore comparere, nec in ipſum tanquam in ſuum judicem conſentire, aut privilegiis & immunitatibus monaſterii ſancti *Auguſtini* à ſede apoſtolica ſpecialiter conceſſis per ipſius comparitionem aliqualiter derogari, ſet eidem archiepiſcopo ad ſerenationem conſcientiæ ſuæ quædam privilegia oſtendere. Et exhibuit incontinenti coram eodem literas bullatas papales et inſtrumenta, de quibus inferius fit mentio; videlicet quaſdam literas domini *Ricardi* quondam epiſcopi *Ciceſtrenſis* ad mandatum apoſtolicum exemplatas continentes in ſe tenorem privilegiorum, videlicet beati *Auguſtini Anglorum* apoſtoli, *Bonifacii* papæ iiij. *Celeſtini* papæ iiij. *Gregorii* papæ ix. *Bonifacii* papæ viij. Proteſtabatur inſuper idem abbas de exhibendis aliis inſtrumentis necnon de probanda præſcriptione et immunitate ſi prædicta tunc exhibita non ſufficerent in præmiſſis. Quibus literis per ipſum archiepiſcopum et clericos ſuos palpatis, lectis et viſis dixit, Quod habita copia præmiſſorum ſuper illis voluit deliberare. Præterea fuit publice comminatus quod vellet jure ordinario infra ſepta dicti monaſterii cruce prævia ingredi ad divina officia celebrandum vel audiendum, & alia quæ ordinarii juris & juriſdictionis exiſtunt pro ſuæ libito volũtatis exercere. Et hoc aſſeruit ſibi licere ex quadam conſtitutione in *Vienenſi* concilio; per quam dicitur eſſe conceſſum archiepiſcopo per quævis loca exempta ſuæ provinciæ tranſitum facienti, aut ad ea forſitan declinanti, ut crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, divina officia ibidem audiat, & ea eciam in pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia celebrari. Mandavit eciam ad abbatem quod volebat venire in monaſterium ſuum ad viſitandum corpora ſanctorum, ſcilicet ſanctum *Auguſtinum* & cæteros archiepiſcopos, prædeceſſores ſuos ibidem tumulatos. Et abbas reſpondit nuncio dicens ſic, Recede, & dicas domino tuo quod melius eſt ut non veniat, quia daretur ſibi repulſa & introitus ipſius in capite denegaretur. Poſtmodum tamen in hujuſmodi negocio plenius informatus, & per pacis zelatores in dextram partem mutatus talem relaxationem obtinuerunt.

Walterus Archiep.

Cum dudum nos Walterus *Dei gratia* Cantuarienſis *archiepiſcopus tocius* Angliæ *primas, noſtras civitatem, dioceſim & provinciam jure metropolitico viſitantes, comperimus religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *eccleſias parochiales de* **Menſtre** *cum capellis ſanctorum* Petri, Johannis, *&* Laurentii *in* Thaneto, **Norborne,** *cum capellis de* **Scholdone,** & **Chiſlet, Preſton, Littleborne, Selling,** *ſancti* Pauli *in* Cantuaria, **Faverſham,** *cum capellis de* **Scheldwich, Middelton, Lenham, Tanterdenne, Keninton, Sturre,** *&* **Plunſted,** *cum capellis de* **Eaſtwikham,** *in uſus proprios optinere, Cumque religioſos eoſdem feciſſemus coram nobis legitime evocare, parti objecimus eorundem, quod licet tam ipſi quam monaſterium ſuum prædictum ab omni juriſdictione & ſubjectione Ordinarii ſint exempti, ratione tamen eccleſiarum prædictarum quas in uſus proprios optinent, tenentur in noſtris viſitationibus comparere, ac nobis & ſucceſſoribus noſtris eccleſiaque noſtræ* Cantuariæ *obedientiam exhibere, & noſtra canonica mandata ſuſcipere & ſervare, ac tanquam ſubjecti noſtræ juriſdictioni ordinariæ ſubjacere. Ex parte vero religioſorum ipſorum ſalvis eorum privilegiis & exemptionibus extitit ex adverſo reſponſum & propoſitum coram nobis, quod ratione eccleſiarum eis appropriatarum, ſeu eciam aliarum in poſterum appropriandarum aut quavis alia ratione, idem religioſi ſeu ejuſdem monaſterium non tenentur in aliqua viſitatione noſtra, ſeu ſucceſſorum noſtrorum aut quorumlibet Ordinariorum comparere, aut nobis vel ſucceſſoribus noſtris ſeu eccleſiæ noſtræ* Cantuariæ *obedientiam aliquam exhibere, nec aliqua mandata ſuſcipere vel ſervare, nec ut ſubjecti juriſdictioni ordinariæ ſubjacere; ſet idem religioſi ſunt ab omnibus ſupradictis liberi & totaliter exempti & apoſtolicæ ſedi dumtaxat ſubjecti, ac eciam in tali poſſeſſione, libertate & exemptione hujuſmodi per non modica tempora notorie extiterunt, & ſunt eciam in præſenti. Exhibitis autem prædictis per partem religioſorum ipſorum congruis loco & tempore coram nobis, multis ſedis apoſtolicæ privilegiis et immunitatibus et probationibus ſuper præmiſſis, Nos archiepiſcopus ſupradictus vocatis omnibus qui fuerunt vocandi, tam prædicta privilegia, immunitates et probationes quam totum*

Edwar. II. Rex.

proceſſum in hac parte habitum recenſuimus, examinavimus & diſcuſſimus diligenter, ac juris ordine in omnibus obſervato negocio concluſimus antedicto, ac diem præſentem aſſignavimus ad diffinitivam ſententiam audiendam. Auditis ergo & plenius intellectis meritis negotii ſupradicti, Chriſti nomine invocato, de juriſperitorum nobis aſſidentium conſilio, prædictos abbatem & conventum S. Auguſtini Camuariæ *aut eorum monaſterium ratione eccleſiarum eis appropriatarum ſeu aliarum in poſterum eis appropriandarum, in aliqua viſitatione noſtra non teneri comparere.*

Cap. XXXIII.

§. 1. *Allocatio libertatis hujus eccleſiæ per* J. Berewyk.

ANno ſupradicto ſederunt domini *Hervicus* de **Stoutone** & ſocii ſui Juſticiarii itinerantes in comitatu *Kanciæ*, coram quibus allocata eſt ſubſcripta libertas, pro qua abbas ſummonitus fuit ad reſpondendum eis quo warranto clamat habere **ſoke & ſake**, **Grithbrech**, **Homſoknes**, **Forſtall**, **Infongenethef**, **Flemenefremes**, **Tolles** & **Theames** in terra & in aqua in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Sturey**, **Norburne**, **Stodmerſch**, **Lytleburne**, **Dale**, **Ripple**. **Gonciſtone**, **Langedon**, **Suanes**, **Borewaremerſch**, **Lenham**, **Kenyntone**, **Plumſtede**, **Sellynge**, **Newynton**, **Swalecliue** & **Langeport**, & etiam liberam warenniam in omnibus dominicis terris ſuis de **Menſtre** in inſula de **Thanet**, **Chiſtelet**, **Sturre**, **Stodmerſch**, **Lytleburne**; **Kenynton**, **Suanes**, **Borewaremerſch**, **Lenham**, & **Plumſtede**: & etiam habere unum mercatum ſingulis ſeptimanis in manerio ſuo de **Plumſtede** per diem Martis, & unam feriam ſingulis annis in eodem manerio per tres dies duraturam, videlicet in vigilia, in die, & in craſtino ſancti *Nicholai*; & etiam unam feriam ſingulis annis apud *Cant.* in feſto tranſlationis ſancti *Auguſtini*. Et hundreda de **Ryngeſlo**, **Blengate**, & **Dunhamforde** ad feodi firmam. Et catalla felonum & fugitivorum hominum, & tenentium ſuorum cum anno & vaſto in omnibus maneriis ſuis exiſtentium ubicumque dampnatorum. Et eciam viſum franci plegii & ea quæ ad viſum pertinent in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Littleborne**, **Stodmerſch**, **Northborne**, **Ryppele**, **Dale**, **Gonciſton**, **Langedon**, **Suanes**, **Borewaremerſch**, **Leynham**, **Plumſtede**, **Newyntone**, & **Swaleclyve**, & **Langport**. Et **weif** in omnibus maneriis ſuis præterquam in **Newyntone** & **Sellyng**. Et eciam wreccum maris in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stodmerſch**, **Norborne**, **Dale**, **Suanes**, **Swaleclyve**, **Plumſtede**, & **Seſaltre**. Et latrones in terra ſua captos, & latronum ſuſceptionem & paſtionem ſuper proprios homines, tam infra civitatem quam extra, & theolonium infra procinctum maneriorum ſuorum ubi dari debet & conſuevit. Et conſuetudinem quæ dicitur **Theames**. Et unum mercatum in manerio ſuo de **Menſtre** in **Thanet** ſingulis ſeptimanis per diem Veneris. Et unam feriam ſingulis annis ibidem in vigilia & in die ſanctæ *Mildredæ* virginis duraturam. Et unum mercatum apud **Leynham** ſingulis ſeptimanis per diem Martis cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ad illud pertinentibus. Et catalla omnium hominum & tenentium ſuorum, felonum, dampnatorum & fugitivorum ubicumque hujuſmodi catalla ad ipſum regem pertinent, ſeu per fugam vel delictum hujuſmodi hominum & tenentium ad regem pertinere deberent cum anno & vaſto. Et animalia quæ dicuntur **weif** in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Northborne**, **litle Monyngham**, **Leynham**, **Littleborne**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Stodmerſch**, **Ryppele**, **Langdone**, **Salmoneſton**, **Swalclyve**, **Berton**, **Conobroke**, **Sellynge**, **Plumſtede**, **Tenwardenne**, **Boreſwarmerſche**, **Dale**, **Gonciſton**, **Newyntone**, **Langport** in ſuburbio *Cant.* Et **wreck** maris in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Stodmerſch**, **Chiſtelet**, **Norburne**, **Dale**, **Swalclyve**, **Plumſtede**, **Suanes**, & **Seſaltre**. Et viſum franci plegii & ea quæ ad viſum pertinent in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Stodmerſch**, **Chiſtelet**, **Sturreye**, **Litlebourne**, **Norborne**, **Suanes**, **Leynham**, **Ryppele**, **Langedon**, **Plumſtede**, **Dale**, **Gonciſtone**, & **Langport**. Et emendas aſſiſæ panis & cerviſiæ fractæ in manerio ſuo de **Newynton**, & tenere placita de ſanguinis effuſione in prædicto manerio de **Newynton** de hominibus qui ſunt extra procinctum hundredi de **Middelton**. Et in manerio de **Kenynton**, **Boreſwaremers**, **Suanes** &c. Et abbas per attornatum ſuum venit, & quoad prædictas libertates de **ſoke & ſake**, **Grithbreches**, **Hamſoken**, **Foreſtalles**, **Infangenethef**, **Flemenefremes**, & **Tolles** & **Theames** in terra & in aqua in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Norborne**, **Stodmerſch**, **Litleborne**, **Ryppele**, **Dale**, **Gonciſton**, **Langedon**, **Suanes**, **Borewariſmerſch**, **Leynham**, **Kenyngton**, **Plumſtede**, **Sellynges**, **Newyntone**, **Swalclyve**, & **Langeport**. Et etiam habendi viſum franci plegii, & ea quæ ad viſum pertinent in prædictis maneriis de **Suanes** & **Borewartiſmerſch**, Dicit quod dominus *Edwardus* quondam rex *Angliæ* per Cartam ſuam in *Anglico* conceſſit Deo, & ſancto *Auguſtino*, & conventui ibidem quod habeant **ſoke & ſake**, **Grithbreches**, **Homſokenes**, **Forſtalles**, **Infangenethef**, **Flemenefremes** de hominibus ſuis propriis, & **Tolles**, & **Theames**, **and Strondes**, **and Stremes** &c. Et profert Cartam ipſius regis quæ hoc teſtatur. Dicit eciam quod dominus rex nunc inſpecta Carta confirmationis domini *H.* quondam regis *Angliæ* avi ſui, in qua continetur quod idem dominus *H.* rex inſpecta Carta domini *J.* quondam regis *Angliæ* patris ſui continente, quod idem *J.* rex dedit, conceſſit & Carta ſua confirmavit Deo & eccleſiæ ſancti *Auguſtini Cant.* & abbati & monachis ibidem Deo ſervientibus in liberam, puram, & perpetuam elemoſynam, quod ipſi monachi habeant imperpetuum eorum ſakeam & ſoknam, & pacis fracturam, & pugnam in domo factam, & viæ aſſaltus, & latrones in terra ſua captos, & latronum ſuſceptionem, & paſtionem ſuper illorum proprios homines infra civitatem & extra. Et catalla fugitivorum ſuorum & theolonium ſuum in terra & in aqua, & conſuetudinem quæ dicitur **Theames** ſuper omnes allodiarios quos eis habuerint datos &c. Conceſſiones & confirmationes regum *Johannis* & *Henrici* ratas habens & gratas,

Walterus Archiep.

*Edward.*II. Rex.

tas, eas pro ſe & hæredibus ſuis quantum in ipſo eſt, prædicto abbati nunc, & conventui ibidem, & eorum ſucceſſoribus conceſſit & confirmavit; ſicut Cartæ prædictorum regum *Johannis* & *Henrici* rationabiliter teſtantur. Unde dicit quod tam per Cartam prædicti regis ſancti *Edwardi*, quam per confirmationem domini regis nunc ſuper conceſſionibus prædictorum *Iohannis* & *Henrici* optentam virtute vocabulorum Anglicorum & Latinorum in eiſdem contentorum quæ unum & eundem gerunt effectum, clamat ipſe libertates prædictas ſimul cum viſu prædicto. Dicit inſuper quod libertates in prædicta Carta ſancti *Edwardi* alias in ultimo itinere *Iohannis de Berewik* & ſociorum ſuorum Juſticiariorum itinerantium in comitatu iſto allocatæ fuerunt &c. Et quoad liberam warenniam in omnibus dominicis terris ſuis de **Menſtre** in inſula de **Thanet**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Stodmerſch**, **Litleborne**, **Kenyngtone**, **Suanes**, **Borewariſmerſch**, **Leynham**, & **Plumſtede**, & prædictum mercatum in **Plumſtede**, & feriam in eodem manerio, & unam feriam apud *Cantuariam* & viſum franci plegii, & ea quæ ad viſum pertinent in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stureys**, **Litlebourno**, **Stodmerſch**, **Norborne**, **Ryppele**, **Dale**, **Gonciſton**, **Langedone**, **Leynham**, **Plumſtede**, **Swalclyve** & **Langport**. Et eciam wreccum maris in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stodmerſch**, **Norborne**, **Dale**, **Suanes**, **Swalclyve**, **Plumſtede**, & **Seſaltre**. Et prædicta mercatum & feriam in manerio de **Leynham** cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ad illa pertinentibus. Et quoad annum & vaſtum, & animalia quæ dicuntur **weif** in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Norborne**, **Litleborne**, **little Monynham**, **Leynham**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Stodmerſch**, **Rippele**, **Langedone**, **Salmoneſtone**, **Swalclyve**, **Berton**, **Conyngbroke**, **Sellynge**, **Plumſtede** **Tentwardenne**, **Borewaremerſch**, **Dale**, **Gonciſton**, **Newynton**, **Langport**. Et emendas aſſiſæ panis & cerviſiæ fractæ in manerio de **Newynton**, & tenere placita de ſanguinis effuſione in prædicto manerio de **Newynton** de hominibus qui ſunt extra procinctum hundredi de **Middilton**, & in maneriis de **Borewariſmerſch**, **Kenynton**, & **Suanes**, Dicit quod prædictum manerium de **Swalclyve** eſt membrum manerii de **Stureye**. Et quod omnes illæ libertates alias in ultimo itinere *Iohannis Berewik* & ſociorum ſuorum Juſticiariorum itinerantium in comitatu iſto allocatæ fuerunt &c. Et eo waranto &c. Et quoad catalla omnium hominum & tenentium ſuorum, felonum, dampnatorum & fugitivorum ubicumque, hujuſmodi catalla ad ipſum regem pertinent, ſeu per fugam vel delictum hominum & tenentium ad ipſum regem pertinere deberent, Dicit quod dominus rex nunc inſpecta Carta domini *E.* quondam regis *Anglia* patris ſui, in qua continetur quod idem dominus *E.* rex pater &c. pro ſe & hæredibus ſuis conceſſit, & Carta ſua confirmavit præfato *A.* abbati & conventui quod ipſi, eorum ſucceſſores habeant & percipiant catalla omnium hominum & tenentium ſuorum, felonum, dampnatorum, & fugitivorum coram quibuſcumque Juſticiariis & miniſtris ipſius regis, & hæredum ſuorum, & aliorum quorumcumque infra regnum regis catalla hujuſmodi ex quibuſcunque delictis & cauſis contigerit adjudicari. Ita quod cum aliquis hominum & tenentium ſuorum pro delicto aliquo vitam vel membra amittere debeat, vel fugam fecerit, & judicio ſtare noluerit, vel qualitercumque deliquerit, per quod catalla ſua perdere debeat in quacunque curia regis & hæredum ſuorum ſeu aliorum ubi de eo juſtitia fieri debeat, liceat ipſis abbati & conventui & eorum miniſtris ſine inpedimento ſeu contradictione regis & hæredum ſuorum & miniſtrorum regis quorumcumque, vel aliorum ponere ſe in ſeiſinam de catallis prædictis in quibuſcunque caſibus in quibus ballivi domini regis vel hæredum ſuorum, ſi catalla illa ad ipſum regem vel hæredes ſuos pertinerent, ea in manus regis vel hæredum ſuorum poſſent vel deberent capere vel ſeiſire. Ita quod nullus Juſticiarius, vel miniſter regis, vel hæredum ſuorum, ſeu alterius de catallis hujuſmodi quo minus dicti abbas & conventus, & eorum miniſtri ea habere, & in ſeiſina eorundem ſe ponere poſſint, ut prædictum eſt, ſe in aliquo intromittat ſine licentia & voluntate ipſorum abbatis & conventus, & ſucceſſorum ſuorum imperpetuum, conceſſionem & confirmationem prædicti *E.* patris ſui ratas habens & gratas, eas pro ſe & hæredibus ſuis quantum in ipſo eſt præfato abbati nunc & conventui ibidem & ſucceſſorum ſuorum per cartam ſuam conceſſit & confirmavit, ſicut carta prædicti *E.* regis patris &c. rationabiliter, ut prædictum eſt, teſtatur &c. Præterea idem abbas dicit quod dominus rex nunc inſpecto recordo *Iohannis de Berewik* & ſociorum ſuorum Juſticiariorum domini *E.* quondam regis *Angliæ* patris ſui, anno regni regis ejuſdem patris &c. viceſimo primo itineraverunt ad communia placita in comitatu iſto de libertatibus in eodem, ut prædicitur, contentis & allocatis, ſuper quibus quidem libertatibus abbas & conventus prædicti Cartam alicujus progenitorum ejuſdem regis nunc hactenus nullatenus habuerint, ſecuritati prædicti abbatis nunc & conventus & ſucceſſorum ſuorum in hac parte providere volens, & eis gratiam facere ampliorem, conceſſit eiſdem abbati & conventui & Carta ſua confirmavit pro ſe & hæredibus ſuis, quod ipſi & ſucceſſores ſui per eandem Cartam ſuam inperpetuum habeant in maneriis ſuis prædictis omnes libertates in prædicto recordo contentas &c. Concedens etiam eis pro ſe & hæredibus ſuis, quod licet ipſi vel prædeceſſores ſui prædicti aliquibus libertatum in cartis ſupradictis quas confirmavit, ut ſuperius eſt expreſſum, contentarum ſeu aliarum per recordum prædictum ſuperius expreſſarum aliquo caſu emergente hactenus uſi non fuerint; Idem tamen abbas & conventus, & ſucceſſores ſui libertatibus prædictis, & earum qualibet de cætero virtute ejuſdem Cartæ regis nunc inperpetuum plene gaudeant, & utantur ſine occaſione vel inpedimento regis, vel hæredum ſuorum, aut aliorum miniſtrorum regis quorumcumque. Et profert Cartam ipſius regis nunc quæ præmiſſa teſtatur in forma prædicta, cujus data eſt apud *Dovoriam* xxij. die Maii anno regni regis nunc ſexto. Et eo waranto &c. Et quoad hundreda prædicta de **Ryngeſlo**, **Blengate**, & **Dunhamforde** &c. Dicit quod dominus *E.* rex pater regis nunc per Cartam ſuam conceſſit cuidam *Thomæ* abbati ſancti *Auguſtini Cant.* & ejuſdem loci conventui prædeceſſori prædicti abbatis hundreda ſua de **Ryngeſlo**, **Blengate**, & **Dunhamforde** cum pertinentiis, quæ *Nicholaus* nuper abbas loci prædicti præde-

Walterus Archiep.

ceſſor ipſius *Thomæ* in manus ipſius regis reddiderat ut jus ipſius regis &c. Habenda & tenenda prædictis abbati & conventui, & eorum ſucceſſoribus de ipſo rege & hæredibus ſuis ad feodi firmam inperpetuum, Reddendo inde de dominicis abbatiæ prædictæ ipſi regi & hæredibus per manus vicecomitis regis *Kanciæ* qui pro tempore fuerit centum ſolidos: unam videlicet medietatem in feſto ſancti *Michaelis*, & aliam medietatem in feſto Paſchæ. Ita quod homines de hundredis prædictis ad ſolutionem dictorum centum ſolidorum non teneantur, nec terræ vel tenementa eorundem ea occaſione arententur. Et profert Cartam ipſius regis patris &c. quæ hoc teſtatur cujus data eſt apud *Weſtmonaſterium* xxiiij. die Maii anno regni ejuſdem regis patris *E.* patris &c. xiij. Et eo waranto &c. Poſtea inſpectis rotulis de ultimo itinere *I. de Berewik* compertum eſt quod omnes libertates quas prædictus abbas modo clamat per allocationem itineris prædicti allocatæ fuerunt in eodem itinere; excepto quod non fit ibi mentio quoad viſum franci plegii in **Swalclyve.** Et prædictus abbas dicit quod **Swalclyve** eſt membrum de **Stureye**, & quod homines ejuſdem abbatis de **Swalclyve** venire debent ad viſum franci plegii ipſius abbatis in **Stureye.** Et hoc petit quod inquiratur &c. Et juratores de hundredis de **Blengate**, **Weſtgate**, & *Cantuaria* dicunt ſuper ſacramentum ſuum quod **Swalclyve** eſt membrum de **Stureye**, & quod homines ipſius abbatis de **Swalclyve** ſemper hucuſque venire ſolebant ad viſum franci plegii ipſius abbatis in manerio ſuo de **Stureye**, Ita quod idem abbas habet unum viſum franci plegii ibidem & non duos &c. Ideo libertas illa ſimul cum aliis libertatibus prædictis eidem abbati allocetur. Et idem abbas inde ſine die ſalvo jure regis &c.

Et *Galfr. de Hertpol* qui ſequitur pro domino rege dicit quod prædictus abbas extra libertatem ſuam apud **Faverſham** uſurpavit ſuper dominum regem occupando & capiendo de catallis cujuſdam *Iohannis le Meyſter* felonis ſuſpenſi xlvj.s. viij.d. Et prædictus abbas per attornatum ſuum bene defendit, quod ipſe non occupavit nec cepit prædicta catalla ſicut ei inponitur: & de hoc ponit ſe ſuper patriam &c. ideo inquiratur. Et juratores de hundredis prædictis dicunt ſuper ſacramentum ſuum quod quidam *T.* abbas prædeceſſor prædicti abbatis inmediatus tempore ſuo cepit catalla prædicta extra libertatem ſuam & non prædictus abbas nunc. Ideo catalla illa remaneant regi. Unde vicecomes reſpondeat, Et prædictus abbas nunc quietus de miſericordia eo quod prædicta uſurpatio facta fuit tempore prædeceſſoris ſui &c.

Civitas Cantuariæ.

Juratores præſentant quod ballivus abbatis ſancti *Auguſtini Cant.* tenet viſum franci plegii bis per annum apud *la* **Berton** de tenentibus ſuis de **Langport**, **Fiſpole**, et de vico ſancti *Laurentii* in ſuburbio civitatis prædictæ; cum idem abbas nec ballivi ſui aliquem viſum ibidem tenere deberent de eiſdem tenentibus eo quod iidem tenentes ſolebant venire bis per annum ad ij. **laghedays** coram ballivis civitatis prædictæ ad wardam de **Burgate** & **Redyngate**, quouſque per quendam abbatem prædeceſſorem abbatis nunc attraxit prædictos tenentes ad locum ſuum prædictum in præjudicium domini regis &c. neſciunt quo waranto, Ideo præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat abbatem &c. Poſtea venit prædictus abbas & dicit quod **Berton**, **Langeport**, & ſuburbium civitatis *Cant.* de tenentia abbatis ſunt idem. Et dicit quod ipſe habet viſum franci plegii in **Langport.** Et quod tenentes ſui de **Fiſpole**, et de vico ſancti *Laurentii* in eodem ſuburbio, venire debent ad eundem viſum & ibidem præſentare omnia quæ ad viſum pertinent. Et alias allocatus fuit in ultimo itinere in comitatu iſto coram *Iohanne de Berewik* et ſociis &c. Et hoc idem compertum eſt per rotulum ejuſdem *I.* de itinere prædicto. Et *Galfridus de Hertpol* qui ſequitur pro rege dicit, quod omnes tenentes dicti abbatis de **Fiſpole**, et vico ſancti *Laurentii* in ſuburbio dictæ civitatis ſemper venire ſolebant coram ballivis dictæ civitatis ad duos viſus, et ibi præſentare omnia &c. Et hoc ante ultimum iter & ſemper poſt uſque jam x. annis elapſis, quod prædeceſſor prædicti abbatis nunc prædictos tenentes ſubtraxit ad dampnum regis &c. Et petit quod inquiratur pro domino rege, & abbas ſimiliter. Et juratores ad hoc electi dicunt ſuper ſacramentum ſuum, quod omnes tenentes prædicti abbatis de **Fiſpole**, et de vico ſancti *Laurentii* in ſuburbio civitatis prædictæ, nunquam venerunt nec venire ſolebant coram ballivis civitatis prædictæ ad præſentandum coram eis ad prædictos ij. viſus ante ultimum iter nec poſt. Ideo prædictus abbas inde ſine die quoad hoc; ſalvo jure domini regis.

De libertate hujus eccleſiæ.

De libertate dicit, quod abbas ſancti *Auguſtini Cant.* clamat tenere in curia ſua de **Langport** infra libertatem iſtius civitatis placita coronæ, videlicet de latronibus captis cum manuopere in præjudicium civitatis prædictæ. Et neſciunt quo waranto. Ideo præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat prædictum abbatem &c. Poſtea venit prædictus abbas et dicit, quod ipſe habet in manerio ſuo de **Langport**, **Infangethef**. Et dicit quod prædicta libertas allocata fuit in ultimo itinere coram *I. de Berewik* et ſociis ſuis Juſticiariis &c. Et de hoc vocat recordum rotulorum ipſius *Iohannis* de itinere prædicto. Et quæſiti rotuli, compertum eſt in eiſdem quod prædictus abbas habuit prædictam libertatem de **Infangenethef** in prædicto manerio ſuo de **Langport**, et quod allocata fuit ei &c. Ideo prædictus abbas quoad hoc ſine die, ſalvo jure domini regis &c. Item præſentant quod *Willelmus Pecok* captus fuit in *Bertona* abbatis ſancti *Auguſtini* infra civitatem iſtam pro burgaria, granario Hoſpitalis ſancti *Laurentii Cant.* et bladis ſuis inde furatis et aſportatis ad valenciam ij.s. et ibidem coram ballivis abbatis ſancti *Auguſtini* et ſectatoribus ejuſdem curiæ de *Bertona* ſuſpenſus fuit. Catalla ejus ij.s. unde idem abbas ſancti *Auguſtini* reſpondet. Et quia prædicti ballivi & ſectatores proceſſerunt ad judicium reddendum de prædicto *Willelmo Pecok* in prædicta curia de **Bertone** de latrocinio facto infra libertatem civitatis iſtius quæ eſt domini regis &c. Ideo præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat prædictos abbatem & ſectatores &c. Poſtea venit prædictus abbas & dicit quod locus in quo *Willelmus Pecok* captus fuit, videlicet

in

Edwar. II. Rex.

in **Berton** eſt infra libertatem ipſius abbatis, & ſimiliter hoſpitale prædictum ſancti *Laurentii* eſt infra libertatem prædicti abbatis de **Langport**. in qua quidem libertate habet **Infangenethef**, quæ quidem libertas ejus allocata fuit in ultimo itinere coram *I. de Berewik* & ſociis ſuis Juſticiariis &c. Et hoc idem compertum in rotulis prædicti *I. de Berewik* &c. Et juratores teſtantur quod idem **Berton** & vicus ſancti *Laurentii* ſunt infra libertatem prædicti abbatis ſancti *Auguſtini* de **Langport**. Et ideo prædictus abbas quoad hoc inde ſine die, ſalvo jure domini regis &c.

Hundredum de **Worthe**.

Juratores præſentant quod medietas iſtius hundredi eſt in manu domini regis, & valet per annum v. s. ad quam medietatem tenentes abbatis ſancti *Auguſtini Cant.* de **Borewariſmerſch** ſolebant facere ſectam de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas quouſque jam xl. annis elapſis quod quidam abbas prædeceſſor abbatis nunc tenentes ſuos ſubtraxit de prædicta ſecta facienda. de quibus modo venit niſi unus **Borghealdir** cum ij. hominibus tantum, & hoc bis per annum ad dampnum domini regis xij. d. per annum. Ideo præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat eum &c. Poſtea venit prædictus abbas, & quoad ſectam tenentium ipſius abbatis de **Borewariſmerſch** faciendam ad medietatem iſtius hundredi, dicit quod alias coram *I. de Berewik* & ſociis ſuis ultimo itinerantibus in comitatu iſto arentata fuit domino regi, ſcilicet cum ſecta tenentium ipſius abbatis de dimidia borgha de **Suanes**, de dimidia borgha de **Broke**, de hundredo de **Aluſſeſbregge** ad x. s. per annum, de quibus dominus rex ſeiſitus eſt. Et quod ſic arentata fuerunt, vocat recordum rotulorum prædicti *Iohannis* de itinere prædicto. Et quæſiti rotuli compertum eſt per eoſdem quod prædictæ ſectæ tenentium prædictorum de prædictis borghis arentatæ fuerunt ad x. s. per annum, ut prædictum eſt, & vicecomes teſtatur quod nichil eſt aretro domino regi. Ideo prædictus abbas quoad hoc inde ſine die, ſalvo jure domini regis &c.

Hundredum de **Abulſeſbregge**.

Juratores præſentant quod abbas ſancti *Auguſtini Cant.* clamat in hundredo iſto in manerio ſuo de **Suanes** tenere placita de felonibus captis cum manuopere ad ſectam &c. Et ſimiliter clamat habere furcas, pilorium, tumberellum, emendas aſſiſæ panis & cerviſiæ fractæ in eodem manerio. Et ſimiliter quod quidam abbas prædeceſſor abbatis nunc jam xxxv. annis elapſis ſubtraxit ſextam partem tenentium in hundredo iſto, qui ſunt tenentes ipſius abbatis, & qui ſolebant facere ſectam ad prædictum hundredum de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas, ſed nichilominus ſolvit quoddam certum ad turnum vicecomitis cum aliis de hundredo, ad dampnum domini regis ij. s. per annum. Et abbas qui nunc eſt tenet prædictam ſextam partem ſic ſubtractam, videlicet dimidiam de **Suanes**, & dimidiam borgham de **Broke** neſciunt quo waranto. Ideo præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat, dum &c. Poſtea venit prædictus abbas, & quoad prædictas duas dimidias borghas de **Suanes** & de **Broke** quæ ſunt quaſi ſexta pars iſtius hundredi, dicit quod eædem duæ dimidiæ borghæ ſunt de pertinentiis manerii ſui de **Suanes**. Et dicit quod ſecta eorundem tenentium ipſius de **Borewariſmerſch** in hundredo de **Broke** arentatæ fuerunt domino regi ad x s. per annum, de quibus dominus rex ſeiſitus eſt. Et quod ſic arentatæ fuerunt, vocat recordum rotulorum de itinere prædicto. Et quæſitis rotulis, compertum eſt in eiſdem quod prædictæ ſectæ arentatæ fuerunt domino regi ad x. s. per annum. Et vicecomes teſtatur quod nichil inde aretro eſt domino regi. Et quoad alias libertates *G. de Hertilpol* qui ſequitur pro domino rege dicit, quod ſequitur verſus eum per breve, ideo nichil inde hic.

Walterus Archiep.

Juratores præſentant quod *Bricius Scotard* captus fuit in hundredo iſto ad ſectam *Roberti atte Walle* cum manuopere, & poſtea ductus ad curiam abbatis ſancti *Auguſtini Cant.* & ibidem detentus in priſona per xv. dies uſque ad unum **laghedaẏ**. Ad quem idem *Bricius* ad ſectam *Roberti atte Walle* pro quodam latrocinio facto in hundredo iſto ſuſpenſus fuit, nulla habuit catalla: ſed quia detentus fuit per tam longum tempus cum prius proſequi debuiſſent ad deliberationem ipſius *Bricii*, vel ipſum miſiſſe debuiſſent ad gaolam domini regis, præceptum eſt vicecomiti quod venire faciat prædictum abbatem &c. Poſtea Juratores teſtantur quod prædictus *Bricius* non fuit detentus in priſona tempore abbatis nunc, ſed tempore cujuſdam abbatis prædeceſſoris abbatis nunc qui obiit, ideo nichil inde de abbate qui nunc eſt.

§. 2. *De turno Vicecomitis.*

J*Ohannes Malemayn* vicecomes *Kanciæ* attachiatus fuit ad reſpondendum abbati ſancti *Auguſtini Cant.* de placito, quare cum idem abbas & prædeceſſores ſui abbates loci illius à tempore quo non extat memoria habuerunt in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Stureye**, **Litleborne**, **Norborne**, **Leynham** & **Plumſtede** in comitatu prædicto viſum franci plegii, & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, ſicut compertum eſt per recordum *I. de Berewico* & ſociorum ſuorum Juſticiariorum domini *E.* quondam regis *Angliæ* patris domini regis nunc, anno regni ſui xxj. itinerantium ad communia placita in comitatu prædicto; quod quidem recordum in cartis regis abbati & conventui ejuſdem loci confectis inter cætera recitari fecit *R.* & conceſſit eis pro ſe & hæredibus ſuis quantum in ipſo eſt, quod ipſi & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant per eandem cartam domini regis in eiſdem maneriis viſum franci plegii, & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent. Et quod licet ipſi aut prædeceſſores ſui prædicti aliquibus libertatibus in carta & recordo prædictis aliquo caſu emergente prius uſi non fuerint, ipſi tamen & ſucceſſores ſui libertatibus ſupradictis & earum qualibet virtute ejuſdem cartæ regis imperpetuum plene gaudeant, & utantur prout in carta prædicta plenius continetur. Et eo quod idem vicecomes homines & tenentes ipſius abbatis dictorum maneriorum ad quaſdam præſentationes ad ipſum abbatem ratione dicti viſus in eiſdem maneriis ſpectantes coram ipſo in turnis ſuis faciendas diſtrinxit, & occaſione quarundam præſentationum de huteſio infra dicta maneria juſte & injuſte levato, & non proſecuto de effuſione ſanguinis,

Edwar. II. Rex.

guinis, & de purpreſturis, & de quibuſdam aliis ad eundem abbatem ratione dicti viſus in eiſdem maneriis pertinentibus coram ipſo in turnis ſuis per quoſdam homines maneriorum prædictorum ad ipſum abbatem ſuper libertatibus ſuis prædictis malicioſe prægravandum confœderatos voluntarie factarum diverſa amerciamenta de eiſdem hominibus & tenentibus ipſius abbatis de maneriis prædictis per ipſum vicecomitem prætextu earundem præſentationum indebite impoſita per graves diſtrictiones extorſit ab eiſdem, eidem vicecomiti pluries præcepit rex quod de hujuſmodi præſentationibus in præjudicium ipſius abbatis admittendis, ac extorſionibus & diſtrictionibus aliquibus de hominibus & tenentibus maneriorum prædictorum prætextu talium præſentationum faciendis deſiſteret, & ipſum abbatem libertatibus prædictis ſine impedimento uti & gaudere permitteret juxta tenorem cartæ regis ſupradictæ, non obſtante quod ipſe aut prædeceſſores ſui prædicti eis aliquo caſu emergente uſi non fuerint, & quod ea quæ à prædictis hominibus & tenentibus occaſione dictarum præſentationum coram ipſo factarum ceperat vel extorſerat, reſtitueret indilate vel cauſam ſignificaret quare mandatum regium alias ſibi inde directum exequi noluit vel non potuit: Idem vicecomes ſpretis mandatis regis præfatos homines & tenentes maneriorum prædictorum pro hujuſmodi præſentationibus diverſis vicibus nichilominus amerciavit, & ipſos homines & tenentes pro amerciamentis illis ſibi ſolvendis, ac ad hujuſmodi præſentationes coram ipſo in turnis ſuis jam de novo faciendas graviter diſtrinxit, & de die in diem adhuc diſtringere non deſiſtit, in regis ac mandatorum regis prædictorum contemptum & ipſius abbatis diſpendium non modicum & libertatis ſuæ prædictæ enervationem manifeſtam, & contra tenorem cartæ regis ſupradictæ. Et unde prædictus abbas per *Robertum de Monſele* attornatum ſuum queritur, quod cum ipſe & prædeceſſores ſui abbates ſancti *Auguſtini Cant.* à tempore quo non extat memoria habuerunt in maneriis ſuis prædictis viſum franci plegii, & ea quæ ad viſum hujuſmodi pertinent, ut ſuperius dictum eſt. Et eo quod dictus vicecomes homines & tenentes ipſius abbatis dictorum maneriorum ad quaſdam præſentationes ad ipſum abbatem ratione dicti viſus in eiſdem maneriis ſpectantes coram ipſo in turnis ſuis faciendas diſtrinxit, videlicet in octabis S. *Michaelis*, anno regni regis nunc x. borghas maneriorum prædictorum dicti abbatis pro eo quod non præſentaverunt ad turnos dicti vicecomitis coram eo ea quæ pertinent ad viſum franci plegii præſentanda per boves & equos ſuos. Et idem vicecomes occaſione quarundam præſentationum de huteſiis infra dicta maneria juſte & injuſte levatis, & non proſecutis de effuſione ſanguinis, & de purpreſturis, ac de quibuſdam aliis ad eundem abbatem ſuper libertatibus ſuis prædictis malicioſe prægravandum confœderatos voluntarie factarum diverſa amerciamenta ad ſummam centum ſolidorum de eiſdem hominibus & tenentibus ipſius abbatis, videlicet de *Stephano Blike*, *Ricardo Upedonne*, & *Henrico Sandre*, *Thoma Kempe*, & aliis hominibus de maneriis prædictis per ipſum vicecomitem prætextu earundem præſentationum indebite impoſita per graves diſtrictiones prædictas extorſit ab eiſdem; per quod dominus rex per breve ſuum de prohibitione quod eidem vicecomiti apud *Cant.* liberatum fuit in præſentia *Philippi de Cunisby*, *Roberti de Wodhulle*, *Rogeri de Ebryzgtonne*, *Iohannis Pund* & aliorum, videlicet in feſto tranſlationis S. *Thome* martyris ultimo præterito inhibuit, quod ipſe de hujuſmodi præſentationibus in præjudicium ipſius abbatis admittendis, ac extortionibus & diſtrictionibus aliquibus de hominibus, & tenentibus maneriorum prædictorum prætextu talium præſentationum faciendis deſiſteret, & ipſum abbatem libertatibus prædictis ſine impedimento uti & gaudere permitteret, juxta tenorem cartæ regis prædictæ, non obſtante quod ipſe aut prædeceſſores ſui prædicti eis aliquo caſu emergente uſi non fuerint, & quod ea quæ à præfatis hominibus & tenentibus occaſione dictarum præſentationum coram ipſo factarum ceperat vel extorſerat, reſtitueret indilate vel cauſam domino regi &c. quare mandatum regis ſibi alias &c. exequi noluit vel non potuit &c. Idem vicecomes ſpretis mandatis regis prædictis &c. nichilominus amerciavit prædictos homines & tenentes &c. Et pro amerciamentis illis ſibi ſolvendis ac hujuſmodi præſentationibus coram ipſo in turnis ſuis jam de novo faciendis regia prohibitione non obſtante homines prædictos per averia ſua, videlicet equos, & boves, & afferos graviter diſtrinxit, & adhuc de die in diem ipſos diſtringere non deſiſtit in regis contemptum mille librarum & dampnum ipſius abbatis C. librarum. Et hoc idem abbas pro domino rege & ſeipſo paratus eſt verificare. Et idem vicecomes per *Thomam de Whacton* attornatum ſuum venit & defendit vim, & injuriam, & quicquid eſt in contemptum regis, quando &c. Et dicit quod quando ipſe intravit in ballivam ſuam invenit dominum regem ſeiſitum de hujuſmodi viſu franci plegii, & præſentationibus ad turnum &c. faciendis de hominibus & tenentibus maneriorum prædictorum, per quod ipſe homines & tenentes prædictos pro eo quod noluerunt venire ad turnos ſuos & ibidem præſentare ea quæ pertinent ad viſum franci plegii & ad alia facienda prout hactenus facere conſueverunt, ipſos homines amerciavit, & pro amerciamentis illis diſtrinxit levandis ſicut ei bene licuit, abſque hoc quod ipſe aliquid contra prohibitionem domini regis nec in contemptum &c. Et prædictus abbas dicit ut prius, quod ipſe & prædeceſſores ſui &c. à tempore quo non extat memoria habuerunt in maneriis ſuis prædictis viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, ſicut compertum per recordum prædicti *Iohannis de Berewik* &c. quod quidem recordum in cartis domini regis nunc domino abbati & conventui &c. confectis idem rex inter cætera recitari fecit, & conceſſit pro ſe & hæredibus ſuis quantum in ipſo eſt, quod ipſe & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant per eandem cartam domini regis in dictis maneriis viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent; et quod licet ipſe aut prædeceſſores ſui aliquibus libertatum in carta recordo prædictis expreſſarum aliquo caſu emergente prius uſi non fuerint, ipſi tamen & ſucceſſores ſui libertatibus prædictis & earum qualibet virtute ejuſdem cartæ regis imperpetuum plene gaudeant & utantur; & profert cartam dicti domini regis nunc quæ hoc idem teſtatur, Cujus data eſt per manus domini regis apud *Dovoriam* xxij. die Maii anno regni ſui ſexto. Profert etiam idem abbas quoddam breve domini regis de magno

Walterus Archiep.

ſigillo

Edwar. II. Rex.

ſigillo Cancellariæ conſignatum in hæc verba:

EDWARDUS *&c. Dilectis & fidelibus ſuis* Willelmo Inge *& ſociis ſuis Juſticiariis noſtris ad placita coram nobis tenenda aſſignatis ſalutem. Cum dilecti nobis in Chriſto abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cant. *& prædeceſſores ſui à tempore quo non extat memoria habuerunt in maneriis ſuis de* **Menſtre**, **Norborne**, **Swanes**, **Litleborne**, **Chiſtelet**, **Sturey**, **Stodmerſch**, **Rippele**, **Langedone**, **Plumſtede**, **Dale**, **Conciſton** *&* **Langport** *in comitatu* Kanciæ *habeant libertatem, videlicet viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, ſicut compertum eſt per recordum* Johannis de Berewico *& ſociorum ſuorum Juſticiariorum domini regis* E. Angliæ *patris noſtri anno regni ſui* xxj. *itinerantium ad communia placita in comitatu prædicto, quod in quadam carta noſtra eiſdem abbati. & conventui confecta inter cætera recitare fecimus, & conceſſimus eis pro nobis & heredibus noſtris quantum in nobis eſt, quod ipſi & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant per eandem cartam noſtram in eiſdem maneriis dictum viſum & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent. Et quod licet quod ipſi aut prædeceſſores ſui prædicti aliquibus libertatum in carta & recordo prædictis expreſſarum aliquo caſu emergente prius uſi non fuerint, ipſi tamen & ſucceſſores ſui libertatibus ſupradictis & earum qualibet virtute ejuſdem cartæ noſtræ imperpetuum plene gaudeant, & utantur, prout in carta prædicta plenius continetur, Ac placitum coram vobis inter ipſum abbatem &* Johannem Malemayns *de* Ho *vicecomitem noſtrum ejuſdem comitatus ſuper quibuſdam quæ ad dictum viſum pertinent, de quibus idem abbas per præfatum* Johannem, *ut dicitur, extitit impeditus, jam pendeat indeterminatum, ſicut ex parte ipſius abbatis nobis intelligi datur: Nos volentes eidem abbati in hac parte fieri quod juſtum eſt, vobis mandamus quod inſpecta carta prædicta eidem abbati viſum prædictum & omnia quæ ad hujuſmodi pertinent juxta tenorem cartæ & recordi prædictorum de cætero allocetis. Teſte meipſo apud* **Wyndſore** *primo die Maii anno regni noſtri* x.

Compertum eſt eciam per recordum & proceſſum loquelæ quæ fuit in curia domini regis nunc anno regni ſui ſexto coram *Hervico de Stanton* & ſociis ſuis Juſticiariis itinerantibus in comitatu prædicto, quod dicta libertas de hujuſmodi viſu franci plegii de hominibus prædictorum maneriorum eidem abbati ſimul cum aliis libertatibus in eiſdem recordo & proceſſu &c. quæ dominus rex nunc coram eo certis de cauſis venire fecit plenius continetur, quæ reſident inter recorda de anno regni ejuſdem regis x. Unde idem abbas dicit, quod ex quo dicta libertas ei & prædeceſſoribus ſuis coram præfato *I. de Berewik* & ſociis ſuis prout carta regis ſuperius prædicta teſtatur, & etiam coram præfato *Hervico de Stanton* & ſociis ſuis Juſticiariis itinerantibus in comitatu prædicto, prout in recordo & proceſſu prædictorum juſticiariorum plenius compertum allocata fuit. Et etiam dominus rex nunc per cartam ſuam eandem libertatem ſimul cum aliis libertatibus eidem abbati & ſucceſſoribus ſuis confirmavit, prout in eadem carta plenius continetur. Et prædictus vicecomes ſuperius advocat, quod ipſe homines & tenentes maneriorum prædictorum pro eo quod noluerunt venire ad turnos ſuos, & ibidem præſentare ea quæ ad viſum franci plegii pertinent, & alia facienda ſicut hactenus facere conſueverunt, ipſos homines amerciavit, & pro amerciamentis illis levandis diſtrinxit contra mandata domini regis, petit judicium &c. Et quod eadem libertas eidem abbati &c. hic coram rege in caſu iſto ad mandatum domini regis prædictum allocetur &c. Et prædictus vicecomes nichil aliud dicit niſi ut prius, quod quando ipſe intravit balliam ſuam invenit dominum regem ſeiſitum de hujuſmodi viſu franci plegii & præſentationibus ad turnum &c. faciendis de hominibus & tenentibus maneriorum prædictorum; Et quia noluerunt coram eo venire, ipſos amerciavit & diſtrinxit prout cæteri vicecomites ante ipſum facere conſueverunt, petit judicium. Et quia compertum eſt quod dicta libertas in itinere *Iohannis de Berewik* &c. coram eodem *Iohanne* &c. eidem abbati allocata fuit, & etiam in ultimo itinere coram prædicto *Hervico de Stanton*, ac etiam per cartam domini regis, quod idem abbas & ſucceſſores ſui inperpetuum habeant viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent in maneriis antedictis, & quod licet ipſi aut prædeceſſores ſui aliquibus libertatum in carta & recordo prædictis expreſſarum aliquo caſu emergente prius uſi non fuerint, ipſe tamen & ſucceſſores ſui libertatibus prædictis, & earum qualibet virtute ejuſdem cartæ imperpetuum pleno gaudeant & utantur. Et dominus rex per breve ſuum prædictum mandavit hic quod inſpecta carta regis prædicti, eidem abbati viſum prædictum, & omnia quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, juxta tenorem cartæ & recordi prædictorum coram rege de cætero allocent, ideo ipſe abbas & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant & gaudeant libertatem prædictam &c. juxta tenorem cartæ regis prædictæ. Et præceptum eſt eidem vicecomiti quod de hujuſmodi inquietationibus, gravaminibus, et diſtrictionibus eidem abbati et ſucceſſoribus ſuis, et ejus tenentibus maneriorum prædictorum infra libertatem &c. de cætero non ſe intromittat quoviſmodo contra tenorem cartæ regis prædictæ. Et quoad hoc quod prædictus vicecomes advocavit diſtrictiones ſuper tenentes prædictorum maneriorum dicti abbatis et diverſa amerciamenta ab eiſdem levavit, prout ſuperius patet &c. Idem vicecomes ad judicium &c. Et ſuper hoc datus eſt dies in craſtino ſancti *Iohannis Baptiſtæ* ubicunque &c. de audiendo inde judicium &c.

Walterus Archiep.

Rex vicecomiti Kanciæ *ſalutem. Quia abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cant. *habere debent in maneriis ſuis de* **Menſtre**, **Chiſtelet**, **Sturey**, **Litleborne**, **Norborne**, **Leyham**, **Plumſtede**, *hundredis de* **Langport** *&* **Cornilo** *in comitatu prædicto viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent; Quæ libertas, tam coram* Johanne de Berewik *& ſociis ſuis Juſticiariis domini* E. *quondam regis* Angliæ *patris noſtri anno regni ſui* xxj. *itinerantibus ad communia placita, quam coram dilectis & fidelibus noſtris* Hervico de Stanton *& ſociis ſuis Juſticiariis ultimo itinerantibus in comitatu prædicto, eiſdem abbati & conventui allocata fuit prout nobis plenius conſtat. Ac nos in carta noſtra per quam eis diverſas libertates per prædeceſſores noſtros conceſſas confirmavimus prædictum recordum recitari fecimus, & conceſſimus eiſdem abbati & conventui pro nobis & hæredibus noſtris*

Edwar. II. Rex.

noſtris quantum in nobis eſt, quod ipſi & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant per eandem cartam noſtram in dictis maneriis viſum franci plegii & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent. Et quod licet ipſi aut prædeceſſores ſui aliquibus libertatum in carta & recordo prædictis expreſſarum aliquo caſu emergente hactenus uſi non fuerint, Iidem tamen abbas & conventus & ſucceſſores ſui libertatibus prædictis & earum qualibet virtute ejuſdem cartæ noſtræ imperpetuum plene gaudeant, & utantur, prout in eadem carta & recordo prædictis in curia noſtra coram nobis lectis & intellectis plenius continetur. Per quod conſideravimus ibidem quod iidem abbas & conventus & ſucceſſores ſui in maneriis prædictis imperpetuum habeant & gaudeant libertatem ſuam prædictam in curia noſtra coram nobis juxta tenorem cartæ noſtræ prædictæ. Tibi præcipimus quod ab omnibus inquietationibus, gravaminibus & diſtrictionibus eiſdem abbati & conventui, & ſucceſſoribus ſuis, & tenentibus maneriorum prædictorum ratione viſus franci plegii & de hiis quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, ſuperſedeas omnino. Et de cætero de eiſdem nichil intromittas quoviſmodo contra tenorem cartæ noſtræ ſupradictæ. Et quid inde feceris, ſcire facias nobis in craſtino S. Johannis Baptiſtæ *ubicunque tunc fuerimus in* Anglia. *Et habeas ibi hoc breve.* T. L. de Trykynham *apud* Weſtmonaſterium *xvij. die Maii anno regni noſtri decimo.*

§. 3. *Mariſcus de* **Riſſeburn** *datur per* G. Scherreve.

CIrca hæc tempora obiit quidam *Gervaſius Scherreve* qui nobis fideliter in vita ſua deſervivit, & inter cætera bona quæ huic eccleſiæ fecit mariſcum quendam in tenura de **Chiſtelet**, vulgariter **Ryſſhborne** vocatum, in plena curia ibidem diſclamavit & vj. marcas liberi redditus apud **Hoo** in **Menſtre** liberaliter aſſignavit, & pepetualiter nobis donavit. Et ad anniverſarium ſuum ſingulis annis die obitus ſui ſcilicet xij. kal. Julii faciendum aſſignavit xx. s. pro pane pauperibus diſtribuendo per manus ſacriſtæ. Cui mariſcus ille de conceſſu ſuo perpetualiter deputatur. Item aſſignavit conventui in refectorio reficienti ſingulis annis ſui obitus vj. s. viij. d. ad pitantiam per manus cuſtodis de **Menſtre** inperpetuum.

§. 4. Walterus *archiepiſcopus ratificat eccleſias de* **Sturrey** *& de* **Kenington.**

SEd inimici noſtri pacis perturbatores & ſeminatores dicordiæ miſcentes zizaniam tritico, & qui loquuntur pacem cum proximis ſuis, mala autem in cordibus & in abſcondito, invidentes adeptionibus eccleſiarum de **Sturreye** & de **Kenynton**, & papalis indulgentiæ una cum dimiſſionibus & renunciationibus archiepiſcopi, ipſum archiepiſcopum ad lites ſuperius motas & contentiones convolare procurant. Quapropter & ratificationi ipſarum noluit conſentire. Unde frater *Thomas de Wivelesberg* cum domino *Iohanne le Toute* ad vicariam de **Stureye** primitus præſentato, ad dictum archiepiſcopum apud **Mortelake** *Wyntonienſis* dioceſis tunc exiſtentem cum litera præſentationis adierunt ſupplicantes, quatinus ipſe vellet illum admittere & perpetuum vicarium inſtituere in eccleſia prædicta, ac ulterius facere quod ad ipſum pertineret in hac parte, exemptionibus et privilegiis noſtris per omnia ſemper ſalvis. Et tunc dictus dominus *I.* ſic præſentatus requiſivit humiliter ipſum archiepiſcopum quod illum ſic præſentatum ad dictam vicariam admitteret & perpetuum vicarium inſtitueret in eadem, et tunc frater *T. de Wyvelesberg*, dixit verba ſubſequentia. Pater reverende, Præſentatio dictorum religioſorum ad vicariam de **Stureye** vobis eſt exhibita, præſentata et tradita, ne præfatis religioſis ſancti *Auguſtini* tempus currat: et archiepiſcopus reſpondit, Nos faciemus vobis juſtitiam: nec ſuper hujuſmodi expeditione plus tunc fecit. Unde ſacra ſcriptura dicente, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ut recipiant vos in æternam pacem*, allatis ſibi CCCC. marcis vota ſua in ſingulis obtinuerunt, unde idem præſentatus rediens ad eundem archiepiſcopum, apud **Otteford**, ipſum admiſit et perpetuum vicarium inſtituit in eadem certam portionem ſibi perpetualiter aſſignando, ut in ordinatione ejuſdem vicariæ in ſequentibus plenius poterit apparere. Ratificavit eciam appropriationem eccleſiarum de **Stureye** et de **Kenynton**, quæ fuit facta domino *Radulfo* abbati in prima creatione ſua ſub hac forma.

Walterus Archiep.

« Noverit univerſitas veſtra quod nos appropria-
« tioni eccleſiarum de **Sturreye** et de **Kenynton**
« noſtræ dioceſis per ſacroſanctam ſedem apoſtoli-
« cam, religioſis viris abbati et conventui monaſterii
« ſancti *Auguſtini Cant.* factæ nuperime et con-
« ceſſæ, in quantum ordinariæ facultatis requirit
« poteſtas gratum præbentes aſſenſum, gratiam
« quam in hac parte eadem ſedes ſancta ipſis religi-
« oſis duxerit faciendam, necnon et ingreſſum poſ-
« ſeſſionis earundem quas eoſdem novimus aſſecu-
« tos legitime, approbamus.

§. 5. *Dimiſſiones archiepiſcopi et Commiſſarii ſui.*

UNiverſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis præſentes literas inſpecturis, *Walterus* permiſſione divina &c. Noverit univerſitas veſtra quod cum religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* fuiſſent coram nobis ſucceſſu temporum noſtram dioceſim *Cant.* jure dioceſano ac dioceſim *Roffenſem* jure metropolitico nuper viſitantibus ad judicium evocati, jus ſuum ſuper appropriatione eccleſiarum de **Menſtre** in *Thaneto* cum capellis ſanctorum *Johannis, Laurentii* & *Petri* de **Chiſtelet**, de **Nordburne**, cum capella de **Scholdon**, de **Preſtone**, de **Faverſham**, cum capella de **Scheldwich**, de **Sellynge**, de **Middilton**, de **Lenham**, de **Tanderden**, ſancti *Pauli* in *Cant.* dioceſis *Cantuarienſis* & eccleſiæ de **Plumſtede**, cum capella de **Eaſtwycham**, *Roffenſis* dioceſis, quas eoſdem religioſos in viſitationibus hujuſmodi in uſus proprios tenere comperimus, necnon jus ſi quod idem religioſi haberent quare ratione eccleſiarum eiſdem appropriatarum tanquam rectores earundem in viſitatione noſtra comparere, ac manualem obedientiam nobis præſtare non debebant, exhibituri, oſtenſuri, ac eciam detecturi: Idem religioſi coram nobis ratione hujuſmodi congruis loco & tempore comparentes, jura, privilegia & munimenta pro jure ſuo, quod eis competere prætenderant, in hac parte exhibuerunt, & eciam oſtenderunt. Quibus exhibitis, inſpectis, examinatis & di-

ligenter

Edward. II. Rex.

ligenter ponderatis quia de jure & immunitate eorundem in præmiſſis nobis legitime conſtabat, ipſos ſuper hiis omnibus tanquam ſufficienter munitos in præmiſſis rite & legitime procedentes judicialiter duximus dimittendos. Eo ſalvo quod ſi contingat præfatos religioſos à ſucceſſoribus noſtris ex aliqua cauſa rationabili ſpecialiter extra viſitationem ſuam evocari, exhibituri titulos ſive appropriationes eccleſiarum ſuarum, idem religioſi extra viſitationem prædictam ad præmiſſam exhibitionem faciendam comparere teneantur.

§. 6. *Dimiſſio decimarum partialium, et penſionum annuarum.*

CUm dudum venerabilis pater, dominus *W.* Dei gratia *Cant.* archiepiſcopus totius *Angliæ* primas civitatem *Cant.* & dioceſim viſitans comperiſſet quod religioſi viri abbas & conventus ſancti *Auguſtini Cant.* eccleſias parochiales de **Menſtre**, &c. ut ſupra. Item quod religioſi recipiunt ab eccleſia de **Whertiſweide** xx.s. annuos. Item quod à vicario perpetuo de **Redmerysham** x.s. Item ab eccleſia de **Bordenne** xiij.s. iiij.d. nomine penſionum annuarum. Item quod idem religioſi percipiunt majores decimas & minores de terris feodi de **Hoplond**, quondam Soldani exiſtentibus, ut dicitur, infra limites vel fines parochialis eccleſiæ de **Weſtbery** ac decimas partiales de terris de **Weſtlonde** infra fines vel limites eccleſiæ de **Menſtre**, in **Scapeye**, & decimas partiales infra limites eccleſiæ de **Eſtcherch**, de antiquo dominico de **Shirlonde**, duas quoque partes decimarum infra limites eccleſiæ de **Rippele**, ac eciam quaſdam decimas partiales infra parochias eccleſiarum de **Stokebery** & **Wade**, & inſuper decimas majores & minores de **Holdaneſlonde**, & partem gerbarum decimalium provenientium de terris manerii de **Wynkelonde**, infra limites parochiæ de **Suttone**, decimas quoque partiales in **Pyſinge** infra limites parochiæ de **Eaſtlangedoune**, ac eciam alias decimas parochiales ad valentiam vj. marcarum infra eandem parochiam. Item quod iidem religioſi detinuerunt & detinent decimas lanæ vaccarum & alias minutas provenientes de manerio ipſorum de **Rede** ad eccleſiam de **Whegge** ut dicebatur pertinentes, & decimas ortorum & curtilagiorum ſuorum exiſtentium in parochia de **Sellynge**. Item quod ſubtraxerunt decimam provenientem de molendino eorum aquatico dicto **Abbottiſmelle** in *Cant.* Item quod ſpoliarunt perpetuum vicarium & vicariam de **Sellynge** quibuſdam portionibus ad vicariam ſuam pertinentibus, videlicet de pede foſſis manu plantatis & decimis ſilvæ ceduæ. Item quod detinent decimam fœni provenientem de prato quondam *J. Terry* continente circiter xv. acras terræ, & decimas de xv. acris arundineti & prati vocati **Terriſbroke**. Item quod in eccleſia de **Norborne**, & in aliis eccleſiis dictis religioſis appropriatis, & in quibus jus duntaxat obtinent patronatus, pulſantur campanæ cum abbas ipſius manaſterii ad hujuſmodi loca declinaverit, vel tranſitum fecerit per eadem. Demum dictus dominus archiepiſcopus nobis magiſtro *Roberto de Mallyng* ipſius patris Commiſſario generali commiſit ſuper compertis prædictis et aliis ſpecialiter vices ſuas. Nos igitur ſuper hiis rite & legitime procedentes prædictos abbatem & conventum fecimus ad judicium evocari, nichilominus rectores, vicarios, alioſque omnes & ſingulos quorum intereſſe poterit citari legitime facientes, quod coram nobis comparerent jus ſi quod ſibi competeret in hac parte propoſituri, ſi ſibi expediens videretur. Procurator ſiquidem dictorum religioſorum ſufficienter & legitime conſtitutus coram nobis comparens proteſtabatur publice & expreſſe, quod per aliqua dicenda, proponenda, oſtendenda, ſeu quomodolibet facienda, non intendebat nec domini ſui intendebant eorum exemptionibus, privilegiis, libertatibus, immunitatibus aut juribus præjudicare, & hujuſmodi proteſtatione ſalva ad omnia ſingula ſupradicta eidem per nos objecta ſufficienter reponendo, proponens quod eccleſiæ parochiales ut ſupra ſunt eidem monaſterio canonice appropriatæ, ut eas ſic poſſident licite atque juſte. Eccleſia vero de **Litleborne** eſt eiſdem ad perpetuam firmam ab apoſtolica ſede conceſſa. Penſiones vero, portiones ac decimas ſupradictas omnes & ſingulas juſte percipiunt & retinent, necnon de pulſatione in adventu ipſius abbatis ac omnibus aliis ſunt ſufficienter muniti; Rectoribus vero, vicariis & aliis quorum intererat, ut præmittitur, evocatis ac quibuſdam eorum non curantibus comparere, quibuſdam vero comparentibus & jus ſi quod ſibi competeret, proſequi recuſantibus, pars dictorum religioſorum in termino ad hoc eis aſſignato quam plura privilegia ſedis apoſtolicæ, & alia munimenta publica & auctentica exhibuit, teſtes quamplures produxit, quibus in forma juris admiſſis, juratis & examinatis ac ipſorum atteſtationibus quam neceſſariis aliis in aſſignato ad hoc termino publicatis: Nos Commiſſarius prædictus auditis & plenius intellectis meritis hujuſmodi cauſæ ſeu negocii, Chriſti nomine invocato de juriſperitorum nobis aſſidentium conſilio pronunciamus & declaramus præfatos religioſos & eorum monaſterium ſuper omnibus & ſingulis eccleſiis, penſionibus, portionibus, decimis, pulſatione & quibuſcumque aliis ſupradictis canonice & ſufficienter eſſe munitos, prædictum procuratorem nomine dominorum ſuorum ac dominos ſuos & eorum monaſterium ſuper præmiſſis omnibus et ſingulis ſecundum juris exigentiam ſententialiter abſolventes.

Walterus Archiep.

An. Dni 1316.

ET quia ſuperius fit mentio de hujuſmodi nominibus antiquis et ignotis, videlicet de *Sake* et *Sokne* &c. ideo congruum duxi illa interpretare et ſic adducere cognitioni modernorum.

Sake, hoc eſt placitum et emenda de tranſgreſſione hominum in curia domini, quia **Sak** Anglice, *Encheyſun* Gallice, et **Sak** dicitur por **Forfatt**.

Sok, hoc eſt ſecta de hominibus in curia domini ſecundum conſuetudinem regni.

Toll, hoc eſt, quod vos et homines veſtri de toto homagio et ſervicio veſtro ſitis quieti in omnibus mercatis de tolneto et rebus emptis et venditis.

Them, hoc eſt, quod vos habeatis totam generationem villanorum veſtrorum cum eorum ſectis et catallis ubicumque inventa fuerit, excepto quod ſi aliquis nativus quietus per j. annum et j. diem in aliqua villa privilegiata manſerit, ita quod in eorum communem gildam et tanquam unus eorum receptus fuerit, eo ipſo villenagio eſt exemptus.

Infangenthef, hoc eſt, latrones capti in dominico vel in feodo noſtro, et de ſuo latrocinio convicti in curia veſtra judicentur.

Homſokne, hoc eſt, quietus eſſe de amerciamentis

pro

Edwar. II Rex.

pro ingreſſu hoſpitii violenter et ſine licentia et contra pacem regis, & quod teneatis placita de hujuſmodi tranſgreſſione in curia veſtra.

Grythbrech, hoc eſt, pax domini regis fracta, quia **Grith** Anglice, pax Latine.

Flemenſrede, hoc eſt, quod habeatis catalla ſive amerciamenta hominum veſtrorum fugitivorum cum anno et vaſto.

Forſtall, hoc eſt, quietus eſſe de amerciamentis, de catallis areſtatis infra terram veſtram, et quod habeatis placita inde in curia veſtra et de hujuſmodi catallis areſtatis amerciamenta inde provenientia.

CAP. XXXIV.

§. 1. *Carta* E. 2. *de vacatione monaſterii S.* Auguſtini.

Quia vero vacante monaſterio ſancti *Auguſtini* ſæpius per reges *Angliæ* et eorum miniſtros gravamina non modica et diſpendia ſuſtinere videbatur, dominus *Radulfus* abbas hujus loci cum conſilio ſui conventus volens talibus jacturis inpoſterum obviare, et eiſdem regibus pro talibus vacationibus certum quid conferre, Anno Domini M.CCC.xvj. rex *Edwardus* primo die menſis Sept. an. regni ſui nono conceſſit iſti monaſterio in hunc modum.

An. Dñi 1316.

EDWARDUS Dei gratia &c. Sciatis quod cum ob ſpecialem devotionem quam ad beatum Auguſtinum *glorioſum Chriſti confeſſorem gerimus & habemus, & ut dilecti nobis in Chriſto monachi abbatiæ ſancti* Auguſtini Cant. *eo ferventius Deo famulentur quo ipſos majori favore fuerimus proſecuti, conceſſerimus dilectis nobis in Chriſto* Radulfo *abbati loci prædicti & conventui ibidem pro nobis & hæredibus noſtris, quod quam primo abbatiam illam per mortem, ceſſionem vel reſignationem præfati* Radulfi *vel alio modo vacare contigerit, Prior & conventus abbatiæ prædictæ qui tunc temporis erunt habeant cuſtodiam abbatiæ illius durante vacatione ejuſdem cum omnibus ad cuſtodiam illam ſpectantibus, & quæ nos vel hæredes noſtri percipere & habere poſſemus ratione vacationis illius ſi cuſtodia ejuſdem tunc in manu noſtra remaneret. Ita quod nullus Eſcaetor ſeu alius miniſter noſter vel hæredum noſtrorum quicunque abbatiam illam ingrediatur; aut ſe de aliquibus ad abbatiam illam ſpectantibus quovis modo intromittat; vel Priorem & conventum prædictos impediat quo minus habeant plenam & liberam adminiſtrationem omnium & ſingulorum ad abbatiam illam ſpectantium & exituum inde provenientium, reddendo nobis vel hæredibus noſtris ſexcentas marcas pro eadem vacatione, Salvis nobis & hæredibus noſtris feodis militum & advocationibus eccleſiarum ad abbatiam illam pertinentibus durante vacatione ſupradicta, prout in literis noſtris patentibus præfatis abbati & conventui inde confectis plenius continetur. Nos conceſſionē prædictam innovantes, volenteſq; præfatis Abbati et conventui ex cauſis prædictis gratiam facere ampliorem, per finem ducentarum mardarum quem prædictus abbas fecit nobiſcum, nec non & pro remiſſione ac pardonatione quas prædicti abbas & conventus nobis fecerunt de quingentis marcis in quibus celebris memoriæ dominus* Edwardus *quondam rex* Angliæ *pater noſter per literas ſuas patentes quas nobis reddiderunt, eis tenebatur, Conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris eiſdem abbati & conventui, quod Prior & conventus abbatiæ prædictæ qui pro tempore erunt in proxima vacatione ejuſdem habeant cuſtodiam abbatiæ illius pro ſecentis marcis, nobis vel hæredibus noſtris reddendis in forma ſupradicta. Et extunc in ſingulis vacationibus abbatiæ prædictæ quociens videlicet ipſam vacare continget, Prior & conventus loci illius, qui pro tempore fuerint, habeant, & teneant cuſtodiam abbatiæ illius et omnium temporalium ejuſdem cum omnibus rebus & bonis ad abbatiam illam qualitercumque ſpectantibus, adeo plene et integre ſicut abbates et conventus ejuſdem loci abbatiam illam & temporalia ejuſdem cum rebus et bonis prædicta ſede plena aliquibus retroactis temporibus habere & tenere conſueverunt. Ita quod dicti Prior et conventus de temporalibus et bonis ac rebus illis plenam et liberam adminiſtrationem habeant, inde diſponere & ordinare poſſint, prout eis melius et utilius videbitur faciendum, et prout abbas et conventus loci illius inde poſſent ordinare et diſponere ſede plena; Salvis nobis et hæredibus noſtris feodis militum quæ tenentur de abbathia prædicta et advocationibus eccleſiarū cum acciderint temporibus vacationum prædictarum, ita quod omnes redditus et ſervicia annua de feodis prædictis in vacationibus illis provenientia remaneant Priori et conventui prædictis. Salvis eciam nobis et hæredibus noſtris eſcaetis quas accidere contigerit temporibus prædictis. Quæ quidem eſcaetæ ſingulis hujuſmodi vacationibus finitis poſt fidelitatem ipſius quem ibidem eligi, confirmari ſeu præfici contigerit in abbatem nobis vel hæredibus noſtris factam liberentur et remaneāt Abbati, Priori et conventui dicti loci et ſucceſſoribus ſuis, ſine occaſione vel impedimento noſtri et hæredum noſtrorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcumque; Reddendo nobis et hæredibus noſtris poſt primam vacationem abbatiæ prædictæ pro qualibet vacatione abbatiæ illius extunc, ſive duraverit per dimidium annum, ſive per minus tempus ſexcentas marcas, videlicet infra primos duos menſes à tempore quo abbatia illa vacare inciperit treſcentas marcas; et ante finem aliorum duorum menſium proximo ſequentium reſiduas trecentas marcas. Et ſi forte vacatio abbatiæ illius duravit per annum integrum ultra prædictum dimidium annum, tunc prædicti Prior et conventus ſolvant nobis aut hæredibus noſtris pro illo anno integro mille marcas, et ſi ultra dimidium annum majori tempore duraverit quam per annum, tunc pro rata temporis quo ſic duraverit ultra prædictum dimidium annum de dictis mille marcis plus ſolvant. Et ſi ultra dictum dimidium annum minori tempore duraverit quam per annum, tunc pro rata temporis illius de prædictis mille marcis minus ſolvant. Et volumus et concedimus pro nobis et hæredibus noſtris, quod prædicti Prior et conventus et eorum ſucceſſores inperpetuum habeant et teneant cuſtodiam abbatiæ prædictæ, ſingulis temporibus vacationum ejuſdem in forma prædicta. Ita quod nullus vicecomes, eſcaetor, ſeu quicunque alius ballivus vel miniſter noſter aut hæredum noſtrorum de cuſtodia abbatiæ prædictæ ſeu cellarum ſuarum, maneriorum aut aliarum rerum, ſeu bonorum quorumcumque ad dictam abbatiam ſeu cellas ſuas ſpectantium quoquo modo ratione vacationis illius ſe in aliquo intromittat. Hoc tamen excepto quod eſcaetor vel alius miniſter noſter ſeu hæredum noſtrorum qui pro tempore fuerit infra portas tamen abbatiæ prædictæ in principio*

Walterus Archiep.

Edwar. II. Rex.

cipio cujuſlibet vacationis ejuſdem quandam ſimplicem ſeiſinam nomine noſtri regii dominii capiat, & ea ſic capta, ſtatim exinde recedat abſque aliquo inde capiendo ſeu eciam aſportando. Ita quod ultra unum diem occaſione ſeiſinæ prædictæ moram ibi non faciat nec aliquem ibi ſubſtituat loco ſui. Volumus inſuper & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris quod ſi nos forſitan vel hæredes noſtri aliquo tempore vacationis abbatiæ prædictæ exercitum noſtrum fecerimus ſubmoneri, prædicti Prior & conventus & ſucceſſores ſui pro propriis & dominicis feodis militum abbatiæ illius in manibus ipſorum Prioris & conventus tunc exiſtentibus ad ſervicium in eodem exercitu faciendum minime teneantur, nec occaſione ſervicii illius moleſtentur in aliquo ſeu graventur, ſed inde penitus ſint quieti; Salvis tamen nobis & hæredibus noſtris ſerviciis feodorum militum quæ tenentur de abbatia prædicta temporibus vacationum ejuſdem ad nos pertinentium ratione exercitus ſupradicti, Salva eciam nobis & hæredibus noſtris cuſtodia terrarum, tenementorum ſeu reddituum ſi quos abbas & conventus loci illius ſibi & domui prædictæ in feodo exnunc adquiſierint, per Eſcaetorem ſeu alios miniſtros durantibus vacationibus abbatiæ prædictæ retinenda, Ita tamen quod ratione cuſtodiæ terrarum, tenementorum ſeu reddituum hujuſmodi, Eſcaetor ſeu alius miniſter noſter vel hæredum noſtrorum abbatiam prædictam nullatenus ingrediatur, nec de abbatia illa ſeu aliquibus ad eam nunc pertinentibus ſe intromittat aliter quam in forma ſupradicta.

§. 2. *Compoſitio cum tenentibus de* **Chiſtelet**.

EOdem anno ſedata fuit quædam lis mota inter abbatem & conventum hujus monaſterii et tenentes de **Chiſtelet** per Compoſitionem quæ talis eſt. « PATEAT univerſis per præſentes, quod cum diverſæ lites & contentiones inter abbatem monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* et ejuſdem loci conventum ex parte una et *Willelmum de Grai*, *Gilbertum atte Burgh &c.* ex parte altera motæ fuiſſent et ſubortæ ſuper diverſis articulis et calumpnliis tangentibus viſum franci plegii infra procinctum manerii dictorum abbatis et conventus de **Chiſtelet**, tandem communibus amicis intervenientibus conquievit lis in hunc modum, videlicet quod prædicti *Willelmus de Grai* et omnes alii prædicti tenentes proſequentes litem prædictam et contentiones, concedunt quod venient ad viſum franci plegii dicti abbatis tentum bis per annum in hac forma, videlicet ſemel poſt feſtum ſancti *Michaelis* et ſemel poſt paſcha infra procinctum manerii prædicti de **Chiſtelet** ad præſentandum per ſacramentum Burgheſſaldorum et quatuor hominum de qualibet Borgha tantum juratorum, ſi tot fuerint in eadem Burgha, ea quæ ſpectant ad pacem et coronam domini regis fractam, purpreſturam ſuper dominum regem in terra et in mari, et aſſiſam panis et cerviciæ fractam ſecundum conſuetudinem comitatus *Kantiæ* præſentanda. Et pro hac conceſſione concedunt prædicti abbas et conventus pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, quod infra tres ſeptimanas ante diem viſus tenti nec infra tres ſeptimanas poſt teneatur ibidem curia niſi eiſdem abbati et conventui et eorum ſucceſſoribus placuerit diebus viſus.

Walterus Archiep.

« Concedunt eciam prædicti abbas et conventus pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, quod omnes reſidentes qui reſeancias proprias nunc tenent infra procinctum manerii prædicti, ad dictum viſum venire non compellantur, niſi fuerint tales ſuper quos tranſgreſſiones tangentes articulos viſus fuerint præſentatæ. Et de talibus reſpondebit **borghſald** perſonaliter vel de plegiis. Concedunt eciam prædicti abbas et conventus pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, quod dicti **borgheſald** et jurati ad præſentandum defectus reſidentium minime compellantur, nec ad præſentationes aliquas faciendas contra formam ſuperius expreſſam occaſionentur quo modo. Et dicti abbas et conventus et eorum ſucceſſores omnes reſidentes infra procinctum dicti manerii defendent verſus dominum regem et vicecomitem *Kantiæ*, ita quod non inquietentur nec compellantur ad præſentationem faciendam in laſto domini regis vel alibi de hiis quæ ad viſum pertinent, niſi infra procinctum manerii prædicti ut prædictum eſt; et quod tenentes dicti manerii diebus viſus ſe poſſint eſſoniare prout alibi in comitatu prædicto uſitatum eſt et conſuetum. Et quod amerciamenta prædictorum tenentium afforentur et taxentur per ſacramentum parium ſuorum &c.

§. 3. *Perquiſitio terrarum de* Willielmo Pontesbury.

An. Dñi 1317.

ANno Domini M.CCC.xvij. *Edwardus* rex dedit licentiam abbati & conventui acquirendi de *Willelmo Pontesbury* & *Johanne Grove* lxxx. & unam acram terræ & dimidiam & lx. acras paſturæ in **Lenham** & **Chiſtelet**. Et de *Willelmo de Lyndeſtede* j. meſuagium & xlix. acras & j. rodam terræ, iiij. acras prati & dimidiam & unam acram boſci in *Cantuaria* **Norburne**, **Sholdon**, **Menſtre** in *Thaneto*, **Littleburne**, **Natindon**, & **Middelton**. Quæ omnia ultra ſervicia inde debita & conſueta valent per annum in omnibus exitibus juxta verum valorem lvj. s. & eo amplius.

Eodem anno recuperavit idem abbas per aſſiſam verſus *Willelmum Treie* & multos alios de *Thaneto* ij C. lx. acras mariſci in **Menſtre**.

§. 4. *Inſultus manerii de* **Menſtre** *per Seneſcallum ibidem.*

1318.

ANno ſequenti tenentes de **Menſtre** propter diverſas diſtrictiones eiſdem per abbatem & ſuos miniſtros non immerito factas pro diverſis detentionibus tam redditus quam aliorum articulorum curiam ipſius Abbatis de **Menſtre** & viſum franci plegii concernentium, juxta numerum vj. C. virorum die Veneris proxima ante feſtum S. *Nicholai* & ſic continuando per quinque ſeptimanas proximo ſequentes, aggregata ſibi adhuc majori multitudine malefactorum, ad maneria Abbatis apud **Menſtre** & **Salmanſton** hoſtiliter cum arcubus, ſagittis, gladiis & baculis pluries accedentes, illa obſederunt, & inſultus diverſos ibidem fecerunt, & ignem quem ſecum tulerant pro maneriis illis comburendis portis appoſuerunt; præ timore quorum exceſſuum monachi & ſervientes, videlicet frater *Willelmus Biholte* & *Willelmus de Middleton* monachi & alii inibi tunc exiſtentes manerium de **Salmanſton** per quindecim dies exire non audebant. vij. carucas & vij.

Edwar. II. Rex.

carectas ac herneſia ad abbatem ſpectancia in campis tunc ibidem exiſtentia vi & armis, ſcilicet cum gladiis & baculis fregerunt, dilaceraverunt & in minutas partes ſecuerunt, & arbores Abbatis ibidem & apud **Menſtre** ad valentiam xl. li. ſucciderunt & aſportaverunt, & fratrem *Henricum de Newenton* monachum in manerio apud **Eltreſhende** in feſto ſancti *Nicholai* obſederunt, & domos ibidem diſcoperuerunt & fregerunt, & ipſum monachum ibidem inpriſonaverunt per vj. dies, & poſtmodum illum cuidam *Waltero Capell:* pro iiij. s. acſi in terra guerrina fuiſſet vendiderunt, & tam in homines & ſervientes Abbatis pro cuſtodiis maneriorum prædictorum in pleno mercato de **Menſtre** inſultum fecerunt, verberaverunt, vulneraverunt & male tractaverunt, & prædicti malefactores confederationes illicitas per ſacramentum & ſcripta inter eos fecerunt, collectas & tallagia diverſa inter ſe aſſederunt ad ſummam xxvj. li. & per hujuſmodi confederationes & collectas alios malefactores de quinque portibus aliquid ad perdendum non habentes in multitudine non modica ſibi attraxerunt, quare abbas juſticiam in præmiſſis in curia Regis proſequi non auderet. Inpedierunt etiam ballivos abbatis per tumultum & clamorem nimium ne poſſit tenere curiam ſuam apud **Menſtre**, unde jurati per Dominum *Barthomeum Badeleſmer* & alios juſticiarios domini Regis pro hujuſmodi cauſa per ipſum Regem aſſignati dicunt per ſacramentum ſuum, quod prædicti malefactores fuerunt culpabiles de omnibus tranſgreſſionibus & exceſſibus prædictis ſicut eis inponitur ad dampnum Abbatis DC. li. Et conſideratum eſt quod Abbas recuperaret verſus eoſdem dampna ſua quæ taxata fuerunt ad DC. li. & prædicti malefactores caperentur & uſque ad ſolutionem debiti *Cantuariæ* incarcerentur. Statim poſt dominus Rex mandavit breve ſuum juſticiariis prædictis in hæc verba.

EDWARDVS Dei gratia &c. Pro eo quod ad ſectam Abbatis ſancti Auguſtini *ſui tenentes inſulæ de* Thaneto *fuerunt convicti coram vobis pro dictis tranſgreſſionibus, ob quam cauſam priſonæ noſtræ adjudicati quouſque eidem Abbati pro ſupradictis dampnis fecerint emendas per vos allocatas: tamen ob compaſſionem quam habemus de ſtatu ejuſdem gentis quæ propter eaſdem lites & contentiones multum indebilitatur, pro fine CC. marcarum quam fecerunt nobiſcum pardonavimus eis ne inpriſonentur occaſione prædicta. Quare vobis mandamus quod quoad diem ſuper iſtis negotiis per vos aſſignatum faciatis venire coram vobis illas gentes inponentes ſingulis eorum ſecundum facultates ſingulorum certam portionem prædictarum CC. marcarum ad ſolvendum nobis in feſto Paſchæ & prima die Auguſti æquali porcione.*

Igitur anno ſecundo ſequenti domino *Bartholomeo de Badeleſmer* & aliis communibus amicis intervenientibus conquievit per talem Compoſitionem & in hunc modum, videlicet quod prædicti tenentes & omnes alii reſidentes infra procinctum manerii de **Menſtre** terras & tenementa vel reſeantias proprias habentes, &c. ut in Compoſitione de **Chiſtelet** uſque ad hæc verba, *quæ pertinent præſentanda.* Et hæc eſt additio in iſta Compoſitione, & quod fideliter omnes articulos ſuperius contentos & quemlibet illorum exequantur, & nihil in præjudicium articulorum prædictorum ſeu aliorum dictos articulos quoviſmodo contingentium clam vel palam committent ſeu contravenient, nec in læſionem, præjudicium ſeu diminutionem articulorum prædictorum facient vel attemptabunt. Immo pro viribus ſuis omnes prædictos articulos ut jus ipſius abbatis & eccleſiæ ſuæ quantum in ipſis eſt inperpetuum manutenebunt & illæſos conſervabunt. Et pro hac Conceſſione &c. ut in Compoſitione de **Chiſtelet** præter hanc ultimam additionem quæ talis eſt. *Et quod per iſtam Compoſitionem perſonæ illæ non compellantur ibidem venire quæ excipiuntur per ſtatutum Domini Regis.* In cujus rei teſtimonium &c.

Walteri Archiep.

Anno vero ſupradicto ſcilicet M. CCC. xviij. frater *Ricardus de Cant.* hujus eccleſiæ tunc ſacriſta contulit illam tabulam pulcherimam quæ in magno altari cernitur in præſenti.

An. Dñi 1320. Anno Domini M. CCC. xx. & anno Sancti *Thomæ* martyris tunc jubeleo dominus *Radulfus* Abbas per ſeniores eccleſiæ Sanctæ Trinitatis effective requiſitus Miſſam & cætera ſolempnia inter ipſos in magno honore celebravit.

§. 5. *Vinea in* **Nordhome** *plantata per* R. *Abbatem.*

IStis temporibus abbas *Radulfus* vineas juxta **Nordhome** fecit plantari. Erat enim perante idem locus ſpelunca latronum, habitaculum immundiciæ & fornicationis, ad quem erat quædam via communis per *le* **Kenſle** cujus ſubterfugio adulteria & cætera talia facilius agebantur. Et hæc omnia dictus abbas pie conſiderans, & qua via iſta ſcandaloſa in melius poſſet commutare excogitans, dictam communem viam regia auctoritate et licentia præcludit, latibula umbroſa et convalles explanavit, ſpinas et tribulos extirpavit, arbuſta truncavit, muro ex omni parte circumcinxit, et inibi vineam electam ut inpræſentiarum cernitur ad commodum et magnum honorem honorifice plantavit.

1321. Anno Domini M. CCC. xxj. abbas et conventus hujus monaſterii dederunt in excambium *Henrico* Priori ſanctæ Trinitatis et conventui ejuſdem loci unam placeam terræ in *Fordwico* jacentem inter tenementum dictorum Prioris et conventus verſus **Weſt** et tenementum *Willelmi Cok* verſus **Eaſt**, regiam ſtratam verſus **South** et ad *Sturam* verſus **North**, continentem x. perticatas et dimidiam, et quælibet perticata ad xvj. pedes et dimidium in longitudine et xxiiij. pedes in latitudine; Salvis Abbati et conventui omnibus judiciis ſanguinis cum executionibus et aliis tranſgreſſionibus ibidem factis ſicut in aliis placiis ejuſdem villæ ex antiquo percipiunt et perceperunt, pro tribus rodis terræ jacentibus in ſuburbio *Cantuariæ* in loco qui vocatur **Sandpit** inter regiam ſtratam verſus **Weſt** et terram Abbatis & Conventus verſus **Northeaſt** & **Suth**. Nec licebit Priori vel ſuis ſucceſſoribus in prædicta placea in *Fordwico* merces aut mercimonia aliquorum extraneorum receptare et advocare, aliter quam hactenus in tenementis quæ idem Prior et conventus prius in villa prædicta habuerunt fieri conſuevit.

§ 6. Petrus Dene *monachus factus eſt.*

1322. ANno ſequenti iij. kal. Aprilis magiſter *Petrus de Dene* excellens clericus et nobilis magnique vir conſilii, in iſto monaſterio ob tirannidem adverſariorum domini *Thomæ* Comitis *Lancaſtræ* monachus

Edwar. II. Rex.

chus effectus eſt. Qui *Petrus* ante ſuũ ingreſſum per ſuum teſtamentũ huic monaſterio legavit infraſcripta.

In Dei nomine Amen. Ego Petrus de Dene *Canonicus in eccleſiis cathedralibus* Eboracenſi, Londonenſi *&* Wellenſi, *necnon in eccleſiis collegiatis de* Southwelle *& de* Wymburn Eboracenſis *&* Sareberienſis *dioceſis, in multis annis propoſui & propoſitum, fixa deliberatione firmavi religionem ingredi, et in monaſterio ſancti* Auguſtini Cant. *in habitu regulari domino perpetuo famulari. Et quidem ante ingreſſum hujuſmodi volui teſtamentum condere & de rebus ac bonis meis prout decuit ordinare; ſum anno Domini M. CCC. xxiij. menſis Aprilis die ſecundo in preſencia venerabilis patris domini* Radulphi *Dei gratia abbatis & plurium fratrum monaſterii predicti in ſeculari ſtatu & habitu conſtitutus, teſtamentum meum ſeu voluntatem ultimam condo, ordino ſeu enuncio in hunc modum. In primis* decreta *mea in vitulinio ſcripta in aſſeribus nigro coreo coopertis. Item* decretales *in vitulinio in corio ligatas. Item* apparatum *domini* Hoſtienſis *ſuper Decretalibus in duobus voluminibus. Item* apparatum *domini* Innocentii *in aſſeribus. Item Roſarium* Guidonis *ſuper Decretalibus. Item* apparatum *ſuper* ſextum *cum repertorio* Guilielmi Surandi *in uno volumine in coreo. Item* apparatum *domini* Johannis *monachi cum apparatu* Johannis Andreæ *in uno volumine in coreo. Item quinque volumina juris civilis in corio ligata, videlicet Digeſtum vetus inforciatum, Digeſtum novum, codicem & parvũ volumen monaſterio* S. Auguſtini Cant. *do lego, ita videlicet ut idem monaſterium poſt deceſſum meum habeat dictos libros, uſu eorum michi quoad vixero reſervato ſpecialiter et retento, nec liceat eciam poſt deceſſum meũ alicui dictos libros alienare niſi forſan urgeat evidens neceſſitas monaſterii, & tractatu diligenti cum toto conventu habito, & de conſenſu ſpontaneo ejuſdem conventus; De aliis libris meis omnibus tam in dicto monaſterio quam alibi exiſtentibus inter vivos antea donando & ordinando diſpoſui, licet eos adhuc retineam, quarum donationum & ordinationum diſtributionem ſeu executionem michi retineo, & reſervo. Item treſcentas quinquaginta marcas ſterlingorum in quibus ex cauſa mutui, michi tenetur monaſterium; prout patet per duas literas ejuſdem monaſterii ſigillo communi ſigillatas, ac eciam centum marcas in eodem monaſterio pro me depoſitas eidem monaſterio do lego, ita videlicet quod quinquaginta marcæ cedant in refectione ſeu reparationem Capituli ipſius monaſterii, quadringentæ vero marcæ reſiduæ in eventum vacationis monaſterii integre reſerventur, nec in uſus alios convertantur niſi forſan pro ſumma & evidenti neceſſitate monaſterii de communi conſenſu conventus ad ſuccurrendum monaſterio cum id aliunde fieri non valeret expenderentur; Et ſi contingat ipſas quadringentas marcas in toto vel in parte expendi, ordino & omnino volo, quod cum omni celeritate recolligantur, & pro vacatione ut premittitur integre conſerventur. Item florenos de* Florencia *quadringentos nonaginta quinque. Item florenos de agno centum & quinque & florenos de Mas: decem predicto monaſterio do lego, ita videlicet quod pro vacatione dicti monaſterii integraliter conſerventur, & ex nullis omnino cauſis vel caſibus qui contingere poterunt in uſum alium convertantur ſeu eciam aſſumantur; Adveniente vero vacationibus, in utilitatem monaſterii de communi conſenſu conventus prout magis expediens viſum fuerit expendantur. Item omnia vaſa mea argentea in monaſterio depoſita tam deaurata quam plana exceptis duodecim cocleariis argenteis, quæ quidem vaſa in quadam indentura cujus tenor inferius ponitur ſpecificantur, dicto monaſterio do lego, ita videlicet ut ad utilitatem ejuſdem monaſterii de communi conſilio prout magis viſum fuerit convertantur.*

Walterus Archiep.

Tenor indenturæ de vaſis argenteis de quibus ſupra fit mentio talis eſt.

« *Depoſita per magiſtrum* Petrum de Dene *clericum in monaſterio ſancti* Auguſtini Cantuariæ « *xiiij. die menſis Octobris, anno M. CCC. xxj.* An. Dñi 1321. « Inprimis ij. bacini argentei pulcri cum duobus « emall. Item duo alii baſini argentei deaurati in « circumferencia et in fundo, et ij. baſini in fundo et « circumferencia deaurati. Hii quatuor in uno hanaperio. Item ij. pottella majora argentea de una ſecta. Item ij. pottella, unum de una ſecta. Item unum « pottellum argenteum de alia & majori ſecta cum « j. emall. in ſummitate. Item vj. diſci argentei & « ſalſarium de una ſecta cum A. & I. S. deſuper exterius in fundo. Item vj. alii diſci argentei & vj. « ſalſaria de alia ſecta cum P. tantum in fundo. « Item quinque cuppæ argenteæ deauratæ cum « cooperculis ſuis operis diverſi. Item una cuppa « argentea deaurata ſine cooperculo. Item iij. cuppæ argenteæ planæ non deauratæ cum cooperculis ſuis. Item xj. ciphi argentei plani de una fabricatura. Hæc omnia cum ſuis hanaperiis clavibus et ſeruris. « *Item dico, enuncio ac ordino, « quod omnes fructus, redditus & proventus & « eciam omnia bona qui & quæ ratione quorumcumq; beneficiorum eccleſiaſticorum ſeu reſidentiæ « cujuſcumque mei & mea ſunt ſive eſſe poterunt, « ac qui & quæ michi debentur ſeu deberi poterunt, « cedant in jus & utilitatem monaſterii ſupradicti. « Item viginti quatuor diſci argentei cum totidem « ſalſariis. Item j. cuppam argenteam de qua ſolebam bibere. Item j. ciphum argenteum ſine pede « cum cooperculo. Item iij. ciphos argenteos de « opere* Turonenſi. *Item xxiv. coclearia argentea « dicto monaſterio do lego. Michi quoad vixero eorum iſtorum omnium uſu omnimodo reſervato. De « jocalibus autem meis & rebus et bonis aliis quibuſcumque quæ ſunt ſuperius nominatim legata « diſpoſui inter vivos, quorum diſtributionem & « diſpoſitionis executionem michi retineo & reſervo. « Supraſcripta omnia vero & ſingula ordino, volo « & precipio ita ut ſupra ſcriptum eſt & non aliter « fieri & ſervari.*

Eodem anno quinque cruces proceſſionales & una quæ adhoratur in paraſceve & duæ de magno altari & imago beatæ *Mariæ* in capella dormitorii ab archiepiſcopo *Armanak* de *Hibernia* iiij. nonas Maii fuerunt inunctæ & ſacratæ. Et coquina abbatis & ciſterna in curia lapidea factæ fuerunt.

1324. Anno Domini M. CCC. xxiiij. Habita ſic tabula argentea, fiebat reparatio magni altaris cum imaginibus *Petri* videlicet & *Pauli* & aliorum deſuper conſtructis.

1325. Anno ſequenti primo die menſis *Martii* dedicatum fuit magnum altare hujus loci a domino epiſcopo *Hungariæ Petro* in honore apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſanctique *Auguſtini*. Et poſtea idem *Pe-*

Edw. III. Rex. *trus Carbonienſis* epiſcopus dedicavit illud in honore ſanctæ Trinitatis & ſancti *Auguſtini* ſociorumque ejus. Item dedicavit altare ſancti *Johannis* Baptiſtæ in honore——————————— Item altare ſanctæ *Katerinæ* in honore ejuſdem virginis ſanctorumque martirum *Stephani* et *Laurencii*. Item altare beatæ *Mariæ* in cryptis in honore ejuſdem virginis et ſanctorum *Michaelis, Gabraelis, Raphaelis*. Item altare ſancti *Thomæ* in honore ejuſdem et ſanctorum martyrum *Blaſii, Coſmæ* & *Damiani*. Item dedicavit altare beatæ *Mariæ* in infirmaria.

Et iſta fecit per commiſſionem generalem tanquam vicarius archiepiſcopi *Walteri*. Altaria ſanctorum *Adriani* & *Mildredæ* non dedicavit, quia altare ſancti *Adriani* in honore ſanctorum martyrum *Stephani, Laurencii* et *Vincencii*, et altare ſanctæ *Mildredæ* in honore ſanctorum *Innocentium* per prius extiterant dedicata.

Eodem anno fuit quædam collecta à toto conventu conceſſa ad novum capitulum conſtruendum, videlicet de compoto et C. de vino miſericordiarum, de cera et ſpeciebus, de cuſtodibus, de ſacriſtia elemoſinaria et anniverſariis. Et duravit hæc collecta ad opus ſupradictum per viij. annos et amplius; et ſumma collectæ pro expenſis per fratres *Radulphum Gatewich* et *I. Maſonn* factæ CC.lxxvij.li.iv.s.viij.d.

An. Dñi 1326. Anno Domini M.CCC.xxvj. idus Januarii electus eſt rex *Edwardus de Wyndeſore* patre adhuc ſuperſtite, et die converſionis ſancti *Pauli* proximo ſequente apud *Weſtmonaſterium* coronatus eſt.

1327. Anno ſequenti obiit *Walterus* archiepiſcopus apud **Mortelake** die ſancti *Edmundi* archiepiſcopi, & die ſanctæ *Luciæ* virginis magiſter *Simon Mepeham* in theologia Doctor electus eſt, et anno ſequenti nonas Junii in curia *Romana Avinione* confirmatus eſt & conſecratus.

Cap. XXXV.

§. 1. *Proceſſus verſus* Simonem Mepeham *archiepiſcopum*.

1329. ANno Domini M.CCC.xxix. idem archiepiſcopus *Simon* viſitationis officium in civitate & dioceſi *Cantuaria* exercens, iſtud monaſterium graviter moleſtavit et multipliciter perturbavit; unde abbatem et conventum, quod coram ipſo et cauſarum ſuæ curiæ Auditoribus in judicio comparerent, ad loca incerta demandavit et fecit evocari, Privilegia, jura & munimenta, apropriationes eccleſiarum noſtrarum concernentia oſtenſuros et peremptorie probaturos, videlicet ſuper eccleſiis S. *Pauli Cantuariæ*, **Sturreye**, **Favirſham**, **Preſtone**, **Middelton**, **Menſtre** cum capellis **Lenham**, **Tenterdene**, **Kenytone**, **Nordborn** cum capellis et **Chiſtelet**; necnon ſuper quibuſdam articulis incognitis penitus & incertis, per citationem quæ talis eſt.

SYMON *permiſſione &c. Dilecto filio officiali archidiaconi noſtri* Cantuariæ *ſalutem, gratiam & benedictionem. Cum nuper noſtras civitatem & dioceſim actualiter viſitantes comperimus religioſos viros abbatem & conventum S.* Auguſtini *quamplures eccleſias parochiales, videlicet eccleſiam S.* Pauli Cantuariæ (*ut ſupra*) *quas ſe in proprios uſus habere prætendunt occupare ac eciam detinere, necnon infra alienas parochias certas porciones & decimas percipere contra juris communis tenorem. Et licet religioſi prædicti tam ex citatione noſtra quam ex præfixione auctoritate noſtra canonice ſibi factis ad proponendum, exhibendum & probandum coram nobis jus ſi quod eis competeret ſuper detentione, occupatione & perceptione eccleſiarum & decimarum prædictarum, nec non ad reſpondendum quibuſdam in dicta noſtra viſitatione contra eoſdem compertis, optinuiſſent quamplures terminos competenter & peremptorie aſſignatos: Ipſi tamen religioſi eiſdem terminis juxta citationem & præfixionem hujuſmodi quicquam ſuper apropriatione, detentione & occupatione dictarum eccleſiarum & decimarum in aliquo terminorum ipſorum proponere, exhibere ſeu probare minime curarunt; unde licet contra eoſdem abſque juris offenſa in pœna contumaciæ eorundem in hac parte canonice potuiſſemus graviter proceſſiſſe, Volentes tamen ſuper jure quod eis prætendunt competere in hac parte prout ex officii noſtri debito nos aſtringi conſpicimus, effici certiores, Tibi in virtute obedientiæ & ſub pœna majoris excommunicationis ſententiæ quam canonica monitione præmiſſa ſi in executione hujuſmodi mandati noſtri negligens fueris in te proferimus in hiis ſcriptis, firmiter injungendo mandamus, quatinus cites vel citari facias peremptorie abbatem, priorem, ſubpriorem, necnon certas majores perſonas dicti monaſterii perſonaliter, ſi valeant inveniri, ſin autem, ipſorum abbatis & conventus procuratorem, ſi quem dimiſerunt; alioquin publica citationis edicto in ſingulis eccleſiis ſupradictis publice propoſito, ipſos abbatem & conventum citari volumus & mandamus quod compareant coram nobis ſeu curiæ noſtræ cauſarum Auditoribus proximo die juridico poſt feſtum ſancti* Edwardi *Regis ubicumque in civitate, dioceſi vel provincia* Cant. *tunc fuerimus, jus ſi quod habent ſuper detentione & occupatione eccleſiarum, necnon perceptione decimarum prædictarum pro termino peremptorio exhibituri & oſtenſuri, necnon ſuper dictis compertis reſponſuri, ulteriuſque facturi & recepturi in præmiſſis et eis contingentibus quod eſt juſtum & æquum rationi.*

Simon M. Archiep.

Et ſtatim poſt hæc prædictos abbatem & conventum pro eo quod in viſitatione ſua vel judicio non comparuerunt prout nec debuerunt, pronunciavit contumaces & pro hujuſmodi contumacia pœnam eis infligendam reſervavit ſibi per decretum; unde & in manerio ſuo apud **Otteford** fratri *T. de Natindon* procuratori noſtro ita dixit, Volumus quod ſciatis quod pronunciavimus abbatem & conventum contumaces, pro eo quod in viſitatione noſtra ad noſtram citationem non comparuerunt; & pœnam pro hujuſmodi contumacia eiſdem infligendam nobis reſervavimus.

Hiis & aliis injuriis monachi *Auguſtini* cotidie vexati, vulnerati & in expenſis graviter indebilitati, ad ſedem apoſtolicam appellantes querimoniam depoſuerunt, inplorantes ut ſummus pontifex ſuper hujuſmodi injuriis remedium dignaretur apponere oportunum, & quod mandaret alicui certæ perſonæ cauſam litis & hujuſmodi ſententiæ audire, diffinire et juſto modo ſententialiter terminare. Unde idem pontifex apoſtolicus *Iohannes* videlicet xxij. volens dictas cauſas ad effectum mancipare, direxit bullam; cujus tenor formam continet infraſcriptam.

Edw. III. Rex.

« JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio magiſtro *Icherio* de *Concoreto* canonico *Sareſberienſi* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significatunt nobis dilecti filii abbas & conventus &c. quod licet monaſterium ipſum cum omnibus membris ſuis à tempore fundationis ipſius et à tempore & per tempus cujus principii memoria hominum non exiſtat, fuerit et ſit exemptum per ſpecialia privilegia ſedis apoſtolicæ à quacumque juriſdictione et poteſtate cujuſlibet Ordinarii, et præſertim per privilegium ſuper exempcione hujuſmodi per felicis recordationis *Bonifacium* papam viij. prædeceſſorem noſtrum eis conceſſum pro ſe et omnibus ſuis membris, eccleſiis, capellis atque locis & perſonis quibuſlibet ſubjectis ſibi ubilibet conſtitutis; Tamen venerabilis frater noſter *Simon Cantuarienſis* archiepiſcopus qui nunc eſt, dictorum privilegiorum et exempcionis hujuſmodi plenam et ſufficientem noticiam habens ſeu valens habere, prædictos abbatem et conventum ſuper dictis eccleſiis, bonis, juribus et perſonis monaſterii memorati et aliis, ſuper quibus ſunt dictæ exemptionis privilegio communiti, tam in civitate et dioceſi *Cantuaria* quam extra & contra exempcionem & privilegia ſupradicta moleſtavit & multipliciter perturbavit, & adhuc moleſtat, vexat & perturbat, eoſdem aliaſque perſonas eis ſubjectas citando, citationeſque vagas & incertas ad loca ubicumque fuerit in ſua provincia faciendo, monendo, viſitando, mandando quantum in eo eſt, & proceſſus alios per ſe & alios faciendo. Subtrahendo eciam advocatos & tabelliones eiſdem aſſiſtere alias volentes pro defencione exempcionis & libertatum prædictarum. Propter quæ ſeu aliqua ex prædictis fuit & eſt ex parte dictorum abbatis & conventus eciam ſæpius ad eandem ſedem apoſtolicam appellatum, quodque idem archiepiſcopus appellationibus hujuſmodi deferre non curat, ſed eoſdem abbatem & conventum ac ſubditos & parochianos ſuos eis in præſenti ut præmittitur adhærentes, contra privilegia, exempcionem & appellationes prædicta in eorum magnum præjudicium gravare non ceſſat. Quare nobis idem abbas & conventus humiliter ſupplicarunt ut providere eis ſuper præmiſſis de oportuno remedio paterna dilectione curaremus. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vocatis qui fuerunt evocandi, omnes & ſingulos cauſam vel cauſas appellationis ſeu appellationum hujuſmodi pro parte ipſorum abbatis & conventus & ſubditorum ſuorum parochianorumque eccleſiarum ſuarum ſibi adhærentium ad ſedem interjectas eandem, à gravaminibus & injurioſis proceſſibus factis & illatis per præfatum archiepiſcopum & alios ſuo nomine in ipſorum abbatis & conventus ſubditorumque parochianorum ac libertatum & exempcionis dicti monaſterii & membrorum ejus præjudicium ut præfertur; Necnon cauſam ſeu cauſas nullitatis dictorum proceſſuum & negocii principalis, cum omnibus dependentibus & emergentibus ab eiſdem quæ inter ipſos & archiepiſcopum feruntur, ſimpliciter & de plano ac ſine ſtrepitu & figura judicii auctoritate prædicta ſimul vel ſeparatim audias. Inhibens nichilominus auctoritate prædicta eidem archiepiſcopo prout fuerit rationis, ne ſuper præmiſſis interim in eorum abbatis & conventus ac juriſdictionis tuæ præjudicium aliquid per ſe vel alium ſeu alios indebite attemptare ſeu innovare præſumat, Ac cauſas prædictas omnes & ſingulas ſimul vel ſeparatim appellatione remota debito fine decidas, faciens quæ decreveris auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari, non obſtante dicti *B.* prædeceſſoris noſtri qua cavetur ne judices à ſede apoſtolica deputati extra civitatem & dioceſim in quibus deputati fuerunt procedere, ac alii ſeu aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam diætam à fine ſuæ dioceſis ad judicium evocare præſumant; dummodo ultra duas diætas aliquis auctoritate præſentium non trahatur; quam aliis quibuſcumque Conſtitutionibus à prædeceſſoribus noſtris *Romanis* pontificibus editis, quæ tuæ poſſent in hac parte juriſdictioni aut poteſtati ejuſdem libero exercitio quomodolibet obviare; ſeu ſi prædicto archiepiſcopo vel quibuſlibet aliis conjunctim vel diviſim à ſede apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici vel extra ſeu ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo in verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter inſertam tuæ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet inpediri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mencio ſpecialis.

Simon M. Archiep.

Et fuerunt iſtæ literæ apoſtolicæ eidem domino *Icherio* pro parte abbatis & conventus et ſubditorum ſuorum in vigilia ſancti *Michaelis* anno ſupradicto exhibitæ & præſentatæ. Quibus ſic præſentatis fuit idem judex cum inſtantia requiſitus ut in hujuſmodi negotio procederet, & dictum archiepiſcopum pro prætactis cauſis citaret proceſſurum. Et tunc dictus judex mandatis apoſtolicis obediens fecit eum citari per dominum *Aymericum* Rectorem eccleſiæ ſancti *Juliani Londoniæ*.

Pars vero archiepiſcopi fictitie propoſuit recuſare, enervare et declinare ſi qua via poſſet juriſdictionem dicti Judicis, talem materiam prætendens ſuſpectivam, videlicet quod idem *Icherius* eſſet annualis penſionarius pro noſtris negotiis et auxiliis inpendendis et conſiliarius ſpecialis nimiſque propicius & favens. Dixerunt eciam per ipſum, quod idem *Icherius* publice comminatus fuit quod archiepiſcopus ſub pœna capitis ſui ſuccumberet. Item quod ad locum privatum minus inſignem & ad quem eidem archiepiſcopo, niſi per loca inhoneſta, indecentia et turpia nullus patebat ingreſſus ſeu acceſſus, et per quem ipſum archiepiſcopum attenta ipſius dignitatis excellentia non deceret tranſire, ad judicium fecit evocari. Hæc & alia mentientes ſimulavit eum dixiſſe, propter quæ ad alios arbitros conſulto papa idem archiepiſcopus nititur convolare. Cujus rei cauſa iterum mittitur procurator abbatis ad curiam *Romanam* dominum papam informans ſub tali tenore.

Edw. III. Rex.

«SIGNIFICAT & exponit ſanctitati veſtræ procurator religioſorum prædictorum, quod idem archiepiſcopus in contemptum ſanctitatis veſtræ & ſedis apoſtolicæ inbullavit dominum *Icherium* prædictum coram rege, comitibus, baronibus & prælatis, in pleno parliamento, cujus bullæ ſumma eſt. Archiepiſcopus *Cantuarienſis* conqueritur de magiſtro *Icherio de Concoreto* qui ſe prætendit nuncium domini papæ in *Anglia*, quod in contemptum regis, comitum, & prælatorum *Anglia* citavit ipſum in parliamento exiſtentem, quod compareret perſonaliter coram ipſo reſponſurus ſuper quibuſdam articulis ad coronam regiam & non ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus; unde petit idem archiepiſcopus prædictum *Icherium* tanquam reum læſæ majeſtatis regiæ puniri, & ne de cætero contra archiepiſcopum procederet per literas regias ſibi prohiberi. Unde pater ſanctiſſime ſtatim per aliquos nobiles de regno ad hoc per ipſum archiepiſcopum concitatos acclamatum fuit ipſum *Icherium* debere à regno proſcribi; ſet tanto clamore per dominos *Wyntonienſem*, *Wygornenſem* & alios epiſcopos ſedato, maturiori conſilio deliberatum fuit, ut ipſe *Icherius* ad diem ſequentem vocaretur ſuper ſibi per archiepiſcopum obiciendis reſponſurus. Quo in craſtino comparente, *Icherius* reſpondit quod non citavit archiepiſcopum in parliamento nec fecit citari, ſet in dioceſi *Ciceſtrenſi*, & ſuper hoc protulit certificatorium epiſcopi *Ciceſtria* qui eundem archiepiſcopum de ſuo mandato citaverat. Nec fecit eum citari ſuper articulis ad coronam règiam ſpectantibus, ſet ſuper juramento fidelitatis violato quod veſtræ ſanctitati præſtiterat, multaſque alias cauſas citationis legitimas ibidem adiciendo: unde dixit, quod rex non potuit nec debuit ſibi prohibere quin contra archiepiſcopum ſuper illis procederet, eo quod rex non fuit conditor canonum neque corrector. Hæc omnia idem archiepiſcopus ſibi male conſcius in contemptum ſanctitatis veſtræ committere non expavit in gravem injuriam & præjudicium monaſterii veſtri, quæ quidem ſunt in partibus multum notoria, & de prædictis idem archiepiſcopus publice diffamatus. Item pater quod dicit quod in loco inhoneſto non tuto: Salva ſanctitate veſtra non eſt verum, nam in civitate *Londoniæ* quæ eſt civitas inſignis, & in qua idem archiepiſcopus tenet curiam ſuam metropoliticam, & hoſpitium ejuſdem domini *Icherii* quaſi in medio ejuſdem civitatis & unum de honorabilibus & majoribus hoſpiciis civitatis prædictæ. Item de ſuſpectione allegavit, quod falſum eſt, nam abſit quod ille exiſtens apoſtolicæ ſedis ſervus eſſet clericus vel penſionarius alicujus. Immo omnia ſupradicta fruſtratorie ſunt propoſita ad inpediendum proceſſum. Quare ſupplicat procurator prædictus, quatinus dignemini dicto abbati & conventui de oportuno remedio providere, & prædictum archiepiſcopum & alios in prædictis culpabiles taliter corrigere & punire quod ſit cæteris in exemplum.

Unde idem papa talibus querelationibus intellectis & animo ponderatis, & de ſubterfugiis & delationibus archiepiſcopi per procuratores domini *Icherii* & abbatis ſufficienter informatus, eidem *Icherio* prædictam cauſam juſſit executioni demandare.

Simon M. Archiep.

Igitur dictus Judex conſiderans quod appellationibus frivolis, falſis, fictis, abuſoriis nec juſticia deferat nec ſit à Judice deferendum, præſertim ubi Judici manifeſte apparet quod ex malicia proponuntur, & procuratori archiepiſcopi tunc præſenti ſignificavit, quod voluntatis eſt ſummi pontificis & eciam ſuæ intentionis, in eadem cauſa finaliter procedere, & ipſum archiepiſcopum uſque ad deciſionem ejuſdem per citationes ad judicium evocare, inhibendo eidem archiepiſcopo ne appellationibus & ſuis frivolis objectionibus quicquam per ſe vel alium ſeu alios attemtari faciat in præjudicium juriſdictionis ſuæ & hujuſmodi cauſæ cognitionis. Quam inhibitionem dixit in hunc modum:

«NOS auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa inhibemus domino *Cantuarienſi* archiepiſcopo, officialibus ac commiſſariis ſuis, ac eciam abbati & conventui, ne aliquid in præjudicium juriſdictionis noſtræ in cauſa hujuſmodi per ſe vel alium ſeu alios faciant vel attemptent, nec nos in cognitione cauſæ hujuſmodi vel proceſſibus ejuſdem inpediant ſeu perturbent quoviſmodo.

§. 2. *Tormentum de* **Sclyndone**.

An. Dñi 1330.

ANno Domini M. CCC. xxx. die S. *Benedicti* frater *Thomas de Natindon* procurator abbatis & conventus, dominus *Aymericus de Rogeſio* rector eccleſiæ ſancti *Juliani Sarlatenſis* dioceſis, *Thomas Mancel* notarius publicus, & alii præcepto Judicis antedicti acceſſerunt ad manerium archiepiſcopi de **Slyndon** *Ciceſtrevſis* dioceſis ad citandum ibidem archiepiſcopum ad certos actus ad procedendum coram prædicto judice. Qui quidem frater *Thomas* & *Aymericus* dixerunt, quod cum vellent exequi mandatum apoſtolicum eis injunctum in aula dicti manerii fere l. homines de familia dicti archiepiſcopi in eos cum gladiis & fuſtibus irruerunt; & ipſum *Aymericum* verberaverunt graviter, & letaliter in diverſis locis ſui corporis vulneraverunt, & iſtis malis non contenti, ipſum ceperunt & nudum ſpoliaverunt, & ſic nudum in compedibus pedibus ligatum & manibus retro atrociter diſtrictis carceri manciparunt, & nudum cum quadam corda per pectus præcinxerunt, & cum uno baculo cordam qua ipſum præcinxerant tam graviter extorſerunt in tantum quod exalare ſpiritum omnimodo ſperabatur, feceruntque caput ſuum radere ne presbyter videretur; & adhuc præmiſſis tormentis non contenti ſuper ipſum nudum ad terram nudam ſic ut præmittitur incarceratum fere vj. galones aquæ frigidæ infuſerunt, ipſumque in tormentis hujuſmodi per unam noctem & amplius tenuerunt, & præmiſſis non contenti magiſtri *Thomæ Mancel* notarii publici dextrum brachium in duobus locis fregerunt, & in diverſis locis ſui corporis eum graviſſime vulneraverunt. Dictuſque frater *Thomas Natindon* videns ſibi mortis iminere periculum equeſter timidus profugit ab eis. Malifici vero cum utheſio & cornubus uſque ad quoddam manerium domini *Henrici de Percy* **Pettewarth** nomine eum equeſtrem & voce clamoſa proſequentes eum per triduum in carcere detinuerunt, tandem illius libertatis præſidio adjutus manus eorum evaſit in nomine Domini. Et eodem anno in craſtino inventionis ſanctæ Crucis fuit hoc factum apud **Slyndon** coram domino Papa & Cardinalibus publice in Conſiſtorio propoſitum per magiſtrum *Blaſium* advocatum noſtrum ſatis eleganter

Edw. III. Rex.

ganter & plane. Quibus auditis, dominus Papa in iram converſus agitando caput ſuum dixit, Nos aſtringimur ſtare unicuique æqua lance ad juſtitiam; Iccirco quia factum eſt tam notorium in illis partibus de hujuſmodi commiſſis purgatio ſibi denegari non debet, quam purgationem ſi conſequi non valuerit, condigna pœna pro ſuis demeritis in caput ſuum juſtum eſt redundare.

Juramentum archiepiſcopi de excuſatione ſceleris.

SYMON *permiſſione divina* Cantuarienſis *archiepiſcopus totius* Angliæ *primas. Nunciato nobis per Cancellarium noſtrum quod dudum ſcilicet* xij. *kal. Aprilis quidam frater* Thomas de Natyndon *cum quibuſdam ſuis complicibus quorum nomina ignoramus, armis tam defenſivis quam aggreſſivis munitis, manerium noſtrum de* **Slyndon** *contra voluntatem & prohibitionem Janitoris noſtri ingrederetur, &, nobis exiſtentibus in camera noſtra gravi infirmitate detentis, diceret ſe velle modis omnibus nobis alloqui, & dicto ſibi reſponſo quod loquendi nobiſcum propter infirmitatem noſtram acceſſus ad nos patere ſibi non potuit ea vice, & propter hoc dicto monacho turbato & tam ipſo quam complicibus ſuis ac quibuſdam aliis familiaribus noſtris in verbis contumelioſis prorumpentibus hinc & inde, tandem duo ex complicibus memoratis, extra portam dicti manerii vulnerati extiterant & eciam areſtati, præfatuſque monachus ad ſectam & uthesium quorundam quos ſimiliter ignoramus apud* **Pettesworthe** *in libertate domini* Henrici de Percy *captus extitit & areſtatus, Juramus ad hæc ſancti Dei evangelia per nos corporaliter tacta & viſa, quod hæc facta vel eorum aliquod nullatenus approbamus nec rata vel ratum habemus, immo ea & eorum quodlibet penitus deteſtamur: Sic Deus nos adjuvet & hæc ſancti Dei evangelia.*

Item idem archiepiſcopus omnes culpabiles ejuſdem facti à domo ſua & à familia amovit nullatenus ad eum reverſuros. Hoc autem fecit ut hoc ſcelus poſſet penes dominum *Icherium* innocenter tranſire ad reformandam bonam famam per iſtum exceſſum in curia *Romana* & in *Anglia* denigratam.

Teſtes producti pro parte Archiepiſcopi.

Procurator ſuus intendit probare famam publicam fuiſſe & eſſe in civitate & dioceſibus *Cantuarienſi, Londonenſi, Ciceſtrenſi, Lincolnienſi, Eboracenſi*, & in tota provincia *Cantuarienſi* in regno *Angliæ* & in curia *Romana* quod dictus archiepiſcopus à x. xx. & xxx. annis, & citra, & ultra, & eſt homo honeſtæ converſationis & bene morigeratus, modeſtus atque manſuetus, humilis & benivolus, & pro tali, & per tanta tempora fuit habitus & reputatus, & in toto regno *Anglia* reputatur. Et ad idem probandum Epiſcopi *Londonienſis, Lincolnienſis, Wygornenſis, Carleſliolenſis, Nordwicenſis; Ciceſtrenſis, Sareſberienſis*, & *Elienſis*, quilibet per ſe ſcribunt in hunc modum:

UNIVERSIS præſentes literas inſpecturis vel eciam audituris Stephanus *permiſſione divina* Londonienſis *epiſcopus ſalutem. Odor ſuaviſſimus bonæ famæ qua venerabilis pater dominus* Simon *Dei gratia* Cantuarienſis *archiepiſcopus exigentibus ſuæ probitatis meritis extollitur & laudatur* Anglicanam *regionem perfundit, ipſum namque dominum* Simonem *innocentia vitæ, ſcientia, puritate conſcientiæ fulgentem univerſaque morum honeſtate præclarum nimirum narrat & prædicat vox communis, ut qui tanti decoris nitor eo clarius eluceſcat quo in communiorem deductus fuerit notionem; oraque loquentium iniqua à ſuis exinde detractionibus conticeſcant.*

Simon M. Archiep.

Inſuper producti fuerunt in teſtimonium ad reſtituendum eum in bonam famam & quod non præſtitit auxilium nec conſilium nec favorem in hujuſmodi exceſſu apud **Slyndon** perpetrato, tam in dignitatibus conſtituti quam fratres & laici ſeculares numero xxxij. & hii omnes propter potentiam & indignationem archiepiſcopi aliter dicere non audentes vinculo perjurii ſcienter vel neſcienter ſe innodarunt.

Teſtes producti pro parte Abbatis.

Atteſtationes teſtium productorum ex parte abbatis per reverendum in Chriſto patrem dominum *Armandum* archiepiſcopum *Aquinenſem* contra archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſuper infamia exorta contra ipſum occaſione eorundem exceſſuum, pro quibus idem archiepiſcopus *Aquinenſis* fuit à domino Papa commiſſionatus, & cum idem archiepiſcopus *Aquenenſis* in hujuſmodi negotio plene fuiſſet inſtructus ſic ſcripſit Papæ.

Sanctiſſime pater ſicut in Conſiſtorio fuerat propoſitum pro parte Abbatis & conventus S. Auguſtini *& eciam tanquam res notoria ad aures ſanctitatis veſtræ devenit, quod archiepiſcopus* Cantuarienſis *tam enormiter exceſſit, vel officiales & familiares ſui, ipſo ſaltem audiente & forſan vidente, ſciente, audiente, vel ſcire valente & non prohibente, licet prohibere de facili & ſolo verbo potuiſſet, non ſine magno ſanctitatis veſtræ & apoſtolicæ ſedis contemptu, & in magnum præjudicium & jacturam abbatis ſupradicti ſanctitati veſtræ immediate ſubjecti &c. Igitur producti fuerunt teſtes in atteſtatione Abbatis xxiv. & ſi iſta cauſa in* Anglia *potuiſſet terminaſſe, de facili archiepiſcopi numerum triplicaſſent. Et hi omnes ſigillatim adjurati & diligenter examinati ſuper infamia prætacta dixerunt, quod idem archiepiſcopus de ipſis exceſſibus in partibus illis eſt publice & notorie diffamatus. Et dixerunt, quod eſt publica vox & notorium, quod idem archiepiſcopus prædictos exceſſus fieri mandaret, & tempore quo prædicti exceſſus commiſſi fuerunt ſciret & audiret eos committi, & prohibere poſſet ſi vellet, & hoc de facili; & quod juxta cameram in qua tunc erat idem archiepiſcopus dicti exceſſus fuerant commiſſi, & ſuper hoc eſt notorie diffamatus à clericis & laicis quaſi in toto regno* Angliæ. *Dixerunt eciam, quod cum quidam frater* Thomas Natindon *procurator abbatis ſupradicti legeret ſcriptum citacionis in aula dicti manerii, quidam ſcutifer venit ad eum & dixit, Domine* Thoma *quid facitis? & reſpondit. Facio quæ incumbunt pro jure eccleſiaſtico. Et ſcutifer reſpondit. Et ego timeo quod tu morieris. Et monachus reſpondit, Licet moriar ego proſequar jura eccleſiæ noſtræ. Dixerunt eciam quod ipſe mandavit exceſſus committi eoſdem, pro eo quod cum alii epiſcopi denunciarunt de die in diem hujuſmodi malefactores eſſe excommunicatos, ipſe nunquam voluit eos vel aliquem illorum denunciare.*

Igitur habita circa præmiſſa atteſtatione hujuſmodi, & ea ut decuit in medium producta & in forma juris ſufficienter examinata & ponderata, idem dominus *Aquenenſis* Judex in hac parte per apoſtolicum deputatus, propter ſua perpetrata ipſum *Cantuarienſem* archiepiſcopum excommunicavit, & taliter innodatum mandari denunciavit.

Dum vero iſta negocia agebantur ſic in curia *Romana*; *Icherius* Judex in *Anglia* contra eundem archiepiſcopum continuos fecit proceſſus, unde tranſmiſit archiepiſcopo poſitiones de omnibus injuriis abbati & conventui ſancti *Auguſtini* per ipſum temporibus diverſis injuſte illatis, præcipiens ſub pœna juris reſpondere ad univerſa, & eciam obicere ſi poſſet, per unum notarium & miniſtrum; Qui miniſter illas optulit & eidem dixit. » Pater reverende dominus *Icherius* Judex veſter competens « per ſedem apoſtolicam deputatus paternitati veſtræ tranſmiſit iſtud mandatum, & vos interrogat « ſuper contentis in eodem & monet vos & jubet ſub « pœna juris quod vos reſpondeatis eiſdem. Et ille reſpondit, « In nomine domini. Tunc denunciatum fuit ſibi, quod ſtatim rediret ad recipiendum reſponſionem. Tunc archiepiſcopus dixit. Ponimus verba noſtra in ore iſtius officialis noſtri, qui ait, « Dominus meus archiepiſcopus in iſta cauſa non « conſentit in dictum dominum *Icherium* tanquam « in Judicem ſuum pro eo quod ab ipſo appellavit, « & ideo non tenetur reſpondere hiis poſitionibus « ſibi oblatis, ſet ab gravamine ſi neceſſe ſit infra » tempus juris debet appellare. Cujus reſponſione accepta, idem dominus *Icherius* mandavit citari archiepiſcopum in hunc modum :

Reverendis in Chriſto patribus dominis Dei gratia Epiſcopo Ciceſtriæ *& Abbati de* **Waltham** *ac religioſo viro Priori de* Lewes Londonienſis *&* Ciceſtrenſis *dioceſis*, *Rectori eccleſiæ ſancti* Juliani Carlatenſis *dioceſis*, Icherius *de* Concoreto *canonicus* Saresberienſis *domini noſtri Papæ & apoſtolicæ ſedis in* Anglia, Scocia, Wallia, *&* Hibernia *nuncius ac Judex unicus in omnibus & ſingulis cauſis appellationum pro parte religioſorum virorum ſancti* Auguſtini *ſubditorum parochianorumque eccleſiarum ſuarum ſibi adhærentium ad ſedem apoſtolicam interjectarum contra reverendum patrem &c. Auctoritate apoſtolica qua fungimur in hac parte, vos dominum epiſcopum cum reverentia qua decet requirimus & monemus ſub obedientia qua ſedi apoſtolicæ tenemini nichilominus injungentes, ac vobis abbati &c. & veſtrum quemlibet ſub pœna excommunicationis quam in vos & veſtrum quemlibet canonica monitione præmiſſa exnunc pro tunc extunc pro nunc ferimus in hiis ſcriptis niſi feceritis quod mandamus, diſtricte præcipimus & mandamus, quatinus vos vel duo aut unus veſtrum qui primo fuerit requiſitus vel requiſiti ita quod alter alterum non expectet nec alter pro altero ſe excuſet, ſet qui primo fuerit requiſitus hujuſmodi mandatum noſtrum ſecundum ejus continentiam viriliter exequatur vel exequantur indilate. Receptis præſentibus ad dictum dominum archiepiſcopum ſi ad eum vobis tutus videatur acceſſus, accedatis, ſin autem, publice in ejus eccleſia* Cantuariæ *vel curia auctoritate noſtra citetis legitime quod compareat &c. Intimantes eidem, quod ſive venerit ſive non, in dictis cauſis & negociis procedemus prout juris fuerit, ejus abſentia vel contumacia in aliquo non obſtante.*

Anno ſupradicto comparuit pars religioſorum, & accuſavit contumaciam ejus, & petiit ipſum contumacem pronunciari. Peciit eciam, attemptata per ipſum archiepiſcopum irritari ſeu irrita eſſe & fuiſſe pronunciari. Peciit eciam quod monitiones & vocationes & alia mandata Judicis eidem archiepiſcopo dirigenda dirigantur ad eccleſiam ſuam metropoliticam ibidem exequenda, præſertim cum pars ipſa propter metum mortis qui cadit in conſtantem virum, ad dictum patrem pro executione facienda accedere non audeat. Petiit eciam ipſos à ſentencia excommunicationis per ipſum in ipſos lata poſt appellationem & contumaciam ad cautelam abſolvi. Et quia iſta petitio religioſorum notam ſapuit veritatis, dictus Judex per ſuos actus ſequentes auctoritate ſuæ Juriſdictionis legitime approbavit. Anno igitur ſupradicto comparuit in Judicio *Londoniæ* in hoſpicio habitationis ſuæ frater *Stephanus de Hakendon*; & contumaciam dicti Archiepiſcopi quia ad nullam citationem comparuit nec aliquis pro eodem accuſavit, petens eum contumacem reputari, & petiit eum in cauſa concludi & haberi pro concluſo, & eidem archiepiſcopo diem aſſignari ad diffinitivam ſententiam audiendam. Et tunc dictus Judex poſt multas citationes tamen reputavit eum contumacem, & in hac cauſa eum concludit & habuit pro concluſo, & certum diem aſſignavit ad audiendam ſententiam diffinitivam. Iterum fecit eum ad maliciam ſuam convincendam per decanum *Cantuariæ* citari ad diffinitivam ſententiam audiendam, & quare ipſum in dampnis & expenſis legitimis prædictis Religioſis non debeat merito condempnari. Et cum non compareret nec aliquis pro eodem, dictus Judex reputavit eum contumacem & in ejus contumacia concluſit & clauſit cum dicto fratre *Stephano de H.* procuratore concludente & claudente & pro concluſo & clauſo decrevit eum haberi. Et ſedens pro tribunali ad jura reddenda, dictam diffinitivam ſententiam in cauſa hujuſmodi in ſcriptis protulit in hunc modum :

Sententia.

« In Dei nomine Amen. Univerſis præſentes literas &c. *Icherius de Conkereto* &c. Dudum ſanctiſſimus pater dominus *Johannes* divina providentia « papa xxij. &c. ſignificarunt nobis dilecti filii abbas & conventus ſancti *Auguſtini Cantuariæ* & « infra. Nos eundem dominum *Simonem Cantuarienſem* archiepiſcopum reputamus juſtitia exigente contumacem, & in ejus contumacia Dei & « domini noſtri *Jheſu Chriſti* nomine invocato ejuſque ſacroſanctis evangeliis poſitis coram nobis, « ut de vultu Dei noſtrum prodeat Judicium & « oculi noſtri videant æquitatem, & ut dicti archiepiſcopi contumacia Dei præſentia inpleatur, « habito ſuper hoc conſilio peritorum, nobiſcum « eciam plena deliberatione omnibus diſcuſſis, propoſitis, productis & probatis, diffinitivam ſententiam in cauſis & negociis hujuſmodi in hiis ſcriptis « proferimus, & in modum qui ſequitur & formam. « In primis quoniam conſtat nobis per inſpectionem « privilegiorum felicis recordationis *Romanorum* « pontificum, & ſpecialiter *Bonifacii* papæ viij. eiſdem Religioſis &. eorum monaſterio conceſſorum « evidenter, dictos Religioſos cum omnibus membris ſuis, juribus & pertinentiis & perſonis ubicumque conſtitutis fore liberos & exemptos ab

« omni dominio & poteſtate archiepiſcopi *Cantuarienſis* & quorumcumque Judicum ordinariorum, & ſoli *Romano* pontifici ſubjectos, ita quod nec idem archiepiſcopus jure metropolitico ſeu dioceſano aut legationis vel tuitionis prætextu quas in *Cantuarienſi* provincia habere ſe aſſerit, in prædictum monaſterium aut membra vel bona ad ipſos ſpectantia & quæ in poſterum ſpectarent, & in perſonas eis ſubjectas utpote libera & exempta & præfatæ ſanctæ ſedi inmediate ſubjecta, poſſet nullatenus juriſdictionem aliqualem exercere, & quod per depoſitiones teſtium in cauſa hujuſmodi productorum probatum extitit evidenter, & dicti religioſi & prædeceſſores ſui in poſſeſſione exemptionis ſunt & fuerunt pacifice & quiete, ſcientibus & patientibus archiepiſcopis *Cantuarienſibus* per tempus & per tempora; Probatumq; eſt eciam, quod venerabilis pater dominus *Simon Cantuarienſis* archiepiſcopus plenam habuit noticiam exemptionis & privilegiorum loco & tempore competenti; unde deliberatione diligenti nobiſcum habita, dictos religioſos & eorum monaſterium, cum omnibus eccleſiis & membris ſuis & perſonis ſibi ſubjectis, in jure & poſſeſſione libertatis & exempcionis hujuſmodi, in hiis ſcriptis auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa ſentencialiter & diffinitive pronunciamus tanquam ſufficienter munitos, fore tuendos & defendendos, & ab inquietatione dicti Archiepiſcopi ſuper præmiſſis ipſos abſolvimus, & eoſdem bene & legitime provocaſſe, archiepiſcopum vero male & inique proceſſiſſe, dictoque archiepiſcopo ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponentes. Omnes vero proceſſus erga dictos Religioſos & eorum ſubditos factos & habitos per dictum archiepiſcopum, officiales ſeu commiſſarios ſuos pronunciamus & declaramus ſentencialiter & diffinitive fore injurioſos & injuſtos, ſuaſque citationes vagas & incertas, ipſoſque proceſſus & excommunicationis ſententias ſi quæ occaſione ipſorum latæ fuerunt nullos & irritos, & quatenus de facto proceſſerunt caſſamus, annullamus & irritamus, dictoſque Religioſos pronunciamus & declaramus ſentencialiter & diffinitive à dictis injurioſis proceſſibus bene & legitime appellaſſe, & dictum archiepiſcopum & ſuos perperam & inique proceſſiſſe, dictumque archiepiſcopum in expenſis legitimis eiſdem Religioſis per hanc noſtram ſententiam diffinitivam condempnamus earum taxatione nobis in poſterum reſervata.

Die juridico ſequenti comparuit in Judicio procurator Abbatis dicens hac forma:

« Coram vobis domine Judex dicit pars Religioſorum, quod ipſi in dictis cauſis & negociis ac eciam propter ea & occaſione ipſorum graves expenſas & non modicas pro defenſione ipſorum contra eundem patrem neceſſarias fecerunt & appoſuerunt, in quibus dictus archiepiſcopus per vos extitit jam legitime condempnatus, quarum cognitio condempnationis & executio ad vos dinoſcitur pertinere, dictorumq; religioſorum intereſt vos ſuper hiis informare. Quare petit dicta pars quatinus informatione per vos ſuper hiis recepta, quam offert dicta pars tam per teſtes quam per alias probationes legitime ſe facturam, ſecundum informationem ipſam expenſas prædictas habita ratione temporis à quo & per quod controverſia ſuper prædictis mota extiterat per vos taxari, & juxta taxationem hujuſmodi juramento à parte ſuper hiis præſtito & recepto, condempnationem veſtram de expenſis hujuſmodi legitime factam executioni debitæ demandare & exequi cum effectu.

Igitur anno ſupradicto ſcilicet M. CCC. xxxiv. kal. Decembris idem Judex dedit in mandatis Priori ſancti *Gregorii Cantuaria.* quod citaret archiepiſcopum in ſua eccleſia *Cantuaria* ut proxima die poſt feſtum ſanctæ *Lucia* ſi feriata non fuerit ob honorem Dei, alioquin die proxima ſequente non feriata, compareret *Londonia* in hoſpicio habitationis ſuæ per ſe vel procuratorem idoneum, coram ipſo *Icherio* viſurum & auditurum taxationem expenſarum prædictarum. Intimando eidem, quod ſive venerit ſive non, ad dictam taxationem procederet ejus abſentia vel contumacia in aliquo non obſtante.

Examinatio teſtium ſubſcriptorum facta per Priorem ſancti Gregorii Cant. *dicti domini* Icherii *in hac parte commiſſarium per partem religioſorum productorum in eccleſia ſancti* Pauli Cantuariæ.

Receptio atteſtationum in condempnatione expenſarum.

Procurator religioſorum dicit & probare intendit, quod ipſi in dictis cauſis & negociis & occaſione ipſorum & propter ea à tempore & per tempus litis ſeu controverſiæ ſuper hiis motæ inter partes prædictas expenſas neceſſarias fecerunt, quæ ſecundum verum compotum ad M. CC.x.li. ſe extendunt & ultra, perhendinationibus clericorum minime computatis quas pars Religioſorum relinquit arbitrio judicantis.

Item *Galfridus Barown* clericus ætate xxxiv. annorum & amplius juratus, examinatus & requiſitus expoſito ſibi articulo ſupradicto quantum ſciat, credat vel æſtimet quod dicti Religioſi expendiderunt in lite, cauſis & negociis & ob ea motis contra archiepiſcopum ſupradictum, dicit, quod mille ducentas & x. li. Idem requiſitus per quod tempus tantam ſummam pecuniæ expendiderunt, dicit, quod menſe Marcii nunc proximo venturo erunt tres anni elapſi quod dicti religioſi per archiepiſcopum inquietati ad ſedem apoſtolicam appellarunt, & tunc primo incipiebant ſumptus apponere, & in hujuſmodi ſumptibus hucuſque perſeverarunt. Requiſitus in quibus perſonis & rebus tantum expendiderunt; Dicit, quod diverſis dominis & juris peritis tam in curia *Romana* quam in *Anglia*, procuratoribus, advocatis, conſiliariis, notoriis publicis, ſcriptoribus, promotoribus, & teſtibus in dictis cauſis & negociis productis, Nunciis quoque ad curiam *Romanam* euntibus & redeuntibus, illic ſtantibus & in aliis gentibus in dicta cauſa laborantibus, ac cibis & potibus, & in aliis victualibus neceſſariis dictam cauſam tangentibus. Requiſitus qualiter ſcit quod tanta pecunia in dicta cauſa ſit expenſa; dicit, quod vidit, audivit & perſonaliter interfuit & propria manu inde compotum ſcripſit ubi dicta pecunia in multis parvis ſummis ſimiliter & magnis per multas vices quaſi innumerabiles tam in auro quam in argento expenſa, hominum ſupradictorum ſtipendia, penſiones, ſalaria exiſtebant ſoluta, tradita & liberata. Et dicit ſimiliter quod ære alieno ob dictas cauſas adhuc multipliciter onerantur & gravantur, & ad multas penſiones & ſalaria tenentur penſionariis quos occaſione dictæ litis de novo nunc tenent pro eorum perpetuo, quos alias non tenerent. Et dicit quod ob dictam cauſam dominus *Johannes Mankael* doctor ſacræ paginæ monachus dicti monaſterii in curia *Romana* in proſecutione dictæ cauſæ laborans diem ſuum ibidem clauſit extremum ad magnum dicti monaſterii dampnum & ſumptus graviſſimos.

Frater *Ricardus de Cant.* theſaurarius ætate lxiij. annorum concordat cum *Galfrido* ſupradicto; hoc addito, quod de dicta tota ſumma ſterlingorum ipſe ſolvit de theſauraria propriis manibus DCC.li. & amplius occaſione ſupradicta.

Frater *Petrus de Wrotenham* monachus ætate xxxv. annorum & amplius concordat per omnia cum *Galfrido*, hoc addito, quod propriis manibus de dicta tota ſumma C. libras ſterlingorum liberavit.

Thomas Catour ætate xl. annorum & amplius juratus concordat cum *Galfrido*; hoc addito, quod per manus ſuas magnam ſummam pecuniæ prædictæ expendidit, & inde compotum ſcripſit & reddidit. Et in hujus rei veritatem fuerunt adhibiti multi alii teſtes in teſtimonium præmiſſorum. Atteſtatione iſtorum per dominum *Icherium* Judicem à Priore ſancti *Gregorii* ſic recepta; hujuſmodi expenſas ad mille CC. & x. libras taxavit per archiepiſcopum dictis Religioſis ſolvendas.

§. 3. *Proceſſus de* **Plumſted** *verſus* Simonem Mepeham *archiepiſcopum*.

ANnis & temporibus ſupradictis cum idem archiepiſcopus jure metropolitico viſitando eccleſiam de **Plumſted** *Roffenſis* dioceſis in proprios uſus Abbatis & Conventus ſancti *Auguſtini* appropriatam comperuiſſet, & quod pro hujuſmodi appropriatione poſt multas citationes & latas ſententias dicti Religioſi non comparere prout nec debuerunt minime curarunt, idem archiepiſcopus omnes capellanos in eadem eccleſia in capella de **Eſt Wykham** celebrantes, necnon parochianos eccleſiæ ejuſdem non legitime citatos nec convictos nec per contumaciam abſentes, omni juris ordine prætermiſſo, pro eo quod in viſitatione ſua quam in eadem dioceſi exercuit non comparuerunt, de facto perperam excommunicavit, & excommunicatos denunciavit, decano de **Dartford** demandando, quod præfatos capellanos & parochianos omnes & ſingulos in eccleſiis ſui decanatus excommunicatos eſſe & fuiſſe cum communicantibus publice & ſolempniter denunciaret. Inſuper idem decanus citavit eos inter cætera propoſituri quare pro ipſorum captione & incarceratione ſcribi non deberet regiæ majeſtati.

Temporibus ſupradictis commiſſarii archiepiſcopi & cauſarum auditores in eccleſia parochiali de **Erhede** pro tribunali ſimul ſedentes presbyteros & parochianos prædictos fecerunt publice præconizari, quibus præconizatis magiſter *Laurencius de Yford* clericus & procurator abbatis eiſdem dixit, Domini cavete; illi presbyteri quos facitis proclamari ſunt dominis abbati & Conventui ſancti *Auguſtini Cantuariæ* adhærentes, & hodie mane in præſencia notarii adhæſerunt. Illi autem expreſſe dixerunt ſe velle eiſdem & ſuis provocationibus & appellationibus adhærere. Cui unus eorum reſpondit, Ipſi bene fecerunt. Et ſtatim Cancellarius archiepiſcopi omnes presbyteros & parochianos in ſcriptis excommunicavit, & magiſtro *Waltero Pycard* procuratori nomine Dominorum ſuorum aſſignavit diem ad reſpondendum quibuſdam compertis in viſitatione Archiepiſcopi. A quo quæſitum fuit quæ fuerunt iſta comperta. Cui reſpondit; ſatis eis conſtabit in eventu, ſet hiis injuriis non contentus ſet gravamina gravaminibus accumulans, advocatos & tabelliones abbati aſſiſtentes pro defenſione ſua ſubtraxit & ab officio ſuo ſuſpendit. Propter quæ omnia ex parte Abbatis & parochianorum eccleſiæ ſuæ de **Plumſted** extitit appellatum. Quare petit procurator nomine dominorum ſuorum per vos domine Judex cognitione harum appellationum per vos ſufficienter recepta, pro conſervatione juriſdictionis veſtræ dicto archiepiſcopo & ſuis commiſſariis inhiberi faciatis, ne contra præmiſſa in præjudicium veſtræ juriſdictionis ſeu cauſæ cognitionis aliquid attemptent ſeu faciant attemptari quoviſmodo.

Igitur coram prædicto domino *Icherio* judice, certo die aſſignato ponit procurator prædictus, quod abbas & conventus monaſterii S. *Auguſtini* eccleſiam de **Plumſted** cum ſua capella *Roffenſis* dioceſis ſibi & monaſterio ſuo ab olim optinuerunt, & in præſenti optinent auctoritate ſedis apoſtolicæ canonice appropriatam.

Item quod eccleſia prædicta cum clero & populo & diu eſt & fuit ab omni poteſtate, juriſdictione & ſubjectione cujuſcumque archiepiſcopi *Cantuariæ*, epiſcopi *Roffenſis*, officialium & commiſſariorum ſuorum quorumcumque auctoritate dictæ ſedis exempta & eiſdem religioſis pleno jure ſubjecta.

Item quod abbas dicti monaſterii per ſe & ſuos commiſſarios fuit in poſſeſſione exercendi omnimodam juriſdictionem in dicta eccleſia, ſcientibus archiepiſcopis & epiſcopis *Cantuarienſibus* & *Roffenſibus* & non contradicentibus ſet pacientibus, plene, pacifice & inconcuſſe.

Item quod abbas qui nunc eſt toto tempore ſuo fuit & eſt in præſenti in poſſeſſione exercendi præmiſſam juriſdictionem in omnes & ſingulos tam clericos quam laicos in dicta eccleſia celebrantes & commorantes.

Item ponit quod præmiſſa omnia publica ſunt & notoria in dioceſibus *Cantuarienſi* & *Roffenſi* & locis convicinis.

Item petit quod hæc omnia prætacta & oſtenſa poſſent verificari per diverſorum atteſtationes. Unde dictus Judex juſſit produci teſtes quos volebant in argumentum & certitudinem operis præſentis, & ad memoriam futurorum in ſempiternum.

Igitur producti fuerunt in teſtimonium præmiſſorum domini fratres *Thomas Poncy* theologiæ doctor, *Ricardus de Cant.* *Thomas de Natindon*, *Thomas Wyveleſburg*, & *Thomas Colwell* monachi, magiſter *Johannes de Schordwich*, magiſter *Laurentius Yford*, magiſter *Johannes de Grove*, & alii tam archidiaconi, rectores & vicarii quam alii ſeculares, numero juxta centum. Et cum idem archiepiſcopus iſtis atteſtationibus teſtium ſic receptis multociens & iteratis vicibus fuiſſet proclamatus & ad judicium evocatus, nec per ſe vel procuratores comparere curavit, procurator abbatis & parochianorum coram dicto Judice pro tribunali ſedente archiepiſcopi contumaciam accuſavit, petens eum contumacem reputari & pronunciari, & in hujuſmodi negotio concludi & claudi, & imperpetuum eidem ſilencium inponi, & pro injuriis & vexationibus indebitis in expenſis & dampnis eiſdem parochianis merito

Edwar. III. Rex.

rito condempnari. Tandem comparuit in Judicio coram dicto domino *Icherio* Judice in hoſpicio habitationis ſuæ *Londoniæ W. Pycard* procurator ſupradictus, proponens & petens, quod cum dictus Judex in cauſa hujuſmodi procedens legitime ſententiam diffinitivam contra archiepiſcopum *Cantuarienſem* juſtitia exigente duxerit promulgandam, & eundem in expenſis legitimis verſus dominos ſuos per eundem judicem condempnavit, quod fieret horum taxatio. Et tunc dictus judex ipſum *Walterum* interrogavit per ſuum juramentum ad ſancta Dei evangelia tunc corporaliter manu tacta quantum in hujuſmodi cauſis dicti capellani & parochiani neceſſario expendiderunt. Et reſpondit per ſuum juramentum quod ducentas marcas & amplius, & tunc dictus judex hujuſmodi expenſas ad dictas CC. marcas taxavit ſolvendas per dictum archiepiſcopum capellanis & hominibus ſupradictis.

§. 4. *Quod tenentes ſancti* Auguſtini *ad turnum vicecomitis non debent venire.*

An. Dñi 1330.

ANno Domini M. CCC. xxx. erat iſtud breve directum *Rogero de Reyham* vicecomiti *Kantiæ* per *Galfridum Barown* pro tenentibus abbatiæ non veniendis ad turnum vicecomitis, niſi per unum hominem qui deferat turnum in hæc verba:

“*EDWARDUS* Dei gratia &c. Vicecomiti *Kanciæ* ſalutem. Cum celebris memoriæ dominus *Edwardus* nuper rex *Angliæ* pater noſter ad proſecutionem hominum et tenentium dilecti nobis in Chriſto abbatis ſancti *Auguſtini* de maneriis ſuis de **Menſtre** in *Thaneto*, **Chiſtelet**, **Sturre**, **Litleburn**, **Norburn**, **Lenham**, & **Plumſted**, ei per petitionem ſuam coram ipſo patre noſtro conſilio ſuo exhibitam, ſuggerentium quod Borgheſaldrus et quatuor homines de qualibet Borga eorundem maneriorum tempore quo ipſi ad turnos vicecomitis in eodem comitatu ad ea quæ ad viſum franci plegii contingunt præſentandum venerunt, et quendam redditum qui *turnus vicecomitis* nuncupatur ſecum detulerunt, & quod in quodam placito nuper in curia ipſius patris noſtri coram eo inter prædictum abbatem et *I. Malemeyns* de **Hoo** tunc vicecomitem ejuſdem patris noſtri per breve prætextu quarundam cartarum eidem abbati per progenitores noſtros conſideratum extitit, quod idem abbas et ſucceſſores ſui imperpetuum habeant viſum franci plegii et ea &c. in maneriis prædictis; per quod præſentationes et alia quæ ad hujuſmodi viſum pertinent de hiis quæ infra eadem maneria contingunt, in curia ipſius abbatis maneriorum prædictorum et non alibi fieri deberent; Et quod quidam vicecomes poſtea ipſos homines et tenentes nichilominus pro eo quod omnes Borgeſaldri cum quatuor hominibus de qualibet Borga ad dictos turnos vicecomitis poſt conſiderationem illam ad redditum illum deferendum non venerunt, ſicut ante dictam conſiderationem venire conſueverant, quamquam eundem redditum poſtea vicecomites ejuſdem comitatus per unum hominem à tempore conſiderationis illius miſerunt, graviter diſtrinxit. Comperto per recordum et proceſſum placiti prædicti (et eciam per quandam certificationem factam poſtea vicecomitis inde) in Cancellaria ipſius patris noſtri de mandato ſuo nuper facta, quæ coram ipſo et conſilio ſuo poſtea venire fecit; quod præfatus abbas viſum prædictum, et ea &c. in maneriis illis habere deberet, eidem vicecomiti tunc mandaſſet, quod diſtrictionibus quas fecit eiſdem hominibus et tenentibus ad veniendum ad turnum ipſius tunc vicecomitis per eoſdem Borgeſaldrum et quatuor homines de qualibet Borga ad prædictum redditum ibidem deferendum ſuperſederet omnino, et diſtrictiones eis ea occaſione factas ſine delatione relaxaret eiſdem; Proviſo ſemper quod redditus ille dicto patri noſtro in eiſdem turnis per unum hominem integraliter ſolveretur, ſicut ex parte ipſorum hominum et tenentium accepimus, quod tu ipſos ad veniendum ad turnos tuos per Borg. et quatuor homines de qualibet burga ad redditum illum tibi deferendum jam de novo diſtrixiſti et adhuc diſtringis, in ipſorum hominum et tenentium diſpendium non modicum et gravamen, et contra tenorem mandati patris noſtri ſupradicti; ſuper quo nobis ſupplicarunt ſibi per nos de remedio provideri: Nos ad hoc quod in eiſdem recordo et proceſſu in Cancellaria noſtra jam exiſtentibus inter cætera continetur, quod hujuſmodi viſus franci plegii prædictis maneriis habendus in curia dictorum progenitorum noſtrorum necnon et ipſius patris noſtri allocatus fuit, et ad hoc quod ad dictam petitionem ipſorum hominum et tenentium per præfatum patrem noſtrum et concilium ſuum extitit concordatum, quod mandaretur vicecomiti de ſuperſedendo diſtrictionibus faciendis ad veniendum per Borg. et quatuor homines &c. ad præſentandum, et ad prædictum redditum deferendum; Et ad mandatum ipſius patris noſtri præfato tunc vicecomiti inde factum, ut prædictum eſt, conſiderationem habentes, nolentes præfatos homines et tenentes contra allocationes, conſiderationes, et mandata prædicta in hac parte indebite prægravari, tibi præcipimus quod diſtrictionibus quas facis eiſdem hominibus et tenentibus ad veniendum ad turnos tuos per eoſdem Borg. et quatuor homines de qualibet borga ad præſentandum et ad prædictum redditum ibidem deferendum, ſeu ad aliqua alia quæcumque ibidem facienda quæ in curia prædicti abbatis maneriorum ſuorum prædictorum & non alibi fieri debeant, ſuperſedeas omnino, & diſtrictiones eis ea occaſione factas ſine dilatione relaxes eiſdem; proviſo ſemper quod redditus ille nobis in eiſdem turnis per unum hominem integraliter ſolvatur &c.

Simon M. Archiep.

An. Dñi 1332.

Anno Domini M. CCC. xxxij. fuerunt quædam conſtitutiones editæ ſuper reformatione ſtatus monaſterii per dominum *Radulphum* abbatem anno ſui regiminis xxij. & inſertæ in martyrologio ut ab omnibus legerentur. Set mortuo abbate, ſcilicet anno ſecundo ſequenti priuſquam corpus ejus ſepulturæ traderetur, per quorundam & præſidentis capituli præceptum avulſæ fuerunt de martyrologio & igni combuſtæ propter illatum indebitas artationes.

CAP. XXXVI.

§. 1. *Proceſſus pro* Petro de Dene.

ANno ſupradicto habitus eſt proceſſus in negotio fratris *Petri de Dene* qui extitit doctor utriuſque juris, presbyter beneficiatus curatus, & in eccleſiis cathedralibus *Londonienſi*, *Wellenſi*, & *Eboracenſi*, & in eccleſiis collegiatis de **Soutwell** & **Wymburne menſtre** canonicus & præbendarius, tempore domini *Thomæ* abbatis **Findon** hujus monaſterii extitit defenſor & valens conductor. Tandem abſque culpa ſua, graviſſima perſecutione per mortem domini *Thomæ* Comitis *Lancaſtræ* ſuborta; & captione, incarceratione, ſtatus ſubverſione, bonorum omnium ſpoliatione ac eciam morte ei publice intenta per magnos nobiles & potentes quibus reſiſtere & contra quos ſe defendere non valebat, ipſe fugæ vel aliud ſuffragium non habens, hujuſmodi metu ductus in monaſterio iſto habitum monachalem aſſumpſit ſub domino *Radulpho* abbate anno Domini M. CCC. xxij. & anno abbatis prædicti xiij. ingreſſuſque religionem, ſtatim de tercia profeſſionem emiſit.

Modus ſui ingreſſus.

MAgiſter *Petrus de Dene* presbyter monaſterium ſancti *Auguſtini Cant.* eſt ingreſſus, non ut cæteri abſolute, ſet ſub multis conditionibus, modis & pactis per eum patenter expreſſis, & per eos ad quos ingrediebatur receptis & conceſſis, tam ante ingreſſum quam in ipſo ingreſſu; videlicet quod idem *Petrus* retinebat & retinere volebat domos ſuas quas conſtrui fecerat infra ſepta monaſterii & familiam ſecularem, ac eciam bona eroganda, expendenda, diſpendenda, & donanda pro ſua libera voluntate, & quod non teneretur cum monachis convenire in eccleſia, capitulo, refectorio, dormitorio, clauſtro, vel alibi ad dicendum divinum officium aut quicquam aliud faciendum; ſet liceret ei cum ſua familia in ſuis domibus die noctuque manere, ac orationibus, contemplationi, ſtudio & aliis honeſtis vacare, prout ſibi Dominus inſpiraret, & de ipſius *Petri* libera procederet voluntate. Hoc expreſſe adjecto, quod per habitus aſſumptionem, profeſſionem, moram quantumcunque diutinam aut quicquam aliud non intendebat aut volebat ſe ad ullam obſervantiam regularem quomodolibet obligare. Geſtabat vero habitum profeſſorum bene per decem annos, ſicque converſatus inter fratres monaſterii iſtius pacifice & quiete, fuiſſetque laudabiliter ac multipliciter ab eiſdem honoratus, & tam monachis quam ſecularibus jura canonica publice in ſcolis legendo per dies & annos ſuum conſilium cum abbate & ſenioribus tanquam principalis conſiliarius monaſterii communicaſſet, ſecreta & ardua ejuſdem negotia tractaſſet, cui etiam patebat libera facultas eundi & ſpaciandi intus & extra tempore competenti pro ſuæ libito voluntatis. Demum tamen idem *Petrus*, quod referre dolendum eſt, tantæ indulgenciæ & tam ſanctæ religionis propriæque ſalutis inmemor, audienſque hujuſmodi metum ceſſare de quo ſupra fit mentio, vel ſaltem eſſe attenuatum, conſideranſque ſuum ingreſſum & profeſſionem ipſo jure nunquam in effectu tenuiſſe nec poſſe tenere, ſtatum & habitum ſecularem voluit reaſſumere, & hoc tam verbo quam ſcripto fecit abbati & conventui per vices intimare: ſet ipſe abbas & conventus ſuam cauſam ſiniſtranter deferentes, & eidem egrediendi licentiam denegantes, apoſtaſiam quæ ſequitur operatus eſt.

Fuga Petri.

Anno igitur Domini M. CCC. xxx. die ſanctæ *Luciæ* virginis *Johannes de Bourn* rector eccleſiæ ſancti *Martini* invitatus fuit ad prandium per fratrem *R. Gatewik* infirmarium; & inter prandium idem *Iohannes* ſurgens à menſa ſimulavit ſe habere officium examinarium conſiſtorii, & ivit ad cameram dicti domini *Petri de Dene*, & cum eo habuit diutius colloquium. Eodem die inter cœnam dixit *Petrus* famulo ſuo. Ego celebravi, Ego celebravi hodie, ſet non ero in ſtatu celebrandi craſtina die, & ideo non inpedias me à ſompno matutino. Solebat enim ſurgere media nocte & reddere quæ forent reddenda; & cum jam diu vigilatum eſſet, famulus ejus hoſtio non obſerato cubatum receſſit in alia camera, dimiſſo quodam *Willelmo Chaunteler* garcione cum domino ſuo. Et ante mediam noctem abjecto habitu monachi cum prædicto garcione clam receſſit, portantes ſecum vj. diſcos, vj. ſalſaria; & tranſierunt per ſelarium ſuum ad portam quæ ducit in gardinum Celerarii cujus ſeruram prius fregerant, & ſic tranſierunt uſque ad murum contra eccleſiam ſancti *Martini*, & projecto lapide per eundem ultra murum ſecundum prælocutionem *Iohannes* rector dictæ eccleſiæ, & *Georgius de Borne* frater ejus, & duo alii habentes ibi tres equos paratos appoſuerunt duas ſcalas ad murum abbatiæ, & duo ſcandentes ſederunt ſuper murum & attraxerunt aliam ſcalam, & depoſuerunt eam in gardinum ad dictum *Petrum*, quem ipſe cum garcione aſcendebat, murum tranſivit, quem ipſi quatuor aſſumentes levaverunt in equum, & deduxerunt eum per **Bremden** uſque ad domum *Georgii* prædicti ſub pacto inito cum prædictis ſub certo x. li. Cujus fuga comperta, miſſi fuerunt plures ad diverſa loca maritima & alibi ad inquirendum, & explorandum, & ſcrutandum. Et tandem compertum eſt quod erat apud **Borne** abſconditus in domibus *G.* & ſtatim illuc acceſſerunt ex conſilio *S. de Rippele*, *Ricardi de Cant.* & *Willelmi Recolver* qui erat tunc ſeneſcallus archiepiſcopi, & janitor abbatiæ. Multi de famulis abbatiæ eciam cuſtodierunt omnes exitus illius meſuagii per totam noctem in magno frigore. Die tercio ſequenti inquirebant, explorabant diligenter de loco ubi *Petrus* inveniretur. Tandem invenerunt eum in bungello canapis medio cautuloſe involutum. Et die ſequenti *Willelmus Reculver* aſſumptis pluribus de familia noſtra vocato burghſaldro & aliis vicinis ibidem, ratione ſuæ ballivæ frangere fecit hoſtia cum hutheſio & clamore; & invenerunt *Petrum* in habitu ſeculari & duos garciones. Et capto *Petro* levatus eſt in equum, & dictus *W. Reculver* cum aliis multis duxerunt *Cantuariam*. Erat enim intentionis dicti *Willelmi* duxiſſe eum in libertatem archiepiſcopi uſque ad **Maideſtane**. Set cum veniſſet apud **Hotchelle** fratres *Nicholaus Dagh. Salamon*, & *Ricardus de Cant.* acceperunt prædictum *Petrum* invitis omnibus, & duxerunt eum ad monaſterium noſtrum inter veſperas die dominica cum multitudine virorum & mulierum copioſa; & prædictos ij. garciones cum diſcis & ſalſar. dimiſerunt apud *Borne Epiſcopi* poſitos in cippis. Et poſtea dicti garciones ducti ſunt per *Willelmum Reculver* ad **Maideſtan**, & ibidem carcerati cum diſcis & aliis inventis cum eis. Et *Petrus* ſic indutus

manſit

Edw. III. Rex.

manſit in camera Infirmariæ. Et ſtatim poſtea miſſi fuerunt per archiepiſcopum ad abbatem cum magna pompa domini *I. Cobham*, *Werricus de Valans*, *I. de Borne* milites, cum aliis viris & notariis in honore conſtitutis. Et quia abbas infirmabatur non fuerunt permiſſi intrare in cameram ſuam, niſi certæ perſonæ & ſine notario, & depoſuerunt querelam ſub hiis verbis. Cum *Petrus de Dene* clericus eſſet apud **Borne** in domo *G.* per appellationem *T. de Findon* de pleg. proſequendo, *Willelmus Reculver* ſeneſcallus archiepiſcopi vocato Burgh. & vicinis, fracto hoſtio, idem *Petrus* ductus fuit apud *Cantuariam* per prædictum *Willelmum* ſeneſcallum; miniſtri tamen veſtri violenter prædictum *Petrum* contra pacem regis & libertatem archiepiſcopi rapuerunt, & prædictos duos garciones poſitos in cippis in manerio domini archiepiſcopi apud **Borne** cum diſcis, & ſalſariis, & aquareo argenteo, & centum quinque florenis aureis ſcrutati ſunt fugientibus cuſtodibus, & florenos ceperunt & aſportaverunt, & prædictum magiſtrum *Petrum* duxerunt ad ſanctum *Auguſtinum*. Et abbas reſpondit, quod invenit *Petrum* monachum ſuum & eum cepit ſicut ei bene licuit, & eum cuſtodit. De cæteris vero libenter reſponderet conſilio archiepiſcopi infra xij. dies. Quo die veniente, non præmunito abbate ſet omnino ignorante, illi ſupranominati & plures in multitudine copioſa poſt prandium venerunt ad ſanctum *Auguſtinum* volentes loqui cum Priore et ſenioribus. Quibus in magna aula occurrentibus, milites prædicti querelam depoſuerunt, ut ſupra. Et reſponſum eſt per Priorem, Quod abbas qui eſt caput & ſuperior domus non fuit præſens, ſet conſulere eum vellet ſuper prædictis, & reſpondere archiepiſcopo rationabiliter; unde die ſanctæ *Agnetis T. Lincoll* ſeneſcallus abbatis dedit reſponſum domino *I. de Cobeham* et aliis de conſilio dicti archiepiſcopi non ad voluntatem eorum ſed ad rei geſtæ veritatem.

Poſtea epiſcopi *Wygornenſis* & *Norwycenſis* miſſi per regem et conſilium regni ad regem *Franciæ* venerunt *Cantuariam*, et tractatum eſt cum eis de negociis ſupradictis; videlicet de hiis quæ tangunt fratrem *Petrum de Dene*. Et audita & intellecta fuga, abjectione habitus et apoſtaſia, quæſivit epiſcopus *Norwicenſis* in quali habitu eſſet: et reſponſum eſt quod in tunica de burneto et almucia ſine cuculla. Qui conſulendo dixit, Secure cuſtodiatis eum, et omni via inducatur ut induat habitum et radatur, quod ſi noluerit nec induci potuerit, arctetur, et ſi habitum proicerit vel diſcerpere voluerit, ligentur ei manus ne dedecus faciat habitui vel religioni, quia ſi vicecomes per breve regis de Replegiari peteret eum, et inveniret illum in habitu ſeculari, ſtatim invitis vobis caperetur & abduceretur. Et ſi invenerit eum in habitu monachali et raſum, non audebit vobis invitis et reclamantibus abducere quoquo modo. Et ſi rex voluerit quod coram eo compareat perſonaliter, mittantur duo diſcreti fratres cum eo qui ei oſtendant monachorum innocentiam, profeſſionem, ſtatum et ingreſſum et religionis honeſtatem. Igitur quinto kal. Febr. convocatis per Priorem xiij. de ſapientioribus monaſterii, tractaverunt de hiis quæ fuerunt conſulta per epiſcopos in camera Prioris: et unanimi conſenſu adierunt omnes cameram prædicti *Petri*, et ipſum in lecto invenerunt jacentem; et primo verbis dulcibus, mollibus, & ſuaſionibus pulſaverunt, et cum per vana verba et varias ambages protraherunt, aſpera et comminatoria rigide ſibi propoſuerunt ſecundum quod conſulta fuerunt per epiſcopos et alios regni majores, quod niſi gratis habitum indueret regularem, et permitteret ſe radi, invite facere cogeretur, et ſi neceſſe eſſet ligaretur. Quibus auditis, ſuſpirans dixit, Confido quod dominus abbas et vos me gracioſe tractabitis, faciam quæ conſulitis, & cum ſurgero ſi ſtare pedibus potero cucullam induam, & poſtea me radi permittam, & omnia quæ potero faciam. Et quia prius ante adventum ipſorum dictum fuit quod *Henricus de Valans* dixerat Priori & fratribus ſanctæ Trinitatis, quod ipſe vidit ſigillari in Cancellaria domini regis commiſſionem factam Comiti *Lancaſtriæ* quod ipſe caperet *Petrum de Dene* invitis abbate & conventu, & abduceret ad reſpondendum ſibi de theſauro quem aſportavit de theſauro fratris ſui & penes nos recondidit, unde territi & turbati graviter eramus; ſet epiſcopi dixerunt ſe non eſſe conſcios hujus commiſſionis; ſubſequenter dominus abbas diſpenſavit cum eodem *Petro* propter reſumptionem habitus, & tonſuram, carnem comedendo, & vinum bibendo. Miſſi fuerunt ſapientiores de conventu conſulentes eum quod reformaret conſcientiam ſuam propter apoſtaſiam, petendo abſolutionem, ut ſecurius poſſent confratres ſui communicari in divinis celebrandis & audiendis aliiſque colloquiis. Et reſpondit *Petrus*, Se non commiſiſſe nec incurriſſe excommunicationis ſentenciam, ſet quod fecerat quoad reſumptionem abitus & tonſuram metu mortis fecit. Tandem rogavit, quod placeret abbati ipſum ad ſui conſolationem perſonaliter viſitare. Quo audito, venit abbas & habuit colloquium cum eo in capella Infirmariæ. Et poſtquam abbas intimavit ſibi apoſtaſiam, infamiam, & enormia dampna quæ monaſterio & religioni per egreſſum ſuum fecerat: *Petrus* reſpondendo cum protervia dixit, Se nunquam aliquid ulterius facturum niſi foret ſibi facta ſecuritas, quod honorifice, & ſuaviter, & gratioſe cum eo ageretur. Quo audito, abbas iterum ſubtraxit ei eſum carnium ita quod miniſtraretur ei ſicut in Refectorio. Poſtea tamen cum maxima inſtancia inducitur ad reformandam conſcientiam ſuam, ita quod confeſſus fuit ſe eſſe & fuiſſe monachum & profeſſum coram notariis. Et ſuper hoc fecerunt publicum inſtrumentum, cujus tenor talis eſt.

Simon M. Archiep.

« IN DEI nomine Amen. Cum ego *Petrus de Dene* magnæ devotionis & affectionis optentu quas erga monaſterium S. *Auguſtini Cant.* ac religioſos viros inibi Domino famulantes gerebam, firmiter propoſuiſſem ſeculo renunciare, vitamque meam in melius commutare, Cumque poſtmodum hujuſmodi propoſitum meum ſicut ſpero Deo gratum complendo, ſanctam religionem in monaſterio prædicto intraviſſem, habitumque monachalem aſſumſiſſem, ac profeſſionem expreſſam feciſſem pure, ſponte, publice & abſolute in manibus venerabilis patris domini *Radulphi* abbatis monaſterii ſancti *Auguſtini*, & in præſentia conventus loci ejuſdem, ipſamque profeſſionem manu propria ſcriptam juxta Regulam beati *Benedicti* conceptam palam & publice emiſiſſem, oreque proprio legiſſem; necnon canonice ſic profeſſus inter confratres monaſterii prædicti diutius pacifice & quiete fuiſſem converſatus, & multipliciter ab eiſdem honoratus; demum tamen, quod dolenter refero, tantæ ac tam ſanctæ religionis pro-

Edw. III. Rex.

priæque ſalutis inmemor, maligno inconſtantiæ ſpiritu ſeductus, ingreſſum & profeſſionem hujuſmodi dixi & aſſerui ex quibuſdam cauſis vanis & ficticiis non tenuiſſe, ut ſic quæſito colore ad ſeculum redire & habitum ſecularem reaſſumere potuiſſem; & tandem laxatis habenis monachi modeſtia & habitu religionis temere ac inpudenter abjectis, monaſterium ipſum latenter non abſque vicio apoſtaſiæ illicenciatus exivi, in illius cui integritatem meam ſpontanea voluntate devovi, gravem offenſam, quæ doleo, religionis obprobrium, & ſcandalum plurimorum. Cum igitur lapſis medela & delinquentibus venia ſi rite petantur denegari non debeant, idcirco coram vobis venerabili patre domino *Radulpho* abbate meo, totoque conventu hujus ſacri cœnobii reatum meum, errores ac ſcelera contra ſtatum religionis & profeſſionis meatum quomodolibet per me hactenus prolata facta ſeu attemptata cum cordis amaritudine recognoſco, eaque deteſtando penitus abjuro, profeſſionemque per me prius pure, expreſſe, ſponte & abſolute factam, & abſque metu quovis publice emiſſam fateor per præſentes veram, juſtam, effectualem, ac canonicam, meque verum monachum veſtrum eſſe & fuiſſe, & eidem profeſſioni ac religioni perpetuo obligatum, ipſaſque profeſſionem & religionem quas eciam ab initio validas reputavi, approbo, gratifico & aceepto, & quicquid in contrarium prius in derogationem religionis aut profeſſionis præmiſſis dixi, propoſui, aſſerui, ſcripſi, ſeu publicavi, illud expreſſe revoco, doleo quantum in me eſt penitus & deteſtor, vos eciam reverendum patrem dominum abbatem cum humili contritione requiro quatinus à ſententia excommunicationis quam occaſione temerarii receſſus incurri, me *Petrum* monachum veſtrum abſolvere, habitumque meum michi retradere, meque veſtræ ſanctæ congregationi redintegrare dignemini intuitu caritatis; offerens me vobis, juri ac regularibus diſciplinis in omnibus pariturum.

Iſtis ſic habitis, dominus abbas ad ſerenandum conſcientiam confratrum ſuorum mandavit talem cedulam legi in Capitulo.

“Nos *Radulphus* permiſſione divina abbas monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* omnibus & ſingulis confratribus noſtris notificamus, quod nos dilectum nobis in Chriſto confratrem & commonachum fratrem *Petrum de Denne* à ſentencia excommunicationis, ſuſpenſionis ſeu interdicti, quatenus idem frater occaſione receſſus ejuſdem extra ſepta monaſterii noſtri præter licentiam & voluntatem noſtram, ſeu contra eam, ſeu contra bonum obedientiæ vel regularem diſciplinam ordinis ſancti *Benedicti* per ipſum contracti incurrebat, in forma juris & ſecundum regulam ordinis noſtri abſolvimus, & ſacramentis eccleſiæ reſtituimus, & ipſum pro abſoluto & ſic reſtituto habemus & reputamus. Vobiſque omnibus & ſingulis denunciamus & in virtute obedientiæ injungimus, quod vos & quilibet veſtrum ipſum plene & canonice abſolutum & reſtitutum habeatis & teneatis cum effectu.

Sed *Petrus* adhuc inſtabilitate agitatus prælibatæ confeſſionis tranſgrediendo, conſiliis fautorum ſuorum inhærens, omni qua potuit via ut ad ſeculum rediret propoſitum dirigebat. Cujus varietatem abbas non ignorans, quantum ad communicationem ſecularium, & ne eſſet ei tam libera facultas in rebus ſuis diſponendis ad libitum, quovis vellet ſpaciandi tempore competenti, cum amocione ſuæ familiæ ſuſpectæ gratiam abbreviavit. Timuit enim abbas ne de libris & aliis jocalibus, puta de vaſis aureis & argenteis, & aliis multis ut patet ſuperius in teſtamento ſuo apud eum licite permiſſis propinquis & familiaribus ſuis, fieret diſtractio, & de eiſdem incompetens diſtributio. Unde idem *Petrus* ex præmiſſis omnibus ſentiens ſe eſſe gravatum, ſedem apoſtolicam appellavit, & per quendam falſum presbyterum nomine *I. Iacob* ex ſuggeſtione ejuſdem *Petri* impetrata erat bulla executoria directa domino *Ricardo Oxindenne* Priori eccleſiæ Chriſti, & magiſtris *Willelmo Renham* canonico S. *Pauli London.* & officiali *Cant.* pro executione facienda & terminanda in negotio ſupradicto.

Simon M. Archiep.

§. 2. *Executio Prioris ſancta Trinitatis pro eodem* Petro.

An. Dñi 1331.

ANno igitur M.CCC.xxxj. octavo kal. Januarii præſentata fuit bulla Priori ſanctæ Trinitatis formam continens infra ſcriptam.

“*JOHANNES* epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori ſanctæ Trinitatis & magiſtro *Willelmo Renham* &c. Conſtituti à Domino cunctis in juſticia debitores ad inpendendum illis juſticiæ complementum eam inplorantibus officii noſtri debito exſolvimus ut tenemur, afflictis quoque per ſqualorem cuſtodiæ carceralis, diuturnitate præſertim temporis, paternæ pietatis affectu compatimur, cum ex cauſis poſſibilibus juri concordibus ſi veritatis adminiculo fulceantur innocentia proponitur eorundem. Ex tenore ſiquidem petitionis ex parte dilecti filii *Petri de Denne* presbyteri *Ciceſtrenſis* dioceſis nobis oblatæ collegimus, quod olim ipſe ante ſuſceptionem ſacrorum ordinum & poſt in caſibus à jure permiſſis famoſus patronus cauſarum extitit, patrocinia & conſilia multis in jure cujus peritus eſt præſtitit in partibus *Anglicanis*, ſtudendo præ viribus prodeſſe cuique, & præcavendo alicui non obeſſe. Set cum ipſe *Petrus* ratione cauſarum juris quæ in dictis partibus præſtitit, diverſorum & magnorum non tamen ob ſui culpam odia incurriſſet, quæ ſibi mortis periculum rerumque ſuarum exterminium veraciter minabantur, ut illa evitare poſſet ac ſecuritatis remedio perfrui, cum bonis ſuis ad monaſterium ſancti *Auguſtini Cant.* recurrit, ibique ſumptibus ſuis multis domibus jam conſtitutis, mox ibidem ſuſcepit habitum monachalem, & extunc tercio die monaſticam profeſſionem emiſit, non tamen abſolute ſicut cæteri dicti monaſterii monachi, ſet ſimulate ut perſecutorum ſuorum qui contra eum inflammati erant propter hujuſmodi conſilia tyrannidem declinaret, nolens tamen in eodem ordine, hujuſmodi metu ceſſante, ut monachus remanere, ſet pocius ad ſeculum remeare, idemque ſemper ante hujuſmodi religionis ingreſſum, & in eo & poſt illum fixo gerens propoſito, prout expreſſe proteſtatus fuit coram abbate & monachis dicti monaſterii, quod retinebat & retinere volebat bona ſua tam mobilia quam inmobilia diſpendenda, & adminiſtranda & eroganda, necnon alia recipere & habere & de ipſis pro ſua libera voluntate diſpo-

« nere ſicut prius, & in dictis ſuis domibus quas infra ſepta ipſius monaſterii conſtrui fecerat, manere cum ſua familia ſeculari, nec teneretur in eccleſia, capitulo, refectorio, clauſtro, ſeu alibi pro divinis officiis vel aliis quibuſcumque cauſis cum monachis ejuſdem monaſterii convenire, neque ſe quoviſmodo actibus monaſticis conformare; ſet libere manere in ſuis domibus antedictis; proteſtans eciam expreſſius, quod per hujuſmodi habitus aſſumptionem, profeſſionem, moram quantumcunque diutinam aut quicquid aliud non intendebat, nec volebat ſe quomodolibet obligare ad aliquam obſervantiam vel obedientiam regularem. Quæ omnia & ſingula tam ante dictum ingreſſum quam in ipſo & poſt eum fuerant expreſſe recepta, conceſſa & approbata per abbatem & monachos monaſterii prædicti. Sicque ſub dicto habitu monachali quem ſimilato geſtabat cum animo ad ſeculum redeundi permanſit cum ſeculari familia ſemper in ſuis domibus ſupradictis. Proceſſu vero temporis cum metus vehemens propter quem dictum monaſterium cum præmiſſis proteſtationibus ingreſſus fuerat ceſſaret, & ipſe cum ſuis bonis hujuſmodi præfato ſimilato habitu monachali dimiſſo vellet ad ſeculum remeare, id præſciens dictus abbas miſit ad eum Priorem clauſtralem dicti monaſterii coadunatis ſibi monachis, clericis & laicis, armatis, ut ipſum caperent, & dictis bonis ſuis ſpoliarent eundem, Qui ſiquidem Prior, clerici & laici de mandato ipſius abbatis manus injecerunt graviter & enormiter in eum temere violentas, ſcripturam appellationis ſuæ rapuerunt de ſuis manibus violenter, eumque auſu ſacrilego ceperunt, & de ſuis domibus & aliis domibus ejuſdem monaſterii carceres privatos fecerunt, alimenta ſibi neceſſaria ſubtraxerunt, ipſumque idoneo confiteri presbytero vel miſſam audire, ſeu eukariſtiam ſacram ſumere non permittunt, ſet potius portas & aditus domorum ſuarum obſtruxerunt ne ſibi abinde pateret egreſſus, aut ingreſſus ſuis benevolis ad eundem. Et adhuc idem abbas & conventus appellatione hujuſmodi vilipenſa ipſum detinet, viliter carceri mancipatum, & ſibi appropriarunt bona ſua prædicta, eumque illis detinent ſpoliatum. Quare nobis ex parte dicti *Petri* fuit humiliter ſupplicatum ut provideri ſibi ſuper prætactis jacturis & afflictionibus ſuis adverſus dictos abbatem & conventum de oportuno remedio ex dictæ ſedis ſolita clementia dignaremur: Quia vero pro parte dictorum abbatis & conventus fuit ex adverſo expoſitum coram nobis, quod idem *Petrus* ſub teſtimonio cujuſdam inſtrumenti in noſtra præſentia exhibiti; quod publicum prima facie videbatur, confeſſus fuerat ſe nec vim, nec metum paſſum, ſet ab illis ſe fore liberum, ſeque prædicti monaſterii monachum canonice profeſſum, & quod fuerat proteſtatus ſe nolle à ſtatu ſuo monachali recedere, nec ipſum inpugnare, quodque ſuam profeſſionem hujuſmodi pure ſponte ac libere approbavit & ratificavit, & quod ſuis proteſtationibus ſuperius deſignatis & appellationibus emiſſis per eum vel alium ejus nomine ſuper hiis ſimiliter renunciaret, Nos volentes ſuper prædictis informatione tamen recepta primitus ſuper eis, de favore juſticiæ provideri, hujuſmodi ſupplicationibus benignius inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus veſtrum ad dictum monaſterium accedentes perſonaliter, dicto *Petro* in ſtatu libertatis poſito, cum ipſo de prædictis, & utrum confeſſio, approbatio, ratificatio & renunciatio hujuſmodi quæ per eundem *Petrum* factæ fuiſſe dicuntur, & in inſtrumento deſignantur eodem, ſunt veræ, nec deviant à tramite veritatis, informationem recipere ſtudeatis. Et ſi per informationem reperitis confeſſionem, approbationem, ratificationem & renunciationem præfatas in dicto inſtrumento, ut præmittitur contentas à veritatis ſubſtantia deviare, præfatum *Petrum* auctoritate noſtra reſtitui faciatis priſtinæ libertati, ſibique liberam licentiam inpertiri ad dictam ſedem perſonaliter veniendi, & jus ſuum ſuper prædictis libere proſequi valeat apud eam, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

An. Dñi 1332.

Anno igitur Domini M.CCC.xxxij. x. kalend. Marcii *Ricardus* Prior eccleſiæ ſanctæ *Trinitatis* miſit certos nuncios & fecit eos jurare, quod fidelem relationem facerent de eo quod eſſet eis commiſſum in negotio prædicto & de reſponſionibus ſibi datis, & tradidit eis talem formam.

RICARDUS *permiſſione divina &c. Literas apoſtolicas dudum recepimus ejus qui ſequitur tenoris*, *Johannes* epiſcopus ſervus ſervorum Dei: & infra. *Nos igitur Prior volentes ut tenemur prædictum mandatum apoſtolicum exequi reverenter, vobis domino abbati auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa tenore præſentium intimamus, quod ſecundo die à die quo præſentes receperitis computando, die receptionis minime computato, perſonaliter erimus in corpore eccleſiæ veſtræ pro prædicto mandato apoſtolico exequendo, Domino concedente. Et ideo nos Prior, vos dominum Abbatem auctoritate ſupradicta monemus in virtute obedientiæ qua ſedi tenemini antedictæ, quatinus prædictum* P. *dictis die & loco coram nobis exhibeatis vel faciatis corporaliter exhiberi, ita quod ipſo* P. *in ſtatu libertatis poſito, poſſumus nos cum ipſo informari ſuper hiis de quibus & prout requirunt literæ apoſtolicæ ſupradictæ. Vobis eciam auctoritate apoſtolica & in virtute obedientiæ firmiter injungendo mandamus, has præſentes literas noſtras & omnia & ſingula in eiſdem contenta conventui veſtro notificetis, intimetis, & publicetis, vel hæc fieri faciatis; & ipſas literas perlegi coram eis, quodque conventui veſtro ac veſtris familiaribus & miniſtris inter vos moram facientibus diſtricte inhibeatis, ne quovis modo inpedimentum præſtent præſtarive procurent quo minus prædictus* Petrus *poſſit coram nobis exhiberi, & nos prædictum mandatum apoſtolicum libere et plene exequi ut tenemur.* Set iſtis nunciis non permiſſis accedere ad abbatem, & tali relatione facta Priori ſupradicto, ſtatim dixit, ſe velle ad præfatum monaſterium perſonaliter declinare pro prædicto mandato apoſtolico exequendo.

Igitur viij. kal. Marcii, ſcilicet die ſancti *Petri* in cathedra, idem Prior perſonaliter acceſſit ad præfatum monaſterium. Et cum ingrederetur clauſtrum, occurrerunt duo monachi eidem Priori ad hoſtium clauſtri, dicentes quod oporteret eum exire quia conventus fuit congregatus in capitulo. Et Prior dixit, quod venit ibidem pro mandato apoſto-

Edw. III. Rex.

lico exequendo. Et prædicti monachi dixerunt, Quod recederet à clauſtro, dicentes quod conventus tractabat ſecreta in capitulo prout ipſe bene novit. Unde requiſivit illos & eis in virtute obedientiæ injunxit, quod irent ad conventum tunc in capitulo congregatum & notificarent eis cauſam adventus ſui, & quod vellet habere colloquium cum eis & tractatum pro mandato apoſtolico exequendo, & quod requirerent conventum; quod ob reverentiam ſedis apoſtolicæ placeret eis poſt ſecreta capituli expedita dictum Priorem in capitulo expectare, ita quod poſſet eis literas apoſtolicas intimare. Item, idem Prior requiſivit illos duos monachos, quod intimarent abbati cauſam adventus ſui, & quod placeret ſibi quod idem Prior poſſet habere acceſſum ad eum. Et reſponderunt, Quod non irent ad abbatem ratione nunciationis ſuæ ſet ſicut vicinus ad rogatum ejus, & reſponſionem abbatis libenter referrent. Quibus ſic factis redierunt una cum domino *Thoma Ponci* doctore theologiæ. Et idem *Thomas* reſpondit, Quod non potuit habere acceſſum ad abbatem propter infirmitatem qua tunc detinebatur. Et incontinenti injunxit domino *Stephano de Hakendon* Priori tunc præſenti, quod congregaret conventum ita quod poſſet mandatum apoſtolicum eis intimare. Et *Stephanus* Prior reſpondit quod voluit conſulere fratres ſuos, & receſſit; nec mora, rediit ad Priorem *Cant.* exiſtentem in clauſtro, ſic dicendo, Quod noluerunt parere ſibi tanquam executori mandati apoſtolici nec tanquam judici, nec conventum ad ipſius monitionem poſſe congregare. Quo viſo, idem Prior quaſdam monitiones protulit & injunctiones. Cujus tenor talis eſt.

In Dei nomine Amen. Nos Ricardus *Prior eccleſiæ* Cant. *monemus auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa vos abbatem & conventum, & vobis in virtute ſanctæ obedientiæ qua ſedi apoſtolicæ eſtis aſtricti firmiter injungimus, quod corporaliter exhibeatis* Petrum de Dene *quem in veſtro monaſterio invitum detinetis, coram nobis die craſtina in corpore eccleſiæ veſtræ, ita quod ipſo in ſtatu libertatis poſito poſſumus nos cum ipſo informare ſuper illis ſuper quibus literæ apoſtolicæ requirunt, & ulterius mandatum apoſtolicum exequi ſecundum exigentiam ipſorum. Vos vero* Stephanum *Priorem hujus monaſterii & omnes hic præſentes auctoritate & virtute ſanctæ obedientiæ monemus & injungimus, quatinus monitiones & injunctiones noſtras quin verius apoſtolicas abbati & conventui intimetis, & ad noticiam ipſorum deducatis quam celerius poteritis ſine mora modo quo ſciveritis & poteritis meliori.* Et ſtatim idem Prior *Cantuarienſis* ivit in chorum; & ibi invenit xx. monachos & amplius in alta miſſa congregatos, & poſt offertorium ſtetit in medio chori, & monitiones & injunctiones ſupradictas ibidem coram eis fecit recitari.

In craſtino vero ſancti *Petri* idem Prior aſſociatis ſibi Præpoſito de **Wyngham** & aliis tam monachis prædictæ eccleſiæ quam aliis, in multitudine copioſa venit ad monaſterium ſancti *Auguſtini*. Et cum veniſſet ad portam eccleſiæ prædictæ per quam competeret ipſum tranſire ad eccleſiam, invenit eam clauſam ita quod non patuit ingreſſus ad eandem niſi per unum parvum wykettum. Erat eciam ex utraque parte munita groſſis cathenis ferreis ex tranſverſo ductis, & ex parte interiori, multitudine eciam cuſtodum munita. Et dictus Prior & quidam qui venerunt cum eo quibus cuſtodes dictæ portæ placuerunt permittere ingreſſum, ingrediebantur per dictum wykettum ſucceſſive ſolus poſt ſolum, Qui & Priori dixerunt quod ingrederetur cum ſuis fratribus clericis, & familiaribus decentibus, & eciam neceſſariis; & remanſerunt extra portam circiter ducenti viri. Deinde venit ad hoſtium dictæ eccleſiæ & illud invenit ſeratum, ita quod non patuit pro eo, nec pro ſuis ingreſſus, niſi per unum parvulum wykettum in ipſo hoſtio apertum per quod vix unus ſolus homo ingredi potuit. Ipſis tandem ingreſſis, præfatus Prior cum ſuo conſilio in corpore eccleſiæ ex parte auſtrali ſedens, præcepit alta voce & publice in diverſis locis illius eccleſiæ proclamare, quod abbas & conventus exhiberent corporaliter coram ipſo magiſtrum *Petrum de Dene*, ita quod ipſo in ſtatu libertatis poſito poſſit informationem recipere cum eodem. Tali proclamatione in diverſis locis eccleſiæ prædictæ publicata, ecce dominus *Stephanus de Hakendon* Prior cum aliis monachis octo, etiam magna clericorum & laicorum multitudine adduxerunt præfatum *Petrum* ad præſentiam dicti Prioris, & ipſum à tanta diſtancia collocarunt quod prædicti Prior & *Petrus* non potuerunt adinvicem habere colloquium niſi in audientia monachorum hujus loci & aliorum eis adhærentium, qui aſtabant eundem *Petrum* quaſi circumcingendo. Prior vero *Cantuariæ* præcepit legere literas apoſtolicas; ſet monachi & clerici abbatis hujuſmodi lecturæ faciendæ reclamarunt, & per clamorem nitebantur inpedire ne prædictæ literæ ibidem legerentur; ſet tandem maxima difficultate lectæ fuerunt. Quibus lectis, idem Prior præcepit exponi in vulgari; ſet pars abbatis per clamores & ſtrepitus inpedierunt quod exponi non poſſent: & inter cætera clamarunt quod ipſe Prior audiret eundem *Petrum*. Et reſpondit quod ideo venit ut audiret eum; & proteſtatus fuit quod ſi idem *Petrus* eſſet poſitus in ſtatu libertatis, ipſe libenter & benigne audiret quæ vellet dicere. Et fecit quandam monitionem ſub tali forma.

Simon M. Archiep.

Nos Ricardus *eccleſiæ* Cantuariæ *Prior executor in hac parte à ſede apoſtolica deputatus, volentes nos cum* Petro de Dene *presbytero* Ciceſtrenſis *dioceſis hic coram nobis præſente informare ſecundum exigentiam literarum apoſtolicarum, monemus auctoritate apoſtolica omnes & ſingulos hic præſentes ſub pœna excommunicationis quod recedant & trahant ſe in partem, ita quod poſſimus libere cum prædicto* Petto *informare, exceptis hiis qui nobiſcum comitati ſunt.* Et poſtea ſæpius viva voce monuit omnes monachos clericos & laicos dicti monaſterii ibidem in magna multitudine aſtantes, quod recederent & traherent ſe in partem. Sed illi hujuſmodi monitionibus reclamarunt nec parebant eiſdem, ſet prædicto *Petro* ſemper aſtiterunt. Et frater *Salamon de Ripple* ad monitiones dicti Prioris reſpondit ſic dicendo, **Truſeles, truſeles, truſeles**, & eciam dicendo, Nolumus parere ſibi, prout nec tenemur. Et cauſa illius *Salamonis* fuit hæc & juſta, quia pars abbatis arguebat & inpugnabat dictam bullam fore falſam & carens ſtilo curiæ *Romanæ* ſolito & conſueto, & multipliciter ſuſpecta propter raſuras & alios defectus in ipſa contentos & ſurrepticie inpetrata, & proteſtabatur quod vellent eiſdem

Edw. III. Rex.

eiſdem reverenter obedire, ſi quando poterit apparere dictum reſcriptum eſſe verum, nunc autem falſatum vel falſum & multipliciter ſuſpectum propter raſuras in diverſis locis tam de alia manu quam de diverſo incauſto. Et nota quod verba ſuſpecta & ſic raſa notantur in bulla per ſubtractionem linearum, et arripuerunt prædictum *P.* & abduxerunt eum. Et Prior videns quod præfatus *Petrus* non fuit iterum reexhibitus; ob reverentiam abbatis & conventus expectavit uſque in craſtinum. Quo die veniente ſæpedictus Prior declinans ad prædictum monaſterium pro dicto negotio ulterius exequendo, et cum veniſſet ad portam cimeterii invenit eam apertam, munitam tamen cum multitudine cuſtodum qui ſtabant in magna multitudine ex utroque latere ordinati unus juxta unum ad magnam diſtantiam, ita quod non patuit eidem Priori ingreſſus niſi tranſeundo inter dictos cuſtodes. Et illo in corpore eccleſiæ tandem conſtituto, præcepit fieri proclamationes quæ ſupra nominantur, in materna lingua. Poſt quas proclamationes præfati *S.* Prior monaſterii prædicti et alii in magna multitudine adduxerunt *Petrum* ad præſentiam Prioris, & eum collocarunt in loco aliqualiter viciniori. Et tunc Prior monuit omnes & ſingulos ibidem præſentes exceptis vj. perſonis de conſilio ſuo ibidem nominaliter expreſſatis quod recederent et traherent ſe in partem, et tunc *S.* Prior hujus loci et alii dixerunt, quod ſi retraherent ſe voluerunt habere duos notarios in receptione informationis. Set Prior hoc renuit & dixit quod voluit eligere perſonas quas ſecum voluit habere in informatione recipienda. Et cum hoc fuiſſet aliquandiu altercatum, tandem idem *Petrus* excitatus dixit, quod voluit habere Priorem ſuum et *Salamonem* et duos notarios, et rogavit eos quod facerent cum eo moram. Tamen Prior eccleſiæ Chriſti ſub pœna excommunicationis monuit eos quod recederent, qui dixerunt ſe nolle recedere niſi ad mandatum dicti *Petri*. Tandem ad rogatum illius *Petri* ad partem ſe retraxerunt, ita quod aliqui eorum circiter xiiij. alii xvj. et alii xx. pedum ſpacium à prædicto *Petro* diſtabant. Quibus ſic aliqualiter ad partem tractis, Prior quæſivit an eſſet vere monachus, et an placeret ſibi manere in eodem monaſterio. Et ipſe alta voce reſpondit, ſe eſſe verum monachum, et ſe in prædicto monaſterio velle permanere, et adjecit, In ſtatu libertatis poſitus ſum et monachus in iſto monaſterio canonice profeſſus, quod vobis et omnibus aliis volo eſſe notum, et ſi vobiſcum ſedero uſque ad noctis tenebras aliam informationem de me non recipietis. Et eciam alta voce multa verba contumelioſa protulit tunc ibidem contra concilium ejuſdem Prioris; dicens, quod fecerunt ſibi magnas injurias et male regularunt Prirem in proceſſu ſuo. Et unus eorũ dixit ſubmiſſa voce, "Magiſter *Petre*, vos non poteſtis dicere quod fecimus vobis injuriam, quia ad nichil aliud laboravimus niſi quod eſſetis poſitus in tali ſtatu in quo poſſetis abſque metu exprimere voluntatem veſtram, et licet voluntas veſtra foret in hoc monaſterio perpetuo morari, dominus meus Prior reſtitueret vos priſtinæ libertati, & daret vobis liberam licentiam eundi ad curiam *Romanam* pro negotiis veſtris proſequendis. Eſto quod faceret injuriam abbati & conventui, vobis autem nullam vel modicam quia poſſetis redire ad monaſterium & ibidem perpetuo remanere." Et *Petrus* reſpondit, quod ipſe fuit liber et in ſtatu libertatis, & quod ſi eſſet juvenis & corpore potens, ipſe libenter iret ad curiam *Romanam*. Et cum quæſitum eſſet ab eodem, Ad quem effectum? alta voce reſpondit, Quod ad conquerendum de injuria ſibi per dictum Priorem & ſuum conſilium nequiter illata. Quibus auditis, dictus Prior & eidem aſſidentes ſtatim abinde vacuis manibus receſſerunt. Fuerant enim idem Prior & ſui complices publice comminati quod præfatum *Petrum* nobis invitis extra religionem ſuam & monaſterium abducerent, alioquin tam abbatem hujus monaſterii quam Priorem & alios majores ſuſpenderent & excommunicarent, & monaſterium eccleſiaſtico ſupponerent interdicto. Et nota quod expendimus per ſuggeſtionem archiepiſcopi pro reſcuſſu facto de eodem *Petro* apud Wilgheſbourne & Otehelle, ut patet in placito habito coram *Galfrido Scrop* Juſticiario domini regis xl. li. & amplius. Inſuper oneratum fuit iſtud monaſterium de annua penſione x. marcarum conceſſa cuidam *Matildæ de Wilminton* ad terminum vitæ ſuæ, & ſecta regis erga perſonam dicti *Petri*, vaſa ſua argentea & floreni per preces *Elianoræ* ſororis regis per ſuggeſtionem ejuſdem *Matildæ* abbati & conventui per cartam regis pardonantur.

J. Stratf. Archiep.

§.3. *Obitus* Simonis Mepeham *archiepiſcopi*.

An. Dñi 1333.

ANno Domini M. CCC. xxxiij. *Simon de Mepham Cantuarienſis* archiepiſcopus conſiderans quod ſingula quæ tam injuſte huic monaſterio inferebat in caput ſuum proprium merito ſic redundarent, & ſententiis in eum hinc inde exigente juſtitia judicialiter & ſententialiter fulminatis animæ & vitæ ſuæ cedens tædio feſſus, in craſtino ſancti *Dionyſii* hac luce ſubtractus inhumatus jacuit, donec domini *Thomæ Poncy* abbatis, *Radulphique* immediate ſucceſſoris eſſet abſolutione inſignitus. Et ſic illius *Thomæ* benedictione præventus, eccleſiaſticæ traditur ſepulturæ, et ſubſequenter in craſtino animarum dominus *Johannes Stratford* epiſcopus *Wyntonienſis* in archiepiſcopatum *Cantuariæ* poſtulatur.

§.4. *De fine facto cum rege, ne Juſticiarii itinerantes ulterius procederent.*

EOdem vero anno venerunt Juſticiarii itinerantes *Cantuariam*, & ſederunt ibidem per vj. ſeptimanas et amplius, levantes & ad opus regis colligentes per idem tempus de populo *Canciali* ultra ſummam mille librarum. Tandem conſilio inito à Prælatis & aliis dicti comitatus proceribus, ne ulterius Juſticiarii prædicti procederent, domino regi mille marcas gratis optulerunt. Ad cujus ſummæ ſolutionem dominus *Radulphus* abbas cum paucis cæteris fuerat obligatus.

CAP. XXXVII.

§.1. *De electione* Thomæ Poncy.

1334.

ANno Domini M. CCC. xxxiiij. in craſtino Purificationis, venerabilis pater dominus *Ra-*

Edw. III. Rex. *dulphus* hujus loci pater quinquageſimus ſecundus in ſenectute bona anno ſui regiminis xxvj. hoc ſæculo exemptus, deſolatum relinquens ſuum gregem cœlo vocatus eſt, & ſub muro boriali ex oppoſito capellæ cometiſſæ honorabiliter jacet humatus.

Eodem anno primo die menſis Marcii fuit dominus *Thomas Poncy* Doctor ſacræ paginæ electus in abbatem monaſterii iſtius, & iiij. kal. Aprilis arripuit iter verſus *Avinionem*, ubi tunc curia reſidebat: Et in vigilia ſancti *Georgii* venit *Avinionem*, et die dominica ſcilicet in craſtino ſancti *Barnaba* fuit ibidem benedictus. Et die ſancti *Laurencii* Martyris arripuit iter verſus *Angliam*, & in ordinatione ſancti *Gregorii Dovoram* apprehendit. Et erant expenſæ à *Dovora* uſque ad *Avinionem* per iij. ebdomadas & iij. dies xxj. li. xviij. s. xj. d. Expenſæ ibidem ſtando videlicet à vigilia ſancti *Gregorii* uſque ad vigiliam S. *Laurentii* Martyris xcviij. li. iiij. s. v. d. ob. Et in expenſis verſus *Angl.* xxviij. li. viij. d.

§.2. *Quæſtio inter Papam &* Johannem xxij. *et fratrem* Thomam Waleys.

TEmporibus quibus idem *Thomas* ſtetit in curia *Romana* erat quædam quæſtio ibidem agitata inter papam *Johannem* xxij. & quendam fratrem de ordine prædicatorum nomine *Thomam Waleis*, & eſt quæſtio, Utrum animæ beatorum videbunt Deum facie ad faciem ante diem judicii. Dominus papa & omnes curiæ Cardinales, uno duntaxat excepto qui ſucceſſit ei ſine medio in epiſcopatum *Romanorum*, tenebat partem negativam quæſtionis. Frater autem *Thomas Waleys*, & pauci cum eo partem ejus affirmativam, & pro hujuſmodi quæſtionis deciſione tota curia diutius erat fatigata & perturbata, quia multi Doctores eximii papalem offenſam metuentes, & negocia rerum ſuarum promovere celeriter affectantes, conſcientia ſua læſa intentum papæ approbabant, & illud tam legendo quam aſcribendo conſentierunt. Et contigit ut in iſta turbata fluctuatione idem *Thomas Poncy* Doctor theologicus et profundus ad eandem curiam cauſa ſuæ electionis proſequendæ accederet; Et ſtatim in iſto negocio cum cæteris juſſus eſt conferre, & intentum ſuum in hujuſmodi quæſtionis ſolutione in conſiſtorio palam divulgare. Illo vero ſe excuſante tum quia non habuit copiam librorum, tum quia venerat non ad quæſtiones terminandas, quia habebat unum aliud expediendum quod erat ſibi magis neceſſarium, & quia in tam remotis partibus poſitus non potuit ſine magnarum expenſarum incommodis longam ibidem facere moram; Tamen, iſtis rationibus non obſtantibus, negabatur ſibi de curia receſſus antequam ſuam conſcientiam in illo propoſito liberaret, et ex habundanti de libraria domini papæ fuerunt ſibi codicelli exhibiti ſufficienter et miniſtrati. At ille habita aliquali deliberatione malens ad tempus indignationem ſummi pontificis ſuſtinere, & expeditionem ſuam parumper ſiniſtrare, quam contra fidem catholicam et ſuam conſcientiam ſcienter publice proferre, opinionem dicti *Thomæ* fratris fore tenendam opinavit, et eam tam legendo quam eciam ſcribendo approbavit. Tandem eodem papa in extremis laborante, miſit in omnes fines terræ nuncios ſuam erroneam opinionem revocando; Quæ revocatio *Thomæ* abbati prænotato, ad magnam ceſſit laudem et honorem.

J. Strat. Archiep.

§.3. Salamon de Ripple *monachus fit per abbatem Receptor x. et xv.*

An. Dñi 1335.

ANno Domini M.CCC.xxxv. fuit idem abbas collector decimæ & quintæ decimæ in dioceſi *Cantuarienſi* & juriſdictionibus immediate ſubjectis in magnum ſcandalum, dampnum & gravamen, abbate vero hujus facti inconſcio. Ordinavit denique quendam monachum nomine *Salamonem de Ripple* receptorem denariorum in hujuſmodi collectione levandorum. Qui vero *Salamon* hujus ſeculi prudens, fabricavit ſibi ſtateram abbati & conventui poſtea doloſam & abhominabilem quæ dicitur **Penyppiſe**, & cum illa triavit xx. s. in denariis antiquis ponderis maximi, cum quibus æqua lance recipiebat denarios quorumcumque. Et qui ſperabat ſe per xx. s. acquietare, invitus ex ſuper habundanti artabatur infundere v. s. vel iij. s. iiij. d. ad minus, Et cujus pars decimæ vel quintædecimæ plus contingebat, plus ab eo extorquebatur. Tandem vero tota dioceſis ſuper hiis injuſte gravata ad remedium conſequendum concilio domini regis querimoniam depoſuerunt. Unde dominus rex ordinavit apud *Roffam* hujuſmodi cauſam audiendam & terminandam: Et fuerunt Juſticiarii ad hoc ſpecialiter limitati Comes *Oxoniæ* et dominus *Henricus Grene*, coram quibus vocatus eſt abbas, & coram eis ſtans ante barras pœnam exceſſus ſui monachi recepturus; Condempnatus eſt ergo verſus regem pro illa offenſa in lxxx. libris, ſuis expenſis & amplis muneribus ob hanc cauſam habitis minime computatis, Et præter hoc juſſus eſt refundere & ſatisfacere petitioni cujuſcumque, & inventis plegiis ſcilicet dominos *Johannem Griel* & *Stephanum de Walans* milites de ſtando judicio eorum licenciatus remeavit.

§.4. *Beneficia* Salomonis de Ripple.

IDem *Salamon* tempore *Radulphi* abbatis erat cuſtos maneriorum de **Noꝛdboꝛne**, **Littlsboꝛne**, **Stodmerſch**, & de **Chiſlet** in quibus locis multa laude digna feciſſe comprobatur, apud **Noꝛdboꝛne** conſtruxit capellam à fundamentis pulcherrimam, horrea ibidem, et apud **Litylmungam** perampla ædificavit, et apud **Chiſtlet** capellam ad inſtar prioris capellæ fabrificavit. Apud **Lytlsboꝛne** terras undique diſperſas in unum congregavit, et multas inibi de novo perquiſivit, omnibus domibus manerii ibidem per eum quaſi totaliter ædificatis & à ſolo ſumptuoſe erectis.

§.5. *Compoſitio inter* Johannem Stratford *et nos.*

IStis temporibus æmulatores *Auguſtinenſis* cœnobii tranquillam noſtram pacem invidentes, talemque victoriam puta de archiepiſcopo *Cantuarienſi* una cum dampnis & expenſis per ſententiam latam graviter ferentes, dominum *Johannem Stradforde* ſucceſſorem ejuſdem iteratis vicibus adierunt, moventes eum adverſus *Auguſtinenſem* eccleſiam, dicentes, Si hii tranſierint ſic intacti, & tales pecuniarum ſummæ tali cauſa ab archiepiſcopo *Cantuarienſi* extorquerentur, eſſet quaſi ſubverſio dignitatis primaciæ ſuæ: ſicque per vices eum pulſarunt. Tandem eundem archiepiſcopum ad iracundiam

Edwar. III. Rex.

J. Stratf. Archiep.

diam concitarunt. Cujus rei cauſa miſit abbati & conventui, quod niſi cum illo componeremus & ſententiam domini *Icherii* revocaremus, eamque totaliter quaſſaremus, perpetuum ſe proteſtatus fuit fore inimicum; licet tamen ad ſe vel eccleſiam ſuam hæc ſententia vel pecuniæ multacio nichil pertineret, immo verius ad executores defuncti. Talibus vero comminationibus aliqualiter territi, ejus tyrannidem metuentes, utpote quia dextera regis & tocius regni procurator, promotor & patrocinator, & interim aliquibus injuriis fatigati, & unde jura noſtra poſſemus defendere ad manum non habentes, extitit inter partes Compoſitio formam continens infraſcriptam.

« IN Dei nomine Amen. Cum olim religioſi viri Abbas & Conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ad *Romanam* eccleſiam nullo medio pertinentis omnimodam juriſdictionem ſpiritualem tam in eccleſiis parochialibus ſibi appropriatis in *Cantuarienſi* dioceſi quam in aliis in quibus jus patronatus habebant, ſibi competere vendicarent, adeo quod in eis Rectores, vicarios, & clericos lege inſtituerent, & proceſſiones pentecoſtales ad eccleſiam *Cantuariæ* per dictos Rectores, vicarios & clericos & parochianos dictarum eccleſiarum conſuetas fieri prohiberent, nec in tranſitu archiepiſcopi *Cantuarienſis* campanas pulſari in dictis eccleſiis permittebant: Propter quæ cum bonæ memoriæ *Robertus Cantuarienſis* archiepiſcopus tocius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus, ad dictam ſedem apoſtolicam appellaſſet, & ſuper præmiſſis injuriis ſibi et eccleſiæ ſuæ illatis & aliis querelam depoſuiſſet apud ſedem eandem, felicis recordationis *Bonefacius* papa viij. ſuper dictis querelis plenius informatus, totum negocium per viam proviſionis, ordinationis et declarationis ſub compendio diffinivit, ſicut continetur in literis apoſtolicis ejuſdem *Bonefacii* ſub data *Laterani* xiij. kal. Aprilis pontificatus ſui anno nono. Et licet hujuſmodi ordinatio, proviſio, declaratio et definicio per recolendæ memoriæ *Johannem* papam xxij. ipſarum de verbo ad verbum recitato tenore confirmatæ fuiſſent per literas ipſius *Johannis* papæ ſub data *Avinionis* kal. Aprilis pontificatus ſui anno xviij. evidenter apparet, Inimico tamen homine zizania ſeminante ſuper comparitione dictorum religioſorum, et parochianorum eccleſiarum ſuarum in viſitatione dicti archiepiſcopi *Cant.* ratione dictarum eccleſiarum in dioceſi *Cantuarienſi* appropriatarum eiſdem, & ſuper modo exhibitionis privilegiorum, jurium, munimentorum dictorum religioſorum et quibuſdam aliis, ſuborta fuit gravis materia quæſtionis, quæ tam in *Anglia* coram delegatis à ſede prædicta, quam in *Romana* curia inter præfatos religioſos & bonæ memoriæ dominum *Simonem Cantuarienſem* archiepiſcopum non ſine gravibus utriuſque partis laboribus expenſis fuit diutius agitata, et adhuc in ipſa curia pendere dinoſcitur indeciſa. Præfato igitur domino *Simone* archiepiſcopo, vocante Domino, ab hac luce ſubtracto, et venerabili patre domino *Johanne* Dei gratia nunc *Cantuarienſi* archiepiſcopo, ſicut Domino placuit, eidem canonice ſubſtituto placuit tam dicto domino *Iohanni* archiepiſcopo per ipſos religioſos diligenter et humiliter requiſito, quam religioſis prædictis, pro gravaminibus hujuſmodi et aliis diſpendiis evitandis, per viam amicabilis compoſitionis lites et diſcordias dirimere ſupradictas. Convenientibus igitur præfatis domino *Johanne* archiepiſcopo et religioſis cum concilio eorundem, poſt tractatus diverſos deliberatione habita diligenti fuit inter eos per viam compoſitionis conſenſum, et in modum qui ſequitur concorditer ordinatum. In primis fuit quoad modum comparitionis et exhibitionis hujuſmodi dictorum religioſorum in viſitationibus dicti domini *Iohannis* archiepiſcopi *Cantuariæ* ſuam dioceſim aut aliam in qua ipſi religioſi aliquam eis appropriatam eccleſiam obtinuerunt viſitantis, dicti religioſi coram eo vel ſuis in ea parte Commiſſariis in viſitatione ſingulorum decanatuum in quibus ipſi religioſi eccleſias ſibi appropriatas, portiones decimarum in parochiis alienis, vel penſiones aut capellas, vel Oratoriam in quibus divina faciunt celebrari habere noſcuntur, per ſufficientem procuratorem ad allegandum & proponendum pro ſe & jure ſuo quod in hujuſmodi eccleſiis & aliis ſupradictis ſe aſſerunt optinere, & ad recipiendum terminum competentem, & locum congruum & ſecurum, per dictum dominum *Iohannem* archiepiſcopum vel ſuos Commiſſarios aſſignandos, ad realiter exhibendum privilegia, jura & munimenta dictorum religioſorum tam ſuper exemptione ipſorum in capite & membris, quam ſuper hujuſmodi appropriatis eis eccleſiis & aliis ſupradictis, per procuratorem hujuſmodi, legitime comparebunt, & quod in loco & in termino ipſis taliter aſſignatis per procuratorē hujuſmodi privilegia, jura & munimenta ſupradicta realiter exhibebunt, & fidelem copiam ſibi facient de eiſdem, & terminum ac locum recipient ut præmittitur competentes ad audiendum pronunciationem & declarationem ipſius domini *Iohannis* archiepiſcopi ſeu Commiſſariorum ejuſdem ſuper exhibitis antedictis. In quo termino idem dominus *Iohannes* archiepiſcopus, vel ſui Commiſſarii prout ſibi juſtū videbitur pronunciare curabunt, vel alium terminum competentem ad idem faciendum aſſignabunt eiſdem, quouſque ſuper hujuſmodi exhibitis poſſunt ipſi religioſos juſtitia prævia ſententialiter expedire, quod abſque præjudicio privilegiorum hujuſmodi celerius fiet quo poterit bono modo. Item ſuper reparationibus defectuum, cancellorum, librorum, et ornamentorum in præfatis eccleſiis & manſis earum tempore viſitationis hujuſmodi repertorum, conſenſum extitit & concorditer ordinatum, quod idem dominus *Johannes* archiepiſcopus, dictos religioſos per quaſcumque vias & cenſuras eccleſiaſticas ad reparationes defectuum prædictorum ac ad jura epiſcopalia & omnia onera ratione ſpiritualium eccleſias ipſorum concernentia in dictis eccleſiis incumbencia, quæ à vicariis aut parochianis earundem agnoſci non debebunt de conſuetudine vel de jure ſubeunda & perſolvenda, necnon ad augmentum et aſſignationem portionum, vicariorum ſuarum eccleſiarum prædictarum, unde onera ipſis incumbentia ſupportare & congruam ſuſtentationem habere valeant, ſi & quando opus erit canonice cohercere. Ad hæc ſuper revocatione ſententiæ magiſtri *Icherii de Concoreto* olim in *Anglia* nuncii domini papæ auctoritate apoſtolica ut dicitur promulgatæ, ac proceſſuum in-

Edw. III. Rex.

« ter ipſos religioſos & parochianos eccleſiarum ſu-
« arum ac bonæ memoriæ dominum *Simonem* quon-
« dam *Cant.* archiepiſc. inceptorum, litium ac cauſa-
« rum quæ in curia *Romana* vel alibi ea occaſione
« indeciſæ pendere noſcuntur ordinatum extitit et
« conſenſum, Quod præfati religioſi per viam re-
« nunciationis vel aliam legitimam per conſilium
« dicti domini *Johannis* archiepiſcopi ordinandam,
« hujuſmodi proceſſus revocari quatenus ordinati-
« oni, proviſioni, declarationi, diffinitioni & confir-
« mationi dominotum *Bonifacii* & *Iohannis* prædi-
« ctorum ſeu in hiis ſuperius expreſſatis obviant
« quovis modo, lites & cauſas conquieſcere perpe-
« tuo et omnino ceſſare ſuis expenſis et laboribus ef-
« fectualiter procurabunt, & proteſtabantur dictæ
« partes expreſſe, quod proviſio, ordinatio, decla-
« ratio & diffinitio felicis recordationis *Bonefacii*
« papæ viij. prædicti, Et confirmatio recolendæ me-
« moriæ *Iohannis* papæ xxij. de quibus præmittitur,
« in omnibus capitulis & articulis obſerventur, &
« quod per præmiſſa vel compoſitionem hujuſmodi
« eis vel contentis in ipſis præjudicium nullum fiet,
« nec in aliquo recedatur ab ipſis vel aliquibus con-
« tentis in eis in proteſtationem dictæ partes con-
« ſentiebant expreſſe.

Procuratoria vero, virtute quorum dicti religioſi in dictis viſitationibus comparebunt, pro omni ambiguo removendo erunt tenoris & continentiæ infraſcriptæ.

Pateat univerſis per præſentes, quod nos Thomas *permiſſione divina abbas monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *ad* Romanam *eccleſiam nullo modo pertinentis ordinis ſancti* Benedicti, *ordinamus, facimus & conſtituimus dilectum nobis in Chriſto* N. *clericum procuratorem noſtrum ad allegandum privilegia exemptionum nobis & monaſterio noſtro a ſede apoſtolica indultis, appropriationeſque eccleſiarum & alia munimenta ſuper porcionibus decimarum noſtrarum in parochiis alienis, penſionibus aut capellis vel oratoriis in quibus divina contigerit celebrari, nos & monaſterium noſtrum concernentia, coram venerabili patre domino* Johanne *Dei gratia* Cantuarienſi *archiepiſcopo tocius* Angliæ *primate ſeu ejus Commiſſario, Nec non ad recipiendum aſſignationem termini competentis & loci congrui & ſecuri ad exhibenda prædicta quibus uti intendimus, & ad realiter exhibendum eandem dictis loco & tempore per dictum patrem ejus vel Commiſſarium pro facti qualitate ipſorum legitime moderandam, & fidelem copiam ſibi faciendam de eiſdem ad terminum & locum recipiendam ut præmittitur competentes, ad audiendum pronunciationem et declarationem dicti domini* Johannis *archiepiſcopi ſeu Commiſſariorum ejuſdem ſuper exhibitis antedictis, alium procuratorem loco ſui ſubſtituendum & ſubſtitutum revocandum et officium procuratoris reaſſumendum, & omnia alia et ſingula faciendum quæ in præmiſſis & circa premiſſa neceſſaria fuerint ſeu etiam oportuna, ratum et gratum habituri quicquid dictus procurator & ejus ſubſtitutus duxerit faciendum in præmiſſis.*

§.6. *Inquiſitio de terris et tenementis adquiſitis in* Natyndon *et alibi poſt ſtatutum.*

An. Dñi 1341. ANno Domini M.CCC. xlj. fuit quædam inquiſitio facta per ſacramentum, videlicet *E. Stablegate, R. Koter, S. Algar, I. de Hammyngherſt, I. Atechirche, R. de ſancto Martino,* & aliorum xij. ad recognoſcendum ſi abbas ſancti *Auguſtini* habeat in villis de Natindon, Swanes, Wezwarnwerſche & Kellynge, et in hundredis de Breggeworthe et Bottone aliqua alia temporalia quam ea quæ fuerunt de poſſeſſione dictæ domus ſuæ anno domini *Edwardi* quondam regis *Angliæ* avi iſtius regis xix. aut aliqua bona mobilia alia quam de temporalibus illis exeuntia, ac eciam ſi terræ & tenementa illa quæ abbas habet in Natindon ſunt membra vel parcellæ de Salmanſton necne. Et jurati ſuper hoc dixerunt, quod abbas ſancti *Auguſtini* non adquiſivit ſibi vel eccleſiæ ſuæ in villis et hundredis prædictis aliqua alia temporalia infra tempus ſupradictum niſi illa de quibus per cartas regias eſt ſufficienter licentiatus et munitus. Dicunt eciam, quod terræ et tenementa quæ idem abbas habet in Natindon non ſunt membra de Salmanſton, ſet ad quamlibet x. & xv. in hundredo de Bregge tenentur contribuere pro ſua porcione.

J. Strat. Archiep.

Anno Domini M.CCC. xliij. fuit proceſſus ſuper firma manerii regis de Mydilton *per ipſum regem per formam quæ ſequitur.*

An. Dñi 1343.

« EDWARDUS Dei gratia &c. Inſpeximus
« tenorem recordi & proceſſus cujuſdam loque-
« læ nuper coram nobis habitæ & poſtmodum in
« cancellariam noſtram ad mandatum noſtrum
« miſſæ in hæc verba.

Tenor recordi et proceſſus loquelæ de qua in billa huic rotulo conſuta fit mentio habitæ coram domino rege termino ſanctæ *Trinitatis* anno regni regis *Edwardi* tercii poſt conqueſtum *Angliæ* xvij. Inter recorda de anno xvij. prædicti regis &c.

Dominus rex mandavit dilecto & fideli ſuo Willelmo Scot *& ſociis ſuis Juſticiariis breve ſuum clauſum in hæc verba.* EDWARDUS *Dei gratia rex* Angliæ *&* Franciæ *& dominus* Hiberniæ *dilectis et fidelibus ſuis* Willelmo Scot *et ſociis ſuis Juſticiariis ad placita coram nobis tenenda aſſignatis ſalutem. Recordum et proceſſum cujuſdam loquelæ ſuper perceptione decem librarum et octo peiſarum caſei quos Abbas ſancti* Auguſtini Cant. *petit ſingulis annis de manerio de* Mydilton *in manu* Philippæ *reginæ* Angliæ *conſortis noſtræ cariſſimæ ex conceſſione noſtra exiſtente, coram nobis et concilio noſtro, & poſtmodum coram concilio præfata regina habita, et coram nobis in cancellaria noſtra per dictam reginam miſſa; vobis mittimus ſub pede ſigilli noſtri, mandantes quod viſis & examinatis recordo et proceſſu prædictis ulterius ad finalem diſcuſſionem ſuper contentis in eiſdem procedatis, & faciatis quod de jure et ſecundum legem et conſuetudinem regni noſtri* Angliæ *in hac parte fuerit faciendum, Teſte meipſo apud* Weſtmonaſterium *tercio die Julii anno regni noſtri* Angliæ *xvij. regni vero noſtri* Franciæ iiij.

§.7. Recordum et proceſſus loquelæ prædictæ ſequuntur in hæc verba.

REX *Theſaurario & Baronibus ſuis de ſcaccario ſalutem. Supplicavit nobis dilectus nobis in Chriſto abbas S.* Auguſtini Cant. *quod cum ipſe de manerio de* Mydilton *in comitatu* Kanciæ *decem libras & octo peiſas caſei ſingulis annis percipere debeat*

Edw. III. Rex.

debeat, & ipſe & pradeceſſores ſui hujuſmodi decem libras & caſeum de manerio illo tempore quo idem manerium in manu noſtra & progenitorum noſtrorum regum Angliæ *extitit percipere conſueverunt, & jam pradicti decem libra & caſeus eidem abbati per aliquod tempus à retro fuerint, velimus ſibi inde ſolutionem fieri jubere; Nos ut eidem abbati quod juſtum fuerit fieri facimus volentes cerciorari ſi prafatus abbas & prædeceſſores ſui hujuſmodi decem libras & caſeum de manerio illo ſingulis annis ſicut pradictum eſt percipere conſueverunt necne, & ſi ſic, tunc quo tempore qualiter & quo modo; Vobis mandamus quod ſcrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii pradicti præmiſſa contingentibus, nos de eo quod inveneritis inde reddatis in Cancellaria noſtra ſub ſigillo ſcaccarii illius diſtincte & aperte ſine dilatione certiores hoc breve nobis remittentes. Teſte rege apud* Novum Caſtrum *ſuper* Tynam xxvj. *die Marcii anno regni ſui* xlj.

Scrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii prætextu iſtius brevis, compertum eſt quod anno xxxiv. regis *Henrici* proavi veſtri in compoto *Ricardi de Ponte* de exitibus manerii de **Middilton** inter allocationes eidem *Ricardo* factas annotatur ſic. *Et monachis ſancti* Auguſtini Cant. x. *libras de anno integro quas ſolebant percipere ſingulis annis per manus vicecomitum* Kanciæ *quando manerium de* **Middilton** *fuit in cuſtodia ſua.* Compertum eſt eciam in rotulis de annis ſequentibus de tempore ejuſdem regis *Henrici*, quod prædictæ x. libræ allocantur annuatim vicecomitibus *Kancia* quando idem vicecomites fuerunt firmarii manerii prædicti, quandoq; per talia verba: *Et monachis ſancti* Auguſtini Cant. *de elemoſina regis* x. *libras*; Quandoque non nominando, *de elemoſina Regis.* Tempore vero regis *Edw:* avi veſtri uſque annum regni ſui ſextum fiebat conſimilis allocatio vicecomitibus *Kancia* annuatim dummodo fuerunt firmarii manerii prædicti, & *Radulpho* de *Sandwico* dum fuit cuſtos dominicorum Regis in compoto ſuo de exitibus ejuſdem manerii. Compertum eſt eciam in compoto dicti *Radulphi* de eodem manerio de **Middilton** de dicto anno ſexto ſic. *Et in elemoſina conſtituta monachis ſancti* Auguſtini Cant. x. *lib. & eiſdem monachis* Almarico de Lucy & Johanni de Gracii *pro* vj. *ponder. caſei qua percipiunt in ſingulis annis de dominico de* **Middilton** *prater* xxviij. *piſas quas percipiunt in caſeo per manus ballivi de* **Middilton** *de diverſis tenentibus ejuſdem manerii pradicti anno* vjº.xxxvj. s. *videlicet pro qualibet piſa* vj. s. Conſimilis allocatio facta eſt in compoto dicti *Radulphi* de anno octavo dicti regis avi veſtri, videlicet, *Dictis monachis de* x. *libris de elemoſina conſtituta. Et eiſdem monachis & prafatis* Almarico & Johanni *de* xxxvj. s. *pro* vj. *ponderibus caſei qua percipiunt in ſingulis annis in forma pradicta.* Compertum eſt eciam in compoto dicti *Radulphi* de eodem manerio, videlicet de bonis & catallis & bladis autumpni anno octavo dicti regis *E.* avi veſtri, quod idem *Radulphus* liberavit dictum manerium cum bonis & catallis in eodem *Alianora* tunc reginæ *Anglia* habendum in dotem à feſto S. *Michaelis* eodem anno octavo finiente. Scriptum apud *Eboracum* xxiij. die Maii.

« In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, patris & filii & ſpiritus ſancti Amen. Ego *Willelmus* ineffabili Dei providencia rex *Anglorum* ex hiis quæ omnipotens Deus ſua gratia michi largiri eſt dignatus quædam concedo eccleſiæ ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli quæ ſita eſt in ſuburbio urbis *Cantuaria*, pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, prædeceſſorum & ſucceſſorum hæreditario jure: hæ ſunt eccleſiæ & decimæ duarum manſionum, videlicet **Faverſham & Middilton**, ex omnibus redditibus qui michi redduntur ex hiis manſionibus & omnibus ibidem appendentibus, terra, ſilva, pratis & aqua, excepta decima mellis & gablii denariorum. Hæc omnia ex integro concedo S. *Auguſtino* & abbati & fratribus ut habeant, teneant & poſſideant inperpetuum. Si quis autem huic noſtræ donationi contraire præſumpſerit, anathemati ſubjacebit. Facta eſt donatio in villa quæ dicitur **Wyndeſor** anno incarnationis Domini milleſimo ſeptuageſimo decimo. Teſtibus epiſcopo *Goffrido de ſeynt Loith* & *Willelmo* præſule *Lundonienſi* & *Hugone de Port* & aliis ejus quamplurimis optimatibus.

Joh. Stratf. Archiep.

A noſtre ſeigneur le Roi & a ſon counſayl monſtrent ſes humbles chapeleyns Abbe & Covent de ſeint Augſtin de Canterbire *que come le bon Roi* Willeam *Conquerour* Dengilterre *par devocion & par ſa chartre lour granta & dona entre autres choſes la deſme de totes ſes rentis & de tous autres profites aportenants a ſon manoir de* **Middilton** *forpris la diſme de rente de meel & la diſme de rente apelle Peny gavil, come piert per ſa dite Chartre dont la copie de la dit chartre eſt eſcript paramont. La quelle chartre puis eſt conferme par chartres des molts des Rois, iſſent qe eus vunt eſte pyſiblement ſervi de x. liures com de la diſme de C. liures de rente aſſiſe aportenant au dit manoir de* **Middilton**, *& de* viij. *piſes de formage de certeyn par an & de pannage & des autres profites du dit manoir en noun de diſme du temps le Roi* Willeam *avaunt dit, tanque au terce An du regne noſtre ſeigneur le Roi que ore eſt, que dieu garde, qi granta a meſtre* Johan de Florence *le dit manoir a terme de ſa vie. li quel meſtre* Johan *veſqui apres quatre auntz & lour detint lavandit diſme de rente & de formage & de pannage tout cel temps. Et puis* Beneit de Fulſham *qi eſt fermer madame la Roigne du dit manoir lour ad detenu la vaunt dit diſme de rent & de formage & de pannage du temps que meſtre* Johan *devia tanque a ore, que amounte a quatre aunts & plus du temps* Beneit. *dont les avanditis Abbe & covent prient a lour tres honurable ſeigneur* Edward *par la grace de deux noble Roi de* Engilterre, *que lui pleſe par pite & par regard de charite comander a ſes miniſtres qe les arreragis du temps meſtre* Johan *avandit lour ſoient paies, & qui li pleſe comander a* Beneit de Fulſham *avandit qil lour paie les arreragis de la dit diſme de ſoun temps que amount a quatre auntes & plus, & que eus en temps a venir penſent eſtre peiſiblement ſervi de la dit diſme en temps noſtre ſeigneur le Roi qore eſt, cum eus ount eſte en temps de ſes progenitours.*

Soit ceſte peticion mande en Cancellarie *& la certification dont le tranſeſcript eſt coſu a ceſte peticion, illoeques ſerche, & veune meſme la certificacion ou la chartre le dit Abbe, & appellez le dit* Beneit *fermer du manoir de* **Middilton** *& autres que buſoigne, ſoit illoeqes fait outre droit & reſon.*

« Rex vicecomiti *Kancia* ſalutem. Cum dominus *W.* quondam rex *Anglia* progenitor noſter per cartam ſuam quam dominus *Edwardus* nuper rex

Edw. III. Rex.

« *Angliæ* pater noſter per cartam ſuam confirmavit, conceſſiſſet eccleſiæ ſancti *Auguſtini Anglorum* epiſcopi quæ ſita eſt in ſuburbio urbis *Cantuariæ* decimas duarum manſionum, videlicet **Faverſham** & **Middiltone**, ex omnibus redditibus qui eidem progenitori noſtro reddebantur ex hiis manſionibus & omnibus ibidem appendentibus, terra, ſilva, pratis & aqua, excepta decima mellis & gabli denariorum; Habendum & tenendum ſancto *Auguſtino* abbati & fratribus inperpetuum, prout carta & confirmatione prædictis plenius continetur. Ac jam ex querela dilecti nobis in Chriſto nunc abbatis loci prædicti accepimus, quod cum prædeceſſores ſui abbates loci illius à tempore confectionis cartæ dicti progenitoris noſtri ſupradictæ, virtute ejuſdem decem libras de redditibus manſionis ſive manerii de **Middilton** tam per manus vicecomitum comitatus *Kanciæ* quam ballivorum firmariorum ac aliorum qui eandem manſionem ſive manerium temporibus dicti progenitoris noſtri & hæredum ſuorum & progenitorum noſtrorum quondam regum *Angliæ* ad firmam ſeu alio modo tenuerunt, annuatim percepiſſent & habuiſſent, dictæque x. libræ annuæ tam dictis vicecomitibus quam ballivis firmariis & aliis prædictis in compotis ſuis ad ſcaccarium dictorum progenitorum noſtrorum redditis pro ſingulis annis quibus manerium prædictum in manibus progenitorum noſtrorum fuit uſque ad annum domini *Edwardi* quondam regis *Angliæ* avi noſtri octavum, quo anno idem manerium *Alianoræ* tunc reginæ *Angliæ* nomine dotis tenendum per dictum avum noſtrum extitit aſſignatum, allocatæ fuiſſent, prout per quandam certificationem theſaurarii & baronum noſtrorum de ſcaccario coram nobis in cancellaria noſtra de mandato noſtro miſſam plene liquet. Et licet prædeceſſores ipſius abbatis antedicti dictas x.li. annuas tam de toto tempore quo manerium illud ſic in manu dictæ *Alianoræ* ac eciam in manu *Iſabellæ* reginæ *Angliæ* matris noſtræ cariſſimæ, quæ illud poſtmodum ſub certa forma tenuit, extitit, quam pro tempore quo *Philippa* regina *Angliæ* conſors noſtra cariſſima idem manerium ex conceſſione noſtra tenuit ſimiliter percepiſſent & habuiſſent, uſq; ad annum regni noſtri tercium, Quo anno manerium prædictum magiſtro *Johanni* de *Florence* ſub certa forma conceſſum fuit. Qui quidem *Johannes* dictas decem libras annuas pro tempore quo manerium illud ſic tenuit, abbati loci prædicti qui tunc fuit, ſolvere recuſavit, quodque tamen *Benedictus de Fulſham* qui prædictum manerium hucuſque à tempore mortis prædicti *Johannis* ex conceſſione dictæ conſortis noſtræ tenuerit et adhuc teneat dictas x. libras annuas & arreragia earundem pro tempore quo ipſe idem manerium ſic habuit, præfato nunc abbati, quamquam per ipſum abbatem ſuper hoc ſæpius requiſitus fuerit, & quamquam idem abbas & prædeceſſores ſui prædicti C. ſolidos de manſione ſive manerio de **Favirſham** à tempore confectionis cartæ progenitoris noſtri ſupradictæ prætextu ejuſdem & dictæ confirmationis per manus abbatum de **Favirſham** ac aliorum qui dictam manſionem ſive manerium de **Faveriſham** hucuſque tenuerunt, abſque perturbatione aliqua percepiſſent & habuiſſent, idemque nunc abbas eoſdem C. ſolidos percipiat in præſenti, ſolvere recuſaverit & adhuc recuſet minus juſte, in ipſius nunc abbatis & eccleſiæ ſuæ prædictæ præjudicium & exhæredationis periculum manifeſtum, & contra tenorem cartarum, conceſſionum & confirmationis prædictarum & aliter quam hactenus fieri conſuevit: Super quo idem abbas per petitionem ſuam coram nobis in conſilio noſtro nuper in parliamento noſtro exhibitam, nobis ſupplicavit, ut ſibi in hac parte velimus de congruo remedio providere: Nos volentes præfato nunc abbati in hac parte fieri quod juſtum fuerit & conſonum rationi, tibi præcipimus quod ſcire facias præfato *Benedicto* quod ſit in cancellaria noſtra in craſtino S. *Luciæ* virginis proximo futuro ubicunque tunc fuerit, quem diem præfato nunc abbati ibidem ſuper hoc dedimus, ad oſtendendum ſi quid pro ſe habeat vel dicere ſciat quare idem *Benedictus* dictas x. libras annuas de redditibus dictæ manſionis ſive manerii de **Middilton** & arreragia earundem pro tempore quo ipſe eandem manſionem ſive manerium de **Middilton** ſic tenuit, eidem nunc abbati minime ſolvere debeat juxta formam cartarum, conceſſionum & confirmationis prædictarum & prout retroactis temporibus fieri conſuevit, & ad faciendum ulterius & recipiendum quod curia noſtra conſideraverit in hac parte. Et habeas ibi nomina illorum per quos ei ſcire feceris & hoc breve teſte *Edwardo* duce *Cornubiæ* & comite *Ceſtriæ* filio noſtro cariſſimo cuſtode *Angliæ* apud **Langele** xvj. die Novembris anno regni noſtri xiij.

Joh. Straf. Archiep.

: « Scire feci *Benedicto de Fulſham* quod ſit ad diem infra in iſto brevi nominatum juxta tenorem ejuſdem brevis per *Willelmum Queinte* & *Johannem Queinte*. Prædictus *Benedictus* po. lo. ſuo *Willelmum de Mirfeld* & *Ricardum de Ronclif* ſub alternatione ad lucrandum vel perdendum in loquela infra ſcripta. Abbas ſancti *Auguſtini Cant.* infra ſcriptus po. lo. ſuo *Thomam de Newenham* clericum in negocio infraſcripto. Abbas ſancti *Auguſtini Cant.* infraſcriptus ponit loco ſuo *Willielmum de Newenham* clericum in negocio infraſcripto. Ad quem diem tam prædictus *Benedictus* in propria perſona ſua quam præfatus abbas per dictum *Willelmum de Newenham* attornatum ſuum in cancellaria regis venerunt & de eorum aſſenſu continuatum eſt negocium iſtud in eodem ſtatu quo nunc eſt uſque ad quindenam ſancti *Hillarii* proximo futuram, ut tunc de aviſamento tam concilii regis quam reginæ de iſto negocio fiat quod juſtum fuerit & conſonum rationi. Ad quem diem tam prædictus *Benedictus* in propria perſona ſua quam præfatus abbas per dictum *Willelmum de Newenham* attornatum ſuum in cancellaria regis venerunt, & de eorum aſſenſu continuatum eſt negotium iſtud in eodem ſtatu quo nunc eſt: uſque ad quindenam Paſchæ proximo ſequentem ut tunc de aviſamento tam conſilii regis quam dictæ reginæ de negocio prædicto fiat quod juſtum fuerit & conſonum rationi. Ad quam quidem quindenam tam prædictus *Benedictus* per *Willelmum de Mirfeld* clericum attornatum ſuum quam præfatus abbas per *Thomam de Newenham* clericum attornatum ſuum in cancellaria regis venerunt; & de eorum aſſenſu continuatum eſt negocium iſtud in eodem ſtatu quo nunc eſt uſque ad quindenam ſanctæ Trini-

Edw. III. Rex.

“tatis proximo ſequentem, ut tunc de aviſamento
“tam concilii regis quam dictæ reginæ de negocio
“prædicto fiat quod juſtum fuerit & conſonum ra-
“tioni. Ad quam quidem quindenam tam præ-
“dictus *Benedictus* per dictum *Willelmum de Mir-*
“*feld* attornatum ſuum quam præfatus abbas per
“dictum *Thomam de Newenham* attornatum ſuum
“in cancellaria regis venerunt, & de eorum aſſenſu
“continuatum eſt negocium iſtud in eodem ſtatu
“quo nunc eſt uſque ad octabas ſancti *Michaelis*
“proximo ſequentes, ut tunc de aviſamento tam
“conſilii regis quam dictæ reginæ de negocio præ-
“dicto fiat quod juſtum fuerit & conſonum rationi.

A noſtre ſeigneur le Roi & ſon conſail prie le ſeon chapeleyn labbe de ſein Auſtin de Canterbire, *que com le noble Roy* William *Conquerour dona a legliſe de ſeint* Auſtin de Canterbyre *dys liures de rente a prendre de ſon manoir de* **Middilton** *en le Countie de* **Kent**, *le quel Manoir* Beneit de Fulſham *tient a terme du lees madame le Royne* Philippe, *& des quenx dys liures le dit Abbe ad eſt ſeiſi puis le temps le dit Conquerour tantque a temps un Meſtre* Johan de Florence *qi le dit manoir tient a terme de ſa vie du les noſtre dit ſeignur le Roi auxi come plus pleinement eſt trove per record dallonaunces faites al dit Abbe en leſcheqir en temps que le dit manoir eſteit en la meyn les progenitours noſtre dit ſeigneur le Roi. ſur quei le dit Abbe ſuyt une peticion en parlement compernant ſon droit avant dit, laquele per agard du parlement fut endoſe, & mande en la Chauncelarie que le Channceler deveroit veer le droit de dit Abbe & fair venir le dit* Beneit *fermer de ſavoir ſil ſont rien dire pur quei le paiment de la dit rente & des arreragis encorues ne ſerroit fait. Et le dit Canceler manda bref de fair venir le dit* Beneit. *A quel bref il ad allege qil eſt fermer ma dit dame le Roine, & ne poet charger le dit Manoir ne deſcharger. ſur quei ceux de la Chancellerie ne volerent plus faire ſur le droit le dit Abbe, mes ount done iour outre tanque a la xv. de pache procheyn avenir. Pleſe au dit noſtre ſeigneur le Roy de ſa grace comander a ſon Chanceller que il purra trover per record ou per enqueſte ou en autre maner que les avanditz dys liuuers ſoient dues, que adonque le paiment des dits dys livers & auxi des arreragis encorues ſoit fait, nient contre eſteant ceo que le dit* Beneit *ad plede & allege en delay du droit le dit Abbe.*

Edward *par la grace de deu Roy* Dengleterre *& de* France *& ſeigneur* Deirland *au gardein de noſtre grant ſeal ſalutz. Nous vous envons cy dedinz encloſe un peticion quele nous feuſt baillee par noſtre cher en dieu labbe de ſeint* Auſtin de Cantirbirs, *contenant coment* William *Conquerour jadis Roy* Dengleterre *dona a ſa gliſe de ſeint* Auſtin de Cantirbirs *dis liuers par an a reſceiure de ſon manoir de* **Middilton** *en Conte de* **Kent** *a touz jours, le quel manoir* Beneit de Fulſham *tient a terme du les noſtre treſchere compaigne la Royne* Dengleterre, *ſi com plus pleinement eſt contenuz en la peticion deſuſdite. ſi vous mandoms que appelletz a vous nous Juſtices de lun Bank & de lautre que vous verrez que ſoit a ceo appeller, & vene la dit peticion & examinez & debatuez entre vous les choſes continues en ycelle. & ſi vous trueſſetz par choſe de Record com par allonance ou en autre manere, que les predeceſſours le dit Abbe ont eſte paietz des ditz dys livers du manoir avandit ſi com il ſuppoſe par la dit petition, que adonqes facez faire au dit Abbe ſur meſme les choſes droit & reſon nient contreſtant ceo que le dit* Beneit *ad allegge ou alleggera devant vous pur delaier le droit le dit Abbe en celle partie, ou que le dit manoir nous touche & ſeit en la main le dit* Beneit *du lees noſtre dit treſchere compaigne ſanz quele il dit qil ne poet reſpondre ne pleder ne le dit manoir charger ou deſcharger. Done ſouz noſtre prive ſeal a* Weſtmonſtre *le primer jour Daveril lan de noſtre regne* Dengleterre *quatorriſſime & de noſtre regne de* France *primer.*

Joh. Strat. Archiep.

Iſto proceſſu miſſo ſub ſigillo magiſtri *Johannis de Thoresby* cuſtodis rotulorum cancellariæ coram concilio reginæ, & recitato coram eodem concilio apud *Weſtmonaſterium* xviij. die Julii anno xv. viſiſque cartis regum allegatis per proceſſum iſtum, vocatoque *Benedicto de Fulſham* tenente manerii de **Middilton** ad terminum vitæ reginæ ex dimiſſione ejuſdem reginæ, & non comparente impedimentis legitimis, Datus eſt dies attornatis prædicti abbatis, videlicet fratri *Johanni de Weſton* commonacho ſuo & *Willelmo de Waure* in xv. ſancti *Michaelis* proximo futuram. Ad quem diem præfatus *Benedictus* præmunietur per literas reginæ peremtorie intereſſendi, oſtenſurus ſi quid pro dicta regina vel ſe ipſo habeat vel dicere ſciat quare ad judicium inde reddendum non erit tunc procedendum. Ad quem diem venerunt prædicti abbas per attornatum ſuum prædictum, & prædictus *Benedictus* in propria perſona ſua. Qui quidem *Benedictus* dicit & oſtendit pro rege, regina & ſeipſo quod infradictæ decem libræ & octo piſæ caſei annui redditus quem idem abbas & conventus clamant nomine decimæ omnium reddituum terræ pratorum & aquarum [de] dominicis de **Middilton** eis non debent ſolvi de jure, tam pro eo quod ipſi habent eccleſiam de **Middilton** in proprios uſus, & ea occaſione percipiunt de anno in annum decimas ſeperales de terræ pratis lacticinium & alias hujuſmodi decimas ab aliis parochianis ſolutas, quam pro eo quod x. mellis & denariorum gabuli, qui denarii ſunt totus redditus aſſiſus ibidem, ut dicit, eſt ſpecialiter exceptus in carta feoffamenti. Per quod videtur ſibi quod illæ decem libræ octo piſæ caſei non poterunt illa ratione vendicari nec reddi ſine dampno & præjudicio regis &c. ſet attornatus dicti abbatis dicit, quod illa decima denariorum gabuli non eſt ille totalis redditus aſſiſus ſet alius parvus redditus per ſe. Super quo datus eſt dies partibus uſque quindenam ſancti *Hillarii* tunc proximo futuram. Ita quod idem abbas ulterius ſcrutari faciat evidencias ſolutionis redditus prædicti temporibus regum *E.* filii *Henrici*, *E.* filii *E.* & regis nunc, & temporibus reginarum & aliorum tenencium dictum manerium ad terminum vitæ vel ad firmam. Ad quam quidem quindenam datus eſt ulterius dies tam prædicto abbati quam prædicto *Benedicto* uſque quindenam purificationis beatæ *Mariæ* anno xvij. Ad quem diem venerunt idem abbas & conventus per dictum attornatum ſuum, & præfatus *Benedictus* in propria perſona, qui nichil plus ſcivit dicere vel oſtendere contra peticionem petencium quam prius dixerat ut ſupra. Set addidit, quod iidem abbas & conventus ſolebant invenire ibidem duos monachos celebrantes & hoſpitalitatem tenentes & diſtribuentes per annum certa quarteria piſarum; quæ quidem celebratio, ho-

Edw. III. Rex. ſpitalitas & diſtributio jam ſubtractæ fuerunt per quindecim annos, & amplius, Quod tamen verificare non optulit nec verificavit, ſuper quo datus eſt dies partibus prædictis uſque quindenam Paſchæ proximo tunc futuram. Ad quem diem venerunt idem abbas & conventus per dictum attornatum ſuum, & præfatus *Benedictus* in propria perſona, Et attornatus eorundem abbatis & conventus, & liberavit adhuc alias evidentias extractas de rotulis memorandorum ſcaccarii in cancellaria miſſas per breve, de temporibus regum *Ricardi*, *Johannis*, *Henrici*, *Edwardi* filii ejuſdem *Henrici*. Quod breve ſequitur in hæc verba :

EDWARDUS Dei gratia rex Angliæ *&* Franciæ *& dominus* Hiberniæ, *Theſaurario & baronibus ſuis de ſcaccario ſalutem. Supplicavit dilectus nobis in Chriſto abbas ſancti* Auguſtini Cant. *quod cum ipſe de manerio de* **Middilton** *in comitatu* Kanciæ *decem libras & octo piſas caſei ſingulis annis percipere debeat, ipſe & prædeceſſores ſui hujuſmodi decem libras & caſeum de manerio illo tempore quo idem manerium in manu noſtra & progenitorum noſtrorum quondam regum* Angliæ *extitit, percipere conſueverunt, & jam prædictæ x. libræ & caſeus eidem abbati per aliquod tempus à retro fuerint, velimus ei ſolutionem inde fieri jubere : Nos ut eidem abbati quod juſtum fuerit fieri faciamus volentes certiorari ſi præfatus abbas & prædeceſſores ſui hujuſmodi decem libras & caſeum de manerio illo ſingulis annis ſicut prædictum eſt percipere conſueverint necne ;* Et *ſi ſic, tunc à quo tempore, qualiter & quomodo, Vobis mandamus quod ſcrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii prædicti præmiſſa contingentibus nos de eo quod inde inveneritis reddatis in Cancellaria noſtra ſub ſigillo ſcaccarii illius diſtincte & aperte ſine dilatione certiores, hoc breve nobis remittentes. Teſte me ipſo apud* Weſtmonaſterium xxv. *die Aprilis anno regni noſtri* Angliæ xvij. *regni vero noſtri* Franciæ iiij.

Certificatio de qua in brevi fit mentio ſequitur in hæc verba : *Scrutatis rotulis & memorandis ſcaccarii ſuper contentis in brevi huic cedulæ conſuto compertum eſt, quod in magno rotulo de anno primo regis* Ricardi *in* Kancia *ſic.* Et monachis S. *Auguſtini Cant.* decem libras in **Middilton.** *Et conſimilis allocatio fit vicecomitibus* Kanciæ *dummodo fuerint firmarii de* **Middilton** *tam in rotulis de annis ſequentibus ejuſdem regis* Ricardi *quam in rotulis de tempore regis* Johannis, *ac eciam in rotulis de annis regis* H. *tercii uſque annum ejuſdem regis* xxxiv. *quo anno* Ricardus *de Ponte computat de exitibus manerii & hundredi de* **Middilton** *à* vj. *die Novembris anno* xxxiij. *uſque* xxiij. *diem Aprilis anno* xxxiv. *In quo compoto annotatur ſic.* Et monachis ſancti *Auguſtini* x. lib. de anno integro quas ſolebant percipere ſingulis annis per manus vicecomitis *Kanciæ* quando manerium de **Middilton** fuit in cuſtodia ipſius vicecomitis. *In rotulis vero de annis ſequentibus ejuſdem regis* H. *ac eciam in rotulis de tempore regis* E. *filii dicti regis* Henrici *uſque annum ejuſdem regis* E. vj^{um}. *facta eſt conſimilis allocatio quandoque vicecomitibus* Kanciæ *dummodo fuerint firmarii manerii prædicti, & quandoque* Radulpho de Sandwyco *dum fuit cuſtos ejuſdem manerii in compotis ſuis de exitibus ejuſdem menerii. Item compertum eſt in magno rotulo de anno octavo prædicti regis* E. *in compoto præfati* Radulphi *de exitibus manerii prædicti de annis* vj. *&* vij. *ſic :* Joh. Straf. Archiep. Et in elemoſina regis conſtituta monachis ſancti *Auguſtini Cant.* x. li. de anno vj^{to}. Et eiſdem monachis *Almarico de Lucy* & *Johanni de Tracy* pro vj. ponderibus caſei quæ percipiunt ſingulis annis de dominico de **Middilton** præter xxviij. piſas quas percipiunt in caſeo per manus ballivi de **Middilton** de diverſis tenentibus ejuſdem manerii de dicto anno ſexto xxxvj. s. videlicet pro qualibet piſa vj. s. *Et in compoto facta eſt conſimilis allocatio de anno ſeptimo, videlicet infra quandam ſummam de* xxvij. li. x. s. vij. d. *Et eciam in magno rotulo de anno nono prædicti regis. Et in compoto prædicti* Radulphi *de exitibus manerii prædicti de anno octavo facta eſt conſimilis allocatio, videlicet præfatis monachis de* x. li. *Et eiſdem monachis & præfatis* Almarico *&* Johanni *de* xxxvj. s. *pro* vj. *ponderibus caſei. In quo quidem compoto facta eſt mentio quod prædictum manerium quod extenditur ad* C. iiij.^{xx} viij. lib. *liberatum fuit* Alienoræ *reginæ* Angliæ *tenendum ad totam vitam ſuam prout inter ipſam & præfatum regem* E. *filium regis* Henr. *convenit. Per quas evidenter apparet quod temporibus eorundem regum dictæ decem libræ per annum ſolvebantur eiſdem abbati & conventui & dicta pondera vel piſæ caſeorum, videlicet eiſdem monachis* Almarico de Lucy *&* Johanni Tracy *pro* vj. *ponderibus caſei per annum de dominico de* **Middilton** xxxvj. s. *videlicet pro qualibet piſa* vj. s. *præter* xxviij. *piſas quas percepit per annum in caſeo per manus ballivi de* **Middilton** *de diverſis tenentibus ejuſdem manerii, ſicut in extractis prædictis huic conſutis cum brevi plenius continetur.* Per quod conſideratum eſt per concilium regis & reginæ, quod prædicti abbas & conventus tam de x. li. prædictis per annum per ſe, quam de caſeo prædicto vel de ejus precio una cum præfatis *Almarico* & *Johanne* recuperent ſeiſinam ſuam. *Nos autem tenorem recordi & proceſſus prædictorum ad requiſitionem prædicti abbatis ſancti* Auguſtini Cant. *tenore præſentium duximus exemplificandum.*

Inquiſitio capta die Veneris proxima poſt feſtum ſancti Michaelis *anno Domini* M. CCC. xlij. *apud* **Eſchettisforde** *per dominos* Johannem de Crocforde *rectorem eccleſiæ de magna* **Chert**, Thomam de Seleby *rectorem eccleſiæ de* **Hauchurſt**, Thomam de Sointing *rectorem eccleſiæ de* **Hothfelde,** Johannem de Langtofte *rectorem eccleſiæ de* **Hathwoldenne,** Thomam de Chileham *rectorem eccleſiæ de parva* **Chert.** Stephanum de Flare *rectorem eccleſiæ de* **Eaſtwelle,** Johannem Kemel *procuratorem* Henrici de Sodingtone *rectoris eccleſiæ de* **Eſchettisforde,** Ricardum de Creſſevile *rectorem eccleſiæ de* **Rolvyndenne ,** Johannem de Bradwey *vicarium eccleſiæ de* **Tentwardene,** Johannem Michel *vicarium eccleſiæ de* **Bedriſdenne** *&* Galfridum de Combroke *vicarium eccleſiæ de* **Kenington** *de decanatu de* **Cherrynge,** *An eccleſia de* **Tentwardene** *ejuſdem decanatus vacet. Qui unanimiter dicunt quod prædicta eccleſia de* **Tentwardene** *non vacat, quod dominus abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cant. *poſſeſſioni ejuſdem eccleſiæ incumbunt, & ab anno Domini* M. CC. lix. *uſque nunc incumbebant. Et quis ſit verus dictæ eccleſiæ de* **Tentwardene** *patronus, dicunt quod idem abbas & conventus oſtendunt quandam Bullam in qua continetur, quod habent jus patronatus cum omnibus* An. Dñi 1342.

Edw. III. Rex. *bus juribus & pertinentiis ſuis. Et quis ultimo præſentavit ad eam, dicunt propter diuturnitatem temporis lapſi ſe penitus ignorare. De jure eciam præſentantis dicunt ſe ignorare: ſet dominus* Michael de Ponyngges *prætendit ſe habere jus præſentandi ad eandem ut de jure ſucceſſionis hæreditariæ Baroniæ* **Daverenches**, *ad quam dicit jus patronatus memoratæ eccleſiæ pertinere, & hac de cauſa litigioſa cenſetur non eſt porcionare niſi in tantum quod eſt ibidem quadam vicaria non eſt penſionaris & eſt æſtimationis communibus annis cum vicaria* xlv. *marcarum. Præſentatus ad eandem eſt bonæ vitæ & converſationis honeſtæ & eſt ætatis* xxx. *annorum & non eſt alibi beneficiatus & in minoribus ordinibus conſtitutus. De cæteris articulis conſuetis ſuppleat diſcretio veſtra. In cujus rei teſtimonium rectores, vicarii & procuratores prædicti huic inquiſitioni ſigilla ſua appoſuerunt. Dat. die loco & anno ſupradictis & in pleno loci capitulo.*

Eodem anno appropriationes eccleſiarum de **Keningtone** & ordinatio vicariæ de **Northborne**.

Cap. XXXVIII.

§ 1. Willielmus Drulege *in Abbatem eligitur.*

An. Dñi 1343. ANno quo ſupra ſcilicet M.CCC.xliij. die tranſlationis ſancti *Auguſtini*, venerabilis pater & doctor ſullimis *Thomas Poucyn* hujus monaſterii abbas liij. ab hac luce tranſiens univerſæ carnis debitum exſolvit; qui quamdiu rebus humanis interfuit, ut idoneus paſtor gregis ſibi commiſſi ſollicite curam exhibuit. Eodem anno vj. non. Octobris ſcil. die ſancti *Leodegarii* martyris cum prorogatione dierum ſequentium electus fuit ſimplici via compromiſſi in abbatem & paſtorem frater *Willelmus Drulege* tunc camerarius hujus loci, & *Avinione* ab epiſcopo *Sabinenſi* de mandato apoſtolico fuit benedictus. Erat enim iſte *Willelmus Zachæo* ſimilis ſtaturæ puſillus, ſet pro jure ſuæ eccleſiæ tuendo & defendendo robuſtus & immenſus.

1344. Anno vero ſequenti iv. kal. Marcii fuerunt ſua temporalia per eſcaetorem ſibi deliberata. Iſte namque dominus *Willelmus* paſtorali regimine aſſumpto creditum ſibi ovile juxta datam ſibi ab alto induſtriam in bonis temporalibus ſollicite ſtuduit ampliare, nec tamen pro vita activa contemplativam deſerens; ſet juxta officii ſui debitum in ipſa perſiſtens pervigil & devotus.

Hic eciam abbas feſta ſanctorum *Jamberti, Nothelmi, Brytwaldi* & *Tatwyni*, ſub duplici feſto futuris temporibus cum conſilio communi ſtatuit celebrari.

1345. Anno M.CCC. xlv. idus Februarii facta fuit ordinatio vicariæ de **Chistelet** ut patet in eccleſiis. Eodem anno & die ordinatio vicarii de **Prestone** ut ſupra.

1346. Anno Domini M.CCC. xlvj. in nocte S. *Mauricii*, *Willelmus* hujus eccleſiæ paſtor liv. diem ſuum clauſit extremum. Corpus vero ejus in capitulo eccleſiaſticæ traditum eſt ſepulturæ. Rexit autem hanc eccleſiam tribus annis minus bis quinque diebus.

§. 2. Johannes Deveniſſe *in abbatem eligitur.*

ANno quo ſupra v. die menſis Octobris electus fuit in abbatem per viam compromiſſi frater *Willelmus de Keningtone*. Sed quid intellecta iſta vacatione dominus Papa *Clemens* vj. contulit incontinenti abbathiam cuidam monacho de *Wyntonia Johanni Deveneſche*, prædicti fratris *Willelmi de Keningtone* electione caſſata. Cujus rei cauſa erat hæc. Vacante cathedrali eccleſia *Wyntoniæ* per mortem ultimi epiſcopi ibidem, Prior & capitulum loci ejuſdem elegerunt iſtum *Johannem Deveniche* illius gremii monachum in paſtorem & epiſcopum eccleſiæ prælibatæ, & ad curiam *Romanam* pro ſua electione proſequenda & confirmanda uſque profectus eſt. Interim autem miſit *E.* rex ad prædictum apoſtolicum literas ſupplicatorias & multum ſpeciales pro quodam clerico ſuo nomine *Willelmum Edindone* prædictum epiſcopatum pro eodem ad optinendum; tandem mediante pecunia rex in ſua erronia petitione exauditus eſt, & prædictus dominus *Willelmus* ſic epiſcopatum ſortitus eſt quia ſic honorabitur quem rex honorare voluerit. Prædictus vero *Johannes* electus juſſus eſt moram facere & ibidem ſtare proximum beneficium eccleſiaſticum in iſtis partibus accepturus. Unde contigit ut iſti monaſterio quia primo vacavit proviſione apoſtolica eidem præficitur in abbatem. Dum vero hæc omnia in curia ſic fuerant facta, prædictus dominus *Willelmus de Keningtone* electus tum propter viarum diſcrimina tum propter mortis periculum, & maxime durante guerra inter nos & *Francos* in obſidendo *Caliſiam*, paſſagium ad ultra mare ex certa ſcientia fuerat prohibitum, dominus Rex pro eodem electo ſcripſit ſummo Pontifici in hunc modum:

SANCTISSIMO in Chriſto patri domino Clementi *divina providentia ſacroſanctæ atque univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici*, Edwardus *eadem gratia rex* Franciæ *&* Angliæ *& dominus* Hiberniæ *pedum oſcula beatorum. Inter cætera cordis noſtri deſiderabilia id plurimum appetimus & affectu ſincero proſequimur, per quod neceſſitatibus monaſteriorum regni noſtri* Angliæ *in oportunitatibus conſulamus; & eorum oppreſſionibus & periculis occurramus. Sane vacante pridem monaſterio ſancti* Auguſtini Cant. *ſedi apoſtolicæ inmediate ſubjecto, Prior & capitulum dicti monaſterii petita per prius & obtenta à nobis eligendi licentia, ad electionem futuri paſtoris rite procedentes, fratrem* Willelmum de Keningtone *commonachum ſuum virum de vita & morum imminentia multipliciter commendatum ſuum elegerunt concorditer in abbatem, cui quidem electioni aſſenſum regium præbuimus & favorem; ſicut in literis noſtris patentibus inde confectis & ſanctitati veſtræ tranſmiſſis plenius continetur. Et quia per frequentes vacationes quæ à paucis retro temporibus in dicto monaſterio contigerunt & alia imminentia eidem incommoda, idem monaſterium enormiter in facultatibus eſt collapſum & debitis graviter oneratum. Nos conſiderantes quod tam propter evidentem inopiam quam propter viarum diſcrimina per guerram notoriam, quæ juſtum metum & mortis periculum ſeu captionem vel incarcerationem corporum patulo cominantur, ſumpta de captis aliis ſic proficiſcentibus conjectura, electo præfato & inſtructoribus electionis ſuæ ad ſanctitatis veſtræ præſentiam pro proſequendo dictæ electionis negocio nec tutus nec accommodus patebat acceſſus, Electum & inſtructores prædictos morari fecimus in partibus, ſperantes veraciter quod ad ſupplicationem noſtram veſtra benignitas dictum negocium ex*

Edw. III. Rex.

cauſis tam veris & notoriis gracioſe comiſiſſet examinandum in partibus, & fine debito terminandum, ſuper quo eidem ſanctitati veſtræ noſtras multiplicavimus literas ut potuimus ſpeciales, cauſam hujuſmodi plenius continentes. Set veſtra providentia per inportunam & ambicioſam fratris Johannis Deveniche *monachi* Wintonienſis *inſtantiam ut ſupponimus circumventa, precibus noſtris penitus obauditis, & cauſis prædictis minus debite ponderantes (de quo nobis non levis ingeritur admirandi materia) electione prædicta tam concordi caſſata, ut dicitur, jam providit eidem monacho* Wintonienſi, *dicto monaſterio S.* Auguſtini *extraneo & ignoto, qualis juxta felicis recordationis* Calixti *ſecundi,* Innocentii *ſecundi,* Lucii *ſecundi,* Eugenii *tercii,* Urbani *tercii,* Celeſtini *tertii,* Innocentii *tercii,* Gregorii *noni prædeceſſorum veſtrorum* Romanorum *pontificum privilegia dicto monaſterio indulta ſpecialiter in hac parte ibi præfici non deberet, ſicut ex ipſorum privilegiorum tenore plenius poterit apparere. Qui quidem monachus diu in* Romana *curia moram traxit debita importabilia contrahendo, per quæ tam per prius, ut prædicitur, quam jam de novo præſentis occaſione proviſionis contracta idem monaſterium quod eſt quodamodo deſtructum, ſi præfatus præficeretur, idem quod abſit, deſtrueretur omnino: Quod eo ferimus moleſtius quo præfatus monachus inpudenter linguam ſuam contra nos laxavit in proboſa, ut jam de pejoribus taceamus, per quod eidem eciamſi alias fuiſſet electus canonice, non teneremur temporalia dicto monaſterio liberare. Quamobrem veſtræ clementiæ votivis affectibus ſupplicamus, quatinus præmiſſis clementer attentis, dignetur veſtra maturitas circumſpecta ſuper præmiſſis remedium adhibere feſtinum, dictam proviſionem quæ in dicti monaſterii depreſſionem notoriam, ac noſtri & coronæ noſtræ regiæ præjudicium manifeſtum, necnon nobilium & communitatis regni noſtri diſplicentiam non modicam redundare noſcitur, revocando, & taliter ſi placuerit ordinando, ut dictum monaſterium electionis ſuæ tam concordis fructum ſenciat & effectum, quâ dicto monaſterio ex cauſis variis, præſertim propter jus patronatus quod habemus in eodem ſpecialiter afficimur, ſumme cederet votis noſtris, quod dignetur quæſumus pia veſtra paternitas ex animo ponderare, & nobis ſuper eo quod inde facere decreveritis reſcribere veſtræ beneplacita voluntatis.*

Et quaſi ſub conſimili forma pro eadem expeditione fuit alia litera communiter compoſita à magnatibus regni, & domino papæ deſtinata. Quid plura? meritis hujus negocii non ponderatis, & precibus regis & regni procerum ſepoſitis & obauditis, ad partes cum literis & bullis ſuæ proviſionis directus eſt, unde rex adverſus eum merito commotus, à ſuis temporalibus penitus eum excluſit, dans conventui in mandatis ſub forisfactura omnium bonorum ſuorum, ne monaſterium iſtud aliquo modo illum intrare permitterent, nec, quatenus poſſent, de ſuis rebus aliqualiter diſponere vel ordinare. Cujus præcepti forma talis eſt.

EDWARDUS *Dei gratia &c. dilectis ſibi in Chriſto Priori & conventui eccleſiæ ſancti* Auguſtini Cant. *ſalutem. Cum progenitores noſtri quondam reges* Angliæ *eccleſiam veſtram prædictam quæ libera capella noſtra exiſtit de poſſeſſionibus quæ de corona noſtra* Angliæ *per baroniam tenentur & aliis largiſlue dotarunt, & ipſam ad certas elemoſinas faciendas perpetuo onerarunt, & ſub regimine abbatis perpetuo gubernandam devote fundarunt, ita quod cedente vel diſcedente abbate loci prædicti, Prior & conventus ejuſdem perſonam idoneam ad ipſam regendam & devote ac ſalubriter gubernandam de licentia noſtra & ipſorum progenitorum noſtrorum eligerent, & ipſum in abbatem ſuum haberent, & ſub ipſius obedientia & ordinis ſui regula viverent, & Deo devote ſtuderent deſervire, abſque eo quod aliquis in abbatem loci prædicti ullo tempore hucuſque per ſedem apoſtolicam extitit præfectus. Ac jam intelleximus, quod licet vos decedente ultimo abbate veſtro eccleſiæ prædictæ, idoneam perſonam de licentia noſtra in abbatem veſtrum eligeritis, & ſub ipſius obedientia & dicti ordinis veſtri regula devote vixiſſe intendebatis, dominus tamen ſummus pontifex quendam monachum extraneum in abbatem veſtrum ad curiam* Romanam *jam præfecit. Qui quidem monachus ſic præfectus verſus ipſam eccleſiam ſe trahere, & de terris & tenementis, bonis & catallis ejuſdem diſponere proponit, in noſtri præjudicium & coronæ noſtræ regiæ læſionem & exhæredationis periculum, & exempcionum & libertatum dictæ capellæ noſtræ regiæ enervationem manifeſtam: Nos hujuſmodi exhæredationi & præjudicio volentes remedio obviare oportuno, & libertates & exemptiones prædictas illæſas obſervare, vobis ſub forisfactura omnium quæ nobis forisfacere poteritis prohibemus, firmiter injungentes, ne ipſum præfectum quantum in vobis eſt adminiſtrationem ſeu diſpoſitionem aliquam de terris, tenementis, bonis, ſeu catallis prædictis abſque licentia noſtra ſeu mandato noſtro ſpeciali aliqualiter habere permittatis.*

Anno Domini M. CCC. xlvj. in octabis Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* fuit iſta regia prohibitio recepta. Et ſtatim Prior & conventus ipſum *Johannem* ſecundum exigentiam prohibitionis prælibatæ ab adminiſtratione temporalium excluſerunt, ingreſſum monaſterii iſtius in capite denegando. Unde apud **Patyngdon** traxit ſuam moram de ſpiritualibus tantummodo & vix ſe intromittendo; & fratrem *Willelmum de Kenynton* electum Priorem monaſterii conſtituit, & quoſdam alios officiarios ordinavit quaſi ad libitum ſuæ voluntatis.

An. Dñi 1346.

§. 3. *De procurationibus archidiaconi* Cant.

Iſtis temporibus erat quidam clericus in curia *Romana* domini papæ notarius, dictus magiſter *Petrus Rogerii*, & hic fuit archidiaconus *Cant.* fecerat quidem ſuggeſtionem ad papam, ut poſſet recipere ſuas procurationes de archidiaconatu, ipſo in curia *Romana* exiſtente, ad cujus cauſæ expeditionem fuit idem dominus *Iohannes* abbas per apoſtolicas literas deputatus executor in hac forma.

« *CLEMENS* epiſcopus ſervus ſervorum
« Dei, dilectis filiis ſancti *Auguſtini* & *Weſtmo-*
« *naſterii* juxta *Londoniam* monaſteriorum abbati-
« bus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum
« grandia virtutum merita quibus perſonam dilecti
« filii magiſtri *Petri Rogerii* archidiaconi *Cant.* no-
« tarii noſtri Dominus inſignivit diligenter attendi-
« mus: *& infra.* Hinc eſt quod tuis devotis ſup-
« plicationibus inclinati, ut eccleſias, monaſteria &
« alia

alia loca eccleſiaſtica eorumque perſonas archidiaconatus tui *Cant.* quem optines, in quibus tibi ratione dicti archidiaconatus tui viſitationis officium competit de conſuetudine vel de jure, poſſis libere per perſonas idoneas quas ad hoc duxeris deputandas viſitare, & procurationes ratione viſitationis hujuſmodi tibi debitas ab eccleſiis, monaſteriis & locis, dummodo procurationes ſummam contentam in conſtitutione felicis recordationis *Benedicti* papæ xij. prædeceſſoris noſtri ſuper procurationibus hujuſmodi exhibendis dudum edita non excedant : *& infra.* Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos vel unus veſtrum faciatis perſonas quas idem archidiaconus ad prædictum viſitationis officium duxerit deputandas, ad illud admitti, & de hujuſmodi procurationibus integraliter adminiſtrari, contradictores vero per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos igitur *Iohannes* executor prædictus, volentes mandatum apoſtolicum reverenter exequi ut tenemur, omnes & ſingulos Abbates, Priores, eorumque conventus & capitula, decanos, præpoſitos, rectores, & quoſcumque ſubditos archidiacono vel archidiaconi *Cant.* cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtentes, monemus & hortamur, quatenus dicti archidiaconi procuratorem vel cui dictum viſitationis officium duxerit committendum, ad officium viſitationis quiete & pacifice admittatis, & procurationem ſuam in pecunia numerata ſine diminutione perſolvatis. Alioquin in vos omnes & ſingulos, necnon in quoſcumque alios contradictores cujuſcumque fuerint præminentiæ, dignitatis, ordinis, condicionis, aut ſtatus, auctoritate nobis in hac parte commiſſa in hiis ſcriptis ſingulariter in ſingulos excommunicationis, in conventus vero & capitula ſuſpenſionis, & in monaſteria & eccleſias interdicti ſententias promulgamus, abſolutionem omnium & ſingulorum qui præfatas noſtras ſententias vel earum aliquam incurrerint, nobis vel ſuperiori noſtro in poſterum reſervantes. Cæterum cum ad executionem hujuſmodi ulterius faciendam non poſſumus quoad præſens perſonaliter intereſſe, pluribus monaſterii noſtri negociis occupati, venerabilibus patribus dominis Priori eccleſiæ Chriſti *Cant.* de *Lang.* de **Borel**, de **Favirſham**, & ſanctæ *Radegundis* monaſteriorum abbatibus, præpoſito eccleſiæ de **Wyngham** committimus tenore præſentium vices noſtras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, In virtute ſanctæ obedientiæ ac ſub excommunicationis pœna quam in eos & eorum quemlibet incurrere volumus ipſo facto ſi ea quæ eis in hac parte committimus contemſerint ſeu neglexerint contumaciter adimplere. Per hunc autem noſtrum proceſſum nolumus nec intendimus veſtro in aliquo præjudicare collegæ quo minus ipſe ſervato tamen hoc noſtro proceſſu poſſit in hujuſmodi negotio procedere prout ei videbitur expedire.

Eccleſia de **Wyveleſberg, Stone,** *&* **Broklond** *appropriata ſunt.*

Wyvelesberg Stone, Broclond.

ISTIS ſic actis, idem *Iohannes* abbas pro ſua expeditione ad curiam *Romanam* iterum progreſſus eſt ; unde contigit ut ex quorundam hujus congregationis ſano conſilio, prædictus *Iohannes* gratiam appropriationum eccleſiarum de **Wyveliſberg, Stone, & Broklonde,** cum inſtantia petivit admitti, ſperans harum obtentu apud nos regem & regni proceres gratiam invenire uberiorem. Et nota quod iſtarum eccleſiarum appropriatio fuit adepta tempore *Radulphi* abbatis. Set quia bulla illarum fuit tam condicionalis & penes dioceſanum litigioſa, noluit idem *Radulphus* abbas illam bullam debitæ mandare executioni meliorem bullam tempore oportuno ſuſtinendo, cujus appropriationis forma talis eſt.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Iohanni* abbati & conventui monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ad *Romanam* eccleſiam &c. Sacræ veſtræ religionis : *& infra.* Sane petitio veſtra nobis nuper exhibita continebat, quod monaſterium veſtrum præfatum iſto præſertim tempore pro veſtris dictique veſtri monaſterii neceſſitatibus continue vobis incumbentibus ſupportandis, & pro juribus, privilegiis & exemptionibus ipſius monaſterii defendendis, ac eciam pro monachis dicti monaſterii ſtudentibus tenendis in ſtudiis generalibus & aliis diverſimode, variis & diverſis expenſis oneribus eſſe dinoſcitur prægravatum, quæ tamen vos ſupportare convenit cum maxima gravitate, Quare pro parte veſtra nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut in relevationem & ſupportationem hujuſmodi, vobis de alicujus ſubvencionis utilis remedio providere paterna ſollicitudine dignaremur. Nos igitur vobis & eidem veſtro monaſterio paterno in hac parte compatientes affectu, volenteſque vobis ſuper hiis de hujuſmodi ſubſidio providere, veſtris ſupplicationibus inclinati, de **Wyveliſberg** cujus xxv. & de **Stone** in **Oxene** cujus xxx. & de **Broklonde** parochiales eccleſias *Cantuarienſis* dioceſis, cujus fructus, redditus & proventus xx. marcarum ſterlingorum ſecundum taxationem decimæ, valorem annuum non excedunt, de patronatu veſtro ſicut aſſeritis exiſtentes, ac conſuetas per ſeculares clericos gubernari cum omnibus juribus & pertinenciis earundem, vobis & præfato veſtro monaſterio exnunc in uſus & ſupportationem onerum prædictorum auctoritate apoſtolica inperpetuum annectimus & unimus, eadem auctoritate vobis & ſucceſſoribus tuis fili *Iohannes* & dicti monaſterii qui fuerint pro tempore, nichilominus concedentes, ut earum eccleſiarum rectoribus qui nunc ſunt cedentibus vel diſcedentibus, vel alias eccleſias ipſas dimittentibus ſimul vel ſucceſſive, liceat vobis & eiſdem ſucceſſoribus per vos, vel alium, ſeu alios nomine veſtro, ipſarum eccleſiarum ac jurium, ac pertinenciarum earum corporalem poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere & habere, ipſaſque in veſtros & dicti monaſterii uſus proprios perpetuo retinere, cujuſquam licentia ſeu conſenſu minime requiſitis. Reſervata tamen de ſingularum eccleſiarum earundem proventibus & redditibus pro ſingulis perpetuis vicariis in eiſdem ſingulis eccleſiis canonice deputandis, congrua portione, de qua ipſi vicarii poſſint congrue ſuſtentari, jura epiſcopalia ſolvere, & alia incumbentia eis onera ſupportare. Non obſtantibus ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi parochialibus eccleſiis, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales, noſtras vel prædeceſſorum noſtrorum *Romanorum* pontificum aut legatorum apoſtolicæ ſedis literas impretrarunt &c.

Carta Regis de eiſdem Eccleſiis.

Quia accepimus per inquiſitionem quam per Eſcaetorem noſtrum in comit. *Kanciæ* fieri fecimus, quod non eſt ad dampnum vel præjudicium noſtrum aut aliorum, ſi concedamus dilectis nobis in Chriſto abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cant.* quod ipſi eccleſiam de **Stone** in **Oxene**, ac eciam eccleſias de **Wyveleſberg** & **Broclond** in comitatu *Kanciæ* quæ ſunt de advocatione ſua propria, & quæ de nobis tenentur in capite, appropriare & eas appropriatas in proprios uſus tenere poſſint ſibi & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum, niſi in hoc quod nos tempore vacationis abbatiæ prædictæ ſi contigeret eccleſias prædictas vel aliquam earundem tunc vacare, nos jus præſentandi ad eaſdem amitteremus. Nos de gratia noſtra ſpeciali & pro C. libris quas præfati abbas & conventus nobis ſolvent ad receptam ſcaccarii noſtri in feſtis Paſchæ & *Michaelis*, conceſſimus & licentiam dedimus pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt eiſdem abbati & conventui, quod ipſi eccleſias prædictas appropriare, & eas ſic appropriatas in proprios uſus tenere poſſint ſibi & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum, ſine occaſione, vel impedimento noſtri, vel hæredum noſtrorum quorumcumque. Hujus data eſt ſub anno Domini M. CCC. xlix.

Ratificatio Archiepiſc. de eccleſiis ſupradictis.

SIMON permiſſione divina &c. univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Noverit univerſitas veſtra quod nos reſcriptum domini papæ non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua ſui parte viciatum cum Bulla vera filoque integro inſpeximus ſub hac forma. *CLEMENS* epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Iohanni* abbati & conventui monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ad *Romanam* eccleſiam nullo medio pertinentis ordinis ſancti *Benedicti* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sacræ veſtræ religionis ſub qua virtutum domino militantes devotum ſibi famulatum impenditis promeretur honeſtas, devotionis quoque ſinceritas quam ad nos & *Romanam* geritis eccleſiam nos inducit, ut veſtris & monaſterii veſtri neceſſitatibus quantum cum Deo poſſumus favorabiliter & utiliter conſulamus. Sane petitio veſtra nobis nuper exhibita continebat quod monaſterium veſtrum &c. Et ſic terminatur bulla. Data *Avinione* iiij. non. Octobris pontificatus noſtri anno vj. Nos igitur indulgenciæ prædictæ præfatis abbati & conventui factæ & conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas, gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte dominus papa eiſdem religioſis duxerit faciendam, necnon & ingreſſum poſſeſſionis vel poſſeſſionum eccleſiarum de **Broklonde**, de **Stone** in **Oxene**, & de **Wyveleſberg** noſtræ diœceſis, quam vel quas exinde novimus eoſdem religioſos legitime aſſecutos, ratificamus & approbamus per præſentes. Hujus data eſt anno Domini M. CCC. lix. ſub die ſancti *Bricii* epiſcopi & confeſſoris.

Ordinatio vicariæ de **Broklond.**

SIMON permiſſione divina &c. Cum nuper religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ordinis ſancti *Benedicti*, eccleſiam parochialem de **Broklonde** noſtræ diœceſis auctoritate ſedis apoſtolicæ eis & eorum monaſterio prædicto optinuiſſent in uſus proprios aſſignari, ipſamque eccleſiam poſtmodum per mortem magiſtri *T. Maſon* ultimi rectoris ejuſdem eccleſiæ vacantem, & ipſius eccleſiæ corporalem poſſeſſionem fuiſſent legitime ingreſſi, ac dominum *Iohannem de Hoghton* preſbyterum nobis præſentaſſent ad perpetuam vicariam dictæ eccleſiæ admittendum, & inſtituendum canonice in eadem, aſſignantes eidem & ſucceſſoribus ſuis perpetuis vicariis in dicta vicaria pro ſuſtentatione ſua congrua, & aliis ſubſcriptis oneribus ſupportandis certam porcionem, Eciam inquiſitione legitima ſuper vero valore annuo fructuum & proventuum eccleſiæ de **Broklonde** præfatæ & aliis articulis in hac parte debitis & conſuetis præmiſſa, omnibuſque quorum intererat primitus evocatis, de conſenſu abbatis & conventus & domini *Iohannis* prædictorum de proventibus & redditibus dictæ eccleſiæ de **Broklonde** eidem domino *Iohanni* perpetuo vicario ad vicariam dictæ eccleſiæ admiſſo & in eadem canonice inſtituto, & ſuis ſucceſſoribus in futurum in eadem, aſſignavimus porcionem congruam de qua poterunt congrue ſuſtentari & infra ſcripta ſibi incumbentia onera ſupportare. Quam quidem porcionem in rebus ſubſcriptis ſpecificandam duximus una cum oneribus per hujuſmodi vicarium & ejus ſucceſſores perpetim ſupportandis. In primis ſiquidem de conſenſu & aſſenſu partium prædictarum decernimus & eciam ordinamus, quod dicti religioſi præfato vicario & ſucceſſoribus ſuis in fundo de dote ejuſdem eccleſiæ ſuis ſumptibus & expenſis manſum competens cum clauſura & gardino ſufficienti conſtruant & ædificabunt liberum & quietum à quocumque redditu & ſervicio ſeculari, per vicarium dictæ eccleſiæ qui pro tempore fuerit extunc reparandum & eciam ſuſtentandum. Habeat eciam vicarius dictæ eccleſiæ de **Broklonde** qui pro tempore fuerit ad præſentationem dictorum religioſorum per nos vel ſucceſſores noſtros admittendus, & inſtituendus canonice in vicaria eccleſiæ præfatæ, decimas majores terrarum jacentium de ultra de *le Re* verſus *Dovoriam*, videlicet de ultra pontem vocatum **Brynſete**, & verſus parochiales eccleſias de **Brynſete, Suanes, & Ivercherche**, ad eccleſiam de **Broklonde** pertinentes. Ac eciam decimas garbarum de gardinis ſeu ortis pede foſſatis provenientes. Item omnes & omnimodas oblationes in dicta eccleſia vel parochia ubicumque & qualitercumque faciendas, necnon decimas feni, vitulorum, pullanorum, agnorum, porcellorum, aucarum, gallinarum, ovorum, anatum, columbarum, apum, mellis, ceræ, cignorum, lanæ, lacticinii, paſturæ, lini, canapis, olerum, pomorum, fiſaræ, mercimoniorum, piſcationum, aucupum; ac eciam omnes & omnimodas decimas minores de quibuſcunique rebus provenientes. Præfatam autem porcionem in valore annuo ad octo marcas ſterlingorum taxamus & eciam æſtimamus, & pro taxatione prædicta hujuſmodi vicarium ad ſolutionem decimæ & aliarum impoſitionum quarumcumque & qualitercumque contingentium debere contribuere decernimus in futurum. Nolentes quod vicarius eccleſiæ prædictæ quicquam vel aliud quam ſuperius eſt expreſſum percipere valeat vel habere de proventibus & redditibus eccleſiæ de **Broklonde** prædictæ. Subibit autem dictus vicarius ejuſdem eccleſiæ de **Broklonde** onus officiandi eidem per ſe vel alium presbyterum idoneum in divinis, & inventionis luminariorum in cancello, panis, vini pro celebratione miſſarum, locionis veſtimentorum, & reparationis librorum eccleſiæ ſæpedictæ. Et nichilominus ſolvet procurationem debitam archiepiſcopo *Cantuarienſi* viſitanti. Cætera vero onera eidem eccleſiæ incumbentia hic nullatenus expreſſata, pertineant ad abbatem & conventum monaſterii ſancti *Auguſtini* prædicti &c.

Ordinatio vicariæ de **Stone.**

Stone.

SIMON permiſſione divina &c. Cum itaque religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, eccleſiam parochialem de **Stone** in **Oxeneye** noſtræ dioceſis, eis & monaſterio eorum pridem per ſedem apoſtolicam optinuiſſent in uſus proprios aſſignari, ipſamque eccleſiam poſtmodum legitime vacantem, & ipſius corporalem poſſeſſionem ingreſſi fuiſſent, & aliquamdiu pacifice poſſediſſent &c. Habebit ſiquidem perpetuus vicarius eccleſiæ de **Stone** prædictæ qui pro tempore fuerit ad præſentationem dictorum religioſorum per nos & ſucceſſores noſtros ſede *Cantuarienſi* plena, & ipſa vacante per Priorem & Capitulum eccleſiæ *Cant.* inſtituendus canonice in eadem, manſum pro inhabitatione ſua in ſolo dictæ eccleſiæ ſumptibus & expenſis eorundem religioſorum in omnibus plenarie conſtruendum & faciendum, & per dictum vicarium poſtmodum ſuſtentandum ac eciam reparandum, cum croftis & gardino, competentibus & clauſura ſufficienti circumquaque. Percipiet inſuper vicarius hujuſmodi omnes & omnimodas oblationes in dictis eccleſia & parochia ubicumque & qualitercumque faciendas, Necnon decimas garbarum de gardinis ſeu ortis pede foſſatis provenientium, & decimas lanæ, agnorum, pullanorum, vitulorum, lacticinii, porcellorum, aucarum, anatum, gallinarum, apum, paſturæ, columbarum, mellis, ceræ, pomorum, pirorum, olerum, canapis, lini, ovorum, ſilvæ cæduæ, mercimoniorum; ac eciam omnes & omnimodas decimas de quibuſcumque rebus provenientes & debitas de conſuetudine vel de jure, decimis garbarum extra loca prædicta & feni infra dictam parochiam provenientibus duntaxat exceptis. Præterea decernimus, ſtatuimus, & ordinamus quod vicarius dictæ eccleſiæ qui pro tempore fuerit habeat tres carectatas feni & duas carectatas ſtraminis per dictos religioſos vel eorum miniſtros ibidem ſine difficultate quacumque ſuis & congruis temporibus annis ſingulis liberandas. Supraſcriptam autem porcionem in valore annuo ad decem marcas ſterlingorum taxamus & eciam æſtimamus, & pro taxatione hujuſmodi ipſum vicarium ad ſolucionem decimæ cum ipſam currere contigerit, ſeu ſolvere oportuerit, ſtatuimus debere contribuere in futurum. Subibit vero vicarius eccleſiæ de **Stone** prædictæ, onus officiandi eidem per ſe vel per alium presbyterum idoneum in divinis, & inventionis luminariorum in cancello dictæ eccleſiæ, panis & vini pro celebratione miſſarum. Et nichilominus ſolvet procurationem debitam archidiacono *Cantuarienſi* viſitanti, & expenſas pro criſmate & oleo petendis & proceſſionibus pentecoſtalibus faciendis. Nolumus autem vicarium dictæ eccleſiæ de **Stone** qui pro tempore fuerit ultra porcionem prædictam quicquam percipere vel habere, ſeu alia onera quam ſuperius exprimuntur ſubire vel agnoſcere quoviſmodo.

Ordinatio vicariæ de **Wyveleſberg.**

Wyvelesberg

SIMON permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. Ne perpetui eccleſiarum parochialium vicarii: *& infra*. Et ut hæc noſtra ordinatio ſtabilis ſit & firma, ea quæ vicarius hujuſmodi juxta aſſignationem & adjectionem prædictas percepturus, quæ eciam onera idem vicarius & quæ dicti religioſi ſubituri fuerint, declarare & ſpecificare duximus, ſub hac forma. Vicarius perpetuus eccleſiæ parochialis de **Wyveleſberg** noſtræ *Cantuarienſis* dioceſis religioſis viris abbati & conventui monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* unitæ & appropriatæ, pro porcione ſua percipiet omnes & omnimodos fructus, redditus & proventus ad dictam eccleſiam qualitercumque obvenientes ſeu in poſterum obventuros, decimis garbarum ſeu bladorum extra ortos & gardinos creſcentium & feni de pratis ab **Eſſchetiſfordeſbregge**, & per partem borialem dictæ parochiæ ſe protendentibus provenientibus dumtaxat exceptis; quæ quidem decimæ ad dictos religioſos & eorum monaſterium integraliter pertinebunt. Habebit idem vicarius manſum infra rectoriam dictæ eccleſiæ ſumptibus dictorum religioſorum congrue prout convenit ædificandum & per vicarium qui pro tempore fuerit extunc in poſterum reparandum, cum gardino & crofto, & una roda terræ pro curtelagio eidem rectoriæ adjacentibus, curia, horreis ipſius rectoriæ adjacentibus & eiſdem contiguis ipſorum religioſorum uſibus reſervata. Item habebit vicarius duas acras terræ arabilis de dote ſibi de gleba ipſius eccleſiæ juxta ipſam eccleſiam jacentes, quas una cum dicto crofto & roda idem religioſi facient eidem vicariæ amortizari ſuis ſumptibus & expenſis, vel aliam ſecuritatem in ea parte parabunt ſeu parari facient ſufficientem. Subibit autem idem vicarius onus officiandi imperpetuum dictæ eccleſiæ per ſe vel alium presbyterum idoneum in divinis. Item & onera adminiſtrationis ſeu invencionis luminarii in cancello dictæ eccleſiæ, panis & vini pro celebratione miſſarum, reparationis librorum, veſtimentorum, & aliorum ornamentorum eccleſiaſticorum. Item jura epiſcopalia, procurationem quoque archidiacono viſitanti debitam, & alia jura archidiaconalia imperpetuum ſuſtinebit. Dicti vero religioſi cætera onera ſuperius non expreſſa quæ rectoribus dictæ eccleſiæ retroactis temporibus ſolebant incumbere, ſupportabunt.

Cap. XXXIX.

ET quia hic habetur mencio de appropriatione iſtarum eccleſiarum, una cum ordinationibus de vicariis earundem, ideo appropriationes omnium eccleſiarum cum ſuis ordinationibus gratum duxi ſeriatim conſcribere, & ſic cognicioni deducere arbitror ſummopere fore expediendum. ET hic ſubſequenter ſcribe & quære proceſſum de eccleſiis de **Menſtre**, & **Northborne**, & **Chiſtelet** cum ſuis ordinationibus.

§. 1. *Appropriationes eccleſiarum de* **Faverſham** *&* **Middilton.**

Faverſham & Middilton.

ANno Domini M. lxx. Rex *Willelmus* Conqueſtor dedit huic eccleſiæ prædictas eccleſias per formam ſubſequentem. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti Amen. Ego *Willelmus* ineffabili Dei providentia rex *Anglia*, ex hiis quæ omnipotens Deus ſua gratia michi largiri eſt dignatus, quædam concedo eccleſiæ ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli quæ ſita eſt in ſuburbio urbis *Cant.* pro ſalute animæ meæ & parentum meorum prædeceſſorum & ſucceſſorum hæreditario jure; hæc ſunt eccleſiæ & decimæ duarum manſionum, videlicet **Favyrſham** & **Middilton** ex omnibus redditibus qui michi redduntur ex hiis manſionibus & omnibus ibidem appendentibus, terra, ſilva, pratis & aqua; exceptis decima mellis & gabuli denariorum. Hæc omnia ex integro concedo ſancto *Auguſtino*, & abbati, & fratribus ut habeant, & teneant, poſſideant imperpetuum.

Confirmatio papa Alexandri *tercii.*

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Capitulo monaſterii S. *Auguſtini Cant.* Juſtis petentium deſideriis: *& infra.* Ea propter eccleſiam de **Middilton** cum omnibus capellis & pertinentiis ſuis, eccleſiam de **Favirſham** cum capella ſancti *Jacobi* & omnibus aliis pertinenciis ſuis, terram de **Burgate**, & terras quas habetis infra muros civitatis *Cant.* canonice vobis conceſſas, ſicut eas rationabiliter poſſidetis vobis & monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus.

Ratificatio archiepiſcopi de eiſdem.

THEOBALDVS Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus, *Anglorum* primas, & apoſtolicæ ſedis legatus &c. Donationes regum *Anglorum* & elemoſinas principum eccleſiis ſeu religioſis locis canonice collatas & conceſſas, noſtri eſt officii firmas ſtatuere & auctoritatis noſtræ teſtimonio roborare. Ea propter donum regis *Anglia* celebris memoriæ *Willelmi* à rege glorioſo *Henrico* filio ſuo confirmatum, videlicet eccleſias & decimas de **Favirſham** & de **Middilton** cum omnibus quæ regi reddebantur, & ex omnibus ibidem appendentibus terra &c. exceptis decima mellis & gabuli denariorum, concedimus & confirmamus Deo, & S. *Auguſtino*, & abbati & fratribus ejuſdem loci, ut habeant, & teneant, & poſſideant ita libere & quiete ſicut prædictorum regum cartæ quas oculis noſtris vidimus atteſtantur eos habere & tenere debere &c.

Ordinatio Vicaria de **Favirſham.**

JOHANNES permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. Ex injuncta noſtræ adminiſtrationis officio nuper religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* eccleſiam parochialem de **Faverſham** noſtræ dioceſis in proprios uſus tenentes, juxta juris exigentiam moneri fecimus & induci, ut infra certum terminum per nos eis præfixum domino *Roberto de Honyton* perpetuo ejuſdem eccleſiæ vicario & vicariæ ſuæ ad quam cum vacaverit idem religioſi debent, ut dicitur, ſecularem clericum inſtituendum in ea præſentare, ſufficientem aſſignarent de ipſius eccleſiæ fructibus, redditibus, & obventionibus portionem, de qua ipſe vicarius & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii poſſent congrue ſuſtentari, jura epiſcopalia ſolvere, & alia ipſi vicariæ & vicariis inibi inſtituendis incumbentia onera ſupportare. Qui quidem religioſi prætextu noſtræ monitionis prædictæ per literas ſuas patentes ſigillis eorum ſignatas portionem hujuſmodi in & de decimis, oblationibus, obventionibus, proventibus & rebus aliis infraſcriptis ad dictam eccleſiam ſpectantibus, præfato *Roberto* vicario & ejus ſucceſſoribus in dicta eccleſia de **Faverſham** vicariis, quatinus in eis extitit, aſſignarunt; & per partem ipſorum in præſentia dicti vicarii judicialiter fuit petitum, porcionem ſeu vicariam ipſam per commiſſarium noſtrum in decimis & oblationibus, obventionibus, proventibus & rebus aliis infraſcriptis hujuſmodi conſtitui & perpetualiter ordinari, ac eiſdem vicariis inponi onera infra ſcripta; unde idem Commiſſarius noſter quod rationabiliter ſic per ipſos factum erat, prout decuit approbans, de ipſarum conſenſu partium & ipſis præſentibus decrevit ac ordinavit judicialiter ſub hac forma, Quod videlicet vicarius præfatus eccleſiæ de **Faverſham** qui nunc eſt & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii, habeant manſum ſolitum dictæ vicariæ cimiterio dictæ eccleſiæ contiguum cum omnibus pertinentiis ad eundem, Tenendum libere & immune ab omni redditu & ſervicio ſeculari. Item habeant & percipiant nomine vicariæ prædictæ omnes & omnimodas oblationes in dicta eccleſia de **Faverſham**, & in quibuſcumque locis infra fines & limites ſeu decimationes dictæ eccleſiæ ſituatis ex devotione divina qualitercumque factas aut faciendas, ſeu ad eam vel in ea provenientes & in poſterum provenire valentes modo, cauſa, occaſione vel colore eciam quibuſcumque; necnon & omnes & omnimodas oblationes in prima miſſa pro dominis & dominabus xiij. tenentium certa tenementa in hamelecto de **Schelwych** ipſius noſtræ dioceſis exiſtentium ibidemq; decedentium in capella dicti hameletti de **Schelwich** eidem eccleſiæ de **Faverſham** annexa & infra decimam parochiæ ſituata qualitercumque factas & impoſterum faciendas, quorum eciam tenementorum nomina ſpecifice deſignantur, videlicet tenementum **Longcanon** quod domina *Elizabetha* relicta *Radulphi Sanzaver* militis defuncti nunc tenet cujus ædificia ſunt amota. Item tenementum *Iohannis Ateſole* quod *Margeria* relicta *Iohannis de Harefeld* nunc tenet. Item tenementum *Thoma le Vader* quod *Cicilia Niele* hæres dicti *Thoma* nunc tenet. Item tenementum *Lucia Sclokekaie* alias *Lile* quod eadem *Lucia* nunc tenet. Item tenementum *Iohannis ate Halke* quod *Thomas* filius ſuus nunc tenet. Item tenementum quondam *Ricardi Chyld* quod *Robertus Draylonde* nunc tenet de adquiſitione. Item tenementum *Walterii de Kyngeſtonde* quod *I. de Kyngeſtonde* de adquiſitione nunc tenet, cujus tenementi ædificia ſunt amota. Item tenementum *Roberti Lord* quod *J.* filius ejus & hæres nunc tenet. Item tenementum *Ricardi de Kingeſtonde* quod *Bertholomaus de Kyngeſtonde* ipſius hæres nunc tenet. Item tenementum *Bertholomai Sprynges* quod *Rogerus Dik* nunc tenet. Item tenementum *Willelmi de Schobeſole* quod idem *Willelmus* adhuc tenet. Item tenementum *Petri atte Leſe* quod idem *Rogerus Dyk* nunc tenet. Item tenementum *Guernore atte Budlli* quod idem *Rogerus Dyk* nunc tenet. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine vicariæ prædictæ omnes decimas feni, lanæ, agnorum, porcellorum, lini, canapi, pomorum, pirorum, ciſaræ, caſei, lacticinii, aucarum, columbarum, mercimoniorum, ovorum, & omnium molendinorum infra parochiam dictæ eccleſiæ exiſtentium ſeu in poſterum faciendorum, ac eciam fabarum & aliorum ſeminum in gardinis ſive ortis plantatis ſeu ſeminatorum ibidem creſcentium undequaque. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra à magiſtro domus Dei de Hoſprenge qui pro tempore fuerit v.s. ſterlingorum pro decimis minoribus de clauſo & ortis dictæ domus Dei de Hoſprenge infra parochiam ipſius eccleſiæ de Faverſham notorie conſtitutis provenientibus, juxta quandam Compoſitionem inter quondam vicarium dictæ eccleſiæ & magiſtrum dictæ domus Dei habitam in hac parte. SUBEANT autem vicarii præfati onus deſerviendi per ſe & ij. preſbyteros idoneos præfatæ eccleſiæ in divinis; onus etiam miniſtrationis panis & vini, duorum cereorum proceſſionalium, luminariorum & aliorum quæ ad celebrationem divinorum ibidem fuerint neceſſaria, necnon & onus inventionis cirporum pro dicta eccleſia ſternenda in æſtate, ac ſolutionis decimarum & impoſitionum aliarum quæ *Anglicanæ* eccleſiæ imponi quandocumque ſeu per quemcumque continget ſeu ipſi eccleſiæ de Faverſham incumbent pro taxatione x. li. ſuis ſubeant ſumptibus & expenſis. Onera vero reparationis & refectionis cancelli præfatæ eccleſiæ de Faverſham intus & exterius, necnon inventionis & reparationis librorum & veſtimentorum & ornamentorum ejuſdem eccleſiæ quæ per eccleſiarum rectores inveniri & reparari debent aut ſolent de jure vel conſuetudine, ac eciam ſtraminis pro dicta eccleſia ſternenda tempore yemali; necnon & cætera onera ordinaria & extraordinaria eidem eccleſiæ incumbentia præfatis vicariis ſuperius non aſcripta dicti religioſi ſubeant perpetim & agnoſcant &c.

Ordinatio vicarii de Middeltone.

JOhannes permiſſione divina &c. Dudum religioſos viros: *& infra.* Vicarius præfatus eccleſiæ de Middilton & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii habeant manſum ſolitum dictæ vicariæ cum gardino adjacente eidem, cum una acra terræ de gleba antedicta. Item habeant & percipiant ipſi vicarii nomine vicariæ prædictæ omnes & omnimodas oblationes in dicta eccleſia de Middilton & in quibuſcumque locis infra fines & limites ſeu decimationes dictæ eccleſiæ ſcituatis qualitercumque factas aut faciendas, ſeu ad eam vel in ea provenientes & impoſterum provenire valentes modo, cauſa, occaſione vel colore eciam quibuſcumque. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra omnes decimas ſilvæ cæduæ, lanæ, agnorum, vitulorum, porcellorum, aucarum, anatarum, cignorum, columbarum, caſei, lacticinii, herbagii, pomorum, pirorum & aliorum fructuum in gardinis et ortis creſcentium, ciſaræ, lini, canapi, ovorum, cirporum, mercimoniorum & molendinorum omnium infra fines & limites ſeu decimationes parochiæ dictæ eccleſiæ de Middilton jam conſtructam & impoſterum conſtruendam, Omneſque alias minutas decimas qualitercumque ſpectantes & pertinentes ad eccleſiam antedictam, Necnon quæcumque legata relicta impoſterum dictæ eccleſiæ quæ ipſius rectores ſeu vicarii poſſent de jure vel conſuetudine percipere. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra à Religioſis præfatis penſionem annuam xl.s. ſterlingorum, unam ſummam ſive quarterium frumenti et iij. quarteria ſive ſummas ordei in feſto ſancti *Michaelis* menſe Septembris apud Middilton per eos annis ſingulis perſolvenda ſub pœna ſequeſtri in fructibus et proventibus dictæ eccleſiæ de Middilton ad ipſos religioſos pertinentibus interponendi quocienſcumque et quandocumque defecerint vel ceſſaverint in ſolucione penſionis & ordei hujuſmodi, ſeu ſi eam vel ea non ſolverint in termino ſupradicto. SUBEANT autem præfati vicarii onus deſerviendi per ſe et alium preſbyterum idoneum eidem eccleſiæ in divinis, eciam invencionis unius lampadis coram altare beatæ *Mariæ* ibidem ardere debentis, ac miniſtrationis panis, vini, luminariorum & aliorum quæ ad celebrationem divinorum neceſſaria fuerint in eccleſia antedicta. Onus inſuper ſolutionis decimarum & impoſitionum aliarum quæ *Anglicana* eccleſiæ imponi quandocumque & per quemcunque contingent ſeu ipſi eccleſiæ de Middilton incumbent pro taxatione xij. marcarum præter onera præfatis Religioſis inferius aſcripta ſuis ſubeant ſumptibus & expenſis. Onera vero reparationis et refectionis cancelli eccleſiæ de Middilton intus & exterius, necnon invencionis & reparationis librorum et veſtimentorum & ornamentorum ejuſdem eccleſiæ quæ per eccleſiarum rectores inveniri et reparari ſolent aut debent de jure vel conſuetudine, ac cætera onera ordinaria et extraordinaria eidem eccleſiæ incumbentia dicti religioſi ſubeant perpetim et agnoſcant &c.

§.2. *Appropriatio vicariæ de* Preſton.

Preſton.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati &c. ſinceræ devocionis affectus: *& infra.* Veſtris igitur precibus inclinati eccleſiam de Preſton *Cantuarienſis* dioceſis in qua jus patronatus habetis, cum omnibus juribus et pertinenciis ſuis vobis in uſus proprios auctoritate præſentium concedimus. De gratia ſpeciali vobis nichilominus indulgentes, ut corporalem ipſius eccleſiæ poſſeſſionem cum cedente vel decedente illius Rectore vel quovis alio modo legitimo vacaverit, auctoritate propria, non obſtante conſtitutione contraria per nos vel aliquem noſtrum ſeu alium ingredi libere valeatis, et proventus ipſius integre percipere, in uſus convertendos eoſdem, dioceſani epiſcopi vel archidiaconi loci ſeu cujuſlibet alterius aſſenſu minime requiſito. Proviſo attentius quod vicario perpetuo in eadem eccleſia ſervituro quem dioceſano canonice præſentabitis competentem aſſignetis de ipſius eccleſiæ proventibus porcionem, de qua congrue ſuſtentari & epiſcopalia ac ipſius alia eccleſiæ onera valeat ſupportare; jure dioceſani quoad inſtitutionem & deſtitutionem, correctionem & viſitationem ejuſdem vicarii ſemper ſalvo. Nos igitur quicquid contra præſentis indulti noſtri tenorem de dicta eccleſia cum juribus & pertinentiis ſuis in præjudicium veſtrum noſtra vel quavis auctoritate per quemcumque factum vel attemptatum fuerit, irritatum decernimus & inane. Nulli igitur &c.

Ratificatio ejuſdem.

Univerſis ſanctæ matris &c. magiſter *Hugo de Mortuo Mari* gerens vices venerabilis patris domini *Bonifacii* Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopi in remotis agentis, ſalutem in Domino ſempiternam. Noverit univerſitas veſtra nos reſcriptum domini papæ non cancellatum, non abolitum nec in aliqua ſui parte viciatum cum bulla vera filoque integro inſpexiſſe ſub hac forma. *Alexander* epiſcopus &c. Nos igitur indulgenciæ prædictæ præfatis abbati & conventui à domino papa conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas, gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte idem dominus papa eiſdem duxerit faciendam, necnon & ingreſſum poſſeſſionis eccleſiæ prædictæ quam exinde novimus eoſdem aſſecutos legitime, approbamus.

§.3. *Appropriatio eccleſiæ S.* Pauli.

S. Pauli Cant.

ALexander epiſcopus &c. Dilectis filiis abbati &c. Sedis apoſtolicæ gratia: *& infra*. Ut autem hujuſmodi pietatis opera facilius & liberius à vobis ſemper valeant exerceri, Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, præſencium vobis auctoritate concedimus, ut eccleſiam ſancti *Pauli* ſitam in ſuburbio civitatis *Cant.* in qua dicimini jus patronatus habere, cujuſque proventus valenciam quindecim marcarum ſterlingorum ſecundum communem æſtimationem patriæ annis ſingulis non excedunt, cedente vel decedente ipſius Rectore, dioceſani ſeu archidiaconi loci aut cujuſcumque alterius aſſenſu minime requiſito, veſtris uſibus applicare, ac ejus poſſeſſionem ingredi & retinere libere valeatis. Proviſo tamen quod capellano in eadem eccleſia domino perpetuo ſervituro competens per vos de ipſius proventibus porcio, ex qua congrue ſuſtentari & epiſcopalia ac archidiaconalia & alia conſueta ejuſdem eccleſiæ onera ſupportare valeat, aſſignetur.

Ratificatio ejuſdem.

Univerſis ſanctæ matris &c. magiſter *Hugo de Mortuo Mari* gerens vices venerabilis patris *B.* Dei gratia &c. Noverit univerſitas veſtra nos reſcriptum domini papæ non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua ſui parte &c. Nos igitur indulgentiæ prædictæ præfatis abbati et conventui à domino papa conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte idem dominus papa eiſdem duxerit faciendam, necnon & ingreſſum poſſeſſionis eccleſiæ prædictæ quam exinde novimus eoſdem aſſecutos legitime, approbamus.

*Ordinatio vicariæ S.*Pauli.

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, magiſter *Hugo* &c. Noveritis nos ad præſentationem magiſtri *H. Doge* rectoris eccleſiæ ſancti *Pauli Cant. Virgilium de Alkham* capellanum ad vicariam prædictæ eccleſiæ de conſenſu et aſſenſu venerabilis patris *R.* Dei gratia abbatis *S. Auguſtini Cant.* & ejuſdem loci conventus, qui dictæ eccleſiæ veri ſunt patroni, admiſiſſe, ipſumque vicarium caritatis intuitu inſtituiſſe canonice in eadem. Salvis tamen dicto magiſtro *H.* rectori dictæ eccleſiæ & ſucceſſoribus ſuis ejuſdem eccleſiæ Rectoribus viij. marcis argenti annuis de fructibus, oblationibus et obventionibus dictæ vicariæ ad natale Domini, ad Paſcha, ad feſtum natalis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, & ad feſtum ſancti *Michaelis* æqualiter percipiendis. Et dictus vicarius ſolvet procurationem domini archidiaconi & alia onera omnia ordinaria ſuſtinebit. Habebit autem dictus vicarius & percipiet nomine vicariæ ſuæ omnes obventiones, oblationes, caſus & alia jura omnia ad dictam eccleſiam ſancti *Pauli* aliquo modo ſpectantia & pertinentia, exceptis bladis & fabis in campo, & ſic eſt ad præſens taxata vicaria ſupradicta &c.

§.4. *Appropriatio de* Sellyng.

Selling.

URbanus epiſcopus &c. Juſtis petencium deſideriis; *& infra*. Ea propter dilecti in domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu Conſtitutionem ſuper Sellyng ad veſtitum monachorum deputata de communi aſſenſu abbatis & conventus provide factam et eccleſiæ *Romanæ* privilegio confirmatam ratam habemus, et eandem eccleſiam ſicut eam juſte & ſine controverſia poſſidetis, vobis & per vos eccleſiæ veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti pagina communimus.

Ratificatio ſuper eadem eccleſia.

Univerſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis præſentem paginam inſpecturis magiſter *Hugo* &c. Noverit univerſitas veſtra nos reſcriptum domini papæ non cancellatum &c. Nos igitur indulgenciæ prædictæ præfatis abbati & conventui à domino papa conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas, gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte idem dominus papa eiſdem duxit faciendam, necnon & ingreſſum poſſeſſionis eccleſiæ prædictæ quam exinde novimus eoſdem legitime aſſecutos, approbamus.

Ordinatio vicariæ de Sellyng.

Univerſis præſens ſcriptum viſuris vel audituris *T.* permiſſione divina &c. Cum jamdudum porcio vicariæ eccleſiæ de Sellyng ſic ordinata ſeu taxata fuiſſet, ac auctoritate et approbatione ordinaria roborata, quod videlicet vicarius quicumq; pro tempore eſſet ibi, haberet et perciperet oblationes et obventiones ad altaragia communiter pertinentes, dominus *I.* de *Badele* tempore confirmationis præſentium vicarius dicti loci nobis expoſuit, aſſerens ſe & vicariam ſuam prædictam nimis graviter in præſtationibus ordinariorum jurium oneratam, et deductione eorum facta de porcione prædicta ipſam ſeu reſiduum ipſius minus ſufficere ad faciendum honeſte & debite quod incumbit, Nobiſque humiliter ſupplicavit, ut ſibi ſuper hoc ampliorem gratiam faceremus. Nos vero nolentes porcionem vicariæ prædictæ gravari vel minui in aliquo ſet augeri, & de noſtra munificentia & gratia ampliori, ad honorem Dei et glorioſæ virginis matris ejus omniumque Sanctorum, & ad augmentũ perpetuum porcionis ejuſdem damus, adicimus, dimittimus & concedimus v. acras terræ cum gardino et aliis ſuis pertinenciis jacentes in eadem parochia, in loco quo aliquando ſitus fuerat perſonatus. Ratificamus eciam et concedimus pro nobis et ſucceſſoribus noſtris appropriationem tenementi ſeu meſuagii quo nunc habitat vicarius antedictus juxta eccleſiam prænominatam factam vicariæ prædictæ, ſibi & ſuis omnibus ibidem ſucceſſoribus plene & pacifice inperpetuum poſſidendas. Volumus eciam & concedimus quod dictus *I.* vicarius & omnes ſui ſucceſſores ibidem habeant & percipiant de nobis & eccleſia noſtra ſingulis annis per manus Camerarii noſtri quicumque pro tempore fuerit x.s. ſterlingorum & j. ſummam piſarum, videlicet in feſto ſancti *Michaelis* v.s. & ad feſtum Paſchæ v.s. & ad feſtum natalis Domini j. ſummam piſarum prædictam, ita quod prædictus *I.* vicarius & omnes ſui ſucceſſores prædictis oblationibus & obventionibus non bladis aut garbis niſi plantatis aut pede foſſis ad altaragia communiter ſpectantibus, & noſtris adjectionibus hiis contenti nichil ratione vel nomine decimæ poſſint exigere vel habere de ortis, beſtiis, culturis aut rebus aliis quibuſcumque infra ſepta manerii cameræ noſtræ ibidem exiſtentibus, ſeu de molendinis aut nutrimentis animalium ad dictam cameram pertinentibus nichil percipient. Set ſine omni decimatione & exactione prædicta ibi noſtro Camerario remaneant ſalva, libera & quieta ſicut alibi in noſtris dominicis exiſtimus ab hujuſmodi præſtationibus liberi & immunes. Si tamen aliis ad firmam tradita ſint præmiſſa, vicarius tunc de firmario juſtam decimam reportabit. Dictus autem vicarius & omnes ſucceſſores ſui ſolvent Ordinariis procurationem ratione viſitationis ibi debitam, & ad omnia alia onera ordinaria ejuſdem eccleſiæ imperpetuum tenebuntur. Quando autem dictam gratiam fecimus & conceſſimus vicario memorato, ipſam cum gratiarum actione expreſſe ratam habuit & acceptam pro ſe & ſucceſſoribus ſuis univerſis. Et in teſtimonium præmiſſorum &c. Et ad perpetui roboris firmitatem tam ad requiſitionem dicti vicarii quam noſtram eidem ſcripto cyrographato ſigillum venerabilis patris *I.* Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopi pro approbatione ordinaria eſt appenſum.

§.5. *Appropriatio eccleſiæ de* **Lenham**.

Lenham. C*Eleſtinus* &c. Cum in eccleſiis conventualibus; *& infra.* Inde eſt quod cum reparatio utenſilium refectorii veſtri multis expenſis & magnis indigeat, & vos eccleſiam de manerio veſtro de **Lenham** prædictorum reparationi utenſilium velitis à ſede apoſtolica ipſi refectorio confirmari. Nos ipſam deputationem ſicut provide & ſine pravitate aliqua facta eſt ratam habemus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, per apoſtolica ſcripta univerſitati veſtræ firmiter inhibentes, ne ipſam eccleſiam & pertinentias ſuas in alios uſus convertere vel in aliquam præſumatis perſonam ſecularem contra ſtatuta noſtra transferre.

Ordinatio vicariæ ejuſdem.

Univerſis Chriſti fidelibus &c. Noverit univerſitas veſtra, quod cum dudum vicaria eccleſiæ noſtræ de **Lenham** ſic taxata fuiſſet ac eciam ordinata, quod vicarius qui eſſet pro tempore oblationes et obventiones ad altaragia communiter provenientes ſeu eciam pertinentes, & minutas decimas cum decimis feni & curtilagiorum perciperet & haberet, Ac poſtmodum inter nos abbatem & conventum prædictos ex parte una, & dominum *I.* dictum le *Maſon* de *Cantuaria* vicarium dictæ eccleſiæ noſtræ de **Lenham** ex altera, ſuper quibuſdam minutis decimis paſturæ & bladorum de quibuſdam terris poſt dictam ordinationem ſeu taxationem memoratæ vicariæ nobis abbati & conventui ex noſtro manerio de **Lenham** realiter adquiſitis controverſia verteretur ſeu verti potius ſperaretur, idem vicarius aſſerens vicariam ſuam prædictam ſic eſſe ordinariis oneribus ac eciam extraordinariis aggravatam & oneratam, quod non ſufficit ad tot onera ſupportanda, nobis humiliter ſupplicavit ſuper hoc ſibi gratiam aliquam faceremus: Nos igitur ſuis precibus inclinati, volentes diſcordiarum materias amputare, & ſuæ porcioni ob divini cultus honorem uberius providere, damus & concedimus eidem & ſucceſſoribus ſuis totum illud meſuagium cum pertinenciis in quo nunc habitat, quod aliquando perquiſitum fuit ad uſum eccleſiæ noſtræ de hæredibus *Michaelis* capellani. Et inſuper pro nobis & ſucceſſoribus noſtris remittimus et quietum clamamus præfato vicario et ſuis ſucceſſoribus x.s. annui redditus quos aliquando percipere conſuevimus de meſuagio ſupradicto. Volumus eciam quod dictus vicarius et ſucceſſores ejuſdem imperpetuum recipiant et habeant xij. d. annuos quos Prior et Conventus de **Ledes**, & ſimiliter ij. libras ceræ quas Prior et Conventus eccleſiæ ſancti *Gregorii Cant.* debent et ſolent annuatim offerre ſuper magnum altare eccleſiæ prænotatæ. Et præterea damus & concedimus eiſdem iij. ſummas bladi, videlicet j. frumenti & ij. ordei percipiendas ſibi et ſuis ſucceſſoribus annuatim à nobis in noſtro manerio de **Lenham** per manus cuſtodis manerii ſupradicti qui pro tempore fuerit, duobus anni terminis, ſcilicet ad feſtum ſancti *Michaelis* et ad feſtum Paſchæ pro æqualibus porcionibus, ita tamen quod dictus vicarius et ſui ſinguli ſucceſſores ſic dicto blado contenti, de garbis cujuſcumque generis bladi in curtilagiis vel extra infra fines dictæ parochiæ provenientibus nichil nomine decimæ aut ſuæ vicariæ de cætero reportabunt: Adicientes porcioni ſuæ eciam, quod ipſe et ſui ſucceſſores habeant & habere poſſint ſingulis annis ij. vaccas cum noſtris vaccis in paſtura noſtra apud **Lenham** paſcentes, ad ovile noſtrum minime ituras à feſto Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi* uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*. Ratificamus eciam eiſdem *J.* & ſucceſſoribus ſuis pro nobis & ſucceſſoribus noſtris terram illam quæ vocatur **Langebregge** juxta **Parkewell** undique ſepibus circumcluſam, una cum appropriatione tenementi ſeu meſuagii ſupradicti quo nunc habitat vicarius antedictus, quæ volumus pro nobis et ſucceſſoribus noſtris quod dictus vicarius & ſui ſucceſſores libera et quieta ad uſus vicariæ prædictæ poſſideant in futurum, ut prædictum eſt. Idem vero *I.* vicarius pro ſe et ſucceſſoribus ſuis conceſſit bona fide ac renunciavit expreſſe quod à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris de manerio noſtro prædicto ſive de terris ſive tenementis noſtris dominicis in eodem manerio de minutis decimis bladorum, feni, paſturæ, iij. molendinorum, ſcilicet **Abbotteſmell**, **Blakke** et molendini ad ventum, nutrimentorum animalium ſive de aliquibus aliis minutis decimis, vel aliquid aliud quam prætactum eſt, ratione dictæ vicariæ de nobis aut ſucceſſoribus noſtris exigere, ſeu vendicare non poterunt de cætero nec debebunt, ſet de incremento prædictorum meſuagii, redditus x.s. redditus bladi annui, et paſturæ vaccarum, oblationis xij.d. et ij. librarum ceræ ſecundum formam antedictam ſe tenebunt contentos, propter quæ dictus vicarius pro ſe et ſucceſſoribus ſuis omni juri, actioni quæ ſibi vel ſucceſſoribus ſuis vicariis competere poterunt de minutis decimis dominiorum noſtrorum prædictorum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis renunciavit expreſſe. Hoc tamen intellecto, quod ſi aliis ad firmam tradita ſunt præmiſſa, vicarius tunc de firmario juſtam decimam reportabit illa vice. Salvis præterea dicto *Johanni* & ſucceſſoribus ſuis prædictis oblationibus & obventionibus & aliis minutis decimis & redditibus dumtaxat, quibus dicta vicaria fuit primitus ordinata; exceptis decimis noſtris in forma qua prædictum eſt. Dictus autem vicarius & ſui ſucceſſores deſerviet ſeu deſervient honeſte dictæ eccleſiæ de **Lenham** & capellæ de **Rayton** per ſe & alterum idoneum capellanum, & luminaria invenient in eiſdem more debito & conſueto, & ad ſolutionem procurationis archiepiſcopi ratione viſitationis ibi debitam & ad omnia alia onera ordinaria ejuſdem eccleſiæ ipſe & ſui ſinguli ſucceſſores imperpetuum tenebuntur. Omnibus aliis ſi quæ fuerunt compoſitionibus, inſtrumentis ſeu ſcriptis inter nos & ipſum, noſtros ac aliquem anteceſſorum ſuorum dictam vicariam contingentibus prius factis per hoc ſcriptum ſolummodo robur optinens de cætero firmitate qualibet & efficacia totaliter vacuatis. Et ut hæc omnia robur perpetuum optineant firmitatis, ſigillum commune &c.

§.6. *Appropriatio eccleſiæ de* **Tanterden**.

Tanterden.

ALexander epiſcopus &c. Etſi ex injuncto nobis apoſtolatus officio; *& infra*. Veſtris igitur utilitatibus paterna ſolicitudine intendentes, eccleſiam de **Tentirdenn** *Cantuarienſis* dioceſis in qua jus patronatus habetis cum omnibus juribus & pertinenciis ſuis vobis in uſus proprios auctoritate præſentium concedimus de gratia ſpeciali, vobis nichilominus indulgentes ut corporalem poſſeſſionem ipſius eccleſiæ cum cedente vel decedente illius rectore vel quovis alio modo legitimo vacaverit, auctoritate propria non obſtante Conſtitutione contraria, per vos vel aliquem veſtrum ſeu alium ingredi libere valeatis, ac proventus ipſius integre percipere in uſus convertendos eoſdem, dioceſani epiſcopi vel archidiaconi loci ſeu cujuſlibet alterius aſſenſu minime requiſito. Proviſo attencius quod vicario perpetuo in eadem eccleſia ſervituro, quem dioceſano canonice præſentabitis, competentem de ipſius eccleſiæ proventibus aſſignetis portionem, de qua congrue ſuſtentari & epiſcopalia & alia ipſius eccleſiæ onera valeat ſupportare, jure dioceſani quoad inſtitutionem & deſtitutionem, correctionem et viſitationem ejuſdem vicarii ſemper ſalvo. Nos enim quicquid contra præſentis indulti noſtri tenorem de dicta eccleſia cum juribus et pertinenciis ſuis in præjudicium veſtrum noſtra vel quavis auctoritate per quemcumque factum vel attemptatum fuerit, decernimus irritum et inane.

Ratificatio ſuper eadem eccleſia.

Univerſis ſanctæ matris &c. Noverit univerſitas veſtra nos reſcriptum domini non cancellatum &c. inſpexiſſe ſub hac forma. *Alexander* epiſcopus &c. Nos igitur indulgenciæ prædictæ præfatis abbati et conventui à domino papa conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas, gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte idem dominus papa eiſdem duxit faciendam, necnon & ingreſſum poſſeſſionis eccleſiæ prædictæ quam exinde novimus eoſdem aſſecutos legitime, approbamus.

Taxatio ſive ordinatio vicariæ ejuſdem.

Venerabili in Chriſto patri & domino reverendo *Bonifacio* Dei gratia *Cantuarienſi* archiepiſcopo tocius *Angliæ* Primati, Devotus ſuus *H. Doge* officialis domini archiepiſcopi &c. Ad mandatum veſtrum Inquiſitionem feci de vicaria eccleſiæ de **Tendyrdenn** ſicut potui diligentem, & inveni vacantem per mortem domini *Willielmi* capellani qui ultimo fuit vicarius in eadem. Jus vero præſentandi ad ipſam ſpectat ad viros religioſos abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cant.* et eſt ſine lite. Conſiſtit autem dicta vicaria in omnibus decimis, obventionibus & oblationibus ad dictam eccleſiam ſpectantibus, exceptis decimis garbarum bladi et feni, de quo quidem feno dictus vicarius percipiet annuatim iv. carectatas feni per manus abbatis et conventus ſancti *Auguſtini*, & valet per annum xviij. marcas et amplius &c.

§.7. *Appropriatio eccleſiæ de* **Plumſtede**.

GRegorius epiſcopus &c. Dignum eſt ut hiis; *& infra*. Hinc eſt quod cum reparationi pauperum & hoſpitum quorum ad vos concurrere multitudo dicitur, intenta veſtra charitas habeatur, Nos ut opus pietatis hujuſmodi à vobis poſſit facilius ſupportari, devotioni veſtræ præſencium auctoritate concedimus, ut eccleſiam de **Plumſtede** *Roſenſis* dioceſis in qua jus patronatus ut aſſeritur optinetis, cedente vel decedente ipſius Rectore dictorum pauperum et hoſpitum poſſitis uſibus libere deputare, ita tamen quod vicario in ea perpetuo ſerviturо per vos de ipſius proventibus portio competens, ex qua congrue ſuſtentari et epiſcopalia ac alia ipſius eccleſiæ onera ſupportare valeat aſſignetur, dioceſani epiſcopi in omnibus jure ſalvo.

Plumſtede.

Ratificatio ſuper eccleſia de **Plumſtede**.

R. Dei gratia *Roffenſis* eccleſiæ miniſter humilis, viris venerabilibus &c. Noveritis nos reſcriptum domini papæ ſuper indulgentia vobis ab eo conceſſa de eccleſia de **Plumſtede** dioceſis noſtræ in hæc verba inſpexiſſe, *Gregorius* epiſcopus &c. Nos igitur huic indulgenciæ à domino papa vobis factæ gratum præbemus aſſenſum, et gratiam quam vobis in hac parte duxit faciendam approbamus et quantum ad nos pertinet ipſam concedimus, et epiſcopali auctoritate roboramus, ſalvo jure dioceſani prout in indulgencia prædicta continetur.

Ordinatio ejuſdem vicariæ.

Omnibus Chriſti fidelibus &c. *Thomas* permiſſione divina abbas monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* Cum nuper nobis monſtraſſet dominus *J.* vicarius eccleſiæ noſtræ de **Plumſtede**, & capellæ noſtræ de **Wicham** ſtatum vicariæ ſuæ prædictæ ex varietate conditionum & temporum modernorum in nonnullis variatum exiſtere, & ejuſdem proventus ad ſolitæ porcionis ſuæ ſummam nequaquam extendi ſeu ſibi competenter poſſe ſufficere nunc ut prius, quodque multum optaret ſuper decimis quibuſcumque garbarum & bladorum de ortis ſeu curtilagiis aut aliis terris & locis plantatis ſeu pede foſſis, de quibus vel quorum cauſa contentiones ſæpe movebantur hinc inde, ad certam pecuniæ ſummam poni; Nos divini cultus honorem non minui ſet ſemper augeri volentes, & diſcordiarum materias amputari, & ob hoc ad uſus dicti miniſterii de noſtræ liberalitatis gratia habundancius providere, ad memoriam præſentium & certitudinem futurorum ſpecificatis hiis quæ & non alia ratione vicariæ prædictæ ipſe *J.* & ſucceſſores ſui quicumque licite debent & libere percipere in futurum, videlicet decimas lini, canapis, lanæ, lactis, agnorum, vitulorum, & de cæteris nutrimentis animalium non noſtrorum, fenis, herbagiis, paſcuis, ſeu paſturis & fructibus arborum, molendinis, negociationibus ſeu artificiis parochianorum ejuſdem oblationibus debitis & conſuetis legatis ac cæteris obventionibus & conſuetudinibus ad altaragium communiter pertinentibus, Exceptis cujuſlibet generis bladis in ortis ſeu curtilagiis aut alibi quocumque locorum illius parochiæ provenientibus, de quibus de cætero nichil omnino capiet ipſe vel ſuorum aliquis ſucceſſorum niſi de decima piſarum in ſiliquis quæ appellantur **Chiches**, in curtilagiis pede foſſis tantum quibus manſiones exiſtunt creſcentibus de quibus tantummodo et non aliis vel alibi volumus & concedimus quod decimam habeat & habeant ipſe & ſui ſinguli ſucceſſores. In recompenſationem eciam aliorum bladorum de curtilagiis provenientium nobis omnino remanentium in futurum, Et in augmentum portionis vicariæ prædictæ volumus, adicimus ſeu adiciendo damus & concedimus pro nobis & noſtris ſucceſſoribus, ipſi vicario & ſuis ſucceſſoribus univerſis, vj. marcas ſterlingorum ad ij. anni terminos videlicet ad feſtum omnium Sanctorum iij marcas & ad feſtum Paſchæ iij. marcas per manus cuſtodis noſtri de **Plumſtede** inperpetuum exſolvendas, unam inſuper peciam terræ ſepibus circumcluſam quæ dicitur **Wadelond** cum ſuis pertinentiis, prout in carta feofamenti quam inde habet plenius & apertius continetur, quam idem *J.* vicarius nobis conſencientibus dedit & aſſignavit præſentibus ſeu dat & aſſignat in proprietatem & utilitatem perpetuam vicariæ ejuſdem, bene volumus & concedimus ſic appropriatam exiſtere, & in augmentum & uſus portionis ejuſdem perpetuo ſic manere; Salvis dominis feodi ſerviciis inde debitis & conſuetis, Approbantes & ratificantes ſeu confirmantes quantum pro nobis & in nobis eſt appropriationem ſeu aſſignationem, & modum aſſignationis ſeu appropriationis hujuſmodi, ac meſuagium cum ſuis pertinenciis quo inpræſentiarum habitat vicarius antedictus, factam ſeu factas vicariæ prædictæ ſecundum tenorem & formam inſtrumentorum quæ inde habet perpetuis temporibus duraturam. Hoc interjecto acto pro firmo, quod dictus *J.* vicarius & omnes ſucceſſores ſui ſpecificatis præmiſſis & præſentis adjectionis noſtræ largitione contenti manus ſuas ad alia non extendant, ſet decencius ipſi vicariæ miniſtrent & omnia onera ordinaria ejuſdem eccleſiæ quæ totaliter de cætero ſuſtinebunt ut prius, competencius ſubire valeant & facilius ſupportare. Et in teſtimonium præmiſſorum præſens inſtrumentum in modum cirographi confectum ſigillo noſtro communi & prædicti *Iohannis* vicarii hinc inde eſt conſignatum ac ad perpetui roboris firmitatem tam ad requiſitionem dicti vicarii quam noſtram eidem ſcripto cirogrophato ſigillum venerabilis patris *T.* Dei gratia *Roffenſis* epiſcopi pro approbatione Ordinarii eſt appenſum. Dat. *Cant.* publice in capitulo noſtro xij. kal. *Auguſti* anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo.

§. 8. *Appropriatio eccleſiarum de* **Sturre** *&* **Kenynton.**

Sturre & Kenynton.

C*LEMENS* epiſcopus &c. Religionis veſtræ meretur honeſtas; *& infra*, Cum itaque ſicut ex parte veſtra fuit expoſitum coram nobis, tam propter varios litium amfractus quos habuiſtis pro tuendo jure ac libertate monaſterii veſtri, quam eciam propter oppreſſiones & exactiones varias quas propter varios eventus ſuſtinuiſtis hactenus, ſitis ære alieno non modicum prægravati, Nos neceſſitatibus veſtris pio compacientes affectu, ad hujuſmodi ac hoſpitalitatis & alia vobis & dicto monaſterio incumbentia onera facilius ſupportanda veſtris ſupplicationibus inclinati de **Sturre** & de **Kenynton** *Cantuarienſis* dioceſis eccleſias in quibus jus patronatus habetis, quorum fructus, redditus & proventus l. marcarum ſterlingorum valorem annuum juxta taxationem decimæ ſicut aſſeritis non excedunt, cum omnibus juribus & pertinenciis vobis & præfato monaſterio apoſtolica auctoritate unimus à vobis in uſus proprios perpetuo retinendas, vobis eadem auctoritate nichilominus concedentes, ut Rectoribus ipſarum eccleſiarum cedentibus vel decedentibus ſeu alio quovis modo eccleſiis ipſis vacantibus, liceat vobis ſine cujuſquam aſſenſu poſſeſſionem earundem eccleſiarum libere ingredi & tenere, non obſtantibus ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de eccleſiis vel beneficiis eccleſiaſticis in partibus ſpeciales vel generales apoſtolicæ ſedis vel legatorum ejus literas impetrarunt, quibus quoad aſſecutionem aliarum eccleſiarum & beneficiorum nullum per hoc præjudicium generetur, ſeu quibuſcunque dictæ ſedis literis, privilegiis & indulgenciis generalibus vel ſpecialibus cujuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus expreſſa vel totaliter non inſerta effectus hujuſmodi gratiæ impedire valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus debeat in noſtris literis fieri mentio ſpecialis, Proviſo quod in præfatis eccleſiis cultus divinus nullatenus negligatur, & quod de ipſarum eccleſiarum proventibus, perpetuis vicariis inibi domino ſervituris portiones congruæ relinquantur ex quibus commode ſuſtentari valeant, & incumbentia eis onera ſupportare, juribus dioceſani & aliorum inferiorum ordinariorum qui ſint in omnibus ſemper ſalvis. Per hujuſmodi unionem non intendimus, quod exemptioni veſtræ dictiq; monaſterii & aliorũ quibus competit in aliquo derogetur.

Li-

Licentia regis ſuper eiſdem.

EDWARDUS Dei gratia &c. Licet per inquiſitionem quam per dilectum noſtrum *R.* de *W.* eſcaetorem noſtrum citra *Trentam* fieri fecerimus, accepimus quod non eſt ad dampnum vel præjudicium noſtrum aut aliorum ſi concedamus dilectis nobis in Chriſto abbati & conventui ſancti *Auguſtin Cant.* quod ipſi eccleſias de **Sturre** & de **Kenynton** quæ ſunt de advocatione ſua propria appropriare, & eas appropriatas in proprios uſus tenere poſſint ſibi et ſucceſſoribus ſuis imperpetuum, niſi ad dampnum noſtrum in hoc, quod ſi eccleſias illas vacante abbatia prædicta in manu noſtra exiſtente vacare contingeret, præſentationem noſtram ad eccleſias illas amitteremus, Volentes tamen eiſdem abbati et conventui gratiam in hac parte facere ſpecialem, conceſſimus eis et licentiam dedimus pro nobis et hæredibus noſtris quantum in nobis eſt, quod ipſi eccleſias prædictas appropriare, et eas appropriatas in proprios uſus tenere poſſint ſibi et ſucceſſoribus ſuis imperpetuum ſicut prædictum ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, Juſticiariorum, eſcaetorum, vicecomitum aut aliorum ballivorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcumque, ſtatuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obſtante.

Ratificatio archiepiſcopi.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis *Walterus* permiſſione divina &c. Noverint univerſitas veſtra quod nos reſcriptum Domini papæ non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua ſui parte viciatum, cum bulla vera filoque integro inſpexiſſe ſub hac forma. *CLEMENS* epiſcopus ſervus ſervorum &c. Nos igitur indulgentiæ prædictæ præfatis abbati et conventui factæ et conceſſæ in quantum ordinariæ facultatis requirit poteſtas gratum præbentes aſſenſum, gratiam quam in hac parte dominus papa eiſdem religioſis duxerit faciendam, necnon et ingreſſum eccleſiæ de **Kenynton** prædictæ quam exinde novimus eoſdem religioſos legitime aſſecutos, approbamus per præſentes &c.

Ordinatio vicariæ de **Sturre.**

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos literæ præſentes pervenerint, *Walterus* &c. Noveritis quod cum nuper religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* poſſeſſionem corporalem eccleſiæ parochialis de **Sturre** &c. Nos poſt aſſignationem ipſorum religioſorum, ad ordinationem ejuſdem vicariæ ex cauſa legitima procedentes, ipſam in ſubſcriptis portionibus ordinavimus, taxavimus & decrevimus perpetuo conſiſtendam, videlicet quod vicarius qui nunc eſt in dicta eccleſia, et vicarii qui futuris temporibus ſucceſſive fuerint in eadem, habeant & percipiant omnimodas oblationes ad eandem eccleſiam & in eadem qualitercumque provenientes, Decimas eciam vitulorum, pullanorum, agnorum, lanæ, lacticiniorum, ovorum, porcellorum, aucarum, columbarum, apium, ortorum, pomorum, paſturæ, canapis & lini. Item decimas omnium proventuum molendinorum dictæ parochiæ de **Sturre**, tam ad dictos religioſos quam ad cæteros parochianos pertinentium. Item decimas ſeni parochiæ prædictæ. Item decimas cujuſcumque bladi creſcentis in virgultis ſive ortis ejuſdem parochiæ pede foſſis, & omnes alias minores decimas in tota parochia prædicta ſive de animalibus ſive de aliis quibuſcumque rebus provenientes, ita tamen quod de prædiis, poſſeſſionibus quæ dicti religioſi nunc poſſident ac animalibus ſeu aliis rebus dictorum religioſorum, præfatis molendinis eorundem duntaxat exceptis, nichil percipient vicarii memorati. Item vicarius qui pro tempore habeat manſum, domos & ædificia, videlicet aulam, cameras, ſtabulum, coquinam & piſtrinum, una cum area & orto quæ ad rectoriam illius eccleſiæ ab antiquo ſpectabant. Habeat eciam ſupellectilia & utenſilia in piſtrino ejuſdem loci relicta, videlicet furneſium plumbeum, ſolo affixa, molam manualem, furnum & torale. Onera vero reficiendi cancellum dictæ eccleſiæ & de novo conſtruendi cum opus fuerit, libros & ornamenta inveniendi & reparandi, ac eciam onera extraordinaria ad dictos religioſos pertinebunt. Alia autem onera ordinaria in toto dictus vicarius agnoſcere teneatur. In cujus rei teſtimonium &c.

Ordinatio vicariæ de **Kenynton.**

IOHANNES permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. Quemadmodum temporalium rerum &c. Nos igitur habita moderaminis temperie, eccleſiarum regimini conſulere cupientes, religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* eccleſiam parochialem de **Kenynton** noſtræ *Cantuarienſis* dioceſis in proprios uſus tenentes, ut Domino *G.* vicario perpetuo eccleſiæ antedictæ, cujus vicariæ præſentatio ad ipſos dicitur pertinere, ſufficienter de ipſius eccleſiæ fructibus, proventibus & obvencionibus, poſſeſſionibus unde ipſe poſſit & ſucceſſores ſui in eadem eccleſia vicarii poſſint congruam ſuſtentationem habere, jura epiſcopalia ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare, infra certum à nobis eis præfixum terminum aſſignarent, auctoritate noſtra legitime moneri fecimus et induci: Qui quidem religioſi virtute monitionis noſtræ hujuſmodi dicto vicario & ſuis ſucceſſoribus in dicta eccleſia vicariis pro ſuſtentatione ſua congrua ad infraſcripta onera ſupportanda porciones aſſignarunt in ſcriptis de fructibus, proventibus, redditibus ipſius eccleſiæ & aliis infraſcriptas; videlicet manſum dictæ vicariæ quem eccleſiæ prædictæ vicarii ſolebant hactenus habitare, omneſque oblationes ad dictam pertinentes eccleſiam et provenientes undecumque ad eam, ſeu infra parochiam ejus Dei intuitu et eccleſiæ factas, ac decimas omnes & ſingulas ſeni, paſturæ, molendinorum, agnorum, lactis, lanæ, vitulorum, porcellorum, pullanorum, aucarum, columbarum, anatum, lini, canapis, pomorum, pirorum & ortorum, tam præſentium quam futurorum tocius parochiæ antedictæ ac eccleſiæ præfatæ debitas ſeu debendas, necnon xl. s. ſterlingorum annuæ penſionis percipiendos æqualiter apud **Kenynton** ſingulis annis in feſtis ſancti *Michaelis* & Paſchæ à religioſis eiſdem; quas porciones una cum hujuſmodi penſione xl. s. ipſi aſſeruerunt Domino *I. de la Toute* primo vicario inibi inſtituto fuiſſe ab inicio aſſignatas, eaſque portiones cum penſione xl. s. prædicta, viij. li. x. s. valorem annis ſingulis valere æſtimarunt. Et ſuper hiis omnibus inquiſitione præhabita diligenti, dicti religioſi ad augmentum dictæ vicariæ pro ſibi incumbentibus oneribus melius ſupportandis, ultra portionem & penſionem hujuſmodi, & cum ipſis, eiſdem vicariis & ſucceſſoribus ſuis in dicta eccleſia vicariis decimam fœni de iiij. acris & j. roda ſive virgata prati de dominico prato dictorum religioſorum apud **Benynton** provenientem, quam fœni decimam idem vicarius aut prædeceſſores ſui ibidem vicarii percipere non ſolebant, & viij. buſſellos bladi puri & mundi, videlicet iiij. buſſellos frumenti, et iiij. ordei de dictis religioſis aut eorum miniſtris apud **Benynton** in feſto ſancti *Michaelis* percipiendos annis ſingulis aſſignarunt, & petiverunt dictæ partes aſſignationem præmiſſorum ad vicariam prædictam per noſtrum Commiſſarium ex habundanti judicialiter fieri, ad rerum geſtarum perpetuam firmitatem. Unde idem Commiſſarius in ea parte rite procedens, dictam vicariam de conſenſu dictorum religioſorum & vicarii in manſo & portionibus hujuſmodi aſſignatis, ac perceptione fœni bladorum prædictorum, necnon penſionis annuæ dictorum xl. s. præfatis terminis eidem vicario et ſucceſſoribus ſuis ibidem vicariis à religioſis prædictis annuatim fideliter ſolvendorum, ſub pœna ſequeſtri in fructibus et proventibus dictæ eccleſiæ ad dictos religioſos pertinentis interponendi quocieſcumque defecerint in ſolutione penſionis prædictæ, debere conſiſtere, conſideratis dictæ eccleſiæ parochialis facultatibus, redditibus & proventibus, et ponderatis in ea parte undique ponderandis, noſtra auctoritate ordinaria judicialiter partibus prædictis præſentibus coram eo decrevit; ac eidem vicario ipſiuſque ſucceſſoribus & vicariæ prædictæ aſſignavit, præmiſſa cautione de conſenſu expreſſo partium prædictarum. Decrevit eciam & ordinavit conſentientibus dictis partibus, quod idem vicarius et ſucceſſores ſui ibidem vicarii eidem eccleſiæ deſervire debeant in divinis, & futuris temporibus ſuſtentationis unius clerici in dicta eccleſia miniſtraturi, luminariumque cereorum, panis & vini pro celebratione miſſarum onera in eadem, ac eciam in ſolutione decimæ ac procuratione archidiaconi *Cant.* dictam eccleſiam viſitantis, aliiſque oneribus extraordinariis dictæ eccleſiæ imminentibus ſeu impoſitis vel imponendis, ad æſtimationem terciæ partis taxacionis dictæ eccleſiæ ſecundum quam pro ipſa ſolvi decima conſuevit, onera ſupportabunt, & libros per prædictos religioſos eidem eccleſiæ miniſtrandos & eorum ſumptibus aſſignandos & ponendos ſeu inveniendos, dictus vicarius & ſucceſſores ſui ibidem vicarii ligari cum opus fuerit facient dũtaxat ſuis ſumptibus & expenſis. Et præfati religioſi refectionem & reparationem cancelli dictæ eccleſiæ, aſſignationem, poſitionem ſeu inventionem librorum, ſeu veſtimentorum & ornamentorum quorum onus ad rectores locorum pertinet de conſuetudine vel de jure, in ſolidum, ac cætera onera ordinaria & extraordinaria eidem eccleſiæ incumbentia pro æſtimatione hujuſmodi taxationis duarum partium eccleſiæ prædictæ ſubibunt perpetim & agnoſcent. Reſervata nobis & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis *Cantuarienſibus* dictam vicariam aumentandi & minuendi, ſi & quando nobis & eis expedire videbitur, plenaria poteſtate. Quæ omnia & ſingula nos præfatus archiepiſcopus approbantes, ea noſtra auctoritate ordinaria confirmamus.

Anno Domini M.CC. xli. *Laurentio* ultimo rectore eccleſiæ de **Litleborne** viam univerſæ carnis ingreſſo, dominus papa *Gregorius* ix. volens negocium alienationis prædictæ eccleſiæ quam dudum *Robertus* abbas hujus cœnobii ob benedictionem ſuam facilius impetrandam edidit, debito fine terminare, domino *Ottoni* tunc in *Anglia* legato ſuper ordinatione vicariæ ejuſdem eccleſiæ literis ſuis mandavit, cujus forma talis eſt.

Litleborne.

GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio *O.* ſancti *Nicholai* in carcere *Tulliano* diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia certi ſumus & minime dubitamus monaſterium noſtrũ S. *Maria* de monte *Mirteto* quod dum in minori eſſemus officio conſtituti bonis dotavimus propriis & ſumptibus noſtris ab ipſis ereximus fundamentis, per ea quæ nunc optinere dinoſcitur non poſſe congrue ſuſtentari; ne de ipſo pro neceſſariorum defectu quicquam, quod abſit, valeat votis noſtris contrarium evenire, uberiorem ſibi gratiam providimus exhibere. Hinc eſt quod *Laurentio* Rectore eccleſiæ de **Litleburne** *Cant.* dioceſis nuper viam univerſæ carnis ingreſſo, eandem eccleſiam in qua dilecti filii abbas & conventus *S. Auguſtini Cant.* jus patronatus habebant & illud nobis per ſuas patentes literas conceſſerunt, dilectis filiis *A.* & conventui prædicti monaſterii & ipſi per eos ad ejus uſus perpetuo detinendam, vicariæ duntaxat excepta congrua porcione, auctoritate apoſtolica de gratia conceſſimus liberali. Quo circa diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus præfatam eccleſiam competentis per te vicariæ taxatione præmiſſa, dilecto filio fratri *Deodato* monacho procuratori monaſterii prælibati auctoritate noſtra non differas aſſignare.

De eccleſia de **Litleburne.**

Otto miſeratione divina &c. Univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Literas domini papæ ſuſcepimus in hæc verba. *GREGORIUS* &c. Nos igitur de valore omnium proventuum ſupradictæ eccleſiæ de **L.** facientes inquiri diligentius veritatem, auctoritate præfati mandati, vicariam perpetuam trium marcharum & dimidiæ ultra altaragium ipſius eccleſiæ, quod una cum obventionibus & terra cujuſdam capellæ ad eccleſiam eandem ſpectantis circiter C. s. valere dicitur, prout nobis per inquiſitionem factam conſtitit, in eccleſia prædicta taxamus, qua vicarius inſtituendus in ipſa contentus exiſtat tam temporalia quam ſpiritualia onera ſuſtinens fideliter in eadem. Prædicta quoque vicariæ taxatione præmiſſa quam ſatis reputamus penſato valore proventuum ipſius eccleſiæ competentem: dictam eccleſiam cum omnibus proventibus reliquis & aliis omnibus circumſtantibus pertinentibus ad eandem, fratri *Deodato* monacho ſanctæ *Mariæ de Gloria* procuratori monaſterii memorati nomine abbatis ſui juxta præfati mandati continentiam & ejus auctoritate aſſignandam duximus in uſus proprios ab eis perpetuo poſſidendam.

Ratihabitio abbatis S. Auguſtini *de ordinatione vicariæ eccleſiæ prælibata.*

Viris venerabilibus & religioſis abbati & conventui monaſterii ſanctæ *Maria* de monte *M.* &c.

Robertus Dei gratia abbas ſancti *Auguſtini Cant.* &c. Cum nos ad mandatum & ob reverentiam venerabilis patris et domini noſtri *Gregorii* papæ ix. vobis eccleſiam de *L.* reſervata nobis ordinatione vicariæ ejuſdem eccleſiæ contulerimus, licet idem dominus noſter reſervatæ nobis dictæ ordinationis ignarus, per dominum *Ottonem* fecerit eccleſiæ prænominatæ vicariam taxari; Nos ad ejuſdem domini noſtri papæ preces iteratas dictam taxationem ſicut ab ipſo domino legato facta eſt ratam habemus & firmam, volentes ipſam taxationem perpetuam habere roboris firmitatem; præſentationem duntaxat nobis ad præfatam vicariam reſervantes.

Conventio cum procuratore abbatis montis Mirteti *ſuper eccleſia pradicta.*

Noverint univerſi praſentes literas viſuri vel audituri, quod hac conventio facta inter fratrem Deodatum *monachum monaſterii ſancta* Mariæ *de gloria procuratorem abbatis & conventus monaſterii ſancta* Mariæ *de monte* M. *ex parte una, & religioſos viros abbatem & conventum ſanctorum* P. *&* P. *ſanctique* Auguſtini Anglorum *apoſtoli* Cant. *ex altera, videlicet quod dictus procurator conceſſit ad perpetuam firmam dictis abbati & conventui ſancti* Auguſtini *eccleſiam de* **Litleburne** Cant. *dioceſis cum omnibus pertinentiis ſuis pro xxx. marcis bonorum ſterlingorum, xiij. s. & iiij. d. pro qualibet marca computando, in duobus anni terminis ſolvendis, ad eccleſiam ſancta Trinitatis* Londoniæ *dicti monaſterii ſancta* M. *de monte* M. *nuntio literas ejuſdem loci capituli deferenti & eas procuratori dictorum abbatis & conventus ſancti* Auguſtini *reſignanti, ſcilicet in media xl*^{ma}. *quindecim marc. & in kal. Iunii xv. marc. Ita quod ſi pradicti abbas & conventus ſancta* Mariæ *vel eorum procurator pro pradicta pecunia recipienda in terminis pranominatis praſentes non fuerint, abbas & conventus ſancti* Auguſtini *deponent dictam pecuniam ad opus pradictorum abbatis & conventus ſancta* Mariæ *in theſauraria dicta eccleſia ſancta Trinitatis* Londoniæ *coram Priore vel Subpriore vel iiij. canonicis ejuſdem loci fide dignis, pradictis abbati & conventui ſancta* Mariæ *vel eorum certo procuratori literas patentes propter hoc ſpecialiter deferenti & eas procuratori abbatis ſancti* Auguſtini *reſignanti ſine difficultate qualibet aſſignandam. Pradicti vero abbas & conventus ſancti* Auguſtini *omnia onera dicta eccleſia de* **Litleburne** *ordinaria & debita ſive per collectam regiam ſive per guerram ſive per ignem in omnem eventum quicquid eveniat ſuſtinebunt, illis duntaxat exceptis oneribus qua vicarius dicta eccleſia de* L. *qui pro tempore fuerit ſecundum vicariam à venerabili patre domino* Ottone *apoſtolica ſedis legato taxatam ſuſtinere tenetur. Illis etiam exceptis oneribus qua ſedem tangunt apoſtolicam, qua ſi forte contingant dicti abbas & conventus ſancta* M. *de* M. *ea ſuſtinebunt niſi ſe per gratiam ſedis apoſtolica ſpecialem poſſunt in hac parte relevare: ſi vero dicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini *in ſolutione dicta pecunia terminis pranominatis ut dictum eſt defecerint, omnia dampna & expenſas qua vel quas abbas & conventus* S. Mariæ *de* M. *propter hoc incurrerint dicti abbas & conventus* S. Auguſtini *plene eis refūdent, ſuper quibus ſtabunt ſoli verbo abbatis vel Prioris dicti monaſterii montis* M. *ſine alterius onere probationis niſi per ipſos vel eorum nuntium hoc ſteterit; Renunciantes omni juris auxilio quod eis competere poſſit contra hoc inſtrumentum vel factum, & regia prohibitioni & literis apoſtolicis contra hanc conventionem impetratis vel impetrandis. Pro hac autem conventione fideliter obſervanda ſapedicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini *prafato monaſterio ſancta* Mariæ *de monte* M. *ſe & ſucceſſores ſuos & monaſterium ſuum intus & foris in verbo veritatis obligaverunt. Quando autem hac conventio facta fuit dictus procurator montis* M. *ad omnia ſupradicta facienda ſpecialiter conſtitutus literas domini papa & literas dictorum abbatis & conventus de monte* M. *cum literis eorundem procuratoriis abbati & conventui S.* Auguſtini *reſignavit, In quibus expreſſe continebatur quod earum auctoritate dictam eccleſiam de* L. *ad perpetuam firmam viris religioſis tradere potuit et aſſignare. Et ſicut dicti abbas et conventus S.* Auguſtini *dictam firmam pramiſſo modo ſe fideliter ſoluturos promiſerunt, Ita dictus procurator* Deodatus *omnimodam firma memorata promiſit warantiam. Quod ſi alterum dictorum monaſteriorum contra pramiſſa in aliquo venire praſumpſerit, pars à conventione reſiliens parti alteri centum marcas ſterlingorum nomine pœna perſolvet, hoc nichilominus inſtrumento robur perpetua firmitatis obtinente. Eſt autem hac conventio ſub ſigillis utrinſque partis, Prioris S.* Gregorii *et archidiaconi* Cant. *ſignata.*

Ordinatio vicarii de **Litleburne**.

Univerſis ſancta matris eccleſia filiis praſentes literas inſpecturis vel audituris, Willielmus *permiſſione divina* Cant. *archiepiſcopus tocius* Angliæ *Primas et apoſtolica ſedis legatus ſalutem in domino ſempiternam. Noverit univerſitas veſtra quod ſcrutato regiſtro noſtro de tempore bona memoria domini* J. Stratford *nuper* Cant. *archiepiſcopi pradeceſſoris noſtri confecto invenimus inter catera in eodem ut infra ſequitur plenius contineri. §. Octavo idus Marcii anno Domini M.CCC. xlv. In negocio ſuper ordinatione vicarii de* **Litleburne** *quam abbas & conventus beata* Mariæ *de monte* Mirteti *in proprios uſus habent reſervata praſentatione ad dictam vicariam abbati et conventui monaſterii S.* Auguſtini Cant. *Ordinata eſt dicta vicaria cum manſo decimis ſilva cedua fœni & in tribus acris terra arabilis una acra prati et in perceptione trium marcarum et dimidia in pecunia numerata à religioſis pradictis annuatim, et in decimis lini, canapis, aucarum, vitulorum, columbarum, apum, lactis, molendinorum, lana, porcellorum et in omnibus oblationibus et minutis decimis aliis pertinentibus ad eccleſiam antedictam. Et pradictus vicarius habet deſervire eidem in divinis, et invenire unum capellanum ad celebrandum ter in ebdomada in capella de* **Garwyntone**, *et invenire panem, vinum et luminaria pro celebratione divinorum in eccleſia antedicta, In cujus quidem ſtrictum teſtimonium nos* Willielmus Cant. *archiepiſcopus ſupradictus ſigillum noſtrum fecimus hiis apponi. Dat. apud* **Cherryng** *xiiij. kal. Auguſti anno Domini M.CCC. lxx. primo et noſtra tranſlationis*

§.9. *Vicaria de* **Preſton** *juxta* **Wyngham**.

Preſton.

JOHANNES permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. Ex debito noſtræ ſolicitudinis paſtoralis nuper religioſos viros abbatem & conventum monaſterii S. *Auguſtini Cant.* eccleſiam parochialem de **Preſton** juxta **Wyngham** noſtræ *Cantuarienſis* dioceſis in proprios uſus tenentes juxta juris exigenciam moneri fecimus & induci, ut ipſi infra certum terminum per nos eis præfixum dño *A.* perpetuo ejuſdem vicario & vicariæ ſuæ ad quam cum vacaverit idem religioſi debent ut dicitur ſecularem clericum præſentare, ſufficientem aſſignarent de ipſius eccleſiæ fructibus, redditibus & obventionibus portionem, de qua ipſe vicarius & ſucceſſores ſui in eadem eccleſia vicarii poſſent congrue ſuſtentari, jura epiſcopalia ſolvere & alia vicario ipſi & vicariis inibi inſtituendis incumbentia onera ſupportare. Qui quidem religioſi prætextu noſtræ monicionis prædictæ per literas eorundem patentes portionem hujuſmodi in & de decimis, oblationibus, obventionibus, proventibus, & rebus aliis infraſcriptis præfato *A.* vicario & ipſius ſucceſſoribus in dicta eccleſia vicariis quatenus in eis extitit, aſſignarunt, Et per partem ipſorum in præſencia dicti vicarii judicialiter fuit petitum, porcionem ipſam per commiſſarium noſtrum in decimis, oblationibus, obventionibus, proventibus, & rebus infraſcriptis conſtitui & perpetualiter ordinari, ac eiſdem imponi onera infraſcripta; unde idem commiſſarius noſter quod per ipſos ſic rationabiliter factum erat, prout decuit approbans, de ipſarum conſenſu partium & ipſis præſentibus decrevit ac ordinavit judicialiter ſub hac forma: Quod vicarius præfatus eccleſiæ de **Preſton** qui nunc eſt & ſui ſucceſſores in dicta eccleſia vicarii habeant manſum ſolitum dictæ vicariæ cum j. acra terræ & dimidia adjacente eidem. Item habeant & percipiant nomine vicariæ prædictæ omnes & omnimodas oblationes in dicta eccleſia de **Preſton** & in quibuſcumque locis infra fines, limites ſeu decimationes dictæ eccleſiæ ſituatas qualitercumque factas aut faciendas ſeu ad eam vel in ea provenientes ſeu impoſterum provenire valentes, modo, cauſa, occaſione vel colore eciam quibuſcumque. Habeant inſuper & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra, omnes decimas lanæ, agnorum, vitulorum, caſei, lini, canabi, aucarum, porcellorum, ovorum, columbarum, fructuum gardinorum & aliorum in ortis creſcentium, lacticinii, paſturæ, mercimoniorum, molendinorum omneſque alias minutas decimas qualitercumque ſpectantes & pertinentes ad eccleſiam antedictam, Necnon quæcumque legata relicta & relinquenda in poſterum eidem eccleſiæ quæ rectores ſeu vicarii ipſius poſſent de jure ſeu conſuetudine percipere & habere. Item percipiant & habeant dicti vicarii nomine dictæ vicariæ à religioſis eiſdem apud **Preſton** in feſtis beati *Michaelis* in menſe Septembris, natalis Domini, Paſchæ & natalis ſancti *Johannis Baptiſtæ* iv. marcas ſterlingorum & j. ſummam frumenti vel alterius uſualis monetæ ad valorem hujuſmodi currentis annis ſingulis penſionem ſub pœna ſequeſtri in fructibus & proventibus dictæ eccleſiæ de **Preſton** ad dictos religioſos pertinentis interponendi, quocieſcumque & quandocumque defecerint vel ceſſaverint in ſolutione penſionis prædictæ, ſeu ſi eam non ſolverint in terminis antedictis. SUBEANT autem vicarii præfati onus ſerviendi per ſe vel alium preſbyterum idoneum præfatæ eccleſiæ in divinis. Onus eciam unius clerici ſerviendi eidem, Inſuper & ij. cereorum proceſſionalium atque unius lampadis in cancello ardere debentis, miniſtrationis panis & vini, luminarium & aliorum quæ ad celebrationem divinorum neceſſaria fuerint in eccleſia antedicta. Onera vero reparationis & refectionis cancelli prædictæ eccleſiæ de **Preſton** intus & exterius, necnon & inventionis librorum, veſtimentorum ſuperpelliciorum & ornamentorum dictæ eccleſiæ quæ per eccleſiarum rectores inveniri & reparari debent aut ſolent de jure vel conſuetudine, Ac eciam onus inventionis ſtraminis in dicta eccleſia annuatim, & cætera onera ordinaria & extraordinaria eidem eccleſiæ incumbentia dicti religioſi ſubeant perpetim & agnoſcant. Quæ omnia & ſingula nos præfatus archiepiſcopus approbantes ea auctoritate noſtra confirmamus &c.

§.10. *Aſſignatio eccleſiæ de* **Northborne**.

Nordborne.

SIlveſter Dei gratia abbas monaſterii &c. Opera miſericordiæ hiis qui neceſſitatem patiuntur impendentibus pollicetur mercedem ſempiternam ſpes fidelium & ſermo divinus, ait enim Dominus, *Beati miſericordes, quoniam &c.* Hujus expectationis intuitu, ut et nos miſericordiam Dei conſequi mereamur, pro animabus ſanctiſſimorum patrum noſtrorum *Romanorum* pontificum, pro animabus regum *Angliæ*, pro animabus abbatum monaſterii noſtri qui fuerunt vel qui futuri ſunt, pro animabus patrum & matrum & parentum noſtrorum & eorum qui eidem loco beneficia contulerunt vel collaturi ſunt, pro ſalute eciam animarum noſtrarum humili devocione communi conſenſu concedimus & in perpetuam elemoſinam donamus eccleſiam de **Northborne** cum omnibus ad eam pertinentibus, capellis, decimis & aliis quibuſcumque rebus quas habet vel habitura eſt vel canonice habere debet, Hoſpitali quod ante portam noſtram conſtituimus ad ſuſceptionem pauperum undequaque confluentium & relevationem debilium ut beneficia ab eadem percepta ad uſum pauperum ſecundum diſpoſitionem abbatis & monaſterii imperpetuum inconcuſſa et illibata permaneant: ſi quis igitur impoſterum, ſive abbas, ſive monachus, ſive clericus, ſive laicus donationem iſtam irritam facere temptaverit, ſive conſenſu aliquo contra eam venire præſumpſerit, ſi non pœnituerit & digna correctione ſatisfecerit, omnipotentis Dei & beatæ *Mariæ* omniumque ſanctorum indignationem incurrat, Conſervantibus autem, per interceſſionem ejuſdem virginis *Mariæ* omniumq; Sanctorum conferat Deus miſericordiam ſuam & vitam æternam.

Confirmatio aſſignationis ejuſdem.

ADRIANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c. Dilectis filiis *Silveſtro* abbati & univerſis monachis eccleſiæ ſancti *Auguſtini* ſalutem &c. Si de hiis operibus; *& infra:* Ex inſpectione literarum veſtrarum quoniam relatione dilecti filii noſtri *R.* confratris veſtri cognovimus, vos eccleſiam de **Northborne** cum capellis, decimis & omnibus pertinenciis ſuis hoſpitali domui quæ ante portam veſtram conſtructa eſt, ad ſolatium peregrinorum & pauperum miſericordiæ intuitu conceſſiſſe, unde quoniam hanc veſtram conceſſionem noſtro poſtulaſtis patrocinio roborari, Nos eam ad petitionem veſtram ſicut rationabiliter à vobis facta eſſe dinoſcitur & ſcripti veſtri pagina confirmara, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus &c.

Confirmatio Regis de eadem.

HENRICUS rex *Angliæ* & dux *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, & comes *Andigaviæ*, archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & omnibus Juſticiariis &c. Sciatis me conceſſiſſe & confirmaſſe hoſpitali quod eſt ante portam ſancti *Auguſtini Cant.* eccleſiam de **Northborne** cum omnibus pertinenciis ſuis, quam abbas & conventus ſancti *Auguſtini* illi dedit & conceſſit. Et volo & firmiter præcipio quod habeat eam, & teneat, ita bene & in pace, & libere, & honorifice ſicut carta abbatis & conventus teſtatur.

☞ Confirmatio vero archiepiſcopi ſuper eadem eccleſia in proceſſu de **Chiſtelet** continuo ſequetur.

Ordinatio de **Norborne.**

JOHANNES permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus &c. Ex debito ſolicitudinis paſtoralis nuper religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* eccleſiam parochialem de **Northborne** noſtræ *Cantuarienſis* dioceſis in proprios uſus tenentes, juxta juris exigenciam moneri fecimus & induci, ut infra certum terminum per nos eis præfixum domino *J.* perpetuo ejuſdem eccleſiæ vicario & vicariæ ſuæ, ad quam cum vacaverit idem religioſi debent ut dicitur ſecularem clericum præſentare, ſufficientem aſſignarent de ipſius eccleſiæ fructibus, redditibus, proventibus & obvencionibus portionem, de qua ipſe vicarius & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii poſſent congrue ſuſtentari, jura epiſcopalia ſolvere, & alia ipſi vicario & vicariis inibi inſtituendis incumbencia onera ſupportare. Qui quidem religioſi prætextu noſtræ monitionis prædictæ per literas eorum patentes ſigillo eorum communi ſigillatas portionem hujuſmodi in & de decimis, oblationibus, obventionibus, proventibus & rebus aliis infraſcriptis præfato *J.* vicario & ipſius ſucceſſoribus in dicta eccleſia vicariis quatenus in eis extitit, aſſignarunt; & per partem ipſorum in præſentia dicti vicarii judicialiter fuit petitum portionem ipſam per commiſſarium noſtrum in dictis oblationibus, obventionibus, proventibus & rebus infraſcriptis conſtitui & perpetualiter ordinari, ac eiſdem vicariis imponi onera infraſcripta; Unde idem commiſſarius noſter quod per ipſos ſic rationabiliter factum fuit prout decuit approbans, de ipſarum conſenſu partium & ipſis præſentibus decrevit ac ordinavit judicialiter ſub hac forma: Quod videlicet vicarius præfatus eccleſiæ de **Northborne** qui nunc eſt & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii, habeant manſum ſolitum dictæ vicariæ cum gardino & ij. acris terræ eidem contiguis una cum xj. acris terræ jacentibus apud **Domneſlonde** & viam competentem & ſolitam ad eaſdem, quæ omnia vicarii dictæ eccleſiæ hactenus habuerunt. Habeant eciam annuatim ij. vaccas depaſcentes & jus depaſcendi eaſdem à feſto ſancti *Gregorii* uſque ad feſtum ſancti *Martini* in yeme cum vaccis dictorum religioſorum ubicumque infra fines & limites parochiæ eccleſiæ de **Northborne** quo contigerit vaccas ipſorum religioſorum depaſci. Item habeant & percipiant nomine vicariæ prædictæ omnes decimas garbarum, bladorum & aliorum vegetabilium in ortis ſeu in gardinis quibuſcumque præſentibus & futuris infra fines & limites ſeu decimaciones eccleſiæ de **Northborne** ſeu capellarum ejuſdem quarumcumque ſituatis vel jacentibus pede foſſatis creſcentium undecunque provenientes & provenire valentes inpoſterum qualitercunque, necnon omnes decimas de quibuſcumque molendinis infra dictam parochiam ſeu infra fines & limites aut decimationes eccleſiæ vel capellarum prædictarum exiſtentibus jam conſtructis ſeu in poſterum conſtruendis provenientes, excepta molendini decima dictorum religioſorum in præfata eccleſia ſituati juxta viam quæ ducit de **Hoo** uſq; ad regiam ſtratam protenſam, & ducentem de **Northb.** verſus *Cant.* Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra decimas omnes feni infra dictam parochiam ſeu infra fines et limites ſeu decimationes eccleſiæ vel capellarum prædictarũ provenientes, excepta decima feni provenientis ſeu provenire valentis inpoſterum de pratis dictorum religioſorum quæ in ipſa parochia habent tempore ordinationis præſentis. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra omnes & omnimodas oblationes in dicta eccleſia de **Northborne** & in quibuſcumque capellis vel oratoriis infra fines vel limites ſeu decimationes dictæ eccleſiæ ſituatis vel eidem eccleſiæ annexis ſeu dependentibus ab eadem qualitercumque factas vel faciendas, ſeu ad eas vel earum aliquam provenientes & in poſterum provenire valentes modo, cauſa, occaſione vel colore quibuſcumque, exceptis oblationibus factis ſeu faciendis per extraneos non parochianos eccleſiæ præfatæ vel capellarum ejuſdem in capella dictorum religioſorum infra ipſorum manerium de **Northborne** ſituata, quas ſibi retinuerunt religioſi prædicti. Habeant inſuper & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra omnes decimas agnorum, lanæ, pullanorum, vitulorum, aucarum, porcellorum, anatum, cignorum, apum, columbarum, lactis, lacticiniorum, negociacionum, mercimoniorum, ovorum, lini, canapi, genecti, cirporum, piſcationum, paſturæ, pomorum, cepum, alleatorum, pirorum, Ac omnes et omnimodas alias decimas minores infra dictos fines et limites ſeu decimationes eccleſiæ ac capellarum prædictarum quomodolibet provenientes ſeu provenire valentes in futurum, necnon quæcumque legata relicta inpoſterum prædictis eccleſiæ & capellis, & ſpecialiter decimas arundinis, ruſcubardi & ſilvæ cæduæ quandocunque exciſæ infra fines & limites ſeu decimationes capellæ de **Cotmanton** à dicta eccleſia de **Northborne** dependentes ſeu pertinentes vel adjacentes ad eam quandocunque provenientes, ac eciam decimas ſilvæ cæduæ infra fines & limites ſeu decimationes capellæ de **Scholdon** ab eccleſia prædicta dependentes aut pertinentes vel adjacentes ad eam quandocunq; provenientes. *SUBEANT* autem vicarii præfati onus deſerviendi in divinis per ſe & alios presbyteros idoneos præfatæ eccleſiæ & capellis dependentibus ab ea ſeu adjacentibus, & pertinentibus ad eandem. Onus autem miniſtrationis panis, & vini, luminarium, & aliorum quæ ad celebrationem divinorum ibidem fuerint neceſſaria ſuis ſumptibus in ipſis eccleſia ſubeant & capellis, præterquam in capella de **Cotm.** dependente ab eccleſia ſupradicta ſeu adjacente vel pertinente ad eam, in qua onus hujuſmodi ac eciam refectionis & reparacionis dictæ capellæ de **Cotmanton** & cancelli ejuſdem

dem intus & exterius, una cum onere refectionis, inventionis & reparationis librorum, veſtimentorum & aliorum ornamentorum neceſſariorum ad eam per dominos manerii de **Cotmanton** conſuevit ſubiri. In ſolutione eciam decimæ vel alterius quotæ beneficiorum eccleſiaſticorum cum ipſam decimam vel aliam quotam eccleſiis in *Anglia*, in noſtriſve provincia vel dioceſi imponi vel imminere contigerit, Idem vicarii & ſucceſſores ſui ibidem juxta porcionem taxationis dictæ vicariæ quam præfatus commiſſarius noſter de conſenſu ipſarum partium ad x. marcas ſterlingorum taxavit, decimam ſeu quotam aliam hujuſmodi pro dicta vicaria ſolvere teneantur. Onera vero reparationis & refectionis cancelli præfatæ eccleſiæ de **Northborne** & capellæ de **Scholdon** ab eadem eccleſia dependentis ſeu adjacentis vel pertinentis ad eandem, intus & exterius, necnon invencionis & reparationis librorum, veſtimentorum & ornamentorum earundem eccleſiæ & capellæ de **Scholdon** quæ per eccleſiarum rectores inveniri & reparari debent aut ſolent de conſuetudine vel de jure, ac cætera onera ordinaria & extraordinaria eiſdem eccleſiæ & capellæ incumbentia, dicti religioſi ſubeant imperpetuum et agnoſcant. Quæ omnia & ſingula nos præfatus *J.* archiepiſcopus approbantes, ea auctoritate noſtra ordinaria confirmamus, reſervantes nobis & noſtris ſucceſſoribus &c.

Anno Domini M. CC. lxviij. idus Februarii, fuit controverſia inter abbatem & conventum S. *Auguſtini Cant.* & *Henricum* rectorem de **Suaves** occaſione fructuum & proventuum eccleſiæ de **Suaves** ab abbate perceptorum ac præſentacionis ad eandem factæ; tandem per quendam M^{rum} *Ricardum* de *Podio* arbitrem ſive amicabilem compoſitorem, fuit diffinitum & ſentencialiter ordinatum, Quod abbas prænominatus eidem rectori pro ſuis laboribus & expenſis in xxiv. marcis condempnatur, ipſi *Henrico* rectori eccleſiæ prælibatæ ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponendo.

§.11. *Appropriatio Eccleſia de* **Chiſtelet**.

Chiſtelet. C*Eleſtinus* epiſcopus ſervus &c. Cum in eccleſiis conventualibus, *& infra*. Inde eſt quod cum domus fratrum veſtræ congregationis infirmancium multis expenſis & magnis indigeat, & vos eccleſiam de manerio veſtro de **Chiſtelet** ipſius domus uſibus deputatam velitis à ſede apoſtolica pro fratrum infirmorum neceſſitatibus prædictæ domui confirmari, Nos peticioni veſtræ tanquam ſpecialium filiorum clementer annuimus, & deputationem ipſam ſicut provide & ſine pravitate aliqua facta eſt ratam habemus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, per apoſtolica ſcripta univerſitati veſtræ firmiter inhibentes, ne ipſam eccleſiam & pertinencias ſuas in alios uſus convertere vel in aliam præſumatis transferre perſonam.

Item confirmatio Archiepiſcopi de eadem.

THEOBALDVS Dei gratia &c. ſecundo *Hugoni* abbati ſancti *Auguſtini Cant.* Cum ſalvator noſter ſe ipſum dicat in infirmis viſitari, in nudis cooperiri, gloria noſtra eſſe debet infirmis compati, pauperum inopias relevare. Ea propter cum vos eccleſias maneriorum veſtrorum de **Northborne** & de **Chiſtelet** cum capellis ſuis ad ſuſtentationem infirmitorii veſtri & ſuſceptionem pauperum & peregrinorum communi conſilio deputaveritis, & hoc factum veſtrum noſtra petatis auctoritate roborari, Nos piis petitionibus veſtris libenter cum Deo annuentes, aſſignationem iſtam præſenti ſcripto roboramus & confirmamus. Hoc autem facientes volumus ut hæc eadem auctoritate omnibus venturis temporibus firmum robur optineat illibataq; permaneat, De conſenſu veſtro nichilominus ſtatuentes, ut fructus dictarum eccleſiarum quos jam diu integre percepiſtis, non niſi ad præfatos uſus aliquo tempore convertatis.

Nota quod iſte abbas *Hugo* aſſignavit & deputavit prædictam eccleſiam de **Chiſtelet** ad uſus ſupradictos ſicut & eccleſiam de **Menſtre** ad ſummum altare ordinavit. Forma cujus inferius ſuo in loco poterit apparere. Anno Domini M.CC.xxxiij. quidam *Willielmus* dictus *Clericus* domino *Ricardo Cant.* archiepiſcopo ad vicariam tantummodo de **Chiſtelet** per abbatem & conventum fuit præſentatus. Qui quidem *Willielmus* vicaria non contentus prædicta per archiepiſcopum memoratum hujus eccleſiæ inimicum in rectorem dictæ eccleſiæ de **Chiſtelet** eſt inſtitutus, majores decimas occupando; unde abbas & conventus ſuper tali injuſta occupatione coram ſummo pontifice querimoniam deponentes per Priores de **Waltham** & *Weſtmonaſterio* per ſedem apoſtolicam in hac parte judices deputatos optinuerunt, ut idem *Willielmus* à præfata eccleſia per ſententiam diffinitivam abjudicaretur, eidem ſuper ea perpetuum ſilentium imponendo, & pro fructibus medio tempore perceptis per dictum *Willielmum* in l. marcis prædictis religioſis ſolvendis condempnando. Eodem anno abbas de **Waltham** magiſter ordinis de **Semplyngham** & Prior ſanctæ *Trinitatis London.* ex delegacione ſedis apoſtolicæ in hoc monaſterio viſitationis officio fungentes, inter cætera infirmitorio hujus loci quod magnis expenſis indigebat invenientes nil certi redditus eſſe aſſignatum, ſet in omnibus habere defectum, duxerunt auctoritate apoſtolica providendum. Cujus proviſionis tenor inter cætera ſic ſe habet:

CVM igitur inſpectis diverſorum *Romanorum* pontificum ſcriptis autenticis invenerimus eccleſiam de **Chiſtelet** cum pertinenciis ſuis uſibus infirmorum loci memorati ſpecialiter fuiſſe deputatam, & inhibitionibus factis in eiſdem ne eccleſia dicta in alios uſus converteretur, quam non ſine divina ut credimus proviſione abbatis & conventus ſancti *Auguſtini Cant.* contra quendam *Willielmum* nomine *Clericum* judicialiter optinuerat ea vice, quem ad vicariam dictæ eccleſiæ tantummodo præſentatum *Ricardus* archiepiſcopus cum de jure non poſſet de facto rectorem inſtituerat in eadem, poſt appellationem ab eiſdem propter hoc ad ſedem apoſtolicam legitime interpoſitam, ſicut ex proceſſu de **Waltham** & *Weſtmonaſterio* Priorum qui de mandato ſedis apoſtolicæ dictam eccleſiam eis ſentencialiter adjudicaverant evidenter inſpeximus: Nos auctoritate apoſtolica qua fungebamur ea vice, ad uſus infirmantium ejuſdem congregationis dictam eccleſiam ordinavimus. Et ne per factum aliquorum quærentium quæ ſua ſunt non quæ *Jheſu Chriſti*, ſicut antea contigiſſe intelleximus, rarus aut nullus uſus de dicta eccleſia dictis fratribus proveniret, auctoritate prædicta de eccleſia memorata ſic duximus ſtatuendum; Ut cuſtos infirmitorii qui pro tempore fuerit, fructus dictæ eccleſiæ cum omni integritate percipiat ſalva vicaria canonice in eadem ſi voluerit facienda. Et ut proventus dictæ eccleſiæ cum omni maturitate & ſolicitudine diligenti in dictos uſus congregentur, ſemper de clauſtro ex fratribus quem conventus ad hoc duxerit eligendum dicto cuſtodi dedimus adjutorem, qui ſemper in fine anni ratiocinia plene reddet de eadem. Et quia in commiſſionis noſtræ literis illud continebatur, quod ſtatuta à nobis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter faceremus obſervari; ſub divini interminatione anathematis auctoritate apoſtolica prohibemus, ne abbas dicti loci vel quivis alius bona dictæ eccleſiæ aliquo titulo, vel penſionem inde ſolvendo vel ad firmam eam dando vel eam pro altera permutando, ſeu quocumque alienationis genere, in aliquam transferre præſumat eccleſiaſticam perſonam vel ſecularem. Et ut hæc noſtra ordinatio futuris temporibus obſervetur ad inſtanciam dictorum abbatis & conventus &c.

Confirmacio Archiepiſcopi ſuper eadem.

JOHANNES permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus tocius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus, cunctis Chriſti fidelibus ſalutem conſequi ſempiternam. Nuper religioſos viros abbatem & conventum monaſterii S. *Auguſtini Cant.* eccleſiam parochialem de **Chiſtelet** noſtræ *Cantuarienſis* dioceſis in proprios uſus tenentes, juxta juris exigentiam moneri fecimus & induci, ut ipſi infra certum terminum per nos eis præfixum domino *Edmundo* perpetuo ejuſdem eccleſiæ vicario & vicariæ ſuæ ad quam cum vacaverit iidem religioſi debent ut dicitur ſecularem clericum inſtituendum in ea præſentare, ſufficientem aſſignarent de ipſius eccleſiæ fructibus, redditibus & obventionibus porcionem, de qua ipſe vicarius & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii poſſint congrue ſuſtentari, jura epiſcopalia ſolvere, & alia ipſi vicario & vicariis inibi inſtituendis incumbencia onera ſupportare; Qui quidem religioſi prætextu noſtræ monicionis prædictæ per literas eorum patentes ſigillo ſuo ſignatas porcionem hujuſmodi in & de decimis oblationibus, obvencionibus, proventibus de rebus aliis infraſcriptis ad dictam eccleſiam de **Chiſtelet** ſpectantibus, præfato *Edmundo* vicario & ipſius ſucceſſoribus in dicta eccleſia vicariis quatenus in eis extitit aſſignarunt, & per partem ipſorum in præſencia dicti vicarii judicialiter fuit petitum, porcionem ipſam ſeu vicariam hujuſmodi per commiſſarium noſtrum in decimis, oblationibus, obventibus, proventibus, & rebus aliis infraſcriptis hujuſmodi conſtitui & perpetualiter ordinari, ac eiſdem vicariis imponi onera infraſcripta; unde idem commiſſarius noſter quod per ipſos ſic rationabiliter actum erat prout decuit approbans, & de ipſarum conſenſu partium & ipſis præſentibus decrevit ac ordinavit judicialiter ſub hac forma: Quod videlicet vicarius præfatus eccleſiæ de **Chiſtelet** qui nunc eſt & ſucceſſores ſui in dicta eccleſia vicarii, habeant manſum ſolitum dictæ vicariæ cum gardino adjacente eidem. Item habeant & percipiant nomine vicariæ prædictæ omnes et omnimodas oblationes in dicta eccleſia de **Chiſtelet** & in quibuſcumque locis infra fines & limites ſeu decimationes dictæ eccleſiæ ſituatis ex donatione divina qualitercumque factas aut faciendas, ſeu ad eam vel in ea provenientes & in poſterum provenire valentes modo, cauſa, occaſione vel colore eciam quibuſcumque. Habeant inſuper & percipiant dicti vicarii nomine quo ſupra omnes decimas lanæ, agnorum, vitulorum, aucarum, porcellorum, columbarum, caſei, lacticinii, canapis, lini, mercimoniorum, pomorum, pirorum, ortorum, ovorum, paſturæ, ſalis de xv. **Saltcotes** vulgariter nuncupati, omneſque alias minutas decimas qualitercunque ſpectantes & pertinentes ſeu provenientes & proventuras ad eccleſiam antedictam, necnon quæcumque legata relicta & relinquenda impoſterum prædictæ eccleſiæ quæ ipſius rectores ſeu vicarii poſſent de jure vel conſuetudine percipere & habere. Item habeant & percipiant dicti vicarii nomine vicariæ prædictæ à religioſis ejuſdem apud **Chiſtelet** unum pondus ſive **Waye** caſei nomine decimarum vaccarum & ovium dictorum religioſorum infra dictam parochiam de **Chiſtelet** depaſcentium, ac eciam decimam de venatione parci dictorum religioſorum apud **Chiſtelet**, & decimam molendinorum eorum infra parochiam exiſtencium antedictam cum tradantur & dimittantur ad firmam, quæ per tempus aliquod eidem vicario per dictos religioſos indebite ſubtracta fuerunt. *SUBEANT* autem vicarii præfati onus deſerviendi per ſe & alium presbyterum idoneum præfatæ eccleſiæ, in divinis. Onus eciam miniſtracionis panis, & vini, luminarium & aliorum per rectores eccleſiarum ex conſuetudine vel de jure miniſtrandorum ſeu inveniendorum quæ ad celebrationem divinorum ibidem fuerint neceſſaria, necnon locionis veſtimentorum & ornamentorum eccleſiæ antedictæ. Onus inſuper ſolucionis decimarum & impoſitionum aliarum quæ *Anglicana* eccleſiæ inponi quandocumque ſeu per quemcumque continget ſeu ipſi eccleſiæ de **Chiſtelet** incumbent pro taxatione centum ſolidorum ſuis ſumptibus ſubeant & expenſis. Onera vero reparationis & refectionis cancelli præfatæ eccleſiæ de **Chiſtelet** intus & exterius, necnon invencionis & reparationis librorum, veſtimentorum & ornamentorum ejuſdem eccleſiæ quæ per eccleſiarum rectores inveniri & reparari debent aut ſolent de jure vel conſuetudine, Ac cætera onera ordinaria & extraordinaria eidem eccleſiæ incumbencia præfato vicario ſuperius non aſcripta dicti religioſi ſubeant perpetim & agnoſcant. Quæ omnia & ſingula nos præfatus archiepiſcopus approbantes, ea auctoritate noſtra ordinaria approbamus. Reſervantes nobis & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis *Cantuarienſibus* dictam vicariam augmentandi & diminuendi ſi & quando nobis & eis expedire videbitur plenariam poteſtatem. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum fecimus apponi. Dat. apud **Lambheth** idus Februarii, anno Domini M. CCC. xlv. & noſtræ tranſlacionis decimo tercio.

§. 12. *De eccleſia de* **Menſtre** *cum capellis.*

Menſtre.

NOtum ſit omnibus Dei fidelibus tam poſteris quam preſentibus, quod ego ſecundus *Hugo* Dei gratia abbas S. *Auguſtini* concedo & dono altari beatorum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* & S. *Auguſtini* ad reparationem & ad ſervicium monaſterii eccleſiam de **Tanet** cum capellis, denariis, decimis & omnibus aliis rebus ad eandem pertinentibus, quas habet vel quas habitura eſt. Hanc autem donationem facio pro animabus præcedentium regum, abbatum & fratrum monaſterii noſtri, & eorum omnium qui eccleſiæ noſtræ bona fecerunt vel facturi ſunt. Et quia ſollicitus debeo eſſe de ſalute animæ meæ rogo vos fratres chariſſimi quatinus in ſancta karitate memores ſitis miſeriarum noſtrarum, & orationibus & beneficiis veſtris adquiratis animæ meæ hoc quod per me impetrare non poſſum ſcilicet ſalutem æternam. Et quod pro me rogo peto humiliter ut impendatis animabus patris & matris meæ & parentum noſtrorum. Et ſingulis annis poſt obitum noſtrum in anniverſario noſtro de hoc beneficio & aliis beneficiis quæ eccleſiæ noſtræ contuli j.marcam argenti elemoſinæ date. Nec iſta extra poteſtatem ſive curam pono noſtram, ſet ſicut cæteræ obedienciæ conſilio noſtro & voluntate reguntur & manutenentur, ita fiat & de iſtis.

Confirmatio Papæ ſuper eadem eccleſia.

LUCIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis *Hugoni* abbati ſancti *Auguſtini* &c. Quociens illud à vobis petitur, *& infra.* Conceſſionem itaque poſſeſſionum ſive redditum ad luminaria continuanda & ipſum monaſterium reparandum & ornandum à te fili abba *Hugo* communi fratrum conſilio rationabiliter factam & ſcripto tuo firmatam præſentis ſcripti pagina confirmamus & ratam manere cenſemus, videlicet molendina duo infra ipſam civitatem *Cantuaria*, x. marcas de eccleſia de **Middilton** ita ut iij. marcæ ſint ad libros faciendos & cæteræ vij.reddantur altari,& omnes denarios qui oblati fuerint in feſto ſanctorum *Coſma* & *Damiani* in veſtra capella apud **Chiſtelet** & omnes denarios quos ſolebas habere de eccleſia de **Thanet**, & inſuper medietatem candelarum & cereorum quæ oblatæ fuerint in memorato feſto ſanctorum *Coſma* & *Damiani*; ſuſtentationem quoque ad veſtitum monachorum à vobis communi conſilio & aſſenſu ſimili modo factam nichilominus confirmamus.

Item confirmacio Archiepiſcopi de eadem.

EGO *Theobaldus* Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopus & tocius *Angliæ* primas ſecundo *Hugoni* abbati &c. Veſtris juſtis poſtulationibus annuentes, roboramus & confirmamus præſenti ſcripto & ſigillo noſtro donum illud de eccleſia de **Thanet** quod tu dilecte fili *Hugo* abba altari beati *Auguſtini* ad reparationem & ad ſervicium ejuſdem monaſterii dediſti & carta tua confirmaſti, ſcilicet ipſam eccleſiam cum omnibus capellis, oblationibus & decimis omnium hominum infra inſulam ad feodum beati *Auguſtini* pertinencium. Hoc autem facientes volumus ut hæc eadem actio & donum omnibus venturis temporibus firmum illibatumque permaneat.

§. 2. *De electione* Thomæ Colwelle *videlicet anno regno regis* E. 3. *viceſimo ſecundo.*

ANno igitur ſupradicto quinta die menſis Auguſti die ſcilicet ſancti *Oſwaldi* regis domino *Willielmo de Clynton* comite de **Huntyngton** mediante frater *Thomas Colwell* tunc hujus eccleſiæ ſacriſta vir revera providus & diſcretus, per viam ſcrutinii in abbatem electus eſt, & viij.kal.Octobris ipſo electo pro ſua electione ad curiam *Avinionem* uſque progreſſo, invenit ibi omnia neceſſaria à prænominato fratre *Radulpho* ſibi honorifice præparata; fuerat enim iſte *Radulfus* tempore quo ſtetit ſolitarius in curia, ita familiaris domino *Clementi* ſexto papæ et acceptabilis ut ſæpius reciperet eum ad pacis oſculum abbatiam iſtam ei multotiens proferendo. Igitur electo conſpectui apoſtolico ſe repræſentante die S. *Wlfridi* confeſſoris per *Sabinenſem* epiſcopum cardinalem paſtorali dignitate inſignitus eſt, die S. *Katerinæ Dovor.* applicando; nec mora, Rege ibidem tunc præſente fidelitate ſibi prius facta ſua temporalia recepit, & in vigilia natalis Domini inſtallatus eſt. Eodem anno in vigilia S. *Bartholomæi* apoſtoli obiit dominus *Joh. Stratford* archiepiſcopus *Cant.* Et anno ſequenti in craſtino ſcilicet nativitatis beatæ *Mariæ* dominus *Simon de Iſcleph* tunc cuſtos privati ſigilli in archiepiſcopum electus eſt.

Anno vero ſequenti ſcilicet M. CCC, xlix. Rex An. Dñi
Edwardus confirmavit appropriationem eccleſiarum 1349.
de **Stone**, **Brokland**,& **Wiveleſberg** ut patet in eccleſiis.

Compoſitio cum Archiepiſcopo.

Anno Domini M. CCC. lj. in vigilia natalis beatæ 1351.
Mariæ edita fuit compoſitio inter abbatem hujus loci & archiepiſcopum ſupradictum ad inſtar intentum compoſitionis factæ inter archiepiſcopum *J. Stratford* & abbatem *T. Poncy*, cujus forma ſub anno Domini M.CCC.xl.patet inquirenti. Et idem prænominatus papa conceſſit eidem abbati privilegia autentica hæc quæ ſequuntur.

§. 3. *De benedictione ſolenni & reconciliatione eccleſiarum.*

CLEMENS epiſcopus &c. Sinceræ veſtræ religionis affectus; *& infra.* Cum itaque petitio pro parte veſtra nobis nuper exhibita continebat, abbates monaſterii veſtri qui ſunt pro tempore ex privilegio apoſtolico inſignia pontificalia habere noſcantur, Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati ut tu fili abbas et ſucceſſores tui abbates ejuſdem monaſterii qui pro tempore fuerint in monaſterio ipſo & locis aliis eidem pleno jure ſubjectis ac alibi ubique, poſt miſſarum ſolempnia ac veſperas & matutinas ac in menſa, ſuper populum ſolennem benedictionem, dummodo aliquis apoſtolicæ ſedis legatus vel antiſtes aliquis in benedictione hujuſmodi præſens non fuerit, conſtitutionibus apoſtolicis & aliis quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, impartiri licite valeatis, tibi fili abbas & eiſdem ſucceſſoribus auctoritate apoſtolica de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus.

Item aliud.

CLEMENS epiſcopus &c. Ut in hiis; *& infra.* Ipſius itaque abbatis ſupplicationibus inclinati, ut ipſe & ſucceſſores ſui abbates qui pro tempore fuerint necnon monachi dicti monaſterii in capellis ſeu oratoriis maneriorum ſuorum & eccleſiarum dicto monaſterio unitarum divina officia horis debitis abſque parochialium eccleſiarum & aliorum juris præjudicio valeant celebrare, quibuſcumque ſtatutis ſeu conſuetudinibus contrariis nequaquam obſtantibus, eis auctoritate apoſtolica de ſpeciali gratia indulgemus.

Item aliud.

CLEMENS epiſcopus &c. Tuæ devotionis; *& infra.* Cum itaque ſicut pro parte tua fuit propoſitum coram nobis ſæpe contingit eccleſiam tui monaſterii

Edw. III. Rex.

naſterii & cimiterium ipſius eccleſiæ per effuſionem ſanguinis vel ſeminis violare, & grave ſit tibi propter exemptionem tuam tuique monaſterii Ordinarium pro eccleſiæ ſeu cimiterii prædictorum reconciliatione adire, nobis humiliter ſupplicaſti ut providere tibi ſuper hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, quod eccleſiam & cimiterium ſupradicta reconciliare valeas quociens oportunum fuerit quamdiu monaſterio præfueris ſupradicto, aqua prius ut moris eſt per aliquem antiſtitem benedicta, tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem.

Conceſſit autem huic monaſterio bullam prohibitoriam & excommunicatoriam ſuper occultos detentores decimarum, reddituum, cenſuum, terrarum, bladorum, legatorum, funeralium, inſtrumentorum. Et directa fuit iſta bulla abbati de **Langeley** exequenda.

§. 4. Auguſtini *feſtivitas ordinatur dupliciter celebrari.*

An. Dñi 1356. ANno Domini M.CCC.lvj. nobiles viri *Henricus* Dux *Lancaſtriæ*, & *Ricardus* Comes *Arundelli* pro diverſis regni negotiis apoſtolicum viſitantes, per ſuggeſtionem abbatis & conventus ob reverentiam *Auguſtini Anglorum* apoſtoli impetrarunt privilegia multum inſignia, tenores quorum tales ſunt.

INNOCENTIUS epiſcopus &c. Decet cunctos Chriſti fideles: *& infra.* Decens & congruum reputamus ut glorioſus confeſſor beatus *Auguſtinus* qui olim miſſus per ſedem apoſtolicam ad gentes *Anglorum* nondum tunc baptiſmatis unda renatas eas de infidelitatis tenebris ad lucem Catholicæ fidei per prædicationis miniſterium evocavit, primuſque in *Anglia* erexit eccleſiam, ſpecialiter in illis partibus honoretur. Ex hoc namque ibidem populorum creſcet devotio, ac ille qui glorificatur in Sanctorum conſilio benignus preces reſpiciat devotorum; ut igitur ipſius Confeſſoris feſtivitas in dictis partibus quibus ſicut accepimus vix aut minus in regno *Angliæ* celebriter colitur, ſolennius & devotius veneretur, fraternitati veſtræ de qua ſpecialem in Domino fiduciam gerimus, per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus quatenus feſtivitatem Confeſſoris ejuſdem in omnibus eccleſiis dicti regni exemptis faciatis auctoritate noſtra perpetuis futuris temporibus ſub duplici officio ſolenniter celebrari; & nichilominus in dicta feſtivitate ceſſari à mechanicis & aliis operibus interdictis in feſtis duplicibus de more conſuetudine ſeu obſervancia eccleſiarum earundem. Et eſt hujus data vij. idus Febr. anno ſupradicto.

INNOCENTIUS epiſcopus. Splendor paternæ gloriæ: *& infra.* Cupientes igitur ut eccleſia monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ordinis ſancti *Benedicti* congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem quo uberius dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui in feſto ipſius Sancti eccleſiam ipſius monaſterii viſitaverint, annuatim j. a^{m} & j. quadragenam de injunctis eis pœnitentiis ſingulis videlicet ipſius feſtivitatibus, diebus quibus eccleſiam ipſam viſitaverint ut præfertur, miſericorditer relaxamus.

S. Iſlep Archiep.

Et nota quod bulla pro duplici feſto archiepiſcopo *Eboracenſi* præſentata omnibus ſuæ provinciæ & aliis quorum dioceſani ſuam indulgentiam ratam habuerint & acceptam qui ad precioſas reliquias beati *Auguſtini* humili devotione acceſſerint xl. dies de injuncta pœnitentia relaxavit.

Anno quo ſupra quinto idus Junii ordinatio vicariæ de **Wyveleſberg** cujus forma patet ſupra in eccleſiis.

An. Dñi 1357. Anno ſequenti dominus *Pictagoricenſis* presbyter Cardinalis ad pacem inter regna reformanda à ſede apoſtolica miſſus in vigilia Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* interfuit matutinarum ſolempniis, & in craſtino miſſarum ſacramenta ad magnum altare feſtive celebravit, in magna aula nobiliores patriæ ſplendide convivando.

§. 5. *Ne vicecomes intromittat de hundredis noſtris.*

1358. ANno Domini M.CCC.lviij. emanavit breve regium vicecomiti *Kantiæ* pro hundredis noſtris in hæc verba:

« *EDWARDUS* &c. Monſtravit nobis di-
» lectus nobis in Chriſto abbas ſancti *Auguſtini*
« *Cant.* quod cum ipſe teneat per cartam domini
« *Edwardi* quondam regis *Angliæ* avi noſtri, ſibi
« & ſucceſſoribus ſuis hundreda de **Ringeſlo,**
« **Blengate, & Donhamforde**, cum pertinenciis
« de nobis & hæredibus noſtris ad feodi firmam
« C. s. nobis inde annuatim per manus viceco-
« mitis noſtri comitatus prædicti qui pro tempore
« fuerit reddendorum; Et licet idem abbas ha-
« beat, ipſeque & prædeceſſores ſui abbates loci
« illius ſemper hactenus à tempore confectionis
« cartæ prædictæ habuerunt in hundredis prædictis
« viſus franci plegii cum omnibus ad hujuſmodi
« viſus pertinentibus, & in letis ſuis in quolibet
« hundredorum prædictorum bis per annum tentis,
« de omnibus articulis quæ ad hundreda & viſus
« hujuſmodi pertinent, & de quibus præſentationes
« fieri debent per ballivos ſuos inquiri & præſen-
« tationes inde per borgeſaldrum & alios reſiden-
« tes in hundredis illis fieri, & executiones, & pu-
« nitiones inde prout moris eſt fecerint, ac amer-
« ciamenta & alia proficua inde provenientia ad
« opus ſuum levari fecerint in auxilium firmæ no-
« ſtræ ſupradictæ, Tu tamen & miniſtri tui tenentes
« ipſius abbatis de dicto hundredo de **Blengate**
« & alios in eodem reſidentes ad præſentandum
« coram te in comitatu prædicto de purpreſturis &
« aliis articulis præſentabilibus ibidem, quæ coram
« ballivis ejuſdem abbatis in dictis letis præſentan-
« tur & hactenus præſentari conſueverunt, & ipſos
« ad reſpondendum inde coram te in eodem comi-
« tatu per amerciamenta & alios modos diſtringi
« & inquietari facis minus juſte jam de novo, in
« ipſius abbatis & tenentium ſuorum prædictorum
« diſpendium non modicum & contra tenorem car-
« tæ prædictæ & firmæ noſtræ prædictæ diminu-
« tionem manifeſtam. Et quia eidem abbati in-
« juriari nolumus in hac parte, tibi præcipimus
« quod ſi ita eſt, tunc ab hujuſmodi compulſioni-
« bus, diſtrictionibus, & inquietationibus præfato
« abbati aut tenentibus ſuis prædictis ex cauſa præ-

« dicta

Edw. III. Rex.

« dicta de cætero inferendis deſiſtens, & miniſtros
« tuos prædictos deſiſtere faciens, ipſum abbatem,
« & hundreda ſua prædicta cum pertinenciis juxta
« tenorem cartæ prædictæ habere & tenere, ac
« omnia quæ ad eadem hundreda & viſus franci
« plegii ibidem pertinent per ſe & ballivos ſuos fa-
« cere & exercere permittas, prout ea de jure fa-
« cere & exercere debet & ſolet, & idem abbas &
« prædeceſſores ſui prædicti ea hucuſque à tempore
« prædicto rationabiliter facere & exercere conſue-
« verunt. Et diſtrictionem ſi quam alicui tenentium
« prædictorum præmiſſa occaſione feceris, ſine de-
« latione relaxes eidem.

Et eodem anno campana quæ vocatur *Auſtyn*, *Maria* & *Gabriel*, & iiij. in turri per fratrem *T. Hicham* ſacriſtam fuſæ ſunt.

§. 6. *Regia licentia appropriare certas terras.*

An. Dñi 1358.

ANno M.CCC.lviij. *Edwardus* rex dedit licenciam apropriandi de magiſtro *Willelmo Godwyne* ij. meſuagia, xlvij. acras dimidiam terræ, vj. acras prati, xxxvij. acras paſturæ, x. s. iiij. d. redditus, & v. gallinarum, xj. gallinarum cum pertinenciis in **Kenington** & **Chiſteleth**, & de *Iohanne Brode* ij. acras j. rodam terræ cum pertinenciis in **Sutton**. De *Iohanne Elys* & *Willelmo Maydeſtone* j. acram & j. rodam in **Sellynge**. De *Iohanne Cuſynge* ij. acras boſci in **Sellynge**. De *Stephano Barbour* dimidiam acram in **Lytleborne**. Quæ omnia valent per annum in omnibus exitibus xxxiij. s. & amplius.

§. 7. *Compoſitio inter abbatem & cives* Cant. *de molendinis.*

EOdem anno edita fuit quædam compoſitio inter abbatem & cives *Cantuaria* de molendino abbatis in hunc modum, videlicet, Quod cum cives *Cant.* indigeant pro reparatione molendini prædictæ civitatis quod dicitur **Kyngeſmell**, & molendini Prioris eccleſiæ Chriſti *Cant.* quod dicitur **Mildredemell** & emundacione curſus aquæ currentis inter prædicta molendina & à molendino civitatis prædictæ uſque ad molendinum abbatis ſancti *Auguſtini Cant.* quod dicitur **Abboteſmell**, quæ quidem reparationes & emundationes fieri non poſſunt niſi curſus aquæ prædictæ à curſu ſuo proprio pro tempore reparationis & emundationis prædictarum divertatur; Qui quidem cives licentiam à præfato abbate ſuper præmiſſis pecierunt, & prædictus abbas eiſdem civibus de gratia ſua ſpeciali & ſpontanea voluntate conceſſit, quod curſus aquæ prædictæ per unum menſem proximo ſequentem diverti poſſit pro reparatione & emundatione prædictis; ita quod ſi in tempore futuro molendinum dicti abbatis quod dicitur **Abboteſmell** indigeat reparatione, conſimilis gratia fiat eidem abbati vel ſucceſſoribus ſuis per eoſdem cives vel hæredes ſuos; Et ſi contingat quod reparatio & emundatio dictorum molendinorum infra menſem non fiant, extunc prædicti cives concedunt ſolvere prædicto abbati pro rata menſis tempore quo curſus prædictus extra curſum proprium extiterit xl s. Concordatum eſt eciam quod occaſione reparacionis & emundacionis, exaltationis vel deexaltationis molendinorum prædictorum nullum generetur præjudicium dampnum ſeu nocumentum molendino prædicti abbatis. Et quod exaltatio vel deexaltatio molendinorum prædictorum de **Kyngeſmell** & **Mildredemell** fiat per viſum & conſenſum duorum artificum ex parte prædicti abbatis electorum notitiam & experientiam in dicto opere habentium. Concedunt eciam prædicti cives pro ſe & hæredibus ſuis prædictum abbatem & ſucceſſores ſuos occaſione conceſſionis, reparationis, vel emundationis prædictarum erga quoſcumque indempnem conſervare.

S. Iſlep Archiep.

An. Dñi 1360.

Anno Domini M. CCC. lx. quinto kal. Auguſti ordinatio vicariæ de **Stone** & **Wyvelesberg**.

§. 8. Radulphus *capellanus in eccleſia S.* Pancraſii *occubuit.*

1361.

ANno ſequenti in nocte ſancti *Mauri* abbatis tantus fragor contigit venti, ut proſtratis arboribus, tectis & campanilibus dejectis quaſi tota mundi machina ruere videbatur. Ea tempeſtate quidam capellanus ſanctæ converſationis cilicio nocte dieque indutus, corpus ſuum vigiliis, jejuniis, & orationibus macerans continuis, nomine *Radulphus*, ſperans periculum imminens ad tempus declinare, in cancello capellæ S. *Pancracii* quaſi in loco tutiſſimo, utputa quia tectum prædictæ capellæ noviter factum, conſedit: Quid plura? magna trabe per rabiem venti ſuper imaginem beatæ virginis dejecta, prædictus presbyter ante imaginem in ſuis orationibus procumbens, extinctus eſt, imagine permanente intacta, ſepultuſque eſt in prædicta capella ſub lapide marmoreo ante crucem; per cujus merita eſt ſperandum in futurum conſequi Dei beneficia.

ALEXANDER *epiſcopus ſervus &c. Vitæ perhennis gloriam:* & infra. *Rogamus itaque univerſitatem veſtram & hortamur in Domino in remiſſionem peccaminum vobis injungentes, quatinus ad monaſterium ſancti* Auguſtini Cant. *ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinens quod in honorem beatorum apoſtolorum* Petri *&* Pauli *ac ejuſdem Sancti conſtructum eſſe dinoſcitur, imploraturi à domino delictorum veniam in humilitate ſpiritus accedatis, Nos etenim, ut Chriſti fideles quaſi per præmia ſalubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei miſericordia & dictorum apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui ad monaſterium ipſum in feſtivitatibus apoſtolorum ipſorum & ejuſdem Sancti & ſeptem ſequentibus diebus cauſa devotionis acceſſerint annuatim,* j. *annum &* xl. *dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.*

ALEXANDER *&c. Solet animus:* & infra. *Ea propter dilecti in domino filii veſtris devotis precibus inclinati, omnes remiſſiones & indulgentias benefactoribus monaſterii veſtri ab archiepiſcopis, & epiſcopis orthodoxis, rationabiliter conceſſas auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.*

Anno ſuperius notato, videlicet M.CCC.lxj. Dominica in palmis abbas *Cluniacenſis* tunc Cardinalis celebravit divina ad magnum altare hujus eccleſiæ, præſente hominum multitudine non modica, & eodem die comedit in refectorio, uſque in chorum conventum cum *Miſerere* ſubſequendo. Interfuit eciam matutinis ferialibus per duos dies ſequentes, dando ſuper lectiones benedictionem jure ſuo.

1362.

Anno ſequenti *Edwardus* rex tercius confirmavit cartas, tam de maneriis noſtris quam de libertatibus nobis quondam conceſſis.

§. 9. *IN-*

Edw. III. Rex.

§. 9. INSPEXIMUS *E. 3. De terris ſancto* Auguſtino *datis.*

E*DWARDUS* Dei gratia Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, & Dux *Aquitanniæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris, & omnibus ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. Inspeximus Cartam claræ memoriæ domini *E.* nuper regis *Angliæ* patris noſtri in hæc verba. *EDWARDUS* Dei gratia Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, & Dux *Aquitanniæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, miniſtris, & omnibus ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. Inspeximus cartam bonæ memoriæ *Athelberti* quondam regis *Angliæ* in hæc verba. IN NOMINE Domini noſtri *Iheſu Chriſti.* Omnem hominem qui ſecundum Deum vivit & remunerari à Deo ſperat & optat, oportet ut piis precibus conſenſum hilariter ex animo præbeat, quoniam certum eſt tanto facilius ea quæ ipſe à Deo popoſcerit conſequi poſſe, quanto & ipſe libentius Deo aliquid conceſſerit. Quocirca ego *Athelbertus* rex *Kanciæ*, cum conſenſu venerabilis archiepiſcopi *Auguſtini* ac principum meorum do & concedo Deo in honore ſancti *Petri* aliquam partem terræ juris mei quæ jacet in oriente civitatis *Doroberniæ*, Ita duntaxat ut monaſterium ibi conſtruatur, & res quæ ſupra memoravi in poteſtate abbatis ſit qui ibi fuerit ordinatus. Igitur adjuro & præcipio in nomine Domini Dei omnipotentis qui eſt ominum rerum judex juſtus, ut præfata terra ſubſcripta donatione ſempiternaliter ſit confirmata, ita ut nec michi nec alicui ſucceſſorum meorum regum aut principum ſive cujuſlibet condicionis dignitatibus & eccleſiaſticis gradibus de ea aliquid fraudare liceat. Si quis vero de hac donatione noſtra aliquid minuerit aut irritum facere temptaverit, ſit in præſenti ſeperatus à ſancta communione corporis & ſanguinis Chriſti, & in die judicii ob meritum maliciæ ſuæ à conſortio ſanctorum omnium ſegregatus. Circumcincta eſt hæc terra hiis terminibus; in oriente eccleſia ſancti *Martini*, in meridie via de **Burgate**, in occidente & in aquilone **Drutingeſtrete.** Acta in civitate *Doroberniæ* anno ab incarnatione Chriſti DC. v. Indictione vj. ✠ Ego *Ethelbertus* rex *Kanciæ* ſana mente integroque conſilio donationem meam ſigno ſanctæ Crucis propria manu roboravi confirmavique. Ego *Auguſtinus* gratia Dei archiepiſcopus teſtis conſenciens libenter ſubſcripſi. *Edbaldus*, *Hanngiſilus*, *Angemundus* Referendarius, *Hocta*, *Gracys*, *Thongil*, *Pinca*, *Geddy*. Inspeximus eciam cartam ipſius *Athelberti* in hæc verba. IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ego rex *Anglorum Athelbertus* miſericordia omnipotentis Dei catholicus, omnibus meæ gentis fidelibus & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri *Iheſu Chr.ſti* beata ſpe expectantibus ſalutem. Ut quæ æterna largiente ſummi regis clementia, Ego *Athelbertus* in ſolio paterno confirmatus paceque divinitus conceſſa eo jam per decem quinquennia ſeptrigera poteſtate potitus, & per venerabiles ſacræ fidei doctores Spiritus ſancti gratia irradiatus, ab errore falſorum deorum ad unius veri Dei cultum toto corde converſus, ne ingratus beneficiorum appaream illi à cujus ſancta ſede nobis in regione umbræ mortis ſedentibus lux veritatis emicuit, Inter alias quas fabricavi eccleſias monitu & hortatu beatiſſimi papæ *Gregorii* & ſancti patris noſtri *Auguſtini*, ipſi beatiſſimo apoſtolorum principi *Petro* & doctori gentium *Paulo* eccleſiam à fundamentis conſtruxi, eamque terris, variiſque poſſeſſionum donariis donare ſtudui, inibique monachos Deum timentes aggregari feci, & cum conſilio ejuſdem reverentiſſimi archipræſulis *Auguſtini* ex ſuo ſanctorum collegio venerabilem virum ſecum ab apoſtolica ſede directum *Petrum* monachum elegi, eiſque ut eccleſiaſticus ordo expoſcit abbatem præpoſui. Hanc igitur eccleſiam ad provectum debiti culminis promovere deſiderans ſuarumque poſſeſſionum dilatare geſtiens, ſana mente integroque conſilio cum *Eadbaldi* filii mei aliorumque nobilium optimatum meorum conſenſu, ob redemptionem animæ meæ, & ſpem retribucionis æternæ optuli ei eciam villam nomine *Sturrigao* alio nomine dictam **Chiſtelet**, cum omnibus redditibus ei jure competentibus, cum mancipiis, ſilvis, cultis vel incultis, pratis, paſcuis, paludibus, fluminibas, & contiguis ei maritimis terminis eam ex una parte cingentibus; omnia mobilia vel immobilia in uſus fratrum ſub regulari tramite & monaſtica religione inibi Deo ſerviencium. Miſſurium eciam argenteum, ſcapton aureum, iterum ſellam cum freno auro & gemmis exornatam, ſpeculum argenteum, armiliaſia, oloſerica, camiſiam ornatam; quod michi exhennium de domino papa *Gregorio* ſedis apoſtolicæ directum fuerat, quæ omnia ſupradictæ eccleſiæ gratanter optuli. Quam eciam eccleſiam ipſe ſervus Dei *Auguſtinus* ſanctorum apoſtolorum ac martyrum reliquiis variiſque eccleſiaſticis ornamentis ab apoſtolica ſede ſibi tranſmiſſis copioſe ditavit, ſeſeque in ea & cunctos ſucceſſores ſuos ex auctoritate apoſtolica ſepeliri præcepit, ſcriptura dicente, Non eſſe civitatem mortuorum ſet vivorum, ubi eciam michi & ſucceſſoribus meis ſepulturam providi: ſperans me quandoque ab ipſo apoſtolici ordinis principe, cui Deus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit & claves regni cœlorum tradidit, à peccatorum nexibus ſolvi & æternæ beatitudinis januam introduci. Quod monaſterium aut eccleſiam nullus epiſcoporum, nullus ſucceſſorum meorum regum in aliquo lædere vel inquietare præſumat, nullam omnino ſubjectionem in ea ſibi uſurpare audeat, ſet abbas ipſe qui ibi fuerit ordinatus intus & foris cum conſilio fratrum ſecundum timorem Dei libere eam regat & ordinet, ita ut in die Domini dulcem illam piiſſimi redemptoris noſtri vocem mereatur audire dicentis, *Euge ſerve bone & fidelis quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Hanc donationem meam, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti largitate divina ut michi tribuatur peccatorum remiſſio, per omnia cum conſilio reverentiſſimi patris *Auguſtini* condidi, atque ad tranſcribendum *Augemundum* presbyterum ordinavi. De hiis ergo omnibus quæ hic ſcripta ſunt ſi quis aliquid inde minui præſumpſerit, ſciat ſe æquiſſimo judici Deo & beatis apoſtolis *Petro* & *Paulo* rationem eſſe redditurum. Confirmata eſt donatio præſentibus teſtibus reverentiſſimo patre *Auguſtino Dorovernenſis* eccleſiæ archiepiſcopo primo, *Mellito* quoque & *Juſto Londonienſis* & *Roffenſis* eccleſiæ

S. Iſlip Archiep.

Edw. III. Rex.

eccleſiæ præſulibus, *Edbaldo* filio meo, *Hemgiſilo*, *Angemundo* Referendario, *Occa*, *Graphio*, *Tangil*, *Pinca*, *Geddi*, aliiſque pluribus dignitatum diverſarum perſonis. INSPEXIMUS inſuper cartam *Edbaldi* quondam regis *Anglia* in hæc verba. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *Edbaldus* rex glorioſi regis *Athelberti* filius quem protodoctor & apoſtolus *Anglorum Auguſtinus* cum ſuo regno ab æternis infernorum cruciatibus eripuit, & dealbatum fonte baptiſmatis ſanctorum collegio copulavit per venerabilem *Laurencium* beati *Auguſtini* diſcipulum quem ipſe pater novellæ adhuc *Anglorum* eccleſiæ ſibi ſucceſſorem in archiepiſcopatum ordinarat. Tandem ſermonibus aſſiduis & ſignis ac plagis in ſeipſo pro me paſſis ac oſtenſis, à volutabro ſcelerum lotus; & ad agnitionem creatoris omnium creaturarum promotus, Dominum Deum meum recognoſco & adoro. Proinde ego *Edbaldus* in ſolio paterno confirmatus patris veſtigia imitans, & eccleſias Dei quas viriliter inſtancia patris *Auguſtini* fundavit & terris multiſque honoribus ditavit augens & confirmans, monaſterio apoſtolorum *Petri* & *Pauli* in ſuburbio *Dorobernia* civitatis fundato & prærogativo eccleſiaſticæ libertatis privilegio munito, terris ac variis honoribus ditato, ad honorem Dei & ſanctorum apoſtolorum ſanctique *Auguſtini*, pro remedio animæ patris mei meæque parentumque meorum, gratanter concedo & amicabiliter do quondam partem regni mei triginta aratrorum nomine **Northborne** in uſum monachorum ibidem Deo famulantium, ubi ipſe pater *Auguſtinus* & pater meus requieſcit; ubi eciam archiepiſcopi & reges ſibi ſuccedentes requieſcere decreverunt, ubi & corpus meum ſepeliri præcipio. Hanc autem præfatam terram in omnibus ad ſe pertinentibus paſcuis, paludibus, pratis, ſilvis, ac finibus maritimis, ita liberam ac quietam dono ac dico, ſicut pater meus aut ego unquam liberius habuimus. Hujus donationis confirmationem tropheo agyæ crucis & cartâ mea regia conſignavi, aſſidentibus & collaudantibus archiepiſcopo Baptiſta ſcilicet meo *Laurencio* & ſubſcribente cum regina mea *Emma*, filiiſque meis *Egfrido* ac *Ercumberto*, cum duobus epiſcopis, *Mellito Londonienſis*, & *Juſto Roffenſis* eccleſiæ, cæteriſque multis Comitibus & optimatibus meis conſaventibus & ſubſcribentibus, in hujus donationis fautores & auctores vitam æternam optantibus, in invidentes ſeu minuentes Dei omnipotentis & ſanctorum apoſtolorum & patris noſtri *Auguſtini* terribilem interminationem. Ego *Laurencius* gratia Dei archiepiſcopus ſigno ſanctæ ✠ ſicut regem vidi facere hoc donum confirmo. Ego *Emma Francorum* regis filia & regina *Edbaldi* copula vexillo adorandæ ✠ armavi. Ego *Mellitus Londonienſis* epiſcopus ſigno ſanctæ ✠ quæ vidi aſtipulor. Ego *Juſtus Roffenſis* epiſcopus laudo & ſubſcribo ✠ Ego *Robertus* ſigno ✠ libenter corroboro. Ego *Ercumbertus* atteſtatione venerandæ ✠ gratanter concedo, conteſtor, & ſubſcribo. Ego *Suncardus* conſenſi. Ego *Cuthardus* ſubſcribo. Actum eſt hoc anno DC.xviij. Indictione iiij. INSPEXIMUS eciam cartam *Edmundi* quondam regis *Anglia* in hæc verba. In nomine ſanctæ Trinitatis, Quamvis decreta pontificum & verba ſacerdotum velut fundamenta montium in diſtrictis ligaminibus fixa ſunt, tamen plerumque tempeſtate & turbine ſecularium rerum eciam religio ſanctæ Dei eccleſiæ maculis reproborum diſſipabitur ac rumpitur. Idcirco incertum futurorum temporum ſtatum providentes, poſteris ſuccedentibus profuturum eſſe decrevimus, ut ea quæ communi tractatu ſalubri conſilio diffiniuntur, certis litterulis roborata confirmentur. Quapropter ego *Edmundus* rex *Anglorum* cæterarumque gentium in circuitu perſiſtentium gubernator & rector, cuidam michi fideliſſimo miniſtro nomine *Sigerico* devocionis ejus ſolertia ejuſdemque placatus obſequio, dignatus ſum impertiri duas aratras in illo loco ubi jamdudum ſolicolæ illius regionis nomen impoſuerunt **At Sibrytheſweald** tali autem tenore hoc præfatæ munificentiæ munus tradendo conceſſi, ut poſſideat & firmiter teneat uſque ad ultimum vitæ ſuæ curſum cum omnibus utenſilibus quæ Deus cœlorum in ipſo telluris gramine creavit, tam in notis cauſis & ignotis, in modicis & in magnis, campis, paſcuis, ſilvis omnino donans dabo libertatem. Et poſtquam humani generis fragilitatem deſeruerit, & ad deſiderabilem, ſuccedenciſuum ſibi cuicunque libuerit æternaliter derelinquat, ſicut ſuperius prænotavi. Sit autem prædictum rus liberum ab omni fiſcali tributo ſecularitumque ſervitutum exinanitum ſine expeditione & pontis arciſve inſtructione; præcipioque in nomine Dei ſummi tam nobis viventibus quam eciam divina præcepta prædicantibus hujuſmodi libertatis ſtatuta ad irritum deducere minime quiſpiam præſumat. Quiſquis benivola mente meam donacionem amplificare ſategerit, in hoc præſenti ſeculo vita illius amplificetur feliciter longiturnaque vitæ gaudia teneat: ſi quis autem propria temeritate violenter invadere præſumpſerit, ſciat ſe proculdubio ante tribunal diſtricti judicis titubantem tremebundamque rationem redditurum, ni prius digna ſatisfactione emendare maluerit. Iſtis terminibus prædicta terra circumcincta eſt. **Dilymeſingon of ymes holdan in ſeyyde ⁊ langrieges od vam ſtret inder ⁊ Langſtrete ſyanoz on, Agguit beozgas of haggynge beozgan; on hymeſole of hymeſſole lang colreoynga. ge. mereanod, helfeſvene od helledens od lectan acer od lectan acere od ynchaun, ut on benneſeld od bealdeſſole of bealdeſſole yeſt. od ſchelfyng onderone kale yanſcote of vam kale yanſcote on hyoune obdonne eal vanyeges, langleges, eſt ong cy-moſyng.** Acta eſt hæc præfata donatio anno ab incarnatione Domini noſtri *Iheſu Chriſti* DCCC.xliiij. Indictione ij. INSPEXIMUS inſuper cartam *Adelwlfi* quondam regis *Angliæ* in hæc verba. Regnante imperpetuum Domino noſtro *Iheſu Chriſto* cum cujus imperio hic habentis ſeculi proſperitas in adverſis ſucceſſibus ſedulo permixta & conturbata cernitur. Et omnia viſibilia atque deſiderabilia ornamenta hujus mundi cotidie ab ipſis amatoribus tranſeunt. Ideo beati quandoque ac ſapientes cum hiis fugitivis ſeculi diviciis æterna & jugiter permanſura gaudia cœleſtis patriæ adipiſci properant. Quamobrem ego *Adelwlf* occidentalium *Saxonum* rex, cum conſenſu ac licentia epiſcoporum ac principum meorum, eciam pro remedio animæ meæ, & pro expiatione facinorum meorum aliquam partem terræ juris mei *Alher* meo principe pro ejus humili obedientia in perpetuam hæreditatem libenter largitus ſum in villa quæ nuncupatur **Lenham**, id eſt, xl. caſſatos, ut habeat & perfruatur quamdiu

S. Iſtup Archiep.

diu ſub aſtrifero cœlo vitam duxerit cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus, campis, ſilvis, pratis, paſcuis, piſcariis, & loco in quo ſal adipiſci poteſt; & cum greſſu trium carrorum in ſilva quæ dicitur **Blean**. Et poſt finem vitæ illius hæredi cuicunque placuerit æternaliter relinquat. Terra hæc prædicta ſecura & immunis omnium rerum permaneat regalium & principalium tributorum & vi exactorum operum furiſque comprehenſione ſimulque omni populari gravedine, niſi expeditione & pontis factione, & arcis munitione. Hæc ſunt territoria præfatæ telluris, **Wyltuman, Umhinga yeſt merc. varce. hina. land to ſcaerge nordmerc yeſt Lenham. Eſt merc Gymmngeſnade to Feſereſham ſud mearc hiſteares lez on Gunnyngeſdown to Tenynge ſaledun his teares leſe to Beryngtone on Gymmyngeſſirhde ſme to ſme to deon lond be limpe yidunga, on Cyningeſnade ſme to diam londe be lympe diſſinti da dacu harra des londes muſila herſt ruſſyngdene dorn dene on mapol derheſt. drio den Friddyngedene tya on frideſleas iiij. on tim laſ hyrſt in on haddune ſudan an beſudan ſtan ea an.** Et qui hanc meam donationem augere & amplificare voluerit, multiplicet Dominus partem ejus hic & in futuro ſeculo. Si quis autem hæc infringere vel minuere temptaverit, ſciat ſe ſeperatum à conſorcio beatorum ſpirituum, & rationem in tremendo die judicii coram Chriſto & angelis ejus redditurum, niſi ante ſatisfactione emendaverit. Scripta eſt hæc hujus donacionis cartula anno Dominicæ incarnationis DCCC. l. Indictione vero xiij. in villa regali quæ nominatur *Wyltonia*, coram idoneis teſtibus quorum nomina ſubtus annexa notantur ✠ Ego *Adelwlf* rex *Kancia* hanc meam donationem manu propria cum ſigno ſanctæ Crucis Chriſti roborando confirmandoque ſubſcripſi ✠. Ego *Aedelbald* dux filius regis conſenſi & ſubſcripſi ✠. Ego *Adelſtan* rex hoc conſentiens ſignum crucis impoſui.

Inspeximus eciam cartam bonæ memoriæ *Cnut* quondam regis *Angliæ* in hæc verba. Ego *Cnut* per Dei miſericordiam baſileus *Agelnoto* archiepiſcopo & omnibus epiſcopis, & abbatibus, comitibus, vicecomitibus, & omnibus fidelibus tocius *Angliæ* ſalutem & amicitiam. Notum ſit vobis omnibus me dediſſe ſancto *Auguſtino* patrono meo corpus ſanctæ *Mildrithæ* glorioſæ virginis cum tota terra ſua infra inſulam **Tanat** & extra; cum omnibus conſuetudinibus ad ſuam eccleſiam pertinentibus. Hæc omnia ita libera & quieta reddo Deo & abbati *Aelſtano* & fratribus loci, ſicut ego ea unquam melius habui tam in terra quam in mari, & in littore, ut habeant & poſſideant imperpetuum. Et qui hanc donationem meam infringere vel irritam facere temptaverit, à Deo omnipotente & omni ſancta eccleſia excommunicatus ſit, Amen.

Inspeximus inſuper cartam bonæ memoriæ *Edwardi* quondam regis *Angliæ* in hæc verba. Conditor cœli terræque Deus univerſitate tocius creaturæ de nichilo perfecta primum hominem de limo formavit, eumque ad imaginem ſuam configuravit, cui & omnium operum ſuorum dominari præcepit, ea videlicet ratione ut homo rationabilis irrationabili uteretur creatura per quem ipſe Deo ſerviens obediret, & obediendo creatorem honoraret. Deinde ſuccedente generatione in generationem, templa & eccleſias fieri conſtituens de primitiis & decimis hac de ſubſtancia ſuæ largitionis eas in nomine ſuo honorari præcepit. Inſuper, & per Evangelium vos inſtruens ait, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo*, & reliqua. Quapropter ego *Edwardus* regis regum gratia rex & *Anglorum* princeps, poſt longam exiliationem ſolius miſerentis Dei 'tu in regno meo reverſus, & in ſolio patrum meom reſidens, eccleſiam quam hortatu beati *Auguſtini* rex *Adelbryght* in honore apoſtolorum *Petri* & *Pauli* à fundamento conſtituit diverſiſque donis ditavit, in qua ipſius regis & omnium epiſcoporum *Cantuarienſium*, ac regum corpora poni poſſent cum omnibus appendiciis vel adjacenciis ſuis liberam eſſe annuo & ſtatuo, quoniam quidem in eadem eccleſia ſupradictus rex conditus jacet, ejuſque ſtirpis progenita Deo dilecta requieſcit virgo *Mildritha*. Ego eciam ejuſdem regis ſtemmate ortus & regno ejus Deo juvante potitus, *Tanatos* inſulam trado, quam *Hegbertus* rex jure hæreditario conceſſit venerabili reginæ *Domneva* matri ſcilicet S. *Mildretha* quantum cerva curſu ſuo luſtraverat pro interemptione duorum fratrum ejus *Aethelredi* atque *Athelberti*, quos juſſu ejuſdem principis Deo odibilis *Thunur* iniqua ſtravit morte, quem mox cœleſtis ulcio terribiliter ſubſecuta eſt ipſum perimendo. Set & omnes donationes poſſeſſionum vel facultatum quas priſco ſive moderno tempore prædeceſſores mei reges eidem eccleſiæ contulerunt, & ego regia poteſtate contrado atque firma aſtipulatione cum conſenſu & teſtimonio epiſcoporum, ducum, principum, & ſatellitum meorum abbati *Aelſtano* ac monachis ibidem ſub regula beati *Benedicti* abbatis Deo militantibus, ad habenda & perfruenda ſibi perpetua libertate conſtituens attribuo. Si cui vero hæc largicio diſplicet, vel ſi quis, quod abſit, hanc donationem zelo ductus diaboli quoquo ingenio infringere temptaverit, iram Dei & omnium ſanctorum maledicta incurrat, & ſubita morte intereat ſicut prædictus Dei inimicus *Thunur* interiit, percutiatque eum Deus amentia & cæcitate, ac furore mentis omnique tempore columpniam maledictionis Dei ſuſtineat, nec ſit qui eum liberet niſi pœnitens reſipiſcat, & digna emendatione ſatisfaciat. Hæc autem tradicio regalis in eodem loco ſervetur inconvulſa & incontaminata Deo teſte qui dixit, *Michi vindicta, ego retribuam*. Contradicentibus vero ad ruinam & ad condemnationem in die furoris Domini, cum eis qui dixerunt Domino Deo, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*.

Inspeximus eciam cartam ejuſdem *Edwardi* in hæc verba. **Edward kyng gret Stigand ercebiſſcopp, and Harold erl, and Oſward, and alle myne theynes on Kent Frendeliche, and ych kyth yow þat ye am þys knowe þat ye zenſde Chriſt and ſeynt Auſtyn and þe halwen þer bynnan ſo muchel land bynman Fordwyche for minre ſaule ſo ye me ſelf þer havede. ſo ful and ſo forth, ſo ye me ſelven on hode ſtode on alle thing. Now wol ye þat yt lygge into þe Halgan Menſtre. Alſo ic þe der in yaff and ye nelle ſoffre þat eny man mine yeſths youte and ye wolle havve ful dom of þat man. þet mine ſluts lunge and wymmen wolde þat ye yar to ȝeuen havede.**

Inspeximus inſuper cartam bonæ memoriæ *Willelmi* quondam regis *Angliæ* progenitoris noſtri in hæc verba. *Willelmus* Dei gratia rex *Anglorum*

L. ar-

Edw.III. Rex.

L. archiepiſcopo, *Roberto* & *Rogero* comitibus tociuſque *Angliæ* optimatibus ſalutem. Scitote quod reddo ſancto *Auguſtino* & abbati *Scotlando* & fratribus loci octo præbendas in **Nyewynton**, & omnes terras ad illas pertinentes liberas & quietas cum omnibus conſuetudinibus ſicuti teſtimonium perhibuit comitatus *Kanciæ* coram *Lanfranco* archiepiſcopo, & *Eudone* meo dapifero, & *Willelmo de Arches*, & *Radulpho de Curba ſpina*, cæteriſque optimatibus illius comitatus. Volo ergo & præcipio ut amodo firmiter & honorifice jam dictus abbas & locus eas habeat, teneat, poſſideat imperpetuum ſicuti anteceſſores ejus melius tenuerunt. Et ſi aliquis ſibi aliquam inde fecerit injuriam, vos illi rectum facite. Teſte *Go.* epiſcopo *Conſtantinenſi* apud *Rotomagum*, valete. INSPEXIMUS eciam cartam ejuſdem *Willelmi* in hæc verba. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Ego *Willelmus* ineffabili Dei providentia rex *Anglorum*; ex hiis quæ omnipotens Deus ſua gratia michi largiri eſt dignatus quædam concedo eccleſiæ ſancti *Auguſtini Anglorum* apoſtoli, quæ ſita eſt in ſuburbio urbis *Cantuariæ*, pro ſalute animæ meæ & parentum meorum prædeceſſorum & ſucceſſorum hæreditario jure. Heæ ſunt eccleſiæ & decimæ duarum manſionum, videlicet **Faverſham, Middeltone**, ex omnibus redditibus qui michi redduntur ex hiis manſionibus & omnibus ibidem appendentibus, terra, ſilva, pratis, & aqua, excepta decima mellis & gabuli denariorum. Hæc omnia ex integro concedo ſancto *Auguſtino*, & abbati & fratribus, ut habeant, teneant, poſſideant imperpetuum. Si quis autem huic donationi noſtræ contraire præſumpſerit anathemati ſubjacebit. Facta eſt hæc donatio in villa quæ diciter **Wyndeſor** anno incarnationis Dom. M.lxx. Teſtibus epiſcopo *Godfrido de ſeynt Loth*, & *Willelmo* præſule *Londonienſi*, & *Hugone de Port*, & aliis ejus quamplurimis optimatibus. INSPEXIMUS inſuper cartam ejuſdem *Willelmi* in hæc verba. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti Amen. Ego *Willelmus* Dei gratia rex *Anglorum*, ſtatum eccleſiarum regni mei corroborans, & vacillata hactenus in melius confirmans, atque injuſte ablata reſtituens, concedo & annuo ſancto *Auguſtino* et fratribus in ſuo cœnobio commorantibus terram quæ dicitur **Plumſtede**. Hanc terram à præmemorato Sancto et fratribus loci antiquitus poſſeſſam *Godewinus* Comes fraude et vi injuſte abſtulerat, ſuoque filio *Toſtyk* dederat, quam tamen rex *Edwardus* poſtea Sancto reddiderat. Sic variis eventibus poſſeſſa, ablata, reſtituta, ne jam ulterius calumpniæ pateat, aut cujuſquam queremonia à cœnobio ſancti *Auguſtini* ſupradictam villam auferat, inde cirographatum hoc confirmo, ut eam habeant, teneant, poſſideant monachi ſancti *Auguſtini* in ævum. Si quis autem huic noſtræ auctoritati contrarius violare præſumpſerit, æterna maledictionis dampnatione ſe multandum noverit, & regiæ vindictæ ſubjacebit. Ego *Willelmus* gratia Dei rex *Anglorum* hanc cartam confirmo, et fidelibus firmandum committo. Ego *Odo* epiſcopus *Baiocenſis* calumpniam quam in ipſa terra habebam relinquo & libens ſubſcribo ✠. Ego *Willelmus Londonienſis* epiſcopus ſcribo ✠. INSPEXIMUS eciam cartam ejuſdem *Willelmi* in hæc verba. Ego *Willelmus* rex *Anglorum*, *H.* dapifero & omnibus Baronibus de *Kancia Francigenis* & *Anglis* ſalutem. Sciatis quod ego volo et præcipio, ut ſanctus *Auguſtinus* et abbas *Wydo* firmiter & honorifice teneat omnes rectitudines ſuas et conſuetudines ad **Eſtanores** tam in aqua quam in terra, Et nolo ut amplius aliquis ei inde aliquam injuriam faciat, Teſte *Willelmo* epiſcopo *Dunelmenſi* apud **Wyndeſor**. INSPEXIMUS inſuper cartam bonæ memoriæ *Henrici* quondam regis *Angliæ* progenitoris noſtri in hæc verba. *Henricus* rex *Angliæ A.* archiepiſcopo & conventui canonicorum ſancti *Martini de Dovera*, & *Hamoni* dapifero & Baronibus ſuis, et fidelibus *Francis* et *Anglis* de **Chent** ſalutem. Sciatis quod abbas *Hugo* ſancti *Auguſtini Canterburiæ* per dirationamentum regni mei & curiæ, habet præbendam unam de me in eccleſia ſancti *Martini de Doveria* ſicut anteceſſores ſui habuerunt de anteceſſoribus meis. Et volo et præcipio ut ipſe ita plene eam habeat & ita deſerviat per unum canonicum in eccleſia ſancti *Martini* ſicut anteceſſores ſui plenius et melius habuerunt et deſervierunt, & quicquid inde captum eſt poſtquam ipſe *Hugo* abbas fuit, totum ei reddatur; quod niſi ita factum fuerit, in hamo juſtifica inde adverſarios, Teſte *Rogero* epiſcopo *Saleſberienſi*, et *W. Oxonienſi* epiſcopo apud *Weſtmonaſterium* in *Pentecoſte*. INSPEXIMUS eciam cartam ejuſdem *H.* in hæc verba. *H.* rex *Anglorum*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus et omnibus fidelibus ſuis *Francis & Anglis*, totius *Angliæ* ſalutem. Sciatis quod *Hugo* abbas ſancti *Auguſtini Cant.* dirationavit in curia mea terras ſuas de **Rypple** & **Langedon**, cum omnibus illis pertinentibus contra *Maneſtenum Arſit*, Et volo et concedo et firmiter præcipio, ut amodo imperpetuũ in dominio eccleſiæ eas teneat, ita bene et honorifice ſicut ipſe abbas *Hugo* melius et honorabilius et quietius tenet ſuas alias dominicas terras, Teſte epiſcopo *Lyncolnienſi* et comite de **Mellent** apud **Wyndr.** in Pentecoſte in anno quo rex dedit filiam ſuam imperatori. Hoc dirationamentum fuit apud *Londoniam* in Rogationibus. INSPEXIMUS inſuper cartam ejuſdem *H.* in hæc verba. *H.* rex *Anglorum*, omnibus vicecomitibus ſuis & miniſtris totius *Angliæ* ſalutem. Præcipio ut ſervientes S. *Auguſtini* ſint quieti ab omni theolonio in omnibus quæ poterunt affidare ſe emere ad dominicos uſus monachorum, Et defendo ne quis eos ſuper hoc diſturbet. Teſte *Waltero* Cancellario apud *Weſtmonaſterium* in natali Domini. INSPEXIMUS eciam cartam ejuſdem *H.* in hæc verba. *H.* rex *Anglorum Anſelmo* archiepiſcopo & *Hamoni* vicecomiti & omnibus Baronibus ſuis *Francis* & *Anglis* tocius *Angliæ* ſalutem, Sciatis me dediſſe et conceſſiſſe monachis ſancti *Auguſtini* habere feriam in tranſlatione ipſius ſancti apud *Canterberiam* quæ eſt idus Sept. v. die poſt natale S. *Mariæ* & duret per quinque dies, ij. ante feſtum ipſius Sancti & ij. poſt feſtum. Et præcipio ut omnes ad eam venientes & in ea morantes & ab ea redeuntes habeant firmam pacem meam, & nemo eis injuriam faciat, nec in civitate vel extra aliquis theolonium per hos dies capiat niſi monachi & ſervientes eorum, Teſte *Turſtino* capellano & *Hamone* dapifero apud *London.* kal. Septembris. INSPEXIMUS inſuper cartam ejuſdem *H.* in hæc verba. *H.* rex *Anglorum Radulpho Cantuarienſi* archiepiſcopo & *Willelmo de*

S. Iſlep Archiep.

Edw. III. Rex.

Aynelfort vicecomiti, & omnibus baronibus & fidelibus ſuis de **Chent** ſalutem. Concedo Deo & ſancto *Auguſtino Cant.* & *Hugoni* abbati & omnibus ſucceſſoribus ſuis habere mercatum in inſula de **Thanet**, & homines illuc venientes & redeuntes omnes firmam pacem meam habeant, ne aliquis eos diſturbet, neque injuriam vel contumeliam faciat. Et ita habeat abbas in pace & quiete & honorifice mercatum ſuum cum omnibus conſuetudinibus & foriſfactis & placitis ſuis, ſicut habet aliquam terram vel rem ſancti *Auguſtini* melius & quietius & honorificentius. Teſte *Rogero* epiſcopo *Sareſberienſi*, & *Rannlpho* Cancellario, & *Nigello* de Alb. apud *Weſtmonaſterium*. INSPEXIMUS eciam cartam *Ricardi* quondam regis *Angliæ* progenitoris noſtri in hæc verba. *Ricardus* Dei gratia rex *Angliæ*, dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ*, Comes *Andegaviæ* vicecomitibus & omnibus baronibus & fidelibus ſuis de **Chent** ſalutem. Concedo Deo & ſancto *Auguſtino Cant.* & abbati *Rogero* & omnibus ſucceſſoribus ſuis habere mercatum in inſula de **Thanet** apud **Stanores**. Et homines illuc venientes & redeuntes omnes firmam pacem noſtram habeant; nec aliquis eos diſturbet neque injuriam vel contumeliam faciat. Et ita habeat abbas in pace quiete & honorifice mercatum ipſum cum omnibus conſuetudinibus & foriſfactis & placitis ſuis, ſicut habet aliquam terram vel rem ſancti *Auguſtini* melius quietius & honorificentius. Teſte *H. Dunelmenſi* epiſcopo tercio die Decembris apud *Cantuariam*. INSPEXIMUS eciam cartam *Iohannis* quondam regis *Angliæ* progenitoris noſtri in hæc verba. *Johannes* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, dux *Normanniæ*, *Aquitaniæ* & Comes *Andegaviæ* archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, Comitibus, baronibus, Juſticiariis, vicecomitibus, ballivis & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis quod volumus & præcipimus ut nullus amodo aliquid reclamet in **Eſtanores**, ſet abbas de ſancto *Auguſtino Cant.* & fratres loci ejuſdem libere & quiete terram illam & totum littus uſque ad medietatem aquæ habeant ſine calumpnia aliqua; ſicut cartæ regis *Willelmi* & regis *Henrici* avi patris noſtri quas inde habent rationabiliter teſtantur. Hiis teſtibus *Roberto* Comite *Leirceſtriæ*, Comite *Willelmo Mareſcallo*, *Willelmo* Comite *Arundel*, *W. de Brewes*, *Girardo de Furnivall*, *Iohanne de Pratellis*, *Thoma & Alano Baſſet*. Dat. per manus *Iohannis de Branceſtre* archidiaconi *Wygornenſis* apud *Aurival* xv. die Junii anno regni noſtri quinto. INSPEXIMUS eciam cartam domini *E.* quondam regis *Angliæ* patris noſtri in hæc verba. *Edwardus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, dux *Aquitaniæ*, Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis quod cum nos maneria de **Langeport**, **Chiſtelet**, & **Sturreye**, **Menſtre** & **Salmanſton** in comitatu *Kanciæ* cum pertinentiis nuper in curia noſtra coram dilectis & fidelibus noſtris *Ioh. Berewyk* & ſociis ſuis Juſticiariis noſtris itinerantibus in eodem comitatu per brevia noſtra directa verſus dilectum nobis in Chriſto abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* petiviſſemus ut jus noſtrum; Nos caritatis intuitu & ob reverentiam prædicti Sancti remiſimus pro nobis & hæredibus noſtris præfatis Abbati & conventui loci prædicti omnem actionem quam erga eundem abbatem habuimus in maneriis prædictis cum ſuis pertinentiis quibuſcumque. Volentes & concedentes pro nobis & hæredibus noſtris, quod prædicti abbas & conventus habeant & teneant maneria prædicta cum ſuis pertinentiis ut jus eccleſiæ ſuæ prædictæ ſibi & ſucceſſoribus ſuis, ſicut ea habuerunt & tenuerunt ante impetrationẽ brevium noſtrorum prædictorũ ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum imperpetuum. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud *Cantuariam* viceſimo ſeptimo die Julii anno regni noſtri viceſimo primo. Nos autem donationes, conceſſiones, traditiones, confirmationes & remiſſionem prædictas ratas habentes & gratas, eas pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt dilectis nobis in Chriſto *Radulpho* nunc abbati loci prædicti, & conventui ejuſdem loci & ſucceſſoribus ſuis concedimus & confirmamus ſicut cartæ prædictæ rationabiliter teſtantur. Hiis teſtibus venerabilibus patribus *W.* archiep. *Eboracenſi Angliæ* primate theſaurario noſtro, *I. Elyenſi* & *I. Wyntonienſi* epiſcopis. *Iohanne de Warenna Surr.* & *Hugone le Deſpenſer Wyntonienſi* Comitibus, *Hugone le Deſpenſer* domino de *Glammorgan*, *Thoma de Blount* ſeneſcallo hoſpitii noſtri et aliis. Dat. per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium* decimo octavo die Julii anno regni noſtri viceſimo. Nos autem donationes, conceſſiones, traditiones, confirmationes et remiſſionem prædictas ratas habentes & gratas, eas pro nobis et hæredibus noſtris quantum in nobis eſt dilecto nobis in Chriſto fratri *Thome* nunc abbati loci prædicti et ejuſdem loci conventui, et ſucceſſoribus ſuis concedimus et confirmamus ſicut cartæ prædictæ rationabiliter teſtantur, Et prout idem abbas et conventus prædicta maneria, terras et tenementa cum pertinentiis jam tenent, ipſique et prædeceſſores ſui abbates & conventus loci prædicti eadem maneria et tenementa cum pertinentiis ante hæc tempora rationabiliter tenere conſueverunt. Hiis teſtibus venerabilibus patribus *S. Cantuarienſi* archiepiſcopo tocius *Angliæ* primate, *W. Wyntonienſi* Cancellario et *S. Elyenſi* Theſaurario noſtris epiſcopis, *Ricardo Arundel*, *Thoma de Bello Campo Warrenna* Comitibus, *Thoma de Veer* Comite *Oxonienſi* camerario noſtro, *Johanne atte Lee* ſeneſcallo hoſpicii noſtri et aliis. Dat. per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium* duodecimo die Maii anno regni noſtri triceſimo ſexto.

S. Iſlip Archiep.

Confirmatio regis Edwardi *ſuper libertatibus.*

EDWARDUS Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ* et *Aquitaniæ* Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris & omnibus Ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. INSPEXIMUS cartam claræ memoriæ domini *E.* quondam regis *Angliæ* patris noſtri in hæc verba. *Edwardus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ* & dux *Aquitaniæ* Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, miniſtris & omnibus ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. INSPEXIMUS cartam quam bonæ memoriæ dominus *H.* quondam rex *Angliæ* progenitor noſter fecit in hæc verba. *H.* rex *Angliæ Hamoni Dapifero* & miniſtris ſuis ſalutem. Præcipio vobis ut cito faciatis reddi hominibus ſancti *Auguſtini* vadimonia illa quæ ceperunt Burgenſes de *Cantorberia*

Edw. III. Rex.

ria ſuper eos propter auxilium. Nolo enim ut ſervientes ſancti *Auguſtini* qui nec emunt nec vendunt, nec mercatum ducunt donent hoc auxilium, unde quicquid propter hoc ab eis captum eſt totum cito reddatur eis; & videte ne amplius inde clamorem audiam. Teſte *Waltero* Cancellario apud *Wynceſtriam* in paſcha. INSPEXIMUS eciam cartam confirmationis quam claræ memoriæ dominus *H.* quondam rex *Angliæ* avus noſter fecit Deo & eccleſiæ ſancti *Auguſtini Cant.* abbati & monachis ibidem Deo ſervientibus in hæc verba. *Henricus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, dux *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, & Comes *Andegaviæ* archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, miniſtris, & omnibus Ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. INSPEXIMUS cartam domini *I.* regis patris noſtri in hæc verba. *Iohannes* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, dux *Normanniæ*, *Aquitaniæ* & comes *Andigaviæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Ballivis & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis ſalutem, Sciatis nos intuitu Dei & pro ſalute animæ noſtræ & pro animabus omnium ſucceſſorum & anteceſſorum noſtrorum dediſſe, conceſſiſſe & præſenti carta noſtra confirmaſſe Deo & eccleſiæ ſancti *Auguſtini Cant.* abbati & monachis ibidem Deo ſervientibus in liberam, puram & perpetuam elemoſynam, quod prædicti abbas & monachi habeant imperpetuum eorum ſaccam & ſocnam, & pacis fracturam, & pugnam in domo factam, & viæ aſſaltus, & latrones in terra ſua captos, & latronum ſuſceptionem & paſtionem ſuper illorum proprios homines infra civitatem & extra, & catalla fugitivorum ſuorum, & theoloneum ſuum in terra & in aqua, & conſuetudinem quæ dicitur **Theames**, & ſuper omnes allodiarios quos eis habemus datos. Quare volumus & firmiter præcipimus, ut aliquis de hiis ſupra memoratis in aliqua re ſe non intromittat niſi eorum præpoſiti quibus hic commendaverit. Et prohibemus ne aliquis has libertates quas eis conceſſimus ullo modo infringat, ſicut carta regis *Ricardi* fratris noſtri, & cartæ aliorum anteceſſorum noſtrorum quas inde habent rationabiliter teſtantur. Hiis teſtibus *Roberto* Comite *Leyceſtriæ*, comite *Willelmo* Mareſcallo, *Willelmo* Comite *Arundel*, *Willelmo* Comite *de Ferrariis*, *Willelmo de Breynceſtre*, *Girardo de Fornival*, *Iohanne de Pratellis*, *Thoma* et *Alano Baſſet*. Dat. per manum *Iohannis de Branceſtre* archidiaconi *Wygornienſis* apud *Aurival* xv. die Junii anno regni noſtri quinto. Nos igitur conceſſionem prædicti *Iohannis* regis patris gratam & ratam habentes, pro nobis & hæredibus noſtris eam præſenti carta noſtra confirmamus. Hiis teſtibus, *Euſtachio Londonienſi*, *Ioſcelino Bathonienſi*, *Ricardo Sarisberienſi* epiſcopis, *Huberto de Burgo* Comite *Kanciæ* Juſticiario noſtro, *Guillelmo de Ferrariis* Comite *Albemarliæ*, *Humfrido de Boun* Comite *Herefordiæ*, *Guillelmo de Aynesford*, *Ricardo de Argenteyn*, ſeneſcallis noſtris, *Henrico de Capella* & aliis. Dat. per manum venerabilis patris *Radulphi Ciceſtrenſis* epiſcopi & cancellarii noſtri apud *Weſtmonaſterium* decimo octavo die Februar. anno regni noſtri undecimo. INSPEXIMUS eciam quandam aliam cartam quam præfatus avus noſter fecit prædicto abbati & conventui loci illius in hæc verba. *Henricus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, et dux *Aquitaniæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Foreſtariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris & omnibus Ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis nos conceſſiſſe & hac carta noſtra confirmaſſe dilectis nobis in Chriſto abbati *S. Auguſtini Cant.* qui pro tempore fuerit & ejuſdem loci conventui, quod ipſi & eorum ſucceſſores imperpetuum habeant liberam warennam in omnibus dominicis terris ſuis de **Menſtre** in inſula de **Thenet**, **Chiſtelet**, **Sturreye**, **Stodmerſch**, **Littleborne**, **Kenynton**, **Snaves**, **Borewarmerſch**, **Lenham**, & **Plumſtede** in comitatu *Kanciæ*, dum tamen terræ illæ non ſint infra chacias aut warennas noſtras. Ita quod nullus intret terras illas ad fugandum in eis vel ad aliquid capiendum quod ad warennam pertineat ſine licentia & voluntate ipſorum abbatis & conventus vel ſucceſſorum ſuorum, ſuper forisfacturam noſtram decem librarum. Conceſſimus eciam & hac carta noſtra confirmavimus eiſdem abbati & conventui, quod ipſi & eorum ſucceſſores imperpetuum habeant unum mercatum apud prædictum manerium ſuum de **Plumſtede**, ſingulis ſeptimanis per diem Martis, Et quod habeant ibi unam feriam ſingulis annis duraturam per tres dies, videlicet in vigilia, in die & in craſtino Sancti *Nicholai*, niſi mercatum illud & feria illa ſint ad nocumentum vicinorum mercatorum, & vicinarum feriarum. Quare volumus & firmiter præcipimus pro nobis et hæredibus noſtris, quod prædicti abbas & conventus et eorum ſucceſſores imperpetuum habeant prædictam warennam, dum tamen non ſit infra chacias aut warennas noſtras. Et quod habeant prædicta mercatum et feriam cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus ad ea pertinentibus, niſi mercatum illud et feria illa ſint ad nocumentum vicinorum mercatorum et vicinarum feriarum ſicut prædictum eſt. Hiis teſtibus, *Guydone de Lezinan*, & *Willelmo de Valencia* fratribus noſtris, *Thoma de Clare*, *Roberto Agnylim*, *Willelmo de Wyntreſbulle*, *Benedicto de Blakenham*, *Stephano de Edworth*, *Rogero de Wanton*, *Petro Everard* & aliis. Dat. per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium* primo die Aprilis anno regni noſtri quinquageſimo quarto. INSPEXIMUS eciam literas patentes quas celebris memoriæ dominus *E.* quondam rex *Angliæ* pater noſter fecit præfatis abbati & conventui in hæc verba. *Edwardus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, & dux *Aquitaniæ*, Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem. Sciatis quod cum nos maneria de **Langport**, **Chiſtelet**, **Sturreye**, **Menſtre** & **Salmanſton** in comitatu *Kanciæ* cum pertinentiis nuper in curia noſtra coram dilectis & fidelibus noſtris *Iohanne de Berewyk* & ſociis ſuis Juſticiariis noſtris itinerantibus in eodem comitatu per brevia noſtra de recto verſus dilectum nobis in Chriſto abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* petiviſſemus ut jus noſtrum, Nos caritatis intuitu et ob reverentiam prædicti Sancti remiſimus pro nobis & hæredibus noſtris præfatis abbati & conventui loci prædicti omnem actionem quam erga eundem abbatem habuimus in maneriis prædictis cum ſuis pertinentiis quibuſcumque: Volentes & concedentes pro nobis & hæredibus noſtris quod prædicti abbas & conventus habeant & teneant maneria prædicta cum ſuis pertinentiis ut jus

S. Iſlep. Archiep.

Edw. III. Rex.

eccleſiæ ſuæ prædictæ ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſicut ea habuerunt & tenuerunt ante impetrationem brevium noſtrorum prædictorum ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum imperpetuum. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes, teſte meipſo apud *Cantuariam* viceſimo ſeptimo die Julii anno regni noſtri viceſimo primo. INSPEXIMUS eciam cartam quam præfatus pater noſter fecit eiſdem abbati & conventui in hæc verba. *Edwardus* Dei gratia rex *Angliæ*, dominus *Hiberniæ*, dux *Aquitaniæ*, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Præpoſitis, Miniſtris & omnibus ballivis & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis quod licet dilecti nobis in Chriſto abbas & conventus ſancti *Auguſtini Cant.* à tempore cujus memoria non exiſtit perceperint & habuerint catalla omnium hominum & tenentium ſuorum felonum & dampnatorum ac fugitivorum in quibuſcumque curiis infra regnum noſtrum adjudicata fuerant ſemper huc uſque, abſque dono, vel conceſſione aliqua à nobis ſeu progenitoribus noſtris quondam regibus *Angliæ* inde habita vel optenta: Ne tamen dicti abbas & conventus ex hujuſmodi perceptione onerari, inquietari, vel actionari à quocumque valeant in futurum, ob reverentiam ſancti prædicti et devotionem quam erga eundem ſanctum gerimus & habemus, Volentes eiſdem abbati & conventui gratiam facere & eorum ſecuritati ex regia munificentia in hoc ſpecialiter providere; Volumus & concedimus & hac carta noſtra confirmamus pro nobis & hæredibus noſtris præfatis abbati & conventui, quod ipſi & eorum ſucceſſores habeant & percipiant de cætero catalla omnium hominum et tenentium ſuorum felonum, dampnatorum & fugitivorum coram quibuſcumque Juſticiariis & Miniſtris noſtris et hæredum noſtrorum aut aliorum quorumcumque infra regnum noſtrum catalla hujuſmodi, ex quibuſcumque delictis et cauſis contigerit adjudicari. Ita quod cum aliquis hominum & tenentium ſuorum pro delicto aliquo vitam vel membrum debeat amittere, vel fugam fecerit et judicio ſtare noluerit, vel qualitercumque deliquerit, per quod catalla ſua perdere debeat in quacunque curia noſtra et hæredum noſtrorum, ſeu aliorum, ubi de eo juſtitia fieri debeat, liceat ipſis abbati et conventui et eorum miniſtris ſine impedimento ſeu contradictione noſtra et hæredum noſtrorum, vicecomitum, ballivorum, et miniſtrorum noſtrorum quorumcumque vel aliorum ponere ſe in ſeiſinam de catallis prædictis in quibuſcumque caſibus, in quibus ballivi noſtri vel hæredum noſtrorum ſi catalla illa ad nos vel hæredes noſtros pertinerent, ea in manus noſtras vel manus hæredum noſtrorum poſſent vel deberent capere vel ſeiſire; Ita quod nullus Juſticiarius ſeu miniſter noſter vel hæredum noſtrorum ſeu alterius de catallis hujuſmodi quo minus abbas et conventus et eorum miniſtri ea habere et in ſeiſinam eorundem ſe ponere poſſint ut prædictum eſt, ſe in aliquo intromittat ſine licentia et voluntate ipſorum abbatis et conventus, et ſucceſſorum ſuorum imperpetuum. Quare volumus et firmiter præcipimus pro nobis et hæredibus noſtris, quod prædicti abbas et conventus et eorum ſucceſſores habeant et percipiant de cætero catalla hominum et tenentium ſuorum felonum et dampnatorum ac fugitivorum, coram quibuſcumque Juſticiariis et miniſtris noſtris et hæredum noſtrorum, et aliorum quorumcumque infra regnum noſtrum catalla hujuſmodi ex quibuſcumque delictis et cauſis contigerit adjudicari. Ita quod cum aliquis hominum vel tenentium ſuorum pro delicto aliquo vitam vel membrum debeat amittere, vel fugam fecerit, et judicio ſtare noluerit, vel qualitercumque deliquerit, per quod catalla ſua perdere debeat in quacumque curia noſtra vel hæredum noſtrorum ſeu aliorum ubi de eo juſticia fieri debeat, Liceat ipſis abbati et conventui et eorum miniſtris ſine impedimento ſeu contradictione noſtri et hæredum noſtrorum, vicecomitum, ballivorum et miniſtrorum noſtrorum quorumcumque vel aliorum, ponere ſe in ſeiſinam de catallis prædictis in quibuſcumque caſibus in quibus ballivi noſtri vel hæredum noſtrorum, ſi catalla illa ad nos vel hæredes noſtros pertinerent, ea in manus noſtras et hæredum noſtrorum poſſent vel deberent capere vel ſeiſire, et ita quod nullus Juſticiarius ſeu Miniſter noſter vel hæredum noſtrorum ſeu alterius de catallis hujuſmodi quominus dicti abbas et conventus et eorum miniſtri ea habere et in ſeiſinam eorundem ponere ſe poſſent, in aliquo intromittat ſine licentia & voluntate ipſorum abbatis et conventus, et ſucceſſorum ſuorum imperpetuum ſicut prædictum eſt. Hiis teſtibus venerabilibus patribus *A. Dunolmenſi*, *W. Elienſi*, *I. Karliolenſi* et *W. Bathonienſi* et *Wellenſi* epiſcopis, *Edmundo* fratre noſtro, *W. de Valencia* avunculo noſtro, *Edmundo* Comite *Cornubiæ* conſanguineo noſtro, *Roberto Tybotot*, *Gilberto de Thornton*, *Waltero de Bello Campo*, *Iohanne de Meryngham*, *Roberto de Hertford*, *Rogero Brabazun* et aliis. Dat. per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium* quarto decimo die Junii anno regni noſtri viceſimo ſecundo. Nos autem præceptum, donationem, conceſſiones, confirmationes et remiſſionem prædicta rata habentes et grata, ea pro nobis et hæredibus noſtris quantum in nobis eſt, dilectis nobis in *Chriſto Radulpho* nunc abbati loci prædicti & conventui ibidem et eorum ſucceſſoribus concedimus & confirmamus, ſicut cartæ et literæ patentes prædictæ rationabiliter teſtantur. Præterea cum abbates & conventus loci illius à tempore quo non extat memoria habuerint in maneriis ſuis de **Menſtre**, **Nordborne**, **Littlemongham**, **Lenham**, **Lytleborne**, **Chiſtelet**, **Sturre**, **Stodmerſch**, **Ripple**, **Langedon**, **Salmanſton**, **Swalclive**, **Combrok**, **Kenynton**, **Sellyng**, **Plumſted**, **Tenwarden**, **Borewarmerſch**, **Dale**, **Goſtone**, **Newenton**, **Langport**, & **Wyke**, in ſuburbio *Cantuariæ* in comitatu *Kanciæ* catalla hominum ſuorum dampnatorum et fugitivorum cum anno et vaſto, & animalia quæ dicuntur **Weyf**, Et in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Stodmerſch**, **Chiſtelet**, **Nordborne**, **Dale**, **Swalclyve**, **Plumſteds**, ac in maneriis ſuis de **Snave** & **Seſaltre** in eodem comitatu wreccum maris, & eciam habuerint in prædictis maneriis de **Menſtre**, **Nordborne**, **Lenham**, **Litleborne**, **Chiſtelet**. **Sturre**, **Stodmerſch**, **Ripple**, **Langedon**, **Plumſtede**, **Dale**, **Goſtone** & **Langport** viſum franci plegii et ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent, Et in prædicto manerio de **Newynton**, emendas aſſiſæ panis & cerviſiæ fractæ, et tenuerint in eodem manerio de *N.* de hominibus ſuis qui ſunt extra procinctum hundredi de **Middilton**, Et in prædictis maneriis de **Kenynton**, **Borewarmerſch** & **Snaves** placita de ſanguinis effuſione, ſicut recordum *I. de Berewyk*, & ſo-

S. Iſlep Archiep.

Edw. III. Rex.

ſociorum ſuorum Juſticiariorum domini regis *E.* quondam regis *Angliæ* patris noſtri anno regni regis ejuſdem xxj. itinerancium ad communia placita in comitatu prædicto, quod coram nobis venire fecimus, evidenter apparet; Super quibus quidem libertatibus abbates & conventus prædicti cartam alicujus progenitorum noſtrorum hactenus nullatenus habuerunt: Nos volentes ſecuritati abbatis & conventus loci prædicti & ſucceſſorum ſuorum in hac parte providere, & eis gratiam facere ampliorem, concedimus eiſdem abbati & conventui & hac Carta noſtra confirmamus pro nobis & hæredibus noſtris, quod ipſi & ſucceſſores ſui imperpetuum habeant per eandem cartam noſtram in prædictis maneriis de **Menſtre, Nordborne, Litlemongham, Lenham, Litleborne, Chiſtelet, Sturre, Stodmerſch, Ripple, Langedon, Halmanſton, Swalclive, Berton, Combrok, Kenynton, Selling, Plumſtede, Cantwarden, Borewarmerſch, Dale, Goſtone, Newinton, Longport** & **Wyke** catalla hominum ſuorum dampnatorum & fugitivorum cum anno & vaſto, & animalia quæ dicuntur **Wepſ**; & in prædictis maneriis de **Menſtre, Stodmerſch, Chiſtelet, Nordborne, Dale, Swalclive, Plumſtede, Snaves** & **Seſaltre** wreccum maris. Et in eiſdem maneriis de **Menſtre, Nordborne, Lenham, Litleborne, Chiſtelet, Sturre, Stodmerſch, Ripple, Langedon, Plumſtede, Dale, Goſton** & **Longport** viſum franci plegii, & ea quæ ad hujuſmodi viſum pertinent. Et in prædicto manerio de **Newynton** emendas aſſiſæ panis et cerviſiæ fractæ, & quod teneant in eodem manerio de **Newynton** de hominibus ſuis qui ſunt extra procinctum hundredi prædicti et in dictis maneriis de **Kenynton, Borewarmerſch** & **Snaves** placita de ſanguinis effuſione. Et conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod licet ipſi aut prædeceſſores ſui prædicti aliquibus libertatum in cartis & literis ſupradictis quas confirmavimus ut ſuperius eſt expreſſum contentarum ſeu aliarum per recordum prædictum ſuperius expreſſarum aliquo caſu emergente hactenus uſi non fuerint, Idem tamen abbas & conventus & ſucceſſores ſui libertatibus ſupradictis & earum qualibet de cætero virtute præſentis cartæ noſtræ imperpetuum plene gaudeant & utantur ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, Juſticiariorum, Eſcaetorum, Vicecomitum aut aliorum ballivorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque. Hiis teſtibus venerabilibus patribus *W. Wigornenſi*, *J. Bathonenſi* & *Wellenſi*, & *W. Exonienſi* epiſcopis, *Gilberto de Clare* Comite *Glouceſtria*, & *Herefordia*, *Adomaro* de *Valencia* Comite *Pembrok*, *Johanne de Britania* Comite *Richmond*, *Hugone le Deſpencer*, *Edmundo de Malo Lacu* Seneſcallo hoſpicii noſtri, et aliis. Dat. per manum noſtram apud *Dovoram* xxij. die Maii anno regni noſtri ſexto. Nos autem præceptum, donationem, conceſſiones, confirmationes & remiſſionem prædicta rata habentes et grata, ea pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt dilecto nobis in Chriſto fratri *Thomæ* nunc abbati loci prædicti et ipſius loci conventui concedimus et confirmamus ſicut cartæ & literæ prædictæ rationabiliter teſtantur. Præterea volentes eiſdem abbati et conventui ob affectionem quam ad perſonam dicti abbatis merito gerimus et habemus, gratiam facere ampliorem, conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris eiſdem abbati et conventui, quod licet ipſi vel eorum prædeceſſores aliqua vel aliquibus libertatum in prædictis carta et literis contentarum ſeu aliarum per dictum recordum expreſſarum aliquo caſu emergente hactenus uſi non fuerint: idem tamen abbas et conventus et ſucceſſores ſui libertatibus prædictis et earum qualibet extunc plene gaudeant imperpetuum et utantur, ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, Juſticiariorum, Eſcaetorum, Vicecomitum, aut aliorum Ballivorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque. Hiis teſtibus venerabilibus patribus *S. Cantuarienſi* archiepiſcopo totius *Angliæ* Primate, *W. Wintonienſi* Cancellario, et *S. Elienſi* Theſaurario, noſtris epiſcopis, *Ricardo Arundel.* *T. de Bello Campo Warr.* Comitibus, *T. de Ver* Comite *Oxoniæ* Camerario noſtro, *J. ate Lee* Seneſcallo hoſpicii noſtri & aliis. Dat. per manum noſtram apud *Weſtmonaſterium* xij. die Maii anno regni noſtri xxxvj.

S. Iſlep. Archiep.

§ 10. *De manerio de* **Dene** *in* **Thanet** *per Comitiſſam* Huntindoniæ *dato.*

S*Ciant præſentes & futuri, quod nos* Juliana de Leybourne *Comitiſſa* Huntingtoniæ *dedimus &c. manerium noſtrum de* **Dene** *& quoddam tenementum vocatum* **Auſton** *cum mariſcis, brocis, molendinis, ſerviciis, tenementis, redditibus, releviis, eſcaetis, viſibus franciplegii, feoditatibus, ſectis curiæ & omnibus aliis juribus & pertinenciis ſuis quibuſcumque in inſula de* **Thanet** *adeo integre ſicut ea unquam habuimus vel tenuimus per deceſſum hereditarium in manu noſtra. Habendum & tenendum prædicta maneria & tenementa cum ſuis pertinentiis prædictis abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum ad inveniendum & ſuſtentandum de exitibus & proficuis manerii & tenementorum prædictorum quaſdam cantarias, eleemoſynas & alia pietatis opera ſubſcripta, videlicet, Quod ipſi & ſucceſſores ſui poſt deceſſum noſtrum in die ſanctæ* Annæ *annuatim celebrent imperpetuum j. miſſam ſolempnem in choro ut in duplici feſto, & diſtribuant eadem die C. pauperibus CC. denarios, videlicet cuilibet eorum ij.d. & conventui ejuſdem loci j. pitanciam ſufficientem annuatim die ſupradicto, & in die anniverſarii noſtri exequias mortuorum cum ſolempni miſſa in choro & aliis pertinentiis ut in duplici feſto annuatim celebrent; & eodem die CC. pauperibus CC. denarios diſtribuent, & pitanciam eodem die, videlicet abbati xx.s. Priori v.s. & cuilibet monacho de conventu ij.s. vj.d. Et prædicti abbas & conventus & ſucceſſores ſui invenient j. capellanum idoneum ſecularem ad celebrandum imperpetuum ad altare ſanctæ* Annæ *in monaſterio prædicto j. miſſam cotidie pro domino* Edwardo *rege* Angliæ *& pro animabus progenitorum ſuorum & animabus anteceſſorum noſtrorum & pro anima* Laurencii de Haſtyng *&* Johannis *filii ejuſdem & animabus anteceſſorum ſuorum. Et quod omnes monachi ad prædictum altare celebrantes habeant ſpecialiter in memoria animas prædictas. Ad quas quidem cantarias, eleemoſynas & alia pietatis opera ut præmittitur annuatim facienda & obſervanda imperpetuum, prædicti abbas & conventus obligant ſe & ſucceſſores ſuos manerium & tenementa prædicta; & concedunt pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod ſi contingat*

Edw. III. Rex. *prædictas cantarias, elemoſynas & alia pietatis opera in parte vel in toto à retro eſſe vel ſubtracta; extunc bene liceat hæredibus prædictæ Comitiſſæ & atornatis eorum in hac parte, in manerio & tenementis prædictis diſtringere & diſtrictiones retinere, quouſque idem abbas & conventus de omnibus ſubtractis & defectibus plenarie ſatisfecerint. Et nos prædicta Comitiſſa & hæredes noſtri prædicta manerium & tenementa cum ſuis pertinentiis prædictis abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis in forma prædicta contra omnes warantizabimus &c.*

Eodem anno x. die menſis Marcii idem rex remiſit & quietum clamavit pro ſe & hæredibus ſuis totum jus & clameum quæ in eiſdem manerio & tenementis habere potuit, prædictis abbati et conventui, et contemplatione prædictæ Comitiſſæ eiſdem prædicta perpetualiter confirmavit.

An. Dñi 1363. Anno Domini M.CCC.lxiij. dominus rex conceſſit CC.l. marcas pro foſſatura et clauſtura civitatis. Cujus operis ſuperviſores fuerunt abbas et prior ſanctæ Trinitatis.

§.11. *Adquiſitio manerii de* **Ores**.

1365. ANno Domini M.CCC.lxv. poſt multas interlocutiones, lites & contentiones motas inter *T.* abbatem & conventum hujus monaſterii & *Thomam Conn* chivaler de jure & poſſeſſione manerii de **Ores** in **Chiſtelet**, tandem per finem de li. idem *T.* alienavit & dimiſit manerium prædictum in hac forma quæ ſequitur.

Sciant præſentes &c. Willielmo Sepham *Rectori eccleſiæ de* **Werhorne**, Valentino ate Pathe *Rectori eccleſiæ de* **Nortone**, & Thomæ Kempe *vicario eccleſiæ de* **Chiſtelet** *manerium de* **Ores** *juxta* **Raycolver** *cum pertinentiis, una cum omnibus libertatibus, redditibus & ſerviciis, tenementis & commoditatibus ad dictum manerium quoquo modo ſpectantibus; Habendum & tenendum prædictum manerium cum pertinentiis una cum omnibus libertatibus, redditibus & ſerviciis, tenementis & commoditatibus ad dictum manerium quoquo modo ſpectantibus prædictis* Willielmo Valentino, & Thomæ *hæredibus & aſſignatis ſuis de capitalibus dominis feodorum per ſervicia quæ ad præfatum manerium cum pertinentiis prædictis pertinent imperpetuum.*

Thomas Abbas ſancti &c. per *Johannem Eſpelon* attornatum ſuum petit verſus *Willelmum S.* &c. j. meſuagium, C.xl. acras terræ, CCCC. & xl. acras paſturæ, viij. acras boſci, C.l. acras mariſci, lx. s. redditus & redd. xij. gallinarum, xl. gallinarum & xij. vomerum cum pertinentiis in **Chiſtelet** & **Weſtbere**, quæ magiſter *Johannes Verdonn* tenuit de *Radulpho* abbate prædeceſſore abbatis nunc, & quæ ad præfatum nunc abbatem reverti debent tanquam eſcaeta ſua, eo quod prædictus *I.* baſtardus fuit & obiit ſine hærede de ſe. Et unde dicit, quod prædictus *Johannes Verdonn* tenuit de prædicto *Radulpho* abbate prædicta tenementa cum pertinentiis ſuis per homagium & fidelitatem & ad ſcutagium domini regis xl. s. & ad faciendum ſectam tam ad curiam prædicti abbatis apud *Cantuariam* de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas quam ad curiam ipſius abbatis de **Chiſtelet**; & per ſervicium liij. s. iv. d. & inde producit ſectam. Et prædicti &c.

§.12. *Servitium quod homines v. portuum debent ad* **Norborne**. S. Islep Archiep.

ANno Domini M.CCC.lxiv. die Veneris proximo poſt feſtum ſancti *Dunſtani* fuit inquiſitio capta apud *Cantuariam* coram *Willelmo Herle, Johanne Cobham* & aliis Juſticiariis domini regis aſſignatis ad inquirendum per ſacramentum &c. qui dicunt quod barones de libertate *Dovoriæ* adquiſierunt extra libertatem ſuam in tenura abbatis ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ad maneria de **Northborne** & **Ripple** in hundredo de **Cornylo** de diverſis hominibus tempore regis *E.* patris regis nunc, & tempore regis nunc, CCC.ix. acras, iij. rodas dimidiam de terra vocata **Swollyngland** quæ tenentur per diverſa ſervicia ſubſequentia; videlicet ad curiam de **Norborn** CC.xlij. dimidiam acram dimidiam rodam de **Swollyngland**, & debet inde quælibet acra per annum ad iv. terminos j. d. ob. & debet quælibet *Swollynga* habere CC. acras quæ debent per annum viij. gallinas, j. multonem & CC. ova de redditu, & ſic ſecundum quantitatem cujuſlibet *S.* Et debet quælibet *Swollinga* arare vj. acras de **Telwork**, & ij. acras de **Swodlesden**, & prædictas vj. acras ſeminare, ſemen ad granarium domini quærere & reſiduum ſeminis reportare. Debent eciam dictas vj. acras herciare, ſarculare, metere, ligare, coppare & vertere, ſi neceſſe fuerit in grangiam domini cariare & taſſare. Et debent pro qualibet *Swollinga* xiv. d. per annum pro **ſchippesbere, timberlode & bordlode**, vel cariare extra waldam per mare vel per terram ad manerium prædictum. Et ad quamlibet *Swollingam* dominus eliget in curia ſua per tenentes ſuos ij. homines & inde onerabit j. qui colliget redditum in dicta *Swollinga*, ſet pro arreragiis redditus non diſtringere, ſet bedellus domini diſtringet; & debet quilibet tenens ſectam ad curiam domini de tribus ſeptimanis in tres ſeptimanas. Et ad ij. dies diviſos debent venire ad viſus franci plegii faciendos ibidem & præſentare ibidem omnia quæ ſunt præſentanda; Et debent relevium tam de terris ſuis ſibi hæreditarie acceſſis quam de terris perquiſitis ſecundum modum patriæ. Quæ ſervicia & conſuetudines ipſi tenentes annuatim faciunt & ſolummodo præter corporale ſervicium quod vocatur **Swollyngman**, quod facere omnino recuſant, ad magnum gravamen & præjudicium abbatis ſupradicti. Item dicunt quod dicti tenentes pro omnibus terris ſuis in geldabili tenentur & debent contribuere in omnibus lottis & ſcottis in geldabili aſſeſſis, videlicet pro warda maris tempore guerræ pro hobelariis, ſagittariis inveniendis & ſuſtentandis ubi neceſſe fuerit ſuper coſteram maris, & jam pro ſagittariis & eorum ductoribus inveniendis & ſuſtentandis verſus partes *Scociæ* & alibi tempore guerræ prædictorum regum, & pro hominibus juratis coram diverſis Juſticiariis domini Regis, & pro eorum expenſis aſſeſſis & levatis in geldabili pro terris ſuis in geldabili contributionem recuſarunt & recuſant, & pro expenſis factis circa conſtabularios laborantes ad eligendum & ducendum prædictos hobilarios ſagittarios, & in omnibus aliis lottis & ſcottis contributionem facere recuſant, ad grave dampnum tocius communitatis partium ſuarum. Item dicunt, quod per eadem ſervicia et conſuetudines tota terra de **Swoll**, quam dicti barones tenent

An. Dñi 1364.

Edw. III. Rex. nent ad curiam de **Ripple** & **Eaſtlangdon** debent nichil per annum præter **ſchippſilvere, timbirlode, bordlode,** & **multon.** Item tota terra de **Swoll,** apud **Ripple** tenetur de curia de **Ripple** quælibet acra per ſervicium iij. d. ad tres terminos, & quælibet acra metere ij. pedes frumenti & ligare, & debent ad turnum vicecomitis ſecundum quantitatem terrarum ſuarum ad terminum mediæ quadrageſimæ, Et dicunt quod dicti barones pro terris ſuis contributionem in lottis &c. facere recuſant. Item dicunt, quod barones de *Sandwyco* tenent de curia de **Northborne** CCCC. lxvj. acras iij. rodas dimidiam de **Swollyngland** per eaſdem conſuetudines & ſervicia ſicut barones de *Dovoria* &c. quæ quidem conſuetudines & ſervicia ipſi annuatim faciunt & ſolvunt præter corporale ſervicium ut ſupra, & pro lottis & ſcottis faciunt contributionem.

§. 13. *Juſticiarii aſſignati ſuper coſteris maris.*

An. Dñi 1365. EOdem anno ſcilicet M. CCC. lxv. dominus Rex abbate *Thoma* ſuggerente aſſignavit *Radulphum Spigurnel* conſtabularium caſtri *Dovoria*, *Johannem Cobeham*, *Robertum Belkneph*, *Robertum Corby*, *Willielmum Halden*, & *Willielmum Horne* Juſticiarios ad ſupervidendum, & ad ſupervisionem illam dominos partium illarum vel illorum ballivos convocandum & cum ipſis tractandum & deliberandum de dampnis & periculis à **Clyveſend** uſque **Stonore** & à **Stonore** uſque *Fordwycum* & *Serr.* qualiter melius & citius ſubduci poterunt quoquo modo. Quarum prætextu literarum idem juſticiarii convocatis ad eos dominis terras & dominia in partibus illis habentibus perſonaliter inſulam de **Thanet** ingredientes ad loca prædicta acceſſerunt, & omnes partes & fines adjacentes circumquaque cum diligentia ſuperviderunt, ſcilicet die Martis in tercia ſeptimana Quadrageſimæ anno regni regis xxxix^o^. præceptumque fuit vicecomiti ab eiſdem quod venire faceret coram præfatis aſſignatis de quolibet hundredo hundredorum de **Cornylo**, **Eaſtry**, **Wyngham**, **Preſtone**, & **Donnhamforde**, & **Ryngſlo** xij. tam milites quam alios liberos & legales homines de probioribus & potentioribus hundredorum prædictorum, illorum videlicet qui terras tenementa, mariſcos, prata vel paſturas periculo maris à **Clyveſende** uſque **Stonores** & à **Stonores** uſque *Fordwycum* & *Serr.* ſubjacentia non habeant. Qui quidem jurati & onerati dicunt per ſacramentum ſuum, quod ipſi prædictas coſteras maris inter **Clyveſende** & **Stonores** cum deliberatione diligenti cum omnibus partibus ibidem adjacentibus undique ſuperviderunt prout eis injunctum extitit per præfatos aſſignatos. Dicunt etiam quod iminens eſt ibidem de novo ſuperventum inter limites ſupradictos quoddam periculum à quodam videlicet loco vocato **Thorghlode** uſque quendam locum vocatum mariſcus de **Brodehope**, tale videlicet quod impetus maris ad terram ibidem fluctuantes ripam ibidem in multo violentius adjacent quam ſolebant. Quibus quidem fluctibus & maris ibidem ingreſſui obſtat quædam wallea quam abbas S. *Auguſtini Cant.* jam tarde fieri fecit, & periculo ac walleæ periculo illi reſiſtenti tantum ſubjacet quidam mariſcus ejuſdem abbatis vocatus **Saltmerſch** continens iiij^xx^. acras, & ille mariſcus per inundationem maris & fluctuationem exceſſivam & non aliter illa wallea non obſtante vel alio manuopere forte poteſt ſuperundari & leviter devaſtari. Dicunt inſuper quod licet undæ maritimæ ultra defenſionem illam ingredientes totum mariſcum illum ſuperfluerent & vaſtarent, nulla terras prata mariſcos paſturas vel tenementa alia quam prædictum mariſcum vocatum **Saltmerſch** tantum in partibus illis deſtrueret, nec alicui dampnum generaret, eo quod nulla terræ prata mariſci paſturæ vel tenementa alia quam prædictus mariſcus in partibus illis ſubjacent periculo ſupradicto.

S. *Lanham* Archiep.

Anno M.CCC.lxvj. in vigilia Reliq. obiit *Symon Yſclep* archiepiſcopus, & eodem anno in vigilia ſancti *Nicholai* electus eſt *Simon Lanham*, & eodem anno in epiphania Domini natus eſt *Ricardus* rex *Anglia* apud *Burdeywes*, in cujus nativitate fuerunt iij. magi, ſcilicet rex *Iſpania*, rex *Navernie*, & rex *Portigallia*, qui quidem reges dederunt puero munera precioſa. An. Dñi 1366.

§. 14. *Commutatio inter Abbatem & Priorem S. Trinitatis in* **Quenyngate.**

ANno Domini M. CCC.lxvij. facta fuit quædam commutatio terrarum & reddituum inter religioſos viros abbatem &c. ex parte una, & Priorem & conventum Sanctæ Trinitatis ex altera, ſuper variis contentionibus & calumpniis ex utraque parte de diverſis injuſtis occupationibus & detentionibus ut dicitur factis, videlicet quod cum idem Prior & conventus certa meſuagia & toſta de quibus idem abbas reddit xv. s. particulariter percipere conſueverunt, continentia in longitudine & latitudine dimidiam acram dimidiam rodam & iv^tam^ partem unius rodæ, & quæ de *Nicholao Horn*, *Johanne Calward*, *Henrico ate Furſtall*, & aliis in **Quenyngatelane** ſeperatim adquiſierunt, & partem inde calumpniaverunt, & reſiduum eorundem meſuagiorum & toſtorum in augmentationem gardini ipſorum Prioris & conventus ibidem includere prætendunt. Et ex parte prædictorum Prioris & conventus ſit oſtenſum, quod prædicti abbas & conventus j. placeam terræ apud *les Vines* in **Thortyngton** & quandam parcellam cujuſdam condos juxta campum ipſorum Prioris & conventus apud **Paneregge** viij. d. annui redditus pro herbagio & paſtura cujuſdam wallæ apud *Fordwycum* vocatæ **Celereriſwal**, xviij. d. de redditu cujuſdam alterius parcellæ, & viij. d. redditus cujuſdam peciæ terræ apud **Bromdon** de terra quondam **Godeleve ate Crouch** continente dimidiam acram terræ juxta terram ipſorum Prioris & conventus in longitudine verſus **Eaſt**, & ex altera parte in longitudine ad communem viam quæ ducit ad terras diverſorum hominum apud **Paneregh** & **Bromdon** verſus **Weſt** capitando ad regiam ſtratam verſus **South** ad elemoſynas prædictorum abbatis & conventus pertinentes per magnum tempus in parte occuparunt: Tamen amicabiliter pro bono pacis habenda & continuanda & contentionibus & calumpniis prædictis omnino amovendis & amodo imperpetuum finaliter quieſcendis, concordatum eſt inter ipſos in hunc modum, videlicet quod prædictus abbas & conventus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis remittunt eiſdem Priori & conventui & ſucceſſoribus ſuis v. s. de prædictis xv. s & concedunt quantum in ipſis eſt, quod ipſi Prior & conventus per dictam menſuram menſuratam meſuagia 1367.

Edw. III. Rex.

ſuagia & toſta prædicta ſcilicet de illis tenementis de quibus idem abbates redditum percipiunt pro voluntate ſua includere valeant; ita tamen quod x.s. reſidui prædictorum xv.s. eiſdem abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis in feſto S. *Michaelis* annuatim de tenementis prædictis ſolvantur imperpetuum ut prius conſueverunt. Et ad majorem ſecuritatem ſolutionis prædictorum x. s. concedunt prædicti Prior & conventus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod ſi contingat prædictum redditum x. s. in parte vel in toto per viij. dies poſt terminum prædictum à retro eſſe, bene liceat eiſdem abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis per miniſtros ſuos quoſcumque in quodam meſuagio cum celario & ſhoppa ad idem pertinentibus ipſorum Prioris & conventus in parochia S. *Andreæ Cantuar.* in *le* **Poltrye** ſituato inter regiam ſtratam verſus **North**, & alia tenementa ipſorum Prioris & conventus verſus **South**, & quandam venellam vocatam **Clementislane** verſus **Eaſt**, & quandam placiam communem vocatam **Bulſtak** verſus **Weſt**, diſtringere, & diſtrictiones ſic captas irreplegiabiles retinere uſque ad plenariam ſolutionem redditus prædicti, & detentionis ejuſdem competenter faciendam. Pro qua quidem conceſſione & remiſſione idem Prior & conventus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis remittunt & quietum clamant eiſdem abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis, totum jus & clameum quod habuerunt in prædictis placeis terræ apud *les Vines* annexa muro ejuſdem abbatis & conventus, & in condos ut prædicitur apud **Paneregge**, prout metæ & bundæ inde de novo appoſitæ ibidem dividunt & demonſtrant, ac eciam totum jus & clameum quod habuerunt in dictis annuis redditibus prædictorum viij.d. & xviij.d. & viij.d. imperpetuum. Et præterea idem Prior & conventus concedunt & licentiam dant per præſentes pro ſe & ſucceſſoribus ſuis eiſdem abbati & conventui & ſucceſſoribus ſuis, quod ipſi per ſe & miniſtros ſuos ſuper terram ipſorum Prioris & conventus eſiamentum habeant ultra metas & bundas in campo *de la* **Berton** de novo poſitas pro walla ſive muro ipſorum abbatis & conventus apud *les Vines* de novo facienda & reparanda, & quociens & quandocunq; neceſſe fuerit ſcalas ponendi & terram ipſorum abbatis & conventus ibidem molliendi & miniſtrandi ſine perturbatione ipſorum Prioris & conventus & ſucceſſorum ſuorum.

§.15. *Placitum de* **Stonore** *cum hominibus de* Sandwico.

An. Dñi 1368.

ANno Domini M.CCC. lxviij. *Thomas Crabbere* &c. homines de **Stonore** attachiati fuerunt ad reſpondendum abbati &c. de placito quare cum idem abbas in feodo ſuo apud **Stonore** pro quibuſdam conſuetudinibus & ſerviciis ſibi debitis, per *G. Roby* ſervientem ſuum quædam catalla capi feciſſet, & idem *G.* catalla illa nomine diſtrictionis ſecundum legem & conſuetudinem regni ibidem detinere voluiſſet, prædictus *T. Crabbere* & alii catalla prædicta eidem *G.* vi & armis abſtulere & alia enormia ei intulere ad grave dampnum &c. & unde deterioratus fuit & dampnum habuit ad valenciam C. librarum. Et prædictus *T. Crabbere* & alii per attornatum ſuum dixerunt, quod prædicta villa de **Stonore** ubi præfatus abbas ſupponit tranſgreſſionem ſibi fuiſſe factam, fuit infra bundas & limites v. portuum, & quod ipſi fuerunt homines & barones eorundem quinq; portuum; unde dixerunt, quod ipſi non intendebant quod curia hæc in placito illo cognoſcere deberet. Et prædictus abbas dixit, quod ubi præfatus *T.* & alii ſuperius allegarunt prædictam villam de **Stonore** infra limites fuiſſe & bundas quinque portuum, ſupponendo per hoc ipſos in curia hac in placito prædicto reſpondere non debere, prædicta villa de **Stonore** eſt in comitatu *Kancia* & parcella baroniæ S. *Auguſtini Cant.* & extra bundas & limites quinque portuum, & hoc paratus eſt verificare, unde petiit judicium. Et prædicti *T.* & alii dixerunt, quod prædicta villà de **Stonore** eſt infra bundas & limites quinque portuum prout ſuperius allegarunt, & poſuerunt ſe ſuper patriam. Et præceptum fuit vicecomiti, quod venire faciat xij. probos &c. per quos &c. qui nec abbatem &c. Et venire fecit *J. Boſynton*, *W. Bernevile*, *R. Garwenton*, *Jacobum Wodbelle*, *Adam Bengekyn*, *Andream Wodhell*, *J. Davy*, *W. Coupere*, *J. Enſynge*, *T. Pylholte*, *J. Balſire*, *J. Yſaac*, qui ad hoc electi, triati & jurati dicunt ſuper ſacramentum ſuum, quod prædicta villa de **Stonore** eſt in comitatu *Kancia* & parcella baroniæ S. *Auguſtini*, & extra bundas &c. prout prædictus abbas ſuperius placitando allegavit, & aſſident dampna prædicti abbatis occaſione tranſgreſſionis prædictæ ad xx. marcas. Ideo conceſſum eſt quod prædictus abbas recuperet verſus præfatos *T. Crabbere* & alios qui convicti ſunt dampna ſua prædicta ad xx. marcas aſſeſſa; Et idem *Tho. Crabbere*, & omnes alii capiantur &c.

S. Lenham. Archiep.

Conſuetud. per Sandwic. in **Stonore** *calumniatæ.*

ET quia iſti *Stonorenſes* maluerunt ſubici et vivere ſub jugo ſervitutis *Sandwycenſium* quam antiqua libertate patriæ gubernari, ideo conſuetudines & dominium quæ ipſi de *Sandwico* in villa de *Stonores* calumpniabantur habere aſcribere gratum duxi.

In primis poſt diem Lunæ proximo poſt feſtum S. *Andreæ* apoſtoli in qua Major villæ *Sandwyci* fuerit electus & ſacramentum ſuum more ſolito fecerit, dictus Major qui pro tempore fuerit per ſervientem ſuum communem faciet certis locis in villa de *Stonores* ſuum cornu commune ſonari proxima ſeptimana ſequenti, vel quando viderit tempus oportunum, & erit ibidem proclamatio facta per eundem ſervientem inhibentem ex parte dicti Majoris communitatem villæ de *Stonores* in certo loco ad hoc aſſignato invicem convocari. Cum autem prædictus Major cum ſociis ſuis juratis una cum tota communitate de *Stonores* fuerint in loco prædicto congregati, aſſignabit quendam probum virum de prædicta villa exercere & occupare ſimile officium majoritatis in omnibus ſicut Major villæ *Sandwici* occupat in villa *Sandwici* ſalvo in judiciis dandis, quia omne judicium cujuſcumque fuerit conditionis & naturæ detur per os Majoris *Sandwici* infra limites villæ de *Stonores*, videlicet à prædicta villa uſque **Henneberge** & **Pepernaſſe**, & faciet ibidem dictus Major per clericum ſuum legere coram tota communitate ibidem ſolenniter eaſdem ordinationes quas habent in villa de *Sandwico*. Item habent dicti Major & Barones de *S.* poteſtatem ſupervidere omnes orphanos in eadem villa de *Stonores* quolibet anno quotieſcunque neceſſe fuerit, & prædictos orphanos ſimul cum bonis & catallis eorum bene & fideliter diſponere ut melius & ſecurius ad commodum eorundem valeant expedire. Item debent habere coram ſe recognitionem terræ redditus & tenementi in

omnibus

Edw. III. Rex. omnibus & ſingulis ſicut habent in villa de *Sandwico* & irrotulentur in communi regiſtro in villa prædicta juxta naturam recognitionis. Item adminiſtrationem bonorum inteſtatorum tam liberorum quam extraneorum qui obierint inteſtati in terra vel in mari ſive obierit infra libertatem vel extra, dum bona ipſius inteſtati infra limites libertatis prædictæ aliquo loco fuerint inventa, & aſſignabit ij. executores de propinquioribus amicis ipſius defuncti qui jurabunt facere fidelem inventarium ſuum de omnibus bonis & catallis ſuis prout deberent coram Ordinario ſuo; & per viſum ipſius Majoris diſponent bona ipſius defuncti pro anima ſua juxta quantitatem bonorum. Item omnia placita cujuſcunque fuerint conditionis, ſcilicet placita bateriæ, ſanguinis fuſi, debiti, tranſgreſſionis & cons. fractæ & omnia hujuſmodi placita poſſunt terminari de die in diem coram Majore villæ *Sandwici* & ballivo abbatis qui pro tempore fuerint. Et judicium cujuſcumque fuerit placiti detur per os Majoris *Sandwici*. Item cum aliquis liber homo amerciatus fuerit pro falſo clamore vel pro aliquo alio in placito debiti vel tranſgreſſionis ſive placitis terræ, non poteſt ballivus abbatis ibidem intrare ejus tenementum neque eum diſtringere pro ſuo amerciamento quouſque taxatum fuit per Majorem & juratos, ſed per præceptum Majoris & juratorum ſuper taxationem illius amerciamenti, ſtatim per ballivum ſupradictum & ſervientem Majoris ſi pro rebellibus in hac parte fuerint levabitur ad opus ipſius abbatis. Item ſolent infra dictam villam de *Stonores* terminari omnia placita coronæ vitæ & membrorum coram Majore & juratis juxta naturam ſuam in forma conſuetudinis villæ *Sandwici* in hiis placitis uſitatæ. Salvo appello ſuper falſarium monetæ domini regis, ſeditione, prælocutione contra regem vel reginam, falſaria ſigilli domini regis, quæ pertinent ad curiam de **Shipway**. Nec eſt in prædicta villa de *Sandwico* et *Stonores* aliquis Judex Coronæ qui vulgo dicitur **Coroner** niſi ipſe Major cum ſuis juratis.

An. Dñi 1368. Anno Domini M.CCC.lxviij. *Willielmus Wytleſeye* in octabis *S. Adriani* abbatis à *Wigornienſi* eccleſia in archiepiſcopum tranſlatus eſt.

1370. Anno Domini M.CCC.lxx. die tranſlationis S. *Thomæ* martyris dominus *Thomas* abbas hujus loci invitatus et à ſenioribus monachorum S. *Trinitatis* ſpecialiter requiſitus inter illos divina ſolempniter celebravit anno beati *Thomæ* tunc Jubeleo populo pro indulgentia quaſi infinite congregato. Et nota quod durante iſta ſolempnitate prædictus abbas à ſacriſta S. *Trinitatis* tam in vigilia quam in die ut foret archiepiſcopus illorum fuit quæſitus et ad reveſtiendum deductus.

1371. Anno ſequenti in vigilia S. *Lucæ* evangeliſtæ duo magna grangia in manerio de **Nordburne** frumento et ordeo plena per negligentiam cujuſdam carpentarii inibi operantis incendio conſumpta ſunt ad dampnum hujus monaſterii M. librarum juxta æſtimationem diſcretorum.

1372. Anno Domini M.CCC.lxxij. dominus rex miſit apud *Fordwicum* unam galeam ut tuta contra tempeſtates yemales ſervaretur: Mandans abbati quod pro foſſatura et doma ſuper illa conſtruenda ad ſumptus ipſius regis operam daret diligentem. Quæ omnia in labore multum tædioſo ad cuſtus ipſius abbatis xx. li. et amplius expeditioni demandata ſunt.

Wittleſey. Archiep. An. Dñi 1373. Anno ſequenti quidam monachus hujus loci C. marcas cujuſdam ſecularis in cuſtodiam ſuam recepit ſine abbatis ſui vel fratrum conſcientia. Hic tamen monachus aſſeruit poſtea publice in capitulo coram omnibus prædictam ſummam, & plus de ſuo ſtudio in craſtino Reliqu. furatum fuiſſe, hoſtio armariolis inventis ut dimiſerat bene clauſis. Hiis taliter publicatis proceſſit abbas per cenſuram eccleſiaſticam ſingulos admonendo, & poſt legitimam admonitionem excommunicationis ſententiam inferendo in illum vel illos ſubditorum ſuorum qui hujuſmodi furtum facere præſumpſerunt, ne forte ſicut quondam inter apoſtolos alter *Judas* qui fur erat loculos habens ſub ſpecie religionis locum juſti nequiſſimus occuparet. Sed quidem cenſuris eccleſiaſticis, ſententiis excommunicatoriis, & quod magis eſt ipſo ſacroſancto corpore Chriſti in medio capituli producto & ſuper illud quilibet per ſe an furtum commiſerit adjuratus actorem operis nullus ſe eſſe confeſſus eſt. Eodem vero anno in nocte S. *Thomæ* apoſtoli ſacriſta hujus eccleſiæ tam in auro quam in jocalibus C. marcas conſimili forma de archivis ſuis furtum paſſus eſt. Unde ſuper hiis omnibus prioribus ſententiis ſæpe & terribiliter in medio fulminatis, arte nigromantica & aliis operibus quamquam illicitis multociens adhibitis, & quibuſdam monachis pro hujuſmodi negotio fere per totum regnum laborantibus fautores minime revelantur.

Dimiſſio.

UNIVERSIS ſanctæ matris eccleſiæ filiis Simon *permiſſione divina* Cantuarienſis *archiepiſcopus tocius* Angliæ *primas & apoſtolicæ ſedis legatus ſalutem in Domino ſempiternam. Noverit univerſitas veſtra, quod cum religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *fuiſſent per nos requiſiti jus ſuum ſuper apropriatione vel apropriationibus eccleſiarum de* **Menstre** *in* Thaneto *cum capellis ſanctorum* Johannis Laurencii *&* Petri *in* Thaneto, *de* **Chistelet**, *de* **Northborne** *cum capella de* **Scheldon**, *de* **Preston**, *de* **Faversham**, *cum capella de* **Sceldwych**, *de* **Sellynge**, *de* **Middelton**, *de* **Lenham**, *de* **Tentwarden**, *S.*Pauli Cantuar. *de* **Sturre**, *de* **Kenynton**, *de* **Wyvelesberghe**, *de* **Stone** *in* **Oxne**, *& de* **Broklonde** Cantuarienſis *dioceſis, & eccleſiæ de* **Plomstede** *cum capella de* **Eastwykham** Roffenſis, *quas eoſdem religioſos in uſus proprios habere & tenere comperimus, nec non jus ſi quod idem religioſi haberent quare ratione eccleſiarum eiſdem apropriatarum & unitarum tanquam rectores earundem in viſitatione noſtra comparere ac manualem obedienciam nobis præſtare non debeant exhibituri & oſtenſuri, iidem religioſi coram nobis ratione hujuſmodi congruis loco & tempore comparentes, jura & munimenta pro jure ſuo quod eis competere prætenderint in hac parte exhibuerunt & eciam oſtenderunt. Quibus exhibitis & inſpectis, examinatis & diligencius ponderatis, Quia de jure & immunitate eorundem in præmiſſis nobis legitime conſtabat, ipſos religioſos ſuper hiis omnibus tanquam ſufficienter munitos in præmiſſis rite & legitime procedentes per decretum duximus dimittendos. Eo ſalvo, quod ſi contingat præfatos religioſos à ſucceſſoribus noſtris ex aliqua cauſa rationabili extra viſitationem evocari exhibituros titulos ſive appropriationes eccleſiarum ſuarum, iidem religioſi extra viſitationem prædictam ad præmiſſam exhibicionem faciendam comparere teneantur.*

Edw. III. Rex.

teneantur. *In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Dat. apud* **Cherryngg** *octavo decimo die menſis Aprilis anno Domini* M. CCC. lxviij. *& noſtra tranſlationis ſecundo.*

Anno ſequenti *Willelmus* fit archiepiſcopus.

Anno Domini M. CCC. lxx. die tranſlationis S. *Thomæ, Thomas* abbas à ſenioribus monachis ſanctæ Trinitatis rogatus & ſpecialiter requiſitus inter illos divina ſolempniter celebravit anno ſancti *Thomæ* tunc jubileo.

Et anno ſequenti in vigilia S. *Lucæ* duo magna grangia apud **Northborne** frumento & ordeo plena conſumpta ſunt incendio ad dampnum mille librarum.

Et anno ſequenti mandavit dominus rex abbati quod ſervaret ſibi unam galeam apud *Fordwycum*; unde quæ fuerunt facienda pro illa exceſſerunt expenſas xx.li. de proprio abbatis.

Perambulatio ballivorum & communitatis civitatis Cantuariæ *facta per bundas libertatum civitatis prædicta anno regni regis* Edwardi *tercii quadrageſimo ſexto.*

EOdem anno die lunæ proximo poſt feſtum S. *Auguſtini* facta fuit perambulatio per *Nicholaum de Baa* & *Willelmum Cornwaille* tunc ballivos civitatis *Cant.* per *Nicholaum ate Crowche, Iohannem Scheldwych, Thomam Everard, Willielmum Broune, Henricum Lincolle, Iohannem Thyece, Edmundum Horn,* & *Ricardum de Heo* cives & haldermannos ejuſdem civitatis, & per alios quamplurimos de cõmunitate ejuſdem civitatis innumerabiles, calumpniantes terras & tenementa infra perambulationem ſuam fore infra libertates civitatis prædictæ. Primo præterierunt metas & bundas libertatum eorundem à cruce de **Shettynge** uſque ad portam cujuſdam paſturæ vocatæ **Poldreſleſe**, & ſic perambularunt totam dictam paſturam in exhæredationem & uſurpationem factas ibidem ſupra jura dominorum & aliorum hominum patriæ forinſecorum. Item præterierunt metas & bundas libertatum eorundem apud **Fyſpole** ſupra dominium abbatis ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, & ibidem præfixerunt & poſuerunt novam crucem ligneam nomine metarum & bundarum libertatum eorundem, in exhæredationem & uſurpationem factam ibidem per magnum ſpacium ſupra dominium ejuſdem abbatis & conventus ſancti *Auguſtini* & omnium hominum tocius hundredi de **Donhamford** in manibus domini abbatis ad firmam cum aliis hundredis de dimiſſione & conceſſione domini regis; & ſic ibidem injuſte & ſine licentia equitarunt ſupra terram *Thomæ de Gardewynton* vocatum **Liſleſdenne** ex parte orientali cujuſdam ſtagni vocati **Fiſpoleſpond**, præteriens ibidem metas & bundas ſuas per medietatem ſtagni prædicti. Item perambulando præterierunt metas & bundas ſuas libertatum eorundem à quadam meta vocata **Wodeſtake** perambulando injuſte totum boſcum de **Gwodrycheſwode** totaliter extra libertatem ſuam. Item perambularunt & præterierunt metas ſuas & uſurparunt ſupra dominium ibidem de **Glouceſtre** in hundredo *del* **Hwytſtaple**, præterierunt bene circiter xx. acras terræ hoſpicii ſancti *Laurencii* juxta *Cantuariam* & aliorum hominum patriæ ibidem apud **Hwyteſeldeſhegge** extra limites & procinctus libertatum eorundem, & ibidem perambularunt injuſte maximam partem terræ in hundredo de **Bregge** ad angulum de **Hwyteſeldeſhegge**.

Witleſey Archiep.

Anno M. CCC. lxxiiij. obiit *Willelmus* archiepiſcopus.

An. Dñi 1374.

« *EDWARDVS* Dei gratia rex *Angliæ* & *Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, dilectis ſibi *Salamoni Oxeneye, Galfrido Colepeper, Galfrido Waldon, Iohanni Mugham,* & *Iohanni Ropere* ſalutem. Sciatis quod cum nos & progenitores noſtri tempore cujuſcunque vacationis archiepiſcopatus *Cantuariæ* quoddam iter juſticiariorum in comitatu *Kanciæ* ſemper hactenus habuerimus & de jure habere debeamus, ac præſenti tempore vacationis poſt mortem bonæ memoriæ *Willelmi* ultimi archiepiſcopi loci illius aſſignaverimus certos juſticiarios juſticiarios noſtros ad itinerandum in dicto comitatu ratione vacationis ſupradictæ; Unde dilectus nobis in Chriſto abbas ſancti *Auguſtini Cant.* ac dilecti & fideles noſtri *Iohannes de Cokham* & *Willelmus Pympere* ad nos et concilium noſtrum ex parte communitatis dicti comitatus accedentes, quemdam finem mille librarum pro ſe & communitate prædicta pro relaxatione & remiſſione itineris prædicti hac vice habenda concilio noſtro obtulerunt de gratia noſtra levandum. Nos ad gratuitam voluntatem dictæ communitatis ac bonum geſtum ſuum quem ſemper invenimus et quem ſperamus in poſterum prompcius invenire, conſiderationem habentes, ac volentes proinde quieti et commodo ejuſdem communitatis proſpicere gracioſe, ex mero motu et uberiori gratia noſtra ad intentionem quod pauperibus et impotentibus dictæ communitatis parcatur in hac parte, pardonavimus quingintas libras de dicta ſumma mille librarum nobis ſic oblata, ac volentes de reſiduis quingintis libris de communitate prædicta, videlicet de hiis qui potentes exiſtunt pro remiſſione dicti itineris reſponderi, ita quod ſemper pauperibus & impotentibus prædictis parcatur in forma prædicta, Aſſignavimus vos conjunctim & diviſim ad dictas quingintas libras de dicta communitate, videlicet de hiis qui potentes exiſtunt, ex cauſa prædicta levandas, colligendas & recipiendas, & nobis inde ad ſcaccarium noſtrum reſpondendas, Ita quod dictis pauperibus in forma prædicta parcatur. Et ideo vobis mandamus quod circa præmiſſa cum omni diligentia intendatis, & ea faciatis & exequamini in forma prædicta. In cujus rei teſtimonium &c. anno quadrageſimo nono regni, regni vero *Franciæ* triceſimo quinto.

THOMAS *permiſſione divina abbas monaſterii ſancti* Auguſtini Cant. *&* Ricardus *eadem permiſſione Prior eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ, *ad taxandum quoſcumque religioſos & alios viros eccleſiaſticos bona temporalia in* Cantuarienſi *&* Roffenſi *dioceſibus optinentes, ad contributionem ducentarum marcarum pro rata porcione eoſdem contingente nuper domino noſtro regi pro relaxacione & remiſſione ultimi itineris in comitatu* Kanciæ *ab ipſis conceſſarum, ſummaſque hujuſmodi levandas & colligendas miniſtri ejuſdem domini regis ſpecialiter deputati, omnibus & ſingulis abbatibus, Prioribus, magiſtris, & perſonis aliis religioſis*

&

Edw. III. Rex. *& eccleſiaſticis bona & poſſeſſiones hujuſmodi in eiſdem obtinentibus ſalutem in Domino. Cum nos juxta rectum moderamen procedentes vos omnes & ſingulos quorum nomina in cedula etiam præſentibus annexa continentur, ad pecuniarum ſummas in eadem cedula ſpecialiter & nominatim vos & quemlibet veſtrum contingentes deſcriptas, pro contributione ad dictas ducentas marcas à ſingulis veſtrum facienda proporcionaliter taxaverimus, ipſaſque ſummas prout ad quemlibet veſtrum attinet citra feſtum ſancti* Mathæi *apoſtoli proximo futurum à veſtrum quolibet ſolvendas fore ordinaverimus, juſticia exigente, vobis auctoritate dicti domini noſtri regis mandamus, firmiter injungentes quatinus dictas pecuniarum ſummas juxta dictæ cedulæ exigentiam Priori eccleſiæ conventualis S.* Gregorii Cantuariæ *quem ſubcollectorem noſtrum in hac parte tenore præſentium deputamus, in Prioratu ſuo prædicto plenarie perſolvatis. Dat.* Cantuariæ *&c. anno regni regis* Edwardi *tercii poſt conqueſtum* xlviij.

Taxa Prælatorum religioſorum & aliorum virorum eccleſiaſticorum temporalia bona habentium in Cantuarienſi *&* Roffenſi *dioceſibus pro fine itineris in comitatu* Kanciæ.

DE domino epiſcopo *Roffenſi* præter temporalia ſua in manu regis.	vj.li. iij.s. iiij.d.
De Abbate S. *Auguſtini Cant.*	xxv.li. vj.s. viij.d.
De Priore S. *Trinitatis Cant.*	xxxvj.li. xiij.s.iv.d.
De Abbate de *Bello.*	x. li.
De Priore *Roffenſi.*	C. s.
De abbate de **Faverſham.**	viij. li.
De Priore de **Ledes.**	lxvj.s. viij.d
De Priore *Dovoriæ.*	viij li. v.s.
De Abbate de **Boxle.**	lxvj.s. viij.d.
De Abbate de **Leſnes** in utraq; dioceſi.	xxxiij.s.iv.d.
De Abbatiſſa de **Malinge** in utraque dioceſi.	l.s.
De Abbate ſanctæ *Radegundis.*	xl. s.
De Abbate de **Langedon.**	xxiij.s. iv.d.
De Priore de **Merton** in utraque dioceſi.	xxv.s.vj.d.
De Priore ſancti *Gregorii.*	xxvj.s. viij.d.
De Ab. de **Egham** in utraq; dioceſi.	xxvj.s.viij.d.
De Abbate de *Weſtmonaſterio* in utraque dioceſi.	xiij. s. iv.d.
De Priore de **Horton.**	lxvj.s. viij.d.
De Priore de **Biſſinton.**	xxxiij.s. ivd.
De Priore de **Combwell** in utraq; dioc.	xxxiij.s.iv.d
De Abbate *Pontis Roberti* in utraque dioceſi.	xxxiij. s. iv. d.
De Priore de **Tonbregge.**	xxx.s. iv.d.
De Abbate de **Gannt.**	lxij.s. ij.d.
De Abbate de **Redinge.**	xxiv. s.
De Priore de **Bermondſeie.**	xl. s.
De Priore ſanctæ *Trinitatis London.*	vij. s
De Priore de **Suthwork** *London.*	x. s.
De Abbate de **Ilvedieu.**	xiij. d.
De Priore de **Thruleghe.**	ij. s.
De Priore de **Folkſtan.**	vj. d.
De Abbatiſſa de **Gines.**	ij. s.
De Abbate ſanctæ *Oſithæ.*	iv. s.
De Abbate *Colcheſtriæ.*	iij.s. iv.d.
De Priore de **Michilham.**	iij.s. iv.d.
De Priore de *Novo loco.*	xiv. d.
De Cuſtode **Chetham.**	ij. s.
De Abbate de **Stratford.**	x. s.
De Archidiacono *Roffenſi.*	iij.s. viij.d.
De Priore de **Stoke.**	iv. s.
De Priore ſancti *Johannis Jeruſalem* pro **Sutton.**	xxx. s.
De eodem & de magiſtro de **Swyneſfeld**, pro **Swyneſfeld, Staleſfelde, Dis, Ewell,** & aliis temporalibus in dioceſi *Cantuarienſi.*	x. s.
De magiſtro domus Dei *Dovoriæ.*	C. s.
De magiſtro domus Dei de **Oſprenge.**	xliij.s.iv.d.
De Prioriſſa **Schepeye.**	lx. s.
De Abbate S. *Albani* pro **Taſole.**	xiij.s.iv.d.
De Canonico de **Burne.**	vj.s. viij.

S. Sudbury Archiep.

Anno ſubſequenti *Simon Sadberi* pallio in *Flandria* prius recepto Dominica in palmis in eccleſia ſua intronizatus eſt. An. Dñi 1374.

Anno Domini M.CCC. lxxv. venerabilis pater dominus *Thomas* abbas hujus congregationis lv. ſenex & plenus dierum poſt xxvij. annos quibus ſapienter rexit bona ſibi commiſſa, die Aſcenſionis Dominicæ in æternam requiem ſubvectus eſt. Corpus vero ejus in aquilonari muro capellæ Comitiſſæ ſepultum eſt. Hic vero abbas feſtum ſanctarum *Katerinæ* & *Margaretæ* ſub duplici feſto, & ſancti *Johannis* ante portam Latinam in albis, perpetuis temporibus conſtituit celebrari. Hujus eciam tempore eccleſia *Auguſtini* poſſeſſionibus trium eccleſiarum, videlicet de **Wyvelesberge**, de **Stone & Broclonde**, & maneriis de **Dis & Dene** gaudet augmentata. 1375.

CAP. XLI.

Pater ſanctiſſime,

BEnigniſſimus Deus ipſe pater miſericordiarum & Deus tocius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ſic ſua ſapientia omnia ſecundavit, ut etſi ſuis ſervis ad tempus inmittit langoris flagellorumque preſſuras, præfinito tamen ſibi tempore in ſuo beneplacito conſolamina ordinat & medelas. Sic enim interdum adverſis ſuccedunt proſpera & poſt aſpera affluunt linitiva, & qui ſapientiſſime percuciendo corripuit, medicinam non abſtulit ſet diſtulit uſque ad tempora oportuna. Sane pater licet ſub duri Martis aſpectu malevolo captivitatis meæ ingemuerim diſpendia calamitoſa, jam nunc ſub jocunditatis jubare clareſcente in manibus veſtræ potentiæ captivitatis meæ conſpicio alleviatorium incercludi, ſi annuere duxeritis meis juſtis ſupplicationibus præſentium literarum tenore patule exprimendis. Nam pater clementiſſime veſtram æſtimo ſollicitudinem non latere monaſterium ſancti *Auguſtini Cant.* vobis & curiæ *Romanæ* immediate ſubjectum paſtoris regimine fore deſtitutum, aliumque canonice electum, pro cujus benedictione in *Anglia*, rex cum aliis proceribus veſtræ ſanctitati literas præcordialiſſimas conſcripſerunt, viarum pericula, guerrarum diſcrimina, tam excellentis famoſique monaſterii moroſæ vacationis incommoda pariter allegantes. Verum pater quia dicti electi confirmatio, immo verius ejus in partibus benedictio foret quodammodo res nova à multis temporibus inaudita, ejuſdemque omiſſio quamplurimis detrimentorum laqueis irretita, ſi contemplatione precum mearum valeret præſentis

cauſæ

Edw. III. Rex.

cauſæ negocium finem votivum conſequi, ad effectum quod alicui epiſcopo in *Anglia* poſtulatæ benedictionis auctoritas committeretur, pro certiſſimo habeo quod diſſolutis nexibus meæ captivitatis, priſtina libertate adepta poſſem ad libitum veſtris ſanctitatis oculis præſentari, habitu mœroris abjecto felici læticiæ duplonmide circumamictus; cujus rei gratia quam ardentius mei deliberationem deſidero, tanto conſtantius dicti electi celerimam expeditionem concupiſco.

Harum literarum immo verius hujus præſentis literæ contemplatione idem papa corde tactus conceſſit bullam quæ talis eſt.

GREGORIUS *epiſcopus &c. Suſcepti cura regiminis* : & infra. *Nos igitur electionem ipſam utpote poſt & contra reſervationem & decretum hujuſmodi ut præmittitur attemptatam & alia inde ſecuta prout erant irrita & inania reputantes, ac ad proviſionem ejuſdem monaſterii celerem & felicem de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit neque poteſt reſervacione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne dictum monaſterium longæ vacationis exponeretur incommodis paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem monaſterio perſonam utilem & eciam fructuoſam cum fratribus noſtris habuimus diligentem, Demum ad te cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vita mundicia aliiſque multiplicum virtutum tuarum meritis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus ac eciam concordi dictorum conventus te eligentium voluntate attenta meditatione penſatis, de perſona tua eidem monaſterio de dictorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in abbatem, curam & adminiſtrationem ipſius monaſterii tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariam committendo. Dat. apud* Pontemſorgie Avinionenſis *dioceſis* ij *idus Septembris pontificatus noſtri anno quinto.*

Bulla benedictionis illius quia clauſa venit clauſa fuit miſſa *Wyntonienſi* epiſcopo, qui ſibi auctoritate ejuſdem bullæ munus benedictionis apud **Caſſcher** quinta die Octobris ſub die ſexta inpendidit ſatis benigne requiſitus. Hiis taliter peractis aliiſque ex more ibidem datis & ſolutis, idem electus iter ſuum verſus regem & ejus concilium, coram quibus bullis ſuæ proviſionis & quicquid in præjudicium domini regis vel ejus coronæ prætextu hujuſmodi proviſionis attemptatum erat pure ſponte & abſolute renuncians, literas regias optinuit talem formam continentes.

« *EDWARDUS* Dei gratia rex *Angliæ*
« & *Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, dilecto ſibi
« *Thomæ Ilſton* Eſcaetori ſuo in comitatu *Kanciæ*
« & *Surr.* ſalutem. Cum dominus ſummus pontifex
« nuper vacante monaſterio abbatiæ ſancti
« *Auguſtini* in ſuburbio *Cantuariæ* ordinis ſancti
« *Benedicti* ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ inmediate ſubjecto,
« eidem monaſterio de dilecto nobis in Chriſto
« *Michaele* nuper Camerario ejuſdem monaſterii
« qui per conventum dicti monaſterii in abbatem
« ejuſdem monaſterii electus fuit, & cui
« prius regium aſſenſum adhibuimus & favorem
« providerit, & ipſum, abbatem loci illius præfecerit
« & paſtorem, ſicut per literas bullatas ipſius
« domini ſummi pontificis nobis inde directas nobis
« conſtat; Nos pro eo quod idem abbas omnibus
« & ſingulis verbis nobis & coronæ noſtræ præjudicialibus
« in dictis literis bullatis contentis pure
« ſponte & abſolute renunciavit, & gratiæ noſtræ
« ſe humiliter ſubmiſit, volentes cum eodem abbate
« in hac parte agere gratioſe, cepimus fidelitatem
« ipſius abbatis & temporalia abbatiæ prædictæ
« reſtituimus eidem. Et ideo tibi præcipimus
« quod eidem abbati omnia temporalia abbatiæ
« prædictæ cum pertinenciis in balliva tua liberes
« ſalvo jure cujuſlibet. Teſte meipſo apud
« *Weſtmonaſterium* viij. die Octobris anno regni
« noſtri *Angliæ* quadrageſimo nono, regni vero
« *Franciæ* triceſimo ſexto.

S. Sudbury Archiep.

Iſto negocio ſic utcumque peracto monaſterium peciit, eccleſiam ſibi commiſſam gubernando. Qui à conventu proceſſionaliter eſt receptus, die ſancti *Wylfridi* epiſcopi in feria ſexta eſt inſtallatus. Et quia antea in ſuis negociis ſumptuoſis expenſis ſatis extitit copioſus, nunc ſuæ prudenciæ inicium oſtendens, ſolus ipſe cum ſolo conventu ſapienter expenſis parcens feſtum inſtallationis ſuæ in refectorio celebravit.

Et ſequuntur expenſæ factæ pro vacatione & Electi expeditione.

Inprimis pauperibus die ſepulturæ, & die menſis, & pro corpore ficto cum herſia.	vi.li. ij.s. ij.d.
Item, in expenſis fratrum euntium ad regem pro abbate eligendo.	iv.li. iij.s. iv.d.
Item, in carta regis ſuper licentia eligendi & feodo de **petepagge**.	xxviij.s. vj.d.
Item, data diverſis clericis & notariis ſuper electione.	vj.li. xiij.s. iv.d.
Item in expenſis electi ad offerendum ſe regi.	viij.li. x.s. iv.d.
Item, in expenſis electi cum epiſcopo *Wyntonienſi*.	ix.li. iij.s. iv.d.
Item datum clericis, armigeris, & aliis familiaribus dicti epiſcopi poſt benedictionem.	vi.li.xiij.s.iv.d.
Item, camerario domini regis pro feodo ſuo ſuper juramento.	C. s.
Item, domino regi pro medietate anni.	CCCC.li.
Item, domino Papæ & collegio Cardinalium pro communi ſervicio, ut in M. iiij^{c}. xxxiv. florenis, precium floreni iij.s.	CCxv.li. ij.s.
Item, datum Papæ & Cardinalibus ut electus poſſet benedici in *Anglia*.	Civ^{xx} iij.li. ii.s. vj.d.
Item, pro mutuatione omnium florenorum prædictorum.	vj.li. xv.s.
Item, in expenſis *Johannis Pecham* & *Hugonis Halle* procuratorum ejuſdem electi euntium *Avinionem* ad curiam, & ibidem in proſecutione ſtando cum diverſis donis datis per eoſdem.	C.xxiv.li.iij s.ii.d
Item, datum diverſis nunciis de curia *Romana* venientibus cum literis vel literas mittentibus pro confirmatione ſua, & pro aliis cauſis prædictum electum tangentibus.	xxx.li. xiij.s. iv.d.
Item, Eſcaetori pro ſimplici ſeiſyna tempore vacationis.	xliij.s. iv.d.
Summa expenſarum	M.viij.li. xiij.s. viij.d.

An. Dñi 1376.

Anno ſequenti, viz. anno Dom. M.CCC.lxxvj. obiit *Edwardus* rex circa feſtum natalis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*; & ſtatim *Ricardus* ejus cognatus gubernacula regni ſuſcipiens *Weſtmonaſterii* coronatus eſt.

Et ſequenti anno doloſi *Franci* ad numerum lx. navium

Rich. II. Rex.

navium & galearum maria piratice luſtrantes confederatis ſibi perfidis *Scotis* *Angliam* pervadere ſunt conati, æſtimantes eam mortuo jam inclito rege *Edwardo* parva manu parvo tempore devaſtare; unde *Scoti* occidentales *Gallici* in cæteras partes viciniores hoſtiliter debacare cœperunt, & facta ſtrage inſulam *Vectam* depopulantes, die apoſtolorum *Petri* & *Pauli le Reye* combuſſerant, ſicque omnibus locis maritimis pene deſtructis *Folſtanem* uſque petentes illam igne die ſanctæ *Enſwyda* in parte conſumpſerunt, ubi abbas *Michael* licet religioſus, in tuicione tamen patriæ laudabiliter & ſtrenue in multitudine valida ſuorum cum aliis valentibus ſecum ſpecialiter retentis verſus eorum inſultum & aciem properavit, & naves eos repetere coartabat. Inde piratæ vela tendentes juxta *Doveriam*, fixis ancoris ultra triduum morantes è terra ad delendum diebus & noctibus omnes conatus ſuos extenderunt. Ubi & abbas prædictus cum non pauca manu virorum bellatorum primus venit ad defenſionem populi ſupradicti, & hoſtibus adhinc recedentibus noviſſimus cum ſuis reddita terræ ſecuritate cum honore receſſit.

Sub hiis diebus videns abbas quod per regimen caſtri *Dovoria* jam quaſi de novo introductum & nequiter uſitatum, & quod per curiam illius caſtri ſæpiſſime ſuis tenentibus & aliorum dominorum de Baronia extorciones multum graves, & quod curia prædicti caſtri ſiniſtraret curiam illius & aliorum dominorum in comitatu, habito conſilio cum dominis prædictis, porrectæ fuerunt billæ & peticiones domino regi & ſuo conſilio in ſequenti parliamento formas continentes ſubſcriptas.

A noſtre ſeignur le Roy ſupplient ſez poures ligez del countee de **Kent**, *que par la ou pluſours de eux rienz ne tiegnent ne clamont tenir del chaſtel de* Dovorre *ne ſur eux null juriſdicion ont, ſont conſtreyntz grevouſement par lez miniſtres del dit chaſtel de jour en aultre par dureſſe amerciementz capias aregardez devers eux a reſpondre devant eux as diverſe gentz des dites treſpas contractes, & de toutx aultres plees perſoneles que attiegnent a le court noſtre dit ſeigneur le Roy & des aultres ſeignieurs des franchiſes, peront que lez ditz poures liges ſount grevouſement rentz anientez deſtruitz par lez officers del dit chaſtel appellez* **Cachepolles** *& aultres miniſtrez illoeques, que il pleaſe a noſtre dit ſeigneur le Roy & a ſonn counſeil ordeigner que le dit châſtel eit tiel libertee com auncienement eſtoie doigne, & que lez uſagez & cuſtumez ore de novele acrochez par extorcions ſoient repellez que lez ditz poures liges ne ſoient anyentez & deſtruez as toutz jours.*

Neient les ditz miniſtrez juriſdiccion hors du fee del honour du chaſtel de Dovorre *nene facent proces par capias hors du franchiſes de cynk portz.*

Auxint qe le clerk de la dite court torcenouſement prent ij.d. *pur le entre de cheſcun pleynte, &* ij.d. *pur le entre de la torne de cheſcun pleyntyf, &* ij.d. *pur le entre de la torne de cheſcun defendant & de cheſcun meympriſe* viij.d. *la ſumme de bylles par an en la dite court par eſtimacion de ſervantz de la bodour* iij.M.li. *& plus, la quele ſumme de billes amonta par an* lxxv.li. *Ceſtaſſaver pur cheſcun bille* vj.d. *outre lez meympriſes que amontont a* xxx.li. *par eſtimacion ou pluis.*

Auxint, le merchal prent de cheſcun pleynte iv.d. *pur ſon fee qe amonte par an par eſtimacion de lez avant ditz billes* l. li.

S. Sudbury Archiep.

Auxint, le dit merchal de cheſcun homme pris par le capias & menes a chaſtel vj.s. viij d. *qe amonte par an* x.li. *ou plus.*

Auxint, le ſerianz de la port de cheſcun homme qe vient par le capias xvj.d. *qe amonte par an par eſtimacion* xl.li. *ou plus.*

Auxint, en le temps du dit ſire Robert *les capias furont primerment agardes par les miniſtres du dit ſire* Robert *outre ceo qe aſcun aultre conſtable agarda devant ly.*

Auxint, les miniſtres du dit ſire Robert *primerment en ſon temps agarderont cheſcun diſtreſſe forfeſte ſur la defaute de defendant de quele value qe il fuiſt, outre ceo qe aſcun aultre conſtable fiſt devant ly.*

Auxint, le ſeneſchal de dit chaſtel en temps de dit ſire Robert *de ſon eyndegre de meyne de cheſcun nonſoute miſt la mercement du pleyntyf a* vj.d. *devant plee plede a* xij.d. *refuſantz le comune courz de affieroures uſez en totes temps des aultres conſtables devant ly, qe amonte par an de la moite devant plee plede* xxxvij.li x.s. *& apres plee plede pur la moite* lxxv.li. *par eſtimacion de les billes avandiz.*

Auxint, la ou le bodour ſoleyt aver mes un ſervant ſuz ly, le dit bodour ad & avoit x. *ſervantz a cheval & cheſcun de eux* ij. *ou* iij. *valettes ſuz ly feſannz outragiouſes damages par my tout la counte en pouryſſement de totes les ſeigneurages & communes avantditz. Des queux grevances les ditz communes requirount remedie.*

Auxint, ſupplient ces poueres ligez del counte de **Kent** *qe par la ou pluſours de eux ryenz ne tiegnent ne clament tener del caſtel de* Dovorre *ne ſur eux null juriſdiccion ount ſount conſtraynz grevouſement par les miniſtres del dit chaſtel de jour en aultre par dureſſe amerciamentz capias & regardes divers eux a reſpundre devant eux as divers gentz des ditez treſpas contractes & de toutez aultres terres perſoneles qe attiegnent al court noſtre dit ſeigneur le Roy & des altres ſires des franchiſes perent qe les ditz poures liges ſount grevouſemenc reintz deſtruitez anyentez par les officieres del dit chaſtel apelles* **Chachepolles** *et aultres miniſtres illeoques, qil pleaſe a noſtre dit ſeigneur le Roy & a ſon conſail ordeigner qe le dit chaſtel eit tiel liberte come ancienement eſtoie doigne, & qe les uſages & cuſtumes ore de novele acroches par extorcions ſoient reppellez, & qe les ditz poures liges ne ſoient anientes & deſtruez a touts jours.*

Neient lez ditz miniſtres juriſdiction hors de fee del Honour de chaſtel de Dovorre *ne facent proces par capias hors des franchiſes de cynk portz.*

A noſter ſeigneur le Roy & ſon conſeil ſupplie Eſmund *cunte de* Cantebregge *& coneſtable de* Dovorre *qe ſoit declarre en ceſte preſent parlement, qe le dit counte a cauſe de la dite coneſtablerie & ces miniſtres purront uſer toutes maneres franchiſes libertes & cuſtumes queuz les coneſtables du dit chaſtel & lour miniſtres ount uſez en temps de noſtre ſeigneur le Roy & de ſes progenitours de tout temps nient obſteannt aſcune ordinaunce ou endoſſement faytes a contrarie en le darreyn parlement.*

Soyent lez aunciens fraunchiſeez, cuſtumes &

Rich. II. Rex, *uſages fermement tenuz & gardez, & ſi nul ſe pleiſne de aſcun novelrie y comence, enquere ſe face par bones & ſufficeauntz gentz, & ſur ceo droit ſoit fait.* Set cum iſta finem optatum ſic caperent, dux *Lancaſtriæ* prædicti Conſtabularii germanus, ſciens hæc omnia in manu abbatis conſiſtere, ipſum affectu quo potuit deprecatus eſt, eciam & ſe amicum perpetuum huic eccleſiæ fore affirmando, ut abbas diſſimulato negocio permitteret ipſum tempore ſuo ſuis gaudere conſuetudinibus. Unde abbas tum propter timorem Ducis, tum propter commodum eccleſiæ captandum à proſecutione manum invitus retraxit.

An. Dñi 1378. Anno M.CCC.lxxviij. *Simon* archiepiſcopus volens prætextu illius Decretalis archiepiſcopo in *Clementina* ad nos ingredi, abbati comminatus eſt, ut cum delatione crucis ad eum vellet ingredi corpora Sanctorum neſcio quo animo viſitaturus. Set abbas huic maliciæ & novitati reſiſtens portas monaſterii armata manu cuſtodiens repulſam parabat eidem. Et archiepiſcopus iſtis cognitis manus retraxit ab eodem, remediis apoſtolicis occaſione præmiſſorum cito poſt gaudere ſperans. Unde domino papæ ſuggeſſit talem prætendens cauſam, ut cum ipſe in civitate & dioceſi ac provincia *Cantuariæ* in quibus legatus natus exiſtit de jure poſſit ingredi loca exempta, pontificalibus uti, crucem ante ſe facere deferri, abbas tamen & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ſuper hujuſmodi pontificalium uſu contra juſtitiam eum inpedire præſumunt, &c. Pro quo ſcripſit Epiſcopo *Wintonienſi* delegatorie in hæc verba:

« *URBANUS* &c. Venerabili fratri epiſcopo *Wintonienſi* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris noſtri *Simonis* archiepiſcopi *Cantuariæ* peticio continebat, quod licet archiepiſcopo *Cantuarienſi* pro tempore exiſtenti in ſuis civitate & dioceſi ac provincia *Cantuariæ* in quibus apoſtolicæ ſedis legatus natus exiſtit, tam de jure quam eciam de antiqua & approbata & hactenus pacifice obſervata conſuetudine liceat in locis eciam exemptis uti pontificalibus inſigniis & crucem ante ſe deferri facere, Tamen nonnullæ perſonæ eccleſiaſticæ civitatis ac dioceſis & provinciæ prædictarum, et præſertim dilecti filii abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ordinis ſancti *Benedicti* prætendentes ſe fore exemptos & apoſtolicæ ſedi inmediate ſubjectos, in eorum locum ipſum *Simonem* archiepiſcopum ſuper hujuſmodi pontificalium uſu & crucis delacione contra juſticiam inpedire præſumunt, quare pro parte ejuſdem *Simonis* archiepiſcopi nobis fuit humiliter ſupplicatum ut providere ſibi ſuper hoc de remedio oportuno dignaremur: Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerunt nominati ſi ſe gratia, odio vel timore ſubſtraxerunt, cenſura ſimili appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere: Non obſtante ſi præfatis abbati & conventui vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari aut ad judicium evocari non poſſunt per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum mencionem. Dat. *Romæ* apud ſanctum *Petrum* iij. kal. Decembris, pontificatus noſtri anno iij.

S. Sudbu Archiep.

Et ſequitur abbatis objectio contra ſuperius petita.

« BEATISSIME pater, Devoti oratores veſtræ ſanctitatis abbas & conventus monaſterii veſtri ſancti *Auguſtini* extra muros civitatis *Cantuariæ* ordinis ſancti *Benedicti* ad *Romanam* eccleſiam nullo medio pertinentis & veſtræ ſanctitati inmediate ſubjecti, quod cum venerabilem in Chriſto patrem archiepiſcopum *Cantuarienſem* qui pro tempore fuerit per monaſterium prædictum tranſitum ſeu ad illud ut ibidem divina officia in pontificalibus celebret declinare volentem per privilegia prædeceſſorum veſtrorum *Romanorum* pontificum eiſdem abbati & conventui & eorum monaſterio conceſſa admittere non tenebantur nec tenentur, ipſique abbas & conventus ac prædeceſſores quicumque pro temporibus eorum ſucceſſivis à tempore & per tempus cujus contrarii memoria hominum non habetur, privilegia hujuſmodi obſervarunt & eiſdem uſi fuerunt pacifice & inconcuſſe, quatinus privilegia hujuſmodi confirmare, & ſi qua contra privilegia hujuſmodi à ſede ſanctitatis veſtræ emanarunt revocare dignemini gracioſe.

Verum diverſis inpedimentis in partibus exiſtentibus, nec præſulis in *Anglia* petitio nec abbatis in *Roma* defenſio votivum valuerunt ſortiri effectum, maxime cum eorum alteri adverſante fortuna neſcio an patronis noſtris vindicantibus ad majora & horribiliora erat in proximo reſponſurus. Dixerat autem abbati comminando: En domine abba, jam favente Deo ingrediar in domum tuam & adhorabo ad templum tuum, nec portæ tuæ ulterius nobis claudentur. Cui & prophetice abbas reſpondit: Pater reverende in domino ſecurus confido quod in hoc facto non aſſiſtet vobis nec copiam intrandi adminiſtrabit, ſet & quanto ferventius ad inquietandum illos ſervos Dei animum ſtimulatis, tanto celerius ſpero nobis ab alto auxilium provenire. Et ut veritas conjectoris probaretur ſic evenit ſuper eum.

An. Dñi 1380. Nam anno Domini M.CCC.lxxx. turbulenta pravorum turba de *Eaſſexia* ſurgens aſſociatis ſibi ex omni parte regni innumerabili multitudine ribaldorum juxta ſummam lx. millium, habens ductores *Johannem Straw*, *I. Bank*, *Iohannem Hales*, *Thomam Mellere* & alios horum pejores ſceleratos diſcurrit per omnia loca, innocentes comprimendo, Judices regni nobiles & viros probatos aut necando aut male tractando. Hii fregerunt carceres, liberarunt noxios, ſuccenderunt domos, proſternaverunt ædificia, hiis animo volenti ſerviebat nobilitas & prona adminiſtrabat digna poteſtas. Hii poſt ſtrages *Cantuariæ* & in locis vicinis villis eciam & opidis hujus comitatus inſtinctu diabolico ſic dampnabiliter perpetratas, apud le **Blakeheth** ſe in unum congregantes miſerunt domino regi ut ad illorum ibidem adveniret colloquium, illos & funeſta illorum facta approbando. Qui per aquam deſcendens cum vidiſſet à longe illam temerariam & incompoſitam

Rich. II. Rex.

ſitam catervam, timens ne aſcendens ad illos regiæ majeſtati periculum immineret, ſano fruens conſilio retroitum habuit, & in ſua turri *Londonienſi* ſe recepit. Unde populus in furorem verſus in die feſto corporis Chriſti curſu rapido *Londoniam* peciit, ubi totum illum diem cum nocte ſequenti inquietus populus et inpetuoſus in pulcherrimis ædificiis deſtruendis, in effuſione humani ſanguinis jugiter intentus, facto mane turrim *Londonienſem* ingreditur, et archiepiſcopum *Cantuarienſem* cum magiſtro Hoſpitalis ſancti *Iohannis* qui illis diebus Cancellariæ et Theſaurariæ regni officiis fungebantur inde extrahens xiv. die menſis Junii eodem die apud **Tourhel** capitibus privavit, et caput archiepiſcopi impoſitum ſtipiti ſuper pontem *Londonienſem* fecit affigi. Et nota quod dum hæc fallax et perniciosa ſocietas eſſet *Cantuaria* et partibus ibidem vicinis, prudens abbas ita ſapienter egit ut bona monaſterii ſui ſervaret illæſa, et ſuos amicos et vicinos abſque corporali nocumento vel facultatum deperditione ſecure cuſtodiret. Set cum hæc prophana opera fuerant ſic facta, Comites, Barones et Regni proceres ad arma recurrunt, et habito ſufficienti robore virorum bellatorum comprehendunt multitudinem illorum cum ductoribus ſuis, et ſecundum exigentiam factorum ſuorum reddiderunt illis. Et hæc Domini pernicioſo populo facientes turbatam terram quieverunt. Poſt hæc monachi corpus ſui præſulis tollentes condigno honore in ſua eccleſia ſepelierunt. Cui ſucceſſit magiſter *Willielmus Courteney* de ſede *Londonienſi* aſſumptus. Hic ad ingrediendum monaſterium mentem figens, ſuum prædeceſſorem in hoc ſequens, peciit à domino papa quod poſſet viſitare civitatem et dioceſim et provinciam ſuam et eciam monaſteria quæ ante non fuerant viſitata non obſtantibus conſtitutionibus in contrarium editis. Set prudens ſummus Dei ſacerdos ejus calliditatem animadvertens modificavit petita & reſtrinxit ſic, Servetur forma juris ne trahatur in conſequenciam: unde ſciens ſe eſſe fraudatum à deſiderio ſuo, uberius & melius ſibi provideri ſperans in futurum ſiluit, tempus majus ratum expectans. Verum quia hæc ſua peticio non ceſſit ſibi ad votum, Et quia geſtu noſtri abbatis non potuit placari, eciam forte à quibuſdam ſuorum contra nos inſtimulatus, hanc eccleſiam & in illa habitantes odio cœpit habere & modis diverſis ancillare. Unde ſtilum à tempore cujus memoria hominum non exiſtit per nos uſitatum, & à pontificibus *Cantuarienſis* eccleſiæ ſemper permiſſum & acceptatum qui talis fuit formæ: Venerabili in Chriſto patri ac Domino domino N. Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo tocius Angliæ Primati N. eadem permiſſione Abbas &c. ſalutem in Domino ſempiternam, calumpniavit & vetavit, Et quouſque ſcriptum erat ſibi per hanc formam, Reverendiſſimo in Chriſto patri ac Domino domino Willelmo Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo tocius Angliæ Primati & Apoſtolicæ ſedis legato, N. eadem permiſſione Abbas &c. Reverencias & honores tanto patri debitas, præſentatos ſibi ad eccleſias noſtras vacantes admittere penitus recuſavit.

Anno ſequenti ſecundo xxj. die menſis Maii feria iv. hora meridiana accidit terræ motus totam *Angliam* commotione conterrens. Hic feneſtram orientalem in capitulo, occidentalem in eccleſia & alia ædificia lapidea tam infra monaſterium quam extra terribiliter concuſſit & quaſſavit.

W. Courtney Archiep.

An. Dñi 1384.

Et anno Domini M.CCC.lxxxiv. memoratus archiepiſcopus exemptioni noſtræ non favens abbatem quaſi ſuæ dicioni ſubditum collectorem ſuum deputavit per formam quæ talis eſt. *WILLIELMUS permiſſione divina* Cantuarienſis *archiepiſcopus tocius* Angliæ *primas & apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto filiis abbati & conventui Civitatis noſtræ* Cantuariæ *ſalutem, gratiam & benedictionem. Literas regias nuper recepimus in hac verba: Ricardus* Dei gratia rex *Angliæ* & *Franciæ* & dominus *Hiberniæ*. Venerabili in Chriſto patri *Willelmo* eadem gratia archiepiſcopo *Cantuariæ* tocius *Angliæ* primati ſalutem. Cum vos cæterique confratres coepiſcopi & ſuffraganei veſtri ac alii prælati & clerus veſtræ *Cantuarienſis* provinciæ in ultima Convocatione prælatorum & cleri hujus in eccleſia ſancti *Pauli Londoniæ* decimo nono die menſis Decembris ultimo præterito per vos facta ad captandum noſtram regiam benevolenciam pro defenſione regni noſtri *Angliæ* & eccleſiæ *Anglicanæ* medietatem unius decimæ de beneficiis dictæ provinciæ taxatis ad decimam ſolvere conſuetis nobis conceſſeritis in quindena Paſchæ proximo futura perſolvendam, Nos volentes de medietate decimæ prædictæ juxta conceſſionem prædictam fideliter reſponderi, vobis mandamus quod aliquos viros fide dignos de clero veſtræ dioceſis pro quibus reſpondere volueritis ad dictam medietatem in dioceſi veſtra levandam & colligendam prout moris eſt deputari & aſſignari faciatis, ita quod nobis de tota pecunia ejuſdem medietatis decimæ prædictæ prædicto termino reſpondeatur, Theſaurario & Baronibus de Scaccario noſtro de nominibus illorum quos ad hoc deputaveritis citra octabas Purificationis beatæ *Mariæ* ad ultimum diſtincte & aperte certificantes, & hoc ſicut nos & honorem noſtrum ac ſalvationem defenſionemque eccleſiæ & regni prædictorum diligitis nullatenus omittatis. Teſte meipſo apud *Weſtmonaſterium* xj. die Januarii anno regni noſtri viij. *Volentes igitur dictas literas executioni debite demandari, ad exigendum, colligendum & levandum dictam medietatem decimæ de quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis noſtrarum civitatis & dioceſis* Cantuariæ *ac juriſdictionum noſtrarum inmediatarum ad decimam ſolvere conſuetarum vos Collectorem virtute hujuſmodi mandati deputamus, Mandantes quatinus totam pecuniam per vos ut præmittitur in hac parte collectam in terminis in ipſis literis comprehenſis eidem domino noſtro Regi in Scaccario ſuo fideliter perſolvatis. Ad præmiſſa vero facienda & fideliter exequenda vobis vices noſtras committimus cum cujuſlibet cohercionis poteſtate. Dat. apud* **Crittgnire** *vj. die Februarii anno Domini M.CCC.lxxxiv. & noſtræ tranſlationis iv.*

An. Dñi 1384.

Sequitur Certificatorium ad Scaccarium regis.

WILLIELMUS *permiſſione divina archiepiſcopus* Cantuarienſis *tocius* Angliæ *primas & apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in Chriſto filiis Theſaurario & Baronibus de Scaccario domini noſtri* regis

Rich. II. Rex.

regis Angliæ *&* Franciæ *ſalutem, gratiam & benedictionem. Breve regium iv. die præſentis menſis Februarii recepi in hæc verba: Ricardus* Dei gratia, ut ſupra. *Ad levandum igitur & colligendum dictam medietatem decimæ pro noſtris civitate & dioceſi ac juriſdictionibus inmediatis & eam domino noſtro Regi in Scaecario ſuo termino ſupradicto ſolvendam, Religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti* Auguſtini Cantuariæ *deputavimus collectores; quod vobis tenore præſentium ſignificamus. Dat. ut ſupra.* Mandatum archiepiſcopi, ut ſupra fit mentio, miſſum fuit ad abbatem idus Februarii & in craſtino habita concione cum ſenioribus retraditum fuit nuncio archiepiſcopi. Et abbas pro exoneratione hujuſmodi ad Concilium regis *Londoniam* petens, primo Cancellarium & Theſaurarium, deinde Ducem *Lancaſtriæ* conſulens, & pericula & privilegiorum ſuorum eiſdem formam exponens, nec à collectione prædicta valens exonerari, ne tamen auctoritate archiepiſcopali cenſeretur eſſe collector, tale mandatum aſſecutus eſt.

RICARDUS *Dei gratia Rex* Angliæ *&* Franciæ *& dominus* Hiberniæ, *dilecto ſibi in Chriſto* Michaeli *abbati ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ſalutem. Sciatis quod cum vos ac cæteri prælati & clerus* Cantuarienſis *provinciæ in ultima convocatione prælatorum & cleri hujuſmodi in eccleſia cathedrali ſancti* Pauli Londoniæ *xix. die Decembris ultimo præterito facta, ad captandam noſtram regiam benevolentiam pro defenſione regni noſtri* Angliæ *ac eccleſiæ* Anglicanæ *medietatem unius decimæ de beneficiis eccleſiaſticis dictæ provinciæ taxatis ad decimam ſolvere conſuetis nobis conceſſeritis, in quindena Paſchæ proximo futuro perſolvendam; Nos volentes de medietate decimæ prædictæ juxta conceſſionem prædictam fideliter reſponderi, Ac de fidelitate & circumſpectione veſtris plenius confidentes, aſſignavimus vos ad medietatem decimæ illius in civitate & dioceſi* Cantuariæ *ac juriſdictionibus archiepiſcopi* Cantuarienſis *inmediatis cum omni celeritate qua fieri poterit levandum, colligendum & ad opus noſtrum recipiendum, Ita quod nobis de tota pecunia medietatis decimæ prædictæ poſſeſſiones & beneficia eccleſiaſtica in civitate & dioceſi & juriſdictionibus prædictis contingente in quindena prædicta ad ultimum reſpondeatur. Et ideo vobis mandamus diſtrictius quo poſſimus injungentes, quod circa levationem & collectionem medietatis decimæ prædictæ in locis prædictis diligenter intendatis, & nobis inde ad ſcaccarium noſtrum in quindena prædicta ad ultimum ſub incumbenti periculo reſpondeatis. Damus autem tenore præſentium firmiter in mandatis univerſis & ſingulis tam prælatis quam aliis viris eccleſiaſticis in civitate & dioceſi & juriſdictionibus prædictis beneficiatis & poſſeſſionatis, quod porciones ipſos ratione medietatis decimæ prædictæ contingentes vobis ad opus noſtrum prompte & indilate ſolvant ut tenentur, quam vicecomitibus, majoribus, ballivis, miniſtris & aliis fidelibus noſtris infra libertatem & extra, quorum intereſt quod vobis in omnibus quæ levationem & collectionem medietatis decimæ prædictæ accelerare poterunt intendentes ſint, conſulentes & auxiliantes quociens & prout ipſos ſeu eorum aliquem ſuper hoc ex parte noſtra duxeritis requirendos. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud* Weſtmonaſterium *xxij. die Februarii anno regni noſtro viij.*

W. Courtney Archiep.

Unde auctoritate prædictarum dominus abbas ſcripſit ſingulis decanis mandatum ſuum in hæc verba: « *MICHAEL* abbas S. *Auguſtini Cantuariæ* Collector medietatis unius decimæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus *Cantuarienſi* archiepiſcopo inmediatis in ultimâ convocatione prælatorum & cleri *Cantuarienſis* provinciæ in eccleſia cathedrali ſancti *Pauli Londoniæ* xix. die Decembris ultimo præterito domino noſtro regi conceſſæ decano de *M.* ſalutem. Virtute literarum patentium domini Regis ad medietatem unius decimæ antedictæ colligendam, levandam & ad opus ipſius domini regis recipiendam nobis directarum vobis mandamus firmiter injungentes, quatinus cum omni celeritate qua poteritis moneatis & efficaciter inducatis omnes & ſingulos viros & perſonas eccleſiaſticos tam exemptos quam non exemptos, tam Religioſos quam ſeculares, bona ſeu beneficia eccleſiaſtica ad decimam taxata in dioceſi *Cantuarienſi* ſive juriſdictionibus archiepiſcopi *Cantuarienſis* inmediatis infra decanatum veſtrum qualitercumque optinentes, quod ipſi & eorum ſinguli de ſingulis bonis & beneficiis ſuis antedictis nobis ſolvant in monaſterio noſtro *Cantuariæ* medietatem decimæ ſupradictæ in feſto Annunciationis beatæ *Mariæ* proximo ſequenti ſine ulteriori delatione ſub incumbenti periculo, & quid feceritis in præmiſſis nos citra feſtum ſancti *Gregorii* certificetis literis veſtris patentibus harum ſeriem continentibus. Dat. in monaſterio noſtro *Cantuariæ* ſub ſigillo quo utimur in collectis, ultimo die menſis Februarii anno regni Regis *Ricardi* viij.

Certificatorium ex parte decani.

« Venerabili in Chriſto patri ac domino Domino *Michaeli* permiſſione divina abbati monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ſuus humilis & devotus *N.* de *P.* decanus de *B.* obedienciam & reverenciam tanto patri debitas cum honore. Mandatum veſtrum reverendum anno domini Regis infraſcripto cum ea qua decuit reverencia ſub eo qui ſequitur tenore vj. die menſis Marcii recepi. *Michael* abbas S. *Auguſtini* &c. Cujus mandati auctoritate omnes & ſingulos viros & perſonas eccleſiaſticos tam exemptos quam non exemptos, & tam religioſos quam ſeculares, bona ſeu beneficia eccleſiaſtica ad decimam taxata ſaltem in decanatu de *B.* qualitercumque obtinentes præmunivi & efficaciter induxi ſingillatim, & in genere juxta tenorem mandati veſtri reverendi, quod ipſi & eorum ſinguli prout infra vobis aut alio forſan à vobis interim collectore deputando in monaſterio veſtro *Cantuariæ* medietatem decimæ ſupradictæ in feſto Annunciationis beatæ *Mariæ* proximo ſequenti ſine ulteriori dilatione ſub incumbentis periculi pœna perſolvant indilate; & ſic mandatum veſtrum reverendum ſum reverenter ut decet executus. Script. &c. anno Domini Regis infraſcripto. In cujus rei &c. ſigillum officii decani de *B.* præſentibus eſt appenſum &c.

Taxa

Rich. II. Rex.

Taxa Spiritualium Abbatiæ S. *Auguſtini.*

Taxa.	Medietas decimæ.	Quadrans de Taxa.
Ecclesia de **Sturepe** in decanatu *Cantuariæ* xiij.li. vj.s. viij. d.	xiij.s. iv.d.	v.d.
Ecclesia ſancti *Pauli Cantuariæ* in eodem decanatu viij.li.———	viij.s.	iij.d.
Ecclesia de **Chiſtelet** in decan. de **Weſtbere** xxiij. li. vj.s. viij.d.	xxiij.s. iv.d.	viij.d. ob. q.
Ecclesia de **Menſtre** in eodem decanatu Cxxxiij.li. vj.s. viij.d.	vj.l.xiij.s.iv.d	iv.s. ij.d.
Ecclesia de **Preſtone** in decanatu de **Bregge** xx.li.——-——	xx.s.	vij.d.q.
Ecclesia de **Lytleborn** in eodem decanatu xx. li.———	xx.s.	vij.d.q.
Ecclesia de **Cantwarden** in decanatu de **Cherryng** xx. li.——— ——	xx.s.	vij.d. q.
Ecclesia de **Lenham** in decanatu de **Sutton** xxiij.li. vj.s. viij.d.	xxiij.s. iv.d.	viij.d. ob.q.
Ecclesia de **Kenintoн** in decanatu de **Cherryng** xx. li.———	xx.s.	vij.d.q.
Ecclesia de **Middilton** in decanatu de **Sydingborne** xxvj.li. xiij.s. iv.d.	xxvj.s.viij.d.	x.d.
Ecclesia de **Faverſham** in decanatu de **Oſprenge** xxxvj.li. xiij s. iv.d.	xxxvj.s.viij.d	xiij.d. ob.q.
Ecclesia de **Sellyng** in eodem decanatu xx.li.——— ———	xx. s.	vij.d.q.
Ecclesia de **Wydelysberge** in decanatu de **Lymene** xvj.l. xiij.s. iv.d.	xvj.s. viij.d.	vi.d. q.
Ecclesia de **Stone** in eodem decanatu xx.li.———	xx, s.	vij.d.q.
Ecclesia de **Broclonde** in eodem decanatu xiij.li. vj.s. viij.d.	xiij.s. iv.d.	iij.d.
Camerarius in parochia de **Dale** in decanatu *Sandwici* xxx.s.——— ———	xviij.d.	ob.
Idem Camerarius in **Caſtlangdon** in eodem decanatu iv.li.——— —	iv.s.	j.d. ob.
Item idem in parochia de **Ripple** in eodem decanatu lxx.s.———	iij.s. vj.d.	j.d. ob.
Item idem in **Pyſinge** in eodem decanatu xx.s.——— —	xij. d.	ob.

Summa taxæ CCCCxxiv.li. xiij.s. iv.d.

Inde medietas decimæ xxj li. iv.s. viij.d. Unde vicarii de **Kenynton** vj. s. viij.d. de **Stone** vj.s. viij.d. & de **Broclonde** v.s.iv.d. ſolvunt ad quamlibet medietatem decimæ ut patet in decanatibus de **Cherryng** & **Lymen**. Et ſic eſt medietas decimæ Spiritualium monaſterii S. *Auguſtini Cantuariæ* xx.li. vj.s.

W. Courtney Archiep.

Taxa Temporalium monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ.*

Taxa.	Medietas decimæ.	Quadrans de Taxa.
Menſtre cum redditibus & aliis pertinenc. CCxxxij. l. iv.s. iij.d.	xj.l xij s.ij.d.ob	vij.s. iij.d.
Langport cum redditibus in *Cant.* lx. li.———	lx. s.	xxij.d. ob.
Sturrepe cum reddito in *Fordwyco* xl.li. xj.s. viij.d.	xl.s. vij.d.	xv.d. q.
Chiſtelet cum pertinenciis xlij.li. x.s. ix.d.	xlij.s. vj.d. ob.	xvj. d.
Litleburne cum pertinenciis xxiij.li. viij.s.vj.d.	xxiij.s.v.d.q.	viij.d. ob. q.
Stodmerſch cum pertinenciis xv.l. iv.s. ix.d.	xv.s. ij.d. ob.q.	iij.d. ob. q.
Redditus aſſiſus in manerio de **Preſtone** xiv.li. vij.s.	xiv.s. iv.d.q.	v.d. q.

Rich. II. Rex.

Taxa.	Medietas decimæ.	Quadrans de Taxa.
Norborne cum pertinenciis xcij.li. xj.s. ij.d.	iv.li. vj.s. vj.d. ob.	ij.s. x d. ob.q.
Plumſtede cum pertinenciis lxix.li. x.s. vj.d.	lxix.s. vj.d. q.	ij.s. ij. d. q.
Redditus in **Hamelett** de **Neweſole** Cvj.s. ij.d. ob.	v.s. iij.d. ob.q.	ij.d.
Snaves, Borewaremerſch cum redditu in **Kenardynton** liiij.li. xiv.s. j.d.	liij.s. viij.d. ob.	xx.d. q.
Lenham cum pertinenciis liv.li. xv.s. x.d.	liv.s. ix.d. ob.	xx.d. ob.
Kenynton cum pertinenciis xx.li. xij.s. iv.d.	xx.s. vij.d. q.	vij.d. ob. q.
Camerarius pro **Gonſtone** iv.li. x.s. vj.d.	iv.s. vj.d.	ij.d. q.
Redditus in **Elmeſted** & **Sybertyſweld** xxxj.s. vj.d.	xviij.d. ob. q.	ob.
Redditus in parochiis de **Wardon** & **Newynton** xxj li. xvij.s. iij.d.	xxj.s. x.d. q.	
Redditus in **Wormſell, Bocton** & **Otteham** lxvij.s. vij.d. ob.	iij.s. iv.d. ob.	j.d. q.
Camerarius pro **Sellyng, Swalclyve, Ripple** & **Eaſtlangdon** xvij.li. xvj.s. iv.d.	xvij.s. x.d.	vj.d. ob. q.
Sacriſta pro **Salmyſton, Reyde, Blacmanb.** & **Wyngate** xxxiv.li. ix.d.	xxxiv.s. ob.	xij.d. ob. q.

Manerium de **Ores** in parochia de **Chiſtelet** pertinens ad cameram monachorum non decimatur, quia inter parochianos prædictæ parochiæ idem manerium eſt taxatum.

Manerium de **Dene** in parochia ſancti *Johannis* in *Thaneto* pertinens ad ſacriſtam non decimatur quia inter parochianos idem manerium eſt taxatum.

Summa taxæ Temporalium viij C. viij.li. xij.d.q. Inde medietas decimæ xl.li. viij.s.ob.

Summa Spiritualium & Temporalium Mille CC. xxxij.li. xiv.s. iv.d.ob. Et medietas decimæ lx.li. xiv.s.ob. præter x.s. pro medietate decimæ eccleſiæ parochialis de **Faverſham**. Et præter xxix.s. iv.d. pro Eccleſia de **Plumſtede** in dioceſi *Roffenſi* quæ taxatur ad xxix.li. vj.s. viij.d. Eccleſia de **Norborne** in decanatu *Sandwyci* taxatur ad xl.li. Et temporalia ibidem ad xlv.s. viij.d. ſet non decimantur quia ad opus pauperum aſſignatur ſicut *Hoſpitale ſancti Laurencii*. Temporalia ibidem xxvj.s. viij.d. Et memorandum quod prædictum Hoſpitale præter antiquam taxam ut ſupra ſalva portione inter laicos ſolvenda inter bona abbatis & conventus taxantur. Et idem abbas pro eiſdem bonis inter bona ſua ſolvere & contribuere tenetur.

W. Courtney Archiep.

Taxa Spiritualium & Temporalium abbatis ſancti *Auguſtini Cantuariæ* M.CC.xiv.li. xij.d. Deducta taxa vicariarum de **Stone, Brocklonde** & **Kenynton**. Inde decima Cxxj.li. viij.s. j.d. deducta decima prædictarum vicariarum, unde quadrans de libra taxæ xxv.s. iij d.ob. Et quadrans vero de marca xxxvij.s. xj.d.

Taxa Spiritualium & Temporalium tocius cleri *Cantuarienſis* dioceſis cum juriſdictionibus ſibi immediatis xj M. vj C.lxv.li. xiij.s.iv.d. Inde decima M. Clxvj.li. xj.s. iv.d. unde quadrans de libra taxæ ſupradictæ xij.li. iij s. q. Et quadrans de marca xviij.li. iv.s. vj.d. ob.

Taxa Spiritualium & Temporalium tocius cleri *Cantuarienſis* provinciæ Clxiv M. viij C. vij. li. xvj.s. viij.d. Inde decima xvj M. iv C. xc. li. xv.s. viij.d.q. unde quadrans de libra taxæ ſupradictæ Clxxj.li. xiij.s. vj.d. Et quadrans de marca taxæ CClvij.li. x.s. iij.d.

Taxa *Eboracenſis* provinciæ juxta Regiſtrum papæ xl.M.li. Inde decima iv.M. Et juxta regiſtrum regis xl.M. marcæ. Inde decima iv.M. marcæ.

Spiritualia & Temporalia Archiepiſcopi *Cantuarienſis* in dioceſi *Cantuarienſi* & juriſdictionibus eidem ſubjectis.

Eccleſia de **Magheſelde** in decanatu de **Southmalling** lx.li. Eccleſia de **Reycolver** in decanatu de **Weſtbere** Cxiij. li. vj.s. viij.d. Eccleſia de **Cranebrok** in decanatu de **Cherrynge** xxvj.li. xiij.s. iv.d. Temporalia ejuſdem in *Kancia* M.CCClv.li. viij.s j.d. Item idem in dioceſi *Ciceſtrenſi* CCCliv. li. xij.d.ob. Item in dioceſi *Wintonienſi* lxv.li. Item in dioceſi *Londonienſi* & **Middilſex** Cxxx.li. xv.s. Summa taxæ ij.M. Cv.li. iv.s.j.d.ob. Inde medietas decimæ Cv.li. v.s. ij d.ob.

Prioris Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ.

Temporalia ejuſdem in dioceſi *Cantuarienſi* DCClxxj.li. vij.s. viij.d. Item in dioceſi *Roffenſi* CCxcv.li.v.d. Item in dioceſi *Londonienſi, Wintonienſi, Oxonienſi, Lincolnienſi,* & *Northwicenſi* CCCxxiv.li. xvijs.j.d. Summa taxæ M.CCCxcj.li. v.s. ij.d. Inde medietas decimæ lxix.li. xj.s.iij.d.

Elemoſyna ejuſdem eccleſiæ.

Eccleſiæ de **Weſtclyve** in decanatu *Dovoria* xviij.li. Eccleſia de **Monketon** in decanatu de **Weſtbere** xxiij.li. vj.s.viij.d. Eccleſia de **Caſtry** in decanatu *Sandwici* liij.li. vj.s. viij.d. Summa lxxxiv.li. xiij.s. iv.d. Inde medietas decimæ iv.li. xiv.s. viij.d.

Item elemoſyna ibidem.

Porcio ejuſdem in eccleſia de **Monketon** xxxiij.li. vj.s.

Rich. II. Rex.

vj. s. viij. d. Portio ejuſdem in eccleſia de **Caſtry** liij.li. vj. s. viij. d. eccleſia de **Heſaltre** in decanatu de **Weſtbere** lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Fairfeld** in decanatu de **Limen**.iv. l. eccleſia de **Frenyngham** in decanatu de **Shorham** x. l. Porcio ejuſdem in **Pepeham** in eodem decanatu vj. li. xiij.s. iiij. d.

Eccleſia de **Bredgar** in decanatu de **Sydingborn** xiij. l. vj. s. viij. d.

Eccleſia pertinentes ad archidiaconatum Cantuariæ.

Eccleſia ſanctæ *Maria* in *Sandwico* viij. l. eccleſia ſancti *Clementis* in *Sandwico* Cvj. s. viij. d. eccleſia de **Hakynton** in decanatu *Cantuaria* xiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Tenham** in decanatu de **Oſprenge** Cxxxiij. l. vj. viij. d. eccleſia de **Lymin**. in decanatu de **Limin**. xx. l. Incerti proventus ejuſdem archidiaconi xx.l. Summa taxæ CC.l.inde medietas decimæ x.l.

Abbatis de bello.

Eccleſia de **Wy** in decanatu de **Bregge**, xliij. l. vj. s.viij. d.Penſio in **Kyngiſnoth** in decanatu de **Limin**.xl. s. ſacriſta de bello in **Halkherſt** in decanatu de **Cherryng**, v. s. Temporalia abbatis in decanatu *Cantuariæ* Cxcv. l. v. s. Summa taxæ CC.xl.l.xvj.s.viij. d. Inde medietas decimæ xij.l.x.d.

Abbatis de **Favyrſham**.

Eccleſia de **Bocton** in decanatu de **Oſprenge** lx.l. eccleſia de **Preſton** in eodem decanatu xix. l. xj. s. ij. d. Penſio in **Lodynham** in eodem decanatu lxvj.s.viij.d.Penſio in **Nyetwyngham** in eodem decanatu xxxiij. s. iiij. d. Temporalia ejuſdem in dioceſi *Cantuariæ* clv. l.vj. s. ij. d. Summa taxæ CCxxxiij. l.xvij.s. iv.d.Inde medietas decimæ xj. l. xix. s.xj. d. ob.

Abbatis de **Boxlee**.

Eccleſia de **Eaſtcherche** in decanatu de **Sydyngborn** xxxiij. l. vj. s. viij. d. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuariæ* lxij. l. xiiij. s. vij. d. Item pro temporalibus abbatis de **Donnes** lviij. s. iv. d. Summa taxæ xc. viij. l. xix. s. vij. d. Inde medietas decimæ iiij. l. xviij. s.xj. ob. q.

Temporalia & Spiritualia abbatis de **Langedon**.

Eccleſia de **Orene** in decanatu *Sandwici* xl. s. eccleſia de **Walmer** in eodem decanatu x. l. eccleſia de **Weſtlangedon** in eodem decanatu vj.l.xiij.s. iv. d. eccleſia de **Walwareſhar** in eodem decanatu xij. l. Decimæ in **Cohed** in eodem decanatu xxx. s. eccleſia de **Ledenn** in decanatu *Dovoriæ* vj. l.xiij.s.iv. d. eccleſia de **Tonge** in decanatu de **Sydyngborne** xxx. l. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuariæ* xxvij. l. xix. s. viij. d. Summa taxæ xciv. l. xiv. s. vj. d. Inde medietas decimæ iv. l. xiv. s. viij. d. ob. q.

Temporalia & Spiritualia Abbatis ſanctæ Radegundis.

Eccleſia de **Sybertiſwelde** in decanatu *Sandwici* ix. l. xiij. s. iiij. d. eccleſia de *Riparia* in decanatu *Dovoriæ* Cvj. s. viij. d. eccleſia de **Alkham** in eodem decanatu xiv. l. eccleſia de **Poſlynge** in decanatu de **Elham** viij. l. eccleſia de **Laiſdon** in decanatu de **Sydingborn** viij. l. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuariæ* xxvij.l. xix. s. viij. d. Summa taxæ lxxij. l. xix. s. viij. d. Inde medietas decimæ lxxij. s. xj. d. ob. q.

W. Courtney Archiep.

Temporalia & Spiritualia Prioris Roffenſis.

Eccleſia de **Hertclepe** in decanatu de **Sydyngborne** xiij.l.vj.s. viij.d. eccleſia de **Darrente** in decanatu de **Shorham** vj. l. xiv. s.iv d. Decimæ in **Wodneſbergh** in decanatu *Sandwici* xxv.s. Penſio in **Norton & Ores** in decanatu de **Oſprenge**, xxx.s. Temporalia in **Darrente** in decanatu de **Shorham** xvj. l. viij. s. iiij. d. Redditus in **Clyve** & **Grean** in eodem decanatu ix. l. Temporalia ejuſdem in *Cantuaria* & **Elham** xxxviij. s. x. d. Summa taxæ l. li.ij. s. ij. d. Inde medietas decimæ l. s. j. d. q.

Temporalia & Spiritualia Prioris Dovoriæ.

Eccleſia de **Colred** & **Popeleſale** in decanatu *Sandwici* xiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Hugham** in decanatu *Dovoriæ* xvj. l. xiij. s. iv. d. eccleſia de **Guſtone** in eodem decanatu x. l. eccleſia ſanctæ *Margaretæ* in eodem decanatu xvj. l. eccleſia de **Brokland** in eodem decanatu ix. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Apoldre** in decanatu de **Limin**. xx. l. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuariæ* Clxxx. viij. l. x. s. Summa taxæ CClxxiij. l. xvj. s.viij.d. Inde medietas decimæ xiij. l. xiij. s. x. d.

Spiritualia & temporalia Prioris de **Leves**.

Eccleſia de **Herr** in decanatu de **Weſtbere** lxvj.s. viij. d. Eccleſia de **Wodneſbergh** in decanatu *Sandwici*, xxx. l. Pro decimis ſancti *Albani* in eadem parochia ix. l. vj. s. viij. d. Penſio in **Hamme** in eodem decanatu xl. s. Decimæ eorundem in **Hertangre** in eodem decanatu vj. s. viij. d. Penſio eorundem in **Acriſe** in decanatu de **Elham**, xl. s. eccleſia de **Bergheſtede** in decanatu de **Sutton** viij. l. eccleſia de **Chart** in eodem decanatu xvj. l. xiij. s. iv. d. eccleſia de **Gutherſt** in eodem decanatu xiij. l. vj. s. viij. eccleſia de **Leves** in eodem decanatu xiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Bocton Chenſi** in eodem decanatu x. l. eccleſia de **Stokebery** in decanatu de **Sydingborne**, xxvij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Bordenn** in eodem decanatu xx. l. eccleſia de **Renham** in eodem decanatu xxvj. l. xiij. s. iiij. d. Penſio eorum in **Ores** in decanatu de **Oſprenge** viij. s. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuariæ* xxxvij. l. xviij.s. Summa taxæ CCxx. l. xij. s.viij. d. Inde medietas decimæ xj. l. vij. d. ob. q.

Prioris ſancti Gregorii.

Eccleſia de **Tanenton** in decanatu *Cantuariæ*, xj. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Northgate** in eodem decanatu lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Weſtgate** in eodem decanatu C. s. eccleſia ſancti *Dunſtani* in eodem decanatu liij. s. iv. d.eccleſia de **Natyngdone**, in eodem decanatu iv. l. Decimæ de **Ryſſhborne** in decanatu de **Weſtbere** xx. s. eccleſia de **Litingeſborne** in decanatu de **Bregge** x. l. Decimæ apud **Goldſtaneſton**, **Goſehals**, & in campo de **Herteſland**, **Holdan** juxta **Wyngham** x.l. Decimæ in **Biſſoppeſborne** in eodem decanatu xl. s. eccleſia de **Waltham** in eodem decanatu xj. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Elmeſtede** in eodem decanatu xvj. l. eccleſia de **Beatricheſdenne** in decanatu de **Cherryng** xij. l. Decimæ eorum in **Plukele** in eodem decanatu xxvj. s. viij. d. Portio eorum in **Northflete** in decanatu de **Shorham** xl. s. eccleſia de **Staleſfeld** in decanatu de **Oſprenge** xij. l. eccleſia de **Ores** in eodem decanatu iv. l. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuarienſi* xxv. li. xv. s. Summa

Rich. II. Rex.

ma taxæ Cxxxiij.l.xv. s. Inde medietas decimæ vj.l. xiij. s.ix. d.

Prioris de **Coumwelle.**

Eccleſia de **Benendenn** in decanatu de **Cherrynge** xx. l. eccleſiæ de **Thornham** & **Aldington** in decanatu de **Sutton** xiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Beawesfelde** in decanatu *Dovoria* xij.l. Temporalia eorundem in Dioceſi *Cantuaria* xx.l.xv.s.x.d. Summa taxæ lxvj.l. ij.s.vj.d. Inde medietas decimæ lxvj. s. j. d. ob.

Prioris de **Mertone.**

Eccleſia de **Patrickesborne** in decanatu de **Bregge** xxxiij. l. vj.s. viij. d. Temporalia eorundem in **Harietteſham** xxvj. s.viij. d. Summa taxæ xxxiv. l. xiij. s. iv. d. Inde medietas decimæ xxxiv. s. viij. d.

Prioris de **Bilſynton.**

Eccleſia de **Bilſyntone** in decanatu de **Limin**, xvj. l. xiij. s. iv. d. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuarie* xxxiij.l.xvj.s. v. d.Summa taxæ l. li. ix. s. ix. d. Inde medietas decimæ l. s. v.d.ob. q.

Abbatis de **Leſnes.**

Eccleſia de **Merdenn** in decanatu de **Sutton** xxvj. l. xiij.s. iv.d. eccleſia de **Niewentone** in decanatu de **Sydingborne** xxvj. l. vj. s.viij. d. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuaria* vij. l. vj. s. viij. d. Summa taxæ lx. l. xiij. s. iv. d. Inde medietas decimæ lx. s. viij. d.

Sancta Oſithæ.

Eccleſia de **Petham** cum temporalibus in eadem xx. l. xvij. s. Summa patet. Inde medietas decimæ xx. s. x. d. ob.

Abbatiſſa de **Mallynge.**

Eccleſia de **Caſtmallynge** in decanatu de **Shorham** xviij. l. Temporalia earundem in eadem villa xlv. l. Temporalia earundem in **Weſtwelle** in decanatu de **Cherrynge** lx.s.x. d. Summa taxæ lxvj. l x. d. Inde medietas decimæ lxvj s. ob.

Weſtmonaſterii.

Temporalia in *Weſtmonaſterio* in **Lodenham** xx.s. Summa patet. Medietas decimæ xij. d.

Abbatis Pontis Roberti.

Temporalia Abbatis de *Ponte Roberti* in dioceſi *Cantuaria* xij. l. x. s. x. d. Summa patet. Inde medietas decimæ xij. s. vj. d. ob.

Begehamme.

Temporalia de **Beghehamm** in dioceſi *Cantuaria* lx. s. Summa patet. Inde medietas decimæ iij. s.

Sancti Pauli London.

Temporalia ſancti *Pauli London.* in **Biernes** in decanatu de **Croidon** xij. l. Summa patet. Inde medietas decimæ xij. s.

Prioris de **Horton.**

Eccleſia de **Brabourne** in decanatu de **Elham** xxx. l. Portio eorum in **Hope** in decanatu de **Limin** lxvj. s. viij. d. Temporalia eorundem in dioceſi *Cantuaria* lxv. l. x. s. Item Prior ſolvet decimam vicariæ de **Braborne**. Summa taxæ xc.viij.l. xvj. s. viij. d. Inde medietas decimæ iv. l.xviij. s. x. d. Et præter hoc pro vicaria prædicta vj.s. qualibet medietate decimæ.

Prioris de **Drulege.**

Eccleſia de **Chilham** in decanatu de **Bregge** xl. l. eccleſia de **Thruleghe** in decanatu de **Oſprenge** xl. l. Temporalia ejuſdem in dioceſi *Cant.* xx.s.vj.d. Summa taxæ lxxxj.l. vj. d.Inde medietas decimæ iv. l. xij. d. q.

W. Courtney Archiep.

Prioris de **Folſtan.**

Eccleſia de **Folkſtone** in decanatu *Dovoria* xxvj. l. xiij. s. iv. d.Temporalia eorundem in eadem villa iij. s. iv. d. Summa taxæ xxvj. l. xvj. s. viij. d. Inde medietas decimæ xxvj. s. x. d.

Okkeborne Prioris.

Eccleſia de **Glynde** in decanatu de **Southmallynge** xiv. li. xiij. s. iv.d. Summa taxæ patet. Inde medietas decimæ xiv. s. viij. d.

Abbatis de **Gynes.**

Eccleſia de **Niewyngton** in decanatu *Dovoria* xx. l. eccleſia de **Brenſete** in decanatu de **Limin** xiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Promhelle** in eodem decanatu xiij. l. xiij. s. iiij. d. Temporalia in **Niewyntone** & *Dovoria* xxj. s.x. d. Summa taxæ xlv. l. xviij. d. Inde medietas decimæ xlv. s. j. d.

Ilde de Deu.

Eccleſia de **Upcherche** in decanatu de **Sydyngborne** xxiij. l. vj. s. viij. d. Temporalia eorundem in eadem villa xxv. s. vij. d. Summa taxæ xxiv. li. xij. s. iij. d. Inde medietas decimæ xxiv. s. vij. d.

Prioris de **Lewes.**

Redditus Prioris de **Lewis** in *Dovoria* xxj. s. viij. d. Summa patet. Inde medietas decimæ xiij.d.

Redditus fratrum de **Byntegfeld.**

In *Dovoria* xv.s. Summa patet. Inde medietas decimæ ix. d.

Abbatis de Pontiniaco.

Abbas de *Pontiniaco* habet eccleſiam de **Romene** in proprios uſus taxatam ad xx. l. Inde medietas decimæ xx. s. In decanatu de **Bregge** vicaria de **Litleborne** iv. l. vicaria de **Lithingesborne** xl.s. vicaria de **Elmeſtede** iiij. l.

Eccleſia de **Sellynge** in decanatu de **Limin** xij. li. eccleſia de **Oſprenge** in decanatu de **Oſprenge** xxiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia *beata Maria* in *Dovoria* Cvj.s.viij.d.Temporalia eorundem Cxx.l.x.d.

Domus Dei de **Oſprenge.**

Eccleſia de **Hedecrone** in decanatu de **Cherrynge** xiij. l. vj. s. viij. d. Temporalia eorundem lj. l. v. s.

Moniales de Scapeya.

Eccleſia de **Menſtre** in decanatu de **Sidyngborne** xxiij. l. vj. s. viij. d. eccleſia de **Bobbynge** in eodem decanatu vj. l. xiij. s. iiij. d. eccleſia de **Gillingham** in decanatu de **Shorham** xl. l. eccleſia de **Grean** in eodem decanatu xiij. l. vj. s. viij. d. Temporalia earundem lxvj. l. viij. s.

Prior de **Clerkenwelle.**

Eccleſia de **Sidyngborne** in decanatu de **Sidyngborne** xxiij. l. vj. s. viij.d. Temporalia earundem ibidem xl. s.

Hoſpitale pauperum Sacerdotum Cantuariæ.

Eccleſia de **Stodmerſch** in decanatu de **Bregge** iiij. l. Eccleſia ſanctæ *Margareta* in *Cantuaria* iiij. l. Temporalia eorundem vj. l.

Abbas de **Danynton.**

Eccleſiæ de **Hercheghe, Nyewyngham** & **Danynton** xij. l. eccleſia de **Burdefeld** liij. s. iiij. d. Temporalia earundem xiiij. l. vj. s. v. d.

Hoſpitale ſancta Katerinæ *juxta* Londoniam.

Temporalia Hoſpitalis ſanctæ *Katerina* juxta turrim *London.* xxj. l. x. d.

Miſter. de **Modenden.**

Temporalia miniſterii de **Modendenne** C.s.

Ho-

Rich. II. Rex.

Hoſpitale apud **Madeſtane** *archiepiſcopi.*

Eccleſia de **Sutton** in decanatu *Sandwici* xx. l. eccleſia de **Luten** in decanatu de **Sutton** Cvj. s. viij. d. eccleſia de **Ferleghe** in decanatu de **Shorham** xiij. l. vj. s. viij. d. Temporalia eorundem Cx. s. v. d.

Hoſpitale de **Eaſtbrege** *in* Cantuaria.

Eccleſia Sanctorum *Coſma* & *Damiani* in decanatu *Cantuaria* C. s.

Sancti Jacobi *in* Cantuaria.

Eccleſia de **Bradgar** in decanatu de **Sidyngborne** xiij. l. vj. s. viij. d.

Beneficia exilia ad Decimam non taxata:

In decanatu *Cantuaria* vicaria S. *Pauli* lxvj. s. viij. d. eccleſia S. *Petri* iiij. l. eccleſia omnium Sanctorum iiij. l. eccleſia ſancti *Elphegi* iiij. l. eccleſia de **Bredman** liij. s. iiij. d. Vicaria ſancti *Dunſtani* iiij. l. vicaria de **Weſtgate** iiij. l. Vicaria de **Northgate** lxvj. s. viij. d. Vicaria de **Tanenton** iiij. l. Vicaria de **Natyndon** iiij. l. eccleſia beatæ *Maria de Caſtro* lxvj. s. viij. d. eccleſia ſancti *Johannis* lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Bredene** lxvj. s. viij. d. eccleſia ſancti *Edmundi* liij. s. iiij. d. eccleſia ſancti *Michaelis* de **Burgate** cum capite de **Quengate** iiij. l. eccleſia de **Melton** lxvj. s. viij. d.

In decanatu de **Weſtbere** vicaria de **Serr** lxvj. s. viij. d. vicaria de **Seſaltre** lxvj. s. viij. d.

In decanatu *Sandwici* vicaria de **Eghethorne** iiij. l. vicaria de **Colred &c.** iiij. l. vicaria beatæ *Maria Sandwici* iiij. l.

In decanatu *Dovoria* vicaria de **Folkſtane** xxvj. s. viij. d. vicaria de **Ewell** lxvj. s. viij. d. vicaria de *Riparia* lxvj. s. viij. d. vicaria de **Guſton** lxvj. s. viij. d. vicaria de **Beawfelde** iiij. li. eccleſia ſancti *Iohannis Dovoria* lxvj. s. viij. d.

In decanatu de **Elham** vicaria de **Poſlinge** iiij. l. eccleſia de **Birchholte** lxxiij. s. iiij. d.

In decanatu de **Limin** vicaria de **Sellynge**, lxxiij. s. iiij. d. vicaria de **Prombell** iiij. l. vicaria de **Newcherche** iiij. l. eccleſia de **Orgareſwyk** iiij. l. vicaria de **Limin** lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Herſt** iiij. l. vicaria de **Romenal** iiij. l. vicaria de **Weſthethe** iiij. l.

In decanatu de **Sutton** vicaria de **Herietiſham** lxvj. s. viij. d. vicaria de **Berghſtede** lxvj. s. viij. d. vicaria de **Thornham** lxvj. s. viij. d. vicaria de **Aldyntone** liij. s. iiij. d. vicaria de **Boctone** iiij. li.

In decanatu de **Sydingborne** vicaria de **Rormerſham** lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Kyngeſdonn** iiij. li.

In decanatu de **Oſprenge** vicaria de **Sealeſfelde** iiij. l. vicaria de **Dodenton** lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Monketon**, xl. s.

In decanatu de **Cherrynge**, eccleſia de **Pette** lxvj. s. viij. d. vicaria **Beatriſdenn** iiij. l. eccleſia de **Pinenton** iiij. l.

In decanatu de **Shorham**, vicaria de **Frenyngham** lxvj. s. viij. d. eccleſia de **Felde** lxvj. s. viij. d.

Exilia de Arcubus.

Eccleſia ſancti *Dioniſii* iiij. l. eccleſia ſancti *Michaelis* in **Nele** iiij. l. eccleſia ſancti *Johannis* Evangeliſtæ lxvj. s. viij. d. eccleſia beatæ *Maria* de **Bodehawe**, lxvj. s. viij. d.

W. Courtney Archiep.

Beneficia eccleſiaſtica Prælatis vel Religioſis ſeu aliis non appropriata in dioceſi Cantuariæ *&* *juriſdictionibus inmediate ſubjectis eidem una cum taxa et medietate Decimæ ſingulorum.*

In Decanatu Cantuariæ.

Eccleſia de **Fordwych**,	vj. s. viij. d
Eccleſia beatæ *Mariæ Magdalenæ*,	v. s. iiij. d
Eccleſia ſancti *Georgii*,	vj. s. viij. d
Eccleſia de parva **Hardres**	xij. s
Eccleſia S. *Michaelis de Herbald.*	xiij. s. iiij. d
Eccleſia ſancti *Martini*,	x. s
Vicaria de **Hakyndon**,	liij. s. viij. d
Eccleſia ſancti *Nicholai de* **Herbaldowne**,	vj. s
Eccleſia ſancti *Andreæ Cantuariæ*,	viij. s
Eccleſia ſanctæ *Mildrethæ*,	v. s. iiij. d

In Decanatu de **Weſtbere.**

Eccleſia de **Weſtbere**,	vj. s. viij. d
Eccleſia de **Swalclyve**,	vj. s. viij. d
Eccleſia de **Hwyſtaple**,	xxvj. s. viij. d
Vicaria de **Chiſtelet**,	v. s
Vicaria de **Reycolver**,	xvj. s. viij. d
Vicaria de **Menſtre**,	xx. s
Vicaria ſancti *Laurentii*,	v. s.
Vicaria ſancti *Petri*,	v. s.
Vicaria ſancti *Iohannis*,	v. s. iiij. d
Vicaria de **Monketon**,	x. s.

In Decanatu de **Bregge.**

Præpoſitus de **Wyngham**,	xl. s
Canonici ibidem,	viij. l.
Eccleſia de **Stormouth**,	xij. s. viij. d
Vicaria de **Preſtone**,	iiij. s. viij. d.
Eccleſia de **Elmerſton**,	x. s.
Eccleſia de **Adeſham**,	liij. s. iiij. d
Eccleſia de **Chilyndenn.**	v. s. iiij. d
Eccleſia & vicaria de **Wycham**,	xxxviij. s. viij. d
Eccleſia de **Kyngyſtone**,	xij. s.
Eccleſia de **Biſhoppiſborne**,	xxxiij. s. iiij. d
Vicaria de **Petham**	iiij. s. iiij. d
Vicaria de **Waltham**,	iiij. s. viij. d
Eccleſia de **Chertham**,	xxvj. s. viij. d
Vicaria de **Chilham**,	vj. s. viij. d
Eccleſia de *Magna Hardres*,	xxvj. s. viij. d
Eccleſia de **Crundale**,	xj. s. iiij. d
Eccleſia de **Broke**,	vj. s. viij. d
Vicaria de **Wy**,	x. s. viij. d
Eccleſia de **Bocton Alelf**,	xl. s.
Eccleſia de **Godmerſham**,	liij. s. iiij. d
Eccleſia de **Ikham**,	xxx. s.

In Decanatu Sandwyci.

Eccleſia de **Betfreſtone**,	v. s. iv. d
Eccleſia de **Eghethorn**,	xij. s.
Vicaria de **Wodemſberghe**,	x. s
Eccleſia de **Dele**,	xx. s
Vicaria de **Eaſtry**,	x. s
Eccleſia de **Hamme**,	xj. s. iv. d
Eccleſia de magna **Mongham**,	xxx. s
Eccleſia de **Knolton**,	xiij. s. iiij. d

Vicaria

Ricard. II. Rex.

Vicaria de Northborne,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Eaſtlangedon,	x. s
Eccleſia de Rypple,	x. s
Eccleſia de Rivelyngwelde,	xvij,s. iv.d
Vicaria de Elmanſton,	x. s
Vicaria ſancti *Clementis*,	v. s
Eccleſia ſancti *Petri*,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Stonore,	v. s
Eccleſia de parva Mongham,	v.s. iv.d
Eccleſia de Betſangre,	xj.s. iv.d

In Decanatu Dovoriæ.

Vicaria de Alkham,	vj.s. viij.d
Vicaria de Hugham,	v. s
Vicaria ſanctæ *Margaretæ*,	iv.s. viij.d
Eccleſia de Charlton,	x. s
Eccleſia ſancti *Petri* in *Dovoria*,	vi. s
Eccleſia ſancti *Nicholai* ibidem,	v. s
Eccleſia ſancti *Jacobi* ibidem	v.s. iv.d
Eccleſia de Hauking,	iv.s. iv.d
Eccleſia de Serytone,	xij. s
Vicaria de Nyewyntone,	v.s. iv.d

In Decanatu de Elham.

Eccleſia de Wodyntone,	x. s
Eccleſia de Denyntone,	x.s. iv.d
Eccleſia de Elham,	lxiij.s. iv.d
Vicaria de Elham,	x. s
Eccleſia de Akryſe,	viij. s
Eccleſia de Stonting,	xlij.s. iv.d
Eccleſia de Hortone,	vj.s. viij.d
Vicaria de Brabourne,	vj. s
Eccleſia de Haſtyngleghe,	x. s
Eccleſia de Lyminge,	lx. s
Vicaria de Lyminge,	viij. s
Eccleſia de Saltwode,	xliij.s. iv.d

In Decanatu de Limene.

Eccleſia de Borewarmerſch,	ix.s. iv.d
Eccleſia de Bonynton,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Oſtinghangre,	iv.s. viij.d
Eccleſia de Kingiſnoth,	x.s. viij.d
Eccleſia de Rokinge,	xvj.s. viij.d
Eccleſia de Demecherche,	xj.s. iv.d
Eccleſia de Snergate,	xvij.s. iv.d
Vicaria de Brenſete,	iv.s. viij.d
Eccleſia de Wodecherche,	xx. s
Eccleſia de Kenartone,	xiij.s. iv.d
Vicaria de Stone,	vj.s. viij.d
Vicaria de Apuldre,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Aldyngton,	xxx. s
Vicaria de Aldyngton,	v. s
Vicaria de Broklonde,	v.s. iv.d
Eccleſia de Snaves,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de Witriſhamme,	xx. s
Eccleſia de Werehorne,	xvj.s. viij.d
Eccleſia de Newecherche,	xl. s
Eccleſia de Ivecherche,	xxxv.s. iv.d
Eccleſia de veteri Romene,	xviij.s. viij.d
Eccleſia de Blakmanſton,	v. s.
Eccleſia de Merſham,	xxv.s. viij.d
Eccleſia de Eſtbregge,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Lyde,	xxxvj.s. viij.d
Vicaria de Lyde,	xvj.s. viij.d

W. Courtney Archiep.

Eccleſia de Shaddocyſherſt,	v. s
Eccleſia de Seyneton,	x. s
Eccleſia de Orlaſtone,	v.s. iv.d
Eccleſia beatæ *Maria* in *Mariſco*,	xx. s
Eccleſia de Henyehull,	x. s
Eccleſia de Hope,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de Mydele,	iv.s. iv.d

In Decanatu de Cherryng.

Eccleſia de Frythyndenn,	x. s
Eccleſia de Sandherſt,	xxiij.s. iv.d
Vicaria de Benyngdenn,	viij. s
Eccleſia de Rolnyndenn,	xxxiij.s. iv.d
Vicaria de Rolnyndenn,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Haukherſt,	xx. s
Vicaria de Tenterdenn,	x. s
Eccleſia de Newendenn,	ix.s. iv.d
Vicaria de Hedecrone,	viij. s
Eccleſia de Haldenne,	x. s
Eccleſia de Ryvyngdenn,	xx. s
Eccleſia de Plukele,	x. s
Eccleſia de Eſtwell,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Boton Malerbe,	xx. s
Eccleſia de Weſtwell,	xl. s.
Prior *Cantuaria*,	xxx. s
Vicaria ibidem,	x. s
Eccleſia de Hothfelde,	x. s
Eccleſia de *Magna* Chart,	xx. s
Eccleſia de Eſchettiſforde,	xvj. s
Prior de Ledys,	x.s. viij.d
Vicaria ibidem,	v.s. iv.d
Vicaria de Kenyntone,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Cherrynge,	liij.s. iv.d
Vicaria de Cherrynge,	viij.s. viij.d
Eccleſia de Smerdenn,	xx. s
Eccleſia de *Parva* Chart,	xvj.s. viij.d

In Decanatu de Soutton.

Eccleſia de Heriettyſham,	xvj. s
Eccleſia de Maideſtane,	Cvj.s. viij.d
Vicaria de Lenham,	vj.s. viij.d
Vicaria de Merdenn,	vj.s. viij.d
Vicaria de Goutherſt,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Olcumbe,	xx. s
Eccleſia de Frenſtede,	x.s. viij.d
Eccleſia de Holyngborne,	xl. s
Eccleſia de Boxle,	xl. s
Prior *Roffenſis*,	xxxij. s
Vicaria ibidem,	viij. s
Eccleſia de Otham,	vj.s. viij.d
Eccleſia de Stapilherſt,	xx. s
Eccleſia de Wormeſell,	xiv.s. viij.
Eccleſia de Sutton,	xxxiij.s. iv.d
Vicaria de Sutton,	v.s. iv.d
Eccleſia de Langele,	vj.s. viij.d

In Decanaeu de Sydingborne.

Vicaria de Upcherche,	v.s. iv.d
Vicaria de Herclepe,	v. s
Vicaria de Newenton,	vj.s. viij d
Vicaria de Borden,	v.s. iv.d
Vicaria de Eſtcherche,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de Wardon,	vj.s. viij.d
Vicaria de Laiſdon,	v. s

Vicaria

Ricard. II. Rex.

Vicaria de **Sydyngborne**,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Tunſtall**,	xxiij.s. iv.d
Vicaria de **Renham**,	x. s
Eccleſia de **Halowiſtowe**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Halowiſtowe**,	iv s. viij.d
Eccleſia de **Milſtede**,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de **Wichelinge**,	xij. s
Eccleſia de **Elmele**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Middilton**,	viij. s
Eccleſia de **Morſton**,	xvij.s. iv.d
Eccleſia de **Bacchilde**,	xxij. s
Vicaria de **Bacchilde**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Tonge**,	v.s. iv.d
Eccleſia de **Bykenore**,	v.s. iv.d

In Decanatu de **Oſprenge.**

Vicaria de **Oſprenge**,	x. s
Vicaria de **Faverſham**,	xx. s
Vicaria de **Thuleghe**,	viij. s
Vicaria de **Preſtone**,	ix.s. ix.d. q
Eccleſia de **Badleſmere**,	viij.s. viij.d
Eccleſia de **Northon**,	xviij.s. viij.d
Eccleſia de **Gravene**,	v.s. iv d
Vicaria ibidem,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Oterendenn**,	vj.s. viij.
Vicaria de **Sellynge**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Bocton**,	v.s. iv.d
Vicaria de **Harnhell**,	v. s
Eccleſia de **Eſelynge**,	xl. s
Eccleſia de **Levelonde**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Tenham**	viij.s. viij.d
Vicaria de **Lyndeſtede**,	v. s
Eccleſia de **Godwynſton**,	v.s. iv.d
Eccleſia de **Bokelonde**,	viij. s.
Eccleſia de **Lovenham**,	xiij.s. iv.d
Vicaria de **Scheldwych**,	v. s

Hic incipiunt exempti.

In Decanatu de **Schorham.**

Eccleſia de **Schorham**,	liij.s. iv.d
Eccleſia de **Eynesforde**,	xx. s
Eccleſia de **Bixele**,	xx. s
Vicaria de **Bixele**,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Earde**,	xxvj.s. viij.d
Eccleſia de **Northflete**,	lxvj.s. viij.d
Eccleſia de **Mepeham**,	xxvj.s. viij.d
Vicaria de **Grean**,	x. s
Eccleſia de **Clyve**,	lxxiij.s. iv.d
Vicaria de **Farleghe**,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Huntyngdon**,	x. s
Eccleſia de **Petham**,	xxiij.s. iv d
Eccleſia de **Wrotham**,	liij.s. iv.d
Vicaria de **Wrotham**,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de **Egham**,	xiij.s.iv.d
Eccleſia de **Sevenok**,	xxxiij.s. iv.d
Vicaria de **Sevenoke**,	vj.s. viij.d
Vicaria de **Gylyngham**,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de **Penſerſt**,	xx. s
Eccleſia de **Chidyngiſton**,	xx. s
Eccleſia de **Ever**,	x. s
Eccleſia de **Bradſtede**,	xxvj.s. viij.d
Eccleſia de **Sundreſſch**,	xx. s
Eccleſia de **Chyvenyng**,	xvj.s. viij.d
Eccleſia de **Orpynton**,	xl. s

W. Courtney Archiepi.

Eccleſia de **Keſtan**,	v. s
Eccleſia de **Heſe**,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Halſtede**,	v.s. iv.d
Eccleſia de **Wodslonde**,	iv.s. viij.d
Vicaria de **Eſtmallynge**,	vj.s. viij.d

In Decanatu de **Pagham** & **Terrynge.**

Eccleſia de **Pagham**,	Cx. s
Vicaria de **Pagham**,	xvj s. viij.d
Vicaria de **Southerſtede**,	vj.s. viij.
Eccleſia de **Lovente**,	xxx. s
Eccleſia de **Tanguer**,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de **Slyndon**,	x. s
Vicaria de **Slyndon**,	iiij.s. viij.d
Eccleſia de **Terrynge**,	lxvj.s. viij.d
Vicaria de **Terrynge**,	viij. s
Eccleſia de **Petthing**,	xx. s
Vicaria de **Petthing**,	v. s

Summa xiv l. xj. s

In Decanatu de **Suthmallyng.**

Vicaria de **Maghefelde**,	vij.s. iv.d
Eccleſia de **Bocſtede**,	xxxij. s
Eccleſia de **Iſefelde**,	x. s
Eccleſia de **Coburton**,	xiv.s. viij.d
Vicaria de **Glynde**,	v. s
Eccleſia de **Stammer**,	lx.s. viij.d
Eccleſia de **Frenſelde**,	x. s
Vicaria de **Wadeherſt**,	vj.s. viij.d
Præbenda Decani in eadem,	xl. s.
Præbenda Theſaurarii,	xx. s
Præbenda Cancellarii,	xx. s
Præbenda præcentoris	xx. s
Vicaria de **Ryngemer**,	iv.s. iv.d

Summa x. l. viij. d

In Decanatu de **Bockyng.**

Eccleſia de **Bockyng**,	xl. s.
Eccleſia de **Stuſtede**,	xx. s
Eccleſia de **Hadele**,	xl. s
Porcio ejuſdem in **Boxford**,	xvi. d
Eccleſia de **Ilegh** Monach.	xx. s
Eccleſia de **Lacheſdon**,	xiij.s. iv.d
Eccleſia de **Suthcherche**,	xxvj.s. viij. d
Eccleſia de **Molton**,	vj.s. viij.d

Summa viij. l. iij. s

In Decanatu de **Riſbergh.**

Eccleſia de **Riſbergh**,	xvj.s. viij.d
Eccleſia de **Newenton**,	xxvj.s. viij.d
Eccleſia de **Halton**,	x. s
Porcio Prioris de **Walyngford**,	xij. d

Summa liiij. s. iv. d

In Decanatu de **Croydon.**

Eccleſia de **Croydon**,	xl. s
Vicaria de **Croydon**,	x. s.
Eccleſia de **Heſe**,	xxvj.s viij.d

Ricard. II. Rex.

Eccleſia de **Harwe**,	xl. s
Vicaria de **Harwe**,	vj.s. viij.d
Eccleſia de **Cheyham**,	xxiij.s. iv.d
Eccleſia de **Cherlewods**,	xiij. s. iv.d
Eccleſia de **Horſleghe**,	xij. s
Eccleſia de **Burſtowe**,	viij. s
Eccleſia de **Newenton**,	xiv.s. viij.d
Eccleſia de **Wimbſlton**,	xl. s.
Eccleſia de **Burnes**,	xiv.s. iv.d
Eccleſia de **Merſtham**,	xxiij.s. iv.d
Summa	xiij. l. xij.s. iv.d

In decanatu de Arcubus **London.**

Eccleſia ſancti *Vedaſti*,	vj.s. viij.d
Eccleſia ſancti *Dunſtani*,	viij.s. iv.d
Eccleſia ſancti *Leonardi*.	v. s
Eccleſia ſancti *Michaelis*,	vj. s
Eccleſia ſancti *Pancraſii*,	v. s
Eccleſia de **Aldermaricherche.**	iv.s. viij.
Eccleſia beatæ *Mariæ* de *arcubus*,	xiij.s. iv.d
Eccleſia *omnium Sanctorum* in **Briedſtrete**,	viij.s
Eccleſia *omnium Sanctor.* de **Greſcherch**,	iv.s.iv.d
Summa	lvj. s. iv.d

Summa preter **Schorham**, lj.l. xv.s. viij.d

	Regiſtrum papæ,	viij C.lxxxviij.li. iv.s. iv.d.ob
Cant.	Regiſtrum ſcaccarii,	viij C.lxxxvj.l. xvij.s.viij.d.ob
	Rotulus compoti,	M. C.lxvj.l. xj.s iv. d
	Regiſtrum papæ,	M. lxxxv.l. xv.s. iv.d. ob. q
London.	Regiſtrum ſcaccarii,	M. lxxxv.l. xiv.s. iij.d. q
	Rotulus compoti,	M. xlvij.l. iv.s. ij.d
Roffen.	Regiſtrum papæ & ſcaccarii,	ij C.xxxix.l. vj.s. xj d
	Rotulus compoti,	C.lxxv.l. viij.s. iv.d. q
	Regiſtrum papæ,	ij M. iij C.lvj.l. x.s. iij.d
Norwyc.	Regiſtrum ſcaccarii,	ij M. iij C.lv.l. xviij.s. iij.d
	Rotulus compoti,	ij M. iij C.xiiij.l. ix.d. q
	Regiſtrum papæ,	vj C.lxxv.l. x.s. viij.d. q
Elyen.	Regiſtrum ſcaccarii,	vj C.lxxvj.l. ix.s. xj.d. q
	Rotulus compoti,	vj C.lxxvj.l. ix.s. xj.d. q
	Regiſtrum papæ,	vj C.lxxxiv.li. q
Ciceſtren	Regiſtrum ſcaccarii,	vj C.lxxxvij.l. xiv.s.vij.d.ob.q
	Rotulus compoti,	vj C.j.l. ix.s. iv.d
	Regiſtrum papæ,	M. ij C.xxx.l. v.s. viij.d
Wynton.	Regiſtrum ſcaccarii,	M. ij C.xxiij.l. xij.s. ij.d
	Rotulus compoti,	M. C.lxxxix.l. xij.s.v.d. q
	Regiſtrum papæ,	M. iv C.xxij.l. xix.s.ix.d
Sar.	Regiſtrum ſcaccarii,	M. iv C.xxij.l. xj.s. ij.d. q
	Rotulus compoti,	M. iv C.xxj.l. vij.s. vj.d. ob
	Regiſtrum papæ,	vj C.l .li. viij.s. ix.d. ob
Bathon.	Regiſtrum ſcaccarii,	vj C.xlix.l. xviij.s.ix. d. ob
	Rotulus compoti,	vj C.xlvij.l. xij.s.ix.d. ob
	Regiſtrum papæ,	iv C.lxxxviij.l. vij.s. v.d. ob. q
Exon.	Regiſtrum ſcaccarii,	v C.xlvj.l. xviij.d
	Rotulus compoti,	iv C.lxxxxv.l. xix.s. v.d.q
W. Courtny Archiep.	Regiſtrum papæ,	vij C.xxxvj.l. vj s. iv.d. q
Wygorn.	Regiſtrum ſcaccarii,	vij C.xxxvj.l. v.s. x.d. q
	Rotulus compoti,	vij C.xxj.l. xix.s. viij.d. ob
	Regiſtrum papæ,	v C.lv.l. xj.s. vij.d.ob
Herefor.	Regiſtrum ſcaccarii,	v C.lxxxxvij.l. viij.s. ob
	Rotulus compoti,	v C.liij.l. iv.s. x.d.ob
	Regiſtrum papæ,	viij C.lxiv.l. xviij.s. xj.d. q
Coventr.	Regiſtrum ſcaccarii,	viij C.lxiv.l. xix.s.
	Rotulus compoti,	vj C.lxxxxij.l. xviij.s. xj.d. q
	Regiſtrum papæ,	iv M. Cv.l. viij.s
Lyncoln.	Regiſtrum ſcaccarii,	iij M. ix C.lxxxxj.l.x.s.vj.d.ob
	Rotulus compoti,	iijM.ixC.lxxxij.l.xviij.s. iv. d. ob
	Regiſtrum papæ,	ij C.lxxiij.l. xvj.s. viij.d.ob
Menev.	Regiſtrum ſcaccarii,	ij C.lxxiij.l. x.s. ob
	Rotulus compoti,	ij C.lxix.l. viij.s. vj.d. ob
	Regiſtrum papæ,	ij C.vij.l. xv.s. ij.d. ob.q
Landav.	Regiſtrum ſcaccarii,	ij C.vij.l. vj.s.v.d. ob
	Rotulus compoti,	ij C.vij.l. viij.s. vj.d. ob
	Regiſtrum papæ,	C.xxix.l. xj.s. vij.d
Aſſaven.	Regiſtrum ſcaccarii,	C.xxvij.l. iv.s. viij.d. q
	Rotulus compoti,	C.xxviij.l. xiv.s. iij.d
Bangor.	Papæ, ſcaccarii, & compoti,	lxxxvj. l. ij.s. vij. d
Albani	Regiſtrum ſcaccarii,	C.xij. l. xij. s. iij. d

«Nos abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ* medietatis unius decimæ domino noſtro regi per clerum ultimo conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac in jurisdictionibus domini archiepiſcopi inmediatis per dominum regem collector deputatus, recepimus de Rectore de M. C. s. in plenam ſolutionem medietatis decimæ ſupradictæ. De quibus quidem C. s. prædictum rectorem acquietamus per præſentes. Dat. *Cantuariæ* ſub ſigillo quo utimur in collectis, ultimo die menſis Aprilis anno regni regis *Ricardi* viij.

Monicio collectoris pro denariis levandis.

«*MICHAEL* abbas ſancti *Auguſtini Cantuariæ* Collector medietatis unius decimæ in dioceſi *Cantuariæ* in ultima convocatione prælatorum & cleri *Cantuarienſis* provinciæ in eccleſia cathedrali ſancti *Pauli Londoniæ* xix. die Decembris ultimo præterito, diſcreto viro Rectori eccleſiæ parochialis de **Elham** vel ſuo ibidem attornato ſalutem. Auctoritate nobis commiſſa vobis mandamus quatinus de bonis & beneficiis veſtris de quibus decimam ſolvere conſueviſtis, nobis ad opus ipſius domini regis medietatem decimæ ſupradictorum infra xiij. diem hujus menſis in monaſterio noſtro *Cantuariæ*, ſicut vos volueritis verſus dominum regem indempnem conſervare, ſolvere feſtinetis. Dat. *Cantuariæ* vij. die menſis Maii anno regni regis *Ricardi* viij.

Breve Vicecomiti quod intendat collectori.

«*RICARDUS* Dei gratia rex *Angliæ* & *Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, vicecomiti *Kan-*

Rich. II. Rex.

« cia ſalutem. Cum nuper per literas noſtras patentes aſſignaverimus dilectum nobis in Chriſto *Michaelem* abbatem ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ad medietatem decimæ nobis per clerum *Cantuarienſis* provinciæ ultimo conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus archiepiſcopi *Cant.* inmediatis cum omni celeritate qua fieri poterit levandam, colligendam, & ad opus noſtrum recipiendam, prout in eiſdem literis plenius continetur; Nos ut de medietate decimæ illius nobis celerius ſatisfiat tibi præcipimus ſub pœna indignationis noſtræ firmiter injungentes, quod eidem abbati in omnibus quæ levationem & collectionem medietatis decimæ prædictæ accelerare poterunt intendens ſis, conſulens & auxilians, quociens & prout per ipſum abbatem ſuper hoc ex parte noſtra fueris requiſitus. Et omnes illos qui ſummas, ipſos ratione medietatis decimæ prædictæ contingentes, ſolvere recuſaverint, ad ſolutionem inde prompte faciendam ad ſignificationem prædicti abbatis per diſtrictiones & alias vias & modos compellas prout melius videris expedire; Taliter te habens in executione præſentis mandati noſtri, ne retardatio ſolutionis medietatis decimæ prædictæ ſicut inde reſpondere volueris tuo defectui valeat inputari. Teſte meipſo apud *Weſtmonaſterium* xxj. die Aprilis anno regni noſtri viij.

Præceptum Vicecomitis.

« *ROBERTUS CORBY* Vicecomes *Kanciæ*, *I. de G. I. de B. M. de T.* & *W. de C.* ballivis ſuis conjunctim & diviſim hac vice ſalutem. Ex parte domini regis vobis & cuilibet veſtrum mando, quod non omittatis propter aliquam libertatem quin diſtringatis perſonam eccleſiæ de **Orlanſton**, *R. ate M.* firmarium perſonatus de **Lymynge** per omnia bona & catalla ſua temporalia ubicumque fuerint inventa in eodem comitatu. Et bona & catalla illa quæ ſic nomine diſtrictionis ceperitis ad caſtrum *Cantuariæ* ſalvo duci faciatis ibidem moratura donec præfatus perſona abbati ſancti *Auguſtini* collectori medietatis unius decimæ domino regi à clero conceſſæ de v.s. iv.d. & prædictus *Ricardus* firmarius eidem collectori de lx. s. plene ſatisfecerint. Et in caſu ſi ſuper dictos Rectorem & firmarium ſufficientes diſtrictiones non inveneritis, tunc ipſos per corpora ſua areſtari faciatis, & eos ad prædictum caſtrum ſalvo duci faciatis, ibidem moraturos donec ipſi de præfatis ſummis eidem abbati ſatisfecerint in forma prædicta. Et hoc nullatenus omittatis.

« REX Theſaurario & Baronibus ſuis de Scaccario ſalutem. Mandamus vobis quod cum dilecto nobis in Chriſto *Michaele* abbate ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, quem nuper per literas noſtras patentes ad medietatem decimæ nobis per clerum *Cantuarienſis* provinciæ ultimo conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus archiepiſcopi *Cant.* inmediatis levandam, colligendam, & ad opus noſtrum recpiendam aſſignavimus ſuper receptione medietatis decimæ computetis, & ulterius tam pro nobis quam pro ipſo abbate in hac parte fieri faciatis quod natura compoti exigit & requirit: demandæ quam eidem abbati ad computandum coram vobis de medietate decimæ illius de civitate, dioceſi & juriſdictionibus prædictis provenientis virtute alicujus certificationis in Scaccarium prædictum per venerabilem pattem archiepiſcopum *Cantuarienſem* factæ continentis, eundem archiepiſcopum præfatum abbatem ad collectionem medietatis decimæ prædictæ in locis prædictis aſſignaſſe & deputaſſe per ſummonitionem Scaccarii prædicti fieri facitis, Superſedentes omnino. Teſte meipſo &c.

W. Courtney Archiep.

De vocando abbatem ad compotum reddendum;

« *RICARDUS* Dei gratia rex *Angliæ* & *Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, vicecomiti *Kanciæ* ſalutem. Præcipimus tibi ſicut pluries, quod non omittas propter aliquam libertatem quin eam ingrediaris & diſtringas abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cant.* collectorem medietatis unius decimæ nobis à clero *Cantuarienſis* provinciæ in eccleſia cathedrali ſancti *Pauli Londoniæ* xix. die Decembris ultimo præterito conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus archiepiſcopi *Cantuarienſis* inmediatis, per omnes terras & catalla ſua in balliva tua, Ita quod nec ipſi nec aliquis per ipſos ad ea manum apponat donec aliud tibi præceperimus: & quod de exitibus earundem terrarum nobis reſpondeas. Et quod habeas corpora eorum coram Baronibus de Scaccario noſtro apud *Weſtmonaſterium* in craſtino ſanctæ Trinitatis ad reddendum nobis compotum de medietate prædicta. Et habeas ibi tunc hoc breve. Teſte *Roberto de Pleſynton* apud *Weſtmonaſterium* xv. die Maii anno regni noſtri viij. per rotulum memorandorum de anno viij. *Hillarii* Recorda.

Inter Recorda de Termino ſanctæ Trinitatis anno viij. regis *Ricardi* ſecundi, ex parte rememoratoris regis inter alia continetur ſic. Præceptum fuit vicecomiti *Kanciæ* per breve ſub ſigillo hujus Scaccarii datum xvj. die Maii ultimo præterito, quod diſtringat abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cantuariæ*, quos venerabilis pater *W.* archiepiſcopus *Cantuarienſis* tocius *Angliæ* primas per literas ſuas patentes deputavit collectores medietatis unius decimæ regi à clero *Cantuarienſis* provinciæ in eccleſia ſancti *Pauli Londoniæ* xix. die Decembris ultimo præterito conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus archiepiſcopi inmediatis, ſicut continetur alibi in hiis memorandis, videlicet inter Recorda de termino ſancti *Hillarii* per terras &c. Ita &c. in craſtino ſanctæ Trinitatis hoc Termino ad reddendum regi compotum de medietate prædicta. Et idem vicecomes ad eundem retornavit breve, quodque prædicti abbas & conventus diſtricti ſunt, unde exitus &c. Et prædicti abbas & conventus ad eundem diem venerunt per *Willelmum de Thorne* commonachum & attornatum ſuum, & exhibuerunt curiæ quoddam breve regis de magno ſigillo ſuo quod eſt inter communia de hoc Termino in hæc verba: *RICARDUS Dei gratia rex* Angliæ *&c. Theſaurario & Baronibus ſuis de Scaccario ſalutem. Mandamus vobis &c.* ut ſupra.

Et tenor literarum patentium de quibus fit mencio ſuperius in brevi ſequitur in hæc verba: *RICARDUS Dei gratia &c. Dilecto ſibi in*

Rich. II. Rex.

Chriſto Michaeli *abbati ſancti* Auguſtini *&c.* ut ſupra. Et dicit ulterius prædictus abbas quod ipſe levavit & collegit medietatem prædictam virtute literarum regis patentium prædictarum & non vigore commiſſionis prædicti archiepiſcopi, & petit quod ipſe admittatur ad computandum de dicta medietate virtute earundem literarum regis juxta tenorem brevis regii ſupradicti. Cujus brevis prætextu prædictus abbas admiſſus eſt ad computandum &c. Et præſtitit ſacramentum de bene & fideliter computando de medietate prædicta. Poſtea percomputavit de eadem medietate ſicut continetur in rotulo compotorum de decimis. Ideo verſus ipſum abbatem non fiat hic ulterius executio.

Compotus *Michaelis* abbatis ſancti *Auguſtini Cantuariæ* collectoris medietatis unius decimæ regi à clero *Cantuarienſis* provinciæ in eccleſia ſancti *Pauli Londoniæ* xix. die Decembris anno viij. conceſſæ in civitate & dioceſi *Cantuariæ* ac juriſdictionibus archiepiſcopi *Cantuarienſis* inmediatis ad hoc per literas regis patentes datas xxij. Februarii dicto anno viij. irrotulatas in memorandis de anno viij. regis hujus, videlicet inter Recorda de Termino ſanctæ Trinitatis ex parte Rememoratoris regis, & ſuper hunc compotum reſtitutas deputato fratris *Willelmi Thorne* commonachi & attornati ipſius abbatis pro eo, ſicut continetur in eiſdem memorandis inter attornatos de Termino Paſchæ, videlicet de eadem medietate.

COMPOTUS.

Idem reddit compotum de CCCC.xliv.li. ij.s. ij.d. q. receptis de medietate decimæ bonorum ſpiritualium & temporalium cleri dictæ dioceſis *Cantuariæ*, infra quam ſummam ſunt lxvij.l. xv.s. v.d. de medietate decimæ bonorum temporalium archiepiſcopi *Cantuariæ* in eadem dioceſi ſicut continetur in rotulo de particulis taxationis bonorum prædictorum hic in theſauro exiſtente. ET de xv. li. xviij s. xj.d. receptis de medietate decimæ prædictæ, videlicet ix.l. xix.s. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium exiſtentium in decanatu de **Croydon** in dioceſi *Wyntoniæ*, qui decanatus eſt de juriſdictione prædicta lxv. s. de medietate decimæ temporalium archiepiſcopi *Cantuarienſis* ibidem & xlij s xj. d. de medietate decimæ temporalium Prioris eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* xij.s. de medietate decimæ temporalium capituli ſancti *Pauli Londoniæ* ibidem, ſicut continetur in rotulo de particulis taxacionis bonorum prædictorum hic in theſauro exiſtente. ET de xlv.l. xv.s. iv.d. ob. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium & temporalium cleri in decanatu de **Southmallyng** & **Pagham**, viz. xxvij.l. viij.s. iv.d. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium exiſtentium in eiſdem decanatibus de **S.** & **P.** in dioceſi *Cyceſtrenſi*, infra quam ſummam ſunt v. marcæ de medietate decimæ eccleſiæ de **Terringe** in decanatu de **Suthmallyng** taxatæ ad C. marcas, quæ eccleſia eſt juriſdictio per ſe & vocatur decanatus de **Terrynge** per ſe ut idem Collector dicit, xiij.s. de medietate decimæ vicariæ de **Terrynge** in decanatu de **Storghton** & **Paſſyng** in decanatu de **Arundel**, & xvij.l. xiv.s. ob. de medietate decimæ bonorum temporalium archiepiſcopi *Cantuarienſis* ibidem: qui decanatus & loca ſunt in juriſdictione prædicta ſicut continetur in rotulo de particulis taxationis bonorum ſpiritualium cleri dioceſis *Ciceſtrenſis* hic in theſauro exiſtente. ET de viij.l. v.s. x.d. q. de medietate decimæ eccleſiarum de **Illeye** monachorum **Haddeleye** & porcionis Rectoriæ de **Haddeleye** in eccleſia de **Boxford** in decanatu ſubur. eccleſiæ de **Moleton** vicariæ ejuſdem in decanatu de **Fordham**. Temporalium eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* in **Boxford**, **Ketelbarton**, **Hetham**, **Haddeleye**, **Illeye** in decanatu ſubur. & **Aythers** in decanatu de **Boſemere** in dioceſi *Norwycenſi* ſicut continetur in rotulo de particulis taxationis bonorum ſpiritualium & temporalium cleri *Norwycenſis* dioceſis hic in theſauro exiſtente. Quæ quidem beneficia ſunt in decanatu de **Bocking** ut idem collector dicit. ET de xxv.l. xvj.s. iij.d.q. receptis de medietate decimæ prædictæ, videlicet vj.l. x.s. ix.d. de medietate decimæ temporalium archiepiſcopi *Cantuarienſis* in archidiaconatibus **London** & **Middleſex** lxj.s. iv.d. de medietate decimæ beneficiorum exiſtentium in decanatu de arcubus **London** C.s. de medietate decimæ beneficiorum exiſtentium in decanatu de **Bockyng** in archidiaconatu *Eſſexiæ* lxxj.s. de medietate decimæ eccleſiarum de **Harwes** & **Heſe**, vicariæ de **Harwes** & porcionis monachorum de *Roffa* in eccleſia de **Heſe**, quæ beneficia ſunt de inmediata juriſdictione archiepiſcopi *Cantuarienſis* vij.l. xiij.s. ij.d. q. de medietate decimæ contingente bona Prioris eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* in dioceſi prædicta, quæ ſunt de eadem juriſdictione in dioceſi *Londonienſi* ſicut continetur in rotulo de particulis taxacionis bonorum cleri dioceſis *Londonienſis* hic in theſauro exiſtente. ET de iv.l. xviij.s. vij.d. ob. q. receptis de eadem medietate decimæ bonorum temporalium Prioris eccleſiæ Chriſti *Cant.* in decanatu de **Ryſberg**, & de liv.s. iv.d. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium exiſtentium in eodem decanatu in dioceſi *Lincolnienſi*, quæ beneficia ſunt in eadem juriſdictione ſicut continetur in rotulo de particulis taxationis bonorum cleri ejuſdem dioceſis hic in Theſauro exiſtente. ET de xxxviij.l. viij.s. iv.d. ob. q. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium & quorundam temporalium in decanatu de **Schorham** in dioceſi *Roffenſi*, qui decanatus eſt de eadem juriſdictione, videlicet xxxiv.l. xvj.s. de medietate decimæ bonorum ſpiritualium dicti decanatus, & de lxxij.s. iv.d. ob q. de medietate decimæ temporalium Prioris *Roffenſis* in **Darrenth**, **Clyve**, & **Grean**, Abbatiſſæ de **Mallyng** in **Mallyng**, & **Eaſtmallyng** cum hameletto Prioris ſancti *Gregori Cantuariæ* in **Northflete**, ſicut continetur in rotulo de particulis taxacionis cleri in dioceſi *Roffenſi* hic in theſauro exiſtente.

W. Courtney Archiep.

Eodem anno M.CCC. lxxxiiij. procuravit abbas exonerari ſe de quadam commiſſione dudum ſibi directa pro inſolencia illius peſtiferæ ſocietatis *Johannis Straw*, ne virtute commiſſionis prædictæ gravaretur in exitibus verſus ſcaccarium regium. Cujus forma ſic ſe habet.

« REX Theſaurario & Baronibus ſuis de Scaccario ſalutem. Licet per literas noſtras patentes aſſignaverimus dilectum nobis in Chriſto *Michaelem* abbatem ſancti *Auguſtini Cant.* & certos alios fideles noſtros conjunctim & diviſim ad pacem noſtram in comitatu *Kanciæ* & ſingulis partibus ejuſdem, tam infra libertates quam extra,

« integram & illæſam viis & modis quibus convenit cuſtodiendum & cuſtodiri faciendum, & ad quædam alia in eiſdem litteris noſtris contenta faciendum & exequendum prout in eiſdem litteris noſtris quarum tenorem vobis ad ſcaccarium prædictum in extractis cancellariæ noſtræ nuper miſimus plenius continetur. Quia tamen idem abbas ſe de aliquibus in litteris noſtris prædictis contentis hactenus minime intromiſit, ſicut coram nobis in cancellaria noſtra prædicta certitudinaliter eſt teſtatum: Vobis mandamus quod demandæ quam eidem abbati quem certis de cauſis licitis & honeſtis de quacunque hujuſmodi aſſignatione exonerari volumus, ad liberandum vobis ad ſcaccarium prædictum aliquas extractas finium, exituum, amerciamentorum ſeu catallorum forisfactorum coram fidelibus noſtris prædictis in ſeſſionibus ſuis adjudicatorum ſeu exnunc adjudicandorum prætextu alicujus hujuſmodi aſſignationis noſtræ per ſummonitionem ſcaccarii prædicti fieri facitis, ſuperſedeatis omnino. Et diſtrictionem ſi quam eidem abbati ea occaſione feceritis totaliter relaxari faciatis indilate: Proceſſum nichilominus verſus alios fideles veſtros qui prætextu aſſignationis hujuſmodi intromiſerint pro extractis illis vobis liberandis per ſummonitionem ſcaccarii illius debite facientes. Teſte me ipſo apud *Weſtmonaſterium* xxv. die Novembris anno regni noſtri octavo.

Anno ſequenti *Gallica* gens cum ſuo rege collecta navium multitudine apud *le Sclus*, credens propter diſcordiam in regno prætextu cujuſdam potentiſſimi viri ſubortam cui *Simon Burley* erat nomen, qui & regis camerarius, *Dovorenſis* caſtri conſtabularius & cuſtos quinque portuum & comitatus ſimiliter exiſtebat, navigio ſuo hanc terram invadere, ipſam vaſtare & ejus gentem extirpare pariter & delere linguam. Unde præfatus *Simon* regnum regens falſo favens *Francorum* regi regem noſtrum ad *Scotos* debellandos partes occidentales appetere coegit, donans per hoc regi adverſario liberum introitum ad has partes & facere ibi quæ placita erant illi; Set Deus optimus meritis Sanctorum *Canciales* defendentium noſtri regis innocentiam proditoriſque conjecturas aſpiciens, in *Cantuaria* vento in everſum flante claſſim regiam portum prædictum exire vetabat, quo in tempore multa millia adverſariorum fame deleti ſunt. *Simon* vero callidus & verſipellis ſimulans ſe horum formidare potentiam & fingens omnia ſalvo velle tueri, ſuæ avariciæ conſulens, non reliquias ſet divitias, non cœleſte theſaurum ſet inæſtimabile martyris aurum ſitiens, ſanctum *Thomam* ſua tunica precioſa viis & modis quibus potuit diverſis vicibus cum effectu ſpoliare conatus eſt, & eam cum aliis jocalibus noſtris in ærarium ſuum *Dovoriæ* deferre; allegans quod hæc omnia illuc allata ſecurius forent quam in civitate non murata. Set ſanctis nolentibus, monachis eciam orantibus & viriliter reſiſtentibus, ſuo propoſito Deo volente fruſtratus receſſit inanis.

Interim *Simon* dolens de vento, xviij. galeas de navigio prædicto accerſivit, quæ patriam girantes, illam magno dedere terrori: Nam inſulam circumgirantes, villam de **Stonore** per ipſos prius depopulatam igne cremarunt, quam abbas ſalvaſſet ſi de **Nordborne** per *Sandwycum* liberum paſſagium habuiſſet. Abbas ſic ab illis repulſus, volens bona ſua & tenentium ſuorum Deo juvante ſalvo cuſtodire, nocturno tempore per *Fordwycum* & **Sturreye** viam obliquando per magnos labores ad inſulam uſque pervenit. Cujus adventum adverſarii cognoſcentes, inſulam reliquerunt intactam. *Simon* vero non dormiens ſet ad malum mente vigilans, nova fraude concepta, ut prædictis galeis ad inſulanos facilius aditus daretur applicandi, fieri mandavit patentes literas quæ talem continent formam.

RICARDUS Dei gratia rex Angliæ *&* Franciæ *& dominus* Hiberniæ, *dilecto & fideli ſuo* S. *de* Burley *conſtabulario caſtri ſui* Dovoriæ *& cuſtodi quinque portuum ſuorum vel ejus locum tenenti ibidem, ſalutem. Sciatis quod cum certitudinaliter intelleximus inimici noſtri* Franciæ, Iſpaniæ, Flandriæ *&* Britanniæ *& alii ſibi adhærentes inter ſe alligati & undique hoſtiliter congregati multimode quærant & conjecturent, qualiter coſteras regni noſtri* Angliæ *deſtruere valeant & de cauſa diverſa coſteras ejuſdem regni accumulato toto poſſe ſuo ad eas & fidelem populum noſtrum deſtruendum & munitiones & fortalicia ſuper coſteris illis exiſtentia capienda & occupanda invadere apponant infra breve, niſi eorum propoſito ſalubrius reſiſtatis: Nos malicia hujuſmodi inimicorum noſtrorum gratia mediante divina reſiſtere ac pro ſalvatione & defenſione regni & fidelium noſtrorum prædictorum circumqnaque diſponere & ordinare volentes, aſſignamus vos ad proclamari faciendum infra villam de* Sandwyco *& ſuburbio ejuſdem, quod omnes & ſinguli infra villam & ſuburbia prædicta commorantes & omnes alii terras, tenementa vel poſſeſſiones ibidem habentes, ſub pœna inpriſonamenti corporum ſuorum & omnium aliorum quæ nobis forisfacere poterunt, infra eandem villam cum eorum famulis & ſervientibus pro ſalvatione & defenſione ejuſdem villæ & partium adjacentium fortiori modo quo poterunt commorentur, vel gentes ſufficienter munitas et arraiatas juxta quantitatem terrarum & tenementorum ſuorum ibidem ac facultatum ſuarum inveniant ſuper ſalvatione & defenſione villæ prædictæ continue moraturas. Et ad omnes illos quos in hac parte poſt proclamationem prædictam contrarios inveneritis ſeu rebelles areſtandos & capiendos, & priſonis noſtris mancipandos in eiſdem moraturos, & ad omnia bona terras & tenementa ſua in manum noſtram capienda & ſalvo & ſecure cuſtodiri facienda, quouſque aliter inde per nos & conſilium noſtrum duxerimus ordinandum &c. In cujus rei teſtimonium &c. anno regni noſtri nono.*

Miſit inſuper & ex ore regis ore locutus abbati ut retraheret ſe cum ſua fortitudine de inſula prædicta, eo quod eſſet terra in proximo perdenda cum ille non poſſet agere contra impetum inimicorum jam ſupervenientium, ſet cum omni feſtinantia villam de *Sandwyco* cum toto poſſe ſuo inſulam relinquendo ſecum cuſtodiret. Hoc autem totum factum eſt ut inſula per *Francos* ſic capta auctoritate regia præfato *Simoni* daretur & eccleſia iſta de eadem perpetualiter privaretur. Set magnanimus abbas nec terrore inimicorum percutitur, nec blandimentis proditoris ſeducitur. Set ſua & tenentium ſuorum bona cuſtodiendo inperteritus permanſit cum illis, malens inter eos mori quam declinando videre mala gentis ſuæ. *Gallici* vero inter hæc fame & aliis miſeriis attenuati navalia ſua linquentes abierunt ad loca ſua.

Rich. II. Rex.

Set adhuc *Simon* ſemper odio habens abbatem adhuc ſuam apponens maliciam ipſum feriis, mercatibus & aliis commoditatibus privare volens et manerium ſuum de **Preſton** præferre, literas regias optinuit, talem quæ continent formam :

REX Archiepiſcopis, &c. ſalutem. Sciatis nos de gratia noſtra ſpeciali conceſſiſſe & hac carta noſtra confirmaſſe dilecto & fideli militi noſtro Simoni de Burley *ſubcamerario noſtro, quod ipſe & heredes ſui imperpetuum habeant unum mercatum ſingulis ſeptimanis per diem Veneris apud manerium ſuum de* **Preſton** *in comitatu* Kanciæ, *& unam feriam ibidem ſingulis annis per tres dies duraturam, videlicet in feſto ſanctæ* Mildredæ *virginis & per duos dies proximo ſequentes cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ad hujuſmodi mercatum & feriam pertinentibus, niſi mercatum illud & feria illa ſint ad nocumentum vicinorum mercatorum & vicinarum feriarum. Quare volumus & firmiter præcipimus pro nobis et hæredibus noſtris quod prædictus* Simon *et hæredes ſui imperpetuum habeant prædicta mercatum et feriam apud prædictum manerium de* **Preſton** *cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus ad hujuſmodi mercatum et feriam pertinentibus, niſi mercatum illud & feria illa ſint ad nocumentum vicinorum mercatorum, et vicinarum feriarum ſicut prædictum eſt. Hiis teſtibus anno regni noſtri* ix.

Set ad majorem miſeriarum ſuarum confuſionem tradidit, immo vendidit *Francorum* regi, inito inter eos pacto, pro certa pecunia omnes terras tranſmarinas cum villa de *Caleys*, caſtrum *Doveriæ* cum omnibus villis & caſtris uſque ad pontem *Roffenſem*, quæ omnia ſcripto regio & quorundam aliorum fraudulenter fecit roborari. Set & abbati viva voce comminatus eſt ut ipſum & eccleſiam ſuam de inſula de *Thaneto* ſub pœna capitis ſui perpetualiter exhæreditaret. Servos eciam in maneriis ipſorum & eorum tenentes tempore meſſium & aliis temporibus eciam multum arduis vexavit, & ut rebelles graviter multavit, & ſine cauſa incarceravit. Hæc & his ſimilia cum idem ſic in regno perpetraſſet, & tam graviter offendiſſet Deum & Sanctos ejus, turbaſſet regnum & populum illius, cum non eſſet homo qui ſuæ auderet reſiſtere voluntati, eo quod omnia haberet in manus, ſubito quaſi per majores regni capitur, & per eos de ſuis ſceleratis factis ſibi male conſcius ad mortem ſentencialiter damnatur, & per mediam civitatem *Londoniæ* manibus poſt tergum ligatis reus ducitur, & in præmium omnium laborum ſuorum apud **Tourhel** xv. die menſis Maii poſt annum & tres menſes à morte abbatis ſupradicti capite truncato cecidit operator iniquitatis. Hujus dies niſi Deus vel ejus ſervus *Auguſtinus* abbreviaſſet noſtra poſſeſſio jacturas graves ſuſtinuiſſet. Set Deus omnipotens *Simonis* propoſitum tollens, ipſum pœna mortis antedictæ juſte præmiavit, ergo benedictus ipſe qui tam cito delevit impium.

CAP. XLII.

An. Dñi 1386.

ANno ſequenti videlicet M.CCC.lxxxvj. abbas *Michael* poſt labores, tribulationes, tædia & dolores in quibus per xj. ferme annos monaſterio præfuit gubernator xj. die menſis Februarii finem ſumens vitæ hoc ſeculum reliquit, & in capitulo ex parte *Auſtrali* obſcure jacet humatus. Hujus tempore quoddam magnum hoſpicium in vico pontis *Londonienſis* quod *Rogerus Schyrbroke* divino ductus amore paulo ante nobis contulerat fuit alienatum. Quæ quidem alienatio huic monaſterio non parum obfuit, nam alios nobis taliter benefacere volentes ab hujuſmodi facto fecit continere manus. Poſt quem reverendus vir frater *W. WELDE* decretorum Doctor ultimo die menſis ſupradicti per viam compromiſſi in paſtorem electus eſt.

W. Courtny Archiep.

Hic in ſuis primordiis fortuna volente graves operum ſuorum ſuſtinuit dilationes. Nam primo cum dominus Rex pro licencia eligendi ab eodem habenda de neceſſitate requiſitur, hunc in **Notyngham** monachi legati invenerunt. Dehinc cum facta electione, regiæ majeſtati oportuit ſe præſentari, ultra *Lincolniam* invenit. Demum expeditis expediendis ibidem prima die menſis Aprilis in Cantaria de **Doge** hoſpicio ſe recepit. Evolutis inde xviij. diebus ut negocium tam arduum & ſumptuoſum videretur quaſi oblivioni fore datum, & quod ulterius nullus ad horam opponeret manus, tandem frater *Willelmus Thorne* à præfato electo & conventu ſæpiſſime rogatus & intime requiſitus, ſuper ſe hoc opus ſuſcipiens, procurator ſeu inſtructor electionis prædictæ per capitulum ſolus conſtitutus eſt. Qui receptis literis regiis & dominorum cum licencia paſſagii ad laborem ſe dedit, hunc ad transfretandum in partibus vicinis contrarius impedivit ventus; tranſitum apud **Orwelle** petens eciam ventus obſiſtens ipſum licet ibidem diebus viij. moram ſuſtinens tranſire non permittebat. Tandem apud **Zyrykels** v. die menſis Maii navim conſcendens ad *Middelborg* perductus eſt. Inde ſtatim iter arripiens ad civitatem *Lucanam*, ubi tunc dominus Papa cum ſua curia reſidebat, die S. *Barnabæ* apoſtoli devenit. Tunc captata temporis opportunitate cum amicis & proſecutoribus quibus in *Anglia* fuerat aſſignatus cum litteris prædictis ad ſummum pontificem acceſſit negocium ſuum exponens in hæc verba :

BEATISSIME Pater, devoti oratores veſtri ſcilicet Prior & conventus monaſterii veſtri S. Auguſtini Cant. *veſtræ ſanctitati immediate ſubjecti humillime ſe recõmendant pedibus ejuſdem ſanctitatis. Et quia pater ſancte ſuo monaſterio abbate jam deſtituto præfati Prior & conventus canonice ſibi unum elegerunt, ipſius confirmationem cum omni gratia et favore humilius quo poſſunt et audent ſupplicant et exorant humiliter et devote.*

Et reſpondit ſic, *Tu eris expeditus ſi non fuerint impedimenta.* Subſequenter poſt, magnifico viro magiſtro *Bartholomæo de Novaria* inter advocatos apoſtolicæ curiæ non minimo, procuratoribuſque & promotoribus electis & conſtitutis conpetentique mercede retentis, ad flebile principium præfatus *Bartholomæus* in præfato negocio advocatus qui & horum negociorum factor principalis, cui & in negociis promovendis in curia non erat apud ſummum pontificem ſecundus, tercia die ſequenti ad *Bolonienſes* nuncius papalis miſſus eſt, ubi & ſtetit uſque ad nativitatem virginis *Mariæ*, in quo tempore Papa properabat ſe tranſire ad *Peruſinos*. Interim dominus Papa in prædicto negocio juxta juris ordinem ſervatis ſervandis procedere volens, domino *Reynoldo de Brancaſiis* diacono cardinali cupido & avaro ac Simoniaca labe ad plenum reſperſo, non citra feſtum Aſſumptionis beatæ virginis anno ſequenti vivæ vocis oraculo commiſit, ut de omnibus & ſingulis

præfatæ

Ricard. II. Rex. præfatæ electionis articulis plene ſe informaret, & ipſo demum ſic informato præfato pontifici reperta plane referret. Ad quem ſtatim poſt idem *Willelmus* procurator, cognita commiſſione ſic ſibi facta, captato tempore adjunctis ſibi nobilioribus nationis *Anglicanæ* omnia jura, actus & munimenta prædictam electionem concernentia obtulit, præſentavit, devote ſupplicans, & in quantum ad ipſum pertinuit declaravit, ut cauſam per ſummum pontificem noviter ſic ſibi commiſſam dignaretur celerius expedire. Quibus receptis & utcumque ſuperviſis reſpondit. Iſta littera *Græca* eſt, reſcribatur in melius & iterum nobis tradatur. Quibus ex integro reſcriptis & retraditis, idem commiſſarius tradidit auditori ſuo, ſibi moribus & condicione ſimili, præfatum negocium ad audiendum & illius reperta tempore debito ſibi ad referendum: unde idem cardinalis prout habuit in mandatis in præfato negocio procedere volens, fecit citare teſtes non minus quam octo ſive inſtructores qui ad probandam electionem producti, quæſitum fuit ab eis qualiter fuit proceſſum poſt mortem ultimi abbatis, An traditus fuerat ſepulturæ antequam tractatus fuerat habitus de futuro abbate. An dies fuerat præfixus ad eligendum, & quis dies, & an omnes vocati fuerant qui erant vocandi ad electionem. Item, an dies fuerat præfixus cum continuatione dierum. Item, qualiter fuerat proceſſum in electione. Item, ſi invocata fuerat Spiritus ſancti gratia antequam opus inciperent. Item, per quem modum fuerat proceſſum in eadem. Item, ſi electus conſenſerit electioni & quo tempore, videlicet ante electionem publicatam vel poſt. Item, an rex præſtitit aſſenſum electioni. Item, infra quod tempus poſt conſenſum ejus præſtitum arripuit iter ad ſedem apoſtolicam pro confirmatione petenda. Item, de perſona electi cujus ætatis. Item, ſi ſit expreſſe profeſſus. Item, an ſervus an liber Item, ſi legitimus vel non. Item, ſi ſit competentis litteraturæ. Item, ſi ſobrius, manſuetus, ſi prudens in ſpiritualibus & temporalibus. Item, ſi maturus in geſtu vel levis. Item, ſi ſit zelator ſui ordinis. Si ſit notatus publice de aliquo crimine, & præcipue de aliquo de ſeptem principalibus. Item, ſi fuerat aliqua conſpiracio vel convencio per aliquos fratres ſuos de eo eligendo. Item, ſi ſit irregularis propter aliquem defectum ſeu factum proprium. Item, ſi fuerit curialis immediate ante ingreſſum ſuum. Et ad omnia iſta probanda teſtes producti primo jurabant qualiter ſciverunt quæ dixerunt. Quorum aliqui noticiam electi habentes & aliqui ad informationem procuratoris edocti ſatis lucide depoſuerunt ſuper prætactis. Iterum non defuit quaſi continua ſollicitacio penes cardinalem & ejus auditorem pro cauſa ſupradicta cum magnis donis & diverſis diverſa vice eiſdem præſentatis ad valorem C. florenorum. Quibus non ſatis contenti dixit cardinalis, En curia eſt in motu: In iſtis igitur partibus nichil ultra faciam. Et cum à pluribus nobilium virorum pluries rogaretur ut ad promotionem cauſæ ibidem tunc ageret, Nichil citra *Peruſium* promiſit ſe acturum.

An Dñi. 1388. Ad quam civitatem die ſancti *Mathæi* apoſtoli anno M.CCC.lxxxviij. iter arripiens primo die menſis Octobris cum curia papali devenit tandem, ibidem curia ad tempus ſtabilita, Idem *Willelmus* procurator multociens per ſe, ſæpe cum amicis præcipui honoris & non ſemel cum advocato antedicto, & interdum cum omnibus nobilioribus nationis *Anglicanæ* accedens expeditionem negocii ſuppliciter petiturus, & ut compateretur eidem monaſterio occaſione tam prolixæ vacationis eciam ſupplicando. W. Courtney Archiep. Quibus reſpondit ſe per viam proviſionis libenter facere relationem, alio modo non. Nam litera regis pro eligendo electo contra reſervationem apoſtolicam in partibus factam, cum proviſioni apoſtolicæ tanta beneficia & talia notorie conſiſtunt reſervata, de non veniendo ad curiam ad ſubiciendum ſe examini deteſtabilis veſtri regis prohibitio, Et abſens procuratorium illius electi prætenſi cum aliis impedimentis quæ occurrunt in compertis volunt privationem vel electionis caſſationem vel ſaltem de gratia apoſtolicam proviſionem. Ad hæc ſic reſponſum erat.

Reverendiſſime pater &c. Licet hoc præſens negotium tot ſuſtineat defectus & multipliciter fuerit viciatum, tamen ob reverentiam Dei intuitu caritatis & ſi placet noſtrarum precum interventu ne præfatum monaſterium finaliter decumbat in expenſis, dignemini hiis facere finem referendo domino noſtro quæ fuerint referenda ex bona parte. Quibus ita dixit, Libenter faciam finem quatenus ad nos attinet, & cum tempus venerit dicam domino quæ viderim dicenda. Unde ultimo die conſiſtoriali ante natale Domini retulit defectus ſuperius annotatos & alia impedimenta quamplura, quæ averterunt oculos papæ ne faceret judicium neque juſticiam.

Interim de aviſiamento & conſilio amicorum muneribus eciam præmiſſis & acceptis oblata fuit eidem ſupplicatio ſive informatio de ſtatu monaſterii formam continens ſubſequentem:

Reverendiſſimæ paternitati veſtræ ſupplicat veſter orator ac ſervitor humilimus procurator monaſterii S. Auguſtini Cant. *quatinus dignemini de ſtatu ejuſdem quin pocius lamentabili caſu dominum noſtrum benignius informare, & præcipue ſuper incommodis quæ ſequuntur. Inprimis quod à vacatione ejuſdem quæ incepit iij. idus Februarii elapſi ſunt duodecim menſes & duæ inſuper ſeptimanæ, qua vacatione durante dominus rex* Angliæ *horum fundator occaſione temporalium C. marcas omni menſe recipit ab eiſdem. Et ſumma ſolvenda eidem regi pro rata temporis à dictis idibus uſque ad diem lunæ proximo jam elapſum ſe extendit ad* M.CC.l. *marcas, præter id quod debetur curiæ domini noſtri papæ. Item monaſterium prope litus maris in ſe & in ſuis maneriis ſituatum anno dictam vacationem proximo præcedente cum cuſtodia maris abbate ibidem perſonaliter tunc exiſtente cum ducentis lanceis & quingentis arcitenentibus, propter* Francos & Flandrenſes *qui terram* Angliæ *deſtruere intendebant fuit oneratum in ſexcentis marcis. Item quod durante hujuſmodi perſecutione uſque ad obitum dicti abbatis & electionem novi & eciam diu poſt, exiſtentibuſque in mari pluribus navibus cum hoſtibus oneratis inſidiantibus* Anglicis *ut ipſos abducerent captivos, prohibuit dictus rex dicto Electo tranſitum hac de cauſa, ne perſona dicti Electi quæ tunc temporibus quartanis vexabatur ſicut adhuc vexatur ſicut ſatis probabitur hiis diebus, ob laborem itineris invaleſcente infirmitate periclitaretur in via, & ſic monaſterium de novo relictum exponeretur irrecuperabili caſui & ruinæ. Item tempore vacationis antedictæ conferente rege omnes eccleſias de patronatu ejuſdem fruſtrantur proviſores ſuis bullis, nec eis prodeſt proviſio domini noſtri,*

Rich. II. Rex.

ſtri: ubi electo confirmato gauderent ut ſolito apoſtolica gratia & favore. Item quod tempore vacationis dominus rex prædictus recipit eſcaeta & feoda militaria ac alios proventus. Quæ una cum debitis antedictis ſe extendit ad multa plus quam ad decem mille florenorum præter expenſas procuratoris jam in curia exiſtentis. Iſta igitur pater reverende conſiderare dignemini oculo compaſſionis, & ſuper calamitoſa onera & quaſi importabilia dicto loco effundere viſcera veſtræ pietatis, notificantes & plenarie exponentes domino noſtro incommoda antedicta. Et moveant veſtram reverendam paternitatem primo quod beatus Auguſtinus *primus patronus ejuſdem monaſterii & fundator miſſus ab iſta ſancta ſede per beatum* Gregorium *totum populum prædicti regni convertebat ad fidem & ad hujus ſacræ ſedis catholicam unitatem, A cujus tempore & à principio ſuæ fundationis exemptum fuit à juriſdictione cujuſcunque inferioris, & velut quoddam peculium huic ſedi ſanctiſſimæ reſervatum. Moveat inſuper veſtram reverendam paternitatem ipſa conditio exemptionis quæ notatis iſtis oneribus & protelata diutina expectatione confirmationis videtur multum eſſe gravior quam ſit alia conditio in non exemptis, quibus videtur melius eſſe non eximi quam tantis oneribus prægravari. Moveant inſuper veſtram reverendam paternitatem ſanctorum reliquiæ per beatum* Gregorium *eidem ſancto loco legatæ & eciam corpora Sanctorum in dicto loco repoſita ad numerum octodecem ibidem quieſcentia, pro quibus Deus operari miracula non deſinit eciam in hunc diem.*

Ad omnia iſta idem opturatas tenens aures tamen ſic reſpondit, « Si rex veſter ut dicitis ſtante vaca« tione tanta facit & tollit, apponatis remedia unde « poterit ſentire levamen. Ego retuli domino noſtro « & feci in iſto quod ſcivi fore utile, exoneravi me, « amodo conſulatis eum. Per hæc verba quidam amicorum voluerunt ut plura ſibi darentur. Sed prudens advocatus ſciens ejus intentum inhibuit factum ne fieret major deperdicio pecuniarum. Set & dixit, « Bene ſcivi quod diabolus tradidit nos in manus « ejus. Veruntamen aſcendam hiis diebus & videbo « quid in iſto negocio ſentiat dominus. Procurator « vero cum lacrimis ajebat, Dominus tecum pater.

An. Dñi 1377.

W. Courtney Archiep.

Tunc videns procurator præfatus quod non eſſet in hiis ulterius fatigare cardinalem ſolummodo, ad papam fecit recurſum, Ad quem noſtræ nationis ſpectabiles perſonæ quaſi omni ſeptimana exactiſſimam fecerunt diligentiam. Et præter hos dominus princeps *Capuæ* nepos domini Papæ per dominum *Johannem Beltoſter* capitaneum eccleſiæ *Anglicanæ* affectuoſe requiſitus ut non obſtante reſervatione quæ communi aſſenſu quondam inter ſanctæ recordationis dominum *Gregorium* xj. prædeceſſorem ſuum & dominum *Edwardum* avum regis moderni caſſata fuit ut ſub anno Domini M. CCC. lxxiij. fuerat conceſſum, quod reſervationibus in eccleſia *Anglicana* amodo uti ſe nolle promiſit, ut expediretur in *Anglia* non deſinit eidem ſupplicare. In quorum præſentia eidem procuratori cum vehementi indignatione dixit, « Rex tuus præcepit quod non « veniat electus ille. Ego volo quod compareat & « examini ſe ſubiciat. Alio tempore idem procurator cum ambaſſiatore regis *Yſpaniæ*, & ducis *Lancaſtriæ*, & domino *Johanne Beltoſter* ſupradicto acceſſerunt ad papam, aſſerentes literas ſuorum regum ſe recepiſſe pro expeditione electionis ſupradictæ, ſupplicantes ſanctitati ſuæ ob reverentiam regum prædictorum ſine perſonali comparicione expediretur in *Anglia*. Ad quos papa reſpondit. « Bene « ſcimus quod iſte monachus ſtat pro eodem ne« gocio, & quod multæ litteræ intervenerunt pro eo« dem; ſet quia audivimus turbationem inter regem « & barones ſuos & multa ſiniſtra de perſona electi, « & quod cederet eccleſiæ *Romanæ* in præjudicium, « abſque perſonali comparicione non intendimus « ipſum confirmare, ne daretur poſteris in exemplum. Et commiſit præfato cardinali de novo pro eo quod idem electus perſonaliter non venerat ad electionem ſuam proſequendam ut de jure artatus erat, quod ipſum per edictum publicum citaret in *Romana* curia poſt lecturam in audiencia puplica palacii apoſtolici & in partibus vicinis citra mare, videlicet in eccleſiis collegiatis S. *Petri* de **Middelbourg**, & S. *Livini* in **Zereſée**, ut infra quatuor menſium ſpacium poſt puplicationem prædictam in locis prædictis notorie factam quod compareat perſonaliter ad allegandum & oſtendendum jus quod prætendit habere in dicta electione, alioquin cederet à jure quod prætendit ſe habere in electione prædicta. Hoc edictum affixum fuit valvis palacii apoſtolici in civitate *Peruſina* ultimo die menſis Junii anno Domini M. CCC. lxxvij. Set in locis maritimis ſupradictis ad inſtantiam amicorum non citra feſtum exaltationis ſanctæ Crucis.

Tunc videns fidiſſimus advocatus per hanc ſummi pontificis diffinitionem quod negocium iſtud talem conſequeretur finem, & quod oporteret electum tædia & viarum diſcrimina pati ad præſens & ſic intrare in ſuam requiem, & quod eſſet ſecurius prævenire tempus quam incaute præveniri, incontinenti ad cautelam futurorum ante puplicationem prædictæ citationis in illis partibus per unum menſem miſit pro eodem in hæc verba:

PATER reverende, Monachus veſter quem miſiſtis ad curiam pro optinenda confirmatione veſtræ electionis laboravit inceſſanter tam in Luca *quam hic apud Papam commiſſariumque hujus negocii Cardinalem & alios de nacione ita fideliter & diligenter ſicut vires ſubminiſtrabant. Videns tandem quod amplius in hoc non profeciſſet eo quod finaliter eſſet per dominum Papam in cauſa prædicta concluſum, quod non intenderet providere vobis niſi ad curiam perſonaliter accedatis, tunc commiſit Cardinali de* Brancaſiis *qui fuit commiſſarius veſter, quod vos per edictum perſonaliter citaret ut infra quatuor menſes perſonaliter ad curiam veniretis ad ſubiciendum vos examini & dicendum pro vobis de jure virtute electionis competenti, alias procedet contra vos ad annullitatem prætenſi juris veſtri. Iſta eſt in effectu forma citationis decreta. Et licet fuerant maxima inſtancia facta ne dicta tranſiret citacio ſet dictam electionem confirmaret, nullo modo potuimus proficere. Tamen non dubito quod veſtra præſentia in curia exiſtens omnia tollet. Unde ortor veſtram reverendam paternitatem quod non tædeat vos laborare. Spero indubie quod de ea conſolatus recedetis, alias timeo quod negotium hoc licet male indebite terminetur. Deo teſte tantum pro iſta cauſa feci quantum umquam pro aliqua alia immo longe plus, & non diviſi aliquid quod ſciveram ad ipſius expeditionem valere. Scriptum in* Peruſio *ultimo die menſis Maii.*

Tunc

Rich. II. Rex.

Tunc pro certo ſciens procurator ſæpedictus quod labor ultra appoſitus eſſet inanis ad perſequendum ulterius negocium prædictum, ne videretur interim otio vacare, ad inveſtigandum de ſtatu monaſterii montis *Merteti* animum dedit. Sciebat enim hoc monaſterium C. xx. florenorum annua ſolutione per illud onerari. Neſciebat vero an in proſperis votive & rerum affluenciis vel tedioſe in adverſis & bonorum copia carentes ſuam ducerent vitam, maxime cum à C. xx. annorum ſpacio non fuit à quoquam de hoc monaſterio de quo exibat tam gravis annualis penſio viſa ſeu illorum habitacio cognita. Unde directis ad quoſdam amicos qui erant *Romæ* ſuper facto prædicto epiſtolis, ut ipſi per ſe vel per alios prudentes ad locum prædictum accedentes manſum viderent, monachos alloquerentur, & ſuper præmiſſis cum eiſdem ſapienter tractarent, & tractata fideli relatione ad ipſum in *Peruſio* litteratorie referrent. Quo demum facto, talem recepit reſponſionem. Monaſterium montis *Merteti* diſtat à *Roma* per xxiv. miliaria, & ſituatur juxta *Biletre* ſuper *Nimpham*, & eſt deſertum & deſolatum propter guerrarum turbines, & ille locus de *Mertete* eſt una cella dependens à monaſterio ſanctæ Trinitatis per unum miliare extra villam de *Core* diſtans. Non ſunt in prædicto monaſterio nec in dicta cella ſuper *Nimpham* niſi duo monachi tantum, ſi fas ſit eos monachos vocare, quia in omnibus ſunt ribaldi, qui neque regulam neque ordinem in aliquo ſervant monachorum, ſet reſident in tabernis lociſque inhoneſtis, quorum vitam nefandum eſt audire vel mores ſequi, ſet & hiis qui miſſi fuerant unus qui alio videbatur eſſe ſenſu ſanior nomine *Jacobus* reſpondit, quod non poſſent vendere vel alienare illam penſionem nec jus in illa, niſi haberent abbatem catholicum. Set ſe *Romam* in proximo eſſe venturum affirmavit de prædicto negocio cum eiſdem planius ibidem tractaturus. Qui terminum ſtatutum obſervans, ad *Peruſium* eidem fratri *Willelmo Thorne* in feſto ſancti *Jacobi* apoſtoli miſſus eſt, ſet quia Papa ut ſolito pedes habens veloces locum non inveniens ad figendum eos, cum per decem menſes inter *Peruſinos* tantum reſidiſſet, ipſos ſicut ante *Lucanos* cito faſtidiens, ix. die menſis Auguſti anno ſequenti cum validiſſima bellatorum manu verſus *Neapolim* iter arripuit, & itinerando *Viterbienſes* relinquens eciam & *Romanos* puplice deteſtans uſque ad *Ferenciam* ſolito paſſu progreſſus eſt, nec ulterius timore abbatis monaſterii caſtri *Caſſini* & comitis *Fundorum* procedere valens, licet invitus, ad *Romanos* die decollationis S. *Johannis* ſe divertit. Ubi de ſupradicto negocio per præfatum *Willelmum* nuper incepto in *Peruſio* & per motum curiæ ad horam interrupto, eundem fratrem *Jacobum* iterata vice reconvenit ſuper negocio antedicto, ſperans per hujuſmodi tractatum aliquid boni huic monaſterio proventurum. Erat namque idem *Jacobus* ſpiritu elacionis inflatus ſuper proprio eciam cœnobio præferri gaudens, et juxta nominis ſui interpretationem fratrum ſupplantator; nam tactis ſacroſanctis eidem *Willelmo* juravit, ut ſi poſſet agi ad depoſitionem abbatis ſui, Antipapæ pro tunc adhærentis, & eum ſuis fratribus inſciis ad regimen promovere, quod iniret fœdus componendi cum eodem in prædicto negocio præincepto, juxta votum. Et in ſecuritatem præmiſſorum tradidit eidem evidentias & inſtrumenta quibus præfatam penſionem ſoliti erant annuatim vendicare de nobis, uſque ad optatum finem cuſtodienda. Quod attendens procurator antedictus, & ſciens eum nimis ambitioſe livore fatigari, cœpit agere cum domino vicecancellario & aliis quorum intererat de privatione abbatis ſciſmatici, iſtum ſubrogando. Unde laboribus & aliquibus expenſis in negocio prædicto appoſitis, ſciſmatico reprobato, *Jacobus* apoſtolica proviſione inductus eſt, & à præfato vicecancellario die S. *Bricii* munere benedictionis, immo maledictionis præventus ſub nomine paſtoris regimen ribaldorum ſuſcipiens eciam ribaldus permanſit inveteratus.

W. Courtney Archiep.

Forma tamen ſui inſtrumenti ſive evidentiarum de quibus hic ſuperius fit mencio talis eſt. *IN NOMINE Domini Amen.* Hoc eſt exemplar cujuſdam privilegii bullæ plumbatæ papalis pendentis filis ſericis. In cujus bullæ ſculptura ex una parte apparebant duo capita, & inter ea quædam crux, & ſuper ea capita literæ infraſcriptæ ſcilicet *Paulus* & *P.* ex alia vero parte litteræ infraſcriptæ *Alexander* papa iv. Cujus privilegii tenor per omnia talis eſt:

« *ALEXANDER* Epiſcopus ſervus ſervorum
« Dei, dilectis filiis abbati & conventui monaſterii
« ſancti *Angeli* de monte *Merteti Floren.* ordinis
« *Velletrenſis* dioceſis ſalutem, & apoſtolicam bene-
« dictionem. Petitio veſtra nobis exhibita contine-
« bat quod vos ex ſpeciali felicis recordationis *Gre-*
« *gorii* papæ prædeceſſoris noſtri indulto eccleſiam
« veſtram de **Littleborne** *Cantuarienſis* dioceſis
« abbati & conventui ſancti *Auguſtini Cantuariæ*
« ad firmam perpetuam conceſſiſtis, prout in litteris
« confectis exinde plenius continetur; Nos itaque
« veſtris precibus inclinati, quod in hac parte pro-
« vide factum eſt ratum habentes, id autoritate a-
« poſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patro-
« cinio communimus, litterarum ipſarum tenorem
« de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes.
« Ut igitur idem tenor omnimodam rei ſeu facti cer-
« titudinem faciat ſic incertus, autoritate noſtra
« decrevimus ut illud robur eamque vim eundemq;
« vigorem per omnia habeat & retineat quæ præ-
« dictæ literæ roboratæ ſigillo, & eadem prorſus
« ſibi fides adhibeatur quæ ipſis litteris adhibetur,
« & quandocunque & ubicunque ſive in Judicio ſive
« alibi fuerit exhibitus & oſtenſus, ſtetur ei firmiter
« in omnibus ſicut eiſdem ſtaretur litteris ſi forent
« exhibitæ vel oſtenſæ, ac plenam & firmam fidem
« per omnia faciet ac ſi originale ſive ipſæ litteræ
« adhiberentur.

Tenor vero producti talis eſt.

NOVERINT univerſi preſentes litteras viſuri vel audituri, quod hec eſt conventio facta inter fratrem Deodatum *monachum monaſterii ſanctæ* Mariæ *de Gloria* Anagnin. Floren. *ordinis procuratorem abbatis & conventus monaſterii ſanctæ* Mariæ *de* Monte Merteti Velletrenſis *dioceſis ejuſdem ordinis ad hoc ſpecialiter conſtitutum ex una parte, & religioſos viros abbatem & conventum beatorum* Petri & Pauli *ſanctique* Auguſtini Anglorum *apoſtoli* Cantuarienſis *ex altera, videlicet dictus procurator conceſſit ad firmam perpetuam dictis abbati & conventui* Cantuarienſem *eccleſiam de* **Littleborn** Cantuarienſis *dioceſis cum omnibus pertinenciis ſuis pro xxx. marcis bonorum novorum & legalium ſterlingorum, xiij. s. iv. d. pro marca qualibet computanda, in duobus anni terminis ſolvendis ad eccleſiam ſanctæ* Trinitatis Londoniæ *dicti monaſterii*

Rich. II. Rex.

ſterii ſanctæ Mariæ de Monte Merteti *certo nuncio, ejuſdem loci acquietancias deferenti & eas procuratori dictorum abbatis & conventus ſancti* Auguſtini *reſignanti, ſcilicet in media quadrageſima xv. marcas & in kalendis Junii xv. marcas: Ita quod ſi prædicti abbas & conventus monaſterii ſanctæ* Mariæ *de* Monte Merteti *vel eorum procuratores pro dicta pecunia recipienda in terminis prænotatis præſentes non fuerint, abbas & conventus ſancti* Auguſtini *deponent dictam pecuniam ad opus prædictorum Abbatis & Conventus monaſterii ſanctæ* Mariæ *de* Monte Merteti *in theſauraria dictæ eccleſiæ ſanctæ* Trinitatis Londoniæ *coram Priore vel ſuppriore & tribus vel quatuor canonicis ejuſdem loci fide dignis, prædicti abbas & conventus jam dicti monaſterii de* Monte Merteti *vel eorum certo procuratori eorum litteras patentes ſpecialiter deferenti & eas procuratori dictorum abbatis & conventus ſancti* Auguſtini *reſignanti ſine qualibet aſſignando. Prædicti vero abbas & conventus S.* Auguſtini Cant. *omnia onera dictæ eccleſiæ de* **Littleborn** *ordinaria & debita ſive per collectam regiam ſive per guerram, ſive per ignem in omni eventu quicquid evenerit ſuſtinebunt, Illis dũtaxat exceptis oneribus quæ vicarius dictæ eccleſiæ de* **Littleborn** *qui pro tempore fuerit ſecundũ vicariã à venerabili patre domino* Ottone *apoſtolicæ ſedis legato taxatam ſuſtinere tenetur. Iſtis eciam exceptis oneribus quæ ſedem tangunt apoſtolicam, quæ ſi forte contingant dicti abbas & conventus monaſterii ſanctæ* Mariæ *de* Monte Merteti *ea ſuſtinebunt niſi ſe per gratiam ſedis apoſtoliæ ſpecialem poſſint in hac parte relevare. Si vero dicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini *in ſolutione dictæ pecuniæ terminis prænotatis ut dictum eſt defecerint, omnia dampna & expenſas quæ vel quas dicti abbas & conventus monaſterii ſanctæ* Mariæ de Monte Merteti *propter hoc incurrerint, dicti abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *plene eis refundent, ſuper quibus ſtabunt ſolo verbo Abbatis vel Prioris ſanctæ* Mariæ *de* Monte Merteti *ſine alterius onere probationis, niſi per ipſos vel eorum nuncium hoc ſteterit. Renunciante omni juris auxilio quod eis competere poterit contra hoc inſtrumentum vel factum, & legis prohibitioni & litteris apoſtolicis contra hanc conventionem impetratis ſive impetrandis. Pro hac vero conventione fideliter obſervanda ſæpedictus abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *præfato monaſterio ſanctæ* Mariæ de Monte Merteti *ſe & ſucceſſores ſuos & monaſterium ſuum intus & foris verbo veritatis obligaverunt. Quando autem hac convencio facta fuit dictus procurator frater* Deodatus *monachus ad omnia ſupradicta facienda ſpecialiter conſtitutus litteras domini papæ & litteras dictorum abbatis & conventus monaſterii beatæ* Mariæ *de* Monte Merteti *cum litteris eorundem abbati & conventui ſancti* Auguſtini Cantuariæ *reſignavit. In quibus expreſſe continebatur quod earum auctoritate dictam eccleſiam de* **Littleborne** *ad perpetuam firmam viris religioſis tradere potuit & aſſignare. Et ſic dictus abbas & conventus ſancti* Auguſtini Cantuariæ *dictam firmam præmiſſo modo ſe fideliter ſoluturos promiſerunt. Ita dictus procurator* Deodatus *nomine monaſterii ſanctæ* Mariæ de Monte Merteti *omnimodam firmæ promiſit waranciam. Quæ ſi alterum monaſteriorum prædictorum contra præmiſſa in aliquo venire præſumpſerit ab hac convencione reſiliens, parti alteri C. marcas ſterlingorum nomine pœnæ perſolvet, hoc nichilominus Inſtrumento robur perpetuæ firmitatis optinente. Facta eſt autem hac convencio anno Domini M.CC.xlj. pontificatus domini* Gregorii *papæ noni anno quintodecimo, menſe* Aprili. *In cujus rei teſtimonium huic ſcripto cirographi prædictorum abbatis & conventus* S. Auguſtini Cantuariæ *& fratris* Deodati *procuratoris ſigilla alternatim una cum ſigillis Prioris ſancti Gregorii, archiepiſcopi* Cant. *ſunt appenſa.*

W. Courtney Archiep.

Interea dum hæc ſic agebantur in curia, ecce Deo duce ſæpedictus electus die S. *Edmundi* regis ad eos ſanus advenit, de itinere & labore tam grandi utcumque refocillatus die ſanctæ *Katerinæ* ſalutatione per modum ſermonis ſapienter præmiſſa præſentiæ apoſtolicæ ſe offerens honorifice acceptatus eſt, & in craſtino per privatum Conſiſtorium eſt confirmatus per hæc verba: Item dominus noſter nolens in præſenti vacatione duntaxat monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ordinis ſancti *Benedicti* reſervationibus ſuis uti, electionem factam ad illud de perſona fratris *Willelmi* ipſius monaſterii monachi confirmavit, de gratia ſpeciali omnes ſuplendo defectus ſi qui forſan commiſſi fuiſſent in electione prædicta. Et die ſanctæ *Luciæ* virginis in eccleſia ſancti *Petri* quæ eſt ibidem inter feſta præcipua dies celeberrimus ad requiem ſancti *Gregorii* doctoris pontificali more munere benedictionis cum magna ſolempnitate eſt inſignitus, Dominos alioſque valentes eodem die decentiſſime convivando.

Iſtis ad votum ſic celeriter expeditis, prædicti moderni abbates in tractatu per ſæpedictum *Willelmum* in *Peruſio* dudum incepto procedere volentes, poſt multos tractatus tandem convenerunt in hanc formã:

« In nomine Domini Amen. A nativitate ejuſdem An. Dñi 1389.
« M.CCC.lxxxix. pontificatus &c. menſe Januarii
« die decima, in præſencia providi & diſcreti viri
« *Johannis Bown Anglici*, & mei *Pauli* notariorum
« & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter
« vocatorum & rogatorum reverende in Chriſto pater
« *Jacobus Andree Cole Angeli* de *Core* abb.
« monaſterii ſancti *Angeli* ſuper *Nimpham* de
« *Monte Merteti Floren.* ordinis *Velletrenſis* dioceſis
« per ſe & dicti monaſterii hac vice & nomine
« conventus ejuſdem pro quo dictus dominus frater
« *Jacobus* ſe & conventum ſuoque illorum unanimi
« conſenſu eorundem bene proviſus principaliter obligavit
« & promiſit de rato & rata habente, & ſe
« facturum & acturum realiter cum effectu quod
« dictus conventus de inſcriptam dimiſſionem
« & omnia & ſingula in ea contenta ſemper &
« perpetuo attendent & obſervabunt & contra non
« facient vel venient quovis modo, jure ſeu eciam
« cauſa ad pœnam inſcriptam ſpontanea & propria
« voluntate liberoque arbitrio & balia, non vi, non
« dolo nec imaginatione aliqua ductus, ſet ex ejus
« tota ſcientia dimiſit & conceſſit & reſignavit pro
« ix. annis proximo futuris à feſto nativitatis Domini
« noſtri *Jheſu Chriſti* proximo præterito tunc
« incepto, reverendo in Chriſto patri & Domino domino
« *Willelmo* abbati monaſterii ſancti *Auguſtini*
« *Cantuariæ* præſenti, & pro bono pacis, lites, rixas
« & brigas evitare volenti de non præjudicando monaſterio
« ſive eccleſiæ ſuæ per præſentem conventionem
« publice proteſtanti, & hoc ad requiſitionem
« dicti fratris *Jacobi* abbatis recipienti & legitime
« quod ſi à dicto ſuo monaſterio conven-

tuque

Rich. II. Rex.

“tuque ejuſdem penſionem vel firmam nuper de fructibus eccleſiæ de **Littleborne** *Cantuarienſis* dioceſis ut aſſeruit provenientem vigore cujuſdam bullæ prætenſæ quondam eis indultæ ut dicitur vel conceſſæ, Habendum & tenendum & debite poſſidendum idem jus prætenſum in ea penſione vel firma eccleſiæ prædictæ quod eis de *Monte Merteti* aliquo tempore præterito competebat vel competere poterat durante termino prædicto huic eccleſiæ dimiſſionem ſeu conceſſionem & reſignationem & omnia & ſingula quæ dicta ſunt & infra dicentur fecit dictus dominus frater *Jacobus* abbas, & conceſſit prædicto eidem domino *Willelmo* abbati præſenti recipienti & legitime pro ſe & dicto ejus monaſterio ſolvere ſibi vel ejus & dicti ſui monaſterii legitimo procuratori omni anno dictorum ix. annorum in urbe *Roma* videlicet in hoſpicio ſancti *Thomæ* poſito in regione *Arunel* recipienti in octabis ſancti *Martini*, videlicet die dedicationis baſilicarum *Petri* & *Pauli*, liij. ducatos boni & puri auri & recti ponderis refutanciam & ſufficientem acquietanciam de ſolutis deferenti & ea ibidem procuratori dictorum abbatis & conventus monaſterii S. *Auguſtini Cant.* tradenti. Et promiſit dictus frater *Jacobus* pro ſe & conventu ſuo ſe renunciaturum, & expreſſe renunciavit quibuſcumque Compoſitionibus prætenſis prædeceſſorum ſuorum & per ſedem apoſtolicam ſet quacumque alia firmitate ſi de aliqua appareret vel apparere poterit in futurum roboratis dumtaxat tempore prædicto. Hæc autem omnia & ſingula ſupradicta promiſerunt dictæ partes adinvicem, videlicet una pars alteri, & altera alteri proteſtatione præhabita ſemper ſalva ſemper ipſo attendere et reſervare rata grata & firma habere & contra non facere vel venire ſub ypotheca & obligatione omnium bonorum ſuorum, & dictorum eorum monaſteriorum mobilium & immobilium, præſentium & futurorum & pœna unius libræ auri, qua pœna ſoluta vel non prædicta omnia & ſingula ſemper & perpetuo nichilominus firma perdurante. Ad valitudinem autem præmiſſorum dictus dominus *Iacobus* abbas prædictus juravit ad ſancta Dei evangelia corporaliter manu tacta ſub fide dicti præſtiti juramenti, & in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium & ſingulorum ſigilla dictorum abbatis & conventus monaſterii ſancti *Angeli* ſuper *Nympham* de *Monte Merteti* huic publico inſtrumento ſunt appenſa. Actum *Roma* in domo habitationis dicti domini abbatis ſancti *Auguſtini* videlicet in domo *Synnoſii Pauli* homo Dei.

Et iv. die ſequenti conceſſit acquietanciam à principio mundi uſque &c. ſub forma quæ talis eſt.

“In nomine Domini Amen &c. ut in ſuperiori inſtrumento. “Nos frater *Iacobus* abbas monaſterii prædicti clare cognoſcimus & fatemur, quod viſis libris, monumentis, regiſtris, refutationibus aliiſque evidenciis univerſis reperimus fideliter & invenimus abbatem monaſterii ſancti *Auguſtini* extra muros *Cantuaria* nobis & monaſterio noſtro prædicto plenarie & fideliter perſolviſſe & ſatisfeciſſe pro quadam annua penſione nobis ut aſſerimus debita de eccleſia de **Littleborne** *Cantuarienſis* dioceſis. Quapropter nos prædictus frater *Iacobus* abbas prædictus pro nobis & dicto conventu ſancti *Angeli* prædicti quietamus & quietos facimus per hoc publicum inſtrumentum dictos abbatem & conventum ſancti *Auguſtini Cantuaria* & eorum ſucceſſores à principio mundi uſque in feſtum nativitatis Domini noſtri *Jheſu Chriſti* proximo præteritum. Actum *Roma* &c.

W. Courtney Archiep.

Hiis & aliis ſic ſapienter diſpoſitis & quæ ad iter ſuum erant neceſſaria eciam prudenter ordinatis, à ſummo Chriſti ſacerdote benedictione percepta, cum oſculo pacis eciam dimiſſus, omnibus inſuper amicis ſuis valedicens, die ſanctorum martirum *Fabiani* & *Sebaſtiani* cum adhuc tenebræ eſſent, verſus terram nativitatis ſuæ in laboribus plurimis, periculo fluminum & latronum, in mortibus frequenter itineravit. Verum Dominus via qua ambulabat ſemper eum cuſtodiens ad trajectum ſalvum ſanumque perduxit. Inde mari tranſito celeritate qua potuit ad regem ſuum tunc apud **Langele** exiſtentem acceſſit. A quo v. die menſis Aprilis anno ſupradicto omnibus verbis præjudicialibus in bullatis litteris prius renunciatis, fidelitate prius eidem domino regi facta recepit Temporalia quæ fuerunt in manibus ipſius ratione vacationis prædictæ per duos annos, duos menſes, & dies quatuor, pro quibus monaſterium fuit indebitatum in M. iv C. xviij.li. xviij.s. videlicet pro die xxxvj.s. vj.d. ob. pro ſeptimana xij.li.xvj.s. iv.d. ob. pro menſe lj.li. v.s vj.d. de qua ſumma idem dominus rex diverſa vice vij C.lij. li. iij.s. iv.d. remiſit. Fuit eciam indebitatum pro primis fructibus apoſtolicæ curiæ debitis in M. v C. xxxij. florenis & iv. bolon. videlicet cameræ apoſtolicæ in vj C. florenis & Collegio Cardinalium in vj C.l.florenis. Et pro iv minutis ſerviciis pro familiaribus domini papæ in Ciiii.v.florenis xxxvij. bolon. Et pro j. minuto ſervicio pro familiaribus prædictorum Cardinalium in xlvj. florenis xvj. bolon. Et fuerunt tunc in Curia xiv. Cardinales, unde quilibet illorum habuit xlvj. florenos xvj. bolon. & tantum habebit quodlibet ſervicium de v. ſupradictis, præter expenſas procuratoris eundo verſus Curiam in *Luca*, *Peruſio* & *Roma*, eciam ſtando & iterum redeundo. Verum expeditis ulterius coram domino rege regnique Cancellario, Theſaurario & aliis regiis miniſtris quæ forent inter eos expedienda, ad eccleſiam ſuam longo jam tempore ſolamine paſtoralis curæ viduatam xj. die menſis prædicti in craſtino videlicet Palmarum acceſſit, & facta ſibi proceſſione debito modo inſtallatus eſt, & recepta ab omnibus obedientia manuali ad refectorium gratia refectionis expenſis parcendis cum ſuis fratribus declinavit.

Erat autem hiis diebus archiepiſcopus in eccleſia ſua hic faſtu potenciæ ſecularis eccleſiaſticæque dignitatis præminencia inflatus, inſolita temptare volens eo quod papa aſſiſtebat ſibi à dextris, & rex brachium ejus confirmabat, ſuper exemptos, ut prædeceſſor ejus cupiens exaltari, tempus ratum expectans cum jam noſter novus abbas ad eccleſiam ſuam noviter adveniſſet, non parcens illi licet laboribus expenſis exceſſivis ſciret eſſe fatigatum, ſet volens afflictionem afflicto, non ulterius expectans ſet die ſuæ inſtallationis notificavit ſibi ſe infra paucos dies ad ſe eſſe venturum. Unde die ſancti *Georgii* tunc in feria vj. ebdomadis Paſchæ ſimulans ſe peregrinum venit nudus pedes cruce prævia non accerſitus, factaque ab eo proteſtatione de non præjudicando, ut patet hic inferius, & ſimulata devotione ad corpora prædeceſſorum ſuorum acceſſit & in camera abbatis pedibus lotis cum Dei maledictione remeavit ad propria calciatus. Proteſtatio tamen ejus talis eſt.

Rich. II. Rex.

UNIVERSIS Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint Willelmus *permiſſione divina* Cantuarienſis *archiepiſcopus tocius* Angliæ *primas & apoſtolicæ &c. Noverit univerſitas veſtra quod in feſto ſancti* Georgii *anno Domini infraſcripto monaſterium & eccleſiam ſancti* Auguſtini Cantuariæ *ad* Romanam *eccleſiam nullo medio pertinentia cum cruce noſtra ante nos publice more conſueto portata, præſentibus tunc ibidem religioſis viris Abbate & Conventu ejuſdem monaſterii & multis aliis, cauſa devotionis divina ibidem officia audiendi ac venerandi ſanctos prædeceſſores noſtros & alios ſanctos ibidem quieſcentes intravimus. Verum quia nonnulli metuebant ut aſſeritur ut ingreſſus noſter hujuſmodi poſſet prædictis abbati & conventui aut eorum monaſterio ſeu exemptioni vel privilegiis eorundem aliquod præjudicium generare, Nos ad omnem dubitationem in hac parte tollendam fatemur & recognoſcimus ac palam & publice proteſtamur, quod non fuit intencionis noſtræ nec intendimus neque volumus eiſdem abbati & conventui vel diviſim aut eorum monaſterio præjudicium aliquod generari ſeu inferri moleſtiam vel gravamen, nec eorum juri, exempcioni, privilegiis ſeu libertatibus quibuſcumque nunc vel in poſterum in aliquo derogare, nec eciam aliquid juris vigore hujuſmodi noſtri ingreſſus nunc vel in futurum quocienſcumque faciendi nobis adquirere quod ad nos aut eccleſiam noſtram* Cantuariæ *ante hujuſmodi ingreſſum noſtrum non pertinuit, quinimmo jure noſtro abſque dictorum privilegiis & libertatum læſione uti, eoſdemque abbatem & conventum ac monaſterium, exemptiones, privilegia & libertates eorum prout ad nos attinet paterna ſolicitudine confovere. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Dat. in monaſterio prædicto xxiij. die menſis Aprilis anno Domini M. CCC. lxxxix. & noſtræ Tranſlationis viij.*

An. Dñi 1390.

Anno ſequenti affuit annus Jubilæus ſive gratiæ per dominum *Urbanum* papam ſextum ad annum xxxiij. reductus. *Bonifacius* quippe viij. primo conſtituit ut qui in anno Domini M.CCC. à nativitate & quolibet anno futuro debito modo limina apoſtolorum viſitarent certa conditione peregrinantibus ſervata, quod omnium veniam peccatorum conſequerentur. Deinde *Clemens* vj. prædictam gratiam ex certis cauſis conditione eciam ſuperiori ſervata ad annum l. reduxit. Ultimo *Urbanus* vj. papa volens omnes hujuſmodi indulgentiarum fieri participes ad annum xxxiij. abbreviavit & reduxit, eo quod ætas hominum vix ad l. annum hiis diebus adducta ſit, & quod Chriſtus in hoc numero annorum curſū vitæ ſuæ mortalis abſolverit, concedens omnibus vere pœnitentibus & confeſſis conditione eciam ſuperiori obſervata ſuorum omnium veniam peccatorum. Unde eciam *Bonifacius* ix. poſt ipſum ad regimen univerſalis eccleſiæ ſubintrans, prædictam remiſſionem & gratiam latius diffundere volens, regibus & aliis dominis temporalibus & ſpiritualibus, religioſis eciam conventibus per diverſa loca conſtitutis conceſſit, ut in partibus hujuſmodi gratiæ largitatem poſſent conſequi, ita tamen ut confeſſor quem eorum aliquis elegerit nomine baſilicarum & eccleſiarum videlicet *P.* & *Pauli, Johannis Lateranenſis* & ſanctæ *Mariæ* majoris aliquas eccleſias in partibus per Confeſſorem electum deputandas certis vicibus tenerentur viſitare; unde & archiepiſcopus *Cantuarienſis* bullam hujuſmodi indulgenciæ conſecutus, ſicut forte per Confeſſorem ſuum ei fuerat injunctum circa feſtum Paſchæ ſine aliqua proteſtatione facta vicibus trinis corpora Sanctorum viſitavit. Eodem anno conceſſit præfatam indulgentiam & abbati & conventui ſancti *Auguſtini* in hac forma:

W. Courtny Archiep.

BONIFACIUS epiſcopus &c. devotionis veſtræ ſinceritas; & infra. *Dudum ſiquidem felicis recordationis* Urbanus *papa vj. prædeceſſor noſter &c.*

An. Dñi 1391.

Anno ſequenti obiit frater *Thomas Icham* quondam hujus eccleſiæ ſacriſta. Cujus beneficia ultra proviſionem ſuam, & alia debita ſoluta conventui ſunt hæc. Primo fecit fieri ad corpora Sanctorum tres baſſinos argenteos cum cathenis argenteis, precium xl. marc. Item iv. campanas in choro precii lx. marc. Item novum tectum ex parte boriali eccleſiæ precii lxxx. marc. Item duas magnas campanas in campanili precii Clxxiv. marc. Item duas campanas in turri in fine eccleſiæ precii lx. marc. Item pro campana *Gabriel* xlij. marc. Item pro una capa decentiſſime brudata Cxxiij. marc. Item duas pelves argenteas cum duabus phialis precii xliij. marc. Item pro j. turribili & navi argenteo deaurato xv. marc. Item pro magna feneſtra in eccleſia Clxxxvj. marc. Item ſummam prædicantium viij. marc. Item fecit capellam ſancti *Pancraſii* prec. C. marc. Item pro novo capitulo faciendo dedit M. iij C. xx. marcas. Item fecit novam aulam apud **Salmiſton** cum cameris prec. C. marc. Item dedit in vaſis argenteis C. marcas. Item ſolvit pro nova porta cimiterii vj C. x. marcas. Item emit ij. thurribila decentiſſima prec. lxiij. marc. Item fecit fieri ij. candelabra prec. xl. marc. Summa horum beneficiorum iij M. ij C. lj. marc.

1392.

Anno Domini M. CCC. xcij. vj^{to} die Maii anno *Ricardi* regis xvj. Compoſitio quæ inter dominum *Edwardum* regem ſecundum & abbatem *Radulfum* & conventum pro tempore vacationis monaſterii quondam fuit edita, ut ſub anno Domini M.CCC. xvj. plane liquet, ad inſtantiam abbatis annullata fuit & caſſata, eo quod per eandem pro anno integro vacatione durante M. marcas fiſco regio ſolvere tenebatur. Nova Carta à domino Rege *Ricardo* impetrata fuit, per quam ſibi & hæredibus ſuis pro cuſtodia temporalium tam de dotatione & fundatione dictæ abbatiæ quam adquiſitorum vel adquirendorum l. marcas ad Scaccarium ipſius Regis terminis *Michaelis* & *Paſchæ* ſingulis annis monaſterium iſtud ſolvere tenetur, Ita quod prædicti abbas & conventus tam de vj C. marcis pro dimidio anno quam de M. marcis, & rata earundem, prout in prima Compoſitione plenius continetur, ſint quieti imperpetuum & exonerati. Voluit inſuper idem rex & conceſſit quod ſi ipſe vel hæredes ſui aliquo tempore vacationis abbatiæ prædictæ exercitum ſuum fecerit ſummoneri, prædicti Prior & Conventus & ſucceſſores ſui pro propriis feodis militum in manibus ipſorum exiſtentibus ad ſervicium prædictum minime teneantur, ſalvis ſibi & hæredibus ſuis ſerviciis feodorum militum quæ tenentur de abbatia prædicta. Voluit eciam quod imperpetuum ſint quieti de quibuſcumque decimis in quibuſcumque vacationibus futuris per clerum conceſſis. Voluit eciam quod dictus redditus l. marcarum coronæ ſuæ remaneat annexus

Rich. II. Rex. nexus imperpetuum, ita quod non fiat aliqua remiſſio vel pardonatio in parte vel in toto. Et ſi forte per Abbatem, Priorem, vel Conventum qui pro tempore fuerit, vel aliquos vel aliquem aliqua remiſſio ſit impetrata, quod extunc prædicta conceſſio ſua nullius ſit roboris vel virtutis.

An. Dñi 1393. Anno ſequenti dominus rex cum regina moram traxit in monaſterio iſto ab octabis Aſcenſionis uſque in craſtinum ſanctæ Trinitatis cum Ducibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus & Baronibus ſuis & populorum affluencia. Et ipſo die Pentecoſtes cum die ſequenti quem tunc almi patris *Auguſtini* feſtivitas illuſtrabat, idem rex tam in proceſſionibus quam in menſa proceſſit & ſedit in decore ſuo coronatus, quo in tempore feſtum Regis *Ethelberti* cotidiana veneratione præcepit honorari.

1394. Anno ſequenti videlicet M.CCC. xciv. xxvij. die Junii anno regis xviij. idem rex conceſſit & licentiam dedit pro ſe & hæredibus ſuis, quod poſſemus adquirere terras, tenementa & redditus ad valorem xl. librarum per annum, tam ea quæ de ipſo rege tenentur ut in libero burgagio quam ea quæ ſunt de feodo abbatiæ aut alieno, exceptis terris quæ de rege tenentur in capite per ſervicium militare. Eodem anno die Aſſumptionis beatæ virginis cum paucis diebus ſequentibus fratres prædicatores celebrarunt capitulum ſuum provinciale *Cantuariæ*, & ipſo die Aſſumptionis proceſſionaliter intraverunt eccleſiam iſtam, & per chorum & corpora Sanctorum incedentes ad eccleſiam ſanctæ Trinitatis ſe diverterunt; ubi dicto ſermone in vulgari ad eorum habitaculum redierunt. Hos ſemper ſequebatur Prior eccleſiæ antedictæ pontificalibus decenter inſignitus, quem archidiaconus *Cantuarienſis* non ſegniter indumentis eccleſiaſticis coopertus ſiniſtravit. Miſſa vero à præfato Priore more ſuo inter eos celebrata cum abbate ab eiſdem diligenter prius requiſito feſta mandibilia in papilionibus, caricis & palliis deauratis eccleſiæ prædictæ coopertis, & per pluvias & ventorum rabies diſſutis, delaceratis & particulatim abruptis idem prælati pariter tenuerunt. Iſtos primo die videlicet Aſſumptionis quem Dominica dies venuſtabat archiepiſcopus licet abſens decentiſſime. Diem ſequentem Abbas & Prior antedicti ſuis epulis & præſencia ipſos jocundiſſime repleverunt in expenſis abbatis x.li. Et die tercia de benevolencia dominorum patriæ eciam in habundancia guſtarunt. Unde prædicti fratres tanta beneficia & honores à duabus iſtis eccleſiis tam honorifice conſecuti, beneficia ſpiritualia ſic conceſſerunt ut videlicet quilibet ſacerdos dictorum fratrum in hoc regno conſiſtens pro quolibet monacho utriuſque eccleſiæ de illorum communi aſſenſu vj. miſſas pro illorum felici proſperitate tenetur & obligatur quam cito poterit celebrare.

1395. Anno ſequenti fuerunt adquiſita licentia regia præobtenta iij. meſuagia, iv. ſchopæ cum celariis & ſolariis ſuperædificatis cum ſuis pertinenciis in parochia *beatæ Mariæ de* Wollecherchehawe *Londoniæ* de *Radulpho Crane* & *Margareta* uxore illius abbati & conventui imperpetuum, & ſunt ſita in warda de Bradeſtrete. Et hæc lecta fuerunt & irrotulata in huſtengo *Londoniæ* de communibus placitis tento die Lunæ proximo ante feſtum ſancti *Dunſtani* anno regis xx. Et eodem anno ultimo die menſis Julii magiſter *Willielmus Courteneye Cantuarienſis* archiepiſcopus rege cum magnatibus terræ tunc præſente juxta feretrum ſancti *Thomæ* traditur ſepulturæ. Fuerat enim rex tunc verſus *Caliſium* pro uxore ſua filia regis *Franciæ* deſponſanda. Et anno ſequenti dominus *Thomas Arundel* tranſiit à ſede *Eboracenſi* ad ſedem *Cantuarienſem*; Qui xviij. die menſis Februarii Dominica qua cantatur *Circumdederunt* rege præſente cum maxima gloria fuit intronizatus. Et eodem die intravit hanc eccleſiam cum ipſo rege facta tali proteſtatione.

T. Arundel Archiep:

“UNIVERSIS Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint, *Thomas* permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus tocius *Angliæ* primas & apoſtolicæ ſedis legatus ſalutem, gratiam & benedictionem. Noverit univerſitas veſtra quod religioſi viri abbas & conventus monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ordinis ſancti *Benedicti*, ac ipſum monaſterium privilegiis ſedis apoſtolicæ, nec non conſuetudine laudabili à tempore & per tempus cujus contrarii memoria hominum non exiſtit hactenus pacifice obſervata legitimeque præſcripta, ab omni juriſdictione ordinaria fuerunt & ſunt prorſus exempti, & ſedis apoſtolicæ ſolum & in ſolidum inmediate ſubditi & ſubjecti, necnon in poſſeſſione pacifica præmiſſorum. Ad rogatum tamen ipſius abbatis & conventus xviij. die menſis Februarii anno Domini M. CCC.xcvj. cum cruce erecta & ante nos publice portata ipſum monaſterium cauſa devotionis ibidem divina audiendi ſanctoſque prædeceſſores noſtros eccleſiæ *Cantuarienſis* archiepiſcopos & alios Sanctos quorum corpora in ipſo monaſterio requieſcunt veneraturi duntaxat & non aliter nec alio modo intravimus, & prout nobis deſuper datum eſt ipſos Sanctos venerati ſumus. Set quia nonnulli ut aſſeritur metuebant an privilegiis, conſuetudinibus & exemptioni ſupradictis per ſuperius geſta in aliquo ſit derogatum, Nos omnem in hac parte ambiguitatem tollentes tenore præſentium proteſtamur palam & publice recognoſcimus, & in quantum opus fuerit pro nobis dicimus & concedimus, quod per ingreſſum noſtrum ac portationem crucis hujuſmodi eodem tempore ſupradicto factam vel quocienſcumque in futurum facienda ſeu alia præmiſſa vel eorum aliquod nil juriſdictionis poſſeſſionis ſeu juriſdictioni nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris *Cantuarienſibus* archiepiſcopis ſeu eccleſiæ *Cant.* acquiratur aut de novo accreſcat, nec eciam per ea vel aliquod præmiſſorum, ipſis religioſis viris abbati & conventui ſeu eorum monaſterio prædictis aut privilegiis, exemptioni & conſuetudini ſuis prædictis vel aliis juribus & libertatibus eorundem quibuſcumque præjudicium aliquod nunc vel in poſterum generetur ſeu in aliquo derogetur, ſet illæſa permaneant & illibata aeſi præmiſſa per nos facta non fuiſſent. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Data & acta ſunt hæc in monaſterio prædicto die menſe & anno ſupradictis.

An. Dñi 1396.

Eodem anno archiepiſcopus affective rogatus in apparatu ſolenni celebravit magnam Miſſam & veſperas die ſancti *Benedicti*, & poſt in expenſis Abbatis comedit in refectorio cum uno Duce & aliis Dominis multis multum ſplendide refocillatus.

1397. Et anno Domini M. CCC. lxxxxvij. vij. die Julii anno regis *Ricardi* xxj. fuerunt adquiſita licentia regia præobtenta unum meſuagium, iiij. ſchopæ, ij.

celaria,

Ricard. II. Rex.

celaria, j. gardinum cum ſuis pertinentiis in parochia ſancti *Dioniſii* de **Bakcherch** *London.* de *Willelmo Caſſeby* ejuſdem eccleſiæ rectore quem *Iohannes Hayſfelde* illius meſuagii poſſeſſor feoffavit cauſa ſupradicta, & ſunt in warda de **Langebrok**. Hoc ſcriptum lectum fuit & irrotulatum in huſtengo *Londonia* de placitis terræ tento die lunæ proximo ante feſtum ſanctæ *Margaretæ* anno ſupradicto.

Eodem anno archiepiſcopus viſitationem ſuam exercens conceſſit nobis dimiſſionem hanc quæ talis eſt.

« Univerſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis, *Thomas* permiſſione divina *Cantuarienſis* archiepiſcopus, totius *Angliæ* Primas & apoſtolicæ ſedis legatus ſalutem in Domino ſempiternam. Dudum in viſitatione noſtra *Cantuarienſis* dioceſis necnon *Roffenſis* dioceſis perſonaliter exercita, religioſos viros abbatem & conventum monaſterii ſancti *Auguſtini Cant.* ordinis S. *Benedicti* prætendentes ſe ac monaſterium prædictum necnon elemoſinariam ſuam domum S. *Laurentii* & cantariam de *Doges* ac omnes & ſingulas perſonas religioſas utriuſque ſexus infra ſepta monaſterii elemoſinariæ domus ſancti *Laurentii* & *Cantaria de Doges* prædictorum degentes, ab omni juriſdictione ordinaria prorſus exemptos ſediq; apoſtolicæ ſolum & in ſolidum immediate ſubditos & ſubjectos, eccleſiaſque parochiales ſancti *Pauli* in ſuburbio *Cant.* de **Sturreye**, de **Chiſtelett**, de **Menſtre** cum capellis ſancti *Iohannis*, ſancti *Petri*, & ſancti *Laurentii* in *Taneto* eidem annexis, de **Northbourne** cum capella de **Scholdon** eidem annexa, de **Faverſham** cum capella de **Scheldwych** eidem annexa, de **Myddelton**, de **Lenham**, de **Tenderdenne**, de **Sellyng**, de **Preſton**, de **Kenynton**, de **Wyvelesbergh**, de **Stone**, de **Orene**, de **Broklond**, Præbendalem eccleſiam de **Guſtone**, de **Littlebourne**, noſtræ dioceſis de **Plumſted**, cum capella de **Eſtwycham** *Roffenſis* dioceſis cum ſuis pertinentiis, necnon penſiones annuas, videlicet de eccleſia de **Sybertyſwelde** & ejus rectore viginti ſolidos, de **Rodmerſham** & ejus vicario decem ſolidos, de eccleſia de **Borden** & ejus rectore treſdecim ſolidos & quatuor denarios *Cantuarienſis* dioceſis prædictæ; Ac inſuper decimas majores & minores de terris feodi de **Hoppelond** quondam **Soldan** exiſtentibus infra limites ſeu fines eccleſiæ de **Weſtbere**, decimas parciales de terra de **Weſtlond** infra limites ſeu fines eccleſiæ de **Menſtre**, de *Scapeia*, & decimas parciales infra limites de **Eaſtcherche** de antiquo dominico de **Scherlond**, duas decimarum partes infra limites eccleſiæ de **Rypple**, decimas parciales infra parochias eccleſiarum de **Stokebery** & de **Iwade**, decimas majores & minores de **Soldaneſlond** & partem garbarum decimalium provenientium de terris manerii de **Wynkelond** infra limites parochiæ de **Eaſtlangedon**, ac eciam decimas parochiales ad valenciam ſex marcarum infra eandem parochiam noſtræ dioceſis *Cant.* prædictæ dicto monaſterio & ipſis religioſis nomine dicti monaſterii incorporatas, unitas & annexas, eaſque ſic percipientes & tenentes ad certos diem & locum competentes coram nobis ſeu venerabilibus viris domino *Thoma Chyllenden* Priore eccleſiæ noſtræ *Cant.* & magiſtro *Michaele Sergeur* noſtro Cancellario Decretorum Doctoribus, noſtris in hac parte Commiſſariis, jus ſufficiens & titulum canonicum quod & quem in præmiſſis & eorum quolibet præfati abbas & conventus optinent exhibituri mandavimus & fecimus ad judicium evocari. In quo quidem termino religioſus vir frater *Thomas Daniel* dicti monaſterii commonachus ipſorum religioſorum virorum abbatis & conventus procurator, & nomine procuratorio pro eiſdem coram ipſis Commiſſariis noſtris juxta evocationem hujuſmodi legitime comparens, nonnullas literas apoſtolicas necnon archiepiſcoporum *Cantuarienſium* prædeceſſorum noſtrorum ac confirmationes Prioris & capituli noſtræ eccleſiæ *Cant.* ſubſequentes, variaſque literas & inſtrumenta alia, de & ſuper præmiſſis exemptionibus, incorporationibus, unionibus, annexionibus eis & eorum monaſterio prædicto conceſſa oſtendit & eciam exhibuit. Et deinde ipſis literis & inſtrumentis coram ipſis Commiſſariis & per eos perlectis nonnulliſque allegationibus factis ſuper eiſdem, præfati Commiſſarii noſtri præfixerunt eidem procuratori coram eis ad audiendum voluntatem ſuam de & ſuper exhibitis & allegatis ſupradictis certos diem & locum competentes. Quibus quidem die & loco advenientibus præfati commiſſarii noſtri eidem procuratori coram eis comparenti noſtra auctoritate ex officioque noſtro mero ac alias omni meliori modo & cauſa quibus poterunt objecerunt, dicentes, quod ipſi religioſi de & ſuper exemptionibus eccleſiarum, decimarum & penſionum prædictarum incorporationibus, unionibus & appropriationibus jus ſufficiens, titulum canonicum ſeu aſſecutionem legitimam nullatenus exhibuerunt, prout nec habuerunt ſeu habent in eis ſeu aliquo præmiſſorum, & præſertim pro eo & ex eo quia pro re exhibita eciam hujuſmodi ſupradicta de cauſis neceſſariis quæ in conceſſionibus exemptionum, eccleſiarum, decimarum, & penſionum ſupradictarum tractatu & conſenſu eorum legitimo quorum conſenſus in hac parte de jure continebant non apparent ut deberet, cauſæque cognitio & alia juris ſolempnia deficiebant quæ in conceſſione exemptionis prædictæ ac alienatione rei eccleſiaſticæ requiruntur de jure, quodque ipſi religioſi & aliæ perſonæ ſupradictæ hujuſmodi exemptione utuntur, ipſaſque eccleſias, decimas & penſiones percipiunt illicite & contra jura ex cauſis ſupradictis. Idemque procurator nomine dictorum religioſorum virorum abbatis & conventus ac monaſterii ſui ſupradicti litem in ea parte conteſtando ad præmiſſa judicialiter allegavit, dixit & propoſuit conteſtationem juſtificando, quod præfati religioſi viri abbas & conventus, ipſumque monaſterium, elemoſinaria domus ſancti *Laurentii* & cantaria de *Doges* prædicta, necnon omnes & ſingulæ perſonæ degentes in eiſdem, privilegio ſedis apoſtolicæ ac conſuetudine laudabili à decem, viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta annis ultimo præteritis, ac ultra & citra, eciam à tempore & per tempus cujus contrarii memoria hominum non exiſtit pacifice obſervata & in judicio contradictorio obtenta fuerunt, & ſunt ab omni juriſdictione ordinaria prorſus exempta, ac ſedi apoſtolicæ ſolum & inſolidum ſubdita & ſubjecta, dictæque eccleſiæ & decimæ parciales necnon penſiones ex conceſſione ſummorum pontificum, archiepiſcoporum *Cantuarienſi-*

T. Arund. Archiep.

Rich. II. Rex.

“ ***arienſium*** & confirmationibus Prioris & capituli eccleſiæ *Cant.* prædictæ, aliorumque omnium & ſingulorum quorum intereſt ſeu intereſſe poterit ad ipſum monaſterium ſancti *Auguſtini* ac ejus nomine ad ipſos abbatem & conventum eorumque præceſſores & prædeceſſores pertinuerunt, pertinere conſueverunt, & pertinent toto & omni tempore prædicto. Fueruntque dicti religioſi nomine dicti monaſterii ac ipſum monaſterium in poſſeſſione juris ſeu quaſi omnium præmiſſorum, dictique religioſi nomine quo ſupra ipſas eccleſias, decimas parciales & penſiones ante Concilium *Lateranenſe* contra conceſſiones hujuſmodi penſionum editum cum omnibus ſuis pertinentiis tenuerunt & habuerunt, ac tenent et habent pacifice & quiete toto & omni tempore prædicto, quodque omnia & ſingula præmiſſa fuerunt, & ſunt vera, publica, notoria & famoſa, & ſic ſuper eis laborarunt & laborant publica vox & fama. Petens dictus procurator nomine quo ſupra probatis primitus in hac parte probandis per nos ac noſtram ſententiam diffinitivam pronunciari, decerni & declarari præfatos religioſos viros abbatem & conventum, eorumque monaſterium, elemoſinariam domum ſancti *Laurentii* ac cantariam prædictam, necnon omnes & ſingulas perſonas religioſas in eis degentes ab omni juriſdictione ordinaria fuiſſe & eſſe prorſus exempta, ac ſedi apoſtolicæ dumtaxat ſolum & in ſolidum ſubdita & ſubjecta. Ipſas eccleſias, decimas parciales & penſiones cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis ad ipſum monaſterium ac ejus nomine ad ipſos abbatem & conventum pertinuiſſe, pertinere & pertinere debere, Ipſoſque abbatem & conventum à noſtro in hac parte officio dimittendos fore & dimitti, cæteraque fieri quæ ſacri canones exigunt & requirunt. Quam quidem propoſitionem & dictum procuratorem ad probandum eandem præfati Commiſſarii admiſerunt certoſque diem & locum competentes præfixerunt eidem ad probandum coram eis contenta in eadem. Quibus quidem die & loco coram præfatis Commiſſariis idem procurator nonnullos teſtes ac plura legitima documenta ad probandum præmiſſa produxit, Ipſiſque teſtibus admiſſis, juratis & examinatis ac omnibus aliis in ea parte rite peractis, Nos *Thomas* permiſſione divina archiepiſcopus ſupradictus rimato et diligenter inveſtigato toto proceſſu prædicto cauſæque cognitione ſufficienti præhabita ſervatoque juris ordine qui requiritur in hac parte; Quia per hujuſmodi exhibita et atteſtationes teſtium prædictorum aliaque documenta ſupradicta invenimus dictos religioſos viros abbatem et conventum ipſorumque procuratorem ſupradictum præmiſſa et omnia ſuperius ut præmittitur per eum propoſita ſufficienter et legitime fundaſſe, probaſſe, per hanc noſtram ſententiam diffinitivam quam in hiis ſcriptis fecimus, pronunciamus, decernimus et declaramus, ipſos abbatem et conventum monaſterii ſancti *Auguſtini Cantuariæ* ac ipſum monaſterium necnon elemoſinariam ſuam domum ſancti *Laurentii* et Cantariam de *Doges* prædicta, necnon omnes et ſingulas perſonas religioſas in eis pro tempore degentes ab omni juriſdictione ordinaria fuiſſe et eſſe prorſus exempta ac ſedi apoſtolicæ duntaxat ſolum et in ſolidum ſubdita et ſubjecta, præfataſque eccleſias parochiales ſancti *Pauli* in ſuburbio *Cantuariæ*, **Sturreye**, de **Chyſtelet**, de **Menſtre**, cum capellis ſancti *Iohannis*, & ſancti *Laurentii* in *Thaneto* eidem annexis, de **Northborne** cum capella de **Scholdon** eidem annexa, de **Fauerſham**, cum capella de **Scheldwych** eidem annexa, de **Middelton**, de **Lenham**, de **Tenterdenne**, de **Sellyng**; de **Preſton**, de **Kenynton**, de **Wyvelesbergh**, de **Stone** in **Oxene**, de **Broklond**, præbendalem eccleſiam de **Ouſton**, de **Littleborne**, noſtræ dioceſis, de **Plumſted**; *Roffenſis* dioceſis cum capella de **Eſtwycham**, cum ſuis pertinentiis, necnon penſiones annuas videlicet de eccleſia de **Sybertiſwelde** & ejus rectore viginti ſolidos, de **Rodmerſham** & ejus vicariis decem ſolidos, de **Borden** et ejus rectore treſdecim ſolidos & quatuor denarios *Cantuarienſis* dioceſis prædictæ, ac inſuper decimas majores & minores de terris feodi de **Hoppelond** quondam *Soldani* exiſtentibus infra limites ſeu fines eccleſiæ de **Weſtbere**, decimas parciales de terris de **Weſtlond**, infra limites ſeu fines de **Menſtre**, de *Scapeya*, & decimas parciales infra limites de **Eaſtcherche**, de antiquo dominico de **Scherlond**, duas decimarum partes infra limites eccleſiæ de **Ripple**, decimas parciales infra parochias eccleſiarum de **Stokebery** & **Iwade**, decimas majores et minores de **Soldaneſlond**, et partem garbarum decimalium provenientium de terris monaſterii de **Wynkelond** infra limites parochiæ de **Eaſtlangedon**, ac eciam decimas ad valentiam ſex marcarum infra eandem parochiam noſtræ dioceſis *Cantuariæ* prædictæ cum ſuis pertinentiis ad ipſum monaſterium ſancti *Auguſtini* ac nomine ejuſdem monaſterii ad ipſos abbatem & conventum pertinuiſſe, pertinere et pertinere debere, præfatoſque religioſos abbatem et conventum ipſas eccleſias decimas et penſiones cum ſuis pertinentiis canonice tenuiſſe et poſſediſſe tenere et poſſidere, ac tenere et poſſidere debere, ab officioque noſtro in hac parte dimittendos fore, et dimittimus. Lecta lata et in ſcriptis promulgata fuit, hæc noſtra ſententia diffinitiva in manerio noſtro de **Lambeth** ſextodecimo die menſis Auguſti anno domini milleſimo CCC. nonageſimo ſeptimo et noſtræ tranſlationis anno primo. In quorum omnium et ſingulorum fidem et teſtimonium, ſigillum præſentibus eſt appenſum.

Thomas Archiep.

Explicit Chronica W. Thomi.

Terra maneriorum ſancti Auguſtini *menſurata.*

IN **Godwycheſfelde** C. l. acras dimid. In **Wynedale** C.xlvij. acras. Summa totius terræ ibidem
CCCC.lxxv. acræ, j. virgata.

De terra arabili CCC.xlv. acræ, j. virgata. De mariſco ibidem CCCC. acræ. **Menſtre**, **Cotmannefeld** C.xxx. acræ. Campnus de ſpina uſque **Cliveſhende** C.viij acræ. Campus de donis agnorum uſque gardinum C.iiij^{xx}.xvij. acræ, j. virgata.

Summa terræ arabilis D.lxvij. acræ dimidia.

Summa totius cum terra *Suſana*
MM.C.xlix. acræ, j. virgata.

Item apud **Hengrene** CC. iij. acræ, iij. virgatæ.
Item apud **Salmanſton** iiij^{xx}. ix. acræ, j. virgata.
Item apud **Newelonde** C. xxvj. acræ. Item apud

Aldrlond lxij. acræ. Item apud **Caleys** lix. acræ j. virgata.

Summa ſacriſtiæ in *Thaneto* CCC.lvj.acræ dim. j.virg. dimid.

Item apud **Wyngate** iiij^{xx}.xiij. acræ, iij.virgatæ. Item apud **Ryede** C.iiij^{xx}.iiij.acræ, j.virgata. Item apud **Blakemannſbert** lxij. acræ, iij. virg. Item apud **Natyndon** C.xxj.

Summa ſacriſtiæ extra *Thanetum* CCCC.lxj.acræ dimid. iij.virg.

Apud **Ripple** de terra arabili C.iiij^{xx}.iij. acræ dimidia j.virgata. De paſtura lij.acræ, j.virgata. Item apud **Wynkslond** xxxix.acræ dimidia dimid.virg. & de paſtura C.iiij^{xx}. xij.acræ, iij.virgatæ. Item apud **Langedon** C. lxiiij. acræ dimid.virg. de terra arabili & paſtura C.xx.acræ dimidia. Item apud **Goſtone** Cix.acræ. Item apud **Sellyng** de terra arabili iiij^{xx}.xij.acræ & de paſtura & boſco xvj.acræ dimid. Item apud **Bour**, de terra arabili, paſtura & boſco cum bruera CC.xl. acræ. Item apud **Sualclyve** de terra arabili iiij^{xx}. iiij. acræ de paſtura ibidem & **Chetherſt** iiij^{xx}.xv.acræ. Item de boſco & bruera apud **Herneherſt** xxx. acræ & apud **Botwelle** j. acra.

Summa acrarum totius cameræ M.CCCC.xxj.acr. dimidia.

In mariſco cum aqua CCCC.xviij. acræ, iij. virg. ij. **Dayworks** et de terra *Suſana* CCCC. acr. dimid. iij. **Dayworks**. Item de feodo cameræ Cxxx. acr. v. **Dayworks** dimid. Item de feodo veſturæ de terra mariſci xlviij. acræ. Item de feodo veſturæ de terra *Suſana* & boſco xlij. acr. j. rod. iiij. **Dayworks**. Item ad eccleſiam de **Faverſham** xxxiiij. acr. Item ad eccleſiam de **Sceldwich** ij.acræ dimid.

Summa acr. abbathiæ de **Faverſham**, de quibus percipit abbas S. *Auguſtini* decimam ratione eccleſiæ parochialis de **Faverſham** xxxviij. acræ.

Item apud **Northburne** cum CC. viij. acris de boſco MM.C.lxxix acræ dimid. j.rodæ. Item apud **Lytleburn** D.& v. acræ dimid. j.virg.dimid. Item apud **Stodmerſch** de terra *Suſana* prati & mariſci CCCC.iiij^{xx}.viij.acræ, j.virgata dimidia. Apud hoſpitale ſancti *Laurentii* de terra & boſco C.xxiiij. acræ dimid. & dimidia virgata, de quibus tradimus ad firmam cum iij. acris prati xlvij. acras, j. virg. Item apud **Lenham** DCCC. lxiiij. acræ de boſco lxxij.acræ. Item xiiij. **Dennes** & ij. boſci xv. acrarum. Item apud **Kenynton** lxij. acræ. Item apud **Borewaremerſch** CC. acræ iiij. j.virgatæ dimidia. Item apud **Snaves** CC. xlviij. acræ per virgam xx. pedum de elemoſyna cum j. acra boſci, x. acris prati dimidia & cum dimidia acra brok CC. xiij. acris dimidia & dimidia virgata, de quibus traduntur ad firmam cum iij. acris prati xlvij. acræ, j. virgata.

Summa omnium acrarum totius abbathiæ S. *Auguſtini* xj.mill.DCCC.lxij.acræ.

Longitudò.	Latitudo.	Pedes.	Pollices.
xxiij.	vj.	xv.	iij.
xxiiij.	vj.	x.	viij.
xxv.	vj.	vj.	iv.
xxvj.	vj.	ij.	iv.
xxvij.	v.	xiv.	ix.
xxviij.	v.	xj.	v.
xxix.	v.	viij.	iij.
xxx.	v.	v.	iv.
xxxj.	v.	ij.	vij.
xxxij.	v.		
xxxiij.	iv.	xiij.	vij.
xxxiv.	iv.	xj.	iij.
xxxv.	iv.	ix.	j.
xxxvj.	iv.	vij.	j.
xxxvij.	iv.	v.	vj.
xxxviij.	iv.	iij.	iv.
xxxix.	iv.	j.	vij
xl.	iv.		
xlj.	iij.	xij.	v.
xlij.	iij.	xj.	xj.
xliij.	iij.	x.	vij.
xliv.	iij.	viij.	ij.
xlv.	iij.	vij.	xj.
xlvj.	iij.	vj.	vij.
xlvij.	iij.	v.	vj.
xlviij.	iij.	v.	iv.
xlix.	iij.	iij.	iv.
l.	iij.	ij.	ij.
lj.	iij.	j.	ij.
lij.	iij.		ij.
liij.	ij.	xv.	iv.
liv.	ij.	xiv.	iv.
lv.	ij.	xiij.	iv.
lvj.	ij.	xij.	xj.
lvij.	ij.	xij.	j.
lviij.	ij.	xj.	iv.
lix.	ij.	x.	viij.
lx.	ij.	ix.	viij.
lxj.	ij.	ix.	x.
lxij.	ij.	viij.	iij.
lxiij.	ij.	viij.	ij.
lxiv.	ij.	vij.	iv.
lxv.	ij.	vj.	
lxvj.	ij.	vj.	ix.
lxvij.	ij.	v.	ij.
lxviij.	ij.	v.	j.
lxix.	ij.	iv.	j.
lxx.	ij.	iv.	vj.
lxxj.	ij.	iij.	vj.
lxxij.	ij.	iij.	
lxxiij.	ij.	ij.	j.
lxxiv.	ij.	ij.	viij.
lxxv.	ij.	j.	ij.
lxxvj.	ij.	j.	j.

Fait aſſavoir de la Fraunchiſe lerceveſque de Canterbirs *qil ad en* **Staplegate** *en lavant dit Citee.*

VErite eſt en cronicles trove, que le Roi *Ethelbert* dona levant dit lieu de **Staplegate** & ſeint *Auſtin* qi fuiſt *Erceveſque* de *Canterbirs* quant il vient en *Engleterre* pur precher le Roi & le poeple qi furent peynymes, en meſme le lieu qeſt ore nomee **Staplegate** adonqes fuiſt un lieu come oratorie pur moigne le Roi deſouz le paleys lerceveſque de *Canterbirs*. Et puys trois aunz apres dona il ſon paleys a ſeint *Auſtin* ove touz les apportenancez ou la eſgliſe de la *Trinite* de *Canterbirs* eſt fundee. Et le palays lerceveſque a touz jours ad eſtee tenuz celle lieu de **Staplegate** fraunk dount nulle memorie ne court auxi avant come le paleys lerceveſque, & ſount tenantz lerceveſque & ſon paleys per qoi oy par bone eydance ſoi poet homme ſavoir par meintes choſez qount avenuez, kar uncore mults dez gentz

ſont en vie & lerceveſque meſmes qore eſt que a ydon qes fuiſt eſcoler en la vile que le voillent bien teſmoigner que un *William Frowe* fuiſt enditee de homicide ſenfuiſt en **Staplegate** & lientz ſe tient come en ſeinte eſgliſe. Et hors de **Staplegate** forjura la terre le Roi & porta le crois a la meer. Et puis ſez amyz purchacerent ſa pees & revient en *Engleterre* & fuiſt menant en *Maydiſtan* graunt temps aptes. Et neſt mye uncore douſze aunz qil moruſt Et pur ceo les bonez gentz de *Canterbirs* diont que le lieu de **Staplegate** eſt en la Citee de deinz les mures; & verite eſt que le lieu eſt en la Citee & ſi ad il allo alliours lieux en la Citee que ne ſount mye tayllables en la Citee & unqes ne furent. Et auxi les tenantz de **Staplegate** ſount moul chargez de ſervir lerceveſque de divercez ſervices. kar qaunt le Seneſchal lerceveſque les veudra ſomondre en le paleys lerceveſque en enqueſtez ou pur autres choſez il covient qils ſoient preſt come tenantz de paleys. Et auxi qaunt le paleys eſt occupie de Roi ou de Reyne ou del Erceveſque meſmes ou de autres grantz ſeigneurs que le ſeneſchal de franchiſe ne purra mye tener ſa court en le paleys, il viendra en **Staplegate** & tendra la court en qele meyſon qil voudra choiſer que null tenantz nel purra contredire & avera lieuz ſon hoſtel ſil voit. Et auxi ſi bref vient queu bref que ſe ſoit ſour tenants lerceveſque de **Staplegate**, le ſeneſchal de fraunchiſe avera retourn de bref & ferra lexecution que le bref voit. Et auxi ſi laroun ſoit pris leyntz ove larcyne ou dautre treſpas per ont il ſoit attachable levant dit ſeneſchal le prendra & le amenera en le paleys lerceveſque primerement & puis de illoeſqes a *Maydeſtan* & la avera ſon jugement. Et neſt guerres paſſe que un laron vient en **Staplegate** & empla un hanap de *Mazer* ove un pee dargent & fuiſt pris a maynoure & meſnes en le paleys lerceveſque & de illoeſqes a *Maydeſtan*, & la fuiſt il penduz. Et auxi ſi Juſticerie ſoit en la ville de deliverance de gayole de Counte ſil eſt homme ou femme de tenantz lerceveſque que le ſeneſchal de la fraunchiſe voudra faire ſuette de priſon ils amenera a **Staplegate** ſil voit & les baudra as aſcunz des tenantz a garder & ceo teſtmoignerſt *Eſmond de Paſſele* que bailla a *Aliſaundre* del amoynerye *Henr.* atte *Gate* & *Robert* ſon frere & le fiſt lour gardeyn. Et auxi un *Robert Courthoſe* de *Newendeun* tenant lerceveſque fuiſt attache en. la mayſon lavantdit *Aliſaundre* en temps de *Traylbaſtoun* per le Viſcounte & ſire *William de Melkſop* que fuiſt ſeneſchal lerceveſque de ces terrez, & *Eſmond de Paſſele* le firent entendre as Juſticez ſire *Roger Bakeroun* & a ſez compaignons, & comande fuiſt a Viſcounte per les Juſticez que meſmez celez gentz que attacherent lavauntdit *Robert* que il le a laſſent quere hors du chaſtel & remener en le lieu de **Staplegate** la ou il priſtrent, & ſi le firent ils, & la fuiſt il arreſtuez per *Eſmond de Paſſele* ove les autrez & hors de **Staplegate** furent deliverez, Et auxi une gentyle femme quavoit a noun *Anable* la veue *William de Childecroft* fuiſt enditee de recett de *Lukke atte Berne*, ele fuiſt auxi en garde en **Staplegate** par ſeute de *Eſmond de Paſſele* pur graunt maladie quele avoit de qele maladie ele moruſt & quant el fuiſt mort monſtre fuiſt par ſire *William Melkſop* & par *Eſmond de Paſſele* as Juſtices & les Juſtices comanderent a *Henr. de Woghope* Coroner foreyn qil alaſt a **Staplegate** prendre le queſte de foreyns & ſi le fiſt il, Et qaunt lerceveſque tient grauntz feſtez les polentiers lerceveſque averent lieuz lour pleytrye ou bien lour ſoit, Et ſire ceo cemble a tenauntz grauntz ſervicez & autre evidence ad il aſſez ſi meſtier ſoit.

Forma obligationis Cameræ papæ.

VOS venerabilis pater domine *Thoma* abbas monaſterii S. *Auguſtini Cant.* ordinis S. *Benedicti* de licentia ab apoſtolica ſede vobis in hac parte conceſſa gratis & ſponte recognoſcitis cameræ domini noſtri papæ & ſacro collegio reverendorum patrum dominorum ſanctæ *Romana* eccleſiæ cardinalium pro communi ſervicio per quendam venerabilem patrem dominum *Johannem* abbatem dicti monaſterii prædeceſſorem veſtrum eiſdem cameræ & collegio promiſſo & non ſoluto M. CCC. florenos auri juſti & recti ponderis de *Florencia* & v. ſervicia conſueta pro familiaribus & officialibus domini noſtri papæ et dominorum cardinalium prædictorum. Item de eadem licentia gratis ac liberaliter ac ſponte promittitis, datis & offertis pro veſtro conſervicio cameræ & collegio ſupradictis alios M. CCC. flor. auri & v. ſervicia familiaribus & officialibus eorundem conſueta, quorum omnium tertiam partem integraliter ſolvere promittitis in *Romana* curia ubicumque fuerit à proximo feſto omnium Sanctorum ad unum annum, & aliam tertiam partem in ſequenti feſto omnium Sanctorum, & aliam tertiam partem in proximo feſto omnium Sanctorum reverendis patribus dominis *Guillielmo* tituli ſanctorum iiij. coronatorum presbytero cardinali ſacri collegii prædictorum dominorum cardinali & *Stephano Arelatenſi* archiepiſcopo cameræ domini noſtri papæ camerariis. Quod ſi dictis loco & terminis dictos MM. DC. flor. auri & dicta ſervicia conſueta non duxeritis perſolvendos promittitis infra iiij. menſes poſt dictos terminos & eorum quemlibet immediate ſequentes ad curiam *Romanam* redire & coram dictis dominis camerariis perſonaliter comparere, & de curia ipſa non recedere donec de prædictis florenis & ſerviciis familiaribus per vos fuerit ſatisfactum. Et de hoc obligatis bona veſtra & monaſterium veſtrum & ipſius bona in quibuſcumque rebus conſiſtant præſentia & futura. Et ut ſitis vinculo fortiori aſtrictus, ſponte ſubicitis & ſubmittitis vos juriſdictioni & cohertioni dictorum dominorum camerariorum. Et de voluntate veſtra qui hoc vultis & petitis & hanc juredictionem in dictos dominos camerarios prorogatis ipſi domini camerarii hanc juredictionem in ſe ſuſcipientes vobis mandatum faciunt & præceptum tanquam de re ita feſſata, quod dictos MM. DC. florenos auri & ſervicia ſolvatis loco & terminis ſupradictis. Et de reveniendo ad *Romanam* curiam & inde non recedendo donec de prædictis fuerit ſatisfactum, ut ſuperius eſt expreſſum. Quod ſi non feceritis ſed in aliquo defeceritis eorundem, in vos ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium veſtræ abbatiæ & executionis pontificalium ſi quam habetis ac majoris excommunicationis, & in eccleſiam dicti veſtri monaſterii interdicti ſententias proferunt in ſcriptis, cominantes & proteſtantes veſtri domini de procedendo contra vos & abſque aliqua citatione ad graviores pœnas & ſententias ſpirituales & temporales prout eis placuerit & videbitur expedire. Et quod vos denunciabunt & denunciari facient per ſe

vel alios excommunicatum ſuſpenſum perjurum & aliis pœnis irretitum quas propterea in vos duxerint proferentes, & ſuper hiis omnibus vos domine abbas renunciatis expreſſe omnibus privilegiis & indulgentiis ac literis apoſtolicis conceſſis & concedendis quibuſcumque prælatis, beneficio fori reſtitutionis integrum & appellationis remedio juri revocandi donum & omni juris auxilio canonici & civilis per quæ contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum poſſetis quomodolibet vos tueri. Et juratis ad ſancta Dei evangelia manu tacta prædicta omnia & ſingula prout recitata ſunt ad purum & ſanum in dictorum dominorum camerariorum ſine fraude & dolo firmiter attendere & inviolabiliter obſervare, & non contra facere vel venire. Si vero vos, quod abſit, non cedere vel transferri contingat antequam dictis dominis camerariis vel deputato ſeu deputatis ab eis vel ſucceſſoribus ſuis in dicto officio fuerit de prædictis pecuniæ ſummis plenarie ſatisfactum; & is qui regimine monaſterii prædicti ſubſtitui contigerit infra iiij. menſes poſt ſubſtitutionem eandem adeptam adminiſtrationem ejuſdem monaſterii dictis dominis camerariis ſeu ſucceſſoribus ſuis de eiſdem ſummis ſatisfacere non curaverit, vultis quod in eum dicti domini camerarii eaſdem ſententias proferant & provulgent, & vultis quod de prædictis omnibus nos clerici faciamus publicum & publica inſtrumenta.

Evidentia eccleſia Chriſti Cant.

Ex MS. in Collegio CC. Cant. dicto Thorn.

ANno Dominicæ incarnationis DC.xvj. Ego *Eadbaldus* rex *Canciæ* filius *Ethelberti* regis à Deo compunctus, & per ejus miſericordiam perq; ammonitionem domini *Laurentii* archiepiſcopi converſus à pravitate vitæ meæ, pro recuperanda ſalute animæ meæ, proque ſpe remunerationis futuræ, concedo eccleſiæ *Chriſti* in *Dorobernia* & familiæ in eadem eccleſia Deo ſervienti, terram juris mei nomine **Edesham**, cum campis, ſilvis, paſcuis & omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omnibus ſecularibus ſerviciis & fiſcali tributo, Exceptis his tribus, expeditione, arcis pontiſve conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DC.lxxix. Ego *Lotharius* rex *Cantuariorum* pro remedio animæ meæ concedo terram in inſula *Thanatos* in loco qui appellatur *Weſtanea* tibi *Brithwolde* abba, tuo que monaſterio, cui nomen **Raculf**, cum omnibus ad illam rite pertinentibus, campis, paſcuis, mariſcis. Adjeci adhuc eidem eccleſiæ tuæ terram xij. manſionum in loco qui dicitur **Sturete**, liberam ut ſuperiorem ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis iſtis tribus, expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DC.lxxx. Ego *Ceadwala* Deo diſponente rex rogatus à venerando *Wilfrico* epiſcopo conceſſi ſibi quandam terram juris mei quæ dicitur **Pagaham** cum appendiciis ejus circumquaque adjacentibus, id eſt **Slindun**, **Sclippaneg**, **Ceretun**, **Bucgrenora**, **Beorganstede**, **Crimesham**, **Mundanham** aquilonare & aliud **Mundanham**. Hæc omnia conceſſimus venerabili viro *Wilfrido* epiſcopo cum conſenſu & devota confirmatione omnium optimatum meorum, pro relaxatione omnium peccatorum noſtrorum & pro ſpe æternæ retributionis. Inſuper addidimus terram quæ nominatur **Tangmere** fratribus Deo ſervientibus in eccleſia S. *Andreæ* apoſtoli, poſita ſuper ripam quæ dicitur **Wedringemuthe**.

Anno Dominicæ incarnationis DC.lxxxvij. Ego *Ceadwala* rex cum conjuge mea *Kendritha* concedo tibi paſtor *Theodore* archiepiſcope & familiæ eccleſiæ *Chriſti* in *Dorobernia* terram juris mei nomine **Geddinge** & **Wuetun** ſcilicet terram iiij. aratrorum pro ſpe ſalutis æternæ, liberam ab omni ſeculari ſervitio; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DC.lxxxxiv. Ego *Withredus* rex *Cant.* concedo terram iiij. aratrorum pro amore Dei & *Brithwaldi* archiepiſcopi eccleſiæ beatæ *Mariæ* quæ ſita eſt apud **Limminges**, quæ terra vocatur **Wilhelmestun**, cum omnibus ad eam rite pertinentibus, campis, ſilvis, pratis, paſcuis, liberam ab omnibus ſecularibus ſervitiis; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno ab incarnatione Domini DC.xciiij. *Withredus* glorioſus rex *Canciæ* cum reverentiſſimo archiepiſcopo *Brithwaldo* præcepit congregari concilium in loco qui nominatur **Baccancelde**, præſidente eidem concilio jam nominato clementiſſimo rege *Cant. Withredo*, & eodem venerando patre & primate totius *Britanniæ*, ſimulque *Tobia* epiſcopo *Roſenſis* eccleſiæ, cum abbatibus, abbatiſſis, preſbyteris, diaconibus, ducibus, ſatrapis, pariter tractantes de ſtatu eccleſiarum Dei in *Anglia*, & de his quæ à fidelibus regibus prædeceſſoribus ejus & propinquis, *Ethelberto* videlicet poſteriſq; ejus, Deo omnipotenti in propriam hæreditatem data fuerunt, qualiter ſecundum veram juſtitiam ſtare & permanere valeant, vel quomodo ea ſervare oporteat amodo & uſque in finem ſeculi, conſtituentes. Ego, inquit *Withredus*, rex terrenus, à rege regum compunctus, zelo rectitudinis accenſus, ex antiqua traditione ſanctorum patrum didici, non eſſe licitum alicui homini in laico habitu conſtituto, uſurpare ſibi quaſi propriam poſſeſſionem quod ante fuerat Domino conceſſum & cruce Chriſti firmatum. Scimus enim & veraciter conſtat quia quod ſemel accepit homo donatione alterius in propriam poteſtatem, nullatenus ſine injuria illud iterum dimittet. Horrendum eſt itaque hominibus Deum vivum expoliare, tunicamque ejus & hæreditatem ſcindere. Cum ergo Deo aliquid oblatum fuerit de terrenis ſubſtantiis, ad hoc ut facilius promereri valeant offerentes æternam retributionem percipere in cœlis, manifeſte declaratur, quod quanto incautius homo ſecularis applicuerit ſe in hæreditatem regis æterni, tanto diſtrictius à Deo punietur. Pro qua re firmiter decernimus, & in nomine omnipotentis Dei omniumque Sanctorum præcipimus omnibus ſucceſſoribus noſtris regibus, principibus & omnibus in laico habitu conſtitutis, ut nulli unquam liceat alicujus eccleſiæ vel monaſterii dominium habere, quæ à me vel anteceſſoribus meis priſcis temporibus Deo tradita ſunt in perpetuam hæreditatem & ſanctis ejus; Magis autem ſicut in canonibus præcipitur obſervandum eſt, ut quando aliquis de prælatis defungitur epiſcopus, abbas vel abbatiſſa, intimetur archiepiſcopo propriæ parochiæ, & cum ejus conſilio & conſenſu, vita ac mundicia ejus examinata, qui dignus invenitur eligatur, & nullo modo ſine conſenſu & conſultu archiepiſcopi promoveatur. Neque de hac re aliquid pertinet ad decretum vel imperium regis. Illius autem eſt Comites, Duces, optimates, principes, præfectos, judices ſeculares ſtatuere. Metropolitani vero archiepiſcopi eccleſias Dei replere, gubernare, epiſcopos, abbates, abbatiſſas, cæteroſque prælatos eligere, ſtatuere, firmare, admonere, ne quis de ovibus Chriſti, ſcilicet æterni paſtoris aberret. Hæc lex per ævum in regno noſtro inperpetuum omnibus eccleſiis Dei pro ſalute animæ meæ meorumque prædeceſſorum, proque ſpe cœleſtis regni. Igitur ex hac die & deinceps concedimus & donamus eccleſiis regni noſtri liberas eſſe perpetua libertate ab omnibus ſecularibus ſerviciis, ab omni debito vel pulſione regalium tributorum, ut poſſint pro nobis Deo omnipotenti hoſtias dignas offerre noſtraque peccata abluere inmaculatis muneribus.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xlj. Ego *Eadbrith* rex cognomento *Eating*, pro ſalute animæ meæ concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* capturam piſcium quæ habetur in oſtio fluminis quæ dicitur *Limenea*, & partem agri in qua ſitum eſt oratorium ſancti *Martini* cum domibus piſcatorum, & quartam partem aratri circa eundem locum & paſcua Cl. jumentorum juxta mariſcum qui dicitur **Biſcopeſwic** uſque ad ſilvam quæ appellatur **Rhip**, & uſque ad terminos *Suthſaxoniæ*, regimen habente eccleſiæ beatæ *Mariæ* quæ habetur apud **Limene** *Cuthberto* archiepiſcopo tunc temporis abbate. Cui videlicet eccleſiæ hanc meam donationem nominatim contuli liberam ab omni ſeculari ſervitio, exceptis iſtis tribus, expeditione, pontis, & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xlij. congregatum eſt magnum concilium apud **Cloveſho**, præſidente eidem concilio *Ethelbaldo* rege *Merciorum* cum *Cuthberto* archiepiſcopo *Doroberniæ* cæteriſque epiſcopis ſimul aſſidentibus, diligenter examinantes circa neceſſaria totius religionis, & de ſymbolo ex antiquis ſanctorum patrum inſtitutionibus tradito, ſtudioſeque perquirentes qualiter in primordio naſcentis eccleſiæ hic in *Anglia* jubebatur haberi, aut ubi honor cœnobiorum ſecundum normam æquitatis. Hæc & his ſimilia anxie inquirentes, antiquaque privilegia recitantes, tandem pervenit ad manus libertas eccleſiarum, & inſtitutio vel præceptum *Withredi* glorioſi regis de electione & auctoritate cœnobiorum in regno *Cantiæ*, quomodo vel qualiter ſecundum imperium & electionem *Cantuarienſis* metropolitani fieri, ſtare præcipitur. Ex præcepto itaque regis *Ethelbaldi* lectum eſt coram omnibus privilegium præfati *Withredi* glorioſi regis, & placuit cunctis hoc audientibus, pariterque dixerunt, nullum aliud tam nobile tamque prudenter conſtitutum decretum invenire potuiſſe ſecundum eccleſiaſticam diſciplinam, & ideo hoc ab omnibus firmari ſanxerunt. Igitur ego *Ethelbaldus* rex *Merciorum* pro ſalute animæ meæ et ſtabilitate regni mei, proque reverentia venerabilis archiepiſcopi *Cuthberti*, propria manu mea munifica ſubſcribens confirmo, ut per omnia libertas, honor, auctoritas, et ſecuritas Chriſti eccleſiæ à nulla perſona denegetur, ſed ſit libera ab omnibus ſecularibus ſerviciis & omnes terræ ad illam pertinentes, exceptis expeditione, pontis et arcis conſtructione.

Et ſicut ipſe præfatus rex *Withredus* pro ſe ſuiſque conſtituit ſervandum, ita per omnia irrefragabiliter et immutabiliter perdurare præcipimus.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xliij. apicem regni tenente in *Cantia* glorioſo rege *Eadberto*, venerabilis ac Deo dilectus *Cuthbertus* vir in omni ſapientia & religione fundatus, undecimus à beato *Auguſtino* in metropolitana ſede *Doroberniæ* ſummi ſacerdotii dignitate fungebatur. Hic prudenter advertens deſtitutionem eccleſiæ Chriſti, eo quod nullo honorabilis ſepulturæ decore fulgeret, dum defunctis archiepiſcopis eorum corpora ſibi auferrentur, & ad cœnobium quod in orientali parte *Cantuariæ* civitatis extra urbem ſitum eſt transferrentur, condoluit & qualiter illa conſuetudo mutaretur ſtudioſe tractavit. Præſidebat autem ea tempeſtate ſedi apoſtolicæ *Gregorius* junior, vir ſanctitatis merito venerabilis, & magno ſapientiæ ſplendore præfulgens. Huic itaque cum reverentiſſimus *Cuthbertus* hanc cauſam patefaceret, & ſe nimis pro tali archipræſulum tranſpoſitione contriſtari aſſereret, petiit ab eo ut hanc conſuetudinem ſuo edicto mutaret, & mutatam ſua auctoritate firmaret. Qui quoniam piam & rationabilem cauſam prætendebat, pro voto mox quod petivit optinuit. Confeſtim ergo cum à *Roma* reverſus *Angliam* veniret, & à ſuis honorifice ſuſceptus fuiſſet, hoc idem negotium etiam præfati regis auctoritate fecit firmari. Poſt hæc, in archiepiſcopatu plurimos feliciter vivens annos, plurima ob robur eccleſiæ concilia fecit in *Anglia* celebrari. Conſtruxit et baſilicam juxta eccleſiam Chriſti quam in honore S. *Johannis Baptiſtæ* conſecravit, ubi ipſe & ſucceſſores ſui honorifice ſepelirentur. Appropinquante autem vitæ ſuæ termino, præcepit ne aliqua divulgatio infirmitatis vel mortis ejus fieret nec ſignum pro eo pulſaretur, donec ejus corpus ſepulturæ traditum eſſet. Quod & factum eſt. Sepulto vero eo, ſigna pro eo pulſantur, notitia mortis ejus palam divulgatur. Quo audito, abbas ſancti *Auguſtini* nomine *Iambertus* eo cum ſociis acceſſit, corpus juxta ritum priſtinum ſecum laturus, ſed cum eum jam ſepultum reperiret, & antiquam conſuetudinem apoſtolica ſimul & regia auctoritate mutatam eſſe cognoſceret, turbatus & anxius ſuo privatus deſiderio ad propria remeavit. Succeſſit autem beato *Cuthberto* totius *Britanniæ* primati in archiepiſcopatum vir magnæ religionis nomine *Brechwinus*, qui de præfata mutatione ſepulturæ archipræſulum prædeceſſoris ſui ſtatuta multum laudavit, & eadem devotione qua ipſe fecerat, eandem cauſam apoſtolica & regia auctoritate & ſua confirmari fecit. Et hoc quoque ex hac vita ſublato, filii eccleſiæ Chriſti in memorata baſilica ſancti *Johannis Baptiſtæ* ubi prædeceſſor ſuus honorabilis *Cuthbertus* locatus fuerat ſepelierunt. Huic ſucceſſit in pontificatum prædictus abbas *Iambertus* qui præſulatus dignitatem annis plurimis vigore ſacerdotalis auctoritatis pleno adminiſtravit. Hic cum finem ſuum ſibi inſtare conſpiceret, volens anteceſſorum ſuorum ſtatuta mutare, præcepit, ut poſt obitum ſuum ad ædem S. *Auguſtini* corpus illius ſepeliendum deferretur: Eo quoque defuncto præceptum illius impletum eſt. Nam cum tertius eſſet qui apud eccleſiam Chriſti ubi duo prædeceſſores ſui quieſcebant ſepeliri deberet, præparatum ſibi honorem abjecit, & in loco ubi abbas fuerat ſepulturam ſibi ad hoc ut mutatio quæ de archiepiſcoporum corporibus facta erat annichilaretur, elegit; ſed quia Chriſtus eccleſiæ ſuæ honorem everſum iri noluit, virum prædicandæ ſanctitatis *Athelardum* ei in pontificatum ſuccedere fecit, qui prædeceſſoris ſui *Iamberti* ſtatuta de ſæpe memorata cauſa irrita fecit, & decus quod venerandi patres *Cuthbertus* & *Bregowinus* eccleſiæ Chriſti in hac re contulerant approbavit, & apoſtolica ſimul & regia auctoritate fecit firmari, & eidem negotio ſuam auctoritatem adhibuit. Res itaque in poſterum ita remanſit, & apud metropolitanam ſedem ipſe *Athelardus* & omnes ſucceſſores ſui, viz. archipræſules eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* ſepulturæ honorem ſortiti ſunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xlvij. Ego *Eadbertus* rex *Canciæ* cum conſenſu optimatum meorum, *Bregowini* archiepiſcopi & cæterorum principum meorum, concedo eccleſiæ quæ eſt apud **Raculf** & tibi *Deneheah* abba tuæque familiæ pro ſalute animæ meæ vectigal & tributum unius navis in portu ac villa quæ dicitur **Fordewic**, ad opus ut præfatus ſum ſanctæ *Mariæ* quæ in jam nominata eccleſia Deo ſervit. Simulque præcipio in nomine omnipotentis Dei præfectis, præpoſitis, actionariis & omnibus fidelibus qui habent vel habituri ſunt aliquam poteſtatem, ut hæc meo donatio ſit ſtabilis & firma imperpetuum.

Anno incarnati Domini DCC. lxxxiiij. Ego *Ealhmundus* rex *Cantiæ*, do tibi *Wetrede* honorabili abbati tuæque familiæ degenti in loco qui dicitur **Raculf Ceſtre** terram xij. aratrorum quæ dicitur **Schyldwic**, cum univerſis ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni ſeculari ſervitio & ab omni regali tributo; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno incarnati Domini DCC. xcj. Ego *Kenewlfus* rex rogatu venerabilis archiepiſcopi noſtri *Athelardi* do vicario munere terram xij. aratrorum ubi dicitur **Tenham**, ad metropolitanam Salvatoris eccleſiam. Hanc autem munificentiam ob id maxime reddo, quia idem archiepiſcopus gratia recompenſationis terram xjj. aratrorum mihi dedit in loco ubi *Cregeſewlma*, quam videlicet terram *Offa* rex olim dedit cuidam Comiti ſuo nomine *Ufa*. Hanc itaque donationem meam, ego rex *Kenewlfus* liberam eccleſiæ Chriſti concedo ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno incarnati Domini DCC. xcviij. congregatum eſt magnum concilium in loco qui dicitur **Baccancelde**, præſidente eidem concilio *Cenewlfo* rege, necnon reverentiſſimo archiepiſcopo *Athelardo*, cum epiſcopis, abbatibus, & multis aliis idoneis perſonis. Tunc idem venerabilis pater & primas totius *Britanniæ Athelardus* ſic exorſus eſt. Ego *Athelardus* gratia Dei humilis ſanctæ *Dorobernenſis* eccleſiæ archiepiſcopus unanimo conſilio totius ſanctæ ſynodi in nomine Dei omnipotentis & per ejus tremendum judicium præcipio, ſicut ego mandatum à domino apoſtolico *Leone* papa percepi, ut ex hoc tempore nunquam temerario auſu ſuper hæreditatem Domini, id eſt eccleſias, laici ſeculares præſumant dominium ſuſcipere. Sed ſicut in privilegiis ab apoſtolica ſede datis habetur, ſeu eciam ab apoſtolicis viris in initio naſcentis eccleſiæ traditum eſt per ſanctos canones, vel eciam à propriis poſſeſſoribus monaſteriorum conſtitutum eſt, ea regula & diſciplinæ obſervantia ſua monaſtica jura ſtudeant obſervare. Si ergo quod abſit, ipſi hoc noſtrum mandatum & Domini Apoſtolici præceptum ſpreverint & pro nichilo ducunt, ſciant ſe à præſenti eccleſia juſtorum ſegregatos, & in die judicii ante tribunal Chriſti niſi ante emendaverint rationem reddituros. Hæc ſunt nomina ſanctorum epiſcoporum & abbatum qui cum totius ſynodi conſenſu pro confirmatione prædictæ rei ſignum ſanctæ Crucis ſubſcripſerunt.

✠ Ego *Athelardus* archiepiſcopus *Dorobernenſis* civitatis ſubſcripſi.
✠ Ego *Hedde* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Weror* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Egwinus* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Fortherus* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Daniel* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Eadbrith* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Acca* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Ingualdus* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Heardryd* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Nothbertus* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Wulfredus* archidiaconus *ſubſ.*
✠ Signum *Adulfi* epiſcopi *Licifeldenſis*
✠ Ego *Eadwlf Siddenſis* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Oſmundus Londonienſis* epiſc. *ſubſ.*
✠ Ego *Tydfridus Dammoca* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Eortredus* abbas *ſubſ.*
✠ Ego *Werubrihtus Legorenſis* *ſubſ.*
✠ Ego *Eulmundus* epiſc. *Wintonienſis* *ſubſ.*
✠ Ego *Wermundus Roſenſis* epiſcopus *ſubſ.*
✠ Ego *Felogyldus* abbas *ſubſ.*

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xcix. Ego *Cenewlfus* rex, venerabili archiepiſcopo *Athelardo* rogante reddo eccleſiæ Chriſti quæ eſt in *Dorobernia* quaſdam terras quas olim rex *Offa* eidem eccleſiæ ablatas ſuis contulit miniſtris. Quarum nomina hæc ſunt, **Terringes**, **Seleberteſceart**, **Brinningland**, & **Burnam** in parte occidentali **Bereham**. Has ut præfatus ſum terras pro perpetua ſalute animæ meæ rogatu prænominati pontificis, conſentientibuſque epiſcopis & principibus meis, reddo liberas ab omni ſeculari ſervicio & tributo regali. Et hanc donationem meam ut inviolata permaneat, ſigillo ſanctæ crucis confirmo.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. Ego *Athelardus* primas totius *Britanniæ*, pro amore Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & pro abſolutione omnium criminum meorum, concedo eccleſiæ Chriſti & monachis ejuſdem eccleſiæ terram quatuor aratrorum nomine **Burnam**, omneſque pontifices ſucceſſores noſtros intimo corde obſecro, ut omne bonum quod in illa terra lucrificatum fuerit idem fratres ad menſam ſuam habeant, aut ad aliud ad quod utilius illis videatur. Hanc enim terram prænominatam quidam ſtrenuus & prædives homo qui olim præfectus fuit in *Dorobernia* civitate nomine *Aldhuin*, pro ſalute animæ ſuæ eccleſiæ Chriſti quaſi dominium ſuum contulit ad victum monachorum ibidem Deo ſervientium. Sed eadem ſancta eccleſia Chriſti contra veram juſtitiam rapacitate *Offæ* regis eadem terra privata eſt. Nos autem Chriſto auxiliante iterum eandem terram ſinodali judicio curavimus eidem Chriſti eccleſiæ reſtituere. Itaque reges & pontifices ſequaces noſtros & omnes alios qui poteſtatem habent vel habituri ſunt in hac provincia ſummo ſtudio rogamus & humiliter obſecramus, ut ſemper augere ſtudeant eiſdem fratribus noſtris bonum ſuum & non minuere. Hanc prædictam

ctam terram, ſcilicet **Burnam**, liberam ab omni ſeculari ſervicio ſinodali ut præfatur judicio recepi & eadem libertate eccleſiæ Chriſti reddidi; Exceptis his tribus, expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. iiij. Ego *Cenwlfus* rex *Merciorum*, & *Cuthredus* rex *Cantiæ* frater meus, conceſſimus interveniente *Athelardo* archiepiſcopo *Cantiæ* eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* quæ ſita eſt in loco qui dicitur **Liminge**, ubi jacet corpus beatæ *Eadburgæ*, aliquantulam terram in civitate quæ dicitur *Dorobernia*, videlicet ſex manſuras pertinentes ad eccleſiam beatæ *Mariæ* in parte occidentali, locus autem ille dicitur **Eadburgewell**.

Anno Dominicæ incarnationis DCC.lxxiiij. Ego *Offa* rex concedo partem terræ in maraſco ubi dicitur **Ylide**, ad opus eccleſiæ Chriſti, id eſt, monachorum qui in eccleſia Chriſti ſunt, quæ ſita eſt in *Dorobornia* civitate, *Iamberto* archiepiſcopo ejuſdem civitatis rogante, pro ſalute animæ meæ liberam ab omni ſeculari ſervicio & fiſcali tributo; Exceptis pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC.xxij. Indictione iij. de diverſis *Saxoniæ* partibus congregatum eſt ſynodale concilium in loco præclaro qui dicitur **Cloveſho**, præſidente huic venerabili concilio *Beornulfo* rege *Merciorum*, & *Wulfredo* archiepiſcopo, cæteriſque epiſcopis & abbatibus omniumque dignitatum optimatibus, eccleſiaſticarum videlicet & ſecularium perſonarum, utilitatem & neceſſitatem eccleſiarum monaſterialiſque vitæ regulam & obſervantiam, ſtabilitatem quoque regni pertractantes. Interea ab omnibus in eadem ſynodo quæſitum eſt quomodo quis cum juſtitia ſit tractatus, ſeu quis injuſte ſit deſpoliatus. Inter multa itaque quæ ibi acta & dicta ſunt, monſtratum eſt quia præfatus archiepiſcopus *Wulfredus* per delationem, & inimicitiam, & violentiam, avaritiamque, *Cenulfi* regis perpeſſus ſit, & de ſua juſta dominatione injuſtiſſime privatus, tam per ea quæ hic inter nos, ſcilicet in *Anglia* illi ſunt illata, quam per ea quæ per juſſionem prænominati *Cenulfi* regis ad apoſtolicam ſedem perlata ſunt. Nec ille ſolummodo ſæpe nominatus archiepiſcopus, ſed per eaſdem accuſationes & diſcordias tota gens *Anglorum* per ſex annorum ferme curricula ſua primordiali auctoritate ſacrique baptiſmatis miniſterio privata ſit. Super hæc omnia quadam vice idem rex *Cenulfus* cum ſuis conſiliariis veniens ad villam regalem *Londoniam* conſtituit diem cum magna indignatione quo idem archiepiſcopus veniret ad eum. Quo cum veniſſet, præcepit rex ut relictis omnibus rebus ſuis citiſſime de *Anglia* diſcederet, ne aliquam ſpem haberet redeundi amplius, nec per præceptum domini papæ nec precibus imperatoris, nec alicujus alterius perſonæ niſi conſentiret voluntati ejus dimittendo ei villam trecentorum manentium nomine **Leogeneſhamme**, inſuper daret ei centum libras denariorum. Hanc autem reconciliationem prædictus vir *Wulfredus* diu recuſans contradixit. Cumque amici viri Dei & optimates regis qui illum plurimum dilexerunt viderent rapacitatem & violentiam regis, inſtigaverunt archiepiſcopum ut eo tenore regiæ voluntati pareret, quatinus idem rex diſcordiam quam per nuncios ſuos inter apoſtolicum & archiepiſcopum compoſuerat, diſſiparet, omnem quoque poteſtatem & dignitatem quæ ad primatem ſedem pertinebat eidem patri juxta auctoritatem quam anteceſſores ejus priſcis temporibus excellentius habuerunt ei reſtitueret. Quod ſi hoc rex facere nequiſſet, pecuniam & terram quam ab archiepiſcopo exigebat, iterum ei redderet. Hac igitur conditione aſſenſum ei pater præbuit. Sed nichil hujus prædictæ conditionis impletum eſt. Nam tribus integris annis poſt eandem reconciliationem, poteſtatem quam anteceſſores ejus & ipſemet ante illam diſcordiam habuerunt ſuper **Suthmenſtre**, tam in paſtu, pecunia, veſtimentis, quam obedientia quæ ad ſedem metropolitanam pertinebat privatus remanſit. Poſt mortem autem *Cenulfi* regis cum *Beornulfus* rex regnaret, idem pater archiepiſcopus invitabat *Cenedritham* abbatiſſam hæredem filiamque *Cenulfi* regis ad prædictum concilium. Quo cum perveniſſet, omnibus in concilio audientibus conqueritur archiepiſcopus de injuriis, & moleſtiis ſibi & Chriſti eccleſiæ à patre ſuo illatis, emendationemque ab ea ſi juſtum eſt poſtulat. Tunc omne concilium pro juſtitia invenit, & hoc unanimi conſenſu decrevit, ut illa omnia quæ pater ejus archiepiſcopo ibidem abſtulerat, juſte eidem reddere debuiſſet, iterumque tantundem pro emendatione. Inſuper omnem uſum emendare quem in illo ſpatio præfatus pater perdiderat. Quod ipſa humiliter ſpoſpondit. Placuit itaque *Beornulfo* regi cum ſuis ſapientibus pro amicitia *Cenulfi* regis & hæredum illius archiepiſcopo ſupradictarum terrarum diligentiſſime reconciliationem & emendationem facere. Quia autem hoc regi placuit & humili prece id depoſcebat, pro amore & amicitia illius conſenſit. Hæredes enim ſæpe nominati regis *Cenulfi* expetiverunt eundem patrem, patronum & interceſſorem habere. Deprecabanturque eum humili devotione ut pro plena reconciliatione ſuſciperet in quatuor locis terram centum manentium, id eſt, **Herges**, **Herſordingland**, **Wambelea**, **Gedding**. Tunc archiepiſcopus pro amore Dei & amicabili amicitia regis *Beornulfi* huic reconciliationi conſenſit, ea conditione ut præfata abbatiſſa prænominatam eidem archiepiſcopo illam terram, ſcilicet centum manentium, cum libris quos *Angli* dicunt **Landbot**, & cum eadem libertate quam ante habuerat, in perpetuam hæreditatem traderet. *Beornulfus* autem rex cum teſtimonio totius ſynodi liberam omnino proclamavit. Iſta quoque reconciliatio nec hac vice rata fuit, quia poſt hæc iſta promiſſio xij. menſibus imperfecta remanſit. Retenti enim ſunt tres manentes de prædicta conditione & libri xlvij. ſcilicet liber de **Bocland**, liber de **Wanbelea**, liber etiam de **Hereſrethingeland**. Sequenti vero anno hæc eadem abbatiſſa flagitabat colloquium cum ſæpe nominato viro, qui tunc temporis erat in regione *Wiciorum* in loco qui dicitur **Olaveſhleu**, ibi enim tenebat concilium: ubi cum virum inveniſſet, confeſſa eſt inſipientiam tardatæ reconciliationis. Archiepiſcopus vero cum magna dulcedine oſtendit ſe eſſe omnino liberum de ſæpenominata reconciliatione; de ſua autem parte, id eſt abbatiſſæ plura deeſſe, quæ reddere debuiſſet. At illa coram poſita concilio ſuffuſa levi rubore, omnia quæ deerant humiliter promiſit ſe redditurам, libros etiam quarundam terrarum quos ante non promiſerat cum terris in eodem concilio, archiepiſcopo libenti animo reddebat. Agellum quoque quatuor manentium pro ejus amicitia adjecit apud **Hergam**.

gam. Terram quoque xxx. manentium ubi dicitur **Cumbe**, cum libello ejuſdem terræ pro emendatione, archiepiſcopo dedit, ut firma amicitia inter omnes hæredes *Cenulſi* regis & archiepiſcopum ſtabilis permaneret. Archiepiſcopus autem his omnibus aſſenſum præbuit, hac conditione, ut nomina prædictorum agellorum ſint abraſa de antiquis privilegiis quæ pertinent ad **Winchelecumbe**, ne impoſterum aliqua controverſia excitetur de hoc; quod ſynodali auctoritate finitum eſt, & ſigno crucis firmatum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. v. Ego *Cuthredus* rex *Cantiæ* cum licentia *Cenulſi* regis *Merciæ*, concedo *Wlfredo* archiepiſcopo ad opus eccleſiæ Chriſti terram duorum aratrorum quæ dicitur **Bochold**, & ab aliis vocatur **Hrythreleah** liberam ab omni ſeculari ſervitio. Item, in alio loco in *Cantia* ubi dicitur **Beweſtanwdan**, quidam autem nominant **Cingeſculand**, quod nos poſſumus dicere paſturam vaccarum regis. Iſta inquam terra cum supranominata & cum ſuis contiguis terminis qui ad eaſdem rite pertinent, concedo ſupra nominato archiepiſcopo ad opus præfatæ eccleſiæ liberas ab omni ſeculari gravitate & fiſcali tributo; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. ix. Ego *Cenulfus* rex *Cantiæ* concedo *Wlfredo* archiepiſcopo dilecto mihi terram juris mei vij. aratrorum quæ dicitur **Bereham**, pro ejus competenti pecunia, id eſt, xxx. libris denariorum. Item, in alio loco in *Cantia* dedi eidem venerabili viro ad opus præfatæ eccleſiæ & monachorum ibidem Deo ſervientium terram xxv. jugerum, nomine **Ibbinctun**, liberas ab omnibus ſecularibus anxietatibus; Exceptis communi expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xj. *Wluredus* archiepiſcopus emit has terras ad opus eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* à *Cenulfo* rege, *Gravenea*, **Caſncburnam**, & **Elmeſtede**, & in alio loco terram duorum aratrorum quæ dicitur **Swiduningland** juxta *Gravenea*. Item, in alio loco terram quæ nominatur **Appingland**. In mariſco quoque terram unius aratri inter hæc quatuor confinia, ab oriente **Elemearc**, ab auſtro **Bedinghope**, in palude, ab occidente terra regis, ab aquilone **Nothameſpynd**, cum undique legitimis limitibus rite ad eas pertinentibus, campis, ſilvis, pratis, paſcuis, paludibus, littoribus, liberas ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis expeditione, pontis, & arcis conſtructione.

Ego eciam *Cenulfus* rex pro reverentia & dilectione ejuſdem archiepiſcopi *Wlfredi* eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* infra mœnia urbis in auſtrali parte præfatæ eccleſiæ duas dono manſiones & dimidiam quod Angli dicunt **Thriddehialf** haga, & duo prata in orientali parte fluminis *Sturæ* ſita.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xiiij. Ego *Cenulfus* rex viro venerando *Wlfredo* concedo aliquam partem juris mei & monachis eccleſiæ Chriſti in perpetuam libertatem in loco qui dicitur *Oinnanea* circiter xxx. jugera inter duos gremiales rivos quod dicitur **Sture**. Hæc terra, ut diximus, libera maneat ab omnibus ſecularibus ſervitiis; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. Item, ego *Cenulfus* gratia Dei rex conceſſi eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* infra mœnia particulam terræ quæ adjacet eccleſiæ ſancti *Johannis Baptiſtæ*, menſuram ſcilicet xv. virgarum longitudinis, x. virgarum latitudinis. Eodem anno idem venerabilis pater *W.* archiepiſcopus adjecit monachis eccleſiæ Chriſti domos ſuas quas proprio labore conſtruere fecit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xv. Ego *Cenulfus* rex do partem terræ juris mei in loco qui dicitur *Bixlea* x. aratrorum *Wlfredo* archiepiſcopo ad opus eccleſiæ Chriſti, & hæc terra libera permaneat, præter expeditionem, pontis & arcis conſtructionem.

Hæc ſunt nomina paſcuorum porcorum, **Helfrethingden**, **Hunbealdinghola**, **Frumeſingleah**, **Burneſtedeſden**, **Heanyſrée**, cujus termini ſunt in oriente **Spchrig**, in auſtro **Plumwarding parroc**, in occidente **Lindecolne**, & ab aquilone **Avene**.

Anno dominicæ incarnationis DCCC. xxj. Ego *Cenulfus* rex concedo venerando archiepiſcopo *W.* pro remedio ſalutis æternæ partem terræ juris mei in tribus locis, id eſt, **Coppanſtan**, **Greatnearſe**, & **Scealdefordan**, liberas ab omni ſeculari ſervicio & regio tributo.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxij. Ego *Cenulfus* rex *Cantiæ* do *W.* archiepiſcopo ad opus monachorum partem terræ juris mei nomine **Meletun**, liberam ab omni ſeculari gravitate & fiſcali tributo. Item, eodem anno *Beornulfus* rex dedit *W.* archiepiſcopo ad opus monachorum villam **Godmereſham** terram juris ſui, videlicet octo aratrorum, liberam ab omnibus rebus; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxiij. Ego rex *Ceolulfus* concedo partem terræ juris mei in *Cantia W.* Archiepiſcopo partim infra mœnia urbis *Doroberniæ*, videlicet lx. pedum in longitudine & xxx. in latitudine; partim extra civitatem ab aquilonali parte urbis xxx. jugera, xxv. in arido campo & quinque agros prati.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxiiij. Ego *Wlfredus* archiepiſcopus dedi monachis eccleſiæ Chriſti terras quæ vocantur **Egethorne** & **Langedune** pro commutatione alterius terræ quæ vocatur **Beraham.** Item dedi eiſdem monachis villam quæ dicitur **Caſtur**, **Waldingtun**, in occidentali parte eccleſiæ infra mœnia urbis *Doroberniæ* intra ripam fluminis **Sture**. Item, idem pater dedit eccleſiæ Chriſti terram quæ dicitur **Flocquinningland** in regione **Caſtrege**, ruricoſum quoque unius aratri in loco qui dicitur **Byri**.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxix. Ego *Wilaf* rex *Merciorum* concedo eccleſiæ Chriſti & *Wlfredo* archiepiſcopo in provincia *Mildelſaxonum* partem terræ juris mei, quæ ab incolis nominatur **Boteſwelle**, cum campis, pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus omnibus ad eam rite pertinentibus liberam ab omni ſeculari ſervitio & regali tributo, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxx. Ego *Wernardus* gratia Dei presbyter his literis intimare cupio quomodo volo poſt obitum meum ſubſtantiam & terras dividere, quas donante Deo & *Wlfredo* archiepiſcopo propinquo meo auxiliante adquiſivi. Inprimis autem cum magna humilitate & humili devotione reddo eccleſiæ Chriſti & monachis Deo ibidem ſervientibus omnes terras infra *Cantiam* & extra quas hactenus tenui, donante præfatæ archiepiſcopo & conſentiente prædicta familia Chriſti. Præcepit enim hoc mihi idem archiepiſcopus ita facere, eo quod eaſdem terras ad opus jam ſæpedictæ familiæ emiſſet, & cum magno labore adquiſiſſet, pro remuneratione æternæ ſalutis. Hæc autem ſunt nomina terrarum quas reddo, **Hergas**, *c.* & iiij. hidas. **Graveneam**, xxxij. hidas. **Burnam**, xliiij. hidas. **Orſwalun**, x. hidas. **Berham**, quam idem archiepiſcopus & monachi eccleſiæ Chriſti mihi dederunt pro commutatione terræ de **Clive**, xxxvj. hidas; unum jugum quod jacet in auſtrali parte **Limens** & ab incolis nominatur **Lambaham**, pertinet autem ad **Burnam** & reddit xl. penſas caſei, & agnos & lanam abſque caſeo. Aliud jugum apud **Northwda**, & reddere debet Cxx. menſuras quas Angli dicunt **ambres** de ſale, mariſcos omnes in auſtrali parte **Limene** & in aquilonali cum præfatis terris devote reddo. Manſionem quoque in aquilonali parte *Dorobernia* muri, & clauſulam quod Angli dicunt **teage**, quæ pertinet ad prædictam manſionem. Hanc autem redditionem ideo ex parte reddo quia dominus meus archiepiſcopus ita præcepit mihi, & in ſcripto quod ipſe ſcribere fecit de diviſione rerum ſuarum hoc idem notari præcepit. In quo etiam ſcripto conſtituit elemoſynam quam cotidie fieri præcepit, in illis terris quas ipſe adquiſivit pro anima ſua, & pro animabus omnium illorum qui eccleſiæ Chriſti aliquid auxilium impendiſſent, & hoc intentiſſime fieri præcepit, ita ut diceret, inter Deum & ſequentes nos archiepiſcopos ſic de facienda aut negligenda iſta elemoſyna à me ordinata. Apud **Hergam** v. pauperes. Apud **Ottoford** v. Apud **Clive** ij. Apud **Gravena** ij. Apud **Oeſwalun** j. In civitate *Dorobernia* vj. Unicuique detur cotidie ad manducandum quod convenienter ſit ſatis, & per annum cuique pauperi ad veſtitum xxvj. den̄. Cotidie quoque præcepit miſſam celebrari pro anima ſua & pro animabus ſupramemoratorum. In anniverſario ſuo præcepit dari mille CC. pauperibus ad manducandum, cuique panem unum, & caſeum aut lardum, & denarium unum. Hoc eſt præceptum archiepiſcopi *W*. Ego quoque *Werhardus* presbyter concedo eccleſiæ Chriſti prænominatæ in urbe *Dorobernia* pro ſalute animæ meæ & *Wlfredi* archiepiſcopi xxxij. hidas de patrimonio meo, quas dare poſſum cui volo, nomine **Hyſe**. Aliam quoque terram nomine **Meſgeldewrthe** quam *Ceolnothus* archiepiſcopus & monachi ſæpe nominatæ eccleſiæ Chriſti mihi dederunt eidem eccleſiæ redono. Adhuc addo terram octo hidarum nomine **Cuntland**. Super hæc xxx. hidas cum villa nomine **Twicham** in provincia **Midd'eſexan**.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxxij. Ego rex *Athulfus* inſtinctu Dei & *Ceolnothi* archiepiſcopi concedo eccleſiæ Chriſti ad opus monachorum has terras **Ebbenea**, **Oeiſertheſen**, **Miſtanham**, **Langeburnam**, **Blaceburnanham**, **Plegwiningham**, **Ofneham**, cum campis, ſilvis, pratis, paſtu quoque Cxx. porcorum in ſilva quæ vocatur **Egelbyrhtingahyrſt**, & ſilvam quæ vocatur **Hoſtringdenne**, & unam villam juxta urbem *Cant.* nomine **Bertun**, ad quam pertinent v. jugera, & duo prata, apud **Scytinge** unum, aliud apud **Tanningtune**. Hanc donationem ego rex *Athulfus* Chriſto concedo liberam ab omni ſeculari ſervicio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxxviij. congregatum eſt concilium in loco famoſo nomine **Cingeſtune** præſidente eidem concilio *Egberto* rege & filio ejus *Athulfo*, *Ceolonotho* quoque archiepiſcopo cum cæteris epiſcopis *Angliæ* & optimatibus. Inter multa itaque quæ ibi dicta atque acta ſunt, præfatus *Ceolonothus* archiepiſcopus coram toto concilio oſtendit quia reges prænominati, *Egbertus* videlicet & *Athulfus* filius ejus, dederunt eccleſiæ Chriſti manerium quod nominatur **Mellinges** in **Suthſeran** liberam ab omni ſeculari ſervitio & tributo regio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. Iſtam prædictam terram rex *Baldredus* dedit eccleſiæ Chriſti. Sed quia ille rex cunctis principibus non placuit noluerunt donum eſſe ratum. Quapropter jam dicti reges perfecerunt illud donum rogati à jam ſæpe dicto archiepiſcopo *Ceolnotho*.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxix. Ego *Ceolnothus* gratia Dei archiepiſcopus *Doroberniæ* comparavi propria pecunia terram nomine **Cert**, à quodam principe dicto **Heleth**, conſenſu *Athulfi* regis qui eandem terram liberam proclamavit ab omni ſeculari ſervicio & regio tributo, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xxxix. Ego *Athulfus* rex do *Ceolnotho* archiepiſcopo partem terræ juris mei nomine **Caſtreaſta**, **Delham**, ſcilicet vij. jugera, quæ videlicet terra adjacet eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* apud **Limminge** in ſempiternis hæreditatibus liberam ab omni ſeculari ſervitio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xliiij. Præſente *Athulfo* rege & *Ethelſtano* filio ejus, *Ceolonotho* quoque archiepiſcopo & *Tatnotho* presbytero tunc quidem electo ad epiſcopatum *Borebrelij*, id eſt, civitatis *Roſæ*, confirmatum eſt donum *Oſwlfi* ducis quod dedit eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia*, hoc eſt **Eſtre**, **Stan**, **Hamſtede**, quam terram præfatus rex *Athulfus* proclamavit liberam ab omni ſeculari ſervitio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xcv. Ego *Plegomundus* gratia Dei archiepiſcopus concedo eccleſiæ Chriſti terram quæ vocatur **Weſtingmerſc** juxta flumen quod vocatur *Rumenea* liberam ab omni ſeculari ſervicio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC. xcix. contigit conveniſſe in loco qui dicitur **Celchith**, *Eluredum* regem, & *Plegomundum* archiepiſcopum, *Etheredum* quoque ducem *Merciorum*, & colloquium habuiſſe de inſtauratione urbis *Londoniæ*. Accidit tunc temporis affuiſſe venerabilem *Werefridum Wigoracenſem* epiſcopum. Igitur inter multa alia colloquia dati ſunt à rege *Eluredo* ij. agri in loco qui dicitur **Etherens Hythe**. Unus archiepiſcopo *Dorobernia* ad opus monachorum, alter vero *Werefrido* ad *Wigoracenſem* eccleſiam. Eſt autem via publica à flumine *Tamiſiæ* dividens hæc duo jugera tendens in aquilonem. Ambo autem jugera in murum protelantur & extra murum navium ſtationes tantæ ſunt latitudinis quantæ & jugera intra murum. Habet vero jugerum eccleſiæ Chriſti artam ſemitam in occidente, jugerum eccleſiæ *Wigoracenſis* artam viam ab oriente. Caput amborum jugerorum ſemita tendente ad orientem dirimitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xiiij. *Wlfelmus* archiepiſcopus comparavit xj. agros mille denar. juxta ſtratam quæ dicitur **Caldanſtrete** in occidente **Helwiningland** & **Wlfrethingland**, juxta locum qui nominatur **Ritherſcheap**. Hiis terminis circumdatur prædicta terra, in oriente publica ſtrata, in auſtrali parte terra *Brithulſi*, in occidente civitas *Doroberniæ*, **Burhware boc eceras** in aquilone.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xxxix. Indictione xiiij. anno *Ethelſtani* regis, ego *Wuhelmus* concedo *Wlfelmo* archiepiſcopo aliquam partem terræ juris mei, id eſt, xj. agros à meridie *Doroberniæ*, circumdatam his terminis ab oriente **Edꝛedeſland**, à meridie publica ſtrata, ab occidente **Bꝛithelmeſland**, ab aquilone **Cingeſland**. Hanc donationem ego *Ethelſtanus* rex cum ſigillo ſanctæ crucis confirmavi. Ego *Wlfelmus* confirmavi. Ego *Teodredus Lundonienſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Elfegus Wintonienſis* ſubſcripſi. Ego *Odo Scirburnienſis* ſubſcripſi. Ego *Cenewaldus* epiſcopus ſubſcripſi.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xc. Ego *Offa* rex *Anglorum* xxxviij. anno regni mei cogitans de ſalute animæ meæ & de ſtatu regni mei perveni ad *Londoniam* civitatem ad colloquium venerabilis viri *Athelardi* archiepiſcopi, & locutus ſum cum eo ut aliquid Deo omnipotenti pro ſalute animæ meæ darem. Qui petivit à me ut aliquid ſupplementum ſibi conferrem ad opus eccleſiæ Salvatoris in *Dorobernia*, dicens cum epiſcopis omnibus noſtræ regionis eſſe inhoneſtum non ditari matrem eccleſiarum à filiis ſuis regibus quos fonte baptiſmatis regeneravit. Ego vero conſenſi petitioni illius & omnium epiſcoporum. Dedi enim illi xc. tributaria terræ bipartita in duobus locis, lx. in loco qui dicitur **Linganheſe** & **Geddinges** circa rivulum qui dicitur **Fiſſeſburnan**, & xxx. in aquilonali parte fluminis *Tamiſiæ* ubi appellatur **Twicanhamme**; lx. ad emendationem eccleſiæ ſancti Salvatoris, xxx. vero in **Twicanhamme** ad indumenta fratrum qui ſerviunt Deo in illa ſancta eccleſia.

Hanc donationem humilis & devotus ego *Offa* rex *Anglorum* pro pignore Chriſtianæ fidei totius gentis noſtræ, offero Deo & ſuæ eccleſiæ in die Pentecoſtes præſentibus his quorum hic nomina ſcripta ſunt. *Athelardus* metropolitanus. *Ceolwlfus* epiſcopus. *Unwona* epiſcopus. *Hathoredus* epiſcopus. *Ceolmundus* epiſcopus. *Ealchardus* epiſcopus. *Elfhunus* epiſcopus. *Cynebirhtus* epiſcopus. *Beneverthus* epiſcopus. *Weremundus* epiſcopus. *Weohthunus* epiſcopus. Ad confirmandum hoc largitatis donum hii teſtes aderant & ſubſcripſerunt. Ego *Offa* rex ad confirmationem hujus doni ſignum ſanctæ crucis impono ✠. Ego *Egnebert* rex conſenſi. Ego *Athelardus* metropolitanus ſignum ſanctæ crucis impono, & in nomine Salvatoris conſcribo. Omnes quoque ſupra nominati epiſcopi ſubſcripſerunt. Idem *Offa* dedit eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* nomine **Oteſoꝛd**.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. xcj. Ego *Offa* rex eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* terram juris mei xv. aratrorum in provincia *Cantiæ*, in his poſt nominatis locis, id eſt, **Lecham**, **Phanſtede**, **Rochinga**, & in ſaltu qui dicitur **Andꝛed** paſcua porcorum in his locis **Dunwalingden**, **Sandhyꝛſte**, **Swithelungden**, & in ſilvis quæ dicuntur **Bocholt** & **Blean**, **Heanbꝛic**, & aliud inter torrentem nomine **Neoꝛthburnam** & **Haganeſtreou**, & paſtum unius gregis juxta **Teningden**, & l. porcorum **Binnanſnede**. Hanc prædictam donationem concedo liberam eccleſiæ Chriſti cum omnibus rite ad eam pertinentibus ab omni ſeculari ſervicio & regali tributo.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xxvij. Ego *Ethelſtanus* rex pro remuneratione æternæ ſalutis, & pro ſalute mea & animæ patris mei *Eadwardi*, proque reverentia & honore archiſacerdotis *Wlfelmi*, concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* & familiæ ejuſdem terram juris mei in *Cantia* ſitam ſupra mare nomine **Folcaſtan**, ubi quondam fuit monaſterium & abbatia ſanctarum virginum, ubi etiam ſepulta eſt ſancta *Eanſwitha*. Quapropter ego *Ethelſtanus* monarcha totius *Britanniæ* cogitans de illo loco & de ſervitio Chriſti & ſanctæ *Mariæ* matris quod in eodem loco olim fieri ſolebat antequam pagani deſtruxiſſent locum illum, dedi eccleſiæ Chriſti eundem locum, ut ſervitium quod ibi fieri ſolebat reſtituatur. Sit autem prædicta terra libera à ſeculari ſervitio, cum omnibus ad ſe rite pertinentibus, campis, pratis, paſcuis, ſilvis; exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. ✠ Ego *Ethelſtanus* rex ſigno crucis confirmavi. ✠ Ego *Teodredus* epiſcopus *Londonienſis* ſubſcripſi. ✠ Ego *Wifelmus Dorobernenſis* archiepiſcopus donationem regis trophæo crucis confirmavi. ✠ Ego *Elfegus Wintonienſis* epiſcopus ſubſcripſi. ✠ Ego *Odo Scirburnienſis* epiſcopus ſubſcripſi. ✠ Ego *Wlgarus* dux ſubſcripſi.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xl. Ego *Eadulfus* dux per conceſſionem Domini mei regis *Ethelſtani* præſente *Wlfelmo* archiepiſcopo concedo eccleſiæ Chriſti has terras de propria poſſeſſione mea, quas mihi idem *Ethelſtanus* rex dedit in perpetuam hæreditatem, videlicet **Derentam** & **Peapaham**, liberas ab omni ſeculari ſervitio & regio tributo; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. Ego *Ethelſtanus* rex totius *Britanniæ* hanc donationem confirmavi. Ego *Wlfelmus* archiepiſcopus confirmavi. Ego *Scirburnienſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Dunſtanus* ſubſcripſi.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xlviij. Ego *Edredus* rex pro amore Dei ad profectum animæ meæ offero munuſculum ſanctæ metropolitanæ eccleſiæ in *Dorobernia*, villam ſcilicet nomine **Twicam** in provincia *Midleſaxonia* ſuper fluvium *Tamiſiam* ſitam, cum omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni ſeculari ſervitio & fiſcali tributo; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xlix. Ego *Eadredus* rex præſente *Odone* archiepiſcopo & *Edina* regina matre mea, dedi eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* monaſterium *Raculfenſe* cum tota villa & omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni ſeculari ſervitio; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. Ego *Dunſtanus* indignus abbas cartulam inde imperante domino meo rege compoſui, cartulam & propriis digitis perſcripſi.

Ego *Eardulfus* rex *Cantiæ* tibi venerabilis *Eadberte* abba tuæque familiæ conſiſtenti in loco qui dicitur **Raculf**, concedo terram unius aratri in loco qui nominatur **Berhamſtede**, cum omnibus ad eam pertinentibus, liberam ab omnibus ſecularibus ſervitiis.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC.xlj. *Eadmundus* rex & *Eadredus* frater ejus, nec non & *Edwius* filius ejuſdem *Eadmundi* reddiderant eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* has terras quas anteceſſores eorum eidem eccleſiæ injuſte abſtulerant, ſcilicet **Tuicham, Preſtentun, Wingaham, Swalingaham, Boſingtun, Gratenea, Wlacumbe.** Hæc redditio facta eſt eo anno quo *Ethelſtanus* frater *Eadmundi* regis & *Eadredi* mortuus eſt, qui tamen ante mortem ſuam prædictæ eccleſiæ dedit villam unam nomine **Terringes** ſitam ſupra mare in *Suthſexa.* Eodemque anno prædictus *Eadmundus* levatus eſt in regem, & prædictas terras liberas clamavit ab omnibus ſecularibus ſerviciis, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. ✠ Ego *Eadmundus* rex *Anglorum* prædictam donationem ſigillo ſanctæ crucis confirmavi. Ego *Eadredus* frater regis ſigno crucis confirmo. ✠ Ego *Edwius* filius regis ſubſcripſi. Ego *Eadgiva* regina ſigno crucis confirmo. ✠ Ego *Wlſelmus Dorobernenſis* archiepiſcopus regis donationem cum ſigillo ſanctæ crucis ſubaravi. Ego *Teodredus Londonienſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Elfegus Wintonienſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Odo Scyrburnienſis* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Elfricus* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Elwredus* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Burgricus* epiſcopus ſubſcripſi. Ego *Ethelgarus* epiſcopus concluſi.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. lviij. Ego nempe *Eadgarus* rex Anglorum, regum antiquorum *Ethelberti* ſcilicet ſucceſſorumque ejus ac archiepiſcoporum *Brithwaldi Ethelardique* ſtatuta privilegia monaſteriorum contingentia cum venerabilis archipontificis conſultu ad maledictionem impiorum raptorum, immo magis Deo favente ad benivolorum juſtorumque benedictionem æterna concluſione renovamus & in domino ſummo roboramus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC.lix. Ego *Elwordus* miniſter regis *Eadgari* concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* conceſſu domini mei villam unam de patrimonio meo nomine **Peletun**, liberam ab omni ſeculari ſervitio. Exceptis expeditione &c.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC.lxj. Ego *Ediva* regina & mater *Eadmundi* & *Eadredi* regum pro ſalute animæ meæ concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* has terras **Meapaham, Culinge, Leanham, Pecham, Fernleage, Muneketun, Ealdintun** liberas ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis expeditione pontis & arcis conſtructione.

Ego *Egelredus* Dei opitulante miſericordia totius *Anglicæ* gentis tenendo privilegiis auditis veternorum ſapientum, cordis tactus compunctione archipræſuliſque exortatione *Elrici*, ad animæ commodum deputamus noſtræ, quin prædeceſſorum noſtrorum decreto firmamus hæc æternaliter ſtatuentes ut impii quique à privilegiis prædictis Chriſto tonanti aliquid auferentes, ſub anathemate in æternum cum diabolo puniantur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. lxxix. Ego *Egelredus* rex concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* terras juris mei ſcilicet **Sandwich** & *Eſtreia* liberas ab omni ſeculari tributo; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. lxxx. Ego *Ethelſtanus* filius *Egelredi* regis cum conſenſu ejus concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* terram juris mei nomine *Holingeburnam* quam emi à patre meo cum omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni ſeculari gravitate; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xcv. indictione vij. Ego *Eſcwinus Dorceſtrenſis* eccleſiæ pontifex reddo eccleſiæ Chriſti & *Elfrico* archiepiſcopo terram de **Riſberge** cum libro ejuſdem terræ pro ſalute animæ meæ liberam ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xcvij. Ego *Elfgyva Imma* regina concedo eccleſiæ Chriſti terram nomine **Almentune** & **Brutewelle** liberam ab omni ſeculari ſervitio, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. Iſta terra in regione quæ vocatur **Dronefora.** Ego quoque contuli eidem eccleſiæ Chriſti calicem cum patena aurea, in quo ſunt xiij. marcæ de puro auro, & duo dorſalia de pallio, & duas cappas de pallio, cum taſellis auro paratis.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo tercio indictione xv. Ego *Ethelredus* dux concedo eccleſiæ Chriſti particulam terræ in *Dorobernia* quam mihi rex *Ethelredus* dedit, id eſt xv. virgarum in longitudine, & viij. in latitudine, & vj. agros extra murum. Termini terræ infra murum ſunt hi. In orientali parte terra Regis. In parte auſtrali platea civitatis. In occidente terra eccleſiæ Chriſti. In aquilone cimiterium Chriſti. Termini quoque duorum agrorum. In orientali parte terra eccleſiæ Chriſti. In auſtrali terra de *Apeldre.* In occidente terra civium. In aquilone platea regis. Termini aliorum duorum agrorum ab oriente terra *Ethelſtani*, in auſtro ſtrata Regis. In occidente & aquilone terra ſancti *Auguſtini.* Terminus quinti agri, in occidente terra *Ethelſtani*, in auſtro & occidente ſtrata regis, in aquilone terra ſancti *Auguſtini.* Termini ſexti agri, in oriente platea Regis, in auſtro **Ritherſceap.**

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xxv. Ego *Kenewara* abbatiſſa concedo *Humberto* Duci terram juris mei nomine **Wirceſwrthe**, ea conditione ut omni anno det eccleſiæ *Chriſti* in *Dorobernia* pro gablo plumbum trecentorum ſolidorum ad opus eccleſiæ ejuſdem archiepiſcopo *Ceolnotho* & ſucceſſoribus ejus.

Ego *Elfleda* uxor *Brithnothi* ducis concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* villam juris mei nomine **Hetlege** in regione quæ nominatur *SUTHFOLCA*, concedente rege *Ethelredo*, liberam ab omni ſervicio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xxxiv. Ego *Egylfleda* concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* annuente domino meo *Eadmundo* terram juris mei in *Suthſexan* nomine **Hammes**, liberam ab omni ſeculari ſervicio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. lxiij. Ego *Dunſtanus* primas totius *Britanniæ* conſentiente & concedente *Eadgaro* rege partem terræ videlicet ſeptem aratrorum quod *Anglice* dicitur **Hydes** cum libro ejuſdem terræ emi quæ nominatur **Fengge** pro competenti pecunia ab *Ingelram* optimate regis *Eadgari* cum omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni ſeculari ſervicio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC.lxiiij. Ego *Ethelſtanus* pro expiatione peccatorum meorum concedo eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* quæ ſita eſt apud **Liminge** ubi ſepulta eſt ſancta *Eadburga*, terram unius jugeri conſentiente *Dunſtano* archiepiſcopo in loco qui dicitur **Ulaham**.

Anno Dominicæ incarnationis M.x. Ego *Elfegus* archiepiſcopus adauxi eccleſiæ Chriſti quandam terram nomine **Werehorn**. Noſtriſque diebus **Friningaham** & **Wdetun** donata ſunt eidem eccleſiæ Chriſti libera ab omni exactione & tributo.

Anno Dominicæ incarnationis M.xviij. Ego *Ethelſtanus* qui & *Livingus* dedi eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* duas villas in regione quæ nominatur *Suthreia* nomine **Perſteham** & **Celeham**, liberas ab omni ſeculari ſervicio; Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Item eodem anno rex *Cnut* dedit mihi *Livingo* archiepiſcopo ad opus eccleſiæ Chriſti quandam villam nomine **Heſelearſe** liberam cum omnibus ad eam rite pertinentibus ab omni ſeculari ſervicio, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis M.xxxv. Ego *Cnut* rex *Anglorum* concedo *Eadſino* archiepiſcopo eccleſiam ſancti *Martini* quæ ſita eſt extra urbem *Dorobernia*, & terras *Apeldre* videlicet & *Withriceſhamma*.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo xxxvj. Ego *Tored* inſtinctu Dei conſentiente Domino meo rege *Cnutone* concedo eccleſiæ Chriſti *Dorobernia* villam meam nomine **Horſlege**, liberam ab omni ſeculari ſervicio, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Eodem anno Ego *Haldene* ſcarpa concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* præſente rege *Cnutone* has terras **Hetham** & *Sealtwda* cum omnibus ad eas rite pertinentibus.

Ego *Etheric* & *Leofwenna* Deo annuente & rege *Ethelredo* donamus terram juris noſtri nomine **Boclinge** & **Perſege**, ad eccleſiam Chriſti in *Dorobernia*. Hoc igitur donum datum eſt coram rege *Ethelredo* ipſo conſentiente, & ſtatim præcipiente hoc ſcriptum componere & coram eo legere, & illud factum eſt & confirmatum ab his quorum hic nomina ſcripta ſunt.

✠ Ego *Ethelredus* rex *Britanniæ* hoc donum ſigno crucis confirmo. ✠ Ego *Elfegus* epiſcopus *Wintonienſis* ſubſcripſi.

✠ Ego *Wlſinus Wiltonienſis* epiſcopus ſubſcripſi.
✠ Ego *Godvinus Roffenſis* epiſcopus ſubſcripſi.
✠ Ego *Alſinus* abbas ſubſcripſi.

✠ Ego *Leofſinus* dux ſubſcripſi. ✠ Ego *Egelmerus* dux ſubſcripſi. ✠ Ego *Wlgarus* abbas ſubſcripſi.

✠ Ego *Leofwinus* dux ſubſcripſi. ✠ Ego *Brithnothus* dux ſubſcripſi. ✠ Ego *Livingus* abbas ſubſcripſi.

✠ Ego *Frena* dux ſubſcripſi. ✠ Ego *Wlfget* dux ſubſcripſi.

Anno DCCCC.xcj. Ego dux *Brithnothus* iturus contra paganos ad bellum conſentiente rege *Ethelredo* diviſi omnes terras meas per eccleſias per *Angliam*, audiente *Sirico* archiepiſcopo & omnibus optimatibus regis idque laudantibus. Eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* has terras contuli, **Lelinges**, **Ilege** & **Hetlege** liberas ab omni ſeculari ſervicio, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. **Hetlege** tamen dedi *Elfleda* uxori meæ in diebus ſuis, poſtea redeat ad eccleſiam Chriſti eadem villa.

Ego *Godvinus* & *Wlgith* conſentiente rege *Eadwardo* donamus eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* aliquam partem terræ juris noſtri nomine **Stiſtede** & **Coggeſhale** in *Eaſtſexa*, liberas ab omni ſeculari ſervicio ſicut nos hactenus tenuimus.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo xxxviij. *Aedſinus* presbyter regis *Cnut* ſuſcepit habitum religionis in *Dorobernia*.

Eodem tempore idem rex *Cnut* reddidit præfatæ eccleſiæ Chriſti villam de **Folcaſtan**, quam olim rex *Ethelſtanus* filius regis *Edwardi* eccleſiæ Chriſti dedit. Hac autem conditione prænominatus rex *Cnut* eandem terram reddidit, ut nullus archiepiſcoporum qui in eandem eccleſiam venturi ſunt terram illam nec dare nec vendere poſſit ſine licentia regis & monachorum conſenſu, ſicut dicit cartula quæ in illa eccleſia de jam ſæpe nominata terra habetur.

Ego *Edwardus* gratia Dei rex *Anglorum*, omnibus epiſcopis, ducibus, comitibus, proceribus, vicecomitibus cæteriſque ſuis fidelibus in omnibus civitatibus in quibus *Stigandus* archiepiſcopus & monachi eccleſiæ Chriſti *Cant.* terras habent amicabiliter ſalutem. Notum vobis facio me conceſſiſſe *Stigando* archiepiſcopo & monachis eccleſiæ Chriſti omnes terras quas habuerunt tempore patris mei & omnium anteceſſorum meorum & ſaca & ſocna, **On ſtrande & Streame, on wde & felde, tolnes & teames, grythbreke & hamſockne, & foreſtalles, & infangeneſtheofes, & flemene fermthe** ſuper ſuos homines infra urbes & extra, in tantum & tam pleniter ſicut proprii miniſtri mei exquirere deberent, & etiam ſuper tot **thegenes** quot habent, & nolo ut aliquis hominum ſe intromittat niſi ipſi & miniſtri eorum quibus ipſi committere voluerint, propterea quia conceſſi Chriſto has conſuetudines pro æterna redemptione animæ meæ, & nolo pati ut aliquis eas frangat ſi non vult perdere amicitiam meam. Si quis autem hujus donationis aliquid fregerit temerario auſu, faciendo aut conſentiendo, ſit ſocius *Juda* qui tradidit Chriſtum, & ab omnipotenti Deo inperpetuum dampnetur.

Ego *Edwardus* Dei gratia *Anglorum* gubernator, inſtinctu Dei concedo Chriſti eccleſiæ in *Dorobernia* terras nomine **Chertaham** & **Walewrthe** juxta *Londoniam*.

Ego *Edwardus* rex *Stigando* archiepiſcopo & *Wlurico* abbati ſancti *Auguſtini* & *Oſwardo* vicecomiti cæteriſque dilectoribus ſuis in *Cantia* ſalutem. Notifico vobis quod ego concedo donationem *Siwardi* & *Matildis* uxoris ejus quam dederunt eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia*, villam ſcilicet nomine **Perſeham** cum omnibus ad eam ritè pertinentibus, ſicut *Siwardus* & *Matildis* unquam melius tenuerunt.

Ego *Godwinus* conſentiente rege *Edwardo* dedi eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* villam patrimonii mei nomine **Eic**, liberam ab omni ſeculari ſervicio ſicut rex *Cnut* illam mihi dedit.

Ego *Turſtanus* conſentiente rege *Edwardo* dedi eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* terram patrimonii mei **Winebiſc** pro ſalute animæ meæ & *Leofwara*. Primo autem anno quo iſta terra ad dominium præfatæ eccleſiæ pervenerit, monachi ejuſdem eccleſiæ dent decimam eccleſiæ ſancti *Auguſtini*. Hæc igitur donatio facta eſt coram rege & *Elnena Tumma* regina idem confirmantibus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC. xlviij. Ego *Wlfricus* annuente & præſente domino meo rege *Edredo* matreque ejus *Ediva* regina, *Odone* quoque archiepiſcopo *Dorobernia*, *Wlſtano* etiam archiepiſcopo *Eboracenſi* multiſque aliis epiſcopis conceſſi eccleſiæ Chriſti *Dorobernia* terram juris mei nomine **Peccinges** in *Suthſexa*, quam præfatus rex *Edredus* mihi dedit in perpetuam hæreditatem, liberam ab omni ſeculari ſervitio, Exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo xxxvij. Ego *Egelnothus* archiepiſcopus totius *Britanniæ* comparavi ſeptuaginta duabus marcis puri argenti à *Siredo* duce terram quæ nominatur **Godmereſham** ad opus monachorum in eccleſia Chriſti Deo ſervientium.

Ego *Wlſtanus* cognomento *Wilde preſt* annuente domino meo rege *Ardecnuto* concedo eccleſiæ Chriſti in *Dorobernia* terram patrimonii mei nomine **Turroche.**

Knut rex *Anglorum* dedit eccleſiæ Chriſti brachium ſancti *Bartolomæi* apoſtoli cum magno pallio, & ſui capitis auream coronam, & portum de **Sandwic** & omnes exitus ejuſdem aquæ ab utraque parte fluminis, ita ut natante nave in flumine cum plenum fuerit, quam longius de navi poteſt ſecuris parvula in terram proici, debet à miniſtris eccleſiæ Chriſti rectitudo navis accipi. Nulluſque omnino hominum aliquam conſuetudinem in eodem portu habet, exceptis monachis eccleſiæ Chriſti. Eorum quoque eſt transfretatio portus & navicula & theloneum naviculæ & omnium navium quæ ad **Sandwic** venerunt à *Pepernæſſa* uſque *Northmuth† am*. Si quid autem in magno mari repertum fuerit delatum **Sandwic** medietatem eccleſia Chriſti habebit, reliqua vero pars inventoribus remanebit.

Ego *Henricus* Dei gratia rex *Anglorum* rogatus ab *Anſelmo* archiepiſcopo *Cantuarienſi* pro ſalute animæ meæ & uxoris meæ, patris & matris meæ & fratrum meorum reddo eccleſiæ Chriſti *Cantuaria* villam quæ vocatur **Slindane** in *Suthſexa* quæ per aliquot annos quorundam violentia ab eadem eccleſia alienata fuerat & nuper in meum proprium devenit dominium. Hanc autem largitionem meam ſic ratam eſſe conſtituo inperpetuum, ut nulla ratione ab aliquo violetur, nec pro ulla commutatione aut alia cauſa à prædicta eccleſia auferatur.

Ego *Anſelmus* ſanctæ *Dorobernenſis* eccleſiæ archiepiſcopus reddo - - - - - - -
- - - - - - - Chriſti, quam in manu mea habebam poſt mortem - - - - -
- - - - - - - - - - - qui eis aliam medietatem cognita veritate quod ad - -
- - - - - - - - - -
Similiter manerium quod **Stiſtede** dicitur eiſdem mo - - - - - - - - - - -
- - iſſe ſcitur. Teſtes. *Willielmus* eccleſiæ Chriſti
- - - - - - - - - - -
Rodbertus filius *Watſonis*. *Wi* - - -

Cætera deſunt.

CHRONOLOGIA

ſpectans ad cœnobium S.*Petri* & *Pauli*,

Auguſtinique Anglorum apoſtoli *Cant.*

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Cantiæ.*	Abbates præſentis Monaſterii.
597	15		64. Sanctus *Gregorius* papa j.		1. *Ethelbertus* baptizatur.	
598	1	1		*Auguſtinus* venit in *Angliam*.	Fundatio præſentis monaſterii.	1. *Petrus* præficitur in Abbatem.
599	2	2				
600	3	3				
601	4	4				
602	5	5				
603	6	6		Pallium mittitur *Auguſtin.*		
604	7	7		Ordinatio *Melliti*, et *Juſti*.		Hoc an. ob. S.*Benedictus* 12.kal.Apr.ſi in ſabbato Paſchæ obitus ejus fuit, vel in 95.an.præcedenti.
605	8	8	Ob.*Greg:* 4.id.Mar.fer: *6.*	Ob. *Auguſtini* 7. kal. Jun. feria 4.	Dotatio hujus monaſterii. Cartæ patent titulo de dotatione cum quantitate membranorum & qualitate ſcripturæ *Saxonicæ*, fol.8, & 9.	**Langeport**, **Chiſtelet**, *Sturigao*.
606	9	9	65. *Savinianus*.			
607	10	10				2. Ob.*Petri*. Succ. *Johan.*
608	11	11	66. Ob.*Saviniani*. *Boniſac*:iij.			
609	12	12	67. *Boniſacius* iiij.			
610	13	13				
611	14	14	Bulla de privilegiis. Titulo 3. folio 12.			
612	15	15				
613	1	16		Dedicatio hujus Eccleſiæ à S.*Laurentio* tit.3.f.12.		
614	2	17				
615	3	18	68. *Deuſdedit*.			
616	4	19			Ob.*Ethelberti*, 6. kal.Mar. (2. *Edbaldus*	
617	5	20				
618	6	21			Donatio manerii de **Northborne**, Charta de eodem tit.4. f.15.	3. Ob.*Johannis*. *Rufinianus*.
619	7	22	69. *Boneſacius* v.	Ob. *Laurencii* 4.non.Feb. (3. *Mellitus*.		
620	8	23				
621	9	24				
622	10	25				
623	11	26				
624	12	27				
625	13	28		4. Ob.*Mel*·8.ka. Mai. *Iuſtus*.		
626	14	29	70. Ob. *Boniſacii*. *Honorius*			4. Ob.*Rufiniani*. *Gracioſus*.
627	15	30			*Edwinus* rex *Northanhymbrorum* baptizatur in die S. Paſchæ qui tunc fuit pridie idus Aprilis.	
628	1	31				
629	2	32				
630	3	33				
631	4	34				
632	5	35				
633	6	36				
634	7	37				
635	8	38		5. Ob.*Iuſti* 4.id.No.*Honorius*		
636	9	39				
637	10	40	71. *Severinus*.			
638	11	41	72. *Johannes* iiij.			5. Ob.*Gracioſi*. *Petronius*.
639	12	42				
640	13	43	73. *Theodorus*.		3. Ob.*Edbaldi*. *Ercombertus*.	
641	14	44				
642	15	45				
643	1	46	Martir. S.*Oſwaldi* tit. 6. (f.23.			
644	2	47				
645	3	48				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Cantiæ*.	Abbates præſentis Monaſterii.
646	4	49				
647	5	50	74.			
648	6	51	*Martinus* j.			
649	7	52				
650	8	53				
651	9	54				
652	10	55				
653	11	56	———	Ob. *Honorii* pridie kal. Octob. Vacavit 1. anno 6. menſibus.		
654	12	57	75. *Eugenius* j. ———	———	———	6. Ob. *Petronii*. *Nathanael*.
655	13	58	———	6. *Deuſdedit* eligitur.		
656	14	59	76. *Vitalianus* ix.			
657	15	60				
658	1	61				
659	2	62				
660	3	63				
661	4	64				
662	5	65				
663	6	66				
664	7	67	———	Obiit *Deuſdedit* pridie id. Julii. Vacavit.	Ob. *Ercomber*. prid. id. Jul. (4. *Egbertus*.	
665	8	68				
666	9	69	———	———	*Wilfridus* epiſcopus regulam S. *Benedicti* fecit in *Anglia* obſervari, tit. 7. fol. 26.	
667	10	70	———	———	———	Ob. *Nathanael*. Vacavit.
668	11	71	———	*Theodorus* conſecratur *Romæ* 7. kal. Aprilis, & mittitur cmm *Adriano* 6. kal. Junii.		
669	12	72	———	*Theodorus* venit in *Angliam* 6. kal. Junii.	———	7. *Adrianus* ſucceſſit.
670	13	73	77. *Adeodatus* j. ———	———	Fundatio monaſterii de **Menſtre** in *Thaneto*, tit. 8. fol. 33.	
671	14	74				
672	15	75	Bulla de privilegiis. tit. 8. fol. 37.			
673	1	76	———	Sinodus prima eccleſiæ *Anglicanæ*, tit. 8. fol. 36.	Obitus *Egberti*. Vacavit.	
674	2	77	78. *Conus* j. ———	———	Carta *Oſwyni* regis de mina ferri, tit. 8. fol. 33.	
675	3	78	———	Carta *Oſwini* de 18. manentibus in *Thaneto*, tit. 8. fol. 34. Carta *Oſwini* de terra 10. manentium in *Sturreya*, tit. 8. fol. 34.	5. *Lotharius* coronatur qui dedit **Stodmerch**, carta de eodem tit. 8. fo. 38.	
676	4	79	79. *Agatho*. ———	Carta *Suaberti* de terra in *Sturreya* & **Bodeſham**, tit. 8. fol. 35.	Carta *Suaberti* regis de *Thaneto* & *Sturigao*, tit. 8. fol. 35.	
677	5	80	Bulla de privilegiis, tit. 7. fol. 38.			
678	6	81	80. *Leo* ij. ———	———	———	Confirmatio Cartæ *Suaberti*, tit. 8. fol. 38.
679	7	82	81.			
680	8	83	*Benedictus* ij.			
681	9	84	82. *Johannes* v.			
682	10	85	83.			
683	11	86	*Conon* j.			
684	12	87				
685	13	88	———	———	Ob. *Lotharii* 8. idus Febr. (6. *Edricus*.	
686	14	89	———	———	Carta de terra juxta **Stodmerch**, tit. 8. f. 39	
687	15	90	———	———	Ob. *Edrici*. Vacavit regnũ	
688	1	91	84. *Sergius* j.			
689	2	92	———	———	De *Cadwalla* & *Mulone*, tit. 8. fol. 39.	
690	3	93	———	Ob. *Theod*. 13. k. Oct. Vac.		

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Cantiæ.*	Abbates præſentis monaſterii.
691	4	94			*Wythredus* rex coronatur.	
692	5	95		8. *Brithwaldus* 3.kal.Julii eligitur.		
693	6	96				
694	7	97			Carta de terra 4. aratrorum in *Thaneto*, *Britannice Ruym* quondam vocatum *Humantone* tit.8. fol. 47.	
695	8	98				
696	9	99			**Littleborne** Carta de defenſione hominum & rerum in *Thaneto* tit. 8. fol.47. Carta de terra 5. aratrorum apud **Littleborne** tit.8. fol.47. Carta de terra vocata **Haeg** 40. manentium in *Thaneto*.	
697	10	100				
698	11	101				
699	12	102				
700	13	103				
701	14	104	85. *Leo* iij. Hic non computatur eo quod per Patricium Romanorum factus eſt Papa.			
702	15	105				
703	1	106	86. *Johannes* vj.			
704	2	107				
705	3	108	87. *Johannes* vij.			
706	4	109				
707	5	110	88. *Siſinnius* j.			
708	6	111	89. *Conſtantinus* j.			Ob. *Adriani*. Jacet ad altare S. *Gregorii*. 8. *Albinus*.
709	7	112				
710	8	113				
711	9	114				
712	10	115				
713	11	116				
714	12	117				
715	13	118	90. *Gregorius* ij.			
716	14	119				
717	15	120				
718	1	121				
719	2	122			Carta *Ethelberti* filii regis *Withredi* de terra unius aratri circa flumen **Lymene**, & de prato in loco vocato **Hammeſpot** tit. 9. fol.49. Carta *Withredi* de libertate eccleſiarum. tit.9.fol.48.	
720	3	123				
721	4	124				
722	5	125				
723	6	126				
724	7	127				
725	8	128			Ob. *Withredi* 9. kal. Maii. 8. *Edbertus*.	
726	9	129				
727	10	130				
728	11	131				
729	12	132				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Cantiæ.*	Abbates præſentis Monaſterii.
730	13	133				
731	14	134	91. *Gregorius* iij.	Ob. *Brithwaldi* v.id. Junii. 9. (*Tatwinus* 4. idus Junii.		
732	15	135			Carta de libertate thelonei in portu *London.* tit. 10. fol. 51. Carta de libertate regalis tributi in omni loco regni, tit. 10. fol. 51.	Ob. *Albini.* 9. *Nothbaldus.*
733	1	136				
734	2	137				Ob. venerabilis *Bedæ* preſbyteri.
735	3	138		Ob. *Tatwini* 3. kal. Aug. (10. *Nothelmus.*		
736	4	139				
737	5	140				
738	6	141				
739	7	142				
740	8	143		Ob. *Nothelmi* 16. kal. Nov (11. *Cuthbertus.*		
741	9	144	92. *Zacharias.*			
742	10	145				
743	11	146				
744	12	147				
745	13	148				
746	14	149				
747	15	150				
748	1	151			Carta de dimidio vectigal. unius navis & tributi regi debiti in *Thaneto.*	Ob. *Nothbaldi.* 10. *Aldhunus.*
749	2	152				
750	3	153				
751	4	154	93. *Stephanus* ij.			
752	5	155				
753	6	156			Prima *Danorum* rabies in *Thaneto.*	
754	7	157				
755	8	158				
756	9	159	94. *Paulus* j.			
757	10	160				
758	11	161		Ob. *Cuthberti* 7. kal. Nov. 12. *Bregwinus* in die Sancti *Michaelis.*		
759	12	162				
760	13	163			Carta de terra ſex aratrorum in **Mongeham**, tit. 12. fol. 53. Carta *Offæ* regis de navis tranſvectione. Carta *Edberti* de eodem, tit. 12. fol. 54. Carta conventionis pro terra de **Cheert**, tit. 12. Carta *Dunwaldi* de **Queningate**, tit. 12.	Ob. *Aldhuni.* 11. *Jambertus.*
761	14	164			Ob. *Edberti.* 9. *Ethelbert.* ij.	
762	15	165		Ob. *Bregwini* 8. kal. Sept. 13. (*Jambertus* in die Purif.	Ob. *Ethelberti.* 10. *Alricus.*	Electio *Iamber.* in archiep. 12. *Ethelnothus.*
763	1	166				
764	2	167				
765	3	168			Carta *Offæ* regis de **Weſwesfeld**, tit. 13. fol. 56.	
766	4	169				
767	5	170	95. *Conſtantinus* ij.			
768	6	171	96. *Stephanus* iij.			
769	7	172				
770	8	173				
771	9	174	97. *Adrianus* j.			
772	10	175				
773	11	176				
774	12	177				
775	13	178				
776	14	179				
777	15	180				
778	1	181				
779	2	182				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus Auguſtini	Summi Pontifices Romani.	Archiepiſcopi Cantuariæ.	Regni Cantiæ ſubverſores.	Abbates præſentis monaſterii.
780	3	183				
781	4	184				
782	5	185				
783	6	186				
784	7	187				
785	8	188				
786	9	189				
787	10	190				13. Ob. *Ethelnothi*. *Guttardus*.
788	11	191				
789	12	192		14. Ob. *Jamberti*. *Athelardus*.		
790	13	193				
791	14	194				
792	15	195				
793	1	196				
794	2	197				
795	3	198	98. *Leo* iij.		Ob. *Alrici* ultimi regis *Canciæ*.	
796	4	199			Ceſſavit germen regum *Canciæ*.	
797	5	200			*Ethelbertus* advena intruſit in regnum *Canciæ*.	
798	6	201			*Ethelbertus* intruſor periit, *Cuthredus* intruſit.	
799	7	202				
800	8	203			Coronatio *Egberti* apud *Weſtſaxones*.	
801	9	204		*Albinus Anglicus Franciam* intravit, & ſtudium quod à *Græcis Romæ* tranſlatum fuerat *Pariſiis* advexit.		
802	10	205		Ob. *Athelardi* 4. idus Maii. 15. *Wlfredus*.		
803	11	206				14. Ob. *Guttardi*. *Cunredus*.
804	12	207			Carta *Kenwlphi* reg. *Merciorum* de terra 20. aratrorum in Weſtlenham tit. 15.	
805	13	208				
806	14	209			*Cuthredus* periit. *Baldredus* intruſit.	
807	15	210				
808	1	211				
809	2	212				
810	3	213				Fundatio monaſterii *Cluniacenſium*.
811	4	214				
812	5	215				
813	6	216				
814	7	217				
815	8	218				
816	9	219	99. *Stephanus* iv.			
817	10	220				
818	11	221				
819	12	222				
820	13	223	100. *Paſchalis*.			
821	14	224				
822	15	225				15. Ob. *Cunredi*. *Wernodus*.
823	1	226				
824	2	227	101. *Eugenius* ij.		*Egbertus* rex *Weſtſaxonum* expulit *Baldredum* & ſubjecit ſibi regnum *Canciæ*.	
825	3	228				
826	4	229		Carta de Dodinglond in *Thaneto* tit. 16.		
827	5	230	102. *Valentinus* j.		*Egbertus* coronatur rex tocius *Britanniæ* apud *Wentoniam* faciens edictum ut omnes *Saxones Angli*, dicantur & *Britannia Anglia*.	

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Augustini*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiscopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præsentis Monasterii.
828	6	231	103. *Gregorius* iiij.			
829	7	232	———	16. Ob. *Wlfredi*. Ob. *Feologildi* 3. kal. Sept.		
830	8	233	———	17. *Ceolnotus* successit 6. kal. Sept.		
831	9	234				
832	10	235				
833	11	236				
834	12	237				
835	13	238				
836	14	239	———	———	Donatio de **Dnchitzdonne**. Carta de eodem tit. 16.	
837	15	240	———	———	12. Ob. *Egberti*. *Ethelwlphus*.	
838	1	241	———	———	Carta de terra 5. aratrorum in **Lenham**.	
839	2	242				
840	3	243	*Theodulfus* episcopus *Aurelianus* composuit *gloria laus*, Festum omnium sanctorum instituitur.			
841	4	244				
842	5	245				
843	6	246				
844	7	247	104. *Sergius* ij.	———	———	16. Ob. *Wernodi*. *Diernodus*.
845	8	248	———	———	**Linchesore**. Carta ejusdem tit. 17.	
846	9	249				
847	10	250	105. *Leo* iiij.			
848	11	251	———	———	*Winemundus* dedit **Burswarmerch**. Carta ejusdem tit. 17.	
849	12	252				
850	13	253	———	———	*Ethburga* dedit redditum de **Braburne**. Carta ejusdem tit. 17. **Estlenham** *Athero* comiti *Cantiæ*. Carta de eodem tit 17.	
851	14	254				
852	15	255				
853	1	256	Hic obiit *Leo* quartus, cujus tamen anni usque ad *Benedictum* tertium computantur eo quod mulier in Papam promota fuit quæ homo masculus putabatur.			
854	2	257				
855	3	258	*Johannes*. Iste non computatur quia fœmina fuit. 106. *Benedictus* iij.			
856	4	259				
857	5	260	———	———	13. Ob. *Ethelwlfi*. *Ethelbaldus* ij.	
858	6	261	107. *Nicholaus* j.			
859	7	162				
860	8	263	———	———	14. Ob. *Ethelbaldi*. *Ethelbertus* iij.	
861	9	264	———	———	**Mertone**. Carta ejusdem tit. 17.	
862	10	265				
863	11	266	———	———	———	17. Ob. *Diernodi*. *Wynbertus*.
864	12	267				
865	13	268				
866	4	269	108.	———		18. Ob. *Wynberi*. *Bewmundus*.
867	15	270	*Adrianus* ij.	———	15. Ob. *Ethelberti*. *Ethelredus*.	
868	1	271				
869	2	272				
870	3	273	———	18. Ob. *Ceolnoti*. *Aethelredus*.	Martirium S. *Edmundi* regis. Secundus adventus *Danorum* in *Angliam*.	
871	4	274	109.			
872	5	275	*Johannes* viij.	———	16. Ob. *Ethelredi*. *Aluredus*.	
873	6	276				
874	7	277	———	———	———	19. Ob. *Bewmundi*. *Kynebertus*
875	8	278				
876	9	279				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus S. *Auguſtini*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis Monaſterii.
877	10	280				
878	11	281				
879	12	282				Obitus *Kyneberti*. 20. *Etans*.
880	13	283				
881	14	284				
882	15	285	110. *Martinus* ij.			
883	1	286	111. *Adrianus* iij.			Ob. *Etantis*. 21. *Degmundus*.
884	2	287				
885	3	288	112. *Stephanus* v.			
886	4	289				Ob. *Degmundi*. 22. *Alfridus*.
887	5	290				
888	6	291				
889	7	292		Ob. *Aethelredi*. 19. *Pleigmundus*.		
890	8	293				
891	9	294	113. *Formoſus* j.			
892	10	295				
893	11	296				
894	12	297				Ob. *Alfridi*. 23. *Ceolbertus*.
895	13	298				
896	14	299	114. *Bonifacius* vj.			
897	15	300	115. *Stephanus* vj.			
898	1	301	116. *Romanus* j.			
899	2	302	117. *Johannes* ix.			
900	3	303	118. *Theodorus* ij.			
901	4	304	119 *Benedictus* iv.		Ob. *Aluredi*. 17. *Edwardus* j.	
902	5	305				Ob. *Ceolberti*. 24. *Beccanus*.
903	6	306				
904	7	307	120. *Leo* v.			
905	8	308	121. *Chriſtoforus* j.			
906	9	309				
907	10	310	122. *Sergius* iv.			Ob. *Beccani*. 25. *Ethelwoldus*.
908	11	311				
909	12	312				
910	13	313				Ob. *Ethelwoldi*. 26. *Tilbertus*.
911	14	314				
912	15	315				
913	1	316				
914	2	317	123. *Anaſtaſius* iij.	Ob. *Pleigmundi*. 20. *Athelmus*.		
915	3	318				
916	4	319	124. *Lando* j.			
917	5	320	125. *Johannes* x.			Obitus *Tilberti*. 27. *Edredus*. Statuta edita *Romæ* in eccleſia *Lateranenſi*, ut monachi regulam ſancti *Benedicti* admittant.
918	6	321				
919	7	322				
920	8	323				Ob. *Edredi*. 28. *Alcherindus*.
921	9	324				
922	10	325				
923	11	326				
924	12	327		Ob. *Athelmi*. 21. *Wlſhelmus*.		
925	13	328			Ob. *Edwardi*. 18. *Ethelſtanus*. Hic dedit **Werburginglond** in *Thaneto*. Carta ejuſdem titulo 29.	
926	14	329				
927	15	330				
928	1	331				Ob. *Alcherindi*. 29. *Guttulſus*.
929	2	332				
930	3	333	126. *Leo* vj.			
931	4	334	127. *Stephanus* vij.			
932	5	335				
933	6	336	128. *Johannes* xj.			
934	7	337		Ob. *Wlſhelmi*. 22. *Odo*.		
935	8	338				Ob. *Guttulſi*. 30. *Eadredus*.
936	9	339				
937	10	340	129. *Leo* vij.			Ob. *Eadredi*. 31. *Lullingus*.

Anne Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis monaſterii.
938	11	341				32.
939	12	342	130.			Ob. *Lullingi*. *Beornelmus*.
940	13	343	*Stephanus* viij.		19.	
941	14	344			Ob. *Ethelſtani*. *Edmundus* j.	33.
942	15	345	131.			Ob. *Beornelmi*. *Sigericus*.
943	1	346	*Martinus* iij.			
944	2	347			Carta de Swydbrithesſweolde tit. 34. Hæc enim terra duorum aratrorum data fuit *Sigerico* abbati & ſucceſſoribus ſuis, fecitque illam liberam ab omni fiſcali tributo et ſeculari ſervitute.	
945	3	348	132.		20.	
946	4	349	*Agapitus* ij.		Ob. *Edmundi*. *Eadredus*.	
947	5	350				
948	6	351				
949	7	352				*Hereſig* miniſter regis dedit terram de Swalclive. Carta ejuſdem tit. 34.
950	8	353				
951	9	354	133.			
952	10	355	*Johannes* xij.			
953	11	356	Bulla de privileg. directa *Edredo* regi.			
954	12	357			21.	
955	13	358	Littera apoſtolica directa domino Regi & *Odoni* archiepiſcopo de privileg. monaſterii & quod præſens eccleſia ſit omnium monaſteriorum præſentis regni mater primaria.		Ob. *Eadredi*. *Edwinus*.	34.
956	14	359				Ob. *Sigerici*. *Alfricus*.
957	15	360		23.		
958	1	361		Ob. *Odonis*. *Elfſinus*. 24.	22.	
959	2	362		*Dunſtanus*.	Fugatur *Edwinus*. *Edgarus*	
960	3	363	134.			
961	4	364	*Benedictus* v. 135.			
962	5	365	*Leo* viij.			
963	6	366	136.		Donatio terræ iv. aratrorum quæ nominatur Plumſtede. Carta ejuſdem tit. 35.	
964	7	367	*Johannes* xiij.			
965	8	368				
966	9	369				
967	10	370				
968	11	371				
969	12	372				
970	13	373	137.			35.
971	14	374	*Benedictus* vj. 138.			Ob. *Alfrici*. *Elfnothus*.
972	15	375	*Bonus* j. 139.			
973	1	376	*Bonifacius* vij.			
974	2	377			23.	Quædam matrona nomine *Winfleda* dedit centum acras prati & paſturæ & terræ arabilis quæ jacent ex parte boriali curiæ de Northborn.
975	3	378	140.		Ob. *Edgari*. *Edwardus* ij.	
976	4	379	*Benedictus* vij.			
977	5	380				
978	6	381			24.	Dedicatio hujus eccleſiæ à ſancto *Dunſtano* in honore apoſtolorum *Petri* & *Pauli* & S. *Auguſtini*.
979	7	382			Martir. *Edw*. *Ethelredus*.	36.
980	8	383				Ob. *Elfnothi*. *Siricius*.
981	9	384				
982	10	385				
983	11	386	141.			
984		387	*Johannes* xiv.			
	12		142.			
985	13	388	*Johannes* xv.			

Anno Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini*.	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Regni *Angliæ* ſubverſores.	Abbates præſentis monaſterii.
986	14	389	143. *Johannes* xvj.			
987	15	390				
988	1	391		Ob. *Dunſtani* 14. kal. Jun. 25. *Egelgarus*.		*Siricius* eligitur in epiſcopum *Wilton*.
989	2	392		Ob. *Egelgari*. 26. *Alvicus*.	Carta de Etbertiſwoeld, tit. 38.	*Wlfricus* j. eligitur in Abbatem.
990	3	393				
991	4	394				Carta *Brumanni* de 2. hagis & j. prato cum pertinenciis apud *Fordwicli* tit. 38.
992	5	395				
993	6	396				
994	7	397				
995	8	398	144.			
996	9	399	*Gregorius* v.			
997	10	400				Carta *Edwardi* de Cumbe de terra de Cumbe.
998	11	401	145. *Johannes* xvij.			
999	12	402	146. *Silveſter* ij. Hic fecit homagium diabolo.			Carta *Britbrici* de terra de *Woderingberni*. tit. 38.
1000	13	403		Ob. *Alrici*. 27. *Siricius*.		
1001	14	404				
1002	15	405	147.			
1003	1	406	*Johannes* xviij.			
1004	2	407	148. *Johannes* xix.			
1005	3	408		Ob. *Siricii*. 28. *Elphegus*.		
1006	4	409				Ob. *Wlfrici*, jacet in cryptis ante altare S. *Ricardi*. 38. *Elmerus*.
1007	5	410				
1008	6	411				
1009	7	412	149. *Sergius* iv.			*Godwoldus* dedit C. acras terræ in Sturtone.
1010	8	413	150.			
1011	9	414	*Benedictus* viij.	Martir. *Elphegi*. 29. *Livingus*.	*Dani Canciam* devaſtabant	
1012	10	415				
1013	11	416				
1014	12	417				
1015	13	418				
1016	14	419			Ob. *Ethelredi*. 25. *Edmundus*.	
1017	15	420			Ob. *Edmundi*. 26. *Cnutus*.	
1018	1	421				
1019	2	422				*Elſgiva* dedit huic congregationi lx. libras in communi, & præter hoc cuilibet monacho xx. ſolidos.
1020	3	423				
1021	4	424				
1022	5	425				*Elmerus* eligitur in epiſcopum *Schirborn*. jacet in tumba extra clauſuram altaris ſancti *Johannis*.
1023	6	426	151.			
1024	7	427	*Johannes* xx.	Ob. *Livingi*. 30. *Egelnothus*.		39. *Elſtanus*.
1025	8	428				
1026	9	429				
1027	10	430			Donatio terr. de Menſtre cum corpore S. *Mildredæ* tit. 40.	
1028	11	431				
1029	12	432				
1030	13	433			Tranſlatio S. *Mildredæ* de *Thaneto* in præſentem eccleſiam.	
1031	14	434				
1032	15	435	152.			
1033	1	436	*Benedictus* ix.			
1034	2	437				
1035	3	438				
1036	4	439		Ob. *Egelnothi*. 31. *Eadſinus*.	Ob. *Cnuti*. 27. *Haroldus* j.	
1037	5	440				
1038	6	441				
1039	7	442				
1040	8	443			Ob. *Haroldi*. 28. *Hardecnutus*.	
1041	9	444				
1042	10	445			Ob. *Hardec*. 29. *Edwardus* iij.	

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Anni à conqueſtu *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis Monaſt.
1043	11	446	—	—	—	Carta confirmationis omnium terrarum, libertatum & privilegiorum tit. (40.	
1044	12	447					
1045	13	448	—	—	—	Carta de **Sellyng** & **Conybroc** ſive **Kenington** tit. 40.	
1046	14	449					
1047	15	450	—	153. *Silveſter* iij.	Carta terræ unius aratri apud **Littelborne** tit. 41.	—	Ob. **Elſtani**, jacet in criptis ante altare S. *Thomæ*.
1048	1	451	—	154. *Gregorius* vj.	Iſte etiam *Eadſinus* dedit duos calices argenteos & deauratos. Dedit etiam centum marcas ad ædificationem turr. eccleſiæ, & unum pſalterium gloſſatum quod cathenatum fuit ad altare S. *Gregorii*.		40. *Wlfricus* ij.
1049	2	452					
1050	3	453	—	155. *Clemens* ij.	Ob. *Edſini*. 31. *Robertus* j.		
1051	4	454	—	156. *Damaſus* ij. 157. *Leo* x.			
1052	5	455	—	—	Ob. *Roberti*. 32. *Stigandus*.		
1053	6	456					
1054	7	457					
1055	8	458	—	—	—	Carta de *Fordwico* tit. 41.	Abbas *Romã* adiit miſſus à rege.
1056	9	459	—	*Marianus Scotus* poſt longam peregrinationem monachus factus eſt in *Colon.* in monaſterio *Scotorum* ſancti *Martini* kal. Aug. v. feria.	Auctoritate apoſtolica ordinatur ut Archiepiſcopus *Cantuar.* aſſideat in Conciliis Pontifici ſanctæ *Rufinæ*.	—	Abbas auctoritate apoſtolica ordinatur ut in conciliis aſſideat abbati montis *Caſſini*.
1057	10	460		158. *Victor* ij.			
1058	11	461	—	—	—	—	Abbas eccleſiam dilatare, incepit ſed quia mandatum cœli reginæ de ſua eccleſia ſervanda implere noluit letali ægritudine obiit.
1059	12	462	—	159. *Stephanus* ix. hic fuit abbas montis *Caſſini*. 160. *Benedictus* x. hic pallium *Stigando* miſit. Hic fuit *Marianus* incluſus ij. id. Maii in *Fuldenſi* monaſterio juxta corpus S. *Kiliani*.	—	—	41. Ob. *Wlfrici*. *Egelſinus*.
1060	13	463	—	161. *Nicholaus* ij.			
1061	14	464					
1062	15	465					
1063	1	466	—	162. *Alexander* ij.	—	—	Mitra cum indumento Pontificali auctoritate apoſtolica Abbati confertur mero motu dom. Papæ *Alexandri* ij.
1064	2	467					
1065	3	468					
1066	4	469	—	—	—	*Haroldus* truditur.	
1067	5	470	1	—	Coronatio *Willielmi* conqueſtoris.	*Willielmus* Dux *Normanniæ*.	Abbas mitra uti non audebat ob timorem conqueſtoris, mitraque jacuit ſupina uſque ad *Rogerū* abbatem.
1068	6	471	2				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus Auguſtini	An. à conq. Angliæ.	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis monaſt.
1069	7	472	3	*Marianus* poſt x. annos ſuæ incluſionis *Mogontiam* venit juſſione epiſcopi *Mogontini* & abbatis *Fuldenſis*, & ibi includitur juxta monaſterium principale.			
1070	8	473	4	———	34. *Lanfrancus*.	Carta de decimis **Faverſham** & **Miltone** excepta decima mellis & gabuli.	*Egelſinus* fugit. 42. *Scotlandus*. Hic novum opus *Wlfrici* ſubvertens Eccleſiam dilatare incepit.
1071	9	474	5	———	———	Carta de ſaka & ſocna & aliis libertatibus.	
1072	10	475	6	———	———	Carta de viij. præbend. de **Newyngtone**.	
1073	11	476	7	———	———	Carta de manerio de **Plumſtede**.	
1074	12	477	8	———	———	Carta de decimis *Odonis* Epiſcopi titulo 43.	
1075	13	478	9	163. *Gregorius* vij.	———	Carta de donatione *Odonis* Epiſcopi in *Fordwico*.	
1076	14	479	10	———	———	Carta præceptoria de burgo de *Fordwico*.	
1077	15	480	11	———	———	Carta de domibus & conſuetudinibus in *Fordwico* quæ eſt confirmatoria de donatione *Odonis* Epiſcopi.	
1078	1	481	12	———	Transfertur epiſcopatus *Dorceſtr*. ad *Lincolniam*.	Carta *Odonis Baiocenſis* de medietate villæ de **Plumſtede** & decimis de **Knoltun**, **Tinkenherſt**, **Ringentum**, **Turſtun**, & duobus locis **Bedleſan** et **Bochelande** & *Osberni Payſorei*.	Fundatio monaſterii de **Leſwes**.
1079	2	482	13				
1080	3	483	14				
1081	4	484	15				
1082	5	485	16				
1083	6	486	17				
1084	7	487	18				
1085	8	488	19				
1086	9	489	20				
1087	10	490	21	164. *Victor* iij.	———	Ob. *Willielmi* v. idus Sept. 32. *Willielmus Rufus* coronatur vj. kal. Octobr.	Ob. *Scotlandi* iij. non. Septembris, jacet in eccleſia criptarum ſub pelve cum cereo ardente. 43. *Wido*. Hic eccleſiam dilatavit & totum opus perfecit & corpora ſanctorum tranſtulit.
1088	11	491	22	165. *Urbanus* ij.	———	Carta de Eſtanores.	
1089	12	492	23		Ob. *Lanfranci*. Vacavit.	Carta de Saka & Sokna, tit. 44.	
1090	13	493	24	Ordo *Cartuſiæ* incepit.			
1091	14	494	25	———	———	Carta de rectitudinibus & conſuetudinibus debitis apud **Eaſtanores** in terra & in aqua.	Tranſlatio S. *Auguſtini* ſociorumque ejus.
1092	15	495	26	———	35. *Anſelmus* conſecratur.		
1093	1	496	27				
1094	2	497	28	Ob. *Alwinus* fundator de **Bermundeſeie**.	Transfertur ſedes epiſcopalis de **Thedford** in *Northwicum*.	Carta de conſuetudinibus debitis apud **Newington**.	
1095	3	498	29				
1096	4	499	30	Concilium *Clarmontanum*. Horæ beatæ *Mariæ* ſtatuuntur dici cotidie.			
1097	5	500	31				
1098	6	501	32				
1099	7	502	33	———	———	———	Ob. *Wydonis*, jacet in criptis ante altare S. *Ricardi*. *Hugo Flerye* j. Hic fuit primus benedictus extra eccleſiam ſuam apud *Lambedam* ab epiſc. *London*. *Mauritio*, iij. idus Maii.

Anno Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini.*	An. à conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1100	8	503	34	165. *Paſchalis* ij.		33. Ob. *Willielmi.* *Henricus* j.	
1101	9	504	35			Carta de præbenda in *Doveria* titulo 45.	
1102	10	505	36	Ordo *Ciſtercienſis* incepit.		Carta alia de eadem præbenda tit. 45.	
1103	11	506	37			Carta de feria in tranſlatione *Aug.* tit. 45.	
1104	12	507	38			Carta ne ſervientes qui nec emunt, nec vendunt, nec mercatum ducunt, tallientur ad auxilia burgi *Cantuar*. Carta de Eſcambio cum monachis eccleſiæ Chriſti de terra ad ampliand. cimiterium illorum, tit. (45.	
1105	13	508	39		Corpus S. *Elfegi* incorruptum repertum eſt.		
1106	14	509	40			Carta de benedictione *Hugonis* Abbatis tit. 45.	
1107	15	510	41			Carta de terra quam Abbas *Hugo* diſvadavit de *Wiberto* de *Thaneto* tit. 45.	
1108	1	511	42				
1109	2	512	43	Abbatia *Elienſis* in ſedem epiſcopalem commutatur.	Ob. *Anſelmi.* Vacavit.	Carta de *Eſtanoris* & de litore uſque ad medium aquæ, tit. 45.	
1110	3	513	44			*Henricus* rex dedit filiam ſuam *Matilden* *Henrico* Imperatori *Alemanniæ*.	
1111	4	514	45			Carta de libertate monaſterii, tit. 45.	Carta *Haimonis* de villa de *Fordwico* cum omnibus rebus ad eam pertinentibus.
1112	5	515	46				
1113	6	516	47			Carta ut Abbas habeat libertatem ſuper presbyteros ſuos quam habeait Abbas *Scotlandus*.	
1114	7	517	48	*Bernardus* fit monachus *Ciſtercienſis*.	36. *Radulphus*.		
1115	8	518	49				
1116	9	519	50			Carta de **Ripple** & **Langdone**.	Conceſſio Mercati apud **Menſtre** in *Thaneto*.
1117	10	520	51	167.			
1118	11	521	52	*Gelaſius* ij, Inceptio Ordinis Templariorum.		Carta de libertate ſervientium & de Theloneo.	
1119	12	522	53	168. *Calixtus* ij.	S. *Thomas* naſcitur *London.* *Petrus* primus Prior de **Bermundeſeie** obiit.		
1120	13	523	54	Bulla de privileg. & electione Abbatis tit. 45.	Submerſi ſunt in mari *Willielmus* & *Ricardus* filii Regis *Henrici* &c.	Carta de warrenna in terris de **Chiſtelet** & *Sturreya*.	
1121	14	524	55				Fundatio monaſterii de **Radinge**.
1122	15	525	56		Ob. *Radulphi.* Vacavit.		
1123	1	526	57				Prior *Lewenſis* efficitur Abbas de **Radinge**.
1124	2	527	58	169. *Honorius* ij.			Ob. *Hugonis*. Vacavit. jacet in capitulo in parte boriali.
1125	3	528	59		37.	Carta directa *Hugoni* monacho *Rouc.* de conceſſione Abbatiæ cum terris & hominibus & omnibus aliis libertatibus.	**Trottiſcleve.** 45. *Hugo* ij. monachus *Roſenſis*. Hic primo officia diſtinxit & eiſdem certos reditus aſſignavit.
1126	4	529	60		*Willielmus* j.		
1127	5	530	61				
1128	6	531	62			Carta confirmatoria de eccleſiis & decimis **Faverſham** & **Miltone**.	**Abbotiſmelle** adquiritur & ad ſacriſtiam pro officio magni altaris deputatur.
1129	7	532	63	Invaſit apoſtolatum quidam nomine *Petrus*, à ſchiſmaticis dictus *Anacletus*.			

Anno Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini*	Anni Conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1130	8	533	64	170. *Innocentius* ij.	———	Carta de eccleſiis de Renham, Newintone, Faverſham, Northburn, & aliis decimis monaſterii.	
1131	9	534	65				
1132	10	535	66	———	———	Carta de redditibus & conſuet. in eccleſia de Newingtone.	
1133	11	536	67	———	———	Natus eſt *Henricus* filius Imperatricis qui poſtea fuit Rex, filius *Galfridi* Comitis *Andegaviæ*.	
1134	12	537	68			34.	
1135	13	538	69	———	———	Ob. *Henrici*. *Stephanus*.	
1136	14	539	70	———	Ob. *Willielmi*. Vacavit.	Carta de donatione molendini de Eſtbrigge.	
1137	15	540	71	Fundatio eccleſiæ de Redes.	———	Carta de Charnell. faciendis ſuper muros eccleſiæ tit. 46.	
1138	1	541	72	———	38. *Theobaldus*.		
1139	2	542	73	Bulla de libertate monaſterii.	———	Carta de Saka & Socna & pacis fractura.	
1140	3	543	74	Monachi introducuntur in eccleſiam *Doveriæ*.	———	Carta de molendino de Eſtbrigge.	
1141	4	544	75	Floruit *Ric*. de S. *Victore*.	———	Carta de eccleſia de Newingtone. Carta de molendino de Eſtbrigge ut iterum ſtatuatur in priſtinum ſtatum.	
1142	5	545	76	———	Carta confirmatoria de eccleſiis & decimis Faverſham & Miltone.	Carta de libertate infra burg. & extra.	
1143	6	546	77	171. *Celeſtinus* ij. ———	Carta de Eſtonore & litore uſque ad medium aquæ.	Carta de *Hagha*.	
1144	7	547	78	172. *Lucius* ij. Bulla de libertate eccleſiæ. Bulla de concordia inter *Theobaldum* archiepiſcopum & noſtrates. Confirmatio Sententiæ latæ ſuper benedictione Abbatis ſolempni.			
1145	8	548	79	173. *Eugenius* iij.	———	Carta de Ripple, & Langdone.	
1146	9	549	80	*Petrus Lumbardus* Sententias compilavit. Bulla de libertate eccleſiæ. Bulla de confirmatione eccleſiæ de Faverſham.	———	Carta de feria in feſto Apoſtol. *Petri* & *Pauli*.	
1147	10	550	81	Bulla de confirmatione Hoſpitalis S. *Laurencii*.			
1148	11	551	82	*Petrus Commeſtor* ſcripſit hiſtoriam ſcolaſticam.	———	Carta ne prohibeantur homines venire ad molendinum *Cantuar*.	Fundatio monaſterii de Faverſham.
1149	12	552	83	Interdictum totius *Angliæ*.			
1150	13	553	84	———	———	Carta *Matild*. reginæ de terra data eccleſiæ de Faverſham.	
1151	14	554	85	———	———	Carta confirmatoria de terra data eccleſiæ de Faverſham.	Ob. *Hugonis*. 46. *Silveſter*. Jacet in capitulo in parte boriali.
1152	15	555	86				
1153	1	556	87	174. *Anaſtaſius* iv.			
1154	2	557	88				
1155	3	558	89	175. *Adrianus* iv. Bulla de eccleſia de Faverſham & decimis.	*Henricus* rex junior naſcitur.	35. Ob. *Stephani*. *Henricus* ij.	
1156	4	559	90	Bulla ſuper donatione eccleſiæ de Northburne in uſus pauperum.			
1157	5	560	91				
1158	6	561	92	———	S. *Thomas* factus eſt Cancellarius Regis.	Carta de Plumware, Parrok, *W. de Ros* ad Plumſtede.	

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis monaſt.
1159	7	562	93	176. *Alexander* iij.			
1160	8	563	94	———	Ob. *Theobaldi*. Vacavit.	Carta de comminut. expenſ. de **Plumſtede**.	
1161	9	564	95	Bulla quod poſſumus celebrare tempore Interdicti.	*Thomas* Cancellarius & Archidiaconus tunc eligitur in Archiepiſcopum in vigil. Pentecoſt. & ordinatur presbyter in eccleſia Chriſti *Cantuar*. à *Waltero Roſ*. in ſabbato ſequenti.	———	Ob. *Silveſtri*. Vacavit. jacet in capitulo ad ſpatium xij. pedum à lectrino verſus occidentem.
1162	10	565	96	S. *Thomas* reſignavit Sigillum regium.	**Beket**. 39. *Thomas* j. conſecratur in Dominica S. Trinitatis anno ætatis ſuæ xliv. ab *Henrico Winton*. epiſcopo.	Carta de Warrenn. de **Chiſtelet** & **Sturreye**.	
1163	11	566	97	Tranſlatum eſt corpus S. *Edwardi* regis & confeſſoris à S. *Thoma*.	Oritur diſcordia inter regem & archiepiſcopum.	Carta *Rogeri Clare* Comitis **Herford** de j. cervo ſingulis annis in feſto S. *Auguſtini*.	*Clarembaldus* ſecularis intruſit.
1164	12	567	98	———	S. *Thomas* exulat in feſto omnium Sanctorum.	Carta de eccleſia de **Northburne**.	
1165	13	568	99				
1166	14	569	100				
1167	15	570	101	———	———	Carta de ſaka & ſokna, **tol** & **tem** infra burg. & extra.	
1168	1	571	102				
1169	2	572	103				
1170	3	573	104	S. *Thomas* regreditur ab exilio.	*Thomas* j. martirizatur anno ætatis ſuæ lij. Vacavit.	Carta confirmatoria de eccleſiis & decimis **Faverſham** & **Miltone**.	
1171	4	774	105	Bulla de obſervatione Sigilli.			
1172	5	775	106	Bulla de confirmatione eccleſiarum de **Menſtre** & **Faverſham**, & de præſentatione clericorum in eadem bulla.	Soror S. *Thomæ* nomine *Maria* facta eſt abbatiſſa de **Berkinge**.	Carta ut eccleſia de **Miltone** habeat omnia tenementa in decimis & terris & de boſco de **Northwode**.	
1173	6	776	107	Confirmatio eccleſiarum de **Faverſham** & **Miltone** & terrarum intra *Cantuar*.	40. *Ricardus* j. Prior *Dovoriæ*.		
1174	7	777	108				
1175	8	778	109				
1176	9	779	110	———	———	———	Ejectio *Clarembaldi*. **Hurdingden**. 47. *Rogerus* j. Hic fuit monachus eccleſiæ Chriſti cuſtos ad altare ubi S. *Thomas* martirium paſſus eſt.
1177	10	780	111	Bulla de libertate eccleſiæ. Bulla de confirmatione præbendæ de **Guſtone** *Rogero* electo directa.	———	Confirmatio de concambio terræ ex parte meridiana cimiterii eccleſiæ Chriſti juxta campanile.	
1178	11	781	112	———	———	Carta de menſuratione molendini in *Cantuar*. & extra, ut ſic ſtet ſicut juratum fuit tempore regis *Hen*. j.	
1179	12	782	113	Bulla de benedict. Abbatis ſine exactione profeſſionis archiepiſcopo facienda. Bulla de confirmatione eccleſiarum de *Thaneto* & de **Miltone**.	*Ladovicus* rex *Franciæ* venit ad S. *Thomam* & lapis regalis ſuper feretrum ponitur.	———	Benedictio *Rogeri* j. Abb. à dom. Papa in curia *Romana* & reſtitutio mitræ cum anulo & ſandaliis.

Ann. Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini.*	Ann. à conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1180	13	583	114	Bulla de confirmatione eccleſiæ de **Noꝛthboꝛn** ad elemoſinar. Bulla ne pueri xv. annorum recipiantur in monachatum. Bulla ne camerar. vel ſacriſt. tradantur ad firmam.	————	Carta præceptoria pro hominibus de *Thaneto*.	
1181	14	584	115				
1182	15	585	116	————	————	Carta de confirmatione pacis inter *Ricardum* archiepiſcopum & *Rogerum* abbatem.	
1183	1	586	117	————	————	Ob. rex *Henricus* junior qui fuit rex tranſmarinus.	
1184	2	587	118	177. *Lucius* iij.	41. Ob. *Ricardi*. *Baldwinus*.		
1185	3	588	119	178.			
1186	4	589	120	*Vrbanus* iij.	*Baldwinus* plura mala fecit monachis eccleſiæ Chriſti.		
1187	5	590	121	Bulla de libertate eccleſiæ. Bulla de confirmatione eccleſiæ de **Noꝛthboꝛn** elemoſinar. Bulla ne dentur alicui ſeculari eccleſiæ de **Menſtre**, **Noꝛthboꝛn**, & **Sellyng**.	————	*Jeruſalem* capta eſt & crux Chriſti à Paganis.	
1188	6	591	122	Bulla de confirmatione eccleſiæ de **Sellyng**. Bulla de confirmatione libertatum, & ne archiepiſcopus vel aliquis ex ſuis deroget. Bulla de eccleſiis de **Faverſham** & **Miltone** & de cuſtodia clavium. Bulla de confirmatione appropriationis eccleſiarum de **Miltone** & de *Thaneto*. Bulla de præbenda de **Guſtone**.			
1189	7	592	123	179. *Gregorius* viij. 180. *Clemens* iij.	————	36. Ob. *Henrici* ij. *Ricardus* j.	Carta de libertate.
1190	8	593	124	————	Ob. *Baldwini*.		
1191	9	594	125	Bulla no monachi de **Faverſham** ſepeliant paroch. noſtros in cimiterio ſuo. Bulla de confirmatione ſuper libertate eccleſiæ. Bulla quod nec abbas nec aliquis poteſt tradere ad firmam camerariam & ſacriſt. Bulla de confirmatione Sententiæ ſuper benedict. Abbatis & libertate Eccleſiæ. Bulla ne clerici tradant eccleſias ſuas ad firmam. Bulla quod poſſumus celebrare in terra interdicta. Bulla de confirmatione de **Noꝛthboꝛne**. Bulla de præbenda de **Tuſteton**. Bulla ne abbas redditus ſacriſt. & elemoſinar. capitulo inconſulto aliunde miniſtret.	————	Carta de libertate.	
1192	10	595	126	————	42. *Hubertus*.		

Anno Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini*	Anni à conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1193	11	596	127	———	———	Carta de mercato ad **Stonore.**	
1194	12	597	128				
1195	13	598	129	Bulla de cofirmatione eccleſiæ de **Chiſtelet** in uſus infirmorum.			
1196	14	599	130	Bulla ne archiepiſcopus, vel epiſcopus, vel apoſtolicæ ſedis legatus ſeu offic. eorum iſtud monaſterium interdicere poterint. Bulla de remedio appellationis ultimæ. Bulla de confirmatione hoſpitalis S. *Laurencii.*			
1197	15	600	131	182.			
1198	1	601	132	*Innocentius* iij. Concilium *Lateran.*			
1199	2	602	133		———	37. Occiſio *Ricardi. Johannes.*	
1200	3	603	134	Ordo fratrum prædicatorum incepit.			
1201	4	604	135				
1202	5	605	136	Bulla de libertate Eccleſiæ.			
1203	6	606	137	———	———	Carta de **Stonores** & litore uſque ad medium aquæ. Carta de Saka & Sokna & pacis fractura. Carta confirmationis ſuper mercato **Stonores.**	
1204	7	607	138	Bulla confirmatoria de decimis de **Colleſtond.**			
1205	8	608	139	Bulla ne ultra tres dietas trahamur ad cauſas.	Ob *Huberti.*		
1206	9	609	140		43.		
1207	10	610	141	———	*Stephanus.*		
1208	11	611	142	Interdictum generale in *Anglia.*			
1209	12	612	143				
1210	13	613	144	Ordo Fratrum Minorum incepit.			
1211	14	614	145				
1212	15	615	146	———	———	———	Obit. *Rogeri* xiij. kal. *Novemb.* jacet in capitulo ex parte boriali.
1213	1	616	147	Relaxatio interdicti in *Anglia.*			48.
1214	2	617	148				*Alexander* benedictus à Papa in curia *Romana.*
1215	3	618	149	Bulla ne dentur perſonatus vel benficia ad preces vel minas potentum. 183.			
1216	4	619	150	*Honorius* iij.	———	38. Ob. *Johannis. Henricus* iij.	
1217	5	620	151				
1218	6	621	152				
1219	7	622	153	———	———	———	Conveniunt primo Abbates nigrorum monachorum *Oxon.* ad tractandum de ordine.
1220	8	623	154	Bulla confirmatoria de **Sellyng, Guſton, Lenham** & **Chiſtelet.** Bulla ne monachus poſſit compelli ad cognitionem cauſarum. Bulla de indulgentia ad opus Eccleſiæ. Bulla de ſuſceptione cuſtodiæ Fratrum & bonorum Hoſpitalis S. *Laurencii* ſub ſpeciali protectione, & confirmatio redditus &c.	Tranſlatio S. *Thomæ.*	———	Ob. *Alexandri* iv. nonas Octobris, jacet in capitulo ex parte auſtrali. 49. *Hugo* iij. vij. kal. Septembris electus eſt, benedicitur in curia *Romana* j. die menſis Aprilis.

Ann. Dom.	Indictio	Ann. adventus *Auguſtini*	Ann. à Conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis monaſt.
1221	9	624	155				
1222	10	625	156				
1223	11	626	157	—	—	Carta de feodo quem tenuit *Abſalon* in *Sandwico* juxta Eccleſiam S. *Petri*.	
1224	12	627	158	—	—	—	Obit. *Hugonis* iij. Novembr. jacet in navi eccleſiæ prope altare S. Crucis ex parte Boriali. 50. *Robertus* de Bello electus viij. kal. Decemb. benedicitur in curia *Romana* viij. idus Maii qui fuit dies Aſcenſionis.
1225	13	628	159	Bulla ut liceat in propriis parochiis capellas conſtruere.			
1226	14	629	160	—	—	Carta confirmationis de libertate monaſterii. Carta cõfirmationis mercati de **Eſtonores** & omnibus conſuetudinibus ibidem. Carta confirmationis de **Eſtonores** & litore uſq; ad medium aquæ. Carta de quieta clamatione furragii in tota *Cancia*.	Compoſitio inter Abbatem & barones de *Sandwico* de præſentatione Eccleſiæ S. *Petri*.
1227	15	630	161	184. *Gregorius* ix.			
1228	1	631	162	Bulla de confirmatione eccleſiarum de **Menſtre**, **Northborn** & **Sellyng**. Bulla de confirmatione Eccleſiæ de **Plumſtede**. Bulla de Eccleſia de **Chiſtelet** ne quis præſumat fructus in alios uſus convertere.	Ob. *Stephani*. Vacavit.	—	Dimiſſio terrarum juxta Eccleſiam S. *Petri* in *Sandwico*.
1229	2	632	163	Bulla de præbenda de **Guſtone**. Bulla ne quis exigere valeat decimas de novalibus vel nutrimentis. Bulla demandans Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Decanis. Bulla de confirmatione Eccleſiæ de **Lenham** in uſus refectorii. Confirmatio Eccleſiæ de **Sellyng** ad veſtitum monachorum.	44. *Ricardus* ij.		
1230	3	633	164	—	—	Carta de exactione xl. ſolidorum de feod. militum & conceſſione xl. ſolidorum Prælat. de eodem.	
1231	4	634	165	—	Ob. *Ricardi*. Vacavit.		
1232	5	635	166	Bulla conſervatoria directa archidiacono *Sutbir.* Priori S. *Edmundi* & decano Chriſtianitatis de S. *Edmundo*.			
1233	6	636	167	Bulla de approbatione conſuetudinum iſtius monaſterii & earundem confirmatio.			
1234	7	637	168	Bulla confirmationis Ecſiæ de **Chiſtelet**.	45. *Edmundus*.		

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1235	8	638	169	Bulla excitatoria ad Regem de defendendo & conſervando. Bulla de capell. in *Thaneto.* Bulla ne quis poſſit excommunicare monachos clericos & homines. Bulla quod Eccleſiæ noſtræ & homines noſtri & omnia bona noſtra habita & habenda ſint ſub protectione *Romanæ* Eccleſiæ.			
1236	9	639	170	Bulla ne ultra duas diætas trahamur ad cauſas. Bulla de confirmatione annuorum cenſuum in Eccleſiis noſtris.			
1237	10	640	171				
1238	11	641	172	Bulla ſuper compoſitione directa Abbati & Conventui inter S. *Edmundum* & nos. Bulla ne quis præſumat emere terras vel redditus ab aliquo tenentium noſtrorum. Bulla de libertate Eccleſiæ & ne decimæ de novalibus exigantur. Bulla ut non poſſimus compelli per literas apoſtolicas ad providendum alicui. Bulla de tunica & dalmatica. Bulla de confirmatione ſuper compoſitione inter nos & S. *Edmundum* directa Priori & Conventui Eccleſiæ Chriſti.	—	Carta confirmationis de compoſitione inter ſanctum *Edmundum* & nos.	
1239	12	642	173				
1240	13	643	174	Bulla de appropriatione Eccleſiæ de **Plumſted** in uſus pauperum. Bulla quod abbas poteſt dare benedictionem in abſentia Epiſcoporum.	Ob. *Edmundi.* Vacavit.	—	Dedicatum eſt magnum altare & altare S. *Auguſtini* & S. *Adriani.*
1241	14	644	175	185.			
1242	15	645	176	*Celeſtinus* iv. Bulla confirmatoria ſuper eccleſiis in *Thaneto* ad ſacriſtiam aſſignatis. 186.			
1243	1	646	177	*Innocentius* iv. Bulla de indulgentiis in feſt. *Petri* & *Pauli* & *Auguſtini.* Bulla de pilliis utendis.	— 46.	Carta de warenn. de *Thaneto.*	
1244	2	647	178	—	*Boniſacius.*		
1245	3	648	179	Bulla de non providend. clericis contra voluntatem Abbatis & Conventus.	—	Carta de warenn. de **Lenham.**	
1246	4	649	180	Bulla ne delegatus vel ſubdelegatus, executor vel conſervator poſſit nos excommunicare. Bulla ne compellamur ad ſolutionem debitorum niſi cauſa conſtiterit in utilitatem monaſterii.	—	Carta de warenn. de **Eſturreye & de Chiſtlet.**	
1247	5	650	181				

Anno Dom.	Indictio	An. adventus S. *Augustini*	Anno à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1248	6	651	182	Bulla de libertatibus & exemptionibus. Bulla quod Abbas poteſt diſpenſare ſuper Statut. *Gregorii* & abſolvere monachos. Bulla de indulgentia ne cogamur per literas apoſtolicas ad proviſionem ſive receptionem. Bulla de confirmatione ſuper omnibus poſſeſſionibus noſtris ſub protectione domini Papæ. Bulla de mandatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Decanis. Bulla de poſſeſſionibus & aliis bonis ad nos converſorum ut poſſumus ea petere. Bulla de indulgentia nova ſuper Eccleſia de **Lenham.** Bulla conſervatoria contra alienationes in enormem læſionem.	——		
1249	7	652	183	Bulla de Eccleſia de **Lenham.** Bulla conſervat. directa Epiſcopo *Winton.* ad inſpiciend. privilegia noſtra vetuſta.			
1250	8	653	184	Bulla de indulgentia pro eccleſia de **Lenham.** Bulla ſuper privileg. inſpiciend. & tranſcribend. directa epiſcopo *Ciceſtr.* Bulla quod vicarii ſolvant procurationes de Eccleſiis nobis appropriatis. Bulla quod non tenemur ſolvere procurationes de eccleſiis nobis appropriatis. Bulla contra infidelitatem Clericorum.			
1251	9	654	185	Bulla conſervatoria ſuper quodam ſequeſtro facta in Eccleſia de **Faverſham** & ſuper eo quod archiepiſcopus &c.			
1252	10	655	186	Bulla directa Abbati & Priori S. *Edmundi* ne ultra tres diætas trahamur ad judicium. Bulla quod poſſumus præſentare canonice ad eccleſias noſtras non obſtant. aliquibus ſuſpenſionibus. Bulla ne ultra tres diætas trahamur in cauſam. Bulla conſervatoria ſuper eodem. Bulla conſervator. ne bona alienentur in enormem læſionem. Bulla ne per literas apoſtolicas generales vel ſpeciales cujuſcunq; tenoris poſſimus compelli &c. Bulla de confirmatione libertatum & exemptionũ. Bulla ſuper confirmatione *Celeſtini* papæ.	——	Carta de fine facto per Prioreñ & Conventum de vacatione abbatiæ & talliag.	

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *S. Auguſtini*	Ann. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1253	11	656	187	Bulla de privilegio contra proviſiones factas & faciendas imperpetuum. Bulla conſervatoria directa Abbatibus S. *Edmundi* & **Waltham** ſuper ſtatut. *Gregorii* noni. Bulla conſervatoria directa Abbati & Priori S. *Edmundi* contra proviſion. & penſion. Bulla conſervatoria directa Abbatibus S. *Edmundi* & **Waltham.** Bulla conſervatoria directa Abbati ſancti *Edmundi* ne quis nos impedire poſſit. Bulla quod non obſtantibus aliquibus ſuſpenſionibus à beneficiorum collatione ſeu illorum reſervatione impediamur.	— — —	— — —	Obit. *Roberti* 17. kal. Febr. jacet in capella S. *Mariæ* in introitu cancelli. 51. *Rogerus* ij. electus eſt iij. non. Febr. benedicitur iv. kal. Septembr. in præſenti eccleſia ab epiſc. *London.*
1254	12	657	188				
1255	13	658	189	187. *Alexander* iv. — Bulla conſervatoria ecclecleſiæ de **Tentirdene.** Bulla de quingentis marcis in quibus obligavit epiſcopus **Herford.** Bulla conſervatoria pro **Plumſtede** cum triplici privilegio. Bulla ſuper appropriatione Eccleſiæ de **Selynge.** Bulla de appropriatione eccleſiæ de **Selynge** cum iv. privilegiis. Bulla de confirmatione appropriationis Eccleſiæ de **Plumſtede.** Bulla de appropriatione Eccleſiæ de **Preſtone** cum ejus littera conſervatoria. Bulla de privilegiis Eccleſiæ de **Preſtone.** Bulla ſuper appropriatione Eccleſiæ de **Tentirdene.**	— — —	Carta de Compoſitione ſuper decima dom. Regi à Papa conceſſa.	
1256	14	659	190	Bulla ne aliqui habeant ingreſſum in elemoſinar. camerar. &c. tempore vacationis. Bulla de indulgentia j. anni & xl. dierum. Bulla ne maneria vel eccleſiæ tradantur laicis ſine conſenſu. Bulla de benedictione pallarum. Bulla ut Abbas poſſit monachis ſuis minores ordines conferre. Bulla de cuſtodibus maneriorum dupplicata. Bulla ne corrodia concedantur niſi nobis perſonaliter ſervientibus. Bulla quod Papa conſervat Eccleſiæ noſtræ libertates illæſas. Bulla de benedictione ſolempni danda ab Abbate.	— — —	— — —	Summa totius indulgentiæ à fundatione monaſterii uſque ad hunc annũ conceſſæ quolibet die vij. anni cum additione unius ann. infra octav. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* & ſancti *Auguſtini*, Omnes enim indulgentiæ præcedentes per *Alexandrum* iv. confirmatæ fuerunt.

Anno Dom.	Indictio	An. adventus *Augustini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiscopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præsentis monast.
				Bulla ut utamur privilegiis non antea usitatis. Bulla de consuetudinibus festivitatum. Bulla ne ratione delicti vel contractus trahamur coram Ordinar. Bulla de tunica & dalmatica. Bulla de custodia pupillorum. Bulla generalis de Ecclesiis appropriatis & quod vicarii tenentur solvere procur. Bulla ne nobis invitis emantur possessiones nostræ vel redditus. Bulla ne monachi officiarii pretereant statutum terminum reddendi compotum. Bulla confirmationis indulgentiarum. Bulla confirmatoria de Hospitali S. *Laurentii*. Bulla de membranis vel litteris non signandis sine consensu Conventus. Bulla ne per constitutiones seu statuta Legatorum, Nunciorum, vel delegatorum sedis apostolicæ consuetudinibus nostris regularibus vel libertatibus aliquod præjudicium generetur.			
1257	15	660	191	Bulla de indulgentia xl. dierum. Bulla ne ultra duas dietas trahamur in causas.			
1258	1	661	192	Bulla pro ecclesia de Lede de decimis non dandis Regi. Bulla ne Abbas teneatur invitus cognoscere de causis. Bulla de benedictione danda ab Abbate. Bulla ut possimus uti privilegiis non usitatis. Bulla quod non teneamur ad provisionem alicujus per litteras apostolicas. Bulla de confirmatione Hospitalis S. *Laurentii*. Bulla de appropriatione Ecclesiæ S. *Pauli* quadriplicata.			
1259	2	662	193	———	———	Breve regium de warenn. in terris Stodmerch & Littelborne.	
1260	3	663	194	188.			
1261	4	664	195	*Urbanus* iv. Institutio festi corporis Christi. Bulla confirmator. omnium Libertatum & exemptionum. Bulla confirmator. omnium privileg. nostrorum & secularium Libertatū. Bulla quod possimus uti privileg. non usitat. Bulla quod non tenemur ad solutionem debitorum nisi in usum monasterii convertantur.			

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Ann. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
				Bulla quod Abbas poſſit diſpenſare ſuper irregularitate cum monachis.			
1262	5	665	196				
1263	6	666	197	—	—	Carta de quadraginta & ſex pedibus terræ in longitudine & iij. pedibus & dimidio in latitudine de communi ſtrata juxta eccleſiam ſancti *Pauli*.	
1264	7	667	198	189.			
1265	8	668	199	*Clemens* iv.	—	Carta de libera warenna in omnibus dominicis terris in comitatu *Cantiæ* & de mercat. in die Martis & de feria per tres dies apud **Plumſtede**.	
1266	9	669	200	—	—	Carta de xl. acris terræ pro una marca per annum *Reginaldo* aurifabro in tenura de **Langport** vocat. **Wykensfeld**.	
1267	10	670	201				
1268	11	671	202	Ob. *Clementis*. Vacavit.	—	—	Carta *Hamonis* filii *Rogeri Doge* de manerio de **Natingdone**, titulo 51.
1269	12	672	203	—	—	Conditum eſt corpus ſanctæ *Mildredæ* in novo monumento vij. kal. Jun. & dedicatum eſt altare ejuſdem in honore ſanctorum innocentium.	
1270	13	673	204	—	Ob. *Bonifacii.*		
1271	14	674	205	190.	97.		
1272	15	675	206	*Gregorius* x. Bulla conſervatoria directa Abbati & Priori *Weſtmonaſt.* Bulla confirmator. privileg. & libertatum.	*Robertus* ij. *Kilwarbi.*		
1273	1	676	207	—	—	Ob. *Henrici*. 39. j. poſt conqueſtū. *Edwardus* iv.	Obit. *Rogeri* idus Decembr. jacet coram altari S. *Katerinæ* ſub lapide cum imagine ſculpto. 52. *Nicholaus* de *Spina* eligitur in craſtino circumciſionis, benedicitur in curia *Romana* v. idus Aprilis qui fuit dies Paſchæ.
1274	2	677	208	191.			
1275	3	678	209	*Innocentius* v.			
1276	4	679	210	192. 193. *Adrianus* v. *Johannes* xxj. Bulla quod poſſumus recipere bona converſorum noſtrorum. Bulla ne aliquis bona monaſterii invadere, occupare ſeu alio modo detinere præſumat. Bulla ne dentur decimæ de novalibus noſtris.	—	Carta de jus. meſuag. & j. carucata terræ viginti ſolid. redditus in **Eſtſutton** & j. acr. terræ & medietate j. molendini cum pertinen. in **Sturrey**.	
1277	5	680	211	194. *Nicholaus* iij. Bulla conſervator. directa Abbati ſancti *Albani*. Ea quæ de bonis. Bulla ne aliquis bona monaſterii occupare, invadere ſeu alio modo detinere præſumat. Bulla quod poſſumus uti privilegiis non uſitatis.			

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus S. *Auguſtini*	Ann. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1278	6	681	212	———	Promovetur *Robertus* in Cardinalem.		
1279	7	682	213	———	48. *Johannes* j. *Pecham.*		
1280	8	683	214	———	———	Statutum ne religioſi in acquiſitione creſcant.	
1281	9	684	215	195. *Martinus* iv.			
1282	10	685	216				
1283	11	686	217	———	———	Carta de quadam venella incluſa juxta portam curiæ.	Ceſſit *Nichol.* iv. idus Maii & intravit ordinem prope *Par.* 53.
1284	12	687	218	196.			*Thomas* j. *Fyndon.* Benedicitur *London.* ij. non. Aprilis ab archiepiſc. *Dublinenſi.*
1285	13	688	219	*Honorius* iv. Bulla confirmatoria privilegiorum. Bulla de confirmatione cantariæ *Hamonis Doge.* Bulla quod Abbas poteſt dare licentiam loqui monachis *Ciſterſienſis* ordinis. Bulla quod clerici beneficiati in ſervicio noſtro remanentes percipient fructus Eccleſiarum. Bulla conſervator. directa Abbatibus *Weſtmonaſt.* & de **Waltham** ne clerici noſtri compellantur. Bulla conſervator. directa Abbati de **Waltham** quod omnes qui alienant & detrahunt bona &c. Bulla de correctione Fratrum Hoſpitalis S. *Laurencii.*	———	Conceſſio de Hundred. de **Ringſlo, Blengate,** & **Doverhanford** ad feodi firmam pro v. li. per annum. Carta miſſa tenentibus de Hundredo prætacto ut Abbati & miniſtris ſuis intendant & reſpondeant.	
1286	14	689	220	Bulla quod Abbas & Fratres poſſunt comedere carnes in aula & in ſecreta camera Abbatis.			
1287	15	690	221	197.			
1288	1	691	222	*Nicholaus* iv.	———	Carta de concambio terrarum cum monachis eccleſiæ Chriſti. Carta de emptione terrarum & redditum poſt ſtatutum ad valenciam x. lib. viij. s. vj. d.	
1289	2	692	223	Bulla conſervatoria directa Abbati de **Waltham.**			
1290	3	693	224				
1291	4	694	225	———	———	Decima bonorum eccleſiaſticorum authoritate apoſtolica regi conceſſa eſt ad ſubſidium Terræ ſanctæ per vj. annos.	
1292	5	695	226	———	Ob. *Johannis.* 49.	———	Facta ſunt ſtalla in choro.
1293	6	696	227	———	*Robertus* iij. *Winchelſe.*	Miraculū S. *Mildredæ* xv. kal. Junii in feſto tranſlationis ejuſdem propter quod juſſit Rex Juſticiar. ceſſare ab executione Brevium per totam *Angliam.* Carta de quieta clamatione de maneriis **Langport, Chiſtelet, Sturrei, Menſtre,** & **Salmeſton.**	Magnum feſtum in die S. *Auguſtini* vij. kal. Junii in quo fuerunt omnes Prælati *Canciæ* et 56. milites & dominus *J. Berwic* Juſticiarius cum aliis Juſticiariis itinerantibus & omnis populus qui fuit in itinere. Summa omnium in hoc feſto. 4500. homines.

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Anni à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis Monaſt.
1294	7	697	228	198. *Celeſtinus* v. 199. *Bonifacius* viij.	Exigitur à clero *Angliæ* medietas omnium bonorum.	Carta de catallis felonum, fugitivorum dampnatorum,	
1295	8	698	229				
1296	9	699	230				
1297	10	700	231				
1298	11	701	232	Bullæ vj. de diverſis privilegiis. Littera conſervatoria directa Abbatibus *Weſtmon.* de **Waltham** & S. *Edmundi.* Littera conſervatoria directa Abbati *Weſtmonaſt.* Quod licet nobis in placito inter nos & Archiepiſcopum teſtes quos curiæ mandar. non De teſtium admiſſione ante litem conteſtator. Inhibitio ad Archiepiſcopum ſuper cauſis appellationis inter ipſum & nos. Dupplicatur. Littera conſervatoria directa Abbati de **Waltham** contra diſtrictores bonorum eccleſiæ.			
1299	12	702	233	Bulla de reformatione ſtatus antiqui & exemptionis novæ. Bulla declaratoria ſuper exemptione & revocatione quorundam privilegiorum prius per eundem Papam conceſſorum.	———	Carta de via incluſa de manerio de **Chiſtelet.**	
1300	13	703	234	Bulla conſervatoria directa Abbati de **Langdone** pro Eccleſia de **Tentirdene.**	———	Carta de elargatione curiæ.	
1301	14	704	235	Bullæ 15. Bulla miſſa epiſcopo *Winton.* ut excommunicet quoſdam malefactores. Bulla excommunicatoria contra detentores decimarum Eccleſiæ de **Scheldwiche.** Bulla conſervatoria pro Eccleſia S. *Laurentii* in *Thaneto* contra raptores. Bulla conſervatoria pro eccleſia S. *Petri* in *Thaneto* contra detentores decimarum. Bulla conſervatoria pro Eccleſia de **Menſtre** in *Thaneto.* Bulla conſervatoria pro Eccleſia S. *Johannis* in *Thaneto* contra detentores decimarum. Bulla conſervatoria pro Eccleſia de **Chiſtelet** contra detentores decimarum. Bulla conſervatoria pro Eccleſia de **Littelborne** contra detentores decimarum. Bulla conſervatoria pro Eccleſia de **Preſtone** contra detentores decimarum. Bulla conſervatoria pro			

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *Augustini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiscopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præsentis monast.
				Ecclesia de **Hellyng** contra detentores decimarum. Bulla conservatoria pro Ecclesia de **Lenham** contra detentores decimarum. Bulla conservatoria pro Ecclesia de **Miltone** contra detentores decimarum. Bulla conservatoria pro Ecclesia de **Faversham.** Bulla conservatoria contra detentores decimarum de **Faversham.** Bulla conservatoria pro Ecclesia S. *Pauli*.			
1302	15	705	236	Bulla directa Abbati de **Waltham** pro Ecclesia de **Tentirdene.** Bulla de reverentia exhibenda & campanis pulsandis archiepiscopo in Ecclesiis nostris. Bulla quod ab Abbatem pertinet præsentatio clericorum, & ad Archiepiscopum institutio.			
1303	1	706	237	200.			
1304	2	707	238	*Benedictus* xj. 201.	—	Carta de terris *Johannis Leken* in **Westbeere.**	
1305	3	708	239	*Clemens* v.			
1306	4	709	240				
1307	5	710	241	Bulla directa Abbati de **Faversham** contra detentores decimarum in omnibus Ecclesiis nostris.	—	Ob. *Edwardi* primi post conquestum. 40. *Edwardus* v. (secundus post conquestum. Carta de x. acris terræ in **Littelborne.** Carta de j. tofto ad personat. de **Sturreye.**	
1308	6	711	242	—	—	Carta de charnellatione novæ portæ, tit. 53.	
1309	7	712	243	Bulla de appropriatione Ecclesiarum de **Sturrey** & **Keningtone.** Bulla conservatoria contra detentores decimarum Ecclesiarum de **Sturrey** & **Keningtone.**	—	—	Obit. *Thomæ* xiv. kal. Marcii. jacet ante altare sanctæ *Mariæ*. 54. *Radulphus*. benedicitur in curia *Avinion*. xj. kal. Julii.
1310	8	713	244	Ordo Templariorum extinctus est.	—	Carta de **Polderismelle** apud **Sturrey,** tit. 54.	Carta de uno mes. una carucat. terræ *Philippi de Intebergbe* in **Estsutton.**
1311	9	714	245	—	—	Carta de licentia adquirendi terras ad valorem lx. librarum. Carta de appropriatione Ecclesiarum de **Keningtone** & **Sturrey.**	Carta de j. mes. lxj. acr. terræ magistri *Willielmi le Meneter*.
1312	10	715	246	—	—	Carta de libertatibus maneriorum & catall. servorum fugitivorum. Carta de acquisitione lxx. acrarum *Ricardi de Beere*.	
1313	11	716	247	—	Ob. *Roberti*. 50. *Walterus*.	Carta de xvij. acris terræ *Thomæ Poncyn* in **Menstre.**	*Henricus Stanton*, Justiciarius itineris.
1314	12	717	248				

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani*.	Archiepiſcopi *Cantuariæ*.	Reges *Angliæ*.	Abbates præſentis monaſt.
1315	13	718	249	—	Carta de molendino de **Littelborne**.	Carta de via incluſa apud **Northburne**. Carta de vacatione monaſterii. Carta de eſcambio terræ cum magiſtro *Andrea de Brugge*.	Carta unius meſ. & xviij. acrarum terræ *Joh. Foſter* & *Walteri Ruſſel*. Carta de j. molendino v. acris terræ in **Littelborne**. *Walteri Ruſſel*.
1316	14	719	250	202. *Johannes* xxij.	—	Carta de Clvij. acris terræ in **Chiſtelet**, **Sturrey**, &c. Carta de confirmatione xj. acr. in **Chiſtelet**.	
1317	15	720	251	—	—	Carta de xj. acr. j. roda mariſci *Gervaſii Scherreve* id eſt **Rychope**. Carta de licentia conceſſa *Laurencio de Cornwaleis* & *Mich. de Baſtervyle* de terris in **Sturrey** & **Chiſtelet**.	
1318	1	721	252	—	—	Carta de tranſgreſſione perquiſitionis terrarum *Johannis Botſveyn*. Carta de confirmatione molend. & lx. acr. terræ in **Sturrey**.	
1319	2	722	253	—	—	Carta de Eſcambio terræ juxta **Quengate** cum Priore eccleſiæ Chriſti.	
1320	3	723	254	Caſtrum de **Ledes** obſidetur.	—	Carta de eſcambio terrarum cum Priore eccleſiæ Chriſti. Carta de eſcambio terræ cum *Roberto de Sturrey*. Carta de j. meſ. & xxxiv. acris magiſtri *Johannis de Grove*.	Carta de j. meſ. & xxxiv. acris magiſtri *Johannis de Grove*.
1321	4	724	255				
1322	5	725	256	—	—	Carta de eſcambio terræ & redditus cum Priore eccleſiæ *Chriſti*.	
1323	6	726	257				
1324	7	727	258				
1325	8	728	259	—	—	—	Hic dedicatur magnum altare kalend. Marcii in honore Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, Sancti *Anglorum* Apoſtoli *Auguſtini* & S. *Ethelberti* regis cum indulgenc. xl. dierum.
1326	9	729	260	Hoc anno reparatum fuit caput ſancti *Auguſtini*.	—	Carta de eſcambio terrarum in **Northborne**, **Ripple**, **Langdon**, **Plumſted**, & alibi. Carta de confirmatione antiquarum cartarum & eccleſiarum **Faverſham** & **Milton**. Carta de confirmatione antiquarum, cartarum, & remiſſione omnium actionum erga Abbatem in **Langport**, **Chiſtelet**, **Sturrey**, **Menſtre** & **Salmeſton**. Ob. *Edwardi* ſecundi poſt conqueſtum. 41. *Edwardus* vj. tertius poſt conqueſtum.	
1327	10	730	261	—	51. Ob. *Walteri*. *Simon* j.		

Ann. Dom.	Indictio	An. Adventus *Auguſtini*	Ann. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1328	11	731	262				
1329	12	732	263	Bulla executoria directa Abbati de **Langdone** de appropriatione Eccleſiarum de **Wyvelíſberg**, &c.			
1330	13	733	264	Bulla conſervatoria directa Abbati de **Faverſham.**			
1331	14	734	265				
1332	15	735	266				
1333	1	736	267	Bulla confirmatoria privilegii *Bonifacii* octavi. 203.			
1334	2	737	268	*Benedictus* xij.	—	—	Obit. *Radulphi* iij. non. Febr. jacet in muro juxta altare Annunciationis beatæ *Mariæ.* 55. *Thomas* ij. *Poucyn* primo die menſis Marcii, benedicitur in curia *Avinion.* ij. idus Junii.
1335	3	738	269	—	—	Carta de lxxxj. acris terræ lx. acr. paſturæ & dimid. in **Lenham.** Carta de terris & tenementis in **Lenham**, **Chiſtelet**, **Cant.** **Northborne**, **Scholdun**, **Menſtre**, **Littilborne**, **Natingdone**, **Miltone** ad manum mortuam.	
1336	4	739	270				
1337	5	740	271				
1338	6	741	272	—	—	Carta de appropriatione Eccleſiarum **Wivelíſberg**, **Stone** & **Broklond.**	
1339	7	742	273	—	—	Bellum de *Sclus.* Rex *Angliæ* arma accipit *Franciæ.*	
1340	8	743	274	204.			
1341	9	744	275	*Clemens* vj.			
1342	10	745	276	—	—	Exemplificatio recordi & proceſſus decimæ decimarum manerii de **Miltone.**	
1343	11	746	277	—	—	—	Ob. *Thomæ Poucyn*; in tranſlatione S. *Auguſtini*, idus Sept. jacet ad altare S. *Katerinæ* ſub imagine ſculpta. 56. *Willielmus* j. *Drulegh* vj. non. Oct. & benedicitur in curia *Avinion.* in tranſlatione *Auguſtini.* jacet in capitulo ex parte Prior.
1344	12	747	278				
1345	13	748	279	Bulla quod poſſumus eccleſiaſticos redditus dimittere ad firmam cuicunque & quandocunq; nobis placuerit.	*Edwardus* regis primogenitus miles efficitur, & taxa ad ſcutagium exigitur.		

Ann. Dom.	Indictio.	An. adventus *Auguſtini.*	Ann. à conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1346	14	749	280	Bulla de appropriatione Eccleſiarum **Wyvelſberg, Stone, & Broclonde.** Bulla conſervatoria directa Epiſcopo *Winton.* & & Abbatibus *Weſtmon.* & **Langdon.**	———	Bellum de *Crecy.*	Obit. *Willielmi* in nocte S. *Mauricii.* 57. *Iohannes* ij. *Devenech.* Hic monachus *Winton.* per proviſionē præficitur in Abbatem caſſata electione *Willielmi Kenington.* Electus eſt *Willielmus Kenington* v. die menſis Octobris.
1347	15	750	281	Bulla quod Abbas poteſt dare benedictionem ubicunque. Bulla quod poſſumus in oratoriis maneriorum divina celebrare.			
1348	1	751	282	Bulla de proviſione monaſterii vacantis in curia.	Ob. *Johan.* 52. *Johannes* iij. (*Offorde.*	Captio *Calleſia.*	Obit. *Johannis,* in vigilia *Johannis Baptiſt. Avinion.* ſepultus. 58. *Thomas* iij. *Colwelle* v. die menſis Apr. & benedicitur in curia *Avinion.* iv. non. Octobris.
1349	2	752	283	Bulla conſervatoria directa Abbati de **Langdone** contra prædones.	Ob. *Johannis.* 53. *Thomas* ij. (*Bradwardyn.*	Magna peſtilencia.	
1350	3	753	284	———	54. Ob. *Thomæ.* *Symon* ij. *Yſlep.*		
1351	4	754	285	205.			
1352	5	755	286	*Innocentius* vj.			
1353	6	756	287				
1354	7	757	288	Bulla ut feſtum S. *Auguſtini* ſub feſto dupplici celebretur. Bulla de indulgentia in feſto S. *Auguſtini.*	———	Carta de feria per tres dies duratura apud **Lenham.**	
1355	8	758	289	———	———	Carta de ij. meſuag. *Willielmi Godwyn.*	
1356	9	759	290	———	———	Bellum de *Peyteris.*	
1357	10	760	291	———	———	Carta de terris in **Kenington, Selling, Sutton, Littilborne, Chiſtelet** ad manum mortuam.	
1358	11	761	292				
1359	12	762	293	———	———	Carta de warennia in *Thaneto,* tit. 57.	
1360	13	763	294	———	———	Peſtilentia minor.	
1361	14	764	295	———	Ventus magnus in feſto ſancti *Mauri.*	Carta confirmationis maneriorum & de ſaka & ſokna &c. Carta manerii de **Dene** quod dedit *Juliana Leyburne,* tit. 59.	Carta confirmationis antiquarū cartarum & remiſſio de omnibus actionibus.
1362	15	765	296	206. *Urbanus* v.	———	Carta confirmationis decem librarum & viij. peyſarum caſei manerii de **Miltone.**	
1363	1	766	297				
1364	2	767	298				
1365	3	768	299	Bulla conſervatoria directa Abbatibus de **Faverſham, Langdone, & Radegund.**			
1366	4	769	300	———	Obit. *Symonis.* 55. *Simon* iij. (*Langham.*		

Ann. Dom.	Indictio	An adventus *Auguſtini*	An. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1367	5	770	301	———	———	Exemplificatio compoſitionis & record. attornati in Cancell. inter Abbatem & homines de **Stonore** & **Sandwich.**	
1368	6	771	302				
1369	7	772	303	———	Promotio *Simonis* in Cardinalem. 56. *Willielmus* ij. *Witleſeye.*		
1370	8	773	304	207. *Gregorius* xj.			
1371	9	774	305				
1372	10	775	306				
1373	11	776	307				
1374	12	777	308	Bulla ut feſtum S. *Auguſtini* celebretur in dupplici feſto per totum regnum.			
1375	13	778	309	———	Obit *Willielmi.* 57. *Simon* iv. (*Suthbery.*	———	Ob. *Thomæ* iv. kal. Junii in die Aſcenſionis. jacet in capella ſanctæ *Annæ* in eccleſia ex oppoſito Annunciationis. 59. *Michael Pecham,* benedicitur apud **Eaſtcher.** ab Epiſc. *Winton.*
1376	14	779	310	———	———	Ob. *Edwardi.* 42. *Ricardus* ij.	
1377	15	780	311				
1378	1	781	312	208. *Urbanus* vj. Schiſma incepit. Cardinales elegerunt *Clementem.*			
1379	2	782	313				
1380	3	783	314	———	Decollatio *Simonis.* 58. *Willielmus* iij. *Courtnay.*	Rebellio popularis.	
1381	4	784	315				
1382	5	785	316	———	———	Terræ motus.	
1383	6	786	317				
1384	7	787	311				
1385	8	788	319				
1386	9	789	320	———	———	———	Obit. *Michael* xj. die menſis Februarii. jacet in capitulo ex parte *Auſtrali* inter lectrinum & ſcamnum. Vacavit.
1387	10	790	321				
1388	11	791	322	Bulla quod feſtum ſanctæ *Mildredæ* virginis celebretur ſub dupplici feſto in *Thaneto.* Bulla conſervatoria directa Priori S. *Gregorii.* Bulla conſervatoria directa Priori de **Bermundeſeie.** Bulla de confirmatione exemptionis iſtius monaſterii. Bulla conſervatoria directa Priori de **Bermundeſeie** contra Abbatem & Conventum de **Leſnes.**			
1389	12	792	313	209. *Bonifacius* ix.	———		60. *Willielmus* ij. *Welde.* Ultimo die menſis Febr. & benedicitur in curia *Romana* in feſto ſanctæ *Luciæ.*

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus *Auguſtini*	Ann. à conq. *Angliæ*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1390	13	793	324	———	———	Carta de vacatione Abbaciæ pro annuo redditu l.marcarũ & de milite non mittendo in exercitu regis tempore vacationis & non ſolvend.decimis, & quod Prior & Conventus habeant cuſtodiam Abbaciæ & omniũ temporaliũ ejuſdem tam adquiſitorum quam adquirendorum in poſterum, tit. 61.	
1391	14	794	325	———	———	Carta de licentia conceſſa *Willielmo Paynel, Thomæ Palmer,* & *Johanni Sepham* quod poſſent dare tres virgatas, xx. & vij. perticatas terræ, lxxv.ſolidat. & v. denariat. & j. libræ piperis redditus per annum, titulo 61.	
1392	15	795	326				
1393	1	796	327				
1394	2	797	328	———	———	Carta de donatione trium meſuagior. *Radulfi Crane London.* tit.61. Carta de licentia adquirendi terras ad valorem xl.librarum, tit.61.	
1395	3	798	329	———	59. Ob.*Willielmi.* *Thomas* iij. (*Arundel.*		
1396	4	799	330	———	———	Carta de licentia conceſſa *Willielmo Calſebi* de donatione unius meſuagii iv. Schopp. in parochia S.*Dioniſii London.* tit.61.	
1397	5	800	331	———	Proſcriptio *Thomæ.* 60. Intruſio *Rogeri. Waldene.*		
1398	6	801	332				
1399	7	802	333	———	Regreſſio *Thomæ.* Expulſio *Rogeri.*	Depoſitio *Ricardi* ultimo die menſis Septembr. 43. *Henricus* iv. coronatus eſt iij. idus Octobris.	
1400	8	803	334				
1401	9	804	335	———	———	Carta ratificationis ſuper carta regis *Ricardi* ij. & de uno meſuagio cum pertinentiis in *Fordwico.*	
1402	10	805	336	———	———	Bellum de Hummeldonehyl contra *Scotos.*	
1403	11	806	337	Bulla quod Abbas poterit minores ordines monachis ſuis conferre. Bulla quod Abbas poterit Eccleſias, oratoria & capellas ſuo monaſterio immediate ſubjectas ac altar.veſtes,calices, patenas & alia ornamenta earundem conſecrare & cimiteria reconciliare.	———	Bellum *Salopiæ* contra *Henricum Percy.*	
1404	12	807	338	210. *Innocentius* vij. Bulla quod Abbas dabit benedictionem ſollempnem populo ubicunque in regno tranſitum fecerit, dum tamen legatus ſedis apoſtolicæ vel aliquis antiſtes non foret præſens. Bulla ut monachi & ſeculares iſtius monaſterii	———	Obſidio de Maercke.	

Ann. Dom.	Indictio.	Ann. adventus *Auguſtini.*	Ann. à conq. *Angliæ.*	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
				valeant accipere Confeſſorem quemcunque voluerint & ſemel remiſſionem omnium peccatorum conſequentur & in mortis articulo.			
1405	13	808	339	———	Decollatio *Ricardi* archiepiſcopi *Eborac.*	Carta de confirmatione *Thomæ* Abbatis.	Obit. *Willielmi* in vigil. S. *Mildredæ* jacet in capitulo inter lectrinum & Abbatem *Silveſtrum.* 61. *Thomas* iv. *Hunden*, Benedicitur *London.* à *Thoma Arundel* archiepiſcopo in die S. *Johannis* ante portam Latinam in Eccleſia S. *Pauli.*
1406	14	809	340	211. *Gregorius* xij.	———	Carta de ratificatione Libertatum & poſſeſſionum. Item carta declaratoria quod decimæ non ſunt ſolvendæ tempore vacationis & remiſſione med. unius decimæ.	
1407	15	810	341	———	———	———	Recuperatio reddius xxij. ſolid. vj. denar. j. lib. piperis de iv. chopp. *Londoniis* in parochia S. *Mildredæ* ſuper Walebrok. Pro hujus redditus diſtrictione *Thomas Elmham* tunc Theſaurarius areſtatus fuit ad ſectã *Henrici Somerſet*; per aſſiſã redditus recuperatur.
1408	1	811	342				
1409	2	812	343	212. *Alexander* v. Concilium in Civitate *Piſana.*			
1410	3	813	344	213. *Johannes* xxiij.			
1411	4	814	345				
1412	5	815	346				
1413	6	816	347	———	Furia *Lollardorum* in feſto Epiphaniæ.	44. *Henricus* v. Coronatus eſt ix. die Apr. apud *Weſtmonaſterium* à *Thoma Arundell* archiepiſc. *Cantuariæ.*	
1414	7	817	348	———	———	Rex reparavit manerium de Shene & tria monaſteria conſtruxit ibidem.	
1415	8	818	349	Concilium in Civitate *Conſtant.*	*Harſ*LV fert MaVrIC *Ag*In*Cort* præLIa CrIſpI*n* Hæc rex *Henricus* quintus trino notat anno.	Rex in *Normanniam* tranſiit. Captio villæ de *Harflu.* Et bellum de *Agyncort* in die ſanctorum *Criſpini* & *Criſpiani.* Rex in *Angliam* rediit x. kal. Decembr.	

Ann. Dom.	Indictio	An. adventus Auguſtini	An. à conq. Angliæ	Summi Pontifices *Romani.*	Archiepiſcopi *Cantuariæ.*	Reges *Angliæ.*	Abbates præſentis monaſt.
1416	9	819	350	———	———	*Sigiſmundus* Imperator venit in *Angliam.*	
1417	10	820	351	*Martinus* quintus in feſto omnium Sanctorum.	*Jon Oldcaſtel* hæreticus periit & igne crematur.	Rex iterum intrat *Normanniam* in feſto ad vincula S. *Petri.* Captio villæ & Caſtell. *Cadomi* per obſidionem & aliarum villarum & caſtellorum.	
1418	11	821	352	———	———	Captio civitatis *Rothomagi* in die S. *wlſtani.* VrbIs *RothoMagI* VVL*ſtano* CapCIo CLaret Quam rex *Henricus* quintus ſexto notat anno. Rex *Judæorum* Jhs. eſt ut origine matris SIC rex *AngLorVM* LILIa *FranCa* LegIt.	
1419	12	822	353	———	———		

Habes hic Lector domus S. Auguſtini *erectionem naſcente hic apud* Anglo-Saxones *Chriſtiana religione ejuſq; hiſtoriam ad annũ* M.CCC.xcvij. *continuatam. Et, ut videas, quod nihil in hoc mundo fixum firmumque ſit ejus traditionem in manus* H.viij. *poſtquam* DCCCC.xl. *annos illæſa & illibata ſtetiſſet, tibi ex archivis hic exhibere curavimus.*

OMnibus Chriſti fidelibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit *Johannes* abbas monaſterii ſancti Auguſtini extra & juxta muros civitatis *Cantuarienſis* & ejuſdem loci conventus ſalutem in domino ſempiternam. Noveritis nos præfatos abbatem & conventum unanimi conſenſu & aſſenſu noſtris animis deliberatis certa ſcientia & mero motu noſtris ex quibuſdam cauſis juſtis & rationabilibus nos animas & conſcientias noſtras ſpecialiter moventibus ultro & ſponte dediſſe conceſſiſſe & per præſentes damus concedimus reddimus & confirmamus illuſtriſſimo Principi & domino noſtro *Henrico* octavo Dei gratia *Angliæ* & *Franciæ* regi, fidei defenſori & domino *Hiberniæ* ac in terris ſupremo capiti eccleſiæ *Anglicanæ* totum dictum monaſterium noſtrum domum ſive abbathiam, noſtram ac ſcitum fundum circuitum & præcinctum ejuſdem monaſterii domus ſive abbathiæ prædict. cum omnibus debitis catallis & bonis noſtris mobilibus quibuſcumque nobis ſeu dicto monaſterio domui ſive abbathiæ noſtræ ſpectantibus ſive pertinentibus, tam ea quæ in præſenti poſſidemus quam ea quæ ex obligatione vel alia quacumque de cauſa nobis vel dicto monaſterio, domui ſive abbathiæ noſtræ prædictæ quoquo modo debentur: Necnon omnia & ſingula maneria, dominia meſuagia gardina curtilagia tofta terras tenementa prata paſcua paſturas boſcos redditus reverſiones ſervitia molendina paſſagia feoda militum. wardas maritagia nativos villanos cum eorum ſequelis communias libertates francheſias juriſdictiones officia curias let. hundred. viſus franci plegii ferias mercata parcos warenna vivaria aquas piſcarias vias chimina wharphos vacuos fundos advocationes nominationes præſentationes donationes eccleſiarum vicariarum capellarum cantariaram hoſpitalium & aliorum eccleſiaſticorum beneficiorum quorumcunque rectorias vicarias cantarias penſiones portiones annuitates decimas oblationes ac alia & ſingula emolumenta proficua poſſeſſiones hæreditamenta & jura noſtra quæcumque tam infra dictum comitatum *Kantiæ* quam infra comitatum *Surr.* & civitates *Londonienſem* & *Cantuarienſem* & alibi infra regnum *Angliæ*, *Walliæ* & marchias eorundem eidem monaſterio domui ſive abbathiæ noſtræ prædict. quoquo modo ſpectan. appenden. ſive incumben. Ac omnia & omnimoda cartas evidentias obligationes ſcripta & munimenta noſtra quæcumque nobis ſeu eidem monaſterio domui ſive abbathiæ noſtræ maneriis terris & tenementis ac cæteris præmiſſis cum ſuis pertinen. ſeu alicui inde parcellæ quoquo modo ſpectan. ſive concernen. Habendum tenendum & gaudendum dictum monaſterium domum ſive abbathiam ſcitum fundum circuitum præcinctum cum omnibus debitis bonis & catallis noſtris necnon omnia & ſingula dominia maneria tenementa rectorias penſiones & cætera præmiſſa quæcumque cum omnibus & ſingulis ſuis pertinen. præfato invictiſſimo Principi & domino noſtro Regi hæredibus & aſſignatis ſuis imperpetuum in hac parte ac ad omnem juris effectum qui exinde ſequi poterit aut poteſt nos & dictum monaſterium domum ſive abbathiam prædictam cum omnibus & ſingulis præmiſſis, ac omnia jura nobis qualitercumque acquiſita ut decet ſubjicimus & ſubmittimus. Dantes & concedentes prout per præſentes damus & concedimus eidem regiæ mageſtati hæredibus & aſſignatis ſuis omnem & omnimodam plenam & liberam facultatem authoritatem & poteſtatem nos & dictum monaſterium una cum omnibus & ſingulis maneriis terris tenementis redditibus reverſionibus ſervitiis & ſingulis præmiſſis cum ſuis juribus & pertinen. quibuſcumque diſponendi & pro ſuo libero Regiæ voluntatis libito ad quoſcumque uſus mageſtati ſuæ placentes alienandi donandi commutandi & transferendi, & hujuſmodi diſpoſitiones alienationes donationes converſiones & translationes per prædictam Regiam mageſtatem ſuam quoviſmodo fiendas extunc ratificantes ratas & gratas ac perpetuo firmatas nos habituros promittimus per præſentes. Et ut præmiſſa omnia & ſingula ſuum debitum ſortiri valeant effectum, electionibus inſuper nobis & ſucceſſoribus noſtris, Necnon omnibus querelis provocationibus appellationibus actionibus litibus & inſtantiis aliis quibuſcumque noſtris remediis & beneficiis nobis forſan & ſucceſſoribus noſtris in ea parte prætextu diſpoſitionis alienationis tranſlationis & converſionis prædictarum & cæterorum præmiſſorum qualitercumque competen. & competituris, omnibuſque doli erroris metus ignorantiæ vel alterius materiæ ſive diſpoſitionis exceptionibus objectionibus & allegationibus prorſus ſemotis & diſpoſitis, palam publice & expreſſe ex certa noſtra ſcientia animis ſpontaneis renunciavimus prout per præſentes renunciamus & cedimus & ab eiſdem recedimus in hiis ſcriptis. Et nos præfati abbas & conventus ſucceſſoreſque noſtri dictum monaſterium domum ſive abbathiam præcinctum ſcitum manſionem & eccleſiam prædictam, Ac omnia & ſingula maneria dominia meſuagia gardina curtilagia tofta prata paſturas boſcos & ſubboſcos terras tenementa ac omnia & ſingula præmiſſa cum ſuis pertinen. præfato domino noſtro Regi hæredibus & aſſignatis ſuis contra omnes gentes warrantizabimus imperpetuum In quorum teſtimonium nos præfati abbas & conventus huic ſcripto ſigillum noſtrum commune apponi fecimus. Dat. in domo noſtra capitulari penultimo die menſis Julii anno regni dicti illuſtriſſimi noſtri Regis triceſimo.

Per me *Johannem Eſſex* abbatem ibidem.
per me infirmarium *Thomam Barham*.
per me *Iohannem Langdon* præcentorem.
per me *Edwardum Benet* ſacriſtam.
per me *Iohannem Sandwich* ſuppriorem.
per me *Ricardum Compton* iij. Priorem.
per me *Ricardum Canterbr.* refectorarium.
per me *Willielmum Mylton*.
per me *David Franklyn* quartum Priorem.
per me *Willielmum Holyngborne* capellanum domini abbatis.
per me *Iohannem Ryvers*.
per me *Laurentium Goldſton*.
per me *Iohannem Antoni*.

per me *Radulphum Adrian*.
per me *Willielmum Horſmunde*.
per me *Georgium Amys*.
per me *Robertum Glaſconbury*.
Willielmus Bangos.
per me *Iohannem Dygun* Priorem.
per me *Iohannem Langport* theſaurarium.
per me *Willielmum Wynchelſe* celerarium.
per me *Robertum Cenett* veſtiarium.
per me *Iohannem Story* oſtiarium.
per me *Robertum Garwinton* ſubcelerarium.
per me *Robertum Saltwood* cuſtodem capellæ beatæ *Mariæ*.
per me *Thomam Strykynbow* camerarium.

per me *Willielmum Hawkherſt* ſubſacriſtam.
per me *Iohannem Hayſſam*.
per me *Iohannem Shroynsbery*.
per me *Thomam Haplys*.
per me *Edwardum Hales*.

Recept. recognit. & deliberat. coram me *Ricardo Layton* cancellariæ domini noſtri Regis magiſtrorum uno, Anno & die prædictis.

plus in dorſo

Irrotulatur in Dorſo clauſarum cancellariæ Regis infraſcriptæ, menſe & anno infraſcriptis.

FINIS.

HENRICI
KNIGHTON
Canonici Leyceſtrenſis

CHRONICA
DE
Eventibus Angliæ à tempore Regis Edgari
uſque mortem Regis *Ricardi* ſecundi.

Nunc primum edita ex Mss. codicibus fideliter collatis.

COMPILATIO HENRICI de KNIGHTON Canonici Abbathiæ *Leyceſtrienſis* de eventibus *Angliæ*.

HOC opuſculum poſt præclaros retroactorum eventuum in regno *Angliæ*, & ejus confinibus luculentos cronografos aggreſſus, quibus rerum geſtarum notitiam & morum inde modeſtiam proficiendo conſequendam poſteritati adventanti karitatis intuitu deſideravi propinare & velut utile dulci conſultius inmiſcere, malorum videlicet de die in diem imminentium incurſum præcavere, cum dulcifluo tripudio hiſtoricæ cognitionis manum ſcribendo tali deſiderio apponere curavi. Et meæ parvitatis velle de hiis quæ à diebus pertranſitis in dies ſuccedentes tam mirabiliter quam caſualiter in regno *Angliæ* & multociens in ejus confinibus & regionibus adjacentibus diatim emerſerunt de magnificis cronograforum geſtibus ſparſim prout potui ea reperire, in præſentem libellum ſtilo licet retorto conglutinare deſudavi. Et poſteris noſtris, veluti nobis anteriores noſtri caritatis poculum hujuſmodi propinaverunt, ſub qualicumque exemplari cum aviditate conſimili cordis mei, ſcienciola mea licet recalcitrante, dirivare corde tenus concupiſco. Igitur hiſtoria cum ſit nuncia vetuſtatis præteritæ, teſtis tranſactorum temporum, eſt & memoria vitæ, bonorum atque malorum, norma prælucens hiis qui ſe regere tam in corpore quam in anima regulariter diſponunt. Hiſtoria præminentes animæ & corporis ſenſatorum dotes poſſidendo occupat, ſuoſque quamplurimum ſenſualiter prærogat poſſeſſores. Et cum Hiſtoria quodammodo dici poteſt immortalis, cum ea quæ fuerunt oblivioni tradita ad memoriam revocat, & quaſi recenti animo reducit, & alias peritura ſi ſcripta non forent renovat, & aliqualicunque quaſi morte ſeparata vivificat, & aliis poſt alios ſuccedentibus ut ita dicam perpetuat & theſaurabiliter conſervat, ut per ea quæ ſcripta & lecta conſpiciuntur intellecta levius evitent & luculentius provideant mala quæ de die in diem inceſſabiliter habitantibus terram, pro dolor! emergunt. Iccirco inter cætera lectoris faceciam cum intimis cordis expanſis viſceribus expoſco ne lectitando ſtadium laboris mei cum ſubriſu aliquociens aſpiciat; cum ſit inter cætera cronograforum florida ſcripta velut præpatens palia inter tritici grana peroptima: ſet pocius voluntatis meæ deſiderio quam inertis facundiæ ſtilo alludendo ſitibundus aſpiret. Igitur opuſculum hiſtoriolæ meæ à conqueſtu regni *Angliæ* cum adminiculo ſeptimi libri *Ciſtrenſis* laudiflui Cronographi perlucide ſcribentis, cujus ſeriem de verbo ad verbum cum aliis quæ aſpectui meo ſparſim ſe obtulerant inſcribere ſeriatim propono, telamque eventuum medio tempore in regno *Angliæ* & partibus finitimis per *Anglicos* & quandoque aliquoſculos alios in regnis aliis partim immiſcendo ſecundum parvitatem ſtilioli ſenſus mei uſque ad præſens tempus ordiri diligenter attentabo, ſecundum quod Deus fons & origo totius bonitatis & totius ſcientiæ infuſor venas cordis mei rore pneumatis cœleſtis, in quo omnes theſauri ſapienciæ & ſcienciæ ſunt reconditi, ſua ineffabili benignitate licet immerito irrigare dignatus fuerit de ſuo ſpeciali dono. Denique pleriſque præſens opuſculum noſtrum forte videretur nimis deficiens, & ſic minus idoneum, ſi in primordio noſtræ relationis in adventu *Willielmi* baſtardi in *Angliam* & conqueſtum ejuſdem noſtrum ſtilum ſcribendi figeremus, niſi de ejus origine & parentela, videlicet quo titulo quove jure conſanguinitatis ut linialiter ſub ſucceſſione progenitorum ſuorum monarchia regni *Angliæ* eidem *Willielmo* attinuerit & inde ad eam aſpiraverit, pro noſtro modulo præmitteremus. Iccirco ad ejus priores progenitores calamum vertere & linialiter genealogiam ejuſdem *Willielmi* deſcribere, & de progenie in progeniem gradatim procedere, & à prima ſtipite parentelæ ejus per ramos donec in ejus perſonam regni *Angliæ* rectum hæredem perveniam, ſub brevitate qua potero enodare curabo. Sicque antequam ad conqueſtum regni *Angliæ* procedam quendam parvulum libellum de origine, ortu, & linia conſanguinitatis ejuſdem *Willielmi* regis quam erga ſanctum *Edwardum* Confeſſorem ultimum regem *Angliæ*, *Haraldo* rege intruſore excepto, habebat, præmittere vigilavi per xvj. capitula ſecundum numerum & ſeriem literarum vocabuli mei, telam incepti ſermonis per capitulares literas ordiendo, ut diligens lector inveſtigare lucide valeat hujus opuſculi inquiſitorem. Inſuper opus inceptum videlicet à conqueſtu regni *Angliæ* in v. partes protelare curavi, in quarum duabus primis xvij. capitulorum numerum præcedentis libelli ſeriem & ordinem literarum de vocabuli mei expreſſione ſumptarum obſervando perorare curavi. Tertiam vero partem & quartam propter prolixitatem ſermonis & eventuum inexplicabilem concurſum & finis incepti operis inexpectabilem viſionem abſque tali capitulorum ordine tranſcurrendo annotare laceſſitus præocupavi. Sicque totum laborem præſentis operis in quinque partes ſive libellos diſtinctos protelando orditus ſum.

CAP. I.

HIſtoriæ tradunt in abbathia *Leyceſtriæ* quod poſt expulſionem *Edewini* filii *Edmundi* regis *Angliæ* quod monarchia regni vacavit per annum & amplius, Qui *Edewinus* propter malam vitam & propter enormia facta quæ exercuerat contra eccleſiam, expulſus eſt à regno & turpiter ejectus. Et inde procedente tempore fiebant homicidia & ſcelera multa, atque mala infinita evenerunt in populo pro defectu gubernationis, donec ſancti viri de clero & de populo miſerunt ſe in afflictionibus & ſine intermiſſione egerunt pœnitentiam die ac nocte orantes Deum ut eos exaudiret, & in tanta neceſſitate miſericorditer eis ſubveniret, donans eis regem talem qui regnum *Angliæ* ſic gubernaret quod cederet ad honorem Dei & commodum regni. Et eorum preces ex alto Deus aſpiciens nocturnali ſilentio vox divinitus inſonuit ut *Edgarum* adhuc juvenem coronarent in regem. Qui læti divino oraculo *Edga-*

rum fratrem *Edwini* ſuſtulerunt celeriter in regem, & erat *Edgarus* xvj. annorum cum regere cœpiſſet, & xxj. annis regnavit in *Anglia*. In cujus exortu ſanctus *Dunſtanus* audivit angelos cantantes & dicentes, Pax in terra *Angliæ* cum plenitudine omnium bonorum dummodo puer iſte regnaverit & *Edwardus* filius ejus poſt ſe. Et ſic fuit electus in regem et coronatus divino oraculo quod nunquam accidit cuiquam regi *Angliæ* retroactis temporibus. Et credebatur non eſſe meliorem eo regem in mundo, Deo devotus, bonus & affabilis, humilis, juſtitiam ſervans, nec reſpexit perſonam cujuſcumque in judicio quin judicaret ſecundum delicti quantitatem & perſonæ qualitatem. In tempore ſuo non erat latro nec raptor nec prædo, nec qui pacem infringere auderet, quin de eo ſtatim faceret juſtitiam. Iſte *Edgarus* habuit duas uxores, ſcilicet *Egelſtedam* quæ vocata eſt *Candida*, de qua genuit *Edwardum* poſtea regem & martirem, et ſanctam *Edithum*. De ſecunda ſcilicet *Alfritha* filia *Edgari*, Ducis *Devoniæ*, Anglice **Devenſhire**, *Edgarus* genuit *Edmundum* qui ante patrem ſuum obiit, et *Egelredum* qui poſt fratrem ſuum *Edmundum* regnavit. Hæc *Alfritha* poſt diſponſata fuit cuidam *Ethelwaldo*. Hic *Edgarus* ſanctum *Dunſtanum* per fratrem ſuum *Edwinum* exlegatum revocavit.

Hic *Edgarus* xxj. anno regni ſui idibus Julii obiit apud *Glaſton*. ſepultus, ubi poſtmodum ſub anno gratiæ M. lij. poſt ſepulturam ejus cum Abbas *Aykwardus* tumulum ejus irreverenter effodiſſet, inventum eſt corpus ejus incorruptum et ita corpulentum ut in novo locello ingredi non poſſit, ſanguiſque recens ex effoſſione viſus eſt diſtillare; ſicque ſuper altare cum aliis reliquiis reconditum eſt. Abbas ille temerator amens effectus exiens de eccleſia fractis cervicibus exſpiravit.

Edwardus filius *Edgari* juvenis auxilio *Dunſtani Cantuarienſis* archiepiſcopi cæterorumque epiſcoporum in regem ſublimatur contra voluntatem quorundam optimatum & potiſſime novercæ ſuæ *Elfrithæ* quæ filium ſuum *Egelredum* ſeptennem in regem erigere conabatur, ut ſic ipſa potius ſub nomine ejus imperaret. Iſte *Edwardus* regnavit tribus annis et dimidio in ſublimitate. Cumque *Edwardus* adhuc juvenis quadam die pergeret venatum diſperſis commilitonibus ſuis in ſilva, accidit ut ſolus laſſus rediret per hoſpitium *Elfritha* novercæ ſuæ, quæ læta quod opportunitatem nocendi nacta eſſet, vultum quam hilarem ei prætendebat et gaudifluo honore eum recipiebat, et oſculabatur eum fervide, et dum ipſe biberet percuſſit eum una ſica, ac ille percuſſus ſic equum ſuum urgebat redire ad ſocios ſuos, agitato equo uno pede lapſus alteroque per devia tractus undante cruore apud **Corfſgate** ſigna mortis dedit ſuis militibus, monſtrando cauſam ſuæ interemptionis. Tunc ipſa ignobiliter apud *Warram* per triennium habitante, ſepulto arriſerunt divina miracula, nam cœleſti luce de ſummis emiſſa claudus recepit greſſum, mutus, ſurdus, cæcus, organum cupitum; omnis denique invalitudo ſoſpitatis ſumpſit ſtatum. Quo rumore attonita interfectrix ipſius dirigit ſe tumbam ipſius viſitare, et in jumentum vecta quod quidem nec flagris nec clamoribus minari potuit, mutatoque ſæpius jumento id idem attemptavit nec proficere valuit. Unde quod per ſeipſam non potuit per alium efficit; nam *Elferus* miniſter ejus corpus *Edwardi* apud *Septoniam* quæ modo **Schaftisbury** ſolemniter tumulavit. Succedente tempore pars corporis ejus apud **Leot** monaſterium juxta **Herford**, pars apud **Abendon** tranſlatum eſt, locus vero apud *Septonium* ubi pulvis ejus adhuc integra viriditate palpitat **Edwardiſtowe** nuncupatur. Pro hac autem interfectione *Elfritha* conſtruxit duo monaſteria fœminarum; & ipſa depoſita terrena pompa diu et dire pœnituit jugi cilicio & jejunio corpus frangens, cruces quas potuit inſuper fronti et pectori imprimens, nec tamen omnino vindictam evaſit. *Elferus* prædictus poſt annum à tumulatione prædicti martiris à pediculis et vermibus eſt conſumptus.

CAP. II.

De Egelredo.

EGelredus filius *Edgari* ex ſecunda uxore *Elfritha* poſt occiſionem fratris ſui *E*. in regem levatus xxxviij. annis regnum potius obſedit quam rexit. Nam vitæ ſuæ curſus ſævus et infauſtus fuit, in principio miſer, in medio et in fine turpis & reprobus. Dum beatus *Dunſtanus* eum baptizaret ventris fluxu fontem ſacrum fœdavit, unde turbatus *Dunſtanus* dixit, *Per Deum iſte ſi vixerit ignavus erit*. Iſte *Egel*. vocatus eſt *Baſtardus* eo quod ex ſecunda uxore ſit natus. Iſte tenuit regnum in magna anguſtia, labore et ærumnis; Nec mirum, quia ſic felonice et injuſte intruſus eſt in regnum. Inſuper adeo maleficioſus erat, quod ſemper erat rancor et contentio inter ipſum et majores regni. Et adeo cupidus fuit, quod omni tempore ſuo ſolicitudinem habuit qualiter poſſet cum aliqua cautela et circumventione cauſam qualemcumque fucatam conjecturare, rapere et ſpoliare bona religioſorum terræ: et primo regnavit pacifice x. annis uſque ad obitum ſancti *Dunſtani* qui in die coronationis *Egelredi* protulit hoc oraculum. *Quoniam aſpiraſti ad regnum per mortē fratris tui in cujus ſanguine conſpiraverunt* Angli *cum ignominioſa matre, non deficiet ab tis ſanguis et gladius donec populus ignotæ linguæ perveniens eos in ultimam redigat ſervitutem; nec exſpiabitur hoc delictum niſi longa vindicta*. Cum autem ipſe *Egelredus* puer decennis ploraret fratrem ſuum ſic necatum, in tantum commovit matrem furentem ut ipſa aliud flagellum ad manum non habens arreptis cereis candelis ipſum pene ad mortem flagellavit; Quamobrem in omni vita ſua lumen cereum exhorruit. *Egelredus* genuit ex *Ethelgiva* filia *Egberti* Comitis *Edmundum* cognomento *ferreum latus*, *Edwynum*, *Ethelſtanum*, & filiam *Edgivam*; poſtmodum duxit uxorem *Emmam* filiam *Ricardi* primi, Ducis *Normanniæ*, qui fuerat tertius Dux *Normannia*, de qua genuit *Alfredum* et *Edwardum*. Rex *Egel*. propter quaſdam diſſenſiones inter ipſum et *Roffenſem* præſulem, urbem *Roffenſem* obſedit, et mandat ei *Dunſtanus* ut furori deſiſtat nec ſanctum *Andream* loci patronum irritet. Mandato ejus contempto mittit ei centum libras ut obſidionem ſolvat. Quibus acceptis miratus *Dunſtanus* ei mandat, *Quia prætuliſti aurum Deo, argentum apoſtolo, propter cupiditatem tuam venient cito ſuper te mala, ſed non me vivente*. Biennio igitur poſt hoc mortuo *Dunſtano* venerunt *Dani*, veneruntque duæ aretro ſeculis incognitæ peſtes in *Anglia*, ſcilicet febris hominum, lues animalium quæ Anglice Schitta, Latine, fluxus interaneorum vocatur. Interea *Dunſtano* mortuo, *Dani* venerunt in *Angliam* quaſi in quolibet portu *Angliæ*; unde neſciebatur qua parte illis occurrerent; unde conſilio *Siriſii* archiepiſcopi ſucceſſoris *Dunſtani* tributum annuum ſolvunt. Primo anno x. mil. libr. Secundo anno xvj. mil. Tertio anno xx. mil. Quarto anno xxiiij. mil. Quinto anno xxx. mil. tandem xl. mil. donec pecunia deficiebat in *Anglia*. Et tunc redierunt iterum ad rapinas. *Northimbriam* deprædantes et *Londoniam* obſidentes coegerunt regem tributum dare. Interea *Anlaſus* rex *Danorum* per *Elphegum* epiſcopum *Wyntonienſem* datis obſidibus ductus eſt ad regem *Egelredum*, quem rex *Egel.* levavit de ſacro fonte, et idem epiſcopus cum confirmavit, unde ille deinceps nil nocens ad propria remeavit. Nec ex hoc hoſtes pacificati, ſet majus creſcentes *Angliam* ſpoliaverunt. Verum eciam cum in re publica quamplurum præſentia ducis valet ſpectata, viſus ejus audacia & bellandi adortatio & diſciplina, Hæc in *Anglia* totaliter novercabantur diebus hujus *Egelredi*. Nam in collectione exercitus, in fabricatione navium, in adjuvatione conſilii magnatum et Com. nihil proſperum provenit. Nam populus non regulatus ſet cupiditate allectus rapinas nimis aſſuevit, corde tabeſcens de facile fugiebat, et quod mirum eſt tempeſtas naves quaſſavit, & reſervatas manus inimica diripuit, incendit & ſubmerſit. Proceres quoque regni ſi quando ad conſilium congregati pocius de ſingularibus et inutilibus quam de communibus negociis conſultabant, et ideo eorum conſilium more puerorum inanuit. Et ſi quid utile decreviſſent, *Edricus* Comes *Salusburienſis* fidelem ſe oſtendens ſed actu proditorem inimicis revelat. *Ricardus* primus dux tercius *Normannia* obiit, cui ſucceſſit *Ricardus* ſecundus Dux quartus *Normannia* xxviij. annis, qui præ nimia bonitate vocatus eſt *Bonus*. Rex *Egelredus* duxit uxorem *Emmam* filiam *Ricardi primi* Ducis tertii *Normannia*, quo proventu elatus juſſit omnes *Danos* in *Anglia* una nocte occidi, quod & factum eſt in nocte ſancti *Bricii*, ſet *Swanus* rex *Dacia* exſecrabiliter hoc vindicavit. Iccirco rex *Egelredus* de conſilio procerum ſolvit *Danis* tributum xxx. millium lib. pro habenda pace. *Dani* innumerabilia mala in *Anglia* illis diebus exercebant, quæ in *Ciſtrenſi* Cronica deſcribuntur, et propter ſuam magnitudinem hic omittuntur. Interim poſt mortem *Swani*, *Canutus* filius ejus ſucceſſit. Et *Angli* hoc audientes mittunt ad regem *Egelredum* in *Normanniam*, & promittunt ei ſi benignius ſolito ſe vellet habere erga eos *Canutum* excluderent, & ipſum præferrent. Ac ille promiſſis applaudens miſit *Edwardum* filium ſuum pro pace in *Angliam* inter ipſum & proceres firmanda, poſtmodum ille veniens *Canutum de Lindeſbeia* profugavit, ſed in aliis partibus multa mala exercuit. Rex *Egelredus* ix. kal. Maij *Londonia* defunctus eſt in eccleſia ſancti *Pauli* ſepultus, poſt cujus mortem proceres regni cum clero ſtirpem ejus abhorrentes apud Southamton *Canutum* recognoverunt regem ſuum fore, Quibus ipſe juramentum præſtitit fore illis fidelis dominus ſecundum Deum & ſæculum. *Londonienſes* cum nonnulla parte procerum *Edmundum ferreum latus* filium *Egelredi* in regem erexerunt.

REX *Egelredus* genuit de *Emma* filia *Ricardi* primi Ducis tercii *Normannia* duos filios, ſcilicet *Alfredum* et *Edwardum* Confeſſorem, & de una alia uxore habuit *Edmundum ferreum latus* qui ſic dicebatur propter probitatem ſuam, cujus ſagitta nunquam in caſſum reverſa neque gladius in vanum extractus aut lancea quandocumque fruſtra vibrata. Iſte *Edmundus* nunquam rediit de prælio abſque victoria, ſi prodicio *Edrici* Comitis *Dovonia* ſcilicet *Salusburgenſis* non interveniſſet. Nam *Canutus* interim *Londoniam* obſedit, ſed inde repulſus in *Dorſatania* juxta Gillingam cum *Edmundo* dimicans vincitur: et poſt hoc in æſtate *Edmundus* cum majori exercitu in provincia *Wicciorum* contra *Canutum* tam actiter dimicans ut præ laſſitudine uterque exercitus ab invicem diſcederet, et *Danos* in craſtino *Edmundus* protriviſſet, ſet falſus *Edricus* caput cujuſdam occiſi militis ſimillimi oſtendit exercitui dicens, Fugite *Angli*, ecce caput Domini veſtri *Edmundi*; & *Edmundus* hoc agnoſcens acrius inſtat uſque ad noctem; *Canutus* de nocte *Londoniam* tendit, *Edmundus* à tergo ſequitur, urbem liberat et apud Brentforde *Dani* iterum vincuntur. Tunc *Edricus* juravit fidelitatem *Edmundo*. Et *Edmundus* quarto *Danos* devicit apud Aileſforde in *Kancia*, & uſque ad inſulam de Schepeye profugavit. Hiis & aliis multis inter eos ita geſtis, ſecundum conſilium *Edrici* obſidibus hinc inde datis pax inter reges reformata eſt in ripa *Saprinæ* apud Dorhurſt. Nam ſurrexit quidam miles in medio dicens in hunc modum.

« Quotidie morimur, ſed nullus vincit; invincibilis utique eſt uterque rex; & hujus continui diſcriminis nullus reſtat fructus niſi ut cæſis utriuſq; exercitus militibus duces tandem neceſſitate coacti componant vel certe ſoli pugnent; Quare igitur unum iſtorum non modo faciunt? quod ſi componant, quare non ſufficiet modo regnum duobus ſolito locupletius quod olim 5. regibus ſatis fuit? Quod ſi tanta ſit in eis dominandi libido, ut uterque dedignetur cum alio partem habere aut alteri ſubeſſe, tunc pugnent ſoli qui ſoli cupiunt dominari, ne ſi omnes pugnent, omnibus interfectis, ſint non milites quibus Duces imperent, nec ſint qui adverſus extraneos patriam defendant.

Convenientibus igitur apud inſulam de Olneye juxta *Gloverniam* utriſque exercitibus, acclamatur à cunctis, Aut componant aut ſoli pugnent. Occurrentes igitur ambo reges populo hinc inde ſpectante, primo in equis, poſtmodum pedibus certamen ineunt; & cum *Canutus* comperit *Edmundum* invincibilem de regni participio componit. Inde projectis armis ruunt in oſcula exultantibus cunctis. Iſte *Edmundus* genuit *Edmundum* & *Edwardum* nomine. *Edmundus* v. anno regni ſui apud *Gloverniam* pro eo quod Barones ſui ſuſpicabantur eum proditorem & ſubverſorem communis profectus regni ſui eo quod nimis inclinatus fuit antedictis *Danis* et prætulit eorum conſilium, conſilio legiorum ſuorum juratorum fidelium incurrit mortem infra ſcriptam. De morte ejus multæ ſunt opiniones, ſet ſufficiat una pro omnibus cum ſit per proditionem occiſus *Edrici*. Iſte *Edricus* rogavit *Edmundum* dominum ſuum ad prandium, & poſt prandium cum intraret cameram vidit unum triſtegum cum imagine ad ſimilitudinem unius ſagittarii, tenentis arcum in manu tendentis arcum cum ſagitta. Et rex miratus acceſſit propius, & cum tetigiſſet imaginem manu ſua, ſtatim imago emiſit ſagittam et interfecit regem.

Nam *Edricus* proditor imaginabatur per ſortilegium taliter occidere Dominum ſuum, ut ſic chariorem faceret ſe *Canuto*. Quidam dicunt quod *Edricus* quadam vice cum *Edmundus* ad requiſita naturæ ad privatam domum acceſſit, ſub domo ſe abſcondit, & regem *Edmundum* ad neceſſaria ſedentem inter celanda ferro transfodit & occidit. Alii dicunt quod corrupit muneribus camerarios *Edmundi* ut ipſi eum in lecto occiderent. Sive ſic, ſive ſic, per *Edricum* mortuus eſt proditioſe. Mortuo ſic *Edmundo* doloſe, ſtatim *Edricus* acceſſit ad uxorem *Edmundi* neſcientem de eventu, & tulit duos filios ejus *Edwardum* & *Edmundum* & duxit eos ad *Canutum* aliquamdiu diſſimulans flagitium.

CAP. III.

Nunc mortuo *Edmundo latus ferreum* vocato *Canutus* monarcha totius *Angliæ* effectus, ante quem rex nullus natus eſt in *Anglia* tam magnus præter *Arthurum magnum*. Nam dominus extitit totius *Angliæ*, *Daciæ*, *Norwegiæ*, & *Scotiæ* poſt mortem *Edmundi*, & pene regnavit xx. annis. Primo anno coronationis ſuæ venerunt ad regem *Canutum* omnes qui per excitationem *Edrici* conſpiraverunt in mortem *Edmundi*, et oſtenderunt regi facinus ſuum, & rex miſit pro magnatibus & proceribus regni & fecit proditores recognoſcere facinus ſuum, timuit enim ſibi ne crederetur ipſum ſcelus prædictum meditatum fuiſſe. Tunc juſſit omnes primo trahi deinde ſuſpendi. Nam *Edmundus* & *Canutus* mutuo juraverunt fœdus fraternitatis & fidelitatis. *Canutus* regnum *Angliæ* in iiij. partes diviſit. *Weſtſaxiam* reſervavit ſibi ipſi, *Eaſtangliam Turkillo* Comiti, *Merciam Edrico* perfido, *Northumbriam Hiricio*. Inde apud *Londoniam* conſilio coacto quærit à proceribus an in illo ſociali fœdere inter ipſum & *Edmundum* aliqua mentio fuiſſet facta de ſucceſſione fratrum aut filiorum *Edmundi* poſt mortem ſuam; Et illi reſponderunt falſiſſime & adulatorie æſtimantes ſe per hoc apud regem magnos futuros. Inſuper & juraverunt regi *Canuto* quod ipſum in regem ſuſciperent & progeniem *Edmundi* omnino depellerent, unde & juſto Dei judicio quidam eorum ſunt interfecti, quidam exterminati. Nam *Canutus* conſilio Edrici exlegavit *Godwynum* fratrem *Edmundi* qui *rex ruſticorum* appellatus eſt, poſtmodum reconciliatus doloſe interfectus eſt. *Canutus* conſilio *Edrici* exlegavit filios *Edmundi ferreum latus*, *Edmundum* & *Edwardum*, & tranſmiſit eos ad regem *Suavorum* feriendos, qui Dei timore tactus miſit eos ad regem *Hungariæ* vitæ reſervandos, & cito poſt *Edmundus* duxit uxorem filiam regis *Hungariæ*, & cito poſt ſine liberis diſceſſit. *Edwardus* duxit *Agatham* filiam *Henrici* Imperatoris de qua genuit ſanctam *Margaretam* reginam *Scotiæ*. *Malcolmus* genuit de dicta *Margareta Matilden* quæ poſtea fuit regina *Angliæ* per *Henricum* primum filium Conqueſtoris, ſicut infra plenius patebit, qui eam habuit uxorem & genuit ex ea *Matilden* Imperatricem, de qua venit *Henricus* filius Imperatricis, et ſanctimonialem *Criſtianam* & *Edgarum* Adeling. Poſtmodum ſanctus *Edwardus* iſtum *Edgarum* propoſuerat hæredem *Angliæ* feciſſe, ſet timens filios *Godwini* Comitis *Canciæ* & propriæ gentis nequitiam *Willielmum Normannum* adoptavit. Rex *Canutus* ut firmius regnum ſibi aſtringeret, duxit uxorem *Emmam* reginam, regis *Egelredi* quondam uxorem, de qua genuit *Hardecnutum*. Poſt hæc in natale Domini orta eſt diſcordia inter regem & perfidum *Edricum*, & ait *Edricus* regi,

« Chariſſime rex, non deberetis mihi aſpere loqui, nec aliquid mali pati inferri mihi. Nam nunquam gauderetis de regno *Angliæ* adepto ſi ego non interveniſſem: nam proprium dominum pro amore veſtro reliqui in tantum quod mortem ejus pro integro regno vobis adducendo præoccupavi, juſtum dominum meum, meum legium interficiendo, & tam leviter tantam dilectionem collatam parvipenditis?

Hæc dixit ante prandium coram audientibus. Rex inde attonitus & iracundia motus, & magno dolore tactus, ne forte ſuſpicarentur audientes ipſum ad hoc aſſenſum præbuiſſe; « Nequiſſime, inquit, hominum & perfidiſſime proditor, proprium dominum tuum legium regem occidiſti cui fidelis apparebas. Statim juſſit ligari manus & pedes & mitti in unam fundam cum machina & proici per feneſtram ab alta turri in aquam *Thameſiæ*, & mortuus eſt. Poſtea *Canutus* vixit per xx. annos, et poſt celebravit *Parliamentum* apud *Oxoniam*, ubi *Angli* ſimul & *Dani* de legibus *Edgari* obſervandis concordes ſunt effecti. *Canutus* adduxit *Daciam Anglicos* ſecum contra *Wandallicos* ſibi infeſtos, unde nocte bellum præcedente *Angli* duce *Godwyno* inſcio rege inproviſo hoſtes fugaverunt & diſperſerunt. Unde rex habuit deinceps *Anglos* in ſummo honore. *Briſthwoldus* monachus *Glaſconienſis* qui poſtmodum fuit primus epiſcopus *Wiltonienſis* dum contemplando cogitaret de regia ſtirpe *Anglorum* pene tunc deleta, ſopor irruit in eum, & vidit *Petrum* Apoſtolum manu ſua tenerum *Edwardum* filium *Egelredi* in *Normannia* eo tempore exulantem in regem conſecrare, ac ſanctitatem ejus cum numero xxiij. annorum quibus regnaturus erat plene oſtendere. Monachus de poſteritate *Edwardi* & ſucceſſione ejus regis inquiſivit. Reſpondit *Petrus*, *Regnum Angliæ regnum Dei eſt, poſt iſtum providebit Deus*. *Egelnotus Cantuarienſis* archiepiſcopus de *Roma* veniens apud *Papiam* urbem brachium ſancti *Auguſtini* Doctoris centum talentis argenti & uno talento auri comparavit, quod amore *Leofrici* Comitis *Conventriam* miſit.

CAP. IV.

RICARDUS ſecundus dux iiij. *Normanniæ* obiit, cui ſucceſſit *Ricardus* filius ſuus iij. dux v. *Normanniæ*, quem poſt annum ſui ducatus frater ſuus junior veneno extinxit, unde idem frater ſuus *Robertus* nomine eidem ſucceſſit. Poſt ſeptimum ducatus ſui annum corde compunctus nudipes *Jeroſolymam* ivit peregrinus, & *Bitiniæ* obiit. Tranſiens iſte *Robertus* aliquando per *Phaleriam* urbem *Normanniæ* vidit puellam *Arlec* nomine pelliparii filiam, inter cæteras in corea tripudiantem, nocte ſequenti illam ſibi conjunxit, quam vice uxoris aliquandiu tenens *Willielmum Conqueſtorem* ex ea generavit. Cujus futuram magnitudinem matris portendebat ſompnium. Quæ inteſtina ſua per *Angliam* & *Normanniam* viderat dilatari, ipſaque partus effuſione puſio humum attigit, ambaſque manus de pulvere pavimenti implevit, conſtrinxit & complodit.

plodit. Qua ex re obſtetrix ipſum regem fore futurum pronunciavit. Hæc itaque puella *Arlec* dum prima nocte ad lectum ducis *Roberti* duceretur, fregit camiſiam ſuam propriam à mento uſque pedes; & requiſita à duce cur hoc faceret, reſpondit, « Non eſſe decens neque facecia ut ima pars camiſiæ quæ pedes ſuos ambierat ad os domini ſui verteretur. Igitur dux *Robertus Jeruſalem* tendens convocatis proceribus ſuis apud *Fiſcannum* fecit omnes jurare fidelitatem filio ſuo *Willielmo* tunc ſeptenni, cui *Gilbertum* Comitem ſtatuit tutorem, tutelamque tutoris *Henrico* regi *Francorum* aſſignavit. Et hanc fidelitatem uſque ad obitum *Roberti* proceres ſervarunt pupillo, ſet morte ejus audita unuſquiſque ſibi proſpexit & pupillum neglexit. Tandem interfecto *Gilberto* prædicto per *Radulfum* pueri patruelem ubique cædes fiebant, homicidia & furta et inteſtinis diſcidiis patria ulcerata eſt. *Willielmus* adhuc in armis adoleſcens *Gwydonem Burgundum* ex filia *Ricardi ſecundi* ſibi conſanguinei tocius factionis auctorem cepit & extinxit; *Odonem* fratrem regis *Franciæ* contra ſe venientem fugavit. Quo audito *H.* rex *Franciæ* cum ampla multitudine occurrens profugavit turpiter; ſet intercurrentibus mediatoribus pax inter eos reformatur, regii captivi liberantur: ubi ſumme notandum eſt quod cum *Willielmus* ille cum rege *Franciæ* ſæpius conflixerit, nunquam ſubito ſicut noſtri moderni faciunt, ſed prænunciata belli die ſuperiorem ſemper manum reportaverit. Inde mortuo rege *Franciæ* terras *Normanniæ* appendices quamvis diu obſoletas, puta *Cenomanicum* comitatum, *Britanniam* minorem quam rex *Karolus* cum filia ſua *Gilla* dederat *Rolloni*, probe adquiſivit. Dux igitur *Robertus Ieroſolymam* tendens tranſivit per *Burgundiam*, ubi dum mane ultimus omnium peregrinorum portam exiret, à portario cum baculo percuſſus eſt; qui ſtatim Deo gratias agens, dixit ſuis, Nolite me vindicare quia majori malo dignus ſum; ego diligo iſtum ictum plus quam totam *Rothomagum*. Et *Romam* veniens crucem à Papa ſuſcepit. Mulam cui inſederat fecit auro ferrari & prohibuit omnibus ſuis ne quando ferraturæ caderent eas recolligerent. Inde *Conſtantinopolim* ad Imperatorem veniens & cum eo loquens cum ſcamnum non haberetur in domo, ſedit ſuper pallium proprium ſecundum morem patriæ ſuæ, & id idem fecerunt milites ſui; Surgentes autem ſicut dux præceperat dimiſerunt pallia ſua ibi, dicentes, ſe non debere ſecum auferre ſedilia ſua. Et dum *Robertus* rogaretur ab Imperatore ſumptus ab eo accipere, reſpondit ſe velle dum peregrinaretur de ſuo vivere, ſed in redeundo ſe velle Imperatoris voluntatem facere. Imperator juſſit ne quis ei ligna ad coquendum cibos ſuos venderet. At dux nuces emit, quibus coxit victualia. Imperator admirans ducis probitatem bancos in curia ſua ſtatuit deinceps loco palliorum ſuorum. Poſt hæc dux ægrotavit in itinere quod neque ire neque equitare potuit; qua de cauſa conduxit *Saracenos* qui eum de die ferrent in feretro ſuper humeros. Unde cuidam *Normanno* domum redeunti juſſit dux ut *Normannis* rumores de duce quærentibus diceret, « quod viderat dæmones ducem ferre verſus cœlum. *Saracenos* vocabat dæmones, *Jeruſalem* cœlum. Fuit conſuetudo quod nullus Chriſtianus *Jeruſalem* urbem niſi precio intraret. Unde multi peregrini de adventu ducis audientes auxilium ab eo petebant, Quibus ille per cor ventris ſui juravit, quod quam diu duraret ſibi unus denarius ipſe ultimus introiret. Quod audiens *Saracenus* dominus urbis & de aliis ejus probitatibus audiret, prohibuit ſtatim ne quicquam de eo aut de eum comitantibus caperetur, & totam oblationem illius diei ſtatim ei ſimiliter contulit, quam ille ſtatim pauperibus dedit; & cito poſt in *Britannia* obiit. *Norigani* regem ſuum ſanctum *Olavum* propter ejus ſimplicitatem reſpuentes, regem *Canutum* ſuper eos induxerunt. Qui *Olavus* poſt hoc anno nepharie interemptus eſt. *Benedictus* ix. ſedet papa annis viij. Iſte de papatu ejectus eſt & alius electus loco ejus ſubrogatus eſt, ſet & illo ejecto reſtitutus eſt *Benedictus* & adhuc ipſo ejecto inſtitutus eſt *Johannes* presbiter qui dictus eſt *Gregorius* ſextus, ſet ille *Benedictus*, papa effectus, cum eſſet rudis literarum alium papam ad exſequenda negocia eccleſiaſtica ſubſtituit; quod cum multis diſpliceret ſuperinductus eſt & tercius qui vices duorum expleret; tandem uno contra duos & duobus contra unum contendentibus *Henricus* imperator gener *Conradi* & ſucceſſor, illis tribus depoſitis *Bamburſenſem* epiſcopum qui *Clemens* ij. dictus eſt violenter inſtituit, à quo & ipſe coronatus eſt. Coegit eciam jurare *Romanos* quod deinceps ſine aſſenſu ſuo papam non eligerent.

CAP. V.

INter cætera videamus quam ob cauſam & qua ratione *Canutus* venit in *Angliam* & miſit clamium in regno *Angliæ*. Fuit quondam in *Anglia* quidam rex *Egelwoldus* nomine, & genuit ij. filios & iij. filias, & omnes moriebantur excepta filia minore nomine *Goldusbourgh* ætatis vj. annorum & dimidii quando pater ejus moriebatur. Iſte *Egelwoldus* dum moreretur commendavit tutelam filiæ ſuæ cuidam *Godrico* duci *Cornubiæ*, qui maritavit eam cuidam *Hanelec* filio *Birkelani* regis *Daciæ* apud *Lincolniam*, qui poſtea regnavit tam in *Anglia* quam in *Dacia* ſimul; in *Dacia* jure hæreditario, & *Anglia* jure hæreditatis uxoris ſuæ. Quidam *Dani* ſumpſerunt nimiam audaciam in *Anglia* & ſuppeditaverunt *Anglos* longo tempore, ſicut continetur in hiſtoria de Grymmiſby, Quia quidam *Grym* nomine nutrivit prædictum *Hanelec* apud Grymmiſby uſque ad tempus quo ille *Hanelec* deſponſavit prædictam *Goldusbourgh* apud *Lincolniam*. Et quia prædictus *Grym* quando primo adduxit puerum de *Dacia* primo applicuit illo loco, ſortitus eſt nomen à nomine ejus Grymmiſby. Iſte *Hanelec* regnavit xxxj. annis & rexit populum ſuum cum ingenti honore, & genuit xv. filios & filias; & moriebantur omnes præter quatuor in juventute ſua. Et ſenior iſtorum quatuor vocatur *Gormundus* quem propoſuit præfeciſſe hæredem ſuum *Angliæ*, & ſecundus vocatur *Canutus* de quo loquitur in præſenti quem fecit regem *Daciæ* cum eſſet xviij. annorum, de regno *Angliæ* ipſemet contentus volens reſervare regnum *Angliæ* filio ſuo *Gormundo*. Set iſte *Gormundus* aſcenſo equo indomito volens magiſtralia atemptare fregit collum ſuum. Tercius filius vocatus eſt *Godardus* quem feoffavit in Seneſcaria *Daciæ* & in *mercimoniatu Angliæ*, quæ non ſe extendebant ad tantum valorem quam nunc. Quartus vocatus eſt *Thoraldus* qui duxit uxorem comitiſſam de *Hertowe* in *Northwegia*, cujus affinitas in *Norwegia*

wegia perſeverat uſque ad præſens, & major amicitia inter regem *Norwegia* & regem *Dacia* adhuc continuatur, Et qualibet vice quando *Dani* intraverunt poſt hæc in *Angliam* pro clameo mittendo in regnum, *Norigani* cum eis affuerunt ſuum præbendo auxilium, donec *Guydo de Warwyk* finem fecit in hac parte. Cujus *Guydonis* mentio fit in hiſtoria regis *Athelſtani*, de quo non fit mentio in præſenti libello cum idem *Athelſtanus* patruelis fuerit *Edwini*, nam *Athelſtanus* pater fuit regis *Edmundi* qui fuit pater *Edwini*. A quo *Edwyno* opuſculum præſentis libelli initium ſumit. Set quia hiſtoria dicti *Gwidonis* cuntis ſeculis laudabili memoria commendanda eſt, in præſenti hiſtoria immiſcere curavi. Rex *Anglia Adthelſtanus* regnavit poſt *Edwardum* patrem ſuum & omni ſeculo glorioſus præ cuntis prædeceſſoribus ſuis *Anglia* regibus apparuit. Nam hic *Athelſtanus* ſubegit totam *Walliam* & reges ſubjecit tributo. Nam *Northwallia* reddidit ei ſingulis annis CC li. auri & CCC. li. argenti & v. mill. boum & vaccarum. Et ita expanſa eſt mirabilis ejus fama præ mirabili magnitudine mirabilium operum ejus in toto orbe terrarum. Hic habuit unam ſororem nomine *Hildam* quæ ſpecioſiſſima ab omnibus ubique reputabatur. Quam rex *Francia Hugo*, *Bonus* vocatus, deſideravit in uxorem. Et miſit *Audulphum* comitem *Bolonia* ad regem *Athelſtanum* pro ſorore ſua petenda. Et præſentavit ei ex parte regis *Francia* de glorioſis exenniis & diviciis, viz. enſem *Conſtantini* Imperatoris *Romani* filii S. *Helena* quæ invenit crucem Domini. Hic enſis fuit de nobiliſſimo auro *Arabico* in cujus capello reconditus fuit clavus unus Dom. crucis. Similiter præſentavit ei lanciam *Caroli magni*, cum qua lancia *Longinus* aperuit latus Domini in cruce, & unam regalem auream coronam lapidibus precioſis ad plenum refertam. Similiter vexillum S. *Mauricii* quod portare ſolebat. Similiter particulam unam ſanctæ crucis Domini in uno criſtallo nobiliter recluſam. Rex vero *Athelſtanus* de hiis reliquiis nimium lætatus conceſſit ei *Hildam* ſororem ſuam in uxorem. Et remiſit ei immenſam ſummam auri & argenti & copiam precioſorum pannorum & ſtrenuorum dextrariorum. Sicque propter iſtam affinitatem crevit de die in diem amor & amicitia inter *Anglos* & *Francos*. Quinto poſt hæc anno *Olavus* rex *Dacia* & cum eo *Golanus* rex *Norwegiæ* venit in *Angliam* cum viij. comitibus & cum duce *Neuſtria* & cum quingentis millibus armatorum, & adduxerunt ſecum de *Affrica* quendam gigantem *Colibrandum* nomine qui eo tempore fortiſſimus & elegantiſſimus reputabatur in orbe. Cum igitur rex *Athelſtanus* de eorum adventu audiſſet, congregavit magnates *Anglia* apud *Wyntoniam* inire cum eis conſilium quomodo inimicis poſſet reſiſtere & cum eis congredi in prælio. Dum igitur rex *Athelſtanus* vacaret tali conſilio & congregationi populi ſui in *Wyntonia*, ſupervenerunt antedicti duo reges cum exercitu ſuo, & obſederunt *Athelſtanum* cum baronia ſua in civitate. Illo tempore *Gwido Warewik* deſponſaverat *Feliciam* filiam comitis *Warwici* & peregre profectus fuerat in Terram ſanctam. Rex vero *Athelſtanus* cum populo ſuo obſeſſus eſt per biennium, nec audebant *Angli* bello congredi cum *Danis* præ multitudine poteſtatis ſuæ. Et interim firmata eſt conventio inter partes, quod rex *Athelſtanus* provideret de uno pugile qui bellum iniret cum *Colibrondo*, & hoc pro conſervatione exercitus utriuſque partis. Forma belli aſſignati talis erat. Si gigas *Athelſtani* in congreſſu victus eſſet à *Colibrondo*, perpetuis temporibus regnum *Anglia* teneretur de *Dacorum* rege ſub tributo: Et ſi *Colibrondus* vinceretur à gigante *Athelſtani*, tunc *Olavus* foriſfaceret regnum *Anglia* pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum, & nullus rex *Dacia* clamium mitteret in regnum *Anglia*, nec deinceps moleſtaret illud. Et talis treuga inter partes capta eſt de integro anno, eo quod rex *Athelſtanus* inproviſus fuerat de pugile qui duellum auderet cum *Colibrondo* inire, pro eo quod ſic diabolicæ ſtaturæ fuerat grandis & fortis & immanis menſuræ, & per totam *Angliam* quæſivit nec invenire potuit quemquam qui pro auro vel argento terris vel tenementis negocium aggredi vellet. Turbatus eſt igitur rex & omnes magnates cum eo. In quindena igitur ante treugas finitas jacuit rex *Athelſtanus* in cubili ſuo apud *Wyntoniam* ſompno deditus, quem Deus cœli de alto aſpiciens viſitavit in neceſſitate poſitum per Angelum ſuum, ita inquiens: « *Athelſtane, Athelſtane* evigila, « quid dormis? Expergefactus rex, Benedicite, inquit, « quis es tu? Ego ſum, inquit, nuncius cœleſtis regis « miſſus ad te, ex cujus parte tibi præcipio, quod « mane facto ſurgas, & duos epiſcopos tecum ſumas « portamque ſuper aſcendas, ibique uſque ad altam « primam exſpectes, multoſque pauperes ac pere« grinos alios in civitate intrare videbis. Set cum « videris unum virum ſtatura grandem in habitu « peregrini indutum nudum pedibus incedentem, ca« pite diſcoperto, & ſuper caput ejus unum ſertum « de albis roſis, ipſum retineas inprecans eum ut « pro amore *Jeſu Chriſti* & zelo peregrinationis « ſuæ & totius regni *Anglia* promotione belli cer« tamen ſuſcipiat, nam ipſe vincet *Colobrandum Sa*« *racenum*, & te & regnum tuum de ſervitute gau« diſlue liberabit. Tunc *Athelſtanus* valde diluculo ſurgens, miſſarum devotioni cum ſumma devotione ſe contulit, accerſitiſque *Cantuarienſi* archiepiſcopo & *Ciceſtria* epiſcopo narravit eis viſionem ſuam quam ab Angelo audierat, cum quibus & portam aſſignatam petit & aſcendit, ibique uſque ad altam primam pauſantes multas gentes pauperes & divites intrare viderunt. Set poſt diuturnam moram venire videbant virum elegantem curſantem, de una ſclauma alba veſtitum & unum ſertum de albis roſis in capite tectum fuſtemque grandem in manu ferentem, ſet multum erat debilitatus & diſcoloratus anxietateque minoratus eo quod nudipes laboravit, barbamque prolixam habuit. Quem cum rex intueretur & per exemplar viſionis cognoſceret à Deo ſibi miſſum, ultra quam dici poteſt lætatus eſt. Et comilitonibus ait, Eya inquit, jam adeſt certe peregrinus, iſte eſt qui nefandum *Colibrondum* occiſurus eſt. Ad quem ſermonem palmarius accedens & regem ac epiſcopos reverenter ſerto depoſito ſalutans feſtinato pede ingredi civitatem velocius laborat, ſed rex ante eum ſalutat & per veſtem retinet, cui & dixit. Domine peregrine ſi placeat vobis audiatis dicta noſtra pro Deo hoſpiciumque capiatis nobiſcum ut aliqua nova audiamus de vobis. Domine regracior vobis, dixit palmarius, nondum venit hora hoſpitandi, ſet prius ibo ad eccleſias civitatis pro precibus meis offerendis, deinde vitæ alimoniam aliquamcunque quæram, & tunc de iſta civitate ibo quo iturus ſum ad agendam pœnitenciam pro delictis meis. Domine peregrine dixit *Athelſtanus*, Scis de qua cauſa te hic tam diu expectavimus? voluntas Dei noſtri eſt ut ferias bellum cum *Colibrando* nephando *Saraceno Affrico* in ſalvationem totius gentis noſtræ *Anglicanæ* & liberationem à jugo ſervitutis impoſito. Nam rex *Daciæ Olavus* et rex *Norwegiæ Golanus* obſederunt civitatem iſtam jam fere per annum. Sed & treugæ inter nos jam captæ ſunt ea conditione, quod nos inveniamus unum gigantem qui certamen ſubeat cum pugile ſuo *Colibrando Affrico*, & ſi contingat quod noſter gigas gigantem ſuum ſuperare poterit, cito dimittent terram noſtram ad propria repedantes nec malum inferent noſtris, & regnum *Angliæ* quietum erit imperpetuum deinceps ab omni clamio *Danorum* & jugo ſervitutis penitus ſolutum de ſe & hæredibus ſuis. Et iccirco rogamus vos pro amore *Jeſu Chriſti* ſalvatoris veſtri quatinus negotium hujus luctaminis in remedium omnium delictorum veſtrorum ſuſcipere eccleſiæ Dei & Chriſtianæ religionis cauſa contra nephandum paganum *Affricum* cum corde firmiori dignemini. Reſpondit palmarius, Domine rex intueri poteſtis me non fore diſpoſitum tale certamen ſubire cum ſim homo laſſus, debilis, macilentus & diuturno labore tabefactus. Sed domine mi rex ubi modo ſunt milites veſtri olim tam ſtrenui quos caros in hujuſmodi certamine habere ſolebatis? Ah certe, dixit Rex. Quidam eorum mortui ſunt, quidam terram ſanctam adierunt necdum redierunt. Sed unum militem habui qui fuit comes *Warwychiæ*, *Gydo* nomine, & iſte *Gydo* habuit unum militem *Herandum* nomine, de *Ardena*, vellet Deus quod jam in præſenti illos haberem, nam cito duellum ſuſciperetur, & infra brevi guerra finita. Et cum rex cœpiſſet loqui de *Gydone* & ejus ſocio *Herando* erumpebant lachrimæ, nec ſe poterat à fletu continere. Cum vidiſſet palmarius regem ſic lachrimantem multum doluit ſuper eo & compaſſus eſt ei, & dixit, Domine rex ne ploretis pro Deo quia talis fletus regem non decet, ego pro amore *Jeſu Chriſti* & matris ejus *Mariæ* atque honore ſacræ eccleſiæ Dei & pro anima *Gydonis* & *Herandi* ſocii ſui ſuſcipiam negocium certaminis, Deum præ oculis præponens. Tunc duxerunt eum in civitatem ad eccleſiam & pulſari fecerunt & voce jocunda *Te Deum laudamus* reſonare cœperunt. Deinde cibo & potu ipſum recreari fecerunt, balneiſque refocillabant, veſtibus mollioribus induebant, eumque per tres ſeptimanas in ſumma recreatione fovebant. Et cum dies ſtatutus ad luctamen advenerat, ipſe palmarius valde mane ſurrexit & tres miſſas audivit, primam de ſancto Spiritu, ſecundam de Trinitate, & terciam de Cruce, Deinde fecit ſe armari de melioribus armaturis regis, & cinxit ſe gladio *Conſtantini*, lanceamque ſancti *Mauricii* in manu tulit ſcandens meliorem dextrarium regis. Cumque ſic armatus fuiſſet ſonipedemque aſcendiſſet, dixerunt ſe nunquam tam decentem militem pulcrum & ſtrenuum apparentem ſtaturaque procerum. Igitur palmarius ſic armatus tetendit iter per medium civitatis verſus locum certaminis in una valle aſſignatum vocabulo *Chiltecumba*, & ibi expectabat *Colubrandum*. *Colubrandus* fuit ſic ponderoſe armatus quod vix ſonipes ejus ipſum ſufferre poſſet armatum. Et fecit antecedere ſe ad locum pugnæ unam carectam onuſtam de ſecuribus *Danicis* & magnis malleis de calibe quadratis, & magnos gibbos de ferro cum lanceis & croculis de ferro ad trahendum ſibi adverſarium ſuum. Cum igitur diabolicus iſte vidiſſet palmarium properantem ad ſe, altiſona voce clamavit ſibi & præcepit illi equum deſcendere & procumbens ſe ei ſubmittere ejuſque homo devenire. Et palmarius intra ſe inquit ipſum videns, Certe iſte non eſt homo, immo pocius ſpiritus diaboli in effigie hominis latens. Et muniens faciem totumque corpus ſignaculo ſanctæ crucis Deoque ſe comendans urget ſonipedem calcaribus in occurſum *Colubrandi*. *Colubrandus* diffidebat eum, *Gydo* vero percuſſit *Colubrandum* de una magna lancea per medium ſcuti cum tanto curſu quod lanceam in fruſta compulit; ſed *Colubrandus* immobilis perſtat nec quoquo modo ceſpitat ſed eo inſtinctu recurrens tanta valitudine equum *Gydonis* feriendo impeciit quod collum in terram abſcidit. *Gydo* vero occiſo ſonipede ad terram ſe ſenciens, ut miles ſtrenuus, elegans & nobilis ſurſum ſalit, brachium elevat, gladii ictum dirigit volens eum ſuper galeam ferire, ſed tam magnus erat ille diabolicus quod brachium ejus ad caput ejus extendere non valuit, & ſuper ſcapulam percuſſio quievit. *Colubrandus* porrexit *Gydoni* alapam cum uno gibbo de calibe quadrato, ſed *Gydo* videns tantum periculum ſibi imminere oppoſuit ſcutum impulſui, & ſaltans ſe tranſtulit à latere tanquam fulgur in tonitrio, & *Colubrandus* tanta fortitudine cancellum ſcuti impeciit quod gibbus de manu labens in terram proſiluit. *Gydo* de ſonitu lapſus multum extitit attonitus. Sed cum *Colubrandus* manum extenderet gibbum repetere, *Gydo* eum præveniens & gladio feriens manum à brachio eliſam in terram prolabi divina clementia propulſavit. Quod *Dani* videntes multum ex hoc contabuerunt & Deos ſuos in *Colubrandi* adjutorium cum ejulatu magno invocare cœperunt. *Adthelſtanus* vero rex cum cæteris *Anglicis Chriſtum Jeſum* glorificaverunt, omneſque campanas civitatis compulſari in Dei laudem quam cicius coegerunt. Tunc *Gydo* & *Colubrandus* talibus ictibus colluctabantur quod omnem vallem inde redundare compulerunt, & uſque denſitatem obſcuræ noctis duelli exercitium continuaverunt. *Colubrandus* tanti ſanguinis minutione contabuit de evulſione manus ſuæ quod vultus cœpit decreſcere cum viribus. Tandem vero *Gydo* tanto vibramine gladii cum omni conatu ipſum impeciit, quod caput cum galea à collo evulſum in terram projecit. Cujus victoriæ tripudio tota terra *Angliæ* quietis & libertatis de *Danico* rege gaudebat illæſo privilegio, donec rex *Daciæ Canutus* conquiſivit regnum *Angliæ* de *Edmundo ferreo latere*, ſicut infra patebit ſuo loco. Rex *Athelſtanus* poſt prædictam victoriam regnum *Angliæ* per ſeptem annos gubernavit laude plenus. & in abbatia de *Malmyſbyra* regaliter jacet humatus.

Rex vero *Haneloc* jacet *Londoniæ* apud ſanctum *Paulum* & dotavit filios ſuos ſicut dictum eſt, poſt cujus mortem venit *Canutus* filius ejus de *Dacia* ut antedictum eſt & regnavit cum honore, & habuit ſanctum *Edmundum* regem & martirem in ſummo honore. Nam dotavit eccleſiam ſancti *Edmundi* terris & poſſeſſionibus atque libertatibus quamplurimis quibus adhuc gaudent, Nam quum ſanctus *Edmundus* receſſit de Priore de Criſteſkyrke quæ eſt *Londoniæ* ubi jacuit tumulatus per xxv. annos poſt paſſionem ſuam in boſco Hegne quæ eſt in Suffolk, & venit ad locum ubi jacet nunc qui ante adventum vocatus eſt **Betricheſorde**; poſtea per centum annos & dimidium & amplius laici & ſeculares miniſtrabant coram corpore ſancti *Edmundi* uſque ad tempus quo ſanctus *Benedictus* fuit abbas de **Holm** in **Northfolc** ipſo tempore miſit medietatem conventus ſui ad illum locum ſervire Deo digne & religioſe circa corpus prædictum, quia vidit grandia miracula in loco de **Betricheſorde** ubi ſanctus *Edmundus* jacuerat. Et tali modo fuit illa abbatia fundata majus ac majus de die in diem dotata uſque ad tempus iſtius *Canuti* qui eis dedit regalitatem & libertatem cum terris & tenementis, quæ adhuc habent in honorem ſancti *Edmundi*.

Rex *Canutus* parum ante mortem ſuam conſtituit ſuper *Noreganos* regem, *Swanum* quendam, qui ipſius *Canuti* & *Elgiva Hamptunenſis* filius putabatur, aſſerebant quidem nonnulli ipſam *Elgivam* cum prolem de rege concipere non poſſet præfatum *Suanum* de quadam presbiteriſſa recenti natum ſibi decubanti ſuppoſuiſſe, & regem *Canutum* ad id credendum ſub dolo induxiſſe. Super *Danos* quoque conſtituit regem, ſuum *Hardecnutum Emma* filium. *Canutus* quadam elatione ſuperpreſus quadam vice ſedile ſuum in litore *Thameſia* æſtuantis & fluentis poſuit, imperans mari quod crura ſua non aſcenderet aut veſtes domini ſui humectaret; Mare vero more ſuæ naturæ aſcendit, & regis crura humectavit: & tunc præcepit mari ut cito rediret; ſed mare curſum ſuum tenuit. Tunc rex ait, Sciant mortales vanam eſſe regum potentiam, nec regis nomine quempiam dignum præter ipſum cujus legibus omnia ſubſiſtunt, Ego miſer ſum & captivus nihil potens, nihil habens abſque ejus dono, ipſi me cōmendo & ſit ille cuſtos meæ debilitatis, Amen. Ab eo tempore coronam in capite non geſtavit, ſet ſuper caput crucifixi *Wyntonia* poſuit. Deinde *Romam* peciit, carnemque ſuam cum magna pœnitentia maceravit, & in eundo & redeundo multa bona fecit, magnamque partem Dominicæ crucis ſecum detulit. *Canutus* genuit ij. filios, ſcilicet *Hardecnutum* & *Haraldum Harefot* de *Emma* regina, & regnavit pene xx. annis & laudabili fine mortuus apud *Septoniam*, ſet in veteri monaſterio apud *Wyntoniam* ſepultus eſt.

CAP. VI.

CANUTO mortuo facta eſt apud *Oxoniam* magna altercatio de regni ſucceſſione. *Leofricus* conſul *Ceſtrenſis* & cæteri de borialibus partibus *Thamiſia* una cum *Londonienſibus* *Haraldum Harfot* ut putabatur *Canuti* & *Elgiva Hamptunenſis* filium erexerunt. Nonnulli putabant iſtum *Haraldum* fuiſſe cujuſdam ſutoris filium ſet doloſe per *Elgivam* prædictam ſuppoſitum ſicut alium *Suanum* ſuppoſuerat ſibi.

Haraldus igitur in regem erectus *Emmam* de *Anglia* expulit, gazaſque regias ab ea exemit, ſet comes *Flandria* eam cum reverentia ſuſcepit & fovit. Iſte *Haraldus* habuit corpus ad modum leporis & ideo dicebatur *Harfot*. Iſte *Haraldus* iv. anno regni ſui mortuus *Londonia* apud *Weſtmonaſterium* ſepultus. Quo mortuo miſerunt proceres pro *Hardecanuto* tunc cum matre ſua *Emma* in *Flandria* degente.

Hardecanutus veniens *Angliam* fere tribus annis regnavit, nil tamen gloria dignum egit. Iſte *Alfricum Eboracenſem* epiſcopum cum *Godwyno Londoniam* miſit, corpus *Haraldi* regis nuper ſepulti in ultionem injuriæ matris ſuæ exhumari fecit & capite abſciſo in *Thamiſiam* proici. Set piſcatores comperientes tradiderunt ſepulturæ. Iſte dedit ſecundo anno regni ſui *Danis* xxviij. mill. li. argenti ad ſumptus hoſpicii regis. Sed tandem data eſt magna ſumma animalium bene craſſorum. Iſte fuit tantæ largitatis eo quod quater in die fecit præparari cibaria familiæ ſuæ. Iſte *Hardecanutus* mortuus eſt tercio anno regni ſui in una bovaria & ſepultus apud *Weſtmonaſterium*. Iſte ſuſtinuit *Danos* in *Anglia* in tantum dominari donec hoſpicium quodlibet per regnum habuit unum *Danum* cuſtodem, & magiſtrum domus ſuper omnes alios hoſpicii; Et ſic defloraverunt uxores noſtràs & filias & ancillas, & multa alia opprobria & contumelias ingeſſerunt noſtris in vituperium & dedecus *Anglorum*; donec *Anglici* neceſſitate coacti acceperunt audaciam, reſumpſerunt vires, & collegerunt magnum exercitum qui **Howneher** appellabatur à quodam *Howne* qui j^{o}. ad hoc conſilium dederat & ductor eorum exſtiterat; & ſic *Danos* occiderunt & in magnum ruborem de partibus *Anglia* totaliter fugaverunt. Hujus *Hardecanuti* tempore *Elfredus* & *Edwardus* filii quondam regis *Egelredi* & *Emma* poſt longā morā in *Normannia* venerunt in *Angliam*, quamplurimis ſtipati militibus, ad viſitandum *Emmam* matrem ſuam apud *Wyntoniam*. Interim *Godwynus* præcogitans maritare filiam ſuam *Edwardo* tanquam ſimpliciori & minori, nam *Elfridum* primogenitum tales nuptias parvipendere autumavit, congregatiſque proceribus regni dixit, Non eſt tutum quemquam optentu cognationis tantam copiam externæ & ſubdolæ gentis in *Angliam* adducere, & ideo eos qui advenerant pœnas exſolvere oportere; ſicque apud **Gildeforde** ſexcentos viros interfecit de *Normannis*. Nam de adductis novem ſemper decapitatis decimus remanſit, & cum nimium adhuc ſupereſſe videretur, decimam illam partem adhuc decimari præcepit. De quibus primordia fecit viſcerum ad palas erectas figi, & tunc corpora eorum circumduci donec noviſſima inteſtinorum extraherentur. *Alfredus* apud **Hely** miſſus eſt, & ibi excæcatus paucis ſupervixit diebus. *Emma* hæc audiens celeriter filium ſuum *Edwardum Normanniam* remiſit. *Godwynus* à proceribus & à rege *Hardecanuto* poſtmodum de hiis inculpatus juravit quod nuſquam talia fecit niſi vi regia coactus.

Henricus ſecundus imperator omnes joculatores & mimos à terra ſua amovit, & quod eis dari ſolebat pauperibus erogavit. Hic ſororem habens ſanctimonialem tantum eam dilexit quod à latere ſuo vix unquam abeſſe permitteret; unde cum quadam nocte clericus quidam de curia ſua cum illa uſque mane dormitaſſet, & nix terram cooperuiſſet, librato conſilio clericus fecit eam ſe portare in dorſo ſuo extra curiam. Quod rex dum minctum ſurgeret è feneſtra conſpexiſſet, ſubticuit donec vacante uno epiſcopatu clerico ſic diceret, « Accipe epiſcopatum « & vide ne ultra equites ſupra dorſum mulieris; Et iterum vacante abbathia Sanctonialium dixit rex ſorori ſuæ, » Accipe abbathiam & vide ne unquam « portes clericum equitantem. Idem imperator *Henricus* habuit in capella ſua unum clericum quendam literarum peritia, vocis elegancia præſtantem, ſet lubrico carnis deditum, quem dum imperator die quadam ſolenni juſſiſſet evangelium legere, renuit ille, eo quod nocte præcedente cum concubina ſe fœdaſſet : tunc rex ait, Lege aut terram meam deſere. Mox ille congeſtis ſarcinulis ſuis parabat proficiſci ; injunxerat autem imperator miniſtris ut latenter conſequentes ſi ipſe abiret ipſum reducerent. Quod dum fieret, ait ad eum rex, Congratulor probitati tuæ quod pluripenderas Dei timorem quam patriam tuam, reſpectum cœleſtis iræ quam meas minas. Igitur renuncia inſano amori quo laboras & epiſcopum te faciam. Hujus *Henrici* tempore tantum ſciſma erat in eccleſia quod tres eligerentur in papas, nam quidam *Gratianus* data magna ſumma pecuniæ papatum optinuit, ſet iſti *Henrico Romam* venienti pro ſciſmate ſedando coronam auream ei optulit. De ſimonia tamen eum convicit & depoſuit.

Cap. VII.

VEnerabilis *Gregorius* vj. prius dictus *Gracianus* ſedit poſtea annis 2. Vir iſte magnæ religionis & ſeveritatis homo erat ; qui ſtatum *Romani* papatus adeo collapſum invenit, ut præter pauca opida urbi vicina & oblationes fidelium vix quicquam pro ſe & Cardinalibus ad victum haberet, reliqua à prædonibus aut ablata aut poſſeſſa erant, adeo ut ipſæ oblationes ſub nudatis gladiis ab ipſis altaribus direptæ fuerant, aut in ſtratis publicis deprædatæ ; Quamobrem ceſſatum eſt ab omni provincia *Romanum* iter aggredi propter prædones in via, propterque ſicarios in ipſa *Petri* eccleſia. Hæc videns *Gregorius* papa primo leniter amoris verbis cœpit cum illis agere, ſet tamen nil proficere : cauterio excommunicationis illos ab eccleſiæ corpore ſecuit qui talia agerent vel qui cum talia agentibus communicarent ; cum autem papa per hujuſmodi non ſolum non proficeret ſet eciam mortis diſcrimen in ſe majus concitaret, ſcripſit imperatori ut eccleſiam labentem juvaret. Ille vero per *Wandalicum* bellum ſe excuſans, rogat papam ut vice ſua & ſumptu manum apponat ; qua de cauſa ferro abſciſſionis utendum papa judicans arma & equites undecunque conquiſivit, qui primo baſilicam *Petri* præocupantes oblationum raptores aut effugarunt aut extinxerunt ; inde papa prædia diu amiſſa recuperavit. Omnes interea qui rapto vivere aſſueti fuerant papam vocabant ſanguinarium altaris officio indignum, adeo ut multi Cardinalium in hanc ſententiam flexi decreverunt ipſum papam in eccleſia non humandum. Quod ipſe ſub extrema valitudine perpendens, cœtum Cardinalium concionatus eſt in hunc modum. « Multum admiror fratres « quod vos ſic præcipitanter præſulem veſtrum dijudicatis « qui ſic vixi ut patrimonium meum in « commoda veſtra transfunderim, qui famam mundi « pro veſtra liberatione neglexerim, quare ſi alii « talia ſiniſtra contra me procuderent, vos opiniones « ſtultorum meliori interpretatione lenire debe« retis. Prædones victum veſtrum ſuſtulerunt, quod « ego ferre non valens bellum prædonibus indixi. « Cum igitur omnis actus humanus ſecundum intentionem « agentis debeat librari, ſecundum illud, « *Si oculus fuerit ſimplex*, id eſt, intentio recta, *totum « corpus tuum lucidum erit*, id eſt, congeries « actionum. Feci aliquando elemoſinam pauperi, « ille beneficium meum prædoni oſtendit, unde ipſe « & ſpoliatus eſt & occiſus ; num ego ex hoc culpandus « ſum quia peregrino dedi unde ipſe mortem « incurrit ? abſit, quia profecto aviditas prædonum « ad hoc impulit, non mea liberalitas. Sic & « apud leges unum idemque factum diverſo reſpectu « punitur & laudatur. Nam punitur latro occidens « in occulto, laudatur miles ſternens hoſtem « in bello ; quia primus pro aviditate, ſecundus « pro ſalute patriæ occidit. Item, laudatus « eſt aliquando papa *Adrianus* primus quod conceſſerat « *Karolo* inveſtituras prælatorum : laudantur « modo noſtri præſules quod contrarium faciunt « auferentes à principibus talem poteſtatem. Tunc « rationabiliter propter aliquas cauſas ſubſiſtentes « conceſſum eſt quod modo rationabiliter negatum « eſt, quia tunc animus *Karoli* aviditate non erat « infectus, & ſedes apoſtolica ab ipſis electis remota « erat, & juxta erat princeps qui nil per avaritiam « diſponeret, ſet modo ambitus principum omnia « fœdat. Iſto modo poteſt cauſa mea in utramque « partem flecti, infirmari vel alleviari. Set dicitis, « Non eſt epiſcopi officium ut ſanguinem fundat « aut fundi faciat. Concedo. Spectat tamen ad eum « ut ſi videat innocentiam naufragari & lingua & « manu occurrat. Nam *Ezechiel* accuſat ſacerdotes « quod non ſteterint ex adverſo, nec ſe fecerint « murum pro domo Domini. Duæ ſunt perſonæ « in eccleſia Dei ad reſecandum vicia conſtitutæ, « una quæ acuit eloquium, alia quæ portat gladium. « Ego teſte Deo & vobis armavi linguam « contra hoſtes eccleſiæ quamdiu proficere potui, « illum autem cujus intereſt gladio rem agere per « nuncios & epiſtolas certioravi. Iſte reſcripſit ſe « fore occupatum bello *Wandalico*, rogans ut meis « laboribus & ſuis ſumptibus latrones deturbarem. « Quid igitur tunc facerem cum ipſe in me refunderet « partes ſuas videns cædem civium, dampnum « peregrinorum, inediam Papæ & Cardinalium ? at « qui parcit latroni cauſam dat ut innocens occidatur. « Set forte obicitur, Non eſt ſacerdotis ut ſanguinem « fundat. Volo. Set ſi ille inquinat qui fontem « premens inſontem liberat ; Et beati qui cuſtodiunt « judicium & faciunt juſticiam ; Laudantur « *Finees* & *Matatias* qui delinquentes confoderunt, « ſed multo minus debemus nos vera ſacra « noſtra tolerare profanari, quam illi ſua umbratica « miſteria. Et *Zacarias* pontifex expulit de « templo regem *Oziam* thurificantem, proculdubio » eum occidiſſet niſi ceſſiſſet. Denique ego contuli « beneficium hiis quibus videor intuliſſe exitium. « Nam ſceleratus quanto diutius vivit plus ſibi de « culpa & pœna adquirit, propterea qui tali breviat « vitam minuit ei & culpam & pœnam, & ſic « ei tribuit beneficientiam. Set ut in hiis nec fallar « nec vos fallamini, ponite corpus meum cum « obiero ante fores eccleſiæ firmiſſime obſtructas, « & ſi divinitus portæ non fuerint patefactæ, de « corpore meo facite quod vultis. Cumque ſicut juſſerat factum fuiſſet, turbo repente adveniens portas cum ſeris diſrupit & funus uſque ad interiorem partem eccleſiæ impulit. Quo viſo miraculo, Cardinales cum populo ipſum in eccleſia *Petri* humaverunt.

Rex *Hardecanutus* dum in convivio nuptiarum apud Lambhetz juxta *Londoniam* lætus & ſoſpes ſtando biberet, repente corruit, & ſic obmuteſcens vj. idus vj. idus Junii exſpiravit, ſepultus apud *Wyntoniam* cum patre ſuo; qui tantæ liberalitatis fuit ut præmittitur, ut quater in die fercula regalia parari faceret, malens ab invitatis & aliis appoſita prandia dimitti quam apponenda repoſci.

Cap. VIII.

An. Dñi 1042.

STatim mittitur apud *Normanniam* pro *Edwardo* in regem coronando datis obſidibus, ita tamen ut paucos *Normannos* ſecum adducat. *Leofricus* Comes *Ceſtriæ*, *Godwynus* Comes *Weſtſaxonum*, & *Livingius* epiſcopus *Wygornienſis* juvabant *Edwardum*. Igitur *Edwardus* filius *Egelredi* coronatur in regem apud *Weſtmonaſterium* ab *Edſio* archiepiſcopo *Cantuarienſi* anno graciæ M. xlij. & regnavit pene 24. annis. Hic itaque *Goditham* filiam *Godwyni* & ſororem *Haraldi* duxit uxorem, quam tali cautela devotionis tractabat, ut nec à thoro amoveret, nec tamen virili more cognoſceret. Et hoc de eis celeberrimum habetur, quod abſque contagione ambo virgines permanſerunt. *Emmam* matrem ſuam nec ſumma reverentia colebat, nec eam publice confundebat. Et de conſilio *Godwyni* quæcunque precioſa ab ea abſtulit. De *Neuſtria* quemdam *Robertum Gemeticenſem* monachum vocavit, quem primo *Londonienſem* epiſcopum, deinde *Cantuarienſem* fecit. Et ejus conſiliis rex ipſe ſimplex in tantum adquievit, ut nacta oportunitate ipſum *Godwynum* cum filiis ſuis exlegaret. Matrem quoque propriam ſuſpectam cum *Wyntonienſi* præſule habens ob magnam inter eos familiaritatem, bonis omnibus privavit, & in monaſterium de **Warewell** detrudit, & *Alwynum Wyntonienſem* epiſcopum incarceravit. Et mater *Emma* laxius cuſtodita ſcripſit epiſcopis *Angliæ* in quibus confidebat, ſe plus de præſulis dedecore quam de ſua verecundia cruciari, & paratam ſe dixit probari Dei judicio ferrique candentis examine epiſcopum fore injuſte diffamatum. Convenientes epiſcopi tandem regem ad rogatum inflexiſſent niſi *Robertus Cantuarienſis* obſtetiſſet. « Quomodo, inquit, fratres « epiſcopi feram illam, non feminam audetis defen« dere, quæ filium ſuum regem diffamavit, quæ ama« ſium ſuum lubricum, Chriſtum Domini nominavit? Set eſto quod femina vult purgare pontificem, ſet quis purgabit eam quæ dicitur conſenſiſſe in necem filii ſui *Alnredi* & procuraſſe venenum *Edwardo?* Set eſto quod auctoritatem habeat ſupra ſexus conditionem, ſi tantum pro ſe ipſa quatuor paſſus & pro epiſcopo quinque paſſus continuos ſuper 9. ignitos vomeres nudis pedibus & plenis veſtigiis illa tranſierit, ab impetitione iſta evadat abſoluta. Præfigitur illico dies examinis quo rex & cæteri proceres excepto ſolo *Roberto* convenerunt. Set nocte præcedente diem examinis mulier ad ſepulchrum ſancti *Swithini Wyntonienſis* perorans confortata eſt, unde in die ſequenti velatis oculis ignitos vomeres nil læſa pertranſiit. Tunc rex ingemiſcens & veniam petens diſciplinam ab utroque præſule & eciam à matre ſua recepit, & ablata matri reſtituit. Tunc regina *Emma* dedit ſancto *Swithino* novem maneria, & epiſcopus alia novem maneria propter illos novem vomeres quos *Emma* pertranſiit. *Robertus* vero *Cantuarienſis* fugit in *Normanniam*.

Elſwordus præſul *Londonienſis* & quondam abbas de **Eviſham** dum tanto regimini præ nimia corporis invalitudine minus ſufficeret, *Eviſhamiæ* præſidere voluit, ſet fratribus ſuis loci id recuſantibus, ablatis libris & rebus quos vel ipſe vel prædeceſſores ſui *Eviſhamiæ* contulerunt monaſterio, *Rameſiæ* contulit ſe, ibique cito poſt moriens ſepelitur.

Rex *Edwardus* congregat claſſem prævalidam apud *Sandicum* portum contra regem *Noriganorum Haraldum Harfag*, *Angliam* impugnare diſponentem, ſet bellum per *Suanum* regem *Dacorum* illi illatum totum impedivit. Alio tempore tradunt ipſum regem *Edwardum* inter miſſarum ſolempnia contra morem riſiſſe: mirantibus qui aderant & cauſam inquirentibus, ait rex, Convenit inter *Danos* & *Noriganos Angliam* invadere, ſet cunctis ad navigandum paratis optulit quiſpiam ipſis navigaturis calicem medonis ad potandum, imprecans illis probroſum nomen ſi non biberent. Ac dum calix calici ſucceſſit ebrietas verſa eſt in loquacitatem, loquacitas in litem, lis in pugnam, ſicque diſperſi abinvicem diſilierunt; & ſpero quod in diebus meis alienigenæ non vexabunt terram meam. *Haraldus* rex *Noriganorum* frater ſancti *Olavi* ex parte matris, fugato rege *Danorum Suano Daciam* ſibi ſubjugavit. Rex autem *Suanus* ſic expulſus peciit auxilium à rege *Anglorum*. Aſſentiit Comes *Godwynus*, ſet cæteri proceres diſſuaſerunt; unde rege *Haraldo* obeunte *Suanus Daciam* recuperavit. Nix magna cecidit in occiduis partibus *Angliæ* ita ut ligna ſilvarum frangeret, & duravit à kalendis Januarii uſque ad diem ſancti *Patricii*. Inde ſubſecuta eſt mortalitas hominum, lues animalium, & fulgur ſegetes uſtilavit. *Henricus* rex *Franciæ* venit in *Normanniam* in auxilium *Willielmi*, & habuit bellum cum proceribus *Normanniæ* pro eo quod nollent habere *Willielmum* in ducem; qui cum devicti fuiſſent, dux *Willielmus* quoſdam exlegavit, quoſdam ſuſpendit.

Cap. IX.

CIrca hæc tempora *Herlewinus* miles quidam in *Normannia* relicta militia temporali apud *Beccum* in *Normannia* conſtruxit monaſterium quod adhuc *Bechewyni* vocatur. Non veritus ipſe abbas & rector lapides & cementum ad fabricam apportare, panes coquere, aut cæteras mundicias facere. Cui Dominus in auxilium & conſilium duas mundi lucernas eximiæ literaturæ viros *Lanfrancum* & *Anſelmum* deſtinavit, quorum unus poſt alium in dicto loco Prior, & poſtmodum *Cantuarienſis* archiepiſcopus eſt effectus. *Leo* papa & *Suanus* rex *Danorum* perrexerunt cum imperatore *Henrico* contra *Baldewynum Flandrenſem* Comitem. Et rex *Angliæ E.* mare obſervabat cum claſſe ſua donec imperator optinuiſſet beneplacitum ſuum. Iſte quoque papa *Leo* 9. cum conſcientiam haberet cauteriatam quod aliqualiter fuiſſet per imperatorem intruſus, ceſſit papatui, ſet denuo canonice eſt electus.

Hibernienſes Sabrinum mare ingreſſi, cum auxilio *Griffini Wallenſium* regis multas circa *Vagan* flumen prædas agebant. Interea *Suanus* filius *Godwyni* primogenitus qui nuper *Egivam* **Leof** monaſterii abbatiſſam corruperat & duxiſſe propoſuerat,

&

& ob hoc *Angliam* reliquerat, rediit, & forſan cum rege pacificari poſſet, ſet in ſuo adventu *Beornum* Comitem & conſobrinum ſuum qui eum pacificaſſe intenderat, occidit. Inde *Flandriam* profugit donec per *Aldredum Eboracenſem*, & *Wygornenſem* epiſcopum reconciliaretur. Rex *E.* abſolvit *Anglos* à gravi tributo quod pater ejus *Egelredus Danicis* ſoldariis ſolvi fecerat, & jam per 40. annos duraverat. Mortuo *Edſio Dorobernenſi* archiepiſcopo, rex *E.* dedit archiepiſcopatum familiari ſuo *Roberto*, quem dudum fecerat *Londonienſem* epiſcopum. Poſt hæc menſe Septembri *Bononienſis* Comes *Euſtachius Dovoriæ* applicuit, qui ſororem regis *E. Godam* duxerat; cujus milites dum impudenter hoſpicia quærerent unum de civibus peremerunt, cives autem unum de ejus militibus occiderunt. Facto tandem gravi conflictu cives 20. de comitatu Comitis occiderunt, aliis innumeris vulneratis. Ipſe Comes cum alio ſocio vix evadens, regem apud *Gloverniam* adiit, quem contra *Anglos* graviter incitavit; inde *Godwynus* Comes *Cantiæ* ad curiam citatus miſſus eſt ut exercitu ſuo Comitis vindicet injuriam. Ille autem videns alienigenas apud regem prævalere, ac ſuos cives volens tutari reſpondit, Juſtum fore cuſtodes caſtelli *Dovorienſis* conveniri, qui ſi ſe poſſent excuſare illæſi abirent: ſin alias, in rebus & corporibus ſuis Regi & Comiti ſatisfacerent. Quia igitur regi videbatur ſuum juſſum parvipenſum, convocantur regni proceres apud *Gloveniam*, potiſſime *Leofricus* Comes *Merciorum* & *Siwardus Northumbriæ*, ut obſiſterent *Godwyno* qui de comitatibus ſuis *Cantiæ, Southreæ, Weſtſaxoniæ*, & *Suano* primogenito ſuo qui de comitatibus ſuis *Bareccenſi, Oxonienſi, Glovernenſi*, & *Haraldo* qui de comitatibus *Eſtſaxſoniæ, Eſtangliæ, Huntyndoniæ*, copioſum exercitum collegerunt apud **Bonerſtaner**. Inculpatus eſt *Godwynus* quod tantum exercitum adunaſſet. Reſpondit, quod ad compeſcendum *Walenſes* ſic feciſſet; ſet *Walenſes* offenſam in illum retorſerunt. Igitur quantulacunque concordia procurata concilium ſuper hac re *Londoniæ* eſt aſſignatum, ita quidem quod *Godwynus* cum *Haraldo* & xij. tantum hominibus ad curiam inermes venirent, & quod ſervicia militaria illis per *Angliam* debita regi contraderent: Econtra illi allegarunt, non poſſe ſine vadibus & obſidibus ad conventiculum factioſorum hominum pergere, nec ſine periculo & opprobrio cum tam paucis & inermibus procedere. Interea militibus *Godwyni* ob metum regii exercitus paulatim ſe ſubtrahentibus, proclamatum eſt publice per regios præcones, ut aut *Godwynus* in forma præſcripta ſe curiæ regiæ præſentaret, aut *Anglia* cederet infra quinque dies; unde *Godwynus* cum tribus filiis ſuis, *Suano, Toſti, Grouth*, per inſulam *Thorneiam* navigavit *Flandriam* ad Comitem *Baldewynum*, cujus filiam *Juditham Suanus* deſponſaverat. *Haraldus* & *Leofwynus* per *Briſtoliam* ſunt advecti uſque *Hiberniam*, cujus comitatum *Algarus* filius *Leofrici* recipiens rexit nobiliter, Reverſo poſtmodum *Haraldo* reſtituit hillariter, & poſtmodum *Haraldo* tranſlato ad comitatus paternos repeciit viriliter.

CAP. X.

NEmpe *Edwardus* in parliamento pleno *Godwynum* cum filiis ſuis exlegavit. Reginam vero uxorem ſuam *Goditham* filiam *Godwyni* cum una pediſſequa apud monaſterium de **Wertwell** ſine honore detruſit. Exiliati igitur pater & filii pleno biennio in confinibus *Angliæ* prædas agebant; adeo ut tandem grandi claſſe congregata ſtatuerunt cum rege naviter dimicare; ſet proceribus intervenientibus eſt pax tandem poſt bienniuum reformata. & regina revocata, ita quod *Wilnothus* filius *Godwini* & *Hacun* filius *Suani* dati ſunt obſides pacis, quos ſtatim miſit rex *E.* duci *Normanniæ Willielmo* cuſtodiendos; durante tamen exlegatione prædicta *Willielmus Normannicus* cum magna multitudine *Angliam* venit. Qui liberaliter muneratus *Normanniam* rediit. *Emma* regina regis mater obiit & *Wyntoniæ* ſepelitur. Concordati ſunt cum rege *Godwinus* & omnes filii ſui excepto primogenito, qui pœnitentia ductus pro morte *Beorni* conſobrini ſui de *Flandria* nudipes *Jeroſolymam* adierat, & inde *Liciam* tendens, ex frigore contracto obierat. Exhinc *Normanni* regis conſiliarii qui iniqua regi perſuaſerunt exlegantur, potiſſime *Robertus Cantuarienſis* qui contra *Godwynum* & prius in hac parte contra *Anglos* claſſicum ſuum largius inſonuerat, timens ſibi. & judicium præveniens *Romam* ivit; ac cum apoſtolicis literis rediens, apud monaſterium ſuum *Gemeticenſe* obiit. Cui ſucceſſit *Stigandus* qui quondam dimiſſo *Schireburnenſi* præſulatu *Wyntonienſem* ſedem invaſit; vir quidem ex rebus eccleſiaſticis publicas nundinas exercens, vir utique ſicut pæne cæteri tunc temporis in *Anglia* epiſcopi illiteratus exiſtens, ſet pecuniis & blanditiis multum potens; quamobrem pallium à *Roma* nunquam promeruit quamvis venalitas ibi multum operetur. Palam tunc in triviis cantabatur, non eſſe idoneum epiſcopatu qui neſciret abuti pompis ſeculi, exercitiis nemorum, irritamentis gularum, veſtium apparatu, equitum comitatu, ſet de lucris animarum parum cogitaret. Cumque eis obiceretur epiſcopum debere penſari ex religione & literis, non ex ambitione & nummis, reſpondebant illud metricum,

Nunc aliud tempus, alii pro tempore mores.

atrocitatem videlicet rei lenientes facilitate reſponſi. Hiis diebus clericus barboſus apud *Hiberniam* famoſus vir miræ religionis, adeo ut clericorum, laicorum, & puellarum magnam teneret ſcolam. At quia puellas more ſcolarium ſuorum tondebat, de *Hibernia* pulſus eſt. Circa hos dies obiit ſanctus *Alfwaldus* ultimus *Schirburnenſis* præſul, qui ex monacho *Wyntonienſi* præſul factus inter profuſa convivia quæ tunc in *Anglia* à *Danorum* adventu celebrabantur, pane & aqua utebatur. Vir per omnia beatæ *Mariæ* & ſancto *Cuthberto* devotus; cujus ſedem poſt obitum ejus nullus potuit impune dormitando premere quin tetris ymaginibus territus reſiliret. Igitur dum aliquando ſimultas quædam anxia inter ipſum & *Godwynum* Comitem eſſet ſuborta, nec die ſtatuto ad pacificandum ſedari poſſent, iratus epiſcopus dixit, recedendo, Per dominam meam *Mariam* male ſibi erit; nec ab illa hora quievit *Godwynus* à viſcerum tortura, donec benedictionem ab epiſcopo percepiſſet. Tandem vir ille epiſcopus ad *Dunelmum* profectus eſt, ubi quod magnæ videbatur audaciæ, revulſo ſarcofago ad ſanctum *Cutbertum* velut ad amicum loquebatur, ubi munus poſuit & abiit.

Cap. XI.

Juſſu regis *Edwardi* ſtrenuus dux *Northumbriæ Siwardus* cum equeſtri exercitu & claſſe *Scotiam* contrivit, regem fugavit, *Malcolmum* regis *Cumbrorum* filium in ea regem conſtituens. In eo tamen bello filius *Siwardi* occiſus eſt; Quem cum pater cognoviſſet ex vulnere in anteriori parte corporis recepto occubuiſſe, quamvis de nece doleret, de animoſitate tamen filii gaudebat. *Wlſius Lichfeldenſis* epiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Leofwynus Coventrenſis* abbas. In craſtino Paſchæ apud *Windeſoriam* dum Comes *Godwynus* in menſa regi *Edwardo* aſſideret, contigit unum de pueris regiis cum cipho regio intraſſe, & uno pede offenſo in alio pede ſe ſuſtentaſſe, nec licorem fudiſſe; quod videns *Godwynus* dixit ridendo, Nunc adjuvit unus frater alterum fratrem. Rex ad hæc reſpondit, Sic me frater meus *Aluredus* juviſſet ſi *Godwynus* permiſiſſet. Perpendens ex hiis Comes ſe ſuperflua dixiſſe, & regem de proditione fratris ſui ſignificaſſe, dixit regi, Domine, ut video ſæpe tibi delatum eſt me in necem fratris tui, & in proditionem tuam inſudaſſe; ſic incolumis tranſgluciam buccellam quam manu teneo ſicut in hiis culpabilis non ſum; & mox ſuffocatus eſt. *Haraldus* autem ad juſſum regis eum de ſub menſa extrahit, & apud *Wintoniam* ſepelivit. Tunc comitatus *Godwyni* datus eſt *Haraldo*. & comitatus *Haraldi Algaro* filio *Lefrici* Comitis. Rex *Edwardus* miſit *Aldredum Wigornienſem* epiſcopum ad imperatorem *Henricum* ſecundum, rogans eum ut miſſis apud *Hungariam* epiſtolis fratuelem ſuum *Edwardum* filium *Edmundi ferrei lateris Angliam* inde tranſmitteret. Decreverat enim rex *Edwardus* eum conſtituiſſe hæredem ſuum in *Anglia*. Set tercio poſt hoc anno *Angliam* veniens, obiit *Londoniæ* diu ante regem. Iſte *Edwardus*, ut ſupra dictum eſt, fuit pater *Margaretæ* reginæ *Scotorum* & *Edgari* **Adelyng**. Rex *Edwardus* exlegavit *Algarum* filium *Leoffrici* ſine culpa. Qui mox aſſociatus eſt *Griffino* regi *Walliæ*. *Herfordenſem* provinciam devaſtaverunt, *Herfordiam* capiunt, monaſterium incendunt, ſeptem canonicos occidunt. Set *Haraldus* Comes fugientes inſequitur, *Herfordiam* inſtaurans vallo cingit, ſet & exiliatos cum rege pacificat. Nobilis dux *Northumbriæ Siwardus* obiit apud *Eboracum*, priuſquam tamen obiret fecit ſe armari, & ſedens erectus ait, Sic decet militem defungi, non ut bos accubans enervari.

Cap. XII.

Toſtio & *Haraldo* fratre ejus ludentibus coram rege *Edwardo* convivante, *Haraldus* amarius quam ludus expetebat fratrem ſuum per capillos traxit & humi proſtravit, & niſi cicius ereptus fuiſſet, manibus eum ſuffocaſſet. Quo viſo, rex ſibi aſſidentibus pronunciavit, maximam ſimultatem inter fratres illos affuturam, & unum eorum alterum extincturum. Habuerat *Godwynus* Comes primam uxorem regis *Canuti* ſororem, de qua genuit filium quem equus inſolenter agitatus in *Thamiſia* ſubmerſit, mater vero ictu fulminis periit: nec mirum, eo quod habuit ipſa pulcras puellas & eas pro ſuis opibus augendis proſtibulo exponeret. Poſt cujus obitum *Godwynus* aliam duxit uxorem, de qua ſuſcepit ſex liberos, ſcilicet *Suanum*, *Haroldum*, *Toſtium*, *Wilnotum*, *Gurt*, & *Leofricum*; de quorum exitu in præcedentibus & ſequentibus eſt expreſſum.

Circa hæc tempora mulier quædam in *Berkeleia* malis artibus aſſueta, dum quadam die convivaret, cornicula quam delicate educaverat vocalius ſolito cornicabat. Quo audito, cultellus de manu matronæ cecidit, vultus expalluit, productoque gemitu cum ſuſpirio, Hodie, inquit, ad ultimum ſulcum meum devenit aratrum. Quo dicto, nuncius intrans intimavit matronæ filii ſui obitum, & totius familiæ ſuæ ex ruina interitum. Fœmina ſtatim decubuit, & ſuperſtites quos habuit liberos, monachum & monacham advocavit, quos adventantes ſic alloquitur: « Ego malæ artis & vitæ nequam ſectatrix vane credidi veſtris orationibus tutari, modo tamen rogo ut allevietis tormenta, quia de anima prolata eſt ſententia; corpus meum forſan ſervabitis inſutum in corio cervino, quod in ſarcofago lapideo ſuppinate, operculum plumbo & ferro glutinatum tribus cathenis ferreis conſtringite, pſalmicines xl. noctibus adhibete, totidem miſſas per diem ſolvite: quod ſi tribus noctibus ſic jacuero, quarto die infodite corpus meum humo. Set fruſtra; nam duabus primis noctibus pſalmis ſonantibus dæmones hoſtiis fractis duas extremas cathenas levi negotio diruperunt; tercia nocte tremente loco circa galli cantum unus vultu terribilior ſtatura eminentior diruptis valvis imperavit cadaveri ut ſurgeret, quo reſpondente quod nequiret pro vinculis, Solveris, inquit, pro malo tuo, & ſtatim ruptis cuntis obicibus apprehenſam illam ab eccleſia extrahit, equo nigro ante fores hinnienti impoſuit, ſicque abceſſit cum clamoribus altiſonis per quatuor miliaria auditis. Iſta quamvis mira incredibilia tamen non judicabit qui iiij. librum dialogorum *Gregorii* legerit, ubi nequam hominem in eccleſia ſepultum dæmones ejecerunt. *Henricus* tercius aliquando turbavit eccleſiam contra *Hildebrandum* papam, volens ſi poſſet alium papam intrudere; ſet tandem pacificatus terram ſanctam adiit cum duobus, *Godfredo* & *Beaumundo*, de quibus inferius ſuo loco dicetur. Laudabilis Comes *Leofricus* filius *Leofwyni* ducis *Merciorum* in villa ſua de **Bromleyg** 2. kalendarum Decembris obiit. Et apud *Conventreiam* in monaſterio quod ipſe conſtruxerat eſt ſepultus. Qui aliquando conſilio Dei & beatæ *Mariæ* cultricis *Godgivæ* uxoris ſuæ ditavit & reparavit monaſteria *Leonenſe* juxta *Herfordiam*, *Wenlòſenſe*, *Wygornenſe*, *Eviſhammenſe*, & duas eccleſias in *Legeceſtria*, id eſt, ſancti *Johannis* & ſanctæ *Wereburgæ*. Cujus dum vixit circumſpectio terræ *Anglorum* multum profuit. Ad jugem quoque inſtanciam uxoris ſuæ urbem ſuam *Coventrenſem* ab omni tolneto præterquam de equis liberam fecit; ad quod impetrandum uxor ejus Comitiſſa *Godgiva* quodam mane per medium urbis nuda ſet comis tecta equitavit. Poſt *Leofrici* mortem filius ejus *Algarus* comitatum *Merciorum* ſuſcepit, ſet eodem anno de proditione contra regem convictus, exlegatus eſt. Set à rege *Walenſium Griffino* ut nuper ſuſceptus & reconciliatus eſt.

Cap. XIII.

TAli tempore civis quidam *Romæ* ephebus ætate *Lucianus* nomine, locuples ære, ſublimis genere uxorem *Eugeniam* duxit, de qua cauſa ſodalibus accitis convivium fecit. Poſt cibum in campum prodeunt ſtomachos exonerandi cauſa. Ipſe autem ſponſus ut pila ſe exerceret anulum ſuum ſponſalicium digito ſtatuæ propinquæ appoſuit, ſet extis tandem pro ludo incaleſcentibus primus à ludo ſe amovit, ſet anulum repetens invenit digitum ſtatuæ una cum anulo uſque ad volam recurvatum; diu ibi luctatus quod nec anulum avellere nec digitum valeret infringere, tacite interim diſceſſit re ſodalibus celata, ne vel præſentem deriderent vel abſentem anulo privarent: Ipſe tandem nocte tempeſta cum famulis rediens digitum extentum & anulum ſurreptum miratus eſt; Cumque hora cubandi ſe ad uxorem aptaſſet, ſenſit quendam nebuloſum & denſum inter ſe & uxorem volutari, ſic inquiens, Mecum concumbe quia hodie me diſponſaſti, Ego ſum dea *Venus*. Territus ille noctem illam duxit inſompnem; Et cum hoc quaſi cunctis noctibus fieret, querelis uxoris ammonitus rem parentibus ſuis defert; Illi quoque negotium *Palumbo* presbitero ſuburbano potiſſimo tunc nigromantico pandunt. Qui accepto ingenti ſalario epiſtolam quandam juveni dedit, quam traderet illi qui noviſſime de nocte in bivio proceſſionaliter in curru occurreret: Aſtat juvenis de nocte in compito, videt mulierem ornatu meretricio mulæ inſidentem, crinibus ſolutis, vitta aurea caput conſtrictam cum virga aurea in manu: Tandem poſtremo equitanti epiſtolam ſuam porrigit; Qua perlecta, dæmon ille principalis manibus in cœlum erectis dixit, O Deus omnipotens quamdiu durabit *Palumbi* iniquitas? Nec mora; ſatellites ejus à *Venere* diu tergiverſante anulum extorquent & juveni tradunt; Et ſic ille voti compos potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus: ſet & *Palumbus* ubi dæmonis clamorem ad cœlum de ſe audivit, membris ſuis truncatis confeſſus eſt Papæ populo audiente ſcelera ſua.

Aldredus Wygurnenſis epiſcopus de licentia regis ſanctum *Wlſtanum* ordinavit Priorem *Wigorniæ* & præſulatum *Wiltonienſem* tradidit *Hermanno* reverſo. Et cito poſt mari tranſito profectus eſt *Jeroſolymam* peregre, quod nullus epiſcoporum *Angliæ* uſque tunc legitur attemptaſſe. Apud *Coloniam Alamaniæ* duo monaſteria *Scotorum* igne proprio combuſta ſunt; quod quidem incendium unus monachus ibidem nomine *Paternus* ibidem incluſus longe ante prædixit, ſet igne adveniente nullo modo exire voluit, ſet zelo martyrii combuſtus eſt. Circa hæc tempora in provincia *Apuliæ* inventa eſt quædam ſtatua marmorea cum capite æneo habente circulum ſic inſcriptum, *Kalendis Maii ſole oriente habebo caput aureum.* Quod intelligens quidam *Saracenus* à duce terræ nuper captivatus in kalendis Maii notato termino umbræ illius ſtatuæ reperit ſub umbra infinitum theſaurum, quem pro ſua redemptione dedit. Hoc in tempore *Nicholaus ſecundus* poſt *Benedictum* ejectum de papatu ſuo ſedit annis papa pene duobus. Cujus diebus *Gallicana* eccleſia turbatur plurimum per *Berengarium Turonenſem* archidiaconum, qui aſſerebat Eucariſtiam in altari non eſſe verum corpus *Chriſti* ſet figuram ejus. Contra quem *Nicholaus* papa coegit Concilium centum xiij. epiſcoporum apud *Wercellas* in *Italia*. In quo *Berengarius* retractavit errorem ſuum, ſicut innuitur in decretis de conſecratione, diſtinctione ij. *Ego Berengarius*. Set poſt mortem ejus repullulante ejus hæreſi *Hiltebrandus* papa contra ſequaces determinavit. Ejus erroribus reſponderunt *Lanfrancus Beccenſis* Prior in libro *Scintillarum*. Et potiſſime *Wymundus* qui prius fuit *Normanniæ* monachus & poſtmodum epiſcopus *Averſanus* in *Apulia* tunc temporis eloquentiſſimus. In tantum autem ille *Berengarius* ſubſequente ætate ſe correxit ut ſanctus à quibuſdam reputetur, utpote qui apocalipſim expoſuerit, qui humilitati & elemoſinis indulſerit, qui femineum aſpectum vitaverit, qui ſimplici victu & veſtitu ſecundum apoſtolum contentus fuerit. Et quem *Hildebertus Cenomanenſis* epiſcopus in ſuis verſibus ſumme commendaverit, ſic dicens,

Quem modo miratur ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius *non obiturus obit.*

Et inter hæc animadvertendum eſt, quod quamvis *Berengarius* ille ſententiam ſuam correxit, tamen omnes quos in diverſis terris doctrina ſua infecit convertere non potuit. Tale igitur eſt aliquos verbo vel exemplo corrumpere, quod cum ſuum peccatum deletum fuerit gravabit alienum. Quod quidem venerabilis *Fulbertus Carnotenſis* epiſcopus in extremis laborans prædixiſſe ferebatur cum videret *Berengarium* inter cæteros ad viſitandum venientem, Expellite inquit eum, nam video dæmonem illum ſequi qui aera corrumpit. Quineciam ille *Berengarius* die Epiphaniæ moriens recordatus eſt quot miſeros ille adoleſcens ſua ſecta corrupit. Hodie inquit ut ſpero, apparebit mihi *Chriſtus* in die apparitionis ſuæ, vel propter pœnitentiam meam ad gloriam, vel propter alios quos everti ad pœnam. Mortuo *Kynſio Eboracenſi* archiepiſcopo ſucceſſit *Aldredus Wygornenſis* epiſcopus. Qui cum *Toſtio* Comite *Northumbrenſi* pro pallio habendo *Romam* ivit: qui repertus in ſua reſponſione culpabilis omni honore privatus eſt; ſet domum tendens omnibus rebus ſuis ſpoliatus eſt. Quapropter ipſo *Romam* regreſſo *Toſtius* Comes ſuis allegationibus ita papam inflexit, ut archiepiſcopatum *Aldredo* conferret. Aſſerebat nempe *Toſtius*, parum metuendam longinquis nationibus Papæ excommunicationem quam propinqui ſic deriderunt latrunculi. Aut igitur ſua illi fore reſtituenda, aut per papæ fraudulentiam amiſſa conſtarent: Futurumque fore ut rex *Angliæ* hæc audiens ſancti *Petri* tributum ſubtraheret. Impium eſſe aſſerens ſi *Aldredus* inglorius ſimul & ſpoliatus repatriaret. Igitur *Aldredus* pallio inſignitus *Angliam* rediens *Wlſtanum* Priorem fecit *Wygornenſem* Præſulem. Non enim à *Stigando Cantuarienſi* quiſquam Pontificale munus libenter ſuſceperit, ſet nec ipſe dux *Willielmus* veniens benedictionem ab illo ſuſcepit.

Cap. XIV.

HAraldus dux *Weſtſaxonum* juſſu Regis *Edwardi* poſt natale Domini cum modico equitatu *Walliam* adiit, pallacium *Griffini* Regis apud *Ruthelan* & naves ejus combuſſit. *Griffinus* fugiendo evaſit; poſtmodum circa Rogationes cum claſſica manu de *Briſtollia* profectus terram *Wallanorum* pene circumnavigavit. Cui frater ſuus *Toſtius* Comes *Northumbrenſis* cum equeſtri exercitu occurrens ita deprædati ſunt fines *Wallanorum*, ut datis obſidibus tributoque ſoluto *Wallenſes* regem ſuum *Griffinum* exlegarent & abicerent. Ac tandem circa nonas *Augusti* ipſum *Griffinum* occiderunt & caput ejus *Haraldo* miſerunt. Poſt hæc rex *Edwardus* terram *Wallanorum* duobus fratribus *Griffini* conceſſit fidelitate ſibi jurata. *Haraldus* tendens *Normanniam* ut fratrem ſuum *Wilnotum* & filium fratris ſui *Hacun* apud ducem *Willielmum* obſidiatos viſeret, tempeſtate actus eſt in *Ponticam* provinciam, quem captum conſul *Ponticus* tranſmiſit *Willielmo* duci *Normanniæ*, ubi *Haraldus* ut fertur antequam evadere potuit juravit *Willielmo* quod filiam ſuam duceret, & quod mortuo *Edwardo Angliam* ad opus ejus ſervaret; & ſic recepto ſecum nepote ſuo *Angliam* rediit. Sed frater ſuus *Wilnotus* in cuſtodia *Willielmi* eciam poſtmodum cum regnaret ſupermanſit. *Toſtius* in curia regis *Edwardi* apud *Winduſhoram* amaricatus indignanter receſſit uſque *Herfordiam*, ubi *Haraldus* convivium regale regi paraverat, miniſtros fratris detruncans, membra illorum in poculis conditis poſuit, mandans regi quod ſi ad firmam ſuam venire vellet cibos ſufficienter ſalſatos inveniret. Quo audito, *Northumbrenſes Toſtium* ducem ſuum abjecerunt, miniſtros ejus occiderunt, ærarium ejus fregerunt, & uſque in *Flandriam* fugere compulerunt. Set rex hæc audiens miſit *Haraldum* ut fratris vindicaret injuriam. Illis autem allegantibus ſe libere fore natos, libere educatos ferociam ducum ferre non poſſe: quin eciam à majoribus ſuis didiciſſe libertatem zelari vel mortem ſubire, denique ſub leni duce leniter ſubtemperare. *Haraldus* judicans conſultius fore patriæ in hujuſmodi favere quam privatum commodum fratris ſui attendere, revocato exercitu regem adiit, procuravitque *Malcherum* illis dari Comitem. Hiis omnibus *Toſtius* infenſus cum uxore & liberis *Flandriam* adiit uſque ad mortem regis. Rex *Edwardus* ſedens ad menſam apud *Weſtmonaſterium* die Paſchæ aliis comedentibus ipſe animo ſuſpenſus inter dapes riſit. Interrogatus poſt prandium in triclinio cur riſerit, reſpondit, Quia ſeptem dormientes in monte *Celio* juxta *Epheſum* in *Aſia minore* qui jam per ſeptingentos annos in latere dextro quieverunt, hora riſus mei in latus ſiniſtrum ſe verterunt. Et futurum eſt ut ſic in ſiniſtro latere jaceant per lxxiv. annos. Quo in tempore veniet illud

— — durum mortalibus omen

quod Dominus in Evangelio comminatus eſt, *Surget gens contra gentem &c.* Quia Saraceni inſurgent contra Chriſtianos, & è contra. Et iſtis adjecit rex habitudines corporum in ſeptem dormientibus, quod nulla alia pandit litera. Miſerunt illico miniſtri regis nuncios apud *Vicetum Conſtantinopolitanum* Imperatorem ad explorandum hujus dicti veritatem. Quos ille pie admittens ulterius tranſmiſit ad epiſcopum *Epheſinum* ut nunciis *Anglorum* exuviæ vij. dormientium oſtenderentur. Quæ & ita inventa ſunt ſicut rex prævidit.

CAP. XV.

OCcupaverunt *Saraceni* ſicut prædixerat *Edwardus* infra breve & *Turchi* eis aſſociati *Siriam* minorem, *Aſiam*, & *Jeroſolymam* acriter devaſtando. *Henricus* rex *Francorum* tercius potionatus obiit. Stella comata quaſi per totum mundum ſeptem diebus continuis apparuit, quam ſic ſalutavit monachus quidam *Malmiſburienſis Oliverus* nomine. *Veniſti, jam veniſti multis matribus lugenda, diu eſt quod te vidi, ſet modo terribiliorem te intueor patriæ hujus excidium vibrantem.* Iſte *Oliverus* literis tunc extitit imbutus, ævo maturus, ſet inmanem audaciam prima juventute conatus, Nam pennas manibus & pedibus neſcio qua nexuerat arte ut *Dedalino* more volaret, fabulam pro vero amplexatus, collectaque è ſummo turris aura ſpacio ſtadii & plus volavit, ſet venti & turbinis mole violenciaque ac forte temerarii facti conſcientia tremulus decidit, cruribus ſuis perpetuo debilitatis. Apud *Weſtmonaſterium* die *Innocentium* rex *Edwardus* ægrotare cœpit. Sub qua noviſſima ægritudine vidit viſionem, quam ſibi aſtantibus expreſſit. Venerunt ad me duo viri religioſi quos aliquando in *Normannia* novi, dicentes, ſe à Deo miſſos ut hæc mihi nunciarent. Quoniam primores *Angliæ* Duces, Epiſcopi, Abbates non ſunt miniſtri Dei ſet diaboli, tradidit Deus hoc regnum poſt obitum tuum uno anno & die uno in manu inimici. Et pervagabunt dæmones per terram iſtam. Cumque rogarem quod ad denunciationem meam poſſent pœnitere & liberari exemplo *Ninivitarũ*: Non, inquiunt, nam neutrum erit, quia nec iſti pœnitebunt, nec Deus miſerebitur. Et dixi. Quando igitur poterit ſperari remiſſio? Quando, inquiunt, arbore viridi præciſa pars deciſa trium jugerum ſpacio à ſtipite diviſa ſine adminiculo trunco connexa floribus pubeſcere & fructus producere cœperit. Aſtitit tunc *Stigandus* archiepiſcopus *Cantuarienſis* dicens, vetulum ſenili more nugas delirare. Poſtmodum tamen ſenſit *Anglia* hujus vaticinii veritatem, quando per extemos totaliter eſt ſuppreſſa & corroſa. Inde rex *Edw.* in vigilia *Epiphaniæ* poſtquam regnarat xxiij. annis & ſex menſibus, & xx. diebus apud *Weſtmonaſterium* defunctus eſt & ſepultus. Cujus vitam *Aluredus Rivallenſis* luculenter deſcripſit, quam *Laurencio* abbati *Weſtmonaſterienſi* direxit. Et ille ulterius vitam illam ſic deſcriptam *Henrico* regi ſecundo deſtinavit. Iſte *Edw.* vocatus fuit de *Normannia* ubi nutritus fuerat anno gratiæ M. xlij. & regnavit in *Anglia* ut ſupradictum eſt. Iſte per aſſenſum ſuorum ſub ſpe generandæ prolis accepit uxorem *Goditham* filiam *Godwini* ducis *Weſtſaxonum* & Comitis ſororem *Haraldi*, & manſit incognita ab eo, nam *Edwardus* moriebatur virgo. Iſte *Edwardus* revocavit de *Hungaria* nepotem ſuum *Edgarum Eſtlyng*, quem ſpecialius amaverat et maxime cum cupiebat ſuccedere ſibi in regnum *Angliæ*; ſet videns maliciam & ſuperbiam *Haraldi* & *Lewlini* filiorum *Godwyni* ac malivolenciam multorum procerum contra *Edgarum*, & ſic ſe non poſſe prævalere in ſuo propoſito de *Edgaro*, prævidit antequam moreretur de *Willielmo Baſtardo* quia miles ſtrenuus & potens bellator regnum poſſideret poſt dies ſuos. Iſte *Edwardus* poſtquam coronatus fuit cum conſilio Baronum & cæterorum regni fecit renovare & ſtabilire & confirmare bonas leges quæ fuerunt per lxviij. annos inter dormientes ſoporatæ & quaſi oblivioni traditæ. Leges iſtæ vocatæ ſunt leges S. *Edwardi*; non quia ipſas primo invenerat, ſed quia quaſi ſub modio poſitæ & in oblivione derelictæ à tempore Regis *Edgari* avi ſui qui primo manum ſuam miſit ad ipſas inveniendas & ſtatuendas. Tradunt quidam quod rex *Edwardus* ante obitum ſuum *Haroldum* prædixit futurum regem poſt ſe, quem proceres mox in regem erexerunt. Mox *Haroldus* regnum occupavit, quod per ix. menſes circiter tenuit. Quidam enim *Edgarum* **Adelyng** filium *Edwardi* filii *Edmundi ferrei lateris* regem conſtituere moliebantur, ſet quia puer erat tanto regimini inidoneus, & in burſa minus refertus, *Haraldus* Comes cui erat mens aſtutior, crumena fecundior & miles copioſior & pompis glorioſior ſiniſtro omine regnum occupavit.

CAP. XVI.

NUnc *Haraldus* ab *Aldredo Eboracenſi* archiepiſcopo conſecratus eſt. Iſte devenit nimis elatus & cupidus in collectione auri & argenti & theſaurorum, nec aliquam uxorem ducere voluit, ſet vi oppreſſit filias Baronum & procerum atque militum de regno; quod ipſi ægre ferebant; Et de foreſtis ſuis tantam ferocitatem & ſeveritatem erga adjacentes nobiliores exercuit, quod quamplures adnichilavit & multos depauperavit. Nec mirum, quamvis ex hiis & ex aliis nimis odioſus devenit populis ſuis. Et ideo pars Comitum & Baronum adinvicem conferebant, dicentes ipſum non eſſe fortunæ deditum, nec verum eſſe regem ſet per intruſionem erectum, & ideo infauſte regere populum ſuum. Et mandaverunt *Willielmo* duci *Normanniæ*, qui *Baſtardus* vocatus eſt eo quod ante celebrationem matrimonii natus ſit, ut in *Angliam* veniret eorum conſilio & auxilio jus regni proſecuturus, feceruntque ei fidelem ſecuritatem veniendi, & conſenſit. Tradunt quidam quod *Haraldus* regno potitus ſtatim cœpit leges iniquas deſtruere, æquas fovere & condere, eccleſias defendere, religioſos colere, tranſgreſſores punire, patriam tueri. Set & ejus principatu audito *Toſtius* frater ejus cum lx. navibus de *Flandria* rediens *Vectam* inſulam ſtipendiis & tributis multavit, Circa ripas *Canciæ* prædas exercuit, ſet dum fratris ſui *Haraldi* apparatum timeret *Lyndeſeiam* per mare adiit, ubi villam incendit, gentem trucidat, donec per duces *Merciorum* & *Northumbrorum*, *Edwynum* & *Morcarum* extruſus *Malcolmum* regem *Scotorum* adiret, cum quo per totam æſtatem morabatur. Interea rex *Noreganorum Haraldus Harfeg* frater ſancti *Olavi* cum trecentis navibus in oſtio *Tynæ* fluminis applicuit, ad quem *Toſtius* ſicut prius conduxerat cum ſua claſſe advenit. Quod ut regi *Haraldo* innotuit, expeditionem illuc movit, ſet priuſquam ille adveniſſet, duo germani Comites prædicti *Edwynus* & *Morcarus* quamvis valde dure decertaſſent in fine tamen ſunt contriti, datis utrinque obſidibus centum quinquaginta. Quinto poſt hæc die rex *Haraldus* apud **Stenefortbrugg** ſuperveniens regem *Noriganum* & *Toſtium* proprium fratrem quamvis acerrime eſſet repugnatum in ore gladii interfecit. *Olavum* tamen filium regis *Norigani* & *Paulum* ducem *Orcadum* acceptis obſidibus & juramentis ad patriam redire permiſit. Ibi tamen unus *Noreganus* perpetua fama dignus ſolus ſtans in ponte de **Stenefortbrugg** plures quam xl. viris *Anglis* ſua ſecuri interfectis, uſque ad horam diei nonam totum exercitum *Anglorum* retardavit, donec unus *Anglus* naviculam ingreſſus ipſum *Norricum* per forantina pontis lancea perfodiſſet. Et ex hoc eventu *Haraldus* multum elatus prædam ibidem conſecutam cum commilitonibus ſuis dividere dedignabatur, qua de cauſa multi de proceribus & plebeiis offenſi ipſum ad bellum *Haſtingenſe* contra *Willielmum* properantem, ut infrà patebit, deſeruerunt. Iſte *Haraldus Noricus* in adventu ſuo iter dirigit verſus *Eboracum*, ubi veniens centum clericos & mille laicos occidit, ſet rex *Angliæ* ſuperveniens cum ſeptem legionibus virorum fortium optinuit victoriam. Igitur *Haraldus* conſtitutus in regno nil de pactis inter ipſum & *Willielmum* cogitabat, ſet liberatum ſe eſſe de ſacramento juramenti, eo quod filia *Willielmi* quam diſponſare promiſerat infra annos nubiles obierat, & eciam quia *Willielmus* dux continuis bellis implicatus fuit. *Willielmus* tamen eum de rupto fœdere commonens minas precibus intermiſcebat; *Haraldus* contra dixit, « Præſumptuoſum pactum non eſſe ſervandum, « potiſſime de alieno regno promiſſum, « abſque generali Senatus decreto; proinde ſtultum « juramentum frangendum fore, maxime neceſſitatis tempore coactum. Interea *Willielmus* neceſſaria itineri parat, aſſenſum procerum ſuorum captat, favorem *Alexandri* papæ una cum vexillo ſibi directo impetrat. Cauſæ motivæ quare *Willielmus* *Angliam* contra *Haraldum* inpeciit heæ ſunt. 1. Mors *Alfredi* cognati ſui filii *Emmæ* per *Haraldum* & patrem ſuum ut ſupradictum eſt procurata. 2. cauſa, proſcriptio *Roberti Cantuarienſis* archiepiſcopi. 3. Promiſſio de ſucceſſione regni per *Edwardum* regem, ſi ſine liberis decederet, ſibi facta cauſa propinquitatis. Et 4. juramentum *Haraldi* ad id idem implendum. Conſultantibus itaque *Normanniæ* proceribus adinvicem ſuper hujus expeditionis negocio, *Willielmus* filius *Oſberti* ducis dapifer ducis iter diſſuaſit, tum propter paucitatem aggredientium ſuorum & tum propter ferocitatem hoſtium. Exilarati ex hoc proceres cæteri, poſuerunt verba ſua in ore illius *Willielmi*. Ille vero cum coram duce veniſſet, dixit ſe paratum fore ſi cæteri adire vellent ad expeditionem; nec poterunt cæteri præ pudore ſe ſubtrahere. Cumque in portu ſancti *Wallerici* dux *Willielmus* cum ſuis adverſante vento diutine tardaretur, & ob hoc vulgus murmuraverit, aſſerens inſanum fore alienum ſolum velle uſurpare, præſertim Deo contra ſe certante qui ventum præter ſolitum tam diu arceret; Tunc dux *Willielmus* fecit ſtatim corpus *Wallerici* foras efferri, & pro vento habendo ſub divo poni. Et ſtatim proſper flatus carbaſa inplevit; & ſic tercio denuo menſe à coronatione *Haraldi* incipiente in terram *Angliæ* applicuit. Et adimpletum eſt quod de *Haraldo* proverbialiter dictum eſt, Quod cum peccato venit cum pudore recedet. Origo conſanguinitatis iſtius *Willielmi* pro quo præſens opus arripitur, ſicut ſupra plenius continetur, hic brevius ſub tali compendioſitate de linea in lineam patenter ſcire volentibus deducendo diſcribitur.

Liber Secundus.

Cap. I.

HARALDO in plaga aquilonari pro *Norico* bello occupato *Willielmus* Dux *Normanniæ Angliam* tendens poſt feſtum ſancti *Michaelis* anno gratiæ 1066. cum unâ parte exercitus ſui apud *Haſtingum* portum in loco qui **Pevenſeye** dicitur, & cum altera parte apud *Sandicum* portum applicuit. Dum igitur *Willielmus* ſaltitaſſet de navicula feſtinans in terram, ceſpitans uno pede, cecidit in ſabulum, ita ut os ejus ſabulo impleretur. Deus, *Willielmus* inquit, adjutor meus, terra eſt mea. Acclamat ſtatim ſibi ſimiliter quidam miles, Domine Comes, jam tenes terram *Angliæ*, in proximo rex futurus. Tunc coercuit exercitum à præda, parcendum dicens eſſe rebus quæ ſuæ forent eſſe futuræ. (Nec prætereundum arbitror, quod prima nocte poſt ingreſſum *Willielmi* in terram *Angliæ*, dum jaceret in papilione, venit ad eum vox dicens; *Willielme, Willielme*, eſto bonus homo quia in regni corona prævalebis, & rex *Angliæ* eris, & cum hoſtem deviceris fac conſtrui eccleſiam in eodem loco in nomine meo tot centenorum pedum in longitudine quot annorum numero ſemen ſanguinis tui regni *Angliæ* gubernaculum poſſidebit & in *Angliæ* regnabit. Tunc perrexit *Willielmus Londonias* & cives cum aſſenſu Baronum receperunt eum reddentes civitatem; Deinde *Eboraco* & cæteris civitatibus cum confinibus pacifice ſic ſubactis anno gratiæ milleſimo ſexageſimo ſexto.) Et permanſit ibidem 15 diebus adunans populum ſuum in loco ubi poſtea conſtruxit Abbathiam de *Bello*. Quo per nuncium audito, *Haraldus* de partibus borialibus cum celeritate feſtinavit pauco admodum ſtipatus milite, nam multos fortes in priori bello *Norico* amiſerat. Nec tamen nova auxilia convocaverat, & ſi convocaſſet tamen illi pro manubiis in *Norico* bello ſibi ſoli retentis & minime diſtributis infenſi ſe ſubtraxerunt, Nam prædam ibidem captam cum commilitonibus diſtribuere dedignabatur, et ea de cauſa multi de proceribus & communibus offenſi ipſum in tanta neceſſitate deſeruerunt, ut de eo impleretur quod ſcriptum eſt, *Avaritia inebriatus veneno dum ſitit lucrum pervenit ad interitum. Haraldus* præmiſit exploratores qui numerum & vires hoſtium ſpecularentur. Quos tamen *Willielmus* apprehenſos circum tentoria ſua duxit, laute pavit & *Haraldo* remiſit. Qui renunciaverunt, fere cunctos in exercitu *Willielmi* fore preſbiteros pro eo quod totam faciem cum utroque labio haberent raſam. *Angli* autem tunc temporis ſuperius labium fructificantibus pilis intonſum habebant. E contra *Haraldus* dixit eos non eſſe preſbiteros ſet validiſſimos milites. « Cur, inquit *Gouth* frater *Haraldi*, « nimis tu improvidus vis cum tam multis validis « congredi? Nos ſacramentum illi non fecimus; « Melius eſt igitur ut tu qui juramento erga eum li-« garis ad tempus te ſubtrahas, & nos ſacramento « immunes pro patria pugnemus; Quod ſi vinceri-« mus, bene quidem habes propoſitum: ſi victi fu-« erimus, ſalva erit tibi cauſa tua, & nos vindicare « poteris. Ad hoc dux *Willielmus* miſit quendam monachum ad *Haraldum* tria ei proponens. Primo quod cederet regno, & *Willielmo* redderet, vel ſub eo regnaturus tributarius de eo regnum teneret, vel ſpectante utroque exercitu rem inter ſe mutuo gladio ventularent, Salva utriuſque exercitus ſanguinis effuſione, præſertim cum rex *Edwardus* nuper defunctus de conſilio *Stigandi* archiepiſcopi *Cantuarienſis*, *Godwini* & *Siwardi* Comitum *Angliæ*, ſi ſine hærede diſcederet conceſſit, & ipſe *Haraldus* ſub ſacramento aſtrictus fuerat, quod ſi ſic contingeret, regnum ſibi reſervaret, in cujus rei ſignum filius *Godwini Wilnotus*, & nepos ejus *Hacun* antedicti ſibi fuerant tranſmiſſi. *Haroldus* ſprevit monachi legationem, dicens, negotium gladiis utriuſque populi fore terminandũ; hoc unum ſolum imprecans, ut Deus inter eos judicaret. Convenientibus interea ad locum certum prope nimis hinc inde exercitibus die ſancti *Kalixti* pridie idus Octobris in ſabbato in loco ubi poſtmodum conſtructa eſt abbathia de *Bello*, *Angli* ut dicitur totam noctem bellum præcedentem cantibus & potibus duxerunt inſompnem. Mane pedites inprimis cum bipennibus conſertam ſcutorum teſtudinem fecerunt, Quod profecto valuiſſet niſi *Normanni* fugam ſimulaſſent. Rex ipſe *Haraldus* pedes juxta vexillum cum fratribus ſuis duobus ſtabat; quod quidem vexillum poſtmodum Papæ tranſmiſſum fuerat per *Willielmum*. E contra *Normanni* confeſſionibus peccatorum tota nocte, mane divinæ communioni vacabant, pedites cum arcubus in prima fronte, milites retro diviſis alis conſiſtebant. Comes bellum cohortans ſub ipſo tumultu lorica inverſa indutum caſu riſu correxit. *Vertetur, inquit, robur comitatus in regnum.* Set antequam acies coirent quidam ex parte *Normannorum* nomine *Tailefer* enſem jactando coram exercitibus ludens unum vexilliferum *Anglorum* ſibi occurrentem occidit, Secundo id idem de alio fecit, ſet tercium quoque interficiens ipſe interfectus eſt; Et ſtatim acies invicem offenderunt, cum cantilena *Rolandi* ex parte *Normannorum* incoata protenſum eſt bellum ab hora diei 3. uſque ad veſperum neutra parte cedente, ſet ſagittarii Ducis multum prævaluerunt. Tunc Dux innuit ſuis ut fugerent, quo ſcemate *Anglorum* cuneus ſolutus eſt quaſi ad invadendum hoſtes palantes, ſet *Normanni* redeuntes gratis aciebus reverſi diſperſos *Anglos* ventularunt. Tandem *Haraldus* ictu ſagittæ violato cerebro quaſi ſine oculo & excecatus occubuit, jacentis femur unus militum gladio infodit, ob quam cauſam miles à militia pulſus eſt per *Willielmum* eo quod tantam ignaviam perpetraſſet. Ea die *Willielmus* tres equos electiſſimos ſub ſe confoſſos amiſit, perſtitit tamen ut nil ſanguinis de corpore ſuo exiret. Peracta victoria *Willielmus* ſuos occiſos ſepelivit, hoſtibus ſi qui vellent id idem conceſſit; corpus *Haraldi* matri ſuæ id depoſcenti ſine precio miſit, vixit tamen poſt bellum lætaliter vulneratus per 9. menſes. Mater vero ſepelivit eum apud **Waltham**, monaſterium Canonicorum ſecularium quod ipſe fundaverat, quod quidem monaſterium rex *H.* 2. in cujus tempore *Thomas Cantuarienſis* paſſus, in abbathiam Canonicorum regularium tranſtulit. Vult tamen *Giraldus Cambrenſis* in ſuo *Itinerario* quod *Haraldus* multum confoſſus vulneribus oculoque ſiniſtro ſagitta perdito ad partes *Ceſtriæ* victus evaſit, ubi ſancta converſatione vitam ut creditur anacoriticam in cella ſancti *Jacobi* juxta eccleſiam ſancti *Johannis* feliciter conſummavit. De iſta opinione ſiat qualiter poterit, hoc unum ſcio, quod tumulatio

Williel. I.

latio ejus cum imagine ſuperpoſita in eccleſiæ abbathiæ de **Waltham** videre adhuc volentibus oſtenditur, ubi dicitur *Haraldum* humatum fuiſſe.

CAP. II.

EDWYNUS Comes *Merciorum* & *Morkarus* Comes *Northumbrorum*, *Haraldi* morte audita qui propter loci attitudinem vel viæ longitudinem ſeu pocius propter ſpolias in *Norico* bello minus diſtributas ab *Haraldo* ſe ſubtraxerant, *Londonias* venerunt, & ſororem ſuam *Algitham Haraldi* uxorem ad urbem *Legionū* ſc. *Ceſtriam* tranſmiſerunt. Ac una cum *Aldredo Eboracenſi* epiſcopo & *Londonienſibus Edgarum* **Adeling** in regem erigere & pro eo pugnare promiſerunt, ſet invaleſcente *Willielmi* timore à præmiſſis reſilierunt, unde hii omnes cum cæteris nobilibus regni ad *Willielmum* venientes datis obſidibus cum fidelitate jurata manus ei dederunt.

Jam accedit Ciſtrenſis *lib.* 7. *ſic incipiens.*

WILLIELMUS igitur *Londonias* veniens conſecratus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium* ab *Aldredo Eboracenſi* epiſcopo, declinato *Stigando Cantuarienſi*, die natalis Domini quæ tunc feria 2. accidit § Et ſic quia *Normannus* jure hæreditario tenuit *Normannia* Ducatum, ideo dux, regnum vero *Anglia* ex mero conqueſtu & de clamio ſubſcripto, ideo rex. Ob quam cauſam ſucceſſores ſui acceperunt de *Normannia* magnum annuum tributum uſque ad tempus *Iohannis* regis qui gladio amiſit jus ſuum in hac parte, ut infra patebit in loco ſuo. Iſte duxit ſecum in *Angliam* tantam copiam & multitudinem variarum gentium, ſcilicet *Normannorum*, *Picardorum*, *Britonum*, *Burgillorum*, de quibus magna pars remanſit in *Anglia* ubilibet diſperſa. Quidam poſſeſſiones habentes de dicto *Willielmo* ſeu ab aliis dominis ſibi datas, quidam vero ex emptione habentes, ſive in officiis ſub ſpe habendi remanſerunt. Et ea de cauſa non miretur quis, ſi varietas nationum tribuat varietatem conditionum, et inde creſcat nimia diffidentia naturalis amoris, & diſperſio ſanguinis tribuat diſperſam credulitatem mutuæ confidentiæ & dilectionis. Interim quidam miles de *Dacia* venit ad *Willielmum* nuper coronatum petens ab eo ex parte regis *Dacia* homagium pro regno ſuo *Anglia* de novo conqueſto & tributum; quod ſi *Willielmus* nollet facere, rex *Dacia* veniret cum ſua forti potentia vi & armis tollere ſibi coronam & regnum. Tunc rex *Willielmus* de conſilio procerum ſuorum miſit 4. ſolempnes nuncios ad regem *Daciæ*, mittens cum illis plurima dona & exennia regalia tam regi quam aliis de ſuis, ad faciendum pacem inter eos dies in perpetuos. § In quadrageſima ſequenti *Normanniam* adiit. Fratrem ſuum *Odonem Baiocenſem* epiſcopum ad cuſtodiam *Anglia* reliquit. Plures *Anglia* nobiles ſecum duxit, ſcilicet Comites *Edwynum*, *Morkarum*, *Edgarum* **Adelyng**, & potiſſime *Stigandum* archiepiſcopum *Cantuarienſem* quamvis in hoc jugiter renitentem, ſub velamine tamen honoris hoc fecit ne quid perfidiæ ſe abſente per ejus autoritatem pullularet in *Anglia*. Inter quæ difficile eſt dictu quantis eum exceperint obſequiis dignanter aſſurgendo, proceſſionaliter occurrendo longa ſerie pompæ; ſed quicquid hiis tegebatur velaminibus erupit poſtmodum in clarum quando veniente *Angliam* legato Papæ de regis conniventia Concilium celebrante *Stigandus* depoſitus eſt, fidem regis jugiter interpellans. Rex autem ut ſatis noverat blande ſe excuſans & preceptum Papæ obiciens, *Stigandum* quoad viveret in vinculis *Wintonia* detinuit. Poſt hæc imminente hieme rex *Willielmus Angliam* rediit inportabile tributum *Anglis* indixit. Civitatem *Exceſtria* contra ſe rebellantem obſedit, et infregit. Tunc *Githa* comitiſſa uxor quondam *Godwini* relicta urbe *Flandriam* navigio ſe tranſtulit. In iſta obſidione mirabiliter urbs quaſi ultro decidit & ingreſſum patefecit. Nam unus è civibus ſupra murum ſtans nudato inguine pudendo ſonitu auram fœdaverat. Hoc quoque anno proceres *Northumbria* ſævitiam *Willielmi* formidantes ſumptis ſecum *Edgaro* **Adelyng** cum matre ſua *Agatha* ac duabus ſororibus *Margareta* & *Chriſtiana*, ad regem *Scotorum Malkolmum* navigarunt. Volunt tamen nonnulli quod *Edgarus* prædictus videns regem *Anglorum* undique turbari, aſcenſa navi cum matre ſua & ſororibus reverti in patriam propriam qua natus fuerat diſponebat, ſuborta tamen tempeſtate *Scotiam* adire cogebatur. Qua occaſione actum eſt ut rex *Scotia Malkolmus Margaretam* duceret in uxorem, de qua genuit ſex filios & duas filias, de quibus *Edgarus*, *Alexander*, *David*, reges fuerunt poſt patrem. *Matildis* nupſit regi *Anglorū Henr.* primo, de quibus proceſſit *Matilda* Imperatrix. Altera filia *Maria* nupſit *Euſtachio* Comiti *Bononia*, de qua proceſſit *Matildis* quæ poſt nupſit regi *Stephano*. Hoc quoque anno rex *Willielmus* firmavit caſtrum apud **Snotingham** & aliud apud *Lincolniam*, & duo caſtra apud *Eboracum*. Hoc eciam anno *Matildis* regina veniens *Angliam* de *Normannia* coronata eſt ab *Aldredo*. *Haroldus* & *Canutus* filii *Suani* regis *Danorum* cum ducentis navibus in oſtio *Humbra* fluminis applicuerunt, quibus *Edgarus Adeling* ſe dedit. De quorum adventu *Aldredus* archiepiſcopus tam triſtis effectus eſt ut moreretur iij. Idus Septembris. Octavo poſt hoc die *Normanni* cuſtodes caſtellorum timentes ne domus ſuburbii forent *Danis* ſuffragia ad implendum foſſas, eas incenderunt, ſet flamma nimis excreſcens urbem *Eboracenſem* cum ipſo monaſterio ſancti *Petri* conſumpſit, ſet ante finem incendii *Danica* claſſis ſupervenit, & de conniuencia civium plus quam tria millia *Normannorum* trucidavit. Inde *Willielmus* indignatus ita provinciam illam devaſtavit ut fame invaleſcente homines equinam, catinam, caninam & eciam humanam carnem comederent. Terra eciam quæ inter *Eboracum* & *Dunelmum* jacet novem annis habitatore & cultore caruit, excepto ſolo territorio *Iohannis Beverlacenſis*. Nam ibi quidam regis miles vindictam incurrit fracto collo equi ſui & propria facie retorta. Tunc eciam monaſterium *Beda* quod fuerat in *Girvum* ſuper ripam *Wiri* fluminis combuſtum eſt. Hoc anno *Malcolmus* terram *Northumbria* ita devaſtavit, ut occiſis ſenibus & debilibus robuſtos quoque perpetua ſervitute dampnaret, in tantum quod vix erat domus in *Scotia* quin ſervum aut ancillam *Anglicam* haberet. Rex *Willielmus* quorundam ductus conſilio omnia monaſteria *Anglia* fecit perſcrutari & pecuniam inventam

Leyceſtrenſis.

Ciſtrenſis.

in ſuum ærarium transferri. Cito poſt hoc in octavis Paſchæ celebratum eſt conſilium *Wyntonia* annuente Papa *Alexandro* 2, præſentibus ibidem duobus Cardinalibus, in quo degradatus eſt *Stigandus* archiepiſc. tribus de cauſis. Prima quia epiſcopatum *Wyntonienſem* ſimul cum archiepiſcopatu *Cantuarienſi* tenuerat. 2. Quia vivente *Roberto* archiepiſcopo archiepiſcopatum occupavit, & pallio ibidem relicto uſus eſt abſque beneplacito ſedis apoſtolicæ. 3. Quia à *Benedicto* Papa quem eccleſia *Romana* excommunicaverat pallium acceperat. Set quamvis regis amicitiam jugiter interpellaret, rex blande ut noverat mandatis Papalibus ſe excuſans *Stigandum* in vinculis apud *Wyntoniam* conjecit quoad vixit, parum ei de fiſco ad victum quotidie conferens; Ipſe nempe *Stigandus* ingenita mentis duritia nihil de proprio admittere volens perjuravit per omnem Sanctum ſe nummum non habere, cujus fidei obviavit quod collo exanimati corporis clavicula dependens magnarum opum in ſubterraneis ſpecubus repertarum indicium fuit. Depoſiti ſunt in eodem Concilio plures epiſcopi & abbates procurante potiſſime rege *Willielmo*, ut in locis eorum perſonas *Normannicas* introduceret. Quidam autem arbitrati ſunt eum id feciſſe ad majorem regni ſui confirmationem. In hoc eciam Concilio ſanctus *Wlſtanus* epiſcopus *Wygornienſis* quaſdam poſſeſſiones ſui epiſcopatus per *Aldredum Eboracenſem* retentas, & poſt ejus mortem in poteſtatem regiam devolutas conſtanter repetiit. Verum quia *Eboracenſis* eccleſia tunc muta fuit eo quod vacaret, decretum eſt ut ipſa querela interim maneret intacta. Poſt hæc die Pentecoſtes apud *Winduſoram* Rex *Willielmus* contulit archiepiſcopatum *Eboracenſem Thoma* Canonico *Baiocenſi*, viro quidem vultu & ſermone comi, qui pulcram eccleſiam apud *Eboracum* conſtruxit, canonicos ditavit, cantus eccleſiaſticos compoſuit. Poſt hæc rex accito de *Normannia Lanfranco Cadomenſi* Abbate genere Italico, divinis & ſecularibus literis peritiſſimo, in rerum gubernatione prudentiſſimo, die Aſſumptionis beatæ *Maria* ipſum archiepiſcopum *Cantuarienſem* conſtituit, de cujus moribus & inſigniis inferius circa ejus obitum dicetur. Ad iſtum *Lanfrancum* acceſſit *Thomas Eboracenſis* electus ex more ſacrandus; à quo *Lanfrancus* ſcriptam de obedientia ſua profeſſionem cum adjectione jurisjurandi expetiit. *Thomas* reſpondit ſe nunquam id facturum niſi ſuper hac re ſcriptas auctoritates aut congruas rationes audiret, quibus id ſine eccleſiæ ſuæ præjudicio facere deberet. Hoc autem magis ex animi ignorantia quam ex elati ſpiritus pertinacia depromebat, tanquam novus homo *Angliæ* conſuetudinis expers ac verbis adulatorum deceptus: At cum *Lanfrancus* rationabiliter poſtulata enodaſſet, non adquieſcens ad hæc *Thomas* minime ſacratus abceſſit. Quod rex audiens moleſte tulit, æſtimans *Lanfrancum* injuſta velle, & magis ſcientia quam ratione confidere. Set ipſe ſuper hiis coram rege reddita ratione animum regis mitigavir. Quamobrem *Thomas* regio edicto compulſus rediit, ſcriptam de obedientia profeſſionem fecit & legit, in qua ſe in omnibus quæ ad Chriſtianæ religionis cultum pertinent optime paratum abſolute promiſit, & ſic ſacratus abceſſit. Nec multo poſt *Lanfrancus* ab univerſis *Anglia* epiſcopis prius ab aliis ſacratis profeſſiones petiit & accepit.

Leyceſtrenſis.

§ *ROBERTUS* Comes *Mellenti* venit cum *Willielmo* in *Angliam* cui *Roberto* datus eſt comitatus *Leyceſtrenſis*. Iſte *Robertus* reædificavit eccleſiam ſanctæ *Maria* de Caſtro *Leyceſtrenſi*, & poſuit in eadem canonicos ſeculares, & reſtituit eis terras, poſſeſſiones & eccleſias. *Robertus Boſſu* filius ejuſdem *Roberti de Mellent* de conſenſu *Alexandri* epiſcopi *Lincolnienſis* anno gratiæ M. C. xliij. fundavit monaſterium beatæ *Maria* de *Pratis Leyceſtria* in honorem aſſumptionis ejuſdem glorioſæ virginis, & de eccleſiis, terris & poſſeſſionibus antedictorum canonicorum ſecularium cum multis aliis ſuper erogatis tam eccleſiis aliiſque poſſeſſionibus & redditibus luculenter dotavit, & eas in uſum Canonicorum regularium transformavit. Qui eciam in eodem monaſterio de conſenſu *Amicia* uxoris ſuæ Canonicus regularis factus eſt, & annis xv. in habitu regulari ibidem Chriſto militans Canonicus vitam finiens obdormivit in pace, in latere ibidem chori dextro ſepultus ſcilicet anno gratiæ M. C. lxvij. Iſte *Robertus* fundavit abbathiam de *Gerondona* monachorum & monaſterium Sanctimonialium de *Etona*, in quo *Amicia* uxor ejuſdem *Roberti* ex mutuo aſſenſu viri ſui facta eſt Sanctimonialis de reſiduo vitæ ſuæ Deo ſerviens, unde ipſe factus eſt Canonicus regularis & illa Sanctimonialis. De quibus proceſſit *Robertus on les blanc meines* filius eorum, Comes *Leyceſtrenſis* tertius poſt conqueſtum, qui deſponſavit *Petronillam* filiam *Hugonis Grantmenyl*, cum qua accepit totum honorem de **Hyncleye** una cum ſeneſcatu *Anglia* ex dono ejuſdem *Hugonis*, Quæ *Petronilla* conſtruxit magnam navim ejuſdem eccleſiæ Abbathiæ *Leyceſtrenſis*, & in choro coram magno altari eſt humata: quæ etiam comam capitis ſui ad modum funis compoſuit & ad cordam unius lampadis in choro poſuit, unde more inſtrumenti cum eadem coma crinium ſubtrahendi ſurſumque levandi diuturnus uſus dabatur. Et prædictus funis in eodem monaſterio in devotam prædictæ Dominæ memoriam non obliviſcitur, ſet memoriter ſervatur. Iſte *Robertus Mellent* eciam hoſpitalitatem de **Bracleye** fundavit & dotavit, ubi cor ejuſdem *Roberti de Mellento* adhuc integrum in plumbo ſale ſervatum habetur. *Robertus on les blanc meyns* genuit de dicta *Petronilla*, *Robertum* dictum filium *Petronilla* hæredem, *Rogeum* ſancti *Andrea* in *Scocia* epiſcopū, & *Willielmum* leproſum fundatorem Hoſpitalis ſancti *Leonardi Leyceſtria*, & *Amiciam* deſponſatam *Simoni de Monte forti*, & *Margaretam* deſponſatam *Sayro de Quinci*. Iſte *Robertus* tercius Comes peregre profectus *Ieroſolymam* ac rediens apud *Duraco* in *Gracia* anno gratiæ M.C.cx. obiens ſepultus eſt. *Robertus* filius *Petronilla* iiij. Comes *Leyceſtrenſis* in terram ſanctam profectus peregre poſtquam magnum *Soldanum* in armis *Ricardi* regis *Anglia* per haſtiludium bellicum proſtravit & ſtrenue inter fecit, in *Angliam* rediens in Abbathia *Leyceſtrenſi* mortuus ſepultus eſt, & tunc ſpartita eſt hæreditas inter duas ſorores ſcilicet *Amiciam* & *Margaretam*, deficiente ſemine fratrum nec illo habente filium. *Simon de Monte forti* per *Amiciam* ſeniorem filiam cum medietate comitatus *Leyceſtria* & Honoris de **Hyncleye** factus eſt Comes *Leyceſtrenſis* & pro Honore de **Hyncleye** jure hereditario ſeneſcallus *Anglia*. *Seirus de Quinci* per minorē filiam *Margaretam* cum altera medietate comitatus *Leyceſtrenſis*

ceſtrenſis factus eſt comes de *Wyncheſtria.* Dominus *Simon de Monte forti* poſtea propter inobedienciam ſuam erga regem exhæredatus & exlegatus cum filiis ſuis. Et comitatus *Leyceſtrenſis* cum honore de **Hyncleye** datus eſt *Ranulfo* comiti *Ceſtrenſi.* Set *Simon* filius dicti *Simonis de Monte forti* poſt mortem patris ſui in *Angliam* rediens ex dono regis recuperavit hæreditatem ſuam de comitatu et honore prædictis. Set rex reſervavit ſibi & hæredibus ſuis ſolum patronatum abbatiæ *Leyceſtrenſis* & Prioratus de *Kynelworthia.* Iſte *Simon* junior accepit uxorem *Elianoram* ſororem regis *Henrici*, quæ prius voverat caſtitatem, & anulum ut ſponſa *Chriſti* de manu ſancti *Edmundi Cantuarienſis* acceperat, De qua genuit nobiliſſimam prolem, ſet cito de hoc mundo tranſituram, ſcilicet filios & unam filiam *Elianoram*, quam poſtea deſponſavit *Lewlinus* princeps *Wallia.* Iſte *Simon* patriſſare volens, ſuper quibuſdam conſtitutionibus obſervandis inter regem *Henricum* iij. & Barones regni ſe ingeſſit ut capitaneus eorum, unde duo bella mortalia ingruerunt in *Anglia*, unum apud **Lewes** & aliud apud **Evyſham**, ut infra plenius patebit; In quo ipſe *Simon* & filius ejus una cum multis aliis ex parte baronum ceciderunt. Et ſic rex *Henricus* dedit comitatum *Leyceſtria* cum honore de **Hyncleye** & ſeneſcalatu *Anglia Edmundo* filio ſuo. De quo *Edmundo* & hæredibus ſuis hiſtoria prolixius patebit in antedicta abbatia *Leyceſtrenſi*; ſimiliter de *Seiro de Quinci* ſcilicet comite *Wyntonienſi* & ejus hæredibus ibidem plenarie copia habetur.

Ciſtrenſis lib.7.c.2. Comites *Merciorum* & *Northimbrorum Edwynus* & *Morgarus* quia rex *Willielmus* eos vinculare diſpoſuerat latenter de curia fugerunt, & aliquandiu rebellaverunt, ſet quia parum profecerunt, *Edwynus* regem *Scociæ* adiens à ſuis obiter occiditur; *Morgarus* vero & *Egelwynus* epiſc. *Dunelmiæ* inſulam **Hely** adierunt ubi rex ab oriente exitum præcluſit, ad occidentem pontem ij. milliarium conſtruxit. Inde perterriti ipſi intercluſi regi ſe dederunt, at rex epiſcopum ad *Abendonienſe* monaſterium tranſmiſit cuſtodiendum ubi, ex dolore cordis comedere nolens obiit. Cui ſucceſſit *Walkerus* genere *Lotaringus*, quem cum vidiſſet *Editha* regina regis *Edwardi* relicta ad conſecrandum *Wyntoniam* duci, Pulcrum, inquit, habemus martirem, conjectura videlicet ſuæ gentis *Northumbria* ad præſagiendum inducta; viderat enim eum cæſarie luteolum, vultu roſeum, ſtatura pergrandem.

Cap. III.

LEYCESTRENSIS.

An. Græ 1072. NEmpe rex *Scotorum Malcolmus* inſudavit rebellare contra regem *Willielmum*; ſet *Willielmus* cum navali & equeſtri exercitu *Scociam* adiit anno Gratiæ M. lxxij. & regem *Malcolmum* ſtrenue ſubjugavit, qui ejus homo ligius devenit & fidelitatem juravit.

Ciſtrenſis lib.7.c.2. Hoc anno obiit *Willielmus Herfordenſis* epiſcopus, de quo fertur quod erat in urbe illa muliercula quam neſcio quo infortunio epiſcopus ardenter amabat. Ignorabat hoc illa, & forſan ſi ſciviſſet contempſiſſet. Interea cogitabat pontifex quod nihil infelicius quam ſenex amans, reluctabatur utcunque pro gradus ſui reverencia. Famulante tandem dæmonis fraude ingreditur illa Pontificis cubiculum ut forſan cubiculariis ejus veſtes lineas incideret. Diſcedunt ex cauſa clientes ſecretorum conſcii; tandem epiſcopo poſt obſcena dicta vim inferente, fœmina forcipibus quos manu tenebat inguina epiſcopi perfodit; unde & obiit. Cui ſucceſſit *Robertus* genere *Lotaringus* omnium liberalium artium peritus, abbatum præcipue; lunatem compotum & curſum aſtrorum rimatus.

Erat tunc temporis *Marianus Scotus* monachus apud *Moganciam Alemania* incluſus, qui longo ſolicitudinis ſuæ ocio cronographis ſcrutatis diſſonanciam cyclorum *Dioniſii exigui* contra evangelicam veritatem vel primus vel ſolus animadvertit. Itaque ab inicio ſeculi annos ſingulos recenſens xxij. annos qui ciclis prædictis deerant ſuperaddidit, magnam & diffuſam cronicam commentatus; quem librum *Robertus* iſte ſplendide defloravit, ut jam majus valere videatur ipſa defloratio quam ingentis illius voluminis diffuſio. Hoc eciam anno *Lanfrancus Cantuarienſis* & *Thomas Eboracenſis Romam* iverunt pro pallio habendo. Set *Lanfrancus* duo accepit pallia, unum honoris, alterum amoris; Tantam namque gratiam *Lanfrancus* coram papa *Alexandro* invenerat, ut ambos itineris ſui ſocios *Thomam Eboracenſem* & *Remigium Dorceſtrenſem* baculis & anulo merito privatos officio reſtitueret; Primus namque preſbiteri filius erat; Secundus cum eſſet monachus *Fiſcamenſis Willielmo* duci *Angliam* tendenti in multis opitulatus, ſi dux vinceret, epiſcopatum pactus eſt, ſuper quo coram papa convictus, depoſitus eſt. In præſentia eciam papæ *Thomas Eboracenſis* calumpniam movit ſuper primatu *Dorobernia*, & de ſubjectione ſibi facienda à tribus epiſcopatibus, ſcilicet *Lincolnienſi*, *Wygornenſi*, *Lychfeldenſi*, dicens, *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* ſedes abinvicem diſtare, nec alteram alteri ſecundum conſtitutionem *Gregorii* papæ ſubjacere debere, excepto quod unus alio eſt dignior propter prioratum temporis. Cui cum *Lanfrancus* rationabiliter oſtendiſſet, conſtitutionem illam *Gregorianam* non de *Cantuarienſi* ſet de *Eboracenſi* & *Londonenſi* feciſſe mentionem, decrevit papa cauſam illam coram rege & epiſcopis in *Anglia* determinare. Et quamvis *Lanfrancus Thomam* pro ſuo tempore per profeſſionem prius factam teneret ligatum, maluit tamen pro ſuis ſucceſſoribus laborare, quam eis in poſterum hanc calumpniam diſcutiendam reſervare. Anno igitur M. lxxij. coram rege *Willielmo* & clero apud *Wyndeſoram* ventilata eſt cauſa illa, ubi perlecta hiſtoria *Beda* monſtratum eſt à tempore primi *Auguſtini* uſque ad ultima *Beda* tempora quod C. xl. pene annorum erat, *Cantuarienſes* geſſiſſe primatum ſuper totam *Britannia* inſulam & *Hibernia*, juxta quoque *Eboracum* concilia celebraſſe, epiſcopos *Eboracenſes* advocaſſe. Et ad hæc recitata ſunt privilegia ſuper hiis indulta. Adverſus iſta oppoſuit *Thomas* epiſtolam illam qua *Gregorius Eboracenſem* & *Londonienſem* eccleſias pares eſſe, nec alteram alteri ſubjacere decrevit. Cui cum *Lanfrancus* reſpondiſſet, Nec ego ſum *Londonienſis* nec de *Londonienſi* mota eſt quæſtio. Adjecit *Thomas*, qui ſecum plures fautorum claſſes aſciverat, Quod videlicet à beato *Gregorio* ſoli *Auguſtino* conceſſum fuerat omnes *Anglia* epiſcopos habere ſubjectos; Et quod poſt obitum *Auguſtini* inter *Londonienſes* & *Eboracenſes* epiſcopos mutua foret gratiæ viciſſitudo;

Williel. I.

do; & quod prioritatem honoris cauſaret anticipatio ordinationis. Et quamvis *Auguſtinus* ſedem de *Londoniis* ad *Cantuariam* tranſtuliſſet, ſi *Gregorius* ſucceſſores *Auguſtini* prioratum ſuper *Eboracenſibus* voluiſſet, facile hujuſmodi verba in ſua Epiſtola poſuiſſet, *Hac tibi Auguſtine & ſucceſſoribus tuis concedo.* Verum quia hoc ad ſucceſſores *Auguſtini* extendi noluit, ideo de ſucceſſoribus mentionem non fecit. Ad hæc *Lanfrancus*, Si ſoli *Auguſtino* & non ſucceſſoribus ſuis hæc conceſſa ſit auctoritas, exile foret munus apoſtolicum ſuo familiari collatum, præſertim cum *Auguſtinus* nullum dum viveret ordinaverit *Eboracenſem* epiſcopum, nec ibi fuerit aliquis epiſcopus quem *Auguſtinus* ſubjectum haberet. Hanc denique dignitatem privilegia apoſtolica *Dorobernenſibus Auguſtini* ſucceſſoribus confirmaverunt, æquum & juſtum eſſe cenſuerunt ut omnes *Anglorum* eccleſiæ ab eo loco mutuarent vivendi diſciplinam à cujus fonte rapuerunt credendi flammam. Porro quod dicis, *Gregorium* potuiſſe ſi voluiſſet ſucceſſoribus *Auguſtini* confirmaſſe, dicto quod conceſſerat *Auguſtino*, verum eſt; Nec tamen hoc ſedi *Cantuarienſi* præjudicium affert; Nam quando *Chriſtus* dixit *Petro*, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, potuit adjeciſſe ſi voluiſſet, eandem poteſtatem ſucceſſoribus tuis concedo; Verumtamen hujus dicti prætermiſſio nichil reverenciæ vel auctoritatis ademit *Petri* ſucceſſoribus, quin in eis officiorum eccleſiaſticorum rata ſit diſpenſatio. Et quid agit hoc niſi vis divinæ liberalitatis per *Jeſum Chriſtum* à beato *Petro* in vicarios ejus diffuſa? Propterea ſi dialecticam noſti, Quod valet in toto valet in parte, & quod valet in majori valet in minori. *Romana* eccleſia quaſi totum eſt omnium eccleſiarum, cæteræ eccleſiæ ſunt quaſi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo eſt genus ſuorum individuorum, & tamen in unoquoque individuo ineſt tocius hominis tota proprietas: ita quodam reſpectu ſedes *Romana* eſt genus & totum reſpectu eccleſiarum, & tamen in unaquaque eccleſia totius Chriſtianæ fidei tota regnat integritas. *Romana* eccleſia major eſt omnium eccleſiarum, & quod in ea valet valere debet & in minoribus, ut poteſtas primi cujuſcumque eccleſiæ in ſuccedentes demanet, niſi ſi quid perſonaliter & nominatim excipiatur. Quare ſicut *Chriſtus* dixit omnibus præſulibus *Romanis* quod dixit *Petro*: ita dixit *Gregorius* omnibus *Auguſtini* ſucceſſoribus quod *Auguſtino* dixerat. Hinc conjicitur quod ſicut *Cantuaria* ſubicitur *Romæ* eo quod ex ea ſuſceperit fidem: ita *Eboracum* ſubiciatur *Cantuariæ* quæ illuc prædicatores miſit. Jam vero quod allegas *Gregorium* voluiſſe ut *Auguſtinus* reſideret *Londoniæ*, fluctuat plane. Quis enim credat tantum diſcipulum tanti magiſtri reſultare voluntati ireque in repulſam decretorum? Set eſto quod iſte *Auguſtinus* prout dicis migraret, quid ad me qui *Londonienſis* non ſum? Ea de re ſi lite conqueſta pace media negotium ventilari deſideres, pro mei juris officio non deero judicio. Succubuit hiis rationibus *Thomas* & libenter conceſſit ut ulterior ripa *Humbriæ* fluminis eſſet principium ſuæ dioceſis. Decretum eſt ut *Eboracenſis* de cætero in hiis quæ ad catholicum cultum pertinent ſubjaceat *Cantuarienſi*. Ita ut ſi *Cantuarienſis* ubicunque locorum in *Anglia* concilium cogere voluerit, *Eboracenſis* epiſcopus cum ſubjectis ſibi epiſcopis aderit, & canonicis ejus præceptis obediens erit. Obeunte autem *Cantuarienſi* primate, *Eboracenſis*, *Doroberniam* veniet & electum cum cæteris præfatæ eccleſiæ epiſcopis in primatem conſecrabit. Quod ſi *Eboracenſis* obierit, ſucceſſor ejus ad *Cantuarienſem* accedet vel ubicunque in *Anglia Cantuarienſi* viſum fuerit, & ordinationem ab eo ſuſcipiet, faciens juramentum cum profeſſione de obedientia. Gaudeat igitur *Lanfrancus* tripudio, Acta excepit ſcripto ne ſi laberentur recentia poſteri fraudarentur noticia. Modeſte tamen, ut nec ſcienda prætermitteret, nec dicendo efflueret, quia in proprias laudes facetiari odioſa jactantia eſt. Unde & epiſtolam iſta continentem miſit *Lanfrancus* ſummo pontifici *Alexandro* cum profeſſione *Thomæ Eboracenſis*.

Williel. I.

Hoc anno rex *Willielmus* cum navali & equeſtri exercitu *Scociam* adiit & regem *Malcolmum* ſubegit, qui ejus homo legius devenit & fidelitatem juravit. *Sigefredus Mogontinus* epiſcopus ſanctum *Iacobum* peregrinus adiit; ſet in redeundo effectus eſt monachus *Cluniacenſis*; cujus epiſcopatum dum quidam mercenarii comparare vellent, jubente abbate ſuo ad ſedem propriam rediit. Hoc anno *Edgarus* **Adelyng** adiit regem *Willielmum* in *Normanniam*, & pacificatus eſt cum eo. §. *Item ibidem capitulo* iij. *Hiltebrandus* qui & *Gregorius* vij. quondam Prior *Cluniacenſis*, deinde *Romanus* archidiaconus, iij°. papa effectus ſedit annis undecim. Qui ſinodo congregata interdixit clericis conſecratis uxores habere aut cum mulieribus habitare niſi quas *Nicena* ſinodus aut cæteri canones permiſerunt; ſet cum ſacerdotes ejus cenſuras parvipenderent præcepit papa ut nullus audiret miſſam ſacerdotis concubinarii. Hic dum aliquando cardinalis eſſet & legatus in *Francia* contra prælatos *Simoniacos* acriter proceſſit, unde & unus epiſcopus ſuper hoc graviter infamatus teſtes qui eum accuſaverunt clam corrupit; quod comperiens legatus, coram concilio dixit, Ceſſet ad præſens humanum judicium ſæpe fallibile, & producatur divinum oraculum; Cum igitur certum ſit quod epiſcopalis gratia donum ſit Spiritus ſancti, & quiſquis epiſcopatum mercatur contra Spiritum ſanctum facit; ſi igitur tu pontifex contra Spiritum ſanctum non egiſti, dic palam in concilio, *Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto*: Set ille licet frequencius incepiſſet & dicere temptaſſet, nunquam tamen *Spiritui ſancto* proferre potuit; ſet ejectus de epiſcopatu, poſtmodum plane dixit. Hic eciam papa dum nocte nativitatis Dominicæ primam miſſam in eccleſia beatæ *Mariæ* ad præſepe Domini celebraret, *Creſſencius* præfecti urbis filius cepit & incarceravit, ſet *Romani* ſtatim fregerunt turrim & liberaverunt papam. Iſte eciam papa in concilio centum epiſcoporum excommunicavit imperatorem *Henricum* iiij. & à fidelitate ei debita cuntos abſolvit, pro eo quod contra ſtatum univerſalis eccleſiæ plurima moliretur. Set poſtmodum quamvis imperator nudus pedibus ſuper nivem & glaciem diu ſtans veniam rogaret, vix abſolutionem optinuit. Poſt hæc tamen imperator *Romam* obſedit, cives corrupit, papam incarceravit, & quendam *Wibertum Ravennatem* epiſcopum papam inſtituit, & *Clementem* vocavit. Sed *Robertus* dux *Apuliæ* hæc audiens papam & cardinales liberavit.

Comes *Herfordiæ Rogerus* de cujus conſilio rex *Willielmus* ſcrutari fecerat monaſteria *Angliæ* pro theſauris habendis, contra regis præceptum ſororem ſuam *Radulfo* comiti *Eſtangliæ* copulavit, ubi contra

tra regem fecerunt conjurationem, & comitem *Waltef* ad conſentiendum circumvenerunt. Qui mox *Lanfrancum* adiit, & pœnitentia accepta regem in *Normannia* petiit, factionem denudavit, clementiæ regiæ ſe dedit ultro; rex vero rediens quoſdam exlegavit, comitem *Radulfum* profugavit, comitem *Waltef* poſt incarcerationem juxta *Wymoniam* impie fecit decollari. Set Deo ordinante proceſſu temporis corpus ejus apud **Croland** monaſterium tumulatur. De quo teſtatus eſt *Lanfrancus* quod vere humana contagia defleverit, & felicem ſe fore dixit ſi poſt hujus vitæ exilium illius poſſet frui requie. Celebratum eſt concilium *Londonia* in eccleſia S. *Pauli* ſub *Lanfranco*, cujus rei uſus in *Anglia* diu obſoleverat, ubi primo ordinatum eſt de ſeſſione epiſcoporum in conciliis celebrandis. Secundo, Quod ſedes epiſcoporum de viculis tranſirent ad urbes majores; unde factum eſt ut ſedes *Seleſienſis* tranſiret ad *Ciceſtriam*, *Cornubienſis* ad *Exceſtriam*, *Wellenſis* ad *Batoniam*, *Schurburnenſis* ad *Salesburiam*, *Dorceſtrenſis* ad *Lyncolniam*, *Lychefeldenſis* ad *Ceſtriam* tempore *Petri* epiſcopi. Set *Robertus* ſucceſſor ejus tranſtulit de *Ceſtria* ad *Conventreiam*. Hoc anno *Hermannus* epiſcopus primus *Sarisburienſis* de quo ſupradictum eſt obiit, cui ſucceſſit *Oſmundus* regis cancellarius xxiv. annis, qui eccleſiam novam ibidem conſtruxit, clericos inſignes tam literis quam cantu aggregavit, ita ut ipſeque epiſcopus libros ſcribere, ligare & illuminare non faſtidiret. Hic quoque compoſuit librum ordinalem eccleſiaſtici officii quem Conſuetudinarium vocant, quo fere nunc tota *Anglia*, *Wallia* utitur, & *Hibernia*. Dictavit eciam vitam S. *Aldelmi*.

Robertus Courthous primogenitus regis *Willielmi* pro eo quod non poſſet optinere *Normanniam* quam pater ſuus ſibi aliquando aſſignaverat, auxilio regis *Francorum* fretus multas prædas in *Normannia* & patri moleſtias intulit, ita quod pater in brachio vulneratus & de equo ſuo ejectus exclamaret, cujus vocem *Robertus* audiens, deſcendit de equo ſuo & patrem in equum levavit. *Northimbrenſes* occiderunt *Walkerum* epiſcopum *Dunelmiæ*, cui ſucceſſit *Willielmus* quondam abbas ſancti *Kareleſi* qui monachos apud *Dunelmiam* primus poſuit. Hic potens in ſeculo, oris volubilitate promtus, de qua re confiſus partes poſtmodum contra regem *Willielmum Rufum* aliqualiter fovit, unde & de *Anglia* fugiens poſt duos annos ad ſedem ſuam rediit, ſedulo agens ut priſtinum regis adquireret amorem; unde contigit ut regis velle & nolle omnino ſequeretur; potiſſime in illo turbine qui inter regem & *Anſelmum* verſabatur, ſperans per hoc aut regis gratiam adquirere aut in archiepiſcopatu ſuccedere; ſet utroque excidit; nam moto inter ipſum & regem diſcidio dum ipſe *Glovernia* pro cauſa ſua defendenda adeſſet, lecto æger decubuit, quo & obiit. Hic primus Priorem *Dunelmiæ* hoc inſigni contulit ut in toto illo epiſcopatu decanus ſit & vice dominus.

Comes *Salopiæ Warinus* conſtruxit duo cœnobia, unum in ſuburbio *Salopiæ*, & aliud apud **Wenloc** in honore ſanctæ *Milburgæ*. Dum quidam potens ſederet in convivio repente circumvallatus eſt à muribus, qui licet in pelagus maris adductus eſſet, nil ei profuit; Nam mures corticibus malorum granatorum adducti à nautis demergebantur. Nichil enim creatum deſtituit Deus ingenio, nec ullum noxium ſine remedio. Unde homo ille iterum ad terram adductus à muribus omnino dilaceratus eſt. Idem fertur contigiſſe cuidam principi *Poloniæ* quem *Leopardus* momorderat. Simile eciam refertur de quodam principe qui nulla arte ſe potuit à pediculis reſervare.

Hoc anno facta eſt ſeditio nephanda inter monachos & ignominioſum abbatem *Glaſconiæ Thurſtinum*, quem rex *Willielmus* de monaſterio *Cadomi* nulla prudentia inſtructum eidem loco præfecerat. Qui inter cæteras ſtulticiæ ſuæ ineptias *Gregorianum* cantum in officio aſpernatus, monachos cœpit compellere ut *Willielmi* cujuſdam *Fiſcanenſis* monachi cantum exercerent. Res eciam eccleſiæ lenocinando conſumpſit. Severe eciam à monachis ordinem exegit, ſet & victualia reſtrinxit. Hinc lites verborum, diſcordiæ animorum ſuſcitantur, quia ut ait *Lucanus* neſcit plebs jejuna timere. Poſt jurgia ventum eſt ad arma. Abbas ille cum ſatellitibus ſuis armata manu in monachos irruit, duos ad crepidinem altaris occidit, xxviij. vulneravit, ſagittas & jacula ad imagines & feretra eccleſiæ direxit. Monachi autem tanquam neceſſitate compulſi ubicunque poterant ſe defendentes cum ſcamnis & candelabris quoſdam de militibus vulneraverunt. Hinc moto judicio coram rege abbas ad monaſterium ſuum in *Normannia* tranſlatus eſt, monachi vero juſſu regis per epiſcopatus & abbatias ſunt diſperſi. Poſt mortem vero regis *Willielmi Thurſtanus* prædictus emit monaſterium *Glaſconienſe* à rege *Willielmo Rufo* quingentis libris. Et ſic per poſſeſſiones eccleſiæ aliquot annis evagatus longe ab eo expiravit.

Hoc anno rex *Willielmus* de qualibet hida terræ in *Anglia* accepit ſex ſolidos argenti. Igitur papa *Hiltebrandus* laborans in extremis vocavit ad ſe cardinalem quem plus dilexerat & confeſſus eſt ſe ſuſcitaſſe odium et ſciſma inter imperatorem et quoſdam Chriſtianos, unde & ipſe diſſolvit vincula bannorum et obiit. §. *Item ibidem capitulo* iv. *Victor* iij. poſt *Hildebrandum* ſedet papa uno anno & menſibus v. qui aliquando fuit nuncupatus *Deſiderius*. Abbas montis *Caſſini* veneno in calicem ejus miſſo extinctus eſt. Quo anno rex *Daciæ Canutus* auxilio ſoceri ſui *Roberti Flandrenſis* Comitis fretus cum magna claſſe in *Angliam* venire diſpoſuit. Set rex *Willielmus* hoc audiens collecto grandi exercitu de *Normannia Angliam* rediit, ſet hoſtibus ſuis impeditis curiam ſuam magnam apud *Gloverniam* tenuit ubi tres epiſcopatus tribus clericis ſuis contulit, ſcilicet *Mauricio Londonienſem*, *Willielmo Tedfordenſem*, *Roberto Ciſtrenſem*, ſet *Robertus* ſedem tranſtulit uſque *Conventriam*, de cujus eccleſiæ una trabe quingentas marcas argenti corroſit, unde manum regis impleret & papæ occupationes falleret. Ditaverat namque *Leofricus* Comes locum illum auro, argento, gemmis & reliquiis, ſic igitur *Robertus* præfatus crimen peculatus incurrit, repetendarum reus mox futurus ſi eſſet accuſator paratus. Monachos quoque loci illius agreſti victu cibavit, & non niſi triviali literatura permiſit informari, ne deliciæ aut literæ redderent monachos contra epiſcopum elatos. Verumtamen apud **Lichefelde** magnarum fuerat ædificationum inchoator. Circa hæc tempora incepit ordo *Cartuſienſis* in *Calabria* in epiſcopatu *Gratianopolitano* per quendam *Brunonem* qui ex urbe *Colonia* oriundus natione *Teutonicus* eccleſiæ *Remenſis* canonicus in *Gallia* & magiſter ſcolarum fuit. Hic relicto ſeculo heremum *Cartuſiæ* circa feſtum ſancti *Johannis* fundavit, & rexit ſex annis. Tandem cogente *Urbano* papa ſecundo cujus aliquando præceptor fuerat, *Romam* perrexit, ubi papam in negociis eccleſiaſticis multum juvit, ſet cum tumultum & mores curiæ ferre non poſſet, relicta curia contemptoque archiepiſcopatu *Ricenſi* ad quem jubente papa electus fuerat, in heremo *Calabriæ* cui nomen *Turris* eſt ſeceſſit, & deceſſit. Hoc genus Heremitarum ſub Priore agit, nuſquam carnem comedens, aut apoſtatam readmittens; nec numerum duo denariorum in clericis tranſcendit niſi forte pro aliqua inſigni perſona; laicos tamen uſque ad viginti recipiunt.

CAP. IV.

REX *Willielmus* fecit totam *Angliam* deſcribi quantum terræ quis baronum ſuorum poſſidebat, quot feodatos milites, quot villanos, quot animalia; Et vexata eſt terra multis cladibus inde provenientibus, & redacta eſt hæc deſcriptio in uno volumine, poſitaque in archivis regiis apud *Wyntoniam*. Hoc eciam anno *Edgarus* **Adelyng** licentia regis *Willielmi* cum multa claſſe tranſiit in *Apuliam*; Cujus ſoror *Chriſtiana* intravit monaſterium de **Rameſee**.

Urbanus ſecundus poſt *Victorem* ſedet papa annis xiij. Hic primo fuit monachus *Cluniacenſis*, deinde archidiaconus *Remenſis*, *Odo* vocatus; poſt hoc epiſcopus *Hoſtienſis*, tandem apoſtolicus. Quem multum vexavit papa alius intruſus, nomine *Clemens*, archiepiſcopus quondam *Ravennienſis*. Hoc anno magna fuit in *Anglia* lues animalium, & intemperies aeris, qua plures mortui ſunt febribus & fame. Interea vorax flamma conſumpſit pæne principales urbes *Angliæ*, eccleſiam ſancti *Pauli* cum magna parte *Londoniæ*.

Hoc anno *Dani* dominum ſuum *Canutum* in quadam eccleſia occiderunt. Iſtum *Willielmum* regem in extremo vitæ ſuæ anno apud *Rotomagum* decubantem rex *Franciæ* deriſit in hunc modum; Rex *Angliæ Willielmus* jacet modo more feminarum abſolutarum enixarum, ocium fovens; jocatus per hoc in ejus ventris groſſitiem quem potione tunc alleviaverat. Quo perſtrictus rex convicio, reſpondit, Et ego cum ad miſſam poſt partum acceſſero, centum millia candelarum ei libabo. Nec multum poſt, menſe Auguſti quando ſegetes erant in agris, botri in vineis, poma in viridariis occiduam partem *Franciæ* incendit; urbem *Medantem* cum eccleſia beatæ *Mariæ* conflagravit. In qua unam recluſam, quæ non putavit in tali neceſſitate cedendum, uſtulavit, ex qua calefactione *Willielmus* morbum incurabilem incurrit, vel quia dum ſonipes ejus foſſam tranſiliret interanea pinguis ventris ejus ſunt interrupta. Morte igitur à medicis intimata, delegavit *Normanniam* primogenito ſuo *Roberto*, *Angliam Willielmo Rufo*, poſſeſſiones maternas & theſaurum *Henrico* clerico; vinctos ſuos omnes fecit abſolvi, hii fuerunt comites *Morgarus*, & *Rogerus*, *Wilnotus* filius *Haraldi*, *Odo* frater ſuus epiſcopus *Baiocenſis*. Et ſic xxj. anno regni ſui, x. menſe, ducatus ſui anno lij. vitæ ſuæ lx. gratiæ M.lxxxvij. ſexto idus Decembriis obiit, In monaſterio *Cadomi* quod ipſe fundaverat ſepultus. Ubi erat videre mundi miſeriam, quod tantus *Europæ* terror & horror ſepulturam ſine calumpnia habere non potuit. Nam ibi miles quidam palam inhibuit ſepulturam fieri, dicens, illud ſolum ſuum eſſe violenterque ab eo ſublatum, nec debere quempiam in rapina ſepeliri. Quo circa *Henricus* qui ſolus ex filiis ſuis tunc aderat, centum libras illi militi dedit. Nam *Robertus* primogenitus tunc patriam debellavit, *Willielmus Rufus Angliam* navigaverat, qui tamen apud *Wyntoniam* erutis theſauris paternis multa pro patris memoria errogaverat. Erat nempe *Willielmus* iſte conqueſtor vir ſapiens ſet aſtutus, locuples ſet cupidus, glorioſus ſet famæ deditus, affabilis Dei ſervis, ſet rigidus ei reſiſtentibus. Apud *Novam Foreſtam* in *Hamptunenſi* provincia ad ſpacium triginta milliarium villas & eccleſias eradicans feras inſtituit. Ita ut qui feram caperet oculum amitteret, qui mulierem vi opprimeret genitalia amitteret. Erat *Willielmus* ſtaturæ juſtæ, inmenſæ corpulenciæ, facie fera, fronte nuda, magni roboris in lacertis ut fere nemo ejus arcum tenderet, quem tamen ipſe equo admiſſo pedibus nervo extento ſinuaret; commoda valetudine gaudens, exercitio nemorum nimis deditus, ita ut ſtratis villis & eccleſiis loca ſilveſtria faceret. In præcipuis feſtis profuſe convivabat; Natale domini apud *Gloverniam*, Paſcha apud *Wyntoniam*, Pentecoſten apud *Weſtmonaſterium* quando in *Anglia* foret tenere conſuevit. Set in emungenda pecunia ſemper exceſſivus, vel pro hoſtilitate pellenda, vel pro magnificentia fovenda, vel pro cupiditate ſedanda. Tradit fama quod iſte *Willielmus* adhuc minor patruum ſuum *Malgerum* archiepiſcopum *Rotomagenſem* de ſede ſua proturbaverit, eo quod neglecto officio divino venationi & conviviis indulſit, vel pocius quod ipſe *Willielmum* ducem & *Matildam* uxorem ſibi conſanguineam pro illicita copula excommunicaverit. Verumtamen dux *Willielmus* pro hoc delicto expiando monaſterium virorum, & *Matilda* monaſterium feminarum apud *Cadomum* conſtruxerunt. *Willielmus* quoque fundavit duo monaſteria in *Anglia*, unum apud **Bermundeſheie** juxta *Londonias*, aliud de *Bello* in *Southſaxonia* ubi pugnaverat. Mortuo iſto *Willielmo* vix erat in *Anglia* princeps *Anglicus*, immo *Anglis* in ſervitutem redactis probroſum fuit vocari *Anglicus*. Deus enim ad exterminium *Anglorum* præordinaverat populum ferocem quorum natura eſt cum hoſtes depreſſerint ipſi ſe deprimant. Rex *Willielmus* genuit quatuor filios, ſcilicet *Robertum* ſeniorem cui contulit *Normanniam*, *Willielmum Rufum* qui regnavit in *Anglia* poſt patrem ſuum *Willielmum*, & *Henricum* clericum cui dedit theſauros ſuos & poſſeſſiones, (De iſtis tribus patebit infra in ſuis locis) & quartum filium nomine *Ricardum*, qui mortuus eſt in juventute.

An. Dñi 1087.

Hic claudicat Ciſtrenſis *dicens eum feciſſe novam Foreſtam cum* Willielmus *baſtardus mortuus eſt in* Normannia *ubi & ſepultus. Et* Willielmus Rufus *filius ejus qui ſecundum plures cronografos & ſecundum communiorem opinionem multorum regni foreſtam perfecit & feris replevit, & in eadem foreſta, ut infra patebit, caſuali ictu ſagitta interfectus eſt. poteſt tamen ſtare, quod incepit, & filius conſummavit.*

Poſt adquiſitionem *Angliæ Willielmus* rex iiij°. anno regni ſui cum conſilio Baronum ſuorum fecit ſummoniri per univerſos *Angliæ* conſulatus *Anglos* nobiles, ſapientes, & ſua lege eruditos, ut eorum leges & vitam & conſuetudines ab ipſis audiret. Electi ergo de ſingulis totius patriæ comitatibus viri xij. jurejurando coram rege primum confirmaverunt, ut quoad poſſent recto tramite neq; ad dextram neque ad ſiniſtram divertentes, legum veritatem ſuarum & conſuetudinū ſibi patefacerent, nil prætermittentes, nil addentes, nil prævaricantes, nil mutantes. A legibus itaque ſanctæ eccleſiæ matris ſumentes exordium, quoniam per eam rex & regnum ſolidum ſubſiſtendi habent fundamentum, leges libertates ipſius pacis concionati ſunt.

De Clericis & poſſeſſionibus eorum.

Omnis clericus & eciam ſcolaris, omnes eorum res & poſſeſſiones ubicunque fuerint pacem Dei & eccleſiæ habeant.

De temporibus & diebus pacis Regis.

Ab adventu Domini uſque ad octavas *Epiphaniæ* pax Domini & eccleſiæ per omne regnum. Similiter à ſeptuageſima uſque ad octavas Paſchæ. *Item*, ab Aſcenſione Domini uſque ad octavas Pentecoſtes. *Item*, omnibus diebus iiij. temporum. *Item*, omnibus ſabbatis ab hora ix. uſque ad diem Lunæ. *Item*, vigiliis ſanctæ *Mariæ*, ſancti *Michaelis*, ſancti *Johannis Baptiſtæ*, omnium Apoſtolorum & Sanctorum quorum ſolempnitates à ſacerdotibus dominicis diebus anunciantur, & omnium Sanctorum in kalendis Novembris. Similiter ab hora ix. vigiliarum & ſubſequentium ſolempnitatum. *Item*, in parochiis eccleſiarum ubi proprii feſtivitas Sancti celebretur. Similiter in parochiis in quibus dedicationis dies obſervatur. Et ſi quiſpiam devote ad celebrationem Sancti adveniat pacem habeat eundo, ſubſiſtendo & redeundo. *Item*, omnibus Chriſtianis ad eccleſiam cauſa orationis venientibus pax in eundo & redeundo ſit eis. Similiter ad dedicationes, ad ſinodos, ad capitula venientibus ſive ſummoniti ſint ſive per ſe quid agendum habuerint ſit ſumma pax. Et ſi excommunicatus aliquis abſolvendi cauſa ad epiſcopum confugerit, abſolutus eundo & redeundo pacem Dei & eccleſiæ habeat; Quod ſi aliquis ei foriſfecerit, epiſcopus inde juſtitiam faciat. Verumtamen ſi quis arrogans pro epiſcopi juſticia emendare noluerit, epiſcopus notum regi faciet, rex conſtringet malefactorem ut emendet ſuum malefactum; ſcilicet primum epiſcopo, deinde ſibi, & ſic erunt gladii duo & gladius gladium juvabit. *Item*, ubicunque regis juſticia vel ubicunque ſic placita tenuerit ſi miſſus epiſcopi veniens illuc apparuerit pro cauſa ſanctæ eccleſiæ, ipſa primitus terminetur; Juſtum eſt enim ut ubicumque Deus præ cæteris honoretur. *Item*, ubicunque de eccleſia aliquid tenuerit, vel in fundo eccleſiæ manſionem habuerit, extra curiam eccleſiaſticam coactus non placitabit quamvis foriſfecerit, niſi (quod abſit) in curia eccleſiaſtica rectum defecerit. *Item*, ubicunque reus vel noxius ad eccleſiam pro fugæ cauſa confugerit, extra atrium quo eccleſiæ tenuerit à nemine inſequente ullatenus apprehendatur niſi per Pontificem vel miniſtros ejus. Si fugiendo domum ſacerdotis vel curiam ejus intraverit, eandem ſecuritatem & pacem habeat quam apud eccleſiam, dum tamen domus ſacerdotis & curia in fundo eccleſiæ conſiſtant. Hic ſi latro vel raptor eſt, quod male cepit ſi ad manum eſt reddat, & ſi illud penitus exſtirpaverit & de ſuo proprio unde reddat habuerit, in integrum ei cui dampnum intulit reſtituat. Quod ſi more ſolito latro taliter egerit, & forte fortuitu ad eccleſias vel ſacerdotum domus frequenter evaſit, ablatione reſtituta forjuget, & redeat; & ſi forte reditum fecerit, nullus eum hoſpitari præſumat; niſi à rege data licencia. *Item*, ſi quis pacem eccleſiæ violenter infregerit, epiſcoporum eſt juſticia. Quod ſi nocens ſententiam eorum defugiendo vel arroganter contemnendo deſpexerit, clam de eo referetur ad regem poſt xl. dies, & regis juſticia mittet eum per vadimonium & plegeos ſi habere poterit, uſque donec Deo primitus & regi poſtea ſatisfaciat. Quod ſi infra xxx. & unum diem ſeu per amicos & notos ſeu per juſticiam inveniri non poterit, utlagabit eum rex verbo oris ſui; ſi vero poſtea repertus fuerit & teneri poſſit, vivus regi reddetur, vel caput ejus ſi ſe defenderit, lupinum enim gerit caput à die utlagationis ſuæ; quod *Anglice* **Wolveſhed** dicitur. Et hæc lex communis & generalis de hominibus & de omnibus utlagatis approbatur. *Item*, de omni annona decima garba Deo debita eſt, & ideo reddenda. Si gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tamen vel duas habuerit, de ſingulis pullis ſingulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum: qui unam vel duas, de vitulis ſingulis obolos ſingulos. Et qui caſeum fecerit det Deo decimum; ſi vero non fecerit, lac, decima die. Similiter decimum agnum, decimum vellus, decimum caſeum, decimum butirum, decimum porcellum. *Item*, de apibus vero ſimiliter commodi. Quineciam de boſco, & prato, & aquis, & molendinis, parcis, vivariis, piſcariis, virgultis, & ortis, & negotiationibus, & de omnibus rebus quas dederit Deus, decima pars ei reddenda eſt qui ix. partes ſimul cum x. largitur. Qui eam detinuerint, per juſticiam epiſcopi & regis ſi neceſſe fuerit ad redditionem arguantur. Hoc enim beatus *Auguſtinus* prædicavit & docuit; & hæc conceſſa ſunt à rege & baronibus & populo. Set poſtea inſtinctu diaboli multi eam detinuerunt, & ſacerdotes locupleti & negligentes non curabant inire laborem ad perſequendas eas, eo quod ſufficientia habeant ſuæ vitæ neceſſaria. Multis enim in locis modo iij. vel iv. ſunt eccleſiæ, ubi tunc temporis una tantum erat, & ſic cœperunt minui. *Item*, de illo de quo judicium fieri debet, veniat illuc miniſter epiſcopi cum clericis ſuis, & ſimiliter juſtitia regis cum legalibus hominibus provinciæ illius, qui videant & audiant ut æque omnia faciant. Et quos Dominus per miſericordiam ſuam, non per merita ſalvare voluerit, quieti ſint, & libere recedant, & quos iniquitas culpæ non Deus dampnaverit, juſtitia regis & ipſius juſtitiam facit. Barones vero qui ſuam curiam de ſuis hominibus habent, videant ut ſic de eis agant, quatinus erga Deum reatum non incurrant, & regem non offendant. Et ſi placitum de hominibus aliorum Baronum oritur in curiis ſuis, ad placitum regis juſticia ſit, quoniam abſque ea placitum finiri non poteſt. Si qui Barones judicia non habent in hundredo ubi placitum habitum fuit, ad propinquiorem eccleſiam ubi judicium regis erit, determinandum eſt ſalvo jure Baronum illorum. *Item*, omnes qui habent xxx. denariatos vivæ pecuniæ in domo ſua, de ſuo proprio; *Anglorum* lege dabunt denariatum ſancti *Petri* & lege *Danorum* dimidiam marcatam. Iſte vero denarius debet ſummoniri in ſolennitate Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, & colligi ante feſtivitatem quæ dicitur *ad vincula*, ita ut ultra illum diem non teneatur, *Williel.* I.

teneatur. Si quiſquam detenuerit, ad juſtitiam regis clamor differatur, quoniam denarius hic elemoſina regis eſt, juſtitia ejus faciat denarium reddere & forisfactum epiſcopi & regis; Quod ſi quis plures domos habuerit, de illa vero ubi reſidens fuit in feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* denarium reddat. *Item*, Danegeldi redditio propter piratas primitus ſtatuta eſt, patriam enim infeſtantes vaſtationi ejus pro poſſe inſiſtebant. Ad eorum quidem inſolentiam reprimendam ſtatutum eſt Danegeldum annuatim ſcilicet xij. d. de unaquaque hyda totius patriæ ad conducendos eos qui piratarum irruptioni reſiſtendo obviarent. De hoc quoque Danegeldo libera & quieta erat omnis eccleſia, & eciam omnis terra quæ in proprio dominio eccleſiæ erat ubicumque jacebat, nihil prorſus in tali redditione perſolvens, quia magis in eccleſiæ confidebant orationibus quam in armorum defenſionibus. Hanc itaque libertatem tenuit *Anglorum* eccleſia uſque tempora *Willielmi* junioris qui *Rufus* vocabatur, donec eodem à Baronibus *Angliæ* auxilium requirente ad *Normanniam* retinendam de *Roberto* fratre ſuo cognomine *Courtehoſe* & *Ieroſolymam* proficiſcente conceſſum eſt ei, non lege ſtatutum neque firmatum; ſet hæc neceſſitatis cauſa ex unaquaque hyda ſibi dari iiij. ſolidos, eccleſia non excepta. Dum vero collectio cenſus fieret proclamabat eccleſia ſuam repoſcens libertatem, ſed nichil profecit. *Item*, pax regis multiplex eſt, alia enim data manu ſua quam *Angli* vocant **kynkeſhand ſenalgid**; alia, die qua primum coronatus eſt, quæ dies tenet viij. In nativitate Domini dies viij. In Paſchate dies viij. In Pentecoſte dies viij. Alia, per breve ſuum data. Alia, quam habent iiij. chimini, **Watlyngſtrete**, **Fos**, **Hykenildeſtrete**, **Ermingeſtrete**, quorum vero duo in longitudine regni, alii duo in latitudine diſtenduntur. Alia, quam habent nominatorum fluminum quorum navigio de diverſis locis victualia deferuntur civitatibus vel burgis. Illa autem manus ſive eciam pax dierum coronationis, & brevis, ſub judicio unius forisfacturæ eſt; ſimiliter iiij. chiminorum eciam majorum & aquarum de aſſultu. De opere, ſi vero fiat opus deſtruatur, & medietas emendationis dabitur, quicunque ſcienter fregerit eam, xviij. hundreta in *Dane lata*, & corpus ejus in miſericordia regis *Anglorum*. **Were** ſuum, id eſt precium ſuæ redemptionis. **Monbote** de occiſis erga dominos quorum homines fuerint interfecti. **Monbote**, id eſt *Danelaga* de villano & **ſochman** xij. horas. De liberis eciam hominibus iij. marcas. De hominibus propriis eorum. Set epiſcopo ejuſdem comitatus & conſuli comitatus & dapifero regis ix. ſolid. baronibus autem aliis x. ſolid. parentibus occiſi fiat emendatio, vel guerra eorum portet: Unde *Anglice* proverbium habetur **Begge ſpereof ſite oh thei bere**; hoc eſt, eme lanciam à latere aut fer. Pax autem iv. chiminorũ & prædictarum aquarum ſub majori judicio continetur quam ſuperius diximus de aſſultis. Si vero molendina, piſcaria vel alia quælibet opera eis impedimentum facientia reparentur, opera ipſa protinus deſtruantur, & chiminum & aqua ut fuerint primitus reparentur, & forisfactura regis non obliviſcatur. Chimini vero minores de civitate ad civitatem quoſque ducentes, de burgis ad burgos, per quos mercata vehuntur, & cætera negocia fiunt, ſub lege comitatus ſunt. Si quidpiam operis ad eorum perturbationem erigitur, ſolo tenus deponatur, & chimini mox reparentur, & ſecundum legem comitatus ejuſdem erga comitem & vicecomitem emendetur. Similiter de aquis fiat minoribus naves inde portantibus cum eis rebus quæ neceſſaria ſunt burgis & civitatibus, ſalem, ligna & hujuſmodi, cum lege minorum chiminorum ſunt, & emendatio eorum. *Item*, diviſiones ſchirarum regis proprie cum judicio iv. chiminorum regalium ſunt. Diviſiones hundredorũ wapentagiorũ comitibus vicecomitibus cum judicio comitatus. *Item*, theſauri de terra regis ſunt niſi in eccleſia vel cimiterio inveniantur. Aurum regis eſt & medietas argenti, & medietas ubi inventum fuerit quodcumq; ipſa eccleſia fuerit dives vel pauper. *Item*, ſi quiſpiam murdratus alicubi reperiebatur, quærebatur apud villam ubi inveniebatur interfector illius. Qui ſi inveniri poterat trahebatur juſticiæ regis infra viij. dies interfectionis; ſi vero inveniri non poterat, menſis & unius diei terminum habebant ad eum requirendum; Quod ſi infra terminum non inveniebatur, colligebantur in villa illa xlvj. marcæ; ſet ſi autem tantæ ſolempni pecuniæ non ſufficiebat, per hundredum colligebatur quod in villa non poterat: verumptamen quoniam omnino villa confundetur, providebant Barones quod per hundredum colligerentur, & ſigillo alicujus Baronum comitatus ſigillarentur; & ad theſaurarium regis deportarentur; quas ſigillatas ipſe ſervare per annum & unum diem. Quod ſi infra hunc terminum poſſet murdrator haberi, traderetur juſticiæ regis, & ipſi marcas theſauro regis commendatas rehaberent; ſin infra tempus annuum poſſet teneri, parentes murdrati vj. marcas haberent, rex lx. ſi parentes deeſſent dominus ejus recipiet. Si dominum non haberet, aut phelagus ejus ſcilicet fide cum eo ligatus ſi haberet; ſi vero nichil iſtorum haberet, tunc rex regni ſub cujus protectione & pace deguit univerſum reſumeret, vj. marcas cum ſuis lx. *Item*, murdra quidem inventa fuerunt in diebus *Cnuti* regis *Dani*, qui poſt adquiſitam *Angliam* pacificam rogatu baronum *Anglorum* remiſit ad *Daciam* exercitum ſuum. Ipſi vero barones erga regem ſuum exiſterent fidejuſſores, quatinus quotquot in terra ſecum retinerent firmam pacem haberent per omnia; Verumptamen ſi quis *Anglorum* aliquem illorum interfecerit, ſi ſe ſuper hoc defendere non poſſet, in Deo ſcilicet, aqua vel ferro fieret de eo juſticia: ſin autem fugeret, ſolveretur ut ſupradictum eſt.

Williel. II.

CAP. V.

ciſtrenſis.

IGitur mortuo *Willielmo* Conqueſtore *Willielmus Rufus* coronatus eſt in regem die ſanctorum *Coſme* & *Damiane*, juvantibus eum *Wlſtano Wigornenſi* epiſcopo, & archiepiſcopo *Lanfranco* qui eum nutriverat & militem fecerat, & regnavit xiij. annis menſe minus. Quod audiens *Robertus* primogenitus qui tunc in *Almania* exercitum contra patrem congregaverat, *Normanniam* rediit; cujus mediam partem præter caſtella *Henrico* fratri ſuo inpignoravit, ut exercitum contra fratrem *Willielmum* conduceret, tandem apud *Hamptoniam* appulit. Cui rex *Willielmus* miſit nuncios qui dicerent, « Frater tuus *Willielmus* non ſe clamat regem ſet « ſubregulum ſub te & per te regnaturum qui illo « major es, melior & natu prior. Non uſurpavit « ſi placet quod ad tempus pro tui abſentia ſuſce- « perit. At quia jam coronatus eſt, petit ut ſub

« te

Williel. II.

« te regnet ſolvendo annuatim iij. millia marcarum. « Et qui altero ſupervixerit honores utriuſque poſ« ſideat. *Robertus* velut arundo ſtatim conſenſit & exercitum dimiſit, *Neuſtriam* rediit nil niſi promiſſa referens. Tota fere nobilitas *Angliæ* voluerat erexiſſe *Robertum* in regem excepto *Lanfranco* & *Wlſtano.* Interea per *Angliam* tempeſtas dira ſævit, nam poſt hyemem vere incipiente patruus regis *Willielmi*, *Odo Baiocenſis* epiſcopus à carcere *Willielmi* primi nuper liberatus *Angliam* venit, cui datus eſt *Cantiæ* comitatus, ſet cum videret non omnia ſuo arbitratu ut quondam in regno diſponi, livore ictus à rege diſcivit, & multos eodem ſuſurro infecit, potiſſime *Dunelmenſem* epiſcopum, Comitem *Northimbrenſem*, & *Rogerum* de *monte Gomerico* Comitem *Salopiæ.* Ipſe tunc *Odo* fiſcos regios & terras archiepiſcopi devaſtavit pro eo quod ejus conſilio ipſe in vinculis *Willielmi* primi conjectus fuerat; nam conquerente aliquando rege *Willielmo* primo de *Odone* fratre ſuo quod ab ipſo diſiliret, Tu, inquit *Lanfrancus*, prehende eum & vinci ne tibi noceat; non dico epiſcopum ſet Comitem *Canciæ.*

Interea *Rogerus Salopienſis* cum ſuis *Wallenſibus* fines *Angliæ* uſque *Wygorniam* devaſtat, ſet precibus ſancti *Wlſtani* ſimul & anathemate ita debilitati ſunt, & excæcati ipſe & viri ſui, ut à parvo numero caſtellanorum & ipſius familiæ epiſcopi diſpergerentur. Videns igitur rex *Willielmus Normannos* pene omnes contra ſe conſpiratos, delinivit *Anglos* promiſſis meliorum legum & liberæ venationis in ſilvis propriis, eodemque modo *Rogerum Salopienſem* reflexit, & ſtatim in deſertores deſævit, caſtella *Odonis* in *Cantia* occupavit, ipſum *Odonem* captum *Angliam* abjurare coegit, urbem *Roffenſem* ubi erat nobilitas congregata obſedit & cepit.

Hoc eciam anno corpus ſancti *Nicholai* ad urbem *Barrenſem* in *Apulia* advehitur. Dum enim *Turci Mirream* urbem deſtruerent, xxiiij. milites *Barrenſes* illuc profecti oſſa beati *Nicholai* in oleo natantia ad urbem ſuam detulerunt.

Hoc eciam anno *Urbanus* papa comitante *Anſelmo* tunc abbate *Beccenſi* concilium celebravit apud *Clarum montem* in *Gallia*, ubi ſtatutum eſt ut horæ de beata virgine cotidie dicerentur, & ejus officium fieret diebus ſabbatinis.

Rex *Willielmus* quædam caſtella in *Normannia Roberti* adquiſivit, cuſtodes pecunia corrumpens, & regem *Franciæ* ne fratri ſuo faveret impediens. Sicq; *Normannia* diu fluctuabat, modo uni, modo alteri fratri favens, donec *Robertus Cenomanciam* & rex *Willielmus* quædam caſtra in *Normannia* optinuerant.

Interea tercius frater *Henricus* infrendens quod nil ſibi de terris impartiebatur, *montem Michaelis* occupavit, utrumque fratrem viciſſim incurſavit, ubi quadam die rex *Willielmus* tabernaculum ſuum egreſſus cum paucis, irruit in multos hoſtes ipſe improviſus, ſet equo ſuo ſub femoribus ſuis occiſo, ipſe per pedem diu tractus probitate loricæ ſuæ ſalvatus eſt ne læderetur; miles autem qui eum dejecerat manum ad capulum gladii ſui aptavit ut regem feriret. Cui rex: Quieſce nebulo, rex *Angliæ* ſum ego. Tremunt vocem vulgus militum, alterum equum regi adducunt. Quo aſcenſo, inquirit quis eum dejecerit. Ego, ait miles ille qui hoc fecerat, nec putavi regem deicere ſet militem. Et rex. Per vultum de *Luca* & tu mihi de cætero carior eris. Cum igitur *Henricus* ab utriſque fratribus ita obſideretur ut aqua ſibi deficeret, miſit ad *Robertum* fratrem ſuum virum utique lenioris animi, dicens, Impium fore aquam negare quæ omni mortali communis eſt, magiſque civile fore, pugnare virtute militum quam violentia elementorum. Tunc ille aquam conceſſit. Quod rex *Willielmus* audiens deriſit factum, dicens, Siccine didiciſti ô *Roberte* hoſtes tuos debellare, potum præbens? Cui *Robertus*: Nunquid aquam fratri tuo præponderas dimittens eum mori? Si eum amiſerimus quem alium habebimus? Ad hæc rex *Willielmus* reſolvit prælium, ambos fratres in *Angliam* ſecum ducens.

Williel. II.

Item ibidem capitulo ſexto. Hoc anno *Lanfrancus Dorobernenſis* archiepiſcopus obiit quinto kalendarum Junii, & vacavit ſedes plene iiij. annis.

Leiceſtrenſis

Secularis ille magiſter *Lanfrancus* in mundo famoſus receſſit à patria, ut infra patet, eſſe incognitus Cum ſemel ſuper *Secanam* fluvium iret ſpaciatum, à ſociis ſuis aliquantulum ivit remotius ut Trinitatem perſonarum & veritatem eſſentiæ ad plenum intelligere meditaretur, vidit quendam puerum cum cocliari haurientem aquam de *Secana*, & fundere in quendam puteolum; quæſivit *Lanfrancus* quid ageret: puer reſpondit, quod totam foſſam immitteret in foſſunculam. Dixit magiſter, hoc nunquam puerile valebis conſummare; reſpondit puer, Sic nec tu illud quod verſatur in corde tuo cogitando. Et ſtatim ad hæc puer evanuit. *Lanfrancus* vero nolens amplius perſcrutari majeſtatem ne opprimeretur, ſtatim *Beccenſe* monaſterium intravit in *Normannia* ſub abbate *Herlewino.* Et ſimulans ſe quaſi pauca aut nulla ſcire, pro fatuo quaſi & ſimplici habebatur. Eodem tempore quidam famoſus & improvidus, *Berengarius* nomine, qui antea tenuerat opiniones contra eccleſiaſticam doctrinam, & per *Lanfrancum* ſæpius retunſus, eo tempore de *Lanfranco* nec audiens nec videns, credidit eum de medio ſublatum. Et ſic ſecurus per *Galliam* ſuam hæreſim ſeminavit. ſcilicet, quod verum corpus Chriſti non fuit ſuper altari; & fere *Nicholaum* papam corrupit; veruntamen conſilio quorundam celebravit concilium univerſale, ut omnes prælati, omnes etiam abbates cum viris literatis convenirent, ut in aliquo poſſent *Berengario* reſiſtere, & ejus error univerſaliter reprobaretur. Statuto die abbas *Lanfranci* ad eundem locum ſe præparavit, & cognita cauſa *Lanfrancus* ut cum abbate ire poſſet frequenter poſtulavit, & licet tanquam fatuus & ſimplex frequenter eſſet repulſus, dixit ſe eſſe fortem ut in preſſura conſilii abbati ſuccurreret, & taliter ut ſecum iret impetravit. Perventum eſt ad concilium. *Berengarius* coram omnibus errorem ſuum propoſuit, & prout potuit rationibus comprobavit. Quibus dictis, non erat qui *Berengario* reſponderet, licet papa fortiter inſtitiſſet. Magiſter *Lanfrancus* videns quod fides deberet periclitari, licentiam loquendi ab abbate ſignis poſtulavit. Abbas vero videns quod ſibi ſtulto ſermone verecundiam inferret, licentiam negavit. Veruntamen dixit ei quidam, quod forſitan revelatum erat minori quod non majori; unde abbas cum tremore licentiam conceſſit. Surgens vero *Lanfrancus* rationes *Berengarii* improbavit, & errorem ejus manifeſtavit. Reſpondit *Berengarius*, Aut tu es *Lanfrancus*, aut tu es diabolus. Reſpondit *Lanfrancus*, Vere *Lanfrancus* ſum, ſet tu es hæreticus, & quando in ſcolis militavimus, ſemper contra fidem Catholicam auctoritates collegiſti. *Berengarius* poſt hæc hæreſin ſuam abjurans ad Catholicam fidem converſus eſt.

Nec omittendum eſt quod quidam Cardinalis laborans in extremis vaſa ſua aurea & argentea fecit ſibi deferri, & amplectens ut potuit copiam vaſorum, ait, Quis te potuit relinquere? heu mihi! Quibus dictis, expiravit.

Quidam ſutor intelligens ad literam hoc præceptum, *Si oculus tuus ſcandalizat te &c.* videns quandam mulierem cum uno oculo & inde ſcandalizatus, oculum ſuum extraxit. Alia vice contigit, quod rex *Saracenorum* conſilio quorundam quærens occaſionem contra Chriſtianos ait, In evangelio veſtro ſcriptum eſt, *Si quis habuit fidem ſicut granum ſinapis poſſet dicere huic monti, quod tolleret ſe, & ſic fieret.* Non eſt aliquis Chriſtianorum qui hæc impleat. Omnes ſententiam capitalem ſubibunt ſi non impleatur facto. Hoc dicto, patriarcha *Alexandrinus* clerum & populum convocavit, & diligenter quæſivit ſi aliquis ad hoc implendum ſe præſentaret; Cum omnes eſſent quaſi deſperati, prædictus ſutor dixit ſe habere fiduciam in Domino quod hoc opus faceret, dum tamen eſſet tale quod à Chriſti ore ſuis fidelibus ſit promiſſum. At illi aſſerunt veram eſſe Chriſti promiſſionem. Die igitur ſtatuto convenit multitudo tam Saracenorum quam Chriſtianorum; rex vero cum inſtaret, ſolus ſutor ad pedem montis acceſſit, & cum oraret elevatus eſt mons & movebatur in aere verſus civitatem. Gentiles vero rogaverunt Chriſtianos ut facerent montem ſiſtere ne civitatem opprimeret; unde mons precibus fidelium inter alios duos montes ſe collocavit; in cujus rei argumentum, ut dicitur, diſſimilis aliis apparet. Et ſic diſpoſuit Deus, quod qui de oculo eruendo ad literam intellexit, de monte movendo eciam miraculoſe per gratiam ſuæ veritatis complevit.

Ciſtrenſis. Iſte *Lanfrancus* genere *Lumbardus*, literatura inſignis, quippe qui juventutem ſuam liberalibus artibus attriverat, ſacris paginis maturaverat, Quibus edoctus mundi fumos & ampullata gentilium eloquia parvipenderet, *Beccum* ex omnibus *Normanniæ* monaſteriis prælegit, paupertate loci & religione captus; ubi ſub *Herlewino* primo abbate monachus homo qui neſciret agreſti opere victum quærere publicas ſcolas de dialectica profeſſus eſt, ut ſic egeſtatem loci ſcolarium liberalitate ſublevaret; ſet gloria laudis ejus conflavit apud improbos viros invidiam, adeo ut à vicinis capellanis Comes *Normanniæ Willielmus* turbatus ediceret *Lanfrancum* pro ſua importunitate *Normannia* propellendum; nam *Herfaſtus* ducis *Willielmi* capellanus ante adventum *Lanfranci* probabilis ſcientiæ æſtimatus, ad gimnaſium *Lanfranci* cum magna pompa pervenerat; tunc *Lanfrancus* ex prima hominis collocutione perpendens quod prope nil ſciret, abecedarium literarum illi appoſuit expediendum, ferociam hominis Italica peritia ſic eludens. Quo ille iratus efficit per *Willielmum* ducem ut *Lanfrancus* ab omni *Normannia* ſubmoveretur; ſet occaſio recuperandæ gratiæ fuit, quod ad curiam Comitis tendens *Lanfrancus*, equus ejus claudicans Comiti cachinnum excuſſit, unde conſpecta in *Lanfranco* reſponſi facetia & elegantia frontiſpicii, de Priore *Beccenſi* effectus eſt abbas *Cadomenſis*, & poſtmodum præſul *Cantuarienſis*. Vir ille tam famoſus in doctrina fuit ut ei *Romam* venienti *Alexander* dignanter aſſurgeret, proteſtans, *Se non illius archiepiſcopo ſet ejus literaturam deferre:* quapropter petiit papa, ut cum ipſe feciſſet quod erat honoris, ipſe *Lanfrancus* faceret quod eſſet juſtitiæ, ut videlicet ſe proſterneret pedibus vicarii beati *Petri*; quo facto, ambos itineris ejus ſocios epiſcopos anulis & baculis privatos merito, ejus prætextu gradibus ſuis reſtituit, prout ſuperius prælibatum eſt. Item ipſe *Lanfrancus* regem *Willielmum* conqueſtorem ſacra tractabat arte, non rigide objurgando ſet ſeria jocis immiſcendo; erat nempe rex *Willielmus* timoris immoderati, ſecularia & eccleſiaſtica ad libitum diſponens; nullum in terra ſua pro apoſtolico admittens, niſi animo ſuo blandiretur. Concilium in regno ſuo nullum cogi niſi ſe conſulto, nec aliquid ibi definiri niſi ipſe dictaſſet, nullum ex proceribus ſuis pro quavis culpa puniri niſi ipſe juſſiſſet. Accipiebat *Lanfrancus* quandoque pecuniam quo majus parceret delictis ſubditorum; quod non fecit ad alleviandum ſarcinam peccati, ſet magis ad cumulandum regis gratiam. Excuſabat aliquantulum regis factum pecunias glomerantis ipſa neceſſitas, qua oportuit cum multis pecuniis pacem procurare provinciæ quam armis ſubegerat; Et quamvis rapere à provincialibus & dare hoſtibus apud homines ſit exiguum, apud Deum tamen puto nullum. Facta igitur regis *Willielmi* inter regum modernorum prædicanda ſunt magnanimitatis exempla, quæ quondam dicebantur præſumptionis facinora. Patiebatur iſta invitus *Lanfrancus*, captato loco & tempore conveniebat regem placite, ſuggerebat optime. At cum *Lanfrancus* omnibus quaſi virtutibus ingenium ſolidaſſet, in elemoſina tamen præcipue dicto & facto effloruit, utens ſæpe hoc verbo, *Date elemoſinam & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et cum avaritia *Longobardis* familiare ſit vicium, à perſona ſua longe depulit hoc contagium, adeo ut in pauperes expenderet victum & veſtitum. Nec pudebat eum alte ſuccinctum pauperes recreare, aut tenerioris fortunæ ſcolares ad diſputationis conflictum provocare: Poſt verba, utrique læti abibant, victor ex ſcientiæ triumpho, victus ex verecundiæ ſolatio. Promovebat potiſſime monachorum & clericorum habitacula; renovabat viriliter poſſeſſiones alienatas. Quem animabant mentis vivacitas & beati *Dunſtani* favor in eum effuſus, nam quocienſcunque in talibus cunctabundus defferret ſententiam, aderat *Dunſtanus* ſoporato *Lanfranco* adverſariorum detegens verſutias & evadendi oſtendens ſemitas: quineciam aliquando ægrotante *Lanfranco* luctamine quoque ſecum *Dunſtanus* iniſſe videbatur eripuit diſcrimini, reſtituit valetudini: Et ut ex vita *Dunſtani* colligitur, *Lanfrancus* in confeſſionibus audiendis tam pius & affabilis extitit, ut manus ſibi confitentium peracta confeſſione oſcularetur, & diceret, Manus iſtæ me beatum fecerunt hodie. Ejus quoque tempore monachi *Cantuarienſes* ſicut omnes fere tunc temporis in *Anglia* monachi ſecularibus haud abſimiles niſi quod pudiciciam non facile perderent, venari, aucupari, teſſeras quatere, potibus indulgere conſueverunt, ut majus illos conſules quam monachos pro familorum frequencia putares. Horum inſolenciam *Lanfrancus* aliquandiu toleravit, ſet oportune commento auſteritatis exterruit. Sciebat enim peritus animarum magiſter conſuetudinem à natura eſſe ſecundam, & repentina morum converſione teneriores animos exacerbari. Quapropter per intervalla blande nonnulla ſubmonens cote virtutum rudes ad bonum exacuebat mentes, ita ut abdicatis adulterinis fœtibus ultronei geniales virtutum adoptarent ſucceſſus, unde & ineſt in eis adhuc beati viri memoria, ingens ad Deum devotio, in hoſpites affabilitas, in alterutrum mutua caritas. Hic *Lanfrancus* nullum unquam triſtem dimiſit, ſet ſi quemquam ſubnubilum videret, cauſam inpigre quærebat, medelam adhibebat, ultroneus offerebat denarios juvenibus, ubique prævidens neceſſaria monachis, ut nec deplorarent neceſſaria, nec claudicarent à regula. Increverat tunc temporis epiſcoporum livor volentium de ſedibus ſuis monachos extrudere, & clericos ſeculares intrudere, cujus autor factionis fuerat *Walkalinus Wentanus* præſul, ad cætera bonus ſet ad hoc malum conſiliis ſuſurronum inflexus; regem eciam *Willielmum* in hanc ſententiam attraxerat; ſet *Lanfrancus* ut audivit, potentium machinas velut aranearum caſſes diſſolvit, adeo ut ne idem aut ſimile audirent poſteri, egit ut *Alexander* papa idem ſcriptis inhiberet. *Roffenſe* monaſterium de quaternario clericorum numero uſque ad quinquaginta monachos neceſſariorum ſufficientia affluentes reſtauravit. Ejus induſtriæ aſcribitur quod *Gundulfum Cadomenſem* monachum ad ſedem tranſtulit *Roffenſem*, divina, ut putatur, electione: nam ille *Gundulfus* cum apud *Cadomum* divinas ſub *Lanfranco* audiret ſcripturas, magiſtro interim alias intento, ſedens ipſe cum *Waltero* ſocio ſuo & quodam alio, ac librum evangelicum manu tenens, Experiamur, inquit, revolutione foliorum quis noſtrum erit abbas, quis epiſcopus. Invenit *Gundulfus* locum illum, *Fidelis ſervus & prudens quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam.* *Walterus* vero invenit, *Serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Tercium vero ſocium neſcio quid durum inventum turbavit, quod etſi audivi, libenter oblitus ſum, quia ingenuæ mentis eſt alienis malis non inſultare cachinnis. Ergo ex hoc eventu crepitantibus, quæſivit *Lanfrancus* quid haberent læticiæ. Et quia cognovit, indubitanter pronunciavit *Gundulfum* futurum epiſcopum, *Walterum* abbatem, tercium ad lubrica ſeculi devolvendum. Eventus rei probavit veritatem dicti; nam *Gundulfus* factus eſt epiſcopus *Roffenſis*, *Walterus* abbas *Eviſhamia*, tercius abiit in vanum. Igitur cum *Lanfrancus* moribus regis *Willielmi Rufi* minime conveniret, tandem decidit in febrem, & præviis confeſſione & viatico poculum medicinale hauſit, ſicque ſpiritum vitalem efflavit ſicut optavit. Fatebaturque viam Domini prædicaſſe, ut aut febre aut diſenteria exſpiraret, eo quod heæ valitudines nec memoriam turbent nec loquelam implicent.

§. *Item ibidem capitulo* 7. Hoc quoque anno celebrato Concilio apud urbem *Turonenſem* in *Gallia*, *Urbanus* papa in ſubſidium terræ ſanctæ totum pene provocat occidentem; unde imperator *Henricus* tercius, *Remundus* Comes ſancti *Egidii*, *Beaumundus* de *Apulia* cruce ſignati transfretaverunt apud brachium ſancti *Georgii*, cum quibus erant CC. mille Chriſtianorum; & ſic terra ſancta recuperata eſt, & lancea Chriſti per revelationem beati *Andrea* cuidam ruſtico factam reperta eſt. Cum illis proceſſit *Robertus* dux *Normannia*, qua de cauſa amicitias cum fratre ſuo rege *Willielmo* fecit, cui *Normanniam* pro x. mille li. invadiavit. Set ad hoc rex tributum grave *Angligenis* induxit, ita ut prælati vaſa ſua conflarent, & deinde ſubditos ſpoliarent.

Rex *Scotorum Malcolmus Northimbriam* deprædavit, quapropter rex *Willielmus* una cum fratre ſuo *Roberto Scotiam* adiit, cujus claſſis pene tota dimerſa eſt. Exercitus fame & frigore contabuit. Quibus occurrens *Malcolmus* cum *Edgaro* **Adelyng** mediante *Roberto* pacem fecit, ita ut *Malcolmus* regi *Willielmo* ſicut quondam prius obediret, & rex *Willielmus* annuatim xij. mille marcas auri daret, & xij. urbes in *Anglia* redderet; ſet cito poſt deficiente rege *Robertus* ſumpto ſecum *Edgaro Normanniam* rediit.

Hoc anno idibus Octobris vehemens ictus fulminis turrim *Wynchecumbia* eccleſiæ concuſſit, parietem perforavit, caput crucifixi in terram dejecit, femur dextrum fregit, ymaginem *Maria* juxta crucem elidit. Fumus fetidus ſubſequens eccleſiam implevit, donec monachi cum aqua benedicta & reliquiis ſanctorum officinas monaſterii decantando Letanias circumirent. Similiter apud *Londonias* plus quam ſexcentas domos cum pluribus eccleſiis turbo depreſſit; In eccleſia de *Arcubus* duos homines occidit, ſex tigna eccleſiæ elevans ita in terram defixit, ut vix eorum ſexta pars appareret. Item turbo tectum eccleſiæ *Salusburienſis* dejecit quinto die poſtquam dedicaverat eam *Oſmundus*.

Cap. VI.

Cum igitur *Remigius* præſul qui nuper ſedem *Dorceſtrenſem* ad *Lincolniam* tranſtulerat, eccleſiam apud *Lincolniam* quam de novo conſtruxerat, dedicare propoſuiſſet, reſtitit ei *Thomas Eboracenſis*, aſſerens locum illum eſſe in parochia ſua; at rex *Willielmus* pro pecunia quam *Remigius* clam ſibi dederat, mandavit fere omnibus *Anglia* epiſcopis ut idibus Maii convenientes eccleſiam illam dedicarent; ſet biduo ante conſecrationem, *Remigius* occulto Dei judicio deceſſit; ſolus *Robertus Herfordenſis* venire abnuerat, quia certa ſiderum inſpectione præviderat & prædixerat dedicationem illam per partem *Remigii* nequaquam proceſſuram. Hic nempe *Remigius* cum præ corporis exiguitate pene portentum videretur natura, animum generoſum foras extulit, ita ut eſſet

Gratior exiguo veniens à corpore virtus.

Huic *Remigio* ſucceſſit *Robertus Bluet*, vir libidinoſus, qui dedicationem ſegniter explevit: qui tandem apud **Wodſtoke** à latere regis decedens, exenteratus eſt. Ejus viſcera apud monaſterium **Engueſham** quod ipſe fundaverat, cætera apud *Lincolniam* ſunt tumulata; ubi ſatis conſtabat loci cuſtodes nocturnis umbris exagitatos quouſque locus ipſe orationibus piaretur.

Hoc eciam anno rex *Willielmus* profectus *Northimbriam* urbem *Lugubalia* quæ modo **Caerliell** dicitur, reparavit, caſtrum in ea ponens, quæ à primo adventu *Danorum* per CC. annos deſolata jacuerat. Et cito poſt apud *Gloverniam* gravi morbo percuſſus, de conſilio procerum vitam ſuam corrigere promiſit; ſet quamvis illo anno archiepiſcopatum *Anſelmo* conferret, nil tamen de rebus archiepiſcopatus ultra regis juſſum ſumere licuit, donec tributum quod impoſuerat perſolveretur. Simili modo dixit epiſcopatum *Lincolnienſem Eboracenſi* ſedi ſubjacere debere, quouſque *Robertus Bluet* v. millia marcarum regi dediſſet. Hoc quoque anno *Rogerus* Comes *Salopiæ* obiit, qui cum decubaret factus eſt monachus ad ſuccurrendum [animæ ſuæ] conſentiente Comitiſſa uxore ſua *Adeliſa*. Miſerat namque *Reginaldum* Priorem *Salopiæ* apud *Cluniacum* pro tunica ſancti *Hugonis* abbatis induenda. Cui ſucceſſit *Hugo* filius ſuus. Hoc quoque anno fuit magna pluviarum inundatio, & cito poſt, tantum gelicidium ut ubique eciam ultra aquas poſſent plauſtra duci; quo ſoluto pontes ubique pene effracti ſunt.

Rees rex *Walliæ* occiſus eſt in pugna juxta *Brechnoc*, & ſic reges ibi deſiere. *Malcolmus* rex *Scotorum* occurrit regi *VVillielmo* apud *Gloverniam* die ſancti *Barnabæ* ut concordaret cum eo. Set impacati receſſerunt; nam rex *VVillielmus* voluerat ut *Malcolmus* in curia ſua ubicunque fuerit in *Anglia* judicium ſubiret. Set econtra *Malcolmus* recuſabat, niſi in confiniis amborum regnorum ubi id ſolebat fieri. Set eo anno *Malcolmus* & primogenitus ejus *Edwardus* cum multis aliis die ſancti *Bricii* occiſi ſunt in *Northimbria* à militibus *Roberti* Comitis. Quorum morte audita, *Margareta Scotorum* regina Dei cultrix tanta affecta eſt triſtitia ut in morbum decidens, quemadmodum Deum rogaverat, tercio dehinc die obiit. Qua mortua *Scoti* erexerunt *Dunwaldum* fratrem *Malcolmi* in regem. Set *Duncanus* filius *Malcolmi* ope regis *VVillielmi* expulſo *Dunwaldo* regnum *Scotiæ* ſuſcepit. Iſti *Malcolmo* relatum eſt, quod quidam de proceribus ſuis in necem ejus conſpiraſſent; imperat Rex delatori ſilentium: ſiluit ipſe uſque ad proditoris adventum. Qui cum ad regis curiam inſidiaturus adveniſſet, jubet rex ſummo mane omnes venatores adeſſe cum canibus ſuis. Hii dum venatum proceſſiſſent, acceſſit rex cum proditore ad quandam latam planiciem quam in modum coronæ denſa ſilva cingebat, in cujus medio colliculus turgeſcebat; in quo dum ſoli hii duo conſtitiſſent, Ecce, inquit rex, ego & tu ſoli ſimilibus armis & equis muniti, non eſt modo qui videat, qui impediat, aut qui opem ferat: ſi vales, ſi audes, imple quod propoſuiſti, neſcio videre quando melius, quando liberius id fieri poſſet. Si venenum paraſti, hoc mulierum eſt non militum. Si lectulo meo inſidiaris, hoc poſſunt eciam adulteræ. Si ferrum occultaſti, hoc ſicarii eſt non militis. Age igitur quod viri eſt, quod militis eſt, ut proditio tua turpitudine ſaltem careat quæ infidelitate carere non poteſt. Procidit ille ſtatim ad pedes regis, & præſtito ſacramento de fidelitate futura, promiſſiſque obſidibus ad votum regis eligendis, proditor jam factus fidelis tempore oportuno ad ſocios ſuos revertebatur.

Hoc quoque anno venerabilis *Anſelmus* abbas *Beccenſis* de *Normannia* venit in *Anglia*, rogatu *Hugonis Ceſtrenſis* Comitis, tribus de cauſis, ut videlicet monaſteria quæ prius in *Angliæ* fundaverat à gravi tributo regio levigaret; ut *Hugonem* Comitem tunc graviter ægrotantem viſitaret, & ut monaſterium apud *Ceſtriam* fundaret, cui loco capellanum ſuum *Richardum* primum aſſignavit abbatem, canonicos ſeculares in monachos regulares convertendo. Set inde redeundo factus eſt archiepiſcopus *Cantuarienſis*.

§. *Item ibidem* Ciſtrenſis *capitulo* 8.

Ciſtrenſis.

Hoc anno *Anglia* & *Normannia* vexata eſt gravi tributo & clade hominum, ita ut agricultura ceſſaret & fames ſuccederet; *Wallenſes* eciam jugum ſervitutis abhorrentes, in provinciis *Ceſtriæ*, *Salopiæ*, *Herfordiæ* prædas agebant, & caſtrum *Menaviæ* ceperunt. Interim *Scoti* regem ſuum *Duncanum* peremerunt & *Dunwaldum* iterum erexerunt. Et ſtellæ de cœlo viſæ ſunt cadere & quaſi mutuo concertare adinvicem. Rex *Willielmus* de *Normannia* rediens exercitum in *Walliam* miſit, ubi multos homines & equos perdidit: videns igitur rex *Wallenſes* ex locorum anguſtiis & denſis nemoribus fore invincibiles, conſtruxit caſtra in locis maritimis, & nemora pro magna parte ſuccidit, unde poſtmodum multos ex illis ſtravit.

Wlſtanus præſul *Wigornenſis* obiit xviij. die Januarii. Hic *Wlſtanus* in hora moriendi apparuit dilecto ſuo *Roberto Herfordenſi* epiſcopo in villa de **Crikkelade**, mandans ei, ut ſuæ properaret ſepulturæ. Item, poſt hoc xxx. die apparuit eidem, monens eum ut de negligentia ſui ſuorumque corrigeret, aſſerens quod non diu in ſua cathedra ſederet: unde & cito poſt obiit. Hic quoque *Wlſtanus* anulum cum quo benedictionem epiſcopalem ſuſceperat non permiſit eciam mortuus à quoquam avelli, dixerat enim ſæpe dum viveret, ſe nunquam velle demittere eum: Dixerat eciam frequenter *Anglis* tribulatis, flagellum eſt quod patimini; & cum *Angli* dicerent quod pejores eſſent *Normanni* quam unquam fuerant *Angli*, reſpondit, Malis in vos illorum bene utitur Deus, & per indignos exercet ultionem in meritos; ſic & mala voluntate ſua ſet bona voluntate Dei punit dæmon perverſus in gehenna cum eiſdem pariter puniendus. Exemplum eſt, ſi aliquem iratus baculo percuſſeris, non multum curabis de fractione baculi. Igitur *Wlſtanus* in provincia *Warwicenſi* oriundus apud monaſterium de *Burgo* literis & officiis eccleſiaſticis eſt inſtructus, tandem ſacerdos effectus miſſam moroſe celebrabat, ſolis fidelium oblationibus contentus; erat virgo ut putabatur, exiſtens ſuperflui potus expers, eſui carnium indulſit; Quibus tamen ſpernendis occaſio hæc intervenit. Die quadam cum ad placitum quoddam exire deberet viſus eſt ſibi ut prius miſſa cantata inediæ ſuæ cibo conſuleret; Appoſita auca igni, nidor aduſtæ carnis nares celebrantis complevit, odor mentem advocavit. Set cum diu reluctans mentem advertere non poſſit, juramentum ad ſacramenta quæ tractabat fecit, nullo de pacto amplius id genus cibi comeſturum: Cantataque miſſa impranſus ad placitum proceſſit. Tandem creſcente devotione exemplo parentum patrum ſuorum qui ante obitum caſtitatem devoverant, ſeculum reliquit & in monaſterio *Wigornenſi* quo pater ſuus prius ſervierat, monachus effectus eſt, ubi per omnia pene loci officia gradiens conſcendit, jejuniis, vigiliis, & orationibus indulſit, ſuper aliquod ſcamnum eccleſiæ loco quo orabat capite ſuperpoſito dormire conſuevit, ubi nocte quadam dum ante altare oraret, dæmon eum viſibiliter ad luctam provocat, quem ter proſternens iliaca paſſione fatigatus eſt; Apparuit autem diabolus in forma cujuſdam ſervientis de curia, quem quociens poſtmodum *Wlſtanus* videret, totus expalluit, ad cæteros imperterritus: Affirmabat ſæpius ſe neſcire quid eſſet timor. Hic namque pro fractura cujuſvis pontis nunquam de equo deſcendit, quin eciam in ſummitatibus fabricarum anguſtarum ſecurius incederet. Deinde *Aldredo* ut præfatum eſt ad *Eboracenſem* ſedem tranſlato ipſe ad *Wygornenſem* electus eſt, procurante id potiſſime *Aldredo* qui ſimplicitate *Wlſtani* ſuas putabat rapinas obumbrare. Set ille magis virtute quam literis fretus res eccleſiæ defenſabat, quamquam non ita hebes in literis fuerit ut putabatur, quippe qui cætera neceſſaria ſciret præter fabulas poetarum & tortiles ſillogiſmos, quæ forſan nec noſſe dignabatur; ſet & ipſe cum ad conſenciendum electioni de ſe factæ minime flecti poſſet, à viro Dei *Wulſio* per xl. annos incluſo pro ſua obſtinacia acriter eſt correptus; ſet & divino oraculo ammonitus electioni conſenſit, cujus conſecrationi duo legati ſedis apoſtolicæ interfuerunt. Et quamvis Canonicam profeſſionem faceret *Stigando* archiepiſcopo, conſecrationem tamen ab *Aldredo Eboracenſi* ſuſcepit. Qui tamen *Aldredus* ad declinandum ſubſequentium calumpnias proteſtatus eſt ſe nullum deinceps jus ſubjectionis in *Wlſtano* vendicare, neque quia eum conſecraverat, neque quia ejus monachus prius fuerat. Igitur *Wlſtanus* epiſcopus factus cibi & potus abſtinens fuit, quamvis in aula ejus pro more *Anglorum* totis poſt prandium horis biberetur, cum quibus & ipſe aſſidens pſalmos ruminabat, ordine tamen ſuo ſe bibere ſimilabat, Bibentes ad ilaritatem invitabat, majus in hoc conſuetudini patriæ, quam animi judicio ſatisfaciens: Nec eciam pompam *Normannorum* omittebat quin ſtipatus militibus incederet cotidie ad miſſam. Solvens addebat pſalterium, famoſorum Sanctorum memorias ſeptifarie diviſas per ſeptem ſolvebat horas. Quociens *Wygorniæ* fuit majorem miſſam celebravit, à quo quidem officio ut dixit pro epiſcopatu reſignando noluit abſolvi. Collationi monachorum interfuit, ut ſic facta cum cæteris generali profeſſione, dataque benedictione in triclinium ſuum ſe reciperet. Equo vectus pſalterium frequentabat. Benedictionem quam *Angli* ſuper potum faciunt eciam in menſa regis non omiſit. Si quando ad placitum eum neceſſitas urgebat omnibus malis arbitris maledictionem inprecabatur, bonis vero benedictionem. Indifferenter vilioribus induebatur pellibus, magis autem agninis quam cæteri generis pellibus. Si quando ei ſuggereretur ut catinis pellibus amiciretur, jocoſa comitate reſpondebat, Crede mihi nunquam audivi in eccleſia Dei, catus Dei, ſet agnus Dei, Iccirco volo magis agno calefieri quam cato. Dum ſemel monachi ſui migrarent ad majorem eccleſiam quam ipſe conſtruxerat, lacrimas fudit; ſuper quo modeſte redargutus quod potius gaudere deberet, quod ſe ſuperſtite tantus honor eccleſiæ ſuæ acceſſiſſet, quod eciam multiplicatis monachis ædificia augerentur: reſpondit, Ego longe aliter ſencio, quod nos miſeri opera ſanctorum deſtruimus ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa ætas pompatica conſtruere, ſet ſub qualicunque tecto ſe ipſos Deo inmolare, ſubjectoſque ſuos ad exemplum attrahere: Nos autem econtra utimur ut animarum negligentes cumulamus lapides. Hic dum ſemel ſermonem de pace ad populum faceret multi ad pacem redierunt. Unus autem eorum nullo ſuaſu nec eciam rogatu concordare voluit: Cui in medium adducto ait epiſcopus, ſcriptum eſt, *Beati pacifici*, igitur non pacifici ſunt filii diaboli & miſeri. Illi igitur cujus es te commendo donec reſipiſcas; Et ſtatim ille, mancipium hoſtis effectus, cœpit dentibus ſtridere, ſpumas facere, caput rotare. Qui tamen à *Vulſtano* ſanatus cum pacem repudiaret, iterum & tercio arreptus eſt ab hoſte quouſque offenſam dimitteret. Cum aliquando *Wlſtanus* à *Lanfranco* archiepiſcopo ſuper literaturæ inſufficientia & *Aldredo* epiſcopo *Eboracenſi* ſuper ſubjectione canonica impeteretur, ille palacium egreſſus prius horam nonam quæ à retro erat perdicere cenſuit, & ſic animoſe revertens in cauſa ſua optinuit.

Alwinus quidam apud ſaltum *Malverniæ* anacoritice vivens afflatus eſt aliquando deſiderio *Jeroſolymitani* itineris. Quod cum *Wlſtano* panderet, diſſuaſit epiſcopus, ſic inquiens, Deſiſte ſodes *Alwine*; crede mihi quod mirareris ſi ſcires quæ per te Deus ſit facturus. Ille vero adquieſcens diſceſſit & congregavit triginta monachos in loco illo. Alter quidam *Sewlfus* negociator dum ſæpius quaſi eadem peccata *Wlſtano* panderet, dixit epiſcopus, Ut video oportunitas facit latronem, ideo conſulo ut fias monachus. Cum igitur ille pro rigore vitæ hoc renueret, Vade, inquit, quia monachus fies velis nolis. Quod ſic contigit. Hic dum quondam alumpni ſui *Nicholai* caput palparet, quod eciam in juventute calveſcere cœperat, ait ad eum, Puto fili quod cito calvus eris. At ille. Quare igitur pater non detines crines meos? Cui epiſcopus. Crede mihi fili quamdiu vixero reſidui capilli non deficient: Et factum eſt ut illa ebdomada qua obiit epiſcopus omnes pili illius *Nicholai* defluerent, nudam cutem relinquentes. Poſt mortem *Wlſtani* cum tota eccleſia arderet, mauſoleum ejus nec fuit fuligine tinctum nec favilla opertum. Simile contigit de matta ſuper qua orare ſolebat. Fertur de eo quod cum rex *Willielmus* conqueſtor propter literaturæ inſufficientiam & *Gallicæ* linguæ carenciam eum privare intenderet, ut ſic aliquem *Normannum* ſubintroduceret; ille arrepto baculo ſuo paſtorali, ad pedes ſancti *Edwardi* regis nuper tumulati acceſſit, baculum in ſolida petra ita defixit, ut à nullo poſſet avelli, donec ille ad regis rogatum baculum reſumeret. Dixerat autem regi *Willielmo* dum baculum figeret, Melior te hunc mihi dedit, cui & retrado, avelle ſi poteris.

Leyceſtrenſis.

Quidam clerici itinerantes tempeſtate fulguris in nocturno diſcutiente cecinerant hympnum, *Ave maris ſtella* &c. Et cum pervenerunt ad hunc verſum, *Monſtra te eſſe matrem*, beata virgo quoddam velum ſuper eos expandit, ſub cujus umbra ſecuri donec tranſiret tempeſtas permanſerunt.

CAP. VII.

VIR quidam in dioceſi *Dunelmenſi* ſolebat cum tranſiret per cimiteria orare pro defunctis, Et cum quadam die inſequeretur ab hoſtibus per medium cimiterium, recordatus eſt ſolitarum precum & ad memoriam pro refugio adduxit, & miro dictu videbatur quod hii qui jacebant in ſepulcris ſe erigebant & ſe exponebant hoſtibus pro oratore ſuo, donec locum evadendi darent; & poſtea hoſtes reconciliati narraverunt quod mortui reſtiterunt illis in talibus armis quibus ſolent vivi ſe defendere.

Ciſtrenſis lib. 7. c. 9.

Hoc anno facta eſt profectio *Jeroſolymitana*, in qua aſſuerunt *Beaumundus*, & *Robertus* dux *Normanniæ*, qui prætextu illius profectionis invadiavit *Normanniam Willielmo* regi fratri ſuo pro decem mille libris argenti; Deinde xiij. kalendarum *Julii* Chriſtiani ceperunt urbem *Acon*, & ſtella comata apparuit menſe *Octobris* per xv. dies. Nonnulli vero viderunt ſignum crucis ardere in cœlo. Tunc quoque caput beati *Stephani* per quendam monachum *Odonem* multis miraculis comitantibus *Cadomum* in *Normannia* allatum eſt. Orta eſt diſſentio inter regem *Willielmum* & *Anſelmum* archipræſulem, quia non licuit *Anſelmo* ſynodos facere nec prava corrigere: Quineciam rex inveſturas Prælatorũ exegit, populum tributis eraſit, Potiſſime ad expenſas circa turrim *Londoniæ* & circa magnam aulam *Weſtmonaſterienſem* familia regis quocunque tranſibat populum opprimebat. Ad hæc acceſſit fomes cupiditatis *Ranulphus*, *Willielmi* primi Regis quondam capellanus, ſet hujus regis ubique procurator effectus. Is ſi quando regni tributum exegit, duplum emunxit: Expilator divitum, oppreſſor pauperum, confiſcator hæreditatum. Proinde rex cachinnans hunc ſolum pronunciavit eſſe hominem qui ingenium ſuum agitare ſciret, de nullius odio curaret, dummodo dominum ſuum complaceret. Quo auctore ſacri honores vendebantur, ſet & ipſe cito poſtmodum Epiſcopatum *Dunelmenſem* mille libris emit. Tunc fluxus crinium, luxus veſtium, tunc uſus calciorum acutorum, tunc greſſum frangere, nudo latere incedere. Iſta conatus eſt *Anſelmus* corrigere ſet auxilio ſuffraganeorum deſtitutus, *Angliæ* vale fecit, ſet abeundo in portu *Canciæ* ut prædo publicus regis juſſu expoliatus eſt manticis ejus & bulgis omnibus in medio exquiſitis. Inde *Anſelmus* ad papam *Urbanum* accedens in magno Concilio apud *Barrum* in *Apulia* contra *Græcorum* opinionem qui dicunt Spiritum ſanctum ſolummodo à patre procedere, luculenter diſſeruit. Eo tempore *Radulphus Ciceſtrenſis* epiſcopus regi cum aliis epiſcopis non ceſſit. Set in facie pro *Anſelmo* reſtitit, non veritus annulum & baculum prætendit. Nec unquam animi rigorem deflexit, donec *Anſelmus* ſuo diſceſſu cauſam ſuam enervaret. Iſte eciam ut rex pecuniam à fornicariis ſacerdotibus acciperet non conſenſit, ſet per totam dioceſim ſuam divina officia vacabant, januas eccleſiarum ſpinis obſtruxit. Atrocitas facti regem inflexit, ita ut ei ſoli cenſum presbiterorum ſuorum indulgeret. Illi eciam alleganti quod eccleſia incendiis aſſumpta non tributis expilari ſet oblationibus deberet ſublevari, Rex ipſe qui omnibus abſtulit, eccleſiæ *Radulphi* plurima contulit libens. Iſte *Radulphus* contra delinquentes ab increpationibus non pepercit. Et ſi minus increpatio valeret, ingenuo ludo culpam eliſit. Dioceſin ſuam ter in anno circuibat, nichil epiſcopali poteſtate extorquens ſet quæ ultro offerebantur gratulanter ſuſcipiens; quod certe ad præſens non commemoraſſem niſi quod noſtro ævo pro miraculo ducitur, ſi in epiſcopo reperiatur prædicandi ſolertia, aut accipiendi temperantia. Dum rex *Willielmus* venatum aliquando intenderet adeſt nuncius qui dicat *Cenomanniam* fore obſeſſam, ſtatim rex equo retorto iter ad mare reflexit. Admonentibus ducibus, exercitum fore congregandum, Videbo, inquit, quis me velit ſequi. Hoc modo pene ſolus ad mare devenit, aere exiſtente nubilo & vento contrario. Cum igitur omnino transfretare vellet, ſuaſerunt nautæ ventum & auram expectare. Et ille. *Nunquam audivi de Rege ſubmerſo*: quin pocius ſolvite retinacula navium & videbitis elementa conſpirare ad meum obſequium. Sicque ponto tranſito, obſeſſores *Cenomanniæ* audita fama adventus ejus diſſiliunt. Auctor factionis *Helias* capitur, Cui ante ſe adducto rex ludibundus ait, *Habeo te magiſter*; At ille. *Fortuito me cepiſti, ſet ſi poſſem evadere, novi quid facerem.* Tunc rex motus, inquit, *Abi, fuge; concedo ut facias quod poteris, Et ſi me viceris, per hoc tecum paciſcar.* Pro hujuſmodi in hoc rege repertis ſi Chriſtiana religio pateretur, ſicut quondam putabatur animam *Euforbii* in *Pythagoram* tranſiſſe, ſic poſſet dici animam *Julii Cæſaris* in iſtum regem tranſiſſe.

Hoc anno apud **Finchamſtede** in *Barcochira* fons quidam viſus eſt ſanguinem ebullire per xv. dies; & cœlum viſum eſt per totam noctem ardere. Hoc eciam anno Comites *Ceſtriæ* & *Salopiæ*, *Hugo* & *Hugo*, *Moniam* inſulam quæ *Angleſeia* dicitur ceperunt, *Wallenſes* in eadem occiderunt, nonnullos abſciſis teſticulis excæcaverunt: Inter quos quendam presbiterum nomine *Kenredum* de eccleſia extraxerunt, cui unum oculum eruerunt, linguam & teſticulos abſciderunt, ſet tercio poſt hæc die loquela ſibi reddita eſt miraculoſe. Quo in tempore magnus *Noriganorum* rex *Olavi* filius aſſumpto ſecum *Haraldo* quondam regis *Haraldi* filio *Orcadas* & *Monias* inſulas ſubjugavit. Inde ad inſulam *Moniam* ubi erant duo Comites prædicti acceſſit. Cui dum Comes *Salopiæ* obviam daretur, ſagitta percuſſus in oculo die viij. poſt perpetratam in ſacerdote prædicto ſæviciam obiit & apud *Salopiam* tumulatus. Circa hæc tempora *Herebertus* dictus *Loſanga* Abbas quondam *Remeſiæ* ſet tunc epiſcopus *Tedfordiæ*, magna in *Anglia* fomes Symoniæ extitit, eo quod ſedem ſuam à rege emerat. Hic tamen poſtquam erroneum juventutis impetum defleviſſet, *Romam* ivit, inde rediens ſedem ſuam uſque *Norwicum* tranſtulit, ubi quidem celebre cœnobium fundavit de rebus utique ſuis non epiſcopalibus. Set & apud *Tedfordiam* monachos *Cluniacenſes* inſtituit locupletes quidem in ſeculo & ſplendidæ religionis. Sic igitur correctus eſt *Herebertus* duplici quidem pronoſtico, uno videlicet prædeceſſoris ſui *Herfaſti* indicio quod erat, *Non hunc ſet Barabam*: & ſuo proprio, quod erat, *Amice, ad quid veniſti?* Quo audito, lacrimabiliter ait, *Male intravi fateor, ſet per Dei gratiam bene egrediar*; unde ſæpius poſtmodum illud *Petri* recoluit, *Erravimus juvenes, emendemus ſenes.* Interea rex *Willielmus* de *Normannia* rediens cum primo magnam aulam *Weſtmonaſterii* aſpexiſſet, dixit, Eam debitæ magnitudinis dimidia parte carere, qua de cauſa ipſam aulam propoſuerat ordinaſſe pro camera. § *Item ibidem capitulo decimo.* Circa hos dies in *Burgundia Cabilonenſi* dioceſi ordo *Ciſtercienſis* incepit, iſto modo. Quidam *Herdingus Stomps* nomine, *Anglus* natione, à puero *Schireburniæ* monachus *Scociam* tandem adiit, poſtmodum *Franciam* conſcendit, ubi liberalibus artibus intendens divini amoris ſtimulos accepit, *Romam* denuo cum quodam condiſcipulo adiit. Hos duos nulla unquam moleſtia aut obex impedivit quin pſalterium cotidie cantarent. Spirabat ejus animus quod poſtmodum adorſus eſt, nam tandem *Burgundiam* regreſſus in *Moleſino* magno & novo monaſterio crinem dejecit, ubi primo regulæ elementa olim viſa facile deprehendit. Cum autem alia proponerentur obſervanda quæ nunquam viderat aut audierat in regula *Benedicti*, rationem illorum efflagitare cœpit modeſte ſane, ut monachum decet, “Ratione, inquit, ſummus autor omnia fecit, ratione regit, eaque ratione ſiſtunt elementa, moventur ſidera, & noſtra debet ſubſiſtere natura, quæ “quia ſæpe per deſideria vel ignorantiam à ratione “excidit, legibus revocatur; unde & regula beati “*Benedicti* ad hoc proceſſit, ut fluxum naturæ per “rationem revocaret; In qua regula licet quædam “contineantur quorum rationem penetrare non valeo, auctoritati tamen adquieſcendum puto. Ratio namque & auctoritas divinorum ſcriptorum “quamvis diſſonare videantur, unum idemque ſunt. “Cum igitur Deus nichil præter rationem facit aut “reficit, quomodo credam ſanctos patres Dei ſequaces aliquid præter rationem ſtatuere, tanquam “ſoli auctoritati debeamus fidem & non rationi? “Igitur eorum quæ auditis aut rationem afferte aut “auctoritatem. Et ex regula beati *Benedicti*, quæ “ratione & auctoritate ſubnixa eſt, date exempla; “Quod ſi non poteſtis, fruſtra profitemini illius “prærogativæ cujus contempnitis ſequi doctrinam. Hujus ſententia ab uno in alium tranſiit, multos movit ne forte in vacuum currerent aut in vanum cucurriſſent: Decernitur igitur ſolam medullam regulæ reſecatis ſuperfluis ſectandam fore. Agit Abbas ſedulo ut omnes aſſentiant; ſet difficile eſt à mentibus avelli quod ab antiquo inſeritur. Soli xviij. monachi cum abbate *Herdyngo* monaſterium illud dimittunt, pronunciantes regularem puritatem non poſſe ſervari in loco, ubi opum congeries, ciborum indigeries reluctantem animum ſuffocarent. Igitur *Ciſtercium* adivit, locum prius ſaltuoſum nunc monaſterium famoſum, quod quidem ope archiepiſcopi *Viennenſis* & poſtmodum papæ adjutorio multum promotum eſt. Poſt hoc anno gratiæ M.C.xxxv. ordo ille per quendam *Walterum Eſpec* in *Angliam* adductus, conſtructo monaſterio *Ciſtercienſis* ordinis apud *Rivallem*. Iſta ſunt quæ in eorum Collegio aſperiora videntur. 1. Quod videlicet nichil pelliceum aut lineum aut laneum ſubtile quale eſt ſtaminum veſtiunt. Femoralia niſi in via non ferunt. Duas tunicas cum cucullis habentes hyeme non augent, ſet æſtate poſſunt minuere ſi volunt. Veſtiti & cincti dormiunt. 2. Nunquam poſt matutinas ad lectum redeunt, ſet ita horam temperant ut ante laudes aurora luceſcat. 3. Statim poſt laudes primam cantant, poſt quam ad opera exeunt. 4. Quod faciendum de die ſine lucerna conſummant. 5. Nullus ab horis & completorio abeſt niſi infirmus. 6. Celerarius & hoſtilarius poſt completorium exeunt, & cum ſilencio hoſpitibus ſerviunt. 7. Abbas nil ſibi niſi quod aliis licere permittit, ubique cum grege præſens niſi ſolum in menſa, propter hoſpites, ſet & tunc tantum duo fercula miniſtrantur. 8 Sanguinem & carnem nullus niſi infirmus percipit. Ab idibus *Septembris* uſque ad Paſcha tantum ſemel in die comedunt, exceptis diebus dominicis. 9. Nunquam clauſtra ſua niſi cauſa operis manualis exeunt, nec ullicubi niſi Abbati vel Priori colloquentes. 10. Horis canonicis nulla apendicia adjiciunt. Præter vigilias pro defunctis *Ambroſianum* officium exercent. Hoſpitum & infirmorum curam habent. Iſta Abbas ille *Molunenſis* primo impetu acriter fecit, & alios agere compulit, ſet procedente tempore pœnituit, homo prius delicate nutritus. Cujus voluntatem aliqui monachorum cognoſcentes procurant literas Papæ revocatorias, Quibus Abbas ille ad monaſterium priſtinum reducitur; ſequebanturque eum omnes præter octo, qui *Albericum* Abbatem ſibi conſtituunt, & *Herdingum* Priorem. Set iſte *Stephanus Herdingus* ibidem poſtmodum Abbas effectus xv. monaſteria erexit, & ſeptem incepit. In tantum igitur diebus illis religio illa excrevit, ut illi de *Ciſtercio* forent omnium monachorum exercitium, ſtudioſorum ſpeculum, deſidum weſtrum.

Item ibidem capitulum xj. *Paſchalis* ij. poſt *Urbanum* ſedit papa annis xviij. menſibus v. qui xiij. epiſcopatus ſui anno una cum Cardinalibus incarceratus eſt per Imperatorem *Henricum* iv. *Romam* invadentem, nec liberari potuit donec juraſſet *Henrico* fidelitatem, promittendo ei inveſtituras prælatorum cum annulo & baculo, Quod nunquam excommunicaret Imperatorem. Super quibus privilegium ei ſuperſcripſit. Set anno ſequenti celebrato *Roma* Concilio Papa dampnavit dictum privilegium in hunc modum. “Amplector omnem ſacram “ſcripturam, vetus & novum teſtamentum, legem & “prophetas, evangelia & canones apoſtolorum, “omnia Concilia univerſalia & decreta *Romanorum* Pontificum, quod tenuerunt teneo, quod “dampnaverunt dampno, potiſſime illud privilegium “quod pocius vocandum eſt pravilegium nuper “*Henrico* conceſſum dampnamus in æternum.

Mortuo *Willielmo Dunelmenſi* epiſcopo rex contulit epiſcopatum *Waltero* ſenioris *Willielmi* capellano quondam, mediantibus mille libris. Hic reos ad eccleſiam ſancti *Cutberti* fugientes abſtraxit, monachos loci eciam invitos ſecum in aula ſua prandere fecit. Cibos vetitos publice appoſuit, mulieres vultu & veſte procaces ſparſis poſt tergum crinibus miniſtrare conſtituit, ubi vix quiſquam irreprehenſus abceſſit; quoniam ſi oculos averteret ipocrita, ſi jocis alluderet, irreverens diceretur: Hic tamen gloriam nonnullam promeruit, pro eo quod ipſo procurante corpus *Cutberti* è mauſoleo levatum ſit recentibus veſtibus circumdatum, caputque regis *Oſwaldi* inter brachia ejus eſt repertum. *Oſmundus* epiſcopus *Sariſburienſis* obiit. Hoc quoque anno fluctus marinus per *Thamiſiam* aſcendens villas ſubmerſit. Diabolus viſibiliter loquebatur de regis malicia cum hominibus, & morte feſtina. De quo rex præmunitus omnia parvipendit. Hoc eciam anno *Hugo Cluniacenſis* vidit per ſomnium regem *Willielmum* coram Deo adductum & dampnatum. Quod & *Hugo* retulit *Anſelmo* exulanti. Vidit eciam rex ipſe per ſompnium ſe flebotomii ictu ſanguinem emittere qui ſolem obnubilavit, unde & ſæpius inclamitavit Sancta *Maria*, ſancta *Maria*; Sompno excuſſo lumen afferri & cubicularios non decedere juſſit: Igitur tertio nonarum *Auguſti* anno gratiæ M.C. regni ſui xiij. ætatis ſuæ xliij. in nova foreſta ſagittatus à *Waltero Tyrel* ſibi familiari dum cervum intenderet, occubuit paucis plorantibus. Evaſit *Walterus* nemine inſequente: ſicque in reda caballaria rex impoſitus ſenſim ſanguinem diſtillans uſque *Wyntoniam* deducitur. Infra turrim epiſcopi ſepelitur quæ infra annum cecidit, vir ille ingentia præſumens & ingentiora proponens ſi fatum vitæ ſuppetiſſet. Denique ante proximum diem mortis ſuæ interrogatus ubi feſtum natale tenere vellet, Reſpondit, *Pictavis*, eo quod Comes loci illius *Jeroſolimitanum* iter geſtiens ei terram ſuam pro pecunia erat invadiaturus.

An. Dñi
1100.

diaturus. Nullum Concilium Epiſcoporum celebrari permiſit. Honores eccleſiaſticos paſſim vendidit; nam & die obitus ſui tres epiſcopatus, ſcilicet *Cantuarienſem*, *Wyntonienſem*, *Saleſburienſem*, & xij. monaſteria in manu ſua tenuit aut ad firmam tradidit. Hæres omnium enim eſſe cupiebat. Propter diſcidium quod tunc in *Romana* eccleſia erat inter *Urbanum* papam, & *Wybertum* antipapam, *Romanum* tributum denegabat. At quamvis operibus fuiſſet levis; in verbis tamen ſtabilis fuerat, adeo ut ſi cui bonum vel malum promitteret, inde ſecurus eſſe poſſet: Et cum eſſet pecuniæ avidiſſimus, quoddam tamen ſemel geſſit memoria dignum. Defuncto nempe quodam abbate ſemel in *Anglia*, duo monachi collecta magna ſumma pecuniæ regem adeunt ut abbatis officium alter alterum ſupplantando optinerent, cum quibus quidā tertius monachus ea intentione perrexit ut abbatem conſtitutum humiliter domum duceret: Cumque coram rege illi duo ſtarent ut unus altero plura promitteret, rex à tercio monacho tunc tacente quid dare vellet inquiſivit, At ille ſe nichil promittere aut dare velle reſpondit; Accede, inquit rex, tu ſolus dignus es tam ſacrum onus ſubire. Reliqua vitam hujus regis *Willielmi* concernentia vide inferius in vita *Anſelmi* capitulo xiv.

Leyceſtrenſis.

Iſte *Willielmus* multum deditus & diligens erat regalia caſtra & ædificia excellentiora conſtruere atque palacia, prout caſtra *Dorobernie*, *Wyndoſora*, *Norwychi*, *Exceſtria* & magna aula *Weſtmonaſterii*, & multa alia ejus induſtria opera teſtantur. Nec præceſſerat rex aliquis in *Anglia* ante ſua tempora qui tot & talia aggreſſus fuerat ædificia. Et legitur de eo quod ad mala quæque de die in diem ſemper pronus & proclivus fuerat atque paratus, ad bona quæque quaſi ſemper hebes. Hic *Willielmus* fecit foreſtas in multis locis per medium regni, & inter *Southamtonam* & Prioratum de *Twynam* qui nunc vocatur **Cryſtſchyrke** proſtravit & exterminavit viginti duas eccleſias matrices cum villis, capellis & maneriis atque manſionibus; ſecundum vero quoſdam lij. eccleſias parochiales. & fecit de loco illo Foreſtam novam quam vocavit ſuum novum herbarium, & replevit eam cervis, damis & aliis feris parcens illi per vij. annos primos venatus gratia. Quæ vaſtaverunt blada & ſegetes in magnum gravamen compatriotis: Et tantam exercuit per foreſtas duritiam, quod pro dama hominem ſuſpenderet, pro lepore xx.s. plecteretur, pro cuniculo x.s. daret.

An. Dñi 1100.

Igitur, ut ante dictum eſt, iij. nonarum Auguſti per *Ciſtrenſem* anno gratiæ M.C. regni ſui xiij. ætatis liij. venit in novum herbarium ſuum, ſcilicet novam foreſtam, cum multa familia ſtipatus, venandi gratia, ſet ſibi gratia dura; Cum arcubus & canibus ſtetit in loco ſuo, & quidam miles ſibi nimis familiaris *Walterus Tyrel* nomine, prope eum ex oppoſito loco, ut moris eſt venantium, cæterique ſparſim unuſquiſque cum arcu & ſagitta in manu expecteoli pro præda capienda. Interea accidit miræ magnitudinis cervum præ cæteris præſtantiorem regi appropinquare, videlicet inter regem & dictum militem, at rex tetendit arcum volens emittere ſagittam credens ſe interficere cervum, ſet fracta corda in arcu regis cervus de ſonitu quaſi attonitus reſtitit circumcirca reſpiciens, & inde rex aliqualiter motus dixit militi ut cervum ſagittaret. Miles vero ſe ſuſtinuit. At rex objurganter cum magno impetu præcepit ei, dicens, Trahe trahe arcum ex parte diaboli, & extende ſagittam, alias te pœnitebit. At ille emiſit ſagittam volens interficere cervum, percuſſit regem per medium cordis & occidit eum, ibidemque exſpiravit. *Walterus* evaſit nemine inſequente. Rex vero vehitur apud *Wyntoniam* ſuper redam caballariam impoſitus. In cujus ſepultura luctus defuit. Omnes gaudium de ejus morte arripiunt, adeo quod vix erat quiſpiam qui lacrimam emiſerit, ſet omnes de morte ejus lætati ſunt.

Cap. VIII.

SIc igitur iſto modo *Willielmo* mortuo, *Robertus* frater ejus in *Normannia* contra inimicos ſibi infeſtos in guerra ſua occupatus eſt in eodem tempore.

Iſte *Robertus* ſemper contrarius, & adeo innaturalis extiterat Baronibus regni *Angliæ*, quod plenario conſenſu & conſilio totius communitatis regni impoſuerunt ei illegitimitatem quod non fuerat procreatus de legitimo thoro *Willielmi* Conqueſtoris, unde unanimi aſſenſu ſuo ipſum refutaverunt, & pro rege omnino recuſaverunt, & *Henricum* fratrem in regem erexerunt. *Robertus* autem audiens de coronatione fratris ſui junioris impetuoſe venit in *Angliam* cum exercitu magno, quærens bellum contra fratrem ſuum; & clamans regnum. *Henricus* vero cum favore & auxilio Baronum ſuorum viriliter reſiſtebat. Ingruit igitur bellum apud *Lincolniam*, ubi prædictus *Robertus* victus eſt & contritus cum toto exercitu ſuo, omneſque alienigenæ mortui & penitus deleti ſunt. *Robertus* vero captus pudoroſæ & immani morti adjudicatus eſt. *Henricus* vero frater ejus non ſuſtinens ignominiam tantam protendere in ſanguine ſuo, inſtitit erga Barones ſuos & impetravit ab eis, quod prædictus *Robertus* deberet exoculari & excæcari cum batili ardenti, ſicque apud *Lincolniam* perpetuo carceri mancipatus ibidem quieſcit humatus.

Ciſtrenſis lib.7. c.11.

Mortuo ſine liberis rege *Willielmo Rufo* qui concubinis ſemper uſus fuerat, ſucceſſit in regnum junior *Henricus* frater ejus, nonis Auguſti apud *Wyntoniam* electus, & à *Mauricio Londonenſi* epiſcopo apud *Weſtmonaſterium* conſecratus, nam tunc *Anſelmus* aberat. Hic tercio paterni regni anno in thoro regio genitus in liberalibus artibus ſuum primum protrivit tirocinium, quem aliquando à fratre ſuo *Willelmo* læſum pater conſolatus eſt in hunc modum; Ne fle, meus fili, nam & tu rex eris. Hic igitur ultimo paterni regni anno ætatis ſuæ xix. à patre ſuo factus eſt miles, ivit cum patre *Normanniam*. Et cito poſt paterno funeri aſtitit ut ſupradictum eſt, cæteris fratribus quo ſors quemque tulerat dilapſis; Quapropter paterna benedictione, maternaque hæreditate theſauriſque ſubnixus fratrum ſupercilium parum exhorruit. Inclinatior tamen *Roberto* ſuperiori fratri ſuo propter animi manſuetudinem, econtra ille *Robertus* noxia ſemper facilitate delatoribus credulus fratrem vexabat. Inſuper & tria millia marcarum in teſtamento paterno *Henrico* relictarum *Robertus* in ſtipendiarios ſuos milites abſumpſit. Erectus itaque *Henricus* in regem, annuente maxime *Henrico Warwycenſi* Comite ſibi prius familiari, eccleſiam liberam fecit, foreſtas tamen in manu ſua tenuit, leges *Edwardi* cum emendationibus ſuis obſervavit, penſiones noxias remiſit, effeminatos de curia ſua propulit. Lucernarum

Henr. I. rum uſum tempore patris ſui intermiſſum reſtituit de nocte in curia ſua. *Ranulphum Dunelmenſem* epiſcopum apud turrim *Londoniæ* recluſit. *Anſelmum Cantuarienſem* archiepiſcopum tunc exulem revocavit. Mercatorum falſam ulnam caſtigavit adhibita brachii ſui menſura. Libentius bellabat conſilio quam gladio. In cibando magis temperans eſuriem quam urgens ingluviem. Potationi præter ſitim nunquam indulgens, crapulam in ſe & in ſuis ſemper exſecrans. Poſt multas controverſias inter ipſum & *Anſelmum* ventilatas, inveſtituras Prælatorum per ſecularem manum faciendas Deo & beato *Petro* reſignavit. Tandem celebrato *Londoniæ* Pontificum Concilio, amotis pellicibus *Matildam Malcolmi* regis *Scotorum* filiam duxit in uxorem, quam venerabilis *Anſelmus* die ſancti *Martini* in reginam coronavit. Hæc *Matilda* filia fuit ſanctæ *Margaretæ* reginæ *Scotiæ*.

Leyceſtrenſis. Mortuo hoc anno *Thoma Eboracenſi* epiſcopo ſucceſſit *Giraldus*, vir quidem ut fert rumorum licentia libidini & maliciis obnoxius. Sub ejus nempe pulvillo cum in viridario quodam decederet inventus eſt codex curioſarum artium, videlicet *Julius Firmicus*, quem ſecrete & meridianis horis lectitabat. Quam ob rem clerici eccleſiæ ſuæ eum ſub cœli ceſpite extra eccleſiam vix ſepeliri permiſerunt. Interea Comes *Robertus* frater hujus regis audita morte fratris ſui *Willielmi Rufi*, de terra ſancta rediit in *Apuliam*, & inde in *Normanniam*, parans ſe in *Angliam*. Quo audito, multi de proceribus clam vel palam à rege *Henrico* ſe ſubtraxerunt fictis quibuſdam occaſiunculis vocantes eum **Godrych Godefadyr**, & pro *Roberto* Comite clam miſerunt. Ad hæc *Radulphus Dunelmenſis* epiſcopus nuper incarceratus fune nacta de Turri *Londonenſi* evaſit, *Normanniam* adiit, *Robertum* Ducem contra regem *Henricum* inſtigavit. Erat nempe iſte *Robertus* primogenitus regis *Willielmi* conqueſtoris exilis corporis, pinguis aqualiculi. Qui primo tirocinio ſuo parenti morem geſſit, ſet poſtmodum juvenili calore & fatuorum conſilio impulſus *Normanniam* ſuperſtite patre tentabat habere, quod cum pater negaſſet, iratus abſceſſit inſultus in patriam faciens. Primo quidem patre hoc cachinnante, ſet poſtmodum dicente, Per reſurrectionem Chriſti probus erit *Robertus* meus *curta ocria* filius meus: cæterum nichil habens *Roberto* quod ſuccenſeret quia lepidæ formæ, faceti eloquii, virtutis ingentis, ſolidi conſilii. Poſtremo tamen tempore pater contra eum adeo eſt infenſus, quod eum hæreditate *Angliæ* privavit, comitatu *Normanniæ* vix ei relicto. In terra ſancta multa egregia geſſit. Ita ubique mirabilis ut nunquam per Chriſtianum aut Paganum de equo dejici potuit. Denique cum in Sabbato Paſchali apud *Jeroſolymam* inter cæteros aſtaret Chriſtianos, expectans ignem more ſolito de ſupernis in cereum alicujus deſcendere, cereus ejus divinitus accenſus eſt, unde & ab omnibus in regem *Ieroſolymorum* electus eſt, ſet audita morte fratris ſui regis *Angliæ*, regnum *Jeroſolimitanum* recuſavit, non reverentiæ contuitu ſet aut laboris metu, aut regni *Anglicani* cupidine. Qua de cauſa nunquam poſtmodum in bello fortunatus fuit. Hic quoque in redeundo de *Ieroſolyma* duxit in uxorē filiam *Willielmi de Averſana* in *Apulia*, mulierem ſpectatiſſimæ formæ, quam poſt paucos annos morbo amiſit deceptam ut dicunt obſtetricis conſilio, quæ ligavit mammas ejus poſt partum effluentes lacte habundantiſſime. *Henr. I.* Filium tamen habuit egregiæ indolis *Willielmum*. Pro fœminæ connubio infinitam pecuniam nomine dotis receptam *Robertus* cito dilapidavit. In *Angliam* veniens ut fratri ſuo *Henrico Angliam* præriperet, collecto undecunque grandi exercitu apud *Porteſmudam* applicuit, ſet mediantibus regni prudentioribus ea conditione pax reformata eſt, ut ſingulis annis *Robertus* tria millia marcarum perciperet, & qui altero ſuperviveret hæres alterius foret, ſi tamen ſine maſculo hærede decederet. Set anno ſequenti *Robertus Angliam* veniens ad petitionem *Matildis* reginæ illam penſionem remiſit. Inde *Robertus* rediens apud *Normannos* parvipenſus eſt; in tantum quod *Normanni* advocarunt regem *Henricum* contra *Robertum*, qui pluries adventans totam *Normanniam* præripuit paulatim exceptis *Rotomago*, *Cadomo* & *Phaleſio*, in quibus urbibus *Robertus* paſſim vagatur. Qua de re *Cadomenſes* offenſi regem *Henricum* invitaverunt, & portas ſuas contra *Robertum* clauſerunt. Inde *Robertus* cum ſolo armigero *Rotomagum* fugiens auxilium regis *Francorum* & Comitis *Flandriæ* imploravit. Quo tamen totaliter deſtitutus publicum bellum contra fratrem attemptans victus eſt & captus, ac quoad vixit ſcilicet per 7. annos poſtmodum in cuſtodia detentus.

Item Ibidem, c.13. Ciſtrenſis. Hoc anno inſurrexit contra regem *Henricum Robertus de Beliſmo* major filiorum *Rogeri de Monte Gomerico* Comitis *Salopiæ* obfirmans caſtella ſua *Salopiam*, **Brugg**, **Arundel**, **Tikehul**, *Wallenſes* eciam plures contra regem excitavit. Set rex infra 40. dies omnes illos inimicos cepit, *Walanos* donis & promiſſis corrupit, ipſum Comitem *Robertum Angliam* abjurare coegit. Navigat ille *Normanniam*. Cui cito poſtmodum *Willielmus* qui fuit Comes *Mortonii* in *Normannia* ac eciam comes *Cornubiæ* in *Anglia*, quia rex ſibi negaverat comitatum *Canciæ*, tranſnavigans ſe adjunxit. Hii duo cum ſuis complicibus in *Normannia* multum graſſabantur. Quo audito rex *Henricus* omnia quæ erant Comitis *Mortonii* in *Anglia* ſibi arripuit, & poſt hæc in *Normanniam* transfretavit, quam ſibi non ſine ſanguine ſubjugavit; Duos Comites prædictos perpetuo carcere mancipavit, Viros quidem ſimulationis & arguciæ plenos. Poſt hæc rex *Henricus* ſummam pacem in *Normannia* relinquens, *Angliam* rediit, Contra fures & falſarios acerbas leges edidit, privationem ſcilicet oculorum, teſticulorum, pugni continentes. Deinde ſubegit *Scotos*, *Walenſes* & *Britones* tranſmarinos, ac eciam regem *Lodowycum*. Deinde perendinante rege *Henrico* in *Normannia* acceſſit *Kalixtus* Papa prope *Normanniam* ut inter cætera *Henricum* regem de incarceratione fratris ſui *Roberti Ieroſolimitani* peregrini aſperius conveniret, ſet veriſimilibus reſponſis receptis conquievit; Poſſunt enim communes loci illius ad quamvis partem inflecti per facundiam Oratoris quam præſertim exornant exennia, & ut nichil pompæ deeſſet fecit rex juvenculos quoſdam filios Comitis de *Melento* illaqueare Cardinales tunc præſentes ſuis tortilibus ſophiſmatibus, unde non puduit Cardinales fateri, occiduas plagas majori florere peritia literarum quam ipſi audiſſent. *Hugo* Comes *Ceſtrenſis* nepos regis *Willielmi* conqueſtoris ex parte ſororis obiit, cui ſucceſſit filius ſuus *Ricardus* puer 7. annorum. *Anſelmus* celebrato concilio *Londoniæ* plures Abbates depoſuit, traditiones dignitatum ad firmam prohibuit. *Sodomitas* quolibet die dominico excommunicandos cenſuit. Set & hoc poſtmodum retractavit, nam publicatio hujus vicii pravis mentibus fomes fuit majoris audaciæ ſimilia perpetrandi. Uxores quoque ſacerdotibus inhibuit [*Leyceſtria* anno gratiæ M.Cij.] prius non prohibitas.

Ceſtrenſis eodem capitulo.

Orta eſt diſcordia inter regem & *Anſelmum* eo quod nollet conſecrare Prælatos qui recipiebant inveſtituras de manibus laicorum; præſertim cum nuper dominus Papa hoc interdixerit ſub anathemate. *Giraldus* tamen *Eboracenſis* archiepiſcopus tales conſecravit, unde motus *Anſelmus* Papam adiit. Gens *Flandriæ* propter deſolationem patriæ ſuæ per jactationem æquoreæ arenæ diu vagabunda locum habitationis à rege *Henrico* expetiit & obtinuit ad orientalem plagam *Angliæ* juxta *Twedam*. Qui tamen poſtmodum ſub anno regni ſui xj. tranſlati ſunt in *Weſtwalliam*. Corpus ſancti *Cutberti* 414. poſt ſepulturam ejus anno ob quorundam Prælatorum incredulitatem cum capite] ſancti *Oſwaldi* repertum eſt incorruptum. 7. Idus Junii quatuor albi circuli circa ſolem ſunt viſi. Hoc anno prima ebdomada quadrageſimæ feria ſexta circa veſperam ſtella inſolita viſa eſt lucere inter auſtrum & occidentem, & ſic lucebat quotidie eadem hora per xxv. dies; cui ingens trabes viſa eſt de orientali parte occurrere. Poſtmodum in cœna Domini viſæ ſunt duæ lunæ plenæ parum ante diem, una in oriente & altera in occidente. Quo quidem anno factum eſt execrabile diſcidium inter *Henricum* Imperatorem patrem, & *Henricum* filium ſuum, adeo ut filius patrem incarceraret. Quo eciam anno *Anſelmus* concordatus eſt cum rege *Henrico Beccum* veniente, & inde tranſmiſſus eſt in *Angliam*.

Item ibidem c. 19. Ciſtrenſis.

Hoc anno *Henricus* 4. filius *Henrici* 3. cepit imperare apud *Teutonicos*, & regnavit pro ix. annis. Hic patrem proprium conjecit in vinculis, quibus & obiit. Papam *Paſchalem* cum Cardinalibus cepit & incarceravit prout ſupradictum eſt, qua de cauſa ut putatur carnali progenie caruit quamvis *Matildam* filiam regis *Angliæ Henrici* in uxorem duxiſſet; Tandem ad cor rediens jura eccleſiæ *Kalixto* Papæ libere reſignavit, ſicque ſecundum veriorem opinionem exul ſponte factus clam uxore relicta apud *Ceſtriam* obiit. Celebratum eſt *Londoniæ* Concilium ſub *Anſelmo*, ubi annuente rege ſtatutum eſt ut nunquam deinceps rex aut aliqua laica perſona inveſtituram faceret cum anulo & baculo. Quo eciam in tempore *Giraldus Eboracenſis* archiepiſcopus impoſitis manibus ſuis inter manus *Cantuarienſis Anſelmi* ſubjectionem & obedientiam illi fecit. Deinde 4. idus Auguſti *Anſelmus* uno die conſecravit apud *Londoniam* 5. epiſcopos, ſcilicet *Wyntonienſem*, *Sariſburienſem*, *Exonienſem*, *Herfordenſem*, & *Glamoragacenſem*, quod à diebus *Plegmundi* non contigit. Hoc anno rex *Henricus* ſtatuit ut fures ſuſpenderentur, falſarii oculos & genitalia amitterent, & ut denarii & oboli eſſent rotundi. *Philippus* rex *Francorum* obiit. *Lodowicus* filius ſuus ſucceſſit. *Giraldus Eboracenſis* archiepiſcopus obiit. Cui ſucceſſit *Thomas* nepos *Thomæ* ſenioris, & præſedit ibi 7. annis. Rex *Henricus* fecit ſedem epiſcopalem apud **Hely**, inſtituens ibi *Herveum* nuper *Bangorenſem* Præſulem. At quia in hoc partem *Lincolnienſis* dioceſis detruncaverat conferendo pagum *Cantibrigiæ* ſedi *Helienſi*, ideo contulit epiſcopo *Lincolnienſi* villam ſuam regiam ſcilicet **Spaldyng**. Hoc anno in ebdomada Paſchali ſanctus *Hugo Cluniacenſis* Abbas poſtquam ſibi apparuiſſent beata virgo, ſanctus *Petrus*, beatus *Hillarius*, obiit. Hoc eciam anno venerabilis *Anſelmus* obiit *Cantuariæ* 11. kalendarum Maii. Et die ſequenti quæ contigit in cœna Domini, balſamo divinitus miſſo perunctus ſepelitur. Et vacavit ſedes *Cantuarienſis* pleno quinquennio. Interimque res eccleſiæ expendebantur in uſus regios. Et cum rex ſæpe moneretur ut eccleſiæ viduatæ conſuleret, miti hoc differebat reſponſo, ſic inquiens. Optimos viros per patrem & fratrem ſuum inſtitutos fuiſſe archiepiſcopos, ſe quoque nolle in hoc degenerare, ſed optimum virum pro poſſe ad hoc captare velle. Talia reſponſa juris & æqui videbantur plena, ſet agger pecuniæ de epiſcopatu levatæ regis animo blandiebatur. Set quamvis *Anſelmi* vitā *Edmerus Cantuarienſis* monachus ad plenum deſcripſit; nonnulla tamen juvante *Willielmo Malmiſburienſi* ſuccinctius ſunt dicenda. *Anſelmus* igitur in *Auguſta* civitate *Alpium* oriundus & pueritia literatus & caſtus, dum iram patris ſui quam nullo obſequio lenire potuit, longius fugeret, *Beccum* in *Normannia* ſub *Lanfranco* confovendus acceſſit, ubi prope 26. agens annum monachus effectus eſt. Poſt triennium vero tranſlato ad *Cadomenſe* monaſterium *Lanfranco Becci* Priore ipſe *Anſelmus* ſub *Herlewino* Abbate Prior eſt inſtitutus, parcimoniæ, jejuniis, inſtitutionique juvenum per 15. annos potiſſime intendens. Frequenter dicere ſolet, *ſe malle eſſe ſine peccato in inferno quam in cœlo cum peccato.* Opuſcula literata & multa compoſuit, cum quibus & noſtram credulitatem quam alii auctoritatibus extorquere ſatagunt, ille rationibus & invincibilibus argumentis roboravit, adeo ut præcedentium excogitata non ſolum vinceret, immo in unum acervum cogeret. Diſcretione quoque & patientia omnium ſuorum devicit animos æmulorum. Poſt 15. autem Prioratus ſui annum defuncto *Herlewyno* primo *Beccenſi* Abbate ipſe *Anſelmus* in Abbatem *Beccenſem* promotus eſt. Et 5. annis ab *Anglia* tunc abſtinuit quamvis plurimæ ad veniendum cauſæ eum urgerent, ne forſitan archiepiſcopatum *Cantuarienſem* per mortem *Lanfranci* tunc vacantem ambire videretur; ſet tandem tribus de cauſis *Angliam* venire coactus eſt prout ſupradictum eſt. Fiebant tunc in *Anglia* ſub rege *Willielmo Rufo* deprædationes, proſcriptiones & confiſcationes. Nam tolerabilius fuiſſet unius hominis imperium ingemiſcere quam novis & recenter ſuccedentibus dominis ſubjacere; Inter hæc apud epiſcopos grande ſilentium latrare non valentium aut non audentium intra conſcientiam ſtrangulabatur judicium propter unius hominis metum. Nam quid attinet loqui ubi loquendo irrites odium nec ullum nanciſcaris emolumentum? Erat tunc ſpes evadendi hæc mala ſi *Anſelmus* ſignifer primus umbo publicus fieret archiepiſcopus. Rex ſiquidem *Willielmus* cuncta ſibi benigne dicta aut turbida ira aut facetis ſalibus eludebat, quippe non permiſit ut orationes fierent pro eo aut pro ſtatu eccleſiæ, *Orate*, inquit, *quod vultis, ego faciam quod placebit*. Sed ipſe tandem gravi infirmitate depreſſus *Anſelmum* vocavit, & conſenſu epiſcoporum ipſum archiepiſcopum fore deſignavit. At ille renitens in hunc modum allegat, Hen. I.

Si tauro indomito, id eſt *Willielmo Rufo*, ovis vetula, id eſt *Anſelmus* copuletur, pro diſparilitate trahentium arattrum eccleſiæ non recte incederet; Veruntamen *Anſelmus* inveſtitur & conſecratur. Sed rex convaleſcens pejor quam ante effectus. Hortantibus eum ad bonum amicis ſuis, reſpondere ſolebat, Per vultum de *Luca* nunquam Deus me habebit bonum pro malo quod mihi irrogat. Denique rex ipſe ad congregandum rapax, ad effundendum prodigus, quemcunque quicquam offerentem turbide exterruit niſi quantitas dati ſuæ conveniret menti. Unde cum beatus *Anſelmus* 50. libras regi offerret nec ipſe reciperet, *Anſelmus* eas pauperibus diſtribuit.

Signa diverſa per *Angliam* viſa ſunt. Nam terræ motus maximus apud *Salopiam*; & flumen **Trente** apud **Snottinggam** à mane uſque ad terciam ita deſiccatum eſt, ut homines ſicco pede tranſirent; Et ſtella comata apparuit menſe Junii per tres ebdomadas. Tunc quoque extitit hiems aſperrima, fames valida, mortalitas hominum, lues animalium, ſtrageſque avium mutuo concertantium.

Henricus rex conſtruxit monaſterium de *Hyda* extra muros de *Wyntonia* quod prius infra urbem fuerat. Quo anno *Henricus* quartus Imperator *Alemania* deſponſavit *Matildam* filiam regis *Henrici* apud *Mogonciam*.

Idibus Octobris magnus aquæ defectus per *Angliam* contigit, ita ut inter Turrim *Londonia* & pontem *Thameſia* fuit aqua vadabilis hominibus & equis per diem naturalem. Hoc anno coacto Concilio apud *Wynduſoram* deſtinavit *Henricus* rex *Faricium* Abbatem *Habindonenſem* ad ſedem *Cantuarienſem*, ſed pondere negotii ad examen epiſcoporum devoluto, ipſi prætulerunt *Radulfum*, *Roffenſem* tunc epiſcopum. Eo quoque anno *Thurſtanus* quidam in archiepiſcopum *Eboracenſem* eſt electus. Qui licet à rege ſæpius eſſet amonitus ut ſubjectionem canonicam faceret *Radulpho Cantuarienſi*, potius elegit dignitati cedere quam *Cantuarienſi* obedire. At dum privatus cederet ſolitis obſequiis deſtitutus, æger ipſe ambitione facti pœnituit, regem ultra mare ſequutus eſt, ubi Papa *Paſchalis* procurantibus id clericis *Thurſtini* epiſtolam regi direxit pro reſtitutione *Thurſtini*. Qui cum ad ſedem *Eboracenſem* rediſſet, & obedientiam canonicam *Cantuarienſi* facere adhuc detractaſſet, renovatur antiquum diſcidium. Quamobrem ſtatuit *Remis* ad Concilium generale concurrere pro diſciſione cauſæ ſuæ, ubi Papa primo promiſit *Cantuarienſi Radulpho* nichil contra dignitatem *Cantuarienſis* eccleſiæ ſtatuere, immo tale privilegium videbatur concedere. *Quacunque auctentica & à pradeceſſoribus noſtris conceſſa habet eccleſia veſtra, ea nullatenus minuimus ſet inconcuſſa volumus obſervari.* Hic ſi dominus Papa expreſſe diceret has & has dignitates habet eccleſia veſtra, abſolveret litigium, ſed nunc reliquit indeterminatum; ſed calidus lepos *Romanorum* novit ſe ad oratorum convertere verſucias, ut quæ vult caſſa ſuſpendat ambage, non parcens laboribus dummodo ſuis conſulat profectibus; unde & dominus Papa recedentibus nunciis regiis inflexus favoribus aut muneribus, callidius quam tantum virum decuit *Thurſtanum* ſpreta antiquitatis regula conſecravit, pallium tradens; & licet rex *Henricus* ex hoc plurimum indignatus terram ſuam *Thurſtano* prohiberet, Apoſtolicis tamen literis perterritus eſt. Quibus comprehenſum fuerat ut aut *Thurſtanum* admitteret, aut ipſe rex anathemati ſubjaceret; & *Cantuarienſis* officii dignitate ſuſpenderetur. *Radulphus Cantuarienſis* ad iracundiam & paralyſim plurimum inclinatus, die quo rex *Henricus* mortua prima uxore filiam Ducis *Lotoryngæ* duxerat, epiſcopum *Sariſburienſem* ad id peragendum ſacris indutum exuviis cedere coegit, & *Wyntano* epiſc. hoc officium delegavit. Poſtera autem die cum regem *Henricum* videret præter ſui conſcientiā coronatum, acceſſit ad eum dicens, Injuſte es coronatus, Tu igitur aut abſtinebis à corona, aut ego à Miſſa. Cui rex ait, Pater quia perperam actum eſt corrige. Vix igitur *Radulphus* procerum precibus eſt inflexus quin regiam coronam de capite regio excuſſiſſet. Vir quidem religione, literatura & affabilitate præſtans, nullius delicti ſuſpicione facile notabilis niſi quod ad jocos & riſus inclinatior erat quam gradum & ætatem ſuam decebat, dicebaturque nugax. Hiems aſperrima extitit, ita ut multi pontes per *Angliam* reſolutione glaciei frangerentur. Menſe Maio advolaverunt in terram *Ieroſolymorum* tam multæ locuſtæ devorantes vineas, arbores & ſata, factaque tali expeditione diurna aliæ pedites aliæ volantes ad ſua hoſpitia veſpere receſſerunt. Apud *Italiam* terræ motus duravit per 40. dies ita ut domibus plurimis everſis, villa una pergrandis mota ſit totaliter de loco ſuo ad alium longe poſitum. *Paſchalis* Papa obiit. Succeſſit *Johannes Gaitanus* qui & *Gelaſius* 2. dictus eſt. Hic prioris Papæ Cancellarius, ſedit anno & dimidio. Audiens autem *Henricus* Imperator privilegium ſuum de inveſtitura clericorum revocatum, aſcendit *Romam* ut de *Paſchali* Papa gravius ſe vindicaret, ſed audita morte *Paſchalis* Papæ intruſit in papatum quendam à Papa nuper excommunicatum, *Mauricium* cognomento *Burdunum Bacharenſem* epiſcopum quem *Gregorium ſeptimum* nominavit. *Gelaſius* vero Papa cum Cardinalibus præ timore Imperatoris relicta *Roma* navigavit *Iannam*, & inde pedeſtri itinere venit *Cluniacum*, ubi & obiit; ibi tunc Cardinales erexerunt in Papam *Guidonem Viennenſem* archiepiſcopum quem *Kalixtum* 2. vocaverunt. Iſto anno obiit dominus *Florencius Wygornienſis* monachus, cujus literato labore plurimum adaucta eſt præſens hiſtoria.

Henric. I.

CAP. IX.

Leyceſtrenſis.

CUmque mirabilis diſcordia orta eſſet inter reges *Anglia* & *Francia*, rex *Anglia Henricus* glorioſo potitus triumpho ipſum regem *Francia Lodovicum* devicit in *Francia* in bello, & ipſum regem *Lodovicum* cum multis *Francigenis* duxit ſecum in *Angliam* anno gratiæ M.C.xix.

An. Dñi 1119.

Ciſtrenſis l.7.c.15.

Orta eſt diſcordia inter reges *Francia* & *Anglia*; Rex *Anglia Henricus* glorioſe devicit regem *Francia* in bello. Poſt hæc rex *Henricus* copulavit *Willielmum* filium ſuum primogenitum filiæ *Fulconis* Comitis *Andegavia*; Et tunc facta eſt pax inter reges, quia *Willielmus* prædictus tenuit *Normanniam* de rege *Francia* & fecit ei homagium pro illa, concedente patre ſuo *Henrico* rege qui pro culmine majeſtatis ſuæ faſtidivit facere homagium regi *Francia* pro *Normannia*. Tunc quoque rex *Henricus* fecit liberos homines ſuos de *Anglia* & *Nor-*

mannia facere homagium *Willielmo* filio ſuo; unde ſperabatur quod vaticinium regis *Edwardi* in illo *Willielmo* foret implendum; quo dicebatur, quando arbor præciſa ad truncum rediens pubeſceret, remedium foret ſperandum. Sed hoc obnubilavit fortis humanæ varietas; nam poſt triennalem moram regis in *Normannia Willielmus* ille ſubmerſus eſt, ut infra dicetur. Hoc quoque tempore *Fulco* Comes prædictus *Ieroſolymam* pergens commendavit comitatum ſuum *Andigavenſem* regi *Angliæ* ad opus generi ſui ſervandum ſi ipſe non rediret.

Item Ciſtrenſis. lib.7.c.16.

Calixtus ij. ſedit papa annis v. menſibus x. Qui viribus undecunque collectis, cepit & incarceravit *Mauricium* antipapam ſupradictum: Quem poſt in camelo poni fecit verſa facie ſua ad caudam cameli, caudamque pro freno tenuit papam præcedendo. Circa hos dies ordo *Præmoſtrenſis* incepit in *Laodinenſi* dioceſi, ſub patre *Northberto*, qui fuit natione *Colonienſis*. Circa hæc tempora obiit *Matilda* regina *Anglorum*, quæ in primis annis inter moniales *Wyntonienſes* educata fuit, & literis inſtructa. Unde & ut ignobiliores nuptias reſpueret quas pater ejus ei ſæpius optulit, peplum ſacri voti geſtavit: Quamobrem cum Rex *Henricus* eam thalamo ſuſciperet, res in diſputationem venit, reſiſtente *Anſelmo*, donec legitimis teſtibus probaretur eam ſine profeſſione, & non niſi cauſa procorum recuſandorum velum geſtaſſe. Hæc itaque duplicem partum enixa maſculum & feminam, parere deſiit. Inde apud *Weſtmonaſterium* commorans regaliter eſt exhibita, volente id rege. Cæterum cilicio ſub regio cultu convoluta nudipes in quadrageſima adibat eccleſiam: Nec horrebat lavare morbidorum ulcera, tractans manibus, baſia infigens, & menſam apponens, atque officii divini multum fuit æmula. Iccirco in clericos bene melodes inconſiderate prodiga. Unde & ſcolaſtici cantibus & verſibus famoſi ad eam quaſi de toto orbe confluebant. Set & in alios adventantes profuſe expendebat: Ita nempe innata eſt mentibus hominum cupiditas gloriæ, ut vix aliquis eciam bonæ conſcientiæ contentus ſit boni operis fructibus, quin dulce ducat efferri in vulgus. Unde quod illa hac de cauſa colonos ſuos expilaverit, conſiliis miniſtrorum imputari poterit.

Septimo kalendarum *Septembris* ſolutis navibus apud *Barbeflete* in *Normannia* rex proſpere *Angliam* venit; quem primogenitus ſuus *Willielmus* ſequi geſtiens, ſubmerſus eſt cum multis nobilibus non longe à terra. Inter quos fuerunt *Ricardus* nothus filius regis, filia regis notha Comitiſſa *Percie*, *Ricardus* Comes *Ceſtriæ* cum uxore ſua regis nepte, archidiaconus *Herefordiæ* cum aliis C. xl. numero. De quibus nullus evaſit niſi unus ignobilis ruſticus macellarius, qui tota nocte malo ſupernatans ad litus mane vectus eſt, qui totam tragœdiam enarravit; Hii nempe omnes cum temulentis nautis navem novam ingreſſi, de nocte cito in ſcopulum non longe à terra impegerunt. Et rupta navi demiſſus eſt *Willielmus* regis filius in ſchapham, qua bene ſalvari potuiſſet ad litus regreſſus niſi ad ululatum ſororis ſuæ rediens recepiſſet eam in ſcapham. Scapha enim illa pondere inſilientium oppreſſa omnes ſubmerſit, excepto ruſtico prædicto. Et quod mirandum eſt, in craſtino multum theſauri reperiebatur per litora, ſet corpora defunctorum nulla, ſed æquoreis monſtris in pabula ceſſerunt; Et dicebatur quod pene omnes illi Sodomitæ fuerunt. Inſuper & ille *Willielmus* regis primogenitus palam comminatus fuerat *Anglis*, quod ſi aliquando dominium acciperet ſuper eos, quaſi boves ad aratrum trahere faceret. Quin eciam *Ricardus* Comes *Ceſtriæ* comminatus fuerat, quod cum de *Normannia* rediret monachos *Ceſtrenſes* deleret quos pater ſuus inſtituerat; Poſt hæc *Fulco* Comes *Andegaviæ* prædictus ſocer *Willielmi* ſubmerſi de terra ſancta rediens maritavit alterā filiam ſuam filio *Roberti Courtehoſe*, cum qua dedit comitatum *Cenomannicum*, eo quod rex *Henricus* retinuerat in *Anglia* dotem filiæ ſuæ. Poſt hæc rex *Henricus* maritavit *Matildam* filiam ſuam *Henrico* quarto *Teutonicorum* Imperatori. Hoc anno rex *Henricus* apud villam de **Wodestoke** fecit magnum parcum. Submerſo *Ricardo* Comite *Ceſtrenſi* ſucceſſit ei *Ranulphus* prædictus de *Gernons*, filius ſororis *Hugonis* primi, qui præfuit viij. annis. *Radulphus Doroberuenſis* archiepiſcopus obiit cui ſucceſſit *W.* canonicus.

Circa hos dies ordo *Templariorum* incepit. Hii nempe congregati ex reliquiis Hoſpitaliorum ſedem ſibi ſtatuerunt in porticu Templi *Ieroſolymitani*, qua de re vocati ſunt *milites Templi*; Qui ex reliquiis Hoſpitaliorum in cibis & armis ſuſtentati ad tantam rerum opulentiam devenerunt, ut filiæ ditatæ matrem ſupergredi viderentur & ſuffocare. Qui tandem ob ignominioſam apoſtaſiam & in Chriſtum blaſphemiam circa annum gratiæ MCCC. xij. ſub Papa *Clemente* quinto deleti ſunt.

Iohannes Romanus Cardinalis *Angliam* veniens ſeveriſſime tractavit contra concubinas ſacerdotum coercendas, dicens, Summum ſcelus eſſe de latere meretricis ſurgere ad conficiendum corpus Chriſti. Eo tamen die, poſtquam celebraverat ad veſperam, cum meretrice interemptus eſt. Res apertiſſima negari non potuit, celari non debuit. Hoc ſi cuiquam diſpliceat, taceat ne *Iohannem* ſequi videatur.

Honorius ſecundus poſt *Calixtum* ſedit Papa annis quinque.

Henricus quartus Imperator *Alemanniæ* obiit; & ſecundum quoſdam ſepultus eſt apud *Spiram* cum progenitoribus ſuis, cum tali epitaphio.

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet iſtic.

Verius tamen videtur *Giraldus* in *Itinerario Walliæ* ſentire, ubi dicit, quod *Henricus* ille poſtquam incarceraverat patrem ſuum carnalem & patrem ſpiritualem Papam cum Cardinalibus, tandem ad cor rediens, ultroneus exul factus eſt, dimiſſa clam uxore ſua *Matilda Anglica*, heremiticam vitam apud *Ceſtriam* per decennium duxit, ubi ne dum viveret cuiquam innoteſceret, *Godeſcallum* ſe vocavit, quod ſonat, à Deo vocatum. Sic igitur Imperatore latenter digreſſo, *Matildis* Imperatrix ad patrem ſuum regem *Henricum* in *Normanniam* rediit, ubi cito poſt copulata eſt *Galfrido Plantagenet* Comiti *Andegaviæ*, de quo ſuſcepit *Henricum* ij. poſtmodum *Angliæ* regem.

Item Ciſtrenſis l.7.c.17.

Lotharius Dux *Saxoniæ* factus eſt Imperator poſt deceſſum *Henrici*. Celebrato *Londoniæ* Concilio conceſſum eſt *Henrico* regi juſtitiam facere de ſacerdotibus fornicariis eorumque concubinis. Set ipſe nichil aliud egit quam pecuniam emunxit. Quo anno proceres *Angliæ* juraverunt coram rege ſervare regnum *Angliæ* ad opus *Matildæ* Imperatricis filiæ ſuæ, ſi ipſa patrem ſine liberis decedentem ſuperviveret.

Invencio corporis ſancti *Mathæi* apoſtoli in urbe

Tre-

Henricus I.

Treverenſi, quod ſanctus *Auguſtinus* archiepiſcopus illuc advexerat de *Conſtantinopoli* tempore *Conſtantini* ſenioris, ex dono *Helenæ* reginæ.

Innocentius ij. poſt *Honorium* ſedit annis xiij. menſibus vij. *Petrus* enim *Leonis* qui & *Anacletus*, invaſerat apoſtolatum, & facta eſt turbatio in eccleſia; Nam ille *Anacletus* in paucioribus eccleſiis *Innocentium* de urbe fugaverat, eccleſias *Romæ* ſpoliavit, de quarum pecunia *Romanos* corrupit; Set *Innocentius* cum cardinalibus apud regem *Francorum* demoratus, concilium *Remis* celebravit, tandem redeundo, *Lotarium* ducem *Saxoniæ* in imperatorem coronavit, cujus ope *Rogerum* ducem *Ciciliæ* & *Apuliæ* qui ſibi rebellis fuerat, effugavit. Mortuo primo *Ranulfo* comite *Ceſtriæ* ſucceſſit *Ranulfus* ij. dictus de *Meſchenes*, filius prioris *Ranulfi*, qui præfuit xxv. annis.

Mortuo comite *Flandrenſi Henricus* rex *Angliæ* de beneplacito regis *Franciæ* ſucceſſit jure conſanguinitatis; Et cito poſt *Matilda* imperatrix repudiata à viro ſuo *Galfrido*, acceſſit ad patrem ſuum in *Normannia* exiſtentem: ubi tres mirabiles apparuerunt ei viſiones. Nam primo vidit in ſomnis ruſticorum multitudinem cum inſtrumentis inſilire & debitum expetere. Secundo, vidit armatorum cohortem omnimodis telis in eum ſævire velle. Tercio, vidit prælatorum catervam cum baculis paſtoralibus minas intentare. Et omnibus his vicibus exiliit rex de ſtratu ſuo gladium arripiens, & opem inclamitans ac ſi eſſet aliquos occiſurus, ſet neminem invenit. Iſta eciam omnia vidit quidam medicus, *Grunbaldus* nomine. Qui mane iſta regi referens, monuit eum ſicut quondam *Daniel Nabugodonoſor*, ut elemoſinis ſua peccata redimeret; Unde & rex in redeundo *Angliam*, nimia tempeſtate quaſſatus eſt vovitque ut ſeptem annis *Danicum* tributum relaxaret, ut ſanctum *Edmundum* viſitaret, ut juſticiam faceret.

In terra *Franciæ* tanta ſiccitas fuit ut fluvii & fontes ſiccarentur; Ignis quoque per rimas terram ſubintrans, nec imbre nec frigore nec aliqua arte extingui potuit.

Hoc anno *Robertus* quondam comes *Normanniæ* & frater regis obiit apud **Cardiſ.** Fundatus eſt Prioratus **Norton.** in provincia *Ceſtriæ* à *Willielmo* filio *Nigelli*. Et fundatum eſt monaſterium de **Cumburmer** in eadem provincia. Et natus eſt *Henricus* filius imperatricis, dictus **Courtemantel.** Rex *Henricus* obiit in *Normannia*: de quo quidam metrice ſic cecinit:

Rex Henricus *obit, decus olim nunc dolor orbis*;
Numina flent numen deperiiſſe ſuum.
Mercurius *minor eloquio, vi mentis* Apollo,
Jupiter *imperio*, Marſque *dolore gemit*.
Janus *cautela*, *minor* Alcides *probitate*,
Conflictu Pallas, *arte* Minerva *gemit*.
Anglia *quæ cunis, quæ ſceptro numinis hujus*
Ardua ſplenduerat jam tenebroſa ruit.
Hæc cum Rege ſuo, Normannia *cum Duce marcet*;
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

Mortuo rege *Henrico* libera ut aſſolet in mortuum judicia jaculabantur. Alii nempe tribus eum radiaſſe ferebant, ſapientia, eloquentia, belli fortuna. Alii vero tribus viciis eum ſuccubuiſſe aſſerebant, cupiditate, voluptate, crudelitate. Corpus itaque regis eviſceratum, excerebratumque, multo ſale reſperſum eſt, atque cauſa fetoris vitandi qui jam multos infecerat, tandem in corio taurino includitur, nec potuit adhuc humor ille noxius cohiberi, quin ille qui caput excerebravit ex fetore occumberet; Comederat nempe ſenex invalidus ex murena, quam licet ſemper dilexerat, ſemper tamen ſibi nocuerat. Denique regii corporis reliquiæ in *Angliam* delatæ apud monaſterium *Radingæ*, quod ipſe à fundamentis conſtruxerat, ſepultæ ſunt. Hujus regis tempore floruerat quidam *Simon* filius *Roberti Lincolnenſis* epiſcopi, decanus in eadem eccleſia, qui fuit acer ingenio, clarus eloquio, forma venuſtus, gratia coruſcus, ætate juvenilis, prudentia ſenilis, ſet ſuperbiæ vicio reſperſus. Ex ſuperbia crevit in ipſo invidia, ex invidia odium, ex odio jurgia, detractiones & delationes, Qui aliquando prognoſticavit de ſeipſo, dicens. Ego curialibus interponor ſicut ſal inter anguillas viventes: unam per hoc dicti proprietatem attendens; ſet aliam non advertens; nam ſicut ſal anguillas incruciat, ita ille curiales corrodendo; ſet tandem ſicut ſal deſtruitur anguillarum humore, ita ille cunctorum aſpernatione, nam tandem in odium regis devolutus, incarceratus, per latrinam aufugit, & exul obiit.

Leyceſtrenſis.

Iſte *Henricus* clericus regnavit xxxvj. annis, & devenit probus homo, benignus & verus erga Deum & homines. Iſte fundavit abbathiam de **Wellaw** juxta **Grymmiſby** & domos de **Creke** in **Northfolke** & de **Angleſeye** in comitatu *Cantubrigiæ*. Iſte habuit uxorem *Matildam*, filiam *Malcolmi* regis *Scotorum* & *Margaretæ* reginæ *Scociæ*, quæ fuit *Edwardi* exulis; De qua *Matilda* rex *Henricus* genuit unam filiam, *Matildam* nomine, ſicut mater ejus; quæ poſtea fuit imperatrix *Romæ*.

An. Dñi 1100.

Die aſſumptionis beatæ *Mariæ* iſte *Henricus* fuit coronatus anno Gratiæ M.C. Et conceſſit coram Deo & omni populo pacem regni pro ſuo poſſe ſervare, & libertates ſanctæ eccleſiæ conſervare; Et hæc & alia ad honorem Dei & elevationem regni carta ſua, ſecuriori modo quo potuit confirmavit. Iſte *Henricus* fecit *David* regem *Scociæ* & omnes magnates regni *Angliæ* facere homagium & jurare fidelitatem *Matildæ* filiæ ſuæ imperatrici. Poſt hæc miſit rex *Henricus Matildam* filiam ſuam in *Normanniam*, ubi deſponſata fuit *Galfrido* comiti *Andegaviæ* ut ſupradictum eſt; factoque divortio inter *Galfridum* & *Matildam* prædictos, prædicta *Matilda* conjuncta erat regi *Jeroſolymorum*, ſet primo conjuncta fuit cum eſſet ætatis v. annorum *Henrico* imperatori *Romano*, ut ſupra patet, anno ſcil. Gratiæ M.C.x.

Item Ciſtrenſis l.7.c.18.

Mortuo rege *Henrico* primo ſucceſſit in regnum *Stephanus* comes *Boloniæ*, filius comitis *Bleſenſis*, nepos *Henrici* regis ex parte ſororis, & regnavit xvij. annis. Vir quidem ſtrenuus & audax, ſet contra juramentum ſuum imperatrici factum die ſancti *Stephani Londoniæ* coronatus eſt à *Willielmo Cantuarienſi* epiſcopo, qui prius imperatrici ſacramentum præſtiterat. Quapropter idem *Willielmus* annum minime ſupervixit; Set & omnes magni qui *Stephano* juramentum fecerant, miſerum ſortiti ſunt finem. Fertur eciam quod hoſtia Chriſti die coronationis regi porrecta ſubito diſparuit.

CAP. X.

NEmpe coronatus rex *Stephanus* juravit coram proceribus apud *Oxoniam*, quod prælaturas vacantes in manu ſua non teneret; quod Danegaldum remitteret; quod neminem de ſilvis propriis implacitaret. Immo quia adventum imperatricis formidabat, conceſſit ut quilibet de proceribus poſſet facere munitionem ſive caſtrum in fundo proprio. Et cito poſt hæc recepit ad concordiam *David* regem *Scotorum*, qui nuper doloſe ceperat caſtellum de **Caerliell** & caſtrum ſuper *Tinam*, & dedit ei *Huntyngdonam* in *Anglia*, homagium autem & fidelitatem à filio ipſius *David* recepit, non ab ipſo *David*, quia *David* prius juraverat fidelitatem imperatrici. Deinde rex *Stephanus* cepit *Exceſtriam*. *Willielmus Cantuarienſis* archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Theobaldus Beccenſis* abbas. *Lotharius Teutonicus* imperator obiit, cui ſucceſſit *Conradus* dux *Bavaria* ſuper *Tentonicos* & *Romanos* imperans xv. annis. Et quamvis benedictionem à papa non acceperit, cruce tamen ſignatus tempore *Eugenii* papæ ad prædicationem *Barnardi* abbatis, in terra ſancta multa ſtrenue geſſit; Eo tempore floruit pius Comes *Campania Theobaldus*, pauperes & leproſos pie viſitans. Quem quidem metricus iperbolicis laudibus extulit ſic defunctum.

Ille Comes Comes ille pius Theobaldus *erat, quem*
Gaudet habere polus, terra carere dolet.
Non hominem poſſum, non audeo dicere numen:
Mors probat hunc hominem, vita fuiſſe Deum.
Trans hominem, citraq; Deum, plus hoc, minus illo.
Neſcio quis. Neuter. Inter utrumque fuit.

David rex *Scocia* jam tertio *Angliam* venit, & terram uſque flumen **Theſe** in confinio *Eboracenſis* provinciæ cremando, cædendo, gravidas findendo vaſtavit. Set *Thurſtinus* archiepiſcopus cum regiis militibus occurrens, ipſum fugavit, occiſis x. millibus, & ſpolia multa reportavit; rex autem *Stephanus* poſtquam caſtrum de **Bedforde** ſibi adverſum cepiſſet, *Scociam* tendit: ubi paucis ad votum peractis rediit. Set in redeundo *Alexandrum Lincolnienſem* epiſcopum vinculavit, donec caſtrum ſuum de **Newerk** regi dediſſet. *Nigellum* quoque *Helienſem* epiſcopum effugavit. *Rogerum Saliſbirenſem* epiſcopum qui multa bona ſibi fecerat incarceravit, donec duo caſtella ſua de **Wiſer** & de **Schyrburne** ei dediſſet, unde & epiſcopus ille *Rogerus* domorum & caſtrorum ædificator præcipuus nimia triſtitia infirmatus obiit, pecuniam quaſi xl. millia marcarum in caſtellis ſuis poſt ſe relinquens, quæ non in Dei ſet in uſum regis ceſſit; Nam rex illo theſauro *Conſtantiam* ſororem regis *Francorum* filio ſuo *Euſtachio* comparavit. *Thurſtinus Eboracenſis* archiepiſcopus eximius fundator monaſteriorum *Haguſtaldenſis* & *Fontium*, aliorumque octo, ſuſceptoque habitu monachico apud *Pontemfractum* in bona ſenectute obiit; Cujus corpus poſt duos annos repertum eſt odoriferum & incorruptum. Interea rex cepit caſtra *Glovernia*, *Herefordia*, *Welbeleya*, *Briſtolliæ*, *Dudeleia*, & *Salopia*. Quo audito, *Robertus* comes *Glovernia* nothus filius regis *Henrici* invitavit ſororem ſuam *Matildam* imperatricem, *Andegavia* tunc morantem, ut *Angliam* veniret, auxilium promittens contra regem *Stephanum*. Venientes igitur menſe Julio *Robertus* & *Matilda*, primo apud *Porteſmudam*, deinde apud *Briſtolliam* multa dampna provincialibus irrogant. Quod rex audiens dimiſſa obſidione quam circa caſtrum de **Wallyngforth** fecerat, illuc tendit; Set cito poſt, *Lincolniam* obſedit. Igitur circa purificationem beatæ *Maria Ranulfus* comes *Ceſtria*, *Robertus* comes *Glovernia* cum pluribus *Wallenſibus* ad ſolvendum regis obſidionem venerunt. Qui cum paludem arundineam vix tranſiſſent, aciebus diſpoſitis ſic comes *Ceſtria* ſuos alloquitur. Gratias vobis perſolvo jugiter exorans, ut qui vobis cauſa ſum periculi, primus omnium periculum ſubeam. Cui dixit comes *Robertus*. « Non eſt indignum quod primi ictus dignitatem depoſcas tam ex nobilitate generis quam « ex virtute roboris qua præcellis. Set movet me « ad bellandum regis rabies & perjurium. Veruntamen per iter quo venimus non eſt revertendum. « Hic igitur vincendum aut occumbendum; neceſſe « eſt enim ut ad probitatem confugiat cui non eſt « aliud refugium. Attendite tamen contra quos & « quales bellum geritis. Stat enim contra vos Co« mes *de Mellent* fraudis artifex, cui innata eſt in « corde nequitia, in ore fallacia, in opere pigritia. « Procedit eciam comes de *Albemarle*, *Baccho* de« votus, *Marti* ignotus, vino redolens, bello inſo« lens. Aſtat ibi *Simon Hamptonienſis*, cujus actus « ſola locutio, cujus datum ſola promiſſio, qui cum « dixerit fecit, cum promiſerit dedit.

Rex autem *Stephanus* ſub tantis æſtibus miſſam audivit, *Alexandro* epiſcopo tunc celebrante; In cujus manibus cereus quem rex optulit confractus eſt, & pixis quæ hoſtiam continuit fracta cathena cecidit. Quod quidem ſignum fuit regiæ ruinæ. Procedente tandem rege, verba belli exhortatoria *Baldewyno* comiti ſunt commiſſa. Qui cæteros affatur in hunc modum; « Confligentem oportet noſſe tria; « Juſticiam cauſæ, ne periculum animæ incurratur: « copiam catervæ, ne numero hoſtium comprima« tur: efficaciam dextræ, ne debilibus innixa facile « ſubruatur. Quantum ad hæc tria ut arbitror ex« pediti ſumus. Attendite ulterius quales habemus « adverſarios; Ecce *Robertus* conſul qui de more « multum minatur parum operatur, ore leoninus, « corde leporinus, clarus eloquentia, obſcurus iner« tia. Deinde ſtat comes *Ceſtria*, vir quidem auda« ciæ irrationabilis, promptus ad conſpirandum, in« conſtans ad perficiendum, animo impetuoſus, pe« riculi improvidus, altiora machinans, impoſſibilia « temptans, quod avide incipit, effeminate deſerit; « ubique infortunatus, aut vinci aut effugari aſſue« tus, tranſfugas & girovagos ſecum adducit *Wa*« *lenſes*, qui quanto ſunt numero plures tanto dete« riores. Set ecce priuſquam dictis finem faceret adeſt clamor hoſtium, clangor lituorum, fremitus equorum, offendunt acies, cadunt ſegnes, rex capitur, ad imperatricem adducitur, & à feſto Purificationis uſque ad exaltationem ſanctæ Crucis apud *Briſtolliam* vinculatur, ex cujus rei eventu imperatrix nimis elata *Cirenceſtriam* occupat, deinde *Wyntoniam*, ubi approbante hoc legato papæ proceſſionaliter ſuſcipitur; Inde *Wiltoniam*, *Oxoniam*, *Radingum*, ad ſanctum *Albanum* iter dirigens à cunctis ubique, exceptis ſolum *Kentenſibus*, gratanter excipitur; occurrente ei potiſſime *Theobaldo* archiepiſcopo; Inde *Londonias* veniens de ſtatu regni tractatura, interpellata eſt à regina *Anglia* regis *Stephani*

phani uxore, ut rex abſolvi poſſet ea conditione, quod regno imperatrici reddito rex alicubi poſſet monachari aut perpetuo peregrinari; ſet non hoc exaudivit. Interpellata eſt eciam à civibus *Londonenſibus* ut liceret uti legibus ſancti *Edwardi*, non autem legibus patris ſui *Henrici* quia graves erant; Set illa non advertit; Inde populus commotus eam capere ſtatuit. Quod illa comperiens dimiſſa omni ſupellectili ſua, *Oxoniam* fugit, ubi diſperſos milites ſuos expectavit. Inde aſſumpto ſecum avunculo ſuo *David Scotorum* rege cum manu militari *Wyntoniam* tendit; Turrim epiſcopi ubi frater regis erat, acriter obſedit. Superveniente tandem regina cum *Willielmo Yprenſi*, imperatrix ita timore reſoluta eſt, ut feretro impoſita acſi cadaver eſſet equis deferentibus ad urbem *Glovernia* delata eſt. Comes *Robertus* frater ſuus interim captus eſt, & incarceratus. Igitur ſatagente regina pro rege, imperatrice pro fratre ſuo, multis hinc inde procurantibus talis liberatio providetur, ut rex ſuo reſtituatur regno, & Comes ſuo dominio, & ambo deinceps forent regni moderatores ſicut extiterant turbatores; Set Comite id renuente, per totum annum regnum ſubjacuit rapinis & cædibus ac divitum venditionibus; Tandem circa exaltationem ſanctæ Crucis rex liberatus obſedit imperatricem in urbe *Oxonia* à feſto ſancti *Michaelis* uſque ad natale Domini, cunta extrinſecus devaſtando. Invaleſcente tandem inedia imperatrix albis veſtibus cooperta per *Thamiſim* congelatam & nive conſperſam evaſit uſque ad **Wallyngforth**, nam oculi obſidentium per nivis reverberationem deluſi erant; Et ſic urbs *Oxonia* regi reddita eſt. Circa hæc tempora quidam magiſter *Arnaldus* prædicavit *Roma* contra divites & contra ſuperfluitatem hominum. Qua de cauſa multi ſequebantur eum. Tandem captus eſt & per odium clericorum ſuſpenſus eſt. Quo eciam anno obiit *Johannes de Temporbus* qui vixerat CCC.lxj. annis, & armiger magni *Caroli* extiterat.

Item Ciſtrenſis l.7.c.19

Celeſtinus ſecundus poſt *Innocentium* ij. ſedit papa menſibus quinque. Poſt quem *Lucius* menſibus xj. *Eugenius* tercius ſedit papa annis viij. menſibus v. Hic cum primum eſſet diſcipulus beati *Barnardi*, & poſtmodum abbas ſancti *Anaſtaſii* juxta *Romam* ex inſpirato ad eccleſiam *Ceſarii* veniens, per cardinales electus eſt, ſet propter metum ſenatorum extra urbem conſecratus eſt. Hic cruce ſignavit *Lodowicum* regem *Francia*. *Remis* in *Gallia* concilium celebravit. Ad quem eciam ſanctus *Barnardus* abbas ſcripſit libros de conſideratione. *Ranulfus* conſul *Ceſtria* cum militum copiis ad **Wallyngfort** veniens cum rege concordatus eſt. Set cito poſt in Parliamento apud *Northamptoniam* doloſe captus eſt, nec liberari potuit, donec caſtrum *Lincolnia* reddidiſſet; Interim *Wallenſes* vaſtaverunt provinciam *Ceſtrenſem*. Set apud vicum *Malbam* intercepti ſunt; Et poſtmodum rex *Stephanus* in urbe *Lincolnienſi* coronatus eſt; Quod nulli regum contigerat. Eoque anno *Conradus* imperator, *Lodowycus* rex *Francia*, comes *Flandria* & multi alii cruce ſignati viam terræ magis quam maris eligentes, tranſita *Hungaria* per dolum imperatoris *Conſtantinopolitani* proditi ſunt; nam multi guſtata farina calce mixta defuncti ſunt, cæteri multi aut gladio aut fame propter eorum luxuriam & rapinam conſumpti ſunt. Rediens tandem rex *Lodowicus* de Terra ſancta, cum ex diutina continentia & coitus defectu, prout medici dicebant, ægritudinem incurreret, ſuaſumque ſibi foret per medicos & prælatos, ut ob nimiam diſtantiam reginæ puella aliqua uteretur, Reſpondit; *Malo mori caſtus, quam vivere adulter*, & ſic totum Deo committens cito convaluit. Dum autem clericus quidam privilegium papale ei attuliſſet, quod in omni cathedrali eccleſia regni ſui primam vacaturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus, ille ſtatim literam combuſſit, dicens, *ſe malle tales literas comburere, quam animam ſuam in inferno torqueri*. Ac cum idem princeps qualibet ſexta feria in pane & aqua jejunaret, ſuaſum eſt illi hoc jejunium dimittere, & centum pauperes tali die reficere; Quibus reſpondit, Bene volumus quod tali die tot pauperes vel plures paſcantur, ſet jejunium noſtrum ſolvere nolumus, nam abſque eo quod animæ confert, corpori tum plurimum prodeſt; Tot enim ſuperflua per totam ebdomadam corpori ingerimus, quod purgatio vel quies unius diei multum valet tam ad pellendum ſuperfluum, quam ad provocandum appetitum. Mortuo tandem iſto *Lodowico* metricus quidam ſub ſtilo compendioſo tale epitaphium rethorico cemate ornatum ſcripſit, & tanquam ad filium ſuum *Philippum* apoſtrophans, patrem ſepultum oſtendens, ait,

Hunc ſuperes tu qui ſuper es ſucceſſor honoris:
Degener es ſi degeneres à laude prioris.

Circa hæc tempora obiit *Hugo* de ſancto *Victore* monachus & Prior ſancti *Victoris* juxta *Pariſium*, literis & religione ſummus, De quo ferunt quod cum in extrema infirmitate laboraret, & nullum cibum retinere poſſet, corpus tamen dominicum ſibi dari inſtanter poſtulavit; Fratres vero ejus turbationem ſedare volentes, ſimplicem oblatam non conſecratam ei optulerunt; Quod ille in ſpiritu recognoſcens, ait, Deus miſereatur veſtri, fratres, Cur mihi illudere voluiſtis? Iſte non eſt Deus meus. Mox illi euchariſtiam conſecratam attulerunt. Quod ille videns ſet retinere non valens, erectis manibus ait, *Aſcendat Filius ad Patrem, & Spiritus ad Deum qui creavit illum*; & ſtatim exſpiravit, & corpus Domini diſparuit; Volunt tamen alii, quod cum iſte *Hugo* propter jugem vomitum non poſſet euchariſtiam retinere, & hac de cauſa fratres ei verum ſacramentum afferre noluiſſent, rogavit eos ut ſaltem ſacramentum ſuper ejus latus ponerent. Quo facto, latus infirmi aperuit & hoſtia corpori ſe immiſit. Iſte dum vixit multa egtegia opuſcula dictavit, utpote *De ſacramentis. De archa Noe. De inſtitutione monachorum. De arra animæ. De ſtudio ſapientiæ*, qui intitulatur *Didaſcalicon*, & *De laude Crucis*.

Tam valida erat glacies quod *Thamiſia* potuit tranſiri cum equo. Hoc anno magiſter *Gratianus* de *Tuſcia* natus, monachus ſancti *Proculi* in *Bononia* compilavit Decreta, ſicut dicit *Hugo* 2.q.ſ. for. Ejus frater germanus magiſter *Petrus Lumbardus* epiſcopus *Pariſienſis* compilavit quatuor libros Sententiarum, Pſalterium quoque, & *Pauli* epiſtolas gloſſavit.

Item Ciſtrenſis l.7.c.20.

Fredericus primus poſt *Conradum* imperavit *Teutonicis* & *Romanis* xxxvij. annis: hic poſt mortem *Adriani* papæ qui eum coronaverat, peſſime egit cum *Alexandro* in præjudicium ejus quatuor ſciſmaticis apoſtolicis ſucceſſive adhærendo. Regem quoque *Francia* ad quem papa confugerat cum valida ma-

Stephanus. nu *Dacorum* & *Boemiorum* oppugnavit, ſet *Ricardo* rege *Anglorum* opem ferente repulſus eſt; unde & *Mediolanum* cujus tunc muri erant altiſſimi ſub anno Gratiæ M.C.lxij. funditus deſtruxit. Hic tandem poſt multas vexationes papæ illatas timens ſibi de rebellione *Lumbardorum*, veniam à papa petiit, & tandem ad delictorum emendam cruce ſignatus terram ſanctam adiit, ubi juxta *Armeniam* in parvo flumine ſubmerſus eſt, & apud *Tyrum* ſepultus, filiuſque ejus illuſtris juvenis in obſidendo *Tholomaidam* quæ eſt *Acon* defunctus eſt, totaque pene nobilitas Chriſtianorum obiit.

Anaſtaſius poſt *Eugenium* ſedit papa quaſi annis duobus. Quo quidem anno obiit ſanctus *Barnardus* abbas *Clarevallenſis*, qui in *Burgundia* caſtro *Fontanis* oriundus, filius ſtrenui militis, materno primum lacte, deinde cibis groſſioribus enutritus fuerat. Tandem ab anno Gratiæ M.C.xij. & conſtitutione ordinis *Ciſtercii* decimo quinto, ætatis ſuæ xxij. cum xxx. ſociis *Ciſtercium* ingreditur: Poſt quintum converſionis ſuæ annum abbas *Clarevallenſis* deſtinatur, ubi ſupra humanam conſuetudinem vigilans, nullum tempus ſe dixit magis perdere quam quando dormivit, ſompnum morti comparans. Stertentes & incompoſite domientes vix tolerabat, ad cibum tanquam ad tormentum acceſſit; propter magnam abſtinentiam magna ex parte ciborum diſcretionem amiſerat, ita quidem ut oleum pro vino, ſanguinem pro butyro aliquando ſumeret, dixitque, ſolam aquam ſibi ſapere, eo quod fauces ſuas refrigerabat: Quicquid de ſcripturis didicerat, maxime in ſilvis & in agris meditando & orando hauſerat, nec alios ſe habuiſſe magiſtros quam quercus & fagos fatebatur; In veſtibus ejus paupertas, ſet abſque ſordibus fuit. Aiebat enim, veſtes fore animi indices aut negligentis aut inaniter gloriantis. Proverbium illud frequenter ore ſet corde ſemper tenebat, *Qui facit quod nemo miramur omnes*. Noviciis religionem intrare volentibus dicere conſueverat, *Si ad ea quæ intus ſunt feſtinatis, hic foris dimittite corpora quæ de ſeculo attuliſtis; ſoli ſpiritus ingrediantur, caro autem non prodeſt quicquam.* Quandocunque ad epulandum invitabatur, reſpondere ſolebat, ſe ſuum non eſſe ſet aliorum ſervicio deputatum. Semper inveniebatur aut orans, aut legens, aut ſcribens, aut meditans, aut fratres ſuos verbo ædificans. Tandem ſub anno Gratiæ M.C.liij. morti appropinquans, tria fratribus ſuis obſervanda reliquit, quæ & ipſe pro modulo ſuo in vita ſua obſervaſſe aſſuevit, dicens, *Neminem ſcandalizare volui, ſet et ſi ſcandalum ſurrexit ſedavi ut potui. Minus ſenſui meo quam alieno judicio credidi. Læſus de lædente vindictam non petii.* *Barnardus* igitur multorum tractatuum potiſſime in hiis quæ de incarnatione Chriſti ſunt egregius conſcriptor, multorumque miraculorum patrator, C.lxque monaſteriorum conſtructor obdormivit in Deo. Hoc quoque anno obiit *Ranulfus* ij. cognomento de *Gernons*, quartus poſt conqueſtum *Angliæ* Comes *Ceſtriæ*, cui ſucceſſit filius ſuus *Hugo* ij. qui præfuit in ducatu illo xxix. annis, & multa ſtrenue egit. Hoc eciam anno obiit rex *Stephanus* apud monaſterium de **Faverſham** in *Cantia*, quod ipſe à fundamentis exſtruxerat, ſepultus eſt.

Stephanus. IN diebus iſtius *Stephani* miles quidam *Owynus* nomine, intravit purgatorium *Patricii* ſecundi abbatis non epiſcopi. Qui rediens, manſit in negociis *Ludenſis* monaſterii ordinis *Ciſtercienſis* in *Hibernia*: & narravit gaudia & pœnas quas viderat, ſicut habetur ſupra libro primo capitulo xxv. de Prodigiis *Hiberniæ*, ita continens. Notandum quod *Patricius* ſecundus, qui fuit abbas & non epiſcopus, dum in *Hibernia* prædicaret, ſtuduit animos hominum illorum beſtialium terrore tormentorum infernalium à malo revocare, & gaudiorum paradiſi promiſſione ad bona confirmare. Illi autem dixerunt, ſe nolle converti niſi aliquis illorum tormenta illa & gaudia poſſet aliqualiter in hac vita experiri. Quamobrem *Patricio* ſuper hoc oranti apparuit *Jeſus Chriſtus*, dans textum evangelii & baculum unum, qui adhuc manent in patria illa apud ſummum archiepiſcopum: Eduxit igitur dominus *Patricium* in deſertum, ubi foſſam unam rotundam intrinſecus obſcuram ei oſtendit, dicens, Quod ſi veraciter quis pœnitens per diem & noctem in illa foſſa manſerit, & fide conſtans per illam tranſiret, videbit tormenta malorum & gaudia beatorum. Ad hæc *Chriſto* diſparente *Patricius* conſtruxit eccleſiam, canonicos regulares inſtituens. Foſſam autem illam quæ modo in cimiterio eſt, ad orientalem eccleſiæ frontem, muro circumcinxit, januam obſeravit ne quis temere ſine licentia epiſcopi & loci Prioris ingrederetur: multi quippe in tempore illius *Patricii* ingreſſi ſunt & regreſſi, narrantes pœnas & gaudia quæ viderant, quæ & literis ibidem demandantur. Qua occaſione multi tunc ad fidem convertebantur; multi quoque intraverunt qui nuſquam redierunt: locus autem vocatur *Purgatorium Patricii*, eccleſia, *Regles*. Nulli imponitur ut locum intret ſet pocius in principio diſſuadetur ſibi ingreſſus; quod ſi omnino voluerit intrare, accedet primo ad epiſcopum loci, qui ingreſſum diſſuadet: ſet perſeveranti in tali propoſito literas tradit ut loci Priorem adeat. Qui ſimiliter ingreſſum diſſuadet, hortando, ut aliam pœnitentiam aſſumat; quod ſi perſeverat, introducit eum in eccleſiam ut xv. diebus jejuniis & orationibus indulgeat. Poſt quos hominem communione munitum producit cum proceſſione & letania uſque ad hoſtium purgatorii, ubi eciam diſſuadet iterum ingreſſum; ſet ſi perſeverat, hoſtium ei cum benedictione aperit, & poſt ingreſſum hoſtium conſignat uſque in diem alterum: mane quo adveniente, Prior ſi hominem invenerit, cum proceſſione in eccleſiam ducit, ubi aliis xv. diebus jejuniis, orationibus intendit: hæc ibi.

Leyceſtrenſis. Iſte *Stephanus* fuit filius Duciſſæ de *Bleſens* filiæ *Willielmi* conqueſtoris. Qui ſtatim poſt mortem antedicti *Henrici* venit in *Angliam* cum grandi fortitudine, & ſe intruſit contra juramentum quod fecerat *Matildi* imperatrici, & injuſte ſe coronari fecit, & regnavit rex: Et toto tempore occupatus in magna guerra, nam illa guerra crudelis erat multum, & duravit xvij. annis, & finivit guerra anno Gratiæ M.C.liiij. An. Dñi 1154. Eo quod eodem anno viij. kalend. Novembris rex *Stephanus* miles ſtrenuus mortuus eſt, & tumulatus apud **Faveriſham**. Et ſciendum eſt quod decimo quinto anno regni regis *Stephani*, *Galfridus* Comes *Andegaviæ* reddidit *Henrico* filio ſuo totam *Normanniam*: Et anno ſequenti idem *Galfridus* mortuus eſt, & tunc iſte *Henricus* filius imperatricis fuit Comes *Andegaviæ*

Henric. II.

via & Dux *Normannia*. Eodem anno factum eſt divortium inter *Lodewycum* regem *Francia* & reginam uxorem ſuam, quæ juſta hæres erat *Aquitania*; & iſte *Henricus* cepit eam in uxorem, & ſic devenit ipſe Dux *Aquitania*, Comes *Andegavia*, & Dux *Normannia*. Et in xviij. anno regni *Stephani* iſte *Henricus* filius imperatricis venit in *Angliam* cum poteſtate magna, & cepit caſtellum de **Malmeſbyry**, & multum bellavit contra regem *Stephanum*; & tandem idem *Stephanus* conceſſit ei medietatem regni *Anglia*, & ſic finivit guerra iſta. Iſte *Stephanus* poſt hæc præ dolore & timore ac rubore incurrit ægritudinem, unde cito poſt moriebatur. Iſte *Stephanus* intravit in *Scotiam* cum grandi exercitu nimis anno Gratiæ M.C.xxxix. & terram multum deſtruxit pro eo quod rex *Scotia David* multa mala exercuerat in *Anglia*, mulieres gravidas findendo, ſacerdotes ad altaria occidendo ſicut tirannus excommunicatus & renegatus. Et ſic tandem rex *David* concordatus eſt cum rege *Stephano*, & reddidit ei *Novum caſtrum* ſuper *Tynam*. Poſt hæc orta diſſenſio inter Regem *Stephanum* & Barones ſuos; & *David* hæc audiens, ſe dedit in *Angliam* cum magna fortitudine: ſet *Thurſtinus*, ut ſupradictum eſt, capitulo præcedenti, archiepiſcopus *Eboracenſis* venit ſuper *David* regem *Scotia* & occidit de gentibus ſuis pluſquam xij. millia apud villam de **Overton**, nec quiſquam de *Anglia* mortem ibidem incurrit præter unũ militem, ſcilicet *Gilbertum de Lacy*. Iſte *Stephanus* bonitate & juſticia multum floruit, ſubtilis & virtuoſus in ordinationibus faciendis, artificioſus & articuloſus de & menſuris inſtituendis, & de terra arabili prudens & operoſus, de carucata, bovata, virgata, percha, acra, roda & dimidia roda, pede, pollice, cubito & palma, &c. de *anſul.* balancibus & menſuris, metis & bundis terrarum fuit certa menſura poſita, ſicut uſque in præſens tenetur; ac eciam de venditionibus & emptionibus.

Ciſtrenſis. lib.7.c.21.

Mortuo *Stephano*, ſucceſſit *Henricus* ij. filius imperatricis, nepos *Henrici* primi ex filia imperatrice, & *Galfrido Plantagenet* Comite *Andegavia* progenitus; cujus mores & actus, virtutes & vicia *Galfridus Cambrenſis* in ſuis deſcriptionibus deſcribit, ſic inquiens, *Meticuloſa plane res eſt in illum allegare qui poteſt relegare, illum multis verbis deſcribere qui uno verbo poteſt proſcribere; gratioſum quippe foret & vires noſtras prorſus excedens, veritatem in ſingulis non ſupprimere, & in nullo principis animum exacerbare.* Erat nempe hic *Henricus* vir ſubrufus, amplo capite & pectore, oculis glaucis, voce quaſſa, corpore carnoſo, cibo tamen & potu parcus; & ut pinguedinem repr imeret, corpus ſuum vexatione, venatione, ſtatione, deambulatione vexabat: ſtatura mediocris, eloquens & literatus, in armata militia ſtrenuus, in togata providus, in bello ambigua fata formidans, humanior ſemper militi extincto quam ſuperſtiti, plus mortuos lugens quam vivos amans; urgentibus incommodis nemo benignior, reſumpta ſecuritate nemo rigidior, acer in indomitos, clemens interdum in ſubactos, durus in domeſticos, profuſus in extraneos, largus in publico, parcus in privato. Quem ſemel exoſum vel dilectum haberet vix ad contrarium flecteretur, Verbi ſpontaneus tranſgreſſor, moroſus ad cuncta reſponſor, quietis amator: ſed nobilitatis oppreſſor, juſticiæ venditor & dilator, fidei tranſgreſſor, verbo varius & verſutus, adulter publicus, eccleſiæ malleus, Deo ſemper ingratus, diſcordiam inter filios ſummopere fovebat, ſolum ſibi ex eorum diſcidio pacem ſperans provenire. Si tamen excurſuum ſuorum metæ quærantur, prius deerit orbis quam aderit finis: animoſo quippe pectori ceſſare potuerunt terræ, ceſſare neſciunt victoriæ, nec deerunt triumphi ſet materia triumphandi. In utraque militia, *Martis* ſcilicet & *Minerva* ſingulariter affulſit, terras quippe hæreditarias potenter pacificavit, *Hiberniam* potenti claſſe ſubjugavit. *Scotia* regnum capto rege *Willielmo* ſuo regno adiciens, ab auſtrali oceano uſque ad boriales *Orcadum* inſulas quaſi ſub una monarchia terras concludens imperium ſuum egregie dilatavit, quod quidem poſt tempora *Julii Caſaris* nulli legitur contigiſſe. In tranſmarinis partibus præter *Normanniam*, *Aquitaniam*, *Andegaviam*, *Cenomanniam*, quæ eum paternali jure contigerant, *Pictaviam* quoque & *Gaſconiam* uſque ad *Pireneos Hiſpania* montes quæ ei matrimonialiter obvenerant, *Alverniam* cum quibuſdam aliis terris ſuo dominatui ſubegit: ſolebat quoque inter confabulandum dicere, totum mundum uni potenti viro ſatis parum eſſe. Reges *Hiſpania* ad ſedandas diſcordias ſuas in hunc regem compromiſerunt: & quamvis in nonnullis ejus ſucceſſibus cuncta quietis obſtacula felicis ominis auſpicio quaſi exquiſito fortunæ favore ſibi ad vota fuerunt ſummota; nonnulla tamen quaſi fato infauſto ſibi contigerunt, ad ejus quidem humiliationem ſi tamen pœnitens fieret, ſin autem obſtinatus carne propria carnifex cruciaretur; Inprimis nempe *Alienoram Francorum* reginam domino ſuo *Lodowico* indebite ſubtraxit, ſibique de facto cum de jure non poſſet copulavit, de qua pater ſuus *Galfridus* eum prohibuerat ne eam attingeret, pro eo quod dum ſeneſcallus regis *Francia* fuerat eam cognoviſſet. Ex ea tamen *Henricus* iſte tres filias & ſex filios inclitos ſuſcitavit, quarum primam *Matildam* Duci *Saxonia*, ſecundam *Alienoram* regi *Hiſpania*, tertiam *Johannam*, *Willielmo* regi *Sicilia* copulavit; duobuſque filiis ſuis præmature ſublatis in reliquis quatuor uſque ad mortem meruit perturbari. At cum xxv. annis pene regnaverit, ſex luſtra data ſunt ei ad mundanam gloriam, ad converſionis tolerantiam, ad devotionis experientiam, ſeptimum vero luſtrum tanquam reprobo & ingrato inflictum eſt ad vindictam; ſecundo namque ſeptimi luſtri anno evanuit conatus ejus, quem circa *Johannis* filii ſui in *Hiberniam* miſſionem paravit. Tercio anno qui nunquam prius quicquam amiſerat, jam *Alverniam* contra regem *Francia* perdidit. Quarto anno *Bituricam*. Quinto anno urbes *Cenomannicam* & *Turonenſem* cum caſtellis multis & ſeipſum. Conſueverat quoque rex iſte religioſos epiſcopos ad colloquia ſua eciam in tranſmarinis partibus & in arduis negotiis ſecum circumducere, & eorum magis quam militum conſiliis uti. Quod & fecit duplici de cauſa: Primo, ut curia ſua adventantibus legatis venerabilior appareret: Secundo, quia prius ſemper pacem temptabat quam arma; iccirco tales cum adjectione pecuniæ ſuos fecit mediatores. Verum quia eccleſiaſticas dignitates aliquibus indignis contulerat, ut famam ſuam quodammodo redimeret, *Baldewynum Ciſterçienſis* ordinis monachum ad *Cantuarienſem* ſedem, & *Hugonem Cartuſienſis* ordinis Priorem ad ſedem *Lincolnienſem* promovit. Hos duos quaſi ſemper ad conſilia adhibuit. Ut autem lector quiſquam tam regis hujus quam filiorum ſuorum infauſtos exitus minus obſtupeat, conſideretur origo regis hujus *Henrici* ex parte utriuſque parentis, necnon uxoris ſuæ conditio de qua filios ſuſcitavit. Comitiſſa quædam *Andemania*, de cujus ſobole *Galfridus Plantagenet* proceſſit, ob ſolam corporis ſpeciem fuerat deſponſata: raro tamen ad eccleſiam acceſſit, ſet & tunc vix uſque ad ſecreta miſſæ moram faciebat. Hoc dum à Comite marito ſuo notaretur, die quadam detenta eſt in eccleſia à iiij. militibus; at illa rejecto pallio per quod tenebatur, relictiſque ibidem duobus filiis ſuis quos ſub dextro angulo pallii tunc fovebat cum reliquis duobus filiis ſuis quos ad ſiniſtram tenebat, per feneſtram eccleſiæ cunctis intuentibus evolavit, nec uſquam comparuit. Iſtud poſtmodum *Ricardus* rex *Anglia* referre ſolebat, aſſerens, non eſſe mirandum ſi de tali genere procedentes mutuo ſeſe infeſtent tanquam de diabolo venientes & ad diabolum ituri; unde & clericus quidam à rege *Henrico* ad filium ſuum Comitem *Britannia Galfridum* pro pace reformanda miſſus, hoc à filio audivit; Ut quid veniſti me exhæredare de jure meo nativo? Num ignoras hoc nobis naturaliter fore proprium & ab attavis inſertum ut nullus noſtrum alium diligat. Noli igitur laborare, ut naturam expellas. Item mater hujus *Henrici* vivente priore marito imperatore, ſcilicet *Henrico* heremetice peregrinante, nupſit alteri, ſcilicet *Galfrido*, de quibus iſte *Henricus* rex proceſſit. De iſto quoque *Henrico* quondam infantulo & in curia regis *Francorum* nutrito, beatus *Barnardus* abbas de eo ſic prophetavit præſente rege, *De diabolo venit, & ad diabolum ibit:* Notans per hoc tam tirannidem patris ſui *Galfridi* qui *Sagienſem* epiſcopum enuchaverat, quam eciam iſtius *Henrici* futuram atrocitatem qua in beatum *Thomam* deſæviret. Ad hæc, *Galfridus* pater hujus regis illa *Alienora* abuſus fuerat, quam iſte *Henricus* filius ſuus poſtmodum duxerat. Pater eciam hujus *Alienora*, Comes *Pictavenſis*, uxorem ſui vicecomitis vi rapuit, & marito vivente in uxorem duxit; quem dum quidam vir ſanctus pro hac re increpaſſet, & minime profeciſſet, adjecit, *Nuſquam proles de vobis veniens fœlicem fructum faciat.* Contigerat aliquando in camera regis hujus *Henrici*, *Wyntonia*, multipliciter picturata, locum vacuum juſſu regis relinqui, ubi rex poſtmodum aquilam cum iv. pullis inſidentibus depingi fecit, quorum tres unguibus & roſtris parentem lacerabant, ſet quartus paternis oculis eruendis acrius inſiſtebat; Requiſitus rex quid hoc prætenderet, ait, Hii quatuor pulli, filii mei ſunt, qui me uſque ad mortem perſequi non ceſſabunt, ſet potiſſime ille noviſſimus *Johannes*, quem modo carius amplector neci meæ acrius inſudabit.

Item Ciſtrenſis lib. 7. cap. 22.

Adrianus quartus poſt *Anaſtaſium* natione *Anglicus* ſedit papa annis quatuor. Hunc tradit fama vulgata nativum fuiſſe abbatis ſancti *Albani* in *Anglia*, & dum monachatum ibidem expoſtularet repulſum fuiſſe. Qui tandem literis & moribus inſiſtens, *Albanenſis* epiſcopus primo effectus eſt, deinde apud *Wormaciam* legatione fungens, provinciam illam convertit ad fidem. Demum papa effectus, propter vulnerationem unius Cardinalium totam urbem *Romanam* ſuppoſuit interdicto; *Willielmum* regem *Sicilia* excommunicavit, & ad ſummiſſionem coegit. Hic primus omnium virorum Apoſtolicorũ cum Cardinalibus moram fecit in urbe veteri. Rex *Scotia* & fere omnes primates *Anglia* obierunt. Menſe Octobris apparuit ſignum crucis in Luna, & delata eſt manus ſancti *Jacobi* apoſtoli ad monaſterium *Radingia*. Hoc anno rex *Henricus* duxit primo exercitum in *Walliam*, firmavit caſtrum de **Rothelan**, & fundavit monaſterium de **Baſyngw**.

Alexander iij. poſt *Adrianum* ſedit papa annis xxij. qui ſuperavit quatuor ſciſmaticos apoſtolicos quos imperator *Fredericus* erexerat; hic eciam concordavit *Fredericum* & *Emanuelem Conſtantinopolitanum* & regem *Siculorum*, *Thomam Cantuarienſem* fovit in exilio. *Henricus* primogenitus hujus regis deſponſavit filiam regis *Francia*. Apud *Gloverniam* quidam puer crucifixus eſt à *Judæis*. Obiit *Theobaldus* archiepiſcopus, & conſecratus eſt *Thomas Londonienſis* regis Cancellarius vj. nonarum Junii, Ac tercio poſt hoc anno exivit de *Anglia*, Septimo quoque anno exilii rediit & martirizatus eſt. Cujus vitam deſcripſerunt quatuor viri famoſi, ſicut patet in vita ſua.

Circa iſtum annum floruit abbas *Joachim* in *Calabria*, qui ſuper Apocalipſim & libros Prophetarum ſcripſit commenta. Prædixit quoque imperatori *Frederico* & cæteris regibus terram ſanctam adeuntibus, quod parum ibidem proficerent eo quod nondum tempus liberationis adveniſſet. Fertur eciam de illo *Joachim* quod quaſi prophetice effigiavit mores, actus & numerum omnium virorum apoſtolicorum qui futuri forent in eccleſia. Ejus tamen opinio contra Magiſtrum ſententiarum ſcribentis reprobatur, ſicut patet in principio Decretalium per *Gregorium* ix. Decimo quarto kalendarum Octobris circa horam primam viſi ſunt in cœlo tres circuli & duo ſoles. Quo anno orta eſt diſſenſio inter regem & *Thomam*. Floruit his diebus in *Francia* magiſter *Petrus Comeſtor*, qui utriuſque Teſtamenti hiſtoriam contexuit, quæ *Scolaſtica* dicitur. Scripſit & allegorias ſuper utrumque Teſtamentum, & eciam ſermones inſignes reliquit. Allegorias eciam ſuas redegit in librum metricum quem intitulavit *Auroram*.

Radulphus Colonienſis epiſcopus tranſvexit de *Mediolano* per *Fredericum* nuper deſtructo tria magorum corpora uſque *Coloniam*. Hæc nempe corpora primitus de *Perſida* ad *Conſtantinopolim*, & inde per *Sergium* papam uſque *Mediolanum* tranſvecta fuerant. Hoc anno martirizatus eſt *Thomas Cantuarienſis*, de quo quidam metrice ſic:

Anno milleno centeno ſeptuageno,
Anglorum *primas corruit enſe* Thomas.
Alius ſic:
Quis moritur? præſul. Cur? Pro grege. Qualiter? enſe.
Quando? natali. Quis locus? ara Dei.
Et alius ſic.
Pro Chriſti ſponſa, Chriſti ſub tempore, Chriſti
In templo, Chriſti verus amator obit.

Poſt cujus mortem cœpit ſors regia attenuari. Nam anno ſequenti rex adivit *Hiberniam*, quam potenter ſubjugavit: volente papa Concilia per loca celebrantur, & maxime apud *Caſſiliam*, ubi primas *Armachanus* ob corporis invalitudinem tunc non affuit. Qui vaccam candidam cujus lacte duntaxat fovebatur, ſecum ſemper circumduxit. Hanc itaque inſulam rex pro poſſe reformabat; maxime quoad tria; quoad officium eccleſiaſticum modulandum, quoad decimas præſtandas, & quoad ritum matrimonialem. Ibi tunc ſtatutum eſt, ut morientes in præſentia vicinorum teſtium condant teſtamentum, & bona ſua mobilia ſi uxorem & liberos habeant deducto ære alieno & ſtipendiis ſervientium in tres partes dividantur, quarum una liberis, alia uxori, tertia ſibi & exequiis deſignetur. Si vero liberis aut uxore careant, bona in duas partes dividantur.

Rege de *Hibernia* reverſo, cœperunt revelationes fieri potiſſime de vita ſua corrigenda. Primo per quendam ſenem apud *Caſtrum* de **Kaerdif** in *Wallia*, Dominica in albis viij. Paſchæ die, ubi poſt miſſam auditam dum rex ad equum ſuum accederet, aſtitit ei vir quidam flavus, tonſura rotunda, macer & procerus, tunica alba veſtitus, nudiſque pedibus, qui regem *Teutonica* lingua ſic affatur, **Gode olde Kyng**. Deinde ſic proſequitur, « Salutat te Chriſtus & pia mater ejus, *Johannes Baptiſta* & *Petrus*, mandantes firmiter, ne per terras ditionis tuæ fiant mercatus aut opera ſervilia diebus Dominicis, exceptis his quæ ad uſum ciborum pertinent; quod ſi obſervaveris, quicquid inceperis feliciter complebis. Rex autem dixit *Gallice* militi qui frænum ſuum tenebat, Inquire à ruſtico illo an hæc ſomniaverit. At dum hoc *Anglice* exponeret, ſubjecit ille lingua priori. Sive hoc ſompniaveris ſive non, vide quis dies ſit hodie, quia niſi hæc feceris & vitam tuam correxeris, tales infra præſentem annum rumores audies quod uſque ad exitum tuum inde dolebis. Hiis dictis vir ille diſparuit. Et infra annum tres regis filii *Henricus*, *Gaufridus*, *Ricardus* ad regem *Franciæ* contra patrem proprium diverterunt. Rex *Scotiæ*, Comes *Ceſtriæ*, & Comes *Leyceſtriæ* contra regem ſurrexerunt. Multæ quoque aliæ præmunitiones regi fiebant; ſed & omnia ille parvipendebat. Secundo namque præmunivit eum *Hibernicus* cum adjectione ſignorum ſecretiſſimorum; & tercio quidam miles de **Lindeſhey**. *Philippus de Eſtreby* tranſito mari *Gallico* expoſuit regi in *Normannia* ſeptem articulos quos emendaret, quod ſi faceret honorifice per ſeptennium regnaret, & crucem Chriſti de ejus hoſtibus eriperet, alioquin ignominioſe in quarto anno obiret; tria prima fuerunt, quæ juravit in coronatione ſua obſervare, videlicet, *De eccleſia tuenda, de juſtis legibus ſtatuendis; & ne aliquem ſine judicio dampnaret: Quartum fuit, de ablatis hæredibus reſtituendis. Quintum, de juſticia facienda ſine precio. Sextum, de reddendis ſtipendiis miniſtrorum. Septimum*, de Judæis *expellendis, parte pecuniæ ad exeundum eis relicta.* Sed rege non correcto inſurrexerunt in eum validi & fortes, ſcilicet tres filii ſui cum *Francorum* rege. Set poſtquam rex *Henricus* tumbam martyris nudis pedibus humiliter viſitaſſet, *Willielmus* rex *Scotiæ* apud **Alnewik**, & duo Comites *Ceſtriæ* & *Leiceſtriæ* capti ſunt. Hac plaga biennali vix ſedata, non divinæ miſerationi ſet proprio brachio hoc aſſcripſit. Et qui dudum incarcerata regina ſua *Alionora* adulter fuerat occultus, jam factus eſt manifeſtus, palam & impudenter *Roſamunda* puella abutens. Huic nempe puellæ ſpectatiſſimæ fecerat rex apud **Wodeſtoke** mirabilis architecturæ cameram opere *Dædalino* ſinuatam, ne forſan à regina facile deprehenderetur; ſet illa cito obiit, & apud **Godeſtowe** juxta *Oxoniam* in capitulo monialium ſepulta eſt, cum tali Epitaphio:

Hic jacet in tumba Roſa mundi, non Roſa munda.
Non redolet ſet olet quod redolere ſolet.

Ciſta ejuſdem puellæ vix bipedalis menſuræ ſet mirabilis architecturæ ibidem cernitur; in qua conflictus pugilum, geſtus animalium, volatus avium, ſaltus piſcium abſque hominis impulſu conſpiciuntur.

Leyceſtrenſis cap. 12.

TUnc rex *Henricus* quinto anno regni ſui genuit *Gaufridum* filium ſuum Com. *Britanniæ*. Sexto vero anno regni ſui duxit exercitum apud *Toloſam*, & conquiſivit eam. Septimo vero anno regni ſui *Henricus* filius ejus deſponſavit filiam regis *Franciæ Lodowici*. Tercio decimo anno regni ſui *Matilda* imperatrix mater regis *Henrici* obiit. Eodem eciam anno natus eſt ei filius, *Johannes* nomine. Decimo quinto anno *Robertus* Comes *Leyceſtrenſis* fundavit monaſteria de **Gerundon** de monachis *Leyceſtrenſibus*, De canonicis regularibus, de **Eton** monialibus; & ipſe Comes *Robertus* factus canonicus regularis in monaſterio *Leyceſtrenſi* vivens ibidem inter canonicos quindecim annis, & præter primam dotationem abbathiæ, dedit illis ad ſuſtentationem ſuam manerium de **Stocton** cum ſuis libertatibus. *Amicia* vero uxor ejuſdem Comitis facta monialis apud **Eton**, & ibi quieſcit. Dictus vero *Robertus* jacet in monaſterio *Leyceſtrenſi* in pariete dextro coram magno altare anno Gratiæ M.C.lxiij. Iſte *Henricus* rex xvj. anno regni ſui fecit filium ſuum *Henricum* coronari apud *Weſtmonaſterium* ab archiepiſcopo *Eboracenſi Rogero*, & poſt coronationem tranſivit pater *Henricus* in *Normanniam*. Anno vero xvij. regni ſui *Thomas* martirizatus eſt; Deinde infra biennium *Henricus* juvenis rex coronatus inchoavit guerram contra patrem ſuum cum rege *Franciæ* & fratribus ſuis. Set pater *Henricus* omnes ſuperavit & victoriam optinuit. Dum igitur inſtaret dicta guerra, *Henricus* juvenis rex mortuus eſt; ſet ante mortem vere pœnitens fuit, & miſericordiam & veniam à patre ſuo optinuit.

Item Ciſtrenſis lib. 7. cap. 23.

Hoc quoque anno xiij. kalendarum Septembris apud *Eboracum*, *Willielmus* rex *Scociæ* de conſenſu procerum & Prælatorum ſuorum fecit homagium regi *Henrico*. Cavit eciam idem rex *Willielmus* literis ſuis patentibus, quod ipſe & ſucceſſores ſui & homines *Scociæ* facerent homagium, ligiamentum & fidelitatem regibus *Angliæ* quociens ſuper hoc requirerentur; & in ſignum hujus ſubjectionis rex *Scociæ* optulit capellum & ſellam ſuam ſuper altare ſancti *Petri* in eccleſia *Eboracenſi*, quæ ibidem uſque hodie conſervantur; & adjecerunt proceres *Scociæ* cum juramento, quod ſi aliquando rex *Scociæ* à fidelitate prædicta reſiliret, ipſi contra regem *Scociæ* inſurgerent donec reſipiſceret. Quam quidem Compoſitionem *Gregorius* papa in diverſis reſcriptis regibus *Angliæ* & *Scociæ* directis mandavit firmiter obſervari: Et ad declarationem hujus ſubjectionis rex *Scociæ* cum Prælatis ſuis venit ad parliamentum regis *Henrici* apud **Northamton**, Et poſt hæc venit ad regem *Henricum* in *Normannia*.

Hoc eciam anno annuente rege conventus *Cantuarienſis*

tuarienſis elegit fratrem *Ricardum Dovorienſem* Priorem in Archiepiſcopum, cui ſub anno Pontificii xj. apparuit Dominus in viſu, dicens, *Tu diſſipaſti bona Eccleſiæ meæ, & ego extirpabo te de terra:* Inde perterritus obiit. Poſt hoc viij. die, crucis obſequium quod dudum rex *Henricus* in partibus tranſmarinis ſumpſerat, & poſtmodum coram duobus Cardinalibus ſe poſt triennium proſecuturum juraverat, lapſo triennio miſit *Romam* ad protelandum fruſtratorie fallax propoſitum, ſub eo tamen colore ut tria monaſteria conſtrueret in *Anglia:* Quod & iſto modo fecit. Canonicos ſeculares de **Waltham** *ſanctæ Crucis* ad conventualem redegit vitam. Moniales de **Ambrusbury** extirpavit, alias de tranſmarinis partibus introducendo. Domum *Cartuſienſis* ordinis apud **Whytham** juxta *Sariſburiam* exiliter inſtauravit. Hic eciam receperat dudum in cuſtodia ſua filiam regis *Francorum* ut eam filio ſuo *Pictavenſi* Comiti copularet. Verum quia poſt mortem *Roſamundæ* puellæ illa abuſus fuerat, *Ricardus* filius ſuus matrimonium recuſavit. Proinde propoſuit rex hanc puellam duxiſſe. Qua de cauſa *Hugonem* Cardinalem ad divortiandum inter ipſum & reginam *Elionoram* invitavit, ut ſic majori *Francorum* favore fretus filios proprios exhæredaret: Poſtmodum ingruente bello inter ipſum & regem *Franciæ* pro caſtello *Radulphi* peciit rex *Henricus* puellam prædictam ad opus *Johannis* filii ſui, una cum comitatibus *Pictaviæ* & *Andegaviæ*; ſed rex *Franciæ* ſpretas hujus legationis literas tranſmiſit *Ricardo* inſpiciendas: Qua de cauſa mox execrabile odium inter patrem & filium eſt exortum.

Audita ſunt inſolita tonitrua nocte natalis Domini. Et ſacerdos quidam apud **Andever** in **Hampteſchyre** extinctus eſt de fulmine in medio populi, nullo alio attacto. Set & porci videbantur diſcurrere inter eos. Tempeſtas grandinata conſumpſit aves, animalia & homines nocte *Magdalenæ*.

Hiis noſtris diebus corpus *Arthuri* regis quod quaſi fantaſticum & in fine tanquam ad longinqua deductum fabulæ *Britannicæ* adhuc venturum confinxerunt, apud *Glaſconiam* inter duas lapideas piramides in ſacro cimiterio quondam erectas profunde in terra quercu concava reconditum & ſignatum, miris indiciis eſt inventum, & in eccleſia honorifice tranſlatum, marmoreoque tumulo decenter collocatum, ubi & crux plumbea lapide ſuppoſito literas inſculptas interius ad lapidem verſas, quas ego vidi & contrectavi, continebat, ſub hac forma: *Hic jacet ſepultus inclitus Rex* Arthurus *cum* Genevera *uxore ſua ſecunda in inſula* Avalona. Sic autem erant oſſa diſtincta ut duæ partes ſepulchri verſus caput oſſa viri continebant, tercia pars verſus pedes oſſa mulieris concluſit. Ubi & trica comæ mulieris flava cum integritate priſtina & colore reperta fuit. Quam cum monachus quidam avide cum manu attraxiſſet, tota ſtatim in pulverem decidit. Audierat namque rex ille *Henricus* à quodam Hiſtorico cantore *Britannico*, quod profunde in terra circiter xv. pedes corpus *Arthuri* invenirent in quercu concava. Iccirco autem profunde humatus fuerat ne à *Saxonibus* ſibi æmulis facile reperiretur, & ideo literæ veritatis indices interius verſus lapidem ſculptæ erant: Et eſt notandum quod os tibiæ *Arthuri* tunc nobis oſtenſum tibiam & genu longiſſimi hominis tunc reperti tribus digitis excedebat. Spacium quoque intercilii inter duos oculos palmalem longitudinem continebat. In cujus capite x. vulnerum cicatrices apparebant: Quæ omnia præter unum ſolum quod letale videbatur, in unam cicatricem concurrebant.

Ieroſolyma capta eſt à *Saracenis* & deſtructa. *Lucius* iij. poſt *Alexandrum* ſedit papa annis iv. menſibus iij. Quo anno obiit *Hugo* Comes *Ceſtriæ* apud **Leek**, cui ſucceſſit filius ſuus *Ranulfus* tercius l. annis. Hoc eciam anno obiit primogenitus regis; de quo quidam cecinit ſic,

Omnis honoris honos, decor, & decus urbis & orbis;
Milicia ſplendor, gloria, lumen, apex;
Iulius ingenio, virtutibus Hector, Achilles
Viribus, Auguſtus moribus, ore Paris.

Item Ciſtrenſis l.7. c.24.

Hoc anno mortuo *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo ſucceſſit *Baldewynus Wygornienſis* tunc epiſcopus, de conſenſu regis & omnium epiſcoporum, reclamantibus tamen monachis *Cantuarienſibus*. De eo fertur quod à primo die quo factus eſt monachus *Ciſtercienſis* uſque ad obitum nunquam carnes comedit; unde & illi aliquando itineranti occurrit quædam vetula macilenta, inquirens ab eo an verum eſſet, quod carnes non comederet; Verum eſt, inquit: At illa, immo falſum eſt, quia comediſti carnes meas uſque ad oſſa. Nam decani tui abſtulerunt à me vaccam meam unicam unde ſuſtentabar. Cui ille, Vere vere favente Deo æque bona vacca reddetur tibi. Quarto anno præſulatus ſui orta diſſenſione inter ipſum & Conventum *Cantuarienſem* propter nova ædificia & baſilicam conſtructam juxta muros monachorum in qua deſignavit clericos ſeculares, aſſignando præbendas eis de eccleſiis monachorum, compulſus eſt & ipſe per papam *Urbanum* ædificia tollere: unde & tranſlati ſunt apud *Lambitham* juxta *Londoniam* ex oppoſito *Weſtmonaſterii*; tandem iſte *Baldewynus* crucis legatione fungens ſub anno gratiæ M.C.lxxxviij. *Walliam* intravit, & in cunctis cathedralibus Eccleſiis, quod uſque tunc viſum non fuerat, pontificalibus indutus celebravit.

An. Dñi 1188.

Urbanus iij. poſt *Lucium* ſedit papa quaſi ij. annis. Qui obiit ex dolore quodam pro captione *Ieroſolymæ* per *Saracenos*: Quo in tempore venit *Heraclius* Patriarcha *Ieroſolymitanus* in *Angliam* ad regem *Henricum*, petens auxilium contra *Saracenos* ex parte omnium Chriſtianorum orientalium, conferens ei claves urbis ſacræ dominicique ſepulcri, cum vexillo regio & cum literis *Lucii* papæ monitoriis, ac juramenti regii ſuper hoc prius præſtiti commemoratoriis; ſet rex reſponſum uſque *Londoniam* prorogabat: Tandem cum multi ad prædicationem Patriarchæ ac *Baldewyni* cruce ſignarentur, rex *Henricus* reſpondit, quod terras ſuas abſque tutela deſerere non poſſet, nec *Francorum* rapacitati eas exponere, ſet proficiſci volentes habundanter de ſuo reſpiceret: Cui patriarcha, Nichil eſt quod agis rex. Principem quærimus non pecuniam; Quælibet pars pene mundi pecuniam nobis mittit, ſet Principem nulla; virum igitur petimus qui pecunia indigeat, non pecuniam quæ viro eget. Receſſit itaque patriarcha ſpe fruſtratus, quem rex uſque mare proſequebatur ut vel ſic conſuetis blanditiis offenſum mitigaret. Cui ait Patriarcha, Hactenus regnaſti glorioſe, ſet amodo te deſeret quem tu deſeruiſti. Recole quæ Dominus tibi contulit, & qualia illi rependiſti; quomodo regi *Franciæ* infidus fuiſti, beatum *Thomam*

mam occidiſti, & nunc protectionem Chriſtianorum abjeciſti. Cumque ad hæc rex excandeſceret, optulit ei Patriarcha caput ſuum & collum, dicens, Facias de me ut de *Thoma* feciſti, Adeo volo occidi à te in *Anglia* ſicut à *Saracenis* in *Siria*, Quia tu omni *Saraceno* pejor es. Cui rex, Si omnes homines mei unum corpus eſſent unoque ore loquerentur, non auderent mihi talia dicere; Cui ille, Non eſt mirum, quia tua non te diligunt, prædia non hominem ſequitur turba. Ita tunc rex, *Recedere non poſſum quia filii mei inſurgunt in abſentem.* Cui ille, *Nec mirum, quia de diabolo venerunt & ad diabolum ibunt.*

Hoc anno miſit rex filium ſuum *Johannem* in *Hiberniam*: ſet parum ibi proficiens reverſus eſt. Hoc anno kalendis Maii *Saraceni* ceperunt *Jeroſolymam*, crucem ſanctam aſportantes, occideruntque Magiſtrum miliciæ templi cum multis nobilibus: Quo audito, multi per orbem ſunt cruce ſignati; Inter quos *Ricardus Pictavenſis* filius hujus regis *Henrici* cruce ſignatur; Et *Baldewynus* archiepiſcopus hac de cauſa *Walliam* intravit, ut ſupra tactum eſt; in cujus comitatu erat magiſter *Giraldus Cambrenſis* archidiaconus *Landavenſis*: Qui ſtatum & ritum *Cambrigenæ* gentis in *Itinerario* illo deſcripſit, ſicut nuper cum *Johanne* regis filio *Hiberniam* miſſus, ſtatum & ritum gentis illius in ſua topographia deſcripſerat.

Gregorius viij. poſt *Urbanum* ſedit papa menſibus iv. Qui pro ſubſidio terræ ſanctæ multas miſit epiſtolas; Cui ſucceſſit *Clemens* tercius qui ſedit Papa annis iij. Hoc anno *Iheſus Chriſtus* viſibiliter apparuit in aere cruce pendens apud *Dunſtapulam* in *Anglia* videntibus multis. Quo eciam anno rex *Henricus* fecit *Ranulfum* Comitem *Ceſtriæ* forte militem, & dedit ei in uxorem *Conſtanciam* Comitiſſam *Britanniæ* relictam *Gaufridi* filii ſui, cum tota *Britannia minore* & cum comitatu *Richemundiæ*. Reges *Franciæ* & *Angliæ* & *Ricardus* Comes *Pictaviæ* cum aliis multis Nobilibus die ſancti *Georgii* cruce ſignantur ad numerum C.M.j. Quo anno *Fredericus* Imperator dum *Terram ſanctam* excommunicatus adiret, duxit exercitum ſuum per *Conſtantinopolim*, ſet ob nimium æſtum in quodam flumine *Armeniæ*, quod dicitur *Gula Sathanæ*, ſe balneans extinctus eſt, vel ſecundum alios, equo ſuo inpingente in aqua cecidit & ſubmerſus eſt, apud *Tyrum* ſepelitur. Primogenitus ſuus in illa expeditione ſublatus, ſucceſſit ad imperium *Teutonicorum* alter filius ejus *Henricus* v. qui regnavit viij. annis, & ſubjugavit *Apuliam* & *Siciliam*, ſet quia regem *Angliæ Ricardum* de terra ſancta revertentem de carcere ſuo niſi data pecunia multa liberare noluerat, excommunicatus eſt à Papa *Celeſtino*, ſub qua ſententia decedens ſepeliri non poterat niſi aut reddita *Ricardo* regi pecunia recepta, aut de permiſſione *Ricardi* terra traderetur. Hoc quoque anno orta diſſenſione inter Reges *Angliæ* & *Franciæ* tota illa pecunia quæ ad profectum *Jeroſolymitanum* ex rerum decimatione collecta fuerat abſumpta eſt; Nam apud urbem *Cenomannicam* querentibus contra regem *Angliæ* rege *Franciæ* & *Ricardo Pictavenſi*, rex *Henricus* fecit ſuburbium ſuccendi ad cautelam, ne hoſtibus ſuis foret ad præſidium. Vis venti retorta convertit flammam in urbem, & totam combuſſit, & regem *Henricum* exire coegit. Qui in recedendo talia dixit, *Quia tu Deus urbem de mundo quam plus dilexi hodie à me tam turpiter abſtuliſti, ego tibi reddam talionem. Nam de cætero auferam à te quod in me plus placere deberet, quod eſt cor meum.* Demum apud *Turonem* febri correptus pacem Regis *Francorum* ſub hac forma optavit, Quod gratiæ regis *Francorum* ſalvo honore ſuo regnique ſui corona libenter ſe ſubmitteret; ſet fruſtra, quia pacem non aliter optinuit niſi gratiæ regis abſolute ſe ſubmittendo: Et merito hoc ſibi provenit, quia illud verbum, *Salvo honore Dei & ordinis ſui dignitate & Eccleſiæ libertate*, *Thoma* non conceſſit. Igitur cum apud *Cynonenſe* caſtrum rex *Henricus* decederet, omnes circumſtantes ita rapacitati indulſerunt, ut corpus regis diu jaceret nudum, donec puer quidam inferiores corporis partes pallio brevi contegeret, & tunc videbatur cognomen ejus adimpletum, quo ab infantia vocabatur *Henricus Courtmantyl*. Nam iſte primus omnium curta mantella ab *Andegavia* tranſvexit in *Angliam*. Ferebant quoque de eo qui funeri aſtabant, quod quamdiu *Ricardus* filius ſuus paterno aſtaret cadaveri, utraque patris naris ſanguinem diſtillavit. Per viij. dies ante obitum hujus regis piſces de quodam ſtagno *Normanniæ* exilientes nocturno tempore cum tanto ſtrepitu ſunt congreſſi, ut homines vicini ad ſpectaculum venientes, vix unum piſcem ſuperſtitem reperirent.

Leyceſtrenſis.

Iſte *Henricus* bene & prudenter regulavit populum ſuum cum recta juſtitia, & gravem & celerem vindictam de latronibus & furibus & raptoribus admodum exercuit. Hujus *Henrici* tempore nullus latro neque raptor, homicida vel qualiſcunque ſceleratus gaudere potuit privilegio immunitatis ſanctæ Eccleſiæ, neque clericus nec ſacerdos, quin eos ab Eccleſia eriperet, & judicio regni aſtare cogeret ſecundum eorum delicti quantitatem puniendos, nullam ferens ſanctæ Eccleſiæ in hac parte reverentiam. Et pro hac Eccleſiæ cauſa & aliis quæ in vita beatiſſimi *Thomæ Cantuarienſis* plenius recitantur, idem *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus quinto die natalis Domini in utero matris ſuæ, eccleſia matrici ſcilicet *Cantuarienſi* à filiis ſuis ſpiritualibus ſet degeneribus patienter mortem ſuſtinuit, ut vitalem deinceps & debitam reverentiam univerſali ſanctæ matri Eccleſiæ *Anglicanæ* perpetue redderet.

Hujus *Henrici* tempore Chriſtiani bellabant contra *Saracenos* in Terra ſancta. Set Chriſtiani victi ſunt & ſuperati, & in dolendo numero occiſi per fraudem & proditionem falſiſſimi Chriſtiani Comitis *Tripolitani*, ea de cauſa quia voluit deſponſaſſe reginam *Ieroſolymitanam* filiam ſcilicet *Henrici* regis *Angliæ*, ſet ipſa recuſavit eum, & ob hanc cauſam Comes tenuit firmiter cum *Saracenis*, & ſic fuerunt Chriſtiani proditione ſubacti & in mortem ſubpeditati. Mox cognita iſta immani proditione, rex *Franciæ* & quaſi omnes magnates terræ *Franciæ* ſe cruce ſignaverunt, terram ſanctam petituri. Iſte *Henricus* poſtquam fere regnaverat xxxvj. annis mortuus eſt, anno gratiæ M.C.lxxxix. in octavis apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, apud fontem *Ebrardi* humatus jacet in *Normannia*. Iſte *Henricus* ij. vocatus filius Imperatricis *Matildæ*, quæ fuit filia primi *Henrici* regis, & *Matildæ* filiæ *Malcolmi* regis *Scociæ* & ſanctæ *Margaretæ* reginæ *Scociæ*, quæ fuit filia regis *Edwardi* filii regis *Edmundi ferrei lateris*, qui fuit filius regis *Ethelredi* filii regis *Edgari*, qui rex pacificus dicebatur. Et ſic aſcendendo

Ricardus I.

dendo uſque ad primum regem *Anglia*. In tempore hujus *Henrici* menia villæ *Leyceſtrenſis* deſtructa ſunt & quaſi funditus muri everſi. Iſte *Henricus* habuit tot filios; *Willielmus*, qui moriebatur infantulus; *Henricus* juvenis rex, de quo ſuperius; *Ricardus cor leonis*; *Iohannes*; *Galfridus*, qui deſponſavit Duciſſam *Britannia*. Et tot filias, *Iohanna* Comitiſſa *Toloſa*, *Matilda* Duciſſa *Oxonienſis*, *Elianora* regina *Caſtella*.

Cap. XIII.

An. Dñi 1189.

Tunc *Ricardus* qui vocatus eſt *Cor leonis*, ut infra patebit, filius hujus regis *Henrici*, cum ſummo honore apud *Weſtmonaſterium* iij. nonarum *Septembris* coronatus eſt anno gratiæ M. C. lxxxix. poſt mortem patris ſui.

Ciſtrenſis lib.7. c.25.

Sic mortuo rege *Henrico* apudque fontem *Ebrardi* ſepulto ſucceſſit filius ſuus *Ricardus* per x. annos regnaturus. Cujus mores & actus *Stephanus Cantuarienſis* luculenter deſcripſit. At ne præſens hiſtoria careat inſigniis tanti Ducis, libellum *Stephani* curſim ſtudui deflorare. Rex igitur iſte rebus tranſmarinis mature diſpoſitis, *Angliam* redit coronandus; in cujus adventu carceres relaxantur. Coronatur quoque *Londonia* à *Baldewyno Cantuarienſi* iij. nonarum *Septembris*, Qui dies ex priſca Gentilium ſuperſtitione *malus* vel *Egyptiacus* dicitur, tanquam quondam *Iudaici* eventus præſagio, Nam dies ille *Iudæis Angligenis* exitialis fuiſſe dinoſcitur. Convenerant ad hæc ſolennia multi *Iudæorum*, ne forte habita ſub priore rege felicitas minus arrideret eis ſub novo. Illis tamen interdixit rex ingreſſum Eccleſiæ dum coronaretur, & ingreſſum palacii dum epularetur; rege tamen epulante quidam *Iudæorum* inter cæteros tumultuantes fores regias introibant, Quorum unus dum pugna percutitur, turba indiſciplinata credens regem talia mandaſſe, lignis & lapidibus *Iudæos* cecidit, & in fugam compulit: Ex hoc gratus rumor tanquam ſi rex exterminari *Iudæos* juſſiſſet totam percurrit urbem: Moxque fremens populus domos ubi trepidi confugerant *Iudæi* oppugnat, incendit, ſpoliat, neque propter mandata regia deſtitit; Ac licet immenſitas tantæ rabiei ſi diſſimulata & inulta tranſiret primordia regiæ majeſtatis denigraret plurimum: propter infinitam tamen reorum multitudinem diſſimulari oportuit quod vindicari non potuit. Pace tamen utcunque *Iudæis* data, illico rex vacantes dignitates confert, fratrique ſuo *Iohanni* præter id quod ex dono paterno in *Hibernia* & *Normannia* receperat, provincias *Cornubia*, *Devonia*, *Notyngamia*, *Lancaſtria* contulit; ſet & filiam Comitis *Glovernia* in iij. gradu conſanguineam cum integritate paterni juris copulavit, ſet & indulta fratri tetrarchia fecit ingratum & infidum eciam ambire monarchiam. Regni quoque procurationem *Dunelmenſi* commiſit epiſcopo: Qui tamen decentius divino incubuiſſet officio quam regio ſuccubuiſſet miniſterio, cum nemo poſſit ſecundum evangelium utrique domino prout dignum eſt deſervire; ſi enim velit epiſcopus ut utrique cœleſti & terreno regi placeat, ad utrumque ſe divideret. Certe rex cœleſtis qui ſibi vult ex tota anima deſerviri, miniſterium diviſum non approbat, quineciam ſi epiſcopus nec ſaltem dimidius qui Dei ſunt exequatur, ſet vices ſuas indignis & remiſſis executoribus committat, ut ipſe terreno palacio vel foro totus inſerviat; nam nec terreni Principis ratiocinia quiſquam dimidius ſufficienter adminiſtrat.

Ricardus I.

Cæterum ut ſumptus propenſiores verſus *Ieroſolymam* rex ſibi congereret, reſignavit regi *Scotorum* caſtella de **Berwyk, Rokyſburg** pro x M. li. Pellexit eciam pecunioſum illum *Dunelmenſem* epiſcopum veteranum ut pro innumera pecunia propriam emeret provinciam; unde ſolebat rex jocando dicere, De vetuſto epiſcopo feci novicium Comitem, mirus eo artifex. Conſimili aſtu rex plurimorum ſacculos exhauſit, diſtrahendo dignitates & prædia regia ac ſi animum redeundi non haberet: Cumque propter hoc ab amico familiari auſu increparetur, reſpondit, *Londoniam venderem ſi emptorem ſufficientem reperirem*. Eo quoque proclivius emebant plurimi quo rex nunquam repatriare credebatur; Ipſe nempe à ſummo Pontifice poteſtatem acceperat ut à quibus vellet crucem aſſumptam detrahere poſſet, unde & multa librarum milia adquiſivit. Rex igitur commiſſo ut putabatur negligenter regni gubernaculo *Willielmo Helienſi* epiſcopo Cancellarioque ſuo, ante natale Domini *Normanniam* tranſfretavit; Quo tempore apparuit ſignum crucis in cœlo apud **Dunſtapill**. Et cito poſt viſa eſt forma crucis per aliquod ſpacium à vexillo recedere. Interpretetur qui poterit ſigni prodigium, cujus didici eſſe ſimplex narrator non præſagus interpretator. Dum igitur reges *Anglia* & *Francia* poſt firmatum inter ſe fœdus apud *Turon. Gallia* æſtatem ad proficiendum expectarent, zelus Chriſtianorum adverſus *Iudæos* in *Anglia* conſpiravit, non quidem ſincere, id eſt cauſa fidei, ſet eorum vel æmulando felicitatem vel inhiando fortunæ. Dei quidem juſtitia talia minime approbante ſet decenter ordinante, ut hoc modo gentis perfidæ coherceret inſolentiam. Verum præter ea quæ apud *Lyncolniam* & *Lynnam* in rebus & perſonis *Iudæi* pertulerant, apud *Eboracum* quidam poſt diutinam obſidionem & afflictionem *Raby* magiſter *Iudæorum* incidit venas CCCC. *Iudæorum*, ſuaſque proprias venas & guttur uxoris ſuæ detruncavit; ſet & apud **Stanforth** cæſis aut expilatis *Iudæis*, *Iohannes* quidam audaciſſimus Chriſtianus cum multis ſpoliis *Northantoniam* divertit, ubi & ambitu pecuniæ allatæ latenter occiſus eſt ab hoſpite ſuo, corpuſque ejus de nocte projectum eſt extra urbem, occiſore fugiente. Mox ſompniantibus vetulis atque apparentibus ibidem fallaciis, ſignorum præſtigiis illi martyris meritum ſimplices homines tribuerunt, ſepulchrum defuncti ſolennibus excubiis & muneribus honorantes: Ridebatur hoc à prudentibus, ſet tamen gratum fuit hoc clericis ibidem victitantibus gratia commodorum. Res defertur ad epiſcopum, qui ſtatim continuata ſimplicium ſtudio & cupidorum falſi martyris inſignia prophanavit. Inter hæc rege *Ricardo* abſente, *Willielmus Helienſis* epiſcopus regis Cancellarius & regni Procurator ac apoſtolicæ ſedis mediante pecunia in *Anglia* legatus, clerum oppreſſit, regis prætendens poteſtatem, plebem depreſſit, *Romanam* oſtendens auctoritatem; Cum mille equis procedebat, monaſteria contributionibus & hoſpitationibus gravabat; regni majores ſibi affines efficiebat. Utramque ſedem metropolitanam ad libitum ſuum proſternebat. Nam ante adventum regis *Ricardi* in terram ſanctam *Baldewynus* archiepiſc. *Cant.* apud *Tyrum* deceſſerat, ac *Eboracenſem* electum fratrem regis *Galfridum*

Ricard. I.

jam per x. annos impedierat ne conſecraretur. Quineciam apud *Dovoriam* appulſum *Galfridum*, direptis rebus, de monaſterio ſancti *Martini* extrahi, & in turri regia trudi fecerat; ſet & apud *Weſtmonaſterium* tanquam papæ legatus & regni procurator Concilium celebravit; in quo complex ejus *Hugo Nonant* epiſcopus *Ceſtrenſis* querelam depoſuit, quod monachi *Coventrenſes* ſanguinem ſuum fudiſſent coram altari, unde decrevit *Willielmus Helienſis*, monachos de *Coventreia* fore eliminandos, & clericos præbendarios inſtituendos. Hac igitur occaſione captata, præfatus *Hugo* callidus homo & inverecundus, audax ad auſus improbos, literatura eloquentiaque inſtructus, qui inter Priorem & Conventum *Coventrenſem* ſemper diſcordiam ſeminaverat, jam manu armata monachos expulit tanquam enormium criminum reos; moxque ad apoſtolicam ſedem inſtructos direxit reſponſales cum literis epiſcoporum atteſtantibus, quod monachi *Coventrenſes* deſerta Chriſti milicia, ad ſeculum eſſent relapſi; unde petiit à papa liberam de ordinatione illius monaſterii facultatem. *Romanus* vero pontifex ſub cauta expectatione ſi quis forte ex parte monachorum adveniens in contrarium allegaret, per ſex menſes ſententiam ſuſpendit; ſet ſumptuum inopia retardans monachos, votum epiſcopi conſummavit. Monachi tandem vel ſero venientes quamvis violentæ expulſionis injuriam deplorarent diutius, prævalente tamen epiſcopi potencia, aſtu & pecunia, per annos plurimos monachi diſperſi, rebus eorum in præbendas clericorum redactis, prout poterant inopes victitabant: quamobrem de iſto *Hugone* epiſcopo apud *Beccum* in *Normannia* die Paraſceues decubante tradit fama, quod cum neminem ſibi pœnitentiam imponere volentem reperiſſet, dixiſſe fertur, & ego meipſum pro malis erratis meis adjudico uſque in diem judicii pœna purgatorii cruciandum.

Item Ciſtrenſis lib. 7. cap. 26.

Celeſtinus iij. poſt *Clementem* ſedit papa annis vj. menſibus viij. qui ij. die conſecrationis ſuæ coronavit *Henricum* v. *Frederici* filium in imperatorem, ſub hac forma: Inprimis, recepto ab eodem *Henrico* juramento ante gradus eccleſiæ *Romanæ*, quod eccleſiam Dei defenderet, ejus jura conſervaret, rectam juſtitiam teneret, patrimonium *Petri* ſi quid ablatum fuerit, pro poſſe revocaret; econtra dominus papa in cathedra ſedens coronamque imperialem pedibus tenens, inclinato capiti imperiali demiſit, quam ſtatim cum pedibus in terram excuſſit; deſignans per hoc, quod ipſe papa habet poteſtatem creare imperatorem ſi meruerit, & deiciendi ſi demeruerit; Cardinales vero aſtantes coronam ſic excuſſam, capiti repoſuerunt. Abſente itaque rege *Ricardo* præfatus *Willielmus* de *Longo Campo Helienſis* epiſcopus *Hugonem Dunelmenſem* epiſcopum omni honore privavit, *Lincolnienſem* epiſcopum proturbavit, & pene cunctos moleſtavit. Parantur interim multi ad transfretandum & regem interpellandum contra Comitem tyrannum, ſet & ille cunctos præveniens voti compos effectus eſt, prius rediit quam cæteri regem attigiſſent; literas tamen votivas cæteri impetraverunt. Quorum primus *Lincolnienſis* epiſcopus rediens, *Willielmum Helenſem* uſque *Lincolniam* proſequitur; præfigitur dies apud caſtrum de **Tikul** reſpondendi, ubi cum *Dunelmenſis* adveniſſet, ait ad eum *Willielmus*, Ego te capio, non Præſul Præſulem, ſet Cancellarius Caſtellanum, donec obſides dederis de regiis caſtellis reddendis. Fama facinoroſi *Willielmi Angliam* replevit, unde majores in eum fremunt, minores mala increpant. *Johannes* regis frater de captione fratris ſui *Galfridi Eboracenſis* electi multum commotus, accitis ad ſe de ſuis provinciis & ex *Wallenſibus* ingentibus copiis cum nonnullis epiſcopis, Comitem tyrannum à **Wyndeſor** uſque turrim *Londonienſem* & inde uſque *Dovoriam* profugavit, ubi timens ſibi *Willielmus* ne non libere poſſet transfretare in pontificalibus, veſtem ſuperinduit muliebrem, caputque & majorem partem faciei peplo circumvolutus deambulabat in litore lævo brachio telam lineam, tanquam venalem, ulnam vero manu dextra ferens, ut hac arte non conſideratus facilius transfretaret, ac dum telam ſuam more femineo diſtrahere neſciret, per verenda contrectatus ignominioſe detectus eſt. Ipſo tandem enavigante, regni adminiſtratio *Rothomagenſi* archiepiſcopo rege de *Sicilia* ſic mandante commiſſa eſt, necnon *Batonienſis* epiſcopus in archiepiſcopum electus eſt; ſet eciam ipſo præmature defuncto *Willielmus Helienſis* fortiſſimum ad hunc reſcriptum à papa *Celeſtino* impetravit, redditis ſibi priſtinis apoſtolicæ ſedis vicibus quaſi pro meliorando *Anglorum* regno & *Johanne* cohercendo qui ad regnum fratris abſentis aſpirare videbatur; ſet & in hiis fruſtratus datis muneribus ac ſaltem factis commiſſis cum *Johanne* colluſit, ſet fruſtra. Nam licet apud *Dovoriam* erectis legationis ſuæ inſigniis jam applicuiſſet, tamen regina *Elianora*, & archiepiſcopi *Rothomagenſis* & *Eboracenſis* cum aliis multis ipſum renavigare coegerunt. Igitur poſt vernum tempus apud *Turon.* expectatum reges *Angliæ* & *Franciæ*, unus per terram, alter per mare uſque *Siciliam* devenerunt; ubi rex *Franciæ* delicta ſuorum diſſimilans nomen agni ſortitus; Rex vero *Angliæ* nichil iuultum relinquens nomen leonis promeruit; ibi quoque rex *Ricardus* griſones in *Calabria* & *Sicilia* expugnavit, caſtellum ligneum & portatile contra civitatem *Meſſanam* erexit, quod & *Mategriphum* appellavit. Quo quidem inſtrumento urbem *Acram* poſtmodum cepit; ibi eciam mater ſua regina adduxit ad eum *Berengariam* filiam regis *Navarrorum*, virginem pulchram & diſertam, quam rex duxit in uxorem.

Ricard. I.

Leyceſtrenſis.

Philippus rex *Francorum*, ut ſupradictum eſt, tranſivit per terram cum populo ſuo præcedens regem *Angliæ*, & rex *Angliæ Ricardus* carpſit iter cum populo ſuo per mare habens ſecum xiij. pergrandes naves bene onuſtas & l. galias, & ſic applicuit apud *Ciprum*.

Ciſtrenſis ubi ſupra.

Profecto tandem rege *Francorum* in *Siriam*, rex *Anglorum* aliquantulum poſt eum demoratus eſt; ſet ſub hyemali otio otioſus non erat, ſet victualia tranſmiſit, machinas confecit: deinde de *Sicilia* procedens, uſque *Ciprum* retortus eſt; ubi duæ regiæ naves per tempeſtatem confractæ irruentibus *Cipriis* ſpoliatæ ſunt.

Leyceſtrenſis.

Applicanti regi *Ricardo* in *Cipriam* occurrit rex *Cipriæ* coronandus, prohibens ei portum cum potentia magna ne ingrederetur terram ſuam.

Ciſtrenſis.

Quapropter rex *Ricardus* regem terræ ſatisfacere nolentem de urbe in urbem proſequebatur donec ſe dediſſet; reddidit igitur ſe eo pacto, ut in vinculis ferreis non poneretur. Annuit rex *Ricardus*, ſet in vinculis argenteis conjecit eum; & ſic de tota inſula ad libitum diſpoſuit, per bimeſtre tempus ibidem commorando.

Leyceſtrenſis. Deinde iter arripuit ſequens *Franciæ* regem, & medio tempore in quodam angulo maris proſpexit quandam magnam navem, ſcilicet Trierem quod *Dromond* vocamus, onuſtam cum *Saracenis* quam rex *Ricardus* cepit, & necari fecit de *Saracenis* mille CCC. & ducentos vitæ reſervavit; cepit eciam *Ricardus* rex ſeptinginta camelos onuſtos innumeris divitiis de gaſis & theſauris *Solidani*, quas partitus eſt proceribus & communibus ſuis valde regaliter.

Ciſtrenſis. Denuo dum *Ricardus* ad terram tenderet comprehendit in mari trierem magni *Solidani* bonis innumeris onuſtam, eam ſubtus perforando. Cum igitur ad *Acram* veniſſet, orta eſt materia diſcidii inter reges *Angliæ* & *Franciæ* in hunc modum; rex *Franciæ* ex pacto quod fecerant inter ſe apud *Turon.* vendicabat medietatem adquiſitorum in *Cipro*, & econtra rex *Ricardus* dixit, ſe pepigiſſe de adquiſitis in terra ſancta & contra *Saracenos*. Similiter alia cauſa fuit diſcordiæ, quod rex *Franciæ* noluit quicquam mutuare Comiti *Campaniæ* tunc valde indigenti, niſi ſibi invadiaret *Campaniam*; tunc Comes ait, Feci quod debui, amodo faciam quod oportet; Dominus meus me non recipit niſi pro meis, vadam igitur ad eum qui paratior eſt dare quam accipere; unde ad regem *Ricardum* veniens ditatus eſt. Inſuper & rex *Ricardus* fovebat partem *Guidonis* regis *Jeroſolymorum* contra *Conradum Marchionem* regem *Tyri*. Quem rex *Francorum* econtra fovebat. Proparatur tamen ad obſidionem *Acræ* quæ jam per biennium caſſo labore fuerat obſeſſa, nam machinæ urbi admotæ igne *Græco* qui nulla aqua aut alio elemento extingui poterat, conburebantur; exercitus autem Chriſtianus partim inedia partim morbo minorabatur, & eciam propter diſcordiam inter *Guidonem* & *Marchionem* dividebatur in partes, Necnon & aliqui magni de noſtris pecunia *Soludani* corrumpebantur.

An. Dñi 1191. Item Ciſtrenſis l. 7. c. 27. Anno tandem Gratiæ M.C.xcj. quinto idus Julii tertio poſt adventum regis *Ricardi* die capta eſt urbs *Tholomaida*, quæ *Acra* dicitur; in qua captione dux *Auſtriæ* ſequutus eſt regem *Angliæ Ricardum*, ut forſan partem triumphi vendicaret, ſet neſcio an caſu an regis voluntate vexillum ducis *Auſtriæ* cœno conculcatum eſt; unde dux ipſe commotus domum reverſus eſt graviſſime poſtmodum de rege *Ricardo* ſe vindicaturus. Partitis interim inter reges *Angliæ* & *Franciæ* cunctis perquiſitis, rex *Franciæ* ſuos vendidit captivos, rex *Angliæ* ſuos ſuſpendit.

Leyceſtrenſis. Rex *Ricardus* cepit urbem ſancti *Georgii*, & civitatem *Nazareth*, & villam de *Barut*, & caſtrum *Caiphæ*.

Ciſtrenſis ubi ſupra. Ob hoc & hiis ſimilia commotus rex *Franciæ*, necnon & gloriam regis *Ricardi* ægre ferens, aeris intemperiem cauſatus, domum rediit, juratoriam tamen cautionem adhibuit de indempnitate rerum regis *Ricardi* uſque ad reditum ſuum de terra ſancta. Proſperis tandem flatibus *Italiam* applicuit, papam adiit, abſolvi à quodam juramento involuntario petiit, ſet non optinuit. Occiſo interim *Conrado Marchione* per duos ſicarios in urbe ſua *Tiro*, rex *Franciæ* niſus eſt hoc ſcelus regi *Ricardo* imponere, unde & apud *Pariſium* celebrato concilio, de proditore *Ricardo* ſe velle ulciſci proponit. Prudentiores tamen præmaturæ ultionis propoſitum diſſuaſerunt; aſſerentes, quod licet ita foret quod regi *Ricardo* imponebatur, non tamen præpropere aut petulanter agendum fore, ſet reſpectu honeſtatis ſuſtinendum, quouſque ad propria rediret, qui propter *Chriſtum* noſcebatur peregrinari; Cæterum ſi reverſus, vel obicienda purgare potuerit, vel de exceſſu ſatisfacere voluerit, bene actum erit, ſin autem, expetendæ ultionis, juſticia comite, congruum tempus erit: quod ſi hoc conſilium diſpliceat, *Romanus* pontifex conſulatur. Set quamvis ad modicum quieſceret rex, molitus eſt tamen regno *Angliæ* cruentum negotium. Expetiit namque rex *Franciæ* per legatos nuptias germanæ regis *Dacorum*, eo tamen pacto, ut dotis nomine ſibi concederetur illud antiquum jus quod *Dacis* in regnum *Anglorum* ab olim competebat, ſimul cum claſſe & exercitu per unum annum ad hoc aſſequendum. Set & hac conditione propter *Wandalicam* à tergo infeſtationem negata, traditur tamen nuptui puella cum x. millibus marcarum argenti, quam tamen poſt primæ copulæ noctem, aut propter fetidum oris halitum, aut quia non invenit eam virginem rex repudiavit indecenter.

Interea apud orientem ſumptu deficiente regeque *Ricardo* nequiter defamato, quod regem *Franciæ* inſidiis appetiſſet, quod eciam *Conradum* Marchionem per conductos ſicarios peremiſſet, quod cum *Soldano* de proditione terræ ſanctæ conſiluiſſet, atque ideo ad capiendum urbem ſacram accedere noluiſſet, *Ricardus* ſe parat ad repatriandum; major namque pars Chriſtiani exercitus morbo, gladio, inedia, laborumque intolerantia abſumpta fuerat: in qua re conſideranda eſt altitudo ſapientiæ divinæ, quæ de ſuorum vel temporali ſalute vel felicitate minus curare videtur, dummodo eorum clades ad ſupernæ civitatis completionem proinde faciat derivari. Proinde fidenter dixerim, quod longe felicius illis contigit, qui ſic ibidem migraverunt, quam illis qui repatriantes ad ſordes priſtinas remearunt; ſic igitur Chriſtus rex noſter malis hominum bene utens, dum terrenam ſuam *Jeroſolymam* propter peccata inhabitantium in manus tradidit hoſtium, cœleſtis ſibi *Jeroſolymæ* uberiora lucra ſubtiliter conquiſivit: itaque propter noſtrorum defectum & dedecus temporum oportet civitatem ſanctam conculcari à gentibus uſque ad tempus quod ſolus Deus novit; nam ſuo tempore proculdubio juxta morem priſcum terra ſancta ſpurciſſimos ſuos evomet incolas, & forſan per perniciorem manum, ut virtus divina in hoc negotio clarius eluceſcat; unde dixit quidam apud *Machabæos*, *Facile eſt multos concludi in manus paucorum.* Quod utique declaratum eſt quando unus perſequebatur mille, & duo fugaverunt x. milia. Et *Gedeon* quondam amota multitudine per CCC. viros qui aquam lambuerant de multis triumphavit. At non eſt temptandus Deus, ut Chriſtiani pro eo quod Dominum bonum & potentem habeant, petulanter & inconſulte contra multos adverſarios pauci proſiliant: Ita enim vult Deus ſuos in ſe confidere, ut non negligant prudenter agere.

Item Ciſtrenſis l. 7. c. 28. Firmatis denuo inter regem *Ricardum* & *Soldanum* induciis triennalibus, *Hubertus Saliſbyrienſis* epiſcopus pro ſe & pro rege ſanctum ſepulchrum adiit, hoſtiam ſacram ibidem immolavit; inde rediens una cum rege *Ciprum* navigavit: inde præmiſit

Ricard. I. rex duas reginas, uxorem ſcilicet & ſororem, cum omni pene familia ſua uſque *Siciliam*, ipſeque lenti pelagi impatiens feroci aura ad partes *Auſtriæ* inter *Aquileiam* & *Veneciam* cum paucis depulſus eſt, ubi aliquantiſper oberrans & latitans, dum cibi lautiores pro illo emerentur notatus eſt, & ab hominibus ducis *Auſtriæ* deprehenſus. Quo divulgato, rex *Francorum Johannem* regis *Ricardi* fratrem contra regem *Ricardum* facile allexit. Imperatorem *Teutonicum* contra *Ricardum* captivum inſtigavit, unde & imperator pacta cum duce *Auſtriæ* tercia parte provenientis commodi, regem *Ricardum* dominicum adhuc characterem portantem in ſuam traduxit cuſtodiam, & poſuit eum in trivallis, ubi dicit *Ariſtoteles, Bonum eſt occidere patrem.* Quem tandem circa Dominicam palmarum coram procerum ſuorum multitudine ad reſpondendum produxit. Ille vero hilari fretus conſcientia ita objecta diluit, ut imperator non ſolum ad miſericordiam, ſet eciam ad reverentiam flecteretur.

Venerunt tunc ad regem ſic detentum *Willielmus Helienſis* epiſcopus propter inſolentes mores ſuos ab *Anglia* jampridem extruſus, ut regis circa ſe animum exploraret; quem cum adumbratæ devotionis præſtigiis non poſſet deludere, deſperata gratia ſet cauteriata comitante conſcientia ad *Franciam* rediit: ſet & *Hubertus Saliſburienſis* de *Sicilia* ad regem veniens pro neceſſaria *Anglicani* regni cura, ac eciam pro maturando regiæ redemptionis negocio, in *Angliam* directus eſt, ubi adveniens concorditer à *Cantuarienſibus* & ipſis epiſcopis in archiepiſcopum erectus eſt. Qui nimirum accepto pallio inthronizatus eſt, mox apud *Marton.* accepto canonicæ profeſſionis habitu *Cantuarienſibus* quos fervor *Baldewyni* paulo indiſcretius exulceraverat, moleſtus non fuit. Præfatus namque *Baldewynus* quamquam alias vir bonus & religioſus, jus & prærogativam eligendi archiepiſcopum à *Cantuarienſibus* transferre elaboraverat, cujus rei gratia regio favore fretus nova ædificia juxta monachalem eccleſiam ad præbendas canonicorum ſecularium non ſine ſanguine conſtruere cœperat, ut ibidem poſtmodum ſuffraganei epiſcopi cum clericis convenientes de futuri pontificis electione, extruſis monachis, deliberarent. At contra monachi *Romanum* pontificem appellantes, opus inceptum intermitti coegerunt, quod & poſt mortem *Baldewyni* uſque ad ſolum complanaverunt: In quo facto mirandum eſt, tantum virum qui ex archidiacono monachus *Ciſtercienſis* ordinis, & poſtmodum abbas, & ex abbate *Wygornenſis* præſul, ac ex ſuffraganeo tandem metropolitanus effectus, quod imperfectioris vitæ homines, canonicos ſcilicet ſeculares, loco perfectorum ſubrogare voluit, cum olim ſancti principes & pontifices in *Anglia* illud genus clericorum minus abundare volentes, optionem illis dederint, ut aut beneficia relinquerent, aut vitam mutantes in religionem tranſirent.

Leyceſtrenſis cap. 14. *Henrico* imperatore in forma prædicta regem *Ricardum* in cuſtodia ſic detinente, *Philippus* rex *Franciæ* memor ſuæ pernicioſæ malencoliæ contra regem *Ricardum* malicioſe acceptæ, ſe armavit protinus in ultionem; nam *Johannem* fratrem *Ricardi* inſtigat ad coronam regni *Angliæ*: ſicque unanimi aſſenſu guerram moverunt, unus in *Anglia*, alter in *Normannia*. Eodem tempore *Ricardo* ſic in carcere exiſtenti, quidam leo ferox & famelicus ſolutus eſt, & ad eum dimiſſus, ad hoc ut credebatur, ut præ fame attenuatus regem *Ricardum* quaſi ex negligencia cuſtodis leonis, in inſtinctu devoraret; ſet rex plenus audacia & fortitudine, gratiaque Dei illi aſpirante, videns leonem illi aperto gutture & ferociter feſtinare, apprehendit mantellum ſuum, & circumplicatum brachio ſuo immiſit manum cum brachio in gutture leonis, manu contrectans cor leonis extrahit, cor cum radicibus & calidum crudumque comedit: ex quo facto provenit illi illud nomen quo vocatus eſt *Ricardus cor leonis.* Ricard. I.

Item Ciſtrenſis lib. 7. c. 28. Igitur poſt *Alemannicæ* detentionis tædium, quod plene uno anno & tribus menſibus duraverat, relaxatus eſt rex *Ricardus* menſe Januarii pro centum millibus libris argenti, relictis apud imperatorem obſidibus *Rotomagenſi* & *Batonienſi* epiſcopis pro parte pecuniæ nondum ſolutæ; Ad cujus ſummæ ſolutionem ſilente interim omni privilegio, prærogativa & immunitate eccleſiæ ſeu perſonæ, extorta eſt tota lana alborum monachorum & canonicorum, quineciam prælatorum annuli, vaſa, cruces, calices, cum auro de feretris ſanctorum abraſa ſunt conflata. Demorante tamen apud *Swynam* in *Flandria* duobus plene menſibus, aut propter flatus adverſos, aut neceſſarii apparatus gratia, Imperiales apparitores ſic demorantem pene interceperant. Pœnituit imperatorem relaxaſſe regem, ſicut quondam *Pharaonem* dimiſiſſe *Iſrael.* Menſe tandem Marcio *Sandicum* portum rex applicuit, & modica apud *Lundoniam* mora facta proceſſit, ac munitiſſima fratris ſui *Iohannis* caſtella de **Notyngam**, de **Tykyl** accepit, quorum caſtellanos incarceravit; *Iohannem* fratrem ſuum tanquam ingratum & infidum judicio procerum omni honore privavit; ſicque apud **Hampton** Paſcha ſuum tenuit, atque apud *Wyntoniam* tanquam detruſa jam captivitatis ignominia, quaſi rex novus quinto regni ſui anno ſolenniter coronatus eſt. Poſt cujus coronationis ſolennia, quicquid prius leviter datum aut graviter venundatum fuerat repetiit, nomine commendati, fructus perceptos pro ſorte computans, ceſſante pacto, titulo & inſtrumento quocunque; & ſic paululum demoratus *Franciam* navigavit, contra regem *Francorum* denuo bellaturus.

Leyceſtrenſis. Rex *Ricardus* denuo apud *Wintoniam* coronatus poſt paululum temporis transfretavit in *Normanniam*, ad conquirendum caſtella quæ *Philippus* rex *Franciæ* adquiſierat in ſua abſentia. Rex *Franciæ* venit contra eum cum ſecentis militibus populoque multo; cumque rex *Ricardus* ei occurreret ut bellum cum eo iniret, rex *Franciæ* retraxit ſe quaſi fugiendo, & capti ſunt de militibus ſuis centum, & ducenti dextrarii ferro communiti.

Ciſtrenſis. Igitur regibus ſub varia ut aſſolet ſorte congredientibus, conceſſæ ſunt ad annum induciæ, regi quidem *Ricardo* pro reparatione virium & opum utiles, quamvis ratio honeſti repugnaret. *Johannes* frater regis *Ricardi*, qui jam regi *Francorum* contra proprium fratrem adhæſerat, quia jam nil habuit nilque potuit, ſpretus eſt à rege *Francorum*, mediante tamen matre ſua *Alienora*, ad regem *Ricardum* ſupplex rediit, fideliter ei de cætero militaturus. Fiebant interea apud *Turonem* exercituum diu intermiſſa torneamenta, quaſi bellorum præludia, non obſtante papali prohibitione.

Item Ciſtenſis l. 7. c. 29. Circa hæc tempora quidam *Stephanus* procurator *Andegaviæ*, qui ſub diebus *Henrici* ſecundi &

hujus regis *Ricardi* prudenter egerat, conjectans tamen delicati corporis principem ex longo itinere & periculo vel non vel difficile poſſe reverti, abſente rege cœpit fines creditæ ſibi poteſtatis petulanter excedere, unde & ſuadente quodam familiari ſuo, nigromanticum quendam conſulit, utrum rex *Ricardus* eſſet reverſurus: at ille ducens *Stephanum* ad locum ſecretum, oſtendit ei caput æneum habens ſpiritum incluſum, Quære, inquit, ab iſto quæ volueris, ſet pauca & breviter, nam ad multiloquium non reſpondit. Cui ille: Num ego viſurus ſum regem *Ricardum*? Et reſpondit, Nequaquam. Item, Quamdiu durabit adminiſtratio ſuſcepta? Reſpondit, uſque ad mortem tuam. Tercio quæſivit *Stephanus* ubi eſſet moriturus? Et reſponſum eſt, In pluma. Nec licuit ei ulterius quærere, ſet dimiſſus à vate præcepit ſuis ne quidem plumam aliqua occaſione ei applicarent. Cœpit exhinc confidentius ſolito agere, ſubditos conterere, & maxime quendam de nobilibus, qui aliquando in caſtrum ſuum fugiens à facie *Stephani* perſequentis, ipſum *Stephanum* negligentius in obſidione oberrantem cepit, & laniatum trucidavit. Munitio autem illa vocabatur *Pluma*. Sicque patuit cavillatio ſpiritus illuſoris. Simile contigit de *Gereberto* ſpeudopapa, prout ſuperius eſt expreſſum. Simile autem narratur de *Alberico* Comite *Northimbriæ*, qui cum eſſet præpotens, ſuo ſtatu non contentus, conſulto dæmone audivit quod *Graciam* eſſet poſſeſſurus, unde & partes adiens orientis, in *Graciam* ingreſſus eſt, cumque auditum eſſet à *Græcis*, quod ſuper eos regnaret, nudatum illum bonis omnibus de finibus ſuis expulerunt. Poſt annos aliquos feſſus homo ille laboribus & ærumnis *Normanniam* ad regem *Henricum* adiit, à quo nobilem viduam recepit in conjugem; ac cum in benedictione nuptiali ſacerdos quæreret à muliere, ſic, *Domina* Græcia *complacetne tibi in viro illo?* Agnovit *Albericus* verſuciam ſpiritus illuſoris, qui mentem hominis cupidam erexit in ſpem vanam. Cum igitur *Ricardus* xx. marcarum millia pro ſuæ redemptionis reſiduo duci *Auſtriæ* præparaſſet, obſides quos apud eum dimiſerat ſubito comparuerunt, referentes illum tyrannum divini judicii pondere ſubmerſum, terramque ejus ante obitum ſuum multiplici flagello attritam, urbes repente conflagratas, *Danubium* fluvium cum multa jactura fines ſuos exiſſe, ſemina ſata aruiſſe, ipſum quoque ducem propter regis captionem nuper à papa excommunicatum ferebant excommunicationem deriſiſſe, qui denuo die ſancti *Stephani* ad campos equitans, ita pedem attrivit, ut pede abſciſo in mortem deſperatus coram optimatibus ſuis ab excommunicationis vinculo peteret abſolvi, reſponſum eſt à clero, hoc fieri non poſſe, niſi ſub juratoria cautione quod ſuper injuriis regi *Ricardo* irrogatis judicio eccleſiæ ſtaret; moxque obſides regis *Anglorum* poſt præſtitum juramentum liberavit. Deinde rex correctior vixit. Accidit & aliud quod regem movit ad correctionem, vir quidam *Cenomannicus* ad ſanctum *Jacobum* pia devotione profectus, ſoſpes remeavit; qui poſtmodum pari devotione ignitus, ut ſanctum ſepulchrum Domini videret, proceſſit; cui forſan ſolivago quidam terribilis vultu apparuit. Paveſactus homo crucis ſigno ſe munivit. Ille autem tanquam ſignaculum illud parvipendens, Nequaquam, inquit, hoc modo te tueri poteris quin meus ſis, porro ſi procidens adoraveris me, faciam te locupletem: Ad hæc inquit homo ille, Modo liquet te fore partis adverſæ. Sint tua tibi, mihi ſufficit Chriſti largitio, quem ſolum adoro. Cui ille: Oportet te vel invitum munus aliquod de meo habere; & mox jactavit ſuper caput hominis quaſi pallium tenuis materiæ, quo crinibus aduſtis, cutis capitis denigrata permanſit. Homo trepidus ſanctum *Iacobum* inclamavit; qui mox aſſiſtens, dæmonem increpavit, ac quis eſſet, quid negotii haberet inquiſivit. Qui conſtrictus imperio, Dæmon ſum, inquit, humano generi infeſtus, Ego Chriſtianos reges in orientali profectione impedivi, Ego regem *Ricardum* per miniſtrum meum ducem *Auſtriæ* captivavi, Ego regem *Ricardum* poſtquam liberatus eſſet jugiter circumvallo, potiſſime circa cubile ejus & circa theſauros ejus quos avide recondit. Hiis dictis dæmon diſparuit, & homo ille confortatus, dimiſſo itinere intento, *Cenomanniam* rediens, *Ricardo* regi quæ audierat retulit, caput ſuum uſtulatum oſtendit, & rex ſe correxit.

Circa hos dies *Hubertus Cantuarienſis* archiepiſcopus applicans & regias vices in *Anglia* gerens, mortuo jam *Eboracenſi* archiepiſcopo, *Eboracum* adiit & Concilium celebravit.

Item Ceſtrenſis l. 7. c. 30.

Circa hos dies duo erant qui pari propoſito ſet diſpari cauſa commoda regia quærere videbantur, abbas namque *Cadomenſis* fraudem officialium regiorum apud regem culpabat; ideoque inſolentiam eorum cum quiete provincialium caſtigandam fore cenſebat: *Willielmus* vero cum *longa barba* inſolentiam divitum qui propriis fortunis parcentes pauperes onerabant fortiter accuſabat; Igitur accepta poteſtate abbas præfatus menſe Februarii *Londoniam* venit, præſides provinciarum ad ratiocinia ſua reddenda diſtricte convenit, ſet morte præventus Paſchalia feſta non vidit. De *Willielmo* quoque tradebatur, quod *Londoniis* erat oriundus, à barba prolixa quam fovit cognomen accepit, quam nutrivit, ut tali inſigni in cœtu & concione magis conſpicuus & ſpectabilis appareret; qui cum eſſet ingenio acer, mediocriter literatus, eloquens ſupra modum, innata quadam animi & morum petulantia nomen ſibi grande facere volens, moliri nova & audere ingentia cœpit: Denique inhumana & impudens ejus actio in proprium germanum ſignum eſſet veſaniæ ejus in cæteris; nam fratrem ſuum *Londonienſem* civem qui eum in ſcholis exhibuerat, apud regem tanquam regiæ proditionis reum, pro eo quod profuſiora ſolito ſumptuum ſolatia non refunderet, inſtanter accuſabat, ſet quamvis à principe in hoc deriſus fuerit, favore quorundam inter magiſtratus *Londonienſes* locum optinuit: Denique clandeſtina opera & venenatis ſuſpiriis apud plebem divitum inſolentiam qua pauperes indigne tractabantur ſuggillans, mediocres ad immoderatæ libertatis amorem inflammans, adeo plurimos quaſi præſtigiis faſcinatos ſibi devinxit, ut quinquaginta duo milia *Londonienſium* indigenarum ad ejus nutum tanquam communi cunctorum proviſori obtemperarent. Tanto igitur fretus conſciorum numero, tanquam zelans pro pauperculo populo & commodo regio, cœpit in omni cœtu nobilibus reſiſtere, prætendens quod eorum fraude fiſco plurimum deperiret; cumque illi contra eum propter hoc fremierent, transfretavit ille ad regem pro cujus fide potentum injurias ſe perpeſſum oſtendebat: inde reverſus, calliditate ſolita cœpit de cætero tanquam regio favore ſubnixus fiducialius agere, & proprios complices fortius animare; Cumque jam initæ conſpirationis rumor percrebuiſſet, *Cantuarienſis* archiepiſcopus *Hubertus* cui regni regimen commiſſum fuerat, plebem convocat, natoſq; rumores recitat, àd tollendum omnem ſiniſtram ſuſpicionem obſides dati rogat; Ejus blandiloquio populus placatus obtemperat, obſides donat; Nichilominus præfatus *Willielmus* cœptis inſiſtens, vallatus turbis pompatice procedebat, conventus publicos faciebat, *Salvatorem pauperum* ſe vocabat, frænandam in brevi potentum proterviam granditer intonabat, unde & ſumpto de ſacris ſcripturis themate ita exorſus eſt. *Haurietis aquas in gaudio de fonte Salvatoris. Ego enim ſum pauperum ſalvator, vos pauperes duras divitum manus experti haurietis nunc de fontibus meis aquas doctrinæ ſalutaris, & hoc cum gaudio, quia jam venit tempus viſitationis veſtræ. Ego*, inquit, *dividam aquas ab aquis, aquæ nempe, populi ſunt. Dividam igitur populum humilem & fidelem à populo ſuperbo & perfido, dividam electos à reprobis, velut lucem à tenebris.* Igitur *Hubertus* præfatus de conſilio procerum evocavit *Willielmum* ad obicienda ſatisfacturum; Qui opportune affuit, ſet ita turbis vallatus eſt, ut ejus evocator territus mollius ageret & judicium protelaret. Explorata tandem per duos cives *Londonienſes* opportunitate, qua ſolus ſine turba reperiri poſſet, ad capiendum armata manus emittitur; ſet alterum è civibus qui eum exploraverunt ipſe *Willielmus* bipenni ſua mactavit; Alterum, unus de *Willielmi* complicibus trucidavit; Illico *Willielmus* cum paucis ſuorum & cum concubina ſua inſeparabiliter cohærente, in vicinam eccleſiam, beatæ ſcilicet *Mariæ* de *Arcubus*, qua non tanquam aſilo, ſed velut caſtello ad tempus ſe tueri voluit, [confugit] ſperans populum ſuum, ſet fruſtra, ad ejus liberationem affuturum. Qui nimirum etſi de ejus diſcrimine dolerent, reſpectu tamen obſidum quos dederant, ac metu armatorum militum quos viderant, ad ejus ereptionem non accurrunt. Juſſus igitur *Willielmus* egredi, ſet nolens, igne & fumo appoſitis exire tandem eſt coactus; Egredienti autem filius civis illius quem peremerat, cultro ventrem diſſecuit. Captus tamen, judicio curiæ primo equis diſtractus, deinde cum ſociis ix. qui illi deeſſe noluerant, patibulo ſuſpenſus eſt. Porro complices ejus archiepiſcopum velut homicidam non ſolum diffamaverant, ſet eciam ut conſpirationis ſuæ propriæ dedecus abſtergerent, & dampnatores *Willielmi* improbos comprobarent, arte & aſtu nomen illi & gloriam martyris quæſierunt. Denique, ut fertur, ſacerdos quidam propinquus *Willielmi* cathenam qua vinctus fuerat febricitanti cuidam ſuperpoſuit, & mox ſanitatem ſubſecutam publice prædicavit. Quo vulgato, populus patibulum ejus nocturno furto ſuſtulit, terram ſanguine ejus cruentatam veluti ſacrum quiddam, in uſus curationum uſque ad foſſam non modicam per minucias abraſit. Fama itaque late ſic diſperſa, ſtultorum & curioſorum hominum greges confluebant. Excubabat ibidem nocturno tempore inſulſa jugiter multitudo, quantum honoris defuncto impendens, tantum dedecoris ejus dampnatori impingens, tantumque invaluit inceptus error, ut prudentes quoſque faſcinaſſet, niſi ea quæ de illo geſta cognoverant cautius advertiſſent. Sane excepto eo quod paulo ante captionem ſuam homicidium commiſerat, quod utique cuilibet cordato viro ne pro martyre coleretur ſufficere debuerat, ipſius extrema ſub morte confeſſio ſuos debuit cultores verecundaſſe; Quippe cum à nonnullo quamvis ſero ſub humili confeſſione peccatorum dare gloriam Deo moneretur, Confeſſus eſt ſe eccleſiam beatæ *Mariæ* dum ibi expectaret, ſemine polluiſſe. Inſuper & cum ad votum per ſuos citius non eriperetur, negato *Mariæ* filio eo quod eum non liberaret, diabolum ad ſuam liberationem invocaſſe. Inficiabantur iſti *Willielmi* juſtificatores, atque maligne conficta dicebant. Porro litem hanc diremit in brevi fabricatæ vanitatis occaſus; veritas nempe ſolida eſt, & tempore convaleſcit. Igitur *Hubertus* archiepiſcopus regni moderator in ſacerdotem præfatum eccleſiaſtica præeunte vindicta, armatam cuſtodiam in illo loco poſuit, quæ & acceſſum accurrentium arceret; & ſic in brevi machina continuatæ ſuperſtitionis concidit, & popularis opinio conquievit.

Item Ciſtrenſis lib. 7. cap. 31.

Illis diebus quidam ſanctus ſacerdos in *Gallia* nomine *Fulco* venit ad regem *Ricardum*, ſic inquiens, Dico tibi rex, ex parte omnipotentis Dei, ut tres filias tuas peſſimas citius nuptui tradas, ne aliquid deterius tibi contingat; Cui rex, Mentiris hypocrita quia nullam filiam habeo. Et ille, Immo, ſuperbiam habes, avaritiam, & luxuriam. Rex igitur convocatis proceribus ſuis ait, Do Superbiam meam *Templariis* & *Hoſpitalariis*, Cupiditatem meam monachis *Ciſtercienſibus*, Luxuriam meam eccleſiæ Prælatis. Illi autem quos *Fulco* prædictus reprehenderat miſerunt illum in vincula, ſet non potuit alligari.

Hoc anno obiit *Reſus* princeps *Walliæ*; de quo quidam ſic cecinit; *O belli gloria, Miliciæ clypeus, Patriæ tutamen, Armorum decus, Brachium fortitudinis, Largitatis manus, Rationis oculus, Honeſtatis ſplendor, Pectore gerens* Herculis *probitatem*, Achillis *proſperitatem*, Neſtoris *modeſtiam*, Tedei *audaciam*, Sampſonis *fortitudinē*, Hectoris *gravitatem*, Euriali *agilitatem*, Paridis *formā*, Ulixis *facundiam*, Salomonis *ſapientiam*, Ajacis *animoſitatem*. *O nudorum veſtis, famelicorum morſus, omnium denique poſtulantium plena ſatisfactio. O dulcis eloquio, comis obſequio, actu honeſtus, ſermone modeſtus, vultu hilaris, facie decorus, ſingulis benignus, omnibus æquus.*

Verſus.

Nobile Cambrenſis *cecidit diadema decoris*;
Hoc eſt, Reſus *obit*, Cambria *tota gemit*.
Reſus *obit*: *Non fama perit ſed gloria tranſit*;
Cambrenſis *tranſit gloria*, Reſus *obit*.
Reſus *obit*: *Decus orbis abit, laus quæque tepeſcit*.
In gemitu vivit Cambria, Reſus *obit*.
Reſus *abeſt*, *inimicus adeſt* Reſus *quia non eſt*.
Iam ſibi nil prodeſt Cambria, Reſus *obit*.
Non moritur ſed ſubtrahitur, quia ſemper habetur
Ipſius egregium nomen in orbe novum.
Grande decus tenet iſte locus ſet cernitur ortus;
Si quis ſit finis quæritur, ecce cinis
Hic tegitur, ſed detegitur quia fama perhennis
Non ſinit illuſtrem voce latere Ducem.
Exceſſit probitate modum, ſenſu probitatem,
Eloquio ſenſum, moribus eloquium.

Innocentius iij. qui & *Lotarius*, poſt *Celeſtinum* ſedit Papa annis viij. menſibus v. Iſte literatus fuit & fecit libellum *De miſeria humanæ conditionis*, Ricard. I.

ſpeculum Miſſe, *Conſtitutiones* quamplurimas. Iſte dampnavit libellum Abbatis *Joachim* quem contra magiſtrum *Petrum Lumbardum* auctorẽ Sententiarum ediderat. Dampnavit eciam *Almaricum Carnotenſem* epiſcopum in ſua doctrina hæretica. Hoc eciam anno mortuo Imperatore Principes *Alemannia* diſcordabant. Nam aliqui *Othonem*, aliqui *Philippum* fratrem *Henrici* quinti elegerunt. Tandem *Philippo* doloſe occiſo, *Otho* coronatur ab *Innocencio* Papa in *Francia*. Qui ſtatim pugnavit cum *Romanis* propter non exhibitum honorem, & inde contra Papæ voluntatem abſtulit regnum *Apulia* à *Frederico*, qua de cauſa à domino Papa excommunicatus eſt. Inde quarto anno regni ſui Principes *Alemannia Fredericum* erexerunt in Imperatorem; qui victorioſe triumphavit de *Othone*.

Anno gratia M.C.lxxxxix.

An. Dñi 1199.

HOc ultimo anno regis *Ricardi Widomarus* vicecomes *Lomovicenſis* in *Britannia minore* homo regis *Anglia* invento immenſo theſauro auri & argenti in fundo ſuo, miſit magnam theſauri partem regi *Ricardo*, ſet ille recuſavit, dicens, ſe totum habere debere de jure dominationis ſuæ, quod tamen alius recuſavit. Obſedit igitur rex caſtrum vicecomitis, quod vocabatur *Calux*, putans ibi theſaurum ineſſe: Cui miniſtri Caſtri exeuntes optulerunt regi caſtrum cum contentis, ſalvis eiſdem vita membris & armis; renuit rex, imponens illis ut redeuntes viriliter ſe defendant. Cum igitur rex die quadam & Dux *Brabancia* circuirent caſtrum, ut infirmiora explorarent, quidam arcubaliſta *Bertramus Gurdon* telo regem in brachio vulneravit; Quare præcepit rex omnino, ut caſtrum caperetur, & omnes intus ſuſpenderentur, excepto ſuo vulneratore; Quod & factum eſt. Cum igitur extracto teli ligno ſet manente ferro, ex venarum & nervorum inſciſione nono poſt hoc die rex eſſet moriturus, advocari fecit vulneratorem ſuum ſic inquiens, Quid umquam mali tibi feci quod me ad mortem vulneraſti? Et ille. Patrem meum & duos fratres meos occidiſti, & me modo occidere voluiſti, placet mihi quamcumque pœnam ſubire dummodo tu occumbas. Tunc juſſit rex eum libere abire, dans illi centum ſolidos ſterlingorum. Set poſt regis obitum fecit Dux *Brabancia* eum excoriatum ſuſpendi. Mortuo igitur *Ricardo* vij. idus Aprilis corpus ejus in tres partes diviſum in tribus locis ſepelitur, unde quidam metricus ſic ait.

Verſus.

Viſcera Carleolum, *corpus fons ſervat* Ebrardi,
  Et cor Rotomagum, *magne* Ricarde, *tuum*.
In tria dividitur unus, quia plus fuit uno,
  Nec ſupereſt uno gratia tanta viro.
Chriſte *tui calicis prado fit prãda* Calucis,
  Ære brevi deicis qui tulit ara crucis.
Hic Ricarde *jaces, ſet mors ſi cederet armis*
  Victa timore tui cederet arma tuis.

Obiit igitur rex *Ricardus* x. anno regni ſui in *Normannia*.

Leyceſtrenſis.

Septimo kalendarum *Aprilis*, & juxta patrem ſuum *Henricum* apud fontem *Ebrardi* ſepulta eſt pars ejus corporis anno gratiæ M.C.lxxxxix.

Iohannes frater ejus ſciens ſe non admitti ad regnum *Anglia* à magnatibus terræ *Anglicana*, cum propinquiorem haberent regni ſucceſſorem, *Arthurum* ſcilicet filium fratris ſui ſenioris *Galfridi* quondam Ducis *Britannia*, cum adhuc eſſet in *Aquitania* comprehenſum puerum dolo tenuit, & occidit per manum armigeri ſui *Petri de malo Lacu*, cui poſtea hæredem Baroniæ de *Mulgref* dedit in uxorem, loco mercedis iniquæ. Reverſus *Johannes* in *Angliam* à populo terræ ſuſceptus eſt, & die Aſſũptionis Domini anno ejuſdem M.C.lxxxxix. apud *Weſtmonaſterium* per *Hubertum Cantuarienſem* archiepiſcopum ſolenniter in regem conſecratus vj. ſcilicet kalendarum Junii.

Iohannes.

Ciſtrenſis cap. 32.

Succeſſit regi *Ricardo* ſine liberis obeunti frater ſuus *Iohannes* dictus *ſine terra*, qui ſtatim occupavit theſauros regis *Ricardi* apud *Chinonem*, & miſit *Hubertum* archiepiſcopum ad componendum res in *Anglia*. Set *Thomas de Torneya* tradidit *Andegaviam Arthuro* filio ſenioris fratris *Galfridi* Duci *Britannia*, ubi convenientes proceres *Andegavia*, *Cenomannia*, & *Turonia* adhæſerunt *Arthuro* ſecundum conſuetudinem terræ illius, ubi filius fratris ſenioris ſuccedit patri ſi primogenitus decedit ſine filio. *Conſtantia* vero relicta *Galfridi* ac Comitiſſa *Britannia* tradidit cuſtodiam filii ſui *Arthuri* necnon & hæreditatis ſuæ regi *Francia*, ſet *Iohannes* cito ſubvertit *Cenomanniam* quia adhæſerat *Arthuro*. Deinde in Paſchate *Iohannes* accinctus eſt gladio ducatus *Normannia* apud *Rotomagum*, & in Aſcenſione Domini coronatus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium* ab *Huberto Cantuarienſi* epiſcopo; Quo die *Iohannes* rex fecit *Hubertum* eſſe ſuum Cancellarium; Cui de hoc officio nimis poſtmodum glorianti, ait quidam, Domine non deberes gloriari de jugo ſervitutis, Audivimus enim de Cancellario archiepiſcopum factum, ſet non è converſo.

Leiceſtrenſis

Secundo anno regni ſui miſit rex *Philippum Dunelmenſem* epiſcopum, & *Rogerum Bigot* cum literis ſuis patentibus de ſalvo conductu & reditu ad *Willielmum* regem *Scotorum*, de cujus fide hæſitavit, ſtatuens ei diem certum & locum, apud *Lyncolniam* ſcilicet in craſtino ſancti *Edmundi* regis & martyris, veniendi ad ſe & homagium faciendi abſque omni prorogatione vel cavillatione. Qui accepto hujuſmodi mandato ad diem properavit eundem, & in die ſanctæ *Cecilia* virginis, x. ſcilicet kalendarum *Decembris* qui fuit eodem anno feria quarta, ſupra montem extra civitatem *Lincolnia* coram optimatibus utriuſque regni & omni populo, fecit regi *Iohanni* homagium ſolenniter, fidelitatemque juravit ſuper crucem *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi, & de pace conſervanda ſibi & regno ſuo. Quibus peractis in ſolenni convivio receperunt ſe, & lætatus eſt uterque populus gaudio magno, & poſt dies aliquot dimiſſus eſt in terram ſuam cum honore immenſo. Acta ſunt hæc in anno Domini M.CC. die quo ſupra; rex vero *Iohannes* in ſuperbia erectus & mentem regis exuens animum leonis induit, ſectando luxuriam, avaritiam & omnem animi ſui voluptatem.

An. Dñi 1200.

1205.

Anno Domini M.CC.v. obiit *Hubertus Cant.* archiepiſcopus, poſt cujus mortem monachi *Cantuarienſes* eligendi licentiam à rege petierunt, & optinuerunt. Rogavit tamen rex pro *Norwycenſi* epiſcopo ut ſi poſſibile eſſet ſaltem ſuis precibus poſtularetur hac vice. Adveniente autem electionis die, quidam ex monachis preces regias amplectentes eundem *Norwycenſem* poſtularunt. Alii vero ſecundum Deum procedentes ſubpriorem ejuſdem domus elegerunt, & diſſenſione facta inter fratres,

utra-

Iohannes.

utraque pars pro ſuo electo ad ſedem apoſtolicam appellarunt; Unde electi ſunt hinc & inde xiiij. monachi qui ad ſedem apoſtolicam iter arriperent hoc negocium proſecuturi; Qui ad regem venientes ut ex voluntate illius proficiſcerentur, promiſerunt ei jurantes quod modis omnibus procurarent poſtulationem *Norwycenſis* à domino Papa confirmari; & ab ipſo rege magna accepta pecunia profecti ſunt; Quibus in curia conſtitutis, caſſatur electio ſubprioris, & datur licentia illis xiiij. iterum eligendi in curia. Qui ſedentes iterato poſtularunt *Norwycenſem* epiſcopum, & iratus Papa eo quod colluſionem audierat, poſtulationem eorum & vota non admiſit, ſet eos ſuſpendit quantum ad vicem hanc Qui videntes ſe quaſi deprehenſos pœnitentia ducti confeſſi ſunt ſe regi juraſſe de *Norwycenſi* epiſcopo poſtulando, & veniam depoſcentes arbitrio domini Papæ humiliter ſe ſubmiſerunt; Papa vero non ſecundum meritum, ſet ſecundum clementiam agens, eos benigne abſolvit & conſuluit ut magiſtrum *Stephanum de Langeton*, ſibi in patrem eligerent & paſtorem, virum utique literaturæ magnæ & bonitatis immenſæ. Qui ſano adquieſcentes conſilio eligunt eum, & confeſtim à Papa confirmatus eſt, & cito poſt conſecratus; Quæ cum ad audientiam regis abſque dilatione deveniſſent, turbatus eſt & excandeſcens in iram illos xiiij. monachos regno ſuo perpetuo proſcripſit, ſub pœna capitis interdicens eis reditum in terram ſuam; Monachos eciam cæteros à clauſtro ejecit, committens curam ejuſdem domus mercatoribus *Brabantinis*, qui reſponderent ei de exitibus univerſis; Cæteroſque clericos ejuſdem provinciæ male tractavit, & univerſos Dei miniſtros exoſos habuit nulla flexus pietate vel miſericordia. Quibus domino Papæ nunciatis, ſcripſit ei Papa, filialiter ortans & monens vice trina, ut ab oppreſſionibus hujuſmodi pœnitentia ductus reſiliret, alioquin durius procederetur in eum; At ille continuando errorem proceſſit de malo in pejus; Propter quod dominus Papa ſententiam excommunicationis tulit in eum & in omnes fautores, & totam terram *Anglicanam* eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto; Incepitque hoc Interdictum generale à prima dominica paſſionis Domini anno ejuſdem M.CC.viij. quæ fuit eodem anno, x. kalendarum Aprilis, & duravit ſex annis continuis & uno menſe, nilque fiebat in ſancta matre eccleſia niſi parvulorum baptiſma, & confeſſiones morientium. Corpora tamen eorum extra cimiterium ſepulta ſunt; & memoriale hoc non duravit in ſecula. Hujus autem interdicti executores, *Londonienſem* ſcilicet, *Wygornienſem* & *Helienſem* epiſc. egit ipſe rex in exilium, & multa alia mala inſtigante diabolo perpetravit.

An. Dñi
1208.

Ciſtrenſis.

Poſt hoc circa nativitatem ſancti *Iohannis* tranſfretavit rex *Iohannes* in *Normanniam*, ubi captæ ſunt treugæ inter reges *Angliæ* & *Franciæ*, ac juramento & ſcripto firmatæ, quod quis illorum pacem illam prius infringeret, homines illius à fidelitate abſolverentur & ad alterum regem converterentur. Set cum poſtmodum rex *Iohannes* occideret *Arthurum* nepotem ſuum, rex *Franciæ* occupavit multas terras tranſmarinas. Hoc quoque anno Comes *Flandriæ* devenit homo legius regis *Iohannis*, & rex *Franciæ* fecit *Arthurum* militem, accipiendo ab illo homagium pro terris *Andegaviæ*, *Cenomanniæ*, *Pictaviæ*, *Turoniæ*, *Britanniæ minoris* & *Normanniæ*. Eo quoque anno ſolenniter divortiatum eſt inter regem *Iohannem* & uxorem ſuam filiam Comitis *Gloverniæ* propter conſanguinitatem in tertio gradu, & accepit rex de conſilio regis *Franciæ Iſabellam* filiam Comitis de *Engoliſmo*, ex qua genuit *Henricum*, *Ricardum* ducem *Cornubiæ*; & tres filias, & ſtatim accepit tributum per totam *Angliam*, videlicet de qualibet hida, id eſt carrucata terræ, iij. s. & rediit in *Normanniam*. Quo in tempore *Ranulphus* iij. Comes *Ceſtriæ* exemplo forſan regis ductus reliquit uxorem ſuam *Conſtantiam* Comitiſſam *Britanniæ*, quam dudum de conſilio regis *Henrici* duxerat, & copulavit ſibi *Conſtantiam* filiam *Radulphi* de *Fengere*; Qua de cauſa ut putatur meruit ſine prole decedere. Hoc anno ſicut creditur *Tartarorum* dominatus incepit; Hii nempe ſub montibus *Indiæ* in regione *Tartara* conſtituunt dominū ſuum regē *Indiæ David* filium presbyteri occidentis, ad rapinas & deprædationes aliarum nationum proceſſerunt. Hoc eciam anno *Francigenæ* ceperunt urbem *Conſtantinopolim*, in qua conſtituerunt Imperatorem *Baldewynum* Comitem *Flandriæ*; Cujus urbis captionem accolæ vicini vix credere etiam poſt multos dies potuerunt tum propter urbis fortitudinem, tum propter antiquam prophetiam qua prædictum fuerat, illam urbem capi non poſſe niſi per *Angelum*. Set hoſtibus per murum ubi erat Angelus depictus intrantibus, indigenæ per æquivocationem *Angeli* ſe deceptos cognoverunt.

Iohannes.

Fredericus ij. imperavit xxxiij. annis. Hic coronatus ab *Honorio* Papa primo fovit eccleſiam tanquam matrem, ſet poſtmodum tanquam novercam ſpoliavit; Quapropter *Honorius* ipſum excommunicavit, & omnes ab ejus fidelitate abſolvit; Quam quidem ſententiam *Gregorius* ix. innovavit. Iſte *Fredericus Henricum* filium ſuum proprium *Alemanniæ* regem carceris ſqualore ſuffocavit; Prælatos quos *Gregorius* ix. ad Concilium generale vocaverat capi fecit, & durante ſententia qua innodatus fuerat terram ſanctam adiit, majorem ibidem relinquens deſolationem quam conſolationem. Tandem à Papa *Innocentio* iiij. depoſitus eſt, & dum quandam *Italiæ* urbem obſideret, amiſſis theſauris per legatum Papæ uſque in *Apuliam* fugatus eſt, ubi infirmatus obiit. Eo tempore tantæ pluviæ, tonitrus & grandines ceciderunt, ut lapides ad quantitatem ovorum quadranguli mixti cum pluvia de cœlo deſcenderent, quibus arbores, vineæ, ſegetes multum ſunt deſtructæ, homines ſunt contriti, & aves per aera volantes viſæ ſunt carbones ignitos in roſtris deferre & domos incendere. Apud *Londoniam* ſanctus *Hugo Lincolnienſis* epiſcopus obiit apud *vetus Templum*, ſet apud *Lincolniam* eſt ſepultus. Ad cujus funerationem occurrerunt legatus Papæ, tres archiepiſcopi, ſcilicet *Cantuarienſis*, *Dunelmenſis* & *Raguenſis*; xiij. epiſcopi, duo reges, ſcilicet *Angliæ*, & *Scotiæ*, qui tunc ibidem advenerat ut juraret fidelitatem ſuper crucem *Huberti* archiepiſcopi & homagium faceret regi *Iohanni*. Quo die ſanata eſt mulier per vij. annos cæca; & quidam burſarum inciſor in incidendo incurrit manus contractionem, donec per orationem cleri & populi liberaretur. Hic fuit natione tranſmarinus, apud **Wycham** juxta *Sariſbiriam* Prior *Cartuſienſis* effectus, deinde *Lincolnienſi* epiſcopatui præfectus. Qui dum inſtallaretur apud *Lyncolniam* & equus ejus ratione inſtallationis per archidiaconum loci peteretur

tur

Ricard. I.

ſpeculum Miſſæ, Conſtitutiones quamplurimas. Iſte dampnavit libellum Abbatis *Joachim* quem contra magiſtrum *Petrum Lumbardum* auctorē Sententiarum ediderat. Dampnavit eciam *Almaricum Carnotenſem* epiſcopum in ſua doctrina hæretica. Hoc eciam anno mortuo Imperatore Principes *Alemanniæ* diſcordabant. Nam aliqui *Othonem*, aliqui *Philippum* fratrem *Henrici* quinti elegerunt. Tandem *Philippo* doloſe occiſo, *Otho* coronatur ab *Innocencio* Papa in *Francia*. Qui ſtatim pugnavit cum *Romanis* propter non exhibitum honorem, & inde contra Papæ voluntatem abſtulit regnum *Apuliæ* à *Frederico*, qua de cauſa à domino Papa excommunicatus eſt. Inde quarto anno regni ſui Principes *Alemanniæ Fredericum* erexerunt in Imperatorem; qui victorioſe triumphavit de *Othone*.

Anno gratiæ M.C.lxxxxix.

An. Dñi 1199.

HOc ultimo anno regis *Ricardi Widomarus* vicecomes *Lomovicenſis* in *Britannia minore* homo regis *Angliæ* invento immenſo theſauro auri & argenti in fundo ſuo, miſit magnam theſauri partem regi *Ricardo*, ſet ille recuſavit, dicens, ſe totum habere debere de jure dominationis ſuæ, quod tamen alius recuſavit. Obſedit igitur rex caſtrum vicecomitis, quod vocabatur *Caluz*, putans ibi theſaurum ineſſe: Cui miniſtri Caſtri exeuntes optulerunt regi caſtrum cum contentis, ſalvis eiſdem vita membris & armis; renuit rex, imponens illis ut redeuntes viriliter ſe defendant. Cum igitur rex die quadam & Dux *Brabanciæ* circuirent caſtrum, ut infirmiora explorarent, quidam arcubaliſta *Bertramus Gurdon* telo regem in brachio vulneravit; Quare præcepit rex omnino, ut caſtrum caperetur, & omnes intus ſuſpenderentur, excepto ſuo vulneratore; Quod & factum eſt. Cum igitur extracto teli ligno ſet manente ferro, ex venarum & nervorum inſciſione nono poſt hoc die rex eſſet moriturus, advocari fecit vulneratorem ſuum ſic inquiens, Quid umquam mali tibi feci quod me ad mortem vulneraſti? Et ille. Patrem meum & duos fratres meos occidiſti, & me modo occidere voluiſti, placet mihi quamcumque pœnam ſubire dummodo tu occumbas. Tunc juſſit rex eum libere abire, dans illi centum ſolidos ſterlingorum. Set poſt regis obitum fecit Dux *Brabanciæ* eum excoriatum ſuſpendi. Mortuo igitur *Ricardo* vij. idus Aprilis corpus ejus in tres partes diviſum in tribus locis ſepelitur, unde quidam metricus ſic ait.

Verſus.

Viſcera Carleolum, *corpus fons ſervat* Ebrardi,
  Et cor Rotomagum, *magne* Ricarde, *tuum.*
In tria dividitur unus, quia plus fuit uno,
  Nec ſupereſt uno gratia tanta viro.
Chriſte *tui calicis prædo fit præda* Calucis,
  Ære brevi deicis qui tulit æra crucis.
Hic Ricarde *jaces, ſet mors ſi cederet armis*
  Victa timore tui cederet arma tuis.

Obiit igitur rex *Ricardus* x. anno regni ſui in *Normannia*.

Leyceſtrenſis.

Septimo kalendarum *Aprilis*, & juxta patrem ſuum *Henricum* apud fontem *Ebrardi* ſepulta eſt pars ejus corporis anno gratiæ M.C.lxxxxix.

Johannes.

Iohannes frater ejus ſciens ſe non admitti ad regnum *Angliæ* à magnatibus terræ *Anglicanæ*, cum propinquiorem haberent regni ſucceſſorem, *Arthurum* ſcilicet filium fratris ſui ſenioris *Galfridi* quondam Ducis *Britanniæ*, cum adhuc eſſet in *Aquitania* comprehenſum puerum dolo tenuit, & occidit per manum armigeri ſui *Petri de malo Lacu*, cui poſtea hæredem Baroniæ de *Mulgref* dedit in uxorem, loco mercedis iniquæ. Reverſus *Johannes* in *Angliam* à populo terræ ſuſceptus eſt, & die Aſſūptionis Domini anno ejuſdem M.C.lxxxxix. apud *Weſtmonaſterium* per *Hubertum Cantuarienſem* archiepiſcopum ſolenniter in regem conſecratus vj. ſcilicet kalendarum Junii.

Ciſtrenſis cap. 32.

Succeſſit regi *Ricardo* ſine liberis obeunti frater ſuus *Iohannes* dictus *ſine terra*, qui ſ[illegible]m occupavit theſauros regis *Ricardi* apud *Chinonem*, & miſit *Hubertum* archiepiſcopum ad componendum res in *Anglia*. Set *Thomas de Torneya* tradidit *Andegaviam Arthuro* filio ſenioris fratris *Galfridi* Duci *Britanniæ*, ubi convenientes proceres *Andegaviæ*, *Cenomanniæ*, & *Turoniæ* adhæſerunt *Arthuro* ſecundum conſuetudinem terræ illius, ubi filius fratris ſenioris ſuccedit patri ſi primogenitus decedit ſine filio. *Conſtantia* vero relicta *Galfridi* ac Comitiſſa *Britanniæ* tradidit cuſtodiam filii ſui *Arthuri* necnon & hæreditatis ſuæ regi *Franciæ*, ſet *Iohannes* cito ſubvertit *Cenomanniam* quia adhæſerat *Arthuro*. Deinde in Paſchate *Iohannes* accinctus eſt gladio ducatus *Normanniæ* apud *Rotomagum*, & in Aſcenſione Domini coronatus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium* ab *Huberto Cantuarienſi* epiſcopo; Quo die *Iohannes* rex fecit *Hubertum* eſſe ſuum Cancellarium; Cui de hoc officio nimis poſtmodum glorianti, ait quidam, Domine non deberes gloriari de jugo ſervitutis, Audivimus enim de Cancellario archiepiſcopum factum, ſet non è converſo.

Leiceſtrenſis

Secundo anno regni ſui miſit rex *Philippum Dunelmenſem* epiſcopum, & *Rogerum Bigot* cum literis ſuis patentibus de ſalvo conductu & reditu ad *Willielmum* regem *Scotorum*, de cujus fide hæſitavit, ſtatuens ei diem certum & locum, apud *Lyncolniam* ſcilicet in craſtino ſancti *Edmundi* regis & martyris, veniendi ad ſe & homagium faciendi abſque omni prorogatione vel cavillatione. Qui accepto hujuſmodi mandato ad diem properavit eundem, & in die ſanctæ *Ceciliæ* virginis, x. ſcilicet kalendarum *Decembris* qui fuit eodem anno feria quarta, ſupra montem extra civitatem *Lincolniæ* coram optimatibus utriuſque regni & omni populo, fecit regi *Iohanni* homagium ſolenniter, fidelitatemque juravit ſuper crucem *Huberti Cantuarienſis* archiepiſcopi, & de pace conſervanda ſibi & regno ſuo. Quibus peractis in ſolenni convivio receperunt ſe, & lætatus eſt uterque populus gaudio magno, & poſt dies aliquot dimiſſus eſt in terram ſuam cum honore immenſo. Acta ſunt hæc in anno Domini M.CC. die quo ſupra; rex vero *Iohannes* in ſuperbia erectus & mentem regis exuens animum leonis induit, ſectando luxuriam, avaritiam & omnem animi ſui voluptatem.

An. Dñi 1200.

1205.

Anno Domini M.CC.v. obiit *Hubertus Cant.* archiepiſcopus, poſt cujus mortem monachi *Cantuarienſes* eligendi licentiam à rege petierunt, & optinuerunt. Rogavit tamen rex pro *Norwycenſi* epiſcopo ut ſi poſſibile eſſet ſaltem ſuis precibus poſtularetur hac vice. Adveniente autem electionis die, quidam ex monachis preces regias amplectentes eundem *Norwycenſem* poſtularunt. Alii vero ſecundum Deum procedentes ſubpriorem ejuſdem domus elegerunt, & diſſenſione facta inter fratres, utra-

Johannes.

utraque pars pro ſuo electo ad ſedem apoſtolicam appellarunt; Unde electi ſunt hinc & inde xiiij. monachi qui ad ſedem apoſtolicam iter arriperent hoc negocium proſecuturi; Qui ad regem venientes ut ex voluntate illius proficiſcerentur, promiſerunt ei jurantes quod modis omnibus procurarent poſtulationem *Norwycenſis* à domino Papa confirmari; & ab ipſo rege magna accepta pecunia profecti ſunt; Quibus in curia conſtitutis, caſſatur electio ſubprioris, & datur licentia illis xiiij. iterum eligendi in curia. Qui ſedentes iterato poſtularunt *Norwycenſem* epiſcopum, & iratus Papa eo quod colluſionem audierat, poſtulationem eorum & vota non admiſit, ſet eos ſuſpendit quantum ad vicem hanc Qui videntes ſe quaſi deprehenſos pœnitentia ducti confeſſi ſunt ſe regi juraſſe de *Norwycenſi* epiſcopo poſtulando, & veniam depoſcentes arbitrio domini Papæ humiliter ſe ſubmiſerunt; Papa vero non ſecundum meritum, ſet ſecundum clementiam agens, eos benigne abſolvit & conſuluit ut magiſtrum *Stephanum de Langeton*, ſibi in patrem eligerent & paſtorem, virum utique literaturæ magnæ & bonitatis immenſæ. Qui ſano adquieſcentes conſilio eligunt eum, & confeſtim à Papa confirmatus eſt, & cito poſt conſecratus; Quæ cum ad audientiam regis abſque dilatione deveniſſent, turbatus eſt & excandeſcens in iram illos xiiij. monachos regno ſuo perpetuo proſcripſit, ſub pœna capitis interdicens eis reditum in terram ſuam; Monachos eciam cæteros à clauſtro ejecit, committens curam ejuſdem domus mercatoribus *Brabantinis*, qui reſponderent ei de exitibus univerſis; Cæteroſque clericos ejuſdem provinciæ male tractavit, & univerſos Dei miniſtros exoſos habuit nulla flexus pietate vel miſericordia. Quibus domino Papæ nunciatis, ſcripſit ei Papa, filialiter ortans & monens vice trina, ut ab oppreſſionibus hujuſmodi pœnitentia ductus reſiliret, alioquin durius procederetur in eum; At ille continuando errorem proceſſit de malo in pejus; Propter quod dominus Papa ſententiam excommunicationis tulit in eum & in omnes fautores, & totam terram *Anglicanam* eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto; Incepitque hoc Interdictum generale à prima dominica paſſionis Domini anno ejuſdem M.CC.viij. quæ fuit eodem anno, x. kalendarum Aprilis, & duravit ſex annis continuis & uno menſe, nilque fiebat in ſancta matre eccleſia niſi parvulorum baptiſma, & confeſſiones morientium. Corpora tamen eorum extra cimiterium ſepulta ſunt; & memoriale hoc non duravit in ſecula. Hujus autem interdicti executores, *Londonienſem* ſcilicet, *Wygornienſem* & *Helienſem* epiſc. egit ipſe rex in exilium, & multa alia mala inſtigante diabolo perpetravit.

An. Dñi 1208.

Ciſtrenſis.

Poſt hoc circa nativitatem ſancti *Iohannis* tranſfretavit rex *Iohannes* in *Normanniam*, ubi captæ ſunt treugæ inter reges *Anglia* & *Franciæ*, ac juramento & ſcripto firmatæ, quod quis illorum pacem illam prius infringeret, homines illius à fidelitate abſolverentur & ad alterum regem converterentur. Set cum poſtmodum rex *Iohannes* occideret *Arthurum* nepotem ſuum, rex *Francia* occupavit multas terras tranſmarinas. Hoc quoque anno Comes *Flandriæ* devenit homo legius regis *Iohannis*, & rex *Franciæ* fecit *Arthurum* militem, accipiendo ab illo homagium pro terris *Andegaviæ*, *Cenomanniæ*, *Pictaviæ*, *Turoniæ*, *Britanniæ minoris* & *Normanniæ*. Eo quoque anno ſolenniter divortiatum eſt inter regem *Iohannem* & uxorem ſuam filiam Comitis *Gloverniæ* propter conſanguinitatem in tertio gradu, & accepit rex de conſilio regis *Francia Iſabellam* filiam Comitis de *Engoliſmo*, ex qua genuit *Henricum*, *Ricardum* ducem *Cornubiæ*, & tres filias, & ſtatim accepit tributum per totam *Angliam*, videlicet de qualibet hida, id eſt carrucata terræ, iij. s. & rediit in *Normanniam*. Quo in tempore *Ranulphus* iij. Comes *Ceſtriæ* exemplo forſan regis ductus reliquit uxorem ſuam *Conſtantiam* Comitiſſam *Britanniæ*, quam dudum de conſilio regis *Henrici* duxerat, & copulavit ſibi *Conſtantiam* filiam *Radulphi* de *Fengere*; Qua de cauſa ut putatur meruit ſine prole decedere. Hoc anno ſicut creditur *Tartarorum* dominatus incepit; Hii nempe ſub montibus *Indiæ* in regione *Tartara* conſtituunt dominū ſuum regē *Indiæ David* filium preſbyteri occidentis, ad rapinas & deprædationes aliarum nationum proceſſerunt. Hoc eciam anno *Francigenæ* ceperunt urbem *Conſtantinopolim*, in qua conſtituerunt Imperatorem *Baldewynum* Comitem *Flandriæ*; Cujus urbis captionem accolæ vicini vix credere etiam poſt multos dies potuerunt tum propter urbis fortitudinem, tum propter antiquam prophetiam qua prædictum fuerat, illam urbem capi non poſſe niſi per *Angelum*. Set hoſtibus per murum ubi erat Angelus depictus intrantibus, indigenæ per æquivocationem *Angeli* ſe deceptos cognoverunt.

Johannes.

Fredericus ij. imperavit xxxiij. annis. Hic coronatus ab *Honorio* Papa primo fovit eccleſiam tanquam matrem, ſet poſtmodum tanquam novercam ſpoliavit; Quapropter *Honorius* ipſum excommunicavit, & omnes ab ejus fidelitate abſolvit; Quam quidem ſententiam *Gregorius* ix. innovavit. Iſte *Fredericus Henricum* filium ſuum proprium *Alemanniæ* regem carceris ſqualore ſuffocavit; Prælatos quos *Gregorius* ix. ad Concilium generale vocaverat capi fecit, & durante ſententia qua innodatus fuerat terram ſanctam adiit, majorem ibidem relinquens deſolationem quam conſolationem. Tandem à Papa *Innocentio* iiij. depoſitus eſt, & dum quandam *Italiæ* urbem obſideret, amiſſis theſauris per legatum Papæ uſque in *Apuliam* fugatus eſt, ubi infirmatus obiit. Eo tempore tantæ pluviæ, tonitrus & grandines ceciderunt, ut lapides ad quantitatem ovorum quadranguli mixti cum pluvia de cœlo deſcenderent, quibus arbores, vineæ, ſegetes multum ſunt deſtructæ, homines ſunt contriti, & aves per aera volantes viſæ ſunt carbones ignitos in roſtris deferre & domos incendere. Apud *Londoniam* ſanctus *Hugo Lincolnienſis* epiſcopus obiit apud *vetus Templum*, ſet apud *Lincolniam* eſt ſepultus. Ad cujus funerationem occurrerunt legatus Papæ, tres archiepiſcopi, ſcilicet *Cantuarienſis*, *Dunelmenſis* & *Raguenſis*; xiij. epiſcopi, duo reges, ſcilicet *Angliæ*, & *Scotiæ*, qui tunc ibidem advenerat ut juraret fidelitatem ſuper crucem *Huberti* archiepiſcopi & homagium faceret regi *Iohanni*. Quo die ſanata eſt mulier per vij. annos cæca; & quidam burſarum inciſor in incidendo incurrit manus contractionem, donec per orationem cleri & populi liberaretur. Hic fuit natione tranſmarinus, apud **Wytham** juxta *Sariſbiriam* Prior *Cartuſienſis* effectus, deinde *Lincolnienſi* epiſcopatui præfectus. Qui dum inſtallaretur apud *Lyncolniam* & equus ejus ratione inſtallationis per archidiaconum loci peteretur

Iohannes. tur, dixit, ſe malle epiſcopatui cedere quam quicquam tali ex cauſa dare. Ad manum ejus ſolebant volatilia cibum quærere.

Eo tempore venit in *Angliam Euſtachius* Abbas de *Flai* prædicare verbum Dei, & fecit multa miracula; Inter quæ benedixit fontem de **Wy** juxta *Cantuariam*, de quo potantes receperunt ſoſpitatem; Nam & mulier dæmonaica ibidem bibens evomuit duos nigros buſones, qui cito converſi ſunt in canes, deinde in grandes aſinos, qui aſcendentes in aera fœda poſt ſe veſtigia reliquerunt. Effecit *Euſtachius* iſta prædicatione ut multi uſuras dimitterent, mercata per diem dominicum non tenerent, ut lumen indeficiens ante corpus dominicum in eccleſiis haberent, ut proceres diſcum elemoſynarum in menſa haberent. Ipſi tandem *Euſtachio* aliqui Prælatorum invidentes dixerunt, Non licet tibi falcem ponere in meſſem alienam. Quibus ille dixit, *Meſſis quidem multa ſet operarii pauci.* Et ſic deceſſit in *Normanniam.* Hoc quoque anno menſe Decembris in provincia *Eboracenſi* apparuerunt v. lunæ in cœlo. Prima in oriente. Secunda in occidente. Tertia in Auſtro. Quarta in Aquilone. Quinta in medio cœli circuiens ſexies illas iiij. lunas quaſi per unam horam, & tandem evanuit.

Ciſtrenſis cap. 33. Rex *Iohannes* ad vincula ſancti *Petri* apud caſtrum de *Myrabell* cepit & occidit nepotem ſuum *Arthurum*, & ſororem ejus *Alienoram* apud *Briſtolliam* perpetuo carcere mancipavit. Qua de cauſa tanquam propter feloniam commiſſam, rex *Franciæ* occupavit *Normanniam, Britanniam, Pictaviam, Andegaviam*, & *Cenomanniam.*

CAP. XV.

Anno quinto Innocentii *tercii.*

ORdo fratrum prædicatorum incepit in *Toloſanis* partibus ſub duce *Dominico*, ſet non potuit confirmari ante primum annum *Honorii.* Hiems aſperrima à circumciſione uſque ad Annunciationem inhorruit. Rex *Iohannes* dedit filiam ſuam *Lewlino* Principi *Walliæ* in uxorem, & cum ea dedit caſtellum & totum territorium de **Elleſmer** in confinio *Walliæ.* Hoc anno mortuo *Huberto Cantuarienſi* archiepiſcopo fit magna diſſenſio in eccleſia *Cantuarienſi*, aliis ſubpriorem, aliis *Norwycenſem* epiſcopum juſſu regis eligentibus; ſet *Innocentius* Papa utriuſque electionem caſſavit, & *Stephanum de Langeton* conſecravit. Canes & maſtivi per omnes foreſtas *Angliæ* occiduntur. Apud *Sowtwalliam* in terra *Norgani* apparuit in ſomnis magiſtro *Mauricio* miles quidam, cum quo alternis verſibus nunc incipiendo nunc finiendo colludebat, Qui & dixit, Magiſter *Maurici* volo ut finias hunc verſum

Deſtruet hoc regnum rex regum———

Cui ille, Immo finias tu qui fere verſum conſummaſti. At miles. Quia ſenex es ac hebes ut video ſic finies,

Deſtruet hoc regnum rex regum duplice plaga.

Eo tempore natus eſt regi *Iohanni Henricus* primogenitus ſuus, ex *Iſabella*, de qua genuit iſtum *Henricum*, & *Ricardum* Comitem *Cornubiæ*, iij. quoque filias, ſcilicet *Iſabellam* Imperatricem, *Alienoram* quæ nupſit primo *Willielmo* Mareſcallo Comiti de *Penbrock*, & poſtmodum *Simoni de Monte forti* Comiti *Leyceſtrenſi* qui genuit ex ea ſex liberos. Tertia filia *Iohanna* nupſit regi *Scotiæ*. *Iohannes.* Incepit interdictum *Angliæ* per vij. annos continue duraturum, eo quod rex *Iohannes*, *Stephanum de Langeton Cantuarienſem* archiepiſc. per Papam conſecratum omnino recuſavit. Priorem & monachos *Cantuarienſes* profugavit, bona eorum confiſcavit: Qua de cauſa Papa homines *Iohannis* ab ejus fidelitate abſolvit, ſcripſitque confinibus regibus ut in *Iohannem* inſurgerent.

Leyceſtrenſis. Rex *Iohannes* fecit confiſcari in manus ſuas omnes poſſeſſiones epiſcoporum, clericorum, Abbatum, Priorum totius regni *Angliæ*, & præcepit quod ſi quis aliquam bullam à Papa miſſam reciperet, ad præſentiam regis duceretur.

Ciſtrenſis. *Albigenſes* hæretici venerunt in *Angliam*, quorum aliqui comburebantur vivi. *Saraceni* cum xiij. millibus armatorum exceptis lotricibus lx. de *Affrica* venerunt, & occupaverunt magnam partem *Hiſpaniæ*, unde Papa *Innocentius* miſit nuncios ad diverſas nationes pro ſubſidio terræ ſanctæ; Nam *Saraceni* erexerant munitiones in monte *Thabor* ad debellandum *Acram*.

Hoc etiam anno ſanctus *Franciſcus* incepit ordinem *Fratrum minorum* juxta *Aſſiſium.* Rex *Franciæ* cum copioſo exercitu littora *Normanniæ* contra regem *Johannem* occupavit. *Pandulfus* Papæ legatus *Angliam* venit, regem *Johannem* de parendo *Romanæ* eccleſiæ convenit diſtricte, rex autem videns undecunque periculum ſibi imminere tum per regem *Franciæ* tum per proceres ſuos qui per ſcripta ſua regi *Franciæ* ſe devinxerant, totum regnum ſuum *Angliæ* & *Hiberniam* pro ſe & hæredibus ſuis Papæ *Innocencio* ejuſque catholicis ſucceſſoribus in perpetuum obligavit, Ita quidem, quod ipſe & hæredes ſui deinceps forent feodarii eccleſiæ *Romanæ*, reddendo annuatim pro *Angliæ* DCC. marcas & pro *Hibernia* CCC. marcas, Ita quod ſi ipſe vel aliquis hæredum ſuorum ab hac conditione vel ſolutione deficiat, à jure regni cadat.

Ciſtrenſis. Poſt hæc *Pandulfus* receſſit, & regem *Franciæ* de *Normannia* redire coegit. *Stephanus* vero archiepiſcopus cum coexulibus ſuis *Angliam* venit, qui regem cum fautoribus ſuis in eccleſia *Wyntonienſi* abſolvit, præſtita tamen juratoria cautione de reſtitutione ablatorum facienda.

Leyceſtrenſis. Cum ab iniquo rege *Johanne* talia ut ſupradictum eſt agerentur, inſurrexerunt in eum magnates regni multiplici neceſſitate coacti, eo quod noluit permittere leges ſancti *Edwardi* teneri ſicuti ante ſolebant, ſet omnia fecit in ſuo velle nec voluit legis formam obſervare: nam quoſdam de proceribus exhæredavit ſine judicio Parium regni, & *Randulphum* bonum Comitem *Ceſtriæ* voluit exhæredaſſe quia ſæpius redarguit eum de erroribus ſuis & de dedecore quod fecit contra eccleſiam, & multorum uxores violaverat, nam in hujuſmodi nimis lubricus fuit, moventes ei quæſtionem & dicentes, Cur ita male agis ô rex, cum plebe tua? Quare legem Dei tui & ipſius mandata tranſgrederis? non enim vivimus in lege Dei ſet velut hæretici facti ſumus, in confuſionem noſtram & ſanctæ matris eccleſiæ tranſgreſſionem magnam. Nunc igitur reſipiſce aut certe pœnitebit in poſterum, quoniam hujuſmodi mala ſuſtinenda non ſunt. Timens vero ſibi rex delinivit eos verbis pacificis, & fecit eis Cartam de multis libertatibus; & ſic fuit concordatus ea vice cum eis, ſet infra breve rex venit contra Cartam factam & con-

Johannes.

concordatam, & contra articulos Cartæ ſuæ: Interea miſit nuncios ad papam, & rogavit ut in ſtatum Eccleſiæ reduci poſſet & admitti; qui ſinum matris Eccleſiæ aperiens, eo quod ſancta mater Eccleſia gremium non claudit redeunti; miſit in *Angliam* duos legatos Cardinales cum plenitudine poteſtatis, qui omnimodas Eccleſiæ cauſas & regis moleſtias ponderarent & fine debito terminarent. Venientes autem ad regem, ab eo honorifice ſuſcepti ſunt, & induxerunt eum in primis ut omnes exulantes & pro jure eccleſiæ proſcriptos ad propria revocaret & ad omnia reſtitueret. Quo facto, licet variis varia cenſentibus, antequam beneficium abſolutionis poſſet promereri de libero fecit ſe ſervum, & de dominante ſervientem, terramque *Anglicanam* quæ eſſe ſolebat libera & ab omni ſervitute quieta fecit tributariam & ancillam pediſſequam, ſubjectionemque ſuam confirmavit per ſcriptum ſuum in hæc verba conceptum.

Johannes *Dei gratia Rex* Angliæ *&c. Univerſitati veſtræ per hanc Cartam aurea Bulla noſtra munitam volumus eſſe notum, quod cum Deum & matrem noſtram ſanctam eccleſiam offenderimus in multis, & proinde divina miſericordia indigere noſcamur, nec quid quod digne offerre poſſumus pro ſatisfactione Deo & eccleſiæ facienda niſi nos ipſos habeamus & regna noſtra, volenteſque nos ipſos humiliare pro illo qui ſe pro nobis humiliavit uſque ad mortem, gratia ſancti ſpiritus inſpirante, non vi inducti aut timore coacti ſet noſtra bona & ſpontanea voluntate ac communi conſilio Baronum noſtrorum, offerimus & libere concedimus Deo & ſanctis Apoſtolis ejus* Petro *&* Paulo *& ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ matri noſtræ ac domino noſtro papæ* Innocentio *tercio ejuſque catholicis ſucceſſoribus, totum regnum* Angliæ *& totum regnum* Hiberniæ *cum omni jure ac pertinenciis pro remiſſione omnium peccatorum noſtrorum & totius generis noſtri tam pro vivis quam pro defunctis: Et ammodo illa à Deo & eccleſia* Romana *tanquam feodarius recipientes & tenentes, In præſentia venerabilis patris domini* Nicholai Tuſculanenſis *epiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, &* Pandulphi *domini papæ ſubdiaconi & familiaris, fidelitatem prædicto domino noſtro papæ* Innocentio *ejuſque catholicis ſucceſſoribus ac eccleſiæ* Romanæ *ſecundum ſubſcriptam formam fecimus & juravimus, Homagium & ligium fecimus pro prædictis regnis domino noſtro papæ* Innocentio *per manus prædicti legati loco & vice ipſius domini papæ recipientis publice; Succeſſores & heredes noſtros de uxore procreatos in perpetuum obligantes, ut ſimili modo ſummo Pontifici qui pro tempore fuerit & eccleſiæ* Romanæ *ſine contradictione debeant fidelitatem præſtare & homagium recognoſcere. Ad indicium autem hujus rei & noſtræ perpetuæ obligationis & conceſſionis noſtræ volumus & ſtabilimus ut de propriis & ſpecialibus redditibus prædictorum regnorum noſtrorum pro omni ſervicio & conſuetudine quod pro ipſa ſatisfacere debemus, ſalvo per omnia denario ſancti* Petri, *eccleſia* Romana *mille marcas ſterlingorum percipiat annuatim, ſcilicet in feſto ſancti* Michaelis *ſeptingentas marcas pro regno* Angliæ, *& trecentas pro regno* Hiberniæ; *Salvis nobis & heredibus noſtris juſticia, libertatibus & regalibus noſtris. Quæ omnia ſicut prædicta ſunt rata eſſe volentes & perpetuo obligamus firmiter nos & ſucceſſores noſtros contra non venire: Et ſi nos vel aliquis noſtrorum ſucceſſorum contra hæc aliquid attemptare præſumpſerit, quicunque fuerit ille, niſi commonitus reſipuerit, cedat à jure regni. Et ut hæc Carta obligationis & conceſſionis noſtræ ſemper firma permaneat, In ejus rei teſtimonium &c.*

Johannes.

Ego Johannes *Dei gratia rex* Angliæ *&c. Ab hac hora in antea fidelis ero Deo & beato* Petro *& eccleſiæ* Romanæ *ac domino meo* Innocentio *papæ tertio ejuſque ſucceſſoribus catholice intrantibus; nec ero in facto, dicto, conſenſu vel conſilio ut vitam perdant vel membra, vel mala captione capiantur, & dampnum eorum quod ſciverim impediam, & removere faciam ſi potero, Alioqui eis quam citius potero intimabo, vel tali perſonæ dicam quam eis credo pro certo dicturam. Conſilium quod mihi crediderint per ſe vel per nuncios ſeu per literas ſuas tenebo ſecrete & ad eorum dampnum nulli pandam, me ſciente, patrimonio beati* Petri *& ſpecialiter regni* Angliæ *& regni* Hiberniæ *adjutor ero ad defendendum & tenendum contra omnes homines pro poſſe meo. Sic me Deus adjuvet & ſancta Dei evangelia.* Sicque de libero ſervus effectus eſt, & beneficium abſolutionis apud *Wyntoniam* conſecutus, & interdicti relaxatio facta eſt ſtatim in eodem anno M.CC.xiv. ſexto nonarum Julii feria ſexta, facta prius reſtitutione cuilibet petenti. In primordiis regni ſui rex iſte *Johannes* appellatus fuit ad curiam regis *Franciæ* ſuper mortem *Arthuri* nepotis ſui filii Comitis *Britanniæ* & fratris ſui, per quemdam militem ſtrenuiſſimum parentem proximum ejuſdem *Arthuri*, & quia vocatus non comparuit, ſaiſita fuit in manu regis *Franciæ Normanniæ* hæreditas ſua, iterumque citatus cum non compareret eo quod ſciebat judicium ſibi fieri in mortem vel confuſionem, judicio Curiæ illius perdidit eam totam. *Vaſconiam* eciamcum rex *Franciæ* per ſuos occupare vellet, pervenit ille *Iohannes* & ejectis *Francis* quantum perdidit recuperavit, non tamen proceſſit ulterius ut *Normanniam* recuperaret. Anno regni ſui quaſi xj. *Willielmus* rex *Scotiæ* filiam ſuam Comiti *Flandrenſi* dedit in uxorem. Iratuſque *Iohannes* ob hoc quod cum hoſtibus ſuis fœdus iniſſet, divertit ibidem cum exercitu copioſo & cepit *Berwicum* ſuper *Twedam*, caſtrumque ibidem conſtruxit. Videnſque rex *Scotiæ* ad reſiſtendum de viribus non poſſe, emiſſis ad *Iohannem* nunciis rogavit ea quæ pacis ſunt, & adimpleta pecuniaria petitione ſua datiſque obſidibus duabus ſcilicet filiabus, non tamen *Alexandro* filio ſuo quem petierat, reverſus eſt *Iohannes Londoniam*, tenuitque ibidem parliamentum ſuum & multa mala graveſque moleſtias intulit Baronibus ſuis, qui injuriis ſuis ſe ad reſiſtendum præparaverant.

Anno vero ſequenti proceſſit rex in *Hiberniam* cum plebe maxima, ſtatuitque ibidem legem *Anglicanam* & ut omnia eorum judicia ſecundum eandem legem, vel *Anglicanam* conſuetudinem terminarentur. Reverſuſque eodem anno in *Angliam* talliavit eccleſias & *Hugonem de Lacy* & *Willielmum* de *Breans* proſcripſit in *Hiberniam*. Anno etiam xiij. regni ſui divertit in *Walliam*, & eam quaſi pro nihilo ſubjugavit, cepitque homagium *Lewlini* Principis eorum, & quibuſdam acceptis obſidibus de pueris magnatorum ibidem reverſus eſt. Anno vero ſequenti *Lewlinus* Princeps *Walliæ* reſiluit à fide ſua, Iratuſque *Johannes* continuo ſuſpendi fecit omnes pueros obſides apud *Notynghamiam*, & iterum *Leulinum* ſuæ dominationi ſubjecit.

Temporibus iſtius regis *Iohannis* inceperunt duo novi ordines *Prædicatorum* ſcilicet & *Minorum*. Ordinem vero fratrum prædicatorum incepit beatus *Dominicus* in partibus *Tholoſanis* ubi contra hæreticos prædicabat verbo & exemplo: Cumque manſiſſet ibidem x. annis prædicando & colligendo Fratres uſque ad tempus quo *Lateranenſe* Concilium debuit celebrari, cum *Fulcone Tholoſano* epiſcopo *Romam* ad Concilium generale adiit, petiitque à domino papa *Innocentio* iij. quod ordo *Prædicatorum* diceretur, & poſſet confirmari. Qui cum aliquantulum difficilem ad hæc faciendum ſe exhiberet, nocte quadam idem papa vidit in ſompnis quod *Lateranenſis* eccleſia gravem ſubito ruinam minaretur; Quod cum tremens aſpiceret, ex adverſo vir Dei *Dominicus* accurrebat, humeriſque ſuppoſitis totam illam caſuram fabricam ſuſtentabat; evigilans autem & viſionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptabat, hortans ut Fratres ſui regulam aliquam approbatam ſibi eligerent, & ad ipſum rediens confirmationem ad libitum reportaret. Regreſſus igitur verbum ſummi Pontificis Fratribus patefecit; Erant igitur Fratres tunc circiter xvij. qui invocato Spiritu ſancto regulam beati *Auguſtini* Doctoris & prædicatoris egregii ipſi pariter & re & nomine prædicatores unanimiter elegerunt, quaſdam arctioris vitæ conſuetudines quas ſibi per formam inſtitutionum obſervandas ſtatuerunt, inſuper aſſumentes. Interea *Innocentio* defuncto & *Honorio* in ſummum ſublimato Pontificem, confirmationem ordinis anno Domini M.CC.xv. à prædicto *Honorio* impetravit. Tandem vero appropinquante ſuæ peregrinationis termino, apud *Bononiam* gravi corporis infirmitate langueſcens, convocatis xij. ex Conventu teſtamentum hujuſmodi condidit, dicens, Hæc ſunt quæ vobis tanquam filiis hæreditario jure poſſidenda relinquo. *Caritatem habentes, humilitatem ſervantes, paupertatem voluntariam poſſidete.* Illud etiam qua potuit diſtrictione prohibuit ne quis umquam in ſuo ordine poſſeſſiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis & ſuam terribiliter imprecans ei qui Prædicatorum ordinem terrenarum divitiarum pulvere præſumeret maculare. Proinde ad extremam horam veniens anno Domini M.CC.xxj. dormivit in pace, ſepultuſque eſt ibidem. Ordinem vero Fratrum minorum incepit beatus *Franciſcus* in civitate *Aſſiſii*, ubi oriundus eſt. Qui cum audiret die quadam ea quæ Dominus ſuis diſcipulis ad prædicandum miſſis locutus eſt, ſtatim ad univerſa ſervanda tota virtute conſurgit. Solvit calciamentum de pedibus, tunica una ſet vili induitur, & pro corrigia mutavit funiculum. Inſtituitque Fratres juxta illam civitatem *Aſyſiam* apud ſanctam *Mariam* de *Portiuncula* anno Domini M.CC.vij. pontificatus *Innocentii* tercii anno xiv. à quo & confirmatus eſt ordo ille. Habuit eciam Fratres in *Ricardina* juxta *Bononiam* quibus contulerat manſiunculam dominus *Accurſius* magnus qui fecit novam gloſſam in jure Civili ſuper omnia v. volumina. Iſtum beatum *Franciſcum* multi nobiles & ignobiles clerici & laici ſpreta ſeculari pompa ſecuti ſunt, ejus veſtigiis adhærentes, quos pater ſanctus docuit evangelicam perfectionem adimplere, paupertatem apprehendere, & per viam ſanctæ ſimplicitatis incedere. Scripſit præterea evangelicam regulam ſibi & ſuis fratribus habitis & habendis, quam dominus papa *Innocentius* iij. confirmavit. Cumque ad dies appropinquaſſet extremos, longa infirmitate confectus ſuper nudam humum poni ſe fecit, & convocatis fratribus ſingulis manus imponens omnibus ſine fine benedixit, & inſtar cœnæ dominicæ ſingulis panis buccellam diviſit, invitabatque ut moris ſui erat omnes creaturas ad laudem mortis ſuæ quæ læta occurrit, & ad ſuum invitabat hoſpicium, dicens, Bene veniat ſoror mea mors. Ad extremam igitur horam veniens, dormivit in Domino, anno ejuſdem M.CC.xxviij. iv. die Octobris. Anno quinto præcedenti ſcilicet M. CC.xxiv. venerunt primo Fratres *Minores* in *Angliam* in feſto beati *Bartholomæi* Apoſtoli. *Prædicatores* vero prius venerant in anno Domini M.CC.xvij. Eodem tempore anno ſcilicet Domini M.CC.ix. beatus *Hugo* fit *Lincolnienſis* epiſcopus. Eodem tempore, anno ſcilicet Domini M.CC.xiij. generale Concilium celebratur quod dicitur *Lateranenſe* præſidente eodem papa *Innocentio tertio*.

Rex iſte *Iohannes* ſuam ſemper continuando tirannidem multos magnatum ſuorum ad iracundiam provocavit. Qui in ſpecie corporis candorem femineum videretur, carnis tamen munditiam non in ipſa carne tenuit in libidinem pronior, namque conjugalem modum exceſſit, & more odibili luxu femineo fretus magnatum omnium uxores & dominas concupivit, deridendo maritos eorum poſt perpetrata mala. Quod quidem extitit principium & origo univerſalis guerræ & ſeditionis magnæ; Fuit enim eodem tempore inter commenſales regis nominatiſſimus Baro & ſtrenuiſſimus miles *Euſtachius* de *Veſſy* habens uxorem pulcherrimam & caſtam, quam cum ipſe rex ultra modum concupiſceret nec ad eam attingere poſſet eo quod per dominum ſuum à conſpectu ipſius longius tenebatur & gratis, contigit dum quadam die ſimul in menſa ſederent rex & *Euſtachius*, vidit rex anulum in digito ejus, & apprehendit eum, dicens, Se habere conſimilem lapidem quem eodem artificio vellet in auro concludi. At ille nichil mali ſuſpicans accommodavit eum regi, rex vero accito confeſtim puero, miſit eum cum anulo ad uxorem *Euſtachii*, qui diceret ei ex parte ejuſdem domini ſui, ut cum omni feſtinatione veniret ad eum *Londoniam* ſi eum umquam videre vellet in vita, eo quod infirmabatur ad mortem; At illa viſo anulo confeſtim properavit credens vera eſſe quæ dicebantur ei. Contigit vero die quadam dum ſpaciatum iret dominus ejus, caſu obviavit ei, & ea viſa admirans ait, Quid agis ô domina mi? At illa rei ſeriem pandebat. Qui regis fraudem ſciens, ait, Doloſe, inquit, vocata es ut illuderet tibi rex. Fac igitur ornata in veſte tua lotrix vel meretrix ſit; quæ ingrediatur ad regem loco tui, Tu abſque ulla dilatione reverte in locum unde veniſti; Quo facto, die quadam dum fabularentur adinvicem rex & *Euſtachius*, & gloriaretur rex in operibus ſuis peſſimis, ait rex, Pulcherrimam habes ô *Euſtachi* dominam & nocturno ſilentio bene placentem. Cui *Euſtachius*, Et quomodo noſti ô rex? At ille, Cognovi jam & expertus ſum. At ille, Non eſt ita rex. Non enim habuiſti uxorem meam ſet loco ſui horrendam meretricem & lotricem. Iratuſque rex addito juramento comminatus eſt ei in mortem; & cum in eum exſurgere vellet, proſilivit ab eo; Et recedendo à rege uſque partes boriales domos regis una

cum

Johannes.

cum maneriis regiis in via demolivit, Adjunctique ſunt ei multi magnatorum, & illi præcipue quorum uxores violaverat rex: Inſurrexeruntque unanimiter in regem & creverunt in populum magnum, occupaverunt caſtra & munitiones regias, & juta regis demoliti ſunt; *Londonienſes* eciam favebant ei & populum populo addiderunt. Rex vero *Iohannes* interim congregato exercitu proſequebatur eos, & vehementiori impetu fugavit in *Scotiam*: At illi iterum animati reſiſtebant regi & retrorſum abire fecerunt, Quibuſdam enim eis favorem opemque præſtantibus & quibuſdam regi, completum eſt illud dominicum, *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*, ita enim per diſcurſum excurſumque hinc inde hoſtilibus rapinis & incendiis paulatim dilaniata & attenuata eſt *Anglia*, ut ex regno florentiſſimo infeliciſſimum videretur, & deſolatum; nam omnis regii nominis terror, immo omnis diſciplinæ publicæ vigor in ventum abierat, & ſublato legum velamine libido & luxuria æquis paſſibus currebant, maliſque cotidie crebreſcentibus *jam verſa erat in luctum eccleſiæ cithara*, & populus gemens ſub jactura multiplici ululabat. Cum igitur rex & Barones jugi diſcordia diſceptarent, quandoque partes æquabantur, quandoque præſtabat altera, Fortunæ tamen volubilitatem quantum ad exercitium ſingulare experti non ſunt quoad omnia. Tres vero Comites ſcilicet *Ceſtriæ*, *Albemariæ* & *Warwyk* obſederunt interim *montem Sorellum* per vij. ebdomadas, & ſupervenientibus Baronibus ſeceſſerunt uſque *Notynghamiam*, ubi congregato exercitu perrexerunt in *Lincolniam*, junctique regalibus qui ibidem aderant caſtrum fortiter machinis ligneis oppugnaverunt: Quod cum domina *Nicholaa* quondam domini *Gerardi Canevile* cum ſuis validiſſime defendiſſet, in fine tamen prævaluerunt regales, & optenta victoria quoſdam ex Baronibus qui ibidem aderant gladio peremerunt, & quoſdam abduxerunt captivos, civitatem ipſam ſpoliantes & cives ipſius in captivitatem redigunt. Vulgus eciam ignobile & filii *Belial* de matrice eccleſia fecerunt ſtabulum, introducentes equos & pecudes, & non verentes, ſet deturpantes præſepe Domini ſui. Quibus peractis perrexerunt regales cum captivis ſuis ad montem *Sorellum* & caſtrum illud deditione ceperunt. *Wyntoniam* eciam cum caſtro & quaſdam alias munitiones in patria adepti ſunt. In fine acies ſuas dirigentes *Londoniam* ut oppugnarent civitatem, quam tunc ingreſſi non ſunt, ſane inter partes ut dictum eſt diu multumque certatum eſt alternante fortuna, nam contra hos variis ſucceſſibus elidebat. In quodam enim conflictu apud *Caſtrum Barnardi* corruit ille nobilis vir *Euſtachius de Veſcy*. Videntes autem Barones ſe non proficere ad votum, mutuo loquebantur adinvicem dicentes, Quid faciemus de iſto rege iniquo? ſi ſic dimiſerimus eum delebit nos & populum noſtrum. Expedit igitur ut deleatur à ſolio regni ſui, Nolumus enim de cætero eum regnare ſuper nos: unde communicato conſilio miſerunt nuncios ad *Lodowicum* filium regis *Franciæ*, rogantes ut cum omni feſtinatione veniret & regnaret ſuper eos, promittentes in primo adventu ſuo civitatem *Londonienſem* ſe ei liberare, & homagia & fidelitates ei facere & jurare: Qui coronam *Angliæ* ſitiens & ad tantam dignitatem anhelans, cum immenſo exercitu regnum *Angliæ* hoſtiliter ingreſſus eſt. Piratæ tamen regis multos ex ſuis & magnates aliquos in mari peremerunt. Occurreruntq; ei multi Barones ſet non omnes, & eum cum immenſo gaudio ſuſceperunt, homagium facientes & fidelitatem jurantes: In primo autem adventu ſuo velut agnus mitiſſimus conſilio Baronum uſus eſt; ſet introducta ſuorum potentia de qua confidebat, non tantum conſilium ſet & perſonas *Anglorum* ſprevit & contempſit. Optimates eciam ſui deridebant, & illudebant magnatibus terræ, & in tantam ſuperbiam erecti ſunt, quod per potentiam propriam vellent opprimere & habere, Vaſtaveruntque igne & gladio per dietas non modicas uſque dum venerunt *Lincolniam*; Indignatique magnates terræ receſſerunt ab eo, neſcientes tamen qua parte ſe diverterent, eo quod perſonam regis haberent exoſam; Et rex *Iohannes* miſit ultra mare & fecit venire tantam multitudinem *Normannorum*, *Picardorum*, *Flandricorum* quod vix tota terra *Anglia* eos potuit receptare & ſuſtinere; Et inter quos erat unus tirannus facundus de *Eierent*, qui neque Eccleſiis neque Religioſis parcebat, ſet omne malum quod potuit exercuit. Iſte *Iohannes* in principio regni ſui inter reges monarchales liberrimus fuit, & merito ſuo proprio miſit regnum *Angliæ* ſub tributo, & quando cœpit regnare devenit nimis ſingularis & mirabilis in actibus ſuis, & tranſiit in *Normanniam*, & bellavit contra regem *Franciæ*, donec perdidit *Normanniam*, *Andegaviam* quæ nunquam poſtea fuerant recuperata. In ejus tempore fuerunt proviſi articuli magnæ Cartæ ad communem profectum regni. Iſte quoque *Iohannes* fuit primus rex *Angliæ* qui umquam dotavit v. portus *Angliæ* de libertatibus & conſuetudinibus quas uſque ad moderna tempora clamant tenere pro ſequela navigii ad quod eodem tempore ſe perpetuo regi *Iohanni* obligaverunt, & hæredes ſuos invenire quando & quo tempore guerræ rex habeat neceſſitatem de eis; videlicet, quinque portus antedicti rationaliter præmuniti quociens rex mandaverit eis octoginta naves defenſabiles propriis ſuis expenſis per xl. dies, & capient deinceps ſtipendia à rege. Et hæc fuit cauſa principalis hujus dotationis propter magnam neceſſitatem quam habuit de navigio ad paſſagium ſuum in *Normanniam* quam illo tempore perdidit, ut antedictum eſt, cauſa cujus dotationis adhuc clamant liberiores eſſe præ cæteris portubus omnibus regni *Angliæ*.

Johannes.

Ciſtrenſis.

Circa hos dies rex *Iohannes* fecit diſtrahi & ſuſpendi quendam ſanctum virum nomine *Petrum de Pontefracto*, pro eo quod dixerat ei multa infortunia propter crudelitates & fornicationes affutura, & eciam quia prædixerat ei, quod xiv. annis regnaret, cum tamen xviij. pene regnaverat annis: Ignorans in hoc quod xiv. annis libere tantum regnaret, ſet tribus annis non libere, quia ſub tributo papali. Iſti *Petro* bis apud *Eboracum* & ſemel apud *Pontemfractum* apparuit Chriſtus in forma pueri inter manus ſacerdotis inſufflans in eum, & ter dicens, Pax, pax, pax. Docuitque eum multa quæ poſtmodum enarravit Pontificibus & populis male viventibus. Raptus eſt eciam aliquando in mentis exceſſu per iij. dies & noctes, ubi vidit gaudia bonorum & pœnas reproborum. In vigilia ſancti *Andreæ* rex *Iohannes* cepit caſtellum *Ronceſtra*, ubi multi nobiles qui contra eum conſpiraverant inerant. *Lodowicus* frater regis *Franciæ*, ad rogatum procerum *Angligenarum* venit in *Angliam*, cui factæ ſunt fidelitates ut prædictum eſt ab *Anglis* & *Francis* &

eciam

Iohannes. eciam ab ipſo rege *Scotorum* apud **London**, ſet *Gualo* legatus papæ in *Anglia* tunc exiſtens excommunicavit *Lodovicū* cum ſuis fautoribus. Set *Lodov.* nichilominus cepit *Wyntoniam* & obſedit *Dovoriam* et *Wyndiſorā*.

Innocentius papa obiit, *Honorius* xiij. ſucceſſit x. annis, viij. menſibus. Qui primo ſui anno confirmavit ordinem *pradicatorum fratrum*. Nam & *Innocentius* iij. difficilem ſe in hoc exhibuerat.

Leyceſtrenſis. Iſte *Iohannes* male venit ad regnum, nam *Arthurum* de *Britannia* filium *Godfridi* fratris ſui doloſe occidit, qui jure hæreditario debuit habuiſſe coronam regni *Anglia* poſt mortem *Ricardi* avunculi ſui; Et ſororem *Arthuri* tenuit in carcere apud *Briſtollum* ad totam vitam ſuam.

Ciſtrenſis. Rex *Iohannes* xvij. regni ſui anno & ſexto menſe obiit apud **Newerk** morbo diſſenterico die ſancti *Kalixti* papæ, ſet apud **Croghton** monaſterium ordinis *Pramoſtracenſis* exenteratus eſt, & apud *Wygorniam* in medio chori monachorum ſepultus. Tradit tamen vulgata fama quod apud monaſterium de **Swynhenede** alborum monachorum intoxicatus obiit. Juraverat enim ibidem ut aſſeritur prandens quod panem tunc obolum valentem faceret infra annum ſi viveret xij. denarios valere. Quod audiens unus de converſis fratribus loci illius, venenum confecit, regi porrexit, ſet & ipſe ſumpto prius viatico catholico ſimul cum rege interiit.

Leyceſtrenſis. Rex ipſe *Iohannes* ad monaſterium de **Swynſheneed** quod à ſancto *Botulpho* diſtat per v. leucas hoſpitandi cauſa declinarat. Audivit abbatem ejuſdem loci pulchram habere ſororem Prioriſſam cujuſdam loci propinqui, accenſuſque ex more libidine, miſit ſatellites ſuos ut eam adducerent ad ſe. Quod cum audiſſet abbas frater ejus, triſtis admodum effectus eſt, noluitque à fratribus conſolationem accipere. Cui dixit unus converſus ſuus qui curam gerebat hoſpicii, & familiaris & notus domino regi, Quidnam habes pater? Cur decidit vultus tuus & triſtior ſolito eſt facies tua? Cui abbas, Sororem habeo, inquit, unam, ſponſam Chriſti, quam dilexi. Proponit eam deturpare rex. At ille. Ignoſce mihi pater, & ora pro me, & auferam vitam iniqui à terra, & timorem ipſius à converſatione hominum. Cui ille. Vellem hæc quidem fili mi: Non tamen licet in perſonam regis manum extendere. Proceſſit itaque converſus, & tulit pira nova quibus ipſum regem libenter veſci ſciebat, appoſuitque venenum in ſingulis præter tria, quæ cum cæteris repoſita optime denotabat. Denique cum rex ſederet in menſa & confabularetur cum ſuis militibus qui aſſiderant, accepto uno pane, non quidem ut dominicam cœnam faceret, ſet ut in perniciem ſuam loqueretur & mortem, Quæſivit à miniſtris, quanti precii eſſet panis ille ſi venditioni traderetur. At illi, Valeret, inquiunt, obolum. Et ille, Vere, inquit, fertilitas iſta maxima fecit jam Barones & populum meum inſurgere in me, Nunc autem ſi per annum integrum comites mihi fuerint vita & ſalus, faciam tanti panem ponderis xij. obolos valere. Et ſcandalizati ſunt miniſtri ejus in verbo iſto, & retrocedebant quidam eorum. Conjurant omnes cum converſo in mortem ipſius. Venit itaque converſus ille & applauſit regi ſicut & alias facere conſueverat, & dixit ei; Placetne tibi ô rex comedere de fructu novo? Placet, inquit. Vade & affer. Tulitque præparata pira, & ſtatuit ea coram rege. Moxque lapides precioſi qui coram rege fuerant in ſudorem vertebantur: Et ait rex. Quid attuliſti frater? nunquid venenum porrexiſti? At ille: Non venenum ô rex ſet fructum optimum. Et rex, Comede, inquit, de fructu tuo. Moxque apprehenſo uno ex piris cognitis comedit; & rex, Comede, inquit, & alterum, & comedit. Adde inquit & tercium, & fecit ſic. Nec ſe ulterius potuit continere rex, apprehenſo uno ex venenatis comedit, & eadem nocte extinctus eſt. Nec tamen periit converſus ſet inter manus eorundem tantum dilapſus eſt, liberavitque Deus per mortem regis iniqui prædictam ſanctimonialem ſponſam ſuam à novo ut creditur ſponſo diabolo. Mortuo itaque *Johanne* ſic extincto, tandem poſtmodum ſepultus eſt *Wigornia* die ſancti *Luca* Evangeliſtæ anno Domini M.CC.xvj. & regni ſui anno xvij. Sepultus dico eſt ſet non cum honore, quia terra quæ in operibus ejus peſſimis turbata extitit nondum ad plenum pacificata quievit. Sacerdos quidam qui regi *Iohanni* familiariter adhæſerat in vita ſua, poſt mortem ejus ab amore ipſius non eſt ex toto ſeparatus. Profuſis enim lacrimis & precibus multis Deum frequenter exorabat, ut ſi ejus voluntas eſſet oſtenderetur ſibi in ſigno aliquo utrum cum anima Domini ſui judicialiter vel miſericorditer ageretur. Cumque diu in hac voluntate permanſiſſet, tandem in viſione nocturna apparuit ei quidam vir ſplendidus in veſtibus quaſi deauratis, dicens ei. « Quid fles? quid ploras? ſurge, tolle & lege pſal« mum 51, *Quid gloriaris in malicia?* & ibi videre « poteris quid meruit Dominus tuus. At ille expergefactus à ſompno, rediit in ſe, & nichil boni inveniens in pſalmo illo, ceſſavit à prece ſua.

Iohannes.

An. Dñi 1216.

Quatuor habuit filios rex iſte *Iohannes*. *Henricum* ſcilicet primogenitum qui ei ſucceſſit in regnum. *Ricardum* qui per proceſſum temporis in regem *Alemannia* electus eſt, *Willielmum* de *Valentia*, & *Guidonem Dyſenay* qui trans mare moriebantur. Quintum eciam habebat clericum, qui in *Wyntonienſem* epiſcopatum promotus eſt. Tres eciam habebat filias. Quarum una *Iſabella*, quæ *Frederico* Imperatori data eſt. Altera vero Comiti Mareſcallo, & tercia quæ poſt caſtitatem voverat, non tamen ſuſceperat velum caſtitatis, Comiti *Leyceſtrenſi Simoni de monte Forti* conjuncta eſt, unde fertur *Robertum Lincolnienſem* epiſcopum quaſi exprobrando dixiſſe eidem, Nunquam gaudebis de progenie tua nec in ea lætaberis, quoniam matrimonium Dei contempſiſti pro nuptiis hominis: & ſic quidem contigit, ut patet in ſequentibus.

Eodem tempore obiit *Galfridus Eboracenſis* archiepiſcopus, cui ſucceſſit *Walterus de Grey*, conſecratus eſt anno Domini M. CC. xv. Eodem eciam tempore, ſcilicet anno Dñi M.CC.xvj. obiit *Innocentius* papa iij. cui ſucceſſit *Honorius*. Sublato de medio rege *Iohanne*, Comes Mareſcallus vir magnæ auctoritatis & ſani conſilii amicabiliter vocavit ad ſe certo die multos Comites & Barones, & apprehenſo puero *Henrico* filio regis *Iohannis* qui nondum ætatis ſuæ ix. annum compleverat, ſtatuit eum in medio eorum & dixit, « Ecce rex veſter. *Adjecitque*. Cariſſimi mei, Etſi patrem iſtius propter « mala ejus opera perſecuti ſumus, & juſte, iſte tamen puer parvulus & innocens eſt ab operibus pa« tris. Verumque peccatum & culpa ſuos ligare de« bent actores, & in verbo Domini Filius non por« tabit iniquitatem patris. Ignoſcendum eſt parvulo « iſti & teneræ compatiendum ætati; Nunc autem « quia filius regis eſt & futurus Dominus noſter

« regni

Hen. III.

» regnique ſucceſſor, venite, & conſtituamus eum nobis in regem & ejiciamus à terra noſtra *Lodowicum* filium regis *Franciæ* & gentem ſuam, auferamuſque opprobrium terræ noſtræ & dirumpamus jugum ſervitutis iniquæ. Ad hæc Comes *Glouceſtriæ*: « Et quomodo poterimus hæc facere? Vocavimus enim eum, & fidelitatem ei fecimus. Cui ille, « Poſſumus, inquit, & debemus, quoniam fidelitatibus noſtris abuſus eſt, vocavimus enim eum & volumus eum præfeciſſe, ſet in ſuperbiam jam erectus ſprevit & deſpexit nos, & ſi dimiſerimus eum ſic ſubvertet & terram noſtram, nos erimuſque quaſi opprobrium hominum & abjectio plebis ſuæ. Ad hæc quaſi divinitus inſpirati conclamabant omnes, *Fiat ſic, fiat Rex, fiat Rex.* Statueruntque diem coronationis ſuæ diem ſc. Apoſtolorum *Simonis* & *Iudæ*. Quo die apud *Gloverniam* coronatus eſt & in regem conſecratus aſtante archiepiſcopo *Cantuarienſi Stephano* per manum *Walli* apoſtolicæ ſedis legati; Cujus conſilio & amonitione idem rex cruce ſignatus eſt in feſto omnium ſanctorum eodem anno ſcilicet M.CC.xvj.

An. Dñi 1216.

Ciſtrenſis c.34.

Mox igitur in feſto Apoſtolorum *Simonis* & *Iudæ* *Henricus* filius *Iohannis* puer novem annorum in regem erigitur, viribus & induſtria *Gualoni* legati papæ, *Wyntonienſis* epiſcopi, Comitum de Penbroke & *Ceſtriæ*.

Leyceſtrenſis.

Anno Domini M. CC. xvj. vj. kalendarum Novembris devotus Dei cultor illuſtris *Henricus* rex apud *Gloverniam* coronatus eſt quoniàm *Weſtmonaſterium* ubi locus eſt ex conſuetudine regiæ coronationi deputatus & conſecrationi, tunc ab inimicis ſuis fuit obſeſſum; ſet in anno quarto ſequenti apud *Weſtmonaſterium* eſt iterum coronatus.

Cap. XVI.

Nunc ſtatim amici novi regis congregato ex univerſis provinciis exercitu copioſo occurrerunt *Lodowyco* & Baronibus qui cum eo erant apud *Lyncolniam* in anno ſequenti, & commiſſo ibidem gravi prælio cæſi ſunt multi ex parte *Lodowyci*, & magnatorum plures capti ſunt, fugientibus cæteris qui per velociorem fugam ſe ſalvare poterant, Captuſque eſt *Lodowycus* filius regis *Franciæ* cum multa feciſſet mala, vaſtaſſetque plurima uſque *Lyncolniam*, & tunc adimpletum eſt verbum patris ſui, quod nunciis ejuſdem filii jam dudum dixerat, Cum enim quæſiſſet à nunciis, *ubi filius ejus eſſet in Anglia*. Reſponderunt, *Apud Stanfordiam*. Et ille; *Nunquid habet caſtrum Dovorniæ?* At illi. *Non.* Et intulit Rex. *Per brachium ſancti* Jacobi *non habet filius meus unum terræ pedem in* Anglia. Et tandem ſedato furore ait idem *Lodowycus*. « Domini cariſſimi, Ab initio in terram veſtram non veni gratis, ſet vocaſtis me, nunc autem ſi corpore meo abuſi fueritis ut morti tradatur, dicetur de vobis, quia ſeduxiſtis me. Sed facite mecum rogo miſericordiam veſtram, & cum ſalvo conductu dimittite me ut revertar, faciamque vobis juramentum quod nunquam terram hanc ingrediar, nec vobis nec alicui veſtrum umquam moleſtus exiſtam. At illi adquieverunt ei, & accepto juramento, uſque ad mare conduxerunt, Reverſuſque eſt in terram ſtrenuitatem *Anglicanæ* miliciæ ſic expertus. Rex vero novus qui patri barbato impubes ſucceſſit prævențus eſt à Deo in benedictionibus dulcedinis à teneris innocentiæ ſuæ annis, ſuperni regis amorem fervoremque concepit in tota vita, titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conſcientiæ, morum ſuavitate & gravitate ſic excellit, ut inter prædeceſſores ſuos quibus ſolo nomine regio congruebat, quaſi ſanctus & inter homines imperabat, & terrenus quidem Angelus videretur.

Hen. III.

In primordiis iſtius novi regis erat quidam tirannus ex *Hiſpania* cognomine *Monachus*. Hic cum multas exegiſſet prædas, multaque loca ſuo ſubjugaſſet imperio, tandem anhelavit ad regnum *Angliæ* conquirendum; Cumque quæſiſſet à ſuis, qualis eſſet terra & quis rex; Reſpondiſſentque ei, Terra quidem optima, & ejus rex puer parvulus. Confeſtim ſubintulit, Dignius eſt quidem puerum regi quam regere, quomodo regere poteſt cui neceſſe regi eſt? Eamus igitur & deponamus eum: ſtatimque magna claſſe congregata cum immenſo apparatu & exercitu *Angliam* appetiit; Et cum eſſet in mari adhuc longe à terra, cognoſcerentque marinarii de portibus adventum ejus, & timuiſſent eum eo quod mala prædicabantur de hoc homine, dixerunt inter ſe, ſi applicuerit tyrannus iſte, vaſtabit omnia, eo quod terra non eſt præmunita, & longe diſtat à nobis rex cum auxilio ſuo. Ponamus igitur in manibus noſtris animas noſtras, & aggrediamur eos dum adhuc in mari ſunt, quoniam virtus eorum miſera, & veniet nobis auxilium de excelſo. Et intulit unus cujus edicto cæteri favebant: Eſtne veſtrum aliquis qui hodie pro *Anglia* mori paratus eſt? Et ait unus. Ecce ego. Tolle, inquit, tecum ſecurim, & ſi videris nos cum navi tyranni congredi, ſtatim navis ipſius malum aſcende, & vexillum quod in altum erigitur deprime, & ſic diſpergantur & pereant cæteræ naves dum ducem non habeant neque præceſſorem. Feſtinanter itaque conſcenderunt naves ſuas, & laxatis ad ventum velis cum immenſo impetu irruerunt in hoſtes, tradiditque dominus eos in manus eorum, & multis ſubmerſis & peremptis reverſi ſunt cum gaudio & præda magna, & ſalvatus eſt puer per ipſum regnantem in ſecula. Unde fertur ipſum novum regem dum die quadam coram altari beatæ virginis & filii ſui regis aſſiſteret, tale verbum protuliſſe, Rogo te puerum regem ut me regem puerum de cætero regas & defendas.

An. Dñi 1219.

Anno Domini M.CC.xix. & regni regis *Henrici* iv. à Chriſtianis noſtris capta eſt *Damiata* civitas validiſſima & diu obſeſſa, menſe ſcilicet Novembris, In qua repertus eſt ingens auri & argenti theſaurus & armorum copia & ferri habundantia magna, factuſque eſt in caſtris *Saracenorum* horror & confuſio & amara mentium conturbatio; In populo quidem Dei lætitia magna, ſet brevis quidem; nam in ſuperbiam erecti gratia Dei abuſi ſunt, & ideo peccatis exigentibus *converſa eſt lætitia in luctum, & organa eorum in voces flentium*, dum enim exirent incaute ad obſidendum civitatem *Thaer*, inundatæ ſunt aquæ fluminis & creverunt in immenſum, ita quod reverti nan poterant, cum ſibi deficerent neceſſaria: Propter quod in mortis articulo poſiti pacem qualem poterant adepti ſunt; inierunt enim cum hoſtibus treugas ſeptennales. & *Damiatam* reddiderunt. Captivis eciam utrinque liberatis, & ſancta crux ut aiunt Chriſtianis liberatur. Eodem anno beatus *Thomas Cantuarienſis* tranſlatus eſt nonis ſcilicet Julii & ſanctus *Hugo Lyncolnienſis* epiſcopus Canonizatus eſt. *Wallenſes* rebellarunt. Iſte *Henricus* filius *Iohannis* vocatus eſt *Henricus* iij. in cronicis & cartis, & in omnibus aliis ſcriptis, non cauſa nominis quia nomine quartus rex *Henricus* fuit, ſet cauſa dignitatis regalis, & regnabilis, & dominatione regnandi; nam ſi primus *Henricus* filius autem imperatricis, & rex *Henricus* filius ejuſdem regis *Henrici* qui vocatus eſt *Henricus* rex junior qui coronatus eſt vivente patre, tunc iſte *Henricus* filius *Iohannis* eſſet quartus in numero: ſet quia ille *Henricus* rex junior moriebatur ante patrem ſuum, & non regnavit, ea de cauſa reſpectu eorum qui regnaverunt ita dictus eſt *Henricus* tercius, & coronatus eſt apud *Gloverniam* in feſto apoſtolorum *Simonis* & *Judæ* à *Gualone* legato de conſilio procerum regni qui ſemper tenuerunt cum patre ſuo *Iohanne*, ſcilicet *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ*, *Willielmus* Mareſcallus Comes de *Penbrok*, ſet *Willielmus de la Bruer* Comes de *Ferariis*, *Henricus* de *Manle*, iſti & multi alii quaſi omnes tenuerunt cum *Lodowyco*, ut ſupra patet; ſet ad monitionem *Gualonis* legati omnes magnates regni juraverunt fidelitatem novo regi *Henrico*. Iſte *Gualo* legatus excommunicavit omnes Barones qui tenuerunt cum *Lodowyco*, & ipſum *Lodowycum* ſub ſententia innodavit. Interim gentes *Lodowyci* tenuerunt *Lyncolniam*, ſet populus novi regis cum poteſtate venerunt & forte bellum inierunt cum Baronibus qui inibi fuerunt, & vicerunt eos; & Comes *Perches* fuit occiſus, & Barones devicti, & plures ex illis capti, ſcilicet *Seirus* de *Aquitania*, Comes *Winceſtriæ*, *Humfridus de Boun* Comes *Herfordiæ*, *Robertus Fiz-Walter*, & multi alii qui movebant guerram contra regem. Statim poſt hæc ordinatum eſt per concilium regis, quod omnes capti de una parte & alia hinc inde liberarentur quieti. Et *Lodowycus* pro dampnis & expenſis haberet mille marcas, ea conditione quod terram *Angliæ* exiret deinceps non rediturus, & ſic guerra finivit; & omnes tam de una parte quam de alia à legato *Gualone* fuerunt abſoluti. Statim poſt hæc omnes alienigenæ ejecti erant de *Anglia*, & omnia caſtella quæ rex *Iohannes* donaverat & tradiderat in cuſtodiam alienigenarum fuerunt reſeiſita in manu regis. Deinde rex *Henricus* perrexit cum grandi poteſtate ad obſidendum caſtrum de **Bedeforde** quod *Faulco de Brent* bene inſtauraverat & tenuit de dono regis *Iohannis*. Et ſtatim cepit rex caſtellum, & pendebat omnes qui inibi inventi fuerunt octoginta homines. Et ſtatim poſt hæc iſte *Falco* inventus eſt apud *Coventriam* in eccleſia, & ibi abjuravit terram *Angliæ*. Poſt hæc rex *Henricus* conceſſit magnatibus terræ *Angliæ* duas Cartas, unam de foreſta & aliam de libertatibus; ob quam cauſam Communes regni conceſſerunt quindecimam partem omnium bonorum ſuorum mobilium & immobilium, monachique *Ciſtercienſis* ordinis pro habenda regis benevolentia & gaudere ſuis libertatibus dederunt regi infra ſpacium unius anni v. millia marcarum argenti. Iſte *Henricus* ſuſtinuit grandes guerras in *Vaſconia* bina vice, unde prima guerra mota eſt per *Bernardum de Bleynes*, quæ quidem guerra finita eſt per *Iohannem Vaus* & *Iohannem de Veſſy* illo tempore. Secunda guerra cœpit per *Daſcinum de Bearne*, quæ quidem finivit guerra per *Simonem de Monte forti* Comitem.

Ciſtrenſis.

Nam *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* mox cepit *Lyncolniam* contra *Lodowycum*, occiſis in eo plurimis *Francigenis*; unde *Lodowycus* videns partem ſuam debilitari, accepta pecunia pro reſignatione munitionum quas tenuit, abſolutione à legato papæ accepta, *Franciam* rediit. De hiis autem qui *Lodowyco* adhæſerant laici non ſunt exhæredati, ſet clerici pro quantitate culpæ aut ſunt beneficiis privati, aut ad curiam pro abſolutione tranſmiſſi.

Ranulfus Comes *Ceſtriæ* poſtquam concordatus eſt cum *Lewlyno* principe *Walliæ* profectus eſt *Ieroſolymam*, & capta eſt *Damieta* à Chriſtianis.

Hoc anno convenerunt primo abbates nigri apud *Oxoniam* ad tractandum de ordine. Rex *Henricus* incepit novum opus apud *Weſtmonaſterium*. Et *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* rediens de terra ſancta ædificavit caſtra de **Cartheleye**, de **Boſton**, & abbathiam de **Dewlencres** albi ordinis; ad quorum ſumptus caſtrorum cepit tallagium per totam terram ſuam.

Facta eſt tranſlatio beati *Thomæ* martyris per *Stephanum* archiepiſcopum, qui durante ſolempnitate exhibuit cuicunque petenti fenum & præbendam à *Londonia* uſque ad *Cantuariam* per viam itineranti. Fecit eciam per totum diem tranſlationis vinum jugiter in canalibus per varia urbis loca diſtillare; unde & expenſas quas *Stephanus* in hac ſolemnitate exhibuit quartus ejus ſucceſſor *Bonifacius* vix perſolvit.

Alexander rex *Scotiæ* duxit in uxorem *Iohannam* regis *Henrici* ſororem. In die ſancti *Lucæ* Evangeliſtæ irruit ventus à ſeptentrione quaciens domos, pomaria, nemora, turres eccleſiarum; viſi ſuntque dracones ignei & maligni ſpiritus in turbine volutare. In concilio epiſcoporum apud *Oxoniam* comprehenſus eſt quidam habens in corpore ſuo vulnera Dominicæ crucifixionis, dicens ſe eſſe *Jeſum*; qui judicio eccleſiæ tradebatur puniendus, & crucifixus eſt apud **Abburbury**.

Johannes filius *David* Comitis de *Scotia* duxit uxorem filiam *Lewlini* principis *Walliæ* tanquam pro finali concordia inter ipſum *Lewlinum* & avunculum ſuum *Ranulfum* Comitem *Ceſtriæ*.

Iohannes rex *Ieroſolymorum* venit in *Angliam* pro ſuccurſu terræ ſanctæ. Magnates *Angliæ* conceſſerunt regi *Henrico* wardas hæredum & terrarum ſuarum, quod fuit initium multorum malorum in *Angliæ*. Et cito poſt hæc rex *Henricus* cepit quintamdecimam per totam *Angliam*.

Hoc anno primum venerunt fratres *Minores* in *Angliam*, biennio ante obitum *Franciſci*.

Gregorius ix. poſt *Honorium* ſedit papa annis xiiij. hic roboravit ſententiam excommunicationis contra *Fredericum* imperatorem, iccirco imperator comprehendit multos Prælatos & duos Cardinales qui ad concilium contenderant. Hic papa fecit fratrem *Reymundum* compilare v. libros Decretalium ex pluribus epiſtolis & decretalibus conſtitutionibus excerptos. Iſte quoque papa per imperatorem aliquando in urbe obſeſſus, videnſque *Romanos* pecunia imperatoris corruptos, accepit in manibus capita apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, fecit proceſſionem à *Lateranenſi* eccleſia uſque ad eccleſiam S. *Petri*; ſicque animos *Romanorum* emollivit, unde imperator ſibi timens, longius diſceſſit.

Stephanus Cantuarienſis archiepiſcopus obiit, qui Biblia apud *Pariſium* quotavit, libros regum expoſuit, vitam regis *Ricardi* dictavit, multaque alia induſtriæ ſuæ opera poſteris reliquit; cui ſucceſſit magnus eccleſiæ *Lincolnienſis* decanus magiſter *Ricardus.* Obiit *Willielmus Alvernenſis* egregie literatus, qui primo fuit Cancellarius, deinde *Pariſienſis* epiſcopus. Hic multa inſignia literaturæ ſuæ opera reliquit, videlicet *De ſacramentis. Cur Deus homo. De Fide & Legibus. De univerſo corporali & ſpirituali. Gregorius* cepit decimas eccleſiarum. Celebrante epiſcopo *Londonienſi* in eccleſia ſancti *Pauli* facta eſt tanta nubium denſitas, ſolis obſcuritas cum tonitruo & fulgure ac fetore intolerabili, ut populus exiret, ibidem relicto epiſcopo cum ſuo miniſtro.

Hoc anno rex *Henricus* conceſſit *Angligenis* multas libertates, ſet accepit ab eis quintam decimam partem bonorum ſuorum, ut recuperaret partes tranſmarinas quas rex *Franciæ* occupaverat tempore regis *Johannis*, unde cum valida manu tranſnavigans parum profecit.

Willielmus de Brews inculpatus pro uxore *Lewlini* principis *Walliæ* incarceratur, ſuſpenditur, unde magna diſcordia inter regem & *Lewlinum* orta eſt. *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ, Lyncolniæ, & Huntyngdoniæ* obiit apud **Wallynforde**, & ſepultus eſt apud *Ceſtriam* in capitulo monachorum cum progenitoribus ſuis, cui ſucceſſit *Johannes Scoticus* filius ſororis ſuæ. Iſte nempe *Ranulphus* ſine liberis decedens quatuor habuit ſorores, quarum ſenior *Matilda* nupſit *David* Comiti *Huntyngdoniæ*, qui poſt factus eſt rex *Scotiæ*, de quibus proceſſit *Johannes* iſte. Secunda *Mabilia* nupſit Comiti de *Arundell.* Tercia *Agnes* nupſit Comiti *Darbyæ Willielmo de Ferariis.* Quarta *Hawyſia*, nupſit Comiti *Wyntonienſi Roberto Quinci.* Rex *Henricus* ſtatuit hoſpitale ſancti *Johannis* extra portam *Oxoniæ*, ponens primum lapidem.

Defuncto dudum *Ricardo Cantuarienſi* archiepiſcopo ſucceſſit ſanctus *Edmundus Abendonienſis* tunc *Salisbirienſis* theſaurarius; qui ſub octavo præſulatus ſui anno obiit in tranſmarinis partibus, & ſepultus eſt apud *Pontiniacum* in *Burgundia*, ac poſtmodum ſeptimo anno tranſlatus eſt favente papa *Innocentio* quarto.

Cap. 35. *Fredericus* imperator duxit in uxorem *Iſabellam* ſororem regis *Henrici.* Quo anno *Judæi* adducti ſunt coram rege apud *Weſtmonaſterium*, pro eo quod puerum quemdam apud *Northwycum* abſconderant & poſt circumciſionem pueri eum crucifixiſſe propoſuerant.

Rex *Henricus* deſponſavit *Alienoram* filiam Comitis *Provinciæ.* *Joh. Scoticus* Comes *Ceſtriæ* & *Huntyngdoniæ* obiit ſine liberis apud **Darenhale** vij. idus Junii, & ſepultus eſt *Ceſtriæ.* Verum quia terra ſua gaudebat regali prærogativa, comitatus ejus ad manus regis devenit, datis aliis terris hæredibus ſororibus ſuis in compenſationem, ne tam præclara dominatio inter colos feminarum dividi contingeret. Habuit nempe iſte *Johannes* quatuor ſorores, ſcilicet *Margaretam*, quæ nubens *Alano de Glewy* genuit *Darnergoil* puellam, de qua nupta *Johanni de Baillol* proceſſit *Johannes Baillol* rex *Scotiæ.* Altera ſoror *Iſabella*, nupſit *Roberto de Bruz.* Tercia ſoror *Matilda* obiit ſine liberis. Quarta ſoror *Alda* nupſit *Henrico de Haſtinges.*

Eo quoque anno venit *Ottobonus* legatus in *Angliam*, qui ſtatuit multa ſalubria ad eccleſiæ utilitatem. Quo per *Oxoniam* tranſeunte magnus conflictus factus eſt inter ſcolares & quoſdam de familia ſua, ita ut uno ſuorum interfecto, ipſe *Ottobonus* in turri eccleſiæ de **Oſneye** uſque ad veſperam obſeſſus ſit, & vix per multos de regiis miniſtris ab *Abindona* venientes liberari poſſet; iccirco uſque ad **Walingforde** adductus, malefactores illos excommunicavit, ſtudium Univerſitatis ſuſpendit, donec abbas & canonici de *Oſneya* una cum magiſtris *Oxoniæ* regentibus diſcalciati & diſcincti per medium *Londoniæ* incedentes, apud hoſpitium legati veniam vix haberent.

Eodem anno quidam pſeudoclericus infatuatum ſe ſimilans ſecreta regiæ curiæ exploravit, cameram regis *Henrici* apud **Wodſtoke** per feneſtram ingreſſus eſt ut regem interficeret; ſet ad clamorem cujuſdam ſanctæ mulieris interceptus eſt, & apud *Coventreiam* diſtractus.

Natus eſt *Edwardus* primogenitus regis *Henrici* apud *Weſtmonaſterium*, quem baptizavit *Ottobonus* legatus & confirmavit *Edmundus* archiepiſcopus. Gens *Tartarorum* ſubactis orientalibus provinciis in duo ſe agmina diviſerunt, quarum una pars *Hungariam* & *Pannoniam* ita attrivit, ut viri terræ illius carnes filiorum ſuorum comederint.

Celeſtinus iiij. poſt *Gregorium* ix. ſedit papa menſe uno, & vacavit ſedes per annum; poſt quem ſucceſſit *Innocentius* iiij. qui ſedit annis xj. menſibus vj. Allata eſt in *Francia* ſpinea corona Salvatoris. *Ottobonus* recedens ab *Anglia* captus eſt in mari ab hominibus imperatoris. Rex *Henricus* apud *Ceſtriam* intravit *Walliam*, & apud *Rutelan David* venit ad eum.

Hoc anno obiit ſanctus *Edmundus* apud *Pontiniacum*, cui ſucceſſit in archiepiſcopatum *Bonifacius*; hic itaque *Edmundus* apud *Abyndoniam* juxta *Oxoniam* oriundus, parentes habuit religioſos, videlicet patrem *Edwardum* cognomento *Divitem*, qui de conſenſu conjugis apud **Ewyſham** vitam duxit regularem: & matrem *Matildam*, quæ cilicio & lorica jugiter uſa in carne contra carnem militavit. Natus igitur *Edmundus* ab omni contagione infantili mundus, per totum diem ſancti *Edmundi* regis & martyris quo prodiit in lucem à mane uſque ad veſperam jacuit quaſi exanimis, ita quod aſtantes eum ſepulturæ demandaſſent, niſi conſilium matris obſtitiſſet. Vocatus eſt autem *Edmundus* quod ſonat felicem & mundum, eo quod die ſancti *Edmundi* natus ſit, & quia dum mater ex eo gravida ad tumbam ſancti *Edmundi* peregrina exoraret, vitalis ſpiritus primitias in eo deprehendit. Hic ſenſus ſuos ab initio per ſpiritualia vitæ exercitia aſſuefecit in boni ſtudium, ut prævalente poſtmodum inolita conſuetudine vitaret velut naturaliter omne malum. Set quamvis ſingulis virtutum floribus choruſcaret, incorruptionem tamen quæ proximum facit Deo prælegit. In cujus ſignum beatæ virgini ſe devovit; ad matris conſilium cilicio uſus, per ſextas ferias pane & aqua jejunavit; diebus Dominicis & Feſtivis antequam comederet, Pſalterium ex integro dicere conſuevit: In primis itaque annis dum Grammaticæ intenderet, capitis dolore ita acriter vexatus eſt, ut in literis deinceps proficere deſperaret: cui mater ait, Fili, arbitror, laica & inordinata quam geſtas tonſura doloris tui eſt cauſa, unde & poſtmodum clericaliter attonſus doloris incommodo caruit. Dum eciam in prato quodam *Oxoniæ* vicino ſpaciandi cauſa ſeorſum iret, apparuit ei puer ſpecio-

Hen. III.

ſus, ſic inquiens, Salve dilecte mi, miror quod me non agnoſcis, præſertim cum ad latus tuum in ſcolis & alibi jugiter aſſiſtam; quod igitur videris in facie mea ſcriptum hoc fronti tuæ ſingulis noctibus inprime: erat autem ſcriptum, *Jeſus Nazarenus rex Judæorum.* Extunc didicit Dominicæ paſſionis memoriam jugiter recolere, quam dum ſemel ob futuram lectionem prætermitteret, irrumpente aurora antiquus hoſtis ne ſe ſignare poſſet utramque ſibi manum alligavit, ſet ipſo in ſpiritu orante decidit hoſtis ab eo inter parietem & lectum; quem dum per aſperſionem ſanguinis *Chriſti* adjuraſſet ut ſibi diceret per quid plus arceri poſſet, reſpondit, per illud quod modo nominaſti. Alia vice dum hanc orationem, *O bona & intemerata*, dicere omiſiſſet, beatus *Johannes* Evangeliſta in ſompnis apparens comminatus eſt eum cum ferula percutere: atque teſte Scriptura qui modica contemnit paulatim decidit, ipſe de venialibus per confeſſionem cotidie ſe purgavit. Inſtigante tandem antiquo hoſte, filia hoſpitæ ſuæ non ſolum ſignis & nutibus ſet eciam verbis beatum *Edmundum* auſa eſt ad illicita attemptare, nec deſtitit donec ad cameram beati viri veniens expoliata flagellaretur, & ſic pruritum omnem deponeret. Et cum hoſtis per puellam non proficeret, aggreditur *Edmundum* per matronam, cujus munuſcula dum ſine mariti conſcientia recipere noluiſſet, verecundatam ſic deluſit. At quamvis in ſacris non fuiſſet promotus, factus tamen magiſter in artibus cotidie miſſam audire, horas dicere antequam legeret, conſuevit, quod & ſcolaribus ſuis profuit dum eos miſſas ſic audire edocuit. Pecuniam à ſcolaribus acceptam in feneſtra poſuit, dicens, Pulvis pulveri, cinis cineri; quæ ſæpe à ſociis joco, vel à furibus clanculo aſportabatur. Tandem cum arithmeticam legeret, apparuit ei mater ſua in ſompnis dudum mortua, inquirens & ſciſcitans, quæ eſſent illæ figuræ quibus intendebat. Quo reſpondente, Talia & talia, illa depingit in manu ejus dextra tres circulos, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum continentes. His, inquit, fili, de cætero intende figuris. Raro in eccleſia ſedit, ſet aut ſtans, aut genua flectens exoravit. In tribus ſpecialiter enituit, nam erat prædicator egregius; diſputator acerrimus; lector pius. Nam in fallaciarum animadverſione fuit circumſpectus, in ſolvendis quæſtionibus oculatus, in legendo ædificativus. Præ nimia abſtinentia pilis capitis & barbæ decidentibus labia ejus fiſſa videbantur; groſſis utens cibariis omni feria ſecunda & quarta, & in Septuageſima à carnibus abſtinebat. Pridie qua celebravit & ipſo celebrationis die carnes non guſtavit; unde nonnunquam menſis integer pertranſiit quo carnes non comedit. Raro comedit bis in die. Electuaria & medicinalia non curabat. In genubus ex frequenti genulatione callos habebat. Per ſingulos dies tria dixit horarum paria: de die, de Domina, de ſancto Spiritu cum officio defunctorum. Poſt primum ſompnum de nocte ſurgens ſinaxim dicebat. Si quando detractionis verbum in medium venit, mutato ſtatim themate ad materiam tranſiit ſaniorem. Nullum beneficium curatum niſi unicum voluit tenere; largas expenſas fecit ne avarus diceretur. Ventulationibus cauſarum intereſſe noluit. Curiales ſeculares ad menſam admiſit ut eos Deo lucrifaceret. Officinas ſuas nuſquam viſitavit. Compotum de miniſtris non audivit. Plus ſemper expendidit quam habuit à famulis ſuis. Carnis munditiam adeo exegit, ut ex pacto præſcripto quandocunque ad labifica laberentur accepta mercede recederent. Decimas, oblationes & peccatorum redemptiones in pios duntaxat uſus expendebat. Ante ſe ymaginem virginis & in circuitu ſuo miſterium redemptionis noſtræ habebat depictum. Sic igitur de codice procedebat lectio, ad yconiam ducebat ratio, de utroque reſpondebat devotio. Comeſtionis, dormitionis, equitationis tempora [quibus ſtudio nequivit inſiſtere deperdita judicavit. Quociens Bibliam ſuam aperuit oſculo honoravit. Commiſſa ſibi crucis legatione procurationes conceſſas non ſumpſit, propriis ſtipendiis contra morem militavit. Prædicans apud *Oxoniam*, *Gloverniam*, *Wygorniam*, imbres ſuper populum irruentes precibus avertit. Contigit eo in ſtudio ſuo dormitante candelam ſuper bibliam cadere & ardere, ſet eo evigilante & ſuſpirante nullam uſtulam apparere. Similiter tres cruces ſuper anthracem quem in pede habuit cum penna ſua fecit, & continuo apoſthema evanuit. Ejus cilicia inveterata igni tradita comburi non poterant, nec in ciliciis ejus aut cæteris veſtibus vix unquam vermis reperiri potuit. Miſſis aliquando de *Cantuaria* ad *Sariſbiriam* nunciis pro *Edmundo* ipſius loci theſaurario in archiepiſcopum promovendum, ait ad eos decanus, Bene veneritis & male veneritis; bene quidem, quod noſtræ eccleſiæ honorem facitis: ſet male, quia theſaurum noſtrum in theſaurario aufertis. Calciamenta propria ſibi detrahere non erubuit. Cuicunque ſibi confiteri volenti de equo deſcendens audientiam præbuit, nulla aeris intemperie aut hoſpitii propinquitate retardatus; inſtar olivæ quæ ſibimet retinet corticis amaritudinem & cæteris fundit liquoris dulcedinem: ſic ipſe, ſibimet erat durus, cæteris compatiens & benignus. Pectus ſuum frequenter tutidit, genua terræ colliſit, ita ut clerici in cellariis ſub ipſo pauſantes vix dormire poſſent. Sexum femineum ob honorem beatæ virginis ſemper honoravit, nec tamen per hoc maculam incurrit; immo cum à quodam familiari ſuo ex hoc reprehenderetur quod cum quadam pulcra matrona tam frequenter loqueretur, reſpondiſſe fertur. Vidiſtine quam ſpecioſa fuit illa? ſæpius mihi fateor aſſedit, nunquam tamen plus de illa quam de muro temptatus extiti. Quin eciamſi omnia quæ in hoc peccati genere commiſi in fronte mea depingerentur, non erubeſcerem. Munerum acceptores deteſtabatur, dicens Gallice, Inter *prendre* & *pendre* unica duntaxat diſtat iota. Inſtigante tandem diabolo rex *Henricus* una cum capitulo *Cantuarienſi* contra ipſum rebellavit, ſub quo turbine multa diſſimulavit, perſecutores ſuos ad oſcula & alias familiaritates admiſit; & cum amici ſui dicerent, Hanc nimiam manſuetudinem aliis exemplum præbere conſimiliter inſurgendi, ita reſpondit, Inundationes maris quaſi lac ſugere debemus, & cum præcurſore Domini comedere mel ſilveſtre in deſerto mundi. Soli quippe Deo ſervanda eſt potentia vindicandi, De alienis defectibus nolo mihi diſpendium propagare. Convocato denuo prælatorum cœtu, inquirit quomodo eccleſiam jam ancillatam relevare poſſit; decernitur, regem cum cæteris rebellibus admonendos fore, & ſi non corrigerentur ſeveritatem eccleſiaſticæ cenſuræ non dormire. Paret vir ſanctus, regem adiit; rex petit deliberationem ſuper his haberi. Expectat ille, ſet nil profuit: qua de cauſa ſoli regi deferendo, *Henr.* III.

deferendo, in cæteros rebelles ſententia fulminatur. At cum nec his compungerentur tranſgreſſores, cedendum magis cenſuit maliciis quam inſervire litigiis. Conſideravit nempe ſi totam ſeveritatem expenderet, forſan legatus papæ qui tunc aderat in irritum duceret, regemque ad deteriora provocaret: ſi vero ipſe archiepiſcopus præſens exiſtens eorum errata non corrigeret, videretur ea per quandam diſſimulationis tollerantiam approbare; propterea prælegit corpore ſe ad tempus abſentare, ut ipſo facto cordis oſtenderet amaritudinem, & ipſorum deteſtaretur malitiam. Igitur ingraveſcente ejus ultimo morbo ſeceſſit à *Pontiniaco* uſque *Soyſi*, promittens illis quod die ſancti *Edmundi* reverteretur. Allata ſibi euchariſtia dixit, Tu es Domine quem amavi, in quem credidi, quem prædicavi, præter quem aliud non quæſivi. Sic ſumpto viatico, dixit, Homines dicunt quod lupus vadit in ventrem, & ego dico quod vadit in mentem; inde lavans vulnera ymaginis crucifixi & deoſculans, dixit, *Haurietis aquas in gaudio de fonte Salvatoris.*

Cap. 36.

Innocencius ſecundus fuit papa poſt *Celeſtinum* annis xij. menſibus vj. qui vacuas Cardinalium ſedes honeſtis replevit perſonis. Fratrem *Hugonem* de ordine Prædicatorum inſtituit Cardinalem, qui totam bibliam poſtillavit, & magnas ſuper bibliam concordias compilavit. Iſte papa apud *Lugdunum Galliæ* concilium celebravit, in quo ſanctum *Edmundum* ſeptimo defunctionis ſuæ anno canonizavit, rebellem imperatorem *Fredericum* deponendum decrevit. Apud *Tholetum Hiſpaniæ* dum quidam *Judæus* in orto ſuo pro vinea amplianda foderet, lapidem reperit ex omni parte integrum, in cujus medio invenit librum ad quantitatem pſalterii cum foliis ligneis Hebraice, Græce, Latine conſcriptum de triplici mundo ab *Adam* uſque ad *Antichriſtum* loquentem, proprietates hominum exprimentem, principiumque tercii mundi in Chriſto ponentem, in hunc modum: *In tercio mundo Filius Dei naſcetur ex virgine* Maria, *qui pro ſalute hominum mortem patietur.* Hæc legens *Judæus* ſtatim baptizatus eſt.

Tanta fuit cariſtia in *Angliæ* ut ſumma bladi pro xij. s. venderetur. Quo anno beatus *Edmundus* tranſlatus eſt, & *Fredericus* imperator excommunicatus obiit in *Apulia*, poſt quem *Mamfridus* filius ejus naturalis regnum & theſauros *Siciliæ* invadit, donec *Carolus* frater regis *Franciæ* ipſum vita & regno privaret. Mortuo tandem *Frederico* prædicto *Innocentius* papa procuravit electores imperii principes *Alemaniæ* ut plures eligerent; unde Duce *Thuringiæ* & Comite *Holandiæ* electis ſet cito poſt obeuntibus, quidam elegerunt *Ricardum* fratrem Regis *Angliæ* Ducemque *Cornubiæ*; quod quidem ſciſma ſub magnis ſumptibus multis duravit annis. Hoc anno apud *Londoniam* facta eſt ſolennis proceſſio contra ſanguinem *Chriſti* qui miſſus eſt *Henrico* regi à patriarcha *Ieroſolimytano* iij. idus Octobris. *Lodowicus* rex *Franciæ* adiit terram ſanctam, & cepit *Damietam*, ſet anno ſequenti captus eſt à *Soldano* in bello campeſtri, & facta eſt ſtrages Chriſtianorum; in qua occubuit ſtrenuus miles *Willielmus longa ſpata.* Venerunt *Pariſius* paſtores animalium cruce ſignati centum quinquaginta millia, per quos Univerſitas multum fuit turbata & clerici necati. Rex *Henricus* dedit *Edwardo* primogenito ſuo *Vaſconiam*, *Hiberniam*, *Walliam* & comitatum *Ceſtriæ*: quo anno terra ex nimio fervore æſtatis ita exaruit ut nullum fructum fecit, & in fine autumpni tantæ pluviæ inundaverunt, quod terra non potuit ſtatim deglutire, unde mala contigerunt.

Hoc anno obiit ſanctus *Robertus* dictus *Groſteteſte* epiſcopus *Lincolnienſis* vij. idus Octobris, qui in cunctis liberalibus artibus excellenter eruditus, præcipue in Logica & Aſtrologia plurima comentatus eſt; ad *Innocentium* papam miſit epiſtolam ſatis tonantem, quæ ſic incipit. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus* pro eo quod eccleſias *Anglicanas* indebitis & inſolitis exactionibus gravare videretur, & quia nepotulo ſuo puero Papa contuliſſet canonicatum cum proxima præbenda vacatura in eccleſia *Lincolnienſi*, quem tamen *Robertus* admittere noluit, reſcribens papæ, ſe nec velle nec debere tales ad curas animarum admittere, qui ſe neſcirent nec poſſent regere. Qua de cauſa ad curiam vocatus & excommunicatus, appellavit à curia *Innocentii* ad tribunal *Chriſti*, unde contigit ut poſt biennium mortis *Roberti*, apparuit papæ de nocte quieſcenti quidam epiſcopus pontificalibus indutus, ſic inquiens, Surge miſer, veni ad judicium. Et ſtatim cum baculo paſtorali pupugit papam in latere ſiniſtro uſque ad cor; unde & lectiſternium papæ inventum eſt mane ſanguinolentum, & ipſe defunctus. Hac de cauſa quamvis *Robertus* perſpicuis effulgeret miraculis non eſt permiſſus à curia canonizari. *Alexander* quartus poſt *Innocentium* iiij. papa ſedit annis vij. menſibus iiij.

Leiceſtrenſis.

Et cum iſte *Henricus* regnaſſet in *Angliæ* l. annis, *Griffinus* princeps *Northwalliæ* mortuus eſt, relinquens poſt ſe duos filios *Lewlinum* & *David.* Iſte *Lewlinus* in prmo ingreſſu heretagii ſui reſtitit regi *Henrico*, & homagium ei facere recuſavit quod ei debuit; ſet rex *Henricus* ipſum cepit, & ad gravem redemptionem compellebat. Et pro principatu *Northwalliæ* obligavit ſe & hæredes ſuos ſub annuo tributo mille marcarum ad coronam *Angliæ* imperpetuum.

Ciſtrenſis.

Pax eſt reformata inter *Henricum* regem & *Lewlinum* principem *Walliæ* mediante *Ottobono* legato apud *montem Gomericum* ſub hac forma: *Quod* Lewlinus *& ejus ſucceſſores deinceps vocarentur principes, & facerent regibus* Angliæ *homagium.* Et rex *Henricus* accepit ab eo tria milia marcarum, ſuper quibus rex *Angliæ* fecit cartam autoritate papali roboratam.

Tanta fames invaluit ut in principio autumni ſumma bladi ad xxiiij. s. venderetur, pauperibus fame pereuntibus. Rex *Henricus* ita ditavit quatuor ſemifratres ſuos, ut ipſi cæteros proceres parvipenderent, unde in feſto Trinitatis convenientes apud *Oxoniam Symon de Monte forti* Comes *Leyceſtriæ*, *Ricardus de Clare* Comes *Gloverniæ* cum aliis magnatibus xij. Pares elegerunt, quorum conſilio miniſtros regis mutaverunt, & quatuor fratres regis prædictos de terra ejecerunt, quod fuit occaſio belli Baronum.

Rex *Henricus* transfretavit, & facta eſt pudenda concordia cum rege *Franciæ*, nam remiſit ei *Normanniam* cum cæteris terris tranſmarinis, ita quod ſibi remaneret integraliter *Vaſconia.*

Cap. 37.

Urbanus quartus poſt *Alexandrum* ſedit papa annis fere iiij. Hic prius extiterat patriarcha *Ieroſolymitanus*; deinde auxilio cruce ſignatorum fugavit exercitum *Romanorum* quem *Mamfredus* in patrimonium ſancti *Petri* intruſerat. Hic eciam contulit *Carolo* fratri regis *Franciæ* regnum *Siciliæ*, ita ut *Mamfredum* inde expelleret. Quod & factum eſt. Eo tempore apud **Theokyſbiry** quidam *Iudæus* per diem Sabbati cecidit in latrinam, nec permiſit ſe extrahi propter honorem Sabbati ſui. Qua de cauſa *Ricardus de Clara* Comes *Gloverniæ* non permiſit eum extrahi die Dominica ſequenti propter reverentiam ſui Sabbati, & ſic mortuus eſt.

Hoc anno ſuborta eſt diſcordia inter regem *Angliæ Henricum* & proceres ejuſdem ſuper ordinationibus in Parliamento ordinatis, conſtitutis nec tamen ab ipſo rege obſervatis. Circa nativitatem S. *Iohannis Baptiſtæ* proceres *Angliæ* epiſcopum *Hertfordiæ*, Priorem *Wenoloci* & quoſquam alios prælatos alienigenas in cuſtodia tenuerunt, cæteros vero regi propinquiores ab *Anglia* fugaverunt, quorum bona ſumpſerunt; quibus de cauſis rex *Henricus* ejecit univerſitatem cleri de *Oxonia*. Tandem rex *Henricus* & Barones poſuerunt ſe quoad prædictos articulos in ordinatione regis *Franciæ*, qui omnes articulos reprobavit. Magnates tamen *Angliæ* ſpreto ejus irrationabili decreto perſtiterunt in incepto. Convenientes igitur proceres anno Grãæ M.CC.lxiiij. & regis xlviij. qui per inducias prædictas ſuſtinuerunt apud **Lewes** in *Suthſexia* pridie idus Maii bello commiſſo ceperunt regem *Henricum* & fratrem ejus *Ricardum* ducem *Cornubiæ*, & *Edwardum* regis primogenitum cum aliis magnis, & ſic regem ad obſervantias coegerunt. *Edwardum* per viij. menſes apud **Hertforde** in carcere tenuerunt. Et data eſt provincia *Ceſtriæ Simoni de Monte forti*. In vigilia Trinitatis *Edwardus* filius regis evaſit de cuſtodia *Hertefordiæ* ope domini *Rogeri de Mortuo mari*, nam licentiatus fuerat cauſa ſolatii unum dextrarium agitare, & ſic evaſit uſque ad monticulum de **Duttnor**, ubi vexilla prædicti *Rogeri* fuerunt explicata. Poſtmodum circa *ad vincula ſancti Petri* commiſſum eſt bellum apud **Eveſham** inter Regem & Barones, ubi per doloſam ſubtractionem Comitis *Gloverniæ* qui prius ſteterat cum *Simone de Monte forti*, *Simon* ipſe miſtus cum multis præclaris perſonis occubuit. De quo fert fama celebris quod multis poſt obitum radiavit miraculis, quæ propter metum regium non prodeunt in puplicum.

Leyceſtrenſis.

In bello de **Eveſham** occiſus fuit *Simon de Monte forti*, *Henricus* filius ejus, *Hugo de Spenſer*, *Petrus de Monte forti*, *Radulfus Baſſet de Drayton*, & multi alii de magnatibus. Anno ſequenti menſe Maii quarto die ante feſtum ſancti *Dunſtani* fuit bellum apud **Cheſterfeld** contra exhæredatos ubi multi de illis fuerunt occiſi. *Robertus* Comes de *Ferrariis* captus, *Baldewinus de Wake*, *Iohannes de la Haye* vix ſub magna pœna evaſerunt.

Ciſtrenſis.

Interim milites *Simonis de Monte forti* tenuerunt caſtrum de **Kenelworth** per dimidium annum contra exercitum *Angliæ*.

Leyceſtrenſis.

In vigilia ſancti *Iohannis Baptiſtæ* incepit obſidio, & duravit uſque in vigiliam ſancti *Thomæ* apoſtoli ante natale Domini. Quo die *Henricus de Haſtynges* qui habuit cuſtodiam caſtelli reddidit illud regi ſub tali conditione, quod omnes qui inibi eſſent haberent vitam & membra, bona & catalla, equos, arma & herneſia, & quæcumque ibi habebant; & ſic ſub tali modo rex intravit. *Simon Montefort* filius cum matre ſua Comitiſſa fugerant ultra mare,

Hen. III. Ciſtrenſis.

Hoc anno *Soldanus Babyloniæ Armenia* vaſtata cepit *Antiochiam* urbem celeberrimam, indigenas necavit, urbem deſtruxit. Poſt hæc circa feſtum *omnium Sanctorum* venit *Ottobonus* legatus in *Angliam*, plurima ſtatuens ad eccleſiæ & cleri utilitatem, cujus conſilio rex *Henricus* conceſſit exhæredatis qui in eum ſurrexerant, ut poſſent terras ſuas redimere, excepto Comite *Darbiæ Roberto de Ferariis* qui plus cæteris regem amaricaſſe videbatur; unde & anno ſequenti Comes ille infeſtavit regem, ſet captus eſt apud **Cheſterfeld**, & exhæredatus donec ipſe, aut hæredes ejus, aut aliquis pro eis uno die quinquaginta millia librarum ſolvere poſſet.

Clemens iiij. poſt *Urbanum* ſedit annis quaſi iiij. poſt quem vacavit ſedes annis tribus menſibus duobus. Hic *Clemens* prius uxorem & liberos habuit, deinde famoſus fuit advocatus, & præcipuus cum rege *Franciæ* conſiliarius; poſt hæc mortua uxore factus eſt *Podienſis* epiſcopus, deinde *Nardonenſis* archiepiſcopus, tandem *Sabinenſis* epiſcopus & Cardinalis in *Angliam* miſſus fuit legatus, ubi abſens electus fuit in papam. Extunc pia vita ſua & devota oratione creditur multas eccleſiæ tribulationes extinxiſſe. Hic eciam cum *Conradinus* ad debellandum *Carolum Siciliam* intraret, ſermone puplico prædixit factum *Conradini* annullandum fore.

Leyceſtrenſis.

Anno lv. regis *Henrici Edwardus* primogenitus ſuus cum uxore ſua adiit terram ſanctam cruce ſignatus, & cum eo *Iohannes de Bretayne*, *Iohannes de Veſſy*, *Thomas de Clara*, *Rogerus de Clifforde*, *Otho de Grantſono*, *Robertus le Bruz*, *Iohannes de Verdon*, & multi alii proceres cum magna poteſtate.

Leyceſtrenſis.

Tempore hujus *Henrici* anno Gratiæ M.CC.lvj. *Ricardus* dux *Cornubiæ* frater ejuſdem *Henrici* electus fuit in regem *Alemanniæ*.

Ciſtrenſis l.7.c.37.

Archiepiſcopus *Ebor.* & alii epiſcopi armati adeuntes turrim *Londonienſem* eduxerunt *Ottobonum* legatum ibidem obſeſſum. Rex autem cum exercitu demoratus eſt apud **Stretforde**, donec pax inter ipſum & Barones reformaretur; receſſit *Ottobonus* de *Anglia* cum magno theſauro. Papa *Clemens* obiit. Tranſlatio ſancti *Edwardi* regis facta eſt iiij. idus Octobris, & datus eſt regi xx. denarius de bonis laicorum & decima cleri per triennium annuente papa.

Gregorius x. ſedit papa annis iiij. poſt *Clementem*; qui tertio papatus ſui anno pro utilitate terræ ſanctæ quam perſonaliter viſitare intendebat, apud *Lugdunum Galliæ* ſolenne coegit concilium, in quo *Græcorum* & *Tartarorum* nuncii affuerunt; *Græci* ad unitatem eccleſiæ redire promiſerunt, *Tartari* fuerunt baptizati. Convenerunt ibi decem epiſcopi, mille prælati, ideo dixit quidam,

Gregorius *denus congregat omne genus.*

Ibi ſtatutum eſt illud inſigne & à retro ſeculis inſolitum, *Quod ſcilicet omnes rectores curati deincept forent ſacerdotes: Quod nulli hominum deinceps liceret decimas ſuas ad libitum ut antea ubi vellet aſſignare, ſet matrici eccleſiæ omnes decimas perſolvere.* Ipſe quoque *Gregorius* decimam ſexennalem univerſali eccleſiæ impoſuit, pluralitatem beneficiorum curatorum dampnavit. Aliquos ſtatus de ordinibus mendicantium approbavit, ut *Prædicatores* & *Minores*, alios tolleravit utpote *Carmelitas* & *Auguſtinianos*, alios reprobavit ut *Saxinos* qui intitulantur de *pœnitentia* ſive *de valle viridi*, & conſimiles. Hoc eciam anno obiit rex *Anglia Henricus* die ſancti *Edmundi, Pontiniaci*, & juſte ut creditur vitam ſuam in ejus feſto terminavit quem injuſte dum viveret vexavit.

Leyceſtrenſis. An. Dñi 1228. Anno Domini M.CC.xxviij. & regni regis *Henrici* xiij. *Lewlinus* Princeps *Wallia* iterum rebellare cœpit, Propter quod rex congregato exercitu declinavit ibidem. *Lewlinus* reſiſtendo cum ſuis multos ex regiis cum particulatim incederent interemit, inter quos nobilem virum *Willielmum de Breans* vivum captum obſervari juſſit. Tandem vero poſt concurſus varios & diſcrimina multa, per quoddam maritagium cum rege concordatus eſt & in pace dimiſſus. 1229. Anno Domini ſequenti *Lewlinus* eundem *Willielmum de Breans* Baronem nobilem quem ad feſta Paſchalia invitaverat, poſt epularum copiam ſuper adulterio & violatione uxoris ſuæ accuſans, & malitioſe eum & hoſtiliter ingreſſus eſt, & eum in carcerem trudens morte turpiſſima & abſque omni judicio ſententialiter interemit. Eodem tempore *Honorius* Papa obiit, ſcilicet anno Domini M. CC. xxvij. cui ſucceſſit *Gregorius* ix. qui in ſecundo anno miſſus legatus in *Angliã* decimas reddituum eccleſiarum conſtanter exegit nullo reclamante vel ſaltem audente contradicere; Et

Quod voluit Papa non ex ratione fiebat,
Set tamen invaluit rapiens quodcunque patebat.

Juxta illud

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

1230. Anno Domini M. CC. xxx. transfretavit idem rex in *Britanniam* in auxilium Comitis *Britannia*, qui à rege *Francia* quaſdam injurias perpeſſus eſt, Recepitque rex homagium magnatorum totius quaſi provinciæ, & modicum quidem ibi moratus eſt, nam ægritudine percuſſus reverſus eſt in *Angliam* cum fratre ſuo *Ricardo*; Reliquit tamen in adjutorium Comitis *Willielmum* Mareſcallum & Comitem *Ceſtria*.

1233. Anno Domini M. CC. xxxiij. iiij. non. Aprilis beatus *Edmundus* conſecratus eſt in archiepiſcopum *Cantuarienſem*, & in anno ſequenti factus eſt *Lyncolnienſis* epiſcopus magiſter *Robertus Groſteteſte*. 1234. Anno Domini M.CC. xxxiiij. & anno regni regis *Henrici* xix. transfretavit idem rex in *Hiberniam* cum manu armata, eo quod *Ricardus* mareſcallus prius ibidem transfretaverat volens pro poſſe terram illam ſuo ſubjugare imperio, ſet in ſecretis naturæ plaga percuſſus in Paſchali tempore ultimum efflavit ſpiritum, unde pacificata terra rediit rex eodem anno & in anno ſequenti de conſilio magnatorum ſuorum ſtatuta de **Merton** ordinavit, in regno *Anglia* perpetuis temporibus obſervanda. 1236. Anno Domini M. CC. xxxvj. idem rex de conſilio Magnatorum ſuorum *Alienoram* filiam Comitis *Provincia* ſibi matrimonialiter copulavit, coronataque eſt in reginam cum immenſo gaudio, & ex ea procreavit duos filios proceſſu temporis, *Edwardum* ſcilicet primogenitum qui ſibi ſucceſſit in regnum, & *Edmundum* Comitem poſtea *Leyceſtrenſem*, Qui factus adoleſcens reginam *Naveria* mortuo ipſo rege ſolempniter duxit uxorem. Duas eciam procreavit filias idem rex ex uxore ſua, *Margaretam* ſcilicet quæ regi *Scocia* data eſt, & *Beatricem*, quæ Comiti *Britannia* extitit poſtmodum copulata. Rex autem *Francia Lodowicus* ſororem *Alienora* reginæ *Anglia* filiam prædicti Comitis *Provincia* primogenitam prius duxerat in uxorem. An. Dñi 1237. Anno Domini M. CC.xxxvij. miſſus eſt à latere Papæ *Otho* legatus in *Angliam* ad corrigendum exceſſus cleri & populi cum plenitudine poteſtatis, Qui cum veniſſet *Oxoniam* occurrerunt ei magiſtri & clerici & cum immenſo gaudio ſuſceperunt, at ubi poſtmodum cum vellent negotia procurare repulſi ſunt à ſuis, & vehementer indignati ſunt; Propter quod in unum congregati irruerunt in eum. Ipſe vero fugiens recepit ſe in clocario de **Oſonay** & ibi ſalvavit ſe donec ira quieſceret, ſedatoque furore ipſam villam eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto; & ex præcepto regis capti ſunt multi qui tanti ſceleris autores eſſe dicebantur, & *Londoniam* miſſi. Hic cum eſſet onuſtus pecunia & quædam ſtatuta edidiſſet, reverſus eſt ad locum unde exierat. Eodem anno rex cepit triceſimam. 1239. Anno Domini M. CC. xxxix. 14. kalendarum Julii natus eſt *Edwardus* filius regis *Edwardi* primogenitus, & à beato *Edmundo* baptizatus. Qui ſcilicet beatus *Edmundus Cantuarienſis* archiepiſcopus in anno ſequenti proximo obiit in terris, & locum electorum ſortitus eſt in cœlis. 1242. Anno Domini M.CC.xlij. & regni regis *Henrici* 26. transfretavit idem rex in *Vaſconiam* cum optimatibus multis & exercitu grandi, ut terras quas pater ejus perdiderat recuperaret. Occupaverat enim rex *Francia Sanches* & *Sayncheron* & manſit ibidem cum exercitu grandi ex altera parte *Gerundia*; Cumque rex *Anglia* fixiſſet caſtra ſua ex oppoſito, manſiſſetque ibidem per dies aliquot; Ecce die quadam egreſſi ſunt *Franci* pontem tranſeuntes, ut noſtros ex improviſo aggrederentur ad pugnandum. At illi præmuniti occurrerunt eis quaſi in primo tranſitu pontis, antequam tranſiſſet robur exercitus, & percuſſis quibuſdam in ore gladii alios retrocedere compulerunt; Interim nunciatum eſt regi noſtro qui in veniendo fuit à caſtris, quod tranſierunt *Franci* & prævaluerant, hortabaturque eum ad fugam, & opido cogebantur, qua inita, reverſi ſunt noſtri optenta victoria, & regem ſuum fugientem inſecuti ſunt; Interim vero videntes *Franci* noſtros ex toto fugientes, tranſierunt ſecundo cum magna turba, & caſtra noſtrorum & ſpolia diripuerunt; At ubi noſtri regem ſuum fugientem comprehendiſſent, & nunciaſſent ei proſpera, eum continuo cum toto exercitu reduxerunt, Invenienteſque *Francos* in caſtris eos hoſtiliter aggreſſi ſunt, & cæſis multis, quibuſdam eciam ponte præcipitatis cæteriſque ſubmerſis qui ſe fluctibus potius quam hoſti credebant, reverſi ſunt ad caſtra ſua cum gaudio & victoria. Mane autem facto miſit rex *Francia* nuncios ſolennes qui loquerentur de pace, & hoc cum effectu, Qui cum rege pacifico pacifice loquentes ipſius animum ad bonum pacis reduxerunt; & reſtitutis ejs omnibus reverſus eſt in *Angliam* circa feſtum ſancti *Michaelis*.

1243. Anno Domini M. CC. xliij. poſt obitum *Gregorii* ij. Papæ factus eſt Papa *Innocentius* quartus, & 8. kalendarum *Auguſti* cathedratus eſt, qui deteſtabilem & malitioſam Imperatoris *Frederici* devitare procurans tyrannidem, à ſede apoſtolica per tempus aliquod exulare decrevit, unde profectus exinde venit, & commoratus eſt cum Cardinalibus ſuis & clericis in civitate *Lugduni* ſuper *Rodanum*, qui diſtat à *Roma* duabus diætis; ubi in tercio anno papatus ſui generale Concilium celebrare inſtituit; Et convocatis ibidem ad ipſius præſentiam am archiepiſcopis ; epiſcopis, cæteriſque majoribus univerſalis eccleſiæ prælatis, exilii ſui cauſam illis exponere curavit & fecit. Et ut magis liqueat exilii ſui cauſa prænotanda ſunt hæc.

Imperator *Otho* quartus à Papa *Innocentio* iij. fuit coronatus in baſilica beati *Petri*. Hic accepta corona ſtatim pugnam habuit cum *Romanis*, & contra voluntatem Papæ intravit regnum *Apuliæ*, auferens illud *Frederico* regi *Sciciliæ*. Motuſque Papa in offendentem ; excommunicavit eum. Quarto autem anno Imperii ſui Principes *Alemanniæ* qui ei primo fuerant conjuncti, ab eo recedentes, *Fredericum* ſibi Imperatorem elegerunt ; Qui veniens navigio uſque *Romam* à Domino Papa & à populo terræ honorifice ſuſceptus eſt, & inde proficiſcens in *Alemanniam*, ſuper ipſum *Othonem* magnifice triumphavit. Hic autem *Fredericus* ij. coronatus fuit Imperator ab *Honorio* Papa in baſilica ſancti *Petri*, regnavitque xxxviij. annis, ſet non ſicut eccleſiæ bonus filius ; Ipſe enim ab infantia ab ipſa eccleſia tanquam per matrem educatus & ad imperii faſtigium *Othone* dampnato promotus, eccleſiam Dei non fovit tanquam matrem ſet velut novercam in quantum potuit laniavit ; propter quod idem *Honorius* qui eum coronaverat, ſibi rebellem & *Romanæ* eccleſiæ adverſarium comperiens, ipſum anathematizavit & omnes Principes ejus à ſua fidelitate abſolvit. Ipſe tamen inceptum errorem continuans, multas eccleſiæ Dei injurias intulit & pro poſſe gravamen. Inter quas duos Cardinales qui pro eccleſiæ ſubſidio miſſi fuerant ultra montes, cum redirent ad curiam una cum Prælatis multis qui properabant per naves *Piſanorum* captivavit, & retinuit ; Quibus provocatus injuriis *Innocentius* Papa prædictus, de communi conſilio totius Concilii ipſum *Fredericum* terribili anathemate condempnavit, & exigentibus culpis ſuis ab imperii dignitate depoſuit. Facta ſunt hæc in octavis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*. Quæ cum audiſſet ille depoſitus contempſit omnia, & excommunicationis & depoſitionis ſententias pro nihilo reputans Imperatoriæ majeſtatis potentiam ut prius exercuit, & continuavit, miſitque epiſtolas ſuas ad univerſos orbis Principes, in hæc verba.

FREDERICUS *Dei gratia, &c. Omnibus regibus & Principibus per univerſam Chriſtianitatem ſalutem.* ILLOS FELICES *deſcribit antiquitas quibus ex alieno præſtatur cautela periculo, ſtatus namque ſequentes formantur ex principio præcedentis, & ut impreſſionem cera recipit ex ſigillo, ſic eadem vice formatur mortalitas exemplo. Hanc utinam felicitatem noſtra ſerenitas præoptaſſet, & quam cautelæ ſolertiam vobis regibus ſcilicet Chriſtiani reges ex noſtræ majeſtatis nimia læſione relinquimus, & utinam prius alii reges & Principes læſi ſic reliquiſſent. Porro quoniam clerici pauperum elemoſinis impinguati filios opprimunt, ipſique noſtrorum filii ſubditorum paternæ conditionis obliti ſunt, nec Imperatorem nec regem aliqua veneratione venerari dignantur, quociens in patres Apoſtolicos ordinantur : Quod autem in circumlocutionibus noſtris innuitur, ex* Innocentii *Papæ præſumptione probatur, qui vocato ſynodo ut aſſerit contra nos generali, nec citatos nec ſuper aliqua fraude vel pravitate convictos, auſus eſt ſententiam depoſitionis ſtatuere, quam præter omnium regum enorme præjucium non poterat ſtabilire. Quid enim vobis ſingulis regibus ſingulorum regnorum à facie talis Principis Sacerdotum timendum non ſupereſt, ſi nos & Principum electione ſolempni, & approbatione totius eccleſiæ & cleri, dum clerus fide & religione vigebat, Imperiali diademate divinitus inſignitos, & alia regna nobilia magnifice gubernantes ille deponendos aggreditur, Cujus quoad temporalium detrimenta non intereſt in nos exercere aliquid rigoris, eciamſi cauſæ legitimæ probarentur? Verum quos ſacerdotalis ſic infeſtat abuſio poteſtatis & à ſummo conatur præcipitare deorſum, nec primi ſumus nec ultimi, & hoc quidem facitis ſimulatoribus ſanctitatis obedientes, quorum ſperat ambitio quod totus* Jordanus *in os ejus influat, ô ô ô ſi veſtræ credulitatis ſimplicitas à* Scribarum *&* Pharaſæorum *fermento quod eſt hypocriſis juxta ſententiam ſalvatoris, ſibi curaret attendere, quot illius Curiæ turpitudines execrari poſſetis, quas honeſtas & pudor affari nos prohibet in præſenti? Sane redditus copioſi quibus ex plurium regnorum pauperatione ditantur, quemadmodum ipſi noſtis, ipſos faciunt inſanire. Apud nos Chriſtiani mendicant, ut apud eos panem paterini manducent. Ibi veſtrorum domos obruitis, ut hic adverſariis opida confirmetis; ſic de veſtris elemoſinis tales Chriſti pauperes ſuſtentati, qua beneficii compenſatione, qua ſaltem gratitudinis exhibitione vobis ſe præſtent obnoxios? quanto indigentibus manus largiores extenditis, tanto non ſolum manus ſet eciam pedes avidius apprehendunt, ſuo vos laqueo detinentes, ſicut aviculam quæ quanto ad evaſionem fortius nititur tanto firmius alligatur. Hæc vobis ad præſens ſcribenda curavimus inſufficienter exprimendo votum noſtrum, alia quadam reſervando vobis pro tempore ſecretius intimanda, qualiter ſcilicet & in quos uſus divitias pauperum expendit prodigalitas avarorum, quantis eciam viribus in hoc vere quod inſtat omnes illos qui modo nos opprimunt opprimere poſſe ſperemus etſi ſe nobis opponeret totus mundus. Quicquid autem fideles noſtri latores præſentium vobis retulerint credatis ac ſi ſanctus* Petrus *juraſſet firmiſſimum reputetis, nec credatis aliqualiter quod per latam in nos papalem ſententiam noſtra magnanimitas majeſtatis aliquatenus incurvetur. Habemus eciam conſcientiæ puritatem, & per conſequens Deum nobiſcum, cujus teſtimonium invocamus quia ſemper fuit noſtra intentio voluntatis clericos cujuſcunque religionis ad hæc inducere, & maxime maximos, ut tales perſeverarent in fine quales dudum fuerant in eccleſia primitiva, Apoſtolicam ſcilicet vitam ducentes, humilitatem dominicam ſectantes, & ſubditos informantes verbo & exemplo. Tales namque olim ſolebant Angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare, & ſanctitate ſpiritus non armis ſibi reges & principes ſubjugare : At iſti ſeculo dediti, deliciis debriati Deum poſtpoſuerunt, quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur, eccleſia perit, & devotio ſanctitatis dampnatur. Talibus igitur abſtrahere nocentes divitias quibus dampnabiliter onerantur, opus eſt charitatis. Ad hæc vos & omnes Principes terræ ut cuncta ſuperflua deponentes mediocribus rebus contenti Deo deſerviant, omnes debetis diligentiam adhibere. Valeatis.*

CAP. XV.

NEmpe *Fredericus* Imperator dudum cruce ſignatus durante excommunicationis ſententia mare magnum tranſivit, majorem deſolationem quam conſolationem terræ ſanctæ relinquens; Poſtquam enim ab *Innocentio* Papa ſic depoſitus eſt ab imperio, Principes *Alemanniæ* elegerunt contra ipſum *Langravium Thuringiæ* ut ſuo regnaret imperio; Quo tamen poſt modicum tempus mortuo, *Willielmus* Comes *Holandiæ* denuo contra ipſum eligitur ab eiſdem Principibus, & hic paulo poſt à *Friſonibus* occiditur, & ſic uterque electus benedictione caruit Imperiali. *Fredericus* quidem poſt ſuam imperii deſtitutionem cum inter cæteras civitates *Lumbardiæ Parmam* tanquam magis exoſam ſibi forti manu obſideret, à legato domini Papæ & à *Parmenſibus* eſt devictus, & amiſſis theſauris ipſius & aliis rebus ſuis in *Apuliam* rediens gravi infirmitate correptus eſt, & cito defunctus; *Mamfredus* autem filius ejus ambiens regni *Siciliæ* dominium & theſauros ipſius, tandem cum difficultate tamen ipſum regnum optinuit, retinuitque quouſque *Carolus* frater regis *Franciæ* tunc comes *Provinciæ* per Papam *Urbanum* iiij. vocatus & ſub Papa *Clemente* iiij. veniens ipſum *Mamfredum* vita & regno privavit. Hic *Fredericus* ab *Auguſto* primo xcv. fuit Imperator, & poſt eum vacavit imperium uſque in præſens. Ipſe eciam *Carolus* à regno *Siciliæ* per regem *Aragonum* poſtea dejectus eſt, & in fugam verſus infradicto Concilio *Lugdunenſi*.

Quidam epiſcopi quorum primus extitit *Robertus Groſteteſte Lincolnienſis* epiſcopus ſuis rationibus & allegationibus multis conati ſunt in præſentia domini Papæ libertatem & dominium *Ciſtercienſis* ordinis ſibi vendicare & ſubjicere, ſet exauditi non ſunt ad effectum.

An. Dñi 1245. Anno Domini M.CCxlv. *Wallenſes* effrænati iterum ſurrexerunt in regem ſub capto novo Principe *David*, Qui cum multa feciſſet & igne & gladio multa deleviſſet, aſcendit ibidem rex cum exercitu copioſo credens in brevi totam *Walliam* ſibi ſubjugare, & in tantum in iram motus eſt, quod ſigno Draconis elevato ſuos procedere juſſit in mortem eorum. Ipſi autem in arto poſiti pugnaverunt viriliter pro patria, & non tantum à propoſito regem reſilire fecerunt, immo eciam coegerunt eum abire retrorſum, magnam tamen occiſionem fecit rex ſet in bello publico; non enim auſi ſunt palam cum eo congredi, ſet per viarum diſcrimina ſuis ſemper obviabant. Deluſus igitur à propoſito eo quod montana aſcendere non potuit, ſtatim in convalli ad pedem de **Snawedon** caſtrum conſtruxit fortiſſimum, ponens in eo milites ſtrenuos & viros armis electos, qui eo recedente propter hyemem patriam tuerentur & defenderent; Quibus peractis juſſum eſt ex ore regis exercitum redire ad propria; ſet & ipſe rex cum regina reverſus eſt ut alias revertendi ad prælia tempus expectaret idoneum, non tamen reverſus eſt per tempora multa, nam *Wallenſes* egreſſi deſtruxerunt caſtrum illud quod conſtruxerat, & mediantibus viris pacificis cum eo pacificati ſunt & concordati.

1253. Anno Domini M. CC. liij. & anno regni regis *Henrici* xxxvj. transfretavit idem rex ſecundo in *Vaſconiam* circa feſtum beati *Petri* ad vincula, ut quoſdam rebelles qui ad ejus fidem deciderant ad unitatem pacis revocaret ille pacis tutor, deditque ei dominus pacem & manum ſuperam, ita quod abſque multa ſanguinis effuſione rebelles ſibi pro voto ſubjugavit, Quorum quoſdam obſides præmiſit in *Angliam*, ipſe cito omnibus in pace agentibus & proſpere ordinatis reverſus eſt in *Angliam* in anno ſequenti, Deſponſavitque *Edwardus* filius ejus cum eſſet annorum xvj. *Alianoram* filiam regis *Hiſpaniæ*, & eam in *Angliam* introduxit. Eodem anno liiij. obiit *Robertus Groſteteſte Lincolnienſis* epiſcopus cui ſucceſſit *Henricus de Lexington*. An. Dñi 1255. Anno M. CC. lv. obiit *Walterus de Grey Eboracenſis* archiepiſcopus kalendis Maii. Cui ſucceſſit *Sewallus* qui in anno ſequenti proximo fuit conſecratus apud *Eboracum* x. kalendarum Auguſti. Eodem anno *Judæi* crucifixerunt *Hugonem* puerum novennem *Lyncolniæ* kalendis Auguſti. 1251. Anno Domini M. CC. lj. *Alexander* rex *Scotiæ Margaretam* filiam regis *Henrici* duxit in uxorem, facta eſtq; ipſa ſolennitas in feſto Nativitatis dominicæ apud *Eboracum*, & fecit homagium regi *Henrico*. Eodem anno 17. kalendarum Decembris feria iiij. fulgur terribile contigit à media nocte uſque ad mane. Item eodem anno 7. kalendarum Novembris feria v. ventus extitit inauditus, evertens domos & quaſſans lapides. 1257. Anno Domini M. CC. lvij. Principes *Alemanniæ* elegerunt ſibi in regem *Ricardum* Comitem *Cornubiæ* fratrem regis *Henrici*, & miſſis nunciis acceſſierunt eum, & eodem anno coronaverunt. Kalendis Aprilis dominus Papa miſit quemdam archiepiſcopum de Ordine Prædicatorum cum quibuſdam aliis ſibi ſociatis in *Angliam* pro *Edmundo* filio regis *Henrici*, ut ex dono Papæ adquireret & regnaret in *Apulia*, *Sicilia*, & *Calabria*; ſet tamen ipſa res ad effectum non pervenit. 1258. Anno Domini M. CC. lviij. obiit *Sewallus Eboracenſis* archiepiſcopus, cui ſucceſſit *Geoffridus*. Eodem anno fames valida oppreſſit *Angliam*, & præ fame nimia mortui ſunt multi, vendebatur enim quartarium frumenti pro xvj. s. 1259. Anno Domini M. CC. lix. obiit *Alexander* Papa, cui ſucceſſit *Urbanus* 1261. anno M. CC. lxj. Eodem anno rex & regina transfretarunt in *Franciam*, habita enim fuerat prælocutio inter regem *Alemanniæ Ricardum* fratrem regis *Henrici* & per alios ſolennes nuncios, ut cum rege *Francorum* tractaret & finaliter cōponeret de *Normannia*, ductuſq; conſilio malo ſimplex rex compoſuit, ſic ut regi *Francorum Normannia* remaneret, reddita ſibi & hæredibus ſuis ſingulis annis certa ſumma pecuniæ, Quam tamen pecuniam poſtea pœnitētia ductus nunquā recepit nec recipere voluit in vita ſua. Immo in literis ſuis & epiſtolis toto tempore ſuo ſe Ducem *Normanniæ* appellavit, ſet eo mortuo *Edwardus* filius ejus & ſucceſſor in regno illa duo verba *Dux Normanniæ* in ſuis epiſtolis non poſuit. Ex tunc ingreſſi ſunt curiam regis innumerabiles *Franci* ſicut inantea fuerant *Provinciales*, & repleta eſt terra quaſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, agebanturque negotia regalia per alienigenas & ignotos, & facta eſt eis *Anglia* quaſi ſerviens ſub tributo, quoniam wardas & relevia & cætera emolumenta terræ præ cæteris omnibus aſportabant, indignatique ſunt magnates terræ videntes, & mutuo loquentes ſibi dicebant, Quid faciemus alienigenis iſtis qui ſic opprimunt nos? Si dimiſerimus ſic aſportabunt omnia, & nos vacui remanebimus; Dirumpamus igitur vincula & projiciamus à nobis jugum ipſorum, quoniam ſi tacuerimus peribit *Anglia*, & nos utique erimus opprobrium hominum

&

& abjectio plebis. Et ſicut *Simon Machabaus* ſurrexit pro fratre ſuo *Iuda*, ut pro populo Dei & lege paterna certaret ad mortem: ſic & *Simon de Monteforti* pro *Anglia* erexit ſe, ut pro legibus & libertatibus ejus uſque ad mortis perniciem dimicaret; initoque conſilio adierunt regem Comites et Barones, et dixerunt ei. « DOMINE rex, Inter « manus alienigenarum res utique tua male agitur et « diverſimode tractatur, nam conſumptis univerſis « multo jam deprimeris ære alieno, et datis pro cibariis tuis talleis, verſus es in ſcandalum in omni « populo tuo. Nunc ergo ſanis adquieſce conſiliis, « et domum tuam committe diſpoſitioni fidelium « tuorum, ſolvemuſque debita tua infra annum ex « noſtro proprio, ita tamen ut noſtrum levare poſſimus infra quinquennium. Sic familiam tuam « non minuemus ſet augmentabimus multis militibus, et tibi et regno tuo omnem adhibebimus diligentiam et cuſtodiam utique fidelem. Adquievit eis rex, et certos diem et locum ſtatuerat, ſcilicet *Oxoniam*, à die Paſchæ in xv. dies ubi omnes convenirent tractaturi de profecto regis et utilitate regni. Convenientibus igitur epiſcopis et ad eoſdem diem et locum, inprimis ab eo rege et cæteris Magnatibus Sacramentum petierunt, ut quæ pro utilitate regis et regni providerentur abſque ulla contradictione univerſaliter tenerentur. Præſtititque juramentum rex ſe ſervaturum ſtatuenda quæ ad honorem Dei et Eccleſiæ ſuæ et profectum ſui et utilitatem regni conderentur; Juraverunt eciam cæteri Magnates quaſi omnes, novem eciam epiſcopi qui excommunicaverunt omnes qui huic facto contradicerent, rege tenente cereum ignitum, et prædixerunt palam ſi auſu temerario vellet quis contradicere, ſurgerent omnes in eum, velut accipitres in corvum. Venerant enim inſtructi cum armis ut quod in animo conceperant ſtatim executioni mandarent. Fratres autem regis fuerant iv. nolentes in hac parte conſentire, occulte quidem receſſerunt, tendentes *Wintoniam*. Iratique Barones inſecuti ſunt eos uno corde & animo velut catuli Leonum rugientes; ne forte munirent præſidio civitatem occupatam. Cumque eos comparere compellerent, & cognoviſſent eos in ſua contumacia permanere, ſtatuerunt ſtatuta. *Inprimis quod ad terras ſuas quas in partibus tranſmarinis habebant transfretarent. Et hoc quidem ſtatutum ſtatim executioni mandabant, Rege pro eis interveniente & multis precibus ſupplicante, ſet tamen exaudiri non potuit quoad hoc.* Statuerunt eciam *quod omnes alienigenæ cujuſcumque conditionis exiſterent ſeu nationis confeſtim repatriarent ſub pœna membrorum & vitæ.* Statueruut adhoc *quod ſi teneat quis de Rege in parte & teneat ſimiliter de aliis dominis pro diverſis partibus, ſi de eo humanitus contigerit, hærede ſuo infra ætatem legitimam exiſtente, quod Rex hæredem habeat cum terra quam de dominio ipſius tenet, & cæteri domini habeant terras de feodis eorum uſque ad ætatem hæredis, Et eſcaetas & relevia unuſquiſque eorum ſecundum partem tenuræ ſuæ.* Statuerunt inſuper *quod lanæ terræ compararentur in* Anglia *nec alienigenis venderentur, Et quod omnes uterentur pannis laneis infra limites terræ operatis, nec nimis precioſas veſtes quærerent, Item quod expenſas voluptarias & ſuperfluas omnes pro poſſe devitarent.* Alia quædam ſtatuta ſunt & ordinata quæ cauſa brevitatis ſcripta non ſunt in libro hoc. Moratique ſunt ibidem per dies xv. & multi veneno perierunt. Extinctus eſt enim Abbas *Weſtmonaſterienſis* vir utique nobilis & diſcretus, & *Willielmus* frater Comitis *Gloverniæ* vir commendabilis & ſtrenuus; Ipſe eciam Comes *Gloverniæ* in cura medicinali uſque ad aſſumptionem perſiſtens tandem cum difficultate maxima mortem evaſit; Ceciderunt enim pili ex capite ejus & ungues ex manibus ejus; Noluit autem Dominus tanto neceſſitatis articulo & tam evidenti periculo ipſius præſentia *Angliam* viduari. Quæ quidem ſeditio impoſita fuit & imputata cuidam militi *Waltero de Stonenay*, & ad appellum Comitiſſæ *de Inſula* comprehenditur, judicatur & trahitur. Videntes autem magnates pericula multa nec expedire in præſenti conſilium revelare, clauſerunt ordinata & ſigillis ſingulorum munierunt, ſtatuentes diem certum à feſto ſancti *Michaelis* in xv. dies ut omnes convenirent *Londoniæ*, & eſſent parati cum armis ad perficiendum quod inceperant. Adveniente igitur die, convenerunt omnes & ſingulis diebus quaſi per menſem integrum in conſiliis perſiſtebant & armis. Tandem publicata ſunt omnia & executioni ſententialiter demandata.

Publicatis ſtatutis & executioni demandatis, diſplicuerunt multa regi & pœnituit eum ſic juraſſe, ſet quia reſiſtere non potuit ex arrupto, diſſimulavit ad tempus. Cumque elapſo anno non videret ſe ut promiſerant à debitis relevari ſet magis onerari, in multum condoluit. Et miſſis ad papam nunciis, quoad ſacramentum præſtitum abſolutionis beneficium conſecutus eſt & quoad ſe & ſuos omnes; Abſolvit eciam papa indifferenter omnes ab eodem juramento ut citius inter ſe in vinculo pacis unirent. Statimque abſolutione optenta, reſilivit rex à promiſſis, & convocato Parliamento ſuo *Oxoniæ*, Quæſtionem movit magnatibus ſuis, dicens, Se quantum ad proviſiones tenendas callide quidem inductum & ſeductum. Inſuper quod ad ſacramentum præſtitum & pro ſe & ſuis & univerſaliter omnibus abſolutionis beneficium generaliter impetraſſe, unde peciit ſe ad omnia reſtitui ſicut antiquitus eſſe conſuevit. At illi qui convenerant, Comes ſcilicet *Leyceſtrenſis, Simon de Monte forti*, Comes de *Glouceſtria, Gilbertus de Clara, Humfridus de Boune* juvenis, Comes *Ferarenſis*. Barones eciam quamplurimi, ſcilicet dominus *Johannes filius Johannis*, dominus *Henricus de Haſtinges*, dominus *Galfridus de Lucy*, *Johannes de Veſcy* juvenis, dominus *Nicholaus de Segrave*, *Hugo le Spenſer*, & *Robertus de Veſpounte*, pro ſe ſiquidem & ſuis ſequacibus unanimiter reſponderunt, Quod Proviſiones ad quas juramento aſtricti fuerant uſque in finem vitæ tenere voluerunt, eo quod pro utilitate regis & regni communiter editæ fuerant & confirmatæ. Dumque vota ſua ſic mutaſſent in varia & impacati recedere voluiſſent, quidam epiſcopi aderant qui interpoſuerunt partes ſuas, Ita quod ipſis & aliis amicis communibus ſic cum difficultate mediantibus compromiſerunt partes utrimque ſe velle ſtare in omnibus arbitrio regis *Franciæ Lodowici*. Qui quidem rex auditis hinc inde propoſitis & diligenter ponderatis, decrevit in fine regi *Angliæ* exhæredationem fieri manifeſtam, unde ſtatuta eorum quaſi omnia reprobavit, & eidem regi ſtatum priſtinum reſtituit, imponens aliis ſilentium quantum ad jura regalia ordinanda. Motique magnates & indignantes receſſerunt, ſtare nolentes ejus arbitrio eo quod pro rege omnia rex ipſe judicavit.

Reverſis ergo magnatibus ſe in quantum poterant ad arma properabant. Quod audiens rex, ipſe eciam ſe modis omnibus properabat adducens cum eo alienigenas & *Francos* multos: Interim vaſtabantur regalia jura, & igne & gladio multa decidebant. Cumque cognoviſſet Rex multos ex Baronibus apud *Northamptoniam* conveniſſe, divertit ibidem cum exercitu, adduxitque cum eo regem *Alemania* fratrem ſuum, & *Edwardum* filium ſuum, *Johannem Comyn* de *Scotia* qui multos adduxerat *Scotos*, *Iohannem de Balliolo* dominum *Galwidie*, *Robertum de Breuis* dominum *Vallis Anandia*, *Rogerum de Clifford*, *Philippum Marmionn*, *Iohannem de Vaus*, *Rogerum de Layburn*, *Henricum de Percy*, & *Philippum Baſſet*, *Rogerum de Mortimer*, & *Willielmum de Valence* fratrem ſuum & multos alios. Mandavitque Rex Baronibus qui aderant, quod urbem & obſides ſibi continuo redderent, vel ſtatim irrueret in mortem eorum. *Simon de Monte forti* junior qui ex præcepto patris cæteros ibidem ad conſulendum attraxerat, nondum enim advenerat pater ejus nec Comes *Glovernia*, audacter quidem & unanimiter reſponderunt, quod mandatum regis non facerent, Immo ſe & urbem defenderent ſi eſſet neceſſe uſque ad mortem. Quod audientes regales miſerunt denuo quod ſaltem venirent ad murum civitatis ut ex muro loquerentur ad regem, ſi quo modo poſſet via pacis inveniri. At illi nil doli ſuſpicantes adquieverunt eis, & relictis cuſtodiis ſuis murum verſus pratum adierunt, ibidem enim rex & robur exercitus imminebat. Interim vero dum inter Regem & Barones varii haberentur tractatus & diverſi, dominus *Philippus Baſſet* qui ad hanc ſeditionem fuerat præordinatus, cum ligonibus & inſtrumentis ferreis & viris præparatis juxta monaſterium ſancti *Andrea* murum ſuffodit civitatis, Corruitque murus de facili, & facta eſt planicies magna, ita quod in una fronte ingredi poſſent equeſtres xl. Imputatus eſt eciam ipſe dolus illis monachis alienigenis, quod introeuntibus per illos ad introeundum eſſent erectæ ſcalæ. Factus eſt utique ululatus multus & clamor populi aſcendit ad Barones, feſtinaveruntque ibidem reſiſtere ſet in caſſum, quoniam ab hoſtibus jam in magna multitudine præventi ſunt. *Simon* vero juvenis cum *Petro de Monte forti* & paucis cum ſequentibus per medium eorum tranſiliens, cum aliquantiſper ſtrenue militaſſet, & eſſet ab hoſtibus circumſeptus, adveniente jam filio regis *Edwardo* juſſu ipſius captus eſt. Clerici vero univerſitatis *Oxoniæ*, quæ quidem univerſitas juſſu Baronum ibidem tranſlata fuerat, ipſis ingredientibus & inſultantibus majora fecerunt mala quam cæteri Barones cum fundis & arcubus & baliſtis. Habebant enim vexillum per ſe & in ſublime contra regem erectum, unde iratus rex juravit, quod in ingreſſu ſuſpenderentur omnes. Quo audito raſerunt capita ſua multi, & fugam qui poterant velocem inierunt. Ingreſſo itaque rege in urbem ſic captam fugerunt multi, alii ſicut erant armati, in caſtrum, alii relictis equis & armis in Eccleſiam; pauci tamen corruerunt, & hii quidem de communi populo, nec erat multus ſanguis effuſus, quoniam quaſi ſubito hæc omnia facta ſunt; Pacificata tamen urbe juſſit rex exequi quod juraverat. Et dixerunt ei. Abſit hoc à te ô rex, nam filii magnatorum tuorum & cæterorum hominum de regno tuo huc cum Univerſitate hac convenerunt, quos ſi ſuſpendi feceris ſeu detruncari, inſurgent in te tui qui modo tecum ſunt, non permittentes pro poſſe ſanguinem filiorum ſuorum ſeu proximorum effundi. Placatuſque eſt rex, & contra clericos quievit ira ejus. In ipſo eciam eodem die poſt horam aliquantam inſultum fecerunt ad caſtrum ipſi regales, timueruntque ſibi novi caſtrenſes, eo quod victualia & cætera reſiſtendi neceſſaria non haberent, ſtatim miſſis nunciis dederunt ſe in gratiam regis. Capti ſunt in die illa milites ſubſcripti & Barones, dominus *Willielmus de Ferar*, dominus *Petrus de Monte forti* ſocius prædicti *Simonis* junioris, dominus *Baudewinus de Wak*, dominus *Adam de Newmarche*, dominus *Rogerus Bertham*, dominus *Simon filius Simonis*, miles ſtrenuus qui primo erexit vexillum contra regem; dominus *Hengeramus de Watervyle*, dominus *Hugo Gubyon*, dominus *Thomas Mannſel*, dominus *Robertus Boutevylayn*, dominus *Nicholaus de Wake*, dominus *Robertus de Neuton*, dominus *Philippus de Bribi*, & *Grymbaldus de Ponntevolt*. Omnes prædictos captivavit rex & plures alios; quorum quoſdam in eodem Caſtro bene munito ſub cuſtodia domini *Nicholai de Haureſtham* cuſtodiendos tradidit, quoſdam ſecum adduxit, quoſdam eciam ad diverſa caſtra, & *Simonem de Monte forti* ad caſtrum de **Windeſour** deſtinavit. Factaque ſunt hæc quoad captionem *Norhamtonia* ſabbato primo in paſſione Domini ſcilicet iij. nonarum Aprilis, anno Domini M. CC. lxiv. Perrexitque rex uſque **Notingham**, incendens & devaſtans maneria Baronum & cæterorum hoſtium, ibique recollegit magnates ſuos & numerum ſuorum vehementius adauxit.

An. Dñi 1264.

Cumque rumor iſte ſiniſter Comiti *Simoni* qui cum exercitu grandi verſus **Norhamton** in veniendo erat, à tranſeuntibus & fugientibus diceretur, infremuit, nec tamen concidit vultus ejus, ſed ſtatim *Londonias* adiens fecit ſibi fieri currum quaſi falcatum in quo equitaret acſi eſſet ægrotus, finxit enim ſe debilem & infirmum cum eſſet bellator robuſtus & fortis. Congregati ſuntque ad eum cæteri magnates complices ſui Comites & Barones, & ſinguli ſingulas adduxerunt cohortes. Præparatiſque ibidem ligneis machinis profecti ſunt ad obſidendum *Roceſtriam*, Comes enim de *Warennia* villam tenuit & caſtrum ex parte regis. Cumque primam partem una cum ponte cepiſſent & illuminaſſent in parte, vulnerati ſunt multi & retrocedere compulſi ſunt, ibique vulneratus eſt ſtrenuus miles ille *Rogerus de Layburn* & male tractatus: Cumque ſic obſidionem continuarent ad tempus, nunciatum eſt eis, quod in veniendo erat rex verſus *Londonias* cum exercitu copioſo, & dixerunt adinvicem, Si in adventu ſuo *Londonias* occupaverit rex, erimus hic incluſi quaſi in angulo terræ; revertamur ergo *Londonias* ut & locum ſalvemus & gentem. Poſitis ergo quibuſdam certis perſonis ad tenendum obſidionem, *Londonias* reverſi ſunt. Adveniente demum rege exierunt cum civibus obviam ei, non tamen ad recipiendum cum palmis ſet ad repellendum cum lanceis. Declinavitque rex, & capto caſtello de **Kyngeſton** quod erat Comitis *Glonceſtria*, profectus *Ronceſtriam* ubi interfectis quibuſdam obſidionem illam fregit, Indeque perrexit rex apud **Tunebrug** & reddito ei caſtro cum villa cepit ibidem Comitiſſam *Glonceſtria*, & eam poſuit in Abbathia non cuſtodiendam quidem ſet ut abiret libere quo vellet, Reliquitque ad cuſtodiam caſtri & urbis magnam partem ſui exercitus

Hen. III.

tus pluſquam xx. vexillarios electos, eo quod communiter diceretur, quod Comes *Glouceſtria* ad expugnandum eos in proximo adveniret; Quo facto, iter inceptum continuavit uſque **Winchelſee**, ubi marinarios de portubus recepit ad pacem, & cum eis plene concordatus eſt, & poſt triduum autem egreſſus à loco illo venit in ſequenti ſabbato in villam de **Lewes**, & receptus eſt rex in Abbathiam, filius autem ejus in caſtro. Interim mittebant literas ad Regem Barones xij. ſcilicet die Maii excuſatorias & comminatorias in parte, dicentes, ſe ei honorem velle facere quantum ad perſonam & ſtatum proprium, homines tamen quoſdam quos ſecum tenuerat impetere vellent velut hoſtes publicatos ubicunque invenirentur in terra. At communicato conſilio conſcripſit eis & præcipue duobus Comitibus *Leyceſtria* & *Glouceſtria*, arguens eos de dampnis ſibi illatis, incendiis & rapinis, & quod per eos in terra ſua guerra mota eſt, Adiciens, quod homines quos gravare voluerant eos tanquam fideles ſuos reputans pro poſſe defenderet & liberaret. Inſuper & injurias ſibi illatas tanquam proprias emendari faceret & pro tempore judicaret. Quibus auditis appropinquabant regi, non enim diſtabant multum à loco illo qui dicitur **Lewes**. Dumque regalibus foragium defeciſſet, præceptum eſt in die martis, ut procederent pro quærendo feno & paleis. Quibus proficiſcentibus ſet non proficientibus præventi ſunt plures, & ab hoſtibus interempti. An. Dñi 1264. Reliqui vero viderunt hoſtes venientes in ſummo diluculo die Mercurii, & exclamantes excitaverunt regem & ſuos ad arma capienda. Venientes ergo Barones in plena planicie deſcenderunt ibidem, & equos cingentes properabant arma, ubi Comes *Symon* ipſum Comitem *Glouceſtria* & *Robertum de Ver* una cum multis aliis novos fecit milites & armis militaribus eos inſignivit; Quo facto, omnem exercitum in quatuor acies ſeparatas diviſit & diſtinxit, ſtatuitque magnates in ſingulis qui acies dirigerent & gubernarent. Aciei vero primæ conſtituti ſunt Duces, *Henricus de Monte forti* primogenitus *Symonis* Comitis, & *Guido* frater ejus, Dominus *Johannes de Bourgh* juvenis, & dominus *Humfridus de Boun*. Aciei vero ſecundæ, *Gilbertus de Clara* Comes de *Glouceſtria*, Dominus *Iohannes filius Iohannis*, & dominus *Willielmus de Montenſy*. Aciei autem terciæ in qua *Londonienſes* erant, ad rogatum eorum dominus *Nicholaus de Segrave* aſſignatus eſt, qui eciam inſtanter ſupplicarunt ut primos belli ictus habere poſſent & eventum rei ſub dubio recipere. Quartæ vero aciei dux fuit ipſe Comes cum domino *Thoma de Pilneſdon*. Interim egreſſi ſunt regales ad pugnam ſe properantes per tres turmas, quarum primam ducebat filius regis *Edwardus* cum Comite de *Warenna* & *Willielmo de Valence* fratre regis. Secundam vero rex *Alemania* cum filio ſuo *Henrico*. Terciam autem ipſe rex cum magnatibus ſuis. Quartam vero aciem conſtituit rex eo quod plures vexillarios reliquerat poſt ſe ad cuſtodiendum villam & caſtrum de **Tunebrig** contra Comitem de *Glouceſtria*; & erat ibi juvenilis ætas quaſi totius militiæ ſuæ, non enim credebat rex adventum Baronum tam propinquum. Præparatis hinc & inde itaque aciebus exhortabantur adinvicem ad ſtrenue militandum, & conſerto gravi prælio corruerunt multi pedeſtres quaſi in momento. Statimque filius regis *Edwardus* cum acie ſua utpote juvenis acer & miles ſtrenuus irruit in hoſtes cum tanto impetu quod eos retrocedere compulit ſpacio magno, ita quod poſteriores quidam ex retroceſſione credentes primos corruiſſe, fugerunt plures & aquæ ſe credentes tranſierunt. Submerſi ſunt milites circiter lx. cæſiſque aliquibus fugerunt ſtatim *Londonienſes* qui primos ictus belli petierant diſcrimina ignorantes, quos inſequebatur *Edwardus* cum turma ſua cædens extremos eorum ſpacio duorum miliarium vel trium. Eos enim habebat exoſos pro eo quod receſſerant à patre & matrem ſuam dehoneſtaverant cum à *Weſtmonaſterio* uſque regiam *Turrim* per aquam *Tameſia* navigaret, proicientes ex ponte in navem ipſius lutum & lapides, & contumelioſa verba promiſerant. Interim vero dum ſequebatur ſic fugientes irruerunt Barones in aciem regis ſecundam, periitque pars ejus maxima, & captus eſt rex *Alemania* cum *Roberto de Bruys* & *Iohanne Comyn* qui *Scotos* adduxerant numeroſos, perforataque eſt acies ipſius regis, & dextrarius ejus occiſus. Cumque vidiſſent ſui multos corruiſſe & quamplures fugam iniſſe, reduxerunt regem in abbathiam unde prius exierat, claudentes portas & cuſtodiam adhibentes cum multis militibus; Ingreſſique ſunt Barones in urbem optenta victoria, nec facile diſcerni poterat per longum ſpacium præ multitudine vulneratorum qui dicerentur Regales & qui Baronales. Dumque fierent hæc *Edwardus* filius regis cum turma ſua reverſus, & videntes ſui in planicie currum quem fieri fecerat Comes *Symon* ad equitandum, ſtatim cum equis abſque auriga vel duce itineris cucurrerunt, & quaſi in momento delaceraverunt eum. Duos eciam burgenſes quos invenerunt in eo, gladio peremerunt. Appropinquantes autem ad locum occiſorum & ſtragem intuentes permaximam, expavit cor eorum, & ferocis animi vultus deperiit. Confortabat tamen corda eorum dux ille ſtrenuus regis filius, & ut eſſent viri robuſti modis omnibus animabat. Appropinquantibus ipſis ad urbem exierunt Barones obviam eis, & conſerto gravi prælio corruerunt hinc & inde, Fugitque Comes de *Warenna* cum duobus regis filiis *Willielmo de Valence* & *Guidone* fratre ejus, & ſequebantur eos pluſquam ſeptingenti armati electi qui erant de domo & familia eorum, & eodem die proficiſcentes uſque **Pevenſay** mare tranſierunt. Fugit eciam *Hugo Bigot* cum multis aliis, & filium regis ſtrenue militantem vecorditer reliquerunt. Quod videns ipſe denuo circumduxit villam uſque caſtrum, & ibi non invento patre reverſus eſt ad eum in abbathiam. Interim tumultuabat Civitas per partes utraſque, vacabant enim ſpoliis & rapinis & equis occiſorum ſtabiliendis, nec adhuc ſe mutuo cognoſcere potuerunt. Cumque poſt modicum coadunati Barones inſultum feciſſent ad caſtrum pro *Iohanne Giffard* & aliis concaptivis quos regales acceperant, defenderunt ſe ſtrenue & emiſſis telis ignitis magnam partem villæ incenderunt. Quod videntes Barones retraxerunt ſe & ad Abbathiam diverterunt, & illuminata Eccleſia telis eorum, ſet tamen poſt modicum ignis ille extinctus eſt. Videns autem filius regis eorum audaciam & recollectis multis ex ſuis cum remanſiſſent adhuc plures viri ſtrenuiſſimi, diſpoſuit iterato exire ad pugnam; Quo cognito miſerunt Barones mediatores pacificos qui diem differentes in craſtinum promiſerunt quod in craſtina die loquerentur de pace plena cum effectu. Actaque ſunt hæc in menſe *Mayo* die ſancti *Dun-*

ſtani

Hen. III. An. Dñi 1264.

ſtani epiſcopi anno Domini M. CC. lxiv. ſequente vero die Jovis diſcurrebant inter Regem & Barones bini & bini de ordine Prædicatorum & Minorum, portantes verba pacifica, & ſic cum quibuſdam aliis interponentes partes quod ſequenti die veneris tradidit ſe filius pro patre, *Edwardus* ſcilicet pro rege & pro cæteris commilitonibus ſuis, & *Henricus* filius regis alterum dedit ſe pro patre ſuo, & hæc ſub ſpe pacis & quietis cum deliberatione tractarent inpoſterum. Quæ proviſionum & ſtatutorum eſſent pro utilitate regni tenenda, & quæ rationabiliter recuſanda, & quod hinc inde captivi libere abſque ullo dato redderentur. Sequenti vero ſabbato licentiavit rex ſuos quaſi timens, & abierunt in pace ad loca ſua tam caſtrenſes quam familiares & cæteri qui erant in Eccleſia conſtituti. Miſitque rex de conſilio filii ſui et Comitis literas ſuas ad fideles ſuos quos in munitione de **Tunebrige** conſtituerat, quod de cætero quicquam Baronibus mali non inferrent ſet redirent ad propria, eo quod pax erat in januis et modis omnibus adimplenda. At illi non credentes perrexerunt ita ut erant uſque **Briſtow**, et manſerunt ibi in præſidio uſque poſt evaſionem filii regis *Edwardi* à carcere. Primo tamen cum audiſſent apud **Tunebrige** regem devictum & *Londonienſes* per filium regis in fugam verſos, prædicente *Willielmo de Say*, qui à conflictu fugerat, quod hoſpitarentur *Londonienſes* qui fugerant, apud **Croydon**, irruerunt in eos adveſperante die, & captis ſpoliis multos peremerunt.

Decreſcente parte regis & roborata parte Comitis difficiliorem ſe Comes exhibuit, eo quod rex & omnia ſua in poteſtate Comitis & gratia dependebant; Circumduxit ergo filium regis ad fortiora caſtra quouſque quaſi omnia caſtra terræ in poteſtatem Comitis traderentur; & extunc artius ſolito cuſtodiebat eum. Cumque crebreſceret fama quod filius regis in vinculis teneretur, excitaverunt eum ut tornearet ut videretur in populo. At ille præmunitus & ſeditionem timens, non ſe credebat eis. Filii autem Comitis qui erant quatuor, ſcilicet *Henricus*, *Symon*, *Guydo* & *Hemericus* in ſuperbia erecti fecerunt mala quæ diſplicuerunt Comiti *Glouceſtriæ*. Inter quæ *Henricus* ille primogenitus cum ipſo Comite *Glouceſtriæ* torneaſſe debuerat apud **Norhamton** ſet defecit, eo quod timebant plures inde poſſe deterius evenire; Motuſque Comes miſit ad patrem eorum Comitem *Symonem*, & petiit ſibi mitti inſignes captivos quos ipſe ceperat in bello **Lews**, inter quos rex *Alemaniæ* nominabatur primus. At ille remandans, reſpondit, Sibi ſufficere debere quod ei terras ſalvaverat in ipſo die Belli: noluit ergo mittere ſet nobiliores ſervavit in caſtro *Dovorniæ*, inter quos fuit ipſe *Philippus Baſſet* qui in conflictu *Norhamtonenſi* murum confoderat, ut ſupra continetur; Indignatuſque Comes *Glouceſtriæ* accepto reſponſo miſit continuo ad dominum *Rogerum de Mortimer*, qui parti regis ſemper abſque mutatione adhæſerat, quod mutuo loquerentur pro utilitate regis & regni. At ille timens ne forte infidelis eſſet petiit obſidem & obtinuit; Convenientibus tandem ipſis, dixit ei Comes omnia quæ facta ſunt, & quod pœnituit eum peccaſſe in regem & peccati maculam delere velle in liberatione ipſius pro poſſe. Miſerunt ergo ſecrete ad *Robertum* fratrem ipſius Comitis *Glouceſtriæ*, qui cum Comite *Symone* morabatur & inter primos ipſius magnus tenebatur, quomodo unanimes effecti ſunt, & quod ad liberationem filii regis cautius inſtaret cum ad id ſe offerret oportuna facultas. Miſitque prædictus *Rogerus de Mortimer* ad filium regis equum optimum & curſorem velociſſimum in quo confidere poſſet cum ſibi videret tempus oportunum. Quibus cognitis, peciit *Edwardus* de conſilio prædicti *Roberti* à Comite *Symone* licenciam ſpaciandi & probandi dextrarios ſi forte torniare deberent, ſicut & aliquando voluiſſent; & erant tunc apud *Herfordiam* & Rex & Comes, ſemper enim regem ſecum tenuit Comes & cum honore. Accepta itaque licentia; cum jam curſiſſet equos aliquos & eos laſſos reddidiſſet, tandem aſcendit illum equum electum quem prædictus *Rogerus de Mortimer* ei miſerat, & ob hanc cauſam præmiſſo interim puero qui conſenſerat cum duobus gladiis, & in equo optimo. Converſuſque ipſe ad cuſtodem ſuum *Robertum de Ros* cæteroſque ſocios circum aſtantes, dixit, Domini cariſſimi aliquantiſper manſi in cuſtodia veſtra, & ulterius manere nolens ad Dominum vos commendo; & converſis loris cum feſtinatione abiit. Inſequentes autem eum cæteri comprehendere non potuerunt, & demum videntes *Rogerum de Mortymer* à caſtro ſuo de **Wiggemor** cum multis armatis venientem obviam ei ſicut primitus condixerant, reverſi ſunt vacui & ſic illuſi. Eodem anno ſcilicet M. CC. lxiv. obiit *Urbanus* Papa cui ſucceſſit *Clemens* iv.

Audita evaſione filii regis à carcere, concurrit ad eum multus populus & cum immenſo gaudio ſuſceperunt eum, Inter quos quaſi primus extitit Comes *Glouceſtriæ* & cæteri Regales qui apud **Briſtow** & in confinio ejus diu permanſerant, crevitque in brevi tempore exercitus ejus in immenſum. Quo cognito timuit ſibi Comes *Leyceſtrenſis Simon de Monteforti*, & mittens in *Walliam* vocavit inde multos & robur ſui exercitus ex omni qua potuit parte multiplicavit; Miſit eciam *Symonem* filium ſuum ad Magnates boriales ut eos cum omni feſtinatione adduceret. Qui coadunatis multis fere xx. banarettis & plebe multa fecit aliquantiſper feſtinationem apud caſtrum de **Kenylworthe**; Nunciatum eſt hoc *Edwardo* filio regis per exploratorem ſuum *Margoth*, quæ cum mulier eſſet, in veſte tamen virili, velut homo gradiebatur, & per *Radulfum de Arderne* qui cum eſſet ex parte altera conſocios tamen prodidit & decepit: Eratque *Edwardus* tunc in *Wirceſtria* quam poſt *Glouceſtriam* paulo ante devicerat, & accepto nuncio conſurgens de nocte abiit & pervenit ad locum quem præordinaverat exploratrix illa ad armandum ſe. Erat enim vallis profunda & prope locum caſtri. Dumque armarent ſe & equos cingerent, audierunt ſonitum à longe venientem & timebant, dicentes, Præmuniti ſunt hoſtes noſtri & ecce jam veniunt; ſtatimque aſcenderunt equos & lanceas in manibus adaptabant. Cumque direxiſſent acies ſuas ante diluculum & proceſſiſſent in itinere, venerunt hoſtium longæ quadrigæ ut victualia quærerent, & continuo captæ ſunt & equi diſtributi in loco laſſatorum equorum per exercitum. Procedentes vero & irruentes in hoſtes ſummo diluculo invenerunt eos dormientes in villa & abbathia, & erant multi minuti ſanguine venæ.

Peremptis ergo multis de communi populo ceperunt circa quindecim vexillarios electos & ſpolia multa. *Symon* vero juvenis qui pernoctaverat in caſtro ſic cum paucis captionem evaſit. Geſta ſunt

Hen. III. An. Dñi 1265. hæc iv. non. Auguſti anno Domini M.CC.lxv. & ſtatim ad *Wirceſtriam* reverſi ſunt. Cumque audiſſet *Edwardus* Comitem *Symonem* in veniendo eſſe verſus **Kenilworth** ut exercitui filii ſui conjungeretur & fieret fortior, proceſſit obviam ei die tercio apud **Eveſham**, & ordinato exercitu per tres acies, ipſe cum ſuis ex parte una, Comes *Glouceſtria* ex parte altera, & *Rogerus de Mortimer* à tergo veniebat. Venit itaque *Edwardus* filius regis ex parte boriali quaſi de **Kenilworth** apud **Eveſham**, & ne cognoſceretur à longe, præcepit primo erigi vexillum *Symonis* junioris & cæterorum qui captivi ducebantur, feſtinavitque ut montis clivo aſcenſo primos belli ictus occupare poſſet; Cumque vidiſſet ſpeculator Comitis *Symonis*, *Nicholaus* ſcilicet barbitonſor ejus, qui homo expertus erat in cognitione Armorum, armatos ſic à longe venientes, dixit ad Comitem, Ecce veniunt armati multi à ſeptentrione, & ut cognoſci poſſint à longe apparent vexilla tuorum. Et ille, Filius meus eſt, inquit, ne timeas, ſet vade & circumſpice ne forte præoccurrimur circumventi. Non enim cognoverat adhuc de hiis quæ filio acciderant. Perrexit ille ſpeculator in altum in clocario Abbathiæ ubi Comes fuit hoſpitatus, & de claro cognoſcens vexillum filii regis à latere uno, depoſuerat enim tunc alia vexilla, & vexilla Comitis *Glouceſtria* à latere altero, & vexilla *Rogeri de Mortimer* ab occidente & à tergo, clamavit ad Comitem, & dixit, Mortui ſumus omnes, non enim venit filius tuus ut credebas, ſet filius regis ex parte una, Comes *Glouceſtria* ex altera, & *Rogerus de Mortimer* ex parte tercia. Et ait Comes, Propitietur Deus animabus noſtris, quoniam eorum ſunt corpora noſtra, præcepitque ut confiterentur omnes & eſſent parati in prælium qui pro legibus terræ mori vellent & pro juſtitia, qui vero per fugam ſe ſalvare vellent & hos quidem liberos abire præcepit. Cumque confortaretur à primogenito ſuo *Henrico* ne deſperaret in eventum dubii, reſpondit, Non deſpero fili ſet præſumptio tua & ſuperbia fratrum tuorum me ad hunc finem quem vides perduxit, nunc verumtamen ut credo moriar pro Deo & juſtitia. Armantur ergo omnes & ad prælium aliquantiſper animantur. Set & ipſe rex qui in cuſtodia Comitis uſque in præſens remanſerat, armis ut dicitur Comitis armatus eſt. Proceſſerunt ergo per turmas ſuas ad pugnandum pro patria, & antequam progreſſi ſunt fugerunt *Walenſes* à Comite *Simone*, & in tranſeundo flumen **Dee** multi ſubmerſi ſunt, & reliqui denuo baptiſati. Conſerto itaque gravi prælio corruerunt multi ex parte Comitis, ſet & ipſe rex percuſſus in ſcapula, clamavit fortiter, Ego ſum *Henricus de Winceſtria* rex veſter, non occidatis me; Erat enim vir ſimplex non bellicoſus. Salvavit eum in voce hac dominus *Adam de Monte alto*; Accurrit eciam filius ad vocem patris & eum cuſtodiendum tradidit cæteris militibus ſuis. Interim vero cecidit & occiſus eſt Comes *Simon*, antequam reverteretur *Edwardus*, & cum ſtaret pedes pugnans gladio & occiſo deſtrario. Cumque ſtetiſſent magnates ſui cum *Henrico* primogenito ſuo, prorupit in hæc verba, dicens ad hoſtes, Num miſerecordia aliqua vobiſcum eſt? Et reſpondit unus. Quæ miſerecordia ſeductori? Et ille. Miſereatur ergo Deus animabus noſtris quoniam corpora noſtra in veſtra voluntate ſunt. Et hiis dictis martyrizaverunt eum præciſis membris & amputato capite. Corrueruntque cum eo in modico terræ ſpacio *Henricus* primogenitus Hen. III. ejus, dominus *Hugo le Spenſer*, dominus *Radulfus Baſſet*, dominus *Thomas de Henſtelee*, dominus *Willielmus de Maundeble*, dominus *Johannes de Beauchamp*, dominus *Guido de Balliof*, dominus *Rogerus de Roule*, & multi alii nobiles cum plebe copioſa. Geſtaque ſunt hæc ij. non. Auguſti anno Domini M.CC.lxv. duravit bellum hoc ab hora quaſi prima uſque fere veſperam; Et reverſi ſunt cum rege ſic liberato uſque *Wirceſtriam*, portantes ſecum ſpolia multa; & caput Comitis *Symonis* mittentes ad uxorem *Rogeri de Mortimer* apud **Wiggemore**.

Poſt modicum tempus recolligebant ſe Barones qui remanſerant, & cœpit habere nomen celebre dominus *Johannes Daynill*, homo quidem callidus & bellator fortis; Fecerunt ergo mala quæ poterant & convenerunt in menſe Mayo apud **Ceſtrefild** ſub ipſo *Johanne* & Comite *Ferarenſi*, ubi ſupervenientes regales milites irruerunt in eos ſubito, & ceperunt multos iterum quaſi dormientes. Ipſe tamen *Johannes Daynell* confeſtim armatus dum exiret ut fugeret, percuſſit dominum *Gilbertum Haunſard*, & eum cum equo ictu lanceæ dejecit in terram, & aufugit cum paucis qui eum ſequi poterant, periitque populus multus, & interim nobiliores fugam inierunt; Fugitque Comes *Ferarenſis* & in eccleſia abſcondit ſe, ſet tamen prodente eum quadam muliere extractus & captivus abductus eſt. Tenuitque rex Parliamentum ſuum menſe Novembris apud **Northampton**, & exhæredati ſunt omnes qui Comiti *Symoni* aſtiterunt, & uxor ejus cum liberis. Tenuitque ibidem Concilium *Othobon* legatus domini papæ, & excommunicavit omnes Epiſcopos qui eidem Comiti *Symoni* auxilium præſtiterant & favorem; Miſitque quoſdam eorum ad præſentiam papæ pro beneficio abſolutionis optinendo. Publicavitque quædam ſtatuta quæ fecerat, & conceſſionem domini Papæ *Clementis* quam fecerat Regi & Reginæ de decima *Angliæ* Eccleſiæ conceſſa eiſdem per vj. annos ſubſequentes; Fiebatque cito poſt taxatio *Norwicenſis* per *Walterum Norwicenſem* epiſcopum qui ad hoc onus electus eſt. Factaque ſunt hæc in anno Domini M.CC.lxvj. Eodem anno obiit *Godefridus* An. Dñi 1266. *Eboracenſis* archiepiſcopus & electus eſt *Willielmus* decanus ejuſdem eccleſiæ, ſet tamen à papa non admiſſus, Immo miſſis ad papam literis per ipſum *Othobonum* legatum tranſtulit ipſe papa *Willielmum Giffard* à ſede *Bathonenſi* uſque ad ſedem *Eboracenſem*, & in ſequenti anno in archiepiſcopum *Eboracenſem* conſecratur.

Anno Domini M.CC.lxvij. obſedit rex *Henricus* 1267. caſtrum de **Kenilworth**, à v. kalendarum Junii uſque idus Decembris, ubi adveniente *Othobono* legato & interveniente reddidit regi *Henricus* de *Haſtinges* qui fortiter illud tenuerat, ſalvis ſibi vita & membris & catallis. Interim recolligerant ſe Barones cum *Iohanne Daynill* in Inſula de **Haxatholm**, et procedentes inde ceperunt *Lincolniam* ſpoliaveruntq; *Iudaos* et multos ex eis peremerunt, et introeuntes ſynagogam eorum librum legis dilaceraverunt ſuccendentes eciam igni omnes Cartas et obligationes quaſcumque invenire potuerunt; Quod audiens rex miſit filium ſuum *Edwardum* ut comprehenderet eos, at illi fugientes à facie ejus receperunt ſe in inſula de **Ely** munientes introitum ex omni parte. Erat enim menſis Aprilis. Cumque filio regis advenienti

non

Hen. III. non pateret introitus propter exitus aquarum quæ ex omni parte ipſam circuierunt inſulam, de conſilio incolarum ejuſdem provinciæ convocavit operarios multos et per foſſata multa in profundo mariſci viam quam præpedierant incolæ fieri juſſit, apponens tabulas et crates et fieri faciens pontes in pleriſque locis. Ingrediente tandem eo in inſulam per viam quam fecerat, fugerunt Barones quidam *Londoniam* et à *Londonienſibus* ſuſcepti ſunt, cæteri vero reddiderunt ſe, ſcilicet dominus de *Wake*, et *Symon* juvenis et *le Peſchee* ſalvis vita et membris, et quod ipſe filius apud patrem intercederet ad ipſius regis gratiam plene promerendam. Adveniente tandem rege cum conſilio *Londoniam*, Barones qui confugerant illic una cum ipſis civibus tenuerunt villam contra regem xl. diebus; Et ipſum *Ottobonum* legatum qui in turrim regiam præ timore confugerat, ne quidem exiret diligenter cuſtodiebant; Tandem vero interveniente Comite *Glouceſtria* et multis amicis Comitis, recepti ſunt in gratiam Regis Barones et cives, electique ſunt quatuor epiſcopi, et octo magnates qui prius fuerant nominati apud *Coventriam*, ut ipſi inter regem et exhæredatos formam pacis et redemptionis in omnibus ordinarent: Factaque pronunciatione in feſto omnium Sanctorum de plena concordia et redemptione ſingulorum, ſtatuta eſt pax ipſius regis et præconizata per totam regionem. Tenuit rex Parliamentum ſuum in octabis ſancti *Martini* apud Merleberg anno regni ſui & ad exhibitionem communis juſtitiæ multa fecit ſtatuta, quæ dicuntur *Statuta de Marleberg.*

Sub memorati regis noſtri *Henrici* principatu ſuſcitavit bellum dominus epiſcopus Chriſtianorum contra *Saracenos* longo jam tempore poſſidentes ſanctuarium Dei, id eſt loca ſancta in quo redemptio noſtra facta eſt. Factus eſt ergo per diligentiam *Romani* Pontificis *Clementis* & aliorum ſervorum Dei religioſam operam magnus populi Chriſtiani concurſus, & fortiſſimi Principes charactere Domini inſigniti ſunt, & numeroſa ſtipati militia orientis regna laborioſiſſime penetrarunt: Inter quos eandem expeditionem aſſumpſit *Edwardus* filius regis *Henrici*, & iter arripuit in æſtate anno Domini M.CC. lxx. dabaturque triceſima per totam *Angliam* ob hanc piam cauſam. An. Dñi 1270. Veniens autem circa feſtum ſancti *Michaelis* apud *Egermorth* quæ diſtat à *Marſilio* xviij. leucis verſus occidentem, ibidem navem aſcendit, & proſpero vento vela laxantes & pro voto proficiſcentes, decimo die applicuit apud *Thunes*, ſuſceptuſque eſt cum immenſo gaudio à regibus Chriſtianis quos ibidem invenit, à rege *Franciæ Philippo* qui nomen regium ſortitus eſt poſt mortem patris ſui *Lodowici* qui paulo ante ibidem defunctus eſt, & à *Karolo* rege *Siciliæ* & aliis duobus regibus ſcilicet *Navarniæ* & *Aragonum*; omnes iſti reges convenerant pro zelo Dei & populo Chriſti. Ipſe eciam *Edwardus* pro ſe & pro patre, & *Henricus* filius regis *Alemaniæ* pro patre ſuo ſimiliter veniebat. Hic eciam *Henricus* filius regis *Alemaniæ* in redeundo poſtea ad patrem apud *Viterbium* in ipſa capella cum miſſam audiret occiſus eſt per *Guidonem de Monte forti* & Comitem *Rurſum* cujus filiam ipſe *Guido* duxerat, in ultionem patris ſui Comitis *Symonis*. Cumque à prædictis regibus ſciſcitaretur *Edwardus* quid fieret. Reſponderunt ei, Quod princeps civitatis iſtius cum adjacente provincia tributum reddere conſuevit regi *Siciliæ* annis ſingulis, & quia multo tempore per ſeptennium & ultra jam in ſolutione ceſſavit, idcirco adpetivimus eum. Ipſe vero ſciens tributum juſte deberi, jam ſatisfecit nobis ad votum & quidem pro tempore præterito & futuro. At ille, Quid eſt domini cariſſimi nonne convenimus huc & characterem Domini aſſumpſimus ut contra inimicos crucis *Chriſti* procedere & componere deberemus? Abſit à nobis hoc, nam modo patet introitus & terra nobis eſt plana & dura ut poſſimus procedere uſque ad ſanctam civitatem *Ieroſolymam.* At illi dixerunt, Jam cum iſtis compoſuimus & pactum præterire non licet, ſet revertamur in *Siciliam* & tranſacta hyeme apud *Acram* applicare poterimus. Diſplicuitque ei conſilium hoc, nec ipſi compoſitioni aſſenſum præbuit, non participans quicquam de pecunia ſcelerata, ſet facto eis regali convivio clauſum ſe tenuit. Permanentes itaque in fixo propoſito, demum aura flante conſcenderunt naves univerſi reges & remanſerunt in littore pluſquam CC. viri non habentes navem in qua veherentur, clamantes & ejulantes præ timore mortis quam cito oporteret recipere ſi remanerent; Motus ergo *Edwardus* in lacrimis eorum cum non moverentur alii, terram cum ſcapha adiit & in naves ſuas ſingulas adaptans eós præmiſit omnes ante ſe, & ſic demum cum cæteris laxatis velis & mare ſulcans profectus eſt. Septimo autem die applicuerunt omnes in regno *Siciliæ* ex oppoſito civitatis de *Trapes* ſecundo quaſi die ante feſtum Apoſtolorum *Symonis* & *Iudæ*, & hora quaſi nona & anchoriaverunt in mari alto pluſquam uno miliare à terra, Erant enim maximæ naves ſingulæ habentes duo vela & ſupra modum onuſtæ. Veneruntque obviam eis ex portu civitatis ſcaphæ multæ & Reges & Principes & Majores exercitus uſque ad terram perduxerunt bina vice vel trina, ſet equos valde paucos & arma quaſi nulla. Adveſperante demum die movit ſe mare, & ſubito orta eſt tempeſtas ſæviſſima ita quod colliſæ naves & confractæ perierunt & ſubmerſi ſunt pluſquam centum xx. cum equis & armis & animabus multis, periitque theſaurus ille ſceleratus & in profundum maris demerſus eſt. Omnibus autem navibus ipſius *Edwardi* quæ erant xiij. non nocuit illa tempeſtas, nec periit ex eis unus homo, ſalvavitque Deus omnia ſua eo quod conſilio ſcelerato non conſenſerat. Mane autem facto cum egrederentur omnes reges ad mare viderunt in litore homines ſubmerſos & equos abſque numero; viderunt quidem & doluerunt, nec mirum cum tantis navibus & mille quingentis nautis abſque communi populo non remanſerant aliqui niſi nautæ tantum unius navis, et hii quidem hoc modo; Erat enim in alia navi una bona matrona et Comitiſſa, quæ periculum videns et juſte ſibi timens, quæſivit à nautis utrum ſalvari poſſent ſi litus maris arripere attemptarent, At illi reſponderunt, Quod ſi fiet ſic ſalvarentur homines, ſet periret ipſa navis. At illa, Non ſit vobis cura de navi, quoniam ſi ſalventur animæ duplicabo vobis precium navis: ſtatimque duo vela laxantes in altum, cum tanto impetu irruerunt in terram quod ab aqua maris longe ſeparata fixa manſit in litore; ſet ut prædixerant nautæ in duas partes reſoluta eſt, et ſalvæ factæ ſunt omnes animæ cum contentis univerſis. Mutato ergo propoſito reverſi ſunt omnes Reges in terras ſuas, ſubmerſis ut dictum eſt equis et armis. Solus autem *Edwardus* hiemavit ibidem cum navibus ſuis quas Deus omnipotens ſibi optime ſalvaverat. Hen. III.

Circa medium Quadrageſimæ iterato propoſitum renovans, navem aſcendit *Edwardus*, & à Paſcha Domini per xv. dies ad *Acram* applicuit cum mille viris electis; manſitque ibi per menſem integrum ad refocillandum homines & equos, & ut interim ſecreta terræ cognoſceret. Poſt menſem vero perrexerunt cum eo Chriſtiani multi quaſi vij. mille & profecti ſunt quaſi viginti leucis ab *Acra*, ceperuntque *Nazareth*, & quos invenerant peremerunt. In redeundo autem apud *Acram* ſequebantur eos hoſtes ſi quomodo ex eis occidere poſſent in loco ſtricto vel convalle; quod illi videntes deverterunt facies ſuas ſtatim & cæſis aliquibus cæteros in fugam converterunt. Iterato circa feſtum nativitatis ſancti *Johannis Baptiſtæ* cum audiſſet *Edwardus* conveniſſe *Sarracenos* apud *Kakehow* quod diſtat ab *Acra* quaſi xl. miliaribus, exivit ibidem & irruens in eos ſummo diluculo peremiſit ex eis quaſi mille viros cæteris in fugam velocem converſis, tuleruntque ſpolia multa, & profecti ſunt uſque caſtrum peregrinorum quod ſupra mare ſituatur, manentes ibidem cum cæteris Chriſtianis nocte illa, & in ſequenti die reverſi ſunt ad *Acram*. Interim rex *Ieroſolymitanus* qui advenerat miſit ad magnates de *Cypro* ut in auxilium Chriſtianorum cum feſtinatione venirent: at illi venire noluerunt, dicentes, ſe nolle terram ſuam exire. Miſitque tunc ad eos *Edwardus* ut ad rogatum ipſius venirent, ſaltem in hac parte. At illi continuo veniebant cum magna militia, dicentes, ſe teneri mandatis ipſius, pro eo quod anteceſſores ſui dominabantur olim terræ illorum, & ſe debere regibus *Anglorum* ſemper eſſe fideles. Animatique Chriſtiani tercio exierunt circa ad vincula ſancti *Petri* uſque ad ſanctum *Georgium*, & peremptis quibuſdam cum non invenirent qui reſiſterent reverſi ſunt cum gaudio in locum ſuum. Cumque inter inimicos crucis *Chriſti* *Edwardi* fama increbreſceret eum timuerunt valde, & mutuo loquebantur ſi forte poſſent eum opprimere caute; miſit ergo ad eum literas princeps ille magnus *Amirandus de Iaſpes*, fingens in dolo ſe velle eſſe Chriſtianum, & quod multos attraheret ad ſe ſi tamen ab ipſo cæteriſque Chriſtianis haberetur cum honore. Placuitque ſermo & excitavit eum *Edwardus* ad hujuſmodi propoſitum perficiendum; iterato vero & tercio & quarto ſemper miſit eundem puerum ob eandem cauſam, & ille nuncius erat de *Alto* inter tales nutricios qui nec mortis timent periculum, nec Deum reverentur. Quinta autem vice cum veniſſet ad eum idem nuncius, & ut moris erat à miniſtris *Edwardi* videri in brachiis & zona ſi quid fraudis eſſet nec cum cultello vel armis inventus eſt, adduxerunt eum ad cameram *Edwardi*, inclinanſque tradidit ei literas ex parte domini ſui ſicut alias facere conſueverat, eratque dies Jovis infra octavas Pentecoſtes & hora veſperarum, & propter calorem nimium ſedit *Edwardus* in tunica ſola ſuper lectum diſcooperto capite; dumque legerentur literæ apparuit in lectura earum quod in ſequenti Sabbato ejuſdem ebdomadæ veniret dominus ſuus ad perficiendum quod promiſerat, placuitque ſermo cunctis audientibus, & confabulabantur à longe in hiis quæ audierant: ipſe vero curvatus *Edwardo* plura ſciſcitanti ad interrogata reſpondit, Tandem vero manum apponens ad balteum ſuum quaſi ſecretas literas extracturus, extrahit ſubito cultellum venenatum ut ventri ſedentis eum infigeret. At ille elevata manu ut percutienti reſiſteret vulneratus eſt in brachio profunde, & iterato percutere volentem repercuſſit pede cum tanto impetu quod in terram corruit, apprehendique manum ipſius, & tam valide cultellum excuſſit quod ſeipſum vulneravit in fronte, & ſtatim infixit in ventrem ejus & occidit eum. Accurrentes ad hæc miniſtri ejus qui à longe ſteterant, invenerunt in terra mortuum, & apprehendit unus eorum tripodem, ſcilicet citharoda ſuus, & percuſſit eum in capite & effudit cerebrum ejus; increpavitque eum *Edwardus* quod hominem mortuum percuſſiſſet. Deſcendit rumor iſte ſiniſter in aulam & ab aula in populum, & contriſtati ſunt valde. Accurrenſque ſtatim Magiſter miliciæ templi dedit ei precioſa quæque habere ne infuſum venenum noceret ei, vel in interiora abſconderetur. Et increpando dixit, Nonne prædixi tibi ſeditionem populi hujus? Adjecitque ad hæc. Confortare tamen & noli timere quoniam ex iſto veneno non morieris. Vocantur ergo chirurgici & medicamenta imponunt, ſet poſt dies paucos videntes denigreſcere carnem muſſitaverunt inter ſe nec erat ulla lætitia populo ſuo. Quod ille perpendens, dixit eis, Quid eſt quod muſſitatis? Nonne ſanari poſſum? Dicite mihi nec timeatis. Et ait unus natione *Anglus*, Curari potes ſet oportet te dura pati. Et ille: Si paſſus fuero nunquid ſanitatem promittis? At ille: Promitto quidem & ſub pœna capitis mei. Et ait: Committo ergo me tibi, & exerce quæcunque volueris. Et ille: Nunquid ſunt aliqui ex magnatibus tuis in quibus confidis? At ille nominavit multos ex circumſtantibus, circumſtiterunt enim eum magnates plurimi cum uxore ſua; Et ait duobus primo nominatis, ſcilicet domino *Edmundo*, & domino *Johanni de Veſcy*, nunquid & vos diligitis dominum veſtrum? Dixerunt utique. Tollite ergo mulierem hanc & non videat eam dominus ejus quouſque dixero vobis. Tulerunt ergo eam flentem & ejulantem, & dixerunt, Sine domina, melius eſt quod effundas lacrimas quam quod lacrimetur tota terra *Anglicana*. Mane autem facto, incidit denigratam carnem brachii ſui & projecit ex toto, & ait, Confortare, quoniam promitto tibi quod infra xv. dies manifeſtabis te, & equum aſcendes. Tenuitque quod promiſit, & admirati ſunt univerſi. Cumque diceretur hoc magno *Soldano* *Edwardum* ſcilicet eſſe ſuperſtitem, vix fidem adhibuit, & mittens ex ſuis tres principes magnos excuſavitque ſe, Deos ſuos atteſtans, Quod per ſe vel ex ipſius ſcientia non eſt factum hoc. Qui ſtantes à longe adoraverunt *Edwardum* proni in terram. Et ait *Edwardus* in *Anglico*, Vos quidem adoratis me ſet minime diligitis; nec intellexerunt verba ejus eo quod per interpretem loquerentur ei. Honorifice autem attractavit eos, & poſt biduum dimiſit in pace. Poſt tempus modicum diſcurrebant inter partes mediatores & nuncii pro treugis iniendis, & inierunt inter ſe treugas decennales x. ebdomadarum & x. dierum. Profectique ſunt Chriſtiani ad loca ſua præter inhabitatores urbium quæ ſub poteſtate Chriſtianorum manebant.

Initis itaque treugis poſtquam ipſe *Edwardus* jam uno anno & dimidio manſiſſet in *Acra*, circa Aſſumptionem beatæ *Mariæ* virginis navem aſcendit ut reverteretur, ſet poſt vij. ebdomadas in *Cecilia* applicuit apud *Trapes*, inde viam faciens per *Pale-*

Hen. III.

Paleſtinam & *Mechines*, & ſic per medium *Poylla* uſque *Romam*, ubi à papa *Gregorio* honorifice ſuſceptus eſt. Cumque appropinquaret *Franciam*, & fama gloriæ ejus divulgaretur in populo, invidebant gloriæ ejus multi, & præcipue Comes ille ſtrenuus de *Chalons*, miſitque & petiit ut torniaret cum eo in terra ſua; qui gloriam laudis ſuæ minuere nolens, licet peregrinationis ſuæ cauſam prætendere poſſet & excuſare, noluit tamen, ſet libenter conceſſit: & præconizatum eſt voce publica quod *Edwardus* cum peregrinis ſuis partem torniamenti tenerent contra omnes advenire volentes. Concurrerunt itaque multi ex omni parte regionis illius, inter quos pedeſtres multi & eciam quidam equeſtres conjurati ſunt ad invicem in ſpoliationem *Anglorum*, præ manibus vendentes & equos & arma, & bibentes vinum *Libaninum* in ſpoliationem captivandorum. Miſit eciam *Edwardus* in *Angliam* pro quibuſdam magnatibus & venerunt ad eum Comites & Barones; adveniente demum die inventi ſunt cum *Edwardo* fere mille milites armati & pedeſtres multi: ſet ex parte altera duplare eum poterant & hominibus & equis. Congredientibus ergo partibus cœperunt pedeſtres qui conjuraverunt ſpoliare & perimere; reſiſtebantque noſtri cum fundis & arcubus, & peremptis quamplurimis cæteros ad portas civitatis perſecuti ſunt; multos eciam fugaverunt ad aquam, & multi ſubmerſi ſunt. Interim dedit ſe Comes cum electis ſuis l. militibus qui ſequebantur eum ad cuneum *Edwardi*, & conjunxit ſe ei, multiſque gladiorum ictibus longo ſpacio decertabant. Cumque eſſent ambo ſtrenui, & vidiſſet ſe Comes non proficere gladio, circumduxit brachio collum *Edwardi* & eum vehementer aſtrinxit; & ait *Edwardus*, Quid tibi vis? Nunquid me habere credis? Et ille: Utique & te & equum habere volo. Indignatus ad hæc, erexit ſe & percuſſo dextrario in tantum irruit quod relicto equo proprio collo ipſius adhæſit alter, excuſſitque eum in terram cum diu ſic pendere non poterat. Attonituſque *Edwardus* exivit continuo ut ventum reciperet ad refocillandam animam ejus. Videnſque iniquitatem eorum, & quod multos ex ſuis jam perimerant, & non torneamenti ſet modum belli exercerent, ait ſuis, Jam nemini parcat oculus veſter ſet ſicut ipſi nobis faciunt, ſic & vos faciatis eiſdem; ingreſſi ſunt ergo in mortem aliorum, & ex omni parte gladio ſævierunt, reverſique pedeſtres à cæde cæterorum cum vidiſſent ex ſuis multos corruiſſe, ingreſſi ſunt audacter conflictum equeſtrium, & eviſceratis quibuſdam ex equis multorum eciam cingulis inciſis aſcenſores eorum in terram corruerunt; deditque ſe *Edwardus* prædicto Comiti qui tunc manibus ſuorum elevatus erat in equum, & diu quoque fuſtigatum cum ſe ſedare *Edwardus* vellet non adquievit in primis, ſet cum defeciſſet tandem virtus ejus, ex præcepto *Edwardi* cuidam militi ſimplici ſe tradidit, & fugerunt cæteri multi & in eodem loco plurimi corruerunt. Reverſique noſtri optenta victoria. Cumque noſtri quieſcere ſecurius crederent, nunciatum eſt *Edwardo* quod perimebantur ſui dum tranſirent de domo in domum à civibus civitatis; ſtatimque vocato Majore & præpoſitis civitatis præcepit eis ut ſuos corriperent & caſtigarent, alioquin civitatem in craſtinum incenderet & complanaret: illi autem abeuntes poſuerunt cuſtodias ex omni parte civitatis, & quievit in pace. In haſtiludio iſto multus ſanguis effuſus eſt, unde nomen illius mutatum eſt ita quod non torniamentum ſet parvum bellum de *Chalons* communiter diceretur. Inde perrexit *Edwardus Pariſius* & à rege *Francorum* honorifice ſuſceptus eſt, & poſt dies aliquot profectus eſt in *Vaſconiam*, & moratus eſt ibi uſque poſt obitum patris.

Hen. III.

An. Dñi 1271.

Anno Domini M.CC.lxxj. xiiij. kalend. Octobris tanta fuit apud *Cantuariam* inundatio pluviæ, tonitrui, fulguris & tempeſtatis quanta à diebus antiquis nunquam audita vel viſa fuerit, durante tonitruo & horribiliter quaſi ex uno ictu tonante tota die & nocte prædicta; & tanta inundatio aquæ ſecuta eſt quod arbores, vineas, & hayas ſubvertit, ita quod incedere non poſſent homines nec equi. Et periclitabantur multi impetu aquæ decurrentis per plateas. Et in domibus civitatis ſecuta eſt fames maxima in tota regione.

1272.

Anno Domini M.CC.lxxij. obiit papa *Clemens* iiij. cui ſucceſſit *Gregorius* decimus. Eodem anno obiit *Petrus de Brus* xiij. kal. Octobris.

1273.

Anno Domini M.CC.lxxiij. frater *Robertus de Kylvarby* de ordine prædicatorum in archiepiſcopum *Cantuarienſem* erectus eſt per dominum papam, qui in anno ſequenti vocatus ad curiam, in Cardinalem *Hoſtienſem* conſtitutus eſt, & ſucceſſit ei in archiepiſcopatum ex collatione papæ frater *Johannes Pecham* de ordine *Minorum*. Eodem anno diſcordia extitit magna *Oxonia* inter clericos Aquilonares & *Hybernicos*; & aliqui occidebantur *Hybernici*.

Ciſtrenſis l.7.c.37.

Hoc anno eciam obiit rex *Anglia Henricus* die ſancti *Edmundi* pontificis; & juſte, ut creditur, vitam ſuam in ejus feſto terminavit quem injuſte dum viveret vexavit.

Leyceſtrenſis.

Cronica *Weſtmonaſterii* verius ſe habet ſic. Hic *Henric.* poſt lvj. annos à prima coronatione ſua cum ſit bis coronatus ſicut patet, ab hac luce migravit, & in eccleſia *Weſtmonaſterii* quam propriis ſumptibus fecerat renovari, ſibi dignam meruit ſepulturam. Qui quantæ innocentiæ, quantæ patienciæ, quantæque devotionis, & quanti meriti in vita ſua fuerat apud Deum, teſtantur poſt mortem ipſius miracula ſubſecuta.

Leyceſtrenſis dicit eum regnaſſe à prima coronatione lviij. annos, quod verius videtur.

Ciſtrenſis.

Defuncto *Bonifacio Cantuarienſi* archiepiſcopo electus eſt Prior *Cantuarienſis* in archiepiſcopum, ſet eo caſſato, *Gregorius* promovit fratrem *Robertum de Kylwarbi* de ordine *pradicatorum* ſacræ Theologiæ profeſſorem. Qui inter cætera induſtriæ ſuæ opera inſignes notulas ſuper *Priſcianum* & ſuper Logicam compilavit. Cito poſt hoc *Lodovicus* rex *Francia* cum duobus filiis ſuis & rege *Navarræ* ac prælatis plurimis terram ſanctam iterato abiit, ſet gravi infirmitate circa maritima terræ illius invaleſcente, exercitus Chriſtianorum qui fuit ducentorum millium, diſperſus eſt; nam legatus papæ qui fuit gubernator peregrinorum in terra ſancta, & ipſe rex *Francia* defuncti ſunt. Ipſe nempe rex dum decumberet infirmus orabat jugiter in hunc modum, Fac nos quæſumus Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare. Et pro populo quidem ſic orabat, Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos; & in fine adjecit, *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum ſanctum tuum.*

Edw. I.

Liber tercius.

CAP. I.

Leiceſtrenſis. An. Dñi 1272.

HIC etenim *Henricus* iij. mortuus eſt anno Gratiæ M.CC.lxxij. & ſepultus apud *Weſtmonaſterium* juxta feretrum ſancti *Edwardi*. Iſte *Henricus* habuit filios & filias quos generavit de uxore ſua filia Comitis *Provinciæ*. *Edwardus* primogenitus, *Edmundus*, *Margareta* regina *Scotiæ*, *Beatricia* Comitiſſa *Britanniæ*, *Katerina* quæ moriebatur virgo.

Ciſtrenſis l.7.c.38.

Edwardus filius regis *Henrici* iij. x. non. Auguſti rediit de terra ſancta in *Angliam* cum *Helenora* uxore, & coronatus eſt xiiij. kalend. Septembris à *Roberto Cantuarienſi* epiſcopo, & in craſtino coronationis ſuæ recepit publice homagium & fidelitatem ab *Alexandro* rege *Scotiæ*.

Leyceſtrenſis.

Rex *Edwardus* in die coronationis ſuæ dum ſederet ad menſam hora prandii venit honorare eum mirabili viſu cum centum militibus in bonis dextrariis, & cum ab equis ſe dediſſent, dimiſerunt equos ire quo vellent, & quicunque capere potuit, abſque contradictione poſſedit ad voluntatem. Deinde venit *Edmundus* frater regis *Edwardi*, Comes *Cornubiæ*, & Comes *Glouceſtriæ*, Comes de *Pembrok*, Comes *Warenna*, & quilibet eorum habuit in ſua comitiva centum bene præclatos milites eleganti forma in ſui domini armis; & cum deſcendiſſent de palefridis ſuis, dimiſerunt eos quibuſcumque capere volentibus abſque reclamatione qualicunque. Et aquæductus in **Chepe** currebat de vino albo & rubio ſicut pluvia aquarum, & bibebant volentes ad placitum. Deinde fecit rex diligentiam ſuam emendare & reformare errata regni ad laudem Dei & honorem eccleſiæ ejus, & gravamina communis populi ſui emendare pro ſuo poſſe ſecundum rationem. Et fecit ſtatutum apud *Londonias* quod vocatur *Statutum Weſtmonaſterii*.

Papa *Gregorius* tenuit concilium generale apud *Livns*. Et de qualibet regione fuerunt ibi procuratores. Papa petiit auxilium ab eccleſia ire in terram ſanctam, Archiepiſcopus *Cantuarienſis Robertus de Kylwarbi* non audebat negare petitionem Papæ eo quod ipſum promoverat. Inter alios qui nolebant concedere, magiſter *Ricardus de Peccham* decanus *Lyncolnienſis* propoſuit unam billam excuſatoriam quod terra *Angliæ* in tantum fuerat depauperata per diverſas guerras, & decimas, & ſubſidia per papas conceſſa per ſex annos, quod non poſſent levare aliquod ſubſidium & vix vivere. Statimque papa privavit eum omni beneficio, & habuit decimam de ſex annis ab eccleſia, & tercia die reſtituit eum ad beneficia ſua. Papa fecit ibi multas Conſtitutiones quæ vocantur *Gregorianæ*, & moriebatur eodem anno ultra montes. Poſt quem, papa *Johannes*, qui moriebatur infra duos menſes, nam camera ſua occidit ſuper eum. Poſt quem *Nicholaus* iij. 1275. Inſuper anno Gratiæ M.CC.lxxv. inter primam & terciam apud *Londonias* & in tota terra, in caſtellis, & villis, & campis, & domibus terræmotus. Eodem tempore fuit pluvia rubia ut ſanguis in *Wallia*. Eodem anno venit prima communis ſcabies ovium in *Anglia*.

Ciſtrenſis.

Deinde *Edwardus* ſecundo anno leges edidit. *Innocentius* v. poſt *Gregorium* decimum ſedit papa menſibus v. Hic prius vocabatur *Petrus Tarentaſius* de ordine *Prædicatorum*, Theologiæ doctor. Cui ſucceſſit *Adrianus* v. menſibus ij. qui dudum miſſus fuit in *Angliam* à papa *Clemente* quarto ad ſedandum diſcordiam Regis & Baronum. Poſt quem ſedit *Johannes* xxj. menſibus viij. qui prius eſt dictus *Petrus*, in variis ſcientiis famoſus. Set poſtquam adeptus eſt gradum apoſtolicum adeo deſipuit, ut naturali induſtria magna ex parte carere videretur: veruntamen literatos homines promovit. Hic cum ſæpius coram multis vitam longam ſibi promitteret, corruens ſubito de nova camera quam *Viterbyæ* extruxerat, poſt ſextum diem ruinæ expiravit. *Nicholaus* iij. poſt *Johannem* ſedit papa annis quaſi iij. Hoc anno quia *Lewlinus* princeps *Walliæ* ad parliamentum regis *Angliæ* venire noluerat, rex adiit *Walliam*; Caſtrum de **Flynt** de novo fundavit, caſtrum de **Ruthelan** firmavit, ubi *Lewlinus* ſubdidit ſe regi, dando pro tranſgreſſione l. millia librarum; & pro inſula **Angleſeye** mille marcas per annum.

Leyceſtrenſis.

Iſte *Lewlinus* primo anno coronationis regis *Edwardi* cœpit cõtradicere homagium ſuum & annuum redditum, ad quem ipſemet ſe obligaverat tempore *Henrici* iij. ut antedictum eſt, & in præjudicium regis *Angliæ* voluit ſe maritare ſine licentia regis *Edwardi*; ſet *Edwardus* virtute guerræ ſecundo anno ipſum confundebat, & tandem poſuit ipſum ad novam redemptionem, & ipſum fecit accipere uxorem de dono ſuo anno Gratiæ M.CC.lxxvij. 1277. Nam ſecundo anno coronationis ſuæ rex tenuit parliamentum ſuum apud *Weſtmonaſterium*, & fecit unum ſtatutum pro defectu *Lewlini* per communem aſſenſum Baronum; Deinde poſt Paſcha proximo ſequens, rex mandavit per breve ſuum principi *Lewlino* ut veniret ad parliamentum ſuum pro terris ſuis ſecundum tenorem obligationis ſuæ. *Lewlinus* duxit mandatum in deriſum, & tandem cœpit guerram movere & terras regis *Edwardi* deſtruere. Et cum rex *Edwardus* hæc audiſſet, iratus valde, & ſine mora cœpit congregare populum, & tranſivit verſus *Walliam*, & adeo atrociter inſequebatur *Lewlinum* quod duxit eum ad magnam diſtrictionem. Et *Lewlinus* videns quod ſua defenſio non potuit valere, reddidit ſe & ſubmiſit ad miſericordiam regis, & miſit ſe proſtratum ante pedes regis. Rex pietate motus fecit eum ſurgere, & propter humilitatem quam oſtendebat, pardonavit illi quicquid erga eum deliquerat: & addidit, ſi iterum delinqueret erga regem, pro ſuo perpetuo puniretur. Et accepit puellam filiam ſcilicet Comitis de *Monte forti* cum hæreditate patris ſui, & fecit obligationem de novo, venire bis in anno ad parliamentum regis. Et anno ſequenti mortua eſt uxor ejus prædicta.

Ciſtrenſis.

Nicholaus papa ordinavit fratrem *Robertum de Kylwarbi* tunc archiepiſcopum in Cardinalem, & poſuit ad ſedem *Cantuarienſem* fratrem *Johannem de Peccham*. Rex *Edwardus* graviter punivit Judæos & eorum conſentaneos pro tonſione monetæ & pravis eſcambiis, unde uno die omnes Judæos capi fecit, quoſdam ſuſpendit, cæteros ejecit.

Leyceſtrenſis.

Edwardus filius *Henrici* venit de terra ſancta in Auguſto cum uxore ſua *Helenora*. Anno Gratiæ M.CC.lxxiiij. ætatis ſuæ xxxvij. anno.

Ciſtrenſis.

Rex *Edwardus* cum proceribus ſuis edidit ſtatutum contra mortuam manum, anno Gratiæ M.CC.lxxviij. 1278. ita ut nullus deinceps terras, tenementa,

menta redditus daret, venderet, legaret, aut permutaret, ſeu quovis titulo viris religioſis aſſignaret ſine licentia regis.

Leyceſtrenſis. Eodem anno dedicata eſt eccleſia abbathiæ *Leyceſtrenſis* anno Gratiæ M.CC.lxxix.

Ciſtrenſis. Rex fecit incidi novam monetam, obulum ſcilicet & quadrantem rotundum, in quo prophetia *Merlini* videtur impleta, ubi dicitur denarium rotundum erit. *Honorius* iiij. poſt *Nicholaum* ſedit papa annis quaſi vij. Hic iiij. papatus ſui anno mutavit capas fratrum de *Carmelo* in purum album, quæ prius erant ſtragulatæ, radiatæ, & birratæ; anno ſcilicet Gratiæ M.CC.lxxix. & anno Gratiæ M.CC.lxxxj. An. Dñi 1279. 1281.

Ciſtrenſis. Perfidus *David Wallenſis* ſurrexit contra regem *Edwardum*, & in Dominica palmarum multa mala *Angligenis* intulit; adveniens tandem rex *Edwardus* circa feſtum ſancti *Johannis Walliam* ſubjugavit, villas & terras quæ erant in meditullio *Walliæ* ſuis proceribus diſtribuit, ſet caſtra maritima ſibi retinuit: ex quo facto magna tranquillitas ſequenti tempore provenit. Poſt hæc circa feſtum ſanctæ *Luciæ* caput *Lewlini* amputatum eſt & regi allatum, *Londoniaſque* tranſmiſſum. Citoque poſtmodum captus eſt *David* frater ejuſdem *Lewlini* totius mali incentor; qui in magno parliamento apud *Salopiam* condempnatus eſt, primo quidem equis diſtractus, deinde ſuſpenſus, tertio in quarteria diviſus, & per *Angliæ* loca diſtributus.

Leyceſtrenſis. Quia fuit unus de ſecretis conſiliariis regis *Edwardi* quos habuerat, & fecit proditionem inter regem *Edwardum* & principem *Walliæ* fratrem ſuum. De *Lewlino* prædicto ſcripſerunt metrice religioſi in hunc modum;

Verſus.

Hic jacet Anglorum *tortor, tutor Venedorum,*
Princeps Wallorum Lewlinus, *regula morum,*
Gemma coævorum, flos regum præteritorum,
Forma futurorum; dux, laus, lex, lux populorum.

Anglicus ſic. Verſus.

Hic jacet errorum princeps, & prædo virorum,
Proditor Anglorum, *fax livida, ſecta reorum.*
Numen Wallorum, *trux dux, homicida piorum,*
Fex Trojanorum, *ſtirps mendax, cauſa malorum.*

Rex *Edwardus* fecit leges *Anglicanas* obſervari per *Walliam* ponens vicecomites.

1282. *Leyceſtrenſis.* Anno gratiæ M. CC. lxxxij. *Lewlinus* movit guerram, & anno ſequenti decapitatur; & anno Gratiæ ſequenti M.CC.lxxxiij. captus eſt *David* frater ejus; 1283. ſcilicet iſte *David* frater *Lewlini* demoratus eſt in curia regis *Edwardi*, & aſtutus & ſubtilis, ac ingenioſus, & proclivis ad proditionem, exploravit facta regis & ſuorum, & qualiter devenire poſſet ad proditionem, & in hiis omnibus prudenter ſe habebat tempus expectans deſideratum. Rex *Edwardus* fecit illum militem, & dedit ei **Fodreſham** cum Honore toto pertinente; & exhibuit ei tantum honorem quantum nulli *Wallico* ante nec poſt fecerat. Et poſtquam rex fecerat voluntatem ſuam in *Wallia* tenuit parliamentum ſuum *Londoniis*, & fecit mutare monetam regni quæ illo tempore fuit viliter retonſa & abbreviata, unde populus regni graviter conquerebatur, & rex veritatem inde inquirens & veritatem comperiens, trecentos & plures de illo delicto & felonia publice convicit, quorum quidam fuerunt ſuſpenſi, quidam diſtracti & ſuſpenſi ſecundum delicti qualitatem & quantitatem. Et ordinavit quod ſterlingus obolus & quadrans deinceps eſſent rotundi. Interim *David* frater *Lewlini* per affinitatem conſanguinitatis habuit uxorem de dono regis, de camera reginæ *Helianoram* nomine. Ex qua cauſa rex fecit eum Seneſcallum & cuſtodem de omnibus caſtris ſuis in *Wallia*, ſcilicet de **Rothelan** & aliis. Ipſe autem inde nimis ſuperbus effectus, circumvenit fratrem ſuum *Lewlinum* tercia vice guerram temptare. Et venit proditioſe cum grandi populo *Wallenſium*, & multos *Anglicos* occidit apud **Rothelan & Flynte** caſtra regis, ſcilicet cementarios, carpentarios, & alios operarios qui ſervierant regi, anno Gratiæ M.CC.lxxxj. Quod cum rex audiſſet & intellexit, diſpoſuit ſe cum Baronibus ſuis ire in *Walliam* ad bellandum contra perjurum & miſerum *Lewlinum* & *Davidem* frattem ejus; ſet iſta guerra erat ferox, fortis, & tædioſa, nam in hyeme contigerat: *Lewlinus* inſtauravit caſtrum de **Snowdonne** de victualibus & hominibus armatis adeo quod rex neſcivit ubi haberet ingreſſum; *Angli* vero per brachium maris venire fecerunt bargias, batellas, naviculas, & groſſas plancas ad faciendum paſſagium dicto caſtello tam pedeſtribus quam equeſtribus: ſet *Wallenſes* adeo fortes erant quod *Anglicos* in fugam retroarcebant, ita quod concurſus *Anglorum* tam feſtinus & grandis extitit ad fugiendum quod pondus eorum ſuppreſſit bargias in profundo, & multi boni milites ibidem fuerunt nece ſubacti, videlicet dominus *Rogerus de Clifford*, dominus *Willielmus de Lindeſey* filius, dominus *Johannes fitz Roberd*, dominus *Lucas de Tanneye*, & multitudo magna aliorum, & hoc contigit in die ſancti *Leonardi*. Et quando rex audivit de nece populi ſui, in tantum doluit quod fere inſanivit; & congregavit exercitum & perrexit in *Walliam* cum fortitudine robuſta de *Anglicis* & *Gaſconicis*; & *Wallenſes* cum intelligerent de tanta multitudine veniente receperunt ſe in montibus ad ſeipſos ſalvandos. Et tandem noſtri ceperunt inſulam de **Angleſeye**, & circa feſtum ſancti *Nicholai* deſcendit *Lewlinus* cum uno armigero de montibus ad explorandum geſta *Anglorum*, & dimiſit totum exercitum ſuum in montibus. Eo tempore rex fuit in caſtro de **Rothelan**. Tunc *Lewlinus* vidit quod *Anglici* tranſierant aquam **Helſwath**, & feſtinato pede tranſierant verſus *Wallenſes*, ipſe *Lewlinus* quam ſecrete potuit feſtinavit verſus exercitum ſuum, ſet quidam *Stephanus de Fanketon* exploravit & cognovit eum *Wallenſem* eſſe, & ei accurrens, percuſſit eum lancea & perforavit latera ejus & mortuus eſt; & eo dimiſſo ſtatim rediit ad exercitum ſuum. *Wallenſes* ſteterunt directi per acies ſuper montem expectantes reditum domini ſui. Et *Anglici* ſtatim direxerunt pedem verſus eos, & ſagittarios multos ex eis occiderunt; tandem armati noſtri ceperunt montem ſuper eos, & plures eorum in fugam ſe dederunt, & gentes noſtræ occiderunt omnes qui remanſerunt. Et prædictus *Stephanus* poſt victoriam rediit ut videret quem occiderat, quiſnam eſſet, & cognovit eum per faciem eſſe *Lewlinum*, amputavit caput ejus & attulit ad regem. Rex *Edwardus* miſit caput *Londonias* coronatum cum corona argentea in ſignum principatus per medium **Weſtchepe**, populo ad hoc congregato ſpeculante. Et caput fixum eſt apud Turrim longo tempore; & ſic adimpleta eſt prophetia quam ei prædixerat quædam ſortilega in principio guerræ ſuæ, dicens, quod *Lewlinus* equitaret coronatus per medium **Chepe**, unde *Lewlinus* deceptus credidit ſe futurum fore regem *Angliæ*. Rex fecit ſtatim proclamari pacem per *Walliam*, & ordinavit qui perſequerentur *David* fratrem *Lewlini* præ timore *Anglicorum* ne eis dampna inferret. *David* vacabat in *Wallia* aliquamdiu credens ſe devenire ad principatum poſt fratrem ſuum. Inſuper & mandavit *Wallenſibus* ut venirent ad parliamentum ſuum apud **Dinelcht**; & præſumpſit defendere *Walliam* contra regem, & incepit guerram, & malum quod potuit fecit erga *Anglos* ſecundum ſuum poſſe. *Edwardus* vero fugare eum cœpit viriliter, & *David* ſe defendebat vigoroſe uſque ad feſtum ſancti *Mauricii* in autumpno; & tunc fuit captus & ductus ad *Edwardum*, qui præcepit eum trahi, ſuſpendi, decollari, & in quatuor partes dividi, & caput portari *Londonias*. Tunc rex ſeiſivit totam *Walliam* in manu ſua, & fecit clamare pacem in tota *Wallia*; & omnes magnates *Walliæ* qui ſupervixerant venerunt ad *Edwardum* facere ei fidelitatem & homagium ut domino ſuo legio. Rex autem fecit emendare leges ſi quæ defectivæ erant. Natus regi *Edwardo* filius ſuus *Edwardus* apud **Karnarvan** in *Wallia* die Martis. *Nicholaus* iiij. de ordine fratrum *Minorum* poſt *Honorium* iiij. ſedit papa annis quaſi ſex. Quo anno *Johannes de Pecham* archiepiſcopus per *Ceſtriam* tranſiens venit *Walliam* ad reformandum ſtatum eccleſiæ. Tanta fuit ſiccitas & æſtus ut homines morerentur. Et inde mandavit Baronibus *Angliæ* ut venirent ad parliamentum ſuum, quibus cum veniſſent valde facete alloquebatur, & dixit, Domini per conſilium veſtrum oportet nos ire *Vaſconiam* ad faciendum emendas de delictis quæ nobis fuerunt illata quum ſtetimus in *Wallia*. At illi conſenſerunt. Et rex ivit *Vaſconiam* & defectus correxit. Et fecit Comitem *Cornubiæ* gardianum terræ *Angliæ* donec rediret; & rex inquiſivit in *Vaſconia* de proditoribus ſuis qui ymaginati ſunt ei proditionem, & veritate cognita ſecundum quantitatem delicti quemlibet eorum judicialiter punivit; dum rex in *Vaſconia* ita ageret quidam *Reicius Amaradnke* cœpit movere guerram in *Anglia* contra regem cauſa cujuſdam domini *Roberti Tybetofte* qui ad magnam injuriam amaricaverat regem. Set quando rex audivit de hiis, miſit eis per literas ſuas ut pro amore ſuo ſe in pace tenerent donec rex rediret in *Angliam*, & tunc libenter audiret querelam eorum; & eis promiſit juſtitiam & rationem. At illi deſpexerunt regis mandatum & fecerunt malum quod potuerunt gentibus *Anglorum*; ſet poſt paululum temporis captus fuit *Reicius* & ductus *Eboracum*, tractus et ſuſpenſus.

Set antequam ulterius procedamus ſciatis quod homines de *Vaſconia*, de *Burdegalo*, & aliis bonis villis convenerant cum rege *Franciæ* reddere ei bonas villas *Vaſconiæ*, & magnam ſummam pecuniæ proinde receperant ab eo, & niſi rex celerius ibi veniſſet factum fuiſſet; unde rex *Edwardus* fecit plures eorum trahi & ſuſpendi, & multos de magnatibus fecit ſuſpendi ante portas eorum; & fecit pacem in tota *Vaſconia*; & fecit pacem inter regem *Franciæ* & regem *Hiſpaniæ*, & *Arragoniæ*. Deinde rediit in *Angliam* anno Gratiæ M.CC.lxxxv. Cumque rex moram traxiſſet in *Vaſconia* tribus annis nunciatum eſt ei quod majores regni *Angliæ* oppreſſerant minores, & foriſfecerant de terris ſuis ut theſaurum ab eis exigerent; unde divites placitantes in banco regis corruperant falſos Juſticiarios regni, ſcilicet *Thomam de Weland*, *Adam de Stretton*, *Ricardum de Boyland*, & alios. Unde rex in adventu ſuo in *Angliam* maxime fuit anxiatus & occupatus. Eo tempore ſedebant Juſticiarii apud *Leyceſtriam* ſuper *le Eyre* ad feſtum ſancti *Michaelis*, ſcilicet *Johannes de Caux*. & quidam nomine *Salomon* alius Juſticiarius. Duodecimo anno regni *Edwardi* *Thomas de Weland* exulabat de *Anglia* & ivit in *Franciam*. Cumque feciſſet voluntatem ſuam Juſticiariis, ſtatim movebat eum una alia cauſa de moneta quam invenit viliter tonſa & corrupta in præjudicium coronæ, & ad grave dampnum populi per infidelitatem & maliciam Judæorum, ſicut fuit inquiſitum & inventum. Et fecit ſtabilire unum parliamentum in quo convicti ſunt Judæi de ea falſitate, & ſtatuit quod omnes Judæi exirent de terra *Angliæ*, deinceps non redituri propter eorum incredulitatem principaliter, & propter falſitatem quam eis dure impoſuerunt Chriſtiani. Et pro hac cauſa cum feſtinatione facienda & ſine dilatione explenda, communes regni dederunt regi quintum denarium de omnibus bonis ſuis mobilibus. Et primo habuit rex auxilium de civibus, deinde de religioſis, poſtea de omnibus aliis qui non fuerunt cum rege in guerra ſua ſicut debuerant. De ſpiritualibus non habuit taxationem ea vice quia excuſaverunt ſe ita quod nichil dederunt.

An. Dñi 1285.

Cap. II.

Eo tempore clamata ſunt haſtiludia apud ſanctum *Bothulphum* tempore nundinarum, & acceſſit una pars in habitu monachorum, & altera in habitu canonicorum; & fecerant conventionem ut poſtquam luſiſſent rapinam exercerent in nundinis: quod & fecerunt; nam ignem miſerunt in tribus locis in villa ſub ſecreto, & quum flamma cœpit in altum aſcendere, mercatores feſtinaverunt cum omni celeritate ignem extinguere, & fures medio tempore feſtinaverunt ex ſua parte aſportare meliora mercimonia quæ invenerant, & portaverunt ad ſua hoſpitia. Et alii qui fuerunt de eorum conſenſu obviaverunt eis, ceperunt & per diverſas vias abduxerunt quæ illi deportaverant. Et ſic infra breve noctis ſpacium crevit flamma in tantum quod magnam partem villæ combuſſit; & hujus ſceleris capitaneus auctor in domo fratrum prædicatorum quidam *Robertus Chaumberleyn* magni nominis homo armiger ſtrenuus captus fuit, & ante mortem ſuam recognovit hujus ſceleris veritatem plenaliter, ſet nunquam voluit complices ſuos revelare. Et cum ductus eſt ad ſuſpendendum multum fuit pœnitens, & devote petebat veniam de mercatoribus qui inſequebantur eum propter furtum factum; & prædictus fur habuit domos plures in prædicta villa bonas, magnas & latas: & poſt mortem ejus invenerunt in prædictis domibus multas divitias, ſcilicet de auro & argento, & de precioſis mercimoniis, de prædictis nundinis furatis.

Eo quoque anno combuſta ſunt mercimonia apud ſanctum *Botulphum* per filios *Belial* qui in diverſis villæ locis ignem appoſuerunt ut ipſi liberius reſidua poſſent

Ciſtrenſis lib. 7.

Edward I. Cap. 38. poſſent ſpoliare. §. Dicebatur nempe quod tota pecunia *Anglia* vix reſtauraret dampna ibidem facta; Currebant namque rivuli auri & argenti & metallorum fuſilium uſque in mare.

An. Dñi 1286. Anno gratiæ 1286. Reverendus in Chriſto pater dominus *Iohannes* Dei gratia *Cant.* archiep. ultima die menſis Aprilis indictione quarta decima pro tribunali ſedens in eccleſia beatæ *Mariæ de arcubus Londonia*, aſſidentibus ſibi venerabilibus patribus dominis *Olivero Lincolnienſi, Godfrido Wygornienſi, & Ricardo Herfordenſi* epiſc. præſentibus etiam officiali Curiæ *Cant.* & Cancellario Univerſitatis *Oxonienſis* cum v. archidiaconis Doctoribus in utroque jure, & aliis pluribus venerabilibus perſonis & multitudine copioſa, infra ſcriptos errores quos de novo audierat in ſua Provincia ſuſcitatos tanquam hæreſes declaravit & pronunciavit eſſe dampnatos in ſcriptis proferens ſub hac forma. Iſtos Articulos infra ſcriptos inter hæreſes dampnatas in ſe & ſuis ſimilibus numerandas eſſe credimus, & hereticos conſemus pertinaces eorum & omnium & cujuſlibet defenſores. §. articulus 1. Quod corpus Chriſti mortuum nullam habuit formam ſubſtantialem eandem quam habuit vivum. §. Secundus articulus, Quod in morte fuit introducta nova forma ſubſtantialis, & nova ſpecies vel natura quamvis non nova aſſumptione vel unione verborum copulata, ex quo ſequitur, quod filius Dei non fuerit homo ſet alterius ſpeciei innominatæ. §. tertius, Quod per nullam formam vel naturam de novo introductam per mortem facta fuiſſet tranſubſtanciacio panis virtute verborum ſacramentalium, ſcilicet, *Hoc eſt corpus meum*, ſi in triduo mortis facta fuiſſet conſecratio. §. quartus, Quod modo ſcilicet poſt reſurrectionem Chriſti in virtute verborum ſacramentalium convertitur totus panis in totum corpus Chriſti vivum, Ita quod materia panis convertitur in materiam corporis Chriſti, & forma panis convertitur in formam corporis, ſcilicet in id quod eſt anima intellectiva ſecundum quod corporis eſt & dat eſſe corporeum, & hoc virtute verborum ſacramentalium. §. Quintus eſt, idemptitatem fuiſſe numeralem corporis Chriſti mortui cum ejus corpore vivo tantummodo propter idemptitatem materiæ diviſionum interunitarum & habitudinis ipſarum ad animam intellectivam quæ immortalis eſt. Inſuper eſſe idemptitatem numeralem corporis vivi & mortui ratione exiſtentiæ utriuſque in eadem hypoſtaſi verbi. §. Sextus, Quod corpus cujuſcunque Sancti vel hominis mortuum antequam ſit per putredinem mutatum in auras vel elementa, non eſſe idem numero cum corpore ejus vivo, niſi ſecundum quid ſcilicet ratione materiæ communis, ſicut ſunt unum quæ invicem tranſmutantur ut caro & vermis, & ratione accidentis communis, ſcilicet quantitatis, ſimpliciter autem eſſe diviſum corpus mortuum à vivo ſpecie & numero. §. Septimus eſt, Quod qui vult iſta docere non tenetur in talibus fidem adhibere auctoritati Papæ *Gregorii* vel *Auguſtini* & ſimilium, aut cujuſcumque magiſtri, ſet tantum Bibliæ & neceſſariæ rationi. §. Octavus eſt, Quod in homine eſt tantum una forma, ſcilicet anima rationalis, & nulla alia forma ſubſtantialis, ex qua opinione ſequi videntur omnes hæreſes ſupradictæ.

Eo anno modius frumenti ad iiij. d. fuit. Nocte ſanctæ *Margaretæ* deſcendit tempeſtas imbrium tonitrui & fulguris à retro ſeculis vix audita, [illegible] ens ſata & ſubmergens ita ut *Londonia* modius tritici qui prius ad tres vendebatur denarios ex tunc paulatim uſque ad duos ſolidos crevit, ſicque per xl. fere annos uſque ad obitum regis *Edwardi* poſt Conqueſtum ſecundi extitit cariſtia bladi, Ita ut aliquotiens *Londonia* modius frumenti ad x. s. venderetur.

Edward. I.

Leycestrenſis. An. Dñi 1287. Leve precium frumenti incepit an. gratiæ M. CC. lxxxvij. cariſtia frumenti incepit anno ſequenti. Cumque rex tot & tantas controverſias in diverſis plagis regni & dominii ſui pacificaſſet, deduxit in memoriam de paſſagio in terram ſanctam contra inimicos *Jeſu Chriſti* quod ante à Papa & multis aliis catholicis propoſitum fuerat, & multum de illo in corde tractavit, ſet guerræ in *Gaſconia* & *Wallia* multum exhauſerant & devaſtaverant theſauros ejus; unde Papa *Celeſtinus* videns curioſam voluntatem in tantum poſitam in ſancto propoſito ſalubris itineris, ad votum cruciatæ implendæ dedit ei unam decimam de tota eccleſia *Anglia* per vij. annos, & Papa *Bonefacius* qui recenter venit poſt *Celeſtinum* dedit illi decimam iij. annorum. Et interim rex *Edwardus* de dicto itinere primo impeditus eſt per mortem *Alexandri* regis *Scotorum* qui moriebatur medio tempore ſine hærede de corpore procreato, ſet rex *Edwardus* eo tempore maritavit tres filias ſuas, unam *Iohanni* Duci *Brabancia*, alteram *Gilberto de Clara* Comiti *Gloucestria*, tertiam Comiti de *Bares*. Eo itaque tempore moriebatur *Helianora* regina *Anglia*, & humata honorifice apud *Weſtmonaſterium*.

Iſte *Alexander* ut dictum erat ſicut equitavit una nocte in obſcuro verſus uxorem ſuam ſacro quadrageſimali tempore, cecidit de equo ſuo, & rumpebat collum ſuum, & mortuus eſt. Iſte *Alexander* deſponſaverat *Margaretam* filiam regis *Henrici* ſororem regis *Edwardi* apud *Eboracum*, de qua genuit filium *Alexandrum* & unam filiam *Margaretam*. Iſte filius in plena ætate mortuus eſt vivente patre ſuo. *Margareta* deſponſata fuit regi *Norvegia*. Poſt hæc moriebatur regina *Scotia* & rex accepit uxorem filiam Comitis *Flandria*, ſet nullam habuerunt prolem, & longo tempore regnaverunt in magna proſperitate. Cumque rex obiiſſet, tractatum eſt cui jus regni incumberet, & pluribus viſum, quod filia regis *Alexandri* nupta regi *Norvegia* propinquior eſſet regno hæreditario. Ob quam cauſam *Scoti* noluerunt attemptare materiam ſine aſſenſu regis *Anglia*, & mandaverunt regi *Edwardo* in *Gaſconiam* de eventu regis *Alexandri*, qui remandavit eis, ut tot eligerent gardianos regni qui cuſtodirent ſtatum coronæ uſque ad adventum ejus; Quod & factum eſt, & miſſum erat *Norwegiam* pro filia *Alexandri* ad reditum regis *Edwardi* in *Scotiam*, quaſi ſuprema domina *Scotia*. Cumque in mari navigaſſet quaſi pro teneritudine cœpit ægrotare, & cum magna pœna ducta eſt in inſulam de **Orkeney**, & ibi moriebatur, Et ſic regnum *Scotia* multum turbulentum poſt mortem *Alexandri* & *Margareta* filiæ ejus; *David* frater ejus poſuit clamium in regno *Scotia* qui fuit Comes *Huntyngdonia*, & quia cum eſſet hæres apparens magna rixa orta eſt inter ipſum & propinquos ejus quia noluerunt aſſenſum præbere coronationi ejus. Contigit etiam quod iſte *David* mortuus eſt, & habuit tres filias ſecundum ſeculi faſtum altiſſime maritatas in *Scotia*, ſcilicet una *Baliolo*, altera *Brus*,

et

Edw. I.

et tertia ad *Haſtingis*. Et iſti tres miſerunt clamium in regno *Scotia* cauſa uxorum ſuarum, & magna diſcordia orta eſt inde inter eos, nam quilibet eorum voluit eſſe rex, et regnum non debuit dividi, unde multa homicidia et alia mala evenerunt medio tempore in regno *Scotia*, et nullus eorum voluit aſſenſum præbere, ſuper quo rex *Edwardus* pietate motus ordinavit Parliamentum ſuum apud *Northamptonam* anno regni ſui viceſimo; Et ibi affuerunt illi tres clamatores regni petentes à rege judicium veritatis et æquitatis de regno cui deberetur dari, ſet rex noluit ferre decretum ſuum in cauſa prædicta, niſi prius facerent fidem ſtare judicio ſuo, et deinceps imperpetuum ſe obligarent decretum ejus non revocaturos; ſuper quo xxiiij. de excellentioribus regni fecerunt unum obligatorium ſigillis ſuis ſignatum, quod cuicunque jus regni per decretum *Edwardi* adjudicatum fuerit de tribus clamatoribus perpetua ſucceſſione de rege *Anglia* velut de ſuo ſupremo domino futuris temporibus inviolabiliter teneret; videlicet quatuor epiſcopi, Comites vij. Barones decem et plures alii de prænominatis regni; ſtatimque rex pro certiori fide habenda fecit quærere et examinare omnes Cronicas in Abbathiis & cunctis locis regni per datam quindecim regum *Scotia* præcedentium; Et compertum eſt quod iſti tres clamatores deſcenderunt de tribus ſororibus, et *Iohannes de Baliolo* venit de ſeniore earum, ſicque *Edwardus* ſeiſitus eſt in toto regno *Scocia* ut Dominus ſupremus, et omnes proceres fecerunt ei fidelitatem et homagiū ut domino ſuo ſupremo et legio ad providendum eis regem de tribus qui meliorem juſtitiam haberet in illo caſu, et ad reſeoffandum electum in tota regalitate & dignitate in dominiis, libertatibus, conſuetudinibus, juribus, uſibus, poſſeſſionibus, & omnimodis cauſis & rebus in eodem ſtatu quo ſteterunt quando ſeiſina tradita fuit *Edwardo*, ſalva regi *Anglia* ſuperioritate & homagio de eo qui regnaturus eſt, & quod faciat reverſionem infra ij. menſes poſt diem quo juſtitia fuerit diſciſa, terminata & affirmata; & quod exitus regni medio tempore recepti ſint ſalvo miſſi in cuſtodia & bene cuſtoditi per manum Camerarii *Scocia* qui in præſenti eſt & per alium qui erit ei aſſignatus per regem *Anglia*, ſub eorum ſigillis, ſalva rationabili ſuſtentatione miniſtrorum & caſtellorum regni; Et proceſſus iſte miſſus fuit in *Anglia* in diverſis locis, in teſtimonium futurorum ſi neceſſe fuerit. Tunc electi ſunt triginta viri de diſcretioribus *Scotorum* & totidem de *Anglicis* qui melius ſciebant jura & fuerunt jurati, ſuper ſacramentis eccleſiæ & fide ſua quam debuerunt regi *Anglia*, & ſub periculo vitæ & membrorum quod inquirerent per omnes vias rationis quis eorum trium haberet jus rectum ad regnum *Scotia*, poſtpoſitis pravo odio, amore, lucro auri & argenti, & quacumque favoris cauſa, & facerent veram inquiſitionem et oſtenderent veritatem. Et illi arbitratores diligenti inquiſitione facta, elegerunt *Johannem de Baliolo* quia de ſeniore ſorore natus eſt, ſtatimque rex *Edwardus* acceptavit eum, & ductus eſt apud **Schone** & miſſus ſuper unum lapidem juxta magnum altare; Et hæc facta ſunt poſt feſtum ſancti *Andrea*, & die ſancti *Stephani* idem *Johannes* novus rex fecit homagium ſuum & cætera quæ facere debuit *Edwardo* regi *Anglia* apud *Novum caſtrum ſuper* **Tyne** anno gratiæ M. CC. xcij.

An. Dñi 1292.

Ciſtrenſis. l. 7. c. 39.

Poſt obitum regis *Scocia Alexandri* ſine liberis decedentis mota eſt controverſia quis ei ſuccederet in regnum *Scotia*, at quia multi regnum illud ratione propinquitatis vendicabant, nec hoc poſſet ſine præſentia capitalis Domini plene decidi, repertum eſt per ſcripta auctentica & antiqua, quod rex *Anglia* ſit capitalis Dominus *Scotia*, et debeat in tali caſu cognoſcere; & ut hoc futuræ conſtaret poſteritati fecit rex *Edwardus* in iſto anno omnia monaſteria *Anglia*, *Scotia* & *Wallia* perſcrutari ad dinoſcendum quale jus in hac parte ſibi poſſet competere, & repertum eſt in Cronicis *Mariani Scoti*, *Willielmi de Mannisbyri*, *Rogeri de Houdeyn*, *Henrici de Huntingdon*, *Radulſi de Dizeto*, quod anno Domini nongenteſimo decimo rex *Edwardus* ſenior ſubegit ſibi reges *Scotorū* & *Cumbrorū*. Item ibidem, quod anno Domini DCCCC. xxj. prædictæ gentes elegerunt ſibi *Edwardum* prædictum in Dominum & patronum. Item ibidem, quod anno Domini DCCCC. xxvj. rex *Anglia Adelſtanus* devicit regem *Scotia Conſtantinum*, & item ſub ſe permiſit regnare. Item *Edredus* frater *Adelſtani* rex *Anglia* devicit *Scotos* & *Northymbranos* qui ſe ſubmiſerunt ei, & fidelitatem juraverunt. Item ibidem, *Edgarus* rex *Anglia* ſuperavit *Kinadium* filium *Alphini* regem *Scotorum*, qui juravit ei fidelitatem. Item ibidem, rex *Anglia* & *Dacia Canutus* anno regni ſui xvj. perdomuit *Malcolinum* regem *Scotorum*; & extunc factus eſt rex quatuor regnorum, ſcilicet *Anglia*, *Scocia*, *Dacia*, & *Norvegia*. Item ibidem, ſanctus *Edwardus* dedit regnum *Scotia Malcolino* filio regis *Cumbrorum* de ſe tenendum. Item *Willielmus Baſtard* anno regni ſui vj. vicit *Malcolinum* regem *Scotia*, & accepit ab eo ſacramentum fidelitatis; Item *Willielmus Rufus* ſimile fecit quod pater ſuus fecerat erga *Malcolinum* regem *Scotia*, & contra duos filios *Malcolini* ſucceſſive regnantes. Item *Alexander* ſucceſſit fratri ſuo *Edgaro* in regnum *Scotia*, de conſenſu regis *Henrici* primi. Item *David* rex *Scotia* fecit homagium regi *Stephano*. Item *Willielmus* rex *Scotia* fecit homagium regi *Henrico* tertio filio regis *Henrici* ſecundi in coronatione ſua, et iterum *Henrico* patri anno regni ſui viceſimo, ſicut patet in quadam conventione inter eos inde facta; Item dicit *Rogerus Houdeyn* quod *Willielmus* rex *Scotia* venit ad Dominum ſuum regem *Anglia*, *Henricum* in *Normanniam*, et ſimile fecit regi *Ricardo* et eciam *Johanni* regi apud *Lincolniam*. Item in Cronicis ſancti *Albani* reperitur quod *Alexander* rex *Scotia* apud *Eboracum* deſponſavit *Margaretam* filiam regis *Henrici* anno regni ſui xxxv. et fecit ei homagium. Et reperitur in cartis regum *Scotia*; Item reperitur in Bullis papalibus *Scotia* directis reges *Scotorum* excommunicatos fuiſſe quia noluerunt obedire Dominis ſuis *Anglorum* regibus.

Convenientibus igitur apud *Norram* in finibus *Anglorum* verſus *Scotiam* rege *Anglia* cum ſuis peritis, ac *Scotorum* valentioribus cum ſuis prudentioribus petivit rex *Anglia* inprimis ut *Scoti* pacifice aſſentirent ſuæ ordinationi ſuper regem *Scotia*, præſertim cum hoc ſibi competeret ratione dominii ſui capitalis. Reſponderunt, ſe ignorare quod talis ſuperioritas regi *Anglia* competeret, nec poſſe ſine capite regi ad talia reſpondere, cui incumbit talem denunciationem audire; nec aliud reſponſum ad præſens

Edwar. I.

ſen; debere reddere propter juramentum excommunicatione vallatum quod poſt mortem regis *Alexandri* ſibi invicem fecerunt, unde deliberatione librata fecit rex *Edwardus* literas ſuas *Scotiæ* patentes quibus recognovit adventum *Scotorum* in *Angliam* citra aquam de **Twede** non debere alias illis vergere in præjudicium iterum veniendi in *Angliam*. Poſt hæc majores *Scotiæ* et *Angliæ* qui vendicabant jura ſucceſſionis in regnum *Scotiæ*, per literas ſuas patẽtes recognoverũt ſe velle ſponte recipere juſtitiam coram dicto rege *Edwardo* tanquam coram capitali domino, et firmum tenere quicquid ipſe decreverit in præmiſſis. Verum quia, ut peritis tunc videbatur, rex *Edwardus* non poterat jus ſucceſſionis in regnum illud cuiquam tribuere niſi ipſe jus et poſſeſſionem prius in regnum *Scotia* haberet, Iccirco facta *Scotis* ſecuritate ex parte regis *Anglia* de reſtituendo regno infra duos menſes illi cui de jure hoc competeret ſub pœna centum mille librarum ſterlingorum *Roma* in ſubſidium terræ ſanctæ ſolvendorum, ac etiam ſub pœna excommunicationis et interdicti in regis perſonam & regnum *Anglia* ſi non reſtitueret fulminandorum, *Scoti* per cartas ſuas tradiderunt regi *Edwardo* regnum *Scotia* cum caſtellis, juribus et conſuetudinibus, poſueruntque cuſtodes qui medio tempore exitus et approviamenta terræ ad opus illorum quorum intererat cuſtodirent. Quo facto, rex *Edwardus* poſt longas diſceptationes vendicantium illud regnum, diſcuſſis juribus, prætulit *Iohannem* de *Baliol* qui recognovit regem *Anglia* fore *Scotia* capitalem dominum, fecitque ei homagium et fidelitatem juravit.

Cap. 3.

Hoc anno obiit frater *Johannes de Pecham* archiepiſcopus *Cantuarienſis*. Nunc eodem quoque anno *Madocus* filius *Morgani* ſuſcitat guerram in *Wallia* die ſancti *Michaelis*. Iccirco rex *Edwardus* veniens *Ceſtriam* circa feſtum ſancti *Nicholai* cepit inſulam **Angleſeyam**, ædificavitque de novo urbem et caſtrum de *Bello mariſco*. Quo in tempore ſucciſa ſunt nemora in *Wallia* quæ in tempore bellico præſtabant indigenis latibula, firmataque ſunt caſtra circa loca maritima, et cito poſt hæc captus eſt *Madocus* prædictus et *Londonias* adductus, à quo tempore guerræ in *Wallia* quieverunt. *Wallenſes* pene *Anglorum* more victitant, theſaurum congregant, rerum dampna formidant. Hoc in tempore fecit rex *Edwardus* omnia monaſteria *Anglia* ſcrutari, ac pecuniam inventam *Londonias* afferri, fecit quoque lanas et coria areſtari et ſubſecuta eſt magna cariſtia bladi et vini.

Leyceſtrenſis.

Omnes *Wallenſes* unanimi aſſenſu ſurrexerunt contra regem *Edwardum* in feſto ſancti *Michaelis*, unde rex *Edwardus* cum *Edmundo* Comite *Cornubiæ* fratre ſuo et *Henrico de Lacy* Comite *Lincolniæ* quos rex fecerat redire ob illam cauſam quum debuerant tranſiſſe in *Vaſconiam* pro diſcordia ibidem mota per regem *Francia*, ſicut infra patebit, et rex cum illis feſtinavit cum magna potentia. Et Comes *Lincolnienſis* feſtinavit ſe ante regem ad caſtrum ſuum de **Dynebeth** ad ſalvandum caſtellum ſuum, ſet *Wallenſes* ſuæ gentes propriæ obviaverunt ei, et multos de ſuis viris occiderunt et tandem vicerunt et in fugam reliquos compulerunt. Rex cum paucis gentibus tranſivit aquam de **Conewey** et fuit in caſtello ſuo, ſet propter undas maris exercitus ejus non potuit feſtinanter ſequi eum et impediuntur ſic quod non poſſent venire ad eum. *Wallenſes* eventum videntes, obſiderunt regem in caſtro ſuo, et nunquam in tota vita ſua fuerat in tanta egeſtate quia non habuit niſi aquam cum melle mixtam. Nam *Wallenſes* ceperant omnia victualia ejus, et occiderant gentes ejus. Et rex habuit paucum de vino quaſi vix unam lagenam, et fecit miſcere in aqua et dare omnibus qui cum illo fuerunt, et dixit, In neceſſitate omnia eſſe communia, et omnes habebimus unam diætam donec Deus melius nobis ſuccurrat. Poſt hæc venit exercitus ejus et *Wallenſes* in tantum fatigaverunt et fugaverunt quod ſe plenarie reddiderunt ad gratiam regis *Edwardi*: *Madocus* receptus fuit ad pacem, ſic tamen quod perſequeretur *Morganum* et caperet, et ſic evenit, nam captus fuit et ductus *Londonias* et decollatus; ſtatimque rex cepit hoſtiagios de omnibus magnatibus *Walliæ*, et fuerunt miſſi in diverſas partes regni, et ſic finivit guerra *Walliæ*, et pax ſuccrevit.

Edwar. I.

Ciſtrenſis lib. 7. c. 40.

Bonefacius viij. poſt *Celeſtinum* quintum ſedit Papa annis xj. Hic pontificatus ſui anno quinto qui *Jubileus* erat uberes indulgentias limina Apoſtolorum viſitantibus conceſſit, ſextum librum Decretalium edidit; In quo multa dubia decidit, nonnullas extravagantes conſtitutiones *Honorii*, *Adriani*, *Innocentii*, *Clementis* et aliorum incorporavit, reprobanda reſecavit, de quo prædeceſſor ſuus *Celeſtinus* vir vitæ anacoriticæ eo quod eum ad cedendum papatui ſubdole induxiſſet, prophetavit in hunc mõdum, prout fertur, Aſcendiſti ut vulpes, regnabis ut Leo, morieris ut canis. Et ſane contigit; Nam ipſum Papam ut papatui cederet et ut Papa quilibet cedere poſſet conſtitutionem edere fecit, quam quidem poſtmodum ipſemet, Papa effectus, renovavit; Deinde rigide regens generoſos quoſdam de *Columpna* Cardinales deponens, regi *Francorum* in multis non ſolum obſtitit, ſet eum totis niſibus deponere inſudavit. Igitur ſeneſcallus *Franciæ Willielmus* de *Longareto* vir quidem in agibilibus admodum circumſpectus, & fratres de *Columpna* prædicti fœderatis viribus *Bonefacium* Papam comprehenderunt, in equum effrenem verſa facie ad caudam ſine freno poſuerunt, quem ſic diſcurrere uſque ad noviſſimum halitum fecerunt, ac fame necaverunt.

Leyceſtrenſis.

An. Dñi 1220.

NEmpe *Scoti* homines inquieti, leves & inſtabiles ſub anno Domini 1220. prox. ſequenti anno contra regem *Angliæ* rebellare cœperunt, credentes excutere jugum ſervitutis debitæ. Inprimis ſuo regi ſimplici ſuggeſſerunt occaſione expenſarum alleviandarum ut omnes *Anglicos* ſuos, quos ſumptuoſiſſime in curia ſua retinuerat, à curia ſua removeret, Et quidem hoc ne ſeditio eorum per *Anglicos* in primo ſuo fomite panderetur. Interim dum rex *Edwardus* ad regem *Scotorum* literas dirigeret ut in guerram ſuam contra regem *Franciæ* robur exercitus in parte mitteretur, excuſatoria impotentiæ & reſponſio brevis datur. Multiplicantur iterum preces & præcepta, & non tantum ad regem, immo et ad magnates terræ, & ſemper reſponſiones frivolæ quærebantur, eo quod conjurationes eorum validæ nondum complerentur ad votum. Tenuerant enim Parliamentum ſuum apud **Scone**, in quo ad modum *Francia* xij. pares ordinaverunt. iiij. ſcilicet epiſcopos, iiij. Comites et iiij. Barones, quorum conſilio & ordinatione extunc tota *Scotia* regeretur.

tur. Nuncios etiam in compoſitione ſequenti nominatos ordinaverunt, mandantes ut cum omni feſtinatione ad regem *Franciæ* properarent, fœduſque inirent cum eo meliori modo quo poſſent. Quod & ipſi fecerunt in hunc modum. Tenores procuratoriarum literarum tales ſunt.

Excellentiſſimo Principi Domino ſuo & amico Domino Philippo *Dei gratia regi* Franciæ *illuſtri*, Johannes *eadem gratia* Scotorum *rex, ſalutem in Domino. Noverit veſtra celſitudo quod nos fecimus, conſtituimus, & ordinavimus per præſentes dilectos & fideles noſtros venerabiles patres* Willielmum *ſancti* Andreæ *&* Mathæum Dunkeldenſem *epiſcopos*, *&* Johannem de Soules, *&* Ingramum de Umframvile, *milites & attornatos, Nuncios & Procuratores noſtros ſpeciales ad tractandum vobiſcum ſi placet ſuper ſponſalibus matrimonii contrahendis cum ſereniſſima domicella nepte veſtra ſeu conſanguinea, &* Edwardo *primogenito meo & hærede; dantes eis generalem & liberalem poteſtatem ac plenariam, & mandatum ſpeciale ſponſalia & matrimonium prædicta contrahendi, faciendi, & perficiendi quatinus jura & contractus hujuſmodi ſponſalia & matrimonium inter abſentes contrahi permittunt & perfici per Procuratores ſeu Nuncios ad hoc ſpecialiter conſtitutos, Et omnia & ſingula faciendi quæ ad dictos contractus vel conditiones ſeu compoſitionem pertinent vel quocumque modo poterunt pertinere, & ſine quibus dicti contractus ſive conventiones rite nequiverunt expediri; Ratum & firmum, &c. Dat. apud* **Strevelyn** *iij. non. Iulii anno Domini M.CC.xcv.*

An. Dñi 1295.

Univerſis, &c. Johannes *Dei gratia, &c. Noverit univerſitas veſtra quod nos liberam & plenariam poteſtatem obligandi nos & filium noſtrum & ipſos incolas regni noſtri* Scociæ *ac jurandi in animam noſtram, filii noſtri, & regni noſtri incolarum, necnon omnia & ſingula faciendi & perficiendi &c. Dat. die & loco quo ſupra.*

Philippus *Dei gratia* Francorum *Rex univerſis &c. Inter alia per quæ regnantium & regnorum exaltatio procuratur, adquiritur pacis & tranquillæ quietis amenitas, ac felici & proſpero ſtatui conſulitur ſubditorum, illud videtur attenta conſideratione præcipuum, ut inter Reges & regna ſolida caritatis veritas & fidelis amicitiæ fœdera nutriantur, ſicque Reges & Principes ad probandas & domandas injurias & inſolentias perverſorum, ac reprimendas impugnationes hoſtiles ſibi invicem pro zelo juſticiæ affectuoſe aſſiſtunt & exhibent cum cauſa amicabiliora charitatis: Ita quod alter alteri aſſiſtat in proſperis & non deficiat in adverſis, ut ſaltem oportuno defenſionis remedio pacem odientium repreſſis ſalubriter injurioſis impulſibus pacis optata dulcedo proveniat: In cujus plenitudinem devoti pacis filii pacis auctori eo devotius quo tranquillius famulentur. Sane inclitus* Johannes *rex* Scociæ *illuſtris ſpecialis amicus noſter præmiſſas utilitates & commoda prudenter attendens, venerabiles patres* Willielmum *ſancti* Andreæ *&* Mathæum Dunkeldenſem *epiſcopos, ac* Johannem de Soules *&* Ingramum de Umframvile *milites, Nuncios Procuratores ſuos ad hoc ſpecialiter conſtitutos prout in quibuſdam procuratoriis literis inde confectis ipſius regis ſigillo communitis quarum tenores de verbo ad verbum inferius ſunt conſcripti, ad nos pro contrahendis confœderationibus & amicitiæ fœderibus pro futuris ſpecialiter deſtinavit: Nos itaque ipſius regis votis laudabilibus in hac parte grato concurrentes animo, ut hujuſmodi confœderationis affinitas & amicitia fructuoſa contractus eo ferventius vigeat ſtabiliuſque duret, quo melioribus confirmatus auſpiciis nexuſque conſtrictus fuerit fortior, Actum, conventum & concordatum inter nos de voluntate & aſſenſu cariſſimi germani noſtri & fidelis* Caroli Valeſiæ, *&* Andegaviæ *Comitis & Procuratores prædictos procuratorio nomine dicti Regis* Johannis, *quod inter* Edwardum *primogenitum filium Regis* Scociæ *futurum Regem* Scociæ *& qui per Conventionem expreſſam habitam cum Procuratoribus prædictis ſucceſſurus eidem Regi in Regno* Scociæ *& aliis terris ſuis, & primogenitam filiam germani noſtri prædicti matrimonium contrahatur, Cui Regi nomine dicti filii ſui promittimus Nos ſucceſſores noſtros futuros dare in matrimonium cum prædicta filia xxv. millia* Turnorum *parvorum in pecunia numerata, Idemque rex prædictæ filiæ M.D.li. ſterlingorum annui redditus in dotalicium ſeu dotationem propter nuptias dare & aſſignare tenebitur: De quibus M.D.li. annui redditus cum juriſdictionibus in terris & inſtitutis omnimodis ad coronam regiam nunc ſpectantibus in locis infraſcriptis, videlicet in* Baliolo, Dampitra, *de* Holcote, *de* Horney *in regno* Franciæ, *necnon de* Lanark, *de* Kidion, *de* Maldeſley, *de* Conygham, *de* Hadygton, *& in caſtro de* Dunde *in regno* Scociæ *cum pertinenciis locorum ipſorum, dictam ſummam M.D.li. ſterlingorum annui valoris excedant, Illud quod ſuperhabundabit ultra ſummam eandem præfato Regi* Scociæ *remanebit, Et ſi quid de eadem ſumma deerit, idem dominus Rex de aliis redditibus ſuis in regno* Scociæ *conſtitutis integre ſupplere teneatur, vel eaſdem mille ſi maluerimus nunc reſiduas vel D.li. ſic percipiendas in* Burcis *& cæteris locis annuatim ad duos anni terminos. Ipſamque bene aſſecurabit de dotalicio antedicto habendo & percipiendo ab eo poſt matrimonium contractum & mortem dicti filii quam diu vitam duxerit in humanis. Quod ſi dicti futuri conjuges à dicto Rege velint fortaſſe diſcedere, dicto dotalitio in vita eciam Regis ejuſdem liberrime perfruantur; Et ſi ſucceſſu temporis prædictus rex ad ſancta vota tranſire voluerit, noſtrum ſuper hoc conſilium requirere vel communicare debebit; Idem quoque Rex more juſti Principis tum ex fervore juſticiæ tum eciam ex zelo dilectionis internæ quam ad nos, domum noſtram, ſolium & incolas regni noſtri habere dinoſcitur, moleſtias ferens, graves injurias, enormes exceſſus, impugnationes hoſtiles & aggreſſiones, cujuſmodi rex* Angliæ *violato fidelitatis debito quo nobis tenebatur aſtrictus, in nos, fideles ſubditos noſtros tam per terram quam per mare multipharie multiſque modis oſtendiſſe dinoſcitur & oſtendere continue ſatagit & conatur, Ac propterea ut & nos & ſucceſſores noſtros ſibi & ſuis ſtrictius mutui amoris alliget affectibus, ad repreſſionem ſalubrem injuriarum, impugnationum & aggreſſionum hujuſmodi nobis efficaciter & potenter aſſiſtere gratuita amabrevitate diſponens dominus commiſit Procuratoribus, ipſique Procuratores nomine ejuſdem Regis ac pro eo nobis promiſerunt expreſſe, quod idem Rex* Scociæ *in prædicta guerra quam contra dictum Regem* Angliæ *fautores & confœderatores tam Regem* Alemaniæ *quam alios quoſcumque gubernatores*

bernatores ejus habemus, nobis & ſucceſſoribus noſtris ſi ad nos guerra hujuſmodi prorogetur, totis viribus ſuis & regni ſui tam per terram quam per mare in Anglia *publice & potenter aſſiſtent, & præſtabunt conſilium & auxilium oportunum; Et ut præfati Regis* Angliæ *injurioſi conatus eo commodius reprimantur, idemque Rex à perverſis ſuæ hoſtilitatis incurſibus eo citius reſilire cogatur quo magis fuerit aliis occupatus, dictus Rex* Scociæ *ipſi Regi* Angliæ *guerram propriis ſumptibus & expenſis toto poſſe quociens fuerit oportunum & incolarum & regni ſui, nobis inceptam guerram proſequentibus ac manutenentibus, movere ac continuare curabit: Promiſerunt inſuper Procuratores præfati procuratorio nomine præfati Regis* Scociæ, *eundem Regem curaturum & effecturum, quod tam Prælati quatenus eis de jure licebit, quam Comites, Barones & alii Nobiles, necnon & univerſitates ac communitates villarum regni* Scociæ *erga nos & ſucceſſores noſtros in prædicta guerra pari modo in omnibus ſicut dictum eſt ſuperius ſe habebunt, dictoque Regi* Angliæ *ſimili modo totis viribus ſuis guerram facient, ſicut ſuperius eſt expreſſum; quodque tam Prælati quam Comites, Barones, & alii Nobiles, necnon univerſitates communitateſque nobilitates dicti regni* Scociæ *ſuper hoc nobis ſuas patentes literas ſuis munitas ſigillis quam citius poterit fieri deſtinabunt. Conventum fuit ſiquidem inter nos & ipſos Procuratores nomine quo ſupra, quod ſi prælibatum regem* Angliæ *coadunatis viribus ſuis regnum* Scociæ *per ſe vel per alium invadere contigerit poſt guerram ad requiſitionem noſtram per dictum regem* Scociæ *cœptam vel poſt confederationem præſentem vel affinitatem inter nos initam occaſione earundem, Nos, dummodo ex parte ipſius Regis* Scociæ *ſuper hoc congruo tempore fuerimus præmuniti, ſibi ſubſidium faciemus, ipſum regem* Angliæ *per partes alias occupando ut ſic ab incepta invaſione prædicta ad alia diſtrahatur, vel ei in* Scociam *conveniens adjutorium ſumptibus noſtris quouſque in* Scociam *venerit tranſmittendo. Si vero prænominatus Rex* Angliæ *terram* Angliæ *perſonaliter forte exierit, vel terram ipſam notabili peditum vel equitum armatorum, guerra inter ipſum & nos durante, numero vacuaverit, promiſerunt Procuratores prædicti procuratorio nomine ſupradicto, quod præcipue in hac cauſa dictus* Scociæ *Rex cum toto poſſe ſuo terram* Angliæ *quanto latius ſive profundius poterit intrare curabit, faciendo guerram bellumque campeſtre, obſidendo, vaſtando, ac Regem* Angliæ *& terram ejus prædictis modis omnibus ſuis ut ſupradicitur ſumptibus impugnando. Actum præterea eſt & expreſſe conventum inter Nos & Procuratores prædictos nomine quo ſupra, quod nos de guerra quam præfatus* Scotorum *Rex & ſucceſſores ejuſdem contra præfatum* Angliæ *regem pro nobis facient poſtquam guerram ipſam ad requiſitionem noſtram fecerint, vel ſi occaſione initæ affinitatis vel confederationis idem* Scociæ *Rex guerram fecerit ſupradictam vel Rex* Angliæ *contra ipſum occaſione aliquorum ex præmiſſis, nec eciam de prædicta guerra noſtra componere aut pacem inire nequibimus vel treugam ſine ipſis in pace ſeu treuga quam de dictis omnibus guerris faciemus incluſis, nec ipſi ſimiliter pacem vel treugam de omnibus guerris ſupradictis facere poterunt ſine nobis. Pro quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis tenendis, adimplendis & inviolabiliter obſervandis obligamus dicto* Scotorum *Regi & ſucceſſoribus ſuis nos hæredes & ſucceſſores noſtros & omnia noſtra & noſtrorum bona mobilia & immobilia ubicumque exiſtentia præſentia & futura. Tractatus autem, pactiones & conventiones ac omnia & ſingula ſupradicta dictus Rex* Scociæ *ratificare & approbare tenetur ut ſuo nomine innovare, ac ſuper ratificatione & approbatione & innovatione prædictis ſuas patentes nobis literas ſuo ſigillo munitas quam citius fieri poterit deſtinare.*

Univerſis &c. Carolus *Regis* Franciæ *filius*, Valeſiæ *de* Lentona, Karnon *&* Andegavia *Comes, ſalutem. Noverit univerſitas veſtra &c. Nos tractatus & conventiones prædictos ſub modis & conventionibus ſupradictis gratos & ratos habentes eos laudamus, volumus & approbamus, expreſſe promittentes nos &c.* Inito itaque fœdere cum rege *Franciæ* & ſatis inde nimis elati, mox erexerunt cornua & ad pugnam ſe paraverunt. Convenientes ſtatuerunt ex edicto quod omnes & ſinguli qui terras, poſſeſſiones ſeu redditus aliquos in regno *Scociæ* tenuerunt, ſub foriſfactura eorum venirent præparati.

Ciſtrenſis.

Johannes de *Baliolo Scociæ* rex nuper creatus, conſilio quorundam de *Scocia* ac potiſſime abbatis de *Menroſe* contra fidem adverſus regem *Angliæ* ſurrexit, ſet captus eſt & exhæredatus. Circa feſtum tranſlationis ſancti *Thomæ* miſit papa *Bonefacius* nuncios ad regem *Angliæ* ut liberaret illi *Iohannem Baliol* quondam regem *Scociæ*, & ille ipſum conſervaret ab omnibus periculis quæ evenire poſſent; Et rex dimiſit eum, & primo in *Franciam* & ſic ad terras ſuas. Unde & anno ſequenti quidam *Willielmus Waleys* natione *Scotus* contra regem *Edwardum* guerram inſtauravit, ſet ſecundo poſt hæc anno profugatus eſt. Rex *Edwardus* occidit lx. milia *Scotorum* apud **Fonthchirche** in feſto beatæ *Mariæ Magdalenæ*; Verumtamen *Scoti* invaleſcentes paulatim per xxx. annos uſque ad tempora Regis *Edwardi* poſt conqueſtum tercii *Anglos* & *Anglorum* vicinia loca ſæpius ploluerunt: Quod quidem infortunium dolo & effeminationi *Anglorum* multi deputarunt, Nonnulli vero vindici dextræ Dei hoc aſſcripſerunt juxta prophetiam illam quæ tempore Regis *Egelredi* prædixit, *gentem* Anglorum *per* Dacos, Francos *&* Scotos *fore exterminandam*, ſicut ſupra tactum eſt in fine primi libri, in hunc modum; *Quidam ſanctus anachorita tempore Regis* Egelredi *prophetavit in hunc modum dicens*, Angli *quia proditioni, ebrietati & negligentiæ domus Dei dediti ſunt, primo per* Danos, *deinde per* Normannos, *tertio per* Scotos *quos viliſſimos reputant erunt conterendi; Adeo quod tunc varium erat ſeculum, ut varietas mentium multimoda veſtium variatione deſignetur.* Hæc ibi.

Leyceſtrenſis.

Cumque rex *Edwardus* ita eſſet ex omni parte occupatus in guerra, *Scoti* proponunt ſe liberare de ſubjectione Regis *Edwardi*; Et primo tenuerunt Parliamentum apud *Scone*, & ordinaverunt xij Pares ad modum *Francorum*, ſcilicet iv. Epiſcopos, iv. Comites, & iv. Barones, ita quod nullum arduum negotium ſit factum ſine eorum conſenſu; fecerunt eciam ſibi ſigillum commune. Deinde mandant certos nuncios cum literis procuratoriis ſigillatis cum ſigillo regis & totius communitatis *Scotorum* ad regem *Franciæ Philippum*, *pro affinitate facienda in-*

ter eos contra Regem Angliæ *per viam maritagii inter* Edwardum *filium* Johannis *Regis* Scociæ *& haredem, &* Johannem *filiam* Caroli de Waleys *fratrem* Philippi *Regis* Franciæ. *Pro qua copulatione* Franci *promiſerunt dare Regi* Scociæ *viginti quinque millia librarum de parvis* Turonenſibus, *Ita tamen quod ipſa eſſet dotata ſtatim poſt conjugationem in mille quingentis libris annui redditus de* Baliol *& de terris* Scociæ *que non ſunt pertinentes ad coronam, tenendis ad totam vitam dicta* Johannæ; *Et quod Rex* Scociæ *non iret terram ſanctam ſine conſilio Regis* Franciæ, *& quod teneret cum* Francis *& eos foveret in omnibus finibus & marchia ſua cum omni potentia ſua; Et ſi rex* Angliæ *bellum vel guerram moveret contra regem* Scociæ, *rex* Franciæ *ſurgeret cum eo contra ipſum & omnes alios, cum omni potentia ſua intraret in* Angliam *facere malum quod poſſet. Et quod non concordaret cum rege* Angliæ *aut* Almaniæ *nec altero eorum ex ſua parte de pace vel trenga abſque conſilio & aſſenſu alterius.* Nam rex *Almania* receperat de rege *Anglia* lx. mille libras ſterlingorum ire cum eo in *Gaſconiam* & tantum in perditione, ſicut infra patet; nam rex *Edwardus* impeditus fuit per guerram *Wallia*. Deinde *Scoti* miſerunt ad Curiam *Romanam* pro abſolutione habenda de juramento ſuo præſtito regi *Anglia*, & de homagio ſuo illi facto. Et per falſam ſuggeſtionem factam *Celeſtino* Papæ ſunt abſoluti per bullam papalem.

An. Dñi 1296. Anno gratiæ M.CC.xcvj. reddiderunt homagium ſuum regi *Anglia* per certos Nuncios habentes ad hoc literas procuratorias & deſpectuoſe hoc fecerunt.

« Magnifico Principi *Edwardo* Dei gratia Regi *Anglia*, *Johannes* eadem gratia *Scocia* rex. Cum vos ac alii de regno veſtro vobis non ignorantibus vel cauſam ignorantiæ non habentibus, per violentam potentiam veſtram nobis & regni noſtri incolis graves & intollerabiles injurias, contemptus et gravamina, necnon & dampna enormia contra nos & regni noſtri libertates ac contra Deum & juſticiam notorie & frequenter intuleritis, nos extra regnum noſtrum ad levem cujuſque ſuggeſtionem pro libito voluntatis veſtræ citando & indebite vexando, Caſtra noſtra, terras & poſſeſſiones noſtras & noſtrorum infra regnum noſtrum injuſte & ſine noſtris demeritis occupando, bona noſtra ac ſubditorum noſtrorum tam per terram quam per mare rapiendo & infra regnum veſtrum receptando, Mercatores & alios regni noſtri incolas occidendo, homineſque noſtros de regno noſtro in regnum veſtrum abducendo, ipſoſque ibidem detinendo & incarcerando; ſuper quibus reformandis nuncios noſtros vobis ſæpe tranſmiſimus; Quæque non ſolum remanent adhuc incorrecta, verumeciam de die in diem per vos & veſtros prioribus deteriora accumulantur, vos namque jam cum innumerabili armatorum multitudine exercitu veſtro publice convocato ad exhæredandum nos & regni noſtri incolas ad fines regni noſtri hoſtiliter acceſſiſtis, & ultra progredientes ſtrages & incendia inſultus & invaſiones violentas tam per terram quam per mare commiſiſtis inhumane: Nos dictas injurias, contemptus & gravamina, necnon & hoſtiles impugnationes ulterius ſuſtinere non valentes, nec in fidelitatem & homagium licet per violentam impreſſionem veſtram extorta manendo, contra vos ad defenſionem noſtram & regni noſtri ut juramento ſumus aſtricti, nos volentes erigere, fidelitatem & homagium vobis facta tam à nobis quam ab aliis quibuſcumque noſtris incolis & fidelibus noſtris ratione terrarum quas in regno veſtro de vobis tenebant, ac ratione monagii ſeu retentionis veſtræ, nomine noſtro & eorum omnium & ſingulorum vobis reddimus per præſentes. Et fuit litera iſta ſine data. Recepitque rex homagium reſignatum, & præcepit ut inrotularetur in rotulis Cancellariæ ſuæ ad perpetuam rei geſtæ memoriam. Et ſtatim mandaverunt quod omnes *Anglici* qui habebant terras & poſſeſſiones in *Scocia*, ſub pœna vitæ & membri ſine dilatione exirent à finibus eorum aut veniſſent cum omni robore ſuo quo poſſent ad defendendum regnum *Scocia* contra *Anglicos*, Et terræ eorum qui non venerant cum *Scotis* datæ ſunt aliis de regno. Dominus *Robertus Bruſe*, qui poſtea vendicavit regnum *Scocia*, non venit ad diem eorum, unde terræ ejus ſcilicet villa de *Anande* & aliæ datæ ſunt domino *Johanni Comyn de Longmahan* ad defendendum contra *Anglos*, qui cepit omnes decimas de patria, inſtauravit caſtrum de bonis alienis. Tunc rex *Edwardus* mandavit regi *Scocia* quod veniret ad eum cum fortitudine gentium ſicut ei promiſerat & ſicut tenebatur per juramentum ſuum; Ad hæc *Scoti* reſponderunt ſub una voce, quod nec illi nec eorum rex tenebantur in aliquo ad juſſa ejus ei obedire, quia fuerunt abſoluti per papam *Celeſtinum* de juramento ſuo & de omni ſubjectione quam per oppreſſionem extorſerat ab eis. Et cum rex vidiſſet ſe taliter deceptum, mandavit eis, *ut eicerent inimicos ſuos* Francos *&* Flandros *de terra ſua, quod ſi nollent ſet ſtare in fidelitate ſua, quod retradant ei tria caſtella ſua, ſcilicet* Berwik, Rokysborg, Ednysborg, *dum guerra duraret inter ipſum & regem* Franciæ. Et hoc quoque noluerunt concedere. Ad primum articulum ſic reſponderunt. *Terra noſtra libera eſt & de omni ſervicio quieta, non habemus quid facere cum rege* Angliæ *nec in aliquo tenemur ei, Nos volumus eſſe cum* Francis *& aliis qui ſunt in terra noſtra quos mercatores tenemus & recipimus de quacumque patria fuerint.* Iterum rex *Edwardus* mandavit *Johanni Baliol* regi *Scocia* quod veniat ad eum tanquam dominum ſuum legium ſtare judicio & juſticiæ pro delictis illi factis & gentibus ſuis contra fidelitatem illi factam & legiamentum ſuum ſub pœna forisfacturæ quicquid poſſet forisfacere. *Iohannes Balliol* omnino mandata recuſavit. Eodem tempore venerunt *Anglici* mercatores in portum de *Berewyk*, venerunt *Scoti* & plures occiderunt, & bona rapuerunt. Tunc mandavit *Edwardus* regi *Scocia* ut veniret ad *Novum Caſtrum* ſuper *Tynam* ad reſpondendum de iſta felonia & aliis; Set noluit venire. *Edwardus* venit in marchiam cum quatuor mille gentibus armatis & xxx. mille pedeſtribus electis. Et epiſcopus *Dunolmenſis* cum quingentis armatis & mille pedeſtribus & populo grandi de *Wallenſibus* & *Hybernienſibus* qui venerant ad Regem.

Dum rex in confinio remaneret dominus *Robertus de Ros* dominus Caſtri de *Werk* alectus amore cujuſdam mulieris de genere *Scotorum* quam uxorem habere cupivit, quadam die procuravit *Willielmum* fratrem ſuum ad partem *Scotorum*, dicens ſe confederatum cum eis, At ille renuit, dicens, Tace frater ſi hæc feceris in obprobrium eris cunctis nationibus & cognationi tuæ in ſcandalum. At ipſe eadem nocte latenter receſſit. Mane facto ipſe *Willielmus* ſignificavit regi *Edwardo* hæc, rogans auxilium ſibi mitti, ne forte *Scoti* venientes violenter caſtrum ab eo abriperent. Mox rex miſit millenarium militem cum mille viris, & centenarium. Cum in nocte ſequenti in villa de *Preſteſen* pernoctarent nichil mali ſuſpicantes, ecce ſeductor ille *Robertus Ros* venit cum populo *Scotorum* qui erant in præſidio caſtri de *Rokisborg*, latenter veniens totam villam clandeſtine circumduxit; dederantque ſignum inter ſe ut ſic ſuos mutuo cognoſcerent in congreſſu cum *Anglicis*, ut *Scotus* diceret *Anglice* **tabart**, alter reſponderet, **ſurcote**, & è converſo. Et ſic qui non reſponderent, pro certo haberentur *Anglici*, & morte plectendi. Et circumdata villa ſtatim ignem appoſuerunt, conclamantes in mortem *Anglorum*. *Anglici* vero ſtupefacti & neſcientes qua parte ſe diverterent, mutuo ſe cædebant, & abinvicem corruerunt. Centenarius *Cliſſland*[illegible] cum multos ſe defendendo peremiſſet, tandem ipſe corruit; millenarius vero amiſſis equis & armis cum difficultate evaſit. Multi enim *Anglici* ex frequentatione inita ſignum cognoverunt, et illud frequentantes ſalvati ſunt fugientes per campos, et multi capti ducti ſunt captivi ad caſtrum de *Rokeſburgh*, quorum quidam gladio, quidam vero fame in carcere perierunt. Reſidui quidem pauci poſt captam urbem de **Berwyk** à rege *Edwardo* ad preces cujuſdam bonæ dominæ quæ cum *Scotis* in eodem caſtro fuerat, liberati ſunt; ſet tamen ita nudi ſicut egreſſi ſunt de utero matris. Cum rex *Edwardus* iſta audiſſet, benedixit Deum, Benedictus ſit Deus altiſſimus qui uſque in præſens manus noſtras conſervavit innoxias. Et ex quo jam inceperunt ſic & regnum noſtrum hoſtiliter ingreſſi ſunt, nos auctore Domino factum complebimus, & in eorum capita retorquendo conſimilia faciemus; ſet quia erat proximum Paſcha noluit fines ſuos egredi, donec peracta ſolempnitate Paſchali. Menſe Aprilis *Scotorum* exercitus copioſus à caſtro de **Gedworthe** veniens ſexto idus Aprilis ingreſſi ſunt fines *Northumbriæ* in valle de **Reede**, obſidentes caſtellum de **Hyrbotyl** per duos dies; ſet cum proficere ſe non viderent, immo perdidiſſent aliquos de ſuis, digreſſi ſunt inde vaſtantes & concremantes ex orientali parte de **Tyne**, **Cocodale**, **Redeſdale**, & *Northumbriam* cum **Corbrig** uſque **Exteldeſham**, ibique fugientibus canonicis hoſpitati ſunt uno die. Mane autem facto cum jam monaſterium illud omnibus quaſi bonis ſpoliaſſent, appoſuerunt & ignem & monaſterium cum tota villa combuſſerunt. Obliti namque ſunt memoriam reverendi ejuſdem domus & quondam totius *Scotiæ* S. *Andreæ* apoſtoli, parvipendentes illum quem patronum regni *Scotiæ* antiquitus nominare ſolebant & in auxilium invocare. Inde vero vertentes, domum ſanctarum monialium de **Lameſlaye** cum cæteris adjacentibus in patria incendio horribili concremarunt; in fine illius diei Jovis pernoctantes apud **Lanertoſt**. Cumque eorum fuit voluntas ulterius procedere, noluit ipſe Deus & ideo impediti ſunt. Affuit enim nuncius ex ſuis qui diceret, quod exercitus regis *Angliæ* veniens in proximo aſſiſteret; attoniti vero & ſtupefacti in hoc, cum quaſdam domos ejuſdem monaſterii tamen non eccleſiam incendiſſent, ſummo mane diei Veneris per medium foreſtæ *Nicholai* cum magna præda reverſi ſunt. Peracta ſolempnitate Paſchali mox exercitu præparato rex *Edwardus* divertit ad caſtrum de **Werk**; ipſe vero *Robertus Ros* qui ſe futurum magnum credebat, poſt optentam victoriam de regno *Scotiæ* à rege *Edwardo*, à facie regis fugiens, tanquam vagus & profugus aliquantiſper latitavit, & in paupertatis miſeria periens defunctus eſt. Die mercurii in ebdomada Paſchali peracta ſolempnitate Paſchali anno ſcilicet Gratiæ incipiente M.CC.xcvj. rex *Edwardus* movebat ſe cum exercitu ſuo, & ingreſſus eſt terram *Scotiæ*, aquam quæ vocatur *Tweda* tranſeundo, & aqua nimium inundante quaſi miraculoſe contigit quod non periit niſi unus puer ex omni populo. Interim cives combuſſerunt iij. naves bellicas regis, inſultum facientes ad murum; quod rex videns, fecit inſultum magnum & die Veneris cepit villam de **Berwyk**, & caſtrum redditum erat ei per fortitudinem per dominum *Symonem Fryſel* & dominum *Willielmum Douglas*, & fuerunt ibi occiſi de *Scotis* xvij. m^{l}. iiij^{c}. vij^{em}. Rex *Edwardus* morabatur ibidem uſque in diem Veneris proximum poſt feſtum ſancti *Marci* quo ſe movebat ad **Coldyngham** ad ſuccurrendum homines ſuos qui fuerunt apud **Dunbarre** oppreſſi, ſcilicet Comes de *Warenna*, Comes de **Warwyk**, Comes *Patrik*, *Hugo Spenſer*, *Nicholaus Dandeleye*, *Henricus Percy*, *Robertus Clyfforde*, & multi alii Baronetti & multi milites. Sabbato ſequenti mittit rex apud **Dunbarre** ad ſuccurrendum gentes ſuas quæ ibi fuerunt; ſet Deo dante gentes noſtræ vicerant *Scotos* antequam ibi venerat, & in fugam verterunt: in qua fuga *Scoti* perdiderunt x. milia liij. perſonas; & fecit rex munire **Berwyk** de muro & foſſa. Noſtræ gentes obſederunt caſtrum de **Dunbarre**, ubi venit *Johannes Baliol* cum exercitu ſuo, & noſtri obviaverunt eis, & interfecerunt de *Scotis* xxij. mille. Nam non erat inter eos nullus valens niſi dominus *Patricius de Graham* qui ibi occiſus eſt. Illi de caſtello videntes victoriam, ſe reddiderunt & caſtellum *Anglicis* & obligaverunt ſe regi *Edwardo*, corpora, terras, & catalla. Et erant capti in caſtello iij. Comites, ſcilicet *Willielmus* Comes *Ros*, *Alexander* Comes de *Menteth*, *Iohannes* Comes de *Aſſell*, *Iohannes* filius ejus, *Iohannes Comyn de Badenhauth*, *Ricardus Wyard*, *Willielmus Seinclere*, vij. Barones, xxxj. armigeri, centum milites, ij. clerici, vij. *Picardi*, et omnes fuerunt miſſi ad diverſos carceres in *Anglia* et *Wallia*. Nunc habent *Scoti* neceſſe de auxilio *Francorum*, ſet fallunt eos de auxilio promiſſo quando eis ſe ligaverunt. Ante iſtam victoriam venerunt *Scoti* ad villam de **Carlyl** circiter quingenti armati et grandis multitudo pedeſtrium, et fecerunt inſultum fortem ad villam et incenderunt ſuburbium, adeo quod major pars civitatis infra muros fuit incenſa; et præcipue per unum exploratorem qui fuit in carcere, qui ferramenta ſua fregit et miſit ignem in domum carceris, unde magna pars villæ fuit exuſta. Et murum aſcendens, clamavit ad *Scotos* quod conſtanter et viriliter agerent ſecuri de ſuo propoſito; ſet defecerunt ſicut Deus voluit, et ille poſtea de igne tractus et ſuſpenſus eſt. Et diſſoluta ſunt corda multorum civium, dicentium, Capta eſt civitas, fugiamus. Cucurrerunt multi ad ignem, et pauci ad portas civitatis; mulieres tamen viriliter agentes attulerunt quoſdam

An. Dñi 1296.

Edw. I.

lapides et projecerunt lapides in hoſtes, inſuper et calidam aquam effuderunt. Extincto tandem igne, omnes unanimiter ſe in hoſtes dederunt, et eos fugaverunt. Rex diſpoſuit ſe verſus **Rokeſburgh** poſt captionem de **Dunbarre** ubi fuit Seneſcallus *Scotia*. Et qui ibi fuerunt reddiderunt caſtrum et habuerunt vitam miſſi per regem *Edwardum* in *Angliam*. Et abinde tranſivit rex ad **Edeneſburgh**, et illam obſedit viij. diebus, et qui intus erant ſe reddiderunt, et miſſi ſunt in *Angliam* data eis vita Et inde tranſivit rex verſus **Strivelyne**, et ibi non invenit aliquam reſiſtentiam quia omnes fugerant. Ibi venit ad regem Comes de *Vlneſter* cum CCCC hominibus armatis, xxx. mille pedeſtrium, et ibi venerunt nuncii ad eum pro gratia habenda pro hiis qui paulo ante ſurſum reddiderant ſuum homagium. Rex vero ut princeps gratiæ et miſericordiæ conceſſit eis ut venirent tractare de materia gratiæ ad caſtrum de *Breghine*. Cumque rex *Scotia* ibi veniſſet cum aliis, conceſſerunt frangere ſuum commune ſigillum quod contra *Edwardum* fecerant, et ſe miſerunt in gratiam regis abſque conditione quacumque et præ gaudio fleverunt, et *Edwardum* filium regis *Scotia* mittunt hoſtiagium, et ſe ligarunt regi *Edwardo*; primo rex, per ſcripta, deinde omnes communes, ſub forma ſequenti.

JOHAN *per la grace de Dieu &c. Cum nous par noſtre malves counſaile & faus, & par noſtre ſimpleſſe eioms grevounſment offenduez & coronſe noſtre ſeigneur* Edward *roy* Dengleterre *en meynte choſes, ceſt aſſavoire nous eſteanz & demorans en ſa foie & ſon homage de faire aliance a roy de* France *contre luy qui donkes eſtoit & unquore eſt ſon enmy & affaire mariage ou la file ſon frere ſir* Charles *pur noſtre ſeigniour grever & le roy de* France *eyder ove tote noſtre povaire par guerre & aultres maners, & puis par noſtre mauves counſaile deſpire noſtre ſeigneur le roy* Dengleterre *& nos mettre hors de ſon homage & de ſa foy par le homage rendre: & auxi noz gens envoyere en ſa terre pur faire arſonz, preyez prendre, homycides faire & damages pluſours. Et la terre de* Scoce *la quele eſt de ſon fee de gentz dez armes en viles chaſtiels & allours mettre & eſthabelere pur la terre defendre encontre luy & pour ſon fee luy deforciere. Pur lez queuz choſes & treſpas deſouztdit noſtre ſeigniour le roy* Dengleterre *eſt en ſa terre de* Eſcoze *entre, & al fors ad pris & conquis nounteſteant le pouere que nos avoms mys contre luy: la quele choſe il poient faire de droite cum ſeigniour de ſon fe, puis que nous luy avoms le homage rendre. Pur la quele choſe nous eſteauntz en noſtre pleyne pouare & noſtre franche volunte luy avoms renduez la terre des* Scoce *& tote la gent ove totez loure homages. En toiſmoignance de quele choſe &c.*

Cumque rex hæc egiſſet tranſivit cum exercitu ſuo verſus montes et in **Moruffh**. Et cum vidiſſet quod regnum eſſet ſubjectum plenarie ad ſuam voluntatem, et non erat qui ſibi reſiſteret, tunc rediit verſus **Berwyke** ubi ordinaverat parliamentum ſuum. Et cum veniſſent per **Scone** fecit cariare lapidem ad *Londonias* in quo reges *Scotia* ſolent eſſe poſiti in ſua coronatione, in ſignum quod ipſe *Edwardus* conquiſiſſet regnum *Scotia*. Apud **Berwyk** venerunt omnes magnates *Scotia* et fecerunt homagium et fidelitatem per obligatorium ſigillatum de ſigillis ſuis, fideliter ſibi ſervire contra omnes gentes, ac eciam venire ad eum in auxilium qua parte illi placeret quocumque tempore præmuniti. Et ad hæc facienda juraverunt ſuper ſanctum Evangelium in hæc verba:

Edw. I.

A touz ceux que ceſte lettre verront oue oyront &c. ſalutz. Pur ceo que nous a la faie & a la volunte de treſnoble prince & noſtre chier ſeigniour ſir Edward *par la grace de Dieu roy* Dengleterre, *ſeigniour* Dirlande, *duc* Daquitan, *promittoms pur nous & pur noz heyres ſur payne de corps dez avers & ſur quant que nous poms que nous luy ſerveroms bien & lealment contre totez gentz que purront viver & morire totes les fyes que nous ſeroms requis oue garnies par noſtre ſeigniour le roy* Dengleterre *avantdite oue par cez heires, e que nous lour damagez ne ſaveroms que nous le deſturberoms a tote noſtre pouare e lour froms a ſaver, & a ceſte choſe tenir & gardir nous obligiomms nous & noz heyres & touz noz biens, & ſur ceo avoms jure ſur ſeyntez Evangeliſtez. Eſtre ceo nous touz & cheſcune de nous par ſey avoms faite fyance a noſtre ſeigniour le roy* Dengleterre *avantdite en ceſte paroles.* Jeo ſerra feal et leal et fei et leute portrai au roy *Edward Dengleterre* a cez heyres de vie et de membre, et de terriene honour contre totez gentz que purront viver et morire, et jammes pur nully armes porteray ne en conſeile, ne en eyde ſerray contre luy ne encontre ſez heires en nule caſe que poet avenir; Si me eyde Dieu et lez ſeyntz. *En teſmoigne de ceſtz choſez nous avoms fait faire ceſt lettre overte ſeale de noz ſeals. Done a* **Berwyk** *ſur* **Twede** *le* xxviij. *jour de Auſt. lan de regne noſtre ſeignour roy* Dengleterre *avantdite* xxiiij.

Scriptum *Roberti Brus* et quorundam aliorum.

A touz ceux que ceſtez preſentz lettres verront oue oyront, Patric *Conte de la* Marche *& de* Dunbarre, Gilbert *de* Umſmavile *Conte de* Anegos, Robert de Brus *le veyle,* Robart le Bruys *le june Conte de* Carryk, *ſalutz. Pur ceo que nous ſumus & tous jours avoms eſte a le feye & a la volunte de treſnoble prince & noſtre chier ſeigniour ſir* Edwarde *par la grace de Dein roy* Dengleterre, *ſeigniour* Dirland, *& duc de* Aquitaine, *Nous promittoms pur nous & pur noz heyres ſur payne de corps & de avier & ſur kanke que nous puiſſons encoure que nous luy ſerveroms bienne & lealment encontre totez genz que porront viver & morere, tous les fiez que nous ſerroms requis oue garnez de part noſtre ſeigniour le loy* Dengleterre *avantdite oue par cez heyres. Et que lour damages non ſaveroms que nous le deſturbroms a tote noſtre poare oue lour ferroms aſſavoire. Et a ceſtez choſez tenir & garder obligoms nous & noz heyrez & touz nouz bienz. Et outre ceo avoms jurez ſur ſeynte Evangeles. Et puis nous tous & cheſcun par ſey avoms faite homage a noſtre ſeigniour le roy avantdite en ceſtez parolez.* Jeo devynk voſtre homme lige de vye et de membre et de terrene honour contra tous gentz que purrout viver oue morire.

Edward meſme celuy noſtre ſeigniour le roy ad receu en ceſt forme: *Nous le receyvoms de terres dont vous eſtez ore ſeyſe ſauf noſtre droit & autri & forpris lez terrez lez-queus* John de Baliol *qi fuiſt roy de* Scoce *vous dona puis que nous luy ſumes renduz le realme de* Scoce *ſi nuls vous eit done. Ouſtre ceo nous tous & cheſcune de nous par ſey avoms fais fyance a noſtre ſeignour le roy* Dengletiere

Edw. I.

gletiere avantdite en ceſtez parolez. Jeo ſerra feal et leal, et fei et lealte porteray au roy *Dengleterre Edward* et a ſez heyrez de vie et de membre et de terriene honour contre totez gentz que purront viver oue morire. Et james pur nully armes ne portera ne en conſaile ne en eyde ſerra contre luy ne contre cez heires pur nule cas qe poet avenir, e lealment reconuſtray & lealment frai lez ſervices qi appertenent as tenements que jeo cleyme tener de vous ſi Dieu me eyde & lez ſeynts. *En teſmognance de quelez choſez nous avoms fait faire ceſtez lettres overtez de noz ſealez ſealez. Don a* Werk *le* xxv. *jour de Marche lan du regne noſtre ſeigniour* Edward *roy* Dengleterre xxiiij.

Ordinavit igitur rex in parliamento ſuo de **Berwyk** novum Theſaurarium regni *Scotia*, novum ſigillum, & novum Cancellarium, Juſticiarioſque conſtituit; & præcepit ut omnes qui terras aliquantas de dominio regis tenerent, vocarentur, homagiumque facerent, & cæteri omnes tenentes aliunde, fidelitatem jurarent recognoſcentes ſe ſuo dominio extunc eſſe ſubjectos. Et hæc per ſcripta ſingulorum in perpetuam conqueſti memoriam. Statuitque rex & præcepit ut *Johannes* quondam rex *Scotiæ* & uterque *Johannes Comyne* cæterique magnates terræ illius, vel in ſuo itinere, vel faciem ejus præcedere ad partes auſtrales, morarenturque in partibus eiſdem ultra aquam quæ *Trenta* dicitur non revertentes ſub pœna capitis, quouſque inter ipſum & regem *Franciæ* omnino guerra finiretur. Optentaque victoria regni *Scotia* & ordinato regno, dimiſit rex *Wallenſes* & *Hibernenſes* & *Anglicanum* exercitum ut reverterentur ad propria, gratias eis agens & adiciens Coronam *Anglicanam* eis in hoc facto multum teneri & perpetuo obligari. Ipſe quoque rex ad partes auſtrales reverſus eſt, ex edicto tempus ſtatuens optimatibus ſuis ut convenirent ad eum in craſtino Animarum apud ſanctum *Edmundum*. Præceſſeruntque regem magnates *Scotia* & morati ſunt ultra *Trentam*. Juſſitque rex quod omnes terræ quas *Johannes Baliol* & omnes cæteri de *Scotia* tenent in *Anglia* ultra *Trentam* ſint ſeyſitæ in manus regis donec guerra *Franciæ* finiretur.

CAP. IV.

REX *Edwardus* miſit eodem tempore epiſtolam ad papam *Bonefacium* in declarationem juris ſui in regno *Scotiæ*, ſub forma quæ ſequitur; nam *Scoti* fecerant unam ſuggeſtionem pro ſtatu ſuo & pro abſolutione habenda, ut ſupradictum eſt. Hæc eſt epiſtola.

« *Edward par la grace de Dieu* &c. Infra non in forma in figura judicii, ſet omnia extra judicium præcurrenda ſanctæ paternitati veſtræ conſtanter vobis tranſmittimus exhibenda. Altiſſimus inſpector cordium veſtræ ſanctimoniæ memoriæque indelebili ſtilo novit inſcribi, quod antegenitores & progenitores noſtri reges *Angliæ* jure ſuperioritatis & directi dominii ab antiquiſſimis retro temporibus, *Scotiæ* & ipſius regibus & temporalibus & annexis eiſdem præfuerunt, & eiſdem regibus *Scotiæ* & ejuſdem regni proceribus à quibus habere volebant ligia homagia & fidelitates receperunt. Et nos juris dominii poſſeſſionem continuantes hujuſmodi pro tempore noſtro eorundem tam à rege *Scotiæ* quam ab ejuſdem regni proceribus recepimus; quinimmo tanta juris dominii prærogativa ſuper regnum *Scotiæ* reges *Angliæ* gaudebant quod regnum ſuis fidelibus conferebant. Reges eciam ex certis cauſis amovebant & conſtituebant ſub ſe loco ipſorum alios regnaturos. Quæ proculdubio ab antiquo notoria fuerunt & adhuc exiſtunt, licet aliud forte paternis auribus per pacis æmulos & rebellionis filios fuit falſa inſinuatione ſuggeſtum. Quorum machinoſa & imaginatia figmenta veſtra diſcretio aſpernetur.

« Sub temporibus *Hely* & *Samuelis* prophetæ, vir quidam ſtrenuus & inſignis *Brutus* nomine, de genere *Troianorum*, poſt excidium urbis *Troienſis* cum multis nobilibus *Troianorum* applicuit in quandam inſulam tunc *Albion* vocatam, à gigantibus inhabitatam; quibus ſua ſuorumque potentia deductis & occiſis eam nomine ſuo *Britanniam*, eciam ſuoſque ſocios *Britones* appellavit, & ædificavit civitatem quam *Trinovantum* nuncupavit, quæ modo dicitur **London**. Et poſtea regnum ſuum tribus filiis ſuis diviſit, videlicet *Locrino* primogenito ſuo illam partem *Britanniæ* quæ nunc *Anglia* dicitur. Et *Albanacto* ſecundo nato illam partem quæ tunc *Albania*, nunc vero *Scotia* nuncupatur. Et *Cambro* minori filio partem illam, quæ tunc à nomine ſuo *Cambria*, nunc vero *Wallia* vocatur, reſervata *Locrino* regia dignitate. Itaque biennio poſt mortem *Bruti* applicuit in *Albania* quidam rex *Hynorum* nomine *Humber*, & *Albanactum* fratrem *Locrini* occidit; quo audito *Locrinus* rex *Britonum* perſecutus eſt eum, qui fugiens ſubmerſus eſt in flumine quod de nomine ejus *Humbra* vocatur, & ſic *Albania* revertitur ad *Locrinum*. Item *Dunwallo* rex *Britonum Saterum* regem *Scotiæ* præfecit, & eundem ſibi rebellem & regnum ejus in deditionem recepit. Item duo filii *Dunwallonis*, ſcilicet *Belynus* & *Brennius* inter ſe regnum patris ſui diviſerunt; ita quod *Belynus* ſenior diadema inſulæ cum *Britannia*, *Wallia*, & *Cornubia* poſſideret, *Brennius* junior ſub eo regnaturus *Scotiam* teneret. Petebat vero *Toiana* conſuetudo, quod dignitas hæreditatis primogenito perveniret. Item *Arthurus* rex *Britonum* princeps famoſiſſimus *Scotiam* ſibi rebellem ſubegit, & pene totam gentem delevit. Et poſtea quendam nomine *Anſelmum* regem *Scotiæ* præfecit; & cum poſtea idem rex *Arthurus* apud civitatem *Legionum* feſtum faceret celeberrimum, interfuerunt illi omnes reges ſibi ſubjecti, inter quos *Anſelmus* rex *Scotiæ* ſervicium pro regno *Scotiæ* exhibens debitum, gladium regis *Arthuri* ante ipſum detulit. Succeſſive omnes reges *Scotiæ* omnibus regibus *Britonum* fuerunt ſubjecti. Succedentibus autem regibus in eadem inſula & ipſius monarchiam & dominium optinentibus ſubſequenter. *Edwardus* dictus ſenior filius *Aluredi* regis *Anglorum*, *Scotorum*, *Cambrorum*, *Stretig. Wallorum* reges ſibi tanquam ſuperiori domino ſubjectos habuit & ſubmiſit. *Adelſtanus* rex *Anglorum*, *Conſtantinum* regem *Scotiæ* ſub ſe regnaturum conſtituit, dicens, Glorioſius eſt regem facere quam regem eſſe. Eſt enim dignum memoria, quod idem *Adelſtanus* intercedente ſancto *Johanne de Beverlaco* quondam archiepiſcopo *Eboracenſi Scotos* rebellantes dimicavit; qui gratias Deo devote agens Deum exo-

“ravit petens quatinus intercedente beato *Johanne* ſibi aliquod ſignum oſtenderet evidens, quatinus tam ſuccedentes quam præſentes cognoſcere poſſent *Scotos Anglorum* regno ſubjugari; & videns quaſdam ſcopulas juxta quendam locum prope **Dunbarre** prominere, extracto gladio de vagina percuſſit in ſilicem; qui lapis ad ictum ferientis gladii Dei virtute cavatur ut menſura ulnæ longitudini poſſit coaptari; & hujuſmodi ſignum hactenus evidens in Legenda, & in *Beverlacenſi* eccleſia ſingulis ebdomadis per annum ad laudem ipſius miraculoſe recitatur. Et de hoc extat celebris memoria tam in *Scotia* quam in *Anglia* uſque in præſentem diem. Item *Conſtantinus* rex *Scotiæ* et *Eugenius* rex *Cambrorum* ad prædictum regem *Angliæ Adelſtanum* poſt diſſenſiones inter ſe habitas venientes, cum ſuis regnis ſe eidem *Adelſtano* reddidere; cujus facti gratia filium *Conſtantini* ipſe *Adelſtanus* de ſancto fonte ſuſcepit. Item *Edredo* regi *Angliæ Scoti* in bello ſe reddiderunt, et eidem regi *Edredo* tanquam domino fidelitatem debitam juraverunt, quodam *Iricio* rege ſuper *Scotos* ipſos conſtituto. Item cum *Edegarus* rex *Angliæ* regem *Scotorum Kynaldam*, eciam *Cumbrorum Malcolmum* regem, plurimarumque inſularum regem *Makkum*, alioſque quinque ſubregulos, ſcilicet *Dunwaldum*, *Sytherch*, *Hualdon*, *Jacob*, et *Hychel* ſubjectos; ipſumque *Edgarum* in navi quadam prope proram ſedentem per flumen de **Dee** illos remigare feciſſet, fertur ipſum dixiſſe, ſucceſſores ſuos gloriari ſe reges *Angliæ* eſſe, cum tanta prærogativa bonorum fruerentur, ut ſubjectam haberent ſibi tot regum potentiam. Poſt dictum *Edegarum* ſucceſſive ſucceſſerunt reges *Angliæ* ſanctus *Edwardus* martyr, *Elnredus* frater ejus, *Edmundus* dictus **Yrneſide** filius *Elnredi* & *Knotus*, qui eorum temporibus regnum *Scotiæ* in ſua ſubjectione tenuerunt, hoc duntaxat excepto quod anno xv. *Knoti* prædicti idem *Knotus*] *Scotulam* rebellantem expeditione illuc directa, regem *Scotiæ Malcolmum* parvo ſubjecit negotio ſubdituſque eſt ei iterum *Malcolmus*. Quibus *Haraldus* filius *Knoti* & *Hardeknotus* frater ejus unus poſt alium regnum *Angliæ* ſuſceperunt, qui eis ſic regnantibus ſibi regnum *Scotiæ* ſubjectum pacifice tenuerunt. item dictus ſanctus *Edwardus* rex *Angliæ* regnum *Scotiæ* dedit *Malcolmo* filio regis *Cambrorum*, de ſe tenendum. Item *Willielmus* **Baſtarde** rex *Anglorum* cognatus ſancti *Edwardi* à *Malcolmo* rege *Scotorum* tanquam à ſuo homine cepit homagium. Item *Willielmo Rufo* regi *Angliæ* prædictus *Malcolmus* rex *Scotorum* fidelitatis juramento ſubditus fuit. Item *Willielmus* prædictus *Dunwaldum* de regno *Scotiæ* ex juſtis cauſis amovit, & loco ipſius *Duncanum* filium *Malcolmi* regem *Scotiæ* præfecit, & recepit ab eo fidelitatis juramentum, ſanctoque *Duncano* doloſe perempto, rex *Willielmus* præfatum *Dunewaldum* qui iterum regnum *Scotiæ* invaſerat ab eodem amovit, & *Edgarum* filium *Malcolmi* regem *Scotiæ* conſtituit & eidem idem regnum donavit. Cui ſucceſſit *Alexander* frater eidem *Edgaro* conſenſu regis *Angliæ Henrici* primi. Item *Matildi* imperatrici filiæ & hæredi dicti *Henrici* rex *Scotiæ David* fecit homagium & fidelitatem. Item regi *Angliæ Stephano*, *Henricus* filius dicti *David* homagium fecit. Item rex *Willielmus Scotiæ* pro regno *Scotiæ* & *David* frater ejus, Comites & Barones regni *Scotiæ* devenerunt homines ligii *Henrici* filii regis *Angliæ Henrici* ſecundi patre vivente, & fidelitatem ei juraverunt contra omnes homines, ſalva fidelitate debita patri viventi. Anno xvj. regni regis *Henrici* ij. dictus *Willielmus* rex *Scotorum* rebellare incipiens venit in *Northumbriam* cum exercitu ſuo, & exercuit in populo ſtragem magnam, cui occurrentes milites comitatus *Eboracenſis* apud **Alnewyk** ipſum ceperunt, & dicto *Henrico* regi *Angliæ* reddiderunt. Annoque ſequenti ſcilicet xv. kalend. Marcii eſt idem *Willielmus* permiſſus liber abire. Poſtea vero apud *Eboracum* anno eodem ſcilicet xvij. kalend. Septembris idem *Willielmus* de conſenſu Prælatorum, Comitum & Baronum, & aliorum magnatum regni *Scotiæ* domino ſuo regi *Angliæ Henrico* filio imperatricis *Matildæ* prædictæ ſuis literis patentibus caviſſe noſcitur, quod ipſe hæredes & ſucceſſores ſui Reges *Scotiæ*, Epiſcopi, Abbates, Comites, & Barones, & alii homines de regno *Scotiæ* de quibus dictus rex habere voluerit, faciant regibus *Angliæ* homagium & fidelitatem, & ligeantiam ut domino ligio contra omnes homines. Et in ſignum fidelitatis hujus, idem *Willielmus* rex *Scotiæ* capellum, lanceam & ſellam ſuos ſuper altare beati *Petri Eboracenſis* optulit: quæ in eadem eccleſia uſque in hodiernum diem remanent & ſervantur. Item Epiſcopi, Comites & Barones dicti regni *Scotiæ* conventionaverunt ut verbis hujuſmodi conventionis uterentur domino regi *Angliæ* & *Henrico* filio ſuo prædictis, *Quod ſi rex* Scotiæ *aliquo caſu à fidelitate regni* Angliæ, *& à conventione prædicta recederet, ipſi cum domino rege* Angliæ *tenebunt ſicut cum domino ſuo ligio contra regem* Scotiæ, *quouſq; ad fidelitatem regis* Angliæ *redeat*. Quam quidem compoſitionem felicis recordationis *Gregorius* papa ix. in diverſis Cartis regno *Angliæ* & *Scotiæ* directis mandavit firmiter obſervari, continentibus inter cætera, quod *Willielmus* & *Alexander Scotorum* reges regibus *Angliæ Johanni* & *Henrico* ligeum homagium & fidelitatem fecerunt, quæ eorum ſucceſſores Rex, & Comites, & Barones regni *Scotiæ* ipſis & ſucceſſoribus ſuis tenentur exhibere. Et iterum quod cum idem rex *Scotiæ* homo ligeus ſit ipſius *Henrici* regis *Angliæ* & eidem fidelitatis juramentum præſtiterit, quo ſe principaliter aſtrinxit quod in ipſius regis regni *Angliæ* detrimentum nil penitus attemptaret. Et papa *Clemens* ſcribens regi *Angliæ* pro *Johanne* epiſcopo ſancti *Andreæ* expulſo ab epiſcopatu ſuo per regem *Scotiæ*, inter cætera rogavit, quod *Willielmum* regem *Scotiæ* moneret & induceret, & ſi neceſſe fuerit diſtrictione regali qua præminet & conceſſa ſuæ regiæ celſitudini poteſtate compelleret, ut dicto epiſcopo omnem rancorem remitteret & epiſcopatum ſuum in pace habere permitteret. Et poſt conventionem prædictam in eccleſia ſancti *Petri Eboracenſis* coram prædictis regibus *Angliæ* & *Scotiæ*, & *David* fratre ſuo & univerſo populo, Epiſcopi, Comites, Barones & milites regis *Scotiæ* juraverunt regi *Angliæ* & *Henrico* filio ſuo & heredibus eorum fidelitatem contra omnes homines ſicut ligeo domino ſuo & dominis ſuis. Et idem *Willielmus*

« elmus rex *Scotorum* ad mandatum regis *Henrici* prædicti venit ad *Northamptoniam* ad parliamentum ſuum adducens ſecum omnes Epiſcopos, Abbates, & Priores totius regni ſui. Venit etiam ad ejuſdem regis *Angliæ* mandatum in *Normanniam*. Et idem rex *Willielmus* poſt deceſſum ipſius regis *Henrici* veniens *Cantuariam*, *Ricardo* regi *Angliæ* filio & hæredi dicti *Henrici* fecit homagium. Quo *Ricardo* defuncto ſupradictus *Willielmus Johanni* regi *Angliæ* fratri & hæredi prædicti regis *Ricardi* extra *Lincolniam* ſupra montem in conſpectu omnis populi fecit homagium & juravit fidelitatem ſuper crucem *Huberti* tunc *Cant.* archiep. eidem *Johanni* tanquam ligeo domino ſuo; Et per Cartam ſuam conceſſit, quod *Alexandrum* filium ſuum ſicut hominem ſuum ligeum maritaret, promittendo firmiter in Carta eadem quod idem *Willielmus* rex *Scotorum* & *Alexander* filius ſuus *Henrico* filio regis *Angliæ Johannis* tanquam ligeo domino ſuo contra omnes homines mortales fidem & fidelitatem tenerent; à quo quidem *Willielmo* rege pro eo quod deſponſaret filiam ſuam Comiti *Boloniæ* præter ipſius regis *Johannis* aſſenſum, pro tranſgreſſione & temeraria præſumpcione hujuſmodi ſatisfactionem debitam accepit. Item *Alexander* rex *Scotorum* ſororius noſter regi *Angliæ Henrico* patri noſtro pro regno *Scotiæ*, et poſtea nobis homagium fecit. Vacante deinde regno *Scotiæ* poſt mortem *Alexandri* regis illius, et ſubſequenter poſt mortem *Margaretæ* ejuſdem regni *Scotiæ* hæredis & dominæ neptis noſtræ, Epiſcopi, Comites, Barones, & cæteri regni proceres & communitates regni *Scotiæ* ad nos tanquam ad legitimum ducem, aurigam, capitaneum & dominum capitalem ejuſdem regni ſic vacantis, gratis & ſpontanea voluntate accedentes prout tenebantur de jure, jus noſtrum & progenitorum noſtrorum, & anteceſſorum noſtrorum, & poſſeſſionem ſuperioris, & dominii directi in regno eodem & ipſius ſubjectione ex certa ſcientia pure, ſimpliciter & abſolute recognoverunt. Et præſtitis nobis ab eiſdem tanquam ſuperiori & directo domino *Scotiæ* debitis & conſuetis fidelitatum juramentis, ac civitatibus, burgis, villis, & caſtris, munitionibus regni ejuſdem in manu noſtra traditis, ad cuſtodiam ejuſdem regni jure noſtro regio officiales & miniſtros deputavimus, quibus ipſi tempore vacationis hujuſmodi concorditer fuerunt obedientes et intendentes, et præceptis noſtris, et mandatis regiis. Poſtmodum autem diverſæ perſonæ ſuper ſucceſſione in dicto regno *Scotiæ* jure hæreditario inter ſe contendentes, ad nos tanquam ad ſuperiorem dominum ſuum regni *Scotiæ* acceſſerunt, petentes ſuper jure ſuccedendi in regnum prædictum ſibi per nos exhiberi juſtitiæ ſupplementum; volentes et expreſſe conſentientes coram nobis tanquam ſuperiori domino *Scotiæ* ſtare juri. Et demum earundem partium petitionibus et juribus coram nobis judicialiter propoſitis ac ſufficienter auditis et rimatis, et multiformiter examinatis ac diligenter intellectis, in præſentia omnium prælatorum et nobilium quaſi totius regni *Scotiæ*, & de voluntate, & conſenſu eorum expreſſe procedentes, *Johannem Ballol* debite præfecimus in regem *Scotorum*, quem tunc in ſucceſſione ejuſdem regni hæredem legitimum juris invenimus habere potiorem. Quiquidem Prælati, Comites, & Barones, Communitates, ac cæteri incolæ ejuſdem regni hujuſmodi ſententiam expreſſe audierunt, acceptaverunt, & expreſſe approbaverunt, & ipſum *Johannem* de mandato noſtro virtute ejuſdem judicii in regem ſuum admiſerunt; ac idem *Johannes* rex *Scotiæ* pro regno ſuo præſtito nobis homagio debito ac conſueto, fidelitatis juramentum ad parliamentum noſtrum veniens fecit, tanquam noſter ſubditus & fidelis, & ſicut alii de regno noſtro interfuit, & noſtris tanquam domini ſui ſuperioris mandatis obedivit. Et Prælati, Comites, & Barones, & cæteri incolæ majores ejuſdem regni poſtmodum ex præconcepta & plena malicia ac proditione præordinata pactiones, confederationes, conſpirationes, & conjurationes in exhæredationem noſtram, & hæredum noſtrorum & regni noſtri, contra debitam homagii ſui fidelitatem, juramentum inierunt inter ſe, in crimen læſæ majeſtatis nequiter incidendo. Unde cum præmiſſa ex relatione fideli fama publica conſentiente ad aures noſtras perveniſſent, volentes futuris periculis præcavere quæ ex hiis & aliis poſſent nobis, regno noſtro & regni noſtri incolis veriſimiliter provenire, pro aſſecuratione regni noſtri acceſſimus ad confinium utriuſque regni, pluries mandantes eidem *Johanni* tunc regi *Scociæ*, quod ad certa loca in confinio prædicto ad nos accederet ſuper præmiſſis & aliis pro ſtatu, tranquillitate & pace utriuſque regni aſſecurationem & alia per nos & conſilium noſtrum ſibi exponenda auditurus, & ſuper hiis contingentibus juſticiam recepturus.

« Qui publicis mandatis noſtris contumaciter in ſua perfidia perſiſtens, ad bellicos apparatus cum cæteris Prælatis, Comitibus & Baronibus regni *Scociæ* ac eciam aliis exteris conductis, contra nos, regnum noſtrum & regni noſtri incolas hoſtiliter ſe convertens accinxit, & ad hoſtiles aggreſſus & incurſus procedens noſtrum regnum invaſit, quaſdam villas regni noſtri *Angliæ* per ſe & ſuos deprædatus eſt, eaſdem vaſtavit incendio, homineſque noſtros interfecit, & nonnullis nautis noſtris per eos interemptis, naves hominum noſtrorum regni *Angliæ* comburi fecit, Et eveſtigio nobis redditis homagio & fidelitate per regem *Scociæ* tam pro ſe quam pro aliis quibuſcunque regni ſui incolis per verba effectum diffidentiæ exprimentia, comitatus noſtros *Northumbriæ*, *Cumbriæ*, *Weſtmerlandiæ*, congregato ingenti exercitu hoſtiliter per ſe & ſuos invaſit, ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia monaſteriorum, eccleſiarum & villarum inhumane perpetrando, & patriam undique depopulando, Infantes in cunis & mulieres in puerperio decubantes atrociter & miſerabiliter trucidantes, Et quod auditu horrendum eſt, à nonnullis mulieribus mamillas abſciderunt, parvos clericulos primas literas addiſcentes ad numerum circiter ducentorum in ſcolis exiſtentes obſtructis hoſtiis igne ſuppoſito concremaverunt; Nos quoq; cernentes tot dampna, opprobria, facinora & injurias & exhæredationem noſtram & deſtructionem olim regni noſtri proditionaliter irrogari, nolentes ratione juramenti quo ad conſervationem jurium coronæ regni noſtri ſumus aſtricti, tam execranda & nephanda facinora ulterius tolerare nec jura noſtra relinquere indefenſa; Cum idem *Johannes* rex *Scotorum* & gens

« ſua ſubditi noſtri per legem & juſticiam ſe juſtificari minime permiſiſſent, ipſo regno *Scociæ* quod à longiſſimis temporibus ſicut ſuperius exprimitur nobis & progenitoribus feodale extitit ex cauſis præmiſſis Deinde bello juxta leges & conſuetudines regni noſtri contra eos ex conſilio procerum noſtrorum indicto, contra dictum *Iohannem* & gentem *Scotorum* vires potentiæ noſtræ extendimus, prout nobis licuit de jure, & proceſſimus contra eos tanquam proditores contumaces & publicos hoſtes. Subacto igitur regno *Scociæ* jure proprietatis noſtræ, præfatus rex ipſum regnum *Scociæ* ditioni noſtræ quatenus de facto tenuit, ſponte, pure & abſolute reddidit in manum noſtram: proditiones & ſcelera memorata coram nobis & proceribus noſtris publice recognoſcens. Quo peracto, Prælati, Comites & Barones et communitates regni *Scociæ* quos ad pacem noſtram regiam recepimus, ſubſequenter homagia et fidelitates nobis tanquam inmediato et proprio domino fecerunt, redditus eciam ejuſdem regni nobis præſtiterunt. In civitatibus, caſtris, villis, inmunitionibus ac cateris locis omnibus miniſtros officiales noſtros ad regimen ejuſdē regni præfecimus jure noſtro ſpeciali et cætera in hunc modū.

Ciſtrenſis l.7.c.40.

Rex fecit ſeiſire omnia temporalia clericorum eximens eos protectione ſua pro eo quod anno elapſo nollent eum reſpicere de bonis ſuis contra *Scotos*. Nam *Robertus* archiepiſcopus de conſenſu cleri procuraverat à papa inhibitionem ne quis clericorum regem reſpiceret de bonis Eccleſiæ. Unde et plures Prælatorum timore tacti quæſierunt protectionem regiam.

CAP. V.

Leiceſtrenſis.

INterea Papa miſit bullas papales inhibitorias quod nulla perſona Eccleſiaſtica cujuſcumque conditionis foret, daret ſeculari perſonæ ſive regi ſive alteri perſonæ decimam, quintamdecimam, viceſimam nec quamcumque aliam contributionem abſque ſpeciali licentia à Curia *Romana* in hac parte conceſſa; ſimiliter nulla pars ſecularis majoris vel minoris conditionis caperet ſub colore cujuſcumque cauſæ de perſonis Eccleſiaſticis majus vel minus abſque ſpeciali licencia à curia petita & optenta, & hoc ſub pœna excommunicationis majoris inde latæ & ipſo facto incurrendæ & capiens & tribuens, & hoc abſque abſolutione præter in mortis articulo citra curiam *Romanam* conſequenda. Similiter ne quis per vim aut extorſionem caperet quicquid depoſitum in Eccleſia ubilibet ſub eadem pœna. Eodem tempore cum audiſſet papa non ſolū *Anglicanæ* ſet etiam univerſalis quaſi Eccleſiæ afflictiones varias & oppreſſiones multas quaſi per omnia mundi regna, eo quod Reges & Principes affligebant eam, Cogitavit ſollicite per quam poſſet viam aliquod remedium adhibere; Unde conſilio fratrum Conſtitutionem ſubſcriptam ad univerſas mundi provincias bullatam miſit perpetuis temporibus obſervandam.

« *Bonefacius* &c. Ad perpetuam rei memoriam; *& infra.* Clericis laicos infeſtos opido tradit antiquitas, Quod & præſentium experimenta temporum manifeſte declarant dum ſuis finibus non contenti nituntur in vetitum & ad illicita ſua frena relaxant, nec prudenter attendunt quomodo ſit eis in clericos eccleſiaſticaſve perſonas & bona interdicta poteſtas; quinimmo eccleſiarum Prælatis eccleſiaſticiſque perſonis regularibus & ſecularibus imponunt onera gravia, ipſos talliant & eis collecta imponunt, & ab ipſius ſuoque proventuum vel bonorum dimidiam decimam ſeu viceſimam vel quamvis aliam portionem aut quotam exigunt & extorquent, eoſque moliuntur multipharie ſubicere ſervituti & ſuæ ſubdere ditioni. Et quod dolendo referimus, nonnulli eccleſiarum Prælati eccleſiaſticæque perſonæ trepidantes ubi trepidandum non eſt, tranſitoriam pacem quærentes, plus timentes majeſtatem temporalem offendere quam æternam, talium abuſibus non tam temerarie quam inprovide adquieſcunt, ſedis apoſtolicæ auctoritate non optenta: Nos igitur talibus actibus obviare volentes de fratrum noſtrorum conſilio apoſtolica auctoritate ſtatuimus, Quod quicumque Prælati Eccleſiaſticæve perſonæ, religioſi vel ſeculares quorumcumque ordinum, conditionis ſive ſtatus, collectas vel tallias, dimidiam, decimam, viceſimam ſeu centeſimam ſuorum & Eccleſiarum ſuarum proventuum vel bonorum laicis ſolverint vel ſe ſoluturos conceſſerint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quicquam ipſorum proventuum vel bonorum æſtimationem vel valorem ipſorum, ſub adjutorii, mutui, ſubventionis, ſubſidii vel doni nomine, ſeu quovis alio timore vel modo vel quæſito colore abſque auctoritate ſedis ejuſdem, necnon Imperatores, Reges, ſeu Principes, Duces, ſeu Comites vel Barones, Proceres, Capitanei, Officiales vel Rectores quocumque nomine cenſeantur, civitatum, caſtrorum, vel quorumcumque locorum conſtitutorum ubilibet, & quivis alius cujuſcunque provinciæ, conditionis & ſtatus qui talia impoſuerint & exegerint vel receperint, aut apud ædes ſacras depoſita eccleſiarum vel eccleſiaſticarum perſonarum ubilibet areſtaverint ſeiſierint ſeu occupare præſumpſerint, vel areſtari, ſeiſiri vel occupari mandaverint, aut occupata, ſeiſita ſeu areſtata receperint, necnon omnes qui ſcienter in prædictis dederint conſilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Univerſitates quæ in hiis culpabiles fuerint eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Prælatis & perſonis eccleſiaſticis in virtute obedientiæ & ſub depoſitionis pœna diſtricte mandantes ut talibus abſq; expreſſa licentia dictæ ſedis nullatenus adquieſcant. Quodq; prætextu cujuſcumque obligationis, promiſſionis & conceſſionis factarum hactenus vel faciendarum in antea priuſquam hujuſmodi conſtitutio, prohibitio ſeu præceptum ad noticiam ipſorum pervenerit, nil ſolvant, nec ſupradicti ſeculares aliquid quoquo modo recipiant. Et ſi ſolverint, vel prædicti receperint in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto. A ſupradictis autem excommunicationis & interdicti ſententiis nullus abſolvi valeat præterquam in mortis articulo abſque ſedis apoſtolicæ auctoritate & licentia ſpeciali, Cum noſtræ intentionis exiſtat tam horrendum ſeculariū poteſtatū abuſum nullatenus ſub diſſimulatione tranſire, non obſtantibus quibuſcumq; privilegiis ſub quibuſcumq; tenoribus ſeu modo aut verborum conceptione conceſſis Imperatoribus, Regibus & aliis ſupradictis, quæ contra præmiſſa in nullo volumus alicui vel aliquibus ſuffragari. Nulli igitur hominū liceat hanc paginā noſtræ Conſtitutionis

“ tionis, prohibitionis ſeu præcepti infringere ſeu auſu temerario contraire. Dat. *Romæ* ad ſanctum *Petrum* vj. kalendarum Marcii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Eodem anno in craſtino animarum ejuſdem anni tenuit Rex Parliamentum ſuum apud ſanctum *Edmundum*, ubi ad rogatum ipſius conceſſus eſt ei xij. denarius à populo, & à civitatibus & burgis octavus denarius. A clero vero reſponſum eſt, Quod nec ipſi dare vel concedere nec ipſe quicquam accipere poſſet niſi uterque eorum ſententiam excommunicationis incurreret in Bulla lata, Quod tamen regem velle non credebant nec ſibi expedire ſciebant. Set non placuit regi reſponſum hoc. Unde advocati ſunt ad aliud Parliamentum *Londonias* in craſtino ſancti *Hillarii*, ut interim cum deliberatione conſimili melius reſpondeant. Adveniente tandem die & ibidem clero congregato, *Cantuarienſis* archiepiſcopus magiſter *Robertus de Winchelſe* communicato conſilio, hiis qui à facie ejus mittebantur, reſpondit in hæc verba: “ Satis vobis conſtat domini mei nec latere poteſt quod ſub omnipotenti Deo dominos etiā dominos habemus temporales, ſpiritualem & temporalem. Spiritualem vero dominum papam, & temporalem dominum noſtrum regem, Et quamvis utrique obedientiam debeamus, majorem tamen ſpirituali quam temporali. Verum ut placere poſſimus utrique, concedimus & mittere volumus ſumptibus noſtris nuncios noſtros ſpeciales ad ipſum patrem ſpiritualem dominum papam, ut licentiam aliquid concedendi habere poſſumus, vel ſaltem reſponſum habeamus ab ipſo quid facere debeamus. Credimus eciam dominum noſtrum regem ſicut & nos ipſam excommunicationis ſententiam inbullatam & timere & effugere velle; Ad hoc ordinate ex vobis Domini cariſſimi perſonas certas qui talia domino regi ex parte noſtra renuncient. Nos enim ſcientes indignationem ejus accenſam, veremur talia nunciare omnino. Quod cum ipſi feciſſent, mox furor regis inſævit & excandens in iram ipſum *Cantuarienſem* archiepiſcopum cum toto clero *Anglicano* extra ſuam protectionem & defenſionem poſuit; Præcepitque ut omnes terræ etiam dotales totius Eccleſiæ *Anglicanæ* in manum ipſius ſeiſirentur. Et tamen ut creditur miraculoſe contigit, quod eadem die qua Clerum extra protectionem ſuam poſuerat confuſi ſunt milites ſui in *Vaſconia* à *Francis* & turpiter victi, ut infra patet. Juſticiarius eciam regis in banco ex parte regis pro tribunali ſedens omnibus circumſtantibus dixit publice. “ Vos domini attornati Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Priorum cæterarumque perſonarum omnium ex clero nunciate dominis veſtris & dicite, quod de cætero in curia domini regis nulla fiet eis juſtitia de quacumque re etiamſi illata fuerit eis injuria atrociſſima, juſtitia tamen de eis fiet omnibus conquerentibus & eam habere volentibus.

Ceſtrenſis l.7.c.40.

Rex *Edwardus* fecit ſeiſire omnia temporalia clericorum, eximens eos à protectione ſua pro eo quod anno præcedenti nollent eum reſpicere de bonis ſuis contra *Scotos*; nam *Robertus* archiepiſcopus de conſenſu Cleri procuraverat à Papa inhibitionem ne quis Clericorum Regem reſpiceret de bonis eccleſiæ; unde & plures Prælatorum timore tacti quæſierunt protectionem regiam.

Leyceſtrenſis.

Omirabile & inauditum auribus horribile! Communis juſtitia quæ omnibus patere deberet tam incolis quam alienigenis quo ſpiritu neſcio clero Chriſti denegatur, ancillaturque & ſervit ac ſubpeditatur ipſa mater Eccleſia quæ ſolebat antiquitus filiis dominari, pedes ſuper caput elevantur, & quæ ſolebat cunctis ſplendeſcere fomento miſerationis, jam à miſericordia deicitur & obfuſcatur umbraculo crudelitatis. Electus autem *Eboracenſis*, *Henricus de Newerk*, & *Dunolmenſis*, *Elienſis* & *Saliſbirienſis* epiſcopi & quidam alii timentes iram regis maximam, & conjecturantes grave periculum imminere, ordinaverunt ſe deponere velle in æde ſacra quintam partem bonorum eccleſiaſticorum illius anni ad tuitionem eccleſiæ *Anglicanæ* & defenſionem urgentiſſimæ neceſſitatis, ut ſic iram regis evaderent & ſententiam in Bulla non incurrerent; Quicquid tamen ponebat clerus tollebat fiſcus; Et ſic ordinantes & ſub colore quintam partem concedentes, protectionem regis conſecuti ſunt. *Cantuarienſis* vero archiepiſcopus animum non mutans nec concedere nec deponere quicquam voluit, Elegitque pocius iram regis quam ſententiam excommunicationis incurrere, unde ſeiſita ſunt omnia bona ſua & vaſa ejus aurea & argentea occupata ſunt & equi omnes, Receſſeruntque ab eo familiares ejus nec remanſit quicquam unde pauper Chriſti aleretur; Præceptumque eſt ſub gravi foriſfactura regis ne quis eum hoſpitio ſuſciperet in monaſterio vel extra, Evacuatumque eſt illud Apoſtoli, *Suſcipite invicem ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos*; manſitque ſic in domo cujuſdam ſimplicis Rectoris cum ſolo ſacerdote & uno clerico, non habens ex toto archiepiſcopatu ubi caput reponeret. Conſtanter tamen egit in verbo Domini, publice mendicans, ubique proteſtans, omnes qui vel regi vel perſonæ ſeculari præter voluntatem domini papæ quicquid concederent in canonem latæ ſententiæ eo facto proculdubio incidiſſe, ſemper exiſtens paratus ad moriendum pro Eccleſia Chriſti. Amici vero *Lincolnienſis* epiſcopi *Oliveri* eciam ipſo voluntatem vel petitionem regis non ratificante, procuraverunt tamen quod vicecomes *Lincolnienſis* levata quinta parte de bonis ipſius epiſcopi extunc ei poſſeſſiones & terras reſtitueret. Omnia eciam monaſteria epiſcopatus ipſius & totius provinciæ *Cantuarienſis* ſeiſita fuerant in manu, & ex præcepto ipſius Cuſtodes appoſiti qui ipſis religioſis ſolummodo neceſſaria miniſtrarent, et reliqua converterentur in fiſcum. Unde Abbates & Priores neceſſitate compulſi curiam regis adierunt, non peccata ſet bona propria redimentes data quarta. Nulla tunc temporis fiebat juſtitia clero, & paſſi ſunt clerici injurias multas. Religioſi eciam in via regia equis ſuis ſpoliabantur, & nullam conſecuti ſunt juſtitiam, quouſque redemptione facta eis daretur regia protectio. Rex præcepit ut omnes qui habebant lanas & pelles cariarent eas ad diverſos portus maris, Quod cum ipſi feciſſent, miniſtri regis omnes ſaccos lanæ quinarium numerum excedentes datis talliis ad opus regis acceperunt; Et ab unoquoque ſacco quinarium numerum non excedente ab eis nomine malæ toliæ xl.s. extorſerunt. Et multæ oppreſſiones fiebant in hunc modum in populo. Rex habuit de quolibet comitatu duo millia quarteria frumenti & totidem de avenis & carnes ſalſas ſimiliter ad gravem oppreſſionem populi, videlicet porcinas, bovinas, vaccinas, multonum ſalſas, nulla ſolutione cuiquam inde facta.

Edward.I.

In feſto ſancti *Mathei* Apoſtoli quibuſdam convocatis optimatibus regni abſque clero rex tenuit Parliamentum ſuum apud *Salyſbyriam*, ubi rogavit quoſdam magnatorum ut in *Vaſconiam* tranſfretarent ; Et cœperunt ſinguli ſe excuſare ; Indignatuſque rex comminabatur quibuſdam eorum vel quod irent vel quod terras eorum daret aliis ire volentibus ; Et in hoc verbo ſcandalizati ſunt multi, & ſciſma cœpit oriri inter eos. Comes eciam *Mareſchallus* & Comes *Herfordiæ* excuſaverunt ſe, dicentes, quod officia ſua quæ ſibi jure hæreditario competebant libenter facerent eundo cum ipſo rege. Iterataque prece rogavit Rex Comitem Mareſchallum ut iret, Et ait, Libenter tecum vadam ô Rex præcedendo faciem tuam in acie prima, ſicut michi competit jure hæreditario. Et rex. Etiam ſine me ibis cum aliis. At ille, Non teneor, nec eſt meæ voluntatis ô rex ſine te iter arripere. Et iratus rex prorupit in hæc verba, ut dicitur. Per Deum ô Comes, aut ibis aut pendebis. Et ille. Per idem juramentum ô rex nec ibo nec pendebo. Et licentia non accepta receſſit ; Diſſolutumque eſt concilium pro illo die. Confeſtim vero duo Comites iſti *Herfordiæ* & *Mareſchallus* aſſociatis ſibi multis magnatibus & pluſquam xxx. banerettis electis creverunt in populum multum, numeratique ſunt in equis armatis mille quingenti viri expediti ad bellum. Et cœpit eos timere rex, diſſimulavit tamen. Illi profecti in terras ſuas noluerunt miniſtros regis permittere nec lanas nec coria nec extraordinarium quicquā capere aut aliquid exigere ab invitis, quinimmo interdixerunt eis terras ſuas ſub pœna capitis & membrorum ; & ſic reſiſtebant regi & ſuis.

Comes *Flandriæ* paſſus injuriam à rege *Franciæ* domino ſuo receſſit ab amicabilitate ejus cum jam multas exhauſiſſet pecunias pro eo contra regem *Angliæ*, ſicut infra patebit ; videnſque ſe in vanum laboraſſe qui multa meruerat, à fide regis ſui deſilivit. Et ut regi *Angliæ* acceptior fieret, omnes *Francos* à terra ſua eliminavit, Nam conſideravit terram ſuam quaſi exinanitam eo quod cives ſui lanas *Anglicanas* & coria non haberent ut ſolito mercando habere conſueverant ad operandum cum ſint ibi multi operarii ; Piſcatores eciam terræ ſuæ depauperatos, eo quod liberum ad mare non haberent acceſſum. Videnſque finaliter ſe ulterius non poſſe regi *Angliæ* reſiſtere, miſit ad eum nuncios petens & rogans ea quæ pacis ſunt & amoris. Placuitque regi *Edwardo* rogatus & in expulſione *Francorum* à terra ſua eum commendando laudavit, ſtatuitque ei firmam pacem, quam præconizari fecit, & inito fideli fœdere, cari quidem facti ſunt & amici.

Ciſtrenſis lib.7.c.40.

Rex *Edwardus* cum parva manu *Anglorum* & *Wallenſium* neglecto conſilio procerum ſuorum tranſfretavit in *Flandriam* tanquam contra regem *Francorum* bellum ingeſturus ; Ferebat enim fama regem *Edwardum* amore *Blanchiæ* filiæ regis *Franciæ* adeo detentum, ut terram *Gaſconiæ* pro *Blanchia* regi *Franciæ* libenter reſignaret ; verum quia rex *Edwardus* tunc ſenior fuerat & *Blanchia* juvencula extiterat, *Margareta* ſoror regis *Franciæ* copulata eſt regi *Edwardo* ; ex qua rex *Edwardus* progenuit duos filios *Thomam* & *Edmundum*. Rex *Edwardus* dampnavit ſubito monetam ſurrepticiam & illegitimam, quam *pollardos*, *crocardos*, *roſarios* nominabant, qui paulatim & latenter loco ſterlingorum irrepſerant. Et primo eos valere obolum fecit, deinde eos omnino exterminavit. Hoc anno obiit ſine prole *Edmundus* Comes *Cornubiæ* filius *Ricardi* Comitis *Cornubiæ* filii regis *Alemaniæ*. Qua de cauſa rediit comitatus ille ad coronam. Iſte annus fuit *Jubilæus*, quo multi peregrinati ſunt ad *Romam*. Rex *Edwardus* dedit filio ſuo *Edwardo* principatum *Walliæ* & comitatum *Ceſtriæ*.

Edward.I.

Willielmus Waleys dux *Scotorum* diſtractus eſt *Londoniis* & ſuſpenſus, cujus caput amputatum ſuper pontem *Londonienſem* ponebatur ad ſpectaculum tranſeuntium. Corpus ejus in iv. partes diviſum ad diverſa loca mittebatur. Hoc autem anno rex *Edwardus* miſit papæ *Bonefacio* literas declaratrices juris & dominii quod *Angli* habent ſuper regnum & reges *Scociæ* ; Nam prius *Robertus de Bruys* conqueſtus erat domino papæ, quod *Edwardus* injuſte vexaſſet regnum *Scociæ*, unde & papa ſcripſerat regi *Angliæ* quod deſiſteret à tali vexatione niſi clarius de jure ſuo poſſet docere. *Benedictus* tercius de ordine Prædicatorum poſt *Bonefacium* viij. ſedit papa non plene anno uno. De quo quidam ſic ait,

A re nomen habe, *Benedic, benefac, benedicte*,
Aut rem perverte, *Maledic, malefac, maledicte*.

Clemens quintus poſt *Benedictum* ſedit papa annis quaſi xij. qui circa theſauros colligendos & caſtra conſtruenda inſudavit. Ordinem *Templariorum* dampnavit, ſeptimum librum Decretalium quæ Conſtitutiones *Clementinianæ* vocantur, ordinavit, ſet cito poſt in Concilio quod apud *Viennam* celebrarat eundem librum revocavit, Quem tamen ſucceſſor ſuus papa *Johannes* innovavit, incorporavit, publicavit.

Leyceſtrenſis. An. Dñi 1307.

Anno Domini M.CCC.vij. & regni regis primo, litera dominicali G. luna currente per xvij. die Mercurii proxima poſt feſtum Epiphaniæ, omnes *fratres miliciæ Templi* in *Anglia* univerſaliter fuerunt capti quaſi una hora diei, & incarcerati præcepto regis, per mandatum domini Papæ, & in manu regis omnia bona eorum, terræ & tenementa ſeiſita, quia hæretici & apoſtatæ dicebantur, & idem de eis fiebat in *Francia* & in tota Chriſtianitate. Hic quoque *Clemens* primus omnium papalem ſedem de *Roma* uſque *Avinoiam* tranſtulit. Quod quidem factum an divino nutu ſeu humano auſu contigerit in admirationem ducitur. Hoc eciam anno fecit rex *Edwardus* graves inquiſitiones contra malefactores & uſurpatores Coronæ, quæ Inquiſitio vocatur *Traylbaſton*. *Robertus de Brus* uſurpavit regnum *Scociæ*, & circa Paſcha occidit *Iohannem de Comyn* in eccleſia Fratrum minorum de *Counfrez* pro eo quod noluit ſibi in dicta factione conſentire. Set rex *Edwardus* ſuperveniens, ipſum *Robertum* fugere compulit, & interfectores dicti *Iohannis* ſuſpendit. Quo quidem anno rex *Edwardus* juxta Carlieel perendinans fecit *Petrum de Gaviſton* familiarem filii ſui *Edwardi* terram *Angliæ* abjurare.

Leyceſtrenſis.

Quidam clerici in *Vaſconia* itinerantes tempeſtate fulguris & tonitrui admodum territi concinerunt ympnum de Domina, *Ave maria ſtella*. Et cum perveniſſent ad hunc verſum, *Monſtra te eſſe matrem*, beata virgo quoddam velum ſuper eos expandit ſub cujus umbra ſecuri permanſerunt donec tranſiret tempeſtas illa tremoſa.

CAP.

CAP. VI.

CUM igitur pro parte tractatum ſit de guerra *Wallia* & guerra *Scocia* tempore hujus regis *Edwardi*: aliam guerram *Scocia* quam *Scoti* exercuerant tempore ejuſdem *Edwardi* pro iſta vice taceamus, & ad guerram quæ primævo tempore guerræ *Wallia*, inter regem *Anglia Edwardum* & regem *Francia* orta eſt redeamus, nam ut infra patebit, rex *Edwardus* in ultima guerra ſua poſtquam ſubjugaverat regem *Scocia* cum regno ejuſdem, in redeundo in *Angliam* ſuper ſabulum occubuit.

An. Dñi 1293. Anno igitur Domini M. CC. xciij. orta eſt execrabilis contentio inter marinarios regis *Anglia* de portubus, ac marinarios regis *Francia* de *Normannia*, tali modo. Navis quædam de portubus *Anglia* in *Normannia* applicans manſit ibidem diebus aliquot. Cumque die quodam egrederentur nautæ duo, ut ex quodam fonte ibidem proximo aquam dulcem & deſiderabilem ſibi haurirent, contingit eoſdem ibidem invenire marinarios *Normannos*; à quibus irritati movebantur ad verba, & de verbis ad verbera, & tandem ferro agitati, unus eorum occubuit, fugitque alter, & ſe cum ſociis ſuis in navem recepit, nuncians eis caſum & adventum *Normannorum* inſequentium xx. Cumque in altum ducerent navem ut ſic ſaltem laberentur, inſequuti ſunt hoſtes ut eos caperent, ſet tamen inſequentes cum difficultate tranſierunt, nunciantes talia marinariis de portubus & eorum auxilia expoſcentes. Nec perſequentium rabies ita requievit, ſed aſſociatis eis pluribus, naves *Anglicanas* in mare quæſierunt; & cum die quadam ſex naves *Anglicanas* obvias habuiſſent, eaſdem hoſtiliter aggreſſi, duas ex ipſis continuo perimerunt, ſuſpendentes homines in navibus ad trabes navium ſuarum, & ſic per mare navigantes, nullam faciebant differentiam inter canem & *Anglicum*. Quæ cum marinariis *Anglia* & cæteris fugientibus dicerentur, mox conglobati & in tanti opprobrii vindictam fremendo animati, hoſtes quæſierunt, & cum non invenirent ad votum, ingreſſi ſunt potenter portum de *Swyn* ut ex hoſtibus ſuis vindictam expeterent, ubi interfectis aliquibus & quibuſdam ſubmerſis, ſex inde naves potenter adduxerunt, & extunc homicidiis vacabant & congreſſionibus mutuis, utrinque ſanguinem ſitientes cum naufragiis & rapinis. Cumque talia longo certamine agerentur inter eos, miſſis internunciis, placuit tandem partibus certo die congredi cum toto conamine, ſcilicet xiiij. die Aprilis, fixo ſtandardo quaſi in medio maris inter *Angliam* & *Normanniam*; ibi enim cum communi aſſenſu ancoraverunt navem pergrandem & vacuam in ſignum congreſſionis faciendæ. Interim vero *Anglici* aſſociaverunt ſibi *Hibernicos* & *Holandicos*, *Normanni* vero conduxerunt eis *Francos* & *Flandrenſes* & marinarios de *Gene*. Adveniente demum die convenerunt ibidem armis bellicis ſufficienter inſtructi; & ſicut in eis fuerat diſparitas animorum, ſic eciam & eodem die contigit inæqualitas maxima elementorum, nivis ſcilicet & grandinis ventique validiſſimi; Conſertumque eſt grave prælium inter partes, & tandem victoriam dedit noſtris ipſe Deus omnipotens; Perieruntque multa millia gladio præter ſubmerſos cum navibus quaſi infinitos, reduxeruntque noſtri onuſtas cum præda naves circiter CC.xl. Quæ cum *Philippo* regi *Francia* nunciata fuiſſent, licet frater ejus *Carolus* hujus navalis prælii auctor extitiſſet, miſſis tamen ad regem *Angliæ* nunciis obnixe petiit Emendas ſibi fieri, auctoreſque facti puniendos tradi, & infinitam pecuniæ ſummam pro ſpoliatione mercatorum ſuorum liberari; Quibus rex *Edwardus* prudenter reſpondit, Quod per proprios reſponſales ad interrogata reſponderet, miſſiſque nunciis rogavit regem *Francia* tanquam parentem & dominum, ut certos diem & locum nominaret, ad quos cum communi conſilio hinc inde properarent amicabiliter ſuper hujuſmodi tractaturi, ulterius facturi quod ipſa veritas rei ſuaderet; Quod quidē oblatum rex *Francia Philippus* non admittens, de communi conſilio magnatum ſuorum præcepit regem *Anglia* per brevę vocari certo die ſuper hujuſmodi injuriis in curia ſua reſponſurum. Qui cum ad diem non veniret, præceptum fuit & à curia regis *Francia* judicatum, quod tota terra ſua tranſmarina ſeiſiretur, & iterum recitaretur ad diem alterum ſub pœna forisfacturæ totius terræ ſuæ tranſmarinæ reſponſurus. Rex autem *Anglia* ſeditionem timens, utpote à quibuſdam amicis præmunitus, perſonaliter non adiit, ſet dominum *Edmundum* fratrem ſuum Comitem *Leyceſtria* cum literis ſuis ad diem miſit, in eodem negotio facturus quod juſticia ſuaderet. Qui cum pro rege *Anglia* cum ſufficienti mandato ſe oſtendendo offerret, non receperunt eum ſet in curia regis judicaverunt *Vaſconiam* & omnes terras regis *Anglia* forisfactas pro contemptu. Ipſe autem dominus *Edmundus* ſub ſpe pacis diverſimode tractavit cum rege *Francorum*, Ita quod communiter diceretur quod rex *Edwardus* ſororem regis *Francia* duceret in uxorem, ut omnia ſopirentur.

Interim ſeneſchallus regis *Anglia* in *Vaſconia* permittere noluit miniſtros regis *Francia Vaſconiam* ingredi ut ſeiſirent eam. Fiebatque altercatio magna; Propter quod rex *Francia* vocato domino *Edmundo* rogavit eum tanquam pacis mediatorem & amicum, quod ingreſſum ſuorum permitteret ſaltem in iv. vel v. civitates ſcilicet *Burdeux*, *Bayon*, *Langon.* & *Mermaund*, & hoc in ſpe pacis; dicens ſe pacem firmare non poſſe niſi magnates ſui viderent ſententiam curiæ ſuæ executioni mandatam, inde promittens regia ſponſione plenam pacem debere ſubſequi ſi rogatum hujuſmodi adimpleret. Qui cum talia ſe non audere præſumere diceret, ſtatim ad rogatum regis *Philippi* voluntatem regis *Angliæ* & conſilium ſuper hoc requiſivit. Rex autem *Edwardus* dicto fratris ſui fidem adhibens, per literas ſuas patentes remandavit, ſe ratum & gratum habere & velle quicquid ſuo nomine in hac parte duceret faciendum. Quibus acceptis & per eum regi *Francia* inſinuatis, promiſit ei rex in fide & in verbo regio, quod omnia poſt tempus modicum cum plena pace reſtituerentur ad votum; *Edmundus* vero ſimpliciter credens & in tantum regia promiſſione allectus ſecuritatem non petiit, firmiter credens promiſſionem regiam omnem debere excedere cautionem. Statimque ſcripſit Seneſchallo *Vaſconiæ*, quod earundem civitatum ſeiſinam miniſtris regis *Francia* liberaret; Quod cum ille feciſſet, mox ipſi *Franci* primo paucos & latenter, poſtea plurimos & patenter, & demum pergrandem induxerunt exercitum; *Edmundus* autem hoc audiens & ſeditionem timens, rogavit regem *Francia* ut promiſſionis ſuæ memor talia fieri prohiberet. Cui rex, Suſtine, inquit, pauliſper quouſque adimpleantur xl. dies, & omnia reſtituam. Quibus elapſis, dum ſuper eodem negotio rogaretur per *Edmundum*, confeſtim reſpondit, Ordinationem curiæ ſuæ & judicata per xij. Pares, abſque eorum communi conſilio ſe revocare non poſſe, mutatoque vultu quaſi dedignando receſſit. Dominus *Edmundus* cum in eadem curia multos haberet amicos, eo quod reginam *Navernia* matrem uxoris regis *Francia* duxerat in uxorem, occulte præmunitus & ex conjecturis certis ſeditionem timens, à curia illa latenter & cum feſtinatione ſe tranſtulit, & in *Angliam* ad fratrem ſuum regem veniens omnia per ordinem non ſine gravi cordis dolore recitavit, dicendo ſe eſſe in hoc facto ſtultum & quaſi ipſius ſeductorem. Rex autem licet animo conſternatus ab auditis, tamen fratrem blande confortavit; moxque vocatis magnatibus ſuis cum *Johanne* rege *Scotorum* tenuitque Parliamentum ſuum *Londonia*. Et in eorum præſentia toto proceſſu recitato conſilium eorū petiit & juvamen. Atteſtans ſe eciam ſi majorem non haberet ſequelam, cum uno puero & uno equo jus ſuum proſequi velle uſque ad mortem, & ſuper hujuſmodi injuriis vindicare. At illi unanimiter reſponderunt ei, dicentes, ſe eum velle ſequi in vitam & in mortem. Rege igitur *Scotorum* qui aderat cum cæteris magnatibus auxilium promittente, gratias Deo & ipſis egit, & cum multis gratiarum actionibus dimiſit, Adiciens & rogans, ut parati et inſtructi venirent cum ab eo eſſent ſufficienter præmuniti. Rex *Edwardus* de ſuorum auxilio ſic ſecurus, confeſtim miſſis duobus fratribus de ordine *Prædicatorum* cum literis credulitatis ad regem *Francia* homagium ſuum ei reddidit; Cui dicerent in hunc modum. « Dominus noſter rex *Anglia* non ſine cauſa miratur quod in literis veſtris nuper ei directis eum non vocaſtis amicum nec carum conſanguineum veſtrum ſicut hactenus ſcribere conſueviſtis, unde cauſatur ex hoc quod ex multis conjecturis accepit et credit, quod vos eum ut prius non tenetis amicum. Propter quod certiſſime vobis mandat, ut ſicut eum creditis & tenetis utputa non amicum, ſic et ipſe vos reputat et conſimili modo tenet. Et ſicut in vobis nullam modo habet fiduciam, ſic nec in poſterum habere poteſtis nullam in eo fiduciam ſive fidem. *Adjeceruntque*. Et quia in terra veſtra in ipſo itinere veniendi ad vos capti ſumus et retenti, et per iiij. dies quaſi incarcerati, petimus et obſecramus ſtatum nunciorum nobis tribui et privilegium dari. Statimque eorum dicto accepto & ratificato, reſpondit ex parte regis unus magnatum ejus, Quod illa captio, detentio ſeu incarceratio ex præcepto regis vel ſcientia non proceſſit quinimmo multum diſplicuit, emendas offerens, equos & expenſas & cætera quæque neceſſaria, rogans ut oblata reciperent pro libito voluntatis ſuæ: datoque ſano & ſalvo conductu confeſtim ad propria reverſi ſunt, regi nunciantes viſa & audita. Hiis auditis, mox rex *Edwardus* quingentos armatos & xx. millia peditum miſit in *Vaſconiam* cum domino *Iohanne de ſancto Iohanne*, qui ejuſdem terræ olim ſeneſchallus extiterat, & cum domino *Iohanne de Britania*, & illo milite ſtrenuiſſimo *Willielmo Latymere* qui apud **Portesmowth** omnibus ad expeditionem tantam neceſſariis præparatis, poſuerunt ſe in mari circa feſtum beati *Petri* ad vincula; Et irruente vento contrario diſperſæ ſunt naves per partes *Cornubia*, Iterumque collectæ apud **Plumeneye** circa feſtum beati *Dioniſii* ventis vela iterum relaxabant, & poſt multa variaque tempeſtatum diſcrimina tandem circa feſtum Apoſtolorum *Simonis* & *Juda* applicuerunt in *Vaſconia* apud *Caſtellon* quæ ſituatur in litore fluminis de *Gerunde*, Deditque ſe eis & regi *Anglia* dominus urbis illius, & eos cum lætitia magna ſuſcepit & benigne tractavit. Profectique ſunt inde uſque *Makanter*, & dederunt ſe cives in vigilia omnium Sanctorum; Et in craſtino anchoraverunt cum tota claſſe ante *Burgum ſuper mare*, qui antiquitus dicebatur *Mons Albani*. Cives autem ſe dare volebant, ſet timebant *Picardos* qui erant in præſidio civitatis. Cumque vidiſſent *Picardi* quod cives ſe dare vellent, exierunt de caſtro, & plurimos peremerunt; Miſeruntque cives ad *Anglos* nunciantes hæc, & eorum auxilium expoſcentes qui in eorum auxilium confeſtim aſcenderunt, & retraxerunt ſe regales in caſtrum, & cives ſe dederunt; Mane autem facto cum *Angli* in caſtrum irruere voluiſſent, petierunt *Picardi* inducias triduales, ut miſſo nuncio *Burdegaliam* ſi in eorum non venirent auxilium, ſe ſtatim redderent abſque dubio. Miſſo igitur puero remandat eis Conſtabularius de *Burdeux* & mariſchallus *Francia*, quod ita feſtinanter venire non poterant, Immo ſe defenderent & viriliter reſiſterēt, præcipue cum haberent victualia & cætera quæque neceſſaria pro tempore ſemeſtri. Quo audito ſtatim dederunt ſe ſibi, ſalvis vita & membris, equis & armis, & abierunt in pace. Poſt dies octo reverſi ſunt noſtri ad urbem de *Blayne* quæ diſtat à *Burgo* per ij. leucas, & quaſi ſimiles treugas petierunt caſtrenſes, & habuerunt; ſet non veniente auxilio dederunt ſe. Inveneruntque noſtri victualia multa in urbe & in caſtro, & dolia vini circiter MM. D. & conſtituerunt *Angli* poſt dies aliquot cuſtodes iſtarum urbium fortiſſimarum dominum *Rogerum de Mortimer*, & dominum *Ricardum de Boys* cum populo terræ multo; Et profecti ſunt uſque *Burdeux* quæ diſtat per v. leucas, manſeruntque in oppoſito civitatis illius in flumine de *Gerunde* per ij. dies; Et emiſſis hinc & inde telis, cum jam non proficerent nec ſe cives dare vellent, aſcenderunt de flumine uſque **Lyews**, ubi dominus loci illius gratanter ſe dedit eis cum tota villa & caſtro. Et tunc primo *Angli* extraxerunt equos à navibus cum in mari manſiſſent per xvij. ebdomadas & aliquos dies, Tandem vero refocillatis hominibus et equis diviſerunt eciam ſe *Angli* quaſi in duas partes, remanſeruntque in eodem loco ut populum terræ ſibi attraherent, dominus *Johannes de Britania* & dominus *Willielmus Latymer* cum CCC. equeſtribus & vij. millibus peditum electorum. Profectuſque dominus *Iohannes de ſancto Iohanne* cum reliquo populo uſque *Bayon* quæ ſituatur in mari *Hiſpania* verſus occidentem, & eſt civitas fortiſſima et quaſi inexpugnabilis diſtans à *Lyews* per v. diætas modicas, per xxx. leucas regionis illius; Comes enim & homines urbis illius cum audiſſent eum adveniſſe in terram, vocaverunt eum, eo quod eum diligebant pro antiqua cuſtodia, fuerat enim ut dictum eſt, olim cuſtos totius terræ *Vaſconia* ex parte regis *Anglia* & eos cum humanitate tractabat. Cumque appropinquaret civitati et eſſent certi cives de ejus adventu, irruerunt continuo in regalibus *Francis* qui ex parte regis *Franciæ* præficiebantur eis & cæſis multis ex eis qui in civitate fuerant, reliquos in priſone fortiſſimo loci ejuſdem concluſerunt; Exoſos enim eos habebant eo quod abutebantur male conceſſa poteſtate, tradideruntque venienti civitatem, et obſidionem caſtri continuando tenuerunt, dicentes laſſo, quod ſe cum ſuis recreando reficeret, nullam habendo curam de obſeſſis. Poſt dies autem aliquot cum ſe viderent Caſtrenſes ſic diu manere non poſſe, dederunt ſe, ſub pacto tamen, quod cuſtos eorum remaneret pro omnibus, & cæteri abirent illæſi. Remanſitque cuſtos eorum *Iordanus Bertram*, & reliqui abierunt. Elapſo igitur tempore modico & viribus reaſſumptis egreſſi ſunt *Angli* uſque ad ſanctum *Cynerinum* ut illum expugnarent, ac cives continuo dederunt ſe, & regales *Franciæ* ex pacto receſſerunt; ubi aſſignato cuſtode domino *Hugone de Ver* cum CC. equeſtribus & multis pedeſtribus, reverſus eſt prædictus dominus *Iohannes de ſancto Iohanne* apud *Bayon*, & manſit ibidem ſecurus multo tempore; Tandem rex *Franciæ Philippus* audito adventu *Anglorum* in *Vaſconiam*, miſit *Carolum* fratrem ſuum & dominum *de Nele* ſeneſcallum ſuum cum multis millibus equeſtrium armatorum & exercitu copioſo ad capiendum eos & potenter devaſtandum; Qui venientes apud *Rions* in dominica Palmarum non proceſſionaliter cum palmis ſet turmatim cum lanceis, obſederuntque noſtros qui ibi remanſerant per dies xj. multas oppreſſiones & diverſa gravamina eiſdem inferentes; Cumque exirent aliquando *Angli* ut gloriam militiæ ſuæ in hoſtibus exercerent, rechaciati ſunt à multitudine magna velut oves in ovile. Noviſſime vero videntes *Angli* ſe diu ſic manere non poſſe, conſilio inito decreverunt quod in ipſa ebdomada Paſchali navigio recederent de nocte, mitterenturque equi eorum in rivo *Gerunde* uſque *Burgum* & *Blanys*, ſet impeditum eſt eorum propoſitum modo qui ſequitur. Tenebatur in vinculis miles quidem centenarius *Iohannes* ſcilicet *Gyffarde*; Hic cum cujuſdam caſtri ſcilicet *Pudeſaob* fuiſſet cuſtos deputatus, advenientibus *Francis* & eum obſidentibus, tradidit ſe eis ſub pacto tali, quod ſcilicet ipſe cum *Anglicis* qui cum eo erant ibi, abirent liberi, & voluntatem ſuam facerent *Franci de Vaſconia*, qui ſe primo dederant ei & cum eo manebant. Feceruntque *Franci* ſic, & *Vaſconienſes* ſuſpenderunt laqueo circiter l. Propter quod quidem factum irati ſunt *Vaſconienſes* & vehementer moti, & ſe dare nollent contra noſtros, dicentes ſeditionem fieri in populo ſuo. Volentes autem *Angli* ipſis placere pro poſſe, ſtatuerunt ſe judicialiter procedere contra eundem militem, ut ſaltem cognita veritate eorum innocentiam declararent; Cumque Mareſcallus exercitus, dominus ſcilicet *Radulfus de Gorges* in ipſo die Mercurii quo exire deberent in veſperis pro tribunali ſederet pro judicio faciendo de ipſo milite & de quibuſdam pedeſtribus qui propter mala eorum opera tenebantur in vinculis, venerunt pedeſtres reliqui qui magis ſolito vino æſtuabant, eo quod in tranſitu ſubito erant omnia communia, & dixerunt expreſſe ſe nolle pati de ipſis judicium fieri, nec ſuos quoquo modo perire in tanta neceſſitate. Inſtantibus itaque militibus pro judicio faciendo reſiſtebant pedeſtres & ad invicem rixati ſunt, ita quod unus pedeſtrium percuſſus interiit, Moxque efficiuntur partes & in ſuam perniciem dividuntur, pedeſtres & equeſtres mutuo ſe cædentes uſque ad veſperam. Adveniente tandem veſpere fugerunt equeſtres ad naves ſuas, & relictis equis ſuis properabant navigio uſque *Burgum* & *Blayns*, Multi tamen eorum in naves aſcendere non poſſent utpote à pedeſtribus impediti, in præſidio ejuſdem urbis ſe cum difficultate receperunt. Mane autem facto ingreſſi ſunt *Franci* nullum quaſi reſiſtentem habentes, & occiſis pedeſtribus qui remanſerant ceperunt equos cæterorum qui aufugerant armatos, ſellatos & frænatos, Moxque expugnaverunt cæteros qui erant in præſidio, & præter armigeros multos ceperunt milites quaſi xij. videlicet dominum *Radulfum Tenay*, dominum *Radulfum de Gorges*, dominum *Rogerum de Layburne*, dominum *Sintricum de ſancto Edmundo*, dominum *Iohannem de Gretyng*, dominum *Henricum de Boyding*, dominum *Iohannem de Modemyle*, dominum *Iohannem de Folburne*, dominum *Robertum de Cockefelde*, dominum *Thomam de Turbeville*, qui poſtea, ut infra patet, conjuravit cum *Francis* contra *Anglicos*, & dominum *Walterum Gyffarde*. Hos omnes captivatos direxerunt in *Franciam* ſub arta cuſtodia recludendos, & urbem de *Ryens* demolierunt in terram propter odium *Anglorum*; Profectique ſunt inde cum toto exercitu uſque ad ſanctum *Cynerum*, ubi erant ex *Anglis* CC. armati cum domino *Hugone de Ver*, ut ſupradictum eſt, & obſederunt eos per xj. ebdomadas, inferentes eis mala quæ poterant; Cumque morerentur armati *Franci* in multis millibus ſubito, quaſi porci propter uſum armorum & calorem nimium, fecit eos ſepeliri *Carolus* in Cimiterio novo quod erexerat in campo & dedicari fecerat à quibuſdam epiſcopis qui aderant cum eis. Stupefactus tandem *Carolus* cum multas jam ex omni parte perdiderat cœpit ſolito benignius ad bonum declinare. Unde miſſis nunciis & remiſſis, demum cum noſtris tale fœdus pepigit; *Quod ſcilicet irent quo vellent cum ſuis omnibus, nec urbi nec civibus quicquam mali vel moleſtiæ inferret aut moliretur, ſet ſtatum haberent priſtinum & eis omnia conſervarentur illæſa.* Recedentibus igitur *Anglis* apud [ ] fecit *Carolus* locũ eundẽ victualibus & cæteris quibuſcumque neceſſariis inſtaurari & bene muniri, & appoſitis cuſtodibus & militibus reverſus eſt in *Franciam* & iterum non eſt reverſus, Immo reverſi ſunt noſtri cum illum abiſſe didiciſſent, & effugatis cæteris locum ut prius eundem tenuerunt.

Cap. VII.

VIdens rex *Edwardus* tantam ſtragem & confuſionem ſuorum in *Vaſconia*, potentiamque *Francorum* belluinam miſit *Antonium de Beke* epiſcopum *Dunelmiæ* ad regem *Alemaniæ*, ſcilicet anno gratiæ M.CC.xciv. ut fœdus iniret cum eo, ut dicitur, cum lx. millibus libris ſterlingorum, & conventiones & pacta cum eo iniit, *Quod ſcilicet uſque ad certum tempus præfinitum regi* Angliæ *& ſuis contra regem* Francorum *& ſuos cum robore exercitus ſui fideliter aſſiſteret veniretque in eorum auxilium cum eſſet ſufficienter præmunitus. Convenit etiam quod neuter eorum abſque altero cum rege* Franciæ *concordaret vel fœdus iniret quoquo modo.* Eodem anno rex *Edwardus* quorundam fretus conſilio, omnem pecuniam & omne depoſitum

An. Dñi 1294.

tum in ecceceſiis cathedralibus, domibus religioſis & univerſis gazofilaciis clericorum & laicorum, fratrumque *Predicatorum* & *Minorum* cæterorumque ordinum omnium, quarto ſcilicet die Julii, hora tertia, per miniſtros ſuos præordinatos quaſi ex improviſo cepit, & in ærarium ſuum *Londonie* reponere fecit, multamque pecuniam conſecutus eſt, quam nunquam poſtea reſtituit. Illis tamen qui ei tenebantur in debito, vel communiter cum clero vel populo auxilium promittebant ei, hujuſmodi pecuniam acceptam in ſolutionem alterius juſſit allocari ſeu reſtitui. Eodem anno circa feſtum Aſcenſionis Domini omnes lanas terræ *Anglia* ſeiſivit, tam clericorum quam laicorum, et ſic ſeiſitas ſervavit quouſque mercatores data maxima pecuniæ ſumma eas quaſi de novo redimerent. Eodem eciam anno vocavit rex per literas ſuas archiepiſcopos, epiſcopos, Decanos eccleſiarum cathedralium & archidiaconos in propriis perſonis, clerumque uniuſcujuſque dioceſis per duos Procuratores, ut in feſto S. *Mathei* Apoſtoli coram eo comparerent *Londonia*. Quibus exiſtentibus ait rex. « Domini cariſſimi jam ſatis conſtat ut audiſtis de famoſa iſta guerra quæ inter regem *Francorum* & inter nos initium ſumpſit non noſtra culpa, ut novit ipſe Deus, ſet abſque ullo dolo vel fraude caſualiter ſumpſit initium & uſque in præſens ſumptuoſiſſime continuatur; verum ne ex injuſto bello redargui poſſemus vel reprehendi, optulimus ei primo pacem, & pacis formam uterque noſtrum amplexatus eſt, Quam cum ex parte noſtra ut convenit ſervare parati eſſemus, ipſe eam renuit & contempſit, & quanto magis pacem quærimus tanto magis ab ea eramus longius ſeparati; Videntes autem nos finaliter ſic illudi, hanc guerram incepimus, & ſi neceſſe fuerit pro juſtitia noſtra conſequenda uſque ad mortem continuandam; verum quia terræ noſtræ *Anglicana* non ſum niſi quaſi unus malus cuſtos, & non ipſa terra noſtra ſet tota *Anglicana* eccleſia jam in arto ponitur & movetur injuſte, nec continuare poſſumus quod incepimus niſi de eadem terra noſtra nobis auxilium tribuatur, iccirco orationes veſtras in præſenti expetimus & veſtrum auxilium implorantes, & juſte debetis domini cariſſimi & præcipue iſta oratione impartiri auxilium, quoniam videtis Comites & Barones & milites noſtros quod non ſolum bona verum eciam corpora ſua pro nobis exponunt & pro terra noſtra non ad ſanguinis effuſionem, immo frequentius ad mortem. Et vos igitur qui corpora veſtra exponere non poteſtis, juſtum eſt & rationi conſonum ut de bonis veſtris ſubveniatis. Adjecitque ſubſequentia, ut placeret eis, ſcivit enim eos eſſe motos pro immunitate eccleſiæ violatæ, & ait, « Quia recenter duo facta ſunt in quibus admiramini, placare vobis volumus & in hac parte reſpondere; Præcepimus quod omnes lanæ veſtræ areſtarentur, & hoc non ſine cauſa fecimus, quia noſtræ voluntatis fuit ut de bonis terræ ipſa terra conſervaretur illæſa, Aliud eſt. Datum fuit nobis intelligi quod moneta terræ noſtræ corrupta fuit & falſata, unde præcepimus quod ſtatutum monetæ in ſuo robore teneretur, nichil mali ſuſpicantes, ſet in facto contigit, ſicut & accidit inter Apoſtolos *Ieſu Chriſti*. Inter enim xij. erat unus malus qui *Chriſtum* tradidit; ſimiliter & in hoc facto fines mandati noſtri quidam egreſſi ſunt & deceperunt nos, unde parati ſumus emendas facere pro libito veſtræ voluntatis. Cumque loquendi finem faceret, reſpondit *Oliverus Lincolnienſis* epiſcopus; Domine, iſtud negotium conſilium requirit. Detur nobis dies ad conſulendum cum fratribus noſtris, & ex conſilio reſpondendum. Datuſque eſt dies tertius. Interim vero conſulentes, diverſi diverſa cenſerunt. Vacabat enim *Cantuarienſis* eccleſia, & membra ſine capite in conſilio diſperſa ſunt. *Eboracenſis* vero *Iohannes Romanus* regis timore perterritus eo quod Regi in magna ſumma pecuniæ tenebatur, quaſi diſſimulando deſtituit. *Dunelmenſis Antonius de Bek* nondum reverſus fuerat de *Alemannia*; In unum tandem votum concordabant omnes, ut offerrent regi duas decimas in uno anno ſolvendas. Quod audiens rex indignatus eſt, & per ſuos ſatellites comminatus eſt ſe extra protectionem ſuam clerum velle ponere niſi medietatem omnium bonorum concederent & votis ejus annuerent in hac parte, ſtatimque quaſi ſtipula corda eorum diſſipata ſunt: Quidam enim regi placere volentes, feſtinanter, alii vero timore perterriti ſubſequenter conceſſerunt; Et quia immunitas eccleſiæ, ut ſupradictum eſt, læſa fuit & violata, petiit clerus à rege quoſdam articulos, rege jubente, Juſſit enim rex poſtquam votis ipſius paruerant ut & ipſi ab eo peterent remedia quæ vellent; & petierunt in primis ut ſtatutum de manu mortua quod in præjudicium ſanctæ matris eccleſiæ fuit editum, deleretur. Cui quidem articulo rex, Quod idem ſtatutum de concilio magnatorum ſuorum fuerat editum & ordinatum, & abſque eorum conſilio non erat revocandum. Cæteris autem articulis quos propoſuerant reſpondit de facili, ita quod fruſtrati & deluſi reverſi ſunt ad propria, obligati tamen ad medietatem conceſſam. Eodem eciam anno habuit rex à communitate regni decimum denarium, & à civitatibus ſextum denarium.

Eodem anno *Wallenſes* rebellare cœperunt circa feſtum ſancti *Michaelis*. Convenerunt autem & ſtatuerunt inter ſe quod in ipſo die ſancti *Michaelis* omnes unanimiter ſurgerent contra regem, & caſtra ejus dirimerent; Et eodem die quaſi ex inproviſo ceperunt caſtella multa. Ceperuntque caſtrum de **Carnarvan** quod rex noſter dudum ſumptuoſiſſime conſtruxerat, demolientes muros, & miniſtros regis trucidantes. Fugeruntque *Angli* qui poterant, ſet multi abſorpti ſunt in ore gladii. Quæ cum rex audiſſet mox congregato exercitu declinavit ibidem; Miſſiſque literis ad *Edmundum* fratrem ſuum & Comitem *Lincolnienſem*, qui tunc temporis in portu de **Portuſmouth**, cum multis millibus armatorum parati fuerant in *Vaſconiam* transfretare, ut ad eum in *Walliam* redirent; & redierunt ad eum. Cætera plenius quære ſupra eodem libro capitulo 3.

Eodem anno fames valida *Angliam* afflixit, & moriebantur pauperum multa millia. Vendebatur quarterium frumenti pro xvj. ſolidis, & multotiens pro xx. ſterlingus enim comitabatur regem.

De proditione Thomæ Turbevyl.

An. Dñi 1295.

Anno Domini M.CC.xcv. Dominus *Thomas de Turbevyle* qui ut ſupradictum eſt in captura de *Ryons* in *Vaſconia* cum militibus captivus ductus eſt & carceri regis *Francia* mancipatus, qui ſollicite laborabat quomodo effugere poſſet carcerem & vin-

cula

Edwar. I.

cula, Qui cum eſſet regi *Francia* familiari notitia cognitus, pepigit cum eo fœdus in ſeditionem regis *Anglia*, dicens. « Providebis tibi ô rex, de magna « claſſe, & pones in ea robur exercitus, ego autem « revertar ad dominum meum regem, & dicam ei, « quod auxiliante amico quodam cum difficultate « manus tuas evaſi. Cumque ab eo impetraverim « cuſtodiam maris & portuum, obviabo marinariis tuis, Cumque ſignum fœderis inter me & « ipſos ut viderint vexillum meum ſupra vexillum « regis elevari, audacter in eodem loco terram ingrediantur, & abſque difficultate eam eis tradam. Facta igitur hac conventione tam valida promiſit ei rex mercedem iniquam, & acceptis duobus filiis obſidibus, dimiſit eum & abiit. Reverſus eſt autem *Thomas* ad regem *Edwardum*, & ab eo honorifice ſuſceptus eſt, & pro captivitate ſolatium tribuens familiariter ab eo conſolatus eſt. Cumque frequenter inſtaret ut cura maris ſibi traderetur, excuſavit ſe rex, eo quod noluit ipſe Deus iniquitatis propoſitum adimpleri. Rex autem *Francia* conductis navibus interim multis, de *Marſilio* ſcilicet & de *Gene* & undecunque poterat, robur exercitus miſit in mare, ita quod aliquando viderentur pluſquam CCC. naves magnæ, ſignum expectantes quod promiſſum acceperant. Cumq; manſiſſent diu, nec ſignum vidiſſent, miſerunt ex conſilio proprio v. galleas electas ut terram explorarent, At una earum præ cæteris feſtinans, applicuit apud *Hydam* juxta portum de *Rumonal*, Quod videntes *Anglici* qui ibidem fuerant cuſtodes deputati, ſimulabant fugam, & conſilio ducis eorundem retraxerunt ſe ut frequentius hoſtes ad terram allicerent, Illis itaque fugientibus ab aliis inſecutis, ſet facies cito convertentibus, mox & alii terga verterunt, & cæſi ſunt omnes ſcilicet CC. xl. viri, & navis eorum combuſta eſt. Quod videntes aliæ iiij. galiæ retraxerunt ſe ad magnam claſſem; poterant enim videri à noſtris. Nec tamen audebant cum eis congredi marinarii noſtri, timentes multitudinem magnam. Circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula magna pars ejuſdem claſſis applicuit apud **Dovere** ex parte occidentali ubi nulla fuit applicandi ſuſpicio præ multitudine lapidum & rupis excelſæ; Egreſſique ſunt bellatores fortiſſimi circiter xv. millia hominum, & exploraverunt *Doverniam* ab hora prima uſque fere veſperam, incendentes eam igni pro magna parte, Cumque in ingreſſu eorum fugiſſent incolæ, diſperſi ſunt omnes conclamantes, ejulantes, conglobati ſunt incolæ compatriotæ & concurrebant milites qui curam maris habebant, ita quod eodem die quaſi hora xj. hoſtes aggreſſi ſunt animoſe, cæſiſque quaſi v. millibus reliquos in partes diviſerunt, quidam enim fugerunt in ſegetes, qui poſtea cædebantur ab incolis, & cæteri qui poterant navigio fugerunt; Triginta autem viri fortiſſimi receperunt ſe infra clauſum Abbathiæ ſtrenuiſſime pugnantes uſque in veſperum; ita quod nichil eis nocere poterant noſtri obſidentes; Cumque in veſperis noſtri remiſſius agerent & multi reverterentur ad propria, ipſi quoque dilapſi ſunt cum duabus ſcaphis fugientes; Quod mane cognito, inſecutæ ſunt eos duæ magnæ naves, quæ vela levantes in altum ſcaphas cum hoſtibus ſubmerſerunt. In ipſo autem introitu hoſtium in villa de **Dovere** ceciderunt ex noſtris xiij. viri & unus monachus. Hic quidem monachus cæteris ſuis fratribus in campanile eccleſiæ ſe recipientibus cum orationi vacarent, in eccleſia Dei coram ipſo altari trucidatus eſt, & optulerunt eum Deo ſacrificium matutinum. Interim dum talia agerentur in *Anglia* diſcurrebant literæ inter regem *Francia* & prædictum *Thomam Turbevyle*, in quibus excitavit *Francos* ut robur exercitus mitterent in *Scotiam* ſub ſpe tali & certa, quod *Scoti* contra regem *Anglia* debellarent. Adiciens eciam quod dominus *Edmundus* frater regis & Comes cum immenſo exercitu populi & magnatibus cito poſt proficiſcerentur in *Vaſconiam*, & quod ex tunc terra *Anglia* à ſuis de facili poſſet ingredi & optineri. Clericus autem ipſius domini *Thoma* dum talia ſcriberet, & literas legeret reſponſales, juſte ſibi timuit ne forte in tali deprehenderetur facinore & tanquam regis & regni proditor cenſeretur, condoluit, & ſano uſus conſilio regi *Edwardo* ſeipſum ſponte optulit, omnia per ordinem narrans, & veniam miſerabiliter petens, Quod cum ipſum dominum *Thomam* non lateret, fugit continuo & à curia latenter diſceſſit, ſet mox à miniſtris regis inſecutus verſus *Wallias*, poſt duas diætas captus eſt, reductus, adjudicatus, tractus eſt & ſuſpenſus, Et cito poſt tota magna claſſis prædicta diſſoluta eſt, & ad proprios portus reverſa.

Dñi
95.

Eodem anno circa feſtum *Pentecoſtes* venerunt in *Angliam* duo Cardinales miſſi à latere Papæ ad regem *Anglia* cum epiſtolis Papalibus, in hæc verba conceptis.

BONEFACIUS *ſervus ſervorum Dei cariſſimo in* Chriſto *filio* Edwardo *regi* Angliæ *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Movet animum, mentemque ſollicitat, fili cariſſime, ſincera & affectuoſa dilectio quam ab olim dum cura nobis officii minoris incumberet ad perſonam regiam tuumque regnum inclitum geſſimus, & continuatis benivolis ſtudiis gerere non ceſſamus, ut celſitudinem regiam cujus exaltationem & gloriam ſummis deſideriis affectamus à Deo inducamus ſollicite, per quem in conſpectu regis altiſſimi per quem reges regnant & principes dominantur, de bono ſemper in melius reddaris acceptior, occurras gratior, carior habearis, ac in regno mundi carior nominiſque titulis copioſum proveniat incrementum. Sane ab ipſis noſtræ promotionis auſpiciis ad generalem ſtatum fidelium mentis aciem extendentes, & conſiderantes gravem, immo graviſſimam & ideo contrariam votis noſtris inter te & cariſſimum filium noſtrum* Philippum *regem* Franciæ *illuſtrem proxima tibi conſanguinitate conjunctum, procurante pacis æmulo incentore malorum, diſcordiam ſuſcitatam, firma & ſtabili diſpoſitione decrevimus, ut ſuper hujuſmodi negotio cordi noſtro potiſſimo, ſolemnes nuntios ad præſentiam regiam & literas mitteremus. Sed propter noſtrum de civitate* Neopolitana *diſceſſum, ubi tunc* Romana *Curia præſidebat, noſtrumque acceſſum ad urbem quem viarum pericula diſcrimina non modicum retardarunt, ac eciam ad noſtra inibi celebrata conſecrationis ſolempnia impediti, nequivimus citius nuncios prædictos & literas deſtinare. Revera fili nequaquam ſumus immemores quin potius tenaci memoria retinemus, quod nos hactenus dum eſſemus in minori officio conſtituti ſinceris affectibus dilexiſti, plenis favoribus proſecutus. Idemque dum ſolerter attendimus quantis & quam grandibus prædicta diſcordia noſcitur onuſta diſpendiis, quot & quanta pericula* *ſecum trahit, quam dampnoſa fidelibus redditur, quam graviter turbat & impedit negotium terræ ſanctæ, quantumque propterea Deo diſplicere dinoſcitur, anxiamur ut pater, ſauciamur ut mater, in animo turbamur amarius ut amator, nec poſſumus quietis refoveri dulcedine, donec prælibatum negotium optatum & celerem exitum juxta cordis noſtri deſiderium ſortiatur. Cumque venerabiles fratres noſtros* Beraldum Albinenſem *&* Simonem Preneſtinum *epiſcopos ſedis Apoſtolicæ nuncios, exhibitores præſentium, viros utique profundi conſilii, literarum ſcientia præditos, ac diverſarum virtutum titulis inſignitos, necnon pacis angelos licet eorum inviti careamus præſentia, deſtinamus, excellentiam regiam rogamus, hortamur & obſecramus in domino* Jeſu Chriſto, *quatinus ad divinam & apoſtolicæ ſedis reverentiam memoratos epiſcopos, magnas utique columpnas eccleſiæ tuique honoris & famæ fervidos amatores, tanquam filius benedictionis & gratiæ reſpiciens, honeſteque proſequens, & honorificentia condigna pertractans, attente audias, diligenter intelligas, & efficaciter ſtudeas adimplere quæ ipſi & eorum quilibet coram te ſuper eodem negotio duxerint proponenda. Sic te in hiis devote ac prompte habiturus ut ſperamus & cupimus, ut difficultatis & repulſæ cujuſlibet more profugato regiæ devotionis ſinceritas exinde clarius illuceſcat, tuæque famæ præconium quamvis amplum & diffuſum in ſeculo propenſius augeatur, ac ſedis apoſtolicæ gratiam qua circa filios devotos exuberat, habundancius merearis. Dat.* Laterani x. *kal. Marcii pontificatus noſtri anno primo.*

Cumque in adventu Cardinalium nondum reverſus eſſet rex à *Wallia* poſt guerram quam ibi finierat, ut ſupra eodem libro capitulo iij. patet; præcepit rex ut honorifice tractarentur, *Londoniiſque* moram facerent uſque ad vincula ſancti *Petri*, ipſius regis adventum præſtolantes. Ad quem diem ipſe rex pacificata *Wallia*, & omnes magnates tam cleri quam populi ſpecialiter ad hoc vocati comparentes ipſos Cardinales honorifice cum gaudio ſuſciperent. Cumque facto ſilentio uterque Cardinalis pacis ſermonem faceret, & multa viciſſim de bono pacis introducerent, in fine tandem concludentes, ipſum regem pacis zelatorem & filium catholicum rogaverunt, ut tanquam princeps piiſſimus & pacis filius dignaretur animum ad pacis bonum inclinare. Reſponſumque eſt eis ex parte regis, Quod deliberato conſilio rex ad interrogata & rogata reſponderet die tercia. Erat enim thema unius Cardinalis: *Da pacem Domine in diebus noſtris.* Alterius vero: *Adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua, & in preceptis ſuis, & faciat pacem.* Adveniente die tertio, & congregato concilio, frater *Willielmus de Hothom* prædicavit in Latino ſicut Cardinales fecerant, aſſumpto themate hoc; *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Reducens in parte ſic, Quod rex noſter tanquam veræ obedientiæ filius paciſque zelator paratus erat audire apoſtolica mandata tanquam cœlitus eciam emiſſa. Finitoque ſermone brevi, ſtatimque ex præcepto regis recitabatur in *Gallico* totus proceſſus ſupraſcriptus, quomodo inter reges ipſos guerra orta eſt, & uſque in eundem diem continuata; ut ipſi, qui mediatores pacis exiſterent & promotores videre poſſent & dinoſcerent quis regum juſticiam haberet in cauſa, vel injuſte cauſam confoveret. In fine vero totius longæ recitationis ſupraſcriptæ ſurrexit *Antonius de Bek* epiſcopus *Dunelmenſis*, & ex parte regis reſpondit ſic in *Gallico*. « Vos domini Cardinales rogaſtis & requiſiſtis dominum noſtrum regem pro plena pace concedenda, vel bonis ſaltem treugis diutius amplectendis: & licet unuſquiſque Chriſtianus & fide catholicus pacem velle debebit, & eam amplecti ratione bonorum quæ ex ea ſequuntur, & propter ejus contraria & immenſa mala quæ ex guerra proveniunt & ex ſeditione naſcuntur, tamen fidelitatem & promiſſa tenere debent homines univerſi; unde ipſe dominus rex vobis reſpondet ſic, Quod talis confederatio inter regem *Alemanniæ* & ipſum jam nunc inita eſt & per ſacramentum confirmata, quod neuter eorum abſque altero cum rege *Franciæ* pacem faceret vel treugas concedat quoquo modo: cujus rei cauſa ipſo non requiſito vel diſſentiente, nec pacem facere poteſt, nec treugas concedere vult. Quo ceſſante loqui, confeſtim Cardinales ipſum regem rogaverunt, ut ex clementia regia annuere dignaretur, nuncios ſuper hoc regi *Alemanniæ* deſtinare. Et datus eſt dies craſtinus ad reſpondendum. Craſtina autem die cum convenirent iterum univerſi, idem *Dunelmenſis* epiſcopus in *Gallico* ſic ait, « Domini cariſſimi requiſiſtis heſterna die dominum noſtrum regem de duobus, ſcilicet quod ex gratia ſua mera dignaretur nuncios mittere ad regem *Alemaniæ*, ut ejus animum alliciat ad pacem annuendam & plene confirmandam. De alio; quod ſcilicet treugas concederet uſque ad certum tempus infra quod de plena pace tractari poſſet, vel ipſas ſaltem treugas ulterius prorogare. Ad primum articulum reſpondet vobis dominus noſter rex ſic; Quod ratione & reverentia *Romanæ* eccleſiæ quæ totius orbis caput eſt & magiſtra, & occaſione perſonarum veſtrarum qui illius eccleſiæ eſtis membra, habitaque conſideratione veſtri laboris & longi itineris, liberaliter concedit vobis rex nuncios ſuos ſuper hoc ibidem deſtinare. Ad aliud ſic: Satis vobis conſtat & omni populo quod exercitus regis *Franciæ* & gens ſua tota jam parati exiſtant ut ſibi & ſuis inferant mala quæ poſſunt, ſicut hucuſque fecerunt in terra & in mari, unde regi non eſſet ſecurum ſuis præcipere ne ſe defenderent niſi ex parte altera eſſet inhibitum ne ulterius perſequerentur. Propter quod vobis reſpondet, Quam cito conſtiterit ei regem *Franciæ* ex parte ſua inhibuiſſe vel inhibere velle, ſtatim & ipſe ſuis hoc illud idem præcipiendo mandabit, ſet ante non. Factoque tali reſponſo & accepta licentia reverſi ſunt Cardinales in *Franciam* unde prius venerant, ſet non vacui, immo burſas vacuantes. Ex unoquoque cathedrali capitulo vel collegiato per totam *Angliam* nomine procurationis & expenſarum ſex marcas argenti habuerunt; & hoc ex conceſſione papali, præter alia multa, ut aſſolet cupiditati *Romanorum* Cardinalium, ſicut penſare ſcitis multiplicius. Et ubi religioſorum pauperum vel ſanctarum monialium propter exilitatem non ſufficerent per ſe, adjungebantur eis circumadjacentes eccleſiæ parochiales ad ſolutionem peragendam, ita quod papale privilegium non remaneret vacuum, nec deficeret obolus in ſumma.

CAP. VIII.

SEquenti vero anno reverſus eſt unus eorum cum eſſet tunc rex in guerra *Scotiæ* apud **Berwyke** ut de præmiſſis reſponſum acciperet. Et interim miſſi nuncii ad regem *Alemanniæ* reverſi ſunt, nunciantes quod nec pacem voluit nec ullum amorem. Sicque reverſus Cardinalis & tamen reliquit ibidem octo perſonas de ſuis interfectas à *Scotis*, qui ad quærendum fenum & paleas die quadam cum aliis proceſſiſſent & incaute procederent, à *Scotis* circumſpecti ſunt & interfecti. Iterumque expenſas accepit idem Cardinalis, videlicet ſecundum taxationem *Wyntonienſem* & *Lyncolnienſem* de unaquaque marca iij.d. Eodem anno clerus decimum, cives ſextum, populus xij. denarium regi contulerunt. Eodem anno apud *Lowmeban* obiit dominus *Robertus de Bruys* in cœna Domini, qui, ut ſuperius tactum eſt, circa ſucceſſionem regni *Scotiæ* cum *Johanne de Baliol* coram rege *Anglorum* diſceptavit, & ſepultus eſt apud **Gyſborne** juxta patrem ſuum. Eodem anno obiit *Gilbertus* Comes *Glouceſtriæ* qui *Iohannam* filiam *Edwardi* regis duxerat uxorem; & puerum parvulum tenerimum reliquit hæredem de prædicta *Iohanna* procreatum: ipſa *Iohanna* contra voluntatem patris ſui regis accepit unum ſimplicem militem in conjugem nomine *Radulfum de Moutermer*, qui per ſtrenuitatem & induſtriam poſtea factus eſt Comes *Glouceſtriæ*. Eodem anno in quadrageſima obiit *Iohannes Romanus* archiepiſcopus *Eboracenſis*, à *Iohanne Romano* quondam *Eboracenſi* Theſaurario, & quadam pediſſequa procreatus; & bene *Romanus* quia à *Romano* patre cupiditatem *Romanam* extraxit: Et cum magnus eſſet theologus & homo valde literatus, non tamen multæ literæ ſed avaritia maxima eum fecit quaſi inſanire. Sitivit enim pecuniam & ſubſtantiam, unde juſto Dei judicio contigit ut qui ſubditorum bona & maxime ab inteſtatis ſitiret, ſubita quaſi morte præventus nullum vel modicum ex teſtamento proprio conſecutus eſt emolumentum. Executores enim ſui ſe intromittere noluerunt, ita quod non proprio ſet pocius alieno fiebant expenſæ funerum & in eccleſia ſua cum honore ſimplici repoſitus eſt, non enim panis vel obolus pro anima ipſius dabatur. Viſitationem hic eccleſiæ *Dunolmenſis* quam prædeceſſor ſuus jure & juriſdictione *Eboracenſis* eccleſiæ vendicaverat, accepta ut dicebatur pecunia dormire ſuſtinuit. Obedientiam quam primo pompoſe de *Dunolmenſi* petiit, appellatione interpoſita ſegniter proſecutus eſt. Huic ſucceſſit *Henricus de Newerk* ejuſdem eccleſiæ decanus, electus à fratribus anno Dom. M.CC.xcvj. Qui propter guerram inter reges *Romam* adire non valens, per bullam confirmatus eſt, eciam ex diſpenſatione papæ *Bonefacii* in eccleſia ſua *Eboracenſi* conſecratus per *Antonium Dunolmenſem* epiſcopum.

An. Dñi 1295. Anno Gratiæ M.CC.xcv. *Edmundus* frater regis transfretavit in *Vaſconiam* cum Comite *Lincolnienſi*, aſſociatis eis xxvj. banerettis & DCC. armatis, cum plebe multa; applicuerunt que circa medium quadrageſimæ apud *Byrgum* & *Blayns*, manſeruntque ibidem cum *Anglis* quos in eorum adventu congratulantes invenerant, uſque Paſcha. Et congregati ſunt ad eos *Vaſconienſes* multi & cæteræ nationes, ita quod in brevi creverunt in numerum pluſquam ij. mille armatorum; in ebdomada vero Paſcali die Mercurii moverunt ſe & ex oppoſito de *Burdeux* fixerunt caſtra ſua à civitate quaſi per unam leucam. Quod videntes cives, exierunt cum *Francis* ut eis occurrerent, mutuo enim videbant ſe & ad congrediendum feſtinabant. Noſtri tamen expectabant & in parte retraxerunt ſe quaſi fugam ſimulantes quouſque ſepararentur ab urbe ſpacio magno, & verſis vultibus eos in urbem retrocedere compulerunt; cæſiſque quaſi duobus millibus alios inſecuti ſunt uſque ad portam civitatis. Quidam eciam ex noſtris ingreſſi ſunt cum eis, & demum dimiſſa porta præcluſi ſunt & retenti, inter quos erant illi duo fratres de **Spanlay** dominus *Robertus* & *Johannes*, qui poſtea redempti ſunt dato precio; mane autem facto timentes cives obſidionem continuari appoſuerunt ignem in domibus ſuburbanis quæ muro adhærebant, & interim egreſſi marinarii noſtri cæteras domos ſuburbanas accendebant, ita quod in ipſa die Jovis totum quaſi ſuburbium vorax flamma conſumpſit. Die autem Veneris cum urbem fortiſſimam *Angli* impugnare non poſſent eo quod ligneas machinas non haberent, profecti ſunt uſque *Langgon*, ultra *Ryons* per tres leucas, ubi dominus villæ ejuſdem in eorum adventu *Francis* effugatis tradidit eis villam liberam, & morati ſunt ibidem per iij. dies; miſeruntque interim ad ſanctum *Macarium* ut villam redderent, at illi petitis & optentis tridualibus induciis miſerunt *Burdegalum* ut auxilium mitterent, & accepto reſponſo quod non poſſent, tradiderunt ſe *Anglis* & villam reddiderunt. Caſtrenſes tamen tenuerunt caſtrum, & obſeſſi ſunt à noſtris tribus ebdomadis & tum expugnati. Interim venerunt quinque burgenſes *Burdegalenſes* ad dominum *Edmundum* loquentes ſecreto & componentes cum eo pro quinquies mille libris argenti, ut civitatem *Burdegalenſem* eidem traderent in aurora ſecundæ diei, dato tamen hoc ſigno & inito pacto ut cum eſſent urbem ingreſſi parcerent univerſis qui ſigno ſancti *Georgii* ſe munirent; cumque reverterentur ad urbem, illi quinque proditi ſunt, capti, & incarcerati, & poſt dies paucos patibulo ſuſpenſi. Venientibus autem *Anglis* ut ingrederentur ad libitum, repulſi ſunt à civibus qui eorum adventum præcognoverant, & firmiſſime clauſerunt portas civitatis; initoque conſilio, cum ſe illuſos ſic cognoſcerent nec ſecurum haberent locum quo declinarent, profecti ſunt omnes uſque *Bayon*, & honorifice ſuſcepti ſunt. At ubi dominus *Edmundus* multos in ſtipendiarios convocaverat, & multos theſauros exhauſerat velut homo facetus & largiſſimus, cum tantam militiam retinere non poſſet eo quod non haberet ſtipendia, decidit vultus ejus, & infirmatus eſt circa Pentecoſten, & ſic deficiente pecunia defecit & ſpiritus, & poſt dies paucos viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Præcepitque ſuis, ut aſportarent eum ſecum, nec ſepelirentur oſſa ejus quouſque ſolverentur ejus debita, ſicque fecerunt. Et poſt treugas initas reduxerunt ſecum oſſa ad fratrem ſuum regem, & per eum honorifice ſepulta ſunt apud *Weſtmonaſterium Londoniæ*. Poſt mortem *Edmundi* præficitur *Anglis* *Henricus Lacy* Comes *Lincolnienſis* de conſenſu totius exercitus. Homo quidem facetus, pulcherrimus & ſtrenuiſſimus; hic cum aliquantiſper regulaſſet exercitum, circa feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* egreſſus eſt, & obſedit urbem *Hays* per vij. ebdomadas, & ſingulis fere diebus inſultum fecit ad ur-

Edw. I. bem. At illi obſeſſi de ſtrenuitatte & juventute confidentes multociens exierunt, & poſt conflictum aliqualem iterum ingreſſi ſunt; tandem vero cum audiſſent *Angli* quod Comes de *Artoys* veniret in auxilium cæterorum, reverſi ſunt uſque ad *Bayon.* Iteratoque poſt tempus modicum exierunt quidam ex *Anglis* verſus partes *Tholoſanas*, & multas villas & urbes incendentes concremaverunt; reverſique ſunt contra yemem cum præda magna. Tunc licenciati ſunt multi ex *Anglicis*, ſcilicet vulnerati, debiles, & imbecilles, & cum domino *Willielmo de Veſcy* qui infirmabatur cum cæteris in *Angliam* reverſi ſunt. Circa Purificationem beatæ *Maria* virginis miſerunt ad noſtros *Anglos* qui erant apud *Bayon* cives ad *Heleregard*, & alii quidam ex noſtris qui in eorum auxilio miſſi fuerant, cum obſiderentur à *Francis*, quod victualibus fere deficientibus aut neceſſario oporteret in proximo eis ſuccurrere, aut obſeſſos fame deficere, vel quod abhorrerent in immenſum, in manus hoſtium ſe tradere. Quo audito, feſtinavit Comes qui noſtris præerat, & præparatis neceſſariis profectus eſt cum DC. armatis & x. mille peditum electorum. Manſitque eodem die in veſperis apud *Perforarde*; mane autem facto continuavit iter inceptum uſque ad horam undecimam volens ſi poſſet eodem die obſeſſis ſubvenire. Et erant omnes armati & bene muniti quia ſuſpicabantur hoſtes in proximo, non tamen de certo ſciebant; gradiebanturque per turmas ſuas tribus diſtinctas aciebus, portantes frumentum & onera inter ipſas ſuas turmas; cumque non diſtarent ab urbe niſi per iij. leucas modicas, & eſſet ipſa dies multum inclinata, ſilvam quaſi modicam quæ erat in via tranſire feſtinabant. Egreſſa autem acie prima à ſilva, occurrit ei in plena planicie Comes de *Artoys* cum mille & D. armatis per iij. acies diſtinctas & ſeparatas. Congredientibus igitur primis duabus primum aciebus retrocedere fecit alienos acies noſtra uſque ad ſecundam aciem; qua convicta cum prima & ſuperveniente tercia, verterunt ſe noſtri & alii inſequuntur: interim tranſierunt noſtri qui in ultima cuſtodia erant & obviantes quartæ aciei ipſius Comitis, ipſam in velocem fugam quaſi pro nichilo converterunt. Et facta eſt obſcura nox, ita quod nullus cognoſceretur ab altero niſi lingua materna loqueretur; diſperſique noſtri & eciam *Franci* neſcientes bene qua parte diverterent quouſque luna luceret ſuper eos. Lucente tandem luna declinaverunt *Franci* ad urbes finitimas, & quidam ex noſtris inſerti cum *Francis*, qui cum ex ipſa luce vel lingua manifeſtarentur propria, capti ſunt & violenter abducti. Inter quos dominus *Iohannes de ſancto Iohanne* captus eſt & quidam alii, pauci tamen corruerunt gladio quia adveſperaſcente die facta ſunt hæc, & cooperuerat eos quaſi ſubita caligo, nec erant pedeſtres hinc vel inde qui projectos armatos ſpoliarent vel interimerent, noſtri enim pedeſtres remanſerunt in nemore, nec boni quicquam exorſi ex armatis à noſtris. Retenti viri proceſſerunt *Heleregard*, ſet tamen à civibus qui jam hoc factum audierant admiſſi non ſunt, ſet clauſis januis improperabant eis quod ſuos conſocios & comitem ſtrenuum tam vecorditer relinquerent; proceſſeruntque eadem nocte ad ſanctum *Cinerum* per quatuor leucas, & ibi recepti ſunt, ſuſceperunt tamen alios in profundo noctis venientes, & eorum conſilio freti egreſſi ſunt in aurora diei ad locum pugnæ, colligentes ſpolia multa & frumentum quod portaverant aſportantes. Comes autem *Lincolnienſis* cum multis aliis magno noctis ſpacio vagans cum jam neſciret quo ſe diverteret, per eandem viam reverſus eſt qua & venerat. Et mane quaſi hora tercia venit ad *Perforade* ubi prius pernoctaverat, & invenit ibi multos ex ſuis mœſtos quidem de ejus abſentia, ſet de præſentia jam gaudentes eo quod ſalvum eum receperant; reverſuſque eſt uſque ad *Bayon* cum domino *Iohanne de Britannia* & toto comitatu. Congregatique ſunt ad eum in ſequenti quadrageſima omnes diſperſi & profugi, & in ſequenti æſtate moverunt ſe verſus partes *Tholoſanas*, incendentes villas quas poterant & ſævientes gladio, perimentes uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*. Removeruntque obſidionem ſancti *Katerni* quam *Tholoſanenſes* fecerant, & reverſi ſunt cum præda magna uſque *Bayon*, yemaveruntque ibidem uſque poſt dominica natalitia, & cito poſt accepto mandato à rege *Edwardo* de treugis initis, reverſi ſunt in *Angliam* circa Paſcha. Circa iſta tempora *Scoti* rebellare cœperunt, ut ſupradictum eſt. Edw. I.

Cap. IX.

CUM igitur immobiliter perſtaret in propoſito eundi in *Flandriam*, ut ſupradictum eſt quinto capitulo, præcepit anno Gratiæ M. CC. xcvij. ut omnes qui ſervicium ſibi debebant & omnes alii qui viginti libratas terræ à quocumque tenerent infra regnum *Angliæ*, eſſent *Londoniæ* in feſto beati *Petri* ad vincula, parati cum equis & armis ad transfretandum cum rege abſque dilatione qualicunque vel excuſatione. An. Dñi 1297. Cumque veniſſent ibidem multi, viderentque regem in incepto propoſito permanere, dixerunt ei quidam de magnatibus, Non expedit, ô rex, nec bonum eſt transfretare niſi prius reconciliato patre tuo ſpirituali *Cantuarienſi* archiepiſcopo, & magnatibus tuis, inveniaris & ipſe in ſinu matris eccleſiæ numeratus. At ille in ſe reverſus & videns hoc juſtum eſſe & rationi conſonum, mox accerſito *Roberto de Wynchelſe Cantuarienſi* archiepiſcopo qui præſens aderat, & tunc rex omni rancore depoſito ipſum cum ſuis in ſpecialitatem recepit priſtinam, & majorem adauxit. Et confidens de bonitate ipſius & conſtantia, curam & cuſtodiam *Edwardi* filii ſui & totius terræ *Angliæ* adjuncto ſibi domino *Reginaldo de Grey* coram omni populi commiſit, præcepitque ut omnia ſibi reſtituerentur etiam uſque ad ultimum quadrantem; ſicque favente Deo reductus eſt cum honore qui mortem non metuens pro honore Dei certavit uſque ad mortem. Omneſq; magnates qui ibi aderant ipſo regis filio ex præcepto regis pacis fidelitatem faciebant, & ab omni populo levatis dextris verus conclamabatur hæres futurus & dominus & regni ſucceſſor. Excuſavit ſe etiam rex de exactionibus & priſis quas à populo ſuſcepit, dicens ſe incepta proſequi non poſſe niſi eorum ſubveniret larga manus, præcipue cum non ſuam tantum, immo totius populi ageret cauſam tanquam protector eorum & defenſor; rogavitque populum accepta licentia ut omnia condonarentur ei & orarent pro eo. Et orabant quidam publice, alii autem ſic; alii vero occulte, pauci vero bene. Prædicti vero Comites *Herfordenſis* & Mareſchallus à Rege ſe ſubtrahentes, cum votis ejus non parerent ab eorum officiis abſoluti ſunt, deditque rex eorum officia aliis quibuſdam qui miniſtrarent ei. Quod ipſi grave ferentes, præcipue cum non tantum propriam ſet eciam totius communitatis cauſam agerent, dicentes mediatoribus pacis qui inter ipſos & regem equitabant, quod non ſolum ipſi ſet tota communitas terræ gravata erat & ultra modum de injuſtis vexationibus, talliagiis & priſis, & maxime quod non ſecundum libertates magnæ Cartæ ducerentur; cumque regis animum viderent immobilem & diutius ſub incerto ventum verberare nolentes, miſſis ad regem nunciis rogaverunt eum, ut ſubſcriptos articulos pro ſe & pro populo emendare juberet, adicientes quod ſi cartam libertatum confirmare vellet & articulos corrigere, parati erant omnes eum ſequi in vitam & in mortem.

Ceus ſont le muſtrances que Archeveſkes, Eveſkes, Abbes, Priowres, Contes, & Barons, & tote la communyalte de la terre monſtrent a noſtre ſeigniour le roy & humblement priont come a ſeigniour que ceſtez choſez voille redreſſer & emendere a honour de luy & ſalvacion de peple. En primes yſemble a tut la communyalte du realme la terre que le garnyſment que fet lour fuiſt par le brief noſtre ſeigniour le roy ne fuiſt pas aſſiz ſufficyant pur ceo qil ne avoit nule certaine lieu eſpecyfie oue ils deveront aler. Kare ſolom le lieu covynt il faire la purvyance & puiſſent aviſer le quele ils duſent luy faire ſervice oue none. Pur ceo que diſt eſt cominalment que noſtre ſeigniour le roy vult paſſer en Flandres, *avys eſt a tote la comyalte que la ne deyvent il nule ſervyce faire; pur quey eaux ne lours predeceſſoures ne aunceſtres unkes en cele terre ſervyce ne fyrent; & tut fuiſt il iſint qils duſſent le ſervyce la ou ayllours, ils averont pas pouare de fere le, pur ceo que ils ont eſte tant greves de diverſez tallinges, eydes, pryſes, ceſt aſſaver de frument aveynes brayes laynes quiſez boefs vachez chars ſalſez ſaunz nule dener payer dont ils duſſent avoire ſuſtenue & mayntenu. I dyent eſtre ceo ke eyde ne poyent ils faire pur la poverte que ils ſont eyns pur les tallinges & priſez avantdites, kar ils nont a payne dont ils ſe poyent ſuſtenere, Et molz en ſont que nont pas loure ſuſtenance ne lours terres gaynes. Eſter ceo tote la communalte de la terre ces ſentent durement grevez qils ne ſont pas menes ſolom lez leyes & lez uſages de la terre par lez queus lour aunceſtres ſolont eſtre menez, ne ils ont lour fraunchiſes lez queus ils ſolont avoyre: mes ſont mys hors volunterement par quoy ils ſe ſentont durement grevez. Ouſtre ceo clerkus & lays ſe ſontont durement grevez de ceo qils ſolent eſtre menes ſolom lez poyntes de la grant chartre lez queus poyntez ſont tole plus treſſoyles, la quele choſe eſt treſgrant damage a poeple. Par quoy ils priont a noſtre ſeigniour le roy, qil voyle que ceſtez choſez ſoyent redreſſez al honour de luy & ſalvacion de poeple. Oſtre ceo la comynalte de la terre ſe ſenſent durement greves de la ſyſe de la foreſte que neſt mye garde cum ele ſoleyt eſtre en arere ne la chartre de la nudere, mes ſont attachementes voluntiers hors de la ſyſe altrement que homme ne ſoleit. Oſtre ceo tote la comunalte de la terre ſe ſenſont duroment grevaz de la male tos dez leynez que eſt ſi grevouſe a cheſcune ſak de la leyne entiere xl. s. pryſe a cheſcune ſak v. marcez. Pur ceo que la leyne* Dengleterre *eſt a poye la moyte de la valewe de tote la terre par yſſi priſe. Pur ceo que la comynalte de la terre volent honour & ſauvete a noſtre ſeigniour le roy, ſicome il deyvont vouloyr, ne lour ſemble pas que ſerroit a luy prou de paſſer en* Flandres *ſil ne fuiſt plus aſſure pur luy & pur ſes gentz des* Flandreſſes *& auxi pur la terre de* Scoce *la quele ſe comence a lever contre luy ainz come il eſt ore en veue. Et bien entendent qils en frayent plus malveys manere ſils fuiſſent ſeurs qil fuiſt le mere paſſe; & ne mye ſoulement vers eaux mes aultres terres que ne ſont pas uncore bien affermez.*

Cumque eſſet rex in ſuo itinere apud Portesmuthe ad transfretandum quaſi paratus, miſerunt ad eum prædicti Comites nuncios qui voluntatem ejus quærerent in præmiſſis; quibus ille reſpondens ait, “Concilium meum plenum non eſt mecum hic, pars enim ut ſcitis remanſit *Londonia*, & pars præceſſit in *Flandriam*, nec abſque concilio pleno reſpondere poſſum ad interrogata veſtra; ſet ite, & dicite hiis qui miſerunt vos, ut ſi mecum venire velint placebit michi multum, ſin autem noluerint, rogo ut michi vel regno ſaltem non noceant; ſpero quidem adhuc favente Domino quod revertar in terram hanc & in regnum meum ſuſcipiar.” Et reverſi ſunt nuncii levi data licentia. Transfretavitque rex circa feſtum ſancti *Bartholomæi* in *Flandriam*, & applicuit ad portum de *Swyne*. Cujus hiſtoriam proſequimur hic poſt regreſſum Comitum in patriam ſuam. Comites vero prædicti cum quibuſdam Baronibus complicibus ſuis reverſi ſunt *Londoniam* prohibentes Cancellario Regis & Baronibus Scaccarii ne octavum denarium quem Rex expetierat à populo, vel quintum à clero, ſeu aliquam vexationem expeterent vel levarent quoquomodo. Rogaverunt eciam *Londonienſes* tanquam amicos & confratres, ut in expetendis libertatibus magnæ Cartæ eis aſſiſtere vellent, & curam adhibere fidelem. Ita quod jura perdita recuperare poſſent & recuperata tueri. Et ne rapina vel extorſione illicita poſſent argui in poſterum, prædicti Comites proclamare fecerunt ne ſuorum quiſquam rem quamcumque modicam caperet à quocumque niſi juſto dato precio, & hoc ſub pœna mutulationis manus dextræ vel eciam capitis ſi culpa expoſceret, reverſique ſunt in terram ſuam nulli moleſtiam inferentes aut gravamen.

Ciſtrenſis.

Rex itaque *Edwardus* non obſtante, ut dictum eſt, mutatione officiorum prædictorum Comitum circa feſtum beati *Bartholomæi* apoſtoli, non animum mutans, transfretavit in *Flandriam* cum mille quingentis armatis & l. mille peditum electorum, de quibus fuerunt *Wallenſes* xxx. mille. Statimque cum applicuiſſet rex in portu de *Swyna* ſuoque ſe recepiſſet hoſpicio, noſtri marinarii de portubus inveteratum illud odium quod inter ipſos & marinarios de Jarnemuthe ab antiquo duraverat ad memoriam reducentes, mox currentes ad arma impetu furoris ſui combuſſerunt pluſquam xx. naves eorum, perimentes gladio quotquot ex ipſis comprehendere potuerunt, rege tamen prohibente ſet impetum furoris reprimere non valente. Tres tamen naves magnæ in quarum una theſaurus magnus fuerat retrahentes ſe in altum maris cum difficultate fugerunt; & hæc acta ſunt in portu de *Swyna*. Inde perrexit rex apud *Bruges* ubi Comes *Flandriæ* occurrens

currens ei obviam ſuſcepit eum cum immenſo gaudio. Cui rex ait, Ecce in auxilium tuum venimus ô Comes! Num igitur in hoſtes procedere an ad tempus quieſcere debemus indica nobis. Exercitus enim regis *Franciæ* non diſtabat ab eis niſi per duas leucas modicas; videns autem Comes ipſum reſpective viribus imparem, & quod exercitus *Franciæ* pergrandis fuerat immenſus, ait illi, Domine mi rex, non poſſumus in præſenti ex arrepto procedere eo quod eſtis labore fatigati, ſet eſt michi civitas fortis, & bene munita, ſcilicet *Gant* ad quam declinabimus ad tempus, quouſque robur noſtrum & negotium melius pro voto ordinetur. Et adquievit ei rex, & præcepit ut exitus viarum & introitum terræ obſervarent pedeſtres eo quod ibi ſunt foſſa multa, donec iter inceptum agerent ad eandem civitatem. Et quia cives *Brugenſes* ſicut & cives aliarum civitatum, ſcilicet *Doway*, *Ypri*, *Gant*, & S. *Edomari* paulo ante ceſſerant regi *Franciæ* cum defenſorem non haberent neque propugnatorem, juſſit rex ne alias forte mutarentur ut & fidelitatem ſibi jurarent & obſides darent; quo facto, proceſſit in via ſua verſus *Gant*, reſpicientibus in eum *Francis* ſet non prohibere valentibus. Timebant enim pedeſtres regis *Angliæ* eo quod erant ex eis ſagittarii multi. Moveruntque caſtra ſua uſque *Courteray* quæ diſtat à *Gant* per viij. leucas. Manſit itaque rex noſter apud *Gant* per dies plurimos, & pedeſtres ſui frequenter agebant prædas plurimas, inter quas villam de *Damp* ſic dictam ſpoliaverunt eciam bonis multis, & peremerunt in ea pluſquam ducentos viros electos qui ſe primo dederant regi noſtro in primo adventu ſuo. Quod quidem factum multum diſplicuit regi, & quoſdam hujus ſceleris auctores juſſit in furca ſuſpendi.

An. Dñi 1290. Menſe Maii ejuſdem anni, ſcilicet anno Domini M.CC.xc. gens *Scotorum* perfida rebellare cœpit hoc modo. Comes de *Warenna* cui rex noſter curam & cuſtodiam totius regni *Scotiæ* vice ſua & nomine commiſerat corruptionem aeris cauſans dixit ſe ibi non poſſe manere cum ſanitate; manſitque in *Anglia* in parte tamen aquilonis & hoſtes exulantes ſegniter proſecutus eſt, quod fuit nobis in poſterum fons & origo magni mali. Theſaurarius eciam regis dominus *Hugo de Creſsyngham* homo pompoſus & elatus valde pecuniam dilexit, & murum lapideum quem ipſe dominus rex novum foſſatum apud Berwyk conſtrui præceperat non conſtruxit, quod noſtris evenit in ſcandalum, ut patebit inferius. Juſticiarius vero regis dominus *Willielmus Ormesby* præceptum regis proſequens, omnes qui fidelitatem regi *Angliæ* facere noluerant abſque perſonarum diſtinctione exulabat. Eratque quidam latro puplicus *Willielmus Waleys* nomine qui multis temporibus exulaverat; hic tunc exiſtens vagus & profugus omnes exulantes convocavit ad ſe, & factus eſt quaſi princeps, & creverunt in populum multum. Huic eciam aſſociatus eſt ille miles *Willielmus Douglas* qui in captione caſtri de Berwyk ſe cum ſuis regi noſtro dederat ſalva ſibi vita & membris, ut ſupradictum eſt, quem cum rex ad omnia reſtituiſſet, factus eſt omnium bonorum immemor, ſicque latro latroni ſociatus eſt, liberatorem ſuum ſaltem in ſubditis perſecutus eſt in mortem. Cumque prædicti Comes & Theſaurarius ad partes perrexiſſent auſtrales ut parliamento regis intereſſe poſſent, quod in feſto ſancti *Petri* ad vincula *Londoniæ* tenebatur, nil mali ſuſpicantes in *Scotia*, ecce prædicti duo *Willielmi* cum populo perverſo venientes credebant ſe invenire poſſe Juſticiarium regis noſtri prædictum apud Scone ubi placitaverat, ut eum perimerent feſtinabant; ipſe tamen præmunitus cum difficultate evaſit, relinquens hoſtibus ſpolia multa. Quibus collectis, jam non in occulto ut prius ſet palam proceſſerunt concludentes in ore gladii omnes *Anglicos* quos ultra mare *Scotiæ* invenire potuerunt, divertentes poſtea ad obſidionem caſtrorum. Interim dum talia gererentur, *Carliolenſis* epiſcopus & cæteri viri qui cum eo erant in præſidio civitatis ejuſdem & caſtri, timentes de infelicitate & inconſtantia domini *Roberti de Bruys* junioris Comitis de *Karryk*, miſerunt vocantes eum ut certo die veniret tractaturus cum eis de negotiis regis ſi tamen in fide regis ipſius perſeverando maneret. Qui mandatis reſiſtere non audens, venit ad ipſum diem cum omni populo *Galwalliæ*, & ſupra ſacra myſteria juravit, & ſuper gladium ſancti *Thomæ* juramentum præſtitit, quod regi noſtro & ſuis contra *Scotos* & omnes inimicos ſuos fideliter aſſiſteret in conſiliis & auxiliis, dampnaque ſua impediret in quanto ſe poſſet ſua facultas extendere, factoque juramento reverſus eſt in locum ſuum. Et congregato populo ut colorem fingeret proceſſit in terras *Willielmi Douglas* & partem earum combuſſit igni, & uxorem ejus & parvulos ſecum adduxit in vallem *Anandiæ*. Cito tamen poſt dum à conſpiratione *Scotorum* reverteretur ad propria, convocatis militibus patris ſui de *terra vallis Anandiæ*, nam pater ipſius in auſtralibus partibus *Angliæ* moram faciebat hujus fraudis neſcius, & dixit eis, « Cariſſimi mei, ſcitis, & verum eſt quod nuper apud *Carliolum* juramentum præſtiti, de quo ſcitis & audiſtis, ſtultum quidem & vi extortum, nam timore ductus hoc feci corpore ſet non mente, unde contriſtor & pœniteo valde, ſpero tamen me beneficium abſolutionis conſecuturum in brevi. Verum quia carnem ſuam nemo unquam odio habuit, nec ego habeo, oportet ut vadam ad populum meum & nationi meæ adjungar ex qua procreatus ſum; rogo autem vos ut illud idem facientes placeat vobis venire mecum, eritiſque michi conſiliarii & amici cariſſimi. Cumq; differrent reſponſionem in craſtinum, eadem nocte latenter receſſerunt, potius eligentes dampna quæcumque magna ad tempus ſuſtinere quam fidelitatem regi *Edwardo* factam cum nota infamiæ infringere. Ipſe vero aſpirans ad regnum ſicut puplice dicebatur adjunctus eſt ad populum perverſum, & cum epiſcopo *Glaſguenſi* & ſeneſchallo *Scotiæ* qui totius mali fabricatores extiterant, confederatus eſt. Extunc vero generatio illa perfida & infidelis *Scoti*, omnes *Anglicos* quos invenire poterant trucidabant, religioſos eciam viros *Anglicos* à domibus ſuis quibus profeſſi fuerant violenter extraxerunt ex ipſis ſpectaculum facientes. Erat enim ludus eorum & ad ſpectaculum cum eis vacabant. Ad pontes namque aquarum multarum ſedentes, ſenes *Anglicos* religioſos & feminas quos ſpecialiter reſervabant ad hoc, ligatis manibus vel pedibus ne forte natando evaderent, ab ipſis pontibus vel ſalire vel præcipitari faciebant, in interitu eorum & ſubmerſione lætantes. Inter quos adducti ſunt duo Canonici de domo ſancti *Andreæ* in *Scotia*, qui cum ad pontem villæ nominatæ ſancti *Johannis* coram

ram illo latrone *Willielmo Waleys* ſtarent quaſi pro tribunali mortem expectantes; ſubito ſalvavit eos Deus ſic. Venerunt enim nuncii cum magna feſtinatione ex parte quorundam magnatorum regni *Scotiæ*, in quorum adventu præpeditus ille *Willielmus* latro præcepit ut in ſalva cuſtodia ponerentur; qui poſtea a cuſtodibus ſuis per quoſdam amicorum ſuorum redempti ſunt dato precio & præſtito juramento quod à regno feſtinanter egreſſi nunquam illud iterum ingrederentur; quorum unus manſit apud **Oysburne** per tempus aliquod & periculum ſuum ore proprio enarravit. Hæc ideo ſcribere curavi ferocitatem improbæ gentis reſerare quæ in maligno totaliter ſuper omnes alias nationes terræ quaſi naturaliter contra *Anglicos* poſita eſt. Tres *Anglici* viri in villa S. *Andreæ* in *Scotia* manſionem ſuſceperant cum à facie illius *Willielmi Waleys* & ſuorum fugiſſent in lapidem illum ſcilicet qui dicitur petra vel *acus* ſancti *Andreæ*, credentes ſe poſſe lapidis immunitate muniri, cum ſancta mater eccleſia privilegium perdidiſſet, à *Scotis* inſecuti ſunt, & in eodem lapide interfecti.

Cap. X.

Nunciata ſunt hæc regi in *Flandria* exiſtenti, Quæ cum ad audientiam ejus perveniſſent, de facili fidem non adhibuit, ſet miſſo *Dunolmenſi* epiſcopo præcepit ſuper hoc veritatem inquiri. Qui feſtinando convolans invenit multitudinem *Scotorum* conglobatam, cui reſiſtere non audebat. Et reverſus ad regem omnia per ordinem nunciavit; rex vero in *Flandria* quaſi accinctus ad iter transfretandi propoſitum mutare noluit, ſet omnem militiam *Eboracenſis* comitatus à *Trenta* uſque in *Scotiam* ipſi Comiti de *Warenna* aſſignans, præcepit ut *Scotorum* audaciam feſtinando reprimeret, & auctores mali debita juſtitia caſtigaret; Remiſit eciam in terram *Scotiæ* ambos illos Comites *Iohannem de Badenough*, & *Iohannem de Bughun*, præcipiens eis in fide ſua ut tumultum populi ſedarent & manerent in fidelitate promiſſa; Quorum ille de *Bughun* colorem primo ſimulans cœpit reprimere quorundam audaciã, ſet tamen in fine factus eſt nobis de converſo perverſus. Alter vero de *Badenaugh* ſuorum animos mutare non valens manſit cum noſtris ſaltem cum corpore. Comes vero de *Warenna* de comitatu *Eboracenſi* exercitum congregans, præmiſit ante ſe cognatum ſuum dominum *Henricum de Percy*, Qui congregato exercitu comitatus *Karliolenſis* vallem *Anandiæ* ingreſſus eſt cum tricentis armatis & xl. millibus pedibus electorum circa feſtum beati *Laurentii* martyris; Cumque pernoctaſſent noſtri apud *Loughmaban* non timentes ſibi in aliquo, ecce incolæ ejuſdem patriæ exterrere eos volentes quaſi nocte media clamabant, non quidem *Philiſtini* ſet *Scoti* ſuper nos. At illi currentes ad arma mox unuſquiſque domum in qua manſerat accendit, & conglobati continuo receſſerunt cum lumine, Profectique ſunt inde per modicas diætas uſque ad villam de **Are** juxta *Galewalliam* ut ad pacem admitterent *Galewalenſes*; Cumque non veniſſent niſi pauci equeſtres nunciatum eſt eis poſt triduum quod *Scotorum* exercitus non diſtabat ab eis niſi ſpacium ij. leucarum. At illi ſummo mane caſtra moventes egreſſi ſunt campum juxta *Irewyn*, ordinantes exercitum & ad bellum ſe parantes; Eratque *Scotorum* exercitus ex parte altera cujuſdam laci modici & mutuo ſe videbant; Cumque magnates *Scotorum* qui ibi aderant, epiſcopus ſcilicet *Glaſguenſis*, ſeneſcallus *Scotiæ* & *Willielmus Douglas* viderent ſe eſſe impares equeſtribus noſtris licet pedeſtres noſtros in duplo excederent, timuerunt ſibi, & miſſis nunciis ad noſtros petierunt utrum eſſet ibi aliquis ex parte regis *Angliæ* qui eos ad pacem recipere poſſet, & reſponſo quod ſic, confeſtim venit ad eos ille ſtrenuus miles *Ricardus Lundy* qui nunquam regi noſtro fidelitatem fecerat, & ſe cum ſuis dedit voluntati regis noſtri, dicens ſe nolle ulterius cum diſcordantibus & variantibus militare. Quod cum vidiſſent alii magnates nominati conſternati ſunt, & continuo ſe dederunt prædicto domino *Henrico de Percy* nomine regis, ſalvis eis vita & membris, terris & catallis, & quod condonarentur omnia uſque ad eandem diem, promiſſis obſidibus & inſtrumentis confectis; & conditionaliter admiſſi ſunt, ſi talia regi complacerent. Cumque noſtri reverterentur apud *Irewyn* nunciatum eſt eis, quod multi ex *Scotis* & *Galewalenſibus* eorum ſarciunculas hoſtiliter deprædati ſunt interfectis pluſquam quingentis viris cum mulieribus & parvulis, quos inſequentes, percutierunt ex eis circiter mille viros, & reverſi ſunt noſtri ſic multiplicata præda. Adveniente apud **Berewyk** Comite de *Warenna* ei per ordinem prædicta nunciantur, & miſſis ad regem nunciis voluntatem ejus expetiit; Qui exiſtens in præcinctu itineris ut dictum eſt, noluit impediri, ſet pro bono pacis poſtulata conceſſit, factoque ad diem certum hujuſmodi reſponſo, adhuc diſſecabantur *Scoti* in cordibus ſuis, differentes obſides quos promiſerant, & poſtulantes omnia ſua & antiquas conſuetudines ſuas ſicut à rege *Scotorum* antiquitus tenere conſueverant; Quæ cum adhuc eſſent quaſi ſub certa ſpe concedendo promiſſa, iterum & iterum multiplicatur dies, & variantia & frivola jungebantur, eo quod latro ille *Willielmus Waleys* interim populum adjuvabat. Ad ultimum vero cum tantum proponerent ſuper eos timebant ſibi, magnates *Scotorum* impoſuerunt culpam prædicto domino *Willielmo Duglas*, & epiſcopo *Glaſguenſi*, Qui notam criminis impoſiti excuſare volentes, ſponte dederunt ſe, primo ille *Willielmus*, & paulo poſt ipſe dominus epiſcopus; & traditus eſt epiſcopus ſub cuſtodia cuſtodis caſtri de **Rokeſburgh** vice nominis regis noſtri; Ipſe vero *Willielmus* in caſtro de **Berewyk** poſitus eſt & retentus ſalvo cuſtoditus. Quod cum audiſſet ille latro *Willielmus Waleys* iratus animo perrexit ad domum epiſcopi & omnem ejus ſupellectilem, arma & equos, filios eciam epiſcopi nepotes nomine nuncupatos ſecum adduxit, ut auctus immenſo *Scotorum* numero eo quod communitas terræ ſequebatur eum tanquam Ducem & principem, tota eciam familia magnatorum adhærebant ei; & licet ipſi magnates cum rege noſtro eſſent corpore, cor tamen eorum longe erat ab eo. Noſtri vero ſic irritati cum nollent talia ulterius ſuſtinere, proceſſerunt armati ad villam de **Strivelyne**, ubi ſeneſcallus *Scotiæ* venientes rogaverunt noſtros ut adhuc ſuſtinerent per modicum tempus, ſi forte ſuos populum *Scotorum* pacificare poſſent quoquo modo; Quod cum eis conceſſum eſſet, iterato venientes iiij. ſcilicet idus Septembris reſponderunt præciſe, quod eos juſtificare non poterant, promittentes tamen quod in auxilium noſtrorum venirent die craſtina cum xl. equis armatis; Credideruntque eis & dimiſerunt eos; In receſſu autem eorum in veſperis cum quibuſdam ex noſtris à foragio revertentibus obviaſſent, inſultum fecit in eos ille Comes de *Levenay*, & collum unius peditis perforavit gladio; Quod cum in exercitu noſtro nunciatum eſſet, mox cucurrerunt ad arma, & vulneratum ſanguinolentum Comiti de *Warenna* præſentaverunt, expetentes vindictam fieri in ipſa nocte, conclamantes & dicentes, ſeditionem fieri & fidem fractam eſſe. Ad hæc Comes, Suſtinete, inquit, nocte hac ut ſi in craſtino promiſſa non fecerint & compleverint, majorem eciam in facto ultionem exſpectamus. Præcepit tamen ut omnes eſſent parati in craſtinum ad tranſeundum pontem de Strybelyn. Mane autem facto tranſierunt pontem pedeſtres *Anglici* pluſquam v. mille & *Wallenſes* plures, iterumque revertebantur eo quod Comes de *Warenna* ſomno depreſſus in campum non exiiſſet. Cumque poſt magnam moram ſurrexiſſet à ſomno eſſentq; omnes in campo armati, fecit ibidem novos milites quorum quidam eodem die corruerunt, Interimque tranſierunt pedeſtres noſtri, & iterato reverſi ſunt eo quod ſeneſcallus *Scotia* cum paucis quidem venit & non cum xl. armatis ubi convenerant, Credebantque *Anglici* ipſos fore bajulos boni nuncii, ſet excuſaverunt ſe & in facto prædicto & quod gentem propriam juſtificare non poſſent, dicentes, ſe non poſſe ab eis eripere nec equos nec arma. Mittebantur eciam interim duo fratres prædicatores ad exercitum *Scotorum* qui in altera parte montis ſupra monaſterium *Skambskynel* cum illo latrone *Willielmo Waleys* latitabat, ſi forte pacem amplecti vellent quam tendebant. Ad hæc ille latro, Renunciate inquit veſtris, quod pro bono pacis non venimus, & parati ſumus ad pugnam, ad vindicandum ſcilicet & liberandum regnum noſtrum; Aſcendant igitur cum voluerint & nos paratos invenient in barbis eorum. Erant autem ut dicebatur C.lxxx. equeſtres & xl. mille peditum. Cumque talia dicerentur, Præſumptuoſi mox ex noſtris dicebant; Aſcendamus ad eos, noſtri enim ſunt; ſapientiores vero ſubjunxerunt, Non aſcendamus adhuc, ſet provide deliberemus quid nobis conſilii fuerit faciendum. Adhuc ſtrenuus ille miles *Ricardus Lundy* qui ſe noſtris dederat apud *Irewyn*,

« Domini mei ſi aſcenderimus pontem mortui ſumus, non enim tranſire poterimus niſi bini & bini, & hoſtes noſtri à latere ſunt, deſcendentque ſuper nos ſicut voluerint omnes in una fronte; ſet eſt unum vadum non longe abhinc ubi tranſire poterimus xl. ſimul in una vice. Nunc igitur tradantur mihi quingenti equeſtres & modica pars peditum, girabimuſque hoſtes à tergo & debellabimus eos. Interimque vos Domine Comes & cæteri qui vobiſcum ſunt pontem tranſibitis valde ſecuri. Noluerunt ſano adquieſcere conſilio dicentes, non eſſe ſecurum ſe in partes dividere. Erant tunc quaſi mille equeſtres & l. millia peditum præter populum quem dominus *Henricus de Percy* de comitatu *Karliolenſi* & *Lancaſtrenſi* congregaverat numeratum ad CCC. equites & lxxx. M^{l}. peditum electorum; Qui cum eſſet in veniendo cum eis verſus Strivelyn modicum ante recepit in mandatis à domino *Hugone de Creſſyngham* theſaurario regis, ut eundem populum cum gratiarum actione remitteret, dicens, exercitum quem habebant ſufficere poſſe; nec expedire ipſos vexare in vanum, vel regis ærarium conſumere pluſquam neceſſe erat; Fecitque ſic, & indignatus eſt populus valde, volens eum quaſi lapidare. Variis itaque varia cenſentibus, conclamabant quidam ut pontem tranſcenderent, alii è converſo. Inter quos adjecit ille Theſaurarius regis homo quidem pompoſus & filius mortis. Non expedit domine Comes ulterius protelare negotium & theſaurum regis noſtri in vanum expendere, ſet aſcendamus & faciamus debitum noſtrum ut tenemur aſtricti. Motus itaque Comes in verbis iſtis præcepit, ut pontem aſcenderent & tranſirent. Mirum dictu ſet terribile quidem in eventu quod tot & tanti diſcreti viri, dum ſcirent hoſtes in promptu, ſtrictum pontem aſcenderent quem bini equeſtres vix & cum difficultate ſimul tranſire potuerunt. Quoniam ut dicebant qui in eodem conflictu fuerant, ſi à ſummo mane uſque ad horam undecimam abſque ulla interruptione vel impedimento tranſiſſent, adhuc extrema pars exercitus in parte magna remanſiſſet; Nec fuit aptior locus in regno *Scotia* ad concludendum *Anglicos* in manu *Scotorum* & multos in manu paucorum. Tranſierunt itaque vexillarii regis & Comitis, & inter primos ſtrenuiſſimus ille miles dominus *Mardemucus de Twenge*; Cumque vidiſſent hoſtes tot jam veniſſe quot ſuperare poterant ut credebant, mox deſcenderunt de monte, & miſſis viris lanceariis occupaverunt pedem pontis, ita quod extunc nulli patebat tranſitus vel egreſſus, ſet in revertendo ſicut & in feſtinando ſuper pontem præcipitati ſunt multi & ſubmerſi. Deſcendentibus itaque *Scotis* de monte dixit dictus *Mardemucus* conſociis ſuis, *Eſtne fratres tempus ut equitemus ad eos?* Quibus reſpondentibus quod ſic, Mox ſtimulatis equis mutuo egreſſi ſunt, & corruentibus quibuſdam ex *Scotis* cæteri equeſtres quaſi omnes in fugam verſi ſunt. Quos cum inſequeretur fugientes, dixit unus ex noſtris domino *Marmeduco*, Domine mi, decepti ſumus, non enim ſequuntur noſtri, & vexilla regis & Comitis non comparent. Ad hæc reſpicientes retro viderunt multos ex noſtris & vexillarios regis & Comitis corruiſſe, Dixeruntque, Præcluſa eſt jam nobis via ad pontem, & à populo noſtro intercepti ſumus, melius eſt igitur ut tradamus nos aquæ periculo ſi forte tranſire poſſumus, quam hoſtium cuneos penetrantes quaſi pro nichilo corruamus, Difficilis, immo impoſſibilis jam factus eſt nobis tranſitus per medium *Scotorum*. Ad hæc iſte ſtrenuiſſimus miles *Mardemucus*, « Certe cariſſimi nunquam dicetur de me quód gratis me ſubmerſerim, abſit & hoc à vobis & ab honorabili nomine *Anglorum*, ſed ſequimini me, & per medium eorum viam vobis faciam uſque ad pontem. Stimulatoque dextrario mox irruit in hoſtes, & nunc hos nunc illos cædens gladio per medium tranſivit illæſus, patuitque via magna ſequentibus eum, erat enim fortis robore & ſtaturæ proceræ. Cumque ita ſtrenue militaret nepos illius vulneratus & attonitus equo ſuo interfecto, ſet ſtans tamen ſuper pedes clamavit ad eum, *Domine mi, ſalva me*, At ille, *Aſcende*, inquit, *poſt me*, Qui ait, *Non poſſum, defecit enim robur meum*. Moxque conſocius ejus armiger ejuſdem *Marmeduci* deſcendens de equo ſuo eum aſcendere fecit, & dixit domino ſuo. *Sequar te domine quocunque ieris*, Edw. I. Et ſecutus eſt eum uſque ad pontem & uterque eorum ſalvatus eſt. Apprehenſo itaque ponte, per fortitudinem ſtrenue militantis omnes extunc quotquot ex noſtris ibi remanſerant corruerunt numero armatorum fere centum & peditum quaſi v. M. Inter quos CCC. *Wallenſes*. Et cum multos ex noſtris vita privaverant, tandem quidam ex noſtris qui remanſerāt aquā natando tranſierūt, unus etiam miles ex noſtris cum difficultate aquā trāſiit in equo armato. Corruit eodē die inter *Scotos* lancearios prænominatus theſaurarius regis *Angliæ* dominus *Hugo de Creſſyngham* rector eccleſiæ de **Rudeby** & capitalis Juſticiarius in Aſſiſis *Eborac*. Qui cum eſſet Præbendarius in multis eccleſiis & multarum haberet curam animarum, nunquam tamen arma ſpiritualia vel caſulam induit, ſet galiam & loricam in quibus corruit; & qui gladio linguæ ſuæ multos olim extriverat in judiciis multis, gladio tandem perverſorum occiſus eſt. Quem excoriantes *Scoti* diviſerunt inter ſe pellem ipſius per modicas partes, non quidem ad reliquias ſet in contumelias, erat enim pulcher & graſſus nimis, vocaveruntque eum non *Theſaurarium* ſet *Traiturarium* regis: & verius hoc quam credebant, multos enim ſeduxit in die hac, ſet & ipſe ſeductus eſt; qui erat levis & lubricus, elatus ſuperbia & avaritiæ deditus. In proximo congreſſu noſtrorum cum *Scotis* ſeneſcallus *Scotiæ* & Comes de *Lenenax* qui prius pacifici venerant cum vidiſſent noſtros corruiſſe, confeſtim receſſerunt ad ſuos qui in ſilvis latitabant juxta *polles*. Qui nefandum videntes eventum egreſſi ſunt obviam noſtris & multos particulariter fugientes peremerunt ibidem ad *polles* aſportantes ſpolia multa & quadrigas onuſtas abducentes, Non enim poterant quadrigæ vel ſummarii à fugientibus abduci de facili in lacubus & mariſcis. Comes vero noſter citra pontem ſemper exiſtens reverſo domino *Mardoch* cum ſuis præcepit pontem frangi & comburi; et commiſſa cuſtodia ejuſdem Caſtri de **Strivelyn** prædicto *Mardoch* promiſit ei fideliter data fide quod infra primas decem ebdomadas veniret in ejus auxilium cum manu forti: non tamen adimplevit quod promiſit, oblituſque ſenectutis ſuæ profectus eſt apud *Berewycum* cum feſtinatione tanta, quod dextrarius in quo ſederat in ſtabulo fratrum Minorum poſitus nunquam pabulum guſtavit. Deinde proceſſit ad filium regis in partes auſtrales & reliquit patriam penitus deſolatam. Facta fuit confuſio hæc tertio Idus Septembris ſcilicet feria quarta.

An. Dñi 1297. Anno gratiæ M. CC. xcvij. poſt iſta nephanda principia animati ſunt *Scoti* & corda *Anglorum* confuſa ſunt. *Anglicique* noſtri qui remanſerant in **Berewyk** juſte timentes ſibi, abierunt à loco ſuo eo quod principem non haberent ſeu defenſorem. Et cito poſt ingreſſi ſunt eam *Scoti* invenientes eam vacuam & quaſi ſcopis mundatam. Caſtrum tamen tenuerunt *Anglici* & defenderunt illud. *Northumbrenſes* eciam timore perterriti evacuaverant patriam ab uxoribus & parvulis & omni ſuppellectili, mittentes cum eis animalia uſque *Novum Caſtrum* & ſparſim per provincias; Cumque diu morarentur *Scoti* in eiſdem locis nec latius in *Angliam* proceſſiſſent, credebant in hoc *Northumbrenſes* ipſos nolle fines ſuos ingredi, & ſic ad propria regreſſi ſunt reducentes ſecum omnia, quod cum *Scoti* didiciſſent per exploratores ſuos, mox & quaſi latenter *Northumbriam* ingreſſi ſunt, circumgirantes ſubito patriam peremerunt multos, & prædas maximas aſportaverunt. Edw. I. Et extunc erant *Scoti* ingredientes & egredientes ad libitum cubantes in foreſta de *Routheſburia*, nec erat qui exterreret eos. In tempore illo ceſſavit laus Dei in omnibus monaſteriis & eccleſiis totius provinciæ à *Novo Caſtro ſuper Tynam* in *Karliolum*. Fugerant enim à facie *Scotorum* omnes monachi & canonici regulares & cæteri ſacerdotes miniſtri domini cum plebe quaſi tota. Vacabant itaque *Scoti* incendiis & rapinis à feſto ſancti *Lucæ* uſque ad feſtum ſancti *Martini*, & non erat qui impediret eos niſi quidam ex noſtris qui erant in præſidio caſtri de **Berewyk** & aliorum caſtrorum aliquando exeuntes extremas eorum reliquias cædebant, In modico tamen tempore; In feſto vero ſancti *Martini* & per octavas ſequentes conglobati *Scoti* proceſſerunt ubique vaſtantes omnia; Cumque veniſſent *Karliolum* miſerunt ad urbem ſacerdotem quendam abſque Levita qui diceret. « Hæc mandat vobis dominus meus *Willielmus* Conqueſtor ut vitæ veſtræ conſulentes « abſque ſanguinis effuſione reddatis ei villam & « caſtrum, dabitque vobis vitas & membra & « omnia catalla veſtra; Quod ſi non feceritis, confeſtim « expugnabit vos & ad internecionem uſque « delebit. At illi reſponderunt ei; Quis eſt ille « Conqueſtor? At ille, *Willielmus* quem *Waleys* « nominatis. Adjecerunt & illi. Rex noſter, inquiunt, curam & cuſtodiam civitatis iſtius & caſtri vide & nomine ſuo & hæredum ſuorum nobis tradidit, & credimus eum non habere gratum & ratum habere velle ut domino tuo *Willielmo* ea liberemus; ſet vade & dic ei ut ſi eam habere voluerit, veniat ad modum boni Conqueſtoris & locum expugnet, habeatque ſi poſſit civitatem & caſtrum & univerſa in eis contenta. Moxque recedente, tetenderunt machinas & ad reſiſtendum paraverunt ſe. Quod videntes *Scoti* declinaverunt ab urbe, vaſtaveruntque univerſa per medium foreſtæ de **Ingelwode** cum **Berlande** & **Allerdale** uſque **Derwent** ad **Cokermewe**. Non enim pepercit eorum oculus ordini, ſexui vel ætati, quin eccleſias Dei concremantes ejus ſanctuaria quaſi pro nichilo reputabant; Et cum eſſet *Scotorum* propoſitum ut in epiſcopatum *Dunelmenſem* acies dirigerent, impedivit eos Deus & glorioſus ejuſdem loci patronus ſanctus *Cuthbertus*, ſupervenit enim tempeſtas maxima grandinis, nivis & forte gelu infra eaſdem octavas beati *Martini*, ita quod multi *Scotorum* fame & frigore perierunt. Exploratores etiam eorum venientes dicebant, eundem epiſcopatum armis præparatum & bene munitum immenſo populo, & tamen non erant centum armati & vix tria millia peditum electorum; Qui licet multo plures ante ad reſiſtendum in confinio manſerant, eodem tamen tempore perterriti ad propria fugerunt; ſet deficiente populo non defuit iſte glorioſus *Cutbertus* quin ut pie creditur *Scotorum* propoſitum ſuis ſanctis precibus quaſſatum eſt. Revertentes igitur *Scoti* à cæde prædicta venerunt apud **Exeleſham** ubi tres Canonici ejuſdem domus qui paulo ante redierant mortem non timentes, cum vidiſſent venientem exercitum fugerunt in oratorium quod de novo conſtruxerant, ut ſi ſic eſſet divina voluntas ſacrificium Deo fierent in odorem ſuavitatis. Moxque ingreſſi ſunt ad eos viri lancearii vibrantes eis lanceas & dicentes; Oſtendite nobis theſauros eccleſiæ veſtræ

vel

Edw. I. vel confeſtim moriemini. Ad hæc unus de Canonicis, Non, inquit, diu eſt quod vos & populus veſter omnia quaſi noſtra aſportaſtis in terram veſtram, & ubi repoſuiſtis ea ſcitis. Nos vero extunc pauca quæſivimus ſicut jam in præſenti videtis. Interim vero dux eorum ingreſſus eſt ſcilicet *Willielmus Waleys* & comminabatur ſuis ut recederent, Rogavitque ut eorum aliquis miſſam celebraret. Et ſtatim unus celebravit. Factaque elevatione egreſſus eſt ille *Willielmus* ad deponendum arma ſua, Et factum eſt dum perveniret ſacerdos ad perceptionem ſacratiſſimi corporis & ſanguinis *Chriſti*, circumſteterunt *Scoti* ut calicem abriperent. Dumque manus ablueret & à ſacrario reverteretur ad altare, invenit calicem aſportatum quem ſuper altare reclinaverat, manutergiaque & cætera ornamenta ipſius altaris; Nec erat ei liber in quo finiret miſſam inceptam, eo quod aſportaverant omnia. Et cum hæſitaret ſacerdos quid eſſet faciendum, reverſus eſt ille *Willielmus*, & vidit hæc, præcepitque ut quærerentur ſacrilegi & capite plecterentur; ſet non ſunt inventi, utpote cum diſſimulatione quæſiti. Adjecitque ad Canonicos, Non inquit à me recedetis quoquam ſet mecum manebitis ut ſalvemini, Populus enim iſte malitioſus eſt nec juſtificari poteſt ſeu caſtigari. Manſitque ibidem per duos dies, & populus iſte perverſus diſperſus per circumjacentem provinciam comburens incendio & vaſtans univerſa. Habuitque tunc *Willielmus* ille in literis ſequentibus ſocium nominatum qui eiſdem Canonicis literas ſuas protectorias conceſſerunt, conceptas in hac forma:

Andreas de Moronia & Willielmus Waleys *duces exercitus regni* Scociæ, *nomine præclari Principis domini* Johannis *Dei gratia illuſtris Regis* Scociæ, *de conſenſu communitatis regni ejuſdem omnibus hominibus dicti regni ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis nos nomine dicti Regis Priorem & Conventum de* **Exſeldeſham** *in* Northumbria, *terras ſuas, homines ſuos & univerſas eorum poſſeſſiones, ac omnia bona ſua mobilia & immobilia ſub firma pace & protectione ipſius domini Regis & noſtra juſte ſuſcepiſſe; Quare firmiter prohibemus ne quis eos in perſonis, terris ſeu rebus malum, moleſtiam, injuriam ſeu gravamen aliquod inferre præſumat ſuper plenaria foriſfactura ipſius domini Regis; aut mortem eis vel alicui eorum inferant ſub pœna amiſſionis vitæ & membrorum, præſentibus poſt annum minime valituris. Act. apud* **Exſeldeſham** *vij. die Novembris.*

Item aliæ literæ protectoriæ.

Andreas *&c. Sciatis quod ſuſcepimus unum Canonicum de* **Exſeldeſham** *cum ſuo Armigero uno & duobus famulis ſuis in ſalvum & ſecurum conductum regis noſtri & noſtrum, ad veniendum ad nos ubicumque fuerimus quandocumque neceſſe fuerit & expediens dictæ domui. Et ideo vobis omnibus & ſingulis nomine dicti domini Regis mandamus firmiter injungentes, quatinus cum aliquis Canonicus dictæ domus cum prædicto Armigero & famulis ſuis præſentes literas ſecum habens cauſa veniendi ad nos inter vos venerit, ipſos ſub ſalva cuſtodia ad nos ducatis, ita quod nullus eos in perſonis ſeu rebus moleſtet in aliquo ſub Regis plenaria foriſfactura, aut mortem eis vel alicui eorum inferat ſub pœna amiſſionis vitæ & membrorum, præſentibus ad voluntatem noſtram duraturis.*

Edw. I. Egredientes tandem *Scoti* de loco illo tenderunt acies ſuas verſus *Novum caſtrum* ex parte boriali de **Tyne**; Et cum eſſent ex oppoſito illius villæ de *Rytona* egreſſi ſunt viri quidam illius villæ et maledicebant eos, non timentes eos eo quod aqua ſuperhabundaret in parte. Moxque ex *Scotis* tranſierunt multi, & eandem villam incendentes continuo reverſi ſunt. Fugientibus incolis jam ſtatim rumor aſcendit, adveniunt *Scoti*, crevitque clamor & ululatus eorum per provinciam totam. Et fugerunt; & ſecum aſportaverunt bona ſua non quidem in gaudio ſet in fletu & luctu, nec erat qui reſiſteret ſeu ad reſiſtendum ſe pararet niſi *Dunelmum* & cives de *Novo caſtro*. Viri eciam animoſi qui erant in præſidio *Novi caſtri* paraverunt ſe ad pugnam, egredientes ab urbe, non longe tamen, eo quod pauci fuerant reſpectu multorum. Quod videntes *Scoti* declinaverunt ab urbe, & dividentes inter ſe ſpolia quæſita, tradiderunt *Galwalenſibus* partes ſuas, & abierunt in loca ſua.

CAP. XI.

INterea modicum ante natale Domini, dominus *Robertus de Clyfford* cum centum armatis & xx M. peditum electorum de Civitate *Karliolenſi* & comitatu egreſſus eſt vallem *Anandiæ* ut prædaretur ibidem; Cumque tranſiſſent aquam de **Solwath**, mox voce præconia conclamatum eſt, ut nulli quicquam boni facerent niſi tantum ſemetipſis. Quo audito gaviſi ſunt pedeſtres, & continuo ad prædas diſperſi ſunt. Equeſtres vero maturo egreſſu proceſſerunt & ſimul. Cumque veniſſent in mora juxta *Anandiam*, incolæ ejuſdem patriæ adunati venientes improperabant eis, vocantes eos *canes caudatos* & præ paucitate eos contempnentes, eo quod pedeſtres ſui longe erant ab eis ſeparati. Ad hæc autem exhortantes ſe noſtri adinvicem congreſſi ſunt cum hac multitudine magna. Et cæſis quibuſdam reliquos in fugam converterunt; Concluſeruntque eos in quodam mariſco, quouſque venientes pedeſtres occiderunt ex eis CCC. & viij. viros, & quoſdam duxerunt captivos. Iterumque revertentes ad prædam combuſſerunt pluſquam x. villas ibidem infra limites parochiarum de **Gyſborne**, & tandem reverſi ſunt *Karliolum* in vigilia natalis Domini cum captivis & præda magna. Iterato circa principium quadrageſimæ tranſierunt ibidem, & vallem *Anandiæ* exſpoliantes ignem appoſuerunt, Qui accenſus crevit in immenſum, & combuſſit quandam eccleſiam de **Gyſburne**; & ſic captis ſpoliis & quibuſdam captivis reverſi ſunt. Et extunc vacabant mutuis incendiis & rapinis. Cum à gente *Scotorũ* perfida talia agerentur, conſiliarii regis noſtri *Edwardi* qui cum *Edwardo* filio regis erant magnum videntes periculum non tantum regi in remotis agenti ſet eciam toti terræ *Anglicanæ* imminere, inſtiterunt apud filium regis qui *Londoniæ* morabatur infra muros civitatis, ut Comites prædictos Mareſchallum & *Herfordenſem*, qui ut dictum eſt, à patre ſuo in partem deciderant, rogaret & interpellaret ad pacis unitatem & amorem. Miſſis igitur literis ſuis rogavit eos ut ad Parliamentum ſuum, eo quod ſui patris locum tenebat in *Anglia*, venirent *Londonias* x. die Octobris celebrandum, Qui novi præceptoris & futuri Principis rogatum amplectentes venerunt ad eundem diem, non tamen nudi, immo cum quingentis equis armatis & multitudine magna peditum electorum; quia communem profectum & utilitatem amplectebantur, communes diligebant eos fortiter; Portas tamen Civitatis noluerunt ingredi, niſi primo concederetur eis quod in omnibus portis Civitatis ponerentur prius cuſtodes eorum, ne forte abſque armis ingreſſi velut oves in ovili clauderentur; quo conceſſo, ingreſſi ſunt. Ubi tandem poſt conſilia multa & tractatus varios mediante venerabili patre *Cantuarienſi* archiepiſcopo magiſtro ſcilicet *Roberto de Winchelſe*, cujus memoria in benedictione ſit, non fuit alia forma ad quam conſentire voluerunt, niſi quod ipſe dominus Rex magnam Cartam cum quibuſdam adjectis articulis, & Cartam de Foreſta concederet & confirmaret. Et quod auxilium nullum ſeu vexationem à Clero vel à populo peteret vel exigeret in poſterum abſque magnatorum voluntate & aſſenſu. Et quod animi rancorem remitteret eis & omnibus ſibi aſſociatis. Ordinatumque hujuſmodi ſcriptum in hæc verba conceptum.

Nullum tallagium vel auxilium per nos vel hæredes noſtros de cætero regno noſtro imponatur ſeu levetur ſine voluntate & aſſenſu communi archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum prælatorum, comitum, baronum, militum, burgenſium, & aliorum liberorum hominum in regno noſtro. Non capiat blada, lanas, coria aut aliqua alia bona cujuſcunque ſine voluntate & aſſenſu illius cujus fuerint hujuſmodi bona. Nichil capiatur de cætero nomine vel occaſione malæ tollæ de ſacco lanæ. Volumus eciam & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris quod omnes clerici & laici de regno noſtro habeant omnes leges, libertates & liberas conſuetudines ſuas ita libere & integre ſicut eas aliquo tempore plenius & melius habere conſueverunt, Et ſi contra illas vel quemcumque articulum in præſenti Carta contentum ſtatuta fuerint vel edita per nos vel anteceſſores noſtros vel conſuetudines introductæ, volumus & concedimus quod hujuſmodi conſuetudines & ſtatuta vacua & nulla ſint imperpetuum. Remiſimus eciam Humfredo de Bowne *Comiti* Hertfordiæ *&* **Eſekes**, *Conſtabulario* Angliæ, Rogero Bygot *Comiti* **Northfolk** Mareſchallo Angliæ, *& aliis Comitibus, Baronibus, Militibus, Armigeris*, Johanni de Ferrariis *ac omnibus aliis de eorum ſocietate, confœderatione & concordia exiſtentibus, necnon omnibus xx. libratas terræ tenentibus in regno noſtro ſive de nobis in capite ſive de quocumque qui ad transfretandum nobiſcum in* Flandrias *certo die notato vocati fuerunt & non venerunt, rancorem noſtrum & malam voluntatem quam ex cauſis prædictis erga eos habuimus, & eciam tranſgreſſiones ſi quas nobis vel noſtris fecerint uſque ad præſentis cartæ confectionem. Et ad majorem hujus rei ſecuritatem volumus & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris quod omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi* Angliæ *imperpetuum in ſuis cathedralibus eccleſiis habita præſenti Carta & lecta excommunicent publice & in ſingulis parochialibus eccleſiis ſuarum dioceſum excommunicare ſeu excommunicatos denunciare faciant bis in anno, omnes qui contra tenorem præſentis Cartæ vim & effectum in quocumque Articulo ſcienter fecerint aut fieri procuraverint quoquo modo. In cujus rei teſtimonium præſenti cartæ ſigillum noſtrum eſt appenſum una cum ſigillis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum, Baronum, & aliorum qui ſponte juraverunt quod tenorem præſentis Cartæ, quatenus in eis eſt, in omnibus & ſingulis articulis obſervabunt, Et ad ejus obſervationem conſilium ſuum & auxilium fidele præſtabunt imperpetuum.*

Ipſe eciam *Edwardus* regis filius per literas ſuas patentes remiſit prædictis Comitibus & univerſis ſuis ſequacibus omnem malam voluntatem; Et promiſit in eiſdem literis quod patrem ſuum induceret modis omnibus ad illud idem faciendum. Omnes eciam Conſiliarii regis qui ibidem aderant per ſcriptum ſuum ſuper hoc ſpecialiter confectum, illud idem promiſerunt. Et læti ſunt univerſi in die hac unitatis & pacis. Erat enim ibi ex parte Regis Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Henricus* electus *Eboracenſis*, Epiſcopi eciam *Londonienſis, Elienſis, Batonienſis, Coventrenſis.* Comites eciam *Cornubiæ, Warennæ, Warwici* & *Oxoniæ.* Barones eciam *Johannes Gyffarde, Henricus de Percy, Reginaldus de Greye*, cum multis aliis clericis & laicis. Hii omnes & ſinguli tactis ſacroſanctis Evangeliis juraverunt ad majorem rei ſecuritatem, quod prædictos Comites cum ſequacibus omnibus contra dominum Regem ſervare deberent illæſos & indempnes. Convenit eciam ut in craſtino ſancti *Nicholai* epiſcopi certum ſuper hoc acciperent reſponſum ab ipſo rege, ſub hac conditione adjecta, *ut ſi Rex prædicta ſcripta conſignata remitteret & ratificaret omnia, extunc ad mandatum Regis vel ad Regem in* Flandriam *vel contra hoſtes ſuos in* Scociam *iidem Comites proficiſcerentur ad votum.* Miſſis igitur nunciis ad ipſum dominum Regem ſcripſerunt ei ſecretarii ſui, ut ſi honorem ſuum, ſtatum & regnum ſalvare & retinere proponeret, prædicta omnia remitteret conſignata. Qui quidem in arto poſitus cum jam hæſitaſſet per triduum, noviſſime tamen ut corda ſuorum retineret votis eorum annuit in præmiſſis, & omnia conceſſit & per ordinem confirmavit. Pro hac autem confirmatione Cartarum prædictarum cum ſuis adjunctis prædictis dederunt magnates terræ cum communi populo nonum denarium, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* cum ſuo clero decimum denarium. *Eboracenſis* electus cum ſuo clero qui propinquiores periculo extiterunt quintum denarium in ſubſidium guerræ regis in regno *Scociæ.* Lanas eciam religioſorum & aliorum de populo prius acceperat rex, cum proteſtatione tamen quod allocarentur in eodem quinto &c.

CAP. XII.

TUnc rex *Edwardus* per literas ſuas ſpeciales rogavit eoſdem Comites & cæteros magnates qui remanſerant in *Anglia*, ut ſicut ſuum & totius regni *Anglicani* honorem diligerent cum feſtinatione parati procederent in *Scociam* cum Comite de *Warenna* quem ſuo loco præfecerat, ut *Scotorum* audaciam caſtigarent & reprimerent, præfixitque eis terminum, ſcilicet in octavis ſancti *Hillarii* apud *Eboracum*, ut interim pararentur & convenirent ibidem extunc in ſuos hoſtes proceſſuri. Miſit eciam rex literas ſuas ad magnates *Scociæ*, ut ſi in fide & in fidelitate ſua manerent ſicut in receſſu ſuo ſe remanere promiſerant, ad Parliamentum ſuum apud *Eboracum* quod per Comites ſuos in craſtino ſancti *Hillarii* celebrandum ſtatuerat, abſque omni cavillatione venirent, alioquin extunc velut hoſtes publici tenerentur. Ad quem quidem diem convenerunt noſtri Comites. Iſti ſcilicet, Comes de *Warenna* qui locum regis tenens perſonam illius præſentabat in hoc, Comes *Glouceſtriæ* cum Comitiſſa uxore ſua filia regis, Comes Mareſchallus, Comes *Herfordenſis*, Comes de *Arundell*, & *Gwydo* filius Comitis de *Warwyk*, *Johannes* de *Segrave*, & magnates plurimi. Communicatoque conſilio voluerunt ut conſtares communi populo de confirmatione magnæ Cartæ & Cartæ de Foreſta. Unde lecta magna Carta cum Articulis inſertis, quos enumeravimus ſupra, de præcepto eorum *Karliolenſis* epiſcopus pontificalibus indutus excommunicationis ſententiam in omnes ejus violatores fulminavit. Cumque non venirent *Scoti* neque mitterent, ſtatuerunt ut in octabis ſequentibus apud *Novum Caſtrum* ſuper *Tynam* omnis numeraretur populus expeditus ad pugnam; Et ſic continuo procederetur in hoſtes. Venientes autem ibidem juraverunt populum univerſum; Et inventa ſunt duo millia equorum armatorum cum aſſeſſoribus electis, & aliorum equitantium pluſquam mille ducenti, Peditum autem cum *Walenſibus* pluſquam C.mill. & continuo proceſſerunt uſque ad confinia regionum. Et ſingulis diebus augebatur eorum numerus & in pedeſtribus & in equeſtribus. Cumque ſciviſſent *Scoti* adventum eorum validum timuerunt. Et relinquentes obſidionem Caſtri de **Rokeſburgh**, quod multo jam tempore oppugnaverant eo quod tenebatur ibidem epiſcopus *Glaſcovenſis*, fugerunt à facie *Anglorum*, ingreſſique ſunt *Angli* in villam & caſtrum conſolantes obſeſſos, & vulneratis & attonitis medelam adhibentes. Confirmatoque caſtro digreſſi ſunt uſque **Beleſhewe**, inde revertentes uſque **Berwyke** ſuper *Twedam*. Et invenerunt eam vacuam, eo quod fugerant *Scoti* audito eorum ingreſſu in terram. Et *Anglicis* caſtrenſibus facta eſt lætitia magna qui multo jam tempore à *Scotis* fuerant oppugnati, in adventu eorum. Cumque *Anglorum* voluntatis & propoſiti fuiſſet ad perdendum *Scotorum* exercitum dirigerent acies ſuas, Ecce à rege *Edwardo* emanavit novum mandatum. Supervenit enim quaſi in principio quadrageſimæ miles quidam cum literis Regis ad prædictum Comitem de *Warenna* cæteroſque Comites & alios ſuos fideles continentibus in parte ſic, *Quod ipſe Rex auctore Domino negotia ſua transmarina jam bene pro voto expedierat, & in propria perſona properaret ad eos in* Scociam *cum omni feſtinatione qua poſſet, Adiciens quod ante ipſius adventum nil quid magnum attemptaretur in* Scotos *nec ſe ullo diſcrimini manciparent, ſet ſi villam de* **Berwyk** *adipiſci poſſent manerent ibidem, citum ejus adventum præſtolantes.* Accepto itaque hujuſmodi mandato elegerunt ex univerſis armatis mille quingentos viros in equis armatos & circiter xx M. peditum electorum qui venerant ex *Wallia* & ex remotioribus partibus terræ, remittentes ad propria cæteros uſque ad adventum regis. Manſeruntque ſic in eadem villa de **Berwyk** expectantes regis adventum, ſemperque ſuis hoſtibus ad reſiſtendum parati. Inter magnates qui cum rege *Edwardo* aderant affuerat unus diſcretus vir frater *Willielmus de Heton Dunblanenſis* electus de ordine Prædicatorum, qui noticiam familiaritatemque regis *Franciæ* & magnatorum ejuſdem regni contraxerat dum in Theologia *Pariſius* multis egregie rexerat annis, natione tamen erat *Anglicus*: Hic miſſus regi *Franciæ* peregrinum ſe finxit in terra ſancta, dicens ſe velle proficiſci ad Curiam apoſtolicam ob cauſam vocationis ſuæ ad ſedem *Dunblanenſem*, petiitque ab ipſo rege literas conductivas ut ſalvo veniret ad eum & pacifice loqueretur cum eo. Quas cum de facili impetraſſet, regem adiit, & pacifice quid loquens utpote multum habens pectoris & ſermonis, ſic impetravit ut hinc & inde ad certos diem & locum viri pacifici & diſcreti mitterentur, qui de pace plena vel ſaltem de treuga tractarent cum effectu, factumque eſt ita. Unde habitis per dies quatuor & loca diverſa tractatibus variis & colloquiis multis tandem in quinto die convenerunt magnates utriuſque regni apud *Turnay*. Ex parte ſcilicet Regis *Franciæ*, Dux *Burgundiæ*, Comes de *ſancto Paulo*, Comes de *Britannia*, Dominus de *Nelo*, & Epiſcopus de *Anc.* cum multis aliis. Ex parte Regis *Anglorum*, *Antonius de Bek* Epiſcopus *Dunolmenſis* cum cæteris plurimis. Qui Deum præ oculis habentes tanquam filii veræ lucis & pacis, pacis prælucidas ſtatuerunt treugas ſcilicet biennales à feſto ſcilicet Epiphaniæ Domini ejuſdem anni uſque ad idem feſtum revolutis annis duobus. Et quod captivi hinc inde redderentur, ſub cautione tamen, ut ſi plenas rex treugas non ſequeretur biennales, vel quod eorum corpora vel ſaltem pecunia ſub cautione expoſita ſolveretur, ſupponentes utrumque regem & de voluntate eorum obligantes, eos in omnibus & per omnia ordinationi domini Papæ *Bonefacii*, qui diſſenſiones omnimodas audiendo dirimeret, & fine debito terminaret. Mittuntur itaque ſolempnes nuncii ad curiam Papæ qui utriuſque regis negotium exponunt diligenter. Dominus autem Papa auditis hinc inde propoſitis & communicato conſilio decrevit & ſententiavit in hunc modum.

Dudum inter cariſſimos in Chriſto *filios noſtros* Philippum *Regem* Francorum *ex parte una &* Edwardum *Regem* Angliæ *ex altera Reges illuſtres ſuggerente generis humani inimico pacis æmulo ſuper diverſis titulis materiaque diſcordiæ ac diſſenſionis eſt exorta, Tandem idem Reges per ſpeciales nuncios & Procuratores ſuos ob hoc ab eis mandatum habentes in nos* Bonefacium *divina providentia Papam octavum tanquam in privatam perſonam & dominum* Benedictum Gaytan *in arbitrum, arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, arbitralem ſententiatorem, amicabilem compoſitorem, ordinatorem, diſpenſatorem & pronunciatorem ſuper reformanda pace & concordia inter ipſos Reges ac ſuper hiis quæ ad pacem pertinent occaſione quacumque de alto & baſſo abſolute et libere compromittere juraverunt, prout in compromiſſoriis Inſtrumentis inde confectis plenius continetur: Nos igitur* Bonefacius *Papa prædictus qui finem litibus apponere affectamus, et precipue inter reges prædictos quorum quietem indeſinenter appetimus, et tanto ferventius vigere cupimus ſucceſſus quanto pleniori eos affectione proſequimur & puriori complectimur caritate, Hujuſmodi compromiſſis receptis & nobiſcum præhabita deliberatione diligenti, vocatiſque nunciis & procuratoribus ſupradictis ad arbitrium, laudem, mandatum & arbitralem ſententiam audiendam, eiſque coram nobis ſpecialiter conſtitutis, ad laudem omnipotentis Dei qui eſt pacis auctor & ſalutis amator, & glorioſæ matris ejus, ſicut arbiter & arbitrator, laudator & amicabilis compoſitor, aut ſicut privata*

Edw. I.

perſona Benedictus Gaytan *ex forma & virtute compromiſſorum prædictorum ut omni modo & jure quo melius poſſemus viam arbitratoris, laudatoris, & amicabilis compoſitoris ſequentes dicimus, arbitramur, laudamus, diffinimus, arbitrabiliter ſententiamus, mandamus, ordinamus, diſponimus & pronunciamus hac vice, ut inter ipſos Reges fiat & ſit perpetua pax & ſtabilis, Et quod treuga vel ſufferentiæ voluntariæ dudum inducta & inita inter eos & modo & forma ac omnibus illis perſonis & terris, et ſub illis pœnis & conditionibus & temporibus ſub quibus indictæ aut formatæ fuerunt inviolabiliter obſerventur: Ad hujuſmodi autem pacem confirmandam roborandam atque ſervandam infra tempus quod duxerimus moderandum præfato regi* Angliæ *ſororem dicti. regis* Franciæ *recipere ac ducere cum dotalitio quindecim mille librarum* Turonenſium *in uxorem, Et idem Rex* Franciæ *eandem ſororem ſuam eidem Regi* Angliæ *in uxorem dare & tradere cum diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ teneantur. Quod filia prælibati Regis* Franciæ *quæ infra ſeptennem dicitur conſtituta ſuo tempore* Edwardo *prædicti Regis* Angliæ *filio qui jam tredecimum ætatis ſuæ annum exegit cum ſimili diſpenſatione matrimonialiter cum dotalicio xviij. millium librarum* Turonenſium *copuletur, Illudque firmetur atque valletur extunc modis inferius annotatis, videlicet quod idem Rex* Angliæ *pro filio ſuo, idemque filius pro ſe qui ad hoc ſufficientem ætatem habent contrahant ſponſalia prædicta eorundem Regis & filii juramentis firmanda. Et Rex* Franciæ *&c.* Copiam ſequentium de hac materia diligens lector inquirat, nam ego ſollicitus inveſtigator nequivi pro tempore invenire.

Biennalibus treugis ſic factis & cæteris ad regis *Edwardi* votum patratis, rediit rex *Edwardus* ſub omni celeritate qua potuit feſtinando ad partes boriales viſitare ſuos ejus adventum apud **Berwyk** præſtolantes; Et venit cum exercitu grandi apud **Rokeſburgh**, Et inde tendens apud **Templiſton** ibique expectans navigium veniens de **Berewyk**, ſet deficiente vento navigium impeditum patiebatur, unde *Anglici* pro defectu victualium in gravi penuria acti ſunt. Quod percipientes *Scoti* feſtinaverunt congreſſum habere cum eis. Set juvante Deo antequam venirent *Scoti*, applicuerunt naves cum omni repletione victualium oneratæ, *Anglorum* animos in lætitiam vertentes. Tunc rex direxit ſe verſus *Scotos*, & tentoria fixit in medio camporum, Et *Scoti* appropinquantes clamaverunt *Anglicos* altiſonis vocibus, & gentes noſtræ ſub omni celeritate ſe paraverunt ad pugnam prompti; & cum rex dextrarium aſcenderet urgens equum calcaribus, fregit duas coſtas ejuſdem, ſet rex ex hoc non omittens cito alium aſcendit & ſuos ad bellum hortatur, & blandis ſermonibus conſolatur, ſicque congreſſi ſunt uterque exercitus in die ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* apud **Fowchirche**: Et fuit bellum forte nimis; ibique ceciderunt de *Scotis* mortui numero xxx. millia & plures, & *Anglici* habuerunt victoriam. Inde abeuntes verſus villam ſancti *Andreæ* quam devaſtaverunt, Et inde procedentes exterminaverunt **Selſechirche**, Veneruntque ad caſtellum de **Are**, de quo *Robertus de Brus* fugerat vacuumque reliquerat. Deinde tendunt *Anandiam*, & poſtea ad **Longhmaban**, & ſic ad *Karliolum*, ubi duo Comites *Herfordenſis* & Mareſchallus capientes licentiam à rege, redierunt in patriam ſuam. Deinde perrexit rex apud **Tynnemewe**. Deinde apud **Catynggam**, & ibi tenuit natale Domini.

Edw. I.

Cap. XIII.

An. Dñi 1290.

TAndem Papa *Bonefacius* reformavit pacem & concordiam inter reges *Angliæ* & *Franciæ* anno gratiæ M.CC.xc. ut ſupra notatum eſt; ſub ea tamen conditione, quod *Vaſconia* remaneret penes Papam donec eſſet diſcuſſum quis eorum haberet lucidiorem juſticiam ad ejus poſſeſſionem, Et quod rex *Angliæ* faceret reſtitutionem de bonis & navibus captis & dampnis illatis in portu de *Swyne* in adventu ejuſdem ibi per ſuos marinarios. Set ſuper illo articulo rex fecit dilationem, excuſans ſe hoc non fuiſſe factum ſub ejus ſcientia. In quadrageſima ſequenti rex celebravit Parliamentum *Londoniis*, ubi iterato proceres & communes rogaverunt regem de ratificatione articulorum magnæ Cartæ quam eis fecerat, Annuitque rex petitioni eorum ſalvo ſemper ſtatu coronæ. In feſto nativitatis beatæ *Mariæ* rex *Edwardus* deſponſavit *Margaretam* ſororem *Philippi* regis *Franciæ* apud *Cantirbiriam*. In feſto ſancti *Martini* rex celebravit Parliamentum ſuum apud *Eboracum*, & inde tranſivit verſus **Berwyk**, & ultra propoſuit tranſiſſe ad removendum obſidionem de **Stritelyne** quæ robuſta & fortis diu extiterat ſuper *Anglicos* ibidem; ſet propter aſperitatem yemis & inſufficientiam patriæ conſultum eſt eidem dimittere, & quod *Anglici* qui inibi erant ſalvis ſibi vita & membris ſecuriori modo quo poſſent ſeipſos liberarent. Eodem anno mortuus eſt *Henricus Eboracenſis* epiſcopus, Cui ſucceſſit *Thomas de Corbrig* magnus clericus.

An. Dñi 1300.

Anno gratiæ M.CCC. & regni regis *Edwardi* xxviij. *Bonefacius* Papa ordinavit peregrinationem per unum annum duraturam & quolibet centeſimo anno remiſſionem omnium peccatorum.

Ciſtrenſis l.7.c.40.

Iſte annus fuit Jubilæus quo multi peregrinati ſunt ad *Romam*.

Leyceſtrenſis.

Circa feſtum ſancti *Johannis* rex tranſivit in *Scociam*, & factæ ſunt treugæ inter *Anglicos* & *Scotos* uſque ad feſtum Pentecoſtes proximum ſequens; Eo nempe anno *Margareta* Regina genuit filium *Thomam* nomine, qui poſtea extitit Comes Mareſchallus.

1301.

Anno gratiæ M.CCC.j. & anno regni regis *Edwardi* xxix. habuit alium filium *Edmundum* nomine de **Wodeſtoke** qui poſtea fuit Comes *Canciæ*; eodem ſiquidem anno papa revocationem per bullas ſuas fecit de omnibus beneficiis & gratiis per ſe & prædeceſſores ſuos ante regi *Franciæ* conceſſas, & cito poſt fecit citare omnes Prælatos & omnes magiſtros & doctores utriuſque juris & omnes magiſtros de theologia, quod coram eo comparerent die certo & loco in kalendis *Novembris*, ſet prius excommunicavit regem *Franciæ*, deinde citari fecit Prælatos; denique rex *Franciæ* clamare fecit quod nullus homo exportaret de regno ſuo aurum nec argentum ſeu mercimonia quæcumque ſub pœna foriſfacturæ omnium bonorum ſuorum, & fecit cuſtodire introitus & exitus terræ *Franciæ*. Rex celebravit Parliamentum apud **Stamforde**, ubi convenerunt Comites & Barones fortitudine non modica donec haberent Cartam de Foreſta plenarie conceſſam & confirmatam de qua non habuerant firmam ſecuritatem licèt antè eis conceſſam; De qua rex integre & plene eorum voluntatem adimplevit ad vota. Eo tempore *Boneſacius* per ſuggeſtionem *Scotorum* miſit regi *Angliæ*, *quod jus dominii regni* Scociæ *pertineret ad eccleſiam* Romanam, *& quod Rex* Angliæ *contra rationem & contra jura ſubegerat illud ſibi, & aſſignavit diverſas rationes. Primo, Quod Rex* Henricus *rogavit Regem* Scociæ Alexandrum *de Auxilio contra* Simonem de Monte forti *& alios Barones regni; idem Rex* Henricus *recognovit per literas ſuas quod nullum auxilium petiit à Rege* Alexandro *de debito ſervitutis, ſet ſolum de gratia. Secundo, ſimiliter quando vocatus fuit ad coronationem ejuſdem Regis* Henrici *idem Rex* Alexander *venit velut amicus & de gratia ſpeciali &c.* Et poſt tales motiones Papa reſcripſit per Bullas, *quod poſt mortem Regis* Alexandri *Rex* Angliæ *idem* Edwardus *miſerat & attraxerat regnum* Scociæ *in ſuam ſubjectionem præ defectu gubernaculi contra juſticiam & libertatem* Romanæ *Eccleſiæ, Et quod Rex* Edwardus *ſuppreſſerat Prælatos* Scociæ *& tenuerat in ſua ſubjectione contra ſtatum Eccleſiæ & libertatem Eccleſiæ* Romanæ.

Rex tenuit ſecretum Concilium apud *Lincolniam* ſuper eiſdem articulis, & reſcriptum eſt in hunc modum, *Quoad illum articulum quod Papa mandavit Regi quod mitteret nuncios & procuratores ad Curiam ſuam* Romanam *& habere deberet juſtitiam & rationem de clamio regni* Scociæ, *Rex noluit reſpondere ad illum articulum, ſet tota Baronia* Angliæ *reſcripſit Papæ, quod Rex nullo modo hoc faceret, Nam non mitteret jus ſuum tam clarum & tam apertum in dubio & alieno arbitrio.* Veniente tempore Pentecoſtes cum treuga *Scociæ* finiret, rex *Edwardus* cum exercitu ſuo perrexit in *Scociam* ibique yemavit, & perierunt multi de populo ſuo præ defectu victualium; Et rex celebravit natale Domini apud Lynliſco.

An. Dñi 1302. Anno gratiæ M.CCC.ij. & regni regis *Edwardi* xxx. rex *Edwardus* ad inſtanciam regis *Franciæ* conceſſit treugas cum *Scotis* uſque ad feſtum omnium Sanctorum proximum ſequens & rediit in *Angliam*. Eo tempore miſit papa regi *Edwardo* quod eum juvaret contra regem *Franciæ* & guerram moveret contra eum. Set in hac parte ſe finxit dicens, alio modo forte remedium poſſe evenire. Eo tempore miſerunt Prælati *Franciæ* duos Epiſcopos ad Papam ad excuſandum eos quod non comparuerunt coram Papa ſtatuto die. Poſt feſtum omnium Sanctorum finiente treuga *Scotorum*, rex præfecit dominum *Johannem de Segrave* gardianum *Scociæ* cum multis aliis. Eodem anno *Flandrenſes* fugaverunt omnes *Francigenas* de terra ſua.

1303. Anno gratiæ M.CCC.iij. & regni regis *Edwardi* xxxj. iterum cœperunt *Scoti* rebellare, de conſilio *Willielmi Waleys* capitanei eorum, & rex *Edwardus* occurrit & pertranſivit Strivelyne & abiit ultra per medium terræ, & non erat qui ei reſiſteret. Eo anno rex *Franciæ* reddidit *Vaſconiam* regi *Angliæ*. Eo anno objecerunt contra Papam *Boneſacium* hæreſim, homicidium, ſimoniam, & in dolore moriebatur, ut ſupra eodem libro capitulo . Et electus eſt in Papam *Benedictus Lumbardus*. Rex iterato tranſivit in *Scociam* & perrexit per medium terræ uſque *Cateneys* ſine reſiſtentia. Deinde perrexit ad caſtrum de Strivelyne, quod quidam *Scoti* tenuerant & defenderant contra eum. Set antè moram traxerat apud Dunbarre. Et cum caſtrenſes de Strivelyne viderent obſidionem acrem & fortem nimis ſuper eos, optulerunt caſtellum regi & ſalvis eis vità & membris, ſet renuit rex; Deinde infra breve reddiderunt ſe ſimpliciter ad gratiam ſuam, & qui inibi fuerunt miſſi ſunt apud *Londonias* & alia loca regni in cuſtodiam carceris. Tunc fuit tota *Scocia* ad voluntatem regis, & tradidit cuſtodiam domino *Johanni de Segrave*. Deinde venit rex *Eboracum* & fecit removere Bancum & Scaccarium regis apud *Londonias* quæ apud *Eboracum* fuerant per vij. annos. Caſtellum de Strivelyne redditum eſt cum prætactis anno gratiæ M.CCC.iiij. regni regis *Edwardi* xxxij. Eodem anno obiit archiepiſcopus *Thomas de Corrobrig* & ſucceſſit *Willielmus de Grenefylde*. Eodem anno ſederunt Juſticiarii ſuper le *Traylbaſtones*. An. Dñi 1305. Anno gratiæ M.CCC.v. regni regis *Edwardi* xxxiij. captus eſt *Willielmus Waleys* & ductus apud *Conderet* & ſuſpenſus. Eodem anno ejecti ſunt *Flandrenſes* de *Angliæ* ad inſtanciam regis *Franciæ*. 1306. Anno gratiæ M.CCC.vj. regis *Edwardi* xxxiv. *Robertus Brus* occidit *Johannem Comyne* in domo Fratrum *minorum* apud *Dunfreg* ut ſupradictum eſt, & fecit ſe coronari in regem *Scociæ* apud Scone circa feſtum Pentecoſtes. *Edwardus* filius regis *Edwardi* perrexit cum domino *Emerico de Valence* Comite de Penbrok & cum juvenili militia in *Scociam* contra *Robertum de Brus* nuper coronatum; & dominus *Edmundus* frater ejus ſequebatur eum cum exercitu ſuo uſque *Karliolum*. Dominus *Emericus de Valence* Comes de Penbrok ſequebatur *Robertum Brus* verſus *Lenter*, & credebat ipſum fore in caſtello, ſet fugerat ad uxorem ſuam & fratrem ſuum *Nele*. Et ad feſtum ſancti *Michaelis* venit apud *Lenter* & obſedit *Henricum de Percy* & occidit multos de ſuis gentibus, dextrarioſque ejus cœpit. Rex *Edwardus* venit apud Lanercost & inde miſit grandem poteſtatem ad amovendum obſidionem. Et ſic ibi capti ſcilicet *Nele* frater *Roberti Brus* & plures alii tracti ſunt & ſuſpenſi apud Berwyk, uxor *Roberti Brus* miſſa eſt in *Angliam*. 1307. Anno gratiæ M.CCC.vij regni regis *Edwardi* xxxv. poſt Paſcha *Robertus Brus* pugnavit cum *Emerico de Valence* & poſuit eum ad fugam & quoſdam de ſuis occidit. Et infra tres dies ſequentes pugnavit cum Comite *Gloucestriæ* & vicit eum & fugavit eum ad caſtrum de Aire & obſedit eum, ſet gentes regis *Edwardi* amovebant obſidionem & prædictum *Robertum Brus* ſequebantur & fugaverunt in quendam mariſcum & boſcum, unde nec potuerunt inde exire nec ipſi ad eos adire. Rex *Edwardus* miſit filium ſuum *Edwardum* apud *Londonias* ad deſponſandum filiam regis *Franciæ Philippi* prout ordinatum fuerat & diſpenſatum per papam *Boneſacium*. Rex *Edwardus* ægrotare cœpit de quodam fluxu dum tenderet de *Karliolo* verſus *Scociam*, & dum veniret apud *Burgum ſuper ſabulum* obiit.

Ciſtrenſis l.7.c.42. Rex *Edwardus* obiit die tranſlationis ſancti *Thomæ* juxta *Karliolum* apud *Burgum ſuper ſabulum* xxxv. regni ſui anno. Cujus obitum *Robertus Cantuarienſis* archiepiſcopus apud Curiam *Romanam* exulans in ſompnis vidit. Cui ſucceſſit *Edwardus* filius ſuus poſt conqueſtum ſecundus. Qui ſtatim revocavit amaſium ſuum *Petrum de Gavaſton*, cui dedit ducatum *Cornubiæ* ac commiſit cuſtodiam *Angliæ* dum ipſe moraretur circa nuptias in partibus tranſmarinis. Duxerat enim *Iſabellam* filiam unicam *Philippi* regis *Franciæ* apud *Bononiam*, qui inde rediens, coronatus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium* ab epiſcopo *Wintonienſi* auctoritate papæ *Clementis* Dominica quinquageſima, eo quod *Robertus Cantuarienſis* tunc apud *Romam* exulabat.

Leyceſtrenſis. Nota, ubi dicit *Ciſtrenſis Philippum* regem *Franciæ* habere unicam ſolam filiam claudicat, nam habuit duas filias, quarum ſeniorem rex *Naverniæ* duxerat, iſte vero rex *Edwardus* minorem, ut infra patebit in ſuo loco. *Petrus de Gaviſton* dummodo exulaverat vigilavit ſuper mare & in *Flandria*, ſemper expectans mortem boni *Edwardi* regis. Et contra voluntatem communitatis regni fecit eum Comitem *Cornubiæ*. Et plus ſolito ſpecialiorem eum habuit, & procuravit malum quod potuit adverſus omnes magnates & alios qui moram ejus in *Anglia* malipendebant. Et ſuggeſſit regi in quantum potuit procurando quod *Walterum de Langton* epiſcopum *Ceſtriæ* carceri mancipavit. Nam idem *Walterus* ſæpius increpaverat prædictum *Petrum* pro eo quod male tractaverat regem, & ad multas ſcurrilitates & malicias, atque ſtulticias & ineptias, ac inercias frivolas eum produxerat contra ſtatutum ſuum & regni honorem. Et idem *Petrus* habuit in deſpectum & deriſum majores regni; de quo proverbialiter dictum eſt:

Que altre tient en deſpite
Bien ſauyz de ceo qil dit,
Car fortune fait abeſſen
Que ja ne quide a ceo venir.

Cap. XIV.

HIC primus *Edwardus* rex nobilis qui bonus *Edwardus* vocatus eſt, tot filios habuit & filias. De prima uxore *Alfonſum* primum, qui mortuus eſt puer. *Johannem*, qui mortuus eſt puer. *Johannam de Acres* Comitiſſam *Glouceſtriæ*. *Margaretam* Duciſſam *Brabantiæ*. *Iſabellam* Comitiſſam *Herfordiæ*. Et *Edwardum*, qui regnavit. De ſecunda uxore *Thomam* Comitem *Mareſchallum*, *Edmundum* Comititem *Cantiæ*.

An. Dñi 1307. Eodem anno omnes proceres regni juraverunt coram rege *Edwardo* ſecundo ad fidelitatem regni & coronæ quod ſecundum ſuum poſſe illud defenderent & cuſtodirent, & hoc ſub pœna excommunicationis per *Robertum de Winchelſe* archiepiſcopum apud *Londonias* inde lata, qui nuper de exilio revocatus eſt. Eodem anno, ſcilicet Gratiæ M.CCC.vij. anno regni regis *Edwardi* ſecundi primo littera Dominicali *A*. Luna currente per xvj. die Mercurii proxima poſt feſtum Epiphaniæ, quarto ſcilicet anno papæ *Johannis*, capti ſunt omnes fratres de *Militia Templi* per mandatum regis, per bullam papæ, & incarcerati univerſaliter in *Anglia* & *Francia* & in tota Chriſtianitate propter enormitatem profeſſionis ſuæ & alia ſuperſtitioſa quæ profana gerebant inter eos in religione, ſuper quibus convicti fuerunt in concilio *Londoniis* ſuper hoc celebrato. Et fuerunt omnia bona eorum, terræ & tenementa ſeiſita in manu regis in *Anglia*.

Ciſtrenſis l.7.c.41. Erat nempe *Edwardus* iſte vir elegans corpore, viribus præſtans, ſet moribus ſi vulgo creditur plurimum inconſtans. Nam parvipenſo procerum contubernio adhæſit ſcurris, cantoribus, tragœdis, aurigis, foſſoribus, remigibus, navigiis, & cæteris artis mechanicæ officiis, potibus indulgens, ſecreta facile prodens, aſtantes ex levi cauſa percutiens, magis alienum quam proprium conſilium ſequens; in dando prodigus, in convivando ſplendidus, ore promptus, opere varius. Adverſus hoſtes ſuos infortunatus, in domeſticos efferatus, ad unum aliquem familiarem ardenter affectus, quem ſumme coleret, ditaret, præferret, honoraret. Ex quo impetu provenit amanti opprobrium, amaſio obloquium, plebi ſcandalum, regno detrimentum. Indignos quoque & ineptos ad gradus eccleſiaſticos promovit, quod poſtmodum ſudes in eccleſiis & lancea in latere ſibi fuit. Tanta eciam in diebus ejus cariſtia tritici fuit tamque continua mortalitas armenti extitit quanta à retro ſeculis viſa vix fuerit; Tunc decimationes juges, aſſiduæ contributiones, temporalium & ſpiritualium continuæ expilationes. Et cum ex permiſſu papæ multa ſub colore *Scotos* repellendi ad fiſcum regium acceſſiſſent, per regiam tamen inſolentiam cuncta inaniter ſunt conſumpta. Unum tamen huic regi feliciter obvenit, quod *Cambria* contra eum minime rebellavit, cætera ſibi ſatis infauſta extiterunt. In ſuis nempe primordiis *Petrum* quendam de *Gaviſton* cujus conſortium *Edwardus* ille paterno juſſu abjuraverat, de tranſmarinis partibus revocavit, ejuſque contemplatione *Iſabellam* reginam neglexit, proceres ſuos parvipendit. Quam ob rem magnates indignati ipſum *Petrum* uſque in *Hiberniam* propulerunt ubi & theſauri tranſmiſſi petulanter ſunt abſumpti. Deinde ſub ſpe uberioris pacis conſequendæ *Petrus* revocatus eſt, ſet regio ut prius theſauro abſumpto, proceres inſurgunt, *Petrum* à rege diſpergunt, equos & theſauros eorum in partibus *Northumbriæ* capiunt; *Petrum* ſic fugitantem ad caſtrum de **Scarburgh** obſident, & comprehendunt. Tandemque apud **Gauereſſiche** juxta *Warewycum* decapitant & occidunt. Sed & *Petro* ſic extincto rex ut prius aliis adhæſit. Qua de cauſa Concilium provinciale per *Robertum Cantuarienſem* cogitur; in quo multa ad regis regnique informationem ſalubriter ſunt ſtatuta: ad quorum obſervationem & ipſe præſtito juramento ſubſcripſit. Benedictio quoque *Roberti Cantuarienſis* obſervantibus illa, maledictio vero refragantibus irrogatur; ſet rex ut ſemper & tunc ſuis adhærens fautoribus aſtipulata prætermiſit. Ob hoc tumultuantur mediocres, frendent majores contra regem regiſque collaterales, potiſſime ipſe metropolitanus *Robertus*. *Thomas Lancaſtriæ* Comes ipſius *Roberti* animatus hortatu cum ſibi adhærentibus per plures annos conatus eſt regiis obſiſtere ineptiis, donec noviſſimam ſuper hoc turbine efflaret auram. *Petrus de Gaviſton* per proceres *Angliæ* ſet contra regis voluntatem exulat in *Hiberniam* circa nativitatem beatæ *Mariæ*, ſet anno ſequenti revocatus eſt; cui occurrit rex apud *Ceſtriam*. Circa natale Domini *Petrus* exulatus eſt uſque *Flandriam* per proceres, ſet circa Purificationem beatæ *Mariæ* contra voluntatem eorum revocatus eſt; cum quo rex aliquando peragrans apud caſtrum de **Scardeburgh** dimiſit, quem tandem obſeſſum & captum uſque **Dadyngton** deduxerunt, & juxta *Warewycum* occiderunt.

Principales hujus factionis fuerunt *Thomas* Comes *Lancaſtriæ*, & *Guydo* Comes de *War*. Leyceſtrenſis.

Edw. II. An. Dñi 1313. Anno Gratiæ M.CCC.xiij. regni vero regis *Edwardi* ſecundi ſexto, prædictum *Petrum*, ut ſupradictum eſt, ſic captum apud **Dadyngton** juxta **Banbyry**, idem Comites duxerunt apud **Blakelowe** juxta *Warwycum* & decollaverunt in feſto ſanctorum *Gervaſii* & *Prothaſii*, & deinceps Rex & Comes *Lancaſtriæ* nunquam ſe mutuo amore habuerunt. Iſte *Petrus* tumulatus eſt apud **Langleye**, & rex fundavit ibidem unam domum de fratribus prædicatoribus, quaſi poſſeſſionatis ad orandum pro anima dicti *Petri* cunctis diebus.

Ciſtrenſis l.7.c.41. Decapitato *Petro* die ſanctorum *Gervaſii* & *Prothaſii* apud **Gaveresiche**, eodem anno die ſancti *Bricii* ſequenti natus eſt *Edwardus* primogenitus regis hujus tercius poſt conqueſtum apud *Wyndeſoram*. Obiit *Robertus de Wynchelſe* archiepiſcopus, electus eſt magiſter *Thomas de Cobham* probus clericus; quo tamen ad inſtantiam regis caſſato & ad *Wygorniam* tranſlato, ſucceſſit *Walterus Reynalde* Regis Theſaurarius. Et cito poſtmodum adivit rex *Scotiam* pompatice cum multa ſupellectili; ſet apud **Strivelyn** turpiter cum ſuis devictus eſt die natalis ſancti *Johannis*, occiſis aut captis nobilibus, amiſſis theſauris, reſiduique projectis armis ſola ſibi fuga conſuluerunt. Dehinc per continuos xij. annos regnante hoc rege partes *Angliæ* boriales per *Scotos* ſunt contritæ. *Edwardus le Brus* frater *Roberti le Brus* intravit *Hiberniam* ut eam ſibi ſubjugaret, ſet quarto poſt hoc anno die ſancti *Kalixti* occiſus eſt.

Hoc quoque anno poſt feſtum ſancti *Michaelis* miles quidam *Adam de Banaſtre* de comitatu *Lancaſtriæ* movit guerram contra dominum ſuum *Thomam* Comitem *Lancaſtriæ*, ſet circa feſtum ſancti *Martini* captus eſt & decollatus.

Leyceſtrenſis. Homines Comitis *Lancaſtriæ* ceperunt dictum *Adam Banaſtre* & dominum *Willielmum de Lee* ante adventum domini ſui, in una grangia ubi ſe abſconderant, & plures alios ceperunt, & miſerunt eos in carcerem. Principales hujus factionis ex parte Comitis fuerunt dominus *Willielmus de Holand*, dominus de *Acre*, & dominus *Philippus de Haryngton* ſcilicet anno Gratiæ M.CCC.xvj. 1316.

Leyceſtrenſis. Fuerunt capti apud bellum de **Strivelyn** de *Angliæ*, Comes *Glouceſtriæ*, Comes de *Clare*, *Robertus de Clyfforde*, dominus *Iohannes de Mountfort*, dominus *Payn de Tybtoſt*, dominus *Egidius de Aſteleye*, dominus *Nicholaus de Aſteleye*, dominus *Ricardus de Baſſet* de **Weldon**, dominus *Egidius de Argentyne*, & multi alii magni de *Angliæ*. Rex quoque *Edwardus* ſe miſit ad fugam, & ſub magna difficultate vix evaſit. Magnates regni capti ſunt in fugiendo, in *Scotiam* ducti, ſub magno precio redempti. Et eſt notandum quod retroactis temporibus non eſt auditum in aliquo *Anglicano* bello tanta bona regni & tanta victualia hoſtiliter rapta & abducta fuiſſe. *Thomas* Comes *Lancaſtriæ* non ierat cum rege in *Scociam* propter diſcordiam quæ à morte *Petri de Gaviſton* inter eos duraverat; nam idem Comes medio tempore moram traxit apud *Pontefractum* in caſtello ſuo; &, ut auribus vulgi interim innotuit, rex propoſuerat eum cepiſſe in caſtello ſuo in redeundo de *Scotia* ſi victoriam ibidem optinuiſſet; & hæc fuit cauſa quare rex noluit eum ſecum proficiſci contra inimicos ſuos.

Ceſtrenſis l.7.c.42. *Johannes* xxij. poſt *Clementem* quintum ſedit papa annis circiter xviij. qui ſeptimum librum Decretalium innovavit, literatos promovit, diſciplinam triplicis linguæ, *Hebraicæ*, *Græcæ*, & *Latinæ* apud generalia ſtudia inſtituit; at dum in primis acceptiones munerum exhorrere videretur, dampnavit primo pluralitatem beneficiorum, ita ut unico beneficio per curatum quemlibet acceptato, ipſe papa reliquorum vacantium fructus per aliquot annos optineret; inſuper & aliorum beneficiorum per mortem ſeu reſignationem vacantium, ſive per tranſlationem primos fructus reſervavit, ita ut rector inſtitutus taxationem beneficii ſui aut reſiduum taxationis acceptaret; ex qua cautela innumerabiles theſauri ad manus papæ devenerunt: bella tamen à duce *Bavariæ* qui ſe pro imperatore geſſerat ſæpe ſuſtinuit, & ſemper ſuccubuit. Hoc quoque anno magna lues animalium & hominum, maxima inundatio ymbrium æſtivalium & autumpnalium, ex qua provenit tanta bladi cariſtia, ut quarterium tritici ad xl. s. venderetur.

Leyceſtrenſis. An. Dñi 1317. Anno Gratiæ M.CCC.xvij. venit tanta cariſtia bladorum per totum regnum & duravit per biennium, ita quod quarterium frumenti in foro *Leyceſtriæ* die Sabbati vendebatur pro xliiij. s. & die Mercurii ſequenti in eodem foro quarterium frumenti vendebatur pro xiiij. s. Eodem tempore multi qui fuerant locupletes in regno & divites & multis bonis habundantes ad magnam & irrecuperabilem inopiam devenerunt mendicitati ſubjecti. Set anno præcedenti dominus *Robertus de Brus* rex *Scotiæ* miſit fratrem ſuum dominum *Edvardum de Brus*, & dominum *Philippum de Moubray*, dominum *Johannem de Sowles*, dominum *Iohannem Styward*, & plures alios magnates *Scotorum* cum poteſtate magna in *Hiberniam* ad ſubjugandum terram; qui multa mala exercuerunt in terra, ſet homines regis *Angliæ*, ſc. dominus *Emilius de Verdon*, dominus *Iohannes de Wyrmyngton*, dominus *Hugo de Tryplynton*, qui poſtea interemptus eſt apud **Notyngham**, ſe dederunt contra *Scotos* cum ſua poteſtate, & congreſſum eſt bellum apud *Dundalk*, ubi occiſus eſt antedictus *Edwardus de Brus* cum aliis prædictis nominatis magnatibus, qui adeo fuerunt ab *Anglis* obcluſi, quod de tanta multitudine *Scotorum* non evaſerat nec unus quidem.

Anno Gratiæ M. CCC. xvij. & anno Gratiæ M.CCC.xix. magna mortalitas hominum & lues animalium per totum regnum *Angliæ*, adeo quod homines remanentes non habebant unde terras ſuas colere nec ſeminare, & cotidie quam plurimi in quolibet cimiterio fodebantur; & duravit hæc peſtis per biennium, & ſic undique magna deſolatio tam ex hiis quam ex *Scotis* hoſtibus *Anglos* apprehendit. Condolens igitur papa *Anglicanæ* tribulationi & pietate motus miſit duos Cardinales in *Angliam* anno ſcilicet Gratiæ M.CCC.xviij. 1318. ad reformandam pacem inter regem *Angliæ* & cognatum ſuum *Thomam* Comitem *Lancaſtriæ*, & inter regem *Angliæ* & *Robertum Brus* regem *Scotiæ*. Venerunt igitur Cardinales cum rege & regina & cum archiepiſcopo *Cantuarienſi* cum omnibus epiſcopis provinciæ, cum comitibus & baronibus & aliis magnatibus regni apud *Leyceſtriam*, & occurrit ei *Thomas* Comes *Lancaſtriæ* die ex hac parte ei præfixo apud **Swyoches Brigge** quæ modo vocatur **Sotesbrygge** ſtipatus pulcherrima multitudine hominum, adeo quod non occurrit quempiam retroactis temporibus vidiſſe aliquem Comitem duxiſſe tam pulchram multitudinem hominum in equis ſic bene araitorum, ſcilicet xviij. mille. Cumque Rex & Comes obviarent, ſine magna difficultate oſculati ſunt, & facti ſunt cari amici quoad intuitum circumaſtantium. Et ſtatim Cardinales tenderunt iter verſus partes boriales pro pace habenda inter reges *Angliæ* & *Scotiæ* mediante Dei gratia & virtute commiſſionis ſuæ. Cumque in partes *Scotiæ* veniſſent, inſultavit eos dominus *Gilbertus de Mydelton* miles cum aliis elegantibus ſhavaldres, & eos de omnibus bonis & theſauris ſuis ſpoliaverunt. Cardinales ſic ſpoliati redierunt ad regem ſine aliqua alia expeditione, narrantes quæ geſta ſunt in via. Cum rex hæc intellexiſſet, fecit capere dictum *Gilbertum de Mydelton* & *Iohannem* fratrem ſuum, & ducti ſunt *Londonias*, tracti & ſuſpenſi ibidem.

Ciſtrenſis lib. 7. c. 42. Quidam ſcriptor nomine *Iohannes* habens murelegum ſibi familiarem, aſſeruit publice apud *Oxoniam* circa feſtum Pentecoſtes, ſe eſſe verum hæredem *Angliæ*; quam ob rem apud *Northamptonam* coram rege & proceribus de mendacio convictus, diſtractus & ſuſpenſus eſt. Quo quidem anno ij. Cardinales *Angliam* venientes excommunicaverunt *Robertum de Bruz* cum fautoribus ſuis, *Scotiamque* ſub interdicto poſuerunt.

Leyceſtrenſis. Eodem anno certi articuli locuti & concordati apud *Leyceſtriam* inter *Thomam* Comitem, & Clerum, & poſtea fuerunt ordinati & confirmati *Londoniæ* per Cardinales, archiepiſcopos *Cantuariæ* & *Dunelmiæ* & alios prælatos provinciæ *Cantuarienſis*; qui retornati ſunt ad dictum *Thomam* Comitem apud caſtellum ſuum de **Tutteberp** per epiſcopos *Norwycenſem* & *Elyenſem*.

Primo.

Que les terres, rentes & tenemens donez encontre la fourme dez ordinancez ſeiont renduz & remiſez en la mayn le roy ſanz eſtre redonez a meſmes ceaux eynz demourront en la mayne le roy a ſon profite, & al parliment ſoient regardez queux choſez eſtoient covenablement donez & queux altrement, & adonkes ſoit la choſe diſcuſſe ſolom ceo que lem verra que ſoit affaire par reſon.

La reſponſe du Conte.

Sires mout a vous plerroit que les ditez choſes furent miſes en oeure ſi come fuiſt accordes a lez perlancez a *Leyceſtre*, & ſils ſoyent redonez deſore buſeygneroit que vou ſires oue altres peres de la terre nyent ſuſpecions enpreyſtez & lez ditez choſez, terrez & tenementz &c. ſoient miſes en ſi covenable garde que lez uſez veignent pleynement a leſcheker le roy al commune profite de luy & de ſonn realme, & diſpenduz en la deffence de la terre. Iſſi qils ne fuſſent deſorenavant gaſtez ne en malveys oeps deſpenduz ſicome avant ont eſtre.

Prælati.

Pur ceo que lez prelatez entendent & veyent que per cele rendre grant bien avendra pur leſtate noſtre ſeigniour le roy & pur eſement de peple & la pes de la terre mayntenyr, ils enpernont ſil pleace a noſtre ſeigniour le roy que nule de ceux que ount tieles manerez de donn receuz e lez redounent ore come avant eſt dit, que ne averont hounte vylennye ne altre puniſhment par encheſoun de la priſe.

Comes.

Par la ſires ou vous avez enpris que ceux que ont pris del roy contra la ordinaunce, queux ne ſerront punys, ſires il nous ſemble que vous avez meſpris contre les ordinaunces e contre voſtre ſennent & noſtre, car les ordinaunces voilent que ceux ſoient punis en parlement.

Articuli ordinati ſunt iſti.

Et puis de reſchiefe pur ceo que la corounne eſt taunt abbeſſe & deſmembre par diverſez donnz, Nous ordeynoms que touz lez dounz que ſount donez al damage de roy & en deſcrecez de la coronne puis la commiſſion a nous faite, dez chaſteles, viles, terrez & tenementz, bailez, gardes & mariages, eſchetys & relefs, queux il ſoyent, auxi bene en *Gaſcoyne*, *Yrlande*, *Gales*, & *Eſcoce*, come en *Engleterre*, ſoient repelles. Et nous repelloms de tutte, ſanz eſtre redonez au meſmes ceux, ſanz commune aſſente en parlement; & ſi tiels maneres dez donnez oue relefs ſoient deſormes donez encontre la coronne avantdite ſanz aſſente del Baronage, e ceole parlement, tanque ſez dettez ſeient acquites avenalment puis ſon eſtate releve, ſoient tenuz pur nules, e le pernoure puny en le parlement par agarde de Baronage.

Dicta antedictorum Prælatorum.

A pre ceo covynt il ordeyner & faire covenable ſeurte pur le conte de *Lancaſtre* & pur lez ſoens ſur ſa venue a noſtre ſeignour le roy, ſi le pleſt face cez lettres patentes de ſuffiſance ſeurte pur le dit conte.

Comes.

Sires quant a les lettres patentes de conduſt que noſtre ſeignour le roy nous deveroit faire ſeurte ſufficiance, ſires nous entendoms de rien avoire meſfait vers noſtre ſeigniour le roy par quey nous duſſoms eſtre aſſeourez de luy; Et vous ſavez biene ſires que lez chartes commiſſions & lettres de conduſt de ſa en arere ount eſte faitez al honour le roy meſmes, & al profit de luy & de tote ſon people & commandez a tenir par my ſonn realme. Et par commiſſions grantez a ad eſte a touz lez grantz de ſa terre davoire & entreliere & tenyr lez dites choſez ordeynez & par ſa chartre confermez, al honour & comune profite du roy & de realme. Et ſur ceo ſentence done par Erſevek *Robard* touz lez prelatez, lez queus chartres lettres & commiſſions ne poent unkes lien tenir come biene ſavez; Et ſires nous avoms eſte altre foy ſur tiels ſeourte en peril pur male agaytere par lez malveys conſeillours que pres de roy ſount. Par quoy ſires nous ne poems de tiele ſeourte fier ne a luy venir tanque nule de ceux que riens ont pris du ly & de novel ſont entiere jurez contre lour ſerement qils ont feot as ordinaunces demoeront entour luy. Et ſires de approcher au noſtre dit ſeigniour avoms totedys deſires. Et vous prioms que vous ordeynez pur nous tiele ſeurte dont puiſſoms fier & preſtys ſerroms del faire.

Dicta Prælatorum.

Item que lez prelatys e lez grantz que eſtont a *Leyceſtre* auxint par lour lettres aſſeourent le dite conte e lez ſeonz ſur meſmes lez choſez.

Reſponſio Comitis.

Sires quant a la ſeurte entre vous & lez prelatz & la fermeme dez Cardinales nous aſſeouroms bien & de eux et de vous que lez Cardinales et vous ne vodrez nule male a nous. Et ſi male nous avenſit nous ſavoms bien que moult y diſpleroit a eux et a vous. Et bien ſavoms que eux ne vous nous vodrez deceivere, car ſi purront eux & vous eſtre deceux par lez males conſeileres le Roy ne lez Cardinales ne vous ne poyent a nous altre amendement faire mes priere pur nous aimez. Quant a la ſoerte dez

altres grantz quæ furent a *Leyceſtre*, il nous ſemble que nous ne poems de tut fyere, puis que aſcuns de eux que illoeques furent ount dedit lour ſerement qils fyrent a *Leyceſtre* en voz preſencez. Et ſur ceo ſont de novele jurez & entre aliez a ce que nous avoms entenduz de meinteigner ceux que ont malement conſele le roy en deſheritance de la coronne.

Dicta Prælatorum.

Auxint que totez ceux dez queux le dite cont ad ſuſpection al avyſement dez prelates facent ſeurte par lours lettres & par ſerment que eux privement front al dit conte & a ſeux que eux ne en nenançez oue allancz al roy al parlement oue aillours illeoques demoranz ne retornancz male ne damage luy ferront ne ſufferont eſtre faite ſi avant cum ils le purront deſturber a lour pouare. Et ſur ceo que meſmes ceux ſe ſummettent au ſentence deſcommengement dez dites Cardinales ſi ils ſoient troves alencontre, & que cele ſeourte ſoit afferme dez Cardinalez.

Reſponſio Comitis.

Sires quant a ceux que vous entendez que nous avoms ſuſpecion nous ne voloms nule ſeourte de eux; care nous tendroms pluis diſſeourez par choſe qe eux nous poient faire par eſcript oue ſerment ou par ſummiſſion de eux ſommettre en ſentence deſcomenge qi aſſeurez. Quant a laſſerment dez Cardinalez, avoms avant reſponduez.

Dicta Prælatorum.

Et que meſmes ceux dez queux le dit conte ad ſuſpecion aillours venuz al parlement quele houre que nous deveroms venir, nous vendroms come faire deveroms, & ſolonc ceo que noſtre eſtate demande en peſible manere ſi home ne nous ſurquerge. Et ſolom ceo que nous verroms que nous puiſſoms ſeourment venir & demorere & ſeourment deporter en ſauite de nous & de nouz gentz ſicome fuiſt parle a *Leyceſtre*. Quant al venir de ceux que vous appellez ſuſpicions, ſemble a nous qils deveront venir come gentz que devent eſte punyz a garde de peeres en parlement ſolonc le treſpas qils averont faite encontre lez ordinancez.

Dicta Prælatorum.

Ceſtez choſez faitez pur venir a bien de pees, ſerroit boſoignable que le roy & le dit conte ſe entrevyſent a certeyns leus en temps a queux le roy ſe accordera. Et que le conte a ſa venue face al roy come a ſon ſeigniour lige dewe reverence & obedience tyl come ſerra acorde par prelacz, contez, & barons que a donke y ſerront, iſſi que le roy ſe deit tenir a paye par reſon.

Reſponſio Comitis.

Sires quant a luy nous deveroms venir de parler a noſtre ſeignour le roy plerroit bien a nous, mes qil ſoit en bone lue & covenable & nent ſuſpicions, come fuiſt parle a *Leyceſtre*. Et ſires quant a dewe reverence & obeiſſance, nous ne entendoms rien avoire dez obeiſye, & preſt ſumes affaire quant faire devoms de reverence & de honour a noſtre ſeigniour le roy come ſon homme liege.

Dicta Prælatorum.

Et pur ceo il eſt contenu en le tretys a *Leyceſtre* que le dit conte avera covenable ſeourte ſour la venue au roy, ſi ſemble au diz prelatys que oue la dite ſeourte covendra que certeins perſones dez queux le dit conte ſe doute, e les queux il ſente uncore qils ſont ſez enmys mortelez, e quils ont procure male devers ſon ſeigniour lige, a ceo qil dit, abſentent un pecee tanc le roy & le conte ſoient entre venuys & entre parlez. Car lez prelatys entendent que ſauncz ceel la, a la primer entre venue le count ſe affyereit de nule aultre ſeourte. Et auxſint entendent que par cele ſeourte a la requeſt de roy, dez cardinales, & de ditz prelatys le cont ſerra menable a reſceivere a ſa amiſte & a ſe bien voilance ceux qil tinennt uncore ſez amiſours & ſez enmis. Iſſint ceux que ſerront trovez coupablez devers luy facent covenable amendez par reſone; & a ceo faire lez prelatys promittent en bone foy qils mettront tote laide & le conſaile qils purront. Et auxint grantent lez prelates que ſi nule dune parte oue altre refuſe pees covenable eux teiſmoigneront la deſreſon & la defalte oue ils la troveront, & ferront outre ceo que faire purront & deverront par reaſon.

Reſponſio Comitis.

Sires quant a labſenment dez ſuſpecions entour le roy une pecee pur la ſeourte de nous, nous ne ſumes en volunte que nule ſoit remue forſque lez malez conſeillours. E lour abſence une pecee ſerroit encontre lez ordinancez ſi eux ne fuiſſent remuecez de tut que mes ne ſoient pres du roy; & vous ne nous tendroms de riens aſſeourez du cele abſence pur la malveys agaite qils purront faire come ils ont faite avant cez eoures.

Les poyntez dez ordinancez ſont tiels.

Et pur ceo que le roy ad eſte male gie & conſelle par malez conſellours come deſuz eſt dite, Nous ordeignoms que touz lez malez conſeillours ſoient ouſtez & remuez de tut, iſſint que eaux ne altrés tiels ne ſoient mes prees du roy ne en ſon office retenuz, & que altres covenablez ſoient mis en lour lieu. E en meſme la manere ſoit fait dez gentz de office que ne ſont pas covenables.

Reſponſio Comitis.

Sires quant à ceo que vous entendez par la ſuchrette dez ſuſpecions, que nous a la requeſte noſtre ſeigniour le roy, & dez cardinales, & dez prelates receiveroms a noſtre amiſte & bone voilaunce eux uncore tenoms noz enmys, ſires il nous ſemble que nous ne purroms a eux accordere & noſtre ſeourment ſaver avant que lez choſez qils ont myſpris contre le ſtate le roy al damage de luy & de ſon people ſoient areſtez par agarde dez pieres en parlement, ſi come il eſt contenue en lez ordinauncez. Endroit ſirez de ceo que vous grantez que ſi nule dun parte ou de altre refuſe pees covenable & reſonable, que vous teiſmoignerez la diſreſon & defalte oue vous lez troverez, & freez outre ceo que faire purrez & deverez par reſone: ſires moult nous pleace, kare tote noſtre entente ad eſte & eſt que lez choſez que ont eſte myſpris en prejudice de roy & ſeynt eſglyſe ou emblemyſhment de la coronne le roy & a damage de ſon people fuiſſent adreſſez pur bien de pees avoire & meyntenere.

Cumque antedicti epiſcopi ſub tali ordine nuncium ſuum ordinati fuiſſent, Comeſque ad ſingula, ut prædictum eſt, reſponſum dediſſet, tandem placuit Comiti occurrere regi obviam apud Sotyſbrig ad ſibi mutuo colloquendum; & ſic fecerunt, ut ſupradictum eſt. Hiis ita habitis tractatibus & conditionibus conceſſis, eo minus noluit rex carere ſocietate *Diſpenſatorum*, ſcilicet *Hugonis* patris & *Hugonis* filii, qui dicebantur maligni conſiliarii ſeductoreſque

Edw. II. ductoriſque regis; ſet eo amplius eos fovebat contra voluntatem procerum regni, & cariores habere curavit, qui regi ſuggeſſerunt procurando malum contra plures magnates regni in quantum potuerunt. 1321. Quam ob rem anno gratiæ M. CCC. xxj. Barones regni levaverunt ſe contra *Diſpenſatores* patrem & filium Camerarium regis, ſcilicet *Umfridus de Boun* Comes *Herfordiæ*, dominus *Rogerus de Mortuo mari* avunculus, dominus *Rogerus de Clyfford*, dominus *Johannes de Mowbraye*, dominus *Johannes de Gyffard le Rych*, dominus *Henricus de Wylington*, dominus *Johannes de Wylinger*, dominus *Henricus de Monte forti*, dominus *Bartholomeus de Badelyſmere*, dominus *Henricus Teyes*, dominus *Rogerus Dammory*, dominus *Hugo Daudeleye*, dominus *Warinus de Lyle* & plures alii cum omni ſuo poſſe & ſuis adhærentibus, Qui omnes ſe dederunt ad conſilium Comitis *Lancaſtriæ*, & circa feſtum ſancti *Michaelis* petrexerunt *Londonias* cum grandi exercitu & exlegabant *Diſpenſatores* patrem & filium extra regnum, præter & contra voluntatem regis apud *Weſtmonaſterium*. Comes *Lancaſtriæ*. *Thomas* ſe tenuit in pace medio tempore apud caſtrum ſuum de *Pontefracto*. Igitur exulantes *Diſpenſatores* vagabant ſuper mare capientes & deprædantes quicquid eventus eis conferre valuit. Inter cætera rapuerunt duas magnas naves quas *Dromundes* vocamus, bene onuſtas omni fertilitate mercimoniorum ad valorem xl. mille marcarum, & homines etiam captos miſerunt in *Angliam* ad carcerem per conſilium regis, ſtatimque rex cœpit colligere exercitum, mandans ubique omnes ſuos ſibi adeſſe ſub pœna vitæ & membrorum amiſſione. Et venit rex cum exercitu ſuo apud **Burton** *ſuper Trentam* contra Comitem *Lancaſtriæ* & Barones qui venerant apud **Tuttebery** cum grandi fortitudine. Eodem tempore reddiderunt ſe regi antedicti de *Mortuo mari*, & ex præcepto regis miſſi ſunt apud turrim *Londonienſem* in cuſtodiam. Et infra triduum quo rex venerat apud **Burton** movebat exercitum ſuum ultra aquam verſus **Tuttebery**.

Ciſtrenſis l. 7. c. 42. Quia rex *Edwardus* contra commune votum magnatum duos foverat *Diſpenſatores Hugonem* patrem & *Hugonem* filium, *Thomas* Comes *Lancaſtriæ* & alii multi regios viros adeo attenuarunt ut ejus aſſenſu ſaltem umbratili adjecto prædictos *Diſpenſatores* exlegarent, propter quod caſtra eorum in *Wallia* protriverunt, animalia abduxerunt, theſauros recollegerunt, & in yeme *Glovernium* occupaverunt, ſet cito poſt rex ipſe cæteris inconſultis utrumque *Hugonem* revocavit. Exinde ſuccreſcunt indies odia & ſciſmata. Inter hæc duo magnates de *mortuo Mari* priuſquam Comes *Lancaſtriæ* parari poſſet, præpropere agentes, urbes aliquas in Marchia capiunt, regiſque milites profligant donec rex ipſe cum inſperata multitudine peditum per viam circulatam *Salopiæ* veniret, ubi ob defectum pecuniæ ac Comitis *Lancaſtriæ* nimia retardatione militibus defluentibus illi duo *de mortuo Mari* ad deditionem ſunt coacti. Quibus apud *Londonias* incarceratis rex ad *Glovernium* rediens revocavit utrumque *Diſpenſatorem*, inde divertit apud **Lychefelde** circa feſtum ſancti *Ceddæ* ut præoccuparet Comites *Lancaſtriæ* & cum eorum complicibus apud **Tuttebery** & *Burtonam* exiſtentes ſet rege aquam *Trentæ* per vadum tranſeunte fugit Comes *Lancaſtriæ* cum ſuis à villa *Burtona* uſque ad urbem de **Borowbrigge** ubi occurrens ex parte regis *Andreas de Harkeleye* occidit Comitem *Herfordiæ* in ipſo ponte xvij. kalendarum Aprilis, Comitem *Lancaſtriæ* cepit cum multis aliis nobilibus, qui pro majori parte in diverſis locis ſunt ſuſpenſi, ſet & ipſe Comes apud proprium caſtrum de *Pontefracto* xj. kalendarum Aprilis decapitatus eſt. De cujus viri meritis an inter ſanctos ſit annumerandus crebra in vulgo diſceptatio eſt, aliis quidem aſſeverantibus quod ſic, eo quod elemoſinis indulſit, quod religioſos honoraverit, quod pro juſta querela ut videbatur uſque ad mortem certaverit, quod etiam ejus inſectatores parvo poſt tempore duraverunt, immo dira morte perierunt: Aliis vero in contrarium ſentientibus, hominem videlicet conjugatum neglecta uxore ſua generoſa innumeras mulierculas polluere, Offendentes vel leviter in eum morti mandare, Ordinum fugitivos legiſque tranſgreſſores ne lege plecterentur pertinaciter fovere, Cuncta denique agenda ſua ad nutum unius ſecretarii ſui paſſim committere, Tempus quoque certandi uſque ad mortem pro juſtitia defenſanda inermiter fugere non debere ſanctum cenſeri, præſertim cum invitus comprehenſus paſſus fuerit: ſet oblationum donaria & miraculorum ſimulacra quæ in loco ſuæ decapitationis in præſentiarum celebrantur qualem in poſterum habebunt exitum ſecula videbunt poſt futura. Ab hoc igitur tempore uſque in ſextum poſtea annum cœpit *Diſpenſatorum* fortuna invaleſcere & reginæ conditio ancillari, quouſq; rex *Franciæ* pro homagio *Vaſconiæ* non exhibito regem *Angliæ* plurimum moleſtaret. Circa aſcenſionem Domini rex tenuit Parliamentum apud *Eboracum* ubi erexit *Hugonem Diſpenſatorem* ſeniorem in Comitem *Wyntonienſem*, *Andream de Harkeleye* in Comitem *Carliolenſem*.

Leyceſtrenſis. Comes *Lancaſtriæ* cum Baronibus egreſſus eſt de caſtello in campum, credens ſe ſublevari de poteſtate hominum per dominum *Robertum de Holande* et alios qui ſibi auxilium promiſerant, prout antea inter eos promiſſum fuerat; Nam *Robertus de Holande* promiſerat ſe venturum cum forti expeditione virorum fortium, ſet decepit eos. Cumque Comes percepiſſet ſe eſſe deceptum, divertit vultum in partes boriales, & rex ſemper ſequebatur à dorſo, pede poſt pedem. Inter cæteros regis viros erat quidam *Robertus Tyrannus* qui ferocius cæteris inſequebatur Comitem, ſet poſtea turpem mortem quam in iſto viagio meruerat per *Diſpenſatores* incurrit, Nam et cæteri quilibet Comitis perſecutores violentam mortem nacti ſunt. *Robertus de Holande* cum audiſſet fugiſſe Comitem, reddidit ſe regi apud *Derbeyam*, miſſuſque eſt in cuſtodiam ad caſtrum de **Dover**, quem omnes habebant exoſum pro eo quod deceperat ſic dominum ſuum qui eum nimis dilexerat, et quaſi de nichilo in magnum virum erexerat. Petrexerunt igitur Comites *Lancaſtriæ* & *Herfordiæ* cum Baronibus et aliis apud **Borowbrigge**, ubi occurrit eis dominus *Andreas de Harkeleye*, et pugnare cœperunt fortiter ad pontem. Et cum Comes *Herfordiæ* ſtaret pugnans ſuper pontem, quidam petrexit ſub ponte et lancea Comitem *Herfordiæ* percuſſit, ſtatimque ibidem occubuit ut ſupradictum xvij. kalendarum Aprilis. Ibique interfecti ſunt duo ſtrenui milites, dominus *Rogerus de Berfelde* et dominus *Willielmus de Sutheleye*, et plures alii, ſimiliterque multi alii graviter vulnerati. Comes *Lancaſtriæ* redilt cum Edw. II.

ſuis

Edw. II. ſuis in villam de **Borowebrigge** ſub treuga uſque in craſtinum. In craſtino vero captus eſt et miſſus cum ſuis per dictum *Andream de Harle* apud *Eboracum* ad regem. In cujus adventu gaviſi ſunt nimis *Diſpenſatores*, Et eſt notandum quod cum dictus *Andreas* comprehendiſſet Comitem *Lancaſtriæ*, dictus Comes prædixit ei turpiſſimam et vilem mortem infra annum ſequentem ſibi eventuram; ſicque evenit, prout infra patebit. Cumque veniſſent apud *Eboracum*, ſtatim Juſticiarii aſſignati ſunt qui ſederent ſuper eos, et hoc multum per excitationem *Diſpenſatorum*. Sicque adjudicati ſunt omnes primo trahi et ſic ſuſpendi, excepto Comite *Lancaſtriæ* qui ob reverentiam regii ſanguinis decollatus eſt apud *Pontefractum* ubi rex interfuit eodem tempore, ſcilicet in craſtino ſancti *Benedicti*, An. Dñi 1321. videlicet xj. kalendarum Aprilis anno Domini M. CCC. xxj. ſepultuſque eſt in Prioratu ejuſdem villæ. Decollatus eſt in quadam planicie extra villam, ubi nunc in Dei honore & dicti Comitis memoria fabricata eſt eccleſia mira ſtructura apud *Eboracum*. Ante mortem Comitis tracti ſunt & ſuſpenſi videlicet dominus *Johannes Monbray*, dominus *Rogerus de Clifforde*, dominus *Goſellinus Deyvile*; Et pro majori tormento nobilis Comitis fecerunt trahere & ſuſpendere ſex nobiliores & ſecretiores milites, ſcilicet dominum *Warinum de Yle*, dominum *Willielmum Tochet*, dominum *Thomam Manduth*, dominum *Willielmum* filium *Willielmi*, dominum *Willielmum Charnell*, dominum *Henricum Wradburne* & unum valettum Comitis qui omnes penderunt longo tempore ſuper furcas pro majori opprobrio. Hii apud *Pontefractum* & alii apud *Eboracum*, nec ſinebat eos rex & *Diſpenſatores* evelli aut ſepeliri uſque in longo tempore poſtea.

OCcumbente igitur Comite, ut ſuperius dictum eſt, pro juſtitia eccleſiæ & regni, prout vulgaris communitas mente concepit, occurrunt undique populi turbæ cum muneribus oblationum ad exhibendum honorem & obſequium corpori Comitis pro modulo ſuo, non ceſſantes donec rex per excitationem *Diſpenſatorum* miſit viros armatos qui eis introitum prohiberent in eccleſiam, Et præcepit ſub pœna carceris ne quis intraret in eccleſiam ad exhibendum corpori honorem vel obſequium; Cumque vidiſſent populi ſe taliter regali potentia ab ingreſſu eccleſiæ præpeditos, diverterunt præcordia devotionis ſuæ ad locum ubi Comes occubuit, & eo frequentius accurrebant, quo & acrius regis rigor erga peregrinos efferbuit, donec eliminata omni ſpurcitia campeſtri facta eſt ibidem eccleſia capellanis Deo ſervientibus non mediocriter dotata, Deinde infra breve cæteri magnates tracti ſunt & ſuſpenſi ſingillatim unuſquiſque in propria patria ſub teſtimonio regis & *Diſpenſatorum* qui terminus vocatur *Le Roy Recorde*; ſcilicet dominus *Bartholomeus de Baddiſmere*, & dominus *Bartholomeus de Aychebeurnham* apud *Cantuariam*, dominus *Franciſcus de Aldham* apud *Wyndeſoram*, dominus *Iohannes Gyffard* & dominus *Rogerus de Elmeſbrigge* apud *Gloverniam*, dominus *Henricus de Wylinton Emond* & dominus *Henricus de Montford* apud *Briſtolliam*, dominus *Thomas Colpeir* apud *Wynchilſe*, dominus *Henricus Tyeys* apud *Londonias*, dominus *Rogerus Dammery* mortuus eſt pulcre in lecto ſuo apud **Tuttebyry** in caſtello, dominus *Hugo Dandeleye* ad rogatum & inſtantiam uxoris ſuæ ſollicite proſequentis habuit gratiam à rege & vitam conceſſam, fuit tamen in carcere apud **Notyngham** in caſtello uſque ad reditum reginæ de tranſmarinis. Poſt hæc factus eſt dominus *Andreas de Harle* Comes *Carlellenſis* pro iſto negotio ſic proſecuto, factuſque eſt Gardianus borialis marchiæ contra *Scotos*. Notandum quod iſti fuerunt conſentientes neci Comitis, qui omnes poſtea morte turpi perierunt. Primo ipſe rex, duo fratres ejus, ſcilicet *Thomas* Comes Mareſcallus & *Edmundus* Comes *Cantiæ*; iſti promoti & erecti per excitationem & inſtantiam dicti Comitis *Lancaſtriæ*: Comes *Warenna*, Comes *Arundell*, dominus *Hugo Diſpenſator* pater & dominus *Hugo* filius, Comes *Rychemundiæ*, Comes de *Penbroke*, dominus *Omerus de Valencia*, ſed inter eos non extitit quiſquam qui fine laudabili vitam finivit, neque quiſquam eis adhærentium, ut infra patebit in ſuo proceſſu.

Eodem anno circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula rex adivit *Scociam*, & quamvis non haberet obſiſtentiam, multos de ſuis fame & morbo amiſit. *Ciſtrenſis l.7.c.42.* Ipſum tandem regem circa nativitatem beatæ *Mariæ* remeantem *Scoti* à tergo inſequentes ceperunt caſtrum de *Norram*, et poſtmodum circa feſtum ſancti *Lucæ* prandentem regem apud monaſterium de *Bella landa* ſuper **Blakhamore** pene comprehendiſſent niſi fuga ſibi conſuluiſſet, verumtamen regiis theſauris amiſſis Comitem *Richemundiæ* ceperunt.

Anno gratiæ M. CCC. xxij. circa tranſlationem ſancti *Thomæ* intraverunt *Scoti* in *Angliam* per medium *Forneſiæ*, & comitatum *Lancaſtriæ* devaſtaverunt undique abſque aliquo dampno ſuorum, colligentes immenſam prædam auri & argenti, animalium, ornamentorum, eccleſiaſticorum lectualium, menſalium, abducentes onuſtas carectas de omnibus bonis patriæ ad ſuum placitum. *Leyceſtrenſis.* An. Dñi 1322. Audiens rex *Edwardus Scotorum* adventum & mala quæ fecerant feſtinavit cum grandi exercitu occurrere eis circa feſtum decollationis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, & *Scoti* ſe retraxerunt cum innumerabili præda, & adeo patriam ſunt deprædati quod *Anglici* venientes nil alimenti repererunt, propterea perierunt; & cum rex *Edwardus* cum exercitu ſuo appropinquaſſet ad abbathiam de **Menrose** nil mali ſuſpicans de *Scotis* ſic retractis, *Scoti* ſubito irruerunt ſecrete ſuper eos venientes de montanis, & occiderunt de *Anglicis* trecentos viros & plures; & abierunt antequam exercitus appropriaret, & cum rex vidiſſet quod *Scoti* nollent publicum bellum committere, per conſilium *Diſpenſatorum* fecit redire exercitum ſuum in *Angliam* & hoc ſine aliqua expeditione, & ſic, ut ſupradictum eſt, moriebantur ſparſim in campis, vicis & villis in autumno circiter xvj. millia, in magnum dedecus regis graveque detrimentum regni. Circa natale Domini rumor cœpit ſuccreſcere ubique in regno de Domino *Andrea de Harkeleye* qualiter ſeditioſe foverat *Scotos* contra regem ſuum *Edwardum*, & qualiter *Scotos* aderat & reduxerat in *Angliam* proditorie contra fidelitatem ſuam, & qualiter nobilis & ſanctus Comes *Lancaſtriæ Thomas* quando dictus *Andreas* cepit eum, prædixit ei quod infra annum ſequentem vili morte plecteretur, & ſic evenit; Nam dictus *Andreas* per mandatum regis captus eſt apud

caſtel-

Edw. II. caſtellum ſuum **Carlyell** quod habuit ex dono regis, & per proceres boriales ablatum eſt ab eo primo cingulum militare, capta ob eo lancea, abciſique ſunt tali ejus cum calcaribus.

Ciſtrenſis lib.7.c.42. Eodem anno in craſtino ſancti *Ceadde*, *Andreas de Harkeleja* tanquam proditor apud **Karlell** captus eſt, diſtractus, ſuſpenſus & decapitatus, viſceribus combuſtis demembratus eſt, & caput ejus ſuper pontem *Londonienſem* poſitum eſt. Ad vincula ſancti *Petri*, *Rogerus de Mortuo mari* junior nuper incarceratus evaſit de turri *Londonienſi* cuſtodibus ſuis per potionem ſomniferam ſoporatis.

Leyceſtrenſis. An. Dñi 1323. Anno gratiæ M.CCC.xxiij. Dominus *Rogerus de Mortuo mari* evaſit de turri *Londonienſi* per auxilium cujuſdam *Girardi de Alſpaye* qui ſub domino *Stephano de Segrave* cuſtodiam ejus habuit ut ſupra, & fugit in *Franciam*, ibique moram traxit cum multis aliis qui fugerant à facie regis *Edwardi* præ timore regis & *Diſpenſatorum* qui eſuriebant alienis terris & poſſeſſionibus ſaturari.

Ciſtrenſis lib.7.c.42. Circa medium quadrageſimæ regina *Angliæ* miſſa eſt ad fratrem ſuum regem *Franciæ*, qui magna ex parte *Vaſconiam* invaſerat ad pacem procurandam. Circa nativitatem beatæ *Mariæ* rex miſit in *Franciam* filium ſuum *Edwardum* ut homagium faceret regi *Franciæ* pro Ducatu *Acquitaniæ* ſibi dato, Quem fecit rex *Franciæ* morari cum matre ſua in Comitatu *Pontivo*. Set matre & filio in tranſmarinis ſic demorantibus nec redire volentibus, aut certe propter metum *Diſpenſatorum* remeare non audentibus, rex *Angliæ* de conſilio duorum *Diſpenſatorum* exlegavit & bannivit publice in foro *London.* uxorem ſuam & filium, tanquam regni proditores.

Leyceſtrenſis. 1324. Anno ſequenti orta eſt diſcordia inter regem *Franciæ* & *Angliæ* eo quod rex *Angliæ* noluit facere homagium regi *Franciæ* pro terris ſuis in *Vaſconia*, unde rex *Franciæ* miſit fortitudinem magnam in *Vaſconiam* ſeiſire terram in manum ſuam, & rex *Angliæ* anno gratiæ M. CCC. xxiiij. miſit ibidem pro defenſione terræ plures nobiles regni, ſcilicet Comitem *Kanciæ* fratrem ſuum, Comitem de *Aſſeles*, dominum *Radulfum Baſſet de Drayton*, dominum *Ricardum Greye de Codonoure*, dominum *Nicholaum* fratrem ejus, dominum *Iohannem de ſancto Iohanne*, dominum *Johannem de Segrave*, dominum *Stephanum* filium ejuſdem, & dominum *Iohannem* fratrem ejus. Conceperat namque rex indignationem contra *le Segraves* pro evaſione domini *Rogeri le Mortimar* qui evaſerat de turri *Londonienſi*, & ideo miſit eos pro eorum interitu & plures alios de regno, qui ſpiſſe moriebantur ibidem, & pauci qui remanſerant poſt diutinam infirmitatem cum magna difficultate vix ſanitatem adquirebant. *Franci* inſultum fecerunt contra *Anglicos*, & ipſi viriliter reſtiterunt & potenter ſeipſos defendebant, tandem capta treuga inter reges, rex *Angliæ* miſit uxorem ſuam *Iſabellam*, & filium ſuum *Edwardum de Wyndeſoure* ad regem *Franciæ* fratrem *Iſabellæ* reginæ pro pace reformanda, 1325. ſcilicet anno gratiæ M. CCC. xxv. *Edwardus* filius fecit homagium regi *Franciæ* avunculo ſuo pro Ducatu *Vaſconiæ*, dederat enim ei pater ſuus prædictum Ducatum, & ſic pax reformata eſt. Regina *Iſabella* dum moram traxit in *Francia* attraxit ſibi contubernium domini *Rogeri le Mortymer* & aliorum *Anglicorum* exulum qui per inſtigationem *Diſpenſatorum* exulabant ob cupidinem terrarum ſuarum, Edw. II. & cum audiſſent *Diſpenſatores* reginam & filium ejus *Edwardum* cum aliis exulantibus ſic fore conjunctos, ſuggeſſerunt regi ſecludere eis ingreſſum regni, ut ſupradictum eſt, & miſit ad Papam pro una bulla ad excommunicandum ſi quis attemptaret ingredi regnum *Angliæ* niſi prius adepta licentia regis & ejus voluntate. Quæ ſententia promulgata erat *Londoniis* in eccleſia ſancti *Pauli* per epiſcopum *Exceſtriæ* & alios de conſilio regis. Cum igitur intellexiſſet malitiam prævalidam *Diſpenſatorum* & regem fore ſic deceptum per malivolum conſilium eorum & aliorum confinatorum perverſorum, & magnates regni ſic per eos morti adductos, ut ſuperius patet, & ſuper hoc vigilabant ipſam reginam & filium ſuum hæredem ſcilicet regni excludere penitus à regno, ita quod nunquam ingrederentur *Angliæ* terram, nec ſtatum ſuum adipiſcerentur, ſtatim cum conſilio coexulum cœpit regina diſponere pro ſuo regreſſu, collegit gentes, arma & cuncta neceſſaria itineris paravit, navalem claſſem aſcivit, in portu de **Ypeſwiche** applicuit An. Dñi 1326. x. kalendarum Octobris anno gratiæ M. CCC. xxvj. ſcilicet *Iſabella* regina, *Edwardus de Windeſowre* filius ſuus qui ibidem contractum fecerat ducere filiam Comitis *Hunaldorum* in uxorem, nomine *Philippam*, pro majori fortificatione ſuæ partis, dominus *Edmundus* Comes *Canciæ*, dominus *Rogerus de mortuo mari*, dominus *Thomas Roſſelyne*, dominus *Williehmus Truſſell*, dominus *Johannes de Crombewell*, dominus *Johannes de Ros*, dominus *Simond de Berforde*, dominus *Johannes de Henand*, Comes de *Tylons* & multi alii. Et ſtatim cum regina applicuiſſet in terram *Angliæ* cum filio & aliis, omnes fere majores regni occurrerunt eis læti in auxilium propter odium quod gerebant erga perverſos conſiliatores regis; & rex audito adventu reginæ fugit *Londonias* cum ſua poteſtate; ſet qui ad regis auxilium acceſſerunt in die, retraxerunt ſe ab eo in ſequenti nocte. Regina procedit *Londonias*, rex dirigit iter verſus *Briſtolliam*, regina cum magno exercitu ſequitur; rex fugiens tandem aquam aſcendit cum *Hugone Spenſar* filio & magiſtro *Roberto de Baldoc* Cancellario & duobus aliis militibus, ſet ventus contrarius ſicut Deo placuit iter eis ſubripuit ne abirent viam verſus *Walliam* ad caſtellū de *Noeth*, vagantes hic illucq; quaſi gentes convictæ & fugitivæ atque confuſæ. Cumque veniſſet regina apud *Briſtolliam* cepit cum hiis qui inibi erant, ſcilicet dominum *Hugonem Diſpenſatorem* Comitem *Wynceſtriæ* patrem, quem fecerunt diſtrahi, ſuſpendi & decollari viij. kalendarum Novembris: & notandum quod eodem anno ſcilicet iiij. kalendarū Febr. occiſus eſt dominus *Rogerus Beler* in comitatu *Leyceſtriæ*. Iſte *Rogerus* fundavit Cantariam ſecularium ſacerdotum apud **Kyrkeby Beller** in comitatu *Leyceſtriæ*, quam poſt multos annos uxor ejuſdem *Rogeri* cum conſenſu *Rogeri* filii eorum tranſtulit in uſus Canonicorum regularium, inſtituens ibidem primum Priorem loci de abbathia de *Olleſton*. Hic *Rogerus* occiſus eſt à quodam *Euſtachio de Folvyle* & fratribus ſuis quibus prius minas ingeſſerat & injurias; & interfectus eſt à tribus fratribus habens ſecum in familia 50. & plures in quadam valle juxta **Reresby**. Hic oppreſſor fuerat religioſorum & aliorum vicinorum pro cupidine eccleſiarum & aliarum poſſeſſionum quas cupierat ad dotationem Cantariæ ſuæ. Eodem anno ſcilicet

Edw. II. An. Dñi 1326. cet M.CCC.xxvj. die ſancti *Barnaba* videlicet iv. idus Junii, combuſta eſt abbathia de **Croxton** ſequenti modo. Quidam plumbarius detulit ignem in vaſe ſuper eccleſiam pro reparatione defectuum ejuſdem eccleſiæ, & caſu accidit negligentia comitante quod igne pauliſper ibidem dimiſſo & aura flante attigit quandam celluram & excrevit in flammam & combuſſit eccleſiam cum clauſtro & omnibus domibus annexis, nec erat qui in tanta neceſſitate ſuccurrere poſſet. Et unus de Canonicis ejuſdem domus combuſtus fuit in dormitorio eadem hora.

Ciſtrenſis l.7.c.43. Hoc anno regina *Anglia* cum primogenito ſuo *Edwardo* ac *Rogero de Mortuo mari* nuper elapſo necnon & cum parva manu *Hunaldorum* circa feſtum ſancti *Michaelis* apud **Eſſex** in *Angliam* applicuit, & verſus *Londonias* ubi rex tunc erat, tetendit. Et quod mirandum fuit, terra undique tranquilla ſine ſanguine & ſtrepitu regem à *Londoniis* mature fugitantem uſque in **Weſtwale** pedetentim inſequitur. Interim in craſtino ſancti *Calixti* decollatus eſt Epiſcopus *Oxonia* Theſaurarius Regis de conſilio civium *Londonenſium* extra boriale hoſtium eccleſiæ S. *Pauli*. Et die ſequenti capta eſt turris *Londonienſis* per cives ad opus reginæ & filii ſui. Et cito poſt in vigilia Apoſtolorum *Simonis* & *Iuda* captum eſt caſtrum *Briſtollia* per reginam & ſuos; ubi *Hugo Diſpenſator* ſenior diſtractus & ſuſpenſus eſt & caput ejus *Wyntoniam* tranſmiſſum eſt. Eodem anno die ſancti *Hugonis* Comes de *Arundele* apud partes *Salopia* captus eſt, ſet apud **Herford** decollatus. Eadem ebdomada rex *Anglia* captus eſt apud caſtrum de **Neeth** in *Weſtwallia*, ſet apud caſtrum de **Kenylworth** cuſtodiendus demandatur. Junior autem *Hugo Diſpenſator* qui cum rege captus fuerat, diſtractus, ſuſpenſus ac decollatus eſt apud **Herforth**, corpore quadripartito, ſet caput ejus ad pontem *Londonienſem* tranſmiſſum eſt.

Leyceſtrenſis. Tercio idus Octobris *Londonienſes* ſurrexerunt cum regina & filio ejus contra regem, abierunt ad eccleſiam ſancti *Pauli* & extrahentes epiſcopum *Oxonia* eo quod fulminaverat ſententiam excommunicationis ſuper quemcumque intrantem regnum contra voluntatem regis, & hoc in præjudicium reginæ & filii ejus & ſuorum, ac eciam pro mala voluntate quam gerebant erga regem pro malis conſiliis ſuis. Duxeruntque epiſcopum in **Schepe** & deſpectuoſe decollaverunt, ibique ſpoliatum veluti latronem aut homicidam in vico diviſerunt. Tres quoque viros de ſuis interfecerunt. Deinde idibus Octobris cives *Londonienſes* ceperunt Turrim *Londonienſem* ad uſum reginæ & filii, & quos ibi invenerant duxerunt ad palacium epiſcopi *Londonienſis*, videlicet dominum *Iohannem de Eltham* filium regis *Anglia* & uxorem *Hugonis Diſpenſatoris*, quæ ut regina habebatur in regno dum regina in remotis agebat. Et hæc linguam ſuam nimis ad ſiniſtra contra reginam & alios relaxaverat; & duos filios *Rogeri de mortuo mari*, dominum *Rogerum de Clyfforde*, dominum *Thomam de Byrleye*, dominum *Bartholomæum de Burwais*: & fecerunt dominum *Iohannem de Eltam* gardianum civitatis *Londonienſis* quod quotquot invenire poterant de hiis qui de conſilio & aſſenſu fuerant ad denunciandum ſententiam contra reginam & filium & alios coexules, ut ſupradictum eſt, morte plecterentur ſi qui inventi eſſent in *Londoniis* ea hora, ſcilicet archiepiſcopus *Cantuarienſis*, epiſcopus *Londonienſis* & plures alii, ſet non ſunt inventi. Eodem anno quinto non. Octobris venit dominus *Iohannes de Vaws* miles cum theſauris domini *Hugonis de Spenſer* Comitis *Wynceſtria* cum armis precioſis & indumentis nobilibus, magnis equis, dextrariis, curſariis & aliis equis de melioribus regni & aliis innumeris diviciis ad Abbathiam *Leyceſtria* verſus dictum Comitem dominum ſuum, qui propoſuerat auxilium præbuiſſe regi contra reginam & filium ejus; & homines *Henrici* Comitis *Lancaſtria* qui tunc fortuitu apud *Leyceſtriam* convenerant cum magna potentia venerunt noctanter apud Abbathiam & obſederunt illam. Cum dominus *Iohannes de Vaws* vidiſſet ſe non poſſe proſequi negotium domini ſui de prædictis bonis, abiit ad Comitem *Lancaſtria* mane apud Caſtrum *Leyceſtria* degentem: Abeunte illo, iſti intraverunt in Abbathiam & ſibi rapuerunt de bonis quis quicquid tollere poſſet, ſortem non mittentes, ſcilicet aurum, argentum, vaſa precioſa, lectualia, menſualia, ornamenta & quæcumque delectabilia equos & arma, cunctaque abduxerunt ad caſtrum *Leyceſtria* ad Comitem *Lancaſtria*. Infra triduum feſtinavit Comes cum omni potentia quam potuit congregare occurrere obviam Reginæ apud *Dunſtapulam*. Eo tempore omnes de regno læti facti ſunt de adventu reginæ & filii ſui, & gratiabantur Deo de ejus gratioſa expeditione ut falſi conſiliares regis enervarentur, & cæteri per eos doloroſi & anguſtiati & exhæredati redderentur ad ſuam juſtitiam & hæreditatem. Eodem anno captus eſt rex *Edwardus* xviij. kalendarum *Decembris*, ut ſupradictum eſt, anno gratiæ M.CCC.xxvj. & cum eo *Hugo Diſpenſator* junior, & magiſter *Robertus de Baldoc* Cancellarius ſuus. Rex traditus eſt in cuſtodiam *Henrici* Comitis *Lancaſtria*. Cito poſt captus eſt dominus *Edmundus* Comes de **Arundell** per dominum *Johannem de Charleton* in **Schropſhyre**, & ductus eſt apud **Herford** ubi Regina cum magnatibus regni convenerat. Et quia dederat filium ſuum hæredem filiæ *Hugonis Diſpenſatoris* & ſecretus in conſilio & malum procuraverat Reginæ ut dicebatur in ſua abſentia, & eciam procuraverat mortem nobilis Comitis *Lancaſtria Thoma*, cum domino *Omero de Valenciis* Comite de **Penbrok** qui ſubito moriebatur in tranſmarinis agens. Et ſic dictus *Edmundus* morti adductus eſt, diſtractus & ſuſpenſus xv. kalendarum *Decembris* cum armigero ſuo nomine *Johanne Danyell* qui ipſum conſilio ſuo in multis ſeduxerat. Statimque tractatum eſt apud *Herefordiam* de morte *Hugonis Spenſer*, & quomodo extingui poſſet tota ejus poſteritas, ne ad aliquem honorem, gradum vel ſtatum quis eorum deveniret in regno *Anglia* pro perpetuo. Et idem *Hugo* & magiſter *Robertus Baldoc* & Prior de *Herfordia* ducti ſunt apud *Herfordiam*. Et cum prope villam appropinquarent occurrit tanta multitudo populorum undique quod omnes mirabantur de viſu, & omnes qui poterant cornu ſufflare vel vocem hutesii emittere ſeu aliquam deſpectionem inferre, pro ſuo modulo cum convitiis & contumeliis intulerunt *Hugoni*, adeo quod retroactis temporibus tam horridus ſonus de quocumque ſublimi homine non eſt auditus. Et primo veſtierunt eum uno veſtimento cum armis ſuis reverſatis miſſa corona de urticis in capite ejus. Simili modo veſtierunt *Robertum Baldoc* ſimili veſtimento. Et ſuper veſtimentis eorum ſcripti ſunt vj.

verſus de pſalmo, *Quid gloriaris in malitia?* deriſoriori modo quo poſſent; dictus *Robertus* adjudicatus eſt perpetuo carceri apud **Newgate**; ibique anno ſequenti moriebatur ſub magna miſeria; Antedictus Prior miſſus eſt in carcerem apud *Herefordiam* eo quod male ſe geſſerat contra pacem Regis. Dominus *Hugo Spenſer* ductus coram domino *Willielmo Truſſell* Juſticiario areniatus eſt coram eo ad barrum in forma quæ ſequitur:

Hugo le Dyſpenſer. *En parlement noſtre ſeignour le Roy que ore eſt tenue a* Weſtminſtre *lan quinziſme per examinement dez Prelates, Contes, Barones, & tote la commune de Realme fuiſt notoriement trove que voſtre piere & vous* Hugh *fuiſtez agardez traytoures & enmys del realme pur quel par aſſent & commandment noſtre ſeigniour le Roy, voſtre piere & vous* Hugh *fuiſtez exules del realme ſanz james revenir, ſi ceo ne fuiſt par laſſent & commandment noſtre ſeigniour le Roy, & ceo en playne parlement duement al ceo ſomouncz; Contre quele agarde e exil voſtre piere & vous* Hugh *eſtez trove en courte ſanz garraunt; E vous* Hugh *en retornant en realme dezpoillaſtez felonneſment deux dromandes de lour avoyr, a la value de xl M. livers; a grant deſhonoure noſtre ſeignour le Roy & de tut ſon realme, & a grante peril dez cez marchanz que repairent ſovent en eſtrange pays.* Hugh, *apres ceſt felonye par vous fait, vous approchatez noſtre ſeignour le Roy, & luy faitez chivacher a forcement ove gens dez armes ſur lez pieres de realme, & altrez ſez ligez gentz, pur eux deſtruere & deſheriter, encontre la grant chartre; Et enſi chivachent a force & armes purpernant real pouare, vous* Hugh *& vous eydantz deſrobaſtez felonnoſment lez bones gentz de realme, & par* Andrewe de Harkeleye *& atreys traytoures vous aerdancez, faitez mordrere le bone* Conte *del* Hereforde, *monſir* William Sullee, *monſir* Roger de Berfelde; *Et faitez prendre mon treſhonourable Seignour le bone* Cont *de* Lancaſtre Thomas, *que eſtoit coſyne germayne a noſtre Seignour le Roy & de ſez frerez, uncle a treſhonourable de* France *& de ſa ſoere madame* Iſabelle *Roigne* Dengletere, *ſi luy faitez faucement enpriſoner & deſpolier & touz lez ſonz en ſa ſale proprement deinz ſa chaſtele de* Pontfraite *par voſtre real pouare que vous avez purpris ſur noſtre ſeignour le Roy; Et luy faitez juger par une fauce recorde encontre leye & reſone & la grant chartre; Et enſi faitez mordrer, martirizer & morir de dure mort & pitouſe; Et ceſte malveys cruelte & tirantie faiſtez al ſi digne perſone ne vous poez ſauler del ſank dez criſtenez eſpandier. Ency faitez en meſme tiele journeye pur mon dit ſeignour plus turmentyr ſez baronz ſez chyvalers ſe enaux venanncez trayner & pendre, & puis juger al morte par cel faus recorde, encontre laye & reſone, & pendre dyſpituoſement ſanz mercy, Come monſir* Warene del Lyle, *monſir* William Tochet, *monſir* Thomas Maydut, *monſir* Henry de Bradburne, *monſir* William Chornel, *monſir* Bertholomewe de Aſſheburne *a* Londres, *monſir* Henry Tyeis *a* Windeſoure, *monſir* Franceys de Aldham *a* Glouceſtre, *le ſeignour* Gyffarde, *& monſir* Roger *de* Elmesbrigge *a* Bryſtoll, *monſir* Henry *de* Wylyngton, *& monſir* Henry de Monfort *a* Wynchelſe, *monſir* Thomas Colpeyre *& pluſours grantz; et altre grantz feiſtez mettre en dure priſone pur lez mordrer ſanz cauſe pur coveytiſe de lour terez, ſicome le ſeignour le* Mortymer *le coſyne & le uncle, le ſeignour de* Kyrkeleye, *monſir* Hugh Dandeleye *le pere & le fitz, lex enfantz le Conte de* Hereforde *nevoutz noſtre ſeignour le Roy; Et lez grandes dames femmes a ſez ſeignours e lours enfantz enpriſone e en orphanye puis la mort lour ſeigniours: E lez veuz dames, come la dame* Barettet *que vous enſuyt pur grace avoire. Et vous contiraunt la feiſtes batre de vous rybaudes, & debryſer bracez & jaumbes trope diſpituoſement encontre lorder de chivaler e encontre leye & reſone; Par quoy la bone dame eſt a touz joures afolee & perdue; & pluſours de ycels avez fait ſure la courte a poe e au grant poverte ſanz pite & mercye, que ſolent eſtre dames de grant honour. Et tous jours eaux uſez en ſi grant vilte tenu, ne fuiſt que Dieu pur ſa mercy envoya noſtre bone dame & ſon filtz en terre, & lez bonez gentz que ſont venuz en lour ayde, par quey le realme eſt ſuccurra.* Hugh; *apres cele deſtruccion dez noblez gentz vous* Hugh, *voſtre piere & meſtre* Robart de Baldoc *qe aviez entre vous pris enbrace reale pouare ſur noſtre ſeignour le Roye, ſi ly menaſtez & ſon peple en* Eſcoce *ſur cez enmys, oue vous* Hugh *par voſtre traytours mener luy faiſtez perder pluis de xx M. dez perſones de ſon peple, que morirent pitouſement pur defalte, a grant deſhonour de Roye, & damage de realme, & ſanz eſployte faire retornere. En retornant vous* Hugh, *voſtre pere &* Robart de Baldoc *faucement & traytrouſement conſallatez noſtre ſeignour le Roy a leſſer madame la Royne en grant peryl de corps en la Priore de* Tynmuth *en la marche de* Guerre, *ſi menaſtez noſtre ſeignour le Roy enſuyt de luy, tanque en la more de* Blackholme *oue ſez enmys dez* Scoce *par voſtre trayterouſe mener luy ſuſpriſtrent a grant deſhonour & damage, ſicome apparuſt bien a la journe par lez priſez & lez morz. Et a ſi grant meſchiefe madame la Royne uſt eſte perdue au perpetuel diſhonour, ſi dieu ne luy uſt envoye ſoceure par meare par la la, covynt adventurer pur ſa vie & ſonn honure ſauver, al ſi grant miſchief du corps que unke nule bone dame de ſon ſtate ne de ſa nobleſſe ne fuiſt enſy.* Hugh, *ceſt trayſon ne ceſt tyrancye ne vous point ſufficer, enz faiſtez par voſtre real pouare, que vous avietz purpris ſur noſtre ſeignour le Roy deſtruer lez Franchiſes de ſeynt eſgliſe, & lez pralates, ſicome* Herforde, Nychol, Hely, Northwyche *felonneſment deſrobber de lours biens deinz ſeint eſgliſe, & dor & de chyvaux, des veſſaux, & de loure harneys, ſi lez faitez aler au pee, Et lours terrez et lours poſſeſſiones lour faitez toler ſanz leye & reſon. Mes vous ne ſuffiſtez mye tant ſoulement davoir guerre as miniſtres de ſeynt eſgliſe, uncore lempreyſtez cum faux expenſer contre dieu et ſez ſeyns, Que par la ou vous ſavietz que dieu fiſt grace & vertue pur mon dit ſeignour que vous avez mordre ſi cruelment contre leye et reſon, vous mettez gentz dez armes, et faitez clore et fermer les us, de monſtrer que nule fuiſt ſi hardyſe dentrer la eſgliſe pur aourer dieu et cez ſeynz, Par quoy merit en deſpyte de vous dieu fiſt grace & vertue.* Hugh, *apres cele maveiſte, vous conſellaſtes noſtre ſeignour le Roy en dezheretaunce de ſa coronne a doner voſtre piere, que fuiſt faux traytour, le Conte de* Wynceſtre, *&* Andrewe de Harkeleye *traytoure notorye et attaynte le Conte de* Cardoyle. *Et a vous* Hugh, *la*

terre de Cantermaure *et altres terres que furont proprement appurtenancez a la corenne. Et enſi feiſtez onſter ma dame la Roigne de ſa terre que luy fuiſt done et aſſigne par noſtre ſeignour le Roy la meytee dez terres pur ſon certayne douerment a la journe contre leſtate de ſa nobleſſe. E a ceo abetant et procurant touz jours diſcorde ſolonc treſtute voſtre pouare perentre noſtre ſeigniour le Roy et luy.* Hugh, *la ou ma dame la Royne & ſonn fitz paſſeront la mere par aſſent et commandment noſtre ſeignour le Roy pur ſa terre de* Gyenne *ſalver, que fuiſt en poynt davoyr eſte perdue par voſtre traytoures conſayle, vous envoyaſtez pardela mer une grant ſoume dargent as aſcunes malveys gentz vous aerdancz pur la reyne deſtruere et ſon fitz qeſt droit heire del realme, et pur deſtourber lour revenir enforciaſtez ceo affaire.* Hugh, *voſtre pere et* Robart de Baldoc *et lez altrez faux traitoures vous aerdancz par mer et terre ſi alaſtez par my le realme purpernant real pouare, feſauncez le grant et le petyte par deſtreſſe jurer et aſſeurer a vous de vous maynteyner en vous faux quereles, ſanz avoire regard que tiels confederations eſtoient faucez et traitourouſes, e encontre la lyannce et leſtate du Roy et de ſa corone. Et qy a vous malveiſtez mayntener ne voleit jurere ne aſſeurer, vous luy faiſtez mettre en grieſe priſone, com mon ſeignour* Henry de Bealmont, *et altres que ne voillent faire, ne as vous malveiſtez eſtre aſſentantz. Et quant vous* Hugh, *et lez altres traytours vous aerdancz ſavoient que ma dame la Royne et ſon fitz furent arryvez en ceſt terre, vous faitez noſtre ſeignour le Roy par voſtre malveys conſayle aloyner de eaux, ſi luy menaſtez hors de realme en perile de ſon corps et diſhonour de luy et de ſon people, menant felonnouſement le treſoure del realme oveſke vous, encontre la grant chartre.* Hugh *contraytour eſtez trove, par quoy vous agardent touz lez bonez gentz de realme, meyndrez et greyndres, ryches et pourez par commune aſſent, que vous come larone eſtes trove par quey vous ſerrez pendue. Et contreytour eſtez trove par quey vous ſerrez treynez et quarterecez, et envoye par my le realme. Et pur ceo que vous fuiſtez utlage par noſtre ſeignour le Roy et par commune aſſent, & eſtez revenue en courte ſanz garraunt, vous ſerrez decollez. Et pur ceo que vous abbeſtatez & procuraſtez diſcorde entre noſtre ſeignour le Roy & la Royne & lez altrez del realme, ſi ſerret enbouellecz, & puis ils ſerront ars. Retrayez vous traytour, tyrant reneyee, ſi alez voſtre Iuyſe prendre. Traytour malveys & attaynte.* Et ſic ſtatim morte plexus eſt ſcilicet viij. kalendarum *Decembris.* Cujus caput in altum fixum eſt ſuper pontem *Londonienſem.*

Ciſtrenſis l.7.c.43.

Quo eciam anno in octavis Epiphaniæ factum eſt parliamentum apud *Londonias*, ubi de communi ordinatione miſſi ſunt ſolempnes Nuncii ad Regem incarceratum, ſcilicet tres Epiſcopi, duo Comites, duo Barones, duo Abbates, duo Juſticiarii, ut Regi detento homagium quondam ſibi factum reſignarent, ipſumque pro domino ulterius non haberent. E quibus dominus *Willielmus Truſſell* miles & procurator totius Parliamenti vice omnium dixit regi iſta verba:

Ego Willielmus Truſſell *vice omnium de terra* Angliæ *& totius Parliamenti procurator tibi* Edwarde *reddo homagium prius tibi factum, & extunc diffido te & privo omni poteſtate regia & dignitate, nequaquam tibi de cetero tanquam Regi pariturus.*

Iſtud eciam fuit publice proclamatum apud *Londonias.* Eodem anno in vigilia Purificationis beatæ *Mariæ Edwardus* filius regis factus eſt miles.

Leyceſtrenſis.

Vera ſeries Procuratorii. *Ieo* Willam Truſſell *Procuratour dez Prelatez, Contez & Barons, & altrez gentz en ma procuracye nomes eyant al ceo playne & ſuffyſant pouare, lez homages & fealtez au vous* Edward *Roy* Dengleterre *come al Roy avant ces oeures depar lez ditz perſones en ma procuracye nomes, renk & rebaylle ſus a vous* Edward *& deliver & face quitez lez perſones avantditz en la meillour manere que ley & coſtome donnent, E face proteſtacion en non de eaux qils ne voillent deſormes eſtre en voſtre fealte, ne en voſtre lyance, ne cleyment de vous come de Roy riens tenir. Encz vous tiegnent deſhorſe priveye perſone ſanz nule maner de reale dignite.*

Cum rex hæc audiſſet multum de ſuis malefactis doluit, rugitus & lamenta emittens eo quod per falſos & proditioſos conſiliarios ſic omni ſuo tempore ductus fuerat. Verumtamen in ſe tandem poſt multos ejulatus reverſus, nimis gratulabatur quod filium ſuum *Edwardum* poſt ſe regnaturum elegiſſent, & ei aſſenſum ſuum in quantum potuit attribuit. Ejus mores & actus ſupra in ſuo primordio per *Ciſtrenſem* deſcribuntur.

Ciſtrenſis l.7.c.44.

Edwardus filius *Edwardi* poſt conqueſtum tercius adoleſcens xv. circiter annorum vivente adhuc patre ſuo ſub cuſtodia, in feſto Purificationis beatæ *Mariæ* coronatus eſt in regem apud *Weſtmonaſterium.* In cujus primordiis grata augebantur auſpicia. Nam & tunc terra recepit ubertatem, aer temperiem, mare tranquillitatem, & eccleſia libertatem.

Explicit hiſtoria *Leyceſtrenſis* anno gratiæ M. CCC.xxvj. Nunc *Ciſtrenſis* imponit finem Cronicæ ſuæ. Set poſtea quædam adjecit ei, videlicet de morte antiqui *Edwardi* regis cum quibuſdam aliis eventibus in tempore regis *Edwardi* tercii, prout infra patebit in ſuo loco per ſingula.

CAP. XVI.

NUnc ſciendum eſt quod iſte *Edwardus* de *Wyndeſoure* tercius à conqueſtu coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium* dominica proxima ante feſtum Purificationis beatæ *Mariæ* pridie kalendas *Februarii*, & *Londonienſes* atque magnates mutuo juraverunt & fecerunt ſecuritatem quod mutuo foverent & ſuſtentarent regem & reginam matrem ſuam ſecundum totum poſſe ſuum. In quo loco videndum eſt qualiter claudicat *Ciſtrenſis* dicens regem *Edwardum* die Purificationis fore coronatum. Verumptamen cronica *Weſtmonaſterienſis* dicit eum coronatum in Converſione ſancti *Pauli* ſcilicet viij. kalendarum *Februarii*; ſicque iſtæ tres Cronicæ inter ſe variant. Set poteſt forte dici quod dominus *Willielmus Truſſell* reddidit ſurſum homagium in Converſione ſancti *Pauli* ex quo jus regni ſtatim eodem die devolutum eſt ad iſtum *Edwardum* regem, & forte pridie kalendas *Februarii* coronatus, ſet die Purificationis ſolempnitas celebrata eſt. Tunc *Hugo Diſpenſator* filius *Hugonis* junioris reddidit regi caſtellum de **Karfyly** quod à morte *Hugonis* patrui ſui tenuerat, & miſit ſe in gratiam regis; qui ei conceſſit vitam & membra. Abbathia de **Abyndon** ſpoliata eſt à civibus ejuſdem villæ.

Ciſtrenſis l.7.c.44.

Et cito poſt hoc iij. nonas Aprilis tranſlatus eſt rex antiquus de **Kenelworth** uſque Caſtrum de **Berkeleye**, ubi tamen cum multi conſpirarent ad ejus liberationem, circa feſtum beati *Mathai* Evangeliſtæ cum veru ignito inter celanda confoſſus nepharie peremptus eſt. De cujus meritis an inter ſanctos annumerandus ſit, frequens in vulgo ſicut quondam de *Thoma* Comite *Lancaſtria* adhuc deceptatio eſt. Set revera nec carceris fœditas nec mortis vilitas cum iſta ſceleratis debeantur, nec eciam oblationum frequentia aut miraculorum ſimulacra cum talia ſint indifferentia, quemquam ſanctum probant niſi correſponderet ſanctimonia vitæ præcedentis. Bene namque cum unoquoque agitur ſi talia cum contritione culpam in eo diluant aut pœnam debitam imminuant, quamvis inmediatam avolationem animæ non efficiant; ſet præſumptio flagitioſorum inpunitatem ſibi & ſui ſimilibus inaniter ſperantium, Ambitio quoque matronarum circumgirare affectantium tumorem talis venerationis multum amplificat & dilatat, donec ædificatio ſuper arenam fundata decidat & labeſcat.

In Parliamento apud *Wyntoniam* decollatus eſt *Edmundus* de **Wodeſtoke** avunculus hujus Regis Comes *Cancia* pro eo quod conſpiraverat contra iſtum regem ut dicebatur.

Leyceſtrenſis.
An. Dñi
1327.

Anno Gratiæ M.CCC.xxvij. *Edwardus* quondam rex *Anglia* miſſus eſt ad caſtellum de **Berkeleye** moram trahere ibidem ſub cuſtodia domini *Thome de Berkeleye* & domini *Iohannis Mantravers*; qui apud *Londonias* deputati ſunt ad ejus cuſtodiam. Comes *Lancaſtria* noluit ulterius habere cuſtodiam illius quia, ut rumor ſpargebatur, quidam de ſecretis antiqui regis nitebantur per machinamenta, dum Comes aliunde circa ſua facienda occupatus eſſet, furari & latenter eum abducere de caſtello de **Kellyngworth**. Eodem anno poſt Aſcenſionem venit rex *Edwardus* cum multis magnatibus de regno apud *Novum caſtrum ſuper Tynam* ad tractandum de pace inter *Anglicos* & *Scotos*, ſet *Scoti* renuerunt tractatum propter quandam conventionem initam inter illos & matrem regis *Iſabellam*, & *Edmundum* Comitem *Cancia*, & *Rogerum de Mortuo mari* dum ſtarent in tranſmarinis contra coronam *Anglia*. Et dum rex eſſet in partibus borealibus eodem tempore venit dominus *Johannes* dux *Hunaldorum* cum ij. millibus virorum armatorum in auxilium regis *Anglia*. Et cum veniſſent apud *Eboracum* orta eſt diſcordia gravis inter *Hunaldos* nimis magiſtraliter ſe gerentes & *Anglicos* hoc multum exacerbantes. *Hunaldi* vero noctanter ſe levantes inſperate occiderunt de *Anglicis* circiter CCC. perſonas de comitatibus *Lincolnia* & *Northamptona* favente regina & ſuis dictis *Hunaldis*; ſtatimque in eodem tempore nunciatum eſt regi *Scotos* adveniſſe & fuiſſe apud **Stanhop-parke**. Ex quo rex lætus multum effectus abſque mora tendit iter verſus eos, & equitavit eo die præ lætitia xxx. leucas, & in craſtino fecit milites circiter CCC. ſperans cito cum *Scotis* offendere. Et fecit moram ibidem xv. diebus. Et tunc per invidiam quam aliqui magnatum gerebant erga *Hunaldos*, tum per falſitatem & proditionem quorundam de regno *Scoti* evaſerunt abſque malo ubi ſteterunt circumdati undique, adeo quod illinc nunquam abirent niſi mediante falſa proditione quorundam *Anglicorum*. Et antequam *Scoti* recederent, dominus *Jacobus Douglas* per ſubtilitatem quorundam *Anglicorum* ductus eſt in una nocte explorandi gratia in *Anglicanum* exercitum dum *Anglici* pauſarent in ſuis tentoriis quiete ſompni ſoporati. Et accidit ut cum à quibuſdam *Anglicis* perciperetur; cœpit *Anglica* voce clamare dicens, **Ho warde a ſeynt Jorȝe**, bina voce aut trina, acſi *Anglicus* eſſet; ſet tandem occiſis capellano ſuo atque camerario, vix ipſe cum magna difficultate evaſit. Tunc rediit rex cum magna deſolatione & mœrore pro eo quod melius ei non evenerat in ſuo primordio, & nimio pudore percuſſus multum indoluit. Et venit *Lincolniam* ubi celebravit parliamentum ſuum; in quo divulgata eſt mors antiqui regis. *Iſabella* regina mater regis, *Rogerus de Mortuo mari*, & plures alii conſiluerunt regi ut in illo parliamento rex à clero ſubſidium peteret, aſſerentes omnes gazas & theſauros poſt mortem *Diſpenſatorum* & aliorum proditorum repertos, in guerra *Scotia* & aliis regni neceſſariis fore jam exhauſtos. Et ſic erant conſumpti ſicut dixerant per novos traditores regis, qui eum ſecundum ſuum velle ut juvenem regebant. Epiſcopi vero petebant diem deliberandi de reſponſo uſque in feſtum omnium Sanctorum apud *Leyceſtriam*. Et fecerunt ſolempne pro anima regis antiqui *Edwardi* qui moriebatur, ut ſupradictum eſt, undecimo kalendarum Decembris, & modo qui ſequitur; Quidam ad hoc ſcelus faciendum procurati cum rex *Edwardus* in lecto recumberet quietis gratia nil mali ab aliquo ſuſpicans ſibi inferri, acceſſerunt ad eum, & veſtes à pedibus excutientes, ſuper caput ejus ſubito deplicuerunt, & fiſtulam æneam in poſteriora ejus appoſuerunt, ignitumque veru per fiſtulam in ventrem ejus ſubmiſerunt, ne exterius plaga aliqua cuiquam intuenti locum daret, dicentes, non mortem naturalem ſet ſubitam ei eveniſſe. Eodem tempore *Hunaldi* & cæteri alienigenæ reverſi ſunt in patriam ſuam, in immenſum remunerati & de auro & argento multiformiter ditati per reginam *Iſabellam*, *Rogerum Mortymer*, & alios de eorum aſſenſu, in grave onus communitatis regni, prout inferius deſcribetur. Tunc venit domina *Philippa* filia Comitis *Hunaldorum* in *Angliam* ad maritandum regi *Edwardo* juveni nuper coronato. Et fuit recepta cum magno tripudio honoris *Londonia* à civibus in vigilia natalis Domini. Et apud *Eboracum* in Converſione ſancti *Pauli* viij. kalendarum Februarii cum magna ſolempnitate deſponſata. Eodem anno conceſſus eſt regi de temporalibus viceſimus denarius, de ſpiritualibus autem decimus denarius. Et hæc conceſſio facta eſt apud *Leyceſtriam* ad inſtantiam Comitis *Henrici Lancaſtria* filii *Edmundi*. Poſt hæc rex tenuit parliamentum ſuum apud *Eboracum*, ubi veniunt nuncii ex parte *Scotorum* pro pace habenda inter regna: & rex *Anglia* miſit nuncios ſuos in *Scotiam* ad regem *Scotia*. Sicq; evenit ex una parte & alia quod pax facta eſt & proclamata, eo pacto quod filius & hæres *Roberti Brus* regis *Scotia* duceret in uxorem dominam *Johannam de Turri* ſororem regis *Edwardi*. Et ita factum eſt Dominica proxima ante feſtum ſanctæ *Margaretæ* virginis. Illis diebus regina *Iſabella*

& *Rogerus de Mortuo mari* unanimi aſſenſu apropriaverunt ſibi regalem poteſtatem in multis & regni theſaurum, & ſubpeditaverunt regem, in tantum quod non erat quiſquam qui pro regis aut regni commodo loqui auderet; quod ſi quis faceret, in magnam ignominiam ſui perſecutus eſt ab eis. Multa & gravia onera patriæ intulerunt, & ſemper ſimul in uno hoſpitio hoſpitati ſunt, unde multa obloquia & murmura de eis ſuſpectuoſa oriuntur. In tantum iſti duo regina & *Rogerus* aſciverunt ſibi poteſtatem, quod Comes *Lancaſtriæ Henricus* qui deputatus & ordinatus eſt capitalis cuſtos & ſupremus conſiliarius regis in tempore coronationis per communem aſſenſum procerum & magnatum regni, pro meliori gubernaculo regis & regni, non potuit ei appropinquare nec quicquam conſilii dare. Inde nimis motus & conſilio archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & quorundam epiſcoporum & aliquorum procerum regni excitatus eſt proſequi ad emendas. Et eciam multum obloquium percrepuit in populo de pace quam iidem fecerant inter *Angliam* & *Scotiam* abſque conſilio & aſſenſu communitatis regni & procerum; volebantque quod rex de ſuo viveret abſque exactionibus & extorſionibus in depauperationem populi ut ſolite abreptis. Unde parliamentum apud **Salusbury** ſummonitum eſt, ſet abſque facto. Nam partes obviaverunt ſibi ſuper planam de **Salusbury** ad parliamentum tendentes, ibique ſe ad pugnam paraverunt, ſet per alios de regno impediti ſunt, ſicque parliamentum dilatum eſt apud *Weſtmonaſterium* ad feſtum Purificationis celebrandum. Rex antiquus *Edwardus* x. kalendarum Octobris occiſus, & xiij. kalendarum Januarii tumulatus eſt apud *Glouceſtriam*, ſed abſque mœrore populi propter errores quos foverat in ſuo tempore dum regnaret. Hic habuit tot filios, *Edwardum* qui regnavit poſt ipſum, *Iohannem* Comitem *Cornubiæ*, *Elyanoram* Comitiſſam de *Gerl.* *Iohannam* reginam *Scotiæ*. Eodem anno mortuus eſt *Carolus* rex *Franciæ* frater *Iſabellæ* reginæ. Quoad concordiam factam inter *Angliam* & *Scotiam* hæc forma fuit: *Iſabella* regina cum *Rogero de Mortuo mari* tantam potentiam & regalitatem uſurpavit, quod abſque conſenſu & aſſenſu procerum & magnatum regni, abſolvit & acquietavit ab omni jugo ſervitutis, & ſubjectionis, & omnimodis actionibus verſus regnum *Angliæ* & reges ejuſdem deinceps venturos, & regina *Iſabella* reddidit *Scotis* omnia munimenta & omnes cartas & indenturas quæ confecta fuerant per bonum *Edwardum* filium regis *Henrici* uſque ad præſens tempus, regnum *Scotiæ* libere tenere abſque omni exactione vel demanda.

An. Dñi 1328. Anno Gratiæ M.CCC.xxviij, anno regni regis *Edwardi* tercii ſecundo apud *Bedfordiam* rotunda tabula tenetur per *Rogerum de Mortuo mari*. Eodem anno creatus eſt novus papa apud *Romam Nicholaus* nomine per Ducem *Bavariæ* qui ſe fecit Imperatorem contra voluntatem papæ *Iohannnis* apud *Avinoniam* demorantis. Iſte *Iohannes* Papa excommunicari fecit Imperatorem & alium Papam per totam Chriſtianitatem. Eodem anno captus eſt dominus *Robertus de Holand* in uno boſco citra *Londonias*. Iſte *Robertus* erectus eſt de paupere milite in ſublimem & divitem Baronem per Comitem *Lancaſtriæ Thomam*. Eo tempore quo diſcordia increvit inter dominum ſuum Comitem *Thomam* & Regem, ipſe *Robertus Holand* in ſumma neceſſitate domini ſui quando dominus ſuus maxime confidebat de ejus adventu cum auxilio populi promiſſo, relicto domino ſuo in ſua anguſtia inevitabili reddidit ſe regi, decipiens dominum ſuum; quam ob infidelitatem omnes proceres & magnates regni odio eum habebant; & cum maximo vituperio caput ejus abſciſum eſt, ad Comitem *Lancaſtriæ Henricum* apud **Waltham** ſanctæ crucis tranſmiſſum eſt per quendam militem *Thomam Wyther* nomine, & alios ſecretos *Thomæ* Comitis *Lancaſtriæ*. Apud **Salusbury** regina *Iſabella* & *Rogerus de Mortuo mari* fecerunt novos Comites, ſcilicet *Johannem de Eltham* Comitem *Cornubiæ*, *Rogerum de Mortuo mari* Comitem de *Marchia*, *Edmundum Botoler* Comitem de *Ormund*. Qui omnes cum ſuis adhærentibus congregaverunt magnum exercitum ad *Iſabellam* reginam contra Comitem *Lancaſtriæ Henricum* & alios magnates de regno qui non fuerant eorum nephariis operibus conſentientes. Et equitaverunt viribus & armis ſuper terras dicti Comitis & venerunt *Leyceſtriam* cum magno exercitu *Anglicorum* & *Wallanorum* pridie nonas Januarii, & morabantur in *Leyceſtria* & in circumjacenti patria octo diebus, & ſpoliaverunt undique patriam, & boſcos, parcos, vineas, ſtagna, piſcinas, & ſecum abduxerunt quicquid precioſum aut vile manus eorum invenire potuerunt, aurum, argentum, blada, utenſilia, lectualia, menſualia, arma, veſtimenta, beſtias feras & domeſticas, oves & boves, aucas, gallinas, & ornamenta eccleſiaſtica, nichil in eccleſiis inventum vel alibi relinquendo, ac ſi eſſet in tempore guerræ inter regna. Et hoc totum in opprobrium Comitis *Lancaſtriæ* qui tunc fuerat in veniendo de partibus auſtralibus cum poteſtate magna volens eis obviaſſe, habens in comitatu ſuo magnates qui fuerant cum *Thoma* Comite *Lancaſtriæ*, ſcilicet Comitem *Marchiæ*, *Edmundum* Comitem *Canciæ* fratrem ſuum & avunculum regis, epiſcopos *Londoniarum*, *Wynceſtriæ*, dominum le *Wake*, dominum de *Bealmont*, *Hugonem Dandeleye*, dominum *Thomam Roſſelyne*, & multos alios. Et cum iſti magnates parati eſſent ad invadendum, ut ſuſpicabantur *Rog. Mortymer*, cujus conſilio & excitatione rex conceperat indignationem contra quoſdam legios ſuos fideles regni, duo avunculi regis *Thomas* & *Edmundus* reliquerunt Comitem, & ſe dederunt matri regis & *Rogero Mortymer*, procurantes Comiti *Lancaſtriæ* malum ſeditionis in quantum poterant. Hic Comes *Henricus* ſub ſpe fiduciæ ſuorum ceperat locum ſuum in campo juxta **Bedforde** fixis tentoriis proponens bellum committere cum *Rogero de Mortymer* & aliis ſuis adhærentibus: ſet per ſupradictam proditionem ſuorum humiliter ſe ſubjecit regi in campo coram toto exercitu. Et fuit concordatum ibidem coram *Simone* archiepiſcopo *Cantuarienſi* & aliis epiſcopis & multis de magnatibus regni, quod omnes errores emendarentur in proximo parliamento ſequenti; & hoc ne forte omnes ſurgerent Communes in hac communi cauſa cum Comite; ſet ab iſta concordia quædam perſonæ fuerunt exceptæ quas *Rogerus le Mortymer* noluit ut rex quequo modo admitteret in præfata concordia, ſcilicet dominus *Henricus de Bealmont*, dominus *Thomas Roſſelyne*, dominus *Willielmus Truſſel*, dominus *Thomas Wyther* qui occiderat dominum *Robertum de Holande*. Iſti quatuor profecti ſunt ultra mare in *Franciam*, ibique manſerunt donec *le Mortymer* captus eſſet apud **Notyngham**, ut infra patebit, quia non audebant propter metum mortis faciem ſuam oſtendere in terra *Angliæ* dummodo *Mortymer* floreret.

An. Dñi 1329. Anno Gratiæ M.CCC.xxix. rex *Edwardus* perrexit in *Franciam* ad regem *Franciæ Philippum*, & fecit ei homagium pro *Vaſconia*. Et facti ſunt amici ſecundum vultum exteriorem. Set rex *Philippus* pro eo quod non habuit bonum titulum ad coronam *Franciæ*, eo quod rex *Angliæ Edwardus* eſſet propinquior in linea generationis, diſpoſuit comprehendiſſe regem *Edwardum* & arreſtaſſe eum; quod non latuit *Henricum Borowaſch* epiſcopum *Lyncolnienſem* ductorem regis *Edwardi* & gubernatorem; qui latenter receſſit cum *Edwardo* a facie *Philippi* regis *Franciæ*, & quaſi ſubito remeavit in *Angliam* neſciente rege *Franciæ*, ſet in hac parte deluſo. Eodem anno obiit *Robertus Bruz* qui ſe regem *Scotiæ* fecerat, & ſepultus apud **Dounfermelyne**, & regnavit xx. annis. Nunquam fuerat in retroactis temporibus aliquis rex in *Scotia* qui tanta mala exercuit in *Anglicos* ſicuti iſte temporibus ſuis. Nam in tantum ſubpeditavit *Anglicos* in tempore ſuo pro defectu gubernaculi regni *Angliæ*, quod duo *Angli* vix valebant debilem *Scotum*.

1330. Anno Gratiæ M.CCC.xxx. & regni regis *Edwardi* quarto, rex celebravit parliamentum apud *Wincheſtriam*. In quo impoſitum eſt per *Iſabellam* matrem & *Rogerum Mortymer*, & alios de eorum conſentu, quod *Edmundus* Comes *Canciæ* avunculus regis contra fidelitatem ſuam procuraverat, & ſummam diligentiam adhibuerat, ad liberationem *Edwardi* quondam regis *Angliæ* fratris ſui de caſtello de **Berkeleye** in præjudicium & gravamen coronæ, unde dictus *Edmundus* captus eſt & attachiatus, & ad pœnam decollationis condempnatus, ſicque ſtetit extra portam caſtelli mortem expectans uſque ad horam veſperarum, quia nemo voluit eum decollare, propter pietatem quam habebant de eo, nam dampnatus erat abſque communi conſenſu. Tandem venit unus ribaldus ſceleratus de Marchalſia, & pro ſua vita inde habenda decollavit eum die Lunæ in vigilia ſancti *Cuthberti*. Eodem anno Comes *Lincolnienſis* & plures alii attachiati ſunt per *Iſabellam* & *le Mortymer*, & per manucaptores dimiſſi. Tunc rumor cœpit crebeſcere per totam terram *Angliæ* de malignitate & crudelitate *Iſabellæ* matris regis & *Rogeri Mortymer* de multis ſeditionibus, Primo, quod fovebant *Scotos* in magnam derogationem & dedecus regis & regni *Angliæ*, & quomodo exterminaverat regem *Edwardum* quondam maritum ſuum, & quanta mala eorum conſilio & auxilio exercebantur in regno, quantaque mala opera eorum fomento velabantur. Quam ob cauſam rex per ſecretum concilium amicorum ſuorum diſpoſuit conſorcium eorum abinvicem ſegregare, ne deterius deinceps vel ſimile quid eorum factione vel conſilio quandoque oriretur. Nam in tantum invaleſcebant in terra, quod totum regnum in periclitando labi videbatur. Deinde rex tenuit concilium ſuum apud **Notyngham** in quindena *Michaelis* cum pene omnibus magnatibus regni. In quo rex ſaniori conſilio de eorum fraude & malicia ſalubrius edoctus, videnſque periculum tam præteritum quam in poſterum jam in præſenti per dictos *Iſabellam* & *le Mortymer* evidenter imminens graviter in corde condolens ſuſcepit; ſicque die Veneris in craſtino ſancti *Lucæ* rex cum electa comitiva in obſcuro noctis perrexit per quandam viam ſubterraneam de villa *Notynghamiæ* uſque in caſtellum, & venit ad cameram matris ſuæ *Iſabellæ*, & invenit ibi prope eam in alia camera *Rogerum* de *Mortymer* & epiſcopum *Lincolnienſem Henricum*. Et ſtatim rex juſſit *Rogerum* apprehendi, & in ſecuram cuſtodiam uſque in craſtinum poni. In craſtino fecit apprehendere omnes ſuos adhærentes per totam villam diſperſos. Et ſtatim miſit omnes *Londonias*, videlicet *le Mortymer*, & duos filios ejus, ſcilicet *Galfridum* & *Edmundum* milites, & dominum *Oliverum de Byngam*, dominum *Simonem de Berforde*. Et in captione *Rogeri Mortymere* occiſus eſt dominus *Hugo de Tryplington* miles & ſeneſcallus familiæ regis per dictum *Rogerum Mortymer* in ingreſſu regis in cameram eorum. *Iſabella* mater regis adjudicata eſt perdere omnes terras ſuas, & cum difficultate evaſit dampnationem ad mortem, eo quod erat mater regis, & ob reverentiam regis dilata eſt hæc ſententia. Et ordinatum eſt quod ſingulis annis caperet de ciſta domini regis ad ſuſtentationem ſuam tria millia marcarum, & maneret in uno certo loco ubi rex pro ea diſponere vellet. Magnates regni impoſuerunt contra *Rogerum Mortymer* articulos ſequentes.

Primerment que par la ou ordenee fuiſt al parliment de *Londrez* proſcheyne apres la coronnement noſtre ſeignour le roy, que quatres Eveſkes, quatre Contes, & vj. Barones duſſent eſtre pres du roy pour luy conſeyller, iſſint que tote foith quatre y fuiſſent; Ceſt aſſavoire une Eveſke, une Conte, & dieux Barons, a meynez, & que nule groſſe boſoigne ſoit faite ſanz loure aſſente, & que cheſcune reſpondiſt dez ces fetz pur ſon temps; le dit *Roger* nyent eyant regarde al dit aſſent accrocha a luy real pouere & le governement del realme ſur leſtate le roye, ouſta & fiſt ouſtre & mettre miniſtres en louſtele le roy & aillours par my le realme a ſa volunte de ceux que fuitent de ſon acorde. Et myſt *John Wyarde* & altres entour le roy deſpyer cez faitz & cez ditz, iſſint que le roy fuiſt en tiele manere envyrone de cez enmys qil poet riene faire de ſa volunte, mes auxi come une homme deſouth altre garde.

Enſy par la ou le piere noſtre ſeigniour le roy feuſt a **Kenilworthe** par ordinancez dez pieres de la terre a demorer illoeqes a ces eſes pur eſtre ſervi come afferoit un tiele ſeigniour le dit *Roger* par real pouare a luy accroce ne leſſa tant qil leuſt devers luy a ſa volunte. Et ordyna qil fuiſt mande au chaſtiel de **Berkeleye** oue par luy & par les ſones fuiſt fauſement, traytourouſment & felonneſment mordre & tue.

Enſy le dit *Roger* fiſt defendre par briefe le roy ſouz le grante ſeale que nule venſiſt al parliment de **Saluſbury** a force & armes ſour quan qil poet forfere devers le roy. Et la vynt le dit *Roger* & altres de ſa covygne al force & armes al dit parliment contre la dite defenſe. Par quoy pluſours de la terre come le Conte de *Lancaſtre* & altres ſachans la manere de ſa venue ne vyndrent poynt. Et come par la ou lez prelatz eſtoyent aſſemblez al dit parliment en une meaſon pur conſeiller ſour lez boſoignez le roy, & de realme, le dit *Roger* debruſa les eos de la meaſone ove gentz dez armez ſour lez

ditez prelatez, & lez manaſſa de vye & de membre ſils fuiſſent ſi hardys a diſe oue faire riene encontre ſa volunte & ordinancez. E en meſme le parliment fiſt tant que le roy luy fiſt conte *de la Marche*, & luy dona pluſours terres & tenementz en deſheritance de ſa coronne. E puis mena le dit *Roger* e eeux de ſa covygne noſtre ſeigniour le roy armez ſur le conte de *Lancaſtre* & altres pieres de la terre tanque a *Winceſtre* la oue yls eſtoient venancez devers le roy, au dit parlement de **Salusbury**. Parquay le dit conte & lez altres pieres de la terre pur eſchewere le peryl que poot avenir, à la reverence du roy departirent & aillerent envers lour pays dolons qils ne poyent ove lour ſeigniour lige parlere ne conſeiller come ils deveront.

Enſy le dit *Roger* fiſt le roy chivacher forciblement ſour le conte de *Lancaſtre* & altres pieres de realme que eſtoient ordeignes davoyre eſtre pres du roy pur luy conſeiller. Et en tant les enchaſa par force que le dit conte & altres grantez del realme que voilerent profite au roy ſe miſtrent a la grace le roy ſauve a eous vie & membre, et qils ne fuiſſent diſherites ne al trop grant ranſone; Mes ils furent mys au trop grante ranſon que lours terres vendront a tous jours. Et les altres fit enchaeer hors de la terre a ſeiſer lours terres contra la fourme de la grante charte & leye de terre.

Enſy par la oue le dit *Roger* ſavoit biene qe le piere noſtre ſeigniour le roy eſtoit morte e enterre, il par altrez de ſa covigne en deſceyvance maner fiſt entendre al *Edmund* conte de **Kent** qil fuiſt en vye, par quey le dit conte fuiſt moult deſireus de ſavoire la verite. E fiſt eſpier par totez lez bonez voies qil ſavoit, tanke le dit *Roger*, par real powere a luy accroche fiſt prendre al parliment de **Winceſtre** le dit cont de **Kent**, procura qil fuiſt illoeques mys a la mort.

Enſy le dit *Roger* fiſt le roy doner a luy ſez enfantz e a ſez alies chaſtieles, viles, maners & francheſes en *Engleterre*, *Irland*, & *Gales* en decreſſe de ſa coronne.

Enſy le dit *Roger* en deſceivaunce manere fiſt les chivalers dez contez al dit parliment al roy de cheſcune vile *Dengleterre* que reſpont par quatre & le provoſt en eyre une homme de armes a lour coſtages en ſa guerre de *Gaſcoyne* par une an; la quele charge le dit *Roger* avoit compaſſe a tourner ceol avoyre en altre profite pur luy & altres de ſa covygne, en deſtruccion de people.

Enſy le dit *Roger* par real pouare a luy accroche fiſt maundere lettres ſuth la grante chartre au pluſours grantz chivalers & altres qe ils veneſont al roy queu part qil fuſt, & a lour venue le fiſt chargere qils ſe adreſſent daler en *Gaſcoyne* oue qils feiſſent fyn oue ranſon a ſa volunte; Dez queuz aſcunez fyrent fyn grevous, & tut le pluis eſt venuz au profite le dit *Roger*.

Enſy le dit *Roger* fauſement & maliciouſment fiſt le diſcorde entre le piere noſtre ſeigniour le roy & la reyne ſa compaigne, & la fiſt entendre qe ſi ele out venuz a luy, qil la out tue de cotele oue altre arme oue altre manere de mordre, & par tiele cauſe altres ſotilletes ſi fiſt il tant que la reyne ne vint pas devers ſon ſeigniour, al grant diſhonour du roy et de tote realme, et damage par cas en temps avenir qe dieu deffende.

Enſy le dit *Roger* ſy ad pris et faite prendre devers luy et les altres de ſa companie de treſore le roye a ſa volunte ſanz noumbre en deners et juagus en deſtruccion du roy; iſſint qe le roy nad rien de paiere pur ſon viure.

Enſy le dit *Roger* ſi ad fait prendre devers luy et devers ſez alliez les xx. mille marz queux ſont venus hors dez *Scoce* pur la fourme de la pees, et rien eſt venue al profite du roy.

Enſy le dit *Roger* cez priſes par my le realme auxicome roy et ſeigniour de tutte, et entre luy et lez altres de ſa covigne merent al double dez gentz et chivalez en la companie le roy qe le roy ne fiſt, en deſtruccion del people ſanz faire payment altre qe a lour volunte.

Enſy le dit *Roger* par ſon real pouare fiſt le roy granter a la montance del CC. chivalers a ceoux *Dirland* que avount tuez lez grantes et altres de la terre que furent de la foye le roy en cellez partyes. Par la oue le roye devoit pluis toſt par reſon avoyre vengee loure mort qe pardonee contre fourme de parlement.

Enſy le dit *Roger* compaſſa davoyre deſtrut lez noryes le roy et lez ſecrettez le roy de queux il ſe pluis affya. Et ſuſmyt al roy en preſence la reyne ſa miere et dez eveskus de *Nichole* et de **Salusberye** et altres de conſaile le roy qe lez avanditez ſecretez le roye luy exciterent deſtre la covygne dez enmys par de la, en deſtruccion de ſa miere et del avantdite *Roger*; La quele choſe il afferma tant ſour le roy que le parole le roye ne poet eſtre creu. Et cele vendurdy deinz la nute qils eſtoient priſez, a la myt nuyt ſuant donke pur lez cauſez ſuſeſcriptes et molt dez altrez choſez que ne ſont ore a dyre ſi fiſt le dit roy prendre en la manere par aide et aviſement dez priveez et nurricz.

Tunc propter cauſas ſubſcriptas & multas alias quæ jam non ſunt recitandæ ad præſens Rex præcepit Comitibus, Baronibus, & cæteris magnatibus regni juſtum judicium ferre ſuper prædicto *Rogero Mortymer*. Qui omnes adinvicem conſulentes venerunt, dicentes, quod omnes & ſinguli articuli ſuperius de dicto *Rogero* atteſtati veri ſunt & notorii, & omni populo terræ cogniti, & præcipue articulus tangens mortem regis apud **Berkeleye**; unde reſpiciatum eſt & adjudicatum, quod prædictus *Rogerus* ut proditor & inimicus regis & regni diſtractus ſit & ſuſpenſus tercio kalend. Septembris apud *Londonias*. Cujus corpus duobus diebus & duabus noctibus nudum pendebat ſuper furcas. Deinde traditum eſt corpus ejus ſepulturæ apud fratres *Minores Londoniæ*.

Poſt hæc Comites & Barones una voce omnes dixerunt in eodem parliamento quod *Simon de Bereforde* extiterat omni tempore conſulens, adjuvans, & aſſentiens dicto *Rogero Mortymer* in cunctis ſeditionibus, & proditionibus, & feloniis, & malignitatibus, & principalis fautor in omnibus ſceleribus. Quam ob cauſam ibidem diſtractus eſt & ſuſpenſus xvj. die Januarii. Eodem tempore ſupra nominati venerunt *Londonias*, ſcilicet *Thomas Wake*, *Hugo Dandeleye*, *Henricus Bealmont*, *Thomas Roſſelyne*.

Ciſtrenſis l.7.c.44.

Natus eſt novo regi *Edwardo* primogenitus ſuus *Edwardus* quartus poſt conqueſtum ex regina ſua filia Comitis *Hunaldorum* xvij. kalendarum Junii. Eoque anno in craſtino ſancti *Lucæ* captus

eſt apud **Notyngham** *Rogerius de Mortuo mari* qui ſe Comitem *Marchiæ* fecerat appellari. Indeque *Londonias* miſſus, judicio parliamenti diſtractus & ſuſpenſus eſt in vigilia ſancti *Andreæ*. *Edwardus le Baliol* filius *Johannis le Baliol* quondam regis *Scotiæ* cum modica manu *Anglorum*, id eſt, duobus milibus intravit *Scotiam* ut regnum recuperaret circa vincula *Petri*, & occidit lx. mille *Scotorum* apud **Gledeſmore.** Venit rex *Angliæ* in auxilium regis *Scotiæ* & obſedit *Berwicum* iiij. idus Julii, cui miles quidam *Scoticus Willielmus de Keth* promiſit quod ad certum diem adduceret exercitum *Scotorum* ad pugnandum cum eo & ad obſidionem illam removendam; quod niſi faceret urbs *Berwyci* regi redderetur. Interim *Scoti* ſubdoſe combuſſerunt in partibus *Northumbrunis* & obſederunt caſtrum de **Bamburgh** ubi regina *Angliæ* tunc morabatur ſi ſic forſan obſidionem *Berwici* ſolvere poſſent. Tandem die præfixa, hora nona, pelago pleno advenerunt *Scoti* contra *Anglos* in iiij. aciebus, omnes pedites diſtincti xiiij. kalendarum Auguſti prope *Berwicum* in loco qui dicitur **Bothull** juxta **Halydon**, qui oppreſſi ſunt à ſagittariis *Anglorum* & inſecuti ab equitibus *Anglis* uſque ad noctem, ita quidem quod ceciderunt ex *Scotis* octo Comites cum mille CCC. equitibus & de plebeis xxxv. mille, quo viſo opidani reddiderunt *Berwicum* regi *Angliæ*, & quod mirabile eſt dictu, non ceciderunt ex parte *Anglorum* niſi unus miles, unus armiger, & xij. pedites. In feſto ſanctorum *Gervaſii* & *Prothaſii Edwardus le Balyol* vetus rex *Scotiæ* fecit homagium *Edwardo* regi *Angliæ* pro regno *Scotiæ* apud *Novum caſtrum ſuper Tynam* in præſentia trium Epiſcoporum, Comitum, Baronum, & copioſæ plebis. Et cito poſt *Scoti* rebellaverunt. Quam ob rem rex *Angliæ* ſub gelida yeme *Galwodiam* intrans, totam patriam uſque ad mare *Scoticum* devaſtavit, caſtrum de **Rokeſburgh** reparavit, ubi ſe & ſuos per totam yemem tutavit.

Leyceſtrenſis. An. Dñi 1330. Eodem anno *Henricus* Comes *Lancaſtriæ* cœpit conſtruere novum Hoſpitale juxta caſtrum *Leyceſtriæ*, ſcilicet anno Gratiæ M.CCC.xxx. & Comes cœpit oculis caligare in cæcitatem & ſeneſcere. Eodem anno commiſſum eſt bellum in *Armenia* ſuper planam de *Lyas* in feſto ſanctæ *Katerinæ* inter Chriſtianos & Paganos, ibique occiſus eſt rex *Tharſis Caſſanus* nomine, & vij. mille de Chriſtianis, & lviij. mille de Paganis. Eodem anno in æſtate factum eſt bellum apud *Frontem Bernarde* inter Chriſtianos & Paganos, & ibi occiſus eſt dominus *Jacobus Duglas Scoticus*; qui in tempore ſuo multa mala intulerat *Anglicis*, & præcipue poſt prælium de **Stryvelinе.** Nam quemlibet ſagittarium quem capere poterat aut dextram manum abſcidit aut oculum dextrum eruit, & adeo ſe crudelem erga *Anglicos* gerebat propter arcus ſuos & ſagittas quod quantulamcunque enormem & intollerabilem vindictam capere poſſet de perſonis *Anglicis* minus brevem & levem excogitavit non habens de aliquo pietatem. Et ideo *Anglici* magis eum timebant quam cunctos alios de terra *Scotiæ*.

1331. Anno Gratiæ M.CCC.xxxj. ſederunt Juſticiarii ſuper *le Trailbaſton* per totum regnum *Angliæ*, & exulabant multi ubique in regno. Quam ob cauſam *Ricardus de Wilounghby* Juſticiarius regis captus eſt poſt natale Domini itinerando verſus **Grantham** per *Ricardum de Folvyle* rectorem eccleſiæ de **Tye** in *Rotolandia*, qui ferus & audax & ad proterva pronus fuerat; & ductus eſt in quendam boſcum adjacentem ad quendam ſocialem comitivam, ibique coactus ſolvit nonaginta marcas pro capitis ſui redemptione, juramento præſtito eorum conſilium ſemper obſervare.

An. Dñi 1332. Anno Gratiæ M.CCC.xxxij. & regni regis *Edwardi iij.* nono, poſt feſtum ſancti *Georgii* rex tenuit parliamentum ſuum apud *Londonias*; in quo data eſt commiſſio magnatibus cujuſlibet comitatus inquirere de malefactoribus, & eos capere & cuſtodiæ mancipare; ſimiliter & ſententia excommunicationis lata eſt per archiepiſcopum & alios epiſcopos qui affuerant ex præcepto regis ſuper eos qui bona dicti *Ricardi de Wylounghby* tulerant, rapuerant, vel aſſenſum præbuerant. Eodem anno nata eſt *Iſabella* filia regis apud **Wodeſtoke.** In æſtate ſequenti *Elionora* ſoror regis maritata eſt apud *Almoniam* domino *Galfrido* Comiti de *Gerle*; in cujus maritagium conceſſa eſt quintadecima de temporalibus & decima de burgis. Eodem anno convenerunt quidam magnates *Angliæ* qui clamaverant habere terras in regno *Scotiæ* jure hæreditario, & rex *Edwardus* hoc ſuſtinuit, non tamen eos aperte juvare potuit; nam mater ejus *Iſabella* & *Rogerus de Mortuo mari* obligaverunt eum curiæ *Romanæ* in ij. mille libris argenti in maritagium *Iohannæ* ſororis regis, ut ſi quis duorum regum, *Angliæ* ſcilicet & *Scotiæ*, à die hujus concordiæ & deinceps inquietaret alium per extorſionem, ſolveret curiæ *Romanæ* prædictas ij. mille libras argenti. Et iſtam obligationem rex *Edwardus* multum abhorruit, eo quod ante prædictam pactionem omnes reges *Scotiæ* ſubeſſe debuerant ditioni regum *Angliæ*. Tunc iſti domini clamantes terras in *Scotia*, ſcilicet dominus *Edwardus le Baliol* qui jure hæreditario clamavit regnum *Scotiæ*, comes de *Athedell*, dominus *Henricus de Bealmont*, dominus *Thomas de Wake*, dominus *Fulco le fitz Wareyne*, Baro de **Stafforde** nomine domini *Willielmi la Zouche*, dominus *Henricus de Ferrerys*, dominus *Ricardus de Talbot*, & plures alii cum trecentis armatis & tribus mille de omni genere peditum applicuerunt in *Scotiam* vij. die Auguſti in comitatu de **Fythfolk** juxta quandam parvam villam nomine **Kyngtorne** ubi nunquam navis applicuerat ante idem tempus; & *Scoti* occurrerunt eis parati in aciebus diſpoſiti ad ſummam x. millium repellere eos cupientes ne terram adirent, & pauci pedites de *Anglicis* qui exierant & terram ceperant commiſerunt pugnam cum *Scotis*, & antequam armati plene de navibus exierant vicerunt *Scotos*, & ad fugam cohercerunt, & de *Scotis* circiter nongentos occiderunt; & *Anglici* manebant in eodem loco nocte, & in craſtino poſt prandium perrexerunt ad abbathiam de **Donfermlyn**, ubi repererunt plenitudinem victualium; manſeruntque ibidem donec omnes magnates regni *Scotiæ* congregarent potentem exercitum armatorum & peditum venire ad eos in prælium; & *Scoti* venerunt ad locum qui vocatur **Gaſtmore** in vigilia ſancti *Laurentii*, & *Anglici* ſe dederunt apud **Fernymouth** ſuper aquam de **Erne.** Et quidam de *Anglicis* attoniti ſunt & vecordes præ paucitate ſuorum, nam toto numero fuerunt ij. mille & quingenti & non plures *Anglici*, & *Scoti* annumerati ſunt, ut dictum erat, xl. mille. *Anglici*

manſerunt

Edw.III. manſerunt toto illo die ſuper rivum aquæ prædictæ, videntes prope oculo ad oculum inimicos ſuos; ſet *Scoti* noluerunt tranſire aquam verſus *Anglicos*. Circa mediam noctem *Anglici* præteribant aquam ſuper *Scotos*, & interfecerunt ex eis in magna ſumma, & reliquos poſuerunt ad fugam; Et cum *Anglici* redirent mane de fuga *Scotorum* credebant armatam multitudinem *Scotorum* fugiſſe, nam fugientes *Scoti* multi erant nimis, & volebant viam capere verſus villam ſancti *Iohannis*, & videntes plenum exercitum *Scotorum* ante eos, feſtinaverunt aſcendere montem ubi *Scoti* hoſpitati ſunt in ſiniſtra parte, Et ſic *Angli* præoccupaverunt magnam moram, & ſtatim acies miſcuerunt; *Scotique* ultra modum mirantes qualiter *Angli* moram ſurripuerant, clamaverunt ſtatim ad Arma ad Arma, & præliari ferociter cœperunt exceptis xl. hominibus armatis qui venerant de *Almania* in auxilium *Anglorum*, qui ſe à latere continebant aſcenſis equis ſuis. Et ſic ſe gerebant *Anglici* divina clementia mediante qui victoriam non in numero hominum ſet in juſtitia & humilitate æquitatis ſolet exercere, quod *Scoti* in tanta multitudine adunati, ſuperati ſunt, mortui ſunt & cæteri in fugam verſi. Mortuique ſunt in eodem prælio de *Scotis* dominus *Dunaldus* Comes de *Murreff*, Comes de *Meneteth*, Comes de *Aſſeles*, dominus *Robertus Bruz* Comes de *Karyng*, dominus *Nele de Bruz*, dominus *Alexander de Bruz*, cum xij. Baronettis, & pluſquam C. milites. Pugnaverantque ab ortu ſolis uſque ad altam primam diei. Et ſecundum quod dictum eſt non evaſerunt de *Scotis* armatis vix xiv. quin capti ſunt aut mortui. Summa *Scotorum* ij M. armatorum, pedeſtruim xiij M. CCC. De *Anglicis* mortui ſunt ibidem in bello dominus *Iohannes Gurdon*, dominus *Reginaldus de la Beche*, & circiter xxxiij. nobiles armati, ſet nullus ſagittarius aut pedeſtris. Victoria prædicta facta eſt die Mercurii proxima poſt feſtum ſancti *Laurencii*. In craſtino *Angli* remeabant ad villam ſancti *Iohannis* & ceperunt illam ſine vi, multaque victualia invenerunt in ea, & manebant aliquamdiu ibidem, & fortificaverunt villam cum larga foſſura & de palo, ſupponendo ſe infra breve habituros indigentiam defenſionis; & ſic evenit eis, nam Comes *Patrik* & *Archibaldus Duglas* venerunt coram villa *ſancti Iohannis* cum omni genere hominum terræ *Scotia* xl M. hominum, & miſerunt apud **Berwyk** pro *Iohanne Crabbe* marinario *Scotia* & quam tocius veniret ſine dilatione ducens ſecum totam claſſem navigii quam poſſet totolibet aduniare, & quod intraret aquam de **Erne** ubi claſſis dictorum *Anglicorum* manebat, & naves incendio ſubito conſumeret, & ſic cum navigio ad villam *ſancti Iohannis* properaret obſidionem villæ ſuper *Anglos* incluſos facturus ex parte aquæ; unde dictus *Iohannes Crabbe* venit cum x. navibus de *Flandria* omni ſtoffura quæ ad guerram pertinet bene refertis; & ſubito venit in aquam **Erne**, & irruit ſuper naves *Anglia* inproviſas & non armatas, & primum inſultum fecerunt ſuper bargiam *Bealmont*, & quoſque in ea inventos vi comprehenderunt, & omnes occiderunt qui inibi fuerunt, & ſimile quidem cæteris navibus facere crediderunt, ſet ſpes eorum fefellit eos, nam pauci gentes qui in navibus relicti fuerant viriliter ſe defendendo reſtiterunt, *Scotos* in mari devicerunt, & majorem partem eorum interfecerunt & vulneraverunt, & naves eorum incendio conbuſſerunt; ſicque *Anglici* cum navibus Dei gratia ſuccurrente ſalvi facti ſunt præter eos qui bargia primo occiſi ſunt. Et ipſe *Iohannes Crabbe* cum magna difficultate vix evaſit, per terram fugiens venit *Berwycum* nuncians eis doloroſum eventum ſuorum & infortunium *Scotorum* inſperatum. Fortuna iſta evenit per Dei gratiam in die ſancti *Bartholomei*. Deus enim cuncta operabatur pro *Anglicis* in illo itinere. Cum igitur Comes *Patrik* & *Archebaldus Douglas* cum cæteris qui in obſidione ſteterant, iſta nova audiſſent, abierunt viam ſuam obſidione relicta. *Anglici* autem poſt parvam moram tradiderunt villam Comiti de *Fyth* qui ſe poſt victoriam *Anglicis* reddiderat. Set *Anglicis* ulterius in partes terræ progreſſis, idem Comes ſe *Scotis* contulit, villamque illis proditioſe tradidit. Et *Scoti* qui remanſerant vivi temptaverunt iterum inſultum contra *Anglicos* juxta **Muskburgh**, ſet cum *Anglos* viderent, ſe retraxerunt. Tunc *Edwardus le Baliol* protinus coronatus eſt apud **Scone** rex *Scocia* per ſocios ſuos *Anglicos*. Et cum *Scoti* coronaſſent Comitem *Patrik*, poſt paululum *Archebaldus Douglas* & alii magnates *Scocia* miſerunt *Edwardo Baliol* per *Anglicos* regi facto, petentes treugas uſque ad purificationem, quod rex *Scocia* poſſet bene & pacifice tenere Parliamentum ad uniendum & concordandum *Scotos* in unam gentem. Rex *Edwardus Baliol* nichil mali ſuſpicans in illis, annuit petitioni, & amovit à ſe populum ſuum, & plures redierunt in *Angliam*. *Scoti* fallaces bene armati venerunt apud *Anandiam* ad Parliamentum quod ipſi ibidem aſſignaverant, & ſtatim ceperunt interficere quotquot poterunt capere de parte *Edwardi de Baliol*. Et ipſe rex *Edwardus Baliol* vix evaſit quin captus eſſet & male tractatus. Fueruntque occiſi ibidem dominus *Walterus Comyne*, dominus *Iohannes Mowbraye*, Rex perrexit apud *Karliolum*, ubi cum honore receptus eſt per dominum *Radulfum de Acre* qui eo tempore gerebat cuſtodiam illius villæ, Deinde perrexit in comitatum *Leyceſtriam* ad dominam de *Geynes* apud **Morholme** degentem, ubi moram traxit per unam ebdomadam cum parva comitiva ſua viva qui evaſerant à *Scotis*; Et illa domina reſpiciebat eum de equis, veſtibus, jocalibus, auro & argento, nam ipſe perdiderat omnia ſua per *Scotos*. Edw.III.

An. Dñi 1333. Anno gratiæ M.CCC.xxxiij. rex *Edwardus* tenuit Parliamentum ſuum apud *Eboracum*, & plures magnates *Anglia* paraverunt ſe pergere in *Scociam* ſolidam in auxilium *Baliol* regis *Scocia*, & ſecunda ebdomada quadrageſimæ intraverunt terram *Scocia*. Et tranſierunt multa loca & mala plura *Scotis* fecerunt: Et domini le *Montagii*, le *Paroyel Nevyll* filius Comitis *Lancaſtria*, Comes *Arundell* ceperunt unam forſulam, in qua invenerunt dominum *Robertum de Colvyll* cum x. armatis cum multis dominabus & feminis de patria, & plures alios homines, atque plenitudinem magnam victualium & ſummam habundanciam, Quæ omnia ſecum adducentes forſulam funditus everterunt; Deinde perrexerunt *Berwycum* & obſederunt eam tam per mare quam per terram. Et dum ipſi obſiderent *Berwycum*, *Archibaldus Douglas* dominica poſt feſtum Annunciationis intravit marchiam *Anglia* cum iij M. hominum, & morabatur in *Anglia* iv. diebus, & incendebat in **Gylleslande** terras domini *Radulfi de Acre*, in longitudine xv. leucarum & in latitudine xvj. leucarum. Et redierunt tamen cum parva præda. Dominus *Antonius Lucy*, & *Willielmus Longhmaban* intraverunt in *Scociam* cum octingentis viris & equitaverunt in illa nocte xx. leucas de terra, & die Mercurii in Annunciatione *Mariæ* ceperunt dare incendio & gladio quicquid invenerunt, & ceperunt prædam magnam animallium. Et in ingreſſu equum *Willielmus Dowglas* qui Cuſtos fuerat forſulæ de Longhmaban cum magna multitudine hominum circa ipſam noctem occurrit *Antonio Lucy* & ſuis, & diu congreſſi ſunt in pugnam nimis fortem, & victi ſunt *Scoti* & *Willielmus Duglas* captus, & *Willielmus Ward* & circiter centum alii. Et dominus *Humfredus de Sarlyne*, *Willielmus Carlyll* & alii ad ſummam centum xl. de valettis ibidem occiſi, & dictus *Antonius Lucy* dire vulneratus; & ſic redierunt in *Angliam* cum magna præda vicorum & animalium plurium. Quidam *Anglici* aſſociati perrexerunt in *Scotiam* ad nundinas apud Hawyngton, & deprædati ſunt hominibus de animalibus & mercimoniis, & quicquid precioſum inventum ſecum tulerunt, & occiderunt quot expectare voluerunt. Tunc Comes de *Olneſter* Gardianus *Aquitaniæ* paravit ſe cum pulcra comitiva properare apud Berwyk in auxilium *Anglorum* villam obſidentium; ſet falſi *Aquitanici* qui ſe ultro dederant confederatos regi *Scociæ*, videntes propoſitum Comitis, finxerunt ſe amoris cauſa proficiſci velle cum illo in relevamen fortitudinis ſuæ. Set cum ſimul proficiſcerentur cum Comite de *Olneſter* verſus *Berwycum* colloquentes de materia itineris, quidam *Ybernicus* extracto ſubito gladio viſcera Comitis penetravit in equo ſuo, & interiit.

Iſto anno ſtatutum *lez eſtaples* lanarum *Anglicarum* in uno certo loco ad venditionem alienigenis coadunari, ut petra lanæ venderetur ad ij. s. ſet mercatores non obſervaverunt ſtatutum.

Dominica poſt Tranſlationem ſancti *Thomæ* venerunt *Scoti* & monſtraverunt ſe ex altera parte aquæ de Twede, ad ſummam per æſtimationem quater viginti M. hominum. Et manſerunt in ora Twede illa nocte, & *Anglici* noluerunt ad eos accedere, ſet ſe continuerunt in loco ſuo. *Scoti* prætereuntes exercitum *Anglorum* die ſequenti adierunt *Angliam*, rapientes, incendentes, occidentes & quicquid poterant deſtruentes, ut *Anglicos* ab obſidione retraherent. In vigilia ſanctæ *Margaretæ* rediit tota fortitudo *Scotorum* in tribus aciebus diſtincta & bene arraiata coram villa de Berwyke, & pugnaverunt fortiſſime cum *Anglicis*, & *Scoti* armati ſæpius temptaverunt villam intrare ſet rex in ea parte exiſtente præpediti ſunt & quaſi omnes occiſi. Et *Anglici* ſagittarii viriliter ſe habentes coercuerunt *Scotos* ad fugam; Et fuerunt ibidem occiſi ad ſummam xxxvj. mill. hominum, ſcilicet Comites, Comes de *Strayerne*, Comes de *Sotherland*, Comes de *Leneaux*, Comes de *Caryk*. Comes de *Monteth*, Comes de *Aſſeles*. Baronetti, dominus *Walterus Styward*, dominus *Johannes de Graham*, dominus *Humfredus de Boys*, dominus *Johannes de Strivelyne*, dominus *Willielmus Tedy*, numero M. & C. De communibus non armatis M. DCCC. ſumma omnium occiſorum *Scotorum* xl. mill. Iſti fuerunt capti Baronetti, dominus *Willielmus Keth*, dominus *Iacobus Duglas*, dominus *Johannes de Kyrketon*, dominus *Archebaldus Duglas* Gardianus *Scociæ*, dominus *Willielmus Duglas* ut ſupra. Dominus *Willielmus de Lynliſcon*, dominus *Iohannes de Scherlynghowe*, dominus *Rogerus de Kyrkepatrik*, dominus *Rogerus Boys*, dominus *Robertus le Warde*, *Aliſander Fryſell*, *Michael de Wymes*, dominus *Iacobus Styward*, numero xvj. In prima acie, Comes de *Morff* adhuc juvenis. Et cum eo *Iacobus Fryſell*, *Symon Fryſell*, *Walterus Styward*, *Reginaldus Clene*, dominus de *Patrik* de *Grahamſtenth*, dominus *Iohannes Grim*, dominus *Iohannes de Carlyle*, dominus *Patricius Curteer*, dominus *Robertus de Caldecote*, dominus *Patricius de Meldrome*, dominus *Willielmus Gieryne*, dominus *Thomas Toker*, dominus *Gylbertus Wyſman*, dominus *Adam de Cordon*, dominus *Iacobus Grangranche*, dominus *Alanus Graunte*, dominus *Robertus Boyth*. Et cum eis trecenti viri armati & ij M. ducenti communes. In ſecunda acie, Seneſcallus *Scociæ* cum vexillo, dominus *Iacobus* avunculus ejus cum vexillo, dominus *Martinus* filius *Andenſis* cum vexillo, *Willielmus Douglas* filius *Iacobi Duglas*. Ejus *David de Lyndeſey* ad vexillum, dominus *Duncanus Cambell* ad vexillum. Baronetti, dominus *Iacobus Styward* de *Dalden*, dominus *Adam Styward*, dominus *Willielmus Yriskin*, dominus *Willielmus Abrenythy*, dominus *Willielmus Moreſth.* dominus *Walterus Fitz Gilbert*, dominus *Iohannes de Grettone*, dominus *Willielmus Moreſth.* de *Glawlton*, cum trecentis viris bene armatis, & trecentis de communibus armatis. In tercia acie, ſcilicet *le* Rerewarde, Comes de *Caryk*, dominus *Archibaldus Douglas* cum vexillo, dominus *Alexander Lurneys* cum vexillo, Comes de *Kenenanz* cum vexillo, vexillum Comitis de *Fyfe*, dominus *Iohannes Clavelle*, qui ſe clamat Comitem de *Aſſeles*. Baronetti, dominus *Robertus le Wyther* filius, dominus *Ioons de Scherlynghong*, dominus *Willielmus de Veſon*. dominus *Willielmus de Lyngiſton*. dominus *Iohannes de Lyndeſleye*, dominus *Willielmus de Fryſleye*, dominus *Bernardus Fryſell*, dominus *Alexander de Lyndeſleſe*, dominus *Alexander de Gray*, dominus *Willielmus de Umfranwil*, dominus *Patricius de Yleward*, dominus *David de Wymes*, dominus *Willielmus Soot*, dominus *Willielmus de Land*, dominus *Rogerus de Mortemer*, dominus *Thomas de Veys*, dominus *Willielmus de Cambowe*, cum CCC. armatis de communibus armatis, cum Comitibus de *Roſſe*, Comite de *Southlande*, Comite de *Stratherne*. Barones, Dominus *Walterus de Kyrkeby*, dominus *Iohannes de Cambron*, dominus *Gilbertus de Saye*, dominus *David de Marre*, dominus *Criſtinus de Harde*, dominus filius de *Bremming*, dominus *Oliverus* de *ſeint Clere*, cum CC. viris armatis, iv M. de communibus armatis. Iſti non venerant ad bellum, Dominus *Alexander de Moners*, dominus *Willielmus de Prenderſoit*, dominus *Robertus de Condre* pater, dominus *Robertus de Keth*, *Edwardus de Keth*, dominus *Patricius de Brichine*. Eodem die opidani & villani reddiderunt caſtrum cum villa regi *Angliæ*. Et dedit eis rex *Edwardus* inducias xl. dierum exeundi & redeundi & bona ſua ad placitum alienandi. Et hiis qui manere volebant libenter licentiam dedit, & fecit eos jurare ei fidelitatem & ejus ligios fideles devenire, ſcilicet Comitem *Patryk*, dominum *Alexandrum de Ramſeye*, dominum *Robertum de Myners* & alios majores de villa. Deinde rex *Edwardus* fecit Comitem *Patrik* & dominum de *Percy* Gardianos de tota terra *Scociæ* citra mare, & omnes citra mare *Scociæ* vene-

Edw. III. venerunt ad pacem regis *Edwardi.* Deinde poſt feſtum ſancti *Laurencii, Edwardus Baliol* rex *Scociæ* cum quæſtoribus & aliis qui ſe dederant ad pacem regis perrexit ultra mare *Scociæ* circiter xxvj. mille hominum bene arraitorum vaſtando & deprædando, & ad libitum quicquid volebant capiendo; & morabantur ibidem per totam yemem totam patriam habentes in quiete.

An. Dni 1334. Anno gratiæ M. CCC. xxxiv. & regni regis *Edwardi* viij. rex *Edwardus* tenuit Parliamentum apud *Eboracum*, ubi venit rex *Scociæ Edwardus Baliol* & fecit homagium ſuum regi *Angliæ* pro omnibus terris ultra mare *Scoticum:* Et exinde rex *Scotiæ* proceſſit cum antedictis quæſtoribus quos eo tempore *Anglici* vocabant *le Querelers*, in *Scociam*, & *Scoti* interim fecerunt congregationem magnam populi; & aſſociaverunt ſibi Comitem de *Aſſelles*, & fecerunt eum Capitanium ſuum & ductorem, & propoſuerunt capere regem *Baliol* ſi moram traxiſſet apud **Strybelyne** prout propoſuerat. Eodem tempore captus eſt dominus *Ricardus Talbot* qui fuerat Gardianus ultra montes, & poſt paululum dominus *Henricus de Bealmont* captus eſt & plures de ſuis per *Scotos.* Rex *Baliol* rediit apud **Berwyk.** *Scoti* adunati in magna potentia venerunt citra mare *Scoticum* verſus marchiam, & multa mala fecerunt. In autumpno ſequenti rex *Edwardus* tenuit Parliamentum apud *Londonias* vocato Clero; & conceſſa eſt regi de temporalibus quintadecima, de Clero & Burgis decima in ſubſidium guerræ *Scociæ.* Et circa feſtum omnium Sanctorum venit rex *Edwardus* apud **Berwyk**, & tetendit iter verſus mare *Scoticum.* Eodem tempore dominus *Edwardus de Boun* conſanguineus regis ſubmerſus eſt in **Sulwath.** Rex venit apud **Rokysburgh** & fortificavit caſtrum & villam.

Ciſtrenſis lib. 7. c. 44. Obiit papa *Iohannes* xxij. in adventu Domini. Et cito poſt in eadem ebdomada ſucceſſit *Benedictus* xij. monachus prius & Abbas *Ciſtercienſis* ordinis. Deinde in propria dioceſi epiſcopus, tandem Cardinalis, & demum Apoſtolicus. Qui mox ad profeſſores diverſorum ordinum Conſtitutiones edidit regulas eorum concernentes.

Leyceſtrenſis. Iſte papa *Iohannes* vocatus fuerat Cardinalis blancus, id eſt albus. Iſte papa *Iohannes* libenter Clericos promovit, & ordinavit quod nullus Clericus teneret duo beneficia curata, & reſervavit Curiæ omnes primos fructus vacantium Eccleſiarum ſive per mortem ſive per reſignationem; & ſemper contendebat cum Duce *Bavariæ*, & eum excommunicavit cum omnibus ſuis adhærentibus. Poſt Purificationem rediit & rex *Angliæ* apud *Novum caſtrum ſuper Tynam* ad conſulendum & reſponſum dandum nunciis regis *Franciæ*, qui ſe dederat contra regem *Angliæ* cum *Scotis* ad perturbandum regem *Angliæ* ne guerram exerceret ſuper *Scotos*; & circa medium Quadrageſimæ habuit rex *Edwardus* ſecretum Concilium apud **Notyngham**, In quo Concilio reſponſum eſt *Francis* & *Scotis* mere & plane regem *Edwardum* nolle concordare in illa parte cum eis. Eodem anno pars Univerſitatis ivit apud *Stanfordiam* propter diſcidium inter ſcolares auſtrales & boriales apud *Oxoniam.* Eodem anno yemps valida & frigida ultra menſuram, eo quod multi *Anglici* in exercitu regis in *Scociæ* moriebantur.

1335. Anno gratiæ M.CCC.xxxv. rex *Edwardus* cum populo ſuo exiit de *Carliola* pertranſiens vadum **Sulwath** ſcilicet xj. die Julii. Et die Martis ſequenti dominus *le Montagu* & plures alii magnates *Angliæ* abierunt verſus partes de **Carlanerok** prædantes animalia in magna plenitudine. Et die Mercurii redierunt ad exercitum cum præda multa. Die Jovis tranſierunt vadum *Anandiæ*, & rex prodiit vexilla & fecit milites plures. Eodem die Comes *Hunaldorum* deſtinavit per *Enendum* militem unam galeam precioſam, cum apparatu, quam idem Comes ſolebat in capite ſuo geſtare. Et rex dedit eidem militi pro ſua præſentatione C. li. ſterlingorum. In eodem viagio rex dedit domino *Montagu* **is creſt with Egle** cum uno dextrario ſtrato cum Armis de *Montagu* cum reverſione manerii de **Wetton** & **Perſchewodenale** cum pertinenciis in comitatibus **Somerſehede** & **Dorſete** & **Wiltſchyre.** Quam reverſionem dominus *Johannes Mantravers* perquiſierat de domino *Roberto Fit Pain.* Dominus *Montagu* exercuit multa incendia & devaſtationes in terra *Scociæ* eodem tempore, & prædas multas & miras ad exercitum regis adduxit cum multis aliis victualibus. Dominica poſt feſtum *Magdalenæ* Comes *Warennæ* & rex *Scociæ Baliol* ceperunt unam forſulam Comitis de *Aſſelles*, quam vocabant **Combrenouth**, quæ nimis fortis erat ad capiendum; ſet per infortunium ignis per eos qui inibi erant aut extra coacti ſunt ſe reddere cum cibis ſuis; In qua captus eſt dominus *David* Mareſchallus cum uxore ſua, uxor domini *Archebaldi Duglas*, uxor domini *Philippi Monbray.* Et tranſierunt *Anglici* abinde per villam ſancti *Iohannis*; Et rex *Scociæ Baliol*, & Comes *Cornubiæ* tenderunt iter apud **Donbretane** ad firmandum Caſtrum; Et quidam de *Scotis* ſe dederunt ad fidem regis *Angliæ*, ſcilicet dominus *Alexander Monbraye*, dominus *Galfridus Monbraye*, dominus *Galfridus de Roos*, dominus *Willielmus Bulloc* clericus, dominus *Euſtachius de Loreyne*, habentes ad hoc plenam poteſtatem de domino *David de Strabulgy* Comite de *Aſſelles*, & *Roberto* Seneſcallo *Scociæ.*

Primo quod Comes de *Aſſelles*, & omnes magnates & cæteri omnes de Communitate qui vellent venire ad pacem regis *Angliæ* haberent vitam & membra, terras & tenementa, feoda & officia in *Scociæ* quæ habere deberent de juſticia vel jure hæreditario, præter eos qui excipiendi erant per communem aſſenſum. Ita eciam quod omnia delicta & mala facta quæ fecerant in regno *Angliæ* à principio mundi uſque ad datam præſentium abſque incarceratione vel alia moleſtatione pardonarentur.

2. Eciam quod Comes de *Aſſelles*, & dominus *Alexander Moubraye* haberent terras & tenementa & feoda in *Angliæ* quæ habebant in receſſu ſuo de *Novo caſtro* ſuper *Tynam* quando fecerant homagium regi *Angliæ.*

3. Eciam quod libertates Eccleſiæ *Scociæ* foveantur ſecundum antiquum ſuum uſuagium. Et quod leges *Scociæ* in burgis & villis vicecomitibus infra terras regis *Scociæ* uſitentur ſecundum antiquas conſuetudines ſicut uſitatæ fuerant tempore regis *Alexandri*; & quod officia regni *Scociæ* miniſtrentur per homines ejuſdem nationis, Ita quod rex *Scociæ* poſſit de ſua regalitate præficere Officiarios omni tempore ad placitum de quacumque natione voluerit; Et quod omnes illi qui ſunt ſub condi-

tione Comitis de *Aſſelkes* qui habent terras & tenementa infra terras regis *Angliæ*, retineant eaſdem terras & tenementa & poſſeſſiones feoda & officia ſicuti habuerant in ſuo receſſu poſt prædictum homagium factum apud *Navum Caſtrum ſuper Tynam*, præter eos qui excipientur de communi aſſenſu. Et quod omnes prædicti ſi ſint in placito attemptati poſſint habere ſuam defenſionem in qualibet curia ſecundum jura.

4. Quantum ad manerium ſuum vadiatum pro CC. li. qua hora Comes *Athbeles* veniat poſt datam præſentium & facere voluerit ſolutionem, rex faciet eum habere manerium ſuum.

5. Et quoad caſtellum & terras de **Chilkham** concordatum eſt, quod idem Comes in eodem puncto ſit ſicut ſteterat in ſuo receſſu &c. & habeat recuperationem per legem, rex ei promiſit quod faceret eum habere legem regni ſui abſque favore ad partem.

6. Et eciam quoad terras quas idem Comes clamabat in **Northfolc** rex annuit ei, quod viſis Cartis ſuis per Conſilium regis *Angliæ* rex faceret ei juſtitiam. Et eciam quod in caſu quod aliquis imponere vellet proditionem aliquam dicto Comiti, quod poſſet habere corporalem defenſionem ſecundum uſitationem *Scociæ* & ſuper marchiis &c.

Et cum iſta concordia foret de ambabus partibus firmata & ſolidata quod homo niſi bonum attenderet, & omnes facti eſſent ligii homines & jurati regi *Edwardo Baliol*, tunc redierunt in *Scociam* ad refrænandum rebelles per præceptum regis *Angliæ*. Et ſtatim fregerunt pactum, & falſi facti ſunt: et convenerunt ſimul & conjunctim abierunt apud **Kyldromny**, & occiderunt proditioſe Comitem de *Atheles* ſuper obſidione ubi rebelles *Scociæ* fuerant incluſi. Eodem tempore quinginti ſagittarii cum aliis pedeſtribus redeuntes in *Angliam* occiſi ſunt per Comites de *Morryf* & *Patrik* & dominum *Willielmum Duglas*. Deinde x. mille *Scotorum* perrexerunt apud **Bamburgh** ad obſidendum reginam *Angliæ*, & occurrerunt eis per viam de *Anglicis* v. mill. & occiderunt de eis xix. milites & v C. de aliis, & ceperunt Comitem de *Murryf*, & ſecum adduxerunt ad caſtellum reginæ, cæterique fugerunt; Et occiſi ſunt ibidem de *Scotis* v. mill. & de *Anglicis* CCCC. venerant enim iſti *Scoti* in *Angliam* ut regem *Angliæ* rettraherent de *Scocia*. Rex *Franciæ* ſubtiliavit viis & modis quibus potuit qualiter deturbaret regem *Angliæ* & repatriare faceret ne in tantum deſtrueret & debellaret regnum *Scociæ*. Et per ſuggeſtionem quam papæ fecerat, venerunt nuncii ex parte Papæ & ex parte Regis *Franciæ* ad Regem *Angliæ* pro pace facienda cum *David Bruz*, & attrahendo regem *Angliæ* iter capere cum rege *Franciæ* in terram ſanctam. Rex *Franciæ* adquiſierat à papa *Iohanne* colore deceptorio unam decimam ſexennalem, fingens ſe velle proficiſci in terram ſanctam, Papa credidit eum fuiſſe in firmo propoſito proſequendi dictum negotium, & fecit eum capitanium dicti paſſagii, & in quantum potuit ſubvenit, ſet Rex prætermiſit totum propoſitum; Verumtamen Rex *Angliæ* reſpondit ei quod ſufficiens eſſet de ſuo, laudetur Deus, abſque ejus auxilio in aliquo pro merito animæ ſuæ ſi videret tempus oportunum, ſi non fuiſſet impeditus per ipſum & ejus adhærentes. Et ad *David de Bruz* ita proviſe reſpondit, quod per rationem culpa non deberet imputari ei in aliquo reſponſo, Et inter alia quod non poſſet nec vellet exire terram ſuam dummodo inimici ſui ita rebelles eſſent contra eum quos rex *Franciæ* foverat contra eum, qui jure conſanguinitatis potius deberet ei cum ſuo juvamine adhærere quam inimicos ſuos capitales contra eum fortiter educare.

An. Dñi 1335.

Eodem anno M. CCC. xxxv. in feſto decollationis ſancti *Iohannis* combuſtum fuit manerium noſtrum de **Cokerham** cum capella in eodem, cum libris & minumentis aliis ejuſdem manerii. Et circa nativitatem beatæ *Mariæ* omnes *Scoti* venerunt vi oppreſſi ad pacem regis *Angliæ*, & fecerunt ſecuritatem per juramentum quod omnes magnates *Scociæ* venirent & *David Bruz* cum uxore venire facerent ad feſtum *Michaelis* apud *Londonias* ad Parliamentum Regis *Angliæ* & ſtare ordinationi Regis *Angliæ* & Concilii ejus, Ita quod idem *David* & uxor ejus demorarentur in *Anglia* uſque ad mortem *Edwardi Baliol*; & medio tempore *Scoti* facerent debitam ſubjectionem Regi *Angliæ*. Set Rex *Franciæ* cum hæc intellexiſſet in tantum malitioſe fecit & procuravit, quod *Scoti* ſe continuerunt, & ad Parliamentum ſtatuto tempore non venerunt. Quam ob cauſam Rex *Angliæ Edwardus* anno gratiæ M. CCC. xxxvj. cum grandi exercitu iterato tranſivit in *Scociam* & fortificavit cum foſſa villam *ſancti Johannis* & caſtellum de **Strivelyne**, **Bodenyll**, & **Rokesburgh**, & alias forſulas, & inſtauravit ea & poſuit cuſtodiam in eis. Tunc infirmatus eſt *Johannes de Eltham* frater Regis Comes *Cornubiæ* apud villam *ſancti Iohannis* & mortuus eſt ibidem. Et cauſa hujus viagii Regis *Angliæ* hæc fuit, nam dabatur regi intelligi quod rex *Franciæ* juraverat *Scotis* ipſos fovere & ſuum auxilium præbere eis, & multos de *Francia* in *Scotiam* contra regem *Angliæ* præmiſiſſe. Ex qua re rex *Edwardus* multum lætus effectus, credebat ipſos velle in bellum contra ſe procedere, ſet hoc non audebant, ſet ſæpe tam nocte quam die populum *Anglicum* acclamabant, & ſemper de longe ſteterunt; & rex *Edwardus* circuivit de patria in patriam prædando, devaſtando, & depauperando undique patrias, & non erat qui ei reſiſteret; & cum neminem inveniſſet impedientem rediit apud **Notyngham** ubi conceſſa eſt regi nova contributio ſcilicet de temporalibus viceſima, de burgis decima, de ſpiritualibus vj. de mercatoribus *Angliæ* xl. s. ad ſaccum; de allenigenis ad ſaccum lx. s.

1336.

Ciſtrenſis l. 7. c. 44.

Circa feſtum beati *Gregorii* in quadrageſima Rex *Edwardus* in pleno Parliamento apud *Londonias* de comitatu *Cornubiæ* fecit Ducatum; quem contulit *Edwardo* primogenito ſuo una cum comitatu *Ceſtriæ*. Ordinavit eciam ibidem quinque Comites, unum ad *Derbeyam*, alium ad *Northamptoniam*, tertium ad *Huntindoniam*, quartum ad **Saliſbury**, quintum ad *Gloverniam*.

Leyceſtrenſis.

Rex *Edwardus* fecit *Henricum* filium *Henrici* Comitis *Lancaſtriæ*, Comitem *Derbeyæ*; *Willielmum de Boun*, Comitem *Northamptoniæ*; *Willielmum Montagu*, Comitem de **Salusbury**; *Hugonem de Anſeleye*, Comitem *Glouceſtriæ*; *Robertum de Dufforde*, Comitem de **Suthfolc**; *Willielmum de Clynton*;

Clynton Comitem de *Huntyngdon*, *Hugonem de Courteneye*, Comitem de **Devenſchyre**.

Ciſtrenſis, ubi ſupra. Orta eſt grandis diſcordia inter reges *Franciæ* & *Angliæ*, ex eo quod rex *Franciæ* multas terras & opida in *Vaſconia* improbe uſurpaverat. Qua de cauſa rex *Angliæ* oblationes plures humiles regi *Franciæ* fecerat ſi ſaltem ſic terras ſuas recuperare poſſet, ſet cum nil proficeret, collectis undique pecuniis mare tranſire diſpoſuit. Circa feſtum beatæ *Margaretæ* rex *Edwardus* tranſiit in *Flandriam*, inde *Coloniam* adiit, ubi Imperatorem *Bavarium* ſibi conciliavit, *Brabanos* & *Flandrenſes* ſibi ſociavit, de quorum conſilio arma *Franciæ* ſuis immiſcuit armis. *Boriales* partes *Franciæ* uſque ad *Tornacum* incendit & vaſtavit. Circa feſtum Purificationis, rex *Edwardus Angliam* rediit, uxorem tamen ſuam cum liberis in ea parte progenitis, apud **Andewarp** in **Seland** dimiſit quaſi in aſſecurationem reditus ſui. Celebratoque apud *Londonias* parliamento aliiſque negotiis diſpoſitis, induxit *Angligenis* tributum quintæ partis bonorum, lanas omnium occupavit, nonamque garbam de omni gleba *Angliæ* ſuis expeditionibus deputavit, de quarum proventu dominos villarum vicinarum reſpondere fecit. Hoc eciam anno tanta fuit rerum copia & æris inopia, quod quarterium frumenti *Londoniis* ad duos ſolidos venderetur, & bos pinguis ad dimidiam marcam. Rex *Edwardus* in vigilia *Johannis Baptiſtæ* cum ducentis navibus mare ingreſſus eſt verſus *Flandriam*, ſet juxta maritima *Flandriæ* claſſem *Francorum* copioſam & inſtructam obviam habuit, Qua de cauſa per totum diem illum cum ſuis deliberans, in craſtino ſuperveniente in ejus auxilium valente milite *Roberto de Morleya* cum boriali claſſe *Angliæ* commiſſum eſt navale bellum fortiſſimum quale circa oras *Angliæ* nuſquam eſt viſum, ubi Deo favente *Franci* & *Normanni* acriter ſagittati per *Anglos* ſunt devicti, partim cæſi, partim gratis ſubmerſi, partim capti, navibuſque eorum exceptis paucis quæ aſſugerant totaliter occupatis; Inde rex *Angliæ Flandriam* attingens adunato exercitu copioſo borialem partem *Franciæ* vaſtavit, urbem munitiſſimam *Tornacum* diuſcule obſedit, ſet tandem ob defectum pecuniæ quam ſui ſegnes Procuratores ab *Anglia* non miſerant contractis treugis & induciis inter reges utrimque diſceſſum eſt.

Explicit liber 7. *Ciſtrenſis.*

Finito 7. & ſic ultimo libro *Ciſtrenſi* ſolus procedit *Leyceſtrenſis* proſequens inceptam materiam.

Liber quartus.

CUm rex *Franciæ* ut ſupradictum eſt, occuparet terras regis *Angliæ* in *Vaſconia*, rex *Edwardus* miſit nuncios ad regem *Franciæ* petens ab eo terras ſuas in *Vaſconia* quæ ſibi jure hæreditario incumbebant, & quas progenitores ſui de generatione in generationem juſte occupabant, & pro quibus ut ſupra patet, ipſe homagium regi *Franciæ* eidem fecerat. Brevi reſponſo accepto, nuncii nichil in hiis profuerunt. Nam rex *Franciæ Philippus* juraverat & votum voverat, quod aut regem *Angliæ* penitus deſtrueret, aut ipſum ditiſſimum regem Chriſtianitatis efficeret aut pauperrimum redderet, & hoc totum pro cauſa quod rex *Edwardus* tantum inſudaverat ad humiliationem *Scotorum*; & ideo miſerat rex *Franciæ* gentem robuſtam in *Vaſconiam*, & deſtruxit & occupavit quaſi totam terram paucis caſtellis exceptis; ſet idem rex *Franciæ* multos perdidit de populo ſuo. Tunc fuerat Seneſcallus *Vaſconiæ* dominus *Oliverus de Dygham* probus miles, elegans & audax, & ſecundum ſuum poſſe bene ſe habens erga *Francos*. In æſtate ſequenti rex cepit lanas de tota terra *Angliæ* per tallias corulinas & parvula brevia ſcripta impoſito precio ix. marcarum ad ſaccum per manus mercatorum in quolibet comitatu; & de domo noſtra *Leyceſtriæ* habuit xviij. ſaccos, & circa feſtum omnium Sanctorum rex miſit *Henricum de Borongwas* epiſcopum *Lincolnienſem* & Comitem de *Northamptona* & Comitem de **Suthfolk** cum x. mille ſaccis lanæ in *Brabanciam* pro retentione facienda de alta *Almania*, & vendiderunt ibidem quemlibet ſaccum pro xx. l. Quinto die ante natale Domini venerunt duo Cardinales in *Angliam* pro concordia facienda inter reges *Angliæ* & *Franciæ*, & quolibet die ceperunt de eccleſia *Anglicana* l. marcas pro ſuis expenſis, unde levata eſt ſumma iiij. denariorum de qualibet marca totius eccleſiæ *Anglicanæ* tam exemptæ quam non exemptæ. Poſt Epiphaniam fecit rex obſidere caſtellum de **Donnbarre** per Comites de **Arundell** & **Salusbury**, ſet poſt longam moram in obſidione ibidem factam relicta obſidione receſſerunt abinde in eorum opprobrium non modicum. In eodem tempore epiſcopus de **Glaſcoue** venit de *Francia* cum apparatu multo de armis, equis, auro & argento in auxilium guerræ *Scotiæ* ex providentia regis *Franciæ* ad valorem xv. mille librarum. Et captum eſt totum ſuper mare per dominum *Iohannem Ros*, & ductum ad portum de **Sandewyche**, & idem epiſcopus cito poſt mortuus eſt præ dolore. Eodem anno rex cepit omnes theſauros per totam terram de alienigenis religioſis & ſimiliter de ſecularibus, & fecit attachiare bona eorum, terras & tenementa donec facerent gratum regis. Itaque terras eorum fecit extendi ad valorem; Et ipſi dederunt regi certam ſummam de anno in annum prout potuerunt concordare. Rex rogavit de auxilio ex toto regno de quolibet qui habebat xl. s. in bonis & catallis; Et quæſitum eſt à ſingulis per miniſtros regis præſtito ſacramento quantum poſſent bene dare. Et cum rex multa in hunc modum recepiſſet tam de eccleſiaſticis perſonis quam de ſecularibus, rex celebravit Parliamentum apud *Londonias*, & tractaverunt de adventu Cardinalium pro pace habenda & de aliis negotiis regni. Sicque reſponſum eſt Cardinalibus in principio quadrageſimæ, quod rex non ſe concordaret cum rege *Franciæ* niſi ſub conditione quod redderet ei terras ſuas quas ultra mare nequiter & injuſte ei detinuerat & adhuc occupaverat. Unde cito poſt *Normanni* intraverunt cum magna potentia in **Portuſmuth**, & miſerunt in flammam ignis totam villam, & multos *Anglorum* interfecerunt, & ceperunt quicquid invenire potuerunt, & ſubito ſine mora abierunt. Nam intraverunt ſub armis *Angliæ* & ſic deceperunt illos de villa, ſet tamen ſupervenerunt quidam *Angli*, & in receſſu eorum multos ex eis occiderunt.

An. Dñi 1338. Anno gratiæ M. CCC. xxxviij. rex *Edwardus* fecit capere de quolibet comitatu certam ſummam quarteriorum frumenti, avenarum & baconum in qualibet villa prout extiterat major vel minor. Deinde de abbathiis veſtimenta, vaſa argentea, & alia ornamenta in auxilium paſſagii ſui ultra mare. Ex qua re ortus eſt ingens clamor in populo, & majus malum exinde proveniſſet ſi ſanius conſilium rex non accepiſſet.

Citra feſtum Pentecoſtes miſit rex *Iohannem* epiſcopum *Cantuarienſem* & epiſcopum *Dunolmiæ* cum Cardinalibus ad regem *Franciæ* pro pace habenda ſi bene poſſet adipiſci. Eo tempore capta eſt treuga inter *Angliam* & *Scotiam* per unum annum duratura. Et tunc ſoluta eſt obſidio de **Dunnebarre**, & rex *Edwardus* medio tempore miſit ultra mare dominum *Willielmum Bowne* Comitem *Northamptoniæ*, & dominum *Galfridum Schorp* Juſticiarium capitalem *Angliæ* & plures alios, & applicuerunt apud *Andewerp* in *Brabantia*, & die tranſlationis ſancti *Thomæ* cunctis rebus diſpoſitis & proviſis quæ ad paſſagium pertinent, rex ſe miſit in mare cum grandi potentia, habens ſecum Comites & magnates regni, ſcilicet Comites *Derbeyæ*, de **Salysburye**, & **Northfolk** & multos proceres cum eis & copioſam multitudinem ſagittariorum & *Wallenſium*, et applicuit apud *Andewerp* ad uxorem ſuam et filios, in feſto ſancti *Kenelmi*. *Flandrenſes* læti de ejus adventu promiſerunt ei auxilium ſuum; Nam ſatisfecerat eis pro quibuſdam navibus quas *Angli* ceperant de eis & deſtruxerant. In craſtino ſancti *Jacobi* Dux *Cornubiæ* tenuit Parliamentum apud *Northamptoniam* per commiſſionem regis cum cæteris magnatibus regni, ubi ordinatum eſt, quod rex in ſubſidium guerræ ſuæ haberet de qualibet villa ubi taxa ſe extendebat de viceſima ad xx. s. Rex haberet x. petras lanæ, et ſic per totum regnum de qualibet villa ſecundum ſuum poſſe, et ſic rex habuit de comitatu *Leyceſtriæ* CCC. & xj. ſaccos, de comitatu *Lincolniæ* DC. ſaccos, de comitatu *Northamptoniæ* CCC. ſaccos, ſumma totalis ſaccorum trium comitatuum M. CC. xj. ſacci. Et præter hæc rex habuit auxilium de Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Vicariis, Juſticiariis & aliis magnatibus qui non poterant proficiſci cum eo in guerra ſua, de quibuſdam C. li. de aliis CC. li. prout poterant effundere. Ad feſtum ſancti *Michaelis* ſequentis conceſſa eſt regi decima biennalis à clero ad lanas tertii anni donec ſe extenderet ad decimam unius anni ultra ſcilicet ubi ante non ceperat lanas. Et cum rex veniſſet in illas partes non invenit in quo confidere poſſet, excepto Duce de *Gerle* ſolo, & exinde dixit *Lyncolnienſi* epiſcopo & aliis ſecretis ſuis, non ſibi bene conſultum fuiſſe. Et capitoſe cepit iter verſus Ducem *Bavariæ* qui ſe Imperatorem fecerat, qui habitavit in alta *Almania* per vij. diætas à *Colonia*, Et cum Imperator intellexiſſet de adventu regis *Edwardi*, movit ſe de loco ſuo rediens in occurſum regis, per iiij. diætas occurrens ei, & ad quandam villam nomine *Colonence*, & ibi recepit regem cum magno honore, ubi parata eſt una cathedra Imperatori, et alia regi, et ditiſſime ſtrata in communi foro extra omne domicilium; ubi Imperator ſedebat & rex *Edwardus* juxta eum; & aſſiſtebant eis iiij. Duces, iij. archiepiſcopi & vj. epiſcopi, & xxxvij. Comites, de Baronibus & Baronettis & militibus & aliis advenientibus bene ad æſtimationem *dez. heroudes* xvij. mille. Imperator tenuit in manu ſua dextra ſeptrum imperiale, & in ſiniſtra manu pilam auream rotundam quæ totius mundi denotat gubernaculum, Quidam miles ultra caput ſuum unum gladium evaginatum: & ibidem Imperator coram omni populo congregato oſtendit & notificavit omnibus innaturalicatem & inobedientiam ac improbitatem quam rex *Franciæ* ei fecerat, & ibidem regem *Franciæ* diffidebat; & in foriſfactura ipſum & omnes ſuos adhærentes promulgavit. Deinde Imperator fecit regem *Edwardum* ſuum vicarium & dedit ei plenam ſuam poteſtatem de *Colonia* & citra. Et ſuper hoc dedit ei cartam ſuam vidente omni populo. In craſtino vero convenerunt ad matricem eccleſiam Imperator & rex *Angliæ* cum cæteris magnatibus & archiepiſcopis *Coloniæ*, celebrarunt miſſam, & poſt miſſam ſtatim juraverunt tam Imperator & omnes cæteri magnates regis *Angliæ*, quod ipſum juvarent & manutenerent contra regem *Franciæ* ad vivere & mori per vij. annos proxime integraliter ſequentes ſi guerra inter dictos reges tanto tempore duraret. Et ſimiliter fuerunt jurati omnes regi *Angliæ* quod omnes magnates de *Colonia* & citra cito venirent ad regem *Angliæ*, & ſemper debent eſſe parati venire ad eum omni tempore quo fuerint præmuniti contra regem *Franciæ* cum eo ſeu in quo loco rex *Angliæ* ipſos voluerit aſſignare. Et ſi contingeret aliquem illorum regi *Angliæ* non obedire in præmiſſis, cæteri omnes de alta *Alemania* inſurgerent contra ipſum & eum deſtruerent. Hiis itaque contractis & ſtabilitis rex cepit licentiam ab imperatore & rediit in *Brabaniam*. Et deinde infra breve rex *Edwardus* fecit vocare omnes magnates à *Colonia* & citra ad unum concilium apud *Malyns*, ubi convenerunt dux *Brabaniæ*, Comes *Hunaldiæ*, Comes de *Gerle*, dominus de *Facunberge* & cæteri magnates omnes, excepto epiſcopo de *Legys*; & rex ibi oſtendit eis cartam Imperatoris quam ei Imperator confecerat & cætera Imperatoris in hac parte promiſſa. Et omnes annuerunt ei obedire ſecundum illud quod ligius eorum dominus in hac cauſa ordinaverat, & eciam eos libenter velle vacare ejus negotiis ſecundum ſuum poſſe. Rex *Edwardus* celebravit aliud concilium in marchia ſuper terras epiſcopi de *Legys*, & fecit ſummonere epiſcopum de *Legys*, ſet noluit venire, & ſic pro ejus inobedientia et aliis negotiis rex *Edwardus* miſit epiſcopum *Lincolniæ* ad Imperatorem conquerens de epiſcopo de *Legys* & petens ejus auxilium; Et dictum erat quod Imperator in propria perſona voluit veniſſe ad regem *Angliæ* in ejus auxilium, quia credebatur quod magnum campeſtre bellum foret futurum inter reges *Angliæ* & *Franciæ* circa feſtum Pentecoſtes proximo ſequens. Eodem tempore *Flandrenſes* fugaverunt dominum ſuum Comitem *Flandriæ* extra terram ſuam, et plures affines ſuos et conſanguineos acriter peremerunt.

Infra breve poſt rex *Edwardus* miſit archiepiſcopum *Cantuarienſem* et epiſcopum *Dunelmenſem* ad parliamentum regis *Franciæ* apud *Compyn* celebratum, et iterum ad aliud Parliamentum apud *Aras* pro pace habenda; ſet rex *Franciæ* pacem renuit, ſet cum intellexiſſet contractum inter Imperatorem et regem *Edwardum*, ſtatim viis et modis quibus potuit ſe dedit Imperatori, et clam concordatus eſt cum eo, et ſuper hoc congregavit populum multum et adunavit claſſem undique non modicam, præcipiens eis terram *Angliæ* cum omni audacia attingere, Edw. III. et malum quod poſſent tam per terram quam per mare abſque ulla pietate exercere. Et ſic applicuerunt apud *Suthamptoniam* et interfecerunt in ea quos repererunt et rapuerunt et plures de nobilioribus villæ in domibus propriis ſuſpenderunt, et in flammam ignis totam villam in circuitu immani crudelitate dederunt; ſet accurrentibus compatriotis naves aſcenderunt et altum mare petierunt. Eodem anno poſt Purificationem filius regis *Edwardi* Dux *Cornubia* tenuit Parliamentum apud *Londonias*, et ibi ordinatum fuit habere ſecuram cuſtodiam in quinque portubus, ſcilicet lx. naves de viris armatis ad plenum ſtuffatas. Comes de *Huntyngdonia* Conſtabularius *Anglia* factus eſt Gardianus de **Suthfolk**, et dominus *Robertus de Morleya* gardianus de **Northfolk**. Eo anno fuit hiems dura et aſpera, gravis et ultra menſuram perlonga. Iterum circa Paſcha redierunt *Normanni* cum xij. galeis et viij. ſpinachiis cum manu bene armata circiter iiij. mille virorum, et petierunt villam de *Suthamptonia* ad opus Ducis *Normannia*, et cum vidiſſent audaciam *Anglorum* ſic paratam et defenſionem reſiſtibilem, non audebant terram *Anglia* pede ſuo attingere, ſet altum mare tenuerunt præ timore ne *Anglici* eis inſequerentur. Nam *Anglici* proferebant eis opportunum ingreſſum in terram *Anglia* ad refocillandum ſe et ſuos per duos dies, eo pacto quod poſt biduum pugnarent x. cum x. vel xx. cum xx. aut aliquo alio modo per aſſenſum partium; & noluerunt ſet abſque opere abierunt. Iſto anno quarterium frumenti valuit xl. d. & aliquando minus, ordeum x. d. fabæ & piſæ xij. d. avenæ x. d.

An. Dñi 1339. Anno gratiæ M. CCC. xxxix. circa feſtum Trinitatis venerunt inimici ad portum de *Haſtynges* & incenderunt magnam partem villæ, *Scoti* per excitationem regis *Francia* remiſerunt treugas & convenerunt in marchiam *Scotia* parati intrare terram *Anglia*, ſet ſupervenerunt *Angli* & plures illorum ceperunt cum præda eciam mille beſtiarum. Rex *Francia* videns ſe fruſtratum de malo ſic inferendo in terram *Anglia*, miſit exercitum in *Vaſconiam* ad deſtruendum confinia ejus; ibique perdidit de ſuis; & cæteri redierunt vacui abſque expeditione ſicut Deus voluit. Citra feſtum ſancti *Iacobi* iterum venerunt *Franci* cum grandiori potentia ad portum de **Sandewyche**, ſcilicet cum xxxij. galeis & xx. magnis navibus & xv. minoribus navibus, ſet non audebant egredi in terram propter *Anglicos* paratos, ſet diverterunt aciem ad portum de **Rye** & ibi multa mala fecerunt, & *Anglici* de mare ſupervenerunt, at *Franci* conſuluerunt ſibi de fuga, & *Anglici* inſequebantur eos uſque *Boloniam de noſtre dame* & poſuerunt in flammam ignis magnam partem villæ, & ſuſpenderunt laqueo xij. de capitaniis navigii, & redierunt in *Angliam* cum navibus captis apud *Boloniam*. Eodem tempore rex *Anglia* movebat ſe cum exercitu ſuo verſus *Franciam* de *Hunaldia*, & *Willielmus de Pole* morabatur in hoſtagio apud *Andewerpe* medio tempore pro expenſis regis non ſolutis. Dominus *Walterus de Mawnee* cum multis aliis *Anglicis*, ac eciam cum multis *Flandrenſibus* arripuit iter verſus *Picardiam* cum magna potentia, et villam *Morteyneye* incenderunt & ceperunt unum caſtellum ad iij. leucas de *Caumbreye*, Comes *Salisbury* intravit partes de *Legys* mille ſtipatus militibus, rex *Edwardus* morabatur in *Valencia* quaſi per v. leucas de marchia *Francia*.

Edw. III. Eodem tempore *Robertus de Morleye* mariſarchus perrexit in *Normanniam* cum claſſe ſua & cum claſſe quinque portuum & incenderunt v. villas, ſcilicet tres portus, videlicet *Auſtr. Rye*, *Rynele*, & alias tres quarum nomina non habeo, ſcilicet unum portum & duas alias villas, et incenderunt de claſſe *Normanorum* ibidem ſcilicet lxxx. naves.

In feſto ſancti *Mathei* apoſtoli rex *Edwardus* cum duce *Brabania* cum grandi fortitudine intravit in *Franciam*, vendicans jus regni ſibi incumbere jure hæreditario ex parte matris ſuæ *Iſabella* filiæ regis *Francia* qui maſculum non habuerat, et ideo de jure conſanguinitatis hæreditas coronæ *Francia* regi *Edwardo* debebatur. Et eſt notandum quod rex *Francia* duas habuit filias, quarum ſeniorem rex *Navernia* duxit in uxorem, et rex *Anglia Edwardus* ſecundus nupſit juniorem, de qua genuit iſtum *Edwardum* tercium. Et quia iſte *Edwardus* primo poſuit clameum in regno *Francia*, et tale regnum non debet dividi inter ſorores, ideo totum jus coronæ *Francia* cecidit ſuper ſecundum, *Edwardum* regem *Anglia*. Ingreſſus rex *Edwardus* in *Franciam* in feſto ſcilicet ſancti *Mathei*, eodem die miſit in flamma & igne tantam patriam de *Chaumbrezyne*, & tota ebdomada ſequente non ceſſabat ab incendio & flamma undique in illis partibus, ita quod illa patria fuit omnino deſtructa de bladis, beſtiis et aliis quibuſque ſimilibus bonis. Sabbato ſequenti venit rex *Edwardus* apud *Markonnam* quæ eſt inter *Caumbrezyne* et *Franciam*, et præcepit populo ſuo flamma conburere et dare incendio illas partes *Francia*. Et datum eſt intelligi *Edwardo* quod *Philippus* rex *Francia* diſponeret ſe obviare illi apud *Peron.* antecedens illum. *Edwardus* tendit iter rectum verſus eundem locum, ſemper præcedens populum ſuum deſtruendo et inflammando undique patriam ad ſpacium xij. ad minus vel xiiij. leucarum in die. Et ſabbato ante feſtum ſancti *Luca* tranſierunt aquam de *Oyze*, et hoſpitati ſunt ibidem die Dominica ſequenti, ſemper habentes alienigenas coram eis, ſcilicet marchiatum de *Branburgh* filium imperatoris, et marchiatum de *Myſa* filium ſuum legalem cum v C. armatis, ducemque *Brabania* mareſcallum de *Iulers*, et dominum de *Facumberge* ducem *Gerle*, et multi alii. Et hii omnes dixerunt regi *Edwardo* quod eorum victualia fuerunt quaſi fere conſumpta et expenſa et yemps apropinquans eſſet aſpera, nec ſe poſſe in tanto frigoris algore demorari; et ideo eos oportere ſe retrahere ſuper marchias pro recuperatione victualium cum forent eorum victualia expenſa: nam pauciora victualia ſecum ſumpſerant credentes celerius bellum ingruiſſe cum *Philippo de Valois* qui ſe prætendebat regem *Francia*; Quia quociens rex *Edwardus* miſerat nuncios ad parliamentum regis *Francia* pro pace offerenda, aliud reſponſum reportare non poterant niſi hoc unum, Quod rex *Anglia Edwardus* nunquam gauderet ſpacio bipedali de toto regno *Francia*; propterea credebant omnes ipſum *Philippum* bellum campeſtre eis voluiſſe obicere; ſet non ita evenit. Et ſæpius nunciis juraverat, quod rex *Edwardus* non moram faceret per ſpacium unius diei infra terram regni *Francia* cum ſuo exercitu quin ei occurreret in bellum. Die Lunæ ſequenti magiſter albaliſtarum *Francia* miſit literas domino *Hugoni de Geneve* facientes mentionem quod diceret regi *Anglia* ex parte regis *Francia* quod eligeret ſibi talem locum campeſtrem qui non eſſet vallatus boſco, mariſco aut aqua, & procederet ei in bellum citra diem Jovis proximo ſequentem. Deinde venit nuncius ad dictum *Hugonem* ex parte regis *Boemnyæ* & ducis *Loryngiæ* habens literas ſigillis eorum pendentibus munitas & continentes, quod quicquid dictus magiſter albaliſtarum ei nunciaverat ex parte regis *Franciæ* quoad bellum promiſſum, ipſe rex *Franciæ* ſervaret conventionem. Igitur rex *Edwardus* videns dictas literas, ſtatim mane in craſtino cepit iter verſus *Flenymgerie*, ubi moram traxit tota die Veneris. Et circa veſperam capti ſunt tres exploratores *Franci*, & ſigillatim examinati dixerunt, quod die Sabbati ſequenti *Philippus* rex *Franciæ* daret eis bellum in campo. Et quod hoſpitatus eſt ab eis niſi per unam leucam & dimidiam. Die Sabbati rex *Edwardus* elegit locum ſuum in campo ſibi & ſuis multum habilem in quo pugnaret; & mane eodem die capti ſunt quidam diſcooperatores *Francorum*, Qui dixerunt *Francos* in aciebus diſpoſitos in campo, & ad congrediendum cum *Anglis* paratos. De quo nuncio multum læti facti ſunt *Anglici*, & inmenſa voluntate ad pugnandum exhillarati. Et medio tempore quidam de noſtris diſcooperatoribus capti ſunt, inter quos miles quidam de *Almanya* qui arrayamentum & concupibilem voluntatem *Anglorum* pugnare deſiderantium *Francis* per ordinem retulit; qui ſtatim primam aciem ſe retrahere compulerunt, & fixerunt tentoria & circumcluſerunt exercitum cum foſſura & magnas arbores coram eis ſucciderunt ad tollendum viam *Anglicis* ne eis accederent; *Anglici* vero tota die in campo ſteterunt ad pedes ſemper expectantes licet fruſtra adventum *Francorum* in aciebus diſpoſiti. Apropinquante vero veſpere videbatur ſapientioribus noſtris quod ſatis de die expectaverant inimicos, & ſalubrius fore per lumen diei locum hoſpitii quærere. Sicque equos aſcenderunt & iter ceperunt verſus *Davaneys* ad unam leucam & dimidiam à rege *Franciæ Philippo*. Et rex *Edwardus* miſit regi *Franciæ* nuncians ei quod tota die Dominica ſequenti ipſum expectare vellet moram faciens in eodem loco. Quod & fecit. Et alios rumores *Anglici* non habuerunt de *Francis* quin quod die Sabbati quando *Angli* ceperunt equos ſuos recedentes de loco ſuo ad petendum nocturnum hoſpitium, crediderunt *Franci* ipſos velle ſe invadere, propterea cum tanta feſtinatione ad ſecuriorem locum cum veloci curſu ſe dederunt, quod una vice in ſuo tranſitu per unum mariſcum irrecuperabiliter unam magnam partem exercitus perdiderunt, altero ſuper alterum irruente. Die Dominica *Anglici* ceperunt quendam magnum dominum dominum de *Flanyolys*. Die Lunæ ſequenti nunciatum eſt regi *Edwardo* quod *Franci* diſperſi ſunt & receſſerunt cum celeri tranſitu ſinguli ad propria feſtinando. Tunc Marchiatus filius imperatoris cum ſuis ſociis & dux *Brabaniæ* cum ſuis repedare ſe diſponunt ad propria propter yemis aſperitatem. Et rex *Edwardus* cum ſuis rediit ad *Andewerk*. Eodem tempore nunciatum eſt regi *Edwardo* de *Vaſconia* quod dominus *de la Bret* & alii proceres terræ qui ſe dederant regi *Franciæ*, jam pro defectu auxilii redierant ad fidem regis *Angliæ*, & equitaverant ſuper terras regis *Franciæ* uſque ad portum *Thobſe*. Eodem tempore omnes galeyæ de confinibus *Franciæ* cum reliqua claſſe convenerunt apud *Swyne* in *Flandria*, & coram *Flandricis* ibidem juramentum præſtiterunt cum ſolempni voto adjecto, quod ad propria prius non reditent quam centum naves de *Anglicis* caperent, & quingentas villas in *Anglia* incendio conflagrarent; ſet Deo negotium aliter diſponente evanuerunt in cogitationibus ſuis. Nam die Sabbati proxima poſt feſtum ſancti *Michaelis* arripuerunt alta maris itinera, & ſuperveniente tempeſtatis moleſtia perpeſſi ſunt immoderata diſcrimina, confractiſque navibus eorum & pro majori parte populis ſubmerſis, reliqua pars reagitata eſt ad partes terræ *Flandriæ*. Et ſciendum quod rex *Edwardus* non habuit ſecum in illo tempore de *Anglicis* niſi mille ducentos de viris armatis, & octingentos viros armatos, & ij. mille ſagittarios. Deinde poſt breve, ſcilicet rex & regina anno Domini M.CCC.xxxix. cum cæteris *Anglicis* venerunt in *Flandriam*, ubi propter nobilitatem & audaciam regis ac ferocitatem, locutum inter *Anglos* & *Flandros*, mediante quodam vaſſallo nomine *Iacobo de Artyngfeld Flandrico*, rex *Edwardus* cepit arma *Franciæ* & cum armis ſuis *Angliæ* immiſcuit. Et ſtatim poſt hæc *Flandri* homagium ei fecerunt ſicut domino ſuo recto regi *Franciæ*, & reddiderunt ei totam terram *Flandriæ*. Et Comes *Flandriæ* cum cæteris omnibus ſuis ſe dedit regi *Edwardo*. Sicque regina moram fecit in *Flandria* apud *Gaunt*, & rex rediit in *Angliam* cum ſuis, & celebravit parliamentum ſuum poſt Paſcha apud *Londonias*.

An. Dñi 1340.

Anno Gratiæ M.CCC.xl. ubi in ſubſidium guerræ regis conceſſa eſt taxa per ij. annos duratura, ſcilicet nonus agniculus, nonum vellus, nona garba, de civibus & burgenſibus veram nonam de omnibus bonis ſuis & catallis. Et veriſimiliter de mercatoribus forinſecis qui non morantur in civitatibus & burgis; eciam de hiis qui morantur in foreſtis & vaſtis, & omnibus aliis qui non vivunt ſub labore agriculturæ quintadecima, ſolum exceptis mendicis, & cottariis & laborariis ad prædictam quintamdecimam non taxatis. Proceres regni rogaverunt regem annuere & ſtabilire quod deinceps non caperetur de cuſtuma pro uno ſacco lanæ niſi dimidia marca; nec de plumbo, ſtanno, coriis, pellibus, lanis, niſi antiqua conſuetudo; verumptamen non obſtante eorum rogatu, ad inſtantiam regis ex unanimi conſenſu parliamenti conceſſerunt regi de quolibet ſacco xl. s. & de quolibet tricentenario numero pellium lanearum xl. s. & de qualibet laſta coreorum iiij. li. & de aliis mercationibus quæ mare transferebantur ſecundum ſuæ menſuram proportionationis, incipiendo ad feſtum Paſchæ in anno regni regis *Edwardi* iij. præſentis xiiij. & uſque ad feſtum Pentecoſtes anni ſequentis duratura. Et ſic rex conceſſit quod à prædicto feſto & deinceps, nec ipſe, nec hæredes ſui peterent, ſumerent nec ſumi permitterent de cuſtuma magis quam duas marcas ad ſaccum lanæ de *Angligenis*, & de pellibus, coriis, & aliis mercationibus ſecundum antiquam conſuetudinem. Et ſaccus lanæ continere debet in pondere xxvj. petras, petra vero xiiij. li. Et quod quilibet *Angligena* vel alienigena egrediens *Angliæ* fines in tranſmarinas partes inveniat bonam & ſufficientem ſecuritatem ad cuſtumas ſolvendas ante eorum egreſſum, ſcilicet ſecum reportare platam argenti vel auri ad valorem duarum marcarum pro quolibet ſacco lanæ, & ſic pro reliquis prætactis in ſuo primo reditu. Et eandem platam ferre deberet ad eſcambium regis, &

ibi recipere ſuos denarios. Pro hac autem conceſſione rex viciſſitudinaliter ad eyſiamentum communis populi multa conceſſit, ſcilicet delicta foreſtarum, & catalla felonum, et multa alia quæ in hac Carta ibidem de hiis facta continentur condonando.

Rex *Francia* medio tempore imaginatus eſt quomodo regem *Edwardum* præpediret et refrænaret, et à ſuo propoſito veniendi in *Flandriam* finitus defalcaret. Inſuper venire fecit maximam et nobiliſſimam copiam navium, qualem nemo ſuperſtes viderat retroactis diebus, et nobiliter inſtuffavit de viris armatis et albaliſtis, et applicuerunt in *Flandriam* in portu de *Swyn*, ut regem *Edwardum* adventantem ad uxorem ſuam reginam tunc degentem apud *Gaunt* abſque ulla impeditione raperent. Super quo idem rex *Francia Philippus* miſerat papæ certificans ei, quod rex *Anglia Edwardus* mare non tranſmearet niſi occideretur, vel ſaltem à ſuis caperetur; inſuper eciam ex alia parte excitavit *Scotos* ſurgere & bellare in *Anglia*, Similiter in *Flandriam* circiter xxx. mille virorum armatorum & xl. mille peditum nobiliter arraiatorum deſtruere inſulam *Flandria*, quia nobiles *Flandria* juraverant fidelitatem regi *Edwardo*. Eodem tempore Comes de **Saluſburgh**, & Comes de **Suthfolc** fuerunt cuſtodes *Flandria* nomine regis; qui ſe propter nimiam ſtrenuitatem ſuam & audaciæ nobilitatem in tantum ſe ultro interpoſuerunt ſuper inimicos, quod pedem cum honore retrahere non poterant; iccirco ambo capti ſunt & *Pariſius* abducti, in magnam deſolationem regis *Anglia*. Interim *Flandrenſes* mandaverunt regi *Anglia* quod cum omni celeritate ſubveniret eis cum forti auxilio; ſin autem, oporteret eos ſe reddere regi *Philippo* & comiti *Flandria*, & ſic caperetur regina *Anglia Philippa* cum liberis ſuis quæ moram traxit illis diebus apud villam de *Gaunt*.

. Medio tempore *Scoti* venientes in *Angliam* victi ſunt, capti, & plures occiſi. Igitur rex *Edwardus* intellecto propoſito regis *Francia*, ſub omni feſtinatione fecit accelerare claſſem in expeditionem itineris ſui verſus *Flandriam*, ſicque congregato navigio, rex iter maris arripuit cum *Henrico de Borugwas* epiſcopo *Lincolnienſi*, viro utique nobili, & ſapienti conſilio, eleganti audacia, præpotenti viribus, & retentione virorum fortium perſpicuus. Aderat quoque nobilis *Henricus* juvenis Comes *Derbeya*, qui poſtea factus eſt primus Dux *Lancaſtria*, Comes *Northamptonia*, Comes *Glouceſtria*, Comes *Huntyngdonia*, cum multis magnatibus regni; & in vigilia ſancti *Johannis Baptiſta* circa horam terciam, die ſcilicet Veneris, rex *Edwardus* cum ſuis applicuit ſuper oras *Flandria* apud *Blancburgh*, & ibi viderunt omnes naves claſſis *Francia* in portu de *Swyn* quieſcentes; & rex *Edwardus* miſit dominum *Reginaldum de Cobham*, dominum *Iohannem de Cundy*, & dominum *Stephanum de Laburkin* ad explorandum & videndum de arraiamento dicti navigii; qui per terram equitantes ita prope venerunt ad dictas naves quod de earum apparatu diſcernere bene ad viſum poſſent, & viderunt ibi præſtantiores naves & grandiores quales non prius viderant circiter xix. quarum una *Chriſtofora* vocabatur præ ſua excellentia. Similiter viderunt CC. naves de guerra prope terram in aqua in tribus aciebus diſtinctas, cum aliis minoribus navibus & bargiis; & in craſtino ſcilicet in die ſancti *Iohannis Baptiſta* prædictum navigium divertit ſe de portu de *Swyne* apud *Grongne* per acies diſpoſitum, ut ſupra dictum eſt. Et rex *Edwardus* captato oportuno tempore eodem die ſancti *Iohannis* circa horam nonam cum ſuo navigio cœpit ſulcare maris ardua, tendens verſus dictum navigium *Francia*, non veritus eorum ferocitatem aut popularem nimietatem. Commiſſoque navali bello & hinc inde egregie & fortiter pugnato, tandem *Chriſtus* conceſſit victoriam *Edwardo* regi, ſicque *Franci* protriti ſunt quod fugerunt in magnas naves vocatas ſanctus *Dioniſius*, & ſanctus *Georgius*, cum domino *Hugone Cyret* qui fuerat mariſarchus navigii, & domino *Nicholao Bychet*, eodem die facto milite & occiſo cum prædicto *Hugone*. Et ut dicebatur, interierunt de *Francis* cum ſuis complicibus inimicis noſtris circiter xxv. mille. Et circa mediam noctem ſequentem evaſerunt xxiiij. naves à noſtris gentibus & bargiæ de claſſe *Normandorum* quæ nondum victæ fuerant à noſtris. Interea rex *Edwardus* cum *Flandricis* & toto exercitu ſuo divertit ſe ad villam de *Turneye*, & viriliter eam obſedit. Et tamdiu in obſidione laboravit quod in magnam penuriam omnes inhabitantes villam præ defectu victualium quaſi penitus adduxit. Et *Philippus* rex *Francia* cum exercitu ſuo approximavit quaſi per iiij. leucas ab obſidione, & cum rex *Edwardus* cum ſuis ſe diſponeret ad pugnam cum rege *Francia* & exercitu ſuo, venit comitiſſa *Hunaldia* ad regem *Anglia* genu flexo rogans quatinus vellet ad ſui inſtantiam ſuſtinere tractatum de concordia & pace inter ipſum & regem *Franciæ*. Set durum erat revocare animum ejus àb inceptis ad prætacta. Verumptamen quia plenam fiduciam erga ducem *Brabania* qui ſe fidelem amicum regi *Edwardo* finxerat eo tenus non gerebat, cum idem dux quaſi medius ſtaret inclinatus ad partem *Francorum*, ac eciam non eſſet ei miniſtratum de pecunia de communibus regni *Anglia* illi hactenus conceſſa, præ defectu miniſtrorum ſuorum in ſua abſentia, tandem cum magna difficultate conceſſit treugas uſque ad feſtum S. *Iohannis Baptiſta* proximo ſequens, ſub forma quæ ſequitur.

A touz ceux que ceſtez preſentez lettres verront oue oierount *John* par la grace de Dieu roy de *Beawme* & conte de *Lexenburgh*, *Adulf* eveske de *Leges*, *Roynels* duc de *Loreine*, *Annis* conte de *Sauveſte*, *John* conte de *Ermingnant* ſaluz. Savoire faconis a touz que lez trewes ſont donez & outroyez entre lez halx princes & puiſſances lez roys de *France* & de *Engleterre* pur eous & lour amis totez par aſſent dez lez haltez hommez & puiſſancez le duc de *Brabane*, le duc de *Gelure*, le marchis de *Iulier*, e my ſire *Iohan* de *Henande*, ſir de *Beawmont* dune parte, & nous & cheſcune deſuz dys daltre parte par pouare a nous & a eoux deſouth nomez done par lez dys roys, iſſint que nous attroiames affiantaſmes par noz fors de maine & de par lez deux roys lour amis & le lour allies queux qils ſoient cheſcune de ſa partie de jour de huye dekes la nativite ſeint *Iohan la Baptiſtre* procheine envenant & le jour tote lendemaine jeskes a ſolail levant en ceſte manere, ceſt aſſavoire,

Primerment que durant la dite trewe nule mauveolte ne meſpreſſure ſe face dun parte ne de aultre en prejudice de dit trewe & reſpite.

Enſy lez ditz ſeigniours lours aherdancz coadjutours & lours alliez queux qils ſoient demiouront en tiele poſſeſſion & ſeiſine qils ſoient al dit jour de huye dez touz lez bienz, terrez & poſſeſſiones qils teignent & ount conquis en quecunque manere que ſe ſoit lez trewes durantz.

Enſy accorde eſt que lez trewes duranz lez ditz ſeigniours lours coadjutours & alliez purront aler ſaufement del un pays en lautre, & tous marchantz ove touz lour marchandes & tote manere de lours gentz ove lours biens & purviancez tant par terre come par mere & par ewe franchement come ils ſoleint venir a temps dez anauntiers de diz royz en paiant le paſſage de viage au couſtomes auncienement horpris lez banys qe ſount banyz des diz realmes oue aſcune de eux pur altre cauſe que pur la guerre de diz roy. Mes lez le barons de *Gaſcoine*, de la duche de *Gyenne*, & altrez parſonez de *Gaſcoine*, & de la dite duchee que ſont bannys ou altres ſoient compris en lez diz trewes, et purront aler & venir del une pays en lautre durantz lez ditez trewez.

Enſy accorde eſt qe lez deux rois ne procuront ne ferront procurer par eaux ne par altrez qe nul novealte ne grevance ſe facent par leglyſe de *Rome* oue par altres de ſeint eſglyſe queux qil ſoient ſur aſcunez dez diz roys, coadjutours oue aliez, ne ſour lour terrez oue de lours ſugettez pur laccacion de la dit guerre, oue par altre cauſe, ne pur ſervicez qe lez ditz alliez oue coadjutours eient faitez al ditz rois oue a aſcune de yceux; Et ſi noſtre ſeint piere la pape oue altre le voet faire, lez deux roys lours deſtourbront a lour pouare ſanz male engyne, lez ditz trewez endurantz.

Enſy maintenant ſoient criez en lez deux citees touz qe lez ſavoire purront oue oyront ſerront tenuz de lez tenir & garder.

Enſy accorde eſt qe dedeinz lez vynt jours, de acomencer le jour de huy, cheſcune dez roys lez fra crier en *Gaſcoine*, en la duche *Dacquitaigne*, en la terre qils tiegnent, et iſſi ſoient ſceux et conuz.

Enſy accorde eſt qe ſi par aſcune dez roys, par lours gentz, oue lours alliez, oue coadjutours aſcunes ſoient miſez en *Gaſcoine*, en la duche *Dacquitaine* oue en altres yles de mier, en *Gerneſeye* & en *Geneſeye* oue aillours, lez ſegez ſe leveronnt ſi toſt come lez trewez vendront a lour coniſance. Et quatruſze perſones, ceſt aſſavoire ſeept par cheſcune de ditz viles entront en viles, chaſteles oue forcelettes oue lez ſieges ſerront, & verront lez garniſourz tannz dez gentz come dez vitailles qe deenz ſerront al fyn qe le jour de ceo trewes faile, iſſi qe ditz viles, chaſteaux oue forcelettes qe ſerront aſſigneez demorrent & ſoient myſes en tiele nombre & quantite dez viuers e dez perſonnes come ils ſerront trovez par lez ditez quatruſze perſonez.

Enſi eſt accorde qe lez bannyz & futifs del pais du *Flandrez* qe ont eſte de la partye le roye de *France* deinz le realme & ſon piere en affray de luy ſerront forfetz touz cez biens qil avera en *Flandrez*.

Enſi accorde eſt qe durantz lez ditez trewees touz les priſones pris en ceſt guerre ſerront releſſez de lour priſons a revenire en y ceoles ſour lours foith & ſermencz, ſi enſi ne fuiſt qils fuſent rechatez devant la date dez ceſtez preſentez trewez. Sauve enſi qe lez ditez priſones renent pur lours foitz recreanncer de revenir en lour priſone, lez ditz trewes failance; & ſil avynt qe aſcunez dez priſonez fuiſt rebell de venir in lour priſone, le ſir de **Southfolc** luy conſtrenderont de venir al priſone. Enſi qe lez leves qels qils ſoient faitz devant lez ditez trewes en temps de guerre tut ſoient ils dez benez eſpirituels oue altrement demourent ſanz faire reſtitucion, la trewe durant.

Enſi accorde eſt qe une trewe ſe pregne meintenant entre lez *Engleys* & lez *Eſcozs* lours aerdauncz & alliez tanqe a la feſte ſeint *Iohan* ſuſdite. Et qe certeines perſones ſoient deputeez par lez ditz parties deſtre al certeine jour ſour lez marches *Dengleterre* & dez *Scozſe*, pur lez trewes affermer, iſſint qe durant la trewe ils ne ſerront enforcez en nule manere par lez *Franceys*.

Enſi accorde eſt qe ceſtez trewes ſerront notifies en *Engleterre* & en *Eſcoce* deinz lez xxvj. jours apres la date dez ceſtez lettres.

Enſi accorde eſt qe ceſtez trewes ſoient compris ly *Eſpaynol*, ly *Chaſteleyne*, le *Genevoyſe*, le *Provincial leſveke* du chapitre de *Cannbreye*, luy chaſtels en *Cannbreſine*, & auxi ly ſire de la *Brette*, le viſconte de *Fronſake*, *Gaſton* le *Lyle*, & le ſeigniour de *Triculeonn*, *Iohan* de *Vernyll*, le ſeigniour de *Rye*.

Eodem tempore facta eſt concordia inter imperatorem & regem *Franciæ*; quam ob rem imperator miſit regi *Angliæ* petens ab eo & rogans quatinus faceret ſibi ſufficientem commiſſionem cum plenaria poteſtate inire concordiam inter ipſum & regem *Franciæ*: quod rex *Edwardus* renuens, reſcripſit imperatori, dicens, Se nolle jus ſuum tanta efficacia veracis claritatis effulgens ſub dubio alienæ arbitrationis ſupponere; pluraque imperatori de conventionibus ſuperfactis & effractis oppoſuit. Eodem tempore *David le Bruz* cum xl. mille *Scotorum* intravit in *Angliam* prope *Novum caſtrum* & eciam *Dunelmum*, & exercuerunt multa mala, & in regreſſu eorum perdiderunt ſex milites & xj. alios valentes. Eodemque tempore Imperator revocavit poteſtatem quam contulerat regi *Angliæ* ut eſſet vicarius imperatoris, prout ſuperius patet anno Domini M.CCC.xxxviij.

An. Dñi 1340.

In æſtate ſcilicet anno Gratiæ M.CCC.xl. accidit quædam execrabilis & enormis infirmitas in *Anglia* quaſi communis, & præcipue in comitatu *Leiceſtriæ* adeo quod durante paſſione homines emiſerunt vocem latrabilem acſi eſſet latratus canum; & fuit quaſi intollerabilis pœna durante paſſione. Exinde fuit magna peſtilentia hominum. Rex *Edwardus* tranſivit in *Scotiam* circa feſtum ſancti *Andreæ*, & celebravit natale Domini apud **Penroſe**; & *Henricus* nobilis comes *Derbeyæ* apud **Rokeſburgh**. Interea venit *Willielmus Duglas* cum tribus aliis *Scotis* militibus ad haſtiludiandum ſub foro guerræ cum Comite *Henrico* prædicto & ſuis. Qui letali vulnere attriti in *Scotiam* ſine honore redierunt. Interim capta eſt treuga inter regem *Angliæ* & regem *Scotiæ*. Poſt treugam captam ſtatim venerunt xij. optimi milites de *Scotia* electi ad haſtiludiandum apud *Berwicum*. Quorum duo occiſi ſunt, & ſimiliter unus miles comitis *Darbeyæ*, *Iohannes Twyforde* nomine. Comes *Derbeyæ* ita gratioſe in omnibus operibus humanitatis ſe gerebat, quod omnes de eo audientes gloriam & honorem defferebant. Anno iſto papa *Benedictus* edidit novas

vas conſtitutiones de ſtatu religioſorum, ſcilicet canonicorum regularium & monachorum; quas conſtitutiones *Benedictinas* vocant.

An. Dñi 1342. Anno Gratiæ M.CCC.xlij. data eſt regi decima eccleſiæ. Mortuus eſt papa *Benedictus*. *Robertus Bruz* rediit in *Scotiam* qui ſubductus fuerat in *Franciam*. Papa *Clemens* papa creatus eſt, qui fuerat epiſcopus *Rotomagenſis*. Eodem anno rex *Edwardus* miſit *Walterum de Moun* in *Britanniam* cum centum xx. armatis & mille ſagittariis in auxilium *Britonum* contra regem *Franciæ* qui eos oppreſſerat. Cumque dictus *Walterus* veniſſet in *Britanniam*, audivit quod dominus de *Lyons* qui poſt ducem *Britanniæ* major extiterat totius terræ manebat in quodam forcilettio parvo nomine *Treſgalentenk* & diſtat à villa de *Breſt* quaſi per xxiiij. leucas. Idemque *Walterus* equitavit tota nocte & circa ſolis ortum applicuit cum ſuis ante dictum forcelettum quaſi omnibus inibi in lecto dormientibus præter duos vel tres; & fuerunt l. viri armati in prædicto forciletto. Statimque *Anglici* inſultum fecerunt, & alii ſe fortiter defenderunt & ignem ad portam miſerunt; & cum una porta combuſta eſſet, quidam *Anglici* introgreſſi per medium ignis in caſtrum, eos omnes bene armatos cum elegantibus dextrariis bene coopertis ceperunt, qui capere proponebant iter per medium ignis opprimere noſtros qui pedibus laborabant ſub conculcatione pedum equorum ſuorum. Interim dictus *Walterus* cum cæteris ſuis intravit & cepit prædictum dominum de *Lyons*, & fratrem ejus, & plures milites, & xxx. armatos viros cum prædicto loco. Interim mareſcallus *Franciæ* & *Carolus de Bloys* qui ſe ducem *Britanniæ* nominavit cum CCCC. viris armatis obviam ſe dederunt *Anglicis* & in fugam attriti ſunt. Et in toto iſto itinere & aliis multis quæ medio tempore contigerunt, quæ propter brevitatem reticentur, *Anglici* non perdiderunt niſi duos ſagittarios & unum pagettum. Iſti fuerunt capti in dicto forciletto, dominus *Henricus de Lyons*, dominus de *Lyons*, dominus *Alardus* frater ejus, dominus *Oliverus* conſanguineus, dominus *Eimerus* de *Pownte*, dominus *Eimerus de Charnelles*, dominus *Eimerus de Plontplanttoit*, dominus *Radulfus de Roſemadek*, dominus *Iohannes de Ioye*, & multi armigeri & alii pedeſtres. Quorum vij. nobiliores prædictus *Radulfus Moun* ſecum duxit in *Angliam*, & poſuit in turri *Londonienſi* cuſtodiendos. Eodem anno orta eſt diſcordia in *Scotia* inter *David* regem qui ſe regem præfecerat & *Iohannem de Orgaile* & plures alios de regno. Set rex *David* ſe aptavit eorum voluntati, quod ſi non feciſſet regnum perdidiſſet. Eodem anno ordinati ſunt cuſtodes de marchia *Scotiæ* comes de **Arundell** & comes de **Huntyngdon**, et capta eſt treuga per annum duratura. Poſt feſtum ſancti *Iohannis Baptiſtæ* miſſi ſunt in *Britanniam* mandato regis Comes *Northamptoniæ*, Comes de *Artoys*, Comes de **Devenſchyre**, *ly Courteneye*, dominus *Radulfus de Stafforde*, qui poſtea factus eſt comes *Staffordiæ*, ſeneſcallus regis, dominus *Iohannes Darcy* camerarius regis, dominus *Willielmus de Gaddesby* clericus regis, cum multis aliis magnatibus; et obſederunt quandam villam cum caſtro; et nunciatum eſt ei quod dominus *Carolus de Bloys* cum xx. mille viris apropinquaret ad removendum obſidionem. Et videns paucitatem *Anglicorum* reliquit obſidionem, et tota obſcura nocte dedit ſe in occurſum inimicorum ſuorum. Et mane ceperunt locum ſuum quaſi per unam leucam ab inimicis prope unum boſcum, et foderunt foveas et foſſas circa eos, et cooperuerunt eas de feno et herbagio; et poſt ſolis ortum paraverunt ſe ad bellum. Et inimici ſe paraverunt in tres acies diviſas. In quarum prima fuit dominus *Galfridus Charnis* cum multis galletis; qui ſtatim victi ſunt ab *Anglicis* et miſſi in fugam: et cæteri inimici in pace ſteterunt conſulendo quid facere vellent. Tandem videntes *Anglicorum* paucitatem et ſuorum multitudinem, ferocitate animi ducti, opprimere *Angliæ* gentes moliti ſunt; & equorum ſuorum validorum pedibus conculcare volentes capitoſe irruerunt in eos, ſet antris decepti obturatis, ut prædictum eſt, ceciderunt quilibet ſuper alium in foveis abinvicem confuſi. Et prædictus dominus *Galfridus Charnys* captus eſt cum multis valentibus. Et occiſi ſunt ibidem l. milites cum magna multitudine ejuſdem populi. *Anglici* autem abſque mora ſe receperunt in quendam boſcum prope adjacentem propter metum multitudinis inimicorum qui undique catervatim accurrebant, & *Anglici* ibidem aliquamdiu obſeſſi magnam penuriam præ defectu victualium ſuſtinebant. Cumque prædicta ad aures regis *Edwardi* perveniſſent, ſtatim ſe miſit in mare cum ſuis apud **Portuſmewe**, & applicuit apud portum de *Breſte* in *Britannia* ante feſtum omnium Sanctorum. Medio tempore archiepiſcopus *Cantuarienſis* celebravit concilium cum clero apud *Londonias*, in quo conceſſa eſt regi una decima de ſpiritualibus; in quo tempore archiepiſcopus *Eboracenſis* & epiſcopus *Lincolnienſis* venerunt de curia *Romana* conſecrati à papa.

Comes de *Artoys* mortuus eſt de infirmitate antequam rex applicuiſſet apud *Breſte*. Dominus *Walterus de Mawne* venit ad regem apud *Breſte*, ducens ſecum epiſcopum de **Cornewayle**. Et prædictus epiſcopus fecit fidelitatem regi *Edwardo* die Lunæ ſequenti. Recepit ſe rex *Edwardus* in quodam manerio ducis *Britanniæ* ſituato infra parcum quendam ad ſpacium xv. leucarum muro lapideo in circuitu munitum, & ibi moram traxit per dies feris & damis pro ſe & ſuis habundanter affluens. Deinde rex miſit dominum *Walterum Mawne*, dominum *Iohannem de Striveline*, dominum *Willielmum de Warenna* filium, & alios ad explorandum villam de *Vanys* ſi eſſet captibilis per inſultum; qui redeuntes referebant regi, dictam villam eſſe valde habilem & multum diſpoſitam ad capiendum per inſultum. Tunc rex diſpoſuit ſe mittere inſultum ad villam de *Vanys*; & eodem tempore Comes de **Northampton** fecit inſultum ad villam de *Rowan* bene muratam, cives vero ejuſdem villæ cum vidiſſent ejus fortitudinem & ſe ei reſiſtere non poſſe ullatenus crederent, in fugam ſe ex adverſo direxerunt; & ſic cepit villam, & ſpoliatam dedit flammæ & incendio; & idem Comes cepit aliam villam quæ vocatur *Pounteneye*; quæ ambæ villæ fuerunt vicecomitis de *Rowan*. Eodem tempore reddita ſunt regi duo caſtella fortiſſima, videlicet *Franc.* & *Richeperone*, & duæ villæ, videlicet *Plaronelle* & *Malegraite*. Eodem tempore fuit dominus *Lodovicus de Peiters* gardianus in villa de *Vanys* habens ſecum CCC. Et rex *Edwardus* diſpoſuit ſe inſultum dare ad prædictam villam; & cum præparaſſet machinas & cætera quæ in tanto negotio requirebantur, cur, & ipſe cum ſuis præſto eſſet inſultum facere ad villam de *Vanys*, ſtatim ſupervenere duo Cardinales miſſi à latere papæ, & tantam inſtantiam ſupplicando fecerunt penes regem *Edwardum*, quod conceſſit eis treugas triennales, ſcilicet inter reges *Angliæ*, *Franciæ*, & *Scotiæ*. Et exinde multi Angligenæ & Francigenæ tranſierunt ad *Spruciam* ad bellum campeſtre aſſignatum die Paraſceves proximo ſequenti inter regem *Hiſpaniæ* & Paganos. Rex *Edwardus* redit in *Angliam* & paciebatur maris fluctus per quinque ſeptimanas quaſi tempeſtatibus inevaſibilibus circumpulſus, adeo quod ſolum mortis metas ſibi, & ſuis imminere repentino fine præſtolabatur, & multos perdidit de populo ſuo. Et agitatus eſt ſuper maritima *Hiſpaniæ*, ibique claſſis *Hiſpanienſis* occurrit obviam regi *Edwardo* ad rapiendum eum, ignorans quis eſſet; ſet viſo ejus vexillo ſubmiſerunt ſe in ejus gratiam; & hoc evenit ſuper fluvium de *Unglancia*. Tandem vero per Dei gratiam per multa pericula & innumera dampna populi ſui, armorum atque victualium venit in *Angliam*, & celebravit parliamentum apud *Londonias* xx. die poſt Paſcham proximo ſequentem. Eodem anno xv. die Februarii quaſi in meridie fuit terræ motus magnus per univerſas plagas regni. Cum nobilis *Henricus* Comes *Derbeyæ* moram traxiſſet ſuper obſidione de *Calgeſerz*, & bis pugnaſſet cum paganis & ſtrenuiſſime ſe haberet, in *Angliam* rediit anno Gratiæ M.CCC.xliij. circa feſtum omnium Sanctorum, & ſtatim mittitur in *Scotiam* pro treuga firmanda inter *Anglos* & *Scotos*.

Eodem anno rex *Franciæ* miſit in *Britanniam* & magnates terræ qui adhæſerant regi *Angliæ* in ſua guerra & ipſum foverant, fecit diſtrahi & ſuſpendi, videlicet dominum de *Clyſſones* & alios plures. Eodem anno papa inſtitit habere de provincia *Cantuarienſi* mille marcas pro ſuſtentatione unius Cardinalis, & ſimilem ſummam de provincia *Eboracenſi*, in grave præjudicium & oppreſſionem totius regni. Unde de communi conſilio regni miſſum eſt papæ, gentem *Anglicanam* deinceps nolle talia onera quoquomodo de curia *Romana* ſubire; & ſi quis aliquod beneficium eccleſiaſticum auctoritate curiæ *Romanæ* poſſideret in regno *Angliæ*, ad beneficium ſuum repedaret & ſuper eo viveret, cujuſcunque conditionis eſſet vel gradus, nec theſauros regni extra mare aſportaret in depauperationem, ſet ubi bona eccleſiæ perciperet ibidem eadem expenderet; ſuper quo rex miſit in ſingulos comitatus regni, ne quis ab eo tempore & deinceps admitteretur per bullam ad aliquod beneficium, nec reciperetur ſine licentia ſpeciali regis. Inſuper magnates & proceres regni *Angliæ* oblocuti ſunt & minati; quod ſi papa conferret beneficia eccleſiæ talibus proviſoribus, ſive indigenis, ſive alienigenis, quæ quidem beneficia anteceſſores ſui contulerant viris religioſis & eccleſiaſticis in elemoſinam ut pro ipſis & animabus ſuis orarent: ipſi ea beneficia in manus proprias repeterent ſicuti anteceſſores habuerant, & de eis ad placitum diſponerent. Unde Papa cum curia multum ſibi timuit de tali reſponſione; & quædam alia grandia quæ in regno *Angliæ* attemptare propoſuerat, abſque detentione prætermiſit; verumptamen regem *Franciæ* in quantum potuit, prout dictum eſt, ſecreto tamen modo, fovebat & auxiliatus eſt.

An. Dñi 1328.

Anno Gratiæ M.CCC.xliiij. nobilis *Henricus* Comes *Derbeyæ* tranſivit in *Franciam*, & Comes de **Arundell** cum eo. Eo tempore dominus *Carolus de Bloys* venit cum fortitudine grandi in *Britanniam*, & cepit dominum *Iohannem de Hardeſhill*, & duxit eum *Pariſius*: & occiſus eſt ibidem filius ejus *Iohannes*, & multi de ſagittariis noſtris ibidem perierunt. In ebdomada Paſchali occiſus eſt *Iohannes de Alithewerl* clericus apud *Leiceſtriam* in domo propria per *Emmam* uxorem ſuam & famulum ſuum, & alios de eorum conventione, & portatus eſt et poſitus ſub abbathia ſuper ripam *Sore*, et dicta *Emma* combuſta eſt, et famulus ſuſpenſus, et cæteri evaſerunt. In feſto ſanctorum *Prothaſii* et *Gervaſii* grandinis habundantia. Rex *Edwardus* tenuit parliamentum apud *Londonias*, in quo conceſſæ ſunt duæ quintædecimæ de communibus, et de civitatibus de decimis, et de burgis, ad levandum modo ſimili quo ultima decima levata fuit, et ſolvendum ad duos annos, videlicet ad feſta omnium Sanctorum et Paſchatis pro primo anno, et in caſu quod rex tranſeat mare, ad ſolvendum quintas decimas et decimas ad eoſdem terminos in ſecundo anno, et non aliter; ita quod pecunia levata ſit expenſa ad profectum regni per aviſamentum procerum certorum ad hoc parliamentum aſſignatorum; Et quod fortitudo virorum bellatorum ultra *Trentam* ſit miſſa in auxilium contra *Scotos*. Eodem tempore *nobile*, et *obolus*, et **ferthing** de auro cœperunt florere in regno: unde in eodem parliamento ordinatum eſt quod nullus de communibus artaretur capere de nova moneta auri quod rex ordinaverat de novo tranſire per medium, in quacunque ſolutione, citra ſolutionem et ſummam xx. s. Et quod moneta auri et argenti fiat conſimili modo, et forma, et pondere apud *Eboracum* & alias civitates ubi ſolet fieri, ſicut ad turrim *Londonienſem*; & quod excambium monetæ eſſet in magnis civitatibus & villis. Rex tenuit concilium apud *Londonias* circa feſtum ſancti *Laurencii*, ubi ordinavit DC. viros armatos & ij. mille ſagittarios ire in *Scotiam* cum *Edwardo de Baliolo* ad tuitionem marchiæ pro *Scotis*. Ad feſtum ſancti *Andreæ* fuerunt haſtiludia apud *Leiceſtriam* per *Henricum* Comitem *Derbeyæ* pro maritagio filiæ ſuæ *Matildæ* quam duxit in uxorem. Nec prætereundum arbitror quod *Gilbertus* Comes *Glouceſtriæ* qui moriebatur apud bellum de **Strivelyn** habuit tres filias hæreditatem patris conſequentes, quarum primam *Theobaldus de Verdon* duxit in uxorem. Poſt cujus mortem Comes de *Olneſtre* duxit eandem; de qua genuit *Edmundum de Olneſtre*, qui poſtea duxit uxorem filiam Comitis *Lancaſtriæ*, *Iſabellam* nomine, qui genuit unam filiam, quam *Leonellus* filius regis *Edwardi* duxit in uxorem. Secundam filiam *Hugo le Deſpenſer* duxit in uxorem. Tercia filia data eſt domino *Petro de Gaviſton*, & poſt ejus mortem *Hugo de Audeleye* accepit eam uxorem, qui poſtea factus eſt Comes *Glouceſtriæ*, de qua genuit unam filiam poſtea conjugatam Baroni de **Stafforde**, qui genuit ex ea unum filium qui deſponſavit Comitiſſam de **Arundell**. In Quadrageſima ſequenti papa miſit regi *Angliæ* duos epiſcopos, præcipiens ei dimittere arma *Franciæ*, & ſuſtineret alienigenas, videlicet religioſos viros præbendarios & proviſores promotos à curia *Romana* pacifice gaudere ſuis beneficiis, nec eos quoquo modo perturbaret qui promoti fuerant per ſedem apoſtolicam & magnates regni *Angliæ*; & petiit à rege mirabilem ſummam pecuniæ de regno *Angliæ*, ut dicebat, curiæ *Romanæ* ab antiquo debitam. Quibus ſub brevitate reſponſum eſt, & redierunt ad propria. Poſt Paſcha dux *Britanniæ* evaſit de carcere regis *Franciæ*, & venit in *Angliam* ad regem. Circa feſtum ſancti *Iohannis Baptiſtæ* idem Dux *Britanniæ*, & Comes *Northamptoniæ*, & Comes *Oxoniæ* cum multis aliis tranſierunt in *Britanniam*. Similiter Comes *Derbeyæ Henricus*, & Comes de **Penbroke**, cum pluribus aliis eodem tempore perrexerunt in *Vaſconiam*; & poſt feſtum ſancti *Michaelis Johannes de Monfort* Dux *Britanniæ* obiit in *Britannia*. Poſt hæc *Henricus* Comes *Derbeyæ* cœpit congregare populum in *Vaſconiam*, & fecit xl. milites *Anglicos* & *Vaſconicos*, & vaſtavit patrias, & cepit villas, civitates & caſtella ad ſummam lij. Cepit eciam bonam villam de *Briggerake* per vim, & infinita precioſa quæ in ea erant; dicebatur namque ipſum de dicta villa unam pipam plenam auro præter alios innumeros theſauros triumphaliter reportaſſe; cepit eciam per fortitudinem villam & caſtellum de *Langhon*. Deinde ſequebatur Comitem de *Armenak* uſque ad villam de *Paragos*, ſet Comes recepit ſe in caſtello, & ſic evaſit. Eodem tempore Comes *Hunaldiæ* cum duobus aliis Comitibus & multitudine populi occiſus eſt in *Frigelande*. *Henricus* Comes *Derbeyæ* cum paucis viris perrexit ad villam de *Alberoche*, ubi invenit xxx. mille *Francorum* quos debellavit, & per Dei gratiam devicit, & in ipſa victoria cepit iij. Comites, & iij. Barones, vij. Vicecomites, & xiij. Baronettos. Eodem anno venerunt rumores ad Comitem de morte patris ſui qui apud *Leiceſtriam* occubuit.

An. Dñi 1346. Anno Gratiæ M.CCC.xlvj. rex *Edwardus* multavit omnes alienigenas, præbendarios, rectores, vicarios, religioſos, & ſumpſit de quolibet ſecundum quod poſſent dare, & ſecundum ſuum ſtatutum. Eodem anno poſt Paſcha rex habuit unam decimam de clero. Eodem tempore rex *Edwardus* fecit congregare frumentum, braſium, avenas, bacones, & carnes bovinas ſalſas, vina, equos, & alia guerræ neceſſaria, ad magnam ſummam. Et circa tranſlationem ſancti *Thomæ* rex *Edwardus* tranſfretavit in *Normanniam* cum mille C. magnis navibus & D. minoribus navibus. Medio tempore orta eſt magna diſcordia inter magnates *Scotiæ*, unde noſtri boriales cum magna audacia intraverunt in *Scotiam* circiter xv. mille hominum, & cito poſt dominus de *Percy*, & dominus *le Nevyll*, & alii magnates patriæ borialis ceperunt treugas uſque ad feſtum ſancti *Michaelis*; *Scoti* vero inde ſumentes audaciam intraverunt per partes *Carlioli*, & devaſtaverunt patriam, & miſerunt in ignem & flammam ubique in circuitu. Rex *Edwardus* applicuit in *Normanniam* in portu de *Hogges*, videlicet xx. anno regni ſui, ubi invenit xxx. magnas naves & galeas, quas cepit, & villas de *Hogges* & *Harflete* cepit, & de eis fecit quod voluit. xij. die Julii arripuit iter ſuum verſus *Camodum*, & tranſivit per bonas villas *Valoyens*, *Carantan*, *ſancti Leonis*, & plures alias villas. Et in *Camodo* erant Comes de *Eawe* Conſtabularius *Franciæ*, Camerarius *le Tankurvill*, & multitudo magna militum & virorum armatorum, civium & compatriotarum, qui diſpoſuerant ſe tenuiſſe civitatem contra regem *Edwardum*, ſet quando viderunt regem cum exercitu ſuo coram civitate, retraxerunt ſe ultra unum pontem qui eſt quaſi in medio civitatis. & ibidem ſe tenuerunt; & cum appropinquarent prope civitatem ſagittarii noſtri inſultum eis fecerunt per terram, & medio tempore quidam de armatis noſtris hæc videntes acceſſerunt ad eos, & ſic fortem inſultum inimicis ingeſſerunt, & pontem de eis adquiſierunt. Nam rex credens nullos armatos cum ſagittariis eſſe, & ſic infirmiores tantum onus ſubire, miſit Comitem *Warchiæ*, ad revocandum ſagittarios ne detrimentum paterentur. Qui inveniens eos agiliter oppugnantes civitatem, & ipſe ſe immiſcuit eis, & viriliter pugnavit ad barrea cum eis; tandem *Angli* pontem adepti ſuper eos, intraverunt villam *Camodi*, & victoriam de eis optinentes prædati ſunt civitatem ad placitum. Antedictus Conſtabularius *Franciæ* reddidit ſe domino *Thomæ de Holande* cum militibus ſuis, & cæteris ſuis viris armatis in grandi numero. Camerarius de *Tankervyll* captus eſt per quendam militem principis *Walliæ Edwardi* filii dicti *Edwardi* regis. Capti ſunt ibidem & mortui centum milites, & de viris armatis plures. De Burgenſibus vero, & communibus, ac plebeis capti ſunt & mortui circiter v. mille abſque detrimento *Anglorum*, excepto uno valente ſcutifero, qui vulneratus erat ibidem & poſt biduum obiit. Eodem anno, modico ante iſta facta orta eſt gravis diſcordia inter epiſcopum de *Legys* & capitulum et communes patriæ; capta eſt dies amoris inter eos cum magna fortitudine ex utraque parte; ſet orta lite inter partes, cœperunt fortiter pugnare, ſet remanſit victoria cum capellano & communibus; et occiſi ſunt ex parte epiſcopi xl. millia virorum. Inter quos occiſus eſt unus filius regis *Boenniæ*, unus de filiis ducis *Brabaniæ*, & frater ducis baſtardus, dominuſque de *Faukemont*, et v. mille de viris quos rex *Franciæ* miſerat in auxilium epiſcopi. Primo die Auguſti *Flandrenſes* intraverunt in *Franciam* in auxilium regis *Edwardi* cum lx. mille virorum armatorum, ſet ante eorum introitum fecerunt concordiam cum bonis villis *Turonicæ* et ſancti *Omeri* ne dampnum *Flandris* inferrent, nec *Flandrenſes* illis villis, et ſic arripientes iter fecerunt mala quæ potuerunt. Capitanios habuerunt *Anglicos* aſſignatos, ſcilicet dominum *Hugonem Haſtyngys*, dominum *Iohannem Moleynes*, dominum *Iohannem Mantravers*. Comes *Huntingdoniæ* duxit captivos quos ceperant apud *Camodum* in *Angliam*, poſitique ſunt apud turrim *Londonienſem* et in aliis locis regni ſub ſecura cuſtodia, ad numerum CCC. virorum et amplius. Nec prætereundum eſt quod niſi rex *Edwardus* tranſfretaſſet et meliorem expeditionem in remotis optinuiſſet, *Franci* propoſuerunt in *Angliam* perveniſſe, et parati erant adventaſſe ad ſummam iiij. mille virorum armatorum, v. mille peditum, et v. mille albaliſtarum, quorum capitaneus *Johannes Francus* vocatus, ſcilicet filius regis *Philippi de Valoys*, qui ad hoc deputatus fuerat per parliamentum *Franciæ*, ac eciam nomen reportaſſe conqueſtoris. Similiter ordinatum eſt in eodem parliamento, quod donaret terras *Angliæ* adquirendas magnatibus qui ituri erant cum eo, cuilibet ſecundum ſtatum ſuum; et ſic terras *Angliæ* obſirmaſſe Francigenis imperpetuum. Set Deus incuſſit eis tantum tremorem per gratioſum regis noſtri adventum in ſuas partes, quod in toto ab hoc propoſito deſtiterunt; et ſic diſtractum eſt eorum conſilium ipſa vice. Ab ea hora qua rex *Edwardus* abivit de *Camodo* cepit caſtella

et

& villas ad magnum numerum per fortitudinem, nec ei reſiſtere poterant quæque partes. *Philippus de Valoys* rex *Franciæ* ſemper lateraliter approximabat & ſequebatur noſtrum exercitum, & ſæpius non diſtabat per unam leucam *Anglicanam* à noſtro rege & ſuis, habuit namque grandem & mirabilem fortitudinem exercitus. In vigilia Aſſumptionis beatæ *Maria* rex *Edwardus* venit per villam *Mellenty*, & multos ibidem occidit ſet villam non cepit; tetenditque iter ſuum ad villam *Poiſſye* ad vij. leucas de *Pariſio*. Rex *Philippus* fecit infringere omnes pontes in circuitu in patria, adeo quod rex *Edwardus* non potuit ulterius tranſire verſus *Pariſium*. Rex *Edwardus* cepit pontem & villam de *Poyſe* per vim, & interfecit ibidem viros ad ſummam CCCC. virorum armatorum & magnam multitudinem communium, rege *Philippo* adjacente cum ſuo exercitu, & abinde fugit apud *Pariſium*. Rex *Edwardus* fecit pontem ita quod ſagittarii noſtri cum paucis viris armatis tranſierunt, & cuſtodes quos *Philippus* rex deſtinaverat ad cuſtodiam paſſagii interfecerunt ad numerum centum & plurium virorum armatorum & aliorum; Cumque *Philippus* intellexiſſet paſſagium *Anglorum* & ruinam ſuorum, carpſit iter verſus *Amyas*, fecitque elidi omnes pontes in circuitu inter ipſum & regem *Edwardum*, ita quod non patuit iter *Angligenis* niſi inter *Cretoye* & *Abville*, ubi antea incolis dictæ terræ vel compatriotis nunquam claruerunt viam, & ſic tranſierunt per unum whaſſum maris ad longitudinem unius leucæ, in vigilia ſancti *Bartholomai*; & ex altera parte waſſhii inimici fuerant parati ad prælium iij. mille virorum cum capitaneis *Pontiniaco* & Comitiſſa de *Armarle* in campo cum *Angli* terram capere debuerant; ſet *Anglici* proripuerunt terram ſuper eos cum agili fortitudine; & Comes *Warwych*, & Comes *Northamptonia*, & dominus *Reginaldus de Cobham* exierunt de aqua, & antequam rex *Edwardus* terram arriperet, devicerant inimicos & ij. mille virorum armatorum cum plurioribus de communibus occiderant, & reliquos fugaverunt uſque ad villam de *Abvill*; *Philippo* rege in eadem villa cum ſuo pleno exercitu exiſtente. Rex *Edwardus* manſit ibidem in campo cum exercitu ſuo toto illo die & nocte & in craſtino uſque ad horam Completorii. Et tunc quia *Philippus Valoys* ſe movebat de illo loco cum exercitu, rex *Edwardus* cum populo ſuo recepit ſe in foreſtam de *Creſſy*. Et circa horam nonam venerunt novi rumores ad regem *Edwardum*, quod rex *Philippus* paratus erat & arraiatus in iij. diſtentis aciebus. Rex *Edwardus* ex hoc lætus effectus, paravit populum ſuum, & venit ad pontem de *Creſſy*; & circa horam veſperarum & parum ante proſpexit *Edwardus* inimicos apropinquare, *Anglici* jejuni adhuc erant præ longa mora *Francos* expectando ut ſemper poſſent eſſe parati in eorum adventu. Statimque clanxerunt clarriones & tubæ, inundatioque pluviarum comitabatur, tonitruique magni horribilitas, & in brevi ceſſavit illa mirabilis tempeſtas. In anteriori acie erat *Edwardus* princeps *Wallia* primogenitus regis *Edwardi*, Comes *Northamptonia*, & Comes *Warwych* cum ſuis qui expugnaverunt primam aciem *Francorum* divino adminiculo ſubfulti; deinde ſimiliter & ſecundam abſque pauſatione aliquali, in qua erant duo reges & unus dux, videlicet rex *Boemia*, rex *Malogria*, & dux *Loryngia*, & multi alii proceres. Deinde tercio congreſſus eſt princeps *Wallia* cum tercia acie, in qua rex *Philippus Valoys* fuit. & rex *Almonia*, & dominus *Johannes de Hunaldia*, & ipſos Dei gratia fretus proſtravit & devicit. Rex *Francia Philippus* percuſſus eſt in facie cum una ſagitta, dextrariuſque ejus occiſus eſt, aſcenditque alium compotem & fugit, nec quiſquam *Anglicus* ſcivit unde devenit. Similiter & multi alii fugerunt; & interfecti ſunt ij. mille virorum armatorum militum & ſcutiferorum, & quaſi innumerabilis multitudo pedeſtrium. Numerus virorum venientium cum rege *Francia Philippo* xij. mille galliarum, l. mille virorum armatorum ad tibias & pedes. De quibus in illis tribus præliis interfecti ſunt ij. mille virorum armatorum & xxxij. mille aliorum armatorum; nam pugnaverunt uſque ad profundam noctem in campo de *Weſtglyſe* juxta *Creſſy*. Comites xvj. occiſi ſunt ibidem, duo Reges, *Boemia* & Rex *Malogria*, & Dux *Loryngia*, archiepiſcopus *Senenſis*, & epiſcopus *Neienſis*, & magnus magiſter Hoſpitalis *Francia*, & abbas de *Corbella*. Rex *Edwardus* tota nocte cum exercitu ſuo ſtetit in campo, & *Franci* xvj. vicibus dederunt eis inſultum antequam dies illuceſceret; Nam luna clare lucebat, ſicut Deus voluit, per tres partes noctis. In ortu ſolis venit exercitus *Francorum* verſus *Anglos* in campum, ſet ſicut Deo placuit congredi non audebant, & cum *Angli* verſus eos procederent, fugerunt, & *Angli* eos inſequentes multos eorum occiderunt; de *Anglicis* occiſus eſt unus ſcutifer ante prælium, et in prælio iij. milites, reliquos Deus reſervavit. Facti ſunt multi milites pauperimi de *Anglicis*. Toto iſto tempore *Henricus* Comes *Lancaſtria* fuit in *Vaſconia* cum ſuo exercitu, nam mortuo patre ſuo Comite *Lancaſtria* iſte *Henricus* qui ante vocatus eſt Comes *Derbeya* jam vocatus eſt Comes *Lancaſtria*. Rex *Edwardus* divertit iter ſuum verſus *Caleſiam*, deſtruens et devaſtans patriam undique in circuitu per viij. leucas, et ſuburbia *Bolonia* uſque ad muros, *ſeint Richere, Staples, Chaſtele noef*, donec veniret ad *Caleſiam* cum exercitu ſuo quaſi incolumi et ſano, Deo dante, ſcilicet die Jovis ante nativitatem beatæ *Maria* virginis. Rex *Edwardus* fixit tentoria circa villam *Caleſia* pro ſe et exercitu ſuo, et hoſpitatus eſt in modum civitatis per terram, et poſuit navigium forte in portu maris, ita quod nullum ſubſidium potuit civibus occurrere nec per mare, neque per terram, per *Anglicos* ſic in miſeria incluſis. Deinde rex *Edwardus* fecit afferri machinas et alia inſtrumenta magiſtralia de *Anglia* quæque ad talem obſidionem pertinentia, ad infringendum muros. Statim poſt hæc Comes *Warwych* cum pluribus aliis perrexit ad nundinas de *Tyrwan*, et invenerunt multos viros armatos deputatos ad cuſtodiam fori, videlicet epiſcopum de *Tyrwan* cum ſuis ad ſummam x. mille armatorum, quos *Angli* devicerunt et quamplures occiderunt. Epiſcopus vero quaſi letaliter vulneratus vix evaſit cum vita. Comes *Warwych* cum ſuis tali modo prædatus eſt forum et ſpoliavit, et quæque precioſa duxit in carrectis et equis uſque ad regem apud *Caleſiam*: et valde ditati ſunt omnes diverſis mercimoniis quaſi innumeris. Tunc *Flandrenſes*, *Brabanni*, *Hunaldi*, et multi *Almanni*, et de *Francia* aliqui cœperunt inclinare et adhærere regi *Edwardo* propter gratiam Dei quam viderunt in eo. *Johannes* primogenitus regis *Philippi* ante adventum regis *Edwardi* in *Normanniam* poſuerat obſidionem fortem ad villam *Agwylona*; Dominus *Radulfus* Baro *Staffordia* qui poſtea factus Comes *Staffordia* tunc erat in *Agwilona* & defendebat; Et quia dicta villa in una parte nec muro nec palo munita, poſuit in tali parte dolia vinacia vacua ſet lapidibus impleta pro palo; & idem *Johannes* habuit ſecum electiores, nobiliores & ſtrenuiores tocius *Francia*, ſcilicet Ducem *Burgonia* multoſque proceres electos de regno, ad ſummam viij M. virorum armatorum ad pedes & tibias, & xl M. de viris armatis, ſæpeque dederunt inſultum ad villam, & ſemper perdiderunt tociens de ſuis tam de majoribus quam de minoribus; & in tantum anguſtiatus eſt præ pudore & dolore amiſſionis ſuorum, quod jurejurando aſſeruit, ſe nulla cauſa ab illa obſidione receſſurum donec de dicta villa ad placitum triumpharet, quia juvenis & elatus erat; ſet gratia Dei mediante tantum inerat robur defenſionis & reſiſtentiæ quod ipſum mentiri oportuit præ neceſſitate in caput ſuum. Nec quiſquam potuit de tanto exercitu pro neceſſariis victualibus perquirendis patriare quin eſſet captus & occiſus, Nam *Henricus* Comes *Lancaſtria* illis diebus ibidem compatriota erat; Et in brevi tempore in tantam deſtructionem devenerunt præ defectu victualium & inde corruptionis alterius ad alterum, quod ſparſim moriebantur ultra numerum xv. mille, & ſummopere cupiebat abinde exilire, ſet tam ſtricta erat cuſtodia ſuper eum per *Henricum* Comitem *Lancaſtria* quod abinde multo tempore exire non potuit quoquo modo; Tandem tamen ſentiens ſe fruſtratum à ſuo propoſito de captione civitatis, regemque *Angliæ* fines intraſſe *Normanniæ*, ſubtraxit ſe de exercitu, & fugit in *Franciam* exercitu ſuo deſolato ductore. Exercitus etenim opportunitatem capiens ſequebatur fugiendo. *Henricus* Comes *Lancaſtria* ſequebatur fugientes, & cepit eorum equos & victualia, tentoria & quæque precioſa, multoſque fugitando interfecit; Et ſic contigit quod compatriotæ de marchia *Francia* ipſos fugientes ſpoliaverunt in eorum adventu. Sicque ante per ſuos proximos ipſos denudantes, & à retro per Comitem *Lancaſtria* & ſuos ipſos acriter inſequentes in nimia miſeria poſiti ſunt. Et antequam dictus *Iohannes* ad patrem ſuum devenire potuit tergum verterat ab *Anglicis*. Poſt prædictum prælium de *Crecy Philippus* rex *Francia* nunciavit regi *Scotia* quod tota fortitudo *Anglicana* militiæ apud *Caleſiam* convenerat, & quod non ſibi timeret ſuper partes boriales equitare, aſſerens quempiam non eſſe qui ſibi uſquam reſiſtere poſſet; & hoc ei facere mandavit ſub quadam confederatione affinitatis inter eos prius confecta, ut ſuperius patet. Ob quam rem *David* rex *Scotia* poſt plures equitationes & gravamina quæ in abſentia regis *Edwardi* exercuerat ſuper partes aquilonales *Anglia* in deprædationibus & occiſionibus multorum *Anglorum*, in grave ſcandalum magnatum borialium, qui à multis credebantur complices in hiis malefactis fuiſſe & eorum conſentaneos extitiſſe; An. Dñi 1346. Tandem idem *David* in orientali marchia venit in *Angliam* anno Domini M. CCC. xlvj. cum grandi exercitu ad ſummam xxxvj. mille virorum bene in armis arraiatorum ad modum et formam *Francorum*; et iter ceperunt directe verſus *Dunolmiam*, treugamque omnino reſpuebant, nec volebant pro quocunque ſupplicatu aures auditrices ad treugas vel miſericordiam apponere, niſi haberent de quolibet capite & quolibet pede unum denarium de ſingulis compatriotis uſque ad aquam *Trenta*, Nam ſuggeſtum erat eis quod non remanſerant in *Anglia* quin omnes forent ad obſidionem *Caleſia*, niſi ſolum agricolæ ac paſtores et capellani imbecilles & decrepiti. Unde epiſcopus *Eboracenſis* dominus *Willielmus le Sowche*, dominus de *Percy* et cæteri omnes de illis partibus milites, armigeri, capellani et clerici, omnes unanimi aſſenſu parati vivere et mori pro ſalvatione regni convenerunt in unum diem die lunæ proxima ante feſtum ſancti *Luca* per iiij. leucas citra *Dunolmum*, et *Scoti* fuerunt modico ſpacio ultra eos in ingenti fortitudine et elata manu. Dominus *Willielmus Duglas* cum ſuis præceſſerat exercitum *Scocia*, & *Anglici* inopinate ſupervenerunt ſuper eum, & captus eſt per unum armigerum domini *le Deyncourte*, & multi de ſuis ibidem interfecti ſunt. Quod cum rex *Scocia* intellexiſſet cum feſtinatione paravit ſe ad bellum, diſtrinxitque exercitum per acies, repleverunt terram in ſonitu tubarum & clarionum, & direxerunt aciem in occurſum *Angligenarum*. *Anglici* vero ſpem ſuam totam in Deo ponentes, & juris titulum morti ſuæ præponentes, & in ſigno Crucis quæ ante eos cum aliis vexillis ferebatur plenam fiduciam habentes, divinæ clementiæ à qua nullus fallitur ſe totum commendaverunt, & ſe conflictui cum ſumma audacia fortiter dederunt, ſicque miſcuerunt ſe exercitus quaſi tercia & pugnaverunt uſque ad horam Tandem mediante divina clementia conceſſa eſt *Anglicis* de hoſtibus tripudialis victoria apud *Beal repair* per tres leucas juxta *Dunolmum* in vigilia ſancti *Luca*. Monachi exiſtentes in campanili Eccleſiæ ſuæ & videntes fugientes *Stotos*, levaverunt vocem nubeſque repleverunt ſonitu clamoris, clamantes & Deum laudantes, flebilibuſque lacrimis præ gaudio dicentes, *Te Deum laudamus*, quam vocem *Angli* audierunt acſi à tergo eorum prope adeſſent, & fortiorem audaciam in Deo inde ſumentes inimicos acrius inſecuti ſunt & fortius eos protriverunt. Nam monachi *Dunelmenſes* finem fecerant cum *Scotis* pro ſe & maneriis ſuis & ſuis tenentibus in patria in craſtino ſequenti pro mille libris ſolvendis abſque ulteriori mora, & ſic liberati ſunt ab ipſo jugo. *Scoti* propoſuerant iter dirigere ad *Beverlacum* & abinde apud *Eboracum*, Crediderunt namque nullos eſſe in patria eis reſiſtere valentes quin omnes eſſent ad obſidionem *Caleſia*. Iſti ſunt capti in bello. *David* rex *Scocia*, Comes de *Fyth*, Comes de *Meyntiſe*, Comes de *Wygton*, Comes de *Carryk*, dominus *Willielmus Duglas*, & frater ejuſdem *Willielmi*, dominus *Willielmus de Kemyſton*, dominus *Willielmus de Rameſeye* & filius, dominus *Malcolmus Flemyng*, dominus *David Banande*, dominus *Johannes Seyntclere*, dominus *Willielmus Moubraye*. Iſti fuerunt occiſi in bello *Dunelmenſi*. Comes de *Moryf*, Comes de *Suthlande*. Comes de *Straernh*. Dominus *Philippus de Mildron*, dominus *Umfridus de Bloys*, dominus *Robertus Mantalent* & frater ejus, dominus *Johannes Styward* frater ejus, dominus *Alanus Styward* frater ejus, dominus *Alanus Styward*, dominus *Iohannes Styward*, dominus *Mauricius de Morreſ*, dominus *David de la Haye*, dominus *Edwardus de Keth*, dominus *Iohannes de Cranforde*, dominus *Iohannes*

Edw. III. hannes de *Lymeſbeye*, dominus *Adam de Nytfon*, dominus *Alexander Stragy* & frater ejus. Item occiſi in bello dominus *Willielmus de la Haye*, dominus *Iohannes de la Morre*, dominus *Thomas Boyde*, frater *Edmundus* domini de *Keth*, dominus *Willielmus de Rameſeye* pater, dominus *Iohannes Seinthiller*, dominus *Adam Moygrave*, dominus *David Fyth Roberd*, dominus *Willielmus Moubray*, dominus *Reginaldus Kirkepatrik*, dominus *Willielmus de Halyburton*, dominus *Patonus Heryng*. Et præter iſtos ultra centum milites meliores tocius *Scociæ*, Et de communibus pluſquam xx M. Ex parte *Anglorum* occiſi ſunt quatuor milites & quinque armigeri. Rex *Scociæ* fugit de prælio & vulneratus eſt de una ſagitta in capite & captus apud **Meryngton** per unum valettum *Iohannis Coupelande*, & ductus apud caſtellum de **Bamburgh**, ibique aliquamdiu moram traxit ſub cuſtodia domini de *Percy*, pro eo quod non potuit laborare, cum multis aliis magnatibus, quoaduſque ex juſſu regis ducti ſunt *Londonias*. Interim rex *Edwardus* mandavit omnibus vicecomitibus & ſingulis aliis quod nullus *Scotus* captus liberaretur pro quacumque redemptione, ſet omnes *Scoti* capti detinerentur ſub ſalva cuſtodia, & rex ſatisfaceret ſingulis captoribus pro redemptione omnium & ſingulorum : Et hoc mandatum generaliter exiit in omnes & ſingulas partes regni *Angliæ* ſub pœna forisfacturæ vitæ & membrorum. Deinde ſtatim poſt bellum intraverunt *Angli* in *Scotiam*, & ceperunt magnam prædam animalium & aliorum bonorum, & duxerunt in *Angliam*. Referebat quidam ſe hæc vidiſſe & teſtatus eſt quod cum ſacerdotes partium borialium advocarentur adverſus *Scotos* in prælium, vidit magnam turbam eorum apud *Beverlacum* congregatam, qui ad finem villæ convenientes diſcalciaverunt ſe, & diſcoopertis capitibus habentes gladios & ſagittas ſub femore, arcus ſub brachio, parati in expeditionem ad quam vocati fuerant ſic procedebant proceſſionaliter, pulſantes Dei aures & Sanctorum ejus, inclamantes ejus miſericordiam & gratiam ad proſperandum negotium itineris ſui in liberationem *Anglicanæ* gentis de ſuis inimicis ſe funditus exterminare cupientibus. Populares vero videntes eorum inedicibilem devotionem, in admirabilem contritionem converſi cum lacrimabili vultu & ejulatu flectebant genua, Salvatoris pulſantes clementiam, ut eis in tanta neceſſitate manus adjutrices afferret. Nec in caſſum, nam Deus adjutor eorum eis ad plenum affuit. O mira devotio ! cui mirabilior & inedicibilior toto mundo in perpetua memoria commendabilis, à Deo qui ſalvos facit ſperantes in ſe, ſubvenit exitus, quod tanta ſuperba elatio protervorum *Scotorum* à paucis armatis rudibus & ad bellum indoctis Chriſti adminiculo protrita eſt. Unde apoſtolus, *Si Deus nobiſcum quis contra nos ?* Idem dicebatur fieri à ſacerdotibus & plebe tam in *Eboraco* quam in aliis multis locis.

Eodem tempore *Hibernici* levaverunt ſe in *Hibernia* contra *Anglicos* per excitationem & conſilium tam *Francorum* quam *Scotorum*. Set protriti ſunt & in magno numero occiſi ab *Anglicis* ibidem degentibus. Conceſſa eſt regi de clero decima biennalis, De populo quintadecima biennalis, De feodo militis xl. s. Eodem tempore nunciatum eſt regi in obſidione *Caleſiæ* occupato quod Comes *Lancaſtriæ Henricus* ceperat in *Centonia* per fortitudinem villam *ſancti Iohannis Evangeliſtæ* quam compatriotæ vocant *Seynt Iohn Dangelyn*, & villam *Tanchanloyt*, & cæteræ villæ de patria reddiderant ſe ei ; Deinde cepit per vim caſtrum de *Lyſmay*, quod quidem caſtrum reputabatur fortiſſimum caſtrum *Franciæ*. Deinde cepit civitatem de *Peyters* ſub tali modo. In civitate erant pluſquam mille viri armati qui proceſſerunt in campum cum magna multitudine peditum, & inierunt cuneos, & mixti intraverunt portas cum illis ; & cum intraſſent occupaverunt portas apertas, donec univerſi *Anglici* intrarent ; deinde ad placitum occiderunt, ſpoliaverunt, abſtulerunt aurum, argentum & quæque precioſa innumera. Circa Epiphaniam ductus eſt *David Bruz* rex *Scociæ* apud *Londonias*, & miſſus in turrim ſub cuſtodia, cum quo de mandato regis *Edwardi* venerunt xx M. *Anglorum* bene arraiatorum. Ipſe vero rex *David* ſedebat ſuper uno nigro dextrario omnibus aliis iminente, ita quod ſuper omnes alios videri poſſet à populo ; Sicque ductus eſt de ſtrata in ſtratam cum magno tripudio honoris, poſtremoque ad turrim procedens ſubſequente populo & quolibet artificio per ſe in propria ſecta veſtitus honorifice diſtincto. In yeme ſequenti *Henricus* Comes *Lancaſtriæ*, & Comes de **Penbroc** redierunt de *Vaſconia* cum populo ſuo ; & in vigilia Conceptionis beatæ *Mariæ* paſſi ſunt mirabile periculum ſubitæ tempeſtatis in mari, ſet Deus liberavit eos. Eodem anno obiit *Euſtachius de Folvyle* qui *Robertum Bellere* interfecerat. In Quadrageſima ſequenti *Iohannes* Comes de *Meyntyſ* fuit diſtractus & quarterizatus ; Eodem die Comes de *Fyth* judicatus ad mortem apud *Londonias* de ordinatione Regis *Edwardi*.

Edw. III.

POST Paſcha anno gratiæ M.CCC.xlvij. venerunt xxx. naves & galeæ & atrociter ſine impedimento regis *Edwardi* vel ſuorum intulerunt victualia in villam *Caleſiæ*, & abſque dampno receſſerunt cemente populo *Anglicano*. Et ab ea hora fecit rex obturare viam introitus navium in villam. Et Comes *Warwych* cepit cuſtodiam maris cum lxxx. navibus. Ad feſtum Pentecoſtes ſequentis miſit rex *Edwardus* per totam *Angliam* ad Abbathias & Prioratus pro auxilio habendo de lanis ſicut idem quod quælibet domus potuit ſubportare. Eodem anno ipſe *Baliolus* tranſivit in *Scociam* cum CCC. mill. hominum per *Carliolum* pro adquirenda hæreditate regni *Scociæ*, & dominus de *Percy* per *Berwycum* cum xx. mill. virorum ; & cum veniſſent ad mare *Scoticum Scoti* redierunt ad pacem *Balioli*, & integre ſe dederunt ei ut regi ſuo. Deinde *Anglici* direxerunt iter ſuum verſus villam *ſancti Iohannis* in propoſito ulterius progredi in devaſtationem terræ *Scociæ*. Set *Scoti* tantum inſtabant, quod conceſſa eſt eis treuga uſque ad feſtum nativitatis beatæ *Mariæ*, & darent regi *Baliolo* ix M. libras ſub illa conditione. Ordinatumque eſt quod ipſe *Baliolus* moram traheret medio tempore apud caſtellum de *Lanerok* in *Galweya* in ſalva cuſtodia pro timore *Scotorum*, cæteri vero *Anglorum* magnates redirent in auxilium regis *Edwardi* apud *Caleſiam*. Modicum ante feſtum ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, *Iohannes de Francia* primogenitus *Philippi Valoys* venit prope *Caleſiam* cum fortitudine militiæ quaſi totius *Franciæ*, & *Henricus* Comes *Lancaſtriæ* cum retentione videlicet viij C. virorum armatorum & xvj C. ſagittariorum, An. Dñi 1347.

rum, cum forti manu proceſſit in occurſum ejus, æſtimans campeſtre bellum ingruere; ſet *Franci* ſe retraxerunt & inire congreſſum renuerunt ad patriam repedantes. Eodem tempore Comes *Oxoniæ* Baro *Staffordiæ* factus poſtea Comes *Staffordiæ* & dominus *Walterus de Mawne* cum grandi claſſe ingreſſi ſunt mare, & ſic obviaverunt navigio *Franciæ* cum victualibus ad inſtaurandum *Caleſiam*, & ceperunt de dicto navigio xx. naves & multitudinem galearum cum magna plenitudine victualium, occiderunt et ſubmerſerunt quos volebant, & quæ volebant ſecum duxerunt ad regem apud *Caleſiam*. Eodem tempore captus eſt quidam nuncius in mari habens literas de capitaneo *Caleſiæ* ad regem *Franciæ Philippum* ſub tali tenore, brevitate de tota litera excerpta.

Sachez treſdoute ſeigniour qe vous gentz en Caleys *ont mange lour chivals, chens & ratez, & neſt remys rien pur lour viure ſy non cheſcune mange altre; Par quey treſboneurable ſeigniour ſi nous ne eyms haſtif ſocoure, la vile eſt perdieu. Et nous ſumes tous accordes, ſi nous ne eyms eyde, de yſſir & morir ſur nous enmys au honour plus toſt qe dedeins morire pur defalte, Et Dieu vous doygne grace de rendre al nous & noz heyrez noſtre travayle.* Cum igitur rex *Edwardus* intellexiſſet literas, fecit eas muniri ſuo ſigillo, & miſit eas regi *Franciæ*, mandans ei accelerare ſubſidium populo ſuo *Caleſiæ* pro amore ſuo fame periditanti. Eodem tempore ejecti ſunt de *Caleſia* de communibus minoribus circiter quingenti viri, qui venerunt ad regem *Angliæ* quærentes gratiam: Quos rex juſſit redire in villam; verumtamen qui in villa erant introitum ipſis negaverunt. Et ſic moram traxerunt inter exercitum & villam, & fame ac frigore pereuntes ſpiſſim de die in diem mortui ſunt. *Iohannes de Francia* filius *Philippi* cum poteſtate *Franciæ* venit prope exercitum *Angliæ* diverſis vicibus, quandoque ad duas leucas, quandoque ad tres leucas, ſet non habentes victualia unde diu moram trahere valebant, ac eciam quia patria circumquaque deſtructa fuerat per *Anglos*, in *Flandriam* ſe receperunt, & magnam multitudinem gentium ſuarum perdiderunt.

Die Mercurii ante feſtum ſancti *Iohannis Baptiſtæ* percuſſum eſt bellum apud *Roderayn* in *Britannia* tali forma. Dominus *Carolus de Bloys* jacebat in obſidione de *Rochedarrayn* cum xxx M. viris ſtrenuis. Et *Thomas* capitaneus *Britanniæ* nomine regis *Angliæ* capta oportunitate quod mane ſubito irruerunt ſuper eos ex una parte, & cives de civitate exierunt ex altera parte, congrediebantur & fortiter pugnabant, tandemque protriti ſunt ab *Anglicis* & multi capti. *Carolus de Bloys* qui ſe Ducem *Britanniæ* intruſerat captus eſt, & dominus de *Rochefordia*. Dominus *Leyhihak* & cum eo xxxvj. milites, dominus de la *Vagien*, *viſcont de Rowhan*, dominus de *Durvayl* & filius ejus. Dominus de caſtello *Bryant*, dominus de *Knighton*, dominus de *Maletrett*, dominus de *Rongy*, dominus *Radulphus de Montforde*, & occiſi ſunt pluſquam D. de viris armatis. Die Mercurii proxima ante feſtum ſanctæ *Margaretæ*, *Henricus* Comes *Lancaſtriæ* fecit viagium in *Francia* ab obſidione *Caleſiæ* ad x. leucas de terra *Franciæ*, & habuit ſecum in comitiva DCCC. virorum armatorum, & xx M. ſagittariorum: Et fuit in propoſito iviſſe ad capitales nundinas prope *Amyas* die ſanctæ *Margaretæ*; & interim nunciatum eſt ei quod *Philippus de Valoys* rex *Franciæ* erat veniens verſus *Caleſiam* cum innumerabili populo: Nam illi de *Picardia* & *Artoſia* nunciaverant regi *Philippo*, niſi citius veniret eis ſuccurrere ac eciam *Caleſiæ*, de neceſſitate compulſi oporteret eos ſe dare regi *Angliæ*, & auxilium ſuum ei præſtare. Et Comes hiis auditis cum feſtinatione ad regem venit apud *Caleſiam*, ſet prædatus eſt patriam in circuitu, & duxit ſecum ij M. lx. boves & vaccas & pluſquam v M. de ovibus: Quæ exercitui magnum refrigerium præſtiterunt. Et idem Comes *Lancaſtriæ* equitaverat niſi per unum diem & unam noctem, & ſtatim narratum eſt, quod rex *Philippus* venit verſus *Caleſiam* cum ij M. & lx. de viris armatis & de albaliſtis gentes ſine numero, & quod cepit locum ſuum inter *Whiteſande* & *Caleſiam* ſuper ſabulum maris paratus ad prælium: Et eodem tempore venerunt Cardinales ad Regem *Edwardum* tractare de pace inter reges, & ſic data eſt treuga inter partes per iv. dies ad tractandum de pace inter reges; & inter cætera *Franci* proferunt regi *Edwardo Vaſconiam*, & *Pontyf*, & maritagium filii ſui *Iohannis*, ſub alia via ſubmitterent regi *Edwardo Caleſiam* & eam ſibi reſervarent ſalvis civium vita et membris. Ad quod breviter reſponſum eſt, Quod villa & ea quæ in ea erant, erant & eſſe deberent ad voluntatem regis *Angliæ*, & nichil de dono *Philippi de Valoys*. Cotidieque *Franci* venerunt ad cauſeam inire haſtiludium cum *Anglis* cum guerræ malum ſuum inutiliter luentes. Et cum vidiſſent *Franci* quod concordia non poſſet ex tractatu provenire, petierunt quod jus utriuſque regis per diſcrimen quinque vel ſex ex una parte & totidem ex alia parte diſcideretur, & locus diſcriminis per *Francos* aſſignaretur. Ad quod reſpondet Comes *Lancaſtriæ*, Locum aſſignari debere per *Edwardum* regem *Angliæ* & *Franciæ* naturalem & rectum hæredem utriuſque, nam ad *Philippum de Valoys* jus nullum ſuppetit. Tandem cum diſcordia inter eos diſpareret, ſine ſpe pacis abinvicem ad loca ſua diſcedebant, bellum campeſtre habere ſperantes abſque impedimento. Rex *Edwardus* obtulit ſe ſumptibus propriis ad implendum omnes foveas & infringendum omnia obſtacula circa obſidionem, ita quod *Franci* poſſent habere liberum ingreſſum & paſſagium cum ſuo exercitu ad bellum congrediendum ſine impedimento qualicumque: Et crediderunt *Angli* bellum habuiſſe die Jovis vel Veneris proximo ſequenti poſt feſtum ad vincula ſancti *Petri*, ſet *Franci* nocte ante diem Jovis truſſaverunt quæcumque ſua quæ cariare voluerunt, & retraxerunt ſe loco ſuo, & miſerunt incendio & flammæ tentoria ſua cum magna plenitudine victualium, ſurripientes fugam tanquam gentes confutatæ. Igitur cum vidiſſent cives *Caleſiæ* vecordiam *Francorum* ſubtraxerunt de muris vexilla *Franciæ*, & vexilla regis *Angliæ* quartilata de Armis *Angliæ* & *Franciæ* elevantes, Feceruntque ejulatum magnum & voce lugubri clamaverunt ad regem *Edwardum* pro miſericordia tanquam gentes fame pereuntes ſine ſubſidio; & reddiderunt villam, ſe & cuncta ſua ad gratiam regis *Edwardi*, ſcilicet iv. die Auguſti anno Domini M.CCC.xlvij. ſub tali forma Venerunt de *Caleſia* reddere ſe & villam regi *Edwardo* dominus *Ioannes de Vienna* capitanius cum aliis pluribus. Milites villæ cuſtodes veniunt diſtinctim cum diſcoopertis capitibus habentes gladios tranſverſos in manibus, Quorum unus gladius ſignificavit quod rex vi & armis villam conquiſierat: alter vero, quod ſubiciebant ſe ad voluntatem regis mittere eos ad mortem, vel aliter de eis faceret votum ſuum. Burgenſes vero procedebant cum ſimili forma, habentes funes ſinguli in manibus ſuis, in ſignum quod rex eos laqueo ſuſpenderet vel ſalvaret ad voluntatem ſuam; & voce altiſona regi clamabant, quod falſe & proditioſe villam tenuerant & defenderant contra eum. Rex vero miſericordia motus ſuſcepit eos in gratiam ſuam, & gratioſe eos tractabat; ſtatimque miſit victualia in villam ad recreationem populi, ſet illi erant adeo famelici & fame affecti & adnichilati ac debilitati, & tantum ſumpſerunt de victu & potu, nocte proxima ſequenti moriebantur in dicta villa pluſquam CCC. perſonæ. Eodem tempore venerunt ad *Caleſiam* de *Flandria* in auxilium regis *Edwardi* lx M. armatorum credentes bellum futurum inter duos reges. Set quia villa reddita fuit nec ea vice opus habuit de eis, regratiabatur illis datis muneribus, & redire fecit ad propria, ea conditione quod ſi ei opus aliquando inſtaret, ipſi præmuniti parati adeſſent. Incepta eſt obſidio *Caleſiæ* anno Domini M. CCC. xlvj. die ſeptimo Septembris, & capta eſt quarto die Auguſti anno gratiæ &c. xlvij.

Statim poſt hæc Princeps *Walliæ Edwardus* fecit equitationem in *Francia* ab exercitu bene ad xxx. leucas de terra, & miſit igni & flammæ totam patriam in circuitu, cepitque prædam magnam, & duxit *Caleſiam*. Interim rex miſit clericos ſuos per regnum *Angliæ* ad Abbathias & Prioratus cum literis regis precatoriis quantum auxiliari regem de lanis ſuis vellent de ſuo dono de ſaccis lanarum; ſicque habuit de domo noſtra *Leyceſtrenſi* iij. ſaccos de prece, & alios iij. ſaccos cum communi collectura, ut infra patet. Iſto tempore miſit rex in *Angliam*, & habuit lanas ubique, videlicet viginti mille ſaccorum. In comitatu *Leyceſtriæ* CCC. xxxiij. ſacc. In comitatu *Derbeyæ* CC. lij. ſaccos. Simili modo fiebat de ſingulis Comitatibus. Conceſſa eſt regi eodem tempore decima biennalis de clero. Et præter hæc per breve regis ſummoniti ſunt venire *Londonias* coram Rege & Concilio ſuo omnes Mercatores regni, & de qualibet civitate & burgo x. aut xij. potentiores burgenſes, & taxati ſunt ſecundum illud quod poſſent ſupportare. In Auguſto ſequenti Comes *Warwych* fecit viagium ab exercitu regis ad villam ſancti *Omeri*, & perdidit multos armatos & ſagittarios ad numerum C. lxxx. virorum, pro eo quod inconſulte nimis præcedebant exercitum. Eodem tempore per totum menſem Auguſti extitit tanta caliditas quod *Anglici* ſuper obſidione *Caleſiæ* præ defectu dulcis aquæ ſpiſſim moriebantur tam majores quam minores ad magnam ſummam. Rex *Edwardus* fecit congregare omnes theſauros & alia precioſa villæ *Caleſiæ* in unam ſecuram domum, & ponit ſuper eis cuſtodiam. Dominus *Iohannes de Vienna* cum xij. de majoribus cuſtodibus villæ miſſi ſunt *Londonias* in turrim ad carcerem. In craſtino ſancti *Laurencii* proximo præcedenti accidit apud *Caleſiam* in exercitu doloroſum infortunium ignis ſubitanei, & conſumpſit tentoria nullo remedio prævalente. Et cum ad tentorium regis ignis excandiſſet, quaſi loco parcens tranſſaltavit ad alia tentoria concremando, regiæ mãſioni non lædens, ſet cætera victualia irremediabiliter conſumens cum auro & argento atq; aliis jocalibus & neceſſariis, vino, arcubus & ſagittis, unde oportuit eos facere novam providentiam de victualibus & aliis neceſſariis. Quapropter Comites & alii magnates redierunt in *Angliam* ad providendum ſibi de neceſſariis, ſet rex *Edwardus* ſemper ſtabat in obſidione miles ſtabilis & immobilis nulla neceſſitudine vincibilis. Eodem tempore per menſem circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula fuit magna cariſtia bladi in regno *Angliæ*, ſet non duravit niſi per menſem novis fructibus ſe emergentibus. Conceſſa eſt regi decimaquinta per regnum. Poſt feſtum ſancti *Michaelis* facta eſt treuga inter reges *Angliæ* & *Franciæ* uſque ad feſtum ſancti *Barnabæ* proximo ſequens. Rex *Edwardus* ordinavit cuſtodiam ſuper villam *Caleſiæ*, ſcilicet trecentos viros armatos, vij C. ſagittarios. Comes *Derbeyæ Henricus* habuit de retentione ſua viij C. armatorum & duo millia ſagittariorum uſq; ad treugam captam, de quibus xxx. ad banerium, & tantam tenuit hoſpitalitatem quod quolibet die fundebat in expenſis centum libras & ultra per octo vel ix. marcas. Et in receſſu Comitis poſt treugam captam inventum eſt per compotum ipſum expendiſſe pluſquam xvij. millia librarum ſterlingorum de proprio ærario ultra ſtipendia de rege capta. Poſt feſtum omnium Sanctorum redeunt omnes Magnates de *Caleſia* in *Angliam* & magnum diſpendium paſſi ſunt in mari, & multi naufragium. Nam multi milites, armigeri, ſagittarii & mercatores paſſi ſunt ruinam ſubmerſionis in mari cum equis & victualibus ac aliis divitiis. Poſt feſtum Epiphaniæ rex *Edwardus* celebravit Parliamentum, *Londoniis* & prætermiſit illud uſque ad medium Quadrageſimæ. Toto illo tempore papa procuravit totis niſibus facere filium regis *Boemiæ* qui occubuerat in bello de *Creſſy* Imperatorem *Romanum*, pro vindicta mortis patris ſui; et hoc totum præter & contra voluntatem eorum qui fuerant ordinati electores ad id implendum; Et miſit *Carolum de Hiſpania* cum bulla papali ad archiepiſcopum *Coloniæ* ut ipſum conſecraret in Imperatorem, & ſacravit eum poſt feſtum Purificationis prope *Coloniam* per iv. leucas; Quam ob cauſam plures magnates de Imperio ex communi aſſenſu miſerunt Nuncios in *Angliam* ad regem *Edwardum*, & ipſum promovere cupiebant in Imperatorem velut digniſſimum, ſtrenuiſſimum, & validiſſimum militem ſub Chriſtianiſmo. Lagena vini vendebatur ad xvj. denarios. Eodem anno defertur in *Angliam* per alienigenas & indigenas mercatores falſa moneta quæ *Luſſheburne* appellata eſt; unde apud *Londonias* multi mercatores & alii plures tracti ſunt & ſuſpenſi, et quidam magno precio vitam redemerunt.

An. Dñi 1348. Anno gratiæ M.CCC.xlviij. in Parliamento *Londonienſi* conceſſa eſt regi *Edwardo* quintadecima triennalis et decima de Burgis ſolvendæ in ij. annis. *Iohanna* filia regis maritata eſt filio regis *Hiſpaniæ* et ibidem deducta. Cito poſt dominus *Thomas de Dagworth* adduxit ad turrim *Londonienſem Carolum de Bloys* de *Britannia* priſonarium, qui *Carolus* uſurpaverat Ducatum *Britanniæ*, Captique ſunt cum eo triginta de majoribus *Britanniæ*, & circiter v C. occiſi per dictum *Thomam*. Rex *Edwardus* conceſſit treugas triennales ad inſtantiam papæ et rogatum. Tunc nobiles regni cœperunt ſe dare jocis haſtiludiorum ex omni parte regni. Priſonarii vero *Francigenæ* ſtrenue ſe miſcuerunt noſtris. Eodem tempore *Almanici* elegerunt regem *Edwardum* in Imperatorem, et miſerunt ſolennes nuncios in *Angliam* ad regem:

gem ; Quod cum regina audiſſet anxia ex hoc effecta multum lamentabatur. Rex miſit conſanguineum ſuum Comitem *Northamptonia* in *Hiſpaniam* ad ſciſcitandum de prædictis, et compertum eſt procuratum fuiſſe per inimicos regis ut ſic eum fruſtrarent ab proſequutione juris hæreditatis ſuæ in regno *Francia*, ut guerra *Francia* poſtpoſita occuparetur in guerra contra filium regis *Boemia* quem papa erexerat in Imperatorem, hac de cauſa ut credebatur ut patrem ſuum occiſum apud *Creſſi* vindicaret. Veruntamen *Almannici* concionati ſunt regem *Edwardum* meliorem Principem ſub Chriſtianiſmo. Rex totaliter renuit Imperium, dicens ſe malle proſequi jus ſuum. *Marcheus* de *Iulers* adhuc expectat reſponſum à rege, et rediit multum dolens in *Hiſpaniam* fruſtratus à ſuo velle et propoſito. Tunc veniunt *Scoti* redimere *David* regem ſuum ; Quibus breviter reſponſum, ſe oportere ſatisfacere pro dampnis quæ intulerant regi *Anglia* et regno, toto præcedenti tempore, & deinde procedere poſſent ad redemptionem regis ſui. *Scoti* vero abſque mora repatriaverunt, & populum congregantes venerunt in *Angliam* multa facientes, patrias vaſtando, incendendo villas, populum occidendo, & multos in lectis ſuis dormitantes in *Scociam* priſonarios abducendo, & quaſi ſub importabili redemptione concludendo. Quam ob cauſam proclamata ſunt haſtiludia apud **Berwyk**, ut *Scotos* ſic provocarent venire in *Angliam* ; Et cum *Scoti* cum ſolita magna fortitudine ad haſtiludia adventarent, boriales ſe obviam eis dederunt, oppugnatiſque illis quamplures occiderunt. Deinde quidam magnates boriales intraverunt in *Scotiam*, & comitatum de *Caryk* prædantes vaſtitati dederunt. Eodem tempore viij C. viri armati de *Francia* intraverunt in *Vaſconiam*, & multa mala exercuerunt, gentes ſine capite ut dicebatur, volebant ſubdere terram ſuo proprio dominatui. At *Thomas Cok* Seneſcallus *Vaſconia* nomine regis *Anglia* congregatis *Vaſconicis* & *Anglicis* ſe ultro dedit eis obviam, & repentino inſultu eos compulit in fugam, & cepit de melioribus xxxv. & occidit circiter CC. Eodem tempore natus eſt regi filius nomine *Thomas de Wyndeſore*. Illis diebus ortus eſt rumor & ingens clamor in populo, eo quod ubi haſtiludia proſequebantur quaſi in quolibet loco dominarum cohors affuit quaſi comes interludii in diverſo & mirabili apparatu virili, ad numerum quandoque quaſi xl. quandoque l. dominarum de precioſioribus & pulcrioribus non melioribus tocius regni, in tunicis partitis, ſcilicet una parte de una ſecta & altera de alia ſecta, cum capuciis brevibus & liripiis ad modum cordarum circa caput advolutis, & zonis argento vel auro bene circumſtipatis, etiam ex tranſverſo ventris ſub umbilico habentes cultellos quos *daggerios* vulgariter dicunt in powchiis deſuper impoſitis ; & ſic procedebant in electis dextrariis vel aliis equis bene comptis ad locum haſtiludiorum ; & tali modo expendebant & devaſtabant bona ſua, & corpora ſua ludibriis & ſcurriloſis laſciviis vexitabant ut rumor populi perſonabat. Et ſic nec Deum verebantur nec verecundam populi vocem erubeſcebant, laxato matrimonialis pudicitiæ fræno. Nec hii quos ſequebantur animadvertebant quantam gratiam & præfulgidam expeditionem Deus omnium bonorum largitor *Anglorum* miliciæ contulerat contra omnes inimicos undecunque eis adverſantes, & quali privilegio triumphalis victoriæ in omni loco illos prætulerat. Set Deus in hiis ſicut in cunctis aliis affuit mirabili remedio, eorum diſſipando diſſolutionem, nam loca & tempora ad hæc vana aſſignata imbrium reſolutione, tonitrui & fulguris coruſcatione & variarum tempeſtatum mirabili ventilatione præoccupavit. Eodem tempore duo Cardinales qui venerant apud *Caleſiam* pro concordia facienda habuerunt viij.d. ad marcam tam de ſpiritualibus quam de temporalibus. Epiſcopus *Lincolnienſis* ex gratia Papæ habuit vj.d. ad marcam in dioceſi ſua.

Iſto anno & anno ſequenti erat generalis mortalitas hominum in univerſo mundo. Et primo incepit in *India*, deinde in *Tharſis*, deinde ad *Saracenos*, poſtremo ad *Chriſtianos* & *Iudæos*, ita quod in ſpacio unius anni videlicet à Paſcha uſque ad Paſcham, ut rumor in Curia *Romana* percrepuerat, mortui ſunt in illis remotis regionibus viij M. legiones præter *Chriſtianos* quaſi ſubita morte. Rex *Tharſis* videns tam ſubitam & inauditam ſtragem ſuorum, iter arripuit cum multitudine copioſa nobilium verſus *Avinoniam* ad papam, diſponens ſe Chriſtianum fieri & baptizari à papa, credens vindictam Dei populum ſuum enervaſſe propter eorum malam incredulitatem : Igitur cum feciſſet viginti diætas, itinerando audivit quod lues mortaliter invaluit inter Chriſtianos ſicut inter alias nationes, verſo calle ultra non progreditur in illo itinere, ſet repatriare feſtinavit ; Chriſtiani vero à tergo eos inſequentes occiderunt de illis quaſi duo mille. Mortui ſunt *Avinonia* uno die M. CCC. xij. perſonæ ſecundum computationem factam coram papa ; Item alio die CCCC. perſonæ & ultra. De fratribus prædicatoribus in regione *Provincia* in Quadrageſima mortui ſunt CCC.lviij. Item apud *Monpelers* de centum xl. non remanſerunt niſi vij. fratres. Apud *Magdalen.* de C.lx. remanſerunt vij. fratres, & tamen ſatis. Apud *Marſiliam* de C.xl. & x. minoribus non remanſit ſolus unus qui nunciaret cæteris ; bene quidem. De *Carmelitis* mortui ſunt *Avinonia* lxvj. antequam cives caſum eventus perciperent, Credebant namque quod alter alterum peremiſſet. De Heremitis *Anglia* non remanſit unus in *Avinonia* ; nec cura. Eodem tempore eadem peſtis invaluit in *Anglia* incipiens in autumpno in quibuſdam locis, & diſcurrens per patrias finivit eodem tempore anno ſequenti. Eodem tempore apud *Corinthum* & *Achaiam* plures civitates obrutæ ſunt & terra operuit eas. Caſtella & opida fracta & fruſtata & obſorpta ſunt. Montes in *Cipria* in unum coequati ſunt, ita quod curſus aquarũ impediti fuerunt & ſunt, & multæ civitates ſubmerſæ & villæ deſtructæ. Similiter cum frater quidam prædicaret apud *Napiles*, tota civitas deſtructa eſt terræ motu & tempeſtate, & ſubito operta eſt terra ſicuti ſolet lapis jactus in aqua ; & mortui ſunt omnes cum fratre prædicante, excepto uno fratre qui fugiens evaſit in unum ortum extra villam ; Et hæc omnia operabatur terræ motus.

Tunc miſit papa literas pro pace reformanda inter regna, ut ſic evaderent vindicem Dei dexteram, aſſeverans hæc omnia propter peccata hominibus eveniſſe : Quam ob cauſam rex miſit Comitem *Lancaſtria* & Comitem de **Norfolc** cum aliis magnatibus apud *Caleſiam* tractare de pace. Proceres *Francia* morabantur apud ſanctum *Omerum*. Set medio tempore Comes *Flandriæ* cum *Francis* & quibuſdam *Flandris* cum fraude venerunt apud *Brygges*, & decollaverunt & ſuſpenderunt *Flandros* quos repererunt tenuiſſe cum rege *Angliæ*. Rex *Edwardus* congregavit populum volens adire *Flandriam* ut deſtrueret viros deſertores, iterque arripuit, ſet Comes *Lancaſtriæ* occurrit ei dicens, Univerſos *Flandros* ad regem converſos ſub certis conventionibus, ſicut infra patebit. Concordatum eſt eciam quod certæ perſonæ de *Anglia* & *Francia* deberent tractare de pace inter regna ab eo tempore uſque ad menſem Septembris, Quo tempore ſi concordia non ſe caperet, Corona *Franciæ* afferri deberet ad certum locum regni *Franciæ* per conſenſum partium, & ibi per bellum campeſtre abſque ulteriori rebellatione nanciſci.

Tunc peſtis doloroſa penetravit maritima per *Southamptoniam* & venit *Briſtollum*, & moriebantur quaſi tota valitudo villæ quaſi ſubita morte præoccupati, nam pauci erant qui lectum occupabant ultra iij. dies vel duos dies aut dimidium diem; deinde mors ipſa ſæva prorupit circumquaque ſecundum curſum ſolis. Et moriebantur apud *Leyceſtriam* in parva parochia ſancti *Leonardi* pluſquam CCC.lxxx. In parochia *ſanctæ crucis* pluſquam CCCC. In parochia ſanctæ *Margaretæ Leyceſtriæ* pluſquam vij C. Et ſic in ſingulis parochiis in magna multitudine. Tunc epiſcopus *Lincolnienſis* miſit per totum epiſcopatum, & dedit generalem poteſtatem omnibus & ſingulis ſacerdotibus tam regularibus quam ſecularibus audire confeſſiones, & quoſque abſolvere plena auctoritate & integra epiſcopali excepto ſolo caſu debiti; In quo caſu, ſi potens eſſet per ſe dum viveret ſatisfaceret, aut certe alii de bonis ſuis poſt mortem ejus id implerent. Similiter papa conceſſit plenam remiſſionem de cunctis peccatis cuilibet in periculo mortis exiſtenti una ſola vice eſſe abſolutus, & conceſſit hanc poteſtatem durare uſque ad Paſcha proximo ſequens, & cuilibet liceret eligere ſibi Confeſſorem ad placitum. Eodem anno fuit magna lues ovium ubique in regno, adeo quod in uno loco moriebantur in paſtura una pluſquam v M. ovium, & in tantum putreſcebant, quod nec beſtia nec avis tangere volebat. Et erat leve precium de cunctis rebus præ mortis timore, Nam valde pauci erant qui de divitiis vel quibuſlibet rebus curam agerent; Nam homo poſſet habere unum equum qui ante valuerat xl.s. pro dimidia marca, j. bovem craſſum & pinguem pro iv.s. j. vaccam pro xij.d. j. Juvencam pro vj.d. j. multonem pinguem pro iv.d. j. ovem pro iij.d. j. agnum pro ij.d. j. magnum porcum pro v.d. j. petram lanæ pro ix.d. Et oves & boves per campos & inter ſegetes vagabant errantes, & non erat qui eas agendo fugaret aut colligeret, ſed in ſulcis deviis & ſepibus morte perierunt numero incomputabili per univerſas regiones præ defectu cuſtodis, quia tantus defectus extitit ſervorum & famulorum, quod non erat quis qui ſciret quid facere deberet; nam non occurrit memoria tam rigidæ mortalitatis & tam ſævæ à tempore *Vortigerni* regis *Britonum*, in cujus tempore ut teſtatur *Beda* de geſtis *Anglorum*, vivi non ſufficiebant ſepelire mortuos. In autumpno ſequenti non potuit quis habere unum meſſorem minori precio quam viij. d. cum cibo, unum falcatorem quam xij.d. cum cibo. Quam ob cauſam multæ ſegetes perierunt in campis præ defectu collectoris; ſet in anno peſtilentiæ, ut ſupra dictum eſt, de aliis rebus tanta habundantia erat omnis generis bladorum quod nullus de eis quaſi curavit. *Scoti* audientes de crudeli peſte *Anglorum* ſuſpicati ſunt de manu Dei vindici hoc eis eveniſſe, & ſumpſerunt in juramentum prout vulgaris rumor aures *Anglorum* perſonuit ſub hac forma quando jurare volebant, *Per fœdam mortem Anglorum*, Anglice, **be the foul deth of Engelond**. Et ſic *Scoti* credentes vindictam Dei horribilem *Anglos* obumbraſſe, convenerunt in foreſta de **Selkirke** in propoſito invaſiſſe totum regnum *Angliæ*. Supervenit ſæva mortalitas, & ventilavit *Scotos* ſubita & immanis mortis crudelitas; & moriebantur in parvo tempore circiter v. millia, Reliqui vero, quidam debiles, quidam fortes, repatriare ſe diſponebant, ſet *Angligenæ* eos præoccupaverunt inſequentes, & occiderunt ex eis multos nimis. Magiſter *Thomas de Bradwardyn* conſecratus eſt à Papa in Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, & cum rediret in *Angliam* venit *Londonias*, & infra biduum mortuus eſt: Hic erat famoſus præ cæteris clericis totius Chriſtianitatis, in Theologia præcipue, ſimiliter & in cæteris ſcientiis liberalibus. Eodem tempore tanta penuria erat ſacerdotum ubique, quod multæ Eccleſiæ viduatæ erant carentes divinis officiis, miſſis, matutinis, veſperis, ſacramentis & ſacramentalibus. Vix poſſet homo habere unum capellanum infra x.li. vel x. marcas miniſtrare alicui eccleſiæ. Et ubi homo poſſet habere unum Capellanum pro v. aut iv. marcis vel pro ij. marcis cum menſa quando copia extitit ſacerdotum ante peſtilentiam, vix erat in iſto tempore qui acceptare vellet unam vicariam ad xx. li. aut xx. marcas; ſet infra breve confluebant ad ordines maxima multitudo quorum uxores obierant in peſtilencia, de quibus multi illiterati & quaſi meri laici niſi quatenus aliqualiter legere ſciebant licet non intelligere. Coria boum ſub vili precio ſcilicet ad xij.d. & per ſotularios ad x.d. xij.d. vel xiv.d. unum par ocrearum ad iij.s. & iv.s. Interim rex miſit in ſingulos comitatus regni quod meſſores & alii operarii non plus caperent quam capere ſolebant ſub pœna in ſtatuto limitata, & ex hoc innovavit ſtatutum. Operarii tamen adeo elati & contrarioſi non advertebant regis mandatum, ſet ſi quis eos habere vellet oportuit eum eis dare ſecundum ſuum velle, & aut fructus ſuos & ſegetes perdere, aut operariorum elatam & cupidam voluntatem ad vota implere; Quod cum notum Regi fuiſſet, eo quod mandatum ejus non obſervaſſent, & majora ſtipendia operariis dediſſent, levavit gravia amerciamenta de Abbatibus, Prioribus, & de magnis militibus, & minoribus, & aliis tam majoribus quam minoribus de patria; de quibuſdam C.s. de quibuſdam xl.s. & de quibuſdam xx.s. de quibuſlibet ſecundum quod poſſent dare. Et cepit de qualibet carucata per totum regnum xx.s. & nec eo minus unam quintamdecimam. Deinde Rex fecit attachiare laborarios quamplures, & miſit eos in carcerem, & multi tales retraxerunt ſe, & abierunt ad ſilvas & boſcos pro tempore, & qui capti erant graviter ſunt amerciati; Et majores ſunt jurati, quod ultra antiquam conſuetudinem ſtipendia diurna non caperent, & ſic ſunt liberati de carcere. Simili modo fiebat de aliis artificiariis in burgis & villis. Eodem anno fit Tranſlatio ſancti *Thomæ Herfordiæ* viij. kalendarum Novembris. Poſt prædictam peſtilentiam multa ædificia tam majora quam minora in omnibus civitatibus, burgis & villis collapſa ſunt & ad terram penitus diruta præ defectu habitatoris; ſimiliter multæ villulæ & hamilettæ deſolatæ ſunt nulla in eis relicta domo, ſed mortuis omnibus qui in eis habitarent, & veriſimile erat quod multæ tales villulæ non eſſent habitandæ pro perpetuo. In yeme ſequenti tanta erat penuria ſervorum in omnibus agendis quod vix ut homo credebat retroactis temporibus tanta carencia fuerat, nam beſtiæ & univerſa pecora quæ homo habebat circumquaque vagabant abſque paſtore, & ſingula quæque quæ homo habebat ſine cuſtode. Et ſic cuncta neceſſaria adeo cara devenerunt, quod id quod retroactis temporibus valuerat unum denarium, jam iſto tempore valuit iv.d. aut v.d. Jur. & magnates regni & alii minores domini qui tenentes habebant pardonarunt redditum de redditu ne tenentes abirent præ defectu ſervorum & cariſtia rerum, Quidam medietatem redditus, quidam magis & quidam minus, quidam per ij. annos, quidam per tres, & quidam per unum, prout poterant cum eis convenire. Similiter qui habebant de tenentibus per diætas tocius anni ut aſſolet de nativis, oportebat eos relaxare & remittere talia opera, & aut penitus pardonare aut ſub laxiori modo in parvo redditu ponere, ne nimia & irrecuperabilis ruina fieret domorum, & terra ubique totaliter remaneret inculta. Et omnia victualia & omnia neceſſaria devenerunt nimis cara.

An. Dñi 1349. ANno gratiæ M.CCC.xlix. incepit generalis abſolutio *Romæ* & multi ſe paraverunt *Romam* adire; ſet Rex prohibuit paſſagium eis propter guerram *Franciæ*; Quam ob cauſam papa miſit nuncios Regi *Angliæ* principaliter pro paſſagio. *Primo videlicet ne Rex impediret ſanctum paſſagium viſitare ſancta loca apoſtolorum volentium. Item quod concedere vellet unam treugam ne Comes* Lancaſtriæ *equitaret in* Aquitania *in perturbationem volentium loca ſancta adire. Similiter ne rex impediret aut impediri permitteret promotos à Curia per Bullas acceptare beneficia ſibi taliter incumbentia.*

Et primo articulo reſponſum eſt, *Quod occupatus eſt in guerra & ideo indiget adminiculo ſui, ac eciam neceſſe erat ei pravidere de theſauro regni ſui ne in prajudicium ſui & ſuorum duceretur extra regnum quam diu guerra duraret; Et ſuper hoc Rex fecit proclamare, quod omnes* Angli *tam* Romæ *quam alio loco ultra mare exiſtentes repedare feſtinarent quantocius ſub pœna foriſfacturæ corporis ac omnium bonorum. Ad ij. articulum quoad proviſores* reſponſum eſt, *Quod Rex bene acceptaret proviſos clericos qui eſſent bonæ conditionis, & qui digni eſſent promoveri, & alios non. Ad iij. articulum de treuga habenda* reſponſum eſt, *Quod Rex* Franciæ *ſapius equitaverit ſub tali treuga ſuper terras Regis* Angliæ *traditioſe in deſtructionem populi ſui & contra conventiones in treuga contentas.* Et cum tali reſponſo repatriaverunt nuncii papæ.

Comes *Lancaſtriæ Henricus* equitavit cum *Vaſconicis* medio tempore ad numerum xxx. mill. ſuper inimicos decem diebus & amplius, & miſit igni & flammæ totam patriam in circuitu per x. leucas ex omni parte, & conquiſivit pluſquam xlij. villas & caſtella; Et venit *Toloſam* cum exercitu ſuo, & petit villam nomine regis *Angliæ*, vel aliter egrederentur dimicaturi cum eo. Et qui inibi fuerunt promiſerunt ei bellum ſi expectare vellet per v. dies; At ille conceſſit eis inducias iv. dierum, & tamdiu moram traxit ibidem coram villa *Toloſæ*. Et cum vidiſſet quod nollent pugnare, omnia ſuburbia villæ incendit igni, & quæcumque potuit vaſtavit & igne ſuccendit, & abiit devaſtando & deprædando cunctas patrias in regreſſu ſuo, adeo quod omnibus inimicis ſuis incuſſit magnum timorem. Eodem tempore *Hiſpanici* redierunt de *Eſtlandia* cum forti claſſe & gente robuſta, habentes gazas innumeras & mercimonia infinita, & quieverunt apud le *Scluſſe* in *Flandria*. Et prædati ſunt in mari quæcunque potuerunt, & multos *Anglos* occiderunt & multa mala fecerunt, & in eorum adventu apud le *Scluſſe* obviaverunt *Anglicanæ* claſſi tendenti verſus *Vaſconiam* pro vino quærendo, bona eorum rapuerunt & occiderunt de *Anglis* ad magnam ſummam ſub maritima *Britanniæ*: Unde rex *Edwardus* miſit in *Flandriam* ut eos amoverent à finibus ſuis ad inſtantiam ſuam, & ſtatim rex *Edwardus* congregavit populum ſuum pro eo quod *Hiſpanici* tanta mala intulerant *Anglicis* incendendo portus *Angliæ*, deprædando & occidendo, rex *Edwardus* dedit eis obviam in mari & eis acriter inſultum fecit, & ipſi ſe nobiliter & fortiter defenderunt longo tempore, & tandem ſubacti ſunt & multi ſubmerſi, & tulit rex bona eorum per Dei gratiam, & adduxit ſecum in *Angliam*, ſcilicet Dominica proxima ante feſtum Aſſumptionis.

Anno gratiæ M. CCC. l. annus Jubilæus *Romæ*. An. Dñi 1350. Et incepit in feſto Annunciationis glorioſæ virginis *Mariæ*. *Henricus* nobilis Comes *Lancaſtriæ* factus eſt dux *Lancaſtriæ*: Hic erat primus dux *Lancaſtriæ*, & ante ipſum non occurrit fuiſſe ducem in *Anglia* niſi ſolum in *Cornubia*. *Johannes de Gaunt* filius regis *Edwardi* factus eſt Comes *Richemundiæ*. Dominus *Radulfus* Baro *Staffordiæ* factus eſt Comes *Staffordiæ*. Dominus *Robertus de Vfforde* factus eſt Comes de **Suffolc**. Et conceſſa eſt regi in parliamento quintadecima. Eodem anno *Johannes de Valoys* filius Regis *Franciæ* coronatus eſt in regem *Franciæ*.

Anno gratiæ M. CCC. lj. conceſſa eſt regi decima 1351. biennalis. Dominus *Thomas de Dagworthe* nobilis miles peremptus eſt per fraudem *Francorum*. Conceſſa eſt regi quintadecima triennalis & decima triennalis. Captum eſt *Gynes* per *Johannem de Lancaſtre*. *Matildis* filia nobilis Ducis *Lancaſtriæ Henrici* deſponſata eſt *Willielmo* Duci de *Seland*. Dux *Lancaſtriæ* tranſiit de *Caleſia* verſus *Boloniam*; & ſuccendit igni omnia ſuburbia villæ uſque ad muros, & igne cremavit omnes naves in portu, et exinde tranſiit apud *Staples* & prædatus eſt villam ſimiliter & *Alnet* prædatus eſt, & cepit multos theſauros & multos priſonarios, & exinde tendit iter ſuum verſus *Trowan* & rapuit quæ in villa erant, villani fugerant ad eccleſiam & defenderunt eam & vulneraverunt multos de *Anglis*: Tandem potitus victoria rediit cum præda magna de beſtiis abſque numero. Dominus *Iohannes de Beawchamp* capitaneus de *Caleys* cum CCC. virorum armatorum & ij. ſagittariorum perrexit de *Caleſia* in *Franciam*, & prædatus eſt patriam ad x. leucas, & cum redirent cum præda ſua dominus de *Bealren* cum ij. mill. virorum armatorum ſurrexit de inſidiis, & fortiter pugnavit cum *Anglis*, tandem *Iohannes de Beauchamp* occidit dominum de *Bealren* et cæteros viciſſet, ſet ſubito ſupervenit alia fortis acies *Francorum* in equis et ceciderunt ſuper *Anglos* laſſos et læſos, et debellaverunt eos, & ceperunt dominum *Iohannem de Beanchamp* capitanium cum xx. militibus, & cæteros omnes occiderunt; & cito poſt redempti ſunt & venerunt in *Angliam*. Tunc capta eſt treuga inter reges *Angliæ* & *Franciæ* ſub tali conditione, quod quandocunque placeret uni regi vel alteri treugam infringere poſſent. Et ſuper hoc *Henricus* dux *Lancaſtriæ* tranſivit verſus *le Spruſiam* cum multis viris in ſua comitiva de majoribus regni. Et cum perveniſſet in altam *Almaniam* areſtatus eſt cum aliis multis de ſociis ſuis, & fecit redemptionem pro ſe & ſuis de iij. mille ſcutis auri. In hoc itinere mortuus eſt Dominus *le Ros*.

An. Dñi 1352.

ANno Gratiæ M.CCC.lij. rex *Scotiæ David Brus* adhuc priſonarius miſſus eſt in *Scotiam* ſub cuſtodia cum fidelitate jurata ad revocandum *Scotos* in fidelitatem regis *Angliæ*, ſicut ſolebant eſſe, & ſicut idem rex *David* juratus fuerat eſſe legius homo regis *Angliæ*, & ſicut reges *Scotiæ* ſolent eſſe. *Scoti* vero unanimi aſſenſu ſub una voce reſponderunt, ſe velle regem ſuum redimere, ſet ſe ſubdere regi *Angliæ* nequaquam velle: unde rex *David* reverſus eſt ad turrim *Londonienſem*. Poſt Paſcha rex tenuit parliamentum apud *Londonias*, ubi conceſſa eſt regi xv^{ta}. triennalis & decima una de eccleſia. Tunc captum eſt caſtellum de *Gynes*. Dum igitur dux *Lancaſtriæ* tenderet verſus *Spruciam*, dux *Selandiæ Willielmus* venit in *Angliam*, & de conſilio reginæ deſponſavit *Matildam* ſeniorem filiam ducis *Lancaſtriæ* cum magna nobilitate honoris in capella regis apud *Weſtmonaſterium*, & duxit eam ſecum in *Selandiam*.

Cum igitur dux *Lancaſtriæ* veniſſet *Coloniam*, nunciatum eſt duci *Lancaſtriæ* per quendam militem, quod Dux de *Bronneſwyk* habuit in mandatis de rege *Franciæ* ut caperet ducem *Lancaſtriæ* ſic peregrinantem verſus inimicos Chriſti; ipſe tamen tenuit iter ſuum quo tenderet, et ſecurus ductus fuit per diverſas comitivas; ſet ante adventum ſuum in *Spruciam*, treuga per plures annos capta eſt inter Chriſtianos et Paganos; quod multum ei diſplicuit. At ille inde reverſus venit *Coloniam*, et ibi narravit coram multis magnatibus qualiter dux *Oto de Bronneſwyk* ymaginatus fuerat capere eum et ipſum impedire de ſua ſancta peregrinatione, et tam ipſum quam ſuos ſocios, cum non deliquerit verſus eum prout noverat, nec aliquam notitiam de eo habuit. Et dixit ultra, quod non decebat talem ducem uſurpare de tali milite extraneo peregrinante, qui nil male ceperat penes eum, et ſi cuperet habere aliquid facere cum eo reperiret eum paratum in hiis quæ ad militis gradum pertinent. Cum igitur iſta recitarentur coram duce de *Bronneſwyk*, ſtatim abſque mora quaſi capitoſe miſit literas ſuas in *Angliam* ad ducem *Lancaſtriæ* ſub hac forma. Othes *par la grace de deu duc de* Bronneſwik, *ſeinour de* Totynge, *Fitz al grant duc de* Bronneſwyk, *al excellent prince e noble duc de* Lancaſtre, *Sachetz qe les paroles qe vous deyſtes perſonalment de voſtre propre bouche en la ſovereyne egliſe de* Coloyne *a non ſeynt* Pere, *le vendredy procheyn apres la Paſche paſſee, devant le noble prince* Markes de Julers *e moltz des honeſtes chivalers e eſquyers en preſence des citiſenez de meſme la citee malveiſment ledment & deſhoneſtment furent mentuz e de nul maner. de voir. Queles choſes nous meintroms par noſtre corps propre e biens contre voſtre propre cors ſicom bon & leal ſeigniour eſt tenuz e obligee de monſtrer devers un malveis e deſhoneſte e mal homme. Ceſte choſe ferroms entre le chaſtel de* Gynes *e la ſeynt* Omer, *ou la on noſtre ſeignour le roy de* France *certein leu monſtra. Car illeques a vous e les vous ſeour condiſt de lavantdit ſeignour ordeiner ne targeroms, ſour qel choſe prioms qe reſpons nous ſoyt eſcrypt ſoth voſtre ſeal par le portour de ceſtez. Donet al* Qerougaron *&c.* Dux *Lancaſtriæ Henricus* reſcripſit ei, Quod certo die ad hoc aſſignato paratum ſe fore futurum, & per Dei gratiam ea quæ veritas requirit ſuo proprio corpore defenſurum. Et paravit ſe & perrexit *Caleſiam* cum l. militibus & multitudine ſtrenua. Et cum appropinquaret prope *Gynes* occurrit ei dominus *Johannes Clermont* mareſcallus *Franciæ* cum pulchra multitudine virorum armatorum, & recepit eum cum honore, ſcilicet in quindena ante natale Domini, & fecit ei conductum cum magno honore uſque ad *Heddyng*; ubi occurrit ei dominus *Iacobus de Burbon* cum valida comitiva, & conduxit eum uſque *Pariſius*, & exhibuit ei quantum potuit honoris & reverentiæ & omnibus ſuis. Et in adventu ſuo *Pariſius* occurrit ei multitudo magna procerum & magnatum, cum honore eum recipientes. Et tanta affuit multitudo extraneorum civium & communium quanta nunquam illis diebus viſa fuerat in illa civitate, & omnes ei ſummum honorem exhibuerunt in ſuo modo. Statimque rex *Franciæ* miſit pro eo ut veniret ad ipſum in palatio ſuo, & recepit eum cum magno honore. Et rex *Navernyæ* cognatus ducis ſuper omnes alios grato modo ſe habuit penes eum, & ſapienter pro eo in omnibus agebat. Ante diem prælii proceres tractaverunt inter partes, ſed minime profuerunt de concordia. Venit dies prælii & intraverunt liſtas vidente rege *Franciæ* & cunctis congregatis; addictoque ſacramento Dominico ſacramentum præſtiterunt de veritate cauſæ ſuæ, ut moris pugnantium. Tunc aſcendunt dextrarios quaſi parati ad pugnam. Et ut dicebatur non videres elegantiorem aut ferociorem militem quam dux de *Bronneſwyk* extitit ante præſtitum juramentum, quo facto contabuit & inpalluit vultus ejus. De quo convitiati ſunt plures querelam ſuam non eſſe veram, aut nimis præſumptuoſam. Et equum tulit vultu pallido & triſti, &, ut dicebatur, non habuit hillaritatem nec poteſtatem gratioſe ſe habere in carpendo gladium, ſcutum, & lanceam, & cætera quæ ei attinebant, ſet quaſi attonitus & perturbatus defeſſe cuncta palpitat, & trina vice ſcutum ſuum evertebatur in accipiendo. Tandem de conſilio amicorum ſuorum remiſit querelam ſuam, & exuit ſe omnino de cauſa ſua, committens ſe in alto & imo ſub ordinatione regis *Franciæ*. Dux *Lancaſtriæ* ſemper aſtabat in loco ſuo hillari vultu & eleganti expectans congreſſum ſicuti decet militem pro veritate concertantem. Et mirabantur omnes de ejus ſtabili geſtu. Et omnino recuſavit omittere prælium; & dixit, quod ante ingreſſum in liſtas forte potuit ad concordiam inclinari per tractatum de conſilio amicorum ſuorum; ſed poſtquam ingreſſi ſunt locum certaminis, equis aſcenſis, & cæteris paratis quæ tale negotium requirit, rege & magnatibus cunctiſque populis congregatis pro veritate cauſæ diſcidenda, dedecus & obprobrium eſſet duci *Lancaſtriæ* abſque re facta de loco recedere in deluſio-

Edw. III. nem totius gentis *Anglorum*. Et dixit, ſe nolle locum exire pro quocunque tractatu aut concordia niſi haberet prælium, nec alio modo velle prælium dimittere niſi ſalvo honore ſuo, & ſanguinis ſui, & legit domini ſui regis *Angliæ*, & totius regni *Anglorum* in toto in quantum ſaltem in eo eſt, ita quod gens *Anglorum* per ipſum non incurreret crimen pudoris, ſed ſalvus eſſet honor ejus in toto, vel aliter gratiam expectaret quam ei conferre vellet Deus. Tandem *Oto* dux de *Bronneſwyk* ſicut homo victus ſe ſubegit diſpoſitioni & ordinationi regis *Franciæ*, aſſerens ſe nolle certamen inire nec multum duci *Lancaſtriæ* inferre & clamium ſuum remittere abſque aliqua conditione honoris ſibi reſervata, in ſummum honorem ducis *Lancaſtriæ* & ſuorum. Conſiliarii ducis *Lancaſtriæ*. Rex *Navverniæ*, Dominus *Egidius* frater ejus. Comes de *Pomyſ*. Comes *Flandriæ*. Comes de *Tankirvyle*. Comes de *Salyſbyry*. Dominus de *Clermont* mareſcallus *Franciæ*. Dominus *Lodovicus de Navernia*. Dominus *Lodovicus de Harecourt*. Dominus *Johannes de Chaſtelcyn*. Dominus *Gauterius* filius ejus, & plures alii. Tunc rex *Franciæ* fecit convivium & fecit concordiam inter duces. Deinde rex *Franciæ* duxit ducem *Lancaſtriæ* huc atque illuc, demonſtrans ei multa delectabilia quæ ei conferre propoſuit, & nil horum voluit niſi ſolam ſpinam quæ fuerat de corona *Jeſu Chriſti*, quam idem dux reliquit in eccleſia ſua collegiali quam fundaverat ſub caſtro *Leiceſtriæ*. Deinde cepit dux *Lancaſtriæ* licentiam de rege *Franciæ*, & venit in *Angliam* ad regem apud *ſanctum Albanum*, ubi idem rex tenuit natale Domini, qui congratulatus eſt nimis de ejus adventu & gratioſa expeditione.

Eodem anno papa reſervavit vacationem omnium beneficiorum eccleſiaſticorum & dignitatum in omni Chriſtianitate, & mortuus eſt apud villam ſancti *Nicholai* per intoxicationem, ut dicebatur. Et electus eſt *Innocentius*. Hic erat multum favorabilis regi *Franciæ* contra regem *Angliæ*. Æſtas erat nimis ſicca, adeo quod pro defectu aquæ beſtiæ multæ perierunt in ſuis paſturis, & mariſci devenerunt ita ſicci quod via patuit ubi non occurrit viam patuiſſe. Et circa feſtum omnium Sanctorum contigit magna tempeſtas ventorum diſcooperiens domos, eccleſias, molendinos evertens, arbores eradicans, & multa mala perpetrans. Eodem anno dominus *Walterus de Benteleye* gardianus de *Britannia* devicit multos *Francos* venientes contra eum; quoſdam occidit, quoſdam cepit, & reliquos in fugam vertit: qui poſtea ibidem occiditur per fraudem & ſeditionem uxoris ſuæ, ſicut infra plenius patebit.

Eodem anno editum eſt ſtatutum de ſervientibus, & ab eo die pejus ſervierunt magiſtris ſuis de die in diem quam ante fecerant; ſed per Juſticiarios & alios miniſtros emolumentum regi ſemper accrevit, & dominigerium ad populum. Iſto anno dux *Henricus* dedit licentiam abbati & conventui ad includendum boſcum ſuum & inparcandum, & idem dux fecit inſtaurare prædictum parcum de feris defenſæ *Leiceſtrenſis*. Nam fecit de ſuo mero motu infringere palos tam de parco ſuo quam de dicto parco abbatis ex utraque parte viæ quæ ducit verſus villam de **Anyſty**, & claudere viam prædictam cum retibus, & ſic fugare feras de parco ducis in parcum abbatis, feno & avenis in via ad alliciendum feras projectis. Fecit etiam idem dux capere feras in dicto parco ſuo, videlicet defenſa *Leiceſtrenſi*, cum retibus, & mittere in parcum abbatis donec ad plenum inſtauraretur. Eodem anno appropriatæ ſunt per dictum ducem eccleſiæ de **Humberſton** & **Hungutton** ad abbathiam noſtram *Leiceſtrenſem*, ipſo duce penes papam in propria perſona mediante. Eodem anno ordinatæ ſunt ſtapulæ eſſe *Londoniis* ad magnum emolumentum regis, & magnum dampnum alienigenarum & mercatorum; nam emolumentum regis per tale incrementum, ut dicebatur, continebat ſummam M. Cij. li. ultra quam aliquis rex habuerat ante. *Edw.* III.

ANno Gratiæ M.CCC.liij. ſederunt Juſticiarii apud *Ceſtriam* ſuper *le Eyre* magno tempore; & in defenſionem eorum ne compatriotæ eos nocerent aſſiſtebant prope in patria princeps *Walliæ*, *Henricus* dux *Lancaſtriæ*, Comes *Warwych*, Comes *Stafford*, pro timore patriæ. Juſticiarii, dominus *Ricardus de Wylughby*, dominus *Willielmus de Scharſhall*. *David* rex *Scotiæ* tranſit apud *Novum caſtrum* ſuper *Tynam* tractare de concordia inter *Anglos* & *Scotos*; *Scoti* vero refutarunt regem ſuum niſi ſe in toto eximeret de conſilio *Anglorum* & ſimiliter de eorum ſubjectione. Et minati ſunt ei ſe nolle ipſum redimere nec redemptionem pro eo facere, niſi pardonaret eis omnes querelas & gravamina per eos facta cunctaque delicta à tempore captionis ejus, & de hoc eis ſecuritatem faceret. Sin aliter, minabantur ſe velle alium regem ſuper ſe erigere. An. Dñi 1353.

Jam redeamus ad ea quæ facta ſunt apud *Ceſtriam* priuſquam ulterius procedamus de *Scotis*. Illi de patria *Ceſtriæ* videntes enormitatem delictorum ſuorum, & ſe non poſſe pro tempore in judicio pro fortitudine adverſa contendere, finem fecerunt cum principe *Walliæ* domino ſuo pro v. mille marcis & lx. ſolvendis infra iiij. annos proxime ſequentes, & fecerunt ſecuritatem qualem princeps petere voluerit, ea quidem conditione quod *le Eyre* non tranſiret ſuper eos. Cumque ſe crederent eſſe quietos & liberatos in toto, Juſticiarii ſederunt de novo ſuper *Traylbaſtons*, & levaverunt pecuniam ultra menſuram, & multæ terræ & tenementa ſeiſita in manus principis, & fines multas fecerunt quaſi ſine numero. Et in redeundo venit princeps per abbathiam de **Dewlencres**, & vidit ibi miram ſtructuram fabricæ eccleſiæ quam inceperat rex bonus *Edwardus*, & contulit eis de mera elemoſina ſua in ſubventionem operis prædicti D. marcas. Homo credebat ſub tali ſumma ipſum decimaſſe perquiſitum ſuum de comitatu *Ceſtriæ*. Tunc ordinatum eſt de conſilio regis *Londoniæ* quod domini de plaga boriali cum Comite *Northampton* & cum omnibus qui terras clamant in *Scotia* intrare deberent cum rege *David* in *Scotiam*, & Comes *Stafford* pergere deberet in *Vaſconiam*. Dux *Lancaſtriæ*, Comes de **Arundell**, epiſcopus **Norwych**, dominus *Bartholomæus de Borogwas*, dominus *Michael de Nortborg*, & archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum multis aliis miſſi ſunt apud *Caleſiam* ad tractandum de concordia inter regna *Angliæ* & *Franciæ*. Tunc conceſſa eſt treuga uſque ad Paſcha ſequens.

Nec oblivioni tradendum arbitror quod cum Comes de *Ewe* qui captus fuerat apud *Camodum*, cum diu moram traxiſſet in *Anglia*, licenciatus eſt ſub redemptione xx. mille ſcutorum adire patriam ſuam

Edw. III. ſuam pro redemptione ſua quærenda; & cum perveniſſet coram magnatibus *Franciæ* commendavit *Anglos* de tanta humanitate, honore, & urbanitate quæ in eis repererat, quod rex *Franciæ* & plures magnatum habuerunt eum ſuſpectum, & apprehenſus eſt & malitioſe interemptus abſque alia cauſa. Et rex *Franciæ* dedit terras ejus *Carolo de Spayne*, & fecit illum ſeneſcallum *Franciæ* qui ante fuerat miles ſimplex & pauper.

Anno Gratiæ M.CCC.liij. iſto anno fuit hyems longa, dura, & frigida. Incepit ad feſtum ſancti *Nicholai* & duravit uſque ad feſtum ſancti *Gregorii* continue; & ſupervenit tempeſtas magna & valida ventorum dilapidans coopertura eccleſiarum, molendinos, & magnas arbores, & multa mala faciens; talis tempeſtas diebus noſtris viſa non fuerat. Eodem tempore viginti milites de *Franciæ* optulerunt haſtiludiare contra xx. de *Vaſconia*, & aſſignaverunt locum in marchia inter *Vaſconiam* & *Franciam*, & fecerunt ſecuritatem altera pars ad alteram locum non dimittere dummodo eſſet unus qui vellet adverſarium haſtiludiando occupare; & tam fortiter & diu officium ſuum exequuti ſunt quod de parte *Francorum* non remanſerunt vivi niſi tantum tres: ex altera parte multi vulnerati ſunt, & nobilis miles dominus de *Pomers* eciam mortuus eſt. Dominus *Carolus de Bloys* qui captus fuerat in *Britannia* per dominum *Thomam de Dagworthe* tranſivit in patriam ſuam ſub hoſtiagiis quærere pecuniam redemptionis ſuæ, & venit ad inſulam de *Triſtrem* cum ſecuritate facta cauſa repauſationis, & ſpaciatus eſt, & cum vidiſſet infirmiora patriæ poſtea ſupervenit cum CCC. viris armatis, & clam occiderunt quoſque inibi invenerunt, quaſi miles perfidus & infidelis, & ibi ſeltenuit.

An. Dñi 1354. Anno Gratiæ M.CCC.liiij. filius *Rogeri de Mortuo mari* factus eſt Comes de *Marchia*; & rex redonavit ei terras patris ſui quas contulerat Comiti de **Saliſbyry** poſt foriſfacturam *Rogeri de Mortuo mari* & ejus mortem. Eodem tempore Comes de **Warwyk** clamavit dominium terrarum de **Gower** in *Wallia*, quas dominus *le Monbray* poſſederat toto tempore à conqueſtu *Walliæ*, unde orta eſt lis & diſcordia inter partes. Tandem rex de favore fecit inquiſitionem *Londoniis* de militibus & ſerjanciis dictæ patriæ; & per inquiſitionem prædictam datæ ſunt terræ Comiti de **Warwyk**. Eo tempore capta eſt treuga inter *Angliam* & *Franciam*, *Vaſconiam* & *Britanniam* uſque ad Paſcha proximo ſequens, ad tractandum medio tempore de pace competenti; & miſſi apud *Avinionem* ad papam Dux *Lancaſtriæ*, Comes de **Arundel**, epiſcopus **Norwych**, & plures magnates. Cum autem ambaſſiatores *Franciæ*, videlicet Dux *Burboniæ*, Comes de *Armenak* & alii, dedixerunt cunctos articulos ad quos aſſenſum præbuerant & convenerant apud *Caleſiam*, & ſub brevi eloquio, nullam concordiam amplecti volebant niſi ad ſuam propriam voluntatem, & dixerunt, « Se paratos & ſatis potentes ad « tuendam partem ſuam contra *Anglicos* cunctis « diebus ſeculi, & ſic abinvicem receſſerunt. Nam primo petierunt *Franci*, *Quod rex* Angliæ *omitteret arma* Franciæ. *Item, quod rex* Angliæ *faceret homagium regi* Franciæ *pro* Vaſconia. Reſpondit Dux *Lancaſtriæ*, *Quod arma* Franciæ *quæ tulerat de conſilio hominum ſuorum legiorum de* Francia *non omitteret pro quoquam vivente. Item, rex* Angliæ *non faceret homagium homini de quo clamat ſuperior eſſe jure hereditario ex parte matris ſuæ. Quod ſi aliam viam pacis rationabilem capere vellent*, rex Angliæ *tanquam pacis amator amplecti deſiderat.* *Henricus* Dux *Lancaſtriæ*, & cum eo Comes de **Arundel** & cæteri venerunt *Avinionem* in vigilia natalis Domini cum CC. equis, de quibus fuerunt xxxij. cum herneſiis cooperti, & moram traxit ibidem per vj. ſeptimanas cum pleno honore, & eo appropinquante ad civitatem, occurrerunt ei de epiſcopis, proceribus, civibus, & communibus ad numerum ij. mille equorum, & tanta extitit turba obviantium, quod ab hora diei tercia uſque ad horam veſperarum vix potuerunt pontem villæ pertranſire. Et cum intraſſet civitatem regratiabatur cunctis, & direxit iter ſuum uſque palacium papæ. Quo cum perveniſſet extra portam, deſcendit ab equo, & ingreſſus ad papam cum reverentia debita, prout bene ſciebat, ſalutavit eum; & ut brevitas temporis exigebat mutuo colloquentes, abiit ad hoſpitium ſuum. Hillaritas dapium & poculentorum omnibus venire volentibus & refici cupientibus ſemper parara erat quamdiu ibi moram traxit, & talem providentiam ibi fecerat quod tota curia mirabatur. Providentia vini ante adventum ſuum in cellaria ſua erat C. doliorum. Et tantam humanitatem omnibus exhibuit, & præcipue Papæ et Cardinalibus, quod dicebant, Non eſſe ei parem in toto mundo. Poſt receſſum ſuum de curia *Franci* circumvenerunt eum inſidiis ut eum caperent, ſet Deo adjuvante per multas cautelas evaſit, et venit in *Angliam* cum honore. Eodem anno natus eſt regi filius *Thomas* de **Wodſtoke**, qui poſtea factus eſt dux *Glouceſtriæ*, et duxit uxorem filiam Comitis *Herefordiæ* ſeniorem: Comes vero *Derbeyæ*, ut infra patebit, duxit alteram ſororem juniorem, inter quas diviſa eſt hæreditas.

Edw. III.

An. Dñi 1355. ANno gratiæ M.CCC.lv. rex *Franciæ Johannes Valoys* miſit mareſcallum *Dondena* cum viij C. viris armatis in *Scotiam* in nocumentum *Anglorum* et ſubſidium *Scotorum*, et ordinati ſunt manere certo loco ſuper marchia; ſet neſcientes vivere ſecundum morem patriæ, cito repatriaverunt. Poſt Pentecoſten rex tenuit concilium apud *Londonias*, et miſit in *Vaſconiam* contra *Francos* principem *Walliæ* filium ſuum, Comitem de **Warwyk**, Comitem *Oxoniæ*, Comitem de **Suffolk** cum viij C. viris armatis, M. iiij C. ſagittariis, et applicuerunt in portu de *Gerunde*; et magnates terræ tam epiſcopi quam alii occurrerunt eis obviam læti de adventu eorum, et receperunt eos cum honore, et optulerunt ſe principi tanquam domino ſuo legio cum bonis et catallis in omnibus ſuis agendis vivere et mori cum illo ſi tamen moram trahere vellet cum eis ad eorum defenſionem, et erant parati cum eo. In æſtate ſequenti apparuerunt duo vexilla in firmamento, unum rubium et aliud azurium, et in multis partibus regni videbantur à pluribus, et congrediebantur ſimul alterum adverſus alterum rebellando; tandem vexillum rubrum debellavit azurium et proſtravit ad terram ſub ſe ut videbatur. Ad tranſlationem ſancti *Thomæ* rex *Edwardus* tranſit cum xxxviij. magnis navibus de *Londoniis* per *Tameſiam* ad *les* **Downes**. Dux *Lancaſtriæ Henricus* erat cum eo, et habebant ſecum xv. mille virorum armatorum, de ſagittariis ij. mille. Et in eodem loco

fecerunt

ſecerunt xxvij milites, videlicet ij. filios regis, *Leonellum* et *Iohannem de Gaunt*; ij. filios Comitis *Warwych*, *Guidonem* et *Thomam*, filium Comitis *Oxonienſis*, dominum *le Mowbray*, et alios plures filios Dominorum regni. Deinde tranſierunt in *Franciam* per maritima *Normanniæ* remigantes in mari volentes loqui cum rege *Naverniæ* prout ante promiſerunt duci *Lancaſtriæ* obviare eis in aliquo certo loco et tenere cum eis. Nam rex *Naverniæ* ea de cauſa venerat ad caſtellum ſuum in *Normannia*, & rex *Franciæ* exploraverat eum ut eum caperet propter mortem *Caroli de Hiſpania*. Sed quando rex *Franciæ* cognovit quod rex *Naverniæ* percepiſſet propoſitum ſuum, miſit ad eum reginam *Franciæ* & alios magnos de regno qui eum excuſarent, & promiſit regi *Naverniæ* quod nunquam eum impechiaret pro morte dicti *Caroli de Hiſpania*, nec de aliqua alia felonia ſibi & ſuis illata, ſet gauderet & teneret libere & quiete quicquid haberet in *Normannia*, ſive caſtella, ſive quæcumque alia, ſine impedimento vel contradictione regis *Franciæ*, vel nocumento ſuorum; & ipſe fidem adhibens eorum blandis promiſſis nequiter deceptus eſt, ut infra patebit. Eodem tempore *Scoti* & *Hibernici* adunati intraverunt *Anglicam Hiberniam*, & cœperunt deſtruere patriam in circuitu per x. leucas. Et boriales *Hibernici* qui de rege *Angliæ* tenent congregati dederunt eis prælium, & occiderunt de illis ij.M. DCCC. & reportaverunt de illis prædam magnam & lucrum de hiis quæ rapuerunt de *Anglis*. Eodem tempore congregati ſunt *Scoti* in iij. aciebus, & propoſuerunt intrare quidam per *Carliolum*, quidam per *Berwycum*; *Anglici* paraverunt ſe obviare eis in prælium. Et cum percepiſſent quod *Angli* diſponerent ſe pugnare cum eis, cœperunt tractare de treuga, & conceſſa eſt uſque ad feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* proxime ſequentis. Et plures magnates aquilonares tranſierunt cum rege apud *Caleſiam* ad feſtum ſancti *Michaelis* ſequentis. In iſta æſtate graſſavit quædam enormis infirmitas acſi eſſet de temptatione malorum ſpirituum, Nam gentes inſanierunt & facti ſunt dementes toto ubique regno in villis & campis; & ſic amentes cucurrerunt ad ſilvas & loca denſoſa abſcondere ſe tanquam feræ fugientes conſortia hominum, & quidam currebant in campis ad villas & de villis ad campos, nunc hic, nunc illuc, quaſi de ſe non curantes, & vix potuerunt comprehendi: & quidam cultellis vulnerabant & dentibus laniabant ipſos capere volentes. Et multi capti ducti ſunt ad eccleſiam & ibi vincti jacebant donec à Deo relevationem acciperent; & in quibuſdam eccleſiis videres x. aut xij. alicubi plures, alicubi pauciores, quod gravis dolor erat intueri paſſionem eorum.

Nunc redeamus ad regem *Franciæ* qui congregavit grandem exercitum & diſpoſuit ſe venire uſque *Caleſiam* multum elatus & audacior, eo quod ſubtraxerat regem *Naverniæ* & ejus poteſtatem morantem in *Normannia*.

Nec prætereunda arbitror quæ eodem tempore in curia *Romana* acciderunt. Erant quidam fratres de ordine *Minorum* in illis partibus qui ſæpius prædicabant & pronunciabant papam *Johannem* xxij. hæreticum & excommunicatum, & omnes ſucceſſores ſuos, & quod nullum jus haberent nec poteſtatem ſancti *Petri* edere conſtitutionem contra ordinem ſancti *Franciſci* aut in præjudicium. Deinde capti ſunt, & quæſitum eſt ab eis, Utrum Papa poſſet mutare habitum eorum & transferre eos ad ordinem *Prædicatorum*. Reſponderunt, Quod non. Item, Si Papa poſſet diſpenſare cum eis habere granaria & cellaria pro ſtauro reſervando. Reſpondent, Quod non. Item, Si crederent quod Papa *Johannes* antedictus caput eſſet eccleſiæ Chriſti. Dixerunt, Quod non. Item, Si crederent Decretalem quam Papa *Johannes* edidit quæ incipit, *Quorundam &c.* eſſe bonam, & rationabilem, & fidei orthodoxæ convenientem. Dixerunt, Quod non. Sed dixerunt illam Decretalem voluntarie factam in deſtructionem pauperum fratrum, & in condempnationem iiij. fratrum arſorum apud *Marſiliam*, & in deſpectum paupertatis *Jeſu Chriſti* & ſancti *Franciſci*. Item, Si crederent quod illi quatuor fratres meruerunt per mortem ſuam. Dixerunt ipſos glorioſos ſanctos coram *Jeſu Chriſto*, & ſancto *Franciſco*. Et plures tales opiniones prædicabant & aſſeverabant contra papalem dignitatem & manutenebant uſque ad mortem, unde adjudicati ſunt ignis ſupplicio; ſed ante combuſtionem unus eorum palam emiſit talem confeſſionem.

Ego Johannes *indignus ſervus* Jeſu Chriſti *& ſancti* Franciſci, *profiteor & aſſero papam* Johannem *hæreticum & ſanctæ eccleſiæ inimicum pro hæreſibus quas fecit in* iiij. *Conſtitutionibus & fovebat. Prima incipit*, Ad conditorem. *Secunda*, Cum inter nonnullos. *Tercia*, Quia quorundam. *Quarta*, Quia ubi reprobus. *Quæ ſunt aperte contra ſacram Scripturam & ſanctam vitam Apoſtolorum. Et ego* Johannes *confiteor & aſſero credere & tenere cunctis Chriſtianis* Benedictum *papam* xij. *&* Clementem vj. *&* Innocentium vj. *ſucceſſores antedicti* Johannis, *qui dictas hæreſes foverant & pronunciaverant, vixiſſe hæreticos & excommunicatos, & de omni gradu dignitatis privabiles, & dignos pœna omnibus talibus ordinata. Et idem dico de omnibus prælatis & omnibus aliis qui ordinati ſunt defendere veritatem ſanctæ matris eccleſiæ & fidem orthodoxam, & de omnibus aliis cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis vel conditionis fuerint.* Et in tali confeſſione vitam finierunt per combuſtionem ignis, ad laudem & honorem ſui ordinis ut credebant. Nam illi tenuerunt & adhuc ſuperſtites tenent quod nullus Papa deberet eligi niſi de ordine fratrum *Minorum*.

Ad regem *Angliæ* redeamus. Cum igitur rex *Edwardus* longo tempore alta maris palpitaſſet, nunciatum eſt ei quod rex *Naverniæ* concordatus eſt cum rege *Franciæ*, ideoque diſpoſuit ſe redire ad *Caleſiam*. Et ibi fuerunt *Franci* congregati & jacebant ex omni parte ultra numerum expectantes eum: & dicebant ſe velle inire cum eo bellum quandocunque veniret & vellet. Die Animarum rex tranſivit cum iij. mille viris armatis, & mille ſagittariis, & ſic de omni genere populi x. mille, & venit ad *Gynes*, et inde ad ſanctum *Omerum*, deinde ad *Hetyn*. Rex *Franciæ* receſſit et fugit *Pariſius*, et fecit proſternere omnes pontes poſt eum, et victualia et cætera bona delata ſunt ad civitates et caſtella, et ita defuerunt victualia *Anglis*. Tunc neceſſe erat redire ad *Caleſiam*. Quo cum perveniſſet, nunciatum eſt regi quod villa de **Berwyk** capta eſſet per *Scotos*, ſed in redeundo *Caleſiam* dederunt patriam flammæ et incendio.

Qualiter capta ſit **Berwyk** extat narratio. *Scoti* abſconderunt ſe in uno boſco, et fugare fecerunt unam prædam beſtiarum prope villam de **Berwyk**, et illi de villa exierunt rapere prædam ab illis et ſequebantur; et ſubito venerunt ſuper *Scotos*, qui ex utraque occurrentes, ceperunt eos et occiderunt paucis de minoribus valentibus reſervatis. Et in craſtino cum cuſtodes murorum ſopori ſe dediſſent, miſerunt ſcalas ad muros et ſubito introierunt, et invenerunt eos improviſos, invaſerunt, et occiderunt quos invenerunt. Rex igitur feſtinavit et venit ad *Novum caſtrum*. Princeps *Walliæ* nunc eſt in *Vaſconia*, et peragrat fines *Franciæ* cum l. mille virorum armatorum, de pedalibus abſque numero de *Anglicis* et *Vaſconicis*. Et capit villas et caſtella ad placitum ſuum, et patriam ſub tributo et ſubjectione ex omni parte ſubjecit; *Vaſconia* manet lætabunda, quia non eſt qui eam inquietet. Cum igitur rex *Edwardus* veniſſet *Berwicum*, tanta poteſtas *Anglorum* occurrit ei undique, quod hii qui in villa fuerunt, videlicet C.xxx. viri, rogaverunt regem quod poſſent reddere villam, et habere vitam et membra, et rex conceſſit. Die Epiphaniæ *Edwardus Baliol* qui clamavit jus coronæ *Scotiæ* donavit totum jus ſuum *Leonello* filio regis *Angliæ Edwardi* cunctis qui aderant intuentibus. In craſtino converſionis ſancti *Pauli* rex *Edwardus* intravit in *Scotiam* cum iij. aciebus. Qui cum veniſſet apud **Rokeſborg**, multi de magnatibus *Scotorum* venerunt et habuerunt colloquium cum rege *Edwardo* quaſi vellent venire ad fidem regis, et ſuper hoc aſſignatus eſt dies de reſponſo. Et rex cum populo ſuo quievit in pace per viij. dies, at illi medio tempore cariaverunt bona ſua ultra mare *Scoticum*, Tunc *Willielmus Duglas* miſit reſponſum per literas ſuas regi *Edwardo* ſe nolle omnino venire ad pacem ejus; et ſuper hoc rex carpit iter verſus **Edynſborg** cum iij. aciebus et deſtruxerunt patriam per viij. leucas in circuitu, & ſuccenderunt igni & flamma. *Scoti* abſtulerant cuncta victualia ita quod *Angli* non habuerunt potum niſi ſolum recentem aquam per totam quindenam, & iccirco redierunt. *Scoti* autem ſemper affuerunt à latere & tergo capientes & interficientes quotquot de exercitu foriare exibant. *Henricus* dux *Lancaſtriæ* præibat ulterius in *Scotiam* & intellexit *Scotos* ſe parare ad prælium, & nunciavit regi, Qui regreſſus eſt feſtinanter cum paucis de *Mewroſe* ubi *Angli* hoſpitati fuerant, & cæteri qui *Angliam* petebant capti ſunt in foreſta de **Etryk** per *Willielmum Duglas*.

An. Dñi 1356.

Anno Gratiæ M.CCC.lvj. rex habuit concilium *Londoniis*, & petiit de clero decimam ſexennalem ad ſolvendum in iij. annis, ſed non conceſſit ea vice niſi unicam decimam. Poſt Pentecoſtem dux *Lancaſtriæ* & dux *Britanniæ* cum populo grandi perrexerunt in *Britanniam*. Sed primo tranſierunt in *Normanniam* ſuper terras regis *Naverniæ*, quem rex *Franciæ* per fraudem carceri mancipaverat eo quod antea adhæſerat regi *Angliæ*. Et primo apud *Mountebrygge* in inſula *Conſtantyn*, & inde uſque ad *Carantan*, & circuivit terram undequaque ad placitum & ad caſtellum quod vocatur *ponnt Dondemer* regis *Naverniæ*, quod erat obſeſſum grandi numero *Francorum*. Qui cum audiſſent ducis adventum, dimiſſis machinis & multis aliis neceſſariis fugerunt. Et inſtauravit illud victualibus, & viris, & aliis neceſſariis. Et inde tranſiit ad *Bretolliam* regis eciam *Naverniæ*, quæ erat obſeſſa à *Francis*, & amovit obſidionem & victualibus ditavit. Exinde proceſſit ad civitatem *Vernolliam* quæ dicitur una clavis *Normanniæ*, civitas robuſta & fortis, cujus una pars eſt in *Normannia*, altera in dulci *Francia*, & cepit eam per inſultum eodem die. Deinde fecit inſultum ad caſtellum eodem die uſque ad noctem, & die ſecundo & die tercia uſque ad terciam & tunc reddiderunt illud; habuit namque unum hordicium forte & bene proviſum, cum quo ad tales inſultus operatus eſt mirabilia in proſternendo muros caſtrorum. In craſtino nunciatum eſt ei quod rex *Franciæ* appropinquaverat & prope erat ad v. leucas. Et continuo exivit de villa in campum, & diſpoſuit populum ſuum in acies paratus ad prælium. Et moram fecit in campo donec audiret quod rex *Franciæ* appropinquare nec pugnare vellet. Interim rex *Franciæ* miſit ad eum duos clarigarios armorum dicens, Quod multo tempore giraverat terras ſuas devaſtando, & multa gravamina populo ſuo inferendo, videbatur regi quod idem dux quæreret bellum, & libenter impleretur. Ad hæc dux *Lancaſtriæ* reſpondit, dicens, Se & ſuos ſocios ad illas partes pro quibuſdam negotiis adventaſſe, & bene pro parte, regratietur Deus, proſequutos fuiſſe, & jam erat regrediens illicubi quo eciam habebat aliqua facere per viam, & ſi rex *Franciæ* vel aliqui ſuorum ipſum impedire conarentur ipſe paratus erat ipſos vi repellere & negotia itineris ſui continuare. Et in abſcondito nil facere propoſuit, ſed ut rex *Franciæ* qua via ipſe tenderet ſcire poſſet ipſe lucernam poſt ſe accenderet. Et rex quievit illum perſequi quia conſultus eſt ut ejus regreſſum expectaret & eciam donec voluntatem ſuam de principe *Walliæ* adimpleret, credidit namq; ambos ſubpeditaſſe. Et ſic rex regreſſus tetendit iter ſuum verſus principem. Dux *Lancaſtriæ* movit ſe verſus '*Argentam*, uſque *Turri*, & uſque ad abbathiam ſancti *Fremundi*, ubi tranſivit aquam nimis periculoſam, *Franci* vero pontem deſtruxerant. Poſitique erant viri qui locum pontis cuſtodirent lxvij. viri armati cum pluribus aliis; quibus occurrerunt antequam exercitus *Anglorum* adveniret xviij. viri *Angli* & occiderunt & vulneraverunt, ita quod nullus eorum abire valuit. Abinde movit ſe dux ad *Carantan*, deinde ad *Montebourgh*. Et nullus dies pertranſiit in quo non caperent forciletta & priſonarios. Medio tempore rex *Franciæ* divertit aciem verſus principem *Walliæ*, & ſubito tenuit ſe cum exercitu ſuo quaſi per unam leucam ab exercitu principis. Cardinales venerant pro concordia, ſed rex *Franciæ* renuit pacem vel treugam habere niſi princeps redderet priſonarios quos ceperat iterando. Princeps *Walliæ Edwardus* primogenitus regis *Edwardi* tercii in craſtino decollationis ſancti *Iohannis* in autumno movit ſe de *Burdegalo* in *Vaſconiam*, & equitavit per *Ageneys*, *Lymoſine*, *Haluerne*, *Beryn*, & ſuper aquam de *Leyre* in *Noners* quæ eſt inter *Dalneys* ex una parte, & venit juxta *Peyters*, ubi initum eſt bellum xix. die Septembris. Die Sabbati ante bellum iſti capti ſunt, Comes de *Iuny*, Comes de *Vſur*. Mareſcallus *Burgoniæ*, & CC.xl. viri armati capti & interfecti. Captum eſt caſtellum de *Romerentyn* xv. die ante bellum; in quo captus eſt dominus de *Brun*, dominus *Bruſſegardus*, & xl. viri armati. Victualia cœperunt deficere in exercitu principis in tantum quod oportebat eos congredi in bello aut præ vecordia tergum inimicis vertere. Et hæc inter ſe videntes firmaverunt ſibi cor validum ne quis eorum ſe redderet regi *Franciæ*, ſed pocius elegerunt mori una die pro jure domini ſui regis *Angliæ* una voce & unanimi aſſenſu compacti ſunt. Et ſignaverunt ſe ſignaculo ſanctæ Crucis Deo ſe & cauſam ſuam commendantes parati in bellum. Et diviſerunt ſe in tres acies. Comes de **Warwych** habuit primam aciem: & ex parte *Francorum* duo Mareſcalli *Franciæ* habuerunt primam aciem. Secundam aciem dominus *Dolfynus de Vienna* cum fratre ſuo Duce de *Orlyons* cum majori fortitudine. In tercia acie erat rex *Franciæ* cum ij. mille de electioribus armatis totius *Franciæ*. Dominus *Galfridus Charneys* bajulavit vexillum rubium quod erat mortis ſigniferum. Rex *Franciæ* edidit præceptum ne quis *Anglicus* vitæ reſervaretur ſolo principe excepto. Cardinales ante prælium aſcenderunt in quendam montem prope ut viderent eventum belli. Jam prima acies *Franciæ* congreditur cum Comite *Warwych*, ſet cito per ſagittarios ſubpeditati ſunt. Et Mareſcallus *Clermont* occiſus eſt & multi alii, ut infra dicetur. Comes de **Warwych** inſequebatur fugientes, & quoſdam occidit & quoſdam cepit priſonarios. Medio tempore venit ſecunda acies *Francorum* & miſcuerunt cum principe *Walliæ*, et pugnaverunt nimis acriter infra unam ſepem, et *Anglici* devenerunt multum laſſi præ gravedine certaminis, et arma eorum nimis lacerata. Et tam fortis et dura extitit pugna quod ſagittarii præ defectu ſagittarum ſuſtulerunt lapides, et cum gladiis et lanceis, et quicquid poſſent arripere pugnaverunt, et ſic ſe corde ſagaci mirabile dictu defenderunt; ſed tandem ſicut Deus voluit *Franci* fugam arripuerunt, et dum *Anglici* ſtarent laſſi ſe refocillantes et ſperantes victoriam reportaſſe de ſuis inimicis omnibus, ſupervenit *Iohannes* rex *Franciæ* cum ingenti fortitudine aciem dirigens verſus principem qui paucos ea hora ſecum habebat, quia laborabant ſuper inimicos fugientes. Dum igitur cepiſſent *Franci* aciem miſcere ſupervenit Comes de **Warrewych** rediens de fugatione inimicorum cum integro exercitu ſuo, et oppoſuit ſe à latere exercitus regis *Franciæ* et ſtrenue pugnaverunt, et ſic per gratiam Dei et non humana virtute victoria ceſſit principi et prælii reportavit principatum, et rex captus eſt et filius ejus *Philippus*, junior Comes de *Peyters* et magnates plurimi.

Regales.
Dominus *Johannes de Valoys* Rex *Franciæ*.
Philippus filius ejus adoleſcens.
Comes de *Pountyf*.
Dominus *Iacobus Burbon*.
Comes de *Eawe*.
Comes de *Tankirvyll*.

Comites.
Comes de *Aunſervill*.
Comes de *Ventadurn*.
Comes de *Baleferroynagg*.
Comes de *Vendoyn*.
Comes de *Ruſſye*.
Comes de *Wandemont*.
Comes de *Aumartyn*.
Comes de *Neſowe*.

Clerici.
Epiſcopus de *Geyns*.
Chaſtell de *Enpoſte*.
Vicecomes de *Nerbon*.
Mareſcallus *Dondena*.
Filius Comitis de *Alſur*.
Filius Comitis de *Wendemer*.
Comes de *Bealmont*.
Dominus de *Richeſtaundres*.
Dominus de *Mountagu*.
Dominus de *ſeynt Agar*.
Dominus de *Aulenye*.
Seneſcallus de *ſeynt Omer*.
Dominus *Ricardus Dars*.
Dominus *Mauricius de Maynet*.
Capitanus de *Peyters*.
Dominus de la *Tour*.
Dominus de *Bewall*.
Dominus de *Mangeleyre*.
Dominus de *Blaunceo*.
Dominus de *Alnoye*.
Dominus de *Dyvelyn*.

Et præter iſtos ij. mille perſonæ de quibus mille homines armati.

Nomina occiſorum in bello.

Dux de *Bulloun*.
Dominus *Robertus de Aras*.
Dux de *Cateneys*.
Conſtabularius *Franciæ*.
Vicecomes de *Talouns*.
Mareſcallus *Clermont*.
Vicecomes de *Bruſſe*.
Vicecomes *Lychedard*.
Dominus *Reginaldus de Pomncz*.
Dominus *Galfridus Charneys*.
Dominus *Euſtachius de Rippelmond*.
Dominus de *Lyle*.
Dominus *Willielmus Johar*.
Dominus *Robertus Channgger*.
Dominus caſtelli *Seylon*.
Dominus de *Mounlaon*.
Dominus *Argention*.
Dominus *Iohannes Saunſiver*.
Dominus *Lodowycus Brok*.
Filius domini *Mountagu*.

Et præter iſtos ij. mille virorum armatorum mortui, & de aliis CCC.

Sabbato ante bellum capti

Comes de *Iuny*.
Comes de *Uſur*.
Maraſcallus de *Burgoyn*.
Et de viris armatis mortui & capti CC. xl.

Die xv. ante bellum caſtellum de *Romorentyn* captum eſt, Dominus de *Broun*, Dominus *Bricius Gamth*, & xl. viri armati.

Summa occiſorum in bello	ij M. CCC.
Sum. priſonariorum captorum	ij M. D.

Anglici ſe receperunt prope locum in uno boſco, & ibi hoſpitati ſunt illa nocte. In craſtino numeraverunt mortuos quos ſpoliatos & nudos repererunt. Deinde redierunt cum priſonariis ſuis verſus *Burdegalum*, laudantes & glorificantes Deum qui tanta miracula operatus eſt in eis. Concuſſum eſt hoc prælium

Edw. III. prælium circa feſtum S. *Mathai* apoſtoli. In exercitu principis *Walliæ* M. DCCC. de viris armatis. Sagittarii M. CCCC. In exercitu regis *Franciæ* de omni populo xl M. Poſt feſtum ſancti *Michaelis* videns dux *Lancaſtriæ* quod non poſſet inimicos equitando perturbare yeme ſuperveniente, deſcendit cum exercitu ſuo ad villam de *Reynes*, & circa feſtum omnium Sanctorum cœpit obſidere eam ad magnum detrimentum populi ſui; nam multum dampnum propter yemis algorem ibi perpeſſi ſunt. Tunc cœpit papa tractare de concordia inter reges cum effectu.

An. Dñi 1357. ANno Gratiæ M.CCC.lvij. *Edwardus* princeps *Walliæ* venit in *Angliam* ducens ſecum *Iohannem* regem *Franciæ*; & applicuit apud **Plimmouthe** in vigilia ſancti *Iohannis* ante portam Latinam. Et exinde ductus eſt *Londonias* per mediam civitatem. Et tantus apparatus arcuum, & ſagittarum, & de omni genere armotum monſtratus eſt in qualibet ſtrata *Londonienſi* ubi rex *Franciæ* adventare deberet, quod mirum eſt dictu, nec ab antiquo tale quid viſum aut auditum. Civeſque obviaverunt ei ultra mille equeſtres ſuo meliori modo, quodlibet artificium ſimul veſtiti in una ſecta. Facta ſunt hæc die Mercurii proxima ante feſtum Pentecoſtes. Conceſſa eſt regi quintadecima biennalis. Et rex relaxavit & condonavit omnes felonias, evaſiones, & fugitiones. Eodem tempore orta eſt diſcordia inter clerum & fratres *Minores* de quibuſdam opinionibus; & utraque pars appellavit ad curiam *Romanam*: unde magiſter *Ricardus* epiſcopus *Armachanus* tranſivit cum pluribus aliis clericis ad curiam in defenſionem cleri. Et idem *Ricardus Armachanus* habuit ſubſidium de clero, & abbas S. *Albani* erat procurator ejus. Et quia papa ſemper favebat *Francis*, & eos fovebat in quantum potuit contra *Anglos*, & propter miraculum quod Deus tribuerat victoriam tam paucis viris contra tantam multitudinem *Francorum*, ſcriptum erat in pluribus locis in *Vienna* & in multis aliis locis, *Ore eſt le Pape devenu* Franceys *e* Jeſu *devenu* Engleys. *Ore ſerra veou qe fra plus, ly Pape ou* Jeſus. Et ſcriptum erat in deriſionem. Die Lunæ ante feſtum ſancti *Iohannis Baptiſtæ* venit unus Cardinalis ad regem *Londonias* ſub magna feſtinatione, & dixit ad regem, Domine conſenſum erat apud *Burdegalum* quod dux *Lancaſtriæ* amoveret obſidionem de villa de *Reynes*, quæ jam extat in magno periculo, & cuncta quæ in ea ſunt. Nunc autem ſi tractare debeamus de concordia faciatis amoveri obſidionem. Rex igitur miſit literas ad ducem *Lancaſtriæ* ſub foriſfactura vitæ & membrorum & quicquid forisfacere poſſet, ut deſiſteret ab obſidione & domum remearet quam citius poſſet; ſimiliter rex *Franciæ* miſit ad ſuos ut omnia ſuſtinerent in pace. Et dum iſta ſic tractarentur venerunt *Londonias* duo alii Cardinales, ſcilicet Cardinalis *Pagorenſis*, & Cardinalis *Ronenſis*, & ille alius Cardinalis. Qui cum veniſſent ante regem apud *Weſtmonaſterium* quaſi in apparatu imperiali & fero vultu tanquam leonis, adoraverunt cum proni in terram, & ſic mutuo alterutris ſalutatis, regeque in cathedra reſidente, unus eorum ſumpto themate cœpit prædicare. thema, *Honor regis judicium diligit*. Et poſt ſermonem cœperunt loqui de negotio itineris ſui, videlicet Quod rex *Edwardus* haberet omnes terras anteceſſorum ſuorum dum tamen pax & concordia inter Edw. III. reges mediaret. Reſpondit rex breviter, Quod licet ipſe perdiderat terras anteceſſorum ſuorum pro tempore, ipſe ea recuperaret cum Deus voluerit, & dixit eis ut loquerentur de corona *Franciæ* quam ipſe vendicavit. At illi reſponderunt, Commiſſionem ſuam ad tam ardua negotia non extendere. Et ſic dilatum eſt negotium uſque ad decollationem S. *Johannis*, donec mitteretur papæ pro dicto negotio. Et habuerunt iiij.d. ad marcam tam de ſpiritualibus quam de temporalibus per totum regnum de eccleſia. *Iohannes* rex *Franciæ* moram traxit apud *Wynduſoram*, & *David* rex *Scotiæ* apud turrim *Londonienſem*.

Jam redeamus ad ducem *Lancaſtriæ*. Cum igitur *Henricus* dux *Lancaſtriæ* ix. menſes feciſſet ſuper obſidione & patriam circumquaque devaſtaſſet, dominus *Carolus de Bloys* venit cum x. mille viris & dux paravit ſe ad pugnam: ſed cum appropinquaſſet non audebat accedere, ſet receſſit. Illi vero de villa hæc videntes magis timuerunt & captaverunt oportunitatem qualiter inirent colloquium cum duce. Et miſerunt unum epiſcopum cum vj. militibus per conductum ducis reconciliare unam eccleſiam extra muros per mortem unius occiſi pollutam. Dux vero compulit eos ſecum manducare. Et inter epulas colloquebantur de redditione villæ, eo quod nullus veniret in eorum auxilium. Dux vero durus erat ad inducendum ad hoc niſi ſub tali conditione quod ſe & ſua cuncta ei redderent in ſua gratia. Sed tandem convenerunt dare duci C. mille ſcutorum pro ſuis coſtagiis, & redderent ei villam, ſic tamen quod ipſi haberent bona ſua. Et fecerunt ſecuritatem quod quandocunque dux vellet petere villam ad opus regis *Angliæ* ipſi redderent ei villam, dare vel aſſignare cuicunque ei placeret, & dux ordinavit unum capitanium quem voluit; & quia noluit quod deprædaretur villa, aſſignavit certos viros qui ingrederentur & ſeiſinam caperent in ea ejus nomine. Et ipſe moram traxit extra villam & noluit intrare. Eodem tempore die Veneris proxima poſt feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* delatæ ſunt literæ regis *Angliæ* ad ducem ut amoveret obſidionem, poſt concordiam & redditionem factam, ſicut Deo placuit. Eodem tempore erant nonnulli armigeri & ſagittarii qui manſerant in *Britannia* & *Vaſconia* ad cuſtodiam caſtellorum & opidorum, & hii convenerunt in unum ad numerum DC. virorum, & perrexerunt in *Normanniam*, & per ſubtilitatem comprehenderunt villam de *Honyflet* & tenuerunt eam, & ſupervenit Mareſcallus de *Flandria Robertus Clermont* cum DCCC. viris armatis & v. mille pedeſtrium, & impetierunt villam, ſet *Angli* ſtrenue defenderunt ſe ad muros, & occiderunt de illis circiter v C. Et dum ſic pugnaverunt ad muros ſupervenerunt *Robertus Cnolles* & *Randulfus* ſocius ſuus cum ſua comitiva à tergo, & percuſſerunt *Francos*, occiderunt pluſquam mille perſonas, & plures ceperunt priſonarios, & Mareſcallum & cæteros miſerunt ad fugam.

Eodem anno orta eſt lis inter abbatem noſtrum *Leyceſtrenſem* & *Iohannem Larence* de **Belgrave**, & *Laurencium Larence* fratrem ejus, & communitatem ejuſdem villæ. Et ſic incepit. Communes de **Belgrave** quadam nocte proſtraverunt furcas libertatis abbatis *Leyceſtrenſis* in quodam angulo campi qui vocatur *le* **Stokking**. Tandem per ſententias latas in patria recognoverunt malefactores factum ſuum. Similiter fecerunt foſſas in quodam vado ſuper aquam *Sore* ubi via de Foſſe ſolet habere curſum ſuum, ad impediendum cariagium victualium noſtrorum de maneriis noſtris cum carectariis, et munierunt pontem ad alteram finem villæ cum peſſula et ſerra ut undique nos gravarent. Super quibus Abbas noſter *Leyceſtrenſis* habuit breve regis de placito tranſgreſſionis ad Juſticiarios ad hoc aſſignatos, ſcilicet dominum *Robertum de Herle* et dominum *Johannem de Folvyll* milites, et *Simonem Pakeman* et *Laurencium Haubark*. Et fuerunt addictati xxxv. de **Belgrave** et ſic oportuit eos finem facere parti. Primo *Johannes Larence*, in cujus confidentia cæteri hæc mala fecerunt, et idem *Johannes* vadiavit Abbati xl. li. in gratia ſua, et ſolvit centum ſolidos; reliqui vero de villa quia ſimpliciores erant, ad inſtantiam magnatum patriæ ſolverunt tantum x. li. et reliquum pardonatum eſt eis ea conditione quod repararēt viam de Foſſe in vado de *Coweſwath* et proſternerent arbores creſcentes in dicta via verſus pontē, nam dicta via extendit ſe à *Coweſwath* per pratū et ſic inter les **Wylwes** ad finem pontis uſque ad *le* **Penygrene**, et eciam dictū pontem paratum patere facerent omni tranſire volenti. Et antedictus *Laurencius* frater ſenior relaxavit ſi quid juris habuerat vel habere videbatur in illo loco ubi furcæ noſtræ prius erectæ fuerant. Eodem tempore *Scoti* navigabant ſuper mare huc atque illuc cum tribus navibus bene ſtoffatis cum CCC. viris armatis electis. Et explorabant *Anglicos* tranſeuntes cum ſuis mercimoniis et bona eorum rapuerunt et eos occiderunt, et ſic diu multa mala operati ſunt. Et circa feſtum ſancti *Michaelis* ortus eſt ventus validus et fugavit eos cum multis aliis navibus *Anglorum* in portum de **Parnyſmoth**, et ibi capti ſunt ſicut deo placuit per *Anglicos*. *David* rex *Scotiæ* xi. anno à captione ſua liberatus eſt et redemptus per xxx mil. li. et venit apud *Berwycum* in die ſancti *Michaelis*, ubi venerunt quidam de *Scotis* cum medietate dictæ ſummæ, et cum certis viris hoſtiagiis manſuris in *Anglia* donec altera medietas ſolveretur. Et facta eſt proclamatio de una trewga x. annorum inter *Anglos* et *Scotos* ſub pœna foriſfacturæ corporis et catallorum, et poſt x. annos lapſos eligerent *Scoti* utrum vellent pacem vel guerram. Ad feſtum ſancti *Michaelis* iterum Cardinales habuerunt iiij. d. ad marcam de clero tam de ſpiritualibus quam temporalibus, et non eo minus Papa miſit per Bullam quod quilibet Epiſcopus faceret viſitare epiſcopatum ſuum autoritate Papæ, et ſolverent procurationes Cardinalibus, et dictum eſt quod hæc ſumma data eſt per papam ad ſuſtentationem regis *Franciæ*. Et Papa eodem tempore petiit de regno *Angliæ* mil. marcas per annum per regem *Johannem* Curiæ *Romanæ* conceſſas et ab ejus tempore debitas jam plenarie ſolvendas, et hæc omnia facta ſunt ut per talem terrorem regis *Edwardi* animum ad eorum voluntatem magis inclinarent: et rex providus provide et breviter reſpondit, ſe nullum tributum velle cuidam dare, quia regnum ſuum tenuit et libere tenere voluit abſque ſubjectione cujuſcunque.

An. Dñi 1358.

ANno gratiæ 1358. Rex fecit proclamationem in omnibus partibus regni, quod omnes alienigenæ de quibuſcunque partibus mundi, qui advenire vellent ad ſolempnitates ſancti *Georgii* haberent liberum conductum ingrediendi regnum *Angliæ* & regrediendi ad placitum per iij. ſeptimanas abſque impedimento vel nocumento cujuſcumque ad haſtiludia cuilibet volenti in ſuo gradu proſequi generalia. Venit ibi Dux *Brabanniæ* & multi *Vaſconii*. Regina quoque *Scotiæ* affuit cum multis aliis dominabus. Nobilitas hujus ſolennitatis multa erat nimis, nec eſt noſtræ facultatis ejus glorioſa facta evolvere. Poſt ſolennitatem peractam tranſierunt omnes *Londonias* tractaturi de concordia inter *Anglos* & *Francos*, & multo tempore tractaverunt ſine expeditione. Tandem pro eo quod Princeps promiſerat *Francis* apud *Burdegalum* quod pax & concordia ſe tenerent in quantum procurare poſſet patrem ſuum regem, & Rex cupiebat promovere filium ſuum in honore ſicut multum tenebatur atque ejus ſiniſtra pro ſuo poſſe devitare, aſſenſum præbuit concordiæ & pacis viſcera amplexatus eſt. Et ſic facta eſt redemptio regis *Franciæ* pro x. mill. centenis marcis & darent xiiij. hoſtiagios de melioribus totius regni *Franciæ* ad demorandum in *Anglia* donec tota ſumma ſolveretur. Sed dux *Lancaſtriæ* *Henricus* quando rediit in *Angliam* dimiſerat gardianos in *Normannia* dominum *Jacobum de Pype*, *Robertum de Cnolles* & multos alios qui aſſociaverant eis de melioribus viris armatis & ſagittariis electioribus in numero ſufficienti & mirabile dictu qui auxiliarentur regi *Naverniæ*, & crevit tam fortitudo regis *Naverniæ*, quam *Anglorum*, quod ſic adunati devaſtaverunt cunctas patrias in circuitu, & divites facti ſunt nimis & locupletati ſunt, adeo quod potius viderentur domini regni quam ſtipendiarii. Et multi qui egreſſi ſunt illuc garciones vel valetti facti ſunt milites validiſſimi ac ditiſſimi regreſſi ſunt, & omnes terræ ad lx. leucas circa Pariſius factæ ſunt eis tributariæ, ne in toto exterminarentur. Ipſa quoque Civitas *Pariſienſis* promiſit eis fidem, & ſuper hac fide dominus *Jacobus de Pype* cum xxx. viris ingreſſus eſt *Pariſius* videre civitatem ſpaciandi gratia. Cumque aliquandiu moram traxiſſet ibidem, ſurrexerunt quidam de civitate & interfecerunt omnes illos xxx. viros. Dominus *Jacobus* vero evaſit adminiculo unius de civitate ſuffultus ſicut deus voluit. Et ſupervenit Rex *Naverniæ* cum exercitu ſuo, & ſtetit coram civitate *Pariſienſi*, & dominus *Dolfinus de Vienna* venit à tergo per 2 leucas appropinquans. Et cum noſtri viderent quod accedere nollet ad pugnam, direxerunt ſe verſus illum, & coercuerunt eum ad fugam, et occiderunt pluſquam CCC. viros de illis et multos valentes milites et armigeros, et unum Epiſcopum ceperunt. Tunc Cardinales diſpoſuerunt ſe repatriare, et habuerunt conductum ad *Caleſiam*. Eodem tempore mortua eſt *Iſabella* regina mater regis *Edwardi* et ſepulta *Londoniis* apud fratres *minores*. Poſt receſſum Cardinalium quidam de *Francia* venerunt *Londonias* cum xij. centenis millibus marcarum in partem ſolutionis pro rege ſuo. Sed rex noſter recuſavit pecuniam pro eo quod non adduxerunt ſecum hoſtiagios prout Concordia ſe præhabuit. At illi reſponderunt, Magnam partem *Franciæ* fore per *Anglos* deſtructam contra formam Concordiæ, adeo quod *Franci* non audebant ad proprias domos redire. Rex reſpondit quod *Angli* qui remanſerant in *Francia* poſt habitam concordiam exlegati homines fuerunt, cum felones ſcilicet, homicidæ, fures & latrones & tales delinquentes contra

tra jura regni ſui, & extra protectionem ſuam, nec ipſos potuit juſtificare. Eodem anno poſt feſtum omnium Sanctorum venit rex *Scociæ* per communem aſſenſum regni ſui ad regem, *Londonias*, & optulit ſe pergere cum eo ubicumque ſibi placeret in guerra ſua, ſi forte talis oblatio poſſet cedere in alleviamen regni ſui de tanta ſumma redemptionis ſuæ ſolvenda. Et ſupplicavit regi quod Mercatores *Scotia* poſſent libere intrare regnum *Anglia* & exire, & mercatores *Anglia* ſimili modo terram *Scotia* tanquam una gens & unus populus abſque detrimento vel calumpnia alterius ad alterum. Similiter quod moneta eorum poſſet currere cum moneta noſtra & noſtra moneta tranſire cum moneta ſua, & filii eorum vacare Univerſitatibus *Anglia* diſcendi gratia cum facere ſolebant. Cum igitur rex *Edwardus* vidiſſet tantam humilitatem annuit ejus petitioni. Et rex *Scotia* cum regina moram traxit apud fratres prædicatores *Londoniis*. Et ſciendum eſt quod rex *Anglia* concordatus eſt cum rege *Francia* in octabis ſancti Hillarii, ſicut ſupra notatum eſt, ſub iſta forma.

* * * * * Et forma Concordiæ miſſa eſt ad Curiam *Romanam* ad ratificandum & confirmandũ, & dum nuncii eſſentin redeundo expleto negotio, inventũ eſt quod rex *Francia* contra ſacramentum ſuum juratum miſerat literas in *Franciam* quod nunquam fuit in voluntate dimittere unum pedem terræ regi *Anglia* de terra ſua *Francia*. Et captus eſt nuncius ad mare qui portavit has literas ſecreto ſigillo ſuo munitas. Quam ob cauſam rex *Francia* miſſus eſt ad caſtellum de *Somortun* ſub cuſtodia domini de *Deyncort* & domini de *Solvyll*, & *Philippus* filius ejus miſſus eſt ibidem cum eo. Poſt feſtum Purificationis quidam tunc valettus poſtea per proceſſum temporis miles magnus & validus dominus, capitanius multorum caſtellorum, opidorum forcilettorum atque villarum in *Francia* tam ex aſſignatione ducis *Luncaſtria* quam ex propria adquiſitione, collecta multa fortitudine *Anglorum* perrexit in *Franciam* & venit ad villam de *Aurilions* & poſuit ſuburbia ad flammam ignis, & occidit quos voluit & tulit ſecum multa bona & quæque precioſa inventa, Cives vero non audebant exire contra eum, tanta florebat fama divinæ gratiæ *Anglorum*. Exinde perrexit verſus *Amiſinm* & per cautelam muros aſcendit, portas aperit, omnes *Angli* intrant & in medio ſtratæ ſe ad bellum parant & multos cives necant, & cives in tantum attoniti redduntur quod multi ad muros fugerunt, ſaltant & colla frangunt, & multi ſe ſubmerſerunt præ timore, ſicque factum eſt quod multo plures occiderunt terrore quam gladio. Et ipſi abſtulerunt, rapuerunt & aſportaverunt bona innumera & ibi divites ſunt nimis. Et non erat ibi *Anglus* tam pauper quin de auro & argento & aliis jocalibus & precioſis ad plenum ditatus eſt. Et inde venit dictus *Robertus Cnollis* ad xij. leugas ab *Avinonia* & tantam virtutem ſecum duxit quod Papa & Cardinales non audebant extra palatium moram facere, & quaſi deludentes intra ſe dicebant,

Roberte Cnollys parte fit Francus mollis,
Ipſius tollis prædas, dans vulnera collis.

Deinde in redeundo cepit priſonarios & villulas multas & divitias ad plenum, et ſic venit ad ſuum hoſpitium. Tunc *Robertus Cnollys* miſit in *Angliam* ad regem quod quæcunque adquiſierat in regno *Francia* caſtella, villas, catalla & quæcunque alia bene voluit omnia eſſe ad voluntatem legii domini ſui regis diſponere de eis ad ſuum placitum. Et rogavit regem de ſuo dominio & bona ſua voluntate, & multum placuit regi cunctiſque filiis ſuis. Sed poſt feſtum ſancti *Michaelis* idem *Robertus* captus eſt per inſidias. Et dum deberet abduci ſupervenit *Randekyn* ſocius dicti *Roberti* qui prope erat in illis partibus & ceperat eodem die circiter xl. priſonarios de *Francis*, devicit hoſtes, & liberavit ſocium ſuum *Robertum*. Interim redeunt nuncii de Curia Papæ dicentes Papam & totam Curiam lætam fore de Concordia & ſuum aſſenſum præbuiſſe. Similiter attulerunt ſecum unam Bullam Papalem ad abſolvendum Juſticiarios regis qui fuerant excommunicati ad ſuggeſtionem & procurationem Epiſcopi *Helienſis* tic. Parum ante hæc tempora orta eſt diſcordia inter fratrem *Thomam de Lyle Helienſem* Epiſcopum & dominam *la Wake*; nam homines Epiſcopi ſuccenderant unum manerium Dominæ *la Wake* & homines ejus interfecerant, et domina conqueſta eſt regi de ſuo gravamine. Et Juſticiarii miſſi ſunt ad inquirendum in cauſa, ſcilicet dominus *Henricus Grene*, dominus *Willielmus de Schardeſbul* et alii, et Epiſcopus venit coram eis, et compertum eſt quod fuit in toto culpabilis. Unde attachiatus eſt per temporalia ſua ſicut lex dictat, et traditus eſt Epiſcopis qui eum cuſtodirent et pro eo ad legem reſponderent, et ipſe ſtatim tranſivit ad Curiam *Romanam* et dedit Papæ intelligere quod rex incarceraverat eum et tulerat ab eo ſua temporalia contra jura Eccleſiæ. Quam ob cauſam miſſa eſt ſententia per Bullam papalem ſuper Juſticiarios et omnes ſuos fautores et eis adhærentes ac coadjutores vel conſiliatores in hac cauſa. Et miſſa fuit Bulla ad *Johannem de Kynwelle* Epiſcopum *Lincolnienſem* ad puplicandum populo et exhumare corpora eorum ſi mortui eſſent et proicere extra cimiterium. Qui continuo perrexit ad quendam *Simonem de Draython*: et exhumavit eum et fregit parietem Eccleſiæ et extraxit corpus per foramen et ejecit extra cimiterium. Et Epiſcopus *Lincolnienſis* mandavit Abbati de *Burgo* idem faceret de corpore Domini *Johannis de Engan* militis, ſed impeditus eſt per virtutem à filio dicti militis. Cum igitur rex iſta audiſſet graviter tulit, et mandavit Papæ quod nil actum contra Epiſcopum citra leges et conſuetudines regni. Et ſic tandem cum difficultate tamen et auxilio Cardinalium habuit pro eis abſolutionem. Ad feſtum Epiphaniæ quando magis credebatur pacem habuiſſe inter regna *Anglia* et *Francia* cives *Pariſienſes* totaliter recuſaverunt, et deſpectuoſe omnes unanimi aſſenſu inſurrexerunt contra *Anglos* in civitate, quorum multi morati fuerant ibidem tota vita ſua, et eos omnes occiderunt et bona eorum ſibi rapuerunt. Similiter et *Flandrenſes* ex ſua parte fugaverunt mercatores noſtros in *Brabanniam* et mercatores *Eſtyrlynges* tenuerunt extra fines *Flandria*, & omnes illos cives de *Brydgges* qui mercatores foverant exlegabant, ceperunt, & multos de mandato Comitis *Flandria* detruncaverunt. Et iccirco rex fecit proclamare ubique in regno quod omnes aliengenæ cujuſcunque conditionis eſſent, ſolis firmariis regis exceptis, parati eſſent ad mare exire regnum citra feſtum ſanctæ *Margareta* proximo ſequentis ſub pœna vitæ & membrorum abſque ulteriori dilatione.

Anno gratiæ 1359 rex fecit retentionem ſimiliter & cæteri domini regni fecerunt qualem præ valitudine non audivimus factam noſtris anteactis temporibus pro aliquo paſſagio ultra mare faciendo, & præparavit ſe tranſire in *Franciam* ad nativitatem beatæ *Maria*. Et medio tempore venit dominus *Walterus le Mawne* cum M. D. viris bene arraiatis de *Almania* & *Hunaldia* & aliis locis in auxilium regis, & venerunt ad *Caleſiam* & cum introiſſent villam tractaverunt villam ad ſuum placitum. Acceperunt hoſpicia & ejecerunt *Anglos* & quoſdam occiderunt & ultra menſuram multa magiſtralia exercuerunt, ſicque propter iſta & propter alia nova quæ ad aures regis devenerunt rex noluit pro tempore in *Franciam* tranſire, & ſic paſſagium illud dilatum eſt, ſed ordinavit *Henricum* ducem *Lancaſtriæ* in *Franciam* pergere & applicuit apud *Caleſiam* poſt feſtum ſancti *Michaelis* cum fortitudine grandi, & hoc contra voluntatem multorum magnatum de regno qui ſecretas inimicitias gerebant erga eum. Et equitavit per *Picardiam* & *Artoys*, et deſtruxit patrias in circuitu. Et tunc ſupervenit rex *Edwardus* cum omnibus aliis magnatibus, & diviſerunt ſe in tres turmas & acies, & abinvicem ſe dividentes ſingulæ acies ceperunt iter ſuum. Neſciebat una acies de cætero ubi altera devenit uſque in diem Jovis ante feſtum ſancti *Andrea*. Quo caſualiter duæ acies tranſeuntes occurrerunt regi ad unam villulam ad x. leucas de *Reynes* in *Campania*, ubi rex tenuit unum magnum Concilium cum duce *Lancaſtria* & aliis magnatibus ſuis in vigilia ſancti *Andrea*, & die ſequenti, & exinde ceperunt iter ſuum verſus *Reynes* in tribus aciebus ſicut prius fecerant, ita tamen quod ſinguli poſſent ſcire ubi eſſent & reliqui, nec aliquis exercitus eorum aliquam patiebatur adverſitatem aut diſpendium, nec quandoque ab adverſariis acclamatus eſt in toto hoc itinere, ſed omnia proſpera eis evenerunt niſi quod unus *Baldewynus Bartyn* xxvi. die Novembris venit cum lx. viris ſuper Comitem *Staffordiæ* hoſpitatum in una parva villula prope Principem, et acclamavit eum, at ille exiens in primo inſultu unum occidit et alium ad terram jecit, ſicque omnes capti ſunt vel occiſi, nec unus quidem evadit et ipſe *Baldewynus* captus eſt. Et notandum quod in toto illo viagio non periit quiſquam noſtrorum nec dampnum ſuſtinuit præter quod dominus *Thomas de Morreus* percuſſus eſt medio de una gunna. Xviij die Decembris venit rex cum omnibus ſuis ad villam de *Reynes* & recipiebant ſe hoſpitio ex omni parte villæ, & quieverunt pacificæ nulli malum aut moleſtiam inferentes. Et fecerunt convivia unuſquiſque dominus cum alio acſi in proprio ſolo fuiſſent in *Anglia*. Die ſancti *Thoma Cantuarienſis* ad noctem dux *Lancaſtria*, Comes *Richemundia*, Comes *March*, dominus *Johannes Chandos* qui nominatiſſimus miles hiis diebus habebatur, exierunt ad inſcalandum villam de *Cerney* in *Dormoys* quæ erat villa fortiſſima duplici foſſa & ingenti muro munita, plena turribus & inſtaurata viris armatis, In craſtino antequam appropinquarent ad villam per unam leucam illi de villa perceperunt eos & eos acclamabant, At dux & cæteri Comites non obſtante illo clamore equitaverunt donec venirent bene prope villam, & tunc deſcendit dux de equo ut videret foſſuras & illarum, & ſtatim cæteri videntes eum ad pedes deſcenderunt de equis, & abſque conſilio inito aut aliquo propoſito inde capto unanimiter ſe dederunt ad inſultum inproviſe, & ſine dilatione unam foſſuram adquiſierunt, deinde abſque mora adepti ſunt aliam, tunc cum gravi pœna ad muros aſcenderunt & ibi militanter & ſtrenue pugnaverunt donec aliqui eorum muros adquirerent, & ſic aſcenſis muris villam intraverunt & miſerunt ad mortem qui eis reſtiterunt, & multi illorum fugientes ſe ſubmerſerunt in aqua & mariſco, deinde direxerunt ſe ad caſtellum ut inſultum facerent, ſed caſtellani præpediti timore ſine dilatione ſe reddiderunt cum Caſtello duci *Lancaſtriæ*, & eodem die antequam inde abirent poſuerunt villam incendio & flammæ, & hoſpitati ſunt eadem nocte in una villula bene prope Comitem de *March*, & in craſtino die ſcilicet Circumciſionis dux *Lancaſtria* & plures alii tetenderunt viam ad quandam villam vocatam *Autry* in *Dormoys* quæ diſtat per iij. legas de *Cerneye*, & erat hæc villa bene munita & fortior quam *Cerneye*, poſita ſuper aquam vocatam *Dayne*. Sed antequam illuc venirent villani reliquerunt villam & fugerunt præ timore, nec erat qui eis reſiſteret. Eodem die dux *Lancaſtria* perrexit ad villam fortem & bene munitam vocatã *Menram* in *Campania*, de qua ſimili modo villani ante eorum adventum fugerant, & villã flammæ & incendio ſuppoſuerant, et exinde rediit cum exercitu ſuo ad Regem *Edwardũ* ſanus & incolumis cũ omnibus ſuis, laudetur deus. Et præter hæc dominus *Bartholomeus de Borgwahs*, dominus *Baldewynus de Buttore* cum multis aliis de familia principis et familia Comitis *Richemundia* 20 die Decembris direxerunt ſe ad villam nomine *Sourmuſſy* quæ erat munita duplici foſſa et bene murata et fortiſſima præſidio, et virili audacia inſcalaverunt eam eadem nocte et prendiderunt eam, et in medio villæ erat unum pulcrum caſtellum cum turri una quaſi inexpugnabili, et hoc caſtellum per ſuffoſſionem et varios inſultus adepti ſunt in die Epiphaniæ, et hii qui fuerunt in caſtello fugerunt in turrim indilate, ſed vi coacti reddiderunt ſe eodem die, ſcilicet dominus de *Clermont* et multi valentes milites armigeri et burgenſes de villa. Tercia die poſt Epiphaniam prædicta turris dilapidata eſt ad terram, dictaque villa data incendio combuſtionis et penitus deſtructa. Eodem tempore *Dalfinus* de *Vienna* filius regis *Francia* et alii proceres regni congregaverunt multitudinem virorum fortium et claſſem magnam nimis ut in *Normannia* adunati in *Angliam* applicarent in diverſis locis, ut ſic regem *Edwardum* revocarent ac eciam de *Anglicũ* ſe vindicarent; Et quidam eorum occurrerunt domino *Thoma Fogges* ad numerum CC. XL. lanceati, ac dictus *Thomas* occurrit eis juxta *Honiflet*, cum xxvij. lanceatis et circiter C. ſagittariis, et fortiter pugnaverunt, et capti ſunt in eodem congreſſu CXX. perſonæ armatæ, videlicet dominus *Lodovicus Harecourt* gardianus *Normannia*. Dominus *Johannes Bygot* Mareſcallus. Dominus *Baldewynus* de la *Huſe* cum 2. fratribus. Dominus de *Brakemont* et frater ejus, *Ballivus* de *Caux* et unus Baro cognatus ejus. Dominus *Willielmus Marteb*. Die ſancti *Mathia* Apoſtoli in Quadrageſima *Franci* applicuerunt apud Winchelſe ad ſummam xx mill. armatorum virorum, et interfecerunt xxxv. homines de villa. Sed infra breve tempus tanta multitudo *Anglorum* compatriotarum quod antequã *Franci* poſſent navigio ſuo ſe munire in tantum ſe proripuerũt ad aquã quilibet ſuper alium quod perdiderunt tam necatos quam ſubmerſos pluſquam CCCC. Et ſumpſerunt ſecum ix. mulieres ſpecioſas de villa quas tam turpiter violaverunt quod horribile eſt recitare. Et dum ſic occupati eſſent *Franci* ex una parte quidam marinarini noſtri navigio venerunt & ceperunt xiij. naves cum vino & aliis victualibus bene onuſtas, & eas abduxerunt. Eodem tempore miſſus eſt *Iohannes de Valoys* Rex *Franciæ* de Caſtello de **Somerton** ad turrim *Londonienſem.*

An. Dñi 1360. ANno gratiæ M.CCC.lx. omnes laici cujuſcunque conditionis erant inter xvj. & lx. annos arraiati ſunt. Et de illis meliores armati ſagittarii miſſi ſunt ad mariſarchos ad mare in defenſionem regni. Unus Mariſarchus erat *Iohannes Weſnam* Prior Hoſpitalis, & alii aſſignati per regem. Navigium inimicorum ſuper mare dicebatur nimis validum.

Archiepiſcopi & epiſcopi per epiſcopatus ſuos conceſſerunt grandes indulgentias omnibus tranſeuntibus ad mare contra inimicos in defenſionem regni, & quod unuſquiſque poſſet eligere ſibi confeſſorem ad placitum. Epiſcopi quoque, Abbates & Priores, Rectores, Vicarii & capellani & omnes viri eccleſiaſtici parati erant prout Abbates fuerant, Quidam eſſe viri armati, quidam ſagittarii,et electi erant per mandatum epiſcoporum. Et beneficiati qui non potuerunt in propria perſona ſupplerent per bona ſua in aliis perſonis, ſi *Franci* in terram intrarent & neceſſitas eis occurrere ſuppetiſſet. Tunc mariſarchus cū C.lx.navibus de *Londoniis* per*Temiſiam* mare peciit. Et primo ſulcavit maris alta uſque *Boloniam*,deinde uſque ad *Honyflete* ad reprimendum inimicorum audaciam qui terram *Angliæ* infeſtare propoſuerant. Et ſic noſtri fecerant multa mala *Francis* in iſta peregrinatione. Cum igitur Rex jacuiſſet apud *Reynes* vij. ſeptimanas tranſivit ad *Chalounnes*, deinde perrexit in *Burgoniam*. Et venit dux *Burgoniæ* & tractavit cum rege,& rex conceſſit ei treugas per iij.annos pro ſe & omnibus ſuis pro CC. mill. **Motonns** regi ſolvendis. In quadrageſima ſequenti rex *Edwardus* habuit tractatum cum *Francis*, aderantque unus Cardinalis & unus legatus ; ſed non cepit effectum. Unde rex movit exercitum uſque *Pariſius* incendendo,occidendo & undique devaſtando. Et ibi propter feſtum Paſchæ fixit tentoria ad ij. leucas de civitate. Die Lunæ poſt diem Paſchæ rex diſpoſuit exercitum ſuum in iij. aciebus coram civitate clangentibus tubis & clarionis & aliis inſtrumentis muſicis perſonantibus. Rex erat in ſecunda acie cum ſuis, dux *Lancaſtriæ* & Comites *Northamtonienſis* & *Saliſburienſis* cum ſuis in prima acie. In tercia acie Princeps & Barones cum reliquo vulgo expectantes prælium de hiis qui in civitate *Pariſienſi* erant ſicuti eis ante promiſerant. Sed nemo exiit de civitate occurrere illis. Unde rex *Edwardus* inde graviter motus juſſit dare incendio magnam partem ſuburbiorum ut eos provocaret ad pugnam.Et tamen non erat qui eis reſiſteret. Tunc xxx. milites de novo ordinati cum lanceis ſuis perrexerunt ad portam *Pariſiorum* petentes ab eis opera militaria ſecundum legem Armorum. Et exierunt de civitate lx. cum haſtis, & pugnatum eſt fortiter ex utraque parte, ſed per gratiam Dei quæ ſemper præſto erat *Anglis* in omnibus ſuis agendis *Angli* vicerunt *Francos* & refugaverunt eos in civitatem quoſdam mortuos,quoſdam letaliter vulneratos ; ſed noſtri,laudetur Deus, evaſerunt abſque gravi vulnere. Tunc movit ſe rex in alias partes & tradidit cuſtodiam caſtellorum quæ ſunt in partibus de *Orlions* & *Cateneſia* duci *Lancaſtriæ*. Eodem tempore Comes de *Armenak* in *Vaſconia* pugnavit cum amico regis *Angliæ* Comite de *Foys* pro eo quod adhærebat regi *Angliæ*. Et mortui ſunt ex parte dicti Comitis xv. millia virorum & ex noſtra parte nullus nominatus, laudetur Deus. In iſto viagio obierunt in *Francia* multi nobiles *Angli*, ſcilicet Comes de *March* Mareſcallus exercitus, *Gydo de Warwyk* primogenitus Comitis miles nominatiſſimus, Dominus *Robertus de Morle* & filius ejus, & multi alii nobiles milites & armigeri atque valetti, Nam in eorum reditu de civitate *Pariſienſi* verſus partes de *Orlions* in *Bevoſina* ſubito ſupervenit horribilis tempeſtas tonitrui, fulguris deinde grandinis & occidit gentes abſque numero & pluſquam vj. millia equorum, Ita quod cariagium exercitus defecit fere in toto, & oportuit neceſſario redire verſus *Angliam*, ſed Deus tranſtulit miſeriam neceſſitatis in honorem regiæ majeſtatis ; nam papa miſit nuncios ſolempnes cum literis ad regem *Angliæ* ad tractandum de pace & concordia. Et tractaverunt apud *Morens* prope *Chartres*, & continuatus eſt tractatus quinto die Maii quando rex diſpoſuit ſe redire verſus *Angliam* tum propter neceſſitatem tum propter formam tractatus,quæcunque habebant miſerunt flammæ & incendio præ defectu cariagii,tentoria,utenſilia,currus,ſellas & cætera quaſi cuncta. De dicta concordia dicetur infra. Eodem anno rex conceſſit libertates *Leyceſtriæ* de nundinis & aliis ad inſtanciam ducis *Lancaſtriæ*. Et dux obligavit dominium de *Wrangill* ſub waranto dictarum libertatum pro ſe & hæredibus ſuis. Eodem anno quidam miles dominus *Johannes de Ardena* implacitavit Abbatem noſtrum *Leyceſtriæ* & nos de manerio noſtro de **Berewode** & advocatione eccleſiæ noſtræ de **Crudworthe** quam per multa tempora in proprios uſus habueramus, Qui quidem dominus *Iohannes* per favorem & auxilium multorum majorum de patria & per conſilium vicecomitis qui pro eo tempore fuerat, portavit unum breve quod continet, *Faciatis venire ſex tales* ; & hii erant gentes incognitæ nobis, quæ duxiſſe debuerant totum negotium ad ſuum placitum. Sed cum divulgatum eſſet jus noſtrum, ac eciam præ timore unius literæ per Regem ad Juſticiarios miſſæ quod non finerent Abbatem injuriam pati prout reſpondere vellent in poſterum coram rege & ejus concilio, facti ſunt nimis dolentes & triſtes, Sicque noſtra juſtitia declarata, tranſivit negotium ad noſtrum placitum & recuperavimus manerium cum eccleſia ut prius habuimus. Acta ſunt hæc die ſabbati proximo ante feſtum ſanctæ *Margaretæ* apud *Warwicum* coram Juſticiariis domino *Johanne de Mowbray*, & *Thoma de Hyngylby*. Circa tranſlationem ſancti *Thomæ* tranſiit *Johannes de Valoys* rex *Franciæ* & alii priſonarii ad *Caleſiam*,& tractaverunt cum proceribus *Franciæ* de concordia & finali pace inter regna *Angliæ* & *Franciæ*. Et concordatum eſt ſub tali forma.

Rex Angliæ *habere debet totam* Aquitanniam *&* Vaſconiam *pro perpetuo abſque reverſo, civitatem quoque de* Peyters *cum caſtello, cum toto comitatu & patria de* Peyters : *Item totum feodum de* Durward : *Item totam terram de* Belvill : *Item civitatem cum caſtello de* Saintona *cum tota patria de* Saintona *tam ultra aquam de* Charent *quam citra aquam : Item*

Edw. III. civitatem Andegaviæ *cum caſtello cum tota patria* Andegaviæ : *Item civitatem cum caſtello de* Paragots *cum tota patria in circuitu : Item civitatem cum caſtello de* Caours *cum patria de* Caourſina : *Item civitatem & caſtellum & terram de* Tarke : *Item civitatem & patriam de* Wygorneſia : *Item civitatem & caſtrum & terram cum patria de* Caurs : *Item civitatem & caſtellum cum patria de* Angelmoſia : *Item civitatem & caſtellum de* Rodeſya *& patriam de* Vergia : *Item homagia, ſervicia & honores Comitum de* Foys *&* Armenak *& de* Paragorenſi *& vicecomitis de* Lyngeſia ; *Et ſervicia de dictis dominis pro terris quas habent in antedictis patriis : Item* Moſtrellum *ſuper mare cum ſuis pertinenciis : Item integrum comitatum de* Pountif : *Item caſtellum cum villa de* Caleſia *cum dominiis & caſtellis* Merk, Sandegate, Colne, Hammes, Wald, Sex, *cum terris, mariſcis, boſcis, rivulis, redditibus, & cum veſtituris eccleſiarum & omnibus pertinentiis. Item omnes inſulas appendentes antedictis dominiis. Item caſtellum cum toto comitatu de* Gynes *cum ſuis pertinentiis. Item caſtellum & villam de* Rochell *cum omnibus ſuis pertinentiis.* Et ad iſta firmiter & inviolabiliter perpetuis temporibus obſervanda juraverunt utrique reges ſuper ſacramento corporis *Ieſu Chriſti*. Simili modo juraverunt magnates utriuſque partis pro ſe & hæredibus atque ſucceſſoribus ſuis coram iij. archiepiſcopis et viij. epiſcopis cum Indenturis per ſigilla ambarum partium munitis, Et pro redemptione regis *Franciæ* darent.

An. Dni 1361. Anno gratiæ M.CCC.lxj. Cum igitur reformaretur pax inter regna, in quadrageſima ſequenti obiit æterna memoria dignus *Henricus* nobilis dux *Lancaſtriæ* apud *Leyceſtriam*. Eodem tempore crevit quædam ſocietas virorum fortium vocata *Societas fortunæ*, & per quoſdam vocata eſt *La grant companye*. Et adunati ſunt de diverſis partibus non habentes unde vivere niſi de ſuo labore poſt initam pacem inter regna. Iſti erant viri fortes & belliçoſi, elegantes & ſtrenui & vivebant de ſuo perquiſito per guerram, in pace nil habentes. Et erant de diverſis nationibus congregati. Iſti venerunt de *Lumbardia* verſus *Avinoniam* & petierunt licentiam proficiſci per *Savey*. Sed Comes de *Savey* negavit eis progreſſum, et congregavit multitudinem populi ad reſiſtendum eis. Et illi captaverunt oportunitatem et noctanter proruperunt ſuper muros civitatis in qua ipſe Comes manebat, et interfecerunt homines illius et prædati ſunt civitatem et tulerunt quæcunque in ea invenerunt. Et ipſe Comes cum magna difficultate dimiſſus per murum vix evaſit.

Eodem anno obiit magiſter *Ricardus fitz Rauf* epiſcopus *Armacanus* qui cauſam manutenuerat contra fratres mendicantes in curia *Romana* apud *Avinoniam*. Eodem anno *Matildis* filia ducis *Lancaſtriæ*, duciſſa de *Seland*, ſcilicet uxor *Willielmi* ducis de *Seland* venit in *Angliam* ad clamandum hæreditatem ſuam. Et tunc diviſa eſt hæreditas inter dictam *Matilden*, & dominam *Blanchiam* filias ducis *Lancaſtriæ*. Dominus *Iohannes de Gaunt* filius regis *Edwardi* duxerat in uxorem prædictam *Blanchiam*, qui poſtea factus eſt dux *Lancaſtriæ*. Eodem anno nobilis dux *Lancaſtriæ Henricus* tumulatus eſt in eccleſia Collegiali et hoſpitali extra portam auſtralem *Leyceſtriæ*, quam ipſe conſtruxerat et quam præfecerat uno decano et xlj. Canonicis præbendariis et totidem vicariis ac aliis miniſtris ſufficienter requiſitis, et centum pauperibus debilibus et decem fortibus mulieribus quæ debilibus deſervirent et procurarent in eſculentis et poculentis et aliis corporis neceſſariis jugiter die ac nocte, dictamque hoſpitalitatem pauperum cum Collegio Canonicorum ſufficienter dotavit, ubi jacet ſepultus. Edw. III. Eodem anno xvj. kalendarum Februarii, ſcilicet in die & nocte ſancti *Antonii* orta eſt horribilis & nimis valida tempeſtas ventorum qualem nunquam retroactis temporibus non creditur à plebe fuiſſe viſam, nam ultra quam dici poteſt, boſcos, pomeria & omne genus arborum proſtravit & multas ultra quam crederet cum radicibus evertit ; eccleſias, molendina, campanilia, muros, domos dilapidavit ; Apud *Londonias* mala innumera de campanilibus & aliis domibus & eccleſiis exercuit. Eodem anno *Edwardus* Princeps *Walliæ* duxit uxorem filiam *Edmundi* Comitis de *Cantia* quam ante Comes de *Saliſburia* duxerat in uxorem, & divortio inter eos per dictam mulierem facto dominus *Thomas de Holond* duxit in uxorem, pro cujus concupiſcentia ut dicebatur divortium factum eſt. Tercio duxit eam Princeps *Walliæ* antedictus. Eodem anno mortalitas generalis oppreſſit populum quæ dicebatur *peſtis ſecunda*. Et moriebantur tam majores quam minores, & maxime juvenes & infantes. Et de congregatione noſtra xj. Canonici mortui ſunt.

Anno gratiæ M.CCC.lxij. obiit *Matildis* Duciſſa de *Selond* & Comitiſſa *Leyceſtriæ*, quam vulgaris opinio dicebat veneno intoxicatam propter hæreditatem reintegrandam. Eodem anno ſederunt Juſticiarii de *Traylbaſtons* apud *Eboracum*. Eodem anno quidam valens homo de boriali plaga ſcutifer elegans & audax nomine *Iohannes de Coupeland* occiſus eſt. Iſte cepit *Davidem* Regem *Scociæ* in bello *Dunolmiæ*. An. Dni 1362.

Anno gratiæ M.CCC.lxiij. ad feſtum *Michaelis* Rex ordinavit ſtapulas lanarum eſſe apud *Caleſiam* & ordinavit xxvj. mercatores de valentioribus regni habere cuſtodiam villæ & eam manutenere cum ſtapulis per iij. annos. Et cum quolibet mercatore vj. viros armatos & iv. ſagittarios de ſumptibus regis. Ordinavit eciam ibidem duos Majores, videlicet unum pro villa, & alium pro ſtapulis. Et rex caperet pro mala captura quæ vulgaliter dicitur *Maletorth* xx. s. & prædicti mercatores Gardiani de villa xl. d. de quolibet ſacco lanæ. Princeps *Walliæ* & Comes *Warwych* tranſierunt in *Vaſconiam*. Eodem anno *Willielmus de Clown* humaniſſimus abbas *Leyceſtriæ* adquiſivit vacationem Abbathiæ *Leyceſtrenſis* ; quando aliquis Abbas ibi obierit Eſcaetor Regis intrabit in Abbathiam & capiet ibi ſimplicem ſeiſinam in nomine regis, & tenebit ſe ibi per unum diem & unam noctem, non tamen faciet ibi aliquod magiſterium, & in craſtino exibit. Et ſi forte ſponte exire noluerit, licitum eis eſt eum vi expellere. Nec quiſquam Eſcaetor ſe intromittet ulterius in aliis maneriis, terris vel tenementis dictæ Abbathiæ niſi ſolum ut dictum eſt in Abbathia tantum ; Et pro iſto privilegio & pro primis quatuor vacationis menſibus pro electione privilegiatis dabunt regi iv. marcas. Et ſi contingat ulterius vacare, 1363.

Edw. III. care, pro quolibet menſe quamdiu vacaverit dabunt regi unam marcam. Hoc privilegium rex *Ricardus* ij. in ſuo primo anno confirmavit. Eodem anno venit in *Angliam* rex *Cipriæ*, qui in reliquis regnis laboraverat pro auxilio petendo. Et petiit à rege auxilium contra Paganos qui ei tulerant & detinuerant regnum & hæreditatem ſuam *Ieroſolymam*. Et rex noſter valde regaliter eum muneravit, & cæteri domini magnum honorem ei exhibuerunt. Eodem tempore rex *Scociæ* venit in *Angliam* pro abbreviatione pecuniæ quam debuit regi *Angliæ* de redemptione ſua, ſed rediit negotio non expodito. Rex *Franciæ* venit *Londonias* poſt Purificationem & moram traxit apud **Saveye** ſcilicet in manerio Ducis *Lancaſtriæ* tunc pulcherrimo manerio *Angliæ* ut dicebatur. Hoc quidem manerium *Henricus* Dux *Lancaſtriæ* conſtruxerat de ſumptibus lij. millibus marcarum quas adquiſierat apud villam de **Bryggerake**. Rex *Franciæ* attulit ſecum medietatem millenarii in partem ſolutionis redemptionis ſuæ. Et rogavit regem pro liberatione hoſtiagiorum *Franciæ*. Sed rex noluit annuere petitioni ejus. Sicque evenit uno eodemque tempore quatuor reges convenire *Londoniis*, ſcilicet regem *Angliæ*, regem *Franciæ*, regem *Scociæ*, & regem *Cipriæ*. Eodem anno rex congregavit Comites & Barones & cæteros proceres *Angliæ* & habuit ſecum omnes hoſtiagios *Franciæ*. Et fecit ſolennem fugationem ferarum in foreſtis de **Rogyngan**, **Clyne**, **Schyrewode**. & pluribus aliis foreſtis & ſilvis & parcis. Et hoc fecit pro anno L. ætatis ſuæ. Et ut dicebatur effundebat expenſas diurnales viciſſim uno die C.li. ſecundo die C. marcas toto illo tempore fugationis. Et multas gratias fecit *Angligenis* illo anno, & condonavit multa delicta. Eodem anno quidam *Walterus Wynkeburne* ſuſpenſus in furcis *Leyceſtriæ* per inſequutionem fratris *Iohannis Dingleye* magiſtri de *Dalby* de ordine Hoſpitalium. Et cum dimiſſus à furcis duceretur ut mortuus ad cimiterium ſancti *Sepulcri Leyceſtriæ* ſepeliendus cœpit reviviſcere in carecta, & ductus eſt in eccleſiam ſancti *Sepulcri* per Clerum, & ibi diligenter cuſtodiebatur à Clero *Leyceſtrenſi* ne forte raperetur iterum ſuſpendendus. Cui rex *Edwardus* in Abbathia *Leyceſtrenſi* fecit gratiam & conceſſit Cartam, ita inquiens me audiente, *Deus tibi dedit vitam & nos dabimus tibi Cartam.* Eodem anno mortua eſt Duciſſa de *Clara* uxor *Leonelli* Ducis *Clarenſis*. Eodem anno *Iohannes de Bokyngham* epiſcopus *Lincolnienſis* de novo creatus habuit viij.d. ad marcam de Clero per totum epiſcopatum *Lincolnienſem*. Et gelu magnum & frigiditas inſolita iſto anno fuit, & duravit uſque ad feſtum ſancti *Gregorii* & ultra. Et obiit *Edwardus* de *Baliolo* quondam rex *Scociæ* juxta *Dancaſtriam*.

An. Dñi 1364. ANno gratiæ M.CCC.lxiv. *Iohannes de Valoys* rex *Franciæ* obiit *Londoniis* apud **Savey** vj. idus Aprilis,& ductus eſt in *Franciam* & tumulatus apud ſanctum *Dioniſium*. Hic à primo ſuo adventu in *Angliam* habuit homines ſuos ſecretos apud *Londonias*, & in aliis locis, qui ſecretiori modo congregaverunt electum aurum regni & fecerunt in platas & miſerunt in barellos ferratos ad abducendum in *Franciam*. Et emerunt arcus & ſagittas & poſuerunt in ſaccis lanarum ad ſummam mille arcuum, & congregavit magnam plenitudinem Armorum ad ducendum in *Franciam*. Et eciam rogavit

Edw. III. regem *Edwardum* condonare ſibi de redemptione ſua, ſed noluit; Cum igitur ægrotaret & mortem approximare intelligeret, miſit pro *Edwardo* rege & recognovit coram eo omnes proditiones antedictas & cauſas pro quibus attemptatæ fuerunt, ac eciam quod inique & injuſte regnum *Franciæ* occupaverat uſque ad concordiam initam apud *Caleſiam*. Et petiit ab eo veniam de omnibus. Rex *Edwardus* benigne condonavit ei omnia prædicta. Et rex *Edwardus* fecit areſtare cuncta quæ ſic collegerat, & *Anglicos* quoſque hujus rei conſentaneos rex graviter punivit. Eodem tempore invaluerunt fures & latrones in regno & ſpoliaverunt eccleſias, feretra ſanctorum, & reliquias aſportaverunt, ſcil. Abbathiam de **Thornthon**, imaginē de Domina apud **Pirtwale**, in capella ſua, & imaginem de Domina apud **Ponkyſkirkeby**, & pluribus aliis locis, & multi eorum capti ſunt & ſupenſi. Caput quoque ſancti *Hugonis Lincolnienſis* furati ſunt, & captis argento & auro lapidibuſque precioſis caput projecerunt in quodam campo. Et quod mirum eſt dictu, quidam corvus prout fama laboravit cuſtodivit illud donec cognitum eſſet per eoſdem latrones & *Lincolniam* deportatum. Latrones prædicti abierunt *Londonias* ad vendendum ſua prædicta latrocinia, & vendiderunt ut dicebatur pro xx. marcis, & redeuntes in patriam ſuam ſpoliati ſunt de dicta pecunia, poſtea de dicto ſcelere prodientes ſe ipſos capti ſunt & apud *Lincolniam* ſuſpenſi. Eccleſiam quoque Abbathiæ noſtræ *Leyceſtrenſis* per quandam feneſtram ſuper altare ſancti *Iohannis* Evangeliſtæ intraverunt fures, ſet cito per ſacriſtam percepti ſunt & abſque dampno illato fugerunt. Eodem anno dum dux *Britanniæ* vacaret obſidioni de *Orroy* in *Britannia* prope *Vanes* ſupervenit *Carolus de Bloys* qui vendicavit Ducatum *Britanniæ* cum xx. millibus virorum armatorum & pugnavit cum eo; Et occiſi ſunt ex parte ejus ix C. perſonæ, & ipſe *Carolus* ibidem occubuit, & ceciderunt de parte noſtra miles unus, armigeri quinque: In craſtino Caſtellani reddiderunt Caſtellum Duci *Britanniæ*. Dominus *Bertrannus de Cleykyn* famoſiſſimus guerrator *Francus* captus eſt ibidem per dominum *Iohannem Chandos* qui habebat primam aciem in dicto bello.

An. Dñi 1365. ANno gratiæ M.CCC.lxv. *Iſabella* filia regis deſponſata eſt domino de *Couſy* de *Francia* apud *Wyndeſoram*. Et Rex fecit eum Comitem de *Aumarle*, ſi forte genuiſſet filium maſculum, ſibi & hæredibus ſuis in perpetuum habere dictum comitatum. Eodem anno fecit rex arreſtare Juſticiarios, ſc. dominum *Henricum de Grene*, & dominum *Willielmum Schypwith*, & plures alios propter eorum enormes infidelitates &c. nota tu. Et ſe redimentes fecerunt finem Regi.

1366. ANno gratiæ M.CCC.lxvj. *Nicholaus Dagworthe* cum ſua ſocietate pugnavit cum *Francis* in Ducatu *Andegaviæ* & devicit eos. Erant enim *Franci* xv. mille victi & occiſi. Et capti ſunt de *Francis* ibidem v C. capitanii *Francorum* fuerunt dux de *Orlions*, & dux de *Angeres*, & plures magnates: Eodem anno Princeps *Walliæ* et frater ejus *Iohannes de Gaunt* jam dux *Lancaſtriæ* perrexerunt in *Hiſpaniam* ad inſtanciam *Henrici* regis *Hiſpaniæ* contra *Petrum* fratrem ſuum baſtardum. Nam idem

Edw. III.

baſtardus per potentiam & conſilium & auxilium papæ fecit ſe coronari in regem, & expulit fratrem ſuum regem à regno ſuo, ſeipſum intrudens; *Iohannes* dux *Lancaſtriæ* ſemper præceſſit itinerando cum exercitu ſuo, & princeps ſequebatur eum cum ſuo exercitu. In prima acie erat dux *Lancaſtriæ* & dominus *Iohannes Chandos* capitanius de exercitu ſuo. Dominus *Stephanus de Coſynton* Conſtabularius. Dominus *Gythardus Dangill* Mareſcallus cum M. DCCC. lanceis, ſagittarii quaſi ſine numero. Princeps *Walliæ* cum ſuis habuit mediam aciem. Rex *Malogiæ* & Comes *Deerne* cum ſuis habuerunt tertiam aciem. Rex *Hiſpaniæ* & rex *Navernia* cum duabus aciebus à latere principis ſemper proſequendo. Et xx. die Aprilis venit baſtardus cum ſua potentia quæ grandis erat nimis & bene arraiata in quodam pulcro campo prope *Nazaris* in regno *Caſtellæ*. Et ſtatim congredientes pugnaverunt fortiter; & ceſſit victoria principi *Walliæ* & ſuis. Et mortui ſunt ex parte, baſtardi in prælio de viris nominatis præter inferiores & minores v. mille. Deinde in fugatione de eiſdem iij. mille, ipſe baſtardus & unus de fratribus ejus fugerunt, & cæteri capitanii mortui ſunt aut capti. Poſt hæc periit populus *Anglicanus* in *Hiſpania* de fluxu ventris & aliis infirmitatibus quod vix quintus homo rediit in *Angliam*. Iſtud erat maximum bellum quod in diebus noſtris actum eſt. Ex parte baſtardi venit magna multitudo Paganorum, & Saracenorum, & incredulorum. Et antequam princeps *Walliæ* rediret ille baſtardus fuerat in *Vaſconia* et deſtruxerat magnam partem terræ; quo princeps perrexit, ſed ipſe abivit et rediit in *Hiſpaniam*. Et cœpit doloſe tractare cum rege *Hiſpaniæ* de concordia donec conveniret eum in certo loco cum dolo, et nacta opportunitate ſcidit guttur ejus et occidit eum. Et ſic invaſit potius quam rexit regnum *Hiſpaniæ* pacifice et quiete, donec *Johannes* dux *Lancaſtriæ* in xix. anno ſequenti poſuit clamium in regno *Hiſpaniæ* pro jure hæreditatis uxoris ſuæ; nam idem *Johannes* dux poſt mortem primæ uxoris ſuæ duxit *Conſtanciam* filiam regis *Hiſpaniæ* ſeniorem, et frater ejus *Edmundus* duxit juniorem, ut infra eodem loco patebit. Eodem tempore venit *le grant Companye* in *Franciam*, et fecit multa mala prædando et deſtruendo patrias, et ceperunt caſtella multa et civitates. Poſtremo cum multa audacia præſumpſerunt obſidere civitatem *Pariſienſem*. Eodem tempore *Leonellus* dux *Clarenſis* filius regis deſponſavit filiam *Goliæ* domini de *Meleto*; Et ibi aliquandiu moram trahens intoxicatus veneno interiit. Eodem tempore *Edmundus* filius regis tranſiit in *Vaſconiam* cum v C. viris armatis et ſagittariis multis ad fratrem ſuum principem *Walliæ Edwardum*.

Deſiderantur decem anni.

Liber quintus.

ANNO Domini M.CCC.lxx.vij. obiit illuſtriſſimus rex *Edwardus* iij. anno ſcilicet regni ſui lj. xj. kalendarum Julii, & iij. non. ejuſdem apud *Weſtmonaſterium* regaliter cum honorificentia eſt ſepultus. Iſto enim regi *Edwardo* regina ſua *Philippa* peperit *Edwardum*

Ricar. II.

filium ſuum primogenitum, ſcilicet in feſto ſanctorum *Viti* & *Modeſti*, regni ſui anno iij. Hic flos mundanæ militiæ, ſub quo militare erat regnare; confligere, triumphare; cui jure maternali linea recta deſcendente regnum cum corona *Franciæ* debebatur. Pro cujus regni adipiſcenda corona quæ maris evaſit pericula, quos bellorum devicit impetus, quas belligerorum terruit audacias, ſcriptor enarrare deſiſtit, ſuæ relationis veritatem adulationis timens obumbrari velamine. Hic vero *Edwardus* quamvis in hoſtes terribilis extiterat, in ſubditos tamen mitiſſimus fuerat & gratioſus, pietate & miſericordia omnes pene ſuos anteceſſores præcellens. Iſte vero *Edwardus* primogenitus princeps *Walliæ* fortunatiſſimus & miles in bello audaciſſimus inter validiſſima geſta militaria magnifice ab eodem peracta apud *Creſſy* in *Francia*, bellum habuit contra *Philippum* regem *Franciæ*, qui *Philippus* aſſociaverat ſibi duos reges, ſcilicet *Boemiæ* & *Malogiæ*. Et iſti duo reges ambo in eodem bello à prædicto principe *Edwardo* interfecti ſunt; regem vero *Franciæ Philippum* in fugam vertit, magnamque ſtragem inimicorum fecit, captivoſque plurimos de magnatibus *Franciæ* in *Angliam* ſecum adduxit. *Johannem* quoque regem *Franciæ* ſimiliter apud *Peyters* debellavit, & pluribus tam nobilibus quam aliis de regno *Franciæ* captis & aliis interfectis, eundem regem *Iohannem* captivavit & ipſum potenter in *Angliam* patri ſuo *Edwardo* ductum præſentavit. *Henricum* eciam *Hiſpaniæ* intruſorem potentiſſime in bello devicit, & *Petrum Hiſpaniæ* regem dudum à regno ſuo per dictum *Henricum* expulſum potentiæ virtute in regnum ſuum reſtituit; unde propter ingenitam ſibi probitatem & actus ipſius triumphales memoratum principem inter regales regum memorias dignum duximus commendandum. Hic enim ante patrem ſuum moriens apud *Cantuariam* in eccleſia Chriſti eſt ſepultus.

An. Dñi 1377.

Anno Gratiæ M.CCC.lxxvij. xvij. kalendarum Auguſti apud *Weſtmonaſterium* coronatio *Ricardi* ij. regis filii *Edwardi* principis memorati. Hic avo ſuo regi *Edwardo* jure hæreditario ac eciam voto communi ſingulorum in regnum ſucceſſit *Anglorum*, anno ætatis ſuæ xj. Hic duxit uxorem *Annam* ſororem regis *Boemiæ* imperatoris.

XI. kalendarum Februarii *Willielmus de Clowne* abbas mortuus eſt, qui monaſterium beatæ *Mariæ* de *Pratis Leyceſtriæ* luculenter circiter per xxxiij. annos cum laude virtutum & incremento temporalium bonorum tramite inviolabili gubernavit. Hic quantæ pietatis & patientiæ quantæque diſcretionis & moderaminis erga ſubditos ſuos ſuoque auxilio & conſilio indigentes, ſeu ejus ſubſidium in cauſa veriſimili petentes lingua tabeſcit evolvere, mens ebet advertere, manus pigreſcit ſcribendo, memoriæ commendare voluntas tepeſcit, excogitare timens relationis veritatem apud audientium aures ſub adulationis obumbraſſe velamine me forte poſſe. Hic pacis & tranquillitatis amator erat, hic diſcordiarum & injuriarum in patria ſua & ubique reformator fuit, quas ſuis temporibus ubique motas pro ſuo poſſe pro labore vel expenſis non omittens reformare & pacificare totis viribus elaborare ſtuduit, ſanguinis ſemper abhorrens & pertimeſcens effuſionem. Hic bonorum operum ſectator inceſſabilis; ſubditis & minoribus mitis & affabilis; majoribus & magnatibus regni inedicibiliter amabilis;

vultus

Ricar. II. vultus ejus & præſencia divitibus & pauperibus omnibus inenarrabiliter deſiderabilis. Hic piæ memoriæ piiſſimus abbas in evidentiam & ſignum quod totus Dei ſervus fuerit & pacis atque quietis amator, pacis tempore & hora quietis, ſcilicet media nocte diei Dominicæ inter brachia & manus confratrum ſuorum ejus deceſſum plangentium & animam ejus Deo commendantium ab hac luce migravit ad Dominum, qui ut veriſimile erat in omnibus operibus ejus dilexit eum. Quid plura? In temporibus illius de ejuſdem laudabili collegio talem paſtorem commendabilem imitante duo poſtulati ſunt in abbates, ſcilicet ad abbathias de *Myſſyndena* & **Wellowe** juxta **Grymmyſby.** Et duo in Priores, ſcilicet apud **Cortyngton** & **Motſonde.** Duo convolarunt ad anacoriticam vitam, ſcilicet apud *Ceſtriam* & *Leyceſtriam* in eccleſia ſancti *Michaelis*, Et duo migraverunt ad beneficia eccleſiaſtica curata. Ejus eciam temporibus duæ eccleſiæ ſunt appropriatæ, ſcilicet eccleſiæ de **Hungurton** & **Humburſton.** Duoque maneria adquiſita, **Ingwardeby** & **Kyrkeby maleorre.** Similiter quoque redditus & poſſeſſiones in **Hertyſhorne**, **Mouſeleye**, **Bymeſwelle**, *Leyceſtria*, **Humburſton**, **Belgrave**, **Dalby**, **Burſtalle.** Cartam quoque de non veniendo ad parliamentum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis de rege adquiſivit. Vacationem quoque abbathiæ poſt mortem cujuſcunque abbatis ejuſdem ſimiliter adquiſivit, ita ut cum contigerit aliquem abbatem ab hac luce diſcedere, Eſcaetor domini regis ſolum in abbathiam intrabit, & ibi ſimplicem ſeyſinam pro omnibus poſſeſſionibus abbathiæ capiet nomine regis, ſicque ibidem moram faciet per unum diem & noctem tantum, non tamen intra vel extra in aliquo gravando vel ſe intromittendo, & tunc exiet, & ſi noluerit bene licebit eum inde expellere licet invitum, per Cartam regis *Edwardi* iij. quæ quidem Carta fuit ratificata per regem *Ricardum* proximo ſequentem, ſic quod nullus eſcaetor regis in aliquo manerio vel loco dictæ abbathiæ ſe intromittet niſi ſolum in abbathia tantum. Iſti benigno abbati *Willielmo* Deus tantam gratiam in oculis omnium tam dominorum quam aliorum contulit, quod vix erat aliquis qui ei quod petebat negaret. In tantum enim affabilis erat domino regi, quod burdando petebat à rege nundinas ſibi concedi pro leporariis & aliis canibus cujuſcunque conditionis eſſent emendis & vendendis. Rex vero credens ipſum nundinas affectuoſe petiſſe, ei conceſſit quod petebat, abbas vero noluit inſtare circa negotium. In venatione leporum inter omnes regni dominos famoſiſſimus & nominatiſſimus habebatur, ita ut ipſe rex, & princeps filius ejus *Edwardus*, & plures domini de regno cum eo retenti erant ſub annua penſione leporare. Ipſe tamen ſæpius voluit aſſerere in ſecretis, ſe non delectaſſe in hujuſmodi frivolis venationibus niſi ſolum pro obſequiis dominis regni præſtandis, & affabilitate eorum captanda, & gratiam in ſuis negotiis adipiſcenda. Viij. die menſis Aprilis electio *Urbani* papæ vj. anno Domini M.CCC.lxxviij.

An. Dñi 1378. EXEMPLUM epiſtolæ quam cœtus Cardinalium tranſmiſit imperatori de electione *Urbani* papæ ſexti, & quam idem imperator fecit ſigillari ſigillo ſuo cum aliis xv. ſigillis aliorum dominorum; & transfigi fecit *Romæ* ad eccleſiam ſancti *Petri* in teſtimonium & fidem præmiſſorum omnibus intuentibus.

Ricar. II. *Sereniſſime Princeps, Quia plerumque, immo plurimum, præſertim in rebus arduis fama loquacitas veritatem quibuſdam coloribus adulterinis obnubulat, ideo quod hiis diebus in* Romana *eccleſia geſtum ſit, vobis præſenti ſcriptione nunciamus. Et ut hiis qui vobis rem aliter factam narraverint ſeu ſcripſerint non credatis, & mens veſtra hac noſtra inſinuatione clarificata in tranquillo & ſereno veritatis liquore conquieſcat; Regia igitur celſitudo cognoſcat, quod ſancta feliciſque recordationis domino & patre noſtro* Gregorio *papa* x. *viceſimo ſeptimo die menſis Marcii nuper elapſi viam univerſa carnis ingreſſo, & ſicut de largiſſima Dei pietate confidimus poſt labores ad præmia evocato, tantique patris prout juris & moris eſt cum debitis honore & reverentia exequiis celebratis die* vij. *menſis Aprilis nuper præteriti, conclavi palatii apoſtolici in quo præfatus dominus noſter abierat, ne dicamus obierat, juxta ſanctiones canonicas decrevimus introire, ſet ex certis cauſis ad id noſtrum inducentibus animum, hujuſmodi noſtrum introitum ad diem immediate ſequentem duximus differendum. Qua quidem die, videlicet* viij. *die menſis Aprilis primitus gratia Spiritus ſancti invocata conclavem intravimus de electione & ſubſtitutione futuri pontificis tractaturi. Sequentique die luciferi neſcientis occaſum ut pie credimus illuſtrati, circa illam diei horam qua Spiritus ſanctus ille qui paraclitus eſt ſanctorum diſcipulorum corda deſcendit, ad perſonam reverendi in Chriſto patris domini* Bartholomæi *archiepiſcopi* Barremi, *viri utique meritorum claritate conſpicui & multiplicium virtutum lampade refulgentis, libere & unanimiter direximus vota noſtra eum ad celſitudinis apoſtolica ſpecula concorditer evocantes, & hanc noſtram evocationem ſeu electionem in conſpectu maxime Chriſtiana plena multitudinis nunciavimus. Cæterum die nona ejuſdem menſis Aprilis idem dominus noſter electus in throno dignitatis apoſtolicæ ſublimatus ſibi* Urbani vj. *nomen aſſcivit. Ac die qua* Chriſtus Jeſus *ſummus pontifex vitam noſtram reſurgendo reparavit, coram turba fidelium copioſa ſicut in* Romana *eccleſia conſuetudinis eſt, in baſilica principis apoſtolorum de Urbe cum ingenti tripudio & lætitia innumerabilis populi Chriſtiani pontificali regno magnifice & ſolempniter extitit coronatus. Qua quidem ſerenitati veſtræ ideo nunciamus, ut ſicut obitus memorati domini* Gregorii *vobis amaritudinis & triſtitiæ calicem propinavit, ita in præſentis patris conceſſione nobis cælitus facta gaudii & exultationis ſpiritum aſſumatis; in illo enim cujus vicem idem dominus noſter gerit in terris firmam ſpem fiduciamque tenemus, quod ſub ejus felici regimine ſtatus* Romanæ *ac univerſalis eccleſia reflorebit, & orthodoxa fides felix optatumque ſuſcipiet incrementum. Dat.* Romæ *die* viij. *menſis Maii.*

Eodem anno quidam de Cardinalibus prima inductione *Urbanum* papam reliquerunt, & abierunt *Avinoniam*, ibique erexerunt *Robertum* epiſcopum *Cibbonenſem* in ſummum pontificem, quem vocaverunt *Clementem* papam, unde ſciſma maxima orta eſt in eccleſia Chriſti, quibuſdam regibus & regnis uni adhærentibus, quibuſdam vero alteri.

Conceſſa eſt regi una groſſa quæ continet iiij.d. de quolibet viro & muliere, religioſis, mendicantibus,

bus, & pauperibus ſolum exceptis. Dominus *Thomas* de **Wodeſtoke**, Comes de **Bokyngham** perrexit in *Britanniam* in auxilium ducis *Britanniæ* contra Francigenas. *Henricus* Comes *Derbeyæ* deſponſavit filiam minorem Comitis *Herfordiæ*, dominus *Thomas* de **Wodeſtoke** deſponſaverat ſororem ſeniorem; & diviſa eſt comitatus de *Bowne* connomine.

Conceſſa eſt domino regi de epiſcopis, de abbatibus, de mercatoribus certa taxa de quolibet viro cum uxore ij. s. De aliis non conjugatis ſingulis xij.d. De religioſis poſſeſſionatis vj.s. viij.d. De ſingulis beneficiatis vj.s. viij. Et tamen iſta taxa non ſe extendebat in ſcaccario regis per magnam ſummam ad taxam præcedentis anni, ſcilicet iiij.d. De quo miniſtri regis admirantes multum conqueſti ſunt, dicentes, Rem in collectione non ſe habere bene geſtam, nec fideliter taxam fore collectam. Unde quidam *Johannes Leg* cum tribus aliis ſibi aſſociatis impetravit à rege commiſſionem ad inquirendum de collectoribus hujus taxæ in *Cancia*, **Northfolc**, & aliis patriæ confinibus, & pacti ſunt magnam ſummam pecuniæ domino regi pro ſua adquiſitione ſe daturos; conſiliumque regi ad ſui perniciem, proh dolor! ſpoſpondit. Unus eorum cum eſſet ad aliquam villam ad faciendum inquiſitionem de dicta taxa, convocari fecit tam viros quam mulieres, & puellulas, quod dictu horribile eſt, eſurſum impudice elevavit, ut ſic experiretur utrum corruptæ eſſent & cognitæ à viris, ut ſic more artaret amicos & parentes pro eis ſolvere taxam; & plures potius elegerunt ſolvere pro ſuis filiabus quam videre eas tam turpiter attractari. Hæc & hujuſmodi dicti inquiſitores facientes maxime provocaverunt populum. Cumque vidiſſent communes de *Cantia* & finitimis locis erga eos rem ſic graviter peragi, & nova ac nova quaſi importabilia onera eis indeſinenter abſque remedio imponi; iſtiuſmodi oppreſſionis gravamen ulterius ferre non valentes, conferebant adinvicem quam remedii vel ſubſidii cautelam inde reperire valerent. Cumque hæc & hujuſmodi unuſquiſque in animo revolveret, nec manum inceptricem apponere auderet ne ſui dampni irremediale detrimentum pateretur, tandem quidam *Thomas Baker* de **Fobbyngges** ab artificio ſic vocatus, animum fortiorem ſibi aſſumens, cœpit hortari & aſſociare ſibi quoſdam de villa ſua, & ſic alios ac alios ſibi aſſociaverunt, & ſic miſerunt unuſquiſque ad amicos & cognatos ſuos, & ſic ulterius de villa in villam, & de patria in patriam, rogantes & petentes conſilium eorum & auxilium ad ea quæ communis utilitatis & neceſſitatis eos tam graviter urgentis erant, eis ferre indilate. Qui maximo tripudio ſuo more gaudentes catervatim ruere cœperunt, læti admodum effecti quod diem viderent quo ſibi invicem ſuccurrere poſſent in tanta ac tali neceſſitate.

An. Dñi 1381.

Anno Domini M.CCC.lxxxj. & regni regis *Ricardi* ij. ſecundo.

Sequenti igitur anno ſupradicto menſe Maii feria iij. quarto poſt feſtum Trinitatis cœpit convenire plebs iſta nephanda de *Cantia*, de **Sothereye**, & de multis aliis locis ſcilicet confinibus. Apprenticii quoque relictis magiſtris ſuis illis accurrebant. Sicque congregati ſunt ſuper *le* **Blakheth**, ubi præ multitudine ſeipſos obliti & cauſa priſtina non contenti neque minoribus ſceleribus pacati, majora inexquiſita mala meditati ſunt immiſericorditer, nec à ſuo nephando propoſito deſiſtere diſpoſuerunt quoaduſque omnes proceres regni & magnates funditus exſtirparent; ſicque primo direxerunt aciem ſuæ nequitiæ ad quandam villam archiepiſcopi *Cantuarienſis* vocatam **Maydeſtoke**, in qua erat carcer dicti archiepiſcopi, & in prædicto carcere erat quidam *Iohannes Balle* capellanus, qui prædicator famoſiſſimus habebatur apud laicos, qui per plura retroacta tempora verbum Dei inſipienter ſparſerat, lollium cum tritico immiſcendo, laicis nimis placens, & libertati juris eccleſiaſtici & ſtatus quam maxime derogans, atque multos errores in eccleſiam Chriſti inter clerum & laicos execrabiliter introducens, multis annis provinciam ſic obnubulavit, ob quam cauſam à clero fuerat auditus & de jure convictus, atque in eodem carcere pro ſuo perpetuo mancipatus & adjudicatus. Dicti vero populares carcerem fregerunt, & eum extraxerunt, atque abire eum ſecum fecerunt, nam in archiepiſcopum eum ſublimare propoſuerunt.

Die vero Mercurii ante feſtum Conſecrationis venerunt in **Sowthreye** ad carcerem regis de *Marchelſya*, & carcerem abſque mora fregerunt, & omnes incarceratos in eorum auxilium ſecum abire coegerunt, & quoſcunque invenerunt ſive peregrinos ſeu alios cujuſcunque conditionis ſecum ire conpulerunt.

Die Veneris in craſtino Conſecrationis intraverunt per pontem in civitatem *Londonienſem*, nec erat qui eis reſiſteret, & tamen, ut dicebatur, cives *Londonienſes* de eorum adventu longo ante tempore intellexerunt; ſicque ad turrim iter direxerunt ubi rex erat cum grandi cœtu militum, armigerorum, valettorum, & aliorum hominum ſtipatus. Erant ibidem in turri, ut dicebatur, circiter C.l. milites, ſecundum quoſdam centum octoginta, cum matre regis & duciſſa de *Britannia*, & multis aliis dominabus. Et *Henricus* Comes *Derbeyæ* filius *Iohannis* Ducis *Lancaſtriæ* adhuc juvenis ibidem erat. *Symon* quoque de *Sutbyry* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & Cancellarius *Angliæ*, & frater *Robertus de Halys* Prior Hoſpitalis *Angliæ* & Theſaurarius Regis. *Iohannes* quoque *Leg* & quidam *Iohannes* de ordine *Minorum* in armis bellicis ſtrenuus, in Phyſica peritiſſimus, domino *Iohanni* Duci *Lancaſtriæ* familiariſſimus cum aliis tribus ad turrim cucurrerunt cauſa refugii ſub alis regis latitaturi. Communes vero diſpoſuerunt ſe interficere archiepiſcopum & cæteros prænominatos cum eo, & ad hoc ibidem venerunt, & poſtea votum ſuum impleverunt. Volens igitur rex archiepiſcopum & ſocios ſuos de ore luporum liberare, miſit ad communes, mandans eis, ut ad locum qui *Myltros* vocatur extra civitatem convenirent cum rege locuturi, & de eorum propoſito tractaturi. Milites vero qui ituri erant cordis ſtrenuitatem quaſi tabeſcentes vecorditer amiſerunt, & mentis audaciam quod dolendum eſt ſub calle dederunt, nec egredi quaſi timore femineo percuſſi ullatenus audebant, ſed ſe in turri continebant; rex vero perrexit ad locum aſſignatum, & multi de nephanda plebe ſequebantur eum. Plures vero remanſerunt in eodem loco. Ubi cum veniſſent conqueſti ſunt regi ſe multiplici & intollerabili ſervitute & vexatione graviter oppreſſos, nec poſſe nec velle ulterius ſuſtinere. Unde rex pro bono pacis & temporis ingruencia ad petitionem eorum conceſſit eis Cartam ſub magno ſigillo, Quod omnes homines in regno *Angliæ* liberi eſſent, & liberæ conditionis, & ab omni jugo ſervitutis & villenagii exuti pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum permanerent. Quæ quidem carta eodem anno poſt feſtum ſancti *Michaelis* in parliamento apud *Weſtmonaſterium* per regem & magnates regni quaſſata fuit, & adnullata, & irrita & inanis judicata. Dum hæc ſic agerentur, ecce degeneres filii remanentes patrem ſuum archiepiſcopum cum ſociis antedictis abſque vi vel impetu, abſque gladio vel ſagitta, vel quacunque alia oppreſſione, ſet ſolum verbis minacibus & clamore turbido evocaverunt, & ad mortem invitaverunt, qui ſponte non reclamantes, non reluctantes tanquam agni coram tondente ſe nudipedes, capite diſcooperto, cingulis abjectis, acſi homicidio vel furto rei, & ſic vindictam meriti eſſent, libere ſe morti indebite optulerunt. Et ſic, heu pro dolor! duo luciferi regni indigni cum dignis antequam rex reveniret ſuper *le* **Tourehill** decollati ſunt, ſeptem in numero. Nam *Iohannes Leg* & iij. ſocii ejus, ut antedictum eſt, cauſa fuerunt iſtius irrecuperabilis dampni. Capita vero illorum in lanceis & baculis transfixerunt ut à reliquis ſic dinoſcerentur. Inde autem progredientes & inexquiſita malicia invaleſcente iterum viam direxerunt uſque ad manerium ducis *Lancaſtriæ* vocatum **Sawey** miro ſtructuræ tabulatu paulo ante ædificatum, Quod quidem nobiliſſimus *Henricus Lancaſtriæ* dux primus cujus filiam dominam *Blanchiam Johannes de Gaunt* deſponſaverat, & ſic in hæreditatem ſucceſſerat, de fundamento conſtruxit, in regno *Angliæ*, ut credebatur, non habens ſibi ſimile. Quod quidem manerium iſti ſervi diaboli ſubverterunt, combuſſerunt, & in cinerem redigerunt cum omnibus in eo inventis præter unum lectum & pauca alia quæ fuerunt per cuſtodem abſtracta quaſi in eorum adventu. In illo namque manerio erant omnes theſauri dicti *Johannis* ducis, cum lectualibus & aliis ornamentis, cum gazis innumerabilibus, & ferencia bona ſua quæ poſſent careri à communi cotidiano uſu cum cartis & munimentis, quæ omnia, quod dolendum eſt, eorum fuerunt ſimul perierunt. Et ſciendum quod cuſtos dictæ gardropiæ aſſeruit oreque ſuo retulit & juravit, quod credidit quod non eſſet aliquis rex Chriſtianus habens meliorem gardropiam, nec aliquis vix talem; nam ut dixit tanta copia erat vaſorum & jocalium de argento, abſque aliis deauratis & de auro puro, quod vix v. carrectæ ea vehere ſufficerent; unus autem illorum nephandorum ſumpſit unam pulcram peciam argenteam, in gremioque abſcondit, quod videns alius & ſociis referens, ipſum cum pecia in ignem projecerunt, dicentes, Zelatores veritatis & juſtitiæ, non fures aut latrones. Fertur quoſdam intraſſe cellariam vini ibidem, & tantum de dulci vino bibiſſe quod egredi quidam non ſufficiebant, ſet jocis, & canticis, ac aliis illicebris ebrietatibus vacantes, donec hoſtium obturatum fuit igne & lapidibus quod egrediendi facultas denegata fuiſſet licet ſobrii eſſent, uſque ad mortem. Per ſeptem dies poſt hæc clamor eorum à multis ad locum accedentibus & de enormitate ſceleris dolentibus auditus eſt, nec erat qui eos adjuvaret vel conſolaretur ex omnibus caris ſuis. Et ſic ſe de vino inebriaverunt, vinumque conſumere venerunt, & in vino perierunt. Numerus eorum, ut poſtea dicebatur xxxij. ferme erat. Cum hæc & alia mala feciſſent redierunt ad novum templum quod erat Prioris de **Clerkunwell**, & ibi plures domos ſubverterunt. Ciſtas in eccleſia ſive in cameris apprenticiorum inventas fregerunt, & libros quoſcunque inventos, ſive eccleſiaſticos, ſive cartas & munimenta in ciſtis apprenticiorum ſecuribus ſcindebant, & in cibum ignis dederunt. Domos quoque juratorum in civitate ſubverterunt, quas ſenes & quaſi decrepiti, quod dictu mirum eſt, tanta agilitate aſcenderunt, acſi eſſent ratones vel ſpiritu aliquo vecti. Quod quidem credibile eſſe poteſt, quia ſpiritus malignus quem ſequebantur & ſerviebant, ipſe greſſus eorum dirigebat. Eodem die proceſſerunt inde ad **Clerkunwell** ubi præter eccleſiam pauca reliquerunt non deſtructa de manſione Prioris. Manerium quoque de **Hybery** extra *Londonias* diſtans per ij. leucas quod prædictus *Robertus de Halys* Prior de novo quaſi alterum paradiſum delicate conſtruxerat, funditus deſtruxerunt. Juratos quoque civitatis & juris regni apprenticios quoſcunque invenerunt ſine mora interfecerunt. Si quis ante aliquem haberet exoſum vel inimicum, tales maxime requirebant & indilate decollabant. Plures quoque apprenticii civitatis decollatis magiſtris ſuis abierunt cum illis; Nec aliter quoſque interficiebant niſi ſolum capitis obtruncatione. *Ricardum* quoque *Lyonnes* famoſum Burgenſem de domo ſua extraxerunt, & in ſepe decapitaverunt. Qui tempore regis *Edwardi* iij. in quodam parliamento convictus fuit multiplici fraude regi & reginæ, ac aliis dominis & dominabus regni facta in lapidibus precioſis & aliis jocalibus, unde judicio parliamenti perpetuo carceri adjudicatus eſt, ſtipendio diurno xij.d. ex curialitate regis ei conceſſo, ſet poſtea gratiam conſecutus liberatus eſt, ſicque peremptus. Hæc & alia quam plura enormia faciebant nullo gradui vel ordini parcentes, tam in eccleſiis quam in cimiteriis, tam in plateis & ſtratis quam in domibus & campis; in quem ante dirigebant clamoſum ſonitum mox accurrebant cæteri, ſcientes eum decollandum, nec Deum timentes, nec honorem matris eccleſiæ verentes. Cum igitur hæc & alia quam plura execrabilia per totum illum diem perpetraſſent, tandem tanto labore fatigati & inmoderamine vini inſoliti inebriati, die quoque adveſperante, viros eorum jacentes ſparſim in plateis & ſub muris ſoporatos veluti porcos interemptos: nocteque illa plures illorum ſumptis viribus ebrioſis ſocios ſuos occulte interfecerunt quos ab antea in odio habuerunt; ſicque in illa nocte ſtrages magna tam ab invicem quam ab aliis facta eſt. Die vero ſequenti, ſcilicet Sabbato, iterum adunati ſunt in **Smythfeld**, ubi rex venit mane ad eos, qui licet ætate juvenis tamen animi ſapientia prudenter doctus. Cui apropinquavit Ductor eorum proprio nomine *Watte Tyler*, ſet jam nomine mutato vocatus eſt *Jakke Strawe*. Hic regi adhærens & ipſum pro aliis unus alloquens, & cultellum evaginatum quem **Dagger** vulgus vocant in manu gerens, de manu in manum jecit quaſi puerilitet ludens, & oportunitatem capiens, ſi rex ei petita negaret qua ipſum ſubito ut credebatur percuteret, unde maxime timuerunt qui regi aſſiſtebant quid in facto eveniret. Petunt à rege ut omnes warennæ tam in aquis quam in parco & boſcis communes fierent omnibus, ita ut libere poſſet, tam pauper quam dives, ubicunque in regno in aquis

&

& ſtagnis piſcariis & boſcis & foreſtis feras capere, in campis lepores fugare, & ſic hæc & hujuſmodi alia multa ſine contradictione exercere; Cumque rex de hujuſmodi conceſſione cum deliberatione tardaret, *Jakke Strawe* propius accedens & regem minacioribus alloquens, frænum equi regis quo auſu neſcio manu arripuit; Quod *Johannes de Walworth* Burgenſis *Londonienſis* intuens, & mortem regi iminere pertimeſcens, arrepto baſillardo transfixit *Jakk Straw* in gutture. Videnſque hoc alius Armiger nomine *Radulfus Standyche* cum alio baſillardo penetravit latera ejus. Et ſic corruit reſuppinus, aliquamdiu manibus & pedibus deſiliens interiit. Inde clamor ingens & ululatus factus eſt multus, Ductor noſter mortuus eſt. Igitur ſic mortuo, & in Eccleſiam ſancti *Bartholomai* quæ prope erat manibus & pedibus viliter tracto, multi de illis ſe ſubtraxerunt, & quaſi evaneſcentes in fugam ſe ſubito dederunt, numero ut credebant circiter x. millia. Tunc rex dicto *Johanni de Walworth* & *Radulfo de Standiche* vicem rependens ipſos cum aliis iiij. burgenſibus de Civitate militari cingulo ſublimavit, ſcilicet *Dominos Johannem Philipote*, *Nicholaum de Brembre*, & *Iohannem Lande*, *Nicholaum Twyford*. Hiis militibus ſic à rege ordinatis juſſit rex ut cæteri qui remanſerant de nephanda turba ſecederent & abirent in campum, & ibi convenirent, ut ibidem poſſet cum illis de concordia tractare. Illis ibidem conſtitutis, ecce proceſſit interim de civitate multitudo armatorum duce domino *Roberto Knollys* cum aliis militibus, & circumvallabant cohortem miſeram in campo quaſi oves deſolatas ſine paſtore. Tunc rex pius qualis fuiſſent conditionis miſericordia motus noluit miſeros interire, parcens ſtultæ multitudini, juſſit eos abire unumquemque in domum ſuam, multis tamen interim recedente rege dampna mortis perpeſſis. In illa miſera multitudine recenſebantur xx. mille. Iſti fuerunt ductores eorum, *Thomas Baker* primus motor ſed poſtea principalis ductor, **Jakke Strawe**, **Jakke Mylner**, **Jakke Carter**, **Jakke Trewman**. **Jakke Mylner** alloquitur ſocios ſic.

Jakke Mylner asket help to turne his mylne aright. He hath grounden ſmal ſmal the Kings ſone of heven he ſchal pay for alle. Loke thy mylne go a ryȝt, with the foure ſayles, and the poſt ſtande in ſteadfaſtneſſe. With ryȝt and with myȝt, with skyl and with wylle, lat myȝt helpe ryȝt, and skyl go before wille, and ryȝt before myȝt, than goth oure mylne aryght. And if myȝt go before ryght, and wylle before skylle; than is oure mylne mys a dyȝt.

Jak Carter.

Jakke Carter pryes ȝowe alle that ȝe make a gode ende of that ȝe hane begunnen, and doth wele and ay bettur and bettur, for at the even men heryth the day. For if the ende be wele, than is alle wele. Lat Peres the Plowman my brother duelle at home and dyȝt us corne, and I will go with ȝowe and helpe that y may to dyȝte youre mete and youre drynke, that ȝe none fayle. lokke that Hobbe robbyoure be wele chaſtyſed for leſyng of ȝoure grace, for ȝe have gret nede to take God with ȝowe in alle ȝoure dedes. For nowe is tyme to be war.

Jak Trewman.

Jakke Trewman doth ȝow to underſtande that falſnes and gyle havith regned to long, and trewth hat bene ſette under a lokke, and falſnes and gyle regneth in everylk flokke. no man may come trewthe to, bot he ſyng *ſi dedero*. Speke, ſpende and ſpede, quoth Jon of Bathon. and therefore ſynne fareth as wilde flode, trew love is away, that was ſo gode. and clerkus for welthe worthe hem wo. God do bote, for nowȝe is tyme.

Exemplar epiſtolæ Johannis Balle.

Jon Balle gretyth ȝow wele alle and doth ȝow to underſtande, he hath rungen youre belle. Nowe ryȝt and myȝt, wylle and skylle. God ſpede every y dele. Nowe is tyme Lady helpe to Jheſu thi ſone, and thi ſone to his fadur, to make a gode ende, in the name of the Trinite, of that is begunne, amen amen pur charite amen.

Prima epiſtola Johannis Balle.

John Balle ſeynte marye priſt gretez wele alle maner men and byddes hem in the name of the Trinite, Fadur and Sone and holy Goſt ſtonde manlyche togedyr in trewthe, and helpez trewthe, and trewthe ſchal helpe ȝowe. Now regneth pride in pris, and covetys is hold wys, and lecherye withouten ſhame and glotony withouten blame. Envye regneth with treſone, and ſlouthe is take in grete ſeſone. God do bote, for now is tyme amen. In Eſex Southfolc and Northfolc.

Northfolc ſimiliter ſurrexerunt communes in quibuſdam locis in magna multitudine, & multa mala fecerunt & plures probos homines decollaverunt. Et ſciendum quod in omnibus locis habebant eundem modum jugulandi. Dominum *Iohannem de Candyche* Juſticiarium regis capitanium trucidaverunt. Dominum quoque *Robertum Salle* militem in armis ſtrenuitate famoſum decollaverunt, ſicque inaudita & enormia mala à ſeculo non audita non ſolum in una patria ſet in multis partibus regni irrecuperabiliter perpetrata ſunt. Similiter apud **Peterburgh** compatriotæ & tenentes Abbatis ejuſdem ſurrexerunt contra eandem domum ſcilicet Abbathiam, & eam exterminare cupiebant atque propoſuerunt, quod & irremediabiliter feciſſent niſi Deus manum reſiſtricem eis inopinate immiſiſſet; Nam auxilium eorum à Domino *Henrico le Spenſer* Epiſcopo *Northwycenſi* divina mediante ſuperna clementia, Qui cum forti manu armata ſupervenit, ipſoſque malefactores ab incepto propoſito perturbavit, & ipſoſque perſecutus turbam eorum diſperſit, & eis reddens prout meruerunt, ſcilicet aliis mortem, aliis carcerem & vincula, nemini parcens; & dum plures eorum fugam caperent ad eccleſiam pro præſidio, in foveam perditionis ceciderunt quam Eccleſiæ paraverant, nam Eccleſiæ immunitatem non meruerant qui valles Eccleſiæ deſtruere non metuebant. Nam quidam eorum juxta altare & ad parietes Eccleſiæ tam intra Eccleſiam quam extra lanceis & gladiis confoſſi ſunt. Et ſicut illi in ſua ferocitate poſiti nemini parcebant ſet ultionem furioſam exercebant: ſic nec oculus Epiſcopi cuiquam eorum pepercit, ſed digna pro dignis rependens, & eadem menſura qua menſi fuerunt remetiebatur illis: nam eccleſiam & viros Eccleſiæ deſtruere venerunt, & in eccleſia & ab eccleſia ut ita dicam, immo quia ita dicere audeo quia ab eccleſiaſtica perſona perire meruerunt; nam manus ejus in ultionem eorum valde lætanter erat extenſa, & abſolutionem gladialem epiſcopalis dignitas eis impendere in extremis non dedignabatur pro ſuis delictis, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* Similiter faciebat iſte valens epiſcopus in diverſis locis in comitatibus *Cantibrigienſi* & *Hontyngdonenſi*; & in quibuſcunq; locis de talibus audiebat, ſine mora eis occurrebat, illos diſperdens ſuperbiam eorum funditus quaſſavit.

Apud ſanctum *Albanum* communes de villa & multi à finibus illis egreſſi obliti bonorum ad Abbathiam confluebant, Abbatemque & Conventum petitionibus eorum adquieſcere & eis petita concedere atque de multis libertatibus in non modicum diſpendium domus & gravamen; Et hæc tenentes Abbatis ſibi fecerunt pro ſuo perpetuo habituri. Set Rex infra breve ſuperveniens Cartam frangi fecit, & malefactores puniri. Similiter in multis locis cœperunt tenentes contra ſuos dominos invaleſcere, unde ſcriptum eſt,

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum,

Nam ſeipſos ignorabant, ſuam conditionem non attendebant, nec de fine perpendebant, ſet facti ſunt velut ſtulti ſicuti qui prius ſaltant quam lapſum ſuum conſiderant; ſicque in illis nephariis impletum eſt quod de ſanctis Apoſtolis ſcriptum eſt, *In omnem terram exivit &c.* Nam corda hominum tam in remotis & extremis partibus quam in propinquis & vicinis ubicumque in regno à timore eorum contremuerunt, & ubique tremuli & conterriti credebant eos ſtatim abſque mora inopinate ſinguli in ſuis partibus affuturos. In *Leyceſtria* venit nuncius veſpere ad Majorem villæ aſſerens eos prope eſſe apud **Harberough** approximantes cum idem prophani eſſent *Londoniis*, & in craſtino circa horam primam diei in villam *Leyceſtria* fore venturos ad deſtruendum manerium ducis *Lancaſtria* ibidem, & omnia bona ejus ibidem inventa dilaceranda & evertenda atque comburenda, nam quædam habebat ibidem de cotidianis ſuis neceſſariis quia ſæpius ibi fovebat familiam ſuam, tamen in tempore iſtiuſmodi conflictus in marchia erat cum *Scotis* de negotiis regni tractaturus. Quid plura? Major inde maxime conturbatus et conterritus, & quid in caſu ſibi ipſi contrario faceret contremeſcens. Si eis reſiſtere diſponeret forte deficeret, & ſic cum ſuis occumberet: ſi eos cum pace reciperet, poſtea eorum conſentaneus dijudicaretur. Salubri uſus conſilio convocavit vicinos ſuos juratos & alios peritiores; Quorum conſilio eadem nocte fecit proclamationem ad altam crucem villæ, & ad iiij. portas ſub nomine regis, quod unuſquiſque paratus eſſet mane ſeipſum & proximos defenſurus. Similiter ſub certa pœna regi danda, quod omnes & ſinguli de villa tam divites quam pauperes, tam magiſtri quam ſervientes, meliori modo quo ſe armare poſſent & ſe defendere ſcirent, omni excuſatione poſtpoſita extra villam ſuper montem vocatum **Galtrehill** armis ſuis taliter ſtipati mane convenirent, ſi forte poſſent divina eos adjuvante gratia & patria eis ſimiliter ſuccurrente contra inimicos tam ſubito ſupervenientes occurrere reſiſtendo. Quo in loco cum conveniſſent numerati ſunt circiter mille ducenti tam de bonis & aliis. Altera quoque die fecerunt ſimiliter oſtendentes ſe in eodem loco, & eventum rei cum magno timore exſpectantes; nam exploratores emiſerant & ad explorandum de operibus eorum & eos certificandum ubi eſſent, & quando ad iſtas partes diverterent, & qualiter ſe diſponerent ad recipiendum eos ſive cum pace ſive cum pugna, nec erat aliquis eorum qui rediret nunciare eis ſive bonum ſive malum; Propterea magis timuerunt. Interim cuſtos gardropiæ domini Ducis rediit de *Londoniis* ſimiliter metuens ne ſupervenirent ad deſtruendum ſi quid invenirent in caſtello *Leyceſtria* ducis, unde cum feſtinatione qua potuit ea quæ invenit in caſtello, onuſtis carrectis fecit deduci ad Abbathiam *Leyceſtria* pro ſalva tuitione habenda à prædictis inimicis; Cumque ibidem veniſſent die martis ſequenti circa meridiem, Abbas nimio terrore percuſſus, ſicut & cæteri regni, non audebat ea hoſpicio recipere, ne forte hujuſmodi rei occaſione tota abbathia detrimentum intolerabile exterminii pateretur, quia idem Communes pacificum ducem *Lancaſtria* ſuper omnes mortales in illo conflictu magis exoſum habebant, & ſi ipſum inveniſſent abſque mora ab eis periclitaretur; ſicque redierunt carrectæ onuſtæ prout venerant, & in area eccleſiæ ſanctæ *Maria* de Caſtro bona illa expoſita ſunt, divinam gubernationem ſine cujus adminiculo nichil ſupereſt expectando.

In illis diebus ut jam ante dictum eſt, erat præfatus pius dux *Lancaſtria Johannes* in marchia *Scotia* ad tractandum cum *Scotis* de negotiis regni. Quod ut credibile fieri potuit ex divina diſpoſitione ei accidit, quod procul ab illis partibus abſens eſſet ne in manus nephandorum caderet ſine natura occidendus. Domina *Conſtantia* duciſſa *Lancaſtria* talibus auditis timore magno percuſſa cordis eſt, malignorumque rabiem diclinare volens, & pro refugio ſub alas domini ſui volare deſiderans, cum feſtinatione qua potuit iter arripuit, venitque ad *Pontefractum* ad Caſtellum ſuum pro ſubſidio habendo quaſi in domo propria ſecura. Et qui inibi erant ipſam hoſpicio & ſalvo cuſtodire nullatenus voluerunt, ſet recuſaverunt ipſam cum caſtello ſub ſecuritate cuſtodire, Dicebant namque ſe non audere: ſicque deſolata & quaſi à propria domo cum pudore in laſſitudine repulſa, eadem nocte cum lumine ceræ antequam dieſceret viam ſeptem leucarum peregit, & abſque quietis refocillatione apud **Knaresburgh**, pervenit, & ibi moram fecit, donec ceſſante procelloſa tempeſtate rabidi curſus ſerenitas tranquillitatis & pacis ſuperluxit, & pius dux pacis & miſericordiæ de *Scotia* cum honore reverteretur.

Jam præceſſerunt detrimentoſa cum lamentatione doloroſa, nunc ſuccedunt lacrimoſa cum diligenti amaritudine compaſſioſa. Igitur pio duce non ſui ſcilicet ſet regni negotiis ſic ſe in remotis habente, rumor hujuſmodi rapacitatis ad aures ejus pervenit. Quo ſubito turbatus & licet perturbatus mirum non eſſet, & inde non ex arrepto ſet cum ſumma deliberatione ſapientiſſimo uſus conſilio, non motus ira quia non proderet, non concuſſus vecordia quia in aliquo delicto non reus, ſet qualis fuerit in omnibus actibus ſuis oſtenſus, ſcilicet pius & mitis, hillari vultu audita quaſi motus non eſſet ſecrete conſervavit, & uſque ad tempus aptum occultum abſque revelatione quacunque ſilenter conſervari mandavit, nec cuidã revelari permiſit. Set finem negotii ſui pro quo ibidem venerat cum feſtinatione qua potuit totis niſibus acceleravit, nam prope finem erant ex utraque parte de tractatu ſuo. Fine igitur habito, & hinc inde Indenturis ſigillatis, tunc primo petiit à *Scotis* licentiam in *Scotiam* intrare, & ibidem pro certo tempore ſi vellet moram facere, atque quando ei placeret abſque impedimento ſui vel alicujus ſuorum licenter redire & abire, nondum enim innotuit *Scotis* neceſſitatis cauſa. Hiis itaque ad votum patratis, tunc demum convocavit conſilium ſuum atque familiam, & intimavit eis calamitatem gentis *Anglorum* auſtralis plagæ. Et ecce ploratus & ululatus multus lacrimantium atque plangentium. Tunc ille cum omni manſuetudine & pietate dedit licentiam ſuis omnibus, & rogavit ut unuſquiſque rediret ad propria, ne detrimentum paterentur de bonis ſuis; At illi ab eo, veluti diſcipuli à Chriſto, relicto eo omnes fugerunt, paucis admodum cum eo remanentibus. Similiter ei relatum eſt quod duæ turmæ nephandorum luporum diſcurrebant per duas partes regni, & quælibet turba continebat decem millia electorum ad rapiendum eum, una turma per orientalem partem, & alia turma per occidentalem partem. Similiter quoque omnia quæ habebant *Leyceſtria* deſtructa erant, & caſtellum de **Tutteberp** everberatum & multa alia perpetrata, quæ de facto falſa erant. Unde non mirum eſſet licet cor ejus hæc horrida frangerent. Comes quoque de *Northambria* invitaverat eum ad cœnam & cum eo pernoctandum. Cumque acceſſiſſet ad locum, ecce quidam miles dicti Comitis cum aliis Armigeris venit ei obviam in medio itineris, nuncians ei, dictum Comitem dominum ſuum nec audere nec velle ipſum Ducem hoſpitio recipere, nec aliquid humanitatis ei impendere, nec in aliquo caſtello ſeu villa ſuæ cuſtodiæ deputatis intrare permittere, donec ſciret utrum dominus rex ei benivolus eſſet an non. O caſus ſuper omni parte ſupra modum dolendus! pacis amator & reformator à pace ſine delicto deicitur & perturbatur. Quo ſe divertat, quo caput ſuum inclinet? Si ad caſtrum de **Banburgh** greſſum dirigat ubi familiam ſuam pro tempore quo in marchiam moram facere diſpoſuerat, dictus Comes eum prævenit ingreſſumque prohibuit; victualia quoque quæ pro ſe & familia ſua ibidem paraverat ſecum abducere denegavit, unde orta eſt magna diſcordia, nec inmerito, inter eos. Videns igitur pius dux innocentiſſimus quomodo prædictus Comes ſuper cæteros rumores adverſabatur, magis ſibi timuit ne rex ab aliquibus æmulis ejus ſub ſiniſtro conſilio ductus ad iſtiuſmodi luporum rabiem inconſulte præberet aſſenſum; Et ut verum fatear, in multis locis regni divulgatum fuerat, regium aſſenſum interveniſſe in hiis quæ contra eum fiebant. Quod quidem à nonnullis credebatur licet vane, qui tamen forte ut aſſolet linguæ habenas à cordis radice laxabant, cupientes quod ore fatebantur in effectu durius eveniſſe: nam plures habuit æmulos & inimicos divites ſimul ac pauperes, qui pocius ſiniſtra quam bona de eo loquebantur, male de eo ſencientes, injuſta contra eum cum non eſſet eorum meritus ſæpe meditabantur. Set Deus ſemper adjutor ejus verſucias omnium inimicorum vertebat in bonum, & omni tempore compeſcuit maliciam eorum, & ipſum eripuit de manibus eorum. Spretus igitur ſic pius Dux à dicto Comite & ex omni parte ſic agonizatus, & ab hoſpicio ſuo atque victualibus tam horribiliter ſecluſus, receſſit nec mirum corde mœrore repletus, greſſumque ſuum ſub conductu præhabito in *Scociam* direxit, ab amicis & cognatis repulſus, inter inimicos & ignotos hoſpicium quæſiturus. Ad villam de **Enduſburgh** domino eum protegente in omnibus viis ſuis cum perveniſſet, quos antea habuerat adverſarios & inimicos tunc invenit eos amicos familiariſſimos, nam *Scoti* humaniſſime eum receperunt, & donis, magnificentiis, exenniis honorificentiori modo quo ſciebant ipſum glorificaverunt, & victualia ad plenum ei miniſtraverunt, & quicquid poſſet honoris vel ſolacii excogitari ei impendere ſollicite curabant.

Comes de *Duglas*, & Comes de *Dunbarre* cum aliis duobus Comitibus venerunt ad eandem villã in ejus ſolacium & confortationem, ibique expenſis propriis aliquamdiu moram fecerunt ad ejus conſolationem. Quid plura? Similiter ex alia parte ad memoriam deduxit actus ſuos præcedentis vitæ ſuæ, et de ſingulis operibus ſuis ſi in aliquo delicto tranſgreſſus fuerat clam vel palam erga regem vel regnum quo tale quid mereretur ex ſua culpa. Sicque librata conſcientia cum animo ſuo, et in ſe non reperiens modicum vel grande quo poſſet juſte accuſari vel quid contra eum juſte obici, Hiis et hiis ſimilibus cum ſapienti deliberatione excogitatis in ſeipſum rediens, confortationem aliqualem inde ſumpſit, in tranſacta juſticia ſua fiduciam habens, et in Deo fixit cor ſuum, cui ſe et cauſam ſuam cum omni attentione commendavit, animadvertens quod ſcriptum eſt, *Multæ tribulationes juſtorum & de hiis omnibus liberabit eos Deus.* Inter cætera tamen in memoriam retorquebat quomodo ſæpius ac ſæpius audierat tam à viris eccleſiaſticis quam à ſuis domeſticis, qualiter fama ejus quaſi in omnibus partibus regni multo tempore denigrata fuerat, et qualiter ipſe pro nullo duxerat quicquid ei dictum fuerat concupiſcentia excæcatus, nec Deum timens nec homines erubeſcens, Habebat namque quandam dominam *Katerinam de Swynforde* alienigenam in familia cum uxore ſua, unde ſuſpicio ſiniſtra maxime de eo oriebatur. Et hiis excogitatis in ſeipſum Deo gratiam ſibi inſpirante ſtatim reverſus eſt, et ſe totum divinæ miſericordiæ committens, et emendationem vitæ Deo promittens, votum vovit Deo, quod quam citius poſſet dictam dominam à familia ſua amoveret cum effectu, ulterius non offenſurus. Cumque ad propria rediſſet oportunitate nacta ipſam à domo ſua ſtatim amovit ulterius in familia ſua non manſuram. Quid plura? Cumque ad aures boni regis *Angliæ* perſtrepiſſet de tanta anguſtia ejus & calamitate inaudita atque triſtitia intollerabili pii ducis avunculi ſui, atque opprobrioſa ejus repulſione minus juſte ei objecta, maxime condoluit, & mox indilate literas conſolatorias quam citius potuit ei tranſmittere feſtinavit. Et ſic literis novis ac novis ſupervenientibus animum regis ei benevolum cognoſcens, ad plenum conſolatus eſt, & quaſi pro nichilo duxit tantam injuriam & irrecuperabilia dampna bonorum ſuorum. Similiter & fratres ſui in quantum potuerunt eum conſolari niſi ſunt. O eventus quam variabilis! Nam unde maximum opprobrium illi oriebatur inde læticia primi honoris provenit, & ideo cum redeunt conſolationis mirabilia redit pio duci & ejus dilectoribus lætitia.

Igitur hiis ita tranſactis rex benevolus mandat

Comiti *Northumbriæ* regias literas, ut quærat Ducem *Lancaſtriæ* ubicumque fuerit cum omni honoris alacritate, & ipſum ſalvo pro ſuo poſſe ab inimicis cuſtodiat, & fortitudine qua potuit armata ipſum adducat, & per partes ſuas ſalvo tranſducat ne detrimentum patiatur. Sicque accidit quod qui primo repulſionis opprobrium ei intulit, primæ reductionis honorem illi impendebat; Cumque idem Comes cum fortitudine armatorum ei obviam fecit, & ei obſequium honoris optulerat, pius dux regi gratias egit, ſet ipſum cum comitiva ſua repulit, dicens ſe non indigere ejus obſequio; Sicque abinvicem receſſerunt abſque pluri, pius dux viam ſuam graditur, Comes vero in domum ſuam revertitur.

Mandavit eciam rex omnibus & ſingulis dominis borialis plagæ ac eciam vicecomitibus & burgenſibus omnibus & ſingulis præcipiens, quod quilibet eorum cum fortitudine ſufficienti ſecundum vires ſuas ipſum ſalvo tranſducant per partes ſuas. Sicque factum eſt quod aliis recedentibus in ſuo comitatu aliiſque ſuccedentibus in alio comitatu cum honoris tripudio venit per *Eboracum*, *Notyngamiam*, *Leyceſtriam*, aliquando mille comitatus lanceatis ut dicebatur, & quandoque numero majori ſtipatus, quandoque minori, exceptis ſagittariis & aliis. Tandem vero venit ad regem apud **Redynges.** Rex vero in ejus adventu admodum lætus effectus, cum magno honore eum ſuſcepit, atque cum omni diligentia eum confortabat, doniſque largifluis prout decuit regiam magnificentiam ad ſuum avunculum, hilariter honorificavit.

Ne cuiquam cedat in mirum quare ipſum tociens pium ducem vocitavi, diligens Lector attendat & auditor veritatis amicus intelligat, quod iſte pius dux pietatis tanto robore fundatus extitit, quod in omnibus tribulationibus ſuis & in omnibus anguſtiis atque injuriis ſibi malitioſe illatis non vindictam quæſivit, non ultionem per ſuos mandavit, ſet æquanimiter tollerans cuicunque petenti delicta condonavit. Cum autem theſaurus argenteorum vaſorum ejus per quoſdam de familiaribus ſuis ſæpius ad magnam ſummam furtive ablatus fuiſſet, & miniſtri ejus per juris rigorem contra eos captos tandem vellent procedere eos ſuſpendendo, tantæ pietatis ſpiritu repletus erat, quod ipſos prohibuit dicens, ſe nolle aliquem hominem perire pro bonis ſuis, præcipiens ſemper tales dimitti ſub abjuratione, quod ſe abſtinerent à familia & domo regis, & domo ſua, & domo fratrum ſuorum.

Hiis itaque geſtis & quietis tempore ſuccedente, aderat tempus quo rex puniri faceret delinquentes. Miſſus eſt igitur dominus *Robertus Treſylyon* Juſticiarius præcepto regis ad inquirendum de ſurgentibus contra pacem & puniendum; Qui ubique diſcurrens & nulli parcens fecit ſtragem magnam. Et ut illi malefactores inimicabiliter inſidiabantur adverſus Juſticiarios, ſcilicet dominum *Iohannem de Candyche* & alios quos invenire potuerunt, mortem eis inferendo capitalem, atque contra omnes legis regni peritos quos invenire poterant, nec cuidam eorum pepercerunt capitali ſententia puniendo, ſic nec ipſe cuiquam pepercit vicem pro vice rependens; Nam quicunque accuſatus fuerat coram eo in cauſa ſupradicta ſive juſte ſive ex odio, ſtatim ipſum mortis ſententia plectebat. Et alios quidem decapitari præcepit, alios autem ſuſpendi, alios vero trahi per civitates & ſuſpendi per quatuor partes civitatum, alios autem eviſcerari, viſceraque concremari coram ipſis viventibus, poſteaque decollari & in iv. partes dividi ac ſuſpendi per iv. partes civitatum ſecundum delicti & meriti quantitatem. Dominus *Iohannes Balle* vero captus fuit apud **Coventre** & ductus apud *ſanctum Albanum*, ibique præcepto regis tractus fuit & ſuſpenſus, atque in iv. partes diviſus, quæ ad iv. loca ſunt miſſæ & ſuſpenſæ.

Eodem anno apud *Weſtmonaſterium* rex *Ricardus* deſponſavit *Annam* filiam regis *Boemi* ſororem Imperatoris, & dedit Imperatori ut dicebatur pro maritagio decem mille libras præter alias expenſas in quærendo eam & adducendo eam ſumptibus ſuis propriis.

An. Dñi 1382.

Anno proximo ſequenti M. CCC. lxxxij. regis *Ricardi* v. dominus rex ad ſpecialem rogatum *Annæ* reginæ & aliorum magnatum regni & ſpecialiter pii ducis *Lancaſtriæ* condonavit generaliter omnibus antedictis inſurgentibus malefactoribus unientibus & adhærentibus & conſentientibus eiſdem, & conceſſit Cartas eiſdem proſequi volentibus; & mediante divina clementia dicta rabies ſic ſopita eſt.

Xij. kalendarum Junii terræ motus generalis mala multa faciens in regno quaſi prima hora poſt nonam feria quarta. Item die Veneris ſequenti quaſi in ortu ſolis terræ motus non multum nocens. Sabbato ſequenti aquæ motus quaſi hora tercia mane. Naves vacillabant in portubus ab aquæ motu.

In iſtis temporibus floruit magiſter *Iohannes Wyclif* Rector eccleſiæ de **Lutturworthe** in comitatu *Leyceſtriæ*, Doctor in Theologia eminentiſſimus in diebus illis. In Philoſophia nulli reputabatur ſecundus, in Scolaſticis diſciplinis incomparabilis. Hic maxime nitebatur aliorum ingenia ſubtilitate ſcientiæ & profunditate ingenii ſui tranſcendere, & ab opinionibus eorum variare. Hic multas dicitur introducere in eccleſia opiniones quæ à catholicis eccleſiæ doctoribus reprobantur, quæ in ſuo loco pro parte patebunt. Hic habuit præcurſorem *Johannem Balle* veluti Chriſtus *Johannem Baptiſtam*, qui vias ſuas in talibus opinionibus præparavit, & plurimos quoque doctrina ſua ut dicitur perturbavit, De quo ſuperius mentionem feci. Hic magiſter *Johannnes Wyclif* Evangelium quod Chriſtus contulit clericis & Eccleſiæ Doctoribus ut ipſi laicis & infirmioribus perſonis ſecundum temporis exigentiam & perſonarum indigentiam cum mentis eorum eſurie dulciter miniſtrarent, tranſtulit de *Latino* in *Anglicam* linguam non angelicam, unde per ipſum fit vulgare & magis apertum laicis & mulieribus legere ſcientibus quam ſolet eſſe clericis admodum literatis & bene intelligentibus, & ſic evangelica margarita ſpargitur & à porcis conculcatur, & ſic quod ſolet eſſe carum clericis & laicis jam redditur quaſi jocoſitas communis utriuſque, & gemma Clericorum vertitur in ludum laicorum, ut laicis ſit commune æternum quod ante fuerat Clericis & Eccleſiæ Doctoribus talentum ſupernum. Sicque ſponſus Eccleſiæ conqueritur & cum propheta poteſt clamare, *Sedebit honor Eccleſiæ ſolitarius, & tacebit quia levavit ſe ſuper ſe.* Et ſic adimpletum eſt quod prædixit *Willielmus de ſancto Amore* longo ante tempore, & poteſt applicari congrue de eodem populo, ſic inquiens, *Aliqui laborant ad mutandum Evangelium Chriſti in aliud Evangelium quod dicunt fore perfectius & melius & dignius, quod appellant Evangelium æternum ſive Evangelium Spiritus* ſancti. Æternum congrue dici poteſt, quia jam vulgare & commune in materna lingua, & ſic in æterna memoria. Hic prædictus *Willielmus* compoſuit libellum de adventu talis populi, de converſatione, de vita & moribus eorum ſatis expreſſe, & incipit ſic. Willielmus de ſancto Amore *anno Domini* M.CC.lv. cap. viij. *Nos ſumus in quos fines ſeculorum devenerunt, ſcilicet in ultima ætate ſeculi. Poſt iſtam vero ſextam ætatem quæ eſt pugnantium cum qua currit ſeptima ætas quæ eſt quieſcentium, non eſt ventura alia niſi octava quæ eſt reſurgentium. Igitur nos ſumus in ultima ætate hujus mundi, & iſta ætas jam plus duravit quam aliqua aliarum quæ currerunt per millenarium numerum annorum, quia jam duravit per* M.CC.lv. *annos. Veriſimile eſt igitur quod nos ſumus prope finem, igitur propinquiores ſumus periculis noviſſimorum temporum quæ ventura ſunt ante adventum* Antichriſti. Iſta probat ibidem per plures auctoritates ſacræ Scripturæ. *Relinquitur igitur quod in noviſſimis temporibus ſumus aut illis valde propinqui, quod oſtendemus per octo ſigna quod jam pericula inſtant.* Primum enim eſt, *Quod aliqui laborant ad mutandum Evangelium* Chriſti *in aliud Evangelium quod fore dicunt perfectius & melius & dignius, quod appellant Evangelium æternum ſive Evangelium Spiritus ſancti, quo adveniente evacuabitur, ut dicunt, Evangelium* Chriſti, *ut parati ſumus oſtendere, in illo Evangelio maledicto. Hoc ſignum manifeſtum eſt quod prope eſt tempus* Antichriſti, *de quo in Pſalmo,* Conſtitue Domine legis latorem ſuper eos. Gloſſa. *Antichriſtum* pravæ legis latorem. Secundum ſignum eſt, *Quod illa doctrina quæ prædicabitur tempore* Antichriſti, *videlicet Evangelium æternum prædictum, ubi viget Scripturæ ſacræ ſtudium jam publice poſitum fuit exemplandum, unde certum eſt quod jam prædicaretur niſi eſſet aliquid quod eam detineret, Quid autem detineat ſcitis, ſcilicet imperium* Petri *& eorum qui loca apoſtolorum, ſcilicet epiſcoporum.* Niſi enim venerit diſſenſio primum non revelabitur filius perditionis vel iniquitatis, *unde caveant epiſcopi ne prædicti prædicatores pſeudo procurent eorum percuſſionem, id eſt, ablationem poteſtatis eorum; ſicut ſignificatur in Evangelio æterno.* Tercium ſignum eſt, *Quod ſicut in* Babilone *reproba poſtquam viſa eſt manus ſcribens,* MANE TECHEL PHARES. *cito ſecuta eſt ſubverſio ejus,* Danielis 5. *Sic in* Babilone *dilecta Domini,* Yſa. 21. 1. *In eccleſia cum jam viſa ſit dicta Scriptura, conſtat quod prope ſint pericula ejus. Set iſta tria verba jam viſa ſunt ſcripta in eccleſia. Scripta ſunt enim in illo maledicto libro quem appellant Evangelium æternum quod in eccleſia jam propalatum eſt; propter quod timendum eſt de ſubverſione eccleſiæ.* MANE *ut exponitur* Danielis 5. *numeratur regnum eccleſiæ, ſcilicet Evangelium* Chriſti, *& concluditur in certo numero annorum.* TECHEL *inventum eſt minus habens perfectionis & dignitatis quam Evangelium æternum. Quanto minus lucet Luna quam Sol, quanto minus valet teſta quam nucleus, & multa tales ſcripta ſunt ibi comparationes quibus probatur minus valere Evangelium Chriſti quam Evangelium æternum.* PHAREZ *ibi invenitur quod regnum eccleſiæ dividetur poſt prædictum tempus ab illis qui tenent Evangelium Chriſti, & dabitur illis qui tenent Evangelium æternum.* Quartum ſignum eſt, *Quod propinquante fine ſeculi & adventu* Antichriſti *quidam qui apparebunt in eccleſia* Chriſti *ſanctiores & tamen facient quod diſplicet* Chriſto, *corrigentur per aliquos juxta viſionem beati* Johannis *de correctione eccleſiarum,* Apoc. 23. *Ipſi autem correctionem ſuſtinere nolentes, ſuos correctores tradent in tribulationem, & procurabunt ut ab omnibus odiantur vel odio habeantur, & ut eciam aliqui ex eis occidantur.* Quintum ſignum eſt, *Quando propinquante conſummatione ſeculi illi qui videntur in eccleſia ſanctiores reprehendentur de falſa ſanctitate & de ſua præſumptione, propter quod multi, tam ipſi quam ſcilicet eorum fautores ſcandalizabuntur.* Sextum ſignum eſt, *Quod propinquante conſummatione ſeculi ſurgent quidam in eccleſia prædicatores commendantes ſemetipſos ultra menſuratum à Deo ſibi populum, quia gloriabuntur in prædicando plebibus vel populis non ſuis. Et iſti ſub ſpecie pietatis multos ſeducent,* id eſt, *à conſiliis prælatorum ad conſilia ducent.* Septimum ſignum eſt, *Quod propinquante conſummatione ſeculi quidam qui videntur in eccleſia magni zelatores fidei & maxime amare* Chriſtum, *dimittent Evangelium* Chriſti *& adhærebunt Evangelio æterno quod ex toto abſorbet fidem* Chriſti, *unde refrigeſcet caritas qua ſermo Dei cuſtoditur.* Octavum ſignum eſt, *Quod propinquante conſummatione ſeculi annunciabuntur in eccleſia ſigna propinqua conſummationis, ut ſic intelligant metuentes* Chriſtum *prope conſummationem ſeculi & dolorem qui erit tempore* Antichriſti. Hæc ibi in octavo capitulo & multa alia cum allegationibus ſacræ Scripturæ; quæ quidam applicant ad fratres mendicantes, magis tamen congruunt iſtis novis populis *Lollardis* qui mutaverunt Evangelium *Chriſti* in Evangelium æternum, *id eſt*, vulgarem linguam & communem maternam; & ſic æternam quia laicis reputatur melior & dignior quam lingua Latina. Idemque *Willielmus* oſtendit capitulatim in libro ſuo de verbo ad verbum, *Quod in eccleſia* Chriſti *multa & magna pericula ſunt futura ſecundo capitulo, & per cujuſmodi homines ſunt futura.* 3°. *Quam habiles & ydonei erunt ad pericula inducenda.* 4°. *Cujuſmodi erunt illa pericula.* 5°. *Qualiter procedent in periculis producendis.* 6°. *Quod qui non præviderint illa pericula aut præviſa non præcaverint peribunt in illis.* 7°. *Quoniam & ipſi parantes aliis pericula in multis periculis ſeipſos conſtituerunt: ſimiliter in quibus periculis erunt conſtituti.* 8°. *Ne dicat quis de prædictis periculis nondum eſſe curandum utpote adhuc remotis, oſtendit per quædam ſigna illa non eſſe remota longe ſet ſatis propinqua.* 9°. *Oſtendit, Quorum eſt illa pericula prævidere & prænunciare, & à fidelibus repellere.* 10. *Oſtendit, Quam pœnam incurrent hii qui pericula tenentur prævidere, & prænunciare, & ab eccleſia repellere, ſi non fecerint.* 11°. *Ne videatur inpoſſibile illa repelli eo quod ſunt prophetice prædicta, oſtendit quod repelli poterunt ad tempus.* 12°. *Oſtendit, Qualiter ſunt repellenda & poſſunt repelli.* 13°. *Quia repelli non poſſent prædicta pericula niſi cognoſcerentur illi qui pericula procurabant, oſtendit ubi poſſunt prædicti periculoſi viri inveniri.* 14°. *Oſtendit plurima ſigna quædam infallibilia, quædam vero proba-*

Ricard.II. *probabilia per quæ poſſunt dicti homines cognoſci.* Iſta oſtendit cum auctoritatibus ſacræ Scripturæ luculenter. Et incipit liber. Prædictus magiſter *Johannes Wyclyf* tenuit, ut prædictum eſt, ſingulares opiniones & concluſiones, & in tantum in eis delectatus eſt & ſedens, quod ſæpius aſſerebat ſe velle & paratum eſſe ire in carcerem, & ignem atque mortem ſubire pro defenſione earum ſi neceſſitas temporis illud ab eo poſtulaſſet; ſimiliter & cæteri ſui hæreſiſtæ diſcipuli & complices atque fautores arridente ſibi proſperitatis quiete omnes ſe eſſe paratos affirmabant. Interim occidit eis lux audaciæ, & tenebræ eos vecordiæ comprehenderunt. Nam idem magiſter *Johannes* citatus fuit & vocatus mandato domini papæ ad comparendum coram archiepiſcopo *Cantuarienſi* & multis aliis eccleſiæ doctoribus in eccleſia fratrum prædicatorum *Londoniis* ad reſpondendum ſuper hæretica pravitate, ubi habuit præcipuum adjutorem pium ducem *Lancaſtriæ*, qui ſemper ei & ſuis in omnibus neceſſitatibus invincibili præſidio affuit, & aliter ipſe & ſui in foveam interitus viliter cecidiſſent. Cumque die ſtatuto ad objecta reſpondere deberet omnem præjactitatam cordis audaciam ſine mora dimiſit & induit vecordiæ loricam, fantaſticoſque errores dedicere ſuos eſſe molitus eſt, atque opiniones & concluſiones ſuas eſſe vel fuiſſe firmiter negare conatus eſt, & eas ab aliis inventas & nomine ejus prædicatas & doctas, & illi aſcriptas fuiſſe proteſtatus eſt. Cum tamen ipſe & ſui eas omni niſu foverant retroacto tempore & puplicaverant veras fuiſſe, & antiquos libros de ſolida fide eccleſiæ ſcriptos raſerant literalique doctrina novæ opinionis in pluribus locis reſcripſerant. *Thomamque Alquinum* in ſuis ſcriptis novis opinionibus eorum contrariant, & quia frater erat, concludebant, igitur mendax eſt. Sicque dejectis armis totius non divinitatis, immo vanitatis affugit. Idem magiſter *Johannes Wyclyf* ſub alas maternæ diſciplinæ pro refugio mortem evadendi quam à matre didicerat à cunis ſub forma quæ ſequitur.

I knowleche that the Sacrament of the autar is verry Goddus body in fourme of brede: but it is in another maner Goddus body then it is in hevene. For in heven it is ſene ſote in fourme and figure of fleſhe and blode. But in the Sacrament Goddus body is be myracle of God in fourme of brede, and is he nouther of ſene ſote: ne in mannes figure, but as a man leeres for to thenk the kynde of an ymage whether it be of oke or of aſſhe, and ſettys his thouȝt in him of whom is the ymage: So myche more ſchuld a man leve to thenk on the kynde of brede, But thenk upon Chriſt, for his body is the ſame brede that is the Sacrament of the Autere, and with alle clennes, alle devocion, and alle charite that God wolde gif him, worſchippe he Criſt, and then he receyves God goſtly more medefully than the Priſt that ſyngus the Maſſe in leſſe charite. For the bodely etyng ne profytes nouth to ſoule, but in als mykul as the ſoule is fedde with charite. This ſentence is provyde be Criſt that may nouȝt lys. For as the Goſpel ſays, Criſt that night that he was betraiede of Judas Scarioth, he tok brede in hiſe hondes, and bleſſide it, brak it, and gaf it to hiſe diſciplus to ete. For he ſays and may not lye, This is my body. Ricard.II.

Opiniones & Concluſiones magiſtri Johannis Wyclyf.

Hæreſis 1.

Quod ſubſtantia panis materialis aut vini manet poſt conſecrationem in ſacramento Altaris.

Hæreſis 2.

Quod accidentia non manent ſine ſubjecto poſt conſecrationem in eodem ſacramento.

Hæreſis 3.

Quod Chriſtus non eſt in ſacramento Altaris idemptice, vere, & realiter in propria perſona corporali.

Hæreſis 4.

Quod epiſcopus vel ſacerdos ſi exiſtat in mortali peccato, non ordinat, conficit, nec baptizat.

Hæreſis 5.

Quod ſi homo fuerit debite contritus omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua vel inutilis.

Hæreſis 6.

Quod pertinaciter aſſerere non eſt fundatum in Evangelio quod Chriſtus miſſam ordinaverit.

Hæreſis 7.

Quod Deus debet obedire diabolo.

Hæreſis 8.

Quod ſi Papa ſit præſcitus & malus, ac per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſupra fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam niſi forte à Cæſare.

Hæreſis 9.

Quod poſt *Urbanum* ſextum non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſet vivendum eſt more *Græcorum* ſub propriis legibus.

Error 1.

Quod nullus prælatus debet aliquem excommunicare niſi prius ſciat ipſum excommunicatum à Deo.

Error 2.

Quod ſic excommunicans ex hoc ſit hæreticus vel excommunicatus.

Error 3.

Quod prælatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem & conſilium regni, eo ipſo traditor Dei eſt & regis & regni.

Error 4.

Quod illi qui dimittunt prædicare, ſeu audire verbum Dei, ſeu Evangelium prædicatum propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur.

Error 5.

Aſſerere quod eſt contra ſacram Scripturam, quod viri eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales.

Error 6.

Aſſerere quod liceat alicui eciam diacono vel presbitero prædicare verbum Dei abſque auctoritate ſedis apoſtolicæ, vel epiſcopi catholici, ſeu alia de qua ſufficienter conſtat.

Error 7.

Aſſerere quod nullus eſt dominus civilis, nullus eſt epiſcopus, nullus eſt prælatus dum eſt in mortali peccato.

Error 8.

Quod domini temporales poſſunt ad arbitrium auferre bona temporalia ſibi ab eccleſia habitualiter delinquente, vel quod populares poſſunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Error 9.

Quod decimæ ſunt puræ eleemoſinæ, & quod parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Curatorum eas detinere, & ad libitum eas aliis conferre.

Error 10.

Quod ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos vel religioſos non plus proſunt eidem perſonæ quam generales orationes eidem perſonæ cæteris paribus.

Error 11.

Quod eo ipſo quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.

Error 12.

Quod Sancti inſtituentes religiones quaſcumque privatas, tam poſſeſſionatorum quam mendicantium in ſic inſtituendo peccaverunt.

Error 13.

Quod religioſi viventes in religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana.

Error 14.

Quod fratres mendicantes teneantur per laborem manuum ſuarum & non per mendicationem victum ſuum adquirere.

Error 15.

Quod fratres mendicantes poſt ſermones ſuos eo ipſo ſunt ſimoniaci, vel quod conferentes eis eleemoſinam ſunt excommunicati & dans & recipiens.

Iſtis & aliis ab archiepiſcopo & conſilio ejus conſideratis, noluit archiepiſcopus ea vice plenarie procedere in cauſa donec deliberaret plenarius cum conſilio coepiſcoporum ſuorum, & tunc aſſignavit dicto magiſtro *Johanni Wyclyf* alium diem ad comparendum coram eo apud *Oxoniam*, ut cum conſilio cleri Univerſitatis poſſet luculentius procedere & finem imponere in præmiſſis. Igitur die ſtatuto convenit apud *Oxoniam* archiepiſcopus cum coepiſcopis *Lincolnienſi*, *Northwycenſi*, *Vigornienſi*, *Londonienſi*, *Salyſbyrienſi*, *Herfordenſi*, cum Cancellario Univerſitatis, cum multis Doctoribus & pluribus aliis de clero & de populo ibidem congregato. Similiter affuit magiſter *Johannes Wyclyf* ad reſpondendum ſuper hæretica pravitate ut prius de prædictis Concluſionibus ſive opinionibus. Qui eis omnino renuncians, nec eas tenuiſſe, neque tenere ſe velle proteſtans, ad maternalis virgæ documentum quod ei antea pro refugio præſto fuerat, advolavit iterum, ſub forma quæ ſequitur.

We beleve as Criſt and his Apoſtolus han tauʒt us, that the Sacrament of the Auter white and ronde and like tyl othre brede or oſt unſacrede is verray Goddus body in fourme of brede, and if it be broken in thre parties as the Kirke uſes, or elles in a thouſand, everyik one of theſe parties is the ſame Goddus body, and right ſo as the perſone of Criſt is verray God and verray man, verray Godhede and verray manhede ryth ſo as holy Kyrke many hundrith wynter has trowyde, the ſame Sacrament is verray Goddus body and verray brede: as it is forme of Goddus body and forme of brede as techith Criſt and his Apoſtolus. And therefore ſeynt Poule nemyth it never but whan he callus it brede, and he be oure beleve tok his wit of God in this: and the argument of heretykus agayne this ſentence, lyth to a criſtene man for to aſſoyle. And right as it is hereſie for to trowe that this Sacrament is Goddus body and no brede, for it is bothe togedur. But the moſt hereſie that God ſufferide come tyl his Kyrke, is to trowe that this Sacrament is an accident with a ſubſtance and may on no wyſe be Goddus body: for Criſt ſayde be witneſſe of John, that this brede is my body, and if the ſay that be this ſkylle that holy Kyrke hat bene in hereſie many hundred wynter, ſothe it is, ſpecially ſythen the fende was lowſede that was be witneſſe of Angels to John Evangeliſte after a thouſande wynter that Criſt was ſtevenyde to heven. But it is to ſuppoſe that many ſeyntes that dyede in the mene tyme before her deth were purgede of this errour. One howe grete diverſite is betwene us that trowes that this Sacrament is verray brede in his kynde, and betwene heretykus that tell us that this an accident withouten a ſubjecte. For before that the fende fader of leſyngus was lowſide, was never this gabbyng contryvede. And howe grete diverſite is betwene us that trowes that this Sacrament that in his kynde is verray brede and ſacramentally Goddus body, and be twe heretykes that trowes and telles that this Sacrament may on none wyſe be Goddus body. For I dar ſewrly ſay that ʒif this were ſoth, Criſt and his ſeynts dyede heretykus, and the more partye of holy Kyrke belevyth nowe hereſie, and before devoute men ſuppoſene that this conſayle of Freres and London was with the herydene. For they put an hereſie up on Criſt and ſeynts in hevyne: wherefore the erthe tremblide faylande mannus voys anſwerynde for God als it dide in tyme of his paſſione whan he was dampnyde to bodely deth. Criſt and his modur that in grounde had deſtroyde alle hereſyes kepe his Kyrke in right beleve of this Sacrament, and meve the king and his rewme to aſke ſharply of his clerkus this offis that alle his poſſeſſioneres on paine of leſyng of alle her temporaltes telle the king and his rewme with ſufficient growndyng, what is this Sacrament, and alle the orders of Freres on paine of leſyng of her legians telle the king and his rewme with gode grounding what is the Sacrament. For I am certaine of the thridde partie of clergie that defendus thiſe doutes that is here ſaide, that they will defende it on paine of her lyf.

Cumque hæc & hujuſmodi ſic agerentur, archiepiſcopus cum conſilio coepiſcoporum, ac doctorum & aliorum clericorum ſibi aſſiſtentium fecit deliberationem de antedictis opinionibus ſeu concluſionibus, libratiſque ſingulis deciſis atque diſcuſſis, cum aſſenſu atque conſenſu totius concilii, puplicavit eas falſas eſſe, & pronunciavit eas dampnandas & dampnatas, quaſdam ſcilicet ut hæreſes, quaſdam vero ut errores, ſicut patet de ſingulis in ſuo loco; & omnes & ſingulos defenſores earum in poſterum ſententia excommunicationis innodatos fore publice declaravit. Et in evidentia hujus rei feria ſexta in ebdomada Pentecoſtes proximo ſequenti facta fuit proceſſio generalis per civitatem *Londonienſem*, & omnes tam clerus quam cæteri laici cujuſcumque gradus eſſent nudis pedibus incedebant pro ſtatu. Et præſens eccleſiæ fuit epiſcopus *Londonienſis* cum pluribus aliis valentibus; & poſt proceſſionem prædicavit unus frater & doctor in Theologia de ordine *Carmelitarum* qui vocabatur *Kynygham*; in qua prædicatione ex præcepto & commiſſione archiepiſcopi *Cantuarienſis* ibi oſtenſa pronunciavit publice omni populo concluſiones illas falſas fore & dampnatas, quaſdam ut hæreſes & quaſdam ut errores, & ex præoſtenſa commiſſione denunciavit omnes illos excommunicatos qui eas in poſterum docent & tenent, ac prædicant, vel favent & eis adhærent, Et omnes audientes in poſterum illas prædicatas vel doctas. Et in iſto ſermone præſens fuit unus venerabilis miles, nomine *Cornelius Cloune* qui iſtis concluſionibus & eas tenentibus ac docentibus maximus fautor fuerat, nec voluit pro quocumque aliter credere de ſacramento Altaris niſi quod ibi eſſet verus panis materialis ſecundum opinionem *Wyclyf*. In craſtino, ſcilicet in vigilia ſanctæ Trinitatis iſte miles ivit ad Conventum fratrum prædicatorum in civitate *Londonienſi* pro miſſa audienda; & accidit quod audivit miſſam unius ſtudentis de Conventu illo, & in elevatione corporis Chriſti nichil vidit niſi ſicut prius videre ſolebat, ita quod firmiter credidit quod ibi fuit verus panis materialis. In fractione vero hoſtiæ miles reſpexit & vidit oculo ſuo corporali in manibus fratris celebrantis veram carnem, crudam, & ſanguinolentam diviſam in tres partes; Admirans vero & ſtupefactus, vocavit armigerum ſuum ut ipſe videret, qui tamen nichil vidit niſi ſicut prius ſolebat. Miles vero in tercia particula ſimiliter quæ in calicem mitti debuit, vidit eundem colorem albedinis quæ prius erat, ſet tamen vidit in medio ejuſdem particulæ hoc nomen *Iheſus* ſcriptum literis carneis, crudis, & ſanguineis, quod admirabile erat aſpectu. Et in craſtino in feſto ſanctæ Trinitatis idem frater prædicans in cruce *Pauli* ſancti pronunciavit iſtud toti populo. Et in fine ſermonis idem miles ibidem præſens narravit ore tenus totum proceſſum publice & aperte ad confirmationem fidei noſtræ, & promiſit ſe ibi pugnaturum & moriturum in cauſa iſta, quod in ſacramento Altaris eſt verum corpus Chriſti & non panis materialis ſolum, ut ipſemet prius credidit. Hæreſes ſupradictæ & errores quæ aſcribuntur magiſtro *Johanni Wyclyf* dampnatæ in domo fratrum prædicatorum *Londoniis* feria quarta ante feſtum Pentecoſtes à decem epiſcopis & xvij. doctoribus in Theologia, & xvj. doctoribus Juris, & pluribus aliis bachulariis tam Theologiæ quam eciam Juris & in præcedenti patent.

Sequitur copia Commiſſionis qualiter archiepiſcopus ſcribit coepiſcopis de dampnatione hæreſum; miſſa aliis epiſcopis prout epiſcopus *Lincolnienſis* recitat ſub hac forma.

JOHANNES *permiſſione divina* Lincolnienſis *Epiſcopus, dilectis in Chriſto filiis univerſis & ſingulis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconatus* Leyceſtriæ, *& ejuſdem loci Archidiaconi noſtri officiali ſeu Commiſſario cuicumque, necnon Decanis eccleſiarum, Rectoribus & Vicariis perpetuis, ac eorum Capellanis parochialibus & aliis quibuſcumque divina celebrantibus per ipſum Archidiaconatum ubilibet conſtitutis ſalutem, gratiam, & benedictionem.* « Literas reverendi in Chriſto patris domini *Roberti* Dei gratia *Londonienſis* epiſcopi ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Mandatum venerabilis in Chriſto patris & Domini, domini *Willielmi* Dei gratia *Cantuarienſis* archiepiſcopi totius *Angliæ* primatis & Apoſtolicæ ſedis legati, venerabili fratri noſtro domino *Roberto* Dei gratia *Londonienſi* epiſcopo ſalutem & fraternam in Domino caritatem. *Eccleſiarum prælati circa gregis Dominici ſibi commiſſi cuſtodiam eo vigilantius intendere debent quo lupos intrinſecus ovium veſtimentis indutos ad rapiendum & diſpergendum oves noverint fraudilentius circuire. Sane frequenti clamore & divulgata fama, quod dolentes referimus, ad noſtrum pervenit auditum, Quod licet ſecundum canonicas ſanctiones nemo prohibitus vel non miſſus abſque ſedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi loci auctoritate ſibi officium prædicationis uſurpare debeat publice vel occulte, quidam tamen æternæ dampnationis filii in inſaniam mentis producti ſub magnæ ſanctitatis velamine auctoritatem ſibi vendicant prædicandi, ac nonnullas propoſitiones & concluſiones infraſcriptas hæreticas atque falſas ab eccleſia Dei dampnatas & determinationibus ſanctæ eccleſiæ repugnantes ſtatumque totius eccleſiæ noſtræque provinciæ* Cantuarienſis *& tranquillitatem regni enervare nituntur, tam in eccleſiis quam in plateis, & quampluribus aliis locis prophanis dictæ noſtræ provinciæ non verentur aſſerere, dogmatizare, & publice prædicare; illis nonnullos Chriſti fideles inficientes, & à fide Catholica ſine qua non eſt ſalus facientes flebiliter deviare. Nos itaque attendentes quod tam pernicioſum malum quod ad plurimos ſerpere poterit eorum animas letali contagione necando, non debeamus ſicuti nec debemus ſub diſſimulatione tranſire ne ſanguis eorum de noſtris manibus requiratur, ſed illud quantum nobis ex alto permittitur extirpare volentes, de quam; plurium fratrum ſuffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu convocavimus plures ſacræ Theologiæ Doctores, ac Juris canonici & civilis Profeſſores, & alios clericos quos famoſiores & peritiores de regno credidimus, ut ſuper dictis concluſionibus vota ſua dicerent & ſentirent. Verum quia præmiſſis concluſionibus & aſſertionibus in noſtra & eorundem confratrum noſtrorum ac dictorum convocatorum præſentia patentibus expoſitis & diligenter examinatis finaliter eſt compertum, noſtroque & eorum omnium communicato conſilio declaratum, quaſdam Concluſionum illarum hæreticas eſſe, quaſdam vero erroneas atque Determinationibus eccleſiæ repugnantes, prout inferius deſcribuntur; Fraternitati veſtræ committimus & mandamus, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungentes, quatinus omnibus & ſingulis fratribus noſtris, coepiſcopis noſtris, & eccleſiæ noſtræ* Cantuarienſis *ſuffraganeis cum ea celeritate qua poteritis injungetis, prout eis & eorum ſingulis ac vobis injungimus, ut eorum ſingulis in eccleſiis ſuis & aliis civitatum ſuarum & dioceſum voſque in veſtra & cæteris veſtræ civitatis & dioceſis moneant & inhibeant, moneatis & inhibeatis, prout nos tenore præſentium monemus primo, ſecundo, & tertio, & diſtrictius inhibemus, pro prima monitione unum diem, pro ſecunda alium, & pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem aſſignando, Ne quis de cætero cujuſcumque ſtatus* *aut conditionis exiſtat hæreſes ſeu errores prædictos, vel eorum aliquem teneat, doceat, prædicet, ſeu defendat; aut aliquem prohibitum non miſſum vel alium de cujus poteſtate non conſtiterit ad prædicandum admittat, aut hæreſes ſeu errores hujuſmodi vel eorum aliquem prædicantem audiat vel auſcultet, ſeu ei faveat vel adhæreat publice vel occulte; ſet ſtatim quaſi tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem fugiat & evitet ſub pœna excommunicationis majoris, quam in omnes & ſingulos in hac parte rebelles & noſtris monitionibus non parentes, lapſis ipſis tribus diebus pro monitione canonica aſſignatis, mora culpa & offenſa ſuis præcedentibus & id fieri merito exigentibus, exnunc prout extunc ferimus in hiis ſcriptis, & per ſingulos confratres noſtros & ſuffraganeos veſtros in ſuis civitatibus & dioceſibus, ac per vos in veſtra civitate & dioceſi, quatinus ad eos & ad vos pertinet ex habundanti præcipimus fulminari. Dictos noſtros confratres inſuper omnes & ſingulos per vos hortari volumus & mandamus per aſperſionem* Jheſu Chriſti, *& ſimiliter vos hortamur, quod cum juxta ſacrorum canonum inſtituta quilibet eorum in ſuis civitatibus & dioceſibus hæreticæ pravitatis Inquiſitor exiſtat, ac in veſtris ſimiliter exiſtatis, de hujuſmodi præſumptoribus ſollicite & diligenter inquirant & inquiratis, Ac contra eos & juxta officii ſui debitum cum effectu procedant, ſimiliter procedatis ad laudem & honorem nominis Crucifixi & ſalvationem fidei orthodoxæ. Concluſiones hæreticæ & determinationibus eccleſiæ repugnantes, de quibus fit mentio de verbo ad verbum ſupra, quæ vocantur* Concluſiones Wyclyf, *ſimiliter & Concluſiones erroneæ recitantur ibidem. Dat. in manerio noſtro de* Otteforde *penultimo die menſis Maii anno Domini* M.CCC.lxxxij. *& noſtræ conſecrationis primo.* « Cujus auctoritate mandati vobis reverende pater cum ea quæ decet reverentia firmiter injungendo mandamus quatinus omnia & ſingula in mandato prælibato contenta quatinus vos in civitate & dioceſi veſtra aut perſonas earundem concernunt, juxta formam & tenorem ejuſdem executioni plenarie demandetis & faciatis effectualiter demandari; vos eciam eadem quatenus perſonam veſtram contingunt curetis diligentius adimplere. Et inſuper ex parte dicti venerabilis patris vos hortamur per aſperſionem ſanguinis *Jeſu Chriſti*, quod cum juxta ſacrorum canonum inſtituta in veſtris civitate & dioceſi inquiſitor exiſtatis hæreticæ pravitatis, de præmiſſis præſumptionibus diligenter & ſollicite inquiratis, ac contra eos juxta officii veſtri debitum procedatis effectualiter ad laudem & honorem nominis Crucifixi & ſalvationem fidei orthodoxæ. Dat. *Londoniis* die quinta Junii anno Domini &c. & noſtræ conſecrationis primo. *Volentes igitur omnia & ſingula in dictis ſcriptis contenta quatenus nos, & civitatem, & dioceſim noſtras ac perſonas earundem concernunt executioni debitæ demandare, vobis firmiter præcipiendo mandamus quatinus in ſingulis monaſteriorum veſtrorum eccleſiis, ac in ſingulis parochialibus eccleſiis dicti archidiaconatus prout ad quemlibet veſtrum pertinet vos Abbates, Priores, Archidiacone officialis ſingulique quibus præſentes noſtræ literæ diriguntur publice mandatum reverendi patris & domini, domini* Cantuarienſis *archiepiſcopi prædicti, omniaque & ſingula contenta in eodem cum omni celeritate clero ac populo archidiaconatus & eccleſiarum earundem fideliter exponatis & exponi faciatis, & eis ac eorum cuilibet inhibeatis & moneatis eoſdem prout & tenore præſentium nos eciam inhibemus & monemus, quod mandato hujuſmodi & omnibus quæ in eodem mandato eis injunguntur pareatis & pareant cum effectu, Cæteraque faciatis & faciant, & ab hiis quæ mandato hujuſmodi prohibentur abſtineatis & abſtineant juxta ejuſdem mandati exigentiam & tenorem ſub pœnis & cenſuris in eodem latis, quas monitione ſupradicta in omnes & ſingulos in hac parte rebelles & monitionibus hujuſmodi non parentes præſentium ſerie fulminamus & per vos præcipimus ſolempniter fulminari. Et ut nulli pateat ignorantia præmiſſorum, vobis præcipimus & mandamus quatinus poſt publicationem & executionem prædictorum per vos fiendas, præſentium literarum ſeriem ſub vera copia valvis eccleſiarum prædictarum affigi faciatis & dimittatis affixam ad extirpationem hæreſum & errorum prædictorum, & exaltationem fidei orthodoxæ. Dat. apud parcum* Stowe *ſub ſigillo noſtro* xij. *die menſis Julii anno Domini* M.CCC.lxxxij. *& noſtræ conſecrationis viceſimo.*

An. Dñi 1382.

« *Willielmus de Berton* Cancellarius Univerſitatis *Oxoniæ*, Omnibus dictæ Univerſitatis filiis ad quos præſens noſtrum mandatum pervenerit ſalutem, & mandatis noſtris firmiter obedire. Ad noſtrum non ſine grandi diſplicentia pervenit auditum, quod cum omnium hæreſum inventores, defenſores, ſeu fautores, cum eorum pernicioſis dogmatibus ſint per ſacros Canones ſententia majoris excommunicationis dampnabiliter involuti, & ſic à cunctis Catholicis rationabiliter evitandi; nonnulli tamen maligni ſpiritus repleti conſilio in inſaniam mentis producti, molienteſque tunicam Domini, videlicet ſanctæ matris eccleſiæ ſcindere unitatem, quaſdam hæreſes ſufficienter ab antiquis patribus reprobatas, & per eccleſiam ſolempniter condempnatas hiis diebus, proh dolor! innovant, & tam in iſta Univerſitate quam extra publice dogmatizant. Duo inter alia ſua documenta peſtifera aſſerentes, *Primo, In ſacramento Altaris ſubſtantiam panis materialis & vini poſt conſecrationem realiter remanere. Secundo*, quod execrabilius eſt auditu, *In illo venerabili ſacramento non eſſe corpus Chriſti & ſanguinem æqualiter, nec ſubſtantialiter, nec eciam corporaliter, ſic quod Chriſtus ſit ibi in ſua propria præſentia corporali.* Ex quibus documentis fides Catholica periclitatur, devotio populi minoratur, & hæc Univerſitas mater noſtra non mediocriter diffamatur. Nos igitur advertentes quod aſſertiones hujus partis ſe deteriores haberent ſi diutius in hac Univerſitate ſic tolerarentur, convocavimus omnes ſacræ Theologiæ Doctores, & Juris canonici profeſſores quos ad hoc aptiores credidimus & in Univerſitate præſentes reperimus, & præmiſſis aſſertionibus in eorum præſentia patenter expoſitis ac diligenter diſcuſſis, tandem finaliter eſt compertum atque judicio omnium declaratum, ipſas eſſe erroneas, fidei orthodoxæ contrarias, & determinationibus eccleſiæ repugnantes, contradictoriamque earundem eſſe veritates catholicas determinationibus eccleſiæ & dictis Sanctorum conſonas firmiterque credendas, viz. Quod per verba ſacramentalia à ſacerdote rite prolata panis & vinum in Altari in verum corpus Chriſti & ſanguinem tranſubſtantiantur ſeu ſubſtantialiter convertuntur, ſic quod poſt conſecrationem non remaneat in illo venerabili ſacramento panis materialis & vinum ſecundum ſuas ſubſtantias & naturas, ſet ſecundum ſpecies earundem. Sub quibus ſpeciebus verum corpus Chriſti & ſanguis continentur non ſolum virtualiter ſeu figuraliter, ſet eſſentialiter, ſubſtantialiter & corporaliter, ſic quod in illo venerabili Sacramento eſt Chriſtus licet indiviſiſſime in ſua propria præſentia corporali. Hoc credendum, hoc docendum, hoc contra omnes homines viriliter defendendum. Auctoritate igitur noſtra monemus primo, ſecundo & tertio, ac diſtrictius inhibemus pro prima monitione aſſignando unum diem, pro ſecunda alium diem, pro tertia monitione canonica & peremptoria unum alium diem, ne quis cujuſcumque gradus, ſtatus aut conditionis exiſtat præmiſſas aſſertiones erroneas vel earum alteram publice tenentem, docentem ſeu defendentem quoviſmodo audiat vel auſcultet, ſet ſtatim cum perceperit tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem fugiat & abſcedat, ſub pœnis in jure expreſſatis & ſub pœnis incarcerationis & ſuſpenſionis ab omni actu ſcolaſtico, eciam ſub pœna excommunicationis majoris, quam in omnes & ſingulos in hac parte rebelles & noſtris monitionibus non parentes, lapſis ipſis tribus diebus pro monitione canonica aſſignatis, mora culpa & offenſa præcedentibus & id fieri merito exigentibus, ferimus in hiis ſcriptis, Quorum omnium & ſingulorum abſolutionem & abſolvendi poteſtatem præterquam in mortis articulo nobis & ſucceſſoribus noſtris ſpecialiter reſervamus. Inſuper ut homines quamvis non per timorem latæ ſententiæ, ſaltem propter defectum audientiæ à talibus doctrinis illicitis retrahantur & eorum opiniones erroneæ ſopiantur, auctoritate eadem qua prius monemus primo, ſecundo & tercio, ac diſtrictius inhibemus, ne quis de cætero aliquem publice docentem, tenentem ſeu defendentem præmiſſas aſſertiones erroneas in ſcolis vel extra ſcolas quiviſmodo audiat vel auſcultet, ſet ſtatim ſic docentem tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem fugiat & abſcedat ſub pœna excommunicationis majoris in omnes in hac parte rebelles non inmerito fulminandæ & ſub pœnis aliis ſuperius annotatis.

Hic magiſter *Iohannes Wiclyf* in ſuo adventu habuit *Iohannem Balle* ſuæ peſtiferæ inventionis præmeditatorem, eccleſiaſticæ unitatis validum ciſſorem, diſcordiarum inter clerum & laicos ſuſcitatorem, illicitorum dogmatum indefeſſum ſatorem, & Chriſticolæ eccleſiæ perturbatorem, de quo plenius infra patebit.

In the name of God Amen, Wytes alle criſten men that we Nichol of Herforde & my fellow priſtus unworthy in preſence of oure goſtely fader the Erchebiſhop of Canturbery the nyngtende day of Juny ȝeer of grace a thouſand thre undred fourſcore and two in the hous of the Freres prechoures at London whan we weren requirede to ſayne what we felyde of diverſe Concluſiones we mayden this protestation and ȝit we maken, That oure entent was, and is to be trewe ſones and meke of holy chirche and ȝif happe us God ſchilde that we erren agaynes this entent in wordys or in werkus we ſubmytte us mekelyche to the correction of oure forſayde fadur the erchebyſhop of Canturbery, and of alle other to whom it longyth to redreſſe them that erren and afturwarde to whom were requirede to ſay oure beleve of the ſacrament of the autere, as to youre underſtondyng with the peple, we knowlechene firſt that the priſt takyng in his hondes thorowe the vertue of the ſacramental wordus is made and turnede veralyche into Criſtus body, the ſame that was taken and ben of the mayden Marye, and that ſufferide deth on the croſſe for man kynde, and that lay in the ſepulcre, and that ros fro deth to lyve the thridde day and ſtey up into hevene, and ſyttes in Jone in the blyſſe of the fadur, and that ſchal come at the day of dome to deme the quikke and the dede, and the wyne is alſo turnede verayliche into his blode ſo that leves aftur the conſecration of brede and wyne non other ſubſtance than that ilk that is Criſtus fleſhe and his blode. And furthermore we beleve that the holy body of Criſt is hole in the ſacrament, and hole in everyche partye of the ſacrament of the autere. And alſo we beleve that Criſt is verayliche in the ſame ſacrament in his bodely preſence to ſalvacion of alle hem that worthelyche receyven that ſame ſacrament, to hem that unworthelyche receyven to her dampnation, and this oure beleve and in this we hene thorow grace of God, we wille dye in remiſſion of oure ſynnes. And therfore we pray alle criſten men to whom this confeſſion ſchal come to that ȝe bere us witnes of this beleve at the day of dome before the heyȝeſt judge Jheſu Criſt and pray for us for charite.

In the name of God Amen. I John Aſton priſt unworthely requirede of my Lord the erchbyſchop of Canturbery the nyntene day of Jane in the ȝer of grace &c. ut ſupra, in the hous &c. to ſay what I felyde in the matyr of the ſacrament of the autere I have knowelechyde and ȝit I do that the ſelfe brede that the priſte holdes in his hondes is made thorow the vertue of the ſacramental wordus verely the ſelf Criſtus body that was borne of the mayden Marye and taken and ſuffrede deth on the croſſe and thre dayes lay in the ſepulcre, and the thridde day ros fro deth to the lyve and ſteyede up into heven and ſyttes on the ryght honde of God, and in the day of dome ſchal come to deme the quikke and the ded, and over this I beleve generaly alle that holy writte determynes in worde and in underſtondyng or what ever holy kyrke of God determynes of alle this. When I was requirede ſpecyaly to ſay what I felde of this propoſition. Materiale brede leves in the Sacrament aftur the Conſecration. I make this proteſtation that I never thouȝt ne tauȝt ne prechide that propoſition. For I wote wele that the mater and the ſpeculation therof paſſes in heyȝte myn underſtondyng, and therfore als mykele telles openly for to leve in this mater I beleve and of this mater or of any other touchyng the ryght beleve of holy kyrke, that is nouȝt expreſſide in holy writte I beleve as oure modur holy kirke beleves, and in this beleve I will dye, and of this thing I beſeke alle men and alle wymmen

to whom this confeſſion come to, to bere me witneſſe beſore the hegheſt juge at the day of dome.

Cumque hæc ita agerentur videns prædictus *Nicholaus Herford* ſic ſe mortis acerbitatem cum *Lancaſtrenſis* Ducis juvamine & verborum ſubtilitate evaſiſſe, & ulterius in ſuis ſuperſtitioſis prædicationibus & doctrinis inanibus ſe non poſſe proficere, viditque quod non poſſet opiniones ſive concluſiones prætactas in *Anglicana* Eccleſia cum honore ſuo defendere, cum Archiepiſcopus *Cantuarienſis* cum conſenſu & aſſenſu coepiſcoporum ſuorum & cleri ſui eas pro falſis dampnaverit, atque omnes eas faventes excommunicationis vinculo innodaverit, pedem erigit, greſſum dirigit, *Romamque* petere diſpoſuit, & ſic tandem viam arripuit. Cum igitur veniſſet *Romam* in Conſiſtorio coram Papa, Concluſiones antedictas propoſuit, & ſe ab itinere longinquioris terræ fatigatum aſſerebat ut eas veras & irreprehenſibiles contra quoſcunque, cum proteſtatione præhabita ut uſque ad mortis periclitationem defenderet. Igitur Papa fecit convocationem de cœtu Cardinaliū & de clero, & cum conſilio eorum in tam arduo negotio fecit plenam deliberationem & crebram diſcuſſionem & ſummam diligentiam ut veritatem inveſtigaret in negotio tam ſublimi. Diſcuſſis omnibus & articulatim diſciſis invenit eas à ſanctis patribus damnatas, & in præſenti dignas dampnari. Et ſic cum conſenſu Conſiſtorii fecit eas dampnandas & dampnatas promulgari, & quaſdam ut hæreſes, quaſdam vero ut errores omni populo puplicari. Et quia gens *Anglicana* dicto *Vrbano* Papæ favebat & ipſum ut verum Papam amplectebatur & colebat, Papa quaſi vicem rependens in hac parte noluit *Angligenam* licet hæreſis defenſorem ignis flamine conſumere; ſet quaſi aliqualiter indulgens ob reverentiam quam genti *Anglorum* gerebat remiſſius cum eo licet merito agere voluit, perpetuo carceri tamen irremiſſibiliter ipſo adjudicato & publice coram omni populo condempnato. Nam *Clemens* Papa ſciſmaticus illis diebus adhuc florebat; Cumque plures magnates in proceſſu temporis penes Papam inſtarent pro miſericordia remiſſionis & liberationis pro dicto *Nicholao*, Papa fertur taliter reſpondiſſe, Sufficit ei vitam habere ut animum ſuum pœnitens revocet ab errore. Aliquantulo temporis pertranſiit & Papa propoſuit *Romam* exire & verſus *Naples* natale ſolum viſitandi gratia *Romanis* inde non conſultis tendere. Cumque proficiſcens ad quandam villam in ſuo progreſſu veniret, & ibi moram aliquamdiu traheret, obſidionis à rege detrimentum de *Naples* perpeſſus eſt. *Romani* igitur videntes quod Papa ſine conſenſu eorum ab eis receſſerat, & ſic in domigerio poſitus eſſet, ira moti & in ſeditionem verſi palatium Papæ invaſerunt, carceremque Papæ confregerunt, & ibi incarceratos liberos abire fecerunt, inter quos *Nicholaus de Hereforde* à dampno carceris ſolutus eſt & in *Angliam* reverſus eſt. Set infra breve poſt per Archiepiſcopum *Cantuarienſem* perpetuo carceri mancipatus, ut infra patebit.

Opiniones unius alterius quas audivi prædicatas.

Quod, ſi perſona eccleſiaſtica deliquerit & ſe non emendaverit, licitum eſt dominis ſecularibus hujuſmodi radere per ſcapulas ſcilicet caput auferre licet corona ejus de novo raſa ſit & larga.

Similiter, quod ſi dominus temporalis deliquerit & non ſe emendaverit, licitum eſt popularibus ipſum corrigere.

Die quadam palmarum prædicavit, *Quod multiplicare voces labiorum in oratione ſcilicet* **blaber with thi lyppus** *Anglice, nichil eſt.*

Quod dare denarios pro pſalteriis dicendis nichil eſt.

Quod, dare denarios pro miſſis celebrandis niſi bene vixerit nichil eſt; quod ſi bene vixerit ſemper orat, & quod ſufficit ad orationem bene vivere.

Similiter ibidem prædicavit, *Quod pœna Chriſti quam ſuſtinuit in paſſione fuit major quam tota pœna inferni.*

In eodem Sermone, *Quod Chriſtus nunquam mandavit aliquem mendicare.* Item, quod prædicavit in aliis locis.

Item, *quod Chriſtus nunquam expreſſit in ſacra ſcriptura quod voluit quod homo relinqueret omnia ſua temporalia nichil ſibi retinendo.*

Item, *omne Chriſti conſilium eſt præceptum.*

Item, *nullus debet dare elemoſynam alicui qui habet meliores pannos & meliores domos quam ſic conferens.*

Item, *nullus eſt vere Prælatus nec habilis ad Prælaciam niſi ſic Doctor & prædicator.*

Item, *quilibet abſolutus à peccato eſt in gratia, & in tanta gratia quod non eſt capax majoris.*

Item, *quod iſte habuit auctoritatem confeſſandi & communicandi parochianos eccleſiarum Leyceſtriæ ſine licentia vicariorum ratione Rectoriæ dictarum eccleſiarum.*

Item, *denarius Confeſſionum eſt maledictus, & tam conferens quam recipiens excommunicatus.*

Item, *nullus debet dare elemoſinam alicui quem noverit eſſe malum.*

Item, *nulli viri eccleſiaſtici plus habere debent quam nudum victum & veſtitum.*

Item, *propter peccatum noviter commiſſum omnia peccata prius dimiſſa redeunt.*

Item, *prædicatores ſacculos portantes ſunt falſi prædicatores cum Chriſtus in Evangelio oppoſitum præcipiat, nec veri prædicatores Chriſti diſcipuli hoc fecerunt.*

Item, *mendicitas valentium laborare eſt reprobata in jure civili, & non invenitur à lege evangelica approbata.*

Item, *Chriſtus multos de diverſis ſtatubus convertit ad fidem, ſet non invenitur in ſcriptura ſacra quod unquam convertit ſacerdotem.*

Similiter, frequenter aſſeruit in prædicationibus ſuis, *quod populus fuit deceptus iſtis ducentis annis poſt quā iſta nova ſecta intraverūt per falſos prædicatores adulatores, Antichriſti diſcipulos, ſet ipſe eundē populum reformaret per ſuam veram prædicationem.*

Similiter, frequenter dixit in ſuis prædicationibus, *quod iſti prædicatores nituntur falſificare ſacram ſcripturam, dicentes & concedentes, ut ipſemet ſæpius audivit publice Oxoniæ,* quod *ipſa eſt plena de hæreſibus. Et cauſa iſtius falſæ Aſſertionis ut dixit, quia ſacra ſcriptura fuit contra vitam illorum, & ideo ad defendendum vitam illorum malam hoc aſſeruerunt.*

Item, ſolet quoque idem frequenter aſſerere, *quod vix quilibet decimus homo ſalvus erit.*

Item, magiſter *Johannes de Aſton* nominatiſſimus, qui refocillamen corporis poſtponens vehiculum equorum non requiſivit ſet pedeſtris effectus cum baculo incedens ubique eccleſias regni cum veneni ampulla indefeſſe curſitando viſitavit, ne equi paratio aut tempus paſtus impedimentum itineris aut tardationem inceptæ voluntatis quandoque ei miniſtraret, ſet ſicut canis de accubitu reſiliens paratus ſub parvo ſonitu ad latrandum: ſic expedite ipſe viam carperet velut apis argumentoſiis prompte ad dogmatizandum. Opiniones quoque magiſtri ſui *Wyclyf* modo audaci pro ſuo poſſe ad menſam ſimplicium cordium dedit, ut cum uſitis inſanæ doctrinæ & incrementis ſectæ ſuæ poſtea exigere poſſet tali blandicie eciam ſeductos. Nec de magiſtri ſui Concluſionibus talibus ſeductivis contentus, immo utique de ſua nova ſubtili adinventione quampluplures alias adicere non erubuit; & ubique in eccleſiis regni prædicans lollium cum tritico ſeminavit. Hic ſeipſum & ſectæ ſuæ fautores frequenter & ſæpius veros prædicatores nominando maxime commendavit, & omnes quoſcumque alios prædicatores falſos prædicatores tociens recitavit. Et quaſcunque opiniones aliquis hujus ſectæ adinvenerit; reliqui hujus ſectæ illas approbaverunt & pro veris prædicaverunt, & latius divulgaverunt. Idemque magiſter *Johannes* quadam die palmarum apud *Leyceſtriam* prædicavit multas opiniones magiſtri *Johannis Wyclyfe*, & inter cæteras iſtas.

Quod nullus debet aliquem excommunicare niſi ex caritate, & pro ſalute animæ ſuæ.

Item, Excommunicatio quæ datur ad impediendum homines audire verbum Dei eſt excommunicatio Antichriſti & non boni Chriſtiani.

Item, Quod prælati eccleſiæ adquirunt beneficia ſua per aurum, & ſic ſunt ſimoniaci & hæretici.

Item, Nunquam eſt bona pax & plenaria in regno iſto quouſque iſta temporalia auferantur ab eccleſiaſticis, & ideo rogabat populum manibus extenſis, ut unuſquiſque adjuvaret quantum poſſet in iſta materia.

Item, Viri eccleſiaſtici dummodo vixerint in diviciis & voluptatibus ſicut jam vivunt, ſunt inhabiles ad orandum pro populo pro quo fine fuerunt principaliter inſtituti.

Item, Si rex haberet in manu ſua temporalia virorum eccleſiaſticorum non oporteret eum tunc accipere tallagia nec communitatem regni ſpoliare.

Item, Quod iſtæ novæ ſectæ quaſi heſterno die venerunt, aſſerunt vitam ſuam & religionem perfectiorem quam religionem Chriſti communem & Apoſtolorum.

Item, Beatus *Paulus* adquiſivit manibus ſuis victum pro ſe & diſcipulis ſuis, & ſic deberent religioſi manibus ſuis laborare & non publice mendicare.

Item, Quod ſacramento Altaris poſt conſecrationem eſt verus panis & verum corpus Chriſti, & illa rotunditas quæ videtur & albedo & hujuſmodi ſunt panis: & hæc eſt ſententia Apoſtoli & Doctorum antiquorum & Sanctorum; & in iſta materia Doctores novelli vel contradicunt inter ſe vel non dant ſufficientem iſtius ſacramenti deſcriptionem.

Item, Religioſi prædicantes qui nolunt dicere populo & ſcribere veram deſcriptionem iſtius ſacramenti, & fidem fundatam in Evangelio & in ſacra Scriptura ſunt excommunicati & hæretici: & ſi quis talibus elemoſinam ſuam dederit ipſe eſt fautor illorum & cum ipſis excommunicatus.

Item, Fratres verecundantur dicere fidem ſuam de ſacramento Altaris, & pro confirmatione omnium dictorum ſuorum dixit quod hæc eſt fides quam deberet habere ex Evangelio & dictis Apoſtolorum; & ſi quis oppoſitum prædictorum diceret vel prædicaret, quod nullo modo eſſet ei credendum.

Hæc & multa alia erronea dixit publice & prædicavit in detrimentum eccleſiæ & ſubverſionem fidei orthodoxæ. Item, quod prædicavit in *Glouceſtria* in feſto ſancti *Mathei* apoſtoli, *Quod epiſcopi accipientes pecuniam pro peccatis ſunt filii diaboli.*

Item, *Quod inter omnia facta quæ unquam fuerunt reputat ſtatum cruciatæ maligniſſimum.* Nam illis diebus epiſcopus *Norwycenſis* habuit cruciatam in *Flandriam* contra Antipapam.

Item, *Promoventes cauſam cruciatæ ſunt fures.*

Item, *Promoventes cruciatam inducunt Chriſtianos ad conferendum bona ad occidendum homines.* Nam illis temporibus epiſcopus *Norwycenſis* habuit cruciatam conceſſam ſibi à papa *Urbano* in regnum *Franciæ* contra Antipapam *Clementem*. Nam *Franci* eidem *Clementi* adhærebant, & duxit cruciatam in *Flandriam* & non ulterius ſet rediit.

Item, idem in eodem loco & tempore, *Quod concedentes participationem omnium bonorum ſuorum ſpiritualium ſunt blaſphemi.*

Item, *Quod Chriſtus natus fuit in ſtabulo & mortuus in cruce ad reprobandum caſtra* Cayni *ſcilicet eccleſias & domos altas religioſorum & eccleſiaſticorum.*

Quartus hæreſiarcha dominus *Johannes Purneye* capellanus ſimplex, in geſtu vultuque maturus & formam ſanctitatis prætendens præ cæteris ſuis, in veſtitu & habitu homo communis, corporis quietem excutiens ad itineris laborem operam dabat ut ſectæ ſuæ populorum corda prædicationibus deceptoriis viiſque & modis quibus potuit adducere indefeſſe ſtuduit. Et ſimiliter in quantum valuit moribus & vita exempla reliquorum de ſua ſecta imitatus ſe conformavit magiſtri ſui dogmatibus invincibilis diſcipulus, Doctrinamque magiſtri ſui *Johannis Wyclyf* per omnia & in omnibus executor pervalidus intrepide roboravit; nam magiſtri ſui dum adhuc viveret commenſalis extiterat, & ſic majus de ejus documentis debriatus, copioſius mente hauſerat, atque uſque ad mortis metas comes individuus ipſum cum doctrinis & opinionibus ſuis concomitabatur indefeſſe laborans. Iſte *Johannes Purneye* ſicut cæteri, ſectatores ſuos ſemper in omnibus prædicationibus ſuis permaxime commendavit, alienos vero ſemper & ubique, & præcipue mendicantes pernicioſis detractationibus palam aſpernabatur, & quaſi in qualibet tercia propoſitione cujuſcunque prædicationis ſuæ, æmulatores ſectæ ſuæ inſinuans, veros prædicatores commendavit, & tam viros eccleſiaſticos quam mendicantes, cæteros prædicatores ſubintelligens, falſos prædicatores latranter commemoravit. Similiter & cæteri de ſecta illa frequenter & abſque taciturnitate in ſuis ſermonibus & ſermocinationibus inexquiſite clamitaverunt, **Trewe Prechoures, Falſe Prechoures**, Opinioneſque mutuas & communes ſicut unus ita & omnes. Et ita connexæ erant atque concathenatæ opiniones eorum, quod qui iſtas habuit, habuit & alterius; & qui alterius opiniones habuit, habuit & opiniones iſtius. Iſte dominus *Johannes Purneye* prædicavit in **Bryſtowe** & publice docuit,

Quod celebratio miſſæ eſt traditio humana & non evangelica, nec Chriſtus eam ordinavit.

Similiter, Quod Chriſtus patiebatur in apertione lateris & cordis.

Item, Quilibet ſacerdos magis debet dimittere matutinas, miſſam, & veſperas, & cæteras horas canonicas quam prædicationem verbi Dei, eo quod ſolum traditione humana ordinantur.

Item, Quilibet ſacerdos poteſt ex lege divina prædicare verbum Dei alia licentia non optenta.

Item, Epiſcopi & alii qui impediunt prædicationem verbi Dei faciunt hoc ne peccata eorum videantur.

Item, Ingredientes religionem privatam quamcumque ex hoc redduntur inhabiliores ad obſervantiam mandatorum Dei.

Item, conferens elemoſynam fratri prædicanti evangelium propter ejus ſermonem eſt ſymoniacus & excommunicatus, & dans & recipiens.

Item, Fratres non ſub hoc nomine ſet ſub nomine Phariſæorum tenentur, victum ſuum non per mendicationem ſed aliunde per laborem manuum adquirere.

Item, nullus ſacerdos debet dimittere prædicare evangelium, nec aliquis debet dimittere audire evangelium prædicatum propter excommunicationem cujuſcumque.

Item, Nullæ religiones privatæ ſunt in aliquo ita perfectæ ſicut æſtimant quod ſunt.

- Item, Quilibet Curatus eſt perfectioris ſtatus quam quicumque religioſus cujuſcumque religionis privatæ.

Item, Epiſcopi litterati & bonæ vitæ hortantur nos ad prædicandum verbum Dei ne eorum peccata videantur.

Item, Epiſcopus nolens conſecrare eccleſiam pauperimæ parochiæ abſque xl. ſolidis ubi tota parochia non ſufficit ſolvere, & ſi xl. denarii ſufficiant, per xl. dies eandem eccleſiam ſuſpendat, & ſic parochiani per tantum tempus à miſſa & omni ſacramento ſunt ſuſpenſi, eſt ſymonacus & excommunicatus.

Willielmus Smith principalis colator ab artificio ſic vocatus, perſona deſpicabilis & deformis, qui cupiens ducere in uxorem juventulam quandam, ſet ab ea ſpretus, in tantam prorupit ſanctitatis oſtentationem, quod omnia mundi concupiſcibilia deſpexit, muliebrem amplexum perpetuo abdicavit, lineis renunciavit, carnes & carnea, piſces & piſcina nullatenus admiſit, vinum & ſerviſiam quaſi venenum recuſavit, nudis pedibus per plures annos incedens, medio tempore abcedarium didicit & manu ſua ſcribere fecit. Erant eciam milites, dominus *Thomas Latymer*, dominus *Johannes Truſſell*, dominus *Lodowycus Clyfforde*, dominus *Iohannes Pecche*, dominus *Ricardus Story*, dominus *Reginaldus de Hylton*, cum Ducibus & Comitibus. Iſti erant præcipue eis adhærentes & in omnibus eos faventes. Iſti erant hujus ſectæ promotores ſtrenuiſſimi, & propugnatores fortiſſimi; erantque defenſatores validiſſimi & invincibiles protractatores. Qui militari cingulo ambiebant ne à recte credentibus aliquid opprobrii aut dampni propter eorum prophanam doctrinam ſortirentur; nam zelum Dei habuerunt ſet non ſecundum ſcientiam: crediderunt namque vera fuiſſe quæ à pſeudodoctoribus audiebant, & ſic vani facti ſunt in cogitationibus ſuis, & eis ſimiles in voluntatibus ſuis, factique ſunt cives & domeſtici eorum. Cumque aliquis pſeudoprædicator ad partes alicujus iſtorum militum ſe diverteret prædicationis cauſa, incontinenti cum omni promptitudine populum patriæ convocare & ad certum locum vel eccleſiam cum ingenti ſollicitudine congregare ſatagebat ad audiendum voces eorum licet invitos reſiſtere tamen vel contradicere non audentes, acſi cum propheta clamaret & diceret, *Si eum audire nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Nam aſſiſtere ſolent juxta ſic inepte prædicantes gladio & pelta ſtipati ad eorum defenſionem ne quis contra eos aut eorum doctrinam blaſphemam aliquid temptare vel contradicere quandoque auderet. Et ſic dejecto humilitatis flore, quos non potuerunt ratione, gladii timore ſæpiſſime adquiſierunt. O Chriſti doctrina mitis, humilis, & manſueta! O repugnans nephandorum diſciplina ſuperba, gladiata, invidiæ & detractionis plena! Chriſti namque doctrina eſt, *Si quis vos non audierit, exeuntes excutite pulverem pedum veſtrorum in teſtimonium illis.* Iſtorum *Lollardorum* ſive *Wyclyvianorum* diſciplina longe aliter ſe habet. Si quis vos non audiet, vel contra vos aliquid dixerit, eximite gladium & eum percutite, aut lingua mordaci famam ejus vulnerate. Nam ſolent iſti nephandi hujus ſectæ doctores dicere, quod nulli eis contradicunt niſi ſolum peccatores & maligni ſeu viciati.

Quidam dominus *Ricardus Wayteſtathe* capellanus, *Willielmus Smyth* antedictus moram adinvicem traxerunt in quadam capella ſancti *Iohannis Baptiſtæ* extra *Leyceſtriam* prope manſionem leproſorum, ubi cæteri de illa ſecta ſæpe convenerunt conventiculaque fecerunt, & conſilia de ſuis nephariis cogitationibus communicaverunt; ibi enim erat hoſpicium & diverſorium omnium talium adventantium, & ibi habuerunt gingnaſium malignorum dogmatum & opinionum, & errorum hæreticorumque communicationem. Capella quæ olim Deo dedicata eſt, jam blaſphemis, & eccleſiæ Chriſti inimicis atque hæreticis receptorium & ſedes facta eſt. Hii duo, *Ricardus* capellanus & *Willielmus Smyth*, quadam vice olerum eſuriem paſſi ſunt. Cumque caules adeſſent ſet focale ad coquendum olera non haberent, proſpiciens alter eorum in quendam angulum capellæ, videnſque quandam ymaginem vetuſtam quondam in honore ſanctæ *Katerinæ* formatam & depictam ibi ſtantem, En, inquit, mi kariſſime ſocie, jam Deus nobis providit de focali pro caulibus noſtris coquendis ut eſuriem noſtram ſaciemus. Hæc ſancta ymago certe jam erit nobis focale ſanctum, Et ſic per ſecurim & ignem novum patietur martirium; ſi forte per immanitatem novorum tormentorum venire aliquando poterit ad regnum cœlorum. Hæc erat condicio *Lollardis* hujus ſectæ quod ymagines oderunt & inſidiabantur eis, & eas ydola prædicabant & velut ſimulacra aſpernabantur. Cumque quis nominaſſet ſanctam *Mariam* de *Lincolnia*, vel ſanctam *Mariam* de **Walſyngham**, vocabant eas epialtes, hoc eſt in materna lingua **wiche of Lincolle, and wiche of Walſyngham**, & hujuſmodi. Sicque alter eorum ſecurim arripuit, alter autem ymaginem tenuit. Sine, inquiens, experiamur certe utrum hæc vera ſancta ſit. Nam ſi capite percuſſa ſanguinem emittat, amodo à nobis ut ſancta adoranda erit: ſin autem ſanguinem non eliciat, cibus erit ignis noſtris coquendis oleribus ut tanta ſaturetur noſtra eſuries. Sicque cum exiſſent propriam verecundiam celare non valuerunt; ſet quaſi de luſo de hoc jactando ſeipſos nec impune pluribus detegerunt. Nam cito poſt de hoſpicio ſuo ejecti ſunt.

Olim quippe viri fuerant duo valde nephandi,
Factu modum ſciri quorum fero carmina fandi,
Quæ fecerant triſte; cancella geſta Johannis
Sancti Baptiſtæ *noſtris volventibus annis*
Eſſuriem paſſi caularum corde maligni,
Ambo dolent caſſi quod privarentur & igni.
Cum decimarent ſimul olera cumque ſidiſſent,
Nec patet unde parent ignem ſibi ſet dolmiſſent,
Angula cancella tuitur mox unus eorum.
En, inquit, velle noſtrum plet ſcriba deorum,
Hic ſuper altare Katerinæ *reſtat ymago,*
Abſque vetuſta pare qua putret ut Eva *virago,*
Cur ita penſamus? Scindatur inepta figura.
In cineres flamus fruſtra, laſſi prece pura,
Pravidit caris ſanctis Deus ipſe focale,
Olera quo laris coquemus ea ſpeciale,
Noſtri poſt finem quibus eſuriem ſaciemus
Hac nova martiria dolabro patietur & igne,
Per quæ ſuſpiria capiet regnum ſine fine.
Tunc unus cepit ſecurim praſto figuram,
Alter eo clepit: pœnam ejulans ſibi duram,
Iam ſine dicentes, Utrum fuit experiamur
Vera per arſentes. Hac alma vel ea violamur,
Sanguis percuſſa ſi manat vera vocetur,
Si non, per juſſa nobis cibus ignis habetur,
Caula quo citius mendici ſcrude coquentur,
Eſuries ſacius & eis fames fugit.

Crevit populus credentium in iſta doctrina, & quaſi germinantes multiplicati ſunt nimis, & impleverunt ubique orbem regni, & adeo domeſtici facti ſunt aci eſſent de uno die procreati; audaceſque ad plenum facti ſunt nec in aliquo erubuerunt, ſet quaſi inverecundi tam in occultis quam in publicis locis inpudice latrantes veluti canes indefeſſis vocibus. De quibus quidam metricus ſic canit dicens. * * * *

Sicque à vulgo *Wyclyf* diſcipuli & *Wyclyviani* ſive *Lollardi* vocati ſunt. Ad ſectam ſuam plures ac plures lucrifacerent ſic inaniter deceptos. Principales pſeudo *Lollardi* prima introductione hujus ſectæ nephandæ veſtibus de ruſſeto utebantur pro majore parte, illorum quaſi ſimplicitatem cordis oſtendentes exterius, ut ſic mentes intuentium ſe ſubtiliter ſibi attraherent, & laborem docendi atque ſeminandi inſanam doctrinam ſecurius aggrederentur. De talibus enim loquitur Dominus in evangelio docens ſuos cavere ab eis, ait enim, *Attendite a falſis prophetis qui ad vos veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Acſi diceret, Cavete à talibus qui ſub quodam pietatis tegumento tecti venient, ſpeciem ſanctitatis ſub ſimplici veſtimento prætendentes, venenato animo nocendi & intentione ſeducendi lupi vobis erunt rapaces. Exterius oſtenſione ſimplicis veſtis & interius corrumpendo ſuavitate ſeductivæ doctrinæ. *Veſtimentum ovium* congrue dici poteſt quod ab ove tonditur & ſub alio colore non intingitur; unde veſtimentum ovium ſimilitudo innocentiæ & juſticiæ quam prætendebant dici poteſt, ſet *a fructibus*, hoc eſt ab operibus, manifeſtis doctrinis ſcilicet errorum & invidioſis detractionibus, ſanctitatis dulcedinem & veritatis ſuavitatem exterius ſuperinduunt, & detractionum acerbitate eis non adhærentes indeſinenter lacerant & cruentant. Simulare quidem poterunt, ſet fructum bonitatis non attulerunt: finxeruntque ſe integre fidei & doctrinæ, cum tamen eorum doctrina erroribus plena turpiter repugnaret fidei Catholicæ. In tantum namque in ſuis laborioſis dogmatibus prævaluerunt quod mediam partem populi aut majorem partem ſuæ ſectæ adquiſierunt. Quoſdam autem ex corde; quoſdam vero præ timore & verecundia eis adhærere compulerunt. Nam adhærentes eis & ſectæ ſuæ omni laude dignos & bonitate perſpicuos magnificabant, aſſerentes eos bonos & immaculatos omni honore conſpicuos, licet eſſent tam occultis quam publicis viciis pluribus hominibus notandi. Et in contrarium opinio multorum bonorum virorum perſtrepebat, quod tales viciati pro parte majori & quaſi ubique & pauci alii eis adhærebant. Ex alia parte non eis adhærentes vel eis non faventes, ſet antiquam eccleſiæ ſolidam & firmam doctrinam obſervantes, impios, pravos, malignos atque perverſos, & omni vituperio dignos, atque legi Dei contrarios affirmabant ubique; docebantque & prædicabant quod boni homines & Deo digni omnes eis adhærebant, & doctrinam eorum acceptabant ſecundum legem Dei quam docebant & prædicabant, ſolum autem eos moribus eorum & doctrinæ rebellare qui maligni erant & peccatores peſſimi, & nullum eſſe juſtum & Deo dignum qui non cuſtodiret legem Dei quam prædicabant; talem enim habebant terminum in omnibus ſuis dictis ſemper prætendendo legem Dei, Goddis lawe. Et ſic quamplures ſimplices pervertebant, & ſectæ eorum adhærere compellebant, & hoc ne viderentur à lege Dei & divinis præceptis alieni; & multi infirmiores ſic ſeducti ſunt, alii timore, alii verecundia, ne ab eis per opprobrioſa verba peterentur. Sicque mellis ſuavitatem in capite eloquii gerebant, in cauda venenum. Nam doctrina eorum in quibuſcumque loquelis in ſui principio dulcedine plena apparuit & devota, in fine quoque invidia ſubtili & detractione plena defloruit. Et licet de novo converſi vel ſubito & recenter hanc ſectam imitantes unum modum ſtatim loquelæ & forma concordem ſuæ doctrinæ mirabiliter habuerunt; & Doctores Evangelicæ doctrinæ tam viri quam mulieres materno ydiomate ſubito mutati effecti ſunt: Et hoc acſi eſſent de uno gignaſio educati & doctrinati ac eciam de unius magiſtri ſcola ſimul referti & nutriti. Quod credibile haberi poteſt: nam credi abſque ambiguitate poteſt quod qui eos ſibi in ſervos & malorum dolorum iniciatores & nundinarum inter Chriſticolas propinatores adoptavit, idem ipſe eos eadem ydemptitate ſpiritus ſui ſimul aptavit, & conformitate unius loquelæ cum fervore deſiderii in ſuum obſequium inſpiravit; & ſic à diebus ingreſſionis eorum in regnum *Angliæ* vim diſcenſionis patitur, quia ipſi violenti intoxicaverunt illud. Et incitaverunt filium adverſus patrem, & patrem adverſus filium, & ſocrum adverſus nurum ſuam, & domeſticos familiæ adverſus dominum ſuum, & quod dolendum eſt, quaſi quemlibet hominem contra proximum ſuum. Et vix invenires quemquam fiduciam habentem in quoquam, eciam in fratre ſuo uterino, quin crederent alteratos mutuo ſe decepturos. Et veriſimile eſt quod poſt ſtabilitam eccleſiam tanta diffidentia, diſcordia & diſſenſio in illis partibus nunquam audita vel viſa eſt. Sicque *Wyclyf* diſcipuli ubique à cæteris vocati ſunt. Et nomen non incongrue ſibi aſciverunt. Nam ſicut magiſter eorum *Wyclyff* potens erat et validus in diſputationibus ſuper cæteros, & in argumentis nulli credebatur ſecundus: ſic iſti licet recenter ad ſectam illam attracti nimis efficiebantur eloquentes, in omnibus verſutiis atque verboſis colluctationibus cæteris prævalentes; validi in verbis; in garulis fortes; in ſermocinationibus præpotentes, in litigioſis deceptationibus omnes ſuperclamantes. Et ſic quod non poterant recta ratione quaſi pugnati impetuoſitate cum voce clamoſa & turbida & altiſonis verbis ſupplebant. Adeo ut non Chriſti ſervi humiles, manſueti, mites et patientes, immo potius *Machumeti* ſuſpicarentur diſcipuli qui legem ſuam diſcutere prohibuit ſuis ſequacibus, ſet certius bellaci fortitudine eam defendere præcepit et pro ea pugnare. *Alcorani azoara quarta.* Iſti *Wyclyviani* ſectam ſuam maxime commendabile publicabant, & omnem populum ubilibet tam virorum quam mulierum adortabantur ad eam, doctrinaſque & prædicationes cæterorum omnium ut reſpuerent incitabant, nec prædicationibus fratrum mendicantium quos falſos prædicatores nominabant quoquo modo intereſſent, tam publice quam occulte ferventi ſtudio indeſinenter edocebant, ſemper eis inſidiabantur falſos fratres vocantes, ſeipſos veros prædicatores & evangelicos eo quod evangelium in *Anglicam* linguam habebant tranſlatum vociferabant. Et ſic per publicam detractionem & invidioſam reprehenſionem ſeipſos commendabant hominibus licet non Deo, & fratrum mendicantium ſtatum in multis maxime denigrabant, nam fratres per iſtorum doctrinam & exortationem illis diebus exoſi multis habebantur, & *Wyclyviani* ex eo audaciores inde effecti innitebantur avertere magis animos populorum ab eis & ipſos impedire ne prædicarent & ne mendicarent, aſſerentes tam dantes quam accipientes eſſe excommunicatos, ſet eos debere manuum labore more Apoſtoli *Pauli* victum & veſtitum adquirere. Plebs iſta inepta & reproba adeo callida erat & pernicioſa, adeo perfida & ærumpnoſa, adeo retrograda & ſpurciſioſa, quod ſi ejus conditiones deſcribi deberent, vel forte poſſet ſcribere adeſſe mens, tamen ſatisfacere voluntati nec excogitare ad plenum ſufficeret; & licet omnium hominum linguæ verterentur in unam, ejus perverſitatem retexere non valeret & malignitatem promere. Et niſi Deus citius abbreviaſſet dies aſperitatis illorum, & cum tanta nequitia eorum proventum faceret, ipſum regnum *Angliæ* non arbitror poſſe ſupportare verſutias eorum atque maliciam, unde verſus.

Si totum membrana ſolum, calamus nemus omne,
Et Thetis incauſtum, ſcriptor & omnis homo,
Iſtorum facinus ſcribere non poterunt.

Maledictus Conventus eorum quoniam pertinax. Propterea Deus deſtruet eos, in finem evellat, & emigrare faciat de tabernaculis fidelium ſuorum & radicem eorum de terra regni. Et hoc videant juſti & lætentur ut dicere poſſint, *Ecce populus qui ſe exaltavit ſuper electos doctores Dei, & ſperavit in multitudine vanitatis ſuæ, confundantur & pereant cum doctrina eorum in æternum.*

Erat quoque illis diebus apud *Leyceſtriam* quidam ſacerdos *Willielmus de Swynderby*, quem *Willielmum* heremitam vulgus vocabant, eo quod heremiticam vitam aliquamdiu ibidem colebat. Hic unde venerit aut ubi originem duxerit non occurrit. Set hoc unum notabile quia inconſtans vita & moribus repertus eſt, nam multos gradus vivendi temptavit, & de gradu in gradum ſalutavit, nulluſque ei placabilis repertus eſt ſatis. In primo adventu ſuo vitam communem in villa ducens inter homines converſatus eſt, Cœpitque prædicare & inicium prædicationis ſuæ de mulierum defectibus & ſuperbia ſumere. Nam ornatum mulierum multum deſpiciebat, ſuperbiamque & actus earum aſpernabatur, lacunaſque earum deteſtabatur; & quamvis bene agebant tamen nimis importune de hac materia tractabat quia finem facere neſciebat, ſicuti nec in quacunque alia materia quam in prædicatione tangebat. In tantum namque mulieres villæ tam bonas & graves quam alias per improbitatem prædicationis & reprehenſionis in iram provocaverat, ut ipſum lapidibus inpetere & de villa lapidare propoſuerunt. Videns igitur quod ſic prædicando nichil profecit, nec grates reportabat ſet magis ſeditionem excitabat, ceſſit materiæ, & ad mercatores & divites ſtilum prædicationis vertit, frequenter aſſerens in ſuis prædicationibus, *Neminem poſſe habere divitias hujus ſeculi & affluentiam temporalium bonorum & conſequi poſſe regnum cœlorum:* ſicque frequentius materiam iſtam libravit quod quoſdam probos viros de villa, niſi mediaſſet divina clementia, in errorem deſperationis demiſiſſet. Tunc vitam communem voluit mutare in vitam ſolitariam, quia prædicatio ejus nichil ei profuit ad laudem heremitorium quia in boſco domini ducis peciit, ibique domum hanc aliquanto tempore coluit, diſcurrendo quandoque in villam, quandoque in patriam. Cumque devoti *Leyceſtriæ* ſperantes ejus ſanctitatem victualia ei ex more tranſmittere curaverunt, ipſe ſanctitatem prætendens, & quaſi de ſuo proprio ſi quid ſibi in ſeculo reſervaverat contentus, hujuſmodi exennia & dona recuſavit & remiſit, & dixit, ſibi ſufficere ad ſuſtentationem paucula quæ habebat cum juvamine domini ducis. Nam dominus dux eum juvabat ad ſuſtentationem. Cumque ibidem moram per modicum tempus traheret & panis alimonia in ſiſtarchiis deficere cœpiſſet, ſimiliter & ipſe de tali vita inſolita de die in diem tepeſceret, de vita ſua eum faſtidivit, & ad villam unde venerat præ pudore redire non valuit. Medio tempore honeſtiori modo quo potuit procuravit ut in abbathia ibidem pro tempore ſuſciperetur. Quod & factum eſt; nam canonici ipſum Chriſtum Domini credentes, in quadam camera infra eccleſiam ipſum receperunt propter ſanctitatem quam ſperabant in eo, & ei ex more aliorum ſacerdotum procuraverunt victum cum penſione. Illo tempore eccleſias in patria ubique non in villa prædicando viſitavit; ſicque inconſtantiam mentis oſtendens de mora ſua laſſus vix calefactis lateribus abire ut aliam vitam ducere poſſet cupiebat. Aſſociavit ſibi quendam *Willielmum Smyth*, de quo ſuperius fit mentio, cum quo ad quandam capellam S. *Johannis Baptiſtæ* prope manſionem leproſorum abiit, & ibi alios de ſecta *Wyclyf* ſibi aſſociaverunt. Nam ſecta illa in maximo honore illis diebus habebatur, & in tantum multiplicata fuit, quod vix duos videres in via quin alter eorum diſcipulus *Wyclyffe* fuerit. Videns prædictus *Willielmus* quia ex ſolito modo prædicandi grates populi non habuit, nec laicis & ſecularibus non placuit neque fructum augmentationis ad ſectam ſuam adduxit, direxit ſermonem contra libertates Eccleſiæ & contra eccleſiaſtieas perſonas, & innitebatur quantum potuit vel ymaginare potuit viros eccleſiæ & eorum famam denigrare, *Aſſerens eos impudice vivere & bona Eccleſiæ male ſumere & pejus expendere*; & frequenter prædicabat, ſicuti & cæteri de ſecta ſua faciebant, ut ſuperius patet, *quod parochiani non tenentur dare decimas ſuas & oblationes ſuis Curatis ſi caſte non viverent cum aliis moribus compoſitis ſicut decet Dei ſacerdotes, ac eciam ſi in parochia moram non trahant, & ibi bona Eccleſiæ expendant ubi ea aſſumunt. Similiter ſi inſufficientes eſſent in ſcientia vel lingua impeditiores, quod prædicarent vel parochianos competenter docere non poſſent, ſet poſſent parochiani decimas & oblationes retinere & quibuſcunque ad libitum dare.* Docebant enim cæteri diſcipuli *Wyclyf, quod decimæ ſunt meræ elemoſinæ, & ideo poſſent dare elemoſinam cuicumque vellent. Et ſi non ſubtraxerint decimas ab hujuſmodi male viventibus, eciam fautores criminis eſſent & conſentientes eorum malis operibus.* Item prædicabat, *quod homines poſſunt debita ſua cum caritate petere à ſuis debitoribus, ſet nullo modo aliquem propter debita inplacitare, incarcerare.* Item, *quod Curatus malus ſubditos excommunicans pro decimarum detentione, pecuniam ab eis indebite & male extorquet.* Item, *nullus vivens contra legem Dei eſt ſacerdos qualitercumque fuerit ab Epiſcopo ordinatus.* Hæc & hujuſmodi quamplura erronea prædicans & docens atque hæretica, quorum quædam infra patebunt, affabilitatem vulgi captavit, & eorum familiaritatem ſibi adquiſivit in tantum, ut dicerent, Nunquam vidiſſe aut audiſſe talem qui veritatem eis exponeret, & ſic colebatur ab eis ut alter Deus.

Cumque rumor hujuſmodi ad aures *Iohannis Bukkyngham* epiſcopi *Lincolnienſis* perſonuiſſet, mox abſque dilatione miſit, & eum ab omni prædicatione in dicta capella ſeu alia eccleſia vel cimiterio ſuæ dioceſis de cætero ſuſpendit, & populo inhibuit ne quis eum prædicantem præſumeret audire vel ei prædicanti faveret ſub pœna excommunicationis majoris quam in ſcriptis ferebat & latius fieri mandaverat ab aliis in diverſis eccleſiis. Stabat autem unum par molarum ad vendendum extra capellam in alta ſtrata, & dictus *Willielmus* ibidem inter illos lapides paravit ſibi pulpitum, & convocavit populum, atque ibi pluries in contemptum epiſcopi prædicavit, dicens, *Se poſſe & velle in ſtrata regia invitis dentibus epiſcopi prædicare, dum tamen benevolentiam populi optineret*; Tunc videres populorum turbas ex omni parte tam de villa quam de patria copioſius ſolito quaſi in duplo ad ejus prædicationem ruere poſt talem inhibitionem & ſententiæ excommunicationis fulminationem, quam ante ſolebant quando magis licite poterant, Nam fulminata erat ſententia excommunicationis tam in abbathia quam in multis aliis Eccleſiis. Interim dominus epiſcopus *Lincolnienſis* eum citavit ad comparendum in eccleſia cathedrali *Lincolnienſi*. Qui die ſtatuto ibidem comparuit, & objectis ei concluſionibus quas prædicaverat, dies plures habuit ad deliberandum & ad objecta reſpondendum. Tandem ſuper diverſis hæreſibus & erroribus publice convictus, pabulum ignis digne effici meruit; Tunc flebant ſui & palmas & capita ad parietes cum voce lacrimoſa jecerunt, Nam plures de villa *Leyceſtrenſi* qualibet vice comitabantur eum ad ferendum ei auxilium, licet incaſſum. Nam in illo caſu nichil proficere potuerunt. Set caſu affuit *Lincolniæ* eodem die pius dux *Lancaſtriæ* qui *Lollardis* omnibus ſemper affuerat cum ſubſidio. Credidit namque eos ſanctos Dei propter blandiciem ſermonis & vultus, tamen deceptus ſicut & multi alii. Hic intervenit apud epiſcopum pro prædicto *Willielmo* ut pœnam ejus transferret in aliam pœnam, Et conceſſit epiſcopus ſub forma quæ ſequitur, *Quod ipſe in quibuſcumque Eccleſiis tales Concluſiones prædicaverat publice diebus feſtis inter miſſarum ſolempnia elevata voce recognoſceret ſe falſa prædicaſſe & docuiſſe, & hæreſes atque errores quas prædicaverat & ſuper eis convictus fuerat revocaret, aſſerens determinationibus ſanctæ matris & ſanctorum Doctorum repugnare, Et quod in poſterum non prædicaret in dioceſi* Lincolnienſi *niſi prius habita licencia Dioceſani.* Et hæc omnia poſtea infra breve adimplevit & in Eccleſia cathedrali *Lincolniæ* primo, poſtea *Leyceſtriæ* in eccleſiis ſanctæ *Crucis*, ſanctæ *Margaretæ* & *Novæ hoſpitalitatis*, deinde in eccleſiis de **Melton**, **Loughtborowe**, & multis aliis comitante ſemper eum magiſtro *Stephano de Syreſham* vicario de **Barowe** ſequeſtratore tunc epiſcopi, & ad hoc opus ſupervidendum ſpecialiter ab epiſcopo deputato.

JOHANNES *permiſſione divina* Lincolnienſis *epiſc. dilectis filiis Officiali archidiaconi noſtri* Leyceſtrenſis, *magiſtro* Stephano Syreſham *perpetuo vicario Eccleſiæ de* **Barowe** *ſequeſtratori noſtro in Archidiaconatu prædicto, ſingulis decanis eccleſiarum parochialium, Rectoribus, Vicariis perpetuis & eorum capellanis, parochialibus, & aliis quibuſcumque divina celebrantibus per dictum archidiaconatum ubilibet conſtitutis, ſalutem, gratiam & benedictionem. AD extirpandum in varios errores prorumpendos temporibus modernis qui molientes ſcindere tunicam Domini inconſutilem, eccleſiæ videlicet ſanctæ & fidei catholicæ veritatem, prædicationis, quin verius prævaricationis officium temere uſurpantes per loca varia noſtræ dioceſis diſcurrendo nonnulla hæretica blaſphematice ſciſmatica ſacriſque canonibus & decretis repugnantia docere & publice prædicare nequiter præſumpſerunt, Status & gradus eccleſiaſticos à ſanctis patribus inſtitutos conficta materia quæ veritate non poterant ſuis conviciis & contumeliis lacerantes, Cura noſtri regiminis perurgente ſpecialiter inſurgentes, nuper* Willielmum de Wyndurby *dictæ noſtræ dioceſis ſe presbiterum prætendentem ſuper præmiſſis & cæteris Concluſionibus infraſcriptis hæreticis, erroneis atque falſis graviter nobis ſuſpectum & clamoſa inſinuatione ac fama publica referentibus denunciatum & delatum, fecimus coram certis noſtris Commiſſariis certis die & loco ad judicium legitime evocari, Quibus objectis eidem* Willielmo *per eoſdem Commiſſarios coram eis comparenti Concluſionibus & articulis memoratis, petitoque termino per eundem* Willielmum *ad deliberandum ſuper Concluſionibus & hujuſmodi articulis & ad reſpondendum eiſdem, iidem Commiſſarii terminum hujuſmodi præfixerunt competentem, in quo comparente dicto* Willielmo *coram eis, ac medio ſuo juramento, reſponſo Concluſionibus & articulis antedictis eiſque per eum omnino negatis, cum contra eum vehemens fama ſuper hiis laboraret, Commiſſarii noſtri antedicti eidem* Willielmo *canonicam ſuper hiis purgationem indixerunt certum ad hoc diem ſtatuentes et locum, ſalvo* *jure proſequi volentium ſuper pramiſſis et ſe opponere intendentium contra purgationem ſic inductam. Quibus in genere vocatis et pramunitis comparuerunt judicialiter coram Commiſſariis antedictis Reverendi diſcretionis viri Fratres* Rogerus de Frysby *de ordine* Minorum, Johannes de Hynkeleye *de ordine* Auguſtini, *&* Thomas de Blacſton *de ordine* Prædicatorum, *ſacra pagina profeſſores, aſſerentes ſe ut denunciatores ad probandum pramiſſorum per dictum* Willielmum *negatorum; Eiſque in forma juris admiſſis, ac teſtibus nonnullis per eos productis juratis et examinatis, nos una cum Commiſſariis noſtris memoratis in Eccleſia noſtra* Lincolnienſi *in cauſa hujuſmodi pro Tribunali ſedentes, ad inſtantiam Fratrum denunciantium pradictorum depoſitiones teſtium in cauſa hujuſmodi productorum fecimus puplicari. Eis nec omnibus et ſingulis in cauſa eadem actis et habitis et productis, viſis, intellectis et debite recenſitis prafatum* Willielmum *tam per probationes teſtium quam alias legitime ſuper objectis ſibi ut pramittitur et per eum negatis convictum reputantes, et ibidem à ſuis erroribus divertentem ac ordinationi diſpoſitioni ſancta matris Eccleſia atque noſtris ſe ſuper omnibus antedictis humiliter ſubmittentem, eum ad gremium ſanctæ matris quod claudi non debet redeunti miſericorditer admiſimus juxta formam et modum ſacris canonibus conſtitutos, unde injuncta ſibi pœnitentia ſeculari pro commiſſis, eum fecimus praſtare, prout praſtitit, ad ſancta Dei Evangelia tactis ſacroſanctis corporale juramentum, quod nunquam de catero dictos articulos et Concluſiones ſibi tunc ibidem publice recitatas et expoſitas nec earum aliquam pradicabit, docebit, tenebit vel affirmabit publice vel occulte ſub pœna relapſus in eadem, quodque dictas Concluſiones et earum quamlibet publice revocabit locis et diebus infraſcriptis coram populi multitudine adunata, et ſub ea forma verborum qua inferius deſcribetur. Videlicet in Eccleſia noſtra* Lincolniæ *die Dominica proxime futura dum miſſarum ſolempnia celebrantur, ac in Eccleſia prabendali ſanctæ* Margaretæ Leyceſtriæ, *ac in eccleſia parochiali ſancti* Martini, *et etiam in Eccleſia* novi operis Leyceſtriæ beatæ Mariæ, *necnon in Eccleſiis parochialibus de* **Melton Moubray**, **Halughton**, **Hareburgh**, *&* **Lowtburgh** *proximis diebus dominicis juxta numerum & ordinem locorum pradictorum proximo & ſucceſſive futuris & captandis ad præmiſſa adimplenda.* Forma vero Revocationis publice prædicto *Willielmo* fiendæ de quo ſupra fit mentio ſtatuimus in hæc verba:

EGO *Willielmus* de *Wyndurby* presbiter licet indignus *Lincolnienſis* dioceſis cognoſcens veram catholicam & apoſtolicam, & ſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ fidem, omnem hæreſim & errorem determinationi ſanctæ matris Eccleſiæ repugnantem de quibus fui hactenus infamatus, et præſertim Concluſiones ac articulos ſubſequentes & eorum quemlibet per Commiſſarios Reverendi in Chriſto patris domini mei *Lincolnienſis* epiſcopi judicialiter michi objectos abjuro, & omnes ac quemlibet eorundem revoco, aliquas ut hæreticas, & aliquas ut erroneas atque falſas, & tales eas aſſero atque credo, & nullam earum de cætero prædicabo, docebo vel affirmabo publice vel occulte. Nec ſermonem faciam ad populum nec prædicabo in poſterum infra dioceſim *Lincolnienſem* niſi licentia Reverendi patris & domini mei *Lincolnienſis* epiſcopi petita primitus & optenta. Quod ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, facere, aſſerere, ſeu prædicare præſumpſero, ſeveritati canonum ſubjacebo prout judicialiter juris neceſſitati juravi & nunc juro.

Concluſiones quoq; per dictum *W.* abjuratæ per eum ut præmittitur revocandæ, in hæc verba ſequuntur:

Prima hareſis, Quod puer non eſt vere baptizatus ſi ſacerdos baptizans compater vel commater fuerint in peccato mortali.

Secunda hareſis, Quod nullus vivens contra legem Dei eſt ſacerdos qualitercunque fuerit ab aliquo epiſcopo ordinatus in ſacerdotem.

Primus error, Quod homines poſſunt debita ex caritate petere, ſet nullo modo propter debita aliquem incarcerare. Et quod ſic incarcerans eſt excommunicatus.

Secundus error, Si parochiani ſciverint Curatum illorum eſſe incompetentem & malum debent ab eo ſubtrahere decimas, & alias ſunt fautores criminis & conſentientes ejus malis operibus.

Tercius error, Quod decimæ ſunt puræ elemoſinæ. Et in caſu quo Curati mali, poſſunt eas licite aliis conferre.

Quartus error, Quod Curatus malus ſubditos excommunicans pro decimarum detentione non eſt niſi ab eis pecuniam indebite & male extorquere.

Quintus error, Quod nullus Prælatus poteſt aliquem excommunicare niſi prius ſciat ipſum excommunicatum à Deo. *Nota quod epiſcopus in iſto loco & ſerie poſuit ante ſcriptas hareſes & inter errores numeravit ut ſequitur.*

Octavus error, Quilibet ſacerdos poteſt habita contritione quemlibet peccatorem abſolvere, & non obſtante prohibitione epiſcopi tenetur Evangelium populo prædicare.

Nonus error, Quod ſacerdos recipiens aliquid pro annuali ex pacto, eo ipſo Symoniacus eſt & excommunicatus.

Decimus error, Credit firmiter ut aſſerit quod quilibet ſacerdos exiſtens in mortali peccato ſi ponat ſe ad conficiendum corpus Chriſti, potius committit idolatriam quam conficit.

Undecimus error nimis diffamatorius, Nullus ſacerdos in aliquam domum intrat niſi ad male tractandum uxorem, filiam aut ancillam, & ideo rogabat ut mariti caveant ne ſacerdotem aliquem in domum ſuam intrare permittant. Quocitca ne veritas geſtorum in hac parte perverſorum verſutia & loquacitate pallietur ſet potius dampnatam hujuſmodi hæreticarum & erronearum concluſionum iniquitas & confuſio eas aſſerentium veniant in publicam notionem, Vobis omnibus & ſingulis præcipimus & mandamus quatinus in locis ſupradictis prout ad vos & quemlibet veſtrum pertinebit præmiſſa omnia & ſingula populo & clero ad hoc congregandis publice nuncietis, & ea exequamini & exequi faciatis cum effectu. Dictumque *Willielmum Swyndurby* admittatis & inducatis ac per cenſuram eccleſiaſticam ſi oportuerit compellatis ad ea quæ ſibi ut præmittitur pro ſuis exceſſibus ſunt injuncta efficaciter peragenda, Nos reddentes de modo & forma executionis veſtræ præſentium ac omni eo quod memoratus *Willielmus* faciendum duxerit in præmiſſis plenius certiores literis veſtris patentibus, habentibus hunc tenorem ſigillo auctentico conſignatis. Dat. in domo noſtra capitulari Eccleſiæ noſtræ *Lin-*

Ricard. II. An. Dñi 1382. *Lyncolniæ* xj. die menſis Julii anno Domini milleſimo CCC. octogeſimo ſecundo, & noſtræ Conſecrationis viceſimo.

Hiis itaque tranſactis antedictus *Willielmus* heremita manſit apud *Leyceſtriam* apud prædictam capellam triſtis & mœrens, eo quod hii qui aliquando dum proſpera ſuccederent videbantur ejus amici, jam quaſi deſolatum eum dimittebant non viſitando nec conſolando, neque ei ſolitam annonam miniſtrando, Quia ſic eo à prædicatione ſolita ceſſante fragor & favor populi erga eum cœpit tepeſcere, & de die in diem magis ac magis frigeſcere, & inde ipſe de vita ſua faſtidire. Sicque infra breve in ſe reverſus fugam de villa occulte iniit, & ad villam de *Coventria* abiit, ubi infra breve à laicis in majori honore quam antea fuerat ibidem habebatur, circiter per annum prædicans, ſicut & prius docens, & plures ad ſectam execrabilem ſubvertens, donec luſtrata ejus fama & peſtifera ejus ſeductione per dioceſanum & clerum, de dioceſi illa ridiculoſe dejectus eſt cum maximo rubore.

Dominus *Henricus le Spenſer* epiſcopus *Norwicenſis* perrexit cum cruciata contra adhærentes papæ *Clementi*, nam *Francia*, *Scocia*, *Flandria*, & multæ aliæ nationes favebant & adhærebant antipapæ prædicto. Collegerat namque dictus epiſcopus innumerabilem & incredibilem ſummam pecuniæ auri & argenti, atque jocalium, monilium, annulorum, diſcorum, peciarum, cocliarium, & aliorum ornamentorum, & præcipue de dominabus & aliis mulieribus, nam dicebatur quod unica domina ei contribuit C.li. Et ſic aliæ, quædam majus, aliæ minus. Et quamplures ultra ſuum poſſe ut credebatur, ut beneficium abſolutionis conſequerentur pro ſe & ſuis benivolis amicis. Et ſic ſecretus theſaurus regni qui in manibus erat mulierum periclitatus eſt. Et ſic faciebant tam viri quam mulieres divites & pauperes ſecundum facultatem bonorum ſuorum & ultra, ut ſic tam amici eorum defuncti quam ipſi à ſuis delictis abſolverentur. Nam aliter non abſolvebantur niſi tribuerent ſecundum poſſe ſuum & facultatem ſuam; Et multi inveniebant viros armatos ſumptibus ſuis, multi ſagittarios propriis expenſis, & multi ibant in propriis perſonis & ſumptibus; Habuit namque prædictus epiſcopus indulgentias mirabiles cum abſolutione à pœna & à culpa pro dicta cruciata à papa *Urbano* ſexto ei conceſſas, Cujus auctoritate tam mortuos quam vivos ex quorum parte contributio ſufficiens fiebat, per ſe & ſuos Commiſſarios à pœna & culpa abſolvebat; Dicebatur enim quod quidam de Commiſſariis ſuis aſſerebant, quod ad eorum præceptum angeli de cœlo deſcenderent, & animas in purgatoriis locis poſitas de pœnis eriperent, & ad cœlos abſque mora deducerent. Epiſcopus igitur primo aciem exercitus ſui direxit in *Flandriam*, ubi cum veniſſet debellavit villas de *Graſhinde*, *Burborgh* cum caſtello, *Barwe*, *Dunchirche*, caſtellum de *Dryngham*, caſtellum de *Caſſelys*, *Nuport*, *Dicſmyt*, *Poprync*, eccleſiam ſancti *Georgii* munitam, *Forne* & multas alias non munitas, & cepit eas & tenuit. Cum igitur eſſet apud *Dunchirche*, congregati ſunt viri ad eum in pugnam, & pugnavit cum eis & devicit & in fugam vertit, & plures cepit, & circiter tria milia occidit; & obſedit villam de *Ypres* magno tempore, & oppugnavit eam & multos inſultus ei fecit ſet ſemper reverberatus erat; Tandem ipſo inconſulto & neſciente exercitus ejus receſſit ab obſidione & defluxit ab eo, poſuerat enim unam machinam magnam & unum trepget cum una magna gunna vocata gunna *Cantuarienſis* contra unam turrim ſuper unam portam, & hiis ibidem relictis cum duobus curriculis onuſtis cum utenſilibus & aliis neceſſariis ſuis, ipſe ſecutus eſt ſuos, ſubclamante populo villæ qui inibi erat ſuper eum, & clamore magno perſtrepente. Igitur Epiſcopus ſic recedens ab obſidione, recepit ſe in villam de *Dunchirche* cum multis aliis de populo ſuo. Dominus *Thomas Tryvet* hoſpitatus eſt cum multis aliis in villa de *Burborgh*, & fortificaverunt villam cum palo & foſſa. Inſuper ſubito ſupervenit rex *Franciæ* cum regali potentia, & acceſſit ad villam de *Burburgh* & tentoria fixit ad obſidionem; Et ignem ſagittavit in villam, & involvit eam incendio. Villa vero cremante fiebat inſultus ad palum uſque ad veſperam; ſet bene reverberati receſſerunt *Franci* vice illa. In craſtino miſit rex *Franciæ* ad eos qui inibi erant ut redderent villam, & fertur dominum *Thomam Tryvet* talem dediſſe reſponſum, Si rex *Franciæ* continuare vellet inſultus contra eos per ſe & ſuos ut prius cœperat per xiv. dies ſequentes, invenire deberet paratos pauculos *Angligenas* ibidem quaſi in parvo clauſulo poſitos ipſum & ſuos more *Anglicano* potenter repulſuros; Et ipſum regratiabatur eo quod tam nobilis rex tam grandi potentia paucos viros *Anglicanæ* nationis tanto honore prædonaverat, bellandi gratia viſitando. Cumque ſub tractandi forma tempus per aliquot dies tardarent, & ſe non poſſe cum tanta multitudine contendere nec valere conſiderarent, reddere villam conceſſerunt ſub conditione eis à rege conceſſa, quod libere abire poſſent abſque dampno ſuorum cum equis & armis & aliis bonis ſuis. Dux *Britanniæ* ibidem cum rege *Franciæ* fuit qui fideliſſimus amicus genti *Anglorum* pro ſuo poſſe in occulto extiterat; Qui in quantum potuit apud regem procuravit ut eis abſque dampno talem concederet conductum; & aliter non evaſiſſet nec unus quidem *Anglus*, nam pauci de eis remanſerant; & tunc foriſfecit ſuum comitatum erga regem *Angliæ* quia venit cum rege *Franciæ* contra *Anglos*. Dux *Britanniæ* habuerat in *Anglia* comitatum *Richemundiæ*. Menſe Junii intravit epiſcopus cum cruciata verſus *Flandriam*, & poſt feſtum ſancti *Michaelis* repatriare cœpit de *Flandria* in *Angliam* fruſtratus ab effectu cruciatæ propoſitæ.

Carolus rex *Franciæ* venit in *Flandriam* & intravit in villam de *Dampe* cum dolo, & decapitari fecit omnes magnates villæ, volens funditorie exterminare linguam *Flandricam* de villa illa. Nam poſt receſſum epiſcopi *Northwycenſis* de *Flandria* omnes villæ de *Flandria* reddiderunt ſe regi *Franciæ* præter villam de *Gaunt*, quæ jam anno iſto præcedenti devenit *Francigena*, miſerunt namque cives de *Gaunt* ad regem *Angliæ* pro auxilio contra regem *Franciæ* qui obſidionem poſuerat. ad villam de *Gaunt*, & rex cum conſenſu parliamenti ſui conceſſit eis auxilium virorum armatorum & ſagittariorum ad expenſas vj. millium marcarum, ſet in defectu Cancellarii *Michaelis de Pole* defraudati ſunt. Nam diſtulit ſolutionem donec coacti fuerunt de neceſſitate reddere villam, ſub conditione tamen quod vivere poſſent ſub legibus ſuis propriis antiquis, & quod rex non intraret villam niſi cum certo numero virorum armatorum.

Ordinationes Epiſcopi pro Cruciata publicanda.

EN primes ordines eſt en lonour de Dieu & eſtabliſment de ſeint eſgleyſe & en ſalvation de roialme que prechourez ſufficiantz ſoient envoyes en cheſcune pays ſi bien de la miere come de cea pur declarere & pupplier la Croyſerye & le droit eſtate de ſeint eſglyſe & de noſtre treſſaynte piere le pape *Urbane*, quæ Dieu pur ſa benigne grace doyne pyte & redreſſe quant luy pleſt.

Item que a cheſcune prechoure oue confeſſoure que va par my en Engletiere ſoit une clerke aſſigne que ſerra receyvoure & regiſtroure dez lez nonnes, & de la moneye dez lez gentz penauntz, & lez ditz confeſſoures ſoient contrerollours a eaux.

Item qe les ditez confeſſoures publeſſent en lour ſermones que nule femme ſoit ſi hardy de paſſer en le dite viage ſi non par eſpecial licence del Eveske de Norwyce en eſcript deſouth ſon ſeale.

Item que lez ditez confeſſoures facent proclamacion que nule home ſoit ſi hardy par le chemyne de robber ove prendre par aſcune extorſione oue tortuoſe manere biens de nuly tanqils entrent la dez enmys, qils puiſſent gaynere par droit de guerre, ſur payne qils naveront parte del pardon ne de abſolution. Et ſils ſoyent convictes de ceo, qils ſoyent avoyes & jettes hors del hoſt tanne qils ount fait reſtitution.

Item qe lez ditz prechoures priont & conſeyllont le pepul pur faire proceſſiones & altres priers a Dieu, en ſalvacion del eſtate de ſaint eſglyſe de le realme & de la vyage & de lez peregrynes. Et qils conſeylont cheſcune homme qe voet en le vyage pur faire meſme le manere devant ſon paſſage. Et qe cheſcune qui demourt al hoſtiel comence de le faire en tout le haſt durant tout le vyage pur ſez amys qi vount en le vyage pregnaunt pur lour greo grant pardon graunte per le pape & altres pluſours de ſeynt eſglyſe.

Item que cheſcune confeſſour bayle le nonne de cheſcune confeſſe a le receyvour a luy aſſignes oveske la ſomme qe le dit receyvour receyvera del le confeſſe en eſcripte, & dez ceux qi ſont enjoynez pur penaunce del alere en le voyage, qe le dit confeſſoure delyvere en eſcript al dit receyvoure lez nones & lez termes a luy enjoynes pur ſervyr Dieu en le dit voyage.

Item lez ditz prechoures publieront en lour ſermones lez articules ſouthſewantz.

EN PRIME qe nul homme ſoit ſi hardy de paſſer en le voiage ſi ne ſoit mys en regiſtre delle dit Eveske ſur payne deſtre jette hors de hoſt & de la graunt excommunication ſur luy done en le fait.

Item lez ditz receyvours & commiſſaries ſoyent chargez de receyvere devers eaux pur loure faite lymytours & prechoures dez touz les ordres dez mendynantz pur a eux aydere & conſeylere, & pur loure rewarde de lour travayle cheſcune de eux prendra vj.d. de livere de touz lez deners que vendront par lour procurement oveske la abſolucion.

Item lez commiſſariez & receivours amoneſtront tyels lymitours & prechoures ſur payne de la excommunication done en le fait, que bien lealment & diligentment ferront & procureront a faire lour charge al eyde de dit croyſerye ſanz fraude oue nule engyne.

Item lez ditz receyvourez & commiſſariez enduceront en le meillour manere qils purront & moneſtront ſur payne de lez grauntz cenſurez & excommunication done en le fait, a touz lez Curates en cheſcune parochie oue ils vendront qils enduceront & treteront lour parochienes ove tout lour poyare en le manere come lez prechoures & commiſſaries eux enfourmeront, pur doner & aydere al dit croſerye en ſalvacion de lour almes & pur receyver la grant abſolution done en le fait.

Item qils appelleront a cheſcune parochie iij. oue iv. perſones dez pluis ſufficiauntz pur loure eyder & procurere touz lez habitauns illoeques tam laboreres que menageters pur eydere & ſuſtener a loure pouare la dite Croſerye.

Item cheſcune que voet alere en propre perſone oue a ſez coſtagez propres pur abſolutione, devant qil pregne abſolucione ſoit jure & aſſeure en preſence dez collectours & contrerollours de venir a le dit eveske oue a ſone depute pur faire ſez endentures pur le temps qil ſervera la dite croſerye.

Item lez ditez prechoures publieront en lour ſermones que celuy que voille trover aſcune en ſon none & pur ly alere en la croſerye a ſez coſtages, qil ordeyne que celuy qi irra ſoit able & ſufficeant combatour qil ne ſoit refuſe a la monſtre affaire devant lour paſſage, oue altrement paye a dit Eveske ceo qil voile doner en la voiage, ſi qil puiſſe allowere ſufficiant combatour.

Item cheſcune que envoye aſcune combatour pur luy, qil face enrollere en le regiſtre de dit Eveske le none de ſon ſoudiour & ſon none propre devant qil pregne abſolucione, ove altrement ils naveront part ne de la pardon ne de labſolucion.

Scoti intraverunt in *Angliam*, & ſpoliaverunt nundinas de **Penrich**, & ſuccenderunt quandam partem villæ, et approximaverunt verſus **Carlele**, et ſagittaverunt ignem in villam, et ſuccenderunt quandam ſtratam infra villam. Die Lunæ in craſtino Paſchæ pius Dux *Lancaſtriæ Johannes* intravit in *Scociam* in magna potentia perſequens *Scotos*, et plures villulas et domos ſuccendit igni, ſilvaſque ſuccidit et dedit igni. Fertur enim poſſe ibidem audiri ſonitus ſimul quater viginti millium ſecurium ſuccidentium ligna ſilvarum, et in pabulum ignis ligna interea dederunt; Et inaudita mala de talibus perpetraverunt. Et ſuperveniente nive et frigore gravi detrimento oppreſſi ſunt, et plures tam de *Scotis* quam de *Angligenis* hinc inde capti ſunt. Dominus *Johannes Fawconer* cepit dominum *Henricum Douglas* militem. Die Mercurii in feſto ſancti *Andreæ Johannes Walyſſe* de **Grenesby** pugnavit infra lyſtas cum *Martyletto de Vynelef* de *Navarria* ſcutifero apud *Weſtmonaſterium* in præſentia regis *Ricardi* et pii Ducis *Lancaſtriæ Johannis*. Et idem *Iohannes* interfecit adverſarium ſuum, et juſſu regis factus eſt miles et multis donariis locupletatus eſt tam à Rege et Duce quam ab aliis magnatibus regni. Dictuſque *Martilettus* poſtquam interfectus eſt, ſtatim fuit tractus, ſuſpenſus et decollatus. Rex tenuit parliamentum apud *Weſtmonaſterium* poſt feſtum omnium Sanctorum, et habuit de temporalibus quindenam et dimidiam, et de ſpiritualibus decimam et dimidiam.

Dominus *Iohannes* Dux *Viennæ* menſe Junii venit de *Francia* cum CCC. navibus bene onuſtis

armatorum manu in *Scociam* in auxilium *Scotorum* contra regem *Angliæ*, Manſitque ibi uſque poſt feſtum ſancti Michaelis; *Ricardus* vero rex *Angliæ* credens eos nolle recedere abſque re belli cum tam fortes eſſent tam de *Scotis* quam de ſuis, præmiſit pium Ducem *Lancaſtriæ Iohannem* et alios Comimites, & dominos ad cuſtodiendum partes Marchiæ uſque ad adventum ſuum. Venit igitur rex per *Leyceſtriam* in feſto Tranſlationis ſancti *Thomæ* martyris & regina cum eo, quem comitabatur, præceſſerat & ſequebatur flos militiæ *Angliæ*, Comitum, Baronum, Militum, Armigerorum, valettorum, neque ſuæ ætati neque ſuæ paupertati reſpectum habentes pro expenſis, set hoc ſolum deſiderantes ut tantæ diei eventui in bello intereſſent, in caſſum, nam hoſtes videntes tam floridum populum contra ſe venire, ſubtraxerunt ſe, à latere ſe elongantes; rex vero inſecutus eſt eos in *Scotiam*; fugando de patria in patriam circiter per viginti dies in terra *Scociæ*. Et villam de **Ednesburgh** ſuccendit igni & villulas multas & domos, boſcos quoque & foreſtas ſuccidit & ignis pabulum fecit. Abbathias quoque de **Melroſe** & de **Edyngburgh** cum villa deſtruxit & ſuccendit; & non ſine merito. Nam rex miſericordia & reverentia erga Dei Eccleſiam motus, tum pietate erga Deum tum quia primo tunc arma contra hoſtes tulerat, eccleſiaſticæ libertati favere ſtuduit, & Eccleſiæ dampna inferre noluit. Set in ſignum pacis omnibus ſuis miſit vexillum, & poni juſſit ſuper portas abbathiarum **Melroſe** & **Newbotyl**, pacem & clementiam omnibus prætendens. Unde *Anglici* audacius & ſine trepidatione ingrediebantur & egrediebantur, nec dampnum intulerunt nec malum timuerunt. Poſtea autem multitudine *Anglicorum* recedente, retro manſerunt quidam *Anglici* & ibidem interfecti poſtea inventi fuerunt. Quod rex intelligens iracundia nimis motus eſt. Et pacem mutavit in iram & miſericordiam in vindictam, tuncque juſſit utraſque abbathias deſtrui & igne ſuccendi. Et dum rex ſic ageret in marchia orientali intraverunt *Scoti* in marchia occidentali, & incenderunt partem villæ de **Pennerythe** & ad villam de **Carleyl** inſultum fecerunt, set ut dicebatur & credebatur miraculo territi fugerunt. Nam occurrens mulier nunciavit regem *Angliæ* venire cum exercitu ſuo, at illi proſpicientes, videbatur illis vexillum regis prodire, & ſic pertæſi relictis ſcalis ad murum & machinis fugerunt. Mulier autem illa credebatur glorioſa virgo *Maria* patrona de **Carleyl** quæ ſæpe parata eſt colonis de **Carleyl**.

In ingreſſu regis in terram *Scociæ* duos avunculos ſuos fecit Duces, videlicet dominum *Edmundum de Langeleye* ſeniorem Comitem *Cantubrigiæ* fecit Ducem de *Eboraco*, & dominum *Thomam de Wodeſtoke* fratrem juniorem Comitem de *Bokyngamia*, fecit Ducem de *Glovernia*, eoſque regaliter dotavit poſſeſſionibus & redditibus, aliiſque donariis. Comitem quoque de *Oxonia* fecit *Marchenum* de *Dunelmia*. Dominum *Symonem de Burle* fecit Comitem *Huntyngdonienſem*. Dominum *Michaelem de Pole* fecit Comitem de **Southfolk**; & eos omnes regaliter dotavit muneribus, fecitque milites incomparabili multitudine, & in proximo parliamento ratificavit hæc prædicta. Ea tempeſtate ſcilicet ij. die adventus regis in partes Marchiæ dominus *Johannes de Holande* frater regis uterinus juxta *Eboracum* verſus **Byſſhopthorp** interfecit filium primogenitum Comitis *Staffordiæ*. Quem rex fecit addictari & exulare per leges regni; Et omnia feoda & officia quæ ei rex antea donaverat ab eo eripuit, aliiſque donavit. Poſtea per interventum pii Ducis *Lancaſtriæ* & aliorum dominorum regni gratiam regis conſecutus eſt & indulgentiam Comitis *Staffordiæ*.

Rex tenuit parliamentum in craſtino Animarum apud *Weſtmonaſterium*. Conceſſa eſt regi quindena de temporalibus; de ſpiritualibus decima. Pius dux *Lancaſtriæ Johannes* in parliamento petivit licentiam à Rege, Proceribus & Communibus adire terram *Hiſpaniarum* pro hæreditate regni ſibi concernente ex parte uxoris ſuæ. Duxerat autem uxorem *Conſtanciam* filiam primogenitam *Petri* regis *Hyſpaniarum* qui expulſus fuerat à regno per *Henricum* fratrem ſuum baſtardum & ſub dolo occiſus, & dominus *Edmundus* frater ejus Comes *Cantubrugiæ* alteram filiam juniorem duxerat in refugium contra hoſtes. Rex vero conceſſit cum conſenſu parliamenti, & in ſubſidium dicti negotii xl. millium marcarum ſummam ei promiſit. Dominus *Willielmus de Bewechamp* frater Comitis *Warwychiæ* capitanius de *Caleſia* cepit xlviij. naves per ſe & ſuos per vices, quarum duæ onuſtæ cum ſpeciebus, & quædam cum allece albo ad ſummam quatringentarum laſtarum & reliquæ cum aliis providentiis regis *Franciæ* directis verſus le *Sclus*. Similiter & mercatores de portubus ceperunt plures naves, & quaſdam earum miræ magnitudinis & altitudinis, & unam navem de *Clyſſons* quæ appreciabatur ad xx. mille florenas. Dominus *Baldewinus* de *Radynthon* cepit duas taretas bene onuſtas. Sicque captæ ſunt in diverſis partibus regni anno iſto naves magnæ & parvæ octoginta & plures.

An. Dñi 1386.

M.CCC.lxxxvj. die Paſchæ pius dux *Lancaſtriæ Iohannes* venit cum uxore ſua ad regem pro mutuo valefacere. Cui rex dedit coronam auream. Similiter & regina dedit uxori ſuæ aliam coronam auream. Et rex præcepit omnibus ſuis ut ipſum regem *Hiſpaniarum* vocarent, honoremque regium in omnibus impenderent; Sicque ſolempnibus peregrinationibus regni ab eo itineratis, tandem direxit ſe ad portum de **Plummowthe** in *Hyſpanias* cum exercitu ſuo ſecundum voluntatem Dei profecturus. In quo exercitu recenſiti ſunt viginti mille virorum electorum, De quibus in rotulo Mareſcalli ij. millia armatorum, & ſagittariorum octo millia. Pridie kalendarum Julii applicuerunt ſe in eundem portum decem naves mirabilis magnitudinis & ſtaturæ, & vj. galeæ magnæ & robuſtæ & virorum fortium manu bene refertæ. Quarum quædam cum CCC. remigibus, & minima earum cum centum octoginta remigibus, miſſæ à rege de *Portingallia* in ſubſidium pii Ducis *Lancaſtriæ* & ſuorum. Vij. idus Julii paratis omnibus, & circa horam veſperarum diei Dominicæ pio duce cœnante & *Henrico* Comite *Derbeyæ* filio ſuo & hærede cum eo, videres ventum validum rectum venientem in nubibus quam gaudifluum, & elevaverunt vela in navigium. Nec mora, ſibi invicem valedixerunt, & ſic abinvicem diſceſſerunt. Comes cum ſuis rediit ad terram, pius dux cum ſuis eadem nocte cum omni celeritate ſe dedit ad navigandum in nomine Domini. In illo exercitu dominus *Iohannes de Holande* frater uterinus *Ricardi* regis ex parte matris erat Conſtabularius. Dominus *Ricardus de Burle* Mareſcallus. Dominus *Iohannes de Marmyon* Camerarius. Dominus *Thomas de Percy* Amerayle.

Fueruntque alii domini, ſcilicet dominus *Iohannes Camwe*, Dominus *le Fitz Water*, & dominus *le Ponyngus* cum multis aliis Baronibus & militibus & aliis magnatibus. Habuit autem idem pius dux in comitatu ſuo uxorem ſuam *Conſtanciam* filiam regis *Petri Hiſpaniarum* & *Katerinam* filiam ejus quam genuerat de eadem *Conſtancia.* Duas eciam alias filias quas genuerat de domina *Blanchia* priore uxore ſua filia & hærede *Henrici* Ducis *Lancaſtriæ*, ſcilicet dominam *Philippam* non conjugatam, & dominam *Elizabet* Comitiſſam de *Penbrok* dimiſſo viro ſuo juvene in *Anglia.* Qui Comes poſt receſſum uxoris ſuæ fecit divorcium, & deſponſavit ſororem Comitis de *Marchia.* Dominus vero *Iohannes de Holande* primo dictam *Elizabet* deſponſavit ſibi in uxorem. Domina *Philippa* maritata eſt Regi de *Portingallia. Katerinam* filiam ſuam maritavit filio regis *Hiſpaniæ*, & ſic concordati ſunt dux *Lancaſtriæ* & rex *Hiſpaniæ*, et rediit dux *Lancaſtriæ* in *Angliam* menſe Novembris anno Domini millesimo CCC. octogeſimo nono ſequenti cum immenſa ſumma auri et theſaurorum. Retulit enim michi quidam de familia pii Ducis qui cum eo fuerat in illo viagio, quod Rex *Hiſpaniæ* miſit quadraginta ſeptem mulas cum auro in ciſtis onuſtas pro ſecunda ſolutione. De prima ſolutione non quæſivi, et miſit Duci hoſpites de majoribus *Hiſpaniæ* pro annuo tributo xvi. millium marcarum ad totam vitam ducis. Si vero uxor Ducis ſuperviveret xij. milia marcarum annuatim perciperet ad totam vitã ſuam. Erat eciam cum eo Prior ſancti *Iacobi* de *Galecia.* 1389.

Eodem tempore Dux *Britanniæ* obſeſſerat tam à mari quam à terra quandam villam in *Britannia* ab antiquo regi *Angliæ* ſubjectam quæ vocabatur *Breſt*, cum ingenti multitudine *Francorum* & *Britonum* Et xij. kalend. Julii cœpit ædificare unum baſtile coram dicta villa de *Breſt* miræ magnitudinis in ſpiſſitudine murorum x. pedum cum vij. turribus. Et operabatur cotidie cum mille operariis, & habuit in defenſione dictorum operariorum decem milia pugnatorum ne impedirentur à civibus, ſicque ædificatum eſt dictum baſtile in decem & novem diebus, & vocatum eſt nomen ejus *le* **Duſhous** quia columbare in eodem loco ante fuerat. Et inſtauravit illud omnibus neceſſariis, victualibus, armis, gunnis & machinis. Et poſuit in eo bellatorum capitanium quendam Dominum qui vocatur dominus *Iohannes Maletret* cum centum quinquaginta viris armatis & totidem aliis, trecentis in numero omni. Pius Dux hæc intelligens, direxit navigium ſuum verſus portum de *Breſt.* Quo cum applicuiſſet fugerunt omnes ab obſidione tam à mari quam à terra, ſolis hiis qui in baſtili erant remanentibus. Prior vero ſancti *Jacobi* rogabat pium Ducem ut ipſe poſſet facere primum inſultum contra baſtile, & bene reverberatus cum ſuis quievit. Similiter & plures alii, feceruntque inſultum per duos dies & amplius. Et ſuffodientes murum ſub una turri, cecidit turris ſuper Dominum *Robertum de Swynarton* militem ſtrenuum de comitatu *Staffordiæ* cum multis aliis & *Johannem de Bolton* ſtrenuiſſimum armigerum de comitatu *Eboraci.* Et qui inibi erant ſuper turrim ſimiliter ceciderunt & ſtatim occiſi ſunt. Interea miſit dominus le *Malatret* de baſtili ad ducem ut redderet ei cuſtodiam, ſub conditione quod ipſe & ſui omnes libere poſſent abire cum armis, bonis & catallis ac victualibus inibi repoſitis, & pius dux ut pius ſemper erat conceſſit, ſub conditione quod antequam recederent, baſtile à fundamentis diruerent, & ei eciam pro ſagittamine quod ibidem in debellando conſumpſerat, viginti milia ſcutorum auri exſolveret. Tunc videres ex omni parte patriæ affluere viros cum feretris & grabatis atque carectis ad abducendum mortuos ſuos & vulneratos. Nec quiſpiam inibi erat quin aut ipſum mortuum aut letaliter vulneratum ſe ejulabant ſui. Et ipſe dominus *Malutret* adeo vulneratus eſt quod in receſſu ſuo pedeſtre fulcimentum duorum ex utraque parte eorum ſcapulis innixus expetebat, & dicebant quod abſconderunt plures mortuos in ſale, ne *Anglici* gauderent ſuper multitudine occiſorum. Mortui ſunt centum quinquaginta & eo amplius. Deinde dirigit Dux iter navigii in opus inceptum. Et quia frequenter de bono principio melior ſperatur finis, cum in *Galeciam* applicuiſſet, cives villæ ſancti *Jacobi* ſe reddiderunt ei, & à conditione ſi regnum ſubjugaret, ei ſubderentur. Simili modo & cives de *la Groyne.* Interim proſpexerunt eminus naves & unam galeam navigantes, quas quidam cum navigio inſecuti, apprehenderunt eas in portu de *Pontlyon*, & inconſultis civibus irruerunt in villam, & ceperunt eam & tenuerunt. Et in prædicta galea capta invenerũt duos mercatores de *Londoniis* cum ſuis mercimoniis captive abductos. Et cum ea, navem pii Ducis *Lancaſtriæ* quæ onuſta erat & plena frumento et farina et cæteris quæ ad officium piſtoriæ conveniunt, quæ, dum tenderent ad portum de **Plummouthe** parata ad viagium, capta fuerat et abducta ab *Hyſpanicis*, jamque inopinata fortuna plenarie recuperata. Jam de pio duce taceo donec alia nova audiero.

Dominus *Henricus Percy* primogenitus Comitis *Northambymbrorum* in feſto ſanctæ *Petronillæ* virginis exivit de *Calecia* cum admodum paucis viris verſus *Boloniam*, & incidit in manus inimicorum, & capti ſunt & mortui de ejus comitiva de viris armatis circiter xl. de ſagittariis circiter octoginta, & plures vulnerati. Eadem nocte ſequenti idem *Henricus* & dominus *Willielmus Bewchamp* capitaneus de *Caleſia* & dominus *le Bowſers* & dominus *Degarius de Sees* alienigena exierunt eadem via, & mane venerunt ſuper magnam comitivam *Francorum* inproviſe, & quos voluerunt vivos captivarunt, & reliquos interfecerunt. Menſe Junii dominus *Baldewynus de Radyngton* cepit duas taretas ſatis plene opulentas, quas dominus *Michael de Pole* Comes de *Southfolc* & Cancellarius *Angliæ* accepta magna ſumma pecuniæ dimiſit capite proprio per warentum ſigilli Cancellariæ. Et de illo in proximo Parliamento accuſatus fuit per communes. Eodem menſe dominus *le Derſy* Amarellus maris cepit quatuor taretas & vi. magnas naves non mediocriter onuſtas, & applicuit eas in portum de **Sandewyche.** Undecimo kalend. Julii ſederunt Juſticiarii apud *Lincolniam* in ſpeciali cauſa deputati, Comes *Northumbymbrorum*, dominus *Robertus Bealeknap* & dominus *Willielmus Skypwyth.* Et coram illis convicti ſunt vij. falſarii monetæ, qui unum nobile extenderunt ad decem ſolidos facientes inde vi. quadrantes, qui vij. ſimul tracti ſunt & ſuſpenſi. Et quidam vicarius de *Wintringiam* obmuteſcens adjudicatus eſt ad pœnam mutorum; Quidam Rector de patria promotus ad valorem ut dicebatur octoginta marcarum cauſa affinitatis quam digniorem & altiorem habebat non eſt morti adductus, ſet *Londonias* miſſus in Turrim ſub voluntate regis, & ſic quievit. Et de cooperatoribus eorum & fautoribus addictati fuerunt circiter lx. de diverſis partibus regni.

Karolus Rex *Franciæ* congregavit exercitum magnum & copioſum & præfecit eis dominum *Johannem* Ducem *Vyennæ* & dominum *le Clyſſons* & alios plures dominos de regno *Franciæ*. Et fecit jurare ſuper ſacramento altaris & ſimiliter de ſacramento communicare, quod infra certum diem terram *Angliæ* ſi ventus eos ſineret abſque alio impedimento intrarent, & de ea vivi non redirent donec aut depopulata aut ſubjugata ſaltem finem guerræ imponerent inter regna, vel mortem ibidem ſuſtinerent. Et ad hoc ſupportandum & perficiendum conceſſa eſt regi per totum regnum *Franciæ* taxa inaudita, videlicet tertia pars bonorum ſive catallorum. Rex *Franciæ* fecerat quendam palum miræ ſtructuræ cum turribus & munitionibus, quem palum ſecum veherent, & intrata terra *Angliæ* quaſi in tribus horis ſuper terram, mirabile dictu, erigerent; Et dicebatur continere in circuitu quaſi ſpatium ſeptem leucarum de menſura terræ *Angliæ*. Et circa feſtum ſancti *Michaelis* dominus *Willelmus Bewchamp* capitaneus de *Caleciâ* cepit duas naves, unam onuſtam cum parcella dicti pali, in qua erat magiſter carpentarius dicti pali, & aliam navem cum machinis & gunnis & pulvere & aliis inſtrumentis bellicis. Et poſt paululum temporis captæ ſunt duæ aliæ naves onuſtæ de dicto palo, ſicque captæ ſunt tres naves de dicto palo onuſtæ. Statimque fecit rex erigere prædictum palum circa villam de **Wynchelſe**. Interim menſe Septembris venit exercitus antedictus in *Flandriam* apud portum de *Sclus* volens in *Angliam* dirigere greſſum ſuum. Ibique moram traxerunt ſub magna indigentia. Nam dicebatur panem *Angliæ* denarialem vendi ibidem pro xviij. denariis, & ovum gallinæ pro denario, & in fine menſis Novembris redierunt in *Franciam* de propoſito fruſtrati. Quorum adventu apud *le Sclus* audito rex *Angliæ* proxima ebdomada ante feſtum ſancti *Michaelis* miſit celeriter in univerſas partes regni *Angliæ* & *Walliæ*, & infra decem dies congregavit induſtriam multitudinem virorum bellatorum de Ducibus, Comitibus, Baronibus, militibus, ſcutiferis & ſagittariis. Nam de comitatu *Ceſtriæ* habuit mille ſagittarios, de comitatu *Leyceſtriæ* centum quinquaginta de ſtipendiis Comitatus donec ad regem venirent, præter eos qui cum magnatibus ibant, ſicque factum eſt per totum regnum ſecundum poſſibilitatem plagæ. Præcepitque rex quod omnes Communes hoſpitarentur infra triginta leucas per circuitum *London*. & ne apropinquarent per x. leucas ad *Londonias*. Simili modo mandavit de reliquis qui venerant cum dominis & magnatibus, Ipſi tamen concurſum habere poterant ad regem & Parliamentum apud *Londonias* cum ſolita familia. Interim inimici ſe continuaverunt apud *le Sclus*, nec alicubi apropinquaverunt aliqui eorum, erat enim eventus venti contrarius illis.

Magiſter *Radulfus de Skyrlowe* Epiſcopus *Lychefeldenſis* nondum inſtallatus ſet conſecratus tranſlatus eſt in Epiſcopum *Batonenſem*. Magiſter *Ricardus Scrope* factus eſt Epiſcopus *Lychefeldenſis*. Unde rex mandavit omnibus ſuis ut redirent ſinguli in patriam ſuam, ſet ſtipendia pro expenſis nulla illis dedit. Ipſi vero qui à *Wallia* & comitatibus *Ceſtriæ*, *Lancaſtriæ* & aliis remotis partibus venerant & expenſas pro redeundo non habuerant, ſpoliaverunt ubique in via ſua de equis ad equitandum & pro victu de porcis, porcellis, ovibus, aucis, caponibus, gallinis & cæteris que ad eſum pertinuerunt. Dicebatur enim in ſpacio iiij. leucarum ſexaginta duos fuiſſe expoliatos de pauperibus mercatoribus & aliis communibus de patria in comitatu *Warwychia*. Venit eciam quidam in campo de **Sapcote** in comitatu *Leyceſtriæ* & tulit unam equam de quadam caruca, cujus poſſeſſor inſequebatur eum cum vicinis ſuis et equam eripuit, raptoremque ad plenum verberavit. Raptor vero dicto tempore rediit cum centum quadraginta ſociis cum arcubus et ſagittis de comitatu *Ceſtriæ*, voluit prædictum villanum occidiſſe et villam incendiſſe, unde villani neceſſitate coacti finem cum illis fecerunt & eis ad certum diem ſe daturos decem libras obligaverunt; quod & impleverunt. Sicque in diverſis partibus regni per tales infinita mala perpetrata ſunt.

Poſt feſtum ſancti *Michaelis*, *Karolus* rex *Franciæ* ſimulavit ſe velle ſolempnizare feſtum natalis Domini in villa de *Gaunt*, quaſi volens honorem impendere civitati et civibus ejus. Et præmiſit miniſtros ſuos prævilores ad providendum de victualibus et cæteris aliis neceſſariis quæ regium honorem et magnificentiam decerent, veneruntque ad villam de *Gaunt* quaſi octingenti viri cum magno cariagio doliorum acſi eſſet vini. Quod videntes prudentiores villæ mirabantur quod tam tempeſtive cœpit facere providentiam ſuam, & præcipue in tali villa ubi omnis habundantia habebatur. Similiter quod tantam copiam miniſtrorum præmiſerat, et quod magis timore advertendum erat, verebantur enim ne forte rex circumveniret eos lapſu mortis ſicuti fecerat compatriotis ſuis viris videlicet de villa de *Dampe*. Hiis et aliis conſideratis, miſerunt quendam incutium qui occulte et quaſi incaute et inſipienter, ſet accidit ſapienter, penetraret dolium unum vel plura, ut eos certiores redderet an dolus interfuiſſet. Qui juſſa implens et nullum liquorem mibi reperiens, nunciavit magiſtris ſuis dolia à liquore vacua ſet maxima ponderoſitate plena. Convenerunt igitur cives Civitatis à minimo uſque ad maximum, et ſe velle videre et guſtare de vino regio dixerunt. Orta eſt igitur lis magna hinc inde, ſet prævalentibus civibus fregerunt plura dolia et ea plena armorum invenerunt, ſicque demum extorquebant ab illis quod illi octingenti viri cum aliis qui ſic ſparſim venturi erant more miniſtrorum captata oportunitate irruerent ſuper cives Civitatis, & depopularent funditusque delerent omnem progeniem in ea inventam. Igitur *Flandrenſes* in ſeditionem verſi & iram, reddiderunt eis prout meruerunt vicem pro vice, & decapitaverunt omnes, nec evaſit unus quidem.

Rex tenuit Parliamentum apud *Weſtmonaſterium* die lunæ in craſtino ſancti *Jeronimi* & finivit in feſto ſancti *Andreæ*. Comes *Oxoniæ* qui & Marcheus *Dunelmiæ* factus dux *Hiberniæ* in feſto ſancti *Edwardi* regis & Confeſſoris. Rex traxit moram tempore parliamenti apud **Eltham** pro majore parte. Proceres igitur regni & Communes de communi aſſenſu nunciaverant regi, oportere amoveri Cancellarium & Theſaurarium ab officiis ſuis, quia non erant ad commodum regis & regni, ac eciam habebant talia negotia tractare cum *Michaele de Pole* quæ non poſſent tractare cum eo quamdiu ſtaret in officio Cancellariæ. Rex inde motus mandavit eis ut de hiis tacerent, & de negotiis Parliamenti procederent atque ad expeditionem feſtinarent, dicens ſe nolle pro ipſis nec minimum garcionem de coquina ſua ammovere de officio ſuo. Pecierat enim Cancellarius ex nomine regis à Communibus quatuor quindenas ſolvi in uno anno & totidem decimas à clero, dicens regem adeo indebitatum quod non poſſet aliter à ſuo debito & aliis oneribus ſibi incumbentibus tam de guerra quam de familia & de aliis relevari. At illi communi aſſenſu Dominorum & Communium remandaverunt regi, ſe non poſſe nec omnino velle in aliquo negotio Parliamenti procedere, nec minimum quidem articulum expedire, donec rex veniret & ſeipſum in propria perſona in Parliamento eis oſtenderet, dictumque *Michaelem de Pole* ab officio ammoveret. At rex remandavit eis, ut quadraginta milites de peritioribus & valentioribus Communibus ad eum tranſmitterent, qui ei vota aliorum omnium indicarent; Tunc illi majus timuerunt unuſquiſque de propria ſalute. Nam occultus rumor aures ſecretius aſperſerat, quod eorum interitus per inſidias imaginaretur. Nam ut poſtea innotuit eis, dicebatur, illis ſic ad regis colloquium accedentibus turba armatorum eos invaderet & interficeret, vel ad regis convivium invitatos ſceleſti viri armati in eos irruerent & necarent, vel in hoſpiciis ſuis *Londoniis* ſubito interficerentur, ſet renuente & ad tantum ſcelus nullo modo conſentiente *Nicholao de Exon* Majore villæ *Londonienſis*, iſtud flagitium dilatum eſt & nephandum conſilium ſucceſſive denudatum eſt. Salubri igitur uſi conſilio miſerunt de communi aſſenſu totius Parliamenti dominum *Thomam de Wodeſtoke* Ducem *Glouceſtriæ* & *Thomam de Arundelle* Epiſcopum *Helyenſem* ad regem apud **Eltham**, qui ſalutarent eum ex parte procerum & communium Parliamenti ſui ſub tali ſenſu verborum ei referentes vota eorum.

« DOmine Rex, proceres & domini atque totus populus communitatis Parliamenti veſtri cum humillima ſubjectione ſe commendant excellentiſſimo regalis dignitatis veſtræ, cupientes proſperum iter invincibilis honoris veſtri contra inimicorum potentiam, & validiſſimum vinculum pacis & dilectionis cordis veſtri erga ſubditos veſtros in augmentum commodi veſtri erga deum & ſalutem animæ veſtræ, & ad inedicibilem conſolationem totius populi veſtri quem regitis. Ex quorum parte hæc vobis intimamus, Quod ex antiquo ſtatuto habemus & conſuetudine laudabili & approbata cujus contrarietati dici non valebit, quod rex noſter convocare poteſt dominos & proceres regni atque communes ſemel in anno ad Parliamentum ſuum tanquam ad ſummam curiam totius regni, in qua omnis æquitas relucere deberet abſque qualibet ſcrupuloſitate vel nota, tanquam ſol in aſcenſu meridiei, ubi pauperes & divites pro refrigerio tranquillitatis & pacis & repulſione injuriarum refugium infallibile quærere poſſent, ac eciam errata regni reformare & de ſtatu & gubernatione regis & regni cum ſapientiori conſilio tractare, & ut inimici regis & regni intrinſeci & hoſtes extrinſeci deſtruantur & repellantur quomodo convenientius & honorificentius fieri poterit cum ſalubri tractatu in eo diſponere & prævidere, qualiter quoque onera incumbentia regi & regno levius ad ediam communitatis ſupportari poterunt. Videtur eciam eis quod ex quo onera ſupportant incumbentia habent eciam ſupervidere qualiter & per quos eorum bona & catalla expendantur. Dicunt eciam quod habent ex antiquo ſtatuto quod ſi rex à Parliamento ſuo ſe alienaverit ſua ſponte, non aliqua infirmitate aut aliqua alia de cauſa neceſſitatis, ſet per immoderatam voluntatem proterve ſe ſubtraxerit per abſentiam temporis xl. dierum tanquam de vexatione populi ſui & gravibus expenſis eorum non curans, extunc licitum omnibus & ſingulis eorum abſque domigerio regis redire ad propria & unicuique eorum in patriam ſuam remeare. Et jam vos ex longiori tempore abſentaſtis, & qua de cauſa neſciunt, venire renuiſtis. *Ad hac rex*, Jam plene conſideramus quod populus noſter & Communes intendunt reſiſtere atque contra nos inſurgere moliuntur, & in tali infeſtatione melius nobis non videtur quin cognatum noſtrum regem *Franciæ* & ab eo conſilium et auxilium petere contra inſidiantes, et nos ei ſubmittere potius quã ſuccumbere ſubditis noſtris. *Ad hac illi reſponderunt*, Non eſt hoc vobis ſanum conſilium ſet magis ducens ad inevitabile detrimentum. Nam rex *Franciæ* capitalis inimicus veſter eſt et regni veſtri adverſarius permaximus. Et ſi in terram regni veſtri pedem figeret, pocius vos ſpoliare laboraret et regnum veſtrum invadere, voſque à ſublimitate regalis ſolii expellere, quam vobis aliquatenus manus adjutrices cum favore apponere; Si, quod abſit, ejus ſuffragio quandoque indigeretis. Ad memoriam igitur revocetis qualiter avus veſter *Edwardus tertius* rex & ſimiliter pater veſter *Edwardus* Princeps nomine ejus in ſudore & anguſtiis in omni tempore ſuo per innumerabiles labores in frigore & calore certaverunt indefeſſe pro conquiſitione regni *Franciæ*, quod eis jure hæreditario attinebat, & vobis per ſucceſſionem poſt eos. Reminiſcamini quoque qualiter domini regni & proceres atque Communes innumerabiles tam de regno *Angliæ* quam *Franciæ*, regis quoque & domini de aliis regnis, atque populi innumerabiles in guerra illa mortem & mortis periculum ſuſtinuerunt, bona quoque & catalla inæſtimabilia & theſauros innumerabiles pro ſuſtentatione hujus guerræ Communes regni hujus indefeſſe effuderunt. Et quod gravius dolendum eſt, jam in diebus veſtris tanta onera eis impoſita pro guerris veſtris ſuſtinendis ſupportaverunt, quod ad tantam pauperiem incredibilem deducti ſunt, quod nec redditus ſuos pro ſuis tenementis ſolvere poſſunt, nec regi ſubvenire, nec vitæ neceſſaria ſibi ipſis miniſtrare, & depauperatur regia poteſtas, & dominorum regni & magnatum infelicitas adducitur, atque totius populi debilitas. Nam rex depauperari nequit qui divitem habet populum, nec dives eſſe poteſt qui pauperes habet communes. Et mala hæc omnia redundant non ſolum regi ſet & omnibus & ſingulis Dominis & proceribus regni, unicuique in ſuo gradu. Et hæc omnia eveniunt per iniquos miniſtros regis qui male gubernaverunt regem & regnum uſque in præſens. Et niſi manus citius apponamus adjutrices & remedii fulcimentum adhibeamus, regnum *Angliæ* doloroſe attenuabitur

« tempore

Ricard. II.
« tempore quo minus opinamur. Set & unum aliud
« de nuncio noſtro ſupereſt nobis ex parte populi
« veſtri vobis intimare. Habent enim ex antiquo
« ſtatuto & de facto non longe retroactis tempori-
« bus experienter quod dolendum eſt habito, ſi rex
« ex maligno conſilio quocunque vel inepta contu-
« macia aut contemptu ſeu proterva voluntate ſin-
« gulari aut quovis modo irregulari ſe alienaverit
« à populo ſuo, nec voluerit per jura regni & ſtatu-
« ta ac laudabiles ordinationes cum ſalubri conſi-
« lio dominorum & procerum regni gubernari &
« regulari, ſet capitoſe in ſuis inſanis conſiliis pro-
« priam voluntatem ſuam ſingularem proterve ex-
« ercere, extunc licitum eſt eis cum communi aſſen-
« ſu & conſenſu populi regni ipſum regem de regali
« ſolio abrogare, & propinquiorem aliquem de
« ſtirpe regia loco ejus in regni ſolio ſublimare. Quæ
« forte diſſenſio aut error gravis in populo oriatur, &
« populus regni novo aliquo diſſidio dolendo & ini-
« micis regni placibili in diebus veſtris per inſanum
« conſilium miniſtrorum veſtrorum ſubruatur, re-
« gnumque *Anglia* tam honorificum & in toto orbe
« terrarum præ cæteris regnis tempore patris veſtri
« hactenus in militia nominatiſſimum, nunc vero
« diebus veſtris per diviſionem malæ gubernationis
« improperioſe deſoletur, regnique tanti dampni titu-
« lus pro debili gubernatione ſub perpetua memoria
« perſonæ veſtræ ſcandaloſæ quam regni veſtri atque
« populi, & animum ab inepto conſilio revocetis &
« eos qui vobis talia ſuggerunt nec ſolum non audi-
« atis ſet eciam de conſilio veſtro penitus amoveatis;
« nam in eventu vario parum aut nichil vobis pro-
« deſſe poterunt in effectu.

Hiis & aliis talibus loquelis rex ab ira ſemotus animum de malencolia revocavit, ſicque pacificatus promiſit ſe venire ad Parliamentum poſt triduum & eorum petitioni cum maturitate ſe libenter adquieſcere velle. Venit igitur rex ad Parliamentum ut promiſit, & tunc dominus *Johannes* de *Fortham* Epiſcopus *Dunelmenſis* ammotus eſt de officio Theſaurariæ & Epiſcopus *Herfordenſis* factus eſt Theſaurarius. Dominus *Mychael de Pole* Comes de **Southfolk** depoſitus eſt cum ingenti rubore de officio Cancellariæ, & *Thomas de Arundell* Epiſcopus *Helyenſis* per conſenſum Parliamenti factus eſt Cancellarius. Poſt hæc dictus *Michael de Pole* accuſatus eſt de multis tranſgreſſionibus, fraudibus, falſitiis & traditionibus factis in grave præjudicium & dampnum regis & regni, convictuſque in mirabili numero articulorum prædictorum noluerunt ipſum morte plectere neque nomen Comitis ei auferre, & hoc propter honorem gradus militaris, ſet judicaverunt eum ad carcerem in caſtello de **Wyndeſowre**. Set ſtatim Parliamento finito & univerſis ad propria regreſſis Rex eum à cuſtodia revocavit, & abire ad libitum libere permiſit donec providerent qualiter diſponerent aliter de eo. Redditusque et poſſeſſiones quos perquiſierat dum ſteterat in officio Cancellariæ ad annuam ſummam mille librarum ad perpetuum profectum regis confiſcati ſunt et adjudicati per Judicium Parliamenti, et multas alias ſummulas quas nequiter et fallaciter lucratus fuerat in tardando negotia populorum donec cum eo primo finem facerent antequam eos expediret, videlicet ad ſummam xij. millium librarum condempnatus eſt reddere regi in relevamen Communitatis regni. Articulos fraudis et fallaciæ ejus pro parte reſerabo ſub forma quæ ſequitur. Ricard. II.

Lez empechementz faitz par lez communes en le playne Parlyment ſur *Michaele de Pole*, Cont de **Southfolk** jadys Chauncelere Dengletiere en terme de ſeynt Mychele lan de Roy diſme. Et les judgementez ſur ycels enſement de poynt en poynte.

P*Rimerment qe le dit Conte eſteant Chauncelere & jurez de faire le profite le Roy, purchaſa de noſtre ſeigneur le Roy terrez tenementz & rentes a grant value, come pert par recordes rolles del Chancerye, encontre ſon ſoerment la oue il navoit taunt deſervys, nient conſiderez la grant neceſſite du Roy & del realme, & outre ceo a cauſe qe le dit Cont fuiſt Chauncelere au temps de dit purchas fait lez ditez terrez & tenementz furent extendus a mayndre value qils ne vaylent par an par grant ſumme en deceyt du Roy.*

Et pur ceo qil purchaſa lez ditez terez quant il fuiſt Chancelere contre ſon ſerment, le roy avera les terrez Mermam, & le dit Cont fra fin & ranſon au Roy oue lez iſſuez priſſe a temps de purchace.

Item, *la oue ix. ſeigneurs furent aſſignez au derreyne Parlyment pur veyere & examiner leſtate du Roy & del realme & dyre lour avys coment il purra eſtre meultz amendez & mys en mellour governance & diſpoſition, & ſur ceo le examynement fait au Roy ſi biene par bouche come en eſcript, le dit nadgares Chanceller diſoit en pleyne parlement qe lez ditez aviſementz & ordinance deuſſent eſtre mys en due exſecution. Et ceo ne fuiſt fait & ceo en defaute de luy qalors fuiſt principal officer. A ceſt article & a la tierce & a la ſeptiſme le dit qe le dit Conte reſpoundera ſi aſcune vorra dire devers luy en ſpeciale.*

Item, *la oue charge fuiſt graunte par lez communes au darreyne Parlyment pur eſtur deſpenduz en certeyne forme demande par lez communes & aſſentuz par le Roye & ſe ſeigneur & non pas autrement, Lez deners ent provenantz furent deſpenduz en altre manere ſi qe la miere neſtoit gardez en manere come fuiſt ordenez perount pluſours meſchiefs ſont avenuz al realme & verray ſemblable eſt du venir, & ceo en defaute de dit nadgers Chauncelere.*

Item la oue Tydeman de Lymbergh *qe avoit a luy & a ſez eyres du done le Roye layel l. livers annuels del cuſtome del* **Kyngeſton** *ſur* **Hull**, *le quele* Tydeman *forfiſt devers le Roy, & auxint le payment de ditz l. livers annuels feuſt diſcontinue par xxxv. anz & plus, le dit Chauncelere ceo ſachaunt purchaſa a luy & a ſez eyres de dite* Tydeman *lez l. livers annuels, & fiſt taunt qe le Roy lui conferma la dit purchace, la oue le Roy deuſt aver ewe le profite. Et pur cele purchaſe le dit Cont fuiſt ajuge fin & ramſon a Roy & lez l. li. a Roy & a ſez heyres enſemblement oveske lez manere de* Flaxflete *& x. mars de Rent queux avoit enchaunge &c. oveske lez iſſuez &c.*

Item, *la oue le haut meſter de ſeynt* Antoyn *eſt ſiſmatyk & par cele cauſe le Roy deut avoyre le profite qe a luy pertenoit en realme Dengletiere, le dit nadgers Chauncelere qe deuſt aver avauncer & procurez le profyte du Roy priſt a ferme la dit*

dit profite du roy pur xx. mars par an. & ent priſt a ſon oeps propre bene entour mille mars, Et al heure que le dit meſtre de ſeynt Antoyne *en* Engletiere *qe ore eſt deut avoyre poſſeſſione & livere du dit profite il ne pouſt aver avant qil & deus perſones ove luy ſe avoyent obligez par reconyſaunce en la Chancelerye & per inſtrumentz en trez millez livers. de payere annuelment au dit nadgares Chauncelere &* John *ſon fitz* C.li. *par an a terme de lour deus vyes; Et pur cele cauſe le roy avera touz les profites du dit ſeynt* Antoyn *a temps du purchaſſe; & pur cele reconyſſance enſi fait le dit Conte fuiſt agarde a priſone & a la volunte le roy fin & ranſon &c.*

Item, qe en le temps le dit nadgares Chancelere furent grantes & faitez diverſez charters & patentes dez murdres & treſonnes felonies raſoures dez rollez vent des loyes, & puis la commencement de ceſte preſent parlyment fuiſt fait & enſeyle une chartre dez certeynez franchiſez grauntez a chaſtiele du Douvere *en dezheretyſonne de la coronne & en ſubverſion de touz lez placez & courtes du roy & dez ſez leyes.* Le roy regarde qe ceux chartres ſoient repelles.

Item; per la ou ordinaunce fuiſt fait au darreyne parlyment pur la vyle de Gaunt *qe x. mille mars deiſent eſte cheviz & pur cele chevaunce deuſent eſtre perduz mille mars, la en defaute du dit nadgares Chancelere la dite vile eſt perduz & nient menz lez ditz mille mars pur la chevaunce furent perduz come de ſuz eſt dite, de touz queux articles lez ditz communes demaundent jugement du parlyment.*

Item, eſt fait une eſtatute qe nully perentre le roy & lez ſeigneurs apres en le commiſſione dite face deſturbance oue impediment perentre le roy & lez ſeignurs ſur grevous payne de perdre ſa vye & forfeture dez ſez terres & poſſeſſiones au roy, & qe meſmes les ſeigneurs facent execution dez totez poyntes compris en la dite commiſsione. Et a ceo lez ſeignurs voilent faire lour diligence a lour coſtage de meſme per ceſte an a durere.

Videntes interea domini & magnates parliamenti quod per cupidinem officiariorum regis bona regni adeo quaſi inaniter conſumpta eſſent, rexque nimis deceptus & populus regni per gravia onera depauperatus, redditus & emolumenta dominorum & magnatum multum debilitata, & agriculturæ pauperum tenentium in multis locis in deſolationem derelictæ, & in hiis omnibus officiarii regis ſupra modum locupletati ſunt, elegerunt quatuordecim dominos regni qui gubernaculum totius optinerent; de quibus tres erant de novis miniſtris regis per parliamentum electis, videlicet epiſcopus *Helyenſis* qui erat Cancellarius, epiſcopus *Herfordenſis* Theſaurarius, & dominus *Johannes de Waltham* cuſtos ſecreti ſigilli, Et undecim de aliis dominis regni, ſcilicet archiepiſcopus *Cantuarienſis*, archiepiſcopus *Eboracenſis, Edmundus de Langleye* Dux *Eboracenſis*, *Thomas de Wodeſtoke* Dux de *Glouceſtria*, Epiſcopus de *Wyncheſtria*, Epiſcopus de *Exceſtria*, Abbas de **Waltham** ſanctæ Crucis, Comes de *Arundele*, dominus *Johannes Cobham*, dominus *Ricardus le Scrope*, & dominus *Johannes de Enroſe*. Et dederunt eis licentiam & poteſtatem ad inquirendum, tractandum, diffiniendum, & determinandum de omnibus negotiis, cauſis, & querelis emergentibus à tempore *Edwardi* tercii avi regis *Rieardi* uſque in præſens, tam in regno quam extra regnum in remotis. Similiter de expenſis regis & miniſtris, & de omnibus quibuſcumque aliis pro tempore ſibi aſſignato emergendis; feceruntque dictos conſiliarios dominos jurare ad ſancta Dei evangelia juſte & fideliter regulare omnia onera & negotia incumbentia regi & regno, & juſtitiam facere cuilibet petenti ſecundum gratiam & ſcientiam à Deo ſibi datam. Similiter & rex ſacramentum juramenti præſtitit ſtare ordinationi eorum & eos fovere in ſuis agendis, & nullum articulum poteſtatis eorum revocare; ſet firmum & ſtabile habere quicquid prædicti conſiliatores fecerint & ordinaverint durante tempore illis aſſignato. Et ſi contingat quod omnes ſimul in quocumque negotio adeſſe non poterunt aliunde occupati, ſaltem vj. eorum cum tribus officiariis regis prædictis audire poterunt, inquirere, tractare, & determinare quamcunque cauſam contingentem ſive citra mare ſive extra quocunque titulo emergente ubicunque rex facere habuerit, ſicut ad plenum infra patebit. Similiter ordinatum eſt quod ſi quis regem conſuluerit aliquid de poteſtate eorum revocare in tempore ſuccedente, licet rex nichil revocaverit, ſi ſuper eo veriſimiliter convinci poterit, omnibus bonis & poſſeſſionibus privabitur; & ſi ſecundo tale quid attemptaverit, tractus per civitatem tanquam traditor publicus regis & regni ſuſpendetur, ſicut infra patebit in ordinatione. Et ut rex majorem benevolentiam & favorem adhibebit in præmiſſis conceſſerunt ei dimidiam decimam de ſpiritualibus, & dimidiam quindenam de temporalibus ſolvendas ad feſtum Purificationis proximo ſequens, ſub conditione tamen quæ infra patebit. Similiter conceſſerunt regi dimidiam decimam de ſpiritualibus & dimidiam quindenam de temporalibus ſolvendas ad feſtum ſancti *Michaelis* proximo ſequens, ſi neceſſe fuerit per viſum prædictorum conſiliatorum ſi cætera conceſſa non ſufficerent ad ſupportandum onera incumbentia medio tempore regi & regno. Similiter conceſſerunt regi de quolibet dolio vini intrante regnum *Anglia*, & de quolibet dolio exeunte de regno tres ſolidos. Item, de libra cujuſcumque mercimonii intrante regnum vel exeunte de regno xij.d. tam de indigenis quam de extraneis, ſolum exceptis lanis, coriis, & pellibus.

Sequitur Commiſſio de antedictis articulis &c.

“REx *Ricardus &c.* A touz ceux que ceſtez
“lettres verront oue oyront ſaluz. Nous
“avoms certeingment conceux de la grevous com-
“playnt dez ſeigneurs, communes de noſtre realme
“en ceſt preſent parliament aſſemblez qe noz pro-
“fites, rentes & revenues de noſtre realme per ſin-
“gulere & non ſuffiſaunt conſeile & male guver-
“naile ſibien daſcunes nadgars noz grandez officers
“come diverſez altres perſones eſteaunt entour no-
“ſtre perſone ſunt en taunt ſuſtrez degaſtez & eſloi-
“gnez donez grantez & alienez deſtruez & male-
“ment deſpenduz, que nous ſumes taunt enpoverez
“voidez & nuez de treſoure & davoire & la ſub-
“ſtance de noſtre corone a taunt amenuſe & deſtrut
“qe leſtate de nous et de noſtre hoſtiele ne poet ho-
“nurablement eſtre ſuſtenuz come affiert, ne lez
“guerres que ſe abundent tout environ noſtre realme
“de joure en altre maintenuz ne governez ſanz treſ-
“grandes

« grandez et outraiouſes oppreſſiones et inportablez chargez de noſtre dit poeple, Et auxint qe lez bonez leyes, eſtatutz et cuſtomes de noſtre dit realme as queux nous ſumes aſtructez et obliges de tenir ne ſont ne ont eſte duement tenuz ne executz, ne plein juſtice ne droit faitz a noſtre dit poeple, perount pluſours deſherityſons et aultres treſgrandez meſchiefs et damagez ſont avenuz ſi bien a nous come a noſtre dit poeple et a tut noſtre dit realme. Et nous al honour de Dieu & pur le bien de nous & de noſtre dit realme & pur le quiete & relevacion de noſtre dit poeple qont eſte grantement chargez en pluſours maners devaunt ſez oeures voillauntz ove la grace de Dieu contre tieux meſchiefs mettre bone & due remedie, Si avons de noſtre franche volunte & a la requeſt dez ſeignurs & communes ſuiſditz ordeignez & aſſignez noz grantz officers, ceſt aſſavoyre noz Chauncelere, Treſorer, & Gardeyne de noſtre privey ſeale tieles come nous tenoms bonez & foiales & ſufficiauntz pur le honour & profit de nous & de noſtre dit realme. Et outre ceo de noſtre auctorite real certeine ſcienes bone gre & franche volunte & per avys & per aſſent dez prelatz ſeigneurs communes ſuſditz en pleyne parliment en eyde de bone governaunce de noſtre realme & bone due execution de nous ditez lieges & en relevement del eſtate de noz & de noſtre poeple en temps avener confyantz pleinement de le bone avyſement ſcen & diſcretion de lez honurablez pieres en dieu *William* ercevesk de *Canterburz*, *Alyſaundre* erceveske *Deverwyk*, noz treſchers uncles *Edmond* duc *Deverwyk*, & *Thomas* duc de *Glouceſtre*, les honurables pieres en dieu *William* eveske de *Wynceſtre*, *Thomas* eveske de *Exceſtre*, & *Nycol* abbe de *Waltham*, noz chiers & foialx *Ricard* count *Darundell*, *John* ſeigniour de *Cobbeham*, *Richard le Scrope*, & *John Devereux*, yceux avoms ordeinez aſſignez & deputez ordeignoms aſſignoms & deputoms deſtre en noſtre grant conſeile & continuele per un an entiere proſchen apres la date de ceſtez a ſurveire & examiner oveſke noz ditz grandes officers ſi bien leſtate & governaile de tut noſtre realme & de tutz noz officers & miniſtrez de quequonkes eſtate degre oue condicion quils ſoient deinz noſtre hoſtiele come hors, & de enquerre & de prendre informacion per touz lez voyes qe mult meillour ſemblera dez toutz lez rentez revenuz & profitez qe nous appertenent, & ſont duez & duſſent apertinere eſtre duez ſi bien deins noſtre realme come dehors en quecumque manere oue condicion. Et de toux maners de donns grantz alienacions & confirmacions per nous faitz dez terres tenementz rentez annuitez profites revenuz gardez mariages eſchetez forfactours franchiſes libertees, voidauncez de erceveskes eveskes abbaties & prioures, fermes dez maiſons & poſſeſſiones dez alienes & de touz altres poſſeſſiones commes dez jurez biens & chateux & dez altrez choſes quequonkes & a queux perſones & per quele cauſe & coment & en quele manere & nomement dez queux perſonez qe lont pris ſanz deſert. Et auxint dez revenuz & profites qeconques ſi bien de noſtre dit realme come lez terrez ſeigniories citees vylez chaſteux forcereſſez & queconques noz altres poſſeſſiones ſi bien de cea la miere come de la, et de lez profitez et moloumentz de noz monoyz et billions, et de la priſe de priſonners villez lieux niefs caraks biens et ranſons per miere et per terre, et dez beneficez et altres poſſeſſiones dez Cardinalx rebelx et touz altres aliens et auxint de aſportes de monoye hors de noſtre realme per les collectours de Pope procuratours dez cardinals *Lumbardez* et altres perſones queconques ſi bien alienz come deniſzeins, et dez lez emolumentz et profitez provenantz et ſourdantz de cuſtomes et ſubſidez dez leynes quirs et peals lanuz et de lez petitz cuſtomez et altrez ſubſidez dez draps vinez et touz altrez marchandiſes et dez dymez quinſimez et touz altres ſubſidez et charges grantz per le clergie et de le commune, et auxint de lez profitez et payments del hampere de noſtre Chancelerye et dez qeconqes noz altres rentez de temps de noſtre coronement tanqe encea. Et dez feez gages et rewardus dez officers et miniſtres greindrez et meindres, et auxint de annuites et altres rewardus grantez et donnz faitz as aſcunes perſones per nous et per noz powere et ayele en fee oue a terme de vye ou en aſcune altre manere. Et ſi gree ou payment lour ent ſoit faite et per queux et en quele manere, et comebien ils ont releſſez oue donez as officers et altres pur avoire lour payment, et as queux perſones, coment et en quele manere. Et dez terrez tenementz rentez revenus et forfaitours bargainez et vendez a prejudice damage de nous et de noſtre corone; per queux et as queux et coment et en quele manere, et de vent oue bargaine de tailez patentez pur ſingulere profite ſi bien en temps de noſtre dite aiel come de noſtre temps per queux perſones. Et enſement dez lez jocalx et biens qe furent a noſtre dit ayel en temps de ſon morant, et queux et de quele pris ou value et oue y ſont devenuz, et coment et en quele manere, et de touz chevaces a nomement faitz a noſtre oeps per qeconques perſones. Et de touz lez perdez damages qe nous avoms eux et ſuſtenuz per yceles. Et per queux perſones et coment et en quele manere; Et de chartres et de perdons generales; Et auxint dez le communes paymentes et manere dez diſpenſes ſi bien de noſtre dit hoſtiele come pur la ſalvacion de noz realme terrez ſeigniories villes chaſteulx forcereſſes et altres lieux de cea la miere, et de la faitz et reſcus per qeconques perſones ſi bien ſoldiers come altres et per qeconqe voye, coment et en quel manere et come bien ils ont donez pur avoire loure paymentz et de couſement de noz droitez profites et per queux coment et en quele manere. Et de maintenours de querellez et duſtres denqueſtes et dofficers et miniſtres fait per brocage et de lours brogours, de ceux qont pris le brogage et comment et en quele manere. Et de touz lez defautes et meſpriſons faitz ſi bien en noſtre dit hoſtiele et noz altres courtes places et leux ſuſditz come en touz altrez lieux deinz noſtre realme per qeconques perſones perount lez profites de nous et de noſtre corone ount eſte eſpeires et amenuſes ou la commune leye deſtourbez et delayez, ou altrement damages a nous avenus. Donauntz et comettanz per yceſtes de noſtre auctorite et per avys et aſſent deſſuſditez a noz ditez conſeillers, ſys de eaux, et a noz grandez officers avantditez plein pouare et auctorite generale et eſpeciale dentre noſtre dit hoſtiele et touz lez officez

« de

Ricard. II.

« de cel et touz noz autres courtes places leux a
« tant de foit come lour plerra, et de faire venere
« devant eaux ou et a tant et quant lour plerra rolles
« et recordes et altres minumentz et evidencez teux
« come lour ſemblera, et touz lez defautes gaſtez et
« exceſſez troverez en dit hoſtiele, et auxint touz de-
« fautes et meſpriſones troverez en les altres courtes
« places et leux officers et miniſters ſuſditz, et en
« touz lez altres articles & poyntes deſſuſe nomez
« & cheſcune de cell, & auxint touz altres defautez
« meſpriſons & exceſſes faucynes deceytes extorci-
« ons oppreſſions damages & grevaunces, faitz en
« prejudice damage & deſtreſſe de nous & de noſtre
« corone & leſtate de noſtre dit realme en general
« & en ſpecial nient expreſſes ne ſpecifies peramont,
« amendre corrigere reparere redreſſere reformere
« & mettre en bone & due eſtate & eſtabliſſement,
« & auxint doyere & receiver touz maners dez
« playntes & quereles de touz noz leages qe vorront
« ſuyt & ſe pleyndre ſi bien pur nous come pur lour
« meſmes devaunt noz ditez officers conſellours, &
« de touz manerez dez dures oppreſſiones & de in-
« juriez tortz & meſpriſonez queux ne purront bo-
« nement eſtre amenduz ne termines per la courte de
« la commune lay de la terre avant uſee, & de ent
« doner et affaire bone & due remedie & recovere ſi
« bien pur nous come pur noz lieges ſuſditz, & a
« touz lez choſes avauntditz & cheſcune de eaux
« pleynement diſcutere & finalment terminere & de
« en faire pleyn execution ſolone ceo que lour ſem-
« blera meult pur le honour & profite de nous & de
« noſtre eſtate & renditegracion dez droitez & pro-
« fitez de noſtre dite corone & meillour governance
« de la paix & lois de noſtre terre & relevement de
« noſtre people dit. Voilaunt auxint qe ſi diverſite
« oue variance de oppinions ſourde oue aveigne en-
« tour noz dit conſeillours & officers qe jugement
« oppinion de grendre partie eit force certeine leux.
« Comandantz & chargauncez a touz Prelates,
« Ducs, Contes, Barones, Seneſcalles, Treſorere &
« Controllour, & touz altres officers de noſtre ho-
« ſtiele, Juſticez de Bank & del altrez officers mi-
« niſtres & liges queconques, qe a noz ditz conſeil-
« lours & officers en la manere avaunt ſoient enten-
« dantz obeyſauntz conſeillauntz & aydantz ſi ſo-
« vent & per manere come noz ditz conſeillers &
« officers lour ferront aſſavoire deper nous. En te-
« moignance &c. Don ſoutz noſtre grande ſeale
« xix. jour de Novembre.

« Sur quoy noſtre ſeignour le Roy voillant qe
« corrections & redreſſes dez defautes & meſpriſons
« deſſuſditz puiſſent eſtre pur ſon profite de ſon
« realme en ceſte parliment la forme deſuſditz mys
« en due execution ſanz eſtre enfrentz oue deſturbez
« per aſcune; de laſſent de ſeigneurs & de la com-
« munalte de ſon dit realme en ceſt preſent parly-
« ment ad ordyne & eſtable, qe cheſcune de lez
« lieges greindre & meindre de quele eſtate oue con-
« dicion qil ſoit ſoit entendant & obeiſant en quanke
« toche lez articlez ſuſditz & cheſcune dependantz
« du cellez a lez avantditz counſeillers & officers
« en la forme ſuſdite. Et qe cheſcune qe ſerra ajuge
« devant eaux come convict de aſcunez defautz oue
« meſpriſons ſuſditz prigne & receyve ſanz debate
« et faire tiele correccion come luy ſerra per lez
« conſeillers et officers avantditz en la forme ſuſdite
« ajuge; et qe nulle perſone de quele eſtate nacion
« oue condicion qil ſoit greindre ne meindre ne don-
« ne a noſtre ſeigneur le Roy en prive oue en apert
« conſeille excitation oue mocion peront qe noſtre
« ſeigneur le Roy repele lour pouare deinz le temps
« ſuſdit en aſcune poynte oue face riens contrariez
« de ſon dit graunt oue de aſcune dez articules ſuſ-
« ditz. Et ſi aſcune perſone greindre oue meindre
« de quele eſtate ou condicion qil ſoit face con-
« trarie lez ordinance et eſtablement deſſuſditz, oue
« procure oue face choſe queconque en aſcune ma-
« nere peront lez ditz conſeillers et officers ſoient
« deſturbez en aſcune poynt ſur le exercite de lour
« pouare avantdite, ou qe excite oue procure noſtre
« dit ſeignur le Roy a faire oue comandere choſe
« queconke peront le pouare dez ditz conſeillers of-
« ficers oue le execution de lour jugement et agar-
« dez en ycelles ſoit defaite en aſcune poynt, et ceo
« ſoit duement prove per bones et veroies teſmoignes
« qe ſoient notoirement de bone fame et condicion
« nyent ſuſpectes covenablement examines devant le
« Roy et lez conſeillers et officers deſſuſditz, priſez et
« a eux aſcunes dez Juſticez du lune Banc oue de
« lautre oue altres ſages pris de la leye tieux come
« plerra as ditz conſeillers et officers, eit tiele pe-
« nance, ceſt aſſavoire, a primer foith quil ſerra iſ-
« ſint convicte forfaite touz ſez biens et chatieux a
« Roy et nyent meyns ſoyt en priſone a la volunte
« de Roy. Et ſi aſcune perſone ſoit duement atteint
« en la forme ſuſdite de conſeile excitacion oue mo-
« cion donne a Roy de faire la contrarie de ſon
« grante come deſus eſt dite tout ne face le Roy ri-
« ens per tiele conſeyle excitacion oue mocion, un-
« core il avera tiele penance come deſſus eſt dit. Et
« ſi il aveyne qe dieu defende qil ſe porte en apres
« qil ſoit autre foith atteynte come deſſuſe daſcunes
« dez defautes oue meſpriſones avantditz, adonques
« eit la dit perſone al ſeconde foith iſſount convictez
« oue atteynte la penance de vie et de membre, ſa-
« veth totefoith dignitees pontificales et privilegees
« de ſeynt eſgliſe et clericale oue totez lez choſez
« avantditz. Et que ceſt eſtatute teigne force et ef-
« fecte durant la dite Commiſſione tout ſoulement.

Ricard. II.

R*icardus* Dei gratia rex *Angliæ* et *Franciæ*, et dominus *Hiberniæ*, Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis quod domini magnates et communitates regni noſtri *Angliæ* quædam ſubſidia nobis in præſenti parliamento noſtro conceſſerunt ſub certis modo et forma in quadam cedula nobis in eodem parliamento per communitatem prædictam liberata contentis, Cujus quidem cedulæ tenor ſequitur in hæc verba. *AL HONOUR de Dieu & pur le honour & bien de noſtre ſeigneur le Roy, & pur le bien commune & en defenſe du realme* Dengletiere *lez ſeignieurs et les communes du meſme le realme eſteantz en ceſt preſent parlement ount grauntes a noſtre dit ſeigneur le Roy une demye diſme & demy quinſyme a lever dez leis gentz du realme a* Chandiliere *proſcheyn venant per maner come ad eſte acuſtumez a eſtre a lever avaunt cez oeures, & aux ils ont grantez pur lez cauſez ſuſditz & pur deffenſe de la miere & ſalvacion dez marchaundyſes, de cheſcune tonelle de vyne entrant en meſme le realme ou iſſaunt hors du cel* iij.s. *& de la livre de touz altres maneres de marchandye entrant en la realme oue iſſaunt hors du ycell, hors pryſe leyns quirs & peaux lannuz ſibien de forens* *come de deins nient contre eſteaunt aſcune chartre oue patent fait a contrarye* xij.d. *Et per la om a parlyment tenuz a* Weſtmonſtier *lan du reigne noſtre dit ſeignur le Roy neofiſme certeyne ſubſide dez leyns quirs & peaux lanutz eſtoire grantez per lez ſeignurs communes a prendre de le feſte de ſaynt* Piere *ad vincula darreyne paſſez tanqe a le feſt de ſaynt* Piere *ad vincula proſcheyne avener, ore lez ditz ſeignurs & communes en ceſt preſent parlyment grantent la dite ſubſidye a durere de le dit feſt de ſeynt* Piere *ad vincula proſcheyne venant tanqe a le feſt de ſeynt* Edmonde *le martyr proſcheyne enſuant, & de meſme le feſte de ſeynt* Edmonde *tanqe a le feſt de* Nowell *lors proſcheyne enſuant ſi ne ſoit nule parlement tenuz en le meſme temps. Et outre ceo lez ditz ſeigneurs & communes ont grantes per lez ditz encheſons une autre demy diſme & demy quinzime a lever dez lez lays gentz a la quinziſeme de ſeynt* Michele *proſcheyne venant ſur certeyne condicion, ceſt aſſavoire, qe ſi lez ditz grauntez ſauns la dit darrayne demy diſme & dimy quinziſme oveske autres biens le Roy purront ſuffiere pur lez chargez & defenſez du realme per une an proſcheyne a vener per la diligence & bone ordinaunce dez lez honurables pieres en dieu* William *erchevesk de* Canturbiers, Alyſaundre *erchevesk* Deverwyk, *& les uncles le Roy* Edmond *duc de* Everwyk, Thomas *duc de* Gloceſtre, *& lez honurables pieres en dieu* Wil. *evesk de* Wynceſtre, Thomas *evesk de* Exceſtre, *&* Nichol *abbe de* Waltham, Richard *cont de* Arundell, Johan *ſire de* Cobham, Richard le Scrope *chivaler, &* John Devereux *Chivaler, &* iij. *officers le Roy, ceſt aſſavoire Chauncelere, Treſorere, & Gardeyne de privey ſeale, ordeynez & aſſignez per noſtre dit ſeigneur le Roy per ſa commiſſion enſeale ſoutz ſon grante ſeale de ſa auctorite real certeyne ſcience bone gre & franche volunte & per avis dez prelatez ſeignurs & communes en ceſt preſent parlyment, en eyde de bone governaunce du realme & bone & due execution dez leys & en relevement del eſtate du Roye & de ſon poeple en temps avener deſtre de continuele conſeylle de noſtre dit ſeignur le Roy: Jadunques meſme la darreyne demy diſme & dimy quinziſme ne ſoyent pur nule qeconqe voye aſcunement coyllez ne levez ne nule commiſſione faite pur lez coiler ne lever, & qe nule altres ſoyent aſſocies oue aſſignez a lez ditz ſeignurs forſque ceux que ſont ore nomes en la dite commiſſione. Touz lez quelez grauntez les avaunt ditez ſeigneurs & communes ount faite a ceſte foith ſur lez condicions enſuantz; ceſt aſſavoyre qe ſi la poar done a ditz ſeignurs per la commiſſione ſuſdite ordeignez deſtre del continuele conſeyle tote deſus ſoit en aſcune manere repelletz ou defaitz; oue ſi meſme les ſeignurs de dit conſeile ſoient per aſcuny qi qe ſi ſoit ou en aſcune manere deſturbez qils ne purront franchement uſere ne faire pleyne execution de poer a eux comiz, per la dit commiſſione & cheſcune poynt de ycele, ſicome meult lour plerra & meult lour ſemblera pur le honour & profite le Roye & ſon realme, perount ils surſeyent & ceſſent outrement de la faire, qe del hors la leve & demande devant ceo qe adonques remandra a lever per force ou colour dez ditz grantez ceſſent outrement pur touz jours, & en ceo caſe briefs ſoyent mandez per my tote la realme en cheſcune counte as coyllours de touz lez ditz choſes enſi grantez qils surſeyent de queqonke leve ent affaire per vertu dez grantes avantditz qe per meſmes lez briefs ils enoynt lour finale deſcharge en leſchekere. Et que lettres patentes ſoyent faitez a cheſcune conte deſoutz le grante ſeal ſanz rien payere pur le fee du ſeale oue ſcriptoure de cell, recitantz la cauſe, le maner & lez condicions de touz lez grauntz avantditz. Et qe leſtaple dez leyns quirs & peaux lanutz ſoit ordeigne en la haſte que purra bonement per lez ſeignieurs & officers ſuſditz pur la greindour profite du Roy & du realme.*

Nos autem tenorem cedulæ prædictæ ad inſtanciam dictæ communitatis tenore præſentium duximus exemplificandum. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud *Weſtmonaſterium* viceſimo octavo die Novembris anno regni noſtri decimo.

Dominus *Willielmus Bewchamp* poſt natale Domini cepit xiiij. naves regis *Francia* tendentes verſus *le Sclus*, quarum una onuſta erat pro magna parte cum ferrura equorum, & una alia cum cera facta in torchiis, cereis, & talibus, & reliquæ cum aliis neceſſariis quæ rex *Francia* paraverat pro ingreſſu ſuo in terram *Anglia*, ſicut plenius patet ſupra. Eodem anno poſt principium apud *Leyceſtriam* centum quarteria ordei vendebantur pro centum ſolidis. Rex venit juxta *Leyceſtriam* per pratum epiſcopi & portam abbathiæ, & regina cum eo in craſtino ſancti *Valentini*, & pernoctavit cum domino *le Bewmont* apud **Bewmaner**, & tendebat verſus *Eboracum* ad ſedandam quandam diſcordiam ortam inter archiepiſcopum *Eboraci* & cives civitatis. Cauſa igitur hujuſmodi cum luculento conſilio ad plenum regaliter diſciſa, reddidit rex civibus quaſi in omnibus votum ſuum. Fuerat autem & magna diſcordia longo tempore inter dictum archiepiſcopum *Alexandrum Nevyll* & collegium cathedralis eccleſiæ *Eboraci*, & inter ipſum epiſcopum & collegium *Beverlacis* eccleſiæ; quod quidem collegium quaſi funditus per malitiam exterminaverat, & canonicos inde ejecerat fructuſque & proventus eccleſiæ cum armatorum manu longo tempore ſibi uſurpaverat: ſet quia lis mota ab utraque fuerat, rex noluit in cauſa eccleſiæ ea vice ſe intromittere. *Ricardus* Comes de **Arundell** marearchus aſſociato ſibi Comite de **Devenſchyre** & Comite de *Notyngamia* tunc juvene, circa feſtum Annunciationis beatæ *Maria* audito quod navigium *Francia* & *Flandria* diverteret ſe de *la Rochel* cum vino, feſtinato claſſe exivit in occurſum eorum, & magnanimiter debellans in fugam vertit, & cepit lvj. naves cum vino. Et iſtis navibus in *Angliam* ſub cuſtodia tranſmiſſis, ipſe cum ſociis inſequebatur inimicos & iterum fortiter pugnavit cum eis, expugnatiſque illis cepit ſexaginta decem naves cum vino. Summa navium captarum centum viginti ſex. In quibus æſtimabatur de vino de *Rochel* quaſi inter duodecim & treſdecim milia vaſorum. Similiter in prædicto conflictu captus eſt marearchus *Flandria* cum multis aliis. Interim rediit marearchus in *Angliam* cum ſociis ſuis ad refocillandum ſe & ſuos letaliter pro magna parte læſos & vulneratos, & poſt paululum rediit ad mare remgoratus pluribus novis hominibus, & direxit aciem navigii ſui verſus *Britanniam* ad villam de *Breſt* jam ſecundo per ducem *Britannia* obſeſſam. Dux *Britannia* fecerat unum baſtile de meremio à parte maris ad retrahendum eis ſubſidium victualium ex parte aquæ, & duo baſtilia de

Ricard. II. lapide à parte terræ ad retrahendum eis ſubſidium ex illa parte. Veniens igitur ibi dictus Comes de **Arundell**, primo cepit baſtile ſuper aquam, fregit & funditus ſubvertit, & unum baſtile ſuper terram cepit & funditus dilapidavit, villamque de victualibus quæ in eis erant pro biennio ſequenti luculenter inſtauravit, & præcipue de ſale. Comes de *Notyngamia* non erat cum eo iſta vice. Rediens igitur dictus Comes de **Arundell** in *Angliam* cepit plures naves; perrexerat eciam in *Flandriam* in portum de *le Sclus*, & ibi cepit naves de *Flandria* & quaſdam de *Scotia* quæ ibi applicuerant. Et aſcendens in terram ſpoliavit, vaſtavit, & incendio tradidit quaſi per decem leucas regionem. Interim dominus *Hugo le Dyſpenſer* volens ulterius in portu conſcendere in navi cum ſuis & refluente aqua & deficiente quaſi infortune captus eſt, ductuſque eſt *Pariſius* ad regem *Franciæ*. Sicque captæ ſunt inter feſtum Annunciationis & feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ* circiter centum ſexaginta naves opilenter refertæ.

Menſe Julii dominus *Robertus Treſilien* venit ad villam de **Coventre**, ſeditque ibi de banco regis per menſem, & addictati ſunt coram eo circiter duo milia de patria. Priorque de *Coventria* paſſus eſt magnum detrimentum de uno meſuagio ad redditum viginti quatuor marcarum, quod conſtruxerat in villa de *Coventria* ſine licentia regis; ſet non amiſit hac vice quia ponebatur in reſpectum ad conſilium regis. Eodem tempore venit rex & regina ad villam de *Coventria*, ibique aliquandiu moram trahens, adeo placatus eſt quod ratificavit duas cartas de antiquis libertatibus villæ de *Coventria*. Et de novo conceſſit eis, quod Major villæ poſſit habere hominem portantem gladium cum ornatu aureo coram eo ad modum *Londonienſium*, cum aliis pluribus libertatibus de novo gratioſis. Apud *Leyceſtriam* quarterium frumenti vendebatur pro ij.s. quarterium ordei ij.s. quarterium ſiliginis xij.d. quarterium piſarum xij.d. lagena vini rubei pro vj.d. lagena vini albi de *le Rochel* pro iiij.d. murrena damarum ferarum.

Rex & regina pernoctabant apud **Groby** xiij. kalend. Septembris. Eodem tempore venit rex apud **Scheneſbery**, & ex præcepto regis convenerunt ibi quidam de Juſticiariis regni. Quos interrogaverunt antedicti ſeductores regis, ſcilicet *Alexander* archiepiſcopus *Eboracenſis*, *Robertus Ver* dux *Hiberniæ*, *Michael de Pole*, *Robertus Treſylyen*, & cæteri ſocii eorum; ſi poſſet ſtare cum jure regni quod rex poſſet obviare & reſiſtere ordinationibus de rege & regno in ultimo parliamento conſtitutis per proceres & communes regni cum regis aſſenſu, tamen, ut dicebant, in hac parte coacto. At illi reſponderunt regem poſſe tales ordinationes adnullare & mutare ad libitum pro meliori factione quia ſupra jura. Et dixerunt, Plura fuiſſe per ipſos in eodem parliamento decreta & per judicium ſuum declarata, quæ ſi jam non eſſent judicata, per ipſos de cætero non forent judicanda nec eis aſſenſum juris præberent. Tunc juſſi ſunt omnes Juſticiarii convenire apud **Notyngham** ad conſilium regis ibidem in proximo celebrandum. Tunc rex adiit in partes boriales, & tandem rediit in Auguſto viſitatis pluribus locis.

Poſt hæc rex venit per **Notyngham** rediens de partibus borialibus, & tenuit apud **Notyngham** concilium in craſtino ſancti *Bartholomei*. In quo fuerunt quinque nephandi ſeductores regis, ſcilicet *Alexander* Archiepiſcopus *Eboracenſis*, dominus *Robertus Ver* Dux *Hiberniæ*, *Michael de Pole* Comes de **Suthfolk**, *Robertus Treſylyen* Juſticiarius, *Robertus Brembylle*, Juſticiarii quoque omnes regni juſſi ſunt ibidem accurrere, dominus *Willielmus Skipwith* non erat cum eis infirmitate detentus. Tunc juſſi ſunt Juſticiarii ſigilla ſua apponere ad infraſcriptas quæſtiones, ut exinde ſeductores ſæpedicti caperent occaſionem occidendi ducem *Gloverniæ* & omnes reliquos qui in ultimo parliamento conſtituti ſunt ad gubernationem regis & regni, & omnes in parliamento eis conſentientes in hac parte. Quidam de Juſticiariis renuerunt ſigilla ſua apponere, ſet hoc facere artati ſunt. Dominus *Johannes Belknappe* Juſticiarius cum multa inſtancia renuit. Set Dux *Hiberniæ* & Comes de **Suthfolk** compellebant eum ad hoc faciendum, nam ſi non feciſſet minabantur ei mortem, & manus eorum ut ſibi videbatur non evaſiſſet. Cumque ſigillum ſuum appoſuiſſet, ait, Jam, inquit, michi non deeſt niſi ratis, equus & funis, ut dignam mortem ſuſtineam: ſi vero hoc non egiſſem, mortem manus veſtræ ſuſtinuiſſem. Et quia voluntatem regis & veſtri jam adimplevi, mortem prodicionis erga magnates regni merui; unde in proximo parliamento ſequenti cum ſociis morti adjudicatus eſt, ut patebit.

Quæſtiones propoſitæ Juſticiariis.

MEmorandum, quod viceſimo quinto die menſis Auguſti anno regni regis *Ricardi* ſecundi xj. apud caſtrum de **Notyngham** coram dicto domino rege *Robertus Treſylyan* capitalis Juſticiarius *Angliæ*, & *Robertus Bealknappe* capitalis Juſticiarius de communi banco domini noſtri regis prædicti, *Iohannes Holt*, *Rogerius Fulthorp*, & *Willielmus de Burgh* milites, Juſticiarii ſocii prædicti *Roberti Belknappe*, & *Iohannes de Lokton* ſerviens dicti domini noſtri regis ad legem, in præſentia dominorum & aliorum teſtium ſubſcriptorum perſonaliter exiſtentes per dictum dominum noſtrum regem requiſiti in fide & legeancia quibus eidem domino noſtro regi firmiter ſunt aſtricti, quod ad certas quæſtiones inferius deſignatas & coram eis recitatas fideliter reſponderent ſcilicet & ſuper eis ſecundum diſcretionem ſuam legem dicerent.

Inprimis, Quærebatur ab eis an illa nova ſtatutum & ordinatio atque commiſſio facta & edita in ultimo parliamento apud Weſtmonaſterium *celebrato derogaret regaliæ & prærogativæ dicti domini noſtri regis.* Ad quam quidem quæſtionem unanimiter reſponderunt, quod derogant præſertim eo quod fuerant contra voluntatem &c.

Item, Quære ab eis qualiter ſint illi puniendi qui ſtatutum, ordinationem & commiſſionem prædictam procurarunt. Ad iſtam quæſtionem unanimiter reſponderunt, quod pœna capitali puniri merentur, niſi rex in ea parte voluerit eis indulgere.

Item, Quære ab eis qualiter ſunt puniendi qui regem præfatum excitarunt ad conſentiendum ſtatuti, ordinationis & commiſſionis hujuſmodi factioni. Ad quam quidem quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod niſi eis gratiam rex fecerit ſunt pœna capitali merito puniendi.

Item, Quærebatur ab eis qualem pœnam merebantur illi qui compulſarunt regem ſive arctarunt ad conſentiendum

endum confectioni dictorum ſtatuti, ordinationis & commiſsionis. Ad quam quidem quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod ſunt ut proditores merito puniendi.

Item, Quære ab eis quomodo ſunt puniendi qui impedierunt regem quo minus poterat exercere qua ad regaliam & prærogativam ſuam pertinerent. Ad quam quidem quæſtionem reſponderunt unanimiter, Quod ſunt ut proditores puniendi.

Item, Quare ab eis an poſtquam in parliamento congregato negotia regni & cauſa congregationis parliamenti de mandato regis fuerint expoſita & declarata, & certi articuli limitati per regem ſuper quibus domini & communes regni in eodem parliamento procedere debeant, ſi domini & communes ſuper aliis articulis velint omnino procedere & nullatenus ſuper articulis limitatis per regem donec ſuper articulis per eoſdem expreſſatis fuerit per ipſum regem primo reſponſum, non obſtante quod fuerat eis injunctum per regem in contrarium, nunquid rex debeat in ea parte regimen parliamenti habere & de facto regere ad effectum quod ſuper limitatis articulis per regem primo debeat procedere, an domini & communes primo debeant habere reſponſum à rege ſuper articulis per eoſdem expreſſis antequam ulterius procedatur. Ad quam quidem quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod rex in ea parte haberet regimen, & ſic ſeriatim in omnibus articulis tangentibus parliamentum uſque ad finem ejuſdem parliamenti; & ſi qui contra hujuſmodi regimen regis fecerint, tanquam proditores regis ſunt puniendi.

Item, Quare ab eis, nunquid rex quandocunque ſibi placuerit poterat diſſolvere parliamentum, & ſuis dominis & communibus præcipere quod ab inde recedant an non. Ad quam quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod poteſt; & ſi quis tunc contra voluntatem regis procedat ut in parliamento, tanquam proditor exiſtat puniendus.

Item, Quare ab eis ex quo rex poteſt quandocunque ſibi placuerit removere quoſcumque Juſticiarios & officiarios ſuos & ipſos pro delictis eorum juſtificare & punire, nunquid Domini & Communes poſſunt abſque voluntate regis juſticiarios ipſos & officiarios impetere ſuper delictis eorum in parliamento an non. Ad iſtam quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod non poſſunt; & ſi quis in contrarium fecerit eſt ut proditor puniendus.

Item, Quare ab eis qualiter eſt ille puniendus qui movebat in parliamento quod mitteretur pro ſtatuto per quod Edwardus *filius* Edwardi *regis proavi regis nunc erat alias adjudicatus in parliamento, per cujus ſtatuti motionem & impoſitionem nova ſtatutum ordinatio ac commiſsio ſupradicta fuerint in parliamento concepta.* Ad quam quidem quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod tam ille qui ſic movebat quam alius qui prætextu hujus motionis ſtatutum illud portavit ad parliamentum ſunt ut proditores & criminoſi merito puniendi.

Item, Quarebatur ab eis, An judicium in ultimo parliamento apud Weſtmonaſterinm *celebrato redditum contra Comitem de* **Suthfolk** *fuit erroneum & revocabile an non.* Ad quam quæſtionem unanimiter reſponderunt, Quod ſi illud judicium eſſet modo reddendum, illi Juſticiarii & ſerviens prædicti illud reddere nollent, quia videtur eis quod illud judicium revocabile tanquam erroneum in omni ſui parte, *In quorum omninm teſtimonium juſticiarii & ſerviens prædicti ſigilla ſua præſentibus appoſuerunt. Hiis teſtibus, Reverendis dominis* Alexandro *archiepiſcopo* Eboracenſi, Roberto *archiepiſcopo* Dublinenſi, Johanne *epiſcopo* Dunolmenſi, Thoma Ciceſtrenſi *epiſcopo*, Johanne Bangorenſi *epiſcopo*, Roberto *Duce* Hiberniæ, Michaele *Comite* de **Suthfolk**, Johanne Rypon *clerico*, & Johanne Blake *ſcutifero*. *Dat. loco die menſe & anno prædictis* &c.

Dum rex tenuit concilium ſuum apud **Notyngham** in craſtino ſancti *Bartholomai* marchalſia regis apud **Lughteburgh**. Dominus *Henricus Percy* primogenitus Comitis *Northumbriæ* factus eſt mariſarchus in autumpno. Hic *Henricus* vocatus eſt à *Francis* & *Scotis* **Harre Hateſpore**, quia intempeſtæ noctis ſilentio aliis quieti ſompnii vacantibus ipſe ſupra inimicos indefeſſe laborabat quaſi calcaria calefaciens, quod nos dicimus **Hateſpore**. Hic *Henricus* direxit navigium ſuum verſus villam de *Breſt* in *Britannia* obſeſſam, & liberavit eam ab obſidione, & unum baſtile de meremio ex parte aquæ de novo conſtructum funditus exterminavit, & unum aliud ex parte terræ de lapide conquiſivit, & ejectis inimicis inſtauravit illud de hominibus villæ. Et rediens paſſus eſt detrimentum ſuorum per tempeſtates maris. Xvj. kalend. Octobris rex & regina pernoctabant apud abbathiam *Leyceſtriæ*, & cum eis Dux *Hiberniæ*, Comes de **Suthfolc**, archiepiſcopus *Eboracenſis*, epiſcopus Ciceſtriæ. Die Mercurii & die Jovis dominus *Willielmus Skipwith* Juſticiarius ſedebat apud **Melton Mowbray** ad inſtantiam domini *le Bewmont* ad audiendum & determinandum de parco ſuo fracto ut dicit, & addictavit dominum *Thomam de Erdyngton*, dominum de *Barowe* ſuper *Soram* de tranſgreſſionibus factis de feris & aliis dampnis, & multi alii cum illo addictati ſunt de patria. Et taxatum eſt dampnum per inquiſitores pro domino *le Bewmont* contra prædictum *Thomam de Erdyngton* & ſuos ad mille & centum marcas. Et xiiij. menſis Octobris in comitatu *Derbeyæ* apparuit quædam nubecula quaſi hora ſexta, ut dicebatur, & pluit ſanguinem ad ſpacium quantum eſt jactus ſagittæ in circuitu.

Dominica in quarta idus Novembris rex *Ricardus* venit *Londonias* cum ingenti honore, comitantibus eum auricularibus ſuis reprobis, videlicet *Alexandro* archiepiſcopo *Eboracenſi* cum Cruce erecta præcedente, & domino *Roberto Veer* Duce *Hiberniæ*, *Michaele de Pole* Comite de **Southfolk**, domino *Nicholao Brembulle* de *Londoniis* milite ſubſequentibus. Cui Major *Londoniarum* obviavit cum innumerabili multitudine equitum de civibus, veſtitis omnibus in coloribus regiis, viz. in gownis albi coloris & rubii. Et conduxerunt regem & reginam ad eccleſiam ſancti *Pauli*, & deinde ad palatium ſuum *Weſtmonaſterii*. Nec occurrit aliquem regem *Angliæ* cum honore tantæ multitudinis aliquando receptum fuiſſe in aliqua civitate *Angliæ* tempore pacis. Et dicebatur regem obviaſſe quinque epiſcopis cum ſolempni proceſſione de *Weſtmonaſterio* obviam ei procedentibus, & nec crucem nec clerum conſiderans ſuſtulit viam ſuam. In craſtino ſcilicet in feſto S. *Martini* audivit rex & prædicti auriculares de adventu Ducis *Glouceſtriæ* & Comitum de **Arundell** & **Warwych** prope partes *Londoniarum* cum fortitudine armata adveniſſe: dicti auriculares conticuerunt ymaginantes qualiter eos exterminare poſſent, & timuerunt valde; nec videres per totam diem, ut fertur, aliquam naviculam vel bargiam ſuper aquam *Thameſiæ* laborare. Set omnes in *Londoniis* quaſi attoniti continuerunt ſe ſub ſilentio, quia cauſa adventus dictorum Ducis & Comitum Regem & ſeductores ſuos prædictos latebat, exſpectantes eventum rei. Die martis in craſtino ſancti *Martini* facta eſt proclamatio per totam civitatem per præconem & duos ſergancios regis equitantes, ne quis civitatis ſub pœna foriſfacti auſus ſit vendere Comiti de **Arundell** arma, arcus, ſagittas, nec victualia ſeu aliquid aliud quod ad fulcimentum poteſtatis ſuæ poſſet provenire, & cauſa videlicet quia convenerat Dominos & Communes regni contra regem *Ricardum*. Interea dum rex ſic ſe diſponeret venire *Londonias*, *Thomas de* **Wodeſtoke** Dux *Glouceſtriæ*, *Ricardus* Comes de **Arundell**, *Thomas de Bewchamp* Comes de **Warwyk** videntes quod non poſſent procedere in gubernatione regis & regni ſecundum ordinationem præcedentis parliamenti ad utilitatem communem, impedientibus antedictis fautoribus archiepiſcopo *Eboracenſi*, *Michaele de Pole*, *Roberto Ver* Duce *Hiberniæ*, *Nicholao Brenbulle*, *Roberto Treſſylien* Juſticiario, qui regem ſubduxerant & alienare ſe fecerant à conſilio dictorum dominorum, in magnum gravamen regis & regni; unde circuire fecerunt partes regni per gyrum ne prope eſſet conſilio dominorum ne forte eorum conſilium caperet effectum. Revera non eſt auditum quod aliquis rex giraverit fines regni in tam brevi tempore ſicuti ille fecit illis diebus per eorum nephandum conſilium; unde convenerunt iſti domini tres prænominati cum magna ſtipatione militum, armigerorum, ſagittariorum, & bono apparatu, & apropinquaverunt prope *Londonias* apud **Byſſchopeſwode**, apud **Waltham**, apud **Hakeney**, & in diverſis locis ſe moventes. Interim miſerunt ad regem archiepiſcopum *Cantuarienſem*, dominum *Iohannem Lovell*, dominum de *Cobham*, dominum *Iohannem de Euroſe* & alios. Et petebant ſeductores regis & proditores regis & regni, qui ſeduxerant regem & perturbabant totum regnum tam divites quam pauperes, & ſeminabant diſcordias & rancores inter regem & ſuos proceres, & dicebant ſe ad commodum & honorem regis & regni ad hoc ſolum veniſſe, ut punirentur traditores regis, ne regnum tam citra mare quam extra per eorum ineptum conſilium honore gubernaculi privetur. Proteſtantes ſe in nullo velle cogitare, vel facere ſeu aliquid attemptare quod poſſet derogare profectui aut honori regis vel regni ſui, ſet ſolum ut traditores ammoverentur à latere regis & digne pro meritis punirentur ad terrorem omnium ſuccedentium. Fertur inſuper prædictos quinque fautores ſuggeſſiſſe regi, quod iſti domini qui conſilium & gubernationem regis & regni in præcedenti parliamento acceperant intendunt regem ſubpeditare, & ad voluntatem eorum ipſum ſubicere niſi principiis eorum obſtaret. Et ideo conſiluerunt eum ut cum rege *Franciæ* amicitias provocaret, faceret pacem in tanta neceſſitate, & pro bono pacis redderet regi *Franciæ Caleſiam*, *Gynes*, & *Picardiam*, & omnia quæ habebat rex *Angliæ* in regno *Franciæ* præter *Aquitaniam*, Ut ſic rex *Franciæ* cum manu forti veniret in *Angliam* ad caſtigandum & ſubiciendum inimicos regis indomitos dominos. Et ſimiliter dicebatur, quod quidam valettus mittebatur eodem tempore à rege *Angliæ* ad regem *Franciæ*, de quo nuncio quis erat nondum publicatur, ſet dicebatur ipſum reportaſſe in donis ſibi datis valorem mille marcarum. Similiter dicebatur quod quidam miles *Angliæ* mittebatur domino *Willielmo Bewchamp* capitaneo *Caleſiæ* cum literis ſignetto regis ſignatis, ut redderet ei villam *Caleſiæ*. Eciam dominus *Johannes Goloſre* miles miſſus eſt à rege ad regem *Franciæ* cum literis. Set *Willielmus Bewchampe* capitaneus *Caleſiæ* abripuit ab eo literas, & remiſit in *Angliam* ad Ducem *Glouceſtriæ*. At ille reſpondit, quod cuſtodiam villæ & gubernationem ſibi traditam in præſentia & auctoritate regis & dominorum regni publice & palam, & ideo ſe nolle reddere villam in occulto donec ad eorum præſentiam adveniret. Ad priorem hiſtoriam redeamus. Fertur quendam de hiis qui adhærebant regi dixiſſe, Domine ſurgamus & irruamus inimicos veſtros & circumvallemus eos tanquam gregem ovium, & verberabimus eos quod diabolus lambat coria eorum. Fertur eciam regem interrogaſſe à Majore villæ, quot armatos in brevi tempore paratos poſſent habere in civitate. Qui reſpondens, dixit, Se credere poſſe habere circiter quinquaginta millia in brevila hora. Vade, inquit rex, & quam cicius valebis adduc ad me quot poteris ſine mora. Cumque veniſſet in Civitatem Major in executionem negotii, reſponderunt pro majori parte quaſi una voce & unanimi aſſenſu, Se non poſſe nec velle procedere in pugnam contra amicos regis & regni, & veritatis defenſores, & pauperum in inſtanti negotio, Deo adjuvante, fortiſſimos tutores; ſet contra inimicos regis & regni nunc & ſemper eſſe paratos. Fertur eciam dominum *Radulphum* dominum *le Baſſet* reſpondere regi. Domine ſciatis quod ego ſemper fui, ſum, & ſemper ero veſter legius homo fidelis, & corpus meum & catalla mea veſtra erunt & ſunt in juſticia veſtra & veritate; ſet ſi contingat me in campum venire, ſciatis me velle trahere abſque ambiguitate ad partem veracem & veritatis ſectatricem, nec intendo me opponere ad fracturam capitis mei pro Duce *Hiberniæ*. Fertur eciam Comitem *Northambriæ* dixiſſe regi, Domine Rex, iſti domini in campis ſemper fuerunt vobis fideles, & jam ſunt & ſemper eſſe intendunt, nec in aliquo ſtatui veſtro vel commodo, ſeu honori obviari proponunt, ſet ſenciunt ſe flebiliter gravatos per nequiſſimam imaginationem & falſam oppreſſionem quorundam veſtrorum. Et hoc unum ſciatis abſque vacillatione aliqua, quod totum regnum veſtrum turbatum eſt cum eis in iſta cauſa & inedicibiliter motum, & hoc tam majores quam minores, tam proceres quam communes, & exponere ſe volunt cum eis uſque ad mortis metas.

Rex hiis auditis attonitus expavit, & Comes adjecit, Domine Rex, Vos jam ſtatis in principali loco regni veſtri & in ſede coronationis veſtræ, nunc igitur agatis ſapienter & regaliter, & mittatis eis ut veniant ad vos in publico loco ſolii veſtri ad intimandum vobis cauſam adventus eorum cum tanta multitudine virorum ad partes iſtas; & cum eos audieritis audeo dicere quod habebitis eos plenarie excuſatos. Similiter & archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & epiſcopus *Helyenſis* Cancellarius, & alii epiſcopi & domini inſtabant penes regem, ut delinirent & mitigarent melancholiam ejus erga dominos. Tandem rex favebat voluntati eorum, & cohercuit ſeipſum ab ira concepta, quia in tantum ſubductus erat quod totaliter cauſâ ſuæ perſonalis ſubverſionis dominos ſic veniſſe autumaverat.

Feria quarta poſt feſtum ſancti *Martini* Dux *Glouceſtria* & duo Comites ſentientes quod rex faceret cauſam actam contra v. traditores quaſi ſuam propriam perſonalem per ſeductionem eorundem, ſupponunt quod leviter cives *Londonenſes* per regem ſic allectum & v. traditores ad partem illorum inclinari poſſent, hii qui veritatis tramitem penitus ignorantes & cauſæ cognitionem minime intelligentes, & in præcedenti die audierant in Civitate proclamationem factam, nequis ſub pœna foriſfacti aliquid Comiti de *Arundell* venderet vel miniſtraret unde poſſet confortari vel relevari; ſicut ſupra oſtenditur: Idem domini diſponunt ſe certiorare eoſdem Cives per literam ſuam cauſam congregationis eorum & gravamen plenius continentem, petendo eorum conſilium & auxilium pro juſticia totius regni & conſervatione veritatis.

Copia litera quam miſerunt.

Thomas Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Denglietere* & *Ricard* Count de *Arundell* & de — & *Thomas Bewchamp* Counte de *Warwyk*, as Maire, Viſcont, Aldermen, Cyteſenez & touz lez bonez communes de la cyte de *Loundrez* ſalutz.

Vous faceoms aſſavoire, qe nous avoms eſte ſumes & totediz ſerroms obeyſanz & leaux lieges a noſtre treſredoute ſeignur le Roy, & qe vous ne merveylez de la cauſe de noſtre aſſemble en ceſte manere. Pur ceo qil fuiſt ordeigne per noſtre dit ſeigneur le roy a ſon darreyne Parliament qe certeyne ſeignurs illoeqes ordeignez & jurez pur le honour de dieu & le bien du roy & del realme deverent avoyre la governance de ſon conſayle & del realme & de lors per une an entiere, la quele governance ad eſte & eſt grauntment deſturbez per Alyſaundre *le Erchevek* Deverwyk, Robert Ver *Duc* Direland, Mychele de la Pole *Conte de* **Southfolk**, Robert Treſylyan *fauce Juſtice*, Nichol Brambulle *fauce chyvalere de* Loundrez, *fauz & traytoures touz & cheſcunne de eaux traytoures a Roy & al realme, queux fauſement & traytorouſement ount aloignes le roy & per lour engynes conſeil & mennez la honurable perſone de noſtre dit ſeignur le Roy en diverſez partiez longes de ſoun conſeyle en arreryſment de luy & de ſon realme, & luy ount fauſement conſeyllez encontre ſon ſerment faire diverſez choſez en diſheretyſon & dezmembrance de ſacoronne en poynt de perdre ſa heritage perdela le miere a grant honte & deſtruccion de tut le realme, & fauſement faitez diverſez diſſentez entre noſtre dit ſeignur le Roy & lez ſeignurs de ſon conſayle, ſi qe aſcunez de eux furent en doute & peril de lour vyes, ſi come nous avoms en partye declarez a noſtre treſredoute ſeignur le Roy per lez treſreverentz pieres en dieu lercheveske de* **Canturbery**, *le Duc* Deverwyk, *leveske de* **Wyncheſtre** *& de* **Ely**, *& diverſez altrez ſeignurs grandez del realme, & pluis ferroms ſi dieu pleſt, a tote le realme. Pur queux choſez redreſſere & deſore reſtreynere & lez traytours avant ditz duément puniere come le ley voet, nous ſumes aſſemblez. Vous requiroms & chargeoms par vertue de voſtre legienance qe vous ent facez pleyne proclamation per my tout la cyte queſt noſtre entent & nule altre qe pur lonour profite in ſalvacion du Roy & du realme & dez touz ſez loiaux lieges, & qe vous ſoiez eydantz & confortanz ove tote voſtre devoire & poiare nient favorantz ne en eydantz as traytours avantditz ne a nuly de eaux; ſicome vous voillez le honour de dieu & du Roy & du realme & la ſalvacion de voſtre cytee avant dite. Ceo ne leſſez come vous voillez eſchuere le perille qent purra a vener en temps a venir. Et qe vous nous certifiez de voſtre entente dez ceſtez matyrez y ceo vendreday en tote manere.*

Die veneris proximo ſequente venerunt archiepiſcopus *Cantuarienſis* & Cancellarius, Epiſcopus *Elyenſis* & aliis domini, Quibus juſſum eſt nuncium hoc facere, miſſi à latere Regis, quærentes Ducem & Comites. Et tandem invenerunt eos, & ſalutatis utriſque, fertur tam Ducem & Comites quam Archepiſcopum & ſocios ſuos fidem facere ad crucem Archiepiſcopi *Cantuarienſis* cauſam incumbentem non remittere donec finem congruum & communitati regni utilem inde quandoque optinerent, & ad hoc omnia bona ſua uſque ad ultimum denarium ſe expoſituros promittebant, ac eciam ſi exigentia temporis idem expeteret, corpora ſua uſque ad mortis periculum prodire non formidarent, & ſi aliquis eorũ ab hac vita vel plures ab hac vita diſcederẽt, reliqui viventes bonis eorũ & catallis gauderent in communi donec commune negotium ad finem congruũ perducerent. Præterea Archiepiſcopus & ſocii ſui negocium adventus eorum eis declarantes, & inde qualiter & quomodo in acceſſu ſuo ad regem ſub humillimo vultu & geſtu ſe haberent mutuo conſulerunt. Ventumque eſt ad conſenſum, ut ad regis ſe offerant dominica ſequente præſentiam, & ſe erga Regem de malencholia erga eos concepta integre & plenarie excuſarent, & cauſam gravaminis ſui contra v. ſeductores regis & proditores regni plenius exponerent, & remedium inde ſecundum leges regni ab eo peterent effectualiter aſſequendum.

Dominica igitur ſequenti venit rex in aulam Weſtmonaſterii & ſedit in ſolio regali, & tota domus erat repleta dominis magnatibus & Communibus, & rex exſpectabat eorum adventum quaſi per ſpacium fere duarum horarum. Nam relatum erat Duci & Comitibus quod inſidiæ poſitæ eſſent per viam apud *le* **Mewes** & in hoſpicio archiepiſcopi *Eboracenſis* ut eos raperent, & ideo luſtratis hiis & aliis locis ſuſpectis tandem venerunt ad præſentiam regis comitantibus illos multis dominis magnatibus & Communibus. Cumque intraſſent in atrium videntes regem flexis genibus ſalutaverunt eum, & cum veniſſet ad pedem graduum iterum genu flexo adoraverunt eum. At ille innuit eis manu ut accederent, tunc aſcenderunt ſummum graduum & tunc tercio genu flexo ſalutaverunt regem. Rex vero reverenter aſſurrexit eis, & ſingulis manu ad manum receptis ut moris erat illo tempore in adventu amici ad amicum, iterum reſidebat. Tunc illi ſe integraliter excuſabant erga regem & perſonam regis nichil mali imaginaſſe vel excogitaſſe, cauſamque gravaminis ſui erga quinque proditores regi referebant, & in ſcriptis indentatis plenarie de materia regi tradiderunt. Inde rex publice promiſit eis, quod faceret illos quinque comparere in proximo Parliamento ſequenti & ſtare judicio legum regni, & præfixit eis diem Parliamenti, & vocatur Parliamentum iſtud *Parliamentum ſine Miſericordia* nec alicui miſericordiam faceret ſine conſenſu dominorum. Et ſurgens adduxit eos ſecum in cameram, & biberunt cum eo, & ſic diſceſſerunt. Præterea die Martis ſequenti videlicet xiij. kalend. Decembris præcepit rex fieri proclamationem per mediam Civitatis *Londonienſis* in excuſationem Ducis *Gloceſtriæ* & ſociorum ejus Comitum de *Arundell* et *Warwychiæ* ſub hoc ſenſu licet non plena forma verborum.

Ricardus Rex &c. *Notum facimus omnibus legiis & fidelibus noſtris per totum regnum noſtrum Angliæ diſperſis, quod cum* Thomas *Dux* Glouceſtriæ, Ricardus *Comes de* Arundell, Thomas *Comes* Warwychiæ *diffamati fuerint per quoſdam noſtrorum ſecretorum fuiſſe proditores, nobis & regno noſtro, qui veritatem minus bene ſapiebant, nos igitur ut decuit cauſam hujus diffamationis cum ſumma deliberatione & diligentia non modica librantes & diligentiſſime pro poſſe noſtro veritatem ſub omni integritate conſilii noſtri ad plenum inveſtigantes nichil in eis invenimus actum quod ſuſpicionis nævo vel evidentiæ ſcripulo foret dignum, unde prædictam diffamationem falſam, iniquam, reprobam & omni veritate vacuam integraliter decrevimus declarare, ipſoſque Ducem & Comites bona fama dignos eſſe & omni ſuſpicione hæſitationis innocuos fore teſtificamur, & in quantum in nobis eſt & poſſumus ſic eſſe approbamus, prædictoſque Ducem & Comites in noſtram ſpecialem protectionem deinceps acceptamus. Inſuper & diffamatores eorundem prout ſuſcepimus volumus omnibus innoteſcere per præſentes. Dominus* Alexander *Archiepiſcopus* Eboracenſis, Robertus Ver *Dux* Hiberniæ, Michael Comes de **Suthfolc**, Robertus Treſſylyen *Juſticiarius*, Nicholaus Brembulle *miles de* Londoniis; *Quos utique uſque ad proximum Parliamentum noſtrum in quo habent hiis & aliis ſibi obiciendis reſpondere, ſuſcipimus in noſtram protectionem. Præcipimus inſuper nequis prætextu prætactorum, ut ſupradictum eſt, iſtis vel præantedictis Dominis palam vel occulte, verbo vel opere aliquid moleſtiæ vel gravaminis ſeu obſequii inferat uſque ad tempus præfixum Parliamenti noſtri.* Interim quidam iſtorum nephandorum prædonum acceſſerunt ad regem ingenti audacia dicentes ſe in maximo vacillo vitæ et mortis non pro ſe ſet pro regis comodo poſitos erga magnates et dominos regni, cum rex promiſiſſet ſe producturos eos et alios in proximo Parliamento tam prope præfixo, quia illud fieri non poſſet cum honore regis pro cujus amore talia pericula ſubire deberent; nam dicebant ſe non audere nec poſſe nec velle exponere corpora ſua ad tam evidentes mortis metas. Rex iſta conſiderans retraxit ſe à conſilio ſuo quod tunc *Londoniis* aſſignatum erat pro Parliamento et hiis quæ ad Parliamentum neceſſitantur prævidendis, ſicque conſilium iſtud cum propoſito habendi Parliamentum dilatum eſt et quaſſatum. Interea prædones iſti à latere regis cum maximo pavore receſſerunt, et in diverſas partes fugerunt. *Alexander Eboracenſis* relicto cariagio et omnibus aliis bonis ſuis cum paucis viris in forma ſimplicis ſacerdotis, ut dicebatur, partes boriales quam magna feſtinatione petiit. *Robertus Veer* Dux *Hiberniæ*, ut fertur, cum arcu et ſagittis in pharetra in forma valetti cum quinque aliis valettis ſimili ſcemate *Ceſtriam* fugit, *Michael de Pole* Comes de **Suthfolk** *Calociam* petiit, et ut dicebatur barbam et caput à capillis per raſuram denudavit, ſimulans ſe *Flandricum* pultarium cum caponibus in calatho, id eſt **a paynen**, cum quibus acceſſit ad portas Caſtelli *Caleſiæ* quaſi volens in caſtello vendere capones ſuos. Cujus cauſa erat quia frater dicti *Michaelis* ſcilicet *Johannes de Pole* capitaneus fuit eodem tempore prædicti Caſtelli, ſet præcognitus à quibuſdam captus eſt per *Willielmum Bewchamp* capitaneum *Caleſiæ*, qui ſtatim abſque mora reduxit eum ad regem *Londonias*. Ob quam cauſam Rex motus eſt contra *Willielmum Bewchamp* et miſit eum in cuſtodiam, ſet poſtea quorundam ductus conſilio dimiſit eum ne videretur id fieri ob cauſam quia noluit liberare villam *Caleſiæ* ad juſſum Regis, ut præmittitur. Et *Michael de Pole* licentia regis abiit viam ſuam verſus partes de *Holle*. Igitur Rex ſic viduatus à conſortio ſuorum auricularium et præcipue Ducis *Hiberniæ* graviter tulit, nec diu potuit ſuſtinere, ſet cito miſit ad Ducem ut ſe feſtinaret ad eum, miſitque ad *Thomam Molynens* qui magnæ poteſtatis erat illo tempore in comitatibus *Lancaſtriæ* et *Ceſtriæ*, et ad vicecomitem *Ceſtriæ* ſub ſecreto ſigillo rogans, et miſit eis eciam Commiſſionem præcipiens ut populum congregarent et conſanguineum Regis et amicum ſpecialiſſimum conducerent ſub omni ſecuritate ad Regis præſentiam, pro labore vel expenſis nullatenus omittens. Tunc iſte *Thomas Molynens* congregavit populos ex omni parte, et ut fertur, qui noluerunt ſecum ire pro zelo Ducis *Glouceſtriæ* et ſociorum ejus mancipavit eos in carcerem, præcipiens cuſtodibus eos vinculis artari, et ut eos uno die parco pane nigro alerent, et altero die tanquam penitus mortis crudelitati adductos ſola aqua contentos facerent, donec de viagio rediret. Mandavit quoque Rex dominum *Radulfum Vernon* et dominum *Radulfum de Radeclyffe* et omnibus aliis magnatibus patriæ, ut aſſumpta fortitudine Ducem regi ſalvo transducerent. Qui collecta multitudine circiter quinque millium virorum ire cœperunt. Quo audito Dux *Glouceſtriæ*, Comes *Derbeyæ*, Comes de *Arundell*, Comes *Warwychiæ*, Comes de *Notyngham* miſerunt in omnes partes regni congregare populum ſuum. Tunc videres ex omni parte regni tam majores quam minores catervatim ſub omni celeritate feſtinare ad eos nulla occupatione impediente. Factique ſunt quaſi una perſona majores et minores plebei et communes contra antedictos regni prædones, clamantes et dicentes, Deleantur de vita ne honor egregius *Anglicanæ* gentis per tales proditores viduetur. Videres quoque orationes mirabili aſpiratione inceſſanter ab omnibus domi remanentibus fundi, proceſſiones ab eccleſia devotiſſime frequentari, & tam ſenes quam juvenes ac mulieres quaſi lacrimabili voce pro pace & tranquillitate regni Chriſti aures ſollicite perſonare. Timebant etenim ne rex brachium auxilii ſui pro duce *Hiberniæ* opponeret contra Dominos & Communes, Quod & ante, ut ſupra patet, fecit per commiſſiones, Et poſtmodum multiplici juvamine pro ſuo poſſe faceret ſi ſe in illo propoſito prodeſſe ullatenus videret. Nam voluntas *Londonienſium* ſtetit cum Dominis & Communibus, ut ſupra notatum eſt. Denique *Robertus Ver* dux *Hiberniæ* cum omni populo ſuo numero quaſi inter quatuor & quinque mille pugnatorum venit in vigilia ſancti *Thomæ* Apoſtoli in comitatum *Oxoniæ*, tendens iter verſus pontem de **Rauecote** quæ diſtat ab **Chepyng Norton** per iv. leucas. Quem pontem ſi forte pertranſiſſet ſecurus ab omni timore fuiſſet de omnibus inimicis ſuis; ſet interceptus eſt à propoſito ſuo. Nam Comes *Derbeyæ* poſuerat Cuſtodes ad caput pontis viros armatos & ſagittarios qui tranſitum Duci prohibuerunt, & pavimentum pontis interruperunt in tribus locis, adeo quod non potuit niſi ſolus eques ſimul pertranſire, ac eciam pro majori ſecuritate pontem in tribus locis peſſulis munierunt. Cumque dux *Hiberniæ* ſic feſtinaret iter ſuum verſus pontem prædictum, non longe proſpexit *Henricum* Comitem *Derbeiæ* cum grandi caterva ſtipatum veloci greſſu proximare. Statim pedem fixit, vexillum regis quod ibi paratum habuerat expandere juſſit & ſuper lanceam erigere, alacri vultu & quaſi læto animo fecit tubis clangere aliiſque inſtrumentis muſicis in altum concrepare, & jocunda voce hortabatur ſuos paratos eſſe ad pugnam iminentem; Quidam vero ex eis pugnare volebant, ſet quidam renuerunt, dicentes, ſe non poſſe quia numero pauci reſpectu adverſariorum, nec audere offendere certamine contra tot dominos & nobiliores totius regni, nec velle ſe tanto periculo mortis quoquo modo immiſcere ex injuſta cauſa. Dux *Hiberniæ* hæc conſiderans urgens equum ſemper antecedebat omnes feſtinato pedè, propoſuit primus pontem pertranſire, & ſequebantur eum populi ſui. Cumque tendiſſet ad pavimentum pontis & vidiſſet illud ſic fractum & armata manu ſic munitum clamavit, Decepti ſumus, & rediens exiluit de equo in quo ſedebat, aſcendit alium curſarium volens effugere adverſarios per ripam fluminis *Thameſiæ*. Et ecce occurrebat ex adverſo dux *Gloverniæ* cum caterva ſua multa nimis, & dux *Hiberniæ* ſic incluſus ex una parte de aqua *Thameſiæ* & ex parte altera ab adverſariis ſuis undique; & Comes *Derbeyæ* prope aderat ad capiendum eum, commiſit ſe fortunæ vitæ vel mortis. Et calcaribus urgens equum rejectis à ſe, cirotecis ſuis & gladio & aliis quæ equum ſuum à gravitate forſan expeditiorem redderent, immiſit ſe in aquam *Thameſiæ*, & ſic mirabili auſu evaſit ab eis. *Thomas Moleyns* volens eum ſequi retractus eſt per dominum *Thomam Mortymer*, à quo & interemptus eſt. Quidam frater de ordine *Minorum* confeſſor ejuſdem ducis ibidem in quadam palude ſubmerſus eſt, cujus equus ſalvatus eſt & captus, cujus famulus captus eſt. In cujus mantica repererunt octingentas libras de nobilis auri exceptis obolis & quadrantibus ut dicebatur. Fertur in eadem palude circiter octingentos viros ſubmerſos fuiſſe de populo dicti ducis, ſcilicet de viris Comitatuum *Ceſtriæ* & *Lancaſtriæ*. Captus eſt eciam ut dicitur unus equus dicti ducis onuſtus cum iv. millibus librarum auri. Et hæc retinuerunt ſibi in expenſas populi ſui. Quatuor dicti domini quoque currus ceperunt bene onuſtos cum precioſis vaſis, aureis, argenteis aliiſque, veſtualibus, lectualibus, menſalibus, utenſilibus, aliiſque bonis neceſſariis, quæ omnia noſtri domini ſibi & ſuis reſervabant. Inſuper & noſtri homines irruerunt in reliquum vulgus & invaſerunt eos tanquam hoſtes publicos, *Ciſtrenſes*, *Lancaſtrienſes*, *Wallenſes*, quos quaſi omnes ſuppreſſerunt, nudaverunt & armis, arcubus & ſagittis, equis, auro, argento & veſtibus uſque ad verecundam nuditatem inverecunde ſpoliaverunt, & ſic egentes anguſtiatos, afflictos fame, frigore & nuditate inanes & miſeros illos in propriam patriam abſq; verbere vel vulnere illæſos remiſerunt; Nam non occurrit plures ibi interfectos fuiſſe quam *Thomam Molyners* & unum valettum & unum puerū, quamplures tamen propria ſtultitia, ut antedictum eſt, ſubmerſos fuiſſe. Igitur noſtri domini antedicti ſic à captione ducis *Hiberniæ Roberti Veer* dolenter fruſtrati, redierunt apud *Oxoniam*, ibique inierunt conſilium de ſuis negotiis agendis. Inde progreſſi ſunt ad ſanctum *Albanum* & ibi moram traxerunt vigilia natalis Domini & die cum populo ſuo. Die ſancti *Stephani* iter dirigunt verſus *Londonias*, & ibi ſe monſtraverunt coram civitate in campo prope **Clarkenwell** cum delectabili & incredibili armata manu, ordinatique ſunt in tribus aciebus fulgentibus, unde reſplenduit aër à claritate refulgoris armorum, & miſerunt in civitatem duos milites & alios ſcutiferos ad Majorem & alios potentiores ut venirent ad noſtros dominos antedictos ad certiorandum eos, utrum vellent ſtare cum eis & cum communibus regni, cum duce *Hiberniæ* & proditoribus regis & regni. Venit igitur Major nomine *Nicholaus de Exton* cum majoribus civitatis, & traditis clavibus portarum civitatis ſubmiſerunt ſe illis, & obtulerunt eis ingreſſum cum omnibus gentibus ſuis. At illi miſerunt duos milites cum aliis ſcutiferis ad explorandum ne forte inſidiæ occultæ laterent in aliquibuſcunque munitionibus ad expugnationem eorum, & cognita veritatis ſecuritate intraverunt cum omnibus ſuis in *Londonias*, & manſerunt ibi. Interim conventum eſt inter regem & noſtros dominos, ut noſtri domini venirent ad colloquium regis apud Turrim tunc degentis. Quod & factum eſt. Nam die Veneris ſequente venerunt ad regem ſedentem in papilione apud Turrim in quadam vinea regaliter cum indumentis aureis ſtrata. Set non eſt prætereundum quod rex miſit eis claves portarum & omnium munitionum Turris ante ingreſſum eorum. At illi miſerunt milites & ſcutiferos qui luſtrarent omnes munitiones præter occultas inſidias. Et ſic tandem cum ſecuritate intraverunt *Thomas de Wodeſtoke* dux *Gloverniæ*, *Henricus* Comes *Derbeyæ*, *Ricardus* Comes de **Arundell**, *Thomas* Comes de **Warwyke**, *Thomas* Comes de **Notyngham**, traditis prius clavibus quibuſdam viris ſecurioribus de ſuis qui cuſtodirent portas dum ipſi inibi eſſent, omni comitatu armatorum cum reliquo vulgo foras extra Turrim in loco plano exſpectante; Cumque iſti quinque domini veniſſent amplexatis mutuo brachiis coram rege, eo ut decebat ſalutato, breviter de negotio ſuo cum allocuti, at rex conceſſit ſe velle favere votis eorum; Et ſurgens duxit eos ſecum in cameram ſuam, ubi prolixe tractabant mutuo de negotiis eorum, & rex videns iminentia pericula favebat petitioni eorum. At illi petebant à rege, quod omnes de curia regis qui de proditione & falſitate ſuſpecti habebantur caperentur et mitterentur ſinguli in ſingulis cuſtodiis caſtrorum regni: Et annuit rex petitioni eorum; quod factum eſt ut infra patebit. Interim Comes *Derbeyæ* alexit regem murum turris petere, et populum congregatum pro ſalvatione regis et regni aſpicere. Quem cum rex vidiſſet mirabatur de tanta tamque præclara multitudine et fortitudine in regno ſuo. At dux *Gloverniæ*, Hic, inquit,

quit, populus non eſt decima pars populi volentium nobiſcum accedere ad deſtruendum et exterminandum falſos proditores regis et regni ejus. Et talibus ſermonibus mulcebant animum regis. At rex rogabat quinque dominos ſecum cœnare et pernoctare. Set dux *Glovernia* volens ſecurius ſe et ſuos ſocios habere, excuſabat ſe dicens, Ne forte eorum populi in tali abſentia eorum male ſe haberent inter ſe aut erga cives Civitatis, & ideo ſe non poſſe ab eis quomodocunque pernoctare. Set inſtante rege Comites *Derbeyæ* & *Notynghamiæ* cum rege & regina ea nocte demorati ſunt. Denique rex *Ricardus* ad inſtantiam prædictorum dominorum juſſit ſuſpectos de curia & familia ſua mitti ad diverſa loca regni, ut infra notatum eſt, cuſtodiendos, in proximo parliamento pro ſuis demeritis reſponſuros, ſcilicet dominus *Symon de Burle*, dominus *Willielmus Elman*, dominus *Nicholaus Dagworth*, dominus *Johannes Golofre*, qui *Johannes* nondum redierat de *Francia*, ut ſupradictum eſt, iſti ſunt milites. Quidam cognomine *Clyfforde* & alius *Slake* clerici, deputati ſunt ad caſtrum de **Notyngham**. Ad caſtellum de **Dovere** deputati ſunt dominus *Johannes Bewchamp*, dominus *Thomas Tryvet*, dominus *Johannes de Saliſbery*, & alius nomine *Lincolne*. Ad caſtrum de **Briſtowe** quidam *Jacobus Bernyrers*, quidam *Medeforde* clericus. Ad caſtrum de *Rowcheſtria Alexander Nevylle* archiepiſcopus *Eboracenſis*, ſet ipſe evaſerat ut antedictum eſt, *Michael de Pole* Comes de **Southfolc** qui ſimiliter evaſerat. Ad caſtellum de *Glouceſtria*, dominus *Robertus Treſylyen* Juſticiarius capitalis *Angliæ*, ſet nondum erat inventus, dominus *Robertus Brembyl* de *Londoniis* amaſius regis, qui invenit manucaptores ſtare juri regni. Iſti ſunt amoti de curia regis, ſcilicet dominus *Iohannes Fortham* Epiſcopus *Dunolmiæ*, dominus *le Bewmont*, dominus *le Sowche*, dominus *le Burnelle*, dominus *le Lovele*, dominus *Thomas Camoys* & filius domini *le Clyfforde*, dominus *Baldewynus Berforde*, Epiſcopus *Ciſtrenſis* Confeſſor regis, domina *le Monne*, domina *le Ponyngus*, domina *le Molynews*.

Quædam forma in ſpecie ignis in multis locis regni *Angliæ* apparuit nunc in una forma nunc in alia quaſi ſingulis noctibus, in diverſis tamen locis, per menſes Novembris & Decembris. Et ſæpe quando quis ſolus gradiebatur, cum illo ibat, & cum ſtante ſtabat. Et quibuſdam apparuit in forma rotæ volubilis ardentis, aliis autem in forma barelli rotundi flammam ignis ſuperius emittentis, aliis vero in forma longi tigni ardentis, & ſic aliis in una forma, aliis vero in alia forma per multum tempus yemis, præcipue in comitatibus *Leyceſtriæ* & *Northamptoniæ* apparuit. Cum vero plures ſimul gradiebantur non ſe eis approximavit ſet quaſi de longe eis apparuit.

Orta eſt gravis diſcordia *Oxoniæ* inter ſcolares, videlicet inter Auſtrales & *Walenſes* ex una parte & boriales ex alia parte iij. kalend. Maii. Et in tantum increvit illa diſſenſio quod pro majori parte ſcolares receſſerunt ſinguli in ſuas patrias, quibuſdam tamen primo occiſis. Quam ob cauſam Cancellarius Univerſitatis per conſilium regis in parliamento jam inſtante depoſitus eſt, & magiſter *Nicholaus Bryztwell* decanus novi operis *Leyceſtriæ* per cœtum Univerſitatis *Oxonienſis* eodem tempore ſcilicet in æſtate electus eſt. In præcedenti quadrageſima factum eſt quoddam caput de cera opere nigromantico ut dicebatur, quod quidem caput tempore ſtatuto loquendi hæc tria verba protulit & amplius loqui deſiit. Iſta ſunt verba: *Primo caput decidetur. Secundo caput elavabitur. Tercio pedes elevabuntur ſuper caput.* Rex *Ricardus* celebravit Parliamentum apud *Weſtmonaſterium* in craſtino Purificationis ſcilicet iij. non. Februarii, & duravit uſque pridie nonas Junii ubi finivit, intermiſſis tamen duabus ebdomadis videlicet à vigilia Palmarum uſque in octabas Paſchæ. Et quidem primo die parliamenti areſtati ſunt omnes Juſticiarii excepto domino *Willielmo Skypwith*, ſcilicet dominus *Rogerus Fulthorp*, dominus *Robertus Bealknappe*, dominus *Johannes Care*, dominus *Johannes Holte*, dominus *Willielmus Borowe*, *Johannes de Locton* ſerviens Regis ad legem. Iſti omnes capti ſunt ſedentes in officio ſuo judiciali, & ducti ſunt apud Turrim, & ſeparatim poſiti ſunt in cuſtodiam ſub hac cauſa. In ultimo namque præcedenti parliamento commiſſa fuit gubernatio regis & regni & omnium arduarum cauſarum emergentium tam infra regnum *Angliæ* quam in omni loco dominii regis ut ſupra plenius patet, per communem aſſenſum regis & procerum, cum conſilio Juſticiariorum legem in hac parte regulantium, Factaque inde fuit quædam indentura tripartita pro majori ſecuritate. Cujus prima pars remanſit penes regem, & altera penes electos gubernatores ſive Conſiliarios antedictos, & tercia penes Juſticiarios, Qui poſtea, ut ſupra patet, contrariaverunt ſuo decreto apud **Notyngham**, propterea, ut infra patet, perierunt. In principio parliamenti per plures dies ſecundum conſuetudinem legis in parliamento dominus *Robertus Veer* dux *Hiberniæ*, dominus *Alexander Nevyll* archiepiſcopus *Eboracenſis*, dominus *Michael de Pole* Comes de **Southfolc**, dominus *Robertus Treſſylyen* capitalis Juſticiarius *Angliæ* vocati ſunt ad reſpondendum domino *Thomæ de Wodeſtoke* duci *Gloverniæ* & domino *Ricardo* Comiti de **Arundell**, & domino *Thomæ* Comiti de **Warwyk**, & ſociis ſuis, domino *Henrico* Comiti *Derbeyæ*, & domino   Comiti de **Notyngham** ſuper articulis ſupra notatis de alta proditione regi & regno per ipſos facta. Qui non comparentes exlegati ſunt. Statutumque eſt communi judicio parliamenti quod deinceps pro ſuo perpetuo non daretur eis gratia redeundi, bonaque eorum mobilia & immobilia, terræ & tenementa foriſfacta ſunt & ſeyſita in manus regis tam ab hiis quam ab hæredibus ſuis. Terræ tamen & tenementa quæ ſub tallia eis provenerant, poſt eorum deceſſum ad rectos hæredes redire ſtatuuntur. In præſenti parliamento quatuor milites *Franciæ* miſerunt & clamaverunt iv. milites *Angliæ* ad haſtiludiam apud *Caleſiam* in forma guerræ. Inter quos dominus *le Bewmont* primo haſtiludiavit cum Camerario regis *Franciæ*, & ſtrenue & nobiliter ſe habuit. Dominica ſequenti dominus *Petrus de Courteney* cum ſuo clamatore, & ſic ſinguli cum ſuis clamatoribus nomen grande inde reportando. Menſe Aprilis draco ardens viſus eſt in multis locis per *Angliam*.

Adhuc hiis diebus floreſcunt & increſcunt *Wycliviani* qui & *Lollardi* dicti ſunt, & erroribus ſuis habundant & inedicibiliter in eis vireſcunt nec in eis adhuc erubeſcunt, ſet tamen impetuoſitate clamoſa aliqualicumque tabeſcunt. Inſuper novos errores antiquis immiſcent. Quidam eciam eorum ad parliamentum ſubmonentur, opprobria eciam & objurgationes multiplices in parliamento & domi inter proximos paſſim patiuntur, nec adhuc ab inceptis deſiſtunt ſet tamen errores ſuos & opiniones ubique prudentius ſolito indefeſſe evomunt, & eis addunt. Quorum quidam hic inſeruntur, quidam quoque ſupra notati hic iterum recitantur.

Opinio prima, Quod papa modernus *Urbanus* ſextus non gerit vices beati *Petri* in terris ſet eſt filius *Antichriſti*, nec erat verus papa à tempore ſancti *Silveſtri*.

2. *Item*, Quod papa non poteſt concedere aliquas indulgentias nec epiſcopi quicumque, Et quod omnes confidentes in hujuſmodi indulgentiis ſunt maledicti.

3. *Item*, Quod papa non poteſt condere Canones decretales ſeu Conſtitutiones, & ſi quos condiderit nullus tenetur eos obſervare.

4. *Item*, Quod ex ſola cordis contritione deletur omne peccatum abſque oris confeſſione, nec requiritur oris confeſſio eciam ubi copia ſacerdotum haberi poterit.

5. *Item*, Quod ymagines crucifixi, beatæ virginis aliorumque Sanctorum nullo modo ſunt venerandæ, immo ipſas vel picturas aliquas quomodolibet venerantes peccant & ydolatriam committunt, & quod Deus non facit aliqua miracula per illas, & quod omnes facientes peregrinationes ad ipſas vel eas aliquo modo adorantes, lumen vel alias devotiones coram ipſis ymaginibus exhibentes, ſunt maledicti.

6. *Item*, Quod non tenet neque ligat excommunicatio Papæ vel Epiſcopi.

7. *Item*, Quod non eſt ſupplicandum Sanctis orare pro viventibus, nec dicenda eſt letania, Affirmant enim Deum omnia facere, ipſos nil facere poſſe quos Sanctos vocamus. Set multos eorum prædicant eſſe in inferno quorum feſta celebrantur.

8. *Item*, Quod non eſt decimandum Rectori exiſtenti in mortali peccato. Nec oblationes aut donationes pecuniales ſunt faciendæ in Purificationibus mulierum, nec in celebrationibus miſſarum pro defunctis.

9. *Item*, Quod presbiteri & diaconi quicunque tenentur & debent populo publice prædicare ratione ordinis ſuſcepti, licet populum non habeant nec curam animarum.

10. *Item*, Quod Papa, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Decani, Officiales, utique omnes perſonæ majores eccleſiæ ſunt maledicti.

11. *Item*, Quod nullus intrabit regnum cœlorum niſi omnibus renunciaverit ea dando pauperibus, ſolum Deum ſequendo modo ipſorum.

12. *Item*, Quod vir vel mulier offerendo ſacerdoti denarium petendo pro ipſo miſſam celebrari, tam ille quam ſacerdos ſic recipiens ſunt maledicti.

13. *Item*, Quod omnia inter clericos debent eſſe communia.

14. *Item*, quod eſt contra ſacram Scripturam quod clerici habeant poſſeſſiones temporales.

15. *Item*, Quod divina officia non ſunt cantanda cum nota, & quod Deus non delectatur in hujuſmodi cantu.

16. *Item*, Quod non licet aliquo modo jurare. *Nota ibi iſti firmandis, nam ſequela cujuſlibet dicti eorum talis erat*, **I am ſykyr? It is ſoth**, *vel ſic*, **withoute doute it is ſo.**

17. *Item*, Quod illud quod fuit panis ante conſecrationem in ſacramento altaris, poſt conſecrationem non eſt corpus Chriſti, ſet ſignum rei, non ipſa res.

18. *Item*, Quod quilibet presbiter exiſtens in peccato mortali non conficit neque baptizat nec confert aliquod ſacramentum.

19. *Item*, Quod non pocius orandum eſt in eccleſia quam alibi.

20. *Item*, Quod feſta Sanctorum, ſcilicet *Stephani*, *Laurencii*, *Margaretæ*, *Katerinæ*, & aliorum Sanctorum non ſunt colenda neque celebranda, eo quod neſcitur ut dicunt utrum ſunt dampnati vel non, nec credendum eſt neque ſtandum eorum canonizationi & approbationi dictorum Sanctorum factæ per Curiam *Romanam* in hac parte.

21. *Item*, Quod ſancta Trinitas nullo modo eſt figuranda, formanda nec depingenda in ea forma qua communiter depingitur per totam Eccleſiam.

22. *Item*, Quod nullus Rector vel vicarius aut Prælatus aliquis excuſatur à perſonali reſidentia facienda in ſuis beneficiis commorando in obſequiis Epiſcoporum, Archiepiſcopi ſeu Papæ.

23. *Item*, Non licet presbitero locare operas ſuas.

24. *Item*, Quod Rectores & Vicarii non celebrantes nec miniſtrantes ſacramenta eccleſiaſtica eciam removendi & alii loco eorum inſtituendi, quia indigni ſunt & diſſipatores bonorum eccleſiæ.

25. *Item*, Quod viri eccleſiaſtici non deberent tam validis incedere equis, nec uti tantis jocalibus, veſtibus precioſis aut prandiis delicatis, ſet omnibus renunciare & dare ea pauperibus, pedibuſque incedentes accipienteſque baculos in manibus formam pauperum ſuſcipientes aliis dando exempla per converſationem.

Videntes igitur proceres & communes regni navem Eccleſiæ iſtis & aliis innumeris erroribus atque nephandis opinionibus quaſi undique de die in diem inceſſabili impulſione quaſſari, petierunt à rege in præſenti parliamento de iſtis remedium apponi ne forte archa tocius fidei Eccleſiæ talibus impulſionibus in illius temporibus præ defectu gubernaculi irremediabiliter quateretur, & glorioſum regnum *Angliæ* per fidei depravationem in deſolationem gratiæ & honoris paulatim duceretur; Rex vero ſano conſilio tocius parliamenti in hac parte utens, juſſit archiepiſcopo *Cantuarienſi* cæteriſque Epiſcopis Regni ut officium ſuum ſinguli in ſuis dioceſibus ſecundum jura canonica acrius & ferventius exercerent, delinquentes caſtigarent, libroſque eorum *Anglicos* plenius examinarent, errata exterminarent populumque in unitatem fidei orthodoxæ reducere ſtuderent, eccleſiamque urticis, vepribus defloratam liliis & roſis ornarent, fulcimentumque regiæ poteſtatis ut audacius & fortius agerent eis annuit. Et juſſit rex ſtatim abſque dilatione literas ſuas patentes in ſingulos comitatus regni velocius mitti, & in quolibet comitatu certos inquiſitores de hujuſmodi libris & eorum fautoribus inſtituit, præcipiens eis ut remedium celerius apponerent, rebelles proximo carceri manciparent donec rex eis mitteret. Set executio tarda & quaſi nulla affuit quia nondum hora correctionis advenit.

Copia regiæ Commiſſionis ſequitur in hac verba.

RIcardus *Dei gratia rex* Angliæ *&* Franciæ *& dominus* Hiberniæ, *dilectis ſibi magiſtro* Thomæ Bryghtwell *in Theologia Doctori, Decano Collegii Novi operis* Leyceſtriæ *&* Willielmo Cheſulden *Præbendario præbendæ ejuſdem Collegii; Ac dilectis & fidelibus noſtris* Ricardo de Barowe *Chivaler, &* Roberto Langham *ſalutem. Quia ex inſinuatione credibili certitudinaliter informatur quod ex inſana doctrina magiſtrorum* Johannis Wyclyf *dum vixit,* Nicholai Herforde, Joh. Aſton, *& ſuorum ſequacium quamplures libri, libelli, cedulæ & quaterni hæreſes & errores manifeſtos continentes in fidei Catholicæ læſionem & ſacræ doctrinæ derogationem expreſſe & palam & notorie redundantes frequencius conpilantur, publicantur, communicantur, & conſcribuntur tam in* Anglico *quam in* Latino, *ac deinde opiniones nephariæ ſanæ doctrinæ contrariantes oriuntur, & accreſcunt, ac manutenentur, & prædicantur dampnabiliter & inique, in fidei orthodoxæ enervationem eccleſiæque ſanctæ ſubverſionem, & ex conſequenti, quod abſit, quamplurium incredulitatem eorumque animarum periculum manifeſtum: Nos zelo fidei catholicæ cujus ſumus & eſſe volumus defenſores in omnibus ut tenemur moti ſalubriter et inducti, nolentes hujuſmodi hæreſes aut errores infra terminos noſtræ poteſtatis quatenus poterimus oriri ſeu quomodolibet pululare, Aſſignamus vos conjunctim et diviſim ad omnes et ſingulos libros, libellos, cedulas, et quaternos hujuſmodi doctrinam dictorum* Johannis, Nicholai, Johannis *& ſociorum ſequacium ſeu opinionem aliquam minus ſanam continentes, ubicumque & in quorumcumque manibus, poſſeſſione ſeu cuſtodia inveniri poterunt, infra libertates vel extra inveſtigandos, capiendos & areſtandos, & penes conſilium noſtrum cum omni celeritate poſſibili deferri faciendos, ut tunc ibidem de eiſdem ordinare valeamus prout de aviſamento conſilii noſtri prædicti fore viderimus faciendum. Ac eciam ad proclamandum & ex parte noſtra firmiter inhibendum ne quis cujuſcunque ſtatus, gradus ſeu conditionis fuerit ſub pœna inpriſonamenti & forisfacturæ omnium quæ nobis forisfacere poterit, aliquas hujuſmodi pravas & nepharias opiniones manutenere, docere, pertinaciterque defendere clam vel palam, ſeu hujuſmodi libros, libellos, cedulas, & quaternos detinere, ſcribere, vel ſcribi facere, aut emere, vel vendere præſumat quoviſmodo. Set omnes & ſingulos hujuſmodi libros, libellos, cedulas, & quaternos ſecum habitos & inventos ad mandatum veſtrum vobis reddat ſeu reddi faciat indilate; & ad omnes illos quos poſt proclamationem et inhibitionem prædictas contrarium inveneritis facientes & hujuſmodi nepharias opiniones manutenentes, coram vobis præfato* Thoma *decano et* Willielmo *evocandos et diligenter examinandos, et cum inde legitime convicti fuerint, per miniſtros noſtros proximis priſonis committendos, in eiſdem detinendos quouſque à ſuis erroribus, hæreſibus, et pravis opinionibus reſipiſcant, ſeu nos pro deliberatione eorundem aliter duxerimus ordinandum. Et ideo vobis mandamus quod circa præmiſſa cum omni diligentia et efficacia intendatis et ea faciatis et exequamini in forma prædicta. Damus autem tam univerſis et ſingulis viris eccleſiaſticis, quam vicecomitibus, majoribus, ballivis, miniſtris, et aliis fidelibus et ſubditis noſtris, tam infra libertates quam extra, tenore præſentium firmiter in mandatis, quod vobis et cuilibet veſtrum in præmiſſis faciendis aſſiſtentes ſint, conſulentes et auxiliantes prout decet. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud* Weſtmonaſterium xxiij. *die Maii anno regni noſtri undecimo.*

Magnates & communes regni videntes oppreſſiones inmanes & ſceleratiſſima facta quorundam conſiliatorum regis tam erga majores quam minores, & de die in diem in ſuis maleficiis invaleſcere ſentientes, in præſenti parliamento unanimi aſſenſu ſuggeſſerunt regi pro emendatione & reformatiane habenda, ſub hac forma.

A Noſtre treſdoute ſeignur le roy et a touz noz altres ſeignurs du roialme monſtrent lez humblez communes de voſtre dit roialme lez cauſez & damagez advenuz en diſpleſaunce du dieu & de ſeint eſgliſe, en deſhonour de vous & de voſtre coronne, & de tous voz noblez & gentiles & a touz eſtatez du dit roialme per la leve & rumour ore tarde advenuz per lez petitez gentz de voſtre dit realme enſemble ove lez perilles & damages qe de jour en altre apierent ſils ne ſoient haſtiment redreſſez, en deſtruccion de ſeint eſgliſe deinz voſtre realme en diſheritance & diſhonour de vous & de voſtre corowne, & damages de touz ceaux de voſtre realme, riches & pouers; dez queux perilles vous ne lez voz gentz de voſtre terre ne poient eſchapiere ſi pluis haſtyve remedie per aſcune mentz dez Prelatis, Conntez, Baronez, & dez pluis ſagez de voſtre realme ne ſoit ordeigne.

Primez a cauſe qe le peas & droite juſtice en voſtre tere a quele vous eſtez tenuz a maigtenere nad eſte ſuſtenuz egalment perentre ryches & ryches, poures & poures, & nomement perentre ryches & poures ſicome dieu & droit demanderont, voſtre poure peple ount eſte anyntez per extorcions de voz officers en paiis come eſchetours & autres commiſſours dez officers & miniſtres de ſeint eſgliſe, per officers dez altres ſeignurs en pays come ſeneſchalles & clerkes dez courtes de Byron & nomement per iij. oue per iiij. en cheſcune Conte appellez ſeconde Royez qe au pigne voſtre poure peple ne purront vivre ne porter lour charge en eyde de vous & de voſtre realme quant boſoigne y fuiſſe, per quelez defautez vous & voſtre realme ont eſte mys en grant diſclaundre en cheſcune terre. Et outre ceo voz grandez juggez dez lez loyes de voſtre terre nient feſſantz en touz temps ne as touz perſonez egale execution ſolonc lez voz loyez ordeignes, eins ſont enclynes deſchuere loffence dez maundementz per prive ſeale oue per grant ſeale encontre voz bonez loyes & lez priers dez altres ſeignurs ove queux ils ſont de retenuz qils ne ſont perfaire lour devoire a queles ils ſount jurrez, tout outrement en deſtruction de voſtre dit poure commune ſil ne ſoit pluis haſtyment redreſſe.

Item, treſdoute ſeignur per la oue voſtre dit poure commune ne ſolont en temps de voz nobles progenitours porter taxus ne tallages ne altres choſez eſpeciales deinz iiij. oue v. annz une ſi ont ceſtez v. anez perdevant de an en ane mys mes a diverſez tallagez nient egalment adgiſtez a cheſcune perſone

ſolonc

Ricard. II.

ſolonc ſoun eſtate davoire mes totedys & continuelment la pluis grant quantitate dez ditez taxes tormoſement ſurmys a voſtre poure commune & nentmyens a nule eſploite ne periſſe dez voz guerrez & en deffence de voſtre realme per la coſters de miere en contre la choſe graunties. Eins ount eſtez ſur lez coſtiers du miere en divers parties de voſtre roialme lez mayſones de lez poures communez arſez, lez villagez & lez perſonez raunſones, & la nave tote outrement deſtruytz & la terre tote voyde & poure de tote maner de treſoure qe vous navez dont vous poiez voſtre terre defendre ne voſtre eſtate reale tenere, a grant doloure & poiſſance de toux vous ſagez pur le peple qe ſe leva ne ſaveyt altre choſe faire forſque a retter governours de voſtre counſayle appellantz lez pluis graundez de voſtre conſayle traytours a vous & a la roialme come gentz qe bien ne ſavoyent ne reſon.

Et pluſours altres encheſones treſredoute ſeignur purroit homme declarere a voſtre hauteſſe pur queux lez ditz communes leveront, ſil a fuiſſe pur long tariance de vous noſtre ſeignur & noz altres ſeignurs en ceſt preſente parlyment eſperaunce en Dieu qe ſi bone remedie ſoit ordeigne pur lez diſfautez ſuſdites come appertient, lez ditz defautez & teuz altres qe buſoignerent a penſer ſerrount redreſſez en pleſaunce du dieu, honour & profite a vous & de tous noz altrez ſeignurs & communes du roialme. Pur quoy ſeignur vous bonez gentz vous preent humblement pur ſalvacion de vous, & dieu, & de le coronne, la quele ils ſont tenuz a maigtener par lour ligienance qe vous pleſe aſſentiere as eux qe les deffautes & perilles avanditez & aultrez que purront advener puiſſent eſtre ouſtez & redreſſez par ordinaunce de voz noblez & pluis ſagez au preſent aſſemble. Sembillantz au voſtre dit commune treſdoute ſeignur qe ſi ſage & perfite remedye ne ſoit mys en ceſt preſent parlyment lem doute de ceſt perille venaunt a pres qe homme ne ſerra de puiſſance pur lamender, la quele ne voile dieu pur ſa mercy Amen. Et queux defautez remedier treſdoute ſeignur ſibien de ceux come per lez damages & perilles ſemblables advenere il ſemble a vous humblez communes per conge & per commaundment de vous qe primerment qe eſt boſoigne de mittere la governayle de vous & de voſtre terre qe vous noſtre liege & naturele ſeignur permy voſtre terre dehors & en touz voz altres ſeigniories fuiſſe honure & doutez & perfytement amez de peple par bon & juſtice governayle, ceſt aſſayvoyre treſhonure ſeignur en droite juſtice feſauntz as tieux perſones ſi biene as poures come as ryches egalment ſolonc lour deſert ſi bien en voz hautez courtes come aylloures en cheſcune pays cheriſantez lez bonez & vaylantz de touz lez eſtates de voſtre realme ſolonc lour degree & deſert, & nomement le honurable chyvalrye de touz voz ſeigniories endonantz la corage a lez bonez pur ſuſtiner voſtre honour & deffendre voſtre realme dez damagez en puiſſaunce tortes extorcions & touz oppreſſiones faitez & affaire devers poures de voſtre terre en touz pays riches ne vaylaunce eſpernes qe fuiſſe ent atient & a ſontomes quelle ne fuiſſe prunes ſanz pardone ſolonc la deſerte de treſpas ſi biene de gentz eſpirituele come dez lanes mittant payn ſil vous pleſt en ceſt preſent parlyment come il ſemble a vous & a nous voilauntez ſeigniories & baronage ſur voz hautys juſticez & touz vous autres officers & commiſſours queconqes pur faire droite & dieu juſtice en tous caſes ſi bien as poures come as riches ſaunz donne oue fee prendre daſcune autre de vous ſanz vendre lez loyes par doute oue pur hayne oue pur donne ou par coultiſſe, ouſtanez le poure en cheſcune pays de meiſtynnours de querell & touz ceux qe ſont appellez ſecondes royes extorcions; au confort & le relever de voz poures communes, per quele remedie & ordinance lealment tenenz & executez en tut temps quant boſoigne ſoit vous noſtre ſeigniboures de dieu amecz & per my tote voſtre realme honourez pur droiture, qe dieu le voille ottroiez pur ſa mercy &c.

Ricard. II.

Tredoute ſeignur derechieſe a voſtre haute noblie ſoverengment en pleſaunce de dieu & de ſeynt eſgliſe pur honour de vous & de voſtre corone longment continuere pur eaſe & tranquillite de tut voſtre commune ordeigner per vous noſtre ſeignour & voz nobles a vous appellez de teux et tauntz come vous pleſt appellere leſtate de vous & de voſtre coronne, & de voz guerrez regardere & deſtreitement examiner a tiele entent qe le honour de vous noſtre ſeignur & de voſtre coronne ſoient honeſtenement ſuſtenuz ſanz enbleſſement de voſtre roialte en touz choſez appendantz, qe per vous & voz ditz nobles ſil vous pleſt ore a ceſt parlyment lez cauſes dez taxus autres grevances chargez portes perdevaunt de voſtre commune per defaute de ſage avyſement qe ſont la terre poure & anientz tut voide de treſoure, puiſſent eſtre ceſſez & appetiez en ſupportacion de voſtre dit commune taunqe ils puiſſent lour meſme relever de lour poverte & la realme enricheſſer per ſage governaill. Entenduz a voſtre hauteſſe noblye noſtre treſhonoure ſeigneur ſil vous pleſt, qe lez guerrez devant ſuſtenuz ne lour biens peravant donez & degaſtez ne altres chargez aſſetz purront eſtre eſpecifyez a voſtre dit realme & importable & ſuſtener ſaunz outrement la deſtruere, qe dieu ne voiſſe; ſuppliauntz humblement a voſtre haute & royal nobleye qe pur dieu & voſtre honour la dit mater deſtreitement & effectualment purroit eſtre determys au preſent au ſoveraigne pleſancez de dieu, encreſe & renomes de voſtre bone governement ſi bien dehors come dedeinz voſtre dit realme en perfait eaſe & proſperite de tut poure commune: per leſployte de quele article treſdoute ſeignur vous purrez purchaſſer de dieu & de voſtre poeple perfitement lours amours en tote lour pouare & corage, qe dieux coe voille per ſa gracious petie amen. Et pur la gracious eſploite de bon governement ſovereynement pur perfourmer lez requeſtez avount requies & declariez ſupplient lez ditz humblez communes a vous treſdoute ſeignieur & a touz noz altres ſeigneurs ore aſſemblez, qe de pluis ſage de voſtre realme & de pluis vertuoſe de quele eſtate qils ſoient vous pleſt faire eſtre nomez vj. viij. oue taunt de noumbre qe vous pleſt & lour faire chargiez enſi touſt come ceo poet eſtre diſtingment & per bone payne & ſurement, qe endroit dez damagez & perillez avaunt nomez & pluſours altres qe nous ne ſavoms ne poemes penſer enſemble & dez lez remediez avaunt nomes & de touz altrez purvyauncez & remediez qe enboſoignent pur lonour & bien de vous noſtre ſeigneur & tut le commune ils diligentz ſoient en tout lour pouare de ſuſtener voſtre honour & roialte & la proſperite de tut voſtre roialme eſpi-

rancz en dieu & lour ſcen & travayll que nulle de ditz meſchiefs ne nule tiele ſemblabez jammes navendra en voſtre dit realme einz per leyde de dieu & per lour remediez & purvyance en temps qils ent ſerront chargez de ent ordeigner & occupiere ſils facent loure devour vous noſtre ſeigniour & voſtre coronne ſerrez honurablement governez en totez honourez & honeſtez pleſance & tut la poeple en quietz ; per quelez governementz enſerres vous noſtre ſeigneur de dieu chierez, & de voſtre poeple perfytement ameez & doutez, & tut la roialme quietz, qe voille dieu coe ottroire Amen.

Menſe Junii *Flandrenſes* venerunt ad parliamentum petentes à rege & magnatibus regni pacem & concordiam inter *Anglicos* & *Flandricos*, promittentes ſe velle *Anglicis* obſecundare, & obſequium eis præſtare, atque in omnibus eis adhærere pro ſuo poſſe. Tunc miſit rex viros apud *Caleſiam* tractare cum *Flandrenſibus* de concordia & pace. Et *Anglici* plura petierunt ab illis & conceſſerunt petita. Et inter cætera petierunt ab illis, quod eicerent omnes *Francigenas* de finibus ſuis deinceps cum illis non moraturos, & annuerunt hoc facere. Similiter petierunt ut caſtellum de *Gravelyng* quod in multum nocumentum & gravamen *Angligenis* extiterat, penitus deſtruerent & funditus dilapidarent. Nam *Anglici* in illis partibus degentes & mercatores illuc tranſeuntes multa mala & pericula per illud caſtellum perpeſſi ſunt. Et veriſimile eſt adhuc per dictum caſtellum talia ſuſtinere, & iccirco firmam pacem haberi inter regna non poſſe quamdiu dictum caſtellum ſtaret vel eciam per *Flandros* gubernaretur. *Flandri* vero dictum caſtellum evertere aut in manus *Anglorum* liberare renuerunt, ſicque diſcordes abinvicem abierunt. Interea, ut fertur, quaſi infra proximum menſem orta eſt gravis diſſenſio in *Flandria* inter *Flandros* & *Francos* inter eos cohabitantes, adeo, ut dicebatur, quod uno die & uno tempore diei quaſi in tribus horis occiſi ſunt de *Francis* & *Flandris* eis faventibus circiter xvj. milia virorum in tribus civitatibus, videlicet *Gaunt*, *Yprys*, & *Andewerpus*. Eodem tempore Dux *Gerlya* miſit avunculum ſuum cum aliis magnatibus ad regem *Anglia*, qui nomine dicti Ducis optulerunt homagium regi atque fidelitatem ex ejus nomine ei fecerunt in eodem parliamento publice coram omnibus congregatis. In exordio hujus parliamenti dominus *Thomas* de **Wodeſtoke** Dux *Glovernia*, & *Henricus* Comes *Derbeya*, *Ricardus* Comes de **Arundell**, *Thomas* Comes de **Warwyke**, & *Thomas* Comes Mareſcallus in pleno parliamento accuſaverunt prout prius appellaverant de falſa proditione & ſeditione dominum *Alexandrum Nevyll* fratrem domini *le Nevyll*, archiepiſcopum *Eboracenſem*, & *Robertum Veer* Ducem *Hibernia* & Comitem *Oxonia*, & *Michaelem de Pole* Comitem de **Suthfolk**, *Robertum Treſſylyane* capitalem Juſticiarium regis, & dominum *Nicholaum Brembul* militem & civem *Londonienſem* quem ſæpius rex fecerat Majorem præter & contra voluntatem multorum civium; & accuſaverunt eos de alta proditione in multis falſitatibus regi & regno per eos factis; & ad hoc probandum ſe optulerunt in forma quæ ſequitur.

A TRESEXCELLENT & treſredoute ſeigneur noſtre ſeigniour le Roy, & ſon conſayle, en ceſt preſent parlyment monſtront *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Denglietere*, *Henry* Cont de *Derby*, *Richard* Cont *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyke*, & *Thomas* Cont Mareſcall, qe come lez avantditz *T.* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Dengletere*, & *Ricard* Cont *Darundell* & de *Surre*, & *T.* Cont de *Warwyke*, come loialx lieges noſtre ſeignur le Roy pur profite du Roy & realme le xiiij. jour de Novembre darreyne paſſe a **Waltham Croſſe** en le conte de **Hertford**, devant le treſreverent piere en dieu *William* lerceveſke de *Cantebrus*, *Edmund* Duc *Deverwyk*, reverent piere en dieu *William* eveſke de *Wynceſtre*, *Thomas* eveſke de *Ely*, alors Chancelere *Dengleterre*, *John de Waltham* alors Gardeyne du prive ſeale noſtre ſeigniour le Roy, *John* ſeigniour de *Cobham*, mes ſeignioures *Ricard le Scrope*, & *John Denros* adonqes Commiſſioners noſtre ſeigniour le Roy ordeignez & faitez en le darreyne parlyment, appelleront *Alexandur* lerceveſke *Deverwyk*, *Robert de Veere* Duc *Dirlande*, *Mychel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſiliane* faux Juſtice, & *Nichole Brembul* faux Chivalere de *Londres* de hautes treſons per eux faitez encontre le Roy & ſon realme ; & ſoy offeront de ſe purſuere & mayntener & ſufficeant ſeurte trover. Et prierent as ditz ſeignurs dez ceſtez certefiere a lour dit ſeigneur leage ; Quele choſe eſtoit certyfie a meſme le jour a noſtre ſeignur le Roy per lez ditz ſeigniours Commiſſioners a *Weſtmynſtre* ou pleuſeurs dez ditz appellez eſtoient preſent pleinement enformes & certifiez du ditz appelle. Et puis per aſſent du Roy & ſon conſeyll lez avantditz *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Dengletere*, & *Ricard* Cont *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyk* le dyſmeygne le proſchein enſuant viendrent a *Weſtmynſtre* in preſence du Roy & de ſon conſayle illeqes pur profit du Roy & du roialme appelleront lez avantditz *Alexandre* erceveſke *Deverwyk* & aultres traytours ſez compaignons appellez dez hautez treſons per eux faitz contre le roy & ſon realme come traitours enmys du Roy & du roialme en affirmance lour appelle avantdit, & ſoy offeront de ly purſuere & maintener come devant eſt dit. La quele appelle noſtre ſeignur le Roy accepta, & ſur ceo aſſigna jour as ditz parties a ſon primere parliment qe ſerroit tenuz a *Weſtmynſtre* lendemayne del Chaundelere proſcheyn enſuant, de prendre & receyver adonqes ſur la dit appelle pleyn juſtice. Et en le temps myſne priſt en ſa ſauve & treſpecial protection lez ditz parties ove touz lour gentz biens & chatieux, & coe fiſt proclamere & publiere en ſa preſence en meſme le temps. Et puis le lundy proſcheyne apres le jour de la natyvite noſtre ſeigniour *Iheſu Criſt* proſcheyn enſuant lez avauntditz *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Denglietere*, *Ricard* Conte *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyk* enſemblement ove lez avantditz ſeignurs *Henry* Cont de *Derby*, & *Thomas* Cont Mareſcall en preſence du Roy en le toure de *Londres* come loiale liegies noſtre ſeigniour le Roy & du roialme appelleront lez avantditz *Alexandre* erceveſke *Deverwyk*, *Robart de Veer* Duc *Dirlande*, *Mychele de la Pole* Cont do *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſticer, & *Nichol Brembul* faux Chyvaler de *Londres*, dez hautez treſonez per eaux faitz encontre le Roy & ſon realme

come traytours enmys du roy & du roialme & ſoy offerent de purſuere & mainſener & ſuffiant ſeurte trover, come de ſuis, & ſur ceo le roy lour aſſigne jour a ſon proicheyne parliment a purſuiere & declarere la dit appelle. Sur quoy le roy per avys de ſon conſaile fiſt proclamer en touz lez contees Denglietere per briefs de ſon grant ſcale qe touz lez ditez appellez ſerront au dit Parliment a y reſpondre ſur appelle ſuſdite. Et quele appelle lez avanditz, *Thomas* Duc de *Glouceſtre Conſtable* Denglietiere, *Henry* Conte de *Derby*, *Richard* Counte *Darundell*, & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyk*, *Thomas* Cont *Marchall* appellantz ſont preſtez a purſuiere maigtener & declarere & come loialx lieges noſtre ſeignour le roy pur profite du roy & realme appellount lez avanditz *Alexander* Erceveſk *Deverwyk* *&c.* dez hautez treſons per eux faitz encontre noſtre ſeignur le Roy & ſon roialme come traytours & enmys du roy & du realme. Quelles appellez & treſons ſont declarez appointez & ſpecifies pleynement ſi come eſt contenuz en diverſe cedules annexes a y ceſtez, & prient qe les ditz appellez ſoyent demands & qe droit & juſtice ent ſoit fait en ceſt preſent parlyment avantdit.

Articl. 1. Primerment *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Denglietere*, *Henry* Cont de *Derby*, *Richard* Cont *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Count de *Warwyke*, *Thomas* Cont *Marchall* appellont & dyont qe *Alyſander* erceveſk *Deverwyk*, *Robart* de *Veer* Duc *Dirlande*, *Mychele de la Pole* Count de **Suthfolk**, faux traytours & enmys au Roy & a realme veantz le tendurnes del age noſtre dit ſeignur le roy & la innocencie de ſa royal perſone luy firont entendere come pur verite tantz dez faucer choſes par eaux outre lealte & bon foy ymagines & controvez qe entierement en luy ſyrent de tut a eux doner ſon amour & ferme foy & credens & hayer les loiax ſeignurs & lieges per queux il duiſt de droit pluis aver & eſte governe. Et auxint accrochans a eaux real pouare endeffranchiſſant noſtre ſigneur le roy de ſuevereigte enblemayſſance & amenuſauntz ſa royale prerogatyve & regalye luy firent ſi avant obeyſere qil ſuiſt jure deſtre governe conſeylle. & meſne per eux. Per vertue de quele ſerment eux luy ont ſi longement tenuz en obeſauncz de lour faux depenſemet ymaginacions & faitz qe lez meſchiefes enconvenients deſeux & deſtruccions continuz as articles ſi apres enſuant ſont avenuz come ſont overtement en partye a monſtrer & deſclarer pur profit du roy & du roialme.

2. Item la oue le roy neſt tenuz de faire nule ſerement envers nules de ſes lieges ſi noun le jour de ſon coronement oue pur commune profite de luy & de ſon realme lez avanditz *Alexander* Erceveſk *Deverwyk*, *Robart* de *Veer* Duc *Dyrlande*, *Mychele de la Pole* Count de **Suthfolk**, faux traytoures du roy & du royalme ount faitz luy jure & aſſenter envers ceux qe les mayntendra & ſuſtendra a vivre & morere oue eux. & iſſint la oue le roy doit eſtre de franc condicion pluis qe nule altre de ſon roialme ils luy ont mys pluis en ſervage encontre ſon honoure eſtate & regalie, encontre lour ligeance come Traytours a luy.

3. Item lez avantditz *Robart* de *Veere* Duc *Dirland*, *Mychele de la Pole* Count de **Suthfolk**, *Alexander* Ercevez *Deverwyk* per aſſent & conſayle *Robart Treſilian* faux Juſticer & *Nichol Brembul* faux chivaler de *Loundrez*, per lour faux covyn ne ſofferont pas lez grantz du roialme ne lez bones conſeyllours le roy perler ne aprocher au roy pur luy bien conſeyllere ne le roy parler a eux forſque en la preſence & en la oyere dez ditz *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, *Mychele de la Pole* Count de **Suthfolk**, *Alexander* Erceveſk *Deverwyk* per aſſent & conſayle *Robart Treſſylyan* faux Juſticer, *Nichol Brembul* faux chivaler de *Loundrez*, en preſence daſcune deux a meyns a lour volunte & ſolonc lour tayle & choſes qils vaylorent en reboutant lez grantz & lez bonez conſeylers le roy de lour bone volunte vers lour ſeigniour liege & encrochanz a eux royal pouere ſeigniorye & ſoeverrant ſur la perſone le roy a grant diſhonour & peril du roy & du coroun de ſon roialme.

4. Item, les avanditz *Alexander* Erceveſk *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, *Mychele de la Pole*, Cont de **Suthfolk**, *Robart Treſſylyan* faux Juſticer, *Nichol Brembul*, faux chivaler de *Loundrez*, par lour faux covyn & acrochement de lour faux malveſtez maneront & male conſeyleront noſtre ſeignur le roy, ſi que ſa preſence qil doit de ſon devereire monſtre a lez ſeigneurs grauntz & a ſon people leige & a lez grants & droit queux requireront reſpondre ne le fiſt poynt forſque & a la taylle lez ditz *Alexander* Erceveſk *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, *Mychel de la Pole* Cont de **Suthfolk**, *Robart Treſſylyan* faux Juſticer & *Nichol Brembul* faux chivaler de *Loundrez*, en ouſtount le roy de ſon devoyre contre ſon ſerement & lez coieres dez grantz ſeigneurs & de people de ſon ſeigniour liege, en compaſſance de eloigner le coer noſtre ſeignur le roy dez pieres de la terre pur avoire entre eux ſoul le government du roialme. *Item*, per le dit accrochment lez avanditz, *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, & *Mychele de la Pole* Cont de **Suthfolk** per aſſent & conſeylle du dit *Alexander* Erceveſk *Deverwyk* ont faitz qe noſtre ſeignour le roy ſanz aſſent du roialme ou deſerte deux lour ad done per lour abette moult diverſez ſeigniories chaſtelle vylles manoyrez ſibien annexes a ſa corone come autres, ſi come la terre *Dirlande* & *Okam* oue la foreſt dycell & grantez terrez qe furont al ſeigneur *Dandelegh* & autres grantz terres as dit Duc *Dirland* & as autres diverſement, peront ils ſont grantement enriches & le roy eſt devenez en poure et nad dont il ſe purra ſuſtener et portere lez charges du royalme ſi noun per impoſicions taxus oue tributes mettre et prendere ſur ſon poeple en diſheriteſon de ſa corone et en deſeſance du royalme.

5. Item, per le dit encrochment lez avanditz *Alexander* Erceveſk *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Mychele de la Pole* Cont de **Suthfolk**, per aſſent et conſeyle de dit *Robart Treſſylyane* faux Juſticer, et *Nichol Brembulle*, faux chyvaler de *Loundrez* ont faitz qe noſtre ſeignur le roy ad done divers manoyres terrez tenementz offices et baylifes as diverſes altres perſones de lour affyance et as aukeres perſones dez queux ils ount priſes grantz douns per brogages pur ycellez cauſes et auxi per cauſe a tener ovesk eux en loure faucez quereles et purpoſes en deffeſance du roy et du realme ſicome eſt de ſir *Robart Manſel* Clerc, *John Blake*, *Thomas Uske* et altres diverſment.

Item, *Robart de la Veere* Duc *Dirland*, *Mychel de la Pole* Cont de **Suthfolk**, et *Alyſander* Erceveſk *Deverwyk*, per aſſont et conſeyle de *Nichol*

Brembulle faux chivaler de *Loundres* encrochant a eux roial pouare ount fait qe noſtre dit ſeignur le roy lour ad done treſgrantz donnes dor & dargent ſibien des biens joialx propres come des biens & treſoures du roialme ſicome des dymes quinzymes & aultres taxes a diverſes parliments grantez pur eſtre eſploites en defence & ſavegarde du roialme & altrement, quel ſome amont a C. mill. marcz & pluis, ſicome au dit Duc *Dirland* & autres diverſements. Et outre ceo pluſoures bones ordinances & purpoſez faitz & ordeignez en parlyment ſibien pur lez guerres come en deffence du roialme, ont ils deſturbez en grant arereſment du roy et du roialme.

7. Item, per le dit encrochement & per grantz donnes & brogagez quils ont pris lez avantdit Duc *Dirland*, *Mychel de la Pole* Cont de **Suthfolc**, *Alexander* Ercevesk *Deverwyk* ont faitz qe diverſes perſones nient ſufficiantz & nient covenables ont lez garde & governance des diverſes ſeigniories chaſtellez & paiis en guerre come en *Gueyene* & aillours ſi bien de cea la miere come de la peront le poeple & paiis dy celles parties lieges & loialx au roy pur grendure partie ſont deſtruez & grantz ſeigniories des novellez rendutz as maynes & poſſeſſiones des enmys ſanz aſſent du roialme, queles ne furent unques en maynes des enmys puis le conqueſt du cell ſicome il eſt en la marche de Scoce & ayllours en deſheriteſon de corone du roy & grant arereſment du roialme ſicome en *Harpeden* & *Craddok*, & aultres diverſementz.

8. Item per le dit encrochement lez avantditz *Alexander* Erceveſqe *Deverwyk* & ſez compaignons traitours ſuſditz ont faitez qe diverſez gentz ount deſturbes de le commune ley *Denglietere* & mys a grantz delays perdes & coſtages, & eſtatutez & Jugementz droiturelement ſur cauſez neceſſariez faitz & renduz en parliment reverſes & adnullez per procurement dez ditz malfeſours & traitours, & ceo per cauſe dez grantz donnez & brogages per eaux recevy du cell parties en grant arereſment du roy & du roialme.

9. Item, lez avantditz *Alexander* Ercevesk *Deverwyk*, & lez altres traitours au roy & au roialme ont faitz & conſeylle noſtre dit ſeignur le roy a granter chartres de pardon dez horribles felonies & treſons ſi bien contre leſtate du roy come du partie, la quele choſe fuiſt encontre le roy & le ſerement le roy.

10. Item, la oue lez avantditz ſeigniories de la terre *Dirland* ſont & ont eſtez du temps dont memorie ne court parcel del coroun *Denglietere* & lez gentz de cell terre *Dirland* per tote le temps avantdit ont eſte liegez ſanz meſne au roy noſtre ſeigneur & ſes roialx progenitours roys *Denglietere* en touz lour chartres breves lettres patentz & auxi en lour ſealx en augmentacion de lour none & de lour roialte lez ount fait nommez ſeigneur *Dirland*, les avantditz *Alexander* Erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, & *Mychel de la Pole* Cont de **Suthfolc**, come faux traitours au roy per le dit encrochement ont fait & conſeille qe noſtre ſeignur le roy en quanqe que luy eſt ad grante & aſſente plenement & ſoy accorde qe *Robart de Veere* Duc *Dirland* ſoit fait roy du dit terre *Dirland*, & pur complere ceſt malveys purpos lez avanditz traytours ount counſeylle execyte qe noſtre ſeignur le roy ad envoye ſez letters a noſtre ſeint piere le Pope de grantiere ratifiere & confermer lour traitorouſe purpos ſanz ſcience oue aſſent de ſon roialme *Denglietere* & de la dit terre *Dirland* en deſceverance de la liegiance du roy perentre le dit realme *Denglietere* & la dit terre *Dirland*, en deſcreſſe del honurable none du roy noſtre ſeigneur avandit, & en overte diſhereteſon de ſa corone du roialme *Denglietere* & pleine deſtruccion dez lealx lieges du roy noſtre ſeignur & la dit terre *Dirland*.

11. Item, la ou per la grant chartre & autrez bonez leyes & uſagez du roialme *Dengletere* qe nul homme ne ſerra pris ne priſonez mys a mort ſanz due proces de lay avantdit *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londrez* per le dit encrochment priſt per noet certeins priſouns deis de priſone de **Newgate** chapeleins & autres jeſqe le noumbre de xxij. aſcunes endictez appelles de felonie & aſcunz provours en cas de felonie & aſcunez priſez & priſonez illoeques per cauſe de ſuſpecion de felonie, & lez ameſnoit hors de *Loundrez* en la conte de **Kent** a un lieu qeſt appelle **Foulehoke**, & illoeqes encrocha a luy roiale pouere come traitour au roy ſanz garante oue proceſſe du ley les fiſt eſtre decollez toutz ſanz un qeſtoit appelle de felonie per un provour le quele il leſſoit aler a large meſme le temps.

12. Item, lez avantditz *Alexander* Ercevesk *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Mychele de la Pole* Cont de **Suthfolc**, *Robart Treſſylyane* faux Juſticer & *Nichol Brembre* faux chivaler de *Loundrez*, traitours au roy et au roialme ont priſez en meinez cauſes grantz donnz en noun du roy dez diverſez parties pur maintenance dez querelez et aſcune foith dez ambideux partiez ſi come pluis a pleine ſerra monſtre quant meſter ſerroite.

13. Item, per le dit encrochement lez avanditz *Alexander* Ercevesk *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Mychel de la Pole* Cont de **Suthfolc**, et touz cez autres compaignons ont fait que per la ou aſcun dez ſeignurs altres loialx lieges noſtre ſeignur le roy as diverſez parlimentz eyantz grant pouare et doute le perde du roy et du roialme per cauſe lez ditz mesfeſours meſchiefs moveront davoire bone governance entour le roy pur eſchuiere les perilles avantditz, qe noſtre ſeignur le roy ſe mova tut et ſi durement encontre eux qe commanda aſcunez que departieront de ſon conſeille et de parliment, enſi quils ferront pluis parler de ceſt mater ne touche bone governance du roy et du roialme pur prioure de mort en grant arereſment du roy et du roialme.

14. Item, per le dit encrochment les avant ditz *Alexander* Ercevesk *Deverwyk* et touz lez autres traitoures ont fait qe la ou le darreine parliment touz les ſeignurs et autres ſages illoeques aſſembles veantz le perde du roy et de ſon realme eſmuz tantz pur les perilles et meſchiefs ſuſditz & qe le roy eſtoit dupartie de conſaile du roialme et ſe tenoit tut a conſeile de lez ditz mesfeſours et traitours come per cauſe qe le roy Franceys eſtoit eskyppes ou ſon roial pouare en la meere preſt pur avoyr ariver en Englietere et deſtruere tut le roialme et la lange *Denglietere* et nul ordeignance ne governãce eſtoit aillours fait pur ſavite du roy ne du roialme, mes ne ſovieront de ceo autres remedyes mes monſtront au roy tut pleinement coment il eſtoit malement governe conſellie et demenee per les avantditz traitours et mesfeſours endeclaranz a luy lour malves condicions et luy requi-

quirerunt moult humblement come ſez foialx lieges pur ſavite de luy & de tut ſon realme, & pur eſchuire touz lez perillez avantditz leſſer & ouſtiere lez ditz mesfeſſours & traitours hors de la preſence & companie, & qe ne ferroit en apres lour malveis conſaille mes apres lez ſagez loialx & deſeretes du roialme, & ſur ceo les ditz traitours mesfeſours veantz ceſt bone & honurable opinion de parliment & pur deſturbere cel bon purpos par lour faux conſeile firent qe noſtre ſeignur le Roy commanda a Maire de *Londres* de faire ſodeignement lever ove grant pouare dez gentz de *Londres* docciere & mettre au mort touz les ditz ſeignurs & communes hors pris ceux que furent de lour covin, al feſance de quele male fait lez greindres mesfeſours & traitours ſuſditz ſerroient partie & per preſence deffeſaunce du Roy & du roialme ſuſditz.

15. Item, Quant lez ditz *Alexandre* erceveske *Deverwyk* & touz les altres traitours & mesfeſours au Roy & au roialme perceveront qe lez ditz Maire & lez bonez gentz de *Londrez* avoient overtement refuſez en preſence du Roy dacompliere lez ditz malveis purpoſez & prodicion touchant le mourdre dez ditz ſeignurs & communes, par lour dit traiterouſe acrochement faucement conſeleront le Roy et tant fyront qe noſtre ſeignur le Roy ſoy eſloiganſt hors du dit parliment per pluſours jours et fiſt certifiere qe ne voloit unqes approcher le dit parliment ne communer ove lez ditz ſeigniours & commūnes du boſoignes du roialme pur nule perile perde ne meſchiefe que purroient aſcunement avener a luy et ſon roialme ſi ne fuiſſe primermnent aſſurez per lez avantditz ſeigneurs et communes qils ne duiſſent riens dier ne faire en le dit parliment encontre aſcunez dez ditz mesfeſours, ſavant qils duiſſent alere et procedere avant touchant la proceſſe qe fuiſt lors comence envers *Mychel de la Pole*; a grant arereſment du Roy et du ſon roialme, et encontre lez aunciens ordeignance et libertes du parliment.

16. Item, Lez avantditz ſeignurs & communes du roialme apres qils avont entenduz qe la volunte le Roy per les malves excitacion et conſeile de ditz *Alexandre* & touz lez altres eſtoit tiele qil ne voloit ſuffrere aſcune choſe eſtre comence purſue oue fait encontre lez ditz malfeſours & traytoures come deſuis, ne voleront ent pluis parlere ne procedere encontre la volunte le Roy, Et puis en le dit parliment ewes lez conſeillez & aviſementz dez touz lez ſeignurs juſticez & aultres ſagez communes du dit parliment coment leſtate du Roy & de ſon roialte purront meult eſtre ſavez encontre [illegible] perillez & meſchiefs ſuſditz. Et ne ſcieront trover ne troveront altre remedie mes de ordeigner qe xij. de loialx & ſages ſeignurs de la terre ferront de conſeille du Roy pur une an entiere alors proſchein enſuant, & qe lours ſerroit fait tiele eſtatut & commiſſion per meſme le temps per queux ils avoient plin & ſuffeſant poiar de ordeigner pur la governance du Roy & du roialme & quanqe appertenoit a Roy de ſea la miere & de la, & de repellere repayerer & redreſſer quant qeſtoit malment fait encontre leſtate honour & profit du Roy & de realme, & de faire altres choſez diverſez & neceſſariez du Roy & du roialme, come eſt contenuz en la commiſſion ent fait quele eſt de recorde en la Chancelerie. Et qe nule perſonn ne deveroit conſeillere le Roy ne luy mover aſcunement encontre la dit ordeignance & ſtatute, & ſi le ferroit, a primer foit perdiroit touz ſez bienz & chatieux, & al ſeconde defaute il porteroit penance de vie & de membre. Et cellez ordeignancez & remedie ſerroit ent fait ſil pleroit au Roy & nient aultrement. A quele ordeignance touz lez juſticez du roialme eſtoient accordes & lour conſeile a ceo doneront ſibien en preſence du Roy come dez ditz ſeignurs, Et auxint noſtre ſeignur le Roy ſey aſſente pleinement a ycelle ordeignance. Et ſur ceo lez ditz ordeignance eſtatuz & commiſſion furent faitz & accordauntz al ſent du Roy & dez ditz ſeigneurs & juſticez, & altres ſagez & communes aſſemblez au dit parlyment pur ſavere le Roy, ſa regalie, & ſon realme, Et apres le finiſſment de dit parliment lez ditz traitours & mesfeſours par lour ditz malves encrochementz faucement & tratriouſement confourmeront le Roy qe lez ditz ordeignancez eſtatute & commiſſion eſtoient faitz en defence de ſa regalie, & qe totez ceux que procureront oue conſeleront lez ditz ordeignancez eſtatut & commiſſion deſtre fait & qe touz y ceux qe exciteront le Roy daſſenter a ceo ſont dignez deſtre mortes com traitours au Roy.

17. Item, apres ceo lez ditz mesfeſourrs & traitours *Alexandre* erceveske *Devcrwyke*, *Robart de Veer* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylian* faux Juſticer, & *Nichol Brembre* faux Chivaler de *Londres*, ont faitz le Roy aſſemblere conſeille dez certeins ſeignurs juſticez & altres pluſours faitz ſanz aſſent ou preſence dez ſeignurs; de grant conſeille, & lez ont faitz diverſez demaundere & moult ſuſpecionouſe dez diverſez matiers. Pur quoy le roy lez ſeignurs & le commune poeple ont eſtez en le pluis grant trouble & tut [illegible] realme auxi & lez coers dez pluſours retrays du Roy ſavant loure liegeaunce.

18. Item, Pur acomples la dit haut treſon les ditz mesfeſours & traitours *Alexandre* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, per aſſent & conſeille *Robart Treſſylian* faux Juſtice, & *Nychol Brembulle* faux Chivaler de *Londres*, firent le roy alere oveſqe aſcunez dez eaux per my ſon roialme per le greindoure partie en parties de *Calis*, & firent le roy faire venir devant luy lez ſeignurz, chivalers, eſquiers et altres bonez gentz dez ditz parties ſibien dez citees et boroughez come dez altres lieus, et lez firent eſtre liez aſcunes per lour obligacions et aſcunez per lour ſerement a noſtre ſeignur le Roy deſtre oveſqe luy encontre touz gentz, et dacompler la purpos du Roy eſtoit a celle temps de acomplere lez voluntez et purpos dez lez avantditz mesfeſours et traitours et per faux imaginacions covins et crochemētz ſuſditz. Queux ſeurtez et ſerement eſtoient faitz encontre lez bonez loyes et uſages de la terre et contre le ſerement du Roy a grant arereſment et diſhonours du Roy et du roialme. Item per force tielez liens et ſerementz tout le roialme eſt movee en grant mirmour et truble per lez ditz mesfeſours et traitours *Alexandur* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Vere* Duc *Dirland*, *Michele de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, *Nichol Brembut* faux Chivaler de *Londres*, et en perille davoire ſuffert diverſez meſchiefs emportables.

19. Item, pur aforcer lez ditz *Alexandre* &c. ove touz ſez compaignons ſovent firent le Roy ſoy eſſoinere en lez pluis longez partiez du realme a cauſe

qe lez ſeignurs aſſignez per lez ditz ordeignancez & ſtatutez & commiſſion nie purroyent conſeillere oveſqe luy du buſoigne du roialme, en deſturbance & deffence le purport & en effeſt del ordeignance eſtatutez & commiſſion avantditz en grant arereſment du roy & du roialme.

20. Item, Les avantditz meſfeſours & traitours *Nychol Brembul* faux Chivaler de *Londrez*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Alexandur* erceveske *Deverwyk*. *Mychele de la Pole* Cont de *Suthfolc*, & *Robart Treſſylian* faux Juſtice, apres quellez eſtoient ſuſtraiez lez corps & bien volunte le roy dez ditz ſeignurs qe ſenteront de faire lez avantditz ordeignauncez eſtatutez & commiſſion en darreine parliment, & qe le roy les tenoit ſez enmys & ſez traitours & oveſqe ceo qils eſtoient ſeurs qe lez opinions dez juſticez eſtoient accordantz a lour malveis purpos ſuſditz & qaſcunes dez ditz juſticez eſtoient de lour aſſent & covine aillours pur faire imaginacion & pur attendre lour faux & traiterous purpos avantditz per faux compaſſements entre eus ordeigneront qe aſcunez dez ditz ſeignurs & communes ſerront primerment arreſtez, puis per faux enqueſtz endittez atteintes dez certeins treſons per eux fauxment imagines ſur meſmez lez ſeignurs & communes & iſſint eſtre mys in malveis & honitouſe mort & eux de lour ſank perpetuelment diſheritez, & qe ceux faux arreſtez enditeſmentz & attiendrez ſerront faitz a *Londrez* & en *Middleſex*. Et pur celle cauſe firent un malveis & faux perſone de lour covine *Thomas Vſke* deſtre ſouth viſcont de *Middleſex* qe perlaunce & aſſent procurement & commandment enpriſtz qe lez faux enditeſmentz & attiendrez ſerront faitez & acomplez per le maner ſuſdit, & a plener compleſſement de meſme la treſon lez dits traitours firent noſtre ſeignur le roy envoiere ſez lettres du credence per *John Rypon* faux clerk qe eſtoit de lour faux covine, directez a Maire de *Londres*, quele credence eſtoite qe le dit Maire duiſt mettre le dit *Thomas* Duc de *Glonceſtre* & aultres certeins perſones queux il noma a cell temps. Et apres qe le dit Duc & lez altres fuiſſent enſi arreſtez ils duiſſent eſtre enditez de certeins treſons en maner come le dit *Nichol Brembul* faux Chivaler de *Londres*, & *John Blake* qeſtoient de ceo pleinerment enformes duiſſent enformere le dit Maire. Et puis le dit *Nichol Brembul* faux Chivaler de *Londres*, & *John Blake* per force du dit lettre de credence porteront al dit Maire une bille queſtoit enformacion de la dite fauce enditement commandant & chargeant deper le Roye au dit Maire qil a ſon pouare duiſſoit faire lez avantditz arreſtez enditementz & atteindres eſtre faitez per le manere ſuiſdit. Le fait de quele bille enſuit. *Semble pur le meulc qe certeins* &c. ut en confeſſion *Blake* &c. Outre ceo lez ditz meſfeſours & traitours ordeigneront qe bone eſpie ſerroit fait ſur la arrivall de mon ſeignur Duc de *Lancaſtre* & qil ſerroit areſtee maintenant ſur ſa arivall.

21. Item, apres qe lez avantditz *Alexandur* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, & *Nychol Brembul* faux Chivaler de *Londrez*, meſfeſours & traitours au roy & a roialme avoient enſi traiterouſement enformes noſtre ſeignur le roy qil croya ſeurment qe lez ditz ordeignancez eſtatutz & commiſſion furent faitz en derogacion de ſa regalie & prerogative du roy, & luy enfourmeront de croiere auxi fortement qe toux ceux qe ordeigneront lez ditz ordeignance eſtatuz & commiſſion deſtre faitz furent en finall purpos a degradere & depoſere noſtre dit ſeignur le roy. Et qils ne voillent en nule maner ceſſere de lour purpos tanqe averont ceo perfait peront le roy lez tinet come ſez enmys & traitours.

22. Item, Aprés cell faux & traitorouſe informacion quant lez avantditz *Alexandre* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylian* fauce Juſtice, & *Nichol Brembul* faux Chivaler de *Londres* perſeveyront qe noſtre ſeignur le roy lez loialx ſeignurs tenoit come ſez enmys & traitours, lez ditz meſfeſours & traitours luy conſeilleront qe per cheſcune voie poſſible luy ſerroit ſibien per pouare dez ſez gentz liegez come per pouere de ſez enmys *Franceys* & altres a deſtruere & mettere a mort lez avantditz ſeignurs & touz altres aſſentantz al feiſaunce de dit ordeinance eſtatutez & commiſſion, & qe ceo ſerroit ſi privement qe nully ent ſaveroit tanqe y fuiſt mis en fait.

23. Item, pur acompler ceſt haut treſon lez avantditz *Alexandre* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, per lour conſeile ils firent le roy ſez lettres de credence maundere a ſon adverſarie du roy *Franceys* aſcunes per *Nichol Suthwell* vadlet de ſa chaumbre & aſcunez per altres perſones de petite eſtate ſibien alienz come denizeinz, requirant & enpriant le dit roy *Frannceys* qil verroit eſtre ove tut ſa pouare & counſeil eidant & enforceant a noſtre ſeignur le roy a deſtruere & a mort mettre lez ditz ſeigneurs & aultres *Englys* lez queux le roy lors tenoit ſez enmis & traitours come deſus, a treſgrant diſeaſe & trouble de tut le roialme.

24. Item, Lez avantditz *Alexandre* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de Pole* Cont de *Suthfolt* acrochantz a eaux roial poiare firent le roy promittere a roy *Franceys* per ſez ditz lettres & meſſagez pur eide & forcement avoire du dit roy *Franceys* & de ſa pouare pur acompliere ceſt haut treſon de prodicion & murdre, de doner & ſuiſrendre au dit roy *Franceys* la ville & le chaſtell de *Calys* & touz altres chaſtiellez, forcellettes en la marche de *Pycardie* & a *Troys* lez chaſtielles & villes de *Chirburgh* & de *Breſt*, a treſgrante diſhonour & trouble & arrereſment du roy & du roialme.

25. Item, Aprés lez avantditz *Alexandur* erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Mychel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, eſtoient ſurez davoire eide en forcement du roy *Franceys* per manere come deſuſe, lour eſtoit accorde perentre noſtre dit ſeignur le roy & le roy *Franceys* per excitation & feſaunce dez ditz traitours *Alexandre* &c. & touz cez compaignons qe parlance ſerroit faite en lez marches de *Calys* de trewe per v. anz perentre lez ditz dieux roialmes *Dengleterre* & *France*, Et a quele parlance ſerront lez ditz deux royes & auxi lez ditz ſeignurs *Engleys* queux le roy tenoit al lors ſez enmis & traitours a la treſon meſmes lez ſeignurs *Thomas* Duc de *Glonceſtre* Conſtable *Dengleterre*, *Ricard* Cont *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyk*, & altres ſerront mis a mort.

26. Item, pur acompleyſcement de ceſte haute treſon

Alexandre

Alexandur erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, firent le roy envoier pur avoire certeins ſavecunditz du roy *Fraunce* aſcunez pur le roy meſme, aſcune pur le Duc *Dirland*, & aſcunes pur *John de Salusbury*, et *John Lancaſtre* chivalers ove certeine noumbre dez gentz ove eux pur alere en *France* en acompliſſement de lour dit malveys purpos & treſon. Lez queux ſont preſtz a monſtrere.

27. Item le avantdit *Nychol Brembul* faux chivaler de *Londres* per aſſent & conſeil des dits *Aliſaundre* Erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolk*, & *Robart Treſſylyan* faux Juſtice acrochantz a eaux roial pouare come devant fiſt qe aſcuns des eux vendrent a *Londres* en propres perſones, & ſanz aſſent oue ſavoire du roy illeques overtement en noun du roy fiſt touz les craftus du dit Citee de *Londres* eſtre jurrez a tenir & perfourmere diverſes matieres nient honeſtez ſicome eſt contenus en le dit ſerement qeſt de recorde en la Chancelerie. & entre autres, qe la volunte du roy & le purpos du roy tiendront & ſuſtiendront a lour pouare encontre touz ceux qe ſont oue ſerront rebelles oue contrariantz encontre ſa perſone oue ſon regalie, et preſtez ſerront a vener & demourere oue noſtre dit ſeignur le roy pur deſtruere toux ceux que purpoſent oue purpoſeront treſon encontre noſtre dit ſeignur le roy en aſcune maner, & qe preſt ſerront & preſtment vendront a lour maire qe lors eſtoit oue qe apres cel temps ſerroit quanqe a quele coure ſerroient requis pur reſiſter tanqe come la vie lour dure a touz que purpoſent oue purpoſeront treſon encontre noſtre dit ſeignur le roy en aſcune maner, & qe preſt ſerront & preſtment vendront a lour maire qe lors eſtoit oue qe apres cel temps ſerroit quanqe a quele coure ſerront requis pur reciſter tancqe come la vie lour dure a touz que purpoſent oue purpoſeront encontre noſtre ſeignur le roy liege oue aſcunes des points ſuſdits. A quele temps le roy per malves information des dits meſfeſours & traitours & per faux reſpons des dits Juſtices fermement tenoit les dits ſeignurs & altres qe eſtoient de laſſent de faire les avantdits ordeignances eſtatus & commiſſion eſtoient rebelles a luy ſes enmys & traitours & quele informacion allors eſtoit diſconez as gents des *Londres*; Et auxi per tieles paroles obſaires en le dit ſurement continues, le entent des dits meſfeſours & traitours eſtoit de exciter les avantdits gents de *Londres* de ſteire et de faire lour pouare a deſtruere les ſeignurs loialx ſuſdits.

28. Item lez avantditz *Nichol Brembul* faux chivaler de *Loundres*, *Alexandur* Erceveske *Deverwyk*, *Robart Veer* Duc *Dirland*, *Mychele de la Pole* Traytours de Roy & du roialme accrochant a eux royal pouere de lour auctorite demeſme ſanz garrante du roy oue de ſon grant conſeile firẽt faire proclamer per my la Cite de *Loundres*, qe nul des lieges noſtre ſeignur le roy ne duiſſent ſuſtener ne conforter ne eider *Richard* Count *Darundell* & de *Surre* piere de la tiere un des ſeignurs de grant conſeille noſtre ſeignur le Roy durant la dit commiſſion, ne armour ne vitailles ne autres choſes neceſſaries luy vendre ne nul aultre manere luy deſportere, & qe touz ceux queſtoyent entour luy duiſſent luy voidere come rebelle du Roy ſur peine de quanque qils purront forfaire vers noſtre dit ſeignur le Roy, monſtrant & portant une patent noſtre ſeignur le Roy dautre tenure en compaſſant du dit faux proclamation en eloignement du loialx lieges noſtre dit ſeignur le Roy.

29. Item les dits *Nicholl Brembull* faux chivaler de *Londres* per aſſent & conſeille de les avantdits *Aliſaundur* Erceveſk *Deverwyke*, *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, *Michel de la Pole* Gount de *Suthfolc* fiſt crier & proclamer en la dite Citee de *Londres* qe nul perſone ſoit ſi hardie parler ne parole ne mot ſonner de male des dits meſfeſours, traitours ne des aſcuns deux ſur paine de forfeture de quanque qils purront forfaire envers noſtre dit ſeignur le roy encrochantz a eux roial pouare.

30. Item les avantdits *Alexandur* Erceveske *Deverwyke*, *Robart de Veer* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Gount de *Suthfolc*, & *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, & *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londres* traitours au roy & au roialme ont faites le roy maundere a ſon counſeile de faire certeins perſones per my *Englieterre* viſconts queux eſtoient a luy nummez per les dits meſfeſours & traitours al entent de faire tieles chivalers des Contes veniere al parliament come ils voillent nummer, en defaute de bons ſeignurs & loialx & bones Communes du roialme & auxi des les bones leyes & cuſtomes de la terre.

31. Item les avantdits *Alexandur* Erceveske *Deverwyk*, *Robart de Veere* Duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, & *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londres* faux traitours au roy & al roialme durant le temps de la dit proteccion en anientuſment de la dit pelle fauxment conſelleront & firent le roy commaundere per ſes lettres as diverſez chivalers & eſquiers, viſcontz & altres ſes miniſtres de diverſez Contees de lever & aſſembler tut la pouare qils purront pur vener ove le dit duc *Dirland* encontre les avantdits troys ſeignours appellantz pur eux ſodenement guerrer & deſtruer.

32. Item durant le temps de la dit proteccion les avantditz *Robart de Veere* Duc *Dirlande*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Alexandur* Erceveſk *Deverwyk*, & *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londres* firent le roy per ſes lettres notifiere au dit Duc *Dirland* coment il & autres eſtoient appelles de treſon per les dits *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Dengliettre*, *Richard* Cont de *Arundell* & de *Surre*, *Thomas* Count de *Warwyk* coment il avoit de ſe done jour au dits parties tanqe a proſchein parliament. & coment il ad pris en ſa eſpetiale proteccion ambideux parties ovelqe touz lour gents & biens & chatieux; Et outre eſtoit contenuz as dits lettres du roy qe ſi le dit Duc *Dirland* avoit ſuffiſant pouare qil ne lerroit aler ovelqe le dit pouare & de vener au roy. Et toſt apres firent le roy eſcriver au dit Duc *Dirland* qil prendroit le champ oveſqe tut la pouare qil purroit aſſemblere, & qe le roy luy encontreroit oveſqe tut ſon pouare, et qe le roy mettreroit en aventure ſon corps roiale, et qe le roy eſtoit en grant perille de luy meſme et tut ſon roialme ſil ne ſoit eide ne ſocoure per le dit duc *Dirland*, et qe le dit duc *Dirland* devoit ſoy monſtrer a tous les gents qeſtoient aſſemblez ove luy qe le roy paieroit tous les gages et coſtages de dit Duc *Dirland* et de tous lez gentz per luy aſſemblez. Par fors des quelles lettres et malveis & traiterouſe excitacion ſi bien du dit Duc *Dirland* come de ſes adherentz & come les altres meſfeſours &

traitours le dit Duc *Dirland* aſſembla grant noumbre des gents des armes & des archiers, & ſi bien des countes de *Lancaſtre*, *Ceſtre*, & *Gales* come des altres lieux du roialme a deſtruere & mettre au mort les avantdits ſeignurs qe furent al ſent de feſaunce de dits ordeignaunces, eſtatutes & commiſſion en defenſance du roy & du roialme.

33. Item le dit *Robart de Veere* Duc *Dirland* faux traitour du roy & du roialme aſſembla grant noumbre des gents des armes & darchiers ſi bien des Contees de *Lancaſtre*, *Ceſtre*, & *Gales* & de pluſours altres lieux al entent davoire deſtruere traitorouſement tut la roialme, lez ditz *Thomas* Duc de *Glouceſtre* Conſtable *Denglietere*, *Henry* Cont de *Derby*, *Richard* Cont *Darundell* & de *Surre*, *Thomas* Cont de *Warwyk*, & *Thomas* Cont Marchal & altres lieges loialx noſtre ſeignur le roy, ſi bien en defeſſance & anienteſment noſtre dit ſeignur le roy & tut ſon realme iſſint chivacha le dit duc *Dirland* ove grant pouare & forte dez gentz dez armes & archiers de Conte de *Ceſtre* per my le roialme tanque qil vient a un lieu qeſt appelle *Ratecotebrygge* qeſt pres le *Coteſwold* accrochant a luy roial poiare il fiſt diſplaiere le baner le roy encontre leſtate du roy & de ſa coron. A qele temps le dit duc *Dirland* & ſa compaignie per la grace de Dieu furent de lour male purpos deſtourbes.

34. Item le dit *Robart de Veere* duc *Dirland* per conſeille & abette dez ditz mesfeſours et traitours *Alexander* erceveſk *Deverwyk*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robert Treſſylyan* faux Juſtice, *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londres* acrochant a luy roial pouere ſanz commiſſion uſuele du roy oue altre garrant ſuffiſant ſi fiſt Juſtice de *Ceſtre*, per luy & ſez deputz tenoit illoeques touz maners dez pleez de la corone, & ſur ceo renderont jugement & firent ent execution. Et auxi fiſt diverſez lettres de originalez & judiciels eſtre enſealez ove la grant ſeale le roy en celles partiez uſes, & iſſint per tieles encrochmentz du pouare roiale il fiſt ſourdre & lever oveſqe luy grant party dez gentz de tut la pays aſcunes per tieles lettres mout hidouſe & manaſſables, aſcunez per priſonement de lour corps, aſcunez per ſeiſon de lour terre & altrement en moultz maners nient honeſtez per colour du dit office, & coe tut pur guerrere & deſtruere les ditz ſeignurs & autrez loialx lieges noſtre ſeignur le roy & ove defeſance de tut ſon roialme.

35. Item lez ditz traitours *Robart de Veere* duc *Dirland*, *Alexander* erceveske *Deverwyke*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc* par conſeille & abbette du *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, *Nichol Brembul* faux chivaler de *Londres* acrochantz a eux roiale pouare firent deliverere *Iohn Bloys* heire au *Bretaine* que fuiſt priſonere & treſour a noſtre dit ſeignur le roy & a ſon roialme ſance aſſent de ſon parliment oue de grant conſeille & garrantie oue grant afforcement del adverſary du *France*, en grant arrereſment du roy & du roialme encontre leſtatute & ordeignance avantdit faitz en darreine parliment.

36. Item les ditz traitors *Robart de Veere* duc *Dirland*, *Alexander* erceveſk *Deverwyk*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſtice de *Londres* firent le roy du faire grant retenance de novell de diverſez gentz & doner a eux diverſez ſignez aultrement qil ne ſoloit eſtre de auxien temps per aſcunez dez roies ſez progenitours, al effect pur avoire pouere pur perfourmere lour faux treſon avantdit.

37. Item les avantditz mesfeſours & traitours *Alexandur* erceveſk *Deverwyk*, *Robart de Veere* duc *Dirland*, *Michel de la Pole* Cont de *Suthfolc*, *Robart Treſſylyan* faux Juſtice, *Nichol Brembull* faux chivaler de *Londres* en plener accompleſſement de tut lour treſon avantz & autres & pur faire le roy de creyer a euax & en lour conſeille & lez tient pluis loialx a luy & pluis ſagez qe nulez altrez de ſon roialme, & ſur ceo pluis colorere lour faux treſon & fautz ſuſditz, firent le roy faire vener devant luy as diverſez lieux deins le roialme diverſez Juſticez & gentz du ley, ceſt aſſavoire *Robart Treſſylyan*, *Robert Bealknappe*, *Iohn Care*, *Iohn Holte*, *Roger Fulthorp*, *Will. Burgh* ſez Juſtices, *Iohn de Locton* ſerjant de la leye & oveske eux *Iohn Blake* oppoſſez & demandez per lez avantditz mesfeſours & traitours ſi lez avantditz ordinance eſtatut & commiſſion furent faitz en derogation de ſa regalie & prerogative ou nient, & des altres diverſes queſtions, as queles lez ditz Juſtices ſerjant & *Iohn Blake* reſponderont en manere come enſuit. Prædicta reſponſio prædictorum Juſticiariorum patet hic col. 2694. in hac forma. *Memorandum quod viceſimo quinto die menſis* Auguſti *anno regni regis* Ricardi *ſecundi xj. apud caſtrum de* Notyngham *coram dicto Domino Rege &c.*

TUnc medio tempore dominus *Robertus Veere*, dominus *Alexander Nevill* archiepiſc. *Eboracenſis* & dominus *Michael de Pole* Comes de Suthfolc fugerant ut ſupradictum eſt & ad parliamentum non venerunt, & ideo exlegati ſunt & omnia bona eorum redditus & poſſeſſiones bona mobilia & immobilia in manus regis ſeiſita pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum, exceptis hiis feoffamentis quæ ſub tallia ad hæredes provenirent. Set dominus *Robertus Treſſylyan* capitalis Juſticiarius regis abſconderat ſe in domo cujuſdam Apothecarii prope portam *Weſtmonaſterienſem* ut ſic videret dominos & magnates regni intrantes ad Parliamentum & egredientes & exploraret quid ageretur in parliamento, quia in tota vita ſua ſemper cauteloſe egerat, ſet jam cautela ejus vertitur in ſummam ſtultitiam. Nam die Mercurii xj. kalend. Marcii proditus à proprio famulo & circa horam xj. ante nonam captus eſt & per ducem *Glouceſtria* in parliamento præſentatus. Eodem die poſt nonam diſtractus eſt de turri *Londonienſi* per medium civitatis uſque ad Tyburne ad furcas & ſuſpenſus eſt, gutturque ejus cæſum eſt, nam antea adjudicatus fuerat ad eandem mortem in eodem Parliamento. Hic prædictus *Robertus* diffiguraverat ſeipſum fingens ſe pauperem debilem in tunica hiſpida & dilacerata & debili, Feceratque ſibi barbam prolixam & longam artificioſe, Quam barbam barbam *Pariſienſem* vocabant, et faciem ſuam exterminabat ne agnoſceretur; adeo diffiguratus fuerat quod nullus eum agnovit niſi ex ſola loquela.

In craſtino ſcilicet die Jovis dominus rex ipſum *Nicholaum de Brembul* ſæpius promoverat antea in Majorem civitatis contra voluntatem multorum de civitate. Hic multas oppreſſiones & ſeditiones fecerat in civitate. De quo fertur quod dū fuerat in ſua plenaria poteſtate majoratus fieri fecit unam ſtipitem cōmunem & unam ſecurim communem ad amputandum colla ſibi inſurgentium & ſibi adverſantium. Et fertur de eo quod addictari fecerat de talibus ſuis adverſariis potentioribus de civitate *Londonienſi* octo mille quingentos & plures; Quos omnes ut dicebatur niſi Deus reſtitiſſet propoſuerat decapitandos, & ut dicebatur

Ricard. II. batur cum eiſdem inſtrumentis idem *Nicholaum* apud **Tourhill** decapitatus eſt; pro quo rex rogavit & inſtitit penes dominos Parliamenti ne diſtraheretur aut ſuſpenderetur. Hic ſi vixiſſet dux *Troiæ* factus per regem fuiſſet. Nam ab antiquo civitas *Londonienſis Troia* minor vocata eſt, et ſic dux de *Londoniis* eſſet, mutato nomine *Londoniarum* in nomen *Troiæ*. Item iv. non. Marcii *Thomas Uske* ſubvicecomes de *Londoniis* et alius de familia regis nomine *Iohannis Blake* diſtracti ſunt à turri *Londonienſi* uſque ad **Tyburne**, & ibi ſuſpenſi & decapitati. Caput vero *Thomiæ Uske* poſitum eſt ſuper portam de **Newgate** cauſa opprobrii parentelæ ſuæ quæ in illis partibus civitatis morabatur. Tercio non. Maii dominus *Symon de Burlee* dampnatus eſt de proditione, ut cæteri ſupradicti, ſet rex diſpenſavit cum eo de diſtractione & ſuſpenſione. Hic apud le **Tourhill** decapitatus eſt. Qui de patrimonio hæreditario expendere non valuit ultra xx. marcas, ſet in paucis annis in obſequio prædicti regis crevit ad ultra valorem trium mille marcarum annui proventus. Et fertur de eo dediſſe ad natale Domini in liberationem militum armigerorum valettorum & aliorum tam de curia regis quam ſuorum & ubi ſibi placuit quandoq; centum quadraginta pannos, quandoque centum ſexaginta, quandoq; CC.xx. magni precii, ſcilicet quoſdam pannos deauratos & quoſdam de ſcarleto. Item iv. idus Maii dominus *Iohannes Bewchamp* condempnatus eſt diſtrahi ſuſpendi & quarterizari, ſet gratia regis tranſlata eſt ejus dampnatio in decapitationem; & ſic apud **Tourhill** decollatus eſt. Dominus *Iacobus Bernerys* miles de curia regis de proditione & ſeditione eodem die eodemq; modo accuſatus & condempnatus in eodem loco capite plexus eſt. Dominus *Iohannes Saluſbery* miles diſtractus eſt à turri uſque ad **Tyburne** et ibi ſuſpenſus eſt. Summi proditores evaſerunt de regno fugiendo, videlicet *Alexander Nevill* archiepiſcopus *Eboracenſis*, *Robertus Veere* dux *Hiberniæ*, & *Michel Pole* Comes de **Suthfolc**. Iſti de judicio parliamenti exlegati ſunt, & de hoc editum eſt quoddam ſtatutũ, quod deinceps gratiam redeundi in terram *Angliæ* nulla mediante conditione conſequerentur. Similiter exhæredati ſunt & forasfecerunt omnia tenementa terras & poſſeſſiones pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum, hiis exceptis quæ ſub tallia provenerunt, Sicut ſuprà plenius patet ante principium hujus parliamenti. Simili modo de cæteris qui morte plexi ſunt de forisfactura tam bonorum ſuorum et terrarum atque poſſeſſionum pro ſe & hæredibus ſuis ſtatutum eſt. Poſt hæc producuntur Juſticiarii ſcilicet pridie non. Marcii qui in principio parliamenti areſtati ſunt & mancipati ſub cuſtodia tenebantur apud Turrim, videlicet dominus *Robertus Belknappe*, dominus *Iohannes Caare*, dominus *Iohannes Holte*, dominus *Rogerus de Fulthorp*, dominus *Williel. de Burgh*, et *Iohannes de Locton* ſerjancius ad legem. Qui omnes pro ſuis demeritis ſicut ſupra patet ante præſens parliamentum & ſimiliter ſupra in ultima accuſatione proditorum plenius continetur, videlicet in præcedenti, dampnati ſunt ad diſtractionem & ſuſpenſionem & mortem. Set interveniente *Anna* regina *Angliæ* cum archiepiſcopo *Cantuarienſi* & aliis epiſcopis, rex cum conſenſu dominorum in quos deliquerant condonavit eis vitam. Set exhæredati ſunt ſicut cæteri pro ſe & hæredibus ſuis; Et exlegati ſunt in *Hiberniam* ſub ſtatuto edito nunquam redituri. Aſſignatiq; ſunt bini & bini ad certa loca pro ſuo perpetuo manſuri, & intra certas limites & bundas non progreſſuri; Et aſſignata eſt certa ſumma pecuniæ ſingulis eorum de archa regis ad eorum ſuſtentationem, videlicet domino *Rogero de Fulthorp* xl.li. & progredi circa locum ſibi limitatum per iij. leucas, & domino *Willielmo de Burgh* ſocio ſuo xl. marcæ & progredi & regredi circa locum ſibi limitatum per ij. leucas. Item domino *Roberto Bealknappe* xl.li. & egredi & regredi circa ſe per iij. leucas. Et domino *Iohanni de Holte* ſocio ſuo xl. marcæ & egredi & circumgredi per ij. leucas, domino *Iohanni Caare* & *Iohanni Locton* cuilibet eorum xx. libræ & exire & redire circa ſe per ij. leucas. Inhibitumque eſt illis omnibus ne uxores eorum ad eos accederent in terra exilii ſui aut filii eorum ne forte eos de lege regni inſtruerent. Inhibitumque eſt eis ne cuiquam auxilium aut conſilium vel favorem verbo aut ſcripto vel quoquo alio modo aliquatenus miniſtrarent. Cautum quoque eſt contra eos, quod ſi quis quemquam illorum bundas illis limitatas tranſgredientem inveniret, tranſgreſſorem ſtatim arreſtaret *Londoniaſque* ad regem duceret prima mortis dampnatione videlicet diſtractione & ſuſpenſione prout ante addicti fuerant ſine remiſſione plectendos. Hiis ita geſtis rex facit generalem gratiam domino *Iohanni Golofre* qui de proditione accuſatus fuerat ſet in tranſmarinis illis diebus agens, & omnibus & ſingulis de proditione notatis aut in ſeditione delinquentibus; nec quiſquam ultra moleſtatus fuit de illo crimine. Sicque finivit parliamentum pridie non. Junii & inceperat in craſtino Purificationis præcedenti. Et ſic patet quod *Robertus Treſſylyan* capitalis Juſticiarius *Angliæ* diſtractus eſt & ſuſpenſus & gutture cæſus. *Willielmus Skipwyth* Juſticiarius evaſit ſolus ſine culpa quia non erat cum illis apud **Notyngham** quando malum illud proditionis fecerunt. Cæteri quinque ad eandem dampnationem addicti ſunt. Set vita eis ſic condonata, pro perpetuo ſuo taliter exlegati ſunt ut ſupradictum eſt. *Ricard. II.*

S*Coti* intraverunt in *Angliam* in occidentali marchia prope **Carliſull**, & dederunt patriam prædæ & incendio, & multa mala exercuerunt. Et ceperunt de patria circiter CCC. viros & eos ſecum abduxerunt, & ceperunt dominum *Petrum Tyrioll* vicecomitem *Carliolenſem* & alios milites de patria & evaſerunt abſque magno dampno ſuorum. Item in orientali marchia iij. die Auguſti intraverunt *Scoti* cum plena poteſtate *Scociæ*, videlicet Comes *Duglas*, Comes *Fyf*, dominus *Alexander de Exteris inſulis*, Comes *Marchiæ*, Comes *Straerniæ*, Comes de *Murryf*, Comes *Orkeneye*, dominus *Archibaldus Duglas*, & deprædati ſunt patriam & incendio tradiderunt et quamplures partes borialis plagæ devaſtaverunt, adeo quod multis retroactis temporibus tanta mala in regno *Angliæ* per hoſtes non ſunt audita. Quibus occurrit dominus *Henricus Percy* filius et hæres Comitis *Northumbriæ* quem *Scoti* vocabant *Henricum* **Hoteſpurre** propter ſuam probitatem, eo quod aliis ſopori deditis ipſe ſuper hoſtes evigilare conſueverat, et hic *Henricus* pugnavit cum eis juxta **Zolſton** prope *Novum caſtrum* ſuper *Tynam*. Et hic manu ſua interfecit Comitem *Duglas*, et Comitem de *Murryf* ad mortis metam vulneravit. Et idem *Henricus* ibidem captus eſt cum fratre ſuo juniore et aliis xxj. militibus et multis aliis armatis et ſagittariis, et in *Scociam* abducti ſunt. Set et de *Scotis* multi capti ſunt, inter quos *Iacobus de Lynſeye* frater reginæ *Scociæ* vir potentiſſimus. Factaque eſt pugna die Mercurii proximo ante feſtum ſancti *Laurencii* in veſpere. Et numerati ſunt occiſi mille & C. prope Carliſil eodem tempore numero xxx. mil. ſet in fugam coacti ſunt capientes loquam.

Dominus *Thomas de Arundell* Epiſcopus *Elyenſis* poſt exlegationem *Alexandri Nevyll* factus eſt archiepiſcopus *Eboracenſis*. Dominus *Johannes Forthsam* tranſlatus eſt de Eccleſia *Dunelmenſi* ad Eccleſiam *Helyenſem*. Dominus *Walterus Skyrlowe* tranſlatus de Eccleſia *Bathonienſi* ad Eccleſiam *Dunelmenſem*. Magiſter *Radulfus Argum* tranſlatus eſt de Eccleſia *Salyſbirienſi* ad Eccleſiam *Bathonienſem*; & dominus *Johannes Walton*, factus eſt Epiſcopus *Salyſbirienſis*. Magiſter *Walterus Skyrlowe* primo creatus fuerat Epiſcopus *Ceſtrenſis*, ſet antequam inſtallaretur tranſlatus eſt ad ſedem *Bathonenſem*, deinde poſt paululum tranſlatus eſt ad ſedem *Dunelmenſem*; eodem ſcilicet anno magiſter *Ricardus Scrope* creatus eſt Epiſcopus *Ceſtrenſis*. Hæc omnia eodem anno. In autumno proximo ſequenti in craſtino nativitatis beatæ *Mariæ* virginis Rex celebravit aliud Parliamentum apud *Cantubrugiam* ſcilicet eodem Anno gratiæ M. CCC. lxxxviij. & regni ſui xij. incipiente, in quo conceſſa eſt ei de Eccleſia dimidietas decimæ & à populo medietas quintodecimæ pro guerra in *Scocia* anno ſequenti facienda. Et edita ſunt nova ſtatuta pro utilitate communis populi, & plura ſtatuta quæ edita fuerant in tempore avi ſui *Edwardi* iij. innovantur ſcilicet de laborariis, operariis, de ſervientibus, de ballivis, de ſingulis officiariis, de vicecomitibus, de proviſoribus ad curiam Romanam tendentibus & de multis aliis gradibus, communi populo neceſſaria. Nam tanta elatio in inferiori populo illis diebus in habitu & apparatu & diverſis guyſis pululabat & crevit, quod vix quis de populo dinoſceretur ab alio per ſplendorem veſtitus aut apparatus. Non pauper à potente, non egens à divite, non ſervus à domino ſuo, non ſacerdos ab alio de populo, ſet unuſquiſque imitabatur alium & nitebatur inducere noviorem gyſam & tranſcendere in elatiori apparatu & habitu ſuum potentiorem, ſuper quo magnates inſtabant apponere remedium & errata defalcare & ad meliorem formam reducere, ſicque rex ſtatuta ſequentia cum aſſenſu Parliamenti confirmavit, et in ſingulis comitatibus regni puplicari et conſervari inviolabiliter diſtricte mandavit, ſub forma quæ ſequitur.

An. Dñi 1388.

Pur commune profite & univerſele bien de tut le roialme noſtre ſeignur le Roy a ſon parlyment tenuz a Cantebrugge lendemayne de la nativite de noſtre dame lan ſon regne duziſme del aſſent des ſeigneurs & communes illoeqnes aſſembles ad fait certeins eſtatutes & ordinaunces en la fourme que ſuit.

PRIMERMENT accordes eſt & aſſentes qe ſeynt eſglyſe eyt totes ſes libertes & fraunchiſes & qe la grant chartre & chartre de la foreſt & touz altres eſtatuz & ordenances avant ces oeures faites & nyent repelles ſoyent dewment tenuz & firmement gardes.

Item, accordes eſt & aſſentes qe le Chauncelere Treſorere, Gardeyne de le prive ſeale, ſeneſchal del hoſtiele le roy, Chaumburleyne du roy, Clerk du rollez, Juſticez del unebank & de lautre, Barons del eſchekkere & touz altres qe ſerront appelles du ordeigner nomer oue faire Juſtices de la pees, Viſcont, Eſchetours, Cuſtomers, Contrerollours, oue aſcunt altre officer oue myniſtre du roy ſoient ſermentent jurrez & ſermentz qils ne ordeignent nomint ne facent Juſtice de la pees, Viſcont, Eſchetour, Cuſtomer, Contrellour ne nulle altre officer ne myniſtre du Roy pur nulle manr donit ne brogage ne favour ne affeccion, ne qe nulle qe purſue per luy oue per altre en prive oue en apert de les pluis loialx & les pluis ſufficiantes a lour eſcience & lour conſcience.

Item, accordes eſt & aſſentes qe touz les eſtatuz de artificers & laborers ſervauntz & vitaylers faitz ſibien en temps noſtre ſeignur le roy qore eſt come en temps de ſon noble ayele qe dieu aſſoyle nyent repellez ſoyent fermement tenuz & gardez & duement executez, & qe les ditz artificers laborers ſervants & vytaillers ſoyent duement juſtices per les juſtices de la paix ſi bien a ſuit du roy come a ſuite du partye ſolonc le exigence des ditz eſtatutz & qe le Mayre baylifs & ſeneſchalles des ſeignurs & ſeneſchalles des villez facent duement lour office touchant tielez artificers, ſervants, laborers, & qe ceppes ſoyent en cheſcune ville a juſtifiere meſmes les ſervants & laborers come ordeigne eſt en le ſtatute ſuſditz; & en outre eſt ordeigne & aſſentuz qe nule ſervant oue laborer ſoit il homme oue femme ne departe au fyn de ſon terme hors del hundrede Rope oue wapentake oue il eſt demorant par ſervire oue demorere ayllors oue per colour daler loynes en pylgrymage ſil ne porte lettre patent contenant la cauſe de ſon aller & le temps de ſon retourner ſil doit retournere deſouth le ſeale du roy qe a ceo ſerra aſſigne & lyvere en garde daſcune prodome del hundrede ou hundredez Rope oue wapentake, cite ou burgh, ſolonc la diſcretion des juſtices de la paix a gardere & loyalment faire tiels lettres quant il boſoigne & nemye en altre manere per ſon ſerement, & qe entour le dit ſeale ſoit eſcript le non del conte, & a traverce du dit ſeale le non del dit hundrede Rope wapyntake cyte oue borough, & ſi aſcune ſervant oue laborer ſoit trove en cyte burgh oue ayllors venant de aſcune lieu vagarant ſanz tiele lettre, ſoit maintenant pris per lez ditz mayre bayliſſes ſeneſchallez oue Conſtables & mys en cepps & gardez tanqe ils eyent trove ſurtees de retourner a ſon ſervys oue ſervyre oue laborere en la ville dont il vient tanqe il eyt tiele lettre come deſuys. Mes neſt mye la entencion du ceſt ordeignance qe ſervauntz qe chivachent oue allent en boſoignez de lour ſeignours oue meyſtres ſoyent compris deynez ceſtez ordeignance pur temps de qe le boſoigne. Et ſi nule porte tiel lettre qe poet eſtre trove forge oue faux, eit la priſon de quarrant jours pur la fauxyne & outre tank il eyt trove ſurte de retournere & ſerver & laborer come devant eſt dit. Et qe nule receyt ſervant ne laborer allantz hors de lour hundrez rope wapentake cite oue burgh ſanz lettre teſmoynale ne oue lettre outre un noet ſil ne ſoit per cauſe de maladye oue altre cauſe reſonable ou qe il vult oue puiſſe ſervere & laborere illoeques per meſme le teſmoygnaunce ſur payne a lymytiere per Juſtices de pees, & qe ſi bien artificers & gentz de mayſtyer come dez ſervantz & apprentys qe ne ſont de grant avoyre & de quele artifice & myſtere lien nad pas boſoigne en temps daouſt ſoyent artez de ſervyr en auſt de cyere coilere & entyellere lez blees, & ceſt eſtatute ſoit duement execute per mayres & bayliſſes ſeneſchallez & conſtables de vyles ſur

peyne a lymiter & ajuger per lez ditz Iuſticez de la pees en lour ſeſſions. Et qe nule prigne outre une denere pur la dit lettre faire & enſealere & delyverere. Et en outre a cauſe qe lez ſervantz & laboreres ne voillent per long temps ount voluz ſervere & laborere ſanz outrageouſe & exceſſyve lowere & molt greindre qe nad eſte done as tiels ſervantz & laboreres en aſcune temps paſſe, ſi que pur chierte dez ditz laboreres & ſervantz lez huſbondes & terre tenantz ne poyent payer lour rentes ne a payne vivre ſur lour terre, a treſgrant damage & perde ſibien dez ſeignurs come de tut le commune & auxint a cauſes qe lez lowers dez ditz laboreres & ſervantz nont eſte mys en certeyne devant cez oeures, accorde eſt & aſſentuz qe le Baylif pur huſbondrye pregne per an xiij. s. iiij. d. & ſa veſture un foith per an au pluis, le mayſtre hyne x. s. Charretter x. s. Berchere x. s. Boner vi. s. viij. d. Vachere vi. s. viij. d. Porchere vi. s. Feme laborerere vi. s. Deye vi. s. Chacer deſcharowe vij. s. a pluis, & cheſcune altre laborere & ſervant ſolonc ſon degre, & meyns en pays ou meyns ſoleint eſtre donez ſanz veſture curteſye oue altre regarde per covenant, & qe nule ſervantz dez artificers ne de vytaillers deynz Cite, burgh ne altres villes ne pregnent pluis qe le laboreres & ſervantz deſuz nomez ſolonc lour eſtate ſanz veſture curteſye ne altre regarde per covenant come deſuz eſt dit; & ſi nul pregne oue donne per covenant pluis qe neſt eſpecifies peramont, qe al prime foith qils ſerront eut atteyntez payent ſibien lez donors come lez pernors la value del exceſſe iſſint donee oue pris, & a la ſeconde foith de lour atteindre la double value dez tieles exceſſez, & a tierce foith la treble value dez tieles exceſſez, & ſi le pernour iſſint atteynt neyt rienz dont payere lez ditz exceſſez eit la priſon de xl. jours.

Item, ordeigne eſt & aſſentuz qe ceux oue celluy qe uſe de laborere a charewe & charet oue altre labour oue ſervyſe de huſbondrye tank ſoit del age del xij. anz qe dehors en avant il demourge a tyele labour ſanz eſtre mys au myſtiere oue artifice; & ſi covenant en de apprentyce ſoit fait deſore en avant a contrarye ſoit tenuz pur nul.

Item, accordez eſt & aſſentez qe nul ſervant de huſbonderye oue laborere ne ſervant de artificyere ne de vytaillere ne porte deſore en avant baſlarde dagger ne eſpey ſur payne du forfeture du tyelle ſi non en temps de guerre pur deffence du roialme, & ceo par ſurvewe dez arrayours pur temps eſteantz, oue travayllant per pays oveske lour meyſtrez oue en lez meſſagez de lour meſtrez mez eyent tieles ſervantz & laboreres arkes & ſettez & lez uſent lez diſmengez & jours dez feſtez & leſſent tut outrement lez jewes as peltes ſibien a mayne come al pee et lez altres jewes appellez coytes dyces gettere du piere kayles & altres tielez jewes importunez, & qe lez viſcontz mayrez baylyffes & conſtables eyent poware dareſter & areſtont touz lez contravenauntez, & les baſelardes daggers & eſpeyes ſuiſditz, & lez ditz baſelardes daggers & eſpees ſeyſer, & gardiere tanqe al ſeſſion de Iuſticez de la pees & lez preſentent devant lez ditz Iuſticez en lour ſeſſions enſemblement oue lez noms de ceux qe lez porteront. Et neſt pas lentencion du roy qe prejudice ſoit fait as franchiſez dez ſeignurs touchant lez forfaytures a eux dewes.

Item accorde eſt & aſſentuz qe de cheſcune qe va mendynant & eſt able a ſervyre oue laborere ſoit fait de luy come de celuy qe departe hors dez hundrez & altrez lieux ſuſditz ſanz lettre teſmoynayle come deſuis eſt dit forpris gentz de Religion heremytes approves eyauntz lettres teſtemonals dez ordeynaryes, & que lez mendinantz impotentz de ſervyre demorgent as Cytees & villez oue ils ſont demorantz al temps de proclamacion du ceſt eſtatute. Et ſi les gentz del ditz Citeez oue villes ne voillent ne poyent ſuffrere de les trover, que les ditz mendinantz ſoy trayent as altres villes deinz le hundrede Rope oue wapentak oue as villes oue ils furent nees, deinz xl. jours apres la dit proclamacion fait & la demourgent continuelment pur lour vyez. Et qe de touz ceux qaillent en pylrynage come mendynantz & ſont puiſſantz a travellere ſoit fait come dez ditz ſervantz & laboreres ſils neyent lettres teſmoynallez de lour pilrynage deſouth le ceale avantditz, & qe lez clerkz de univerſiteez qe vont auxi mendynantz eyent lettres de teſmoyner de lour Chauncielere ſur meſme la payne.

Item, accorde eſt & aſſentuz qe ceux qe ceo faynent homez travellys hors du roialme & illoeques eſt enpriſones portaunt lettres teſmoynals de capytaine ou ils ount demourez oue dez Mayrez & bayliffes oue ils facent lour arryvayle, & qe meſmez les mayrez & baylifs enquergent dez tiels gentz oue ils ont demoure & ove qui & en quele lieu lour demourere eſt en Englietere, *& qe meſmes les mayrez & baylifs les facent lettres patentez deſouth le ſeale de lour office teſmoygnant le jour de lour arrivayle & ou ils ont eſte a ceo quils ont dit, & qe lez ditz mayrez & baylifs les facent jurere qils tendront lour droit chymyne vers lour pays ſi non quils eyent lettre patent deſuys la grant ceal le roy daltrement faire, & ſi aſcune tiele home travaylez ſoit trove ſanz tiele lettre, ſoit fait de luy come dez ſervants laboreres ſuſditz, & ceſt ordeignance ſerra entendu des homes travaylles qe vont mendynant per le pays apres lour arryvaille.*

Item ordeigne eſt & aſſentuz qe lez ordinaunces ſuſditz des ſervantz & laboreres mendynauntz & vagrantz tienent lieu & ſoyent executez ſibien as cytees & burghes come as altres villes & lieux deinz la roialme ſibien deinz franchiſe come dehors, & qe les viſcont mayres & gardeyns des gaioles ſoynt tenuz & chargiez de reſceivere les ditz ſervantz laboreres mendynantz & vagarantz & les detener en priſon en la fourme avantdit ſanz les leſſere a maynpriſe ou en baylle & ſanz fee oue altre rienz prendre deux per eux meſmes oue per altres tanqe come ils ſoyent enſy en priſon ou al entre oue al iſſue des meſme la priſone, ſur payne de payere C. s. al Roy.

Item ordeignez eſt & aſſentuz qe en cheſcune Commiſſion des Iuſticez du pays ne ſoyet aſſignez que ſix Iuſticez outre les Iuſticez daſſyſez, & qe les ditz ſyx Iuſticez tiegnent lour ſeſſions en cheſcune quarter del an au maynes, & ces per treys jours ſi meyſter ſoit, ſur payne deſtre punys ſolonc ladvis de conſeyl le roy a ſuyte de cheſcune qe ſe vorra pleyndre. Et enquergent diligentment entre altres choſez touchant lour offices ſi les ditz mayres baylyffes ſeneſchalles Coneſtables & auxint gayolers ont duement faitez execution des ditz ordeignaunces & eſtatutz des ſervantz & laboreres, mendynantz & vagarantz, & punyſſent ceux qe ſont puniſſables

Ricard. II.

niſſables per la dit payne de C. s. per meſme la payne qe ceux que ſont troves en deffaute que ne ſont punyſſables per la dit payne de C. s. puniſſent per lour diſcrecion. Et pregne cheſcune des ditz Iuſtices lour gagez iv. s. le jour pur le temps de leur dit ſeſſions & lour clerkes ij. s. le jour & ceo dez fines & enmercyments ſuſdytez & provenantz de meſmes les ceſſiones per mayner des viſcontez, & qe les ſeignours des fraunchiſez ſoyent contributours as ditz gages ſolonc afferant de lour parte des fines & amercymentz ſuſditz, & qe nul ſeneſchall de ſeignour ſoit aſſigne en nule de ditz commiſſions & qe nulle aſſociacion ſoit as Iuſtices de la pees apres lour primer commiſſion & neſt pas lentention de ceſt eſtatute qe lez Iuſticez del un banc & del altre ne les ſergeauntz de leye en cas qils ſoyent nomez en les ditz commiſſions ſoyent tenuz per force du ceſt eſtatut de tener les ditz ceſſions quatre foith per an come ſont les altres commiſſioners que ſont continuelment demourant en pays mes quils le facent quant ils a ceo poyent bonement entendre.

Item, come contenuz ſoit ſibien en leſtatute de Weſtmynſtre *primer come en leſtatute fait a* Glouceſtre *noſtre ſeignur le roy qore eſt ſecunde que nul ſoit ſi hardy de controvere oue countere aſcune faux novellé meſonge oue aſcunez tiels fauxez eſchoſez dez Prelates Ducs Contes Barons & altres noblez grantz du roialme, & du Chaunceliere, Treſorere, Clerk du prive ſeale, Seneſchal del hoſtiele noſtre ſeignur lo Roye, Iuſticez de lune banc & de lautre, & daltres grant officers du roialme, & qe le fra ſoit pris & enpriſonez jeſques a tant qil trove celuy dont la parole ſerra monez: Accordez & aſſentuz eſt en ceſt parlyment quant aſcune tiele ſoit pris & eupriſonez & ne poet altre trover dont la parole ſerra movez come devant eſt dit qil ſoit punys per le dit conſayl nient conſteantz lez eſtatutez avantditz.*

Item, endroit de la leyres dez Chivalers venantz as parlymentz pur lez communez des Contees accordes eſt & aſſentuz qe le dit leeve ſoit fait come ad eſte uſe avant cez oeures nouſte aycell qe ſi aſcune ſeignur oue altre home eſpirituele oue temporele eit purchacez aſcunez terrez, oue tenementz, ou altres poſſeſſiones que ſoloyent eſtre contributores as tielez diſpences devant le temps du dit purchace, meſmez lez terrez, tenementz & poſſeſſions, & lez tenant du ycell ſoyent contributores as ditz diſpencez come les ditz terrez, tenementz & poſſeſſions, & lez tenantz du ycelles ſoilent faire devant le temps de meſme le purchaſe.

Item, pur ceo qe tant dez fymes & altres ordurez dez iſſuez entrailles ſibien de beſtez tuez come dez altres corruptions ſont gettez & mys en foſſes ryvers & altres ewes, & auxint pluſours altres lieux dedeyns & entour & pres diverſez citees, burghes & villes du roialme & lez ſuburbes du celles, qe leyre illoeques eſt grantment corrupte en eſtee & pluſours altres maladiez & altrez dyſeaſez nient ſuffrablez aveignont de jour en altre ſibien a lez enhabitanz & converſantz as ditez cytees, burghes, villez, ſuburbes, come al altres illeoques repayrantz & paſſantz ſuiſditz, Accorde eſt & aſſentuz qe proclamation ſoit fait ſibien en la cyte de Londres *come en altrez cytees, burghs, villes, & permy le roialme ou il boſoigne ſi bien deyns franchiſez come dehors, que toux ceux qi tils aniſancz fymes, iſſues, entrailles & altres ordurez ont gettez & mys en foſſez & ryvers, ewes & altres lieux ſuiſditz, lez facent oultrement remover ouſtere & enportere perentre cy & la feſt de ſeynt* Mychell *proſcheyn avener apres la fyne de ceſt parlyment, cheſcune ſur payne de* xx. li. *a payers al Roy. Et qe lez Mayers & baylifs de cheſcune tiel cyte, burgh & ville, & auxint lez bayliffes dez francheſez lez compellont de ceo faire ſur ſemblabull payne. Et ſi aſcune ſoy ſent greve que ceo ne ſoit prefait en maner ſuſdit, & ſoy vuls enpleyndre en la Chancelerie apres la dit feſte de ſeynt* Mychel, *eyt brief de faire vener celuy de qi il vult enſi plendre en la Chancelerye a monſtrere par quoy le dit payne ne ſerra leeve de luy, & ſil ne poet ent dewment excuſere, ſoit meſme la payne leeve de luy, Et en outre ſoit proclamacion fait ſi bien en la dyte cytee de* Londres *come en altres cytees, burghes & vylles come deſuys qe nul de quele condicion qil ſoit ne faite mettre ne gettre en avant tiles ainyſans iſſuez fymes entrailles & ordures en lez foſſes, ewes, ryvers & altres lieux ſuſditz. Et ſi nul le face ſoit appelle per brief devant le Chancelier al ſuit de celuy qi ſoy vorra pleyndre. Et ſi y ſoit trove coupable ſoit punys ſolonc la diſcrecion de Chaunceliere.*

Ricard. II.

Item, accordes eſt & aſſentuz qe les draps de Ray & de coloure affayrez & aceneres a Briſtout & ez countez environe ſoyent de la meſure altre foythe ordeignee par eſtatut fait a Weſtmynſtre *lan du regne le Roy* Edward *ayel noſtre ſeignur le Roy qore eſt* xlvij. *Ceſt aſſavoyre lez drapez de Ray de la longure vynt & oept anz meſures per le liſt et ſynk quarters de leaure, & le drape de colour de* xxvj. *annez de longure meſure per les doos &* vj. *quarters de laeure au meyns. Et qe demy drape ſoit il de Ray oue de colour tiegne en longure ſolonc laferant en laeure come lez drapes de colour & du Ray ſur la payne a lymitiere en meſme la eſtatut.*

Item, qe nulle liege du Roy de quele eſtate oue condicion qil ſoyt greyndre oue meyndre paſſe le miere nenvoy hors du roialme Denglietere *per lycence oue ſanz lycence ſanz eſpecial conge du Roy meſmes pur ſoy providre oue purchacere aſcune benefice du ſeint eſgliſe ove cure oue ſanz cure en la dit roialme, Et ſi aſcune le face & par vertu de tiele proviſion accepte oue per luy oue per lautre aſcune benefice en meſme la roialme, qe a cele temps meſme le proviſour ſoit hors de proteccion du roy et meſme la benefice voyde ſi qe bien liſe a patrone du meſme le benefice ſibien eſpirituele come temporil preſentere a ycelle un clerc able a ſa volunte.*

Enſement eſt aſſentuz et ordeignez qe leſtaple ſoit remewes du Mydburgh *a* Caleys, *et qil ſoit a* Caleys *le primere jour de Decembre proſcheyne avenir.*

Eodem anno in Quadrageſima intraverunt *Scoti* in occidentali plaga & tam occidendo quam incendendo multa mala exercuerunt, inſuper pueros parvulos lactantes ad ubera, mulieres in puerperio & prægnantes, ac viros debiles et decrepitos in patria **Gylliſlond** in dominio domini de *Dacres* in domos colligentes concluſerunt et clauſis hoſtiis ad numerum, ut dicebatur, circiter CC. et amplius irremiſſibiliter et abſque miſericordia igni combuſſerunt.

An. Dñi 1389.

Anno Gratiæ M.CCC.lxxxix. incipiente die Jovis ante Paſcha, dominus *le Bewmont* Gardianus de **Carliol** in occidentali marchia intravit in *Scociam*

per

Ricard. II. per xl. leucas, et ſpoliavit forum de *Fowyk*, et prædatus eſt ad placitum et multos *Scotos* ſecum abduxit. Eodem anno ſtatim poſt Paſcha cuidam mercator de **Dermouth** conduxit claſſem de *Portink* proprio ſtipendio, et cepit xxxiij. naves, ut fertur, onuſtas cum vino de *Rochell* circiter M. v C. doliorum.

In Quadrageſima orta eſt doloroſa diſcordia in *Oxonia*, diſcordia anni præcedentis ad plenum nondum ſopita; ſet ſemper partes adhuc irritante. Nam *Wallani* ſcolares ſemper inquieti adhærentibus ſibi auſtralibus ſcolaribus inſurrexerunt contra boriales ſcolares, & hinc inde multa mala mortis inter eos evenerunt. Et in tantum increvit iſtud dicidium quod dies campeſtris prælii in campo præfixus eſt inter partes. Set Deo mediante & *Thoma de* **Wodeſtoke** Duce *Glouceſtriæ* ſe intromittente cum minore dampno conquievit, & multi de *Wallanis* banniti ſunt ab Univerſitate *Oxoniæ*; & in recedendo per alios ſcolares boriales ad hoc paratos ad portas villæ in recedendo oſcula offerre compulſi ſunt.

Menſe Maii rex tenuit concilium apud *Weſtmonaſterium*, & in feſto inventionis ſanctæ Crucis rex veniens in concilio ammovit omnes majores officiarios inopinate ab officiis ſuis & ad placitum ſuum ſubrogavit alios quos voluit, ſcilicet ammovit Cancellarium archiepiſcopum *Eboracenſem* & loco ejus promovit epiſcopum *Wyntonienſem*, & Theſaurarium epiſcopum *Hertfordenſem* & in loco ejus alium impoſuit, & clericum de privato ſigillo & omnes alios. Similiter & Juſticiarios de utroque banco. Set ne negocia regni medio tempore obfuſcarentur, juſſit Juſticiarios legis requiſita ſicut ſolito proſequi donec ſibi de aliis Juſticiariis conſultius provideret. Comes quoque de **Arundell** cui commiſſa fuerat Parliamenti gubernatio & cuſtodia maris & mariſarchus fuerat ſimiliter ab officio ſuo amotus eſt, & Comes *Huntyngdonæ* in loco ejus ſubrogatus. Similiter faciebat rex de cæteris officiariis dicens, « Se non debere inferioris aut minoris conditionis quam quiſcumque alius hæres regni *Angliæ*, cum lex & conſuetudo regni *Angliæ* aſſeverant quod quiſquis hæres in warda cujuſcunque domini poſitus cum viceſimum primum annum ætatis ſuæ pervenerit ſtatim de paternali hæreditate gaudebit, & liberam diſponendarum facultatum & rerum ſuarum legitime poſſidebit. Set jam contigit quod ego per plures annos ſub conſilio veſtro & gubernatione degebam, & nunc primum Deo, deinde vobis gratiarum actiones multiplico quia me & hæreditatem meam atque regnum meum *Angliæ*, tam infra quam extra, & præcipue contra inimicos noſtros undequaque gubernaſtis & ſubportaſtis, ſalvo ſemper nobis & regno noſtro honoris & laudis tripudiali organo. Nunc autem Deus ita pro nobis diſpoſuit quod legalem ætatem ſupplevimus, & jam viceſimum ſecundum annum in præſenti agimus. Iccirco petimus & deinceps liberam facultatem regulandi & regendi nos & hæreditatem ac regnum noſtrum habere volumus, & officiarios ac miniſtros ad noſtrum placitum ſecundum quod nobis melius expedire viſum fuerit per Dei gratiam volumus eligere & ad quæque officia promovere; officiarios vero jam incumbentes ad noſtrum libitum penitus ammovere, & alios quos eligimus in loco eorum ubilibet ſubrogare. Et non erat quis qui regis voluntatem infringere conaretur, ſet omnes Deum glorificaverunt qui ſibi talem regem ſapientem futurum providere curavit. Ricard. II.

Menſe Julii dum rex eſſet apud **Schene** convenerunt in curia ſua multæ turmæ atomorum & muſcarum, & in modum prælii congredientes fecerunt maximam ſtragem invicem, adeo ut ſcopis & pertis mundarent locum de interfectis. Captæ ſunt treugæ inter regem *Angliæ Ricardum* & reges *Franciæ*, *Scotiæ*, *Hiſpaniæ*, *Portuſgalliæ*, *Naverniæ*, & iſtæ treugæ inceperunt primo die Auguſti in propinquioribus partibus tam per mare quam per terram, & in remotioribus partibus quæ diuturniorem relationem expetebant xv. die menſis Auguſti ſole oriente.

Anno M.CCC.xcij. videlicet xvj. die menſis Auguſti oriente An. Dñi 1392. Eodem anno magiſter *Willielmus Courteneye* archiepiſcopus *Cantuarienſis* frater Comitis *Deiræ* viſitavit dioceſem *Lincolnienſem*. Et in feſto ſanctæ *Fidis* virginis viſitavit dominum *Johannem de Bokyngham* epiſcopum *Lincolnienſem* in eccleſia cathedrali *Lincolniæ* cum capitulo & cœtum canonicorum. Et venit ad abbathiam *Leyceſtrenſem* viſitationis cauſa ſabbato ante feſtum omnium Sanctorum, & ibi moram traxit uſque diem Martis. Et hora veſperarum die omnium Sanctorum, ſcilicet die Lunæ, convocatis omnibus canonicis ejuſdem monaſterii cum capellanis de capella ſua in ſingulorum manibus candelis accenſis, Idem archiepiſcopus firmavit ſententiam excommunicationis ſuper *Lollardos* ſive *Wyclyvianos* cum fautoribus, qui errores & opiniones magiſtri *Johannis Wyclyffe* tenuerant, vel foverant, vel in poſterum teneant vel foveant in dioceſi *Lincolnienſi*. In craſtino ſcilicet die animarum iterum idem epiſcopus fulminavit ſententiam excommunicationis in ſpecie cum cruce erecta, candelis accenſis, pulſatis campanis ut prius ſuper novem certas perſonas villæ *Leyceſtrenſis* quæ eandem villam cum patria nimis polluerant & infecerant. Archiepiſcopus inde hora veſperarum recedens abiit ad eccleſiam ſancti *Petri* ad quandam anachoritam *Matildam* nomine ibidem recluſam, quam arguens de prædictis erroribus & opinionibus *Lollardinis*, minus provide reſpondentem citavit quod coram eo compareret die Sabbati proximo ſequenti in abbathia ſancti *Jacobi Northamptonienſi* ad reſpondendum ad prædicta erronea prophana. Quæ ibidem ſtatuto die comparuit, & renunciatis erroribus injunctaque pœnitentia ſalutari repatriavit. Set uſque in ſecundum diem ante feſtum ſanctæ *Luciæ* extra Recluſorium ſuum moram traxit, quo die iterum Recluſorium ingreſſa eſt. Quidam alii *Lollardi* citati comparuerunt apud *Oxoniam* & aliis locis prout archiepiſcopus eis induxerat, & renunciatis ſuis ſuperſtitioſis erroribus atque abjuratis prophanis dogmatibus publicam pœnitentiam peregerunt. *Willielmus Smyth* de quo ſuperius frequens fit mentio, forum *Leyceſtriæ* circumiit lineis tantum indutus in dextra portans crucem cum imagine Crucifixi, in ſiniſtra imaginem S. *Katerinæ*, eo quod quondam imaginem ſanctæ *Katerinæ* ſecaverat & incenderat pro oleribus coquendis in ſua eſurie, ſicut ſuperius plenius dictum eſt, Anno &c. octogeſimo ſecundo. Libros eciam ſolempnes quos in materna lingua de Evangelio, & de Epiſtolis & aliis Epiſtolis & Doctoribus conſcripſerat, & ut fatebatur per annos octo ſtudioſe conſcribere

ſcribere laboraverat archiepiſcopo coactus tradidit; Prædictam pœnitentiam circa cimiterium eccleſiæ ſanctæ *Margareta Leyceſtrenſis*, Dominica ſequenti antecedens & præcedens proceſſionem adimplevit. *Rogerus Dexter* de *Leyceſtria* cum uxore ſua forum Sabbati *Leyceſtria* tantum lineis induti ferentes cruces in manibus pœnitentiam agendo circuerunt. Et ſic in magna parte publica audacia prophanæ doctrinæ *Lollardorum* ſive *Wyclyvianorum* timore potius archiepiſcopi quam amore Dei repreſſa eſt, cordis tamen perſeverantia in antiquis deluſionibus adhuc in occultis prout audebant pullulante nimis.

Dñi An. 1390. Anno Domini M.CCC.xc. circa feſtum ſancti *Petri* ad vincula *Johannes* Dux *Lancaſtria* fecit magnam convocationem magnatum regni ad venandum apud *Leyceſtriam* in foreſta & defenſa & in omnibus parcis ſuis ibidem. Nam die Sabbati affuerunt ibi Rex et Regina, Archiepiſcopus *Eboracenſis*, Dux *Eboracenſis*, *Thomas Wodeſtoke* Dux *Glouceſtria*, Comes de Arundell, *Johannes de Hollande*, Comes *Huntyngdonia*, cum aliis Epiſcopis, Dominis et Dominabus plurimis. Die Jovis ſequente rex inde recedens verſus *Notyngamiam* pernoctavit cum domino de *Bewmonde* juxta Lowhteborowe. Eodem tempore ad feſtum ſancti *Jacobi Henricus* Comes *Derbeya* primogenitus *Iohannis* Ducis *Lancaſtria* cum armata manu M. electorum militum, armigerorum et valettorum arripuit iter verſus *Pruciam*, et menſe Aprilis rediit cum magni honoris tripudio et omnibus Chriſtianis excellenti gaudiflua expeditione.

Anno iſto fuit magna egeſtas in omnibus partibus *Anglia*, et iſta egeſtas ſeu inopia bladorum incepit ſub falce, et perduravit uſque ad feſtum S. *Petri* ad vincula, ſcilicet ad nova grana. Iſta inopia multum oppreſſit populum, et præcipue communes et pauperes; nam videres infantes et pueros in viis et domibus pro fame ejulantes et clamantes panem petentes, nec mater habuit unde eis frangere valuit. Set et tanta fertilitas et frugum habundantia per quam plures annos præceſſerat, quod credebatur et dicebatur à multis yconomis et terræ colonis, Si ſemen non ſpargeretur ſuper terram, habita & recondita in orreis & granariis ſufficerent ad alimentum tocius populi per v. annos ſubſequentes. Set cauſa iſtius egeſtatis penuria pecuniæ multum credebatur eſſe apud plures, nam pecunia multum deffuit illis diebus, & hujus maxima cauſa fuit quia lanæ regni dormiebant apud quoſdam per biennium, & apud quoſdam per triennium abſque emptore; nam ſtatutum fuerat in quodam parliamento quod mercatores *Anglia* non exirent regnum cum lanis & aliis mercimoniis, ſet ea adducerent ad duodecim loca infra regnum ad hoc negocium deputata, ut mercatores alienigenæ cum ſuis mercimoniis ad dicta loca confluerent, et ſic per excambium noſtra mercimonia abducerent ſuaque noſtris dimitterent. Quam ob cauſam mercatores *Anglia* ab emptione lanarum et aliis mercibus abſtinuerunt, donec in proximo jam ſecundo parliamento conceſſum eſt eis cum ſuis mercimoniis tranſmeare quo volunt. Iſtis diebus lana exilis reputationis fuit, nam una petra bonæ lanæ de collecta patriæ vendebatur pro iij. ſolidis, et in foro *Leyceſtria* quandoque pro ij.s. vel xx. denariis. Iſta egeſtas annonæ maxime invaluit in comitatu *Leyceſtria* et mediis partibus regni. Et licet egeſtas eſſet magna, precium tamen bladorum non erat nimis exceſſivum. Nam quarterium frumenti in ſuo ſummo precio vendebatur *Leyceſtria* pro xvj.s. viij.d. una vice, reliquo tempore pro una marca vel xiiij. ſolidis. Apud *Londonias* vero et in multis aliis locis regni quarterium frumenti vendebatur pro decem ſolidis, vel paulo majus vel paulo minus; nam confluebant xj. naves onuſtæ cum copia alimentorum ad diverſa loca regni in relevamen populi. Set et cives *Londoniarum* exponebant ij. milia marcarum in emptionem alimentorum de communi ciſta orphanorum. Et xxiiij. aldarmanni quilibet eorum apponebat xx. libras ad conſimilem emptionem præ timore venturæ famis civitati, et reponebant in diverſis locis commodioribus et aptioribus pro populo, ut indigentes venirent et emerent ſub certo precio quantum ſufficeret pro ſe et familia ſua ſuſtentanda, et qui non habebant pecuniam in præſenti ſolvere fidem facerent ſolutionis infra ſequentem annum, ſicque relevati ſunt ne quis præ fame periret.

An. Dñi 1391. Anno Domini M.CCC.xcj. rex celebravit parliamentum apud *Weſtmonaſterium* in craſtino animarum. In iſto parliamento data eſt licentia mercatoribus *Anglia* exire regnum et abducere ſua mercimonia quo volunt. In iſto parliamento editum eſt profanum ſtatutum contra eccleſiam et eccleſiæ perſonas, videlicet, ne quævis perſonæ eccleſiaſticæ poſſideant maneria glebas domos poſſeſſiones terras redditus quoſcumque proventus per manus feoffatoris abſque licentia regis et capitalium dominorum. Et iſtud ſtatutum extendit ſe tam ad eccleſias parochiales, capellas, cantarias, quam ad abbathias, prioratus, ſeu quæcumque alia monaſteria, ſimiliter ad cives civitatum, et villicanos, atque burgenſes burgorum et villarum hujuſmodi redditus vel poſſeſſiones pro communi utilitate habentes. Nam homines in illis diebus qui volebant conferre redditus vel poſſeſſiones alicui eccleſiæ ſive cuiquam communitati nec expenſas poſſent effundere, ut eos in manum mortuam reducerent ſub licentia regis & capitalium dominorum, ſolebant feoffare certos homines in quibus habebant fiduciam, ſub quorum nomine et defenſione eccleſiaſticæ perſonæ vel hujuſmodi communitas rei commodo gauderent et utilitatem eorum poſſiderent. Et cautum eſt in eodem ſtatuto, quod omnes et ſinguli tam perſonæ eccleſiaſticæ quam parochiales, et cives atque burgenſes, et villicani ſeu quicumque alii habentes hujuſmodi redditus, poſſeſſiones, maneria ſeu quoſcumqe proventus in manibus talium feoffatorum ſine licentia regis & capitalium dominorum, quod aut licenciam à rege et capitalibus dominis impetrarent in manum mortuam redigere vel venditioni talia exponere et ſuum commodum inde facere citra feſtum ſancti *Michaelis* proximo ſequens, vel illo feſto peracto rex et capitales domini in ſic non præordinatis et diſpoſitis intrare et ſeiſire, et ad ſuum placitum optinere.

Illis diebus erat quædam matrona in civitate *Londonienſi* quæ habebat unicam filiam quam inſtruxit ad celebrandum miſſam, & erexit altare in cubili ſuo ſecreto cum ornatu ſuo, ſicque fecit filiam ſuam multis diebus veſtire ſe more ſacerdotis & ad altare accedere, & pro ſuo modo miſſam celebrare: ſet cum veniſſet ad verba ſacramenti proſtravit ſe ante altare & ſacramentum non confecit, ſet cætera miſſæ ſurgens uſque ad finem complevit matre ejus eam juvante & ſuam devotionem agente. Iſte error multo tempore duravit donec per quandam vicinam ad talem miſſam ſecretius vocatam divulgaretur, & ad aures epiſcopi *Londonienſis* deveniſſet, qui eas ad præſentiam ſuam convocavit & de errore convenit, & ſacerdotiſſimam tonſuram comæ publice monſtrare coegit, cujus caput nimis glabroſum inventum eſt; epiſcopus plorans nimis & ejulans de tali errore in eccleſia ſuo tempore contingente, multa lamenta emiſit, & finem cum illis injuncta pœnitentia fecit.

Dux *Geldriæ* miſit regi *Angliæ* literas laudabiles, & ad guerram, & militares actus, & ad regiæ nobilitatis exercitium multum allectivas, quarum tenor ſub ſequenti forma patet.

MAGNIFICE PRINCEPS, Innata vobis probitas & prudentum conſilia ut opinamur ſimul agerent in effectum quod ſingula hæreditaria jura quæ ex natalicio veſtram magnificant regiam majeſtatem temporibus veſtræ diſcretionis altiſſima providentia munirentur illæſa, & ſi quavis oppugnaret violentia clipeo militari ſtudeat regalis induſtria fortiter defendere ſua jura. Et quia veſtram regiam perſonam contingamus in affinitate, non valet Deus ipſe quin ſemper parati erimus vobis in veſtris juribus defendendis aſſiſtere cum duobus milibus lancearum quando et quociens diſponemini ad bellica convolare. Nec perire debeant jura propter verba aut promiſſa quomodolibet ad hoc laborat verſutia Gallicorum. *Sane, ſereniſſime princeps, in orbem volat fama nec ambigitur quod propter lanæ et innumerabilium veſtra ſingularia commoda ſine quibus non vivit oriens neque auſter regna ſingula in pecuniis vos ſalutant. In comparatione igitur ad alios reges vobis confert Deus ipſe divitias centuplatas. Probitas eciam militaris et arcuum aſperitas ſine pari taliter hucuſque extulere gentem magnanimam occidentis, quod timor non parvus veſtros invadit adverſarios, et ad hunc diem impariter victorioſe dimicavit cum* Gallicis Angliæ *gens auſtera. In puſillanimitate igitur, potentiſſime princeps, contra naturam non obdormiat cor leonis, ſet et quales vobis contulit vires natura ipſas applicare dignemini actibus bellicoſis in defenſionem reipublicæ, juris hæreditarii ſuſtentationem, augmentumque meriti et incomparabiliter chronicabilem probitatem cordis magnanimi tanti regis.*

In parliamento præfato conceſſa eſt domino regi una dimidia decima à clero, & una quintadecima à populo in obſequium expenſarum domini *Johannis* Ducis *Lancaſtriæ*, qui in Quadrageſima ſequenti perrexit in *Franciam* apud civitatem de *Amyas* pro finali pace inter regna *Angliæ* & *Franciæ* tractanda; ubi occurrit ei rex *Franciæ* cum magno tripudio honoris & laudis, præmittens primo in occurſum dicti Ducis cives equeſtres ejuſdem civitatis numero pergrandi, deinde Comites & Barones quampluri mos, deinde avunculos ſuos Duces. Poſtremo ipſe rex venit ei obviam ſalutans eum & prænominans digniſſimam perſonam miliciæ totius Chriſtianitatis, regali dignitate inuncta ſolummodo excepta; & idem dominus dux habuit xvij. dies ex conductu pro pacis forma tractanda. Deinde rediit habens in comitatu ſuo epiſcopum *Dunelmiæ*, & filium Ducis *Eboracenſis* Comitem de *Rutlondia*, cum mille equitibus ut dicebatur, mirabili apparatus elegantia refertis.

An. Dñi 1392.

Anno Gratiæ M CCC.xcij. rex celebravit grande concilium in craſtino Trinitatis apud *Stanfordiam* pro negotiis regni erga *Francos* tractandis. In quo convocavit omnem ſenilem miliciam regni, ut ſeniorum conſilio quid agendum eſſet in præfatis duceret in effectum.

Item, Rex habuit grande concilium apud *Notyngamiam* ad feſtum ſancti *Johannis Baptiſtæ*, in quo convenire fecit Majorem *Londonienſem* cum xxiiij. Aldermannis & duobus Vicecomitibus, & xxiiij. in ſecundo gradu potentioribus civitatis. In quo convicit eos foraſfeciſſe contra quoddam obligatorium novem milium librarum & amiſſione privilegiorum ſuorum erga regem. Quod quidem obligatorium regi ante fecerant ſuis demeritis illud exigentibus. Rex autem novis delictis recitatis abſolvit Majorem & duos Vicecomites cæteroſque officiarios de officiis ſuis. Et miſit Majorem & duos Vicecomites ad certa loca in cuſtodiam exuens civitatem *Londonienſem* omni privilegiorum honore, ita quod magis non gauderet civis quam extraneus aliquo privilegio, præficiens dominum *Edwardum Baleryge* cuſtodem ad cuſtodiendum leges regis & populum in civitate *Londonienſi* donec diſponeret aliter pro eis. Et præfixit eis diem ad reſpondendum regi & ejus conſilio ſuper objectis & objiciendis in feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* proximo ſequenti apud *Wyndeſoram*. Interim mediantibus quibuſdam amicis mitigata eſt erga eos pro parte indignatio regis, & dimiſit Majorem & Vicecomites cæteroſque omnes in domos ſuas, præficiens tamen eis novum cuſtodem civitatis, reſervans in manu omnia privilegia civitatis. Interea Dominica proxima poſt feſtum Aſſumptionis beatæ *Mariæ* omnes potentiores civitatis venerunt ad regem & ſubmiſerunt ſe & omnia bona ſua regi, & tunc primo recepit eos in ſuam gratiam. Die vero *Mercurii* ſequenti rex diſpoſuit ſe venire *Londonias*, & occurrerunt ei cives equeſtres multitudine quaſi innumerabili; & qui non habebant equos dederunt ei obviam pedeſtres; mulieres quoque & infantes ſe ei monſtraverunt. Epiſcopus quoque *Londonienſis* cum cœtu cleri totius civitatis nullo ordine vel gradu, aut conditione vel ſexu eccleſiaſticæ dignitatis excuſato cum ingenti honoris tripudio, & regi & reginæ proceſſit obviam. Fertur in illa proceſſione pluſquam quingentos pueros in ſuperpelliciis extitiſſe. Inſuper & cives ornaverunt facies domorum & camerarum ſuarum per omnes vicos, plateas, & ſtratas quo rex & regina tranſituri erant à ſancto *Georgio* uſque ad *Weſtmonaſterium*, ſaltem in dignioribus ædificiis, veſtibus cultioribus, aureis & argenteis, velvetis, ſyndonicis ſicladibus, aliiſque precioſis prout poſſibilitas cujuſcumque attingere poterat ubique, aquæductu in *Chepa* vinum rubeum & album affluenter emanante. Puero quoque in veſtibus albis in forma angeli cum cupa aurea deſuper ſtante, & vinum regi & reginæ ad bibendum offerente. Interea offerunt regi unam coronam auream magni precii, & alteram coronam auream reginæ; & poſt puſillum procedentes conferunt regi unam tabulam auream de Trinitate ad precium octingentarum librarum. Similiter & reginæ aliam tabulam auream de ſancta *Anna* quam ipſa in ſpeciali devotione habebat, eo quod ipſamet *Anna* vocabatur; et tantos ac tales honores et mirabiles regi impenderunt quales nulli alii regi hujus regni retroactis temporibus meminimus impenſos fuiſſe.

Ricard. II. Sicque progredientes perduxerunt regem & reginam in aulam *Weſtmonaſterienſem*. Rege vero ſedente in ſede regali et omni populo coram eo ſtante, quidam ex ore regis regratiabatur populo de innumeroſitate magnifici honoris et immenſæ munificentiæ ab eis regi impenſa; Et quoad ſua negotia incumbentia in proximo parliamento ſe debere habere finale reſponſum yeme ſequenti.

Rediit curia regis, ſcilicet bancum de *Eboraco* et Cancellaria de *Notyngamia* uſque *Londonias*. Rex celebravit parliamentum apud *Wyntoniam*, in quo conceſſa eſt regi una dimidia decima de clero, et una dimidia quintadecima de populo pro expenſis pro futura pace tractanda inter regem *Anglia* et regem *Francia*. In Quadrageſima ſequenti *Iohannes* Dux *Lancaſtria*, *Thomas* Dux *Glouceſtria*, magiſter *Walterus Skirlowe* epiſcopus *Dunelmenſis* perrexerunt apud *Caleſiam* ad tractandum de pace, ut ſupradictum eſt, inter regna, et circa feſtum Paſchæ in *Angliam* redierunt.

An. Dñi 1393. Anno Domini M.CCC.xciij. *Iohannes* Dux *Lancaſtria*, *Thomas* Dux *Glouceſtria* cum ſupradictis ſociis ſuis iterum ſecundo perrexerunt in æſtate apud *Caleſiam* pro pace tractanda; & ceperunt treugas cum *Francia* & *Scotis* pro quatuor annis & quatuor menſibus inmediate ſequentibus tam in mare quam in terris.

1394. Anno Domini M.CCC.xcv. in iſto anno mortua eſt *Anna* regina, & ſepulta eſt apud *Weſtmonaſterium* in æſtate. Eodem anno mortua eſt *Conſtancia* Duciſſa & uxor domini *Johannis* Ducis *Lancaſtria* & apud *Leyceſtriam* Dominica proxima poſt feſtum apoſtolorum *Petri* & *Pauli* cum magno honore humata. Et in craſtino, ſcilicet die Lunæ ſequenti ſepulta eſt *Maria* uxor domini *Henrici* Comitis *Derbeya* filii Ducis *Lancaſtria* in novo Collegio apud *Leyceſtriam*. In autumpno ſequenti dominus *Johannes* Dux *Lancaſtria* perrexit in *Acquitaniam* cum grandi equitatu pro Ducatu optinendo, nam rex *Ricardus* ante fecerat eum Ducem *Waſconia* & *Acquitania*. Ricard. II.

Rex reſtituit cives *Londonienſes* ad ſua priſtina privilegia in iſto parliamento. Circa feſtum ſancti *Michaelis* proximo ſequens rex *Ricardus* cum grandi exercitu perrexit in *Hiberniam* ad debellandum *Ibernicos* ſibi rebellantes. Et circa feſtum ſancti *Andrea* rex *Ricardus* celebravit parliamentum in *Ibernia* apud *Dubliniam*, & poſt Epiphaniam rex *Ricardus* miſit dominum *Thomam Wodeſtoke* Ducem *Glouceſtria* in *Angliam* qui celebravit parliamentum nomine regis apud *Weſtmonaſterium*, in quo conceſſæ fuerunt duæ dimidiæ decimæ de clero ſolvendæ per vices. Eodem anno ſimiliter & de dimidio quintodecimo de populo.

Anno Domini M.CCC.xcv. circa menſem Maii rex *Ricardus* rediit de *Ibernia* ſubpeditata terra in *Angliam*. Et dimiſit in *Ibernia* Comitem *Marchia* cum multis aliis ad cuſtodiendum terram. Et poſt natale Domini ſequens dominus *Johannes* Dux *Lancaſtria* rediit in *Angliam* de *Vaſconia* & venit per *Franciam*. An. Dñi 1395.

Rex *Francia* fecit convocationem de clero *Francia* ad inveſtigandum poteſtatem duorum paparum quis eorum plenius jus haberet in cathedra *Petri*, nam ſciſma duorum paparum adhuc perſeverat. Clerus vero ſcripſit pro *Clemente* papa ſuo *Avinonia*, & ſcriptum munierunt ſigillo *Pariſienſis* Univerſitatis. Quod quidem ſcriptum rex *Francia Carolus* tranſmiſit *Ricardo* regi *Anglia* ut in hiis dubiis deliberaret cum conſilio cleri ſui. Igitur rex *Ricardus* fecit Convocationem *Oxonia* de peritioribus Theologis tam regentibus quam non regentibus totius regni. Qui ſcripſerunt pro *Vrbano* papa ſuo *Romano*, & ſcriptum ſignaculo Univerſitatis *Oxonienſis* fortificaverunt regiſque *Ricardi*, & tranſmiſerunt *Pariſius* regi *Francia*. Set nichil ultra actum eſt de præmiſſis utroque papa ſub umbraculo ſciſmatis prævalentis juſtificante.

FINIS.

ROTULUS PARLIAMENTI SUMMONITI & TENTI APUD *Weſtmonaſterium* in feſto Sanctæ *Fidis* Virginis, anno regni Regis *Henrici* quarti poſt Conqueſtum primo, membr. 20.

Les Record & proces del renunciation du Roy Richard *le Second apres le conqueſt & de laccceptation de meſme la renunciation enſemblement ove la depoſition de meſme le Roy* Richard *enſuent cy apres.*

MEmorand. Quod die Lunæ in feſto ſancti *Michaelis* Archangeli Anno Regni Regis *Ricardi* ſecundi 23. Domini Spirituales & Temporales, & aliæ perſonæ notabiles: videlicet, Dominus *Richardus le Scrop*, Archiepiſcopus *Eboracenſis*, *Io.* Epiſcopus *Hereford*, *Hen.* Comes *Northumbr.* & *Radulfus* Comes *Weſtmorelandia*, Dominus *Hugo le Burnell*, *Tho:* Dominus *de Berkley*, Prior *Cantuar.* & Abbas *Weſtmonaſterii*, *Williel: Thyrninge* Miles, & *Iohan: Markham* Juſticiarii, *Tho. Stow*, & *Iohan: Burbache*, Legum Doctores, *Thom: de Erpingham*, & *Tho: Gray* Milites, *Will. de Feryby*, & *Dionyſius Lapham*, Notarii publici: de quorundam Dominorum Spiritualium, & Temporalium, ac Juſtitiariorum & aliorum tam in Jure Civili & Canonico, quam in regni legibus peritorum, apud *Weſtmonaſt.* in loco conſueto Concilii congregatorum aſſenſu & aviſamento ad actum ſubſcriptum primitus deputati, ad præſentiam dicti Regis *Ricardi* infra turrim *London.* exiſtentis circiter nonam pulſationem horologii acceſſerunt, & recitato coram eodem Rege per prædictum Comitem *Northumbr.* vice omnium prædictorum, ſibi ut præmittitur adjunctorum, qualiter idem rex alias apud **Conewey** in *Northwallia*, in ſua libertate exiſtens promiſit Domino *Thoma* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & dicto Comiti *Northumbr.* ſe velle cedere, & renuntiare Coronæ *Anglia*, & *Francia*, & ſuæ regiæ Majeſtati ex cauſis per ipſum Regem ibidem de ſua inhabilitate, & inſufficientia confeſſatis, & hoc meliori modo, & forma quibus facere poterit, prout peritorum conſilium melius duxerit ordinandum. Idem rex coram dictis Dominis & aliis ſuperius nominatis, ad hoc benigne reſpondens dixit, ſe velle cum effectu perficere quod prius in ea parte promiſit. Deſideravit tamen habere colloquium cum *Henrico* Duce *Lancaſtria*, & præfato Archiepiſcopo *Cantuarienſi* conſanguineis ſuis, antequam promiſſum ſuum hujuſmodi adimpleret. Petivit tamen copiam ceſſionis per ipſum faciendæ ſibi tradi, ut ſuper illa poſſit interim deliberare; qua quidem copia ſibi tradita, dicti Domini, & alii ad ſua hoſpitia receſſerunt. Poſtea eadem die poſt prandium, dicto rege plurimum affectante prædicti Ducis *Lancaſtria* adventum, & illum diutius præſtolante, tandem idem Dux de *Lancaſtria*, Domini & perſonæ ſuperius nominati, ac etiam dictus Archiepiſcopus *Cantuarienſis* venerunt ad præſentiam dicti Regis in turri prædicta, Dominis de *Roos*, de *Wiloghby*, & de *Abergeney*, & pluribus aliis tunc ibidem præſentibus. Et poſtquam idem Rex cum dictis Duce *Lancaſtria* & Archiepiſcopo colloquium habebat, ad partem vultu hilari hinc inde inter eos exhibito, prout circumſtantibus videbatur, tandem dictus Rex accerſitis ad eum omnibus ibidem præſentibus, dixit publice coram illis, quod paratus erat ad renuntiationem faciendam, & ad renuntiandum & cedendū ſecundum promiſſionem per eum ut præmittitur factam: Sicq; incontinenti, licet potuiſſet ut ſibi dicebatur ab aliis ceſſionem & renuntiationem in quadam ſchedula pergameni redactam per aliquem deputatum organum vocis ſuæ feciſſe, pro labore tam prolixo lecturæ vitando, Idem tamen Rex grataner, ut apparuit, ac hilari vultu ſchedulam illam manu ſua tenens, dixit, ſemetipſum velle legere, & diſtincte perlegit eandem. Necnon abſolvit ligeos ſuos, renunciavit, & ceſſit, & juravit, & alia dixit & protulit in legendo, & ſe ſubſcripſit manu ſua propria, prout plenius continetur in dicta ſchedula, cujus tenor talis eſt.

Reſignatio Richardi *ſecundi.*

IN NOMINE DEI, *Amen.* *Ego* Rich. *Dei gratia Rex* Angliæ *&* Franciæ, *& Dominus* Hiberniæ, *omnium dictorum Regnorum, & Dominiorum Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcunq; Eccleſiarum Secularium, vel Regularium Prælatos cujuſcunq; dignitatis, gradus, ſtatus, ſeu conditionis exiſtant; Duces, Marchiones, Comites, Barones, Vaſallos, & Valvaſſores, & Ligeos homines meos quoſcunq; eccleſiaſticos, vel ſeculares quocunq; nomine cenſeantur, à juramento fidelitatis & homagii, & aliis quibuſcunq; michi factis, omniq; vinculo ligeantiæ, & Regaliæ, ac Dominii quibus obligati mihi fuerint, vel ſint, vel alias quomodolibet adſtricti, abſolvo; Et eos, & hæredes ipſorum, & ſucceſſores in perpetuum, ab iiſdem obligationibus, & juramentis, & aliis quibuſcunq; libero, relaxo, & quieto, & liberos, ſolutos, & quietos ac immunes, quantum ad perſonam meam attinet, dimitto, ad effectum omnem juris qui ex præmiſſis ſequi poterit, ſeu aliquo præmiſſorum, omniq; Regiæ dignitati, ac majeſtati, & Coronæ, necnon Dominio, & poteſtati dictorum Regnorum, & Dominii, aliiſq; Dominiis, & poſſeſſionibus meis, ſeu mihi quomodolibet pertinentibus, ſeu competentibus quibuſcunq; quocunq; nomine cenſeantur infra Regna, & Dominia prædicta, vel alibi ubilibet conſtitutis, Omniq; juri, & colori juris, ac titulo, poſſeſſioni ac dominio quæ unquam habui, habeo, ſeu quoviſmodo habere potero, in iiſdem, ſeu eorum aliquo, vel ad ea cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis, ſeu dependentibus qualitercunq; ab eiſdem, vel eorum aliquo;*

Necnon regimini, & gubernationi dictorum Regnorum, & Dominiorum hujuſmodi, & eorum adminiſtrationi, omnibuſq; & omnimodis mero & mixto imperio, ac jurisdictioni in iiſdem regnis, & Dominiis mihi competentibus, vel competituris, nominiq; honori, ac Regaliæ, & Celſitudini Regis, purè ſponte, ſimpliciter, & abſolutè, melioribus modo, via, & forma quibus poterit in his ſcriptis renuntio, & ea in totum reſigno, ac re, & verbo dimitto, & iiſdem cedo, & ab iiſdem recedo in perpetuum. Salvis ſucceſſoribus meis regibus Angliæ *in Regnis, & Dominiis, & cæteris omnibus præmiſſis in perpetuum, juribus in iiſdem, ſeu eorum aliquo competentibus, vel competituris quibuſcunq;. Meq; ad regimen, & gubernationem dictorum Regnorum, ac Dominiorum cum ſuis pertinentiis univerſis fateor, recognoſco, reputo, & veraciter, ex certa ſcientia judico fuiſſe, & eſſe inſufficientem penitus, & inutilem, ac propter mea demerita notoria non immerito deponendum. Et juro ad hæc ſancta Dei evangelia, per me corporaliter tacta, quod nunquam præmiſſis reſignationi, renuntiationi, dimiſſioni, & ceſſioni contraveniam, ſeu ea quomodolibet impugnabo facto, vel verbo, per me vel per alium, vel per alios, ſeu contraveniri, vel impugnari permittam quantum in me eſt publicè vel occultè; ſed eaſdem renuntiationem, reſignationem, dimiſſionem, & ceſſionem in perpetuum ratas & gratas habebo, & firmiter tenebo, & obſervabo in toto, & omni ſui parte, ſicut Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Ego *Richardus* Rex antedictus propria
mea manu hic me ſubſcribo.

Et ſtatim idem Rex renuntiationi, & ceſſioni prædictis, verbo tenus adjunxit; quod ſi eſſet in poteſtate ſua, dictus Dux *Lancaſtriæ* ſuccederet ſibi in Regno; ſed quia hoc in poteſtate ſua non dependebat ut dixit, dictos *Eboracenſem* Archiepiſcopum, & Epiſcopum *Herefordenſem*, quos protunc conſtituit ſuos procuratores ad declarandum, & intimandum ceſſionem, & renuntiationem hujuſmodi omnibus ſtatibus dicti regni, rogavit ut intentionem, & voluntatem ſuam in ea parte populo nuntiarent, & in ſignum ſuæ voluntatis, & intentionis hujuſmodi, annulum auri de ſigneto ſuo, patenter de digito ſuo tunc ibidem extraxit, & digito dicti Ducis *Lancaſtriæ* appoſuit. Deſiderans hoc ipſum ut aſſeruit, omnibus regni ſtatibus innoteſci. Quo facto, valefacientes hinc inde omnes turrim prædictam exierunt ad ſua hoſpicia reverſuri.

In craſtino autem, videlicet in die Martis in feſto Sancti *Hieronymi* in magna aula apud *Weſtmonaſterium* in loco ad Parliamentum tenendum honorifice præparato, dictis Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & *Eboracenſi*, ac Duce *Lancaſtriæ*, aliiſq; Ducibus, ac Dominis tam Spiritualibus quam Temporalibus quorum nomina deſcribuntur inferius, populoq; dicti regni tunc ibidem propter factum Parliamenti in magna multitudine congregato præſentibus; ac præfato Duce *Lancaſtriæ* locum ſtatui ſuo debitum, & ſolitum occupante, ac ſede regali cum pannis auri ſolempniter præparata, tunc vacua abſq; præſidente quocunque, ſupradictus Archiepiſcopus *Eboracenſis* ſuo & dicti *Herefordenſis* Epiſcopi nomine juxta dicti Regis injunctum ceſſionem & renuntiationem per ipſum ſic fuiſſe ut præmittitur factam, etiam cum ſubſcriptione regiæ manus, & traditione ſigneti ſui publicè declaravit, eandemq; ceſſionem, & renuntiationem per alium, primo in Latinis verbis, poſtea in *Anglicis* legi fecit ibidem; & ſtatim, ut fuerat interrogatum a ſtatibus & populo ibidem præſentibus, primo videlicet ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* prædicto, cui ratione dignitatis & prærogativæ eccleſiæ ſuæ *Cantuarienſis* Metropoliticæ, in hac parte competit primam vocem habere inter cæteros prælatos & proceres regni, ſi pro eorum intereſſe, & utilitate regni vellent renunciationem, & ceſſionem hujuſmodi admittere: ſtatuſq; iidem, & populus reputantes ex cauſis per ipſum Regem in ſua renunciatione, & ceſſione prædictis ſignificatis, hoc fore multum expediens, renuntiationem, & ceſſionem hujuſmodi ſinguli ſingillatim, & in communi cum populo unanimiter, & concorditer admiſerunt. Poſt quam eandem admiſſionem fuerat publice ibidem tunc expoſitum, quod ultra ceſſionem & renuntiationem hujuſmodi ut præfertur admiſſam, valde foret expediens, ac utile regno prædicto, pro omni ſcrupulo, & ſiniſtra ſuſpicione tollendis, quod plurima crimina, & defectus per dictum regem circa malum regimen regni ſui frequentius perpetrata, per modum articulorum in ſcriptis redacta, propter quæ ut idem aſſeruit, in ceſſione facta per eum, eſſet ipſe merito deponendus, publicè legerentur, quodq; eſſent populo declarata. Sicq; maxima pars articulorum illorum erat publice perlecta tunc ibidem; quorum omnium articulorum tenor talis eſt.

Sequitur forma juramenti ſoliti & conſueti præſtari per Reges *Angliæ* in eorum Coronatione quod Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ab eiſdem regibus exigere & recipere conſuevit, prout in libris pontificaliū Archiepiſcoporum & Epiſcoporum plenius continetur.

Quod quidem juramentum *Ricardus* Rex *Angliæ* poſt Conqueſtum ſecundus in Coronatione ſua præſtitit & ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* erat receptum; & illud idem juramentum dictus Rex poſtmodum iteravit, prout in rotulis Cancellariæ plenius reperiri poterit de recordo.

Servabis eccleſiæ Dei & populo pacem ex integro & concordiam in Deo ſecundum vires tuas. *Reſpondebit*, Servabo. Facies fieri in omnibus judiciis tuis æquam & rectam juſticiam & diſcretionem in miſericordia & veritate ſecundum vires tuas. *Reſpondebit*, Faciam. Concedis juſtas leges & conſuetudines eſſe tenendas & promittis per te eſſe protegendas & ad honorem dei corroborandas quas vulgus elegerit, ſecundum vires tuas. *Reſpondebit*, Concedo & promitto.

Adiciantúrque prædictis interrogationibus quæ juſta fuerint; Prænunciatiſque omnibus confirmet Rex, ſe omnia ſervaturum Sacramento ſuper altare præſtito coram cunctis.

Sequuntur objectus contra regem de Depoſitione ejuſdem.

INprimis, Objicitur Regi *Richardo* quod propter malum regimen ſuum, videlicet bona & poſſeſſiones ad Coronam ſuam ſpectantia, etiam perſonis indignis donando, & indiſcrete diſſipando, & ob hoc collectas, & alia onera gravia & importabilia populo ſine cauſa imponendo, necnon alia mala innumerabilia perpetrando, alias de aſſenſu, & mandato ſuis per totum Parliamentum ad gubernationem regni certi Prælati, & alii Domini temporales erant electi, & aſſignati, qui totis viribus ſuis circa juſtam gubernationem regni propriis ſumptibus ſuis fideliter laborarent, tamen Rex facto per eum Conventiculo, cum ſuis complicibus, dictos Dominos tam Spirituales quam Temporales circa Regni utilitatem occupatos de alta proditione impetere proponebat; ac Juſtitiarios Regni ad ſuum nefandum propoſitum corroborandum metu mortis, & cruciatus corporis violenter attraxit, dictos Dominos deſtruere ſatagendo.

2. *Item*, Idem Rex nuper apud *Salopiam* coram ſe, ac aliis ſibi faventibus venire fecit quamplures, & majorem partem Juſtitiariorum cameraliter, & eos per minas, & terrores varios, ac etiam metus qui poſſunt cadere in conſtantes, induxit, fecit, & compulit ſigillatim, ad reſpondendum certis quæſtionibus pro parte ipſius Regis factis ibidem tangentibus leges regni ſui, præter, & contra voluntatem eorum, & aliter quam reſpondiſſent, ſi fuiſſent in libertate ſua, & non coacti. Quarum Reſponſionum colore idem Rex propoſuit proceſſiſſe poſtmodum ad deſtructionem *Thomæ* Ducis *Glouceſtriæ*, & Comitum *Arundell*, & *Warwicke*, ac aliorum Dominorum, contra quorum facta & geſta prædictus Rex erat quamplurimum indignatus maximè quia deſiderabant eundem Regem eſſe ſub bono regimine. Sed divino nutu obſtante, reſiſtentia & potentia dictorum Dominorum Rex propoſitum ſuum hujuſmodi perducere non potuit ad effectum.

3. *Item*, Cum Domini Temporales ejus malitiæ ac doloſitati ſeipſos defendendo reſtitiſſent, dictus Rex diem Parliamenti ſui pro juſtitia eis, & aliis Regnicolis in hac parte miniſtranda præfixiſſet, dictiq; Domini Temporales in ſuis domibus ſub ſpe & fiducia Parliamenti prædicti quiete, ac pacifice reſediſſent: Rex clanculo Ducem *Hiberniæ* cum ſuis litteris, & vexillo ad partes *Ceſtriæ* deſtinavit, ibiq; nonnullas gentes ad arma commovit, & contra dictos Dominos, & magnates Regni, & Reipublicæ ſervitores inſurgere fecit, vexillum ejus contra pacem per eum juratam publice erigendo; unde homicidia, captivitates, diſſenſiones, & alia mala infinita in totum regnum ſecuta fuerunt, qua re perjurium incurrebat.

4. *Item*, Licet dictus Rex omnem offenſam dictis Duci *Glouceſtriæ*, & Comitibus *Arundell*, & *Warwick*, & omnibus aliis ſibi in hujuſmodi factis aſſiſtentibus, & aliis in pleno Parliamento de aſſenſu ejuſdem perdonaſſet, paciſq; & amoris ſigna per plures annos eiſdem Duci, & Comitibus, & aliis vultum hilarem & benignum exhibuiſſet; Idem tamen Rex ſemper & continue fel in corde gerens, tandem opportunitate captata dictum Ducem *Glouceſtriæ* ipſius Regis Avunculum, necnon bonæ memoriæ *Edwardi* nuper Regis *Angliæ* filium, & Coneſtabularium *Angliæ* dicto Domino Regi cum proceſſione ſolempni humiliter occurrentem, dictoſq; Comites *Arundell*, & *Warwick* capi, & areſtari fecit, & ipſum Ducem extra regnum *Angliæ* uſq; ad Villam *Caleſiæ* duci fecit, & ibidem incarcerari, & ſub cuſtodia Comitis *Nottyngham* unius ipſum Ducem appellantium detineri, & ſine reſponſione & proceſſu quocunq; legitimo occultè ſuffocari, ſtrangulari, & murdrari inhumaniter, & crudeliter fecit, Comitemq; *Arundell*, tam cartam de dicta perdonatione generali, quam cartam perdonationis poſtea ſibi conceſſam allegantem, & juſtitiam ſibi fieri petentem, in Parliamento ſuo, viris armatis, & ſagittariis innumeris vallato per impreſſionem populi per eum ad hoc collecti dampnabiliter decapitari fecit; Comitemq; *Warwick*, & Dominum de *Cobham* perpetuis carceribus mancipavit, eorum terras, & tenementa, tam in feodo ſimplici quam in feodo talliato de ſe & hæredibus ſuis contra juſtitiam & leges regni ſui & juramentum ſuum expreſſum nequiter confiſcando, & eorum appellantibus concedendo.

5. *Item*, Tempore quo idem Rex in Parliamento ſuo fecit adjudicari Ducem *Glouceſtriæ*, & Comites *Arundell*, & *Warwick*, ut liberius poſſit exercere crudelitatem in eoſdem, & voluntatem ſuam injurioſam in aliis adimplere, ſibi attraxit multitudinem magnam malefactorum de Comitatu *Ceſtriæ*, quorum quidam cum Rege tranſeuntes per regnum, tam infra hoſpitium Regis, quam extra ligeos regni crudeliter occiderunt, & quoſdam verberaverunt, vulneraverunt, & deprædarunt bona populi, & pro ſuis victualibus ſolvere recuſarunt, & uxores & alias mulieres rapuerunt, & violaverunt, & licet ſuper eorum hujuſmodi exceſſibus graves querimoniæ deferebantur ad audientiam dicti Domini Regis, idem tamen Rex ſuper hiis juſtitiam, ſeu remedium facere non curavit, ſed favebat iiſdem gentibus in maleficiis eorundem, confidens in eis, & eorum præſidio contra quoſcunq; alios regni ſui, propter quod fideles regni ſui magnam commotionis & indignationis materiam habuerunt.

6. *Item*, Licet dictus Rex per brevia ſua proclamari fecerit per totum regnum ſuum quod Avunculum ſuum Ducem *Glouceſtriæ*, & Comites *Arundell*, & *Warwick* capi fecerit, & arreſtari, non pro aliquibus congregationibus, & equitationibus per eos infra regnum *Angliæ* factis, ſed pro quampluribus extortionibus, oppreſſionibus & aliis contra Regaliam ſuam, & Regiam Majeſtatem poſtmodum factis et perpetratis per eos, quodq; non erat intentionis ipſius regis quod aliquis de familiâ prædictorum Ducis *Glouceſtriæ*, ac Comitum *Arundell*, & *Warwicke* ſeu eorum qui in comitiva ſua tempore congregationis, & equitationis prædictarum fuit, ea occaſione moleſtetur aliqualiter, ſeu gravetur: Idem tamen Rex tandem in Parliamento ſuo dictos Dominos non pro extortionibus, oppreſſionibus aut aliis prædictis impetiit, ſed pro congregationibus & equitationibus ſupradictis eos adjudicavit ad mortem, & quamplures de familia eorundem Dominorum, & aliorum qui in comitiva ſua tempore congregationis, & equitationis fuerunt, metu mortis compulit fines & redemptiones facere, utpote traditores, vel proditores, ad gravem deſtructionem quamplurium hominum de populo ſuo. Sicq; dictos Dominos & eorum familiares hujuſmodi & populum regni ſui callide, fraudulenter, & malitioſe decepit.

7. *Item*, Poſtquam quamplures de perſonis illis facientibus fines & redemptiones hujuſmodi impetraverunt à Rege literas ſuas patentes perdonationis plenariæ in præmiſſis, nullum commodum ex hujuſmodi literis perdonationis poterant reportare, donec novos fines, & Redemptiones pro eorum vita conſervanda feciſſent, unde fuerant quamplurimum depauperati; pro quo nomini, & ſtatui Regis fuerat plurimum derogatum.

8. *Item*, In Parliamento ultimo tento apud *Salopiam* idem *R.* proponens opprimere populum ſuum procuravit ſubtiliter, & fecit concedi, quod poteſtas Parliamenti de conſenſu omnium Statuum Re-

gni ſui remaneret apud quaſdam perſonas, ad terminandum diſſoluto Parliamento certas petitiones in eodem Parliamento porrectas, protunc minimè expeditas; Cujus conceſſionis colore perſonæ ſic deputatæ proceſſerunt ad alia generaliter Parliamentum illud tangentia, & hoc de voluntate Regis, in derogationem Status Parliamenti & in magnum incommodum totius regni, & pernitioſum exemplum. Et ut ſuper factis eorum hujuſmodi aliqualem colorem & authoritatem viderentur habere, Rex fecit Rotulos Parliamenti pro voto ſuo mutari & deleri, contra effectum conceſſionis prædictæ.

9. *Item*, non obſtante quod dictus Rex in Coronatione ſua juraverit, quod fieri faceret in omnibus judiciis ſuis æquam & rectam juſtitiam & diſcretionem in miſericordia & veritate ſecundum vires ſuas: Dictus tamen Rex abſq; omni miſericordiâ rigoroſe inter cætera ſtatuit, & ordinavit ſub gravibus pœnis, quod pro *Henrico* Duce *Lancaſtriæ* relegato, pro aliqua gratia ſibi facienda nullus rogaret, aut intercederet apud eundem Regem; In quo facto idem Rex contra charitatis vinculum operabatur, juramentum prædictum temere violando.

10. *Item*, Quamvis Corona regni *Angliæ*, & jura ejuſdem Coronæ, ipſumq; regnum fuerint ab omni tempore retroacto adeo libera, ut dominus ſummus Pontifex, nec aliquis alius extra regnum ſe intromittere debeat de iiſdem: tamen præfatus Rex ad roborationem ſtatutorum ſuorum erroneorum ſupplicavit Domino Papæ, quod ſtatuta in ultimo Parliamento ſuo ordinata confirmaret, ſuper quo Dominus Rex literas Apoſtolicas impetravit, in quibus graves cenſuræ proferuntur contra quoſcunq; qui dictis ſtatutis in aliquo contravenire præſumpſerint. Quæ omnia contra Coronam, & dignitatem regiam, ac contra ſtatuta, & libertates dicti regni tendere dinoſcuntur.

11. *Item*, Licet Dominus *Henricus* nunc Dux *Lancaſtriæ* billam ſuam, ſtatum & honorem Regis concernentem ad ipſius Regis mandatum contra Ducem *Norfolciæ* propoſuiſſet, & eandem fuiſſet debite proſecutus, adeo quod juxta Regis ordinationem ſe ad duellum in omnibus paratum exhibuiſſet, præfatuſq; Rex ipſum nunc Ducem *Lancaſtriæ*, debitum ſuum in hac parte honorifice quantum in ipſo fuerat impleviſſe pronuntiaſſet, & declaraſſet per decretum, & hoc coram toto populo ad duellum hujuſmodi congregato fuiſſet publice proclamatum; Idem tamen Rex prædictum nunc Ducem *Lancaſtriæ*, ſine quacunq; cauſa legitima ad decennium exlegari fecit & mandavit, contra omnem juſtitiam, & leges, & conſuetudines regni ſui ac jura militaria in hac parte, perjurium dampnabiliter incurrendo.

12. *Item*, Poſtquam dictus Rex gratioſe conceſſit per literas ſuas patentes Domino *Henrico* nunc Duci *Lancaſtriæ*, quod in ipſius abſentia dum fuerat exlegatus generales attornati ſui poſſent proſequi pro liberatione ſibi facienda de quibuſcunq; hæreditatibus, ſive ſucceſſionibus ipſum extunc contingentibus, & quod homagium ſuum reſpectuari deberet pro quodam fine rationabili faciendo, literas illas patentes injurioſe revocavit, contra leges terræ perjurium incurrendo.

13. *Item*, Non obſtante quod ſtatutum erat, quod ſingulis annis Officiarii Regis cum Juſtitiariis & aliis de Conſilio Regis Vicecomites per omnes comitatus regni eligant, & nominarent Domino Regi ſecundum quod eorum diſcretioni, & conſcientiæ pro bono, & utilitate regni videbitur expedire: Idem Rex non nominatos aut electos hujuſmodi, ſed alios pro ſuæ libito voluntatis, quandoq; ſuos familiares, quandoq; tales quos ſcivit nolle reſiſtere voluntati ſuæ in Vicecomites fieri mandavit, pro ſuo & aliorum commodo ſingulari, ad magnum gravamen populi ſui, & contra leges regni ſui, perjurium notorie incurrendo.

14. *Item*, tempore illo quo Rex prædictus petivit, & habuit à quampluribus Dominis & aliis de regno plures pecuniarum ſummas ex cauſa mutui, certo termino ſolvendas, Non obſtante quod idem Rex per ſingulas literas ſuas patentes promiſit bona fide ſingulis perſonis à quibus mutuo recepit pecunias illas, quod eis limitato termino prædicto reſolveret hujuſmodi pecunias mutuatas; promiſſionem ſuam hujuſmodi non adimplevit, nec de pecuniis illis eſt hactenus ſatisfactum, unde creditores hujuſmodi valde gravantur, & non tam illi, quam plures alii de regno regem reputant infidelem.

15. *Item*, Ubi Rex *Angliæ* de proventibus regni ſui, & patrimonio ad Coronam ſuam ſpectante poſſit honeſtè vivere abſq; oppreſſione populi ſui, dummodo regnum non eſſet guerrarum diſpendio oneratum, Idem Rex quaſi toto tempore ſuo durantibus treugis inter Regnum *Angliæ* & adverſarios ejus, non ſolum magnam immo maximam partem dicti patrimonii ſui donavit etiam perſonis indignis, verum etiam propterea tot onera conceſſionis ſubditis impoſuit quaſi annis ſingulis in Regno ſuo, quod valde & nimium exceſſive populum ſuum oppreſſit, in depauperationem regni ſui, ea bona ſic levata, non ad commodum, & utilitatem regni *Angliæ* convertendo, ſed ad nominis ſui oſtentationem, & pompam, & vanam gloriam prodige diſſipando, & pro victualibus hoſpitii ſui, & aliis emptionibus ſuis maximæ ſummæ pecuniarum in regno ſuo debentur, licet divitiis & theſauris pluſquam aliquis progenitorum ſuorum de quo recolitur abundavit.

16. *Item*, Idem Rex nolens juſtas leges & conſuetudines regni ſui ſervare, ſeu protegere, ſed ſecundum ſuæ arbitrium voluntatis facere quicquod deſideriis ejus occurreret, quandoq; & frequentius quando ſibi expoſitæ & declaratæ fuerant leges regni ſui per Juſtitiarios, & alios de Concilio ſuo, & ſecundum leges illas petentibus juſtitiam exhiberet, dixit expreſſe vultu auſtero, & protervo, quod leges ſuæ erant in ore ſuo, & aliquotiens, in pectore ſuo, & quod ipſe ſolus poſſit mutare, & condere leges regni ſui; & opinione illa ſeductus quampluribus de ligeis ſuis juſtitiam fieri non permiſit, ſed per minas & terrores quamplures à proſecutione communis juſtitiæ ceſſare coegit.

17. *Item*, Quod poſtquam in Parliamento ſuo certa ſtatuta erant edita, quæ ſemper ligarent donec authoritate alicujus alterius Parliamenti fuerint ſpecialiter revocata; Idem Rex cupiens tanta libertate gaudere, quod nulla hujuſmodi ſtatuta ipſum adeo ligarent quin poſſet facere, & exequi ſecundum ſuæ arbitrium voluntatis prout non potuit, procuravit ſubtiliter talem petitionem in Parliamento ſuo pro parte Communitatis regni ſui porrigi, & ſibi concedi in genere, quod poſſet eſſe adeo liber ſicut aliquis progenitorum ſuorum extitit ante eum;

quarum petitionis & conceſſionis colore frequentius mandavit, & fecit idem Rex quamplura fieri contra ſtatuta hujuſmodi minime revocata; veniendo expreſſe & ſcienter contra juramentum ſuum in coronatione ſua præſtitum ut præfertur prout inferius declaratur.

18. *Item*, Licet ſtatutum fuit & ordinatum quod nullus Vicecomes officium ſuum occuparet continue ultra annum unum, ſed triennium laberetur antequam ad officium illud admitteretur de novo; Idem Rex *Richardus* quandoq; pro ſuo commodo ſingulari, & quandoq; ad proſecutionem aliorum pro eorum commodo & utilitate, quoſdam Vicecomites ſtare & remanere permiſit & fecit in eorum officiis continue aliquotiens per biennium, & aliquotiens per triennium, contra tenorem & effectum ſtatuti prædicti, perjurium incurrendo; & hoc eſt notorium, publicum, & famoſum.

19. *Item*, Licet de ſtatuto, & conſuetudine regni ſui in convocatione cujuſlibet Parliamenti populus ſuus in ſingulis comitatibus regni debeat eſſe liber ad eligendum & deputandum milites pro hujuſmodi comitatibus ad intereſſendum Parliamento, & ad exponendum eorum gravamina, & ad proſequendum pro remediis ſuperinde prout eis videretur expedire; tamen præfatus Rex ut in Parliamentis ſuis liberius conſequi valeat ſuæ temerariæ voluntatis effectum, direxit mandata ſua frequentius Vicecomitibus ſuis, ut certas perſonas per ipſum Regem nominatas ut milites comitatuum venire faciant ad Parliamenta ſua, quos quidem milites eidem Regi faventes inducere poterat, prout frequentius fecit, quandoq; per minas varias, & terrores, & quandoq; per munera ad conſentiendum illis quæ regno fuerant præjudicialia, & populo quamplurimum oneroſa; & ſpecialiter ad concedendum eidem Regi ſubſidium lanarum ad terminum vitæ ſuæ, & aliud ſubſidium ad certos annos, ſuum populum nimium opprimendo.

20. *Item*, Idem Rex ut liberius adimplere, & ſequi poſſet in ſingulis ſuæ arbitrium voluntatis, illicite fecit, & mandavit, quod Vicecomites per totum regnum ſuum, ultra antiquum & ſolitum juramentum jurarent quod omnibus mandatis ſuis, ſub magno, & privato ſigillo ſuis, ac etiam literis ſub ſigneto ſuo quotieſcunq; eis directæ fuerint obedirent, & in caſu quo iidem Vicecomites ſcire poterant aliquos de ballivis ſuis, cujuſcunq; conditionis fuerint, aliquod malum dicere ſive loqui publice, vel occulte, quod cedere poſſit in dedecus, aut ſcandalum perſonæ regiæ, ipſos areſtarent vel areſtari facerent, & priſonæ mancipari, in eadem ſalvo cuſtodiendos donec aliud à Rege habuerint in mandatis, prout reperiri poterit de recordo. Quod quidem factum poſſet veriſimiliter tendere ad deſtructionem quorumcunq; ligeorum dicti regni.

21. *Item*, Idem Rex nitens ſubpeditare populum ſuum & bona ſua ſubtiliter ſibi adquirere ut divitiis ſuperfluis habundaret, induci fecit populum de xvij. comitatibus regni ad ſubmittendum ſe Regi tanquam proditores per literas ſub ſigillis eorum, cujus colore optinuit magnas ſummas pecuniarum ſibi concedi per clerum & populum comitatuum eorundem pro benevolentia Regis captanda. Et quamvis ad placendum populo idem Rex fecerat eis reſtitui literas illas obligatorias, tamen procuratores ipſius populi habentes plenariam poteſtatem eis conceſſam ad obligandum ſe & hæredes ſuos dicto Regi, idem Rex fecit obligari ſibi ſub ſigillis eorum nomine ejuſdem populi; ſicq; decepit populum ſuum, & bona eorum ſubtiliter extorquebat ab eis.

22. *Item*, Quamvis idem Rex in coronatione ſua juraverit de ſervando libertates eccleſiæ *Anglicanæ* conceſſas, tamen dictus Rex ratione viagii ſui in terram *Hiberniæ* faciendi quampluribus viris religioſis videlicet Abbatibus & Prioribus regni ſui per literas ejus diſtricte præcipiendo mandavit, ut eorum aliqui certos equos, & aliqui eorundem non ſolum equos ſet etiam quadrigas ſive charectas, alioquin magnas pecuniarum ſummas eidem Regi pro dicto viagio ſuo tranſmitterent in eiſdem literis expreſſatas, per quem modum ſcribendi plures hujuſmodi Religioſos metu ductos artavit ad complendum voluntatem & præceptum ipſius Regis, unde graviter depauperati fuerant & oppreſſi in derogationem libertatis eccleſiaſticæ manifeſtam, Cujus prætextu dictus Rex *Ricardus* perjurium incurrebat.

23. *Item*, In pluribus magnis Conciliis regiis quando Domini regni, Juſticiarii & alii onerati fuerant ut fideliter conſulerent Regi in tangentibus ſtatum ſuum & regni ſui, iidem Domini Juſticiarii & alii frequentius in dando conſilium juxta diſcretionem ſuam fuerant per Regem ſubito & tam acriter increpati & reprobati, quod non eſſent auſi dicere pro ſtatu Regis & regni in conſiliis ſuis dandis veritatem.

24. *Item*, Theſauri coronas reliquias & alia jocalia videlicet bona regni, quæ ab antiquo dimiſſa fuerant in archivis regni pro honore Regis & conſervatione regni ſui in omnem eventum, præfatus Rex exiens regnum ſuum verſus *Hiberniam* abſtulit & ſecum deferri fecit ſine conſenſu ſtatuum regni, unde regnum illud fuiſſet valde depauperatum niſi de recaptione bonorum hujuſmodi contra voluntatem dicti Regis Deus aliter providiſſet; & præterea rotulos recordorum ſtatum & gubernationem regni ſui tangentium prædictus Rex deleri & abradi fecit in magnum præjudicium populi & exhæredationem Coronæ regni prædicti, & ut veriſimiliter creditur in favorem & ſuſtentationem ſui mali regiminis.

25. *Item*, Idem Rex conſuevit quaſi continue eſſe adeo variabilis & diſſimilans in verbis, & in ſcripturis ſuis, & omnino contrarius ſibi ipſi, & ſpecialiter in ſcribendo Papæ & Regibus & aliis Dominis extra regnum & infra ac etiam & aliis ſubditis ejus, quod quaſi nullus vivens habens notitiam ſuæ conditionis hujuſmodi poterit aut velit de eo confidere, ymmo reputatur adeo infidelis & inconſtans, quod cedit ad ſcandalum non ſolum perſonæ ſuæ ſet etiam totius regni, & potiſſime apud extraneos totius orbis inde notitiam optinentes.

26. *Item*, Licet terræ & tenementa, bona & catalla cujuſcunq; liberi hominis per leges regni ab omnibus retroactis temporibus uſitatas capi non debeant niſi fuerint foriſfacta, nichilominus dictus Rex proponens & ſatagens leges hujuſmodi enervare, in præſentia quamplurium dominorum & aliorum de cõmunitate regni frequenter dixit & affirmavit, quod vita cujuſcunq; ligei ſui ac ipſius terræ, tenementa, bona & catalla ſunt ſua ad voluntatem ſuam abſq; aliqua foriſfactura. Quod eſt omnino contra leges & conſuetudines regni ſui ſupradicti.

27. *Item*, Quamvis ſtatutum fuerit & ordinatum, ac etiam hactenus confirmatum, quod nullus li-

ber homo capiatur &c. nec quod aliquo modo deſtruatur, nec quod Rex ſuper eum ibit nec ſuper eum mittet, niſi per legale judicium parium ſuorum vel per legem terræ, tamen de voluntate, mandato & ordinatione dicti Regis, quamplures ligeorum ſuorum malitioſe accuſati ſuper eo quod debuiſſent aliquid dixiſſe publice vel occulte quod cedere poterit ad vituperium ſcandalum ſeu dedecus perſonæ dicti Regis fuerant capti & impriſonati, & ducti coram Conſtabulario, & Mareſchallo *Angliæ* in Curia militari, in qua Curia dicti ligei accuſati, ad aliud reſponſum admitti non poterant, niſi reſpondendo ſe in nullo fore culpabiles, & per eorum corpora & non aliter, ſe juſtificarent & defenderent, non obſtante quod accuſatores, & appellatores eorum eſſent juvenes fortes & ſani, & illi accuſati ſenes & impotentes, mutulati vel infirmi; unde non ſolum deſtructio dominorum & magnatum regni, ſet etiam omnium & ſingularum perſonarum communitatis ejuſdem regni veriſimiliter ſequi poſſet. Cum igitur Rex prædictus hujuſmodi regni ſui ſtatuto voluntarie contravenerit, non eſt dubium quin proinde perjurium incurrebat.

28. *Item*, Quamvis populus regni *Angliæ* vigore ligeanciæ ſuæ ſatis plene Regi ſuo teneatur, & aſtringatur, ipſeque Rex populum ſuum ſi quovis modo deliquerit, per leges & conſuetudines regni ſui corrigere valeat & punire; tamen dictus Rex cupiens ſubpeditare, ac nimis opprimere populum ſuum, ut liberius exequi, & ſequi valeret ſuæ ineptæ & illicitæ voluntatis arbitrium, per literas ſuas ad omnes Comitatus regni ſui directe indixit etiam & mandavit, ut ligei ſui quicunque tam Spirituales quam Temporales certa juramenta præſtarent in genere quæ eis fuerant nimium oneroſa quæque veriſimiliter cauſare poſſent deſtructionem finalem populi ſui, & quod ſub literis & ſigillis eorum juramenta hujuſmodi roborarent. Cui quidem mandato regio populus regni ſui paruit & obedivit, ne ipſius indignationem incurreret aut offenſam, ac etiam metu mortis.

29. *Item*, Cum partes in foro eccleſiaſtico, in cauſis mere Eccleſiaſticis, & Spiritualibus litigantes prohibitiones regias ad impediendum proceſſum legitimum in eiſdem à Cancellario *Angliæ* impetrare laboraſſent, & idem Cancellarius ex juſtitia ad hoc reſcribere recuſaſſet; idem tamen Rex per literas ſub ſigneto ſuo judicibus eccleſiaſticis hujuſmodi frequenter diſtricte prohibuit ne in cauſis hujuſmodi procederent, libertates eccleſiaſticas in magna carta approbatas ad quas conſervandas juratus extiterat, nequiter infringendo, perjurium & ſententiam excommunicationis contra hujuſmodi violatores à ſanctis Patribus latam dampnabiliter incurrendo.

30. *Item*, Dictus Rex Dominum *Thomam* de *Arundell* Archiepiſcopum *Cantuarienſem* totius *Angliæ* Primatem patrem ſuum Spiritualem in Parliamento ſuo viris armatis hoſtili more vallato tunc de callido Conſilio dicti Regis ſe abſentantem abſq; cauſa rationabili, ſeu legitima quacunque ſeu alio juris proceſſu contra leges regni ſui per ipſum ut præfertur juratas in exilium perpetuum adjudicavit.

31. *Item*, Per inſpectionem teſtamenti dicti Regis ſub magno & privato ſigillis ſuis & ſigneto ſignati inter cætera continetur hæc clauſula, ſive articulus. ITEM volumus quod auri noſtri reſiduum ſolutis tamen noſtrorum hoſpicii, cameræ, & garderobæ veris debitis ad quæ perſolvenda legamus viginti milia librarum, reſervatis executoribus noſtris quinque vel ſex milibus marcarum, quas pro uberiori ſuſtentatione leproſorum ac capellanorum coram eis celebraturorum per nos apud *Weſtmonaſt.* & **Bermondeſeye** ordinatorum, volumus per dictos executores noſtros expendi, noſtro remaneat ſucceſſori, dum tamen omnia & ſingula ſtatuta ordinationes ſtabilimenta & judicia in Parliamento noſtro decimo ſeptimo die Menſis *Septembr.* anno Regni viceſimo primo apud *Weſtmonaſt.* inchoato & in eodem Parliamento uſque *Salopiam* continuato & ibidem tento, facta lata & reddita, necnon omnia ordinationes & judicia ac ſtabilimenta decimo ſexto die *Septembr.* anno regni viceſimo ſecundo apud *Coventriam* poſtmodum apud *Weſtmon.* decimo octavo die *Marcii* anno prædicto auctoritate ejuſdem Parliamenti facta habita & reddita, ac eciam omnia alia ordinationes & judicia quæ autoritate ejuſdem parliamenti in futurum contigerit fieri approbet, ratificet, & confirmet, teneat, & teneri faciat, ac firmiter obſervet; alioquin ſi prædictus ſucceſſor noſter præmiſſa facere noluerit, vel recuſaverit, quod non credimus, volumus quod *Thomas* Dux *Surriæ*, *Edwardus* Dux *Daumarle*, *Johannes* Dux *Exoniæ* & *Willielmus Leſcrop* Comes *Wilteſhiræ* ſolutis prius debitis noſtrorum hoſpitii, cameræ, & garderobæ, reſervatis quinque vel ſex milibus marcarum ut ſupra pro hujuſmodi ſtatutorum, ſtabilimentorum, ordinationum, & judiciorum ſuſtentatione, & defenſione, ſecundum eorum poſſe, etiam uſque ad mortem ſi oporteat, reſiduum habeant & teneant memoratum; ſuper quibus omnibus & ſingulis eorum conſcientias prout in die judicii reſpondere voluerint oneramus. Per quem quidem articulum ſatis conſtare poterit evidenter, quod idem Rex illa ſtatuta, & ordinationes, quæ ſunt erronea, & iniqua, & omni juri & rationi repugnantia pertinaciter manutenere, & defendere nitebatur, non tam in vita quam in morte, nec de animæ ſuæ periculo, nec de dicti regni ſui, ſeu ligeorum ſuorum ultima deſtructione curando.

32. *Item*, Anno undecimo dicti Regis *Richardi* idem Rex in capella manerii ſui de **Langley**, in præſentia Ducum *Lancaſtriæ* & *Eborum*, ac aliorum quamplurium Dominorum perſonaliter conſtitutus, cupiens, ut apparuit, ut ejus avunculus Dux *Glouceſtriæ* tunc ibidem præſens de ipſius Regis beneplacito plene confideret, ad venerabile corporis Dominici Sacramentum ibidem ſuper altare repoſitum ſua ſponte juravit, quod eidem Duci *Glouceſtriæ* pro aliquibus factis ejus quæ contra perſonam ipſius Regis dicebantur eſſe commiſſa nunquam extunc inferret dampnum aliquod vel gravamen, ſet omnem offenſam illius, ſi qua fuerat, hillariter, & ex integro ſibi remiſit. Poſtea tamen juramento hujuſmodi non obſtante, dictus Rex præfatum Ducem pro ſic prætenſis offenſis horribiliter & crudeliter murdrari fecit, reatum perjurii dampnabiliter incurrendo.

33. *Item*, Poſtquam unus de militibus Comitatuum dicti regni, vocem habens eorum in Parliamento, dictum Dominum *Thomam* Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſuper certis defectibus contra regiam majeſtatem, ut minus veraciter aſſerebatur commiſſis, impetiit publice coram Rege & omnibus ſtatibus regni, Quamquam idem Archiepiſcopus ſtatim tunc ibidem optulit ſe paratum ad reſpondendum hujuſmodi ſibi impoſitis, & ad hoc petierit ſe admitti

per Regem, ſatis plene confiſus, ut dixit, ſe poſſe ſuam in ea parte innocentiam declarare, idem tamen Rex machinans viis & modis quibus poterat eundem Archiepiſcopum *Cantuarienſem* opprimere & in nichilum redigere ſtatum ejus, prout tandem rei exitus declaravit, benigne ac hillari vultu Archiepiſcopum alloquens in ſede ſua regali, conſuluit & attente rogavit eundem Archiepiſcopum, quod illa vice taceret tempus ad hoc magis aptum & congruum expectando: Quo die lapſo de die in diem bene per quinque dies & amplius Rex præfatus ipſum Archiepiſcopum fraudulenter & doloſe decepit, conſulens & ſuadens quod non veniret ad Parliamentum ſet apud hoſpitium ſuum intrepidus expectaret, quoniam, ut idem Rex fideliter ſibi promiſit, in ipſius Archiepiſcopi abſentia nullum ſibi deberet inferri diſpendium vel gravamen: Verumtamen dictus Rex in ſuo Parliamento prædicto ipſum Archiepiſcopum ut præfertur abſentem, ac ad reſponſum ſuum nullo modo vocatum, abſque quacunque cauſa rationabili adjudicavit in exilium ad ipſius Regis beneplacitum duraturum, omnia bona ſua contra leges regni ac omnem juſticiam voluntarie confiſcando, cujus prætextu perjurium incurrebat. Volens præterea dictus Rex ſuam in ea parte verſutiam palliare per ipſius blanda colloquia cum dicto Archiepiſcopo frequentius habita, tantam ſibi illatam injuriam à ſe prorſus excutere nitebatur & ad aliorum facta transferre; unde dictus Archiepiſcopus habens cum eodem Rege & cum Duce *Norfolcie*, & aliis Dominis & magnatibus dicti regni colloquium, dixit aliqualiter lamentando, quod ipſe non erat primus qui exilium pertulit, nec erit noviſſimus, quia putabat quod infra breve dictus Dux *Norfolcia* & alii Domini ipſum Archiepiſcopum ſequerentur; & conſtanter aſſeruit dicto Regi quod omnium præmiſſorum aſperitas in caput ipſius Regis debeat finaliter retorqueri; Ad quod idem Rex vultu demiſſo acſi inde fuiſſet attonitus, incontinenti reſpondit, quod bene putabat illud accidere poſſe, quodque per ligeos ſuos à regno ſuo deberet expelli; Et ulterius dixit idem Rex, quod ſi illud forſan acciderit, vellet ad locum ubi idem Archiepiſcopus fuerit ſe conferre; Et ut dictus Archiepiſcopus huic aſſertioni fidem adhiberet indubiam, oſtendit idem Rex Archiepiſcopo memorato quoddam magnum auri monile juxta fimbriam tunicæ dicti Regis ſubtus veſtem ejus exteriorem miro modo firmatum, intimans eidem Archiepiſcopo pro conſtanti, quod cum illud monile ſibi pro interſigno tranſmitteret, non differret illuc venire ubi dictus Archiepiſcopus moraretur; Et ut idem Archiepiſcopus majorem haberet materiam confidendi in eo, miſit ipſe Rex præfato Archiepiſcopo, conſulens ſibi quod omnia jocalia ſua & alia ad Capellam ſuam ſpectantia dicto Regi ſecrete tranſmitteret pro ſalva cuſtodia eorundem, ne colore dicti judicii ſuper ipſius exilio redditi quiſquam ad bona prædicta manus injurioſas apponeret; Quo ſub maxima confidentia facto, præfatus Rex bona hujuſmodi viſa per eum in quibuſdam coffris reponi fecit, & coffras illas ſerari, ac per unum de clericis ipſius Archiepiſcopi ſigillari, Retentiſque penes illum hujuſmodi coffris, claves earum per eundem clericum Archiepiſcopo memorato remiſit; Et poſtmodum coffras illas dicto Archiepiſcopo hoc penitus ignorante frangi mandavit, & de bonis hujuſmodi mox diſpoſuit pro ſuæ libito voluntatis. Promiſit etiam idem Rex fideliter dicto Archiepiſcopo, quod ſi pararet ſe ad portum de *Hampton* ut regnum exiret, ſaltem interceſſione Reginæ protinus revocaret eundem. Et ſi contigerit ipſum Archiepiſcopum regnum exire, citra Paſcha proximo extunc ſequens ſine fallo rediret in *Angliam*, neque ſuum Archiepiſcopatum amitteret ullo modo; & hoc fideliter promiſit jurando ſuper crucem dictum ſancti *Thomæ* Martyris *Cantuarienſis* Archiepiſcopi per ipſum Regem corporaliter tactam. Quibus promiſſionibus non obſtantibus, idem Rex dictum Archiepiſcopum regnum exire coegit, & ſtatim ad ſedem Apoſtolicam pro ipſius tranſlatione tranſmiſit literas ſpeciales; ſicque & alias per fraudes & doloſitates dicti Regis erat idem Archiepiſcopus ut homo bonæ fidei callide circumventus.

Et quoniam videbatur omnibus ſtatibus Regni ſuperinde ſingillatim ac eciam communiter interrogatis, quod illæ cauſæ criminum & defectuum erant ſatis ſufficientes & notoriæ ad deponendum eundem Regem, attenta eciam ſua confeſſione ſuper ipſius inſufficiencia & aliis in dicta renunciatione & ceſſione contentis patenter emiſſa, omnes ſtatus prædicti unanimiter conſenſerunt, ut ex habundanti ad depoſitionem dicti Regis procederetur pro majori ſecuritate & tranquillitate populi ac regni cōmodo faciendam; unde ſtatus & communitates prædicti certos Commiſſarios, videlicet Epiſcopum *Aſſav.* Abbatem *Glaſtonia*, Comitem *Glouceſtria*, Dominum de *Berkeley*, *Thomam Erpyngham* & *Thomam Grey* Milites, & *Willielmum Thirnyng* Juſticiarium, unanimiter & concorditer conſtituerunt & deputarunt publice tunc ibidem ad ferendum ſententiam depoſitionis hujuſmodi & ad deponendum eundem *Richardum* Regem ab omni dignitate, majeſtate & honore regiis, vice, nomine & auctoritate omnium ſtatuum prædictorum, prout in conſimilibus caſibus de antiqua conſuetudine dicti regni fuerat obſervatum. Et mox iidem Commiſſarii onus Commiſſionis hujuſmodi in ſe aſſumentes & ante dictam ſedem regalem pro tribunali ſedentes, præhabita ſuper hiis deliberatione aliquali, hujuſmodi depoſitionis ſententiam in ſcriptis redactam vice nomine & auctoritate prædictis tulerunt, & per dictum Epiſcopum *Aſſaven.* Commiſſarium & Collegam ſuum eandem ſententiam de ipſorum Commiſſariorum voluntate & mandato legi & recitari fecerunt, in hæc verba.

IN DEI NOMINE, Amen. *Nos* Johannes *Epiſcopus* Aſſavenſ. Johannes *Abbas* Glaſtoniæ, Thomas *Comes* Glouceſtriæ, *Thomas* Dominus de *Berkeley*, Thomas *de* Erpyngham, *&* Thomas Gray *milites, ac* Willielmus Thirnyng *Juſticiarius, per pares & proceres regni* Angliæ *Spirituales & Temporales & ejuſdē regni cōmunitates omnes ſtatus ejuſdem regni repræſentantes Commiſſarii ad infraſcripta ſpecialiter deputati, pro tribunali ſedentes, attentis perjuriis multiplicibus ac crudelitate aliiſq; quam pluribus criminibus dicti* Richardi *circa regimen ſuum in regnis & dominio ſupradictis pro tempore ſui regiminis commiſſis & perpetratis, ac coram dictis ſtatibus palam & publice propoſitis, exhibitis & recitatis, quæ adeo fuerunt & ſunt publica notoria manifeſta & famoſa quod nulla poterant aut poſſunt tergiverſatione celari, Necnon confeſſione prædicti* Richardi *recognoſcentis & reputantis ac veraciter ex certa ſcientia ſua judicantis ſe fuiſſe*

&

& eſſe inſufficientem penitus, & inutilem ad regimen & gubernationem regnorum & dominii prædictorum & pertinentium eorundem, ac propter ſua demerita notoria non immerito deponendum per ipſum Richardum *prius emiſſa, ac de voluntate & mandado ſuis coram dictis ſtatibus publicata, eiſque notificata & expoſita in vulgari; præhabita ſuper hiis & omnibus in ipſo negotio actitatis coram ſtatibus antedictis & nobis deliberatione diligenti, vice nomine & auctoritate nobis in hac parte commiſſa, ipſum* Richardum *ex habundanti, & ad cautelam ad regimen & gubernationem dictorum regnorum & dominii juriumque & pertinentium eorundem fuiſſe & eſſe inutilem, inhabilem, inſufficientem penitus & indignum, ac propter præmiſſa & eorum prætextu ab omni dignitate & honore regiis, ſi quid dignitatis & honoris hujuſmodi in eo remanſerit, merito deponendum pronunciamus, decernimus & declaramus, & ipſum ſimili cautela deponimus per noſtram diffinitivam ſententiam in hiis ſcriptis; Omnibus & ſingulis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Vaſſallis & Valvaſſoribus ac cæteris hominibus dictorum regnorum & dominii, ac aliorum locorum ad dicta regna & dominium ſpectantium ſubditis ac ligeis ſuis quibuſcunque inhibentes expreſſe, ne quiſquam ipſorum de cætero præfato* Richardo, *tanquam Regi vel Domino regnorum aut dominii prædictorum pareat quomodolibet vel intendat.*

Volentes autem præterea dicti ſtatus ut nichil deſit quod valeat aut debeat circa præmiſſa requiri, ſuperinde ſingillatim interrogati, perſonas eaſdem prius per Commiſſarios nominatos conſtituerunt Procuratores ſuos conjunctim & diviſim ad reſignandum & reddendum dicto Regi *Richardo* homagium & fidelitatem prius ſibi facta, & ad præmiſſa omnia hujuſmodi depoſitionem & renunciationem tangentia, ſi oportuerit, intimanda.

ET CONFESTIM ut conſtabat ex præmiſſis & eorum occaſione regnum *Angliæ* cum ſuis pertinentiis vacare, præfatus *Henricus* Dux *Lancaſtriæ* de loco ſuo ſurgens & ſtans adeo erectus quod ſatis intueri poſſet à populo, & muniens ſe humiliter ſigno crucis in fronte & in pectore ſuo, Chriſti nomine primitus invocato, dictum regnum *Angliæ* ſic ut præmittitur vacans una cum Corona ac omnibus membris & pertinentiis ſuis vendicavit in lingua materna, ſub hac forma verborum.

In the name of Fader, Sonne and holy Goſt; I Henry **of** Lancaſtre **chalenge this Rewme of** Ynglonde **and the Croune, with all the membres and the appurtenances, als I that am deſcendit be ryght lyne of the blode comyng fro the gude Lorde King** Henry **therde, and thorghe that ryght that God of his** grace **hath** ſent me, **with helpe of my kyn and of my frendes to recover it; the whiche Rewme was in poynt to be ondone for defaut of governance, and undoyng of the gude Lawes.**

Poſt quam quidem vendicationem & clameum, tam Domini Spirituales quam Temporales & omnes ſtatus ibidem præſentes ſingillatim & communiter interrogati quid de illa vendicatione & clameo ſentiebant, iidem ſtatus cum toto populo abſque quacunque difficultate vel mora, ut Dux præfatus ſuper eos regnaret, unanimiter conſenſerunt ¶ Et ſtatim ut idem Rex oſtendit ſtatibus regni ſignetum *Ricardi* Regis ſibi pro interſigno traditum ſuæ voluntatis ut præmittitur expreſſivum, præfatus Archiepiſcopus dictum *Henricum* Regem per manum dextram apprehendens duxit eum ad ſedem regalem prædictam; Et poſtquam idem Rex coram dicta ſede genu flexus parumper oraſſet, idem Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, aſſiſtente ſibi Archiepiſcopo *Eborum* prædicto, dictum Regem poſuit & ſedere fecit in ſede regali prædicta, populo præ nimio gaudio fortiter applaudente; Et mox dictus Archiepiſcopus *Cantuarienſis* vix facto ſilentio propter gaudium omnium circumſtantium collationem modicam fecit & protulit, in hæc verba.

VIR DOMINABITUR POPULO, *Reg.ix.c. Hæc ſunt verba ſummi Regis loquentis ad* Samuelem, *& docentis eundem qualem deberet inſtituere ad gubernandum populum quando petebat ſibi dari Regem populus ille, & non inepte de Domino noſtro Rege moderno dici poſſunt: quæ verba ſi intime conſiderentur præbent nobis materiam magnæ conſolationis. Non enim Deus nobis comminatur ſicut quondam per* Yſai. *comminabatur populo dicens,* Yſai 3. Dabo pueros Principes eorum, *ſet ex ſua miſericordia qui cum iraſcitur miſericordiæ recordatur, viſitavit plebem ſuam, & non modo, ut prius fuerat in regno, pueri dominabuntur, ſet dicit dominus vobis quod* Vir dominabitur populo. *Poterat enim de Rectoribus iſtius regni ſive eorum quolibet præteritis in perſona parvuli non inconvenienter dici illud Apoſtoli* Cor.13. Cum eſſem parvulus loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: *ecce 3. dicit Apoſtolus, loquebatur ut parvulus, ſapiebat, & cogitabat. Quantum ad loquelam certum eſt quod parvulus inconſtans eſt in loquendo, faciliter vera loquitur, faciliter falſa, faciliter verbo promittit, ſet quod promittit cito obliviſcitur; hæc enim ſunt inconvenientia & nimis moleſta regno, nec poſſibile eſt regnum feliciter ſtare ubi hæ conditiones regnant; ſet ab iſtis defectibus liberatur regnum cum vir dominatur, ad virum namq; pertinet circa linguam ſervare cuſtodiam. Modo autem non puer dominatur ſet vir, de quo ſpero dici poteſt illud* Eccl. ix. Beatus vir qui non eſt lapſus in lingua. *Poſt inquit Apoſtolus, ſapiebam ut parvulus, parvulus enim non ſapit niſi placentia & adulatoria, arguentem ſecundum veritatem non diligit, ymmo odit ſupra modum. Quondam autem veritas fuerat ſuppeditata ut nullus auderet loqui; ſatis conſtat, & per hoc patet quod ille qui regnabat ſapiebat ut parvulus, vir enim non ſapit talia, ſet ſapientiam, unde per Dei gratiam dici poterit de iſto viro quod ſcribitur* Eccl.ix. Beatus vir qui in ſapientia morabitur; *ſicut enim puer diligit vanitatem, ita vir ſapit veritatem & ſapientiam; veritas ergo intrabit, adulatio recedat quæ tot mala in regno noſtro fecerunt, quia* vir dominabitur populo, *qui veritatem ſapit, non qui vanitatem vel adulationem. Tertio dicitur,* Cogitabam ut parvulus, *parvulus enim ſolum ſtudet facere omnia voluntarie non ex ratione, cum igitur puer regnat voluntas ſola regnat, ratio exulat; ubi vero voluntas regnat & ratio receſſit conſtantia fugata eſt, & ita imminet magnum periculum; ab iſto periculo liberati ſumus, quia* vir dominabitur, *ille* *ſcilicet qui dicit non ſicut parvulus ſet ſicut ratione perfectus,* Non veni facere voluntatem meam ſet ejus qui miſit me, *ſcilicet Dei; & ideo de viro iſto non ſolum dicemus quod in ſapientia morabitur, ſet eciam ut vir & non ut puer in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei, id eſt circumquaque diligenter aſpiciet ut Dei voluntas non ſua fiat, & ita loco pueri voluntarie laſcivientis vir modo dominabitur in populo, & iſte vir eſt talis quod dicetur, Regnabit Rex & ſapiens erit & faciet judicium & juſtitiam in terra.*

Qua collatione completa, dictus Dominus Rex *Henricus* ad ponendum ſuorum ſubditorum animos in quiete dixit publice tunc ibidem hæc verba:

Sires, I thank God and ȝowe Spirituel and Tempoꝛel, and all the aſtates of the Lond, and do ȝowe to wyte, it es noght my will that no man thynk that be waye of conqueſt I wold diſherit any man of his heritage, franches oꝛ other ryghts that hym aght to have, no put hym out of that that he has and has had by the gude Lawes and Cuſtumes of the Rewme; Except thos perſons that has ben agan the gude purpoſe and the commune pꝛofyt of the Rewme.

Et protinus hoc attento quod per prius vacante ſede regali per ceſſionem & depoſitionem prædictas ceſſavit omnis poteſtas quorumcunq; Juſticiariorum, Vicecomitum, & aliorum Officiariorum ubique per regnum, ne exhibitio juſtitiæ in gravamen populi dilationis incommodo ſubjaceret, ſuos officiarios principales ac eciam Juſticiarios deputavit ibidem juramento conſueto Regi præſtito per ſingulos eorundem. Et fuit ilico de dicti Regis mandato publice proclamatum ibidem, quod die Lunæ proximo poſt feſtum ſancti *Michaelis* Parliamentum ibidem teneri & celebrari deberet; quodque die Lunæ proximo extunc ſequente, videlicet in feſto ſancti *Edwardi* Coronatio dicti Regis fieret apud *Weſtmonaſterium*, & quod omnes illi qui vendicare voluerint aliquod ſervitium ſe in dicta Coronatione facturos, & eo prætextu aliquid ſibi deberi, venirent ad Albam aulam palacii coram Seneſcallo, Conſtabulario & Mareſcallo *Angliæ*, die Sabbati proximo ante diem Parliamenti prædicti, quod in ea parte juſtum fuerit petituri, quibus plena juſtitia fieret in petitis. Quantum autem ad abbreviationem aſſignationis diei Parliamenti prædicti, fuerat pro parte dicti Regis proteſtatio talis facta, videlicet quod non erat intentionis ſuæ ut ſtatibus regni ſui præjudicium afferatur exinde, nec quod hoc trahatur de cætero in exemplum, quinymmo quod abbreviatio illa fiebat tantummodo pro commodo & utilitate regni, & ſpecialiter ut quorumcunque ligeorum ſuorum parcatur laboribus & expenſis, quodque ſuper gravaminibus populi celere poſſit remedium adhiberi.

Quibus omnibus ſic peractis, Rex de ſede ſua regali ſurgens, & populum vultu hillari & benigno reſpiciens abinde populo congaudente receſſit, & in Alba aula prædicta convivium regni proceribus ac generoſis illuc in multitudine maxima congregatis eodem die ſolempniſſime celebravit.

ET POSTMODUM die Mercurii proximo extunc ſequente dicti Procuratores ut præmittitur deputati ad præſentiam dicti *Richardi* nuper Regis infra dictam *Turrim* exiſtentis, prout eis injunctum fuerat, acceſſerunt, & præfatus Dominus *Willielmus Thirnyng* Juſticiarius pro ſe & dictis ſociis & comprocuratoribus ſuis nomine omnium ſtatuum & populi prædictorum admiſſionem dictæ renunciationis, ac modum, cauſam & formam ſententiæ depoſitionis hujuſmodi eidem *Ricardo* notificavit ac plenius declaravit; & ſtatim homagium & fidelitatem eidem *Ricardo* nuper Regi ut præmittitur facta reſignavit & reddidit, ſub hiis verbis.

Les paroles qe *William Thirnyng* parla a monſire *Richard* nadgaires Roy *d'Engleterre*, a le Toure de *Londres*, en ſa Chambre, le Meſqerdy procheyn apres le feſt de Seint *Michell* larchaunchell ſenſuent:

SIRE, **It is wele knowe to ȝowe, that ther was a Parlement ſomond of all the States of the Reaume foꝛ to be at** Weſtmynſtre, **and to begynne on the Teuſday in the moꝛne of the feſt of Seint** Michell **the Archaungell that was ȝeſterday; by cauſe of the whiche Sommons all the States of this lond were there gadyꝛd, the whiche States hole made thes ſame perſones that ben comen here to ȝowe nowe her Pꝛocuratours and gafen hem full auctoꝛite and power, and charged hem foꝛ to ſay the woꝛdes that we ſall ſay to ȝowe in her name and on thair behalve; that is to wytten, the Byſshop of Seint** Aſſa **foꝛ Erſbiſſhoppes and Biſſhoppes; the Abbot of** Glaſtenbury **foꝛ Abbotes and Pꝛiours, and all other men of holy Chirche Seculers and Rewelers, the Erle of** Glouceſtre **foꝛ Dukes and Erles. the Loꝛd of** Berkeley **foꝛ Barones and Banerettes; Sir** Thomas Irpyngham **Chamberleyn foꝛ all the Bachilers and Commons of this Lond be ſouth, Sire** Thomas Grey **foꝛ all the Bachilers and Commons by noꝛth, and my Felawe** Johan Markham **and me foꝛ to come wyth hem foꝛ all thes States; and ſo Syꝛe theſe woꝛdes and the doyng that we ſall ſay to ȝowe, is not onlych our woꝛdes bot the woꝛdes and the doynges of all the States of this Lond, and our charge and in her name. And he anſwered and ſaid, that he wyſt wele that we wold noght ſay but as we were charged. Sire, ȝe remembꝛe ȝowe wele that on Moneday in the feſt of Seint** Michell **the Archaungell ryght here in this Chambꝛe and in what pꝛeſence ȝe renounſed and ceſſed of the ſtate of Kyng and of Loꝛdeſhip, and of all the Dignite and Wyꝛſhipp that longed therto, and aſſoiled all ȝour Lieges of her ligeance aud obeiſance that longed to ȝowe uppe the fourme that is contened in the ſame Renunciacion and Ceſſion, whiche ȝe redde ȝour ſelf by ȝour mouth, and affermed it by ȝour othe and by ȝour owne wꝛiting; upon whiche ȝe made and oꝛdeyned ȝour Pꝛocuratours, the Erſbyſſhopp of** Zork **and the Byſſhopp of** Hereford, **foꝛ to notifie and declare in ȝour name thes Renunciacion and Ceſſion at** Weſtmynſtre, **to all the States & all the poeple that was ther gadyꝛd bycauſe of the Sommons foꝛſayd; the whiche thus don ȝeſterday by thes Loꝛdes ȝour Pꝛocuratours, and wele herde and underſtonden, thes Renunciacion and Ceſſion**

on ware pleinelich and frelich accepted, and ſullich agreed by all the States and poeple forſayd. And over this Sire, at the inſtance of all thes States and poeple ther ware certein Articles of defautes in zour governance redde there, and tho wele herd and pleinelich underſtonden to all the States forſaid, hem thoght hem ſo trewe and ſo notorie and knowen that by tho cauſes and by mo other os thei ſayd, & havyng conſideracion to zour owne wordes in zour owne Renunciacion & Ceſſion that ze were not worthy, no ſufficient ne able for to governe for zour owne demerites, os it is more pleinerlich contened therin, hem thoght that was reſonable and cauſe for to depoſe zowe and her Commiſſaries that thei made and ordeined, os it is of record ther declared and decreed and adjugged zowe for to be depoſed and pryved, and in dede depoſed zowe, and pryved zowe of the aſtate of Kyng and of the Lordeſhip contened in the Renunciacion and Ceſſion forſayd, and of all the Dignite and Wyrſhipp, and of all the adminiſtration that longed therto. And we Procuratours to all theſe States and poeple forſayd, os we be charged by hem and by hir autorite gyffen us and in her name, zelde zowe uppe for all the States and poeple forſayd, Homage, Liege and Feaute, and all Ligeance, and all other Bondes, Charges and Services that longe therto; and that non of all thes States and poeple fro this tyme forward ne bere zowe feyth, ne do zowe obeiſance os to thar Kyng. And he anſwered and ſeyd, that he loked not therafter: but he ſayde, that after all this he hoped that is Coſyn wolde be goode Lord to hym.

Quoad examinatur per *Gulielmum Ryley* juniorem & *Radulfum Jennyngs* cum Recordo in archivis in arce *Londonienſi* remanente, & convenit cum eodem.

FINIS.

RESPONSIONES ADÆ QUONDAM *Wigornienſis* Epiſcopi modo *Wyntonienſis* Electi confirmati, ad Appellationem contra ipſum propoſitam, *Anno Domini* M.CCC.XXXIV.

AD detegendam falſitatem materiæ contra me propoſitæ in quadam appellatione frivola ſeu verius libello famoſo, continente

1. Art. *PRIMO, Quod mandavi & feci auſu ſacrilego manus inici temere violentas in magiſtrum* R. *de* Baldok, *ipſumque invitum capi menſe* Novembris *anno Domini* M.CCC.xxvj, *in civitate* Herfordenſi *&c.*

Reſp. Dico & propono quod Dominus *R.* de *Baldok* dicto menſe *Novembris* tanquam hoſtis publicus regis & regni & reus criminis læſæ majeſtatis cum quondam Domino *Hugone le Diſpenſer* per Pares dicti regni captus ductus fuit *Herfordiam* & ibidem coram Judice ſeculari una cum dicto *Hugone* per Pares dicti regni ſecundum legem convictus, michi tunc Epiſcopo *Herfordenſi* juxta libertates Eccleſiaſticas ipſum tanquam perſonam Eccleſiaſticam ad forum Eccleſiæ repetenti fuit ſecundum conſuetudinem liberatus & Eccleſiaſtico carceri mancipatus, & ibidem detentus uſque ad Concilium Provinciale menſe *Januarii* anno Domini &c. *Londoniæ* celebratum. Ad quod, de præcepto Domini Regis & Reginæ matris ſuæ, excitante & procurante potiſſime venerabili patre Domino *J.* tunc *Wyntonienſi* Epiſcopo & *Angliæ* Theſaurario, nunc vero *Cantuarienſi* Electo, cumm aliis pluribus terræ optimatibus, præfatum *R.* adduci feci & bona fide ſine dolo malo in hoſpicio meo Epiſcopali recipi & cum diligentia debita cuſtodiri, donec præſentari commode poſſet eidem Concilio, ut per ejus Sententiam & Diffinitionem pro ſuis ſceleribus quæ adeo ſunt publica & notoria quod nulla poterunt tergiverſatione celari, reciperet quod inique geſſit. Et licet non eſſet veriſimile quod Domino Rege, Prælatis, Comitibus ac aliis terræ optimatibus *Londoniæ* tunc congregatis & præſentibus pro juſticia ibidem in Parliamento convocatis omnibus exhibenda (in quorum ſacro comitatu nichil à quoquam timeri potuit vel debuit de jure) vim vel metum quiſpiam pateretur, tamen per quorundam armatorum potentiam invitis cuſtodibus per me ſibi per Cives *Londonienſes* uſque ad mortem inibi cuſtoditus, ne dictus R. quem hoſtem regni publicum reputabant quorundam amicorum ſuorum & familiarium in Civitate *Londonienſi* præſentium ejus liberacionem ut aſſerebant prece & precio muneribus datis & promiſſis tractatum evaderet quoviſmodo.

2. Art. *AD SECUNDUM, Quod falſo obicitur & in dicto libello continetur. Quod falſo & malicioſe pertinaciter aſſerui, prædicavi & docui in villa* Oxoniæ *menſe* Novembris *&c. quod bonæ memoriæ Dominus* Edwardus *erat Tyrannus &c. Et per hujuſmodi prædicationem & doctrinam corda vaſſallorum & ſubditorum ipſius Regis contra ipſum provocabam in tantum, quod quidam ipſius Regis ſubditorum in prædictum Regem ſuum manus injecerunt temere violentas & ipſum in carcerem detruſerunt & detruſum tenuerunt.*

Reſp. Dico & propono quod de mandato dicti Domini Regis qui nunc eſt & Dominæ Reginæ matris ſuæ præcepto, menſe *Octobris*, præſente eodem Domino Rege, Comite *Lancaſtriæ*, cum aliis multis regni optimatibus in dicta villa *Oxonienſi* propoſui & publicavi cauſam adventus dicti Domini Regis & *Iſabellæ* matris ſuæ ad regnum *Angliæ* de partibus tranſmarinis contentam in eorum literis patentibus ſigillorum ſuorum munimine roboratis, quarum tenor talis eſt. *ISABELLE par la grace de Dieu Reyne* Dengleterre, *Dame* Dirlande, *Conteſſe de* Ponntyf, *Et nous* Edward *ainſne fiz au noble Roy* Dengleterre *Ducs de* Guyenn, *Counte de* Ceſtre, *de* Ponntyf *& de* Monſtroyl. *Et nous* Edmund *fiz au noble Roy* Dengleterre *Counte de* Kent, *a toux iceaux qe ceſtes lettres vendrient ſalutz. Por ceo qe conue choſe eſt notoriement qe leſtat de ſeint Egliſe & del Roialme* Dengleterre *eſt en moult des maners durement blemy & abeſce par mavoys counſail & abet* Hugh le Deſpenſer, *qe pur orgoil & coveytiſe de ſeignurier & meſtrier ſur toux altres ad purpris roial poair countre droit & reſon & ſa ligeaunce, & en tele manere le aduſe par le mavoys counſail* R. de Baldock *& autres aherdans a ly, qe ſeint Egliſe eſt revile & miſe hountoſement a grant ſubjection, & les Prelas de ſeint Egliſe de lour biens countre Dieu & dreiture deſpoilez, & en trops des maneres ledenges & deſhonurez, & la Coronne* Dengleterre *deſtrue en divers maners, en deſheritaunce de noſtre ſeignur le Roy & de ces heirs, les graunts du Roialme par envie & mavoys crualte de dit* Hugh *pluſours ſaunz coupe & ſaunz cauſe a hountouſe mort liverez, Les uns deſheritez les altres enpriſonez, banniez, & exilez; veues, orphanyns de lour droit a tort forjugiez & le poeple de la terre par diverſes taillages & nonn dues exactions tropſovent reynez, & par divers oppreſſions ſaunz nulle mercy grevetz. Par queax meſpriſes le dit* Hugh *ſe monſtre apert tyrant & enimy de Dieu & de ſeint Egliſe, de noſtre treſchier ſeignur le Roy & de tout le Royalme. Et nous & pluſours autres qe ſount ouveſqe nous & noſtre compaignie qe loungement avoms eſte aloignez de la bone voillaunce noſtre dit ſeignur le Roy, par la fauſe ſuggeſtion & mavoys procurement des avaunt dits* Hughe *&* Robert *& lour aherdaunts ſumes venuz en ceſte terre pur lever leſtat de ſeint Egliſe, & del Roialme, & le poeple de la terre del dits meſchiefs, & grevous oppreſſions garder, & mayntenyr a noſtre poair lonur & profit de ſeint Egliſe, & noſtre dit ſeignur ly*

Roy, & de tout le Roialme, ſicome eſt deſutz dit. Pur qai nous vos manndoms & prioms pur commun profit de vous toux & cheſchun de vous endroit de ſey nous ſoietz aidaunt bien & leaument toutes les foitz que vous verretz lieu & temps, & par toutes les voies qe vous ſaveretz & pourretz a ceo qe les choſes deſutz dites puiſſent haſtivement venir a effect & a bon fin, car ſoietz certayns qe nous toux, & toux iceaux qe ſunt en noſtre compaignie ne enpenſoms a faire choſe qe ne ſerra pur lonur & le profit de ſeint Egliſe & de toute le Roialme ſicome la verret & troveretz par temps ſi Dieu pleſt. Don a Wallyngeford *le xv. jour* Doctobre, *lan del regne noſtre treſchier ſeignur ly Roy vintyſme.*

Ad introducendum publicationem & propoſitionem prædictam accepi quod in *Geneſis* 3. *Inimicicias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* Et dictam auctoritatem de primo tyranno, de primo diabolo & aliis malis angelis qui dicuntur ſemen proper ſimilitudinem naturæ & maliciæ expoſitam applicavi prædicto *Hugoni* qui tyrannice dominari præſumpſit Reginæ & Regno ut in dictis literis continetur. Ad cujus caput conterendum venit prædicta mulier domina videlicet Regina mater cum ſemine ſuo videlicet domino Rege qui nunc eſt filio ſuo. Quo mediante poteſtas dicti *Hugonis* cooperante Domino eſt contrita; nec poſſent præmiſſa verba patri domini mei Regis aliqualiter applicari judicio cujuſque ſane ſapientis. Illud autem quod de innominabili vicio falſo proponitur me dixiſſe, nuſquam fuit à me dictum vel propoſitum deo teſte. Et ſuper hoc etiam invoco teſtimonium omnium tunc præſencium nullo excepto. Ea autem quæ de conſilio & aſſenſu omnium Prælatorum, Comitum & Baronum & tocius Communitatis dicti Regni concordata & ordinata fuerunt contra dictum Regem ad amotionem ſuam à regimine regni, contenta ſunt in Inſtrumentis publicis Reverendo patre domino J. Dei gratia nunc *Cantuarienſi* Electo tunc *Wyntonienſi* Epiſcopo & *Anglie* Theſaurario conceptis & dictatis, & manu magiſtri *Willelmi* de *Mees* Clerici ſui Secretarii & publici Notarii conſcriptis & in publicam formam redactis. Quam quidem Concordiam ad mei excuſationem duxi præſentibus inſerendam, quæ talis eſt.

ACCORDE eſt qe ſire Edward *fiz aiſne du Roy ait le governement del Roialme & ſoit rois Coronne par les cauſes qe ſenſiwent:*

1. Primerement, *Pur ceo qe la perſone ly Roy neſt pas ſuffiſaunt de governer. Car en touz ſon temps ad il eſte mene & governe par autres qe ly ount mavoiſement conſaillez a deſhoneur de ly & deſtruction de ſeint* Egliſe, *& de tout ſon poeple ſaunz ceo qe il le vouſiſt veer ou conuſtre le quel il fuſt bon o mavoys ou remedie mettre, ou faire le vouſiſt quant il fuiſt requis par les graunts & ſages de ſon Roialme, ou ſuffrir qe amende fuiſt faite.*

2. Item, *Par tout ſon temps, il ne ſe voloit doner a bon counſail ne le croire ne a bon governement de ſon Roialme meys ſe ad done toux jours as ouraignes & occupationes nient covenables entreleſſaunt leſploit des boſoignes de ſon Roialme.*

3. Item, *Par defaute de bon governement ad il perdu le Roialme* Deſcoce *& autres terres & ſeignuries en* Gaſcoygne *&* Hyrland, *les quex ſon pere li leſſa en pees & amiſte ly Roy du Roy de* Fraunce, *& dets moults des autres graunts.*

4. Item, *Par ſa fierte & qualte & par mavoys conſail ad il deſtruit ſeint Egliſe, & les perſones de ſeint Egliſe tenuz en priſoun les uns, Et les altres en deſtreſce, & auxint pluſours graunts & nobles de ſa terre mys a hountouſe mort, enpriſones, exuletz & deſheritez.*

5. Item, *La ou il eſt tenuz par ſon ſerement a faire droit a toux il ne lad pas volu faire, pur ſon propre profyit & covetyſe de ly & de ces mavoys counſaillires qe ount eſte pres de ly, Ne ad garde les autres pointz del ſerement qil fiſt a ſon coronnement, ſi com il fuſt tenuz.*

6. Item, *Il deguerpiſt ſon Roialme & fiſt taunt come en ly fuſt qe ſon Roialme & ſon poeple fuſt perduz & qe pys eſt, pur la crualte de ly & defaute de ſa perſonne il eſt trove incorrigible ſaunz eſperaunce de amendement, les quex choſes ſount ſi notoires qil ne poount eſtre deſditz.*

§. ILLUD autem quod falſo obicitur & in dicto libello continetur, *Quod ad prædicationem meam quidam ipſius Regis ſubditi in eum manus injecerunt temere violentas & ipſum in carcerem detruſerunt & intruſum detinuerunt*;

Reſp. cont. Notorie falſum eſt & malicioſe propoſitum; quoniam publicum & notorium eſt, quod dictus Dominus Rex, capto dicto *Hugone le Deſpenſer* qui ipſum Dominum Regem captivum tenebat, ſponte venit ad Dominum Comitem *Lancaſtriæ* conſanguineum ſuum, qui eum honorifice aſſociavit ſibi uſque ad caſtrum ſuum de Kynelworthe, ubi in comitiva dicti domini Comitis in receſſu meo de *Anglia* verſus Curiam Romanam pro domini mei Regis qui nunc eſt & negociis regni ſui, dictus dominus Rex pater ſuus ſanus & incolumis dinoſcitur remanſiſſe.

AD TERCIUM quod falſo obicitur, In dicto libello continetur, *Quod per falſas & doloſas prædicationes & aſſerciones meas, Dominæ Reginæ matri Domini noſtri Regis apud* Wallingford *tantum timorem incuſſi quod ad prædictum Regem maritum ſuum accedere non audebat, Cujus occaſione bonum matrimonii tam quoad ſobolis procreationem quam in fide & Sacramento extitit impeditum*; 3. Art.

Reſp. §. Dico eciam & propono, quod cum dicta *Iſabella* Regina cum domino Rege qui nunc eſt filio ſuo apud Wallingford moram faciens, oblocutiones aliquas audiviſſet, de eo quod ad maritum ſuum perſonaliter non acceſſit, deliberato conſilio cum reverendis patribus bonæ memoriæ *Waltero* tunc *Cantuarienſi* Archiepiſcopo ac *Johanne* tunc *Wyntonienſi* nunc vero *Cantuarienſi* Electo, *Willelmo Norwycenſi* Epiſcopo ac nobilibus viris Comitibus *Lancaſtriæ*, *Kanciæ*, & aliis nobilibus de conſilio ſuo, cui quia ego tunc *Herfordenſis* præſens interfui, injunctum fuit mihi, quod ad conſervationem famæ ſuæ quaſdam certas cauſas ex quibus dicti Regis ſæviciam, quam ſæpius fuit experta potuit & debuit merito formidare, publice proponerem, & ipſam contra oblocutiones hujuſmodi excuſarem. Quod juxta informacionem mihi ſuper hoc factam, in præſencia domini *Cantuarienſis* & nobilium prædictorum feci, nichil addens de proprio vel minuens de injuncto. Poſtea inſuper, me extra regnum *Angliæ* agente, propter oblocutiones prædictas præfata Domina Regina fecit apud **Stamford** congregari dictos Prælatos & nobiles & alios multos Prælatos, Comites, Barones & nobiles dicti regni in multitudine copioſa; ubi poſt diligentem tractatum ſuper hoc habitum, deliberatum fuit unanimiter & dictæ Dominæ Reginæ conſultum, quod nullo modo permitterent eam ad dictum Regem accedere, licet ad id ſi hoc tute facere poſſet ſe paratam & voluntariam obtuliſſet. Hæc omnia adeo ſunt publica & notoria in regno *Angliæ* quod nulli inficiacioni locus exiſtit. Ex quibus apparet manifeſte falſitas & malicia adinveniencium & confingencium ea quæ tercio loco continentur in dicta appellatione ſive libello famoſo.

§. Præterea præfata Domina Regina longe ante dictam prædicationem dum adhuc eſſet in partibus *Franciæ*, juſtum timorem habuit de ſævicia Regis mariti ſui. Prout patet per literas ſuper hoc directas bonæ memoriæ quondam reverendo patri Domino *W.* Dei gratia *Cantuarienſi* archiepiſcopo continenciæ infraſcriptæ. Nec ceſſavit cauſa dicti timoris per mortem dicti *Hugonis le Diſpenſer*, quem Rex immoderato & inordinato amore dilexit, & propter hoc magis fuit ejus ſævicia accenſa ad vindicandum ipſius mortem. Tenor dictæ literæ talis eſt.

§. *REVEREND piere en Dieu nous avoms diligealment veu vos lettres, par les quex vous nous requerretz qe nous retornoms a la compaigne de noſtre treſchier & treſdouche ſeignur & amy. Et nous ſignefietz qe ſire* Hughe le Deſpenſer *neſt pas noſtre mauvoillant, ainz voudroit noſtre bien ſicome vous dides. De qai moult nous mervailloms, car vous ne autre de ſeint entendement ne devetz crere, qe nous leſſiſiems la compaignie de noſtre dit ſeignur ſaunz trop graunt cauſe & reſonable, & ſi ceo ne fuſt pur le peril de noſtre corps eſchuver, & pur la doute de dit* Hughe *qad le governement de noſtre dit ſeignur & de tout ſon Roialme, & qi nous voudroit deſhonurer a ſon poiar ſicome nous eſumes bien certaings & bien lavoms eſprove, coment qe nous layoms diſſimule longement pur le peril eſchuver. Et certes nous deſyroms ſur toute riens, apres Dieu & le ſauvete de noſtre alme, eſtre en la compaignie de noſtre dit ſeignur & viure & morir en ycele. Si vous prioms tanqe nous poems qe vous nous ayets pur excuſe de ceo qe nous ne poams faire ceo qe vous nous requeretz en ceo cas, car en nule manyre nous ne porroms retourner en la compaignie de noſtre dit ſeignur ſaunz nous mettre en peril de mort, dount nous ſumes en plus graunt meſchief qe eſcriure ne pooms, &c. Done a Paris Meſqerdy apres la Chaundelure.*

Ad hoc, ex tenore appellationis prædictæ & propoſitis in eadem manifeſte patet, proponentem & appellantem eſſe perjurum. Dicit eciam & proponit in dicta appellatione ſeu crimine & libello famoſo juratus, quod in civitate & dioceſibus *Londonienſi, Herefordenſi* & *Wyntonienſi*, ac aliis civitatibus & dioceſibus *Angliæ* ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis per eum propoſitis laboravit & adhuc laborat publica vox & fama, quodque notoria per totam *Angliam* communiter reputantur. Et poſtmodum circa finem dictæ appellationis idem appellans juratus aſſerit, quod de dictis & propoſitis per eum ſupradictis ante ſecundum diem menſis *Aprilis* & ante horam primam ejus diei nichil ſibi innotuit. Qua tamen die hora tercia dictam appellationem interpoſuit, ut patet in Inſtrumento ſuper dicta appellatione confecto.

Explicit hoc opus.

Amanuenſis Lectori.

DE utilitate variantium Lectionum ubi Authores ex antiquis Mss. codicibus eduntur aliquid hîc dicere non inidoneus eſſet locus, mihi autem magis congruum viſum eſt præmonere, quod nec in Bibilopola ſumptus requiſiti, licet quidem prægrandes, nec à parte mea ſumma cura & induſtria (abſit verbis jactantia) defuere; Advertas igitur lector (ſi placeat) qualiter à primo propoſito & ſtadio ad operis calcem pedetentim progreſſi fuerimus.

Primò, Reverendiſsimo in Chriſto patre *Jacobo Uſſerio* Armachano, & *Johanne Seldeno* armigero, magnis rei literariæ luminaribus, necnon honorabili *Rogero Twyſdeno* Equite & Baronetto, conſilium & auxilium præſtantibus, hæc Editio ſuſcepta & abſoluta eſt, Authores Hiſtorici Mss. exquiruntur, tranſcribuntur, & cum ipſiſſimis ex quibus exarati conferuntur originalibus; In collatione plurium ex illis præfatus *Rogerus* plurimum adjuvit.

Secundò, De exemplaribus quorundam ex his Mss. in Collegio Corporis Chriſti *Cantabrigiæ* (vulgò Sancti *Benedicti*) reconditis certiores redditi, ad *Cantabrigiam* proficiſcimur; Ibidem *Brompton* & *Thorne* cum originalibus *Benedictinis* recenſentur: Necnon in prædicto Collegio Hiſtoria *Simeonis Dunelmenſis* de geſtis Regum *Angliæ*, nonnulli etiam minuti tractatus hîc exhibiti exarantur & examinantur, M^{ro} *Pleſsis* & M^{ro} *Charles* ejuſdem Collegii alumnis Tranſcripta noſtra legentibus. Quot autem loca mendoſa in noſtris per illos Mss. *Cantabrigienſes* fuerint correcta, defectuſque ſuppleti, in ſeq. lectionibus ſuo loco apparebit.

Tertiò, Novis characteribus affabrè fuſis papyroque nequaquam reprobanda præparatâ, examen tertium deliberatum eſt, conductuſque typis *Fleſherianis* operam præſtiti, & cum ipſis membranis (exceptis *Benedictinis* Recluſis, quibus ſub Magiſtri ſeniorumque trium Sociorum clavibus cuſtoditis efferendi ultra ambitum Collegii provido inviolabilique Donatoris *Matthæi Parker*, quondam *Cantuarienſis* Archiepiſcopi, ſtatuto licentia imperpetuum denegatur) ſchedas excuſas examinavi.

Quot verò congeſſimus & uſi ſumus exemplaribus, & penes quos unumquodque remanet, ut ſic quicunque voluerit propriis oculis fidem noſtram, ſolertiamque obiter, experiatur, inferiùs in hiſce lectionibus, & fuſiùs in præfatione hujus voluminis curioſus lector intelliget. Vale.

Radulphus Jennyngs.

VARIANTES LECTIONES
IN
Simeonis Dunelmenſis Hiſtoria de *Dunelmenſi* Eccleſia.

Hujuſce Hiſtoriæ Libros Mſs. habuimus duos:

Unum exemplar in pergamena in quarto, vocatum *Liber S. Mariæ de Fontibus.*

Alterum in pergamena etiam, in folio, mutuatum ex Bibliotheca Publica *Cantabrigienſi* compactum cum plurimis aliis tractaribus.

Pag. 1. Lin. 1. *INcipit Hiſtoria* &c. Quæ præcedunt ſcilicet Apologia, Præfatio & reliqua deſunt in Ms. de Fontibus.

p. 7. col. 2. l. 28, 29. *Eadbertus per decem annos, poſt quem Eadfridus per xxii, duo ſancti*, In Ms. *Cant.* Publ. ſic ſcribitur *per xxii.* & ſic linea finitur, ſequente linea incipiente *ii. ſancti*, Ms. de Fontibus legit *per viginti quatuor, ſancti.*

p. 8. col. 2. l. 10. *Aſcenſionis Dominicæ.* Totum quod ſequitur uſque ad finem libri primi deeſt in Ms. *Cant.* Publ. *l. 64. & alios tractatus qui*, ſic Ms. C. Publ. Ms. de Fontibus enumerat libros per *Bedam* ſcriptos.

Col. 20. l. 16. *ejus populo ubinam* deeſt *populo* in Ms. *Cant.* Publ.

Et ſciat lector quod hæc Hiſtoria à nonnullis Turgoto Priori *Dunelmenſi* aſcribitur.

Variantes Lectiones

In *Simeonis Dunelmenſis* Hiſtoria de geſtis Regum *Anglorum.*

Hujuſce Hiſtoriæ librum Ms. habuimus

Unicum in Bibliotheca S. *Benedicti* Cant. Altero tamen Ms. uſi ſumus ſcilicet *Mariani Scoti*, in quarto, in pergamena de *Oxonia* mutuato, qui fere ipſiſſimis verbis cum Simeone convenit.

Col. Lin.
101. 30. *INtra feretrum* Marianus *contra feretrum.*
105. 22. *Alcwith* Marianus *Alcluit.*
110. 25. *Botuune* Marianus *Sothwine.*
33. *& Corabrige* Marianus *apud Corabrige.*
111. 56. *confirmantum* Marianus *confirmatum.*
112. 1. *Aynburg* Marianus *Clynburc.*
113. 52. *Cobre* Marianus *Copre.*
115. 12. poſt *continet textus* quod ſequitur uſque annum 792. deeſt in *Mariano.*
119. 39. *regnum præſens* Ms. Ben. *regnum præſentem* Marianus *præſentem vitam.*
121. 66. *ſe abdentes* Ms. Ben. *ſe addentes.*
124. 49. *veritatis*, ſic Ms. Ben. leg. *univerſitatis*, Marianus *defunctus eſt.*
63. *& Kenetan* Marianus *& Tinetan.*

Col. Lin.
126. 10. *ſecundus*, Marianus *ſecundarius.*
198. 23. *Healfilene*, ſic Ben. Marianus *Healfdene.*
129. 40. *inſibiles*, ſic Ben.
131. 25. *Sigene*, ſic Marianus. Ben. *Inſigne.*
61. *qualiter* Ben. *qualibet.*
133. 36. *Cuthbertus* Marianus *Cuthered.*
134. 27. *Wendune* Marianus *Brunanburch.*
46. *Olilaf* Marianus *Anlafus.*
139. 62. *Heorternyſſe*, ſic Marianus. Ben. *Heorternyſſe.*
140. 1. *Ceolwlfo* Ben. *Ceolfulſo.*
146. 31. *Mucel pudu*, ſic Ben. lege Mucel wudu.
148. 60. *conſtruitur* Ms. Ben. *conſtringitur.*
150. 4. *Sequana* Marianus *Sigena.*
152. 12. *Tuthred* Marianus *Cuthered.*
41. *Kairleir* Marianus *Karlegion.*
57. *Teotenhale* Marianus *Cootenhale.*
153. 13. *Comwirthig* Marianus *Tamwirthig.*
154. 49. *Brinſtano* Marianus *Byrnſtano.*
156. 37. *Catesford* Marianus *Ceſterford.*
157. 12. *proſcriptus* Marianus *aſcriptus.*
159. 60. poſt *Francis* addit Marianus *Arthurus Britannis.*
160. 50. *Cirding* Marianus *Kyrtling.*
162. 5. *defuncto Elſſio* Marianus *defuncto Ethredo.*
164. 31. *Penbo* Marianus *Penbo.*
166. 63. *Turkillus* Marianus *Kurkillus.*
167. 51. *Ringemere* Marianus *Regemere.*
51. *cognovere* Marianus *cognomen.*
169. 22. Ben. *ſecurum.*
171. 58. *Fisburhgintos*, ſic Ben. Marianus *Fifburgenſes.*
173. 38. *Gillingham*, Ben. Marianus *Sullingaham.*
174. 46. *minant*, ſic ambo.
178. 43. *exigebatur* Ben. *exequebatur.*
180. pro qua lege 182.
ibid. 5. *abſtulit* Marianus *attulit.*
183. 1. *ſibi non modicum* Ben. *ſibimet modicum.*
190. 32. *papa* 149. Marianus *papa* 169.
194. 34. *D. de Eboraca* Marianus *C. L. de Eboraca.*
198. 26. *ſumma vi diluculo* Mar. *ſummo in diluculo*
200. 26. *præſtolabantur* Marianus *poſtulabantur.*
202. 30. *Agelricus* Marianus *Agelredus.*
203. 39. *Leodicenſis* Marianus *Lundonienſis.*
207. 55. *fugaret* Marianus *fugeret.*

Col. Lin.
211. 12. *conſcium non* Marianus *conſilium non.*
214. 51. *Wigornam* Marianus *Wigeceſtre.*
216. ult. *crus* Ben. *crux.*
219. 60. *abſolutionem* Mar. *ad ſolutionem.*
220. 25. *pedonum* Mar. *peditum.*
224. 10. *diſſerta* Ben. *diſerta.*
33. *ignorantiam* Mar. *ignaviam.*
225. 34. *occiſionem* Ben. *occaſſionem.*
226. 42. *buthſecarlis* Mar. *buzecarlis.*
227. 16. *Comitis filius* Ben. *Comitis illius.*
229. 29. *Baiocas* Ben. *Baius.*
30,31. *Cadomum* Ben. *Cathum.*
230. 10. *de Moreteon,* ſic Mar. Ben. *Morᵗ*
243. 9. *in abbatem* deeſt *in* Ben.
250. 51. *& alabaſtarii,* ſic Ben. f. legendum *& alii baliſtarii.*

In *Simeonis Dunelmenſſis* Hiſtoria continuata per *Johannem* Priorem *Haguſtaldenſem,*

Variantes Lectiones nullæ quia unicum tantummodo habuimus exemplar.

In *Ricardo* Priore *Haguſtaldenſi* de ſtatu & Epiſcopis *Haguſtaldenſis* eccleſiæ,

Variantes Lectiones nullæ ob præfatam rationem.

In Hiſtoria *Ricardi* Prioris *Haguſtaldenſis* de geſtis Regis *Stephani, &c.*

Variantes Lectiones nullæ cauſa qua ſupra.

Variantes Lectiones

In *Ailredo* de Genealogia regum *Anglorum.*

De iſta epiſtola *Ailredi* duobus uſi ſumus exemplaribus pergameneis :

Uno *Cottoniano* compacto ad finem Hiſtoriæ Ms. *Radulphi* de Diceto,
Altero venerabilis patris Domini *Armachani.*

Col. Lin.
350. 52. P*Ræferre* , ſic Armach. Cottonianus *perferre.*
351. 38. *Getam,* ſic Arm. Cot. *Genium.*
354. 5. *dediſſet,* ſic Arm. Cot. *didiciſſet.*
356. 63. *portui,* ſic Arm. Cot. *potui.*
362. 18. *rerum omnium* , ſic Arm. Cot. *rexit omnium.*
363. 5. *pertæſus,* ſic Arm. Cot. *proceſſus.*
364. 62. *halitu,* ſic Arm. Cot. *habitu.*
366. 54,55. *quidam Edgarum Edelyng cui regnum jure hæreditario debebatur,* ſic Arm. In Cot. deſunt.

In vita Sancti *Edwardi* Regis

Variantes Lectiones nullæ quia exemplar ſingulare.

Variantes Lectiones

In *Abbreviationibus Chronicorum & Imaginibus Hiſtoriarum* per Radulphum *de* Diceto.

Hujuſce libri quatuor nacti ſumus exemplaria

Exemplar in majori folio
Exemplar in minori folio
Exemplar mutulum in 4°
} omnia ex Bibliotheca *Cottoniana.*

Exemplar quartum in folio ex Bibliotheca nuper Regis *Caroli* apud S. *Jacobi* , quod S. *Albani* nuncupamus , ad cujus monaſterium pertinuit.

Col. Lin.
433. 39. E*O loco* Cot. mi. *eam eo.*
42. *tibi Deus* Co. mi. *ei Deus.*
434. 41. *excelſus* Co. mi. *in excelſis.*
435. 14. *lene jugum* Co. mi. *lege jugum.*
63,64. *Romanorum Imperatoris ad Chriſtianam fidem corda Romanorum accenſa,* ſic S. Alb. Co. mi. *Romanorum accenſa.*
440. 27. *Heorthord* Co. mi. *Heorfford.*
441. 27. *cœtum ep:* Co. mi. *centum ep.*
443. 16. *exalavit* Co. mi. *exaltavit.*
36. *filius Pipini,* ſic S. Alb. tres Cot. *frater Pipini.*
444. 66. *diſcerent* S. Alb. *dicerent.*
449. 20. *pſalluntur,* ſic Co. ma. Co. mi. *palluntur.*
27. *Ducis Baioariæ,* ſic S. Alb. & Co. ma. Co. mi. *Ducis Bavariæ.*
34,35. *Valentinus Papa* , & ſic linea explicit, proxima incipiente *Gregorius* &c. ſic S. Alb. & Co. ma. Co. mi. *Valentinus Papa* qui & Leo papa quartus.
450. 42. *Nannetem,* ſic Co. ma. & S. Alb. Co. mi. *manentem.*
62. *excommunicavit,* ſic S. Alb. & Co. ma. Co. mi. *ex communi.*
451. 46. *Aelendim,* ſic Co. ma. & S. Alb. Co. mi. *Ebendim.*
54. *Atrebatum,* ſic Co. ma. & S. Alb. Co. mi. *Atrebabum.*
452. 23. *Eadhidam* Co. mi. *Eadgytham.*
32. *nec epiſcopatum urbis ſuæ repetiturum,* deſunt in Co. mi.
60. *Theodorus* Co. mi. *Theodericus.*
454. 35. *majorum* Co. mi. *majorem.*
36. *viderant* Co. mi. *viderat.*
46. *Oto* Co. mi. *Odo.*
455. 3. *patribus,* ſic Co. mi. S. Alb. *paribus.*
16. *Rothomagi,* ſic S. Alb. Co. mi. *Rodomi.*

Col. Lin.

31. *Normannorum*, ſic S. Alb. Co. mi. *Romanorum*.

26. *Sueſſorum* Co. mi. *ſucceſſorum*.

456. 30. *Rogo*, ſic S. Alb. Co. ma. *Drogo* literâ D ſubſcriptum habente punctum.

37. *Edwinum*, ſic S. Alb. In Co. ma. locus raſus eſt & fit *Edwinum*.

457. 60. *quem adhuc hæredes*, ſic Co. ma. Co. mi. *parumper hæredes*.

458. 1. *Amudis*, ſic S. Alb. Co. ma. & Ms. quarto *Hunnidis*.

39. *Windigindus*, ſic S. Alb. Co. ma. *Windichindus*.

459. 11. *Landonenſi*, ſic Co. mi. S. Alb. *Clandonenſi*.

34. *Etheltedus* Ms. 4° *Edelthedus* Co. ma. *Edelthredus*.

56. *qui zonam* ſic Co. ma. Co. mi. *qui & nonam*.

462. 6. *Ducis Baviariæ*, ſic Co. mi. Co. ma. *Baioariæ*, vide lectiones antea, *col.* 449. *l.* 27.

463. 27. *denſatim*, ſic Co. ma. Co. mi. *denſatum*.

467. 40. *Eſſendun*, ſic S. Alb. Co. ma. *Aſſandune*.

469. 43. *minuenda domo*, ſic tres Ms. Ms. in 4° *minuente domo*.

470. 48. *equitantem*, ſic Ms. S. Alb. reliqui tres *equitem*.

471. 47. *præſignari* lege *præſigniri*.

473. 17. *regis Francorum*, ſic S. Alb. Co. mi. *Regis frater*.

46. *à Laudiaco*, ſic S. Alb. Co. mi. *alaneliaco*.

53. *in ferrum*, ſic S. Alb. Co. mi. *infernum*.

474. 30. *Georgii*, ſic S. Alb. Co. mi. *Gregorii*.

476. 17. *Butſecarlis*, ſic S. Alb. Ms. 4° *Butſecarris*.

50. *perdere* lege *prodere*.

477. 40. *Eadnotus*, ſic S. Alb. Co. mi. *Eadmundus*.

478. 18. *Vellenſis*, ſic S. Alb.

479. 27. *Toſtius*, ſic S. Alb. Co. mi. *tocius*.

480. 44,45. *Wlſtanus Wigornenſis & Walterus Herefordenſis & de* ſic Ms. S. Alb. Co. mi. *Wlſtanus Herefordenſis, & de*.

489. 3. *vivum*, ſic S. Alb. Co. mi. *in unum*.

492. 16. *renovat*, ſic S. Alb. Co. mi. *noverat*.

493. 39. *& mamiſtra*, ſic S. Alb. Co. mi. *& manifeſta*.

495. 55. *fideliter*, ſic S. Alb. Co. mi. *feliciter*.

496. 22. *conſenuit*, ſic S. Alb. Co. mi. *conſuevit*.

499. 52. *Moritonio*, ſic S. Alb. Co. mi. *Moritorio*.

500. 21. *Colonia*, ſic S. Alb. Co. mi. *Cocolia*.

62. *loquor loquens*, ſic S. Alb. , Co. mi. *loquor loquor loqueris*.

63. *meo juſſu*, ſic S. Alb. Co. mi. *in eo juſſu*.

502. 39. *aperte*, ſic Co. ma. Co. mi. *à parte*.

506. 38. *ſubfarcinatum*, ſic Co. ma. Co. mi. *ſubfracinatum*.

508. 8. *Piſis*, ſic Co. ma. Co. mi. *ipſis*.

511. 13. *de Burge*, ſic Co. mi. S. Alb. *de Bruge*.

62. *invictiſſimus*, ſic S. Alb, Co. ambo *invitiſſimus*.

512. 13. *Hemesford*, lege *Heinesford*.

25. *Bedeford*, ſic Co. ma. & S. Alb. Co. mi. & Ms. in 4° *Hereford*.

514. 1. *Apoſtolatui*, ſic S. Alb. Co. mi. *appellatui*.

Col. Lin.

24. *Montem Ferum*, ſic S. Alb. alii *fer* cum abbreviatione ſ. *Ferandum*.

65. *munitiones*, ſic S. Alb. Co. mi *murationes*.

524. 5. *& Philippum*, ſic Co. mi. S. Alb. *& Baldewinum*.

525. 17. *Monaſteriolo*, ſic Co. ma. Co. mi. *Monaſterio*.

529. *Beverlaci* Co. ma. *Beveklaci*. Co. mi. *Beverlaici* S. Alb. *Berierlaci* Ms. 4° *Beverlati*.

530. 63. *in Imperatorem* deeſt *in* in omnibus.

532. 40. *Theobaldus Cantuarienſis* &c. ſic S. Alb. Co. ma. legit *Theobaldus Cantuarienſis* Epiſcopus obiit, qui dum adhuc viveret dederat in mandatis, quatenus *Bartolomeum Exonienſem* Electum, & *Ricardum Ceſtrenſem* Electum *Cantuariæ* conſecraret *Walterus Roſenſis* Epiſcopus, & licet morte mandatoris finitum fuiſſet mandatum, tamen quia *Ricardus Lundonienſis* Epiſcopus laborabat paralyſi, *Roſenſis* Epiſcopus memoratos conſecravit Epiſcopos. Nec te moveat quod *Ricardus Peccatum Ceſtrenſis* Epiſcopus conſecratus filius carnalis fuerit *Roberti* quondam ejuſdem ſedis Epiſcopi, cum ſubjectis abundemus exemplis. Et ut de noſtris temporibus taceamus, ſicut legitur in geſtis Romanorum, *Felix* tercius, *&c.*

533. 11. *Thomas autem Cancellarius primus*, &c. ſic S. Alb. ſed deeſt in Co. ma.

40. *decernerent* ſeq. lin. Incipiente *Clero*, ſic S. Alb. Co. ma. poſt *decernerent addit Rex Francorum ſuper hoc præſtitit Sacramentum, ſed pœnitens abſolutus eſt ab Alexandro papa. Clero*, &c.

534. dele in margine *magiſtro Arnulpho*, & cum Co. ma. contra lin. 14 pone in margine *magiſtrum Arnulphum*.

27. *qui dicitur Prothonotarius*, ſic Co. mi. deſunt in Co. ma.

49. *propria* deeſt in Ms. S. Alb.

53. *ratio fieri*, ſic Co. mi. Co. ma. *id fieri*.

56. *Actum eſt de conſilio, &c.* deeſt in Co. ma.

66. *Herefordenſis* S. Alb. *Herdfordenſis*.

535. 34. *per manum Regis*, ſic Co. mi. Co. ma. & S. Alb. *permiſſu*.

55. *veſtibus de Boſra*, Ms. habet tantummodo initiales literas.

57. *calcantium in torculari*, Ms. habet tantummodo initiales.

66. *miſericordia* Co. mi. *miſericorditer*.

536. 9. *Reſus Auſtralium*, ſic Co. mi. Co. ma. *Reſus Catur auſtralium*.

18,19. *ſic odium perſona, &c.* deſunt in Co. ma.

24. *Thomas archiepiſcopus vacantem, &c.* Co. ma. ſic leg. *Thomas Cantuarienſis* archiepiſcopus *Willielmum* de *Eineford* parochianum ſuum ſacrilegii reum à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſequeſtravit & præcepit ab omnibus evitari. Quod quia, *&c.*

537. 58. *Senonis*, deeſt in Co. ma.

539. 56. *Vicelaicum*, ſic S. Alb. alii Mss. *Vicelliacum*.

ult.

Col. Lin.

ult. *Johannis Neapolitani &*, ſic S. Alb. Co. ma. *Henrici Piſani &* Co. mi. *Johannis Neapolitani* in textu cum punctis, & in marg. ſcribitur *Henrici Piſani*.

540. 9. *præter principis voluntatem* deſunt in Co. ma.

30. Sanctitatem.

33. *Scientia*, ſic in tribus Ms.

543. 8. *qui vindicandi* S.Alb. *qui judicandi*.

32. *ſuo præſtituit*, ſic S. Alb. Co. ma. *ſuo præfecit*.

ult. & 1. col. ſeq. *& hoc non*, deeſt *non* in Co. ma.

547. 1. *Felgenarum* Co.ma. *Felgeriarum* S. Alb. *Filigeriarum*.

548. 54. *appellabit*. l. ſeq. *Thomas* poſt *appellabit*. Co.ma. addit, In quo ſi Juri vel honori veſtro præjudicatur in aliquo, id ſe totius eccleſiæ regni ſui conſilio correcturum in proximo juvante Domino pollicetur.

560. 53. *Carnotenſem* S.Alb. *Cartonenſem*.

563. 27. *conſilio Joachim* S. Alb. *cum filio Joachim*.

566. 55. *Dei &* S. Alb. *cleri &*.

568. 47. *conferentibus Odo &c. nos Ricardum*, ſic S.Alb. Co. ma. Conferentibus, monachi *Cantuarienſes* commune bonum ſicut dicebatur impedire volentes, inauditum quiddam & intolerabile de novo cœperunt conſtanter aſſerere, Quod & de ſuo Collegio ſurrogandus eſſet antiſtes, licet hoc in ea ſede nullis contigiſſet temporibus, & quod eſſet ab ipſis in publico nominandus. Semotis itaq; duobus à multitudine monachorum, *Odone* ſcilicet Priore *Cantuarienſi* & *Ricardo* Priore *Dourenſis* cœnobii, cum eos monachi Suffraganeis præſentaſſent, ad ſui Prioris electionem obrepere molientes, *Gilebertus Lundonienſis* Epiſcopus conſurgens in medium, de communi conſilio fratrum ait, Nos *Ricardum*.

571. 64. *ſolicitudine* Ms. Alb. *ſolitudine*.

575. 21. *milites illi* Co. ma. *milites filii*.

579. 24. *Auſeſienſis hæredibus* Co.ma. *Auſeſienſis primum Methenſis eccleſiæ archidiaconus poſt hæredibus*.

29. *patris cum* Co. ma. *patris patriſſare non ceſſans cum*.

581. 61. *Quam enim* S. Alb. *Quid enim*.

586. 29. *ad eorum patientiæ* Co. ma. *ad eorum petitionis*.

591. 3. in margine, *tenet caput Antiochiq*; ſic S. Alb. Co. ma. *ten. cap.* Sydonius excuſus Hanoviæ anno 1617. *te non tenet, Antiochiq*;

693. 60. poſt *Traciæ* Co. ma. addit, Optimus ab *Argardimia Frigiæ* in *Antiochiam Piſidiæ* tranſmutatus eſt.

595. 27. *Tirreno* Co.ma. *Mediterraneo*.

599. 22. *iij. kal.* S. Alb. *in kal.*

600. 39. *Britaniæ* S. Alb. *Britonum*.

602. 57. poſt *cirothecas ſuſcepit*, ſic Co. ma. & quoniam ex eventibus hujuſcemodi ſæpe naſcitur inter homines occaſio litigandi, ſi plebs ſuburbana *Cantuariorum* jactando repetierit, Abbas noſter inter Epiſcopos pontificalibus ornamentis inſignitus incedit, & civitas tota *Dorobernenſium* cum indignatione reſpondeat, & angelus Sathanæ ſæpe ſe transformat in angelum lucis.

604. 16. *Illis in ingreſſu* Co.ma. *illum ingreſſu*.

605. 42. poſt *punirentur* Co.ma. legit *Invaſores locorum*.

607. 40. *obnoxios animadverſio* Co. ma. *obnoxios quibuſdam animadverſio*.

608. 57. *& apoſtolicam benedictionem* Co. ma. *& apud hac*.

611. 36. *duorum abbatum* Co. ma. *trium abbatum S. Victoris, &c.*

613. 46. *de Chuci* Co. ma. *de Cuſci*.

622. 50. *Inſpiret* Co. ma. *ſuſpiret*.

625. 8. *habens ſocium* omnes Ms. *habens ſolatium*.

630. 60. poſt *Prior* in Co. ma. & S. Alb. eſt lacuna parvula in Co. mi. nulla eſt lacuna.

631. 31. *Aluredum* Co. ma. *Anfredum*.

632. 49. *cum filiali* Co. mi. *cum officiali*.

637. 19. *gratare velit* ſic omnes f. leg. *ſignificare velit*.

644. 57. poſt *caſtellum Radulfi*, ſequitur in S. Alb. *Facta ſunt autem*, quod vide *col.* 645. lin. 11. cæteri articuli omittuntur.

652. 4. *Pharaoni Nechao* S. Alb. *Pharaoni Vechao*.

653. 49. *Sancti Martini* S.Alb. *Sancti Marcii*.

654. 3. *ante Aconem* S. Alb. *ante Acaronem*.

655. 18. *& Baruth* S. Alb. *& Maruth*.

661. 14. *proferremus* S. Alb. *proferemus*.

671. 50. poſt *duximus interſerere* cætera uſq; finem paragraphi, deſunt in S. Alb.

56. *regni negotia ſpecialis, &c.* Co. ma. poſt *regni negotia* legit *vocante rege.* & reliqua omittit.

674. 36. Co.ma. ſummo mane, *&c.* Fractam vallem repetiit.

47. à Vernolio nocte recedens. Nota quod in Co. ma. in ora quaſi hujus paginæ ſunt carmina ſequentia ad binam Regis *Francorum* fugam alludentia, authore *Galfrido*.

Gallia fugiſti bis, & hoc ſub rege *Philippo*;
Nec ſunt ſub modio facta pudenda duo.
Vernolium ſumit teſtem fuga prima, ſecunda
Windocinum, noctem prima, ſecunda diem.
Nocte fugam primam rapuiſti, mane ſecundam;
Prima metus vicio; viq; ſecunda fuit.

678. 15. Omiſſus & adiciendus in margine, *A.D.* 1195.

Variantes Lectiones

In Chronica *Johannis Brompton.*

Binis exemplaribus uſi ſumus ; *Cottoniana* uno ;

Altero Bibliothecæ Corporis *Chriſti*, alias S. *Benedicti*, Cantabrigienſis.

Col. Lin.

726. 41. *ERuendi* Cot. *erudiendi.*

727. 66. *Incerſcii*, ſic ambo.

728. 20. *cum dicit*, ſic ambo.

46. *in mirum*, ſic Cot. Cant. Ben. *nimirum.*

730. 35. *Anglorum*, ſic Cant. Ben. Cot. *Angelorum.*

731. 36. *immutari*, ſic Cot. Cant. Ben. *imitari.*

732. 51. *ſolita*, ſic Cot. f. *ſollicita.*

734. 66. poſt *meruiſſet* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *ipſi à librorum exnſtione deſiſterent, ſi vero mori non meruiſſet.*

749. 66. poſt *morte Chriſti* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *apparuerunt, ante mortem hujus membri Chriſti.*

755. 4,5. *Henricus*, ſic Cot. Ms. Cant. Ben. *Kenricus.*

28. *dominicum eadem* Cot. & Cant. Ben. *domini cum eadem.*

757. 23,24. poſt *longe* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *à ſuis cum xij. tantum militibus irruit prædaturus ubi inopinata.*

758. 26. poſt *plenius habetur* diverſimode per tranſpoſitionem narratio procedit in duobus Ms.

762. 43. *ſi fur capiatur vel*, ſic Cot. Ms. Cant. Ben. ſi fur capiatur *mortem patiatur vel.*

50. *Holp.* ſic Cot. lege *hloth.*

763. 12. *Regis gernereat*, ſic ambo lege *geneat.*

19. *& ſolvatur ipſius* Cant. Ben. *& non ſolvatur ipſius.*

32. *ſi parentes habeat* Cant. Ben. *ſi parentes non habeat.*

764. 24. *de carnis genitis* lege *de carius genitis.*

766. 55. *pundpega* lege *pundwega*

767. 37. caſei x. ſic ad mentem Sax. ſed numerus deeſt in Cot. & Cant. Ben.

768. 6. poſt *weram* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *ſicut manbota facit erga dominum, ſi ſit ſiliolus Regis emendet ſecundum weram.*

780. 35. *nollent*, ſic Ben. Cot. *vellent.*

783. 19. poſt *alterum Epiſcopum* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *ex hac noſtra auctoritate, debeat ſubrogare ; quod quidem tam pro*

786. 61,62. *refertus* Ms. Cot. *refectus* Ms. Cant. Ben. *refertus* ſed per raſuram.

787. 33,34. poſt *tantum milite* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *Condehere nomine, ſe abſcondit ; à quo milite.*

796. 5,6. poſt *intollerabiliter* iſta verba deſiderantur in Ms. *quam prius fuit, unde in principio ſecundi anni regni ſui.*

66. *& ſpe* Cot. *& ſape.*

Col. Lin.

814. 52. *quod Erpwaldus Erpwaldus cancellatur* in Ms. Cant. Ben. & ſubſtituitur *Sigebertus.*

822. 24. *libris Merciorum* ambo Ms. *merorum.*

43. *ſi æditui magis opus habeant* Ms. Cot. *ſi edatur majus opus habeat.*

823. 18. *qui aurum* Ms. Cot. *qui aprum.*

824. 5. *ſe purgare* Ms. ambo *pugnare.*

825. 39. *impungatur* Ms. Cot. *impugnatur.*

43. *altius feratur* Ms. ambo *alterius feratur.*

57. *in publico*, ſic Cot. Cant. Ben. *in plâcito.*

826. 50. *cum ſervo ſuo* Ms. Cot. *cum domino ſuo* Cant. Ben. *cum homine ſervo ſuo.*

830. 24. *laſblite*, & ſæpius ſic Cot. lege *labſlite.*

833. 34,35. cujus primus abbas fuit, ſanctus *Odo*, tercius ſanctus *Maiolus*, ſic ambo Ms. & quære de hoc loco (& vide poſtea *col.* 864. l. 50. ubi ita dicitur *floruit quidam* Otho *primus Abbas Cluniacenſis.*)

51. *pugnando, omnes fugavit*, deeſt *omnes fugavit* in Cot.

834. 56. *Elſteda*, ſic Ben. Cot. *Elwyna.*

839. 6,7. *contriſtans, me miſer, neſciens quid futura parierat dies*, ſic Cot. Ben. *contriſtas me miſer neſciens quid futura periat dies.*

840. 54. *fiat die* deeſt *ſolis* in ambobus.

841. 36. *meis firmis* ut Sax. ambo Ms. *nithfirmis.*

40. *wite throwne* ut Sax. ambo Ms. *wited jowene.*

842. 17. *bordera* ut Sax. ambo Ms. *hordea.*

61. *rimath*, ſic Cot. lege *Rim-ath.*

62. *cyreath* lege *cyr-ath.*

843. 35. *In Exonia* ut B. & Sax. Ms. Cot. *In Oxonia.*

850. 45,46. *butan cyre* Ms. ambo *butan ſyre.*

49,50. poſt *Dominus veſtigium* deſiderantur in Cot. iſta verba *illud extra terram ſi poſſit, & ſi non poſſit, ſtet ipſum veſtigium.*

852. 36. *repetentis* Ms. Cot. *repentis.*

854. 29,30. poſt *veſtigium illud* deſiderantur in Cot. iſta verba *vel indicetur Præpoſito, & ipſe tamen ſuſcipiat monitione ſua & minet veſtigium illud.*

862. 50. *quem leviter acceperat, leviter abjecit* Ms. Cot. legit *quem leviter abjecit.*

864. 12. *improperare*, ſic Ben. Cott. *imperare.*

868. 54. *Uſcam fluvium Huntyngdon*, ſic Ben. Cot. *Uſcam fluvium Cantebrigia.*

876. 37,38. poſt *mane* deſiderantur in Ms. Cot. iſta verba *cum ſompnium quod viderat.*

883. 60. poſt *exigentibus* iſta verba Ms. Cot. deſiderantur *diſterminare propoſuerat, Britones peccatis ſuis exigentibus.*

889. 17. *viriliter*, ſic Ben. Cot. *viriliter.*

898. 10. *cum ovis 5 ova thelon*, ſic Cot. Ben. *cum ovis una ov. thelon.*

904. 32. *clam noctis ſilentio cum*, ſic Ben. Cot.

Col. Lin.

Cot. *clam noctis crepuſculo ſine ſilentio cum.*

909. 22. *tunc exulantem*, ſic Ben. Cot. *tunc exultantem.*

911. 9, 10. *facetiis declaratus eſt ; Audiens*, ſic Ben. Cot. *faceſſiis audiens.*

919. 60. poſt *cognati ſui* iſta verba deſiderantur in Ms. Cot. *qui intra ſextum geniculum pertineat ei, nec in cognatione uxoris ſuæ.*

920. 34. *oculus ceræ*, ſic Sax. Ms. Cot. *oblatæ ceræ.*

921. 46. poſt *fidelis eſt*,. deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *qui domino ſuo recte fidelis eſt.*

924. 30. *Et nemo namium capiat* Cot. & Ben. legunt *Et nemo manũ capiatur.*

925. 51, 52. *overhyrneſſam*, ſic Sax. Ms. ambo *overſeteneſſam.*

926. 46. *Thilac*, ſic Cot. & Ben. lege *tihtlan* ut Sax.

935. 42. *acceptæ* Ms. Cot. *acceptas* Ms. Ben. etiam ante raſuram proculdubio *acceptas*, nunc autem nupera manu ſubſtituitur *acceptæ.* Inde nota convenientiam amborum exemplarium, Cot. & Ben.

943. 52. *de Wiht*, ſic Ben. Ms. Cot. *de Whit.*

957. 29. poſt *-riſdictione, hoc eſt* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *ſeurte en defens. Infangthef thelſind inward, eſt infra ſuum at--*

965. 60. poſt *applicuerunt* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *quibus Edgarus Adelyng & Waltef Conſul prope ſe junxerunt.*

967. 40. poſt *genuit Robertum*, deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *& ille Robertus genuit Robertum.*

975. 15. poſt *& poſſedit*, Cot. leg. *Ex enim Comitis Leiceſtriæ Amiciam* Ben. *Et ex filia Comitis Leiceſtriæ Iſabella Amiciam*

993. 9. *ei præſtitit*, ſic Ben. Cot. *præſtavit.*

1025. 24. *concordiam inivit*, ſic Ben. Cot. *concilium inivit.*

1030. 37. *per iter quo*, ſic Ben. Cot. *pariter quo.*

1044, 66. poſt *--tionem ſi* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *tamen pœnitens fieret ; ſin autem obſtinatus carne propria carnifex.*

1099. 55. poſt *daturus erat* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *de terris ſuis, & donationes terrarum quas dederat hominibus ſuis, vel daturus erat.*

1118. 22, 23. *advocatus Britanniæ* lege *advocatus Bitiniæ* cum Ben.

1125. 49. poſt *--quentium* M. *morabotinorum* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *& ad finem quatuor menſium tercio ſequentium mille morabotinorum.*

1127. 1. *Reginaldus* Ms. Cot. *Rog.*

1158. 44. poſt *--raria Regis* deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *Et poſt illos veniebant vj. Comites & Barones portantes unum ſcaccarium ſupra quod poſita erant inſignia regalia & veſtes.*

1195. 61. *putans per* Ms. Cot. *puta ne per.*

Col. Lin.

1242. 5. *uſque Ramulam*, ſic Ben. Cot. *uſque famulam.*

1256. 28. *Ciſtercienſis quoque* Cot. *Ciceſtrenſis* Ms. Ben. vetus ſcriba ſcripſerat item *Ciceſtrenſis*, ſed locus raſus eſt, & fit *Ciſtercienſis.*

1263. 32. poſt *quem iſte ſanctus*, deſiderantur iſta verba in Ms. Cot. *Auguſtinus ad lumen veræ fidei produxit, Cantuarienſis vero Epiſcopus quem beatus.*

1268. 63. *tent. ſed &c. accurrant*, ſic Cot. *ſubſtituimus cum Neubrig. tent. ſi &c. occumbant.*

1272. 47. poſt *Beluacenſi* deſiderantur in Ms. Cot. iſta verba *per ſuos caſtrum quod Melliacum dicitur expugnavit. Quod audiens Beluacenſis.*

Variantes Lectiones

In Chronica *Gervaſii.*

Mss. trium exemplaria contulimus,

1. Exemplar *Cottonianum* in quarto in pergamena.
2. Bibliothecæ publicæ *Cantabrigiæ* in folio in pergamena.
3. Bibliothecæ ſanctæ *Trinitatis* ibidem in folio in pergamena.

Col. Lin.

1289. 46. *AD ſarta tecta* ſic Cot. Cant. publ. *ad ſacra tecta.*

49. *& peſſulorum*, ſic Cot. Cant. p. *peſſulis.*

57. *cubitos quindecim*, ſic Cot. Cant. pub. *cubitos xl.*

1290. 7. *in Dominum*, ſic C. p. Cot. *in Domini.*

33. *in aula eccleſiæ*, ſic Cot. C. p. *in navi eccleſiæ.*

63. *eos tamen*, ſic Cot. C. p. *nos tamen.*

1291. 24. *ad lapides formandos*, ſic C. p. Cot. deeſt *formandos.*

1292. 21, 22. *finem inibi*, ſic Cot. Cant. p. *finem verbi.*

23. *in plaga aquilonali è regione*, ſic Cot. C. Trin. *in plaga aquilonali regione.*

31, 32. *cujuſvis*, ſic Cot. C. p. *curvus.*

1293. 52. *partibus*, ſic Cot. C. p. *patribus.*

1294. poſt *ceſſit* lin. 21. *ad ſucceſſit* incluſive lin. 22. deeſt in Cot. ſed habetur in Cant. pub.

1296. 10. *Eluricus*, ſic Cot. Cant. Trin. *Elfricus.*

58. *dare cœpit lucem*, ſic Cot. Cant. p. *clare cœpit lucere.*

1297. 53, 54. *in brevi*, ſic Cot. Cant. pub. *in orbem.*

1301. 24 *fornicem*, ſic Cot. C. p. *criptam.*

1304. 12. *aſtare videtur*, ſic Cot. Ca. p. *aſtat Honorio.*

1305.

Variantes Lectiones.

Col. Lin.

1305. 45. *fatigamur opprobriis*, ſic Cot. C. P. *& apporiamur opprobriis.*

1309. 10. *diſciplinam regularium*, ſic Cant. Pub. deeſt *diſciplinam* in Cot.

1318. 58,59. *plangat eccleſiam*, poſt *hanc periodum totum quod intervenit uſque ad columnam* 1334. Ingreſſus ad prologum, *&c.* deſideratur in Ms. Cant. Publ. qui ſic procedit poſt *plangat eccleſiam*.

Cum autem jam inſtaret tempus celebrandi Concilii, & prædictus legatus ſingulis perſonis *Angliæ* citatorias miſiſſet literas de eligendo *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, hanc *Jeremiæ* Priori & Conventui *Cantuarienſis* Eccleſiæ clero quoque & populo epiſtolam direxit. §. *Albericus* Dei gratia *Hoſtienſis* Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus dilectis in Chriſto fratribus *Jeremiæ* Priori totique Conventui, *H.* archidiacono, clero, nobilibus, populo *Cantuariæ* ſalutem & benedictionem. Suſceptum Apoſtolicæ legationis officium nos conſtringit-- & ſic proſequitur ad finem literarum quæ ſic finiunt, *deliberare valeamus, valete.* Idus Decembris (v^e^ literas *col.* 1344. *lin.* 43.)

Ingreſſus ad prologum, *&c.*

Tria ſunt, *&c.*

1335. 2. poſt *concludat* 8 lineæ, *videlicet* uſque vermium eſca incluſivè deſiderantur in Ms. Cant. p. ſed habentur in Cot.

34,35. poſt *hoc indicant Patriarcha* uſque illuſtrarent luminaria. 46. *deſiderantur* in Ca. pu. *habentur* in Cot.

1337. 2. *compotiſtas*, ſic Ca. pu. Cot. *compoſtitas.*

1338. 14. poſt *incipio* ſequitur in Ms. C. P. Anni Domini colore rubeo notandi ſunt, Decennovennalis vero Cyclus colore viridi; quod deeſt in Cot.

1339. 29,30. *eximperatricem*, ſic Cot. Ca. pu. *& Imperatricem.*

62. *diei* ſic Cot. Cant. pu. *Dei.*

1340. 7. *Bolonienſis Comitis*, ſic Cot. Ca. pu. *Bleſenſis Com.*

29. *ſacr. conficeret*, ſic Cot. C.p. *ſacr. ſumeret.*

1341. 27. *canonici ſeculares*, ſic Cot. C. p. *clerici ſeculares.*

1342. 19. *diſpoſitionem faciatis*, ſic Cot. C.p. *depoſitionem fac.*

1344. 24. *nomine clepſedra*, ſic Cot. Cant. pu. *nomine Ducillus vel clepſedra.*

1346. 24. *iratus*, ſic Cot. Cant. p. *irritatus.*

43. *Albericus Dei gratia* deeſt tota epiſtola in Ms. Cant. pub. quia in eodem Ms. antea inſeritur reſpice ad lectiones col. 1318. l. 58,59. Habetur hic in Ms. Cot.

1356. 56,57. *nec capere nec expellere*, ſic C.p. Cot. *nec ſic expellere.*

1370. 57. *Ricardum*, ſic Cot. Cant. pub. *Focum.*

1371. 61. *repulſam vehementer*, ſic Cot. C. p. *repulſam paſſus veh.*

1372. 16. *de Nuiberi*, ſic Cot. Ca. p. *de Muberi*,

Col. Lin.

1378. 25. *pluſquam pater*, ſic C. p. Cot. deeſt *pater.*

1380. 43. *à Lodowico rege Francorum*, ſic Cant. p. Cot. à *Lond.* rex *Angliæ* à Rege *Francorum.*

51. *Toarco*, ſic Cot. Cant. p. *Arco.*

1384. 5. poſt *Londonienſis* Cant. p. interſerit Hoc anno menſe Febr. 14. Calend. Marcii primo Sabbato quadrageſimæ ſuſcepi ego *Gervaſius* monachatum in eccleſia Chriſti Cant.

40. *& Hethe*, ſic Cot. C.p. *& Bethe.*

1386. In Ca. p. in margine ad initium cujuſque capituli ponitur quandoque, Toleratum quandoque, Dampnatum, non ita in Ms. Cot.

1388. 50. *Rogero*, ſic Cant. Trin. Cot. *Roberto.*

1390. 57. *comminationem*, ſic Cot. C.p. *communionem.*

1391. 41. *inexcuſabilis ſum*, ſic Cot. In C. p. interlineatur nupera manu *non*, & legendum *inexcuſabilis non ſum.*

1396. 55. *procurationem*, ſic Cot. C. p. *promotionem.*

1406. 43. *volutans*, ſic Cot. C. p. *volvens.*

1410. 30,31. *aut canonicus aut clericus*, ſic C. p. Cot. *aut canonicus* deeſt.

1411. 25. *& de ſingulis villatis*, ſic C. p. iſta verba deſunt in Cot.

37. *attacaverint*, ſic Cot. C. p. *tractaverint.*

43. *& quod rectum facient*, ſic C. p. iſta verba deſunt in Cot.

1412. 14. *infauſto quidem auſpicio ſicut exitus declarabit*, ſic Cot. deſunt iſta verba in C. p.

1418. 40,41. Anno gratiæ M.C.lxx. *&c.* Domini M.C.l.xxj. ſic Cot. In C. p. Anno gratiæ M.C.lxxj. *&c.* Domini M.C.lxx.

50. poſt *computare ſolemus*, lin. 8. ſequentes uſque *non arguo ſententiam* deſunt in C. p. vice illorum hæc inſeruntur. Unde felicis memoriæ *Willielmus Turbo Nordwicenſis* Epiſcopus literis admodum eruditus volens beati martyris Thomæ annum paſſionis verſificè deſignare, ait.

Annus millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas cum ruit enſe Thomas.
Quinta dies natalis erat, Flos orbis ab orbe
Vellitur, & fructus incipit eſſe poli.

1420. 53. *Duenenſis*, ſic Cot. C. p. *Cluenenſis.*

1426. 66. Præcluſerat enim Cancellarius Imperatoris in odium Papæ *Alexandri* omnium Ciſalpinorum ſemitas, adeo ut vix per mare ad eum quiſquam ex noſtris valeret accedere: ſic C. p. ſed deſunt iſta verba in Cot.

1429. 28. *legi fecit ſtatuta*, ſic Cot. C. p. legi fecit Benedicto ejus Cancellario ſolemniter legente ſtatuta.

1437. 64. xix. annis, ſic Cot. C. p. à novem annis.

Col. Lin.

1443. 49. omnes terras meas. Hæc autem ſuprascripta, ſic Cot. C.p. terras meas. Et ego *H.* Rex *Angliæ* volo ex parte mea quod mercatores & omnes homines tam clerici quam laici de terra Regis *Franciæ* Domini mei cum omnibus rebus ſuis ſint ſecuri & pacem habeant per omnes terras meas. Hæc autem ſuprascripta.

1452. 33. *ubi lucrorum*, ſic Cot. & Cant. p.

1456. 3,4. *evectionis* ſic legendum Cot. & C. p. evertionis.

1459. 3. *juſticias*, ſic Cot. C. p. *literas*.

1462. 40. *eorum vel precepta*, ſic C.p. In Cot. deeſt *vel precepta*.

1479. 51. *in terra*, ſic Cot. Cant.p. *interea*.

1480. 14,15. *Willielmus de Norehalle ad Wigorniensem Willielmus de Ver ad Herefordenſem*, deſiderantur iſta verba in Cot. tranſcripſimus ex C.p.

66. *-fata puella*, ſic C.p. In Cot. deeſt *puellæ*.

1482. 13. *quaſi ceruleas*, ſic Cot. C. p. *quaſi cenaeas*.

1492. 47,48. nullis literis veritati & juſtitiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis obſtantibus, ſic C.p. In Cot. deſunt iſta verba.

1493. l. 7,8. Cot. legit *in eccleſia & conſortio fratrum ſuſcepit* Trin. Cant. legit *ab eccleſia & conſortio fratrum ſeparavit*; nota, quia pugnant ex diametro.

66. *in audientia*, ſic Cot. C.p. *inaudita*.

1505. 34. poſt *ſubſiſtentibus* lin. 8. ſequentes uſque *erui viderentur* incluſivè deſunt in C.p. habentur in Cot.

1506. 2. *vaniglorium*, ſic Cot. Cant. Tr. *vanigerulum*.

1522. 40. *laceatos*, ſic Cot. Cant. Tr. *laceratos*.

1546. 44. poſt *velitis mandatum* quæ ſequuntur ad *feciſſet mandatum* incluſive deſiderantur in Cot. & addidimus ex Cant.p.

1554. 13. *non ſuſtineret*, ſic Cant. p. In Cot. deeſt *non*.

1557. lineæ quatuordecim priores incipientes *autem Angliæ*, &c. uſque *Accon capta eſt* incluſive deſiderantur in C. p. habentur in Cot.

1568. 2. *Cantuariam* deeſt in Cot. habetur in C.p.

26. *quod ſic deberet*, ſic C.p. *quod ſic non deberet* in Cot.

1575. 33. *Mairrit*, ſic Cot. C. p. *Maunt'* cum abbreviatura in ultima litera.

5577. 47. *tractare non differemus* adduntur in margine in Cant.p. & deſunt in Cot.

1578. *à regno* lin. 34. uſque *regno* linea ſequenti deeſt in Cot. ſupplevimus ex C.p.

1580. 32. *vel Bathonienſi*, ſic C.p. Cot. *vel Baroniæ*.

1584. 10. *adduxiſtis*, ſic C.p. Cot. *R. duxiſtis*.

56. notum tamen erat cunctis quod omnia ſuperbe & impie, ſic Cot. Cant. p. notus tamen erat & nothus & omnia ſuperbo impetu.

1586. 9,10, *alii dicebant quod eorum eſſet intronizatio quorum eſſet*, iſta verba deſiderantur in Cot. & ſupplentur ex C.p.

Col. Lin.

1589. 15,16. eum vix medici vel cubicularii viſitarent tandem medici de ſalute, ſic C.p. Cot. ut eum viri medici de ſalute.

1591. 15. *forma*, ſic Cot. Cant. p. *fortuna*.

59. Cot. *obicum* Trin. Cant. *obitus* C.p. *obiter*.

1595. 50. poſt *promovemus* deeſt in Cot. incluſive uſque *conſpicimus* l. 52.

56. poſt *vendunt* incluſive uſque *redimunt* linea proxima deeſt in Cot. ſupplet in ambobus locis C.p.

1598. 58. poſt *vel dignitatem in* uſque *de præbenda* deeſt in Cot. ſupplevimus ex C. p.

1599. *& omnes illos* lin. 8. uſque *innodabant* *l.* 10. incluſive deſunt in Cot. habentur in C.p. *l.* 27. ab *affectum* uſque *affectum* incluſive lineæ 30. deeſt in Cot. ſupplevimus ex C.p.

1600. poſt *humilitate* l. 4. C. p. ſic: fuimus, ſumus & erimus obedientes, ſed operi de *Lambethe* pro quo tot ſuſtinuimus mala nunquam *obediemus*.

1604. 66. *vos habere*, ſic C.p. Cot. *non habere*.

1606. 28,29. *effecti quia inſeparabiles*, deeſt in Cot. habetur in C.p.

1615. 31. *majoremque turbato Rege ſuſpicans deſtructionem* deſunt iſta verba in Cot. habentur in C.p.

Variantes Lectiones

In Chronica Pontificum Eccleſiæ *Eboraci*, Autore *Thoma Stubbs*.

Duo habuimus exemplaria,

Unum in folio ex mutuo *G. Moore* viri omniſariam doctiſsimi quondam alumni Coll. *Gonnelli* & *Caii* Cant.

Alterum in 4° nuper *Simonidis D'ewes* Equitis aurati & Baneretti.

Col. Lin.

1689. 13. IN *campo qui vocatur Hetfield*, iſta verba deſunt in Ms. in 4°

1692. 60. *multum ſingularis*, ſic Ms. fol. Ms. in 4° *meriti ſingularis*.

1699. 7. *Eddredus*, ſic Ms. fol. Ms. 4° *Ethilredus*.

1705. 62. *Baiocenſis* Ms. fol. *Bælenſis*.

1706. 66. *extorta*, ſic Ms. 4° Ms. fol. *exorta*.

1712. 16. *optaret*, ſic Ms. fol. Ms. 4° *oporteret*.

1727. 36. poſt *archiepiſcopi* deſiderantur in Ms. in fol. iſtæ tres lineæ & dimidia ſequentes uſque *archiepiſcopi* incluſive.

1732. 19. *Gotherland*, ſic Ms. 4° Ms. fol. *Sothland*.

Variantes Lectiones in *Thorn*.

Duo Exemplaria,

Twyſdenianum & Exempl. in Bibl. S. *Benedicti* Cant.

Col. Lin.

1766. 31. POſt *etiam confirmationem*, locus raſus eſt & novâ ſcripturâ in Ms. B. ſic habetur, *ſedis apoſtolicæ apoſtolici hujus monaſterii apoſtolorum Petri & Pauli* optenturus.

1767. 28. poſt *Berta fuit filia* quæ ſequuntur in Ms. *Twyſdeni*, uſque *lin.* 37. *gia.* deſunt. In Ms. B. ſic habetur, *Chilperici Regis Franciæ, cujus pater Clotarius, cujus pater Clodoveus primus Chriſtianus*, & iſte Letardus.

1770. 33. *& Ethelberti.* Ms. B. *& Ethelbricti.*

1776. 41. *quidam potens* uſque *l.* 52. *anathema ſit* quæ verba habentur in Ms. *Twyſdeni* deſunt in Ms. B. pro quibus Ms. B. ſic habet, *Egbertus Rex occidentalium Saxonum dedit cuidam in hoc monaſterio commoranti nomine Siadan & poſt vitam ejus monachis hujus loci terram unius aratri in loco qui nominatur* Onſtirdun, *quæ terra ante pertinebat ad regalem villam* Cantuariæ. *Et pro hac donatione prædictus clericus dedit eidem regi centum mancuſas in duabus armillis. Et nota quod mancuſa eſt pondus* ij. s. vj. d. *Quæ ſit iſta terra de* Onſtirdun *nullus modernorum commemorat, eo quod viciſſitudo temporum antiqua nomina locorum non tam corrupit quam etiam mutavit. Facta eſt hæc donatio anno* 848.

1782. 29. poſt *defenſores* quæ ſequuntur uſque *ſingillatim lin.* 33. deſunt in Ms. *Twyſdeni* & abraduntur ſed habentur in B.

1783. 12. poſt *non* omiſit B. ſic habet, *At ille, O fili, pro certo ſcias quod Deus omnipotens juſte abſtulit à me eſum carnium, tamen vade, & ſi quo modo poteris ſcire ubi delatum eſt diligenter inveſtiga, ſciendo pro certo alium cibum hodie me non ſumpturum. Ad hominis verba puer mente turbatus dum fuit in eundo ad quærendum cibaria* mirum dictu.

1786. 58. *habita*, f. legendum *avita.*

1789. 41. *ſolidorum* B. *ſolingorum.*

1797. 42. poſt *approbatur* B. legit *ubi menſas columbas vendentium puniendo non evertit*, ſymoniacos.

1804. 63. poſt --*hibiti fuiſſent* deſunt in B. reliqua columnæ impreſſæ.

1815. poſt *deſtructionem* lin. 26. ſex lineæ ſequuntur in Ms. ſed cancellatæ, videlicet ſuper confirmatione appropriationis de *Faverſham* & *Middleton* per papam *Alexandrum* tercium & ſcribitur ad eundem locum in margine Ms. B. ſic *ſcribe inter eccleſias.*

1835. 46. poſt *apoſtolica authoritate* B. ſic *à beneficii perceptione abbas ſuſpendat, & donec antiquitus conſuetam ſecuritatem præſtiterit.* Quæ deſunt in Ms. *Twyſdeni.*

1843. 10. poſt *Samuel* inſerit Ms. B. *& Norman remanent in priſona quia tenuerunt ſe cum armis in Eccleſia.*

34. tota §. *Confederatio* &c. uſq; *dependit l.* 57. deeſt in B. Et habet ſolummodo notulam marginalem *Confœderatio S. Edmundi.*

1856. poſt *conſulendo* lin. 24. B. interſerit *pro eis lædere. Immo ita vobis volumus conſulere ſicut fidem noſtram ergo vos & conſcientiam erga Deum cupimus ſalvare.* Quæ deſunt in Ms. *Twyſdeni.*

1872. 50. poſt *monachari* B. habet *prout ipſi aſſerebant de permiſſione Abbatis jam defuncti* admitteret.

1878. 22. poſt *meſſuagiis* B. habet *ſcilicet Ricardi Seneſcalli quod eſt ante portam S. Auguſtini cum aliis tribus*, abbati.

1892. 5. tota §. 2. uſque *col.* 1893. *lin.* 25. *præmiſſorum* deeſt in B. & B. habet in margine. Quære in matricula Abbatis Carta W. Craſpeys ſcilicet de alienatione Eccleſiæ de Stodmerſh.

1897. 26. poſt *celebratur* B. habet *ad bonam conſervationem vitæ ſuæ. Et in miſſa quæ cotidie celebratur* pro fidelibus.

1905. 66. Tota Hiſtoria de vita & origine S. *Mildredæ* diverſimode enarratur in Ms. *Twyſdeni* & Ms. C. C. Cant. ſed ultimum ſequimur.

1921. 2. poſt *benedictus eſt* Ms. B. habet iſta verba. *Privilegia vero quæ quondam* Ricardus *archiepiſpopus* Cantuarienſis *ſe commemorat ut ſuperius dictum eſt arguiſſe falſitatis, tradita fuerunt comburenda.* Quæ verba concellantur & continuo ſequitur, *Iſte Nicholaus Abbas ſuæ opinioni ſingulari minus ſapienter conſulens, quaſdam bullas abſque conſcientia apoſtolica precio comparavit, ſperans per illas contra inſurgentes ſibi in poſterum ſufficienter muniri, cujus rei cauſa ſuam ceſſionem inſtanter procuravit ut ſuo in loco patebit.* Igitur rex *Edwardus.*

1931. 2. poſt *ſuſtinebunt* B. habet *Et ſciendum quod Abbas Sancti* Auguſtini *dedit prædicto abbati de Leſnes in auxilium ad prædictam Wallam conſtruendam ij. Marcas*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni.*

1937. 20, 21. poſt *Item, quod* --hæc verba *fratres noſtri ad venias ſint domi in capitulo niſi rationabilis cauſa eos impedierit, & quod* deſiderantur in Ms. *Twyſdeni.*

Variantes Lectiones.

Col. Lin.

1947. 1. poſt *domino feodi*, hæc verba *pars attemptans ſatisfaciat competenter, alioquin liceat domino feodi*, deſiderantur in Ms. C.C. Cant. & habentur in Ms. *Twyſdeni*. Quod nota.

1949. 18. poſt *pro fidelibus*, hæc verba *ſi vero ipſa die hæc fieri non poſſint, altera die competentiori fiant, & quilibet ſacerdos miſſam*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*.

2006. 39. poſt *talliati* iſta verba *tunc levationi tallagii ſuper ipſum Abbatem ratione tenementorum ſuorum in eadem civitate*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*.

2015. 14. Allocatio libertatis, *&c*. In toto iſto proceſſu Ms. C. C. Cant. ſequimur quia fuſior quam Ms. *Twyſdeni*.

2032. 9. poſt *rebus & bonis* iſta verba *ad Abbathiam illam qualitercumque ſpectantibus, adeo plene & integre ſicut abbates & conventus ejuſdem loci abbatiam illam & temporalia ejuſdem cum rebus & bonis*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*.

2038. 20, 21. ſe-cta *Item duo pottella unum de una ſecta, Item unum pottellum argenteum de alia & majori ſecta*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*, & habentur in Ms. B.

2057. 53. poſt *ſeculari* iſta verba *ſtatim invitis vobis caperetur & abduceretur. Et ſi invenerit eum in habitu monachali & raſum non audebit*, habentur in B. ſed non in Ms. *Twyſdeni*.

2065. 25. poſt *traherent ſe* iſta verba *in partem, & tunc S. Prior hujus loci & alii dixerunt, quod ſi retraherent ſe* deſiderantur in Ms. Domini *Twyſdeni*, ſed habentur in Ms. B.

2067. 48. poſt *terminandas* iſta verba *quia habebat unum aliud expediendum quod erat ſibi magis neceſſarium*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*, & ſunt in B.

2070. 16. poſt *ipſi religioſi*, iſta verba *Eccleſias ſibi appropriatas, portiones decimarum in parochiis alienis vel penſiones aut capellas*, deſiderantur in Ms. *Twyſdeni*, habentur in B.

2100. 61. poſt *& gratiam, quam vobis in hac parte duxit faciendam approbamus, & quantum ad nos pertinet ipſam*, deſiderantur iſta verba in Ms. *Twyſdeni*, habentur in B.

2106. à prima linea *A. D. milleſimo CC. xlj. &c*. uſque finem columnæ 2108. habemus ex Ms. B. deeſt in Ms. *Twyſdeni*.

2116. 8. -tes & pertinentes, *ſeu provenientes & proventuras ad eccleſiam antedictam necnon quacunque legata relicta &* deſunt in Ms. *Twyſdeni*, habentur in B.

Col. Lin.

2117. 54. poſt *permaneat*, Ingenue fatemur nos feſtinantes omiſiſſe. §. 1. Cap. xl. quam nunc damus ſicut habetur in utroque exemplari.

Cap. xl. In Ms. *Twyſdeniano*.

§. 1. *Sequitur de proceſſu fratris J. Deveneſch.*

Igitur anno Domini milleſimo CCC. xlviij. die Sancti *Ricardi* Epiſcopi idem *Johannes* ut ſupradictum eſt Romanam Curiam pro ſuis negotiis iterum repetens poſt multos labores & expenſas exceſſivè appoſitas videns quod non potuit penes Apoſtolicum beneficio Electionis Canonicæ, nec penes Anglorum Regem obtentu proviſionis Apoſtolicæ ad ſuum pervenire votum, ex intimo condoluit, & ſpiritu conſolationis deſolatus, eodem anno in vigilia Sancti *Johannis Baptiſtæ* ſpititum efflavit, & in eccleſia Fratrum Minorum Avinione in introitu eccleſiæ verſus dexteram collocatus eſt. Et nota quod in & pro cauſa hujus miſerimæ proviſionis monaſterium extitit indebitatum in M. libris & eo amplius. Et Tranſlatio *T. Herfordenſis*.

§. 2. De Electione *Thomæ Colwelle*, &c.

Cap. xl. In Ms. *Benedictino*.

§. 1. *De morte J. Deveneſch Abbatis.*

Igitur anno Domini M. CCC.xlviij. die Sancti *Ricardi* Epiſcopi ipſo *Johanne* ut ſupradictum eſt ad Curiam Romanam pro ſuis negotiis redeunte, Dominus Rex hujuſmodi fatigationi obviando, & propter labores & enormes expenſas evitandas ex habundanti conceſſit, ut ſi idem *Johannes* poſſet obtinere à ſummo Pontifice quod poſſet mutare ſtilum ſuæ creationis ſive proviſionis, ſcilicet non promoveri abbatia prædicta ratione donationis vel proviſionis apoſtolicæ ſed ratione electionis capituli hujus loci, illa vice annueret & ſuis temporalibus gaudere permitteret. Sed quidem hujuſmodi cauſa coram ipſo ſummo Pontifice propoſita concludendo dixit, ſe malle cedere pontificio quam ſuum Decretum taliter revocare. De quibus verbis idem *Johannes* ex intimo condoluit, & anguſtiis & vanis cogitationibus circumventus eodem anno in vigilia S. *Johannis Baptiſtæ* diem ſuum clauſit extremum, & in eccleſia Fratrum Minorum Avinione in introitu eccleſiæ verſus dextram per fratrem *Radulfum Weſtmonaſt*. qui ſibi datus fuit in capellanum decenter & cum magno honore ſepultus eſt; Et continuo miſit idem

Radulfus

Col. Lin.

Radulfus literas de obitu ejuſdem *J.* Quibus inſpectis, licentia Regis prius petita & obtenta, diem electionis futuri Abbatis conſtituerunt. Et nota quod in cauſa & pro cauſa hujus proviſionis monaſterium fuerat indebitatum tam quoad Regem quam quoad ipſam & Collegium cum expenſis ejuſdem *Johannis* hinc inde factis in M. libris & eo amplius.

§. 2. De Electione *Thomæ Colwelle*, &c.

55. §. 2. De electione *Thomæ* &c. cum columnis 2118, 2119, & parte col. 2120. uſque *convivando* tranſcripſimus ex Ms. B. & deſunt in Ms. *Twyſdeni.*

2141. Eodem anno ſc. M.CCC.lxv. &c. uſque finem §. tranſcripſimus ex Ms. B. & deſunt in Ms. *Twyſdeni.*

2144. Titulum linea 31. *Conſuetudines per Sandwic.* ad finem Conſuetudinum tranſcripſi ex Ms. B. deſunt in Ms. *Twyſdeni.*

2149. 19. poſt *perſolvatis* ſequuntur iſta verba in B. & Cedulam de qua ſuperius fit mentio, brevitatis gratia in libro Theſaurariæ relinquo hic non ſubſcriptam.

In Chronologia *Auguſtin.* Cant.

Nullæ variæ Lectiones quia exemplar ſingulare.

In *Henrici Knyghton* Chronica

Nullæ variæ Lectiones cauſa qua ſupra.

De Parl. 1° *H*4. de depoſitione Regis *Ricardi* ſecundi habemus

Singulare exemplar, è Ms. Cod. ant. in Bibl. Bodleiana tranſcriptum, extat Ms. ille L.6.7. Theol. quem Bibliop. mutuo accepit à M. *Tho: Barlow* Collegii Reginæ Oxon. ſocio, viro ſummæ affabilitatis eruditioniſque.

Col.2744. lin.62. *conſtitutis, Omniq;* ſic legit Rotulus in archivis Turris London. Ms. verò Bodl. leg. *conſtitutis.* Salvis terris & poſſeſſionibus pro me & obitu meo impetratis & emptis, *omnique.*

Apologia Adæ Orleton.

De iſta Apologia unicum habuimus exemplar, hocque ex Bibl. D. *Rogeri Twyſdeni.*

FINIS.

GLOSSARIUM:

IN QUO

Obſcuriora quæque vocabula, quæ toto hoc opere continentur, copioſè explicantur, & ad origines ſuas pleraque revocantur.

Guilielmo Somnero Cantuarienſi, Auctore.

A

ABaruatus.] 930. 62. *Corrige*, abarnatus: *quod à verbo* abarnare, *hoc eſt, rem clam & occultè geſtum probationibus manifeſtare. Unde*, murdrum abarnare, *in LL. Hen.* 1. (*quarum editionem V. Cl. & verè Philologo*, D. Rogero Twyſdeno, *eq. aurato & Baronetto, debemus:*) *ca.* 79. 91. *idem eſt, ac* murdrum (*id eſt, homicidii genus atrociſſimum*) probare. *Verbo ab eodem fonte hauſto, ut* æbeꞃe *in iſtis Anglo-Saxonum*, æbeꞃe-moꞃþ, æbeꞃe-ðeoꝼ, *&* æbeꞃe-hoꞃe-cƿen. *i.e.* (*Bromptono noſtro interprete*) probatum murdrum, probatus fur, probata meretrix: *ſcil. à Sax.* abaꞃian, *denudare; unde fortè Teutonicor.* **baeren**, *oſtendere, manifeſtare; uti & noſtratium* **bare**, *nudus. Adverte tamen differentiam, ut inter furem* apertum, *&* probatum; *ſic etiam inter homicidium* apertum, *&* probatum: *quemadmodum enim illum*, open-ðeoꝼ; *hunc*, æbeꞃe-ðeoꝼ; *ita & homicidium illud*, open-moꞃþ; *hoc*, æbeꞃe-moꞃþ, *Saxones vocabant: per* apertum, *notorietate facti jam convictum, utpote qui in flagranti crimine* (*quod eis*, æꞇ openꞃe ꞅcẏlꝺe) *deprehenſus fuerit*; (*qualis* **hond-habend**, *vel* **bac-berend**:) *per* probatum, *non ita manifeſtum, ſed accuſationibus & probationibus judicialiter tandem criminis convictum, innuentes.*

Abbates.] 847. 50,51. ad iiij. abbates. *Locus planè mendoſus. Reſcribe* hebdomadas. *Vide LL. Edo. ſen. apud Lambard. cap.* 11. *& hic, col.* 837. *lin.* 38.

Abbatum.] 2348. 7. omnium liberalium artium peritus, abbatum præcipuè; lunarem compotum & curſum aſtrorum rimatus. *Ubi* abbatum *proculdubio pro aſtronomorum, & arithmeticorum* abacum. *Vulgò*, **a counting table.**

à Bel.] *Vide* Bel.

Acclamare.] 82. 15. *Verbum eſt forenſe, ut &* Clamare *alibi, quorum utrumque vendicare notat, ſive adſciſcere: vulgò*, **to claime**, *al.* **to lay claime unto**: *cui contrar.* Diſclamare.

7 Acquietare.] 900. 64,65. *abſolvere, vel quietum & ſecurum reddere. Vox etiam fori noſtri: vulgò*, **to acquite.**

Acra.] 765. 14. 767. 21. 920. 6. 1779. 60,63. *Latioris olim hoc quàm nunc dierum ſignificationis. Certam enim terræ quantitatem, Latinis* Jugerum, *hodie notat: olim autem, agrum ſimpliciter; quomodo Anglo-Saxonibus* æceꞃ, *quod à Latino* ager. *Plura qui cupit, doctiſſ. equitis Spelmanni Gloſſar. adeat.*

Actionari.] 2135. 25. *Poſtulari, in jus vocari. A Gallico*, actionner, *quod poſtulare, lite involvere, in jus vocare, vulgò*, implacitare, *ſonat. Hinc* Actionarius. 2211. 20. *pro miniſtro publico, actionibus, i.e. poſtulationibus, accuſationibus & ſimil. Fiſci nomine, præpoſito: vulgò*, Placitator. *Vide* Placitare.

Adcredulicet.] 764. 20. adcredulicet ſe quod eum non percuſſit. *Id eſt, ita ſe purget, vel jurejurando ſuſpicionem omnem ita dimoveat, ut alii juſtè adducantur ut credant eum non percuſſiſſe. Quod enim hîc*, adcredulicet ſe, *Saxonicè habetur*, ȝeꞇꞃẏƿe hine, *i.e. fidem faciat:* ꞇꞃuƿa *enim, ut &* ꞇꞃeoƿe, *Sax. fides:* ꞇꞃẏƿian, *ſeu* ꞇꞃeoƿian, *fidem facere, aſſerere, aſſeverare, vulgò*, verificare: *per tranſlationem autem, purgare, culpâ eximere, vulgò*, juſtificare. *Vide* Idoneare, *&* Inveritare.

Addictare.] 2676. 1. *Unde* Addictatus. 2617. 12. *Forenſibus noſtris hodieque* Indictari, *&* Indictatus: *quæ à Gallico* endicter; *hoc autem* (*ita Spelmannus*) *à Græco* ἐνδείκνυμι. *i. defero, & poſtulo in judicio. Hinc noſtratium* **to indict**, *verbum, &* **inditement**, *nomen; eo ſenſu.*

Addretiare.] 1410. 37. 1411. 44,45. *& alibi:* ad rectum faciendum & addretiandum ei & hominibus ſuis quod addretiare debuerunt. *Vox miniſtrare, vel exhibere ſignat; à Gall.* addreſſer, *al.* adreſſer, *i. dirigere.*

Adelyng.] 907. 63. Atheling. 141. 26. *Vox hodie obſoleta, cui alius atque alius debeatur locus, pro vario ſcribendi modo; nam &* Edeling, *&* Edling, *reperias. Generatim, quemcunque natalitiis, vel genere clarum ſive nobilem ſignat: à Sax.* æðel, *al.* eðel, *nobilis: unde exteris*, **adelſcalc**, *Germanis olim* **edil degin**, *pro miniſtro nobili, vel ſervo principis. Preſſè tamen, regis filium, primogenitum ſcil. regni hæredem, & regis futurum ſucceſſorem, ut quidam; omnes filios, ut alii; qui aliter* Clitones, *&* Clitunculi, *q. inclyti, dicti.*

Adjacentiæ.] 1789. 19. *Eodem planè ſenſu ac* Appendenciæ, *infrà: loca ſcil. vicina, eidem Domino parentia, vel ſubjecta. Nempe* adjacentia *ſingulari numero pro plurali: quomodo &* pertinentiam *dixere.*

Adlaterans.] 397. 57. *Vide* Allaterare.

Adlegiare.] 822. 30. 823. 32. 60. *Purgare, vel purgationis ope criminationem ita diluere, ut, phraſi forenſi*, probus & legalis homo, *jure habeatur: vulgò*

a true=man: ꞇꞃiƿian *enim, al.* ꞇꞃeoƿian (*ut textu hîc habetur Saxonico*) *idem eſt, ut jam monitum quod leguleiis noſtris* verificare, *vel* juſtificare. *Hinc intelligendum, quid ſibi velit illud in ca. 41. LL. Gul. 1. apud Illuſtriſſ. Selden. notis ad Eadmer.* ſil ne poet aleier: *ſed & illud ibidem, paucis intermediis:* ſil alaier ne ſe pot, *i. niſi ſe poterit* (*phraſi legum Hen. 1. ca. 41, 63, 66, 86.*) allegiare, *jurejurando ſcil. ſe purgare, vel purgando culpâ ſe eximere. Idem quod infra,* Idoneare, *&* Inlegiare.

Admannire.] 872.5. *Sax.* manian (*quod fortè, à Latino moneo, vel admoneo*) *monere ſonat, interpellare, citare: item judicis authoritate exigere, & tollere. Unde* admannire emendam *hîc, idem eſt ac compenſationem* (*forenſium noſtratium linguâ*) levare, *i. tollere. Vide plura in* Maninga, *& apud Cl. Voſſium in* Mannire.

Admillus.] 1248.62. Inter quos *admillum* quendam, cæteris eminentiorem, & inſigni apparatu nobiliorem, unico ſed admirabili vulnere interfecit. *Ubi, niſi proprium alicujus viri nomen ſit,* Admillus *fortè pro* Admirallus, *de quo proximè. Sin autem neutrum, meliori vox Oedipo relinquenda.*

Admiraldus.] 998.23. 1052.54, 59. *ult.* 1181.24. Admirallis. 1213.22. Admiratus. 641.50. 642.54. 655.16, 17. 1114.28. *Omnia, doctorum omnium conſenſu, ab Arabico* emir, *vel* amira, *quod dominum ſignat, ſive* (*ut Matthæo Pariſio* Amiralius) *conſulem:* Amiralius Joppenſis (*inquit ille, ad ann. 1272.*) natione Sarracenus: quæ dignitas apud nos Conſulatus vocatur. *De vocibus autem planè variis, & diverſimodè acceptis, cum nihil habeam quod à doctioribus jam adductis addam, vide doctiſſ. equit. Spelmann. Voſſ. Watſ. alios.* Stolii *verò* Admiratus, *de quo ſupra,* 1114.28. *Thalaſſiarcham, ſive claſſis præfectum, ut opinor, ſignificat. Vide* Stolium.

Adpropiare.] 1623.52. *Vide* Appropiare.

Adterminari.] 836.16. 848.22. *De lite vel cauſâ dicitur, & diem dictam, vel dicendam notat, quâ in diſceptationem veniat. Dies ſic condicta Saxonibus,* anꝺaꝫa. *Vi. LL. Edo. ſen. ca. 11. ubi, ut & alibi crebrò, ſic occurrit. Huic affine verbum forenſe,* adjournare, *quod diem alicui dicere ſonat. Anglo-Saxon.* anꝺaꝫian *utrumq; complectitur: de quo vide plura apud doctiſſ. equit. verbo* adjournare. *Hinc autem, ut veriſimile eſt, quatuor illorum anni temporum apud nos litigiis dicatorum nomen adeo decantatum,* **Termes.**

Advocare.] 765.47. 766.14. 900.58. Advocatio. 835.61. 896.58. *Verbum* advocare, *rem factam agnoſcere, vel in ſe ſuſcipere, ſonat, unde forenſium noſtrorum* **Avoury**; *quin &* vocare (*ut loquuntur*) ad warrantiam, *hoc eſt, ad præſtationem rei venditæ; forenſium autem linguâ vulgari,* voucher al garantie, *quod Gallis,* appeller à garand, *aliàs,* ſommer à garand; *quibuſdam,* recours de garantie. *Videatur Spelmanni Gloſſar. in voce* Garandia; *item Lambardi, in verbo* advocare. *Saxonibus autem,* advocare, *eſt* ꞇẏman: advocatus, ꝫeꞇeaman: advocatio, ꞇeam. *Atque hinc capituli LL. Ethelredi decimi epigraphe,* be ꞇeamum,
* col. 899. lin. 47. *apud Bromptonum * noſtrum Latinè redditur:* De advocatione & termino guerrandi (*corrige,* warranti) inveniendi. *Præter hanc autem, aliam quoque præfert* Advocatio *ſignificationem, col. ſcil.* 318.54. *ubi pro* jure patronatus, *vel ipſo præſentandi jure ponitur, noſtratibus vulgò,* **Advouſon.**

Advolare.] 827.55. *Mendoſè pro* Avolare. *Sax.* ꝫiꝼ heo healꝼe on ƿeꝫe ꝼleoꝫe, *&c. i.e.* ſi dimidia manus avolaverit; *vel,* (*ut Lambardus, pro more ſuo, magis politè*) ſi manum dimidiam abſciderit.

Afferus.] 2024.26. *Fleta authori,* Affrus. *li. 2. ca. 73. Jumenta, vel caballi colonici, ab operando dicti, quod Gall.* ouvrer.

Affidare.] 1039.22. 1182.39. *Fidem ſuam alicui obſtringere. Hinc cauſidicorum noſtratium* Affidavit, *pro affirmatione jurejurando firmatâ.*

Afforari.] 2034.24. *Æſtimare, precium rei* (*uti magiſtratus ſolet in cibariis*) *imponere vel conſtituere, à Gallico* afforer, *al.* affeurer, *eo ſenſu. Atque hinc Forenſium noſtratium* **Affeerors**, *eorum Latinitate,* Afferatores, *de quâ voce multis Cowellus in* Interprete.

Affugare.] 770.33. *barbarè, pro* fugare.

Agenfriga.] 765.15. *Vox merè Saxonica, liberum vel ingenuum proprietarium ſignificans; ab* aꝫen, *aliàs* aꝫenꝺ, *poſſeſſor; &* ꝼꞃiꝫea, *al.* ꝼꞃeo, *liber, ingenuus.*

Agilde.] 929.13. *Vox ejuſdem farinæ cum priore: aliàs* oꞃꝫilꝺe; *interdum* unꝫelꝺe, *i.e.* inultus, inſolutus, *vel, ſine compenſatione: virum adeo ſceleſtum intellige, ut ob ejus interfectionem nulla omnino compenſatio à cædis authore jure debeatur. In LL. Hen. 1. ca. 88. habetur* egilde, *mendoſè pro* agilde. *V.* Botolos, Emenda, Inſolutus, Orgilde, Ungeld.

Ailata.] 849.23. ſi verbum non direxerit, ut *ailata* ſit, *&c. Corrigendum fortè* aplata; *de quo in quodam ſtatutorum codice MS. cap.* Expoſitio vocabb. juris, *ſic habetur:* Aplata, *hoc eſt,* pro certo. *Ita Spelmannus noſter in voce* Aplata. *Vox eſt, ni fallar, à Gallico* applater, *i.e. planum facere. Vulgò ſolemus dicere,* **that's flat**, *pro eo quod certum eſt, & indubitatum.*

Alabaſtarius.] 250.51. *Idem, ut veriſimile eſt, ac Spelmanno noſtro* Arbaliſtarius, *id eſt, baliſtarius, vel arcubaliſtarius: à Gallico* arbaleſtier.

Alba.] 75.11. 1273.21. *Veſtis linea ſacerdotalis, vulgò* **an Albe**; *ſic autem dicta à colore. Formam ejus, & cætera rem pleniùs illuſtrantia, vide apud doctiſſ. equit. & D. Watſ. in Gloſſar. Mat. Pariſ. addito.*

Albaliſta.] 2574.64. 2577.13. *Idem ac* Alabaſtarius *ſupra, quod vide.*

Albania.] 2484.25. *De nominis origine, vide* Cambria.

Aldermannia.] 1927.1. *Alibi* Aldermanria. *Eſt autem munus & ditio* Aldermanni, *de quo proximè.*

Aldermannus.] 759.17. 765.33. Aldremannus. 900.40. *Voces Anglo-Saxonicæ, ex* ealꝺoꞃ, *al.* ealꝺꞃe, *ſenior, princeps; &* man, *homo, compoſitæ: cujus munus ditioque, Sax.* ealꝺoꞃꝺom *dictum. De quibus, ne actum agam, plura dicere conſultò ſuperſedeo: antevertit enim me doctiſſ. eques; item Cl. Seldenus, Lambardus etiam, Cowellus, & alii.*

Alfetum.] 856.13. *Caldarium, calefactorium, hypocauſtum. Vox eſt Saxonica, conflata ab* ælan, *al.* onælan, *accendere; unde noſtratium* **nealing**, *eodem ſenſo: &* ꝼæꞇ, *vas, quaſi calefactionis vas. Ad judicialem probationem pertinebat: in hoc enim,* *aqua bullientis plenum, criminis poſtulati manum cubito tenus immergebant & aliquamdiu detinebant; de reatu & innocentiâ, pro probationis exitu, decernentes: illaſum, inſontem; læſum vero, aut æſtum non ferentem, criminis convictum, habentes. Vide Lyd. Gloſſar. in voce* Æneum.

Allaterare.] 534. 26. *Ubi*, ſigillum allaterare, *idem eſt, ac ſigillum à latere collocare. Hinc* adlaterans. 397. 57. *item* allateralis. 592. 21. *pro eo qui eſt vel incedit à latere.*

Allea.] 2010. 66. *pro* Allium. *Ita* Alleatum. 2112. 42. *pro* Alliatum.

Allocatio.] 1962. 1. 2011. 7. *Admiſſio, approbatio. Fortè, à Gallico* allouër, *i. approbare; admittere: unde noſtratium* **allowance**, *item* **to allow**, *eod. ſenſu.* Allocari. 2508. 11. *pro* accipi.

Allodium.] 451. 47. 491. 20. 612. 34. 1658. 19. *Vide* Feodum, *infra.* Allodiarius. 2016. 65. *Qui* allodium *poſſidebat; idem (ni fallor) ac Saxonum* ðeȝen: *perinde enim ac ſi eſſent termini convertibiles, qui in Saxonicis cœnobii S. Auguſtini Cantuar. codicillis* ðeȝneꞅ, *in eiſdem Latinè factis*, Allodiarii *nuncupantur. De quo nos pluribus in tract. de* **Gavelkind**, *nondum edito.*

Almarium.] 1551. 58. *pro* Armarium.

Almucia.] 2057. 46. *Amictus, pallium ſc. pelliceum, quo ſacrificus caput humeroſq; tegit. Veſtis ſacerdotum, vulgò*, Amuſia *al.* amicia, *majoribus noſtris*, **an Amytte**. *De quo videſis Kilian. Etymolog. in voce* **Almutse**.

Altaragium.] 1883. 66, 67. *Emolumentum ſacerdoti proveniens ratione altaris, ex oblationibus ſc. Vide Jo. de Athona in Conſtitut. legatin. Otho. ca.* Auditu. *in voce* Proventus.

Amabrevitas.] 2474. 62. *Fortaſſe, pro* amabilitas, *vel* amicabilitas.

Amarellus maris.] 2678. 52. Amerayle. 2676. *ult. Thalaſſiarcha: præfectus maris. Vide* Admiraldus.

Amaricatus.] 2337. 20. *Acerbatus. Ab* amaricare, *quibuſdam* amarizare, *quod, amarum reddere, ſonat.*

Ambra.] 767. 35. 37. 841. 36. *Vas, ſeu menſuræ genus Anglo-Saxonicum, Latinè* amphora *dictum: cujus autem quantitatis, vide apud Lambard. & Spelm. in voce. In eundem ſenſum* Anfora, *infra*, 1804. *penult.*

Amerciamentum.] 1731. 22. *Mulcta.* Amerciatus. 1411. 53, 55. *Mulctatus. Quod ad originem attinet, vide* Miſericordia.

Amortizari.] 2090. 40. *Eſt prædium transferre in manum mortuam. Vide* Manus mortua, *& Spelman. in* Amortizatio.

Analogium.] 1885. 23. *Pluteus*, lectrum, lectrinum, legium. *Durand. li. 1. ca. 1. de eccleſia & ejus partib. (Walafridum ſtrabonem ſequutus:) Analogium* dicitur, quia in eo verbum Dei legitur, & annuntiatur. *Cætera, Spelmannus.*

Anbaſſiator.] 2607. 53. *Aliis*, Ambaſſiator. *Legatus. Vulgò*, **Ambassadour**; *item*, **Embassadour**. *Quod, quemadmodum* Ambactus, *ab eodem fortaſſe fonte ac Saxon.* embehꞇ, *i. miniſterium: unde eorum* embehꞇian, *pro miniſtrare: item* embehꞇmon, *pro miniſtro. De quo plures pluribus.*

Anchorare.] 2498. 11. Anchoriare. 2456. 30. *Anchoram figere.*

Anfeldtyhde.] 856. 14. Et ſi *anfeltyhde* ſit, *&c. Corrige juxta Sax.* Et ſi anfeald tihle (*rectiùs*, tyhtla) ſit, *&c. i.e.* ſi ſimplex accuſatio fuerit. *Accuſationum enim erant apud Saxones duo genera: ſimplex ſcil. & triplex. Simplicem vocarunt, cùm reus adjunctis ſibi duobus aliis interponeret juramentum: triplicem, quoties cum aliis quinque juraret unà; niſi presbyter foret, qui ſimplicem unâ, triplicem autem binâ (ut vocant) manu abſolvebat. Vide Lambard. in voce* Purgatio, *& Spelm. in* Lada.

Anfora.] 1804. *penult. Vide* Ambra.

Angaria.] *Sæpe. Coactio, exactio; gravamen; Idem fortè quod Saxonibus* onꞅꞇinȝ, *de quo ſemel iterumque in Decretal. Epiſt. Agatho. apud Spelm. Concil. pag.* 164. 165. *Hinc*, angariatus. 887. 39. *pro, gravatus, vexatus, territus: & ab eod. fortè fonte noſtratium* **anger**, *&* **angry**.

Angenſria.] 196. 46. *mendoſè pro* Agenfriga, *quod vide.*

Angildum.] 763. 27. 822. 58. 823. 16, 17. *Simplex, ſive hominis, ſive rei alicujus valor vel precium: compenſatio, pro ſimplice rei vel hominis æſtimatione: à Sax.* an, *una; &* ȝilꝺ, *ſolutio, pretium, De quo pleniùs Spelman. & Voſſ. in voce.*

Annale.] 1894. 24. 1898. 7. Annuale. 1914. 40. *Idem quod* 1896. 21. Anniverſarium: *dies ſc. annua, quâ defuncti alicujus memoria celebratur. Patribus noſtris, aliàs*, **a yeares-day**; *aliàs*, **a yeares-mind**.

Annuitas.] 2293. 48. *Annualis redditus vel penſio, alicui vel in perpetuum, vel ad tempus præſtitutum conceſſa. Vulgò*, **an Annuity**.

Annus & Vaſtum.] 1928. 18. 50. *aliàs*, Annus dies & vaſtum: *quod (Cowello interprete) pars eſt Prærogativæ regiæ, quâ terrarum & tenementorum ad eos, qui* feloniæ, *aut* proditionis minoris *condemnantur, ſpectantium, fructus, contra dominum feudi ad annum & diem rex vendicat; & præterea, vaſtationem tam terrarum quàm tenementorum hujuſmodi; niſi Dominus feudi eadem competenti pretio redemerit. V. Flet. li. 1. c. 28.*

Anologium.] 1885. 23. *mendoſè pro* Analogium, *quod vide.*

Anſul.] 2391. 36. *Idem fortè ponderis genus quod noſtratibus* **Awncell-weight** *dictum. De quo Cowellus, in voce.*

Antejuramentum.] 924. 62. 64. *Sic vertùnt priſci interpretes Anglo-Saxonum* ꝼoꞃað, *quod olim (inſtar juramenti de calumniâ) non ab accuſato ſolùm, ſed & accuſatore quandoque exactum. LL. Hen. 1. ca. 66.* ſiquis [a] furtum, vel hujuſmodi, periculoſâ capitalium compellatione pulſetur, ſecundum legem Weſſex, *antejuramentum* à compellante [b] habeat; & alter, ſe ſexto decimæ ſuæ, purgetur, ſicut accuſator præceſſerit, *&c. Vide etiam ca. 64. in princip. cum additione marginali, & ca. 92. Accuſatore verò in hujuſmodi antejuramento deficiente, accuſatus liber evaſit; juxta illud inter LL. Philippi Comitis Neoportuenſis, anno Dom. 1164.* [c] *editas:* Si fur vocatus accuſatus fuerit, ferro candenti ſe excuſabit: ſi culpabilis permanſerit, ſuſpendetur. Et ſi accuſans in *antejuramento* defecerit, accuſatus liber erit. *Tanto autem rigore uſi ſunt majores noſtri in hoc ab accuſato exigendo, ut vel ad* Ordaleum, *niſi eo prius præſtito, non eſſet admittendus. Unde illud in LL. Æthelſtani regis, apud Lambard. ca. 23.*
⁊ ꞅƿiꞃiȝe ðone aþ. ꝥ he ꞅẏ miꝺ ꝼolcꞃihꞇe unꞅcẏlꝺiȝ ðæꞃe ꞇẏhꞇlan. æꞃ ðe he ꞇo ðæm oꞃꝺale

[a] lege, *furti.*

[b] *for. habeatur.*

[c] *Greg. Tholoſ. Synt. ju. univerſ. li. 48. cap. 15. nu. 6.*

oꞃꝺale ᵹâ. *Et paulo poſtea:* ⁊ oꝼᵹa ẏlc man hiꞅ [a] ꞇẏhꞇan miꝺ ꝼoꞃe aþ. ꞅƿa ƿe æꞃ cƿæꝺon. *Poſteriora ſic Latinè facio:* Et quilibet illatam accuſationem exuat (*vel,* excutiat) præ-juramento: *ut nempe de accuſato, non accuſatore, (quomodo Lambardo viſum) dicta.* Forath *etiam occurrit in LL. Foreſta, cap.12.*[b] *ubi juramentum alterius vice præſtitum (cui illud ſimile,* in animam Domini, *Canoniſtis dictum) ſignificare videtur. Veruntamen, ſi lex illa deprompta ſit è LL. Canuti, par.2. cap.20. ut mihi quidem viſum, quomodo etiam lex proxima ex ejuſdem Canuti LL. cap.32. (quod notandum pro mendoſâ loci exhibitione corrigendâ)* Forath *hic, uti & illic, pro* ante-juramento *malim accipi: & eo conceſſo, pro* juramentum, *extremâ lege, reponendum reor* ante-juramentum, *vel* præ-juramentum.

Antiphonarium.] 436. 16. *Antiphonarum codex, ſive liber continens antiphonas.*

Antiqui Saxones.] 130. 43. *Horum, ut & provincia* antiqua Saxonia *dictæ, ſæpius meminit venerabilis Beda, Hiſtor. Eccleſ. præſertim verò lib.5. cap.11.* Duo quidem presbyteri (*inquit*) de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æternâ patriâ exulaverunt, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, ſi fortè aliquos ibidem prædicando, Chriſto acquirere poſſent, *&c. Sed &* antiquæ Saxoniæ *mentionem fecit S. Bonifacius, Epiſt. 19. ubi Serarius:* Sic vocatur (*inquit*) Germaniæ illa pars unde orta recentior in Anglia Saxonia. Nam ſub Domini annum 409. cum ad opem contra hoſtes ferendum Saxones evocaſſent, iis etiam apud ſe habitandi locum dedere: quem & vi paulatim retinuerunt atq; amplificarunt illi. Hinc novi Saxones, vel Anglo-Saxones in Anglia, Saxones verò ſimpliciter, aut verò Altſaxones ut ep. 121. ſeu antiqui Saxones in Germania ſunt. Beda l.1. c.10,11,15. hiſt. & lib.5. c.10,11, & 12,&c.

Antithetarius.] 916.7. *Sic ſe habet lemma cap. legum regis* Canuti 47. *quod* de antithetario *inſcribitur. Lex autem ipſa, voce caret, nec occurrit mihi alibi: quid igitur ſignificet, nemine, quod ſciam, allucente, ſcitu difficile eſt. Legis autem ſenſu penitiùs inſpecto, eum qui illatam accuſationem, recriminatione, i.e. contrariâ intentatâ actione, ſategerit repellere, intelligendum ſentio; quod & ipſa vocis ratio ſuadet. In rem quoque facit, quod in eâdem lege, à rege Hen.1. renovatâ, cap. 34. Saxonicum* ƿiþeꞃꞇihꞇlan (*i. recriminatio, vel ex adverſo illata accuſatio*) contrapoſitionibus *latinè redditur.* Contracauſator *etiam occurrit in iiſdem LL. ca.61. hocce ſenſu.*

Apendicium.] 1576.4. *Vide* Appendentiæ.

Aporiatus.] 700. 9. *Depauperatus, pauper factus: ex Græco fonte.*

Apoſtare.] 931.38. *LL. Edo. Confeſſ. ca.35. tit. de Heretochiis,* qui leges apoſtabit weræ ſuæ reus ſit apud regem, *&c. Idem propemodum totidem verbis in LL. Hen.1. ca.12. ſed illic habetur* apoſtatabit. *Senſum legis pleniorem habes poſtea, ca.34. ubi ea ipſa lex innovata:* qui prævaricator vel everſor conſcriptæ legis extiterit, weræ ſuæ culpa ſit prima vice, *&c.* Apoſtare *itaque hic pro* apoſtatare, *& à lege deficere, ipſam violando.*

Apoſtolicus.] 77.9. 224.9. 460.57. 486.8. *Papam, vel epiſcopum Romanum intellige, cui hoc nomen, olim omnibus epiſcopis commune, poſteriori ævo proprium & peculiare: de quo pluribus illuſtriſſ. Seldenus in Eadmer. notis, pag. 164. item doctiſſ. Spelm. in voce. Hinc autem Curia Romana, hic,* 2194.27. Apoſtolica *dicta.*

Apothecarius.] 2726.36. *Pharmacopola. Gallicis* Apothecaire. *Anglis* **an Apothecary**: *ab apothecâ.*

Appares.] 659.14,29. *Socii, collegæ, conſortes, comites, ejuſdem poteſtatis vel dignitatis participes: à paritate dicti, quaſi* ad-pares. *Titulus erat iis attributus, quibus Richardus rex ejus nominis primus, ſe abſente, & apud terram ſanctam agente, vices ſuas in adminiſtratione regni commiſerat; quos Roger. Hoveden.* ſocios *vocat, ubi, ut & apud Mat. Pariſ. ad ann. 1191. eorum extant nomina, titulo tamen (apud poſteriorem)* pattum *addito, pro* parium, *vel, uti hic,* apparium.

Appellare.] 937.35,37. Appellatio: *ead. col. li. 46.* Appellum, *ibid. l.44. Voces ſunt juris noſtri forenſis, quarum prior* (appellare *ſcilicet*) appellum, *vel* appellationem *proſequi ſonat.* Appellum *autem, ſive* appellatio, *eſt accuſatio illa, ſive illud proſequendi genus, quo quis, ſolenni verborum formulâ, ſuo nomine, non autem regio, alium eò poſtulat, ut reum comprobet* feloniæ. *Voces hoc ſenſu leguleiis noſtris ſatis familiares, de quibus videatur doctiſſ. eques, & author Term. jur. in voce* **Appeale.**

Appendentiæ.] 139.44. Appendiciæ. 9.57. Appenticiæ. 290.63. *His adde LL. Edo. Conf. cap. 17. epigraphen, quæ ſic ſe habet:* De regis officio, & appendiciis coronæ regni Britanniæ. *Quibus in locis & ſimilibus,* appendices *intellige. Quod autem hic* appenticiæ, *nos vulgò dicimus* **pent-houſes**, *&* **penticeſ**, *q. appenſa domui tecta, vel tecti appendices; puta minora ædificia à majori dependentia.*

Apprenticius.] 2633.63. 2636.24. *Tyro, diſcipulus: is nempe qui ediſcendi alicujus artificii gratiâ, ex pacto ſervit ad tempus conſtitutum. Vulgò,* **an apprentice**: *à Gallico* apprendre, *i. diſcere. Unde noſtrum* **apprenticeſhip**, *Gall.* apprentiſage, *pro tyrocinio: ſed &* apprentiſage d'advocas plaidans, *pro tyrocinio juriſconſultorum. Apud nos (inquit) Spelmann.) utique dicuntur alii* apprenticii ad legem; *alii olim* apprenticii ad barras. *De his dictum hic, 2636.4.6.21. ubi* juris regni apprenticii *nuncupantur: de quibus idem Spelm. pluribus, in voce.*

Appropiare.] 5.6.53. *Appropinquare, vel propiorem fieri.*

Approviamentum.] 2471. 26. *Emolumentum, fructus: vulgò,* proficuum.

Aratrum terræ.] 1768.9. 1770.59, *&c. Idem quod* Carucata terræ, *infrà, quod vide. Aliàs,* Hyde. 2222.62.

Archijuſticiarius.] 516.31. 606.8. *Judex, vel (ut vocant)* Juſticiarius *regni capitalis, vulgò,* **Lord Chiefe Juſtice**: *de quo pluribus doctiſſimus eques in de* Juſtitiariis *diatribâ.*

Arciſterium.] 89.23. *alibi* Archiſterium. *Intellige monaſterium. De quo Voſſ. in voce.*

Arreniatus.] 2547.8. *In reos relatus; in crimen vocatus, & judicio ſe ſiſtere coactus. Vulgò,* **arrained**. *A Gallico,* arranger, *ut opinatur Cowellus, quod eſt (inquit) aſtituere, ordinare. Spelmannus verò aliunde, quem vide in verbo* Adhramire.

Arentari.] 1944.3. 2019.13. *Ad cenſum poni; elocari, à Gallico,* arrenter, *eopſe ſenſu. Hinc* Arentatus, 2021.40. *pro elocatus, ad cenſum vel redditum*

[a] *lege* ꞇẏhꞇlan.

[b] *Apud Spelm. in voce* Foreſta.

ditum poſitus. unde noſtratium **Rent**, *&* **renting out.**

Areſtare.] 1919.19. *Rectiùs* arreſtare. *Vox forenſis, idem ſignificans, quod remorari, vel aliquem ſiſtere uſque dum legi reſpondeat.* Arreſtum, ſiſtendi *actus. Alia ſunt vocis ſignificationes à Spelm. exhibita, quem adi.*

Armigaiſium.] 1762.57. *Scribendum fortè* Armilauſum, *vel potiùs* armilauſa, *thoracis genus : vel, ut Iſidoro expoſitum,* ſcapulare monachorum. *Vox eſt compoſita, cujus pars prior* armus, *quòd* armos. *i. ſcapulas tegeret : poſterior autem obſcurior, niſi, ut eidem Iſidoro viſum,* clauſa *fuerit, quòd armos clauderet. Reynero,* Dalmatica. *Infra,* 2124.29. *habetur* Armiliaſium.

Armorum exercitio.] 825.61. Si quis Folcmot, id eſt, populi placitum, armorum exercitione turbabit, *&c. Spelmannus*[a], armorum exercitatione: *meliùs autem Lambard.* armorum extractione, *juxta Saxonica,* mıd pæpneꞃ bꞃẏde : *de eo dictum qui gladium diſtrinxerit, vel* (*unde* exercitio *hîc effictum*) *exeruerit.*

[a] Gloſſ. in verbo Aldermannus.

Arnaldia.] 1201.64. uterque regum Franciæ & Angliæ in infirmitatem, quæ dicitur Arnaldia, inciderunt, in quâ ferè uſque ad mortem laborantes capillos ſuos depoſuerunt. *Id ipſum totidem verbis Hoveden. Qualis autem iſte morbus, nemine, quod ſciam, praeunte, divinare non poſſum, niſi fortè fuerit alopecia: ſed magis eſt probabile quòd vox ſit loci vel regionis propria. Medici viderint.*

Arraiatus.] 2182.39. *Inſtructus, ornatus. vulgò* **arayed**, *à Gall.* arrayer.

Arrayamentum.] 2575.26. 2577.59. *Ordo, ornatus, inſtructio: Gall.* arréement. *Unde noſtrum* **rayment**, *pro veſtitu.*

Arreragium.] 1926.39. *Quod à computante debetur, ratiocinio ſubducto: Reſiduum, reliquum. Vox forenſis apud Anglos, etiam & Gallos, à vernaculâ ſuâ* arriere. *i. retro.*

Artificiarius.] 2600.61. *Artifex. Vulgò,* **an artificer.**

Aſcenſorium.] 290. *penult. Vocem uſurpat Pet. Bleſen. Serm.* 24. Brevis eſt (*inquit*) ſcala, non laborioſa, tribus tantùm diſtincta aſcenſoriis. Etiam quodlibet aſcenſorium trium eſt palmarum. *It. epiſt.* 102. Habes præ oculis, pater ſanctiſſime, caritatis aſcenſorios gradus, ſcalam Jacob, *&c. Similiter Bernard. tract. de grad. humil. vocat* gradus aſcenſorios. Aſcenſorium *igitur eſt ſcala, ſcamnum, aut ſimile quid, gradibus conſtans, quo aſcenditur.*

Aſſailiare.] 826.33, 38, 49, 52. *aggredi, adoriri, aſſultare, ſonat : quomodo Gallis* aſſaillir. *paſſiv.* Aſſailiari. 861.9. *hinc noſtrum* **aſſaile**, *&* **aſſault**, *eopſe ſenſu.*

Aſſaltus.] 2016.60. *A Gallico* Aſſault, *pro* Aſſultus.

Aſſartari.] 1829.52. Aſſartatus. 1829.47, 55. Aſſartum. 1829.46. *Aliter* Eſſartum *&c. ut LL. Hen.* 1. *ca.* 17. *Vox foreſtarior. & ſaltuariorum : exteris quibuſdam* disboſcatio. Eſſartare *verò, à Gall.* Eſſarter *veniens, idem ſonat ac ſylvas ſuccidere, dumetis purgare, loca rigida & inculta in culturam redigere. Plura vide apud doctiſſ. equit. & Cowell. Conſulendus etiam eques Cocus, Inſtitut. par.* 4. *pag.* 306. *Vocem à Latino* Exertum *ducit Spelmannus; ego potius ab* Exaro, *unde* Exaratum; *aut ſaltem à* ſarrire, *unde* ſarritura, *& per contractionem* ſartura, *quæ melioris & antiquæ latinitatis verba ſunt.*

Aſſaſini.] 1243.46. *& alibi. Vocabulum Turcicum; à quibus res ipſa. Sic autem dicuntur conductitii ad alios interimendos, præcipuè viros principes, quorum mores deſcribit Matt. Pariſ. hiſt. pag.* 83.26. *edit. Watſ. quem vide, & Gloſſar. eid. additum, ut & illud doctiſſ. equitis, in voce.*

Aſſecurare.] 321.39. *Securum reddere : pignore puta, fidejuſſione, aut aliâ cautione adhibitâ : unde noſtratium* **to ſecure**, *item* **to aſſure**, *Belg.* **aſſeburen**. *i. e. cavere pro periculo, vel rei periculum in ſe recipere.* Aſſecurari. 649.32. *paſſivè.*

Aſſeſſio.] 1759.52. *Taxatio, impoſitio.* Aſſeſſus. 1939.34, 56. *taxatus, ad cenſum poſitus. A Gallico* aſſis. *i. e. poſitum, ſtatutum, definitum. Unde noſtratium* **ſeſſe** *&* **ſeſſing**, *aliàs* **aſſeſſe**, *&* **aſſeſſing.** *Doctiſſ. equitem adeas in voce* Aſſiſa.

Aſſiſa.] 1173.40. 1177.40. *Varias inter vocis acceptiones apud Spelmann. & alios,* Statutum, *vel* Decretum, *ſignificat; nec aliter hic: quòd unà aſſidentibus regni primoribus conderetur. Ita ſtatutum illud de panis & potus pondere & menſurâ,* aſſiſa panis & cervifiæ *vulgò dictum, de quâ hic,* 2016.23. 2017.40.

Aſſiſa.] 2519.12. *Curia per omnem Angliæ comitatum, bis in anno, h. e. in vacatione quam ita vocant quadrageſimali, & æſtivali, celebrata : iter ergo facientibus Juſtitiariis quos* Aſſiſarum *vocant, & confluente undique inſigni nobilium & plebis frequentiâ : curiâ ſic dictâ, ab* aſſiſatum. *i. e. ſtatutorum regni executione, juſtitiaque ad earum normam adminiſtratione judicibus illis à principe demandatâ.*

Aſſiſa magna.] 1864.37. *Aliàs* grandis aſſiſa : *quod (Spelm. interprete) ſolennior eſt illa* Jurata *quæ in* Brevi de recto (*quod omnium ſolennius eſt, utpote quo de merâ proprietate agitur*) *è militibus (equeſtris ordinis viros intellige) omnino conſtat, &c. Eum adi, & Cowellum in Indice expoſitorio Inſtitut. addito. verbo* Grandis aſſiſa.

Aſſnaſari.] 825.39, 41. *Sic enim ſcribendum, non* aſſuaſari. *Vocabulum effictum à Sax.* onꞅnæꞅeþ, *&* aꞅnæꞅe, *in LL. Alfredi reg. apud Lambard. ca.* 32. *ubi in haſtam ſic impingere ſonat, ut occidatur impingens. Sic enim eadem lex denuo recenſita, & Latinè verſa in LL. Hen.* 1. *cap.* 84. Si quis lanceam ferat ſuper humerum, & inde quis occidatur, *&c.* Aꞅnidan *autem oritur, quod incidere, & mactare ſonat.*

Ath.] 894.9. *Vide LL. Canuti reg. col.* 925. *ca.* 51. *Sax.* 27. *lin.* 4. *ubi hæcce lex innovata; quod autem hic* Ath, *ibi eſt* juramentum; *& rectè: Saxonicâ voce* aþ, *unde noſtrum* **oath**, *juramentum denotante. Talis igitur eſt loci ſenſus :* Quod in purgatione jurejurando abſolvendâ non defecerit, vel ceciderit. *Porro* Ath, *unum erat inter explorationum genera Saxonica, de quo vide doctiſſ. equit. Gloſſar. in voce, & Concil. pag.* 336.

Atheling.] *Vide* Adelyng.

Attachiamentum.] 957.30. *Eſt alicujus à lictoribus aut aliis miniſtris apprehenſio & retentio, ut juſtitiæ reſpondeat, & judicio ſe ſiſtat. Vocabulum forenſe, à Gallico* attacher, *veteribus* admallare. *Hinc autem noſtrat.* **to attach**, *&* **attachment**, *illo ſenſu. Plura apud Spelmann. & alios.*

Attachiatus per temporalia.] 2620.27. *De epiſcopo dictum, homicidii & ſimilium in foro ſeculari convicto; quem tamen illius ævi leges, in favorem ordinis,*

ordinis, manu laicali noluerunt apprehendi; bona verò ipſius quæ vocantur temporalia, prædia ſc. & ſimilia, ad eum & ſedem ejus, Baroniæ *nomine, pertinentia.*

Attornatus.] 1928.37. 1933. *ult. Qui aliena negotia, ad mandatum Domini adminiſtrat. Vel is, qui* ad turnum. *i. ad vicem alterius conſtitutus, domini ſui cauſas in foro promovet, ejuſque nomine reſpondet.* Procurator, Reſponſalis, Nuntius, Miſſus. *De voce pluribus Spelm. & Voſſ.*

Auditor contradictoriarum] 1992.2,33. *Quidam officialis ſive judex in Curiâ Romanâ, cujus erat, ex mandato Papæ, eorum, qui diplomatum, reſcriptorum, aut aliarum id genus literarum expeditioni contradicerent, allegationes audire & expendere: al.* Auditor contradictarum *dictus. De quo in Clementin.* 1. *tit.* 2. *ca.* 3. *& apud Pet. Gregor. Tholoſan. de Reſcript. li.* 1. *ca.* 45. *ubi officium ejus ex Weſtrio ſic exhibet:* Habet Cancellaria alios expeditores pro literis juſtitiæ propoſitos, quorum munus dicitur officium contradictarum: quia ſi inter impetrantes de loco judicii, de perſona judicis, aliave re impetrationem concernente eſſet controverſia, is qui ſe expeditioni opponit, ſolet in hac audientia audiri: & ideo hoc officium habet auditorem, qui contradictiones has audire & definire ſolet.

Avercorne.] 1912.24,29,43. *Frumentum quoddam cenſuale, tenentium ſive vaſſallorum opere, jumentis ſcil. vel plauſtris, ad granarium vel horreum domini deferendum. A Gall.* ouure, *al.* ouurage, *labor, opus, (unde jumenta & alia operaria animalia,* averia *dicta) &* corne, *frumentum.*

Averia.] 1796.57. *Quid, vide* Avercorne, *& Spelm. in voce.*

Aufugare.] *Idem ac* affugare, *quod vide.*

Aviſamentum.] 2076.58, 2077.1. Aviſiamentum 2584.24. *Conſilium, deliberatio, conſideratio. à Gall.* aviſement, *al.* adviſement, *unde quandoque dicitur* adviſamentum. *Hinc autem noſtratium* **Adviſement.** *Vide doctiſſ. equit. in voce* Adviſare.

Aula eccleſiæ.] 1293.8. *Navis eccleſiæ ita eâ ætate dicta: unde illud de ſepultura Radulphi Archiepiſcopi Cantuar. apud Eadmer. extremo opere:* —— defunctus eſt Cantuariæ, in Metropoli ſede, Radulphus Archiepiſcopus $\overline{\text{xiii}}$. kal. Novemb. præſentibus filiis ſuis; glorioſo ſcilicet agmine monachorum ejuſdem loci, & tertio die abhinc, in medio Aulæ majoris Eccleſiæ decenter ſepultus.

Ayſiamentum.] 1950.30. *Beneficium, commoditas. vulgò,* **Eaſement.** *à Gallico* Aiſement. *V. Spelm. in* Aiſiamentum.

B.

BAccile.] 1684.10. *Idem quod*——

Baccinium.] 253.37. 327.35. *Patina, polubrum, malluvium. Ital.* Bacile, bacino: *Gall.* baſſin: *Hiſp.* Bucin: *nobis* **baſin.**

Bacon.] 1724.20. 2571.1. *Porcus ad lardum; adeo ſc. ſaginatus, ut caro ejus lardo apta ſit. vulgò,* **a bacon-hogg.** *à Gall. & Angl.* **bacon,** *i. lardum.*

1

Bailivus.] 522.53. 650.58. *alibi,* Ballivus. *Adminiſtrator, vel negotiis procurandis præfectus; ſive in provinciâ, ſive in urbibus, ſive in caſtellis, villis, dominiis, re familiari, &c. Gallis & nobis vernaculè* **baillif;** *à* bailler, *tradere, committere, quaſi* Commiſſarius: *cujus officium ſive munus; item territorium ſive locus in quo exercetur,* balliva *olim dicta, ut hic, col.* 662.59. *item* Bailie. 1670.6. *al.* Bailia. 1410.31. *hodie vulgò* **bayliwick.** *Vocem, per omnes ejus acceptiones, pulchrè (ut omnia) explicatam habes [illegible] doctiſſ. equit. & D. Watſ. quos vide.*

Ballium.] 1731.56. *Locus cuſtodiæ deputatus, ut in caſtro ille vulgò* **keepe** *dictus.*

Balanx.] 2391.36. *pro* Bilanx: *vulgò,* **Ballance.**

Banarettus.] 2452.41. 2493.25. 2507.60. *Miles vexillifer, ſive vexillarius, & inde ſic dictus: vexillum enim nobis* **a banner.** *De quo pluribus ſummus ille vir Johann. Seldenus. Tit. honor. par. 2. ca. 5. §. 39. eques etiam doctiſſ. Hen. Spelmannus, in voce.*

Bancus.] 911.31. *Scamnum ſive ſedile oblongum pluribus ſimul ſeſſoribus aptatum, ut communiter ad murum domus locatum, & in hoc à cæteris, quibus utimur, ſedibus, ſive ſcamnis, quæ* **formes** *vocamus, planè diverſum, quæ de loco in locum pro arbitrio mobiles. Hoc Gallis* banc, *nobis* **bench,** *quod ab* abacus *corruptum putat Cl. Voſſ. quem vide & Spelm. Saxon.* bænce.

Bancus regis.] 2530.11. 2693.22. Bancus communis. 2694.36. *Tribunalia illa totius regni celeberrima; olim mobilia, tandem verò, ut hodie, fixa, & in aulâ Weſtmonaſterienſi conſtituta. Ad iſtorum prius, cauſæ capitales, criminales, aliæque quæcunque ad coronam ſeu hoſpitium regis pertinentes, diſceptantur: ad poſterius autem, placita communia, h. e. lites civiles ex jure noſtro, quod* commune *vocant, inter ſubditos exorta. Iſtud,* **Common pleas:** *illud* **Kings bench,** *vulgò vocitant. De utroque, multis Cambdenus, Spelmannus, Cowellus, alii.*

Banerium.] 2596.18. *Vexillum: vulgò,* **a Banner.** *Fortaſſe à Sax.* ꝼan, *al.* ꝼana, *illo ſenſu. Germani (inquit Spelmannus) hodieque vexilla* fanen, *& ab eâ ſimilitudine nos etiam ferreas laminas quæ in faſtigiis ædium verſatiles eduntur, ad notitiam venti,* **fanes,** *aliàs* **vanes,** *appellamus.*

Bannire.] 2543.32. *Unde*——

Bannitus.] 633.4. *Profugus, proſcriptus, relegatus, in exilium miſſus: item aquâ & igni, ut loquuntur, interdictus. A* bannire *venit, quod, inter alias ejus ſignificationes apud Spelm. & Voſſ. proſcribere, profligare, in exilium mittere, &c. ſignificat. nobis* **to banniſh:** *unde exulem quempiam,* **banniſhed** *dicimus.*

Bannum.] 205.60. 853.23. 844.23. *Vox ſanè multiplicis ſignificationis, ut apud omnes ferè gloſſographos & feudiſtas videre licet. His autem in locis edictum ſonat, mandatum, vel decretum, anathemate fortè (quod ex priori locorum citatorum veriſimile) munitum. Quo quidem ſenſu, pro mandato ſcil. edicto, ſed & proclamatione, Saxonibus* ȝebann: *unde eorum* ȝebannian, *pro proclamare, edicere, mandare; ut & noſtratium* **bannes,** *pro nuptiarum fœdere publicato.*

Barbacana.] 646.19. 695.20. *Vox, Minſhæi noſtri pace, planè Arabica, caſtellum ſive propugnaculum notans. De quâ plura Watſ. in Gloſſar. Matt. Pariſ. addito: ut de illo apud Cantuarienſes, (propugnaculo ſcil. caſtellum ibidem cingente, & turribus ad minus quatuor, foſſâque profundâ, quondam undique munito) ipſemet in urbis illius Antiquitat. pag. 35.*

Barellus.] 2627.63. 2705.49. *Cadus: vulgò,* **a bar-**

a barrell. *De quantitate Cowellum conſule, in voce.*

Barganniare.] 837. 57, 60, *&c. Emendo & vendendo negotiari: item, paciſci, contrahere, ſtipulari, licitari; ſeu potius, licitando cunctari, vel tricari, &, ut veteres dixere,* bovinari. *A Gallico,* barguigner, *unde noſtratium,* **to bargaine**: *item,* **a bargaine**, *pro pactum vel contractus. Hoc alibi,* barcanniare, *ut apud Voſſ. quem vide.*

Bargia.] 2464. 23, 29. *Navicula, ſcapha oneraria: alias* barga, barca, *&* barcus. *Differunt autem apud nos (ut Spelmanno bene monitum)* barca, *&* bargia, (*Anglicè,* **a barcke, and a barge**:) *hâc enim (minori) in fluviis tantùm utimur: illâ verò (majori) maria trajicimus.*

Baro.] 50.46.62.44. 64.28, 66. 216.25. *&c. Ut quid Romanis notet, tranſeam;* baro, *Germanis vir: particulatim verò ſic dicuntur* viri regis. *h.e. qui regi bello inſervirent mercede: quóſque rex ob res fortiter geſtas, terris ac juriſdictione* (baroniam *vocabant, ut hic col. 261. lin. ult.) auxiſſet; quique ob dignitatem acceptam eſſent regi obſtricti, atque homagium (ut vocant) deberent. Ut duo in* baronibus *concurrant, & honos, quo præcellant alios; & homagium, ſive clientela, quam ob beneficium, deberent regi ſuo. Præter regem, habuerunt & epiſcopi, (ut ex aliquibus locis hic ſignatis pateat) & alii proceres, comites ſc. & id genus optimates, ſuos quique* barones. *Plura tamen non apponam, quia, ut Cl. Voſſii verbis utar, accuratè, diatribâ ſuâ de* Baronibus; *potiſſima de iis quæque complexus eſt doctiſſ. eques Spelmannus: qui vocem derivandam cenſet à Latino* vir, *unde Anglo-Saxonum* ƿeꞃe, *&* ƿaꞃe, *eopſe ſenſu. Qui tamen cæteris Germanis* baro *dictus, Saxonib. erat* þeᵹn, þeᵹen, þein; *Latino-barbarè* theinus, thanus, *& ſimil. de quibus infra, ſuo loco.*

Barones de Sandwyco.] 1880. 10, 15. *Oppidi ſcil. & portus illius municipes, qui cum ſociis ſuis, de quatuor aliis præcipuis Angliæ portubus, ſcil.* **Haſtings, Dover, Hith, & Romney,** *villiſque aliis ad eoſdem pertinentibus, propter antiquam nobilitatem, ſummamque gloriam quam in regni defenſione ex marinis prœliis reportarant; non ſolùm (quod hodie nullis præterea in omni Anglia contigit)* Baronum *appellatione honeſtantur, ſed ampliſſima illuſtriſſimaque privilegia à priſcis regibus adepti ſunt. Ita Spelmann. qui rem pleniùs proſequitur: eum adi.* Baronum de Dovoria, *eopſe ſenſu, mentio.* 2140. 10. 2141. 14.

Barones de Scaccario.] 1917. 53. *& alibi. Fiſcalium cauſarum judices, qui vel hodie* Barones *dicuntur, quòd olim eſſent è* majoribus baronibus *regni. Doctiſſ. eques & de his omnino conſulendus.*

Baronettus.] 2480. 29. 2561. 29. *Minor baro. Eſt enim diminutivum à* Baro, *quomodo* Domicellus *à Dominus. Illuſtriſſ. Selden. & Spelm. adi.*

Baronia.] 1387. 59. ——habent poſſeſſiones ſuas de domino rege ſicut *baroniam, &c. Id eſt,* ſicut Barones regni, *Poſtea,* 1464. 49. *item* 1729. 35. *uti etiam apud Bracton. fol. 427. a. pro dignitate, territorio ſeu patrimonio Baronis. Sic iterum* 2144. 9, 22. *Quin & pro loco non libero vel exempto, ſed ei ex diametro contrario: quippe* Baronia, *&* Francheſia *Forenſibus noſtris pro contrariis; quo ſenſu uſurpata vox in* Ordinatione Mariſci *apud Spelmann. ubi de* Baronia, *pro* de Comitatu, *vel eâ Comitatus parte, intra mariſcum quidem, extra tamen liberi vel exempti cujuſvis loci limites exiſtente. Poſtea,* 2321. 59. 2529. 31. *pro, Nobilibus regni majoribus: vulgò,* **the Baronage.**

Barra.] 2068. 26. *Septum Curiæ, cancelli, auditorium: Gallis* barreau, *nobis* **a barre.** *Hinc juris noſtri candidati, cauſas illic agentes, nobis vulgò* **Barreſters** *dicti: Budæo* Cancellarii, *à cancellis quos* barræ *repræſentant. Hinc etiam* barrea, 2586. 11. *pro obſtaculis ſcil. ad loci ſecuritatem erectis; utpote invaſionem impedientibus.*

Barrera.] 1940. 42. *A Gallico* barriere, *repagulum, obex: unde* barreræ *hic cum* pilis *junctæ; quæ ex palis, trabibus, & repagulis fiſtucâ adactis conſtant: vulgò,* **barres.**

Baſillard.] 2637. 9, 11. *De hoc etiam loquitur Statutum de anno 12 Ric. 2. ca. 6. item Chancerus noſter, cujus interpres* pugionem, *vel* ſicam *vertit.* **Baſelard** *autem (inquit Spelmannus, in voce* Bizachius) *aliis* baſſerdus, *in Catholicon* clinabulum *exponitur. Tu corrige* clunabulum, *quod apud Iſidorum pro pugione: hoc alii ſcribunt* clunaculum, *ex Feſto. De quo vide Turneb. Adverſ. li. 19. ca. 32.*

Baſſinus.] 2196. 17. *V.* Baccinium.

Baſtard.] 179. 23. 195. 61. 472. 43. Baſtardus. 906. 54. *Vocem adhuc retinemus pro prole quavis ex illicito concubitu procreata. Hic tamen, ut alibi ſæpius, Guilielmo primo, Conqueſtori dicto, in cognomentum ceſſit: nec puduit eum eo uti, qui epiſtolam (ut alias plures) ad Alanum Britanniæ minoris comitem, ſic orditur:* Ego Willielmus cognomento Baſtardus. *Nec mirum, cum titulum ſive nomen* Baſtardi *à quibuſdam per ea tempora (quod jam non unus obſervavit) ut honoris notam uſurpatum conſtet. Quod mihi maximo eſt argumento, ut vocis derivationem Kilianam amplectar, ſcil. à* **beſt=aert.** *i. optima indoles ſive natura: illegitimo enim (inquit) & furtivo concubitu procreati, animo plerunque ſunt alacri & elato, ingenio ſagaci, & judicio exacto: hanc, inquam, vocis originationem potiùs probarem, cum in cæteris nulla ſit gloriandi cauſa. Vide tamen, ſi placet, doctiſſ. equitem, & tuo ipſius fruere judicio.*

Baſtile.] 2677. 36, 41, 51, 54, 63, *&c. A Gallico* baſtilde, *al.* baſtile. *i. propugnaculum, arx, caſtellum, munimentum. Vulgò,* **a baſtile, & baſtillion.**

Bata.] 1258. 24. *Menſuræ genus apud Hebræos; de quo Spelmannus, in voce* Batellus.

Batellus.] 1012. 55, 56, 57. Batus. 897. 61. *Hoc, cymba, ſcapha; illud, cymbula, ſcaphula. Utrumque à Sax.* baꞇ, *nobis hodie* **boate.** *i. navicula.*

Bateria.] 2145. 15. *Vox forenſis, percuſſionem, verberationem, ſive fuſtigationem ſignans: à Sax.* beaꞇan. *i. verberare, percutere, fuſtigare, priſcis* batuere; *unde* baꞇꞇe, *fuſtis. Vulgò,* **Battery.**

Batus.] *Vide* Batellus.

Batile.] 2374. 37. ——Quod prædictus Robertus deberet exoculari & excæcari cum *batili* ardenti, *&c. Scribe* batillo.

Bedellus.] 2140. 37. *A Saxon.* bẏꝺel. *i. præco, nuncius, apparitor. LL. Canuti reg. par. 1. ca. 26.* Bẏꞅcopaꞅ ꞅẏnꝺon bẏꝺelaꞅ *&c. i.* Epiſcopi ſunt præcones *&c. Luc.* 12. 58. Exactor, bẏꝺele *dicitur. Plura apud Spelmann.*

à Bel.] 131. 55. *Lege* Abel.

Bellum.] 982. 50. *& alibi. Frequens hoc in LL. Hen. 1: ubi, uti & hic, idem ſignificat quod Græcis,* μονομαχία; *Latinis,* ſingulare certamen; *Feudiſtis autem,* duellum, *cujus (inquit Hotomannus)*

nus[a]) *vera definitio talis erit : Duellum* eſt duorum pluriumve concertatio, eâ lege inſtituta, ut ex ipſius eventu de re ambiguâ dijudicetur. *De quo, cum vix habeam quod addam priùs dictis, ne plagiarius videar, vide doctiſſ. equitis Gloſſar. in voce* Campus, *& cæteros quos laudat authores D. Cowellus, in* Interprete, *verbo* **Battell**, *&* **Combat** : *quibus adde vetus Normanniæ Cuſtumar. cap.*68. *& ult. Cujacium de feudis, li.*1. *tit.*1. §. Si autem controverſia, *&c. Dempſter. de juramento, ca.*18. *& Wormii Monumenta Danica, li.*1. *ca.*10. *Plura infra, in* Duellum.

Bellum vadiare,] 937.55. *Eſt depoſito quopiam pignore certare, ſaltem ad bellum vel certamen ſe aſtringere. Vulgò,* **to wage warre**. *Majores autem noſtri, cum nihil pene facerent non armati, etiam lites armis decernebant. De quo plura in* Duellum.

Bemollis.] 1075. 50. A bemolli incipiunt, *&c. Scribendum,* Ab molli *&c.*

Beneficium.] 450.20. 491.17. *Idem Feudiſtis & Canoniſtis, quod forenſibus noſtris* feodum, *vel* feudum. Allodio *hîc opponitur, & meritò : cum, nomine alieno, & certis ſub legibus* beneficium *poſſideatur* ; allodium *autem ſecus ; nomine nimirum proprio, & abſolutè. De quo nos multis in tractatu nondum edito, de Conſuetudine Cantianâ, vulgò,* **Gavelkind** *dictâ. Videatur etiam,* feodum *infra.* Beneficiari. 1243.53. *pro, beneficio affici, vel beneficium ſuſtinere, promereri. Taliſque planè ſenſus loci.*

Beregafol.] 766. 55. *Locus equidem mirè mendoſus, ſic autem ſecundùm Saxonica reſtituendus:* Man ꞅceal ꞅýmle ꞇo beꞃeᵹaꝼol aᵹýꝼan aꞇ anum ƿýꞃhan ꞅix punꝺ ƿæᵹa, *i.e, Lambardo interprete :* hordei annui ſingulo quoque tempore tribuantor pondo ſex, *&c.* heregafule *igitur hîc, pro* beregafol, *quod tributum hordeaceum ſonat : à* beꞃe, *Sax. hordeum, &* ᵹaꝼol, *tributum, cenſus, de quo nos alibi, in tract. ſcil. de* **Gavelkind** *ſupra memorato.*

Bernet.] *919.18.* Quod eſt incendium : *à Sax.* býꞃnan, *incendium facere, comburere, cremare, vulgò* **to burne**. *Vide LL. Inæ apud Lambard. ca.*43.

Berton.] 1946.38,41,46. 2019.59. *Villa vel prædium frumentarium : cujuſmodi illud vel hodie ſic dictum, prope S. Martinum apud Cantuarienſes, ad monachos Auguſtinenſes olim ſpectans ; cui ſimile illud extra portam illius urbis aquilonarem, ad monachos eccleſiæ Chriſti dudum pertinens : nec aliud illud olim extra portam occidentalem ejuſdem urbis ad Archiepiſcopum loci ſpectans, hodie* **Weſt-gate-Court** *dictum, olim autem* bertona de Weſtgate : *quorum quodlibet Dominis ſuis & eorum familiis veluti in penarium ſive promptuarium. Vox à* beꞃe, *Sax. hordeum; &* ꞇon, *villa, prædium: al.* berewica.

Beverina pellis.] 328.38. *Quod Latinis fiber, Saxonib. erat* beoꝼoꞃ, *nobis* **bever**. *Hinc autem* beverina pellis, *pro, fibrina pellis.*

Bilage.] 1936.39. 2000.55. *item* 2001.24,25, *ubi vocem habes illuſtratam. Hinc noſtratium* **By-lawes**. *i. leges quas villarum incolæ ſibi conſtituerint obſervandas, præter & ultra juris publici, ſive communis præſcriptum, vel tenorem, q.* **By-lawes**, *id eſt, leges obiter, & pro re natâ conditæ, vulgò,* **by the by**, *niſi quis malit à Saxon.* býan, *i. habitare, q. ab alicujus loci habitatoribus de conſenſu ſtatutæ : quorum in eam rem conventus, majoribus noſtris* Erthmiotum *dictus : quomodo in LL. Hen.*1. *ca.*57. *quod vicinorum ſuper terram vel fundum conventum, ut opinor, ſignificat, à Saxon.* eaꞃꝺ, *nobis* **earth**, *terra ; &* ᵹemoꞇe, *contractè,* (ᵹe *per aphæreſin ſublato*) moꞇe, *conventus, conſeſſus. Talis autem conveniendi mos (ad vicinorum ſc. inter ſe diſcrepantium querimonias ſummariè audiendas & ſedandas, arbitrio comparium Curiæ, vel convaſſalorum) viget adhuc, ut audivi, in Curiis quas hodieque* Letas *vocamus. Vide Glanvill: li.*9. *ca.*13,14. *Spelmann. in* Bellagines. *& Cowell. in* Bilawes.

Billa.] 2072.31. *Schedula, ſyngraphum, libellus. Correptum fortè à* libellus. *Unde libellus accuſatorius, vulgò dicimus,* **a bill of complaint**. *Doctiſſ. eques, à Sax.* bille : *hoc autem ſenſu vocem an habuerint Saxones, viderint alii.*

Binna.] 1912.46. *Præſepe : quod Sax.* binne : *unde noſtratibus* **binne**, *Gallis & Belgis* benne, *pro panario.*

Birratus.] 2463. 12. *Ex* birro, *vel* birreto, *de quo proximè.*

Birretum.] 1969. 28. *Lacerna, palliolum : item tegmen capitis, pileus. De quo pluribus Spelmannus.*

Biſantium. Bizantium.] 640.8,9,10. 642.9.655. 27, *&c. Nummus Biſantinus, ſive Conſtantinopolitanus : ſecundùm Watſium, ducatum vel aureum valens. Vide Cotgrav. Dictionar. Gallico-Anglic. verbo,* Beſant.

Biſſa.] 1411. 35. *Cerva major, à Gallico,* biche: *Anglis,* **a hynde**.

Bladum.] 647.30. *Vocabulum à Saxonib. acceptum, ac ſemen, vel ſegetem deſignat ; ſæpe & fructum, etiam arborum ac vitium. Evangel. Saxon. Jo.* 15.2. he ꝺeð ælc ꞇƿıᵹ aƿeᵹ on me þe blæꝺa ne býꞃð, *i.e.* aufert omnem palmitem qui in me *bladum,* i. fructum non fert. *& Pſalm.*36.*v.*2. olera *dicuntur* blæꝺa. *Præcipuè tamen frumentum notat, ac quicquid in areâ teritur : Ita Gallis* bled, *ſeges, frumentum.*

Blanhornum.] 848.27. *Mendoſè, ni fallor, pro* blauhornum, *i. buccina. Locum exhibet doctiſſ. eques in voce* Cenitus, *quem non minùs corruptum quàm obſcurum ait : lumen tamen quale quale, in loci intellectum, accendere conabor infra in voce* Ticinium.

Blaſerius.] 846 65. *Vocabulum effictum à Sax.* blaꞅeꞃe. *In textu, ut vocatur, Roffenſi, poſt Aluredi & Inæ RR. leges, quæ conjunctæ* 121. *capita conficiunt, poſtremi capitis argumentum Saxonicè ſic ſe habet.* Be blæꞅeꞃum ⁊ be moꞃþꞅlıꞇum. *Quinam autem ii hîc* blaſerum *nuncupati, non eſt apertum: ſi fas ſit divinare, iidem fortè qui in LL. Athelſtani reg. apud Lambard. par.*1. *ca.*6. blıꞅᵹeꞃaꞅ *dicti, hoc eſt, eod. Lambardo interprete,* incendiarii. *Pro quâ eſt, quod fax, tæda, Saxon.* blýꞅa, *al.* blýꞅıᵹe : *flammam etiam hodieq; vulgò dicimus* **blaſe**.

Blodwithe.] 957.39 *Rectiùs* blodwite, *formâ Latinâ* blodwita. *i. mulcta effuſi ſanguinis : Latinobarbarè,* foriſfactura ſanguinis. *V. LL. Hen.*1. *ca.*39. *à Sax.* bloꝺ, *ſanguis, &* ƿıꞇe, *mulcta.*

Bocland.] 836.15,18. 923.55. *Terra codicillaris, ſive ex ſcripto poſſeſſa. Unde autem ſic dicta,* vide

[a] Diſput. de Feud. c. 45.

vide apud Lambard. verb. Terra ex ſcripto, *& Spelmann. in voce: ubi, ni fallor, perperam ejuſmodi terram eâ poſſidendi transferendiq; lege coerceri aſſerit doctiſſ. eques, ut nec dari licuerit, nec vendi, ſed hæredibus neceſſariò relinquenda fuerit; idque à LL. Aluredi, cap.36. (corrige, 37.) concludi poſſe: cum (ſalvâ ejus reverentiâ, & aliorum ſecus ſentientium) loci, id eſt, legis citatæ rectè intellectæ, ſcopus atque ſenſus aliud planè velit: tali ſiquidem alienatione eo ſolūmodo caſu ibi prohibitâ, cum hujuſmodi terra à primis donatoribus, tempore donationis, tali reſtringeretur conditione, ne ſc. cognatis inconſultis & invitis alienaretur. Quæ quidem limitatio, quemadmodum exceptionis vim obtinet, quæ (ut loquuntur juriſperiti) firmat regulam in non exceptis: ſic etiam juris civilis edicto prohibitorio aptè comparandam puto, quo quodcunque non prohibetur, permittitur. Fuſiùs autem de hoc in tractatu noſtro de* **Gavelkind**, *cap.4. ubi plura de aliorum etiam generum terræ: inter alia autem de Feudiſtarum* Allodio, *noſtratium* Bocland *(ac ſi eſſet idem alterum) conſono, cujus etymon infra, in verbo* Feodum.

Bonda.] 930.25. *Occurrit iterum in ejuſd. Canuti reg. LL. Saxon. apud Lambard. ca.74. ſed & in LL. Hen.1. cap.14. ubi lex iſta totidem ferè verbis integrè recenſita. Vox autem aliis, paterfamilias; aliis, habitator. De qua plura infra, in* Husbanda.

Bordlode.] 2140.32. 2141.3. *Servitium à quibuſdam uſufructuariis obitum, qui lege prædiorum, aſſeres vel tabulas ſectiles de ſylvâ in domum vel curtem domini deferre tenerentur. à Sax.* boꞃꝺe, *tabula, aſſer; &* loꝺe, *onus, ſarcina.*

Borgha.] 2021.33,34,40. *al.* Burgha. 2033.57. *Ea comitatus ſive provinciæ portio, olim* Decania, Decenna, Decuria, Decima, Friborga, *aliàs dicta: inhabitata ſc. à ſodalitio illo decemvirali, in quo ſinguli fidejuſſores erga regem extitere, de ſe bene gerendo, de quo infra in* Decima, Trithinga, *& alibi. Horum primarius*, borghealdir, borgheſald. *al.* borghſald, burgheſſaldrus, burgheſſalcus, *q. fidejuſſorum ſenior vel princeps, dictus. Vide* 2021.24. 2033.55. 2034.7,10. 2055.37. *& infra in* Geburſcipa, *item equit. doctiſſ. in* Borſholder. *Hinc autem*—

Borgi fractura.] 765.32. *Spelmanno*, burgbrech, *al.* borgbrech, *i.e. (inquit) fidejuſſionis violatio; vel, ut forenſes loquuntur*, plegii fractio. *Saxon.* boꞃhbꞃẏce, *&* boꞃᵹbꞃẏce: *à* boꞃh, *al.* boꞃᵹ, *fidejuſſio, vas*, plegium: *Angl.* **a borrow**, *vel* **surety**: *&* bꞃẏce, *fractio. Angli omnes, ut jam monitum, decemvirali olim fidejuſſione pacem regiam ſtipulati ſunt. Quod autem in hanc commiſſum eſt*, boꞃᵹbꞃech *dicitur: ejuſq; cognitio & vindicta, regiis chartis, plurimis credebantur, pro quorum dignitate, mulcta aliàs levior fuit, aliàs gravior, ut vel iſte locus indicat. Hinc, quid* borhgum *ſit, de quo hîc, 837.7. ſatis eſt apertum, vadimonium ſc. Malè tamen illic à doctiſſ. equite confuſa* burgbrech, *&* borgbrech. *Hoc enim, fidejuſſionis; illud, ſepti, vel cujuſpiam alterius loci, ad ſalutem hominum muniti, effractionem vel violationem ſonat: unde ſeorſim de eis agitur in Aluredi reg. legibus. De hoc nempe, cap.3. de illo, cap.36. cui, me judice, reſpondet noſtratium* burglaria: *hucq; fortè referendum Spelmanni* Burgheriſth, *mendosè ſic ſcriptum pro* Burgbrych.

Boſcus.] 996.36. *A Gallico* bois, *vel Belg.* boſch, *pro ſylvâ.*

Boſtar.] 934.26. *Bubile.*

Botolos.] 308.44. ſed apud Anglos *botolos*, id eſt, ſine emendatione, vocatur. *Sic cum voce habemus ejus qualem qualem ſignificationem, ſc.* ſine emendatione, *id eſt, ſine compenſatione. Mendosè tamen* botolos, *pro* botleas, *ut in LL. Canuti politicis, cap.61. ubi eodem ſenſu occurrit. A Sax.* boꞇ, *venit, Belg.* **boet**, *compenſatio (unde noſtrum* **to boote**. *i. in compenſationem:)* leas *addito, quod, ut nobis hodie* **lesse**, *terminatio eſt privandi poteſtatem habens, ut in* **witlesse, senselesse, carelesse**, *&c. i.e. inſipiens, inſanus, negligens, &c. Plura ſuprà, in* Agilde, *infra, in* Emenda, Inſolutus, Orgilde, Ungelde.

Bovata terræ.] 37.54. 957.46. *Quantum terræ uno bove arari poteſt. Vulgò*, **an Organg**, *vel* **Orgate**, *Skenæi Scoti ſententiâ 13. continens acras, ſive jugera. De quo vide plura apud doctiſſ. equitem.*

Bovecta.] 2097.7,8. *Bucula, juvenca. Vulgò*, **a Heyfer.** *à Sax.* heahꝼoꞃe.

Boverium.] 1937.27. *Locus ubi ſtabulantur boves*; bubile.

Braccea tunica.] 516.41. — coronam auream & *tunicam bracceam* miſit, *&c. Corrigendum fortè* tunicam bracteam, *id eſt*, bracteatam, *aureis ſc. bracteis ornatam: niſi malis, cum Gregor. Turonen. li. 2. cap.38.* blatteam.

Bracheta.] 1206.39. *Canis fœmina fortè, quæ leporem ex odore perſequitur. Vulgò*, **a Brach**, *Gallis* Brachet.

Bracinum.] 1915.65. *Cerviſiæ conficiendæ locus. à Gallico* braſſin, *i. confectio cerviſiæ. Unde* Braſſinum, *de quo Voſſius in* Braſium.

Brannon.] 1183.24. *Mat. Pariſ.* brennium. *i. furfur, Gallis* bran, *nobis hodieq;* **branne**: *forſan à colore fuſco, quod Sax. olim, Gallis hodie*, brun, *nobis* **browne**.

Braſium.] 1777.3. *Hordeum maceratum ex quo cerviſiam conficiunt. Ita potifex*, braſiator *olim dictus. Vide Spelmann.*

Brede.] 925.16. *Vox Saxonica, dolum ſignans, vel fraudem. LL. Edo. ſenio. cap.1.* buꞇan bꞃæꝺe ⁊ beꞅƿice. *i. ſine fraude & circumventione: Bromptono autem interprete*, ſine fraude & ſeditione; *pro* ſeductione. *Is autem Sax.* bꞃeᵹꝺen *in LL. Canuti. par.2.c.22. per* brede *hîc exhibet: nec incongruè, cum apud Sax.* bꞃeᵹꝺen *&* bꞃæꝺe *ſynonyma ſint, quibus etiam aſtutiæ* ᵹebꞃeᵹꝺaꞅ, *aſtus* ᵹebꞃæᵹnẏꞅꞅe.

Brenna.] 1393.63. *Fortean abramis; piſcis genus: vulgò*, **a breame**, *Gallis* bremme, *al.* brame, *Belgis* **braeme**.

Breve.] 1160.45. Miſit rex *brevia* ſua per omnes comitatus *Angliæ, &c. Vox lata quidem ſignificationis: hîc autem edictum regium ſonat, ſic appellatum quòd Imperatoriâ, ut aiunt, brevitate regis voluntatem notam faciat. Sermone patrio*, **a Writ**, *à Sax.* ᵹeƿꞃiꞇ, *h.e. ſcriptum:* ge, *tractu temporis eliſo. De voce conſulend. doctiſſ. equit. Gloſſar. quin & Cowelli* Interpres, *verbo* Brief, *ac Beſold. de naturâ pop. cap. 18. verbo* brevet.

V. Flet. li. 2. cap. 13.

Breve de recto.] 1962.47. *eſt actionis formula quâ quis ſuper cauſâ proprietatis in jus vocatur. De quo pluribus Cowell. in voce* Recto.

Breve de Warranto.] 1962.47. *Idem, ut opinor, quod aliàs*, quo warranto *dictum: quo quis regalia uſurpans jura, in jus vocatur, quo jure talia vendicet oſtenſurus: ut idem Cowell. in voce.*

Breve regis de replegiari.] 2057.52. *Eſt Breve regis, quo quem captum & incarceratum, è cuſtodiâ* *liberandum præcipit, dato apud præfectum vade de ſtando juri. Vulgò*, a **Replevy**, *q.* Replegium. *Sunt verò* Replegium, *&* Replegiare, *à* plegius, *vel* plegium. Plegius, *vas ſive fidejuſſor.* Plegium *verò, vadimonium.*

Bridgumum.] 861.49. *Idem quod* bridgunia (*pro* bridguma) *ead. col. li.* 56, 57. *Sponſum intellige, ut poſtremo locorum, interpretatione addita, vox Latinè redditur. Hinc noſtratium* **bridegroome**, *corruptè pro* **bridegume.** *Vox Saxonica, compoſita à* bꞃẏꝺe, *ſponſa, &* ᵹuma, *quod, an à* ᵹẏman *ſit, curare ſonans,* (*Belgis olim* **goomen**, *Græcis* κομέω,) *q. ſponſæ curator: an à Græco,* γαμέω, *i. uxorem duco, unde fortè Sax.* ᵹẏmunᵹ, *nuptiæ: an à Germ.* **gome**, *homo: q. ſponſæ factus homo: an deniq; ab cor.* **goman**, *al.* **gomman**, (*unde fortè noſtratium* **good-man**, *niſi quis malit à Belg.* **godeman**, *per ſyncopen* **goy-man**, *mendicus, quibus etiam* **godewyf**, **goy-wyf** *pro mendica; quales ſunt ii, ſaltem è plebe, quos ita nominamus:) maritus, paterfamilias, conſiderent alii. Advertendum hic, integrum hoc* De Sponſalibus contrahendis *inſtitutum, à doctiſſ. equite inter Concilia Saxonicè exhibitum, non paucis, nec levibus inquinatum erratis: quæ tamen hic annotare, ne nimis ſim prolixus, conſultò ſuperſedebo, præſertim cum alibi à me jam ſint obſervata, tract. ſc. de* **Gavelkynd** *ſæpius memorato, ca.* 3.

Brigbota.] 923.38. 929.24. *Pontis refectio vel reſtauratio. Sax. unde acceptum,* bꞃıcᵹboꞇe, *conflatâ voce à* bꞃıcᵹ, *nobis hodie* **bridge**, *avis noſtris* **brigge**, *pons; &* boꞇe, *reparatio, reſtauratio, emendatio, quod à* beꞇan, *al.* ᵹebeꞇꞇan *i. reſtaurare, emendare, meliorare: unde noſtratium,* **houſboote**, **hedgeboote**, **ploughboote**, *&c.*

Britannia.] 728.57. Erant tunc in *Britannia*, ſic à *Bruto* rege dicta, *&c. Britanniæ nomen vel vocem ita Bromptonus, ita & alii, nec pauci quidem, derivarunt. Sunt tamen qui aliunde petunt: rectè, ut opinor, nemo. Brevitati conſulens, eorum omnium hac de re ſententias vel recenſere, nedum refellere, ſuperſedebo, præter illam Cl. Cambdeni; (à quo priorum omnium vocis notationes ſatis, ni fallor, convulſæ:) quam, cum cæteris ab eo juſtè damnatis, haud genuinam cenſeo. Mihi tamen ab eo hac in re diſſentienti veniam datum iri ſpero; cum nequaquam hoc, aut contradicendi pruritu, aut ullo alio quàm veritatis indagandæ ſtudio, quæ vel amicis omnibus mihi magis amica, facturus ſim. Cum autem (inquit) Britannos ſe glaſto depinxiſſe graviſſimi quiq; authores, Cæſar, Mela, Plinius, &c. docuerint, eos à depictis corporibus ſic dictos fuiſſe conjectat: quicquid enim (ut addit) depictum & coloratum,* brith *patriâ & antiquâ linguâ appellant, &c.* tania (*ut ibidem ipſe, paucis intermediis*) *à Græcis* brith *addito, quos apud, ſaltem in Gloſſariis, regionem ſignificat: unde* Britania, *i.e. Britonum regio, conflata. Sic ille. Num autem olim Britanni ſe pingere, ſaltem depingere ſoliti, quicquid alii ſentiant, bonâ cum eorum veniâ, juſtè dubitandum cenſeo, altiori ſaltem indagine haud indignum. Cæſaris enim, unde hoc collectũ, verba ritè intellecta, rem, ni fallor, non evincunt, morem haud probant.* Omnes verò (*inquit*) ſe Britanni glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit, atq; hoc horribiliore ſunt in pugnâ aſpectu, *&c. Nota,* glaſto inficiunt *inquit, non* pingunt, depingunt, *aut ejuſmodi quid. Simili uſus voce Pomponius Mela*: Britanni (*inquit*) incertum ob decorem, an ob quid aliud, vitro [a] corpora infecti, *&c. cui reſpondet Plinii* oblitæ. *Hiſt. li.* 22. *cap.* 1. Simile (*inquit*) plantagini glaſtum in Gallia vocatur: quo Britannorum conjuges nuruſq; toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes. *Verùm inter* inficere *&* pingere, *item* depingere, *haud mediocris planè differentia: ſiquidem inficere nihil aliud ſonat quàm oblinire, illinere, tingere, intingere, colorare, decolorare, imbuere, inquinare, contaminare: pingere verò, præſertim depingere, eſt lineamentis formare, vel formam alicujus rei ductis lineis repræſentare. Quamvis igitur Britanni ſe glaſto infecerint, haud tamen hinc ſequitur, quod ſe pinxiſſe, nedum depinxiſſe, jure dicantur. Vide Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 258. *c.d. & Boltoni noſtri Elemen. Armor. p.* 26. *Sin autem rectè ſic dicantur,* brith *tamen in lexico Britannico-latino, non pictus, depictus, coloratus, &c. Latinè habetur: ſed diverſicolor, maculoſus, maculis reſperſus, varius, variegatus, &c. quemadmodum ibidem* britho (*verbum*) *non pingo, depingo, coloro, &c. ſed maculis reſpergo, variego; nec (quod notandum etiam) in lexico Latino-britannico, inficere, Britannicè habetur* britho; *ſed* LLiwo, *&c. Imò* guadum, *quod idem ac* glaſtum, *Britannicè vertitur* yLiwioglas. *Britanni inſuper olim* cærulei *dicti: ſi autem cærulei, (à colore ſc. non autem à Cæruleo, nomine oceano indito) tunc non picti, non variegati, aut variis infecti coloribus, ſed uno ſolummodo colore, cæruleo ſc. Atqui fac Britannos olim ſe pinxiſſe, (notis compinxiſſe fateor, quod & aliis gentibus antiquitus ſolenne[b]:) ſic enim ab Herodiano traditum, præter quem picturam ullam, niſi quod ferro fit (unde fortè* Britannorum ſtigmata *Tertulliano memorata[c]) nemo veterum, quod ſciam, commemorat: fac, inquam, ſe Britannos pingere ſolitos, ſed &* brith *ita Britannicè ſignificare: qui aut quales (mi Cambdene!) hii Britanni ſic pro more patrio picti, depicti? ii ſolùm, quod ſciam, qui inſulam hanc,* **Albion** *dictam, Britanniarum niſi unam, licet maximam, incoluere. Cæſar enim, qui primus omnium hunc Britannorum ritum commemorat, & à quo, ut veriſimile eſt, omnes alii id ipſum acceptum referunt, cæteros non inviſit Britannos, eos ſc. qui ſororem inſulam, Hiberniam[d], aut alias hic illic in oceano Britannico longè lateq; ſparſas (quæ omnes uno & eodem nomine* Britannicæ *dictæ) inhabitarunt inſulas, de quorum ſimili corporum pingendorum more nuſpiam legimus. Nec quidem putandum eſt, apud Hibernos hunc morem unquam invaluiſſe: cum ii (ut taceam altum de hoc apud Strabonem, Melam, Solinum, Giraldum, alioſq; rerum morumq; Hibernenſium ſcriptores, ſilentium) non, ceu Britanni, qui pleriq; corporis nudi, ſaltem ad umbilicum[e], (quo pictura corporum innoteſcat[f]) ſed veſtiti, ſed induti, incedere ſint ſoliti, olim, hodieq;. Quod cum ita ſe res habeat, num eſt probabile, univerſam Britannorum gentem, omnes ſc. per quaſcunq; Britanniarum inſulas (quarum multæ præter Albionem) habitatores, à quodam pingendi, aut quovis alio more vel uſu, ſolum (quòd hactenus compertum) inter Albionicos obtinente, denominatum? Minimè, meo quidem judicio; præſertim cum alia vocis originatio, in ſe multo hac ſimplicior, & quæ Albioni, Hiberniæ, ac cæteris omnibus eis adjacentibus inſulis, communi Britanniarum nomine notis, magis quadret, in promptu ſit, ſaltem haud difficile (ni fallor) inveniatur. Quam priuſquam in medium adducam, advertendum eſt, plures eſſe hodie, ut olim, inſulas marinas ſub Britanniarum nomine comprehenſas,*

---

[a] *Sic Camb. & Salmaſ.*

[b] *Cluver. German. antiq. li.* 1. *cap.* 16.

[c] *V. Cambden.*

[d] *Quæ Ptolomæo,* Britannia minor: *aliis,* Britannia parva, *dicta. V. RR. Armachan. pag.* 724.

[e] *Cl. Seld. not. in Polyolb.*

[f] *Herodian.*

prehenſas, (multitudinis enim numero, Britanniæ vocantur, item Britannides, & inſulæ Britannicæ) Albionem ſcil. Hiberniam, Orcades, Acmodas, Hebrides, Monam, Vectim, aliáſque à Plinio & aliis memoratos, nominibus autem propriis inſignitas, & invicem diſtinctas: omnes oceano, qui Britannicus dicitur, circumvallatas, & veluti cingulo [a] *complexas: oceanum etiam hunc eâ præſertim ex parte quâ Angliam & Galliam, quâ etiam Angliam & Hiberniam interluit, mirum in modum ſemper, hyeme præſertim, æſtuare, intumeſcere, fervere, fremere,* (Oceanus barbaris fluctibus fremens. *Paulin. apud Cambden. in Cantio) attolli, & q. finium, h. e. litorum anguſtorum quibus clauditur impatientem, ſupra modum iraſci & concitari. Hinc de freto Gallico Cambden. ex Marcellino loquens:* Horrendis (*inquit*) hoc fretum attollitur æſtibus, rurſúſque in ſpeciem complanatur camporum bis inter duos Lunæ exortus affluens, bíſque remeans. *Hanc rem ſuo cum damno non ſemel expertus eſt Cæſar, licet à Venetis, ex adverſo Britanniæ ad mare poſitis, edoctus, non neſciret, longè aliam eſſe navigationem in concluſo mari atque in vaſtiſſimo ac apertiſſimo oceano. His ſimilia prædicantur de mari Hibernico, quod ſcil. Hiberniam & Angliam interluit, ac ſupra omnem modum ſævire ſolet. Audi enim quid de hoc Solinus Polyhiſtor. ca. 35. vulg. 22. Salmaſ.* Mare (*inquit*) quod Iberniam & Britanniam interluit, undoſum & inquietum, toto in anno, non niſi [æſtivis[b]] pauculis diebus eſt navigabile *&c. Totidem ferè verbis Girald. Cambrenſis, topograph. Hibern. diſtinct. 2. ca. 1.* Hibernicum igitur mare concurrentibus fluctibus undoſiſſimum, ferè ſemper eſt inquietum. Ita ut vix etiam æſtivo tempore paucis diebus, ſe navigantibus tranquillum exhibeat. *Plura ſi quis cupiat, Cambdenum adeat in ſuo peculiari de Oceano iſto tractatulo, Inſulis Britannicis præfixo. Oceanus autem iſte (utpote tam impetuoſus, æſtuoſus, periculoſus) innavigabilis olim fuit exteris habitus. quod (ut taceam Britanniæ tantam apud accolas, Cæſare*[c] *teſte, inſcitiam, hinc, ut veriſimile eſt, quadantenus exortam :) ſatis firmant, tam ex Julio Firmico, quàm ex Ambroſio per Cambdenum allata: quibus addenda, præter Libanii* ἀπέργυλον, *S. Clementis verba, in ſuâ ad Corinthios epiſtolâ, à Cl. Patricio Junio ex bibliothecâ regiâ nuper & publici juris factâ, & Latinè verſâ; ubi de oceano loquitur non navigabili, Britannicum hunc intelligens, ut magno quo pollet judicio, conjectat idem eruditiſſ. editor, quem ſequitur ejuſdem epiſtolæ interpres Anglicus, multis in medium adductis teſtimoniis conjecturam pluſquam probabilem reddentibus, in ſuis ad epiſt. annotatio. pag. 59. De ferventi verò, turbidâ, æſtuoſâ, & inquietâ hujus oceani qualitate hæc dixiſſe ſufficiat. Hinc autem, hinc inquam, (ô Britanni!) & noſtratium, & patriæ noſtræ toto terrarum orbe longè celeberrimæ, nominis (ni fallar) petenda eſt origo: à litoribus nempe ferventibus, & mari vel oceano circumfluo tam mirè ſemper æſtuoſo: quemadmodum vulgò creditur*[d] *Albionem ſic vocari ab albis litoribus.* Britannia (*inquit Iſidorus*) à vocabulo ſuæ gentis[e] cognominata. *Eſto. nec refragatur, ut vidimus, Cambdenus. Quodnam autem vocabulum? num* brith? *malim* brydio, *quod Britannis fervere, fervеſcere, æſtuare, calefacere, calefieri, concalefacere, infervere, infervеſcere, infervefacere, percaleſcere*[f], *ſignificat. Unde haud dubiè eorum* brydaniaeth, *pro Latin. iracundia, fervor, ardor, calor, caldor, excandeſcentia, &c. Et, quod Britonum ac Britannorum nomen, linguâ ut habetur Britannicâ,* Brython, (*Sax.* Bꝛẏꞇon, *plur.* Bꝛẏꞇꞇaꞅ: *quemadmodum etiam eorum* Brydain (*Sax.* Bꝛẏꞇene, *Anglis* **Britaine**) *pro* Britannia, *ut &* Brithoneg *pro linguâ Britannicâ, hinc dimanaverint, cur dubitemus non video. Re quidem ſeriò penſatâ, & penitiùs inſpectâ, ita mihi videtur, hæcque mea demum eſt in quâ acquieſcam ſententiâ; meque in verâ vocis origine inveſtigandâ diu multúmque verſatum, voti jam tandem factum compotem exiſtimo. Britanniæ verò, vel potius plurali Britanniarum nomen, (ut ita addam) omnibus oceani Britannici inſulis commune reor: modernâ Britanniâ interim* **Albion** *dictâ, dum cæteræ huic adjacentes inſulæ ſua etiam ſibi propria habuerint nomina: Hibernia ſcil. Orcades, Acmodæ, Hebrides, &c. Britanniæ nomine inſulæ huic Albionicæ præ reliquis adhærente, quaſi Britanniarum quæ planè maxima ſit, princeps, & celeberrima*[g]. *Cujus illud alterum nomen,* **Albion**, Britannia (*ni fallor*) *aliquanto recentius, non ab albis rupibus, ut quidam volunt, ceu Latinè ortum, quod (ut Buchanano jam monitum) haud eſt veriſimile: ſed quemadmodum Scotorum* Albania, *à voce Celtica* Alpen, Alben, *aut ejuſmodi, pro monte, colle, mole, loco edito, quibus non ſolùm ora maritimâ*[h], *ſed & regionis interiora abundare noſcuntur, dimanaſſe malim. De literæ autem* d. *in* t. *mutatione, vel literæ* n. *geminatione; cum res ſit in omnibus linguis uſitatiſſima, non eſt quod lectorem pluribus moremur.*

Brithbrice.] 822.24. *Mendoſe pro* Borhbryce, *de quo ſupra in* Borgi fractura.

Brokum.] 1886.50,54, *&c. Rivulus, fluviolus, torrens: Saxonib. olim* bꝛoc, *nobis hodie* **brooke**.

Brorhbrece.] 826.8. *Corrige* burhbrece, *de quo ſupra,* Borgi fractura.

Brudatus.] 2008.60. *Acu-pictus, quod* **broydered**, *vel* **imbroydered**, *Anglicè dicimus. Chaucerus autem* **browded**. *à Gall.* brodé. *Hoc, cum* aurifrigiatus *perperam confundit D. Watſius in Gloſſar. Matt. Pariſio addito, quem interim planè fugit,* aurifriſia, *vera vocis ætiologia. Per* aurifrigiatam *enim, veſtem intelligit* acu-pictam aureis filis, & opere phrygionico. *In eandem ſententiam Cl. Voſſius, Gloſſ. in voce; item Joannes de Woweren à Martinio in Lexico philologico citatus.* ex aureis filis *rectè; non tamen, ut ſequitur,* opere Phrygio *vel* Phrygionico. *Quamvis enim veſtes acu-pictas Phrygias & Phrygiones nuncuparint veteres; item Acu-pictilia, ob acu-pingendi artem à Phrygibus inventam: auri tamen intexendi modus ab Attalo Aſiæ rege, non à Phrygibus originem traxiſſe teſtantur Plinius, et eum qui ſequuntur Iſidor. Hiſpal. Polydor. Vergil. aliique: unde veſtes ejuſcemodi* Attalicæ *dictæ, quemadmodũ et iſtæ, potius quàm* Aurifrigiatæ, *dicendæ, modò vox vel nomen inventionem aut inventorem ſaperet. Ut mea fert ſententia, poſterior cõpoſiti pars ejuſdem eſt originis ac noſtratium* **fringe**, *Gallorum* frange, *Italorum*

[a] *Hinc fortè* Britannia, *Inſula Cærulei dicta: V. Cambden. de Britann. nom.* Quam inter undas latentem ſuperior ætas ignoravit. *Sueton. in Jul. Cæſare. Hinc etiam Britanniæ figura in Romanor. numiſmatis reperta; ſcil. muliebris, pallâ ſeu ſupparo induta, nunc rupibus, nunc globo in Oceano inſidens cum ſigno militari, haſtâ, ſcuto; uti ex æreis Antonini pii nummis apud Cambdenum habetur depicta. Hinc denique Britanni, Proſpero Rhetori (ut ibi nuncupatur)* æquorei *dicti. De quo vide Bed. hiſtor. eccleſ. lib. primo, cap.* 10.

[b] *Deeſt Salmaſio.*

[c] *De Bello Gall. li.* 4.

[d] *Priſcus.*

[e] *Quid nobis igitur cum* tania *Græcor. unde poſteriorem vocis partem ortam vult Cambdenus?*

[f] *Huc facit, calorifica hujus oceani ex fluctuum motu qualitas, de quâ Cambd. Sped. alii.*

[g] *V. Caſaub. et Salmaſ. in Flav. Vopiſc. notas.*

[h] *Hinc,* Aditus inſulæ muniti ſunt mirificis molibus. *Cicero.*

frangia, *Hiſpanor.* franza, *Belgar.* **frengie**, *formâ Latinâ* frigia, *eliſo cæterarum linguarum,* n. *vocis fortè emolliendæ gratiâ: quomodo etiam in naufragium, ſaxifragium, colliſtrigium, & ſimilibus. Unde & Italis, miſſo.* n. (*ita eis preſo, pro prenſo; repreſo, pro reprenſo*) *aliàs* fregi *dicitur. Rectè igitur Spelmannus noſter, & ad vocis explicationem ſatis:* Aurifrigia, (*inquit*) *fimbriæ aureæ. Chaucero noſtro, ſed & Cotgravio, in Dictionar. Gallo-Anglico,* **Orfrayes.** *Quandoque ſcribitur* aurifriſium, *quod* aurifrigio *paulo mollioris pronuntiationis. Vide eundem Voſſ. in voce* Phriſum. *Vocabular. vetus Anglo-latin.* **Orfrey of a Weſtiment,** Aurifrigium.

Bruera.] 2203.19,21. *Vox fori noſtri,* (*à Gallico* bruyere. *i. erica.*) *ericetum ſignans. Anglis* **Heath,** *&* **Heath-ground.**

Brullatus.] 1915.16. ——iij. albas *brullatas,* vij. capas *brullatas, &c. Idem fortè ac* brudatus, *quod vide. niſi quis dimanaſſe malit à Gallico* pourfilé. *i. intertextus, Anglicè* **purfled.**

Brunus.] 898.6. *Pannus ſcil. colore fuſcus, ſubniger; Sax. & Gallis* brun; *nobis hodie* **brown.** Burnettus *apud Matt. Pariſ. de quo in Gloſſar. eidem addito, corrigendum fortean* Brunettus: *quod à Gallico* brunette, *pro puro panno nigro. Cotgrav.*

Bucca.] 661.16. Buccia. 1174.3. Bucea. 657.37. Buſcia. 1164.13. *Navis magnitudine notabilis, quandoque* buſſa, *al.* burcia *dicta, ut apud Spelmannum, cui eſt navis grandior ad ſimilitudinem pixidis, panda alvo & obtuſa prora. Quòd panda alvo ſit, nomen, ut ego conjicio, ſumpſit à Belg.* **bucken,** *pandare, curvare, incurvare, quod Saxonibus* buᵹan, *unde eorum* boᵹa, *hodie nobis* **bow,** *arcus: &* boᵹehꞇ, *nobis* **bowed,** *arcuatus, vel flexus in modum arcus: niſi malis à Belg.* **buyck.** *i. e. venter, alvus, uterus; quaſi, ob alvi ſive ventris amplitudinem, aliis navibus longè nobilior notabiliórque. Amplum hodie Anglis* **big.** *Naves autem has grandes fuiſſe conſtat, unde Neubrigenſi* onerariæ *dicta.*

Buccellus.] 854.9. Sic cum *buccellorum* impletione, ſit aliter, ſicut poterimus, &c. *In Textu (ut vocant) Roffenſi Saxonicè ſic:* [a] ꞅƿa miꝺ býꞇe ꞅcýllinᵹe. ꞅƿa elleꞅ. ꞅƿa uꞅ ꞇo anhaᵹie⁊ *Locus utrobique, ni fallor, corruptus, nec, quod videam, facilè reſtituendus. Conati quidem ſumus, ſed fruſtra; peritioribus igitur relinquo.*

Bulla.] 1108.47. 1114.7. 1458.59. 1717.66. 1718.2, &c. *Vulgò,* **a Bull.** *Vox, ut Watſio jam monitum, neque recens, neque rara, ſed his diebus pro diplomate papali, vel literis pontificiis plumbeo ſigno notatis, tantùm ferè uſurpata, quemadmodum hîc, in locor. priore: olim autem* ſigillum *ſignificans, ut in poſteriore. quod enim ibi* bulla aurea noſtro typario (*typum intellige, vel ſignum, cujus exemplar apud Roger. Hoveden. in Hen. 2.*) impreſſa; *infra, ead. col. lin. 43.* Sigillum aureum regis Siciliæ *nuncupatur. Hinc etiam Privilegium S. Auguſtini, de quo hîc, 1764.64.* bullâ plumbeâ *dicitur ſigillatum, ac munitum. De voce plura & pulchra apud doctiſſ. equitem, quem vide.*

Bundæ.] 1916.35,47. *Limites, termini, metæ: vulgò* **bounds,** *al.* **boundaries.** *Vox fortè (ut & noſtratium* **bundle,** *faſciculus) à Sax.* binꝺan, *ligare, vincire; cujus particip. eſt* ᵹebunꝺen, *nobis* **bounden:** *ſiquidem termini agro ſunt in vinculum, ſive ligamen.*

Bungellus.] 2056.47. *Mendoſè pro* Bundellus. *i. faſcis, faſciculus: vulgò,* **a bundle.** *de quo jam dictum in* Bundæ.

Burans.] 1915.54. *Erroneè, for. pro* Birrum, *al.* Birretum, *quod vide.*

Burbreche.] 898.31. *Sax.* buꞃhbꞃýce; *de quo ſupra in* Borgi fractura.

Burdare.] 2631.46. *Nugari, ludere. à Gallico* **bourder,** *illo ſenſu.*

Burgagium.] 2197.22. *Servitus eſt quam qui Burga inhabitant pro domiciliis ſuis præſtant, & plerumque conſtat in denariis; quibus ſolutis, burgenſis ab omni aliâ liberatur ſervitute, atque inde eſt quod hîc dicatur* liberum. *Vulgò dicimus,* **Free-burgage.**

Burgaria.] 2020.54. *Mendoſè fortè pro* Burglaria. *i.* (*inquit eques ille doctiſſ.*) *nocturna diruptio habitaculi alicujus, vel eccleſiæ: etiam murorum portarúmve civitatis aut burgi, ad* feloniam *aliquam perpetrandam. Nocturna* (*inquit*) *dico, recentiores ſequutus; veteres enim hoc non adjungunt. Vulgò,* **Burglary:** *quomodo fortè corrigendum* **Lourgulary,** *de quo idem eques ex Statutis* (*inquit*) *pro plateis Londinen. impreſſis anno* 1573. *art.* 45. **Caſting any corrupt thing appoiſoning the water is lowrgulary and felony.** *Senſus eſt, ut ego capio: Facinus iſtud eâdem omnino ac* burglaria & felonia *pœnâ plectendum eſt, capitaliter ſcil.*

Burgbota.] 929.24. *Idem quod* Burhbota, *infra.*

Burgenſes.] 674.16. 704 18, &c. *Saxonibus* buꞃhƿaꞃu, buꞃhꞅæꞇan, buꞃhleoꝺa: *Germanis, Belgis, Anglis, hodie* **burgers:** *cives ſcil. vel urbium, arcium, oppidorum, burgorum denique habitatores ſive incolæ. A* buꞃh, *al.* buꞃᵹ, *&* býꞃiᵹ, *quod ut Latin.* burgus, *urbem, arcem, & quemcunque locum munitum denotat: à* beoꞃᵹan, *quod munire, defendere, tueri, in tutum recipere, ſalutem dare, ſignificat. Plura petas apud equitem doctiſſ. & Voſſium.*

Burgha. Burgheſſaldrus. Burgheſſaldus.] *Vide* Borgha.

Burgmotum.] 872.14. *al.* burgmotus. *Sax.* buꞃh-ᵹemoꞇe. *i.e. urbis ſive oppidi* (*civium ſcil. vel oppidanorum*) *conventus, congregatio, vel conſeſſus. à* buꞃh, *al.* buꞃᵹ, *de quo in noviſſimis, &* ᵹemoꞇe, *conventus: quod à* ᵹemeꞇan, *obviare, convenire, Belgis* **ghe-maeten,** *nobis hodie* **to meet:** *ut conventus aliàs* **gemeting** *olim, hodie* **meeting,** *dictus. Hoc exteris,* Mallus. *De* burgmoto, *cum reliquis ejuſmodi conventionum olim apud nos generibus, videatur doctiſſ. eques in voce* Gemotum: *unde fortè Cauſidicorum noſtrorum* **Mooting,** *ut & Scotor.* Mote, *pro actione, & cauſa diſceptatione:* placitum *vulgò vocant.*

Burgus.] 833.35. 834.33,34, &c. *Sax.* buꞃh, *ut in Chronologia Sax. unde hæc deprompta. De voce ſupra in* Burgenſes: *pleniùs autem apud Spelmann. & Voſſ.*

Burhbota.] 923.38. *Urbis vel arcis reſtauratio. vox compoſita à Sax.* buꞃh, *&* boꞇe. *De priore ſupra in* Burgenſes. *De poſteriore in* Brigbota. *De utroque Spelm. pleniùs.*

Burhmannus.] 898.4. *De cive Londinenſi dictum, & idem ſignans ac* burgenſis, *civis ſcil. vel oppidanus:* burgi *vir, vel homo, vulgò* **a burger.** *vox à* buꞃh, *&* man *effecta, quorum illud, urbem, oppidum; iſtud, hominem vel virum notat. Talis Saxonibus aliàs* buꞃhƿaꞃe, *plur.* buꞃhƿaꞃu, *al.* buꞃᵹh-

[a] *Fortè:* ſive collatitiâ ſtipe, ſive aliter; ſicut nos decet.

buꞃᵹhƿaꞃu, *quomodo Londinenſes olim à Guliel. primo Conqueſtore dicto, nominati. de quo Spelmann. in voce* Burghware.

Burnetum.] 1904.51. *Vocem habes etiam apud Matt. Pariſ. quam effictam puto à Gallico* brunette, *quod purum pannum nigrum ſignat.*

Buſciæ.] *Vide ſupra* Bucca.

Buſſellus.] 1887.36. 1912.39. *Menſura genus, octo continens galones. Modius. vulgò,* **Buſhell.** *V.* Galo.

Buthſecarlus.] 186.9,25. 193.60. 226.49. 476.17, *&c. Idem fortè qui, tum apud Florent. Wigor. & Roger. Hoveden. ad eundem annum, tum apud Bromptonum, infra, col.* 998.37. marinarius *dictus: nam qui hîc, ultimo & penult. locis,* buthſecarli, *poſtea, col. ut dixi,* 998. 37. *bis vocantur* marinarii. *Vox planè compoſita: cujus pars poſterior,* carlus, *à Sax.* ceoꞃl *venit, h.e. tum mas, homo maſculus, (unde hodie* **karl-cat**, *pro cato maſculo:) tum, ut Belgis* **kaerle**, *vir fortis, robuſtus & ſtrenuus, eóque ſervitio aptus: atque hinc nomen eis qui aliis fuerint à ſervitio vel operibus attributum. E. G. qui domino à re ruſticâ vel agrariâ, colonus ſcil. villanus, glebæ aſcriptitius, Sax.* æceꞃceoꞃl: *qui à re vel opere domeſtico, famulus ſcil. domeſticus,* huꞅceoꞃl; *ut qui hîc à navigio, ſervus nauticus,* bucecaꞃl. **Churle** *adhuc nobis manſit pro viro ruſtico, inurbano & agreſti. Prior autem compoſiti pars tam variè ſcribitur, ut cui referatur origini juſtè ambigendum. Quandoque occurrit* boteſecarlus: *nonne autem huic affine Domeſdei* Batſwein, *de quo apud Spelmannum, quod navis, ſaltem navicula, ſervum ſignat? quandoque, & ſæpius,* Bucecarl, Buccecarlus: *tunc autem ab eodem fonte fluere videatur ac* bucca, bucia, *de quibus ſupra, navem notantibus grandiorem, q. navis ejuſmodi ſervus.*

Butor.] 2010.59. *Ardea ſtellaris; Gallis* butor, *item* bittore; *Belgis* **butoor**; *Anglis* **a bittour.**

C.

CAballus.] 20.58. 164.35. 1343.53. *& alibi. Equus: ut* Reda caballaria, 2372.59. *pro rheda equis tracta. Latinis tamen equus non quivis, ſed vilior, cujus uſus (inquit Voſſius) in piſtrino, agriculturâ, ac vecturis mercium. Sed de verbo hoc, & ejus origine, plura reverendus ille, & doctiſſ. amicus meus, Meric. Caſaub. Iſ. filius, in ſuo, de Linguâ Anglicâ vetere, tractatu, pag.* 291. *Duplicis meminit S. Bonifacius, Epiſt.* 122. *agreſtis ſcil. & domeſtici.*

Cabillinus colennus.] 898.7. ——& in ſancto Natali ——duos *cabillinos colennos* aceto plenos, & totidem, *&c. Locus parùm ſanus. quoddam vaſis genus intelligendum, quale tamen neſcius ipſemet aliis inveſtigandum relinquo.*

Cacepollus.] 898.22. 2153.46. 2154.46. *Satelles, lictor: nobis vulgò hodieque* **a Catchpoll:** *quo quidem nomine, ut videtur, tum in diebus illis, tum hodie, lictores Londinenſes inſigniti. Vox compoſita à Græco* κατέχειν, *occupare, firmiter tenere, aut amplecti: inde nempe, ut me docet doctiſſ. ille Caſaubonus, noſtratium* **to catch**, *pro apprehendere; &* πόλος, *capitis vertex, cranium, calvaria; unde, ut ab eodem didici, noſtratium* **pole**, *&* **polle**, *pro capite. Facit, quod tributum capitulare, vel in capita impoſitum, Juriſtis* capitatio, *unde Gallicum* capitation; *nobis hodie dicitur* **Polle-money:** *Belgis* **hooft-gelt.** *Lictores autem, ut veriſimile eſt, ſic dicti, quod capiendos per caput apprehenderent.*

Cacherellus.] 1936.20. ——& quod pauperes tenentes noſtri defendantur contra *cacherellos* quantum de jure poſſent. *Spelmann. in vocib.* Furca & Foſſa, *ex monumentis eccleſ. Roffen. de ann.* 1200. Et Paulus de Stanes fuit tunc *Cacherellus* de hundredo de Acſtane. Ballivum *intellige, ſic enim hîc infra, lin.* 50. inquirant de injuriis per ballivos vel *cacherellos* vicecomitis, *&c. Vocis origo eadem (ni fallor) ac* Cacepolli.

Calcetum.] 1940.43,45. *alibi* Caſca, Calceata, Calſetum. *Agger, via ſtrata. vulgò,* **a Cauſey.** *Non à calcando dicta, (inquit Spelmann.) ſed à calceando, quòd vel lapidibus vel durâ aliâ materiâ, quaſi calceo munitur contra injuriam plauſtrorum & itinerantium. Qualibet enim via calcata eſt non autem calceata. Sic ille. Potiùs, ut opinor, à calce, Sax.* cealc: *quòd pavimentum ejuſmodi ex calce fit plerunque.*

Caliburne.] 1195.14. *De gladio ſic dicto plura ſcire deſiderans, adeat Florilegum, ad ann. Chriſti* 520.

Calumpnia.] 196.16. 238,1. 312.65. *Vox his in locis vendicationem, ſive juris poſtulationem, ſignat; nobis, noſtris præſertim forenſibus,* **claime**, *& forenſi Latinitate* clamium, *quomodo* clamator *eis pro vendicator, item* clamare, *pro vendicare, cui contrar.* diſclamare.

Camberlanus.] 1191.27. *Anglis hodie* **Chamberlaine.** *i. camerarius, cubicularius, ſive, à cubiculis: à Gallico* chambrier, *al.* Chambellan.

Cambiare.] 840.18. *pro* cambire. *i. permutare, commutare; ut* Cambitio. 843.1,4. *pro permutatio, commutatio: vulgò,* excambium, *al.* eſcambium; *Gallis* Eſchange, *Anglis* **Exchange.** *Hoc Sax.* ᵹehƿẏꞃꝼe; *illud,* hƿẏꞃꝼian, *&* ᵹehƿẏꞃꝼian, *quod transferre, permutare, vulgò* **to chop and change:** *item, fluctuare, volvere, volutare, fluere & refluere, ut aqua ad ripas illas fluvii Thamenſis; inde* **Wharfes** *dictas.*

Cambria.] 2484.27. *Brutus* —— regnum ſuum tribus filiis ſuis diviſit, videlicet *Locrino &c.* Et *Cambro* minori filio partem illam, quæ tunc à nomine ſuo *Cambria*, nunc verò *Wallia* vocatur, *&c. Regionem iſtam quidam hinc, alii verò à* Cimbris, *Gomeri, Japheti filii, ut ferunt, progenie, ita nominatam exiſtimant. Horum poſteriores nomen illud (Cimbrorum) non ſolùm Gallis & Germanis, ſed & Britannis etiam olim aſſerunt commune. Britannos inſuper à ſupervenientibus Saxonibus, & regno & ſedibus avitis tandem orbatos, ac in Walliam effugatos, nomen illò unà ſecum detuliſſe, ubi inter eos, veluti Cimbrorum Britannicorum reliquiæ, adhuc manet inextinctum, ejuſdem regionis indigenis propriâ linguâ,* Cumero, *&* Kumeri, *dictis. Sic illi. Admonendi tamen hii, gentem illam Europæam, Cimbrorum dictam, à Gomero, Japheti filio, haud eſſe prognatam; ſiquidem Gomerus ille cum ſuis, non Europæas, ſed Aſiaticas, ſortitus eſt ſedes; quo autem in loco pluribus oſtendit (magnum Germaniæ decus) Philippus Cluverius,* German. antiquit. *li.* 1. *ca.* 4. *Quinetiam, ſi Cambri iidem ſint qui Cimbri; Cimbrorum autem nomine Britanni intelligendi; mira* *admodum res erit, è Britannorum gente Cambro-Britannos tantùm hoc nomen retinuiſſe, cæteris ſuis in Galliam atque Cornubiam trajicientibus contribulibus nunquam ſic dictis. Vocabulum inſuper, & nomen,* Cimbri, *pro Britannis, modò ſit antiquum, & unà cum ipſâ Britannorum gente (quod utique ab his aſſertum) conditum, mirari ſatis nequeo, cum eodem Cluverio, Romanos, qui 300. circiter per annos inſulam hanc ſub præſidiis atque imperio tenuerunt, nunquam hoc nominis in eâ gente exaudiviſſe; aut ſi exaudiverint, nuſquam in literarum monumentis reliquiſſe: quum interim haud ſemel de Cimbris Germanis, eorumq; in peninſulâ ſede, mentio exſtet: altum autem de Cimbris Britannis ubiq; ſilentium, niſi poſterioribus demum ſeculis, poſtquam Britanni ab Anglo-Saxonibus in eas quas nunc tenent compulſi fuerunt ſedes, Wallicas ſcilicet, Romanis omni Britanniâ jam egreſſis, haud ultra reverſuris, de quo vide ſis eundem Cluverium, ut ſupra, item li. 3. cap. 37. Nonne autem (roget fortè quis) manet Cimbrorum & vox, & nomen, in noſtratium* **Cumberland,** *comitatu ſcil. (ut vocant) ſic dicto, Mariano Scoto, & Florentio Wigornienſi, ad ann.* 945. Cumbrorum terra? *Ita fateor quibuſdam viſum; quorum pace, nihil aliud (ni fallor) ſonat illud nomen niſi* terra impedita: *cujuſmodi, quæ hic curvis, aſperis, & acuminatis montibus, (unde regionis quædam pars* Copeland *dicta: montes autem ejuſcemodi, Cambdeno teſte, Britanni* Kopa *vocant) quà illic torrentibus, ſtagnis & paludibus cœnoſis totius tractus ejus facies, veram quidem labyrinthi ſpeciem & imaginem præ ſe ferens. Verbo autem* **cumber,** (*al.* **to cumber**) *nobis hodieq; impedire, moleſtare, anguſtiis premere, ſignificanti, nomen* **land,** *i. terra, hîc præponitur, eâdem de cauſâ ac* Weſtmore, *in contermini pagi nomine,* **Weſtmoreland** *dicti, de quo pluribus infra; terra nimirum ut exprimat qualitatem. A Cimbris itaque, bonâ cum doctorum veniâ, Cambria nomen haud petendum cenſeo.* ¶ *Num igitur à* Cambro, *de quo ſupra, Bruti filio? Nec inde quidem, ut opinor, cum de numero ſim eorum, Johannis Tuini ſc. & aliorum à Cambdeno & Spedo enumeratorum, qui hiſtoriam illam Brutinam (ut quibuſdam dicta, ipſiq; Giraldo Cambrenſi fabuloſa habita:) ceu poſterioris ævi ſomnium & commentum, ſuſpectam habent. Nec temerè fortean: quiſnam enim (ut alia taceam argumenta) inter antiquos, qui jam extant probatæ fidei, hiſtoricos, præter eundem mendaciorum patrem, (ut Tuino dictum) fabulatorem, (ut Neubrigenſi, Galfridum Monemuthenſem intellige:) ejuſve ſequaces, aut Brutum hujuſmodi, aut Cambrum ejus commemoravit filium? Ne vel unus quidem, quod uſpiam legi, inquit Cambdenus, de quo vide Tuini Commentar. li. 2. pag. 66. Verum ut dicam, uti Wallia, ſic itidem & Cambriæ nomen quodammodo novum eſt: neque per aliquot ſæcula poſt excidium Britannicum in literarum cujuſcunq; generis monumentis opinor occurrit. Gildam adi, Ninium, Aſſerium, (homines autem ipſi omnes natione Britanni) Bedam, Ethelwerdum, Ingulphum, Ordericum Vitalem, Florentium Wigornienſem, Guliel. Malmesburienſem, omnes denique rerum Britannicarum ſcriptores ante Galfridi illius, Bruti aſſertoris, ævum; Cambriam autem ſi quæras, aut Cambrum, oleum prorſus & operam perdes: neutrius enim apud eorum aliquem aut vola, ut aiunt, aut veſtigium: ut nec inter alia illorum temporum monumenta quævis literaria, præterquam Leges Hoeli Dha, circa ann. Dom. 940. latas; ubi vox* (Cambria) *neſcio quâ fide, (cum nuſquam alibi in diebus illis, quod ſciam, reperiatur) haud ſemel occurrit. A Cambro igitur, Bruti filio, nomen tam ſerò uſurpatum, tot ſæculis incognitum, & inauditum, dimanaſſe haud eſt veriſimile. Domi tamen ortum credo, nec aliam quàm gentis propriæ vocem eſſe. In cujus meliorem inveſtigationem, (ut non unâ manu diruam, niſi & alterâ ædificem:) repræſentanda hîc imprimis loci, quò Britanni, modo quo ſupra fuſi fugatiq; migrare ſunt coacti, apud Gildam deſcriptio:* Nonnulli miſerarum reliquiarum in montibus deprehenſi acervatim jugulabantur. Alii fame confecti accedentes manus hoſtibus dabant in ævum ſervituri: ſi tamen non continuò trucidarentur; quod altiſſimæ gratiæ ſtabat loco. Alii tranſmarinas petebant regiones; cum ululatu magno, ceu celeuſmatis vice, hoc modo ſub velorum ſinibus cantantes: *Dediſti* [a] *nos tanquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos.* Alii montanis collibus (minacibus præruptis vallatis) & denſiſſimis ſaltibus, mariniſque rupibus, vitam ſuſpectâ ſemper mente credentes, in patriâ licet trepidi perſtabant. *His addendum duxi Walliæ ſitum adhuc pleniorem ex Neubrigen. li. 2. ca. 5. quem vide in Proœm.* Cum autem (*inquit*) gens Britonum à ſupervenientibus Anglorum populis exterminium pateretur, qui evadere potuerunt, refugerunt in *Wallias* contra irruptionem hoſtium naturæ beneficio tutas, ibiq; hæc natio perſeverat uſque in præſentem diem. Regio quippe illa tractu propenſiori ad proſpectum Hiberniæ ſuper mare Occidentale jacens: alio latere regionibus Anglicis jungitur, & ferè tota vel Oceano vel vivis ſaltibus aliiſque difficultatibus cingitur. Ideoque difficillimos habet acceſſus ſive ingreſſus. Introrſus autem inextricabiles quoſdam noſcitur habere receſſus, ita ut quàm periculoſum eſt potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi, tam impoſſibile ſit eam interiùs cum exercitu pervagari, *&c. Conſulamus jam Cambriæ tum Itinerarium, tum deſcriptionem per Giraldum, Cl. etiam Camdeni ejuſdem regionis in Britanniâ ſuâ topographiam, necnon tabulas Spedi geographicas. His autem & ſimilibus inſpectis, regionem hanc Cambrenſem, quod ad oram ſpectat maritimam, quà ſinibus, æſtuariis, crepidinibus, lingulis, promontoriis, rupibus, &c. quod autem ad tractum attinet terreſtrem, quà montibus, ſilvis, ſaltibus, paludibus, ſtagnis, ſaxetis, dumetis, &c. mirum in modum incurvam, ſinuoſam, inflexam, cameratam, arcuatam, lunatam, ambagioſam, diſtortam, tortuoſam, reſimam, obliquam, camuram, verrucoſam, gibboſam, lacinioſam, hiſpidam, inæquabilem, &c. deprehendemus: longè ſecus ac regiones vicinæ, & magis mediterraneæ, quæ multo ſunt æquabiliores, planiores, & agriculturæ aptiores. Hinc autem, ni fallar, Cambriæ vocis & nominis fons & origo.* Cam *enim &* Cambe, *Britannis, quemadmodum Latinis, ſaltem poſterioribus*, Camus, *&* Cambus, *Gallis etiam* Cambre, *curvum ſonat, incurvum, ſinuoſum, camurum, diſtortum, inflexum, &c.* Cam *etiam, linguâ Hibernicâ* curvum *denotat, uti me docuit ſummus ille vir, ac undequaque doctiſſ.* Jacob. Uſſerius, *reverendiſſ. Armachanus Archiepiſcopus, & univerſæ Hiberniæ primas. Quæ omnia fortaſſe, ceu Latinum* Camelus, Camera, (*Aſſerio Mene-*

[a] *Pſal.* 44. 11. *al.* 43.

venſi Cambra, *tectum ſc. teſte Nonio, in curvitatem formatum) & id genus alia; orta à Græco* κάμπτω, *i. curvo, flecto, deflecto, &c. unde* καμπύλος, *i. inflexus, curvus, aduncus. Utcunq;* **Morcambe**, (*Cambdeno teſte*) *mare ſinuoſum ſignificat: atque hinc* (*ut idem opinatur, vir quidem longè doctiſſimus*) Cambo *in Camboritum, apud Icenos, ut &* Camb *in* Camb-alan, *aliàs* Camel, *apud Danmon. Nec aliunde proculdubio tum auſtralium Saxonum, ad mare ſitum, prope Ria & Winchelſea oppida, tum Vectenſium,* **Camber**; *quorum ſi inſpicias apud Spedum & alios typum, utrumque curvitate ſatis notabile offendes. Hinc præterea ipſi Cambri, Giraldo Cambrenſi teſte, eorum linguam à* Cam, *&* Græco, *hoc eſt, diſtorto Græco, dictam dicunt:* Curvus Græcus ſermo Britannicus. *Ita Galfredus Monemuthen. li.*1. *Hinc etiam Epiſcoporum pedum paſtorale,* Cambuca *olim dictum, nobiliſſ. Spelmanno teſte, in voce: ubi* Camoc, *priſcâ noſtrâ linguâ, curvum & camurum ſignificare perhibet. Quod ſi verum ſit, herba Latinè* remora aratri *dicta,* (*quod ſuo ramorum & radicum implexu aratra ſæpius remoretur*) *hinc fortè* **Camock** *nobis hodieque dicta. Hinc inſuper naſus aquilinus, nobis vulgò,* **a camber noſe**: *naſus recurvus,* **a camoyſe noſe**. *Præterea, hinc ſtare vel incedere brachiis ad latus flexis,* (*quomodo is quem anſatum vocant*) *vulgò dicimus,* **to ſtand or walke with the armes a kembo**. *Hinc denique* (*ne in exemplis recenſendis infinitus videar*) *noſtratium* **kim kam**, *pro re quavis curvâ, diſtortâ, obliquâ, vel inverſâ.* Cambria *itaque* (*ni valde fallor*) *originitus, aut à ſimplici voce,* camber; *aut à compoſitâ,* cam *ſcil. curvus, &* bro, *quod Britannis, ut olim Gallis, patria, regio, tractus, ora, plaga: quaſi tractus, regio, &c. curva, camura, diſtorta, &c. aut* bre, *Britannis mons, collis: ac ſi univerſa regio una quaſi conſtaret monte: ſive* (*quod eòdem recidit*) *à Græco* κύμβος, *i. cavus receſſus; unde cymba navigii genus, conchæ ſimile. Talis autem Cambrenſis ora maritima* (*ut terræ cavos hic illic obvios taceam receſſus perfugium quærentibus, ut olim Britannis*[a], *apprimè utiles*) *ad occaſum facies, lunata ſcilicet. Unde illud Pauli Jovii in Britann. deſcript.* Contrario autem ad occidentem ſolem inſulæ littore, ubi *Wallia* duobus magnis ſinibus excavata peninſulæ ſimilis, rotundam frontem in Oceanum extendit, duo ſunt emporia, Gallicis ac Hiſpanicis negociationibus opportuna: in intimo ſinu terminoque Wallicæ ditionis, urbs *Ceſtria*, præterlabenti Deæ fluvio appoſita. Et *Briſtollium* in adverſo pariter ſinu, quo *Cornwallia* terminatur. *Si tamen rectiùs dicenda ſit* Cumbria *quàm* Cambria, *quod per me licet, tum petendum fortè nomen à veteri noſtratium, de quâ ſupra, voce ſive verbo,* **to cumber**, *i.e. impedire, moleſtare: quòd, inſtar Cumberlandiæ ſupra memoratæ, Cambria regio ſit montibus abruptis, terrarum arduis, ſaxetis, ſilvis, ſaltibus, ſtagnis, paludibus, &c. impedita, inacceſſa, & impervia, ſaltem viantibus quàm moleſta, Weſtmorlandiæ ſimilis, reginnculæ huic contermina inter montes altè pertingentes ſita, eóque ſic dicta. Loca ſiquidem montoſa Angli Septentrionales hodieque, ut Saxones olim* (*quibus terra montana* mopland *dicta*) **Mores** *vocant. Nec talis ſolùm Weſtmorlandicæ regionis, Cumberlandiæ proximæ, conditio, ſed & illius paulo remotioris, multo amplioris,* Caledonia *dictæ, apud Pictos*[b] *olim, Scotos hodie; regio quidem* (*inquit Buchananus*) *inter Britannorum clariſſimas, ſic autem, ut fertur, dicta à montibus, vel collibus duris.* Caled *enim Britannis, Cambdeno interprete, durus, item moleſtus, difficilis, clivius, arduus:* Don *autem* (*unde noſtratium* **downe**) *mons. Terra verò illa, eo teſte, tota horridis & confragoſis montibus attollitur: atq; inde fortè fuerit aliàs* Albania *dicta; nomine* (*Buchanano Scoto teſte*) *ejuſdem proſapiæ ac* Alpium *illo, quos potius ab altitudine quàm à candore ita nominatos arbitratur. Cui ſuffragatur & Paulus Merula, Coſmograph. par.*2. *li.*4. *cap.*5. *& Philipp. Cluverius, German. Antiq. li.*1. *cap.*8. *quorum poſterior Alpium incolas olim Tauriſcos inde appellari probat, à ſitu ſcil. regionis, Alpibus ſuperſtratæ montibus, quos illi ſuâ linguâ appellabant,* Thi Tauren: *quemadmodum alio vocabulo,* Thi Alben, *&* Alpen, *&c. Sic ille, li.*5. *pag.*4. *ubi* alpen, *&* bergen *idem ſignificare notat:* berg *autem Teutonicis mons. Hinc* (*non autem ab Albanacto Bruti filio ſecundo genito, ut quibuſdam viſum*) *Scotia olim hodieq;* Albin, *&* Albaine *dicta, quod nomen adhuc, quaſi jure ſingulari, manet inter alta incolentes, qui vulgò,* **High-land-men**, *aliàs* Albinich. *Nec mirandum interim locum vel regionem aliquam à ſitu, vel figurâ nomen ſortiri: quum nihil ſit hoc ſolennius. E. G. noſtratium* Cornubia, *à cornu dicta, ut & alia loca à Cambdeno memorata, in ejuſce loci nominis ratione explorandâ, quem velim conſulas, & ibi, & in Cantio, quod à ſitu & formâ ejus angulari* (Cant *ita, inquit, ſignificante*) *nomen ſuum ſortitum exiſtimat idem author. Hinc etiam* (*uti me docet Buchananus, homo Scotus*) Skiæ *inſulæ apud Scotos nomen, priſco Scotorum ſermone* (*inquit ille*) Skianacha: *ſic autem dicta à figurâ ejus alatâ, quòd promontoria inter quæ mare ſe infundit, velut alæ ſe obtendunt.* Skia *enim Scotis, ala. Sic ille. Porrò hinc provinciæ nomen apud ipſos Cambros à Giraldo memoratæ,* Deugledhew *dicta: ſic autem appellata* (*inquit ille*) *quòd duobus fluviis, quaſi duobus gladiis, cingatur & terminetur. His adde* (*quod quidem magis hîc appoſitum, maximiq; videatur momenti*) Camerinum *Piceni urbem præclaram, à curvitate ſitus* (*inquit Iſidorus*) *ita appellatam. Sed de his ſatis. Quæ* (*ut & ea de Wallia, infra*) *ſcripſi, non ut loci vel gentis gloriæ aliquid detraherem, ſed tantùm ut veritas in vocum rectâ derivatione eluceſcat, ſalvâ interim per me ſuâ unicuiq; ſententiâ. Enimverò tantum abeſt me moleſtè laturum hæc refelli ab aliis, ut ſi quis certiora doceat, ac de errore me deducat, ei maximam gratiam ſim habiturus.*

Albania.

[a] V. Cambden. Britan. in **Carmardenſhire.**

V. Tacit. in vitâ Agricolæ: item Annal. li. 12. & Gir. Cambren.

Cameraria.] 1807.18 1864.49. *Munus vel officium camerarii. Is autem inter monachos unus, qui cæteris à veſtitu: prædiorum & reddituum in eam rem aſſignatorum curam habens, atque inde monachis in re veſtiariâ miniſtrans: quemadmodum* Cellerarius (*de quo infra*) *in re cibariâ, vel victu.*

Campio.] 1173.31. *Athleta, pugil, monomachus, bellator: ſic dictus à campo ſive circo decertantibus definito. Gallis & Anglis,* **Champion**. *De quo vide* Duellum *infra, & Skennæum Scotum de verbor.*

---

[b] *Sic, ut fertur, à Romanis dictos, à corporibus pingendis: ſi verò hi gueſii & genuini fuerint Britanni,* (*ut quidam exiſtimant:*) *Britanni autem ſic dicti à ſimili picturâ; cur non hi cum contribulibus ſuis, cæteris ſcil. Britannis, Britanni potius dicti, quàm Picti? Hinc* (*ut alia mittam argumenta*) *mihi videtur, aut Pictos non fuiſſi Britannos; aut ſi Britanni, Picti utcunq; à pingendo dicti, Britannos nomen ſuum à pingendo haud adeptos.*

verbor. ſignific. in voce Campiones. *Item Lindenbrog. Gloſſar. Schedium etiam, de Diis German. Syngr. 2. ca. 46. Interim autem, ut à verbo ad rem tranſeam*, tonſuram *ſcil.* Latro autem de furto convictus tondeatur ad ſimilitudinem *Campionis. Hanc tondendi formam exhibet vetus Normanniæ Cuſtumarium, cap. 68. (ubi duelli modus ſatis accuratè deſcriptus) in hæc verba:* Et uterque debet habere ſuper aures capilles rotundè adæquatos: *quæ Gallicè ſic, cap. 67.* Et chaſcun doit avoir les cheveulx rongnez deſſus leis aureilles.

Cancellaria.] 1377.17. 1385.18. 1728. *penult. Munus & officium, dignitaſque Cancellarii, quod, quale fuerit, & quotuplex, vide apud doctiſſ. equitem.*

Canevaſium.] 2011.3. *Cannabium. Gallis* Candvas, *nobis* **Canvas.**

Canfara.] 843.29. Si inculpatio ſit, & ſe purgare velit, eat ad ferrum calidum, & adlegiet manum ad *canfaram*, quod non falſum fecit. *Ubi* canfaram *pro* candens ferrum. *Locus Saxonicus in Latinum perperam redditus:* ᵹıꝼ hıꞇ ðonne ꞇẏhꞇle ꞅẏ, ⁊ he hıne laꝺıan ƿılle, ðonne ᵹa he ꞇo haꞇum ıꞅene ⁊ laꝺıe ða hanꝺ mıꝺ ðæm mon ꞇẏhꞇ ꝥ he ꝥ ꝼacn ƿoꞃhꞇe, *i.e.* Sin autem accuſetur, & ſe purgare velit, adeat ferrum candens, & purget manum illam quacum fraudem illam feciſſe accuſabitur.

Canonia.] 1481.20. 1484.46. *Canonicorum collegium penſiones percipientium, quas* præbendas *pro* præbenda *vocant: unde* Canonia, *Ludovico de la Cerda*, Præbenda.

Canonica.] 1308.12. *Portio vel penſio illa Canonicis data, quam* præbendam *nuncupant, quod vide. Item, Canonici munus. Hinc autem* canonicare, *lin. prox. pro Canonicum, vulgò,* Præbendarium, *facere.*

7 Cantaria.] 1879. 10. 1913. 30. *Ædes ſacra: ideo inſtituta, & dotata prædiis; ut miſſa ibidem cantaretur pro animâ fundatoris, & propinquorum ejus. Ita Spelmann. vulgò,* **a Chantary.**

Cantredus.] 1074.3. *Ruris portio centum continens villas. Vox Cambro-britannica & Hibernica, Saxonicorum* hundredo *reſpondens: in quorum imitationem, pagorum diviſionem ejuſmodi priores excogitaſſe bene conjectat doctiſſ. eques, quem vide.*

Capa.] 531.16. *Tunica: quod enim hic* capa ſalvatoris *appellatur, apud Matt. tum Pariſ. tum Weſtmonaſter. ad eundem annum, ut & apud Brompton. hîc infra, ad ann. 1157. col.* 1047.48. tunica ſalvatoris noſtri, & tunica Chriſti *nuncupatur. Hinc autem noſtratium* **Cope,** *pallium ſacrum, poderis: fortè à cooperiendo. Spelm. adi.*

Capellaria.] 1705.65. *Officium vel munus Capellani.*

Capellus.] 1108.23. *Galea, vel galerus, à capite ſic dictus: niſi* ferreus *hîc ſubintelligendum, de quo in* Mandato ſuper Juratis ad Arma, *poſt Adverſaria Matt. Pariſio addita, & apud Hoveden. fol. 350. a. quod in ſtatuto 13 Ed. 1. cap. 6. interpretatur,* **A breaſt-plate of iron,** *Thorax ferreus.*

Capitale.] 763. 8. 764. 43. *Vide infra,* Captale.

Capitaneus.] 536.31. 605.60. *Vulgò idem qui Anglis noſtris hodie* **Captaine,** *al.* **Chieftaine;** *Gallis* Capitaine. *Eſtq; vel minor, qui tertiam aut aliam ducit agminis partem, ut* Centurio: *vel major, ut qui totum ducat exercitum, cui* Capitanei generalis *nomen: cujuſmodi ſunt Barones regni atq; alii, ſcil. de rege terras & prædia ſua tenentes (ut vocant) in capite, uti horum locorum priori vox explicatur: quæ ortu Gallica, de quâ pleniùs Spelm. Voſſius, alii.*

Capitellum.] 575.32. *Rem geſtam ſic Walſingam. in* Ypodig. Neuſtriæ, *ad eund. annum:* Cum audiſſet (*Hen. 2.*) Richardi filii ſui militiam, urbem Sanctonicam occupaſſe, ſumptis ſecum Pictavenſibus, ad eam liberandam cucurrit, & primum præſidium ſubjugavit, deinde majus præſidium, ſ. *capitellum.* Ad ultimum acceſſit ad majorem eccleſiam, *&c. Præſidia hæc Roger. Hovedenus* Turres *vocat:* Sanctonenſem civitatem (*inquit*) & duas turres in ea, quarum una vocabatur turris **Maior,** (*lege* major) *&c. Quod autem hîc Hovedeno* turris major, *illìc Walſinghamo* præſidium majus ſ. capitellum *dictum, idem fuit (ni fallor) ac Gallis* Dongeon, *arx ſcil. vel munimentum interius, quò, exteriore effracto, obſeſſi ſe recipiant: nobis vulgò,* **a keepe;** *an autem à* caput, *q. munitionis caput, ſive pars præſidii principalis, viderint alii.*

Capitoſè.] 2683.12. *Præcipitanter.*

Cappa.] 61.52. *Monachale capitis tegumentum vulgò* **a Cappe,** *quod à* caput: *unde &* capitium *ſimiliter dixere poſteriores; quin &* capucium, *ut hîc infra, quibus etiam* caputiari, *pro cucullo monachali indui, de quo apud Pet. Bleſen. Serm. 50. ad Monachos. Hinc Fratres inter mendicantes, ut vocantur, illi vulgò,* **Capuchins** *dicti, nomen ſuum mutuati, q.* capitiati, *ſive cucullati.*

Captale.] 764.61. 765.9, 54, 58. *aliter* Capitale, *ut ſupra. Voce utitur Hen. 1. in LL. cap. 29. 59. quæ latè ſumpta, uti Saxonum* ceape, & ceapᵹılꝺ, *rem quampiam venalem, & ejus pretium ſignificat: particulatim verò, & uſitatiùs, bona vel bonorum illam ſpeciem, quæ forenſes noſtri* Catalla, *nos autem vulgò,* **Cattells,** *al.* **Chattells** *dicimus: in animalibus enim (quorum præcipua, pecudes ſcilicet,* **cattell** *vulgò dicta) olim propriè conſiſtebat: quod pecus antiquorum (quibus rarior eſſet auri & pretioſioris ſupellectilis uſus:) maxima divitiæ: unde fortè nominis origo; ab animalium ſcil. vel pecudum capitibus, ut doctiſſ. Spelmanno jam obſervatum. Senſu verò quo* Captale *hîc, occurrit* viva pecunia *in LL. Gul. 1. ubi ad* viva pecunia *in textu, Lambardus notat in margine,* pecudes. *Similiter, quod nomine* vivæ pecuniæ *in LL. Edo. Confeſſ. cap. 10. apud eundem Lambardum in eiſdem LL. à Cl. Seldeno, notis ad Eadmerum exhibitis, cap. 18. Galliçè habetur,* aver champeſten, & aveir champeiſtre: *Latinè verò,* averia campeſtria, & campeſtria animalia, *intellige operaria animalia, jumenta ſcilicet, quæ Saxonibus* nẏꞇenu, *unde nobis manſit* **neate** *pro bove.*

Capucium.] 1227.60. *vide ſupra,* Cappa.

Carcannum.] 926.46. *Carcer, ergaſtulum, à Sax.* caꞃceꞃne, *inquit Spelmannus. Non placet. Vocem* caꞃceꞃne *Saxones uſurpaſſe non diffiteor, uti etiam* cƿeꞃꞇeꞃne, *pro carcere:* ƿeoꞃceꞃne *autem pro ergaſtulo, q. operandi loco. Hoc autem nihil ad* Carcannum, *quod proculdubio ortum à Gallico,* Carcan, *pro catenâ ferreâ, ſive collariâ, Saxonum* healsfangio *ſimile, quâ conſtringuntur colla maleficorum captorum, &, ignominiæ ergô, publicè expoſitorum.* Carcannum *itaque hîc malè pro*

Carcer : *quomodo vertendum Sax.* henȝene , *al.* heneȝen.

Carcoiſum.] 2010.48. *Cadaver. vulgò*, **a Carcaſſe**. *Fleta authori* Carcoſium. *li.2.cap.76. extremo : à Gallico*, Carquaſſe.

Carecta.] 806.41. 1077. 49, 55. Caractata. 1810.7. *Vehiculum, plauſtrum, à Sax.* cræt, *unde noſtrum* **Cart** : *niſi malis à Gallico*, Charette, *diminut. à* Char ; *atque hoc à Latino* Carrum. *Hinc autem* Carectarius. 1097.51. *pro auriga, carrucarius, vulgò*, **a Carter**.

Cariare.] 1940.66. 1941. *pen. Portare, vehere, bajulare, præſertim carro ; unde & vox ; ut &* Cariagium, *pro carri onus , item vectio, vel vectura. Gallis* charier, charrier, & chariage, *ut nobis* **carry, & carriage**, *eodem ſenſu*.

Cariſtia.] 2534.18. bladi *cariſtia, &c. id eſt, frumenti caritas*.

Carruca.] 213.21. *al.* Caruca. 843.43. *Aratrum, à Gall.* Charruë.

Cartum.] 1776.35. *Pro* Carrum, *vel* Carecta, *quod vide*.

Carvannia.] 1245.39. *Hovedeno* Carvana. *Caterva militaris, mercatoribus per terram iter facientibus à conductu, vel tutelâ. Gallis*, Caravane.

Carucarum elemoſyna.] 920.1. *V.* Elemoſyna pro aratris.

Carucata terræ.] 37.51. *Quantum terra uni ſufficit aratro, vel uno aratro commodè per anni ſpatium coli poteſt : unde alibi* Colonia , Colonica, *vulgò*, **a plough-land** : *olim quandoque* hida, *quomodo in libro Angliæ cenſuali ſæpius : quandoque* familia, *ut venerabili Beda dicta ; quòd ad alimoniam unius familiæ deſignata ſit. Ubique tamen non eadem, ejuſdem ſcil. quantitatis, ſed varia, hîc major, illîc minor, prout ſolum levius fuerit aut operoſius. De quo vide Coci Notas in Littleton.*

Caſale.] 1163.53. 1164.5. *Habitaculum ; item villa quandoque munita. A* Caſa *venit, quâ de voce multis Spelmannus, ut & de proximâ.*

Caſamentum.] 451. 39. *Idem quod forenſibus noſtris* tenementum, *aut ſimile quid : habitaculum ſcil. vel prædium quod quis nomine & beneficio poſſidet alieno. V.* Caſſata.

Caſea.] *Vide* Calſetum.

Caſellum.] 667.61,62. *Idem fortè quod* Caſale, *ſupra*.

Caſſata.] 166. 41. *Habitaculum cum terrâ idoneâ ad unam familiam alendam , aliàs* Caſamentum: *Saxonib. noſtris*, hide : *Beda*, familia *: ut planè liquet ex collatis authoribus : quod enim hic, quemadmodum apud Floren. Wigorn. & Rog. Hoveden. ad ann.* 1008. Rex Anglorum Ethelred de treſcentis & decem *caſſatis* unam trierim, *&c. apud Hen. Huntindon. ſic ſe habet :* Fecit rex parari per totam Angliam ex 310. *hidis*, unam navem, & ex octo *hidis* loricam & galeam. *Hida* autem Anglicè vocatur terra unius aratri culturæ ſufficiens per annum. *Priſci quidem hoc uni familiæ alendæ deſignabant ; ideoque Beda* familiam *vocat. De vocis etymo ſupra in* Caſale, *& apud doctiſſ. equitem pluribus. Alibi*, Caſſatus. 1776.33. 1778.38.

Caſtellania.] 537.31,32. 630.15. *Caſtellani, caſtri ſc. præfecti, munus : quandoque, caſtri territorium, & ditio.*

Caſula.] 61.53. 75.11. *aliter* Caſubula, *vel* Planeta, *Minſhæo noſtro* Chaſuble. *Poderis, ſacrum pallium, à* Caſa *dictum. Iſidor. li.*19. *Orig.* 24. *Caſula* eſt veſtis cucullata, dicta per diminutionem à *Caſa* ; quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa. *Quemadmodum autem* Caſula, *à* Caſa, *ſic & Gall.* caſaque, *Belg.* caſacke, *Angl.* **Caſſocke**. *Plura vide apud Voſſ. in* Caſubula, *& Serar. not. in Epiſt.8. Bonifac. p.*298.

Catalla.] 1087.34. 1088.48. *Olim, ut videtur, (ſic enim utriuſq; loci ſenſus planè vult) bona merè mobilia, quomodo* Chatell, *Cotgravio teſte, Normannis : ad immobilia tamen, bona nimirum, quæ vocant, realia cujuſcunque generis, præter* feudum, & liberum tenementum, (**fee, & freehold** *vulgò*) *à noſtris poſterioris ævi forenſibus vox extenditur. Cujus etymon & origo, eadem fortè cum* Captale, *ſupra.*

Catholicus.] 1258.47. *Chriſtianus.* Statuit inter *Catholicum* & Judæum, *&c.*

Cauſea.] 2594.28. *aliàs*, Calcetum, *quod vide.*

Caya.] 1940.3. 1941.42. *Area (inquit Spelmann.) in litore onerandarum atque exonerandarum navium cauſâ, è compactis tabulis trabibuſq; (clavium inſtar) firmata. Saxonicè* cæȝ : *unde Anglis* (ȝ. *in* y. *liqueſcente*) **a key** *dicitur. Sic ille. Vide tamen Scaliger. in Auſon. cui* cajare, *idem quod cohibere*[a]. *li.2.cap.22. molibus autem ejuſmodi aqua cohibetur, & veluti clave & repagulo includitur. Unde* Caya, *aliàs* **Waterlocke** *dicta. Vide* 2217.18. *ubi talis locus* Ceage *vocatur.*

Ceage.] 2217.18, *Vide* Caya.

Ceapgildum.] 853. 38. *Vide ſupra*, Captale. *Vox à* ceape, *merx, mercimonium, res, bona ; item (quòd mercatura veterum pecude præſertim conſiſteret) pecus : &* ȝyld, *ſolutio, reſtitutio, pretium, æſtimatio.*

Ceathgildum.] 847.58. *perperam pro* Ceapgildum, *de quo poſtremò.*

Celarium.] 1227.*ult. Mendoſè pro* Cellarium.

Celaria.] 1548.9. *Munus Celerarii, de quo proximè.*

Celerarius.] 1119.22. *Rectiùs, ut* 1344. 19. Cellerarius, *ſeu potius* Cellarius. *Is autem* Cellarius, *ſive cellæ præfectus. In cœnobiis promus condus, ſive procurator peni ; ut qui vini, tritici, & cæteror. ad victum monachorum ſpectantium diſpenſationem ſub cœnobiarcha adminiſtraret : cujus officium ſive munus à monaſticis*, Celleraria *dictum. Vocem effictam exiſtimo à Gall.* Celerier, *i. Cellarius : hoc autem à Latin.* Cella. *De re & nomine plura nos in Antiquit. Cantuar. p.*201.

Cella infirmorum.] 414.39. *Locus in monaſterio infirmis & ægrotis aſſignatus, in quem dum ſanarentur, ne ſanis eſſent moleſti, removebantur.* Noſocomium. *Poſterioribus*, Infirmarium ; *item*, Infirmitorium. *Ingulphus Saxo.* Fecit ipſe de eodem meremio, plurima pulcherrimaq; ædificia ; ſcilicet *infirmitorium* monachorum, longitudine & latitudine decentiſſimum. *Ubi, ad* meremio , *Voſſius in margine*, F. heremio, *vel* heremitorio, *&c. Rectiùs autem* meremio ; *adhuc tamen emendatiùs* mæremio, *de quo Matt. Pariſ. tam in Hiſtor. quàm in Vitis, locis à Gloſſographo ſignatis : item Bracton. à Spelmanno exhibitus, in voce* Deodanda , *quod lignum ſignificat ædificandis domibus aptum ; Watſius : Struendis navibus materiam ; Seldenus. Idem fortè quod eidem Pariſio* Lignamen. *Ad* Cellam *redeo, quæ priſco apud nos vocabulo*, **a Fermary** ;

[a] Verberare. *Salmaſ. in Treb. Pollion. notis.pa.*335.

ry; *ex quo fratres ejuſdem* **Friers of the fermary** *olim nuncupati, Latinè* Infirmarii. *Quorum curator ſive cuſtos, monachus ſcil. qui loco præeſſet,* Infirmarius *etiam dictus. Apud Cantuarienſes olim talis locus, ex aulâ, cameris, & aliis receptaculis & appendicibus neceſſariis, cum capellâ contiguâ, conſtans, de quibus omnibus tractatum nobis in loci Antiquitat. p.*196,197.

Cellura.] 2545.7. *Fortaſſe pro* Cellula.

Cenninga.] 847.7. *alibi* Kenninga. *Quod Spelmanno* noticia; *perinde ac ſi à Sax.* cnaƿan *veniat, quod ſcire, vel noſcere ſignificat: & bene, ſi eam intelligat notitiam, quæ ab emptore venditori datur, de re emptâ à quodam tertio vendicatâ, ut compareat, & venditionem præſtet, quod Juſtinianiſtæ & Feudiſtæ* authorem laudare *dicunt, Saxones autem* ꞇeam cennan, *i. authorem advocare, citare, producere, proferre, appellare. Vide Lambard. in verbo* Advocare. *Senſus itaque loci eſt hujuſmodi:* niſi fide dignum habeat teſtimonium (*de pecore ſcil. bonâ fide empto*) pecus ipſi adimatur, omni authoris laudandi, advocandi, citandi, appellandi, producendi, beneficio ceſſante, & ſublato: *juxta illud in LL. Canuti politicis, cap.*21,22. ⁊ ne beo aniᵹ man ꞇeameꞅ ƿẏꞃþe, buꞇon he ᵹeꞇꞃẏƿe ƿiꞇneꞅꞅe habbe, hƿanan him come þ him man æꞇ beꝼehþ. *i. Lambardo interprete*: Porro autem nemini fiat *advocandi* poteſtas, ni prius ampliſſimis indicarit teſtimoniis, à quo ſit rem quæ illum penes eſt deprehenſa, adeptus. *Cui illud ſimile in lege ſequenti*: ⁊ ᵹiꝼ hiꞇ man þonne beꝼo, ⁊ he ƿilliċe ᵹeƿiꞇneꞅꞅe næbbe, ne beo ðeꞃ nan ꞇeam, *&c. i.* Atqui ſi quis teſtibus non adhibitis quicquam fuerit mercatus, idemque alter uti ſuum ipſius proprium vendicarit, emptori nulli fiat *advocandi* poteſtas, *&c. Vox à Sax.* cennan, *parere, parturire, partum edere: & per tranſlationem, advocare, citare, producere, patefacere, & in medium proferre.*

Centonizare.] 436.17. *Ex variis deſcribere, & centones ſarcire vel conficere.*

Ceol.] 897.57. *Navis: tamen, nec exigua, ut Spelmanno, nec brevis & anguſta, ut* Celox, *quod navigii actuarii genus, à celeritate dicti, unde cum aliis ipſe* Ceol *derivandum exiſtimat.* Ceol *enim navis, & longa, & lata: alioqui copiis transferendis quàm eſſet inidonea? Cerdicium autem, qui Britannis victis, regum Weſt-Saxonicorum primus evaſit, in Britanniam cum quinque* Ceolis *copias trajeciſſe narrat monachus ille Malmesburien. de geſt. RR. li.*1. *cap.*2. Ceolorum *inſuper antea meminit idem author, Saxonum primum in Britanniam invitationem & adventum deſcribens, his verbis:* Placidoque ventorum favore tribus longis navibus, quas illi *Ciulas* (*ad marg.* al. *Ceolas*) vocant, Britanniam allabuntur *Germani. Idem totidem verbis multo antiquiùs Gildas.* Ceolæ *igitur naves longæ: quinetiam quod latæ eſſent, & grandes, ex Bromptono noſtro, loco hîc citato, luce clarius eſt, ubi navigium triplex.* 1º Navicula. 2º Navis major vela habens. 3º Ceol vel ulcus, *cum thelonio ſive vectigale cuique pro ſuo modulo analogo. Porro, explanationis ergò,* Ceolæ Ulcus *hic adjungitur.* Ulcus *autem idem ut conjicio, quod Græcis* ὁλκὰς, *Belgis* **hulca**, *nobis* **hulck**, *Saxonib. modernis* **holck**, *i.e. Kiliano interprete,* **holkas**, navis oneraria, gravis, frumentaria, ſtlata, navigium latum vaſtumq;. Ceol *autem, an ex* ὁλκὰς, *literis inverſis, ortum, quod veri ſatis ſimile, (cum lingua Saxonica planè Græciſſet, ut doctiſſ. Caſaubono ſatis oſtenſum, in* De Linguâ Anglicâ vetere, *&c.) conſiderent alii.* Ceol *adhuc nobis manſit, in vulgari noſtro* **Keele**, *pro carinâ, cujus etymon apud eundem Caſaubon. eod. lib. p.*264.

Ceorlman.] 846.6. *Idem qui, &* Ceorlus. 764.19. 765.2. & Cirliſcus. 763.7. 764.4. 766.28. *ſcil. homo ruſticus, paganus, villanus: is qui eſt à re ruſtica, agriculturam exercens, unde Sax. aliàs* æceꞃ ceoꞃl. *Ita* **Ceorles King**, 907.19. *pro* ruſticor. rex. *Quemcunque præterea ignobilem, & qui tum rure tum urbe è plebe fuerit, vox complectitur, ac* **Eorl**, *qui nobilis, ex diametro contrarius: unde Saxonum* eoꞃl ⁊ ceoꞃl, *Comes, ſc. & villanus, pro ſummo & infimo hominum apud eos ordine vel gradu. V. LL. Aluredi Regis, apud Lambar. cap.*4. *ubi* ᵹe ceoꞃle, ᵹe eoꞃle, *pro viro tam ignobili quàm nobili: atque hinc eſt quod* æᵹþeꞃ ᵹeoꞃliꞅce, ᵹe ceoꞃliꞅce *in Judiciis Civit. Lond. in Textu Roffenſi, apud Bromptonum noſtr. hic.* 852.26. Comites & villani, *Latinè dantur. Vide Lambardum, in voce* Paganus. *Quandoque tamen* Ceorl, *Saxon. pro marito, ut hic* 764.47. *item in Evang. Sax. Jo.*4. *verſ.*16,17,18. *unde etiam* ceoꞃlian, *pro nuptum dari. Matt.*22. *ver.*30. *Hujus uxor,* Cirliſca *dicta, ut hîc.* 823.28. **Churle**, *ut &* **Churliſh**, *nobis adhuc pro ruſtico, agreſti, inurbano, illiberali. Vide* Ruſticus.

Ceorlus.] *Vide* Ceorlman.

Cercella.] 666.24,26. 1078.15. *A Gallico* Cercelle, Cercerelle, & Cercereulle, *ſcil. avis aquatica, quæ nobis* **Teale**: *corruptâ forſan voce à Latin.* querquedula. *Hæ Giraldo Cambrenſi* anates minores, *de quibus ipſe miranda quædam narrat. Topog. Hibern. ca.*31.

Chacea.] 1940.64. *al.* Chaſea. *ead. col. l.*54. *al.* Chaſia. 1947.11. *Via per quam aguntur ad paſcua animalia. Anglis,* **a Drove**, *al.* **a Drove-way**, *à Sax.* ꝺꞃẏꝼan. *i. fugare, pellere: quo ſenſu, Gallis* chaſſer, *unde Latino-barbarè,* Chaſeare; *quin &* Chacia, 2134.15,34. *pro ſaltu, & ipſâ ſtatione quâ venandi gratiâ aluntur feræ. Vulgò,* **a Chace**.

Charnellus.] 2254. *col.*4. *hoc, ut &* Charnellatio. 2278. *col.*4. *à Gallico,* Carneau. *i. pinna: vulgò,* **the battlement of a wall**. *Ita* Carnalé, *Gallis pro* pinnatus, **imbattled**. *Unde verbum* Karnellare, *al.* Kernellare, *quod frequens in antiquis regum noſtrorum diplomatibus; ubi rex firmandi muniendique caſtellum ſive ædes privilegium alicui concedit. Nam alioquin nemini hoc licet. De quo vide Spelmann. in* Kernellare.

Charner.] 1942.42. *Idem quod Gallis* Charnier, *id eſt, locus mortuorum hominum corporibus reponendis, vulgò,* **a Charnell-houſe**, *q. carnis repoſitorium. Tale hodie viſitur in chori cryptâ templi Hithenſis in agro Cantiano, ubi ejuſmodi oſſium accuratè congeſtorum acervus ſpectabilis. De quo Lambardus in Itinerar. Cantii.*

Chiminum.] 2293.43. Chiminus. 2357.34. *Via, iter. à Gallico,* chemin.

Chriſtianitas.] 54.50. *It.*55.4. 227.65. De juribus Chriſtianitatis, *Hen.*1. *in LL. ſuar. ca.*7,21. *Quâ verò ratione, juribus ibi, cura hic,* Chriſtianitatis *nomen impoſitum, diſce mecum à viro maximo*

Jo. Seldeno, Notis ad Eadmerum, pag. 208. *Chriſtianitas (inquit)* & ea quæ ad *Chriſtianitatem* pertinent paſſim, apud Eadmerum atque alios illius ævi ſcriptores, functionem Epiſcopalem, atque Fori ſacri actionem & adminiſtrationem ſeu officium Epiſcopale, ut uſitatiùs appellatur, denotant. ——Hinc apud nos Fora ſacra, quibus, jure nempe communi ſubnixis, aut Epiſcopi præſunt, aut ii qui eo nomine Epiſcopos, utpote quos provocare licet, ſuſpiciunt, *Curiæ Chriſtianitatis* etiamnum vocitantur. *Huc etiam pertinet illud apud doctiſſ. Spelmann. Concil. pag.* 311. *ex Ms. de vitâ regis Offæ.* Dominabatur etiam Snotingenſi provinciæ, cujus *Chriſtianitas* ad Archiepiſcopum ſpectat Eboracenſem. *Hiſtoria Abbatum S. Albani per Matt. Pariſ. in vitâ Guliel. Abbatis* 21. *prælatorum Chriſtianitatis ſic meminit:* Aderat tempus quo omnes *Prælati Chriſtianitatis* generaliter ad Concilium ſub Innocentio tertio Papa celebrandum convocarentur. *Vide plura in Urbis Cantuar. Antiquitat. pag.* 362,363. *ubi de* Decano Chriſtianitatis; *ut & apud Brianum Twynum antiquitatis Academiæ Oxon. aſſertorem; hujus autem vocis prorſus expertem, ut ibi pleniùs oſtenſum.*

Ciborium.] *Vide* Cyboreum.

Ciffus.] 614.29. *pro* Cyphus: *rectiùs* Scyphus.

Ciricſceattum.] 761. *ult. aliàs, & rectiùs* Cyricſceattum, *quod vide.*

Cirliſca. Cirliſcus.] *Vide* Ceorlman, *ſupra.*

Cirpus.] 2903.28. *pro* Scirpus.

Ciſara.] 2093. *penult. pro* Cicera, *leguminum genus, vulgò,* **Vetches.**

Ciſera.] 948.28. *Mendoſè pro* Sicera. *i. potus vel vinum ad inebriandum potis.*

Clamare.] 478.37. Clamator. 2469.10,27. *Vide* Calumpnia, *ſupra.*

Clarigarius armorum.] 2612.18. *Feciales, à clarigando dictus.*

Clario.] 2623.48. Clarrio. 2587.58. *Lituus. A Gallica* clairon: *hoc autem à claro quem edit ſono. Vulgò,* **a clarion.**

Clauſtura.] 2139.20. *alibi* Clauſura. 2088.35. 2089.34. *Incluſio: item* Clauſum *vel Septum. Vulgò,* **an encloſure.**

Clauſula.] 2217.17. *Parvum clauſum, vel parva area ſepto incincta. vulgò,* **a ſmall Cloſe.**

Clauſum Paſchæ.] 1090.31. 1166.55. Dominica in Albis, *ſive dominica prima poſt Paſcha: nobis* **Low-Sunday.** *Sic autem dicta, quòd Paſcha claudat, & feſti ſolenniis finem ponat. Claudere, ut & finire, nobis* **to cloſe:** *finis,* **the cloſe.**

Cleia.] 1931.6. *à Gallico* Claye. *i. Crates. Fleta authori,* Glaga.

Cleptor.] 156.11. *Fur, latro: al.* cleptes, *&* clepta. *omnia à Græco* κλέπτω.

Clito.] 122.33. 141.26. 157.6,22. 472.46. *id eſt,* Atheling, *ut hîc,* 141.26. His diebus Elfredus, id eſt, clito Atheling, *&c. mendoſe, pro* Elfredus Clito, id eſt, Atheling. *De voce, cum diminutivo* Clitunculus. 176.53. *ſupra in* Adelyng.

Clocarium.] 2440.10. 2453.23. *Campanile, campanarium: à Sax.* cluȝȝa, *Belgis* **klocke,** *campana. Unde noſtratium* **Clocke** *pro horologio.*

Cnipulus.] 587.8. *Gladius. Quod enim hic, Radulpho de Diceto* Cnipulus, *eſt Matt. Pariſ. ad ann.* 1176. gladius: Eodem anno (*inquit*) Willielmus de Branſia multitudine Wallenſium in caſtello de Bergamini callidè convocatâ, prohibuit, ne quis gladium ferret viator, vel arcum, *&c. Vox eſt (ni fallor) ejuſdem originis ac noſtratium* **knife,** *veteribus Belgis (inquit Kilian.)* kniife. *i. culter, gladius.*

Codicella.] 1815.45, *pro* Codicillus. *Ita ſiquidem eo ævo vocarunt donationum tabulas, vulgò,* **Landbocs.** *quæ Normannis* Chartæ *dicta. Vide* Landboc.

Cœlum.] 1289.29. 1704.53. *Concameratio cælata, & ex eo, hîc cœlum dicta; niſi malis ab eo cœli ſenſu quo tectum ſignificat: ſiquidem ut ait Poeta:* tegit omnia cœlum. *Vulgò,* **a Seeling.**

Cofra.] 1461.5. Coffra 2755.60. *&c. Ciſta, arca, capſa, ſcrinium. vulgò,* **a Coffer,** *à cooperiendo dictum.*

Collectura.] 2595.35. *Collecta.*

Collificium.] 825.33. Si eum reddat in contumeliam ad *collificium* x. s. emendetur. *Corrige,* Si eum radat in contumeliam. *Pergit Saxon.* ꞇo ꞁomelan, *id eſt, Lambardo interprete,* morionis in morem: *authore autem noſtro, ut ſupra,* ad collificium. *ſed quid ſibi velit* collificium, *aut unde ſit petendum, ignarus ipſe peritioribus inveſtigandum relinquo. Interim, à Sax.* ꞁomelan, *fortè noſtratium* **homely.** *i. ſqualidus, incultus, ſordidus: non autem ab* ham, *vel ut hodie* **home,** *domus, quaſi familiaris, ut Minſhæo viſum.*

Colpus.] 849.40. Et ſi *colpus* alicui fallat ter, verberetur & ipſe ter. *Ubi* colpus *ictum ſignat, Gallis* coup, *It.* colpo. Colpus *igitur alicui* fallere, *vel (ut in L. Salic. tit.* 29. *de vulnerib.* §. 1.) fallire, *idem eſt quod* de ictu falli; *nobis* **to miſſe or faile of his ſtroke.** *Huic affine* Colpo. *i.e. fruſtum, de quo Spelmann. ex Hovedeno, cujus etymon proculdubio à Græco* κολοβόω, *decurto, minuo, mutilo, unde noſtratium* **Collops.** *V. doctiſſ. Caſaub.* de linguâ Anglicâ vetere, *p.* 279.

Combaro.] 1919.52. *Municeps. De Abbate S. Auguſtin. Cant. dictum, qui cum Baronibus, i. municipibus ſive burgenſibus Sandwicenſibus litigans, ejuſdem cum illis municipii ſe aſſerit participem.*

Comitiva.] 1112.35. *Societas, ſive comitatus via. Anglis* **company.** *Genus etiam dignitatis alibi notat. de quo Voſſ.*

Commerciones.] 762.36. *Fines, limites, confinia. vulgò,* marcæ, marchiæ, marchæ, *nobis* **marches,** *quomodo Angliæ partes Walliæ & Scotiæ proximantes vernaculè* **the Marches** *dicimus; aliàs cum Gallis* **Frontiers.** *Hinc in Germania* Marcomanni *dicti, quaſi gentes* Marcham, *collimitium, vel confinia incolentes, nobis olim* Marchiſii, *vulgò,* **Marchers.** *i. contermini. Hinc etiam limitis Comes, ſive præfectus limitaneus, Germ.* **Marggrave** *dict. Latinè* Marchio, Marchiſus, *etiam* Marchiſius, *Gallis & Anglis* **Marquis.** *Voces omnes à Germ.* **marc,** *Angloſaxonib.* meaꞃc, *limen, termini ſignum, nota: unde, quorundam opinione,* Merciorum *apud nos olim, Heptarchiâ Saxonicâ adhuc florente, regni nomen; Saxonicè* myꞃcnaꞃıc. *à* meaꞃc *ſcil. terminus, finis: utpote cum* Mercia *reliquorum omnium regnorum eſſet confinis, ac limitanea. Plura de vocib. apud Hotoman. Voſſ. alios. Ad* Commerciones *redeundum: quo vocabulo uſus iſte author pro Sax.* ȝemæꞃum, *quod idem ſenſu, limites ſcil. vel confinia: quomodo* lanꝺ-ȝemæꞃa *in Fœd. Aluredi & Guthr. RR. cap.* 1. *pro* terræ fines. *Unde, (gc. hîc, ut in ſexcentis aliis, tractu temporis extrito) noſtratium*

tium hodie **meares**, *al.* **meeres**, *eopſe ſenſu.*

Commiſſionatus.] 2046.26. *Commiſſione. i. mandato delegatus, aſſignatus : vel cui quid poteſtatis ab altero demandatur, vel committitur.*

Communa.] *664.55.* Omnes prædicti magnates juraverunt *communam* London. *De Gulielmi, Elienſis Epiſcopi, Ricardi reg. Cancellarii, depoſitione hîc agitur : quod Hovedenum apud fuſiùs ſic :* Placuit ergo Johanni fratri regis, & omnibus Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus regni, & civibus Londoniarum, quod Cancellarius ille deponeretur, & depoſuerunt eum, & in loco illius inſtituerunt Rothomagenſem Archiepiſcopum, qui nihil operari voluit in regimine regni, niſi per voluntatem & conſenſum ſociorum ſuorum aſſignatorum, & per conſilium Baronum Scaccarii. Et eodem die Comes Moretonii, & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & alii regis Juſticiarii conceſſerunt civibus Londoniarum habere *communam* ſuam. Et eodem anno Comes Moretonii, & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & ferè omnes Epiſcopi & Comites, & Barones regni juraverunt *communam* illam firmiter, & inconcuſſè ſe ſervaturos, quamdiu domino regi placuerit, *&c. Ubi* Communa *(ni fallor) pro aſſociatione, confœderatione, compacto : ita ut* conceſſerunt civibus Londoniarum habere *communam* ſuam, *idem ſit, ac* cives Londinenſes in fœdere vel pacto ab eis inito ſibi aſſociarunt, *vel* ejuſdem fœderis ſocios ſecum & participes eſſe voluerunt, *quo decretum vel conſultum illud, de Cancellario deponendo, communi omnium conſenſu factum, debitum ſortiri valeat effectum. Hoc aliis* Communia, *ut multis probat doctiſſ. Voſſius. quo quidem ſenſu ſæpius occurrit in* Stabilimento *(ut vocatur) Communiæ* Rothomagi, & Faleſiæ, & Pontis Audomari, *inter Chartas Ducum Normanniæ, p.1066. Vox autem, præter hanc, aliam olim tulit ſignificationem, ut hîc 704.30. item 1276.34. ubi, ut apud Matt. Pariſ. hiſt.261.21. item, quomodo* Communes *heic, 2429.55. pro plebe, vulgo, populo, turba, nobis* **the Commons**; *aliàs, (à Gallico* Communaute) **the Communalty.** *Similiter apud Roger. Hoveden. in Ric.1. fo.410.a.* Communia Londoniæ, *pro urbis illius plebe vel civibus. Hinc Comitiorum Angliæ domus inferior, ubi plebis procuratorum conſeſſus, vulgò audit,* **the houſe of Commons.** *Alio tamen ſenſu vox poſtea, 1941.60. ubi jus ad rem aliquam commune vel indiviſum ſignat, in quo ſc. quis cum uno aut pluribus aliis communicat vel participat, ut in loco illic intellecto, ad ferendum ſc. & agendum. Unde illud, 1947.14. ubi de eodem loco agitur :* remaneat *communis* Abbati & Priori ad cariandum & chaſiandum quociens neceſſe habuerint. *Vulgò,* **a Common.** *de quo vide Cowell. in voce.*

Companagium.] 854.46. *Quicquid cibi præter panem & potum. à Gall.* campanage.

Compaſſioſus.] 2640.56. *A* compatior *fortè : unde &* compaſſio, *pro miſericordia : Gallis & Anglis,* **compaſſion.** *Plura apud Voſſium in vocib.* Compaſſio, & Compatior.

Compellativum.] 845.13. *pro hoc, & Foxus in Act. & monument. tom.1. pag.193. & Spelmann. Concil. pag.4c5.* compellationum *exhibent. ſubintelligendum fortè* negotiis. *i.e. cauſis vel litibus accuſatione motis. Senſum loci talem arbitror, ſcil. ut Epiſcopus (cui & hîc & alibi* [a] *onus hoc impoſitum) purgationum curam habeat, ne quid iniquum fiat. ſicut enim hoc in loco* compellatio, *accuſationem ; ſic, (ut alibi oſtenſum)* adlegiatio, *purgationem ſonat.*

Completorium.] 1877.4. *Preces & cantus veſpertinus : divinorum officiorum de die celebrator. complementum ; à complendo dictum ; quod ultimum, vel extremum. vulgò,* **the Compline.**

Concambium.] 1820.39,44,57. *Idem quod* Eſcambium, *infra.*

Condos.] 2142.44. 2143.30. *Mendosè fortè pro* Condot, *al.* Condol, *quod Gall. dorſum terræ, porca. vulgò,* **a Ridge.**

Confeſſio.] 1291.63. *Martyrum cubiculum, ut quibuſdam dictum. Illa ſc. pars eccleſiæ ubi conditæ ſunt Martyrum reliquiæ ſub altari : nec tamen* martyrium, *ut multis probat Ludovic. de la Cerda, Adverſar. ſacr. in voce. Locum hunc in eccleſiâ Cantuarienſi vulgo* **Under-croft** *dicimus, de quo nos in Antiquitat. Cantuar. pag.175.*

Confinator.] 2544.12. *Mendosè pro* Conſiliator, *ut paulo infra, lin.36.*

Congildones.] 763.19. 825.5,6. *alibi* Gildones. 825.10. *à Sax.* ʒeʒẏlꝺan, *quæ vox (ut rectè notat Lambardus) à* ʒẏlꝺan, *quod ſolvere ſonat, fluens, unà pariter ſolventem ſignificat. Nomen duabus de cauſis impoſitum : una, quòd iſti pecuniam interdum in unum conferrent, atque unà cum ſocio, cædis conſcio, ad perempti corporis æſtimationem explendam pro more contribuerent ; interdum verò compenſationis nomine, pro ſocio occiſo æſtimationis partem reciperent : altera, quòd pecunia quædam communis foret ad convivia publica, quæ certis temporis intervallis celebrarent. Tale, ut videtur, eorum contubernium ſive collegium,* quorum *(ut eſt in LL. Hen.1. cap.88.)* crocca cowellet, *id eſt, quorum olla ſimul bullit : à Sax.* cꞃocca, *olla, &* ƿællen, *bullire ; co præpoſito, quod, ut* con, *in compoſitis* ſimul *notat. E.G. in* **co-partner, co-operate, co-oꝛdinate, co-incident,** *&c. Vox, ut veriſimile eſt, cum more, hinc in Cambriam ivit ; Cambris enim* gildio [b], *compotationum expenſas exolvere, ſonat. Vicani atque agricolæ (inquit Lindenbrog. in voce* Gildonia) *in Germania* Gilde *vocant convivia publica, quæ collatitiâ ſtipe quotannis ſemel iterumque celebrare ſolent. Sodalitium vel contubernium hujuſmodi, Saxonibus* ʒebeoꞃꞅcipe, *&* ʒẏlꝺꞅcipe, *Belgis* **ghild-ſchap,** *dictum : & ab eodem fonte fluxit noſtratium* **Gilde,** *pro religioſorum olim aliquot ſocietatibus, ut & mercatorum, mechanicarum artium, & opificum ordinibus,* (**Companies** *hodie vocant :) ut &* **Gild-halle,** *pro prætorio, publicique conſeſſus ejuſmodi aulâ.* Congildo *igitur eſt contubernalis, contribulis, contributionum ſocius : Belgis* **ghilde-bꝛoeder.** *al.* **gulde-bꝛoeder.** *Monendum hîc, locorum ſupra ſignatorum priorem, ubi vox iſta reperitur, (Legum ſc. Inæ regis cap.20.) apud Lambardum malè, hîc autem multo pejùs exhibitum. Ibi enim voces quædam Saxonicæ : hîc autem plures Latinæ deſiderantur. Priorem ſic reſtituo : inter* ꞇo pꞃoꝼianne, & oþþe ꞇo alẏꞅanne, *inſerenda hæc :* oþþe ꞇo ꞅleanne. *Vide Concil. Berghamſted. cap.28. apud Spelmann. pag.197. Poſteriorem verò ſic :* ——nec cornu ſonet, pro fure *(i. tanquam furti juſtè ſuſpectus)* examinetur, *(ut, pro examinis exitu)* vel occidatur, vel liberetur. Si quis autem *(ita)* perempti corporis æſtimationem exegerit, confirmet *(interfector)* ſe illum tanquam furem occidiſſe : nec ſolvatur ipſius occiſi *(capitis æſtimatio)* congildonibus, *&c.*

Conjectare.] 824.3,62. Contribuere : *unde* Conjectum.

---

[a] *LL. Edo. Confeſſ. cap.9.*

[b] Daviſ. in Dictionar. Britannico-Latino. in voce Gildio.

jectum. *i. eſt, contributio, collatio de ſubſtantiis; pluribus puta debitoribus pecuniam in unum conferentibus, quod* congildonibus *ſupra ſolenne. Plura vide apud Lindenbrog. in voce* Conjectum. *& Buchel. Not. in Hedæ hiſtor. Ultraject. ubi in Epiſcoporum Privilegiis (ut vocantur) vox frequens, & immunitatem illă, aut ſimilem, ubique ſignificat, cui noſtratium* **Scot** *(à tributis excuſationem intellige) planè reſpondet.*

Conjuratio.] 918.63. *Hîc pro* Adjuratio, Exorciſmus. *quod enim hîc Latinè* Conjuratio, *Sax. eſt* halꞅunᵹ, *ab* halꞅian, *adjurare, exorciſare. Hinc noſtrat. & Gall.* **Conjuration,** *pro Dæmonum, per incantationes, tum excitatione, tum ejectione.*

Conqueſtio.] 912.38. Conqueſtus. 725.58. *& ſæpe. Vulgò,* **Conqueſt.** *Omnia, ni fallor, à Gallico* conqueſter, *hoc eſt, vincendo acquirere, & imperio addere, vel finibus ditionis adjicere; quo quidem ſenſu verbum* conquirere *hîc.* 468.29.472.44. *Hinc Guilielmus Nothus, Britanniâ ſubactâ,* Conqueſtoris *nomen adeptus; ut hîc,* 725.38. *vulgò,* **the Conquerour.**

Conqueſtor.] *Vide* Conqueſtio, *ſupra, in noviſſimis.*

Conſideratio Curiæ.] 937.42,63. 938.7,8. 1920.1. *Pro* Judicium, *vel* Conſultum Curiæ, *ſive tribunalis: quibuſdam olim* Exguardium. *Conſtit. Sicul. li. 3. tit. 17. (à Spelm. partim exhibit. in voce* Exguardium) *de vaſſallo delinquente in dominum, (ſc. ratione feloniæ, vel ſervitii poſt tertiam ſubmonitionem non præſtiti, &c.)* Dominus poteſt de eo quod tenet ab ipſo, ipſum per *exguardium* diſſaiſire, &c. *Id eſt, non ſuo proprio judicio, ſed Judicis, ſuper eâ re conſulti, decreto vel ſententiâ: cauſa ſcil. judicialiter, & ſervatâ juris formâ, priùs cognitâ. Vocem enim* exguardium *idem ſignare conjicio, ac Gall.* eſgard, *de quâ crebrè in veteri Normanniæ Cuſtumario. E. G.* a leſgard de la court, *i. (ſecundum exemplar Latinum)* ad eſgardum curiæ. *Similis loquendi modus occurrit mihi in Cantii noſtri Cuſtumar. in re haud abſimili, nimirum ubi agitur de fundi ademptione ob redditum tempeſtivè non ſolutum, ſc.* per agard de ſa court, *id eſt, judicio curiæ ſuæ, vel ut hîc,* per conſiderationem curiæ ſuæ. *unde phraſis illa forenſis vel hodie uſitata,* ſicut curia conſideraverit.

Conſigillatio.] 856.34. — inſigilletur manus ejus, & inquiratur die tertia ſi mulaminum ſit intra conſigillationem. *Sax. (in Textu Roffen.) ſic:* ⁊ inꞅeᵹliᵹe man þa hanꝺ. ⁊ ꞅece man oꝼeꞃ ðæne þꞃiꝺꝺan ꝺæᵹe. ꞅƿa hƿæþeꞃ ꞅƿa heo be ꝼul ꞅƿa clæne binnan ðam inꞅeᵹle ⁊ *i. e.* manus (ordalio *probati, projecto jam ferro ignito: è veſtigio)* obſignetur, & inquiratur die tertiâ ſi munda ſit, vel immunda (*inuſta ſcil. necne*) intra obſignationem.

Conſtabularius.] 574.59. 1213.18. *& alibi. Vox (ut oſtendit eques doct.) à diverſis diverſimodè ſcripta: efficta verò à Gall.* Coneſtable, *ut hoc à Latin.* Comes ſtabuli, *qui veteribus aliàs,* Tribunus ſtabuli *dictus, ut qui ſtabulo ſuperiorum Imperatorum eſſet præfectus. Regino Prunienſis (qui floruit an. 1010) Chron. li. 2. ad ann.* 807. Burchardum Comitem ſtabuli, quem corruptè *Conſtabulum* appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam. *Poſterioribus autem ſeculis ad magiſtrum equitum, perinde mox ad omnem turmæ equeſtris, tandem & pedeſtris, præfectum (i. Centurionem) quem hodie* Capitaneum *appellamus, nomen tranſiit. LL. Edv. Conf. ca.* 35. Erant & aliæ poteſtates —— per ſingulos Comitatus totius Regni prædicti (*i. Angliæ*) conſtitutæ, qui *heretoches* apud Anglos, — Latinè verò dicebantur ductores exercitus; apud Gallos capitales *Conſtabularii*, vel *Mareſchalli* exercitus, &c. *Hinc verò (ut rectè monet Spelmannus) liquet, non receptum tunc temporis à noſtratibus hoc vocabulum, ſed à Normannis poſtea introductum, & ad eos collatum, qui aut militem educebant, aut rem militarem curabant, aut loco alicui præſidio dabantur. Sic Regni, Caſtri, Hundredi, Villæ,* Conſtabularius, *&c. Traducitur etiam ad officiales marinos: unde qui poſtea* Admiralii *dicuntur, ſub Ricardo* 1. Conſtabularii claſſis regiæ *nuncupantur. Vocem itaque qui accerſunt à Sax.* cẏninᵹ, *Rex; &* ꞅꞇable, *ſtabilis, q. columen regis, & ejus ſtatum conſervans, planè nugantur. Vox autem huc ab Anglo-Normannis adducta; quàm variè & latè ab eis fuerit tandem uſurpata & extenſa, tractatu ſatis accurato, oſtendit Spelmannus, quem imprimis vide.*

Conſtamentum.] 1399. 38. *Gallicè* Couſtemens, *pro expenſis, impenſis, ſumptibus: vulgò,* **Coſts.** *Vide* Cuſtus. *Venit, ut videtur, à Latino* Conſto, *eâ vocis ſignificatione quâ* valere *ſonat. De quo vide Cl. Casauboni, Iſ. filii, Tractat. de Uſu & Conſuetud. pag.* 111, 112.

Conſuetudinarium.] 977.2. *Librum illum ritualem; olim longè latéque celeberrimum, intellige, quem ab authore, Oſmundo ſcil. Sarisburienſi epiſcopo,* Miſſale ſecundum uſum Sarum *appellabant; officiorum divinorum omnium & ſingulorum* (Agenda *vocant*) *ritus formuláſque deſcribentem.*

Conſulator.] 1230.53. *Idem fortè qui apud Voſſium ex Freculpho,* Conſularius. *Utrumque, ni fallor, Conſiliarium ſignat, vel Conſiliatorem; unde noſtratium,* **Counſellour.**

Contenementum.] *Vide* Tenementum.

Continentia.] 544.55. 1394.25. 2767 22. *Synopſis, argumentum. Hinc autem tractatus alicujus argumentum ſive ſumma, nobis hodie,* **the contents,** *q. contentorum ſynopſis.*

Contratenere.] 830.36. *Sax.* ꝼoꞃhealꝺan, *quod contra legis præceptum, ex contemptu tenere, vel detinere, ſonat.*

Contribunales.] 861,2. *Tribules fortè, vel contribules. quod enim hîc:* & portet faidam erga *contribunales* mortui: *in LL. Hen. 1. ca. 68. eſt:* & portet factionem erga cognationem. *Saxonicè verò ſic:* ⁊ ƿeᵹe ða ꝼæhþe ƿiþ ða mæᵹþe. *i. e. Lambardo interprete,* is jam cognatis interfecti pro inimico habetor. *V.* Weregildum.

Controverſiones.] 1196.51. *Controverſia.*

Conventionare.] 584.58. 1090.32. 1105.30. *Eſt ſuper aliquâ re paciſcendo convenire, & id, de quo convenit, promittere. vulgò,* **to covenant.**

Conus.] 898.39. *Idem, ni fallor, quod Matt. Pariſio, hiſtor. p. 748. l. 14.* Cuneus monetalis: *ſigillum ferreum ſcil. aut chalybeum, quo numus cuditur. à formâ dictum. atque hinc fortè numus ipſe nobis vulgò,* **Coine:** *numarius, vel cuſor monetarius,* **a Coiner.** *V. Spelm. & Watſ.*

Coppa.] 75.23. *i. e.* Cuppa, *ut infra, ead. col. lin. 35. Alio tamen ſenſu poſtea.* 1820. 62. *ubi idem eſt quod nobis vulgò,* **Coppe,** *i. e. quorundam frumenti manipulorum ſive faſciculorum acervus criſtatus, vel in acutum editus. Hinc* coppare *pro acervos ſic congerere. Nobis hodiéque,* **a copped crowne,** *pro rei alicujus capite criſtato, vel ad criſtæ modum edito.*

Corabus.] 812.51. *Corrige* Carabus. *Sic enim Flo-rent. Wigorn. ad ann.* 892. Occultè (*inquit*) de *Hibernia* fugerunt, *carabúmq;* qui ex duobus tantum coriis & dimidio factus erat, intraverunt, mirúmque in modum ſine velo & armamentis, poſt 7. dies in *Cornubia* applicuerunt. *Rem geſtam ſic enarrat author Chron. Sax. ad ann.* 891. ðꞃẏ Scoꞇꞇaꞅ cƿomon ꞇo Ælꝼꞃeꝺe cẏninᵹe on anum baꞇe buꞇan ælcum ᵹeꞃeðun oꝼ Hibeꞃnia þonon hi hi beꞅꞇælon. ꝼoꞃþon ðe hi ƿolꝺon ꝼoꞃ Goꝺeꞅ luꝼan on elþeoꝺineꞅꞅe bion, hẏ ne ꞃohꞇon hƿæꞃ ⁊ ðe baꞇ ƿæꞅ ᵹeƿoꞃhꞇ oꝼ ðꞃiꝺꝺan healꝼꞃe hẏꝺe. ðe hie oh ꝼoꞃon. ⁊ hi namon miꝺ him ꝥ hi hæꝼꝺon ꞇo ꞅeoꝼon nihꞇum meꞇe.&c.*i.e.* (*doct.editoris & interpretis veniâ*;) Tres *Scoti* ad *Alfredum* regem venerunt in unâ naviculâ, omnibus deſtitutâ armamentis, de *Hibernia*, unde ſe clã ſubduxerunt: volebant enim pro Dei amore peregrinari, de loco, quocunque ferrentur, non ſolliciti. Navicula ex duobis coriis & dimidio facta fuit: ſecum autem aſſumpſerunt unius ſeptimanæ viaticum, *&c. De naviculis hujuſmodi plura vide apud RR. Armach. Brit. eccl. Primord. pa. 606. in marg. Luyd. Fragment. fo. 31. a. Twin. Comment. li. 2. pa. 80. Seld. Mare Clauſ. li. 2. c. 2. item Salmaſ. in Solin. Hiberni vocant* **Corroghes**, *à Britan. fortè* Corwg, Corwgl, Cwrwgl, *quod cymbam ſonat corio contectam. V. Dictionar. Britannico-Lat. Gallis* Carabe, *quod, uti* Carabus, *à Græco* καράβιον.

Corepiſcopus.] 1650.*penult.*1651.34. *Quaſi* χωρικός. *i.e.* ruſticus epiſcopus: *epiſcopi nempe vel archiepiſcopi in remotis agentis vicarius. de quo vide Duaren. de ſacr. eccl. miniſter. li. 1. ca. 9. & Spel. Huic affinis epiſcopus ille nobis* ſuffraganeus *dictus. De Corepiſcopo verò cujus heic mentio vide Antiquitat. urb. Cant. pa. 65. 299.*

Coriſcus.] 686.43. —*coriſco* cooperto, & ſcripto nobis ignoto &c. *Fortè legendum*: codicillo cooperto &c.

Corium perdere.] 761.64.830.55.927.49. *idem quod* corio carere, *lin. 61. quæ vapulare ſive verberibus cædi ſignificant. Pœna corporalis ſervis propria, quæ quandoq; in pecuniariam mutata: unde Sax.* hẏꝺᵹẏlꝺe, *al.* hẏꝺeᵹilꝺ. *i. corii redemptio; ab* hẏꝺe, *corium, &* ᵹẏlꝺ, *ſolutio, compenſatio. atque hinc* corio componere. 902.19. *item* corium redimere. 927.61. *id eſt, virgarum metum pretio redimere. Hoc in LL. Hen. 1. c. 78.* pretium corii *dicitur, quod idem ac in L. Salica* 42. §. 2. ſolidos pro dorſo ſuo reddere. *Plura infra, in* Hidage.

Coronator.] 1916.*penult. Eſt officialis ſive miniſter coronæ regiæ, inquiſitioni homicidii aliiſque hujuſmodi ad coronam regis ſpectantibus præcipuè deſignatus. De quo pluribus Cowellus noſter, in voce. Vulgò,* **Coroner**, *ut hic,* 2145.39.

Corporale.] 1850.1. *Sindon vel linteum quo Corpus Domini. i. panem conſecratum tegunt: unde aliàs* Dominicale *dictum. quibuſdam,* pulvinar ſacroſanctum. *Gallis* Corporail, *nobis* **the Corporall.**

Corredium.] 767.34.1347.45.1872.57,61. Corrodium. 902.11.948.25. *aliis* Conradium, Conredium. *vulgò,* **a Corody.** *Obſoniũ eſt, quod vel ſuperiori in ſubſidium penditur, vel in menſam alicui alii apponitur. Cibus, menſæ apparatus. Item* Convivium. *Rei quale quale veſtigium (ni fallor) adhuc in hoſpitio quo eccleſiarum cathedralium & collegiorum Firmarii (prædiorum ſc. conductores) dominos ſuos, prædia inviſendi gratiâ adventantes accipiunt, quod vulgò,* **Entertainment**, *cujus redemptio pecuniaria,* **Entertainment-money**, *vocant. Vox autem amplioris eſt ſignificationis, ut apud doctiſſ. equitem videre licet. Sæpe occurrit ſcriptum cum* r. *ſingulari,* coredium *ſc. unde vocem à* con, *&* edo *conflatam reor:* N. *enim &* R. *literæ in veteribus libris crebrò mutantur, ut Cl. Salmaſio in not. Plinian. obſervatum.*

Corſned.] 919.16,25. *Anglo-ſaxonibus erat in more poſitum, panem certis quibuſdam deſtinatiſq; ſententiis conſecratum reo guſtandũ offerre. habebant enim penitus inſitam opinionem, non poſſe quenquam, mali conſcium panem hoc modo dedicatum glutire.* Offam judicialem *dixerunt. Ita Lambard. qui panem vocat* execratum. Coꞃꞅ (*inquit*) execratum *ſonat*, neꝺ *à* neoꝺ, *id eſt neceſſitate ductum,* panem *ſignificat. Mallem ipſe* offam execratam: *ab eodem* coꞃꞅ, *&* ꞅnæꝺ, *vel* ꞅniꝺ, (*à* ꞅniꝺan, *Belgis* **Snijden**, *quod ſcindere ſonat*) *particula, bolus, fruſtum, offa.*

Coſinus.] 1684.17. *Gall.* Couſſin, *Pulvinus. Origo fortè à* Coxa: *quod ſedentium coxis ſupponatur. Latinis* coxim *adv. pro* coſſim ſedendo, *vel* in coxis nitendo. *Item Hiſpanis* Cuxin, *&* Coxin, *pro pulvino.*

Coſtagium.] 2616.32. *Idem quod* Conſtamentum, *ſupra, &* Cuſtus, *infra: quæ vide.*

Coſtera.] 1218.6. *Litus, ora maritima. Mat. Pariſ.* Coſta maris. *hiſt.* 258.28. *unde noſtr.* **Coast**, *&* **Sea-coast**, *eodem ſenſu. Vocum poſterior à Gal.* Coſte *i. latus. unde aliàs nobis dict.* **the sea-side**: *prior fortaſſe ab eorũ* Coſtier, *obliquus, quemadmodũ plerumq; ora maritima.*

Coterelli.] 706.28. *Nam ſingulari nuſquam occurrit numero: plurali verò quandoque ſic, quandoque* Cotarelli. *qui quidam è plebe apud Gallos, ex prædâ & rapinâ (exlegum inſtar) viventes, nobilibus & eccleſiaſticis viris olim oppidò infeſti. Gallis* Cotereaux, *&* Coſtereaux, *vulgò dicti. V.* 1451.22.

Cottarius.] 2576.39. *Cota. i. tugurii habitator. Vulg.* **a Cottager**: *à Sax.* coꞇe, *ſpelunca, latibulũ. Vide Spel.*

Craſpiſcis.] 897.64. *Idem proculdubio quod alibi* Craſpeis; *Spelmanno noſtro* Grampois, *piſcis grandior. Vox compoſita, cujus prior ſyllaba in unâ, à Gall.* grand; *in alterâ, à Latin.* craſſus. *Bractono,* Craſſus piſcis. *li. 2. ca. 24. fo. 55. b. folio verò* 120. *a.* Groſſus piſcis.

Cremabilis.] 980.21. *Quicquid facilè cremetur. Ulpiano* cremialis.

Crocardus.] 2493.65. *Reprobum nummi genus, aliàs* Cocodones *dict. Vide Walſingham. hiſt. ad. an.* 1301.

Croftum.] 2089.33. 2090.32,39. *Prædiolum (inquit Spelm.) pone habitaculum ruſticum, à latioribus campis ideo diſtinctum, ut animalia ruſtica ſubitis uſibus exhibeat. Angulus campi, idemque fortè Saxonibus quod nos hodie (Normannos ſequuti)* Clauſum *dicimus.* **a Close.** *Vide Cowell.*

Cruciata.] 2660.8,9,11,12,15,18. 2671.23,46. 2672.45,48. *Literæ pontificiæ, quibus auxilium imploratur adverſus hoſtes eccleſiæ, in primis Saracenos & infideles, (quibus ſignum crucis ludibrio eſt:) quo tamen pontifices Romani contra ipſos etiã Chriſtianos, inimicos ſuos, (uti heic Urb. 6. contra Clement. Antipapam) interdum uſi ſunt. Vulgò,* **a Cruzada**: *à crucis ſigni in veſtibus opem ejuſmodi ferentium geſtatione.*

Culvertagium.] *Vide* Fridwita.

Cuneus monetæ.] 1816.6.10. *Monetæ cudendæ vel percutiendæ jus. vulgò,* **Coynage**. *Vide LL. Æthelſtani reg de quibus hîc,* 843.32. *&* Conus, *ſupra.*

Cuppa mazerina.] 614.29. *Idem quod nobis hodieq;* **a mazer.** *Belgis* maeser *eſt aceris arboris tuberculum, unde, ut fertur, vox orta; quoniam (inquiunt) iſtiuſmodi pocula plerumque ſunt acerna.*

Curia Apoſtolica.] 2194.27. *Vide* Apoſtolicus.

Curſaria.] 1164.14. *Piratas, & latrones marinos, qui maria diſcurrunt, Galli vocant* Corſaires, *&* Courſaires. *Hinc, ut videtur,* Curſariæ *nomen, quod naviculæ genus* Celoci *(ni fallor) ſimile. utrumque à celeritate dictum, q.* curſoriæ, *quomodo Hovedeno dicta.*

Curtelagium.] 2090.33. Curtilagium. 2029.45. *Hortus olitorius, vel ubi leguntur olera. Vocabular. vetus Anglo-Latin.* **Curtlage or gardeyn**, Olerarium. *In eandem ſententiam Lindewod. Provincial. li. 3. tit. de decimis, cap. Sancta. §. omnibus.* Curtilagium (*inquit*) dicitur locus adjunctus curti ubi leguntur herbæ vel olera. *Vox eſt à Gallico* courtil; agium *addito in vocis productionem.*

Curtillum.] 764.59. ruſtici *curtillum* debet eſſe clauſum æſtate ſimul & yeme. Curtillum *hic idem quod alibi* Curticella. *i. parva curtis. Prædiolum intellige. Curtis enim, uti & Curia, habitaculum ſignat ruſticum cum adſcriptis prædiis, vel (ut Lindewodus*[a] *noſter vocem explicat:) Curtis* eſt manſio vel manerium ad inhabitandum, cum terris, poſſeſſionibus, & aliis emolumentis ad tale manerium pertinentib. *Idem Gallis, quod Italis* Manſus. *Pet. Benevent. Curtis* vulgare eſt Gallicorum, ſicut *Manſus* Italicorum. *Item locus ille concluſus ſub dio, ante ædes præſertim virorum principum. Vulgò,* **a Court.** *A voce ad rem: unde fortè Forenſium noſtrorum Breve,* de Curia claudendâ, *ortum, de quo Cowell.*

Curtis.] *Vide* Curtillum.

Cuſtuma.] 1796.55. 2576.42,55. *Conſuetudo: item vectigal conſuetudine debitum. à Gallico* Couſtume, *nobis* **Cuſtome.** *Vide Cowell. in voce. in primis autem doctiſſ. Caſaubon. Iſ. fil. de me ſtudiiſque meis optimè meritum, Tract. de Uſu & Conſuetud. pag. 111, 112, &c.*

Cuſtus.] 1937.26. 1942.9. *Expenſa, impenſa, ſumptus: vulgò,* **Coſts**; *à Gall.* Couſt.

Cyboreum.] 1019.7. *quandoque* Cyburium; *quandoque, & rectiùs,* Ciborium. *Arca, ſeu pixis, vel ſcriniolum ſuper altare, apud Pontificios, in quâ ſacramentum altaris conſervatur. Gallis* Ciboite. *Vox à* cibo, *ſacramentali ſcilicet, quem continet: & interdum ad eam tecti partem presbyterii ſive chori tranſlata, cui altare ſuppoſitum.*

Cynebot.] 845.62. *alibi* Cynegild, *&* Cenegild. *Lapſus hic doctiſſ. eques, qui voces expoſiturus eas cum* mægbote *confundit: quæ compenſationis eſt pars illa interfecti cognatis debita; atque hic cognationi datur regia, ſub* weræ *nomine, & tanquam natalis pretium, ut vocant. unde hæc Sax.* ꞅe ƿæꞃe belẏmpaþ ꞇo ðam mæᵹðe ðæꞅ cẏne cẏnneꞅ. *i.e. weram* debent habere propinqui regii: *poſtea verò,* þam ƿæꞃe habbaþ ða mæᵹaꞅ. *i.e.* ipſam *weram* debent habere parentes: (*intellige* propinquos, *ut infra in voce* parentes:) *cum quod ſequitur,* cẏneboꞇ, *omni populo debeatur, ob regem ſublatum; juxta ſequentia:* ⁊ ꝥ cẏneboꞇ ꞇo ðam lanꝺleoꝺ: *poſtea,* ⁊ ðam cẏneboꞇ ꞅe lanꝺleoꝺe. *i.* ad gentem verò pertinet compenſatio regia. *ſcil. quà regia.*

Cyreath.] 842.62. *Cyreath.* i. jusjurandum electum, &c. *Juramentum ſcil. quod quis, cum quibuſdam aliis conjuratoribus è majori numero ſelectis, præſtaret: cui contrarium* Rimath, *quod nempe quis cum toto conjuratorum nominatorum cœtu vel numero daret. Prius à* cẏꞃe, *Sax. i. electum, &* að, *juramentum, nobis hodie* **oath**: *poſterius à* ꞃime. *i. numerus, & eodem* að.

Cyricſceattum.] *Sic enim ſcribendũ, quod* 761. *ult.* Ciricſceattum, *aliter, (ut in LL. Hen. 1. ca. 11.) ſed perperam etiam,* Cheriſceattum; *nec meliùs hìc.* 469.37. Syricſeat. *Vox eſt pura puta Sax.* cẏꞃicꞅceaꞇ *ſc. quam Lambardus, legum Saxonicarum primus editor & interpres doctiſſ. ſæpe Latinè reddit (quomodo etiam in verbor. explicatione eiſdem LL. præfixâ)* primitiæ ſeminum, *ad verbum autem (inquit, & rectiùs)* vectigal eccleſiaſticum. *quam quidem verſionem, poſteriorem ſc. amplectitur doct. Whelocus*[b], *priorem, ut inconcinnam, nec immeritò, rejiciens. Primitiæ nempe Sax.* ꝼꞃumꞅceaꞇa, *aliàs* ꝼꞃumꞃipa. *In Gloſſ. ſub finem Lambardi Gloſſar.* Cyricſceat, *eccleſiæ cenſus redditur; quomodo etiam vel apud Lambardum ipſum, LL. Canuti, par. 1. ca. 11. & bene quidem; cum re verâ cenſus ſit, ſive in gallinis, ſive aliis rebus, pro ædium decimâ, ſolvendis die S. Martini, de quo vide Gryphiand. de Weichbild. Sax. ca. 30. nu. 11. voce ductâ à Sax.* cẏꞃic, *eccleſia, &* ꞅceaꞇ, *poſterioribus* **ſcot**, *cenſus, vectigal, ſymbola, munus. Malè interim* ꞇeoþan ꞅceaꞇꞇaꞅ, pecuniarum decimas, *Latinè fecit idem Whelocus, Notis ad Bedæ hiſt. eccl. l. 4. ca. 29. cum dictio ſimpliciter, ſive generatim, (quomodo Lambardo ibidem viſum) decimas planè ſignet. Plura ſi cupias doct. Spelm. Gloſſarium adito.*

D.

DAggerius.] 2597.54. *Pugio, ſica: vulgò,* **a dagger.**

Dalmatica.] 61.53. 441.64. 1159.13. *Veſtis ſacerdotalis, linea, longa, & candida,* Albæ *ſimilis, vel* Superpelliceo, *(ut vocant, vulgò,* **a Surplice**:) *à Dalmaticis populis primò petita, de quâ plurib. Spel. & Watſius, qui* Dalmaticam *veſtem etiam regiam fuiſſe notant, ac in regum noſtrorum conſecrationibus nondum exoletam.*

Danegild.] 942.30. 957.45. 1024.24. *Tributum Anglis indictum, aliàs ob pacandos Danos, patriam infeſtantes, aliàs ob arcendos.* Tributũ Danicum. *De quo juſtum habes tractatum apud doctiſſ. equitem.*

Dayworke.] 2203.26,27,28,30. *Quantum terræ arabilis unius diei culturæ ſufficiat: vel illud ſoli ſpatium quod uno die boum jugo arari poteſt. ad verbum,* opus unius diei. *à vernaculo noſtro* **day.** *i. dies, &* **work**, *opus. Gallis* Journeau, *à* jour, *dies: unde Latino-barbaror.* Jornale, Jornata, *& ſimil.*

De alto & baſſo.] 2526.51. *Idem quod infra,* 2604.54. In alto & imo. *Verborum formulâ, quâ facultas mutuo diſſidentium conſenſu, arbitris conceditur, lites & controverſias inter eos ortas, ſurſum deorſum, (quod Gallis* Haut & Bas) *pro ſuo arbitrio dirimendi, & componendi.*

Decania.] 59.13. *Dignitatem ejus hìc intellige, qui in majori eccleſia, denis ad minùs Canonicis, ſive Præbendariis (ut vocant) ſub Epiſcopo præeſt.* Decanatum *aliàs nominant. De pluribus aliis vocis ſignificationibus, Spelmannus.*

Decanus Chriſtianitatis.] 1961.23. *Quem recentiores* Decanum ruralem, *& exteri* Archipresbyterum vicanum, *(de quo, ut & de* urbano, *Duaren. de ſacr. eccl. miniſt. & benef. li. 1. ca. 8.) antiquiores Angli* Decanum Chriſtianitatis *vocarunt: quare verò, jam oſtenſum in voce* Chriſtianitas.

Decima.] 924.40. *Bractono noſtro* Decenna. *Decuriam (inquit Lambardus in voce* Centuria) ꞇeoþunᵹ, *ſive* ꞇienmanꞇale, *id eſt decemvirale collegium appellarunt Saxones. Ac ne quis ignoret, decuria ex decem viris conſtabat, quorũ ſinguli uniuſcujuſq; ſiſtendi fidejuſſores erant, et quid eorum aliquis dediſſet damni, id omne reliqui reſarcire debebant. Sic ille, qui rem pluribus proſequitur. eum adi, item Wil. Malmesbur. de geſt. reg. Anglor. li. 2. fo. 24. a.*

Decius.] 1522.33. *Gul. Neubrigenſi, Rer. Anglic. li. 3. ca. 22.* Detius. *Vox eſt à Gall.* Dé, *al.* Det, *unde noſtratium* **Die.** *pluraliter Gallis* Dets, *nobis* **Dice.** *Talus, taxillus, alea. Vide Spelm. in* Dadus.

Defalta.] 1933.62. *Vox fori. Defectus, negligentia, deliquium. A Gall.* default. *Bractono frequens. Vulgò,* **default.**

Defendere.] 311.9. *Prohibere. Videatur Spelm.*

---

[a] *Provincial. li. 3. tit. de decim. ca. Sancta. §. omnibus.*

[b] *Ad LL. Sax. Præfat.*

Defenſa.] 2605.60. 2606.1. 2737.17. *Roborarium: vivarium cervinum; ſive locus conſeptus vel incluſus, in quo feræ vivæ non paſcuntur ſolùm, ſed & defenduntur; eóque* Defenſa *dictus, aliàs* Parcus, *quod vide. Sepem dicimus Angli,* **a fence**.

Defenſabilis.] 2424.39. *Defenſioni aptus. De nave dictum, ita ex omni parte habili & inſtructâ ut navali prælio inſerviat.*

Defenſivæ locorum.] 524.19. 528.12. 703.61. *Vicecomites, ut ſecundo locor. hîc ſignatorum:* Defenſivæ locorum ſeu Vicecomitis. *quos Matt. Pariſius ad ann. 1153. p. 86. l. 37. ed. Watſ.* Vicecomites *appellat, ſimpliciter. Sic autem nuncupati, quòd loca (i. Comitatum, vel Provinciam) eorum curæ & cuſtodiæ ſub Comite, commiſſa, tuerentur; vim & injuriam prohibendo, latrocinia compeſcendo, pacem regiam. i. publicam, non ſolùm legum tramite, ſed armis etiam (ſi opus fuerit) promovendo; jura regia & vectigalia curando, colligendo, fiſco inferendo.*

Dei judicium.] 942.2. 982.63. *Sic à veteribus dicuntur probationes & ſortilegia, quibus ad reatus examen uſi ſunt:* Ordaleum *ſc. & ejus ſpecies; quæ* Ferrum candens; Aqua fervida, & Aqua frigida; Symbolum Crucis, *& ſacra ipſa* Euchariſtia; Offa judicialis, *ſeu* panis, *item* caſeus execratus, (*Saxonibus* coꞃſneꝺ:) Duellum, *aliàs* judicium gladiatorium *dictum, &c. De quibus omnibus amplum ſatis, nec minus eruditum habes tractatum apud doctiſſ. eq. verb.* Judicium Dei. *De* Ordalio *nos infra, in voce.*

Delatura.] 763.5. *Pretium delatori conſtitutum. Saxonib.* melꝺe ꝼeoh, *à* melꝺan, *prodere, detegere, deferre, &* ꝼeoh, (*unde noſtr.* **fee**) *pecunia, ſtipendium, merces. V. Voſſium, & LL. Hen. 1. ca. 64.*

Demanda.] 1918.11. *Exactio, interpellatio, poſtulatio, vulgò,* **Demaund**: *à Gallico,* Demande.

Demanium.] 1113.51. *alibi* Domanium; *ex Gallico* Domaine, *quod à Latino* Dominicum. *Res ſignat dominicas, ſive quas proprio quis jure poſſidet: ac* κατ' ἐξοχὴν, *quæ ad coronam regiam pertinent. Hinc* Domanium Franciæ (*Choppinum audis*) definitur illud quod nominatim conſecratum eſt, unitum & incorporatum regiæ coronæ. *Hoc autem in loco,* demanium *priore uſurpatur ſignificatione, pro fundi ſcil. proprietate, h. e. terris & prædiis quæ dominus hæreditariè (accipienti ſc. & hæredibus ſuis) non tradidit ſuis (ut vocant) tenentibus, ſed aut ſibi retinuit, aut ad annos aliquot, ſub certis etiam legibus elocavit. Vulgò,* Terræ Dominicales, & **Demaine-lands**. *Appoſitè igitur* Servitio *hîc opponitur: cum* in dominico tenere, & in ſervitio, *è diametro ſint contraria: poſterius nempe terram ſic, ut diximus, elocatam notat, ſc. non poſſidentis propriam, ſed quam eâ lege à Domino accepit ut aliquod ſervitium eidem exhibeat. Terras ejuſmodi* tenementales *vocant. Illud, Saxones* inlanꝺ; *iſtud,* uꞇlanꝺ, *al.* neaꞇlanꝺ, *vocârunt. V. Spelman. in voce* Inland.

Denariatus.] 1927.40. *Pretium rei quæ denariis æſtimatur: puta mercis, redditus annui, &c. V. Spelm.*

Denarius S. Petri.] 469.32. 802.24. *V.* Romepeny.

Denna.] 1776.16. *Locus ſylveſtris, aſper, & incultus, porciſque paſcendis accommodus: à* **denn**. *i. ſpelunca, cavea, ferarum latibulum vel cubiculum. Cogitandum tamen: interdum enim nec rarò,* Dena *ſcribitur, perinde ac ſi à* **Dene** *oriatur, quod Saxon. olim, ut nobis hodie, vallis. Spelman. vide in* Dena, *cui quandoque* **Drof**, *al.* **Drove**, *agmen vel armentum ſonans, ex eo fortè præpoſitum, quòd porci paſtum agminatim agantur: quorum agitator & curator, ſive cuſtos,* Drofmannus *olim dictus.*

Deſtrarius.] *V.* Dextrarius.

Deſubitare.] 824.31. *Morſu de ſubito lacerare. De cane dicitur in hominem de ſubito irruente, & morſu lacerante, ubi de damno ejuſmodi compenſando.*

Dextrare.] 598.50, 59. 671.41. 1130.20, 26. *A dextris ire vel incedere; ut* Siniſtrare. 671.42. *pro, à ſiniſtris.*

Dextrarius.] 704.40. 1082.58. *Equus militaris, & bello aptus. Gallis* deſtrier, & dextrier; *Chancero noſtro* deſtrer. *Sic autem (ni fallor) dictus à dexteritate: vulgò,* **a ready horſe**. *Poſtea,* 2408.53. *pro Cataphractario.*

Diffacere.] 150.28. *Vox in LL. Hen. 1. familiaris, ſed* defacere *ſcripta: idem eſt quod alibi* difficere, & diffigurare, *ſc. deformare, faciem ſive formam, decus ſive gratiam, adimere. Ut* hominem diffacere, *de eo qui oculum exſculpſerit, vel naſum præciderit, aut ſimile quid egerit. Angli adhuc,* **to deface**; *item,* **to disfigure**, *hoc ſenſu. Ad interſectionem etiam ſignificandam vox extenditur. Nempe ut oppoſita ſunt* facilis, & difficilis, fateor, & diffiteor: *ſic* facio, & difficio: *quaſi dicas, facio, ut quis non ſit. Similiter Sax.* ꝺoen & ꝼoꞃꝺoen, *pro facere, & deſtruere:* for *enim hic, ut* dis & de *illic, privandi vel negandi eſt particula. Hinc autem* Disfactus. 831.6. *pro deformatus, mutilatus, ab eodem etiam fonte Gallorum* deffaict, desfaict, *ut & noſtrum* **defeate**, *pro clades, ſtrages: quod Gallis al.* Deſconfiture, *à* deſconfite. *Unde* Diſconfituræ *vox apud Mat. Pariſ. cladem, cædem, ſtragem, ſignans, non* diffidentiam, *ut ibi explicatam habes. Hinc noſtrum* **Discomfiture**, *eod. ſenſu, ut &* **to discomfit**, *pro devincere, ſuperare, expugnare, &c.*

Diffidare.] 2549. *ult. Bellum indicere, vel hoſtem denuntiare, fide quæ ante fuerat renuntiatâ. Gallis* defier, & desfier, *Angl.* **to defie**. *à* dis, *negandi particula, &* fides: *cui contrarium* affidare, *de quo ſupra. Plura, Spelmann. Hinc* Diffidatus. 639.39.

Diffodere.] 896.65. *pro* Effodere. *De fure, ſaltem furti ſuſpecto, dicitur, occiſo ſc. & ſepulto, quem cognatus inſontem probare conatur. Sax.* ᵹiꝼ he clæne beo æꞇ þam oꞃꝺale, nime upp hiꞅ mæᵹ. *i.* Si Ordalio probatus mũdus evaſerit, tollat (*i. effodiat*) cognatũ.

Difforciare.] 830.41. 836.15, 19. *Vox in LL. Hen. 1. crebra, ut &* Deforciatio: *quarum poſterior,* recti *(ut ſolet) adjuncto, denegationem ſonat juris æqui, juſtitiæ ſc. quando ab eo petitur, cujus intereſt ut rectum fiat. Sax.* ƿiþeꞃ ƿiꞃnunᵹ. *Talis recti à Judice inferiori (Domino puta manerii, & ejuſmodi) requiſiti denegatio, juriſdictionem ſuam ei adimit, altiùs provocandi cauſam præbet, & in aliorum forum & poteſtatem juriſdictionem tranſire facit. De quo vide LL. prædict. ca. 22, 33, 59. exemplo fortè ducto à LL. Edgari, par. 2. ca. 2, & Canuti, pa. 2. ca. 16. Quaſdam alias vocis acceptiones, eam Forenſibus noſtris meliùs notam reddentes, vide apud Cowell. & author. Term. Jur. verbo* Deforſour.

Diraciocinium.] 1799.44. *Vide*———

Dirationamentum.] 2130.15, 42. *Utrumque à verbo*———

Dirationare.] 308.55. *al.* Diſrationare. 850.28. *Sic etiam in LL. Hen. 1. cap. 2. 29. Ubi, ca. 48.* Diſratiocinatio. *Hoc Normannico-Latinâ linguâ* Deraiſnia; *quod ad facti ſive criminis objecti negationem, & ejuſdem negationis præſtationem* (juſtificationem *vocant*)

vocant) reſtringunt Normanni; à probatione hoc modo diſtinguentes: Sciendum eſt (*ita vetus loci quod vocant Cuſtumarium, cap.*125.) quod probatio ſemper habet fieri ad factum ſuum probandum. *Deraiſnia* verò ad factum ſuum denegandum. Nemo enim tanquam actor ad factum alienum probandum debet admitti; nec etiam ad alienum factum *deraiſnandum. Ut rem, & vocis etymologiam pleniùs pernoſcas, audi cap. inſequentis principium: Deraiſna* autem eſt lex quædam in Normannia conſtituta, per quam in ſimplicibus querelis inſecutus, factum quod à parte adverſa ei objicitur ſe non feciſſe declarat. Et quoniam facti proprii unuſquiſq; præſumitur ſcire meliùs veritatem, *deraiſnia* de facto quod ei objicitur conceditur inſecuto, unde eſt quod homo *deſrainat* id quod proponitur ab adverſo, id eſt *diſrationat* & demonſtrat extra rationem vel ſine ratione. Et ſic per *deraiſniam* irritat quod contra ipſum propoſitum eſt ab adverſo. *Appoſitè doctiſſ. eques in voce:* manifeſtam mihi videtur (*inquit*) ipſa vox originem prodere à Latino ratiocinari; adjecto *dis*, quod in compoſitione contrarium ſæpe notat, ut δὺς creberrimè apud Græcos. Sic *diſcordare, diſſentire, diſſuadere, &c. Diſrationare* igitur eſt contrarium ratiocinando aſſerere, vel quod aſſertum eſt ratiocinando deſtruere. *Hoc Forenſibus noſtris hodie,* traverſare. *Plura ſiquis cupiat, adeat velim eund. doctiſſ. equitem in voce, & Cowelli* Interpr. *verbo* Dereyne.

Diſclamare.] 2027.38. *Vox fori noſtri. V.* Acclamare, *&* Calumpnia.

Diſclauſus.] 764.60. *Sax.* unтẏneꝺ. *i. minimè clauſus, apertus; quomodo ager ſepe carens, vel ſepto. A Gall.* deſclos, *unde & noſtratium* **diſcloſe.**

Diſcooperiri.] 1216.40. *Activè* diſcooperire, *id eſt, inquit Voſſius, operire, tegere, celare. Contrarium potiùs, ex adverſativâ particulâ,* dis, *præpoſitâ. unde noſtratium* **to diſcover**, *Gall.* deſcouurir, *It.* diſcoprire, *Hiſp.* diſcubrir, *pro revelare, detegere, quod tectum erat aperire. Hinc* Diſcoopertus. 1151. 25. *pro, detectus. Hinc etiam* Diſcooperator. 2575. 19,25. *pro, Explorator.*

Diſcredere.] 53.7. *it.* 60.36. 395:14. *Non credere, fidem derogare. Unde (ni fallor) & Gall.* deſcrier, *& noſt.* **diſcredit.**

Disfactus.] *Vide* Diffacere.

Diſparagiatus.] 1864. 26. *Connubio diſpari vel incongruo junctus: cum fœminâ ſcil. natalitiis vel dote viro inferiore, vel è contra. quod* Diſparagatio *dictum; unde verbum* diſparagare, *vulgò,* **to diſparage.** *Omnia à Gall.* Deſparager, *eod. ſenſu.*

Diſpenſa.] 930.65. 1191. 54 *Penaria, promptuarium. à Gall.* deſpence. *Vulgò,* **a Spenſe.**

Diſrationare.] *Vide* Dirationare.

Diſſaiſire.] 1166.37. *al.* Diſſeiſiare. 1231.28. *Bonis deturbare, vel poſſeſſione ſuâ exuere; quod in jure feudali* deveſtire. *unde* Diſſaiſina, *pro privatione poſſeſſionis vel dignitatis. quorum contraria* ſaiſire, *&* ſaiſina, *aliàs* ſeiſire, *&* ſeiſina, *pro poſſidendum dare, & miſſione in poſſeſſionem. atque hinc Forenſium noſtror.* **to ſeize, & ſeiſin,** *item* **to diſſeize, & diſſeiſin,** *quod hodie non dicitur niſi de prædiis: olim autem, ſaltem apud exteros, utique de bonis.*

Diſtrictio.] 1934.40. *Pignoris captio: item bona ipſa pignoris nomine capta. vulgò,* **a Diſtreſſe.** *Vox juris noſtri. V.* Namium, *& Spelmann. in verbo* Diſtringere.

Diſvadare.] 2252. *col.*4. *Rem oppigneratam redimere, & recuperare: cui contrarium* invadiare, *quod vide.*

Diviſa.] 657.2. 1459.48. *Vox fori, teſtamentum ſignans. fortè à Gallico* deviſer, *diſponere, ordinare. Alio tamen occurrit ſenſu infra,* 765.3. *ubi terræ partem ſive portionem notat, Sax.* ᵹeꝺale-lanꝺ, *quemadmodum etiam ſupra,* 611.11. *& alibi, niſi quis agrorum limites intelligendos malit; quo quidem ſenſu pluries in LL.Hen.*1. *ut & apud Bracton. fol.*180.*b.*

Diuſculè.] 1163.20. 1269.63. 1271. 1. *Aliquandiu, aliquantiſper.*

Domes-day.] 1864. 48. *Codex Angliæ cenſualis, totius regni deſcriptionem, duobus voluminibus exaratam, continens, tempore Guilielmi primi, Conqueſtoris dicti, & de ejus mandato ſcriptus, & Weſtmonaſterii inter Scaccarii. i. Fiſci archiva repoſitus. unde autem ſic dictus, inter alia plura, oſtendit Spelmann. in voce. Vulgò,* **Domes-day-booke.**

Domicella.] 884. 10. *à Domina, q.* dominula. *i. junior domina. Huntindon. ad ann.* 1000. *Dominam vocat, quæ hic* Domicella: *appellatio (inquit Cotgrav.) Galliarum regis fratrum minorum filiabus peculiaris: hic autem ad Normanniæ Ducis filiam extenſa, tractúque temporis amplioris adhuc ſignificationis; & tandem apud nos, ut hodie, puellam vel virginem omnem nubilem, adhuc tamen innuptam ſignificans, vulgò,* **a Damſell.**

Domicellus Abbatis.] 1784. 28. 1980.52. *Eodem ſenſu fortè, ac Gall.* Damoiſell, *ſcil. pro nobili juvene gladio militari nondum accincto.* Valettus *fortè, quod vide.*

Domigerium.] 2657.53. 2682.14. Dominigerium. 2605.57. *Damnum, jactura, detrimentum: vulgò,* **dammage,** *Gallis* dammage.

Dominicum.] 453.37. 695.19,27. 1046,36. 1168.35. *Idem quod alibi ſæpiùs* Dominium, *ut* 305.18. 306.27. 641.25,28. *quandoque* demanium, *ut ſupra, quod vide. Nec iis in aliquo diſſimiles terræ illæ* dominicales, dominicatæ, *&* indominicatæ *alibi dictæ, ut Spelmanno jam monitum in voce. unde* dominicatus, dominicatura, *& ſimilia, olim efficta, de quo Voſſ.*

Dominium.] *Vide* Dominicum, *&* Demanium.

Domnus.] 115.6. 191.21. *alibi* Dompnus. 370. 47. *Crebrum ævo ſequiori pro* Dominus: *ſed de eccleſiaſticâ dignitate fungentibus plerumque dictum.*

Dormitorium.] 1897.20,22, *&c. Monachorum commune cubiculum: vulgò,* **a Dormitory,** *uſitatiùs autem,* **a Dorter.**

Dorſale.] 61.51. *Matth. Pariſio, & aliis* Doſſale. *Pallium ſive aulæum à tergo menſæ dominicæ, in maceriâ ſive pariete, ornatus gratiâ, ſuſpenſum, aliter,* Frontale *dict.*

Doruvernia.] 184. *penult.* Paucis *Doruverniam* applicuit navibus. *item lin.*30. Caſtellum in *Doruberniæ* dominio. *Locum Florent. Wigorn.* Dorverniam *vocat, Malmesburienſis verò* Dovoram, *al.* Doveram, *Weſtmonaſterienſis* Doveriam, *qui* burgum *vocat, incolas autem,* burgenſes: *quò, cum authore noſtro, Euſtachium Boloniæ Comitem navibus applicuiſſe ſcribunt, de Caſtello in loci clivo mentione additâ. Ex quibus omnibus veri ſatis eſt ſimile, oppidum illud in agro Cantiano ad mare poſitum, arce munitum, Romanis* Dubris, *poſteris* Dovera, Dovoria, *dictum; non autem* Dorobterniæ *urbem,* Cantuariam *ſcil. à Saxonib. dictam, hîc intelligendam : eoſque erroris arguendos qui rem Cantuariæ geſtam volunt ; qui quidem locus, nomine à Romanis, ſeu potiùs Britannis, eorum præceſſoribus, impoſito, rectè* Dorobernia *dictus, ut nobis alibi oſtenſum : alter autem nunquam ſine errore, cujus arguendus eſt Thomas ille Walſinghamus in Ypodig. Neuſtriæ, ad ann.* 1067. *geſta quadam Dorobernia caſtello aſſignans, quæ, ſi Guiliel. Pictaven. & Order. Vitali illius ævi ſcriptoribus fidem habeamus, ad arcem ſpectant Doverenſem, ſive Dubrenſem. Hæc autem obiter, ut utrique locorum rectum reſtituamus nomen.*

Doſſerum.] 898.8,9. Corbis (*ut vocant*) doſſuaria. *à Gall.* dos, *i. dorſum : utpote à tergo equi geſtatum. Gallis*, Panier, *à panis, q. corbis panaria. Vulgò hodieque*, **a Doſſer**, *al.* **a Pannier.**

Dotalicium.] 86.8. *Quicquid Sponſæ à Sponſo datur :* ἀντιφέρνην: *doti contrarium, quod* φέρνην, *id ſcil. quod maritus accipit cum uxore. De priore Hotomann. ſic : Dotalicium* uſusfructus partis bonorum mariti, quam uxori propter nuptias dat, ut eo poſt ſuam mortem alatur. *Alibi hoc* & Morgengabe *confert : Morgengabe (inquit)* videtur idem apud Germanos fuiſſe, quod Germano-latini ſcriptores dicere ſolent *Dotalitium*, nonnulli *Doarium*, Græci *hypobolon :* hoc eſt, unde ſe tueri mulier mortuo marito poſſit, qua de cauſſa *Vitalitia* quoque appellantur, quaſi quæ utenda fruenda mulieri in omne vitæ ſuæ tempus attribuuntur. *Huic, ni fallor, reſpondet Sax.* ꝼoꞃꞇeꞃlean, *de quo infra.*

Dotarium.] 1113.47,48. *Idem quod* Dotalitium, *ſupra.*

Dreſſorum.] 2011.4. *Abacus, vaſarium, repoſitorium. Gallis*, Dreſſoir, *nobis* **a Dreſſer**, *al.* **Dreſſing-board.** *Vocabular. vetus Anglo-Latin.* **Dreſſur or Dreſſing-boord:** Dreſſorium, Directorium. *Hoc Belgis*, **Tritſoor**, *al.* **Treſoor**, *atq; hinc, aut ego fallor, Refectorii ornamentum illud,* Triſorium *dictum, de quo, ex Magno Chronico Belgico, Voſſius : quod ipſe, affinitate ſoni, ut videtur, deceptus, gazophylacium ſive ærarium (quod Belgis,* **Treſoorie**) *interpretatur.*

Dretum.] 896.62. *Mendosè pro* Hundretum. *Sic enim Saxon. in Textu Roffen.* Anᵭ ᵹiꝼ ƿpa þeoꝼ clænꞅian ƿille, lecᵹe an C. ꞇo ƿeᵭᵭa, *&c. Verſionem ita corrigo :* Et ſi quis furem purgare velit, unum *hundredum (centum ſolidos intellige)* in vadio ponat : dimidium apud terræ dominum, dimidium apud præpoſitum regis intra portum, & adeat triplex *Ordaleum.* Si mundus ſit in *Ordalio*, effodiat cognatum ſuum : ſi verò ſit immundus, jaceat ipſe fur ubi jacebat, & centum (*ſolidi ſcil.*) pendantur, *pignore ſc. depoſito mulctetur.*

Drinclean.] 931.35. *Tributum potus, ut hîc : Lambardo verò*, dona potionis honoraria. *Idem fortè quod alibi* Scotale, *de quo infra. Vox compoſita à Sax.* ᵭꞃinc, (*quod nobis manſit*) *potus, &* lean, *ſtipendium, merces, tributum ; unde noſtrarium* **Loane**, *pro lucro ex uſurâ, & ſimil.*

Dromundus.] 624.24,27. *Ingens navigii genus. Matt. Pariſ. in Hen.* 1. Apparuit ei navis quædam permaxima, quam *dromundum* appellant. *A Gallico* dromant*: hoc autem à Græco*, δρόμος, *curſus. Ethelwerdo Saxoni*, dromon, *&* dromonus.

Duellium.] 222.18. *Corrige*, Duellum. *Singulare certamen intellige, quod genus examinis, cum in Anglo-Saxonum monumentis, quod ſciam, non occurrat, Normannis eorum ſucceſſoribus, ut veriſimile eſt, debemus, à quibus è Normannia, poſt conqueſtum (ut vocant) huc adductum reor.* Hoc genus——à Normannis (cum Anglis illis antiquioribus antea ignotum erat) invectum eſt. *Sic author Antiquitat. Britannic. pag.* 103. *Truculentum morem in omni ævo acriter inſectarunt theologi, & ab eo, principum clementiâ, excuſantur plures : inter alios, cives Londinenſes, ut in chartâ libertatum eis ab Hen.* 1. *conceſſâ, legibuſque ſuis inſertâ : ſimiliter cives Cantuarienſes, Henrici* 2. *diplomate, in hac verba :* Conceſſi etiam eis——quod nullus eorum faciat *duellum*, & quod de placitis ad coronam pertinentibus, ſe poſſint diſrationare ſecundum antiquam conſuetudinem civitatis, *&c. Regale quidem privilegium, duelli caſus (ne dicam impietates) vitandi gratiâ civibus indultum ; cui illud ſimile Cantianis omnibus, in terris quas poſſident (ut loquuntur) in* **Gavelkynd**, *olim erogatum, de quo in agri illius ut vocant Cuſtumario apud Lambardum, non procul à fine. Vide Glanvil. li.*2. *ca.*3. *li.*14. *ca.*1. *Plura autem videas apud doctiſſ. equit. verb.* Jurata. Lex apparens. Aſſiſa. Adhramire. Judicium Dei. *Item Tholoſan. Syntag. jur. lib.*48. *ca.*15,16. *Quercetan. Not. ad Bibliothecam Cluniacen. pag.* 160,161. *Lindenbrog. verb.* Campio. Duellum. Pugna. *Supereſt apud nos hodie in ſolennioribus juris actionibus, licet rariùs in uſum veniat, ut fuſiùs oſtendit doctiſſ. eques, verb.* Campus, & Lex apparens ; *cujus ibidem, ut & alibi, conjecturæ aſſenſum meum facilè præbeo, de* Juratarum *ſcil. noſtrarum, (judicii nempe apud nos duodecemviralis) ſi non origine, ſaltem reſuſcitatione, & frequentiori deinceps uſurpatione, ab Henrico ejus nomine ſecundo, quo tempore (Glanvilla teſte, li.*2. *ca.*7.) Duellum *in tanto, licet non in toto ſuſtulit is ; cum utique temporibus anterioribus rei rarum, nominis autem (duodecemvirale judicium intelligo) nullum apud nos extet veſtigium, quicquid alii ſomniarint in contrarium. Vide* Bellum.

Duploma.] 604.64. 620.32. *Pro* Diploma ; *eâ nempe vocis ſignificatione, quâ apud juriſconſultos accipitur pro itineris feſtinatione, quum per dies ſingulos duo itinera conficiuntur.*

E.

EAhtayn.] 900.33,35. *Octo homines, vel numerus hominum octonarius.*

Ealahus.] 826.10. *Vox Saxonica, cauponam ſignans, vel popinam : ab* eale. *i.* cerviſia, *veterum Anglorum potu, &* huꞅ, domus ; *unde noſtratium* **Ale-houſe**, *pro compotationis domo. Simile habes in LL. Inæ reg. ubi de rixâ inter convivas, & ejus animadverſione : quemadmodum etiam in LL. Hen.* 1. *cap.*81. *Ad pleniorem autem rei noticiam, quædam de veterum Germanorum (à quibus tum Normanni, tum Saxones oriundi) moribus paulo altiùs petenda ſunt. Audiamus igitur, qui de illis ut luculentiſſimè ita fideliſſimè ſcripſit, Cornelium Tacitum, inſignem illum Hiſtoricum, in peculiari tractatu de morib. Germannorum :* Diem (*inquit*) noctemque continuare potando nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ, rarò convitiis, ſæpiùs cæde & vulneribus transſiguntur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique & bello plerunque in conviviis conſultant: tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. *Hoc, in parte, & de aliis quoque nationibus tradit Quintil. in Declamat. his verbis:* Ut ſevera nobis antiquitas tradidit, infeſtos animos placavere menſæ, & homines qui inter ſe armis atque exercitibus conflixerant, tuti tamen jacuere mediâ cœnæ fide. *De hoc autem pluribus Cluver. German. antiq. li.1. ca.42. Schedius de Diis German. ca.35. Id hodieque durare inter Germanos teſtatur vir doctus in libro Anglico nuper edito, cui titulus:* **A Diſcourſe concerning the Lords Supper by R. C.** *quibus (inquit)* **Den friden trinchen,** *pro* pacem bibere. *Potationum hujuſmodi quædam (ni fallor) umbra adhuc manet nobis in* Alis, *ut vocantur; ubi, quemadmodum etiam in* Vigiliis, *(vulgò,* **Wakes**) *convenitur, non ſolùm convivii cauſâ, ſed & ut jurgia, lites & controverſiæ inter vicinos ortæ audiantur & componantur. Vide Carei Notitiam Cornubiæ, pag.68. & Chauceri Interpretem, in voce* Vigils.

Eaſtintus.] 837.24. *A Sax.* eaꞅꞇ ınne. *i. orientalis plaga vel regio: ab* eaꞅꞇ, *oriens, &* ınne, *cubiculum, cella, caverna; & per tranſlationem, plaga, regio; quidvis nempe loci limitibus incluſi, & ab alio diſterminati.*

Ebdomadarius.] 953.15. *Reſcribe* Hebdomadarius: *quomodo vocarunt eum ad quem vices devenere, ſive in eccleſiâ ſacra faciendi, ſive in monaſterio res familiæ neceſſarias adminiſtrandi, qui ordo hebdomadæ quaque variabat.*

Eberemurder.] 929.20.1. probatum murdrum. *Vide* Abarnate.

Eccleſia commendata.] 456.49. 593.29. titulata. 439.39.456.49. *Prior eſt quæ plerunque ad certum tempus cuſtodienda regendaque collatione revocabili, alicui, tanquam fidei commiſſario, concreditur, abſque titulo, ut dicunt; quo titulo qui donatus, nomine & jure proprio, quoad vixerit, poſſidendam eccleſiam obtinet. Hinc in jure Canonico, eccleſia in* Commendam, *& eccleſia in* Titulum *collata, ubi ſemper, ut & hîc, inſtar contrariorum, opponuntur. Vide Hiſtor. Concil. Trident. li. 6. pag.500. & Duaren. de benefic. lib.5. cap.7.*

Eccleſiæ ruſticus.] *Vide* Ruſticus.

Edeling.] 366,40,65. *Vide* Adelyng.

Edia.] 2682. 4. ——qualiter quoque onera incumbentia regi & regno levius ad *ediam* communitatis ſupportari poterunt. *Ubi* ediam *fortaſſe pro* eſiam, *vulgò,* **eaſe.** *i. levamen.*

Elargatio.] 2276. *col.4. Augmentum, ampliatio. Vulgò,* **enlargement.** *A Gallico* elargir, *ampliare, dilatare.*

Elemoſina regis.] 150.39. *Numus Romæ pendendus. Denarius ſc. ab Ina occiduorum Saxonum rege, primò; poſtea verò ab Offa Merciorum rege, ex ſingulis regni ſui domibus ſive familiis Romæ collatus: unde* Denarius S. Petri, **Romeſcot, Rome-peny, Romeſeoh, Harth-peny,** *&c. aliàs dictus, de quibus ſuis in locis.*

Elemoſina pro aratris.] 469.31.901.62. Carucarum. 920.1. *Arationis elemoſyna, Lambardo: Sax.* ꞅulhælmeꞅꞅe. *à* ꞅulh, *aratrum, &* ælmeꞅꞅe, *nobis* **almes,** *eleemoſyna. Denarius fuit in ſingula aratra impoſitus, pauperibus eleemoſynæ nomine erogandus, & ab Ethelredo rege (ut quidam exiſtimant) inſtitutus: ſed falluntur, cum in LL. Edo. ſenio. nominatim occurrat.*

Elemoſinaria.] 1799. 39,57. *Munus Eleemoſynarii. Item domus monaſterio contigua, ubi pauperes quidam, monachorum eleemoſynis ſuſtentati, ſimul habitarent, vulgò,* **the Almnery.** *Cui quidem loco, ſive domui, tum in ædium reparationem, tum in pauperum ibi hoſpitio donatorum victum & veſtitum, prædia quædam olim attributa, vulgò,* appropriata: *quorum omnium cura alicui loci monacho commiſſa, qui ideo* Eleemoſynarius *dictus, vulgò,* **the Almner,** *al.* **Almoner.**

Eleemoſinata poſſeſſio.] 658.10. *Prædium ſcil. vel terra, eleemoſinæ titulo poſſeſſa, atque poſſeſſori eo nomine originitus conceſſa: cujuſmodi ſunt Monaſteriorum, xenodochiorum, & locorum iis ſimilium, prædia; in puram ſcil. & perpetuam eleemoſynam plerunque collata.*

Emenda.] 308.45. *& ſæpe,* Emendatio. 42.44. *Videatur doctiſſ. equit. Gloſſar. in voce; ubi* emendam, *&* emendationem, *per id exponit quod in reſtaurationem damni tribuitur; à Gall.* amende, *&* emende. *Unde noſtratium* **amends.** *In hoc (inquit) à mulctâ differt, quod mulcta judici, emenda verò parti læſæ datur: laudato hoc fine ſpeculo Saxonico, cui convenit quod è Judicio Saxon. art.53.l.3.* Landrecht, *per Gryphiandrum, in ſuo de Weichbild. Saxon. tractatu, cap. 58. nu.21. allatum,* **Wette gibt man dem Richter, Buſſe aber dem klager.** *i. (memetipſo interprete)* Mulctam judici dato, emendam habeat actor. *Diſtinctio quidem hodie obſervata, nec nuper inducta, licet initio fortè ſecus res habuerit. Olim enim mulctâ ſub emendationis voce comprehendebatur, quæ Sax.* boꞇe *dicta: unde cauſas diſtinguit Hen.1. cap.12. in* emendabiles, *&* inemendabiles. *i. mulcta pecuniariâ redimendas, vel non: quarum poſteriores, Saxonum linguâ* boꞇleaꞅ *dicta, heic enumerata col.929.18,19,20,21. Ex ſcelerum inexpiabilium genere ſunt, aut ſimilium, quæ Teutonicis* **Ondaet,** *de quo vide Buchel. Not. in Hedæ Hiſtor. Ultraject. p.238. & Kilian. in voce. Plura adhuc in* Agild, Botolos, Inſolutus, Orgilde, Ungeld.

Emunitas.] 1576.48. *& alibi. Pro* Immunitas.

Encennia.] 731.41. ——& religionis *encenniis* ſolempnitatem celebret. *Lege* religioſis encæniis; *quæ Bedæ, lib. 1. cap. 30.* religioſis conviviis *dicta.*

Eodorbryce,] 826.13. Ceorli *Eodorbryce.* i. ruſtici ſepis fractio. *ab* eoꝺoꞃ, *ſepes, &* bꞃẏce, *fractio, effractura.*

Equilocus.] 129.65. *Elfred* rex *Saxonum* audaciſſimus, ducum navali prælio ſuffultus, contra paganicas naves in mari congreſſus eſt. Ex quibus ipſe *equilocus* duas potenti virtute naves exuperavit, *&c. Ubi quid ſignificet* equilocus *anceps ipſe, aliis explicandum relinquo. Fortè, ſibi non favens, cavenſve; nec periculum fugiens: ſed ad omnem eventum paratus; quaſi æquo nunc cum ſuis commilitonibus contentus loco. Niſi potiùs* equilocus *hîc, monachicâ (ut ita dicam) licentiâ, pro* æquiloquus. *Rex autem iſte ab æquitate & juſtitiâ longè latéque fuit celeberrimus, & ab Aſſerio, qui vitam ejus deſcripſit,* veridicus *appellatur.*

Erminius.] 642.53. *Idem fortè, qui doct. Spel-*

manno & Voſſio, Arimannus, *ſive* Erimannus, *quam vocem conflatam exiſtimant à Sax.* heꞃe, *quod non ſolùm exercitum, ſed etiam dominum ſignificat : &* man, *h. e. vaſſallus, ſive cliens. Ut poſteriorem vocis partem, de quâ minimè dubitandum, mittam, priorem videamus. Nondum equidem mihi occurrit vox* heꞃe, *pro Domino, monumenta inter Saxonica, ut nec vel equiti ipſi doctiſſ. quem in hanc rem vide in voce* Here. *Vox ſi ſit Saxonica, ductam mallem ab eorum* aꞃe, *honor, &* man ; *q.* arimannus *ſit, qui honorem domini conſervare & promovere teneretur, qualis ille qui* Fidelis miniſterialis *dictus, de quo idem doctiſſ. eques in voce* Fideles. *Ubi, ultra id quod à vaſſallo communi requiritur, de domini ſui honore cuſtodiendo jurat. Tales autem aliàs dicuntur* Familiares, *&* Domeſtici, *utpote è familiâ dominicâ. Hinc, inquam, fortè vox petenda ; niſi, quod mihi quidem magis arridet, quis malit à Sax.* hẏꞃan, *obedire, ſubjacere, auſcultare : unde* hẏꞃemon, *pro* ſubditus, *vel* ſubjectus, *quomodo apud Spelmann. Concil. p.*601,602. *formâ Latinâ* hiremannus, *ut hîc.* 855.42.

Erthmiotum.] *Vide* Bilage.

7 Eſcaeta.] 659.21. 1099.61. *A Gallico* eſcheoir. *i. cadere, accidere, vel contingere. Significat bona, terras ſcil. vel prædia, quæ Domino feudi obtingunt ob delictum feudatarii, aut defectum hæredum ; feudatario ſc. decedente ſine hærede : aut aliàs nonnunquam ſumitur pro ipſâ confiſcatione. Atque hinc officiales vel miniſtri eſcaetis, in uſum fiſci, exquirendis accommodati,* Eſcaetores *dicti. Vulgò,* **Eſcheators** : *res autem,* **Eſcheats.** *Juſtinianiſtis, bona caduca.*

Eſcambium.] 702.60. 703.34. 1776.3. *pro* Excambium, *h.e. permutatio. Unde* Excambiatores. 654.31. *pro trapezitis, numulariis, argentariis, & ſimilibus.*

Eſcapium.] 1917.8. *Fuga, evaſio. Vulgò,* **an Eſcape**. *Vox Gallica.*

Eſcarletum.] 1149.24. *Coccum ſignat, vel Coccocinū, fortè à Gall.* Eſcarlate, *unde noſtratium* **Scarlet.**

Eſiamentum.] 2143.39. *Vide* Ayſiamentum.

Eſſoniare.] 2034.22. *Eſt (inquit eques doctiſſ.) excuſare aliquem in foro, qui indictâ die non comparuerit ſubmonitus ; cauſamque impedimenti apud judicem promovere. Aliàs* Exoniare. *A Gallico,* Eſſonnier, Eſſoyner, Exonier, *eo ſenſu. Hinc etiam* Eſſoniator, 1933. *ult. pro eo qui alterius abſentiam ſic excuſat. Gallis* Exoniateur, *nec aliunde Forenſium noſtratium* **Eſſoine** ; *eorum Latinitate,* Eſſonium : *quod quidem multiplex, ut apud eundem equitem videre licet.*

7 Eſterlingus.] 1155. 38. *Denarius Anglicanus, olim ſic, hodie* **ſterling,** *dictus. Vocis (ni fallor) origo à Sax.* ꞅꞇeoꞃe[a]. *i. lex, canon, regula : quòd ejuſmodi numus legi vel canoni numario (de quo Spelmannus in voce) ſit conformis, numus ſcil. formâ pariter & pondere legalis, ſive regularis ; unde noſtratium* bona & legalis moneta Angliæ: ling *addito, in vocis productionem, ut quibuſdam viſum : potius, ut opinor, cum Butlero*[b] *noſtro, (quemadmodum in* **Dearling, Wearling, Fondling, Hireling, Shaveling, Stripling, Worldling, Changeling, Suckling,** *&c.) ut verbi cui adjungeretur notaret ſubjectum. Parum interim me movet quorundam objectio, qui de tantâ vocis antiquitate, nimirum Saxonicâ, ancipites, altum de eo in monumentis illius ævi ſilentium huic etymo obſtare volunt ; cum quidem inter vocabula apud nos antiqua, nondum penitus obſoleta, quædam ſint, quæ licet ante Normannorum adventum, in monumentis noſtris, ſanæ ſaltem fidei, nuſquam, quod ſciam, occurrant, Saxonica tamen originitus eſſe alibi*[c] *ſat planè indicatum exiſtimem : qualia* Gavelkind, Gavelmannus, Socmannus, Socmanria, Socagium, Scotale, *cum ſexcentis aliis.* ¶ *Præterea demus vocabulum apud Saxones non extare ; vix tamen ante ſubacti erant à Normannis, quàm verbum à noſtratibus uſurpatum. Eodem enim ævo, nummi* ſterilenſis *mentio, ſc. apud Orderic. Vitalem, Uticenſem Cœnobitam, natum ann. Dom.* 1075. *qui in Hiſtor. eccleſ. li.* 5. *ſub anno* 1082. *Rogerium de monte Gomerici in fundatione Scrobesburienſis monaſterii ſic à quodam compellatum refert :* In primis advenientibus monachis cum cementario, ad jacendum monaſterii fundamentum ; ad inchoationem ejuſmodi porrigam xv. lib. *ſterilenſium. Nec minùs (imò magis adhuc) hic appoſitus ille locus ex eodem authore ab ornatiſſ. LL. Hen.*1. *editore*[d], *in ſuâ ad lectorem præfatione, pag.* 154. *adductus :* Regi (*Conquæſtori*) ut fertur mille & ſexaginta libræ *ſterilenſis* monetæ, ſolidiq; triginta, & tres oboli, ex juſtis reditibus Angliæ per ſingulos dies redduntur, *&c. Adde his ipſiſſima Conquæſtoris verba in chartâ quadam Uticenſi monaſterio conceſſâ, & ab eodem Orderico, pag.* 602. *exhibitâ :* Mabilia verò ejuſdem Comitis filia, de reditibus ſuis in Anglia lx. ſolidos *ſterilenſium* pro decimis ſuis dedit S. Ebrulfo per ſingulos annos ad luminaria eccleſiæ, *&c. Poſteris remanſit eadem vox, uſurpata ſiquidem temp. Guilel.*2. *& Hen.*1. *eod. Orderico teſte, pag.*768,786,788. *Nec longè poſtea, ſub Hen. ſc.* 2° *occurrit iterum, mutata tamen in* ſterlinum. *Robertus enim de Betuna, advocatus Atrebati, chartâ ſuâ ſuper eo confectâ*[e], *ad feudam firmam (ita MS.) conceſſit Abbati & conventui S. Salvatoris de* Feverſham *totam terram ſuam de Meſſewella cum omnibus pertinentibus in perpetuum, pro decem libris* ſterlinorum : *eodem abbate & conventu, compenſationis ergô, conceſſori & ſuis centum marcas* ſterlinorum *retribuentibus. Tandem, nec longè poſthac*[f], *ad formam pervenit vocabulum quâ nunc vulgò ſcribitur,* **ſterling** *ſcil. variatâ tamen interdum formâ illâ in* **Eſterling** : *occaſione inde quibuſdam tributâ, nec paucis iis, nec indoctis, nomen illud quibuſdam, ab orientali hinc ſitu,* **Eſterlings** *vocatis, aſcribendi, quos aſſerunt huc aliquando venientes, artem purgandi argenti, etiam flandi & feriundi, celebrem reddidiſſe, nomenque ſuum facto deinceps reliquiſſe. Cum autem horum Eſterlingorum adventum ad Johannis regis ævum referant, fidem rei labefactant, utpote cum longè antea (ſub ingreſſu ſc. Normannorum, temporibus etiam Gul.* 2. *Hen.*1. *&* 2.) *vocabulum iſtud, formâ quâ priùs, ſat planè occurrat. Quinimò, forma hæc ſcribendi* Eſterlingorum *cum* E *ſc.* ſterlingo *præpoſito, ut veriſimile eſt, Galliciſmum*[g] *ſapit. Gallis enim (cum Hiſpanis) in more fuit, & eſt, pluribus vocibus Latinis, ut & Anglicis, quibus ab S. literâ initium, E. præponere, ſuaſq; facere : quod quidem accidiſſe* ſterlingo *noſtro nihil mihi veriſimilius viſum, ubi tandem, occaſione & cohabitationis & commercii, nobiſcum, in uſurpatione vocabuli, Galli communicarunt.* ¶ *Quod ad illud argumenti eorum*

[a] *Quod à* ꞅꞇeoꞃan *regere, gubernare : unde* ꞅꞇeoꞃeꞅman, *pro navarcho.*

[b] *Grammat. Anglic. cap.* 3. §. 1. *pag.* 36.

[c] *Tract. de* **Gavelkind.**

[d] D. Rog. Twyſden. *eq. aur. & baronett.*

[e] *In archiv. Archiep. Cantuar.*

[f] *Jo. Saresbur. enim* ſterlingorum *meminit. Epiſt.* 31.

[g] *V. Merulæ Coſmog. par.* 2. *li.* 2. *c.* 1. *Beſold. de nat. pop. c.* 18. *verb.* Eſcarlatte. *Voſſii Gloſſ. verb.* Sunnis, *&* Eſterling.

rum adminiculum attinet, qui Eſterlingis *illis vocabulum hoc, ut diximus, attribuunt, (nempe quod in transmarinis regionibus vox recepta ſit, ut è Jure canonico non ſemel liqueat, in cap. ſc. 3. de Arbitris, & cap. Conſtitut. 12. de Procurator.) hoc verum fateor. Advertendum tamen, decretales illas Epiſtolas ad loca ſpectare, vel noſtra (regis ſcil. noſtri) tunc temporis ſubjecta ditioni, ut Lexovium in Normannia; aut commercio noſtro (ut vicinitatem taceam) celebria, ut* Calais; *talia nimirum loca, quorum incolæ, ut in mercibus, ſic etiam in vocibus, mutuo ſaltem commercio (qualis hæc præ aliis) neceſſariis, nobiſcum communicarunt. Adde his, quod exteri vocem non agnoſcunt, ſed planè abdicant, ut Anglis propriam, inter alios, (præter Polydor. Vergil. Hiſt. li. 16. & Covarruviam, in veter. collatio. numiſmat. cap. 2. nu. 12. ubi, ex eodem Polydoro, Anglicanam indicat:) Bachelius, Notis ad Beka Chronica Ultraject. pag. 51.* Sterlingorum moneta *(inquit)* Anglicana eſt. *Kilianus etiam, de variis variar. regionum libris, exponendi ergò, verba faciens,* libram ſterlingorum, *Teutonicis* **pond ſterlincks**, *Anglicanam appellat. Quibus concordant Heniſchius, in tractatu de Aſſe, & partibus ejus pag. 225. Sterling (inquit)* eſt commune monetæ nomen in Anglia, &c. *& Paulus du Maii, Notis ad Innocentii 3. Epiſt. p. 236. Freherus etiam, de re monetaria, cap. 3. Sterlingus (inquit)* in Anglia, Scotia, & Hibernia. *Quâ quidem voce ſic domum revocatâ, ad reliqua pergamus.*

Evidentiæ.] 2207. 31. *Illæ donationum tabulæ, ſive codicilli, quæ Saxonibus* **Landbocs**, *q. prædiorum libri; Normannis* Chartæ *dictæ. Vulgò, (quia rem faciunt evidentem)* **Evidences**.

Ewice.] 859. 9. *Corrige,* Ewbryce. *i. adulterium: ab* æƿ, *conjugium, &* bꞃyce, *(nobis hodie* **breach**) *violatio: quòd conjugium adulterio violetur. Hinc fidem tori frangere, Germanis eſt* **ehe-brechen**, *Belgis,* **ee-breken**: *adulterium,* **ehe-brech**, **ee-breke**.

Exaninatio coporis & ſanguinis Domini.] 451. 8. *aliàs probatio, vel purgatio per Euchariſtiam, de quâ conſulendus doctiſſ. eques in* De priſcis ſuſpectorum examinibus, *Judicium Dei* nuncupatis; *ubi Lotharii regis hic memorati examen iſtiuſmodi nominatim exhibitum.*

Excaeta.] 1938. *V.* Eſcaeta.

Exenium.] 1307. 17. 1478. 20. *& alibi ſæpe. Vide* Præſentia.

Eximperatrix.] 1339. 29, 33. 1346. 14. *& alibi. Imperatoris vidua. De Matilde, quondam Henrici imperatoris uxore, dictum.*

> Exitus.] 1941. 1. *Fructus, redditus, proventus.*

Exlegare.] 186. *penult.* 187. 64. *Exlegem reddere, vel beneficio legis exuere, adeò ut lege agere non valeat. Talis, Forenſibus noſtris* Utlaga, *vulgò,* **an Outlaw**.

Exoccupare.] 500. 15. 565. 64. *De poſſeſſione dejicere, pellere, vel removere. Aliam invenias votis ſignificationem apud Voſſ.*

Exordinare.] 824. 20. *Sacerdotali gradu ſpoliare, vulgò,* degradare, *i. de gradu dignitatis ſuæ dejicere. Sax.* unhaꝺian: *ab* un, *particulâ privativâ, &* haꝺian, *ſacris initiare, vulgò,* ordinare.

Ex poſſibili.] 837. 67. *Ita,* poſſibilitatis accuſari. 825. 41. *hoc eſt, de malo vel damno aliquo datâ operâ, & voluntariè, facto; cui contrarium* ex impoſſibili; *ſc. non datâ operâ, ſed invitè. Huc pertinet illud* 929. 56. Et ſi quiſquam agat aliquid *impoſſibiliter*, non eſt omnino ſimile ac ſi voluntariè faciat. *Ubi Lambardus.* Neque verò ejus rei quam quis invitus, ac voluntarius fecerit, una eademque habenda ratio. *Hæc Saxonibus* ᵹeƿealꝺeꞅ, *&* unᵹeƿealꝺeꞅ. *Mitiùs tamen licet hoc in caſu agendum ſit, & in tanto, ut dicunt, authorem excuſet, non tamen in toto, vel ex integro. Unde proverbium illud Saxonicum in LL. Hen. 1. cap. 90.* Brech ungewealdes, bete gewealdes. *i.* **Unwittingly offend, wittingly amend**. ᵹeƿealꝺ *enim Sax.* poſſibilitas, unᵹeƿealꝺ, impoſſibilitas. *Monendum hic, locum in LL. Sax. unde voces iſtæ hauſtæ, Edo. ſc. ſenio. cap. 8. ab authore noſtro perperam hic Latinè verſum*, ex poſſibili, vel impoſſibili: ne ꝼulhaꝥƿan ne ꝼꞃiþian ne ꝼeoꞃmian, ƿilleꞅ ne ᵹeƿealꝺeꞅ: *i. (ut Lambardus probè)* Nemo cum ſceleris damnato pacem habeto, neve eam ſciens volenſque hoſpitio excipito.

Extolneare.] 897. *penult. Teloneo (quod vulgò nobis* **Tol**) *liberare.*

Extorpari.] 860. 6. Et de ſervis, ſi qui furentur, ſenior ex eis capiatur, & occidatur, vel ſuſpendetur: & aliorum ſinguli verberentur, & *extorpentur*, & truncetur minimus digitus in ſignum. *Fortè reponendum* extorqueantur; *niſi malis* extirpentur, *de terrâ ſc. vel patriâ. i. exterminentur.*

Extracta.] 2181. 15. *Sic vulgus leguleiorum, pro* Excerpta. *Anglicè,* **Eſtreats**. *Heic autem ſubſtantivè ponitur, & ſignificat verum archetypi alicujus exemplar integrum,* (copiam *vocant:) aut notas inde ſumptas, puta mulctarum in actis curiæ conſcriptarum; ut per Ballivum, aut alium ejuſmodi miniſtrum ab eis quibus fuerint impoſitæ exigantur.*

Exulatus.] 923. *penult. Exul factus.*

Exuperare.] 129. 66. 859. 56. *pro ſuperare, ſubjugare; item capere vel prehendere. Quod autem hic, loco poſter.* Exuperent, *&* 830. 28. exſuperetur, *Saxonicè habetur* ᵹeƿylꝺe, *quod idem eſt ac prehendito, vel in poteſtatem redigito, vulgò,* capias, *(unde Forenſium noſtrorum Breve,* **Capias** *dictum) à* ᵹeƿylꝺan, *al.* ᵹeƿealꝺan, *regnare, dominari, imperium tenere. Hinc noſtratium,* **to weild the Scepter**, *quod de rege dictum imperium tenente.*

le Eyre.] 2605. 15, 40. *Vide* Iter.

F

FActio.] 763. 61. 767. 61. *Sic interdum Latinè fecerunt Saxon.* ꝼæhþe; *quod idem ſignat ac alibi* faida, feida, guerra, *Anglicè,* **fewd**; *(unde noſtratium,* **deadly fewd**) *ſic, opinor, dictum à Saxonico* ꝼah, *quod nobis hodie* **foe**. *i. hoſtis vel inimicus; &* haꝺe, *junioribus* **hode**, *&* **hood**, *Teutonicis* **heyd, heit, hut**, *quod in ejuſmodi vocum terminatione, conditionem, qualitatem, naturam; ſignat: & ſic* **fewd**, *q.* fah-hade, fah-hode, *& ſimil. i. qualitas inimica, vel hoſtilis; pura puta inimicitia. De poſteriori compoſiti parte, pluribus infra in voce* feudum, *ut & in tractatu noſtro de* **Gavelkind**, *cap. 4. De* faidis *opera erit adire Lambard. verb.* Capitales inimicitiæ, *& doctiſſ. equitem in voce, &* Guarra. *Videatur etiam Glanvill. li. 9. cap. 8. ad* *cujus uſque tempora ſævus iſte mos (ut videtur) duravit. Hæc enim ejus ſunt verba*: Utrum verò ad *guerram* ſuam manutenendam poſſint domini hujuſmodi auxilia exigere quæro, *&c. Hujus autem (ut quidam exiſtimant) umbram tenet Forenſium noſtrorum*, **Appeal de moꝛt.**

Fagatum.] 2007.13. *Faſcis, quod Gallis & Anglis*, **Fagot.**

Faida.] 861.2. *Vide* Factio.

Falangus.] 1075.31. ——— & vice palliorum *falangis* nigris utitur. *Girald. Cambren. Topog. Hibern. diſtinct.3.cap.*10. phalingis laneis. *i. Cambdeno interprete*, ſagis ſive lacernis villoſis. *Vulgò*, **Jackets.**

Fallum.] 2756.5. ———ſine *fallo* rediret in Angliam, *&c. i.e. planè : vulgò*, **without faile.** *à Gallico* faillir, *ut hoc à Latino*, fallo.

Falſare accuſationem.] 872.11. *eſt accuſationem tanquam falſam refellere, & arguere.*

Falſitia.] 2683. 49. *Perfidia : Vulgò*, **falſitie.**

Familia.] 92.16,31. 7588.57. 790.8. *Terræ portio uni familiæ alendæ ſufficiens, & in eam rem deſtinata. Sax.* hiꝺe. *Unde fit, ut ubi Beda* familiam, *Saxonicus ejus interpres coætaneus paſſim* hẏꝺe *redderet. Anglo-Normannis* Carucata terræ, *quod vide.*

Fehthe.] 766.24. *Vide* Factio.

Felo.] 1964.51. *Vide* ——

Felonia.] 1104.41,47. *Apud nos ſonat omne crimen capitale infra* læſam Majeſtatem. *Eſt autem à* felo, *ut hoc fortè à Germanico* **faelen**, *vel* **feelen**, *Sax.* ꝼeollan, *h.e. errare, delinquere, cadere ; unde noſtratium* **fall**, *quibus Adami, primi hominis, lapſus, peccatum, error*, **Adams fall** *dictum. Quotuplex autem* felonia, *multis oſtendit doctiſſ. eques in voce. Vox forenſis, & vulgò notiſſima.*

Feodarius.] 2418.35. 2419.40. *Aliàs*, Feudatarius, *qui ſc.* feudum *à domino vel patrono conceſſum, accepit. Vulgò*, Vaſſallus.

Feodatus miles.] 979.39. Feudatus miles. 213.21. *Feudum, vel feodum, qui poſſidet militare ; quale id (inquit Spelmannus) quod nec à principe, nec à capitaneis regni, ſed à mediis (qui vocantur) dominis, nimirum Baronibus, Valvaſoribus, Caſtellanis, ſuis erogatur militibus : de cujus quantitate non convenit : quum anguſtior aliàs ſit, propter terræ bonitatem ; extenſior aliàs propter ſterilitatem. Sic ille.*

7 Feodi firma.] 1863.39,48. *Prædiorum eſt poſſeſſio, quæ quis, ex dono vel conceſſione alterius, tenuerit ſibi & hæredibus ſuis, reddendo vel dimidiam, vel tertiam, vel ad minus quartam partem veri valoris, abſq; aliis ſervitiis quàm quæ in ipſâ chartâ continentur. Vulgò*, **Fee-farme.**.

Feoditas.] 1932.9. 1933.31. *pro* Fidelitas, *voce (ni fallor) effictâ à Gallor.* Feaute, *illo ſenſu.*

Feodum.] 536.5. 553.8,9. Feodus. 651.2. Feudum. 262.3. 1114.2. Feudus. 650. *penult. Vox olim variè, ut videmus, ſcripta : hodie verò apud nos ubique* feodum. *Eâ ſignificatur genus clientelæ, quo vel prædium, vel dignitas, vel vectigal, cuiquam datur, ut & ipſe, & poſteri, beneficii auctorem agnoſcant pro patrono, ejuſque caput, honorem, ac fortunas, defendant. Prædiatores Angli vocem dupliciter accipiunt : pro terris ſc. vel prædiis* (tenementa *vocant) quæ quis perpetuo jure ſibi & ſuis, ſub domino feudi poſſidet : item pro circuitu integro, terræ ſiquidem portione, quæ ad talem dominum ſpectat, & inter diverſos feudatarios diſtribuitur. Quia verò feudum omne alicubi ſubjacet oneri & ſervituti*, allodio *opponitur ; quod è contrario prædium eſt liberum, nulli ſervituti obnoxium. Utriuſque vocis & etymon habeas in tractatu noſtro de* **Gavelkynd**, *cap.*4. *ex quo paucula è vernaculâ quâ deſcribuntur linguâ huc aſcribere operæ pretium duxi. Vocabulorum prius*, Feudum, *Feudiſtarum turba à* fide *ductum volunt : quidam autem à* faida, *vel* feida, *bellum : alii, à* fœdere : *quidam, à Germanorum* **fueden**, *q. à fungendo. i. paſcendo ; vel (Gryphiandri ſententiâ) à Sax.* **foden**. *i. nutrire : à* **vogthumb** *quidam, h.e. præfectura. Poſterius autem*, Allodium, *ab* a, *particulâ privativâ, &* laudare, *vel* laudatio ; *quippe cujus nomine laudatio non debeatur : alii, ab ead. privativâ, &* **lodes**. *q.* ſine lode, *id eſt, vaſſallo : alii, ab* **alſleud**, *quaſi quis dicat, univerſæ plebi competens : ab* **ein anlod** *alii ; quòd familiæ veluti coagmentatum ſit & conjunctum, h.e. inſeparabile à familia : à* **lot** *quidam ; quòd Gallis ſumitur pro ſorte, vel etiam hæreditariâ poſſeſſione, aut quotâ : Germanis eſt* **loſʒ**, *Saxonibus* **lott** : *alii denique, à memoratâ particulâ privativâ*, **a**, *&* **leod**, *Gallis* leud. *i. vaſſallus, q. ſine vaſſallagio, vel ſine onere. En quantum, inter interpretes, de utriuſque vocis derivatione, diſſidium ! Noſtrum nunc ſi fas ſit adhibere judicium, utramque vocem, quod ad originem attinet, reor eſſe Teutonicam, ex duabus ſyllabis compoſitam, quarum poſterior in utrâque eadem (nec alia quàm quæ in terminatione non paucarum dictionum Teutonicarum apud Kilianum paſſim obvia) ſcil.* **heyd**, **heit**, **hat**, *Anglo-Saxonibus* **hade**, *nobis eorum ſucceſſoribus*, **head**, **hode**, **hood** : *quod ſtatum, ordinem, qualitatem, conditionem, genus, naturam, &c. ſignificat. Hinc equeſtris, maſculinus, fœmininus, puerilis, paternalis, maternalis, fraternalis, presbyteralis, vicinalis, virginalis, ſtatus, &c. Anglicè audit*, **Knight-hode, Man-hode, Woman-hode, Child-hode, Father-hode, Mother-hode, Bꝛother-hode, Pꝛieſt-hode, Neighbour-hode, Mayden-head.** *Poſteriorem ſic habes in utroque compoſito ſyllabam. Prior autem in priori*, Feudum, **Feoh.** *i. ſalarium, ſtipendium, &c. in poſteriori verò*, **Al**[a], **All**, *Sax.* eal, *omnis, totus, integer : quibus cum ſyllabis poſterioribus, in hujuſmodi Feudi & Allodii vocabulis, junctis, hoc* **All-hode**, *illud* **Feo-hode**, *prodit, id autem ſatis appoſitè ; cum hoc*, feudum, *ſtipendiario more poſſideatur, rei proprietate penes dominum remanente, dum illius tantum uſusfructus (utile dominium, vocant juriſperiti :) idque ſervitii præſtandi gratiâ, ad accipientem tranſeat : illud*, allodium, *è contrario, ex integro, vel totaliter, atque in ævum* (**foꝛ all**, *ut linguâ dicimus vernaculâ) teneretur, pleno ſc. jure, cujus nomine nulla neque gratia, neque merces, neque opera, deberetur ; dominio & utili & directo (ut vocant) tranſeunte. Fuſiùs autem de his in tractatu quo ſupra ; ubi* Feudi *vocem, vel nomen, in nullo, mihi ſaltem non ſuſpectæ fidei monumento, ante annum Chriſti milleſimum, reperiendam commonui.* Feodum *autem, in* ſimplex, *&* talliatum, *noſtratibus olim hodieque diviſum, ut hîc*, 2748.4,5. *de quo vide* Tallia.

[a] Al, *particula perfectionis. Worm.* Literat. Run. *cap.*3. *qui* Allodium *Danis priſcis*, Odal *dictum ait.* Monum. Dan. *li.*6. p.507.

Feoffare.] 1930.45. 1934.57. *Noſtratibus eſt* feodum *dare, aut in aliquem conferre. Jus prædiorum concedere, poſſeſſionem tradere, inveſtire, donare. Vulgò*, **to enfeoffe.** *Hinc* Feoffamentum, 2078.44. *pro actu* feoffandi. *Vulgò*, **a Feoffment.** *Item* Feoffator. 2738. 30,51. *Ille ſc. qui alium feudo donat ſeu inveſtit. Is autem qui ſic inveſtitur appellatur* feoffatus.

7 Feria.] 1796.35,50. *Nundinæ: Vulgò*, **a faire.** *Gallis*, foire. *Doctiſſ. equitem omnino conſule.*

Ferrum judiciale.] 846. *ult. Ferrum candens, vel ignitum, ſuſpectorum probationi aptatum. De quo vide doctiſſ. equit. in* Judicium Dei, *& Lambard. in* Ordalium. *Normannis antiquis, hoc genus examinis* Ygniſe *dictum. Vide magnum loci Cuſtumar. ca.77. in exemplari Gallico, in Latino verò, 76. Danis autem* Jerntegn, *id eſt*, (*inquit doctiſſ. Wormius*) ſignum ardentis ferri, *quaſi* **Irontoken.**

Ferthing.] 2584.27. *In nummo argenteo notiſſimè dicitur de quartâ denarii parte: heic autem accipitur pro aureo quodam quartam* Nobilis *partem valente. h.e. viginti denarios veteres, qui hodie quinque ſolidos argenteos excedunt. Statut. ſecund. anni 9. Hen.5. ca.7. Vox eſt à Sax.* ꝼeoꞃþ, *quartus: unde* ꞃeoꞃþlinᵹ *Saxonibus, pro quadrante. Nobis*, **farthing.**

Feſtum duplex.] 2081.51. 2119.51. *Feſtum aliquod principalius ſive ſolennius, in quo divinum officium duplicatur; vel quod duplici celebratur officio. De quo vide Lindewod. noſtr. Provincial. de Feriis, cap.* Ineffabilis, *ver.* Officio duplici.

Feſtum mandibile.] 2197.38. *Feſtum, eâ vocis ſignificatione quâ apud nos convivium, vel epulum ſonat: hîc fortè* mandibile *dictum à manducando, & diſtinctionis gratiâ à* ſacro, *quæ magis propria & antiqua vocis ſignificatio.*

Feudum. Feudus.] *Vide* Feodum.

Fidelis.] 454.15. 506.49. 986.34. Fidelitas. 45.33. 213.33. *Quid* fidelitas, (*nobis vulgò*, **Fealty**) *quot* fidelium *&* fidelitatum *genera, cæteraq;, & rem & vocum utramque ad plenum illuſtrantia, petat cui placeat apud doctiſſ. equitem, & Hotoman. in vocibus. Hoc ſolùm hic addendum duximus, ſacramentum ſcil. fidelitatis Anglo-Saxonicum, quemadmodum habetur in Textu Roffenſi, fol.38.b. inter plures alias ejuſmodi formulas:* On ðone ꝺꞃihꞇen þe ðeꞅ haliᵹꝺom iꞅ ꝼoꞃe haliᵹ, ic ƿille beon. N. holꝺ, ⁊ ᵹeꞇꞃiƿe, ⁊ eal luꝼian ðeꞇ he luꝼað, ⁊ eal aꞅcunian ðeꞇ he aꞅcunað, æꝼꞇeꞃ ᵹoꝺeꞅ ꞃihꞇe, ⁊ æꝼꞇeꞃ ƿoꞃolꝺ ᵹeꞃẏꞅnum, ⁊ næꝼꞃe ƿilleꞅ ne ᵹeƿealꝺeꞅ, ƿoꞃꝺeꞅ ne ƿeoꞃceꞅ oꞃihꞇ ꝺon ðeꞅ him laðꞃe biþ, ƿið þam ðe he me healꝺe ꞅƿa ic eaꞃnian ƿille, ⁊ eall þæꞇ læꞅꞇ þæꞇ unceꞃ ꝼoꞃmæl ƿæꞅ þa ic ꞇo him ᵹebeah, ⁊ hiꞅ ƿillan ᵹeceaꞅ. *i.e.* (*ut Latinè habetur ſub finem LL. Eadmundi Regis, in libro regio MS. ad S. Jacobi prope Weſtmonaſterium aſſervato:*) In illo Deo pro quo ſanctum hoc ſanctificatum eſt, volo eſſe domino meô N. fidelis & credibilis, & amare quod amat, & abſoniare[a] quod abſoniet, per Dei rectum & ſeculi competentiam, & nunquam ex velle vel poſſe, verbo vel opere, quicquam facere quod ei magis diſplicet, ut me teneat, ſicut deſervire volo, & totum mihi compleat, quod in noſtrâ prælocutione fuit, quando ſuus deveni, & ejus elegi voluntatem. *V. LL. Edo. ſen. ca.4.*

Fihtewita.] 861.12. *al.* Fyhtwita. 923.60. 957.39. *Mulcta ob commiſſam pugnam, in perturbationem pacis publicæ: à Sax.* ꝼeohꞇ, *nobis* **fight**, *pugna, &* ƿiꞇe, *mulcta.*

Filacium.] 2006. 43. *Filum quoddam* brevibus, *trajectum, quò ſuſpendantur. A Gallico*, filace. *Vulgò*, **a file.** *Talium cuſtos Forenſibus noſtris*, **a filazer** *dictus. De utroque Cowellus, in* Interprete.

Filaterium.] 305.58. *al.* Philacterium, *&* Philaterium, *ut in capitis argumento. Idem, ni fallor, quod* Phylacterium: *quæ vox eſt multiplicis ſignificationis; hîc autem* Conſervatorium *ſignans; theca ſc. vel vaſculum, de argento, auro, cryſtallo, vel ebore, & hujuſmodi, in quo Sanctorum cineres, vel reliquiæ aliæ reconduntur. A Græco* φυλάσσω, *cuſtodio, præſervo: unde Græcè* φυλακτήριον.

Finis.] 1881.44. 2148.25. *Plures habet ſignificationes, ſed hanc præcipuam, cum pro judiciali illâ tranſactione* (Finalis Concordia, *Forenſes vocant*) *ſumatur, quâ quis, ad majorem facti authoritatem, coram Judicibus regiis* (*Juſticiarios nominant*) *terras vel prædia ad alium transfert. Mulctam etiam pro delicto aliquo impoſitam deſignat. Utroque ſenſu vulgò dicitur*, **a Fine.** *Cætera, Spelmannus.*

Firdfare.] 929.25. *In exercitum profectio: à* ꝼẏꞃꝺ, *Saxon. exercitus, &* ꝼaꞃe, *iter, profectio.*

Firma.] 225. *ult.* 311.30. 822.14. 887.5. Firmare. 765.38. *Vocabula à Sax.* ꝼeoꞃme, *quod victum ſonat, vel cibaria: unde paſcere, vel cibum aut victum ſuppeditare, eis* ꝼeoꞃmian. *Propriè, & ab origine, cenſum tantùm in cibariis* Firma *notat: commutatâ verò & redactâ poſtea* firmâ *victualium in denarios, verbo retento, ad reditum ſive cenſum pecuniarium transferebatur, quo quidem ſenſu* **Farme** *hodie utimur. Plura videas apud doctiſſ. equitem, in voce, & Lambard. verb.* Terra ex ſcripto. *Ubi autem horum poſterior* cẏninᵹeꞅ ꝼeoꞃme, *in LL. Aluredi, ca.2.* villam Regis *interpretatur, mihi magis arridet vetus illa verſio apud Bromptonum noſtr. ſcilicet* firmam (*i. victum, vel menſam*) Regis. *Huic aſtipulatur ipſius Lambardi verſio horum verb. in LL. Canuti, par.2.c.67.* ic beboꝺe eallum minum ᵹeꞃeꝼan ꝥ hiᵹ on minan ꞃihꞇlic ꞇilian, ⁊ me miꝺ ðam ꝼeoꞃmian. *i.e.* Præfectis meis omnibus mando, ut ex prædiis meis propriis, quæ mihi fuerint ad victum neceſſaria ſuppeditent. *Ubi etiam idem Lambard. citatæ legis Aluredi partem memoratam ſic exhibet*, ðe ne cẏninᵹeꞅ ꝼeoꞃme ꞇo belimpe; *& pariter Bromptonus Latinè*, quæ ad firmam Regis non pertinet; *neutrius lectio probanda: cum, ni fallor*, ne, *in Saxonicâ*, (*quod in Textu Roffenſi planè omiſſum*) non, *in Latinâ loci exhibitione, omninò delendum ſit. V. LL. Eadmundi, ca.2. & doctiſſ. Spelmanni Concil. pag.372. ubi*, vel alteri commodo (*in impreſſo*, modo) deſerviat, & venialis ſit, *juxta Saxonica, ita corrigenda*: vel alterius liberæ domui, *vel* familiæ, quæ honorabilis ſit. ¶ *Idem eques doctiſſ. ulteriùs de verbo agens, phraſin* firmæ dealbandæ *explicandam exhibet. Ex locis autem per eum eâ occaſione adductis, quid ſit* firmam dealbare *ſe non poſſe conjicere fatetur. Si verò per* firmam *hîc, cenſus in pecuniis numeratis intelligendus ſit, quod veri ſatis ſimile, rem ego* (*ſi vel ipſe non hallucinor*) 4

---

[a] *i. devitare, à Sax.* aꞅcunian, *unde*, to ſhunne, *nobis.*

ner) inveni apud Mat. Pariſium ad ann. 1248. *pa.*747. *de moneta per regem Hen.*3. *mutatione, verba facientem* : Ipſius quoque temporis (*inquit*) curriculo, domini regis diverſa præcepta, voce præconiâ, per civitates Angliæ præciſè promulgata, ſuper receptione monetæ, adeo populum angebat[a], quod mallet ut ſumma frumenti pretium viginti ſolidorum ſuperaret. Eſcambium enim paucis civitatibus exercebatur. Et cum illuc perventum fuerat, pondus veteris monetæ pro pondere novæ dabatur trutinatũ, & præterea pro opere aurifabrili, id eſt, monetationis, quam vulgariter *dealbationem* vocabant, pro qualibet libra tredecim denarii ſolvebantur, *&c.* Dealbatores *hoſce vel hodie* **Blanchers** *vocitant. Vide D. Cowelli* Interpr. *in voce* Mint. Firmam *itaque* dealbare, *eſt monetam* firmæ *nomine ſolutam* dealbare, *vel potiùs dealbationis pretium ſolvere.* ¶ *In vitis Abbatum S. Albani per Matt. Pariſ. pag.* 56. *de tot illius loci* firmis *legimus, quot ſunt in anno ſeptimanæ. Ubi* firmæ, *nec prædia denotant elocata, nec reditum vel cenſum annuum à colono, prædiorum ſic elocatorum nomine, domino fundi ſolutum; ſed tot in pecuniis portiones, ſummas ſcil. tot* 46. *ſol.* (*talem enim ſummam* firmam *vocabant*) *ex monaſterii proventibus ad monachorum victum aſſignatas, quot ad eundem victum comparandum, & monachos inde paſcendum, ſeptimanatim competere compertum fuit.*

Firmatio.] 764.4. *Ad menſam admiſſio, cibariorum ſuppeditatio, vel exhibitio. à Sax.* ꝼeoꞃmian, *ſupra.*

Firmitas.] 992.3. 1039.17. *Vox utrobique locum munitum, arcem ſcil. aut aliud ſimile propugnaculum, ſonat. Tale Saxonib.* ꝼeꞅꞇen, & ꝼeꞅꞇneꞅꞅe, *dictum; nobis hodie*, **a faſtneſſe.** *à* ꝼeꞅꞇnian, *nobis* **to faſten**, *firmare, munire.*

Firthe.] 923.11. *Mendoſè pro* ꝼẏꞃꞇe, *rectiùs autem* ꝼẏꞃhꞇ. *i. e. terriculamentum, phantaſma, ſpectrum terrorem incutiens; unde noſtrum* **fright**, & **affright**, *pro terror, ſtupor: item* **affrighted**, & **frighted**, *pro territus, attonitus. Vox interim ab altero*, ardentibus tædis, *ab altero*, accenſis tædis, *perperam Latinè reddita, perinde ac ſi à* ꝼẏꞃe. *i. ignis, accerſenda.*

Firthunga.] 923. 39. *Correctiùs* Fyrthunga, *aliàs* Fyrdung, *quod Sax. expeditionem ſonat, ſive profectionem militarem: quæ duplex, terreſtris ſc. & navalis. Hanc*, ꞅcẏpꝼẏꞃꝺ, *al.* ꞅcipꝼẏꞃꝺunᵹa; *illam*, lánꝺꝼẏꞃꝺ, *al.* ꝼẏꞃꝺunᵹa, *ſimpliciter appellarunt Saxones. V. LL. Canut. par.*2. *ca.*10. 62.75. *& Spelmanni Concil. p.*520. *ca.*22. *Erroris hîc obiter arguendus author noſter, & qui eum ſequitur, Lambardus, vocem hanc* expeditionis apparatum *Latinè facientes. Id eis* Heregeat, *quod vide. Harum autem vocum loco, Hen.*1. *in LL. ſuis, ca.*10.13.66. Fyrdfare *utitur, quod idem ſignat. Cum hac doctiſſ. eques malè confundit vocem* Herefare; (*quam etiam alicubi malè ſcribit* Herdfare, *quæ vox eſt nihili:*) *cum inter* here, & fyrd, *notabilem planè differentiam in Chronologiâ Saxon. nuper editâ deprehendas: ubi priore, exterorum, & hoſtium agmina, prædandi cauſâ terram invadentium; poſteriore verò, indigenarum, vel civium principis authoritate, (expeditionis ergô in tales prædatores) armatorum exercitus ſemper, & ubique ſignificantur. quarum vocum hæc à* ꝼaꞃan, *ire, proficiſci: illa ab* heꞃian, *al.* heꞃᵹian, *vaſtare, ſpoliare, prædam facere, veniunt.*

Flemene fermthe.] 2224.31. *Vox planè Saxonica, ſed aliquantulum corrupta; reſcribe* Flymena fyrmthe, *quod fugitivorum ſuſtentationem ſignificat. à Sax.* ꝼlẏma. *i. fugitivus, &* ꝼẏꞃmþe, *ſuſceptio, admiſſio, ſuſtentatio. De quo vide LL. Inæ. ca:*29. & 47. *LL. etiam Æthelſtani, ca.*2. *item LL. Hen.* 1. *ca.*10,12. *Heic autem pro illo ponitur juriſdictionis articulo, quo quis in alios delicti ejuſmodi reos animadvertere poteſt.*

Fletum.] 1889. 16,19, *&c. Æſtuarium, fluentum, ſeu canalis quem aqua fluens & refluens occupat. à Sax.* ꝼleoꞇan, *quod eſt, fluere, vel natare. Unde & Claſſis hoc nomine appellatur. Utrumque vulgò*, **a Fleet.**

Flima.] 897.13. *Vox Saxonica, fugitivum ſignans. Vide Spelmann.*

Flitwite.] 957.37. *Mulcta ob rixas & jurgia excogitata. Vox compoſita, à* ꝼliꞇ, *contentio, lis, jurgium, rixa: &* ƿiꞇe, *mulcta, pœna. De quâ idem Spelm. plura.*

Florenus.] 2037.60. *Mox ſequitur* floreum *bis, pro* florenum. *Nummi genus, ſed multiplex, & pro ratione loci varium. De quo*, 2194. *ſæpe. Nummus aureus, inquit Voſſius, primitùs à Forentinis cuſus, ac floris ſigno inſignitus; unde & nomen. Cætera, Spelmannus.*

Focaria.] 506.19. *Quæ focum curat. Culinaria. Hîc de concubinâ ſacerdotis dictum. Vide Decreta Eboracen. Concilii apud Rog. Hoveden. in Ric.* 1. *ad ann.*1195.

Fodrum.] 590.54.767.38. XX. podia fodri. *Corrige*, xx. pondo fodri. Fodrum *autem, ut Sax. olim* ꝼoꝺꞃe, *pabulum, alimentum, ſonat. Eodemq; ſenſu* ꝼoꝺa, & ꝼoꝺe, *unde noſtratium* **foder**, & **foode.** *Sed hoc de omnium animalium, illud de brutorum victu intelligimus, inquit eques ille doctiſſ. qui* foderi *meminit, quod in libris occurrit feudalibus inter regalia tributa, pro* annonâ militari, *hoc eſt, regio exercitui impendendâ. Huic non abſimile (ni fallor) illud olim* **gavel-fother** *dictum, hoc eſt*, pa*bulum cenſuale, de quo in tractatu noſtro de* **Gavelkynd** *nondum edito.*

Folcland.] 836.15,16,18. *Terra ſine ſcripto poſſeſſa: ad verbum*, terra vulgaris, plebeia, *ſive* ruſtica. *Fundum (inquit Lambard.) veteres aut ex ſcripto, qui* **Bocland**; *aut ſine ſcripto, qui* **Folcland** *dicebatur, poſſidebant. Quæ fuit ex ſcripto poſſeſſio, commodiori erat conditione, hæreditaria, libera, atque immunis: fundus ſine ſcripto, cenſum penſitabat annuum, atque officiorum ſervitute quadam erat obligatus. Priorem viri plerumque nobiles, atq; ingenui; poſteriorem ruſtici ferè & pagani poſſidebant. Illam nos vulgò*, **freehold**, & per chartam; *hanc* ad voluntatem Domini *appellamus. Sic ille. Mihi, idem eſt omnino ac* ᵹaꝼollanꝺ. *i. terra cenſa. Fœd. Aluredi & Guthr. RR. ca.*2. buꞇan ðæm ceoꞃle þe on ᵹaꝼollanꝺe ꞅiꞇ. *i.* præter ruſticum terram occupantem cenſualem. *Vide plura, infra, in* Neat-land, & Ruſticus.

Folcmot.] 825.61. Si quis *folcmot.* i. populi placitum, armorum exercitione turbabit, *&c. Corrige*, armorum extractione. *Populi placitum hîc, pro* conventus populi: *voce conflatâ à Saxon.* ꝼolc, *populus; &* moꞇe, *al.* ᵹemoꞇe, *conventus, de quo pluribus Spelman. in voce, & in* Gemote.

Folgare.] 623.49.851.12. *Saxonibus, pro ſiſtere*

ſe

[a] *l.* angebant.

ſe in aliquo contubernio; tradere ſe alicui in clientelam; ſervire, ſequi, ſectari; à ꝼolᵹian *hac ſignificante, unde vernaculum noſtrum,* **to follow.** g. *(ut ſæpe) in* u. *vel* w. *mutato. Hinc*——

Folgarius.] 924.44. *pro cliente, ſectatore, famulo: unde ductum noſtratium,* **Follower.** *De quo plura apud Spelmann. & hîc infra, in* Heordfeſte.

Foragium.] 1880.40,46. *Pabulum, vulgò,* **Foꝛrage.** *à Gall.* fourrage. *Hinc alibi* forrari, *pro pabulatum ire, vulgò,* **to foꝛrage.**

Forbannitus.] 822.6, *alias* Forisbannitus. 764, 4. *Proſcriptus, relegatus: Forenſibus noſtris* Utlagatus. *Vocabulum, ut videtur, ortu Longobardicum. De quo vide Hotomanni Dictionar. item doctiſſ. equit. & Voſſii Gloſſaria.*

Forbator.] 824. 9. *Politor, polio, armamentarius, ſic autem dictus à Gall.* fourbir, *unde Anglic.* **to furbiſh.** *i, polire, purgare, mundificare; arma in nitorem redigere: ſed &* fourbiſſeur, *Angl.* **Furbiſher,** *pro politore. Lambardo,* machæropius.

Forcelettum.] 2581. 19. *Idem quod aliis* Fortalitium: *aliis autem* Forteletum: *locus ſcil. munitus, caſtellum, propugnaculum. Vulgò,* **a foꝛt, oꝛ foꝛtreſſe.** *Cætera, doctiſſ. Voſſius in voce* Fortalitium.

Forcheapum.] 898. 4. *Rectiùs* forecheapum. *A Sax.* ꝼoꞃe, *i. præ, prius, ante, priuſquam; &* ceapan, *nundinari. Priorem itaque nundinationem ſonat, vel in rebus vendendis prioritatem, quod mercatoribus alienigenis hîc prohibitum, in gratiam domeſticorum: niſi malis* for *hic idem ſignare ac in* forligre, forwyrhtan, forſweare, formarriage, forconſiliare, forfactus, *&c.* contra *ſcil. vel* malè: *& ſic* Forcheapum, *nundinatio, vel mercatura vetita, illicita; ob merces jure regni interdictas venditioni expoſitas; nobis hodie,* **pꝛohibited goods.**

Forciatus.] 1099.49. *Hovedeno* Inforciatus. *i. munitus: ut* inforciare, *pro fortiùs vel munitiùs reddere; à Gallico* enforcir.

Forcilettum.] 2581. 15. 21. *Vide* Forcelettum.

Foreſta.] 450.4. 1828.32. Forreſta. 225.8,23. *Exteris, ſylva, ſaltus: Anglis verò, latifundium, vel ampla ruris portio, deſerta plerumque & nemoroſa, alendis feris regiis expoſita; nullo ſepimento, at certis terminis, legibus, judicibus, & miniſtris ſatis inſignis & communita. Vox hodie decantatiſſima; huc autem à Normannis, ut videtur, adducta: Saxonibus enim & Danis pro eâ* buc-holꞇ. *i.* ſaltus cervinus, *al.* ꝺeꞃe-ꝼalꝺ, *vel* ꝺeoꞃ-ꝼalꝺ. *q.* ferarum ſtabulum. *Dubium interim, an originis ſit Latinæ, ex eo dicta, quòd foris eſſet, ſive extra urbem & agros; an potius Galli (quibus* foreſt *pro ſylva) & alii, acceperint à Normannis. Medii ævi ſcriptoribus* foraſticus *pro extraneum, vel id quod foris eſt. V. S. Bonifac. Epiſt. 3. & Serar. ibid. A* Foreſta *verò*——

Foreſtarius.] 450.4. 811.61. *Præſes vel cuſtos foreſtæ; de quo, ut & de* Foreſta, *juſtus extat apud doctiſſ. equitem tractatus, ut cætera ejus opera, lectu digniſſ.*

Forfang.] 847. 8,10,15,17,21. *al.* Forisfangium. 760.62. *al.* Forisfangum. 761.30,36. *Interdum pecudis errantis, interdum autem, & ſæpius, rei clam ſubductæ, vel furto ſublatæ prehenſio, & è manibus latronis, aut alterius eam injuſtè poſſidentis, in uſum veri domini, liberatio. Rei veſtigium adhuc apud Anglos occidentales, quibus* **the foꝛefeng of a ſtray beaſt,** *pro pecudis errantis comprehenſione; & ejus pretio, bene notum. Vox, ni fallor, à* for. *i. pro, (niſi malis* foris) *&* fangian, *prehendere. Senſu verò, huic longè alieno, quo apud doctiſſ. equit. & Flet. li.1. cap.47. vox occurrit, à* fore *petenda eſt, quod præ; &* fangian, *capere, prehendere. q. anticipare, ante capere, prævenire. Hoc autem ſenſu in LL. Anglo-Saxon. vocem nuſquam inveni. Priori verò, quodammodo reſpondet* Forcapium *illud apud Spelmann. ex Capitular. li. 4. tit. 36.*

Foriare.] 2611.44. *Vide* Foragium.

Forisbannitus.] *Vide* Forbannitus.

Forisfacere.] 311.43. 822.40. 837.28. 927.32. *Unde* Forisfactum. 311.35. 587.59. *item* Forisfactura. 38.47. 496.62. *Voces Fori, à Gall.* forfaire, forfaict, forfaicture, *unde noſtratium,* **to foꝛfeict, a foꝛfeict, & foꝛfeicture.** Forisfacere *verò, eſt delinquere, peccare, tranſgredi, injuriam inferre; cujus ergô quis rem, quandoque libertatem, quandoque vitam, amittit ſuam: unde* forisfactus *hîc,* 927.4. *pro reo mortis. Ubi quem* morte (*vitâ potius*) forisfactum occidere, *eſt eum interficere, cui ex legis ſententiâ, vita eſſet adimenda. Generatim autem, pro mulctam incurrere, & confiſcare. Hinc* forisfactum, *&* forisfactura, *pro crimine, delicto, tranſgreſſione, injuriâ, mulctâ, ut apud Spelmann. & alios videre eſt. Vocem autem ductam puto, non à* foris, *q. cujus cauſa quis foris eſſet; ſed à* for, *quomodo in Gall.* formarriage, forparler, forconſeiller, forjuger; *in Sax.* ꝼoꞃliᵹᵹan, ꝼoꞃꞅƿeꞃian, ꝼoꞃꞃæꝺan, ꝼoꞃlæꝺan, ꝼoꞃꞅponan; *in Angl. denique,* **foꝛſweare,** *&c.* malè *ſonat, vel pravè, illicitè, injuſtè. à* for, *inquam, hoc ſenſu, &* facere, *q. malè facere, aut quid in contemptum juris agere. Cui quidem ad amuſſim reſpondet Sax.* ꝼoꞃƿiꞃcan; *quod à* ꝼoꞃ, *&* ƿẏꞃcan. *compoſitum, malè facere, & per tranſlationem, malè agendo mulctam incurrere, ſignificat. Atque hinc eſt, à vocum nempe concordiâ, quòd Sax.* ꝼoꞃƿẏꞃce, *in LL. tum Edo. ſenio. ca.9. tum Canuti, par.2. ca.40. &* ꝼoꞃƿẏꞃhꞇne, *ca.42. Bromptonus noſter hîc,* forisfaciat, *&* forisfactus, *Latinè exhibuerit.*

V. Cotgrav. *in* For.

plenaria regis Forisfactura.] 2521.46,64. *Mulcta ad omnia ejus cui imponitur, præter vitam; bona ſcil. quæcunque, & fortunas, ni fallor, extendens: quo ſenſu non ſemel in Statutis:* **he ſhall foꝛfeit all that he hath.**

Forisfactus ſervus.] 841.40. Forisfacere, *ut jam diximus, eſt malè faciendo, quandoque libertatem ſuam amittere. Talis autem ſervus hîc; Sax.* ƿiꞇe-þeoƿ, *de quo mentio, tum hîc, tum in LL. Inæ Reg. apud Lambard. ca.23.55. qualem ipſe* libertate mulctatus *Latinè reddit. Liberum intellige, furti convictum, & eo nomine libertate mulctatum, ac in ſervitutem datum. De quo velim conſulas earundem LL. Inæ, ca.7. & Edo. ſenio. ca.9. apud Lamb. & Athelſtani hîc,* 851.5.67.

Forisfangium, *al.* Forisfangum.] *Vide* Forfang.

Foriſteallum.] 860.15. *Idem quod poſtea* Forſtall. 957.27. *Via obſtructio, itineris interceptio: ut quando quis rem annonariam in viâ intercipiens, eam ibidem mercatur, aut aliter impedit quo* *minus ad forum rerum venalium adducta publica exponatur venditioni: quod nobis hodie dictum,* **foreſtalling**. *à Saxon.* ꝼoꞃe, *pra, ante; aut* ꝼoꞃ, *contra;* & ꞅꞇal, *al.* ꞅꞇeall, *ſtatio, ſtatus.*

Forjugare.] 2356. 2. ——ablatione reſtituta *forjuget*, & redeat. *Locus planè mendoſus; ſic autem reſtituendus:* ablatione (*i. re furto ſublatâ*) reſtituta, provinciam *foriſjuret*, nec redeat. *Ubi* forisjuret *pro* abjuret. *Vide LL. Edo. Confeſſ. apud Lambard. & Whelocum, cap. 6. Nonnulla etiam prater hoc, in pracedentibus & ſubſequentibus errata corrigere ſi quis cupiat, earundem Legum apud eos exemplar velim conſulat, à cap. 1. uſque ad 16.*

Forpriſa.] 1940 57. *Quod in donationibus, ceſſionibus, & hujuſmodi, excipitur.* Exceptio, exceptum, reſervatum. *à Gall.* for. *i. extra: &* priſe, *captio.*

Forragium.] *Vide* Foragium.

Forreſta.] *Vide* Foreſta.

Forſpecen.] 925. 38. —habeat totum hoc *forſpecen. i.e. hoc ei ſit penitus interdictum: à Sax.* ꝼoꞃ, *quod hîc, ut in noſtratium* **forbid**. *i. interdicere, negandi vim habet: &* ꞅpecen *dictum. Quidam vocem* in caſſum *vertunt; nec incongruè, cum quod ſic jure non dicendum quis dixerit, fruſtra id dixiſſe judicetur.*

Forſtall.] *Vide Foriſteallum.*

Forſula.] 2562.54,60. 2563.9. 2566.24. *Idem quod* Forcelettum.

Fortia.] 1846. *extremâ col. Vis, poteſtas. Vulgò,* **Force**.

Forulus.] 1587.42. *Theca, vagina.*

Foſſa.] 1511.5. Nam & ipſi in omnibus tenementis ſuis omnem ab antiquo legalem habuere juſtitiam, videlicet, *ferrum, foſſam, furcas*, & ſimilia. *Horum primum,* (Ferrum *ſc. de quo vide* Ferrum judiciale) *de criminibus ſuſpectorum ad probationem: reliqua, reorum & convictorum ad ſupplicium illud quod ultimum vocant; nempe ſubmerſionem, ſi* Foſſæ; (*ut olim hîc & apud Scotos, fœmina:*) *ſuſpenſionem verò, ſi* Furcis, *ut viri, adjudicati. Ita ut per* Foſſam, & Furcas (*Anglis,* **Pyt and Gallowes**) *ſuſpendii & ſubmerſionis judicia intelligenda: quibus inſignibus juriſdictionis in fures territorium olim cognobile. Hunc autem ſubmerſionis ritum, ut veriſimile eſt, Germanis antiquis debemus; ſic enim Tacitus in eor. moribus:* Diſtinctio pœnarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt: ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injectâ inſuper crate, mergunt. *Plura vide apud doctiſſ. equit. in vocibus* Furca & Foſſa; *& Skenæum Scotum, in* Foſſa. *Incertum tamen an hoc, an alio* Foſſa *heic occurrat ſenſu. Non ſemper enim ad pœnam; interdum autem ad probationem,* Foſſam *habuere veteres; in quam aquâ gelidâ probandi, uti ruſtici & plebeii, pro more detruſi, & immerſi. Talem autem* **Ordel-pit** *vocarunt. q.* Ordaleo *probandorum puteus: cujuſmodi, ni fallor, illa, de quâ heic,* 1590.25,27,34.

Foſſatura.] 2139.20. *Loci ex foſſâ circumductâ munitio.*

Foſterlean.] 861.55. *Idem fortè quod Hotomanno* Vitalitia, *de quo ſupra in* Dotalitium. *Vocem ductam arbitror à Sax.* ꝼoꞅꞇeꞃ, *victus, cibaria; unde hodiernum noſtrum,* **to foſter**, *nutrire, & ſimilia: ac* lean, *exhibere.*

Francheſia.] 2293.41. *Libertas, immunitas: item locus tali libertate honeſtatus. Vulgò,* **a Franchiſe**.

Francus plegius.] *Vide* Viſus franci plegii.

Francus tenens.] 1103.20. Liberè tenens: *qui terras vel pradia ſibi à Domino conceſſa liberè tenet vel poſſidet. Unde noſtratium,* **Freeholder**.

Fridgild.] 852. 26. 855. 2. *rectiùs* Frithgild: *quod idem ac alibi* Gildſcypa, *exteris* Gildonia, *collegium ſcil. vel ſodalitium quorundum, pacis ſive conſociationis inter eos aut ineunda, aut firmanda gratiâ, convenientium, initamque collatitiâ ſtipe conſervantium. à Sax.* ꝼꞃıð, *pax, &* ꝣẏlꝺ, *unde* ꝣẏlꝺan, *quod ſolvere, vel pendere ſonat. V.* Congildones.

Fridſtol.] 308. 39. *Aſylum, Sanctuarium. A Saxon.* ꝼꞃıð, *pax, &* ꞅꞇol, *nobis hodie,* **Stoole**, *ſedes, cathedra. Unde hîc exponitur* Cathedra quietudinis, *vel* pacis. *Catera, Spelmannus.*

Fridwita,] 766.7. Cirliſcus xxx. s. pro *fridwita. Malè, pro* fyrdwita. *Textus Roffen.* ꞇo ꝼẏꞃꝺƿıꞇe. *que voces in impreſſis codicibus deſiderantur.* Fyrdwite *autem militia, ſive detrectata, ſive derelicta, mulctam ſignificat: à* ꝼẏꞃꝺ, *expeditio, &* ƿıꞇe, *mulcta. De quo in LL. etiam Canuti, par. 2. cap. 12, 14, 62, 75. Exteris* **Heereſlit**. *Cui convenit Gallorum & Anglorum* Culvertagium, *apud Mat. Pariſium, ad ann. 1213. quam vocem ego compoſitam reor à Gallico* cul. *i. cauda, podex,* (*quod à Latino* culus, *pro ano:*) & verto. *Niſi quis dimanaſſe malit à Gall.* lever le cul, *inverſo ſcil. vocum ordine; quod de eis dictum qui obſidione abſiſtunt. Hunc autem facit ludi nomen noſtratibus hodieque,* **Level-coyl** *dicti, aliàs* **Hitch-buttocke**, *ubi ſc. ludentes viciſſim aſſurgunt, & alii cedunt aliis. Utut ſit, hinc ſc. an illinc, res eòdem redit: ita ut* Culvert *hîc, idem planè fuerit ac tergiverſator, is nimirum qui tergum dat, exercitum deſerendo: vulgò,* **a Turn-taile, or Flincher**: *nec alius fortè quàm qui apud eundem Pariſium alibi* caudatus *dicitur. i.e. ni fallor, formidoloſus, puſillanimis, is qui ex formidine caudam vertit. i. tergum dat:* agium *hîc addito, de more, terminationis gratiâ, vel in vocis productionem.* ¶ *Paucis poſt diebus quàm iſta ſcripſeram, viri longè doctioris in rem & vocem annotationes, quas literis ſuis incluſas mihi perhumaniter tranſmiſit, latus accepi. Quibus haud mediocriter me confirmatum fateor. Prater enim rei notitiam quam aperit ampliorem, in noſtram hanc de vocis etymo ſententiam & ipſum ire comperi. Viri verò tam docti, tam dilecti, munus hoc chartaceum, bone lector, tibi non invideam: hîc igitur mecum fruere:* » *Matt.*
« *Pariſ. Hiſt. p. 233. l. 33.* Rex Francorum omnes
« cum equis juſſit ſub nomine *Culvertagii* convenire,
« ne crimine læſæ majeſtatis damnum exhæredatio-
« nis incurrere viderentur, &c. *pag. 234. 5.* Rex Jo-
« hannes brevi ſuo ad vicecomites, juſſit ut nullus re-
« maneat qui arma portare poſſit, ſub nomine *Cul-*
« *vertagii*, & perpetuæ ſervitutis. *Et ibid. lin. 15.* ni-
» hil magis quàm opprobrium *Culvertagii* metuen-
« tes, &c. *Verbum ignominiam quandam denotare*
« *videtur, à paucis* (*quantum reperi*) *uſitatum, & à*
« *nemine* (*quod ſcio*) *explicatum. Ego derivatum*
« *cenſeo à duabus voculis,* culum, *&* vertere, *ita ut*
« *opprobrium culvertagii idem ſit ac dedecus, quo la-*
« *borant*

Culvertagium.

D. Roger. Twyſden. *eq. aur. & baronett.*

> *borant ii qui in bello terga dederunt, ac ſi Anglicè diceres:* **the diſgrace of being Turntailes.** *Apud nos enim ſemper rex, ut loquuntur leges Canuti,* detrectatæ vel devitatæ militiæ mulctam petebat. *Leg. Canut. par.*2. *cap.*12.14. *Et legibus Ivæ, cap.* 52. *admodum ſeverè in eos agebatur, ut* qui militarem ſubterfugerit profectionem, prædiis mulctatus, 120. ſolidos dependat. *Et Concilium*[a] *Ænhamenſe adhuc magis rigidè, cap.*24. *ut* qui ſe ſubtraxerit de profectione militari cui Rex interfuerit in detrimentum corruat omnium fortunarum. *Leges quæ Confeſſoris eſſe dicuntur, cap.* De heretochiis, *& Hen.*1. *ca.*13. *ſic ſtatuunt:* qui in bello campali vel navali pro timiditate fugiet à domino vel ſocio ſuo perdat omne quod habet, & vitam ſuam, & manus mittat Dominus ad pecuniam ſuam, & terram quam ei dedit, & ſi *bocland* habet in jus regium cadat. *Neq; hæ pœnæ omnino in deſuetudinem abiere rege Johanne & Henrico tertio apud nos imperantibus. Sic enim Mat. Pariſ. ann. Dom.*1242. *p.*596.31. Significavit (*Rex*) etiam diſtrictius præcipiendo Archiepiſcopo (*Eboracenſi*) ut terras & poſſeſſiones ipſorum, quaſi proditorum, qui eum in tranſmarinis partibus reliquerunt, & fortuitis caſibus indefenſum expoſuerunt, infiſcaret, præcipuè tamen Willielmi de Ros & quorundam aliorum nobilium de partibus Angliæ borealibus, qui propter hoc magnum poſtea incurrebant jacturam. *Atq; hinc abſque dubio fit, quòd juris noſtri periti affirmant, athletam in brevi*[b] *quod dicitur* de recto, *prælium fugientem, adeo inde infamem reddi, ut pro idoneo teſte in nulla cauſa ſit impoſterum admittendus. Coc. Inſtitut. par.*1. *fol.*6.*b.*

Frithmannus.] 900.9.11. *al.* Frithimannus. *Idem quod infra, lin.*19. Frithman. *i.* (*ut ibi*) homo pacis, *illius ſc. ſodalitii vel ſotietatis particeps, de quo ſupra in* Fridgild. *Vide LL. Sax. Ethelredi reg. par.*2. *cap.*3. *apud Lambard. ubi etiam* unꝼꞃiþman, *i.e. authori noſtro,* pacem non habens: *eum intellige in confœderatorum ejuſmodi conſortium non admiſſum. Vocum prior à* ꝼꞃiþ, *pax;* & man, *homo. Huic autem* un, *privandi vim habens, præpoſitum, contrarium ſignat.*

Frithſoken.] 957.28. *Frithſoken.* i. tutatio in juriſdictione, hoc eſt, ſeurte en defens. *Spelmannus, & meliùs, & luculentiùs:* tuendæ pacis juriſdictio: *à* ꝼꞃið, *pax, &* ꞅocne, *juriſdictio.*

Fruſſura domus.] 1590.36. *Effractura domus. à Gallico* Froiſſure, *fractio, ruptio.*

Fugitio.] 2615.29. *pro* Fuga.

Furca.] *Vide* Foſſa.

Furigildum.] 894.13. 896.40. 925.61. *Vox hybrida, utpote compoſita à Latin. fur, & Sax.* ʒẏlꝺ. *Mulctam ſignat, furti nomine ſolutam: ſc. in damni dati compenſationem, & furis redemptionem. Sax.* ðeoꝼ-ʒẏlꝺ: *à* ðeoꝼ, *nobis hodie* **theefe,** & ʒẏlꝺ, *ſolutio, penſio: alias* ðeꝼꞇ-boꞇe.

Furneſium.] 2011.2. 2104.16. *Fornax. Gall.* Fournaiſe. *Angl.* **a Furnace.**

Furragium.] *Vide* Foragium.

7 Furtum habens in manibus.] 850.17. *Idem qui* fur inter manus habens. 849.3. *Talis Sax.* ðeoꝼ æꞇ hæbbenꝺꞃe hanꝺ ʒeꝼanʒen: *ævo ſequiori, Bractono ſc. & ejus ſequacibus,* **hondhabend;** *latro ſc. manifeſtus, utpote qui in flagranti crimine deprehenſus, quod Sax.* æꞇ openꞃe ꞅcẏlꝺe, *uti in LL. Inæ, apud Lambard. cap.*37. *ut qui rem furto ſublatam in manibus habuerit. Huic omnino ſimilis* **bacberend,** *furtum ſc: à tergo deferens. De quo Spelm. in voce. Vide* Abarnatus *ſupra: &* Latro cùm manu opere captus, *infra.*

Fyhtwita.] *Emendatiùs* Fihtwita, *quod vide.*

Fyrthwite.] 923.61. *Mendosè pro* Fyrdwite, *de quo in* Fridwita.

G

GAblum.] 762.13. 763.35. Gablium. 2074.10. *Alibi* Gabulum. 1788.42. 2078.42,48. *A Sax.* ʒaꝼol, *al.* ʒaꝼel. *i. cenſus, tributum, redditus. Ita* ʒẏꝼan, *al.* ʒẏvan, *quod Belgis* **gheven,** *Germanis* **geben,** *pro dare, reddere, tribuere, præbere, &c. Hinc autem Cantianorum* **Gavelkynd,** *quod fundum ſignat, non (quomodo Lambardo, & ſequacibus ejus expoſitum) omnibus cognatione proximis datum, q.* ʒiꝼe-eal-cẏn: *ſed cenſualem, tributarium, reditui annuo, cæteriſque plebeiorum prædiorum ſervitutibus & oneribus obnoxium; ac Sax.* ʒaꝼollanꝺ *reſpondentem, de quo in Fœdere Aluredi & Guthr. RR. cap.*2. buꞇan ðæm ceoꞃle þe on ʒaꝼollanꝺ ꞅiꞇ. *i.* (*authore noſtro interprete*) præter ruſticum qui in terrâ cenſâ manet. *Sic autem dictus, diſtinctionis ergô à fundo planè contrario,* militaris *dicto, ſub ſervitio ſc. militari elocato, cujus præſtatione, fundum ejuſmodi tributis, cenſu, redditu, & cæteris ſervitutibus, quibus alter oneratur, ſolutum & immunem, adverſus feudi dominum, ſibi & ſuis vaſſallus defendit. Fuſiùs autem de hoc in Tractatu noſtro de* **Gavelkynd,** *cap.*1. *Plura etiam apud Spelmann. in voce* Gabella.

Gabulum.] 1915. *pro* Gabalum. *Anglicè,* **a Gable-head,** *Belgis* **Gheevel,** *al.* **veur-gheevel,** *frontiſpicium, frons ædificii, q.* **ghe-hevel** (*inquit Kilianus*) *i. elevatio ſurſum, ſive in altum, ab* **heven,** *ſive* **heffen.** *Hoc Chaucero noſtro* **Gable.**

Gachum.] 2010.65. De ſcopis & *Gachis* —— viij l. —— iiij *s. ubi quid ſibi velit* Gachis, *aliis diſpiciendum, quibus plus otii, relinquo.*

Galea.] 624.23. 628.61. 642.36. 646.5. *& alibi. Navis longa, rèmis acta, eòque actuaria dicta. Vox notiſſima: nobis* **a Galley.** *Videatur doctiſſ. eques. item Voſſius in voce. Hinc autem* ——

Galeota.] 1183.63. *al.* Galiota. 1192.5.20. *Remex in tali navi aut conſimili, quæ vulgò* Galeota *dicta.*

Galletus.] 2582.8. In quorum prima fuit dominus Galfridus Charnis cum multis *galletis, &c. Ubi* galletis *fortaſſe pro* galeatis, *militibus ſcil. galeatis, vel galeis armatis.*

Gallia.] 2588.13. Numerus virorum venientium cum rege Franciæ Philippo xij. mille *galliarum,* l. mille virorum armatorum ad tibias & pedes. Galliarum *hîc, ni fallor, pro* galeatorum, *militum ſc. ut jam dictum, galeis armatorum.*

Galo.] 1258.25. *Menſuræ genus apud Anglos, octo continens pintas; ut modius eor. octo* gàlones. *Vulgò,* **a Gallon.**

Ganea.] 1366.37. —— telo gracili quod *ganea* dicitur, &c. *Telum hoc Gul. Nubrigenſis, Rog. Hovedenus, & Mat. Weſtmonaſt.* Sagittam *vocant.*

Gaola.] 2022.25. Gayola. 1945.34. *Carcer. à Gallico* Geole, *eopſe ſenſu: unde noſtratium* Gaole, *al. & vulgatiùs,* **Jaile.**

Garba.] 1884.27. 1892.39. *Spicarum, ſive frugum faſciculus. A Gall.* garbe. *Vide Spelmann.*

---

[a] Concil. Spelm. p. 521. ann. 1009.

[b] a writ of right.

Garcio.] 1226.46. *Voci, quo hic occurrit ſenſu, valde eſt appoſitum illud Johannis de Athona. Gloſſ. in Conſtitut. Othoboni* de citationibus faciendis: *Garciones (inquit)* id eſt, pedites, & ſequentes equos, quos vulgus expertum eſt, peſſimos eſſe ribaldos. *Eopſe ſenſu Gallis* Garcon, *al.* Garſon; *licet generatim & uſitatiùs puero aptetur.*

Garderoba.] 2753. *ult.* 2754.27. *Vide* Gardropia.

Gardianus.] 2465.39. 2468.50. 2542.7. *Defenſor, cuſtos: is cujus fidei quid committitur. Vulgò, aliàs* **a Gardian,** *aliàs* **a Warden**; *pro variâ Gallorum & Germanorum dialecto. Vox notiſſima, de quâ pluribus Spelmannus & Voſsius.*

Gardinum.] 2088.35.49. *Vulgò,* **a Garden.** *à Gallico* Gardin, *al.* Jardin. *i. hortus; quod fortè à* garder. *i.e. conſervare, quia ibi conſervantur herbæ & olera. Niſi malis à Sax.* ᵹẏꞃꝺan. *i. cingere, quòd, in frugum conſervationem, hortus ſepto undique incingatur. Vide Cluver. German. antiq. li.* 1. *ca.* 13. *pag.* 112.

Gardropia.] 2635.44,47. *Veſtiarium: locus ubi adſervantur veſtes. Hîc autem potius ipſa veſtes. Ad verbum,* cuſtodia veſtium: *à* garde, *cuſtodia, &* robbe, *veſtis. Vox Gallica. Anglis,* **a Wardrobe.**

Gavelgilda.] 762.13. Gablum. *i.e. cenſum reddens; fundum ſc. qui poſsidet cenſualem vel tributarium,* Ceorl *puta. V.* Gablum. *Vox à* ᵹavel, *cenſus, &* ᵹẏlꝺan (*nobis hodie,* **to yeild**) *ſolvere, pendere, reddere, tribuere.*

Gavelkende.] 1785.63. *al.* Gavelkynd. *i. Terra, vel fundus, ſui naturâ cenſualis, vel tributarius; à Sax.* **gavel**, *cenſus, tributum, penſio, &* **kind**, *natura, genus, conditio. De quo plura in* Gablum, *ſupra.*

Gayola.] *Vide* Gaola.

Geburſcipa.] 836.2. *Lambardo* Vicinia: *nec malè; vicinorum enim ſodalitium illud erat apud Saxones, qui ſinguli fidejuſſores invicem extitere erga Regem de ſiſtendis ſemetipſis, & de damno ab eorum quolibet illato reſarciendo: aliàs* ꞇeoðunᵹ: *poſteris* decuria, friborga, *& ſimiliter dictum; vulgò,* **Frank-pledge**: *quorum primarius* boꞃᵹheꞅ-ealꝺoꞃ, (*unde noſtratium* **Borſholder**) & ꝼꞃiboꞃᵹeꞅheaꝼoꝺ, *vocitatus. Vox eſt à Sax.* ᵹebuꞃe. *id eſt, colonus, ruſticus, villanus, paganus,* (*Belgis hodie* **boer**, & **bouwer**, *hoc ſenſu:*) & ꞅcip, (*adjectitia particula apud Sax*) *quod poſteri mutarant in* **ſhip**. *Belgis* **ſchap**.

Geburus.] 762.14,15. *Sax.* ᵹebuꞃe, *de quo ſatis dictum in noviſſimis: quæ vel hinc firmantur, quod in LL. Aluredi Reg. cap.* 35. Ceorla. *i. ruſtico, par omnino compenſatio datur, ob pacem in domo ſuâ pugnâ violatam, ac hic* Geburo. *Vocis autem origo à Sax.* buan, *Belg.* **bouwen.** *arare, colere agrum, exercere ſolum.*

Geldabilis.] 2140.50,51,59,60. *Tributarius. De fundo dictum* geldis. *i. impoſitionibus obnoxio; qualis illa Suthfolcienſis agri pars apud Cambdenum noſtr. vulgò,* **the Geldable** *dicta, quòd extra cœnobiorum quorundam territoria, à vectigalibus libera, ſita fuerit, qualis etiam fundus ille apud Ingulphum ſæpe,* **ad Geld** *dictus.*

7 Geldum.] 311.56. 1006.40. *Solutio, redditus, vectigal, tributum, penſio, mulcta; quandoque compenſatio, à Sax.* ᵹelꝺan, *ſolvere, reddere, tribuere, quod nobis hodie,* **to yeild**, g. *in* y. *ut crebrò, mutato. Hinc tandem* **Gelt**, *pro pecunia. De voce pluribus doctiſſ. eques & Voſſ.*

Gemotum.] 837.37. 931.27. *Conventus publicus, Concilium, Conciliabulum, Concio, Mallus, Placitum. Vox à Sax.* ᵹemeꞇꞇan, *convenire, unde noſtratium,* **to méete**, *Belg.* **ghe-moeten**, *i.e. obviare, obviam venire. Quam varia verò ſint* gemotorum *genera, eques doctiſſ. in eruditiſſimo ſuo Gloſſar. oſtendit.*

Geneſtum.] 2112.41. Geniſta *fortè, quod quandoque* Geneſta *ſcriptum. Gallis* Geneſte. *Hinc* **genet** *in quorundam Regum noſtrorum antiquiorum cognomine,* **Plantagenet.** *Vox enim* planta geniſtæ *ſonat. Cujus ætiologiam multis obſervatam vide per Geo. Buck, in vitâ Ricardi regis ejus nominis tertii, pag.* 4,5,6. *& alibi.*

Geniculum.] 919.61. *Generatio, ſive gradus generationis. Sax.* cneoƿeꞅꞅe, *quod à* cneoƿ, (*unde noſtratium,* **knee**) *genu. Lydio* Geniculus. *Vide Concil. Aenham, ca.* 8. *apud Spelm. p.* 516.

Gernereat.] 763.12,25. *Perperam pro* Geneat, *i.e. colonus, inquilinus, villanus. Talium forſan eſt terra illa Sax.* neaꞇlanꝺ *dicta, de qua in LL. Eadg. regis apud Lambard. cap.* 1. *qua, autore noſtro interprete,* terra villanorum; *ubi hæc &* ðeᵹneꞅ inlanꝺ *planè opponuntur, quæ terram Thainorum propriam ſignat, utpote ſibimet à domino retentam, nec colonis elocatam, vulgò hodie,* **Demeane-land.** *Vide* Demanium *ſupra.* **Neat-land** *autem fortè à Sax.* nẏꞇ, *utile, commodum, quòd ejuſmodi terra, quemadmodum &* ᵹaꝼollanꝺ, *quæſtus cauſâ, Firmariis, ut vocant, elocetur. V.* Gavelgilda; *niſi quis malit à Sax.* neaꞇ, *jumentum, quòd jumentorum ope teratur, & colatur.*

Gewineda.] 896.5. *Corrige (juxta Saxonic. in Textu Roffenſi)* ᵹeþincþa: Wincwa *etiam, lineâ ſequenti reſcribendum* þincþa: *Sax.* þ. *i.* th. *in* w. *utrobique per errorem mutato.* Thinctha *autem hic, &* Gethinctha *illic, idem ſignificant,* ᵹeþinᵹ *ſcil. quod (ni fallor) idem eſt ac in LL. Aluredi reg. cap.* 34. ᵹemoꞇe. *i.* Mallus, Placitum, *Judicum conſeſſus, quorum forum Sax.* ðinᵹꞅꞇoƿ, (*i. cauſarum agendarum locus, à* ðinᵹ, *cauſa; &* ꞅꞇoƿ, *locus*) *Belgis* **ding-bancke**, & **ding-ſtoel.** *Niſi quis derivandum malit à Sax.* ᵹeþincþ, *honor; unde* ᵹeþunᵹene, *honoratus. q. honoratorum conſeſſus.*

Gewitneſſa.] 896.20. *Vox etiam Sax.* teſtimonium *ſignificans, de quo ſupra, lin.* 13. *ubi ſtatuitur, ut id quod teſtimonio, puta teſtibus legitimè juratis, comprobabitur, firmum foret, & irrefragabile.*

Gignaſium.] 938.29. 968.61. *Vocem advertit & exhibet D. Watſius in Gloſſario Matt. Pariſ. addito, nullâ tamen explicatione adhibitâ. Hîc (ni fallor) occurrit pro* Gymnaſium, (*quod Italis* Ginnaſio) *aut ſimile. Quod enim de Editha reginâ priori loco hîc aſſeritur:* in cujus pectore, ut quidam aiunt, omnium liberalium artium erat *gignaſium; apud Florilegum, ad ann.* 1066. *verbis paululum mutatis, ſic ſe habet:* in cujus pectore omnium liberalium artium repoſitum eſt *magiſterium. Ut mittam ea quæ de mulieris inſigni eruditione tradita per Ingulphum, & alios. Quod ad Lanfrancum attinet, de quo locorum poſteriori, valde appoſitum eſt illud,* 970.23. Cui Lanfranco Romam venienti, propter doctrinæ & ſapientiæ ſuæ famam, idem Papa dignanter aſſurrexit, proteſtans, ſe non pro illius Archiepiſcopio, ſed literarum *magiſterio*, hoc feciſſe.

Gildare.] 841. 59. wera ſua *gildet* eum, *&c. quod idem eſt ac paulo ſupra, lin.* 50. perſolvat ipſum furtum ſecundum weram ſuam, *&c. Sax.* ꝼoꞃ-ᵹylꝺe. *Senſus itaque loci :* furis conſideratâ capitis æſtimatione, compenſet; *vel* capitis (*ejus*) æſtimatione mulctetur. *Voce ductâ à* ꝼoꞃ, *pro;* & ᵹylꝺan, *ſolvere.*

Gildo.] 825. 16. *Idem qui aliàs* Congildo, *quod vide.*

Giltwithe.] 957. 41. Emenda pro tranſgreſſione. *Sic author noſter. Corrige,* Giltwite : *per* emenda, *intellige* mulcta, *Sax.* ƿıꞇe : gilt *verò, vel hodie, reatus, peccatum.*

Gignaſium.] 2662. 32. 2664. 42. *Vide* Gignaſium.

Gleba.] 2090. 37. 2093. 52. *Paſsim in jure canonico pro ſolo & dote eccleſia : heic autem, ut & noſtratibus uſitatiùs, pro fundo ad eccleſiam parœcialem attinente. Vulgò,* **the Glebe,** *al.* **Glebe-land.** *Vide Spelmann.*

Gliſcywa.] 854. 44. Et diximus etiam omnibus hominibus illis qui in noſtram *gliſcywam* vadium dedit, *&c. Pro* gliſcywam *doctiſſ. eques* gildſcytam *exhibet. Concil. pag.* 407. *Tu corrige,* Gildſcypam, *juxta Sax. in Textu Roffen.* Anꝺ ƿe cƿæꝺon eac be ælcum þaꞃa manna þe on uꞃum ᵹeᵹylꝺꞅcyꝑum hiꞅ ƿeꝺꝺ ᵹeꞅealꝺ hæꝼþ. ꝛ. Diximus etiam de quolibet qui in noſtram *gildſcypam* pignus ſuum tradiderit. Gildſcypa *autem tribulium eſt collegium, de quo ſæpius ſupra. V.* Congildones, Fritligildum.

Gowna.] 2696. 52. *Toga. Vulgò hodieque,* **a Gowne.** *Vide Spelman. in* Guna.

7 Grangia.] 1857. 54. 1972. 54. *Provincial. Angl. tit. de judiciis, ca. Item omnes :* De domibus, maneriis, *grangiis,* & aliis locis ad Archiepiſcopos, Epiſcopos—— pertinentibus, *&c. Vbi Lindewodus :* Dicuntur *grangiæ,* domus ſive ædificia, non ſolùm ubi reponuntur grana, ut ſunt horrea : ſed etiam ubi ſunt ſtabula pro equis, boſtaria ſive præſepia pro bobus & aliis animalibus : caulæ pro ovibus : porciteca pro porcis : & ſic de aliis quæ pertinent ad œconomiam : ut ſunt loca deputata ſervientibus, ad agriculturam, & opera ruſtica, *&c. Quandoque* Horteum *tantùm : ut hîc, infra,* 2533. 38. *Gallis & Anglis,* **Grange.**

Gratiare.] 851. 4. *Gratias agere vel habere. Ita* regratiari. 860. 42. *Gall.* regratier, *al.* regracier.

Gravatio.] 897. 39. *Ita in LL. Hen.* 1. *ca.* 20, 27. gravatus, *quandoque* curvatus, *ubi etiam* curvare, & curvatio. *Rectiùs autem* cravare, cravatus, cravatio. *Omnia à Sax.* cꞃaꝼian, *quod, uti* **graven op te manden** *Belgis*[a], *poſtulare, expoſtulare, petere, imò & impetere, lite ſc. motâ, ſignificat. Vnde illud in LL. Canuti ſecularib. ca.* 70. Anꝺ ðeꞃ ꞅe bonꝺa ꞅæꞇ uncꞃıꝺ, ⁊ unbecꞃaꝼoꝺ, ꞅıꞇꞇe ꝥ ƿıꝼ, ⁊ ða cılꝺ on ðam ẏlcan unbeꞅacen. *ſic ab authore noſtro (eiſdem ferè verbis ac in LL. Hen.* 1. *ca.* 14.) *Latinè exhibetur :* Et ubi bonda. *i.* paterfamilias manſerit ſine compellatione & calumniâ, ſint uxor & pueri in eodem ſine querelâ. *Hinc hodieque rogare, Anglicè dicitur,* **to crave,** *& rogatum aliquid,* **craved,** *Saxon.* cꞃaꝼoꝺ, *quo etiam impetitum, atque in reos relatum intelligebant, eoque ſenſu non ſemel occurrit vox in Chronologia Saxon. ann.* 1070. *De quâ nos plurib. in Gloſſar. LL. Hen.* 1. *addito, nondum edito.*

Gregladæ.] 814. 59. Ante iſta tempora fuerunt duo ſtudia in *Anglia,* unum de *Latino,* & aliud de *Græco,* quorum unum *Græci* poſuerunt apud **Greglade,** quæ modo dicitur **Kirkelade,** & ibidem linguam *Græcam* pro tempore docuerunt. Aliud verò *Latini* poſuerunt apud **Latinelade,** quæ modo vocatur **Lecchelade** juxta *Oxoniam,* linguam ibi *Latinam* docentes. *Ex nugis hæc, à majoribus noſtris, ex ignorantiâ linguæ ſuæ vernaculæ. i. Saxonicæ, ſæpius inculcatis & avidè devoratis. Locorum enim unus,* **Creclade,** *Saxonibus* cꞃecca-ᵹelaꝺe; *alter* **Lecceladе,** *rectè nuncupandus. Vtriuſque nomen eſt compoſitum : illud à Saxon.* cꞃecca, *poſterioribus* **Creeke,** *zelandis* **Kreke.** *i. amnis, torrens, in majorem fluvium labens, vel in maris brachium cadens : hoc autem à Sax.* leccıan, *quod rigare, irrigare, ſonat, cui vicinum Teutonicor.* **lecken.** *i. ſtillari, derivari, unde* Leckæ, *Hollandiæ rivuli, Rheni brachii nomen*[b], *ut & apud Saxones.* leacƿeaꞃꝺ. *i. hortulanus, olitorius, ſic dictus, quia hortum irrigat ; item noſtratium,* **to leake, a leake,** *&* **leaking :** *utrique voci Saxonicorum* laꝺe (*quod à* laꝺıan *ortum, purgationem, exonerationem, evacuationem, ſonat*) *ideo addito, quod eo loci (circa Oxonium ſcil.) amnes quidam exonerando ſe purgent, & purgando ſe exonerent, decidantque in alium (Thamiſis nimirum) fluvium. Hinc etiam, ut obiter notem, celebris illius Londinenſium portæ, vulgò,* **Ludgate** *dictæ, nomen. Quadam ex parte ortum. Sunt qui ductum volunt à* Lud, *rege neſcio quo; & urbis & portæ (ut ſomniant) conditore : alii autem à* leoꝺ. *i. populus, ob numeroſam populi turbam in & extra urbem per portam illam tranſire ſolitam : cum re verâ, aut à* Flutta, (*ut Lelando viſum*) *fluviolo ſc. ſubjecto, ſicut Romæ porta* Fluentina *diceretur ; aut à* Lada *potius, (quam* Fletam *vocant) cloaca ſcil. portæ vicinâ colluviei purgatoriâ, cum per ejus ſubterraneos canales ſordes urbis egerantur, nomen illud ſortita ſit, ſcil.* **Lade-gate :** *quod vulgus non advertens, & hiſtoria (fabulæ potius) gentis noſtræ originis Trojanæ nimiùm deditus, in* **Ludgate** *tandem corruperunt.*

Griſengus pannus.] 898. 5. *Idem fortè quod*——

Griſetus pannus] 459. 17. 20. *Pannus ſcil. colore* griſeus. *i. cinereus, vel cineraceus, Gallis* griſe, *Anglis,* **Gray :** *quo veſtiti Fratres (quos vocant) minores, nobis ex eo* **Gray-Friers** *vulgò dicti. Hinc autem, à colore ſcil.*——

Griſia pellis.] 328. 37. *ſed &* Cuculla griſea *apud Bekam, in Othone* 2. *epiſcopo* 34.

Grithbrece.] 923. 62. 957. 23. *Pacis violatio, à Sax.* ᵹꞃıð, *pax ; unde fortè Chaucero noſtro* grith *pro concordia ; &* bꞃece, *violatio.*

Gronna.] 180. 43. 474. 47. *Locus paluſtris ; atque hinc loca ejuſmodi* gronnoſa *olim dicta. Aſſer. Meneven. in vita Ailfredi regis, ad ann.* 878. Ælfredus cum quibuſdam militibus & vaſſallis per ſylveſtria & *gronnoſa* Summertunenſis pagæ loca, in magna tribulatione, inquietam vitam ducebat. *Hæc autem in Chronologia Saxon. ſic ſe habent :* ⁊ he lẏꞇle ƿeꞃeꝺe uneðelice æꝼꞇeꞃ ƿuꝺum ꝼoꞃ. ⁊ on moꞃꝼæꞅꞇenum. *i.e.* & ipſe (*Alfredus*) parvo ſtipatus comitatu, moleſtè per ſylvas tranſiit & loca paludoſa (*ſive paludibus munita vel firmata.*) *Vide* Athelney *apud Cambden. noſtr. in agro Somerſeten.*

---

[a] Kilian. Etymolog.

[b] V. Hedæ Hiſtor. Vltrajectin. cap. 1.

ſeten. & Matt. Weſtmonaſter. ad eund. annum. Adde Aſſerium ipſum, pag. 18. Duo (*inquit*) monaſteria conſtruere imperavit (*Alfredus Rex,*) unum monachorum in loco qui dicitur Æthelingaeg, quod per maxima *gronnia* paludoſiſſima; & intranſmeabilia (*ſic lego*) & aquis undique circumcingitur, *&c. Plura vide apud eund. Cambden. in Cantabrig. & Grantceſter. Inſulæ illius apud Cantianos,* **Graine** *dictæ, (qua ſitu humilis & naturâ paluſtris) hinc fortè nominis exigo; quod cum* Gronna, *fortè à Sax.* ʒꞃen, *Belg.* **groen**; *utpote cum ejuſmodi loca plerumque quò graminea, eò ſint viridia.*

Groſſa.] 2632. *penult. Drachma. Vulgò,* **a groate.** *Nomen à magnitudine reſpectu denarii; 4. enim continet denarios.*

Groſſus.] 823.38. 827.63. *Craſſus, magnus: unde* groſſitudo *pro craſſities, magnitudo. Adeundus eſt Voſſius.*

Guagium.] 1827. 55. *Idem, ni fallor, quod alibi* guadium. *i. pignus.*

Guerra.] 583.23,25. *& ſæpe. Bellum non ſolùm illud publicè ſuſceptum, noſtratibus hodie,* **Warre**; *ſed etiam quod privatim geritur à familiis inter ſe diſſidentibus: majoribus noſtris* **feud**, *de quo ſupra in* Factio. *Vocem alii à Sax.* ʒaꞃ, *telum: alii verò à Germanor.* **werre**, *diſſidium, inimicitia, bellum, accerſunt: ego verò, doctiorum pace, vocem puram putam Gallicam exiſtimo; atque uti à Normannis in Angliam (ubi antea* ʒeꝼeohꞇ, *unde noſtr.* **fight**, *pro bello) advectam, ſic in alias orbis terrarum partes è Galliâ tandem delatam. Hinc quod Gallis* guerre, *eſt Italis* guerra, gara: *Hiſp.* guerra: *nobis autem cum Germanis, Gallorum* g. *&* gu. *in* w. *mutare ſolitis,* **werre.** *&* **warre.** *A* guerra *verò,* guerrare, *pro bellare, Gall.* guerroyer: *Ital.* guerreggiare: *Hiſp.* guerrear: *Germ.* **werren**: *Angl.* **to warre, or make warre.**

Guerrare.] 697.22. *Vide* Guerra, *ſupra.*

Guerrator.] 2628.42. *Bellator, à* guerra, *quod vide. Vulgò,* **a warriour.**

Gulfus.] 1165.22. Gulphus. 1215.31,61. *Gurges, vorago: Gallis* golfe. *Germ.* golpe, *Anglis hodie,* **gulfe**, *quibus* **to gulpe**, *ut Belgis* **gelpen**, *pro ingurgitare, avidè haurire. Vox etiam pro ſinu maris uſurpata. Unde author noſter, loco poſteriori: Gulfus* dicitur, ubi aqua protenditur inter duas terras, & ſinum facit. *A Græco* κόλπ@.

Gunna.] 2641.48. 2672.3. 2677.45. *Tormentum, bombarda, ſcloppus. Vulgò,* **a gunne.** *Quod ad ortum attinet; quid ſi dixerim ab illâ ſuperioris ævi machinâ bellicâ ubique memoratâ,* Manganum, Mangonellum, *& ſimiliter dictâ; primâ vocis ſyllabâ tractu temporis truncatâ? Ita ſanè mihi videtur: nec aliunde fortè noſtratium & aliarum gentium* **Canon.** *i. ſclopus, vel bombarda major, ad muros ſc. diruendos inventa. Si quis probabilius quid habet, ei libenter aſſentiar.*

Guttera.] 1930. 60. *Canalis, colluviarium, ſtillicidium. Vulgò,* **a Gutter.** *Dubium ſitne à Sax.* ʒeoꞇan, *ſive* aʒeoꞇan, *fundere, effundere: an à Lat.* gutta, *quòd guttatim aquam accipiat, ac reddat: unde* guttare, *pro ſtillare: an denique à* guttur. *i. jugulum, quod Plinio, anima canalis.*

Guyſa.] 2729.35. Gyſa, *ead. col. l.* 20. *Mos, modus, forma. Nobis cum Gallis,* **guiſe.** *Saxonibus olim* ƿiꞅe, *ut & nobis hodieque, eodem ſenſu.*

H

HAderunga.] 903.9. Judicia debent eſſe ſine omni *haderunga*, quod non parcatur diviti alicui vel egeno, amico vel inimico, jus publicum recitari. *Eques hîc doctiſſ.* Odium, malitia. *Sax.* haꞇunʒa. *Cujus veniâ vocis ſcripturam probo. Hac enim, &* haꞇunʒa *mihi pro diverſis: quarum poſterior rectè,* odium, malitia: *prior autem (ni fallor)* perſonarum acceptio, *ab* haꝺe, *quod Saxonib. perſona. Vide Evangel. Sax. Matt. 22. verſ. 16.*

Hæreſiſta.] 2647.10. *pro* Hæreticus.

Haga.] 1777.51. 1780.41. *Domus in urbe, vel oppido. Ita D. Cocus. Not. in Littleton. Inde fortè dicta, (inquit Spelmann.) quòd ex complicatis viminibus, inſtar cratis vel ſepis, fabricata.* haʒ *enim Saxonicè, propriè ſepes eſt; unde Gallis* hay, *g. ut ſolet, in* y. *converſo. Vide Cluver. German. antiq. lib. 1. pag. 112.*

Halimotum.] 1820. 60. 1827. 38. *Conventus aulæ, hoc eſt (inquit eques ille doctiſſ.) curia dominicalis, Manerii, vel Baronis, in villis & dominiis: ſeu tribuum, wardarum, & ſocietatum, in burgis & urbibus. A Sax.* heal, *nobis* **hall**, *aula, &* ʒemoꞇ, *ſeu* moꞇ *ſimpliciter. i. conventus. De voce plura ibi.*

Halsfagium.] 861.39. *mendoſè pro* Halsfangium, *vel, ut 926. 61,* Healsfang. *Vocabulum in LL. Hen. 1. ſemel iterumque obvium, & ibi cap. 76. ſic explicatum:* Eſt autem verbum Anglicum, quod Latinè ſonat apprehenſio colli. *Aliàs dicitur* Colliſtrigium, *pœna ſc. quâ alicui collum ſtringitur. Vox eſt à Sax.* halꞅ, *collum, (mutato hîc Latinor.* c. *in* h. *quod veteribus Anglis uſitatiſſimum, ut doctiſſ. Caſaubono*[a] *jam obſervatum) &* ꝼanʒ, *prehenſio. Dicitur & ipſa mulcta pecuniaria, in commutationem hujuſmodi pœnæ Regi, vel loci domino debita.* Halsfang. 929.3. 930.19. *idem.*

Hamellus.] *Vide* Hamletta.

Hamfare.] 957.26. *Hamſoken* vel *Hamfare* eſt inſultus factus in domo. *Idem eſſe* Hamfare *cum* Hamſocna (*de quâ infra*) *vel hinc planè liquet, quod hîc, ut in LL. Hen. 1. ca. 80. tanquam ſynonyma, copulentur. Nec aliud eſt, ni fallor,* Hamfare *hîc, quàm alibi* Hainfare, *aliàs* Heinfare: *quod ſi eſt, cum* Hamfare *hîc,* Hamſocnam *ſonat. Huic autem ſuffragatur paritas emendationis* Heinfaræ *in Domeſdei libro*[b], *&* Hamſocnæ, *in LL. Hen. 1. cap. 12. utraq; enim* 100. *ſol. emendatur. Inter Anglo-Saxones vocem non reperio: efficꞇum tamen puto ab* ham, *domus, manſio; &* fri, *vel* frith, *pax, quies; quo* Hamſocnæ *ad amuſſim quadrare quis non videat? Niſi malis* fare, *ſenſu quo in* Herefare, *&* Fyrdfare, *acceptum, q. profectio in domum.*

Hamletta.] *al* Hamellus. 1931 43. 1956. *penult. Viculus, de aliâ villâ dependens: vulgò,* **a Hamlet.** *ab* **ham**, *vicus, habitatio, & terminatione diminitivâ* **let.** *V. Spelmann. in* Leta. *Alibi* Hamelettum. 2092.44.

Hamſocna.] 861.28. 898.26. 957.26. *Vox in LL. Hen. 1. familiaris, de cujus ſignificatione ſupra in* Hamfare, *& hîc.* 923.62. *ubi* Invaſio manſionis *dicitur. Propriè tamen, domus, ſeu habitaculi, privilegium, & immunitas. A Sax.* ham, (*unde noſtrum* **home**) *domus, habitatio; &* ꞅocne, *libertas, immunitas. Cætera, & rem, & vocem plenius*

---

[a] De linguâ Angl. vetere, *pag.* 170, 206.

[b] *V. Spelm. in voce.*

nius explicationem, vide apud doctiſſ. equitem. Vocem reperio apud Scotos, opere, quod à primis verbis, Regiam Majeſtatem, *inſcribitur. li.4. ca.9.10. ubi etiam de ejus ſignificatione per Skenæum. V. LL. Wiſigoth. li.8. tit.1. ca.4.*

Hanaperium.] 2038. 19, 32. *Fiſcus, vel ſporta grandior: vulgò,* **a Hamper.**

Regis Handgrich.] 839.63. *LL. Hen.* 1, *ca.*13. Hæc mittunt hominem in miſericordia regis. Infractio pacis quam per manum ſuam dabit alicui. *Hunc pacis ſpeciem* cyninȝeꞅ hanꝺ-ȝꞃiþ, & cyninȝeꞅ honꝺ ꞅealꝺ ȝꞃiþ, *Anglo-ſaxones nuncuparunt, de qua vide Fœd. Ed. & Guthr. RR. ca.1, item LL. Canuti ſeculares, ca.2. ſed & LL. Edv. Confeſſ. ca.*12. & 13. *Cl. Seldeni Tit. hono. par.*2. *ca.*5. §.3. *quibus adde Chartam Gul.*1. *Abbati Rameſ. datam, de qua apud Spelm. verbo* Honor. *Huic autem (ni fallor) reſpondet Germano-Saxonum* **Handfrede,** *cujus meminit Gryphiand Tract. de Weichbild. Sax. ca.*66. *ubi etiam Latino-Barbarorum* Mundiburdium, *de quo Hotoman. de verbo feudal. in voce* Mamburgus, *& Voſſius in* Mundium. *Hinc fortè* Protectionum *apud nos origo. de quibus D. Cowellus, in voce* Protection.

Handhabenda.] 849. 21. *V.* Furtum habens in manibus, & Abamatus.

7 Haya.] 2460. 14. *Septum, ſepes. A Gallico* haye. *Anglis,* **a hedge:** *à Saxonico* heȝe, *aliàs* heȝȝe. *Unde ſepire vulgò dicimus,* **to hedge:** *Saxones* heȝian. *Vide* Haia *apud Spelmann.*

Healsfang.] *Vide* Halsfagium, *ſupra.*

Heaſtingenſes.] 183. *penult.* Heſtingorum gens. 107.5. *Sic atas ea Normannos, al. Danos vocitabant: ab* Haſting. *al.* Haſten *eorum Duce primario, de quo in Annalibus noſtris paſſim. Vide Quercetan. Not. in Bibliothec. Cluniac. pag.*39. & 167.

Herenames.] 828.39. *Idem quod,* 759.40. heretaynes, & 761.56. herethaynus. *Omnia perperam pro Sax.* heꞃeꞇeameꞅ, *de quo LL. Inæ apud Lambard. ca.*15. *ubi exercitus illicitè coacti, vel conducti participem ſignificat. ab* heꞃe, *al.* heꞃȝe, *unde &* heꞃȝian, *quod graſſari, prædam facere, ſonat; ſed & noſtratium,* **to harrie,** *illo ſenſu: &* ꞇeam, *ſequela. Affine (ni fallor) exteror.* Heriſcita, *quod Spelmanno,* caterva militaris.

Heordfeſte.] 924.44. *Idem mihi videtur cum Bractoni* Husfaſtene; *nec minùs convenit priſcorum* Bondæ, *recentiorum* Husbando, *patrifamilias, ſcil. In Gloſſar. ſub finem LL, Hen.*1. *Lambardi Gloſſario medio,* heordfeſt, *interpretatione additâ, redditur,* aſtro aſtrictus: *quod luminis quid accendit intellectui illius loci in Conſuetudinib. Cantii:* le aſtre demorra al pune. i. aſtrum remanebit juniori: *Cl. Seldenus, Notis in Hengham. pag.*158. *de* aſtro *diſſerens, locum adducit. Pleniùs autem ut verbum & locus intelligantur, advertendum eſt, quod ut veterum Lar familiaris, ab Anglo-ſaxonib. inter alias ejus appellationes, (quales* **Hus, Ham,** *& ſimil.) frequentiori vocabulo* **Heorth,** *à poſterioribus autem, Anglo-Normannis ſc.* **Aſtre** *nuncupabatur: ſic etiam Larem ejuſmodi fovens, pater-familias ſcil. apud priores, quandoque* **Husfaſtene,** *quandoque* **Hamfaſtene,** *non rarò* **Husband,** *crebriùs autem* **Heorthfæſt;** *apud poſteriores verò* hominis aſtrarii *nomen ſortitus eſt. Sub hoc nomine latifundiorum domini tantùm, & poſſeſſores terrarum præcipui, plerunque intelligebantur: aliis, nempe inferioribus* (Folgariis *dictis, q. dominis ſuis à ſequelâ) aut domibus, focisque propriis carentibus, aut ſub ſtipendio, & ſervitii alicujus præſtatione poſſidentibus, quod diverſimodè, pro more loci, vel in pecuniis vel in operibus ſervilibus pendebant. Prius* **Harth-peny, Heorth-ſilver, Smoke-ſilver, Bern-peny,** *(promiſcuâ verborum uſurpatione) vocitabant. Poſteriùs autem in membranâ quadam (Rotulum vocant) computor. manerii de Harwe (nunc* **Harrow**) *anno* 21 *Ric.*2. *inter opera autumnalia ſic occurrit:* Magna Precaria. Et de 199. operibus magnæ precariæ provenientibus de omnibus Tenentibus Domini, tam liberis quàm nativis infra dominium domini reſidentibus, quorum quilibet domum habens de quo fumus exiit, inveniet unum hominem ad magnam precariam, ſi ad hoc ſummonitus fuerit, *&c.* Precaria *verò ſervitium ſonat à quibuſdam inferioris notæ fructuariis debitum, dominorum ſuorum frumentum metendi, quando ad id rogati fuerint, & in auxilium acciti: aliàs* **Benerip** *dicitur, de quo nos alibi plurib. Tali ſervitio obnoxius, alibi, in maneriis ſc. quibuſdam intra Cantium, in diebus illis* **Herdemeter. i. Heorth-meter,** *appellabatur; perinde ac ſi ad id obligatus ob larem ſive focum proprium ſibi à domino indultum. quod, ni fallor, intellectum illuſtratumq; reddit illud LL. Ina ca.*66. ȝiꝼ he him nan boꞇle ne ꞅylþ. *i.* niſi ei dominus domum conceſſerit: *antiquum (fortè) veſtigium hoc domuum vel focorum eâ lege à dominis hominibus ſuis concedendorum.*

Hoc Teutonic. dict. **Haufzins Rauch-gelt, Herde-ſchilling.** *V. Serarii Not. ad Ep. Bonifac. pag.*322.

Heordpeni.] 871.42. *Alio ſenſu hic ac in noviſſimis, ſcil. pro nummo Romæ domeſticatim pendendo: Sax.* heoꞃþ-peninȝ, *vulgò,* **Rome-ſcot,** *quod vide. Vox eſt ab* heoꞃþ. *Belg.* **herd, heerd,** *i. domus, item focus, unde noſtratium* **harth;** & peninȝ, *denarius, vulgò,* **Peny.**

Herbagium.] 2582.4. *Idem quod Gallis* Herbage, *unde vox orta: terra ſc. veſtura quæ dentibus animalium decerpitur. V. LL. Inæ apud Lambard. ca.*40. *ubi quod hic,* 765.2. herbagium, *Sax.* ȝæꞃꞅ-ꞇun *dicitur, quod agrum vel prædium compaſcuum ſonat. à* ȝæꞃꞅ, *gramen, unde noſtratium* **graſſe,** & **tun,** *hodie* **towne,** *prædium, villa.*

Herciare.] 2146. 28. *Eſt dentatâ crate glebas comminuere; Vulgò,* **to harrow.** *à Gallico* hercer, *eopſe ſenſu.*

Here.] 827.37. *Hoſtium cœtum, vel exercitum hoſtilem hic ſignat, quorundam ſcil. ad prædam faciendam collectionem. Vox pura puta Saxonica, in malam partem plerunque uſurpata; quibus interim exercitus legitimè coactus, puta juſſu principis, aut aliorum ſuperiorum, in hoſtes ejuſmodi, ſive advenas, ſive indigenas, terram infeſtantes, (ut ex Chronolog. Sax. facilè appareat)* ꝼyꞃꝺ *nuncupatus. Vide* Firthunga, *ſupra. Alio tamen ſenſu vox exteris nota, ſcil. pro exercitu ſimpliciter, ſive hoſtium, ſive civium: unde eorum* Hereſlit, *pro exercitus deſerti, ut &* herebannum *pro militiæ detrectata, & culpâ & pœnâ, quibus vocibus Anglo-Saxones nunquam uſi, ſed* Fyrdwite, *quod vide.*

Hereget.] 930.6. Here, *ut jam diximus, armatorum cœtum, vel exercitum, illicitum ſonat.* Hereget *autem, rectiùs* Heregeat, *eſt muneris quid à novo vaſſallo Patrono ſuo præſtiti, fortean ob prædones ejuſmodi arcendos: armamenta ſc. ſive belli inſtrumenta, quæ varia, pro vaſſalli dignitate. LL. Canuti, par.*2. *ca.*69. *Hæc enim (ni me fallit conjectura mea)*

mea) inſtituti vera ratio. ſcil. ut vaſſallorum ope hujuſmodi, patroni, & ſe, & ſuos in prædones & graſſatores ejuſmodi patriam infeſtantes, meliùs tuerentur, & defenderent. Pro quâ eſt, quod Hereotum, & Relevium *pro diverſis habita, de quo vide* Relevium. *Poſterior interim vocis pars* geat, *à Sax.* ʒeoꞇan, *fundere, & metaphoricè, reddere vel erogare, unde Scoto-Britannis* Herezeld, *q.d.* heregeld, *g. in z. (ut illis ſæpe) tranſeunte. Vulgò hodie* **Heriot**, *de quo plurib. Spelmannus,*

Heremina pellis.] 338.38. *Pellis eſt muſtelæ Alpinæ, ſive albæ, pretioſa, quæ Belgis* **armelijn**, *Gallis* armelin, *vel* hermine, *Ital.* armeline, *Hiſp.* armino, *Anglis* **Ermin**.

Heremitorium.] 2666.28. *Cella monachi eremitæ: eremitæ habitaculum. Vulgò,* **an Hermitage.**

Heretagium.] 2436.34. *Patrimonium, bona hæreditaria. Gallis & Anglis* **Heritage.**

Heretaynes.] 759.40. Herethaynus. 762.56. *Vide* Heerenames, *ſupra.*

Hermerus.] 851.4. *Mendosè, ni fallor, pro* Heremanni, *vel* Hiremanni. *V.* Erminius.

Herneſium.] 1084.13, 15. *& alibi. Ephippium, equorum apparatus. à Gall.* harnoys, *al.* harnas de cheval, *eo ſenſu; Anglis* **Harneſſe**, *aliàs* **horſe-harneſſe.**

Herſia.] 2152.27. *Cenotaphium. Vulgò,* **a Hearſe.** *fortè à Saxon.* aꞃe. *i. honor: vel ab* heꞃian. *i. laudare, laudibus efferre, virtutem prædicare: quem in finem cenotaphium erectum, in laudem ſc. & honorem defuncti. Præter hoc autem, ornamentum ſignat ſuper tumbam defuncti collocatum: quod, quia illam velat & palliat,* Pallam *vocant: unde noſtratium* **Pall**, *pro panno ſc. ornatus ergô, mortui alicujus tumulo vel loculo inſtrato.*

Herthamon.] *Vide* Mundbrece.

Hida.] *Vide* Hyda.

Hidage.] 957.44. *Hidage* vel *taillage* eſt tallagium de hidis terrarum. *Tributum intellige quod ex ſingulis hidis colligitur. Quid autem* hida *ſit, vide ſupra in* Familia. *Plura apud doctiſſ. equitem, in voce. Malè tamen ibi* Hidgildum *&* Hidagium *confundit. Hidagium (inquit)* tributum quod ex ſingulis *hidis* colligitur: aliàs *Hidegild.* Hidegild *autem illo ſenſu nuſquam, quod ſciam, occurrit: & quid ſignificet, vide ſupra in* Corium perdere.

Hidgildum.] 830.56, 62. *Vide* Hidagium, & Corium perdere.

Hinda.] 767.34. De x. *hindis* ad corredium debent reddi x. dolia mellis, &c. *Corrige* hidis. *Vide* Hyda.

Hindenus.] 853.9. *item* hindenus homo, *ut ibi, &* 854.8. *rectiùs autem* hyndenus, & hyndenus homo. *Sic enim habetur Saxonicè, in Textu Roffenſi. Ab* hẏnꝺene *eſt, quod bis in LL. Inæ apud Lambard. ca. 55. ubi, authore noſtro interprete,* ſocietatem *ſignat. Claſſem hominum intellige, contubernio ſimilem, de quo Lambardus in voce* Contubernalis. *Saxonibus enim erat in more poſitum; ut omnem hominem non ſolùm æſtimarent, ac pro natalis ſui ratione capite cenſerent; ſed etiam, ſecundùm cujuſque valorem, in claſſem (vel collegium) parium ſuorum, quam* hẏnꝺene *nuncuparunt, referrent; trium ſc. ſequentium unam; infimam, mediam, ſummam.* [1] *Infima claſſis fuit, quorum ſinguli valerent* 200. *ſol. talis inde Latinè dictus* vir ducentenus; *vulgariter, à claſſe in quam aſcitus,* ꞇƿẏhẏnꝺe-mon. [2] *Media, eorum quorum ſinguli valerent* 600. *ſol. talis inde Latinè dict.* ſexcentenus; *vulgariter, à claſſe in quam aſcitus,* ꞅixhẏnꝺe-mon. [3] *Summa autem, eorum quorum ſinguli valerent* 1200. *ſol. talis inde Latinè dictus* duodecies centenus; *vulgariter, à claſſe in quam aſcitus,* ꞇƿelꝼhẏnꝺe-mon. *Pariterque uxores eorum* Cyrliſcam, (*i.* Twyhyndam: *nam* Twyhynde-man *idem erat qui* ceorliſcus, *& ſic quandoque dictus, quandoque* villanus:) Syxhyndam, & Twelfhyndam, *nominarunt. Conſimilem ſtatum hominum tripartitum commemorat Lindenbrog. in Gloſſar. verb.* Mediocris perſona. *De quo infra, in* mediæ Manus homo.

Hiremannus.] 854.51. 855.42. 901.64. *Vide* Erminius.

Hlafordſcona.] 849.13. *Corrige* Hlafordſocna, *& vide capitis inſcriptionem:* Ne Dominus libero homini jus prohibeat. *i. (fortè) jus æquum ei ne deneget.* Hlafordſocna *verò ſignare videtur Domini protectionem, vel tutelam, aut ſimile quid, niſi erratum ſit pro* ———

Hlaſocna.] 851.14. *Ut id pro* laſocna. *q. legis beneficium dixeris.*

Hloth.] 762.53. *Saxonibus pro turma, cohors. à* laþian, *al.* ʒelaþian, *h.e. convocare, congregare. Vide Spelman.*

Hlothbota.] 824.52, 55. *Ejus qui turma illicitæ interfuerit mulcta, ſive compenſatio. à* hloþ, *ut diximus, turma; &* boꞇe, *compenſatio, mulcta.*

Hluttres.] 767.36. — xij. ambræ cerviſiæ Waliſcæ, xxx. *hluttres*, duo boves, &c. hluꞇꞇꞃe *Sax. ſimplex, purum, lucidum. Senſus igitur loci:* xij amphoræ cerviſiæ Wallicæ, (*hoc eſt, potentioris*) xxx. tenuioris (*vel, debilioris.*)

Hoberarius.] 2140.53. *paulo infra, lin.* 63. Hobilarius. *Qui lege prædii ſui (inquit doctiſſ. Caſaubonus, Iſ. filius,* Caballi *vocis ortum explorans, in* De linguâ Anglicâ vetere, *pag.* 192.) *equum curſorium ad publicos uſus alere teneretur. Eum velim adeas, & equitem Spelmann. in voce* Hobellarii; *Cambdenum etiam in Hantonia; item Cowell. in voce* **Hoblers.**

Homagium.] 237.25. 506.48. *al.* Hominagium. 481.49. 641.36. *al.* Hominium. 230.43. 486.1. *Quæ, ut & alibi* Hominatus, & Hominiſcum, *pro clientelæ genere: & ab eâ hominis ſignificatione veniunt, quâ quis dicitur alicujus* homo, *h.e.* vaſſallus, *ſive cliens beneficiarius, vel feudalis. De omnibus opera erit adire Spelmannum, qui, inter alia,* homagii ligii *meminit, cujus etiam hîc mentio.* 1038.63. *Illud (inquit) ſic dicitur, quod ſolummodo Regi debetur, ratione ſupremi dominii: à ligando venit, quòd ab hoc nemo ſe poteſt liberare, ut (renuntiando feudo) ab aliis* homagiis. *Sed ipſum velim adeas, & Flet. li. 3. ca. 16.*

Hominem furari.] 823.21. *Sic author noſter: mendosè tamen, ni fallor. Ad Saxonica recurramus:* hƿilon ƿæꞅ ʒolꝺðeoꝼ. ⁊ ꞅꞇoꝺðeoꝼ. ⁊ beoþeoꝼ. ⁊ maniʒ ƿiꞇu maꞃan ðonne oþꞃu. nu ꞅẏnꝺ ealle ʒelice buꞇan manðeoꝼ. hunꝺ ꞇƿelꝼꞇiʒ ꞅcill. *Ubi* manðeoꝼ *authori noſtro, ut dixi, Latinè,* qui hominem furatur. *i.e. plagiarius. In eandem ſententiam Lambardus:* qui hominem clam ſurripuerit. *Malè, me judice, uterque.* man *enim hîc, quomodo poſtea in S.C. de Monticolis Walliæ,* *apud eundem Lambard. ca. 7. quod de jumentorum æſtimatione inſcribitur, non* hominem, *ſed* mannum, *ſonat. Anglis,* **a Nagge**, *Holland. & Friſ.* **Negghe**. *Medull. Grammat.* **a Palfrey.**

Homines decimales.] 848.5. *Decemviri, vel decem illorum hominum cœtus & collegium, Saxonicorum* ꞇeoðunʒ, *al.* ꞇenmanꞇale, *poſterioribus* decimam, decuriam, *al.* friborgam *conſtituens, de quibus in LL. Canuti, par. 2. c. 19. item Edv. Confeſſ. ca. 20, 32. & ſupra in* Decima.

Homo.] 203.56. 457.3. *& crebrò. Vocabulum planè Latinum, falsâ tamen & barbarâ ſignificatione hîc uſurpatum; pro eo ſc. qui accepto feudo domino teneretur militare, homagiúmque & ſervitia ejuſmodi præſtare: al. Vaſſallus, Cliens beneficiarius, vel feudalis, Tenens (ut loquuntur) per ſervitium militare. Dicitur etiam de quovis prædiorum licet ignobilium Tenente, ſive Fructuario: ſed & de eo, qui nullo accepto feudo, nullo prædio, ſe in alterius tradidit militiam, ſervitium, obſequium, clientelam; & generatim de omni famulo, miniſtro, ſubdito. quæ quidem omnia exemplis plenè probat doctiſſ. eques, in voce, quem vide. De hominibus* mediæ, inferioris, *&* infimæ manus, *vide quid infra, in* Manus *dictum.*

Honor.] 262.31, 32, 33. 274.11. 277.57. 309.25, 32. 553.6. 1413.10. *& alibi. Vox* Honor *hic, non ut Romanis olim nota, ſed quomodo Anglo-Normannis accepta; ſc. majoris Baronis, (ut vocant,) feudale patrimonium, ſeu* Baronia; *ut eſt apud Spelmann. quem omnino conſule.*

Hora.] 830.17. *Mendoſè pro* Ora, *quod vide.*

Horas dicere.] 1935.41.42. *Diei & noctis temporibus Canone ſtatutis, divina celebrare: quæ tempora* horæ canonicæ *inde dicta. Ea verò quæ fuerint, vide apud Spelmann. Concil. p. 577.*

Hordarius.] 842.65. *Idem quod ibid. lin.* 17. Hordera, *Quæſtor ſcil. A Sax.* hoꞃꝺeꞃe, *quod etiam ab* hoꞃꝺ, *theſaurus. Hinc inſuper* Horderium. 930.64. *Sax.* hoꞃꝺeꞃne, *ab eod.* hoꞃꝺ, *&* eꞃn, *locus (plerunque ſecretior) pro penario, cellario, & ſimili. Eod. ſenſu nobis adhuc* **hord**, *&* **horder**.

Hordera.] *Vide* Hordarius.

Horderium.] *Vide* Hordarius.

Hordicium.] 2612.10. *Idem quod ſupra,* 1189.49. 1201.43. Hurdicius: *machina ſcil. bellica muros diruens. Ita ſanè vocem heic accipiendam reor. Quandoque tamen contrarium ſignificat; quomodo* hurditius, *&* hurdicium *apud Spelmannum & Voſſium: qui tegumenti genus ex cratibus factum vocant, quo muri obteguntur, ut cedendo magis, quam reſiſtendo, vim miſſilium morentur, atque infringant. A Saxon.* hẏꞃꝺl, *Anglis* **hurdle**. *i. crates: niſi quis malit à Gallico* hurter, *aliàs* heurter. *i. impellere, ferire, impingere, (unde noſtratium* **to hurt**:) *nec fortè incongruè; ſive activè, ſive paſſivè vox ſumatur: pro diverſo nimirum rei uſu; offenſionis ſc. & defenſionis.*

Hoſpitalitas.] 2346.41. *pro* Hoſpitale. *i. Noſocomium. vulgò,* **an Hoſpitall**.

Hoſtiagius.] 2472.17. 2481.24. *Obſes: vulgò,* **Hoſtage**. *Vox Gallica.*

Hoſtilarius.] 2371.52. *Hoſpitum receptor. à Gallico* Hoſtelier; *unde noſtratium* **Hoſtler**, *pro ſtabulario.*

Hredige.] 855.18. *Mendoſè pro* Hrædinge, *juxta Saxon. in Textu Roffenſi:* Niʒoþe ꝥ ƿe cƿæꝺon be þiꝼum þeoꝼum. þe man on hꞃæꝺinʒe ꝼule ʒeaxian ne mæʒ, *&c. i.* Nonò diximus de latronibus quos in præſens (*vel*, in promptu) reos invenire nequeant, &c.

Hulſgengag.] 763.15. *Malè ſic; vel melius* Hulſgonges, *ut* 762.59. *Corrige, juxta Saxon.* Huſlgenga. *i. Lambardo interprete, Paterfamilias; noſtro autem authore,* Husbanda: *D. Wheloco verò, &, ut opinor, rectiùs, Euchariſtiæ perceptor: voce, ut videtur, compoſitâ à Sax.* huꞅl, *euchariſtia, &* ʒenʒa, *al.* ʒanʒa, *quod à* ʒan, *al.* ʒanʒan, *Belgis* **goen**, *ire, adire: unde* ꞇo huꞅl ʒan *Saxon. pro, euchariſtiam adire.*

Hundred-ſetena.] *Vide* Hundredum.

Hundredum, Hundredus.] 314.60. 1186.4. 956. *ult. al.* Hundredh. 308.31. *& alibi. Comitatus vel provinciæ pars, centum continens villas; ut author noſter, Bromptonus: ut alii verò, in quâ habitarent centum pacis regiæ fidejuſſores. Vox eſt à Saxon.* hunꝺꞃeꝺ, *Belg.* **hondert**. *h.e. centum: unde* Centena, Centuria, *Latinè: de cujus origine & inſtituto, ut & de* Centenariis, *vulgò,* Hundredariis, *eorúmque juriſdictione, imprimis conſulendus eques doctiſſ. in voce: operæ etiam erit adire Cowellum, & Lambardum in* Centuria. *Ubi verò (ut hîc obiter moneam) eques doctiſſ. in voce, pro* Hundred-ſetena, *rectiùs reponendum autumat* Hundred-ſceatena, *planè fallitur: cum rectè habeatur* Hundred-ſetena, *quod utique vocabulum Textus (ut vocatur) Roffenſis* conſtitutionem hundredi *Latinè exhibet, his verbis:* ——— debent habere conſtitutionem hundredi, quod Angli dicunt, **hundred ſetene**.

Hunſcum.] 608.25. Veſtræ quoque dilectioni miſimus unum gladium, *Hunſcum*, & unum balcheum, &c. *Matt. Pariſ. in Vitis, habet* Hunniſcum: *Malmesburienſis* Huniſcum, *quod legendum monet Watſius* Unnicum, *quo etiam interprete, gladium ancipitem ſignat. Eum adi, & Ludovic. de la Cerda. Adverſar. ſacr. ca. 95. nu. 9.*

Hurdicius.] *Vide* Hordicium.

Husbanda.] 763.15. *Idem, ni fallor, ac ſupra,* Heordfeſte. *i. paterfamilias. Ita eo ævo* Huſwifa, *materfamilias. Hodie nobis* **Husband**, *pro marito; Scotis autem pro agricola; qui nobis* **husbandman**, *ut pro agricultura,* **husbandry**. *Vide* Bonda, *& Spelmannum in* Husbandus.

Husbrece.] 929.18. *i. (ita author noſter)* infractura domus. *rectiùs,* effractura domus. *Vox eſt à Sax.* huꞅ, *nobis* **houſe**, *domus, &* brece, *Sax.* bꞃẏce, *nobis* **brech**, *fractura, effractura. Vulgò hodie,* **Burglary**. *Vide* Burgaria.

Huſcarla.] 181.13, 23. 192.65. *& alibi. Vir alteri è familiâ; Miniſter vel Famulus domeſticus. A Sax.* huꞅ, *ut jam dictum, domus, &* caꞃl, *al.* ceoꞃl, *homo maſculus, robuſtus, fortis; de quo ſupra in* Buthſecarlus. *Adeatur etiam Spelmann. in voce.*

Huſtengum.] 2197.63. 2199.6. Antiquiſſima, (*inquit eques Spelmann. in voce*) & celeberrima Londoniarum civitatis Curia ſuprema: à loco (ut Prytaneum Athenis) nuncupata. huꞅ enim domus; ðinʒ, cauſa; quaſi domus cauſarum, vel ubi cauſæ agantur. *Sic ille, quem ſequutus eſt D. Ed. Cocus, Inſtit. par. 2. pag. 322. & par. 4. pag. 247. Et per me licet. Liberè tamen ut dicam quod ego ſentio, haud placet derivatio. Quamvis enim partes compoſiti ita ſonent,* hus *ſc. domum, &* thing, *cauſam: taliter tamen copulata, cauſarum domum, forum ſc.*

juridicum ut ſignificent, nihil video quod ſuadeat; ſaltem niſi hyſteron quoddam proteron ſit in ſyllabis. Experiundi gratiâ, ad alias fas ſit voces provocare. Patrifamilias, vel habitatori, Saxones huꞅbanꝺ, huꞅꝼæꞅꞇene; Teutonici **huyſ-heer, huyſ-man, huyſ-vader, huyſ-weerd**: Angli hodie **houſ-holder**, nomina indiderunt: ut famulo domeſtico huꞅcaꞃle Saxones; **huyſ-knecht**, Teutonici. per huꞅbanꝺ, huꞅꝼꞃæꞇene, huꞅcaꞃle, &c. domum °patrisfamilias, domum habitatoris, domum famuli, &c. nequaquam intelligentes: huꞅ hîc naturam nominis adjectivi potius, quàm ſubſtantivi præferente, & epithethon, nominis cui præponitur qualitatem ſive ſubjectum prædicante, potius quàm nomen ipſum ſapiente. Ad alia ut tranſeam verba. Cum de domo publicâ, (privatas ut mittam) gymnaſio ſc. libero, prætorio, domo eleemoſynariâ, hoſpitale vulgò dictâ, vel hodie loquimur, loca hæc **School-houſe**, **Towne-houſe**, **Almeſ-houſe**, dicimus, non ſyllabis inverſis, **Houſe-ſchool**, &c. Adde, quod curiam municipalem, puta prætorium, domum ſenatoriam, Teutonici **Stad-huys**, & **Raedhuys** nominant: quemadmodum etiam (propiùs ut accedam ad Huſteng) locum judicii publici, (Saxonibus ꝺomeꞃne, al. ꞅpꞃæceꞃne, item moꞇeꞃne) **Ding-ſtatt**; tribunal **Ding-ſtuel**, & **Ding-bancke**; diem litigiis dicatam (i. diem Martis) **Dings-dagh**, judicem **Ding-grave**, non autem **Statt-ding**, &c. cujuſmodi ſcriptioni planè obſtat idiomatis noſtri (paris cum Teutonico originis) canon ille grammaticalis, de quo Butlerus in Grammaticâ Anglicanâ, ca.3. §.2. pag.35. Notandum hîc (inquit) genitivum (nomen ſc. caſus genitivi) ſemper eſſe præponendum nomini à quo regitur, &c. Præterea demus Huſting cauſarum domum, vel locum ſignare juridicum; quare, quæſo, hoc nomen non cæteris omnibus ejuſmodi locis commune, ſed è contrario Londinenſium, & paucorum aliorum locorum curiis proprium? Aliam itaque vocabuli originem, doctorum veniâ petendam puto. ¶ Curiarum tantùm ſuperiorum genus nomen illud (ut opinor) reſpicit, nec alibi fortè reperitur; quas & regias, (à placitis nimirum regiis, ſive ad coronam domini Regis jure ſpectantibus, ibidem tractari ſolitis) & Recordi curias, (ut ſunt omnes regiæ: curiæ ſc. quarum acta adeo ſunt authentica, ut probationem contrarii non admittant:) Forenſes vocant. Ad ſuprema ſcil. (ut ita idcam, reſpectu Regis cujus ſunt) judicia nomen ſpectat: quod fortè vocabulum potiùs ſonat, quàm (quod derivatio adhuc recepta vult) cauſarum domum: cum (ni fallar) ductum ſit ab **Higheſt**, vel (ut antiquitus ſcriptum) Hyhſta, i. ſupremum, & **Thing**, judicium: ſimul, **Hyſt-thing**, unde quorundam **Hieſting**, aliorum **Hoyſtings**[a]: cujus prior ſyllaba eadem, ut ſono, ſic itidem fortè & ſenſu, ac nautarum vela dantium, **Hoiſe**. Ad rem eſt, quod hujus nominis tribunal apud Londinenſes à doctiſſ. equite & aliis memoratum, & inter alia loci tribunalia deſcriptum, ſupremum audit. Nec hîc tranſeundum, quod apud quoſdam exteros, judicium ſummum **Al-thing**, q. Alt-thing, ut ego capio, nuncupatur. Vide Johan. de Laet. de orig. gent. American. li.1. pag.160. de Iſlandis. ¶ Nomen hoc quinque portuum curiam apud **Shipwey** in auſtralibus non (ut omnes[b] hac de re ſcribentes) apud **Shepey**; inſulam ſc. in borealibus Cantii partibus, inter alia quædam loca obtinuiſſe ſat planè conſtat ex Fleta lib.2. ca.55, ubi, ut etiam ca.54. pro **Shepey**, legend. **Shipwey**, quemadmodum loci nomen rectè exhibet Bracton. li.3. tract.2. ca.2. & li.5. tract.5. cap.14. item eques ille Cocus, Inſtitut. par.4 ca.42.

¶ Abſolutâ Huſtingi curiâ, pauca nunc addamus, nec importunè, de Huſtingi pondere, cujus ſit mentio in doctiſſ. equitis de voce tractatu, è charta ſcilicet antiquiſſ. libri Rameſienſis. Iterum autem occurrit mihi in charta etiam pervetuſtâ, nimirum Saxonicâ, eccleſiæ Cantuarien. per Eadſium al. Eadſinum presbyterum data anno Dom. 1032. in hæc verba: Anꝺ he ᵹaun eac ðæꞅ lanꝺeꞅ æꞇ Oꞃpeꝺinᵹꞇune on hiꞅ ðæᵹe ꝼoꞃ hiꞅ ꞅaple inꞇo cꞃiꞅꞇeꞅ cẏꞃican ðam ᵹoꝺeꞅ þeoꞃum ꞇo ꞅcꞃuꝺe-lanꝺe. þe he ᵹebohꞇe miꝺ hunꝺ eahꞇiᵹan maꞃcan hƿiꞇeꞅ ꞅeolꝼꞃeꞅ be huꞅꞇinᵹeꞅ ᵹeƿihꞇe, &c. Id eſt, Dedit etiam terras illas apud Orpedingtune per dies ſuos, pro animâ ſuâ, eccleſiæ Chriſti, Deo illic ſervientibus in fundum veſtiarium, quas emit octoginta marcis argenti albi Huſtingi pondere, &c. Quale autem pondus hoc adhuc incertum. LL. Ethelredi regis apud Venetingum, de quibus hîc, 895. ca.30. ponderis meminit mercatorii huc fortè pertinentis: ——— & ipſi qui portus cuſtodiunt efficiant ſuper overhyrneſſam meam ut omne pondus ad mercatum ſit pondus quo pecunia mea recipitur, & eorum ſingulum ſignetur, ita quod xv. oræ libram faciant, & cuſtodiant omnes monetam, ſicut vos decere præcipio, & omnes eligimus. Venia igitur ſi ſit conjectura, Huſtingi hoc, ſtatutum pondus puto commercio inſerviens, ipſum ſc. Standardum (ut vocant) Regis, (quod pondus ſignat originale & canonicum, ad quod alia pondera ejuſdem ſpeciei debent examinari, & cum eo concordare:) aut talis Standardi exemplar; atque inde fortè nomen hoc obtinuiſſe, ductum à ſupra memorato hẏhꞅꞇa, ſuprema, & ðinᵹ, Teutonicis **Dingh**, nobis hodie **Thing**, res: quaſi dicas pondus regium, de quo vide 2. Samuel. ca.14. ver.26. vel pondus quo ſuprema, res ſc. regiæ appenſæ trutinantur, ſive (phraſi legis Ethelredi jam citatæ) quo pecunia Regis recipitur. niſi pondus hoc in diebus illis in Huſtingo, fori nempe juridici loco ſic dicto, quemadmodum olim Romæ in Capitolio[c], ex uſu conſervatum, & inde nomen illud ſortitum malis. Nec aliud fortè pondus hoc, Saxonum ævo Huſting appellatum, quàm illud à poſteris, & in hunc diem, omnium ore, Troiæ, & Troianum (ac ſi inde huc allatum) dictum. credat autem Judæus apella. Melius interim ut oſtendam unde (ut veriſimile eſt) nomen illud ortum ſit, ponderum apud nos in uſu duo eſſe genera advertendum eſt: quorum unum vulgò, **Troy-weight**; alterum, Avoir de pois, q. habere pondus, aut juſti eſſe ponderis, ut vulgaris fert opinio, nuncupatum. Prius, inſtar libræ quam Romanam vocant, 12. tantum uncias in libra continet: poſterius autem, libræ ſimile quam mercalem, civilem, zygoſtaticam nominant, 16. uncias. Priore, gemmæ, lapides pretioſi, electuaria, medicinalia, aurum, argentum, & panis ponderantur: poſteriore verò omnia alia quæ pondere mercari ſolent homines. Poſterius hoc uſu magis receptum, quàm lege fundatum, cum nunquam adhuc lege aliquâ ſtabilitum, ſed potius prohibitum, quomodo ſtatuto anni 27. Ed.3. ca.10. apparet: ſumpto nomine, non (ut communis fert opinio) à pondus habendo, ſed à Gallico Avoir, ſubſtantivè poſito, (perperam ſcripto Aver) unde noſtratium Averia. i. e.

---

[a] Stow. Notic. London. pag. 207.

[b] Cowell. Spelman. Coke.

[c] V. Caſaub. Not. in Jul. Capitolin. pag. 139. nu. 14.

(*Cotgravio teſte*) *bona, facultates, res, cui apponitur* de pois, *bonorum qualitatem deſignandi gratiâ. Atque hoc modo* Avoir de pois, *ut verbum verbo reddam*, bona ponderis *eſt, ſive bona quæ pondere venduntur, potiùs quàm valore: nomen obtinens à bonis tali libratis pondere; cujuſmodi ſunt, ut diximus, omnia præter panem, & quæ nonnundant aurifices, medici & pharmacopolæ: res nimirum pretioſiores, ideoque fortè illo altero ponderum genere librata*, **Troy-weight** *vulgò dicto, cujus quidem vera origo non à Troia, ut Troianum; ſed à vocabulo quodam antiquo. Fletæ authori* Trona; (*corrupto fortè aut à Latino* trutina, *aut à Græco* τρυτάνη, *à* ῥέω *fluente*) *unde nobis ortum* **Tronage**, *Latino-barbarè* Tronagium, *i. vectigal quoddam pro mercibus ponderatis pendi ſolitum, de quo in Statuto Weſtmonaſt. 2. ca. 25. anno ſc. 13. Ed. 1.* Trona *enim ſtatera eſt ponderandi gratiâ excogitata, teſte D. Cowello noſtro in* Interprete, *quem vide etiam in voce* Weights, *ubi conjicit ipſe* Tronæ & Troiæ *pondus idem eſſe. Cui quidem conjecturæ ſuffragatur altum de Troianæ vel Troiæ pondere ſilentium inter omnes eâ de re ſcriptores exteros, ut & domeſticos, antiquitate ſaltem celebres. Adde, quod noſtrum* **Troy-weight** *Lexicographis noſtris* trutina campana *Latinè redditum.*

V. Cl. Seldeni Tit. honor. ed 1. par. 2. pag. 199.

Hutheſium.] 1919.17. 2022.66. *Eſt ſtrepitantium clamor & ejulatio, quibus fugientem latronem, & rei capitalis ſontem, omnes obvii tenentur proſequi, donec maleficus deprehendatur. Angl.* **Huy and Cry**: *à Gall.* huyer, *ejulare, exclamare. De quo pluribus Spelmannus*, Huteſium, 2546.59. *Idem.*

Hyda.] 487.55. *al.* Hida. 212.62. 767.34. (*ubi* hindis *pro* hidis) 802.18. 979.36. *Hida* Anglicè vocatur terra unius aratri culturæ ſufficiens per annum. *Sic author noſter, Bromptonus ſc.* 887.20. *Beda* Familia, *ut ſupra in voce. Cum doctiſſ. Spelmanno vocem ortam puto à Sax.* hyðan. *i. tegere, protegere, quod Belgis* hoeden, *unde eorum, & Gallorum* hutte, *pro caſa, tugurio, taberna, tentorio, Kilian. Cætera, Spelmannus. Opera etiam erit adire Lambardum, apud quem in voce* Purgatio, *invenies quid ſibi velit* jusjurandum, *vel* purgatio, *per* 12. 24. 30. hidas, & *ſimilia.*

I.

IDoneare.] 872.10. —— ſi accuſatus ſe de hoc non *idoneaverit*, &c. *Hîc, ut & in L. Longobard. Capitular. & alibi*, Idoneare ſe, *idem denotat ac inſontem ſe comprobare, & ſecundùm legis ordinem, à crimine illato ſe liberum reddere, vulgò* purgare. *Idem quod ſupra*, Adlegiare.

Ignis Græcus.] 656.18. 661.26. 939.49. *al.* Sylvaticus. *Sæviſſimum ignis genus, ex ſtupa, ſulphure, naphthâ oleiſque illitâ, & accenſa, quod ne aquâ extinguatur: ut inſanâ quadam velocitate omnia rapit & devorat. Vulgò*, **Wyld-fire**: *unde fortè* Sylvaticus *diceretur, utpote cum ſylva nobis olim* **weald**. *Ita hodieque* **wild**, *pro ferus, ſylveſtris, immanis, &c. Malè tamen hîc, locor. ultimo ignem hunc & aëreum confundit author noſter, quomodo etiam Florentius Wigorn. ad ann.* 1048. *ubi* ſulphur ſactum, *vel* fulmen (*ni fallor*) *intelligendum. Ignis enim Græcus non eſt aëreus: ſiquidem in aëre vel æthere accenſus, & inde decidens vel deſcendens, ſed hominum arte & ingenio modo quo ſupra compoſitus. Cum tamen effectu ſimilis ſit aëreo, eò, ut videtur, nomen extendere quidam non dubitarunt.*

Illegitimitas.] 2374.20. *Natales illegitimi. Vulgò*, **Baſtardie.**

Illuminare.] 976. *extrem. Pingendo ornare. Vulgò*, **to limne**, *Gallis* enluminer. *Ita arte hac peritum*, **a Lymner** *dicimus.*

Impechiare.] 2609.17. *Impetere, eo ſenſu, quo Forenſibus noſtris, accuſare, appellare, criminari, ſignificat. Vulgò*, **to impeach**, *Gallis* empeſcher.

Implacitare.] 1024.29. *In jus vocare, lite involvere. Ab ea* placiti *ſignificatione, quâ conventum ad judicandum indictum ſignificat. Unde ſimiliter* placitare. *Gallis* emplaider. *quod nobis*, **to implead.** *Hinc autem* ——

Implacitatio.] 246.65. *In jus vocatio: actus implacitandi.* **Impleading.**

Impriſonare.] 1019.20. *In carcerem conjicere: incarcerare. V.* Priſona.

Improperatio.] 936.42. *pro* Improperium.

In alto & imo.] *Vide*, De alto & baſſo.

Inbreviare.] 1411.39. 1615.7. *Eſt in inſtrumentum illud publicum quod Forenſes noſtri* Breve *vocant, referre. Hinc* Inbreviamentum, 1615.7. *pro tali inſtrumento.*

Inbullare.] 1991.44. *In bullam tranſire vel referri: ut id dicatur, quod à Papa impetratum, & ſcriptis mandatum*, bulla. *i. ſigillo Papali, firmatur, & impetranti traditur.*

Incredentes.] 1203.40. Infideles. *A Chriſtianis de Saracenis & Ethnicis dictum, qui nobis vulgò*, **Infidels.**

Incredibilis.] 872.27. *Infidus.*

Inculpare.] 680.46. *Culpare, culpâ arguere, accuſare, criminari. Inde* ——

Inculpatio.] 822.22. *pro accuſatione, incuſatione, nominis delatione. Item* ——

Inculpatus.] 764.42. *pro culpatus; accuſatus, &c.*

Incuſtodia.] 930.3. *Incuria, negligentia.*

Indentura.] 1864.8. *Eſt ſyngrapha, vel ſcriptura conventionalis, alii quæ idem continet quaſi parallela. Ideoque utraque pars in latere vel ſummitate ſimiliter ſcinditur in morem dentium, ut invicem collatæ pares eſſe cognoſcantur; indéque nomen ſumpſit. Chartarum autem* Indentationem (*inquit Spelmannus*) *apud nos non reperio ante ætatem Henrici* III *& tunc quidem rariùs. Vulgò*, **Indenture.** *Ita* Indentatus, 2700.4. *de ſcripto dictum* Indenturæ *formam habente.*

Indicibilis.] 385.39. 411.55. *Idem quod* Inedicibilis. 120.69. *ideſt, Ineffabilis, inenarrabilis.*

Indictatus.] 1759.56. *In foro noſtro is dicitur, qui libello accuſationis* (*quem* billam *vocitant*) *à* 12. *ad minus inquiſitoribus juratis ad judicem delato, de maleficio aliquo vel in regem vel in rempub. ſolenni formâ poſtulatur. Vulgò*, **Indited.** *Vide* Addictari.

Indiſciplinatus.] 268.15. *Adverſus legum morûmque diſciplinam.*

Indorſatus.] 1954.64. *In dorſum*, (*epiſtola putà, vel ſcripti cujuſcunque partem averſam ſive exteriorem*) *poſitus; ſigillatus. Vulgò*, **indorſed.**

Inedicibilis.] *Vide* Indicibilis.

Inemendabilis.] 918.33. 929.22. *Vide* Botolos, & Emenda.

Inevincibilis.] 86.28. *pro* Invincibilis.

Infaidare.] 859.58. Faidam. i. *graves inimicitias exercere, gerere, ſuſcipere, habere, denuntiare. De eo dictum qui à cauſâ furtivi ſtaret adverſus eorum inſecutores. Vide* Factio.

Infangentheof.] 22.40. Infangenthef thelfind inward. 957.29. *Juriſdictionem notat domino manerii conceſſam in quemcunque, ſive hominum ſuorum, ſive aliorum, furti reum, & intra limites dominii ſui prehenſum. Ab* in. *i. intus,* fangan, *capere, prehendere, (unde & digiti, hodie* **fingers**, *quibuſd.* **fangs**, *dicti:) &* theof, *fur. De quo pluribus Spelmannus, quem velim adeas. Quod autem hic* thelfind inward, *Ranulf. Ceſtren. in Polychron. li. 1. ca. 50. habet* pelfinde inwarde. *Corrigendum fortè utrobique* þeof finde in warde, *quod idem, ut videtur, ſonat, ac* fur intrinſecus inventus. *h. eſt, intra juriſdictionem domini prehenſus. Huic autem contrarius* Utfangtheof. *i. juriſdictio in latronem extraneum, ſive aliunde venientem, (quod* ut *ſonat) intra tamen dominium illius prehenſum, qui tali donatur juriſdictione.*

Infeodare.] 1168.40. *Eſt feudum, vel feodum, prædium ſcil. beneficiar. alicui dare vel conferre: terram vel prædium in feudum, more ſcil. beneficiario poſſidendum, alicui tradere vel concedere. Gallis* infeuder, *nobis* **to enfeoffe**.

Infideles.] 986.34. *Hîc, ut alibi ſæpe, dicuntur, qui* fidelitatis *ſacramentum domino feudali juratum violarent.* Fidelibus *hîc opponuntur: eos intellige* fideles feudales *dictos, qui ſcil. accepto à domino feudo, omnia munia ad feudum pertinentia adimplere tenentur: etiam fidei interpoſito ſacramento. Hinc* Infidelitas erga Dominum, *de quâ* 929.21. *Sax.* hlaꝼoꞃꝺꞅƿice, *quod vide in* Lafordſwice.

Infirmaria.] 1728.4. 1799.56. *Munus* infirmarii, *monachi ſcil. qui tum infirmorum in noſocomio, tum ipſius noſocomii, ut ſartum tectum ſit, ſed & prædiorum ac redituum eiſdem uſibus aſſignatorum, curam ſuſtineret. Item interdum noſocomium ipſum, locus ſc. in monaſterio valetudinariis loci conceſſus. De quo vide* Cella infirmorum.

Infirmitorium.] 2012.40. *Vide*——

Infirmorum cella.] *Vide* Cella infirmorum.

Inforciatus.] 583.24. *Vide* Forciatus.

Infraclusus.] 969.46. *pro* Incluſus.

Infractio plegii.] 764.11. *Vide* Borgi fractura.

Infractura.] 822.9,10. *pro* fractura, *vel violatio.* 929.18. *pro* effractura.

Infugatus.] 923.58. *pro* Fugatus, *vel in fugam conjectus.*

Ingenium.] 1166.2. *Machina, inſtrumentum, à Gallico* engin, *apud quos machinarum inventores, qui machinas ſc. antea non viſas, & à ſe excogitatas conficiunt, dicuntur ab ingenio* Enginiers, *Anglis autem* **Engineers**.

Ingravatus.] 860.25. *Idem quod* gravatus, *de quo ſupra, in* Gravatio.

Inlegiare.] 918.38. *Idem quod alibi* inlagare. *à Sax.* inlaᵹian, *h. e. exlegem reſtituere patrocinio legis: uti* exlegare, *eſt exlegem reddere. De eo hîc dicitur, qui licet ob homicidium in templo commiſſum, ab omni compenſatione penitus alienum ſe reddiderit, quadam tamen hîc injuncta perimplendo, compenſationis compotem ſe reddat & capacem, vel facti compenſandi beneficii non indignum.*

Inmeliorari.] 86.6. *Aliquid melius fieri. cujus contrarium* inpejorari: *Gallis* empirer, *unde fortè noſtratium* **to empaire**, *eo ſenſu. V. tamen doctiſſ. Caſaubon. de Linguâ Anglicâ vetere, p. 247.*

Innoxiare.] 896.62. *Innocentem reddere, purgare, culpâ liberare. Sax. eſt* clænꞅian, *unde noſtrum* **to cleanſe**, *pro purgare: purgatio,* **cleanſing**.

Inparcare.] 2605.59. *Fundum antea patentem & pervium claudere, & in* parcum, *roborarium ſc. vel vivarium redigere. Vulgò,* **to imparke**: *ab* in, *& Gallico* parquer. *i. vallo, foſſâ, vel alio ſepto circundare.*

Impriſonamentum.] 2182.33. *Incarceratio. vulgò,* **Impriſonment**, *à Gall.* Empriſonnement. *Vide* Priſona.

Inrotulare.] 2478.10. *In rotulum referre. Hinc*

Inrotulatus.] *al. Irrotulatus. In rotulum. i. album relatus, vel inſcriptus. Vox ab* in, *&* rotulus, *quod à Gall.* roule, *al.* roulet, *nobis* **roll**, *&* **rowle**, *i. e. catalogus, indiculus, volumen: quòd* rotuli *hujuſmodi, non in libros digeſti vel compacti, ſed in membranis vel ſchedis fluxis, pro more tamen manu involutis, & in orbem tortis, maneant repoſiti. Vide Cowellum. Vulgò,* **enrolled**.

Inſcalare.] 2621.58. *Muro ſcalis conſcenſo locum ingredi. Ab* in, *&* ſcalare, *quod muros ſcalis conſcendere ſignificat. Vulgò,* **to ſcale**.

Inſellatus.] 930.13,15. *Sine ephippio. Vulgò,* **unſadled**, *à Sax.* unᵹeꞅaꝺoloꝺe. *De equo dicitur.*

Inſibilis.] 129.40. *Fortaſſe* riſibilis: *à Gallico* riſible, *pro ridiculus.*

Inſigillare.] 856.33. *A Sax.* inꞅeᵹlian, *quod* ſigillare *ſonat. Vide ſupra* Conſigillatio.

In ſilentium.] 1012.57. *Mendosè pro* inſilientium.

Inſilium.] 165.12. 174.55. 185.13. 186. *penult.* 211.7,43. 293.42. *Conſilium malum, pravum, noxium, vel ſiniſtrum, accipienti damnoſum: quod qui dederit* inſiliarius *olim dictus. Flor. Wigorn. ad ann.* 855.——filius regis Æthelulfi cum omnibus ſuis conſiliariis, imò *inſiliariis,* tantum facinus perpetrare auſi ſunt, ut regem à regno proprio repellerent. *Talis,* conſilii expers, *Spelmanno: unde fortè noſtratium,* **ſilly**, *pro imprudens, rationis expers. Conſilium ejuſmodi dare, Gall.* forconſeiller *dictum, unde effictum Latino-barbarum* forconſiliare, *eod. ſenſu.*

Inſolercia.] 1194.34. *pro* Inſolentia.

Inſolutus.] 900.20. *Vide* Agilde, Botolos, Emenda.

Inſtallare.] 989.27. 1163.3. *Stationem, locum ſc. in choro pariter & capitulo, (quod nobis & Gallis* **ſtalle**.) *aſſignare; in* ſtallum, *ut vulgò loquuntur, inducere, Angl.* **to inſtall**.

Inſtauramentum.] 647.31. *Penum. vulgò,* **ſtore**. *à Latino* inſtauro.

Inſtirpare.] 935.27. *Inſerere, plantare, incorporare, in ſtirpem admittere.*

Inſtuffare.] 2577.13. *Farcire, infarcire, replere. Vulgò,* **to ſtuffe**, *&* **ſtuffe in**: *quod Belgis* **ſtoffen**, *Gallis* eſtoffer. *Hinc* ſtoffatus, 2617.30. *item* ſtuffatus. 2575.13. *pro refertus. vulgò,* **ſtuffed**.

Inſuetus.] 940.36. *pro* Aſſuetus.

Intendentia.] 1944.1. *Ita ex adjectivo* intendens, *formarunt ſubſtantivum: quod idem ac ſubmiſſio, auſcultatio, obedientia.*

Interciari.] 763.46. 765.47. 766.12,14. Interciari *(cujus verbi veram ſignificationem nemo, quod ſciam, adhuc bene vidit) dicitur, quod quis penes alium deprehenſum ſibi vendicat à poſſeſſore, ut ſuum;*

ſuum; qui rem à quodam tertio ſibi bonâ fide venditam aſſerit, & ut eam in ſe ſuſcipiat, eundem tertium advocat; quod Forenſibus noſtris eſt vocare ad warrantiam, *vel*, ad warrantum provocare, *vulgò*, **to vouch**; *juris autem Cæſarei & feudiſtici peritis*, authorem laudare. *Vide* Advocare, & Cenninga. *Hinc autem* Intertiatus, 766.18. *quod de fure dicitur ſic vendicato, quem is penes quem deprehenditur, à quodam tertio ſibi venditum eſſe affirmat, ad quem in rei præſtationem provocat. Vox, ut videtur, efficta à Gallico* entiercir, *quod apud ſequeſtrum deponere, vel tertiò tradere ſignificat.*

Inthingi.] 897.48. *Mendosè pro* Nithingi, *quod nequam ſonat. V. noſtras ad vetera verba German. Lipſiana notas, doctiſſ. Caſauboni, de Linguâ Anglicâ vetere tractatui additas.*

Intrare mariſcum.] 1930. 58,59. *Eſt mariſcum, locum ſc. paludoſum, & maris inundationi obnoxium, aquâ aggeribus, muris, & id genus obſtaculis, excluſâ, pecudibus paſcendis, vel culturæ, aptum & idoneum reddere. vulgò,* **to inne**, *dicimus. item* **inning** *nobis, illo ſenſu.*

Invadiare.] 658.27.880 *penult. Vadio ſupponere, oppignerare: Longobard.* inwadiare; *ab* in, & wed, *pignus.*

Inveritare] 762.65. 763.3. 765 57. *Idem ſignat quod probare, vel, ut loquuntur juridici*, verificare, *vulgò*, **to juſtify, or verify**: *unde eorum* **Averment**. *Sax.* ʒeꞅoþian. *Hinc illud in LL. Gul.1. apud Cl. Selden. ca.71.* & hoc ſuper eum inveritare velit, *&c. Saxonicè ſic ſe habet in Textu Roffen:* ⁊ ƿille hit þonne on hine ʒeꞅoþian, *&c. E contrà, refellere, confutare, Saxonib.* ʒeunꞅoþian. *LL. Canuti, par.2. ca.15.* ʒif ðonne ꞅe oþeꞃ ꝥ ʒeunꞅoþian mæʒe. *&c. i.* tum ſi alter id refellere, vel coarguere poterit, *&c.*

In verum mittere.] 768.1. *Idem ac* Inveritare, *quod vide.*

Inveſtitura.] 224.22,23. 228.21,28. *& alibi. Eſt confirmatio; non in* feudis *modò, ſed etiam epiſcopatibus, quæ fit per inductionem, vel miſſionem in poſſeſſionem de quâ Spelm. Voſſius, Hotoman. alii.*

Jocalia.] 954.33,34. *Collapſâ Latinitate ſic vocarunt monilia, aliaque id genus pretioſa, luxui & ornatui inſervientia. Vulgo,* **Jewells**. *Gal.* Joiaulx.

Irrecta lex.] 218.4. *Lex minùs recta, prava, injuſta, iniqua. Idem quod Sax.* unlaʒa.

Irreplegiabilis.] 2143.21. *De pignore capto dictum; quod, dato licet apud præfectũ vade, redimi vel dimitti nequeat. Vulg.* **Irreplegiable**. *Vox forenſis.*

Irrotulatus.] 1843.21. *V.* Inrotulatus.

Iter.] 1928.21. *al.* Itineratio. *Majoribus noſtris (inquit eques doctiſſ.) idem fuit quod hodie* Circuitus Juſtitiariorum, *deſignator ſibi Comitatus ad juſtitiam exequendam itinerantium. Aliàs* **Eier**, *t. pro more Gallico, eliſo. Plura apud eund. equitem in voce, & in Diatriba de* Juſtitiariis.

Judicium Dei.] 942.2. 982.63. aquæ frigidæ. 844.31. ferri candentis. 878.18. 942.2. gladiatorium. 455.1. *Vid. ſup.* Dei Judicium *& inf.* Ordalium.

Judicium vadiare.] 844,24. *Pignore depoſito judicio ſe ſupponere.*

Juramentum plenum.] 983.2. ——defendat ſe Francigena *pleno juramento*, non in verborum obſervantiis. *Ubi* pleno, *perperam pro* plano; *quomodo habetur in regio ad S. Jacobi MS. Eadem omnino juramentorum diſtributio reperitur in LL. Hen.1.ca. 64. in* planum *ſc. &* obſervatum, *ubi etiam, ut hîc, de eo dictum* qui verborum jurat obſervantiis. *Quo, juramentum intelligo tam ſtrictè præſtandum, ut ne vel in minimo à verborum quâ defertur formulâ, præſtanti liceat recedere, ne cauſâ cadat. Adſtipulatur vetus Normanniæ Cuſtumar. Latinum, ca. 85. ubi hæc:* Notandum etiam eſt, quod ſi deraiſnator verba dimiſerit vel mutaverit [[a] & juraverit] quæ ei in deraiſnatione fuerint eſcariata, (*i. propoſita*) ejus deraiſnatio reprobatur. Et ſimiliter ſi quis coadjutor defecerit, vel verba eſcariata dimiſerit, vel mutaverit, vel etiam ad deraiſnam oporteat evocari, vel compelli, vel attrahi. *Idem autem rigoris requiri videtur in duello, vel in cauſâ duello terminandâ, Glanvilla teſte, li.14. ca.1.* Sciendum (*inquit*) quod ex quo fuerit duellum in hujuſmodi placitis vadiatum, non poteſt alterutra partium verbis in ipſius vadii datione propoſitis, aliquid adjicere, vel diminuere, vel aliquatenus à propoſito declinare vel reſilire, quin pro victo habeatur, & lege victi cenſeatur. *Sic ille, quem vide li.2. ca.3. Porro, juramentum in verborum obſervantiis præſtitum, idem eſſe reor, quod in eiſdem Hen.1. LL. juramentum, vel (quod idem ſonat) ſacramentum, non fractum pluries dictum; & juramento quod ita vocant plano contrarium. Sanè, ubi in fine legis Gul.1. 62. edit. Seldenianâ, legiſlator voluit Francigenam purgare ſe* ſacramento non fracto[b], *poſtea, in lege ſc. 71. idem inſtituit, ut defendat ſe Francigena* plano (*ſic enim, ut dixi, legendum eſt, non* pleno) juramento, non in verborum obſervantiis. *In eundem effectum idem Hen.1. LL. ca.64.* Francigenæ quoque vel alienigenæ in verborum obſervantiis non frangunt. *i.e. plano; non autem quod in verborum obſervantiis conſiſtit juramento utuntur. Quod autem hîc planum & obſervatum, idem eſt, ni fallor, ac ſolenne & non ſolenne juramentum alibi dictum: e.g. apud Gregor. Tholoſan. Syntag. ju. univer. li 50. ca.8. nu.1. & 3.* Quoddam (*inquit*) *ſolenne* juramentum, quoddam *non ſolenne* dicitur. *Solenne* dicitur, quod habet certas ſolennitates præſcriptas & dictatas, vel à partibus deferentibus, vel à judice, vel à lege, cum certâ verborum conceptione, à quâ varietate juranti non recedere liceat, vel ſi recedatur ratum non erit. *l.3. & l. non erit ratum, 5. l. jusjurandum & ad pecunias, 34. §. qui jusjurandum, de jurejur.* Juramentum *non ſolenne* eſt, quod ſummariè, & de plano præſtatur ſine delectu verborum aut locorum, *&c. Plura (ſi placet) vide apud Annæum Robertum. Rer. judicat. ca.11. & Dempſter. de Juram. li.1. ca.8.*

Juramentum unius libræ.] 925.65. *Sax.* punꝺeꞅ ƿeoꞃþne aþ. *Jusjurandum ſc. (Lambard. interprete) quod uni libræ æquali proportione reſpondent. Sic (ni fallor) dictum, quod infamatus, qui ad purgationem ſimplicem, juratoriam puta, admiſſus, in tali ſuâ purgatione deficeret, eamque ad effectum non perduceret, tali ſummâ, librâ ſcilicet, jure mulctaretur, uti qui in triplici purgatione (judicium tripondii audit in LL. Hen.1. ca.64.) deficeret tribus libris vel 60. ſolidis.*

Jurare ſecundùm Witam.] *Vide* Wita.

Jurati.] 2686.8,60. *Fortaſſe pro* Juriſtæ, *vel* Juridici. *In eos enim in primis ſæviebat turbidus ille ruſticorum grex.*

Juratione dignus.] 926.54. *Saxon.* aþeꞅ ƿyꞃþe. *Inſtituto convenit illud Bractoni noſtri, li.4. tract. 1. ca. 19. nu.2.* Repellitur autem (*inquit*) à ſacramento infamis, ſcil. qui aliàs convictus fuerit de perjurio, qui legem amittit, & ideo dicitur, quod

[a] *Deſunt hæc* [& juraverit] *in exemplari Gallico; ac ſenſum loci planè vitiant.*

[b] *Apud Hoveden. habetur*, ſacramento non ferro, *perperam. Ad fidem exemplaris Saxon. in Textu Roffen.* (mid unꝼoꞃeꝺan aþ) *cum Lambardo, legendum cenſeo*, ſacramento non fracto.

non eſt ulterius dignus lege, quod Anglicè :, He ne es othes worthe that es enes gylty of oth broken. *Quò tendunt etiam tradita per eum poſtea, li.4. tract. 5. ca.5. nu.1. Advertit locum Cl. Seldenus, Notis ad Forteſcutum, ca.26.*

Jusjurandum viij. liberorum.] 894.17. *Mendosè pro* Jusjurandum unius libræ. *Sic enim Sax.* punꝺeſ puꞃþne aþ. *Quid autem hoc vide ſupra,* Juramentum unius libræ.

Juſta.] 1684. 14. *Scyphus, ampulla, aut aliud vas ſtata & juſta menſura, aliàs* Juſtitia *dictum. Vetus quoddam (ut vocant) Cuſtumarium in Archiv. eccleſ. Cantuar. Juſta* cerviſiæ continet unam lagenam & dimid. ſecundum ſtandardum Regis. *Plura vide apud Ludovic. de la Cerda, Adverſar. ſac. ca.168. nu.3. & Clement. Reiner. Onomaſtic.*

Juſticia.] 698.16, 1387.20. *& alibi. Sic olim dictus, qui poſtea* Juſtitiarius, *quod vide.*

Juſticiabilis.] 852.52. *Idem qui poſtea,* 1156.2. Juſticialis; *is nempe qui in jus vocari poſſet, & judicium ſubire (quod juriſperitis* Judicio ſiſti *dictum) preſtò ſit.*

Juſticiare.] 1933.52. *V.* Juſtificare.

Juſticiaria.] 1171.9. 1172.48. 1275.59,64. *In Conſtitut. Neapol. ſive Sicul.* Juſticiariatus. *Pro munere ac dignitate judicis, qui Latino-barbaris* Juſtitiarius *dictus, de quo proximè.*

Juſticiarius.] 487.53. 517.31. *Vox ortu Normannica, ac poſterioribus pro judice, ſive juſtitiæ adminiſtratore, valde familiaris, qui multiplex, quorum ſummus,* Capitalis Angliæ Juſtitiarius *nobis dictus.* 669.36. 670.18. *qui omnino idem ac* ſpecialis Angliæ Juſtitiarius. 671.56. *de quo cum reliquis ejuſmodi judicum ſpeciebus, eorúmque origine, antiquitate, munere, doctiſſ. eques in Diatriba, quam inprimis adi.*

Juſtificare.] 1106. 33, 43, 44. *Senſu quo hîc acceptum, ſignificat, quod faciendum ſit, judicis authoritate, exequendum curare, aliàs* juſtitiare, *Gall.* juſticier. *i. judicare, jus reddere, vel juriſdictionem exercere. Videatur Hotomannus de verb. feudalib. in* Facere juſtitiam, *cui reſpondet vulgare noſtrum,* to do juſtice.

K.

Kynkeshand Senalgid.] 2357.30. *Mendosè, pro* Kyninges hond ſeald grith. *Vide* Handgrith.

L.

Laborarius.] 2576.39. 2600.55. *Operarius. Vulgò,* a Labourer.

Lacopum.] 896.20. *Vide* Lagam emere.

Lactum.] 898.56. *Idem quod nobis hodie* Alay, *Gallis* Aloy: *nummi ſcil. ſive aurei ſive argentei defectus, ex vilioris metalli mixturâ. De hoc (ni* V.Fletam. li.1.c.22. *fallor) Roger. Hoveden. in Johanne rege:* Præterea idem Rex (*Francorum, Philippus*) dedit nobis 30000. marcarum argenti ad pondus & *legem* in qua facta fuerunt, ſcil. 13. ſolid. & 4. denarios pro marca. *Vide Spelmann. in* Lacta. *Defectus nobis hodie* Lacke; *deficere,* to lack: *hinc, fortè vocis origo. Quam tamen alii* Ligam *ſcribunt, & Italicam eſſe volunt, ſignificantem vinculum & copulam quandam, quâ ut aliàs alia, ita in hac materia duo vel plura metalla certâ lege, & quaſi fœdere invicem junguntur, uniuntur, & quaſi colligantur.*

Lada.] 894.29,36. 897.23. *& alibi. Criminis purgatio: à Sax.* laꝺian, *quod, ut* Laidare, 894.28,35. *purgare, excuſare, culpâ liberare, ſonat. Hæc autem apud Saxones, ſimplex, triplex, plena; pro delicti ſc. ratione, & capitis purgandi æſtimatione. De quo Spelmannus & Lambard. pluribus. Obiter monendum,* laga plena *hîc.* 927.30. *juxta Saxon. corrigenda,* lada plena.

Lafordſwice.] 929.21. *i. (ita locus)* infidelitas erga Dominum. *Eſt è numero ſcelerum inexpiabilium, nullo ſc. pretio redimendorum, ſed authoris morte plectendorum. Vox à Saxon.* hlaꝼoꞃꝺ, *dominus, &* ꞅpice, *proditio.*

Laga.] 311.51,61. *Lex: à Sax.* laꝫ, *nobis hodie* Law, *g. in w. ut ſæpè, mutato. Hinc* Weſtſaxenalaga, Dene-laga, Merchena-laga. *i. Weſt-Saxonum, Danorum, Merciorum, Lex. De quibus in equitis doctiſſ. Synopſi LL. antiquar. verbo* Lex. *Cl. Seldeni Jan. Angl. li.2. pa.62. & Lambardi Archaionom.*

Lagam emere.] 896.34. Et omnis emat ſibi *lagam* xij. oris. 897.5. Et omnis monetarius qui infamis ſit redimat ſibi *lagam* xij. oris. *Id eſt, ut alibi,* adlegiet ſe, *h. e. ſt. tali pretio legis compotem ſe reddat, idoneum ſc. qui ad purgationem legitimam admittatur, etiamſi fuerit infamatus. Atque hinc fortè* Lacopum, *ſupra, quod legis emptionem (ni fallor) ſignificat: à Sax.* laꝫ, *(g. hic extrito) lex; &* cope, *rectiùs* ceape, (lahceap *enim eſt apud Spelm. Concil. pa.502.) emptio. niſi per* Lacopum, *al.* Lahceap, *pactiones de litibus redimendis, vel componendis initæ intelligendæ ſint: ut per* Landcopum, 896.19. *Spelmanno* Landceap, *contractus vel tranſactiones prædiatoria, de terris ſcil. aut venditioni expoſitis, aut ad cenſum vel emphyteuſin elocatis.*

Lagedayum.] 1927.46,48. *Idem quod vulgò nobis* Law-day, *dies ſc. juridicus. à Sax.* laꝫ, *lex, &* ꝺæꝫ, *dies. De quo vide Spelm. in voce* Leta.

Lahſlithe.] 924.8,15. *Malè: pejùs autem* Laſhlite. 830.1,24. *nec meliùs* Laſhlyte. 830.6,16. *Omnino reponendum* Lahſlite, *vel* Lahſlyte, *quod & legis ruptionem, ſive violationem ſignificat, (ab Anglo-Danorum* lah, *lex; &* ſlite, *ruptio, violatio:) & legis violatæ pœnam, ſive mulctam. Vox (ut diximus) Danica. Quænam autem erat* Lahſlitæ *pœna, quanti ſc. æſtimata, (cum doct. Spelm. in voce) non definio: niſi (ut in Fœdere inter Edo. & Guth. RR. ca.3.) duodecim æſtimetur* oris: *ſic enim legendum, non* horis, *ut hîc.* 830.17. *Sed non evincit (inquit doct. eques) hic locus ut tantundem eſſe* Lahſlitarum *omnium compoſitionem cenſeam, licet ſic nonnulli intelligant, &c. Mihi ſi liceat quod ſentio liberè dicere, Danorum* Lahſlite, *& Anglorum* Wite, *eatenus pares haberi pronuntiarem, ut cum earum altera occurrat, mulctæ modo non adjecto, ſimplex intelligenda eſſet: quænam autem illa, licet hodie ignoretur, illo tamen ævo procul dubio ſecus. Altera autem,* Lahſlite, *fortè eadem quæ, ut ſupra,* 12. *æſtimatur* oris: (*nec aliter in Gloſſar. ſub fin. Lambardi Gloſſar. nuper edito: ubi Lahſlyte,* duodecim horæ, ſive Oræ, *exponitur:) altera verò,* Wite, *eadem quæ in LL. Hen. 1. ca.38.* xxx. ſolidis. *ſic enim, non* denariis, *legendum in Scholiis monui. Plura de his apud Lambard. in* Mulcta, *& Spelm. in* Lahſlit.

¶ *Poſt hæc ſcripta, quædam reperi in Textu Roffenſi, quæ me & alios mecum hîc hærentes quadantenus expediant.* Lahſlitæ *enim mulctam fuiſſe multiplicem, utpote pro perſonarum diſcrimine variatam, cujuſque hominis qualitati aptatam, ex eo planè doceamur. Sic enim liber ille in LL. Canuti reg.*

Latinè exhibitis, ubi (ut in illar. LL. par. 2. ca. 14.) de judicis perperam judicantis mulctâ : In lege Danorum erit reus forisfacturæ, quam Dani vocant **Lahſlit**. In lege eor. liberalis hominis **Lahſlit** vocant decem dimidiæ marcæ, hoc eſt quinque marcæ. Hominis alodium (**bocland**) habentis, vj. dimid. marcæ, hoc eſt tres marcæ. Villani **Lahſlit**, quem Angli vocant **Ceorlman**, xij. oræ. *Sic, ni fallor, habes* Twelfhindi, Sexhindi, Twihindi, *hominis* Lahſlitæ *mulctam apud Danos. De quarum omnium computatione vide infra, in* Mancuſa, Marca, Ora. *Interim,* decem dimid. marcæ, *&* vj. dimid. marcæ *hîc, ſecundum Saxonic. computandi rationem, de quâ in voce* Marca, *corrigenda,* novem marcæ & dimid. *&* v. marcæ & dimid.

Laidare.] 894.28. Ladiare. *ibid. lin.* 35. *Quid autem ſit, vide* Lada, *ſupra.*

Landboc.] 2214.44. *Prædiorum tabula: ad verbum autem,* terræ (*vel fundi*) liber. *Nempe ſic vocarunt Anglo-Saxones chirographa illa quibus prædiorum & hujuſmodi ratæ fierent ceſſiones; quod Anglo-Normannis (Ingulpho teſte)* Charta *dictum. De quo vide doctiſſ. equit. hîc, & in voce* Charta.

Landcopum.] 896.19. *Quid ſignificet, vide* Lacopum, *ſupra.*

Landefricus.] 896.35,48. *Mendosè pro* Landesricus, *id eſt, ut loco poſteriori,* terræ dominus: *Sax.* lanꝺꞃica: *voce compoſitâ à* land, (*caſu genitivo* landes) *terra, ditio: &* rica, (*unde Sax.* ꞃic, *German.* **riick**, *regnum*) *rector, dominus:* (ricus *in* Theodoricus, *hinc, non à* dives, *ut quibuſdam viſum, q. populis dives: potius, populi præſes:*) *Idem quod alibi* Landgravius, *de quo proximè.*

Landegrave.] 654.25. 655.25.28. Landagravius. 1191.51. *Comes provincialis. à* landa, *quod Germanis, Belgis, Anglis, terra, ditio: & eorundem* graef, grave, geref, *i.e. Comes, Præſes, Præfectus. Spelmannum adi, & Voſſium.*

Landimannus.] 900.51. *Terricola: Saxonicè* lanꝺeꞃman. *à* lanꝺ, *terra; &* man, *homo.*

Laniarius.] 1073.28. Degeneres falcones quos *Laniarios* vocant. *Falcunculus eſt, qui Gall.* Lanier, *Anglis* **Lanner**, *aliàs* **Lanner-hawke**.

Larderarius.] 227.62. *Penoris præfectus: à* lardum, *unde effictum* Lardarium *pro loco in quo lardum conſervandum reponitur. Vulgò,* **a Larder**.

Laſta.] 2676.25. *Ponderis genus. E.G.* coriorum, *ſupra,* 2576.48. *Cujus autem quantitatis, vide apud Spelmann. in voce. De origine mox, in* Laſtagium.

Laſtagium.] 1934.31. *De navibus dictum; & onus ſignat quod navi imponeretur: tributi etiam & vectigalis genus eſt eo nomine exacti. Gallis & Anglis* **Laſtage**, *Belgis* **Laſtagie**: *quæ, ut &* **Leſtage**, *de quo infra, fluxerunt omnia à Saxon.* hlæꞅꞇan, *al.* behlæꞅꞇan: *i. onerare. unde etiam noſtratium* **Ballace**, *Belg.* **Ballaſt**, *pro ſabulo quo naves onerari ſolent.*

Laſtum.] 2034.18. *quandoque* Læſtum, *&* Leſtum. *Anglis hodie* **Lath**; *fortè à Saxon.* laþian. *i. convocare. Eſt autem portio comitatus major, tres vel plures interdum* Hundredos *continens: interdum tamen niſi unum.* Sandwicus *enim (oppidum Cantianum) in Domeſdei quem ita vocant libro dicitur eſſe* Leth & Hundredus in ſeipſo. *Plura Spelman. in* Læſtum.

Latinelade.] 814.61. *Vide ſupra,* Greglada.

Latro cum manu opere captus.] 1935.35. *Idem qui* Furtum habens in manibus, *ſupra. Forenſibus noſtris,* **a thiefe taken with the manner**. *i.e. non* cum manu opere, *ut hîc perperam, ſed* main-aver. *i.* manu (*furtum*) habens: *à Gallico* avoir, *habere; non* ouvrer, *operari.*

Laudare.] 2527.5. *Arbitrare, vel ſententiam ferre arbitralem. Ita* Laudator, 2526.47,67. *& alibi, pro arbiter, vel arbitrator. item* Laus, *ead. col. lin.* 62. *pro arbitrium. Voces, hoc ſenſu, forenſes & feudiſtica.*

Lectrinum.] 857.4. *al.* Lectorium *&* Legium: *pluteus ſc. eccleſiæ unde populo legitur; vel locus in quo pluteus conſiſtit, è quo S. Scriptura ad populum legitur. Vulgò,* **the reading deske**, *Saxon.* ꞃæꝺ ꞅcamol.

Legacia.] 1130.47. 1138.11. *Tractus terræ ubi munus ſuum legatus exercet. Item munus ipſum vel officium legati.*

Legalitas.] 924.7. —— & dignitatem ſuæ *legalitatis* ſemper amittat, ſi non eam redimat erga regem ſicut ei permittetur. *De judice corrupto, & injuſtè judicante, dictum. Legem recenſuit Hen.* 1: *ca.* 34. *ubi* d' gens cypes, *juxta Sax. reſcribendum* ðeᵹen ꞅcẏpeꞅ, *quam vocem verba proximè ſequentia ſic illuſtrant,* judiciaria dignitate, *&c.* Legalitas *autem hîc, et* judiciaria dignitas *illic, ut meliùs intelligantur, monendum eſt, quòd judices, ſaltem judicis primarii aſſeſſores, qui ſc.* grafioni, *vel comiti, tanquam in partem muneris aſciti, in judicio aſſiderent, Saxones appellarunt* ðeᵹnaꞅ. *Ethelredus Rex, legum (quas frequenti apud Vanatingum ſenatu ſancivit) capite quarto*[a]: ⁊ ꝥ man habbe ᵹemoꞇ on ælcum ƿæpenꞇake. ⁊ ᵹan uꞇ þa ẏlꝺeꞅꞇan xii. þeᵹnaꞅ. ⁊ ꞅe ᵹeꞃefa miꝺ. ⁊ ꞅƿeꞃian on þam haliᵹꝺome þe heom mon on hanꝺ ꞅẏlle. ꝥ hiᵹ nellan nænne ꞅacleaꞅan man ꝼoꞃꞅecᵹean. ne nænne ꞅacne ꝼoꞃhelan. *&c. Id eſt, (ut hîc,* 896.23. *&c.)* Et habeantur placita in ſingulis wapentakis, & exeant ſeniores xij. thayni, & Præpoſitus cum eis, & jurent ſuper ſanctuarium quod eis dabitur in manus quod neminem innocentem velint accuſare, vel noxium concelare. *Thainis iis (ni fallor) ſimiles ii qui in S.C. de Montic. Walliæ apud Lambard. ca.* 3. lahmen *vocantur, Normannico-Latinè,* Lagamanni. *i. Judices, ut Spelm. in voce. Horum autem munus Saxonicè dictum* ðeᵹencipe, *quod Latinè quandoque* liberalitas, *quandoque* judiciaria dignitas, *quandoque* judicandi poteſtas; *Normannicè verò* franchiſe, (*ut in LL. Gul.* 1. *ca.* 41.) *i. juriſdictio; hîc autem* legalitas, *legis ſc. vel juris dicendi poteſtas. Nec tacendum interim, quòd præter hos, alii fuerunt apud Saxones* Thaini, *ut apud Normannos,* Barones, *liberas quaſdam habentes juriſdictiones, quas vel hodie* **Court Barons** *dicimus. Horum autem omnium, aut ſimilium, quivis, judicium judicans injuſtum,* legalitatem. *i.e. juriſdictionem amittit, niſi apud Regem eam redimat. Et ſic habes ſenſum loci. Hinc autem fortè, qui vel hodie in foro noſtro à* Juratis *ſunt, de facto, ut dicunt, ab alterutrâ partium allegato, an verum ſit, necne, ut inquirant, & judicent,* probi & legales homines, *& ſimiliter, (ut qui tales eſſe debent) appellantur.*

Legantia.] 1111.58. *Hîc fortè pro* Legatia, *de qua voce ſupra: non autem* Ligantia, *vel* Ligeantia, *de qua infra.*

Legatarius.] 57.37. 381.44. *Pro* Legatus *vel* Nuncius.

---

[a] *In Textu Roffen.*

Legius.] 2318.12,20. Legeancia. 2694.43. *Eadem ac* Ligius *&* Ligantia. *De quibus infra; in* Ligantia.

Legoteca.] 1114.31. Ego Ricardus ſacri regii palatii *Legoteca. Pro* Logotheta. *i. Cancellarius, aut qui Principi eſt à rationibus. De quo vide Ludovic. de la Cerda, Adverſar. ſacr. ca.*58.*nu.*3.

Leporarius.] 1206.39. *Canis ſic dictus. Gallis* Levrier. *Leporariorum autem duo genera, de quib. Spelm. in voce* Canis.

Leſtage.] 957.48. Eſt conſuetudo exacta in nundinis & mercatis. *ob onera forſan, aut pondera, res ſcil. quæ onere aut pondere conſtant, eò adductas, & ibi depoſitas. Aliàs* Laſtagium. *Vox à Saxon.* hlæꞅꞇ, *Teuton. & Belg.* **laſt**, *onus, ſarcina, pondus. V. Spelmann. & Cowell. in voce; item ſupra,* Laſtagium.

Leſtum.] 1435.46. 1777.59. *Ut* Laſtum, *quod vide.*

Leta.] 2120.40. *Eſt quædam juriſdictio quam vicecomes de certis minoribus criminibus & aliis cauſis intra Comitatum ut officialis regius exercet. Sed & hanc juriſdictionem alii quoque habent intra limites ſui, ut vocant, manerii, dummodo eam vel chartâ Regis, vel præſcriptione, ad ſe pertinere oſtendant. Ita Cowellus in voce. Vulgò,* **a Leete**, *aliàs,* **a Court-leete**; *quod, ut* **Lath**, *à Sax.* laþıan. *i. convocare, venire conjicio. Anglo-Normannis aliàs* viſus franci plegii *dicitur, quòd conſcribi heic ſolent liberiores villæ (ſeu deſignatæ ſtationis) homines, pacis regiæ fidejuſſores. de quo pluribus Spelmannus in voce.*

Letherwithe.] 957.40. Eſt emenda pro corruptione nativæ. *Corrige* Legerwite, *& ſtupri ſive concubitus illiciti mulctam intellige: A Sax.* leȝeꞃ, *concubitor; &* ƿıꞇe, *mulcta. Ne huc trahatur* Legergildum *in LL. Hen.*1. *ca.*11. *monendum hîc vocem ibi perperam irrepſiſſe pro* Weregildum.

Leva.] 781.22. *Mendosè pro* Læna. *V. Bed. hiſt. li.*2. *c.*10. *prope fin.*

Levare.] 8863.60. 1934.39. *Exigere. Vulgò,* **to Levy**: *ſed & attollere, ac allevare: Vexfori. Vide Cowell.*

Leuca.] 662.40. Leuga. 456.13. *Certa viæ menſura; ſed incerta tamen. Amm. Marcellino, pro mille paſſuum & dimidio; quod milliare Gallicum vocant: Ingulpho, pro duobus paſſuum millibus: Anglo-Normannis, (ut in Domeſdei libro) pro mille paſſibus: Nautis, pro tribus paſſuum millibus, vulgò,* **a League**. *Habebatur etiam apud Anglos olim alia vocis ratio, de qua Spelmann. quem adi. & vide infra.* 1384.43. 1670.5.

Lex communis.] 956.6. 957.17. *Hac de lege, (inter alias) plura & (ut omnia) perpulchra doctiſſ. eques in Synopſi LL. antiquar. pa.*435. *Ubi etiam* de Lege Regis Edwardi, *de quâ hic,* 226.4.

Liberatio.] 305.14. 1209.21. *Liberationes (inquit eques ille doctiſſ. in voce)* dicuntur res neceſſariæ, quæ vel ex debito, vel honoris gratiâ, magiſtratui, hoſpitibus, ſeu peregrinantibus miniſtrantur. **Livery**: *quomodo veſtis diſcolor, ſive geſtamen illud inſigne à dominis, ſervis vel famulis datum, vulgò nobis dictum.*

Liberum burgagium.] *Vide* Burgagium.

Liblacum.] 859.17. Liblacus. 842.30. *A Sax.* lýblac, *quod artem veneficam vel maleficam ſonat, non tamen omnem generatim, ſed ſpeciem ejus quæ faſcinatione conſtat. Id genus ſcil. incantationis, quod fit certis ligaturis, liciis vel faſciis; quaſi* faſcino (*ut Græcam vocis originem vulgò receptam taceam*) *ſit à* faſcia. *Ita* incantationem & ligaturas *Fabius Victorin.* 1. *rhetor. Cic.* obligamentum magicum *Eutropius lib.*3. Phylacteria & ligaturas *S. Bonifacius, epiſt.*132. *item Capit.*6. *tit.*72. *Ita* nectere *magicum verbum dicitur. Virg. ecl.*8. Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. *Ex antiquâ (inquit Turnebus, li.*19. *ca.*22.) *veneficiorum & cantionum conſuetudine id ſcriptum eſt. nam in his numerabant nodos, vincula, & neceſſitates. quem vide lib.*26. *ca.*6. Ligare *etiam impiæ ſignificationis vox eſt, in veneficiis. Iſid. lib.*8,9. *quod eſt de magis*: Ad hæc omnia pertinent & *ligatura* execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, ſive in præcantationibus, ſive in characteribus, ſive in quibuſcunque rebus ſuſpendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum eſt, ex quadam peſtiferâ ſocietate hominum & angelorum malorum exorta. unde cuncta vitanda ſunt à Chriſtianis & omni penitus exſecratione repudianda atque damnanda. *A* faſcinatione *igitur, ut diximus, Sax.* lýblac, *ortum: voce compoſitâ à* lýb, *quod eis* obligamentum, *&* lac, munus. *q. munus ligandi vim habens. Apud S. Auguſtin. ſermone de tempore* 241. *citante illum S. Bonifacio, epiſt. prædictâ, vox quædam eſt,* Caragus, *quæ viros quoſdam non mediocriter doctos non parùm torſit*: Et ſanctus Auguſtinus dixit, nam qui prædictis malis, id eſt *caragis*, & divinis, & aruſpicibus, & phylacteriis, & aliis quibuſlibet auguriis crediderit: etſi jejunet, etſi oret, etſi jugiter ad eccleſiam currat, etſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuum in omni afflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quando ſacrilegia illa non dereliquerit. *Ita S. Bonifacius. ubi Serarius.* Caragis.] Fortè vox fuit Pœnica, cum ea in vulgari illo ſermone ſemel ac iterum utatur S. Auguſtinus. Apud Græcos quidem χάραγος, Heſychio teſte, ſonus eſt magnus & ſtridulus, qualem edere ſolet ſerra. An fortè *caragi*[a] ſunt, qui *κάρον*, id eſt, gravem hominibus ſoporem & gravedinem incantationibus quibuſdam inferunt? Caroticam enim habent vim herbæ, carminaque nonnulla. *Sic ille, quem ſequitur Ludovic. de la Cerda, in voce. Et ad rem, ni fallor. Utut ſit, Sax.* lýblæcan, *mihi Latinè redditum occurrit* Caragios, *proculdubio pro S. Auguſtini* caragos. *i.* (*ut Capitular.*1. *tit.*64.) obligatores: *ſed &* lýbbeꞅꞇꞃan, carios, *pro* caragas. *i.* obligatrices. *Adde quod* luſtramentum. *Sax.* lýbꞅýn *dicitur. & vide Lindenbrog. & Lydium in voce* Obligatores.

[a] *A* charaćteribus, *ducit Voſſ. quem vide.*

Librata redditus.] 1084.47. — dedit mille *libratas* redditus. *Ibid. lin.*53. conceſſit ei L. *libratas* redditus. *Intellige redditus tot libris annuatim æſtimatos. Ita* 70. libratæ terræ. 1038.38. *tantum ſcil. terræ, quantum* 70. *libras annuatim valeat. Vide tamen Sirmondi Notas ad Goffridi abbatis Vindoc. Epiſt. li.*3. *epiſt.*10. *cui, ab aliâ planè diſſimili vocis ratione,* Librata terræ, *idem quod integrum jugerum, aripennis, aut ſimile.*

Ligantia.] 578.12. 583.12. Ligeantia. 1060.16. *Principis (inquit Voſſius) colligatio cum ligiis ſuis. Vinculum arctius (ita Spelmannus) inter Subditum & Regem, utroſque invicem connectens: hunc, ad protectionem & juſtum regimen; illum ad tributa & juſtam ſubjectionem. Dicuntur igitur utrique* ligii. *Princeps nempe* ligius dominus; *ſubditi verò* populus ligius, & homines ligii. **Allegeance** *nunc dicimus, & ſoli Regi debitam agnoſcimus: olim ſecus. Adi doctiſſ. equit. in voce, & in* Fidelitas. *item Watſ. & Voſſ. Hinc autem*——

Ligia fidelitas.] 1104. 24. *Fidelitas ſcil. quâ quis domino proprio ſic obligatur, ut eum obſtrictus ſit tueri adverſus quemlibet, ne Rege quidem excepto. Sic olim: hodie verò, Principum duntaxat ſubditi, ſupremo gaudentes domino,* ligii *vocantur; unde* fidelitas *ejuſmodi de eis, nec de aliis, accepta.*

Ligiamentum.] 2396. 50. *Idem ac* Ligantia, & Ligia fidelitas, *ſupra.*

Ligium homagium.] 1038.63. *Vide* Homagium.

Ligius Dominus.] 533.59. 584.22. 1786. 55. Ligius homo. 584.20. 1038.28. *Vide* Ligantia; *quæ cum his, & cæteris intervenientibus, à* ligando *venit.*

Liguritor.] 923.19. *Aſſentator, adulator, à Sax.* lıcceꞃa, *al.* lıcceꞇeꞃe, *illo ſenſu; quibus* lıcceꞇunꝫe, *pro adulatione, hypocriſi, ſimulatione, &c.*

Liripium.] 2597.51. —cum caputiis brevibus & *liripiis* ad modum cordarum circa caput advolutis, &c. *Scribe* liripipiis *i.e. epomidibus: unde Belg.* **Litre-pijpe.**

Liſtæ.] 2604.37, 60. *aliàs* Lyſtæ. 2674.54. *Peribolus, vel repagula arenam cingentia: metæ vel limites certaminis loco deſignatæ. A Saxon.* lyꞅꞇ. *i. faſcia, limbus, ora: unde & noſtratium* **Liſt** *hodiéque pro panni limbo.*

Literæ proviſoriæ.] 1970. 9, 10, 20. *Vide* Proviſio.

Litteratorie.] 1195.24. 1592. *penult.* 2005.2. *Idem quod Fulberto Carnotenſi* Literatim, *i. in ſcriptis, per literas ſcil. ſive epiſtolam.*

Locutio.] 854.62. *Vide* Loquela.

Loegria.] 1155.44. Poſt hæc ipſum Careticum cum gente ſuâ Britannicâ uſque in Wallias, ultra Sabrinum mare detruſerunt, & *Loegriam*, id eſt Britanniam, ſive modò Angliam, ferro & flammâ vaſtaverunt, &c. *Nomen hoc, unde derivetur, mihi nondum eſt compertum. Quod à Locrino, Bruti (ſic aiunt* [a]*) filio natu maximo, dimanet, ut vulgò eſt receptum, credat cui placet. Ego verò, cum neque de Locrino hoc, neque de Loegria, ulla, quòd ſciam, mentio facta ſit ante Galfridi Monemuthenſis ævum, (qui, ni fallor, primus mortalium, Latinè ſaltem loquentium, utrumque celebravit, in ſuâ Britannorum hiſtoriâ, logis quidem & nugis nimiùm refertâ:) vix mihi perſuadeam quòd inde ortum ſit. Interim, cum in lingua Wallica nullam inveniam vocem aut Loegriæ aut Locrini nomini conſonantem, quæve eorum alteri quoviſmodo reſpondeat, vocem haud Britannicè, à linguâ ſcil. Britannicâ, ſed aliunde ortam autumare cogor. unde tamen unà cum ignariſſimis, & ipſe quidem ignarus, ab aliis erudiri paratiſſimus. Quid interim ſi dixero, per metaphoram, à Locris, Locrinis vel Locrenſibus, populo magnæ Græciæ, violati fœderis ergò ad adagium uſque infami? iis enim Anglo-ſaxones in hanc inſulam à Britannis invitati, ut eis adverſus Pictos & Scotos auxilio eſſent, in fœderis violatione & perfidiâ (abſit invidia verbo!) nimium affines. Hæc mea quidem eſt de vocis origine conjectura, facilè tamen mutanda, ſi quid probabilius vel invenero, vel audivero.*

Lollardi.] 2646.36. 2662.16, 2663.38. *Nomen in Anglia ſub exceſſu Edo. 3. exortum, atque his qui Wiccliffiana dogmata amplexi ſunt impoſitum. A* lolio *perperam ductum: Tritemius enim in Chron. oſtendit eos à* Gualtero Lollard, *Germano quodam, qui floruit circa annum Dom.* 1315. *originem traxiſſe.*

Londonia.] 735.15. ——quorum Metropolis eſt *Londonia*, multorum terra & mari venientium civitas, & refugium populorum. *Simile habes poſtea.* 743.22. *Rectius* Londinum. *Hoc autem nomen explicaturus, ut rem paucis expediam, quaſcunque vocis originationes à viris tam eruditis quàm aliis, antehac, prò ſuo cujuſque ingenio, excogitatas, quæ pene ſunt innumeræ, conſultò prætermittam. Proculdubio tam vetuſtum loci Britannici nomen aliam quàm Britannicam ſapere nequeat originem: nec illud aliunde, ut opinor, hauſtum, quàm à re, loci nimirum qualitate. Londinum autem copiâ civium & advenarum, inter omnes Britannici orbis urbes tantum eminet, quantum, ut ait ille,* inter viburna cupreſſus. *Quod non minus olim, quàm hodie verum; imò & per omne ævum ab antiquiſſimâ loci, aut in noſtratium, aut in exterorum annalibus mentione. In re verò tam notoriâ, imò vel lippis, ut aiunt, & tonſoribus notiſſimâ, ſupervacaneum erit pluribus uti teſtimoniis. paucis igitur rem expediam. Et primò velim conſulas Fitz-Stephanum apud Cambdenum* [b]*, qui Londinum urbem vocat* multo habitatore populoſam. *Perge, & ante eum ejúſque ævum, ſcriptorem vitæ Emmæ, Anglorum reginæ, Londinum offendes* terræ Metropolim, & populoſiſſimam, *appellantem. In eandem ſententiam, qui ante horum utrumque, venerabilis Beda: is enim (ipſiſſimis ferè verbis ac Bromptonus noſter hîc) Londinum vocat, Provinciæ orientalium Saxonum* Metropolim, & multorum emporium populorum terrâ maríque venientium. *Nec aliter, qui primus omnium loci meminit, Cornelius Tacitus, Annal. li.* 14. *Londinum (inquit)* cognomento quidem coloniæ non inſigne, ſed copia negotiatorum, & commeatuum maximè celebre. *Sic ille. Hinc autem, à frequentiâ ſc. loci, nomen hoc, ni fallor, ortum, conflatum à Britannicâ voce* Llawn. *i. e. frequens, plenus; (unde* Lloniad, *plenum, plenitudo; ſed &* Llawn pobl, *populoſus:) & vel* dyn, *homo, plural.* dynion: *& ſic* Llawn-dyn, *(Latine* Londin. *uno* l. *extrito, &* aw. *verſo in* o. *pro more) q. locus hominibus frequens, ſive plenus: aut (quod eôdem recidit) à* din, *quod idem ac* dinas. *i. e. urbs, civitas, (unde* Llyſdyn, *al.* Llyſdin, *aulica urbs, civitas curialis, aula, q.d.* Llys dinas:) *& ſic* Llawndin, *q. urbs, vel civitas, frequens, populoſa: quemadmodum* Populonia, *urbs Hetruriæ juxta Piſas, de quâ Mela, lib. 2. quam ſic appellatam aiunt, à populorum multitudine quæ in ejus agro eſt: quemadmodum etiam Londinum ipſum, (inquit Priſ. Britannicæ hiſtor. defenſ. pa.* 68.) *quia Romani frequentes eo loci indies confluebant,* Auguſtæ *nomen poſtea ſortitum eſſe veriſimile eſt. Etymon autem hoc Londini adeo ſimplex eſt, & in omni ævo qualitati loci tam conſonum, ut nullis omnino unde firmetur indigeat argumentis. Quod ſi verum ſit, & dignum cui credatur, optimum hinc erit argumentum prò venerandâ urbis antiquitate. Nam licet ante Neronis ævum nominatim haud occurrat, ſi tamen à memoratis fontibus id nominis in diebus illis ſortita ſit, luce clarius erit locum eſſe eo ævo longè antiquiorem, diu ſcil. antea inhabitatum. Nomen enim iſtud haud dubiè non priùs obtinuit locus, quàm præ aliis evaſerat frequentiâ*

---

[a] V. col. 484 l. 23.

[b] Britannia in Middleſex.

notabilis. Ut autem hoc elogium meritò reportaret, plura requiruntur annorum, ne dicam ſeculorum, curricula. unde & ante Julii Cæſaris ævum Londinum extitiſſe adducor ut credam, cum ut in hanc celebritatem aſſurgeret, hocque eâ de cauſâ nomen obtineret, multò longius certè temporis ſpatium, quàm illud inter Julii Cæſaris & Neronis ævum medium, concederetur neceſſe ſit. Num autem Metropolis fuerit, ſaltem eo nomine notum, Claudii tempore, ut Neronis vitam nuper Anglicè ſcribenti[a] *firmiter perſuaſum, juſtè dubitandum cenſeo. Argumenta ejus ab illo Britannici, Claudii filii, numiſmate, & ejus à tergo inſcriptione, ducta, meo quidem judicio rem non probant, mihi ſaltem minimè ſatisfaciunt. Inſcriptio autem eſt hujuſmodi:* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΕΤΙΜΙΝΑΙΟΥ ΒΑ:..... *Deeſt hîc* ΛΟ. *quod, ex conſimili numo apud Stradam, iſte ſupplet. hoc autem ſic addito, inſcriptionem ſic Latinè exhibet:* Metropolis Etiminæi Baſileos Londinum. *Atqui nummus hic, ne ad Londinum noſtrum referatur, plures ſunt in promptu rationes. Ejus nominis rex inter Britannos, nullus, aut in noſtratium aut in Romanorum hiſtoriis occurrit. Si quis dixerit; imò* Adminius, *de quo Suetonius in Caligula: reſpondeo,* [1] *hunc fuiſſe Cunobelini Trinobantum regis filium, cujus quidem regni urbs primaria, ſedéſque regia, haud Londinum erat, aſt Camalodunum. i. ni fallor,* **Colcheſter.** [2] *Adminium hunc nunquam fuiſſe regem ſalutatum, aut patris regnum adeptum, nec ullo alio regali titulo vel inſignibus ornatum, ſed à patre pulſum in Galliam Belgicam ad C. Caligulam transfugiſſe, ibidémque ipſi ſe dedidiſſe. de quo poſtea ne verbum quidem uſpiam. Demortuo verò Cunobelino patre, Catacratus, filius ejus ſecundo genitus, patri ſucceſſit in regno, & poſt eum Togodunus, filius natu minor. Nec etiam eſt probabile, nummum hunc, aut Londini, aut in quavis aliâ Britanniarum urbe, ſignatum eſſe, ex Græcâ ipſius inſcriptione, cujuſmodi nullum, quod ſciam, reperitur inter nummos in Britannia percuſſos. Miſſis igitur his, numiſma hoc* Locris (*Achaiæ regiunculæ, ad ſinum Corinthiacum, Romano imperio ſubjecta*) *fuiſſe percuſſum arbitror: imò* Naupacti, *urbe illius regionis primariâ, ſive Metropoli; quod (ut taceam characteres in ejus apud Stradam averſæ partis imo:) hinc facilè conjiciendum, quòd dimidiata navis ibi figuretur. Naupactum autem ſic dictum volunt à compactis navibus, quod ibi Heraclidæ primùm navem conſtruxerint. Inſcriptionem igitur in circumferentia nummi illius apud Stradam, averſâ parte, ſic legendum exiſtimo:* Metropolis Etimindii Baſileos Locrων (*vel* Locrenſiων) *i. regis Locrorum ſive Locrenſium. ad Locros enim, vel Locrenſes hujuſmodi, non autem ad Londinum, ut dixi, hic numus omnino, meo quidem judicio, referendus.*

[a] Ca.25. §. 19. p.133.

Longellus.] 2011. 27, 29, 39. *Veſtis vel panni genus quoddam longius.*

Loquela.] 688.48.957. 23. 1838. *ult. Vox Latina, ſed hîc forenſi ſenſu uſurpata, ut & apud Glanvill. li.2.ca.3. videatur etiam* Magna *quam ita vocant* Charta, *ca.*28. *Quandoque* Locutio, *ut in I.L. Hen.*1*.ca.*64. *& hîc* 854.62. *Reſpondet autem Saxonum vocabulo* ꞅpꞃæc, (*quod à Bromptono noſtro, quandoque* placitum, *quandoque* cauſa, *quandoque* locutio, *Latinè factum:*) *pro juris actione, interdum accuſatione. unde fortè ille loquendi modus, in eiſd. LL.ca.*56. Si præpoſituram dimiſit, & alterius dominii ſit, qui poſtea loquitur. (*i. litem movet*) in his ſuper eum, &c. *cui ſimilem habemus ca.*42. Unde ſi damnum ei evenerit, loquatur inde cum homine ſuo. *i. in jus vocet hominem ſuum. Haud abſimilis ille, ca.* 74. Emendet unuſquiſque cxx. ſol. qui ſuper hoc loquebatur. *i. litem movebat de eo. Hinc etiam fortè locutionum ejuſmodi locus, forum ſcil. juridicum, à litigantium hinc inde loquutionibus ſive altercationibus, accuſantium etiam & accuſatorum criminationibus, & recriminationibus, non ſine ſermocinationis copiâ, Saxonibus* ꞅpꞃæceꞃn, *Cantuarienſibus olim* **Speech-houſe,** *dictus. Vide Antiquitat. urb. Cantuar.pag.*126. *Sunt qui ab eadem origine* Parliamenti *vocem ducunt, ſenſu quo exteris ſonat fori juridici locum: ab advocatorum ſcil. altercationibus. De quo plura apud doct. Voſſium, in voce* Parliamentum.

Lot & Scot.] 1916.57,58. Sint in *Lot & Scot*, & Tallag. &c. *Id eſt, oneribus ſive impoſitionibus publicis, æquè atque alii cives, obnoxii ſint. Vide Spelm. in voce* Lot.

Luſhburne.] 2596.49. *Alibi, & fortaſſe rectiùs,* Luſhburgh, *quomodo in Statuto* 4. *de anno* 25.*Ed.*3. *ca.*2. *Reprobum nummi genus in partibus tranſmarinis ad ſimilitudinem Anglicani effictum, atque in diebus illis in Angliam adductum; fortè ſic dictum à feriendi loco, quodam ſcil. illius nominis oppido vel urbe, puta* **Lutſenborgh** *apud Germanos inferiores.*

Lyſtæ.] *Vide* Liſtæ.

M.

MAgna aſſiſa.] *V.* Aſſiſa magna.

Mainad.] 764.35. *Mainad.* i.e. perjurium. *Aliud exemplar habet* Mainath. *Saxonicorum* mænan aþ, *al.* mæne aþ, *intelligendum, quod falſum juramentum ſonat. Vide LL. Canuti apud Lambard. par.*1*.ca.*5. *& par.*2*.ca.*33.

Major.] 1919.28. *Prætor, Præfectus, Præpoſitus. Vulgò,* **Mayor**: *cujus munus* Maioratus *dictum, vulgò,* **Maioralty.** *utrumque aut à Latino* major, *aut à Sax.* mæꞃe, *quod idem.*

Major domus.] 430.19.443.40,43.49. *& alibi. Idem qui, voce hybridâ,* Megadomeſticus *aliàs dictus, interdum autem* Magnus domeſticus, *de quo multis eques doctiſſ. in voce* Domeſticus, *& Hotomann. in Francogall. ca.*12.

Mala tolia.] 2492,60. Mala tolla. 2523.31. Male torth. 2626. 51. *Malum vel indebitum telonium:* **Evill tolle**; *quomodo in Magnâ quam ita vocant Chartâ Anglicanâ vertitur.* **Tolle** *enim noſtratibus, telonium, vectigal, exactio.*

Malefactor.] 900.38. *Gall.* malfaicteur, *quod maleficum denotat. Vulgò,* **a malefactor.** *Saxon.* bana, *quod Lambardus heic meliùs vertit* homicidam. *Ita nempe vox ſonat. unde illud in Chronologia Saxonica, ſub ann.* 755. ⁊ hẏ næꝼꞃe hiꞅ banan ꝼolᵹian noldan. *i.* quod nunquam interfectori ipſius deſervire vellent. *Unde etiam* Dædbana, & Redbana, *in LL. Hen.*1. *ca.*85. *ex Canuti LL. par.*1. *ca.*5. *excerpt. quorum utrumque* homicidam *ſignat; hunc conſilio, illum re, vel actu, qui aliàs Saxon.* hand-dæda. *V. LL. Eadm. par.*2*.ca.*1. *& LL. Ethelr. par.*2*.ca.*5.

Mallard.] 2010. 59. *A Gall.* Malard, *pro anate maſculo. Anglis* **Mallard.**

Malveyſyn.] 992.10.——quod cum armis inexpugnabile Rex videret, aliud caſtellum ante illud paravit quod *Malveyſyn* appellavit: *quaſi malum vicinum dicas. A Gall.* mal, *i. malus*, & voiſin, *vicinus.*

Manbota.] 767.30. 768.8,9. *Perempti hominis illa æſtimationis pars, quæ cæſi domino, compenſationis ergô, debetur. A* man, *homo*; & bote, *compenſatio.*

Manca.] 853.44. *Vide* Mancuſa, *quod proximè.*

Mancuſa.] 121.36. 140.29,35. & *alibi. Idem quod in LL. Hen. 1. ſæpe* Manca, *al.* Marca, *dictum: Saxonicè,* mancuꞅ, & meaꞃe. *Dicitur autem* Marca (*inquit Martinius, in voce*) quaſi dicas limitata pecuniæ ſummula. *Heniſchius autem, de Aſſe, pag.*103. quòd ſit terminus menſuræ ponderum apud aurifices & metallarios. *Alterum,* Mancuſam *ſcil. ita dictum lego q.* manu cuſam. *Sic enim Caius de Antiquit. Academ. Cantabrig. li.*2. *p.*209. *quod Watſio & aliis placuit. Derivatio fortè nimis generalis, utpote quæ ad omnia numiſmata extendat. Quinimo,* marcam, *aut* mancuſam, *monetæ percuſſæ ſpeciem haud exiſtimo; ſed auri aut argenti quid, certo quodam pondere conſtans: & ubi ſimpliciter nominatum*[a]*, apud Anglo-Saxones argenteos* 30. *quæ valeret denarios. Ita quidem Lambardus, & rectè. Aelfrico ſiquidem in extremo fine Grammaticæ ſuæ Saxonicæ:* Libra on leden iꞅ pund on englıꞅc. ꝼiꝼ peneᵹaꞅ ᵹemaciᵹað ænne ꞅcillinᵹe, ⁊ xxx peneᵹa ænne mancꞅ. *Cui quadam ex parte convenit quod in Judiciis Civitatis London apud Brompton. noſtrum, cap.*6. *ſic habetur:* & bos una manca. *i.* xxx. denar. & ovis v. denar. (*Sax. habet* ꞅcyll.) perſolvatur: *cui par eſt ut addam illud in LL. Hen.* 1. *ca.*69. triginta ſolidi——id eſt hodie v. mancæ. *quinis nimirum denariis ad ſolidum, ſex autem ſolidis ad mancam, pro more Saxonum, computatis. Aureæ* mancuſæ, *ſive* marcæ *valor, Saxonum ævo, qualis fuerit, me adhuc latet: Normannorum autem ex ſequentibus colligendus:* Ebrardus Dapifer Willielmi de Albamara reddit compotum de ii. marcis auri, ne ſit amplius Dapifer Willielmi: in Theſauro vi. lib. pro i. marca, & debet i. marcam auri. *Sic*[b] *in Rot. mag. Pipæ.* 1. *Hen.* 2. *rot.* 3. *memb.* 1. *in tergo. Cui fas ſit addere quod è chartâ quadam Johannis regis dat.* 7. *Junii, anno regno ſui primo, excerptum:* Capiatur (*charta loquitur*) una marca auri vel decem marcæ argenti ad opus Cancellarii. *Ita Johann. Sariſburienſis, Epiſt.*31. *pag.* 104.——decem quoque marcas pro marca auri domino Boſoni per dominum Cant. tranſmittit. *Atque hanc eandem proportionem auri ad argentum apud Romanos in uſu fuiſſe ex pactis cum Ætolis apparet. Sic enim Livius, li.*38. *fo.*312.*a.* pro argento ſi aurum dare mallent, darent, convenit: dum pro argenteis decem aureus unus valeret. *Quam quidem analogiam omnium juſtiſſimam ſecundùm vulgarem opinionem affirmat Budæus, de Aſſe, lib.*4. *De his autem fuſiùs in Gloſſar. noſtro Legib. Hen.* 1. *addito, in voce* Manca. *Ubi etiam de* xxx. manna *in Chronolog. Saxon. ann.* 694. *pro* xxx. ðuꞅend mancoꞅ *vel* mancuꞅ. *Vide* Marca, *quæ Anglo-Normannis, ex* 13. *ſolid.* & 4. *denar. conſtat, ut hîc,* 2107.29.

Mandibilis.] 2197.38. *Vide* Feſtum.

Maneia.] 1827.55. *perperam pro* manus.

Manens.] 1770.54,56,62, &c. *Inquilinus, colonus. Quandoque pro* manſo. *i. prædio quod occupat. V.* Manerium, & Manſum.

Manerium.] 490.1. 537.15. & *ſæpe. Frequens hoc in LL. Hen.* 1. *habitationem ſignans cum certâ agri portione. Sic Voſſ. Cowellus autem noſtras,* unius feudi circuitus, ſive tractus. *Dictio videtur derivata à Gallico* manoir, *i. manſio, à manendo dicta: quia dominus feudi intra cancellos feudi ſui plerunque manet, atque ædes habet, quæ capitalis manerii domus appellantur. Vide Coc. Inſtitut. par.* 1. *fo.*58.*a.b. Ante Normannorum tempora, vox apud nos, in chartis aut aliis noſtris bonæ fidei monumentis, fruſtra quæritur. Egfridus* (*fateor*) *filius regis Offæ donaſſe dicitur eccleſiæ S. Albani terram quinque maneriorum, ut in Vitis Abbatum ibid. per Mat. Pariſ. pag.*36. *Ipſa vero donationis charta, pag.*239. *habet, terram quinque* manentium. *Nec in toto legum antiquarum gentium exterarum codice,* manerii *vocabulum reperitur. A Normannis* (*inter alia ejuſdem farinæ verba*) *è Gallia huc adductum conjicio, quorum in Angliâ præceſſoribus,* Hida, Familia, Villa, Sulinga, Caſata, Manſura, Manens, (*ut* Manſus, Manſio, Manſum, Colonica, & *eis,* & *exteris ſimul*) *idem ſignificarunt, ac ipſis* & *aliis poſterioris ævi populis* Manerium: *quod quomodo differat à* Manſione *vide Flet. li.*6. *ca.*51.

Mangonare.] 898.11,38. *Pro mercari, nundinari. à Latino mango, pro mercatore: unde Saxonum, ut* & *noſtrorum* **manger**, *al.* **monger**, *in* **Iron-monger**, **Wood-monger**, **Fleſh-monger**, **Butter-monger**, **Fel-monger**, &c.

Maninga.] 850.42. *A Sax.* monunᵹe, *al.* manunᵹe. *i. Juriſdictio, vel potius judicum juſtitiæ adminiſtrandæ cauſâ conſeſſus, vel ſeſſio: conventus ad cauſas diſceptandas indictus. Vide* Admannire.

Manipulus.] 1227.20.——pannum lineum quaſi ad vendendum in manu ſiniſtra pro *manipulo. Intellige* mappulam, *vel* mantile, *linteamen ſcil. ſive ſindonem, quâ ſacrificuli læva tegitur, aliàs* Fanon *dictum. Hoc autem ſenſu hodieque Gall.* Manipulon. *Affine fortè,* Sudarium *quod ad tergendum ſudorem in manu geſtatur. Alcuin. de divin. offic. cap. de ſingulis veſtibus.*

Manſum. Manſus.] 307.39. 913.12,55. *Pro manſionis loco, ſive domo: domicilium puta, alio tamen ſenſu,* 121.32. *ubi* menſis *perperam pro* manſis. *Fundum intellige, vel prædium, unde quis ſe* & *familiam alere poteſt: à manendo dictum. Unde quod eſt* manſis *hîc, Florent. Wigorn. habet* manentibus: *Matr. Weſtmonaſter. verò,* hydis *vel* manſionibus. *Vide* Manerium *ſupra, Spelman. Gloſſar. in* Hida, & *Lindenbrog.*

Manſura.] 1806.28. *Domus, ædificium, habitaculum, à* manendo *dictum, q. manendi locus, vel in quem quis ſe contulerit ibi manſurus.*

Mantellum.] 60.6. 456.11. 1150.62. 1159.17. *Pallii genus eſt, quod Gallis* & *Anglis,* **Mantel.**

Manu capere.] 1039.38. *Juris forenſis noſtri eſt vocabulum,* & *ſignificat quid in ſe ſuſcipere, præſertim verò pro alio delicti ſuſpecto vadem ſe præbere, ut judicio ſe ſiſteret,* & *juri ſtaret. Talis autem ſtipulatio vel fidejuſſio eis* manucaptio *dicta, als* mempriſa, *ut hic,* 1099.3. *vitioſè pro* meinpriſa, ſa, *vulgò*, **mainpriſe** : *quibus etiam* **mainpernors**, *pro vadibus ejuſmodi, quales ii, ni fallor, al.* **handborowes** *dicti. Vox à Gallico* main. *i.e. manus, &* pris, *captus, ſuſceptus. Vide Cowell, in* Mainpriſe. *Hinc* Manucaptor. 2555.46. *pro tali ſusceptore.*

---

[a] *V. Var. Lection. in col.*1776. 44.

[b] *Ut à melioris literaturæ viro,* & *ſtudiorum meor. fautore humaniſſ.* D. Rog. Twyſdeno, *pridem accepi.*

Manupaſtus.] 828.54. *Vocabulum & familiam ſonat, & famulum domeſticum, domino ſaltem vel patrifamilias à menſâ. Eſt à Gall.* Meſnie, *i. familia*[c], *&* Paſt, *quod à Latino* Paſtus *corruptum, refectionem, cibum, (unde noſtratium,* **Repaſt**) *ſignat : aut fortean à* Manus, *&* Paſtus : *quia tales, cum ſint ſub manu. i. poteſtate domini, paſcuntur ab eo ; qui cum à tali poteſtate dominicâ liberentur,* manumiſſi *dicuntur, q. è manu miſſi, ad inſtar eorum qui ſui juris facti,* **to live at their owne hand**, *Anglicè dicuntur. De* manupaſtu *verò alicujus (ſecundùm Bracton. li.3. fo.124.b.) eſt ille, & familiâ, qui eſt ad victum & ad veſtitum, vel ad victum tantùm cum mercede, ſicut ſunt famuli vel ſervientes, & domus mercenarii. V. Cl. Selden. Jan. Angl. li.1. pag. 51. §.35. & Orderic. Vital. hiſt. eccleſ. p.553. Hinc autem ediſcas, quomodo linguâ vernaculâ rectè exprimenda ſint hæc apud Manwod. noſtrum in ſuo de LL. Foreſtæ tractatu ca.16. nu.6. fo. 112.a.* Erit (*inquit*) culpabilis tanquam de manupaſto, *&c. Anglicanam enim ibi verſionem ſic corrigendam arbitror :* **he ſhall be culpable as of a thing done by one of his family,** (*or,* **under his charge**:) *id eſt,* culpabilis erit (*Dominus*) perinde ac ſi id feciſſet famulus ejus domeſticus, *vel alius ipſius curæ & regimini ſuppoſitus, pro quo reſpondere (i. rationem reddere) teneretur, ſecundùm illud Brittoni noſtri, ca.12. fo.19.b.* En droit de clers, & de chivallers, gentz de religion, & femes, volons que cheſcun que meyne tient ſoit reſpoinaunt pur touts ſes *meynpaſtes* que oveſque luy ſient en chieſe, & ceux reſpoynient de lour ſubjetz. *V. Flet. lib.1. cap.27.*

mediæ Manus homo.] 570.26. 632 10. 656.24. 669.53. inferioris Manus homo. 5c6.49. infimæ Manus homo. 626 49. *Nimirum (inquit Lindenbrogius) hic erat ſtatus hominum, ut alii nobiles vel primi, alii mediocres, alii minores vel minimi dicerentur. Gloſſar. in verb.* Mediocris perſona, *quem vide in* Homo. *Huic autem ſimilis olim apud noſtrates hominum diſtinctio, ut ſupra, in* Hindenus.

7 Manus mortua.] 1941.28. 1949.51. *Vulgò,* **Mortmaine**. *Uſurpantur autem de iis (cœnobitis ſcil. & ſimilibus, qui perpetuâ ſucceſſione porriguntur in ſecula) quorum poſſeſſio, ut ita dicam, immortalis eſt : quia nunquam hæredem habere deſinunt, quâ de cauſâ res nunquam ad priorem dominum revertitur. Nam* Manus *pro poſſeſſione dicitur, &* mortua *pro immortali. Vel quòd res talibus datæ, tanquam apud mortuos hæreant : nec vel caſu, (hoc eſt, per* Eſchaetam, *ut loquuntur) aut ad dominum feudi redeant, aut ad ipſum Regem. De quo pluribus Spelmannus noſter in* Amortizatio, *& Hotoman. in* Manus mortua.

Manutenere.] 632.42. 837.14. *Defendere, tueri, protegere, ſuſtentare, q.* manu tenere : *ut Latini dicunt,* liberali manu aſſerere. *Gallis,* maintenir. *Hinc autem* Manutentor. 847.40. *pro Patrono vel protectore. Ita etiam alibi* Manutenementum, *pro patrocinio, protectione, tutelâ, nobis* **Maintenance**. *Forenſibus autem noſtris* Manutentores *ſunt illi, qui vel pecuniis ſuis vel aliâ ope litem alterius judicialem, in quâ ipſi juſtum intereſſe non habent, promovent aut fovent. Ita Cowellus.*

Marabontinus.] 598 4. *& ſæpe. Infra,* 1125. 45, *&c.* Marabotinus. *Similiter Matt. Pariſio. Idem fortè quod Gallis* Marabais ; *vilioris ſc. numi genus. Cotgrav. Aliàs* Marevedinus, *Hiſpanicus nummus ſcil. cujus mentio in cap.14. De privilegiis :* duo millia marabatinarum. *De quo multa Didacus Covaruvias in collat. veter. numiſm. cum hodiernis.*

Marca.] 180.49. auri. 214.16. 216.59. argenti. 222.54. Marcata. 547.34. *Vide* Mancuſa. iij. dimid. marcæ. 830.12. vj. dimid. marcarum. 897.28,33. *& alibi. Quibus in locis, & ſimilibus (tam apud Lambardum, quàm Spelmann. in Concil. alioſque) lectio juſtè reprehendenda ; numerandi ratione Saxonicâ, non bene, ut videtur, intellectâ. Quidam enim latet hîc Saxoniſmus, ſive linguæ Saxonicæ idiotiſmus : quippe vox iſta,* healꝼ (*dimidium ſcil.*) *in his & ſimilibus ad rem numerariam attinentibus, non auget numerum, cui apponitur, ſeu poſtponitur ; ſed tantum de eo demendum docet ; i.e. dimidium : quod quidem dimidium, prout majoribus, aut minoribus ſummis additur, & vel ad integram ſummam, vel ſingulares numeros refertur, plus minuſve valet & comprehendit : quod exemplis fiet manifeſtius.* Oþꞃe, *iis ſecundus :* oþꞃe healꝼ, *unum cum dimidio ; ſive ſeſquialterum. Vide LL. Inæ regis, cap.65. & Bedæ Hiſtor. li.4. ca.26. prope finem : item li.5. ca.2. Jam, quod* 150. *Epiſcopi, quibus ſynodus Conſtantinopolitana conſtabat, (Spelmanno referente, inter Canon. Aelfrici, in Concil. p. 581.) Saxonicè dicuntur,* oðeꞃ healꝼ hunꝺ biꞅcopa. *Interdum tamen additâ voce* læꞅ. *Ita tempus regiminis Aluredi regis, (de quo in Chronolog. Saxonicâ, ſub ann.* 901.) *ſcil.* oþꞃum healꝼum læꞅ þe xxx. ƿintꞃa, (*i. anno ſeſquialtero minus 30. annis) apud Malmesburienſem Latinè exprimitur :* 28. & ſemis annis. *& apud Huntindon.* viginti octo annis & dimid. *Sed pergamus. Saxonum* þꞃeo healꝼ, *al.* þꞃiꝺꝺe healꝼ, *Latinè valet* 2. *& dimid.*[a] *Unde quod in Chronolog. illâ, ſub ann.* 891. *Saxonicè legimus :* oꝼ þꞃiꝺꝺan healꝼꞃ̄e hẏꝺe, *Florent. Wigorn. ſub ann.* 892. *Latinè exhibet :* ex duobus coriis & dimidio. *Deinde Saxonum* ꝼeoꞃþe-healꝼ *Latinè valet* 3. *& dimid. unde* ꝼeoꞃþe healꝼe hunꝺ ꞅcipꞅ, *in Chronologiâ quâ ſupra, ſub ann.* 851. *apud cæteros Annalium noſtrorum ſcriptores Latinè habentur :* trecenæ & quinquaginta naves. *Et ſic deinceps per omnes numeros. Hinc autem quæ in ſcripturâ Saxonicâ in Textu, ut vocatur, Roffenſi, de opere pontis ibidem, à Lambardo in Cantio ſuo, pag.386. exhibitâ, Saxonicè leguntur:* þꞃiꝺꝺe healꝼ ᵹẏꞃꝺ, ꝼioꞃþe healꝼ ᵹẏꞃꝺ, ꝼẏꝼꞇe healꝼ ᵹẏꞃꝺ, *in Latinâ ſcripturæ illius veteri verſione annexa ſic ſe habent:* 2. virgatas & dimid. 3. virgatas & dimid. 4. & dimid. virgatas. *Ita tempus regiminis Edmundi Regis, de quo in Chronologiâ ſæpe memoratâ, ſub ann.* 946. *ſc.* ꞅeoꝼeþe healꝼ ᵹeꞃ, *apud Malmesburien. Latinè habetur,* annis ſex & ſemis : *apud Huntindon.* ſex annis & dimid. *Sic etiam tempus regiminis Edredi regis, de quo in eapſe Chronolog. ſub ann.* 955. *ſc.* ꞇeoþe healꝼ ᵹeꞃ, *apud eundem Malmesb. Latinè exprimitur,* annis 9. & dimid. *Alia in promptu ſunt exem-*

[c] Hinc ſervi illi domeſtici, **menial ſervants**, dicti.

[b] *V. col.* 2215. *lin.* 54.

exempla; hæc autem ad præſens ſufficiant. Haud tacendum tamen eſt, eandem numerandi rationem poſterioribus Saxonib. manſiſſe, ut in ſpeculo Saxonico (libro, ut ſummùm, circiter duodecimum à Chriſto nato ſeculum incaptum, & non ante, Gryphiandro[b] *teſte, conſcripto) videre licet, ubi (lib. 2. art. 26.)* quartus dimidius nummus *occurrit. Sed & eadem etiam numerandi ratio apud veteres Ripuarios invaluit, ut pluribus legum ipſorum locis comprobatur. E. G.* tertii dimidii ſolidi *fit mentio, tit. 24.* quinti dimidii ſolidi, *tit. 20.* octavi ſemiſolidi, *tit. 34. §. 3.* octavi dimidii ſolidi. *tit. 58. §. 9. Quæ nimirum loca à Frid. Lindenbrog. (viro quidem perſpicaciſſ.) in Gloſſar. ſuo eiſdem LL. addito, animadverſa, nullam apud eum invenerunt explicationem. Verumtamen, eo quo ſupra diſſerebamus modo, intelligenda eſſe,* octavi ſemiſolidi *in dicto tit. 20. memorati (hoc modo computati, viz. vij. s. vj. d.) proportio quam habet ad præcedentes ſummas, ſi perpendatur, ſat planè evincet. Sicut enim mulctæ quantitas in primo §. raptorum principi irrogatæ, in ſecundo §. dimidio minor evadit, ſic etiam, ut adjutorum vel participum omnium ultra tres, mulcta in dicto tertio §. inſtituta, proportionem habeat ad illam in dicto primo §. ſimilibus participibus irrogatam, dimidio minor illâ ſit neceſſe eſt. Hæc de Saxonicâ numerandi ratione; quam tamen origine potiùs Græcam quàm Saxonicam jure optimo cenſeamus. Ita enim & Græci τρίτον ἡμιωβόλιον dicebant pro* duobus obolis & ſemis: *ἕβδομον ἡμιτάλαντον pro* ſex talentis cum dimidio, *& id genus alia: ut me docuit magnum illud ſeculi ſui ornamentum Iſaacus Caſaubonus in Commentar. ad Theoph. Charact. Ubi etiam diſcrimen docet inter τρία ἡμιτάλαντα, & τρίτον ἡμιτάλαντον, &c. quod diſcrimen non obſervatum viris alioqui doctiſſimis in Græcis vertendis (ut ibidem docet ſummus ille vir) ſæpius impingendi occaſio fuit. Hinc etiam viri itidem doctiſſ. Merici Caſauboni, Iſ. filii, ſententia non leviter confirmatur de lingua Saxonica ex Græcâ origine; de quâ videatur eruditiſſima ipſius de vetere linguâ Anglicâ ſive Saxonicâ Commentatio, quæ nuper in lucem prodiit.*

[b] De Weichbild. Sax. cap. 48. nu. 14.

Marca.] 856. 10. *Vide* Staca.

Marca.] 849. 8. 851. 12. *Idem quod* Marchia.

Marchalſia.] 2555. 42. 2696. 10. *Carcer curæ & fidei Mariſcalli domus regiæ apud nos commiſſus: qualis ille in ſuburbiis Londinenſibus, vulgò,* **the Marſhalſy** *dictus.*

Marchia.] 562. 5. 574. 64. 575. 54. 594. 51. 607. 15. 703. 61. *Unde* Marchio. 462. 6. 571. 36. 607. 37. Marchiſius. 680. 40, 46, 49, 66, *&c.* Marchiſus. 1242. 8, 54, 57. Marchiatus. 2574. 41, 42. *Vide* Commerciones.

Marearchus.] 2692. 44, 58, 59. Mariſarchus. 2574. 1. 2578. 14. 2696. 12. *Thalaſſiarcha, vel præfectus maris. Vulgò,* **Admirall.** *Vox hybrida: à Latino* mare, *& Græco* ἀρχός.

Mareſcaldus.] 270. 48. *Rectiùs* Mareſcallus. 659. 13. 1158. 28, 33. 1183. 14. *Molliùs ſic, ſed integriùs* Mareſcalcus, *ut quod ſit (ſi non idem ac* Major domeſticus, *quod dubium mihi) ex* mare, *vet. pro equus (quod nobis manſit pro equa, Sax.* myꞃe:) *&* ſcalc, *h. e. ſervus. Olim enim, aiunt, vilis fuit muneris nomen, equorum cuſtodem ſive ſervum ſignificans. Poſtea verò præclara dignitatis nomen evaſit: ſic enim vocarunt eum qui Latinis aliter Comes ſtabuli; magiſter, ſive præfectus equitum; Græcis, protoſtrator. Ita* Mareſtalla, *pro equili: à prædicto* mare, *&* ſtal, *h. e. ſtabulum. De utroque pluribus Voſſius, quem vide & Hotomann.*

Marinarius.] 998. 37, 44. 1182. 57, 60. *Nauta. Matt. Pariſio* Marinellus. *Nobis hodie,* **Mariner.** *V.* Buthſecarlus.

Mariſarchus.] *Vide* Marearchus.

Mariſcus.] 1089. 45. *Locus paludoſus, vel terra paluſtris. Gallis* Mareſcage. *Talis in agro Cantiano tractus ille ſatis celebris,* **Romney-marſh** *vulgò nuncupatus. à Sax.* meꞃſc, *i. palus; unde ejuſdem tractus incolæ, utpote viri paluſtres, Sax.* meꞃſcƿaꞃu *dicti, ab eodem* meꞃſc, *&* ƿaꞃu, *viri.*

Maritagium.] 706. 63. 1027. 57. *Dos quæ ex uxoris patre marito confertur. Petrus de Vineis epiſt. lib. 3. cap. 5.* Aggreſſus eſt eos in lecto nudos: & ſurgere non permiſit, donec eos in manibus ejus omnem dotem & jus de quibus tenebatur eis pro *maritagio,* reſpondere oportuit neceſſario remiſiſſe, *& alibi. Vox apud Mat. Pariſ. frequens. Watſius* Mattrimonium *vertit. Parùm rectè: lucrum enim ibi, ut alibi ſæpe, ſignat, quod dominus feudi è nuptiis* minoris, *ut vocant, de ſe, per ſervitium militare dictum, tenentis, conficere poteſt. Cowell. Indice Inſtitut. addito.*

Maritatio.] 311. 14, 17. 1021. 65. *alibiq; Quod* donatio propter nuptias, *id ſcil. quod ſponſæ à ſponſo datur: aliter* Dotarium, *&* Dotalitium *dictum, quæ ſupra.*

Marterina pellis.] 328. 37. *Pellis animalculi* Martes *dicti, Gallis* Marte, Martin, Martre, *Belg.* Marter. *Eſt autem muſtela quoddam genus nobili pelle inſignis. Unde Martial.* Venator capta *marte* ſuperbus erit. Sabellus *aliàs dicitur, ut pellis ejus* ſabellina. *Belg.* **Sabel-vellen.** *Nobis,* **Sables.** *Vide Cowell. noſtr. in voce* Furre.

Maſtivus.] 2417. 50. *Moloſſus. Vulgò,* **a Maſtiffe:** *fortè à Gall.* Meſtif.

Matricula.] 1568. 9. *Nominum indiculus, catalogus, index. In Academiis* matriculam *appellant codicem, in quem referuntur nomina omnium Academicâ fruentium libertate. Cui cum inſcribantur, ſtudiorum gratiâ, in Academiam miſſi, dicuntur* immatriculari. *De quo & vocis latiori adhuc acceptione vide Voſſium.*

Mauſceal, *&c.*] 766. 54. *Lex eſt Saxonica, ab interprete, ut videtur, minus intellecta, eóque Latinè non facta, neque Saxonicè rectè exhibita: quomodo autem & reſtituenda & intelligenda, vide ſupra in* Beregafol.

Meda.] 356. 63. *al.* Medo. 948. 27. 949. 48. *Hydromeli, ſive aqua mulſa, melicratum, aqua melle miſta. Belgis & Angl.* **Mede:** *Cambro-Britannis* Metheglin: *Saxonib. olim* meꝺu: Ne bið ðæꞃ nænıᵹ ealo ᵹebꞃoƿen mıꝺ eſtum, ac þæꞃ bıð meꝺu ᵹenoh. *i.* Ibi nulla eſt cerviſia ex fæce (*vel* craſſamine) confecta; eſt autem medonis (*i. hydromelis*) ſatis.

Mempriſa.] 1099. 3. *Vide* Manu capere.

Meneſtrallus.] 2011. 7. *A Gallico* Meneſtrel, *pro tibicine, fidicine, citharœdo, Anglis,* **Minſtrell.**

Menſura regalis.] 1912. 39. *Ea ſcil. quæ nobis vulgò,*

vulgò, **the Standard,** *menſura ſcil. originalis & canonica, ad quam aliæ menſuræ ejuſdem ſpeciei debent examinari, & cum eâ concordare. Watſ. Vide* Pondus, *infra.*

Mentiri vadium.] 762. 46. *Vide* Vadium mentiri.

Mercandiſare.] 829.27. *Mercari, nundinari, negotiari, mercaturam exercere. Ita* Mercandiſa, *pro mercatura. Hinc nobis,* **Merchandiſe,** *&* **to make merchandiſe.** *Vox Gallica.*

Mercationes.] 2576.49,57. *Merx, vel res venales. Vulgò,* **merchandiſe.**

Mercimoniatus Angliæ.] 2320. 64. *Emolumentum illud ex mercaturis Angliæ fiſco obveniens: vectigal ſc. vel tributum à mercatoribus exactum, & regi pendi ſolitum, pro mercibus importandis & exportandis. Vulgò,* **Cuſtome.**

Meremium.] 1940.7. 1964. 53. *Vide* Cella infirmorum.

Merketum.] 1997.34. *Forum rerum venalium. Vulgò,* **a Market:** *à mercibus dictum.*

Meſchenninga.] 314.57. *Malmesburienſi* Meſcheninga. *Vox, ut videtur, injuriam ſapit, cum inter exactiones & injuſtitias, à rege Stephano damnatas, utpote malè inductas, locum ſit ſortita; cujuſmodi fortè injuſta illa implacitatio. i. in jus vocatio, quam idem Rex ſe abrogaturum ſpondet, col.* 1024. *lin.* 29. & quod neminem, *&c. Plura infra, in* Myskenning.

Meſuagium.] 1878. 22. *Domus habitationi idonea. Fortè à Gallico* Meſnage, *i. familia, aut* Maiſon, *domus. Vox fori, & à forenſibus ampliùs ſumpta, ut apud Cowell, Cocum, & alios videre licet.*

Miles.] 222.61. *alibique, Miles & Villanus opponuntur. Illum per ſervitia militaria, iſtum per plebeia tenentem (Anglis,* **Baſe tenant***) intelligo. Vide Lambard. in* Paganus. ¶ *Infra,* 985. 49. *item* 1136. *ult. miles pediti opponitur. Ibi equitem intelligo, militem ſcil. in bello equo inſidentem. Vocem aliter uſurpant Feudiſtæ, ſcil. pro Vaſſallo: quos apud* Miles, & ſenior, *ut relata, opponuntur. Hotomann.*

Milites vavaſſores.] 473 62. Capitaneos. *i. duces exercitus intelligo. Vulgò,* **Captaines,** *de quibus Spelm. & ſupra.* Capitaneus.

Militia.] 337.50. Cum quo univerſæ terræ ſuæ *militia, &c. Id eſt, militum copiæ, vel poteſtas militaris, bellica, caſtrenſis. Vulgò nobis hodie,* **the Militia.**

Minare.] 848.10. 854.27. *Ante ſe agere, propellere: item proſequi. Gall.* mener. *V. Freheri Script. Franc. p.* 151. *Verbum tamen vetus & probum, etſi minùs notum.*

Minigunga.] 854. 4. *Sax.* mýneᵹunᵹ. *i. admonitio.*

Miniſter.] 166.49. 167.55,59,61. 170.14. *Sic is Latinè quandoque dictus, quandoque* Miniſterialis, *qui Saxon.* ðeᵹn, *Barbaro-latinè,* Thainus, Thanus, *Normannicè,* Baro. *Ita qui* Miniſtri regii *hîc, alibique, Saxonicè* cınınᵹeꞅ ðeᵹnaꞅ, *& Comiti proximos dicuntur. LL. Canuti, par.* 2. *ca.* 69. *aliter interdum* Pueri Regis, *quod idem. V. Lindenbrog.* Puer Regis, *&* Miniſterialis.

Minor.] 825.63. *Idem fortè hîc ac* Junior *alibi, unde formatum* Junioratus, *ut apud Ivonem legas, epiſt.* 286. Super hæc dedimus *junioratum* eccleſiæ de Ponte Godonis, cum omnibus domibus noſtris. *Vicariam poteſtatem intelligo.* Juniores *enim Spelmanno,* Judices *ſunt* ſubordinati, *&* poteſtatis miniſtri. *Eadem acceptione Saxonibus. Vide Bedæ Hiſt. li.* 4. *ca.* 23. *& LL. Aluredi reg. ca.* 34. *ubi Saxon.* ealꝺoꞃmanneꞅ ᵹınᵹꞃan, *hîc* minore *(ſupple* Aldermanni*) Latinè redditur. Vide etiam proœmium Fœd. Aluredi & Guthr. RR. ubi* ᵹınᵹꞃan, *pro ſucceſſoribus; niſi malis ſubditis, vel gradu inferioribus. Plura potes apud Spelman. Lindenbrog. & Ludovic. de la Cerda in voce* Juniores.

Minutio.] 413. 61. *alibi,* ſanguinis diminutio, 415.30. *Eſt apertio vel inſectio venæ ad minuendum ſanguinem, quod monachis & viris ejuſmodi ſedentariis repletioni aptis apprimè utile & neceſſarium. Ita,* 996.59. Sanguine minutus, *pro ſanguine diminutus ex phlebotomiâ.*

Misbota.] 918. 43. *Mendosè, pro* Mægbota; *Saxon.* mæᵹboꞇe, *quod compenſationem cognatis occiſi competentem ſignat. Plura infra,* Weregildum.

Miſdocere.] 830.10. *Malè docere, falsò inſtruere, haud rectè inſtituere, ita docere ut auſcultantem decipiat, & in errorem ducat. Sax.* mıꞅƿıꞅꞅıan. *à* ƿıꞅꞅıan, *al.* ᵹeƿıꞅꞅıan, *inſtruere, docere, inſtituere, &* mıꞅ, *quod malè, iniquè, ſonat.*

Miſericordia.] 311.45. 928.17. 1022.26. 1102. 52. 1103.16. *Vox Latina, ſed novatâ ſignificatione hîc reperta, & idem ſignificat ac Forenſibus noſtris* Amerciamentum. *Utriuſque vocis ratio hæc, quod nulla certa pœna eâ de re jure definita ſit, ita ut perſona cenſenda judicis relinquatur miſericordiæ, qui majorem vel minorem pro ſuo arbritrio animadverſionem in eum exercet. Reus enim in hoc caſu Gallicè (unde verba hæc) dicitur,* a'mercie. *i.e. forenſi Latinitate,* in miſericordia, *item* amerciatus. *Nos de voce pluribus in Gloſſar. LL. Hen.* 1. *addito.*

Miſevenire.] 928. 37, 55. *Malè evenire, vel malè ſuccedere. Sax.* mıꞅꞇıꝺan. *à* mıꞅ, *malè, &* ꞇıꝺan, *hodie,* **to betide,** *evenire. De eo dictum, qui de* murdro. *i. homicidio accuſatus, ſeque purgare, & culpâ liberare ſatagens, non valeret, ſed in purgatione deficeret.*

Miſſurium.] 1762.55. *& al. Vaſis genus (Frehero, patina ingens) ex eo vocatum, quòd dono miſſum. De quo fuſiùs Ludovic. de la Cerda, & Voſſ.*

Modulo.] 845. 26. *Perperam pro* Populo.

Monagium.] 2478.6. ——ratione *monagii* ſeu retentionis veſtræ, &c. *Rectiùs Walſinghamus in Hiſt. pag.* 66. *lin.* 53. ratione menagii ſeu retentionis veſtræ. *Id eſt, ratione familiæ vel ſequelæ veſtræ.* Menagium *enim, (à Gallico* meſnage: *unde noſtratium* **meynie,** *&* **meniall ſervants***) familiam:* retentio, *ſequelam (unde Gallor. & noſtratium,* **retinue***) ſignificat.*

Monetagium.] 311.23. Jus & artificium cudendi monetas. *Ita Watſius. Tributum potiùs reor, aut vectigal; id fortè, aut conſimile, de quo in veteri Normanniæ Cuſtumar. cap.* 15. *Monetagium* autem eſt quoddam auxilium pecuniæ in tertio anno Duci Normanniæ perſolvendum, ne ſpecies monetarum in Normannia decurrentium in alias faciat permutari. —*Focagium* ſolet nuncupari, quia illi principaliter illud perſolvebant qui focalem reſidentiam obtinebant. *Apud nos (ut videtur) pleriſque* in locis vel hodie manet ſub nomine, Smoke-money, ſmoke-ſilver; & ſimil. Gallis, Fouage. Cotgrav.

Monetare.] 843.26. monetam cudere. Saxon. mynetian; unde noſtratium, Mint, & to mint.

Mongeſtre ſmere.] 898.20. Per hyſteron proteron, pro Smere-mongeſtre. i. ut ibi ſequitur, qui mangonatur in caſeo & butiro. à ſmeꝛe, al. ſmyꝛe; & ſmeꝛƿe. unguen, adeps, (unde noſtr. ſmeare) & manꝫeꝛe, nobis monger, mango, mercator, de quo ſupra in Mangonare, & notis noſtris ad vetera verba Germana ſæpius memoratis.

Monochelitæ.] 440.65. Monochilitæ. 441.3. Id eſt, hæretici, qui (ut apud Bedam legas, Hiſt. li.4. ca.18.) unam in Chriſto operationem & voluntatem prædicabant.

Mora.] 1386.50,56, &c. Palus, ſtagnum: hodie Moze: Sax. moꝛ, unde noſtram myre, quod Belg. moer, cœnum paluſtre, limus, lutum. Locum etiam montanum quandoque ſignificat, quomodo hic infra, 2561.13,15. quo ſenſu Saxones etiam olim, uti aquilonares Angli hodieque voce uſi. V. Bed. hiſt. li. 4. ca.27.

Morabotinus.] 1125.45,47,49,50. Vide Marabotinus.

Moracum.] 948.28. Merum fortè, vel vinum meracum, i. purum, non miſtum.

Morgagifa.] 930.33. Rectiùs Morgangifa. Dos à marito profecta. q. d. donum matutinum, quod maritus, dotis nomine, uxori ſuæ erogat die nuptiarum ante nuptiale convivium. Dotem enim (ut olim de Germanis Tacitus) non uxor marito, ſed uxori maritus affert. A dote tamen diſtinguit Gregor. Turonen. lib.9. ca.20. Tam in dote (inquit) quam in Morgengabe. hoc matutinali dono. Plura cupis? adi Hotomann. in voce Morganatica. Lindenbrog. in Morgengeba. Kilian. in Morghengave. Saxonibus hoc dictum moꝛꝫanꝫyꝼe. LL. Canut. par.2. ca.71.

Moroſe.] 1588.34. pro morigerè.

Mota.] 1039.10,16. Foſſa, foſſatum, quo caſtrum, aut aliud propugnaculum cingitur & munitur. à moité fortè, quod Gall. humidus, madidus: ut hoc à Græco μυδάω. i. madeo, nimio madore putreſco, unde noſtrum, mudde, lutum.

ſi Mulaminum.] 856.34. Vide Conſigillatio.

Multones.] 1804.65. Multones. 1905.20. Sic etiam Fletæ authori, li.2. ca.79. Vervex, petro, aries caſtratus, Gallis mouton: unde noſtratium mutton, ipſo ſenſu, & pro carne ejuſmodi. Origo fortè à multo, vel mutilo; quod aries ſit coleis ſive teſticulis mulcatus ſive mutilatus.

Mundbrece.] 861.27. Mundbrice. 822.25. Mundbriche. 918.41. Mundebriche. 957.20. Malè apud Cowellum Mindbruch. Læſionem majeſtatis, vertit Bromptonus noſter. Violationem pacis, Lambardus. Sonat etiam (inquit ille) læſæ dignitatis crimen: & hæc fortè, & (præterea) munimenis, protectionis, tutelæ, patrocinii, defenſionis, ſepti, clauſi, (Saxonum mund, & mundbyꝛde, hæc omnia ſonante) violationem, læſionem, fractionem; uti ꝫemundian, protegere, patrocinari; mundboꝛa, patronum, defenſorem, advocatum, Teutonicis mumbar. Unde mon, pro mond, in Herthamon, de quo in L. Friſon. tit. 22. §.28. Si præcordia, id eſt, hersthamon gladio tetigerit. Vera (inquit Lindenbrog.) videtur lectio—Præcordia, id eſt, hertamond gla. tetig. Germ. herte, cor; mund, vulnus. Sic ille. Me judice, verior lectio, & omni exceptione major, hertemon, vel hertemond; quod cordis ſeptum, vel præſidium ſignificat, diaphragma ſc. vel, ut hîc, præcordia: voce, ut videtur, compoſitâ ab herte, Sax. heoꝛꞇ, cor; & mond, Sax. mund, tutela, defenſio, munimen. In hunc diem Middleſexii noſtri prædiorum munitiona Munds, & Moundes, appellant. Hinc fortè ortum Forenſium noſtror. Breve, quare clauſum fregit, dictum. Vide plura apud Hotomann. Lindenbrog. & Voſſium. Nec abs re forſan fuerit hic ſubjungere quæ de hoc in Textu (ut vocant) Roffenſi reperta: In lege Cantia (ita MS.) eccleſia Chriſti, & Rex, & Archiepiſcopus habent ſimilem & æquè charum deſpectum, quod Angli dicunt Mundbrece. Senſus loci talis: Cantianâ lege mulcta, contemptus ergô, irrogata valor, eccleſiæ Chriſti, Regi, & Archiepiſcopo competentis, omnino idem eſt vel conſimilis.

Muratio.] 1039.7. Pro munimento, vel propugnaculo, muris incincto, vel incluſo.

Murdrator.] 2358.29. Sicarius. Vulgò, a murtherer. Idem qui Murdritor, de quo proximè. Ita Murdratus. 2358.14. is ſc. qui à tali fuerit occiſus; quem vulgò, murthered dicimus. Sic etiam murdrari. 2754.57. pro taliter occidi.

Murdritor.] 846.65. Illius homicidii reus quod vocant——

Murdrum.] 311.48. 823.9. Quid murdrum, & ab homicidio quomodo differat, vide Glanvill. li.14. ca.3. Bracton. lib.3. ca.15. nu.1,2. Cowelli Interpr. in voce. Videatur etiam Legum Hen. 1. ca.92. Vocabulum eſt in LL. noſtris crebrum, dictum à Sax. moꝛþ, i. cædes, occiſio. Matt. Pariſ. Hiſt. pag.283. peſſimo mortis genere quod Angli murdrum appellant. Ad omnia enim homicidiorum genera ſignificanda vox non trahitur; odioſiora tantum ſonat: quæ ſc. & occultè, & cogitatè, ex præcogitatâ ſc. malitiâ, perpetrantur. Decalogi igitur præceptum illud: Non occides, Sax. ne ſlea þu, nimis anguſtè verſum puto in vetuſtioribus bibliorum noſtrorum tranſlationibus: Thou ſhalt do no murder. Plura apud Voſſ.

Murrena.] 2693.40. Lues: tabifica lues: vulgò, Murraine. A Græco Μαραίνω. i. tabefacio, ut præſtantiſſ. Caſaubono in Commentatione ſæpius laudatâ jam obſervatum.

Mutorum pœna.] 2678.63. Felonia nempe, ut noſtrates vocant, accuſatus, ex contumaciâ mutus, carceri unde ad tribunal eductus eſt, committitur, cujus in loco aliquo infero & tenebricoſo conſtituitur: nudus ſuper nudâ terrâ, pudendis tantùm tectis, brachiiſque & pedibus fune in quatuor domunculæ angulos tractis, ſupinus extenditur. In hunc autem modum ligatus, tanto ferri ſaxive pondere pectori impoſito oneratur, quantum ſine contuſione ferre poteſt. Die ſequenti tria panis hordeacei fruſta ſine potu ſumit: nudiuſtertius totidem aquæ hauſtus quantoſcunque, dummodo non profluentis, quæ proxima carceri reperitur, ſed ſine pane: atque ita per vices pane & aquâ iſtiuſmodi quotidie veſcitur, donec oneris, frigoris, atque famis cruciatu extinguitur. Pœnam hanc fortem & duram dicimus: vulgò, pein forte & dur. De quo vide Cowelli Interpretem in voc.

Myskenning.] 957.23. Idem quod ſupra, Meſchenninga. Vocem habet in LL. Hen.1. cap.22. cui

¹ V. Not. in Bed. hiſt. p.459. & hiſt. ipſam li.5. ca.23.

cui præcedit ibi Miſlocutio, *quod, ni fallor, idem ſignat.* Locutio *autem eſt in jus, vel in quæſtionem vocatio: cui* mis, *adverſativa particula, (quæ ut noſtratibus,* **amiſſe**, *Gall.* mes, *Belg.* **mis**, *malè ſonat) præponitur, ut compoſitum, iniquam vel injuſtam quæſtionem, vel in jus vocationem ſignificet. Similiter* myskenning, *quod ab eod.* mis, *& Saxon.* cenning, *ut hoc à* cennan, *citare, vocare, appellare, proferre. Vide* Cenninga. Myskenning *itaque, iniqua, vel injuſta in jus vocatio. Quandoque tamen hoc fortè per errorem accidat; quo viſo, loquelam. i. actionem vel accuſationem actor mutat, & novam intentat; quod quibuſdam, ut authori noſtro hîc,* variatio loquelæ *dicitur.*

N

NAmium.] 924.30. *Vocabulum forenſe, & legulei is noſtris ſatis notum, licet quodammodo antiquatum, ut ab eis in verbum nunc dierum uſitatius,* **diſtreſſe**, *paris ſignificationis (pignoris enim captionem ſignat) mutatum. Eſt autem à Saxon.* name. *i. pignus, vel pignoris prehenſio; ut illud à* nyman, *capere, prehendere. A Saxonibus ad nos tranſmiſſum Galli videntur eſſe mutuati, apud quos olim*[a] *hodieque ſæpiùs uſurpatum. Vide Lambardi Gloſſar. verbo* Pignerari. *Cowelli* Interpr. *in* Withernam, *& equit. Smithi tractat. de Repub. Anglic. lib. 3. ca. 10. Ordo, ſive procedendi modus, apud veteres in* Namiis *capiendis, qualis ſit obſervandus, è LL. Gul. 1. cap. 42. ediſcas licet. Cum verò Latina legis illius verſio adhuc in nonnullis imperfecta ſit, lector inter legendum hærens, adeat LL. Canuti, par. 2. ca. 18. (unde illa Gulielmi lex deſumpta) & ſe facilè expediat.*

[a] V. Orderic. Vital. Hiſt. pag. 553.

Nobile.] 2584.26. 2678.60. *Nummi apud nos aurei genus, ſex ſolidos & octo denarios valens: ex auro ſcil. nobiliſſimo; unde & nomen. Hinc etiam noſtratium hodieque,* **Noble**, *pro tali nummi argentei ſummâ. Vide Spelmannum in voce* Florenus.

Normicta.] 943.60. Villa regis de **Mydylton**, per quoſdam eorum aggreſſus combuſta, claſſis per *Normictam*, verſus *Londoniam*, quia cives eorum ad eos allexerant, tendens, *&c. Ubi* Normictam, *pro* Normutham, *rectiùs autem & integriùs* Northmutham: *Henrico Huntindon.* Nordmutam. *Intellige oſtium fluviorum Swale, & Medwedia apud Cantianos, Shepeiam & Graenam inſulas interfluentium, & in Thameſin ibi labentium, juxta quaſdam tænias,* **Nowzehead** *hodie vulgò dictas.*

Northintus.] 837.24. *Vide* Eaſtintus.

Notorius.] 1991. 59. *pro* Notarius. *i. Tabellio.*

Nunna.] 823.65. 859.7. *Monacha, ſanctimonialis; vulgò,* **Nunne**.

O

OBedientia.] 1450.58. 1504.36, 58, *&c. Ejus officium ſive miniſterium, qui* 1897.31. Obedientiarius *dictus, monachus ſcil. qui aliquod officium ipſi ex mandato prælati commiſſum exercet: cujuſmodi* Secretarius, *aliàs* Sacriſta, Camerarius, Cellerarius, Infirmarius, Eleemoſynarius, *&c. quorum omnium & ſingulorum apud Benedictinos munus & officium deſcriptum vide apud Clement. Reyner. Apoſtolat. Benedictin. in Append. pag.* 236, 237. 238.

Oblata.] 1035.49. *Panis eucharisticus. Saxon.* oꝼleꞇ. *Vide Lindenbrog. Gloſſar. in voce.*

Obſella.] 1224.60. *Si rectè ſit ſcriptum; vocabuli ſenſum non teneo: fortè* Capſella *reponendum, quod vulgò,* **a Coffer**.

Occaſio.] 535.44. 619.30. *pro* querela: *ab eâ nempe* occaſionis *ſignificatione, quâ Forenſibus noſtris olim* Encheſon, *pro cauſa ſc. item accuſatione, ſive querela; unde in eorum libris (ut & hîc,* 1950. 4. *& ult.)* occaſionari *crebrò pro cauſari, accuſari. Galli hodieque* achoiſonner, *pro accuſare, diſcordiæ occaſionem quærere. V. Cl. Seldeni Tit. Honor. ed. 1. par. 2. ca. 7. Alio ſenſu in codice LL. antiquar. de quo Lindenbrog. in Gloſſar.*

Offertorium.] 1159.30. *Sindonem ſericeam, ſive linteamen, ſignificat, in quo populorum oblationes reponebantur; ab offerendo dictum: à quo etiam ea miſſæ pars quæ dicebatur tempore oblationis,* Offertorium *vocatur. Ludovic. de la Cerda.*

Officiare.] 2089.2. *& alibi, pro* deſervire.

Officium.] 484. 25. ——eccleſiam Chriſti Cantuarien. cum omnibus *officiis*, quæ infra murum ipſius Curiæ ſunt, cum ipſo muro ædificavit. *Per* officia *hîc, cum Gervaſ. Dorobern. & aliis,* officinas *intellige, domos ſcil. & ædificia monachorum uſibus & officiis deputata.*

On ſtrande & ſtreame, on wde & feld.] 1224.29. *Voces Anglicæ veteres, & in antiquioris ævi chartis crebrò repertæ; privilegium ſapiunt, ſeu potius privilegii latitudinem ſive amplitudinem, & ſic Latinè legantur:* in litore, & fluvio; in ſylva, & campo.

Opentheft.] 929.19. *Apertum furtum, ab* open, *apertum, vel manifeſtum; &* þeꝼꞇ, *furtum. Vox Saxonica. Furtum autem hoc, ut tum hîc, tum in LL. Hen. 1. ca. 12. nullo fuit pretio redimendum. Secus, ſi occultum. Unde Sax.* ƿeꞃeʒẏlꝺ-ðeoꝼ, *pro fure redimendo, de quo infra in* Weregelthef, *&* werigildus fur.

Oppa.] 848.27. Pecoris ticimium, & canis *oppa*, & blanhornum, *&c. Locus mirè ænigmaticus, & meliori Oedipo relinquendus.*

Opperatus.] 1922.7. *pro* Apparatus *fortè.*

Ora.] 830.51. 896.11. 899.16. *& alibi. Vox eſt à Sax.* oꞃe, *quod metallum ſignat. V. Beda hiſt. li. 1. ca. 1. De* oris *crebrò in libro Anglor. cenſuali, ubi cum doctiſſ. equite* uncias *intelligo, quarum 12. libram faciunt ſterlingorum: neque monetæ percuſſæ genus* oram *unquam ſignificaſſe compertum mihi, (quod fortè dicendum etiam de veterum* Solidus, Thrimſa, Marca, Libra) *ſed ponderis potius; unde uti de Libris, ſic etiam de Oris denariorum, crebra mentio in libro illo cenſuali, ut in Spelm. Gloſſario, in voce* Libra, *videre eſt.* Ora *autem, i. e. ut dixi,* uncia, *in re nummariâ duplex reperitur, major ſc. & minor: hæc 16. continens argenti denarios; illa (ſicut uncia in Statuto* Compoſitio menſurarum *inſcripto) 20. quarum poſterior in libro illo cenſuali ubique ferè obvia, pluribus inde ductis exemplis ab eod. Spelmanno, ut ſupra, quem vide in vocib.* Denarius, *&* Eſterlingus. *In regeſto monaſterii Burton. (obſervante Cl. Cambdeno in Wiltonia) 20. oræ dicuntur valere 2. argenti marcas. Hoc ut verum ſit, per marcam hîc intelligenda marca temporum poſteriorum, 13.*

valens argenti ſolidos, & 4. denarios: ut per oram, *ora minor,* 16. *ſcil. denariorum. Hac enim computandi ratione,* 20. *oræ duas faciunt argenti marcas, viz. xxvj. s. & viij. d. Obiter hîc notandum*, lora *apud Matt. Pariſ. Hiſt. pag.* 208. *lin.* 28. *per errorem irrepſiſſe pro* in ora. *Hæc igitur ibi:* de viginti lora, *tu corrige*, de viginti in ora. *i. e. de viginti denariis in unciâ. De* Ora *plura apud Skenæum Scotum, in* De verbor. ſignification.

Orarium.] 10. *a.* 34. *Vox eſt tam variæ ſignificationis, ut quomodo hîc accipienda ſit timidè dixerim. Fortè, ut apud Petrum Bleſen. pro ſtolâ ſacerdotali: eo magis adductus ut ita credam, quòd venerabilis Bedæ presbyteri ſupellectilis pars fuerit. De eo fuſè Voſſ. quem omnino conſule.*

Ordalium.] 830. 64. (890. 11. *ſed mendoſè pro* hordarii. *Vide* 842. 65. *quid autem* hordarius *quære ſuo loco:*) Ordel. 894. 9. *Criminis purgandi modus antiquus, nec pridem obſoletus, ſcil. per aquam gelidam vel fervidam, aut ferrum candens, de quo juſtum habes tractatum (inter noſtrates) apud Lambard. in voce; Parkeri (ſeu potius Jocelini, qui ei ab epiſtolis) Antiquitates Britann. in vitâ Roberti xxxj. archiepiſcopi; Verſteganum in tractatu cui titulus* **Reſtituion of decayed intelligence**, *&c. ca.* 3. *equitem Spelman. verb.* Judicium Dei; *& Cl. Seldenum, notis ad Eadmer. pag.* 203. *ut taceam Text. Roffenſem, quia nondum divulgatum: inter exteros autem, apud Skenæum, de verb. ſignificat. in* Machamium; *Hotoman. diſput. de Feudis, ca.* 44. *Cujac. de Feud. li.* 1. *tit.* 1. §. Si autem controverſia: *Codicem LL. antiquarum, opere ad calcem Marculſi Formulæ: Kilian. Etymologic. verb.* **Vier Oordeel, & Waeter Oordeel**: *Quercetani Notas ad Bibliothec. Cluniac. pag.* 156. *Lindenbrog. Gloſſar. in* Judicium aquæ: *vetus Normann. Cuſtumar. ca.* 67. *gloſſâ additâ Gallicâ & Latinâ: Dempſter. de Juramento ca.* 18. *Worm. Monument. Danic. li.* 1. *ca.* 11. *Pithoeum in Gloſſar. ad Capit. Caroli magni, & Juretum in Obſervatio. ad Ivonis Epiſt. ac plures alios. Quod ad vocis originationem attinet, puram putam Anglo-Saxonicam exiſtimo, nec aliunde quærendam, cum in toto LL. antiquar. gentium exterarum codice (ubi iſtiuſmodi criminum explorandorum genus, cum variis ejus ſpeciebus ritibuſque, ſatis obvium) niſi ſemel, (alibi autem ne ſemel quidem, quod ſciam) occurrat, in lege ſcil. Baioariorum, inter decreta Taſſilonis,* §. 9. *ubi* Urtella *nuncupatur. Quamvis enim apud Teutonicos modernos (ut ex eorum liquet Lexicis) vox illa reperiatur, hîc* **Oordeel**, *illic* **Urtheyl** *(pro variâ gentium Germanicarum dialecto) ſcripta; id tamen noſtratium imitatione factum puto; talem ſceleris inveſtigandi modum, quem habebant nobiſcum communem, ita appellare ſolitorum. Vocabulum autem illud ampliorem tandem accepit ſignificationem: ad judicium enim generatim id poſtea extenderunt; atque ex eo alia fabricarunt, ut* **Oordeeler, & Urtheyler**, *pro Judice;* **Oordeelen, & Urtheylen**, *pro judicare; & id genus alia. à Saxonibus interim planè recedentes, quibus licet* **Ordale** *in criminibus quibuſdam explorandis judicium valeat & de reatu vel innocentia partis accuſatæ deciſorium eſſet, (unde fortè ſumpta verbi ampliandi à Teutonicis occaſio) judicium tamen generatim apud eos neque ſignavit, nec ex eo aliæ voces, Teutonicorum more, derivatæ, in ſcriptis ipſorum reperiuntur. Iidem enim Anglo-Saxones, uti etiam veteres Dani*[a], *ſive de judicio, ſive de examine generatim agentes, alio in eam rem uſi ſunt vocabulo:* ꝺom *ſcil. ut &* ꝺemian, *pro judicare, ſententiam dicere: atque hinc (inter alias voces Anglo-Saxonicas inde fluentes)* ꝺema, *Judex;* ꝺom-boc, *Liber judicialis;* ꝺom-eꞃn, *Forum judiciarium;* ꝺom-ꞅeꞇl, *Tribunal;* ꝺomeꞅ-ꝺæᵹ, *Dies judicii, & id genus alia.* Ordalei *autem vocem nomenque ad ea ſolummodo judiciorum ſive examinum genera applicarunt, quæ in cauſis criminalibus, non item civilibus, ſcil. in criminibus inveſtigandis, nec tamen omnibus, ſed duntaxat atrocioribus, & inter ea ſolùm eis quæ claris perſpicuiſque probationibus indigebant, eis denique in quibus accuſato, ob fidem ejus labefactatam, purgatio canonica (ſuo ipſius ſc. & conjuratorum juramentis) interdicta, erant in uſu*[b]. *Si quis enim criminis ſuſpectus, vel ſuo teſtimonio, vel teſtibus, aliiſve claris & perſpicuis probationibus convinci poterat, aut adeo erat fide dignus ut ad purgationem canonicam jure eſſet admittendus, qui Saxonibus* aþeꞅƿoꞃð, *haud ullus eo caſu* Ordalei *uſus: eis autem deficientibus, & quovis alio veritatis indagandæ modo ordinario, ad* Ordaleum *recurrebatur: minimè tamen priuſquam accuſatus de innocentiâ ſuâ ſolenniter juraſſet*[c]; *quo quidem juramento ſic præſtito, ac conſequenter re jam magis dubiâ factâ, ne diutiùs laboraret ſub lance dubiâ, ſed ut omnis in ea parte dubitationis occaſio auferretur, ſuſpectum ad* Ordaleum, *tanquam ad Lapidem Lydium, adigebant, ut ſic judicio divino* (Ordalio *ab eis ſic dicto*) *rei veritas eluceſceret. In iſtiuſmodi enim olim examinibus adeo magna erat fiducia, ut ne vel in minimo de certitudine eorum ambigerent, aut diſputarent; ſed de reatu vel innocentia accuſati, pro examinis exitu, abſque omni hæſitatione cenſerent & pronuntiarent. Unde illud Concil. Rhemen. ca.* 11. *pag.* 19. Heic ſi quiſquam veſtrum aliter eſſe putat, meque indignum cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non ſufficiunt meæ verba. *Nec mirum, cum (ut diximus) Dei ipſius Judicium* Ordaleum *hoc & nominarent & reputarent. Judicium autem Dei rectum, verum, juſtum, æquum, certum, nec errori, aut perſonarum acceptioni (ut humanum) obnoxium: quod etiam olim hoc examine uſis plenè perſuaſum. Unde illud formulâ conjurationis ferri & aquæ, in LL. antiquar. Cod. pag.* 1302. Deus judex juſtus, fortis & patiens, qui es author & amator juſtitiæ, qui judicas æquitatem, judicas Domine quod juſtum eſt, quia recta tua judicia ſunt, *&c. & id genus alia. Hinc autem eſt quòd judicium ſive examen hujuſmodi, ut nomen rei conveniat,* Ordale *vocarunt, Latinè* Ordaleum *ſive* Ordalium: *vocabulo compoſito ab* oꞃ, *quod Saxonibus, & negationis, & privationis particula, (unde eis* oꞃmoꝺ, *amens;* oꞃƿiꞇe, *impunis;*

---

[a] *Worm. Literat. Runic. pag.* 152.

[b] *V. Antiquit.* Britan. *in vita Rob.* 31. *archiep. item* Canuti Conſtitut. *de* Foreſta *apud Spelm. in voce* Foreſta, *cap.* 11.

[c] *LL. Æthelſta. cap.* 23.

oꞃᵹilꝺ, *inſolutus*; oꞃꞅoꞃh, *incurioſus*; oꞃƿennẏꞅꞅe, *deſperatio*; oꞃꞇꞃẏƿiᵹ, *perfidus*; oꞃmæꞇe, *immenſus*; oꞃceapunᵹa, *gratuito, &c.*) & ꝺale, *quod, quomodo &* ꞇoꝺale, & ᵹeꝺale, (*extrito hic, ut in ſimilibus compoſitis fieri ſolet*[a], ᵹe, & ꞇo:) *diſtinctionem ſive differentiam ſignat, quaſi dicas*, ſine differentiâ, *ſemotâ ſcil. partium. i. perſonarum diſtinctione vel acceptione, quâ judicium humanum nonnunquam redditur iniquum, atque minus juſtum, & ſic* **Ordale** *idem ac judicium æquum, juſtum, indifferens, neutri partium plus juſto favens, ſed veritatem oſtendens. Hæc ſanè mihi dictabam, cum in hujus decantatiſſimæ vocis enodatione aliquandiu hæſiſſem.* Ordaleum *autem aut* ſimplex *reperitur, aut* triplex. *De utroque vide doctiſſ. equitem in voce* Lada. ¶ *Modum hunc purgationis obſoletum dixi: reviveſcit tamen hodie, quaſi poſtliminio, idem mos ex quadam parte; examen ſcil. per aquam gelidam, etiamſi planè barbarum, & quà tale, cum cæteris olim, nec immeritò damnatum, in veneficii ſcil. ſuſpectorum vel ſuſpectarum potius* (*cum mulieribus magis adhæreat*) *vulgari apud nos examine; quas manibus pedibuſque vinctas, de facto, in aquam projiciunt, de reatu vel innocentiâ ipſarum judicantes, prout eas vel ſupernatare* (*veluti ab aquâ, ut volunt, protinus rejectas*) *vel ſidere compertum fuerit: has* (*emerſas*) *ſontes; illas* (*ſubmerſas*) *inſontes habentes & pronuntiantes. Tam iniquum, & tam* (*meo quidem judicio*) *pernicioſi exempli inſtitutum, cum nullo omnino jure divino, aut* (*quod ſaltem hodie viget apud nos*) *humano, ſubnixum ſit, ſilentio* (*occaſione heic oblatâ*) *ſine notâ præterire non potui, nec opinor debui.*

Orgilde.] 830. 48. *Ut vocis ſenſum meliùs aſſequaris, audi quid de* Forbatudus *in Formulis & alibi, ex Adverſariis meis depromptiurus ſum.* Ego hodie facio ipſum fordanno & forbatudo, *Ita Formul. ſolemn.* 160. *Item in Decreto Childeberti reg. cap.* 5. Judex loci illius ſolatio collecto ipſum raptorem occidat, & jaceat forbatudus. Forbatudus & forbatudo *hîc,* (*inquiunt viri docti*) *qui prior alterum percuſſit, quomodo autem hæc conveniant, vel voci illi* forbatudo *in Ripuar. L.* 77. *ſive illi* forbatutus *in decreto Childeberti prædicto, quorum locorum neutro de occiſo vel priùs, vel poſteriùs feriente ne* gry *quidem? Hac itaque derivatione rejectâ, vox meo judicio idem ſignat, ac hîc Anglo-Sax.* oꞃᵹilꝺ, *al.* aᵹilꝺ, *hoc eſt, inſalutus, vel ſine compenſatione, ut qui inter malè faciendum occiſus, ſolitam compenſationem, mortis cauſâ, pro capitis ſui æſtimatione, irrogatam, perdere promeruerit, vel* (*phraſi Formul.* 119.) *cujus anima mors non eſt requirenda. Unde in dictâ L. Ripuar.* de vita forisfactum *dicitur; id eſt, ob malefacta dignum cui vitâ adimeretur. Nec aliud* (*ni fallor*) *vox illa altera,* fordanno, *ſignificat, ſcil. qui dum malè ageret, vita privabitur. Hæc autem meliùs, ut firmentur, ſciendum, quòd ſicut in utraque voce* (fordanno & forfactus) *prior compoſiti pars, una & eadem eſt, & ſono & ſenſu; ſic itidem ſenſu poſterior:* danno *enim à Belg.* **doen**[b] *fluens, uti* **to doe** *nobis, facere ſonat. Vox autem utraque integra Saxonico* ꝼoꞃƿẏꞃhꞇan *reſpondet, quod à* ꝼoꞃ & ƿẏꞃcan *veniens, Latino-barbarè* forisfactus *redditur. In vocum etiam utraque, item in* forbatutus, for, (*quomodo in* Forbannum, Forjudicare, *&c.*) *uti & Belg.* **ver**, *& Anglo-Saxon.* **for**, *in quàmplurimis compoſitis, negandi ſive privandi eſt particula.* batutus *autem* (*poſterior compoſiti pars*) *à Belg.* **baete**, *al.* **boete**, *venit, Saxon.* boꞇe, *quod emendationem, correctionem, remedium, compenſationem, ſatisfactionem, compoſitionem, notat. Facere itaque aliquem* fordanno *vel* forbatudo (*phraſi Formular.*) *idem eſt, ac probare vel oſtendere ipſum* (*ob ejus malefacta*) *adeo juſtè peremptum, ut nullam omnino amiſſæ vitæ compenſationem mereatur, &* jacere forbutudus *eſt, phraſi Lud. pii,* abſque compenſatione jacere, *ſive ut in L. Boior. tit.* 7. *l.* 1. §. 2. (*ubi de eod. crimine agitur ac in L. illa Ripuar.*) ſine vindictâ. *V.* Ungilda akere.

Oſtenſio.] 897. *ult. Idem hîc quod infra* Scheauwing.

Othan.] 74. 18. Juro per Deos meos potentes **Thor & Othan**, quòd ab hac hora inimiciſſimus ero omnibus vobis, **Thor & Othan** *hîc, Saxonum nondum converſorum erant Dii, Deaſtri potius, quorum poſterior, aliàs* **Wodan** *dict. unde feria quarta, ut hîc* 551. 35. *nobis* **Wednesday**, *q.* Wodanſ-day *dicta; ut à* **Thor** *illo, feria quinta,* **Thursday**; *utpote dies eorum nominibus & honori dicati. De his autem, & cæteris id genus Deaſtris ſatis apud Crantzium, Cluver. Voſſ. Worm. & Verſteganum Anglum, alioſque.*

Overcythed.] 836. 25. *Vox Saxonica, convictum ſignans à* cẏþan, *oſtendere, notum facere, probare: &* oꝼeꞃ, *ſuper, q. ſuper eâ re convictum, vel reus factus.*

Overherneſſa.] 828. 63. Overhirneſſa. 835. 60. 836. 20. *Vocabulum ejuſdem tabii ac prius, quod* (*ut apud Saxones* ꝼoꞃꞅeƿennẏꞅꞅe, *al.* oꝼeꞃꞅeƿennẏꞅꞅe, *in LL. Hen.* 1. Overſeuneſſa) *ſignificat tum obedientiæ debitæ ex contumaciâ, ſuperbiâ vel contemptu detrectationem ab eo qui legem audire, juri ſcil. parere recuſaret: tum forisfacturam, ut vocant. i. e. mulctam propterea debitam. Normannis hoc* Surſiſe, *formâ Latinâ* Superſiſio: *nam* cẏninᵹeꞅ oꝼeꞃhẏꞃnẏꞅꞅe, *in LL. Canuti, par.* 2. *ca.* 26. *à Gulielmo primo poſtea recenſito, lege nimirum* 48. la ſurſiſe le Rei, *Gallicè redditur.* Overhirneſſam *Bromptonus Latinè vertit* ſubauditionem; *malè, pro* ſuperauditionem. *Vox enim ita ſonat; ab* oꝼeꞃ, *i. ſuper, &* hẏꞃan, *audire, auſcultare.*

P

PAceatur.] 765. 15. ——— recipiat agenfriga corium ejus & carnem, & *paceatur* de cætero. *Saxonicè autem ſic:* ⁊ nime ſe aᵹenꝼꞃiᵹea hiꞅ ꝼlæꞅc. ⁊ ðoliᵹe ðæꞅ oþꞃeꞅ. *quæ ſic interpretor:* & capiat dominus carnem ejus, & nihil amplius; *vel,* nec quid præterea; *vel,* reſiduum perdere contentus: *ac ſi,* paceatur *hîc, pro* patiatur.

Paga.] 143. 21, 27. *pro* Pagus.

Pagettus.] 2581. 39. *Aſſecla, pediſſequus. Vulgò,* a Page, *Vox Gallica,*

Palefridus.] 598. 60. 1130. 27. 1855. 49. 5 [illegible] *Inſig-*

---

[a] De quo nos in Tract. de **Gavelkynd**, ca. 1.

[b] ꝼoꞃꝺoen, *Saxonibus* interimere. *V.* Pſalter. *Latino-Sax. Pſal.* 101. *v.* 21.

nioris equi genus, nempe qui ad pompam aut honorem vectorum manu ducitur. Vulgò, **Palfrey**: *ex Gallicis verbis* par le frain, *ut pluribus probat vir longè doctiſſ. Mer. Caſaubon. in* De linguâ Anglicâ vetere, *&c. pag.* 186. *Differt à* Dextrario *ut Cl. Voſſio jam obſervatum, in voce* Dextrarius.

Pallium.] 79.26, 38. *Inſignium unum* (Crux; *vulg.* **Croſier** *dicta, alterum*) *Archiepiſcopis peculiarium, vulg.* **a Pall.** *Bene igitur vocem refert Baronius ad pallium Archiepiſcopale. Alcuinus: Pallium* Archiepiſcorum ſuper omnia indumenta eſt, ut lamina in fronte pontificis. *Pallium* nihil eſt aliud, niſi diſcretio inter Archiepiſcopum & ejus ſuffraganeos. *Iterum ipſe*: Pro rationali nunc ſummi Pontifices, quos Archiepiſcopos dicimus, *pallio* utuntur, quod à ſancta ſede Romana Apoſtolica dante accipiunt. *Innocentius 3. in lib. de Offic. Miſſa*: *Pallium* illud quo majores Epiſcopi (*adverte Archiepiſcopi nomen*) utuntur, eſt de candida lana contextum, deſuper habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor cruces purpureas, ante, retro, à dextris & à ſiniſtris, ſed à ſiniſtris duplex eſt, & ſimplex à dextris. Tres etiam acus aureæ infiguntur pallio, ante pectus, ſuper humerum, & poſt tergum. Super dextrum humerum non infigitur, hæc qualibet acus precioſum continet lapidem. *Sic ille ad rem ſatis explicatè.*

Palmarius.] 2322. 56, 63, *&c. Peregrinus ille, quem noſtrates vulg.* **a Palmer** *vocitant. Nomen à baculis palmarum aut ramis quos geſtare ſolent.* Peregrinus *autem &* Palmarius, *ſecundùm quoſdam, in his ſignanter differunt*: Peregrinus, *certum habuit domicilium*; Palmarius *autem nullum*: Peregrinus, *ad quendam certum & præfinitum proficiſcebatur locum*; Palmarius *autem, non ad unum aliquem, ſed ad omnem*: Peregrinus, *ire quibat ſumptibus propriis*; Palmarius, *voluntariam profiteri tenebatur paupertatem*: Peregrinus, *ſuæ potuit renuntiare profeſſioni*; Palmarius *autem, nunquam, niſi obtentâ prius palmâ, victoriâ ſcil. in hoſtes ejus ſpirituales, & vitâ per mortem.*

Palmatia.] 641.63. *Fortè* palmarum locus. Palmatianæ *Ludovico de la Cerda*, dactyles.

Paneſculus.] 1804.64. *parvus panis, q.d. paniculus.*

Panigeria.] 509.48. Conventus rerum venalium. *Ita ſiquidem locus*: & *panigeriam*, id eſt, conventum rerum venalium. *Vocabulum corruptum* (*ni fallor*) *à Græco* πανήγυρις.

Pannagium.] 2007.9, 10. *Vide* Paſnagium.

Pannus deciſus.] 1522.39. laceatus. 40. *Per priorem pannum intelligo inciſum; per poſteriorem verò, pannum limbis ornatum. Vulg.* **laced.** *Vide tamen: nam Hovedenus habet* laceratus.

Pararium.] 1166.10. *Idem proculdubio quod authori noſtro alibi, ut & Rogero Hovedeno,* Peraria; *Radulfo de Diceto & Matt. Pariſio* petraria: *machina bellica ſcil. petras ſive lapides ingentes emittens ad muros diruendos. Fortè à Gall.* Petriere, *al.* Perrier.

Parcenarius.] 803.60. *Particeps. Gallis* Parconnier. *Hinc Forenſibus noſtris cohæredes,* Parcenarii *dicti, vulg.* **Parceners**, *aliàs* **Coparceners.**

Parcus.] 1435.41. 2116.17. *Eſt locus* (*inquit Cowellus noſtras*) *ad ferarum cuſtodiam palis aut aliter circumſeptus.* Parcus *autem, & illud quod* Parocum *nuncupamus, Anglicè* **Paroc**, *ut & Gall.* Parc, *ejuſdem* (*ni fallor*) *ſunt proſapiæ, nempe à Sax.* peaꞃꞃuc, *quod* Saltum *vertit Chronologia Saxonicæ eruditus editor & interpres, pag.* 550. *extremâ*: *Florentius autem Wigorn. ſub ann.* 915. Sepum, *pro* Septum *fortè, quod* (*inter alia*) *idem ſonat ac Anglis* **Parke**, *Teutonicis* **Parck**, *vivarium ſc. cervinum, quibuſdam theriotrophium, Sax.* ꝺæoꞃꝼalꝺ. Parcus *autem apud Bractonum & Fletam crebro pro ergaſtulo pecorino, ſive peribolo, vulg.* **a Pound**, *id eſt* (*inquit Cowellus*) area in quolibet feodo ſeu manerio circumſepta, in qua animalia damnum frugibus aut fructibus terræ quibuſcunque facientia includantur, donec de damno per dominum ſatisfiat, aut ſaltem cautio apud vicecomitem per dominum interponatur de ſtando juri. *Hinc eſt quod in Regiſtro* (*Forenſium noſtratium libro ſic dicto*) Breve *habemus* de Parco fracto, *quod domino feudi competit in aliquem* clauſum *ſuum vi rumpentem, & beſtias ibidem, ob damnum alicui in terrâ ſuâ datum, incluſas, inde abducentem vel abigentem.*

Pardona.] 1411.26. *Condonatio, vulg.* **a Pardon.** *Ita* Pardonare. 851.6. *pro condonare. A Gall.* Pardon, *&* Pardonner.

Parentes.] 767.55, 58. 846.22. *Vocem habes ſæpiſſimè in LL. Hen.* 1. *Quòd autem ſtrictè aut propriè, ut apud veteres Romanos, accipienda ſit, haud ſentio: verùm planè* (*ut verbis utar viri undequaq; doctiſſ. Iſaaci ſc. Caſauboni*[a]) *quomodo in idiotiſmo Gallico, Hiſpanico etiam & Italico, pro quibuſcunque ſanguine vel affinitate junctis, uſurpatur: poteſt addi, & in Feudor. libris, de quo vide Hotoman. de verb. feudal. & Lindenbrog. in voce.*

Parliamentum.] 866.50. 913.59. 937.28. 1939.1. *Curia apud nos ſuprema: magnum trium ordinum regni concilium, vel conventus, ut cum rege de rebus arduis conſulient.* Colloquium *quandoque dictum, & propriè; nam à Gallico* parler *venit, quod loqui ſignificat. Vox huc à Normannis advecta, nec antea Anglis nota, quibus concilium illud interdum* mẏcel ꞅẏnoꝺ. *i. ſynodus magna, interdum* ƿıꞇꞇena ꝣemoꞇe. *i. ſapientum conventus, & ſimiliter nuncupatum.*

Parochia.] 500.63. 542.45. *pro* parœcia, *quæ hîc & alibi creberrimè, ut Ludovico de la Cerda & Voſſio jam notatum, ſumitur pro diœceſi totâ. Sic expreſsè infra,* 756.32.

Parorum.] 798.30. *Malè pro* Warorum. *Beda* Meanuarorum, *Saxon.* meanƿaꞃa maꝣðe: in cujus (*inquit*) ſignum adoptionis, duas illi provincias donavit; *Vectam* videlicet inſulam, & *Meanuarorum* provinciam in gente Occidentalium Saxonum. *De provincialibus ſic dictis vide Cl. Cambden. in agro Hantonienſi.*

Parrio.] 151.2. Rex paganus Heſten cum lxxx. *parrionibus, &c. Wigorn. & Hoveden.* cum 80. paronibus: *Florilegus autem,* cum navibus 80. *Intellige* Myoparones.

Parviſium.] *Vide* Triforium.

Paſnagium.] 765.56.61. *Ita corrigendum quod in Chart. Duc. Norman. à Cl. Voſſio in voce* Paſſagium *exhibit. ſcribitur* Paſuagium. Pannagium *intellige; quod porcorum glandibus paſtionem ſignificat. Vulg.* **Pawnage**, *al.* **Paſt**, *à Saxon.*

---

[a] Comment. in Capitol. pag. 134.

mæꞅꞇꝺeñe, quercetum; *unde ſaginare, Belgis* **meſten**. *De voce plura apud Spelmann. in* Eſca, *&* *Watſium in* Pannagium.

Paſſagiarius.] 1947.22,23. *A Gallico* paſſager, *al.* paſſagier, *viator: hîc autem is qui aquam tranſit vel trajicit. Vulg.* a **Paſſanger**.

Paſſagium.] 912.51. 1069.64. *Iter, tranſitus, trajectio: ſed & tributum quod à viatoribus exigitur. Vulg.* **Paſſage**. *Vox Gallica. Vide Watſ. & Voſſ.*

Paterini.] 1442. 22. *aliter* Patereni, *quomodo apud Matt. Pariſium, ad ann. Dom.* 1236. *Hæreticorum genus, quarum præterea mentio in Concil. Lateran. ſub Alex. 3. ca. 27. Conſtitutione Friderici 2. de ſtatut. & conſuet. ca. 5. unde ſumpta eſt Authent.* Gazaros, *&c. C. de Hæret. & Manich. & C.* Excommunicamus 15. *Extra de Hæreticis.*

Pax manu (*Regis*) data.] 896.4. 918.36. *Vide* Handgrith.

Pecia.] 2101.50. *A Gall.* Piece, *nobis* **Peece**, *i. pars, parcella.*

Pecunia.] 900.52. *pro* pecude; *quomodo Saxon.* æhꞇa *Lambardo Latinè verſum: meliùs,* pecunia. *Licet enim vocem eatenus extendere non diffitear, utpote cum & pecudem, & cujuſcunque generis peculium, bona, & ſubſtantiam comprehendat: hoc tamen in loco (ni fallor) idem ſignat ac* ꝼeoh *in procœmio LL. Aluredi apud Lambard. fol.20.b.* ꝼoꞃðon ðe hiꞇ pæꞅ hiꞅ aᵹen ꝼeoh. *i.e.* quoniam *pecunia* ejus eſt. *De mancipio dictum. Saxonicum* aᵹan, *poſſidere, format* æhꞇ, *al.* ahꞇ, *in participio: unde* æhꞇa *pro poſſeſsionibus, vel bonis ab aliquo poſſeſsis.*

V.LL. Ethelredi par.2. ca.4.

Pecunia ſepulturæ.] 920. 38, 42. *Idem quod alibi* Morticinium, *ut in diplom. Frid. 1. Imp. monaſterio S. Emmerani Ratisbon. dato anno* 1153. *apud Hundium in Metrop. Salisburg. tom.2. pa.* 377. Stabilimus etiam ei, ut *morticinia* quæ vendicantur (*ſic enim lego, non ut ibi perperam,* vel dicuntur) de hominibus ſæpedicti monaſterii, ubicunque defuncti fuerint, monaſterio ſalva ſint & cuſtodita, nec in eis alicujus loci libertate injuriam patiatur. *Ubi vox emolumentum vel tributum aliquod ſignat, eidem (ni fallor) ſimile, quod apud noſtrates* Mortuarium; *Cambro-Britannos, à Latino obeo,* Obediw; *item à terra,* Daerawd, *&* Daered: *quædam ſcil. ex morientium bonis (ut dicunt) mobilibus obventio, proprio parocho debita, viz. ſecundum melius animal: ſic autem dictum eo quòd relinquitur eccleſiæ pro animâ defuncti, & quia cum mortuo, tempore ſepulturæ, conſuevit ad eccleſiam deferri. Lindewod. in Provinciali, tit. de Conſuetud. cap. ſtatutum, verbo* Mortuarii. *Hoc Anglo-Saxon.* ꞅaplꞅceaꞇ, *quod, ut hîc, Latinè redditur* pecunia ſepulturæ: *nec incongruè: tametſi enim animæ ſymbolum (quaſi in animæ defuncti ſalutem & ſubſidium, ut credebatur, erogatum) vox ſignet, ſepulturæ tamen tempore, inſtar* Mortuarii, *pendebatur, ut ex LL. Canuti regis par.1. ca.13. & Lindewodo liquet: unde etiam* **Corſe-preſent** *dict. De quo vide Cowelli* Interpretem.

Pedagium.] 1456.36. *Idem quod alibi* Pedaticum: *tributum ſcil. quod domino loci perſolveretur, etiam ab iis qui per terram ejus pedibus iter conficerent.*

Pedaticum.] 249.44. *Vide* Pedagium.

Pedones.] 213.6. 220.25. *Pedites.*

Peiſa.] 2072.46. *& ult. A Gall.* pois. *i.e. pondus. Unde noſtratium* **peis** *nomen, eo ſenſu; item verbum* **to peiſe**, *h.e. ponderare.*

Pellicia.] 2011.39,45. *Idem quod* pelliceus, *&* pelliceum, *veſtis ſcil. è pellibus, unde fortè noſtratium* **Pilch**.

Pelliparius.] 910.45. *Coriarius, alutarius.*

Pentecomarchus.] 131. 63. *Scribe* Pentecontarchus.

Penypiſe.] 2068.15. *Pondus quo penſantur denarii. à* **peny**, *denarius, &* **piſe**. *quod à* **pois** *corrupt. pondus. V.* Peiſa.

Peraria.] 1087. *penult.* 1097. *pen.* 1201.43,47. 1203.29. *Vide* Pararium.

Perquirere.] *Sæpe hîc, ut apud Forenſes noſtros, pro* acquirere: *unde noſtratium* **purchaſe**, *&* **to purchaſe**: *atque hinc* Perquiſitio. 1316.9. 1503. 44,59. *& alibi, pro* acquiſitio: *item* Perquiſitum, *quod (inquit Cowellus noſtras)* ſignificat poſſeſſiones pecuniis noſtris coemptas. *Item* Perquiſita curiæ, *de quibus hîc* 1939.53. *quæ ſunt obventiones, ſive emolumenta, feudi ſive manerii domino, ratione curiæ ſuæ, accreſcentia, ultra certum & ordinarium fundi ſui cenſum vel reditum annuum. De quibus omnibus vide eund. Cowell. Interpr. in voce* Perquiſita.

Perſona.] 1191.33. 1431.6,9. *Eſt apud noſtrates rector alicujus eccleſiæ, quem vulgò* **Parſon** *vocamus, ſic dictus fortè, quaſi perſonam ſuſtineret eccleſiæ. V. Cowell. Interpr. in voce.*

Perſonatus.] 1057. 59. *Dignitas eccleſiaſtica. Item apud nos beneficium illud eccleſiaſticum quod aliàs rectoriam dicimus, vulgò,* **a Parſonage**. *Quandoque domus ſive habitaculum ad rectorem ejuſmodi pertinens, ut hîc,* 2097.4.

Perticata.] 1940.22. *pro* Pertica.

Pertinens.] 928.24,27. *Pro cognato, vel conſanguineo. De eo hîc dictum qui inceſtum commiſerit: Sax.* ꞅẏbleᵹeꞃ; *à* ꞅẏbbe, *cognatus, conſanguineus; &* leᵹeꞃ, *concubitus.*

Pertum.] 2736. 7. *Fortaſſe pro* verriculum, **a Bruſh**.

Petepagge.] 2152.31. *Corrigendum fortè* **Petibagge**, *de quo Forenſes noſtri conſulendi, & Cowellus, in voce* Clerke; *ubi, inter plures alios,* Clericum *memorat* parvæ bagæ, *vulgò,* **Clerke of the petit bagge**, *quem officialem vocat Cancellariæ; ejuſque & ſociorum, (tres enim, inquit, ſunt eodem nomine noti, quorum primarius Cuſtos Archivorum, ſive Commentarienſis, vulgò* Magiſter rotulorum *dictus) munus & officium deſcribit, quem omnino conſule. Dictio* ſacculum *ſignat.*

Petra lanæ.] 2571.35. *Lanæ pondus illud quod nobis vulgò,* **a ſtone of wall**. *Quantum autem hoc, explicatum habes poſtea,* 2576.38,59. Saccus lanæ continere debet in pondere xxvj. petras, petra verò xiiij. lj.

Petraria.] 623.12,13. 661.57. *& alibi. Vide* Perarium.

Petreſpeny.] 754.15. *Vide* Romeſcot.

Pietantia.] *alibi* Pitancia. 1897. 12,16. 1922. 4. *Vulg.* **Pittance**. *Gall.* Pitance. *Ferculum, (ita Watſius) præbenda, ſeu conſtituta portio quæ contingit cuique commenſali in cibo & potu. Sic ille. Malim ferculum vel obſonium lautius, non* *commune vel ſolitum, quod* Generale *dictum. De quo idem Watſius, ſuo loco. Vox à* pietate *ducta: unde aliàs dicitur* Miſericordia.

Pilarius.] 1291.12. *& alibi.* Columna. *Vulgò,* a **Pillar.** *Gall.* Pilier.

Piles.] 1940.43. *Ita Anglicè, pro Latin.* Pilæ. *V.* Barrera.

Pilorium.] 2021.52. *alibi* Colliſtrigium. *i. collumbar, ſive numella verſatiles, quibus alicui collum ſtringitur; vulgò,* a **Pillory**, *à Gallico* Pilorie.

Pipa.] 2585.19. *Cadus. Vulgò, Gallis & Anglis,* a **Pipe.**

Piſa.] 1777.4. 1931.33. *Pondus. A Gallico* Peſer, *unde vernaculum noſtrum* to peiſe, *pro ponderare, librare. V.* Peiſa.

Pitancia.] *Vide* Pietancia.

Placea.] 1940.20,58. 2036.42. *Ut Gallis* Place, *i. e. locus, ſpatium, area, atrium: & quomodo Anglis in* **Market-place**, *& ſimil. Ruri etiam quod quibuſdam* Curia, *aliis* Placea; *vulgò,* **the Place**; *prædii areâ intellectâ.*

Placitare.] 35.7. 56.26. 1025.20. *In foro litigare, judicio experiri, cauſas agere. Unde Gallicum* plaider, *Germ.* **pleiten**, *Angl.* **to plead.** *Ita* Placitator. 225.50. 1595.51. *pro litigatore, diſceptatore, cauſidico, vulgò,* a **Pleader**: *item pro eo, qui, tanquam fiſci procurator, placita forenſia aliis intentat. Sic etiam* Placitatio. 920.51. *pro actione placitantis. i. diſceptatione, cauſſa actione, litigatione, vulgò,* a **Plea**, *&* **Pleading**: *quomodo etiam* Placitum *acceptum,* 35.7. *alio tamen ſenſu alibi, ut* 170.60. 171.48. 465.50. *pro concilio ſcil. conventu, vel conſeſſu judicum ad jus dicendum. Quod igitur veteres conventum aut forum agere dicebant; id recentiores* placitum tenere *dixerunt. Vide Hotoman. Lindenbrog. Cowell. Voſſ. alioſque.*

Plagiare.] 827.54. *pro* Plagare. *i. percutere, vulnerare. Ita* Plagiari. 827.45,53. *paſſivè.*

Planeta.] 1227.18. *Veſtimentorum ſacerdotalium ultimum, & poſt ſtolam indutum. V.* Caſula. *& Ludovic. de la Cerda. Adverſar. ſacr. cap.* 56. 12.

Plata.] 2576.64. *& ult.* 2627.62. *Aurum & argentum omnino planum; nec ab aurifice in vaſa, neque à monetario in nummum adhuc converſum. Vulgò,* **Plate.**

Platellus.] 2010.64. Patina, *vulgò,* a **Platter**, *Gall.* Plat.

Platoma.] 113.31. *Lamina. Belg. & Angl.* **Plate.** *V. Voſſ.* Platoniæ.

Plegiatio.] 921.12. *Fidejuſſio, vadimonium. Ita* Plegius. 586.44. 764.11. *pro fidejuſſore vel vade; eo ſcil. qui pro alio ſpondet & obligatur, ſeque pro illo ſupponit reum. A Gall.* plege, *al.* pleige, *eo ſenſu.*

Plumale.] 1824. *ult.* 1825.2. *Fortè pro* Plumatile; *niſi* Plumacium *malis, quod diverſicolor veſtis, pannus, aut ſtragulum acu pictum ad plumarum modum. De quo vide Voſſ. An verò* Plumacium *fuerit veſtis ex veris plumis confecta, & mirificè variegata: de quo veterum artificio multa præclarè doctiſſ. Fullerus in laudatiſſimis Miſcellaneis,* De ſignificatione nominis *Plumacii* artiſque ipſius antiquitate: *Miſc. Sac. li.* 1. *ca.* 20.

Pœna mutorum.] *Vide* Mutorum pœna.

Pœnitentia.] 859.5. 920.11. *Pro* Pœnitentiarius, *ut* 1872.2,8,11. *parochus ſcil. vel alius ſacerdos, cui jure canonico incumbit plebis ſibi commiſſæ, aut alicujus ſingularis perſonæ, confeſſiones audire, & pro ratione delicti, juxta diſciplinam eccleſiaſticam, pœnas dare. Vulgò,* a **Confeſſor.**

Pollardus.] 2493.65. *Quoddam illicitum nummi genus, eo ævo ſic dictum.*

Portarius.] 910.64. *Janitor, oſtiarius. Vulgò nobis,* a **Porter.**,

Portator.] 1121.25,31. *Bajulus, lator, nuncius. Angl.* a **Porter.**

Portireve.] 835.58. 843.18. 898.15. *Urbis ſive Portus præpoſitus. Sic olim dictus eſt urbis Londinenſis præfectus, quem hodie* Majorem *vocant. Vox hybrida: à Latino* portus, *& Saxon.* ȝeꞃeꝼ. *i. præfectus, præpoſitus, præſes, de quo pluribus Spelmannus in voce* Grafio.

Poſſe.] 1032.45. *pro poteſtate, vel potentiâ; unde vulgare noſtrum* Poſſe comitatus, *pro potentiâ, poteſtate vel viribus loci.*

Poſſeſſionatus.] 2159.56. *Poſſeſſionem nactus, vel poſſeſſione donatus.*

Poſſibilitatis accuſari.] 825.41. *Vide ſupra,* Ex poſſibili.

Poſtillare.] 2435.26. *Textum explicare, vel interpretari. A* Poſtilla. *i. commentarius, ſcholia, vel annotationes. Nomen (inquit Voſſius) ex eo, quia qui ſua diſcipulis dictarent, identidem in ore haberent,* poſt-illa: *puta, ad hæc, vel iſta auctoris verba adſcribite.*

Potatio.] 762.17. *Vide* Ealahus.

Potellum.] 2038.20,21,22. *Diminut. à* Pot, *quod poculum, q. parvum poculum: lagunculâ. Vulgò,* **Pottle.**

Powchius.] 2597.55. *Bulga, pera: vulg.* a **Powch**, *Gallis* Poche, *unde noſtratium* **Poke**, *eo ſenſu.*

Præbenda.] 235.57. 240.46. 277.19. 307.12. 989.26. Præbendam *enim juniores dixere pro* Præbenda, *numero plurativo. Portionem intellige monacho ſive canonico, unde ſe ſuſtentet, aſſignatam. Vulg.* a **Prebend.** *Inde*——

Præbendarius.] 989.27,30. 1222.42. *qui talem* præbendam *accipit,* a **Prebendary.**

Præjuramentum.] 844.36. 924.59. Præjurare. 924.64. *Vide* Antejuramentum.

Præſentia.] 1 78.20. *Honoraria, dona hoſpitalia, xenia, vulgò* exenia, *c. præmiſſo, more Galleco. Anglicè* **Preſents**, *quomodo etiam Gallicè. A præſento, quòd hoſpiti præſententur vel offerantur.*

Presbyterium.] 555.48. *Eccleſia vel templi chorus ſive cancelli; ſic dicti, quòd olim ibi nulli niſi presbyteri ſederent.*

Priſa.] 1410.59. 1411.3. Exactio; *quicquid exactum, vel captum: quandoque vectigal ex conſuetudine Regi debitum: quomodo hìc,* 2510.59. *à Gall.* pris, *captum, prenſum, vi occupatum: quemadmodum etiam*——

Priſo.] 1096.31. *Captivus. Unde noſtratium* **Priſoner**, *pro eo qui captivatur, & in carcerem, qui nobis & Gallis* **Priſon** *dictus, conjicitur. Infra autem, viz.* 2499. 2. Priſo *occurrit pro*——

Priſona.] 1089.12. 1155.53. *Item* 1917.3. *ubi* anathemarum & priſonum, *pro* attachiamentum & priſonam. *Vide* Priſo.

Priſonarius.] 2596.58 64. *Idem ac* Priſo, *quod vide. A Gallico* Priſonnier. *Lapſus interim doctiſſ. Voſſius, qui* Priſonerium *eum qui alterum in carcerem compingi curaret, interpretatus eſt.*

Privilegiare.] 2002. *penult. Immunem reddere; privilegio donare.*

Probare.] 925.14,15,17. *Sic author noſter Latinè exhibet Saxon.* aȝnian; *rectiùs verò Lambardus:* uti ſuum ipſius proprium vendicare. *Sic enim vox ſonat.* Probare *igitur hîc, ut & 836.12. pro* propriare. *i. proprium facere vel reddere, ſibi uni vendicare, adſciſcere. Ita* propriatio *pro adſciſcendi actu.*

Proceſſio.] 2089. *penult. quandoque additur* pentecoſtalis. *A procedendo. Eunt namque tum Clerici cum plebe per vicos & plateas, canentes, & Deum pro frugum ſuarum ubertate ſupplicantes. Ambarvalia vocant. Sax.* ȝanȝ-ꝺaȝaꞅ: *vulgò à rogando, ut dixi,* **Rogation-weeke**: *à procedendo,* **Proceſsion-weeke.**

Proclamare.] 202.14. 483.1. 484.50. *Idem quod* Clamare, *ſupra. i. vendicare. V.* Calumpnia *& Hotoman. in voce* Proclamator. *Hinc autem* poſſeſſiones proclamatæ, 203.9. *pro* poſſeſſiones vendicatæ.

Procurationes.] 327.35. *Pecunia, quæ à ſacerdote quotannis Epiſcopo, vel Archidiacono eccleſiam viſitanti ſolvitur: unde titulus ille Juris Canonici,* de cenſibus & procurationibus.

Proditionaliter.] 936.4. 937.37. *Proditorum more.*

Proportionatio.] 2576.50. —— ſecundum ſuæ menſuram *proportionationis. Id eſt, pro ratâ parte.* proportionatio *nempe pro* proportio.

Propriare.] 836.12. Propriatio. 835.65. *Vide* Probare.

Providentia.] 2608.24,25. 2676.16. *& alibi. Paratum, apparatus: vitæ neceſſaria providentiâ comparata. Vulgò,* **Proviſion.**

Proviſio.] 1968.48,51. *Eſt Pontificis Romani diploma, quo præcipit beneficium eccleſiaſticum cuilibet conferri in diem mortis illius ſacerdotis aut alterius, qui ipſo fruitur. Aliàs,* Gratia expectativa *nuncupatur. De quo vide Duaren. de ſacr. eccl. miniſt. ac benef. li.5. ca.8. & Cowell. Interpr. in voce.*

Puer.] 887.29. *Vide* Miniſter.

Pullani.] 2088.53. *Fortè pro* Pullini. *Vulgò,* **Pullein.** *Gall.* Poulaille.

Pulones.] 2010.53. *Idem ac* Pullani, *quod vide.*

Pulſatio.] 1892.7. *& alibi ſæpe. Campanarum ſcil. in ſignum honoris atque reverentiæ erga aliquem per illum locum tranſeuntem vel illuc adventantem.*

Purpreſtura.] 1936.16,19. 2023.1. *A Gallico* pourpris, *i. invaſum, vi occupatum, injuſtè obtentum. Cætera Watſius, in voce.*

Putacius.] 1073.31. *A Gallico* putois. *i. ictis, martes.*

Putativus.] 909.63. *Sic Gallicum* putatif *Latinè fecerunt, id eſt, exiſtimatum, nobis* **reputed.**

Putura.] 1915.56. *Idem (ni fallor) quod Gallis* Poutre, *al.* Poultre, *Trabs ſcil. vel tignum.*

Q

QUarentena.] 897.45. *Stadium. Sax.* ꝼuꞃlanȝ: (*unde noſtratium* **furlong**.) *Textus enim Roffenſis locum hunc ſic exhibet Saxonicè:* Ðuꞅ ꝼeoꞃ ꞅceal beon þæꞅ cẏnȝeꞅ ȝꞃið, ꝼꞃam hiꞅ buꞃhȝeaꞇe þaꞃ he iꞅ ꞅiꞇꞇenꝺe, on ꝼeoꞃeꞃ healꝼe hiꞅ. Ðæꞇ iꞅ iii. mila. ⁊ iii. ꝼuꞃlanȝ. ⁊ iii. æceꞃa bꞃæꝺe. ⁊ ix. ꝼoꞇa. ⁊ ix. ꞅꞇæꝼꞇamunꝺa. ⁊ ix. beꞃecoꞃna. *Legem recenſuit Hen. 1. in LL. ſuar. ca.16. ubi hæc:* ⁊ ix. ꞅꞇæꝼꞇamunꝺa, *à Bromptono prætermiſſa, ſic per eum Latinè facta:* & novem palmæ: *V. Spelm. in* Furlongus.

Quarterium.] 2078. *ult. Idem quod* ſumma; *ſic enim infra:* 2094.10,11. unam ſummam ſive *quarterium* frumenti, & iij. *quarteria* ſive ſummas ordei, *&c.* Summa *verò quid ſit, vide infra, in* Sagmarius. *Hinc autem vernaculum noſtrum,* **a quarter**, *pro eâ granorum quantitate quam aliàs dicimus* **a Seame**, *& ex octo modiis conſtat.*

Quartilatus.] 2594.56. *De vexillis dicitur, inſignibus Angliæ & Franciæ, in eodem ſcuto in quatuor partes diſtributo ſimul depictis, more fecialium inſigniti. Vulgò,* **quartered.**

Quaſſatus.] 2635.7. 2701.60. *pro* Caſſatus: *à* caſſare. *i. caſſum reddere. vulgò,* **quaſhed.**

Quieta clamantia.] 656.65. 657.2. *al.* quieta clamatio. 657.15. *Juris ſui tituli que in rem aliquam facta renuntiatio; ejuſque in alterum, ab eo quietè & ſecurè poſſidenda, tranſlatio. Ita* quietum clamare. 613.48. 645.15. 657.11. *id eſt, juri & titulo ſuo renunciare, omni rei vendicatione in ævum abdicatâ.* **quite claime** *vulgò dicimus. Huic affine* ——

Quietatio.] 688 49. *i.e. abſolutio, relaxatio: à verbo* quietare, *quod quietum & ſecurum reddere ſonat. Unde noſtr.* **to quite**, *&* **acquitance.**

Quintallus.] 1219.39 40. *al.* quintale. *i. centum pondo. Unde & hic:* & pondus *quintalli* eſt pondus centum librarum auri. *Hoc Gallis* quintal. *Cotgrav.*

Quoreſpondens.] 2011.11. *& alibi. Mendosè pro* Correſpondens.

Quotare.] 2430. *penult. Notare, ſignare. A Gallico* quoter.

R

RAchymburgii.] 931.5. *Judices erant vel miniſtri, qui Grafioni ſive Comiti ad judicandum, & rem judicatam, ſive ſententiam, exequendam, adſiderent. Lex Sal. tit.52. §.3.* Tunc grafio congreget ſecum ſeptem *rachimburgios. Similiter paulo pòſt:* Statim *rachimburgii* pretium adpretiatum, quantum debitum, quod debet, valuerit, de fortunâ illius tollant. *Alio nomine* Sagibarones *dicti; quam vocem Cl. Selden.*[a] Miniſter mulctarum, *ſive* Judex cauſarum, vel mulctarum *vertit:* Sagibaronem *ei ſimilem exiſtimans, qui in L. Burgund. tit.76. vocatur* Witiſcalcus. *i.e. (inquit)* Miniſter ſive præfectus ad irrogandas mulctas. *Huc facit, quod qui hoc in loco* Rachimburgii, *Saxonicè dicuntur* ȝẏꞇ-ꞃepaꞅ. *i. avari, quales plerunque miniſtri ejuſmodi, ad infamiam uſque: nominis ſui rationis immemores interim, quod (ni fallor) à* **recht**, *Sax.*

ꞃihꞇ,.

[a] *Tit. Honor. edit. 1. pag. 261. 262.*

ꞃıhꞇ, *h.e. jus, æquum, rectum*, & **berghen**, *Sax.* beoꞃᵹan, *ſervare, tueri, cuſtodire, compoſitum reor; quaſi recti, vel juris æqui conſervatores. Hinc fortè malit quis recentioris ævi Miniſtros,* Vicecomites *dictos, intelligendos, quorum quidem, in partem muneris, eſt rem judicatam ſive ſententiam latam, ut executioni demandetur, curare, & in eam rem judiciis intereſſe; pacem etiam publicam conſervare; unde* Defenſivæ locorum *nomen eis olim attributum, ut ſupra.*

Ratis.] 2694.21. Jam, inquit, mihi non deeſt niſi *ratis*, equus & funis, ut dignam mortem ſuſtineam, *&c. Ubi, ni fallor,* ratis *pro* crates: *vulgò*, a **hurdle**. *Læſæ ſiquidem Majeſtatis condemnatus apud Anglos, cratibus vimineis ſtramine coopertis impoſitus, à carcere ad crucem ſupinus equo trahitur.*

Raton.] 2636.10. *Sorex minor, vel mus. Vox Gallica.*

Rechaciatus.] 2499.33. *Repulſus, retroactus: à Gallico* rechaſſer. *i.e. repellere.*

Reclamare.] 237.*ult.*1006.17. *Iterum ſibi vendicare. Ita* Reclameum *alibi, pro actu reclamandi.*

Recluſorium.] 2736.51,52. *Anachoritæ cella.*

Recognitio.] 658.6,9. *Eo ævo pro judiciariâ cognitione, ſive examine forenſi; Vulgò,* **Cogniſance**.

Recordatio.] 1839.6. Recordum. 1793.43. *Actum ſive munimentum Curiæ adeo authenticum, ut probationem contrarii non admittat. Hoc autem talis Curiæ (ſive Tribunalis) actum aut munimentum eſſe debet, quam curiam de* Recordo *nominant Forenſes: cujuſmodi ſunt illa tribunalia apud Weſtmonaſterium, & alia quædam à Cowello noſtro in* Interprete *memorata. Videatur etiam equitis Coci Inſtitut. par.1. fo. 117. & 168. Iis adde quæ ſupra de* Huſteng *dicta ſunt. Hinc autem* recordari, *pro, in acta referri.*

Rectatus.] 1386.56. *& alibi. Vide* Retectus.

Rectitudo.] 218.23,25. *pro* Juſtitia: (*Juſtitiam autem facere quid ſit, vide Hotoman. de verb. feudalib.*) 830.32,41. (*ut alibi* Rectum, & Rectitudines) *pro* Jus, & Jura, *eâ ſc. quandoque conſuetudine debitâ, Sax.* ꞃıhꞇ, & ᵹeꞃıhꞇaꞅ: *quo ſenſu nobis* **Right**, & **Rights**. Rectum *etiam apud Juris noſtri peritos cauſam proprietatis ſignificat; quibus etiam* Breve, *quod vocant,* de recto, *eſt vocatio alicujus in jus ſuper cauſa proprietatis. De quo Cowellum conſule.*

Redditus aſſiſus.] 1939.36. *Dicitur certus ille & immobilis cenſus qui domino ſolvitur ex prædiis liberis, unde &* liber *appellatur: eſtque mobili & nativo contrarius. Vulgò,* **Rent of aſſiſe**.

Refectorarius.] 2294.60. *Refectorii cuſtos vel curator. In cœnobiis monachus ille cui refectionis onus incumbit.*

Refeoffare.] 2469.33. *Iterum* feoffare: *in feudum ſcil. denuo concedere vel elocare.*

Referendarius.] 1991.34,45. *Medio ævo (inquit Voſſius)* Referendarii *dicebantur, qui nunc magiſtri libellorum ſupplicum: nempe qui Regi libellos ſupplices, & diplomata offerrent, ut ſubſcriberet. Huic (ni fallor) reſpondet noſtratium* **Maſter of the Requeſts**, *id eſt, à libellis, vel libellorum ſupplicum magiſter, de quo vide Cowell.*

Refutantia.] 2193.21. *infra, lin.57.* Refutatio. *Inſtrumentum vel munimentum, quo, vel cujus ope, quid falſi arguitur, vel refutatur.*

Regalia.] 2694.51. 2695.7. 2744.48. 2748.36. *Subſtantivè nempe pro* regale, *vel* regalia. *h.e. regii dominatus propria: vulgò,* regalitas.

Regardum foreſtæ.] 699.32. *Limites vel ambitus Foreſtæ, cujus cura quibuſdam miniſtris,* Regardatores *dictis, commiſſa; quorum erat foreſtam obambulare, & circumire, ut ex viſu & inſpectione propria, inquirant de tranſgreſſionibus, ſi quæ ſint, eaſque repertas Judicibus foreſtæ ſignificent. A Gall.* regard, *i.e. viſus, inſpectio, conſideratio.*

Regiſtrare.] 1867.41. *eſt in acta vel libellum referre. Ita* Regiſtrum. 1835.17. 1867.31. *pro actorum ſive rerum geſtarum indiculo ſive catalogo. Vulgò,* a **Regiſter**, *al.* **Regiſtry**.

Relevare terram.] 311.2. —— non redimat terram ſuam, ſicut faciebat tempore fratris mei, ſed legitima & juſta relevatione *relevabit* eam. *Quod hîc* Relevatio, *aliis* Relevium. *i. (definiente Hotomanno)* Honorarium quod novus vaſſallus Patrono introitus causâ largitur: quaſi morte alterius vaſſalli, vel alio quo caſu feudum ceciderit, quod jam à nova ſublevetur. Veteres (*inquit*) Introitum appellabant. *Vide Cowell. Inſtitut. li.2. tit.3. §§.17,19. Hic infra.*506.48. 930.5,9. *ponitur pro Sax.* heꞃeᵹeaꞇe. *Sunt autem qui* Relevium & Heriotum *diverſa cenſent. inter hos Bracton. de acquir. rer. dom. ca.36. Flet. li.3. ca.*18, *Britton. ca.*69. & *doctiſſ. eques in voce* Hereotum.

Relevium.] 1878.21. *Vide noviſſima.*

Religioſitas.] 498.50. *Pietas vel devotio erga Deum.*

Repauſare.] 396.24,48. *Pauſam facere, quieſcere. Unde noſt.* **Repoſe**.

Reſayſire.] 1788.22. *alibi,* Reſeiſire. *i. denuò poſſidere, recipere, recuperare. V.* Diſſaiſire.

Reſcuſſus.] 2066.16. *Eſt tumultuoſa & violenta repetitio vel ereptio alicujus capti, è manibus ejus qui licitè eundem cepit. Vulgò,* **Reſcue**. *Vox Gallica, de qua vide Cowell.*

Reſeancia.] 2034.3. *Idem quod Fleta* Reſeantiſa, *à Gallico* Reſſeantiſe, *pro* Reſidentia. *vulgò,* **Reſiance**.

Reſpectare.] 903.37. *prorogare, prolongare, ampliare, differre. Ita* reſpectuari, 2739.62. *paſſivè ſc. Sic etiam* Reſpectus. 1115.34. 1873.44. *quod alibi* Reſpectatio. *i. dilatio, prolongatio, inducia, ampliatio, vulgò Gall. & Angl.* **Reſpit**. *Saxonibus* ꝼẏꞃꞅꞇ. *unde* furſt *in LL. Hen.1. ca.46. ubi, ni fallor, inducias ſonat alicui conceſſas, vel deliberandi terminum, an ei ſit placitandum necne: id fortaſſe quod nunc dierum facultatem reo conceſſam* billam indictamenti traverſandi, *nuncupant Forenſes noſtri, veteres autem,* diſratiocinandi copiam. *De quo vide eaſdem LL. cap.5. 48,49. & Spelman, in verbo* diſrationare. *Eopſe autem ſenſu Teutonicis* **friſt, virſt, vorſt**.

Reſpiciatus.] 2558.46. —— unde *reſpiciatum* eſt & adjudicatum, *&c. Id eſt, unde (habito ad culpam reſpectu) decretum eſt, & adjudicatum. Nempe* reſpiciatum *à reſpicio. i. rationem habeo.*

Retectus.] 760.41. De homine de furto vel *retecto* culpato. *Mendosè pro,* De homine de furto *retecto* vel culpato. Retectus *autem hîc idem quod alibi* rectatus, arrectatus, irrectatus, irretitus. *i. ſuſpectus, accuſatus, culpatus. à priſco Norm.* rette:

unde Chanceri noſtri **aret, & arett**, *pro criminari, crimen inferre. Hinc etiam* retari. *Philippus Franciæ Rex in Charta Rhotomagenſi*: Volumus etiam, ut nullus eorum poſſit retari de uſura, nec jurea fiat ſuper eum, vel ſuper hæredes ejus. *Plura vide apud Cowellum in voce* Arretted.

Retenementum.] 1162.37. Retinementum. 699.4. *pro* retentio: *nempe quando quis ſibi quippiam retinet ac reſervat. Ut* ſine retinemento: *quod valet, nihil retinendo.*

Retentio.] 2478.6. *Sequela. Vide* Monagium. *Occurrit iterum, ſed mendoſè, poſtea,* 2621.1. Anno gratiæ 1359. rex fecit *retentionem*, ſimiliter & cæteri domini regni fecerunt qualem præ valitudine non audivimus factam, *&c. Ubi* retentionem *proculdubio pro* recenſionem: *vulg.* **a muſter**, *vel* **muſtering**, *quod Gallis* recenſement.

Retornatus.] 1949. *penult.* Certificatus. *Ita Forenſibus noſtris* returnum brevis, *eſt ejuſdem certificatorium, curiæ unde emanavit factum. Vox Gallica.*

Reverſatus.] 2546.65. — veſtierunt eum uno veſtimento cum armis ſuis *reverſatis, &c. id eſt, inverſis, vel præpoſterè exhibitis: vulgò,* **reverſed.** *Vox Fecialium: à verbo* reverſare, *quod denuo verſare vel circumagere ſignificat.*

Reverſio.] 2294.14. 2566.14,17. terrarum, *&c.* (*inquit Cowellus in dictionum obſcurarum indice Inſtitutis addito*:) ſi latè ſumatur, eſt proxima ſucceſſio poſt obitum ejus qui præſenter poſſidet. Sed ſi propriè, tum ſignificat reditionem aut circumductionem ad feoffatorem aut ejus hæredes propter delictum feoffati, aut hæredum defectum. *Vulgò,* **a reverſion.**

Reveſtitura.] 238.5. *Reſtitutio in poſſeſſionem.*

Rewardum.] 703.20. *Idem ac* Regardum, *quod vide.*

Ribaldus.] 1260.19. 2156.51. *Nebulo, nequam, vilis. à Gall.* Ribauld. *al.* Ribault, *unde* **Ribaldꝛy**, *item* **Bawdery**, *pro obſcœnis & meretriciis confabulationibus. V. Watſium.*

Riculus.] 1245.50. Multitudo vero *riculorum*, & aſinorum onerariorum ſub numero leviter non cadebant. *Ubi* riculorum *fortean pro* curriculorum.

Rimach.] 842.61. *Vide* Cyreath.

Ripator.] 666.25. *Meſſor: vulg.* **a Ripper**, *al.* **Reaper**, *Sax.* ꞃippeꞃe, *quibus meſſis* ꞃip, *metere* ꞃippan. *niſi quis malit raptorem intelligendum, qui Sax.* ꞃeaꝼeꞃe. *Vide Lindenbrog. Gloſſar. in,* Refſare meſſem.

Robaria.] 762.36,37. *Saxon.* ꞃeaꝼlac *raptum vel rapinam ſignat, quod German.* **Rooberie**, *Anglis cum Gallis* **Robery**, *unde effictum* Robaria, *al.* Roberia. *Hinc* ———

Robatus.] 899.30. 900.22. *pro* ſpoliatus, *Sax.* beꞃeaꝼoꝺ; *unde noſtratium hodie* **bereated.** *Item* —

Roborare.] 897.35. *rectiùs* robare, *al.* raubare, *pro ſpoliare, deprædari; Sax.* beꞃeaꝼian, *nobis* **to bereave**, *Germ.* **rauben**, *al.* **rooben**: *vulgò,* **to robbe.**

Roda.] 1949.38,40. *Idem quod* virgata. *Sic enim infra,* 2105.7. Roda ſive virgata *&c. Vulg.* **a Rod**, *al.* **a Rood.** *V.* Virgata.

Rome-peny.] 754.15. Rume-peny. 1235.43. Rome-ſcot. 912.41. Rome-ſcoth. 450.19. *Vulgò,* **Peter-pence.** *i. nummus ſive denarius domeſticutim Romæ pendendus, de quo ſupra, in* Eleemoſina Regis. *Conſulendus etiam doctiſſ. eques, Concil. pag.* 230. 311. 312. *ubi denarium iſtum puram putam eleemoſynam; non autem (quod Romanis ſuggeſtum) vectigal, ſive tributum, rectè dicendum docet.*

Roſarius.] 2493.65. *Surreptitiæ illius & illegitimæ monetæ ſpecies una, quæ cum cæteris ſui ſimilibus* (Pollardus *ſc.* & Crocardus) *ab Edo. rege ejus nominis primo damnatis, paulatim & latenter loco ſterlingorum irrepſerat: fortè roſa ſigno inſignita, & inde ſic dicta.*

Rotulus.] 1928.26,28,32. *Vide* Inrotulatus. Rotuli de memorandis. 1928.26. *Chartophylacii illius fiſcalis archiva, quod Forenſes noſtri* Rememoratoris officium *vocant: vulg.* **the Remembꝛancers office.** Rememoratorum *autem hujuſmodi triplex genus, de quibus omnibus Cowellus noſtras inprimis conſulendus.*

Rotunda tabula.] 2553.55. *Menſa à rotundâ figurâ ſic dicta. Superioribus autem ſæculis, cum virtutis bellicæ exercendæ gratiâ, militares decurſiones* (Torneamenta *vocant*) *frequenter haberentur; hujuſmodi menſis uſi erant, ne quod diſcrimen inter nobiles ex ambitione exiſteret: & veteri ſanè, ut videtur, inſtituto. Gallos enim antiquos circularibus menſis circumſediſſe, armigeroſque eorum ſcuta ferentes à tergo adſtitiſſe, memorat in libro Deipnoſoph 4. Athenæus. Ita Cambdenus in* **Hantſhire**, *quem ſequitur Watſius in* Menſa rotunda. *Fuſiùs autem de hoc illuſtriſſ. Seldenus, Notis in Draitoni Polyolb. pa.* 70.

Ruchæ.] 1268.27. Eodem quaſi tempore rex Ricardus per militiam ſuam ſtipendiariam, quas[a] *Ruchas* vocant, &c. *Guilielmus autem Neubrigenſis*[b] *ſic*: Rex per ſtipendiariam militiam, quam *Rutas* vocant, &c. *Idem etiam, li.* 2. *ca.* 27. Rex — ſtipendiarias Bribantiorum copias, quas *Rutas* vocant, accerſivit. *Intellige* Ruptarios, *al.* Rutarios, *quomodo* (*inquit Cambdenus noſter in* **Noꝛthumb.**) *vocavit ea ætas externos & prædatorios milites, ſtipendio ſcil. conductos. Belg.* **Ruyter**, *Gallis* Routier: *fortè à German.* **ruyten**, *al.* **reuten**, *prædari, populari, deſtruere, vaſtare. atque hinc (ni fallor) Boior.* Herireita, *de quo Spelm. & noſtrat.* **Route.**

Rume-peny.] *Vide* Rome-peny.

Rumfeih.] 830.37. *Corrige* Rome-feoh, *& vide* Rome-peny.

Ruſcubardum.] 2112 48. *Quoddam ruſci genus; fortè ſylveſtre.*

Ruſſetum.] 2663.41. *Ex Gallico* Rouſſet; *uti hoc è Latino* Ruſſus, *vel* Ruſſeus. *Vulgò,* **Ruſſet.**

Ruſticus.] 38.28. —— plures eccleſiæ *ruſticos* interfecerat. *&c. Simile habes poſtea,* 198.23. *Ruſticorum ejuſmodi meminit Mat. Pariſius in Vitis Abbat. S. Albani, pa.* 86. *lin.* 42,52. *Erant fortè quidam in prædiis eccleſiaſticis agriculturæ deputati, vel ad agros eccleſiæ colendos pretio conducti; coloni ſc. conductitii. niſi quis intelligi malit (quod, ni fallor, veriſimilius) colonos quædam eccleſiæ prædiola ruſtica, & ſervitiis ignobilibus ſive plebeiis obnoxia, occupantes; quos ætas illa, diſtinctionis ergô à militibus & aliis, qui feuda nobilia poſſidentes, ſervitia militaria præſtarent, ruſticos & agricultores nuncuparunt: juxta illud Gervaſ. Dorobern. hîc,* 1311.24. Sibi (*Archiepiſcopis*) etiam reſervaverunt Comites, Barones, & Milites, monachis verò aſſignaverunt *ruſticos* & agricultores. *Horum autem terra ſive fundus*, terra ruſticorum *eo ævo dicta. Charta Amfridi de Dene, in Archivis eccleſ. Cantuar. de quadam terrâ eidem eccleſiæ donatâ, ſic eam deſcribit*: jacet inter terram quæ fuit Lucæ de Rya, & terram hæreditatis *ruſticorum, &c. Terra autem hæc annuo cenſui, & ſervitiis, ut dixi, ignobilibus obnoxia: unde Saxonibus olim* ȝafollanꝺ *dicta*: butan ðæm ceorle þe on ȝafollanꝺe ꞅit. *i. præter ruſticum* qui terram occupat cenſualem. Gafolland *enim &* Folcland *iis, ut Thainis* Bocland, *eo ævo propria. Cætera, Choppinus, de Privileg. Ruſticor. præſertim in princip.*

---

[a] *l.* quam.

[b] *Rer. Anglicar. li.* 5. *cap.* 13.

Rypatius.] 1993.12. ——ipſe eſt de *Ripariis*, bene novimus eum. *Verba Papæ ſunt de Roberto Winchelſey, Cantuar. Archiepiſcopo, & eum de familiâ* de Ripariis *extractum, ut ego arbitror, demonſtrant.*

S.

SAbellina pellis.] 328.37. Sabelum. 1522.35. *Vide* Marterina pellis, *ſupra.*

Saca.] 22.39.957.32. *quandoque* Sacca; *quandoque* Saka; *quandoque* Sacna. *Libertatem ſignificat, ſive poteſtatem alicui delegatam à domino rege, cauſas & querelas tractandi, & judicandi; foriſfacturas etiam. i. mulctas exinde proventuras ſibi capiendi intra* Socam, *vel dominium ſuum. Bromptono noſtro,* Juriſdictio Curiæ. *Mala interim, me judice, & à ſenſu vocis valde aliena, ſaltem nimis anguſta, expoſitio ipſius, vulgò nunc recepta, quæ in LL. Edo. Confeſſoris extat, ca.22. Sacha* eſt, quod ſi quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negaverit, foriſfactura probationis vel negationis (ſi evenerit) ſua erit: *cum amerciamentorum. i. mulctarum commodum ſpecies tantùm ſit una talis privilegii. Multò rectiùs (ni fallor) Clemens Reinerus in Onomaſtico Apoſtolatui Benedictinor. in Angliâ præfixo*: Sacca vel Saccha (*inquit*) eſt regale privilegium quo quis gaudet in ſuo manerio circa placita, & correctiones delinquentium. *Vox enim eſt à Sax.* ꞅace, *German.* Sach. *i. cauſa*[a], *lis, diſſenſio, accuſatio. unde* ȝeꞅacen, accuſatores. *Hiſt. Bed. Anglo-Sax. pag.444. item* unbeꞅacen *in LL. Canuti ſecularib. ca.70. i.* ſine controverſiâ, *ut Lambardus*: ſine querelâ, *ut alii vocem Latinè reddunt.*

Sacramentales.] 91.9,15. *A ſacramento, id eſt, juramento, dicebantur ii, qui quamvis rei de quâ ambigebatur, teſtes non fuiſſent, tamen ex ejus cujus res agebatur, animi ſententiâ in eadem quæ ille verba jurabant: ipſius videlicet probitate & innocentiâ conſiſi. Hos hodie in Foro eccleſiaſtico* Compurgatores *vocant: alibi olim,* Conſacramentales, Conjuratores, Juratores. *Vide Hotoman. Lindenbrog. & (in voce* Lada*) doctiſſ. equitem.*

Sacriſtaria.] 1505. *ult. alibi* Sacriſtia. 1799.36,41,42. *Officium ſive munus* Sacriſtæ; *monachi ſc. ſive Canonici, qui* Sacrarii *cum prædiis eidem annexis curam haberet. Vulgò,* **the Sextary**: *uti fundus eidem uſui deputatus alicubi* **Sextary-land** *vocatus. Vide* Secretarius.

Sæpe Sithman.] 764.6. *Mendosè pro Saxon.* ꞅe ȝeꞅiþman. *i.* Sithcundus homo, *de quo infra, ſuo loco.*

Saga.] 1904.50. *Panni genus, quod quibuſdam* Levidenſe *dictum. Gallis* Sayete, *al.* Sayette, *Anglis* **Say.**

Saginarius.] 750.33. *Corrige* Sagmarius: *equum intellige, à* σάγμα, *quod eſt onus jumenti ſarcinarii, & quandoque* ſauma *ſcribitur. unde eſt quod Galli dicant* une ſomme, *h.e. onus, ſarcina, ac particulatim vini: item hinc eorum* ſommier, *ut & noſtratium* **ſummer** *in ædificiis, q. ſtructuræ ſuſtentaculum. Imò & Latino-barbari pro* ſauma *dixere* ſumma. *i. Huntindonienſe noſtro interprete,* onus equi. *Mat. Pariſius etiam ſæpius dicit* ſumma bladi, *vel* frumenti, *pro menſura* 8. *modiorum: unde noſtratium* **ſeame** *eo ſenſu. Cumque* ſumma *dicerent pro* ſauma *ſive* σάγμα: *nec* ſummarius, *ut infra, refugerunt, pro* ſaumarius, *vel* σαγμάριος. *i. equus clitellarius, ſarcinarius, Gallis* ſommier, *nobis* **a Sumpter.** *Imò &* Summagium *extulere pro* ſumma, *ſive* ſauma, *h.e. pro onere quod à grandiori equo commodè ferri poſſit. Eſt etiam ab eodem fonte* deſagmare, *pro exonerare, ſagma auferre mulo vel alteri animanti: Plura qui cupit adeat Voſſ. in voce, & in* ſauma, *&* ſameria: *item Beſold. de Natura popul. ca.18. & Cowell. in* Sumage.

Sagittamen.] 2678.3. *Sagittandi materia.*

Sagittarius.] 595.53. 628.62. *Navigii genus: à velocitate fortè ſic dictum. Idem fortè quod* Celox. *De quo vide* Spinachium.

Salina.] 1183.24. *Pro ſale. Vide Matt. Pariſ. Hiſt. pag.208.26. Hinc autem (ni fallor)* Saltcotes, 2116.16. *pro tuguriis ſali conficiendo deputatis.*

Salvagius.] 1411.35. *alibi* Salvaticus: *ferus, agreſtis, ſylvaticus. vulgò,* **Savadge**, *Gallis* Saulvagé. *Hiſp.* Salvàge.

Sanctuarium.] 896.25. *pro* Sancta, *ut infra,* 926.51. *& in LL. Hen.1. ca.11. de eo dicitur qui inter jurandum ſacra tenet vel tangit; ſive ſint Evangelia, ſive ſanctorum reliquiæ, quæ Sax.* Haliȝꝺome *dictæ, quam vocem Lambard. in LL. Canuti, par.1. ca.4.* ſanctimoniam *vertit: perperam pro* ſanctuarium, *ut author noſter hîc, ſanctorum reliquias intelligens, quæ confugientibus ad ea pro aſylo ſive ſanctuario, ut vulgò dicunt, & inde fortè ſic dicta. Vide Ludovic. de la Cerda, Adverſar. ſacr. cap.42.13.*

Sanguinis diminutio.] 415.30. Sanguine minutus. 996.59. *Vide* Minutus.

Sarciuncula.] 2516.23. *Mendosè pro* ſarcinula.

Saxones antiqui.] 796.55. *Vide* Antiqui Saxones.

Saxogonus.] 1073.17. *Sexangulatus.*

Sayſire.] 1038.23. *Vide* Diſſaiſire. *Hinc autem* Saiſitus. 835.13. *pro, miſſus in poſſeſſionem; vel, poſſeſſionem adeptus.*

Scaccarium.] 1101.34. 1567.20. *Fiſcus regius, vel ærarium regium: quod quidam à German.* **Schatz**, *theſaurus; alii à Sax.* ꞅcaꝺa *ſymbolum, impoſitio, taxatio; alii aliunde venire conjiciunt: potius ut ipſe autumo, à Teuton.* **Schaecken**, *rapere; unde Latino-barbaris* Scachum, *ſive* Schachum, *pro raptu. Fiſci enim eſt rapere: unde decantatum illud*: quod non capit Chriſtus, rapit Fiſcus: *niſi corruptum malis à Latino* Saccus. *quod, inter alia,* Fiſcum *notat: quâ quidem ſignificatione* Scaccarium *occurrit,* 1158.45. *item* 1245.59. *quomodo etiam apud Roger. Hoveden. & Matt. Pariſ. ordinem coronationis Ricardi regis primi deſcribentes.* Sacci

autem

[a] *Quo ſenſu voce utimur, cum dicimus,* **for Gods ſake**, *vel,* **for Gods cauſe**, *i. Dei intuitu.*

autem ſupellectilis genus ærario valde neceſſarium. Vocem cum Normannis, à quibus accepimus, ad tribunal illud extendimus, quo res fiſci tractantur, quod nobis vulgò, **the Exchequer.**

Scaldingi.] 69.43. 70.35,43. Dani : *fortè ſic dicti à flumine* Scald, *ubi eorum exercitus navalis uno manſit anno. vide* 130.11.

Scapton.] 1762.55. 21,24,27. *mendoſè pro* Sceptrum, *ut opinor :* σκηπτοῦχος, *Græcè*, Sceptuchus, *qui ſceptrum gerit.*

Scarlatum.] 1522.35. *Vide* Eſcarletum.

Sceatta.] 846.19. *Vox Saxonica : eſt autem (obſervante Lambardo)* ꞅceaꞇꞇa, *ingens argenti ſumma ; quippe quæ argenti quinque millia contineat. Sic ille. Si verum hoc, (nam in LL. Ethelberti regis Cantuarior. in Textu Roffen. ubi crebrè occurrit* ꞅceaꞇꞇa, *numus videtur* ſolido *multò minor : & ſunt qui per* ꞅceaꞇꞇa obolum *intelligunt :)* xxx. ꞅceaꞇꞇaꞅ, *de quibus hoc in loco, ex* 150000. *lib. conſtabant. quod quidem veriſimile : cum enim regis* weregildum *(regii ſc. capitis æſtimatio) apud Mercios, Thanorum ſex millium* weregilda *æquivaleret ; (Thani autem* weregildum *duodecies* 1200. *ſolidos, id eſt,* 25. *libras, quinque nimirum denariis in ſolidum computatis, continebat : ſecundùm hanc computationem, xxx. ſcata, & 6. millium Thanorum* weregilda *ſeſe mutuò exæquarent, ſummam* 150000. *librarum ſeorſim faciendo : viginti quinque libris toties multiplicatis eatenus extendentibus. de quo nos pluribus alibi.*

Sceithmannus.] 900.50. *à Sax.* ꞅceiþman, *al.* ꞅcæᵹþ man, *quandoque* ꞅcæðman, *i. e. Pirata ; à* ꞅcæða, *fur, latro. Vide* Scathan ſal, *in noſtris ad vetera verba German. Lipſiana notis doctiſſ. Mer. Caſauboni*, De lingua Anglicâ vetere, *commentationi additis.*

Scentum.] 2010. 58. De *ſcentis* de Braun xvij, precii lxv.s. *Fortè* ſcentis *hîc pro* ſcutis : *nam vulgò dicimus,* **a ſhield of brawne.**

Scheavwyng.] 957.24. *Author noſter ſic explicat :* i. mercimonii poſitio ſive demonſtratio. i. *deſpliaunce de marchaundie. Alibi occurrit* Eſcewinga *ſcriptum. Charta Hen. 2. civibus Cantuar.* Hoc etiam eis conceſſi quod omnes cives Cantuar. ſint quieti de Thelonio & Laſtagio per totam Angliam & per portus maris, & de *Eſcewinga. Alibi autem* Oſtenſio, *ut hîc,* 897. *extremâ. Forenſibus noſtris hodie* **Scavage,** *al.* **Shewage,** *quod vectigal eſſe dicunt ab urbium & oppidorum præpoſitis exactum ob merces publicè oſtenſas, & venditioni expoſitas. De quo vide Cowell. noſtrum in voce* Scavage. *Eſt autem à Saxon.* ꞅceaƿian, *oſtendere, monſtrare, viſum exponere.*

Schippeſhere.] 2140,31. 2141.2. *Ovium tonſura. à Sax.* ꞅceap, *nobis* **ſheep,** *ovis ; &* ꞅceaꞃan, *nobis* **to ſheare,** *tondere.*

Schira.] 979.35. Sciria. 261.32,39,50. Scyra. 487.54. *Horum primum hîc interpretatur,* comitatus ; *poſtremum,* provincia. *Ferunt Aluredum regem Angliam primùm in Satrapias ſive Comitatus diſtribuiſſe, quos (inquiunt)* ꞅcyꞃaꞅ, *à* ꞅcyꞃan, *quod partiri ſignificat, nominavit. De quo Lambard. in* Centuria, *Spelman. in* Comes, Hundredus, *& alibi. De* ꞅciꞃmen *tamen mentio aliquanto eſt antiquior, ſc. in LL. Ins, cap.* 8. *ut & de* ꞅciꞃe *etiam ca.*36,39.

Schirmannus.] 762. 28. *à Sax.* ꞅciꞃman, *al.* ꞅciꞃᵹeꞃeꞅ, *quod ſatrapiæ, pagi vel regionis præfectus ; Lambardo* Senator. *Componitur à* ꞅciꞃe, *ſatrapia, regio, pagus ; &* man, *hic, homo ;* ᵹeꞃeꞅ *illic, præfectus.*

Schoppa.] 1946.18. Scoppa. 677.1. *Officina, opificina, artificina : Anglis,* **a Shoppe,** *Gall.* Eſchope. *Et ut Officina q. Efficina ; ſic* **Shoppe** *fortè à Sax.* ꞅceapan, *formare, fabricare, vulgò,* **to ſhape,** *quaſi fabricandi locus, unde alias* **work-houſe** *dicitur.* i. ergaſterium : *Belgis* **werck-huys.**

Sciſellum.] 1302.51. *Scalprum, vel ſcalpellum : Gallis* Ciſelet, *nobis,* **a Chiſell.**

Sclauma.] 2322. 4. *Equitantis, peregrinantis, aut alterius cujuſcunque viatoris, pallium vel penula, longa & ſpiſſa, geſtantem à pluviis defendens. A Gallico* Eſclamme ; *uti hoc, ni fallor, à Latino, vel potius Græco,* Chlamys : E, *pro more Gallico præpoſito.*

Sclavus.] 1052.58. *Servus, mancipium, Anglis hodie,* **a ſlave,** *Gallis,* eſclave, *Hiſp.* eſclavo, *Germ.* **ſlaef, & ſlave.** *Cenſet Voſſius, apud Germanos id primitus nomen habuiſſe eos, quos è forti Slavorum gente captos in ſervitutem redegiſſent : inde latiùs extenſam ſignificationem ad cujuſvis gentis captivos, vel ſervos.*

Scoppa.] *Vide* Schoppa.

Scot.] 957.42. *i.* cimbolum (*l.* ſymbolum) ad opus ballivorum domini regis, & inde dicitur *Scotale. Sic author noſter. Majorem autem præ ſe fert ipſa vocis ratio ſignificationis amplitudinem.* Scotum *enim, vel* ſhotum *dicitur,* quando homines faciunt collectam inter ſe ad aliquod obtinendum, ſeu evitandum. *Ita Cocus noſter,* Inſtitut. *par.*4. *pag.* 306. *Privilegio igitur vel diplomate excuſari de* Schoto, *eſt quietum reddi de tali collecta. Ita author Terminor. jur. noſtri :* Scot (*inquit*) hoc eſt quietum eſſe, de quadam conſuetudine, ſicut de communi tallagio facto ad opus vicecomitum vel ballivorum ejus. *i. regis.* Scot *autem, & (quod alibi ſcriptum occurrit)* eſchot, *al.* eſcot, *idem : poſteriore, quod Gallicum, à priore quod Anglicum, orto. noſtro enim* **Scot,** *Galli (ut aliquibus aliis verbis quibus ab S. literâ initium)* E. [a] *præponentes, ſuúmque facientes, de eo fecerunt* **Eſcot,** *& ſimil.* Scot *autem hujuſmodi ex radice fortè Saxonum* ꞅceaꞇ, *portio, pars, uti Legum Saxonicarum ſecundæ editionis erudito adornatori notatum, in ſuâ ad Lectorem præfatione, quam vide.*

Scotagium.] *Vide* Scutagium.

Scotale.] 957.43. *A* Scot, *ut in noviſſimis authorem vides vocem derivantem : quam quidam* Scotallam, *alii verò* Scotallum *ſcribunt, & à Saxon.* ꞅcoꞇ, (*potius* ꞅceaꞇ) *ſymbolum ; &* ale, *cerviſia, compoſitam volunt. nec dubito quin rectè, cum generatim vox cerviſiam ſignet à quibuſdam, ſeipſos exhilarandi gratiâ, collatitiâ ſtipe comparatam : particulatim verò & preſſè, cerviſiam quam quidam fructuarii ſive convaſſalli, communibus expenſis comparant, dominum ſuum, vel ejus vicarium ſuſcipere obligati. unde illud in quodam vetere Conſuetudinario* [b] *manerii de South-malling in agro Suſſexiano :* Memorandum quod prædicti tenentes debent de conſuetudine inter eos facere *Scotalium* de xvj. denar. & ob. ita quod de ſingulis ſex denariis detur j. denar. & ob. ad potandum cum Bedello domini Archiepiſcopi ſuper prædictum feodum. *Vocis ſenſum habes, & verum & plenum. qui verò* tabernam cerviſiariam *ſignificare volunt, & ipſi decipiuntur, & alios decipiunt: talis enim domus* **Ale-houſe** *dicitur, nec alio fuit nomine Saxonibus nota. quod vide, in* Ealahus. *De Scotallo hujuſmodi, aut cenſu ſimili, uti à miniſtris regiis nimio rigore exacto, querentem vide Petrum Bleſenſem, Epiſt.* 95. *ubi hæc:* quod undredo & alimoto defuerit, (*locus doctiſſ. Buſæo obſcurus*) *corrige,* quod hundredo & halimoto defuerit: *quid autem utraque vox ſignificet vide ſupra in* Hundred, & Halimot.

---

[a] *V. Merulæ Coſmog. pa.* 2. *li.* 2 *ca.* 1. *Beſold. de Nat. Pop. c.* 18. *& Voſſ. verb.* Sunnis. *Cambro-Britanni* y. *præponunt. V. Dictionar. eorum in voce* Sywidw.

[b] *In Archiv. Archiep. Cantuar.*

Scotorum patria.] 626. 56. Hæc autem propriè patria Scotorum eſt. *De Hiberniâ dictum, quæ, ut infra* 1072. 13. dicta eſt etiam aliquando Scotia, à Scotis eam inhabitantibus, priuſquam ad aliam Scotiam Britannicam devenerunt, &c. *Similiter venerabilis Beda, hiſtor. li.* 1. *ca.* 1. *de Hibernia verba faciens:* Hæc autem (*inquit*) propriè patria Scotorum eſt, *quem vide lib.* 2. *ca.* 4. *item li.* 3. *ca.* 19. *& RR. Armachan. Eccleſ. Britann. Primord. pa.* 579. 587. 593. *alibique.*

Scottum.] 215. 5. *Vide* Scot.

Scutagium.] 1381. 3. 1905. 41. 1939. 54, 57. *al.* Scotagium. *Servitium à ſcuto dictum: unde aliàs à Gallico* eſcu. *i. ſcutum,* Eſcuagium. *Hoc autem dominis inferioribus æquè atque regi debetur, vaſſallum obligans dominum ſuum in bellum contra Scotos Galloſque ad certum numerum dierum propriis impenſis ſequi, ſaltem auxilium pecuniare, eo nomine, pro feudi ſui quantitate, conferre. Vulgò, dicimus* **Eſcuage**, *de quo pluribus Cowellus in Inſtitut. & authores ibidem ab eo citati.*

Scyra.] *Vide* Schira.

Scyremotum.] 172. 14. 924. 26. *Conventus comitatus: à Sax.* ꞅcıꞃe, *comitatus, &* ꝣemoꞇ, *conventus; de quo vide Spelm. in* Gemotum.

Seapſcip.] 900. 2. *Corrige* ceapꞅcıp. *i.* navis mercatoria.

Secretarium.] 3. *a.* 38. 298. 10. 302. 40, 50. 734. 19. *Sacrarium, ſanctuarium, adytum, cimeliarchium ſacrum: locus ſcil. in templo ubi res ſacræ reponuntur, quarum cuſtos* Sacrarius *dictus; item myſtagogus; quandoque, ut hîc,* 1367. 16. *alibique* Secretarius; *ſæpius autem & vulgariùs* Sacriſta, *Teuton.* **Sacriſtian**, *Gall.* Sacriſtain, *unde noſtratium* **Saxten**, *al.* **Sexton**: *munus ejus* Sacriſtia, *de quo ſupra: fuſiùs autem in Antiquitat. urb. Cantuar. pa.* 172. 201. *ut Watſium taceam, cui Secretarii munus in eccleſiâ quale fuerit quadantenus ignotum.*

Secta.] 2592. 23. 2597. 50. 51. *Veſtitus ſuo cujuſque ordini conveniens; unicuique, ſcil. pro ſectâ (i. profeſſionis) ſuæ qualitate congruus: ſive peculiaris cujuſque hominum ſecta veſtitus, ejuſdem omnino formæ & coloris, ſectam à ſectâ diſtinguendi gratiâ inſtitutus. Vulg. a* **Sute**. *Ita, pro vaſculis quibuſdam, paris & formæ, & quantitatis ſc. vocem ſæpius uſurpatam vide ſupra,* 2038. 20, 21, 22, 24, 26.

Secta Curiæ.] 957. 33. 1886. 30. *Servitus quam vaſſalli vel feudatarii domino ſuo debent, de Curia. i. tribunali ejus frequentando: à ſequor. unde in eundem ſenſum* ſequela: *vulgò,* **Suite of Court.** *Inde* Sectator, *pro eo qui tali curiæ intereſſe obligatur. A* **Suitor**.

Secundarius.] 142. 41. Venerabilis rex Elfredus, *ſecundarii* tamen tunc ordine fretus, uxorem de Mercia, &c. *In eandem ſententiam Florent. Wigorn. & ante horum utrunque Aſſerius qui vitam ipſius Elfredi deſcripſit:* Secundarius *autem hic, idem (ni fallor) qui ſecundum obtinuit locum in regno: quomodo Alfredus iſte, qui licet adhuc puer à Leone Papa in regem unctus eſſet, fratribus tamen ejus natu majoribus adhuc viventibus imperare noluit, ſecundo poſt fratrem pro tempore regnantem loco contentus. Audi enim quid de eo iidem Aſſer. & Wigorn. ad ann.* 871. *annotarunt:* Eodem anno Ælfred ſupra memoratus, qui uſque ad id temporis, viventibus fratribus ſuis *ſecundarius* fuerat; totius regni gubernacula, divino concedente nutu, cum ſumma omnium illius regni accolarum voluntate confeſtim, fratre defuncto, ſuſcepit.

Sedes.] 47. 53. *Perperam pro* Cædes.

Seiſire.] 893. 2. *Unde* Seiſitus. *Vide* Sayſire.

Selda.] *Vide* Stallage.

Sella.] 1855. 50. *Ephippium.* Sellatus. 930. 12, 15. *Ephippiatus. Vulgò,* **Saddle**, *&* **Sadled**; *à Sax.* ꞅaꝺl, *&* ꝣeꞅaꝺoloꝺe. ꝣe *hodie eliſo.*

Seneſcalatus.] 2347. 26. Seneſcaria. 2320. 63. Seneſcatus. 2346. 31. *Ut* Seneſcallia, *de quo proximè.*

Seneſcallia.] 1842. 25. *& alibi. Officium vel munus ejus qui* ———

Seneſcallus.] 473. 35. 505. 49. 659. *extrem.* 1045. 4. 1079 18. *al.* Seniſchalcus, *&* Siniſcalcus, *Gallis* Seneſchal, *Teuton.* **Sene-ſchalck**, *al.* **Sine-ſchalck**. *Oeconomus, architriclinus, magiſter domus, adminiſtrator rerum familiæ neceſſariarum. Dictio compoſita; cujus pars poſterior proculdubiò eſt* **ſcalc**, *h.e. ſervus: prior autem an à* ſenior, *q. famulorum omnium ſenior, id eſt, primarius,* (major enim domus *quandoque dicebatur* [a]) *vel* Seniori, *i. domino, in re domeſticâ curandâ, proximus: an à* **ſind**, *al.* **ghe-ſind**, *id eſt, familia, ut Kiliano viſum: an à neutro, non definiam. Crederem potius à Teuton.* **ſien**, *al.* **ſehen**, *Saxon.* ꞅeon, (*unde noſtratium* **to ſee**) *videre, inſpicere, & eod.* **ſcalc**; *quaſi ſervus fuerit, vel miniſter, cui familiæ, & reliquorum famulorum cura & inſpectio imprimis concreditur.* Speculator familiæ. *Firmant hoc Hincmari verba à Cl. Voſſio in voce allata:* quæ videlicet cura, quamquam ad Buticularium, vel ad Comitem ſtabuli, pertineret; maxima tamen cura ad Seneſchallum reſpiciebat; eò quòd omnia cætera, præter potus, vel victus caballorum, ad eundem *Seneſchallum* reſpicerent. *Ubi, pace doctiſſ. Voſſii,* præter *pro* præterquam: *potus enim ad* Buticularium, *victus autem caballorum ad* Comitem ſtabuli *reſpiciunt, & à* Seneſcalli *curâ, ni fallor, reſecantur.* Seneſcallus *itaque, ut dixi, Speculator fuerit familiæ; quo vel hodie munus ejus maximè conſiſtit, atque ex eo* **Steward** *nomen obtinuit, quod loci cuſtodem vel curatorem ſonat, ut qui loci cuſtodiæ invigilaret: conflatâ voce à Saxon. vel* ꞅꞇeꝺe, *vel* ꞅꞇop, *locus, &* ƿeaꞃꝺ, *curator, cuſtos, conſervator. Et in hoc quaſi concinnunt hæc vocis notatio ac illa à German.* **ſind**, *al.* **ghe-ſind**, *familia.*

Sequentia.] 471. 1. 883. 47. Proſam & Jubilationem *vocant Liturgici. Cantari ſolet ſolennibus diebus; ut feſto Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti. Gallis* ſequences. *Robertum Francorum regem* ſequentia *de quâ hîc dictum, compoſuiſſe, præter authorem noſtrum, tradunt & alii. De quo vide*

---

[a] Spelm. in Dapifer.

vide Durandi Ration. Divinor. cap. 22.

Sergancius.] 2697. 8. *Satelles, lictor. Anglis, Gallis, Belgis,* Sergeant. *Heic autem fortasse talis, quem* Servientem ad arma, *nostrates; Galli verò,* Sergeant d'armes, *vocitant.*

Serjancius.] 2607.46. *Idem ac* Serviens, *quod vide.*

Servicium.] 1113.53,58. Concedimus etiam in servicio. *Quid hoc significet vide supra, in* Demanium.

Serviens.] 658.41. 673. *extrem.* 1181.57. *&c. Vox his in locis, ut crebrò in similibus, armigerum, sive scutiferum, omnino denotat; quem Galli ab* escu. *i. scutum,* Escuier, *unde nostratium* **Esquire**, *nominant; & cui, ut nos hodie, majores nostri locum equiti proximum assignarunt. Servientem autem ideo nominarunt, quod stipendii causâ militaret; unde alias* Solidarius *dicitur. De quo vide Cl. Seldeni Tit. Honor. edit.* 1. *pa.* 335. *& Hotoman. in voce* Solidarii.

Serviens ad legem.] 2694.39. *Ex illo juris nostri professorum classe, sive gradu unus, quos vulgò vocant,* **Serjeants at Law**: *supremo scilicet; nec illo apud juris civilis professores,* Doctoratus *dicto, minus celebri aut solenni*[a]. *His autem, veluti doctissimis & juris peritissimis, peculiariter unum reservatur forum, quo soli, inferioribus exclusis,* placitare. *i. causas agere solent: illud sc.* Communium placitorum *vulgò dictum, ubi regni jus quod vocant commune accuratiùs observatur. Cætera, Cowellus in voce* Sergeant.

Servitium militare.] 536.5. *Servitus est feudalis, quæ munus aliquod ad militarem disciplinam pertinens, vel alias honorificum domino præstat: & est duplex. Una, quæ soli debetur regi: altera, quæ cuicunque feudi domino, licet & ipse alteri domino superiori sit feudatarius. Vulgò,* **Knight-service**. *De quo vide Cowell. nostrum, tum in* Institut. *tum in* Interprete.

Servitorium.] 763.36. *Mendosè, pro* Servicorium; *Saxonicè,* ƿealeſ hẏde ⁊

Serura] 2038.33. *pro* Sera, *vel* Serula.

Servus testamentalis.] 845.44. *Servus est, ni fallor, pacto conductus; vulgò,* **a Covenant-servant**.

Wita servus. 766.31. *idem ac* forisfactus servus. 841.10. *quod vide.*

Sexhindus.] 823.24. *Vide* Sixhinde.

Shavaldres.] 2535.10. —— insultavit eos dominus Gilbertus de Mydelton miles cum aliis elegantibus *shavaldres, &c. Ubi* shavaldres, *ni fallor, pro Gallico* Chevaliers. *i. equites; nobis vulgò,* **Cavaliers**: *iidem fortè qui Gallis aliàs* Sergens à cheval.

Siclades.] 1245. 53. *Corrigendum fortè* Cyclades. *Similiter,* 2740.52.

Sidercundus homo.] 765.34. *Vide* Sithcundus homo.

Sigillarius.] 516.55. 609. *penult.* Sigillarius regis. *Sigilli regii custos. Vide Seriem Cancellarior. apud doctiss. equitem, & argumentum ejusdem.*

Sigla.] 897.57. *A Saxon.* ſeᵹl, *Teuton.* **Seghel**. *al.* **Saeghel**, *Saxonib. modernis* **Segel**. *i. velum; vulgò,* **a Sails**, g. *in* y. *ut solet, transeunte.*

Signettum.] 2698.5. *Signum, sigillum, à signando dictum. Gallis & Anglis,* **a Signet**.

Signum pulsare.] 32.10. 414.6. Signorum pulsatio. 1366.2. Signa *hîc pro nolis sive campanis ecclesiæ; olim sic dictis,* quia eorum sonoritate (*inquit Walafrid. Strabo*) quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia. *Plura vide apud Lindenbrogium, in voce* Signa.

Silentiarius.] 556.60. *Qui est à secretis; vulgò,* Secretarius. *De quo vide Watsium, & Vossium.*

Silina.) 1183.60. ——& lx. milia *silinas* de frumento, & totidem de ordeo, *&c. Hovedenus autem*: & sexaginta millia *salines* de frumento, & totidem de hordeo, &c. *Quoddam mensuræ genus, sed quale mihi nondum compertum.*

Simenellus.] 937.10. *Panis similaceus, vulgò,* **Simnell-bread**. *Cui parùm abest nostratium panis ille,* Wastellus *olim dictus; vulgò,* **Wastell-bread**. *Utriusque meminit Hoveden. nostr. ad ann.* 1194. Cum autem (*inquit*) Rex Scotiæ ad curiam Regis Angliæ venerit, quamdiu ipse in curia regis moram fecerit, habebit quotidie de liberatione triginta solidos, & duodecim *wastellos* dominicos, & duodecim *simenellos* dominicos, & quatuor sextaria de dominico vino regis, *&c. Vide Statutum* panis & cervisiæ (*ut vocatur*) *editum ann.* 51. *Hen.* 3. *ubi* (*ni fallor*) wastellus, *idem est quod in simili patris ejus edicto apud Matt. Paris. hist. pag.* 208. albus panis *dicitur. Scribitur etiam quandoque* vastellus, *quomodo apud eund. Paris. in Vitis Abbat. S. Alban.* 141.39.——solus in refectorio prandebit supremus, habens vastellum. *i.e. panem optimum vel primarium, vulgò,* **Wastell** *nuncupatum. Lapsus interim & Watsius & Vossius, quorum prior,* umbraculum; *posterior autem* sedem fixam, solum non portatile, **vastellum** *hîc fuisse conjiciunt. De* Wastello *plura adhuc in Statuto,* Judicium collistrigii *inscripto, de ann.* 51. *Hen.* 3. *Vox autem unde veniat, non liquet. Fortè à Latino* Pastillus, *al.* Pastellus, (P. *in* V. *&* W. *ut sæpe, transeunte*) *de quo vide Martin. in* Pasta.

Similari.] 824.4. *pro* simul ire, *aut simile: Saxonicè est* ᵹeſomnian, *quod congregare, convenire, &c. sonat.*

Sinistrare.] 671.42. *Vide* Dextrare.

Sinositas.] 875.42. *Fortè* Sinuositas: *nisi malit quis* famositas.

Sira.] 1435.45. *pro* Scira. *Vide* Schira.

Sirath.] 898. *penult. pro* Cyrath, *quod vide.*

Sisara.] 2088. 56. *pro* Sicera. *Vide* Cisera.

Sistarchia.] 2666.42. *Sacculus vel cistella, quâ panis cibusve defertur: doctiss. Vossio* Sistarcia, *quem omnino consule.*

Sithcundus homo.] 765.35,65. 766.4,28. *Idem proculdubio qui Saxonibus* ſiþcund-man, *&* ᵹeſiþcund-man, *al.* ſiðcunda, *&* ſiðcunda cẏnneſ, *i. e. genere idem ac is qui eis* ᵹeſiþ *dictus:* cund *enim hîc, ut in* ᵹodcund, ƿeoruldcund, *& similibus, idem valet ac nobis hodie* **kind**. *i. genus. Quis autem aut qualis erat Saxon.* ᵹeſiþ, *quadantenus est incertum. Quòd è classe nobilium esset, vel hinc planè constet, quòd in LL. Anglo-Saxon.* Ceorlo. *i. rustico, vel plebeio sæpius opponatur, quomodo in LL. In. cap.* 52, 55. *Ex illâ etiam regis Æthelstani* de Weris (*i. singulorum capitum æstimatione*) *lege, Ceorlum Sithcundo gradu inferiorem esse satis liquet, ubi quidem* Thano *comparatur: eorum enim utrinsque eadem est ibidem capitis æstimatio, viz.* 2000. thrimsæ. *Vocem Lambardus* Custodem paganum *vertit; nomen à* ſiþian, *quod est proficisci, vel iter facere, exor-*

[a] Fortescut. de laudib. LL. Angl. ca. 50.

tum exiſtimans. Paulò verò poſtea armiſerum *eſſe, &* ducem paganum *autumat. Talium enim (ita pergit) muneris erat, atque officii, in profectione militari ſe præbere quàm paratiſſimos. Saxonicus Beda interpres vocem* Comes, *ubique reddit* ʒeꞃıþ, *al.* ʒeꞃıþ-mon. *Sanè Comitem ſive Præpoſitum pagenſem fuiſſe conjicio : puta* centurionem, *vulgò* centenarium, *al.* centgravium, *nobis* hundredarium, *centuriæ ſc. vel hundredi dominum, aut ſimilem ; qui & ſuo foro & juriſdictione adornatus eſt, cui nomen* ꞅıþeꞃ-ꞅoca, *al.* ꞅıðeꞃ-ꞅocna, *inditum ; quam vocem quidam non intelligentes* ſipe-ſoca, *al.* ſipeſ-ſocna *quandoque ſcribunt. Sic in LL. Hen.*1. *(viri quidem ornatiſſ. D. Rogeri Twyſdeni, eq. aur. & Baronetti, curâ nuper editis) cap.6. Sic etiam (ut ab amico meo digniſſ. Guil. Dugdalio, in Warwicenſis agri deſcriptionem, fœlici utinam ſucceſſu, modo incumbenti, jam pridem didici) in membranis quibuſdam* (**Pipe-rolles**, *vulgò) de tempore Hen.2. ubi (inquit)* Sipeſoca *dictum, quod* Hundredus, *hodie.*

Sithercundus.] 765.65. 846.13. Sithercundus homo. 766.28. *Vide* Sithcundus.

Sixhinde.] 763. 43. *Vide* Hyndenus homo. *Hic autem aliàs dictus* **Radcniht**, *de quo vide Cl. Selden. Tit. Honor.* 1. *ed. pa.*334. *& Spelm. in voce* Caſati. *Nos etiam infra, in voce* Waliſcus.

Soca.] 1424.48. Socha, 1084.50. Socna. 22.39. 957.31,32. *Vocabula ſono & nomine varia, ſenſu tamen & re ſecus : quorum quodvis ſimpliciter & generatim acceptum, libertatem, privilegium* (franchiſiam *vocamus, à Gallico* franchiſe) *alicui à rege indultum ſignificat. Ita* ſoca placitorum *poteſtatem ſonat ſive juriſdictionem, & jus tenendi curiam (ut loquuntur Forenſes noſtri) in aliquo dominio : quâ, ex privilegio regis, gaudet cujuſlibet feudi vel manerii dominus in ſuâ (ut vocant) Baroniâ. Vocis igitur expoſitionem in LL. Edo. Confeſſ. ca.*23. (*Socha* eſt, quod ſi aliquis quærit aliquid in terra ſua, etiam furtum, ſua eſt juſtitia ſi inventum fuerit an non) *ut nimis anguſtam, ne dicam incongruam, rejiciendam puto. Multo rectiùs (meo quidem judicio) Fleta. li.*1. *ca.*47. *Soka (inquit)* ſignificat libertatem curiæ tenentium quam *Sokam* appellamus. *Cui convenit codex quidam MS. eccleſ. Cantuar. Soke.* aver fraunche court de ſes homes. *i. liberam habere Curiam de ſuis hominibus. Nonne autem hinc confundantur* Soca, *& conſors ejus,* Saca? *Minimè : cum in hoc, ni fallor, ſignanter differant, quòd territorium, præcinctum, in quo* ſaca, *& cætera privilegia exercentur,* ſoca *præcipuè ſonat :* ſaca *autem, cum cæteris, ſc.* Tol, Team, Infangthefe, *&c. ipſa ſunt privilegia, ſive privilegiorum ſpecies intra territorium ejuſmodi exercendarum. A* ſoca *hac, ſenſu quo privilegium, immunitatem, libertatem, ſignificat, venit terrarum illa apud nos poſſeſſionis ſpecies,* ſockagium, *aliàs* ſocagium *dicta ; ſumpto hinc nomine, quòd terra eo modo poſſeſſa, (ſub certis ſc. & nominatis ſervitiis in pacto inter dominum & ejus vaſſallum convento contentis) à quibuſcunque aliis oneribus* [a] *immunis ſit & libera. Derivatio fortè hæc nova, & noſtratibus adhuc inaudita : qui à* ſoc, *quatenus vel aratrum, vel ſaltem vomerem ſignat, vocem derivare ſatagunt : quàm malè tamen, eorum veniâ, fuſiùs à me jam monitum in tractatu de* **Gavelkind**, *cap.*4.

Soldarius.] 898.33. 943.43. Solidarius. 213.6. 220.2. 476.1. *Miles alienigena mercede conductus, cujus ſtipendium* ſolidata *dictum ; ut hic infra.* 1180.33. *vulgò,* **a Souldier**. *Nomen ex eo, quia* ſolidus *ei pro menſtruo ſtipendio olim : unde aliàs* ſoldatus, *&* ſolidatus *quandoque dictus. Tamen alibi* ſervientem *dictum video, ut ſupra, in voce. Cæterùm* ſolduriorum *Gallicorum mentio & deſcriptio apud Cæſarem in Commentariis, qui quamvis alii ab his noſtris, non tamen tam diverſi, ſi rem penitiùs inſpicias, quin ab illis ad hos noſtros appellationem tranſiiſſe ſuſpicari quis poſſit.*

Solidata terræ.] 1805.10. 1806.15.23. Tres ſolidatas terræ, *&c. Terra ſc. tres ſolidos annuatim valens, vel pendens.*

Solinga. Solinum.] *Vide* Sulinga.

Somhwilne.] 763. 36. *pro Sax.* ꞅomhƿylcne. *i.* quidam, *vel* aliquis.

Sonare pecuniam.] 89.852. Et præcipimus ne quis pecuniam puram & rectè appendentem *ſonet*, monetetur in quocunque portu, &c. *Sic locus diſtinguendus. ubi* ſonare pecuniam, *pro pecuniam oblatam, ceu reprobam, reſpuere. à Sax.* ꞅcunian, *al.* aꞅcunian. *i. vitare, unde noſtr.* **to ſhunne**.

Sortem dantes.] 842.30. Decrevimus etiam de ſortilegis, & liblacis, & ſortem dantibus, *&c. Mendosè pro* mortem dantibus, *potiùs mortiferis : ſic enim Saxon.* moꞃþꝺæꝺum ; *à* moꞃð, *id eſt, mors, &* ꝺæꝺ, *factum.*

Sottus.] 148.36. *à Gallico* Sot. *i. ſtultus, ſtolidus, fatuus, bardus, inſulſus : nobis hodieque,* **a Sotte**.

Sotular.] 1922.6. *pro* Soccus. *Vide Voſſ.*

Spatth.] 1075.6, 58. *Securim Hibernicam ſic appellarunt Angli : fortè haſtæ ſimilem quæ nobis* **Speare** : *niſi* Sparth *hic (quod timidè addo) pro* Swarth. *i.* **Sword**, *gladius. Chaucero noſtro* **Sparth**, *pro haſta. Saxonib.* ꞅpꞃeoꞇ, *eodem ſenſu.*

Spera.] 1330.28. *pro* Sphæra.

Spinachium.] 2573. 19. —redierunt Normanni cum xij. galeis & viij. *ſpinachiis* cum manu bene armatâ, &c. *Navigii genus illud Gallis* Pinaſſe, *Anglis* **Pinnace** *dictum : diminut. (ut fertur) à* pinus; *quaſi parva excavata pinus. Poetis enim pinus pro nave : vel* **Pinnace**, *q. pennata, ob celeritatem : unde Latinè* celox *dictum.*

Spindula.] 1684.11. Spindulas iij. de auro, *&c. Pro* ſpinula, *ni fallor, vulgò,* **a Pinne** : *Gallis* eſpingle. *Ita* ſpindulatus. 1301. 49. *pro ſpinulis firmatus.*

Staca.] 856.10. Et ſint menſurati ix. pedes à *ſtaca* uſque ad marcam, *&c. quod paulò infra, lin.*29. *explicatiùs ſic :* Novem pedes menſurati diſtinguantur inter terminos. *ubi* ſtaca, *pro itineris incipiendi ;* marca *verò pro finiendi termino. Per* ſtacam *intellige palum vel fuſtem eo fine terræ defixum (unde noſtrat.* **Stake**, *à Sax.* ꞅꞇıcan, *figere :) ut citerior eſſet limes : per* marcam, *quoddam aliud ſignum, pro ulteriori limite. à Sax* meaꞃc, *nobis* **marke**, *ſignum, limes.*

Staffa.] 598. 61. 1130. 28. *alibi* ſtapha. *Subex pedaneus, pedeſtella, ſtapes, q. ſtatio pedum. ſcanſile : vulgò,* **a Stirrop**. *De quo Voſſius, de vitiis ſermo. ca.*8. *pa.* 33.

Stagnum.] 1461.57. *pro* ſtannum.

Stallage.] 957.49. *ubi vocem ſatis explicatam habes, his verbis :* eſt exactio pro ſtatione in plateis tempore nundinarum. **a Stalle**, *Gallis & Anglis pro ſede vel ſtatione. Cui affinis vox pridem antiquata*, Selda *ſcil. quam vix alibi legi quàm apud Mattheum Pariſium in Richardo primo, arbitratur Voſſius. Imò, apud Hundium in Metrop. Saliſburg. to. 2. pa. 358. in chartâ Ottonis Palatini Comitis Rheni, datâ anno* 1294. Villam dictam **Hall**, item villam **Pamatzain**, item **Suckhenried** quatuor *Seldas*, item villam **Pfolting** cum piſcaria & vineto ibidem, &c. *Iterum, & aliquantò clariùs in veteri quodam manerii, ut vocatur, de* **Charing**, *in agro Cantiano, Cuſtumario*[a], *circa ann. Dom.* 1182, *conſcripto*: Herebertus ciſor (*ſciſſorem intellige, quo nomine eo ævo ſutor veſtiarius apud noſtrates vulgò notus*) tenet *ſeldas* in foro pro xij. denariis. *Vox eſt omnino Saxonica, ortu tamen Latina, ſedile notans, vel ſcamnum, vulgò* bancum, *rerum venalium expoſitioni accommodatum: item illam in foro ſtationem, quæ vulgò nobis hodieque*, **a ſtanding**. *Quo quidem nomine olim inſignita ſtatio illa regalis apud Londinenſes, in vico ſive foro vulgariter nuncupato* **Cheapſide**, *eccleſiæ beatæ Mariæ de arcubus contigua, & ad aquilonem ſita, in tabernariorum vel propolarum officinas hodie converſa, quam ideo regalem appello, quòd à rege Edwardo ejus appellationis tertio, ſpectandi gratiâ, haſtiludiis præſertim viſendis, ut fertur, erecta, & ab eodem rege, & ſucceſſoribus ſuis, eorumque conſortibus, aliquandiu poſtea occupata, eóque* Coronæ ſilda, *vel* ſelda, *nominata, de quâ pluribus Stow in urbis illius deſcriptione, pa.* 270. 280. *&* 281. *edit.* 1633. *quem apud vox illa* ſilda *iterum occurrit, pag.* 271. *ubi, ut in cæteris locis*, ſildam, *&* ſeldam, *per* **Shed**, *interpretatur, velabrum ſcil. velarium, attegia. Vocabular. vetus Anglo-Latin.* **Bothe**, **chapmannys ſchoppe**, *& ſimpliciter*, **ſchoppe**: Opella, propola, miropolum, *Selda*.

---

[a] *V. LL. Edo. Confeſſ. apud Cl. Selden. Not. ad Eadmer. pa.*184. *c.*33.

Selda.

Stallarius.] 198. 5. *Idem Anglo-Saxonibus (ait eques doctiſſ.) ac exteris* Comes ſtabuli, *vulgò* Conſtabularius, *dictus. quem vide, in voce. à* ſtall *(inquit) quod Sax. pro ſtabulo, quo quidem ſenſu vox in eorum monumentis mihi nuſquam obvia, ſed* hoꞃſeꞃn; *ut pro equiſone*, hoꞃſðeᵹen, *&* hoꞃſƿealh.

Stallum.] 507. 21. *à Gall.* ſtalle, *quo & nos utimur, pro ſede.*

Standard.] 262. 19. 321. 59. 322. 26. 337. 16. Standart. 262. 4. *Vexillum ſtatarium, à ſtando: vulgò*, **Standard**, *Belgis* **Standaert**, *Gallis, pro more in ejuſmodi vocibus* E. *præponentibus*, Eſtandart.

Stapela.] 856. 24. *Sic enim Saxonicum, ut habetur in Textu Roffen.* leᵹᵹe hiꞇ man ſẏþþan uppan ðam ſꞇapelum. *i.* poſtea ſuper ſtipitem reponatur. ſꞇapelaſ *enim Saxonicè, ſtipites Latinè. Per* ſtapelam *autem hîc* ſtacam, *paulo & infra & ſupra memoratam, intelligo.*

Stapha.] 552. 60. 717. 1. *Idem quod* Staffa, *ſupra. Iterum occurrit*, 856. 24. *ſed mendosè pro ſtapela, de quo poſtremò.*

Stapula.] 2606. 7. 2626. 43. *Locus ſtabulandarum mercium: pannorum, lanarum, coriorum, plumbi, ſtanni, & ejuſmodi emporium, principis auctoritate & privilegio conſtitutum. Vulgò*, **a Staple**. *Vox deſcendit à Latino* Stabulum: *quòd nimirum merces importatæ eo loco ſtabulentur, & conquieſcant, quò venum proſtituantur. De quo vide Kiliani Etymologic. in* Stapel.

Staurum.] 2610. 5. *Vide* Inſtauramentum.

Steoreſman.] 900. 23. *Navis rector, vel (ut hîc) gubernator: vulg.* **Steereſman.** *à Saxon.* ſꞇeoꞃan, *regere, gubernare, &* man, *homo.*

Sterlingus.] 1167. *ult.* 1169. 38. 1839. 18. 2502. 60. *Vide* Eſterlingus.

Stoffatus.] *Vide* Inſtuffare.

Stoffura.] 2561. 57. *Materia, res: vulg.* **ſtuffe**, *à Gallico* eſtoffe.

Stolium.] 1114. 28. *Idem (ni fallor) ac* Storium *infra*, 1177. 26. *ubi* navigium regis *interpretatur; quomodo etiam apud Hovedenum, fol.* 381. *b.* Storium (*inquit*) idem eſt, quod navigium. *Rectior fortè ſcriptura* Stolium, *quod Lydio* claſſis: *à* ϛόλος, *inquit, quâ denotatur claſſis & navis quoque commeatus.* ἀπὸ τοῦ ϛέλλεσθαι, *quod eſt proficiſci navigatione. Eum adeas.*

Storium.] *Vide* Stolium.

Strata.] 397. 43. *Via, platea, vicus; Anglo-Saxonibus* ſꞇꞃæꞇ, *unde noſtratium* **ſtreet.** *Belgæ habent* **ſtraete** *&* **ſtrate.** *It.* ſtrada. *Derivatio placet à ſtrata via.*

Strepare.] 1914. 20. *vulg.* **to ſtrip.** *Corruptum fortè ab extirpare.*

Stretgledwali.] 151. 64. *& alibi. Vide* Wallicus.

Stuffatus.] *Vide* Inſtuffare.

Sturgio.] 526. 53. *alibi* Sturio. *Porcus marinus, ſuillus, Saxon.* ſꞇẏꞃiᵹa, *nobis* **Sturgeon.** *à* ſꞇẏꞃan *fortè, unde noſtratium* **to ſtirre**, *movere, turbare: quia eſcam quærens, Iſidoro teſte, lutum ac vadum roſtro fodit, atque ita aquas commovet, turbidaſque reddit.*

Subarrans.] 815. 1. *Corrigendum puto* ſuberrans.

Subauditio.] 843. 58. *pro* Superauditio. *quid autem ſignificet, vide ſupra, in* Overherneſſa.

Subboſcus.] 2294. 44. *Sylva cædua: viburna. à* ſub, *&* boſcus. *i. ſylva. Vulg.* **Underwood.**

Sublegereus.] 830. 17. *Rectiùs* Syblegereus, *pro eo qui fœdo ſe pollueret inceſtu, de quo ſupra in voce* Pertinens.

Subtiliare.] 2567. 48. *Subtiliter agere: item machinari. à Gallico* ſubtilier.

Sulinga. Solinga. Solinum. Swollinga.] 1864. 47. 2140. 21, 24, 30. *alibique.* Sullyngata. 1931. 21. *Voces Cantianis meis ferè peculiares: ubi, libro Angliæ cenſuali*, **Domeſday** *vulgò dicto, teſte, ſic vocabatur, quod alibi in eodem libro* carucata, *alibi autem* hida, *pro more loci, dictum. Vulgò*, **a Plough-land.** *A Saxon.* ſulh, *aratrum. Quantitatem mitto, utpote incertam, & pro naturâ & qualitate ſoli, culturæ magis vel minùs idonei, variam. Hinc autem* **Swollyngland**, 2140. 16, 19. 2141. 13. *pro terrâ* ſwollingatim, *ſive per* ſulingam, *i. quantitatem unius aratri culturæ deputatam, fructuariis elocatâ. Item* **Swollyngman**, 2140. 47. *Cujus officium quale fuerit, diſce mecum, ex quadam compoſitione*[b] *inter loci illius Abbatem & Conventum, ac* Tenentes *eorum de Menſtre & Hengrave in inſula Thaneti, anno* 19. *reg. Hen.* 6. *quæ ſic loquitur*: Singuli tenentes omnium & ſingularum prædictarum *Swyllingarum*, & 38. acrar. terræ de **Swyllinglond** ad curiam dictor. Abbatis & Conventus de Menſtre proximè poſt feſtum S. Michaelis Archangeli annuatim tentam ſeu tenendam, eligent & eligere debent dè qualibet *Swyllinga*, unum de ſeipſis qui nominetur *Swyllingmannus*, qui in officio illo morabitur per unum annum integrum : & eundem *Swyllingmannum* ſic electum Seneſcallo pro tempore exiſtenti in eadem curia præſentabunt. Qui quidem *Swyllingmannus* coram eodem Seneſcallo corporale præſtabit ſacramentum ad levandum & colligendum ratam portionis tam denarior. quam granor. porcorum, aucarum, & gallinar. in forma prædicta levand. & ad fidelem compotum Bedello dictor. Abbatis & conventus ibidem pro tempore exiſtenti reddendum, & denarios ibidem per ipſum *Swyllingmannum* ſic collectos præfato Bedello ſingulis annis perſolvendum, *&c.* Swolingmannus *itaque, Tenentium erat unus, electus ad redditus intra limites ſuæ* Swolingæ *colligendos.*

---

[a] *In Archiv. Archiep. Cantuarien.*

[b] *In manibus hæredum* Ric. Norwood *armig.*

Summa.] 1960.6. Summarius. 572.65. 1084.12. 1111.24. 1171.28,30,32. 1563.56. Summagium. 1959.39. Summarium boſci. 1575.18. *Vide* Saginarius.

Superaudire.] 925 4. *Saxoniſmum ſapit: Saxonibus enim* oꝼeꞃhẏꞃan, (*unde noſtratium* **to overheare**) *pro auribus accipere, vel audire quomodo etiam eis* oꝼeꞃꞅeon (*unde noſtr.* **to overſee**) *pro videre, inſpicere, oculis accipere.*

Superdicere.] 872.8. *pro accuſare, criminari, poſtulare, inſimulare. Sax.* ꝼoꞃꞅecᵹan ⁊

Superexceptus.] 850.22. *Sax.* oꝼeꞃ-heꝼene. *i. ſpretus, contemptus, deſpectus. ab* oꝼeꞃ-hebban, *pro ſpernere, contemnere, deſpicere, contraire. V. LL. Edo. ſenio. ca.*8.

Superfodere.] 854.56. *pro* ſuperfidere, *quomodo id quod Saxonicè habetur* oꝼeꞃꞇꞃuƿan. *i. nimiùm vel plus juſto fidere Latino-barbarè, hîc exhibitum.*

Superhabere.] 837.17. 845.57. *Vide* Superexceptus.

Superjuramentum.] 850.50. *pro* Præjuramentum, *juxta Saxonicum* ꝼoꞃaþ, *de quo ſupra in* Antejuramentum.

Superjurare.] 766.32. *Repone* jurare, *ſimpliciter, vel jurejurando ſe purgare. aliter autem infra,* 843. 10. *ubi, ut etiam in LL. Hen.* 1. *ca.* 74. ſuperjurare, *eſt juramentum à paucioribus præſtitum, juramento plurium præponderatum, ſuperare, vincere, evertere, atque adverſarium falſi convincere. De quo nos pluribus in Gloſſar. LL. prædictis addito.*

Superlabium.] 926.8. *pro* ſuperius labium, *juxta Sax.* uꝼeꞃan lippe ⁊

Superpellicium.] 2110.11. *Habitus ſacerdotalis; veſtis nempe linea, quæ ſuperinduitur cæteris. Vulg.* **a Surplice.**

Superplus.] 852.38. *Idem eſt quod Anglicè (ut verbum verbo reddam)* **Overplus.** *aliàs* **Surplusage**, *Gallis* ſurplus, *Latinis* auctarium, *Saxon.* oꝼeꞃeacan ⁊

Supertenere.] 830.38. 898.16. *eſt debitum quid ultra tempus ſive terminum ſolutioni præfinitum detinere. Saxon.* oꝼeꞃhealꝺan: *ab* oꝼeꞃ, *ultra, &* healꝺan, *tenere.*

Supervictus.] 897.27. *Anglo-Saxoniſmum olet, quibus vincere* oꝼeꞃcuman; *victus* oꝼeꞃcẏmene. *unde noſtratium* **to overcome**, *&* **overcome.**

Supervidere.] 925.3. *Vide* Superaudire. *Hinc autem* Superviſor. 2139.21. *pro inſpector, ſpeculator, vulgò,* **an Overſeer.** *It.* Superviſio. 2141.26. *pro inſpectio. Vulgò,* **Overſeeing.**

Supervivere.] 861.61. *A Sax.* oꝼeꞃlibban. *i. altero diutiùs vivere. Unde noſtrum* **to ſurvive.**

Surcote.] 2479.15. *Veſtimentum militare quod ſupra omnia veſtimenta & arma ſumitur; unde & nomen:* ſur *enim ſuper; &* cote, *tunica; q. ſuperior tunica. Vox hodiè Fecialium propria.*

Suſana terra.] 2202.63. 2203.26, 30, 40. *Eſt terra, Gallis* Suſanné, *aliàs* Suranné, *dicta; id eſt, terra defrugata, vel cujus ſtatus nimiâ & diutinâ culturâ prorſus exeditur, cujus etiam recuperandi gratiâ, neceſſariò; ad tempus aliquid, requieſcit. Vox eſt à Latino ſuper; & annus: unde noſtratium* **ſuperannated.**

Suthdure.] 1292.17. Deindè ſub medio longitudinis aulæ ipſius duæ turres erant, prominentes ultra eccleſiæ alas. Quarum una quæ in auſtro erat ſub honore beati Gregorii papæ altare in medio ſui dedicatum habebat, & in latere principale hoſtium eccleſiæ, quod antiquitus ab Anglis & nunc uſquè **Suthdure** dicitur. Quod hoſtium in antiquorum legibus regum ſuo nomine ſæpe exprimitur. In quibus etiam omnes querelas totius regni quæ in hundredis, vel comitatibus uno vel pluribus vel certè in curia regis non poſſent legaliter diffiniri, finem inibi ſicut in curia regis ſummi ſortiri debere diſcernitur. *Ad* Ordaleum *fortè reſpicit, quod & Dei judicium dictum, & in eccleſiâ ſemper abſolutum. Ampliùs tamen inquirendum: utpote cum, ni fallar, locus ſit (ex rei jam olim antiquatæ veſtigiis hodie, quòd ego ſciam, vix apparentibus) non obſcurus modò, ſed & Antiquariorum noſtrorum omnium inſtructiſſimi, ipſius ſc. Seldeni illuſtratione, ſi quis alius, haud indignus.*

Swollinga. Swollyngland. Swollyngman.] *Vide* Sulinga.

Symbolum luminis.] 920.33. *Luminarium cenſus, ſive pecunia ad lucernas in templis accendendas ter quotannis reddita, quam Anglo-Saxones* leohꞇ-ᵹeꞅceoꞇ *vocarunt. De quo vide Concil. Ænhamen. apud Spelman. Concil. pa.* 517. *ca.* 12.

Syricſeat.] 469.37. *Mendosè pro* Cyricſeat. *V.* Cyricſceattum.

T.

TAbart.] 2479.15. *Ita nominarunt Angli veſtimentum illud militare, nobilium olim, hodie fecialium proprium: colobium ſcil. vel ſagum.*

Taillage. Tallagium.] 957.44, 45. Hidage vel *Taillage* eſt *Tallagium* de hidis terrarum. Danegeld eſt *Tallagium* datum Danis, *&c. Tributum vel exactionis genus populo inditum, quod alibi,* 1452. 47. 1456.11, 20. tallia *dicitur. unde factum* talliare, *activ.* 2006.25. *hoc eſt tributum imponere, ac taxare: item* talliari, *paſſiv. pro taxari. Vox Gallica, & à* taille *venit, quod vectigal ſignificat. De quo pluribus Petrus Gregor. Tholoſan. Syntag. lib.* 3. *cap.* 7. *Quod autem hîc* tallagium, *alibi quandoque* collecta, *quandoque* taxa, *dictum.*

Talea.] 1547.20. *Teſſera illa quæ nobis vulgò,* **a Taley**, *al.* **Talley**, *Matt. Pariſio* talia, *aliis* tallium, *heic infra,* 2570.11. tallia, corulina *addito, pro* corylina *fortaſſe, quòd ſit ex corylo: teſſera ſc. lignea in duas partes ſciſſa aut diffiſſa, quarum utraque debitum æquè continet; & altera per credi-*

torem, altera per debitorem, ad meliorem rei memoriam, cuſtoditur. An autem à talis, *quòd ut talis tali correſpondeant: an ab eâ* taleæ *vocis ſignificatione quâ ſurculum reciſum notet: an denique à Gall.* tailler, *incidere, cogitent alii.*

Tallia.] 2706.51. Terræ tamen & tenementa quæ ſub *tallia* eis provenerant, &c. *Simile iterum,* 2720. 33. *item* 2727.45. *Ubi,* ſub *tallia* provenientes terræ, &c. *eadem ſunt ac nobis hodie, forenſi vocabulo,* intalliatæ *dicta; quæ ſc. cuiquam & certis nominatim heredibus, non autem hæredibus ſuis ſimpliciter & abſolutè (ſermone patrio,* **in feeſimple**) *conceduntur: vulgò,* **lands entailed**: *quarum ſtatum & poſſeſſionis titulum ſive jus, Forenſes noſtri* **eſtate taile**, *al.* **fee-taile** *vocant. A Gallico* tailler. *i. ſcindere, reſcindere, amputare. De quo vide Spelmann. in* Feodum talliatum.

Tareta.] 2676.31. 2678.46,53. *Thoma Walſinghamo, in Ypodig. Neuſtr. ad ann.* 1386. Tarrita. *Utrobique (vel ego fallor) mendosè pro* Careca, *al.* Carrica, *quomodo apud eundem Walſingham. in hiſtor. ſub eod. anno. Navis ſc. oneraria grandior, Belgis* **Karraecke** *Gallis* Carraque, *Italis & Hiſpanis* Carraca, *Anglis* **a Carrack**. *q. carecta, vel carrum marinum.*

Taſſare.] 1863.60. *In acervum extruere, coacervare, accumulare. Belgis* taſſen; *Gallis* taſſer, & entaſſer. *Origo, ni fallor, à Sax.* taꞅ. *i. acervus, cumulus, congeries, præſertim frugum & fœni. Non autem hinc* Taſſale *illud apud Mat. Pariſium, ut doctiſſ. Voſſio viſum, quod corrigendum puto* Caſale, *villam ſignans cum propugnaculis, ut Watſio expoſitum.* C. *autem, lapſu facili, abit in* T. *Imò & ſolebat ætas ea in multis* S. *temerè geminare, ut ab eod. Voſſio monitum in* Mancuſa. ¶ *Lapſu planè ſimili, (t. ſcil. pro c.)* tenſeriæ *vox apud eundem Pariſium*[a], *& alibi, pro* cenſeriæ, *quomodo habetur apud Roger. Hoveden. in Ric.* 1. *fo.* 424. *a.* Præterea (*inquit*) inquiſitio, quâ quærenda erat de priſis & *cenſeriis* omnium ballivorum domini Regis &c. *Alibi* cenſariæ: De *cenſariis* nativorum quod poſſint exire tenuram domini, ad laborandum & operandum extra, & ſtatim poſt opera redire. *Ita liber quidam vetus MS. eccleſiæ Cantuarien. Quibus in locis & ſimilibus, vox (ni fallor)* cenſum *ſignificat, nummos ſc. aut aliam rem, cenſus nomine, exactam. Vocem verò corruptam puto à Gallico* cenſier, *ut & illud à* cens; *hoc autem à Latino* cenſus.

Taxa.] 1986.3. *pro* Taxatio *vulgò,* **a Taxe**.

Techa.] 64.50. *Scribendum fortè* Theca.

Tegnio.] 319.41. Tein. 80.32. 82.35. *Idem qui infra, & in LL. Hen.* 1. *pluries,* Thainus, Thaynus. *Saxonicè dicebatur* ðeᵹn (*à* ðenian *ductum*[b], *quod alicui miniſtrare ſignat:) ei qui ſervitutem ſervit oppoſitus: is enim* ðeoƿ, *à* ðeoƿian, *ſervire vocabatur.* Thainorum *autem olim apud nos duo genera: eccleſiaſtici & ſeculares, Sax.* meꞅꞅeþeᵹnaꞅ, & ƿeꞃolð ðeᵹnaꞅ. *hii etiam duplices.* i. majores, *qui Comitibus gradu proximi, (uti* Thainis Vavaſores) *quos* Thainos Regis. (*Sax.* cẏnninᵹeꞅ ðeᵹnaꞅ) *appellabant, nos hodie* Barones Regis. 2. minores, *vel* mediocres, (*Sax.* leꞅ-ðeᵹnaꞅ, *al.* meðmeꞃa ðeᵹnaꞅ; *quibuſdam* **Under-Thanes**:) *ſeu* Thaini *ſimpliciter, qui iidem erant ac* Barones minores, *h. e. maneriorum domini; nobiles minores,* vavaſores, *& non nunquam* liberi Tenentes, *nuncupantur. De utriſque juſtum habes tractatum apud ampliſſ. Selden. Tit. honor. ed. ult. par.* 2. *ca.* 5. §§. 24. *& doct. Spelman. in voce* Baro. *Opera etiam erit adire Lambard. & Cowellum, in voce. Hinc Saxonibus* ðeᵹenꞅcipe, *pro dignitate, & munere* Thaini, *quibuſdam* Liberalitas, *ut &* Thainus *eis* Liberalis *dictus.* ¶ *Poſt Normannorum in Angliam adventum, plures iſtius ordinis & appellationis viri, militari ſive equeſtri titulo donati,* Thainorum *nomine depoſito, milites ſive equites deinceps dicebantur: qui quidem ordo, militaris ſc. ſive equeſtris, Anglis illis antiquioribus prorſus ignotus, tunc temporis primùm in Angliâ invaluiſſe ferunt. De quo nos pluribus in Tractatu de* **Gavelkind**, *ca.* 4. *ubi è quodam veteri libello MS. eccleſiæ Cantuar. de tempore Hen.* 2. *epiſtolam quandam eidem regi à loci monachis inſcriptam, præmiſſa comprobantem, in appendice exhibui, Scripturâ* 21. *in quâ inſuper fit mentio de ejuſdem eccleſiæ* Threngis, *clientibus ſcil. illius loci ſic dictis, paris, ni fallor, conditionis cum* Thainis, *de quibus præſens ſermo noſter, imò & cum* Drengis *apud Spelman. in voce* Drenches.

Telon.] 148.12. 178.40. Teloneum. 249.44. Telonium. 355.56. Thelonium. 468.62. *Hoc, more Anglo-Saxonum & Teutonicor. modernor. vulgò vocamus* **Tol**: *quod à Græco* τέλος. *i. vectigal.* Tol *autem alicui conceſſum, apud noſtrates, regale innuit privilegium, idque duplex: alterum ſc. immunitatis à* gabellis *pro rebus in nundinis & emporiis emptis & venditis; unde Forenſium Breve illud, ſive reſcriptum,* eſſendi quietum de telonio: *alterum, tributum vel vectigal recipiendi pro mercibus (ut loquuntur) in terrâ ſuâ. De utroque vide plura per Cowellum & Voſſium, in voce.*

Telwork.] 2140.24. *Opera quædam ad certum numerum quibuſdam fructuariis impoſita, dominorum terram, arandi ſc. ſeminandi, & ſimilia, q.* **Tale-works**; *à* **tale**, *numerus, &* **work**, *opus.*

Templarii.] 1189.57. *& ſæpe. Aliàs* fratres militiæ Templi. *Ordo fuit militum juxta templum Domini Hieroſolymitanum vitam ducentium regularem: quorum erat profeſſio (inter alia) ut vias & itinera, ad ſalutem peregrinorum, ſepulchrum Domini inviſentium, contra latronum inſidias, pro viribus conſervarent. Vulgò* **Templars**. *De quibus Caſſanæus, de Gloria mundi, par.* 9. *Conſid.* 4,5. *& Cowellus noſtras, in voce.*

Tenementum.] 512.9. 1070.47. *Eſt poſſeſſio cujuſcunque generis, maximè domuum & latifundiorum; quam quis ad vitam, vel ad certos annos, vel ſine termino, ſub ſolis conditionibus certarum (ut loquuntur) conſuetudinum, vel aliis quibuſvis modis,* tenet *ab alio. Quandoque pro univerſo dominio ſive feodo. uti* 1827.32. *item* 1836.15. ¶ *Eadem utique ſignificatione, (pro prædio ſc. aut ſimili rerum poſſidendarum ſpecie)* contenementum, *in Magnâ quam ita vocant Chartâ Libertat. Angl. ca.* 14. Liber homo non amercietur pro parvo delicto niſi ſecundùm modum illius delicti: & pro magno delicto ſecundùm magnitudinem delicti, ſalvo ſibi *contenemento* ſuo: & mercator eodem modo, ſalva mercandiſa: & villanus, ſalvo wainagio. *Ubi* contenementum, *Spelmanno interprete,* æſtimatio & conditionis forma, quâ quis in Repub. ſubſiſtit. **His countenance**. *In eandem ſententiam D. Edo. Cocus, & Forenſes noſtri, temporum ſaltem poſteriorum, ferè*

---

[a] *In vit. Ab. S. Alb.* 128.32 *&* 129. 7.

[b] *Hoc autem fortè (ut lingua Saxonica, doctiſſ. Caſaubano, filio, teſte, qui rem innumeris pene probat exemplis, ſæpe græciſſat) à Græco* διακονεῖν, *i. ſervire, inſervire, miniſtrare.*

univerſi: Quorum pace, tenementum, *ſenſu quo ſupra, potius intelligendum cenſeo; & de eo heic caveri, ut illæſum poſſeſſori maneat, & ſine omni damno. Alioquin enim, cur hoc de libero homine magis dictum, quàm de cæteris, mercatore ſc. & villano? niſi per liberum hominem heic mercator & villanus intelligendi; quod non eſt veriſimile, cum nominatim, & per ſe, æquè ac libero homini, ſecuritati eorum, peculiari formulâ cautum ſit.* Con *autem hîc præponi videtur, (quomodo etiam in Fleta*[a] continentia, *pro* contenentia) *quòd tenementum qualecunque ſit, qui mulctandus eſt eo fruatur cum ſtatu ſuo libero. Vide veterem iſtius Chartæ verſionem, in editione de anno* 1587. *ubi hæc exceptionis formula ſic Anglicè exponitur:* **ſaving to him his contenement or freehold:** *Cui convenit vocis explicatio apud terminorum juris noſtri municipalis auctorem. Adſtipulatur etiam quædam ejuſdem equitis Coci gloſſa, in verb.* Liber homo. *Inſtit. par. 2. pag. 27. & Cowellus in* Interprete, *verbo* Contenement.

[a] Lib. 1. cap. 48.

Tenens.] 957.4. *Qui habet tenementum. Inquilinus, Fructuarius, Uſufructuarius. Sic etiam*——.

Tenentia.] 2020.6. *item* Tenuria. 314.30. *al.* Tenura. 1896.19. *pro poſſeſſionis titulo, ſive modo quo quid poſſidetur: Prædii lex, quandoque pro feudi vel dominii circuitu. Unde noſtratium* **Tenancy,** *&* **Tenure,** *de quo vide Cowell.* Interpr. *in voce.*

Tenementale.] *Vide* Decima.

Tenſeriæ.] *Vide* Taſſare.

Terra hæreditaria.] 826.21. 931.14. teſtamentalis. 923.54. *Intellige (ut his in locis aliàs reperitur dicta)* Bocland: *quæ quà libera, & ex integro poſſeſſa, tum hæreditaria, tum teſtamentalis; ad hæredes ſc. tranſitura, niſi à poſſeſſore teſtatò alienata. De quo vide* Bocland, *ſupra.*

Terrarius.] 766.4. *Fundum vel prædium occupans aut poſſidens: juxta Saxon.* lanꝺ-aȝenꝺ, *al.* lanꝺ-hæbbenꝺe; *Idem, ni fallor, qui Spelmanno noſtro* Landegande man, *in Gloſſar. ubi viatorem vertit: potius, terræ vel fundi proprietarium; cui contrarius* unlanꝺaȝenꝺ, *à privandi particula,* un, *præpoſitâ. Terrarius autem Forenſib. noſtr.* **Terretenent.**

Textus.] 1584.24. 1765.55. 1770.6. 1864.14. *Idem, ut opinor, ac alibi* Regiſtrum, *al.* Regeſtum; *ſic dictum verò, quod purum putum textum, (chartas ſc. ſive donationum tabulas, & ſimilia) abſque ullâ omnino commentatione contineret, ſecundùm eam vocis explicationem apud Martin.* Scriptum *ſc.* quod fundamenti loco habetur, ut cum textum & gloſſam. h.e. interpretationem opponimus. *Atque hinc fortè Codicis illius nomen ab antiquitate jure optimo celeberrimi ad eccleſiam Roffenſem pertinentis, ab Ernulpho, loci Epiſcopo, tempore Henrici reg.* 1. *ut fertur, conſcripti,* Textus Roffenſis *vulgò dicti: Tales etiam, ut mihi perſuaſum,* duo textus *illi apud Mat. Pariſium in Vitis. pa.* 51. *l.* 34.

Thaynus.] 846. 16, 18. Regis. 765.34. 930.14. Secularis. 845. 66. *Vide* Tegnio. *Monendum hîc, quod è LL. Canuti de* Hereotis, *apud Lambard. ca.* 67. *hîc Latinè exhibitis, col.* 930. *hæc omittuntur:* ⁊ ceninȝeꞅ ðeȝneꞅ heꞃeȝeaꞇa inne miꝺ ðenum ðe hiꞅ ꞅocne hæbbe. iiii. punꝺ. *i.* & Thaini regii, qui liberam habuerit juriſdictionem, heretum apud Danos iiij. libræ. *quæ poſt,* & in Eſtanglia ij. l. *inſerenda.*

Theam.] 957. 35. *quod al.* Team, *quandoque* Theme *dicitur. Eſt autem (uti hoc in loco illuſtratum)* laudare auctorem. *i.* revoucher garant, & quandoque dicitur ſequela nativorum. *Duplicem vides vocis ſignificationem; de quarum priore, ſatis ſupra in* Advocare, *&* Cenninga. *De poſteriore Reynerus, & Cowellus explicatius ſic:* Regale (*inquiunt*) privilegium eſt, quo qui fruitur habet villanorum. i. ſervorum & mancipiorum intra feudum ſuum propaginem, & poteſtatem de illis, ut de cæteris ſuis, ſeu liberis ſeu bonis mobilibus vel immobilibus, pro libito diſponendi. *Vox utroque ſenſu à Sax.* ꞇeam. *ſoboles, propagatio, quod à* ꞇẏman, *propagare, parturire, partum edere; unde noſtratium* **teeming.** *Per* ſequelam *itaque* nativorum, *ſupra, intellige mancipiorum ſobolem vel propaginem.*

Thelonium.] *Vide* Telon.

Theſauraria.] 1946.58. *& alibi. Officium ſive munus theſaurarii vel quæſtoris, item gazophylacium, ſive locus ubi reponitur theſaurus. vulgò,* **a Treaſurie.**

Thor.] 74.18. *Vide* Othan.

Thrimſa.] 845. 59, 63, 64, 65. *A Sax.* ðꞃeo, *quod tria ſonat, effictum.* Eſt igitur *Thrimſa* trium ſolidorum nummus. *Sic Lambardus in voce. Cl. autem Seldenus tertiam ſolidi Germanici partem vult,* Tremiſſi *eorum reſpondentem. Cum autem duo thrimſarum millia, è quibus, jure Anglorum, Thaini capitis æſtimatio conſtat,* 1200. *ſolidis reſpondeant, quibus Mercii Thainum æſtimant, eâ ſaltem computatione quâ (quinque denariis, pro more Saxonum, in ſolidum computatis)* 1200. *ſolidi faciunt* 25. *libras,* Thrimſa, *ſi monetæ percuſſæ genus fuerit, mihi videatur eſſe trium denariorum numus: in quo tamen planè non acquieſco, eo quòd in Lege Æthelſtani regis de* Weris, *in Textu Roffen. ſic legam:* Ceoꞃleꞅ ƿeꞃȝẏlꝺ iꞅ cc. ⁊ vi. ⁊ lx. ðꞃimꞅa. ꝥ biþ ꞇƿa hunꝺ ꞅcẏllinȝa be mẏꞃcna laȝe. *i.* Villani wergildum eſt CCxvj. thrimſæ. h. e. ducenti ſolidi Merciorum lege.

Thumelum.] 765.62. *A Sax.* ðẏmel, *nobis* **thumbe,** *pro pollice. De porco hîc dictum, cujus pinguedo ad pollicis latitudinem excreverit.*

Ticimium.] 848.27. Pecoris ticimium, *&c. Hoc Spelmanno, in voce* **Tenitus,** pecoris cinnitum. *Malè, ni fallor, uterque: potius* Pecoris tinnitus, *quod quibuſdam* tintinnum, *aliis* tintinnabulum. *Idem autem id quod aliis* Skella, Skilla. *voces omnes à ſono factæ, & rem ſignantes, ſonitus gratiâ, pecori impoſitam, campanulam puta. Veriſimilius autem iſtud hinc videtur, ex verbis ſubſequentibus:* & unumquodque reputatur melda. i. manifeſtatio, *cui ſuffragatur illud Amoinii, à Cl. Lindenbrogio in* Tintinnabula jumenti *laudati:* Mos quippe (*inquit*) antiquus inoleverat Francis, & maximè Auſtraſiis, ut paſcentibus equis tintinnabula imponerent, quo ſi fortè longiùs in paſcendo aberraſſent, eorum ſonitu dignoſci poſſent.

Timberlode.] 2140.31. 2141.2. *Servitutis genus, quo vaſſallus obligatur materiam ſive lignum, de ſylvâ ubi proſternitur ad domini ſui domum deferre. à Sax.* ꞇimbꞃe, *nobis* **timber,** *i. lignum, tignum; &* laꝺe, *nobis* **load,** *onus.*

Tiparium.] 1114.7. *Vide* Bulla.

Toſtum.] 2142.31, 39. *Eſt locus ubi aliquando* *ſtetit ædificium. Ita Cowellus noſtras ex Weſti Symbol. Vel aliter, inquit Reynerius, eſt genus luci parvuli, ſeu loci conſiti arboribus minuſculis. Sanè eo ſenſu nobis hodie,* a **Tuſt of trees**, *Gallis* Touffe de bois.

Tolnetum.] 949. 11. *Impoſitio, tributum, vectigal: idem, ut conjicio, ac* Teloneum, *al.* Telon.

Tonellus.] 2010.42. *Parvum dolium. A Gall.* Tonneau; *nobis,* a **Tunne**.

Torchia.] 2692. 21. *Fax, tæda: à torquendo. Ex funibus enim tortis, & cerâ circundatis conſtat: unde aliàs* Funale *dicitur. Gallis cum Anglis,* a **Torch**.

Tornamentum.] 1453.32. Torneamenta. 1261. 11, 22, 24. *Sunt haſtiludia, ſive ludicræ pugnæ equeſtres, Gallis & Anglis vulgò,* **Tournaments**. *à Gallico* tournoyer. *i. circuire, decurrere: aut ab Ital.* torniare, *quod idem. De voce multis Watſ. & Voſſ. quæ iterum occurrit col.*2408. *l.* 64. *ubi hæc,* apud Turonem exercituum, *ſic eſſe corrigenda,* ad tyronum exercitium, *loca heic priùs ſignata planè probant.*

Towagium.] 1941. 56. *Idem quod Gallis* Toüaige. *i. navis ductio per naviculas alligatas; ſive ejuſdem ad alterius navis puppim alligatæ. Vulg.* **Towage**. *Fortè à Sax.* ꞇeon, *trahere, ducere; unde eis* ꞇoᵹa, *dux;* heꞃeꞇoᵹa, *exercitus ductor, vel conductor.*

Trabs.] *979.9.* —— de cujus eccleſiæ una *trabe* v. mille marcas argenti corroſit, unde regis manum impleret & papæ occupationes falleret. Ditaverat namque Leofricus locum illum auro & argento, gemmis & reliquiis. *Trabs illa (ut Watſius conjicit) quæ criſtam muri ſeu* antemuralis, *(ut quidam vocarunt) altaris faciebat. Talis (ni fallor) ſtructura illa prænobilis, lignea quidem, ſed ſingulari operâ, artificioque ſculptili, perfecta, ac à fronte deaurata, quæ in majori eccleſiâ Cantuarienſi, retro ſummum altare, tranſverſo choro erecta, nuper ſtetit: & quâ de cauſâ ſublata, cum omnibus reliquiis, & id genus offendiculis fuerit olim repurgata, nec ipſe video, nec, ut opinor, quiſquam alius ad ſobrietatem ſapiens.* **The skreene** *vulgò vocabatur, quod reliquiarum ſcrinia olim ibi repoſita. Unde illud Gervaſii noſtri Dorobern.* 1289. 60. Scrinia reliquiarum de ſublimi *trabe* deorſum in pavimentum dejecta confracta ſunt, & reliquiæ diſperſæ.

Traditio.] 215.1. 222.21. 655. 23. *Proditio: vulgò,* **Treaſon**. *à Gallico* trahiſon. *Ita* Traditor, 460.19. 548.19. *pro proditor. vulg.* a **Traytor**, *Gall.* Traiſtre. *Hinc noſtrum* **to betray**, *pro prodere, inſidiari, Gall.* trahir. *Quid autem* Traditor *ſit ſermone eccleſiaſtico, vide apud Ludovic. de la Cerda, Adverſar. ſacr. ca.*35.3.

Traditioſe.] 2601. 54. *Traditorum. i. proditorum more.*

Tranſverſum.] 912. 53. Traverſum. 468. 63. *Idem quod alibi* Tranſitorium, *quandoque* Paſſagium: *vectigal ſc. ſive cenſus ob veniam tranſeundi, ſive pecudes agendi, quidve portandi per terram alienam; quod nobis cum Gallis* **Toll travers** *dictum. De quo vide Cowell. Term. Juris, & Cotgrav.*

Traylbaſton.] 2494.49. 2530. 17. 2559.64. 2606.43. *Walſinghamo, in hiſtor. ad ann.* 1305. **Traybaſton**: *quod (inquit) ſonat* Trabe baculum. *Mat. Weſtmonaſterienſi, ad eundem ann.* **Traylle-baſton**. *Inſtitutum ipſum, unà cum nominis ratione, (ſiquidem ab eo cæteris omnibus hiſtoricis luculentiùs exhibitum) habe ipſiſſimis ipſius verbis:* Circa eadem verò tempora proceſſit in publicum, novum inquiſitionis Breve, quod Anglicè dicitur **Traylle-baſton**, contra intruſores alienarum terrarum, qui propter timorem conquerentium, ipſas terras, vel prædia, in manus potentum alienarunt. Et contra conductitios hominum vapulatores, qui ab uno viro conducti, volebant, propter unam ſummam pecuniæ, alium vapulare, & iterum à vapulato propter duplum cenſum vel amplius, revapulare nequius conductorem. Et contra conductitios, promptos ad capiendas ſeiſinas, contra juſtitiam, vi & armis, in eccleſiis, terris & aliis tenementis. Contra hujuſcemodi pacis infractores, raptores, incendiarios, murdratores, pugnatores, & falſos aſſiſatores, deputantur per Angliam diverſi juſticiarii per hoc Breve, ad faciendum vindictam in nationibus inopibus, increpationes in populis locupletatis. Per hoc quidem Breve, multi perempti, multi noxii, pauci innoxii ſunt inventi. Adeo quidem rigidè proceſſit hujus coercionis juſticia, quod pater proprio filio non parceret, ſed increpans caſtigaret. Præ timore autem multi exterriti, ſpontaneè exulabant, & per fugam & redemptionem pecuniæ crevit fiſcus. *Sic ille. Vox eſt Gallica, compoſita (ni fallor) à* trailler. *i. venatorum more perſequi, inveſtigare, indagare, inquirere: &* baſton. *i. baculus, fuſtis: quaſi in percuſſores & pugnatores ejuſmodi præcipuè formata inquiſitio.*

Trepget.] 2672.2. *Machina bellica, ſaxa ejaculans ingentia, ad muros diruendos; Chaucero noſtro,* **trepeget**; *aliis,* trebuchettum; *Gallis,* trebuchet; *ab eorum* trebucher, *quod eſt ex alto aliquid deturbare. De quo pluribus doctiſſ. Voſſius & Watſius in voce, quos velim adeas. Nec hoc tantùm ſenſu vox iſta noſtratibus olim nota: nam & machinam ſignavit, quâ mulieres in vicinorum infeſtationem rixoſas, in fluvium vel puteum præcipitabant, & inde tandem extrahebant. Vetus liber in eccleſia Cantuar.* Hadlegh. Et *Trebuchettum* dicti manerii debet ſtare juxta ſtagnum molendini aquatici Dn. Prioris in prædicta villa. Tumberellum *aliter nominarunt: de quo alius ejuſdem loci codex MS. ſic:* Middeltune. *Tumberellum* verò ſtat ultra quendam puteum ex oppoſito manerii, verſus auſtrum, in quodam loco vocato Suthmede. *Vide* Tumberellum.

Treſtella.] 2011. 4. *Idem ac Gallis* Treſteau. *i. Tripus.* a **Treſtle** *vulgò.*

Treugæ.] 522.39-941.40. *Induciæ ad tempus aliquod, fide diſſidentium, firmatæ. Vulgò,* **Truce**, *Gallis* Treves, *unde &* Trewiæ *eopſe ſenſu, quomodo* 506.27. 597.39, 50, 63. *Fortè à German.* **truewe**, *Sax.* ꞇꞃeoƿe, *fides. Vox omnibus notiſſima.*

Trewiæ.] *De voce jam dictum in* Treugæ.

Triare.] 2068.15. *Vox juris noſtri forenſis, cauſam agere, rem probare, actione experiri, examen litis ſubire, notans; vulgò,* **to try**: *à terere, inquit Minſhæus. Malim à Sax.* ꞇꞃiƿian, *quod probationibus innocentiam ſuam oſtendere ſignificat: item, fidem ſuam injuſtè in dubium vocatam probare, ſeque dignum cui fides habeatur: fidum ſc. vel fidelem; qui Sax.* ꞇꞃẏƿe *dictus, Angl.* **true**: *atque hinc & fidum, & probatum amicum,* *vulgò dicimus*, **a true, or a tried friend.**

Tributarium terræ.] 2219. 34. Dedi etiam illi xc. *tributaria* terræ bipartita in duobus locis, &c. *Ubi* xc. tributaria terræ, *pro terris, fortè, tot tributariis, hominibus ſc. qui cenſum reddunt annuum, elocatis; vel ubi xc. homines ejuſmodi inhabitant. Sed ampliùs cogitandum.*

Tricennalia.] 1879.28. 1885.19. *Vide* Tritenniarum officium.

Triforium.] 1294.50. *& alibi.* Supra quem murum via erat quæ *triforium* appellatur, & feneſtræ ſuperiores. 1298.43, 44, 58. *Imò in ipſo muro, in modum clauſtri, per muri ſeu parietis interiora, eo fine ducta, ut tranſitum præbeat locum ambire ſive perluſtrare & circuire ex alto volentibus. Nobis hodie,* **a thorough-fare,** *pro loco pervio. i. viâ publicâ, à Sax.* ðuꞃh, *per, &* ꝼaꞃan, *ire: Belgis,* **deurvaeren.** ¶ *Eadem, ni fallor,* (Parviſium) *vocis ratio, de quo Mat.* [illegible]*ſius, hiſtor. pag.* 798. 17. Cogebatur (*inquit*) ille paupertulus multis diebus ſcholas exercens venditis in *Parviſio* libellis, vitam famelicam protelare. *Quod eccleſiæ partem quandam inferiorem, à parvis pueris ibi edoctis ita dictam, autumat D. Watſius, in Gloſſario. In eandem ſententiam Cl. Voſſius, (parvulorum enim ſcholam, vel gymnaſium, vertit:) ut & antè horum utrumque V. Cl. Iſaacus Wakus, in* Muſæ regnantes, *aliique. Quorum pace, vocem ortam, & Latinè factam conjicio à Gallico* Parvis, *aliàs* Pervis, *quod (Cotgravio teſte) templi; magis autem propriè, palatii, aut alterius ejuſmodi domus atrium exterius, ſignificat. Priori vocis ſenſu vel notatione,* Parviſium *accipiendum puto apud Pariſium; pro ſacrarum ædium atrio ſcil. vel porticu: poſteriori verò,* Perviſum *apud Forteſcutum, de laudibus Legg. Angliæ, ca.* 51. *&* Perviſe *apud Chancerum, pro palatii nimirum atrio, vel areâ illâ à fronte aulæ Weſtmonaſterienſis, hodie* **the Palace yard** *vulgò nuncupatâ, quem in locum diverſoriis plenum, hodieque diebus juridicis clientes cum cauſidicis (quoties opus fuerit) conſulturi, forum & aulam ſtrepitu repletam exeuntes, ſolent ſe conferre. Et quòd ita etiam ſe res habuerit tempore Forteſcuti, verba ejus ſatis arguunt:* Placitantes (*inquit*) tunc ſe divertunt ad *Perviſum* & alibi, conſulentes cum ſervientibus ad legem, & aliis conſiliariis, &c. *Quæ de loco eo nomine noto, non autem de quovis exercitio ſic dicto (ni fallor) intelligenda. Ad vocem apud Oxonienſes quod attinet, eam accipiendam arbitror alterutrâ notatione; quatenus ſc. ſive porticum ſignat, ſive exterius atrium: quod exercitia ibidem ſic vocata, cum quaſi prævia ſint & præparatoria, ad doctrinæ tantùm porticum vel exterius atrium, non ad penetralia vel adytum ejus, pertineant; peracta nimirum à nondum graduatis, talibus ſc. qui nullo gradu ſcholaſtico vel Academico adhuc inſigniti, liberales artes à limine duntaxat, vel ab atrio ſalutarunt; in domum ipſam tranſire, aut ædes intrare, nondum permiſſi.* Parviſium *itaque aliàs* Perviſum, *à Gall.* Parvis, *al.* Pervis, *pro porticu, vel atrio. Unde autem vox illa Gallica? Quòd à Latino* parvus *veniat, juſtè dubitandum cenſeo. Quid enim porticus aut atrium ejuſcemodi ad parvos, parvulos, aut pueros: aut quâ tandem ratione parvulis cenſenda magis propria vel peculiaria quàm adultis? Præterea, refragatur vocis interdum ſcriptura per* e, Perviſum *ſcil. uti apud Forteſcutum, & Chancerum. Si replicetur, diſputationes illas Oxonienſes,* Parviſias *dictas ita eſſe nominatas, reſpectu quarundam aliarum, quas* magnas *vocant: reſpondeo, diſputationibus ejuſmodi id nominis (olim penitus incogniti) recèns datum, idque ab eis ſolummodo qui vocem à* parvus *trahere conantur. A* parvus *igitur vocem ortam affirmantibus aſſentire nequeo. Num itaque à* prævius; *quòd per atrium & porticum in domum recto pede ducitur? Mallem, ut ſupra monitum, à* pervius, *quod ejuſmodi loca pervia ſint, non clauſa, ſed quæ liberum omnibus præbent ingreſſum: eodem planè ſenſu, ac* forum *illud divi Nervæ, quod Ælius Lamprid.* tranſitorium; *Aurelius Victor autem,* pervium *vocant. De quo vide Cl. Caſaub. & Salmaſium.*

Trigintale.] 1914. 40. *Vide* Tritenniarum officium.

Trinovantum.] 2484. 20. ——— & ædificavit (*Brutus*) civitatem quam *Trinovantum* nuncupavit, quæ modo dicitur London. *Hiſtoriam olent hæc Monemuthenſem; quibus credat cui placeat. Mihi quidem, Lelandi*[a] *& aliorum pace, cum præſtantiſſ. Cambdeno, & aliis, aliter viſum. Locus autem unde illud aliud nomen,* **London,** *ſortitus ſit, jam oſtenſum in voce.*

[a] Cygnea cantio. in Trenovantum.

Triſta.] 367.33. In quo Rex cum cæteris ſuperior conſtitiſſet, ſecundùm legem venandi quam vulgus *triſtam* vocat, ſingulis proceribus cum ſuis canibus ſingula loca delegat, ut obſeſſa undique beſtia, ubicunque eligeret exitum, inveniret exitium. *Locum integrum exhibui, ut* Triſta, *& hìc & apud Matt. Pariſium, quid ſibi velit, in promptu ſit. Servitium vel officium planè ſapit, fiduciâ mixtum: & ad immunitatem à tali onere & fiduciâ ſignificandam quandoque extenditur, de quo vide Manwodum noſtrum à Cowello exhibitum in voce; quâ Chancerus utitur pro metâ, vel limite: nec, ut appareat, incongruè. Origo, ni fallor, à noſtratium* **Truſt,** *i.e. fides, fiducia. unde illud equitis Coci, Inſtitut. par.* 4. *pa.* 306. ¶ De Triſtis, **anciently written** traiſtis, **and is derived of** traiſt, *i.* **truſt, and ſignifieth,** ubi alii homines manentes in eadem foreſta tempore quo dominus chaceaverit in eadem venire debent, & confiſi ſunt, Anglicè, **are truſted,** ad tenendum leporarios certis locis aſſignatis pro feris ibidem expectandis & capiendis. Quietum eſſe de hoc ſervitio.

Triſtegum.] 2316. 63. ——— poſt prandium cum intraret cameram vidit unum *triſtegum* cum imagine ad ſimilitudinem unius ſagittarii, &c. *Vocem uſurpat etiam Greg. Turonen. hiſt. li.* 8. *ca.* 42. *item Mat. Pariſius in hiſtor. minori MS. unde hæc per illuſtrem illum genere & eruditione virum, Rogerum Twyſdenum, equitem aurat. & Baronettum, nuper excerpta, mihique perhumanitèr tranſmiſſa:* Anno Dom. Mclv. natus eſt Londoniis pridie kalend. Martii Henrico novo Anglorum regi ex Alienora regina ſua filius legitimus, & vocatum eſt nomen ejus Henricus. Fuit autem magnificus rex Henricus filius Matildis, quæ prius fuerat Romanorum imperatrix, & poſtea comitiſſa Andegaviæ, quæ, ut prædictum eſt, clam concepit ab Stephano qui eam duxerat ad comitem Andegaviæ maritandam in nave, ſc. in quodam *triſtego* navis ipſis pro thalamo præparato, quæque citò comiti ſponſo ſuo copulabatur. Latuit ille conceptus omnem hominem præter ipſam ſolam, ſicut & ipſa confeſſa eſt quando rex Stephanus parabatur ad prælium apud Egelaw planitiem quæ in partibus Angliæ eſt occidentalibus. *Vox ortu Græca: Græcis enim* τρίστεγον *pro tertiâ contignatione. Act.* 20. 11. τρίστεγον *vertitur* tertium cœnaculum, *Anglicè*, **the third loft.** *Idem fortè quod Latinis* ſolarium: *vulgò*, **a Sollar.** Triſtega *doctiſſ. Junio, & aliis, pro trium contignationum ædificio, quia ſingulæ ſunt tecta ſuis tabulatis. Ita quod*, in triſtego navis, (*uti nobiliſſ. ille Baronettus, in ſuâ de voce conjecturâ mihi ſimul apertâ*) *idem ſonet ac, in quodam tertio navis tabulato.*

Tritenniarum officium.] 403. *penult. Officium illud pro defunctis*, *olim* Trigintalia, *atque inde* **Trentals**, *vulgò dictum, quod ſcil. ad unius menſis terminum, i. triginta dierum, à miſſifico pro animâ defuncti, ut dicunt, præſtatur. Vulgò aliàs*, **a Moneths-mind.**

Trithinga.] 818.65. Centurias quas Hundredas dicunt, & Decurias quas *Trithingas* vocant, inſtituit, &c. *Aliàs, & fortè rectiùs*, Tithinga, *vel* Teothinga: *à Sax.* ꞇeoð. *i. decimus. Significat autem denas familias, pariter inter ſe obligatas, ac Regi ſic obſtrictas, ut quod una erga eum peccaſſet, id neceſſe haberent præſtare univerſæ. Quique caput harum foret*, Teothingus, *aliàs* Teothung-mon, *vulg.* **Tithingman.** *i. Decurio, dicebatur. De quo pluribus Spelmannus in voce* Friborga, *& nos ſupra in* Decima. *Non tacendum interim vocem alio ſenſu quandoque uſurpatam, ſc. pro tertiâ comitatus vel provinciæ parte, quo ſenſu* Trithinga *rectè ſcribitur. De hoc autem vide LL. Edo. Confeſſ. ca.*34. *& Cowelli* Interpr. *in voce.*

Trivallis.] 2407.14.——imperator pactâ cum duce Auſtriæ tertia parte provenientis commodi, regem Ricardum dominicum adhuc characterem portantem in ſuam traduxit cuſtodiam, & poſuit eum in *trivallis*, ubi dicit Ariſtoteles, Bonum eſt occidere patrem. *Scribe* Trivallis: *Caſtelli nomen eſt*, *Mat. Pariſio* Triballis *dicti, Hovedeno verò, qui carcerem vocat*, Trevellis.

Truffa.] 1278 63,64,67. *Joci, ſive luſus, ac nequitiæ eorum qui vulgaribus magis placere animis ſtudent, quàm viris piis & gravibus. A Græco* τρυφὴ, *quod delicias ac luxum notat. De quo pluribus Voſſius, quem vide. Gallis* truffe, *&* truffer, *eo ſenſu. atque hinc fortè noſtratium* **trifles**, *&* **trifling**, *ut &* Trufeles *hîc*, 2064.60.

Truncus.] 947.32.1399.57,64. *Capſa, arca, ciſta, ſcrinium: vulg.* **a trunke**, *Gallis autem, ſenſu quo & hîc* (*nempe pro pauperum ciſtulâ in templo poſitâ*) tronc; *à Latino* truncus, *eâ ſignificatione quâ ſtipitem notat, quòd ex eo fieri ſoleat.*

Truſſare.] 2594.50. *Suffarcinare, convaſare, vaſa colligere. A Gallico* trouſſer, *unde noſtratium* **to truſſe, & truſſe up**, *illo ſenſu.*

Tumberellum.] 2021.52. *Inſtrumentum inventum ad pœnam mulierum rixoſarum, quo in aquam dejiciuntur, immerguntur, & cum bene madidæ, & potæ tandem extrahuntur. Vulg.* **a Tumbrell**: *fortè à Sax.* ꞇumban, *unde noſtrum* **to tumble**, *Gall.* tomber, *volvere, devolvere, volutare. Bractono* Tymboral, *&* Tumboral.

Tungravio.] 898.15. Tungravius. 902.21. *à Saxon.* ꞇun-ᵹeꞃeꝼ, *id eſt, villæ præpoſitus, à* ꞇun, *hodie* **towne**, *villa*; *&* ᵹeꞃeꝼ, *præpoſitus, præfectus.*

Turnum (*al.* Turnus) Vicecomitis.] 2021.60. 2053.26.41. *& alibi. Ad verbum ſignificat* Vicem vicecomitis, *id eſt, duo tempora in anno, quibus ille univerſi comitatus ſui conventum celebrat. Idem, ni fallor, quod Saxonibus* ꞅcẏꞃe-ᵹemoꞇe. *De quo vide Cl. Seldeni Not. ad Eadmer. pag.* 166. *& Cowell. in voce. Vox eſt à Gall.* tour, *quod nobis* **turne**, *i.e. vicis.*

Twelfhyndus.] 823.23.846.24,25. *Vide* Hyndenus homo. *Poſtea*, 854.17. *occurrit* Twelfhindus, *ſed mendoſè, nec aliter locus ipſe. Utrumque ſic reſtituo:* Et ſi eveniat ut aliqua tribus adeo magna ſit & fortis, intra terram ſive extra terram, (*ſive ſit de claſſe*) twelfhyndorum, ſive twyhyndorum, ut rectum noſtrum diſſorciet, &c. *Sic enim Saxonicè habetur in Textu Roffenſi*: Anꝺ ᵹıꝼ ðonne ꝥ ᵹebẏꞃıᵹe. ꝥ ænıᵹ mæᵹþ ꞇo ðam ꞅꞇꞃanᵹ ꞅẏ. ⁊ ꞇo ðam mẏcel. ınnon lanꝺeꞅ oððe uꞇon lanꝺeꞅ. xıı. hẏnꝺe oþþe ꞇƿẏ hẏnꝺe. ꝥ uꞅ uꞃeꞅ ꞃıhꞇeꞅ ƿẏꞃnen. *&c. Hic autem aliàs* Thegen, *al.* Liberalis homo *dictus. LL. Canuti reg. Latinè exhibitæ in Text. Roffenſi*: Si in domo liberalis, quem ſupra **Thegen** nominavimus, & quidam dicunt **Twelfhændman** hoc ſit, &c.

Twyhindus homo.] 767.30. *Præter hunc, ſæpius in hoc opere occurrunt* Sexhindus, *&* Twelfhindus: *quorum ſinguli, qui & quales ſint, ſuperiùs dictum in* Hyndenus homo. *quibus adde Lambard. in voce* Æſtimatio; *item in Itinerar. Cantii, in* Mepham: *doctiſſ. etiam Spelmann. in* Homo. *Dictiones planè ſunt compoſitæ. Quòd autem* hindus (*poſteriorem compoſiti partem*) *à centum deductum volunt, ſuſpectum hoc mihi; utpote cum non* hund, *ſed* hind, *conſtanter ſcriptum occurrit. Ab* hyndene *potius petendum reor, ut ſuprafuſiùs in* Hyndenus homo. *Hic autem al.* Ceorlman *olim dictus. LL. Canuti reg. Latinè deſcript. in Text. Roffenſi*: Si quis per *Hloth* occiderit hominem quem quidam Angli vocant **Twihænde**, & alii **Ceorlman**, qui illum, &c.

Tyhtbyſig.] 926.41. i. accuſationibus infamatus. *Potius*, implicatus. *Vox merè Saxonica, compoſita à* ꞇẏhꞇ, *accuſat. &* bẏꞅıᵹ, (*unde noſtratium* **buſy**) *implicatus, occupatus, verſatus.*

Tyhtlan.] 894.41. *Vox omnino Saxonica, accuſationem ſignans.*

V.

VAcatura.] 1035.10.1388.8. *Beneficium eccleſiaſticum nondum vacans, ſed vacaturum.*

Vadia.] 1209.20. *Stipendium, ſalarium, præmium, merces. vulgò*, **Wages**, *Gallicè* Gage.

Vadiare.] 821.62.844.24. *Pignori ſupponere.* Bellum autem vadiare, 937.55. *quid ſit, vide ſupra, in voce* Bellum.

Vadium.] 658.25. *Pignus. Saxonibus* ƿeꝺ. Vadium *autem* mentiri. 762.46. *eſt pignus depoſitum deſerere; cautionem pignore firmatam negligere. Quod enim hîc* mentiri, *Saxonicè habetur* aleoᵹe: *hoc autem ab* aleoᵹan *fluens, mentiri; & per tranſlationem non curare, ſignificat. cui contrarium* ᵹelæꞅꞇan, *quod implere, præſtare, exequi, ſonat. unde illud in LL. Aluredi, ca.*1. *ubi de juramentis & pignoribus*: ꝥ ıꞅ þonne ꞃıhꞇꞃe ꞇo aleoᵹanne. ðonne ꞇo ᵹelæꞅꞇanne. *i.* tunc juſtius eſt ut reſiliat,

liat, quàm impleat. *Vel, (ut Lambardus)* reſiliat potius quàm cœpto inſiſtat. *Alibi,* ᵹe hiom ᵹeſuᵹon eoƿꞃe ƿedde ⁊ eoƿꞃe aðaꞅ. *i.* Pignus & juramenta eis non præſtitiſtis. *Item,* heo hiꞃe ᵹehaꞇ aleah. *i.* votum ipſa violavit.

Vadium ad remanens.] 1387.4. *Vadimonium, fortè, vel pignus, penes quem deponitur, tanquam confiſcatum, remanſurum; conditione, vel re de quâ cavetur non præſtitâ.*

Valettus.] 2541.31. 2563.15. *& ſæpe. Alibi occurrit* Valectus. *Vox ſatis diverſæ ſignificationis. Nobilem enim pupillum quandoque ſonat, equitis ſcil. aut alterius viri nobilis defuncti filium & heredem, nondum maturæ ætatis, eóque alterius patrocinio & cuſtodiæ mancipatum. Interdum ingenuum & generoſum juvenem regi, aut magno alicui viro à ſequelâ & familiâ, puta à cubiculis, aut ejuſmodi. Heic autem miniſtrum militarem, juvenem bellicoſum: talem, ni fallor, qui alibi, quandoque* ſcutifer, *quandoque* ſerviens, *quandoque* armiger *nominatur; equiti ſcil. (militem vulgò vocant) à ſervitio vel miniſterio. Gallis* Valet, *apud quos hodie, ut & apud noſtratium poſteriores, vel equiſonum & ſimilium, nomen factum eſt, & in* **Varlet** *tandem tranſiit. De quo pluribus illuſtriſſ. Seldenus, Tit. Honor. par.2. ca.5. §.47.*

Vanga.] 1459.8. Unde factum eſt ut ruſtici imperiti *vangis* & foſſoribus aſſueti, armis militaribus gloriarentur inviti. *Ubi* foſſoribus *pro* foſſoriis. Foſſorium *autem, ut &* vangam *Voſſius vertit* ligonem. *Vocabular. Anglo-Latin. ann.*1440. *conſcript.* **Spade.** Vanga. Foſſorium. *Origo fortè à Saxon.* ꝼanᵹan, *quod Belgis* V. *pro* F. *amantibus,* vanghen. *i.e. capere, manu prehendere: nobis hodieq;* **to fang, or fong,** *unde &* **fangs,** *&* **fingers,** *pro manibus, & digitis: item & unguibus.*

Vaſſallus.] 1122.5,7,13,17,*&c. A* Vaſſus, *diminitivo vocabulo, cliens fiduciarius inferioris ordinis. Unde* Vaſſalagium, *h.e. Vaſſalli obſequium; quod, &* Homagium, *pro ſynonymis. Sunt qui & hoc &* Vaſſus, *à Latino* vas *deducunt: verùm ſi (ut Lindenbrogio traditum) vocabulum ſit ortu Gallicum, mihi perſuaderem ut veniat à Gall.* bas *al.* baſſe. *i.e. humilis, ſubmiſſus, inferior: unde juriſdictio quam* baſſam *vocant, altæ è diametro oppoſita. Talis etiam hominis ejuſmodi conditio: ſiquidem qui* Vaſſus *factus, domino & patrono ſuo redditur devotus*[a], *addictus, ejuſque poteſtati & dominio ſupponitur, ſervitium & voluntatem ſuam, tanquam homo ejus (ut loquuntur) ſubiturus. Huic aſtipulatur vocis* (baſſus) *eopſe ſenſu uſurpatio in quibuſdam LL. Aleman. & Longobard. locis à Lindenbrog. & Spelmanno in Gloſſar. ſuis jam ſignatis. Adde (quod me docuit Martinius in Etymologico)* B. *in* V. *conſonum in ſcripturâ Longobard. (quibus iſta vox mirè familiaris) mutari ſolitum. Item* B. *&* V. *Gothiſmo confunduntur. Idem Martin. in voce* Ovis. *Nec hoc Longobardis peculiare, ut Voſſio monitum in voce* Scuria. *Hinc fortè* Ballivus *(i. præpoſitus) quandoque ſcribitur* Wallivus, *quomodo apud Hundium in Metrop. Salisburg. to. 1. pa.*425. *Hinc porro* Vandum *(vexillum aut ſignum militare notat) pro* Bandum. *Sanè* B. *&* W. *pro unâ literâ apud Germanos ferè haberi Beſoldo obſervatum, in* De nat. Pop. *cap.*18. *pag.*83. Vaſſallus *autem quandoque ſcriptum occurrit* Waſſallus. *Nec plus mirandum hîc,* B. *in* V. *mutatum, quàm è contra* V. *in* B. *quomodo in voce* Baro, *quam à Latino* vir, *viri quidem doctiores, & judicio præſtantiores corruptam exiſtimant. Vide Aldi Manutii Schol. in C. Jul. Cæſar. Commentar. pag.* 121. *& Bonavent. Vulcan. not. in Jornand. pag.* 180.

Vaſtellum.] *Vide* Simenellus.

Vaſtum.] 1887.52. *Significat terrarum ſive domorum devaſtationem. Vulgò;* **Vaſt.** *Vide* Annus & Vaſtum.

Vavaſor.] 1399.47. Vavaſſor. 473.62. *Idem (uti cenſet Cl. Seldenus) ac* meꝺmeꞃa ðeᵹen. *i.* mediocris Thainus, *Saxonibus. Vide* Milites, *& Cowellum, in voce; inprimis autem eund. Selden. Tit. Honor. par.2. ca.5. ſect.4. pag.*625,*&c.*

Velvetum.] 2741.52. *Sericum villoſum: pannus holoſericus. Vulgò,* **Velvet.**

Venarium.] 931.32. *pro* venatione; *ferarum ſcil. ſectatione, ſive perſecutione, quod Gallis* venerie, *Sax.* hunꞇaþ, *al.* hunꞇnoþ.

Venatio.] 803.54. 1024.30. *Ferina; ſic dicta quòd venatione capiatur: Gallis* venaiſon, *unde noſtratium* **Veniſon.**

Venella.] 1921.14. 2143.18. *Viculus, angiportus, vulgò,* **a Lane.** *Hinc fortè Gall.* venelle du lict, *pro ſpatio inter lectum & murum. Vocem habes crebrò in Antiquitat. urbis Cantuar.*

Venia.] 1937.21. ——quod fratres noſtri ad *Venias* ſint domi in capitulo, *&c. Ad veniam ſc. pro delictis, regulæ nimirum monachicæ violationibus, petendam, & impetrandam.*

Veronica.] 1221.25,30. *Gallis* Veronique. *Chancero noſtro* **Vernacle**; *quod quibuſdam œnopoliis, ut & aliis domibus urbanis olim pro inſigni præ foribus appenſo. Verbi amplior explicatio ex ipſo loco petenda.*

Veſtiarium.] 1300.14. *In eccleſiâ locus ſacris veſtibus reponendis. Vulgò,* **a Veſtry.**

Veſtura terræ.] 767.14. *Segetes quibus terra veſtitur: unde & nomen. Monendum hîc, quòd in lege Saxonicâ, ubi hæc habentur, quædam ſunt quæ hac in verſione planè deſiderantur, viz.* ꞅe ðe hæꝼþ ꞇyn hýꝺa. ꞅe ꞅceal ꞇæcan ꞅýx hýꝺa ᵹeꞅeꞇꞇeꞅ lanꝺeꞅ. *i.* qui decem occuparit terræ hydas, is dimittat ſex hydas ſegetibus ſatas.

Veterum cantuum codicellus.] 1389.43. *Ita hîc vocatur liber ille, quem Roger. Hovedenus, fol.* 283.*a.* **Toper** *pro* Troper, *vel* Tropar, *nuncupat, Matthæo Pariſio & aliis* Troparium, *de quo vide Watſium, & Voſſium in voce: item Cl. Selden. not. in Hengham, pag.*141,142.

Uſſers.] 1195.17. Præterea rex Tancredus dedit regi Angliæ quatuor magnas naves quas *Uſſers* vocant, & xv. galeas. *Naves has Hovedenus, fol.* 391.*b.* Uiſiers *nominat. Cur ita dicantur, non liquet. Fortè fuerit vox loci propria: Utcunque, iis ſimiles fuiſſe conjicio quæ in annalib. monachi S. Pantaleonis apud Coloniam Agrippinam, ad ann.* 1203. Uiſariæ *dicuntur, & poſtea apud eundem, ad ann.* 1224 Uſſeriæ: *quæ quidem, uti hæ, grandiores: V. Voſſ. in* Uſaria.

Viagium.] 2540.48. 2566.11. *& ſæpe. Iter, expeditio, profectio. Vulgò,* **Viage,** *Gallis* Voyage: *à* via.

Vj. hundus homo.] 767.31. *Vide* Hyndenus homo.

Villanagium.] 1435.44,45. *Propriè & preſſè ſumptum*

[a] Quâ de voce vide Hotoman. Diſput.cap. 3. verſus fin.

ſumptum ſervitutem ſignat à villano, i. colonaria conditionis viro, vel villa adſcriptitio, obita; quandoque tamen ponitur pro manerii vel feudi circuitu cui villani adſcribuntur; quandoque pro villanorum cœtu; quandoque, ut hîc, pro terrâ ſic à dominicâ diſtinctâ, ut cum hac à domino ſibi reſervetur, illa colonis, villanis, & id genus fructuariis elocetur: ac eadem, ni fallor, eſt qua Saxonibus, al. neaꞇ-lanꝺ, *al.* uꞇlanꝺ, *quandoque* ᵹaꝼollanꝺ, *dicta. Unde eſt quod hîc* dominia, *&* villanagia, *ut contraria, opponantur. Vulgò,* **Villenage,** *Gall.* fief roturier, *al.* heretage en roture.

Villata.] 1409.58. 1410.52. 1411.1. *& alibi. Pro* villa, *vel* villula. *Gallis* villette, *item (ut & Anglis)* Village.

Villenagium.] 2635.3. *Servitutis jugum: ſervorum ejuſmodi ſtatus & conditio, quos* **Villaines,** *i. mancipia dicimus. Vulgò,* **Villenage.**

Virgata terræ.] 767.18. *Saxonicè (inquit Lambardus)* ᵹẏꞃꝺlanꝺ, *nunc vulgò,* **Yard-land;** *fundi nempe menſura quantitaſque pro ratione loci diverſa; nonnullis enim in locis ex 20. aliis ex 24. aliis ex 30. conſtat acris.*

Viſibilis.] 147.11. ——viſibiles hoſtes, *&c. mendosè pro* riſibiles: *de quo vide* Inſibilis.

Viſnetum.] 1387.13. 1917.56. *Quandoque* vicinetum. *Vicinia. Gallis* voiſinage. *Quod apud Mat. Pariſ. Hiſt.* 100.50. *habetur* Inſuero, *corrigendum, ut horum priori locorum,* Viſneto. *Aliam vocis notationem vide apud Voſſ. pag.637.*

Viſus franci plegii.] 2015.48. *Eſt inquiſitio aut examinatio an omnes duodecim annos nati, ut ultra, liberum plegium habeant, id eſt ſponſorem vel vadem capitalem, quòd regis pacem conſervarent. Hoc apud majores noſtros in uſu fuit. Sed hodie ſtatur juramento cujuſque qui annum duodecimum compleverit. Hoc autem pracipuum eſt, quod in Curiâ vel conſeſſu quem* Letam *vocant, fit. Plura vide apud Spelm. in vocib.* Francus, *&* Leta.

Vitulinium.] 2037.19.21. In primis decreta mea in *vitulinio* ſcripta in aſſeribus nigro corio coopertis. Item Decretales in *vitulinio* in corio ligatas. *Pellis vitulina, illa nempe membrana, quam Galli* Velin, *nos* **Velame,** *al.* **Velome,** *dicimus.*

Viva pecunia.] 213.23. *Idem quod* Vivens captale. 841.1. *quid autem autem hoc, vide ſupra, in* Captale.

Ulcus.] 897.57. *Vide* Ceol.

Unceaſes ath.] 764.28. *Sic enim, quod ibi* ax, *corrigendum. Voces ſunt Saxonica, juramenti genus exprimentes, ab utroque interprete, authori noſtro ſc. & Lambardo, perperam explicati.* ⁊ ðæꞅ ꝺeaꝺan maᵹaꞅ him ꞅpeꞃian unceaꞅeꞅ aþ. *Text. Roffenſis rectiùs,* unceaꞅꞇeꞅ aþ. *i.e.* cognati verò (*furis*) interfecti jusjurandum præſtant (*cædum ejus*) ſe non vindicaturos. ceaꞅꞇ *enim Saxon. lis, jurgium, inimicitia; cui* un, *adverſativâ particulâ, prapoſitâ, contrarium ſignat. Juramento huic illud affine in ejuſdem Ina regis LL. cap.24.* aþaꞅ unꝼæhþa *dictum, juramentum ſcil. de* faidâ *illâ deponendâ, quâ, pro more veterum Germanorum, (Tacito teſte) quis propinqui ſui inimicitias ſuſcipere teneretur. De quo vide doctiſſ. equitem Spelmann. & Voſſ. in* Faida.

Unfrithmannus.] 900.16. *Vide* Frithmannus.

Ungebendro.] 898.28. Homo qui hamſocnam faciet intra portum ſine licentia, & ſummam in fracturam agat de placito *ungebendro,* vel qui, *&c. Ubi quid ſibi velit* ungebendro, *non eſt apertum: fortè,* ſine licentia. *Locus autem adeò corruptus eſt, ut vel conjectura vix locus.*

Ungeld.] 900.20. *Vide* Agilde. Botolos. Emenda. Inſolutus. Orgild.

Ungilda akere.] 898.29. ——jaceat in ungilda akere. *De eo dictum (ſi ſenſum loci teneam) qui quid mali faciendo vitam amiſerit, ideoque inter ſui ſimiles, compenſatione & ſepulturâ Chriſtianâ mulctatos, foràs projiciendus eſt. Vide* Ungeld.

Unlage.] 924.2. *A Saxon.* unlaᵹa, *quod iniquam legem ſignificat. ab* un, *particulâ privitivâ, &* laᵹa, *lex.*

Uſuagium.] 2566.59. *Uſus. Gallis & Anglis,* **Uſage.**

Utheſium.] 1917.17. *Vide* Hutheſium.

Utlagaria.] 982.64,66. *Quod hîc* utlagaria, *Textus Roffen. Saxonicè exhibet* uꞇlaᵹa ðinᵹa, *i.e. delictum quid authorem reddens exlegem. Unde Forenſium noſtror.* **Outlary,** *illo ſenſu. ab* uꞇ, *extra, &* laᵹa, *lex. Idem eſt*——

Utlagium.] 923.53. Et qui opus *utlagii* fecerit, *&c. Saxonicè* uꞇlaᵹeꞅ ƿoꞃce, *id eſt, maleficium, cujus causâ author omni legis patrocinio fuerit excluſus.*

W

WAlda.] 2140.32. *Sylva illa Cantianis pariter ac Suſſexianis decantatiſſima, Ethelwerdo olim ob immenſitatem & opacitatem immanis dicta, vulgò,* **the Weald,** *aliàs* **the Weald of Kent;** *de quâ Cl. Cambdenus, ſemel iterumque. Vox eſt à Sax.* ƿalꝺ, *al.* ƿealꝺ, *i. ſylva, ſaltus, tractus ſylveſtris. De ſylvâ ſic dictâ, multis Lambardus in Cantio ſuo, pag.209, &c.*

Waliſcus.] 764.17. Regis equi *Waliſcus,* qui nuntiare poſſit ad eum, weregildum ejus eſt CC. s. *In eundem ſenſum Lambardus:* equiſo regis Wallus, *&c. Haſito. Sanè* cẏninᵹeꞅ hoꞃꞅ ƿealh, equiſonem regium *ſignat:* ƿealh *enim hîc, non* Wallum, *ſed* ſervum (*Aelfrico* mancipium) *notat. Vide LL. Ethelred. apud Lambard. par.2. cap.7. ubi ipſe, ut author noſter hîc, col 900. lin.4. Sax.* ƿealh, *Latinè* ſervum *vertit. Ita ut* hoꞃꞅ-ƿealh *idem ſit ac Saxonib. aliàs* hoꞃꞅ-ðeᵹn, *pro equiſone, vel equorum cuſtode; domino ſcil. à re equariâ. Cui (ni fallor) affine poſteriorum* **Rad-cniht,** *al.* **Rod-knight,** *id eſt, ut opinor,* miniſter equeſtris, *vel qui domino eſt à ſervitio equeſtri, vel ab equitatu; ut qui, lege pradii ſui, cum domino equitare teneretur. De quo vide Bracton. li.2. de acquir. rer. dom. cap. 16. & 35. & Flet. li.3. cap.14.*

Walla.] 1930.61,62. Wallia. 1937.26. Wallea. 2141.62,63. *Murus; vulgò,* **a Wall:** *à Saxon.* ƿeal, *Belg.* **Walle:** *è ceſpitibus propriè: ex Latino* vallum. *Hinc murus ille, agger ſc. mari objectus, apud Romneienſes in agro Cantiano, vulgò,* **Dimchurch-wall** *dictus.*

Wallicus.] 725.8. Poſtquam contigit *Britones* modo *Wallicos,* à quodam duce eorum *Guallone* ſive à *Galaes* reginula ſic vocatos, *&c. In eandem ſententiam, Galfridus ille Monimuthenſis, & ejus ſequaces, non pauci. Quam ut mittam, utpote à doctis viris ſatis jam convulſam, Giraldum illum*

Cambrenſem, ejuſdem ævi ſcriptorem, audiamus: Wallia (*inquit*[a]) non à Wallone Duce, aut Wendoloena regina, ſed à barbaricâ potius nuncupatione nomen accepit. Saxones enim regno occupato Britannico, quoniam linguâ ſuâ extraneum omnem *Wealh* vocant, gentes has ſibi extraneas Wallenſes vocabant, & regionem Walliam. *In eadem ferè verba Polydorus Vergilius, (hujus, ut apparet, aſſertionis non primus inventor, etiamſi ſic glorietur, ut D. Powello ad Giraldi marginem & alibi, rectè obſervatum:) Hiſtor. Angl. li.1. quem etiam vide lib.3. Hos ſequuntur Paul. Jovius à Vito Baſingſtochio exhibitus, Notis ad Hiſt. Brit. li.9. cap.7. Humphr. Lhuyd. Deſcript. Britann. Fragmen. fol. 46.b. Guil. Lambard. verb. explicat. ante archaonom. in voce* Wallus, *prædictus etiam D. Powell. Deſcript. Walliæ, loci Hiſtoriæ præfixâ. Guiliel. Cambdenus, in Britannia ſua, de Cambro-Britannis & Cornubienſibus verba faciens, & plures alii: quibus ipſe potius aſſentior quàm aut Monimuthenſibus illis, aut aliis, qui vocem* Wallicus, Walliſcus, Wallus, *à Gallo ducunt; ut &* Wallia *à Gallia, quaſi gens ſic dicta originitus fuerit Gallica, & inter Gallos, Saxonum opinione, cenſenda, numerandaque. Sic inter noſtrates Richardus Verſteganus, Reſtitut. ca.5. quem in hunc finem citat Spedus noſtras de Wallis agens, & alii quidam. Inter exteros autem, Buchananus, Rerum Scotic. li.2. (quem citat doctiſſ. Cambdenus, in Britann. cap.1. haud procul à fine) ſed & Philippus Cluverius, in German. antiqua, lib. 1. ca.9. necnon Gerard. Voſſius, de vitiis ſermo. lib. 2. ca.20. pag.317. Inter utrumque etymon incertus hîc incedit (inter alios) Spedus noſtras, ut ſupra. Horum autem poſteriores (qui ſcil. Walliam à Gallia, & Wallos à Gallis denominatos aſſerunt) gentem ſic dictam putant à Saxonibus (Teutonicæ originis, & Teutonicam dialectum ſequutis)* W. *pro* G. *uſurpantibus. Britones autem ſic (Gallos ſcil.) vocaſſe credunt Saxones, quia inſulam hanc ingreſſi, populum non ſolùm Gallicè loquentem, ſed & moribus cultuque Gallis fuiſſe adſimilem deprehenderunt. Iis autem aſſentiri non poſſum; ſiquidem vox iſta* ƿealh, *pro Britanno, non à primo Saxonum in hanc inſulam adventu, (ut aſſertionis illius authoribus allegatum) nec per aliquod temporis ſpatium poſtea, donec ſc. Britanni in univerſum everſi, & in extera loca fugati erant, inolevit, imò nec à Bedâ, (datâ licet opportunitate quàm idoneâ, lib.5.ca.10.*[b]*) qui Hiſtoriam ſcripſit anno Chriſti 731. vocem Walli aut Wallia, nec ab Aluredo rege, ejus (ut fertur) interprete Saxonico, qui regnare cœpit anno ſalutis 871. & deſiit ann 900. vocem* ƿeallaꞅ *hoc ſenſu uſurpatam invenio: ſed ejus loco* Britones, Britanni, Britannia, *Latinè; Saxonicè verò* Bꞃẏꞇꞇaꞅ, Bꞃeoꞇene, Bꞃeoꞇon, Bꞃeꞇene, Bꞃẏꞇene, *aut ſimil. Gallia interim regno, non* Wallia, *ſed ut hodie Latinè* Gallia; *Saxonicè verò* Gallıa, Gallıe, Gallıaꞃıce: *populo Gallico,* Galleaꞅ, Gallıacẏnne, *aut ſimiliter; non* ƿalleaꞅ, *per totum librum nuncupatis: uti, devictis tandem Britannis, qui in Galliæ tractum Armoricanum transfretarunt* Galƿealaꞅ *nominarunt Saxones. Hoc autem quàm incongruè, ſi Gallia & Wallia idem eſſent ſenſu; cum in patriam jam, quaſi poſtliminio, reverſi, & priſtinis ſedibus potiti,* Galleaꞅ *potius, ſaltem* Bꞃẏꞇ-Galleaꞅ (*uti & regionem & linguam illam Armoricanam, Brittonantem vocant) Saxonicè nominarentur, non autem* Galƿealaꞅ. *Quippe ſi Wallus Gallum, Wallia Galliam, apud Saxones ſignificarit; cur ab eis mutaretur hîc litera* G. *in* W. *retentâ interim ab eiſdem eadem litera* G. *in vocibus Gallia, & Gallus? Regeret fortè quis Britwalorum, ut & Walorum mentionem in Chronologiâ Saxonicâ factum ante Britannorum plenum exterminium, & in partes Walliæ profligationem. Reſpondeo. Nil refert; nam & ante Saxonum in hanc inſulam à Britannis invitationem utriuſque mentio fit, quemadmodum & Britwalanorum in Annalib. Sax. à RR. Armachano citatis*[c]*, vel Lucii regis avo. Unde luce videtur clarius Chronologiam illam aliquamdiu poſt excidium Britannicum fuiſſe conſcriptam, authoremque pro ætatis ſuæ more loquutum, cujus etiam rei argumentum dat, & Beda, & interpretis ejus (ut alios taceam illorum temporum hiſtoricos) altum de voce* Wallus, *aut* ƿealh *pro Britanno (ut jam monitum) ſilentium: quæ quamvis in LL. Inæ regis, Aluredi præceſſoris, non ſemel occurrat, hæ tamen non niſi longè, per centum ſcil. ad minus annos, poſt excidium Britannicum, latæ fuerunt leges. Præterea, nomen* ƿealh *Cambro-Britannis contumeliæ vel ignominiæ cauſâ datum perhibent Balæus, Buchananus; (ideóque fortè Ninio, & Aſſerio, hominibus Britannis, omiſſum, quorum poſterior Angliam vocat* antiquam Britanniam:) *quid autem contumeliæ, vel ignominiæ in illo nomine à Gallia vel Gallis ducto? Dicitur inſuper nomen iſtud* ƿealh *Cambro-britannis in hunc uſque diem penitus eſſe ignotum, qui aliud interim nomen haud agnoſcunt quam* Cambrorum. *Eſtne autem veriſimile nomen iſtud eos adhuc latuiſſe ſi (ut iſta clamat derivatio) à voce Gallus, aut Gallia petendum ſit? Hac igitur etiam rejectâ, reſtat ut alteram, à* ƿealh *ſcil. pro extero vel peregrino, pro virili corroboremus. Vel hinc autem ſat planè liquet Wallos inter peregrinos apud Saxones olim habitos, quod in LL. Inæ regis Anglo-Saxonici, cap.22. ubi agitur de peregrino cæſo compenſando, Walli, perinde ac ſi eſſet exterus vel peregrinus, expreſſa mentio ſit. Porrò, peregrinæ ſive alienæ linguæ peritus, ſive interpres, Saxonum linguâ erat* ƿealhꞅꞇoꝺ, *al.* ƿalhꞅꞇoꝺ, *ut apud Bedam & alios videre licet. Falconum etiam apud Cambrenſes quoddam genus eſt, quorum meminit Giraldus in ſuo loci Itinerario, egregios vocans & generoſos; hoc addito, quòd apud regem Henricum ejus nominis ſecundum, maximi fuerunt æſtimii, veluti reliquis omnibus in terrâ ſuâ nobiliores & præſtantiores. Ii autem accipitrariis (Cambdeno teſte) peregrini dicti: iidem fortè ac Gallis* Falcons Pelerins, *vulgò,* **Paſſengers.** *Falconi ſic dicto reſpondet, ni fallor, Saxonum* ƿealhaꝼoc: *voci enim ſimplici* haꝼoc, *quâ uſi ſunt pro falcone vel accipitre; ut peregrinitatem ejus exprimant, præpoſuere* ƿeal, *quod & factum in voce ſupra,* ƿealhꞅꞇoꝺ. *Hinc* ƿeallen *eis pro peregrinari, migrare, iter facere, exulare. Unde illud Canon. Edgari reg. apud doctiſſ. equitem, Concil. to.1. pag.468. cap.46.* oððe oꝼ eaꞃꝺe ƿeallıᵹe ƿıꝺe ⁊ ꝺæꝺboꞇe æꝼꞃe þa hƿıle þe he lıbbe. *&c. i.* vel à patriâ *peregrinetur* latè, & pœniteat ſemper dum vixerit; *ut & illud etiam ibid. pag.470. cap.10.* Ðeoplıc ꝺæꝺboꞇ bıð ꝥ læƿeꝺe man hıꞅ ƿæpna lecᵹe. ⁊ ƿeallıᵹe bæꞃꝼoꞇ ƿıꝺe. ⁊ *&c. i.e.* Profunda eſt pœnitentia (*illa*) cum laicus arma deponat & latè *peregrinetur* nudus pedes,

&

[a] In Walliæ Topograph. cap.7.

[b] Unde (Angli & Saxones) à vicinâ gente Britonum corruptè Germani noncupantur.

[c] Primord. ca.3. p.36.

& *&c. Nec aliunde fortè nominis illius gentilitii fons, apud noſtrates ſatis noti,* **Waller,** *quo cum eruditiſſ. Cluverio, peregrinatorem intelligo, vulgò,* **a Wanderer, or Pilgrim**; *cujuſmodi, ut videtur, erat ille qui nomen illud primus obtinuit. Hos inter peregrinatores, qui religioſarum expiationum gratiâ Hieroſolymam, Romam, Compoſtellam, aut alia habita & credita ſancta loca, ſuperioribus ſæculis petierunt, nuncupari voluere* **Walbruder**[a]. *Hinc itaque, hinc inquam, (à Saxon. nimirum* ƿealh, *&* ƿeallen) *ut mihi plenè perſuaſum, nomen illud, adulterinum, ut Giraldo; odioſum & ignominioſum, ut Balæo; contumelioſum, ut Buchanano dictum,* ƿealh, *&* ƿeallaꞅ, *Britannis ab Anglo-Saxonibus bello ſuperatis, & peregrinari coactis, impoſitum: quorum pars in Walliam, ideſt Cambriam; pars altera in Cornubiam; reliqui verò in Britanniam Armoricanam commigrarunt. Primos* ƿealaꞅ, *proximos* Coꞃn-ƿealaꞅ; *ambos autem quandoque* Bꞃiꞇ-ƿealaꞅ *nominarunt, ut à tertio Britannorum genere diſtinguantur, quos in Gallia ſitos, inde* Galƿealaꞅ *nuncuparunt Anglo-Saxones. Præter hos autem quoſdam Britones in Scoticam provinciam,* **Galloway** *hodie dictam,* Pictorum *olim patriam, ut hîc,* 316.33. *elapſos, & ſedes ibi acquirentes, reperio dictos* Galwalenſes, *de quibus Florilegus ad ann.* 907.921, *&c. ut & de rege Galwalliæ, ad ann.* 974. Stræcledwalorum *inſuper nomen occurrit in Chronolog. Saxon. ann.* 875. & 924. *quos Aſſerius Meneven. & Florent. Wigorn. ad ann.* 875. Stratdutenſes *vocant. Apud eund. Wigorn. ad ann.* 901. Streatgleduwalorum, *ut ad ann.* 921. Streatgledwalorum *mentio, quos Florilegus ad ann.* 907, 921, 924. Galwalenſes *appellat. Hos Roger. Hoveden. ad ann.* 899. Stercglendwalos; *ad ann. autem* 917. Strecglendwalos *nominat. De his etiam ſæpe in hoc opere, aliter atque aliter, ut & hîc, ſcriptis. Hos fuiſſe Cambros quidam exiſtimant. Cum autem & Cambros & Streatgledwalos, ut diverſos, ſub eodem anno commemoret Wigornienſis, ad ann. ſcil.* 901. *ut & Hoveden. ad ann.* 899. *mallem Britannos quoſdam hîc intelligendos, Gallovidiæ apud Scotos olim incolas; inde autem poſt annum Chriſti* 870. *à Pictis fortè pulſos in Cambriam ad contribules ſuos migrare coactos, ſedemque capeſſentes apud Walliæ partes ſive pagos illos aquilonares hodie* **Flint-ſhire,** *&* **Denbigh-ſhire** *vulgò dictos; ubi Cludæ fluminis ripas coluere, conſtituto ibi regno, quod (nomine à loco ſumpto)* Stratecluyd *nominarunt, de quo ante memoratus Lhuydus in Deſcript. Brit. Fragmento, fol.*26.*b. ſic*: Conſtatque has regiones (*Cambrenſes*) cum Gallovidia uſque ad Cludam amnem ad annum noſtræ ſalutis 870. à Britannis poſſideri, quo tempore à Scotis, Danis & Anglis multis bellis laceſſiti, & tandem Conſtantino eorum rege ad Lochmabam in Anandra occiſo, in Cambriam ad contribules ſuos migrare coacti ſunt: regionemque omnem inter Conovium & Devam, pulſis Angloſaxonibus, qui majorem ejus partem occupaverant, ſibi vendicavere; conſtitutoque ibi regno, quod à flumine Cluda, cujus ripas coluere, **Stratcluyd** à noſtratibus, à Mariano Scoto corruptè **Streadiglead** Walanorum dicebatur. *De hoc idem iterum poſtea, fol.*56.*a.* Deinde verò à Britannis ex Scotia venientibus, pulſis Anglis, habitata cum valle Cluydæ Rhyſoniaca & Roſſia regnum conſtituit, quod Marianus **Streudglead,** noſtri verò **Stradcluyd,** id eſt, Stratum Cluydæ dixere: nam Strat nomine fluvii addito, Cambri terræ tractum fluvio vicinum denominare ſolent, ut **Strad Alyn, Strad Clowy,** & hujuſmodi multa. *Sed Walliâ relictâ, ad reliqua pergamus.*

Wapentakum.] 896.8,23. 956.52, *& ult.* Wappentaga. 1162.33. 1173.4. *Vocem explicatam invenias col.*957.2. **Wapentake** Anglici idem eſt quod arma capere, eo quod in primo adventu novi domini ſolebant tenentes pro homagio reddere arma ſua. *Paulo infra:* **Wapentake,** *&* **Hundredus** idem ſunt, quia procinctus C. villarum in adventu novi domini ſolebat reddere arma ſua. *Hæc ad vocis ſenſum ſatis. Etymon autem à Sax.* ƿæpn, *telum; &* ꞇæcan, *dimittere, ſeu potius* beꞇæcan, (*unde noſtratium* **to betake**) *tradere, committere. Sermo. Cathol. à doctiſſ. Wheloco, notis ad venerabilis Bedæ Hiſtor. exhibit. pag.* 238. Ic þe beꞇæce heoꝼonan ꞃiceꞅ cæᵹe. *i.* Ego tibi regni cœleſtis clavem trado. *Atque hinc fortè aquilonarium noſtrorum* **Tacke** *pro firmâ, villâ ſcil. vel prædio elocato: quòd ad cenſum vel redditum alteri colendum tradatur. Non me latet alios poſteriorem vocis partem* **take,** *vel* **tac,** *à Sax. ut volunt* ꞇac, *pro tactu, derivaſſe: ſed falluntur;* ꞇac *enim tali ſenſu Saxonibus prorſus incognitum.*

Warantis.] 900.61. *alibi* Warantus, *al.* Warrentus. *Qui alteri obſtringeretur ad evictionem præſtandam. Hinc verbum* warantizare, 699.35. *pro alteri accommodare ſuam in tuendo illo authoritatem, nec illud ſolùm ſed & obligare ſe ad rei evictionem præſtandam: hoc eſt, ut aliam ejuſmodi æquivalentem ei tribuat. Hoc Forenſibus noſtris* Warantizatio, *de quo infra,* 1879.1. *Atque hinc (ni fallor) ortum noſtratium* **Grant,** *pro conceſſione, & chartâ ejuſdem: quòd ut plurimùm conceſſiones (rei præſertim venditæ) venditoris obligatione ad evictionem præſtandam, firmentur. Fidem his facit Gallorum mos, qui ſemper* g. *utuntur, pro noſtratium* w. *unde quod nobis* warrantum, warrantia, warrantizare, *ipſi habent* garandia, garantia, garantum, garantizare, *ut apud Spelm. Vocis origo, ut conjicio, à Sax.* ƿeꞃian, *tueri.*

Warantum.] 2624.32. Warentum. 2678.50. *Ratihabitionis ſyngrapha; quâ ſcil. quid ratum & acceptum habetur. Vulgò,* **a Warrant.** *Vocis habes originem ſupra, in* Warantis.

Warda.] 1864.24,32. 2019.65. 2197.61. *Primo locorum, pro ſervitute illâ reali feudi militaris, ut vocant, propriâ, quâ dominus tam curam feudi, idque in rem ſuam ſine rationibus reddendis, durante minori ætate feudatarii; quàm etiam tutelam & educationem ipſius hæredis habet. Gallis hoc, noſtratium, ut dixi,* w. *in* g. *mutare ſolitis.* Guardia, *id eſt,* Cuſtodia. *Vox eſt, ni fallor, à Sax.* ƿeꞃian, *tueri, defendere, Germ.* **waeren,** *al.* **waerden.** *Unde* Warda, *locorum hic ſecundo, & tertio, pro quadam urbis parte unius aut alterius Aldermannorum (i. Senatorum) curæ & cuſtodiæ commendatâ. Vulgò,* **a Ward.**

Wardewithe.] 957.38. Wardewithe eſt ſurſiſe de garde. *Rectiùs* Ward-wite. *i. mulcta ob cuſtodias neglectas. à* ward, *cuſtodia, &* wite, *mulcta. Ad immunitatem etiam à tali onere vel ſervitio vox extenditur, ut apud author. Term.*

---

[a] *Reiner Reinec. Append. ad Chron. Slavorum. Adde &* Walones, *exteri ſcil. conſcientiæ cauſa huc confugientes, hinc ſic dicti, al.* **Strangers.**

Jur. in voce. Vide Flet. lib. 1. cap. 47.

Wardpeni.] 1435.42. *Nummus ſive denarius cuſtodiarum cauſâ exactus: item immunitas à tali onere.*

Warenna.] 2134.10,15. Warennia. 2015.33. *Gallis* garenne. *i. vivarium. Hæc autem apud nos poteſtatem ſignificat, vel chartâ regiâ, vel præſcriptione obtentam, venandi ſibi cuniculos, aut lepores, vel etiam aucupandi phaſianos & perdices intra limites feudi ſui. Vulgò*, **a Warenne.** *A Sax.* ƿeꞃian, *tueri, defendere; quòd talibus in locis, feræ & animantia ſepti ope cuſtodiantur.*

Waſtellus.] *Vide* Simenellus.

Wealh.] 763.35,42. Wallus. *i. Cambro-Britannus. V.* Wallicus. *Niſi malis* Servus, *quem Saxones quandoque ſic vocarunt, unde eorum* hoꞃſƿealh *pro equiſone. V.* Waliſcus.

Wealreaf.] 897.48. *Mortui, maximè cæſi, ſive tumulati ſive tumulandi ſpoliatio: cujuſmodi videtur furtum illud, de quo apud equit. Coc. Inſtitut. par.3. p.110. quod inauditum vocat, viz. cadaverum effoſſio, & involucrorum ſive linteaminum direptio. Tales ſepulchrorum effractores Græcis* τυμβώρυχοι. *Adi Gloſſar. Lindenbrog. in voce* Walaraupa, *item* Wargus, Noſſo. *Vocabulum planè eſt compoſitum: ductum fortè à Sax.* ƿæl, *i. ſtrages, &* ꞃeaꝼ, *ſpoliatio, expilatio: q.d. ſtrati & extincti ſpoliatio. Fuſiùs autem de hoc in Tractatu noſtro de* **Gavelkind**, *cap.3.*

Weif.] 2015.53. 2016.9. *Bona derelicta, cujus dominus non apparet. Forenſi latinitate* Waivium, *à Gallico* Guaive, *al.* choſes guaives, *illo ſenſu. Item animalia oberrantia, à Gall.* Eſtraires, *vulgò*, **Eſtrayes**, *al.* **Strayes**, *Latinâ formâ* Extrahuræ; *Anglico vocabulo, hodie obſoleto & ſopito*, **Cumelings**, *al.* **Comelings**, *quod Saxonibus olim pro advenis. Vide Spelm. in voce* Albanus. *Codex antiquus eccleſiæ Cantuar. MS.* **Weif.** Aver chatel ke homme weive par defaute de garant, ou kemeling. *V. Flet. li.1. cap.27.*

Wera.] 762.41. 926.23. *& alibi ſæpe. Capitis æſtimatio: pretium hominis. Anglo-Saxones enim (à quibus vocem accepimus) ſtatutâ capitis æſtimatione, quamplurima facinora mulctâ pecuniariâ plectere ſolebant: cujus gratiâ æſtimabantur quique, & à ſummo ad infimum capite cenſebantur ſinguli, de quo ſupra in* Hyndenus homo. Wera *autem hîc,* κατ᾽ ἀποκοπὴν *pro* Weregyldum, *quod vide.*

Weræ fractio.] 765.44. Omni homini liceat firmationem & *weræ fractionem* negare ſi poſſit & velit. *Rectiùs, ni fallor, ſic:* Omni homini liceat firmationem & *weræ factionem* affirmare, ſi poſſit, & audeat. *Quid autem ſignificet* firmatio, *vide ſuo loco.* Weræ factio, *eſt* faidæ, *inimicitiarum ſc. propinqui mei ſuſceptio pro ratione capitis æſtimationis: nempe ut eatenus pro eo reſpondeam, & cauſam ejus præſtem. Hoc etiam ex Sax.* onſacan *hîc colligendum, quod* affirmare *ſignat, non, ut hîc, & apud Lambardum,* negare: *unde vocem* onſaᵹu *in LL. Ethelredi, cap. ult.* affirmationem *malè vertunt ambo.*

Weræ lada.] 927.7. *Purgationem ſignat ſecundùm purgandi natale; cum tot ſc. conjuratoribus, quot pro ratione natalis ejus (capitis nimirum æſtimationis) qui purgandus eſt, jure requiruntur. Saxonibus enim, ut cujuſque erat capitis æſtimatio; ſic ei facta eſt criminum, ſive majorum, ſive minorum, purgandorum copia. Veterum enim, ut & modernorum opinione, quo quis erat opibus affluentior, eo fuit fide dignior, & in jurejurando religioſior. Hinc illud in LL. Hen.1. cap.64.* Thaini jusjurandum contra valet (*i. æquivalet*) jusjurandum ſex villanorum. *Dictio eſt compoſita à Sax.* ƿeꞃe, *propriè, homo; tralatitiè, pretium vel valor hominis: &* laꝺe, *purgatio, emundatio. Hinc autem* ſecundum Weram negare, 762.58. *i.e. ſecundi capitis ſui æſtimationem ſe purgare, tot ſcil. & talibus adhibitis conjuratoribus, quot & quales gradui, vel conditioni ſuæ conveniant.*

Weregildum.] 762.43,57. 764.18,22. *Interdum ipſam* Weram *ſignificat; interdum autem & ſæpius (ni fallor) illam partem ejuſdem occiſi cognatis pendi ſolitam, (quæ qualis fuerit & quanta, vide LL. Hen.1. cap 75.) reſiduo ejuſdem, partim in* manbotæ, *partim in* witæ *compenſationem converſo. Vide eaſd. LL. cap.69. Vocabulum effictum conjicio ex Sax.* ƿeꞃe, *Latinè* wera, *de quâ ſupra (non, ut quibuſdam*[a] *viſum, à* werra, *quod pugnam & cædem notat:) &* ᵹylꝺ, *ſolutio, pretium, valor. Partem hujus dixi cognatis cedere, unde Saxonum* mæᵹboꞇe, *quibus inſtitutum hoc à Germanis priſcis traductum, de quo Tacitus in libro de German. moribus:* Suſcipere tam inimicitias, ſeu patris, ſeu propinqui, quàm amicitias, neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certa armentorum, ac pecudum numero; recipitque ſatisfactionem univerſa domus, *De hoc plura potes apud Cl. Selden. Jan. Angl. li.1. §.32. Voſſ. Gloſſ. verbo* Wirgild. *Martin. etiam in ead. voce, & Spelm. in* Cenegild.

Weregelthef.] 957.34. *Rectiùs* Weregelt-thef. *i. (inquit Fleta, lib.1. cap.47.)* latro qui redimi poteſt: *cujus vita ſcil. pretio, pro capitis ſui æſtimati ratione, perſoluto, redimatur, puta occulti latrocinii reum; ſecus autem, ſi manifeſti. Vide* Opentheſt. *Quantum interim erraverit author noſter in vocis explicatione, hinc ſatis eſt apertum. Eſt autem à* ƿeꞃe. *i. hominis pretium;* ᵹylꝺ, *ſolutio, &* ꝺeoꝼ, *latro, fur. Idem qui*——

Werigildus fur.] 767.45. *De quo etiam dictum,* 762.43. *Ubi (quod non tacendum) lex ſic emendanda:* Si fur capiatur, morte afficitor, vel vitam ſuam werigildo redimat.

Werhades.] 858.57. ——ſit *werhades*, ſit *wifhades*, ſit alterum, ſit alioquin, *&c. Lege:* ſive virilis, ſive muliebris generis fuerit, ſive alterutrius. *De perſonis utrinſque ſexus qui ſacris initiantur dictum. Vox illa à Sax.* ƿeꞃe, *vir; &* haꝺ, *ordo, ſexus, genus, perſona: iſta à* ƿiꝼ, *mulier, fœmina, & eadem* haꝺ.

Werra.] 82.22. 246.36. 499.44. *Idem quod alibi* guerra: *i. bellum, diſſidium, nobis hodie* **Warre.** *Vide* Guerra.

Weſtrum.] 2372.10. In tantum igitur diebus illis religio illa excrevit, ut illi de Ciſtercio forent omnium monachorum exercitium, ſtudioſorum ſpeculum, deſidum *weſtrum*. *Fortaſſe reſcribendum* raſtrum.

Wharfus.] 2293.43. *Ripa, crepido litoris, ſinus; aream habens contiguam navibus onerandis & exonerandis idoneam. Vulgò*, **a Wharfe.** *Unde ſic dictum vide in* Cambiare.

Whaſſum maris.] 2587.30,32. *Littus, ſive terra illa*

[a] *Martin.*

illa litoralis, plana & plerumque arida, quam tamen interdum mare alluit, lavatque: qualis illa apud Norfolcienſes noſtros à Cambdeno memorata, vulgò, **the Waſhes** *dicta. Nomen à lavando vel alluendo ductum, quod nobis* **to waſh**; *à Saxonico* ƿæꞅcan.

Wichencreft.] 923.9. *Saxonum* ƿiccan-cꞃæꝼꞇ. *i. ars venefica. à* ƿicca, *unde noſtrum* **Witch**, *ſaga, venefica: &* cꞃæꝼꞇ, *nobis hodie* **craft**, *ars. Vulgò,* **Witchcraft.**

Wiſhades.] 858.58. *Vide* Werhades.

Wincwa.] 896.7. *Vide* Gewineda.

Wita.] 761.63. 763.50. *Mulcta.* Witarum *autem varia olim genera.* 1° Wita Regis, (*vel regi debita*) *quæ aliàs* capitalis wita, & wita plena, *Saxonibus* ꝼullƿiꞇe, *& ideo ſic dicta quia witarum omnium præfinitarum maxima, viginti valens* mancas, *vel* mancuſas. 2° Epiſcopi & Comitis Wita, *quæ Regis dimidio minor, decem ſcil. mancarum.* 3° Thaini, *vel* Baronis wita, *quæ Comitis dimidio minor, quinque ſc. mancarum. Vide LL. Hen.1. cap.35, 69, 87.* Regiam *autem* forisfacturam, & plenam witam *idem eſſe, ex collatione cap.64. LL. Guliel.1. & LL. Hen.1. cap.51. facilè conſtabit, quod enim in priori* Regis forisfactura; *in poſteriori* plena wita *dicitur.* ¶ Secundum witam jurare. 763.48. *De furti ſuſpecto dictum: & pro mulctæ ratione, talis criminis reo imponendæ, ſe purgare ſonat.* ¶ Wita ſervus. 766.31. *Sic enim demptâ diſtinctione intermediâ, verba conjungo: juxta Sax.* ƿiꞇe-ðeoꞃne. *De quo vide* Forisfactus ſervus. ¶ Winterden *apud Ingulphum Sax. fol 491.a. corrigendum* Witereden, *quomodo per Malmesburien. exhibitum, fol.22.a. Bedæ Interpreti, lib.3. cap.8.* ƿiꞇe-hꞃæꝺenne, *al.* ƿiꞇe-ꞃæꝺenne. *Sic autem* punitiones *ibi Saxonicè verſum. Sanè,* ƿiꞇe *propriè ſumptum, pœnam ſignificat: unde* ƿiꞇneꞃe *pro tortore:* ꞃæꝺenne *addito, non autem, ut conjicio, compoſitionis ergô, vel ut vocem reddat compoſitam; ſed, quemadmodum in* ᵹebeꝺꞃæꝺenne, hiƿꞃæꝺenne, ᵹeꝼeꞃꞃæꝺenne, þinᵹꞃæꝺenne, *i.e.* preces, familia, ſodalitium, interceſſio, *& ſimilibus, vocis explendæ ſive producendæ gratiâ: quem in finem hoc &* ꞅcẏpe (*unde productio noſtra ſyllabica* ſhip) *promiſcuè uſurparunt Anglo-Saxones. E.G.* hiƿꞅcipe, ᵹeꝼeꞃꞅcẏpe, *&c.*

Witerſatan.] 923.1. *Corrige ſecundùm Saxon.* Witherſacan. *Ita nempe Saxones vocarunt apoſtatas, transfugas, & omnes qui leges aut divinas aut humanas refugerunt. à* ƿiþeꞃ, *i.e. contra, adverſus,* (*unde noſtratium* **Withernam.** *i. ex adverſo captio, in compenſationem ſc. cujuſvis ab altero prius capti) &* ꞅecᵹan, *dicere, loqui. Ita ut generatim quemvis contradictorem, ſive oblocutorem comprehendat.*

Witword.] 896. 20. *Vide LL. Presbyteror. Northumbren. apud Spelmann. Concil. pag.502. ca. 56. ubi doctiſſ. eques vocem Latinè fecit* Reſponſa prudentum: *&, meo quidem judicio, feliciter; cum vox, ni fallor, ſit compoſita ex* ƿiꞇ, *al.* ƿiꞇiᵹ, *Sax. ſapiens; &* ƿoꞃꝺ, *dictum, verbum.*

Wreccum maris.] 2015. 55. Wrech. 657. 12. *Idem ac infra,* 2016.15. Wreck, *quod ſignificat totum illud quod è naufragio ad littus appellitur, niſi animal aliquod ad navem pertinens, ſalvum ſuperſit. Nam animal in navi ſuperſtes* (*fortè quod tunc non dicatur derelictum, quo nomine à rege, & jura habentibus regalia vendicatur*[a]) *facit ut naufragium in* Wrecki *cauſam non incidat, & ut bona quæ ſervari poſſunt, non fiſco cedant, ſed navis domino permaneant, ſi intra tempus limitatum vendicentur. Vulgò,* **Wracke**, *&* **Ship-wracke.** *Vocis origo dubia: num ſc. à Gall.* varech, *al.* vareſque, *unde Normannor.* veriſcum, *eo ſenſu: num à Saxon.* ƿꞃecca, *miſer, quod ultra modum miſer ſit qui naufragium paſſus: num à Sax.* bꞃece, *al.* bꞃẏce, *unde noſtratium* **breach**, *fractio, ruptio;* b. *in* w. (*quæ pro unâ literâ apud Germanos ferè habita, ut in voce* Vaſſallus *jam monitum) mutato. Sanè Belgæ naufragium vocant* **Schip-breke**, *Germ.* **Schiff-bruch.** *Imò & Saxones* (*ſi chartæ regis Edgari monachis Rameſienſibus data, apud Clementem Reinerum, Apoſtolat. Benedictinor. Append. par. 2. p.48. Scriptura 41. fides ſit adhibenda*) ꞅẏpbꞃech, *potius* ꞅcẏpbꞃece. *q.d.* navis fractio. *Verum tamen ut dicam, parum refert an vocem eo ſenſu habuerunt Saxones, necne: cum naufragium quandoque ſit, quod in* Wrecki *cauſam non incidat, ut id quod acciderit longè à litore, puta in vaſto mari, vel oceano; quod nihil ad* Wreckum *noſtrum, non naufragium propriè, ſed emolumentum ejus aut commodum fiſco cedens, ex bonis ſc. poſt naufragium, vi ventorum & fluctuum ad litora devolventibus, ſignificans. Unde vocem à Gallico* varech, *ejuſmodi res ſignante, mihi videtur corruptam, ac à Normannis huc adductam.*

[a] *V. Bract. fo.120.a.*

Wriſte.] 856.15. *Carpus, quo ſenſu hodieque voce utimur.*

Wykettum.] 2063. *penult.* 2064. 5, 12. *Idem quod Belgis* **Wicket**, *Gallis* Guichet. *i. porticula, forula, oſtiolum. Vulgò hodieque,* **a Wicket.**

X

XII. hyndus.] 762.60. 763.15. 767.31. *Vide* Hyndenus homo.

Z

Zucara.] 1245. 60. *ab Arab.* Zuchar, *unde Græc.* Σάχας, *Latin.* Saccharum. *Angl.* **Sugar**, *eopſe ſenſu.*

ADDENDA.

Bulch.] 2007. 13. *Fortaſſe legendum* buſche, *quod Gallis, ligni ſive arboris ſtipes, caudex, vel truncus.*

Childewite.] 1431. 42. *Ancilla (quam aliàs* nativam *Forenſes vocant) abſque domini veniâ, gravidata, vulgò impregnata, mulcta: ſive in ancillam ita delinquentem animadverſio. à* **child**, *puer, proles; &* **wite** *mulcta, animadverſio. Vide Spelmanni Gloſſar. in* Lairwite.

Emal.] 2038.17. *A Gallico* email, *quod nobis hodie* **amell**, *&* **enamell**, *encauſtum.*

¶ *PRæter has, amice Lector, ſi quæ hujus farinæ voces, noſtram hic illic obſervationem omnino fugientes, tibi occurrant aliæ; quod in opere tam longo, & quaſi ex tempore perlecto, neutiquam mirandum, cum maximè vel oculatiſſimum* Bernardum *omnia ſciamus non vidiſſe, & bonus quandoque dicatur dormitaſſe* Homerus: *incuriam mihi ne objicias velim, qui ne unam quidem ſciens prudenſque præterivi. Voces autem phraſeſque ſic caſu & feſtinatione prætermiſſas, ſi colligere, mihiq; tranſmittere tu digneris; eas omnes, pro virili explicatas, cum gratiarum actione, tibi, nec tardè, me ſpondeo remiſſurum: ſaltem in futuro noſtrarum hiſtoriarum tomo, brevì (ſi præſens tibi gratus fuerit) emittendo; has à me (ſi Deo placet) expectes illuſtrandas. Hoſce interim labores noſtros, tuî cauſâ & commodo ſuſceptos, æqui bonique conſule.*

QVaſdam etiam alias ejuſmodi voces in hoc opere non repertas, occaſione datâ potius quàm petitâ, interdum expoſuimus: Has autem, ut à cæteris meliùs diſcernantur, (cum locis ubi inſeruntur) hîc denuo recenſendas duximus: viz.

AVer de pois.] *Vide* Huſtengum.
Aurifriſium.] *Vide* Brudatus.
Contenementum.] *Vide* Tenementum.
Culvertagium.] *Vide* Fridwita.
Erthmiotum.] *Vide* Bilage.
Exguardium.] *Vide* Conſideratio Curiæ.
Firmam dealbare.] *Vide* Firma.
Forbatudus.] *Vide* Orgilde.
Furſt.] *Vide* Reſpectare.
Herthamon.] *Vide* Mundbrece.
Huſtingi pondus.] *Vide* Huſtengum.
Lourgulary.] *Vide* Burgaria.
Parviſium.] *Vide* Triforium.
Selda.] *Vide* Stallage.
Taſſale.] *Vide* Taſſare.
Tenmantale.] *Vide* Decima.
Tenſeriæ.] *Vide* Taſſare.
Troy-weight.] *Vide* Huſtengum.
Vaſtellus.] *Vide* Simenellus.
Waſtellus.] *Vide* Simenellus.
Witereden.] *Vide* Wita.

CORRIGENDA.

ARnaldia.] *poſt alopecia, dele quæ ibi, & eorum loco hæc ſubſtitue: quæ vox, cum à vulpe (quæ Græcè ἀλώπηξ) ſit, fortaſſe* renaldia, *& per metatheſin* arnaldia, *à Gallis interpretata eſt, qui vulpem* renard, *Angli verò* renald, *appellant. Hoc ſi non eſt, loci fortaſſe vel regionis nomen fuerit. Medici viderint.*

Buccellus.] ——miꝺ býꞇe ꞅcýllinȝe, *&c. Ita Textus Roffenſis quo uſus ſum exemplar: codex autem ipſe à me nuperrimè conſultus:* miꝺ býꞇꞇ ꝼýllinȝe. *i.e.* cum doliorum (*vel*, utrium) impletione. býꞇꞇ *enim Saxon. uter, dolium:* ꝼýllinȝe, *ut nobis hodieque, impletio.* Buccellus *itaque fortè à Gallico* bouteille, *quod Anglis* **a bottle**, *uter ſc. ſed & ab eodem* býꞇꞇ, *noſtrum* **butt**, *pro dolio.*

Griſia pellis.] *poſt* epiſcopo 34. *adde: Fortaſſe tamen veſtis pretioſa, ex animalculo, Gallis* gris *dicto, intelligenda.*

ERrata cætera, ſive noſtra, ſive typographica, candidi lectoris correctionem & patientiam expectant.

Scriptura Saxonica, de Dunelmenſis *urbis ſitu, &c. ad fidem codicis MS.* Simeonis, *loci monachi, col.*76. *exhibita, hic denuò recognita, gravioribus à mendis repurgata, & (ad verbum) Latinè reddita.*

Is ðeos burch breome geond Breotenrice. steopa gestaþolad. stanas ẏmbutan ƿundrum geƿæxen⁏ ƿeor ẏmbeornað. ea ẏðum stronge. ⁊ ðer inne ƿunaþ feola fisca cẏnne. on floda gemonge⁏ ⁊ ðær geƿæxen is ƿuda fæstenne micel. ƿunað in ðem ƿẏcum ƿẏlda deor monige. in Deoƿedalum deora ungerim⁏ Is in þere bẏrie eac bearnum gecẏþed ðe arfesta eadig Cutberht. ⁊ ðes clene cẏninges heafud Osƿaldes Engle leo. ⁊ Aidan biscop. Eadberht ⁊ Eadfriþ. ⁊ eðele geferas⁏ Is ðere inne mid heom Æþelƿald biscop. ⁊ breoma bocera Beda. ⁊ Bosil abbot. ðe clene Cuþbert on geogoþe lærde. lustum. ⁊ he ƿis lara ƿel genom Eardreþ. ⁊ mid ðem eadige inne þem mẏnistre unarẏmeda reliquia. ðe monia ƿundrum geƿẏrcaþ. ðæs ðe ƿrit secgaþ. ðone drihtnes þer domes bẏdeþ⁏

EST *hæc urbs celebris per* Britanniam *: aſcenſu arduo ſtabilita: petras* [habens] *undique mirè immenſas.* **Weor** [fluvius] *circumfluit: amnis* [quidem] *fluctibus potens: & in eo manet multorum piſcium genus,* [vel, piſcium copia] *inter fluenta. Et ibi ſuccrevit ſaltus ingens: manet in illis receptaculis ferarum multitudo, in* **Deope-dale** *fera innumera. Eſt in eâ urbe etiam filiis* [i. for. civibus] *cognitus, pius beatus* Cutbertus, *& illius caſti regis caput* Oſwaldi, *Anglici leonis : &* Aidanus *epiſcopus,* Eadbertus *&* Eadfridus, *& nobiles* [quidam] *ſocii. Eſt inibi cum eis* Æthelwaldus *epiſcopus & illuſtris ſcriptor* Beda, *&* Boſilus *abbas, qui caſtum* Cuthbertum *in juventute docuit, libens : & qui ſapientem doctrinam bene imbibit,* Eardredus. *Et cum iis beatis, in illo monaſterio innumera reliquiæ, (quæ multa miracula operantur, de quibus ſcripta loquuntur) Domini ibidem judicium praſtolantur.*

In eorum gratiam qui Saxonicorum lectioni non aſſueverunt, Alphabetum Saxonicum hic adjiciendum duximus.

A	b	c	ꝺ	Є	e	ꝼ	ᵹ	ħ	ı	k	l	က	n	o	p	q	ꞃ	δ	ꞅ	ꞇ	u	ƿ	x	ẏ	Æ	æ
A	*b*	*c*	*d*	*E*	*e*	*f*	*g*	*h*	*i*	*k*	*l*	*M*	*n*	*o*	*p*	*q*	*r*	*S*	*ſ*	*t*	*u*	*w*	*x*	*y*	*Æ*	*æ*

Ð	ð	þ	⁊	ꝥ	⁏
Th	*th*	*th*	*and*	*that*	.

F I N I S.

INDEX *Rerum, Verborum, Perſonarum locupletiſſimus;* ab A. S. *digeſtus.*

A

AAronis virga pars inter reliquias Cantuariæ ſervatur. 1763, 43.

Aaron, Rex Perſarum. V. *Nicolaus.*

Abbates, Priores, Abbatiſſæ in Normannia, cum aſſenſu Epiſcopi eligantur. 658, 3. Monachi S. Auguſtini electionem ſui Abbatis ſibi vendicant. 1327, 37. 1767, 1. Abbates de corpore proprio cur noluerit eligi Henricus II. 587, 14. Abbates multi deponuntur. 228, 8. 482, 60. 499, 11. 1000, 58.

Abbatiſſa Rumeſeienſis nubit Comiti Bononiæ. 532, 6.

Abbo Floriacenſis Vitam S. Edmundi ſcribit. 868, 13. Guttur ei eliditur. 868, 21.

Abel Chriſti paſſionem, Seth reſurrectionem figurat. 351, 15.

Abingdoniæ monaſterii. 359, 58. 868, 27. Spoliatur. 2551, 3. ¶ Ejus Abbates; *Ethelwoldus*; *Sperafocus*; *Faricius.*

Abſalonis rebellio, & fatum. 562, 33.

Acca, Epiſcopus Haguſtaldenſis. 78, 33. 286, 26. 774, 66. 1640, 30. 2212, 16. Vocatur Atta. 795, 17. Beda commentarios in Marcum & Lucam ei inſcribit. 797, 50. Muſicæ eccleſiaſticæ ſtudioſus erat. 296, 25. Eccleſiam ſuam muneribus, reliquiis, & libris ampliat. 297, 15. Fugatur. 297, 65. Moritur. 298, 1. Corporis defuncti involucra diu manent incorrupta. 298, 11. Ejus reliquiæ, & miracula eis attributa, 101, &c.

Accipiter columbam literas portantem in Chriſtianorum exercitum dejicit. 993, 48.

Accurſius, JC. Franciſcanis manſionem concedit. 2421, 60.

Accuſati, & Accuſationes, 762—767. 828, 20. 837, 2. 844, 21. 894, 5. 896, 29 & 56. 900, 39. 924, 55. 925, 20 & 54. 1387, 7. De Accuſatis qui dominos non habent. 841, 63. Qui falſo alterum accuſarit, lingua privandus. 924, 17.

Achamanni Urbs. V. *Bathonia.*

Acheron Rex. Ejus literæ ad Ducem Cæſareæ. 993, 50.

Aclea. 120, 17. 138, 50.

Acon, vel

Acra, ſeu Ptolemais, obſidetur. 648, 29. Conflictus Chriſtianorum & Paganorum. 1189, 46. Fames in exercitu Chriſtianorum 1190, 6. ſublevatur. 1190, 17. Quomodo Chriſtianorum exercitus ante hanc urbem fuerit diſpoſitus. 654, 3. 1165, 50. Paganorum principum nomina urbem defendentium. 654, 61. 1204, 27. Epiſtola de ſtatu obſidionis. 658, 48. Regibus Angliæ & Franciæ redditur. 661, 56. 1205, 41. 1567, 14. 2405, 41. Quibus conditionibus pax cum Paganis obſeſſis facta. 1205, 51. Capella ibi conſtruitur in honorem Thomæ Cantuarienſis. 654, 35. Ibi in uno cœmeterio CXXIV millia hominum unius anni ſpatio tumulantur. 654, 52. Ignotus quidam intra urbem paganorum conſilia per ſagittas literis involutas Chriſtianis patefecit. 1202, 63. Quæ poſt adventum Ricardi I ibi fuerint geſta. 1201—1214. B. Virgo quibuſdam apparens, civitatem intra quatriduum ipſis tradendam promiſit. 1205, 12. Purgantur templa, muri & ædificia inſtaurantur, &c. 1206, 51. Spolia & captivi inter Reges Franciæ & Angliæ dividuntur: 1206, 20. quod Comites & Barones moleſte ferentes, armis venditis, diſcedunt. 1207, 1. V. *Crucigeri.*

Actiones ex intentione agentis æſtimandæ. 2327, 63. Eadem actio diverſo reſpectu laudanda & punienda. 2328, 6.

Adam, Abbas de Bello. 264, 61. 328, 60.

Adam, Abbas Eveſhamenſis. 534, 4.

Adam de Cherverna, Henrici junioris Cancellarius. 1115, 41. Ob proditionem per vicos & civitates flagellis cæditur. 1115, 65. Vinctus in Angliam mittitur. 1116 9.

Adam de Orleton, primo Epiſcopus Herefordenſis, 2763, 19. poſtea Wigornenſis, 2057, 39. poſtremo Wintonienſis. 2764, 2. Reddit rationem cur Robertum de Baldok in cuſtodiam dederit. 2763, 22. Objicientibus quod Edwardum II tyrannum vocaverat, 2763, 62. reſpondet. 2764, 18. Probat prædicationem ſuam nec in cauſa fuiſſe cur Rex in carcerem fuerit conjectus, 2766, 22. nec cur Regina ejus conſortium vitaverit. 2766, 40.

Adam, Epiſcopus Aſaphenſis. 587, 48. 1102, 26. 1432, 19.

Adda, Rex Northumbriæ. 90, 61.

Adel, nobilis. 906, 64.

Adelardus, vel Ethelberdus, Abbas Hludenſis. 111, 47. A cathedra Wintonienſi ad Cantuarienſem transfertur. 111, 47. 445, 26. 1642, 11. 1774, 23. 2210, 67. 2237. P. R. omnes Angliæ Epiſcopos ei ſubjicit. 742, 57. Laudatur. 1642, 21. Concilium celebrat apud Baccanceldam: 2211, 47. ubi ſtatutum, Nè laici bona eccleſiæ invadant, 2211, 57. &, Ut monachi diſciplinam obſervent. 2211, 63. *Buxbam* Eccleſiæ Chriſti donat. 2212, 44.

Adelardus, vel Ethelberdus, Rex Occidentalium Saxonum. 100, 64. 442, 38. 758, 64. Ab Oſwaldo vincitur. 768, 24. 773, 62.

Adelbertus. V. *Ethelbertus.*

Adelfonſus. V. *Alfonſus.*

Adelherus, Rex Orientalium Anglorum, occiditur. 748, 38.

Adeling, unde dicatur. 906, 63.

Adelredus, Rex Merciæ, 441, 29. fit monachus. 773, 24.

Adelredus, R. Orientalium Anglorum. 748, 39.

Adelſtanus, vel Ethelſtanus, conſecratur. 453, 61. 837, 44. 2242. Gudfridum, Regem Dacorum, vincit. 134, 12. 838, 3. Edwinum fratrem marinis fluctibus abſq; remige exponit: 134, 15. 154, 54. 838, 8. ſed poſtea fratricidium hoc pœnitentia delet. 838, 15. Northumbriam imperio addit. 838, 22. Cumbros & Scotos ſubjugat, 25, 56. 838, 23. 2484, 61: & totam Walliam. 2321, 18. Tributum ei ex Northwallia quotannis ſolutum. 2321, 19. Vincit Anlafum Regem Hiberniæ. 839, 30. Paganos in Cantia ſuperat. 120, 33. Scotos iterum proſternit: 25, 64. 134, 18. 358, 4. eos terra marique vincit. 154, 62. Scoti & Northumbrenſes ei rebellant. 357, 29. Contra eos proficiſcens, ad Johannis Beverlacenſis tumulum cultellum, poſt victoriam redimendum, relinquit. 357, 54. 838, 33. Johannes Beverlacenſis ei apparet. 357, 61. Ad Dunbarum gladio ſcopulum mire findit. 838, 40. 2484, 64. Conſtantini filium de ſacro fonte ſuſcipit. 2485, 18. Ad preces Odonis, gladius de cœlo in vaginam ejus illabitur. 839, 41. 863, 49. Ludovicus, Caroli Simplicis F. poſt patris mortem ad eum fugit. 454, 11. Hugo, Rex Franciæ, ei reliquias & munera pretioſa mittit. 2321, 26. Hildam ſororem ei in uxorem dat. 2321, 40. Dani & Norregani eum diu obſident. 2321, 46. Tandem inter eos ſtatutum, duello controverſiam dirimendam. 2321. 65. Adelſtanus de pugile inveniendo ſolicitus, 2322, 11. cœleſti oraculo quid facto ſit opus monetur. 2322, 20. Videt Guidonem Warwicenſem peregrini habitu indutum. 2322, 46. Colloquio cum eo habito, eum ad monomachiam hortatur. 2322, 60. V. *Guido Comes Warwicenſis.* Vocatur primus totius Britanniæ Monarcha. 24, 49. Ejus eleemoſynæ 841, 29 In Eccleſiam S. Cuthberti multa donaria confert. 25, 30. 75, 10. 134, 20. Eccleſiæ Ebor. *Agmundernes* concedit. 1699, 1. Monaſterio S. Auguſtini quædam ablata reſtituit. 1778, 12. Charta ejus de *Folcaſtan* Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ donata. 2220, 7. Ejus leges. 839, 50. Ubi eas condiderit. 845, 3. 848, 53. 852, 27. Ejus mors. 26. 4. 134, 27. 155, 28. 839, 47.

Adelſtanus, R. Orientalium Anglorum. V. *Godrinus.*

Adelwoldus. V. *Aldulſus*, & *Athelwoldus*, & *Edwaldus.*

Adelwolfus. V. *Ethelwolfus.*

Adeodatus, P. R. 439, 50. 2231. Privilegium monaſterio S. Auguſtini conceſſit. 1769, 64.

Adgarus, Epiſcopus Lindiſfarrorum. 793, 5.

Adomarus de Valentia, Comes Pembrokiæ. 2137, 53. Vocatur idem (ni fallor) Omerus. 2542, 16. 2546, 45.

Adrianus I, P R 1641, 63. 2235. Jus eligendi Pontificem, & inveſtiendi Epiſcopos Carolo M. dat. 444, 56. Hæc conceſſio laudatur. 2328, 10.

Adrianus II, P.R. 450, 67. 1643 46. 2239.

Adrianus III, P.R. 451, 65. 2241.

Adrianus IV, P. R. 529, 57. 1330, 53. Ejus patria & actus: 1047, 21. 2393, 57. Anglo Hiberniam occupandi licentiam concedit. 529, 59. Ejus literæ: ad Theobaldum Cantuarienſem, de profeſſione Abbatis S. Auguſtini; 1814, 25. ad Silveſtrum, S. Auguſtini Abbatem, de profeſſione Archiepiſcopo facienda; 1378, 58. de eccleſia Northburnenſi conceſſa in uſus pauperum. 2110, 58.

Adrianus V, P.R. 2271. 2462, 3.

Adrianus, S. Auguſtini Abbas, 1326, 40. 1637, 39. 1695, 38. 1769, 54. 2232. Archiepiſcopatum Cantuarienſem noluerat ſuſcipere. 1637, 17. 1769, 56. Erat comes & cooperator Theodori. 1637, 24. 1740, 53. 1769, 48. Moritur. 1771, 33. Dunſtano apparet. 1780, 13. 1785, 14.

Adulatores dignas pœnas luentes. 175, 50. 365, 61.

Adulfus, Archiepiſcopus Colonienſis, Ricardum R. Angliæ honorifice excipit. 672,28.
Adulfus de Warnevilla, Angliæ Cancellarius. 567,66.
Adulterium quid. 928,20. Ejus pœna. 859,9.878,30. Crudeliſſime punitur. 587,24.
Ædbrichtus, Ælfwold, Ælla, Æthelbaldus, Æthelbrichtus, &c. vide in E.
Ægidius, Epiſcopus Herefordenſis. 1681,28.
Æoliæ inſulæ. 1011,16.
Æolus unde habitus ventorum Deus. 1011,16.
Ætna. 1010,58. Ibi animas puniri, creditur. 1010,63. *Mongibel* vocatur. 1179, 14. Flamma ejus S. Agathæ meritis reſtringitur. 1179, 19.
Agapetus II, P.R. 455,33.2243.
S. Agathæ piſces. 1179,30. V. *Ætna.*
Agatho, P.R. 440,19. 1691,25. 1770,17. 2231.
Agellius. 431, 26.
Agelnothus, vel Ailnothus, Abbas Glaſtonienſis. 197, 18. 482,5. Deponitur. 1654,31.
Agelricus, vel Egielricus, Abbas Middelton. 228,13.1660,7.
Agelricus, Auſtralium Saxonum Epiſcopus. 189, 51. Degradatur. 202, 30.
Agelricus alius, Auſtralium Saxonum Epiſc. V. *Ethelricus.*
Agelwinus, Abbas Eveſhamenſis. 208, 49. 486, 57.
Agelwinus, Dux. V. *Ailwinus.*
Agilbertus, vel Ailbertus, Gallus, ex Hibernia in Angliam venit. 1635, 57. Fit Epiſcopus Gerviſorum, vel Dorceſtrenſis. 293,36. 756,27. 788,67. 1635,62. In Galliam reverſus Pariſienſem Epiſcopatum obtinet. 756,34. 1636,1. Vocatur Gilbertus. 1690,51.
Agilnothus, vel Ethelnothus, vel Egelnothus, cognomento Bonus, S. Trinitatis Decanus vel Prior, 1650, 54. fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 177, 36. 467,31. 908, 64. 932, 52. *Godmerſham* Eccleſiæ ſuæ acquiſivit. 2225,11. Quanti mercatus fuerit brachium S. Auguſtini. 2318,42.
Agnes, Prioriſſa S. Sexburgæ in inſula Scapeia. 1839, 13.
Agninis pellibus cur adeo delectatus Wolſtanus. 953, 25. 2367, 47.
Aidanus, primus Epiſcopus Dunelmenſis. 1,18. 1635,39, 1739, 5. Ejus concionem Oſwaldus R. ſubditis ſuis interpretatur. 1,41. 786,8. Ejus mors. 2, 27. Animam ejus ad cœlos ſubvectam videt Cuthbertus. 2,33. 67,24. 788,1. Pars oſſium ejus in Scotiam fertur. 3,36.
Ailbertus. V. *Agilbertus.*
Ailredus, vel Ethelredus, Abbas Rievallenſis. 274, 57. 333. Quam benevolus & beneficus illi fuerit David R. Scotiæ. 350, 8. 367, 16. 368, 24 & 58. Cujus hortatu ſcripſerit Vitam S. Edwardi. 369,61. 370,51. Cui deſtinatum illud ſcriptum. 2338,42. Waltunenſe monaſterium adit. 420,48. Vocatur Aluredus. 2338,40.
Ailſi. V. *Elſſig.*
Ailwardus. V. *Alwoldus.*
Ailwardus, vel Aikwardus, Abbas Glaſtonienſis. 869,67. Effoſſo Edgari ſepulcro, amens fit, & cervicē frangit. 2313,29.
Ailwinus, Abbas Rameſienſis. 475,50. Vocatur Aldwinus. 184,11.
Ailwinus, Dux. V. *Ethelwinus.*
Ailwinus, Epiſcopus Lindenſis. V. *Ethelwinus.*
Ailwinus, vel Elfwinus, Epiſcopus Wintonienſis. 178,52. Ob ſuſpicionem nimiæ cum Regina Emma familiaritatis incarceratur. 941,65. 2329,32. Eum injuſte diffamatum, Regina ferri candentis examine probat. 942,1. 2329,60. Reſtituitur. 942, 25. Novem maneria S. Swithuno dat. 2329,64. Vocatur Alfwinus. 1909,23.
Ainfridus, Rex Berniciorum, apoſtata, occiditur. 785,28.
Alanus, Comes Richemundiæ. 265, 57. 269,18. Ejus character. 1351, 60.
Alanus de Nuville excommunicatur. 539,63. 548,55.
Alanus, Epiſcopus Bangorenſis. 1681,31.
Alanus, Prior S. Trinitatis. 620,43. 1456,59. Ob tranſlationem Dunſtani & Elfegi ipſe tantum non loco movetur. 1300,2 Quam ſategerit jura Eccleſiæ ſuæ tueri contra Epiſc. Roffenſem, 1464, 27. contra Regem ipſum & Epiſc. ſuffraganeos, 1466—1474. & contra monachos Roffenſes. 1475—1477. Fit Abbas Theokesburienſis. 1480, 15.
Albanactus, Bruti F. 2484,24. Occiditur. 2484, 31.
Albania olim vocabatur, quæ nunc Scotia. 2484, 25.
S. Albanus inventus, 445, 64. tranſlatus. 1773,63.
S. Albani monaſterium fundatur. 446,24. 1774,2. dedicatur. 502,55. Eccleſia dedicatur, 502,44. 1005,61. & dotatur. 502,49. Chriſma & oleum ſanctum ibi conficitur. 539,36. Capella S. Cuthberti ibi dedicatur. 559, 30. Abbatia in pristinum ſtatum reſtituitur. 490, 7. Diſcordia inter hoc monaſterium & Eccleſiam Lincolnienſem terminatur. 533, 14. S. Amphibali & alterius martyris reliquiæ illuc tranſferuntur. 1128,64. 1437,48. Seditioſi quidam chartam ab Abbate extorquent: 2639, 16. quam Rex ſtatim irritam reddit. 2639,23. ¶ Hujus Eccleſiæ Abbates: I *Willegodus*; II *Edricus*; III *Wolſigus*; IV *Wolnothus*; V *Elfridus*; VI *Wolſinus*; VII *Elfricus*; VIII *Eldredus*; IX *Edmarus*; X *Eluricus*; XI *Leofricus*; XII *Leſſtanus*; XIII *Fredericus*; XIV *Paulus*; XV *Ricardus de Alberreio*; XVI *Gaufridus de Gorram*; XVII *Radulfus Gubium*; XVIII *Robertus de Gorram*; XIX *Simon*; XX *Guarinus*; XXI *Johannes*. ¶ E Prioribus tantum memoratur *Godefridus*.
Albericus, P.R. Legatus. 1664,64. Ægre ſuſcipitur. 1344,2. Pacem inter Scotos & Anglos componere nititur. 264,14 &c. Synodum apud Weſtmonaſt. celebrat. 264, 50. 326, 57. 507,55. 1347,18. Literæ ejus de eligendo Archiepiſc. Cantuarienſi. 1346,43. Laudatur. 304,24.
Albericus, vel Albricus, Comes Northumbriæ. 52, 11. 205, 17. A dæmone decipitur. 1255,17. 2409,27.
Albertus, Abbas Ripenſis. 110,30.
Albertus, Archiepiſc. Ebor. 78,49. 106,46. 108,28. 1697,14.
Albertus, vel Andebertus, Comes de Marchia, Comitatum ſuum Henrico II vendit. 599,61. 1136,42.
Albertus, Rex Orientalium Anglorum. 104,44.
Albertus, P.R. Legatus, Henrico II fidelitatem præſtat. 603, 10. Trium quadrageſimarum jejunium quibuſdam pro pœna injungit. 603, 34. Ejus & Theodini literæ ad clericos & monachos vacantium eccleſiarum in Anglia. 567, 44.
Albigenſes in Angliam veniunt. 2418, 15. V. *Hæreſis.*
Albinus, Abbas S. Auguſtini. 1326,41. 1771,40. 2234. Ejus hortatu Beda hiſtoriam conſcripſit. 1771,50. Ejus mors & ſepultura. 1772,5.
Albinus. V. *Alcuinus.*
Albion. V. *Britannia.*
Alboldus, Abbas S. Edmundi. 1660,67.
Albricus. V. *Albericus.*
Alchmundus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 106,46. 298,40. 797,11. Mira de tranſlatione oſſium ejus hiſtoria. 108,47.
Alchmundus, vel Alcherindus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 40. 2242.
Alclud, urbs a Danis deleta. 807,53.
Alcredus, vel Alredus, R. Northumbriæ. 11, 57. 106, 27. 796, 47. 1697,17. In exſilium agitur. 107, 31.
Alcuinus, vel Albinus, Caroli M. magiſter. 1743,32. Studiū literarum Pariſiis inſtituit. 814,47. 817,51. 2237. Scripſit vitam Caroli M 449,3. librum De S. Trinitate, 447,66. & librum contra adorationem imaginum. 111,61. Ejus literæ ad Adelardum Cantuarienſem, de ſchiſmate tunc orto. 1743, 34.
Aldelinus, vel Aldelmus, Sherburnenſis ſeu Weſtſaxonum Epiſcopus. 758,35. 1640,34. Scribit librum De virginitate. 745,6. Moritur. 807,21.
Aldelmus. V. *Athelmus.*
Aldelond. 1842,53.
Aldermannus, Lat. *Comes* vel *Senior*. 826,9.
Aldhunus, Abbas S. Auguſtini. 1772,42. 2236.
Aldredus, Abbas Taviſtokienſis, fit Epiſc. Wigornenſis. 182, 47. 184,19. 475,31. 477,43. In Hungariam & Alemanniā mittitur. 945,7. 1701,14. 2333,31. Epiſc. Sariſburienſem per triennium adminiſtrat, 946,58. 1701,28. & Herefordenſem per quadriennium. 189,2. 190,21. 1701,25. Hieroſolymam proficiſcitur. 950,18. 1701,31. 2335,46. Ad Eboracenſem ſedem transfertur. 79 40. 190,19. 198,48. 478 9. 482,33. 952,19. 1701,35. Pallium quomodo obtinuerit. 952,22. 1701,44. 2336,37. XII villas ad eccleſiam Wigornenſem pertinentes retinet. 1702,30. Wolſtanum ad cathedram Wigornenſem cur promoverit. 952,40. 1702, 27. 2367,6. Haroldum ſacravit, 1702,42. & Conquæſtorem. 1702, 48. Quanto in honore fuerit apud Edwardum Confeſſorem, 1700, 66. 1702, 7. & W. Conquæſtorem. 962, 42. E Vicecomite injuriis & contumeliis affectus, 1703,21. ad Regem properat, eumque maledictione onerat. 1703,40. Regem ei ad pedes procidentem, tandem erigit. 1704,1. Regi benedictionem, Rex ei munera impertit. 1704, 16. Eccleſiam Glavornæ ædificat. 477, 43. 1701, 11. Mores & habitum cleri corrigit. 1704, 63. Præ triſtitia ob Danorum adventum moritur. 965, 62. 1703, 9. 2344, 42. Ædificia ejus, & aliæ res geſtæ. 1704, 34. vocatur Ælredus. 381, 9. 386, 66.
Aldredus, Comes Northumbriæ. 81,22. 204,30. Interficitur. 81, 39.

Aldredus, Epiſcopus Lindisfarnenſis. 26, 39. 156, 19.

Aldulphus, Epiſcopus Lichfeldenſis. 768, 28. Vocatur Adulphus, 2212, 21.

Aldulphus, Epiſcopus Roffenſis. 98, 55. 742, 40. 774, 55. 1640, 33.

Aldulphus, vel Adelwoldus, Prior S. Oſwaldi Noſtlienſis, 1717, 38. vel Arnulphus, Prior de S. Botulfo, primus Epiſcopus Carleolenſis. 257, 47. 264, 31. 1019, 66. 1720, 28. Vocatur Adelulfus, 1803, 40.

Aldulfus, vel Adulfus, Abbas Burgenſis, fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 79, 40. 162, 34. 164, 63. Wigornenſem Epiſcopatum cum Eboracenſi tenuit. 1699, 57. Vocatur Eadtilf. 879, 37.

Aldulfus, vel Ardulfus, vel Eardulfus, Rex Northumbriæ. 13, 11. 113. 60. 797, 18. Wadam Ducem ſuperat. 114, 38. Pacem init cum Rege Merciorum. 117, 43.

Aldunus, Epiſc. Dunelmenſis. 26, 56. 79, 54. 162, 7. 908, 53. Eccleſiam Dunelmi ædificat. 28, 26. Filiam ſuam Egfridam Comiti Northumbriæ uxorem dat. 79, 60. Moritur. 30, 25. Vocatur Alfhunus. 467, 43.

Aldwinus, Abbas Rameſienſis. 228, 11 & 50. 271, 12. 497, 34. 1660, 6.

Aldwinus, Prior Wincelcombenſis, cum ſociis, ad Novumcaſtrum venit. 43, 40. 206, 18. 973, 9. Monaſterium Girvenſe reparat, 44, 13. & Wiramuthenſe. 45, 47. Fit Prior Dunelmenſis. 51, 40. Ejus laus. 44, 34. Mors. 53, 41. 213, 44.

Aldwinus, qui & Wor dictus, Epiſc. Lichfeldenſis. 98, 55. 100, 53. 742, 47. 768, 29. 774, 57.

Alexander, Abbas S. Auguſtini, benedictionem, quam Archiepiſcopus denegarat, a P. R. obtinet. 1865, 1. 2260. Cum Archiepiſcopo in foro Rom. contendit. 1866, &c. 1870, 44.

Alexander, Epiſc. Lincolnienſis. 248, 25. 504, 10. 1014, 64. Cuſtodiæ datur. 1027, 42. 2385, 44. Caſtrum de Newerk fundavit. 1027, 45. Eccleſiam ſuam flammis vaſtatam reparat. 1034, 3.

Alexander I, Angli conſenſu fit Rex Scotiæ. 251, 14. 1003, 35. Quomodo ſe geſſerit. 368, 2.

Alexander II, Rex Scotiæ. 2430, 29. Ejus genealogia. 967, 21.

Alexander III, Rex Scotiæ. 967, 22. Margaretam Angli filiam ducit. 2444, 16. Ejus liberi. 2468, 38. Filiam Comitis Flandriæ ducit. 2468, 42. Equo lapſus, cervices confringit. 2468, 32. Poſt ejus mortem Scoti de Rege creando contendunt. 2468, 45.

Alexander Nequam, ſcriptor. 814, 65.

Alexander Nevill, Archiep. Eboracenſis, unus e xiv Regni præfectis. 2685, 58. 2687, 32. Litigat cum civibus ſuis. 2692, 30. Beverlacenſe collegium male tractat. 2692, 37. Pernicioſa conſilia Regi dat. 2693, 46. Fugit. 2701, 62. Proſcribitur. 2706, 35. Proditionis in Regem & Regnum arguitur. 2714—2726.

Alexander II. Pont. R. 478, 23. 1652, 10. 1702, 22. 1785, 45. 2247. Cum Cadalo Parmenſi de Papatu contendit. 482, 18. Lanfrancum ad eum venientem quomodo exceperit. 483, 55. 1744, 30. Ejus ad Lanfrancum literæ. 1744, 55.

Alexander III. P. R. 531, 63. 1331, 4. 1380, 60. 2255. Apud Senones in Gallia reſidet. 1383, 28. Quatuor Antipapas habuit. 1049, 43. Eboracenſem Legatum conſtituere, ita ut Rex petebat, not vult, 1388, 48. nec avitas Angliæ conſuetudines confirmare. 512, 15. 536, 42 &c. Romæ recipitur. 539, 33. Principum Germanorum ad eum literæ. 547, 65. Imp. & Archiep. Colonienſis, eo abjurato, Paſchalem agnoſcunt, 548, 3. 1403, 54. ut & legati Regis Angliæ, & Angli pene univerſi. 1404, 23. Concilii Lateranenſis, ab eo convocati, canones. 1446—1456. Prophetiſſa ei literas a Deo defert. 1458, 3. Scribit ſemel & iterum Henrico II. ut Cantuarienſem reſtituat. 549, 1. & 550, 9. Epiſcopos Angliæ prohibet, ne Regem novum coronent abſque Cantuarienſis venia. 552, 21. Eboracenſem ſuſpendit ab officio Epiſcopali: 553, 18. Exonienſem, & alios, itidem ſuſpendit. 553, 58. 1413, 39. Londinenſem & Sariſburienſem excommunicat. 554, 15. 1413, 41. Quanto dolore fuerit affectus ob cædem Cantuarienſis. 1419, 10. Terras Angli tranſmarinas ſub Interdicto ponit. 1066, 18. Ejus literæ: ad capitulum Londinenſe; 534, 59. ad Ludovicum R. Franciæ, cui aureum florem mittit; 535, 43. ad clerum & populum Anglicanum, de canonizatione Thomæ Cantuarienſis; 569, 15. 718, 51. ad Lupum, Regem Valentiæ, pro liberatione Chriſtianorum; 580, 32. 662, 58. ad Ricardum Cantuarienſem, primatum ei concedentes; 580, 40. ad Epiſcopos Angliæ, de ceſſatione ſchiſmatis; 598, 39. 1131, 14. 1439, 42. ad Londinenſem & Wintonienſem Epiſcopos; 602, 15. ad Presbyterum Johannem, 608, 55. 1132, 3. quem conatur ab erroribus ad catholicam fidem revocare; 609, 13. 1132, 1133. ad Cantuarienſem, de benedictione Rogeri Abbatis. 1445, 4. Privilegia ab eo conventui S. Auguſtini indulta. 1815, 26. 1829, 65. 1830, 18. Ejus decretum de cuſtodia ſigilli eorum communis. 1817, 6. Ejus literæ: de depoſitione Clarembaldi; 1817, 66. de benedictione Abbatis S. Auguſtini, ſine profeſſione obedientiæ; 1822, 56. ad Rogerum Abbatem; 1822, 4. 1825, 11. ad Epiſc. Wigornenſem; 1823, 30. ad R. Henricum II; 1825, 66. de privilegiis Auguſtinianorum Archiepiſcopo exhibendis; 1831, &c. de obedientia ab Abbate Archiepiſcopo præſtanda; 1866, 61. 1867, 10. de eccleſiis conventui iſti appropriatis. 2091, 27. Dona ab eo huic conventui miſſa. 1824, 65. Ingentem vim pecuniæ ex Anglia recipit. 574, 44. Fredericus Imp. eum agnoſcit. 598, 40. 1130, 2. 1437, 56. Epiſcoporum & Principum nomina, qui huic negotio intererant. 1438, 1. Calixtus, Papa ſchiſmaticus, ad ejus pedes provolvitur, 601, 46. & degradatur. 1130, 31. 1438, 66. Res aliæ ab eo geſtæ. 1049, 56. 1050, 1. 2394, 10.

Alexander IV, P. R. 1725, 47. 2267. 2436, 28. Ejus literæ: de eccleſiis monaſterio Auguſtinenſium appropriatis; 2094, 43. 2095, 25. 2099, 40. de feſto S. Auguſtini obſervando; 2122, 32. de indulgentiis benefactoribus Auguſtinenſium concedendis; 2122, 50. de eccleſia Littleburnenſi monaſterio Montis Myrteti conceſſa. 2190, 21.

Alexander V, P. R. 2289.

Alexander, Rex Ægypti, patricidii pœnas luit. 564, 10.

Alexandria fit Chriſtianis tributaria. 503, 54.

Alexandria, urbs Italiæ, a Longobardis condita. 1049, 54.

Alexius Angelus Imperium CP. occupat. 674, 65.

Alexius Comnenus, Imp. CP. uxorem Roberti Wiſcardi pro meritis remunerat. 1010, 6. 1218, 67.

Alexius, Manuelis F. Imp. CP. ab Andronico ſubmerſus, 614, 1.

Alferus. 875, 8. 877, 25.

Alfhunus, Epiſc. Dunelmenſis. V. *Aldunus.*

Alfhunus, Epiſc. Londinenſis. 169, 27. 465, 34. 1650, 38.

Alfinus, Abbas S. Benedicti. 913, 66.

Alfonſus VI, Rex Hiſpaniæ, paganos reprimit. 982, 30.

Alfonſus, vel Adelfonſus VII, Imperator Hiſpaniarum appellatur. 528, 33.

Alfonſus VIII. vel Aldefonſus, Rex Caſtellæ, & Sanchius Rex Navarræ, Henricum II litis arbitrum conſtituunt. 595, 19. 1120, 25. Nuncii ab iis in Angliam miſſi. 1120, 37. Forma pacti inter ipſos. 1120, 58. Angli filiam ducit. 550, 6. 1120, 28. Ad curiam Angli venit. 561, 9. 1082, 43.

Alfredus, Egelredi Regis F. 179, 26. In Angliam invitatur. 934, 57. Excæcatur. 472, 65. 2326, 44. Occiditur. 374, 56. De ejus morte variæ hiſtoriæ. 935 & 936. V. *Godwinus.*

Alfredus, vel Aluredus, vel Elfredus, R. Occidentalium Saxonum. 127, 1. 451, 2. 2240. Naſcitur. 119, 30. Ejus genealogia ab Adamo uſque. 119, 32. 137, 58. Ejus indoles & educatio. 122, 33. 352, 20. 814, 3. Romam miſſus, a Papa in Regem ungitur. 120, 53. 139, 18. 352, 29. 371, 64. 450, 22. 809, 31. Primus hic e Regibus Angliæ qui unctus fuerit. 1777, 58. Cum Dacis varia fortuna præliatur. 809, &c. Pacem cum illis init. 809, 42. Eorum obſides ſuſpendit. 809, 50. A paganis victus, in ſylvis & paludibus deliteſcit. 18, 14. 353, 29. 811, 13. Ei S. Cuthbertus apparet, eleemoſynam petens: 811, 20. Victoriam, & imperium totius Angliæ ei promittit. 18, 17. 71, 25. 253, 37. 811, 32. Ex eo tempore Dacos ſæpe debellat. 811, 48. 812, 59. Londinum & partem Merciæ regno ſuo adjungit. 810, 37. Fit Rex Orientalium Saxonum & Northumbrenſium. 23, 10. 133, 18. Exercitum animat. 354, 29. Paganos ſternit. 355, 20. Godrinum Regem Dacorum de ſacro fonte levat. 811, 52. Angli univerſi ſe illi ſubdunt. 812, 26. Navali prælio Dacos ſuperat. 813, 32. Quam pie & ſapienter ſe geſſerit. 131 & 132. 352, 52. 355, 26. Ab otio ſemper abhorruit. 355, 31. Quomodo horas ſuas collocarit. 818, 54. Regnum quam prudenter adminiſtrarit. 818, 62. *Hundredas* & *Leſtas* inſtituit. 818, 64. 1777, 59. Literis & juſtitiæ quantum faverit. 814, 21. Scholas publicas Oxonii inſtituit. 814, 12. Quomodo cenſum ſuum diſtribuerit. 132, 53. 355, 60. 818, 39.

Ejus in pauperes liberalitas. 353, 41. Eleemoſynam ad D. Thomæ ſepulcrum in India mittit. 451, 63. 812, 33. Quam reverentiam ſacerdotibus exhibuerit. 352, 57. Monaſteria ab eo fundata. 355, 42. 812, 36. Agrum unum Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ donat, alterum Wigornenſi. 2218, 46. Ejus patientia cum ea Jobi confertur. 353, 16. Partem Pſalterii ſemper in ſinu geſtabat. 352, 42. Carnis petulantiam quomodo edomuerit. 818, 16. Fico morbo laborat. 818, 24. Curatur. 818, 30. S. crucis pars ei mittitur. 130, 55. 148, 15. 355, 57. Epiſtolas & dona a Patriarcha Hieroſolymitano accipit. 131, 54. 355, 59. Ejus uxor, & liberi. 130, 57. 818, 33. Leges. 355, 36. 819—831. Mors. 23, 20. 73, 28. 151, 52. Epitaphium. 819, 9.

Alfricus, Abbas S. Auguſtini. 1778, 33. 2244.

Alfricus, Archiepiſc. Ebor. V. *Eelſricus.*

Alfricus, Epiſc. Orientalium Anglorum. 473, 12.

Alfricus, Rex, vel Conſul, vel Comes Merc. 161, 35. 877, 38. Relegatur. 878, 46. In gratiam receptus, Regis exercitum Dacis prodit. 879, 50. Rex filio ejus oculos eruit. 880, 8.

Alfricus, vel Alricus, vel Elfricus, vel Eluricus, vel Wolricus, Epiſcopus Wiltonienſis, ſeu Sariſburienſis, ſeu Siraburnenſis. 461, 6. Fit Archiepiſc. Cantuarienſis. 163, 30. 446, 8. 880, 52. 885, 58. 1648, 33. 2245. Canonicis pulſis, monachos in Eccleſiam Chriſti introducit. 1780, 62.

Alfridam, vel Elfritham, Edgarus Rex ſibi uxorem fieri concupiſcit. 865, 20. Ethelwolſus eam occupat. 865, 57. Eo occiſo, Edgarus eam deſponſat. 866, 62. 2313, 20. Ethelredus ejus filius in ſacro fonte minxit: quod triſte omen. 867, 17. Quo Ethelredus ſolium aſcendat, Edwardũ privignum per dolum occidit. 873, 2. 2313. 44. V. *Edwardus, Edgari F.* Duo monaſteria fundat, 876, 54. 2314, 7. Dunſtanus eam abſolvit. 874, 49.

Alfrida, vel Althrida, Offæ Regis filia. 750, 39. Mala matri eventura prædicit. 752, 21. Croilandiæ monaſterium ingreditur. 752, 30.

Alfridus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 37. 2242.

Alfridus, Rex Northumbriæ. 91, 22. 293, 30. 295, 44. 439, 27. 794, 5.

Alſwaldus, Epiſc. Sherbornenſis ultimus. 2332, 49. Ejus abſtinentia & pietas. 2332, 52. Godwino Comiti male ominatur. 2332, 59. S. Cuthberti ſarcophago recluſo, cum eo familiariter colloquitur. 2332, 62.

Alſwinus. 973, 19.

Alſwinus, Epiſc. Or. Anglorum. 467, 55.

Alſwoldus, vel Elſwaldus, Rex Or. Angl. 104, 43. 748, 39.

Alſwoldus, vel Elſwoldus, Rex Northumbriæ. 11, 62. 13, 13. 108, 20. 793, 3. Interficitur. 110, 62. 298, 61.

Algarus, Abbas Feverſhamenſis. 1678, 54.

Algarus, Leofrici F. Comes Ceſtriæ, relegatur. 945, 28. Erat Comes Merciorum, 189, 51. 2334, 63. & Orientalis Angliæ. 945, 5. Bellum movet contra Edwardum Confeſſorem. 187, 64. Herefordiam ſpoliat. 188, 17. 945, 34. 2333, 41. Rex cum eo init gratiam. 188, 43. Iterum relegatur. 952, 1. 2334, 64. De eo lege 2331, 59. 2333, 30.

Algericus. V. *Egelricus.*

Alienora, Regina Franciæ, repudiata. 1040, 14. 1371, 1. V. *Ludovicus VII.* Nuncios mittit ad Henricum Ducẽ Normanniæ, 1371, 12. eique nubit. 526, 10. 1040, 23. 1371, 16. Parit Willielmum, 527, 50. 1047. 40. 1371, 22. Henricum, 530, 54. 1047, 38. 1377, 53. Matildem, 531, 22. 1047, 46. Ricardum, 531, 26. 1047, 53. Gaufridum, 531, 36. Alienoram, 533, 5. 1058, 64. Johannam, 539, 31. 1059, 24. Johannem. 544, 48. 1059, 19. Arctæ cuſtodiæ diu commiſſa, ad preces Cantuarienſis parumper liberatur. 1475, 19. V. *Ricardus I.* Ricardum F. peregrinantem ſequitur. 654, 57. Redit. 657, 32. In Alemanniam tranſit. 671, 60.

Alla. V. *Ella.*

Alleluia. 4369, 17.

Almaricus, Baldwini III frater, Rex Hieroſolymæ. 503, 49.

Almarus, vel Elmarus, vel Elmerus, Abbas S. Auguſtini. 168, 52. 1649, 62. 1781, 50. 2246. Fit Sherbornenſis Epiſcopus. 1782, 61. Cæcus effectus ad monaſterium redit. 1783, 1. 1909, 4. Mira hiſtoria de milvo ei carnes raptas reſtituente. 1783, 7. Sepultura ejus. 1783, 21.

Alricus, Rex Cantiæ. 2236.

Alſius, Abbas Bathonienſis. 213, 51.

Altæ nutricis genus quale. 1243, 51.

Althrida. V. *Alfrida.*

Aluredus, Epiſc. Wigornenſis. 631, 31.

Aluredus, Rex. V. *Alfredus.*

Aluricus, Archiepiſcopus Eborac. V. *Eelſricus.*

Alwinus, Anachoreta Malverniæ. 953, 61. 2368, 13.

Alwoldus, vel Ailwardus, vel Elwordus, vel Elſwordus, Abbas Eveſhamenſis, poſtea Epiſc. Londinenſis. 182, 12. 475, 9. 938, 63. Eum volentem ad Abbatiã redire monachi non ſinunt. 938, 66. 2329, 67.

Alxis, Abbas Rameſienſis. 404, 52.

Ambreſburiæ monaſterium. 876, 58. Abbatiſſa & monialibus nonnullis ejectis, aliæ ordinis Fontis Ebrardi introducuntur. 1119, 42. 1434, 61. 2397, 14.

Amen, infans baptizatus reſpondet, 438, 46. & mortui e ſepulcris. 454, 26. 838, 53.

Americus de Valentia, Comes Pembrokiæ. 1998, 50. Contra Robertum de Brus mittitur. 2530, 26.

Amgor, Imp. Marocenſis, plures civitates & provincias in Hiſpania occupat. 1068, 64.

Amiſſum. De eo qui rem amiſſam deprehenderit. 900, 58.

Amor quomodo acquiratur. 1657, 8.

Amphibalus, magiſter S. Albani. 1128, 65. De ejus corpore invento & tranſlato mira hiſtoria. 1128, 61. Ubi fuerit inventum. 1437, 50.

Amyntas, Rex Macedonum. 563, 32.

Anacletus II, Papa ſchiſmaticus. V. *Petrus, Petri Leonis F.*

Anaſtaſius III. P.R. 453, 52. 2241.

Anaſtaſius IV. P. R. 282, 48. 527, 47. 1029, 37. 1041, 41. 1330, 47. 1721, 66. 1814, 9. 2253. 2389, 13.

¶ Adegavenſis urbs deſcribitur. 525, 23.

Andegaviæ Comites: I *Torquatius*; II *Tertullus*; III *Ingelgerius*; IV *Fulco Ruffus*; V *Fulco Bonus*; VI *Gaufridus Griſa tunica*; VII *Mauritius*; VIII *Fulco Nerra*; IX *Gaufridus Martellus*; X *Fulco Rechin*; XI *Fulco ejus F.* XII *Gaufridus Plantegenet.* De Andegaviæ Comitiſſa mira hiſtoria. 1045, 40.

Andeleium. V. *Walterus Rothomagenſis.*

S. Andreæ Epiſcopus ſubjectionem debet Eboracenſi, 251, 24. & profitetur. 1709, 20. Quidam eum Archiepiſcopum fieri volunt. 1719, 31. ¶ Sanct-andreani Epiſcopi quorum in his libris mentio: *Foderoch*; *Turgotus*; *Rogerus.*

Andreæ monachi Cantuarienſis mira viſio. 1481, 56.

D. Andreas Apoſtolus Dunſtano apparet. 886, 13. 1647, 18. Eo revelante, lancea qua Chriſtus confoſſus invenitur. 223, 56. 498, 8. 993, 34.

Andreas de Harkley, vel de Harle, 2547, 36. Thomam Lancaſtrenſem & ſocios bello capit. 2540, 1 & 58. Fit Comes Carleolenſis. 2540, 35. 2542, 5. Lancaſtrenſis prædixit eum intra annum turpiter moriturum. 2541, 5. Ob proditionem degradatur, decollatur, diſcerpitur. 2542, 59.

Andronicus Alexio Imp. CP. fidelitatem jurat. 614, 3. Mox, eo interfecto, imperium & uxorem uſurpat. 614, 8. Willielmus, R. Siciliæ, ingentem exercitum contra eum mittit. 628, 41. Occiditur. 629, 8.

Angeli juxta B. Virginis imaginem canentes. 727, 63.

Angleſey, domus in agro Cantabrigenſi, a quo fundata. 1384, 29.

Angleſey, ſeu Menevia inſula. 223, 34. 994, 19. Ibi urbs & caſtrum de Bello mariſco ædificatur. 2471. 39.

Anglia, unde dicta. 728, 59. In VII Regna diviſa. 728, 59. Præ cæteris terris gloriatur de Regum ſanctitate. 369, 50. Angliæ Reges ſe nunquam agnoverunt Franciæ Regibus inferiores. 608, 11. ¶ Reges Angliæ: I *Egbertus*; II *Ethelwolſus*; III *Ethelbaldus*; IV *Ethelbrichtus*; V *Ethelredus*; VI *Elfredus*; VII *Edwardus Senior*; VIII *Ethelſtanus*; IX *Edmundus, Ethelſtani fr.* X *Edredus*; XI *Edwinus*; XII *Edgarus*; XIII *Edwardus, Edgari F.* XIV *Egelredus*; XV *Edmundus* Iron-ſide; XVI *Canutus*; XVII *Haroldus* Hare-fot; XVIII *Hardicanutus*; XIX *Edwardus Confeſſor*; XX *Haroldus* 2; XXI *Willielmus Conqueſtor*; XXII *Willielmus Rufus*; XXIII *Henricus* 1; XXIV *Stephanus*; XXV *Henricus* 2; XXVI *Ricardus* 1; XXVII *Johannes*; XXVIII *Henricus* 3; XXIX *Edwardus* 1; XXX *Edwardus* 2; XXXI *Edwardus* 3; XXXII *Ricardus* 2; XXXIII *Henricus* 4; XXXIV *Henricus* 5; XL *Henricus* 8. V. *Egelwoldus.*

Anglici, quaſi Angelici: Gregorii M. alluſio. 726, 39. 779, 34.

Angli quo anno in Britanniam advenerint, 1, 16. Ad fidem convertuntur, 435, 33. 436, 3. *Anglorum* nomen quando uſurpari cœperit. 449, 32. 2238. Anglorum regnum, regnum Dei. 136, 56. 909, 26. 955, 58. 2318, 41. Eorum nequitia ante Normannorum adventum. 399, 65. 961, 60. A Dacis & Normannis ſunt oppreſſi ob injuriam Britonibus olim illatam. 883, 57. Eos à Francis ſubdendos, prædictum. 884, 3. 909, 26. A Scotis olim ſubjugandos, item prædictum. 909, 35. 2476, 45. Eos jure exercere imperium in Scotos, miraculo oſtenditur: 838, 40. Idem ex hiſtoriis patefit. 2470, 5. V. *Scoti*. Dacos ob inſolentiam è regno pellunt. 934,40. Quam miſera fuerit eorum ſervitus ſub Normannis: 962, 4 980, 57. 981,42. Quid de ea Wolſtanus ſenſerit. 2366, 30. Eorum conditio poſt Confeſſoris obitum parabola arboris a ſuo trunco deciſæ prænotatur. 400,40. 955,32. 2338,30. De Angliæ deſtructione carmen propheticum. 2417, 56. Angli divitiis & rei bellicæ gloria quam excelluerint. 2739, 31.

Animalia quomodo poſt diluvium in inſulas advenerint. 1078, 59.

Animarum damnatarum locus. 1010, 63. Ubi torqueantur, & quomodo liberentur. 461, 21. Animæ piæ an videant faciem Dei ante diem judicii. 2067,24.

Anlaf, vel Onlaf, Sithrici F. Rex Northumbriæ. 134, 28. 857, 42. Baptizatur. 155, 57.

Anlafus, R. Norreganorum. 162,53. 880, 12. Ethelredus R. eum de ſacro fonte levat. 880,33. Ad Regnum ſuum redit. 880, 40.

Anlafus, vel Aulafus, R. Hibernienſium, & innumeræ ejus copiæ ab Adelſtano profligantur. 155,10. 839,30.

Anna, R. Orient. Anglorum. 740, 42. 747,30. Ejus filiæ laudantur. 747,31 &c. A Penda occiditur. 748,30.

Annales. V. *Chronicon*.

Anni magni duo a baptiſmo Chriſti revoluti. 205. 44. 974, 17. Annorum Dominicalium diſſonantia. 430,6. 1336, 46. 1418, 43. Computum Dionyſii ab Evangelico quomodo differat. 970,11. 1337. 2348,12. Quoto ætatis anno Dominus ſit paſſus, inter ſcriptores non convenit. 1336, 64. Annus ſolaris quando incipiat. 1336,53, V. *Gervaſius*. Anni hominum à nativitate, non conceptione, computari ſolent. 1418,49. Ante xxx ætatis annum, Epiſcopatus; ante xxv, inferiora miniſteria non ſuſcipiantur. 1448,39. Annus biſſextilis. 1727,22. Annus jubileus. 2195,40.

Annonæ caritas. 2468,1. 2502, 57. 2534,20. 2738,1. Copia & vilitas. 2467, 65. 2569, 25. 2573, 31. 2692, 25. 2693,37. 2737,41. V. *Pretium*.

Annulus ſponſalitius digito ſtatuæ impoſitus, mire retinetur, 471,11. 950 65. 2335,9. mire recuperatur. 471,21. 951, 24. 2335, 25. Annulis aureis uti, ſanctimonialibus prohibitum. 328,38. 1348,39.

Anſelmus, Abbas S. Edmundi. 248, 14. Eligitur Epiſcopus Londinenſis, 506,6. & admittitur. 506,44. Turſtani de eo judicium. 506, 66. Ejus electio fit irrita. 507, 8. Ægre in ſuam Abbatiam recipitur. 507,50.

Anſelmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 56, 67. 218, 7. 491, 4. 2249. Ejus patria, parentes, educatio. 493, 64. 1656, 22. 2378, 22. Fit primum monachus, 494, 10. 1656,38. poſtea Prior, 494, 21. 1656, 44. 2378, 30. dein Abbas Beccenſis. 494, 24. 1657, 30. 2378, 42. In Angliam ad viſitandas Eccleſias venit. 1656, 18. 1657, 41. 2365, 59. Regem corripit. 1657, 61. Quibus verbis Archiepiſcopatum declinare tentarit. 2379, 1. Eligitur Archiepiſc. Cantuar. 494, 30. 987, 59. 1658, 2. 2366, 1. 2378,66. Conſecratur. 219,38 491,25. 1658,21. 1707, 26. Pallium ſumit. 221,10. 492,8. 495,4. 1658,58. Rex mille libras argenti ab eo pro promotione petit, ſed nequaquam accipit. 494, 39. 1658,27. Quinquaginta libras ei offert. 2379, 12. Petens licentiam adeundi Papam Urbanum, læſæ majeſtatis reus arguitur. 494, 61. 1658, 41. Epiſcopi obedientiam ei ſubtrahunt. 494, 62. 1658, 47. Qualem licentiam viſitandi Romam Rex ei indulſerit. 495, 10. Saccos ejus & manticas excutit miniſter Regius. 495,20. 2369,30. Mare tranſit, 223.17. 995,59. 1659,4. Eccleſiæ Cantuarienſis bona fiſco addicuntur. 495, 31. 1659, 8. Romam adit. 495, 33. P. R. eum vocat alterius orbis Papam. 1327, 57. Cum literis & auctoritate Pontificis Angliam verſus tendit. 997, 31. Mors Willielmi II ei mire revelatur. 997,38. De proceſſione Spiritus S. diſſerit. 224,14. 495,35. 2369,36. Poſt triennale exſilium ab Henrico I revocatur & reſtituitur. 226, 10. 495, 49. 997,62. 1659,40. 2375,3. Litigat cum Rege de inveſtituris. 228, 25. 495, 51. 499, 17. 999,20. 2377, 10. Romam iterum adit. 228, 46. Redeunti Anglia interdicitur, & bona rurſus confiſcantur. 496, 1. 1659, 53. Tandem Rex, juri inveſtiendi renuncians, cum eo paciſcitur. 496, 12. 500,33. 1659,60. Literæ ejus ad Regem, de reditu in Angliam. 496, 23. Aliæ ad eundem, monentes, quod jus puniendi presbyteros non ad Regem ſed Epiſcopos pertineat. 496,60. Domum revertitur. 230,1. 496,13. 499,54. Quinque Epiſcopos (vel, ut alii volunt, ſex, 1003, 54.) uno die conſecrat. 230,54. 500, 46. 1710, 65. 2377, 54. Gerardus Eboracenſis ſedem ejus celſiorem quam par erat videns, pede ſubvertit. 1716. 42. Thomæ Eboracenſi electo anathema minatur, ni Cantuarienſi ſedi ſe ſubjiciat. 500,60. Hugoni Abbati cur in capella Regiâ benedictionem impertire noluerit. 1328, 1. Quomodo vitam inſtituerit. 1656, &c. Dicere ſolebat, ſe malle eſſe ſine peccato in inferno, quam in cœlo cum peccato. 2378, 33. Ejus eruditio & pietas. 1656. Scripta: 1657,21. 1658,40. 1659, 30. Qualia fuerint. 2378,35. Cœnobium S. Sepulcri Cantuariæ fundavit. 1893, 45. Quæ Eccleſiæ ſuæ dederit. 2226,17. Laudatur. 1745, 4. Moritur. 232,20. 501,18. 1003, 51. 1660, 35. Balſamo Divinitus miſſo ungitur. 2378, 8.

Anſelmus, P. R. Legatus. 236,60. 238,8.

Anſelmus, R. Scotiæ. 2484, 47.

Anſerius de Monte Regali moriturus ſuam aliorumque in terra S. Chriſtianorum proditionem patefacit. 655, 22.

Antenor, Trojanus. 1016,62.

Antichriſti adventus quibus ſignis præmonſtretur. 2645, 7.

Antiochia, terræ motu ſubverſa. 1049, 62. A Chriſtianis capitur. 223, 54 498, 5.

¶ Antipapæ: *Hildebrandus* & *Wibertus*; 487, 42. *Victor* & *Clemens*; 488. 1. *Parmenſis* & *Lucenſis* Epiſcopi; 197, 1. *Urbanus* & *Clemens*; 217, 25. 490, 38. *Gelaſius* & *Gregorius*; 236,46 &c. 1007,12. *Gregorius* & *Calixtus*; 239,62. 503,65 1008,58. *Innocentius* & *Petrus Leo*; 263,62. 505, 1. 1018, 69. 1343, 9. *Alexander* & *Octavianus* (qui & *Victor*, 1049, 36.) 531, 61. 1380,60. 1439,7. *Alexander* & *Paſchalis*; 548, 8. 1439, 8. *Alexander* & *Landon*; 1049,45.

Antonius de Bek, Epiſc. Dunelmenſis. 1727, 30. 1728, 50. 2478,57. 2492,9. In Germaniam mittitur. 2500,54. Pro Rege Edwardo I reſpondet Legatis P.R. 2506,3.

Apparitio mira ſupra Eccleſiam Cantuar. 1534, 67. Alia. 1538,65.

Appelbyſchire. 956, 62.

Appellationes legitimæ quæ. 546, 1. Quomodo debeant procedere. 1387,25. De appellationum abuſu, rectoque uſu. 1455,9. Poſt appellationem nihil innovandum. 1322, 57. 1538,22. 1543,4. Appellationes ante Henricum Wintonienſem in Anglia erant inuſitatæ. 1667, 65.

Aquæ frigidæ judicium. 844,24. 1590,23. Calidæ. 856,11.

Aquenſis civitas à Saracenis deſolatur. 443,30.

Aquitania unde dicatur. 526, 19. Rerum affluit opulentiis. 526,13. Populi mores. 526,29.

Aratri uſus ubi primum inventus. 1010, 49.

Archidiaconi quinque equis aut ſeptem in viſitationibus debent eſſe contenti. 1456, 5. Cum Prioribus de præſentatione Epiſcoporum contendunt. 581,53.

Archiepiſcopi Cancellariatu fungentes. 534, 18. Quæ præſtare polliceantur cum pallium ſuſcipiunt. 663, 16. Extra provinciam pallio uti iis non licet, abſque permiſſione P.R. 1716, 31. Quanto equitatu illis uti liceat cum parochias viſitant. 1456, 1. Archiepiſcopalia officia. 1707, 14. 2209, 2. Cur Gregorius M. tres Archiepiſcopos in Anglia inſtituerit. 1632, 28. V. *Galfridus Monumetenſis*.

Arcubaliſtæ uſum Ricardus I revocavit; arcubaliſta periit. 1278, 12.

Ardulfus, R. V. *Aldulfus*.

Arfaſtus vel Herfaſtus, Helmeamenſis, ſeu Orient. Anglorum, Epiſcopus, 202, 35. 1653, 17. Sedem Thetfordiam transfert. 1652,5. Ejus inſcitia & invidia. 2361,55.

Ariſtobulus matrem in vincula conjectam fame perimit. 564, 32.

Arleta, vel Herleva, vel Arlec, Roberti D. Normanniæ lectum ingreſſura camiſiam à ſummo ad imum lacerat. 910, 44. 2319,2. Ejus ſomnium. 910, 52. 2318,64. Willielmum Conquæſtorem parit. 468,28. 910,50.

Armandus, Archiepiſc. Aquinenſis. V. *Simon Mepham*.

Arma ſibi emere Angli univerſi, tam pauperes quam divites, jubentur. 1459, 3.

Arnaldia, morbus. 1201,64.

Arnaldus, quoniam contra divites liberius prædicaverat, ſuſpenſus. 1032,50. 2387,33.

Arnulfi Imp. exercitu leporem cum clamore Romam verſus inſequente, cives territantur, & urbs capitur. 452, 34. Phthiriaſi perit. 452,48.

Arnulfus, Abbas Burgenſis, fit Epiſc. Roffenſis. 236,34. 1660, 56. Obit. 1015,14. V. *Earnulfus*.

Arnulfus Archiepiſc. Remenſis, degradatur & in vincula conjicitur. 460,30. Reſtituitur. 460,47.

Arnulfus, Comes Flandriæ, Willielmum D. Normanniæ doloſe occidit. 454,49.

Arnulfus, Epiſc. Carleolenſis. V. *Aldulphus*.

Artaxerxis Regis Perſarum filii. 563, 49. Indulgentia nimia. 563, 53. Filios inſidias ei parantes interficit. 563, 62.

Arthurus, Dux Britanniæ, hæres Angliæ a Ricardo conſtituitur. 657, 5. Gallus bonis ejus inhiat. 706, 23. Gallo commendatur, 1282, 13. Gallus eum militaribus armis inſignit, & ab eo homagium accipit. 2415, 64. Ricardo rebellat. 1590, 62. Comitatum Aquitaniæ occupat. 1281, 61. V. *Ricardus* I, & *Johannes, R.*

Arthurus, Rex Britanniæ inclytus, quot vicibus & quibus locis Saxones devicerit. 1153, 10. Scotiam ſubegit. 2484, 45. Cerdico duos Comitatus concedit. 1153, 34. Occiditur. 1153, 46. Ejus oſſa inventa. 1152, 24. 2397, 40. Quanta fuerint. 1152, 66. 2397, 65. Quam fabuloſa de eo ſcripſerit Galfridus. 1153, 54. Willielmi Rievallenſis de eo teſtimonium. 1153, 25. Ejus gladium, *Caliburne* vocatum, Ricardus I Regi Siciliæ donat. 1195, 12.

Arvandus, gemina præfectura exautoratus, in carcerem truditur. 665, 48.

¶ S. Aſaphenſes Epiſcopi: *Ricardus*; *Gaufridus Artur*; *Adam*; *Johannes*; *Willielmus*; *Reinerus*; *Johannes*.

Aſcalon Saladino deditur. 1146, 43. V. *Crucigeri*.

Aſcelinus, Prior Doverenſis. 1349, 5.

Aſcelinus, vel Acelinus, Epiſc. Roffenſis. 1359, 22. 1464, 40.

Aſchetillus, Prior Haguſtaldenſis. 257, 1.

Aſinus. Homo in aſinum a maleficis converſus. 940, 16. In lacu volutatus, priſtinæ formæ reſtituitur. 940, 26.

Asketillus, Archiep. Ebor. V. *Oſchitellus*.

Aſſchedon. V. *Eſcendum*.

Aſſer, hiſtoricus. 753, 33. Fuit Epiſcopus Sherbornenſis.

Aſſiſini, vel Aſſaſini. V. *Vetus de Monte*.

Aſtrologi, pſeudoprophetæ. 1479, 57.

Aſyli jus quæ loca olim inter Britannos habuerint. 956, 12. 2355, 55. Ejus violatores quomodo puniendi. 308, 27. 2355, 40. 2356, 4. Henricus II ſceleratos ex aſylis ad ſupplicia traxit. 2400, 31.

Athelhunus, vel Ethelhunus, Wicciorum Epiſcopus. 153, 19. 154, 5.

Athelmus, vel Adelmus, vel Ethelmus, Epiſc. Bathonienſis. 453, 9. 758, 35. Fit Archiep. Cant. 154, 19. 453, 47. 838, 60. 1644, 22. 2241.

Athelredus. V. *Egelredus*.

Athelſtanus. V. *Adelſtanus*.

Athelwoldus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 39. 2242.

Athelwoldus, vel Adelwoldus, R. Orient. Anglorum. 744, 55. 748, 38.

Athelwolfus, R. Or. Anglorum. 748, 39.

Athenæ unde dictæ. 815, 24. Quomodo Minerva electa fuerit hujus urbis Patrona. 815, 26. Fœminæ olim jus ferendi ſuffragia illic habuerunt. 815, 34. De urbis nobilitate & ſitu. 815, 46. Quinam autores de illa ſcripſerint 815, 30. Philoſophiæ ſtudiis quam claruerit. 816, 3. Quomodo ibi admittebantur juvenes ad ſtudia literarum. 816, 19. Populi mores. 816, 50. Eorum res geſtæ fama potius quam re magnæ. 1154, 21.

Atherus, Comes Cantiæ. 2240. Hic forſan idem cum Ealchero.

Avalana inſula olim dicebatur locus ubi nunc Glaſtonia. 1152, 50.

Avalon, pomum ſignificat. 1152, 51.

Avares a Carolo M. vincuntur. 447, 41 & 62.

Avaritia monachorum griſeorum facete notatur. 1279, 10. Avari invite morientis exemplum. 2361, 6.

S. Audoeni feretrum ignem ab eccleſia mire propulſat. 1457, 45.

Audoenus, Epiſc. Ebroicenſis. 265, 47. 329, 42.

Avenione collocatur cathedra Papalis. 2494, 43.

Aves viſæ, roſtris carbones ignitos in domos deferentes. 2416, 49. Aves S. Colemanni in Hibernia. 1078, 14.

Auguſtines ake. 735, 29.

D. Auguſtinus. Ejus libri De civitate Dei. 431, 56. Ejus brachium quanti conſtiterit, & ubi recondatur. 948, 64. 2318, 44.

Auguſtinus, Epiſc. Waterfordiæ, primus Epiſcopus ab Anglo in Hibernia conſtitutus. 1107, 16.

Auguſtinus monachus, monaſterii ad clivum Scauri Præpoſitus, 1629, 43. 1759, 1. A Gregorio M. mittitur ut in Britannia prædicet. 435, 33. 725, 29. 728, 41. 1758, 66. Munus detrectantem adhortatur Gregorius. V. *Gregorius M.* Ad inſulam Thanetũ cum aliis appellit. 729, 10. 1629, 49. 1759, 6. 2229. Ibi ſupra petram ſtans, veſtigia pedum ei imprimit: 1759, 8. quæ poſtea in capella ejus collocata, in magno honore habetur. 1759, 10. Nuntium mittit Ethelberto Regi Cantiæ. 729, 13. Rex eos adit, & ſub dio audit. 729, 27. Regis reſponſum. 1759, 26. Datur eis manſio Doroberniæ, & licentia concionandi. 729, 50. 1630, 12. 1759, 32. Multos convertunt. 729, 64. 1737, 35. Auguſtinus ab Etherio Arelatenſi conſecratur Anglorum Archiepiſcopus. 100, 18. 436, 22. 730, 11. 1760, 2. Cur Gregorius voluerit eum ab Arelatenſi conſecrari. 1632, 21. Gregorius ei adminiſtros & neceſſaria mittit: 730, 20. 1630, 34. Duodecim Epiſcopos ordinare jubet: 436, 38. 730, 38. 1630, 51. 1737, 65. Ipſum primatem totius Britanniæ conſtituit; 436, 48. 730, 50. 1631, 14. 1739, 11. monetque, ut caveat ne ob miraculorum donum intumeſcat, 731, 1. & ut quicquid in qualibet eccleſia pium & religioſum obſervarit, id Anglos ſuos edoceat. 1631, 27. Sedem ſibi & ſucceſſoribus Doroberniæ figit: 733, 58. 1630, 31. 1737, 50. Cur illic, & non Londini. 1687, 1. Epiſcopos & ſacerdotes Britonum convocat, & de celebratione Paſchæ cum iis certat. 735, 25. 1739, 49. Cæcum curat. 735, 37. 1631, 63. 1739, 57. Decem millia uno die baptizat. 1632, 6. De ejus humilitate quomodo Britones judicium ferebant. 735, 41. Diſcordes ab eo abeunt. 735, 52. 1739, 59. Divinam vindictam eis prædicit: 735, 53. quæ poſtea ſuper eos cadit. 780, 11. 1631, 66. 1739, 61. Succeſſorem ordinat Laurentium. 437, 12. 735, 63. 1632, 11. 1765.65. Miraculum ab eo editum in villa quæ dicitur *Cumpton*. 736, 20. Mortuum presbyterum ſuſcitat. 737, 7. Fontem precibus elicit. 807, 18. Eo miſſam celebrante, diabolus eccleſiam evertere molitur. 1760, 40. Pedes loca obire ſolebat. 1760, 66. Bulla plumbea utebatur. 1764, 63. Quas reliquias eccleſiæ ſuæ dederit, 1763, 39. Quamdiu ſederit. 1765, 40. Ejus mors. 736, 2. 1765, 23. Sepultura. 736, 4. 1765, 27. 1767, 21. Epitaphium. 736, 12. aliud. 1793, 63. 1877, 1. aliud. 1977, 19. Tranſlatio. 1793, 57. alia. 1876, 53. Ubi ſepeliebatur, fundatur Abbatia. 62, 47. Miles tumulum ejus ſpolians mire punitur, 1782, 12. Puer per ejus merita viſum recepit. 1878, 4. Canutus R. eo invocato, a naufragio liberatur. 1909, 46. Quam ſevere ſuorum injurias ulciſcatur. 2003, 3. 2005, 55. Caput ejus auro & gemmis decoratur. 1878, 5. Ejus feſtum. 1641, 18. 1772, 36. Literæ P. R. de duplici feſto in ejus honorem celebrando. 2119, 30. Indulgentiæ amplæ iis conceſſæ qui feſtum illud obſervarint. 2119, 55. 2122, 48. Solenniter obſervatur. 2274. Ethelbertus eum genitorem & Apoſtolum vocat. 1761, 46. & 60.

S. Auguſtini Eccleſia ſeu monaſterium Cantuariæ fundatur. 1760, 48. vocatur eccleſia Petri & Pauli. 733, 61. Ejus ſitus. 1761, 63. 2123, 44. Dedicatio. 1767, 17. 1780, 5. 2229. 2244. Erat Regum Cantiæ & Præſulum ſepeliendorum locus, 1760, 55. 1762, 64. 2124. 36. & Cantuariæ unicum cœmeterium. 1333, 15. Illo privilegio fraudatur. 1772, 43. V. *Cuthbertus, Archiep.* Monachi illuc introducuntur. 1761, 11. Ethelbertus R. eos terris & donariis locupletat, 1762, 42. & privilegiis munit. 1761, 53. 1763, 5 & 66. 2124, 3. Charta ejus. 1761, 43. 2123, 19. Reliquiæ quas à Gregorio M. acceptas donarit Auguſtinus. 1763, 39. Ampliſſimum privilegium ab eo conceſſum, 1763, 52. & bulla plumbea ſignatum. 1764, 63. Privilegia a Bonifacio IV indulta. 1766, 36. Edbaldus eccleſiam B. Virginis fundat, & Northburnam donat. 1768, 2. 2125, 5. Privilegium Johannis XIII. 1778, 48. Unde factum, quod, Cantia & Cantuaria undiq; vaſtata, hoc monaſterium intactum manſerit. 1782, 5. Eccleſia B. Virginis diruitur, ſed non impune. 1785, 19. Abbati quis locus aſſignetur in Conciliis. 1784, 61. 2248. Uſus mitræ & ſandaliorum ei conceditur. 1785, 47. 1824, 62. 2502, 1. Annulo & chirothecis inſuper honoratur. 602, 56. Ab Archiepiſcopo Cantuar. in eccleſia ſua benedicendus, 1798, 46. ſine exactione obedientiæ. 600, 4. 1330, 40. 1813, 32. 1814.25. 1821—1826. 1829, 33. 1834, 52. 1835, 9. 1841, 17 & 45. 1882, 58. 2001.56. Obedientiam tamen per quingentos annos præſtitit, 602, 50. imo per DLXXV, ut exemplis oſtenditur. 1326—1331. Quando primum obedientia negata. 1328, &c. V. *Silveſter*, & *Rogerus, Abbates.* Poteſtas conferendi hanc Abbatiam fuit penes Archiepiſcopum uſq; ad Normannorum adventum. 1326, 1327. Oratio pro Abbate & Monachis, contra Archiepiſcopos eorum privilegia imminuentes. 1332, 34. Oratio pro Archiepiſcopo, contrà Auguſtinenſes ejus juriſdictioni ſe ſubtrahere conantes. 1325, 1325,66. Scotlandus Abbas monaſterium dilatat. 1789, 62. Lanfrancus ejus privilegia imminuit, ſacerdotes Abbatiæ ad ſynodum venire cogens. 1791,12. Campanas pro libitu, ut olim, pulſare non ſinit: 1792,13. ſinit vero Calixtus II. 1797,19. A præſulum & Regum juriſdictione olim vivebant exemti. 1790,61. Lanfrancus jus eligendi Abbatem illis præripere conatur: 1792,52. Rex Willielmus II. omnino præripit. 1794.46. A vectigali immunes fiunt, 1796,20. Nundinæ illis conceſſæ. 1796. Privilegium à Calixto II. indultum. 1797,4. Monachi S. Trinitatis duos arietes, panem & potum quotannis ab iis extorquebant. 1329,20. 1797,29. Ab hac exactione liberantur. 1329,28. 1797,21. 1800.13. Penſio item annua quam iiſdem ſolvere ſolebant, 1329,16. duobus molendinis iis conceſſis, remittitur. 1329,27. Officia monaſterii diſtincta: 2294,2295. Iis ſingulis certæ terræ aſſignantur. 1799,27. Literæ Lucii II. iſtam aſſignationem confirmantes. 1806,43. Literæ Innocentii II. pro iis; 1801,1. ad eos. 1801,42. Controverſia inter Theobaldum Archiep. & eos de pane & potu componitur. 1800—1806. Theobaldus eos excommunicat. 1364,16 & 40. 1365,54. 1808,2. Hoſpitale S. Laurentii in quos fines fundatum. 1810,3. Numerus monachorum hujus cœnobii. 1807,6. Juramenta ab eis ſtatim poſt ingreſſum præſtanda. 1817,36. Clericos eligendi & præſentandi jus illis conceditur. 1815,18. 1830. 22. 1836,38. 1899,41. Monaſterium comburitur. 1815, 40. Abbates olim habuerunt poteſtatem cudendi monetam. 1816,4. Decretum Papale de cuſtodia & uſu ſigilli communis. 1817,6. Fit commutatio terrarum inter Auguſtinenſes & monachos S. Trinitatis. 1820,12. 1827. 61. 1945,18. 1950,5. 2142,24. Alexander III. plumale, zonam, & ſambucam eis mittit. 1824,65. Thanetenſes ad eorum curiam venire tenentur. 1827,25. 1842,58. Cervus ex ſaltu Tunbrigienſi annuatim illis dandus. 1128, 26. Abbatia hæc Romana capella appellata. 1329,44. 1333,66. Ipſa, & omnia ipſius membra, ſoli Rom. Pontifici ſubjiciuntur. 2048,61. 2198,17. 2199,17. Nemo eos excommunicare niſi ex mandato Papæ debet. 1829, 65. 1835,22. 1840,39. 1900,5. Chriſma, ordines ſacros, &c. Archiepiſcopus gratis impertiri illis tenetur. 1830,7. Malefactores excommunicandi licentia illis conceditur, 1830,35. & divina celebrandi tempore generalis interdicti, 1830,53. 1839,53. Chriſma à quovis Epiſcopo accipere iis permittitur. 1835,34. Nemo ſine licentia Abbatis ordinariam juriſdictionem in eos exercere debet. 1888,20. *Ego plantavi, Apollos rigavit*, &c. quomodo de hoc monaſterio P. R. expoſuerit. 1986,50. Abbati datur facultas populo ſolenniter benedicendi, 2118,33. & eccleſiam vel cœmeterium monaſterii à pollutionibus purgandi. 2118 65. Privilegia ab Urbano III conceſſa: 1838,23. a Celeſtino III: 1139,51. Cum Ricardo Archiep. de privilegiis litigant. 1631,&c. Eorum clerici fidelitatem ipſis jurare tenentur, 1835,43. 1840,3 & 18. 1937,11. & jurant. 1976,8. Forma juramenti. 1966,23. 1976,20. 1981,36. Compoſitio inter Archiepiſcopum & ipſos, qua privilegia ipſorum multum imminuuntur. 1835—1837. Huberto Archiep. ſcribit Celeſtinus III, ut eos gravare ceſſet. 1841,9. Abbas poteſtatem habet exercendi judicium aquæ, ignis, duelli, &c. 1641,60. Vide 1916,33. Catalla damnatorum & fugitivorum per terras ſuas illis conceſſa. 1928,15. 1964,47. 2015,44 &c. 2135.15. Homines ad hoc Monaſterium pertinentes ad *turnum* Vicecomitis non debent venire. 2022,33. 2053,20. 2120,20. De Seneſcallia hujus monaſterii. 1842,27. Commutatio terrarum inter Camerarium & Eleemoſynarium. 1887,14. De tunicis monachorum. 1904,45. Quantum ceræ & argenti Abbati & ſingulis monachis diſtribuendum. 1937,31. Ordinatio de augmentatione ſtragularum. 2011,24. Fœdus inter hunc conventum & conventum S. Edmundi. 1843,37. Fœdus cum capitulo Wintonienſi. 1904,13. Fratres Prædicatores eos in precum & miſſarum communionem recipiunt. 2008,13. Eorum controverſia cum R. Johanne de donatione eccleſiæ Feverſhamenſis. 1843—1856. V. *Feverſham*. Rex eorum poſſeſſiones confiſcat. 1853,53. Eaſdem, motus Archiepiſcopi conſilio, reſtituit, 1856,56. Monaſterii fit patronus. 1856,66. Conflictus eorum cum Archidiacono Cantuarienſi, de eccleſia Feverſhamenſi: 1857. cum Huberto Archiep. de eadem, 1857,60. & de eccleſia Middeltonenſi. 1860,&c. Literæ conventus ad Honorium III, res eorum afflictas ei exponentes. 1875, 47. Literæ R. Henrici III ad P.R. pro conventu. 1875, 14. Controverſia inter Abbatem & Stephanum Archiep. de obedientiæ profeſſione. 1865,&c. 1870,41. 1874,64. Compoſitio inter Edmundum Archiep. & conventum, de Benedictione Abbatis, 1882,52. de Subjectione clericorum & hominum Abbatiæ, 1883,3. de Inſtitutionibus, 1883,26. de cuſtodia & fructibus vacantium eccleſiarum, 1883,30. (V. 1936,54. 2002,20) de Procurationibus Archidiaconi, 1883,43. de Campanarum pulſatione, 1884, 29. (V. 2002,41.) de Anachoretarum incluſione, 1884,32. (V. 2002,44.) de Penſionibus annuis, quas olim de eccleſiis ſuis conventus perceperat. 1884,35. Edmundus Archiep. propriis expenſis apud eos hoſpitatur. 1884,67. Controverſia de ſepultura inter ipſos & eccleſiam Chriſti componitur. 1885,30. Alia compoſitio cum eadem eccleſia, de terris, de conſuetudinibus maritimis, de fugitivis, de divinorum celebratione, de terminandis litibus. 1888,&c. Compoſitio cum eiſdem, de *Caja* in Fordwico. 1939,63. V. 1941, 38. 2036,39. Magna compoſitio cum Priore ejuſdem eccleſiæ, de terris, redditibus, jure ſepulturæ, &c. 1944, &c. Officia pro utriuſq; monaſterii defunctis mutuo peragenda. 1948,58. Penſiones ab eccleſiis ipſorum ulterius non petendæ. 1891,3. Eccleſiæ eorum penſionales. 1891, 46. De anniverſario Bartholomæi de Ferentino. 1896,5. Literæ Innocentii IV, alienationes eorum illicitas caſſantes; 1898,34. aliæ, de procurationibus non dandis; 1900,20. aliæ, de penſionibus. 1899,61. Archiep. Bonifacio illis moleſtias inferente, 1900,39. idem Papa pro illis ſcribit. 1900,53. Literæ ejuſdem ad Abbatem, de ſtatutis Gregorii IX. 1902,2. Privilegium contra proviſores. 1902,63. Alia privilegia ab eodem Papa indulta. 1503, 1904. Literæ Urbani IV de abſolutione excommunicatorum. 1904,56. Indulgentiæ monaſterio conceſſæ. 2268. Compoſitio cum civibus Cantuarienſibus. 1916.14. Abbas non debet talliari cum civibus, 1917,48. 2006,18. nec ejus coloni in civitate placitare. 1926,49. Aldermannia de Weſt-gate ad hoc monaſterium pertinuit. 1926,66. Compoſitio cum civibus, de molendinorum reparatione. 2121,33. Tranſlatio S. Mildredæ. 1905,66. 1909,16, &c. Avercorn de Menſtre debet ſolvi in menſura. 1912, 24. De cantaria Hamonis Doge. 1913,&c. Adam de Kingeſnoth multa iis largitur. 1915,43. Beneficia a Johanne Pecham collata; 2008,45. a Petro de Denne; 2012,28. 2037,1. a Gervaſio Scherreve; 2027,33. a Ricardo de Cantuaria; 2036,13. a Salomone Ripple; 2068,39. a Thoma Icham. 2196,14. Pro temporalibus conventus ſpiritualia rependit. 1896,37. 1932,38. 1959, 6. 2004,42. 2008,3. 2009,17. 2012,30. Inſtitutio Rogeri II, ne monaſterium debitis gravetur. 1918,20. Juriſdictio & dominium Abbatis in Stonore. 1919. 1933, 1934. Subſidium ab Abbate receptum de colonis, ſub nomine palefridi. 1921,41. 1939,60. 2011,13. Concedit conventui Johannes XXI, ne ſolvant decimas novalium, 1924,1. & ut bona converſorum ſuorum percipiant. 1924, 12. Archiepiſcopus non debet ſine licentia crucem in hoc monaſterio geſtare, 1929,42. 1951,36. 2005,63. V. *Johannes Pecham*. Nec in eorum maneriis hoſpitari. 1932,58. Inſtitutio Nicolai Abbatis, de abbreviatione divini ſervitii, &c. 1935,&c. Compoſitio cum Rectore de Rippele; 1942, 19. cum Abbate Feverſhamenſi. 1959,46. 2006,46. Archiepiſcopus a Rege invitatus ad convivium in monaſterio habendum, 1951,31. quoniam ei cruce erecta intrare non licuerit, in hoſpitio ſuo manet. 1951,1952. Abbati mandat Archiepiſcopus ut privilegia ſua oſtendat, de Eccleſiarum appropriatione, 1953,51. de Penſionibus, 1953,60. de Benedictione, 1953,64. de Pulſatione campanarum, 1954, 3. &, Cur Archiepiſcopum Miſſas celebrare non ſinat, 1954,14. nec cruce prævia Abbatiam ingredi. 1954,20. De his articulis Abbatis reſponſum. 1955,1956. Quot pſalteria & miſſas Abbas Regi conceſſerit. 1958,47. Controverſia cum Rectore de Waldwarſare. 1856,&c. Rex manerium de Menſtre aliaq; conventui ablaturus, a ſacrilegio ad pietatem mire convertitur. 1962,&c. Robertus Winchelſey Archiep. controverſiam iis movet de eccleſiis appropriatis, &c. 1964,62. 1566,&c. Ejus controverſiæ proceſſus. 1970,41. Eorum privilegia publice recitantur. 1960,35. Papa & Archiepiſcopus mandant, ut in Thomam Cuſte beneficium eccleſiaſticum conferant. 1968,13. 1969,1. Thomas literis proviſoris renunciat. 1969,58. Conventus ſupplicatio ad Bonifacium VIII. 1971,10. Privilegium ampliſſimum ab eo indultum. 1971, &c. Abbas tres decanatus ordinat. 1976,26. Ab Archiepiſcopo, ob

ju-

juriſdictionis exercitium, gravari, 1977,28. auxilium Regis implorant. 1978,27. V. *Robertus de Winchelſey.* Eorum proceſſus adverſus Petrum Vicarium de Feverſham. 1979—1983. Archiepiſcopus presbyteros collocat in eorum eccleſiis. 1983,30. Solennes proceſſiones ibi fieri in hebdomada Pentecoſtes, ægre fert. 1985,16. Procuratores monaſterii privilegia in foro Rom. exponunt, 1987,19. & gravamina ab Archiepiſcopo illata. 1988,38. Privilegium aliud a Bonifacio conceſſum, priori reſtrictius. 1995, &c. Procuratorum contra id objectiones. 1993,36 Graviora ab Archiepiſcopo patiuntur. 1997,29. Johannes Pontoyſe, Epiſc. Wintonienſis, quantum nummorum illis donaverit. 2004,1. Quæ ab Abbate Thoma Findon fuerint conſtructa. 2009,42. Quantum convivium celebratum fuerit cum inſtallaretur ejus ſucceſſor. 2010,32. Licentia terras acquirendi a R. Edwardo II conceſſa. 2011, 52. 2034.30. Colloquium inter Walterum Archiep. & Radulfum Abbatem. 2013,30. V. *Walterus Reinold.* Inquiſitio de viſu franci plegii & aliis libertatibus a Regibus conceſſis. 2015—2027. Jus accipiendi decimas & penſiones de eccleſiis &c. per Archiepiſcopum & ejus Commiſſarium examinatur, & approbatur. 2027—2030. Charta Edwardi II de cuſtodia Abbatiæ vacantis. 2031,16. Homines de Menſtre contra Auguſtinenſes tumultuantur. 2034,49. Octo cruces & imago B. Mariæ ab Archiepiſcopo Armachano inunguntur & ſacrantur. 2038,57. Septem altaria dedicantur ab Epiſcopo quodam Hungariæ. 2038,64. Controverſia inter Conventum & Archiepiſcopum Simonem. 2039—2053. V. *Simon Mepham.* Quantum pecuniæ in iſtoc negotio ab iis fuerit expenſum. 2050,27. De ingreſſu, fuga, reductione, retentione Petri de Dene. 2054—2066. V. *Petrus de Dene.* Compoſitio cum Johanne Stratford Archiepiſcopo. 2068, 54. Papa conventui Johannem Abbatem præficit. 2082,1. Extraneum iis præfici privilegia a PP. indulta non ſinunt. 2083,13. V. *Johannes Deveneſche.* Conventio cum procuratore Abbatis de Monte Myrteto, ſuper eccleſia Littleburnenſi. 2107,15. 2190,51. V. *Montis Myrteti Mon.* Charta Edwardi III, prohibens ne Vicecomes juriſdictionem in Auguſtinenſium *hundredis* exerceat. 2120, 20. Edwardus III licentiam terras acquirendi concedit. 2121, 19. Chartæ illis a Regibus conceſſæ. 2123—2138. Furtum quomodo indagarint. 2142, 8. Literæ Simonis Langham Archiep. de eccleſiis eorum appropriatis. 2146, 30. Duo grangia eorum incenduntur. 2145,54. 2147, 12. Expenſæ factæ inter mortem Thomæ Abbatis & benedictionem Michaelis. 2152,23. Contentio de Archiepiſcopi ingreſſu in monaſterium. 2155, 14. V. *Simon Sudbury.* Forma ſalutandi Archiepiſcopum immutatur. 2157,47. Willielmus Courtney, Archiepiſcopus, monaſterium cruce prævia ingreditur, ſed facta prius proteſtatione, id monaſterio in præjudicium non ceſſurum. 2195,1. Charta Ricardi II de cuſtodia Abbatiæ vacantis, &c. 2196, 38. Ricardus per aliquot dies illic hoſpitatur. 2197,7. Literæ Thomæ Arundell, Archiep. Cantuar. de privilegiis hujus monaſterii. 2199,11. Forma obligationis de pecunia Pontifici R. ſolvenda. 2206,8. Quindena hujus Abbatiæ Regi conceſſa, quanta. 1958,57. De valore eccleſiarum ejus, deq; vigeſima Regi pendenda. 2161. Valor maneriorum, ſeu temporalium. 2162,36. Summa totalis omnium redditum. 2163,66. Quot acras terræ poſſederit. 2202,53. Quantaquanta fuerit, in manus Henrici VIII traditur. 2293,2294.

¶ Loca præcipua ubi Auguſtinenſes maneria, eccleſias, juriſdictionem habuerint: *Aldelond*; *Beaufeld*; *Biketteſton*; *Berton*; *Blengate*; *Bodiſham*; *Bolling*; *Borden*; *Braburn*; *Broklond*; *Burwarmerſch*; *Cantuaria*; *Chiſtlet*; *Coumbe*; *Dene*; *Dodingdale*; *Dodingland*; *Dunhamford*; *Elvington*; *Feveſham*; *Fordwich*; *Garwinton*; *Hengeſteſſell*; *Horingbrok*; *Kenewesburn*; *Kenington*; *Kingsdown*; *Kingsnell*; *Langport*; *Lenham*; *Lincheſore*; *Littleburn*; *Lukedale*; *Menſtre*; *Merton*; *Middleton*; *Mongeham*; *Natingdon*; *Newington*; *Newſole*; *Northburn*; *Ores*; *Plumſted*; *Preſton*; *Ringſlo*; *Rippele*; *Royton*; *Salmanſton*; *Sandwicum*; *Selling*; *Sibertſweld*; *Snaves*; *Southwerk*; *Stodmerſch*; *Stone*; *Stonore*; *Sturrey*; *Sturton*; *Suanes*; *Swalclive*; *Tentirden*; *Weiburginland*; *Weſtlond*; *Weterlok*; *Wicham*; *Wihington*; *Wiskebeth*; *Wivelesburgh*; *Woderingburn*; *Woxſton*: Quæ ſingula reperies in ſuis locis.

¶ S. Auguſtini Abbates: *Petrus*; *Johannes*; *Ruffinianus*; *Gratioſus*; *Petronius*; *Nathanael*; *Benedictus Biſſop*; *Adrianus*; *Albinus*; *Nothbaldus*; *Aldbunus*; *Jambertus*, vel *Lambertus*; *Ethelnothus*; *Guttardus*; *Cunradus*; *Wernodus*; *Diernodus*; *Winberus*; *Beadmundus*, vel *Bewmundus*; *Kinebertus*; *Etaus*; *Degmundus*; *Alfridus*; *Ceolbertus*; *Beccanus*; *Ethelwoldus*; *Tilbertus*; *Edredus*; *Alchmundus*, vel *Alcherindus*; *Guttulſus*; *Ededus* II; *Lullingus*; *Beornelmus*; *Sigericus*; *Alfricus*; *Elſnothus*; *Siricius*; *Wolfricus*; *Elmerus*, vel *Almarus*; *Elſtanus*; *Wolfricus* II; *Egelſinus*; *Scotlandus*: *Wido*, vel *Guido*; *Hugo Flory*; *Hugo de Trotteſclive*; *Silveſter*; *Clarembaldus*; *Rogerus*; *Alexander*; *Hugo* III; *Robertus de Bello*; *Rogerus* II; *Nicolaus de Spina*; *Thomas Finedon*; *Radulfus*; *Thomas Poncy*, vel *Poucin*; *Willielmus Drulege*, vel *Drulegh*; *Willielmus Kenington*; *Johannes Deveneſche*, vel *Devenech*, vel *Deveniſſe*; *Thomas Colwel*; *Michael Pecham*; *Willielmus Welde*; *Thomas Hunden*; *Johannes Eſſex*, ultimus Abbas.

¶ S. Auguſtini Priores: *Silveſter*; *Johannes de Mariſco*; *Petrus de Todindon*; *Stephanus de Hakendon*.

Aurelius Conanus, R. Britonum. 1154,31.

Auſtrales Saxones, ultimo converſi. 741,36. Die illo quo baptizabantur, imbres, poſt triennalem ſiccitatem, depluebant. 798,33. De eorum Regibus, & Regno. 798, 6. &c.

¶ Eorum Epiſcopi. V. *Ciceſtrenſes.*

B.

Badriceſworth. V. *Bury.*

Badwolfus, Epiſcopus Candidæ Caſæ. 111,31.

Baioc Almiramomeli, Imp. Marroci, caſtella Regis Portugalliæ capit. 1176,27. Moritur. 1177,15.

Baldewinus, Abbas S. Edmundi. 223, 25. Baculum & annulum a P.R. accipit. 967,51.

Baldewinus, Archiep. Cant. Ejus ortus & educatio. 1675,43. Quibus gradibus ad Pontificatum aſcenderit. 1255,57. 1675,46. 2407,49. Ex Abbate Fordenſi fit Epiſcopus Wigornenſis. 619.67. 631, 32. 1457, 51. Eligitur Archiepiſcopus ab Epiſcopis ſuffraganeis: 619,48. 1143 36. 1306,23. 1472 6. ſed electioni iſti renuntians a monachis S. Trinitatis denuo eligitur. 620, 38. 1306, 28. 1474 28. 1675,60. Literæ P.R. electionem confirmantes. 627,52. Solenni proceſſione recipitur in eccleſia D. Pauli, Londini. 634,38. Vetulæ cujuſdam cum eo colloquium. 1143,42. 2398,20. A carnibus abſtinuit. 1143,39. In eccleſiis Walliæ, pontificalibus indutus, ſacra peragit. 2398,37. Literæ ejus: ad cuſtodes epiſcopatus Londinenſis; 634.44. ad Decanum & capitulum eccleſiæ Londinenſis; 643,55. ad Epiſc. Londin. de Coventrenſis Epiſcopi ſuſpenſione. 652,49. Conradi ad eum literæ, de oppreſſione terræ S. 642,61. Crucis ſignaculum ſuſcipit. 1522,64. Judæum ficte baptizatum, ad Judaiſmum recedere permittit. 1160,32. Peregre profecturus vices ſuas Londinenſi & Roffenſi committit. 651, 43. Accepto baculo & pera, transfretat. 1564,44. In terram S. venit. 1175, 19. Ibi moritur. 1188,55. 1566,37. 2257. Teſtamenti exſecutorem conſtituit H. Sariſburienſem. 658,34. Ejus veſtimenta Cantuariam allata. 1678,64.

¶ Quomodo ſe geſſerit erga monachos Cantuar. 1306.40. 1315,32. 1488—1564 Jus eligendi Archiepiſcopum a monachis ad clericos transferre conatus, 1255,43. 2407. 36. culpatur. 1255,56. Diſſenſio inter ipſum & monachos. 1143, 49, 1303, &c. 2398, 29. Oratio pro monachis contra Archiepiſcopum. 1305, &c. Oratio pro Archiepiſcopo contra monachos. 1303, &c. Alia oratio pro monachis. 1309, 57. Alia. 1315, 10. Literæ Urbani P. R. ad eum, licentiam conſtruendi eccleſiam Hakentonienſem concedentes. 631, 36. Quem in finem voluerit eam ædificare. 1304, 61. 1307, 47. 1481, 11. 1484, 47. 1489, 16. Monachos xeniis, eccleſiis & redditibus ſpoliat. 1478, 14. 1486, 37. 1676, 17. Adverſus eum ſedem Rom. appellant. 1478, 50. Adverſus ejus conatus viſionibus animantur & armantur. 1481—1483. Iterum appellant. 1484, 4. 1676, 45. Cum ipſo de injuriis expoſtulant. 1484, 35. Eos ſuſpendit. 1485, 25. Clericos in novam eccleſiam introducit. 1485, 26. In ejus eccleſia duo Legati mitrati ſuſcipiuntur: 1485, 61. Qui iidem in ejus præſentia mitras & cruces geſtant. 1486, 6. Monachos egredi monaſterio non ſinit. 1308, 50. 1485, 40. 1488, 36. Alium locum ædificandæ eccleſiæ eligit. 1491, 29. Urbani P. R. ad eum literæ, conſtructionem eccleſiæ inhibentes. 635, 6. 1315, &c. 1318, 63. 1496, 15. Aliæ,

cano-

canonicorum inſtitutionem caſſantes. 1319, 28. Aliæ, quibus monachos munit, quo minus pendente lite Archiepiſcopus iis gravamen aliquod inferat. 1319, 54. Aliæ, mandantes ut quod in monachorum præjudicium fecerat, infectum reddat. 1491, 52. Chriſma Londini conſecrat B. 1493, 48. Tres Abbates mandata in favorem conventus à P. R. accipiunt; 1498, 50. atq; ea, ſed non plene, exſequuntur. 1494, 10. B. nomina Anſelmi & Thomæ cauſæ ſuum præexit. 1494, 44. 1499, 12. 1596, 21. 1611, 2. 1616, 50. Aliæ Urbani literæ, mandantes ut monachis omnia in priſtinum ſtatum revocet. 1494, 61. ejuſdem literæ ad tres Abbates, mandantes ut, ſi Archiepiſcopus imperata non fecerit, ipſi plene exſequantur. 1495, 33. B. eccleſiam ſuam primo ex ligno conſtruit, 1494, 37. poſtea ex lapidibus. 1497, 32. 1676, 62. Diſputatio inter advocatos B. & monachorum in curia Rom. 1498, 1499. Præfectus Angliæ mandat nequis Papæ juſſa perficiat. 1503, 32. B. cellarium Doveriæ ab officio & fidelitate erga conventum Cantuarienſem flectere conatur, 1504, 32. & camerarium. 1505, 3. Rex jurat, ſe Archiepiſcopo hæc omnia machinanti nec conſilium nec aſſenſum præbuiſſe. 1505, 18. Alia B. molitur. 1505, 52. Sacriſtam, camerarium & cellarium inſtituit, iiſq; reſtituit quæ conventui abſtulerat. 1505, 1506. 1912, 12. Conventus Papam iterum appellant. 1506, 27. Literæ P. R. quibus graviter B. increpat ob contemtum ſedis Apoſtolicæ, 1320, 21. 1507, 30. jubet ut ſuis expenſis eccleſiam demoliatur, 1320, 60. 1508, 2. ablata monachis reſtituat, excommunicatos abſolvat, &c. 1321, 9. 1508, 17. Hæc mandata, ſi B. neglexerit, Epiſcopos duos totidemq; Abbates, jubet Papa ut perficiant, 1508, 44. Literæ Urbani ad Regem, ut Cantuarienſes foveat, & Cantuarienſem reprimat. 1509, 62. Rex & Archiepiſcopus miteſcere videntur; & ſpes magna monachis affulget: 1510, 61. Sed mox, audita Urbani morte, Rex Archiepiſcopi partes palam tuetur. 1511, 60. B. per Gilbertum Roffenſem iis mandat, ut theſauros ei oſtendant, & ſigillum tradant, &c. 1514, 27. quæ omnia illi facere recuſant. 1515, 9. Miniſtri Archiepiſcopi, oſtiis effractis, monachorum bona invadunt. 1516, 17 & 60. 1677, 24. B. monachos à conventu miſſos ut ipſum ſalutarent, excommunicat. 1516, 34. Armis & fame eos flectere nititur. 1517, 59. Suppriorem eiq; adhærentes excommunicat. 1518, 8. Accepto nuntio de obitu Gregorii VIII, monachis aliquod levamen concedit. 1518, 26. eorum conſtantia & fortitudo. 1519. 1527, 4. 1534. Cives, aliiq;, inter quos & Judæi, potum & panem ipſis afferunt, ringentibus adverſariis. 1519, 60. Gravamina a B. ipſis illata, nuntiis Regiis exponunt. 1521, 2. Ob enormitatem eorum quæ fuerant paſſi, ipſi ſuam eccleſiam ſuſpendunt. 1517, 2. 1518, 61. 1521, 4. 1523, 21. B. de iis apud Regem queritur. 1523, 1. Pro iis reſpondet Reginaldus Bathonienſis. 1523, 7. Rex literas & nuntios ad eos mittit. 1523, 55. Iis gravamina fuſius explicant. 1525, 1526. Conventus IV monachos ad Regem mittit: 1527, 3. Qui contumeliis & ſannis excipiuntur. 1527, 35. Rex monet ut omnia committant ipſius & Epiſcoporum arbitrio: 1527, 59. Sed hoc nolunt monachi. 1527, 67. Rex ad ſe mitti jubet tres monachos natu grandiores: 1528, 16. Sed hi infirmitate detinentur. 1528, 26. Literæ Clementis III ad B. ejuſdem commatis cum literis Urbani: 1322, 6. 1528, 56. 1537, 39. 1549, 19. B. parum reverentiæ iis exhibet. 1529, 54. Ejuſdem literæ, de excommunicandis iis qui monachis vim intulerant. 1321, 39. 1530, 39. Excommunicantur. 1531, 13. Sententia autem illa parvi penditur. 1531, 30. B. Papalium mandatorum exſequutores perſequitur. 1532, 17. P. R. legatum ad litem hanc dirimendam mittere ſtatuit. 1532, 50. Mittit Epiſc. Oſtienſem: 1533, 19, qui morte prævenitur. 1534, 1. Ex hoc, aliiſque infauſtis eventibus nonnulli de cauſa judicabant. 1534, 22. Radulfus Cardinalis a P. R. latere miſſus, 1537, 33. in itinere item obit. 1538, 58. Literæ Regis ad conventum, de mittendis ad ipſum monachis ſapientioribus. 1539, 33. Nuntii Regii idem ſedulo ſuadent, ſed non perſuadent. 1540, 1541. Johannes Anagninus Cardinalis, legatus, cum literis ad B. venit. 1542, 12. Henrici II poſtremæ ad conventum literæ. 1545, 32. B. monachorum proceſſionem non admittit, quoniam Suppriorem, quem excommunicaverat, ejicere noluerint. 1546, 19. De reſtitutione villarum & privilegiorum cum eis litigat. 1546, 59. Tandem maneria &c. illis reſtituit. 1547—1549. Pacem cum illis factam violat. 1550, 20. Priorem illis per vim obtrudit. 1550, 1551. Ricardus Rex per literas & nuntios eos monet ut de toto negotio compromiſſum facerent. 1551, 59. Literæ conventus ad Legatum, de ſuis miſeriis ipſiuſque negligentia conquerentes. 1552, 25. D marcarum ſponſione Regis animum pacant. 1553, 17. XII monachis miſſis, cauſa diu diſceptatur coram Rege & Epiſcopis. 1553—1557. Quæ ab Archiepiſcopo petebant: 1554, 21. quæ Archiepiſcopus ab illis. 1554, 35. Iterum minis & armis urgentur. 1557, 1558. Legatus ad Doveriam applicans, non permittitur ulterius progredi. 1558, 54. 1678, 29. Inhibet Epiſcopos, quo minus cauſam iſtam judicent. 1559, 59. Lis tota dirimitur: 1167, 27. 1559, 1562. Quod Legatus indigne fert. 1168, 58. Legatus Cantuariam venit, & ſe excuſat quod nihil pro monachis fecerat. 1563, 5. B. Rogero depoſito, alium ejuſdem farinæ inſtituit Priorem. 1564, 28. Appellat ſedem Rom. 1564, 35. Præcipit clericis Hakintonienſibus, ut ædes & ſedes ſuas Lambethæ ponerent. 1564, 5. 1678, 39. Celeſtini P. R. literæ ad R. Bathonienſem & alios, de deſtruenda capella Baldewini, &c. 1325, 18. 1571, 59. 1592, 25. Bathonienſis & collegarum literæ ad rectores ejus capellæ. 1572, 45. Capella diruitur. 1572, 60. Forma condemnationis ejus capellæ. 1573, 4. Celeſtini literæ ad conventum, de concordia inter B. & ipſos facta. 1324, 46. 1573, 34. V. 1619, 36. Literæ Johannis Anagnini, teſtantes eam concordiam vi factam viribus carere; 1324, 13. 1574, 8. citantur ab Innocentio III: 1619, 15. Argumenta pro Archiepiſcopo militantia. 1610, 55. 1616, 49. Ei facultas conceditur capellam in locum remotiorem transferendi. 1611, 31. 1617, 48. Pleraque ex prædictis, alibi fuſe expoſita, ſuccincte narrantur. 1676—1678. V. *Hakintonienſem eccleſiam.*

Baldewinus, Comes Anglus. Ejus oratio ante pugnam Lincolnienſem. 1030, 61. 1352, 40. 2386, 35. Capitur. 1354, 11.

Baldewinus, Comes Flandrenſium, Archiepiſcopum Remenſem perimit. 452, 41.

Baldewinus, Arnulfi F. Comes Flandr. 457, 43.

Baldewinus, *cum barba* cognominatus, Comes Flandr. 468, 44.

Baldewinus de Inſula, Comes Flandr. ejus proſapia. 468, 45. 485, 35.

Baldewinus alius, Comes Flandr. 502, 17. 1006, 28. Lethaliter vulneratur. 502, 63. 1006, 64. Moritur. 503, 56. 579, 37.

Baldewinus alius, Comes Flandr. puer moritur. 1007, 53.

Baldewinus alius, Comes Flandr. fœdus ferit cum Ricardo R. Angliæ. 697, 10. 1273, 40. Obſidet villam S. Audomari: 704, 9. Eam capit. 704, 23. 1614, 43. Capit oppidum de Doway. 1273, 43. Signaculo crucis inſignitur. 706, 65. Fit Imp. CP. 2416, 21.

Baldewinus de Redvers Stephano R. rebellat. 1025, 5. Proſcribitur. 313, 20. 1025, 14. 1340, 51.

Baldewinus, Epiſc. Or. Anglorum. 438, 60. 1638, 32.

Baldewinus I, Rex Hieroſolymorum. 227, 10. Capitur a Paganis. 247, 8.

Baldewinus II, R. Hieroſol. 502, 66.

Baldewinus III, Fulconis F. Rex Hieroſol. 503, 59.

Baldewinus IV, Almarici F. Rex Hieroſol. 578, 37. Ejus literæ ad Heraclium Patriarcham de geſtis Saladini. 622, 64. Lepra percuſſus, Regno ſe abdicat. 1474, 51.

Baldredus, R. Cantiæ ultimus. 743, 7. 2238. Manerium de *Mellinges* eccleſiæ Chriſti Cantuar. donat. 2218, 10. Quæ donatio ab Egberto & Ethelwolfo confirmatur. 2218, 5.

Baltheri obitus. 11, 1.

Bangorenſes monachi pene omnes a Northumbris interimuntur. 780, 1. 1632, 3. ¶ Bangorenſ. Abb. *Dinnoc.*

Bangoria, ſedes Archiepiſcopi. 1634, 64. ¶ Bangorenſes epiſcopi: *Herveus*; *Guido*; *David*; *Mauritius*; *Alanus*; *Robertus*; *Johannes.*

Baptiſmum negans presbyter mulctandus. 830, 15. V. *Presbyteri.* Infans, baptizandus intra XXX noctes. 761, 57. Decem millia uno die ab Auguſtino baptizantur. 1632, 6. Hibernis injunctum, ut infantes in eccleſia, & a ſacerdotibus, baptizentur. 1071, 34. Quomodo olim baptizarint. 1071, 36. Utrum ſacerdotis ſponſorumve peccatum baptiſmum infanti reddat irritum. 2670, 8.

¶ Bareccenſes, vel Beatrocenſes, Comites ſeu Duces: *Ethelwolf*; *Suanus.*

Barkſhire, vel *Baroc-ſhire*, unde dicatur. 801, 5. 956, 33.

Barnaces, avium genus in Hibernia ex putri ligno oriundum. 1072, 65. An jejuniorum tempore eas comedere liceat. 1073, 1.

Baronibus quæ conceſſerit Henricus I. 310,60 &c. 1021,52. Baronum ſtatuta in præjudicium Regis facta abrogantur. 1912,53. De officio Baronum. 2356,52. 2358,41.

Bartholanus quoto anno poſt diluvium in Hiberniam advenerit. 1073,52.

S. Bartholomæi de *Smithfeld* cœnobium. 1894,53.

D. Bartholomæus, Apoſtolus, ubi ſepultus. 1220,56. Ejus brachium Eccleſiæ Chriſti Cant. donatur. 2225,21.

Bartholomæus, Epiſc. Exonienſis. 532,41. 533,24. 559, 11. 1381,38 & 65. Ejus judicium de negotio Thomæ Cantuarienſis. 1390, 42. Oratio ejus coram P. R. 1395,42.

Baſingwerk monaſterium fundatur. 1048,38. 2394,8.

Bathonia, urbs Badonis, & Achamanni, dicta. 869, 11. 1647,6. Fit ſedes Epiſcoporum Wellenſium. 1654,42. ¶ Bathonienſes, qui & Wellenſes, Epiſcopi: *Athelmus*, vel *Aldelmus*; *Wolſelmus*; *Brichthelmus*; *Livingus*, qui & *Ethelſtanus*; *Duduc*; *Giſa*, vel *Guiſo*; *Johannes*; *Godefridus*; *Robertus*; *Reginaldus*; *Savaricus*; *Jocelinus*; *Walterus Giffard*; *Robertus Burnell*; *Willielmus de Marchia*; *Walterus de Skirlow*; *Radulfus Argum*. ¶ Bathonienſes Abbates: *Elſegus*; *Alſius*.

Beadmundus, vel Bewmundus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 35. 2240.

Beawſeld, vel Bawesfeld, vel Beanfeld. 1775,37. 1878,28. 1941,9. 1966,33. 1967,12.

Bebbæ civitatis deſcriptio. 107,36. *Bebban burgh* unde dicta. 221,46.

Beccanus, vel Bectanus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 38. 2242.

Beccenſe monaſterium fundatur. 469,53. 2330,44. Dedicatur. 487,21.

Bechlandæ cœnobium fundatur. 259,45.

Beda, quando & ubi natus. 4,3. 76,55. 1695,10. Monaſterium Girvenſe ingreditur. 4,6. 76,60. Ejus educatio & eruditio. 4,20. 8,29. 77,2. 1695,15. Erat Johannis Beverlacenſis auditor. 1692,42. Sacros ordines ſuſcipit. 1693,6. 1695,20. Quando ſcribere cœperit. 7,3. 442,24. De vita ejus, & ſcriptis: 8,26. 432,31. 442,64. Morbo & morte: 8,29 &c. 77,39. 443,10. 774,24. 1696,47. 2236. Sepultura. 8,67. 1696,56. Ejus & Cuthberti oſſa eadem theca condita. 32,62. 77,50. 1696,58. Ejus operum catalogus. 774,27. 1696,1. Ejus carmen de ſupremo judicio, inferni tormentis, & cœli gaudiis. 96 &c. Nonnulla ex ejus hiſtoria excerpta de eminentia Cantuarienſis eccleſiæ. 1737—1742. Quædam falſo ſcripſit de Hibernia. 1073,8. Epiſcoporum nomina qui ejus tempore in Anglia vixerint. 774,53.

Bedfordiæ caſtrum conſtruitur. 153,28. 835,30.

Beketteſtone. 1894,41.

Bela, Rex Hungariæ, &c. Margaritam Henrici R. junioris viduam ducit. 631,6. Literæ Henrici II ad eum. 638, 38. Literæ ejus ad Henricum II. 639,1.

Belgrave. V. *Leiceſtria*.

Belinus, R. Britonum. 2484,40.

Bella Landa, cœnobium. 1028,57.

Belli Abbatia. De ſitu & menſura ejus Willielmus Conq. cœleſti oraculo admonetur. 2341,20. V. *Willielmus Conq.* Valor ſpiritualium & temporalium ad eam pertinentium. 2164, 21. ¶ Ejus Abbates: *Adam*; *Odo*. Eccleſia ibi dedicatur. 219,54.

Bellum. V. *Prælium*.

Balvacenſis Epiſcopus. V. *Ricardus I.R.*

S. Benedicti corpus ubi requieſcat. 1220,63. Ejus regula quando primum in Anglia obſervata. 2232. Herdingus, Ciſtercienſium autor, eam examinat. 2371,1.

S. Benedicti monaſterium in Norfolcia. V. *Cowholm*. ¶ Ejus Abbates: *Wolfricus*; *Alfinus*.

Benedictus, Abbas Girvenſis & Wiramuthenſis. 4,8. 75,65. 774,21. Ejus vita. 91,44. Monaſteria bina conſtruit. 91, &c. 800,22. 1637,40. 1695,1. Libros & ſanctorum reliquias ex locis tranſmarinis illuc affert. 92,10. 93,63. 1695,33. Moritur. 94,64.

Benedictus, Abbas Witebienſis. 206,30. 273,36.

Benedictus I, P.R. 1757,55. Moritur. 1758,45.

Benedictus II, P.R. 441, 42. 2231.

Benedictus III, P.R. 2239. Anaſtaſium Antipapam habuit. 450,49.

Benedictus IV, P.R. 452,66. 2241.

Benedictus V, P.R. 2243. Contra juramentum Imperatori datum a Romanis electus, 457,34. rejicitur. 457,41.

Benedictus VI, P.R. 2243.

Benedictus VII, P.R. 2243.

Benedictus VIII, P.Rom. 1650,47. 2245.

Benedictus, P.R. ob ſimoniam excommunicatur. 201,61.

Benedictus IX, P.R. ſimoniacus & illiteratus. 2245. Silveſtrum ſibi adjungit. 475,19. His tertius ſuperadditur, Gregorius. 475,23. Quos inter ſe altercantes Imp. deponit, & Clementem elevat. 475,28. 2320,11.

Benedictus X, P.R. 1652,2. 2247.

Benedictus XI, P.R. 2003.51. 2277. 2529,64. Diſtichon de eo. 2494,23.

Benedictus XII, P.R. 2085,10. 2281. 2565,38. Conſtitutiones ejus. 2580,67.

Benedictus, Prior S. Trinitatis. 1432,44. 1820,15, Fit Abbas Burgenſis. 1120,9.

Beneverthus, Epiſcopus. 2219,50.

Bentonæ caſtrum deſtruitur. 770,45. 776,20.

Beornelmus, Abbas S. Auguſtini. 1777,55. 2244.

Beornredus, R. Merciæ, ab Offa fugatur. 776,1. Vocatur Bronredus. 446,13.

Berengarii opinio de Euchariſtia. 940,6. 2335,65. Eam coram concilio retractat. 2336,1. Ejus elogium. 2336,18. Lanfranci cum eo congreſſus, 2360,64. Nicolaum P.R. pene in ſententiam ſuam pertraxerat. 2360,43. Quamvis pœnitentiam egerit, 2336,10. tamen Fulbertus ejus præſentiam abhorruit. 2336, 26. Obitum ſuum prædicit. 952, 16. 2336, 32. Quinam contra eum ſcripſerint. 2336,6.

Berengera. V. *Ricardus I, R.*

Berkingenſe, vel Berchigenſe, monaſterium ſanctimonialium, 412,58. ab Erkenwado conſtructum. 440,44. ¶ Ejus Abbatiſſæ: *Edelburga*; *Hildelitha*; *Maria*.

¶ Bermundſeienſes (vel Beremundenſes, 1445,52.) Priores: *Petrus*; *Robertus*; *Guerricus*; *Henricus*.

Berna, R. Or. Anglorum. 748,39.

Bernardus de Balliolo, vel de Baiol. 261,52. 320,63. Ejus fortitudo. 1091,58.

S. Bernardus fit monachus Ciſtercienſis, 1004, 61. 2251. Abbas Clarevallenſis. 257,26. 271,18. De ejus natalibus, victu, ſtudiis, dictis, ſcriptis, morte. 1042,20. 2389,14. Quanto in honore fuerit apud Papam Eugenium. 275,14. 1361,6. Suadet Regi Franciæ, ut Hieroſolymam proficiſcatur. 509,8, Ejus prophetia de Henrico II R. Angliæ. 1045,66. 2393,32. Obit. 282,48. 527,48.

Bernardus, Menevenſis Epiſcopus. 237,9. 502,29. 504,9. 1017,65. 1341,44.

Bernechus, Epiſc. Auſtralium Saxonum. 4:3,10.

Bernet, domus incendium. 929,18.

Bernicia, provincia Northumbriæ, 285,11. quando converſa. 286,2. 290,18.

Bernredus, R. Merciæ. V. *Burthredus*.

Bernulfus, R. Merciæ. 778, 33. Ab Edbrichto vincitur. 449,5. Concilio Cloveſhoenſi præfuit. 2213,26. Terras quas Kenewolfus abſtulerat Archiepiſcopo Cantuarienſi reſtituit. 2213,2214. *Godmereſham* Eccleſiæ Chriſti Cantuar. donat. 2216,26.

Bernus. V. *Siwardus*.

Bertha, vel Berta, Regina Anglorum. 435, 59. Qua conditione fuerit Ethelberto copulata. 1630, 4. Ejus genealogia; 1767, 28. Capellanus; 1767,37. Sepultura. 1767.24.

Bertinus, Abbas Beverlacenſis. 794,28. Is eſt forſan qui vocatur Brithunus. 1693,15.

Berton. 2019,59.

Bertramus Gordon, vel Gurdon, Ricardum I lethaliter vulnerat. 1277,36. V. *Ricardus I, R.*

Bertulfus, R. Merciæ. 120,10. A Dacis fugatur. 778,61.

Berwicum incenditur. 1089,35. 1091, 29. Muro & foſſa munitur. 2480, 35. Caſtellum datur Regibus Angliæ. 584,57. Reſtituitur Scoto. 1167,57.

Beverlacenſe monaſterium ditatur. 838,46. V. *Eelfricus*, & *Kinſius*. Quibus ædificiis & privilegiis illud ornarit Aldredus. 1704, 41. ¶ Ejus Abbates: *Bertinus*; *Wolſbeath*. ¶ Priores: *Thomas*; *Thomas Becket*; *Gaufridus*; *Willielmus de Melton*.

S. Biblia quis in capita diviſerit. 2430,66.

Bilage, quid. 1936,39. 2001,24.

Bilſintonæ monaſterii valor. 2167,17.

Birinus fit Epiſcopus. 755,13. A P.R. in Britanniam mittitur. 755,16. 1635,55. Hoſtiam, quam in littore reliquerat, petiturus, per mare ſiccis pedibus ambulat. 755,35. Convertuntur omnes qui in navi erant. 755,42. Cunctis, præter Epiſcopum, dormientibus, navis ad optatum portum

tum pervenit. 755, 50. Birinus vetulam cæcam & ſurdam ſanat. 755, 59. Occidentales Saxones convertit. 756, 7. Dorciæ ſedem Epiſcopalem habuit, 438, 43. 756, 13. 1635, 57. & ſepulcrum. 756, 16. Corpus ejus Wentam transfertur. 756, 17.
Birkelanus, R. Daciæ. 2320, 39.
Birſtanus, V. *Brinſtanus.*
Biſcopland, quid. 852, 41.
Biſi, Epiſc. Or. Anglorum. 1638, 29.
Biſſopeſcote datur eccleſiæ S. Albani. 502, 49.
Bituricenſis Archiepiſcopatus ad Ducatum Aquitaniæ ſpectat. 1062, 61.
Blakburne-ſhire. 956, 65.
Blaſius, martyr, magno pretio emtus, Roma Cantuariam transfertur. 1644, 12.
Blederi, Epiſc. Landavenſis. 461, 6.
Bleduc, Epiſc. de S. David. 467, 33.
Blengate hundredum. 1935, 26. 1943, 18. 2018, 60. 2120, 31.
Blodwithe, quid. 957, 39.
Boamundus [lege, *Reimundus*,] Comes Tripolitanus, proditionis reus, amens fit, & expirat. 640, 17.
Bocland, quid. 836, 15. 852, 41. 923, 55.
Bodeſham. 1784, 16.
Boiſilus, Abbas Mailroſenſis. 2, 58. 67, 29. 294, 58. 788, 34. erat Cuthberti magiſter. 2, 2. ejus reliquiæ Dunelmum tranſlatæ. 32, 40.
¶ Bokingamiæ Com. *Thomas de Woodſtoke.*
Bolling. 1839, 9.
Bonifacius, Archiepiſc. Cantuar. 1893, 51. 2263. 2432, 34. Rogero Abbati S. Auguſtini benedictionem denegat. 1899. 33. Moritur. 1919, 2.
Bonifacius, Epiſc. Or. Anglorum. 1635, 33.
Bonifacius III, P. R. 2229. A Phoca Imp. obtinet, ut Romana caput eſſet eccleſiarum. 437, 23.
Bonifacius IV, P. R. 437, 29. 2229. Ejus literæ ad Ethelbertum R. 1781, 2. ad Mellitum, de privilegiis Auguſtinenſium. 1766, 37.
Bonifacius V, P. R. 437, 51. 1634, 9. 2229. Ejus literæ ad Juſtum Cantuar. 739, 64. ad eundem, de dignitate eccleſiæ Dorobernenſis; 1749, 9. ad Edwinum, R. Northumbriæ. 781, 19.
Bonifacius VI, P. R. 452, 46. 2241.
Bonifacius VII, P. R. 2243.
Bonifacius VIII, P. R. 1965, 35. 2275. 2468, 21. 2728, 48. Quomodo Pontificatum obtinuerit. 2003, 9. Diſtichon de eo propheticum. 2003, 49. Sextum librum Decretalium edit. 2472, 24. Excommunicat Regem Franciæ. 2528, 58. Muneribus inhiabat. 2002, 64 Jubileum centeſimo quoque anno repetendum decernit. 2195, 42. 2528, 37. Hæreſeos, homicidii, ſimoniæ accuſatur. 2529, 61. Prædeceſſoris de eo prophetia impletur. 2472, 28. Obitus ejus miſerrimus. 2003, 26. 2472, 42. Ejus literæ, clericos a laicorum exactionibus eximentes; 2489, 37. ad Edwardum I, de pace cum Gallo ineunda; 2504, 30 Ejus decretum, de pace inter ipſos duplici matrimonio confirmanda. 2526, 37. Ejus literæ ad Robertum Cantuar. pro Thoma Cuſte. 1968, 15. Privilegium ob eo conventui S. Auguſtini, ſed non gratis, indultum. 1971, &c. Quomodo illud, *Ego plantavi, Apollos rigavit,* &c. expoſuerit. 1986, 50. Aliud privilegium, priori reſtrictius. 1995, &c. Contumelias & minas in Archiep. Cantuarienſem projicit. 1990, 60. 1993, 10.
Bonifacius IX, P. R. 2285. Uſum & fructum jubilei diffundit. 2195, 57.
Bonus, P. R. 2243. Sed potius, *Donus*, legendum.
Borden. 1863, 23.
Boſa, vel Boza, Deirorum, vel Eboracenſis, Archiepiſcopus. 4, 61. 440, 53. 792, 65. 1638, 47. 1691, 16. 1692, 15.
Boſelus, Epiſc. Wicciorum. 441, 15. 1638, 56.
Boſo, ecſtaſin paſſus, mira narrat. 55 & 56.
Boſtonæ caſtrum fundatur. 2430, 16.
Botolos, ſine emendatione. 308, 44.
S. Botulfi corpus quomodo diviſum, & quo tranſlatum. 868, 62.
Botuune, Abbas Ripenſis. 110, 26.
Boxleienſis Abbatiæ valor. 2165, 37. ¶ Ejus Abbates: *Thomas; Lambertus; Walterus; Johannes; Dionyſius.*
Brabacenorum, vel Braibancenorum, ſecta, turba gravis paci, placidæque inimica quieti, quomodo ſuppreſſa. 1461, 14. Mira hiſtoria de Brabaceno lapidem in B. Virginis imaginem jaciente. 1499, 38.
Braburn. 1776, 65.
Brackleienſe hoſpitale. Ibi cor fundatoris ſale conditum ſervatur. 2346, 40.
Bregwinus, Archiep. Cantuar. 106, 32. 444, 20. 1773, 29. 2235. Vocatur Brechwinus, 2210, 44. & Lyzegwinus. 742, 54.
Brennius, Dunwallonis F. R. Scotiæ. 2484, 39.
Bridgenorth, vel Bruggenorth: De capella collegiata ibi in caſtro ſita. 989, 18.
Bridgunia, ſponſus. 861, 58.
Brigbota, quid. 923, 38. 929, 24.
Brige, vel Brudge, vel Brugge, conditur. 153, 8. 356, 19. 834, 33.
S. Brigidæ ſepulcrum. 1111, 29. 1145, 34.
Brihtegus, vel Britheagus, Abbas Perſcorenſis, fit Epiſcopus Wicciorum. 178, 62. 180, 15. 469, 50.
Brihtelmus, Epiſc. Wintonienſis. 157, 43.
Brihtwoldi, Epiſcopi Wintonienſis, viſio de Regibus & Regno Angliæ. 136, 45. 373, 47. 909, 20. 955, 46. V. *Edwardus Confeſſor.* Vocatur Brichtwaldus, 373, 47. & Briſthwoldus, 2318, 31. Dicitur Wiltunenſis. 136, 45. 2318, 33.
Brimesburg conſtruitur. 834, 24. Vocatur *Brunesburch*, 356, 19.
¶ Brincaburgenſis Prior: *Nicolaus.*
Brinſtanus, vel Birſtanus, Epiſc. Wintonienſis. 154, 49. 454, 21. Dicitur Wiltonienſis. 838, 52. V. *Frethestanus.*
Britannia, a Bruto dicta. 728, 57. 2483, 18. Olim Albion vocabatur. 2484, 16. Vocatur Loegria. 1154, 43. Quomodo Brutus eam inter filios diviſerit. 2484, 22. Olim quinque diverſæ gentes & linguæ in Britannia. 1739, 28.
Britannia minor olim Regibus, poſtea binis Comitibus, dein uni ſubdita. 548, 58. Quomodo fuerit a Rege Anglorum adquiſita. 1059, 43. Dux ejus, homo Regis Angliæ. 1196, 10.
Britheagus. V. *Brihtegus.*
Brithelmus, epiſc. Wellenſis. 864, 19. Cantuarienſis electus, ſtatim reprobatur. 456, 58. 864, 26. Ad priorem cathedram revertitur. 157, 57. 864, 23. 1645, 41.
Brithfridus in ſomnis jubetur Ethelbertum ſepelire. 752, 53.
Brithmarus, epiſc. Lichfeldenſis. 180, 19.
Brithnodius, vel Brithnothus, Dux Or. Anglorum, ad bellum contra paganos profecturus, terras ſuas per eccleſias dividit. 2223, 60. In prælio cadit. 162, 16. Ejus uxor Elfleda *Hetlege*, villam Suffolciæ, eccleſiæ Chriſti Cant. dat. 2222, 47.
Brithnotus, primus Abbas Elienſis. 747, 66. 868, 41.
Brithricus, vel Brictricus, R. Occid. Saxonum. 110, 44. 445, 1. 770, 60. Veneno ab uxore necatur. 118, 28.
Brithunus. V. *Bertinus.*
Brithwoldus, Epiſc. Wiltonienſis. 182, 35.
Brithwoldus, vel Brichtwaldus, vel Birthwoldus, vel Berthwaldus, Abbas Raculfenſis. 1640, 19 2207, 49. Fit Archiep. Cantuar. 98, 46. 100, 37. 441, 57. 742, 13. 768, 25. 1771, 8. 2208, 22. 2233. Wilfridum Eboracenſem propter inobedientiam loco movet. 1741, 61.
Britonum prima converſio ab idolis ad fidem. 725, 10. 1686, 60. Nunquam totaliter a fide defecerunt. 725, 16. 736, 55. Eorum Regnum quamdiu duraverit. 725, 25. Quando & quomodo monarchiam amiſerint. 1154, 35. ¶ Eorum Reges: *Brutus; Locrinus; Dunwallo; Belinus; Arthurus; Modredus; Conſtantinus; Aurelius Conanus; Careticus, Vortiporius; Malgo.* V. *Wallenſes.*
Broklondæ eccleſia appropriatur Auguſtinenſibus. 2086, 1. ordinatio vicariæ. 2087, 64.
Bruern Bocard, unus e Northumbriæ magnatibus. 802, 45. Osbrithus R. ejus uxori ſtuprum per vim infert. 802, 53. Ipſe vindictæ cupidus Dacos in regnum vocat. 803, 7. Occiditur. 809, 58.
¶ Brugenſis Abbatiſſa: *Edelburga.*
Brunichilda, Regina Franciæ. 436, 66. 1694, 17.
Bruno, autor ordinis Carthuſianorum. 979, 22. 1005, 6. 2352, 64.
Bruti res geſtæ, & filii. 2484, 13.
Bulgarinus, Comes Engoliſmenſis, Pictaviam invadens repellitur. 590, 10. Pedibus Henrici II ſupplex advolvitur. 594, 45.
Bullas plumbeas ciſalpini præſules ſcriptis non apponunt. 1458, 59. Bullis carentia privilegia pro primatu Cantuarienſis Archiepiſcopi producuntur. 1717, 61. Bulla plumbea Auguſtinus utebatur: 1764, 63. Uſi ſunt quidam Epiſcopi tranſmarini. 1765, 3.
Burdinus, Antipapa. 238, 56. 1007, 14. Contumelioſe tractatur. 1008, 27. 2381, 13.
Burga quando reparanda. 843, 21.

Burgh abbatia, prope Stanfordiam, nunc *Peterborough*. 868,27. Vocatur *Burch*, 359,58. & *Medeſhamſtide*, 162,34. 475, 64. 1699,56. & Abbatia Petri de Burgo. 1108,1. Seditioſi quidam ei ruinam intentantes profligantur. 2638,45. ¶ Ejus Abbates: *Saxulfus*; *Aldulfus*; *Godricus*; *Arnulfus*; *Willielmus*; *Benedictus*.

Burgmotus ter in anno habendus. 872,14. 924,26.

Burgricus, Epiſcopus (uti puto) Roffenſis. 2221,26.

Burgundiæ deſcriptio. 602,2. Ejus regimen. 601,56.

Burhbota, quid. 923,28. 929,24.

Burhbriche, quid. 957,21.

Burthredus, R. Merciorum. 778,66. Britones ſubjugat. 120, 41. 139,7. 779,1. A Dacis expellitur. 127,32. 779,4. Vocatur Burredus, & Bernredus. 778, 67. 807, 47. 810, 29.

Burtona ad Trentam. Monaſterium ibi fundatur. 885,14.

Burwarmerſch. 1776,48. 1777,25.

Bury. 745,14. 754,58. Olim dicta *Badricewrthe*, 467,37. & *Bedricheſworde*, 806,44. & *Betricheſorde*. 2325, 1. Illuc S. Edmundi corpus transfertur. 806,43. Privilegia ei concedit Edmundus, R. Angliæ, 856,6. & Canutus. 892,33. 914,8. Primi ejus Abbatiæ monachi unde venerint. 914,1, 2325.4. V. S. *Edmundi*.

C

CAdomum capit Henricus V. 2292.

Cadwaladrus, R. Britonum. 439,41. Moritur. 441,52.

Cadwallanus, Princeps Southwalliæ, ſub Angli conductu ſecurus, interficitur. 607,13. Henricus II ejus cædem ſevere ulciſcitur. 607,23.

Cadwallo. V. *Cedwalla*.

Cæcus natus meritis Johannis Beverlacenſis viſum accipit. 357,39. Cæci curantur ab Edwardo Conf. V. *Edwardus Conf.*

Cairleil. V. *Carleol*.

Calcei acuti. 2369,28.

¶ Caldenſis Abbas: *Giraldus*.

Caletum ab Anglis obſidetur. 2588, 44. Commeatus illuc advehitur. 2592,36. Cives fame laborantes Regi ſcribunt ut opem feſtinet. 2593, 17. Anglus literas interceptas legit & ad Gallum mittit. 2593,13. Gallus ingentem exercitum adducit; 2594,1. ſed non auſus cum hoſte congredi, feſtinanter reducit. 2594.39. Cives ſe & urbem Edwardo Anglo dedunt. 2594,54. 2284. Modus deditionis. 2594, 63. Rex eis veniam concedit. 2595,9. Famelici cibos nacti, nimia voracitate pereunt. 2595,11. Veteres cuſtodes in turrim Londinenſem conjecti: 2595,57. novi conſtituti. 2596,13. Ibi lanæ *ſtapula* conſtituitur. 2626,42. 2734, 52. Anglorum colonia illuc deducitur. 2626,44.

Calixtus II, P.R. 1007,58. 1661,29. 1715,19. 2251, 2380, 41. Imperatorem excommunicat. 1007,62. Remis concilium celebrat. 503,28. 1715,27. Turſtinum conſecrat. V. *Turſtinus*. In eo negotio callide & avare ſe geſſit. 1914,10. Gregorium Antipapam contumelioſe tractat. 244,50. 1008, 27. 2381,12. Cantuarienſi iratus, Eboracenſem Archiepiſcopum & S. Auguſtini Abbatem contra ipſum erigit. 1328, 25. Radulfi Cantuarienſis ad eum epiſtola. 1735—1748. Privilegium Auguſtinenſibus ab eo conceſſum. 1797,4.

Calveſcentis cujuſdam crines mire ſiſtuntur; mire defluunt. 2368,25.

Calves-croft. V. *Cow-holme*.

Camber, R. Walliæ. 2484,26.

Cambiendum non eſt ſine teſte. 842,64.

Cambria, Walliæ antiquum nomen. 2484,27.

Camelegiat, Epiſcopus Britonum. 833,58.

Campanarum libera pulſatio Auguſtinenſibus prohibita. 1792, 10. Conceſſa. 1797,17.

Candida Caſa in Gallowaia fit Epiſcopalis ſedes. 774,67. Ad Anglos olim pertinuit, 788,30. 801,32. & ad provinciam Eboracenſem. 1111,58. Ejus nominis ratio. 786,32. Vocatur Herwicernenſis eccleſia. 1720,30. ¶ Ejus Epiſcopi: *Wecthelinus*, vel *Wettelinus*; *Frithwaldus*; *Phectwinus*; *Ethelbirhtus*; *Badwolſus*; *Johannes*; *Chriſtianus*; *Gilaldanus*.

Canis hominem ſi momorderit, quæ mulcta domino irroganda. 824,31. Canes omnes per foreſtas occiduntur. 2417,50.

Canonicorum electio citra aſſenſum Decani irrita. 506,5. 507, 8. Canonicorum collegia juxta eccleſias cathedrales ſtatuere Rex & Epiſcopi moliuntur. 1222,42. 1481,15. 1484, 46. 1564,11. 1594,8. 1596,1. Canonicis ſuis quomodo providerit Turſtinus Eboracenſis. 1720,37.

Cantabrigia, vel Cantebrigia, comburitur. 888,8. Olim erat in diœceſi Lincolnienſi. 989,64. Eccleſia S. Ægidii ibi fundatur. 868,55. 587,60. Cantabrigienſes fortiter pugnant. 887, 64. ¶ Cantabrigiæ Comes: *Edmundus de Langeley*.

Cantiam veſtat Cedwalla, R. Occid. Saxonum; 741,46. ſubjugat Edbrichtus. 743,10. Unde factum quod hæc ſola ex Angliæ provinciis avitas conſuetudines inviolatas retineat. 1786,12. De Cantiæ Regno. 728,64. 800,50. Ejus Regum genealogia. 85, &c. ¶ Cantiæ Reges: *Hengiſtus*; *Oſca*; *Otha*; *Hirmericus*; *Ethelbertus* I; *Ethelbaldus*, vel *Edbaldus*; *Erchembertus*; *Egebertus*, vel *Egbertus*; *Lotharius*; *Edricus*; *Wycherd* & *Wedbard*; *Withredus*; *Egfredus*, vel *Edbertus*; *Edbrichtus*, vel *Ethelbertus* II; *Alricus*; *Ethelbertus* III; *Eathmundus*; *Cuthredus*, vel *Cuddredus*; *Baldredus*; *Eardulfus*, qui quo loco reponatur, neſcio. ¶ Cantii Comites: *Alberus*; *Ealchere*; *Godwinus*; *Odo*; *Hubertus de Burgo*; *Edmundus*.

Cantredus, quid. 1074,3. V. *Hundredus*.

Cantuaria, ſeu Dorobernia, ſeu Canterberia. 1752,39. Fit metropolis totius Britanniæ. 438, 5 & 24. 1749—1752. Cur hæc urbs ſedes Archiepiſcopi, non Londinum. 1686, 39. 1737,9. Ejus fines. 2147,21. Incenditur. 1100, 47. 1457,45. Per inſidias Almeri a Dacis capta, miſerrime vaſtatur. 168,40. 888,55. 1649,50. 1782,59. Henricus III concedit ut a duobus Balliviis regatur. 1881,10. *Stablegate* ibi, unde dicatur: 1559,46. 2204,56. Ejus loci immunitas & privilegia. 1759,48. 2204, 2205. Terræ in *Queengate* Auguſtinenſibus donatæ. 1774,60. S. Pauli eccleſia iiſdem appropriata: 1917,41. 2095,23. Vicaria ibidem. 2095,60. Pancraſii eccleſia, olim fanum idolorum: 1760,27. Diabolus ſe inde pulſum dolens, eam evertere voluit, nec potuit. 1760,40. Eccleſia SS. Petri & Pauli. V. *S. Auguſtini eccleſia*. Baſilica S. Johannis Baptiſtæ fundatur. 1641, 20. Eccleſia Chriſti ubi nunc ſtat, olim ſtetit palatium Ethelberti. 1760,19, 2204,60. Sepulturæ privilegium a Monaſterio S. Auguſtini ad eam transfertur. 1772, 1773. 2210. V. *Cuthbertus Archiep*. Conflagrat. 581,34. 1428,51. Incendii illius graphica deſcriptio. 1289, 1290. Bis antea conflagrarat. 1291,38. De ejus reparatione. 1290, 52. 1298, 25. Veteris eccleſiæ, cum altaribus & reliquiis, deſcriptio. 1291, 27. Lanfranci opus, cum altaribus & Archiepiſcoporum ſepulcris, deſcribitur. 1293,1. Chorus Conradi. 1294, 22. Architectus Willielmus, 1290, 67. ruptis trabibus, a ſummo ad imum decidit: 1298,60. inde operi inutilis factus, in Franciam, patriam ſuam, redit. 1299,21. Operis novi & veteris differentia. 1302,44.

Eccleſiæ Chriſti origo & incrementa. 1310,22. Ejus benefactores, & quid quiſq; ei donaverit. 2207—2226. Priori ejus & conventui quam poteſtatem conceſſerit Lanfrancus. 1311, 1. Quæ donarit Anſelmus. 1311, 38. 2226,17. Quam gravis iis fuerit Theobaldus. 1311—1313. 1367—1369. V. *Theobaldus*. Quam faverit Thomas. 1313,60. Quomodo erga eos ſe geſſerit Ricardus. 1314, 8. Quomodo Baldewinus. 1314,38. 1488,41. V. *Baldewinus*. Sententia Clementis III, P.R. in eos qui eorum bona invaſerant. 1321,39. Johannis Anagnini P.R. Legati ad eos literæ. 1323, 1324. Cantuarienſis eccleſia id Anglis, quod Romana univerſis. 1332,5. 1735, 67. A Willielmo Archiepiſcopo ſolenniter dedicatur & dotatur. 1341, 11. 1664, 15. Londinenſis Epiſcopus olim in hac Eccleſia fungebatur officio Decani; 1382,63. Wintonienſis, Cantoris; 1382, 60. Roffenſis, Capellani. 1383,58. V. *Roffenſis*. Charta Henrici II de libertatibus hujus eccleſiæ. 1435,24. Charta Richardi I de boſco de *Blen*. 1575, 4. Alia ejuſdem, de recognitionibus tenementorum faciendis. 1575,44. Henrici I dictum de hac eccleſia, ejuſq; patrono. 1663,22. Eccleſia S. Martini in Dovera ei in dotem datur. 1341,21. 1664,19. Quæ ei dederit Hubertus. 1683, 19. Ejus jura violantibus anathema denuntiatur. 1749,66. 1751,1. 1752,35.

Monachis Eccleſiæ Chriſti, ſeu S. Trinitatis, Thomas Cantuarienſis conatus Baldewini in viſionibus patefacit. 1481,53. Nuntii ad eos a Rege miſſi: 1487,25. Monachorum ad eos reſponſum. 1488, 1489. Rex ipſe Cantuariam adiens, monachorum pertinaciam flectere conatur, ſed fruſtra. 1490, 1. Archiepiſcopi juriſdictioni ſubduntur. 1304,33. Baldewino obſiſtunt. 635,8. 705, 25. Cum eo pacem ineunt. 649,47. 707,64. 1167,27.

V. *Baldewinum.* Contendunt cum Epiſcopis ſuffraganeis de jure eligendi Archiepiſcopum. 619, 40. 620, 43. 666, 44. 669. 1424, 63. 1468—1474. 1662, 35. Rex eorum privilegia imminuere ſatagit. 1466, &c. Suffraganeorum literæ ad P.R. de electione Archiepiſcopi. 666, 39. Monachi, citra conſenſum ſuffraganeorum, electionem peragunt. 667, 9. V. *Baldewinus.* Abſq; autoritate Cantuarienſis eccleſiæ Epiſcoporum electiones non debent fieri. 1564, 65. Epiſcopi electi in hac eccleſia conſecrandi. 1567, 1568. 1570, 65. Literæ conventus, inhibentes ne conſecratio R. Wigornienſis alibi fiat. 1567, 44. Literæ Epiſcoporum ſuffraganeorum, prohibentes ne quis ex Epiſcopis Galliæ G. Eboracenſem conſecret. 1571, 5. Ricardi I ad monachos literæ, poſtulantes ut Willielmum Montis Regalis Archiepiſcopum ad Cantuarienſem ſedem eligant: 1568, 65. Monachorum reſponſum. 1569, 45. 1578, 25. Aliæ Ricardi literæ, de Archiepiſcopo eligendo. 1578, 66. Monachi tres & Oſbernus Prior a conventu deponuntur. 1570, 4. Sacerdotes Cantiæ ab hoc conventu oleum & chriſma ſoliti accipere. 1530, 14. Maleficos judicandi poteſtas huic conventui conceſſa. 1590, 26. Jubente Rege ut eorum theſauri inſpiciantur, 1614, 48. 1680, 44. Archiepiſcopo humiliter ſcribunt ut eos indemnes conſervet. 1614, 65. Poſſeſſiones illis auferuntur: 1615, 26. reſtituuntur. 1615, 36. Eorum reſponſum in curia Regis, de non oſtenſis theſauris. 1615, 60. Controverſia inter ipſos & Hubertum Archiepiſcopum de eccleſia Lambethana. 1593—1623. 1680—1682. V. *Lambetha.* Literæ Innocentii III ad Ricardum I, de injuriis quas iis intulerat. 1623, 61. Literæ ejuſdem ad conventum conſolatoriæ. 1625, 19. Literæ eorum ad Regem, cum jam tertio ſpoliarentur. 1626, 18. Literæ eorundem ad Archiepiſcopum, ejus patrocinium implorantes. 1626, 38. Literæ eorum ad P. R. 1627, 9. Rege occiſo, omnia eis redduntur, præter pecuniam. 1628, 33. Maneria XXV eis reſtituuntur. 490, 1. Monachi eccleſiæ Chriſti & S. Auguſtini ſe mutuis proceſſionibus viſitant: 628, 23. Commutationes terrarum & compoſitiones faciunt. V. *S. Auguſtini eccleſia.* ¶ Priores hujus eccleſiæ. V. *S. Trinitatis eccleſia.*

Cantuarienſem Archiepiſcopum ex ordine monaſtico eligendi mos mutatur. 247, 50. V. *Monachi.* Odo poſt electionem fit monachus, ne morem turbare videatur. 454, 34. Archiepiſcopus, a quo & ubi ordinandus. 438, 18. 485, 15. 972, 10. 1382, 42. 1747, 21. V. *Eboracenſis.* Pontificis R. Legatus naſcitur. 2155, 25 & 39. Cantuarienſes Archiepiſcopi primatum habuerunt ſuper Britanniam totam & Hiberniam. 970, 65. 2348, 51. Ad Cantuarienſem pertinet, Regem coronare. 1338, 35. 1664, 3. V. *Reges.* Rex Angliæ ſpecialis ejus parochianus, & tota Anglia ejus parochia. 1661, 40. In ejus provincia, nedum in præſentia, non ſolent Legati P. R. mitrati incedere. 1485, 63. In provincia ejus non licet Eboracenſi crucem portare. 1237, 61. 1584, 32. Ejus locus in conciliis. 535, 38. 1784, 58. 2247. Scotiæ Epiſcopos ei ſubjectionem debere. 1739, 11. V. *Scotia.* Ad eum pertinent redditus. Roffenſis Epiſcopatus, quando vacaverit. 1462, 6. V. *Roffenſis.* Ejus juriſdictio in loco Cantuariæ vocato *Staplegate.* 2204, &c. Chorepiſcopum quamdiu habuerit. 1650, 65. S. Auguſtini Abbatia ejus ditioni ſubtrahitur. 1331, 26. V. S. *Auguſtini eccleſia.* VII Epiſcoporum ſubjectionem ei ſubtrahere conatur Gelardus. 1682, 15. In Eboracenſi provincia Archiepiſcopalem poteſtatem exercuit. 1741, 24. Cum Eboracenſi de primatu litigat. 250, 50. 1717. 60. Turſtinus ei ſubjectionem negat, 237, 20. & victoriam in foro Romano reportat. 1718, 20. Radulfi epiſtola ad Calixtum P. R. ubi objectionibus Thurſtini fuſe reſpondet, primatum & privilegia ſuæ ſedis tuetur, & Papæ patrocinium nunc humiliter, nunc audacter poſtulat. 1735—1748. Utriuſque ſedis argumenta. 1263, 21. 2348, &c. Gregorius M. conſtituit, ut iſte ex eis prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. 436, 51. 730, 53. 1263, 24. Papa interdicit Cantuarienſi exigere, & Eboracenſi profiteri ſubjectionem. 266, 65. Cantuarienſis prioritas confirmatur a Bonifacio; 438, 6 & 24. 1749, 9. Honorio; 1750, 18. Gregorio III; 443, 4. Leone; 446, 56. Formoſo; 453, 14. 1751, 11. Johanne; 458, 29. Alexandro, 546, 53. 580, 4. qui poſtea contrarium decernit. 589, 40. Ab Eboracenſi agnoſcitur Primas, ſed non Metropolitanus, totius Britanniæ. 491, 31. V. *Primatis vocabulum.* Quæſtio hæc, de cathedrarum primatu, ventilatur & determinatur. 437, 64. 484, 38. 970, &c. 2348, &c. Totius controverſiæ hiſtoria. 1263—1265. Charta Conquæſtoris de Cantuarienſis primatu. 1161, 45. Valor Archiepiſcopatus Cantuarienſis. 2164, 38. Valor totius cleri in Cantuarienſi provincia. 2164, 27. Valor Epiſcopatuum in eadem, 2175, 2176. Actus Archiepiſcoporum ab Auguſtino uſque ad Hubertum. 1629—1684. Romanæ ſedi quam fideles ſemper fuerint. 1735, 32. ¶ Archiepiſcopi Cantuarienſes, quorum in his libris mentio: *Auguſtinus*; *Laurentius*; *Mellitus*; *Juſtus*; *Honorius*; *Deus-dedit*; *Wibardus*; *Theodorus*; *Brithwoldus*, vel *Berthwaldus*; *Tatwinus*; *Nothelmus*, vel *Nothelinus*; *Cuthbertus*, vel *Cutbertus*; *Bregwinus*, vel *Lyzigwinus*; *Lambertus*, vel *Jambertus*; *Ethelherdus*, vel *Adelardus*; *Wolnredus*; *Theologildus*, vel *Feologildus*; *Ceolnothus*, vel *Ceonodus*; *Ethelredus*, vel *Etheredus*; *Plegmundus*, vel *Pleiemundus*; *Athelmus*, vel *Ethelmus*, vel *Aldelmus*; *Wolfelmus*, vel *Wolfelmus*; *Odo*; *Elſſinus*; *Brithelmus*; *Dunſtanus*; *Ethelgarus*, vel *Stilgarus*; *Siricus*, vel *Siricius*; *Alfricus*, vel *Elfricus*, vel *Eluricus*, vel *Wolricus*; *Elſegus*; *Lifingus*, vel *Ethelſtanus*; *Agilnothus*, vel *Ethelnothus*; *Edſinus*, vel *Edſius*; *Siwardus*; *Robertus Gemeticenſis*; *Stigandus*; *Lanfrancus*; *Anſelmus*; *Radulfus*; *Willielmus de Curbellio*; *Theobaldus*; *Thomas Becket*; *Rogerus*; *Ricardus*; *Baldewinus*; *Reginaldus*; *Hubertus Walteri*; *Stephanus de Langton*; *Ricardus* II; *Edmundus de Abingdon*; *Bonifacius*; *Robertus Kilwarby*; *Johannes Pecham*; *Robertus de Winchelſey*; *Thomas Cobham*; *Walterus Reinold*; *Simon Mepeham*; *Johannes Stratford*; *Johannes Offord*; *Thomas Bradwardin*; *Simon Iſeleph*; *Simon Langham*; *Willielmus Wittleſey*; *Simon Sudbury*; *Willielmus Courteney*; *Thomas Arundel*; *Rogerus Waldene.*

Cantuarienſis Archidiaconi dignitas. 1057, 58. Vacantium eccleſiarum cuſtodiam ſibi vendicat. 1857, 28. 1861, 6. Eccleſiæ ad eum pertinentes, earumque valor. 2165, 11.

Cantuarienſis diœceſis uno olim Archidiacono contenta, tres accipit. 584, 4. Valor temporalium & ſpiritualium totius cleri in hac diœceſi. 2164, 21. Decanatus in eadem, & beneficia eccleſiaſtica in ſingulis contenta, & uniuſcujuſque pars vigeſima. 2169—2175. Domus hoſpitales & monaſteria in eadem, & ſingulorum valor. 2161—2169.

Cantugernus, primus Glaſguenſis eccleſiæ Epiſcopus. 1746, 37.

Cantum eccleſiaſticum vix probant Wiclevitæ. 2707, 61. Cantandi mos in eccleſiis quando cœperit. 1637, 63.

Canutus, Cnut, vel Cnuto, Suani F. 466, 3. vel Haneleci. 2320, 39. Ab Egelredo fugatus, 466, 12. 892, 53. 2315, 55. obſidum manus, aures, nares obtruncat. 171, 30. 892, 58. In Daciam revertitur. 892, 61. In Angliam redit. 893, 3. Rex ab Anglis eligitur. 173, 7. 363, 30. 374, 46. 466, 31. 903, 54. 2315, 59. Jus ejus ad Regnum Angliæ. 2320, 30. Londinum obſidet. 173, 27. 904, 10. Ab Edmundo Ferreo-latere ſæpius vincitur. 173, 39. 174, 2 & 33. 904, 17 &c. 2316, 6. Apud Aſſandunum eum vincit. 175, 16. Singulari cum eo certamen init. 364, 41. 905, 57. 2316, 46. Pace facta, diviſum imperium cum eo habet. 175, 38. 466, 43. 906, 1. Edmundo mortuo, totum obtinet. 176, 37. 466, 56. 906, 47. 2246. 2317, 19. Edvium occidit. 176, 52. 907, 20. 2317, 47. Emmam Egelredi viduam ducit: 374, 55. 906, 59. 2318, 1. cujus conſilio, Edmundi filios ad Regem Suavorum occidendos mittit. 176, 56. 374, 50. 466, 62. 907, 29. 2317, 50. Regni optimates adulationis & perjurii dignas ab eo pœnas luunt. 176, 3. 365, 61. 907, 7 & 22. 2317, 25. Edricum proditorem pro meritis remunerat. 365, 46. 908, 15. 2318, 15. V. *Edmundus, Egelredi* F. Regnum Norreganorum adipiſcitur. 178, 16. 468, 31. 911, 60. Contra Vandalos exercitum Anglorum & Dacorum ducit: 908, 39. ſed Angli ſoli, Rege inſcio, noctu hoſtes profligant. 908, 42. 2318, 42. 2318, 27. Angliam in IV partes dividit. 176, 39. 466, 58. 906, 50. 2317, 33. Comitem Hacun in exſilium mittit. 178, 22. Dum Romam verſus peregrinatur, 178, 37. exactiones per Galliam, data pecunia, ad medietatem diminui facit. 468, 61. 912, 51. Romæ agit pœnitentiam, & dona offert. 469, 18. 912, 40. 2325, 38. Mandat Epiſcopis ſuis, ut omnia Deo debita perſolvantur. 469, 23. Multa S. Cuthberto donat. 33, 33. Monachos collocat in monaſterio de Badricesworthe: 467, 35. Eiſdem multa prædia & privilegia largitur. 892, 32. 2324, 61. S. Edmundi terram foſſa circundat. 892, 34. In honorem S. Benedicti duo monaſteria conſtruit. 913, 1. Mortem Wolfrico Abbati & monachis intentans, mire placatur. 913, 38. Eccleſiam Aſſanduni conſtruit. 467, 39. Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ quæ dederit. 2223, 18. 2224, 12. 2225, 21. Auguſtinenſes præcipue coluit. 1782, 47. 1908, 66. Eis dat manerium de Menſtre. 1783, 43. 1909, 28. Ejus votum de corpore Mildredæ ad eos transferendo. 1909, 42. Ejus charta de utroque. 2127, 41. Pene naufragus, adjutorio S. Auguſtini liberatur. 1909, 59. Editha virgo contra eum e tumulo aſſurgit. 909, 4. Adverſus Ulfum & Eilafum præliatur. 911, 54. Malcolmum R. Scotiæ alioſq; ſubjicit. 912, 60. Ejus potentia. 968, 53. 1651, 19. 2317, 20. Videns mare neutiquam obtemperare ipſius imperio, Dei ſupremam potentiam agnoſcit, 468, 64. 912, 1. 2325, 24. & coronam auream geſtare amplius nolens, eam Chriſti imagini imponit. 469, 10. 912, 15. 2325, 36. Ejus proles. 906, 54. 2325, 41. Filiam Imperatori Rom. maritat. 468, 59. 906, 67. Regna inter filios partitur. 179, 2. 469, 63. 914, 9. 2325, 15. Ejus leges. 914—931. Ejus mors & ſepultura. 179, 9. 472, 33. 914, 20. 2325, 43.

Canutus, Suani F. Rex Dacorum, Angliam oppugnatum veniens, conſilio mutato redit. 975, 46. Rurſus idem cogitans, impeditur. 213, 2. 478, 59. 2350, 42. A ſuis martyrio coronatur. 213, 48. 482, 34. In Sanctorum numerum adſcribitur. 1007, 57. Ejus oſſa in ſcrinio conduntur. 224, 1.

Capa, tunica. 531, 16.

Capillos torquere aut componere, Sanctimonialibus interdictum. 328, 29.

Capucini, vel Caputii, unde dicti. 1461, 54. Eorum ordo ubi & qua occaſione inceperit. 1461, 4. Eorum inſtituta. 1461, 47.

Careticus, R. Britonum, a Saxonibus ultra Sabrinam fluvium fugatur. 1154, 35.

S. Carileſi monaſterium. 49, 17.

Carl, Comes Domnaniæ. 138, 35.

Carlemannus, R. Francorum, ab apro occiditur. 149, 42. Ejus proſapia, 149, 44.

Carleol, vel Carleil, Britannice *Luel*, Latine Luguballia, a Paganis diruta, reſtauratur. 217, 58. 490, 58. Vocatur Kardulia, 1803, 40. & Karreliol. 1720, 29. Dicitur eſſe in Scotia. 2007, 64. Scoti magnam ejus partem comburunt. 2480, 53. 2674, 38. B. Virgo, ejus patrona. 2675, 43. Caſtello & turribus munitur. 246, 60. 987, 27. 2384, 61. Ad regimen Epiſcopi Dunelmenſis olim pertinebat. 13, 47. 69, 22. Fit ſedes Epiſcopalis. 257, 48. 1019, 65. ¶ Carleolenſes Epiſcopi: *Aldulphus*, vel *Arnulfus*, vel *Adelwoldus*; *Johannes*. ¶ Carleolenſis Comes: *Andreas de Harkeley*.

Carleyrſchire. 956, 61. 957, 11.

Carlomannus, Pipini F. fit monachus. 443, 36.

Carlus Aldredum Comitem interficit. 81, 39. 204, 37. Ejus filii & nepotes ab Aldredi nepote occiduntur. 82, 3. 205, 50.

Carmelitarum capæ mutantur. 2463, 10.

Carmen Bedæ. V. *Beda*. Carmen triumphale, de bello Standardii. 331, 332.

Carnotenſis Epiſcopus. V. *Johannes de Sarisburia*, & *Willielmus*.

Caroli Regis ſignum in Francia quid ſignificet. 1465, 52.

Carolus, Boemi F. Imp. 2596, 37.

Carolus Calvus, R. Francorum. 148, 24. Carlomannum filium excæcat. 451, 18. 566, 29.

Carolus, Canuti Regis Dacorum F. Comes Flandrenſis. 503, 57. 1007, 55. Dum Miſſam audit, a ſuis occiditur. 254, 66. 1016, 10.

Carolus Comes Provinciæ, Manfredo occiſo, Siciliam obtinet. 2435, 47. 2443, 23. Rex Arragoniæ eum inde fugat. 2443, 28.

Carolus Craſſus, R. Francorum, regno pellitur. 150, 23.

Carolus de Bloys Ducis Britanniæ titulum aſſumit. 2581, 33. Capitur, 2593, 53. In Angliam ducitur. 2596, 57. Ejus perfidia. 2607, 27. Occiditur. 1628, 35.

Carolus M. Rex Franciæ. 107, 9. 444, 42. Papiam, aliaſque urbes capit. 444, 53. &c. Wintichindum Saxonum Ducem ſubjugat. 107, 17 &c. 445, 3. Ticinam, urbem Longobardorum, capit. 107, 50. Aquiſgrani baſilicam exſtruit. 446, 47. Fit Imp. Rom. 117, 9. 447, 19. 565, 21. 770, 38. Perſa ei elephantem mittit. 447, 38. Avares & Hunnos vincit. 447, 41. Helviones, Hunnos & Britones ſuperat. 448, 19. Hunnorum ſpolia eccleſiis & pauperibus dividit. 113, 37. Quis fuerit ejus præceptor. 447, 66, V. *Alcuinus*. Ejus eruditio, & ſcripta. 446, 38. Menſibus nomina imponit, & ventis. 446, 42 & 44. Studia literarum in Gallia inſtituit. 817, 13. Concilia celebrari curat 448, 61. Librum ſynodi C P. ad Britannos mittit. 111, 50. Ejus literæ ad Offam R. Merciorum. 608, 16. Jus eligendi Pont. Romanum, inveſtiendiq; Epiſcopos, Adrianus P. R. illi dat. 444, 56. Inter filios regnum partitur. 447, 52. Pipinus F. in eum conjurans, in monaſterium truditur. 565, 22. Coronam imperialem Ludovico F. imponit. 448, 58. Edburga, optione data, filium ei præfert. 128, 55. Quam ſapienter liberos inſtituendos curaverit. 448, 10. Lectiones feſtis diebus legendas compilari fecit. 448, 5. Pons Moguntinus, ab eo quanto labore conſtructus, quantillo tempore deſtruitur. 448, 52. Eleemoſynas largiſſimas diſtribuit. 445, 48. Quomodo res ſuas teſtamento diviſerit. 448, 24. Ejus mors. 448, 67. Ejus Vitam ſcripſit Alcuinus. 449, 3. Archiepiſcopales civitates quæ ei ſuberant. 448, 33. Ejus genealogia & poſteri. 1017, 22.

Carolus Martellus Chilpericum fugat. 442, 49. Saracenos e Gallia abigit. 941, 45. Andegavenſem urbem Raginfredo dat. 443, 25. Pipinum mittit Papiam, ut capilli more Longobardico ei tondeantur. 443, 26. Dæmones eum e ſepulcro abripiunt. 941, 50.

Carolus IV, Rex Francorum, moritur. 2553, 39.

Carolus VI, R. Francorum, villas Flandriæ capit. 2672, 13. Scotis auxiliatur. 2674, 66. Ad Angliam invadendam magnum exercitum cogit, 2679, 5. tributum inauditum exigit, 2679, 15. palum miræ ſtructuræ parat; 2679, 18. omnia nullo ſucceſſu. 2679, 23. Cladem Gandavenſium machinatus, ipſe cladem accipit. 2680, 21.

Carolus ſimplex a Francis neglectui habetur. 451, 66. Fit Rex. 452, 6. Robertum Pariſienſem Regnum invadentem perimit. 453, 57. Se & Franciam Imperatori ſubmittit. 453, 59. In cuſtodiam truditur. 453, moritur. 454, 9.

Carri ab hominibus tracti. 508, 41.

Cartheleienſe caſtrum fundatur. 2450, 16.

Carthuſianorum ordo quando inceperit. 979, 21. 1005, 6. 2249. 2352, 62. Quomodo vivant. 1005, 8. 2353, 18. Quando primum in Angliam venerint. 1142, 36.

Caſera, neptis Noæ, ante diluviũ in Hiberniam venit. 1073, 48.

Caſſinenſis. V. *Paulus*.

Caſſiodorus. 432, 12.

Caſtellum ligneum & portatile ad turres expugnandas fabrefactum. 2404, 40. V. *Turris*.

Caſtitatis primum documentum. 1649, 37.

Caſtra, unde dicta. 1034, 43.

Catana, urbs Siciliæ, terræ motu ſubruitur. 1049, 64.

S. Catharinæ rota. 1482, 14.

Cauſidici quando primum in Angliam arceſſiti. 1665, 30.

Ceadda, vel Cedda, Epiſcopus Merciorum & Orientalium Saxonum. 2, 67, 58, 39 & 43. 744, 36. 772, 37. Populum utrumq; ad fidem convertit. 2, 41. Vocatur Epiſcopus Londinẽſis. 1636, 36. 1638, 35. Seberti R. mortẽ prædicit. 744, 47.

Cedda, Ceaddæ frater. 1636, 43. Erat Abbas Laſtinghamenſis. 1636, 44. 1689, 61. Fit Archiep. Eboracenſis. 293, 42. 439, 32. 789, 31. Ejus humilitas: 789, 43. Ad Theodorum Cantuarienſem mitis reſponſio. 439, 56. 789, 59. V. *Theodorus*. Archiepiſcopatu abdicato, ad cœnobium Leſtinghamenſe ſe recipit. 293, 42. 1690, 62. Fit Epiſcopus Merciorum, ſive Lichfeldenſis. 790, 2. 792, 55. 1638, 2 & 9 1690, 1. Cum pedibus obire loca ſolebat, 1636, 51. Theodorus eum equitare jubet. 1638, 11. Vocatur Ceadda. 1740, 12.

Cedwalla, vel Cadwallo, R. Britonum, Edwinum R. Northumbriæ occidit, 784, 20. ut & Oſricum & Ainfridum, Edwini ſucceſſores. 785, 24. Ejus crudelitas. 784, 34. 785, 31. Ab Oſwaldo ſuperatur. 785, 59.

Cedwalla, vel

Cedwallus, R. Occid. Saxonum. 440, 2. Cantiam vaſtat. 741, 46. 756, 67. Vectam inſulam ſubigit. 756, 63. 1691, 39. Romæ baptizatus, moritur. 742, 3. 757, 33. Ejus Epitaphium. 757, 42. Vocatur Rex Suſſexiæ. 1770, 38. Charta ejus de donatione Pagahamiæ &c. 2207, 56. Alia, de Geddinga, &c. 2208, 4

Celeſtinus II, P. R. 273, 42. 508, 31. 1032, 62, 2253. 2387, 40.

Celeſtinus III, P. R. 659, 59. 1197, 21. 1567, 27. Ejus literæ: ad Veronenſem Epiſc. de Duce Auſtriæ; 675, 20. ad Hubertum Cantuar. eum Legatum conſtituentes; 679, 11. ad Epiſcopos, Abbates, &c. mandantes ut Huberto debitum honorem impendant; 679, 55. de divortio quod cum uxore fecerat R. Franciæ; 681, 52. ad Epiſcopos provinciæ Cantuar. de miſeriis terræ S. &c. 683, 62. ad Hubertum Cant. de deponendo Abbate Thorneienſi; 696, 35. contra Willielmi Elienſis adverſarios. 1228, 65. V. *Willielmus de Longo campo*. Legatos in Normanniam mittit ad litem inter Elienſem & Rothomagenſem dirimendam: 1238, 46. Quibus a militibus abactis, unus ex iis ſeneſcallum & Normanniam totam ſub interdicto ponit: 1239, 5. Celeſtinus vero eos abſolvit. 1240, 41. Monachus Coventrenſis quomodo eum ad cauſam audiendã impulerit. 1223, 1

Pedibus ſuis coronam capiti Imperatoris imponit, impoſitam dejicit. 2403,40. Literæ ejus, irritam facientes ſententiam excommunicationis ab Eboracenſi adverſus Dunelmenſem prolatam. 1238,16. Literæ ejus pro monachis Cantuarienſibus cum Archiep. ſuo contendentibus. 1324—1325. 1571,59. 1573,54. 1592,15. Literæ de eccleſia Lamcheienſi. 1593,9. Privilegia Auguſtinenſibus indulta. 1839, &c. Literæ ad Archiepiſcopum, mandantes ne eos gravet: 1841,11. ad Rogerum Abbatem, de obedientia Archiepiſcopo non præſtanda. 1841.45. Moritur. 1274,31.

Celeſtinus IV, P.R. 2263. 2432,25.

Celeſtinus V, P.R. 2275. 2468,17. Aſtutia Cardinalium Pontificatu exuitur. 2003,11. 2472,33. Ejus de ſucceſſore prophetia. 2472,28.

Cenredus. V. *Kenredo*.

Cenwaldus, vel Kenewaldus, vel Kinewalchius, R. Occid. Saxonum, fidem deſerens, regno pellitur. 756,20. Reſtituitur. 756,26. Eccleſiam Wintoniæ conſtruit. 438,64. 1635,65. Winam Epiſcopatu pellit. 439,33. 1636,2.

Cenwallus, vel Kenwolfus, R. Occid. Saxonum. 437. 54. 755,6.

Ceol, ulcus. 897,57.

Ceolbertus, Abbas S. Auguſtini. 1777,38. 2242.

Ceolfridus, Abbas Girvenſis & Wiramuthenſis. 4,8. 8,50. 92, 56. 94,66. 758,47. 774,22. 800,28. 1695,4. Se munere abdicat. 95,25.

Ceolmundus, Epiſcopus. 2219,48.

Ceolnothus, vel Ceonodus, S. Trinitatis Decanus ſeu Prior. 1643,12. Fit Archiepiſcopus Cantuar. 124,47. 143,14. 449, 50. 742,64. 1643,3. 1776,43. 2239. Eccleſiæ ſuæ quæ donaverit. 2217,2218.

Ceolricus, R. Occid. Saxonum. 755,6.

Ceolwolfus, Epiſcopus [Sidnaceſtrenſis.] 2219,46.

Ceolwolfus, R. Merciorum. 778,31. Charta ejus de terris Eccleſiæ Chriſti Cantuar. donatis. 2216,31.

Ceolwolfus, Rex Merciorum alius. V. *Colwolfus*.

Ceolwolfus, R. Northumbriæ. 91,26. 795,10. Ejus proſapia. 7,37. Multa eccleſiæ Lindisfarnenſi donat. 9,56. 69,46. 139,44. Ei Hiſtoriam Anglorum dicat Beda. 7,62. 106,3. 442,41. 795,12. Regno abdicato, fit monachus. 9,50. 69, 46. 100,57. 139,47. 795,10. In Eccleſia Lindisfarnenſi ſepelitur. 9,63. Illinc Northamiam transfertur. 9,66 13,26. 139,48.

Ceonwaldus. V. *Kinewoldus*.

Ceorlus, R. Merciorum. 771,10.

Ceorlus, ruſticus. 764,47. 824,43. 846,11.

Ceræ diſtributio in monaſterio S. Auguſtini. 1937,31.

Cerdicus. V. *Sardicus*.

¶ Cernellenſis Abbas: *Haimo*.

Certeſcienſe monaſterium fundatur. 440,45.

Cerva. V. *Eormenburga*.

Ceſtria, dicta Legeceſtria, 869,14. V. *Legeceſtria*. ¶ Ceſtrenſes Abbates: *Ricardus*; *Robertus de Haſtinges*. ¶ Ceſtrenſes Comites: *Hugo* I; *Ricardus*; *Ranulfus* I; *Leofricus*; *Ranulfus* II; *Hugo* II; *Ranulfus* III; *Johannes* Scotus. Henricus III conſtituit primogenitum ſuum Comitem Ceſtriæ, 2435, 67. ut & Edwardus III. 1977,26. Ceſtrenſis Epiſcopatus ſedes, olim Lichfeldia & Conventria. 801,20. V. 1654, 37. ¶ Ceſtrenſes Epiſcopi. V. *Coventrenſes*.

Cetus ad littus appulſus, a monachis Cantuarienſibus dividitur. 1566,48.

Charybdis. 1010,47. 1187,32.

Cheolredus, vel Kelredus, R. Merciæ. 758,55. Cum Ina R. præliatur. 773,40.

¶ Chertoſæ Prior: *Hugo*.

Chevilliauc, Epiſc. Landavenſis. 451,15.

Chichelinus, Rex. V. *Kewelinus*.

Chichelinus, vel Cuikelmus, Epiſcopus Roffenſis. 792, 61. 1638,43.

Chiſteley, vel Chiſtelet, vel Sturigayo. 1762.42. 1799,56. 1836,59. 1881,53. 1885,48. 1898,62. 1962,35. 2033,33. 2124,20. 2139. Appropriatio eccleſiæ. 2113, &c. De vicaria ejuſdem. 2115,22.

Choreæ. V. *Magnus Martyr*.

Chorepiſcopi. 1650,65.

Chriſma Londini conſecrat Baldewinus Archiep. 1494,2. Quod gravamen maximum reputant monachi Cantuarienſes: 1493,48. a quibus Chriſma accipere ſolebant totius Cantiæ ſacerdotes. 1530.16. Quæ pro chriſmate ab Auguſtinenſibus extorſerint. 1797,29. Pretium pro chriſmate pendi ſolitum Turſtinus Eborac. remittit. 1717,24.

Chriſtiani Turcos vincunt. 223,66. 224,50. V. *Cruſigeri*. Rex Tharſis ſuos peſte abſumtos videns, Chriſtianiſmum amplecti ſtatuit: 2598,18. ſed mox, audito Chriſtianos ſimiliter abſumi, animum mutat. 1598,24.

Chriſtianus, Archiep. Moguntinus, ſchiſmati abrenunciat. 1130,59. 1439,30.

Chriſtianus, Epiſc. Candidæ Caſæ. 1103,36. 1108,33. 1111,54.

Chriſtophorus, P.R. 452,67. 2241.

CHRISTUS, cur in ſtabulo natus, in cruce mortuus. 2660,22. Quo die baptizatus. 205,40. Ejus natalis quam ſolenniter conſecrari ſolitus. 398,53. 410,60. Paſſus eſt pœnas plus quam infernales. 2658,8. Aperto latere, patiebatur. 2660,65. Apparet Patricio Abbati; 1076,56. 2390,15. Edwardo Confeſſori, & Leofrico Comiti; 389,7. 949,29. Edmundo Cantuarienſi, cum adhuc puer fuerit; 2432,66. quem monet, quomodo frontem ſignaret. 2433,3. Thomam Beckettum alloquitur. 1401,57. Crucifixus & in aere pendens nonnullis apparet apud Dunſtapelam. 2399,32. Sanguis ejus Henrico III mittitur. 2435,36. Ejus capa, ſeu tunica, invenitur: 531, 16. 1047,47. Quando B. mater eam fecerit. 1047,51. Pars tunicæ inconſutilis Cantuariæ ſervatur. 1763,42. Corona ejus ſpinea in Galliam affertur. 2432,28. Dux Lancaſtriæ, pretioſis multis ei a Gallo oblatis, ſpinam e corona illa eligit. 2605,24. Unum e clavis, quibus configebatur, S. Mildreda e Calunenſi monaſterio aufert: 1907,45. Alter in manubrio enſis Conſtantini M. recondebatur. 2321,32. Ejus lancea invenitur. V. *Lancea*. Ejus baculus Dubliniæ ſervatur: 1076, 58. 1078,56. 2390,16. per quem vermes ex Hibernia ejecti. 1078,57. Eum corporaliter in Euchariſtia adeſſe, miraculo oſtenditur. 2651,16. Opiniones quædam de corpore Chriſti hæreticæ judicatæ. 2467,18. Chriſti corpus non ultra octo dies ſervandum: 327,25. 1347,35. A quibus deferendum ad infirmos. 327,26. 1347,36. Ejus imago Veronicæ ſudario indita. 1221,26. Paſſio imaginis ejus. 444,27. Statua ejus lapidea, jactu lapidis vulnerata, ſanguinem emittit. 1499,51. De lampade ad ejus ſepulcrum ardente Saladinus augurium ſumit. 1243,3. Liber a Judæo mire invenitur, prophetiam præclaram de Chriſto continens. 2435,31. Quidam ſe Chriſtum eſſe venditans, crucifigitur. 2430,34.

Chronici ſcribendi ratio. 429,1. Ejus definitio. 433,1. Ab Hiſtoria quomodo differat. 1336,17.

D. Chryſoſtomus quando ſcripſerit. 431,59.

Cicadæ miræ in Sicilia. 1011,3.

Ciceſtria flammis abſumitur. 236,40. A Seleſia illuc transfertur cathedra Epiſcopalis. 975,60. 1654,38. ¶ Ciceſtrenſes, ſeu Auſtralium Saxonum, Epiſcopi: *Wilfridus*; *Eadrithus*; *Bernechus*; *Ethelgarus*; *Ethelricus, vel Agelricus*; *Grimketel*; *Heca*; *Agelricus*; *Stigandus*; *Godefridus*; *Radulfus*; *Sifridus*; *Hilarius*; *Johannes*; *Gaufridus*; *Seinfridus*; *Simon*; *Radulfus*; *Ricardus*; *Johannes de Langton*; *Thomas Rufhook*.

Cippus in unaquaq; villa habendus. 2730,22.

Cirenceſtria, Britannice *Caërceri*. 129,20. Canonicorum cœnobium ibi fundatur. 310,5. 505,40.

Cireabirith. V. *Cyresbury*.

Cirkamenſe monaſterium a Waltero Eſpec conditum. 338,13. ¶ Ejus Prior: *Wallefus*.

Ciſtercienſis cœnobii exordium. 223,26. 498, 43. 994,35. 2251. 2370,55. Quomodo vitam inſtituant. 994,41. 2371,40. Immunitas eorum ab oneribus publicis. 1256, 28. Quando primum in Angliam advecti. 338,17. Cœnobium Rievallenſe iis repletur. 257,26. 338,24. 2371,37. Eorum numerus brevi multum adauctus. 338,27. 2372,7. Ricardus I centum marcas annuas iis aſſignat. 648,1. Idem eos blandiendo ſpoliat. 1259,33.

Cithara ſonans, nemine pulſante. 878,60.

¶ Clamorgacenſes Epiſcopi. V. *Glamorgacenſes*.

Clarebaldus, Abbas Feverſhamenſis. 1365,31. 1817,53.

Clarembaldus, Abbas S. Auguſtini. 1384,11. 1815,16. 2256. Archiepiſcopo profeſſionem negat. 534,45. 711,21. Interfectores Thomæ cum eo conferunt. 1414,63. Bona monaſterii prodigit. 1816 &c. Monachi, interpoſitis appellationibus, benedictionem ejus impediunt. 1816,34. Ob inceſtum &c. degradatur. 561,35. 1433,34. 1817,51. Alexandri III P.R. literæ, ejus depoſitionem confirmantes. 1817,66.

Clarendoniæ ſtatuta. 1386,52.

¶ Clarenſes Comites: *Gilbertus*; *Ricardus*.

Claudus natus Johannis Beverlacenſis meritis ſanus incedit. 357,40.

Clavus, architectis quid. 1298,33.

Clemens, Abbas S. Mariæ Eboraci. 206,27. 533,32.

S. Clemens, quotus Papa. 430,1.

Clemens II, P.R. 2247. V. *Benedictus* IX.

Clemens III, P.R. 636,32. 1148,24. 1513,23. Ejus literæ:

Gaufridi Eboracenſis electionem confirmantes; 653, 35. ad Willielmum R. Scotiæ, de immunitate eccleſiæ Scoticæ; 1196, 17. de negotio inter Archiep. & monachos Cantuarienſes. 1321, 1322. 1528, 56. 1530, 39. Lis inter ipſum & Romanos, diruta urbe Tuſculana, ſedatur. 1190, 60. Moritur. 1567, 26.

Clemens IV, P. R. 1726, 64. 2271. 2452, 28. Uxorem & liberos habuerat. 2438, 16. Ejus honores, & res geſtæ. 2438, 17.

Clemens V, P. R. 1729, 65. 2277. Ejus acta. 2494, 26. Ordinem Templariorum funditus ſubvertit. 1730, 1. Sedem Roma Avenionem transfert. 2494, 42. Ejus literæ de eccleſiis quibuſdam conventui S. Auguſtini appropriandis. 2102, 21.

Clemens VI, P. R. 2281. 2581, 7. Nuntios mittit ad Edwardum III. 2601, 31. Edwardi ad eum literæ. 2082, 32. Jubileum a centeſimo ad quinquageſimum annum reducit. 2195, 47. Ejus literæ de procurationibus archidiaconi Cantuar. 2084, 59. ad Abbatem & conventum S. Auguſtini, de appropriatione quarundam eccleſiarum. 2086, 12. Privilegia ab eo Abbati indulta. 2118, 27. Veneno moritur. 2605, 37.

Clemens VII, Papa ſchiſmaticus. 2285. 2632, 61. Quænam nationes ei adhærebant. 2671, 24. Epiſcopus Norwicenſis theſauros & exercitum adverſus eum cogit. 2671, 22. V. *Urbanus VI.*

Clemens, qui & Wibertus, Antipapa, obit. 224, 64. V. *Wibertus.*

Clent. 777, 28. 778, 4.

Clerici priſci a ſuperbia & avaritia quam alieni: 1636, 51 &c. quantoque in honore apud populum habiti. 1636, 57. Poſteriores a priſcorum moribus quantum degenerarint: 2442, 46. Eorum mores taxantur. 1595, 36. 2442. Eorum luxus & negligentia, temporibus Edgari R. 360, 43. 361, 58. Quomodo reformandi. 2442, 58. Vita & veſtitu parum a laicis differentes, ab Aldredo Eboracenſi reformantur. 1704, 63. Iis interdicitur venatio, uſura, & turpe lucrum. 254, 19. 327, 66. 1348, 1. 1430, 60. Iis non licet arma ſumere; 328, 19. 1348, 20. 1430, 66. nec tabernas ingredi; 1429, 64. nec comam nutrire; 1430, 11. nec veſtimentis indecoris indui; 1430, 12. nec ulli luxui indulgere; 2708, 29. nec de capite hominis vel membris judicare; 1430, 3. V. *Epiſcopi.* nec ſeculares juriſdictiones adminiſtrare; 1081, 53. 1430, 7. nec matrimonium inire. 205, 60. 231, 42. 327, 61. 1000, 52. 1429, 56. V. *Preſbyteri.* Leges de eorum caſtitate. 858, 55. 919, 49. 1001, 5. 1429, 45. 1455, 44. Sanctimonialium monaſteria ſine cauſa non frequentent. 1455. 54. Ob civilem cauſam, Rege inconſulto, regno non excedant. 548, 49. 1386, 65. Si mundanis negotiis ſe ingerant, a miniſterio deturbandi. 1451, 61. Ad duellum non cogendi. 592, 13. Accuſati, quomodo ſe purgent. 919. Pro forisfacto foreſtæ tantum, aut pro laico feodo, ante ſecularem judicem trahendi. 587, 58. V. 1386, 56. Ob venationem ferarum ad forum civile pertrahuntur. 587, 41. Non a Regibus, ſed ab Epiſcopis puniendi. 946, 61. V. *Sacerdotes.* Quamvis capitale crimen admittant, ſolum ab Epiſcopis ſuis ſunt judicandi. 927, 18 & 32. Vide Statuta Clarendoniæ, 1386, 1387. Ob malefacia exautoratos a manu laicorum protegunt Epiſcopi. 537, 1. 1058, 50. In Normannia, niſi pro homicidio, furto, &c. non ſunt a laico judicandi. 657, 53. Non a laicis, ſed ab Epiſcopis, quando urget neceſſitas, exactionibus onerandi. 1451, 5. Bonifacii VIII decretum de clericorum immunitate. 2489, 37. Wiclifi opinio de laicorum in eos poteſtate. 2650, 66. 2657, 62. De clericorum litigationibus. 1431, 25. De injuriis clerico illatis, & earum compenſatione. 846, 32. De iis qui clericum verberaverint, vel ligaverint. 927, 26. Qui violentas manus clerico intulerit, a ſolo Papa abſolvi poteſt, 1032, 60. 1348, 5. Clericorum interfectores quomodo puniendi. 592, 8. 927, 4. Clericorum bona ad quos pertineant. 1447, 32. Clericus unius tantum eccleſiæ curam ſuſcipito. 603, 40. V. *Plures.* Clericorum filii ad Pontificatum ſummum evecti. 532, 56. V. *Eccleſia.* Clericus cum ſorore Imperatoris volutatus, dorſo ejus extra aulam evehitur, & Epiſcopatum obtinet. 470, 35. V. *Henricus III, Imp.* Clericus fit Rex Franciæ. 442, 47. Alius fit Rex Angliæ. 450, 18. 802, 7.

Clerkenwellenſe cœnobium quantum valeat. 2168, 50. A plebeiis tumultuantibus incenditur. 2636, 1.

Clodoveus, R. Franciæ, coronam & jus regnandi ab Anaſtaſio CP. Imp. accipit. 608, 37. Oleo cœlitus allato ungitur. 608, 41. Ejus ſucceſſores. 608, 43. 1767, 28. Ejus genealogia & poſteri. 1017, 7.

Cloveſho. V. *Concilia.* Illuc ſemel in anno Epiſcopi convenire tenentur. 1639, 23.

Cluniacenſe cœnobium conſtruitur. 452, 11. 833, 31. 2238. Ejus Abbas Archiabbas quidam eſt. 599, 40.

Cnut. V. *Canutus.*

Codrinus, R. Dacorum. 803, 26.

Coeller, Epiſc. Merciorum. 772, 29.

Cœmeteria. V. *Eccleſia.* Quidam quotieſcunque per cœmeteria tranſierit, pro defunctis orare ſolitus, ab ipſis propulſatur. 2368, 57.

Coenredus. V. *Kenredus.*

Coenwolfus. V. *Kenulfus.*

Cognomina Normannorum qui cum Willielmo in Angliam venerunt. 963—965.

¶ Coldingamenſes, vel Coludimberenſes, Abbatiſſæ: *Ebba; Etheldreda Regina.*

S. Colemanni aves in Hibernia. 1078, 14.

Colibrondus, immanis gigas, a Guidone Warwicenſi interficitur. 2324.

Colloquium quatuor regum. 611, 54.

Colmannus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 3, 7. 293, 22. 788, 63. 1636, 27. 1689, 43. Errorem circa Paſchæ obſervationem mutare nolens, Epiſcopatu cedit. 789, 10.

Colubrorum prodigioſum prælium. 478, 1.

Coludimbere. V. *Coldingamenſes.*

Columba roſtro ſcribens, cædem Kenelmi Pontifici Rom. indicat. 777, 55. Columba tabellaria. 993, 48.

Columba, vel Columbanus, Abbas, Pictos ſeptentrionales convertit. 786, 23. 1635, 49. 1746, 33. Inſulam ab eis accipit. 786, 38. Ubi ſepeliatur. 1111, 29. Vocatur Columkillus. 1145, 33.

Colwolfus, vel Ceolwolfus, Rex Merciæ a Danis conſtitutus. 810, 30.

Cometæ. 142, 39. 160, 43. 193, 49. 223, 14. 232, 34 & 47. 263, 2. 479, 3 & 13. 708, 58. 872, 54. 961, 19. 993, 29. 1002, 47. 2338, 2. 2369, 5. 2379, 19. Cometa Northumbrenſibus cladem prænuntiat. 30, 7. Cometa ſemper portendit aliquod magnum malum. 961, 29.

Comitatus Angliæ recenſentur. 800, 50. 956 & 957. Quibus legibus olim ſinguli eorum regebantur. 956, 6.

Communes leges in Anglia quando ordinatæ. 956, 6. 957, 15.

Communitatem bonorum inter clericos tenent Wiclivitæ. 2707, 57.

Comœdia ubi inventa. 1010, 51.

Compoſtella fit ſedes Archiepiſcopi. 1008, 47.

Conanus, Comes minoris Britanniæ. V. *Fulco Nerra.*

Conanus, Comes Richemundiæ. 1049, 12. 1059, 44.

Concilium apud

- Abbrincam in Normannia. 1081, 40.
- Aclech. 299, 1.
- Ambresburiam. 870, 44.
- Aquileiam. 445, 5.
- Arelatam. 448, 61.
- Baccanceldam 2208, 10. 2211, 45.
- Barum. 224, 7. 495, 35.
- Cabillonum, 448, 61.
- Calne. 870, 43. Ubi omnes qui convenerant, excepto Dunſtano, de ſolario corruerunt. 160, 51. 1647, 41.
- Caſſiliam in Hibernia. 1071, 24.
- Catalanniam. 231, 1.
- Chealchite. 1641. 65.
- Cirding 160, 50.
- Clandiam. 1654, 33.
- Clarendonam. 536, 53. 1385, 61. Ejus ſtatuta. 1386, 52. V. *Henricus* II.
- Clarum montem. 222, 26. 492, 15. 992, 45. 2359, 43.
- Cloveſho. 1642, 31. 1772, 33. 2209, 32. 2213, 23. V. *Cloveſho.*
- Conſtantiam. 2289.
- Conſtantinopolin. 111, 58. 440, 63. 444, 14 & 38.
- Digun in Burgundia. 706, 35.
- Glouceſtriam. 655, 60. 1654, 33.
- Hatfeld, 741, 33. 756, 56. vel Hethfeld, 441, 27. 1639, 25. vel Hethflete. 1770, 19. Literæ ejus ſynodales. 799, 28.
- Heorthord, vel Heortford (nunc *Hereford*) ubi de celebratione Paſchæ agebatur. 440, 26. Quot Epiſcopi illuc convenerint. 1639, 2. Ejus Statuta. 1639, 7.
- Kerling 870, 32.
- Kingſtoniam. 2217, 65.
- Lateranum. 2421, 9. 2422, 18.
- Londinum. 227, 58. 253, 5. 264, 50. 326, 5. 499, 10. 504, 24. 975, 53. 1000, 35. 1015, 24. 1017, 57. 1032, 57. 1282, 19. 1369, 60. 1654, 22 & 31. 1667, 60. 2351, 13. 2377, 1 & 48. 2531, 62. 2582, 30.

Lugdunum. 1922, 10. 2435, 27. 2438, 51. 2443, 30. 2461, 41.

Moguntiam. 448, 61.

Niceam, contra Iconomachos. 445, 37.

Oxonium. 314, 14. 1050, 11. 2430, 34. 2649, 39. 2742, 32.

Pedredam. 203, 5. 483, 33.

Pincahalam. 110, 56. 114, 58. 1697, 48. Ejus fides de Trinitate. 115, 17. 1697, 60.

Piſas. 508, 8. 2289.

Puellarum caſtrum in Scotia. 1111, 52.

Ravennam. 452, 64.

Rhemenſem civitatem. 240, 7. 448. 61. 475, 49. 503, 28. 504, 14. 509, 55. 1007, 18 & 67. 1363, 5. 1715, 27. 2379, 48. Rex Angliæ non dat Epiſcopis ſuis licentiam Rhemenſe Concilium adeundi: 509, 57. Papa non venientes ſuſpendit. 509, 58. 1363, 19.

Romam. 234, 64. 248, 27. 329, 26. 382, 14. 441, 3. 444, 45. 495, 37. 507. 67. 603, 36. 1139, 12. 1446, 26. 1866, 38.

Toletum. 435, 43.

Turonenſem civitatem. 448, 61. 535, 31. 1384, 19. 2363, 59.

Twifordam. 5, 9. 57, 35. 1639, 30.

Vercellas. 2336, 1.

Viceliacum. 475, 46.

Viennam. 1730, 16.

Weſtmonaſterium. 406, 13. 504, 46. 505, 64. 507, 55. 585, 63. 588, 59. 656, 58. 707, 19. 1161, 47. 1347, 18. 1429, 12. 1565, 22. 1660, 1. 1663, 34. 1664, 11 & 67. 1674, 38.

Wicheburgam. 1403, 52.

Windeſoram. 243, 2. 484, 38.

Wintoniam. 201, 47. 231, 42. 405, 60. 482, 45. 1001, 5. 1028, 3. 1654, 19 & 30. 1803, 31. 2345, 2.

V. *Conventus*, & *Parliamentum*.

Concilium Generale & Univerſale quomodo differant. 585, 60. Concilia in quem finem cogantur. 1429, 31. Quod fuerit primum concilium in Anglia. 2231.

Confeſſio non neganda damnato. 830, 31. 927, 26. Ubi debita contritio, ibi confeſſio ſuperflua. 2650, 21. 2707, 19. Opiniones Wicliſitarum de confeſſione. 2658, 25.

Conjugium non fit ſine conſenſu utriuſque partis. 1431, 66. Conjugatis, niſi utraque pars conſenſerit, ad religionem tranſire non licet. 1429, 51. V. *Matrimonium*.

Conon, P. R. 441, 51. 2231.

Conradus, Frederici Imp. F. Dux Suevorum. 1164, 23. Ad terram S. cum exercitu venit. 1165, 41. Moritur. 1165, 48. 1189, 27.

Conradus II, ſcilicet Saliquus, Imp. Mira de eo ejuſque ſucceſſore hiſtoria. 909, 43.

Conradus III, ſcilicet Dux Bavariæ, fit Imp. 2385, 20. Cruce inſignitur, 1034, 25. 2387, 59. Ejus copiæ ob ſcelera ſua variis cladibus abſumuntur. 1034, 37. Hieroſolymam venit. 1034, 60. Ibi ſtrenue ſe gerit. 2385, 25. Moritur. 1034, 64.

Conradus, Marchio Montis-ferrarii, Chriſtianum Moguntiæ Archiepiſcopum in vincula conjicit. 609, 45. Scribit Baldewino Cantuar. de miſeriis terræ S. 641, 58. Tyrum conſervat. 643, 24. Guidonem Regem eam ingredi non ſinit. 1163, 26. De Guidone & Magiſtro Templi queritur. 643, 27 Auxilium implorat. 643, 37. Sororem Reginæ Hieroſolymitanæ ducit, 657, 18. divortio prius inter ipſam & conjugem Amfridum facto. 1188, 41. Guido & frater Gaufridus eum perjurii & proditionis accuſant. 1202, 4. Gallus Conradi partes tuetur; Anglus, Guidonis. 1202, 21. 1208, 1. Ignave & perfide ſe gerit. 1203, 49. Controverſia inter ipſum & Guidonem judicio R.R. Angliæ & Franciæ determinatur. 1208, 37. Angli monitis haud obtemperat. 1242, 60. Rex Hieroſolymitanus eligitur. 1243, 30. A ſicariis confoditur. 667, 29. 1243, 43. Mors ejus Regi Angliæ a quibuſdam imputatur. 1243, 54. Cur & quomodo fuerit occiſus. 680, 48. 1253, 4. 1268, 52. Henricus, Comes Campaniæ, ejus viduam ducit. 667, 31.

Conradus, Prior Dorobernenſis. 501, 44. 1289, 15.

Conradus, electus Moguntinus Archiep. mavult eo honore carere quam ab Antipapa conſecrari. 1130, 48. 1439, 16. Honores ab Alexandro III, P. R. accipit. 1130, 43. 1439, 11.

Conſecrationes Epiſcoporum in eccleſia Cantuarienſi peragendæ. 1567, 1568, 1570, 65. In conſecrationibus nihil violenter exigendum, 253, 33. 327, 29. 1347, 39.

Conſilia Chriſti ſunt præcepta. 2658, 17.

Conſilium Glawornæ initum de Cantuarienſi Archiepiſcopo conſtituendo. 247, 35.

Conſtantia Henricum F. Regem Francorum, Regno pellere nititur. 473, 16. 566, 36.

Conſtantia, Regina Siciliæ. 1011, 67. 1167, 11.

Conſtantinopolis cum fundaretur, phœnix apparuit. 591, 26. Nova Roma appellatur. 447, 34. Prophetia, de ea a Latinis ſubjicienda. 642, 27. Alia, Eam capi non poſſe niſi per Angelum, quomodo impleta. 2416, 22. A Gallis capitur, 2416, 19. Conſtantinopolitana eccleſia ſibi primatum arripit. 437, 25. CP. Imperium a Romano diviſum. 447, 35. CP. Imperator, ſedilia in domo ſua non habens, qua occaſione ſibi fieri juſſerit. 2319, 43.

Conſtantinus, Cadoris F. Rex Britonum. 1154, 27.

Conſtantinus εἰκονομάχος, ſynodo congregata, imagines deponit. 444, 14.

Conſtantinus I, P. R. 442, 20. 2233.

Conſtantinus II, Papa ſchiſmaticus. 444, 44. 2235.

Conſtantinus, Irenæ Imperatricis F. V. *Irene*.

Conſtantinus M. quanta reverentia Epiſcopos dignabatur. 352, 63. 544, 34. Ejus enſis Adelſtano miſſus. 2321, 30. Colibrondum gigantem interficit. 2323. 54.

Conſtantinus, R. Scotiæ. 154, 37. 2484, 61. Filium obſidem Ethelſtano dat. 154, 65. Una cum Anlafo R. Hibernienſium ab Ethelſtano vincitur. 155, 20. 838, 23. Iterum vincitur, 838, 44. atque iterum. 839, 40.

Contractus, Edwardi Confeſſoris dorſo ſubvectus, integram ſanitatem recipit. 384, 41. Alius, ad ejuſdem tumulum ſanatur. 403, 13.

Conventus Epiſcoporum & procerum, apud

Cireceſtriam. 908, 51.

Culintonam. 859, 42.

Gaitintonam. 1522, 4.

Gloceſtriam. 1102, 50.

Gretleiam. 845, 3.

Habam. 901, 53.

Londinum. 230, 26. 500, 30. 858, 47. 1122, 47. 1411, 62. Ad Fontem Clericorum. 626, 7.

Northamtonam. 588, 40. 1108, 16. 1118, 20. 1378, 46. 1389, 33. 1433, 19.

Oxonium. 2445, 21. Ejus ſtatuta. 2445, 44.

Pinindenam. 1655, 15.

Sarisburiam. 237, 23. 1714, 48.

Venetingum. 895, 66.

Wallingfordiam. 1378, 21.

Wodeſtokiam. 894, 1.

Wormatiam: ubi tractatum de redemtione Regis Angliæ. 670, 32.

V. *Concilium*, & *Parliamentum*.

Convivii deſcriptio. 2010, 32.

Copſius, Comes Northumbriæ. 37, 58.

Cor dolore clauditur, lætitia aperitur. 910, 27.

1 Cor. xiii. 11. *Cum eſſem parvulus*, &c. exponitur. 2758, 34.

Corabo vehuntur tres Scoti e Scotia in Cornubiam. 812, 48.

Corcyra inſula, *Cunſu* dicta, deſcribitur. 1219, 31.

Cornicula. V. *Incantatrix*.

¶ Cornubiæ ſeu

Cornwalliæ Comites: *Godricus*; *Reginaldus*; *Edwardus*; *Edmundus*; *Ricardus*; *Petrus de Gaviſton*; *Johannes de Eltham*; *Edwardus*. Comitatus in Ducatum vertitur. 2568, 53.

Corona ſpinea. V. *Chriſtus*.

Coronationis ſolennis ordo & ceremoniæ. 1158, 16. 2461, 20. V. *Reges*.

Corpus an ſit idem numero mortuum quod vivum. 2467, 22 &c. Corporis membrum aliquod ſi quis alteri amputaverit, vel læſerit, quomodo mulctandus. 827, 7. Corpus Chriſti. V. *Chriſtus*.

Coſpatricus. V. *Goſpatricus*.

Coſroes, R. Perſarum, patrem interficit. 564, 48. A Siroe filio interficitur. 564, 55.

Coventreia, vel Conventria; immunitatem ab exactionibus miro modo obtinuit. 940, 10. 2334, 58. Privilegia a Recardo II huic urbi conceſſa. 2693, 19. Monaſterium ibi fundatur: 477, 37 2334, 49. Quo, ejectis monachis, ſeculares introducuntur. 1222, 36. Canonicis pulſis, monachi reducuntur. 1274, 27. 1600, 41. S. Auguſtini brachium illuc miſſum. 2318, 44. Eccleſia ibi pro caſtro habetur; 1033, 15. 1360, 42. ſanguine interea ex parietibus ebulliente. 1033, 20. 1360, 50. ¶ Coventrenſis Abbas: *Leofwinus*. ¶ Priores: *Jobertus*; *Moyſes*.

Coventrenſis diœceſeos tres olim ſedes. 618, 43. 2351, 21. ¶ Coventrenſes Epiſcopi: *Robertus*, qui & Ceſtrenſis; *Robertus Peccator*; Rogerius; *Ricardus*, Roberti Peccatoris F. *Gerardus Puella*; *Hugo*; *Gaufridus*.

Coumbe. 1780, 51.
Cow-dale, Vaccæ vallis. 777, 52.
Cow-holme, & Calves-croft. Suneman eremita ab angelo monitus ibi habitat. 913, 6. Capella ibi conſtructa, 913, 17. deſtruitur. 913, 31. inſtauratur. 913, 37. Canutus monaſterium ibi fundat, & ditat. 913, 51. Vocatur Holm. 2325, 5. Primus Abbas & monachi Abbatiæ S. Edmundi hinc venerunt. 914, 1.
Cowmbwellenſe monaſterium. 1878, 29. 1966, 32. Ejus valor. 2167, 3. ¶ Ejus Priores : *Johannes*; *Johannes*.
Coyfi pontificis idololatrici converſio. 782, 8.
Craumers. V. *Tarris*.
Creceæ monaſterium fundatur. 2384, 28. ¶ ejus Abbas : *Geve*.
Creduntur de aliis mala facile, bona non item. 415, 9.
Cridda, R. Merciorum. 771, 9.
¶ Cridiatunenſes Epiſcopi : *Leofricus*; *Eadulfus*.
Cridington, olim Epiſcopalis ſedes. 801, 12.
Criſta ab Edwardo III Willielmo Montagu conceſſa. 2566. 12.
Crowlandenſe monaſterium fundatur. 868, 52. ¶ Abbates : *Godefridus*; *Wolfretelus*.
Croxtonienſis Abbatia conflagrat. 2545, 1.
Cruciata conceſſa ab Urbano VI contra Clementem Antipapam. 1660, 9. Quid de ea ſenſerint Wiclivitæ. 2660, 7. V. *Henricus le Spenſer*.
Crumeniſecæ manus mire contracta, & reſtituta. 2416, 60.
Crucifixi imago loquitur. 870, 21. 1647, 23. Crucifixi imago Windeſoræ ſe movet, ſudat, &c. 1342, 65. Crucifixi forma in aere apparet. 1163, 17. 2399, 32.
Crucigeri ad Paganos debellandos miſſi. 222, 32. 492, 46. 992, 50. Variæ nationes varii coloris cruces geſtant. 636, 49. Eorum duces. 222, 37. 492, 56. 993, 11. 2363, 61. 2387, 59. 2455, 50. Abſolutio & protectio a P. R. iis conceſſæ. 249, 21. 685, 41. 1522, 11. Capiunt Niceam & Laodiceam. 493, 13. Quanta annonæ copia iis ſuppetebat. 493, 15. Paganorum exercitum fundunt. 493, 27. Complures urbes expugnant. 493, 37. 993, 31. Antiochiam obſident; 493, 42. capiunt. 498, 5. Fame graviter affliguntur. 498, 1. Corpora Saracenorum fœtentia comedunt. 498, 16. De Paganis plures triumphos reportant 498, 10 &c. Nudis pedibus Hieroſolymam circumeunt: 498, 26. eam capiunt. 498, 31. 993, 55. V. *Hieroſolyma*. Quantum ſanguinis uno prælio fuſum. 498, 32. A XX millibus Chriſtianorum CCCC millia Turcorum ſuperantur. 498, 35. 1136, 64. 1444, 5. Ludovicus VII. R. Franciæ, Conradus Imp. &c. terram S. adeunt, ſed nullo ſucceſſu. 1364, 64. Damaſcus a Ludovico pene ad deditionem redacta, a Templariis liberatur : 1365, 8. qui ob proditionem aurum expectantes, cuprum accipiunt. 1365, 23. In ſubſidium terræ S. Henricus II denariorum collectam in Normannia inſtituit. 1399, 5. LM marcarum promittit. 1474, 64. Ejuſdem leges de iis qui crucem ſumſerint. 1522, 11. Decimæ per Angliam exiguntur. 1529, 64. Decimæ eccleſiaſticorum in Anglia per ſexennium conceſſæ. 2274. Caſtrum de Baragh mire capitur. 1136, 64. 1137, 29. Saladinus prope Hieroſolymam vincitur. 600, 50. Magiſter Hoſpitalis, captus a Saladino, fame interit. 1137, 41. Patriarcha Hieroſol. in Europam ad auxilium petendum mittitur. 625, 51. 1144, 38. V. *Heraclius*. Miſerrima Chriſtianorum clades juxta Tiberiadem. 635, 47. 1144, 25. 1501, 1502. 2400, 43. Ibi Templarii occiſi, Rex captus, Crux amiſſa. 1502, 4. Alia clades. 1018, 17. Alia. 1034, 50. Saladinus Aconem & alia loca capit. 1502, 30. Crucem ſuſcipiunt Reges Angliæ & Franciæ, Comes Flandriæ, &c. 636, 35 &c. 1134, 10. 1136, 57. 1148, 1149. 1520, 38. XXM Chriſtianorum in captivitatem ducuntur. 640, 13. Exercitus Saladini prope Ptolemaida profligatur. 648, 57. 1163, 50. V. *Acra*. Saladinus nonnullos ex Chriſtianorum ducibus muneribus corrumpit. 655, 22. Tres vel quatuor eorum machinæ igne Græco combuſtæ. 656, 18. 1189, 48. Columba literas ferens in eorum exercitum ab accipitre dejicitur. 993, 48. Saladinus promiſſis non ſtat : 662, 1. Chriſtianorum captivorum capita amputat ; 1212, 59. Ricardus, Paganorum. 1213, 5. Paganorum fel in uſum medicorum aſſervatur. 1213, 12. Aurum in Paganorum viſceribus inventum. 1213, 14. Nomina Paganorum quibus parcebatur. 1213, 15. Philippus R. Franciæ redit. 662, 7. V. *Philippus Ludov. VII. F.* Saladinus a quatuor turmis Chriſtianorum fugatur. 662, 35. 1213, 1214. Joppe & Cæſarea a Ricardo inſtaurantur. 662, 51. 1214, 39 & 53. 1240, 50. Ingens caterva vel caravannia Saracenorum & camelorum variis opibus onuſtorum capitur. 667, 38. 1245, 39. Ricardus Darum expugnat. 667, 44. 1245, 11. Joppen a Saracenis captam, 1246, 35. ſed difficulter, recipit. 667, 50. 1247, 13. Pugnæ ad Joppen deſcriptio. 1247—1249. Aliæ res a Ricardo geſtæ in terra S. poſt Philippi diſceſſum. 1240—1250. Piſani & Januenſes confligunt. 1242, 52. Piſani a Conrado obſidentur. 1242, 57. Pax inter Piſanos & Januenſes reſarcitur. 1242, 59. Induciæ inter Chriſtianos & Saracenos factæ. 667, 59. 668, 7. 1249, 20. Aſcalon capitur; 1047, 37. diruitur. 667, 64. 1214, 42. 1249, 25. Chriſtianis datur poteſtas Hieroſolymam intrandi, ſed inermibus. 668, 2. 1249, 34. Exercitus Chriſtianorum dilabitur. 1207, 11. 1222, 27. 1246, 8. Ricardus diſcedit, intra induciarum tempus ſe rediturum pollicitus. 1250, 9. Hieroſolymam viſitare ſub conductu Saracenorum interdicitur; 668, 4. De miſeriis terræ S. 684, 1. Celeſtinus P. R. Chriſtianos incitat ut ei opem ferant. 684, 48. In eum finem quadrageſima pars redditnum a clero Anglicano exigitur. 707, 11. Germani & Itali iter parant. 2271, 58. Paſtores cruciger Pariſiis ſeditionem concitant. 2435, 62. Damiata capitur, 2428, 47. ſed mox amittitur. 2428, 54. Rurſum capitur. 2435, 59. Reges complures cruce ſignati, navibus & armis in mari Siculo ſubmerſis, redeunt. 2455, 2456. Edwardi I res in terra S. geſtæ. V. *Edwardus I.* Nomina nobilium defunctorum in obſidione Acræ. 1191. Defuncti in aliis locis. 1191, 40. Dæmon cuidam peregrinanti apparens dicit ſe Chriſtianis Regibus obſtaculo fuiſſe. 1262, 48. 2410, 11. Joachimi Abbatis prophetia de hujus negotii ſucceſſu. 2394, 26. Cur Deus Chriſtianorum conatibus adeo obſtiterit. 2406, 34. An unquam terra S. e Paganorum manibus eripienda. 2406, 48.
Crucis ſanctæ pars Alfredo mittitur. 130, 55. 148, 15. 355, 37. Alia pars Adelſtano. 2321, 38. Pars alia apud Scotos ſervatur, quam *nigram* vocant. 349, 21. Crux S. a Turcis capitur. 635, 58. 684, 29. 1502, 22. 2258. Chriſtianis dedditur. 2428, 64.
Crucis ſignum in Luna; 1047, 43. 2394, 4. in cœlo; 223, 15. 2369, 7. 2402, 24. in aere; 268, 54. in veſtibus hominum. 445, 33. Crux quinque ſtellarum, Anglo & Gallo de ſuſcipiendo ad terram S. itinere colloquentibus, interdiu apparet. 1520, 35. Crucis ſigno Reges & magnates olim ſignabant chartas ſuas. 2123, 48. 2125, 40 &c. 2127, 34. 2129, 64. 2212, 5. 2219, &c. Crucis ſignum dæmones fugat, 2433, 4. & morbos. 2434, 19
Crux ab Archiepiſcopo portari non debet ante ſuſceptionem pallii. 1585, 11. Quomodo ſuſcipiatur. 1585, 38. Crucem Eboracenſi portare non licet citra Humbram fluvium: 1584, 32. 1237, 61. nec Cantuarienſi, in monaſterio S. Auguſtini. V. *S. Auguſtini eccleſia*. Cruces inunctæ & ſacratæ. 2038, 54.
Cudredus, R. Occid Saxonum. 768, 35. Vocatur Gudredus, 442, 67. & Cuthred. 100, 65. 104, 55. 105, 16. Britannos, ope Ethelbaldi, profligat. 768, 44. Kinricus ejus F. occiditur. 768, 56. Conſulem Edelhimum prælio vincit. 768, 65. Ejus inſigne, Draco aureus. 769, 17. Ethelbaldum R. Merciæ fugat. 769, 6. Britannos iterum ſuperat. 769, 58. Moritur. 769, 62. 795, 60.
Cumbermeræ monaſterium fundatur. 1020, 5. 2383, 46.
Cumbria a Scotis ſubjugata. 201, 1.
Cumbwell. V. *Cowmbwell*.
Cuncaceſtre. V. *Haguſtaldenſis eccleſia*, & *Lindisfarnenſis*. Poſtea Ceſtre vocata. 34, 31. 300, 52. Illic, dum fundatur eccleſia, grandis theſaurus invenitur. 34, 35. Sedes Epiſcopalis illinc Dunelmum transfertur. 461, 18. 1648, 34.
Cunfu, inſula. V. *Corcyra*.
Cunredus, Abbas S. Auguſtini. 1775, 45. 2238.
Curſac Angeli, Imp. CP. 629, 10. Ejus literæ ad Henricum II. 638, 10. Conſpirat cum Saladino adverſus Chriſtianos. 642, 13 &c. Ricardum portu prohibens, ab eo vincitur, & argenteis compedibus ligatur. 660, 26. 1197—1200. 1567, 3. 2404, 60. Excæcatus & emenculatus, incarceratur. 675, 3.
S. Cuthbertus, adhuc puer, a puerilibus ad grandiora mire vocatur. 787, 49. Aidani animam in cœlum ſubvectam videt. 788, 1. Cur & quando Mailroſenſe monaſterium ſit ingreſſus. 2, 44. 67, 14. 295, 6. Angelum hoſpitio excipit; 788, 12. qui abiens, tres illi panes relinquit. 788, 30. Monaſterii Præpoſitus fit. 788, 35. Abbas dicitur. 67, 46. Quomodo ſe geſſerit. 2, 60. 3, 32. Prophetiæ ſpiritu pollet. 788, 38. Ægrotos mire ſanat. 3, 37. Ejus laus. 3, 48. 5, 13. Anachoreta fit in Farna inſula. 4, 23. Fit Prior Lindisfarnenſis. 295, 18. Eligitur Epiſcopus Haguſtaldenſis, ſed Lindisfarnenſi eccleſiæ mavult præfici. 1639, 32. Eligitur epiſcopus Lindisfarnenſis : 5, 13. 792, 19. ad quod munus ægre e latebris pertrahitur. 5, 15. 68, 20. 792, 30. Conſecratur. 5, 35. 295, 42. 441, 43. 1639, 38. Egfridus R. multas terras ei donat,

donat. 5,49. 53,43. 69, &c. Egfridi mortem prædicit: 5,1. Suam ipſius præſagit. 792,36. Moritur. 5,53. Sepelitur in Lindisfarna. 5,64 &c. Corpus poſt mortem incorruptum manet. 6,55. 229,11. 1003,26. 2377,20. Una cum aliorum SS. reliquiis magna cum religione huc illuc a ſeptem portitoribus transfertur. 14,63 &c. 17,65. 299,64. Nomina portitorum, 19,64. 27,56. Quale ſervicium deinceps a clericis ejus celebratum. 15,45. Cur ſuis mulierum conſortium interdixerit. 16,20. Reliquias ejus ad Hiberniam tranſportare tentantes a tempeſtate prohibentur. 18,54. Præteum, & equus vehendis ejus oſſibus inſervicurus, mire inveniuntur. 20,36. Corpus ejus Cuncaceſtriam transfertur: 21,69. Poſtea Ripponam: 27,14. 301,18. Mox, cum prope Dunelmum immobile factum ſit, ibi in virgea eccleſiola primum collocatur, 27,49. poſt in Alba eccleſia, 28,41. tandem in cathedrali quieſcit. 29.30. 67,11. 301,25. Mirum de capillo ejus. 52,14. Neſas erat fœminis vel cœmeterium ejus adire. 17,14 & 35 36,8. Quidam a complexu ſerpentis per eum liberatur. 36,39. Nummos de ſepulcro ejus furanti quid acciderit. 37,5. Corpus ejus ad eccleſiam Lindisfarnenſem fertur: ſed mox Dunelmum reportatur. 39,7. 199,39, 966,21. Aquæ maris cedentes ei tranſitum præbuerunt. 39,23. 199,44. 966,25. R. Alfredo apparens, Britanniæ Regnum ipſi ſuiſq; pollicetur. 18,16. 71,25. 128,15. 353,37. Ernano apparens, mira narrat de morte & cruciatibus Gillonis. 40,15. Quomodo ſe ſuoſq; contra Willielmum Conquæſtorem ejuſq; miniſtros fuerit tuitus: 38—43. 972,43. Quomodo contra Scotos in Angliam tempore Edwardi I irrumpentes. 2520,44. De donis & privilegiis in eccleſiam ejus collatis, a R. Guthredo; 22,3. 71,9. 147,60. Ethelſtano; 25,30. 75,10. Edmundo; 26,12. Edredo. 26,49. Contractam & debilem mulierem ſanat. 28,52. Alſwoldus, recluſo ſarcophago, amice cum ipſo colloquitur. 2332,62.

Cuthbertus, Comes Lindeſcienſis. 880,16.

Cuthbertus, Prior Giſeburnenſis. 271,14.

Cuthbertus, vel Cuthertus, Abbas S. Mariæ apud Liminges. 2209,27. Fit Epiſcopus Herefordenſis, 1640,66. Ad Cantuarienſem ſedem transfertur. 104,18. 443,58. 742,52. 1772,29. 2235. Hic liberam in Eccleſia Chriſti ſepulturam a P.R. obtinuit, 1295,36. 1641,1. 2210,5. & a Rege. 1772,53. 2210,23. Eam a P.R. id impetraſſe, falſum. 1774,38. Primus in eccleſia Chriſti ſepeliebatur. 1295,48. De ejus ſepultura. 1641,23. 1773,11. 2210,30.

Cutheardus, Lindisfarnenſis, vel Berniciorum, Epiſcopus. 23,42. 133,36. Vocatur Tuchredus. 152,12.

Cuthertus. V. *Cuthbertus*.

Cuthfridus, Epiſcopus Lichfeldenſis. 106,30.

Cuthredus R. Cantiæ. 742,36. 2238. Chartæ ejus de terris Eccleſiæ Chriſti donatis. 2213,6. 2215,11. Vocatur Cuddredus. 1776,12.

Cuthredus, R. Occid. Saxonum. V. *Cudredus*.

Cuthwinus, Epiſcopus Lichfeldenſis. 441,17. 1638,58.

Cyclus magnus, quantum ſpatium. 205,44. 974,20.

Cymewardus, Abbas Middletonienſis. 158,45.

Cynebirhtus, Epiſcopus. 2219,49.

Cynedomes, cenſuræ. 845,60.

Cynewolfus, Epiſcopus Lindisfarnenſis. 10,56. Incarceratur. 10,62. Liberatur. 10,65. Epiſcopatu ſe abdicat. 12,1. Moritur. 12,4.

Cyprus, inſula, deſcribitur. 660,43. A Rege Angliæ capitur. V. *Ricardus* I.

Cyrebury, vel Ciresbirith (eadem forſan quæ vocatur Scrobbesbury, & Salopia) conditur. 356,20. 834,39.

Cyricſceatta quando danda & ubi. 761,67. 766,63. 841,16. 858,64. 871,26. 920,22.

D.

DAcorum, ſeu Danorum jus ad Angliam. 2320,30. Primus eorum adventus: 2236. Secundus. 2240. Qua de cauſa Angliam primo invaſerint. 803,22. Osbritho Rege interfecto, Eboracum capiunt. 803,40. Mox Ellam, alterum e Regibus Northumbriæ, interficiunt. 803,65. Alia cauſa eorum adventus. 804,1. Orientalem Angliam ſubjugant, 804,54. 807,32. & Northumbriam. 807,43. Lindisfarnenſem eccleſiam & inſulam vaſtant: 12,45. cujus ſceleris mox pœnas luunt. 12,56. Totam pene Angliam depopulantur. 14,1. 461,15. 1643,50. Eorum duces. 14,2. 78,64. 141,19. 461,15. Doroberniam depopulantur. 120,9. 1643,16. Ab Anglis ſuperantur. 120,21. 138,57. In Thaneto victoriam ab Anglis reportant. 120,60. Iterum ſuperantur. 121,62. 140,60. Fœdus cum Cantianis initum violant. 122,14. 141,7. 1643,25. Pax cum illis Notingamiæ facta. 124,4. 142,65. 807,45. Lincolniam capiunt. 807,59. In Engelfelde vincuntur. 125,20. 143,33. 808,49. Ad Redingam vincunt. 125,36. 143,43. 809,15. Ad Eſcendunum (nunc *Aſhdown*) non tam armis quam precibus proſternuntur. 125 & 126. 144,30. 108,50. Ducum nomina qui in eo prælio occubuerunt. 126,40. 144,34. Poſtea ſæpe victores exſiſtunt. 144,44. Pax cum iis Londini inita. 106,25. 809,42. Exceſtriam capiunt. 809,48. Alfredus eorum obſides ſuſpendit. 809,50. Eum vincunt. 809,60. Merciam ſubigunt. 127.40. 810,28. Naves tempeſtate amittunt. 811,8. Alfredum in ſolitudinem fugant. 811,13. Exercitu ipſorum in duas partes diviſo, una ad Northumbriam, altera ad Grantabrigiam ſecedit. 127,48. 145,34. 813,25. Ad Edderandunum ab Alfredo funduntur. 128,48. 146,43. Pacem cum eo ineunt. 811,53. Ad Orientalem Angliam ſe conferunt. 812,3. Guthrum ipſorum Rex baptizatus, 129,6. 146,54. vocatur Ethelſtanus. 133,7. Britannia relicta, Franciam adeunt. 129,34. Illinc fugati, in Angliam veniunt. 812,6. In Franciam reverſi, Pariſios obſident. 812,20. Alfredus eos navali prælio ſuperat. 151,36. 813,32. Londinenſes eorum naves capiunt & comburunt. 813,18. Ad Teotenhalam inſigni prælio vincuntur. 152,60. 833,7. Piraticam exercent. 161. Cantianos vincunt. 831,52. Ad Wilmesfordam vincuntur. 833,14. Varia loca deprædantur. 161. 833,44. 877,30. 879,13. 882,41. 885,19. 886,48. 1643,26. Godam & Brithnodum occidunt. 879,25. Tributum illis datur. 161,19. 163,10. 164,55. 166,35. 169,9. 171,42. 461,49. 462,32. 464,60. 467,15. 879,28. 1648, 22 & 25. 1650,29. 2315,6. Angli ab eo liberantur. 184,25. 475,66. A Londinenſibus repelluntur. 162,58. 167,34. 170,5. 173,30. 174,30 & 39, 880,23. In multis præliis ſuperiores evadunt. 163,&c. 177,&c. Claſſem Ethelredi capiunt. 879,58. V. *Ethelredus*, Exceſtrienſes eos repellunt. 883,3. Exoniam vaſtant. 885.21. Edricus Anglorum exercitum iis prodit. 885,29. Norwicum & Thetfordiam comburunt. 885,41. Dacos univerſos una die & hora occidi jubet Egelredus. 165,5. 362,63. 461,57. 2315.40. Id indigne ferens Suanus, Rex Daciæ, Angliam invadit. 462,27. 885,16. V. *Suanus*. Angli & Dani concordant. 467,19. Dani Cantuariam vaſtant, & cives immaniſſime trucidant. 168,40. 888,41. 1649,48. 1781,59. quod facinus Deus ulciſcitur. 168,65. 889,28. 1650,9. Miraculo territi, Auguſtiniano monaſterio parcunt. 1782,6. Elfegum Archiep. barbare trucidant. 464,62. 1650,21. Sæpius ab Edmundo *Iron-ſide* vincuntur. 173 & 174. Eorum erga Anglos ſuperbia & inſolentia. 934,45. 2326,13. Eorum tyrannidis finis Brichtwoldo in viſione revelatur. 374.7. Angli eos regno fugant. 934,40. 2326,29. Anglos ebrietatem docuerant. 869,48. In Angliam navigaturi, ſeipſos inter pocula trucidant. 356,56. V. *Edwardus Senior*. Eorum Regem ſubmerſum in ſpiritu videt Edwardus Confeſſor. 379,1. Galliam infeſtant. 458,45. Vincuntur. 459,31. Normannos Eboraci vincunt. 965,55. 2344,39. Quomodo fuerint ad Chriſtum ab idolis converſi. 458,5.

Dæmones miſſam horrent. 1045,44. Dunſtani precibus cedunt. 359,8. Iter ſanctorum ad ſupera obſident. 401,66. Monachum confeſſabundum torquent, 886,5. & Imperatorem ſimoniacum. 933,56. Incantatricis corpus, quamvis catenis & candelis munitum, e ſarcophago abripiunt. 941,1. 2334,28. Nequam hominem in eccleſia ſepultum foras ejiciunt. 941,41. 2334,40. Carolum Martellum e ſepulcro abripiunt. 941,50. Dæmon *ſolivago* vocatur. 1262,52. 2403,63. Chriſtianorum conatus in terra S. ſe impediſſe fatetur, 1262,65. 2410,11. & captivitatis & victoriarum Ricardi cauſam fuiſſe. 1262,67. 2410,12. In cella vinaria cujuſdam monaſterii dæmon ſingulis noctibus cupam unam exhaurit; 1344,13. ſed tabulis chriſmate inunctis, vinum ſervatur, & latro capitur; 1344,50. qui habitu monaſtico indutus, nocet donec ſolvatur. 1344,62. Dæmon annulum ſponſalitium nactus, conjuges ab amplexu prohibet. 471,11. 950,65. 2335,9. Annulus ab eo necromanticis artibus extorquetur. 471,12. 951,24. 2335,26. De nequitia necromantis apud Deum queritur. 471,40. 951,55. 2335,35. Dæmon fanum in eccleſiam verſum evertere conatur, ſed fruſtra. 1760,40. Dæmonem ſuper *Danegild* ludentem videt Edwardus Confeſſor. 942,30. Dæmon cum Wolſteno luctatur. 950,43. 23 6,62. Dæmon corripit quendam a Wolſtano excommunicatum. 953,54. 2368,1. Bernardus dæmonem incubum excommunicat. 1004,66. Dæmon inter Henrici II majores numeratur. 1045,40.
2393,

2393, 7. Exempla quorundam, qui, conſulto dæmone, ab ipſo fuerint illuſi. 1254, 50. 2409, 2410. Mulier de fonte bibens, duos dæmones evomit. 2417, 8. Dæmon quomodo facillime abigatur. 2433, 10. *Deus debet obedire diabolo*, opinio Wicliſi. 2650, 27. Dæmonum apparitiones. 225,36. 995,49.

Dagoberti F. V. *Sigisbertus.*

Dalſinus. V. *Wilfridus.*

Damaſcenus. V. *Johannes.*

Damaſcus terræ motu ſubvertitur. 1049, 63. A Gallo obſeſſa, Templariorum proditione liberatur. 1365, 8.

Damaſus II, P.R. 2247.

Damianus, Epiſcopus Roffenſis. 790,27. 1636,20.

Damiata a Chriſtianis capta. 2428, 47. Amittitur. 2428, 54. Iterum capitur. 2435, 59.

Danegild, quid. 947,45. 2357, 6.

Danelega, i.e. Lex Danica, in quibus olim provinciis Angliæ obtinuerit. 956,39.

Dani. V. *Daci.*

Daniel, Epiſc. Wintonienſis. 98,54. 742,46. 758,51. 774,61. 1640,34. 2212,14.

Daningtoniæ Abbatia quantum valeat. 2168, 58.

Darius, vivo patre, Rex factus, parricidium machinatur. 563, 52.

David Bruis vel Brus, R. Scotiæ. 2567,54. 2568,16. Hoſtiliter Angliam intrat. 2580, 37. Diſcordia inter ipſum & proceres ſuos. 2581, 48. A Gallo inſtigatus, Angliam invadit. 2589,48. Ejus exercitus profligatur. 2590,8. Ipſe capitur, 1732,17. 2591,13. & in turrim Londinenſem conjicitur. 2592, 14. Scoti venientes ut eum redimant, re infecta redeunt. 2597, 16. In Scotiam mittitur, ut gentem iſtam ad ditionem Angli redigat: 2603,15. 2606,21. ſed iſtis Anglorum dominationem abominantibus, ad carcerem redit. 2603, 21. Redimitur, & reſtituitur. 2617,37. Ad Anglum accedens, commercia inter utramque gentem concedi humiliter petit. 2619, 2. Ejus genealogia. 967, 41. Uxor. 967,43.

David de Strabulgy, Comes de Aſſeles vel Atheles. 2566, 39. Quæ ei conceſſerit Rex Angliæ. 2566, 42. Occiditur. 2567, 34.

David, Epiſcopus Bangorenſis. 1660,62.

David, Epiſcopus Menevenſis. 1665,46.

David, F. Owani, Norwallenſium Princeps, ducit Emmam Gaufridi Plantageneti ſpuriam filiam. 585,7. 1127,47.

S. Davidis Epiſcopi. V. *Menevenſes.*

David, Lewlini frater, ob rebellionem ſuſpenditur, & membratim diſſecatur. 2463,24. 2465,17. Edwardo I a conſiliis fuerat, 2463, 30. & ab illo honores plurimos acceperat; 2463, 56. nihilominus fratrem & Wallenſes ad rebellandum incitarat, 2464,8. & poſt mortem fratris, Walliam contra Regem diu defenderat. 2465, 8.

David, primo Comes, 1713, 21. poſtea Rex Scotiæ. 251, 16. Matildi Imperatrici fidelitatem jurat; 254, 59. 2384, 41. Ejuſque nomine aquilonares Angliæ partes occupat: 258, 35. 312,44. 1024,42. 2385,11. Sed ſtatim ejus filius Stephano homagium faciens, honores ab eo accipit. 258, 48. 312,59. 1024,56. 2385,13. Iterum turbas movet. 259,30. Inducias cum Anglis paciſcitur. 259,36. 315,35. Northumbriam filio ſuo dari poſtulat. 259,41. 315,42. Oppida capit. 259,52. 312,44. Ferro & flamma paſſim ſæviens, 316,1. 1025, 47. Haguſtaldenſi eccleſiæ parcit. 260. 316,60. Inſidias Stephano ſtruit. 260,48. 317, 45. Northamiam oppugnat, 318, 19. ad deditionem cogit, 318, 60. deſtruit. 319, 6. Werk, ſeu Carrum, obſidet. 319, 8. 323, 32. In agrum Eboracenſem ducit exercitum. 319, 35. Anglos ad Clitheroam ſuperat. 261, 10. Turſtinus contra eum Eboracenſes animat. 320,29. Apud Baggamorum ejus copiæ fuſæ & fugatæ. 262, 45. 322, 32. 1027, 5. 1346,26. 2385, 39. 2391,23. Subditi ejus ſe mutuo concidunt. 323,33. Carrum oppidum deſtruit. 261,30. 326,49. Pax inter ipſum & Anglum (ſed ægre, 326,3. 329,5.) componitur. 265,29. 330,6. 1027, 34. 2391, 20. Henricus ejus filius Comitatum Northumbriæ obtinet. 330,8. Ejus fortitudo. 331, 11. 346, 9. Eccleſiis ab exercitu ejus direptis ſatisfacit. 279,43. 326,15. Johannem P. R. Legatum ſuſcipit. 279, 50. Quantum Anglis & Normannis debuerit. 343,53. Robertus de Brus, cum bellum diſſuadere nequit, ab eo recedit. 343, &c. Ejus filius Henricus moritur: 280,19. Cujus filium Malcolmum hæredem Regni conſtituit. 280, 29. Imperium ſuſcepit invitus, 348, 18. ſed ſuaviter & manſuete adminiſtravit. 348, 25. Epiſcopos, cum tantum quatuor invenerit, reliquit novem. 348,37. Cœnobia ab eo conſtructa. 281,56. 348,42. Quam devote & pie vixerit. 281, 50. Quam libenter cauſas pauperum audierit. 348,53. Ægrotans, 346,6. Euchariſtiā percipit, 349,15. & extremam unctionem. 349,39. Ejus uxor. 975,8. Genealogia. 350,26. 627, 13. 967, 7. 975, 10. Moritur. 281, 47. 349, 54. Ejus mors lugetur. 347, 48. Corpus ejus mare tranquillat. 282,10.

David, Regis Scotiæ frater, Comes Huntingtoniæ. 975, 36. 1158, 4. Dicitur fuiſſe Rex Scotiæ (ſed, ni fallor, falſo) 2431,30. Ejus uxor. 1190, 29. 2431, 29. Genealogia, & poſteri. 967. 2468,66.

Debitores an in carcerem conjiciendi. 2667, 21. 2670, 14.

Decanatus in diœceſi Cantuarienſi. 2169—2175.

Decani conſenſus in electione Epiſcopi neceſſarius. 506, 5. 507,8. Fit tamen electio ſine Decano. 673, 46. Decani Epiſcopalem juriſdictionem exercentes condemnantur. 1447, 43. V. *Priores.*

Decimantur a Danis Cantuarienſes. 168,59. 1650,2.

Decima Regni pars ab Ethelwolfo Deo donatur. 121, 14. 140,16. Decimas non perſolvere, quantum nefas. 736, 23. Decima pars ſi Deo non ſolvatur, ipſe novem auferet. 841, 12. Lex Edmundi, de Decimis; 858, 63. Edgari; 871, 17. Ethelredi; 902, 38. Alfredi, de iis detentis; 830, 36. Adelſtani, de iis ſolvendis; 840, 63. Willielmi Conquæſtoris. 2356,20. De nolente eas dare. 871,34. 920, 4. 1431,15. 1452, 56. Decimas detinendi cauſa. 2356,38. Opinio Wicliſitarum de Decimis. 2651, 4. 2667, 6. 2670, 18. 2707, 38. Quarum rerum decimæ ſumendæ. 1431, 18. 2356, 10. Decimæ de caſeo. 1821,6. 2356, 15. Decimæ Vicariis pendi ſolitæ. V. *Vicarii.* Crucigeri a pendendis decimis abſolvuntur. 1522,26. Decimas pendendi mos quando in Hiberniam invectus. 1071, 42.

Decretales Epiſtolas quis conſarcinarit. 2430, 55. 2472, 24. 2494,28. 2533,67.

Deformis ſacerdos mire fit Epiſcopus. 470,48.

Degmundus, Abbas S. Auguſtini. 1777,36. 2242.

Deira, provincia Northumbriæ. 285, 10. Gregorius M. ſic dictam ait, quod *de ira Dei ſit eruenda.* 726,40. 779,37. Quando ad fidem fuerit converſa. 285, 34.

Denarius Anglicus valet quatuor Andegavenſes. 1183,36. Denarius Eccleſiæ dandus. 901, 62. Denarii & oboli rotundi fiunt. 2377,60. Denarius S. Petri. V. *Rome-ſcot.*

Dene, manerium in inſula Thaneto. 2138, 22.

Deneheah, Abbas Raculfenſis. 2211, 15.

Denisbourn, rivus Dionyſii. 785, 61.

¶ Derbiſchiriæ, vel Derbiæ, Comites: *Robertus de Ferrers*; *Willielmus de Ferrariis*; *Robertus de Ferrariis*; *Henricus*; *Henricus*, F. Johannis de Gaunt.

Devonia. V. *Domnania.*

Deus-dedit, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 88, 48. 100, 33. 293,45. 439,12. 740,34. 1636,14. 2231. Obit. 1636, 21. 1769, 26.

Deus-dedit, P. R. 437, 41. 2229.

Dewlencroſſenſis Abbatia fundatur. 2430, 17. Edwardus, Princeps Walliæ, quingentas marcas ei dat. 2606,46.

Diabolus. V. *Dæmones.*

Diaconus Evangelium legere recuſans quod pridie fuiſſet cum meretrice volutatus, in Epiſcopatum evehitur. 470, 18.

Dierhamenſis eccleſia fundatur. 1591,66.

Diernodus, Abbas S. Auguſtini. 1776, 42. 2240.

Dies Dominicus quando incipiat, quando deſinat. 871,52. 920, 47. Die Dominico nemo morte afficiendus: 831, 2. 927,41. Non operandum: 761,61. Negotiationes non faciendæ. 830, 50. 844, 45. 1274, 9. A ſervilibus operibus tunc abſtinendum, Henricus II in viſione monetur. 1045, 44. 2395, 20. Dies Paſchæ. V. *Paſcha.* Dies Pentecoſtes. 378,48. 673,14. Dies quinam pro feſtis habendi, 826,60. A quibus obſervandi. 826.60. Presbyter qui falſo eos indixerit, mulctandus. 830, 10. In iis non operandum. 920, 37. 927, 45. Operantes quomodo mulctandi. 830,54. V. *Feſta.* Dies Omnium Animarum quando celebrari cœperit. 461, 28. 738,30. Dies Omnium Sanctorum. 738, 26. Dies Sabbati, infauſtus. 651,14. 663,63. Tertius Non. Septembris, infanſtus. 2401,28. Quibus diebus pax neutiquam violanda. 2355, 17.

Dimmok. V. *Orientalium Anglorum Epiſcopi.*

Dinooc, Abbas Bangorenſis. 780, 1.

Dionyſii computum. V. *Anni.*

Dionyſius, Abbas Boxleienſis. 1678, 53.

Diviſas, caſtrum, a quo fundatum. 1345, 31. Stephano redditur. 1345, 50.

Divitiæ non adimunt ſanctitatē, nec paupertas præſtat. 371,40. Superbiæ fomites ſunt, & religionis hoſtes. 2442, 18.

Divortium non temere faciendum. 682, 28.
Dodingdale. 1810, 45.
Dodingland. 1776, 2.
Dolæ Archiepiſcopatus an ad Turonenſem pertineat. 1081, 63.
Dolor nimius quomodo cauſa mortis. 910, 27.
Domeſday Willielmi Conquæſtoris. 1864, 48.
S. Dominici teſtamentum, & mors. 2421, 34. V. *Prædicatorum ordo.*
Dominicus dies. V. *Dies.*
Domini mortem machinatus, quomodo puniendus. 928, 57. Populo licet dominos delinquentes corrigere, juxta Wiclivitas. 2651, 1. 2657, 66.
Dominum nuptiis extendere, multo felicius, quam cædibus. 501, 59. Dominium omne amittit, qui peccatum mortale committit, juxta Wiclifum. 2650, 62.
¶ Domnaniæ, ſeu Devoniæ, Comites vel Duces : *Carl* ; *Edredus* ; *Ordgarus* ; *Goda* ; *Elfegus* , *Hugo de Courtney.*
Dompnena. V. *Eormenburga.*
Donus, P. R. 440, 17. 2231.
Dorceceſtræ, vel Dorkeceſtræ, vel Dorciæ, conſtituitur ſedes Epiſcopalis. 438, 43. 756, 13. Quæ poſtea dividitur : 442, 13. 756, 31. poſtremo, Lincolniam transfertur. V. *Lincolnia.*
Dorobernia. V. *Cantuaria.* ¶ Dorobernenſes Priores. V. *S. Trinitatis.*
Dovera a Gallis incenditur. 2503, 41. Caſtellum ibi a quo & quare conditum. 196, 38. 481, 35. V. *Forragium.* Illud oppugnat Ludovicus, Regis Franciæ F. 2425, 4. Philippus ejus pater, audito quod illud non expugnarat, dixit, *Filius meus ne unum terræ pedem in Anglia habet.* 2427, 51. Cantitianorum querela & petitio contra caſtellanorum injuſtas uſurpationes. 2153, 34. Edmundus Conſtabularius ejuſdem petit ut ſolitis privilegiis frui liceat. 2154, 55. S. Martini eccleſia de novo ædificatur. 1341, 23. 1664, 39. Monachi Cantuarienſes impediunt, quo minus Canonici illuc introducantur. 1341, 1342. 1664, 44. Monachi illic collocantur. 1343, 51. 1664, 60. Illinc expelluntur. 1343, 43. Iterum illuc mittuntur. 1349, 4. Valor iſtius cœnobii. 2166, 14. ¶ Priores : *Willielmus de Longavilla* ; *Aſcelinus* ; *Hugo de Cadamo* ; *Ricardus* ; *Warinus* ; *Johannes* ; *Willielmus* ; *Robertus* ; *Felix.*
Draco ardens. 1443, 62. 2706, 60. Draco mirus. 1216, 61.
Dublinia a quo condita. 1075, 2. A Scotis vaſtata. 883, 27. Ab Anglis capta. 1070, 1.
Duces ſeculum relinquentes. 113, 25 & 48. 116, 33. 189, 10. V. *Reges.* Duces in Anglia quando & ubi primum. 2602, 31.
Dudleiæ caſtrum diruitur. 588, 27.
Duduc, Epiſcopus Wellenſis. 190, 14.
Duellum facere olim & clerici cogebantur, 792, 13. Lex Conquæſtoris de purgatione per duellum. 982. 46. Duellum inter Anglum & Navarrum. 2674, 52. Ricardus II homines tyrannice ad duellum cogit. 2753, 4.
Duſenaldus, vel Dunewaldus, Rex Scotiæ eligitur, ſed ſtatim Anglorum ope expellitur. 219, 19. 343, 66. 990, 24. 2365, 32. Reſtituitur. 220, 46. 990, 40. 2366, 10.
Dun, Epiſcopus Roffenſis. 104, 20.
Duna, Ultoniæ metropolis, a Johanne Curcio capitur, 1111, 25. Sanctorum corpora ibi ſepulta. 1111, 29.
Dunechanus, vel Duncanus, R. Scotiæ. 219, 28. 990, 30. Perimitur. 220, 44. 990, 42. 2366, 9.
Dunelmum, ſeu Durem. 792, 53. Ejus ſitus. 76, 21. Ibi in virgea eccleſia collocantur S. Cuthberti reliquiæ. 27, 49. Quomodo locus factus habitabilis. 28, 22. Lapidea eccleſia erigitur, 28, 26. dedicatur, 29, 28. & donariis ditatur. 29, 46. 33, 33. 35, 64. 36, 1. 37, 44. 39, 52. Nova eccleſia exſtruitur. 989, 38. Qui primos ejus lapides poſuerint. 489, 41. Fundatur S. Mariæ monaſterium. 54, 31. 61, 40. 62, 46. Inſtauratur. 206, 20. Sedes Epiſcopalis ibi conſtituitur. 880, 42. Cur monachi ad eam eligi ſoliti. 1, 27. 3, 10. 30, 47. Priſci Epiſcopi quantæ parſimoniæ & continentiæ. 3, 13. Clericis ejectis, introducuntur monachi. 99, 57. 51, 5. 212, 57. Privilegia eorum & poſſeſſiones. 51, 45. eccleſia Tinemuthæ iis donata ; 52, 5. 243, 29. ablata: 52, 20. 218, 32. de qua injuria graviter conqueruntur. 243, & 244. Eccleſia Dunelmenſis ab Odone Baiocenſi ſpoliatur. 48, 62. 966, 30. Reliquiæ ibi aſſervatæ. 67, 11. 76, 32. Epiſcopatus fines. 956, 53. Carleolum & Teviettedale, ejus olim appendices, alienantur. 61, 20. Villæ quædam ad eccleſiam pertinentes ab Alduno epiſcopo cum Egfrida filia Comiti Northumbriæ donantur. 79, 61. Poſt diſceſſum Paulini Lindisfarnenſes, ſeu Dunelmenſes, epiſcopi per XXX annos totius Northumbriæ adminiſtrant pontificatum. 1689, 57. Regis Scotiæ Cancellarius, Epiſcopatum invadens, 63, 14. 270, 13. tyrannum agit : 64, 34. 271, 57 &c. tandem Willielmo ſecundo, legitimo Epiſcopo, cedit. 66, 8. 274, 5. Mira res in agro Dunelmenſi. V. *Terra.* Mira hiſtoria de monachis Dunelmenſibus. 55, & 56. V. *Monachi.* Dunelmum a Dunecano Rege Scotorum obſidetur, ſed fruſtra. 33, 57. A Malcolmo obſidetur. 79, 53. Dunelmenſi Priori Archidiaconatus officium, & prædicandi per totum Epiſcopatum munus conceditur. 54. 49. 986, 31. ¶ Priores ; *Aldwinus* ; *Turgotus* ; *Rogerus* ; *Laurentius.* ¶ Marchio Dunelmenſis : *Robertus de Vere.* ¶ Epiſcopi Lindisfarnenſes & Dunelmenſes : *Aidanus* ; *Finanus* ; *Colmannus* ; *Tuda* ; *Eata* ; *Cuthbertus* ; *Eadbertus* ; *Eadfridus* ; *Ethelwoldus* ; *Cynewolfus* ; *Higbaldus* ; *Egbertus* ; *Heathbured* ; *Egredus* ; *Eanbertus* ; *Eardulfus* ; *Cutheardus* ; *Tilredus* ; *Wigredus* ; *Uthredus* ; *Sexhelmus* ; *Aldredus* ; *Elfſig* ; *Aldunus* ; *Edmundus* ; *Edredus* ; *Egelricus* ; *Egelwinus* ; *Walcherus* ; *Willielmus* I ; *Ranulfus* ; *Gaufridus Rufus* ; *Willielmus* II ; *Hugo* ; *Philippus* ; *Ricardus de Mariſco* ; *Antonius de Beke* ; *Ricardus de Bury* ; *Johannes de Fortham* ; *Walterus Skirlow.*
Dunewaldus. V. *Duſenaldus.*
Dunewolfus, a bubulco, Epiſcopus Wintoniæ. 811, 63.
Dunhamfordæ hundredum. 1935, 26. 1943, 18. 2018, 60. 2120, 31.
Dunna, Epiſcopus Merciorum, ſeu Lichfeldenſis. 772, 26.
S. Dunſtanus. 25, 12. 135, 23. 2220, 59. Athelmi Archiepiſcopi nepos fuit. 1646, 15. Ejus parentes. 1645, 48. Ejus patria ; educatio, indoles, virtutes, &c. 837, 49. 1645, 63. Muſicam callebat. 1646, 8. Eum Pontificem futurum, prædicit Elfegus Calvus. 839, 10. Idem præſentit Odo Cantuarienſis. 863, 32. In Adelſtani aula vivit. 1646, 17. Fit Abbas Glaſtonienſis : 155, 48. 1646, 26. Epiſcopus Wigornienſis. 157, 30. 456, 41. 863, 31. 1644, 58. 1646, 35. Londinenſis eccleſia ei regenda commendatur. 456, 46. 863, 38. 1646, 35. Ad Cantuarienſem cathedram evehitur. 157, 63. 456, 61. 864, 24. 1646, 38, 2243. Chorus virginum pſallentium ei oranti apparet. 1326, 56. 1768, 18. 1780, 11. 1785, 12, Andreas Apoſtolus ei apparet. 886, 13. Spiritus S. in columbæ ſpecie ſuper eum ſedet. 1646, 47. Totam Angliam viſitat, & reformat. 1646, 53. Vocem de cœlo audit Edgari nativitatem gratulantium. 155, 55. V. *Edgarus.* Mors Edredi ſimili voce illi ſignificatur. 156, 67. V. *Edredus.* Rex Edwius ob adulterium ab eo reprehenſus, eum proſcribit. 157, 11. 358, 62. 456, 37. 863, 2. 1646, 29. Edgarus eum ab exſilio revocat. 157, 26. 2313. 25. Quanta apud Edmundum Regem pollebat autoritate. 361, 41. Arguitur ab Edgaro ob nimiam erga clericos lenitatem. 361, 38. Monachorum quantus fuerit propugnator. 1647, 17, &c. Cæteris qui ad concilium convenerant corruentibus, ſolus Dunſtanus non cadit. 160, 53. 870, 43. 1647, 41. Mala Egelredo eventura & regni tranſlationem prædicit. 172, 61. 401, 14. 466, 19. 867, 19. 877, 8. 1647, 49. 2314. 29 & 39. Animam Edwini Regis, cum jam a dæmonibus traheretur ad pœnam, precibus liberat. 359, 8. 863, 18. Illo imagines Sanctorum depingente, cithara ſua ſponte ſonat. 878, 57. Dæmonis naſum forcipibus prehendit, 878, 64. Angelos cantantes audit. 879, 5. Quæ eccleſiæ ſuæ adquiſierit. 2222, 59. Moritur. 162, 1. 878, 48. 1647, 62. Lanfranco in ſomnis ſæpe apparuit. 2362, 49. Ejus Vitam ſcripſit Oſbernus. 878, 55.
Dunſtanus, Prior S. Gregorii, Cantuariæ. 1497, 19.
Dunwallo Molmucius, primus Britannorum legiſlator. 956, 8. Ejus filii. 2484, 38.
Dyſenteria. V. *Febris.*

E.

EAbba. V. *Eormenburga.*
Eadanus, R. Scotorum, interficitur. 785. 45.
Eadberht, Epiſc. Merciorum. 106, 17. Hic forſan eſt qui vocatur Eadbrith. 2212, 15.
Eadbertus , Eadburga , Eadfridus , Eadgarus , Eadmundus , Eadredus , Eadricus , Eadwardus, Eadwinus, &c. V. *Edbertus, Edburga,* &c.
Eadesbirig. V. *Edesbury.*
Eadhæc , vel Eatheldus , Epiſc. Lindenſis. 58. 44. 793, 1. Epiſcopatu relicto, Ripenſi eccleſiæ præficitur. 793, 18.
Eadnothus, Epiſc. Lincolnienſis. 169, 27. 465, 10.

Eadrithus, Epiſc. Auſtralium Saxonum. 443, 20.

Eadulf. V. *Adulfus*.

Eadulfus, Comes Northumbriæ. 204. 38.

Eadulfus Cutel, Comes Northumbriæ. 34,15. 82,12. 204,18.

Eadulfus, Dux, duas villas Eccleſiæ Chriſti, Cantuariæ, donat. 2220,32.

Eadulfus, Epiſc. Cridiatunenſis. 453,4.

Eadulfus, Epiſc. Siddenſis. 2212,22.

Eadulfus quidam poſt mortem redivivus mira narrat. 46,55.

Ealchardus, Epiſcopus. 2219, 48.

Ealchere, Comes Cantii. 120,33. 140,2.

Ealhaſtanus, Epiſc. Sherbornenſis. 121,23.

Ealhmundus, R. Cantiæ, Schildwicum donat Raculfenſi monaſterio. 2211,24.

Ealmundus, Epiſc. Wintonienſis. 2212, 27.

Eanbaldus I, vel Embaldus, vel Eubaldus, Archiepiſcopus Eboracenſis. 78,53. 108,29. 797,10. Vivente prædeceſſore ordinatur. 1697,22.

Eanbaldus II, Archiep. Eboracenſis. 78,57. 114,13. 1697,34. Synodum Pincahalæ celebrat. 1697,49. V. *Concilia*.

Eanbertus, Eanbrithus, vel Osbertus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 116,37. 199,38.

Eanbertus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 13,39. 119,25.

Eanredus, R. Northumbriæ. 13,14. 106,64.

Eardulfus, Dux, occidi juſſus, poſtea vivus reperitur. 111, 26.

Eardulfus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 13,43. 71,10. 121,9. 880,47. Corpus S. Cuthberti de inſula fert. 14,63. 73,6. 127,53. 145,40. Sedem Epiſcopalem Cuncaceſtriæ tenet. 21, 63. Moritur. 73,28.

Eardulfus, R. Cantiæ. 2220,62.

Eardulfus, R. Northumbriæ. V. *Aldulfus*.

Earnulfus, Epiſc. Roffenſis. 329, 28. Videtur alius fuiſſe ab Arnulfo. 1015,14.

Earnulfus, R. Francorum. 150,27.

Eaſt-Angli. V. *Orientales Angli*.

Eaſterwinus, Abbas Girvenſis. 92,57. Laudatur. 92,68 &c.

Eaſt-Saxones. V. *Orientales Saxones*.

Eata, Epiſc. Orientalium Anglorum. V. *Hecca*.

Eata, nunc Lindisfarnenſis, nunc Haguſtaldenſis Epiſc. 3,48. 4,62. 58,41. 68,38. 286,24. 294,51. 440,53. 441,37. 789, 12. 792,66. 1691, 18. Vocatur Abbas Lindisfarnenſis, 295,10. & Mailroſſenſis, 2,57. 294,51. & Berniciorum Epiſcopus. 1638,48.

Eata. V. *Ecla*.

Eatheldus. V. *Eadhæc*.

Ebba, Abbatiſſa Coldinghamenſis. 16,47. 790,55.

S. Ebbæ Monaſterium. 440,12.

Ebere murder, quid. 929,20.

Eboracum, nobilis urbs. 1686,49. Eccleſia cathedralis, primum ex ligno, poſtea ex lapidibus, ibi fundatur. 285,39. 782,32. 1634,31 & 34. 1635,1. Duo caſtra conſtruuntur. 965,38. Urbs & eccleſia cathedralis conflagrant. 198,57. 965,67. 1343,36. 2344, 46. S. Mariæ Abbatia exſtruitur. 45, 11. 210, 13. ¶ Ejus Abbates: *Stephanus*; *Ricardus*; *Gaufridus*; *Severinus*; *Clemens*; *Robertus*. Capella S. Sepulcri fundatur, & dotatur. 1723, 15. Miniſtrorum ejuſdem numerus & ſtipendia augentur. 1725, 54. De hac capella lege 1729. Bancum & Scaccarium Regis Eboraco Londinum transferuntur. 2530,10. 2541,9. Eboracenſis provincia latius olim porrigebatur quam nunc. 956,47. ¶ Eboracenſes Comites: *Ulbredus*; *Willielmus de Albamarla*. ¶ Eboracenſis Dux: *Edmundus de Langley*.

Eboracenſis Archiepiſcopi juriſdictio ab Humbra fluvio ad extremos uſq; Scotiæ fines extenditur. 484,59. 1719.29. Sanct-andreanum ipſi ſubjectionem debere contendit. 207, 54. Sanct-andreanus ſubjectionem profitetur: 1709, 20. 1713,3. Idem facit Orcadum Epiſcopus, 1709, 36. 1710, 59. & Epiſcopus eccleſiæ de Schid, ſeu Inſularum. 1713,31. Lincolniam, Ceſtriam, Wigorniam & Herefordiam ad ejus ditionem pertinere. 1101, 59. Dunelmenſis olim ei ſubjectus non erat: 1742, 56. Cantuarienſis concedit, ut ei ſubjiciatur. 1653, 50. De Eboracenſi & Cantuarienſi Archiepp. lex Gregorii M. 237,36. 1263,24. 1631,3. 1737, &c. 2348, 2349 & Honorii. 1688,41. Quod Gregorius M. eos pares conſtituerit. 1685,56. 1705,18. Cur idem paritatem inter Metropolitanos ſtatuens, Londinenſem, non Cantuarienſem, nominarit. 1686, 35. Eboracenſis, ſi prius ordinetur, prior habendus. 436, 50. 588,63. 589,39. 730,53. V. *Rogerus, Eboracenſis*. Epiſtolæ Pont. Romanorum pro libertate hujus eccleſiæ. 1718,12. Profeſſionis exactio nulla ante Normannorum adventum. 1685,30. 1705,15. Rationi & Eccleſiarum inſtitutioni adverſatur. 1685,40. Lanfrancus primus ſubjectionem exegit: 1706, 24. Quibus argumentis ſuadebat, eam ab Eboracenſi præſtandam. 1706, 27. Paſchalis II eum a profeſſione liberat. 1716, 42. A Cantuarienſi vocatus, ad Concilium non venit. 707,30. Subjectionem Cantuarienſi promittit. 238,45. V. *Turſtinus*. Quam ei debeat. 484,38. 972,13. 1634,54. 2349,62. Cantuarienſem ordinat. 782,57. 783, 17 & 61. 1634,49. 1688,44. 1742, 16. An ei crucem portare liceat intra provinciam Cantuarienſem. 1101,55. Nonnulli Eboracenſes pallium nunquam acceperunt. 1653,55. 1742,39. Ante Normannorum tempora Eboracenſis ſuffraganeos non habuit. 1742,52. Epiſcopos conſecrare olim non potuit. 1742,60. 1744,63. Privilegia Archiepiſcopis Eboracenſibus a Ricardo I conceſſa. 1169,45. V. *Scotia*, & *Cantuarienſem Archiep.* Valor ſpiritualium & temporalium totius cleri in Eboracenſi provincia. 2164,33. ¶ Archiepiſcopi Eboracenſes: *Thadiocenus*; *Paulinus*; *Cedda*; *Wilfridus* I; *Boſa*; *Johannes*; *Wilfridus* II; *Egbertus*; *Albertus*; *Eanbaldus* I; *Eanbaldus* II; *Wolſius*; *Wimundus*; *Wolſherus*; *Ethelbaldus*; *Lothewardus*; *Wolſtanus* I; *Oſchitellus*; *Edwaldus*; *Oſwaldus*; *Aldulfus*; *Wolſtanus* II; *Eelfricus*; *Kinſius*; *Aldredus*; *Thomas* I; *Girardus*; *Thomas* II; *Turſtinus*; *Willielmus*; *Henricus*; *Rogerus*; *Galfridus*; *Walterus Gray*; *Sewallus*; *Godefridus de Ludham*; *Willielmus de Langton*; *Walterus Giffard*; *Willielmus Wikwane*; *Johannes Romanus*; *Henricus de Newerk*; *Thomas de Corbridge*; *Willielmus de Grenesfeld*; *Willielmus de Melton*; *Willielmus le Souche*; *Johannes de Thuresby*; *Alexander Nevill*; *Thomas Arundell*; *Ricardus Scrope*.

Ebrietatem Angli a Dacis didicerunt. 869,48. Ebrietas Dacos in Angliam navigaturos domi ſternit. 356,56. 949,46.

¶ Ebroicenſis Epiſcopus: *Audoenus*.

Eccleſia Romana caput Eccleſiarum conſtituitur. 437, 24. Eccleſiam ſtatuere abſque licentia ab Epiſcopo impetrata, prohibitum. 328, 15. Ad Eccleſiam fugientes, non puniendi. 762,4. 822,12 & 36. 2355,55. Judicium ſanguinis in Eccleſia vel in cœmeterio exercere, nefas. 1430,31. Eccleſias magnifice exſtrui, & pietatem interim negligi, lugendum. 953, 32. 2367, 52. Lex de reparandis Eccleſiis. 859, 12. 929, 31. Eccleſiarum poſſeſſiones qui invadunt, anathemate feriuntur. 240,61. Decreta in eos qui vel Eccleſias vel Eccleſiaſticas perſonas lædunt. 266,7. 328,3. V. *Sacrilegi*. Eccleſiaſticũ nihil debet eſſe venale. 1449,43. V. *Presbyteri*. Eccleſiaſtica officia ſuſcipere prohibentur Reip. miniſtri. 433,33. Ad Eccleſiarum regimen pueri non admittendi. 1081,43. Nemo Eccleſiaſticum miniſterium ſuſcipiat ante xxv ætatis annum. 1448, 57. Eccleſiaſticæ dignitates jure hæreditario nemini a clericis relinquendæ. 241,1. 253,46. 327,49. Filii ſacerdotum in patrum Eccleſiis non ponantur. 1081, 45. 1429, 60. Eccleſiaſtica officia vel beneficia nemini tribuenda, nec promittenda, antequam vacent. 1449,15. Quando vacant, intra quod tempus conferenda. 1449,24. Ad quos devolvetur jus conferendi quæ patroni ultra præſcriptum terminum conferre diſtulerint. 1449,28. Lege cautum, Ne cui extra Angliam degenti beneficium Eccleſiaſticum a P. R. conferatur: 2583, 40. V. 2584, 62. item, Ne quis abſque Regis licentia mare tranſeat, ad beneficium Eccleſiaſticum in Anglia obtinendum. 2734, 39. In Eccleſias ſe ingerentes quomodo amovendi. 1851,29. 1852,26. 1853, 9. Plures Eccleſias habere ſimul, illicitum. V. *Plures*. Unius Eccleſiæ unus tantum debet eſſe Rector. 1449, 6. Eccleſiaſtici qui laicorum homines fiunt, anathematizantur. 224, 26. Eccleſiaſtici a Laicorum exactionibus immunes eſſe debent. 1452, 5. 2208,52. 2209,59. 2489, &c. Quamvis a cæteris immunes, raro tamen ab expeditione, ac arcis pontiſque conſtructione eximuntur. 2207, 45 & 55. 2208, 10 & 18. 2209, 30 & 62. 2211—2225. Eccleſiæ a Danegeldo exemtæ. 2556, 13. Willielmus Rufus ab Eccleſiaſticis tributum primus exigebat. 2356, 18. Avitæ Angliæ conſuetudines Eccleſiaſticis privilegiis quam ſint contrariæ: 1386, 52 &c. Eas abrogare jurat Henricus II. 1422, 50. Ad Eccleſiaſticum forum in Normannia quæ cauſæ pertineant. 657, 40. Ad Eccleſiæ cultum & myſteria quæ neceſſaria. 1686, 17. Nemo Eccleſiam ſuam debitis gravet. 1918,49. Pax Eccleſiæ, V. *Pax*. Eccleſiaſticis temporalia poſſidere non licet, juxta Wiclifum, 2650,54. ejuſque aſſeclas, 2658,33. 2659, 31. 2707, 59. Eorundem opiniones de officio Eccleſiaſticorum. 2708, 19.

Eccleſiaſticæ leges. 761, 50. 821, 822. 829—831. 841. 858, 859. 871. 901, 902. 918—922. 1081, 43. 1386—1388. 2355, &c.

Ecgbertus, Ecgfrida, Ecgfridus, &c. V. *Egbertus*, &c.

Ecla, vel Erla, Dorceſtrenſis Epiſcopus. 441,22. 1638,61. Vocatur Eata. 1694,65.

Eclipſis Solis, Lunæque, quid, & quando accidant. 104,63. Eclipſis Lunæ. 100,12. 104,60. 105,30. 113,50. 630,32. 706,48. 1457,1. 1479,54. 1539,18. Solis. 103,9. 129,25. 147,2. 257,55. 263,29. 602,14. 628,39. 630,34. 1299,19. 1349,9. 1350,34. 1445,23. 1475,1. 1479,56. 1505,36. 1571,32. 1588,40.

Edbaldus. V. *Ethelbaldus*.

Edberto, Regi Cantiæ, oculi eruuntur, & manus præciduntur. 114,50.

Edbertus, Abbas Raculfenſis. 2220,62.

Edbertus, R. Cantiæ, alius. V. *Egfredus*.

Edbertus, R. Northumbriæ, Cynewolfum in carcerem trudit. 10,62. 104,47. Regnum ſtrenue adminiſtrat. 11,26. Fit monachus. 11,29. 106,54. 596,20. Vocatur Egbertus 795,59.

Edbertus, vel Ezredus, Epiſcopus Lindisfarnenſis. 6,14. 69,57. 787,47.

Edbrichtus, R. Cantiæ. 742,26. 768,63. V. *Ethelbertus*, F. *Withredi*.

Edburga, Abbatiſſa S. Mariæ in Thaneto. 1907,58.

Edburga, Edwardi Senioris filia, jam trima, futuræ pietatis præbet ſpecimen. 831,63.

Edburga. V. *Offa*, & *Carolus* M.

Edelburga, Abbatiſſa Berkingenſis. 440,47. 745,4.

Edelburga, Abbatiſſa Brugenſis. 747,35.

Edelburga, vel Tacce, vel Thate, Edwini R. uxor. 780,59. 1634,15. 1687,23. 1906,6.

Edelfridus, vel Ethelfrith, R. Northumbriæ. 91,8. Monachos Bangorenſes trucidat, & Britonum copias profligat. 779,56. 1631,67. Occiditur ab Edwino. 781,65.

Edelinhey. V. *Ethelinghey*.

Edelwaldus. V. *Ethelwodus*.

Edelwoldus, R. Auſtralium Saxonum. V. *Ethelwaldus*.

Edelwolfus. V. *Ethelwolfus*.

Edebury, vel Edebirath, vel Eadesbirig, conditur. 153,20. 356,20. 834,36.

Edewinus, Dux. V. *Ailwinus*.

Edfridus, Epiſcopus Dunelmenſis. 7,29.

Edgarus Adeling, vel Atheling, vel Etling. 197,17. 198,42. 200,19. 201,31. 366,50. 367,8. 480,43. 482,8. 907,63. Eum ſucceſſorem optat Edwardus Confeſſor. 2338, 49. Nonnulli eum in ſolium evehere moliuntur. 2339,6. 2343,15. In Apuliam proficiſcitur. 213,35. 979,50. De Normannia expellitur. 216,35. A Malcolmo Scoto excipitur. 216,53. 965,24. 2344,19. Danis advenientibus ſe dedit. 2344,41. Cum Willielmo Conquæſtore in gratiam redit. 2350,22. Pax inter ipſum & Willielmum Rufum facta. 216,61. 973,1. In Normanniam redit. 217,24. Cum exercitu in Scotiam mittitur. 223,8.

Edgarus, R. Angliæ. 26,52. 135,27. 157,51. 456,40. 457,7. 2244. Eo nato, voces in aere pſallentium audit Dunſtanus. 155,55. 359,34. 857,63. 2313,3. A Merciis & Northumbris Rex eligitur. 157,22. Cœleſti oraculo Rex conſtituitur. 2312,57. Fit Rex totius Angliæ. 157,56. Quam pie & pacate Regnum adminiſtravit. 157,65. 160,1. 359,23. 864,52. 2313,10. Ejus uxores, & liberi. 158,36. 457,10. 865,14. 2313,17. Alfridam in uxorem petens, ab Ethelwolfo fraudatur. 865,20. Tandem eam ducit: 866,62. Sed Dunſtanus monet ut a conſortio ejus abſtineat, eo quod Ethelwolfi ex ea filium de ſacro fonte ſuſceperat; 865,64. 866,65. at fruſtra. 867,11. De Wolfrida (quæ vocatur & Egelfleda, 2313,17.) gignit Editham. 867,20. Tota inſula libenter ei manus dat, 359 43. Inungitur. 159 30. Octo Reges fidelitatem ei jurant, quibus ad remos locatis ipſe ſcaphæ clavum tenet. 159,33. 362,28. 869,15. Regum iſtorum nomina. 2485,24. Mos ejus totam inſulam circumnavigandi. 160,1. 360,1. 869,33. Dacis nimium favebat. 869,44. Quadraginta monaſteria fundavit. 359,55. 868,23. Ejus ſermo ad Clerum. 360,16. Luxuriam clericorum taxat, 360,43. & Epiſcoporum indulgentiam. 360,40. 361,2. Quam floruerit Anglia ſub ejus imperio. 362,12. *Pacificus* dicitur. 359,32. Ejus viſio admiranda. 135,136. S. Eltucus ei apparet, nolam ablatam repetens. 870,7. Poſt novem dies moritur. 159,64. 869,66. 870,14. Ex ejus corpore, poſt annos plures incorrupto reperto, ſanguis emanat. 870,5. 2313,28. Ejus encomium. 359,23. 869,54. Carmina in ejus laudem. 870,33. Ejus leges. 870,48.

Edgarus, R. Scotiæ. 293,10. 230,20. 341,1. 990,44. 995,9. Ejus mores. 367,65 Mors. 1003,34.

Edgivæ, opilionis filiæ, ſomnium. 831,43. Ab Edwardo Seniore compreſſa, Ethelſtanum parit. 831,54.

Editha, vel Ediva, uxor Confeſſoris, virgo permanſit. 378,18. V. *Edwardus Confeſſor*.

Editha virgo. 867,21. 875,22. Reſponſum quod dedit Epiſcopo ob lautiores veſtes eam increpanti. 867,33. Dexter ejus pollex & venter, cæteris conſumtis, manent incorrupti. 867,43. Sanctitatem ſuam in dubium vocatam ipſi e tumulo vindicat. 909,4.

Ediva, Edwardi Senioris uxor. 2220, 55. Terræ Eccleſiæ Chriſti, Cantuariæ, ab ea donatæ, 2221,44.

Edmarus, Abbas S. Albani. 446,8.

Edmerus Vitam Anſelmi ſcripſit. 2378, 19. Ejus deſcriptio Eccleſiæ Chriſti. 1291,27. Ejus Opuſcula. 1659,24.

Edmundus, Abbas Perſcorenſis. 212,65.

Edmundus, Adelſtani R. frater & ſucceſſor. 26,4. 454,44 856,40. 2244. Regnum cum Onlafo dividit. 134,43. Dacos vincit. 857,33. Quinq; civitates de eorum manibus extorquet. 155,41. 358,22. 857,36. Duos eorum Reges de ſacro fonte levat. 857,42. Northumbriam imperio adjicit. 134,57. 155,66. 857,53. Cumbriam deprædatur, 156,3. eamq; Regi Scotorum commendat. 857, 58. Glaſtoniam Dunſtano, ut ibi monaſterium fundetur, committit. 155,47. 358,30. Charta ejus de agro Auguſtinenſibus donato. 2125,64. Terræ ab eo Eccleſiæ Chriſti donatæ. 2221,1. Ejus uxor, & liberi. 856,43. Occiditur. 134,61. 858,14. 1779,22. Ejus leges. 858,31.

Edmundus Botoler, Comes Ormundiæ. 2454,15.

Edmundus, Comes Arundeliæ, decollatur. 2545,29. 2546,36.

Edmundus, Comes Cornubiæ. 2136,28. 2494,2.

Edmundus de Abingdon, Archiep. Cantuarienſis. 1881,67. 2261. 2431,38. Ejus patria, & parentes. 2432,35. Nativitas. 2432,41. Cur Edmundus dictus. 2432,46. Ejus educatio & devotio. 2432,50. A dolore capitis quomodo liberatus. 2432,60. Chriſtus ei apparet. 2432,67. Diabolum quomodo abegerit. 2433,19. D. Johannes ei ferulam intentat ob precationem omiſſam. 2433,14. Impudicarum illecebras quomodo propulſarit. 2433,20. Mater ei apparens ipſum a ſtudio arithmeticæ ad theologiam vocat. 2433,35. Ejus doctrina; 2433, 43. abſtinentia; 2433,47. devotio. 2433,28 & 55. 2434 5. Detractionem & avaritiam abhorruit, 2433,59. & munerum corruptelam. 2433,48. Sibimetipſi durus fuit, aliis benignus. 2434,30. Ejus miracula. 2434.14. Fœminas, ſed caſte, coluit. 2434,39. Regem cum eo diſcordantem lenitate placare ſtudet: 2434,50. ſed ſpes ſuas & conatus inanes videns, ſponte exſulat. 2435,2. Compoſitio inter ipſum & Auguſtinenſes. 1882, &c. Literæ ejus, teſtantes quod in monaſterio S. Auguſtini propriis expenſis fuerat hoſpitatus. 1885,2. Verba ejus paulo ante obitum. 2435,15. Mors. 1887,63. 2440,20. Tranſlatio. 2431,42. Canonizatio. 2435,28.

Edmundus de Langley, Edwardi III F. cum exercitu in Vaſconiam tranſit. 2629,52. Ejus uxor. 2629,43. Erat Comes Cantabrigiæ, & Dux Eboraci, 2675,52. Ejus petitio pro libertatibus caſtelli Doverenſis. 2154,55. Fit unus è Regni Præfectis. 2685,59 2687,33.

Edmundus, Edwardi I F. Comes Cantiæ, naſcitur. 2528,49. In Vaſconiam mittitur. 2543,41. Quod Edwardum fratrem reſtituere conatus fuerit, condemnatur, 2555,29. & decollatur, 2551,27. 2555,41.

Edmundus, Egelredi R. F. & ſucceſſor, cur Iron-ſide, ſeu *Ferreum-latus*, dictus. 903,64. 2316,21. Coronatur. 903,60. 2246. Quinquies Canutum vincit. 173 & 174. 466,37. 904, 17. 2316,8. Londinum cum triumpho ingreditur. 904,36. Ad Eſſendunum, per proditionem Edrici, exercitus ejus ſuperatur. 175,16. 905,11. Ad ſingulare certamen cum Canuto ineundum ſuadetur. 364,30. 2316,28. Quam fortiter cum eo pugnarit. 364,54. 905, 56. Tandem cum eo paciſcitur. 365, 1. 466, 43. 2316,50. Regnum cum eo dividit. 175,38. 466,43. 906,1. Dum alvum exonerat, interficitur. 175,46. 365,30. 466,45. Triplex de ejus morte hiſtoria. 906,10. 2316,59. Quos hæredes deſignaverit. 365,60. Ejus filii ad Regem Suavorum mactandi mittuntur. 366,3. 466,62. Quid iis acciderit. 176,54. 466,67. 476,30. 907,30. 2317,50. Ejus interfectores Canutus ſuſpendi jubet. 2317,25.

Edmundus, Epiſcopus Dunelmenſis, 177, 34. mire eligitur. 30, 53. 467,46. 908, 56. Moritur. 33, 66.

Edmundus, Henrici III F. Comes Leiceſtrenſis. 2347, 27. Reginam Navarræ ducit. 2439, 60. Regnum Siciliæ & Apuliæ a P. R. oblatum non accipit. 2444, 28. Terram S. adiit. 2458, 35. Edwardus frater a Gallo in jus vocatus, eum in Galliam mittit. 2496, 22. Ejus credulitas fratri fraudi eſt. 2496, 40. In Vaſconiam cum exercitu proficiſcitur. 2507, 58. Ibi aliquot locis captis, moritur. 2508, 52. Suis præceperat ne corpus ſepeliatur priuſquam debita fuerint ſoluta. 2508, 55.

Edmundus, quid ſignificet. 2431, 47.

S. Edmundus, R. Orientalium Anglorum, 745, 13. 754, 57. & Orientalium Saxonum. 745, 16. Mori maluit quam pagano ſubdi. 805, 10. A Dacis vincitur. 805, 40. Ad arborem ligatus, ſagittis confoditur. 805, 55. Obtruncatur. 14, 48. 79, 16. 124, 28. 143, 10. 805, 64. 1643, 29. 2240. 2324, 66. Caput ejus in ſylva abditum, 806, 1. mire invenitur. 806, 17. Una cum corpore ſepelitur. 806, 28. Lupus, qui caput cuſtodierat, funus proſequitur. 806, 23. Poſt multos annos corpus incorruptum & integrum invenitur. 806, 32. A *Chriſteskyrk* in urbe Londino ad villam dictam *Bury* transfertur. 806, 43. 888, 22. 2324, 64. Mulier quædam capillos & ungues ei præcidit. 806, 48. Per CL annos & amplius laici ei miniſtrant. 2325. 2. Latrones ejus baſilicam ingreſſi, patibulo affiguntur. 806, 55. Leofſtanus, ejus locellum introſpiciens, in furorem vertitur. 807, 7. Ei injuriarum pœnas dat Rex Suanus. 170, 62. 892, 20. Ejus monaſterium fundatur, & privilegiis munitur. 892, 35. V. *Bury*. Ejus eccleſia ædificatur, 467, 56. conſecratur. 178, 48. 469, 39. Canutus R. cum magnis honoribus proſequitur. 892, 32. 2324, 60. W. Conquæſtor, ei privilegium concedit. 978, 7. Mos Regibus Angliæ ei coronas mittere. 892, 38. Ejus terra foſſa circundatur. 892, 34. S. Edmundi conventus fœdus faciunt cum conventu S. Auguſtini. 1843, 37. ¶ S. Edmundi Abbates: *Unius*; *Baldwinus*; *Robertus*; *Alboldus*; *Anſelmus*; *Ordingus*; *Samſon*; *Hugo*. ¶ Prior: *Ordingus*.

Edredus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 40. 2242.

Edredus alius, Abbas S. Auguſtini. 1777, 42. 2242.

Edredus, Dux Devoniæ. 832, 12.

Edredus, Epiſcopus Dunelmenſis Simoniacus. 34, 2. 181, 60.

Edredus quidam, extra Eccleſiã mutus, intra eam canorus. 28, 2.

Edredus, R. Angliæ. 26, 46. 134, 62. 862, 21. 2244. Conſecratur. 455, 4. Northumbros & Scotos ſubdit. 135, 2. 156, 30. 862, 29. Charta ejus de villa Twicam Eccleſiæ Chriſti Cant. donata. 2220, 44. Alia, de donatione monaſterii Raculfenſis. 2220, 53. Ejus mors Dunſtano cœlitus narratur. 156, 66. 358, 50. 862, 57.

Edricus, Abbas S. Albani. 446, 3.

Edricus, R. Cantiæ. 741, 45. 757, 11. 1770, 25. 2232.

Edricus Silvaticus Herefordenſem provinciam devaſtat. 157, 29. Cum Rege pacem init. 202. 48.

Edricus Streone, Dux Merciorum, Comes Salopiæ, Godwini patruus, qualis. 887, 13. Perfidus proditor. 166, 47. 167, 21. 171, 48. 172, 2. 175, 10. 176, 18. 466. 47. 881, 51. 906, 21. 2315, 33. 2316, 7. Ad Danos a Rege ſuo deficit. 888, 48. Duos proceres occidit. 892, 66. Canuto ſeipſum mancipat. 172, 7. 893, 13. Ejus ſtratagema: 404, 25. aliud 905, 12. Pacem cum R. Edmundo Ferreo-latere init. 174, 27. Edmundus ejus proditione occiditur. 906, 10. Filios Edmundi ad Canutum ducit. 2317, 11. Beneficia in Canutum collata cum exprobratione commemorat. 907, 10. 2318, 4. Canuti juſſu occiditur. 177, 4. 467, 7. In Tameſin projicitur. 908, 20. 2318, 21. Quidam cum decollatum tradunt. 908, 31.

Edſius, vel Edſinus, Epiſc. Wintonienſis, ad Cantuariam transfertur. 180, 13. 473. 11. 932, 56. 936, 17. 1651, 25. 1784, 22. 2245. 2329, 16. Ob infirmitatem Archiepiſcopatum dimittit. 938, 44. Siwardus erat ejus Chorepiſcopus. 1651, 34. Quæ Abbatiæ S. Auguſtini dederit. 2247.

Edvius, Egelredi F. *Rex ruſticorum* appellatus, proſcribitur. 176, 48. 907, 18. Godwinus appellatur. 2317, 47. Occiditur. 176, 52. 907, 21.

Edulfus, Epiſcopus Wintonienſis. V. *Ethelwolfus*.

Edwaldus, vel Adelwoldus, Archiep. Eboracenſis. 79, 35. Quietam vitam amans, Pontificatum dimittit. 1699, 22.

Edward-Stow. 844, 66. 2314, 6.

Edwardus Balliolus, Anglorum ope, Scotiæ Regnum obtinet. 2559, 4. 2560, 37. Coronatur. 2562, 19. Anglo homagium facit. 2559. 30. 2565, 11. Fugatur a Scotis. 2562, 27. Rediens, magnam partem Scotiæ vaſtat. 2565, 1. Eum cum exercitu venientem Scoti pro Rege recipiunt. 2592, 47. Jus ſuum ad coronam Scotiæ Leonello Angli F. tradit. 2611, 22. Moritur. 2627, 53. De eo lege 2584, 39.

Edwardus, Ducis Eboracenſis F. Comes Rutlandiæ. 2739, 65. Erat Dux Albæ-marlæ. 2754, 25.

Edwardus I, ſeu Senior, Alfredi F. R. Angliæ, 23, 22. 73, 28. 133, 30. 151, 54. 2242. A Plegmundo conſecratur. 452, 14. 831, 25. Ejus res geſtæ. 151, 58. 356, 9. 831, 33. 833, 1. Danos ad pacem ineundam cogit. 152, 36 & 54. Scoti & Dani fœdus cum eo pangunt. 153, 62. Merciam ſub ditionem redigit. 835, 6. Tres Reges in deditionem recipit. 835, 15. 2484, 57. Impoſſibile cenſebat quicquid erat illicitum. 356, 32. Revelatur ei inter miſſarum ſolennia, Dacos in Angliam navigaturos per mutua vulnera concidiſſe. 356, 53. Ejus uxores & liberi. 152, 1. 356, 44. 452, 17. 831, 53. Mors. 154, 14. 835, 26. Leges. 835—837.

Edwardus II, ſeu Martyr, Edgari F. Rex Angliæ. 135, 30. 458, 35. 872, 44. 2244. Noverca Alfrida ejus necem machinatur. 873, 2. Occiditur. 160, 60. 459, 65. 2313, 44. Corpus ejus vili loco occulitur. 873, 63. Mulier a nativitate cæca ejus meritis viſum accipit. 874, 5. In loco paluſtri ſepelitur. 874, 25. Ethelredus frater mortem ejus acerbe lugens, 874, 34. a matre verberatur. 874, 39. Corpus ejus mire inventum Warhamiam transfertur. 874, 49. Fons e loco ubi jacuerat emanat. 874, 66. Dum Septoniam verſus corpus ejus deducitur, 875, 37. 877, 27. infirmos ſanat. 875, 57. 2313, 57. Alfrida illud ſequi volens, Divinitus impeditur. 876, 1. 2313, 61. Matrona debilis ad ejus tumulum ſanitati reſtituitur, 876. 27. Corpus ſuum transferri mandat. 884, 19. Partes ejus diverſis in locis conduntur. 884, 63. 2314, 2. Sancti & Martyris honorem obtinet. 362, 39. 409, 34.

Edwardus III, ſeu Confeſſor, Egelredi F. 34, 12. Necdum natus, in Regem Angliæ eligitur. 372, 29. Brichtwaldus per ſomnium videt eum a D. Petro conſecratum, &c. 136. 52. 373, 63. 909, 20. 955, 46. 2318, 21. Cum Alfredo fratre in Normanniam mittitur. 892, 8. Ab Hardecanuto honorifice excipitur. 181, 40. In Hungariam ad Edwardum *relegatum* proficiſcitur. 935, 14. A proceribus in Angliam accerſitur. 934, 57. 936, 60. Rex conſecratur. 181, 66. 366, 22. 375, 26. 937, 1. 1651, 27. 2246. 2329, 15. Matrem theſauris ſpoliat. 182, 4. 938, 34. 2329, 23. Eam in monaſterium trudit. 941, 60. 2329, 31. Crimina ipſi objecta. 942, 6. 2329, 45. Novem ignitos vomeres illæſa tranſit. 942. 1, 2329, 51. Rex ei ablata reſtituit. 2329, 60. Ab ipſa & Epiſcopis ſe verberari ſinit. 2329, 61. Ejus, in Normannia adhuc exſulantis, de Roma adeunda votum. 375, 14. 387, 29. Illud impleri populus non ſinit. 380, 41. P. R. ab eo illum abſolvit. 381, 40. 388, 12. Godwini filiam Editham ducit, ſed cum ea de virginitate ſervanda paciſcitur. 378, 15. 938, 26. 2338, 42. Eam repudiat, 185, 38. 476, 3. 943, 24. in monaſterium trudit, 2332, 1. recipit. 186, 61. 476, 26. 944, 4. 2332. 8. Dæmonem Danegeldo inſidentem videt: 942, 30. Anglos ab eo pendendo abſolvit. 184, 25. 383, 22. 475, 66. 938, 31. 943, 41. 2331, 6. Edwardum Edmundi *Iron-ſide* F. ex Hungaria revocat. 187. 54. 366, 32. 477, 30. 2333, 31. Willielmum D. Normanniæ honorifice excipit. 476, 9. 543, 32. 2332, 12. Charta ejus de geſtatione diadematis apud Weſtmonaſterium vel Wintoniam. 937, 6. De morte fratris Alfredi Godwinum appellat. 937, 34. Concordia inter eos facta. 938, 10. Claſſem contra Norreganorum Regem parat. 938, 56. 2330, 8. Godwinus contra ipſum exercitum cogit. 184, 42. 476, 16. 942, 48. Eum cum filiis relegat, & eorum bona in fiſcum redigit. 943, 14. V. *Godwinus*. Normannos, paucis exceptis, e Regno mittit. 944, 15. 2332, 20. Reſponſum ejus Haroldo Normanniam adeundi licentiam petenti. 947, 12. Scotos ſubigit, 946, 23. & Wallenſes. 945, 5. Exteri Principes fœdus cum eo ineunt. 375, 47. 379, 50. Anglorum felix conditio, eo regnante. 375, 30. De ejus converſatione & moribus. 375, 66. Generoſus ſimul fuit & ſanctus. 371, 27. Quam ſimpliciter & leniter ſe geſſerit erga furem theſauros ejus, eo inſpiciente, furatum. 376, 47. In ſpiritu Regem Daciæ, in Angliam cum exercitu navigaturum, videt ſubmerſum. 378, 45. 947, 55. Videt, inter Miſſarum ſolennia, Dacos in Angliam navigaturos a poculis ad pugnam procedere. 949, 42. 2330, 12. Sed hanc viſionem alii Edwardo Seniori tribuunt. 356, 53. Chriſtum corporaliter videt. 389, 7. 949, 38. Ejus de Haroldo & Toſtino, filiis Godwini, vaticinium. 394, 9. 948, 16. 2333, 56. Ipſius etiam Godwini malitiam Deum ulturum prædicit. 394, 63. Quid ei de Septem dormientibus fuerit revelatum. 395, 32. 950, 4. 2337, 40. Monaſterium in D. Petri honorem conſtructũ eum reparare & ditare jubet P. R. 382, 3. D. Petri cuidam Anachoretæ apparentis oraculo idem jubetur. 382, 27. Contractum (ut D. Petrus etiam in mandatis dederat) portando curat. 383, 41. A glandibus, & vermibus, & ſterilitate fœminam tactu liberat. 390, 15. Cæcos ſanat: unum, tactu; 392, 29. ſex, aqua qua manus abluerat. 391, 4. 392, 7. 393, 27. Morbum regium primus curavit. 950, 9. Edgarum

Adeling

Adeling ſucceſſorem maxime cupit: 2338,49. ſed Willielmo Notho Regnum aſſignat, 945,25. 957,63. & Haroldum hæredem eligit, 193,35. eumq; regnaturum prædicit. 2339,2. Annulum D. Johanni Evangeliſtæ donat; 397, 36. 954,1. Qui, annulo Regi remiſſo, ei obitus inſtare diem ſignificat. 398,20. 954,14. Annulum iſtum Rex Abbati Weſtmonaſterienſi inter reliquias aſſervandum tradit. 955, 5. Se ad mortem parat. 398,40. 954,56. Febre corripitur. 398, 62. 954, 59. Eccleſia ejus dedicatur. 193, 21. 399,5. Viſio quam in extremis agens vidit de miſerrimo Angliæ ſtatu poſt ejus mortem. 137,16. 399,27. 955, 18. 2338,17. Parabola arboris ab radice deciſæ: 400,40. 955,32. 2338,30. ejuſq; expoſitio una, 401, 4. & altera. 401,13. Eam in Willielmo F. Henrici I impletam quidam exiſtimant. 2381, 2. Reginam proceribus, Normannos Anglis, corpus ſepulturæ, animam Deo commendans, obit. 38,1. 193,31. 402,26. 479,5. 955, 61. 2338,37. Ejus exſequiæ. 402,48. Poſt ejus mortem cuncta Regna commota. 396, 57. Ad ejus tumulum ſanatur debilis; 403,13. illuminantur cæci. 401, 21. 404, 1. Per ejus merita Haroldus de Norvegis triumphat. 404,32. Wolſtanus Wigornenſis Epiſcopus baculum deponere juſſus, & nemini niſi Edwardo, qui tradiderat, dare volens, in ejus ſepulcrale marmor ita fixit ut nemo eum evellere præterquam ipſe Wolſtanus potuerit. 405, 5. 977, 66. 2368, 36. Corpus ejus per multos annos incorruptum manet. 408,7. Transfertur. 1059,1. 2255. 2438, 44. Puella eum blaſphemans, paralyſi corripitur: 409, 46. ad ejus ſepulcrum ſanatur: 410,2. Ibi febres quartanæ pelluntur: 410,50. 412,23. 413,6 &c. Monachus triplici morbo laborans, ſanitati redditur. 413, 50. Quæ monaſterio S. Auguſtini donaverit: 1783, 67. 1784. Ejus chartæ de iſtis donationibus. 2127, 59. 2128, 51. Chartæ de terris & libertatibus Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ conceſſis. 2224, 20 & 24 & 28. Ejus encomia. 366, 27. 369, 57. 370, 64. 391, 51. 937, 10. In ſanctorum numerum adſcribitur. 955, 67. Ejus feſta. 956, 2. Leges communes antiquatas renovabat: 2338, 6. Quæ ideo leges S. Edwardi vocantur. 2338, 64. V. *Leges*.

Edwardus IV, ſeu I poſt conquæſtum, Rex Angliæ. 1921,2. 2272. Naſcitur. 2432,18. 2440,17. Baptizatur. 2432,19. 2440,19. Pater ei Walliam, Ceſtriamq; alioſq; honores concedit. 2435,65. Alienoram Hiſpani filiam ducit. 2444, 5. Eorum liberi. 2531,39. Quam ſtrenue pugnarit in prælio Lewenſi. 2449,66. Cur Londinenſes odio habuerit. 2450,10. Se in poteſtatem Comitis Leiceſtrenſis tradit. 2437,28. 2451,6. Ex ejus manibus elabitur. 2437,33. 2452,1. Ad Eveſhamiam Leiceſtrenſis copias fundit, & patrem liberat. 2453. Cruce inſignitus, verſus terram S. proficiſcitur. 2455, 41. Tunetum venit. 2455,49. Reges complures, qui idem iter tunc ſuſceperant, naufragium patiuntur, dum ſolius Edwardi naves incolumes durant. 2455,2456. Acram venit. 2438,28. 2457,3. Nazaretham capit. 2457,8. Apud Kakehowe Saracenos fundit. 2457,14. Proceres Cypri, quos Rex Hieroſolymitanus fruſtra vocarat, ad ejus rogatum continuo properant. 2457, 24. Amirandus, ſeu Dominus, Joppenſis, qui ſæpius ei ſcripſerat ſe velle fieri Chriſtianum, 2457,40. tandem Aſſiſinum mittit, qui eum cultello venenato vulnerat. 2457,49. Citharœdo iraſcitur, quod ſicarium, quem ipſe cultello ſuo occiderat, tripode percuſſerit. 2458, 9. Anglus ei, ſed ægre, medetur. 2458, 15. Dum chirurgi vulnus tractant, uxor e conſpectu amovetur. 2458, 37. Joppenſis audito eum convaluiſſe, facinus abjurat. 2458, 46. Inducias decennales cum Paganis pactus, 2458, 56. redit. 2458, 63. Romæ a Papa excipitur. 2459, 2. Comes de Chalons, ei invidens, ad haſtiludium eum provocat. 2459, 5. Comitem & ſuos non tam haſtis quam gladiis ſuperat. 2459,20. Rex Franciæ eum honorifice ſuſcipit. 2460, 3. In Angliam reverſus, 2462, 62. coronatur. 2461, 14. Quomodo magnates quidam ejus coronationem ornarint. 2461,20. Lewlinum, Principem Walliæ, parere nolentem graviter mulctat: 2462, 15. nec ſinit ut uxorem ducat, ipſo inconſulto. 2462,25. Eum proſtratum & veniam orantem erigit. 2462, 44. Statutum de *mortmain* edit. 2462,65. Lewlinus & David, Walliæ Reguli, ei moleſtias exhibent. 2463—2465. Lewlini caput ei affertur. 2463,22. 2464,62. Davidem ſuſpendi & membratim diſcerpi jubet. 2463,25. 2465,17. Walliæ terras inter proceres ſuos diſtribuit: 2463, 17. & leges Angliæ Wallenſibus imponit. 2463. 46. Walliæ magnates ei fidelitatem jurant. 2465,21. Proditores in Vaſconia punit. 2465, 32 & 61. Reicius quidam, qui eo abſente turbas in Anglia moverat, ſuſpenditur. 2465, 43. Reverſus, judices corruptos punit. 2466,4. Judæos Anglia exigit. 2462,58. 2466,18. Quinta a laicis ei conceditur. 2466, 23. Propoſitum expeditionem Hieroſolymitanam ſuſcipiendi ob theſauros exhauſtos deponit. 2468,10. Decima a clericis per aliquot annos conceſſa. 2468,20. Filias quibus maritarit. 2468,26. Ejus uxor moritur. 2468,29. Scotis poſt Alexandri III obitum de novo Rege creando diſceptantibus, 2468, 59. Edwardus arbiter litis conſtitutus, 2469, 7. 2470, 58. 2487,32. Johanni de Balliolo Regnum adjudicat: 2469, 58. 2471,38. 2487, 64. Qui ei homagium facit. 2469,64. 2488, 6. Wallenſes iterum bellum moventes, 2502, 40. capto eorum Duce Madoco, reprimit: 2471, 35. 2472, 11. Sed prius fuerat ab iis obſeſſus, & in anguſtias redactus. 2471, 60. Quindena ei datur. 1958,55. Monaſteria ſcrutatur, & pecuniis ſpoliat. 2471, 47. Scotus & Gallus contra ipſum fœdus ineunt. 2473, &c. 2477,1. Scotus, literis miſſis, de injuriis ab eo illatis queritur, & ſe ſuoſq; in libertatem vendicat. 2477, 30. 2488,45. Scoti mandatis ejus parere recuſant. 2472, 55. 2478,24. 2488, 26. Multis injuriis laceſſitus, 2579. 2488, 39. Twedam fluvium cum exercitu tranſit: 2480, 9. Berwicum capit: 2480,17. Scotos ad Dunbarum fundit: 2480, 30. Edinburgum, aliaq; loca ad deditionem cogit. 2481, 8. Rex Scotiæ culpam ſcripto agnoſcit, & ſe & Regnum ei dedit. 2481,19. 2489,12. Lapidem cui Reges Scotiæ dum coronarentur inſidere ſolebant, Londinum portari jubet. 2481,61. Forma juramenti a magnatibus Scotiæ ei præſtiti. 2482,5. Robertus Brus ei homagium facit. 2482, 34. Novo ſigillo & Præfectis conſtitutis, 2483,5. & dimiſſo exercitu, 2483,31. e Scotia redit. 2483,35. Roberto Brus de injuriis ab eo illatis apud P. R. conqueſto, 2494, 15. literas ad P. R. ſcribit, in quibus jus ſuum, Scotorum injurias, & belli proceſſum exponit. 2483—2489. Jubet in Chronicis inquiſitionem fieri de dominio Anglorum in Scotos. 1962,20. Rixa inter aliquot ex ejus nautis & aliquot Normannos, 2495, 14. in prælium navale creſcit, 2495,50. ubi Anglis cedit victoria. 2495,64. Gallo eum ob facta ſuorum in judicium vocante, 2496, 1. Edmundum fratrem in Galliam mittit. 2496, 22. Gallus Vaſconiam dolo occupatam, 2495, 36. vi tenet. 2497,3. Edwardus, ut eam reciperet, conſilium & auxilium a ſuis proceribus poſtulat. 2497, 18. Nuntiis miſſis, fidem Gallo datam revocat. 2497,31. Nuntii ejus incarcerantur. 2497,47. Exercitum in Vaſconiam mittit. 2497, 49. Quid ibi geſtum. 2498, &c. Ad Regem Alemanniæ nuntium mittit de fœdere contra Gallum ineundo. 2500, 52. Monaſteria & æraria publica nummis ſpoliat. 2500, 66. Lanam totius Angliæ poſſeſſoribus aufert. 2501, 10. Utrunq; factum lepide excuſat. 2501,53. Oratio ejus ad clerum, de ulteriori ope ferenda. 2501,22. Duas decimas iis offerentibus pene extrema minatur, ni medietatem bonorum dent. 2275. 2502,2. A plebe quantum acceperit. 1965,38. 2502,37. Maneria quædam Auguſtinenſibus ablaturus, a S. Mildreda in ſomnis corripitur, & ab incepto deſiſtit. 1562, 32. Acerba ejus ad Robertum Cantuarienſem oratio. 2005, 20. Clericorum bona in fiſcum redigit, ipſoſq; legis beneficio privat, quoniam ſubſidium ei negarant. 1965, 40. 2489,26. 2491,2492. Eodem die copiæ ejus in Vaſconia fuſæ. 2491,45. Clericorum nonnulli favorem ejus gravi pretio redimunt. 2492, 8 & 48. Plebem etiam exactionibus gravat. 2492,61. Diſcordia inter ipſum & quoſdam Comites oritur. 2493,9. Papa literis & legatis miſſis, ei pacem cum Gallo inire ſuadet. 2504,26. Tractatus ejus cum Legatis. 2505,2506. Edmundum fratrem cum copiis in Vaſconiam mittit. 2507, 58. Res ibi geſtæ. 2508, &c. In Flandriam profecturus, Archiepiſcopum Cantuarienſem in gratiam recipit. 2510,27. Blanditiis & excuſationibus populum lenit. 2510, 58. Comites quidam rogant, ut populum gravare ceſſet, & Magnam chartam confirmet. 2511, 3. Articuli ab iis traditi. 2511,18. 2523, 22. Quod reſponſum eis dederit. 2512,17. In Flandriam venit. 2512, 28. Interim Comites iſti Regias exactiones impediunt, & plebi ſuadent ut libertates ſuas vendicent. 2512, 31. Flandrenſis, Gallo deſerto, cum eo fœdus init. 2493, 34. Res ab eo in Flandria geſtæ. 2512,50. Scotis rebellantibus, 2513,&c. Comitem Warennæ ad eos reprimendos mittit. 2515, 33. Sed is ſtulte & ignave ſe gerens, hoſtibus facilem victoriam præbet. 2515—2519. Scotis Northumbriam deprædantibus, 2519—2522. Edwardus in anguſtias redactus, M. chartam confirmat, aliaq; nonnulla Baronibus & populo concedit. 1977, 23. 2523, 2524. 2528, 67. Subſidium ei a populo & clero conceſſum. 2524, 40. Scribit ad magnates ut cum exercitu in Scotiam properent: 2524, 53. Quo facto, 2525, 16, iterum ad eos ſcribit, ut ejus adventum præſtolentur priuſquam aliquod magnum attentent. 2525, 39. Inducias biennales cum Gallo paciſcitur. 2526, 11. Papa arbiter inter ipſos conſtitutus, decernit ut ipſe Galli ſororem, filius filiam ducat. 2527, 13. Conditiones pacis inter ipſum & R. Franciæ. 2528, 8. Margaretam Galli ſororem ducit. 2493, 61. 2528, 23. Eorum filii. 2493, 63. 2528, 47. Scotos magna clade vincit. 2476, 37. 2527, 35. Regem Scotiæ Johannem, bello captum, & Regno exutum, 2476, 25. Papæ rogatu dimittit. 2476, 29. Willielmum Waleys fugat. 2476, 34. Papæ objectiones contra ejus jus ad Regnum Scotiæ. 2529, 4. Gallus ei Vaſconiam reddit. 2529, 60. Scotos ſæpius rebellantes domat. 2529, 55 & 64. Strivelini caſtrum ei redditur. 2530, 2. Robertum Brus, qui Regnum Scotiæ uſurparat, fugat. 2494, 49. Inquiſitores *de Trailbaſton* per Angliam mittit. 2494, 46. Petrum de Gaviſton Anglia exigit. 2494, 56. Literæ ejus de Abbatia S. Auguſtini. 1938, 52. 1939, 8. 1941, 14. 1943, 53. 1949, 48. 1950, 50. 1963, 51. 1978, 60. 2004, 24. 2006, 27. Ejus ſtatutum contra Religioſorum acquiſitiones. 1961, 35. Moritur. 2007, 63. 2495, 13. 2530, 55. Ejus mors Roberto Cantuarienſi in ſomnis revelatur. 2530, 61.

Edwardus V, ſeu II poſt conquæſtum, R. Angliæ, apud Caernarvan naſcitur. 2465, 25. Fit Princeps Walliæ, & Comes Ceſtriæ. 1977, 26. 2494, 6. Coronatur. 2007, 64. 2278. 2531, 3. Iſabellam Galli filiam deſponſat. 2527, 21. 2530, 52. 2531, 1. Petrum de Gaviſton, quem juſſu patris abjuraverat, 2532, 26. de exſilio revocat. 2530, 65. Proceres ei fidelitatem jurant. 2531, 46. Ejus character. 2531, 65. Contra Scotos ſæpe infeliciter pugnat. 2533, 20 & 44. 2542, 21 & 44. Scotos Hiberniam invadentes ejus copiæ proterunt. 2534, 29. Pax inter ipſum & Thomam Lancaſtrenſem, Cardinalium interventu, componi videtur. 2534, 53. Spenſerios, malorum conſiliorum autores, contra votum procerum fovet: 2538, 65, eoſque a Baronibus proſcriptos 2539, 5. revocat. 2539, 50. Lancaſtrenſem, & pleroſque illius factionis principes, bello captos, interfici jubet. 2540, 2541. Gallus cum eo diſcordat, ob homagium negatum. 2543, 22 & 34. Multos nobiles in Vaſconiam mittit. 2543, 39. Edwardo F. Ducatum Vaſconiæ concedit. 2543, 26 & 62. Uxorem & filium in Franciam mittit: 2543, 21 & 57. Eos tanquam proditores proſcribit. 2543, 31. Regina reverſa eum cum exercitu proſequitur. 2544. 2545, 12. Capitur, & in cuſtodiam datur. 2545, 31. 2546, 31. Crimina ei objecta. 2765, 50. Corona & ſceptro privatus, 2549, 55. dolet quod ſeductoribus fidem adhibuiſſet, 2550, 30. filium vero poſt ſe regnaturum gaudet. 2550, 24. A caſtro Kenelworthenſi ad Berkleienſe transfertur; 2551, 5. 2556, 52. ubi veru ignito confoſſus, moritur. 2551, 8. 2552, 32. An Sanctis accenſendus ſit, necne, varie inter vulgus diſceptatur. 2551, 10. Sepelitur. 2553, 32. Ejus liberi. 2553, 36. Mortimerus Reginam ab eo alienarat. 2557, 58. V. *Iſabella*. Chartæ ejus Auguſtinenſibus conceſſæ. 2011, 56. 2025, 2. 2026, 50. 2031, 16. 2035, 39. 2103, 4.

Edwardus VI, ſeu III poſt conquæſtum, ſeu Ed. de Windeſore naſcitur. 2533, 13. In militarem ordinem adſciſcitur. 2550, 4. Patre ſuperſtite, eligitur R. & coronatur. 2039, 27. 2280. 2550, 29 & 48. Scotos cum eo de pace tractare nolentes, 2551, 41. bello aggredi parat: 2551, 61. ſed ejus conatus ſuorum proditio fruſtratur. 2551, 65. Philippam Ducis Hannonii filiam deſponſat. 2552, 47. Laici viceſimam, clerici decimam ei concedunt. 2552, 53. Pacem cum Scotis init. 2552, 59. Homagium Gallo facit: 2555. 6. Ejus inſidias evadit. 2555, 9. Reginam matrem mulctat: 2556, 18. Mortimerum autem extremo ſupplicio afficit. 2558, 37. Scotos magna clade proſternit. 2559, 9 & 19. 2563, 47. Nomina principalium Scotorum qui in eo prælio cæſi captique. 2563, 2564. Magnam Scotiæ partem devaſtat. 2559, 36. 2562, 47. Iſabella filia ei naſcitur. 2560, 17. Iterum Scotiam adit. 2565, 30 & 66. Hannonius ei galeam mittit. 2566, 7. Scotis in ejus verba jurantibus quæ conceſſerit. 2566, 34. Gallus eum a negotio Scotico diſtrahere conatur. 2567, 48. Quod reſponſum ei dederit. 2567, 62. Scoti fidem ei datam violant. 2567, 32. 2568, 13. Eorum terram partim munit, partim vaſtat. 2568, 27 Tributum ei ab Anglis conceſſum. 2568, 48. 2569, 21. 2571, 32. 2576, 30. Novos honores creat. 2568, 53. Vaſconia a Gallo occupata. 2569, 3. 2570, 3. *Regis Franciæ* titulum aſſumens Edwardus, 2078, 12. Franciæ inſignia ſuis immiſcet. 2569, 13. Franciam hoſtiliter ingreditur. 2569, 14. Navali prælio Gallum ſuperat. 2569, 28. Lanam per totam Angliam capit. 2570, 10. 2571, 35. 2592, 43. 2595, 30. Dunbarenſe caſtrum fruſtra ab ejus copiis obſidetur. 2570, 27. Pecuniam & apparatum bellicum a Gallo ad Scotos miſſum intercipit. 2570, 31. Alienigenas bonis & terris exuit. 2570, 39. Legatis P. Romani reſpondet. 2570, 53. Frumentum, avenas, lardum, &c. exigit. 2570, 66. 2585, 39. In Flandriam trajicit. 2571, 18. Ab Imp. ſolenniter excipitur, 2571, 53. & vicarius Imperii conſtituitur. 2572, 9. Omnes citra Coloniam in belli ſocietatem adſciſcit. 2572, 12. Pacem ab eo oblatam, 2572, 8. Gallus reſpuit. 2572, 61. Franciam cum exercitu intrat. 2573, 56. Portus & naves Normannorum claſſiarii ejus incendunt. 2574, 1. Coronam Franciæ quo jure vendicarit. 2574, 10. Franciam ferro & igne vaſtat. 2574, 22. Gallus eum ad prælium provocat. 2574, 64. Gallo appropinquat. 2575, 12. Gallo feſtinanter regreſſo, 2775, 54. Edwardus in Flandriam redit. 2576, 16. Flandrenſes ei homagium faciunt. 2576, 23. In Angliam redit. 2576, 27. Gallus magna claſſe parata, ei reditum in Flandriam intercludere conatur. 2577, 7. Comites cujus cuſtodiæ Flandriam commiſerat, a Gallo capti. 2577, 25. Claſſem Francorum ſuperat. 2577, 40. Tornacum obſidet. 2578, 21. Inducias cum Gallo facit. 2578, 41. In Scotiam tranſiens, 2580, 51. cum Scotis etiam inducias paciſcitur. 2580, 59. Torneamenta ibi exercentur. 2580, 55 & 61. Walterus Moun ab eo contra Gallum miſſus, fortiter & feliciter pugnat. 2581, 8. Comites nonnullos in Franciam mittit: 2581, 55. Eorum ſucceſſus. 2582, 1. In Britanniam tranſit. 2582, 25. Oppida capit. 2582, 40. Inducias in triennium concedit. 2583, 2. In mari periclitatur. 2583, 10. Legem ſtatuit, ne proventus Eccleſiarum in Anglia ad Papæ beneficiarios tranſportentur: 2583, 40. Papa contrarium jubet. 2584, 60. Henricum Comitem Derbienſem in Vaſconiam mittit. 2585, 13. Ipſe in Normanniam trajicit. 2585, 42. Cadomum aliaque loca capit. 2585, 54. Flandrenſes ei auxiliantur. 2586, 36. Ad Creſſiacum prælio commiſſo, inſignem de Francis victoriam reportat. 2587, 51. Caletum oppugnat. 2588, 44. V. *Caletum*. Interim Scoti Angliam invadentes profligantur. 2589, 55. Complures Regis Franciæ naves capit. 2593, 4. Ignis ejus caſtra depopulatur. 2595, 59. Imperatoriam dignitatem ei oblatam, 2596, 41 & 65. reſpuit. 2597, 12. Johanna ejus filia Hiſpani filio nubit. 2596, 55. Quod reſponſum Scotis dederit Regem ſuum redimere volentibus. 2597, 16. Thomas de Windeſora ei naſcitur. 2597, 42. Papa rogat ne Romam proficiſci cupientibus tranſitum intercludat: 2601, 31. Regis reſponſum. 2601, 40. Claſſem Hiſpanicam, quæ Anglos infeſtaverat, devincit. 2602, 7. Arx Guina capitur. 2602, 45. 2603, 27. Proceres quoſdam in Scotiam, alios in Vaſconiam, alios in Franciam mittit. 2606, 52. Ejus Legati cum Legatis Regis Franciæ de pace tractant. 2607, 47. Thomas de Woodſtock ei naſcitur. 2608, 32. Franciam cum magno apparatu bellico adit. 2608, 62. Gallus eo adventante recedit. 2610, 49. Audito Scotos Berwicum cepiſſe, ad Novum-caſtrum venit. 2610, 64. Berwicum ei redditur. 2611, 17. Scotis perfide ſe gerentibus, terram eorum vaſtat. 2611, 25. Tres Cardinales miſſi ad componendam pacem inter ipſum & Gallum. 2615, 44. Scotis inducias in decennium dat. 2617, 42. Papa tributum ab eo petens, repulſam accipit. 2617, 53. Solennia torneamenta inſtituit. 2617, 64. Concordiam cum Gallo init. 2618, 19. 2619, 19. Ipſum perfidiæ reum adhuc in cuſtodia detinet. 2619, 24. Quantum terrorem ejus victoriæ Gallis incuſſerint. 2618, 30. 2619, 34. Anglis apud Francos & Flandrenſes male tractatis, ipſe alienigenas ex Anglia ejicit. 2620, 50. Franci Angliam invadentes repelluntur. 2622, 61. Inducias triennales ab eo emit Burgundus. 2623, 37. Loca Pariſiis vicina vaſtat. 2623, 43. Suburbia Pariſiorum incendit. 2623, 55. Magna pars exercitus ei tempeſtate perit. 2624, 13. Impedimenta ſua comburit. 2624, 27. Forma pacti inter ipſum & Regem Franciæ. 2624, 61. Regi Cypri ad eum venienti munera largitur. 2627, 3. Reges Scotiæ & Franciæ ad eum veniunt, ut de lytris ſuis cum eo tranſigant. 2627, 10. Quinquageſimum ætatis annum, jubilei more, celebrat, culpas condonans, &c. 2627, 25. Johannes Rex Franciæ moriturus delicta ſua fatetur, & veniam ab eo petit. 2628, 2. V. *Johannes de Valois*. Iſabellam filiam nuptum dat. 2628, 46. Quam feliciter ejus copiæ in Francia pugnarint. 2628, 33 & 58

58. Edwardum & Johannem filios ſuos ad opem Hiſpano ferendam mittit. 2628,64. Ejus literæ & chattæ de Abbatia S. Auguſtini. 2053,28. 2120,26. 2072,26. 2082,32. 2083,62. 2087,3. 2151,52. Regum chartas Auguſtinenſibus conceſſas inſpicit & confirmat. 2123—2138. Ejus literæ de remiſſione itineris Juſtitiariorum in Cantia. 2148,7. Ejus mors. 2152,62. 2629,62. Ejus character. 2630,10.

Edwardus, R. Edwardi III F. naſcitur. 2558,64. Fit Dux Cornubiæ & Comes Ceſtriæ. 2076,29. 2568,53. Franciam deprædatur. 2595,26. Multum pecuniæ in Comitatu Ceſtriæ corradit. 2606,37. In Vaſconiam mittitur. 2608,46. Vaſcones ei ſe dedunt. 2608,50. Galliæ oppida capit. 2611,12. In agro Pictonenſi inclytam de Gallis victoriam reportat. 2613. Quomodo acies utrinq; fuerint ordinatæ. 2613,8. Prælium commiſſium. 2613,20. Rex Franciæ, cum filio, & multis magnatibus capti. 2613,46. Nomina Ducum occiſorum. 2614,25. Edwardi uxor. 2626,19. In Vaſconiam iterum trajicit. 2626,52. Ejus auxilio Petrus, R. Caſtellonenſis, Regno reſtituitur. 2628,64. Ejus character. 2630,2. Res præclare geſtæ. 2630,14. Mors & ſepultura. 2630,37.

Edwardus *relegatus*, Edmundi *Iron-ſide* F. in Hungaria educatur. 907,47. Ejus uxor & poſteri. 907,55. 2317,55. 2333,39. Cum conjuge & liberis in Angliam venit. 945,12. Moritur. 945,16. 2333,37.

Edwinus, Adelſtani frater. V. *Adelſtanus*.

Edwinus, Comes Merciorum. 163,64. 480,42. Rebellat. 469,34. Ab Haraldo Norrageno vincitur. 2339,48. W. Conquæſtori manus dat. 2343,8. A ſuis in Scotia occiditur. 203,22. 969,39. 2347,35.

Edwinus, R. Northumbriæ potens & inclytus. 91,10. 780,51. Edelburgam in uxorem petit. 1687,21. Quod reſponſum tulerit. 1687,26. Eam ducit. 780,59. 1634,14. Chichelinus ſicarium ad eum interficiendum mittit. 780,63. Mire a morte liberatur. 375,9. Ejus votum. 781,8. Pontifex R. ipſi & conjugi literas & munera mittit. 781,17. Oraculum ei revelatum, dum adhuc privatus & profugus in Orientali Anglia delituerit. 72,22. 781,34. Ejus filia baptizatur. 781,10. 1634,25. Chichelinum ſuperat. 1634,28. Ad fidem mire convertitur. 740, 24. 782, 3. Baptizatur. 77, 54. 438,10. 782,29. 1634,31. 2230. Eccleſiam cathedralem Eboraci conſtruit. 782,33. 1634,31. Honorii P.R. ad eum literæ. 783,1. In acie cadit. 438,28. 784,21. 1689,11. Ejus caput in Eccleſia Eboracenſi ſepelitur. 784,39. Paulinus cum ejus uxore & liberis & theſauris in Cantiam fugit. 784,56. 1689,18.

Edwius, vel Edwinus, R. Angliæ. 26,53. 135,20. 455,34. 2244. Coronatur & fornicatur uno & eodem die. 862,64. Dunſtanus eum ob adulterium reprehendens, 358,62. in exſilium mittitur. 863,3. Northumbri & Mercii, eo pulſo, Edgarum fratrem eligunt. 863,8. 2312,44. Maxima Regni parte exuitur. 358,2. Reſipiſcit. 359,4. Dunſtani precibus anima ejus a dæmonibus liberatur. 359,8. 863,18.

Edwoldus, S. Edmundi frater, eremita. 807,25.

Eelfricus, vel Alfricus, vel Aluricus, Præpoſitus Wintonienſis, fit Archiep. Eboracenſis. 79,40. 177,58. 474,42. 936,67. Johannis Beverlacenſis reliquias in pretioſa capſa condit. 1700, 24. Beverlacenſe collegium terris locupletat. 1700,31. Moritur. 943,39.

Egbertus, Archiep. Eboracenſis. 11,44. 78,41. Primus poſt Paulinum pallium ſuſcepit. 1697,1. Moritur. 106,38.

Egbertus, Epiſc. Dunelmenſis. 13,6. 119,19. 768,42.

Egbertus, Epiſc. Orient. Anglorum. 774,56.

Egbertus quidam monachos in Hii inſula reformat. 773,49.

Egbertus, R. Northumbriæ. V. *Edbertus*.

Egbertus, R. Northumbriæ a Dacis conſtitutus. 14,40. 142,33. 1698,40. Expellitur. 14,50. 79,18. 145,13. 1698,45. Moritur. 145,22. 1698,48.

Egbertus, R. Northumbriæ, II, vel potius III. 145,53.

Egbertus, vel Egbrichtus, vel Edbrictus, vel Ethelbrichtus, F. Ailmundi, Brithrici furorem metuens, in Franciam fugit. 801,54. Revocatus, Rex Occidentalium Saxonum coronatur. 118,8. 445,63. 770,64. 801,62. 2238. Reges Merciorum vincit. 778, 34 &c. Univerſam Angliam ſibi ſubjicit. 119,6. 351,46. 802,1. Sepelitur Wintoniæ. 802,5. *Regis Angliæ* titulum ſibi primus aſſumſit, & poſteris reliquit. 449,31. 2238. Poſteri ejus & ſucceſſores. 119,9.

Egebertus, vel Egbertus, vel Hegbertus, vel Ethbrithus, vel Vigebertus, R. Cantiæ. 293,55. 740,49. 741,22. 2232. Nepotes ſuos occidit. V. *Ethelredus & Ethelbertus*. Scelus illud quomodo expiaverit. 1906,45. 2128,19.

Egelfleda, vel Elfleda, R. Alfredi filia Ethelredi conjux. 812,25. Puerperii dolores ſemel experta, a viri complexu poſtea ſemper abſtinuit. 812,28. Erat Merciorum Domina. 152,65. Rex a pluribus appellatur. 356,24. 834,58. Arces complures & urbes ædificat. 153. 356,18. 833,25. Henrici Huntingdonienſis de ea carmen. 834,64.

Egelmarus, Epiſcopus Orient. Anglorum. 201,63. 473,21.

Egelnothus. V. *Agilnothus*.

Egelredus, vel Ethelredus, vel Athelredus, Edgari F. Baſtardus vocatus. 2314,27. Dum baptizabatur, in ſacrum fontem minxit, quod infauſtum omen. 867,17. 2314,24. Cur candelas cereas oderit. 874,41. 2314,45. Fit Rex Angliæ. 135,32. 160,62. 362,46. 455,66. 2244. Quomodo Regnum adminiſtrarit. 2314,21. Urbem Roffenſem obſidet: 878,34. 1647,53. auro accepto, recedit. 2314,60. Dunſtanus infortunia ei eventura prædicit. 172,61. 466,19. 877,8. 878,40. 1647,49. 2314, 26 & 39 & 62. A Dacis perpetuo vexatur. 161 , &c. 877. 893. Magnates quamplurimi ab eo deficiunt. 880,16. Dacos in Cumbria vincit. 882,64. Moniam inſulam vaſtat. 883,2. Tributum Dacis pendit. 461,44. Ducit Emmam Ricardi II Ducis Normanniæ filiam. 461,50. 883,54. 2315,38. Dacos omnes in die S. Bricii clam occidi jubet. 461,57. 885,6. 2315,40. Quam infeliciter omnia ei ceſſerint. 2315,21. Navium ingentem copiam parat: 166,41. 887,19. quarum magnam partem Wolnodus exſul comburit. 887, 30. Pacem cum Dacis init. 891, 20. Omnibus pene ſe Suano dedentibus, ipſe cum ſuis in Normanniam aufugit. 170,24. 465,32. 892,6. Redux a ſuis honorifice excipitur. 171,25. 466,5. 892,42. 2315,49. Canutum fugat. 892,53. 2315,55. Sandwicum & Eſtreiam Eccleſiæ Chriſti Cant. donat. 2221, 60. Sacrilegos æternis ſuppliciis devovet. 2221,51. Ejus mors. 893,39. 2315,57. Leges. 893—903. Uxores, & liberi. 164,61. 362,60. 877,15. 2314. Ejus F. Alfredus indigniſſime tractatur. 179,36. V. *Alfredus, Egelredi* F.

Egelricus, vel Algericus, Epiſc. Dunelmenſis. 34,14. 182,8. Theſauros Eccleſiæ aufert. 34,39. Ab Epiſcopatu ad monaſterium ſecedit. 948,55. Moritur. 34,56.

Egelſinus, Abbas S. Auguſtini. 1785,43. Mitræ & ſandaliorum honorem a P. R. obtinet: 1785,45. ſed mittram geſtare non audet. 2248. Hujus & Stigandi Archiepiſcopi opera Conquæſtor circumventus Cantiæ libertates intactas permittit. 1786. In Daciam fugit. 1785,56. 1787, 30. Clavem ſcrinii, ubi corpus Mildredæ repoſitum, Scotlando remittit. 1911,35.

Egelwinus, Epiſc. Dunelmenſis. 34,47. 189,17. 203,24. 484,30. 948,59. Sacrilegii pœnas luit. 41,41. Epiſcopatu dimiſſo, ſponte exſulat. 200,10. Abingdoniæ ob rebellionem incarceratus, ibi ſpontanea fame moritur. 1706,13. 2347,40.

Egelwoldus, R. Angliæ. 2320,32. Ejus filia Goldisburga Daco nubit. 2320,38. Inde Canutus, ab ea oriundus, jus ad Regnum Angliæ vendicat. 2320,30. V. *Ethelwoldus, Edwardi Senioris fr.*

¶ Egeneſhamenſis Abbas: *Robertus*.

Egeſippus, 431,27.

Egfredus, R. Cantiæ. 742.36. Vocatur (ni fallor) Eadbertus, 1772,64. 2234. & Eadbrith, cognomento *Eating*. 2209,17. Charta ejus de terris Eccleſiæ Chriſti Cant. conceſſis. 2209,16. Charta de vectigali donato Abbati Raculfenſi. 2211,11. Moritur. 1773,27.

Egfrida, filia Alduni Dunelmenſis, nubit Uchtredo, 79,60. poſtea Kilverto. 80,32. Fit ſanctimonialis. 80,45. Ejus poſteri. 80,33. 81,23. 82,24.

Egfridus, R. Merciæ. 752,23. 754,18. 776,43. Vocatur Ecgferth. 114.1.

Egfridus, R. Northumbriæ. 68,27. 91,19. 294,19. 440,49. 441,28. 788,54. 789,22. 790,32. Ejus uxor. V. *Etheldreda*. Hiberniam vaſtat. 793,33. Wilfridum præſulem expellit. 294,35. 792,62. Pictis contra S. Cuthberti monita bellum inferens, occiditur. 295,43. 793,44.

Eggiva, Abbatiſſa Leonenſis, a Suano compreſſa. 183,34. 939,36.

Egnice, R. Orient. Anglorum. 747,6.

Egredus, Epiſc. Dunelmenſis. 13,18. 119,22.

Egwinus, Epiſc. Wicciorum. 442,27.

Egwinus, *Quatiens-caput*, ad Ethelberti tumulum curatur. 753,39.

Egwinus, vel Eſwinus, R. Occident. Saxonum. 439,11. 756,50.

Eirenarchæ quomodo eligendi. 2729,61. Seſſiones ab iis quater in anno habendæ. 2732,55.

Eiricus, R. Northumbriæ. 204,1.

Eldredus, Abbas S. Albani. 446,7.

Electio Epiſcopi. V. *Decani*. Epiſcopi & Abbates unde & quomodo eligendi. 1639,47. 1767,1. Abſq; conſenſu Archiepiſcopi, non eligendi. 2208,60. Scrupuloſæ quæſtiones de modo electionis, de perſona electi, &c. 2185,20.

Electores Imperii qui, & quo tempore conſtituti. 878,6.

Eleemoſyna cui non danda. 2658, 18 & 31. 2661, 12. Nautis quibuſdam eleemoſynam pauperi negantibus, quicquid in navi erat manducabile, in lapides vertitur. 437,16.

Eleutherius, P.R. 1686,62.

Eleutherius, vel Leutherius, Gewiſiorum, vel Wintonienſis, Epiſcopus. 756,44. 1638,22.

Elfegus, Abbas Bathonienſis, poſtea Epiſeopus Wintonienſis, poſtremo Archiepiſc. Cantuarienſis. 161,40. 462,25. 838,64. 877,66. 2315,13. Ejus natales, mores, pietas, liberalitas, res geſtæ. 1648,43. Videt duos dæmones monachum torquentes. 886, 5. Andreæ Apoſtoli monitis fit Epiſc. Winton. 886,13. 1647,14. 1648,60. Quam auſtere corpus ſuum perdomuerit. 886,21. Ad Cantuarienſem ſedem transfertur. 166,1. 885,60. 886,27. 1649,7. 2245. Eccleſiæ ſuæ quæ adquiſierit. 2223,7. Quid vico acciderit qui eum Romam tendentem ſpoliaverat. 886,33. Romæ exſiſtens, Wintonienſis Epiſcopi mortem ſentit & deflet. 886,38. Daci, Cantuaria capta, eum immaniter tractant: 889,4. 1649,61. Ob quod flagitium peſte correpti, ipſius precibus liberantur. 889,28. 1650,9. Pro vita ſua & libertate pretium dari non vult. 889,45. 1650,21. A diabolo e carcere eductum Angelus Dei eum revocat. 889,62. Dunſtanus, Sanctorum choro ſtipatus, ei apparet, ſpem & animos addens. 890,20. Lapidibus & bovillis oſſibus obrutus, & tandem ſecuri percuſſus, moritur. 169,11. 464,62. 890,39. 1650,30. Remus terræ impactus, ad teſtandam ejus ſanctitatem, frondeſcit: 890,60. Quo viſo, multi e Dacis convertuntur. 891,7. Eccleſia ædificatur ubi remus fronduit. 891, 6. Ejus corpus Londini, in Eccleſia D. Pauli, ſepultum, 891,12. poſtea Cantuariam transfertur. 468,4. 891,18. 909,1. 1651,10. Incorruptum reperitur. 2251. Anſelmo adſcribendum, quod ejus memoria celebratur. 1657,39.

Elfegus Calvus, Epiſcopus Wintonienſis. 155,5. 2219,18. Prophetico ſpiritu erat præditus, 838,65.

Elfegus, Comes Domnaniæ. 177,12.

Elferus, Dux Merciorum. 160,24.

Elfgiſa, Edgari mater, filii viſionem interpretatur. 136,20.

Elfgiva. V. *Emma*.

Elfhunus, Epiſcopus. 2219,49.

Elfleda, vel Elfrida, Abbatiſſa Streneſhaldenſis. 772, 13. 1692,53.

Elfleda. V. *Egelfleda*.

Elfnothus, Abbas S. Auguſtini. 1779,52. 2244.

Elfredus, presbyter, Sanctorum reliquias colligit, & Dunelmum comportat. 32,28.

Elfredus, R. V. *Alfredus*.

Elfredus, Rex Merciorum ultimus. 779,4.

Elfricus, Abbas S. Albani. 446,6.

Elfricus, Archiep. V. *Alfricus*.

Elfricus, Epiſcopus. 2221,25.

Elfrida. V. *Elfleda*.

Elfridus, Abbas S. Albani. 446,5.

Elfſigus, vel Ailſi, Epiſc. Dunelmenſis. 26,50. 156,20.

Elfſinus, vel Elſinus, cognomento *Lippe*, Epiſc. Wintonienſis. 156,49. Fit Archiep. Cantuarienſis. 157,41. 456,55. 2243. Odoni prædeceſſori convitiatus, Alpinis frigoribus congelat. 456,57. 864,5. 1645,31.

Elfſtanus, Abbas Glaſtonienſis. 159,6.

Elfwald. V. *Alfwoldus*.

Elfwinus, Epiſc. V. *Ailwinus*.

Elfwoldus, R. Northumbriæ. V. *Alfwoldus*.

Elias. V. *Enoch*.

Eli, inſula, a Conquæſtore obſidetur. 469,42. Domus belli ibi constructa. 469,45. Monaſterium virginum ibi fundatur. 790,61. ¶ Abbatiſſæ: *Etheldrida*; *Etheldreda*, Regina; *Sexburga*, Regina. Virginibus occiſis, primo clerici, poſtea monachi illic collocantur. 868,34. Ibi ſe fore ſepeliendum mire præſagivit Wolſtanus Eboracenſis. 467,60. ¶ Abbates: *Brithnotus*; *Leſwinus*; *Ricardus*. ¶ Prior: *Salomon*. Abbatia fit ſedes Epiſcopalis. 232,32. 501,51. 1663,18. 2251. Olim erat pars Lincolnienſis diœceſeos. 800,66. Epiſcopi Lincolnienſis conſenſus non gratis obtinetur. 1003,57. 2377,66. ¶ Epiſcopi: *Herveius*; *Nigellus*; *Gaufridus*; *Willielmus de Longo-campo*; *Euſtachius*; *Willielmus de Ludo*; *Johannes Hotham*; *Thomas de Lyle*; *Simon Langham*; *Thomas Arundell*.

Ella, R. Auſtralium Saxonum. 798,17.

Ella, R. Northumbriæ. 14,12. 123,21. 798,9. De venationis ſucceſſu gloriatus, 803,52. mox a Dacis in prælio interficitur. 14,34. 123,26. 142,30. 803,66. 1698,33.

Ella, vel Alla, R. Northumbriæ. 779,21. Gregorii M. ad ejus nomen alluſio. 726,43. 779,40.

Elmerus, Prior S. Trinitatis. 1342,33. 1664,50.

Elmerus, V. *Almarus*.

Elmesfeoh, eleemoſynæ pecunia. 858,65.

Elmham. V. *Orientalium Anglorum Epiſcopi*.

Elnodus, Epiſc. Menevenſis. 461,8.

Elſtanus, Prior S. Auguſtini, Epiſcopatum Wintonienſem recuſat. 1783,32. 1909,7. Fit Abbas S. Auguſtini. 1783,38. 2246. A Canuto R. obtinet licentiam corpus S. Mildredæ transferendi. 1909,1910. Revelatione ad id petendum animatur. 1909,16. Sepulcrum virginis, quod inſtrumentis non poterat, votis aperit. 1910,17.

Elvington. 1886,15.

Eluredus, Epiſc. Sherbornenſis. 2221,25.

Eluricus, Abbas S. Albani, 446,8.

Elwordus. V. *Alwoldus*.

Embaldus. V. *Eanbaldus*.

Emendum nihil abſq; teſtibus. 835,56. 843,16. 844,43. 848,4. 860,9. 894,48. 897,8. 925,6.

Emma, Saxonice *Elfgiva*, 461,50. Egelredi R. uxor. 164,59. 362,58. 877,21. 883,54. 2315,39. Vocatur Elfgina Ymma, 2222,13. & Elnena Ymma. 2224,66. Coronatur. 885,1. Canuto nubit. 374,55. 906,59. Ignitos vomeres illæſa tranſit. V. *Edwardus Confeſſor*. Opes quas Canutus ei reliquerat, Haroldus aufert. 472,34. Ex Anglia pulſa, a Comite Flandrenſi ſuſcipitur. 473,5. V. *Hardicanutus*. Quæ Eccleſiæ Chriſti Cant. dederit. 2222,12. Moritur. 943,44.

Engueſhamenſe monaſterium fundatur. 2364,56.

Enoch & Elias Antichriſti præſtolantur adventum. 351,21.

Eormenburgæ, vel Ermenburgæ, genealogia. 1906,18. Ei tantum terræ conceditur quantum cerva uno die peragraret. 89,50. 1906,45. 2128,19. Monaſterium fundat in inſula Thaneto, ejus fit Abbatiſſa. 90,13. Vocatur Eabba, 1770,53. & Dompnena, 1906,22. & Domneva. 2128,20.

Eoveſhamnenſes. V. *Eveſhamienſes*.

Epiphaniæ feſtum, triplici jucunditate ſolenne. 412,35.

Epiſcopales ſedes ad urbes celebriores tranſlatæ. 975,58. 1654,35. 2351,16.

Epiſcopatuum valor. V. *Cantuarienſem Archiepiſcopum*. Epiſcopatuum, Abbatiarum, &c. vacantium redditus ad fiſcum pertinent. 1387,65. Epiſcopatus quam facete contulerit Henricus III, Imp. 470,18, &c.

Epiſcopi, niſi canonice electi, haud conſecrandi. 248,42. V. *Conſecrationes*. Qualiter Epiſcopos in Britannia conſtituere debeat, Gregorius M. Auguſtino inſinuat. 436,33. Ab Epiſcopatu arcendi qui non ſunt nati e legitimo matrimonio. 580, 18. 706, 53. 1448, 49. Epiſcopus non eligendus qui trigeſimum annum nondum egerit. 1448, 39. Epiſcopi, unde & a quibus eligendi. 1639,47. Epiſcopi Angliæ a perſonis evocatis in alio regno eliguntur. 554, 57. De eligendo Epiſcopo. 1388,1. Epiſcoporum officium eſt, curare ut juſtitia & pax floreant; 845,7. judiciis ſecularibus intereſſe, 845,36. imo, ubi de diminutione membrorum vel capite judicatur; 1387, 57. menſuras & pondera ſervare, ad quæ reliqua omnia per diœceſin exæquentur; 845, 46. verbum prædicare; 2658, 21. doctrina & moribus plebi prælucere; 1751, 30. in opere Evangelii perſeverare; 1750, 32. curare ne penuria paſtorum grex diſpergatur. 1752,1. Gratis debent eccleſias conſecrare; 2661,30. gratis ordinare; V. *Ordines*. Et in ſedibus ſuis presbyteros gratis collocare. 1449,43. Epiſcopus qui ordinat quenquam ſine titulo, ei neceſſaria miniſtrare tenetur. 1449, 35. Ad Epiſcopos ſolos pertinet eccleſiaſticarum rerum diſpenſatio. 248,45. 249, 5. 253, 38. Vide ſtatuta Clarendoniæ. 1385, &c. Abſq; Epiſcopi proprii judicio nemo de eccleſia

cleſia ſua ejiciendus. 253, 66. Epiſcopus alterius parochianum nec ordinare nec judicare præſumat. 254, 3. 327,56. 1430, 25. Abſq; præcepto Epiſcopi eccleſia a nemine conſtruenda. 2348, 17. Epiſcopi a patria poteſtate liberantur, 540,37. & a juriſdictione coepiſcopi. 540, 40. Regno exeuntes, ſe poteſtate non exuunt. 540, 14. Abſq; Regis licentia non licet iis Regno exire. 1385, 65. Novos cenſus, vel majores, Eccleſiis non debent imponere; 1449,64. nec procurationibus vel exactionibus clericos ſuos gravare. 1455,59. Quæ pompa illis permittatur, cum parochias viſitant. 1456, 4. Pecuniam pro peccatis non debent accipere; 2660, 5. nec prædicationem verbi impedire. 2661, 6. Utrum liceat diacono vel presbytero prædicare abſque licentia Epiſcopi. 2650,57. 2661,4. Secularibus negotiis non debent ſe immiſcere. 652, 40. 2401,59. Epiſcopus Coventrenſis ſuſpenditur quod Vicecomitatus curam ſuſceperat. 652,51. Monachi aiunt Epiſcopos Regis favorem quærere magis quam Dei. 1471,46. 1658,53. Templarii & Hoſpitalarii quam fuerint iis moleſti. 1454. Epiſcopi priſci a faſtu & avaritia quam alieni. 789, 13 & 43. 1636,51. 1638,11. Poſterioris ævi, quales. 2332,35. Eorum indulgentia taxatur. 360,40. 361, 2. Epiſcopalis benedictio & maledictio quam efficax. 489, 52. 877,56. 953,46. 985,3. 1026,62. 1029,56. 1722, 20. Quantam reverentiam Epiſcopis exhibuerit Conſtantinus M. 352,63. Epiſcopis ſolenne, clauſulam iſtam, *Salvo ordine ſuo*, ſacramento fidelitatis apponere. 569,1. 580, 15. 1385. 1. Quo ordine conſidere debeant Epiſcopi Angliæ. 1654,23. 2351,15. ¶ Epiſcopi quorum ſedes ignoro: *Beneverthus*; *Ceolmundus*; *Cynebirhtus*; *Ealchardus*; *Elſbunus*; *Elſricus*; *Ethelgarus*; *Nothbertus*; *Weobthunius*; *werubribtus*; *Woror*. Epiſcoporum nomina qui Bedæ temporibus vixerint. 98, 60 &c. Epiſcoporum poſt degradationem reſtitutorum catalogus. 528, 40. Epiſcopi, ſummi Juſticiarii facti. 606, 7. 678,40. 681, 21. 2414, 29. Epiſcoporum catalogus qui ſedes mutarint. 593, 44. Epiſcopi ſeptem in uno die conſecrati. 230,61. 453,7. 812, 57. 1711, 11. V. *Anſelmus*. Epiſcopi duo mitrati in aere viſi, & tertius abſque mitra. 1535,2.

Equæ inequitare, non equo, pontificibus idololatricis olim permiſſum. 782,23.

Equi ultra mare non ſunt mittendi. 843,48.

Ercen, inſula cervi. 772,11.

Ercombertus, vel Erchembertus, R. Cantiæ. 85,17. 740,38. 2230. Idola deſtruxit. 438,54. 740,60. 1769,22. & quadrageſimale jejunium injunxit. 1769,23. Ejus uxor, & liberi. 740,42. 1906,20. Mors. 1769,24.

Erkenwaldus, vel Erkenwadus, Epiſc. Londinenſis. 440,41. 745,3. 774,17. 792,57. 1638,36.

Erkwinus, R. Orientalium Saxonum. 743,26.

Ermenburga. V. *Eormenburga*.

Ermenilda, Regina Merciorum. 772, 44. Monaſterium Elienſe ingreditur. 773, 8. Ejus genealogia. 1906, 20. 1908,20.

Erminigildus, quoniam Arianorum communionem vitaret, ſecuri a patre occiditur. 566,48.

Ernaldus, Magiſter militiæ Templi. 625,40.

Ernani mira viſio. 40,15.

Erneſbou, vel *Arneſbang*, Mons aquilæ. 291, 50. 1692,57.

Erpwaldus, R. Orientalium Anglorum, fidem ſuſcipit. 745, 37. Scholas inſtituit. 745, 59. 814, 52. Occiditur. 745, 47.

Eſcendun, vel *Aſſchedon*, vel *Aſſendun*, ſc. Mons fraxini, vel aſini. 125,45. 143,48. 808,51. Ibi Eccleſia a Canuto fundata, 467,39. dedicatur. 1700,8.

Eſcwinus, Epiſcopus Dorceſtrenſis, terras Eccleſiæ Chriſti Cant. donat. 2212,5.

¶ Eſſexiæ Comites: *Henricus*; *willielmus de Magna-villa*; *Galfridus F. Petri*; *Humfridus de Boun*.

Etaus, Abbas S. Auguſtini. 1777,36. 2242.

Ethbrikthus. V. *Egebertus*.

Ethelbaldus, R. Merciæ. 104,57. 446,12. 768,15. 773,47. Nunc bellum ei, nunc pax, cum Rege Occid. Saxonum. 768, 37. 715,14. Tandem ab eo vincitur. 769,7. 775, 46. Somertonam capit. 774,5. Northumbriam deprædatur. 775,7. 795,45. Britones fundit. 775,23. Occiditur. 105,38. 769,53. 775,58. 795,55. Ejus lex de immunitatibus Eccleſiæ. 2209,49.

Ethelbaldus, vel Adelbaldus, Archiep. Eboracenſis. 79,23. 133,39. 152,15. 1698,54.

Ethelbaldus, vel Adelbaldus, Ethelwolfi F. Rex Angliæ, 450, 48. 808,28. 2240. Vocatur Theodbaldus. 566,55. Novercam ducit. 121,40. 140,40. V. *Ethelwolfus*.

Ethelbaldus, vel Edbaldus, R. Cantiæ. 437,45. 784,60. 1633, 25. 2230. Patris uxorem ducit. 738,39. 1767,53. Convertitur. 739,36. 1633,44. 1767,60. 2125,7. Eccleſiam fundat & dotat. 1768,3. Charta ejus de donatione Northburnæ. 2125,5. Charta, de terris Eccleſiæ Chriſti donatis. 2207,34. Moritur. 1769,4. Emma ejus uxor moritur. 1769,6.

Ethelbertus, Epiſcopus Candidæ Caſæ. 108,8. 299,23.

Ethelbertus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 111,34. 299,22. Vocatur Adelbertus. 1697,37.

Ethelbertus I, R. Cantiæ, alios Angliæ Reges ad Humbram uſq; vincit. 729,5. 735,19. 1629,51. Cur ſub dio Auguſtinum & ſocios audierit. 729,28. Quæ iis dixerit: 1759, 26. Quæ conceſſerit. 1630,9. 1737,28. 1759,33. Convertitur. 435,34. 1759,60. Baptizatur. 2130. Gregorii M. ad eum literæ. 435,45. 732,41. Eccleſiam SS. Petri & Pauli ædificat Doroberniæ; 733, 61. 1631, 39. 1760,49. S. Andreæ, Rouceſtriæ; 734,10. 1631,47. & S. Pauli Londini. 735,22. 743,39. 1631,49. Judiciorum decreta ſcribi facit. 738,36. Saxones contra Britones inſtigat. 780,42. Palatium ſuum Auguſtino in ſedem concedit. 1760, 19. 2204,59. Ejus charta de fundatione & privilegiis monaſterii SS. Petri & Pauli. 1761,43. 2123,19. Alia. 1762, 17. 2123,56. Nomina quorundam ex ejus proceribus. 2123, 53. 2125,1. Ejus genealogia, & poſteri. 85,10. 1906,5. Mors & ſepultura. 738,31. 1633,23. 1767,42.

Ethelbertus II, Regis Withredi F. 1771,54. 2234. Regnum Cantiæ obtinet. 1773, 27. 2236. Vocatur Edbrictus. 742,36.

Ethelbertus III, Regnum Cantiæ invadit. 2238.

Ethelbertus, R. Angliæ. V. *Ethelbrichtus*.

Ethelbertus, R. Orient. Anglorum. 748. 42. Vocatur Adelbertus. 445,18. Ejus humilitas, clementia, &c. 748,47. Proceres Regni ſuadent ut uxorem ducat: 748,65. difficulter perſuadent. 749,3. Ejus mortis præſagia. 749,49. Ejus ſomnium. 750, 18. Offæ palatium adit. 750, 37. Offæ Regina, ut cito interimatur, urget. 750,51. Caput ei amputatur. 751,60. Ejus ſepultura. 752,38. Transfertur Herefordiam. 752,47. Deus ejus cædem ulciſcitur. 752, 23. Cæcus, ad ejus caput impingens, viſum recipit. 753, 12. Egwinus, ejus meritis curatus, Lidburiam ei donat. 753,39. Offa etiam, poenitentia motus, ei multa largitur. 754,1. 776,23. Auditis ejus meritis, Milefridus, R. Merciorum, eccleſiam cathedralem ſuper ejus ſepulcrum erigit, 754,25. 778,40. eamq; prædiis & ornamentis ditat. 754, 44. 778,47.

Ethelbrichtus, vel Ethelbertus, vel Ethelbirhtus, R. Angliæ. 121,51. 140,51. 450,55. 807,48. 1776,54. 2240.

Ethelbrichtus. V. *Egbertus, R. Angliæ*.

Etheldreda, Regina, Eccleſiæ Haguſtaldenſis fundatrix. 289, 30. 294, 21. Virginitatem ſervavit, quanquam Tunberto nupſerat, 747, 46. & poſtea Egfrido Regi Northumbriæ per xii annos fuerat copulata. 289, 34. 294, 29. 747,57. 790,35. 1908,16. Licentia a Rege difficulter impetrata, monaſterium ingreditur. 294, 31. 440,8. 741,2. 790, 50. Fit Abbatiſſa Coldinghamenſis; 790, 55. poſtea, Elienſis. 790,59. De ejus morbo, & morte. 790,64. Undecim (quidam aiunt, ſedecim) annos poſt ſepulturam corpus ejus manet incorruptum. 441,24. 741, 9. 791,50. Loculus lapideus, in quo recondatur, mire invenitur. 791,20.

Etheldrida, Abbatiſſa Elienſis. 441,12. 741,2.

Ethelfrith, R. V. *Edelfridus*.

Ethelgarus, Epiſcopus. 2221,27.

Ethelgarus, vel *Stilgarus*, Abbas Novi monaſterii. 158,47. 159,7. Fit Epiſcopus Auſtralium Saxonum, vel Seoleſigenſis. 162,2. 460,60. Ad Cantuariam transfertur. 879,15. 1648,7. 1780,32. 2245.

Ethelgiſa, vel

Ethelgota, Alfredi filia, Abbatiſſa Septonienſis. 132,40. 150, 51. 812,39.

Ethelhelmus, Comes Wiltunenſium. 150,39.

Ethelherdus, a Duce Clericus. 113,24.

Ethelherdus, Archiepiſcopus Cant. V. *Adelardus*.

Ethelherdus, R. V. *Adelardus*.

Ethelhunus. V. *Athelhunus*.

Ethelingbey, vel *Edelinbeie*, vel *Ethelingaige*, i.e. inſula nobilium. 811,46. Monaſterium ibi conſtruitur. 133,32. 150, 44. 355,44. 812,37. ¶ Ejus Abbas: *Johannes*.

Ethelmus. V. *Athelmus*.

Ethelnodus, vel
Ethelnothus, Abbas S. Auguſtini. 1775,35. 2336.
Ethelnothus, Archiepiſcopus Cant. V. *Agilnothus*.
Ethelredus, Abbas Rievallenſis. V. *Ailredus*.
Ethelredus, Comes Gainorum. 123,37.
Ethelredus, de genere Pharamundi, Regnum Franciæ vendicat. 959,33.
Ethelredus, Dux, terras Eccleſiæ Chriſti Cant. donat. 2222,22.
Ethelredus, & Ethelbertus, Eormenredi filii, laudantur. 85, &c. Egberto patruo educandi traduntur. 86,40. 1906,36. Trucidantur. 87,58. 741,24. 1770,32. 1906,36. Mira hiſtoria de eorum ſepultura. 89,1. 1906,43. Quidam ovem pauperis furatus, ſecus eorum arciſterium ſubito moritur. 89,20. Monaſterium in eorum honorem exſtruitur. 1906,49.
Ethelredus I, F. Ethelwodi Moll, R. Northumbriæ, Regno pellitur. 11,60. 108,17. 796,58. Reſtituitur. 12,15. 111,20. Occiditur. 113,51.
Ethelredus II, Earnredi ſcilicet F. R. Northumbriæ, 13,38.
Ethelredus, R. Merciæ. V. *Adelredus*.
Ethelredus, vel Athelredus, vel Etheredus, Epiſcopus Wintonienſis, fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 143,15. 451,14. 742,65. 1643,43. 2239.
Ethelredus, vel Etheredus, Dux Merciorum. 150,10, 2218,49. Eo mortuo, uxor Regnum Merciorum gubernat. 152,65. 834,18. V. *Egelfleda*.
Ethelredus, vel Etheredus, Ethelwolfi F. Rex Anglorum. 122,24. 141,17. 450,65. 566,55. 2240. Paganos non tam armis quam precibus ſuperat. 125,126. 808,50. Duos Reges Dacorum interficit. 809,10. Vulneratus moritur. 126,63. 809,23.
Ethelricus, R. Northumbriæ. 90,64.
Ethelricus, vel Agelricus, Epiſcopus Auſtralium Saxonum. 180,9. 932,53.
Ethelſtanus, Archiep. Cant. V. *Lifingus*.
Ethelſtanus, Epiſc. Cornubienſis. 453,7.
Ethelſtanus, Epiſc. Herefordenſis. 188,19.
Ethelſtanus, F. Egelredi, terras Eccleſiæ Chriſti Cant. donat. 2221,65.
Ethelſtanus, R. Angliæ. V. *Adelſtanus*.
Ethelwaldus, vel Edelwoldus, vel Edylwach, Rex Auſtralium Saxonum ultimus, a Wolfero R. Merciæ de ſacro fonte levatur. 772,38. 798,25. Wolferus ei Vectam inſulam donat, & Parorum provinciam. 798.29. A Cedwalla interficitur, 799,1. 1691,39. ut & ejus filii 799,14.
Ethelwinus, Dux Orientalium Anglorum. 160,29. Vocatur hic (niſi fallor) Agelwinus, 475,61. & Ailwinus, 879,30. & Edewinus; 1699.44. & Abbatiam Rameſienſem, una cum Oſwaldo Eboracenſi, fundavit. V. *Oſwaldus*.
Ethelwinus, vel Ailwinus, Epiſc. Lindenſis. 441,20. 793,4. Sedem habuit Sedenæ. 1638,60.
Ethelwoldus, Edwardi Senioris frater, rebellans, fugatur. 832,16. A Dacis conſtituitur R. Northumbriæ. 832,30. Eſtſaxiam invadit, 832,34. & Merciam. 832,40. In prælio corruit. 832,57. Hic forſan is erat qui vocatur Egelwoldus. 2320,33.
Ethelwoldus Moll, R. Northumbriæ. 11,57. 105,50. 796,42. Oſwinum Ducem interficit. 796,44. Interficitur. 12,8.
Ethelwoldus, vel Adilwaldus, Abbas Mailroſſenſis, fit Epiſcopus Lindisfarnenſis. 7,7. 101,3. 774,65. 795,14. Crucem lapideam facit. 7,12.
Ethelwoldus, vel Athelwoldus, Abbas S. Auguſtini. 1777,39. 2242.
Ethelwoldus, vel Edelwaldus, Abbas Abingdonenſis. 877,4. Fit Epiſcopus Wintonienſis. 158,27. 362,2. 748,1. 1646,66. Eum futurum Pontificem, prædixit Elfegus. 839,10. Canonicis ejectis, monachos introducit. 864,36. Ejus monitis plurima conſtruuntur monaſteria. 868,25. Ejus patria, educatio, & res geſtæ. 877,42.
Ethelwolfus, Dux Orientalium Anglorum, Alfridam, quam Edgarus Rex adamabat, per fraudem ducit. 865,20. Occiditur. 866,60.
Ethelwolfus, vel Adelwolfus, vel Athewolfus, vel Athulfus, vel Edulfus, vel Edwolfus, in primæva ætate Epiſcopus Wintonienſis, 450,18. 802,7. poſtea Rex Angliæ. 449,33 & 65. 450,31. 802,10. 807,66. 1776,44. 2240. Dacos vincit. 120,15. Aluredum F. Romam mittit. V. *Alfredus* R. Totum Regnum decimat. 121,14. 351,64. 802,17. *Peterſpence*, ſeu *Romeſcot*, Pontifici R. concedit. 450,18. 802,22. 806,11. CCC talenta ad uſum Eccleſiæ Romanæ & Pontificis confert. 802,27. 808,16. Dum Romæ moratur, F. Ethelbaldus Regnum adſectat. 450,34. Thorus ejus a filio inceſtatur. 121,40. Ethelbaldus & Ethelredus, filii, eum Roma reverſum non admittunt. 450,34. 566,51. Partem Regni Ethelbaldo concedit. 450,37. Ejus charta de villa Lenham. 2126,51. Charta ejus de terris Eccleſiæ Chriſti Cant. donatis. 2217,51. 2218,23.
Etheredus. V. *Ethelredus*.
Ethicus, Coſmographus. 431,43.
Etonenſe monaſterium. 2346,23. 2396,24.
Evangelium æternum, Chriſti Evangelio oppoſitum. 2645, 2646.
Eubaldus. V. *Eanbaldus*.
Euchariſtia temere non ſumenda. 451,8. Mira hiſtoria de Euchariſtia Hugoni de S. Victore jamjam morituro oblata. 1035,45. 2388,31. Panem intinctum cuiquam dari interdicitur. 1431,51. Euchariſtia conſecranda in calice aureo vel argenteo. 1431,57. Euchariſtia inter manus Archiepiſcopi Cantuarienſis diſparet. 1023,39. 1664,36. De præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſententia Wicliff; 2649,43. 2650,8. 2708,1. Nicolai Herford; 2655,56. Johannis Aſton. 2656,36. 2659,50. Miles quidam de corporali Chriſti præſentia in Euchariſtia mire convincitur. 2651,16.
V. *Miſſa*, & *Tranſubſtantiatio*.
Eucratides, R. Bactrianorum, immanis parricida. 564,14.
Everardus, Epiſcopus Norwicenſis. 259,19. 1017,64.
¶ Eveſhamienſes, vel Eoveſhamnenſes, Abbates: *Almoldus*; *Wolmarius*; *Agelwinus*; *Walterus*; *Adam*; *Rogerus*; *Willielmus*.
Eugenius I, P.R. 439,14. 2231.
Eugenius II, P.R. 449,25. 2237.
Eugenius III, P.R. 274,47. 508,40. 1721,42. 2253. 2387,42. Bernardi fuit diſcipulus. 274,49. 1020,15. 1032,51. 1361,3. Huic Bernardus libros De conſideratione inſcripſit. 1033,62. 2387,42. Roma relicta, Remis ſedet. 1666,3. Regem Franciæ excommunicat. 509,5. Literæ ejus: ad Abbatem S. Auguſtini; 1808,14. 1809,12. ad Theobaldum Cantuarienſem; 1809,41. 1811,15. 1812,61. ad Silveſtrum Abbatem S. Auguſtini; 1813,16. ad conventum. 1813,43.
Evilmerodachus, veritus ne pater reſurgens Regnum reciperet, cadaver ejus effoſſum minutatim diſcerpit. 563,23.
Euridices ſcelera. 368,38.
Euſebius, Hiſtoricus. 431,31.
Euſtachii Comitis Bononienſis uxor & filii. 472,8.
Euſtachius, Abbas Flaienſis, concionatur & miracula operatur in Anglia. 2417,4. Epiſcopis ei invidentibus, in Normanniam cedit. 2417,16.
Euſtachius de Veſcy, Baro nobilis. 2422,33. Uxoris ejus pudicitiæ inſidiatur R. Johannes; 2422,34. ſed ejus loco meretrix ſupponitur. 2422,54. Rex Euſtachium deridet; 2422,57. ſed mox, veritate cognita, ei mortem minatur. 2422,64. Euſtachius bellum contra Regem movet. 2422,66. In conflictu cadit. 2423,52.
Euſtachius, Epiſcopus Elienſis, & Regni Cancellarius. 699,64. 701,15. 1275,41. 1597,53. Literæ Innocentii III ad eum. 1850,20. Regis Johannis ad eum literæ. 1852,22. Ejus ad Regem literæ. 1853,3. Ob ſententiæ Papalis executionem Rex eum proſcribit. 2415,49.
Euſtachius, Epiſcopus Londinenſis. 2133,56.
Euſtachius, F. Euſtachii Bononienſis, Doveræ multos interficit. 184,29. 942,34. 2331,12.
Euſtachius F. Johannis cum Scotis contra Stephanum pugnat. 319,26. Cur a Rege ſuo defecerit. 343,8.
Euſtachius, R. Stephani F. 278,9. Galli ſororem ducit. 1027,56. 1350,28. Ducatum Normanniæ ſuſcipit. 1350,32. Hæres Regni a P.R. conſtituitur. 279,30. Vehementer commovetur ob pacem a patre cum Henrico initam. 1374,23. Terras S. Edmundi deprædatur. 1374,28. Inſanus obiit. 282,24. 527,45. 1037.26. 1374,35.
Eutropius. 431,35.
Eutychius, Epiſcopus CP. hæreticus, a Gregorio M. vincitur. 727,1.
Excommunicationem præcedat admonitio, 1455,9. Excommunicandi formæ. 1982. Excommunicationis ſententia quam horrenda. 736,38. Excommunicati, non defendendi. 929,38. Eorum conſortium quam noxium, miraculo oſtenditur. 1360,22. Ob excommunicationem prædicatio vel auditio verbi non omittenda. 2648,49. 2661,16. Opiniones quædam Wicliff, ejuſq; ſociorum, de excommunicatione. 2650,39. 2659,24. 2670,28. 2707,31. Excommunicatio Papalis in Cantia contemnitur, 1531,30. Archidiaconus

Pictavienſis ab Archiepiſcopo Cantuarienſi excommunicatus an ſententiæ ſe ſubmittere debeat. 540, 8. Excommunicandi non ſunt Regii miniſtri, vel de Rege tenentes, Rege inconſulto. 536, 30. 1387, 16. Excommunicati ab uno Epiſcopo non ſunt ab alio in communionem recipiendi. 248, 39. 254, 7. Excommunicatos ad ſacramenta & ſepulturam Templarii & Hoſpitalarii admittunt. 1454, 4. In excommunicatorum terris quænam ſacra celebrare liceat. 1229, 42. 1230, 24. Quidam poſt mortem excommunicati, e ſepulcris ejiciuntur, 2620, 37. Bernardus dæmonem excommunicat. 1004, 66. Dæmon excommunicatum corripit. 953, 54. 2368. 1. Excommunicatus, dudum poſt mortem redivivus, a presbytero, qui eum excommunicaverat, item redivivo, abſolvitur. 736, 737.

Exemplis malis ducimur facilius quam bonis. 540, 66. Felix qui alieno exemplo ſapit. 2441, 46. Exemplorum uſus & efficacia. 1335, 53. Hæc in hiſtoriis continentur. 1336, 12.

Exenia, vulgo *præſentia*. 1478, 19. Scribendum *xenia*.

Exleges, non fovendi. 929, 38. 2356, 14.

Exonia, vel Exceſtria, vel Exanceſtria, Britannice, Caerwiſc, Latine, *Civitas aquarum*. 128, 6. 155, 64. A Dacis ſpoliatur. 165, 14. A Willielmo Conquæſtore obſeſſa, quaſi ultro decidit. 2344, 11. Ibi collocatur cathedra Epiſcopi Cornubienſis; 975, 61. diœceſibus duabus in unam conflatis. 801. 10. ¶ Exonienſes Epiſcopi; *Athelſtanus*, qui Cornubienſis vocatur; *Eadulfus*, *Leofricus*, Cridiatunenſes vocati; *Osburnus*; *Galfridus*; *Willielmus*; *Robertus*; *Robertus*; *Bartholomæus*; *Johannes*; *Henricus*; *Walterus Stapleton*; *Thomas Brentingham*. ¶ Exoniæ Dux: *Johannes Holande*.

Exſta. V. *Fimus*.

Exſules, non paſcendi. 923, 56 & 66.

F.

FAcetiæ. 911.

Faganus & Duvianus a P. R. in Britanniam miſſi. 725, 14. 1686, 64.

Falſarii, ſeu monetæ corruptores. V. *Moneta*.

Falſus teſtis qua mulcta puniendus. 843, 1.

Fama quam creſcat eundo. 2641, 20.

Famelici, cibos nacti, nimia voracitate pereunt. 2595, 11.

Fames. 160, 45. 165, 61. 199, 16. 251, 36. 465, 26. 482, 36. 798, 34. 870, 41. 872, 54. 885, 54. 966, 38. 982. 20. 2344, 52. 2435, 42. 2436, 49. 2444, 36. 2502, 57. 2737, 33. V. *Annona*. Fames, peſti prævia. 1271. 28.

Faricius, Abbas Abingdonienſis. 2379, 32.

Farna, inſula deſerta, Cuthberti precibus fit habitationi accommoda. 4, 46. Lindisfarnenſi inſula minor. 112, 47.

Faron, locus in Hiſpania. 1178, 4.

Faverſham. V. *Feverſham*.

Febris quartana deſcribitur. 410, 55. 411, 16. & 43. 412, 24. Febre vel dyſenteria mori cur optarit Lanfrancus. 2363. 54.

Fedlimidius, R. Hiberniæ. 1074, 35.

Felix, Epiſcopus Orientalium Anglorum. 745, 50. 1635, 5. Epiſcopalem ſedem *Felix-ſtowe* vocat. 747, 14. V. *Dimmok*: Ejus ſepultura, & tranſlatio. 747, 16.

Felix, Prior Doverenſis. 1597, 22.

Fel paganorum in uſum medicorum aſſervatum. 1213, 12.

Feneſtræ lapideæ & vitreæ quando primum Anglis uſitatæ. 1694, 43

Fedogildus. V. *Theologildus*.

Ferires. ¶ Comites de Ferires, vel de Ferrariis: *Robertus*; *Willielmus de la Bruer*; *Robertus*; *Humfridus de Boun*.

Ferrum judiciale, ſeu ordalii. 846, 67. 848, 32. V. *Ordalium*.

Feſtum Nativitatis ab Ethelberto R. Cantiæ celebratur. 1761, 21. Feſta majora, Nativitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, quibus in locis a Regibus Angliæ celebrari conſueta. 979, 57. 996, 7. 998, 35. Feſtum Corporis Chriſti. 2269, 44. Feſtum S. Trinitatis. V. *Trinitatis feſtum*. Feſtum Omnium Sanctorum; 2239, 22. SS. Catharinæ & Magaretæ; 2150, 23. S. Johannis ante portam Latinam; 2150, 25. S. Edwardi; 921, 7. S. Dunſtani; 921, 9. S. Gregorii, & Auguſtini, 1641, 18. 1772, 36. Duplex feſtum in honorem S. Auguſtini inſtituitur. 2119, 30. Feſtum SS. Philippi & Jacobi jejunium prævium non habet. 920, 60. Feſtis diebus interdictum ordalium, & juramenta. 830, 64. 920, 67. Operari in iis, periculoſum. 40[illegible], 40. V. *Dies*. Feſta Sanctorum celebranda, negant Wiclivitæ. 2708, 9.

Feverſham, vel Faverſham. 1788, 34. 1828, 4. 1836, 62. 1843—1862. 1883, 49. 1894. 1980. 2019, 34 2074, 6. 2129, 27. Appropriatio Eccleſiæ. 2091. Portio, & onus vicarii. 2091, 58. De donatione Eccleſiæ Feverſhamenſis litigant Auguſtinenſes cum Rege, 1843—1856. & cum Archiepiſcopo & cum Archidiacono, 1857, &c. Feverſhamenſium literæ ad P. R. 1848, 15. Abbas & monachi Auguſtinenſes inde per vim ejiciuntur. 1848, 33. Hubertus Cantuarienſis excommunicat omnes qui vim ipſis intulerant. 1849, 33. Idem facit P. R. 1850, 20. Feverſhamenſe monaſterium fundatur. 280, 16. 529, 12. 1366, 6. 2154. ¶ Ejus Abbates: *Clarebaldus*; *Guerricus*; *Algarus*. Compoſitio inter conventum S. Salvatoris de Faverſham & Auguſtinenſes. 1959, 51. Alia. 2006, 46. Valor iſtius Abbatiæ. 2165, 28.

Fidelitas dominis præſtanda. 921, 41.

Fihtwita, quid. 923, 60. 957, 39.

Filiorum in patres inſurgentium exempla. 562—567. Filios nimia indulgentia corrumpit. 563, 53.

Fimus, exſta, &c. procul a villis projiciantor. 2733, 52.

Finanus, vel Finianus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 2, 22. 787, 44. 1636, 27. Pedam, Principem Merciorum, baptizat, 2, 32. 721, 21. & Sigbertum, Regem Orientalium Saxonum. 2, 37.

Firdfare, quid. 929, 25.

Firthunga. 923, 39 & 51.

Firthwite. 923, 61.

Flamines & Archiflamines Britonum in Epiſcopos & Archiepiſcopos mutati. 721, 17.

Flandria jactatione arenæ deſolata; 1003, 21. Flandrenſes in Anglia locum habitandi obtinent. 1003, 19. 2377, 15. Inde abiguntur. 1643, 52. 2530, 20. Texendi ars iis quaſi propria & familiaris. 1349, 65. Flandrenſes milites a R. Stephano adſciti, 1346, 6. ceu lupi famelici rapinas exercent: 1349, 67. Henrici Ducis mortem machinantur: 1376, 11. Voracitatis dignam mercedem reportant. 1426, 31. Flandrenſes pacem cum Anglis cupiunt. 2713, 14. Gravelingæ caſtrum deſtruere nolunt. 2713, 25. Gravis diſſenſio inter ipſos & Francos. 2713, 37. Flandrenſis Comitatus exordium. 811, 59. ¶ Flandrenſes Comites: *Baldewinus*; *Arnulfus*; *Baldewinus*, *F. Arnulfi*; *Baldewinus cum barba*; *Baldewinus de Inſula*; *Robertus Friſo*; *Baldewinus*; *Baldewinus*; *Carolus*, *F. Canuti*; *Willielmus Longaſpata*; *Theodoricus*; *Philippus*; *Baldewinus*.

Flemenefremes, ſeu *Flemenſrede*, quid. 2015, 26, 2031, 6.

Flintæ caſtrum fundatur. 2462, 17.

Flithwita, quid. 957, 37.

Floreni valor. 2150, 45.

Floriacenſis. V. *Hamonius*.

Fluvii aquis deficiunt. 232, 44. 236, 38. 1003, 63. 1005, 35. 2379, 16 & 28. 2383, 39. Si quid erigatur quod iis ſit impedimento, deſtruendum. 2357, 57. Fluvii fimo, exſtis, &c. non polluendi, 2733, 52.

Fluxus interaneorum, Anglice *Schitta*, totam Angliam vexat. 161, 55, 878, 44. 2315, 1.

Flyman, quid. 837, 23. 844, 11.

Foderochus, Epiſcopus S. Andreæ. 1709, 22.

Fœminæ ſuffragiorum jus Athenis olim habuerunt: 815, 34. Quomodo amiſerint. 815, 42. Cur ab Eccleſia S. Cuthberti arceantur. 16, 20. Fœmina, quæ tantum ejus cœmeterium introierat, celeri vindicta punitur: 17, 14. Alia ejuſdem temeritatis rea ſeipſam jugulat: 17, 35. Alia introire conata, ſtatim moritur. 36, 8. Fœminarum conſortium clericis interdictum. V. *Clerici*. Fœmina Miſſam celebrans. 2738, 5.

Fœnus prohibitum Chriſtianis. 1258, 54. Vide 1274, 6. Fœneratores manifeſti vivi ab Euchariſtia, mortui a Chriſtiana ſepultura arcendi. 1447, 19.

Folcmot, i. e. populi placitum, armis non turbandum. 825, 61.

Folcſtonenſe monaſterium a Paganis deſtructum. 2220, 13. Ejus valor. 2168, 1. Terræ ejus Eccleſiæ Chriſti Cant. donantur. 2220, 7. 2224, 11.

Fons Ebrardi, vel Embrardi, vel Embraldi, vel Ebrulfi: Ibi monaſterium Virginum. 1151, 18. Ibi Ricardus I ſepultus, 1277, 62. 1279, 48. & Henricus II. 1151, 19 & 32. xxiv hujus Abbatiæ virgines in Abbatia Ambresburienſi collocantur. 116, 44. 1434, 61. Quantum huic monaſterio legaverit Henricus II. 1460, 17.

Fons mirus in Sicilia. 1010, 67. Alii duo ibidem. 1011, 11. Alii, in Hibernia. 1077, 36. Fons S. Edwardi. 875, 1. Fons de Wy, juxta Cantuariam, miraculis claret. 2417, 6.

Fontanenſe monaſterium ad Ripum. 838, 39. 1028, 29. ¶ Abbates: *Ricardus I*; *Ricardus II*; *Henricus Murdac*.

¶ Fordenſis

¶ Fordenſis Abbas : *Baldewinus.*

Fordwich. 1770, 24. 1777, 49. 1784, 50. 1788, 14. 1838. 48. 1940, 1941, 42. 2128, 51.

Foreſtæ. 311, 51. 1022, 35. Foreſtariorum rapacitas cohibetur. 647, 34. Canes omnes per foreſtas occiduntur, 2417, 50. Charta de Foreſta conceditur. 2523, 15. 2528, 67. Foreſta Nova, Anglice *Ytene*, 225, 8. 981, 28. ſeu *Ychene*. 996, 10 & 28. Willielmus Conquæſtor ejus autor dicitur : 2254, 13. Sed rectius tribuitur Rufo F. 2354, 55. 2373, 37. qui ibi ſagitta periit. V. *Willielmus II.*

Forſang, quid. 847, 7.

Fotherus, epiſc. Sherbornenſis. 758, 54. Is eſt forſan qui vocatur Fortherus. 2212, 13.

Foriſfacturæ. 311, 43. 1022, 25. Fiſco addicuntur. 894, 39. Vide 1388, 16.

Formæ in homine an duæ ſint, an tantum unica. 2467, 22 &c.

Formoſus, P. R. 1644, 3. 2241. Perjurii erat reus. 452, 29. ejus literæ ad Epiſcopos Angliæ, de Cantuarienſis primatu. 453, 13. 1751, 16. Cadaver ejus a ſucceſſore dehoneſtatur : V. *Stephanus* VI. Ab imaginibus adoratur. 452, 51.

Fornicationis pœna. 823, 23. Fornicationi & adulterii gradus & pœnæ. 928. Clerici fornicantes officio & beneficio privandi. 1429 45.

Foragium pro caſtro Doverenſi, olim a Cantianis exactum, dimittitur. 1880. 40.

Forſtall, quid. 923, 51. 957, 27. 2031, 9.

Fractor burgi Regis, Archiepiſcopi, &c. quomodo puniendus. 826, 8. Fractor ſepis. 826, 13.

Francia quando primum admiſerit ſtudia literarum. 816, 21. Francorum origo, & Reges a Pharamundo ad Ludovicum Philippi filium. 1016, 60. Eorum Reges a Regibus Angliæ nunquam ſuperiores habiti. 608. 11. eorum tres claſſes. 608, 45. Franciæ Regi cum Duce Normanniæ colloquium inituro nec gladium nec cultellum ſerre licuit. 856, 47.

Franciſcanorum, ſeu Minorum fratrum, ordo incipit. 1725, 31. 2259. 2418, 23. 2421, 48. Quando primum in Angliam venerint. 2422, 13. 2430, 49. Franciſcani quidam contra Papam locuti, igni adjudicantur. 2609, 61.

S. Franciſcus. Ejus patria. 2421, 49. Habitus. 2421, 52. Diſcipuli & diſciplina. 2421, 55. mors. 2422, 3.

Fredbertus. V. *Friothubertus.*

Fredericus, Abbas S. Albani. 480, 40.

Fredericus I, Imp. ab Adriano P. R. conſecratur. 530, 61. 2388, 62. Alexandrum III, P. R. abjurat, & Octaviano favet. 548, 4 &c. 1381, 20. Seuſam ſuccendit. 584, 66. Gallum oppugnans, ab Anglo fugatur. 2388, 66. Alexandriam obſidet. 585, 1. Mediolanum vaſtat. 590, 51. 1049, 25. 2389, 3. A Mediolanenſibus vincitur. 591, 10. 1116, 15. Alexandrum P. R. agnoſcens, abſolvitur. 598, 40. 1049, 56. 1129. 62. 1438, 47. Quem honorem Papæ exhibuerit. 598, 50. 1130, 17. 1438, 59. Ejus literæ ad Ciſtercienſes, de ceſſatione ſchiſmatis. 1440, 29. Redit in Germaniam. 600, 41. Coronatur. 600, 49. Uxorius fuit. 601, 64. Henricum F. coronari facit. 625, 23. Henricus F. ducit filiam Regis Siculi. 629, 40. 677, 51. Ipſe & Henricus F. Mediolani coronantur. 629, 44. Gravis oritur diſcordia inter ipſum & P. R. 1479, 25. Coram Imperii Principibus conqueritur de injuriis ipſi a Papa illatis. 632, 56. Literæ ejus ad Anglum, tranſitum & forum victualium ejus exercitui promittentes. 637, 21. Ejus ad Saladinum literæ, bellum minantes. 640, 23. Iter Hieroſolymam verſus arripit. 645, 30. 1164, 20. Theſſalonicam capit. 1164, 45. Imperator CP. tranſitum ei dare cogitur. 1164, 48. Soldanum Iconii vincit. 1164, 64. In fluvio ſubmergitur. 655, 64. 1165, 6. 2389, 8. 2399, 41. Varia de ejus morte narrantur. 1165, 16. De ejus corpore quid factum. 1165, 38.

Fredericus II, Imp. 2413, 15. Ejus coronatio, & res geſtæ. 2416, 30. 2441, 12. Uxor. 2431, 44. Ob injurias Eccleſiæ illatas excommunicatur. 2441, 20. Papa eum deponit. 2435, 30. 2441, 34. Ejus literæ ad Chriſtianos Principes contra Rom. ſedis ſuperbiam & tyrannidem. 2441, 44. Clericos ſategit a faſtu & luxu ad priſcam humilitatem & pietatem revocare. 2442, 46. A Legato Papæ & Parmenſibus ſuperatur. 2443, 13. Moritur. 2435, 44. 2443, 19.

S. Fredeſwidæ tranſlatio. 1142, 32.

Frid-ſtol, i. e. cathedram pacis, violare, quam ſacrilegum. 308, 37.

Friothubertus, vel Fredbertus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 10, 63. 100, 39. 298, 33.

Friſones miram victoriam obtinent. 467, 25. Convertuntur. V. *Wilfridus.*

Fritheſtanus, vel Fretheſtanus, Epiſc. Wintonienſis. 154, 48. 453, 7. Dicitur Wiltonienſis. 838, 51. Huic Miſſam pro defunctis cantanti, mortui reſpondent, *Amen*. 454, 22. Quod miraculum Birſtano hujus ſucceſſori Johannes Brompton videtur tribuere. 838, 52. Se Epiſcopatu abdicat. 454, 20.

Frithmannus. 900, 9.

Frithſoken, quid. 957, 28.

Frithwoldus, R. Northumbriæ. 91, 1.

Frithwaldus, Epiſc. Candidæ Caſæ. 106, 19.

Fruges non exportandæ. 1258, 14.

Fulco Bonus, Comes Andegavenſis, Canonicus S. Martini exſiſtens, feſta ejus inter clericos, clericali habitu indutus, celebrat. 455, 40. Ejus devotionem Rex & proceres derident. 455, 52. Ejus ad Regem literæ. 455, 57. Leproſum humeris defert ad Eccleſiam S. Martini. 456, 10. S. Martinus ei apparet. 456, 19. Succeſſorum proſperitatem angelus ei prædicit. 456, 25. Subito moritur. 456, 31.

Fulco, F. Fulconis Rechin, dotalitiis incrementis dominium dilatat. 501, 54. 615, 46. Filiam ſuam Angli filio deſponſat : 1012, 21. 2380, 59. Quo ſubmerſo, dotem repoſcit. 247, 10. Ipſe Regis Hieroſolymitani filiam & Regnum accipit : 503, 40. 615, 53. In quo Regno ejus filii ei ſuccedunt : 503, 49. 615, 57. V. *Hieroſolyma*. Quam ſtrenue contra Paganos ſe geſſerint. 503, 50.

Fulco Nerra, Comes Andegavenſis. 615, 43. Landricum Ambazio expellit. 462, 40. Conanum, Comitem Britanniæ, bis vincit. 462, 44. 463, 13. Hieroſolymam ter adit. 463, 54 & 59. 464, 55. Quomodo in ſepulcrum & Crucem Domini minxerit. 464, 1. Gaufridus Martellus F. eum redeuntem excludit. 464, 9. 567, 15. Tandem reconciliantur. 464, 13. Monaſterium conſtruit. 464, 17. Odonem Campanienſem bello vincit. 464, 27. Hugonem, Comitem Belvacenſem, coram Rege Franciæ trucidari jubet. 464, 49. Aliæ res ab eo geſtæ. 464, 50 &c.

Fulco, propheta in Gallia. 1274, 3. Monet Ricardum I, ut tres filias maritet. 2412, 20. (ſed illud Rothomagenſi tribuitur. 1278, 65.) In vincula conjicitur, ſed ligari nequit. 2412, 30.

Fulco Rechin, Comes Andegavenſis. 615, 44. Ejus uxores, poſteri, res geſtæ. 481, 49.

Fulco Ruffus Comitatum Andegavenſem adipiſcitur. 453, 35. 615, 41.

Fuldenſis Abbatis privilegium. 470, 60.

Fulgura. 2444, 20.

Fulmina. 239, 50. Fulmine percutitur monachus ; 709, 13. ſacerdos. 2397, 35. Fulmen Eccleſiam Wincelcombenſem perforat, & imagines Chriſti & B. virginis dejicit. 216, 63. 987. 36. 2364, 18. V. *B. Maria.*

Funera. V. *Vigiliæ.*

Furceus de Hibernia in Angliam venit. 745, 60. 1636, 5. Ejus viſio de quatuor ignibus. 745, 65.

Fures, *cohors*, & *exercitus*, quomodo differant. 762, 49. 828, 36. Qua ætate cavendum ſit a furto. 762, 26. Quoto ætatis anno ſit furtum abjurandum. 924, 51. Furibus obviantes, eoſque ſine vociferatione dimittentes, quomodo puniendi. 925, 46. Quomodo puniendi, qui audita vociferatione non exierint. 925, 51. Fur gravius puniendus, ſi familia ejus fuerit furticonſcia, quam ſi neſcia. 762, 21. Qui furatur die feſto, vel in quadrageſima, dupliciter puniendus. 822, 52. De furatis in Eccleſia. 822, 57. De vaccam, vel equam, furato. 823, 55. De furto celato. 764, 37. 930, 61. De homine furti accuſato. 837, 2. Furi non parcendum. 841, 48. De vindicantibus fures. 842, 39. 844, 7. 849, 34. 850, 18. 852, 44. De furibus capiendis. 859, 55. De eo qui furem primus dejecerit. 853, 64. De fure incarcerato. 841, 56. De fure occiſo. 762, 65. 764, 26. 843, 6. Munus a fure non accipiendum. 843, 45. Fures, morte afficiendi. 849, 16. 852, 33. 854, 24. Cujus ætatis, & pro quo pretio, ſint occidendi. 855, 50. Fures & latrones, ſuſpendendi. 231, 5. 1000, 46. 2377, 59. Henricus II fures ab Eccleſiis, ad furcas abripuit. 2400, 28. Erga fures quam mitis fuerit Johannes de Gaunt. 2642, 40. De fure qui perſonam vel locum pacis adierit. 849, 16. 2355, 55. De divitibus vel generoſis a furto non deſiſtentibus. 858, 63. Furis bona quomodo dividenda. 847, 58. 852, 36. De ſervo fure. 860. 4. De pecore quod fur abegerit inveſtigando. 848, 10. 853, 22. 854, 27. 860, 13. Furtum indagare per artem necromanticam, illicitum. 2146, 24. Plura de Furto, & Furibus. 765—767. 828. 840. 843. 896. 897, 35. 900, 22. 902, 54. 925, 31. Fur Edwardo Confeſſore inſpectante, theſauros ejus compilat.

376, 47. Apud S. Borulſum fures tempore nundinarum villam incendunt, quo liberius rapinam exerceant. 2466, 36.

G.

¶ GAinorum Comes : *Ethelredus.*
Gaitheli, Hiberniæ populi, unde dicti. 1074, 20.
Galerannus, Comes de Mellant; adverſus Henricum I caſtella munit. 250, 33. Capitur. 251, 29. Liberatur. 256, 10.
Galfridi *de Nine ſalvo* carmina in obitum Ricardi I. 1280, 21.
Galfridus, Comes de Mandavilla, vel Magna-villa, caſtella ſua Stephano reddit. 1360, 9. Abbatiam Rameſienſem in caſtrum convertit. 273, 15. 1033, 2. 1360, 15. Gramen cui incubuerat mirum in modum marceſcit. 1360, 22. Excommunicatus obit. 1033, 14. 1360, 29.
Galfridus, Epiſc. Exonienſis, 983, 32.
Galfridus F. Petri. V. *Gaufridus.*
Galfridus, Henrici II F. hæredem Comitis Britanniæ ducit. 548, 64. Ejus liberi. 630, 67. 1049, 20. 1145, 61. Miram rationem reddit cur adeo a pace fuerit alienus. 1045, 56. 2393, 22. Moritur. 1145, 60. 1480, 31. Poſt ejus mortem uxor ei filium Arturum parit. 635, 2.
Galfridus Monemutenſis, Hiſtoricus. 725, 39. Fabuloſæ ejus de R. Arthuro hiſtoriæ. 1153, 54. Culpatur, quod tres Archiepiſcopos in Britannia eſſe dixerit. 1634, 61.
Galfridus Plantagenetus, Fulconis Rechin, Comitis Andegavenſis, hæres. 503, 45. Ejus genealogia. 473, 38. Matildem Imperatricem ducit. 504, 41. 615, 63. 1016, 26. Eam repudiat. 256, 19. 1018, 41. Turbas movet in Normannia. 258, 52. 312, 37. Caſtella obtinet. 505, 61. Totam Normanniam ſubjugat. 1350, 55. 1361, 53. Cum Anglo inducias paciſcitur. 506, 25. Dux Normanniæ appellatur. 508, 38. Ducatum reddit Henrico F. 525, 18. Emma, ejus filia illegitima, Wallenſium Principi Davidi nubit. 585, 6. Ejus teſtamentum, quo Comitatum Gaufrido juniori filio relinquit. 1048, 43. Obit. 279, 62. 525, 66. 1370, 1.
Galfridus, vel Gaufridus, Rufus, Cancellarius Regis, fit Epiſc. Dunelmenſis. 62, 49. 257, 45. 505, 13. Mortuus, a ſuis inſepultus ſervatur. 270, 2.
Galli Vectam inſulam, & alia Angliæ loca, depopulantes, 2152, 67. repelluntur. 2153, 11. Angliam invadere conantur. 2181, 30. Villam Stonoram incendunt, 2181, 64. Abbas S. Auguſtini eos fugat. V. *Francia.*
Gallong. 1258, 25.
Galwenſium Scotorum armatura; 340, 18. 573, 20. fiducia; 342, 20. fortitudo. 342, 31. 345, 24.
Gamius, Saracenorum Rex, occiſus ab Hiſpanis. 624, 3.
Gandavenſes Regis Franciæ inſidias mire evadunt. 2680, 21.
Garwintonæ capella. 1842, 7.
Gavelgilda. 762. 13.
Gaufridus, Abbas S. Mariæ, Eboraci. 206, 26. 1717, 37.
Gaufridus, vel Godefridus, Artur, Epiſc. Sanct-aſaphenſis. 527, 9. 533, 27. 1039, 56. 1367, 20. 1432, 8. 1665, 48. Epiſcopatum deſerit, & fit Abbas Abingdonienſis. 1102, 7. 1674, 41.
Gaufridus de Gorram, Abbas S. Albani. 503, 59. 509, 23.
Gaufridus de Rancuna. 603, 57. Anglus ejus terram vaſtat. 674, 32. 675, 9.
Gaufridus, Epiſc. Ciceſtrenſis. 1157, 14. Hic forſan ille eſt qui vocatur Seinfridus. 1457, 67.
Gaufridus, Epiſc. Coventrenſis. 703, 50. 1604, 1.
Gaufridus, Epiſc. Menevenſis. 1681, 36.
Gaufridus vel Galfridus F. Petri. 659, 14 & 28. 1194, 45. 1604, 32. Fit Præfectus Angliæ, 1275, 65. 1614, 20. &. Comes Eſſexiæ. 1851, 7. Literæ ejus ad conventum S. Trinitatis, Cant. 1614, 50. 1615, 43.
Gaufridus, *Griſa tunica* vocatus, Comes Andegavenſis. 459, 22. Ipſe, ejuſque poſteri, Regum Franciæ Signiferi & Dapiferi conſtituuntur. 458, 42. Ethewolfum Danum, qui ſingulari certamine complures Francorum devicerat, proſternit. 459, 7. Danorum exercitum fundit fugatque. 459, 27. Bertoldum Ducis Saxoniæ fratrem vincit. 459, 50. Moritur. 459, 61.
Gaufridus, Henrici II ſpurius F. fit primo Archidiaconus, poſtea Epiſcopus, Lincolnienſis. 568, 30. Caſtella quædam capit. 1093, 30. Electio ejus confirmatur, ſed prius obtenta diſpenſatione. 582, 7. 586, 64. 1103, 5. Lincolniæ recipitur. 587, 2. Electioni renuntians, 613, 3. fit Regni Cancellarius. 613, 12. 1458, 66. Eligitur Archiep. Eboracenſis, 653, 22. 1155, 21. 1156, 55. 1724, 3. refragantibus tamen nonnullis. 1156, 67. Cantuarienſis prohibet ne ab aliquo alio quam ab ipſo ordines ſacros vel conſecrationem ſuſcipiat. 1161, 66. Ordinatur presbyter ab Epiſcopo Candidæ Caſæ. 653, 31. 1162, 61. Epiſcopi provinciæ Cantuarienſis ſcribunt ad Epiſcopos Franciæ, prohibentes ne eum conſecrent. 1571, 5. Ab Archiepiſcopo Turonenſi conſecratur. 662, 65. 1576, 7. Ejus electio Papæ literis confirmatur. 653, 35. 1169, 17. 1224, 8. Eboraci recipitur. 1166, 27. Ricardus R. laicas omnes poſſeſſiones ei adimit. 1166, 36. 1588, 53. Regis gratiam, & terras ſuas, data pecunia redimit. 1169, 35. Lis oritur inter ipſum & Buchardum Theſaurarium. 1190, 31. Epiſcopus Dunelmenſis ei ſubjectionem præſtare jubetur : 1224, 13. ſed non præſtat. V. *Hugo, Dunelmenſis.* Dunelmenſis & Sariſburienſis ei conciliantur. 1169, 55 Rex ei ingreſſum in Angliam per triennium interdicit. 1171, 10. Elienſi jubente eum capi, 662, 55. 1224, 51. ejus ſervi ipſum ab altari avulſum per lutum ad carcerem trahunt. 663, 10. 1576, 11. Literæ conventus Cantuarienſis ad Elienſem, de hac ſacrilega audacia. 1576, 43. Elienſis ad eos literæ reſponſoriæ. 1577, 8. Godefridi Wintonienſis de atroci iſthac contumelia literæ. 1577, 27. Elienſis, Johannis Comitis minis territus, Gaufridum e carcere liberat. 1225, 1. Liberatus, ab Epiſcopo Londinenſi humaniſſime excipitur. 663, 47. Anathemate feriuntur omnes qui eum iſta injuria affecerant. 664, 10. Londinenſis eum acriter increpat, quod crucem portaſſet in provincia Cantuarienſi : 1237, 61. Idem facit & Roffenſis. 1584, 37. Exactionibus R. Johannis non conſentiens, exſulat, & poſſeſſionibus privatur. 1724, 20. In exſilio moritur. 1724, 39. 2426, 49.
Gaufridus, Magiſter Templi. 1554, 9.
Gaufridus Martellus, Comes Andegavenſis : Ejus fortitudo, & res præclare geſtæ. 473, 23, &c. Ejus hæredes. 474. 20. V. *Fulco Nerra.*
Gaufridus Martellus, F. Fulconis Rechin, inſidiis novercæ perit. 481, 66.
Gaufridus, Prior Beverlacenſis, Henrici junioris Cancellarius. 589, 53. Naufragio perit. 599, 20.
Gaufridus, Prior S. Trinitatis. 667, 9. 669, 43. 1863, 14. Idem qui Honorii tempore Supprior fuerat, & jura libertateſque Eccleſiæ ſuæ tam ſtrenue tutabatur. 1488, 15. 1506, 21. 1513, 65. 1515, 8. 1516, 9. 1425, 3. 1540. 16. 1544, 24. Quam invitus ad Prioratum acceſſit. 1570, 50.
Gaufridus Ridel, ad inſtantiſſimam Regis petitionem fit Archidiaconus Cantuarienſis. 511, 61. 534, 41. Fit Epiſcopus Elienſis. 568, 30. 581, 38. 647, 22. Inteſtatus moritur, & bona fiſco addicuntur. 647, 25. 1599, 44. Annulus pontificalis ei poſt ſepulturam furtive ſubtrahitur. 651, 37. Ejus facinoris rei anathemate feriuntur. 651, 40.
Gebmundus. V. *Gilemundus.*
Gelardus, Archidiaconus Menevenſis, Archiepiſcopatum Menevenſem ambit, & ſeptem Epiſcoporum ſubjectionem Cantuarienſi cathedræ ſubtrahere conatur. 1682, 14.
Gelaſius, Archiepiſcopus Armachanus. 1070, 65.
Gelaſius II, P. R. 238, 46. 502, 65. 1328, 18. 1715, 4. 2251, 2380, 29. Imp. eo fugato, Gregorium in ejus locum ſufficit. 238, 51. 1007, 12. 1661, 26. 2380, 35. Miſſis in Gallias epiſtolis, de Imp. queritur. 239, 1. Moritur. 2380, 41.
Gelu magnum. 487, 19. 1036, 4. 2365, 13. 2388, 54. 2627, 51. Gelu menſe Julio. 447, 11.
Gemolus, quid. 837, 38. 843, 56.
Genealogia Alfredi; 119, 37. Regum Cantiæ. 85, &c. Henrici II, & Davidis, Regis Scotiæ. 350, 22. 967, 7. Regum Franciæ. 1017, 1.
Gen. iij. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, &c. mire applicatur. 2765, 15.
Gennadius Chronica ad quotum annum deduxerit. 432, 9.
Gentiliſmus omnis prohibetur. 923, 5. Quid ſit. 923, 6.
Gerardus de Chanvilla, Comes Sariſburienſis. 1230, 37. Caſtrum Lincolnienſe adverſus Elienſem tuetur. 1223, 29.
Gerardus Puella, vel Pucella, vel Pulcella juris ſcientia & eloquentia præcellit. 1821, 37. Fit Epiſc. Coventrenſis. 618, 38 & 52. 1464, 32. Moritur, non ſine ſuſpicione veneni. 1465, 9.
Gerardus, vel Giraldus, Willielmi utriuſque Cancellarius. 1709, 17. Herefordenſis Epiſcopus. 225, 4. poſtea Archiepiſcopus Eboracenſis. 79, 41. 226, 25. 228, 31. 231, 17. 499, 5. 999, 4. 1745, 22. Henricus I pro eo ad P. R. ſcribit. 999, 61. Contra Anſelmi ſententiam a Rege inveſtitos conſecrat : 499, 21. 1000, 20. 2377, 13. Ob quod flagitium Paſchalis P. R. eum acerbe corripit. 497, 11. Papa eum jubet ſubjectionem Anſelmo profiteri. 497, 40. 1746, 2. Wintonienſis ab eo conſecrari recuſat. 228, 36. 499, 24.

999, 27. Obedientiam Cantuarienſi promittit. 230, 44. 500, 40. 2377, 51. Alii vero negant eum promiſiſſe. 1710, 1. Sedem Anſelmo paratam ſua celſiorem videns, pede ſubvertit. 1710, 42. Quæ Eccleſiæ ſuæ adquiſierit. 1710, 53. Moritur. 1745, 23. 1746, 16. 2375, 22. Quidam aiebant eum libidini & malis artibus deditum: 2375, 20. Ideoque ſepultura in Eccleſia ei negata. 2375, 25.

Gerbertus, qui & Gilbertus, 881, 14. magiſtri codicem aſtronomicum furatur. 881, 20. Quomodo magiſtrum inſequentem fuerit fruſtratus. 881, 32. Magiſter fuit Roberti Regis Franciæ, 460, 40. & Othonis Imperatoris; 881, 45. Archiepiſcopus Remenſis; 460, 38. Archiepiſcopus Ravennæ; 460, 53. poſtremo, Pontifex Romanus, vocatus Silveſter II. 460, 57. 881, 12. 2245. Diabolo homagium facit. 881, 40. Terra incantationibus patefacta, Ditem & admirandos theſauros videt, ſed prohibetur attingere. 881, 50. A diabolo quærens quamdiu viveret, deluditur. 882, 19. 1255, 11. Peccata confitetur. 882, 28. Unde colligatur, ipſum miſericordiam conſecutum. 882, 34.

S. Germani Epiſcopatus in Cornubia. 801, 13.

Gerondoniæ monaſterium. 2346, 21. 2396, 22.

Gervaſius Chronicon cui ſcripſerit. 1337. 40. Cur pro annis Chriſti *annos Gratiæ* dixerit. 1337, 47. Unde anni initium ſumat. 1337, 63. 1418, 38. Scopus libri De actibus Pontificum Cantuarienſium. 1629, 15. Cur Thomam Cantuarienſem adeo fuerit veneratus. 1418, 17. Erat Cantuarienſis Sacriſta. 1585, 18. Ejus opinio de portanda cruce Archiepiſcopali. 1585, 21. Ejus oratio cum crucem tradiderit Archiepiſcopo. 1585, 46.

Gervaſius, Stephani R.F. Abbas Weſtmonaſterienſis. 281, 44.

Geta, a paganis pro deo habitus. 119. 47. 138, 8. 351, 38.

Getredus, Epiſcopus Lindisfarnenſis. V. *Uthredus*.

Geve, Abbas Crecenſis. 21, 39.

Gewis, & Gewiſi. 119, 44. 138, 3. 351, 3. V. *Occidentales Saxones*.

Gilaldanus, Epiſcopus Candidæ Caſæ. 1720, 29.

Gilbertus Becket, civis Londinenſis, 1052, 30. Hieroſolymam voti cauſa profectus, 1052, 46. in vincula conjicitur. 1052, 53. Domini filia ipſius amore capitur. 1053, 1. Eam ad fidem convertit. 1053, 15. E carcere evadit. 1053, 24. Puella eum per terras & maria inſecuta, 1053, 33. tandem Londinum venit: 1053, 66. ubi baptizata, 1054, 52. ei nubit. 1054, 66. Prima nocte Thomam F. ex ea gignit. 1055, 2. Poſtridie Hieroſolymam rurſus petit. 1055, 4. Redit. 1055, 36. Uxoris adhuc prægnantis ſomnium, 1055, 40. ejuſque interpretatio. 1055, 46. Aliud, paulo ante partum: 1055, 54. Aliud, poſt partum. 1055, 58. Gilbertus, ad pedes filii procidens, futuram ejus magnitudinem prædicit. 1056, 19.

Gilbertus, Comes de Clara. 508, 45.

Gilbertus de Clara, Comes Gloceſtriæ. 2446, 43. Militaribus armis induitur. 2449, 34. Diſcordia inter ipſum & Leiceſtrenſem orta, 2451. 43. ejus præcipue opera Edwardus I ex cuſtodia evadit. 2451, 56. Ad Edwardum ſe confert. 2452, 31. Edwardi filiam ducit. 2468, 58. Obit. 2507, 22.

Gilbertus de Clare, Comes Gloceſtriæ & Herefordiæ. 2137, 51. 2533, 45. Ejus poſteri. 2584, 46.

Gilbertus de Glanvilla, Epiſcopus Roffenſis. 629, 2. 665, 25. 678, 36. Conſecratio ejus a Priore Cantuarienſi impeditur, donec profeſſionem ad altare Chriſti Cantuariæ fecerit. 1475, 36. Profeſſione facta, conſecratur. 1477, 50. Ejus ad monachos S. Trinitatis oratio. 1514, 32. Regi adulatur. 1554, 43. Cum Elienſi de Cantuarienſis Eccleſiæ privilegiis expoſtulat. 1564, 64 &c. 1568, 36.

Gilbertus Foliot, Epiſc. Herefordenſis. 533, 26. 534, 65. 1365, 51. Rege & Papa rogantibus, ad Londinenſem cathedram transfertur. 535, 59 &c. 595, 10. 1061, 3. 1384. 3. Quod conſilium Thomæ Cantuarienſi dederit. 1390, 2. Cantuarienſis ad eum literæ. 542, 59. Cantuarienſis ei mandat, bona Eccleſiæ Cantuarienſi ablata reſtituere. 545, 40. Ejus ad Alexandrum, P. R. literæ. 548, 32. Cantuarienſem metuens, Papam appellat. 549, 22. 1391, 58. Cantuarienſem ſtultitiæ arguit. 1392, 10. Excommunicatus, 549, 27. 1062, 45. abſtinet ab ingreſſu Eccleſiæ. 550, 5. Romam tendenti inſidiæ ſtruuntur. 550, 58. 551, 64. Ejus coram P. R. adverſus Cantuarienſem oratio. 1394, 44. Papa mandante, 552, 5. 1068, 16. abſolvitur. 552, 14. Papa cum anathemate ferit. 554, 19. Abſolvitur. 557, 38. Officio reſtituitur. 560, 10. Coronationi novæ Reginæ intereſſe probibetur. 560, 60. Cantuarienſis peregre profecti vices ſupplet. 1126, 20. 1434, 30. Moritur. 634, 33.

Gilbertus, Galwenſium Dux. V. *Uctredus*.

Gilbertus, P. R. V. *Gerbertus*, & *Silveſter II.*

Gilbertus, Ulyſſipponenſis Epiſcopus, Anglos ad Hiſpalin expugnandam ſolicitat. 278, 45.

Gilbertus Univerſalis, Londinenſis Epiſcopus. 504, 43. 1016, 30.

Gildas Britannicus. 432, 25. 956, 18.

Gilebertus. V. *Gilbertus*.

Gilemundus, vel Gebmundus, Epiſc. Roffenſis. 792, 62. 1638, 44.

Gillonis ſubita mors, & diri apud inferos cruciatus. 40, 54.

Gilo de Bruſe, Epiſc. Herefordenſis. 707, 42.

Giltwithe, quid. 957, 41.

Giraldus, Hiſtoricus. 1015, 46, 1044, 9. 2391, 44. Erat Archidiaconus Landavenſis. 1149, 4. Quando Itinerarium, & Topographiam ſcripſerit. 1149, 5. 2399, 23. Idem forſan hic cum eo qui vocatur Gelardus. 1682, 15.

Girardus, Abbas Caldenſis. 1720, 30.

Girvenſe monaſterium. 4, 5. 12, 59. 44, 11. Deſtructum reædificat Aldwinus. 44, 13. 473, 16. Eccleſia ibi flammis abſumitur. 199, 54. 966, 19. 2344, 59. Girvenſes monachi Walcherum Epiſcopum occiſum ſepeliunt. 48, 34. Una cum Wiramuthenſibus Dunelmum veniunt. 51, 7. ¶ Abbates: *Benedictus*; *Eaſterwinus*; *Sigfridus*; *Ceolfridus*; *Hwetbirthus*. V. *Wiramutha*.

Giſa, vel Guiſo, Epiſc: Wellenſis. 190, 14. 387. 1. 478, 18. 483, 21. 1653, 18.

Giſeburnenſis domus fundatur. 1018, 31. Ejus Chronica. 1209, 34. ¶ Ejus Prior: *Cuthbertus*.

¶ Glamorgacenſes, vel Clamorgacenſes, Epiſcopi: *Urbanus*; *Uthredus*; *Nicolaus*.

Glappa, R. Northumbriæ. 90, 60.

Glaſguenſis Epiſcopus ab Eboracenſi ſuſpenditur. 245, 30. Eboracenſi ſubjectionem profitetur. 1700, 44. Olim non erat ei ſubjectus, 1742, 56. ſed Cantuarienſi. 1746, 25. ¶ Glaſguenſes Epiſcopi: *Cantugernus*; *Magſuem*; *Johannes*; *Michael*; *Johannes*; *Herbertus*.

Glaſtonia. V. *Avalana*. Monaſterium ibi fundatum. 155, 47. 358, 30. 359, 57. 758, 36. 868, 27. Quorumnam Sanctorum reliquiæ illuc tranſlatæ ſint. 758, 47. ¶ Abbates: *Dunſtanus*; *Elfſtanus*; *Ailwardus*; *Agelnothus*, vel *Ailnothus*; *Turſtinus*; *Polochinus*; *Sifridus*, vel *Seinfridus*; *Henricus*; *Johannes*.

Glavorna, vel

Glaworna, vel

Gloceſtria vel

Glovernia, flammis abſumitur. 226, 36. Monaſterium S. Oſwaldi ibi conſtruitur. 833, 42. Ejus clerici ſe a Cantuarienſis juriſdictione immunes eſſe contendunt. 583, 57. Monaſterium in honorem D. Petri fundatur. 189, 60. 477, 43. ¶ Ejus Abbates: *wolſtanus*; *Serlo*. ¶ Gloceſtriæ Comites: *Suanus*; *Robertus*; *willielmus*; *Gilbertus de Clara*; *Ricardus de Clara*; *Radulfus de Mountermer*; *Hugo de Anſeley*; *Gilbertus de Clare*; *Hugo de Audeley*; *Thomas*. ¶ Gloceſtriæ Dux: *Thomas de Woodſtoke*.

Gnotredus, R. inſulæ Man. 1111, 14.

Gocelinus, Hiſtoricus. 1633, 6.

Goda, Comes Domnaniæ. 161, 63.

Godboldus, R. Orcadum. 784, 49.

Godefridus, Abbas Crowlandenſis, 264, 60. 328, 58.

Godefridus de Lucy, 1158, 31. Archidiaconus Derbienſis. 1459, 44. Fit Epiſcopus Wintonienſis. 648, 14. 656, 53. 1161, 16. 1550, 15. Elienſis eum excommunicat. 1230, 31. Ejus literæ de injuriis Gaufrido Eboracenſi illatis. 1577, 27.

Godefridus de Ludham, Archiepiſcopus Eboracenſis. 1726, 38. Civitatem Eboracenſem excommunicat. 1726, 42. Moritur. 2454, 44. Vocatur Geoffridus. 2444, 35.

Godefridus, Dux Lotharienſis, quam fortiter contra Paganos dimicarit. 493, 52. Eligitur Rex Hieroſolymorum. 224, 48. Moritur. 227, 6. 498, 65.

Godefridus, Epiſc. Bathonienſis. 248, 22. 504, 11. 1014, 63.

Godefridus, Epiſc. Ciceſtrenſis. 1654, 12.

Godefridus, Epiſc. Laneluenſis. 1665, 50.

Godefridus, Epiſc. Wigornenſis. 2467, 10.

Godefridus, Prior S. Albani. 264, 60.

Godeſtowenſis Abbatia, pro amore Roſamundæ ibi ſepultæ, ab Henrico II multum ditatur. 1235, 56. V. *Roſamunda*.

Godgiva, vel

Godiva, uxor Leofrici Comitis, nobilis & pia matrona. 389, 14. 948, 63. Nuda per Coventriam equitat. 949, 17. 2334, 60.

Godricus, Abbas Burgenſis. 228, 14. 1660, 6.

Godricus, Abbas Wincelcumbenſis. 187, 47. Vocatur Bodricus. 1701, 7.

Godricus, Dux Cornubiæ. 2320, 38.

Godrim, vel

Godrinus, vel Guthrum, Dacus, R. Orientalium Anglorum. 145, 60. 150. 62. 754, 61. 807, 34. Baptizatus, vocatur Healſtan, vel Adelſtanus. 150, 61. 811, 50. Ejus leges. 828—831. Mors. 133, 4. 150, 49. 812, 40. Fuit Rex etiam Northumbriæ. 133, 4.

Godwinus, Abbas Wincelcumbenſis. 187, 46. Vocatur Edwinus. 1701, 6.

Godwinus, Comes vel Dux Cantiæ, Suthreæ, & Occidentalium Saxonum, 179, 35. 180, 61. 377, 54. 2331, 21. Cur Alfredum Egelredi F. odio habuerit. 934, 65. 2326, 30. Quibus inſidiis & crudelitate ipſum & ſuos oppreſſerit. 179, 39. 472, 54. 2326, 38. In Haroldum Regem culpam omnem rejicit. 181, 8. 936, 48. 938, 18. 2326, 47. Proceribus Angliæ hoc facinus ſe ulturos jurantibus, ipſe in Daciam fugit. 936, 5. Reverſum Edwardus Rex proditionis incuſat. 937, 34. Comitum & Baronum de eare judicium. 937, 48. Terræ illi reſtituuntur. 938, 11. Diverſi ſcriptores diverſa de hac re tradunt. 938, 12. Exercitum adverſus Regem cogit. 184, 42. 476, 16. 942, 48. 2331, 31. Ipſe cum filiis in exilium miſſi, 185, 27. 195, 54. 943, 10. 2331, 51. hoſtiliter redeunt. 186, 32. Vectam inſulam & alia loca deprædantur. 943, 50. 2332, 3. Rex eos in favorem recipit. 186, 55. 476, 23. 943, 66. 2332, 6. V. *Edwardus Confeſſor.* Prima ejus uxor, Canuti ſcilicet filia, filias proſtituebat. 2334, 1. Fulmine ea perit. 2333. 66. Aliam ducit, quæ ſex filios ei parit. 2334, 2. Terræ ab eo Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ donatæ. 2224, 3 & 56. Alfwaldus ei male ominatur. 2332, 59. Infelix ejus mors. 187, 26. 395, 10. 476, 45. 944, 49. 2333, 13.

Godwinus, Epiſc. Roffenſis. 168, 53. 2223, 50.

Godwinus, Metropolitanus Walliarum. 441. 58.

Goffridus, Epiſc. Herefordenſis. 237, 12.

Golanus, R. Norwegiæ, in Angliam cum exercitu venit. 2321, 47.

Gormundus, R. Daciæ, equo decidens, collum frangit. 2320, 55.

Goſpatricus, vel Coſpatricus, Comes Northumbriæ. 40, 28. 41, 24. 198, 24. 204, 65. Honore privatur. 203, 57.

Gradus neceſſitudinis conjugium prohibentes. 919, 56.

Græciam quomodo poſſederit Albericus Comes Northumbriæ. 1155, 17. 2409, 27.

Græco nulla fides, etiamſi manu juraverit. 642, 18.

Grando inſtar ovi columbini. 1355, 18. 1535, 51. Grando aves, beſtias, homines, arbores proſternens. 2397, 38. 2416, 46.

Grantebricge, vel

Granteceſtre, deſcribitur. 791, 28. Studium literarum ibi inſtituitur. 814, 42. A Danis devaſtatur. 168, 1.

Gratianus, Decretorum compilator. 1036, 6. 1665, 33. 2388, 55.

Gratioſus, Abbas S. Auguſtini. 1768, 59. 2230.

Green-chirch. 16, 61.

Gregoriano cantui cantus Willielmi Fiſcamnenſis præfertur. 212, 27. 978, 24. 2352, 10.

S. Gregorii monaſterii in Cantuaria valor. 2166, 47. ¶ Priores: *Dunſtanus*; *Guido.*

Gregorius, Abbas Malmesburienſis. 533, 31.

Gregorius, Antipapa, unus & alter. V. *Benedictus ix*, & *Gelaſius II.*

Gregorius I, ſeu Magnus, P. R. Ejus patria, & parentes. 726, 14. Septem monaſteria conſtruit. 726, 18. Erat Abbas S. Andreæ in urbe Roma. 1629, 43. 1757, 53. Colloquium ejus cum mercatore de pueris quibuſdam Anglis Romæ venalibus. 726, 27. 779, 25. 1757, 57. Ad Britanniam tendens, revocatur. 726, 47. 779, 45. 1758, 63. fit Cardinalis. 726, 63. Moralia in Job ubi inchoarit. 726, 65. Eutychium CP. refutat. 727, 1. Ad ſummum Pontificatum, quamvis renitens, evehitur. 727, 20. 1758, 57. E latebris quomodo fuerit extractus. 727, 34. Primus ſe vocavit *Servum ſervorum Dei.* 731, 8. Spiritus S. in ſimilitudine columbæ ejus capiti frequenter inſidebat. 734, 61. Quidam libros ejus comburunt. 734, 52. Ab eorum exuſtione mire cohibentur. 734, 55. Johannem CP. graviter taxat quod *Univerſalis Epiſcopi* titulum uſurparit. 433, 47. Libros ſuos aboleri aut reſcribi vetat. 434, 19. Auguſtinum mittit in Angliam, 435, 33. 728, 32. 1629, 40. 1758, 66. alioſque. 436, 28. Ejus Epiſtolæ: ad Mauritium Imp. 433, 40 &c. 728, 27. ad Phocam; 434, 37. ad Leontiam Aug. 435, 10. ad Ethelbertum R. 435, 45. 732, 41. ad Bertam Reginam; 435, 59. ad Auguſtinum Archiep. Cantuarienſem; 436, 1 & 34. 730, 28. 732, 1. 1630, 48. 1631, 25. ad Theodoricum, R. Francorum; 436, 58. ad Brunichildam Reginam; 436, 66. ad Mellitum, de fanis & ſacrificiis Anglorum, 731, 15. Ejus decretum de prioritate Archiepiſcoporum in Anglia. 971, 8. 1263, 24. 1685, 56. De tribus palliis quæ traditur miſiſſe tribus Archiepiſcopis Cantuarienſibus. 1632, 47. Ejus epiſtolæ ad Auguſtinum explicantur. 1737, &c. Inſtituit litaniam ſeptiformem. 435, 36. 727, 45. Canoni Miſſæ quædam ſuperaddit. 436, 17. 728, 12. Imaginibus dæmonum capita & membra cur amputarit. 728, 8. Angelum cum gladio cruento videt & placat. 727, 64. Ei dicenti, *Pax Domini*, reſpondit angelus, *Et cum ſpiritu tuo.* 728, 17. Ejus ſcripta. 734, 15. Mors. 734, 17. Epitaphium. 734, 21. Ejus detractores. 734, 33. Succeſſori apparens, eum corripit. 734, 43. Feſtum in ejus honorem celebratur. 1641, 18. 1772, 35. Quotus fuerit Papa. 1686, 65.

Gregorius II, P. R. 2233. Iejunium quadrageſimale inſtituit. 442, 43. Gregorius III, P. R. 443. 1. 1640, 54. 2210, 13. 2235. Miſſæ quædam addit. 443, 23.

Gregorius IV, P. R. 1643, 6. 2239. Leo IV. vocabatur. 449, 35.

Gregorius V, P. R. 2245.

Gregorius VI, P. R. 2247. Raptoribus extinctis vel fugatis, omnia reformat. 471, 50. 2327, 22. Cardinales eum, tanquam ſanguinarium, cum prædeceſſoribus non tumulandum cenſentes, 471, 57. 2327, 50. miraculo docti, aliter ſentiunt. 472, 1. Ejus ad Cardinales oratio. 2327, 54. Exponit iſtud, *Si oculus fuerit ſimplex*, &c. 2327, 65.

Gregorius VII, P. R. 486. 6. 2249. V. *Hildebrandus.*

Gregorius VIII, P. R. 636, 13. 1147, 5. 1510, 54. 2257. Piæ ejus literæ quibus Chriſtianos ad bellum S. excitat. 1147, 36. 2399, 30. Moritur. 1148, 22. 1513, 21.

Gregorius IX, P. R. 1879, 69. 2261, Ejus literæ de appropriatione eccleſiæ de Plumſted; 2100, 37. de Littleborn. 2106, 10. Fredericum Imp. excommunicat. 2416, 35. 2430, 52. Decretales epiſtolas compilari facit. 2430, 55. Quomodo ſe ab obſidione liberarit. 2430, 58. Decimas reddituum eccleſiaſticorum in Anglia exigit. 2439, 23.

Gregorius X, P. R. 2271. 2460, 20. Ejus acta. 2438, 48. Subſidium petens pro terra ſancta, 2461, 43. Decanum Lincolnienſem omni beneficio privat, quod Angliam jam exhauſtam excuſatam voluerit. 2461, 46. Moritur. 2461, 56.

Gregorius XI, P. R. 2285. Anonymi cujuſdam ad eum literæ. 2150, 35. Ejus literæ ad Abbatem S. Auguſtini. 2151, 14. Mors. 2632, 11.

Gregorius XII, P. R. 2289.

Gregorius Turonenſis. 432, 27. 434, 17.

Griffinus, Princeps Northwalliæ, moritur. 2436, 32.

Griffinus, R. Wallenſium. 185, 50. Hibernicis piratis opitulatur. 2330, 63. Anglorum copias fundit. 188, 16. Anglo reconciliatur. 188, 37. 1701, 1. Haroldus contra eum mittitur. 191, 67. 945, 39. 948, 5. 2336, 61. Wallenſes eum proſcribunt. 192, 19. 2337, 3. Caput ejus Edwardo affertur. 192, 25. 948, 9. 2337. 5.

Griffones in Apulia; 1218, 46. Cypro; 1198, 22. 1199, 45. 1203, 17. Sicilia. 1187, 39. De eorum templo mira hiſtoria. 1189, 27.

Grimbaldus, magiſter Aluredi R. 152, 21. 814, 17. Obit. 832, 37.

Grimkitellus, Epiſc. Auſtralium Saxonum. 180, 12. Fit Epiſcopus Orient. Anglorum. 473, 14.

Grimmesby, unde dicatur. 2320, 45.

Grithbrech, quid. 923, 62. 953, 23. 2031. 4.

Groby caſtellum Henrico II traditur. 577, 60. Diruitur. 588, 26.

Grouth, vel Gurt, vel Gouth, F. Godwini. 2331, 55. 2334, 4. Quod conſilium Haroldo fratri dederit. 2341, 57.

Gualerannus, vel Galeramnus, Epiſc. Roffenſis. 614, 61. 1462, 20. Contra morem conſuetum & canones & electus & conſecratus erat. 1464, 10. Jurare cogitur ſe Eccleſiæ Cantuarienſi fidelem futurum. 1464, 27. 1674, 62. Moritur. 1467, 43.

Gualo, Legatus P. R. 1867, 66. 1869, 62.

Guarinus, vel Warinus, Abbas S. Albani. 615, 41. 678, 33. 1589, 49.

Gudfredus, vel Guthferthus, Dacus, Rex in Northumbria, 154, 33. 835, 31. Gudredus. V. *Cudredus.*

Guerricus, Prior Beremundenſis, fit Abbas Feverſhamenſis. 1445, 52. 1674, 31.

Guido, Comes Warwicenſis, Felicia deſponſata, ad terram S. pro-

S. proficiſcitur. 1321, 60. Colibrondum vincit. 2324. V. *Adelſtanus.*

Guido, Comes Warwicenſis, alius. 2532, 67.

Guido, Decanus Walthamenſis, Decanatum iſtum reſignat. 1118, 53. Manerium ei donatur. 1119, 26.

Guido de Crema, Antipapa, Paſchalis nominatus. 1130, 40. 1389, 24.

Guido, Epiſcopus Bangorenſis. 597, 18. 1120, 2. 1674, 27.

Guido, Prior S. Gregorii, Cantuariæ. 1961, 22.

Guido, Rex Hieroſolymitanus. 634, 16. Capitur. 635, 59. Liberatur. 639, 66. 1163, 24. Tyro excluditur. 1163, 26. Acram obſidet. 648, 29. 1163, 37. Saladinum ſæpe vincit. 1163, 50. Ejus uxor moritur. 1188, 39. V. *Conradus, Marchio.*

Guillielmus de Campellis, Epiſcopus Catalawenſis. 243, 13.

Guiſo. V. *Giſa.*

Gulſus quid. 1215, 61.

Gundulfus, vel Gumulfus, monachus Cadomenſis. 2363, 29. Lanfrancus eum futurum Epiſcopum unde prædixerit. 2363. 30. Fit Epiſcopus Roffenſis. 225, 4. 407, 1. 408, 33. 1654, 7.

Gunhilda, neptis R. Canuti, Anglia expellitur. 182, 28.

Gunilda, filia R. Canuti, Imperatori nubit. 906, 66. Adulterii accuſata, duello purgatur. 933, 32. Fit ſanctimonialis. 933, 36.

Gunna, machina bellica. 2621, 48. 2672, 3. 2677, 45.

Gurguntius, R. Britonum, Hiſpanis Hiberniam habitandam concedit. 1074, 27.

Gurmundus an Hiberniam ſubjugarit. 1074, 45. 1154, 38. Saxones ejus ope Britones vincunt. 1154, 39.

Guthferthus. V. *Gudfredus.*

Guthlacus, anachoreta. 104, 41. Ejus victus. 797, 29. Diaboli tentationes ſuperat. 797, 33. Dæmonium e juvene quodam ejicit. 797, 42. Edburga ſarcophagum ei mittit. 797, 55. Hæres ipſi quis futurus, prædicit. 797, 60. Moritur. 798, 6.

Cuthredus puer, juſſu S. Cuthberti, a ſervitute in Regnum Northumbriæ evehitur. 21, 45. 70, 53. 130, 12. 147, 43. Moritur. 798, 6.

Guthrum. V. *Godrinus.*

Guttardus, Abbas S. Auguſtini. 1775, 44.

Guttulfus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 41.

Gynes. Abbatiæ ibi fundatæ valor. 2168, 10.

H.

HAcun, Comes. 178, 22.

Hæredi lis non intentanda de re quam proximus poſſeſſor quiete poſſederit. 897, 39. De Hæreditaria terra. 826, 21. Quis poſt primogeniti mortem hæres avo ſuccedere debeat, primogeniti filius an frater, gladiatorio judicio decernitur. 454, 63. Hæreditario jure Eccleſiaſticæ dignitates non relinquendæ. 241, 1. 253, 46. Filius fratris ſenioris ſuccedat patri, ſi primogenitus decedat ſine filio. 2414, 19.

Hæretici XXX, Baptiſmum, Euchariſtiam & conjugium deteſtantes: 1050, 5. Eorum pœna. 539, 50. 1050, 24. Hæreſis in Narbonenſi Gallia multum diſperſa, ea ſcilicet quæ dicitur Albigenſium: 1440, 59. Cathari, Publicani, Paterini, &c. vocantur. 1451, 8. Literæ Toloſani Comitis ad Ciſtercienſes, auxilium adverſus eos & conſilium poſtulantis. 1441, 1. In Concilio Lateranenſi damnantur. 1451, 1. Papa Principes alioſque Chriſtianos ad eorum internecionem indulgentiarum promiſſione excitat. 1451, 38. Hæreticæ opiniones de Chriſti aliorumque corporibus. 2467, 22.

Haguſtaldenſis vel Hauguſtaldenſis eccleſiæ fundatio. 286, 9. 289, 30. Ejus deſcriptio. 290, 52. Omnes, quæ tunc temporis citra Alpes erant, Eccleſias artificio & pulcritudine ſuperabat. 111, 4. 291, 30. Quantis privilegiis & immunitatibus fruebatur. 292, 33. 301, 45. 330, 35. Quo ordine & quamdiu ſinguli Epiſcopi eam tenuerint. 300, 9. ¶ Haguſtaldenſes Epiſcopi: *Wilfridus*; *Eata*; *Tunbertus*; *Johannes*; *Wilfridus* iterum; *Acca*; *Fredbertus*; *Alchmundus*; *Tilbertus*; *Ethelbertus*; *Headredus*; *Eanbertus*; *Tilferdus.* Epiſcopatus ad Cuncaceſtram inſtauratur; 301. 7. Deinde Dunelmum transfertur. 301, 27. De Epiſcoporum Haguſtaldenſium reliquiis. 302, 32. Eccleſia datur in præbendam eccleſiæ Eboracenſi. 303, 17. Eillanus presbyter ſub Canonico Eboracenſi eam tenet. 303, 15. Canonici regulares illuc ducuntur: 305, 15. 1713, 41. Quibus Eillanus eccleſiam liberam tradit. 305, 44. Multa illis donat Thomas junior, Archiep. Eboracenſis; 306, 24. 1713. plura Turſtinus. 307, 5. Privilegia a Regibus & PP. Rom. iis indulta. 307, 25. Principum & aliorum largitiones. 307, 35. Monaſterium & terræ circumjacentes aſyli jure nobilitantur. 297, 33. 308, 8. Juris ejus violatoribus quænam mulctæ irrogentur. 308, 27. Pacis metæ quantum a villa diſtent. 292, 33. 308, 15 &c. Haguſtaldenſibus Scoti graſſabundi parcunt: 260, 9 &c. 316, 60. poſtea vero injuriis eos & contumeliis afficiunt. 264, 29. 324, 6. Scotis Eccleſiam diripere tentantibus, mire liberatur. 103, 19. Monaſterium & villa a Scotis comburitur. 2479, 50. Willielmus Waleys ad monaſterium veniens, quomodo ſe geſſerit. 2521, 6. ¶ Haguſtaldenſes Priores: *Aſcbetellus*; *Robertus Biſeth*; *Ricardus.* Villa unde dicta *Heſtoldeſham.* 289, 19. Vocatur Exteldeſham, 2479, 49. & Exſeleſham. 2520, 60.

Haimo, Abbas Cernellenſis. 228, 12. Deponitur. 1660, 7.

Hakintonienſem, vel Haketunenſem, Eccleſiam conſtruendi licentia Archiepiſcopo Cantuarienſi a P. R. conceditur. 631, 44. 1481, 15. Monachi Eccleſiæ Chriſti ædificationem interrumpunt. 635, 8. 1315, &c. Tandem opus perficitur, ſed non quale propoſuerat Archiepiſcopus. 649, 51. 1509, 4. 1562, 42. 1563, 16. P. R. prohibet ne ibi fiant divina. 660, 5. 1508, 12. 1529, 25. Hiſtoria hujus Eccleſiæ ab ovo repetita. 1594—1596. V. *Baldewinus a Cant.*

Haldene, R. Danorum. 14, 53. Northumbriam vaſtat. 300, 32. Sacrilegii & crudelitatis pœnas luit. 21, 29. 70, 48.

Haleſdon. V. *Hoxne.*

Hamſare, quid. 957, 26.

Hamo Epiſcopus Leonenſis, a nepote occiditur. 557, 24.

Hamonii Floriacenſis Chronica. 432, 35. 449, 67.

Hamſocna, vel *Hamſoken*, quid. 898, 26. 923, 50. 957, 26. V. *Homſokne.*

¶ Hamtunenſium Dux: *Oſric.*

Hanelec, R. Daciæ & Angliæ. 2320, 39. Ejus filii. 2320, 53. Londini, in Eccleſia D. Pauli ſepelitur. 2324, 56.

Hanlafus, R. Dacorum in Northumbria, baptizatur. 857, 42. Edmundus eum e Northumbria pellit. 857, 53. Reſtituitur. 862, 39. Iterum fugatur. 862, 45.

Haraldus. V. *Haroldus.*

Hardecanutus, vel Hardeknoutus, R. Daciæ. 914, 17. 2325, 23. Ad matrem in Flandria exſulantem venit. 932, 30. In Angliam vocatur. 932, 64. Auſtralem Regni partem obtinet. 179, 21. 472, 40. Fit Rex totius Angliæ. 180, 33. 474, 38. 2246. Matrem revocat. 933, 19. Haroldi corpus effoſſum in gronnam projicit. 180, 42. 933, 9. Grave tributum exigit. 180, 48. 181, 13. 933, 17. 2326, 6. Livingo Epiſcopatum aufert, 180, 59. mox reſtituit. 180, 61. Wigornenſem provinciam & urbem devaſtat. 181, 19. Ejus largitas. 934, 19. 2326, 9. 2329, 2. Ejus mors ſubita & miſerabilis. 181, 53. 474, 55. 934, 24. 2326, 11. 2328, 65. Dacos in Anglia dominari permiſit. 2326, 13.

Hardingus, ordinis Ciſtercienſis autor. 994, 35.

Haroldus & Canutus, Suani II filii, 1703, 1. Eboracenſem regionem deprædantur. 198, 38. 2344, 39.

Haroldus Harfax, R. Norreganorum, Angliam invadere meditatur. 938, 57. 2330, 10. Daciam ſubjugat. 939, 9. 2330, 24. Moritur. 939, 17. 2330, 29.

Haroldus Harvager, vel Harfag, vel Harfau, vel Haravaghe, R. Norreganorum. 194, 13. 404, 41. Eboracenſes crudeliter occidit. 2340, 7. Ab Haroldo R. Anglorum occiditur. 194, 40. 405, 13. 479, 25. 958, 58. 2339, 57.

Haroldus, vel Haraldus, F. Godwini, Edwardi Confeſſoris pincerna. 944, 51. Normanniam petens, a Comite Pontivo captivus detinetur. 196, 10. 481, 10. 947, 22. 2337, 8. Ad Willielmum Ducem Normanniæ mittitur, 196, 24. 947, 34. Quæ Willielmo promiſerit. 478, 43. 481, 12. 947, 46. 2337, 13. Edwardi Confeſſoris de eo vaticinium: 196, 58. 481, 7. 947, 12. Aliud. 394, 9. In Hiberniam fugit. 185, 36. 943, 22. Reverſus multa loca deprædatur. 185, 63. Fit Comes Occidentalium Saxonum. 945, 4. 2333, 29. Erat Comes orientalium Anglorum. 942, 54. Contra Griffinum mittitur. 191, 67. 945, 39. 2336, 61. Regnum Angliæ obtinet. 193, 34. 366, 57. 479, 8. 2248. 2339, 4. Tyrannice ſe gerit. 2339, 18. (Alii contrarium affirmant. 2339, 35.) Haroldum Norreganorum Regem, & Toſtinũ fratrem, per Confeſſoris merita, ſuperat. 194, 40. 404, 41. 479, 30. 2339, 52. Milites eum deſerunt ob ſpolia illis negata. 2340, 2. 2341, 40. Quod conſilium Grouthus frater ei dederit. 2341, 57. In prælio contra Willielmum concidit. 195, 6. 480, 34. 2342, 45. V. *Willielmus Conquæſtor.* Novem menſes poſt pugnam vivit. 2342, 54. Ejus perfidia, belli cauſa. 195—197. 401, 1. 404, 34. 958, 10. 2340, 11. Variæ de ejus morte ſententiæ. 961, 30. Giraldus ait eum Ceſtriæ anachoretam fuiſſe. 2342, 60. Ubi ſepeliatur

atur.961,46 & 56.2342,56.Quãdiu regnarit.961, 57.2339, 5.Ejus filii Domnaniam & Cornubiam deprædantur.198,2.

Haroldus, vel Haraldus, Harefoot, cur ſic cognominatus. 932,46. 2325, 61. Sutoris fuit, non Regis Canuti filius. 470,1.2325, 55. Rex Angliæ a Canuto conſtituitur.179,7. 2246. Rex eligitur. 932,11. Opes quas Canutus Emmæ reliquerat, adimit. 472, 34. 932,24. 2325, 58. Partem Regni amittit; 179, 20. ſed poſtea recuperat. 179,61. 473,1. Obit. 180,22. 474, 34. 932, 60. Caput ejus primum in gronnam, deinde in Tameſin a ſucceſſore projectum, 180, 42. 474, 40. 2326, 2. a piſcatoribus repertum, apud S.Clementem ſepelitur. 474, 49. 933, 12.

Haſtingenſe caſtellum conſtruitur. 959,30.

Haſtingus, Normannus inclytus. 959,51.

Hathoredus, Epiſc. Wicciorum. 2219,47.

Hathubertus, Epiſc. Londinenſis. 116, 67.

Headredus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 114, 31. 299, 31. Hic forſan eſt qui vocatur Heardryd. 2212, 18.

Heathuredus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 13, 16. 133, 12.

Heberus. V. *Hiberus.*

Heca, Epiſc. Auſtralium Saxonum. 189,51.

Hecca, Epiſc. Orientalium Anglorum. 438,59. Vocatur Eata. 1638,32.

Hedde, vel Hedda,Epiſc.Wentanus.756,16.1638,45.2212,10.

Hedhelacus, Epiſc. Orientalium Anglorum. 774,56.

Helmeanenſis Epiſcopatus. V. *Orientalium Anglorum Epiſcopi.*

Hemeli, Epiſc. Merciorum. 106, 29.

Hengeſteſiell. 1777,9 & 61.

Hengiſtus, Dux Saxonum, Rex Cantiæ. 728, 66.

Henricum, Limpoldi Comitis filium, Conradus Imperator jubet necari. 909, 54. A Duce quodam enutritur. 909,57. Morti iterum deſtinatus, Imperatoris filiam mire obtinet. 909, 65.

Henricus, Abbas Radingenſis. 1571,61. 1572,45. 1573,6.

Henricus, Archiepiſcopus Remenſis, moritur. 588, 1.

Henricus Borowaſch, vel Borougwas, Epiſcopus Lincolnienſis. 2555, 14. 2556, 7. 2570,15. 2577,44.

Henricus, Comes Campaniæ,Conradi viduam ducens,fit Rex Hieroſolymæ. 667, 31. 1245,7.

Henricus, Comes Derbiæ. 2568, 62. Fit primo Comes, 2588, 33.poſtea Dux Lancaſtriæ. 2577,48. 2602, 30. Hippomachia inter ipſum & Willielmum Douglas. 2580, 55. Contra Paganos fortiter dimicat, 2583, 26. & contra Francos. 2585, 13. 2589, 24. 2591, 66. 2601, 58. 2602, 48. In Angliam redit. 2592, 24. Quantum de ſuo expenderit in bello Gallico. 2596, 15. Toloſæ ſuburbia incendit. 2601, 63. Captus in Alemannia, ſe redimit. 2603, 7. Filiam Duci Selandiæ in uxorem dat. 2584,42. 2602,46. 2603,29. Dux Brunſwicenſis ei mala machinatur: 2603, 34. De eo publice queritur Lancaſtrius. 2603, 43.Brunſwicenſis literæ,cum ad duellum provocantis. 2603, 56. Rex & proceres Franciæ Lancaſtrium cum honore ſummo excipiunt. 2604, 15. De ſtatuto Duces in arenam deſcendunt: 2604, 36. ubi Brunſwicenſis animum deſpondet, nec certamen inire vult. 2604, 44. Rex Franciæ ſpinam de corona Chriſti Lancaſtrio dat. 2605,24.Quæ in Abbatiam Leiceſtrenſem contulerit.2605, 57.2606,3.In Franciam mittitur ad tractandũ de pace.2606, 57. Quomodo in iſthoc negotio ſe geſſerit. 2607, 64.Avenionem miſſus,a Papa honorifice accipitur. 2608, 5. Ejus magnificentia.2608,21.Francorum inſidias evadit.2608,29. Loca nonnulla in Normannia capit. 2611, 2612. Gallo minanti prælium cum eo conſerere, quæ reſponderit. 2612, 18. Villam dictam Reynes obſidet, 2615, 7. & ad deditionem cogit. 2616,15.Villas alias Franciæ capit. 2621, 2622. Ejus mors.2625, 35. Sepultura. 2625, 66. Hæredes. 2625,58. Domum dictam The Savoy fundavit. 2627, 14. Collegium ab eo conſtructum. 2626, 1.

Henricus, Comes Lancaſtriæ.2546, 10. 2551, 36. 2552, 57. 2553,11. Iſabella Regina & Mortimerus ipſũ & ſocios bello proſequuntur. 2554, 12. Se Regi ſubjicit. 2554,54.Novum Hoſpitale Leiceſtriæ conſtruit. 2559, 40.

Henricus,Comes Leiceſtriæ.1247,67.Sed hic (ni fallor) idem eſt cum eo qui vocatur Robertus.1254,35. V.*Robertus IV.*

Henricus, Comes Warwicenſis. 2374,63.

Henricus,Davidis Regis Scotorum F.laudatur.342,56.V.*David, R. Scotiæ.* Ejus fortitudo. 345, 40. Ab Anglis victus, quam ſolerter ſe & ſuos e mediis hoſtibus eripuerit. 346, 15. Erat Comes Huntingdoniæ, 258,45. 312.61. 2385,13.& Northumbriæ. 265, 30. Anglo homagium facit. 2385, 14. Fortitudine Stephani R. ab ingenti periculo liberatur. 1027, 39. Ejus mors.280, 19. Filii: 369, 6. Eos Henrico II commendat Ethelredus, Abbas Rievallenſis. 369, 8.

Henricus,Dux Saxoniæ, Matildem Henrici II filiam ducit. 539, 40. 547, 38. 1403, 13. Exhæredatus, in exſilium agitur. 614, 32. 1466,40. Ejus mores. 1466, 51. In Angliam venit. 619,9. 1466, 38. Anglus eum Colonienſi Archiepiſcopo reconciliare ſatagit. 1468, 1. Naſcitur ei F. Willielmus. 619, 11. In Saxoniam redit. 629, 15. Ejus F. Henricus Conradi Comitis Palatini filiam ducit; 672,21. 1251,41. quæ nuptias Philippi R. Franciæ aſpernata fuerat. 1251, 26.

Henricus, Epiſc. Exonienſis. 1681, 30.

Henricus, Epiſc. Landavenſis. 1681, 30.

Henricus, Epiſc. Wigornenſis. 1681,31.

Henricus de Eſſex. 1380, 29. Duello victus, exhæredatur, & in monaſterium truditur. 535, 25.

Henricus, F. Henrici II, naſcitur. 530, 54. 1047, 38. Patre jubente, Coronatur. V. *Henricus II, R. Angliæ.* Vocatur Rex *junior*, & *tranſmarinus*; 2258. &, *Henricus tertius.* 2470, 42. Epiſcopi & Abbates ei fidelitatem jurant. 533, 9. Margarita, ejus uxor, Regina Angliæ conſecratur. 560, 54. 1080, 40. 1421, 39. Cum uxore Regem Franciæ viſit: 1082,1. 1424, 18. A quo conſilium accipit utriq; Regno pernicioſum. 1082, 10. Orta diſſenſione, a patre ad ſocerum fugit. 1083, 2. Rex & proceres Franciæ jurant ſe ei ſuppetias contra patrem laturos. 1084, 27. 1424, 38. A Comite Flandrenſi & aliis homagium accipit, & illis honores pollicetur. 1084, 44. 1424,41. Patri rebellat: 561,63. 1085, 5.ejuſq; terras vaſtat. 1085, 7. Hugonem de Gornai capit, & ejus caſtrum ſuccendit. 569, 6. Ricardi Cantuarienſis conſecrationem interdicit. 570, 43. Ejus literæ ad Priorem Cantuarienſem. 1425, 45. Albæ-marlæ caſtrum expugnat, 571,21. 1085,17.& Drivencorti. 571,28. 1085, 39. Sagienſem urbem invadit. 574,49. Naves ejus diſſipantur. 577, 47. Iter ad S. Jacobum parat. 1110, 5. Uxor ei filium parit. 1128, 57. Rebus in Gallia fortiter geſtis gloriam magnam adipiſcitur. 602, 32. Regis Franciæ coronationi intereſt, & diadema ejus capiti impoſitum ſuſtentat. 608, 5. 1140, 54. Gaufridus frater ei homagium facit. 617, 7. Ricardo idem facere renuente, ad eum domandum arma parat. 617, 30. Caſtellum Lemovicenſe adverſus ipſum & patrem occupat. 1463, 10. Veniam patris exorat. 1143, 14. Ejus mors. 617, 60. 1142, 63. 1463, 39. Sepultura. 618, 17. 1464, 1. Carmina in ejus laudem. 1143, 31. 2398,12. Moribus & forma erat amabilis. 1463, 32. De eo lege 2396, 38.

Henricus, F. Roberti, Rex Galliæ, a Duce Normanniæ vincitur. V. *willielmus Conquæſtor.* Veneno perit. 2338, 1.

Henricus, frater Regis Stephani, fit monachus Cluniacenſis; 1023, 3. Abbas Glaſtonienſis; 504, 63. 1023, 9. Epiſcopus Wintonienſis; 256, 25. 530, 64. 532, 46. 533, 23. 1663, 9. Rom. ſedis Legatus. 265, 42. 1800, 63. Cura Eccleſiæ Londinenſis ei committitur. 507, 52. Concilium Wintoniæ celebrat. 1028, 3. Ægre fert ſe cathedram Cantuarienſem non obtinuiſſe. 1348, 56. Simultas inter ipſum & Theobaldum Archiepiſcopum ſedatur. 275, 37. Ejus ad Theobaldum literæ. 527, 34. Stephano capto, Imperatricis hoſtibus maledicit: 1354,48.mox tamen ipſe fit ejus hoſtis. 1355, 1356. Ejus juſſu Wintonia incenditur. 1356, 6. Ingentes theſauros ex Novi monaſterii cruce auſert. 1356, 59. Sex caſtella ejus diruuntur. 530, 65. Controverſiam inter conventum S. Trinitatis & S. Auguſtini, P. R. jubente, cognoſcit & determinat. 1602, &c. Quod conſilium Thomæ Cantuarienſi dederit. 1390, 14. Henricum II increpat ob cædem Archiepiſcopi, & mala illi ominatur. 557, 46.

Henricus, hæreticus, a puella mire refutatur. 527, 12.

Henricus de Haſtinges. Ejus uxor & poſteri. 967, 43. 2431, 64. 2469, 1.

Henricus I, Imp. 453, 55. Edicit, ut agrariorum militum partes octo in agris laborent, nona in urbe moretur. 452, 2.

Henricus II, Imp. 462, 24. Erat Dux Baioariæ. 462, 15.

Henricus III, Imp. Canuti filiam ducit. 468, 59. V. *Gunilda.* Diaconum, Evangelium legere recuſantem quod pridie cum meretricula concubuiſſet, in Epiſcopatum evehit. 470, 17. 2326, 64. Clerico itidem, quem poſt nocturnos amplexus ſororis dorſo per nivem extra curiam evectum viderat, Epiſcopatum dat. 470, 34. 2326, 53. Sacerdoti deformi cur Epiſcopatum conceſſerit. 470, 48. Diem bellicoſum quomodo glorioſum fecerit. 471,6. Clerico, a quo adhuc juvenis & privatus fiſtulam argenteam acceperat, Imp. factus Epiſcopatum dat: 933, 40. Ob quam ſimoniam a dæmonibus cruciatus, 933, 57. Epiſcopum degradat. 933, 55. Joculatores ab aula fugat. 934, 4. 2326, 51. S. Laurentii erga ipſum gratitudo. 933, 65. Contra Baldwinum Flandriæ Comitem proficiſcitur, 939, 64. Edwardo Rege Angliæ ei opem miniſtrante. 2330, 56.

Henricus IV, Imp. Hildebrando depoſito, Wibertum ad Pontificatum evehit. 487, 39. 974, 11. 1009, 33. V. *Hildebrandus.* Henricus F. contra eum inſurgit, 229, 56. 499, 46. 500, 5 &c. 565, 59. eumque incarcerat. 2377, 31. Excommunicatur. 974, 4. 2350, 52. Nudis pedibus ad Hildebrandum accedens, ægre abſolutionem obtinet. 974, 8. 1009, 23. 2350, 57. In vinculis obit. 2377, 40.

Henricus V, Imp. a Paſchali P. R. deſignatur. 1004, 38. Juri inveſtiendi renuntiat. 1004, 22. 1008, 35. 2377, 44. Matildem, Angli filiam, ducit. 236, 17. V. *Henricus I, R.* Paſchalem in carcerem conjicit. 232, 52. 502, 6. 2372, 12. Jure inveſtituræ ſe exuere recuſans, a Calixto & Concilio Remenſi excommunicatur. 241, 32. Tandem in concordiam cum Papa redit. 245, 64. Abſolvitur. 249, 48. Obit. 251, 41. 505, 27. Ejus vidua ad patrem redit. 251, 59. 1015, 56. 2382, 53. Secundum quoſdam, Henrici filia clam dimiſſa, Ceſtriæ diu eremitice vixit, Godeſcallum ſe nominans. 1015, 47. 2377, 44. 2382, 44. Secundum alios, in Germania obiit. 1015, 41. 2382, 40. Ejus epitaphium. 1015, 45. 2382, 43.

Henricus VI, Imp. conſecratur. 659, 61. Quomodo fuerit coronatus. 2403, 40. Exercitum in Apuliam mittit: 1188, 21. Qui redit, re infecta. 1188, 24. Emit Ricardum, R. Angliæ; 668, 57. eumque incarcerat. 668, 62. Pretium pro ejus redemtione exigit. 670, 35. Eum liberat. 672, 6. V. *Ricardus I, R.* Ejus literæ ad Ricardum. 674, 53. Siciliam & Apuliam ſubigit; 677, 54. 1269, 14. & Regni Siculi diadema ſuſcipit, 678, 14. Literæ ejus ad Archiep. Rothomagenſem. 678, 51. Proditores in Sicilia premit. 678, 61. V. *Fredericus I, Imp.* Ut injurias Anglo illatas expiet, iter Hieroſolymitanum proponit, ſed non ſuſcipit. 1271, 58. Moritur (ut creditur) excommunicatus. 1274, 11. 2399, 51. Poſt ejus mortem magna de ſucceſſore diſſenſio. 1597, 57.

Henricus VII, Imp. electus, cito moritur. 2435, 51. 2443, 7.

Henricus Knighton, vel Knitthon, Canonicus Leiceſtrenſis. 2297. Rationem & ſcopum operis ſui oſtendit. 2311, 2312. Librorum capitula nominis ſui literis orditur. 2312, 22.

Henricus de Lacy, Comes Lincolnienſis. 2471, 55. Præficitur exercitui Anglorum in Vaſconia. 2508, 61. Res ibi ab eo geſtæ. 2509, 2510.

Henricus de Lexington, Epiſc. Lincolnienſis. 2444, 9.

Henricus Murdac, Abbas de Fontibus. 274, 61. 1029. 20. 1363, 30. Eligitur Archiep. Eboracenſis. 66, 49. 79, 42. 276, 40. 281, 9. 416, 10. 427, 51. 1363, 47. 1721, 16. Rex & Eboracenſes ipſum non admittunt. 277, 14. Gratia cum Rege inita, magnifice excipitur. 279, 16. Privilegia Eccleſiæ ſuæ a Willielmo vendita redimit. 279, 17. Canonicos reformat. 280, 44. Obit. 282, 50. V. *Wattun.*

Henricus de Newerk, Decanus Eboracenſis, 1728, 15. fit Archiepiſcopus. 1728, 43. 2492, 8. A Dunelmenſi conſecratur, 2507, 54. Moritur. 1728, 51. 2528, 34.

Henricus Nothus Regnum Hiſpaniæ, fratre pulſo, invadit. 2628, 67. Anglorum ope fugatur. 2629, 22. Vaſconiam vaſtat. 2629, 31. Fratre occiſo, Regnum obtinet. 2629, 35.

Henricus Percy, cognominatus Hot-ſpurre, 2728, 57. Præfectus maris, 2696, 11. Breſtam obſidione liberat. 2696, 18. Fortiter contra Scotos pugnat. 2728, 55. Capitur. 2728, 63. Salopiæ cum Henrico IV, bello contendit. 2288.

Henricus Percy, Comes Northumbriæ. 2743, 22.

Henricus Prior Beremundeſeienſis. 1547, 54.

Henricus, Prior S. Trinitatis. 1997, 24. 2036, 40.

Henricus, (pro quo forſan legendum, *Kenricus*) Rex Occidentalium Saxonum. 755, 5.

Henricus I, R. Angliæ, cognomento *Clericus.* 978, 2. Ejus educatio. 2374, 46. Pater ei jam puero Regnum prædicit, 2374, 47. eumque fratribus fore potentiorem. 980, 43. V. *Willielmus Conquæſtor.* Armis militaribus inſignitur. 213, 27. 979, 59. 2374, 50. Montem S. Michaelis invadit. 216, 26. 986, 59. 2359, 55. Fratres illum obſident. V. *Willielmus II.* Ejus fortitudo. 503, 19. Willielmo fratri in Regno ſuccedit. 225, 62. 498, 60. 997, 44. 2252. 2374, 40. Matildem, Scoti filiam, ducit. 226, 17. 498, 67. 998, 7. 1338, 44. 2375, 14. Subditis libertatem, legibus vigorem reſtituit. 226, 1. 997, 56. 1021, 42. 2374, 64. 2384, 36. Leo juſtitiæ vocabatur. 998, 16. Ejus prudentia & temperantia. 2375, 5. Tria dona ipſi a Deo data. 998, 18. 1003, 16. Pacem cum Roberto fratre init. 226, 63. 998, 56. Oppida quædam ei aufert. 229, 28. 1002, 60. Eum bello ſuperat, capit, excæcat, incarcerat. 2374, 24. Quomodo Robertus erga eum ſe geſſerat. 2374, 58. V. *Robertus, Conquæſtoris F.* Normannorum proceres fere omnes ſe illi dedunt. 229, 63. 499, 50. 2376, 15. Normanniam totam ſibi acquirit. 230, 26. 499, 59. 1002, 21. 2376, 42. Comitem Salopiæ & Wallenſes rebellantes ſubjugat, 2376, 28. ut & Scotos, & Britones tranſmarinos. 2376, 50. Papam, ægre ferentem quod Robertum in vincula conjecerat, placat. 2376, 52. Jus inveſtiendi Epiſcopos & Abbates ſibi vendicat. 228, 25. 495, 53. 999, 24. Literæ ejus ad Paſchalem P. R. de ea re. 999, 37. Aliæ ad eundem, ut pallium Gerardo Eboracenſi concedat. 999, 61. Paſchalis ei interdicit inveſtituras dare. 499, 7. Juri inveſtiendi renuntiat. 230, 38. 496, 14. 500, 33. 1000, 39. 1659, 66. 2375, 10. 2377, 49. Ejus literæ de profeſſione Thomæ II Eboracenſis. 1712, 40. Ejus charta de Slindono Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ donato. 1226, 6. Filiam Henrico V, Imp. uxorem dat. 232, 38. 1003, 44. 1005, 18. 1338, 53. 2379, 25. Patris de ipſo prophetia, 980, 43. impletur. 1002, 57. Ejus fama, & potentia. 1003, 1. Willielmum F. Comitis Andegavenſis filiæ deſponſat. 2380, 59. Ludovicum, Regem Franciæ, capit, & in Angliam ducit. 2380, 51. Pacem cum eo init. 2380, 61. Ei homagium facere dedignatur. 2380, 64. Cum Calixto P. R. colloquium init. 241, 53. 504, 15. & cum Lud. R. Franciæ. 242, 13. Normannorum ſeditionem ſedat. 242, 20. Filii ejus & filia naufragio intereunt. 242, 50. 500, 23. 1012, 42. 1339, 2. 2251. 2381, 47. Diu certat cum Rege Franciæ. 502, 57 &c. 1003, &c. 1006, 18. Adelinam, vel Adelizam, ducit. 243, 5. 503, 62. 1013, 34. 1339, 14. 1661, 43. Modeſte reſpondet Archiepiſcopo cum eo indignabunde expoſtulanti quod coronam, ipſo inconſulto, induiſſet. 1661, 60 &c. Sibylla, ejus filia, ſubito moritur. 245, 61. Metuit ne Willielmus Roberti fratris F. turbas moveat in Normannia. 247, 19. 1006, 30. Ipſum & Regem Francorum prælio vincit. 503, 2. 1007, 22. Pacem cum Gallo componit. 1012, 20. Oppida Comitis Mellanti comburit. 250, 36. 1015, 4. Filiam Eximperatricem Andegavenſi copulat. 255, 24. 1339, 30. 2382, 55. Comitatum Flandriæ obtinet. 256, 13. 2383, 18. Pecuniam a presbyteris uxoratis extorquet. 1018, 2. 2382, 59. Tres ejus viſiones, a Grimbaldo etiam ipſius medico viſæ. 1018, 43. 2383, 22. Ejus vota. 1019, 49. 2383, 36. Monaſteria ab eo condita. 258, 9. 310, 3. 505, 39. 2384, 27. Caſtella ab eo fundata. 505, 31. Prodigia ipſius morti prævia. 263, 13 &c. Ejus mors. 258, 4. 309, 5. 1020, 23. 1339, 40. Fœtore inſepulti corporis multos inficit, unum interficit. 1023, 52. 1339, 43. 2383, 66. Ejus ſepultura. 258, 8. 1023, 44. 1340, 35. 2384, 7. Carmina de ejus morte. 1020, 55. 2383, 51. Ejus character. 309, 35. Laudes. 258, 14. 309, 310. & 313, 41. Ejus juſtitia & prudentia. 309, 47. Una cum eo juſtitia & pax occubuerunt. 309, 10. 310, 37. 313, 50. 358, 10. Leges bonæ ab eo latæ, & conſuetudines malæ ablatæ. 310, 60. 1021, 42. Ejus vitia. 310, 30. 1021, 7. 2383, 65. Crudelitas. 1021, 11. Parvum diſcrimen poſuit inter homicidas & fericidas. 1152, 1. Varia de eo vulgi judicia. 1021, 1. 2383, 62. Ejus uxores & liberi. 310, 20.

Henricus II, R. Angliæ, cognominatus *Court-mantell*, 1150, 60. 2400, 16. Galfridi Andegavenſis & Matildis Imperatricis F. 258, 34. 277, 47. 1020, 17. 2254. 2383, 47. Robertus Glocceſtrenſis eum in Angliam adducit. 1357, 48. 1358, 11. Briſtoviæ per quadriennium literis operam dat. 1358, 45. Anachoreta ei Regnum prædicit. 1361, 51. Pater eum accerſit. 1361, 53. In Angliam redit. 277, 47. 1366, 36. Militiæ cingulo a Rege Scotiæ ornatur. 277, 51. 347, 45. 526, 6. 616, 5. 1036, 46. 1366, 52. In Normanniam reverſus, 278, 6. fit Dux Normanniæ, & Comes Andegaviæ. 525, 18 &c. 616, 8. 2390, 63. Alienoram a Gallo repudiatam ducit, 1371, 12. & Ducatum Aquitaniæ cum ea accipit. 279, 67. 526, 10. 616, 17. 1040, 23. 2391, 1. Novum-Mercatum a Gallis, Anglis, &c. obſeſſum liberat. 526, 61. Regi Franciæ & Gaufrido fratri ſtrenue reſiſtit. 1371, 23. Æmulatio inter ipſum & Euſtachium Stephani F. oritur. 279, 9. Iterum in Angliam venit. 278, 61. 1036, 64. 1372, 32. 1391, 6. Caſtellum Malmeſburienſe obſidet. 527, 25. 1037, 1. 1372, 47. Oppida capit. 1374, 53. Plures a Stephano ad ipſũ deficiūt. 1037, 11. 1372, 42. Suis Wallingfordiæ obſeſſis opem fert. 1373, 16. Pax inter Stephanum R. & ipſum concluditur. 228, 27. 527, 52. 1037, 1038. 1374, 5. 1375, 6. Stephanus eum in filium adoptat, & hæredem Regni conſtituit. 1037, 65. 1375, 12. Proceres ei fidelitatem jurant. 1375, 31. Willielmus Stephani

junior

junior F. ei homagium facit. 1037,55. Ut caſtella diruantur poſtulat, ſed repulſam patitur. 1375, 41. Flandrenſes ejus mortem machinantur. 1376, 11. In Normanniam trajicit. 1376,19. Eligitur & ungitur Rex Angliæ. 529,18. 616,23. 1043,36. 1376,63. Caſtra & redditus Regios detentos recuperat. 1046, 36. Allienigenas expellit, & caſtella diruit. 1043, 52. 1377,34. Hiberniam occupandi poteſtatem illi concedit P.R. 529,59. Quædam caſtella in Anglia ei redduntur: 531, 4. Alia capit. 531,18. Hugonem Mortimerum ad deditionem cogit. 1046,63. 1378,6. Scotus ei tria oppida, & Comitatum Lodonenſem, reddit. 531,28. Coronam altari ſuperimponit. 531, 34. Teſtamento patris cogitur Andegaviam Gaufrido fratri cedere: 1048,43. Sed poſtea, cum Papæ venia, caſtella ei eripit: 1047,63. Eoq; defuncto, Nannetem recipit. 531,41. 1049,7. 1380,50. Contra Wallenſes proficiſcitur. 1047,55. Ægre eos compeſcit. 1049,7. 1380,24. Eoſdem iterum bellum moventes premit. 1059, 18. 1398, 59. A Rege Franciæ honorifice excipitur. 531, 48. 1380,39. Quaſi Seneſchallus ipſius intrat Britanniam. 1380,44. Toloſam exercitum ducit. 531,32. 1051,8. 1381, 7. Inimicitiæ inter ipſum & Gallum. 531,60. 532,23. Earum origo. 1050,45. Galli filiam filio ſuo Henrico jungit. 532,17. 1380,41. 1381,30. Regem Franciæ & Theobaldum Comitem fugat. 532,29. Pacem cum R. Fr. init. 533,1. 1052,2. Ejus liberi. 610,30. 1045,1. 2401,3. V. *Alienora.* Ejus genealogia. 2400,61. Terras ſuas inter filios quomodo diſtribuerit. 616,42. 1059,32. 1061,33. Pacem inter filios firmare ſtudet. 617,3. Quomodo filias elocarit. 616,48. 1059, 39. 2401,7. Britanniam minorem quomodo adquiſierit. 548,64. 1059,43. E Normannia rediens, pene naufragium patitur. 1060,25. Henricus, F. primogenitus, ejus juſſu ungitur & coronatur. 552,39. 1060,64. 1412,9. Willielmus, R. Scotiæ, & David ejus frater, & Principes Wallenſium, ipſi & Regi juniori, ejus filio, homagium faciunt. 536,8. 1061,6. 2396,46. Gallus indigne fert, filiam ſuam cum Henrico conjuge non fuiſſe coronatam. 1061,13. 1421,37. Henricus ſenior colloquium & pacem cum eo init. 1061,23. Henricus ejus F. iterum coronatur. 1080,38. Cantuarienſi ſuccenſet. V. *Thomas Becket.* Avitas Regni conſuetudines a Papa confirmatas cupit, ſed fruſtra. 512,15. 536, 42. Ad eas firmandas Epiſcopos ſuos cogit. 536,52. 1384, &c. Clericos ob maleficia poſt exautorationem a laicis puniendos vult: 536,61. 1058,50. ſed refragantur Epiſcopi. 537,1. 1384,56. Papam rogat ut Eboracenſem Legatum ſuum conſtituat. 1388,48. Denariorum collectam inſtituit pro terra S. 1399,5. Nuntios mittit qui cauſam ſuam contra Cantuarienſem coram P.R. dicant. 537,57. Radulfum Felgenarum Dominum ad deditionem cogit. 547,1. Matildem filiam nuptum dat. V. *Henricus, D. Saxoniæ.* Imperator & Principes Alemanniæ, auxilia contra Gallum ſpondentes, conantur eum in ſchiſma trahere. 1403,31. Pace cum Gallo redintegrata, 1404,43. Ricardus ejus F. filiam Galli in uxorem accipit. 547,60. 1404,64. Ejus filii Gallo homagium faciunt. 1404,54. Ejus filia Alienora nubit Alfonſo R. Caſtellæ. 550,6. Epiſcopi & Barones minoris Britanniæ ipſi & Gaufrido F. fidelitatem jurant. 551,59. 1060,15. Papæ ad eum literæ, de Th. Cantuarienſi reſtituendo. 549,1. Mandat ne quis literas a P. R. vel a Cantuarienſi in Angliam ferat; 1409,1. ne quis eos appellet; 1409,24. ne quis abſq; licentia mare tranſeat. 1409,32 &c. Cogit Anglos Alexandrum III abjurare. 1404,26. 1409,61. Inquiſitores per ſingulos Angliæ Comitatus ab eo miſſi: 1410,12. Mandata quæ ipſis dedit. 1410,1411. Cantuarienſi ſtapham tenet. 552,60. 1412,48. Literæ ejus ad Henricum F. de Archiepiſcopi & ſuorum receptione. 552,65. 1413,1. In morbum delapſus, apud Grandum-montem ut ſepeliatur mandat. 1061,43. Litigat cum R. Franciæ de Archiepiſcopatu Bituricenſi. 1062,60. Graviter dolet mortem Cantuarienſis, 1419,12. & Deum teſtem vocat quod cædi ipſius nullatenus conſenſerit: 556,34. 560,17. 577,14. 718,23. 1080,55. Nuntii tamen ejus a Papa non admittuntur. 556,48. 1068, 1. 1419,32. Terræ ejus tranſmarinæ ſub interdicto ponuntur. 1066,40. Contra ipſum ad P.R. ſcribunt Rex Franciæ, 1065,5. Comes Bleſenſis, 1065,31. & Archiepiſcopus Senonenſis. 1066,44. Agnoſcit ſe cauſam mortis Thomæ fuiſſe. 1067,58. Papæ ſeveritatem timens, prohibet ne quis literas ab eo portans vel Angliam vel Normanniam ingrediatur. 1069,15. 1419,52. In Hiberniam cum exercitu trajicit. 1070,20. 1419,61. Cauſæ iſtius profectionis tres. 1419,65. Ibi Archiepiſcopi & Epiſcopi ei fidelitatem jurant. 1070, 53. 1420,36. Omnes excepto Rege Cegnactæ, eum ut Regem accipiunt. 558,19. 559,39. 1070,40. 1420,43. Concilium cogit apud urbem Caſſelenſem. 1071,24. 2394, 64. Exercitus ejus profluvio ventris laborat. 559, 28. Per XX hebdomadas, ventis adverſantibus, nullius ei nuntius in Hiberniam advenit. 559,34. 720, 21. Interim quidam novi Regis animum ab eo alienant. 559, 23. Cardinales duo in Normanniam mittuntur, ſuper cæde Cantuarienſis. 1068, 10. 1079, 24. 1419, 48. 1421, 6. Ad hos ex Hibernia feſtinat, 1079, 27. munera illic & curationes prius diſpertitus. 1079, 32. In Wallia cœlitus monetur, ut Regnum & vitam reformet: 1079, 47. 2395, 13. Sed Divinas monitiones parvi pendit. 1079, 60. 2395, 26. Anglia ſalutata, adit Normanniam: 560, 1. 1080, 10. 1421, 32. ubi alius monitor occurrit, ſeptem ei articulos proponens. 1080, 14. 2395, 31. Multa Papæ pollicitus, abſolutionem impetrat. 560, 30. 718,17. 1080, 60. Quænam præſtare jurarit. 1081, 2. 1422, 3. Filii & proceres ei inſurgunt. 1080,3. 1424, 14. 2395,34. Uxorem Johanni F. parat, 561,1. 1082, 37. 2397,28. & ei tria caſtella ſtatuit concedere: 1082, 66. Sed refragatur Rex F. 1083,2. 1424,28. Ad ejus aulam Rex Aragoniæ & multi Comites conveniunt. 561,9. 1082, 43. Comes S. Ægidii ipſi & filiis homagium facit. 561, 21. 1082,47. Conſuetudines Clarendoniæ confirmatas abrogat. 560,37. 1081,30. 1422, 50. Proceres Regem juniorem contra ipſum inſtigant. 1083, 9. Gallus filium, non patrem, pro Rege Angliæ agnoſcit. 1083, 36. Reliqui filii, a matre animati, ab eo deficiunt. 562, 10. 1083, 60. 1424, 30. Regina Alienora, mutata veſte ab aula diſcedens, apprehenditur, & in cuſtodiam datur. 1424, 31. Henricus cum ea divortium facere molitur. 1432,54. Comites & Barones nonnulli ab eo ad filium transfugiunt, 570, 11, 1085, 28. ſeveritate ejus in facinoroſos offenſi. 570, 19. Quot hoſtes eum in diverſis locis ſimul impetebant. 1427,54. Ejus patientia. 571, 53. Servos filii & ſupellectilem retinere non vult. 1084,10. Proceres in Anglia ab eo deficientes. 1085, 32. Gallum a Vernolio fugat. 572, 3 &c. 1087,30. Filii exercitum ad Dolam profligat. 574, 16. Willielmi Regis Siculi ad eum literæ. 1088,6. Cum Gallo colloquitur. 1088, 51. Filiis magna offert: 1088,54. Pax autem non componitur. 1089,7. Fidem ſuorum explorans, Cenomannos & Andegavenſes ad obſequium paratiſſimos invenit. 575,1. Ad urbem Santonicam e manu Ricardi F. liberandam feſtinat. 575,19. 1094,53. Caſtella & urbes cuſtodibus committit. 575,46. Nuntio de motibus in Anglia accepto, 576, 9. reditum accelerat. 576,31. 1094, 65. Ejus precatio. 576, 56. Ad Hamonis portum feliciter appellit. 576,65. 1095,7. Ad Thomæ Cantuarienſis ſepulcrum humiliter proſtratus, lacrymas & preces fundit. 577, 8. De illius cæde ſe purgat: 577,12. Virgis tamen a ſingulis Epiſcopis, Abbatibus & monachis tunc præſentibus voluntarie cæditur. 577, 19. 1095, 20. 1427,39. Muneribus & annuis redditibus Martyrem honorat. 577, 23. Ex illo tempore omnia ei feliciter ſuccedunt. 577,30. 1427, 36. 1428, 8. Eadem enim hora Angli Scotos profligant. 1092,22. 1095,26. 1427, 57. Munitiones quamplurimæ ei redduntur. 577,54. 1095, 51. Anglia pacata, in Normanniam tranſit. 578,28. 1096, 25. Galli commeatum intercipit. 1097, 44. Francos & Flandrenſes Rothomagum obſidentes fugat. 579,8. 1098, 1. Cum Gallo colloquitur. 1098, 24. Quam fuerit a tyrannide alienus, & ad pacem promtus. 582, 40 &c. Ricardus F. ſupplex veniam orat. 1098,37. 1428,54. Pacem cum filiis & Gallo facit. 582,26 &c. 1098,50. 1428, 56. Ejus conditiones. 583,3. 1099, 1100. Hominium ab Henrico F. accipere non vult: 1100, 30. tandem accipit. 1101,11. Hoſtes in bello captos, paucis exceptis, ſine pretio liberat: 583,27. Filius non item. 583,36. Flandrenſi mille marcas argenti annuatim ſolvendas pollicetur. 1101, 33. Caſtella oppreſſorum per Angliam & Normanniam evertit. 585,24. 588,25. Filii homagium ei faciunt. 585, 32. 1100, 28. Eadem navis, menſa, &c. utrunq; Henricum excipit. 585,52. Literæ ejus de pace inter ipſum & Gallum redintegrata. 586,10. Ferarum venatores punit. 587, 34. 1102,50. 1103,15. Regem F. & ſeipſum ære alieno liberat. 588,32. Conventiones inter ipſum & Scotum. V. *Willielmus, R. Scotiæ.* Liberas electiones fieri concedit. 568, 24. 1102,31. Juſtitiarios per Regnum conſtituit. 588,40. Conventio inter ipſum & Regem Connactæ. 1106,19. Andegavenſibus & Cenomannis fame laborantibus alimenta miniſtrat. 589,59. Tractat cum Epiſcopis & proceribus de filia Johanna Regi Siciliæ deſponſanda. 590, 32. Siculi ad eum literæ de accelerandis nuptiis: 593, 65. Johanna ei nuptura transfretat. 594, 52. 1112, 27. 1434, 27. V. *Willielmus, R. Siciliæ*. Henrici literæ ad P. R. de quibuſdam quæ clericis indulſerat. 591, 55. Comes Engoliſmenſis ipſius miſericordiam ſuppliciter implorat. 594, 45. Univerſa Angliæ & Normanniæ caſtella in ſuam poteſtatem ſumit. 1116, 22. 1127, 24. Arbiter litis conſtituitur inter RR. Caſtellæ & Navarræ. 595, 19. 1120, 23. 1435, 1. Querela utriuſque partis. 1123, Sententia Henrici, qua litem compoſuit. 597, 3. 1124, 1125. Nuncii utriuſque Imperatoris, aliorumque Principum, de variis negotiis eum conveniunt. 595, 24. 1118, 22. Ejus legati a Sicilia redeuntes a Duce Burgundiæ ſpoliantur. 598, 64. Comitem Ceſtriæ ad Hiberniam ſubjiciendam mittit. 1127, 38. Hiberniæ terras inter ſuos dividit. 1127, 64. V. *Hibernia*. P. R. ejus terras ſub interdicto ponere interminatur, ni Ricardus Galli filiam ducat. 1133, 50. Forma pacti inter ipſum & Ludovicum R. Fr. initi, quando Hieroſolymam una proficiſci ſtatuerant. 599, 3. 1134, 10. 1442, 20. Manuelis Imp. CP. ad eum literæ. 596, 40. Albertus, Comes de Marchia, Comitatum ſuum ei vendit. 599, 61. 1136, 42. Colloquitur cum Gallo de jure ad Alverniam. 1136, 20. Gaufridum F. cingulo militari ornat. 600, 38. 1138, 24. Galliæ Regem regaliter excipit. 604, 62. 1140, 18. Tranſmarinas ejus terras ſe defenſurum Gallus promittit. 1137, 61. Quantopere curarit ut juſtitia per Regnum exerceretur. 605, 28. Tres Epiſcopos ſummos Juſticiarios conſtituit. 606, 7. Latrones & homicidas ab eccleſiis ad ſupplicia abripit. 2400, 28. Lemovicenſes graviter mulctat quod Epiſcopum citra ejus conſcientiam elegerant. 610, 3. Defunctus Archiepiſcopus eos Henrico conciliat. 610, 12. Litem componit inter Gallum & ejus matrem. 610, 55. 1141, 67. Fœdus init cum Philippo Rege Franciæ. 610, 64. 1142, 27. Pacem inter ipſum & Flandrenſem componit. 1459, 16. 1461, 8. Philippus ſe totum ejus conſilio ſupponit. 611, 60. Normanniam Henrico F. regendam committit. 612, 3. Filii ejus Galli hoſtes edomant. 612, 41. Ejus charta de libertatibus Eccleſiæ Cantuarienſis. 1435, 18. Jubet Anglos univerſos arma ſibi comparare. 1459, 3. Teſtamentum condit: 1459, 27. Ejus forma. 1459, 33. Ingentem vim pecuniæ, magnatum conſenſu, in pios uſus erogat. 613, 14. Ejus literæ ad Ricardum Wintonienſem. 613, 34. Ejus literæ ad conventum S. Trinitatis. 1523, 59. Aliæ. 1539, 33. Monachus Cantuarienſis contumelioſe ab eo exceptus, ei imprecatur. 1545, 5. Literæ ejus ultimæ ad conventum Cantuarienſem. 1545, 32. Chartæ ejus de monaſterio Auguſtinenſium. 2111, 9. 2130, 10 &c. Ejus colloquium cum Epiſcopis, de tollendis monachorum privilegiis. 1595, 1596. P. R. ad eum ſcribit, ut liberaliter cum Margarita Henrici F. vidua agat. 624, 40. Quæſtio de ejus dote amice componitur. 630, 28. Colonienſem Archiepiſcopum & Comitem Flandrenſem excipit. 625, 8. Regni Hieroſolymitani inſignia ad eum deportantur. 625, 63. 2398, 44. Epiſcopos & proceres conſulit utrum Hieroſolymitanis in propria perſona ſuccurrat. 627, 7. Cur profectionem iſtam non ſuſceperit. 1474, 58. 2398, 51. Colloquium ejus cum Heraclio Patriarcha. 1144, 59. 2398, 53. Decimam ab Anglis exigit in terræ S. ſubſidium. 1529, 64. Cum Gallo init colloquium. 626, 41. Munitiones Aquitaniæ cuſtodibus committit. 630, 35. Cantuarienſi Archiepiſcopo magnam venerationem exhibet. 630, 48. Dominatum minoris Britanniæ repetit. 1480, 33. Inimicitiæ inter ipſum & Gallum, & tantum non prælium. 635, 34. 1147, 9. 1500, 7. Variæ inter eos diſſenſionum cauſæ. 1480, 36. 1486, 10. Duorum annorum induciæ inter eos pactæ. 635, 34. 1500, 36 &c. Quibus telis ſolebat Gallum oppugnare. 1480, 49. Fallax ejus & ſubdola oratio. 1500, 49. Cruce ſignatur. 636, 43. 1148, 50. Gallus fœdus violat. 1149, 35. Literæ Henrici ad Imp. R. & C P. & ad Regem Hungariæ, tranſitum, &c. exercitui petentes. 636, &c. 1520, 49. Diſcordat cum Gallo. 639, 43. 1535, 10. Cum eo colloquitur. 641, 12. 644, 17. 1149, 47. 1536, 41. Cauſa diſſenſionis inter ipſum & F. Ricardum. 641, 21. 1536, 52. 1537, 3. 2397, 31. Ægrum ſimulat. 1539, 6 1542, 10. Conatur Ricardum blanditiis allicere, ſed fruſtra. 1539, 7. Rex Franciæ ſororem ab eo expoſcit; Ricardus, Regni hæreditatem: 1543, 55. Sed neutri ſatisfacit. 1544, 5. Hinc ei caſtella auferunt: 644, 22. Eum a Cenomannia fugant. 644, 29. 1150, 4. Ejus blaſphema verba, quæ protulit quando urbem Cenomannenſem jam flammis periturum reliquerit. 1150, 18, 2399, 67. Johannes F. eum deſerit. 1150, 24. Pacem cum hoſtibus componit. 644, 51. 2400, 4. Ingentes pecuniæ ſummas Regi & Baronibus Franciæ polliceri cogitur. 1544, 50. Arverniam Gallo concedit. 645, 14. Fato concedit. 645, 35. 1150, 40. Quando ægrotare cœperit. 1545, 13. Prodigia ejus morti prævia. 1151, 4. Thomæ Cantuarienſis verſiculus de ejus filiorumque morte propheticus. 1545, 17. Monacho Globurnenſi de eo quædam revelantur. 1151, 8. Corpus diu nudum jacuit. 1150, 57. 2400, 13. Sanguis e naribus, dum Ricardus aſſiſtit, effluebat. 1151, 28. 2400, 20. Locus ſepulturæ. 1151, 18. Epitaphium. 645, 45. Ejus corpus, mores, res geſtæ deſcribuntur. 1044, 16. 2391, 50. Quot loca in Gallia tenuerit. 1044, 51. 2392, 17. Totum mundum uni potenti viro parum eſſe dicebat. 1044, 57. 2392, 23. Quantum pondus auri & argenti reliquerit. 1156, 49. Quam callidus & verſipellis fuerit. 1473, 52. 1501, 4. 1510, 60. 1511, 60. 1596, 44. Epiſcopos cur ſolitus fuerit ſecum circumducere. 1045, 23. 2392, 55. Ejus virtutes. 1152, 7. Adverſa quæ ei contigerint. 1044, 63. &c. 2392, 30. Diabolum inter majores habuiſſe dicitur. 1045, 40. 2393, 7. Matris culpa. 1045, 63. Alienoram conjugem per ſedecim annos in carcerem concluſerat. 646. 59. Henrici pater olim cum ipſa concubuerat. 1045, 3. 1046, 7. 2392, 36. Alienoræ pater alterius uxorem rapuerat. 1046, 10. 2393, 41. Roſamunda, ejus concubina. 1151, 42. 2395, 64. Aleſiam, Regis Franciæ filiam, devirginavit. 1151, 57. 1195, 65. 2397, 17. Filios ipſi inſurrecturos prædixerat. 1046, 15. 2393, 46. Bernardi de eo prophetia. 1046, 1. 2393, 32.

Henricus III, R. Angliæ. 2260. Cur Tertius ſit vocatus, cum fuerit quartus. 2429, 1. Oratio Comitis Mareſchalli de eo coronando. 2426, 54. Gloverniæ coronatur. 2427, 17. Crucis ſigno induitur. 2427, 21, Ejus ſanctitas eximie laudatur. 2428, 1. Hiſpanus, nomine Monachus, Regnum ei utpote puero facile eripere ſperans, profligatur. 2428, 9. Puerum Jeſum orat, ut ipſum puerum Regem defendat. 2428, 43. Caſtrum Bedfordenſe capit. 2429, 45. Pupillorum tutela illi conceditur. 2430, 44. Quindenam per totam Angliam accipit. 2429, 55. 2430, 47. Chartas de Foreſta & de Libertatibus concedit. 2429, 52. Literæ ejus ad Conventum S. Auguſtini: 1872, 12. ad Papam, pro Hugone electo Abbate S. Auguſtini. 1875, 14. Chartæ Auguſtinenſibus conceſſæ. 2133, 2134. Fortagium quod caſtellani Doverenſes a Kentenſibus exigebant, remittit. 1880, 40. Elianoram ducit. 2431, 50. 2439, 54. Ejus filii. 2439, 57. Ejus filiæ, & ipſarum mariti. 2439, 62. 2461, 12. Clericus ejus necem machinatus, capitur. 2432, 12. Affinibus ſuis & alienigenis nimium favens, Barones ad civile bellum provocat. 2436, 51. 2444, 54. Walliæ Regulos vectigales reddit. 2436, 36. 2439, 6. Comiti Britanniæ opem fert. 2439, 31. Ad Hiberniam pacandam transfretat. 2439, 44. Statuta *de Merton* ordinat. 2439, 51. Victoriam de Gallis reportat. 2440. 22. Wallenſes ei moleſtiam faceſſunt; 2443, 37. & caſtrum Snawdonenſe, quod ad eos frænandos conſtruxerat, diruunt. 2443, 50. Vaſcones rebelles ad pacem revocat. 2443, 62. Laici viceſimam, clerici decimam ei per triennium concedunt. 2438, 43. Oratio Baronum ad eum. 2445, 7. Fratres ejus Regno exigunt. 2445, 37. Multi ex Baronibus veneno perimuntur. 2446, 1. Henricus jurarat ſe ſtatuta concilii Oxonienſis obſervaturum: 2445, 23. Sed Papali abſolutione obtenta, promiſſa revocat. 2446, 24. Normanniam & terras tranſmarinas omnes, Vaſconia excepta, Gallo tradit: 2436, 60. 2444, 40. Cujus facti mox eum pœnitet. 2444, 48. Proceres ab eo ſeceſſionem faciunt, quod decretis ſuis non ſteterat. 2437, 10. Rex Franciæ, arbiter litis conſtitutus, pro Rege fert ſententiam: 2446, 58. Sed proceres ejus judicio ſtare nolunt. 2446, 65. Rex Northamtoniam, quo Baronum nonnulli convolarant, expugnat. 2447, 6. Roceſtriam obſeſſam 2448, 43. liberat. 2448, 61. Caſtellum Kingſtonienſe capit, 2448, 60. & Tunbrigienſe. 2448, 63. Literæ Baronum ad eum. 2449, 9. Ejus reſponſum. 2449, 17. Aciebus utrinque ordinatis ad Lewiſium oppidum, 2449, 23. Regales copiæ vincuntur: 2450. Rex, Ricardus frater, Edwardus F. &c. capiuntur. 2437, 26. 2450, 17. In prælio Eveſhamienſi, victo Leiceſtrenſi, Rex liberatur. 2453. Ibi occidioni proximus, ſe Regem eſſe clamans, evadit. 2453, 51. Decima per ſexennium ei a clero conceſſa. 2454, 30. Caſtrum Kenelworthenſe ei deditur. 2454, 52. Barones a Lincolnia ad Eliam inſulam, 2454, 65. inde Londinum fugari, 2455, 7.

tan-

tandem pacem & veniam eum rogare coguntur. 2455, 13. Moritur. 1920, 38. 2439, 2. 2460, 32. Quamdiu regnarit. 2460, 37 & 45. Ubi ſepeliatur. 2461, 7.

Henricus IV, R. Angliæ, erat Johannis Gãdavenſis F. & Comes Derbienſis. 2633, 54. 2634, 39. 2676, 56. Duci Hiberniæ reditũ ad Regem intercludit: 2702, 45. Ipſum, & quatuor alios ſeductores Regis, proditionis accuſat. 2713, 50. Mille militibus ſtipatus in Pruciam proficiſcitur. 2737, 26. Maria ejus uxor moritur. 2741, 34. Fit Dux Lancaſtriæ. 2743, 52. Ducem Norfolciæ ad duellum provocat. 2749, 39. Ad decennium proſcribitur. 2749, 19 & 50. Cum eo colloquitur Ricardus, jamjam corona & ſceptro ſe abdicaturus. 2743, 52. Ricardus ait, ſe illum ſucceſſorem cupere. 2745, 34. Ricardo depoſito, Regnum vendicat. 2757, 41. Parliamentaria autoritate in Regali ſolio collocatur. 2758, 63. Gratias Regni Ordinibus agit. 2759, 17. Parliamentum indicit. 2759, 36. Proceres convivio excipit. 2759, 61. Coronatur. 2288.

Henricus V, R. Angliæ, coronatur. 2290. Manerium Shenæ reparat, & tria monaſteria ibi conſtruit. 2290. Ariflorum, ſeu Harflu, capit, 2290. & Cadomum, aliaque opida. 2291. Inſignem victoriam ad Agincortium de Gallis reportat. 2290.

Henricus VIII, R. Angliæ, Charta Auguſtinenſium ſua omnia in ejus manus tradentium. 2293, 11.

Henricus le Spenſer, Epiſcopus Norwicenſis, ſeditionem ſuorum ſtrenue compeſcit. 2638, 51. Cruciatam a Papa obtinet. 2660, 9. Quantum theſaurum, & qua aſtutia, collegerit. 2671, 26. exercitu in Flandriam ducto, villas complures capit. 2671, 54. exercitus ab eo dilabitur. 2672, 1. In Angliam redit. 2672, 46. Ordinationes ejus de Cruciata publicanda. 2673, 2674.

Henricus Woodloke, Epiſc. Wintonienſis, Edwardum II coronat. 2007, 67. 2531, 4.

Heord-peny. V. *Romeſcot.*

Heraclius Imp. ingentem exercitum contra Saracenos ducit. 437, 35. 737, 49.

Heraclius, Patriarcha Hieroſolymitanus, in Angliam venit, 517, 53. 625, 51. 652. 27. 1474, 48. 2398, 44. claves turris David, & alia ejuſmodi, in manibus ferens. 625, 63. 1144, 43. Henrico II gravia interminatur, quod Hieroſolymam proficiſci noluerit. 1145, 2. 2398, 53.

Herbertus, Abbas Weſtmonaſterienſis. 243, 8.

Herbertus, Epiſc. Glaſguenſis. 276, 55.

Herebaldus. V. *Johannes Beverlacenſis.*

Herebertus, Abbas Saropsberiæ ſeu Salopiæ. 1663, 19.

Herebertus, Anglus, Archiepiſcopus Conſenſanus in Sicilia, 628, 28. terræ motu obruitur. 628, 32.

Herebertus, Archidiaconus Cantuarienſis, fit Epiſc. Sarisburienſis. 673, 46. 1588, 43.

Herebertus, Archiepiſcopus Colonienſis. 462, 16. 465, 21.

Herefordia, Anglice *Fernlega*, id eſt, ſaltus filicis. 753, 30. Vocatur Heorthord, & Heortford. V. *Concilia.* Eccleſia cathedralis ibi fundatur; 754, 38. & Eccleſia S. Petri. 979, 18. Eccleſia Ethelberti conflagrat. 945, 37. ¶ Herefordenſes Epiſcopi: *Walcſtoc*; *Cuthbertus*; *Ethelſtanus*; *Leofegarius*; *Aldredus*; *Walterus Lotharingus*; *Robertus* I; *Gerardus*; *Rogerus*; *Reinelmus*; *Goffridus*; *Ricardus*; *Robertus* II; *Gilbertus*; *Robertus* III; *Ricardus* alius; *Willielmus de Ver*; *Gilo de Bruſe*; *Robertus IV*; *Ægidius*; *Johannes Gilbert*; *Johannes* alius. ¶ Herefordenſes Comites: *Willielmus F. Osberni*; *Rogerus*; *Milo*; *Rogerius*; (V. *Rogerus de Clare*) *Gilbertus de Clare*; *Humfridus de Boun.*

Hereget. 930, 6.

Herewardus. 203, 30. 484, 34. 969. 4.

Herewardus, Epiſc. Landavenſis. 983, 48.

Helewinus, Prior S. Trinitatis, Prioratum reſignat. 1456, 56.

Herluinus, primus Abbas Beccenſis. 469, 53. 2330, 44.

Hermannus, Epiſcopus Merciorum. 789, 65.

Hermannus Flandrenſis, Edwardi Confeſſoris Capellanus, fit Epiſcopus Wiltonienſis, 181, 36. (Dicitur Wintonienſis, 381, 9. 1701, 5.) ſeu Sarisburienſis, 202, 65. 483, 27. ſeu Sherburnenſis. 483, 27. 1653, 18. Sedem Malmesburiæ ſtatuere cupiens, ſed repulſam ferens, Epiſcopatum dimittit, 182, 52. 946, 49. & monaſterium in Gallia ingreditur. 946, 56. Redit & Epiſcopatum auctum recipit. 946, 60. 2335, 45. Obit. 2351, 24.

Hermon cum fratre Hibero, quando in Hiberniam advenerint. 1074, 7. Hernoſtus, Epiſc. Roffenſis. 490, 3. 1654, 3.

Herodes, R. Judæorum, filium vitæ ipſius inſidiantem occidit. 564, 37.

Hertfordiæ caſtrum fundatur. 833, 35.

Herveius, Epiſcopus Bangorenſis, 225, 5. 501, 26. 1707. 21. fit Elienſis. 232, 33. 501, 52. 1017, 64. Obit. 1019, 58.

Heſtoldeſham. V. *Hauguſtaldenſis.*

¶ Hexeſhamenſis Abbas: *Tilredus.*

Hibernia, unde dicta. 627, 7. 1072, 9. 1074, 18. Olim Scotia vocabatur. 1072, 13. 1635, 41. De ejus ſitu, 1072, 17. magnitudine, 626, 51. 1073, 30. qualitate terræ; 1072, 39. incolis; 626, 51. Incolarum ſanitate, 1072, 44. moribus, 1075, 19. victu, 1075, 24. veſtitu, 1075. 28. armis, 1075, 31. neglectu agriculturæ & artium mechanicarum, 1075, 39. inſtrumentis muſicis, 1075, 47. infidelitate. 1075, 60. Magicis & maleficis artibus ſunt dediti. 1076, 13. Quibus rebus abundet inſula. 1072, 57. Caret vineis, 1073, 8. & capreis, 1073, 14. & venenis. 1072, 30. 1073, 31. V. *Chriſti baculus*, Quibus piſcibus, avibus, beſtiis careat. 1073, 26. Galli ibi cantant in noctis crepuſculo. 1073, 41. Miras inſulas habet: Unam, ubi nemo mori poteſt; 1076, 32. Alteram, ubi fœminæ parere nequeunt; 1076, 36. Alias, ubi cadavera non putreſcunt; 1076, 38. 1077, 33. Aliam, ubi purgatorium Patricii. 1076, 39. Ibi etiam fontes miri; 1077, 36. Salices pomiferæ; 1077, 45. Lacus, de cujus origine mira narrantur; 1077, 47. alius lignum in ferrum & lapidem vertens; 1078, 5. alius, corylum in fraxinum vertens, & e contra. 1079, 9. Quolibet ſeptennio duo conjuges in lupos mutantur. 1077, 66. Clerici quomodo ibi vixerint. 1078, 27. Cur nullum inter tot Sanctos martyrem habeant. 1078, 35. Campanas, baculos recurvos, &c. ſumme venerantur. 1078, 52. Nuptiarum legi olim aſſueti non erant. 279, 55. 1071, 47. Qualiter olim baptizarint pueros. 1071, 36. Nullus Hibernicus adventum Antichriſti expectabit. 1145, 45. Ad Hiberniam paſtoralem curam extendebat Laurentius Cantuarienſis, 1631, 21. ut & ejus ſucceſſores. 970, 65. 2348, 51. Plures ex Hibernia in Britanniam ad prædicandum verbum Dei veniunt. 1635, 40. Quomodo primum fuerit Anglis ſubdita. 1069, 36. V. *Ricardus, Comes de Striguil.* Hibernicæ linguæ autor. 1074, 24. Hiberniæ Reges; 1069, 39. 1070, 43. 1420, 41. Archiepiſcopi, & Epiſcopi. 1070, 63. 1420, 48. Quatuor Epiſcopi ibi conſtituuntur. 279, 54. 527, 6. Conditiones pacis inter Anglum & Connactenſem. V. *Rothericus.* Henricus II Johannem F. Conſtituit Regem Hiberniæ, 1127, 57. & terras Hiberniæ inter ſuos diſtribuit. 1127, 62. Leges Anglicanæ Hibernicis imponuntur. 2420, 55. Decimas eccleſiaſticis jubentur pendere, 1071, 42. 2395, 4. rite matrimonia inire, 1071, 45. & infantes baptizare, 1071, 34. & teſtamenta condere. 1071, 51. 1420, 41. Quidam Hiberniæ Reguli ab Anglo deficiunt. 1128, 37. Hibernici piratæ Angliæ loca deprædantur. 939, 52. Scottus exercitum in Hiberniam mittit. V. *Robertus de Brus.* Motus in Hibernia. 2609, 24. 2742, 6. De incolis prioribus. 1073, 48. Ab Hermone ad Patricii tempora quot Reges habuerint; 1074, 14. Quot ab adventu Patricii ad Turgeſium; 1074, 30. Quot ab obitu Turgeſii ad Rothericum; 1075, 7.

Hiberus, vel Heberus, Hiberniæ Monarcha. 1074, 13.

Hicmarus, P. R. Legatus, venit in Angliam. 274, 36.

Hidæ monaſterium conſtruitur. 2379, 23. ¶ Abbates: *Johannes*; *Wolfricus.*

Hidage, quid. 957, 44.

Hida, quid. 887, 20.

D. Hieronymus quo tempore ſcripſerit. 431, 40 & 51. Papatu dignus a pleriſque habitus, ab aliis Urbe effugatur. 431, 40.

Hieroſolymam proficiſci, ad Paganos debellandos, Urbanus P. R. Chriſtianos hortatur. 222, 26. Capitur a Chriſtianis. 224, 46. 993, 55. ¶ Ejus Reges: *Godefridus*; *Baldewinus I*; *Baldewinus II*; *Fulco*; *Baldewinus III*; *Almaricuss*; *Baldewinus IV*; *Guido*; *Conradus*; *Henricus*; *Johannes.* Hieroſolyma Turcis deditur. 640, 3. 1145, 64. 2258. 2399, 16. Quoties ea urbs fuerit ſubjugata; 652, 1. Poſt Chriſti tempora nunquam capta fuit, niſi Urbano Romæ ſedente. 1146, 7. Loca ſacra ibi profanantur. 643, 1. 684, 23. Ejus miſeria deploratur. 642, 61. 684, 11. Ravennas Patriarcha miſeram Hieroſolymitanorum conditionem exponit. 624, 33. Ut eis ſubveniatur quatuor e ſingulis marcatis denarii per Angliam colliguntur. 547, 31. Henricus II quadraginta duo millia marcarum iis diſtribuit. 613, 13. Ad auxilium rogandum, Patriarcham & alios in occidentem mittunt; 622, 57. ſed fruſtra. 625, 54. 626, 12. Mobilia per Angliam decimantur. 650, 24. Decima per ſexennium in Anglia conceditur.

1926,27. V. 2399,58. Summa receptorum in diœceſi Cantuarienſi. 1926,44. Chriſtianis ſine pretio Hieroſolymam intrare non conceditur. 911,41. 2319,65. V. *Crucigeri.*

Higbaldus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 12,1.

Higwaldus. V. *Ingualdus.*

Hilarius, Epiſc. Ciceſtrenſis. 276,45. 533,25. Stephanum Regem apud P. R. excuſat. 509, 60. Ejus ſententia de controverſia inter Henricum II & Thomam Cantuarienſem. 1390, 25. Cantuarienſem perjurii accuſat, & Papam appellat. 1392,43. Oratio ejus coram P.R. 1395, 11. In leges Grammaticæ peccans, deridetur. 1395,20.

Hilarius Pictavenſis. 431,45.

Hilda, Abbatiſſa. 76,43.

Hildebrandus, vel Gregorius VII, P.R. quomodo Epiſcopum ſimoniæ reum fuiſſe probaverit. 974,1. 2350,33. Clericis conjugium interdicit, 205, 60. 2350, 28. & ſimoniam. 205,63. Conjugatorum miſſas audire vetat. 209,17. 2350, 32. Uxoratos ſacerdotes officio movet: 209,15. 486,10. 973,47. quæ res fuit in Eccleſia multorum malorum cauſa. 486, 21. Henricus Imp. eum deponendum decernit. 212, 3. Roma fugatus, Beneventum adit. 487, 39 &c. Wibertus in ejus ſede collocatur. 212,19. 2350,59. Imperatorem excommunicatum ægre abſolvit. 974,4. 1009, 23. V. *Henricus IV, Imp.* Cum in extremis erat, ſe odium & ſchiſma concitaſſe fatebatur. 978,50. 2352,34. Moritur. 212,60.

Hildegardis. 1036,1.

Hildelitha, Abbatiſſa Berkingenſis. 745,5.

Hinderling, quid. 906,67.

Hinkley. *Honor* de Hinkley. 2346,30.

Hintredus, dæmoniacus, ſanatur. 797,42.

Hircus, vel

Hiricius, Comes Northumbriæ. 893,35. 906,52. 2317,36.

Hermericus, R. Cantiæ. 729,3.

Hiſpaniæ fines. 1178,54.

Hiſtoria tripertita. 931,63.

Hiſtorici illuſtriores quo tempore ſcripſerint. 431. Hiſtoriæ laus. 2311,22. Hiſtoriographus & Chronologus quomodo differant. 1336,17.

Hlieſnes. V. *Lieſnenſe.*

Hludenſes. V. *Malmesburienſes.*

Hoelus, R. Britonum, ab Adelſtano ſubigitur. 838,23.

Holmenſis Abbatia. V. *Cow-holm.*

Homicida biennali exſilio punitur. 537,9. De præſtantibus gladium, vel lanceam, vel equum ad homicidium. 763, 66. 824, 2. De presbytero homicida. 824, 19. 927, 18. V. *Monachi.* De homicida, vel occiſo, qui cognatos non habet. 825,2. Homicida non invento, villa ubi vixerit quomodo mulctanda. 2358, 14. Leges de Homicidio. 762—768. 824, 59 &c. 859, 2. 860, 60. 861, 15. 900,27. 923,15. 927, &c.

Homo in aſinum verſus. V. *Aſinus.* Homines in lupos verſi. V. *Hibernia.* Homines a vilibus animalculis interemti. 978, 10. 2351, 61. An in homine ſit una tantum forma. 2467,61.

Homſokne, quid. 2030,67. V. *Hamſocna.*

Honorius, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 100, 30. 438, 14. 740,29. 782,57. 1768,65. 2229. Literas & pallium a P. R. accipit. 783, 27. 1634, 45. 1750, 23. Moritur. 1635,34.

Honorius I, P.R. 437,59. 2229. Cantuarienſi Eccleſias totius Britanniæ ſubjicit. 438,5. Ejus literæ ad Edwinum R. Northumbriæ; 783,1. 1634,47. ad Honorium Cantuarienſem. 783,31. 1750,23.

Honorius II, P.R. 251. 33. 504, 21. 1718, 36. 2251. 2382,38.

Honorius III, P.R. 1870,46. 2259. Fredericum Imp. excommunicat. 2416,33.

Honorius IV, P.R. 1727,64. 2273. 2463, 9. Ejus literæ confirmantes Cantariam Hamonis Doge. 1914,62.

Honorius, Prior S. Trinitatis. 1480,27. Romam tendit, de Baldewino Archiepiſcopo queſturus. 1485,48. A Romana curia diſcedit. 1497,39. Ad eam redit. 1507,25. A P.R. obtinet, ut Legatus mittatur qui totam controverſiam cognoſcat & judicet. 1532,56. Moritur. 1533,44.

Horæ B. Virginis. 942,26. 2249. 2359,45.

Horderium, quid. 930,64.

Horingbrook. 1886,35. Decimæ ejus. 1895,1.

Hormiſda, R. Perſarum, a ſubditis excæcatur, a filio occiditur. 564,46.

Horn-caſtrum deſtruitur. 985,59.

Horſa, Dux Saxonum. 728,66.

Hortonenſis monaſterii valor. 2167,53.

Hoſpitalarii quibus fruantur privilegiis, & quomodo ea tranſgredi ſoleant. 1454. Templariis deletis, eorum poſſeſſiones occupant. 1730,33.

Hoſpitale de Hoſpringe. 1893,54. Hoſpitale pauperum ſacerdotum Cantuariæ. 1892,61. Compoſitio inter illud & Rectorem S. Margaretæ. 1897,57. Eccleſia S. Margaretæ in Cantuaria ei datur. 1920,60. Ejus valor. 2168,54.

Hoſtes humani generis tres, Diabolus, Mundus, Caro. 1334, 42. Quis ex iſtis præcipue cavendus. 1334,59. Tria iſtis oppoſita remedia. 1335,14.

Hoxne, olim Egleſdon, ſive Haleſdon. 805,1. Ibi S. Edmundus occiſus. 2324,66.

Hubba, Danus, occiditur. 809,58. Locus ubi ſepelitur, ab eo vocatur *Hubbelowe.* 809,66. V. *Inguar.*

Hubertus de Burgo, Comes Cantiæ. 2133,57.

Hubertus Walteri, 1490,23. ſeu Walterus Hubert, 1189,23. Decanus Eboracenſis, Gaufridi Archiepiſcopi electionem irritam facere conatur. 1157, 1 &c. Fit Epiſcopus Sariſburienſis. 648,15. 670, 12. 1161, 25. Baldewinus Cantuarienſis eum teſtamenti ſui exſecutorem conſtituit. 658, 37. Ejus epiſtola ad Londinenſem de ſtatu obſidionis Ptolemaidis. 658,48. Optione data, a Saladino petit ut apud Dominicum ſepulcrum divina celebrentur. 1249, 64. 2406, 64. Ricardus R. e carcere ad matrem ſcribit ut H. ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem promoveatur. 1583, 8. Eligitur. 669,50. 1583,63. 2257. 2407,30. Inthronizatur, & pallium accipit. 671,33. 1585, 62. Quomodo crucem ſuſceperit. 1585, 40. Ejus character. 1679, 14. Fuit Juſtitiarius Angliæ, 678,40. 681,21. 1259,64. 1586, 24. 1679,19. & P.R. Legatus. 1589,37. V. *Celeſtinus III.* Eccleſiis conventualibus in Eboracenſi provincia ſcribit, ut Papæ ſignificarent quomodo Legati officium exercuerit: 693,13. Quod faciunt. 694,27. Ejus literæ ad Decanum & Capitulum Londin. de eligendo Epiſcopo. 704, 44. Wallenſes rebellantes ſemel atq; iterum premit: 1596, 65. 1614,12. Ejus cum monacho Cantuarienſi colloquium de ædificanda Eccleſia Canonicorum apud Lambetham. 1593,62. Monachi de eo apud P. R. conqueruntur. 1275, 62. Præfectura ſe abdicat; 1614, 17. vel potius ab ea deponitur. 1275, 63. Eccleſiam Lambethanam demolitur. 705,35, 1276, 2. V. *Lamebeia.* Johannes R. eum Cancellarium conſtituit. 2414, 29. Literæ ejus ad Conventum S. Auguſtini, pro Simone Archidiacono Wellenſi: 1846,16. ad Johannem R. pro Auguſtinenſibus. 1856,12. Controverſia inter ipſum & Auguſtinenſes de Eccleſiis Faverſhamenſi & Middeltonienſi. 1857—1862. Diſcordat cum Rege. 1681,48. Quæ ſuæ Eccleſiæ fuerant ablata recuperat. 1680,63. 1681,59. Verba ejus prophetica paulo ante mortem. 1682, 53. Mors ejus, & teſtamentum. 1683,1. Quam pie & prudenter ſe geſſerit. 1681, 1682. Ornamenta Eccleſiæ Cantuarienſi ab eo donata. 1683, 19. Laudatur. 1613,29.

Hugo, Abbas S. Edmundi. 1378,42.

Hugo, Abbas S. Radegundæ. 1681,43.

Hugo de Anſeley, Comes Gloceſtriæ. 2568,65.

Hugo, Archiepiſcopus Terraconenſis, cultello interficitur. 556,31.

Hugo de Audeley, Comes Gloceſtriæ. 2584,56. Ejus uxor & poſteri. 2584,54.

Hugo Bigot, vel Bigod, 1024, 66. Comes Norfolciæ, vel Orientalium Anglorum. 573,50. Jurat, Imperatricem ab Henrico I exhæredatam fuiſſe, & Stephanum hæredem conſtitutum. 505.49. Quæ Henricus R. junior ei conceſſerit. 1084, 64. Leiceſtrenſi opem fert adverſus Henricum II. 573. 50. 1089, 17. 1426, 24. Exercitus ad eum reprimendum cogitur: 574, 32. Sed, interventu pecuniæ, ipſe cum ſuis evadit. 574,38. Flandrenſes eum ſecum aſſumentes, Norwicum capiunt, & deprædantur. 576, 4. 1089,18. 1093,20. 1427,17. Henrico II fidelitatem jurat. 578,4. 1428,4.

Hugo Bonus, R. Franciæ. V. *Adelſtanus.*

Hugo de Cadamo, Prior Doverenſis. 1367,17.

Hugo Capetus, ope traditoris Aſcelini, Carolum R. capit & incarcerat. 460,16. Fit R. Franciæ. 460,27. 883,28. Arnulfum, Caroli fratrem, in carcerem conjicit. 460,30. Moritur. 461,10.

Hugo, Cardinalis. 2435,24.

Hugo Cluniacenſis, B. Virgine, D. Petro & Hilario viſis, obit. 2378,3. Ejus ſomnium de Willielmo Ruſo. 2372,47.

Hugo, Comes Belvacenſis, odium Regis Franciæ Reginæ con-

conciliaus, 464, 44. in conſpectu Regis trucidatur. 464, 49.

Hugo, Comes Scrobbesburienſis, 988, 51. 2365, 12. 2370, 18. Sagitta interficitur, 223, 50. 994, 30. 2370, 39.

Hugo de Courteney, Comes Devoniæ. 2569, 1. 2581, 58.

Hugo de Creſſingham, clericus, 2519, 12. fit Theſaurarius Scotiæ. 2513, 44. 2517, 66. In prælio cadens, a Scotis excoriatur. 2519, 19.

Hugo le Deſpenſer, Comes Wintonienſis. 2132, 21. 2540, 34. Hunc & Hugonem F. Edwardus II admodum charos habet, 2538, 65. Proceres vero odiis eos proſequuntur. 2539, 5. Autoritate procerum proſcripti, 2539, 20. piraticam exercent. 2539, 24. Rex eos revocat. 2539, 50. Suſpenditur. 2544, 49. 2545, 27. Ejus filius,

Hugo le Deſpenſer, Dominus de Glamorgan, 2132, 22. variis contumeliis afficitur. 2546, 56. Pro tribunali ſiſtitur. 2547, 7. Crimina ab ipſo & patre commiſſa. 2547—2549. Sententia in eum lata. 2549, 36. Ejus avaritia & tyrannis. 2764, 37. Illud de ſerpente, Gen. iii. 15. ei applicatur. 2765, 15. Suſpenditur & membratim diſſecatur. 2545, 34. 2549, 51. Ejus filius,

Hugo le Deſpenſer veniam a Rege obtinet. 2550, 66.

Hugo Eboracenſis Eccleſiæ Cantor, hiſtoriam Pontificum Eboracenſium ſcripſit. 1705, 26.

Hugo Flory, vel de Floriaco, miles, fit monachus S. Auguſtini: 1794, 54. Regis juſſu fit Abbas. 1795, 26. Benedicitur. 1327, 66. 1795, 50. 2250. Beneficia ab eo in Abbatiam collata. 1796, 1. Inſtitutio ejus de commemoratione benefactorum. 1798, 12.

Hugo II, Abbas S. Auguſtini, vocatus *de Trotteſclive*. 1328, 53. 1798, 26. Ceſtriæ ab Archiepiſcopo fuit benedictus, 504, 59. 1328, 66. vel (ut alii) a Sifredo Ciceſtrenſi, 1798, 26. Willielmo nepoti imprecatur, quod contra Archiepiſcopum ipſum incitaſſet. 1330, 21. Certis officiis certas terras aſſignat. 1799, 24. 2116, 57. 2252. Fundat hoſpitale S. Laurentii. 1810, 3. Literæ PP. ad eum. 1801, 45. 1805, 57. 1806. 50. 1808, 14. 1809, 12. 2117, 18. De eo vide 1362, 31.

Hugo III, Abbas S. Auguſtini, eligitur. 1873, 22. Inſtallatur. 1874, 6. Literæ pro ipſo ad Papam, Pandulfi Legati; 1874, 52. Henrici III; 1875, 14. Conventus. 1875, 47. A Papa benedictionem obtinet. 1876, 33. 2260.

Hugo I, Comes Ceſtriæ. 491. 7. 994, 18. 2365, 61. Obit. 2376, 64.

Hugo II, Comes Ceſtriæ. 570, 21. 2389, 61. Henrico II rebellat. 1080, 5. 1085, 31. Capitur. 574, 26. 1088. 1. Moritur. 1142, 60. 2398, 8.

Hugo de Laccio, Mediæ Dominus, occiditur. 626, 47.

Hugo de Montford capitur. 1015, 11.

Hugo de Mortuo mari rebellat. 1046, 63. 1378, 6. Deditionem facit. 1047, 3. 1378, 20.

Hugo Nonant, vel Nunant, Epiſcopus Coventrenſis. 634, 20. 699, 47. 1475, 32. 1520, 53. Suſpenditur, quod Vicecomitatus curam ſuſceperat. 652, 52. 1230, 47. Ejus literæ ad Epiſcopum Londinenſem. 653, 7. Erat Rom. ſedis Legatus. 1486, 1. Monachos quam exoſos habuerit. 1556, 48. 1600, 45. Monachorum Cantuarienſium adverſus Archiepiſcopum pertinaciam conatur emollire. 1487, 32. 1517, 47. De monachis Coventrenſibus queritur. 1222, 36, & 50. 2403, 7. Eos vi expellit, 1551, 53. & præbendarios eorum loco collocat. 1222. 42. 1566, 40. 2403, 30. V. *Coventreia*. Bonis omnibus ſpoliatur. 671, 14. In extremis agens, ipſe ſe Purgatorii pœnis addicit. 1222, 63. 2403, 32. Moritur. 1601, 44. Ejus character. 1487, 35.

Hugo Petri Leonis, vel Hugezoun, vel Hugutio, Rom. ſedis Legatus, ſolenniter excipitur. 587, 55. 1107, 25. Abbatem Weſtmonaſterienſem ab uſu mitræ ſuſpendit. 588, 56. Concilium convocat. 588, 58. Legationis inſignia depoſita reſumit. 589, 29. Privilegia ab Henrico II ad ejus inſtantiam clero conceſſa. 491, 52. Ipſe Regi concedit licentiam clericos certas ob cauſas coram judice ſeculari trahendi. 1107, 53. 1433, 60. Acriter in eum invehitur Johannes Bromton, 1007, 57. & Gervaſius. 1433. 63. Ex Anglia diſcedit. 1434, 3. 1674, 53.

Hugo, Prior de Chertoſa, ſeu Carthuſienſis, apud Wicham, 1480, 11. 2416, 63. poſtea Lincolnienſis Epiſcopus. 631, 12. 707, 35. 708, 43. Ejus patria & educatio. 1282, 27. Electus Epiſcopus, ægre electioni conſentit. 1282, 40. Voce cœleſti ad Epiſcopatum ſuſcipiendum animatur. 1282, 48. Dux Eilenſis literæ ad eum. 1229, &c. Roſamundæ corpus ex eccleſia in cœmeterium transferri jubet. 1235, 54. Simoniam quam abhorruerit. 2416, 66. Leproſos oſculari ſolebat. 1282, 53. Aves manui ejus advolabant. 2417, 2. Moritur. 1282, 21. Reges Angliæ & Scotiæ, multique proceres, ipſius exſequiis intererant. 1282, 63. 2416, 52. Die illo duo fiunt miracula. 2416, 59. Mira de ejus capite hiſtoria. 2628, 18. Vivus virtutibus, mortuus miraculis claruit. 1282, 22 & 59. Ejus tranſlatio. 1727, 33. In Sanctorum numerum adſcribitur. 2428, 67.

Hugo Putheacenſis, vel Puſar, Stephani R. nepos, fit Theſaurarius Eboracenſis. 276, 33. Excommunicatur. 277, 22. Papa ad Archiepiſcopum pro eo ſcribit. 277, 39. Abſolvitur. 279, 5. Fit Epiſcopus Dunelmenſis. 66, 43. 281, 5. 533, 25. 552, 17. 559, 30. 653, 42. 1060, 60. 1127, 28. 1375, 53. Manerium de Seggesfeld emit. 1162, 30. Sedem ſuam ædificiis ornat. 66, 59. Fit Juſtitiarius Angliæ. 1162, 42. 1170, 7. 1171, 8. 2401, 57. Data Regi pecunia, de vetuſto Epiſcopo fit novitius Comes. 2402, 7. Elienſis eum capit, & autoritate ſpoliat. 2403, 66. Gaufrido Eboracenſi ſubjectionem præſtare nolens, ab eo excommunicatur. 1224, 13. 1235, 33. 1237, 21. 1580, 59. Papam appellat. 1224, 22. 1235, 20. Eboracenſis Johannem fratrem pro excommunicato habet, quoniam cum eo comederat. 1236, 32. Regina & W. Rothomagenſis controverſiam inter ipſos componere nituntur, ſed nequeunt. 1237, 36. Sententiam ab Eboracenſi in eum prolatam Papa irritam reddit. 1238, 16. Ut & clerici ſui abſolvantur, contendit. 1239, 22. Comitatum Northumbriæ gravi ſumma comparatum reſignare cogitur. 1259, 24. Moritur. 1589, 30. Vocatur Hugo de Pinſac. 1868, 63.

Hugo de S. Victore. 1008, 52. Mira hiſtoria de Euchariſtia ipſa jam in extremis agenti oblata. 1035, 45. 2388, 31. Quæ ab illo ſcripta. 1035, 62. 2388, 49. Ad quod tempus Chronica deduxerit. 432, 58. 504, 56.

Humbertus, Comes de Moriana. 561, 3 & 10.

Humbra, fluvius, unde dicatur. 2484, 33.

Humfridus de Boun, Comes de Ferrariis. 2446, 44.

Humfridus de Boun, Comes Herefordiæ. 2429, 32.

Humfridus de Boun, Comes Herefordiæ & Eſſexiæ, in Vaſconiam ire recuſat, 2493, 10. & in Flandriam, 2510, 66. Rex eum officiis privat. 2511, 1. Pro populi libertate obnixe contendit. 2511, 4. Articuli ab eo ad Regem miſſi. 2511, 18. Edwardus Princeps eum ad Parliamentum vocat. 2522, 60. Armatus accedit. 2523, 1. Confirmationem Magnæ chartæ &c. a Rege impetrat. 2523, 13. Venia ipſi & ſociis (inter quos Rogerus Bigot, Comes Norfolciæ, erat præcipuus) conceditur. 2523, 41. Adverſus Spenſerios arma ſumit. 2539, 7. Occiditur. 2540, 2 & & 60.

Humilitas, pietatis nota. 735, 45, 1742, 34. Humilitatis nota, aliis aſſurgere. 735, 48.

Hunbreanna, R. Orientalium Anglorum. 104. 44.

Hundredæ, ab Alfredo inſtitutæ. 818, 64. 1777, 59.

Hundredh, quanti valoris. 308, 36.

Hundredum qualiter tenere oporteat. 847, 49. 872, 13. De hundredo requirendo. 924, 22 & 3.

Hundredus, Anglice Wapentake, Wallice & Hibernice *Cantredus*, continet centum villas. 957, 1.

Huntingdonia, vel Huntenduna, inter Comites ſuos habuit Regem Scotiæ. 588, 28. 975, 38. 1024, 58. 1047, 18. Donatur Henrico Scoti F. 258, 49. Ejus caſtellum Henrico II deditur, 577, 54. diruitur. 588, 25. 975, 32. ¶ Comites: *Toſtius*; *Siwardus*; *Henricus*, Davidis F; *Malcolmus*, R. Scotiæ; *Willielmus*, Henrici F; *David Simon de S. Licio*; *Juliana de Leyburne*, *Comitiſſa*; *Ranulphus*; *Johannes*; *Willielmus de Clynton*; *Simon de Burle*.

¶ Hurlenſis Prior: *Radulfus de Arundel*.

Husbrece, quid. 929, 18.

Huſſus, R. Northumbriæ. 91, 3.

Huth, F. Haraldi, R. Northumbriæ. 862, 45.

Huval, R. Occidentalium Britonum. 154, 36.

Hwetbirthus, Abbas Girvenſis & Wiramuthenſis. 95. 19.

Hwicca, Epiſc. Lichfeldenſis. 100, 54.

Hyems aſpera. 525, 13. 599, 23. 1372, 59. 2565, 63.

I.

JAcobus de Avennes, vel Avenois, fortiter contra Paganos dimicans, occumbit. 662, 48. 1213, 64.

D. Jacobus dæmonem increpat, & peregrinum liberat. 1262, 28. In ejus honorem Compoſtella fit ſedes Archiepiſcopa ib. 1008, 47. Ejus manus Radingam allata. 1047, 44. 2394, 5.

Jacobus Douglas, in Anglos quam ſævus. 2559. 53. Occiditur. 2559, 30.

Jacobus, Epiſcopus Orientalium Anglorum. 1635, 25.

Jambertus. Vide *Lambertus*.

Januenſis Epiſcopus fit Archiepiſcopus, & Primàs Sardiniæ. 1019,21.
Jaruman, Epiſcopus Merciorum, 772,37. 1638,8. & Orientalium Saxonum. 744,66.
Icherius de Concoreto, Canonicus Sarisburienſis, judex controverſiæ inter Archiepiſcopum & Auguſtinenſes a P. R. conſtituitur. 2041,1. Archiepiſcopus ab eo citatus exceptiones profert. 2042,47. V. *Simon Mepham.*
Idacius, Chronologus. 432,5.
Ida, R. Northumbriæ. 90,60, 779,17.
Idola quis primus Regum Anglorum deſtrui præceperit. 85,18. Eorum fana cur non dirui, ſed in Eccleſias commutari, voluerit Gregorius M. 731,25.
Jechonias, R. Judæorum, a Nabuchodonoſore interfectus dicitur, & extra murum projectus. 652,6. Vide 1 Reg.24.6. 2 Paral. 36.6. Jerem.22.19.
Jejunia ſi falſo indicit, presbyter mulctandus; 830, 10. ut & ii qui recte indicta non obſervant. 830,60. 927,57. Ordalium & jusjurandum tempore jejunii interdicuntur. 830, 64. 920,67. An jejuniorum tempore barnaces, aves ſcilicet e ligno genitas, liceat comedere. 1073, 1. Jejunium quadrageſimale. V. *Quadrageſima.* Quando jejunandum, quando non. 920,56. Jejunandum tribus diebus ante feſtum S. Michaelis. 902,2. Jejunare ſemel in hebdomade, & animæ & corpori ſalutare. 1035,19. 2388,17.
Jephtham a filiis ejectum dicit Radulfus; ſed falſo. 562,26.
Jeremias, Prior S. Trinitatis. 1341,60. 1343,32. 1664,62. Deponitur. 1304, 45. 1359,32. Reſtitutus, ſtatim cedit, & in monaſterio S. Auguſtini vivit. 1311, 57. 1359, 45. Quanta apud Theobaldum Archiepiſcopum gratia pollebat. 1359,24.
Jeruſalem. Anbiguitate hujus vocabuli Diabolus Silveſtrum P.R. decipit. 882,19. V. *Hieroſolyma.*
Ignis aerius, vulgo *ſylvaticus.* 183,14. 939,49. Ignis volans in Cantia viſus. 1443,62. Ignis paſſim in Anglia apparens. 2705,43. Ignis globus pinnaculo templi in Sicilia, ſemper quando fit tempeſtas, inſidere ſolitus. 1189, 37. Ignis Græcus. 656,18. 1189,48. 2405,34. Ignes quatuor mundum conſumturi. 746,7.
Igwoldus. V. *Ingualdus.*
Ii, inſula Scotica, nobile monaſterium habuit. 786, 15 & 43.
Imago Chriſti lancea transfoſſa ſanguinem & aquam emittit, quibus infirmi ſanantur. 444,27. De imagine Chriſti & B. Virginis mira hiſtoria. 1499, 38. Imagines Chriſti & B. Virginis in Eccleſia Wincelcumbenſi fulmine dejectæ. 216,63. 987,36. 2364,18. Imago S. Catharinæ coquendis oleribus inſervit. 2662,37. S. Trinitas imagine non repræſentanda. 2708,16. Imagines a Conſtantino Imp. deponuntur. 444, 14. Imaginum adorationem, a Concilio CP. ſancitam, 445,37. Britanni exſecrantur. 111,51. Earum cultum abominantur Wiclivitæ. 2707,23. Iis falſo attribuuntur miracula. 2707,27.
Imperatores quidam quid maxime notatione & æmulatione dignum habuerint. 470, 9. Imperii Romani quanta olim magnitudo, 640,48. Dividitur in Occidentale & Orientale. 447, 35. Imperii Teutonici nationes ſuis ſingulæ epithetis inſignitæ. 640, 62. Imperator CP. parum favit negotio Hieroſolymitano. 642, 13 &c. ¶ Imperatores: *Conſtantinus M. Mauritius*; *Phocas*; *Leontias*; *Heraclius*; *Conſtantinus εἰκονομάχος*. *Conſtantinus, Irenæ F*; *Carolus M. Ludovicus Pius*; *Lotharius*; *Arnulfus*; *Henricus* I; *Otho M. Otho junior*; *Otho* III; *Henricus* II; *Conradus*; *Henricus* III; *Henricus* IV; *Henricus* V; *Lotharius Saxo*; *Conradus* III; *Fredericus* I; *Henricus* VI; *Otho* IV; *Philippus*; *Fredericus* II; *Henricus* VII, *Dux Thuringiæ*; *Willielmus, Comes Hollandiæ*; *Ricardus Anglus*; *Ludovicus, Bavarus*; *Carolus, Boemi F*; *Winceſlaus*; *Sigiſmundus.*
Ina, vel Ine, R. Occidentalium Saxonum. 350, 66. 440, 15. 758,5. Eum bellum Cantiæ inferentem Withredus precibus & pecunia placat. 742, 26. 758,23. 1770,46. Monaſterium Glaſtoniæ conſtruit. 758, 36. Cum Cheolredo Rege Merciorum præliatur. 758, 55. 773, 40. De Auſtralibus Saxonibus victoriam reportat. 758,59. Romam proficiſcitur. 351,41. Fit monachus. 758, 65. Ejus leges. 759, 1. Genealogia. 758,6.
Incantationes. 881, 32 & 50. Incantatores & venefici quomodo puniendi. 831, 12. 922, 65. Incantatrices duæ in Italia homines in beſtias transformantes. 940, 11. Incantatrix Berkleiæ ex corniculæ loquacitate mala ſibi imminere colligit. 940, 35. 2334, 7. Liberis conſilium dat quomodo ejus corpus a dæmonibus tutarentur. 941, 1. 2334, 18. Ingens dæmon illud a ſarcophago raptum avehit. 941,20. 2334,30. Incantatrices in Hibernia & Wallia leporinam formam induentes. 1076,13.
Incendia in diverſis locis. 106,9. 114,45. 183,15. 213,45. 226,36. 236,6. 982,26. 1289, 1290. 1343,34.
Inceſtus quomodo puniendus. 928,24.
Induciæ, ſeu treugæ, certis temporibus obſervandæ. 1453,39. Induciarum forma inter RR. Angliæ & Franciæ. 2578, 45.
Indulgentiæ conceſſæ S. Auguſtini feſtum rite celebraturis. 2119, 61. 2122, 48. Indulgentiarum pollicitatio. 2671, 33. De Indulgentiis quid ſenſerint Wiclivitæ. 2707,12.
Infangtheof, quid. 957,29. 1916,22. 2030,64.
Ingelgerius. 450,13. Matrem ſpiritualem duello liberat. 451, 35. Honores & uxorem recipit. 451,41.
Ingualdus, vel Igwoldus, vel Higwaldus, Epiſcopus Londinenſis. 98,54. 104,38. 742,45. 774,55. 2212,17.
Inguar & Hubba Angliam vaſtant. 461,15. 803,33. V. *Lothebrocus.* Inguar Orientalem Angliam invadit. 804, 54. Edmundi exercitu profligato, ipſum capit, & interfici jubet. 805,62. Abbatiam Elienſem deſtruit. 807,36.
Inguinaria peſtis. V. *Peſtis.*
Injuriarum impatientes Athenis arcebantur a ſtudiis philoſophiæ. 816,19.
Injuſtitia quando, ubi & a quibus præcipue vitanda. 926,63.
Innocentius II, P.R. 504,67. 1665,17. 2253. A Petro Leone Antipapa pulſus, 1019, 10. a Gallo recipitur, 1019, 14. 2383,10. a Lothario Saxone reſtituitur. 1019,23. 1343,9. Uſurpationem ſedis Romanæ ſub anathemate interdicit. 264,2. Legatum in Angliam mittit. 324, 22. Privilegium Auguſtinenſibus ab eo conceſſum. 1800,17. Ejus literæ ad Henricum Wintonienſem, pro monaſterio S. Auguſtini: 1801, 2. ad R. Stephanum, pro eodem: 1801, 18. ad Abbatem & conventum S. Auguſtini, de obſervantia diſciplinæ regularis: 1781,42. ad H. Wintonienſem & R. Herefordenſem, de lite inter Archiepiſcopum & Auguſtinenſes. 1802,43. Obit. 273,42. 1032,65.
Innocentius III, P.R. 701, 29. 1274, 33. 1600, 47. 2259. Ejus literæ confirmantes commutationem terrarum quam fecerant Ricardus R. Angliæ & W. Rothomagenſis. 701, 39. Ejus ſcripta. 2412,66. Dominicanis cum parum faverit vigilans, in ſomnis convertitur. 2421, 13. Ejus literæ ad Hubertum Cantuarienſem, inhibentes nequid tentet in monachorum ſuorum præjudicium. 1602,4. Aliæ ad eundem, cauſæ diſceptationem, ipſiusq; ſententiam continentes. 1616—1621. Literæ ad Huberti Suffraganeos: 1621, 62. ad R. Ricardum, de negotio Lambethano. 1622, 50. V. *Lamebeia*, & *Cantuaria.* Totam Angliam excommunicat. 1724,24. 2415, 40. Ejus literæ de excommunicandis quibuſdam qui Abbati S. Auguſtini &c. vim intulerant, &c. 1850,20. Literæ ad R. Johannem: 1854,52. ad Epiſcopos quoſdam de eccleſia Feverſhamenſi. 1858, 1. Literæ conceſſionem R. Johannis confirmantes. 1866,6. Privilegia ab eo Auguſtinenſibus indulta. 1868,17.
Innocentius IV, P. R. 2263. 2432, 27. Ejus res geſtæ. 2435,23. Fredericum II, Imp. deponit. 2416,42. 2435,30. Ejus literæ de Abbatia S. Auguſtini. 1898,36. 1899,12. 1900, 53. 1901, 30. 1902, 1. Privilegia eidem conceſſa. 1899—1904. A Roberto Groſſeteſt Lincolnienſi, & vivo & mortuo, corripitur. 2436,9.
Innocentius V, P.R. 2271. 2461,67.
Innocentius VI, P.R. 2283. 2605,38. Ejus literæ, de celebrando feſto in honorem S. Auguſtini. 2119,30. Gallis iſte favit, dum Chriſtus Anglis. 2615,36.
Innocentius VII, P.R. 2287.
Inquiſitores per Angliam mittit Henricus II. 1410,12. Quæ mandata iis dederit. 1410,27. Inquiſitores de Trailbaſton. 2494,46.
Inſectorum prælium. 2736,4.
Inſulæ miræ circa Hiberniam. 1076,37. Inſulæ maris mediterranei. V. *Mare.* Quomodo inſulæ poſt diluvium fuerint variis animalibus repletæ. 1078,59.
Interdicto ſuppoſitæ Eccleſiæ. 603, 46. Tota Anglia per ſexennium & amplius ſub interdicto jacet. 2415, 40. 2418,1.
Interpretatio S. Scripturæ in linguas vernaculas culpatur. 2644,49. 2646,37.
Inveſtituræ Eccleſiarum per baculum & annulum a laicis non accipiendæ. 224,22. 240,54. 495,39. 1348,51. 1745,25. Ratio ejus decreti ab Urbano P.R. reddita. 994,53. Adrianus I jus inveſtiendi Carolo M. conceſſit; 444,56. Papæ ſequentes illud Regibus abſtulerunt: ſed utriq; & ille & iſti,

ibi laudantur. 2328, 10. Anſelmus de inveſtituris cum Henrico I litigat. 228, 25. 999, 20. Henricus jus inveſtiendi deponit. 230, 38. 1000, 39. Jus illud a Papa Imperatori conceſſum: 233 & 234. Sed ea conceſſio, utpote per vim extorta, poſtea in Concilio irrita judicatur. 235, 23. Jure illo Imperator ſe abdicat. 246, 21. 1004, 22. 1008, 35. Idem facit Rex Hungariæ. 1004, 57. V. *Anſelmus*, *Henricus I*, & *Paſchalis II.*
Inundationes maris. 171, 42. 224, 59. 892, 64. Inundatio magna Pariſiis; 690, 58. In Anglia; 710, 9. 1117. 55. 2365, 12. Cantuariæ; 1920, 21. 2460, 8. Uſæ fluvii. 1732, 24.
Joachimus, Abbas de Curacio. 1192, 25. Ejus ſcripta & prædictiones. 1052, 10. 2394, 24.
Jobertus, Prior Coventrenſis. 703, 51. 1604, 5.
Jocelinus, Epiſcopus Bathonienſis. 2133, 56.
Jocelinus, Epiſcopus Sariſburienſis. 266, 23. 533, 24. 625, 32. Excommunicatur. 1062, 45. Abſolvitur. 1068, 17. Vocatur Gocelinus. 1039, 50.
Johanna, Henrici II filia, Siculo nubit. V. *Willielmus, R. Siciliæ.* Comes S. Ægidii eam ducit. 1272, 26. Vocatur Comitiſſa Toloſæ. 2400, 8.
Johannes, Abbas S. Albani. 678, 37. 1589, 48.
Johannes, Abbas S. Auguſtini, eligitur. 1766, 20. 2230. Moritur. 1768, 38.
Johannes, Abbas Boxleienſis. 1674. 30.
Johannes, Abbas Cumbwellenſis. 1678, 54.
Johannes, Abbas Echelingienſis. 150, 46.
Johannes, Abbas Glaſtonienſis. 2756, 50.
Johannes, Abbas Hidenſis. 2547, 43. Mittitur ad pacem inter Archiepiſcopum & conventum Cantuarienſem reformandam. 1547—1549.
Johannes Anagnienſis, Legatus P. R. 649, 41. Ejus literæ de lite & pace inter Archiepiſcopum & monachos Cantuariæ. 1323, 1324. V. *Baldewinus Archiep.*
Johannes, Antipapa, Calixtus III vocatus, degradatur. 1230, 31.
D. Johannes, Apoſtolus, ab exſilio reverſus, quomodo fuerit a plebe exceptus. 2717, 16. Cum Petro confertur. 397, 12. Stipem ab Edwardo Confeſſore rogans, annulum accipit: 397, 36. 954, 5. quem poſtea, duobus Hieroſolymam proficiſcentibus apparens, Regi remittit; 397, 47. 954, 42. & denunciat ei diem mortis inſtare. 398, 25. 954, 35. Edmundo Cantuarienſi, ob precationem omiſſam, ferulam minatur. 2433, 24.
Johannes, Archicantor Eccleſiæ D. Petri in Roma, Anglos Romano more cantare docet. 800, 29.
Johannes Aſton, Wiclivita, quid de præſentia Chriſti in Euchariſtia ſenſerit. 2656, 36. Quam diligenter & indefeſſe ubique prædicarit. 2658, 62. Ejus dogmata. 2659, 24.
Johannes de Balliol, Rex Scotiæ ab Edwardo Anglo conſtitutus. 2469, 58. Ejus genealogia. 967, 30. 2431, 61. Edwardo homagium facit. 2469, 64. Anglos ab aula ſua pellit. 2472, 50. Anglus ab eo contra Gallum ſubſidium petens, repulſam patitur. 2472, 55. Literæ ejus ad Regem Franciæ. 2473, 7. Literæ Regis Fr. ad eum, de fœdere contra Anglum ineundo. 2973, &c. Literæ ejus ad Edwardum, de injuriis querentes, & deditionem quam coactus fecerat revocantes. 2477, 34. Anglos Scotia exigit. 2478, 12. Sæpius ab Edwardo in jus vocatus, non venit. 2478. 24. Victus ſe, & Regnum Edwardo dedit. 2482, 27. V. *Edwardus I, R. Angliæ.*
Johannes Balle, clericus ſeditioſus. 2634, 8. Duæ ejus epiſtolæ Anglicanæ. 2638, 15. Suſpenditur, & membratim diſſecatur. 2644, 4. Dicitur Wiclifi præcurſor. 2644, 39. 2655, 49.
Johannes Beverlacenſis, Epiſcopus primo Haguſtaldenſis, 286, 24. 794, 21. 1691, 48. 1692, 63. poſtea Eboracenſis. 78, 19. 296, 3. 794. 37. 1691, 51. 1692, 65. Ejus educatio, eruditio, & pietas. 1692, 29. Populos ubique docet. 1692, 35. Eremiticam vitam agit. 1692, 53. Ejus diſcipuli celebriores. 1693, 1. Mutum & tineoſum ſanat. 291, 52. Herebaldum pene mortuum ſuſcitat. 1693, 11. Puellam fere deſperatam tactu curat. 415, 29. Ipſo orante, Spiritus S. ſub columbæ ſpecie apparet: 794, 43. Quam viſionem Sigga diaconus intuitus, fulgore uſtulatur: 1693, 24. Johannes vero eum tactu ſanat. 1693, 46. Ad cœnobium Beverlacenſe ſecedit. 296, 6. 794, 61. 1693, 49. Moritur. 1693, 58. Ejus corpus pretioſa capſa conditur: 1700, 24. Miracula ad ejus ſepulcrum facta. 357, 37. Edelſtanus R. contra Scotos proficiſcens, cultellum ſuum, poſt victoriam magno pretio redimendum, ibi relinquit. 357, 50. Johannes Regi apparet. 357, 62. Terræ ejus, reliqua Northumbria vaſtata, quomodo immunes. 966, 16. 2344, 56.
Johannes de Bokingham, Epiſcopus Lincolnienſis. 2627, 48. 2736, 21. Ejus literæ de excommunicandis Wiclivitis. 2651, 59. Literæ ejus de cauſa Willielmi de Swinderby. 2668, 28.
Johannes de Britannia, Comes Richmondiæ. 2137, 54.
Johannes Brompton rationem & ſcopum hiſtoriæ ſuæ exponit 725, 38.
Johannes, Cardinalis S. Stephani, P. R. Legatus. 1854, 4. Ejus ad Papam literæ de gravaminibus Auguſtinenſium. 1854, 24.
Johannes, Comes Ceſtriæ, Huntingdoniæ, & Lincolniæ. 2431. 26. Ejus uxor. 2430, 39. Mors. 2431, 51. Sorores ipſius quibus nupſerint. 2431, 59.
Johannes, Comes de Meyntyſ, in bello capitur. 2590, 52. Membratim diſſecatur. 2592, 30.
Johannes de Conſtantiis, Epiſcopus Wigornenſis. 688, 58. 693, 3. 1597, 5. Obit. 1614, 41.
Johannes, CP. Patriarcha, *Univerſalis Epiſcopi* titulum affectat. 433, 50.
Johannes Cremenſis, presbyter, Legatus P. R. 251, 61. Papæ literæ eum commendantes. 252, 1. Angli ejus adventum indigne ferunt. 1663, 29. Concilium Londini celebrat. 253, 5. 504, 24. 1015, 22. Hic cum contra conjugia clericorum interdiu tractaſſet, veſperi cum meretrice rem habet. 1015, 26. Dicitur, eum cum meretrice fuiſſe interemptum: 2382, 35. Sed ibi forſan legendum, *inventus*.
Johannes Damaſcenus. Ejus liber Latine vertitur. 1036. 3.
Johannes, Decanus Sariſburienſis, fit Epiſcopus Norwicenſis. 588, 18. A Rege mittitur ad monachos Cantuarienſes. 1487, 53. Ejus iter ad Siciliam. 595, 32. 1212, 53. A profectione Hieroſolymitana Papa eum abſolvit: 1175, 35. Rex vero mille marcas eam ob cauſam ab illo extorquet. 1174, 38.
Johannes Deveniſſe, vel Devenech, vel Deveniche, eligitur Epiſcopus Wintonienſis: 2082, 7. Sed, Rege ad Papam pro alio ſcribente, electio iſta caſſatur. 2082, 12. P. R. conſtituit eum Abbatem S. Auguſtini. 2082, 4. 2284. Rex contra ipſum ad Papam ſcribit, 2082, 30. ut & proceres Regni: 2083, 49. Papa nihilominus ipſum ad Abbatiam mittit: 2083, 52. Sed Rege vetante ne admittatur, 2083, 55. conventus eum excludit. 2084, 39. Ejus literæ de procurationibus Archidiaconi Cantuarienſis. 2085, 20. Moritur. 2118, 11.
Johannes Devereux, unus e xiv Regni Præfectis. 2687, 38. Vocatur Johannes de Enroſe. 2685, 64. 2697, 39.
Johannes de Eltham, Edwardi II F. Comes Cornubiæ. 2553, 57. 2554, 13. Moritur. 2568, 33.
Johannes, Epiſcopus Aſaphenſis. 1674, 29.
Johannes Epiſcopus Aſaphenſis alius, ſententiam in Ricardum II latam recitat. 2756, 28.
Johannes, Epiſc. Bangorenſis. 2696, 5.
Johannes Epiſc. Bathonienſis 57, 12. 217. 42. Hujus prædeceſſores omnes ſedem Wellis habuerunt. 478, 20. Obit. 1014, 39.
Johannes, Epiſc. Candidæ Caſæ. 653, 32. Conſecratur. 1162, 10.
Johannes, Epiſc. Carleolenſis. 2136, 26. 2514, 12.
Johannes, Epiſc. Ciceſtrenſis. 568, 34.
Johannes, Epiſc. Exonienſis. 631, 58.
Johannes, Epiſc. Glaſguenſis. 1700, 43.
Johannes, Epiſc. Glaſguenſis alius, ab Eboracenſi ſuſpenſus, Hieroſolymam proficiſcitur. 245, 31. V. *Turſtinus Eborac.* P. R. jubet eum ad Epiſcopatum redire. 248, 20. 264, 32. 325, 58. Moritur. 276, 52.
Johannes, Epiſc. Herefordenſis. 2743, 11.
Johannes, Epiſc. Roffenſis. 259, 23. 504, 23. 1015, 21. 1341, 43. Moritur. 1343, 41.
Johannes, Epiſc. Wigornenſis. 652, 31. 1039, 54. 1367, 25.
Johannes Eſſex, Abbas S. Auguſtini ultimus, monaſterium ſuum in manus Henrici VIII tradit. 2293, 11.
Johannes de Fortham, Epiſc. Dunelmenſis. 2696, 4. Senatu id poſtulante, 2680, 62. officio Theſaurarii privatur. 2683, 40. Ab aula eliminatur. 2705, 46. Ad Elienſem cathedram transfertur. 2729, 7.
Johannes de Gaunt, Comes Richmondiæ. 2602, 33. Henrici Lancaſtrii filiam ducit. 2635, 30. Fit Dux Lancaſtriæ. 2628, 65. Ejus ope Rex Caſtellanus in Regno collocatur. 2629, 3. Hiſpani filiam ducit. 2629, 40. Ejus domus, cum pretioſa ſupellectili, a plebeiis tumultuantibus incenditur. 2635, 29. Ejus uxor, ſeditioſorum rabiem fugiens, a ſuis etiam excluditur. 2640, 36. Ipſe interim cum Scotis de Regni negotiis tractat. 2639, 49. 2640, 30. Quibus auribus & animo ſuæ calamitatis nuntium acceperit. 2640, 56. Servi eum deſerunt. 2641, 28. Rumores ad eum vero longe majores allati.

2641, 20. Comes Northumbriæ eum hoſpitio invitat, 2641, 29. ſed auditis quæ acciderant, non audet excipere, 2641, 31. ſed perſequitur. 2641, 44. A Scotis amice & ample excipitur, 2642, 1. & bona conſciencia lætatur. 2642, 19. Catharinam de Swinford e familia ſua movere cogitat: 2642, 40. quod & facit. 2642, 49. Rex & fratres eum conſolantur. 2642, 51. Comitis Northumbriæ obſequium reſpuit. 2643, 1. Ad Regem magno comitatu deducitur. 2643, 15. A vindicta quam fuerit alienus. 2643, 32. 2644, 18. Wiclifum ejuſque diſcipulos tuetur. 2647, 19. 2668, 3. Scotiam vaſtat. 2774, 40. Licentia a Rege obtenta, 2676, 10. cum exercitu in Hiſpaniam trajicit, ut Regnum Caſtellanum conjugis jure ſibi vendicet. 2676, 35. Nobiles cum eo profecti, 2676, 63. Ejus filiæ quibus maritatæ. 2677, 6. Concordia cum Hiſpano facta, redit: 2677, 17. Quantum pecuniæ ab eo acceperit. 2677, 22. Breſtam ab obſidione liberat. 2677, 32. Alia feliciter ab eo geſta. 2678, 16. Solennem venationem inſtituit. 2737, 14. Franciam adit, de pace tractaturus. 2639, 50. 2741, 15 & 21. Honores a Gallo ei exhibiti. 2739, 54. Conſtantia ejus uxor moritur. 2741, 30. Ducatum Vaſconiæ & Aquitaniæ Rex ei concedit. 2742, 1.

Johannes Gilbert, Epiſc. Herefordenſis, fit Regni Theſaurarius. 2683, 42. Munere privatur. 2735, 28.

Johannes de Grai, Epiſc. Norwicenſis. 707, 43. 1681, 28. Rex Johannes ad ſedem Cantuarienſem eum transferre conatur, ſed fruſtra. 2414. 61.

Johannes de Holand, frater R. Ricardi II. 2675, 64. 2676, 63. Ejus uxor. 2677, 15. Erat Comes Huntingdoniæ, 2737, 21. Præfectus maris, 2735, 38. Dux Exoniæ. 2754, 25.

Johannes Hotham, Epiſc. Elienſis. 2132, 20.

Johannes, Imp. CP. veneno perit. 613, 62.

Johannes de Kinwell, Epiſc. Lincolnienſis. 2620, 36.

Johannes de Langton, Epiſc. Ciceſtrenſis. 2007, 67.

Johannes de Mariſco, Prior S. Auguſtini. 1876, 57. Ejus literæ ad Honorium III, P.R. 1875. 47.

Johannes de Montford, Dux Britanniæ. 2585, 3.

Johannes Offord, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 2283.

Johannes Oldcaſtell crematur. 2291.

Johannes Papirio, Romanæ ſedis Legatus, Anglo fidelitatem jurat. 527, 7. Quatuor Epiſcopos in Hibernia conſtituit. 279, 54. 527, 6.

Johannes Pecham, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 2273. 2460, 27. Cruce prævia, intrat monaſterium S. Auguſtini. 1929, 47. Ejus literæ ad Abbatem S. Auguſtini. 1932, 65. A Rege invitatus ad convivium in monaſterio Auguſtinenſium, 1921, 31. quoniam erecta cruce illuc ingredi non licuerit, extra in hoſpitio ſuo manet. 1952. V. *S. Auguſtini Eccleſia.* Walliam viſitat. 2465, 29. Articuli hæretici ab eo damnati. 2467, 5. Moritur. 2471, 34.

Johannes IV, P.R. 438, 36. 2229.

Johannes V, P. R. 441, 46. 2231.

Johannes VI, P. R. 442, 10. 2233.

Johannes VII, P. R. 442, 12. 2233.

Johannes, Pontifex Romana. 2139.

Johannes VIII, P. R. 451, 20. 2239.

Johannes IX, P. R. 452, 62. 2241.

Johannes X, P. R. 453, 54. 1644, 22. 2241.

Johannes XI, P. R. 454, 30. 2241.

Johannes XII, P. R. 1646, 42. 2243.

Johannes XIII, P. R. 2243. Ob crimina depoſitus, recipitur. 457, 21. Synodum a Leone habitam proſtibulum vocat. 457, 24. Dum cum alterius uxore ſe oblectat, a diabolo percuſſus moritur. 457, 31. Privilegium ab eo Auguſtinenſibus indultum. 1778, 49.

Johannes XIV, P. R. 2243.

Johannes XV, P. R. 2243.

Johannes XVI, P. R. 1648, 8. 2245.

Johannes XVII. P. R. 1648, 34. 2245.

Johannes XVIII, P. R. 2245.

Johannes XIX, P. R. 1649, 12. 2245.

Johannes XX, P. R. 2245.

Johannes XXI, P. R. 2271. Privilegia ab eo Auguſtinenſibus conceſſa. 1924, 1. Ex docto fit indoctus. 2462, 6. Longam ſibi vitam pollicitus, 2462. 11. ruina cameræ ſuæ perit. 2461, 58.

Johannes XXII, P. R. 1730, 59. 2279. Ejus actus. 2533, 66. 2565, 44. Imperatorem, & Nicolaum Antipapam excommunicat. 2553, 60. Ejus literæ, ad Icherium de Concoreto, eum conſtituentes judicem controverſiæ inter Archiepiſcopum & Auguſtinenſes: 2041, 1. ad Ricardum Priorem S. Trinitatis, de Petro Dene. 2060, 25. Negat animas piorum frui beatifica viſione ante diem judicii: 2067, 24. Sed moriturus iſtam opinionem retractat. 2067, 63. Franciſcani quidam igni adjudicantur, quod ipſum ejuſque ſucceſſores hæreticos vocarit. 2609, 61.

Johannes XXIII, P. R. 2289.

Johannes Pontoyſe, Epiſc. Wintonienſis, obit. 2003, 56. Monaſterium S. Auguſtini quantum ope & opibus adjuverit. 2003, 2004. Ejus teſtamentum. 2004, 18.

Johannes, Prior Combwellenſis. 1878, 30.

Johannes, Prior Combwellenſis, alius. 1942, 5.

Johannes, Prior Doverenſis. 1457, 61.

Johannes Purney, Wiclivita. Ejus mores, 2660, 26. doctrina. 2260, 6.

Johannes, Rex Angliæ, cognominatus *Sine terra.* 1059, 38. 1281, 31. Comitis Marlanæ filiam ducit. 581, 1. 1082, 36. Willielmus Comes Glouceſtriæ eum ſibi hæredem conſtituit. 594, 57. 1116, 35. Cingulo militari ornatus, in Hiberniam trajicit. 626, 45. 1145, 28. Hiberniæ Dominus vocatur. 629, 37. Glouceſtrii filiam ducit; 650, 5. ſed Archiepiſcopus anathema ei interminatur, ſi ad eam accedat. 1590, 5. Terra ejus interdicto ligatur: 650, 4. Relaxatur. 650, 8. A patre deficit. 1150, 24. Mortis paternæ erat præcipua cauſa. 1154, 65. Ricardus frater terras & honores ei concedit. 1155, 12. 1157, 25. 1168, 63. 2401, 51. Epiſcopi & magnates jurant ſe illum pro Rege habituros, ſi quid Ricardo humanitus acciderit. 1228, 20, Ejus literæ ad Epiſcopum Londinenſem. 663, 54. Elienſem Cancellariatu & Regno pellit. 664, 665. 1223—1228. 1577, 60. Papa ipſum alioſque Elienſis adverſarios excommunicat. 1229. Pro Elienſi intercedit. 1231, 30. Gallus largis pollicitationibus eum ad defectionem ſollicitat. 1236, 57. 2407, 8 & 63. Regnum occupare nititur. 668, 45. 1152, 7. 1581, 47. 1586, 36. Poſſeſſionibus & honoribus eum orbat Ricardus. 1258, 1. Gallus, cui militarat, eum neglectui habet. 1261, 40. 2408, 57. Miſericordiam fratris petit, & invenit. 673, 7. 1261, 45. Comitatus Moritonii & Gloverniæ recipit. 1261, 53. Ducatum Normanniæ obtinet, 705, 59. 1281, 40. 2414, 25. & Regnum Angliæ. 705, 64. 1281, 47. 2260. Scotus accerſitus ei homagium facit; 1283, 9. 2414, 34. Eique promittit, Alexandrum F. abſque ejus conſenſu uxorem non ducturum; 1284, 2. Sed hoc promiſſum poſtea violatum. 1284, 10. Conjugem repudiat: 706, 5. 2416, 1. quod indigne fert curia Romana. 706, 14. Cenomanniam, quod Arthuro adhæſerit, ſubvertit. 2414, 23. Arthurum Ducem Britanniæ a ſe dimittit. 706, 19. Pacem cum Gallo init. 706, 58. 2415, 53. Terram Biturigum & Averniæ Gallo concedit. 706, 62. Iſabellam Comitis Engoliſmenſis filiam ducit. 707, 55. 2416, 2. Ejus liberi. 2416, 5. 2417, 61. Coronatur Weſtmonaſterii, 707. 62. 1281, 50. 2414, 5 & 27. & Cantuariæ. 709, 3. Animum Regis exuens, tyrannidem, & luxuriam exercet. 2414, 54. Decimam-tertiam partem bonorum per Angliam exigit. 1724, 17. Epiſcoporum nonnulli, exactiones ejus non ferentes, exſulant. 1724, 24. Monachos Cantuarienſes monaſterio ejicit, & clerum pene univerſum opprimit. 2415, 26. Stephanum de Langton admittere recuſat. 1724, 29. Ipſe & fautores ipſius excommunicantur, & totum Regnum ſub interdicto per ſexennium & amplius jacet. 1724, 26. 2415, 40. 2418, 1. Arthurum nepotem dolo captum occidit. 2413, 64. 2417, 26. A Gallo bis citatus, non comparet. 2420, 27. Scoto iratus ob fœdus cum Flandrenſi initum, Berwicum capit; 2420, 40. Obſidibus acceptis, redit. 2420, 49. Leges & conſuetudines Anglicanas Hibernis imponit. 2420, 55. Walliam ſubjugat. 2420, 62. Gallus terras ejus tranſmarinas occupat. 2417, 30. Eccleſiaſticorum poſſeſſiones in fiſcum redigit. 2418, 10. A clero & populo deſtitutus, ſe & ſucceſſores Papæ beneficiarios facit. 2418. 26. Gallus Normannia exire cogitur. 2418, 40. Johannes abſolvitur. 2418, 43. 2420, 23. A Baronibus ob tyrannidem reprehenſus, 2418, 46. chartam de libertatibus iis concedit, 2418, 64. quam mox violat. 2418, 67. Charta ejus qua Angliam & Hiberniam Pontifici Romano vectigales reddidit. 2419, 20. Forma juramenti de fidelitate ab eo Papæ præſtanda. 2420, 7. Chartæ Auguſtinenſibus conceſſæ. 2132, 33. 2133, 18. Controverſia inter ipſum & Auguſtinenſes de donatione Eccleſiæ Feverſhamenſis. 1843, &c. Ejus literæ ad Abbatem & conventum; 1845, 24 & 62. 1851, 27. ad vicecomitem Cantiæ; 1846, 57. ad Epiſcopum Elienſem, &c. 1852, 22. ad Hubertum Cantuarienſem. 1855, 60. Poſſeſſiones Auguſtinenſium, quas abſtulerat, reſtituit. 1856, 56. Liberas electiones Epiſcoporum & Abbatum concedit. 1865, 54. Ejus conceſſio Papæ literis confirmatur. 1866, 2. Ejus libido intole-

intolerandis Barones adverſus ipſum inſtigat. 2422, 22. V. *Euſtachius de Veſcy.* Varia fortuna cum Baronibus pugnat. 2423. Barones Ludovicum Gallum ad Regnum ejus capeſſendum invitant. 2423,59. V. *Ludovicus VIII.* Johannes etiam exteros advocat. 2424, 15. Ludovicus ait, eum jus omne ad Regnum amiſiſſe; ob proditionem erga fratrem, 1868, 55. quod Arthurum nepotem interfecerat, 1869, 12. quod Angliam Papæ tributariam reddiderat, jura everterat, Barones &c. oppreſſerat, fidem datam violarat, &c. 1869, 33. Hubertus eum ratione electionis, non ſucceſſionis, coronabat. 1869, 4. Cur Quinque portus privilegiis dotaverit. 2424,30. Petri cujuſdam de eo prophetia quomodo impleta. 2424,51. Dyſenteria perit, 2425,15. vel, ut alii aiunt, veneno, 2425, 20. Dum enim Prioriſſam ſtuprare parat, 2425,30. monachus ejus vitæ inſidiatus, 2425, 41. venenatis pyris eum de medio tollit. 2425,61. Quæ Rex paulo ante minatus fuerit. 2425, 22 & 55. Corpus exenteratum Wigorniæ ſepelitur. 2425, 18. 2426, 13. Quid de anima ipſius ſentiendum ſit, ſacerdos quidam in viſione jubetur ex Pſalmo LII colligere. 2426, 17. Quid filiis & filiabus acciderit. 2426,32.

Johannes, Rex Hieroſolymitanus, in Angliam venit. 2430, 43.

Johannes Romanus, Archiepiſcopus Eboracenſis. 1727, 60, 2502,11. Ejus parentes. 2507,32. Doctus erat, ſed avarus. 2507,35. Contentiones inter ipſum & Dunelmenſem. 2507,46. Eccleſiam ſuam ædificiis auget & ornat. 1727, 66. 1728, 20. Prochodochium S. Petri conſtruit. 1728,3. Ejus mors & ſepultura. 1728,32. 2507,40.

Johannes Salernitanus, P.R. Legatus. 710,12.

Johannes de Sariſberia eligitur Epiſcopus Carnotenſis. 592, 20. 1434,14. Capituli Carnotenſis ad eum literæ. 592, 40. Regis Francorum ad eum literæ. 593, 5. Senonenſem conſecrat. 594,54.

Johannes Scotus Dionyſium Areopagitam Latine reddidit. 148,57. Hæreticus a quibuſdam putabatur. 148,66. Graphiis puerorum confoditur. 149,18. Ejus facetiæ aliquot. 148, 30.

Johannes Stratford, Epiſcopus Wintonienſis. 2763,37. Ad Cantuariam transfertur. 2066, 42. Sententiam Icherii in prædeceſſorem ſuum latam cogit Auguſtinenſes revocare. 2069,1. Ejus literæ de vicariis quibuſdam ad monaſterium S. Auguſtini pertinentibus. 2104, 28. 2109, 4. 2111,21. 2115, 22. Ad Gallum mittitur. 2571,8.

Johannes Straw, proprio nomine *watt Tyler* dictus. 2636,56. Hic, aliiq; plebeii, tumultum excitant. 2156, 49. 2286. Occaſio hujus ſeditionis. 2633,33. Omnia rapinis, cædibus, incendiis implent. 2156,55. 2636, 1. Regni proceres exſtirpare cogitant. 2634,1. Captivos e carcere extrahunt. 2634, 6. Regem ad colloquium citant. 2156, 64. Urbem diripiunt. 2157,5. Rex ad eorum petitionem chartam libertatis toti Angliæ concedit. 2634, 61. Archiepiſcopum alioſq; ſecuri plectunt. 2157,9. 2635,9. Lancaſtrii palatium incendunt. 2635, 25. Unum e ſociis qui argentum illinc ſurripuerat, una cum argento in incendium projiciunt. 2635, 50. Alios qui cellam vinariam ejus domus intraverant, oſtio obturato, comburendos relinquunt. 2635, 55. A Rege petunt ut cuivis liceat feras & piſces ubivis capere. 2636, 64. Strawius Regi minatur. 2637,5. Occiditur. 2637, 9. Hujus tumultus duces: 2637, 38. Eorum orationes. 2637,44. Seditio ſedatur. 2157, 21. 2637,15. Hæc tumultuandi rabies late diffuſa; 2638,35. ſed terror tumultuandum latius. 2639, 33. Quam ſevere in quoſdam eorum fuerit animadverſum. 2643, 52. Rogatu Reginæ & Lancaſtrii venia reliquis indulgetur. 2644, 15.

Johannes de Temporibus CCCLXI annos vixit. 1032,54. 2387, 37.

Johannes, Theſaurarius Eboracenſis, fit Epiſcopus Pictavenſis. 675,62. Brebantinos Pictaviam vaſtantes vincit. 590, 10. Fit Archiepiſcopus Lugdunenſis. 676,1.

Johannes de Thuresby, primo Epiſcopus Menevenſis, poſtea Wigornenſis, poſtremo Eboracenſis. 1732,46. Erat Regis Cancellarius. 1732,50. Hic forſan eſt qui cuſtos rotulorum cancellariæ vocatur. 2078, 13. Litem inter cives Eboracenſes & conventum B. Mariæ ſedat. 1733, 1. Novi chori fabricam inchoat. 1733, 13. Capellam B. Virginis ſculpturis & picturis ornat: 1734, 2. Illuc prædeceſſorum corpora transfert: 1734, 5. Capellanum pro ipſius anima &c. oraturum ibi conſtituit. 1734, 8. Moritur. 1734,17.

Johannes de Valois. 2588, 67. 2592, 63. Coronatur Rex Franciæ. 2602,38. Regem Navarriæ ad ſuas partes allicit: 2609,9. Eum in carcerem conjicit. 2612, 57. Ab Edwardo Walliæ Principe, prælio victus, capitur, 2613. & in Angliam ducitur. 2615,14. Windeſoræ cuſtoditur. 2616,12. Pretium redemtionis. 2618, 19 & 56. Fidem datam violans, cum filio in caſtello Somertonenſi cuſtoditur. 2619, 24. Ad turrim Londinenſem transfertur. 2623,8. Concordia inter ipſum & Anglum facta. 2624, 61. Londinum venit. 2627, 12. Aurum & æra clam colligit. 2627, 59. Moriturus, proditiones ſuas omnes Anglo fatetur, & veniam orat. 2628,2. Moritur. 2627, 56.

Johannes de Waltham, privati ſigilli cuſtos. 2685,56.

Johannes Walton, Epiſcopus Sariſburienſis. 2729,13.

Johannes de Warenna, Comes Surriæ. 2132,21.

Johannes Wiclif Evangelium Anglice vertit. 2644,44. Ejus doctrina; 2644, 29. 2664, 65. præcurſor; 2644, 39. 2655, 49. fautor præcipuus. 2647, 19. Se vitam citius quam ſententiam deſerturum ait: 2647,3. mox tamen eam videtur retractare. 2647, 22. 2649,47. Ejus ſententia de corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia. 2647,43. 2649, 52. Novem ejus articuli hæreſeos damnati: 2650, 8. Quindecim alii pro erroneis tantum habiti. 2650,39. Coram Epiſcoporum concilio comparet. 2647,14. 2649,38. Opiniones ejus damnantur. 2650,55. Epiſcoporum literæ de excommunicandis ejus ſequacibus. 2651 &c. Ejus ſocii & diſcipuli. 2655, 57. 2656,36. 2657,3. 2658,62. 2660,26. 2661,37. 2662,24. 2665,62. Eorum fautores. 2661,47. Imaginibus adverſabantur. 2662,41. 2665,11. Lollardi vocati. 2662,16. Eorum multitudo; 2663, 29. 2664, 1. 2666, 59. veſtitus; 2663, 40. mores; 2663, 60. concordia; 2664, 38. dogmata. 2707, 2708. Invectiva in eos. 2661, &c. Plebs, proceres, clerus, Rex in eos conſpirant. 2708,37. Regis in eos edictum. 2709,1. Archiepiſcopus Cantuarienſis eis terrorem incutit. 2736,17.

Jordanus, Archiepiſcopus Ravennæ. 432,17.

Joſeph, Epiſc. Landavenſis. 467,32.

Joſephus, Hiſtoricus. 431, 15. Statuam Romæ meruit. 431,20.

Irene, Imperatrix, imaginibus favet. 445,40. Conſtantinus F. eam imperio privat: 445,51. 565,6. ipſa, Conſtantinum & imperio & oculis. 447,4. 565,57.

Iricius, R. Scotiæ. 2485,23.

Iris, lapis. 2073,16.

Iſaac, Imp. V. *Curſac.*

Iſabella, Edwardi II uxor, cum filio, exſulat. V. *Edwardus II.* Reditum parat. 2544, 10. Cum filio & aliis coexſulibus redit. 2544,21. Literæ ejus adventus cauſam exponentes: 2764,27. aliæ, oſtendentes cur mariti conſortium fugerit. 2767, 29. Audito ejus adventu, proceres advolant, Rex vero cum ſuis avolat. 2544,32. 2545,12. Ipſa cum Mortimero Regni habenas moderatur. 2552,67. Scotos a ſubjectione Anglis præſtanda liberat. 2553,41. 2560,16. Novos Comites creat. 2554,12. Populus & proceres de tyrannide ejus conqueruntur. 2555,47. Sententia in eam lata. 2556,18. Moritur. 2618,54.

Iſidorus Hiſpalenſis. 431,29. 437,33.

Iter ab Anglia ad Marſiliam; 1175,47. a Marſilia ad Salernum; 1174, 14. a Salerno ad Meſſanam; 1179, 49. ab Anglia ad Siciliam. 595,32. Iter Philippi a terra S. in Franciam. 1214—1222.

Ithamarus, Epiſcopus Roffenſis. 439,6. 1635,24.

Jubileus, primo centeſimus quiſque, 2195,44. 2528,37. poſtea quinquageſimus, 2195,49. 2602, 28. deniq; trigeſimus tertius annus erat. 2195, 51. Indulgentia tunc conceſſa. 2195,46. Bonifacii IX decretum de jubileo alibi quam Romæ celebrando. 2195,57. Jubileus in honorem Thomæ Cantuarienſis. 2036,17. 2145,44.

Judæi Chriſtiana mancipia non permittantur habere. 1450, 22. Chriſtianorum teſtimonium adverſus eos admittendum. 1450,26. Adverſus Chriſtianos teſtibus ſuis utuntur. 1450,28. Juriſdictiones iis non committendæ. 1081, 54. Leges de contractibus cum iis faciendis. 1258, 43. Judæi converſi a poſſeſſionibus non excludendi. 1450, 32. Mira quorundam converſio. 444, 27. Unus, qui ut mortem evaderet baptizatus fuerat, ad Judaiſmum relabitur. 1159,66. 1160,31. Quidam librum mire invenieus prophetiam præclaram de Chriſto continentem, convertitur. 2435,31. Quidam die Sabbati in latrinam decidens, & extrahi nolens, moritur. 2437, 4. Ante Henricum II nullibi in Anglia præterquam Londini mortuos ſepelie-

ſepeliebant. 1129,47. Henricus II eos exactionibus fatigat. 1403,45. In Gallia incarcerati, libertatem pecunia redimunt. 609,49. Ricardus I ſuæ coronationi eos intereſſe vetat. 1159, 48. 2401,34. In contumeliam Chriſti arietem crucifigunt. 1005,52. Norwici puerum crucifigunt; 1043,26. alium Gloverniæ; 1050,38. 2394, 17. alium Lincolniæ; 2444,14. alium apud S. Edmundum, qui poſt ſepulturam miraculis inclareſcit. 1458,22. Eorum ſtrages Londini; 647,59. 1159, 1160. 2401,38. Stanfordiæ; 1171,41. Lincolniæ; 2454,59. aliis in locis. 651,50. 1161,1. Eboraci ſeipſos occidunt. 651,56. 1171,64. 2402, 38. Quidam Chriſtiani fiunt. 1160,48. Johannes quidam Judæorum ſpoliis onuſtus occiditur, & martyris honores obtinet. 2402,43. Ob monetæ tonſuram, quibuſdam ſuſpenſis, reliqui ejiciuntur. 2462,58. 2466,14. Anglia ad unum omnes exiguntur. 1728,17.

Judas Iſcariotes ubi natus. 1219,56.

Judices juſte judicanto. 903,3. Quædam ab iis inter judicandum apprime obſervanda. 929,44. V. *Præpoſiti.* Juoices injuſti, cruentis hoſtibus pejores. 903,24. Quomodo puniendi. 872,3. 924,2.

Judicium ſubire nemo tenetur donec reſtituantur injuſte ablata. 547,16. 711,49. 1748,5. Eccleſiæ negotia primo judicanda. 2355, 47. Actiones ex intentione judicandæ. 2327,63. Judicium aquæ. V. *Aqua.* Judicium ferri. V. *Ordalium.* Judicium ſanguinis. V. *Clerici,* & *Eccleſia.* Judicii extremi ſigna. 733,29. 2645,7.

Juliana de Leyburn, Comitiſſa Huntingdoniæ, manerium donat Auguſtinenſibus. 2138,24.

Julius Africanus. 431,23.

Ivo Carnotenſis. 432,52. 490,19.

S. Ivonis corpus quomodo repertum. 883,13. Fons ſalubris e tumulo ejus ſcatet. 883,23. S. Ivonis eccleſia prope Huntingdoniam. 868,53.

Juramentum illicitum non ſervandum. 1391, 42. Jurare omnino illicitum, juxta Wiclivitas. 2707,64. Perſonaliter jurare, Regibus Siculis inſuetum. 594, 8. *Jurare in animam alterius*, dicendum; non, *in anima.* 594, 7. Juramentum quod vel manu propria fit, vel in animam jubentis juratur, unum ac idem eſt. 594, 21. Jusjurandum quo tempore prohibeatur. 830, 64. Jusjurandum unius twelfhindi hominis æquale jurijurando ſex villanorum: 846,24. Presbyteri & thayni, æqualia. 846,28. Leges de juramentis. 821, 56. Juramentum fidelitatis. 859, 46. 2482,23. Juramenti forma. 580,63. Forma juramenti a ſubdito in Regis ſui perſona præſtiti. 1185,54.

Jura regalia. 923,48. Jura Regni & Eccleſiæ, non confundenda. 544,12. 545,46.

Jus ferri, foſſæ, & furcarum. 1511,4.

Juſtificatio non admittit gradus. 2658,23.

Juſtinianus, Imp. 432,14.

Juſtinus, Hiſtoricus. 431,18.

Juſtitiarii *errantes.* 1588,60. 1590,20. Juſtitiarii ſuper *le Eyre.* 2606,14. Juſtitiarii ſuper *Traylbaſton.* V. *Traylbaſton.* Sex Juſtitiarii capite damnati. 2727,50.

Juſtus, Epiſc. Roffenſis. 734,7. Ejectus, ſtatim revocatur. 437,9 & 42. 739, 6 & 39. 1633,34. Fit Archiep. Cantuarienſis. 77,59. 100,28. 437,61. 739,60. 1634,8. 2229. Literas & pallium a P.R. accipit. 739,63. V. *Bonifacius V.* Moritur. 1634,37. 1768, 61.

K.

KArleon, ſive civitas Legionum, in Southwallia, olim bonarum artium domicilium. 814,35.

Kelredus. V. *Cheolredus.*

Kenelmus, Rex Merciæ. 776, 51. Virga ab eo terræ infixa ſtatim frondeſcit. 777,21. Ab Askeberto decollatur. 777, 28. Ejus cædes & ſepulturæ locus miris indiciis noteſcit. 777, 36. Ejus corpus Winchecombam transfertur. 778, 14. E priori ſepulcro fons ſacer erumpit. 778, 16. Quendredæ ſorori, quæ eum interfici fecerat, oculi e capite evolant. 778,23.

Kenelworthæ caſtrum obſidetur. 2437,55. 2454,52. Capitur. 2437,60.

Kenewaldus. V. *Cenwaldus.*

Kenewesburn. 1895,63.

Kenewinus. V. *Kentwinus.*

Kenglis, vel Kynglis, vel Kineglisſus, vel Kinegilſus, Rex Occidentalium Saxonum. 755,7. Cum ſua gente convertitur. 438,40. 1635,53. Baptizatur. 756,8.

Kenington. 2027,50. Appropriatio Eccleſiæ. 2102,20. Munus & portio vicarii. 2104,26.

Kenredo loquela reddita eſt triduo poſt linguam exſectam. 223, 40. Vocatur Renredus: 944,25. Pro quo legendum *Kenredus,* ut 2370,22.

Kenredus, R. Merciæ, fit monachus. 442,21 & 28. 773,28.

Kenredus, vel Coenredus, R. Northumbriæ. 91,23. 795,3.

Kentwinus, vel Kenewinus, R. Occid. Saxonum. 439, 15. 756,50.

Kenulfus, Epiſc. Dorcaceſtrenſis. 453,10.

Kenulfus, vel Kenewlfus, vel Coenwlf, R. Merciæ. 114,2. 1642,16. Eadbertum vincit. 114,46. 776,52. Leonis III ad eum literæ. 1743,47. Ejus ad Leonem literæ de dignitate ſedis Dorobernenſis. 1775,53. Chartæ ejus de terris Eccleſiæ Chriſti, Cantuariæ, donatis. 2211—2216. Se Regem Cantiæ vocat. 2215,26. 2216,23. Wolfredus Archiepiſcopus de eo queritur. 2213,35. Interficitur. 776,58.

Kenwolfus, R. Occid. Saxonum. V. *Cenwallus.*

Kenwolfus, vel Kinewolfus, vel Kynwlf, R. Occid. Saxonum. 444,13. 770, 17. Ab Offa ſuperatur. 770, 42. Occiditur. 110,39. 770,55.

Kewelinus, vel Chichelinus, vel Quichelmus, R. Occid. Saxonum. 755,16. Sicarium ad occidendum Edwinum R. Northumbriæ mittit. 780,63. Ab Edwino ſuperatur. 781,8. 1634,28.

Kinadius, R. Scotorum, ab Edgaro Anglo vincitur. 2470,26.

Kinebertus, Abbas S. Auguſtini. 1777,35. 2240.

Kinebertus, Lindenſis, vel Lincolnienſis, Epiſcopus. 774,61. 793,5.

Kinewalchius. V. *Cenwaldus.*

Kinewoldus, Epiſc. Wicciorum. 154,45. Vocatur Cenewaldus, 2219,19. & Ceonwaldus. 157,28.

Kingſdown. 1829,40.

Kingſmelle. 1807,13. 1827,2. 1881,16.

Kingſtonæ Reges Angliæ olim conſecrari ſoliti. 452,16. 453, 63. 455,5 & 38. 458,37. 460,1. 862.65. 1644, 11 & 26 & 61. 1647, 13 & 48.

Kinſius, Archiep. Eboracenſis. 79,40. 184,24. 478,8. 952, 18. 1700,40. Turrim excelſam Beverlaci exſtruit, & Eccleſiæ multa largitur. 1700,48. De ventre matris cæſus fuit. 1700,55.

Kirkham. V. *Cirkamenſe.*

Κύεια, ἐλέησον. 436,17.

Kyrie, Rex ſplendens. 879,8.

Kyrkby Beller. Cœnobium ibi a quo fundatum. 2544,54.

¶ Kyrkbienſis Prior: *Ricardus.*

Kyrklade, olim *Greglade,* unde dicta. 814,59.

L.

LActandi officio matres defungi debent. 472,16.

Lacus in Ultonia miræ originis. 1077,47. Lacus alii mirandi. 1078.

Lætitia nimia cur mortem afferat. 910,29.

Laſordſwice, quid. 929,21.

Laicorum adverſus clericos inſolentia. 266,1. 268,15. 1451,5. 2489,62. Ejus occaſio. 486,28. Iis non licet inveſtituras dare. 224,21. 327,41. 495,39. 1451,41. V. *Inveſtituræ.* In Eccleſias dominium non uſurpent. 2208, 38. 2211, 57. nec donationem rerum Eccleſiaſticarum ſibi vendicent. 249,1. 1451, 41. Eccleſiaſticis laicorum homines fieri non licet. 224, 26. 994,51. 1451,49. V. *Clerici* & *Eccleſia.*

Lambertus, Abbas Boxleienſis. 1665,57.

Lambertus, vel Jambertus, Abbas S. Auguſtini. 1641,31. 1773,38. 1775,14. 2210, 36. Fit Archiep. Cantuarienſis. 406,33. 444,&c. 742,55. 1641,55. 1775,25. 2235. Cur monachi eum elegerint. 1773, 47. Quam moleſtus ei fuerit Offa R. Merciorum. 1774, 4. In Eccleſia Chriſti noluit ſepeliri. 1642, 2. 1774, 10. 2210, 55.

Lameheia, vel Lambithe, vel Lambetha, vel Lambherz. 2328, 66. Hæc villa olim pertinuit ad monachos Roffenſes. 1564, 8. Pro ea Hubertus Archiepiſcopus dat villam vocatam *Rente.* 1597, 13. Eccleſiam ibi a Baldwino inchoatam Hubertus demoliri cogitur. 705, 28. 1276, 2. De Eccleſia ibi ædificanda valde ſolicitus eſt. 1592,1. 1680, 4. Literæ Celeſtini injungentes ne quis in ea miniſtret. 1593, 9. Archiepiſcopus tres Abbates ad conventum Cantuarienſem mittit, ad eorum conſenſum obtinendum. 1598, 5. Articuli in quos jurabunt futuri Canonici Lambethenſes. 1598,28. Monachorum reſponſum

ſum quod nuntiis Huberti dederint. 1599, 25. Duo monachi de eo apud Papam queruntur. 1601, 14. Literæ Innocentii III, conſtructionem Eccleſiæ & inſtitutionem Canonicorum inhibentes. 1602. 4. Hubertus de monachis qui Romam adierant queritur. 1603, 33. Regis literæ, monachos increpantes, & prohibentes ne opus Lambethanum impediant. 1604, 40. Idem vetat, nequis alius ad Eccleſiam illam demoliendam accingatur, 1605, 27. & ne quis monachis aurum vel argentum commodet. 1680, 40. Monachi mandato Papali mordicus adhærent, Archiepiſcopo interea eorum conſtantiam enervare ſatagente. 1605, &c. Literæ cujuſdam Cardinalis, Hubertum monentes ut Papæ mandatum adimpleat. 1607, 8. Literæ Papæ ad Regem, ut Cantuarienſem Eccleſiam tueatur. 1607, 33. Literæ Cardinalis ad eundem, monentes ne Eccleſiam Lambethanam erigi ſinat in præjudicium Eccleſiæ Cantuarienſis. 1607. 58. Literæ Regis ad monachos, ut controverſiam totam arbitris permittant. 1608. 64. Monachi reſcribunt, Non licere a curia Romana ad inferiores judices deſcendere. 1609, 43. Literæ Suffraganeorum ad Papam, continentes argumenta pro Archiepiſcopo militantia. 1610, 26. Literæ Abbatum pro Archiepiſcopo. 1612, 35. Diſceptatio hujus controverſiæ in foro Romano. 1616, 45 &c. Mandatum P. R. de deſtruenda Eccleſia, & diſſolvenda fraternitate. 1620, 11. V. *Innocentius* III. Eccleſia diruitur. 1622, 50. Tota cauſa arbitris judicanda relinquitur. 1681, 3. De capella reædificanda inter Archiepiſcopum & monachos convenit. 707, 64.

Lana alienigenis non vendenda. 2445, 61. Lanæ alienigenis vendendæ unus locus aſſignatur. 2563, 34. 2626, 42. *Petra* lanæ quid. 2576, 59. Lanæ ſaccus quot pondo contineat. 2576, 58. Quod tributum Regi pro ſingulis ſaccis pendendum. 2576, 40. Fames in Anglia ob lanam non exportatam. 2737, 47. Lanæ pretium, temporibus Ricardi II. 2737, 63.

Lancaſter-ſhire quinque parvas ſchiras continet. 556, 63. ¶ Lancaſtriæ Comites: *Thomas*; *Henricus*; *Henricus*. ¶ Duces: *Henricus*; *Johannes de Gaunt*.

Lancea, qua Chriſtus confoſſus, invenitur. 223, 56. 993, 26. 2363, 66. Vere ipſam fuiſſe, miraculo oſtenditur. 993, 41. Vocatur lancea Caroli M. & Adelſtano mittitur. 2321, 34.

¶ Landavenſes Epiſcopi: *Chevelliauc*; *Libau*; *Elederi*; *Joſeph*; *Herewardus*; *Petrus*; *Nicolaus*; *Willielmus*; *Henricus*.

Lando, P. R. 453, 53. 2241.

Lanfrancus, vel Langfrancus. 1787, 47. Ejus parentes, patria, educatio, &c. 968, 39. 1652, 32. In latrones incidens, vovet, ſi ab iis liberetur, monachatum. 1652, 40. Trinitatis myſteria ne curioſius rimetur, cœlitus per viſionem diſcit. 2360, 21. Beccenſe monaſterium intrat. 2360, 33. Cur illud reliquis prætulerit. 968, 47. 1652, 49. Ibi pro fatuo & ſimplici habitus, 2360, 35. ægre ab Abbate licentiam obtinet Concilium Vercellenſe adeundi; 2360, 48. poſtquam illuc ventum, difficilius loquendi facultatem obtinet. 2360, 58. Berengarii opinionem refellit, & ipſum ad palinodiam adigit. 2360, 65. Contra ipſum & verbo & ſcripto contendit. 940, 8. 952, 13. Scholam regit, & dialecticam profitetur. 494, 7. 968, 52. 2360, 48. Harfaſti invidia & malitia e Normannia pellitur. 968, 58. 2361, 51. Fit Prior Beccenſis, 969, 4. 1652, 58. Abbas Cadomenſis, 969, 5. 1652, 63. 2361, 63. Archiepiſcopus Cantuarienſis. 50, 23. 202, 50. 215, 53. 405, 67. 483, 12. 968, 39. 1653, 7. 2249. 2345, 36. Auguſtinenſium privilegia imminuit. 1791, &c. Ab Epiſcopis Angliæ profeſſionem petit: 969, 30. 2345, 63. ab Eboracenſi ægre obtinet. 969, 10. 1653, 22. 1744, 23. 2345, 43. V. *Eboracenſis*, & *Thomas* I. Ei Papa aſſurgens, honorem exhibet: 483, 55. 970, 23. 1327. 13. 1653, 32. 2363, 3. & duo pallia ei confert. 1327, 14. 1653, 35. 2347, 22. Cum Thoma Eboracenſi de prioritate cathedrarum contendens, victoriam reportat. 970—972. 1653, 37. 2348—2350. Fit Primas totius Britanniæ. 484, 20. 1327, 18. Eccleſiam Chriſti, Cantuariæ, ædificat. 484, 25. 1291, 30. 1292, 52. 1654, 57. Opus illud deſcribitur, 1293. 1. Monachorum numerum adauget. 1654, 63. XXV maneria Eccleſiæ Cantuarienſi reſtituit, & Eccleſiam Roffenſem inſtaurat. 490, 1. 1655, 1. 2363, 25. Donationem Abbatiæ S. Auguſtini ſibi concedi petens, 1327, 26. quod reſponſum tulerit. 1327, 29. Abbatiam S. Albani in primum ſtatum reſtituit. 490, 8. 1655, 4. Gundulfum fore Epiſcopum, Walterum Abbatem, &c. unde præſagierit. 2363, 30. Hernoſti mortem prædicit. 490, 6. Quo morbo ipſe optarit mori. 2363, 54. Moritur. 986, 35. 1655, 58. 2360, 16. Corpus ejus transfertur. 1300, 47. Dunſtanus ei in ſomnis ſæpe apparuit. 2362, 49. Quos Epiſcopos conſecrarit. 1653, 64. Quæ Concilia celebrarit. 1654, 15. Quas Eccleſias fundarit. 1655, 6. Quam pie & prudenter ſe geſſerit. 1652—1655. 2362, 12. Erga pauperes quam fuerit liberalis, 1655, 45. 2362, 35. quam lenis & affabilis erga omnes. 2362, 43.

Langdunenſis Abbatiæ valor. 2165, 44. ¶ Abbates: *Willielmus*; *Ricardus*.

Langleiæ monaſterium fundatur. 2533. 9.

Langport. 1963, 52. 2020, 36.

¶ Lantonienſis Prior: *Robertus*.

Lapideſcit victus quibuſdam qui mendico reſponderant ſe nihil præter lapides habere. 437, 16.

Latinelade. V. *Lecchelade*.

Laurentius, Abbas Weſtmonaſterienſis. 281, 43. 370, 44. 533, 30. 588, 50.

Laurentius, Archiep. Cantuarienſis. 100, 22. 437, 12. 737, 53. 1633, 14. 2229. V. *Auguſtinus*. A D. Petro flagellatur. 437, 44. 739, 18. 1633, 38. 1767, 62. Hiberniæ populis paſtoralem curam impendit. 1633, 21. 1740, 1. 1767, 18. Ejus literæ ad Scotos. 737, 60. Moritur. 739, 46. 1633, 54. 1768, 46.

S. Laurentius beneficium acceptum remunerat: 933, 65. Injuriam itidem rependit. 1091, 32. Quam ei reverentiam exhibuerit Rex Franciæ. 1096. 52.

Laurentius, Prior Dunelmenſis. 281, 3.

Laus. Unicuique nationi mos eſt, aliquem e ſuis immodice laudare. 1154, 12.

Lazarus, quem Dominus e ſepulcro evocavit, per ſeptennium fuit Epiſcopus Marſiliæ. 1178, 50.

Lecchelade, olim *Latinelade* a ſtudio Latinæ linguæ dicta. 814. 16.

Lectiones pro feſtis diebus quis compilarit. 448, 5.

Ledbardus, vel Letardus, Epiſc. Silvanectenſis, Bertæ Reginæ Capellanus. 729, 25. 1767, 37.

Ledes. Ibi Monaſterium fundatur. 2253. Valor ſpiritualium & temporalium ad illud pertinentium. 2166, 25.

Lefricus. V. *Leofricus*.

Lefſtanus, Abbas S. Albani. 475, 35.

Lefwinus, Abbas Elienſis. 908, 65.

Legati a P. R. cur mittantur. 679, 62. 693, 3. In Angliam non mittendi niſi cum Rex poſtularit. 241, 59. 1008, 10. Tres in Anglia ſimul. 201, 50. 405, 62. 482, 48. Archiepiſcopi Cantuarienſes ab eorum ditione olim immunes. 1663, 49. Archiep. Cantuarienſis P. R. Legatus naſcitur. 2155, 25 & 39. Henrici II Legati a Duce Burgundiæ ſpoliantur. 598, 64.

Legeceſtre. V. *Leiceſtre*.

Legeceſtria, vel Legaceſtre, vel Lieceſtre; Britannice, *Kairleir*, & *Karlegium*; Latine, *Urbs Legionum*, & *Ceſtria*; capitur a Dacis. 812, 65. Reſtauratur. 152, 42. 356, 21. 833, 23. Ibi octo Reges Edgaro homagium faciunt. 869, 14. V. *Ceſtria*.

Legem fruſtra invocat qui legem impugnat. 540, 53. Leges Britannis quis primus tulerit. 956, 8. Anglorum leges variis linguis ſcribebantur. 956, 18 & 25 & 39. Lege Mercia quæ provinciæ judicabantur; 956, 20. lege Weſtſaxonum quæ; 956, 25. Danica quæ. 956, 40. Leges Inæ; 759, 1. Alfredi; 819, &c. quæ fuerunt ab ipſo collectæ, a ſapientibus ejus approbatæ: 820, 3. Godrini; 828—832. Edwardi Senioris; 835—837. Adelſtani; 839—856. Edmundi; 858—862. Edgari; 870, 48. Egelredi; 893—903. Canuti; 914—931. *Communes*, ſive Edwardi Confeſſoris; 956, 6. 957, 15. 2338, 6. Willielmi I; 2355—2358. Henrici I; 310, 46. 1021, 38. Stephani; 314, 21. Henrici II; 1386, 52. 1409—1411. 1522, 11. Ricardi I, claſsiariis & militibus ad bellum ſacrum proficiſcentibus datæ; 1173, 16. 1182, 19. ejuſdem, de menſuris, pannis, contractibus cum Judæis, fœnore, &c. 1258. Edwardi I, de religioſorum poſſeſſionibus non augendis. 1961, 37. Ricardi II. 2729—2734. 2738, 26. Leges Eccleſiaſticæ. V. *Eccleſiaſticæ*. Leges quædam de juriſdictione Eccleſiaſtica & privilegiis clericorum in Normannia. 657, 40. Legum vocabula explicata. 957, 20.

Legeſtowa, poſitionis locus. 858, 60.

Leiceſtre, vel Legeceſtre, obſidetur. 572, 67. 1088, 45. Portæ & muri evertuntur. 573, 9. Caſtellum diruitur. 588, 16. magno ſed vano terrore repletur hæc villa, tempore Kentenſis tumultus. 2639, 38. Leiceſtrenſis Epiſcopatus Lincolnienſi adjungitur. 457, 4. Abbatia a quo fundata. 1060, 9. 2346, 6. Ejus Eccleſia dedicatur. 2463, 4. Dux Lancaſtrius Abbati licentiam concedit ut vivarium includat, illudque incluſum feris replet. 2605, 57. Lis inter Abbatem & Belgravenſes. 2616, 61. Lis inter conventum & Johannem de Ardena. 2624, 34. Compoſitio cum Rege facta de cuſtodia Abbatiæ vacantis. 2616, 54. 2631, 27. Eccleſiæ quædam & terræ ad hanc Abbatiam pertinentes. 2631, 20. ¶ Abbas: *Willielmus de Clown.* Hoſpitale S. Leonardi. 2346, 46. Hoſpitale juxta caſtrum. 2559, 40. 2626, 1. ¶ Comites Leiceſtriæ: *Robertus de Mellent*; *Robertus Boſſu*; *Robertus* ou les blancs meins; *Robertus*, *F. Petronillæ*; *Simon de Monte forti*; *Ranulfus*; *Simon de Monte forti* II; *Edmundus.*

Lenham. 1776, 8. 2017, 31. 2126, 51. Appropriatio Eccleſiæ. 2097, 47. De vicario. 2097, 63. Decanatus de Lenham. 1976, 40.

Leofegarius, Epiſc. Herefordenſis. 188, 62. Occiditur. 1701, 16.

¶ Leofenſis, vel Leonenſis, Abbatiſſa: *Eggiva.*

Leofricus, Abbas S. Albani. 446, 10.

Leofricus, Regis Cancellarius, & Epiſcopus Cridiatunenſis. 182, 46.

Leofricus, vel Lefricus, Comes Merciorum, 181, 20. 184, 52. 389, 12. 2318, 46. & Ceſtriæ. 932. 9. Laudatur. 189, 27. Jeſum Chriſtum corporeis oculis videt. 389, 7. 949, 29. Quomodo miraculum id publice innotuerit. 389, 45. Ejus de Godwino ſententia. 937, 58. Monaſterium Coventrenſe conſtruxit. 948, 62. 2334, 50. Plura monaſteria reparavit. 949, 1. 2334, 52. Moritur. 948, 60. 2334, 47.

Leofruna, vel Leofrima, S. Mariæ, vel S. Mildrethæ, Abbatiſſa. 168, 54. 1649, 64. 1908, 48.

Leofſius, Abbas Thornegienſis, fit Epiſc. Wicciorum. 178, 56. 467, 13.

Leofwinus, Abbas Coventrenſis, fit Epiſc. Lichfeldenſis. 2333, 12.

Leofwinus, Comes vel Dux Merciorum. 2334, 47.

Leofwinus, Epiſc. Legeceſtrenſis & Lincolnienſis. 457, 4.

Leo, Imp. CP. S. Sophiæ corona capiti impoſita, carbunculis & febre correptus moritur. 445, 8. 796, 35.

Leonellus, F. Edwardi III, Dux Clarenſis. 2627, 47. Ejus uxor. 2584, 52. Edwardus Balliolius ei jus ſuum ad Regnum Scotiæ tradit. 2611, 22. Aliam uxorem ducit. 2629, 49. Veneno perit. 2629, 51.

Leontias, Imp. 435, 10.

Leo II, P. R. 441, 41. 2231.

Leo quidam, per Romanorum patrocinium Pontificatum obtinens, in catalogo non recenſetur. 2233.

Leo III, P. R. 2237. Ejus literæ ad Ceonwolfum R. Merciorum: 1743, 47. ad Adelardum, Cantuarienſem. 446, 55. Ei lingua & oculi effoſſi mire reſtituuntur. 115, 9. Iterum eruuntur. 447, 9. 1642, 17.

Leo IV, P. R. 450, 21. 2239. V. 449, 35.

Leo V, P, R. 2241. Antipapam habet Chriſtophorum. 452, 67.

Leo VI, P. R. 454. 18. 2241.

Leo VII, P. R. 454, 31. 2241.

Leo VIII, P. R. 457, 42. 2243.

Leo IX, P. R. vocatur Leo X, 1784, 52. 2247. Angeli Pontificatum ei gratulantur. 475, 37. Concilium celebrat. 381, 14. 475, 48. Papatu ob conſcientiam cedens, denuo eligitur. 940, 1. 2330, 58. Ejus reſcriptum ad Edwardum Confeſſorem. 381, 51. Pauper leproſus ab eo in lecto ſuo collocatus, mox evanuit. 475, 42.

Leporinam formam vetulæ quædam induere ſolitæ. 1076, 13.

Leproſi. Canon de Leproſis. 1450, 4.

Leſtage, quid. 957, 48.

¶ Leſtingamenſis Abbas: *Cedda.*

Leſtæ ab Alfredo inſtituuntur. 1777, 59.

Letherwithe, quid. 957, 40.

Levigildus, R. Wiſigottorum, filium occidit. V. *Erminigildus.*

Leutherius, Epiſc. Gewiſiorum. V. *Eleutherius.*

Lewenſis Prior quomodo eligendus. 709, 22. Monaſterii valor. 2168, 22.

Lewlinus, Princeps Walliæ. 2347, 17. 2430, 40. Johannes Rex filiam ei uxorem dat. 2417, 42. Johanni homagium facit, & obſides dat, mox tamen rebellat. 2420, 63. Henrico III rebellat. 2439, 6. Willielmum de Brews, vel Breans, ſuſpendit, ob ſuſpicionem adulterii cum uxore ſua commiſſi. 2431, 20. 2439, 15. Cogitur ſeipſum & heredes ad tributum Anglo pendendum obligare. 2436, 31. Quinquaginta librarum millibus mulctatur. 2462, 15. V. *Edwardus* I. Lanceâ occiditur. 2464, 49. Caput ei amputatur, 2463, 22, & argentea corona redimitum per plateam vocatam Weſtchep apportatur. 2464, 63. Quas moleſtias Anglis fecerat. 2464, 9. Carmina in ejus laudem: 2463, 36. alia in ejus vituperium. 2463, 41.

Leyland-ſhire. 956, 65.

Libau, Epiſc. Landavenſis. 451, 15.

Liberalitatis exempla. 910, 18.

Liber Evangeliorum in mare per triduum demerſus, S. Cuthberto prædicente, illæſus recipitur. 19, 27, 20, 30. Liber mirus, mire inventus, inter alia præclaram prophetiam de Chriſto continens. 2455, 31.

Liberos ſuos quam ſapienter educarit Carolus M. 448, 10.

Lichfeldiam ſedem Metropolitani fieri deſiderat R. Offa. 445, 20. 1641, 60. 1774, 4. Lichfeldenſis diœceſeos tres ſedes. 618, 43. 975, 63. 2351, 21. V. 1654, 57. ¶ Lichfeldenſes, vel Merciorum, Epiſcopi: *Duma*; *Cellet*; *Trumhere*; *Jaruman*; *Ceadda*; *Wilfridus*, vel *Wolfridus*; *Sexulfus*; *Cuthwinus*; *Ceadda*; *Aldwinus*; *Hwicca*; *Hemeli*; *Cuthfrid*; *Aldulfus*; *Brithmarus*; *Wolfius*; *Leofwinus*; *Robertus*; *Walterus*; *Walterus de Langton*; *Walterus de Skirlaw*; *Ricardus Scrope.*

Lieſnenſe, ſeu de Leſnes, monaſterium fundatur. 1445, 47. Ejus valor. 2167, 22. Primus Abbas benedicitur. 1456, 43. ¶ Abbas: *Robertus.*

Liſingus. V. *Livingus.*

Ligea fluvius. 151, 13.

Ligulfi cædem ulciſcuntur Northumbrenſes. 210, 28.

Limericum, urbs Hiberniæ, conditur. 1075, 3.

Limingenſi Abbatiæ Withredus terras concedit. 2208, 12. Donatio Kenewolfi & Cuthredi, 2213, 6. Ethelſtani. 2223, 1. ¶ Abbas: *Cuthbertus.*

Limpoldus, Comes, fit eremita. 909, 48. Mira de ejus filio hiſtoria. 909, 50.

Limpoldus, Dux Auſtriæ. V. *Ricardus* I, R. *Angliæ.* Dum puerorum ludicris ſe immiſcet, 1588, 64. equo lapſus pedem lethaliter atterit. 678, 15. 1262, 11. 1589, 11, 2409, 48. Dei judiciis, cenſura Eccleſiæ, & præcipue morte imminente motus, Ricardi obſides gratis dimittit. 1261, 1262. 2409, 40. Quidam eos a filio dimiſſos aiunt. 1589, 22.

Lincheſore. 1777, 23.

Lincolniæ ſitus. 782, 65. A fluvio Trenta foſſa navigabilis illuc ducitur. 243, 17. Caſtrum fundatur. 965, 36. Paullinus Eccleſiam ibi conſtruit. 782, 55. Sedes Epiſcopalis a Dorceſtria illuc transfertur. 217, 44. 490, 48. 975, 62. 983, 55. 1654, 41. 2249. Eccleſiam cathedralem a ſe conſtructam Remigius dedicare cupiens, morte prævenitur. 217, 46. 490, 55. 1708, 20. 2364, 36. V. *Robertus Herefordenſis.* Eccleſia cathedralis, flammis labefacta, inſtauratur. 1034, 3. Eboracenſis aſſerit eam ad juriſdictionem ſuam pertinere. 217, 48. 490, 50. 983, 50. 1707, 61. Per xvii annos Epiſcopo caruit. 1060, 1. Quidam pſeudopropheta dixit, eam Epiſcopum non amplius habituram. 1060, 4. ¶ Lincolnienſes, vel Lindenſes, vel Lindisfarrorum, vel Dorceſtrenſes, vel Sidnacenſes ſeu Sidnaceſtrenſes, Epiſcopi: *Eadhec*, vel *Eathbed*; *Ethelwinus*, vel *Ailwinus*; *Edla*, vel *Etla*; *Adgarus*; *Kinebertus*; *Ceolwolfus*; *Unwona*; *Eadulfus*; *Tocca*, vel *Totta*; *Eadbertus*; *Kenulfus*; *Leofwinus*, *Eſcwinus*; *Eadnothus*; *Ulf*; *Wolfwinus*; *Remigius*; *Robertus Bloet*; *Alexander*; *Robertus de Chennebai*, vel *de Caſnei*; *Gaufridus*; *Walterus de Conſtantiis*; *Hugo*; *Robertus Groſſeteſte*; *Henricus de Lexington*; *Oliverus*; *Henricus Borowaſch*; *Johannes de Kinwell*; *Johannes de Bokingham.* ¶ Lincolniæ Comites: *Ranulfus*; *Johannes*; *Henricus de Lacy.*

Lindenſes Epiſcopi. V. *Lincolnienſes.*

¶ Lindeſeiæ Comes: *Cuthbertus.*

Lindisfarne, inſula, unde dicta. 12, 38. Halingland appellatur. 461, 19. 880, 45. Lindisfarnenſis terræ fines. 68, 44. Eccleſiæ fundatio, 2, 18. 286, 3. dedicatio. 2. 27. Plumbi laminis tegitur. 2, 29. 787, 47. Epiſcopalis ſedes ibi ſtatuitur. 786, 7. Pagani eam depopulantur, 12, 45. 112, 60. ſed non impune. 113, 13. De terris & poſſeſſionibus quibus locupletabatur. 5, 49. 9, 56. 13, 21. 67. &c. 139, 30. Iterum vaſtatur. 15, 65. Sedes Epiſcopalis illinc Cunecaceſtriam transfertur. 21, 63. 73, 27. 130, 13. 147, 54. V. *Cuncaceſtre.* Scotorum exercitum, [illegible] qui Lindisfarnenſe monaſterium diripu-

diripuerant, terra dehiſcens abſorbet. 21, 45. Monachis quando fuerit data licentia bibendi vinum vel cerviſiam. 139, 51. ¶ Abbas: *Eata.* ¶ Prior: *Cuthbertus.* ¶ Epiſcopi. V. *Dunelmum.*

Lindis, fluvius. 112, 24.

Ling, imago. 906, 65.

Liſbona capitur a Chriſtianis, & fit ſedes Epiſcopalis. 277, 9. 1035, 36.

Litania ſeptiformis. 435, 36.

Literarum quantus in Anglia neglectus ante Aluredum. 814, 10. V. *Studia.*

Littleburn. 1771, 17. 1784, 34. 1879, 12. Eccleſia donatur & appropriatur Abbatiæ de Monte Myrteto. 2106, &c. Portio & onus vicarii. 2108, 34.

Livingus, Epiſcopus Wigornenſis. 180, 16. 182, 43. 474, 61. 2329, 14.

Livingus, vel Lifingus, vel Ethelſtanus, Epiſc. Wellenſis, fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 169, 35. 465, 12. 891, 19. 903, 62. 1650. 46. 2245. Quæ Eccleſiæ ſuæ donaverit. 2223, 12.

Locrinus, Bruti F. 2484, 23. Rex Scotiæ. 2484, 35.

Locuſtæ Galliam depopulantur, 451, 24. & Palæſtinam. 2380, 22.

Lodoneium quomodo adjectum Regno Scotico. 81, 19.

Lodovicus. V. *Ludovicus.*

Loegria. V. *Britannia,* & *Saxulfus.*

Lollardi. 2289. 2662, 16. 2663, 38.

Lombardus. V. *Petrus.*

Londinum, vel Lundonia, vel Lundana, olim Trinovantum vocabatur. 2484, 20. 2727, 5. Ejus magna pars igne conſumitur. 114, 45. 118. 2. 161, 30. 213, 47. 217, 3. 263, 4. 877, 37. 2353, 37. Inſtauratur, & fit habitabilis. 131, 31. 150, 9. 812, 23. A Canuto obſidetur: 904, 10. Liberatur. 904, 35. Dacos ſæpe repulit. V. *Daci.* Seditio Londini oritur. V. *Seditio.* Cur in Gregorii M. decreto de Metropolitanorum paritate, Londinenſis, non Cantuarienſis, fiat mentio. 1632, 28. 1686, 35. Londinenſis Eccleſiæ Canonici citra conſenſum Decani Epiſcopum eligunt. 506, 5. Rex iis ſuccenſet. 506, 10. Eorum uxores incarcerantur & dedecore afficiuntur. 506, 19. P. R. Londinenſi capitulo ſcribit de transferendo Herefordenſi in ſedem Londinenſem. 534, 59. Londini ſtapulæ conſtituuntur. 2606, 7. Londinenſes Edwardus I merito odio habuit. 2450, 10. Ingraveſcente annona, quomodo famem a ſuis propulſabant. 2738, 6. Orto inter ipſos & Ricardum II diſſidio, privilegiis exuuntur. 2740, 7. Prætore aliiſque incarceratis, cuſtos urbi præficitur. 2740, 18. Rex eos in gratiam recipit. 2740, 33. Pompa magnifica & muneribus Regem & Reginam honorant. 2740, 37. Bancus Regius & Cancellaria illuc reducuntur. 2741, 9. Reſtituuntur privilegia. 2742, 3. Londinenſis Epiſcopi officium, Epiſcoporum electiones legere. 491, 29. V. 504, 6. 532, 45. 533, 54. 561, 50. 620, 28. 666, 48. 670, 14 & 21. In Eccleſia Cantuarienſi olim fungebatur officio Decani. 1382, 63. 1429, 21. 1566, 5. 1586, 2. Ad dexteram Legati ſedet; Wintonienſis, ad ſiniſtram. 656, 61. 671, 41. 1429, 19. 1654, 25. V. *Roffenſis.* ¶ Londinenſis Archiepiſcopus: *Theonus.* ¶ Epiſcopi: *Mellitus*; *wina*; *Erkenwaldus*, vel *Erkenwadus*; *Ingualdus*, vel *Igwoldus*; *Nothelinus*; *Hathubertus*; *Oſmundus*; *Theodericus*; *Teodredus*; *Dunſtanus*; *Alfhunus*; *Alwoldus*, vel *Ailwardus*; *Robertus*; *Sperafocus*; *willielmus*; *Mauritius*; *Ricardus de Belmeis*; *Gilbertus Univerſalis*; *Anſelmus*; *Robertus de Sigillo*; *Ricardus de Belmeis*; *Gilbertus Foliot*; *Ricardus*; *Willielmus de S. Maria*; *Euſtachius*; *Rogerus*; *Radulfus de Baldock*; *Stephanus*; *Willielmus Courteney*; *Robertus Braybrook.*

Longinus Chriſti latus aperuit. 2321, 34.

Lotharius, F. Clodovei, R. Francorum, Crannium filium rebellantem cum uxore & filiabus comburit. 566, 22.

Lotharius, F. Ludovici IV, R. Francorum. 883, 32.

Lotharius, F. Ludovici Pii, Imp. 449, 61. Epiſcoporum conſenſu, pellicem conjugi ſuperinducit. 450, 58. 683, 3. Ad Papam ſe excuſatum vadit. 451, 6. Moritur. 451, 12.

Lotharius, R. Cantiæ. 441, 31. 741, 28. 757, 7. 1770, 13. 1908, 13. 2232. Charta ejus de terra monaſterio Raculfenſi donata. 2207, 46. Moritur. 741, 44. 1770, 22.

Lotharius Saxo, Imp. eligitur. 251, 52. 1019, 23. 2382, 58. Pontificem Rom. pulſum in ſede collocat. 1019, 26. Coronatur. 1019, 28. 2383, 12. Rogerum R. Siciliæ ex Apulia fugat. 1019, 31. 1343, 12. 2383, 13. Fredericum fugat. 251, 55.

Lothebrocus pater Inguari & Hubbæ. 804, 9. Ab Edmundo Rege Orient. Anglorum amice excipitur. 804, 20. A venatore Regio ei invidente interficitur. 804, 27. Canis ejus cædem prodit. 804, 31. Venator in exſilium actus Dacis affirmat, ipſum Edmundi juſſu interemtum. 804, 43. Hæc invaſionis Danicæ origo. 804, 1.

Lothewardus, vel Lodewardus, Archiepiſc. Eboracenſis. 79, 27. 1698, 61.

Lucana Eccleſia fit metropolitica. 1008, 50.

Lucani ſchola. 1176, 53.

Lucerna in ſepulcro inventa, quæ nec flatu nec liquore exſtingui potuit. 475, 4. 934, 12. Lucernarum uſus in aula Regia intermiſſus reſtituitur. 2375, 1.

Lucius, F. Coyli, R. Britanniæ, Papam rogat ut prædicatores in Britanniam mittat. 1686, 60. Eccleſiam Weſtmonaſterienſem conſtruxit. 725, 12.

Lucius II, P. R. 273, 57. 508, 35. 1033, 42. 2253. 2387, 41. Ejus literæ de Abbatia S. Auguſtini. 1805, 57. 1806, 50. 2117, 18.

Lucius III, P. R. 612, 38. 1142, 35. 1834, 25. 2257. 2398, 6. Ejus literæ de eligendo Archiepiſcopo Cantuarienſi. 619, 15. Epiſcoporum literæ ad eum reſponſoriæ. 619, 50. Monachorum Cantuarienſium ad eum literæ. 620, 55. Saladini ad eum literæ, de commutatione captivorum. 621, 14. Literæ ejus ad Henricum II, de dote Margaritæ; 624, 40. aliæ ad eundem, de negotio terræ S. 1144, 44. Literæ ejus ad Baldewinum Cantuarienſem. 627. 52. Moritur. 629, 26. 1478, 10.

Lucius, vel Lucianus, a ſponſæ amplexibus mire prohibetur. 471, 10. 950, 54 2335, 5.

Ludecanus, R. Merciæ. 778, 38.

Ludovicus Bavarus, Imp. Regem Angliæ magnifice excipit, 2571, 53. eumque Vicarium Imperii conſtituit. 2572, 9. Cum eo fœdus contra Gallum paciſcitur. 2572, 15. Petit ab Anglo licentiam ut concordiam cum Gallo ineat: 2580, 27. qua negata, poteſtatem Anglo conceſſam revocat. 2580, 32.

Ludovicus, Carlomanni frater, R. Francorum. 149, 44.

Ludovicus, Caroli Simplicis F. tranſit in Angliam. 454, 11. Fit Rex Francorum. 454, 15. A Normannis capitur. 455, 16. Dimittitur. 455, 27.

Ludovicus Groſſus, Philippi F. R. Francorum. 506, 28. 1003, 39. Turbas movet Henrico I. 1006, 18. Moritur. 1343, 49.

Ludovicus, Ludovici Groſſi F. R. Franciæ. 1343, 51. Ejus uxor & filiæ. 506, 29.

Ludovicus Pius, Imp. Epiſcopi Aurelianenſis verſibus emollitus eum a vinculis ſolutum in gratiam recipit. 449, 13. Carolo Calvo maximam Regni partem concedit: 565, 24. Unde reliqui filii ei rebellant. 449, 36. 565, 29. Id facinus quomodo expiatum. 565, 31 &c. Ad agendam pœnitentiam monaſterio includitur. 449, 40. Reſtituitur. 449, 42. Filii ejus imperium inter ſe partiuntur. 449, 53.

Ludovicus VII, R. Franciæ, Archiepiſcopum Biturigenſem admittere recuſans, eo quod contra ejus conſenſum electus fuerat, per triennium ſub Papali interdicto manet. 508, 63. Bernardo perſuadente, Archiepiſcopum recipit, & Hieroſolymam proficiſcitur. 275, 57. 509, 8. 1034, 20. 1364, 65. 2387, 60. Literæ Manuelis Imp. CP. tranſitum & annonam ei promittentes. 509, 29. Ejus exercitus multis cladibus conſumitur. 1034, 37. Damaſcum obſidet. 1365, 8. Hieroſolymam venit. 1034, 60. Redit. 278, 34. 525, 11. 1035, 1. Puellæ concubitum ſuadentibus caſte reſpondet. 1035, 6. 2387, 66. A ſacrilegio quam fuerit alienus. 1035. 12. 2388, 6. Jejunium ſextæ feriæ cur noluerit omittere. 1035, 14. 2388, 11. Alienoram repudiat. 526, 8. 1040, 14. 1370, 62. Eam Normanno nupſiſſe ægre fert. 1371, 22. Alienora dixit ſe monacho, non Regi, nupſiſſe. 1040, 20. V. *Alienora.* Regis Hiſpaniæ filiam ducit. 528, 30. In Eccleſiis Normanniæ ſolenni proceſſione recipitur. 531, 43. Regem Angliæ in palatio excipit. 531, 48. Inimicitiæ inter ipſos oriuntur. 531 66. 532, 23. 547, 52. V. *Henricus* II, *R. Angliæ.* Uxor in puerperio moritur. 532, 8. Alam, Theobaldi Comitis filiam, ducit: 532, 12. 1381, 28. quæ Philippum ei parit. 1398, 65. Filiam Ricardo Duci Aquitaniæ in uxorem dat. 547, 60. Thomæ Cantuarienſi ſumtus ſuppeditat; 547, 24. eumque Regi conciliare ſtudet. 550, 61. V. *Thomas* Beckettus. Ad Normanniam vaſtandam ingentem exercitum congregat. 570, 55. 1085, 12. Vernoſium obſidet. 570, 59. 1085, 54. Totam Galliam taxat. 571, 1. Ob metum Regis Angliæ ad ſua ſe recipit. 572, 52. 1087, 30. A Flandrenſibus adjutus Rothomagum obſidet. 578, 40. Anglo adveniente, infecto negotio avolat. 579, 7. Ejus filia nubit Alexio Imperatoris CP. F. 603, 49. 1139, 40. Thomas Cantuarienſis ei in ſomnis apparet. 1139, 56. Thomæ ſepulcrum viſitat & donariis ornat. 604, 42. 1140, 9. 1457, 4. 2255. Thomæ meritis ſanitati reſtituitur Philippus F. 1139, 50. 1140, 45. Philippus F. eo vivente coronatur. 607, 67. 1140, 47. Paralyſi corripitur. 1141, 1. Sigilli poteſtate privatur. 610, 51. Theſauros, gemmas, veſtes pauperibus erogat. 611, 31. Ejus mors. 612, 37. 1457, 56. Epitaphium. 1035, 31. 2388, 26. Literæ ad P. R. de morte Thomæ Cantuarienſis. 1065, 8. Litem inter Anglum ejuſque filium excitavit & fovit. 1082, 10. 1083, 30. 1084, 23.

Ludovicus VIII, Philippi R. Franciæ F. a Baronibus invitatus, 2423, 59. in Angliam cum exercitu venit. 1868, 38. 2423, 64. Ejus literæ ad Alexandrum Abbatem Auguſtinenſem, de jure ſuo ad Regnum Angliæ. 1868, 47. Gualo Cardinalis ei obſiſtit, 1870, 6. eumque excommunicat: 2425, 1. quod & ab Abbate Alexandro, 1870, 25. & a Papa factum. 1870, 33. Barones nonnulli fidelitatem ei jurant. 2424, 1 & 62. Primo manſuete, mox ſuperbe & crudeliter ſe gerit. 2424, 3. Thanetum inſulam, 1870, 35. & alia loca deprædatur. 2424, 11. Angli ab eo recedunt. 2424, 13. Wintoniam capit. 2425, 4. Comitis Mareſchalli de eo ejiciendo oratio. 2426, 54. In prælio Lincolnienſi 2429, 27. capitur. 2427, 39. Juramento dato, ſe nunquam in Angliam reverſurum, dimittitur. 2427, 60. Mille marcæ ei dantur. 2429, 37. Quid ejus nuntiis pater dixerit. 2427, 48.

Ludovicus IX, R. Franciæ, Damiatam capit, & mox ipſe capitur. 2435, 58. Iterum verſus terram S. proficiſcitur. 2460, 53. Ejus preces pro ſe & populo. 2460, 62. Mors. 2460, 60.

Luitprandus, Hiſtoricus. 432, 38. 452, 3.

Luitprandus, vel Luibrandus, R. Longobardorum. 443, 27.

Lukedale. 1879, 6.

Lulingus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 42. 2242.

Luna, cauſa affluxus & refluxus maris. 112, 28. Portentoſa ejus facies a quibuſdam viſa. 1445, 2. Sanguinea apparet. 238, 39. In ea ſignum crucis viſum. 1047, 43 Duæ Lunæ viſæ. 229, 55. 263, 55. 1002, 48. 2377, 30. Quinque. 2417, 20.

Lunverd, Epiſc. Menevenſis. 451, 16.

Lupus S. Edmundi caput cuſtodit. 806, 23. Hibernis ſolenne, lupinam formam induere & exuere. 1077, 65. Exlex lupinum caput habet. 2356, 16.

Lupus, piſcis, a niſo captus. 666, 22.

Lupus, R. Valentiæ. 580, 33. 602, 59.

Luſus ſervis prohibiti. 2737, 53. Luſus alearum crucigeris interdicitur. 1522, 32. Luſus pro pecunia quibus & quatenus permittatur. 1182, 47.

Luxuria Anglos quando primum corruperit. 2369, 27. Quanta fuerit, regnante Ricardo II. 2729, 33. Luxuria monachorum nigrorum. 1279, 12. Luxus omnis in victu & veſtitu crucigeris interdictus. 1522, 34.

Luye, fluvius, in tria brachia dividitur. 813, 12.

M.

MAcbeotha, R. Scotorum. 187, 14.

Macemut, R. Saracenorum, equo decidens moritur. 624, 12.

Machethad, R. Scotorum. 178, 65.

Magdalena. V. *Maria*.

Magica arte compoſitum caput tria verba profert. 2706, 1.

Magiſtratus quomodo conſtituendi. 2729, 61.

Magna charta confirmatur. 2523, 14. Excommunicantur ejus violatores. 2525, 11.

Magnanimitatis exempla. 911.

Magni martyris cœmeterium in Saxonia quidam choreis & cantilenis profanantes, diris acti per annum integrum cantant & ſaltant. 465, 14. 891, 29.

Magnus, R. Norreganorum, Orcadas & Menavias inſulas ſubigit. 223, 45.

Magnus, S. Olavi F R. Norreganorum. 182, 39. Danemarchiam ſubjugat, 182, 52. & Danubiam. 182, 66. Obit. 183, 2.

Magorum trium corpora de Perſide Conſtantinopolim, inde Mediolanum, inde Coloniam tranſlata. 1049, 26. 2394, 45. Eorum nomina, & loca ubi ſinguli regnarint. 1215, 20.

Magſuem, Epiſc. Glaſguenſis. 1700, 41.

Maguntinus. V. *Moguntinus*.

Mahomet, pſeudopropheta. 438, 49.

Maidſtonæ Hoſpitale quantum valeat. 2169, 1.

Mailroſſenſe monaſterium ſub ditione Regis Scotorum. 45, 29. ¶ Abbates: *Eata*; *Boiſilus*; *Cuthbertus*; *Ethelwoldus*.

Majores domus in Francia Regnum adminiſtrant, dum Reges domi degeneres deſident. 439, 17. Eorum catalogus. 443, 43.

Majorica. 1178, 44.

Malachias, Archiepiſcopus Hiberniæ. 276, 62.

Malcolmus II, R. Scotiæ, obit. 178, 64.

Malcolmus III, Regis Cumbrorum F. Macbeotha victo, per Anglum conſtituitur Rex Scotiæ. 187, 43. 2333, 4. Vocatur Malcholſus. 482, 27. Ad Anglum ducitur. 190, 10, Magnanimitatis ejus & clementiæ rarum ſpecimen. 367, 14. 2365, 35. Aquilonares Angliæ partes cædibus & incendiis replet. 200, 28. 216, 37. 966, 44. 977, 37. 987, 1. 2344, 61. Quinquies Northumbriam vaſtavit. 218, 43. 990, 5. Ab invaſione Eccleſiæ Haguſtaldenſis mire coercetur. 103, 19. Edgarum Adeling cum aliis profugis recipit. 200, 53. Edgari ſororem ducit. 201, 36. 367, 11. 482, 27. 966, 63. Eorum liberi. 201, 42. 367, 62. 967, 1. 2344, 28. Homagium Willielmo I facit. 972, 33. 2347, 55. 2350, 17. Quibus conditionibus pax inter ipſum & Willielmum II facta. 216, 56. 490, 30. 987, 1. Willielmus eum ad ſe venientem videre renuit. 218, 21. 989, 43. Una cum Edwardo F. occiditur. 218, 36. 989, 61. 2365, 25. Erat comes Huntingdoniæ. 975, 20.

Malcolmus IV, R. Scotorum, Henrico II homagium facit. 536, 8. Obit. 1059, 27.

Maleficæ. V. *Incantatrices*.

Malgerius, Epiſc. Wigornenſis. 706, 51. Angliam ſub interdicto ponens Anglia exigitur. 2415, 50.

Malgo, R. Britonum. 1154, 33.

Mallingenſe monaſterium quantum valeat. 2167, 33.

Malmeſburienſis. V. *Willielmus*. ¶ Malmeſburienſes, ſeu Hludenſes, Abbates: *Ethelberdus*; *Gregorius*; *Robertus*.

Malverniæ monaſterium. 953, 65.

Mamfridus Regnum Siciliæ invadit. 2435, 45. 2443, 19. Occiditur. 2435, 47. 2443, 25.

Mammeceſter, vel

Manceſtria, inſtauratur. 153, 55. 835, 22.

¶ Mandevillæ Comites: *Willielmus*; *Galfridus*.

Manes, manerium. 1162, 51.

Manni. V. *Wolmarus*.

Manuel, Imp. CP. V. *Ludovicus* VII. Ejus literæ ad Henricum II. 596, 40. Sultanus Iconii Dominus ejus exercitum in præcipitia agit: 596, 45. 1117, 31. Imp. tamen victoria potitur. 1117, 38. Chriſtianos Hieroſolymam tendentes prodidit. 1034, 36. 2387, 62.

Marchadeus Epiſcopum Belvacenſem prælio victum capit. 697, 5.

¶ Marchiæ Comes: *Rogerus Mortimerus*.

Marcia, uxor Guithelini, Regina Britonum. 956, 14.

Mare exundat. 171, 42. V. *Inundatio*. S. Cuthberti corpus portantibus tranſitum ſiccum præbet. 39, 22. Fluxus & refluxus ejus unde. 112, 28. Imperio Regum haud obtemperat. V. *Canutus*. Maris Græci inſulæ: 1217, 29. Adriatici portus: 1220, 17. mediterranei inſulæ & portus. 1174, 16. 1178, 37.

Margareta, ſoror Edgari, Regina Scotorum. 201, 36. 965, 33. Ejus genealogia. 349, 30. 350, 56. Poſteri. 2344, 28. mors. 219, 10. 990, 16. 2365, 28.

Margareta, vidua Henrici junioris, nubit Regi Hungariæ. 631, 2. 1480, 58. V. *Henricus* II, *R. Angliæ*.

S. Mariæ, Dunelmi, Priores. V. *Dunelmum*.

S. Mariæ monaſterium Eboraci. V. *Eboracum*.

S. Mariæ monaſterium in Scepeia inſula fundatur. 1908, 10. Auguſtinenſes quaſdam decimas ei concedunt. 1839, 9 & 45. ¶ Abbatiſſa: *Agnes*.

S. Mariæ monaſterium in Thaneto. V. *Menſtre*.

B. Mariæ tunica. 151, 46. Ejus ſepulcrum a Paganis deſtruitur. 643, 4. Ejus capillos Auguſtino miſit Gregorius M. 1763, 42. Ejus imago a D. Luca depicta, 727, 52.

727, 52. Romanos a peſte inguinaria liberat. 727, 57. Ejus ſtatua a Paganis contemta famem, honorata abundantiam efficit. 1178, 8. Braibancehi pœnas luunt ob contumeliam ipſi ipſiuſque imagini factam. 1499, 38. Ejus ſtatua, Filii ſtatua percuſſa & vulnerata, ſuis manibus veſtimenta lapidea ſcindit. 1499, 52. Oratorium ſuum Cantuariæ quam amarit: 1785, 5. Ejus ruinam ulciſcitur. 1785, 25. 2248. Clericos, *Ave maris ſtella*, cantantes a fulgure tuetur. 2368, 47. 2494, 58. Apparet Dunſtano; 1780, 11. 1785, 14. Hugoni Cluniacenſi; 2378, 5. fabro lignario, quem jubet ut pacem prædicet: unde Caputiorum origo: 1461, 28. Chriſtianis Ptolemaidem obſidentibus. 1205, 12.
Maria, filia Regis Stephani, Abbatiſſa Rumeſienſis, nubit Comiti Boloniæ. 532, 6.
Maria Magdalena presbytero apparet. 988, 61. Ejus corpus ubi condatur. 443, 30. 1173, 48. 1178, 50.
Marianus Scotus. 432, 48. 481, 38. Fit monachus. 943, 46. 2247. Apud Fuldam primo includitur, 966, 41. 2247. poſt Moguntiæ. 2249. 2348, 10. Cyclum Dionyſii corrigit. 970, 10. 2348, 12. Robertus Herefordenſis ejus Chronica contraxit. 970, 16. 2348, 15.
Maria, ſoror Th. Becketi, fit Abbatiſſa Berkingenſis. 570, 8. 1424, 11.
Marinus, vel Martinus II, P. R. 130, 49. 148, 10. 150, 2. 451. 59. 2241.
Marmeducus de Twange ſtrenue contra Scotos pugnat. 2518, 26.
Marſiliæ quorum Sanctorum reliquiæ ſint aſſervatæ. 1178, 48.
S. Martinus Fulconi Bono apparet. 456, 19.
Martinus I, P. R. 439, 1. 2231.
Martinus II, P. R. V. *Marinus.*
Martinus III, P. R. 2243. Vocatur Marinus. 454, 48.
Martinus IV, P. R. 1938, 16. 2273.
Martinus V, P. R. 2291.
Martis dies Thomæ Cantuarienſi ominoſus. 556, 14.
Martyr nullus in Hibernia. 1078, 35.
Matildis, Conquæſtoris uxor. 157, 54. 482, 24. Coronatur. 963, 6. Obit. 487, 46. 977, 61.
Matildis, Henrici I uxor. 368, 15. 998, 7. 2375, 14. Olim inter ſanctimoniales vixerat. 2381, 20. Cantores impenſe fovit. 2381, 36. Pauperum leproſorum pedes humiliter lavat & oſculatur. 368, 30. 2381, 33. Moritur. 1006, 67. 2381, 19.
Matildis, Henrici II filia, nubit Henrico Duci Saxoniæ. 539, 40. 547, 38. 1403, 13. Ejus filii. 1059, 63. Mors. 645, 56.
Matildis, Imperatrix. 236, 14. 368, 48. 1005, 19. V. *Henricus* V, *Imp.* Ei fidelitatem jurant optimates Angliæ, 254, 58. 504, 39. 1016, 18. 2382, 63. & David Rex Scotiæ. 2384, 41. Comiti Andegavenſium copulatur. 255, 26. 504, 41. 2382, 55. Repudiatur. 256, 19, 1018, 42. 2383, 29. Redditur. 1019, 54. Filium Henricum parit. 258, 34. 505. 13. Caſtella obtinet in Normannia. 505, 58. In Angliam venit. 266, 24. 1029, 62. 1349, 15. 2386, 1. Stephanum Regem bello victum in cuſtodiam conjicit. 269, 45. 508, 16. 1031, 30. 1354, 33. 2386, 56. Major Regni pars ſe ei dedit. 269, 60. 1030, 6. 1354, 41. 2386, 60. Regina aliique eam interpellant pro libertate Stephani, ſed fruſtra. 1355, 22. 2386, 66. Superbia & truculentia ſuorum odia conciliat. 270, 17. 1031, 38 &c. A Londino fugam corripit. 1355, 41. Turrim Wintonienſem obſidet. 270, 39. 508, 22. 1031, 63. 2387, 10. Ejus copiæ diſſipantur. 270, 40, &c. 1032, 3. 1356, 17. Stephanus eam obſidet Oxonii. 508, 29. 1357, 64. Albis induta per nives, noctu fugit. 274, 31. 1032, 30. 1358, 19. 2387, 28. Moleſtiarum pertæſa, in Normanniam redit. 1363, 1. Eam a patre fuiſſe exhæredatam, jurat Hugo Bigod. 505, 49. Dicitur fuiſſe Regi Hieroſolymorum copulata. 2384, 48. Moritur. 503, 1. 1059. 59.
Matildis, pia matrona artis polymitariæ perita. 409, 24.
Matildis, R. Stephani uxor, moritur. 280, 15. 527, 10. 1372, 29. Quæ fuerit ei mater. 368, 50.
Matres debent lactare liberos. 472, 16. Maternæ crudelitatis exemplum. 563, 43.
Matrimonii dignitas; 682, 16. 1113, 22. 1436, 13. incommoda. 749, 8. Ejus jura olim negligebant Hiberni. 279, 55. 1071, 47. 1075, 56. Fœmina ad nuptias non cogenda. 930, 45. Quomodo contrahendum. 861, 43. Presbyter debet intereſſe. 862, 13. Clandeſtina matrimonia prohibentur. 1431, 61. Cum quibus non contrahendum. 919, 59. Conſanguineis prohibitum. 249, 11. 254, 25. Pueris puellæ non conjungendæ. 1431, 66. De nuptiarum ſucceſſu præſagia. 609, 39. 610, 35. V. *Conjugium.*
S. Matthæi corpus invenitur. 2382, 67.
Matthæus de Clera. 671, 19.
Matthæus, Comes Bolonienſis, Henrico II moleſtus. 1402, 34. Henrico Juniori homagium facit, & honores ab eo accipit. 1084, 49. 1424, 46. Divino judicio, lethaliter vulneratur. 571, 35. 1426, 15.
S. Mauritii vexillum Adelſtano miſſum. 2321, 37.
Mauritio cuidam miles, in ſomnis apparens, deſtructionem Angliæ prædicit. 2417, 50.
Mauritius, Abbas Rievallenſis. 274, 52.
Mauritius, Comes Andegavenſis. 461, 35.
Mauritius, Epiſc. Bangorenſis. 1665, 40.
Mauritius, Epiſc. Londinenſis. 59, 12. 213, 15. 225, 65. 487, 50. 491, 29. 979, 5. Eccleſiam D. Pauli inchoat. 979, 53.
Mauritius, Imp. Reipublicæ miniſtros ab eccleſiaſticis officiis & vita monaſtica arcet: 433, 33. De qua conſtitutione cum ipſo expoſtulat Gregorius M. 433, 38. Notarius olim fuerat. 433, 41. Chriſtus ei optionem dat utrum hic an in futuro ſeculo puniri vellet. 434, 23. A Phoca cum uxore & filiis interficitur. 434, 34.
Maynardus mortem aliis injuſte machinatus, collum frangit. 913, 39.
Medeſhamſtude, vel
Medeſhaſtide. V. *Burgh.*
Mediolanum de ſue lanigero nomen & omen habet. 591, 32. Ibi res miranda accidit. 238, 30. 1006, 48. Vaſtatur a Frederico Imp. 590, 51. 1383, 26. Inſtauratur. 1403, 18. Cives glorioſum triumphum de Frederico reportant. 591, 10.
Melchiſedech fuiſſe Sem Judæi dicunt. 351, 25.
Melda, manifeſtatio. 848, 29.
Mellitus, Epiſ. Londinenſis. 385, 13. 437, 8. 735, 24. 743, 41. Ejicitur. 437, 42. 738, 65. 1633, 33. Galliam adit. 739, 7. Statim revocatur. 437, 46. 739, 39. Londinenſes nolunt eum recipere. 739, 40. 744, 19. 1633, 40. S. Petri Eccleſiam Weſtmonaſterii ſtruxit. 456, 52. V. *D. Petrus.* Fit Archiep. Cantuarienſis. 100, 24. 437, 53. 739, 47. 1633, 61. 2229. Precibus flammas reſtinguit. 739, 53. Podagra laborabat. 1633, 65. Ejus mors. 739, 56. 1768, 51.
Membro membrum quid præſtet. 827, 7.
Mendacium publicum qui fingit, lingua privandus. 825, 12. Mendaces juſte puniti. 176. 3. 365, 61.
Mendicandi nullum præceptum. 2658, 11. Qui laborare valent, mendicare non debent. 2658, 41. 2659, 47. Statutum de Mendicis. 2732, 1. Fratrum Mendicantium diverſi ordines. 2438, 64. Quid de iſtis ſenſerit Wiclifus, 2651, 24. quid ejus ſocii. 2658, 11 & 37. 2660, 46. 2661, 15.
Menevenſes, ſeu de S. David, Epiſcopi. V. *Gelardus.* ¶ *Lunverd*; *Tremerin*; *Elnodus*; *Bleduc*; *Wilſridus*; *Bernardus*; *David*; *Petrus*; *Gauſridus.*
Menevia. V. *Angleſey.*
¶ Menroſſenſis Abbas: *Simon Walthef.*
Menſtre. 1783, 43. 1799, 42. 1828, 16. 1836, 59. 1883, 48. 1889, 16. 1933, 14. 1962, 30. 2127, 2128. Compoſitio inter Vicarium de Menſtre & Vicarium S. Laurentii. 1922, 38. Decanatus de Menſtre quot Eccleſias contineat. 1976, 35. Appropriatio Eccleſiæ. 2115, 55. Charta de mercatu ibi habendo, 2130, 66. V. *Thanetus.* S. Mariæ monaſterium ibi fundatum. 1770, 33. 1907, 16. Ejus benefactores. 1770, 51. 1771, 4 & 26 & 54. A Danis vaſtatur. 1780, 24. ¶ Abbatiſſæ: *Eormenburga*, vel *Eabba*; *Mildritha*; *Edburga*; *Sigeburtha*; *Seledritha*; *Leoſrima*, vel *Leoſruna.*
Menſurarum cuſtodes, olim Epiſcopi. 845, 46. Wintonienſis menſura, canon reliquarum. 872, 40. Leges de menſuris aridorum & liquidorum. 1258, 18. Menſura terrarum. 2391, 33. de Mercatoribus lex. 825, 22.
Merchenelaga, ſeu
Mercia lex. V. *Legem.*
Mercii unde dicti. 956, 15. Convertuntur. 771, 23. 1908, 22. Quinam comitatus fuerint in Mercia. 801, 14. Mercia in quinque diœceſes diviſa. 441, 14. 801, 20. Mercii a Dacis ſubiguntur. 810, 38. De eorum Regno & Regibus. 771, 7. ¶ Merciorum Reges: *Cridda*; *Wibba*; *Ceorlus*; *Penda*; *Oſwius*; *Wolſerus*; *Merewaldus*; *Adelredus*; *Kenredus*; *Cheolredus*, vel *Kelredus*; *Ethelbaldus*; *Beornredus*; *Offa*; *Egſridus*; *Kenulfus*; *Kenelmus*; *Quendreda*; *Ceolwolſus*; *Bernulfus*; *Ludecanus*; *Mileſridus*; *Wilaſus*; *Bertulſus*; *Burthredus*, vel *Buredus*, vel *Bernredus*; *Elfredus*; *Colwolſus*, vel *Ceolwolſus*; *Alſricus.* ¶ Merciorum Duces, ſeu Comites: *Ethelredus*; *Egelfleda*; *Elferus*; *Alfricus*; *Edricus Streone*;

Leofwinus; *Leofricus*; *Algarus*; *Edwinus*. ¶ Merciorum Epiſcopi. V. *Lichfeldenſes*, & *Lincolnienſes*.
Meretrices quomodo puniendæ. 831, 12. 922, 65.
Merewaldi, vel Mearwaldi, R. Merciorum, uxor; 89, 40. Liberi. 440, 20.
Merlinus. V. *Prophetia*.
Meroveus, R. Franciæ. 1017, 4.
Merovingorum familia in Francia extinguitur. 442, 51.
Merton. 1776, 54.
¶ Mertonienſis Prior: *Robertus*. Temporalia & ſpiritualia hujus cœnobii quantum valeant. 2167, 11.
Merwinna, Abbatiſſa Rumeſienſis. 158, 50.
Meſſethegnes, presbyteri. 845, 65.
Meteora ignea. 104, 29. 106, 23. 112, 10. V. *Ignis*.
Michael archangelus Wilfridi mortem prædicit. 1742, 1.
Michael, Epiſc. Glaſguenſis. 1713, 20.
Michael Pecham, Abbas S. Auguſtini, ab Epiſcopo Wintonienſi benedicitur. 2151, 40. 2286. Gregorii XI. ad eum literæ. 2151, 14. Ejus literæ ad Urbanum VI, P. R. 2156, 10. Archiepiſcopus colligendi tributi officium ei imponit: 2158, 5. Sed Archiepiſcopo parere dedignatus, petit ut per mandatum regium collector conſtituatur. 2159, 11. Ejus literæ ad Decanos de iſtoc negotio, 2160, 5. & Decanorum ad ipſum. 2160, 39. Modus & ratio collectionis. 2160, 2180. Exoneratur officio quodam quod Rex ei demandarat. 2180, 55. Gallos Angliam invadentes repellit. 2181, 61.
Michael de Pole, Regni Cancellarius. 2672, 62. Fit Comes Suffolciæ. 2675, 60. Hoſtium naves captas, accepta pecunia, dimittit. 2678, 46. Senatu poſtulante, 2680, 62. Cancellariatu movetur. 2683, 43. Senatus eum carcere & gravi mulcta punit. 2683, 47. Rex eum libertati reddit. 2683, 55. Crimina ei objecta. 2684, 1. Suadet Regi ut contra parliamenti ſtatutum & juramentum ſuum agat. 2693. 48. Ab aula fugit, & Caleti ſub vili habitu latet. 2702, 1. Captus, in Angliam reducitur. 2702, 10. Senatus judicio proſcribitur. 2706, 36. Proditionis in regem & Remp. accuſatur. 2714—2726.
¶ Middeltonienſes Abbates: *Cymewardus*; *Agelricus*.
Middleton. 1788, 38. 1828, 59. 1836, 62. 1839, 15. 1844, 37. 1845, 45. 1860, 17. 1883, 49. 2072, &c. 2129, 27. Appropriatio Eccleſiæ. 2091. Ordinatio Vicariæ. 2093, 46.
Mid thrina, cum ter. 897, 21.
Milburga. 741, 18.
Mildenhale. 1162, 54.
Mildreda, vel
Mildritha. 90, 17. 741, 18. Ad monaſterium Kalunenſe mittitur. 1907, 20. Ibi in ardentem clibanum conjecta, poſt tres horas illæſa exit. 1907, 30. Abbatiſſa eam terræ allidit, crines avellit, &c. 1907, 36. Domum revocatur. 1907, 42. Angelus in columbæ ſpecie dormientis capiti adſtat. 90, 40. Erat Abbatiſſa S. Mariæ in Thaneto inſula. 50, 32. 1770, 54. 1907, 51. Ejus genealogia; 1906, 2. Sepultura; 1907, 64. Epitaphia. 1912, 9. Ejus corpus Auguſtinianis datur. 1783, 43. 1905, 66. Transfertur: 1910, 39. 2246. Iterum; 1783. 60. Tertio; 1784, 67. Quarto. 1911, 2. 2272. V. *Elſtanus*. Mauro cuidam apparet. 1911, 10. Edwardo I in ſomnis apparens, eum a ſacrilego incepto abſterret. 1962, &c. 2274.
Milefridus, R Merciorum. 7054, 25. 778, 39. V. *Ethelbertus*, *R. Orient. Anglorum*.
Mileſii Regis filii in Hiberniam appellunt. 1074, 8.
Miles mire converſus. 736, 24. Militibus immunitates conceduntur. 311, 53. 1022, 37.
Milo, Stephani R. Conſtabularius, conſilio & auxilio Imperatricem adjuvat. 1349, 46. 1355, 49. Fit Comes Herefordiæ. 1355, 57. De vita periclitatur. 1356, 46. Inter venandum ſagitta transfixus moritur. 273, 50. 1359, 13.
Milvus carnes raptas ſponte reſtituit. 1783, 7.
Minerva quomodo electa Athenarum tutelaris Dea. 815, 27.
Miniſtri verbi, ab omnibus audiendi. 733, 13.
Minorum fratrum ordo. V. *Franciſcani*.
Miracula. 471, 1. 475, 38 & 42. 610, 13. & paſſim. Miracula ſcire & tegere, ſacrilegum. 415, 1. Miraculorum dono ne elevetur animus, cavendum. 732, 1. Sanctorum miracula in dubium vocata. 1297, 11.
Mire heved. 888, 4.
Miſericordiæ exceſſus melior quam duritiæ. 461, 2. In judiciis, exercenda. 922, 4.
Miſſam an Chriſtus ordinarit. 2650, 24. 2660, 63. Quantum eam horreat diabolus. 1045, 43. 2393, 10. Non niſi a caſtis celebranda. 34, 66. Eſt minoris momenti quam prædicatio verbi. 2661, 1. Fœmina Miſſam celebrat. 2738, 59. Miſſæ celebratæ pro iis qui male vixerint, inanes. 2658, 5. Quot Miſſas Regi conceſſerit Abbas S. Auguſtini. 1958, 47. Canon Miſſæ tribus verbis a Gregorio M. augetur. 436, 28. Quædam inſuper a Gregorio III adduntur. 443, 23.
Mithridates, R. Ponti. 564, 3.
Mitra, annulus, chirothecæ, emancipationis ſigna. 602, 56.
Modredus, nepos Arthuri, R. Britonum. 1153, 38.
Moguntinus pons. V. *Pons*.
Monachi quibus operibus ſe olim exercuerint. 93. 15 & 31. Quod pluribus eorum viſum eſt, id ab omnibus obſervandum. 1448, 50. Iis peculium habere non licet, 1450, 50. nec ſeorſum extra fratrum conſortium vivere. 1450, 42. Sancitur ut libere & quiete res ſuas poſſideant & diſponant. 1639, 7. Quicunque ex monacho clericus fit, a priore propoſito deviare prohibetur. 328, 30. 1348, 30. Canon de monaſtica diſciplina obſervanda. 2211, 63. Quid de ea ſenſerint Wiclivitæ. 2651, 13. 2658, 2659. Monachi religionem ſuam Chriſti religione perfectiorem aſſerunt. 2659, 43. Contrarium docent Wiclivitæ. 2661, 9 & 22. Monachis non comeſſandum. 886, 1. Monachi luxurioſe viventes ab angelis percutiuntur. 445, 53. Monachi S. Trinitatis, luxu dediti. 1781, 29. 2362, 60. Monachi homicidæ degradantur. 1000, 65. De monachi cujuſdam anima mira hiſtoria. 857, 21. Monachi Dunelmenſes Regem offendunt, eligendo Epiſcopum, ipſo inconſulto. 681, 35. V. *Dunelmum*. Monachi clericis præferuntur: 1255, 56. 2407, 52. Clerici monachis; 2661, 24. quod abſurdum. 1639, 60. Clericis expulſis, monachi in monaſteriis collocantur: 158, 28 & 61. 458, 26. 460, 64. 701, 8. 864, 38. 867, 63. 1255, 62. 1780, 59. Monachis exactis, clerici cum uxoribus introducuntur: 160, 25. 870, 16. 1643, 31 & 47. 2363, 16. Quod nefas imago Crucifixi voce humana loquens Wintoniæ prohibet. 870, 21. 1647, 23. Papali decreto idem prohibetur. 2363, 24. Quantum inter monachos & clericos odium. 1594, 12. Quam parum dilectionis inter monachos diverſi ordinis. 2598, 36. Henrici II de iis querela. 1595, 23. Rex & Epiſcopi eorum privilegia imminuere ſtudent. 1556, 49. 1557, 34. 1595, 1596. 1662, 35. 1676, 40. Ex ordine monaſtico olim eligebantur Archiepiſcopi Cantuarienſes. 247, 30. 1662, 36. V. *Cantuarienſem*. Dæmon monachi habitu indutus quomodo ſe geſſerit. 1344, 63.
Monaculus, R. Limerici. 1128, 38.
Monaſterium ingredi quibus non liceat. V. *Conjugium*. Pueri in monaſteria non recipiendi. 1815, 55. Per cc annos, dum Danica ſcilicet tyrannis hic duravit, monaſteria ubique vel deſtructa vel deſerta. 206, 33. 1643, 50. 1645, 53. 1650, 55. Monaſterium ingreſſurus Bernardus quæ dicere conſueverit. 1042, 44. 2389, 39. Monaſteriorum in Cantuarienſi diœceſi & Roffenſi catalogus. 2149. ¶ Monaſteria, quorum in his libris mentio: *Abingdonenſe*; *S. Albani*; *Angleſeienſe*; *S. Auguſtini*, Cantuariæ; de *Badricheſworth*, vel *S. Edmundi*; *Bangorenſe*; *S. Bartholomæi de Smithfelde*; *Bathonienſe*; *ad Bellum*, vel *de Bello*; *S. Benedicti* in Norfolcia; *Berkingenſe*; *Bermundſeienſe*; *Beverlacenſe*; *Bilſintonenſe*; *Boxleienſe*; *Brincaburgenſe*; *Brugenſe*; *de Burch*, *Burgh*, vel *de Burgo*; *Caldenſe*; *S. Carileſi*; *Cerneienſe*; *Ceſtrenſe*; *Chertoſæ*; *Chertſeienſe*; *Cirkamenſe*; *Clerkenwellenſe*; *Coldinghamenſe*, vel *Coludimberienſe*; *Coventrenſe*; *Cowmbwellenſe*, vel *Cumbwellenſe*; *Crecæ*; *Crowlandenſe*; *Croxtonenſe*; *Cumbermerenſe*; *Dewlencroſſenſe*; *Doroberniæ*; *Doveræ*; *Drulegenſe*; *Dunelmenſe*; *S. Ebbæ*; *Eboraci*; *S. Edmundi*; *Egeneſhamenſe*; *Elienſe*; *Engueſhamenſe*; *Ethelingheienſe*; *Eveſhamenſe*; *Feverſhamenſe*; *Folcſtonenſe*; *Fontanenſe*, vel *de Fontibus*; *Fordenſe*; *de Gynes*; *Girvenſe*; *Giſeburnenſe*; *Glaſtonienſe*; *Glaceſtrenſe*; *S. Gregorii*, Cantuariæ; *Haguſtaldenſe*; *Hidenſe*; *Hludenſe*; *Holmenſe*; *Hortonenſe*; *Hurlenſe*; *de Kyrkby Beller*; *Langdonenſe*; *Lantonienſe*; *de Ledes*; *de Leoſ*, vel *Leonenſe*; *de Leſnes*; *de Lewes*; *de Leſtingaham*; *de Liminges*; *Lindisfarnenſe*; *Mailroſſenſe*; *Mallingenſe*; *Malmeſburienſe*; *S. Mariæ*; *S. Martini*; *de Medeſhamſted*; *Menroſſenſe*; *Mertonenſe*, *de Menſtre*; *Middletonienſe*; *de Morthpath*; *Nortonenſe*; *Noſtlienſe*, vel *de S. Botulfo*, vel *S. Oſwaldi*; *Novum*; *S. Oſithæ de Chic*; *de Parco*; *Perſcorenſe*; *Pontis Roberti*; *Raculfenſe*; *S. Radegundis*; *Rameſienſe*; *Regalis vallis*; *Rievallenſe*; *Ripenſe*, vel *de fontibus juxta Ripum*, vel *Fountney*; *Rumeſienſe*; *Sagienſe*; *Salopienſe*; *Sellebienſe*; *S. Sepulchri*, Cantuariæ; *S. Sex-*

S. Sexburgæ, in Scapeia; *Shafteſburienſe*; *Spaldingenſe*; *Strencſhaldenſe*; *S. Swithuni*, Wintoniæ; *Taviſtokienſe*; *Theokesburienſe*; *S. Trinitatis*, Cantuariæ; *S. Vincentii*; *Wardunenſe*; *Warwellenſe*; *de Wellaw*; *Weſtmonaſterium*; *Weſtwoodenſe*; *Winburnenſe*; *Wincelcombenſe*; *Wiramuthenſe*; *Witebienſe*.
Monetariæ leges. 843,26. 898,899. Moneta una eſto per totum Regnum. 843,25. 872,32. 1258,37. Falſam vel facere vel expendere, prohibitum. 249,37. Falſariis manus amputandæ. 898,45. 923,30. Amputatis dexteris, evitandi. 254,37. Oculis & teſticulis privandi. 231,6. 504,21. 1000,49. 2377,59. Monetæ corruptores puniuntur. 1457,23. 2678,59. Ob monetam retonſam multi ſupplicio affecti. 2463,63. Monetarii quot in quibus urbibus eſſe debeant. 843,31. 899,8. Moneta nova. 531,37. Rotunda. 611,41. Denarii & oboli rotundi cuduntur. 2377,60. 2463. 6 & 62. *Pollardi, Crocardi, Roſarii.* 2493,65. *Nobile.* 2584,26. 2678,60.
Mongeham parva. 1775,20. 1779,55.
Monia, inſula. 883,2.
Mons fidei adminiculo levatur. V. *Sutor*.
Monſtroſa mulier, duo capita & quatuor brachia, &c. habens. 136,60. 864,30. 973,28. Monſtroſus porcus; 1004,1. pullus. 1004,2.
Montgomeriæ caſtrum a Wallenſibus deſtruitur. 991,57.
Montis Myrteti monaſterium. Ejus ſitus & ſtatus. 2189,4. Eccleſiæ Littleburnenſis ei conceditur. 2107,15. 2190,21. Conventio inter Abbatem ejuſdem & Abbatem S. Auguſtini. 2192,31.
Montis-ſorelli caſtrum. 577,60.
Morbum regium quis primus e Regibus Angliæ curarit. 950,9. Morbus, homines latrare faciens. 2580,45. Alius, homines paſſim ad inſaniam adigens, adeo ut in ſylvis ferarum more ſe abdant. 2609,40.
¶ Moritonii, Moritunenſes, ſeu de Moretoil, Comites: *Robertus*; *Rogerus*; *Willielmus*; *Johannes*, poſtea Rex Angliæ.
Morkarus, vel Marcherus, vel Malcherus, Algari F. Comes Northumbriæ una cum Oſulfo & Copſio. 37,58. 193,17. 203,16. 204,46. 948,37. 2337,37. Ab Haroldo Harfag ſuperatur. 2399,48. A bello Haſtingenſi ſe ſubtrahit, 480,41. 961,2. 2343,8. Willielmo Conquæſtori rebellat. 969,33. 2347,32. Captus occiditur. 969,49.
¶ Morthpathenſis Abbas: *Robertus*.
Mortmain. V. *Statutum*.
Mortuus ſuſcitatus mortuo peccata condonat. 737,23. Ad priſtinam vitam reverti recuſat. 737,32. V. *Oratio*.
Moyſes, Prior Coventrenſis. 1464,33.
Mulctæ pecuniariæ. 819,57.
Mulieres. V. *Fœminæ*.
Multitudo exercitus ſæpe impedimento eſt. 1026,51.
Mulus. V. *Wolf*.
Mundbreche, quid. 923,59. 957,20
Munerum largitor, orator facundiſſimus. 2376,57. De munerum acceptoribus dictum Edmundi Cantuarienſis. 2434,48.
Mures hominem quendam potentem devorant. 978,10. 2351,61.
Muſcarum prælium. 2736,4.
Muſte, F. Noridini. 1204,40. Saladinus Chriſtianorum opem adverſus ipſum implorat. 1206,29. Promittit ſe ſuoſque Chriſtianiſmum amplexuros, modo ipſi contra Saladinum Chriſtiani opitulentur. 1206,44.
Mutus ſi peccat, mulctandus pater. 823,47.
Miskenning, quid. 957,23.

N.

NAbugodonoſoris corpus effoſum minutatim diſcerpitur. 563,28.
Nathanael, Abbas S. Auguſtini. 1769,16. 2232.
Natingdon. 2071,62.
Naufragos quantopere curarit Henricus II. 1152,14. Lex de eorum bonis. 1187,58. Qui eos ſpoliant, excommunicandi. 1453,24.
Nauton, R. Pictorum. 773,56.
Necromantes. V. *Palumbus*, & *Dæmon*, & *Magica*.
Negatio ſemper firmior quam affirmatio. 901,16.
S. Neotus. 814,12. 818,27.
Nero, immanis parricida, ex poſteris Auguſti ultimus. 564,66.
Newark caſtrum a quo fundatum. 1027,43.
Newburgenſis Eccleſia fundata. 1028,59.
Newington. 1788,52. 1927,14. 2017,41. 2129,4. De variis ejus poſſeſſoribus hiſtoria. 1931,14. Advocatio Eccleſiæ ad quem pertineat. 1930,21.
Nicæa capitur a Chriſtianis. 473,13.
Nicolaus, Abbas Walchamenſis, unus e XIV Regni Præfectis. 2685,62. 2687,37.
Nicolaus, Abbas Witebienſis. 205,30.
Nicolaus Brembre, vel Brembylle, vel Brembulle, unus e ſeductoribus Ricardi II. 2694,5. Ab aula pellitur. 2705,3. Capita accuſationis. 2714—2726. Quam charus Regi fuerat: 2726,56. Quam crudelis. 2726,59. Obtruncatur. 2727,1.
Nicolaus, Epiſcopus Clamorgacenſis. 1367,11.
Nicolaus, Epiſc. Landavenſis: 1665,44. Idem fortaſſis cum Clamorgacenſi.
Nicolaus, Epiſc. Sariſburienſis. 2492,9.
Nicolaus Herford de ſacramento Altaris quid ſenſerit. 2655,56. Romam profectus, 2657,3. a Papa pro hæretico habitus incarceratur. 2657,21. A Romanis liberatus, domum redit. 2657.57. Archiep. Cantuarienſis eum in carcerem trudit. 2657.59. Ejus opiniones. 2657,62.
Nicolaus I, P.R. 450,54. 2239.
Nicolaus II, P.R. 477,48. 1701,45. Concilium Vercellenſe celebrat. 2335,66. Privilegium ab eo Eccleſiæ Weſtmonaſterienſi indultum. 387,46 &c.
Nicolaus III, P.R. 1727,13. 2271. 2461,59. 2465,27.
Nicolaus IV, P.R. 2273.
Nicolaus V, Antipapa. 2553,57.
Nicolaus, Prior Brincaburgenſis. 281,57.
Nicolaus de Spina, Abbas S. Auguſtini, eligitur. 1920,41. Benedicitur Romæ. 1921,1. 2272. Ejus literæ ad monaſteria Angliæ, quærentes quid in ſingulis locis fiat pro Abbatibus &c. illius monaſterii defunctis. 1924,24. Fit Conſervator ordinis Præmonſtratenſis. 1925,7. Ejus literæ ad Priorem Weſtmonaſterii. 1925,14. Inſtitutiones ejus. 1935,&c. Laudatur. 1937,52. Abbatia ſponte ſe abdicat, 1937,65. 2274. & ad Carthuſianos in monaſterio Selbienſi ſe recipit. 1964,41. Succeſſor ejus annuam decem marcarum penſionem ei largitur. 1964,17.
S. Nicolaus ubi fuerat natus; 1217,13. ubi Epiſcopus; 1216,15. ubi ſepultus. 1220,46. Ejus tranſlatio. 483,3. 983,36. 2359,38. Rex Perſarum conatus ejus arcam temerare, claſſem perdit. 447,55.
Nigellus, Epiſc. Elienſis. 257,52. 505,11. 1019,62. 1027,47. Regno exigitur. 508,10. 2385,46.
Nimedus, cum quatuor filiis, e Scythia in Hiberniam venit. 1073,60.
Ninia, Epiſcopus Britonum, auſtrales Pictos convertit. 786,28. 1635,51.
Ninus, R. Aſſyriorum. 562,57.
Ninyas, Nini F. 562,66.
Niſus lupum piſcem capit. 6 6,22.
Nix ingens. 105,63. 182,54. 475,3. 799,30. 2330,30.
Nobilitas, magnum ad virtutem calcar. 350,34.
Norbertus, vel Northbertus, autor ordinis Præmonſtratenſium. 1043,2. 2381,17.
¶ Norfolciæ Comes: *Rogerus Bigot*.
Normannorum virtus & victoriæ deprædicantur. 339,28. 959,45. 1026,17. Biero duce, Franciam infeſtant: 450,15. urbes invadunt. 450,41. In patriam reverſi, inteſtino bello pereunt. 451,21. Duce Rollone, Franciam iterum invadunt. 451,52. Flandrenſes Normanniam invadentes, ſubmerſi ſunt. 568,17. *Pro Normannis elementa decertant*, Regis Franciæ dictum. 568,17. Normannicæ Eccleſiæ jura & privilegia. 657,40. Normanniæ Duci coram Rege Franciæ gladio accingi licet; Regi Franciæ coram ipſo, non item. 856,47. 959,61. Normanni totam faciem radere ſolebant. 2341,53. Eorum imperium in Anglia quamdiu duraturum, prædicitur. 960,64. Iis ſolenne, poſtquam alios depreſſerint, ſeipſos deprimere. 981,33. 2354,46. Quam dura Anglorum ſub eos conditio. 952,4. 980,57. 981,42. 2354,43. Divina in eos vindicta. 984,7. Gallus Anglo Normanniam eripit. 2420,33. ¶ Normannorum Duces: *Rollo*; *Willielmus Longa-ſpata*; *Ricardus Vetus*; *Ricardus II*; *Ricardus III*; *Robertus*; *Willielmus Baſtardus*; *Robertus Curteoſa*.
Norregani, Olavum regem vilipendentes, Canutum admittunt. 468,31.
Northamtonia comburitur. 888,19. Ejus caſtrum. 975,2. Monaſterium S. Andreæ. 975,1. Baronibus illuc convolantibus,

lantibus, 2447, 6. Henricus III eam expugnat. 2447, 31. ¶ Comites: *Simon Silvanectenſis*; *Simon*, ejus F; *Willielmus de Boun.*

Northburn. 1768, 7. 1799, 51. 1814, 44. 1828, 16. 1836, 59. 1837, 51. 1883, 48. 1959, 11. Eccleſiæ appropriatio. 2110, 21. Vicaria. 2111, &c.

Northumbria, ſeu Northymbria, ſeu Northanhymbria, longe latior fuit olim quam nunc eſt. 285, 5 &c. 956, 47. Dividebatur in Deiram & Berniciam. 285, 9. Candidæ caſæ Epiſcopatus Regibus Northumbriæ fuit ſubjectus. 801, 32. Qui Comitatus in eo Regno contenti. 801, 24. De Northumbriæ Regno & Regibus. 779, 12. Northumbri vocantur Humbrenenſes. 799, 29. Convertuntur. 782, 43. Olim leves erant & infideles. 862, 44. Eorum terra flamma & ferro a Dacis vaſtatur, 300, 32. 315, 65. & a Scotis. 264, 45. V. *Scoti.* Invitant Dacos contra Willielmum I. 482, 31. 1703, 1. Terra per novennium cultore deſtituitur. 199, 30. 966, 11. 1708, 37. 2344, 51. ¶ Reges: *Occa* frater *Hengiſti*; *Ida*; *Ella*; *Glappa*; *Adda*; *Ethelricus*; *Theodericus*; *Frithuwoldus*; *Huſſius*; *Ethelfrith*, vel *Edelfridus*; *Edwinus*; *Oſricus*; *Aimfridus*; *Oſwaldus*; *Oſwius*; *Oſwinus*; *Egfridus*; *Alfridus*; *Oſredus*; *Kenredus*, vel *Coenredus*; *Oſricus*; *Ceolwolfus*; *Egbertus*, vel *Eadbertus*; *Oſulſus*; *Ethelwaldus Moll*; *Alcredus*, vel *Alredus*; *Earnredus*; *Ethelredus*; *Elſwaldus*; *Oſredus* II.; *Ethelredus* iterum; *Oſbaldus*, vel *Oſwaldus*; *Eardulſus*, vel *Ardulſus*; *Oſbribtus*, vel *Oſvertus*; *Alla*, vel *Ella*; *Egbertus* II; *Ricſig*; *Egbertus* III; *Gutbredus*; *Guthrum*; *Ethelwoldus*, Edwardi Senioris frater; *Sibtricus*, vel *Sidricus*; *Guthferthus*, vel *Gudfredus*; *Reingnoldus*, vel *Reginaldus*; *Anlaf*, vel *Onlaf*, Sidrici F; *Huth*, Haroldi F; *Eiricus.* ¶ Comites: *Oſulſus*, cui ſocius *Oſlacus*; *Waltheovus* I; *Ubredus*; *Hircus*; *Eadulſus Cutel*; *Aldredus*; *Eadulſus* II; *Siwardus*; *Toſtius*; *Morkarus*, cui ſocii *Oſulſus* & *Copſius*; *Goſpatricus*; *Waltheovus* II; *Walcherus*, Epiſcopus Dunelmenſis; *Albricus*, vel *Albericus*; *Robertus de Mulbreio*, vel *Moubray*; *Henricus*, *Davidis* R. Scotiæ F; *Willielmus*, ejus frater; *Henricus Percy.*

Nortonenſis Prioratus in agro Ceſtrenſi fundatur. 1020, 3. 2383, 44.

Norwagenſis quidam fortiſſime pugnat. 959, 12. 2339. 63.

Norwicum capitur. 576, 4. 1427, 18. Devaſtatur. 165, 38. Illuc ſedes Epiſcopalis transfertur. 491, 60. ¶ Norwicenſes, ſeu Orientalium Anglorum Epiſcopi: *Felix*; *Jacobus*; *Bonifacius*; *Biſi*; *Baldewinus*; *Hecca*; *Egbertus*; *Hedbelac*; *Tydfridus*; *Weremundus*; *Theodorus*; *Alfwinus*; *Alfricus*; *Stigandus*; *Grimkitellus*; *Egelmarus*; *Arfaſtus*, vel *Herfaſtus*; *Willielmus Herbertus*; *Herveus*; [vide errata 1707, 20.] *Everardus*; *Willielmus Turbo*; *Johannes*; *Johannes de Gray*; *Pandulfus*; *Walterus*; *Simon de Wanton*; *Willielmus Ayerminus*; *Henricus le Spenſer.*

¶ Noſtlienſis, ſeu de S. Botulfo, ſeu S. Oſwaldi, Prior: *Aldulfus*, vel *Arnulfus*, vel *Adelwoldus.*

Nothbaldus, vel Nodbaldus, Abbas S. Auguſtini. 1772, 16. 2236.

Nothbertus, Epiſcopus. 2212, 19.

Nothelinus, Londinenſis primo, poſt Dorobernenſis Epiſcopus. 100, 43. 443. 8. 742, 50. 774, 17. 1640, 57. 1772, 21. 2235.

Nottinghamia, vel Snotingaham, Britannice *Tignocebanc*, i. e. ſpeluncarum domus. 123, 41. 142, 50. 835, 11. Caſtrum ibi fundatur, 965, 36. natura loci inexpugnabile. 1037, 21. Oppidum comburitur. 1093, 49. 1350, 53. Unus ex oppidanis triginta prædones in domo ſua incluſos comburit. 1350, 42. Cancellaria hinc Londinum transfertur. 2741, 10. ¶ Comes: *Thomas.*

Nova foreſta. V. *Foreſta.*

Novum-caſtrum, olim *Munkeceaſtre*, vel *Monkecaſtre*, i. e. Monachorum civitas, dictum. 206, 7. 973, 12.

Novum monaſterium Wintoniæ incenditur. 1356, 6. ex combuſta cruce multum auri & argenti ab Epiſcopo aufertur. 1356, 59. ¶ Abbas: *Ethelgarus.*

Nubes ſanguinea & ignea. 161, 1. Nubes tenebras pene nocturnas interdiu inducens. 263, 16. Nubes nigra, globum igneum emittens. 1589, 50.

Numencus, R. Britonum, ab Epiſcopo percuſſus moritur. 450, 56.

Nuptiæ. V. *Matrimonium.*

O.

OBlationum eccleſiaſticarum nullam partem percipiant laici. 1081, 46. Wiclivitarum de oblationibus opinio. 2707, 39 & 54.

Occa, frater Hengiſti, Rex Northumbriæ. 779, 15.

Occidentalium Saxonum (ſeu Gewiſeorum 755, 3.) converſio. 1635, 53. Eorum provincia quot Comitatus contineat: 801, 3. In duos Epiſcopatus dividitur. 1640, 35. Eorum lex, ſeu *Weſtſaxenelega.* V. *Legem.* ¶ Reges: *Sardic*, vel *Cerdic*; *Henricus*; *Kewelinus*, vel *Chichelinus*, vel *Quichelmus*; *Ceolricus*; *Kenwolfus*, vel *Cenwallus*; *Kinegilſus*, vel *Kenglis*: *Kenewaldus*, vel *Cenwaldus*, vel *Kinewalchius*; *Sexburc*; *Eſwinus*, vel *Egwinus*; *Kentwinus*, vel *Cenewinus*; *Cedwalla*; *Ine*; *Adelardus*, vel *Ethelherdus*; *Gudredus*; vel *Cudredus*, vel *Cuthredus*; *Sigebertus*; *Kenwolfus*, vel *Kynwlf*; *Brithricus*, vel *Brictricus*; *Egbertus*, vel *Edbrictus*: Cujus ſucceſſores vocantur Reges Angliæ. 449, 31. 2238. V. *Anglia.* ¶ Comites, vel Duces, *Godwinus*; *Haroldus.*

Octavianus, Antipapa, Victor appellatus. 1130, 39. 1380, 64. Phreneticus obit. 1389, 20.

Oculum ſuum eruit quidam, præcepto Servatoris ad literam intellecto. 2361, 11. V. *Sutor.*

Odo de Campania, traditionis reus, in carcerem conjicitur. 222, 22. 492, 43.

Odo Cluniacenſis. 432, 46. 460, 10. 863, 50. Vocatur Odilo. 460, 67. Dixit, *Si damnandus ſum, malo damnari de miſericordia quam de duritia.* 961, 2. Memoriam Omnium in Chriſto quieſcentium II Novembris primus celebravit. 461. 28.

Odo, Epiſcopus Baiocenſis, Comes Cantii. 214, 38. 489, 5. 1788, 7. Cuſtodia Angliæ ei demandatur. 962, 60. Contra Northumbrenſes mittitur. 978, 49. Cædem Dunelmenſis ſatis crudeliter ulciſcitur. 48, 53. Comites rebelles premit. 208, 53. Lanfranco monente, ut incarceretur, non ut Epiſcopus, ſed ut Comes Cantiæ, 2359, 21. in cuſtodiam conjicitur. 212, 15. Liberatur. 980, 33. 2353, 62. Roberto contra Willielmum II favet. 984, 32. 2359, 9. Archiepiſcopi terras vaſtat. 2359, 17. Rebellionem movet, 214, 37. 984, 47. Ejus honores. 984, 36. Angliam abjurat. 215, 27. 986, 4. Totius Normanniæ cura illi committitur. 215, 45. 986, 17.

Odo, Epiſc. Wiltonienſis, vel Sherbornenſis. 454, 33. 1644, 33. 2219, 18. Dicitur Wintonienſis. 838, 40 & 59. Ad Cantuariam transfertur. 134, 41. 157, 33. 838, 57. 2241. Archiepiſcopatum ut ſubeat ſanctius, monachi induit veſtimenta. 863, 54. 1644, 39. Dunſtanum futurum Archiepiſcopum, præſagiit. 863, 32. Pluvias per triennium, dum tectum Eccleſiæ reparatur, ſuſpendit. 1645, 15. Illo precante, enſis in Adelſtani vaginam cœlitus illabitur. 863, 49. Edwinum R. ſuſpendit: 863, 65. & concubinam ejus cauterio notat, & in exſilium agit. 1644, 63. Eam poſtea redeuntem ſubnervat. 1645, 1. Sanguinem de euchariſtia precibus ſuis elicit. 1645, 2. Moritur. 863, 41. 1645, 18. Elſinus ſucceſſor ei contumeliæ pœnas dat. 864, 3. 1645, 31.

Odo, Magiſter militiæ Templi. 601, 26.

Odo, Prior S. Trinitatis. 568, 48. Contendit ut conventui ſuo detur libera poteſtas Archiepiſcopum eligendi. 1422, 59. Cum Epiſcopis de jure eligendi litigat. 1424, 63. Fit Abbas S. Martini de Bello. 588, 12. 1433, 32.

Offa ad corpus S. Cuthberti confugiens, inde abſtrahitur, & interimitur. 10, 59.

Offa, Beornredo victo, 770, 32. 776, 4. fit Rex Merciorum. 105, 41. 107, 5. 113, 65. Ethelbertum interficit. 445, 18. 446, 50. 776, 20. V. *Ethelbertus*, *R. Orient. Anglorum.* Vallum facit inter Merciam & Britanniam. 118, 12. Lichfeldenſem Præſulem pallio Archiepiſcopali inſigniri affectat. 445, 20. 1641, 60. 1774, 4. S. Albani monaſterium conſtruit. 446, 24. 754, 7. 776, 30. 1773, 66. Pontifici R. concedit redditum domatim ſolvendum, dictum **Rome-penny** ſive **Peters penny**, 446, 25. 754, 15. 776, 35. Literas & dona ei mittit Carolus M. 608, 16. Ejus fortitudo & victoriæ. 446, 20. Northumbrenſes, Occid. Saxones, & Kentenſes ſuperat. 776, 13. Quæ monaſterio S. Auguſtini donaverit. 1775, 37. Chartæ ejus de donatis Eccleſiæ Chriſti. 2213, 15. 2219, 21. Ejus genealogia. 446, 16. 776, 6. Edburga ejus filia, venefica, monacha, adultera, mendica. 118, 14 &c.

Offa, R. Orientalium Saxonum. 745, 11. Fit monachus. 442,21.
Offenſer, Epiſc. Lichfeldenſis. 768,29.
Officia eccleſiaſtica a monachis cantari ſolita. 1935,62.
Olavus, R. Daciæ, cum exercitu in Angliam venit. 2321, 46.
Olavus, vel Olaus, R. Norreganorum. 178,4. Expellitur. 468,41. 911,61. Perimitur. 178, 32. 469, 16. 911, 66. 2320,10.
Oliverus, Epiſcopus Lincolnienſis. 2467, 10. 2492. 39. 2502,4.
Oliverus, monachus Malmesburienſis, volare conatur. 2338, 9. Ejus de cometa quodam verba. 2338,3.
Olyſippo. V. *Lisbona*.
Onlafbald pœnas ſacrilegii luit. 24,8. 74,10.
Onlaf, R. Northumbriæ. V. *Aulaf*.
Opentbeſt. 929,19.
Operarii rari & cari poſt peſtem. 2599,51. 2600,40. V. *Stipendia*.
Oratio non intermittenda. 2433, 14. Opinio Wiclifi de orationibus. 2651,8. 2708,7. Oratio labiorum, vana. 2658, 1. Qui bene vivit, ſemper orat. 1658,6. Sancti non orandi. 2707, 33. Oratio Dominica, ab omnibus addiſcenda. 921,56. Quendam pro defunctis orare ſolitum defuncti ab hoſtibus tuentur, 2368,57.
¶ Orcadenſium Epiſcopi: *Radulfus*; *Regerus*; *Radulfus Novellus*.
Ordalium. 842, 23 &c. 843, 30 & 51. 844,24. 847, 1. 856, 5. 894. 896, 37. 920, 67. 925, 55. 926, 30. Feſtis diebus & jejuniorum tempore interdictum. 830,64.
Ordines ſacros qui ſubterfugiunt, Eccleſiis privandi. 253,53. Ordinandus nemo niſi ad certum titulum. 253,62. 1449, 35. Filii ruſticorum non ordinandi abſq; aſſenſu domini. 2388,22. Pro ordinatione nil exigendum. 1430,44. Canones de Ordinationibus. 248,54. 1430,17.
Ordingus, primo Prior, poſt Abbas S. Edmundi. 506,55.
Ordo militum enſes rubros geſtantium confirmatur. 625, 27.
Ores. 2139,24.
Orgarus, vel Ordgarus, vel Edgarus, Comes Domnaniæ. 158, 36. 865,21. 2313,20.
de Orientalis Angliæ Regno & Regibus. 745,&c. ¶ Reges: *Uffa*; *Ticulus*; *Redwaldus*; *Erpwaldus*; *Sigebertus*, vel *Sebertus*; *Egrico*; *Anna*; *Adelherus*; *Athelwoldus*; *Athelwolfus*; *Alfwoldus*, vel *Elfwaldus*; *Hunbeanna* & *Albertus* ſimul; *Berna*; *Adelredus*; *Ethelbertus*; *S. Edmundus*; *Godrim*, vel *Guthrum*, Dacus; *Wlfus*; qui quo loco reponendus, neſcio. ¶ Duces: *Ethelwolfus*; *Turkillus*; *Haroldus*; *Algarus*; *Radulfus*; *Ethelwinus*; *Brithnodus*; *Ulfketellus*; *Rodulfus*; *Hugo Bigod*. Orientalium Anglorum Epiſcopatus dividitur. 1638, 31. Epiſcopi ſedem habuerunt primo apud Dimmok vel Domoc, ſeu Felixſtowe; 747, 13. 1635, 10, poſtea, apud Helmeam vel Elmham; 747, 22. 1638,34. deinde, Thetfordiæ; 747,23. poſtremo, Norwici. 491,60. 747,25. 890,60. 1654,29. 2249. V. *Norwicum*.
de Orientalium Saxonum Regno & Regibus. 743, &c. Comitatus ad hoc Regnum pertinentes. 800,55. Eorum metropolis, Londinum. 735, 15. Convertuntur. 735, 21. 743, 35. Ad idola relapſi, 744,65. iterum convertuntur. 744,67. ¶ Epiſcopi: *Ceadda*; *Jaruman*. ¶ Reges: *Erkwinus*; *Sledda*; *Sebertus*; *Sexredus*; *Sewardus*, & *Sigebertus* ſimul; *Sibertus*; *Swithelinus*; *Sighere*, & *Sebbi* vel *Sebba*; *Sigehardus*, & *Sinefredus*; *Offa*; *Swebriht*; *Edmundus*, qui & Orientalium Anglorum.
Ornamenta pontificalia. 1673,39. 1684.
Orodes, R. Parthorum. 564,19.
Oroſius, Chronographus. 431,61.
Osbaldus, vel Oſwaldus, R. Northumbriæ. 113,53. 797,16. Fit Abbas. 116,2.
Osbernus Bulax, Siwardi Comitis F. 946,17 & 40.
Osbernus, Danus. V. *Willielmus Conqueſtor*.
Osbernus, vel
Osbertus de Briſtol. 1541,41. 1551,10. Fit Prior S. Trinitatis. 1564,30. Conſuetudines Eccleſiæ ſuæ contra Papæ literas tuetur. 1567, 1568. Deponitur. 1188, 57. Ejus ad monachos oratio antequam Prioratu ceſſit. 1570,21.
Osbertus, Epiſc. Haguſtaldenſis. V. *Eanbertus*.
Osbertus, monachus, a febre quartana meritis Edwardi Confeſſoris liberatur. 410,50.
Osbertus, vel
Osbrihtus, R. Northumbriæ. 13,42. 70,10. Expellitur. 123, 20. 133, 42. Baronis cujuſdam uxorem conſtuprat. 803, 49. Daci, ad injuriam iſtam ulciſcendam adducti, eum interficiunt. 14,34. 123,26. 142,30. 803,22.
Osburnus, vel Osbernus, Epiſcopus Exonienſis. 228, 3. 1654,1.
Oſca, R. Cantiæ. 729,2.
Oſchitellus, vel Askerillus, vel Oskitellus, Archiep. Eboracenſis. 26,52. 79,31. 867,66. 1699,16.
Oſculum negat Colonienſi Archiepiſcopo Comes Leiceſtrenſis; 539,43. Cantuarienſi, Henricus II. 551,53.
Oſeg, R. Dacorum, interfectus ab Egelredo R. Angliæ. 809,10.
Oſherus, Wicciorum ſubregulus. 976,57.
S. Oſida. 438,58.
S. Oſithæ de Chic monaſterium quantum valeat. 2167, 29. ¶ Prior: *Willielmus de Curbellio*.
Oſlacus, Comes Northumbriæ. 204,8.
Oſmundus, Epiſc. Londinenſis. 2212,23.
Oſmundus, Epiſc. Sariſburienſis, & Regis Cancellarius. 217, 39. 224,61. 976,63. 2351, 25. Eccleſiam novam Sariſburiæ ædificat. 976, 65. 2351, 26. Librum dictum Conſuetudinarium compoſuit. 977, 1. 2351,30. & Vitam S. Aldelmi. 2351,33. Vocatur Edmundus. 995, 47. Obit. 2372,42.
Oſpegius, Rex. 68,26.
Oſredus I, F. Altridi, R. Northumbriæ. 91,23. 794,67. In bello occiditur. 795,2.
Oſredus II, nepos Ethelwoldi Moll, R. Northumbriæ. 111, 12. 797,13. Regno pellitur. 13, 12. Contra fidem datam occiditur. 111,67.
Oſricus, Dux Hamtunenſium. 121,51, 140,57.
Oſricus, R. Deirorum, a fide deficit. 785, 17. Occiditur. 785,24.
Oſricus, R. Northumbriæ. 91,25. 795,5.
Oſtorchus, vel Odifor, Epiſc. Wicciorum. 441,49. 1694,66.
Oſvingius, Rex. 67,35.
Oſulfus, a complexu ſerpentis mire liberatus. 36,36.
Oſulſus, Comes Northumbriæ. 204,8.
Oſulfus, Comes Northumbriæ alius. 204,50.
Oſulfus, R. Northumbriæ. 11, 55. 105,45. 796,39.
Oſwaldus, Epiſc. Wigornenſis. 158,23. 362,4. 456,63. 863, 27. 864,27. 1646,66. Fit Archiep. Eboracenſis. 79,36. 159,21. 456,65. 868, 1. 1647, 3. 1699, 27. Epiſcopatum Wigornenſem non dimittit. 1699,33. B. Mariæ Eccleſiam Wigorniæ conſtruit, 868, 5. 1699, 48. & Rameſienſem. 475,60. 879,32. 1699,43. Obit. 878, 34. Ejus oſſa e tumulo levat Aldulfus ejus ſucceſſor. 164, 63. 461, 53. 1699,59. Ejus inſula Beverlaci ſervatur. 1699, 49.
S. Oſwaldus, R. Northumbriæ. 91, 13. 375, 12. 438, 37. 785,48. Ejus origo; 1,27. fides & devotio. 1,36. 290, 21. Aidanum e Scotia accerſit. 785,66. 1635,38. Aidani concionem Scoticam miniſtris ſuis interpretatur. 1, 41. 786,11. Eccleſiam Lindiſtarnenſem fundat. 1,18. 786,7. Cedwallam vincit. 785,51. Ejus potentia; 786, 53. in pauperes benignitas. 786,56. A Penda occiditur. 1, 53. 438, 56. 566,64. 787,12. 2229. Dexterum ejus brachium cur manſerit incorruptum. 2,1. 787. 3. V. 1108, 6. Ejus oſſa Glocestriam transferuntur. 152,46. 833,40. Ejus capella in Glocestria ad juriſdictionem Eboracenſis pertinet. 1100,41. 1101,65. 1107,33. Caput ejus reperitur. 2372, 41. 2377,22. ¶ S. Oſwaldi Prior. V. *Noſtlienſis*.
Oſwaldus, R. Northumbriæ. V. *Osbaldus*.
Oſwinus, R. Deirorum. 787,26. Oſwii juſſu occiditur. 787, 36. Monaſteria in Cantia dotavit. 1770,60. Laudatur. 787, 39. Ejus reliquiæ. 52,7.
Oſwius, R. Bernicorum. 787,24.
Oſwius, R. Merciorum. 772,18.
Oſwius, R. Northumbriæ. 91,17. 293,22. 1690. Sibertum R. Orient. Saxonum convertit. 744,31. Ejus votum, 771, 46. & victoria de Penda Rege Merciorum. 566,67. 771, 62. 790,17. Mercii ei rebellant. 772,32.
Otha, R. Cantiæ. 729,3.
Otho, Dux Brunſwicenſis. V. *Henricus, Comes Derbiæ*.
Otho III, Imp. cognominatus *Mirabilia Mundi*. 878,2. Uxor ejus quendam obtruncari facit, quoniam cum ipſa concumbere noluerit. 878, 14. Ipſa crematur: 878, 30. & Imperator quatuor caſtra viduæ decollari dat. 878,31. Creſcentem Patricium vincit, membris truncat, tandem ſuſpendit. 461, 62. Romani eum in palatio obſident. 462,2. Creſcentii uxor eum veneno necat. 462,8.

Otho Junior Imp. coronatur. 458, 22. Apuliam & Calabriam imperio ſuo adjicere conatus, a Græcis ſuperatur. 460,5.

Othonem, Ducis Saxoniæ filium, Imperator non ſinit ſecum equitare. 674,58. Aquiſgranum obtinet. 703,55. Fit Rex Alemanniæ. 703,59. 1274,19. 1277,17. 2413,9. Apuliam Siculo aufert. 2441, 6. Papa eum excommunicat. 2413, 13. Fredericus, electus Imperator, eum ſuperat. 2441,10.

Otho, vel Otto, Magnus, Imp. 454.46. Litem de hæreditate judicio gladiatorio relinquit dirimendam. 454, 63. Luidulſus F. ei rebellat. 455, 37. 565, 50. Homo fit Papæ, quo ſumit dante coronam. 457. 1. Johannem Papam deponit; qui mox reſtituitur. 457. 15. Romanos fidem ei datam non ſervantes affligit. 457,39. Pædagogo, qui dapiferum peremerat, & ipſum pene ſuffocarat, in honorem Paſchæ ignoſcit. 839, 29. Adelſtani ſororem ducit. 839,20.

Ottobonus, P. R. Legatus, ad ſedandos civiles tumultus miſſus. 2436,42. 2438,4. In turri Londinenſi detentus, 2455. 16. ab Epiſcopis armatis educitur. 2438,38.

Otto, Cardinalis, P.R. Legatus. 1885, 3 & 43. 2106.11. Vocatur Ottobonus. 2431,65. Ejus literæ de Eccleſia Littleburnenſi. 2106,38. Conflictus inter ejus famulos & ſcholares Oxonienſes. 2432,1. 2440,4. Theſaurus onuſtus redit. 2440,14. Ab Imp. capitur. 2432,29.

Overbirneſſa, ſubauditio. 843,57.

Oves Anglicanæ quando ſcabie primum infectæ. 2461, 64. Lues ovium ſæviſſima. 2590,38.

Owel, R. Britonum. 135.9. 156,50.

Owenus quidam Patricii Purgatorium ingreſſus, mira vidit, & narravit. 1043,19. 2350,1.

Owinus, R. Britonum, occiditur. 238,2.

Oxonetorda, vel

Oxonium, inceditur a Dacis. 167,40. Scholæ illic inſtitutæ. 814, 13. Hoſpitale S. Johannis fundatur. 2431.35. Seditio inter Academicos. 2460,27. Alia gliſcente diſcordia, pars ſcholarium diſcedit ad Stanfordiam. 2565, 60. Alia diſcordia. 2705, 57. Alia. 2735, 8. Pontificis R. Legatus ſuſpendit Academiam: 2432, 6. ægre abſolvit. 2432, 10. Academicos Baronum partes ſecutos 2447, 50. Henricus III volens interficere, a ſuis militibus prohibetur. 2447, 64. ¶ Comites: *Suanus*; *Thomas de Veer*; *Robertus Vere*.

P.

PAlermo, ſeu Panormus, urbs Siciliæ. 1011,8.

Pallantis corpus Romæ repertum. 475, 3. Ejus ſtatura. 934,8. Epitaphium. 934,17.

Pallii archiepiſcopalis uſus. 436, 37. 730, 37. 783, 15 & 64.

Palumbus necromantes diabolo annulum eripit. 471,22. 951, 24. 2335,26. Mortem ſibi inſtare unde præſagierit. 471, 45. 951,62. 2335,40.

Pandulfus, P.R. Legatus, in Angliam venit. 2418, 26. Fit Epiſc. Norwicenſis. 1871,35. Cuſtodia Abbatiæ S. Auguſtini ei demandatur. 1871,55. Ejus literæ ad conventum S. Auguſtini: 1872, 27 & 64. ad Papam, pro eodem conventu. 1874,47.

Panis *natalitius*, & *piperatus*. 1520,17.

de Pannis conficiendis vendendiſq; leges. 1258, 30. 2734, 26.

Pantheon in Eccleſiam conſecratur. 437,30. 738,14.

de Papæ electione canones. 1446, 31. Eum conſecrare, ad quem pertineat. 324, 43. Ejus judicium in arduis negotiis ſemper quæſitum, ſemper quærendum. 682, 41. Johannis XXII opinio de animabus beatorum. 2067, 24. Cur in Dominica, *Lætare Hieroſolyma*, Papa florem aureum geſtet. 535, 44. Ei adulatur Senonenſis Archiepiſcopus. 1066, 49. Regibus interminatur. 1623, 49. 1624, 64. Quis honor ei ab Impp. fuerit exhibitus. 598, 50. 1130, 17. 1438, 59. Celeſtinus III Imperatori coronam pedibus ſuis imponit, impoſitamque dejicit. 2403, 40. An P. R. habeat poteſtatem diruendi Eccleſias. 705, 33. Ejus vitia notantur. 1014, 25. 2376, 57. 2379,58. Fredericus II ſcribit ad Chriſtianos Principes, ut divitiis ſuperfluis Rom. ſedi abſtractis, Papam ab ambitione & tyrannide ad priſcorum Patrum humilitatem & pietatem revocent. 2441, 2442. Wicliſi ejuſque ſociorum de Papa opiniones. 2650, 29. 2707. Catalogus Paparum qui fuerunt clericorum filii. 532, 56. Papæ plures ſimul. V. *Antipapæ*. Papalium bullarum tituli. 2229—2289. ¶ Papæ quorum in his libris mentio: *Benedictus* I; *Pelagius* II; *Gregorius* I, ſeu *Magnus*; *Sabinianus*; *Bonifacius* III; *Bonifacius* IV; *Deus-dedit*; *Bonifacius* V; *Honorius* I; *Severinus*; *Johannes* IV; *Theodorus*; *Martinus* I; *Eugenius* I; *Vitalianus*; *Adeodatus*; *Conus*; *Agatho*; *Leo* II; *Benedictus* II; *Johannes* V; *Conon*; *Sergius* I; *Leo* III; *Johannes* VI; *Johannes* VII; *Siſinnius*; *Conſtantinus* I; *Gregorius* II; *Gregorius* III, *Zacharias*; *Stephanus* II; *Paulus* I; *Conſtantinus* II; *Stephanus* III; *Adrianus* I; *Leo* III; *Stephanus* IV; *Paſchalis* I; *Eugenius* II; *Valentinus*; *Gregorius* IV; *Sergius* II; *Leo* IV; *Johannes fœmina*; *Benedictus* III; *Nicolaus* I; *Adrianus* II; *Johannes* VIII; *Martinus* II, vel *Marinus*; *Adrianus* III; *Stephanus* V; *Formoſus*; *Bonifacius* VI; *Stephanus* VI; *Romanus*; *Johannes* IX; *Theodorus* II; *Benedictus* IV; *Leo* V; *Chriſtophorus*; *Sergius* IV; *Anaſtaſius* III; *Lando*; *Johannes* X; *Leo* VI; *Stephanus* VII; *Johannes* XI; *Leo* VII; *Stephanus* VIII; *Martinus* III; *Agapetus* II; *Johannes* XII; *Benedictus* V; *Leo* VIII; *Johannes* XIII; *Benedictus* VI; *Bonus*, ſeu potius *Donus*; *Bonifacius* VII; *Benedictus* VII; *Johannes* XIV; *Johannes* XV; *Johannes* XVI; *Gregorius* V; *Johannes* XVII; *Silveſter* II; *Johannes* XVIII; *Johannes* XIX; *Sergius* IV; *Benedictus* VIII; *Johannes* XX; *Benedictus* IX; *Silveſter* III; *Gregorius* VI; *Clemens* II; *Damaſus* II; *Leo* IX; *Victor* II; *Stephanus* IX; *Benedictus* X; *Nicolaus* II; *Alexander* II; *Gregorius* VII; *Victor* III; *Urbanus* II; *Paſchalis* II; *Gelaſius* II; *Calixtus* II; *Honorius* II; *Anacletus* II; *Innocentius* II; *Celeſtinus* II; *Lucius* II; *Eugenius* III; *Anaſtaſius* IV; *Adrianus* IV; *Alexander* III; *Lucius* III; *Urbanus* III; *Gregorius* VIII; *Clemens* III; *Celeſtinus* III; *Innocentius* III; *Honorius* III; *Gregorius* IX; *Celeſtinus* IV; *Innocentius* IV; *Alexander* IV; *Urbanus* IV; *Clemens* IV; *Gregorius* X; *Innocentius* V; *Adrianus* V; *Johannes* XXI; *Nicolaus* III; *Martinus* IV; *Honorius* IV; *Nicolaus* IV; *Celeſtinus* V; *Bonifacius* VIII; *Benedictus* XI; *Clemens* V; *Johannes* XXII; *Benedictus* XII; *Clemens* VI; *Innocentius* VI; *Urbanus* V; *Gregorius* XI; *Urbanus* VI; *Clemens* VII; *Bonifacius* IX; *Innocentius* VII; *Gregorius* XII; *Alexander* V; *Johannes* XXIII; *Martinus* V.

¶ Parchenſis Abbas: *Radulfus*.

Pariſii, unde dicti. 812,2. Olim Vocabatur *civitas Julii*. 817,61. Deſcribitur. 818,7. Studium literarum ibi inſtituitur. 814,47. 817,13. Ruſtici cruce ſignati ibi clericos trucidant. 2435,62.

Parliamentum quoties & in quem finem ſit convocandum. 2681,53. Rex ab hoc ſenatu ſponte abeſſe non debet. 2682, 7. Concilium hoc Regem malum deponendi facultatem habet, & ſubſtituendi novum. 2683, 3. Quæſtiones de autoritate Regia & Parliamentaria, cum reſponſis Judicum. 2694, 2695. Parliamentum apud Berwicum; 2483, 15. Cantabrigiam; 2729, 21. Dubliniam; 2742, 8. Eboracum; 2524, 65. 2528, 26. 2540, 32. 2552, 58. 2562. 47. 2565, 10. S. Edmundum; 1965, 36. 2491, 6. Lincolniam; 1282, 66. 1977, 23. 2552, 17. Londinum; 1166.62. 2491,15. 2522,64. 2528,19. 2549, 54. 2560, 10. 2565, 27. 2570, 50 2573, 10. 2576, 28. 2583,22. 2584, 13. Merlebergam; 2455,28. Northamtoniam; 2387, 53. 2396, 63. 2454, 30. 2571,30. Oxonium; 908,36. 2318,24. 2446,35. Salopiam; 2463, 26. 2747,9. 2748, 64. Sariſburiam; 866,50. 1005,65. 2493,1. Stanfordiam; 2528,65. Weſtmonaſterium; 1058, 66. 2674,62. 2676,7. 2680,56. 2706,6. 2738,22. 2742, 11. 2743, 1. Wintoniam. 2555, 27. 2741, 11. Parliamenta, excluſo clero. 1965,50. 2493,1. V. *Concilium*, & *Conventus*.

Parricidii pœnas dantium exempla. 562—567. 1906,30.

Parthis ſolenne, Reges parricidas habere. 564,22.

Paſcha. De ejus obſervatione diſſenſio. 3,9. 293, 33. 788, 64. 1690,35. Auguſtinus ſuam de Paſcha opinionem miraculo confirmat. 735, 34. Recta ejus celebratio inter Pictos introducitur; 773,56. & inter Hibernos. 786,3. Huic feſto quantum honorem tribuerit Otho M. Imp. 839,21. Propheſia de Paſchæ & Annuntiationis feſtis concurrentibus. 641,60.

Paſchalis, Papa ſchiſmaticus. V. *Alexander III*.

Paſchalis I, P.R. 449,12. 2237.

Paſchalis II, P.R. 224,55. 499.7. 994,65. 1659, 51. 2251. Concedit quæ Urbanus II vetuerat. 230, 33. De eo mentitur Gerardus Eboracenſis. 1745, 44. Literæ ejus ad Anſelmum contra Regis inveſtituras: 496, 47. 1745, 28. Aliæ, quibus Gerardum corripit, quod Regi, non Anſelmo, faverit. 497, 11. Aliæ ad Gerardum. 1710, 36. Literæ Henrici I ad eum. 999, 37 & 63. Excommunicat Comitem de Mellento & alios, qui Regem ad inveſtituræ flagitium impulerant. 496, 50. 497, 27. Mandat Eboracenſi, ut Cantuarienſi profeſſionem facere haud negligat. 497, 40. 1659, 55. Tandem Anſelmo ſcribit, ut abſolvat & benedicat qui a Rege inveſtiti fuerant. 497, 52. Imp. eum incarcerat. 232, 51. 1004, 42. 2372, 13. Conventiones inter ipſos. 232, &c. 2372, 16. Imp. ei obedientiam jurat. 233, 6. Inveſtiendi poteſtatem Imperatori concedit: 233, 21. 502, 10. Sed hæc conceſſio, utpote vi extorta, a Concilio pronunciatur irrita. 235, 23. 2372, 19. Scribit Henrico I, ut Turſtanum reſtituat. 1714, 61. Moritur. 1007,4.

Patientiam ſuadentia argumenta. 1625,21.

Patricius, Abbas, autor Purgatorii, ubi videntur tormenta reproborum, & beatorum gaudia. 1076. 2390. Ibi Eccleſia ædificata. 1076, 66. 2390, 24. Multi converſi. 1077,7. 2390, 32. Volentes purgatorium illud ingredi, quomodo præparentur. 1077, 15. 2390, 35. V. *Owenus*. Patricio Chriſtus apparet. 1076,56. 2390,15. Ubi mortuus fuerit. 1145,50.

Patricius, primus Hiberniæ Archiepiſcopus. 1074. 1145,31. Ejus miracula. 1145,41. Sepulcrum. 1111,29.

D. Pauli caput Romæ ſervatum, 1221, 25. Papæ obſeſſo libertatem confert. 2430,58.

D. Pauli Eccleſia, Londini, a quo fundata. 385,9. 437,10. 735,22. 1631,49. Eam ædificare incipit Mauritius Epiſcopus. 979,54.

Paulinus, a Gregorio M. in Britanniam miſſus. 1687, 51. Fit Archiepiſc. Eboracenſis. 77, 54. 437, 62. 740, 21. 780,61. 1634, 18. 1687, 37. 1688,8. Ordinat Honorium Cantuarienſem Lincolniæ. 740, 29. 782,57. 1687, 45. 1689, 1. Quomodo Edwinum converterit. 781,32. Ei pallium mittitur. 783,15. 1687, 13 & 46. 1688,31. Northumbrenſes convertit. 782, 43. 1634, 26. 1688, 4. & Lincolnienſes, 782, 52. 1688, 55. Eccleſiam Lincolniæ conſtruit. 1688, 63. Flumina ubi baptizabat. 1688, 22. In Cantiam fugit. 784, 56. 1635, 13. 1689, 18. Fit Epiſ. Roffenſis. 438, 32. 785, 6. 1635,21. 1689,24. 1738,40.

Paulus, Abbas S. Albani. 218,30. 243,60. 487,18. 471, 22. Invadit Eccleſiam Tinemuthenſem. 52,21. V. *Dunelmum*.

Paulus Caſſinenſis. 432,23. 443,35.

Paulus Diaconus. 431, 38. Caroli M. juſſu compilabat lectiones feſtis diebus legendas. 448,5.

Paulus I. P.R. 444,21. 1641,42. 1775,27. 2235.

Paupertas non præſtat ſanctitatem, nec divitiæ adimunt. 371, 41. Paupertatem ſpontaneam Chriſtus nemini injunxit. 2658,11. V. *Mendicandi*.

Pax Eccleſiæ non violanda. 918,24. Pax Regis quotuplex: 2357,29. Ad quod ſpatium extendatur. 897,43. Leges de Pace. 899,900. 2355—2358. De temporibus & locis ſervandæ Pacis. 2355,17. De Pacis infractione. 896,2. Qui eam violarint, non paſcendi. 897,20. Pacis ſignum Saracenis, ſagitta emiſſa. 668,12.

Peada, vel Peda, Princeps Merciorum, baptizatur. 2,32. 771, 30. Occiditur. 772,23.

Peccatorum bona recipere, haud tutum. 746,50. Peccandi occaſionem ſi præbueris aliis, quamvis tuum peccatum deletum ſit, te gravabit alienum. 2336, 20. Peccatum noviter commiſſum prius dimiſſa revocat. 2658,35. Anſelmus dixit, Se malle ſine peccato in inferno eſſe quam cum peccato in cœlo. 2378,33. V. *Sacerdos*, & *Dominium*.

Pedagiorum novæ exactiones vetantur. 1456, 31.

Pelagius II, P.R. 1758, 49.

Pellium pretioſarum uſus monialibus prohibitus. 328, 37. 1348,37.

¶ Pembrokiæ Comites: *Ricardus*; *Americus de Valentia*; *Adomarus de Valentia*; *Willielmus Mareſchallus*.

Penda, R. Merciorum, Sigebertum & Egrice, Reges Or. Anglorum, occidit. 747,9. 771, 11. & Annam; 748, 30. & Edwinum, 438,29. 784,21. & Oſwaldum, RR. Northumbriæ. 438,56. 771,15. 787,12. Munera ab Oſwio pro pace oblata reſpuit. 771,39. Ingenti ejus exercitu a paucis profligato, ipſe interficitur. 566,67. 748,37. 772,1.

Perfidia. V. *Proditio*.

Perjurii pœna. 831,12. 836,23. 844,60. 859,19. 907, 18. 926,51. 1023,21. 1027,51. 2384,59. Haroldi perjurium quam male ipſi & Angliæ ceſſerit. 197, 12. 401, 8. 481, 12 &c.

¶ Perſcorenſes Abbates: *Britheagus*; *Edmundus*; *Turſtinus*; *Wido*; *Reginaldus*.

Perſecutiones Eccleſiæ tres. 687,60.

Perſonæ. V. *Vicarii*.

Peſtis tempore Reges de pace tractant, 2598, 58. Papa & Epiſcopi indulgentias concedunt, 2599, 25. divitiæ parvi penduntur. 2599, 41. Poſt magnam peſtem in Anglia quanta fuerit penuria operariorum, 2599, 50. quanta ſacerdotum, 2600, 20. quanta ruina & deſolatio villarum. 2600, 63. Peſtis ſæva. 1271, 32. 1732,21. 2284. 2599, 24. 2626, 26. Peſtis per totum orbem graſſata. 2598, 11. V. *Chriſtiani*. Peſtis inguinaria. 435, 36. 727, 13. Peſtis tam brutorum quam hominum. 234, 55. 878,42. 939,48. 2353,34. 2379,21. 2598—2600. Peſtis damarum. 2693,40.

Peterborough. V. *Burgh*.

Petra, quanta menſura. 2576,59.

Petronilla, Comitiſſa Leiceſtriæ. 2346 27. Ex capillis ſuis funem in uſum Eccleſiæ plicat. 2346,35.

Petronius, Abbas S. Auguſtini. 1769,1. 2230.

D. Petrus, Apoſtolus, cum D. Johanne confertur. 397, 12. *Tibi dabo claves* &c. non ei ſolum, ſed & ejus ſucceſſoribus dictum. 971, 42. 2349, 27. Ejus caput Romæ oſtenditur. 1221, 25. Gregorius IX obſeſſus, illud in manus ſumens, liberatur. 2430, 58. Pontificis Rom. autoritatem ſtabilit. 382, 36. Laurentium Cantuarienſem flagellat. 437, 44. 739, 18. Puellam ecſtaticam docet. 727, 19. Apparet Hugoni Cluniacenſi; 2378, 5. Brichtwaldo; 136,45. 373,47. 909,21. 955,54. 2318, 31. & Anachoretæ cuidam. 382, 27. Contractum quendam jubet Confeſſorem adire, ut ipſius dorſo ſubvectus ſanitatem recipiat. 384, 1. Thorneia, ubi ejus juſſu inſtauratur Weſtmonaſterium, quam ei chara. 382, 42. 386, 5. Tameſim piſcatoria ſcapha tranſvectus, 385, 19. Eccleſiam Weſtmonaſterienſem dedicat. 385, 33. Piſcatorem, qui eum tranſportaverat, captura piſcium muneratur. 385, 57. Mellito Epiſcopo Londinenſi piſcem mittit, 385,61. mandatque ut dedicationi Eccleſiæ ſuperſedeat. 386,1. Piſcatoris iſtius poſteri decimas piſcium D. Petro, eique ſervientibus, offerunt. 386,27. D. Petri gladius monacho cuidam in viſione apparet. 1482,53. Petri denarius. V. *Romeſcot*.

Petrus, Archiep. Biturigenſis. V. *Ludovicus VII*.

Petrus Bleſenſis cauſam Baldewini Cantuarienſis agit in curia Rom. 1498, 1499. cauſam item Ricardi Cantuarienſis adverſus Abbatem S. Auguſtini. 1821,39.

Petrus Comeſtor quando floruerit. 1142, 38. Quæ ſcripſerit. 1059, 5. 2394, 39. Hiſtoriam ſcholaſticam ſcribit. 2253.

Petrus de Dene quot Eccleſiaſticas dignitates tenuerit. 2034, 4. 2055, 1. Conventus S. Auguſtini ei penſionem annuam concedit. 1979, 45. Quæ ipſe beneficia in Abbatiam illam contulerit. 2012, 28. Metu coactus, monaſterium illud ingreditur. 2036, 64. 2060, 44. Ejus teſtamentum, per quod multa dat legat Auguſtinenſibus. 2037, 3. Pro temporalibus ſpiritualia illi promittuntur. 2012, 43. Quibus conditionibus monaſterium intraverit. 2055, 23. 2060, 54. Quomodo illic fuerit verſatus. 2055, 45. Apoſtaſiam meditatur. 2055, 54. Fugit. 2056, 4. Invenitur. 2056, 39. Reducitur. 2056, 53. Archiepiſcopus eum abducere conatur. 2057, 1. Norwicenſis Epiſcopus conſulit, ut radatur: 2057, 47. Sed id facere non audent Auguſtinenſes. 2058, 10. Petrus culpam humiliter confitetur, & monachatum devote profitetur. 2058, 47. Abbas eum abſolvit. 2059, 41. Iterum ad ſeculum redire ſtudet. 2059, 63. Abbas cavet ne libros & theſauros conventui legatos aliorſum diſtrahat. 2060, 4. Literæ P. R. ad Ricardum Priorem S. Trinitatis, ut ipſum libertati reſtituat. 2060, 25. Ricardo mandata Papalia exſequenti Auguſtinenſes obſiſtunt, 2062—2065. & Petrus ipſe contumeliam pro gratia rependit; 2065, 30. & ſe vere monachum eſſe ait, & in iſto monaſterio velle permanere. 2065,44.

Petrus de Gaveſton, Edwardi II amaſius, exſulat. 2494,56. 2532,30. Revocatur. 2530,65. 2532,58. Fit Dux Cornubiæ. 2530,66. Magnates Regni cur eum odio habuerint.

rint. 2531, 14. Capite plectitur. 2532, 39 & 64. 2533, 1. Rex fundat cœnobium fratrum Prædicatorum, qui pro ipſius anima orent. 2533, 9.

Petrus, Gregorii M. Diaconus. 734, 55. Mira ejus mors. 735, 2.

Petrus Lombardus quæ ſcripſerit. 1036, 8. 2388, 58. Sententias compilat. 2253.

Petrus de Malo lacu Arthurum Ducem Britanniæ occidit. 2414, 2. Fit Baro de Mulgrey. 2414, 4.

Petrus, Petri Leonis F. Anacletus II vocatus, Pontificatum ſummum invadit. 505, 1. 1018, 65. 2251. Eccleſias theſauris ſpoliat. 1019, 4. De ſchiſmate iſto. 1343, 9. 2383, 5.

Petrus, Philippi Flandrenſis frater, electus Cameracenſis Archiepiſcopus, ad ſeculum ſe recipit. 1085, 44. Vulneratur. 579, 41.

Petrus de Ponte-fracto gaudia beatorum & pœnas reproborum videt. 2424, 60. Chriſtus ei apparet. 2424, 50. Regi Johanni mala multa prædicit. 2424, 49. Suſpenditur. 2424, 47.

Petrus, primus Abbas S. Auguſtini. 733, 64. 1631, 47. 1761, 19. 2330. Submergitur. 1766, 4. Ejus ſepultura. 1766, 8.

Petrus, primus Prior Bermundeſeienſis. 2251.

Petrus, Prior Wenelocenſis, fit Epiſc. de S. David. 595, 6. Subjectionem ſedi Cantuarienſi profitetur. 1126, 15. Vocatur Epiſcopus Landavenſis. 1434, 37. Eligitur Archiepiſcopus Cantuarienſis. 1675, 56.

Petrus, R. Hiſpaniæ. 2628, 66. Regno pellitur. 2629, 2. Reſtituitur. 2629, 22. Occiditur. 2629, 36. Ejus filiæ quibus maritatæ. 2629, 40. 2676, 13.

Petrus de la Roche, Epiſc. Wintonienſis, Henrici III Protector. 1871, 64.

Petrus Rogerii, Archidiaconus Cantuarienſis, & P. R. Notarius. 2084, 51.

Petrus de Todindon, Prior S. Auguſtini. 1966, 35.

Peveneſæ caſtrum, vel

Peveneſhyll. 489, 26. 985, 62.

Pharamundi, Regis Francorum, poſteri. 1017, 1.

Pharaonis exemplum Principibus Chriſtianis proponitur. 1452, 12.

Phectwinus, Candidæ Caſæ Epiſcopus. 106, 20. 108, 5.

Philippus Audax, R. Franciæ, verſus terram S. proficiſcitur: 2455, 52. Sed navibus pleriſque prope Siciliam amiſſis, redit. 2456, 63.

Philippus, Comes Flandriæ, Henrico Juniori adverſus patrem opitulatur. 571, 14. 1084, 28. 1424, 41. Matthæo fratre lethaliter vulnerato, ad propria redit. 571, 35. 1085, 44. 1426, 13. Milites in Angliam mittit: 575, 57. 585, 47. qui revertuntur. 578, 13. Cum Petro fratre graviter vulnerato, trepidus a Rothomago recedit. 579, 41. Ad expiandas injurias Anglis & Normannis illatas, ipſe cum ſuis Hieroſolymam proficiſci ſtatuit. 585, 40. 1435, 65. Walterum de Fontibus, cum Iſabela Comitiſſa in adulterio deprehenſum, crudeliſſime punit. 587, 24. Hieroſolymam proficiſcitur. 598, 37. 1127, 8. 1436, 1. Ejus munus in coronationibus Regum Franciæ. 608, 1. Contra fidem datam Gallo rebellat. 612, 12. Opera & conſilio Angli cum Gallo fœdus init. 613, 36. Rurſus cum eo diſcordat. 1465, 45. Filiam Regis Portugalliæ ducit. 623, 35. 1465, 62. Sepulcrum Thomæ Cantuarienſis viſit. 625, 9. 1126, 42. Ob blaſphemiam in conventum Cantuarienſem pœnas luit. 1468, 8. Archiepiſcopus Colonienſis & Willielmus de magna-villa opem ei ferunt adverſus Comitem Hamaucenſium. 625, 34. Caſtella quædam Gallo reſignat. 1475, 25. Rebellionem molitur. 1477, 53. Pax inter ipſum & R. Franciæ. 629, 19. 630, 24. Cruce ſignatur. 636, 47. 1101, 26. Penſione m M. marcarum ex Anglia accipit. 1101, 33. Auxilium & conſilium ab Henrico II petit. 1118, 22. Ejus oratio ad Ricardum Comitem Pictavenſem. 1500, 11. Moritur. 1191, 53. 1200, 33.

Philippus, Epiſc. Dunelmenſis. 697, 3. 1590, 13. Ad Scotum accerſendum mittitur. 1283, 1. 2414, 34.

Philippus, Henrici VI, Imperatoris, frater, a quibuſdam Imp. electus, occiditur. 2413, 8.

Philippus I, R. Franciæ, pecunia a Willelmo Rufo accepta, partes Normanni deſerit. 216, 2. 991, 20. Normanno ſubſidium contra Rufum fert. 220, 14. A Roberto Friſone ſuperatur. 485, 60. Excommunicatur. 492, 16. Moritur. 1003, 37.

Philippus, Ludovici Craſſi F. R. Franciæ, equo decidens, fractis cervicibus expirat. 505, 5. 1017, 50. 1343, 51.

Philippus, Ludovici VII F. R. Franciæ, vivente patre, coronatur. V. *Ludovicus* VII. Tyrannice ſe gerit. 1141, 11. Judæos Regno exigit. 516, 51. Uxorem humili ſamilia ortam ducit. 610, 29. 1141, 41. 1457, 31. Diſcordiam inter ipſum & matrem ortam Rex Anglorum ſedat. 610, 55. 1142, 1. Fœdus inter ipſum & Henricum II R. Angliæ. 610, 64. 1142, 27. Quoſdam Eccleſiam perſequentes domat. 611, 23. Diſcordiæ inter ipſum & Flandrenſem. V. *Philippus, C. Flandriæ*. Cauſæ inimicitiarum inter ipſum & Anglum. 1480, 33 &c. Induciæ inter ipſos. 635, 34. F. Ludovicus ei naſcitur. 635, 43. Crucis ſignum ſuſcipit. 636, 45. 1520, 38. V. *Henricus* II, *R. Angliæ*. Ejus literæ ad Ricardum I, R. Angliæ, de proficiſcendo Hieroſolymam. 649, 20. 1166, 47. Ante profectionem fœdus ineunt. 650, 30. 1170, 30. Ejus uxor moritur. 652, 31. 1564, 51. Ad Meſſanam appellit. 656, 33. 1179, 43. Aconem venit. 660, 50. 1197, 8. Quæ illic ab eo geſta. 1201—1209. V. *Ricardus* I, *R. Angliæ*. Ejus ignavia & invidia. 1209, 40. 2405, 56. Ab Acra diſcedit. 1211, 3. Ejus iter a terra S. in Franciam. V. *Iter*. P. R. ipſum & ſuos a voto peregrinationis abſolvit, 1221, 15. palmaſque & cruces eis dat. 1221, 24. Ricardo apud Papam obtrectat, 1221, 32. Pariſios redit. 667, 24. 1580, 53. 2405, 56. Ricardo Normanniam auferre machinatur: 1236, 40. 1582, 10. Sed id negotium plerique ex militibus ejus tanquam perjurii plenum, abominantur. 1237, 18. 2406, 1. Flandriam adipiſcitur. 1202, 33. 1580, 55. Sororem Daci in conjugem petit, 1244, 21. & pro dote ſibi tradi cupit Dacorum jus ad Regnum Angliæ. 1244, 23. 2406, 13. Eam ducit: 671, 25. Quæ mox repudiata, 2406, 21. monaſterium ingreditur. 671, 26. 1244, 51. 1589, 34. Divortium iſtud ſedes Romana confirmat: 1244, 56. Pont. R. iſtud irritum facit, 683, 52. & monet Philippum ut uxorem recipiat, 683, 19. & interdicit ei novas nuptias, ea vivente. 683, 57. In hunc finem Concilium cogitur. 706, 35. Ejus terra ſub interdicto ponitur. 706, 67. Imperatoris conſobrina aliæque nobiles puellæ ejus conjugium ſpernunt. 1251, 26. Bellum Anglo ad huc captivo indicit. 1254, 5. 2407, 60. Johannem fratrem contra ipſum inſtigat. 2407, 8 & 63. Urbes & caſtra in Normannia capit. 1254, 19. A Rothomagenſibus repellitur. 1582, 13. Fugatur a Vernolio. 673, 9. 1260, 4. Domos religioſorum exactionibus exhaurit. 1260, 62. Fontes, oppidulum, capit & diripit. 673, 62. Nuntios mittit ad Ricardum de certamine inter quinque Francos & totidem Anglos ineundo. 676, 33. 1268, 17. Ricardus ipſum ad ſingulare certamen provocat. 676, 48. 1268, 22. Sæpe a Ricardo vincitur. V. *Ricardus* I, *R. Angliæ*. Normanniæ clericis redditus reſtituit. 677, 16 & 27. Ludovicus F. neptem Regis Angliæ ducit. 706, 59. A Comite Flandrenſi capitur. 1597, 34. Ricardo mortuo, Normanniam invadit. 1281, 56. Eam, aliaſque terras Regis Angliæ, ob necem Arthuri occupat. 2417, 29. 2420. 28.

Philippus Pulcher, R. Franciæ. Literæ ejus ad Scotum de fœdere contra Anglum ineundo. 2473, &c. Vaſconiam per dolum occupat. V. *Edwardus* I. Angliam invadere conatur. 2503, 15. Milites ejus Doveram incendunt: 2503, 41. Sed mox, multis cæſis, reliqui fugantur. 2503, 49. Excommunicatur. 2528, 52. Prohibet ne quis pecuniam vel merces exportet. 2528, 60.

Philippus Valeſius, R. Franciæ, homagium ab Anglo accipit. 2555, 6. Anglum capere conatur. 2555, 9. Eum a bello Scotico divertere tentat, ſed fruſtra. 2565, 54. 2567, 48. Papæ ſpem fallit. 2567, 56. Angliam invadere cogitans, ab Anglo antevertitur. 2586, 50. V. *Edwardus* III.

Philo Judæus. 431, 12.

Philoſophiæ ſtudia. V. *Studia*.

Phocas, Imp. 434, 36.

Phraartes, immanis paricida. 564, 24.

Picti quando & a quibus converſi. 786, 21. 1635, 49. ¶ Eorum Epiſcopus: *Trumwinus*.

Pillius, monachorum Cantuarienſium contra Archiepiſcopum advocatus. 1497, 65. Ejus diſputatio cum Petro Bleſenſi in foro Romano. 1498, 1499.

Pipinus, Caroli Martelli F. 443, 26. Fit Rex Francorum. 444, 10. Erat Caroli M. pater. 770, 39. Moritur. 106, 58.

Pipinus, Caroli M. F. V. *Carolus M.*

Pipinus, R. Italiæ, Mediolani obit. 448, 17.

Piratæ nonnulla loca devaſtant. 161, 15 &c. Piratæ qui Chriſtianos ſpoliant, excommunicandi. 1453, 20.

Piſcandi artem a quo didicerint Auſtrales Saxones. 798, 44. Piſcator D. Petrum trans Tameſin vehit. 385, 27. V. D. *Petrus*.

Piſcis *ſtraſſus* vocatus. 676, 52.

Plegii plena. 823, 21.

Planetæ duo ita conjuncti ut una eſſe ſtella viderentur. 1412, 63.

de Plegio, & Plegiato. 872, 18. 928, 61.

Plegmundus, vel Plehemundus, Eremita Ceſtrenſis, fit Archiep. Cantuarienſis. 131, 5. 450, 57. 431, 23. 1643, 60. 2241. Una die ſeptem Epiſcopos conſecrat. 822, 57. 1644, 6. Ejus primatus confirmatur. 455, 20. 1752, 16. Quæ Eccleſiæ Chriſti donaverit. 2215, 40.

Pluma. Hujus vocabuli ambiguitate dæmon Stephanum quendam decipit. 1094, 50. 2409, 10.

Plumſted. 1779, 34. 1788, 6. 1789, 12. 1863, 3. 1921, 22. 1942, 56. 2017, 22. 2051, &c. 2129, 48. Charta de mercatu & nundinis ibi habendis. 2134, 1. Appropriatio Eccleſiæ. 2051, 35. 2100, 35. Portio Vicarii. 2101.

Plures honores Eccleſiaſtici uni perſonæ non tribuendi. 254, 10. 1446, 64. 2438, 63. Quod pluribus viſum, ab omnibus obſervandum. 1448, 50.

Pluvia triduana. 697, 4. Pluit ſanguine. 703, 47. V. *Sanguis*.

Polochinus, Abbas Glaſtonienſis. 248, 15.

Pompeius M. Hieroſolymam capit. 632, 17.

Pondera & menſuras olim regulabant Epiſcopi. 845, 15 & 46. Pondus lanæ. 872, 41.

Pons Moguntinus, decem annorum opus, tribus horis igne abſumitur. 448, 52.

Pontifices Rom. V. *Papæ*.

Pontificibus idolorum olim non licuit equum conſcendere, nec lanceam gladiumve corripere. 782, 27.

Pontis-fracti honor. 262, 32. 309, 26.

Pontis-Roberti Abbatia quantum valeat. 2167, 42.

Pontius, Abbas Cluniacenſis, injuſte deponitur. 245, 39.

Popo, clericus, miraculo edito, Dacos ad fidem convertit. 458, 5.

Porcus hominis faciem habens. 1004, 1. Porci miri in Hibernia. 1076, 17. Porci prodigioſi. 2397, 37.

Portſmutha a Normannis incenditur. 2570, 58.

de Poſſeſſionibus judicare, ad Regem, non ad Eccleſiam, pertinet. 602, 17.

Poſtillarum autor. 448, 5.

Potandi menſuram ſtatuit R. Edgarus; 869, 51, & Dunſtanus Archiep. 1647, 35.

Præcepta & prohibitiones minus movent quam exempla. 1335, 53. Præceptorum ſumma, FAC BONUM. 1335, 56.

Prædicatorum fratrum, ſeu Dominicanorum, ordo incipit. 1725, 32. 2259. 2417, 38. 2421, 5. Quomodo Innocentius III ad eum confirmandum fuerit adductus. 2421, 11. Ab Honorio III confirmatur. 2421, 31. Dominicus moriens tria illis commendat. 2421, 34. Quando primum in Angliam venerint. 2422, 15. Totius fraternitatis ſuffragia, preces, &c. Auguſtinenſibus communicant. 2008, 13. Capitulum provinciale Cantuariæ ſolenniter celebrant. 2197, 24. Pro honore a conventu S. Trinitatis & S. Auguſtini ipſis exhibito quam gratiam retulerint. 2197, 48. Quid de illis ſenſerint Wiclivitæ. 2658.

Præfationes decem. 1431, 34. Nulla inſuper adjicienda. 1431, 47.

Prælium apud Abingdoniam; 810, 12. Agincourt; 2290. Alverton, ſeu bellum Standardii; V. *Standardii bellum*. Aſſchedon, ubi Angli precibus magis quam armis triumpharunt; 808, 51. Boothull; 2559, 22. Brechnoc; 989, 34. 2365, 17. Brendeford; 904, 39. Brunnebury, ubi quinq; Reges & ſeptem Duces occiſi; 839, 3. Carleolum; 2728, 67. Cheſterfeld; 2437, 51. 2454, 18. Chipenham; 809, 53. Cliderhou; 261, 10. 342, 34. Creſciacum, ſeu Creſſy; 2284. 2587, 48. 2630, 17. Dunbarre; 2480, 31. Dunelmum; 2590, 8. Eboracum; 958, 64. Elleſcroft, ubi Ella R. Northumbriæ cecidit; 803, 62. Eſſendun; 904, 67. Eveſham; 2437, 39. 2453. Fowchyrche; 2527, 56. Gillingham, ubi Canutus victus; 904, 16. Gledeſmore; 2559, 8. Hadfelde, ubi Edwinus occubuit. 784, 19. Hummeldon hill; 228, 8. Karadigan, ubi magna hominum ſtrages. 1340, 65. Lewes; 2437, 26. 2449, 2450. Lincolniam; 1351, &c. 2427, 39. 2429, 26 & 60. Maxſefelde, ubi Oſwaldus occiſus; 787, 10. Merton; 809, 17. Otford; 904, 55. Peyteris; 2284. V. *Edwardus, R. Edwardi III F.* Radingum; 809, 15. Ripendon; 810, 40. Salopiam; 2288. Sclus, ſeu Cluſas; 2282. Seorſtan, ubi biduo inter Edmundum Ironſide & Canutum pugnatum; 904, 20. Stanford-bridge; 959, 5. 2339, 57. Striveſyn; 2533, 22 & 44. Thetfordiam; 805, 37. Totenhale; 833, 7. Walton; 809, 34. Wilmesford; 833, 14. Zolſton; 2728, 59. inter Henricum R. Franciæ & proceres Normanniæ. 475, 16. V. *Pugna*.

Præmonſtratenſium ordo quando inceperit. 1014, 29. 1043, 39. 2381, 17. Eorum privilegia. 1925.

Præpoſiti negligentes vel corrupti quomodo puniendi. 836, 64. 844, 56. 849, 50. 850, 34. 855, 38. 894, 60.

Prærogativa Regia & Parliamentaria. 2693, 2694. V. *Parliamentum*, & *Reges*.

Præſagia de nuptiarum ſucceſſu. V. *Nuptiæ*.

Præſcriptio XL vel XXX annorum, valida. 1326, 26. 1741, 9. 1748, 8.

Preces. V. *Oratio*.

Presbyter Johannes, R. Indorum. V. *Alexander* III.

Presbyterium. 1716, 21.

Preſbyteros Thaynis æquales æſtimant leges Angliæ. 846, 28. 919, 53. Si inordinate vivant, quomodo puniendi. 830, 4 &c. 919, 32. Sine pretio baptizare, ungere, ſepelire, deſponſare, &c. tenentur. 241, 4. 253, 29. 327, 18. 1347, 28. 1430, 40. 1449, 43. Sed ſi quid ſponte detur, id iis licet accipere. 1717, 30. Uxores eis interdicit Albericus Legatus: 327, 64. 1347, 63. Anſelmus: 2377, 6. Hildebrandus, 973, 43. qui & conjugatorum Miſſam audire vetat. 209, 15. V. *Hildebrandus*. Concubinas ipſis interdictas, ægre ferunt. 228, 15. Presbytero Miſſam celebranti, poſtquam cum uxore noctu concubuerat, quid acciderit. 35, 2. A presbyteris uxoratis pecuniam extorquet Willielmus II, 2369, 43. & Henricus I. 1028, 2. 2382, 59. Quarum mulierum cohabitatio presbyteris permittatur. 248, 64. 254, 12. 973, 44. 1001, 6. Presbyterorum filii nec ab ordinibus ſacris nec a dignitatibus eccleſiaſticis arcendi. 532, 52. V. *Clerici*.

Preſton, 1863, 35. 1884, 38. 1891, 1892. 1895, 39. Ibi mercatus & nundinæ inſtituuntur. 2183, 6. Appropriatio Eccleſiæ. 2094, 41. Portio & onus Vicarii. 2109, 2.

Pretium ovis cum agno ſuo. 766, 36. Pretium pene omnium quæ ſunt ad convivium neceſſaria. 2010, 40. Stragulorum & veſtimentorum. 2011, 38. Quam vili omnia æſtimentur tempore peſtis. 2599, 41. 2600, 34. V. *Annona*.

Primatis vocabulum a Metropolitanis Angliæ vaniſſime uſurpatur. 1263, 65. Thomas Eboracenſis Anſelmum conſecrare renuit in Primatem Britanniæ. 1707, 26.

Principes qui Eccleſiaſticos oneribus gravant, Pharaone pejores. 1451, 10.

Priores olim *Decani* dicti. 1643, 3. 1650, 63. Benedictus *Præpoſitos monaſterii* vocabat. 54, 60. Cum Archidiaconis contendunt de præſentatione Epiſcopi. 581, 53. Quibus de cauſis amovendi. 1450, 60.

Procurationes ita mitigent Epiſcopi, ut clericis graves non ſint. 1455, 59.

Prodigia. 112, 8. 225, 30 &c. 232, 42. 263, 11 &c. 478, 1. 508, 13. 703, 47. 749, 49. 995, 18. 1423, 36. 1443, 62. 1445, 2. & 23 & 56. 1534, 67. 1538, 65. 1589, 50. 2379, 15. 2397, 34. 2416, 45. 2430, 32. 2608, 57. Frequentiora in mundi extremitatibus quam in medio. 1076, 23.

Proditionis & perfidiæ ultio. 176, 3. 177, 4. 365, 61. 395, 46. 467, 7. 907, 16. 908, 15. 1010, 7. 1154, 60. 1365, 23. Proditor pœnam pro mercede a Canuto accipit. 365, 46. Quomodo proditorem ſibi conciliarit Malcolmus R. Scotiæ. 367, 17.

Prohibitionum ſumma, DECLINA A MALO. 1335, 21. V. *Præcepta*.

Prophetiæ. 527, 64. 534, 34. 577, 42. 704, 16. 877, 59. 878, 40. 980, 48. 1002, 57. 1046, 2 & 14 & 22. 1052, 11. 2368, 17 &c. 2393, 32 & 45 & 53. 2395, 30. 2426, 45. Prophetiæ tres a capite cereo prolatæ. 2706, 1. Prophetiæ Dunſtani: V. *Dunſtanus*. Elfegi: 839, 1. Merlini: 645, 19. 646, 64. 1083, 64. 1339, 13. 2463, 7. Petri de Ponte-fracto, de Rege Johanne: 2424, 49. Thomæ Cantuarienſis: 1545, 17. Willielmi Eboracenſis. 1722, 11. De Angliæ deſtructione verſus propheticus. 2417, 56. Prophetia de Anglis a Francis ſuperandis: 884, 3. 909, 29. de miſero Angliæ ſtatu poſt Confeſſorem: V. *Edwardus Confeſſor*. de duratione Normannicæ dynaſtiæ in Anglia: 960, 64. de Scotorum in Anglos dominio: 909, 36. 2476, 45. de adventu Antichriſti, & fine mundi: 2643, 3. de civitate Aſcalone: 667, 65. de Chriſto: 2435, 39. de Latinis Conſtantinopolin poſſeſſuris: 642, 27. de Edwardo Confeſſore: 909, 20. 955, 46. de Lewlino, Walliæ Regulo: 2465, 1. de terræ S. recuperatione: 641, 59. de Turcis. 642, 40.

Prophetiſſa mira de Gaſconia Romam venit. 1458,3.

Proſper. 431,65.

Proſpera adverſis miſcet Deus. 2150,37.

Protoſebaſtus perimitur. 614,9.

Pſalmus, *Domine, qui multiplicati ſint*, quoties & quomodo cantandus. 902, 29. Quinquaginta Pſalmi ſingulis diebus Veneris pro Rege & grege cantandi: 850,53. & pro anima congildonis, totidem. 854,47.

Pſalterium in ſinu ſemper geſtabat Alfredus. 352,42.

Puerperium mirabile. 419, 52. Puerperii dolores. V. *Elfleda.*

Pugnæ deſcriptio. 1353. 31 & 52. 2386, 54. Militibus pugnaturis tria conſideranda. 1030, 61. 1352,40. 2386, 37. Pugnare ſine wita quando liceat. 826,48. Pugnantes in domo Regis, Eccleſia, campo, &c. quomodo puniendi: 762,9. 822,63. 825,57. 826,1. 928,66. quomodo, qui coram Archiepiſcopo vel Epiſcopo pugnarint. 823,51. V. *Prælium.*

Pullus gallinæ quadrupes. 1004,2.

Punctus, quinta pars horæ. 1012,39.

Pupillorum tutela, Anglice Wards, Regi committitur. 2430,44.

Purgantes ſe de crimine, an puri ab infamia. 580,26.

Purgatorium Patricii. V. *Patricius.*

Putta, Epiſc. Roffenſis. 790, 29. 1638,6. Fugit. 792, 60. 1638, 41.

Q.

Quadfordenſis Eccleſia a quibus & quare fundata. 988, 51. Ejus privilegia. 989,21.

Quadrageſimale jejunium quando primum in Anglia obſervatum. 85,20. 740, 63. 1769, 23. Peccatum in Quadrageſima commiſſum duplicatur. 822, 55. 826, 15. 927, 66.

Quendreda, impiiſſima fratricida. 776, 64. 777, 36. Oculi e capite ei evolant. 778, 23. Ejus ſepultura. 778, 27.

Quichelmus. V. *Chichelinus.*

Quindena Henrico III concesſa. 2429, 55. 2430, 47. 2431, 15.

Quinque-portubus privilegia cur Johannes R. conceſſerit. 2424, 30.

Quintallus. 1219,40.

R.

Raculfenſis Abbatiæ terras donat R. Lotharius. 2207, 46. Donatio Edberti R. 2211, 11. Ealmundi R. 2211, 24. Eardulfi R. 2220, 62. ¶ Abbates: *Brithwoldus*; *Denebeah*; *Wetredus*; *Edbertus.* Monaſterium & villa de Raculf donantur Eccleſiæ Chriſti, Cantuariæ. 2220, 53.

S. Radegundis Abbatia quantum valeat. 2165, 57. ¶ Abbas: *Hugo.*

Radingis Henricus I fundat monaſterium; 310, 3. 505, 39. 2252. atque ibi ſepelitur. 1024, 7. ¶ Abbas: *Henricus.*

Radulfus, Abbas Parchenſis. 331,1.

Radulfus, Abbas Salopesberiæ. 1433,32.

Radulfus, Archidiaconus Colceſtrenſis. 656,29.

Radulfus de Arundel, Prior Hurlenſis, fit Abbas Weſtmonaſterienſis. 708,58.

Radulfus de Baldok, Epiſc. Londinenſis. 1730,10.

Radulfus de Borne eligitur Abbas S. Auguſtini. 2009,58. Avenione benedicitur ab Epiſcopo Oſtienſi. 2010,21. 2278. Quam lautum fuerit convivium cum inſtallaretur. 2010, 32. Mors ejus & ſepultura. 2066,66. Conſtitutiones quædam quas martyrologio inſeruerat, poſt ejus mortem igni traduntur. 2054,52.

Radulfus, Cancellarius Henrici I, inique vixit, infeliciter obiit. 1014,43.

Radulfus, Comes Orient. Anglorum, conſpirat in Willielmum I. 208,29. 486,42. 974,27. Fugit ex Anglia. 208, 60. 486,61. 974,35. 975,49. 2351,6.

Radulfus, Comes Weſtmorlandiæ. 2743,22.

Radulfus de Diceto, Decanus Londinenſis, ad quotum annum Imagines hiſtoriarum perduxerit. 432, 64. De quibus rebus potiſſimum ſcripſerit. 433, 6. Literas ab Archiepiſcopo accipit, 643, 55. & ab Henrico II, 644, 4. & a Waltero Rothomagenſi, 671, 64. 686, 19. 689, 18 & 50. 691,46. 694,54. 697,49. 700,1. & a Willielmo Elienſi. 680, 38. Epiſcopi vice fungitur in coronatione Ricardi I. 671,64. Ejus literæ ad Rothomagenſem. 687,51.

Radulfus de Doloribus. Ejus caſtellum, 1499,31. ad cujus ditionem pertineat. 599,52. 1134,37. Henrico II redditur. 1136,6. Gallus illud capit. 1149,35. 1935,20.

Radulfus, Epiſcopus Ciceſtrenſis. 228,33. 1707,20. Ab adulatione & avaritia quam fuerit alienus. 2369,30.

Radulfus, Epiſcopus Ciceſtrenſis, & Regis Cancellarius. 2133,63.

Radulfus, Epiſc. Sariſburienſis, ad Bathoniam transfertur. 2729,11.

Radulfus Gubium, Abbas S. Albani. 509,53. 526,59.

Radulfus de Moutermer, ducta Edwardi I filia, vidua Gilberti Gloceſtrenſis, 2507, 26. fit Comes Gloceſtriæ. 2507, 30.

Radulfus Nouellus, Epiſc. Orcadum. 262,9. 273,35. 321, 43. 345,16. 1713,34. Ejus oratio ad Anglos cum Scotis congreſſuros apud Alvertonam. 1026,26.

Radulfus de Stafforde, Comes Staffordiæ. 2581, 59. 2602, 35. 2621,40. Aguillonam ſtrenue defendit, 2589,3.

Radulfus de Turbine, Abbas Sagienſis, fit Epiſc. Roffenſis; 229,11. 501,25. Archiep. Cantuarienſis. 502,21. 1004,20. 1660,50. 2251. 2379,35. Miſſam Romæ celebrat. 1328, 12. 1661,23. Cur Calixtum Papam non viderit. 1328, 25. Cogit Sariſburienſem officium Regem deſponſandi Wintonienſi tradere. 1013,38. 2380,4. Regi iraſcitur quod coronam ipſo inconſulto induiſſet. 1013, 46. 1661, 60. 2380,9. Jocis adeo deditus erat ut *Nugax* diceretur. 1013, 55. 2380,18. De Papa temere & audacter loquitur. 1714, 40. Literæ ejus ad Calixtum de injuriis Cantuarienſi Eccleſiæ ab Archiepiſcopo Eboracenſi illatis. 1735, &c. Obit. 1014,38. 1662,26.

Radulfus de Vallibus interficitur. 664,38.

Raimundus, Comes Tripolitanus, cum Saladino fœdus percutit. 1501,46. 2400, 46. Mox ab eo ad Chriſtianos deficit. 1501,59.

Raimundus, Princeps Antiochiæ, auxiliarios a RR. Angliæ & Franciæ accipit. 1209,14.

Rainaldus. V. *Reginaldus.*

Raino fit Dux Apuliæ. 1019,35.

Rameſienſe monaſterium. 359,58. 475,59. 879,32. Conſecratur. 162,24. Palus ubi ſitum eſt deſcribitur. 868,46. In caſtrum convertitur. 1033,6. 1360,17. ¶ Abbates: *Ailwinus*; *Alxis*; *Willielmus Herbertus Loſenga*; *Aldwinus*; *Reginaldus*; *Willielmus.*

Ranulfus a Conquæſtore miſſus ut Dunelmenſis ſub tributo redigat, furioſus fit. 42,52.

Ranulfus, clericus, Normannis omnibus necem machinatur. 508, 6.

Ranulfus de Gernons, Comes Ceſtriæ. 1013,23. 2382, 16. Dicitur veneno periiſſe. 1374,45.

Ranulfus de Glanvilla, Juſtitiarius & Præfectus Angliæ. 644, 7. 1091, 48. 1191,30. 1459,45. 1460,2. 1540,38. Literæ ejus ad Abbatem de Bello; 1503,36. ad Conventum Eccleſiæ Chriſti, Cantuariæ. 1503, 50. Ejus cum Priore Cantuarienſi colloquium. 1544,14. Huberti Cantuarienſis conſilio maxime utebatur. 1697,19.

Ranulfus II, dictus *de Meſchenes*, Comes Ceſtriæ. 1142,62. 2383, 15. Lincolniam occupat. 268, 22. 1030, 11. Oratio ejus ad milites. 1030,29. 1351,21. 2386,11. Homagium facit Regi Scotiæ. 277,55. Ejus character. 1031, 3. 1352,65. 2386,46. Cuſtodiæ traditur. 278,43. 508, 43. 1034,10. 1361,14. 2387,53. Solutus, Henricum Ducem Normanniæ in Angliam invitat. 278,59. Ejus filia Davidi Comiti de Dundee nubit. 967,25. Moritur. 282.47. 1043,14. 2389,59.

Ranulfus III, Comes Ceſtriæ. 2398, 9. Ejus ſororem ducit David Regis Scotiæ frater. 1190,29. Cum Conſtantia uxore Comitatum Britanniæ & Richemundiæ accipit: 1149 13. 2399, 36. Uxore repudiata, aliam ducit. 2416,9. Lincolniam capit. 2429, 67. Erat Comes Lincolniæ & Huntingdoniæ. 2431, 23. Proficiſcitur Hieroſolymam. 2430, 9. Redit. 2430, 15. Sine liberis moritur. 2416, 14. 2431, 24. Ejus ſorores quibus nupſerint. 2431, 28.

Ranulfus, primo Mauritii Londinenſis capellanus, 59, 12: poſtea Willielmi Conquæſtoris, 59, 10. 2372,13. (Hic enim pro *Waltero* legendum *Ranulfo*) fit totius Regni procurator vel exactor. 59, 20. 224, 42. 2369, 18. Inſidias

ſidias Geraldi aliorumque ægre evadit. 59 & 60. Mille libras Regi dat. 2369, 26. 2372, 31. Fit Epiſcopus Dunelmenſis. 60,51. 501,26. 502,48. 995,44. Subjectionem Eboracenſi profitetur. 1709,30. Iniquiſſime ſe gerit. 225,43. 2369,20. In cuſtodiam conjicitur. 226,8. 499,2. 997,66. 2375,2. Inde elapſus, Normanniam adit. 61,4. 226,30. 999,6. 2375,34. Reſtituitur. 61,13. Monachos ad luxum provocat. 2372,32. Cuthberti corpus recentibus veſtibus induit. 2372,39. Ejus mores; 61,27. res geſtæ; 61,39. pœnitentia, & mors. 62,13.

Raptores fœminarum villanarum qua pœna coercendi. 824,42. De raptu virginis immaturæ. 824, 66. Raptores, membris genitalibus orbari. 982,3. 2354,16.

Raſura dolori capitis medetur. 2432,61. Aliter Normanni, aliter Angli faciem radebant. 2341,53. Quando fratres a ſecularibus radi inceperint. 1915,22.

Ratio omnia moderatur. 2371,9.

Ravelandeye, corvus terroris terreni. 945,65.

Rebellio. V. *Johannes Straw*, & *Seditio*.

Recti poſtulatio. 762,28. 826,19. 828,28. De rectum difforciante lex. 836,14 & 60. De præpoſitis rectum facere nolentibus. 836,65. V. *Præpoſiti*.

Redford, vadum arundinis. 799,16.

Reding. V. *Radingis*.

Redwaldus, R. Orientalium Anglorum. 745, 35. 781, 35. Altare Chriſti & dæmonis in eodem fano collocat. 745, 40.

Rees, R. Wallanorum ultimus, occiditur. 989,34. 2365,17.

Reformatio debet per gradus procedere. 731,47.

Regalis vallis monaſterium (idem fortaſſe cum Rievallenſi) fundatur. 1028,47.

Reges gentium & Imperatores Reip. quomodo differant. 435,6. Eorum officium. 360,23. 434,55. 435,20. 732, 44. Eorum dignitas, ſacerdotes revereri. 352, 58. V. *Principes*. Regia dignitas & Eccleſiaſtica ſe mutuo conſervant. 551, 1. Ad eos non ſpectat, Epiſcopos, Abbates, &c. ſtatuere. 2208, 54. Theſauri a quocunque ad mortem repoſiti ad Regem pertinent. 1142, 55. Alii theſauri ad fiſcum pertinentes. 2258, 10. Regi legitimo præjudicium non faciunt chartæ invaſoris. 1046, 43. De Regibus ſcribere, periculoſum. 1044,11. 2391,45. Regi mortem machinantes, quomodo puniendi. 822, 27. 928, 57. Vel nomen Regis quam olim venerandum. 2359,64. V. *Parliamentum*. De Regum ſanctitate Anglia præ cæteris nationibus gloriatur. 369,50. Regum Angliæ genealogia. 350,22. V. *Genealogia*, & *Anglia*. Reges Angliæ coronare ad quem pertineat. 1338, 37. 1412, 23. 1421, 47. 1463,54. 1661,60. Eboracenſis Henricum juniorem coronat: 1412,13. Eundem poſtea cum Regina Rothomagenſis in Anglia coronat. 1421, 45. Forma juramenti a Regibus Angliæ, cum coronantur, præſtandi. 2746,41. Coronationis ceremoniæ. 1158, 1159. 1587, 1588. 2461, 20. Reges cur tribus locis uncti. 541. 28. 1159,8. Tria promittunt, cum conſecrantur. 628, 23. 647, 48. 1158, 58. Alfredus e Regibus Angliæ primus unctionem obtinuit. 1777, 58. *Regem facere, quam eſſe, glorioſius*, dictum Adelſtani. 838,29. Puerum pro Rege habere, quantum malum. 2758, 35. Reges ad vitia proniores quam privati. 348, 13. Rex illiteratus, aſinus coronatus. 455,58. Reges quatuor ſimul pacifice colloquuntur. 611,54. 2627, 23. ¶ Reges & viri nobiles ſeculum relinquentes: Adelredus; 773, 26. 795, 31. Carlomannus; 443, 36. Cedwalla; 757, 32. 795,32. Choered; 442, 21. Conſtantinus; 455,10. Edwoldus; 807,25. Egbertus; 796, 20. Hildericus, R. Franciæ; 444,8. Ina; 119,38. 758, 66. 795,33. Kenredus; 773,32. 795,32. Offa; 442,21. 773,33. Philippus; 1017, 36. Pipinus; 445, 61. Robertus Boſſu; 2346,15. Sebby; 745,8. 795,35. Sigebertus; 795,33. Stephanus. 455,10.

¶ Reginæ, & fœminæ illuſtres, monaſteria ingreſſæ: Amicia; 2346,23. Chriſtiana, vel Chriſtina; 213, 37. 367, 13. 979,52. 2353,26. Edburga; 118, 45. 832, 6. Editha; 457, 14. Enfleda; 772, 11. Ercongeca; 740, 55. Ermenilda; 773,8. Etheldreda; 294, 30. 440,8. 741, 1. 773,20. Gunnilda; 933,26. Philippi, Regis Franciæ, uxor; 871,30. Ricrbryth; 110,35. Sexburga; 773,10. Werburga. 110,18. 773,13.

Reginaldus, Abbas Perſcorenſis. 553,32.

Reginaldus, Abbas Rameſienſis. 1010,57.

Reginaldus, Archiepiſcopus Colonienſis, Imperatori ſuadet ut Alexandrum P. R. abjuret. 1403,54. Ipſe primus eum abjurat. 548,3. 1404,19. In Angliam venit. 539, 37. Comes Leiceſtrenſis eum non ſalutat. 539,43. Altaria ubi celebraverat, evertuntur. 739,45.

Reginaldus, Epiſc. Bathonienſis. 568,31. 1890,21. Conſecratur. 581, 10. 1096, 37. Solenniter inthronizatur. 585, 14. Monachos Cantuarienſes contra Archiepiſcopi querelas defendit. 1523, 7 & 37. Romam proficiſcitur. 574, 30. Ejus literæ ad Henricum II. 1093, 67. De ejus electione ad Cantuarienſem cathedram. 1579,50. Rothomagenſi interroganti an electioni conſentiat quid reſponderit. 1580,6. Fit Archiepiſcopus. 667,10. 1189, 5. 2404,20. Moritur. 667,19. 1189,20. 1580,40. Erat Epiſcopi filius. 1090,21.

Reginaldus, Princeps Caſtiliæ, Saladini manu occiditur. 1502,28.

Reginaldus, Prior Salopiæ. 988,48.

Reginaldus, vel Rainaldus, Henrici I F. Comes Cornubiæ. 1039, 60. 1386, 15. Moritur. 586, 60. 1088, 42. 1434,15.

Reginaldus, vel Reingnoldus, R. Northumbriæ. 155, 59. 835, 30. Baptizatur. 857, 45. E regno pellitur. 857,53.

Regino, Chronographus. 432,41. 453,23.

Regnorum tranſlatio. 434,39.

Reimundus, Comes S. Ægidii, homagium Henrico II facit. 561,22.

Reimundus. V. *Raimundus*.

Reinefridus. 973,19.

Reinelmus, electus Epiſc. Herefordenſis, Epiſcopatum Regi reddit. 228,40. 499, 27. Conſecratur. 230,50. 500,47. 1660,16. Vocatur Ramelinus. 1711,5.

Reinerus, Epiſcopus Sanct-aſaphenſis. 1678,50.

Reinerus, ſacrilegus, mirando & triſti fato perit. 1033, 26. 1360,56.

Reingnoldus. V. *Reginaldus*.

Relevationes Comitum & Thaynorum. 936,10.

Rimenſe monaſterium dedicatur. 184, 8. Remenſis Archiepiſcopi officium eſt, Reges Franciæ coronare. 1140, 63. 1141,61.

Remigius, Epiſc. Lincolnienſis. 217,43. 483, 53. Ejus ſtatura & mores. 983,60. 988,13. 2364,48. Papa eum Epiſcopatu privat. 484, 2. Precibus Lanfranci reſtituitur. 484,10. 970, 33. 2348, 24. Eccleſiam cathedralem Lincolniæ conſtruit. 217, 46. 983,46. Biduo ante diem dedicationi ejus ſtatutum moritur. 217, 55. 1708, 20. 2364,44. Ejus mortem Robertus Herefordenſis præſagiit. 988, 7. 2364, 45.

Remington, villa, unde dicta. 27,59.

Reſus, vel Ris, F. Griffini, R. Britonum, Stuteberiam obſidet. 577, 61. Ad Concilium Gloceſtrenſe venit. 1102, 55. Henrico II fidelitatem jurat, & terras ab eo accipit. 1127,46. Oxoniam venit, ſed Anglus non vult eum alloqui. 1166,40. Ejus mors. 1267, 29. 1597, 23. Encomium. 1267,30. 2412,33.

Rhegium, unde dictum. 1010,41.

Rhodus, civitas, a quo condita. 1217,48.

Ricardus, Abbas Ceſtrenſis. 2365,66.

Ricardus, Abbas Elienſis. 228, 14 & 50. 230,63. Henrici I partes contra Anſelmum tuetur. 499, 37. Deponitur. 1660,8.

Ricardus, Abbas Langdunenſis. 1681,42.

Ricardus, Abbas S. Mariæ, Eboraci. 206,25.

Ricardus, Abbas Witebienſis. 206,30.

Ricardus, de Albeneio, Abbas S. Albani. 493, 6. 502, 51. 503,26.

Richardus, Archidiaconus Pictavienſis, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi excommunicatur. 539, 62. Amicus quidam (ſcilicet Radulfus de Diceto) ei conſulit ut ſententiæ ſe ſubmittat. 540, 8. 715, 1. Fit Epiſc. Wintonienſis. 568, 28. In Normanniam mittitur, ut Henricum II revocet ad motus Angliæ ſedandos. 576,13. Johannæ, Henrici II filiæ, in Siciliam transfretanti ſumtus & miniſtros ſuppeditat. 594, 33. Cura totius Normanniæ ei committitur. 594, 61. 1116, 30. Redit. 599, 44. Legatus ad Gallum mittitur. 609, 63. Moritur. 641, 42. 1538,66.

Ricardus Barre ab Henrico II ad utrunq; Imperatorem & Regem Hungariæ mittitur. 636,53.

Ricardus de Belmeis, Epiſc. Londinenſis. 231, 22. 500, 52. 501,24. 502,46.

Ricardus de Belmeis, nepos prioris, adhuc impubes fit Archidiaconus Londinenſis. 507, 13. Hugo, cujus fidei commiſſus fuerat donec ad maturitatem perveniret, fidem datam violat. 507,26. Ricardus tandem in integrum reſtituitur. 507,48. Fit

Epiſc. Londinenſis. 278,42. 527,28. 533,7. a Wintonienſi laudatur. 527, 37.
Ricardus de Bury, Epiſc. Dunelmenſis, ad Gallum mittitur. 2571,9. 2572,58.
Ricardus de Clare, Comes Gloverniæ. 2436, 55. 2437, 7 & 40.
Ricardus, Comes Arundeliæ. 2119, 24. 2132,42. Hic (ni ſallor) erat unus e XIV Regni Præfectis. 2685,62. 2687, 37. Maris Præfectus factus, fortiter & feliciter ſe gerit. 2692, 43. Armatus Londinum accedit, ut ſeductores Regis latere amoveat. 2696,&c. Ducem Hiberniæ illiuſq; ſocios proditionis accuſat. 2713,50. Erat Comes Surriæ. 2714, 4. Præfectura maris privatur. 2735, 35. Capite plectitur. 2747,63.
Ricardus, Comes Ceſtriæ. 2376,66. Naufragio perit. 242, 52. 1012,46. 2381,50. Quæ monachis minatus fuerat. 1013,19. 2382,4.
Ricardus, Comes de Clare. 578,24. Ejus uxor. 1116,46.
Ricardus, Comes Pembrokiæ. 1039,63.
Ricardus, Comes de Striguil. 1155,18. In Hiberniam accerſitur. 1069,56. Rege non ſolum inconſulto ſed prohibente, transfretat. 1069,65. V. 1419,66. Dubliniam & alia loca adquirit. 1070,1. 1420,13. Rex iratus & invidus ejus bona fiſco addicit; 1070, 8. & Dubliniam &c. ab eo extorquet. 1070,17. Moritur. 589,67.
Ricardus I, Dux Normanniæ, cognomento *Vetus*. 155, 37. 362,58. 454,62. 2314,54. *Ricardus ſine timore* dicebatur. 856, 66. Vigilias circa funera cur celebrari ſtatuerit. 857, 2. Litem inter Angelos & dæmones de anima monachi mire componit. 857,11. Ejus uxores & liberi. 457,45. 856, 62. Uxoris ad eum lepida reſponſio. 857, 28. Sarcophagum ſibi paratum qualibet ſeptimana implet frumento, quod pauperibus erogat. 857, 30. Obit. 880,54.
Ricardus II, Dux Normanniæ, cognominatus *Bonus*. 163,23. 461,14. 880,56. 2315,36. Hugonem Comitem Cabilonenſem vincit. 468,10. Quomodo militem cochlear ejus ſuratum tractarit. 880, 64. Bernardum quendam mire in amicitiam recipit. 881,4. Ejus uxores & proles. 465, 38. 468,6. 880,60. Mors. 910,9.
Ricardus III, Dux Normanniæ. 177,64. 468,25. Veneno exſtinguitur. 910,10. 2318, 54. 2467, 11.
Ricardus, Epiſcopus S. Aſaph. 1665,49.
Ricardus, Epiſc. Ciceſtrenſis. 2013,55.
Ricardus, Epiſc. Herefordenſis. 243,5.
Ricardus, Epiſc. Herefordenſis, alius. 2467,11.
Ricardus, Epiſc. Sariſburienſis. 2133,57.
Ricardus Fitz-Rauſ, Epiſc. Armachanus. 2625,55.
Ricardus, F. Regis Johannis, Comes Cornubiæ. 2417,63. In bello capitur. 2437,28. Eligitur Imperator. 2435,52. 2438, 35. 2444, 24. Ejus filius Henricus, dum Miſſam audit, occiditur. 2455,59.
Ricardus Lucy, Angliæ Præfectus. 1423,53. De eo lege 533, 29. 539,61. 600,14. 1039, 10 & 64. 1088,43. 1402,44. 1930,43. 1931. Eccleſiam Regularium ædificat. 1445, 47. In illa ſepelitur. 1456,52.
Ricardus de Mariſco, Epiſc. Dunelmenſis. 1871, 32. Ejus literæ ad Pandulſum, pro Auguſtinenſibus. 1871,37.
Ricardus Oxindenne, Prior S. Trinitatis. 2060, 14. Pontificis R. ad eum literæ, de Petro Dene. 2060,25. V. *Petrus de Dene.*
Ricardus, Prior Doveræ, ad Regem in Normanniam mittitur. 1425, 22. Eligitur Archiep. Cantuarienſis. 568, 55. 618,54. 1090,19. 1425,34. 1819,45. 2255. Ejus conſecrationem impedit Henricus Rex junior. 570, 43. 1425, 39. 1674, 5. Romam proficiſcitur. 574,30. 579, 44. 1436,6. Ibi junioris Henrici nuntios & alios adverſantes invenit. 579,60. 1093, 53. Poſt longam ventilationem ejus electio tandem confirmatur. 580, 24. 1094, 7. 1426, 54. Fit Legatus P. R. 580,47. 1426,61. De ejus reditu. 581,1. 1426,62. 1428,16. Clericos Gloceſtrenſes ſuſpendit: 1100,40. quod ægre fert Eboracenſis. 1101, 63. V. *Rogerus Archiep. Ebor.* Johannam Regis filiam Siculo nupturam comitatur. 1434, 27. Rogerus S. Auguſtini Abbas ei profeſſionem negat. 1444, 15. 1675, 6. 1721, 8. Papa mandat, ut ſine obedientiæ exactione ei benedictionem impendat: 1821, &c. Sed Papæ mandatis haud obtemperat. 1824, 2. Auguſtinenſibus multa gravamina infert. 1830, 63. Eorum privilegia falſi arguere conatur. 1831, &c. Compoſitio inter utroſq; fit, qua Auguſtinenſium privilegia non parum imminuuntur. 1835, &c. Conventui Cantuarienſi Eccleſias ſuas &c. reddit. 1675,12. Perſona terribilis noctu apparens ei terribilia interminatur. 1465,15. 1837,66. 2397,2. Moritur. 1465,34.
Ricardus, Prior Haguſtaldenſis. 271,22.
Ricardus, Prior Kyrkbienſis, fit Abbas Whitebienſis. 1120, 12.
Ricardus, Prior S. Mariæ, Eboraci. 257,33. Fit Abbas Fontanenſis. 257,40. 264,12. 265,44. 325,24.
Ricardus, Prior S. Trinitatis, alius. 2148,56.
Ricardus I, R. Angliæ. 2258. *Cor leonis* dictus. 1278, 6. 2408,10. Fit Dux Aquitaniæ. 675, 6. Regis Franciæ filiam accipit. 547,60. A patre deficit. 562, 10. 2397,30. Urbem Santonicam occupat. 575, 19. Engoliſmenſes & alios edomat. 594,43. 1115,14. Aquenſem urbem & alia loca capit. 1118,1. Taileburgenſe caſtellum obſidet, capit, ſubvertit. 603, 56. 675, 11. Aquitaniæ populus eum ob crudelitatem odio habet. 1462,59. Homagium Henrico fratri facere recuſat. 617,30. 1462,65. Crucis ſignum, patre inconſulto, ſuſcipit. 636,35. 1148,29. 1511,36. Gaufridum de Liziniaco, ob cædem amici, male mulctat. 639,23. Apud caſtellum Radulfi de vita periclitatur. 1536,17. A patre fit alienus. 639, 32. 1537,3. V. *Henricus II, R. Angliæ.* Philippus, R. Franciæ, ei offenſus. 639,37. Ei homagium facit, 641,36. 1537,9. & cum eo pacem init. 1545,61. Rex factus, ſervos patris qui ad ipſum defecerant rejicit; qui patri fideles permanſerant, retinet. 1154, 56. Abſolvitur a reatu rebellionis contra patrem. 646, 50. Inſignia Ducatus Normannici accipit. 646, 53. 1155, 2. Henricus *Sol*, Ricardus *Solis radius* adulatorie appellatur. 1156. 27. Quam varia fortuna uſus fuerit. 519,42. Matrem e carcere 1547, 44. ad ſummum honorem evehit; 646, 59. 1155,41. & univerſim omnes per Angliam captivos liberat, 1155, 50. & exhæredatos omnes reſtituit. 1156, 5. Laudibus evehitur. 1156, 24. Solenniter coronatur. 647, 36. 1157, 43. Judæos coronationi intereſſe vetat. 1159, 48. 2401, 34. Ipſe & Gallus jurant ſe Hieroſolymam profecturos. 1166, 47. Multa in matrem confert. 1168,65. Pecuniam undecunque corradit. 1162, 21. 2402,4. Juri omni ad Regnum Scotiæ, quod pater extorſerat, renuntiat, 1167, 57. ſed non gratis. 2402,6. In Normanniam transfretat. 1170, 1. Profectionem Hieroſolymam verſus orditur. 650, 13. Cum Gallo ſolenne fœdus init. 650, 30. 1170, 30. Regnum quatuor cuſtodibus committit. 1170,7. Claſſi quatuor Juſtitiarios præficit, 1173, 3. & leges ab exercitu in itinere obſervandas ſtatuit. 1173, 19. 1189, 19. Peram & baculum, uti & Gallus, capit. 1173, 50. Gallus *Agni*, Anglus *Leonis* nomen ſortitur. 2404, 36. Maſſiliæ navem conſcendit. 656,4. 1174, 1. Iter ejus per ſingulos dies deſcribitur. 1174, 14. 1179, 48. Quæ claſſi ejus acciderint. 1175, 41 &c. Romam, licet a Papa invitatus, viſitare non vult. 656, 6. Papam ſimoniæ accuſat. 1174, 57. Ob accipitrem a ſe captum de vita periclitatur. 1179, 61. In Calabria & Sicilia loca capit. 656, 44. 1160, 45. Injuriis provocatus, Meſſanam expugnat. 1180, &c. 2404, 40. Gallus odio & invidia erga eum afficitur. 1180,32. 1182,8. Tancredus, R. Siciliæ, XLM unciarum auri ei dat. 656,65. 1184, 6. Wreck in terris ſuis quietum clamat. V. Wrecks. Arthurum nepotem hæredem ſibi conſtituit, 657, 5. 1185,2. & ipſum unam ex filiabus Tancredi deſponſaturum ſpondet. 1185, 1. Forma pacti inter ipſum & Tancredum. 1184,16. Literæ ejus ad R.R. de conventionibus inter ipſum & Siculum factis. 1187, 24. Foſſam & caſtrum in Sicilia facit. 1187, 26. Pœnitentia ob libidinem motus, ſe Epiſcopis flagellandum objicit. 1190, 43. Cum Willielmo de Bares cannis confligit: 1192,43. Ægre illi conciliatur. 1193, 2. Theſauros profuſe diſtribuit. 1193,24. Mater ejus ad eum ducit Berengeram Regis Navarræ filiam. 1193, 30. 1197, 12. 2404, 43. Arthuri R. gladium Tancredo donat. 1195,12. Tancredus ei oſtendit Galli literas odii & livoris plenas. 1195,21. Cur Aleſiam Galli ſororem ducere recuſarit: 1195,62. Gallo XM librarum numerat, ut a nuptiis illius liberetur. 657,12. A Sicilia ſolvit, Johannam ſororem ſecum ducens. 657, 35. 1197, 30. Claſſis tempeſtate diſſipatur. 1197, 41. Regni cuſtodes per literas conſtituit. 659, 13 & 26. 1194, 37. Vicecancellarius ejus ſubmergitur. 1197, 48. Portu prohibitus, Cyprum ſubjugat, & Regem Curſac, vel Iſaac, argenteis compedibus vincit. 660, 26. 1197——1200. 1567, 3. 2404, 60. Hieroſolymæ Rex, Antiochiæ Princeps, aliique, ei homagium faciunt. 1198, 61. Berengeram ducit. 1199, 56. Cyprum cuſtodibus committit. 1200, 25. V. *Robertus*

bertus de Turnham. Saphadini navem & MCCC Saracenos ſubmergit. 661, 20. 1200, 52. 2405, 3. Ad Tyrum appellens, ingredi non permittitur. 1200, 48. Portum Aconis intrat. 661, 55. Ipſe & Gallus arnaldia laborant. 1201, 63. Gallo devictæ Cypri dimidium, ratione pacti, vendicante, 2405, 19. dimidium Flandriæ &c. ab eo petit. 1202, 27. 1207, 62. Saladinus munera utrique mittit, 1202, 57. 1206, 29. & munera ab utroque recipit: 1202, 60. 1206, 39. Ricardo pretioſa mittit. 1206, 42. Campaniæ Comes, Gallo deſerto, ad Anglum ſe recipit. 2405. 22. Ricardus Guidoni favet, Conrado Philippus. 2405, 29. Oppida a Ricardo capta. 2405, 53. Caſtrum quod Gallus diu fruſtra obſederat, fortiter capit. 1209, 1210. Gallus redeundi licentiam ab eo petit; 1207, 30. 1208, 66. eam obtinet. 1209, 3. Ricardo nihil damni ſe illaturum, jurat. 1209, 4. V. *Philippus Ludovici* VII. *F.* Ricardus Saladini nuntium doloſum reſpuit. 1210, 38. Captivos, quos Gallus Conrado tradiderat, 1209, 28. ſibi mitti jubet: 1211, 15. ſed eos difficulter obtinet. 1211, 32. Eorum capita amputare minatur, ni Saladinus promiſſa expleat. 1212, 9. Saladini dona reſpuit. 1212, 46. Paganos captivos, paucis exceptis, obtruncat. 1213, 5. Saladinum lancea proſternit. 1214. 25. A Turcis de improviſo circundatus, Willielmi de Purcellis ſimulatione evadit. 1241, 1. Saladinus ei verba dare ſtudet. 1241, 45. Mille & ducentos captivos e Turcorum manibus eripit. 1242, 36. Limpoldus, Dux Auſtriæ, ab eo ſtipendium accipit. 1212, 39. Superbum Limpoldi reſponſum, cum a Ricardo rogaretur ut ad Aſcalonem inſtaurandam operam conferret. 1242, 17. Ricardus eum pede percutit: 1242, 28. & vexillum ejus dejicit. 1581, 33. 2405, 44. Nuncius ei ex Anglia allatus reditum feſtinare cogit. 1243, 10. 1245, 17. Gallum eum interemiſſe Conradum ait: 1244, 3. 2405, 63. Sed poſtea ſententiam mutat. 1269, 6. Ejus eximia fortitudo. 1247, 1248. In languorem incidit. 1249, 17. Convaleſcit. 1249, 53. Cyprum Guidoni & Henrico, Hieroſolymorum Regibus, dat. 1250, 5. 1581, 7. Siniſtri de eo rumores ſparguntur. 2406, 25. In reditu naufragium patitur. 1250, 36. Conradi Marchionis propinqui eum ſedulo inveſtigant. 1250, 40. A Limpoldo, Duce Auſtriæ, capitur, & in cuſtodiam datur. 668, 35. 1250, 51. 1581. 9. 2407, 3. Imperatori venundatur. 668, 56. 1251, 11. Contumelioſe tractatur. 1581, 17. In loco qui Trivallis dicitur incarceratur. 668, 62. Quæ ipſi ab Imp. ſunt objecta, diluit. 1254, 27. 2407, 16. Gallus ei bellum indicit. 1254, 5. Frater Regnum affectat. 1581, 47. Leonis ad eum devorandum immiſſi cor evellens, & crudum devorans, cognomentum COR LEONIS meretur. 2407, 66. Literæ ejus ad Epiſcopos Angliæ, de eligendo Archiepiſcopo Cantuarienſi: 669, 16. ad conventum Cantuarienſem: 1552, 47. ad eundem, de Willielmo Montis Regalis Archiepiſcopo: 1568, 65. ad matrem, de transferendo Huberto Sariſburienſi ad Cantuariam. 1583, 8. Pretium redemtionis ejus. 670, 35. 1256, 11. 1582, 36 & 51. Quam vehementer ſubditi ejus reditum expetebant: 670, 62. Quantum ſinguli ipſorum ordines pendebant. 670. 52. Pecunia undecunque corraditur. 1256, 18. 2408, 17. Literæ ejus ad Walterum Rothomagenſem. 671, 4. Quatenus nuntiis ſuis fidem adhiberi voluerit. 671, 6. Liberatur. 672. 6. Quamdiu in vinculis manſerit. 1256, 66. 2408. 12. Quædam Imperatori polliceri cogitur contra omne jus & fas. 675, 25. Obſides pro lytro ſolvendo relinquit. 672, 36. 1256, 61. 1586, 29. Coloniæ ab Archiepiſcopo honorifice excipitur. 672, 48. 1257, 1. Imp. dolens quod eum dimiſerit, rurſus capere conatur. 1257, 10. 2408, 23. In Angliam venit. 672, 60. 1257, 30. Quanta cum lætitia Huberto Cantuarienſi occurrebat. 1586, 55. Martyres Angliæ viſitat. 1257, 37 & 58. Alemanni cujuſdam dictum, cum pompam qua R. exciperetur ſpectaſſet. 1257, 47. Nottingamiæ caſtrum ad deditionem cogit. 672, 65. 1257. 60. 1586, 66. Johannes frater (qui ab eo ad Gallum turpiter defecerat, 1252, 5.) ſupplex ei ad pedes procidit. 673, 7. R. eum honoribus privat. 1258, 1. 2408, 32. Iterum coronatur. 1258, 10. 2408. 35. Modus coronationis. 1587, 1588. Leges de menſuris, panniſque ſtatuit. 1258, 18. Ejus charta de mercatu apud Stanores habendo. 2131, 16. Privilegia ab eo Cantuarienſi Eccleſiæ indulta. V. *Cantuaria.* Literæ ejus ad conventum Cantuarienſem de Eccleſia Lambethana. V. *Lameheia.* Regias poſſeſſiones e manibus eorum quibus ipſe vendiderat extorquet. 1259, 10. 2408, 39. Egentibus Eccleſiis calices argenteos diſtribui facit. 1258, 65. Grave tributum a clero & populo exigit. 1259, 28. Nuntio ei allato de Gallo in Normanniam ingreſſo, aulæ parietem effringi jubet, ut recta adverſus illum tendat: 1259, 57. Gallum a Vernolio fugat. 673, 9. 1259, 54. 2408, 45. Luches-caſtellum capit. 674, 20. 1260, 20. Engoliſmenſes domat. 674, 33 675, 17. 1588, 52. Regem Franciæ de Turoniæ finibus abigit, & ejus impedimenta capit. 674, 34. 1260, 29. Rebelles omnes ſubigit. 674, 32. 675, 19. 1260, 36. Inducias cum Gallo in annum paciſcitur. 1260, 53. 2408, 54. Dux Auſtriæ jubetur obſides ei remittere, pactiones relaxare, accepta reſtituere, &c. ſub pœna anathematis. 675, 22. 2409, 53. V. *Limpoldus.* Torneamenta paſſim per Regnum inſtituit. 676, 9. 1261, 9. Quæ ad vitam corrigendam ipſum impulerint. 1262, 45. Gallum iterum fugat. 1268, 1. Eum ad ſingulare certamen provocat. 676, 47. 1268, 22. Loca quædam capit. 1268, 26. Ipſe & Rex Franciæ coram exercitibus ſuis armati colloquuntur, & in amplexus mutuos ruunt. 1269, 42. Pax inter eos fit, ſed haud diu durat. 1270, 8. Clericis Turonenſibus redditus ſuos reſtituit. 677, 7. Purgatur de cæde Conradi. 680, 44. 1252, 60. 1268, 38. Arthuri nepotis tutelam poſcit, Britones negant. 1270, 48. Ejus literæ ad Ricardum Londinenſem. 681, 19. Regni adminiſtrationem Huberto Cantuarienſi committit. 681, 21. 1250, 64. Iterum Gallus & Anglus in arma ruunt. 1271, 5. Colloquuntur. 686, 27. 1597. Belvacenſem Epiſcopum præliantem capit, & in vincula conjicit. 1272, 49. 1597, 24. Hic olim Imperatori perſuaſerat ut durius Regem tractaret. 1272, 60. Papæ pro eo intercedenti, 1273, 11. quod reſponſum R. dederit. 1273, 29. Inducias cum Gallo paciſcitur. 1274, 44. Arthuro rebellante, Britanniam vaſtat. 1590, 62. Rothomagenſem Archiepiſcopum & Capitulum illicitis fidejuſſionibus involvere conatur. 686, 33. Ejus literæ ad W. Rothomagenſem. 688, 37. Quas injurias Rothomagenſi Eccleſiæ intulerit. 694, 57. 1597, 45. Summa controverſiæ inter ipſum & Rothomagenſem. 1274, 61. Forma pacis inter ipſos initæ. 698, 13. 1275, 25. Ejus literæ ad H. Cantuarienſem, de eligendo Epiſcopo Wigornenſi. 688, 56. S. Valerici caſtellum ſuccendit. 696, 62. 1275, 46. Fœdus init cum Baldewino Comite Flandriæ. 697, 10. Caſtella Regis Franciæ capit. 704, 25. 1276, 28. Ipſum in fugam vertit. 704, 32. 1276, 23 & 40. Quinquennales induciæ inter eos pactæ. 1276, 59. Ejus literæ ad Decanum & Capitulum Londini, de Epiſcopo eligendo. 705, 1. Vicecomes Lemovicenſis theſauri inventi partem ei offert, totum negat. 2413, 19. Vicecomitis caſtrum obſidet. 1277, 31. 2413, 25. Illic a Bertramo quodam (vel, ut quidam ajunt, a Johanne Sabraz, 1628, 6.) ſagitta lethaliter vulneratur. 1277, 35. 2413, 32. Peccata ſua humiliter confitetur. 1277, 41. Occiſori ignoſcit, & pecuniam ei dari jubet. 1277, 48. 1628, 17. 2413, 34. Theſauros quomodo dividi voluerit; 1277, 58. quomodo corpus. 1277, 62. Rothomagenſis hortatur, ut morti ſe paret, agendo pœnitentiam. 1278, 58. Tres ſuas filias, Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, quibus maritarit. 1279, 2. 2412, 26. V. *Fulco, propheta.* In ſignum pœnitentiæ, ſe pedibus ſublimem tolli jubet, & diu flagellari. 1279, 28. Moritur. 705, 47. 1278, 2. Arcubaliſtæ uſum revocavit, arcubaliſta periit. 1278, 11. Walteri Giſeburnenſis de ejus morte hiſtoria. 1278, 19. Ejus mortem luget Rex Franciæ, 1279, 58. & interfectorem ejus ſuſpendit. 1280, 2. V. 1277, 56. 2413. 45. Ejus ſepultura, 1628, 28. 2413. 61. Cor illi magnum. 1628, 30. Carmina in ejus obitum. 1280, 1281. 2413, 51. Ejus dictum de mutuis ſui generis odiis. 1045, 52. 2393, 18.

Ricardus II, R. Angliæ, naſcitur. 2142, 15. Tres Reges nato puero ſua munera donant. 2142, 16. Coronatur. 2152, 64. 2286, 2630, 39. Ejus uxor. 2630, 44. 2644, 9. Tributum in ſingula virorum fœminarumque capita impoſitum. 2632, 66. Aliud. 2633, 9. Quoſdam mittit qui de tributi hujus collectione inquirant. 2633, 19. Hinc ſeditio orta. V. *Johannes Straw.* Regis literæ ad Archiepiſcopum Cantuarienſem de dimidio decimæ colligendo: 2158, 14. ad Abbatem S. Auguſtini, de eodem: 2159. 22. ad Vicecomitem Cantiæ, de eodem: 2176, 66. 2178, 14. ad Theſaurarium, &c. 2177, 55. 2180, 61. ad Simonem de Burley, de reſiſtendis Francis Angliam invaſuris. 2182, 10. Charta ejus de mercatu & nundinis apud Preſton Cantiæ oppidum habendis. 2183, 6. Scotiam ingreſſus, villas & Abbatias incendit. 2675, 3. Franciæ naves complures a ſuis captæ. 2676, 21. 2678, 45. 2679, 23. 2692, 17 & 44. 2735, 4. Gallo profectionem in Angliam parante, 2679, 5. Anglos

glos ad ejus occurſum convocat: 2679,40. qui mox dimiſſi, patriam, dum redeunt, ſpoliant. 2680, 1. Senatu poſtulante, ut Cancellarium &c. officiis privet, 2680,62. R. iraſcitur. 2681, 1. Senatus inſtat: 2681, 11. Rex inſidias ei ſtruit. 2681, 18. 2719,10. Senatus, nuntiis ad eum miſſis, privilegia Parliamentaria, Regni gravamina, Regis officium & periculum confidenter exponunt. 2681—2683. R. eorum petitionibus auſcultans, Cancellarium, & Theſaurarium, officiis movet. 2683, 35. Quatuordecim (vel, ut 2719, 53. duodecim) Conſiliarii per Senatusconſultum Regni & Regis negotiis in annum præficiuntur: 2685,43. 2706,20. Eorum nomina; 2685, 54. poteſtas. 2685, 65. R. jurat ſe eorum decretis ſtaturum. 2686, 10. Subſidium ei conceſſum. 2686, 29. Statutum de iſtis Conſiliariis, iſtoq; ſubſidio, Regia autoritate firmatum. 1686—2692. Peſſimi ſeductores Regi ſuadere conantur, ut, ſenatus conſulto ſuoq; juramento violatis, omnia pro libitu agat: 2693, 44. 2697, 53. 2715—2726. Eorum nomina. 2693,46. 2694, 2. Quæſtiones ab eo Juſtitiariis propoſitæ de Regis & de Senatus autoritate. 2694, 2695. A civibus Londinenſibus ſolenni more excipitur. 2696, 43. Proceres quidam armati Londinum veniunt, ut proditores iſtos ab ejus latere amoveant. 2696, 61. Opem a Gallo petit. 2697,58. 2722,27. Quæ Gallo promiſerit. 2722, 41. Londinenſes alioſque contra proceres armari vult; ſed fruſtra. 2698, 15. Saniori conſilio dato, 2698, 41. iram remittit; 2698, 66. proceres benigne excipit. 2700,42. Diploma ejus in eorum excuſationem. 2701, 12. Parliamentum *ſine miſericordia* certo die habendum promittit: 2700,65. Sed proditores ab hoc propoſito eum flectunt. 2701, 46. Ab ejus latere in latebras fugiunt. 2701,60. Eorum abſentiam moleſte ferens, eos revocare ſatagit. 2702, 20. V. *Thomas de Woodſtoke.* Juſtitiarii qui ejus tyrannidi aſſenſerant, in carcerem conjiciuntur: 2706, 11. capite damnantur: 2727, 50. ſed Reginæ rogatu, vita illis conceſſa, in exſilium mittuntur. 2727, 61. Quatuor præcipui ſeductores ejus proſcribuntur. 2706,32. Epiſcopos monet ut hæreſes ſuccreſcentes eradicent. 2708, 46. Edictum ejus contra Wiclivitas. 2709, 1. Petitio *Communium* ei exhibita de reformando ſtatu Regni. 2710—2713. Flandrenſes pacem orant, ſed conditiones ab Anglis propoſitas non admittunt. 2713, 14. Dux Gelriæ Ricardo homagium facit. 2713, 44. Ejus leges. 2729—2734. Cancellarium, Theſaurarium, &c. officiis privat. 2735,22. Seipſum de pupillari gradu in plenam libertatem aſſerit. 2735,40. Inducias cum Gallo, Scoto, Hiſpano paciſcitur. 2736,8. 2741,24. Ducis Gelriæ literæ, eum ad magnanimitatem & actus bellicos incitantes. 2739, 12. Londinenſes privilegiis exuit. 2740,7. V. *Londinum.* Ejus uxor moritur. 2741,28. In Hiberniam cum exercitu trajicit. 2742,4. Redit. 2742, 16. Se Regno ceſſurum promiſit. 2743,40. Habito cum Henrico Lancaſtrio colloquio, 2743, 51. formam reſignationis e ſcripto recitat, 2744,22. & ſubſcriptione firmat. 2745,31. Lancaſtrium ſucceſſorem cupit. 2745, 35. Ceſſionem hanc Senatus ratam habet. 2746,3. Crimina ei objecta. 2746—2756. Quam perfide cum Cantuarienſi egerit. 2755, 2756. Senatus eum deponendum decernit. 2756,17. 2288. Forma ſententiæ in eum latæ. 2756,49. Senatus procuratores ad eum mittit, qui eum depoſitum, & populum ab ejus ditione liberum, declarent. 2757, 31. Willielmi Thirning ad eum oratio. 2760,20. Ejus reſponſum. 2762,14.

Ricardus, Roberti Ducis Normanniæ F. in Nova foreſta occiſus. 996,46.

Ricardus, Roberti Peccatoris F. primo Archidiaconus, poſt Epiſcopus Coventrenſis. 532,50. 533,26.

Ricardus Scrope, Epiſc. Lichfeldenſis. 2679,64. 2729, 18. Poſtea Eboracenſis. 2743, 20. Obtruncatur. 2289.

Ricardus le Scrope, unus e XIV Regni Præfectis. 2685,63. 2687,38.

Ricardus ſecundus, Archiep. Cantuarienſis. 2261. 2431,2.

Ricardus, Theſaurarius Regis, eligitur Epiſc. Londinenſis. 648,10. 656,61. 1161,17. De illegitimo matrimonio natus, Papalem diſpenſationem impetrat, 651,19. & conſecratur. 651,28. De eo lege 666,47. Literæ ejus ad coepiſcopos, de eligendo Archiepiſcopo. 1579, 30. Moritur. 704, 12. 1614,40.

Ricardus de S. Victore. 2253.

Ricardus de Wendover, Epiſc. Roffenſis: Ejus literæ de appropriatione Eccleſiæ Plumſtedenſis. 2100,55.

Ricaredus, R. Wiſigothorum. 435,42.

Richemont caſtellum cur a Merlino dicatur *ſinus Armoricus.* 577,43.

¶ Richemunt, ſeu Richemondiæ, Comites: *Alanus; Johannes de Britannia; Johannes de Gaunt.*

Ricſig, vel

Ricſius, R. Northumbriæ. 14,52. 79, 19. 145,23. 1698,47.

Rievallenſe cœnobium. 257,28. 338,24. 2371,39. Cæteris ejuſdem ordinis in Anglia præcellit. 338, 48. V. *Regalis vallis.* ¶ Abbates: *Willielmus; Mauritius; Ethelredus,* ſeu *Ailredus.*

Rinflo, vel

Ringflo, hundredum. 1935, 26. 1943,17. 2018, 60. 2120, 30.

Rippele. 1942,19.

Ripum, V. *Fontanenſe monaſterium.* ¶ Ripenſes Abbates: *Wilfridus; Botune; Albertus; Sigredus.*

Ris. V. *Reſus.*

Robertus, Abbas S. Edmundi. 228, 14. 230,64. 997,60. Deponitur. 1660,8.

Robertus, Abbas Leſnenſis. 1930,30.

Robertus, Abbas Malmesburienſis. 1105,47.

Robertus, Abbas S. Mariæ, Eboraci. 696,52.

Robertus, Abbas S. Michaelis de Monte, ad quem annum Chronica deducat. 432,61. 510,5.

Robertus, Abbas Mortpathenſis. 265,17.

Robertus, Archiepiſc. Cameracenſis, qui Flandrenſem contra Henricum II inſtigarat, miſere interficitur. 582,13.

Robertus de Beleſmo, vel Bellem, Comes Salopiæ, contra Henricum I arces ſtruit. 227, 15. De Anglia expellitur. 227, 34. 449, 9. 999, 12. Perpetuo carceri addicitur. 1004,16.

Robertus Belknap, ſummus Juſtitiarius, aſſentatoribus Ricardi I aſſentiri cogitur. 2694, 15. In carcerem conjicitur. 2706,14. Capite damnatus, Reginæ rogatu, in Hiberniam relegatur. 2727,50.

Robertus de Bello, Abbas S. Auguſtini. 1879,41. 2262. Benedictionem Romæ, ſed non gratis, obtinet. 1879,57. Quædam inſtitutiones ejus. 1885,18.

Robertus Biſeth, Prior Haguſtaldenſis. 257,11. 260,29. 271, 17. 305,44.

Robertus Bloet, vel Bluet, Epiſc. Lincolnienſis. 218,8. 227, 44. 247,28. 491,12. 502,46. 988,20. 1014,58. Ejus conſecrationem Cantuarienſi interdicit Eboracenſis. 1707,61. Rex mille libris acceptis concordiam inter eos facit. 1708, 10. Regi VM marcas dat. 2365, 4. Monaſterium ab eo fundatum. 2364, 55. Poſt ejus mortem nocturnæ umbræ Eccleſiam Lincolnienſem infeſtant. 2364,58. Ejus filius. V. *Simon.*

Robertus Braybrook, Epiſc. Londinenſis. 2649, 40. Literæ ejus de excommunicandis Wiclivitis. 2652,2.

Robertus de Brus laudatur. 343, 32. Ejus oratio ad Regem Scotiæ. 343,45.

Robertus de Brus, vel Bruz, de jure ad Regnum Scotiæ cum Johanne Balliolo diſceptat. 2468,67. Ejus genealogia. 967, 39. Ballioli juſſis obtemperare nolens, amiſſione terrarum mulctatur. 2478,18. Scriptum ejus quo ſe ſubditum Regi Angliæ profitetur. 2482,34. Fidelitatem Regi Angliæ jurat. 2514,15. Mox tamen ab eo ad ejus hoſtes deficit. 2514, 29. De Anglo apud P. R. conqueritur. 2494,15. Regnum Scotiæ uſurpat. 2494,49. 2530, 20. Oratio ejus ad milites. 2514,34, Anglos ſæpe vincit. 2530, 35 & 43 & 46. Fugatur. 2494,53. 2530,49. Fratrem alioſq; ad Hiberniam ſubjugandam mittit, ſed infelici ſucceſſu. 2533, 27. 2534,29. Excommunicatur. 2535, 23. Ejus filius Angli ſororem ducit. 2552,63. Moritur. 2507,18. 2555,19. Quam gravis fuerit Anglis. 2555,21.

Robertus Burnell, Epiſc. Bathonienſis, & Cancellarius Angliæ. 1939,4.

Robertus de Chennehai, vel de Caſnei, Epiſc. Lincolnienſis. 278,31. 509,66. 747,37. Moritur. 1059,66. Vide ſpecimen hominis. 1390,35.

Robertus I, Comes Leiceſtrenſis, Eccleſiam B. Mariæ de Caſtro inſtaurat. 2346,1.

Robertus II, Comes Leiceſtrenſis, vocatus *Boſſu.* 265,38. 279, 1. Monaſterium B. Mariæ de Pratis fundat. 1060,10. 2346, 6. Ibi fit Canonicus. 2346,15. 2396,24. Alia monaſteria ab eo fundata. 2346,21. 2396,21.

Robertus III, Comes Leiceſtrenſis, dictus *Ou les blancs mains.* 2346, 27. Is eſt forſan qui memoratur 533, 27. 1039, 58, 1391, 8. 1393, 2. A Stephano ad Henricum tranſit. 1373, 9. Colonienſem Archiepiſcopum oſculo dedignatur. 539, 43. Erat totius Angliæ Juſtitiarius, 547, 44.

ſeu

ſeu Seneſchallus. 2346, 31. Ab Henrico II deficit. 570, 21. Cum copiis ſuis e Flandria in Angliam hoſtiliter venit. 573, 40. 1089, 13. 1426, 22. Superatur & capitur. 574, 9. 1089, 57. 1426, 29. In vinculis tenetur. 576, 39. 577, 58. 1090, 2. Ejus milites caſum domini ulciſcuntur. 1090, 36. 1093, 23. Terræ illi ablatæ reſtituuntur. 1157, 5. Hieroſolymis rediens, moritur in Græcia. 1191, 50. Cantuarienſium monachorum cauſæ favit. 1557, 46. *Honorem* de Hinkley habuit. 2346, 30. Ejus uxor, 2346, 29. & liberi. 2346, 45.

Robertus IV, Comes Leiceſtrenſis. 1085, 30. 1192, 57. 1254, 35. Rothomagum contra Gallum ſtrenue defendit. 1582, 13. In terra S. Soldanum proſternit. 2346, 52. Vocatur Henricus. 1247, 67.

Robertus, Comes Moritunenſis. 214, 33. 489, 25.

Robertus Cumin, Comes Northumbriæ, Dunelmi occiſus. 38, 18. 198, 14. 965, 39.

Robertus de Dufford, vel potius de Ufford, Comes Suffolciæ. 2568, 66. 2602, 36.

Robertus I, Dux Normanniæ. V. *Rollo.*

Robertus II, Dux Normanniæ. 163, 24. 177, 65. A janitore percuſſus, patienter fert. 910, 62. 2319, 34. Conſtantini Imp. ſtatuam pallio induit. 911, 1. Mulæ ſoleas ex auro fecit. 911, 5. 2319, 41. Magnanimitas ejus, & facetiæ. 911, 10. 2319, 43. Lignis negatis, nucibus cibos coquit. 2319, 53. Scamnum non habens, ſibi pallium ſubſternit. 911, 12. 2319, 43. Edwardum Angliæ reſtituere cupiens, ventis adverſis impeditur. 912, 22. Ob fratrem veneno exſtinctum Hieroſolymam nudipes proficiſcitur. 910, 12, 2318, 55. Ejus liberalitas. 910, 16. Ex Arlera, vel Herlova, vel Arlec, gignit Willielmum Baſtardum. 468, 28. 910, 43. 2318, 58. Italos callide & valide debellat. 469, 43. Saracenos dæmones vocat. 2319, 63. Moritur. 472, 41. 910, 15.

Robertus III, Dux Normanniæ, 213, 66. cognominatus *Curtehoſa.* 505, 25. 567, 1. 977, 67. Pater eum adverſus Scotos mittit. 977, 43. Pater ei maledixit. 567, 9. V. *Willielmus Conquæſtor.* Theſauros patris inter monaſteria & eccleſias dividit. 214, 23. 488, 60. 983, 26. Major pars procerum in Anglia illi favet. 214, 33. 984, 11. Parat exercitum illuc mittendum. 215, 19. 984, 32. In Angliam venit. 2358, 56. Willielmus ei III M. marcarum annuatim ſolvere promittit. 2358, 62. Pacem inter fratrem & Regem Scotiæ facit. 987, 16. In Normanniam redit. 987, 33. 2359, 3. Normannia pro XM libris Willielmo oppignerata, 2364, 1. V. *Willielmus Rufus.* Hieroſolymam verſus proficiſcitur. 222, 63. 992, 58. Quam ſtrenue contra Paganos dimicarit. 493, 23 & 50. 2375, 51. Cereo ejus cœlitus accenſo, Rex Hieroſolymorum eligitur. 2375, 54. Sed is honorem illum reſpuit. 994, 1. 2375, 59. Ad Regnum Angliæ capeſſendum a nonnullis invitatur. 226, 33. 998, 28. 2375, 30. Cum exercitu venit. 226, 54. 998, 47. 2376, 5. Henricus frater IIIM marcas ei annuatim dandas pollicetur. 226, 64. 998, 65. 2376 8. Oppida ſibi a fratre ablata repetit. 229, 39. Ab Henrico capitur. 499, 66. 1002, 32. In Angliam mittitur, 230, 11. & in cuſtodia detinetur. 2376, 27. Condonarat fratri IIIM marcas annuas. 499, 15. 1001, 52. 2376, 12. Quidam aiunt quod ab Anglis, tanquam illegitimus, ſpretus, 2374, 17. bello, apud Lincolniam, Regnum petierit, 2374, 24. quodque ibi victus & captus, vivere quidem permitteretur, ſed ſine oculis, & in carcere. 2374, 30. Corporis ejus atque animi dotes. 2375, 37. Ejus uxor & ſoboles. 2375, 64. Obit apud Cardif in carcere. 257, 60. 505, 25. 1019, 67. 2383, 43.

Robertus, Epiſc. S. Andreæ. 251, 22.

Robertus, Epiſc. Bangorenſis. 1681, 32.

Robertus, Epiſc. Bathonienſis. 1039, 49.

Robertus, Epiſc. Ceſtrenſis. 213, 16. 228, 2. 487, 52. 532, 51. Sedem transfert Coventriam. 979, 7. 2351, 23. Eccleſiam ſuam argento ſpoliat. 979, 9. 2352, 51. Monachos cur nec deliciis nec literis indulgere permiſerit. 979, 13. 2352, 57. Magna ædificia Lichfeldiæ inchoavit. 979, 17. 2352, 61.

Robertus, Epiſc. Exonienſis. 265, 25.

Robertus, Epiſcopus Exonienſis, alius. 530, 58. 1378, 30.

Robertus I, Epiſc. Herefordenſis, ſcilicet Lotharingus. 210, 18. 221, 15. Ejus doctrina, & ſcripta. 970, 6. 2348, 6. Prædixit, Eccleſiam Lincolnienſem tempore Remigii fundatoris non dedicandam. 988, 7. 2364, 45. A Wolſtano in viſione corripitur. 221, 16. 2366, 23.

Robertus II, Epiſc. Herefordenſis. 505, 11. Erat Prior Lantonienſis. 257, 15. Moritur. 277, 4.

Robertus III, Epiſc. Herefordenſis, vocatus *de Melduno.* 1385, 56.

Robertus IV, Epiſc. Herefordenſis, cognominatus *Foliot.* 568, 32. 1424, 60. Ibi enim legendum, non *Ricardus*, ſed *Robertus Herefordenſis.* V. 1428, 66.

Robertus, Epiſc. Lichfeldenſis. 999, 35.

Robertus, Epiſc. Wigornenſis. 659, 67. Queritur Roffenſis, Archiepiſcopi vicarius, quod eligeretur ſine ejus aſſenſu. 1564, 64. A Roffenſi præſentatus, conſecratur. 1568, 50.

Robertus de Ferrers, Comes Derbiſhiriæ. 266, 66. 323, 25. 330, 44. 1085, 30. Vocatur Comes de Ferires. 578, 21. Nottingamiam comburit. 1093, 47.

Robertus, de Ferrers ſeu de Ferrariis Comes, 2437, 52. vel Comes Darbiæ, 2438, 8. exhæredatur. 2438, 11.

Robertus Friſo Comitatum Flandriæ, ad Ernulfum nepotem jure pertinentem, vi occupat. 485, 63. 488, 24.

Robertus, Gemeticenſis, Epiſc. Londinenſis. 938, 40. Fit Archiep. Cantuarienſis. 184, 17. 475, 54. 941, 58. 1651, 40. 2247. 2331, 10. Emmam Reginam falſo accuſat. 941, 60. 2329, 42. ex Anglia fugit. 942, 28. 944, 25. 1651, 47. 2329, 65. Moritur. 944, 35. 2332, 21.

Robertus de Gorram, Abbas S. Albani. 527, 3. 546, 52.

Robertus Groſteteſte. 2443, 31. Fit Epiſc. Lincolnienſis. 2439, 42. Comitiſſæ Leiceſtrenſi mala prædicit. 2426, 43. Ejus doctrina. 2436, 7. Innocentium P. R. literis corripit. 2436, 9. Excommunicatus ab eo ad tribunal Chriſti provocat. 2436, 18. Moritur. 2436, 5. 2444, 8. Papæ in ſomnis apparens, eum ad judicium citat. 2436, 20. Hinc, quamvis miraculis clarus, Sanctorum catalogo non adſcribitur. 2436, 26.

Robertus de Haſtinges, Abbas Ceſtriæ. 1480, 18.

Robertus de Holland, Thomæ Lancaſtrio infidelis. 2540, 38. Capite plectitur. 2553, 62.

Robertus Kilwarby, Archiepiſcopus Cantuarienſis a Papa conſtitutus. 1520, 27. 2271. 2460, 22 & 49. Fit Cardinalis. 2273. 2460, 26. 2462, 55. Ejus ſcripta. 2460, 51.

Robertus de Mallyng, Archiepiſcopi Cantuarienſis Commiſſarius. Ejus literæ de decimis & penſionibus Auguſtinenſium. 2029, 12.

Robertus de Moubray, vel Mulbreio, Comes Northumbriæ. 52, 18. 205, 18, 214, 46. 489, 7. 989, 66. Ob proditionem in cuſtodiam conjicitur. 222, 10. 492, 25. 991, 60. Pœnitet eum injuriæ S. Cuthberto illatæ. 244, 20. Malcolmum R. Scotiæ & ejus primogenitum Edwardum occidit. 218, 36. 989, 61.

Robertus, nothus Henrici I, Comes Gloceſtriæ. 63, 59. 266, 29. Contra Stephanum inſurgit. 1345, 58. Imperatricem in Angliam invitat. 1028, 14. 2385, 63. Ejus partes ſequitur. 269, 4. 1349, &c. Wigorniam expugnat. 1350, 11. Nottingamiam comburit. 1350, 36. Ejus oratio ante pugnam Lincolnienſem. 1030, 32. 1351, 34. 2386, 14. Capitur. 508, 25. 1032, 8. 1356, 39. Liberatur. 508, 28. 1032, 20. 1357, 10. 2387, 18. Iterum turbas movet. 1357, 31. Henricum Imperatricis F. in Angliam adducit. 1358, 11. Warhamenſe caſtellum capit. 1358, 15. Stephanum a Wiltonia fugat. 1358, 60. Ejus mors: 276, 59. 1362, 9. character. 1030, 67. 1352, 62. 2386, 43.

Robertus Peccator, Epiſc. Coventrenſis. 243, 6.

Robertus, Prior Bermundeſeienſis. 1039, 57.

Robertus, Prior Doverenſis, fit Abbas Egeneſhamenſis. 1597, 20.

Robertus, Prior Mertonenſis. 1056, 20.

Robertus Pullanus Epiſcopalem honorem præ ſtudiis philoſophiæ faſtidit. 275, 49.

Robertus Quincy, Comes Wintonienſis, 2431, 34.

Robertus, R. Franciæ. 881, 46. 883, 37. Eo inter monachos ſacra peragente, mœnia caſtri obſeſſi corruunt. 883, 42.

Robertus de Sigillo fit Epiſc. Londinenſis. 269, 64. 508, 20. 1355, 20. Veneno perit. 278, 37.

Robertus Treſilian, Juſtitiarius, 2693, 21. Seditioſos ſevere plectit. 2643, 52. Regi peſſima conſilia ſuggerit. 2693, 48. A Senatu proſcribitur. 2706, 37. Proditionis in Regem & Regnum accuſatur. 2714—2726. E latebris ad furcas trahitur. 2726, 34.

Robertus de Turnham. 1199, 42. Fit Juſticiarius Cypri. 1200, 26. Monachum quendam, quem incolæ Imperatorem conſtituerant, patibulo affigit. 1203, 17.

Robertus Vere, Comes Oxonienſis, fit Marchio Dunelmenſis, 2675, 58. & Dux Hiberniæ. 2680, 58. Regem ad Tyrannidem hortatur. 2693, &c. Mutato habitu, ab aula fugit. 2701, 65. Rex jubet quoſdam ut eum ſalvum reducant. 2702, 20. 2724, 55. Exercitu coacto verſus Regem tendit. 2702, 31. 2725, 8. Proceres nonnulli reditum ei intercludunt. 2702, 2702, 44. Hoſtibus undique circundatus, fluvio ſe committit, & enatando eos evadit. 2703, 29. Proſcribitur. 2706, 34. Proditionis accuſatur. 2714, &c. Regnum Hiberniæ affectabat. 2717, 50.

Robertus de Winchelſey, Archiep. Cantuarienſis. 1964, 12. 2273. 2523, 11. Regi ſubſidium dare recuſat. 1965, 40. 2489, 29. Oratio ejus ad nuntios Regis. 2491, 21. Bona ejus confiſcantur, 1965, 58. 2492, 23. ipſo interim Dei verbum ſedulo prædicante. 1966, 3. 2492, 33. Rex vetat ne quis eum hoſpitio excipiat. 2492, 26. Bona ei reſtituuntur, & cum Rege in gratiam redit. 2510, 37. Auguſtinenſibus litem movet de Eccleſiis appropriatis, &c. 1964, 65. 1966, &c. Ejus literæ ad Abbatem S. Auguſtini, mandantes ut Thomam Cuſte ad beneficium promoveat. 1669, 1. Ejus literæ ad Abbatem Walthamenſem. 1975, 54. Rex ei ſcribit, ut Auguſtinenſes non gravet: 1978, 60. Ipſos tamen gravare pergit. 1983, 30. Privilegiorum S. Auguſtini conſervatores ei interminantur. 1984, 30. Sedem Romanam appellat. 1984, 1985. Suffraganeorum ſuffragium & ſubſidium efflagitat contra Auguſtinenſes. 1985, 65. Controverſiæ proceſſus in foro Rom. 1986, &c. Quomodo Auguſtinenſium privilegia violarit. 1987—1990. Papa maledicta & minas in eum projicit. 1990, 60. 1993, 10. Viri quidam nobiles pacem inter ipſum & Auguſtinenſes componere ſatagunt. 1998, 48. Ejus de illis querela. 1999, 22. Articulis ab Abbate propoſitis 2000, 34. reſpondet. 2000, 64. Ejus conceſſiones. 2001, 54. Læſæ majeſtatis accuſatus, ad Regis pedes provolvitur, miſericordiam implorans. 2004, 54. Quanta fuerit ejus ſuperbia. 2004, 65. 2005, 44. Papa eum citat. 2005, 6. Licentiam transfretandi petens, in exſilium agitur. 2005, 15. Papa eum vix aſſpicere dignatur. 2005, 47. Mors Edwardi I ei Romæ exſulanti in ſomnis revelatur. 2530, 61. Poſt quadriennium revocatur, 2531, 50. & reſtituitur. 2009, 21. Concilium celebrat. 2532, 41. Moritur. 2013, 34. 2533, 16.

Robertus Wiſcardus Apuliam & Calabriam ſubjugat. 1008, 65. 1218, 36. Papam ab Imp. obſeſſum liberat. 1009, 50. Romam capit. 1009, 54. Cretam, Rhodum, aliaſque inſulas vincit. 1009, 65. 1218, 55. Uxor ejus, promiſſis Imperatoris C P. allecta, eum veneno necat: 1010, 7. 1218, 59. Quæ mox ab Imp. deſponſata, & coronata, igni injicitur. 1010, 16. 1218, 67.

Roceſtria. 880, 50. V. *Rouceſtria*, & *Roffa*.

Roda, ſive virgata terræ. 2105, 7.

Rodolfus, Epiſc. Orcadenſium. 1709, 36.

Roffa, vel Rouceſtria, 734, 9. vel Roceſtria, 880, 50. vocatur Borebrelium. 2218, 33. V. *Rouceſtria*. Caſtrum ibi contra Willielmum II firmatur. 984, 50. capitur. 986, 14. Eccleſia S. Andreæ inſtauratur: 490, 2. dedicatur. 1664, 25. Monachi pro clericis illuc introducuntur. 2363, 25. Valor temporalium & ſpiritualium Prioris Roffenſis. 2166, 2. Eccleſia conflagrat. 1343, 34. 1456, 47. Cum vacat Epiſcopatus Roffenſis, ejus redditus ad Cantuarienſem pertinent. 1462, 6. Defuncti Epiſcopi baculus ad Eccleſiam Cantuarienſem deportandus. 1464, 50. Gualeranno mortuo, monachi baculum cum eo ſepeliunt. 1467, 54. Contentio inter monachos Cantuarienſes & Roffenſes de baculo Epiſcopi Cantuariam deferendo. 1475—1477. De modo eligendi Epiſcopum. 1362, 28. Regalium poſſeſſor ab Archiepiſcopo Cantuarienſi conſtituitur. 614, 67. Non tenetur (ut alii Epiſcopi) Regi obnoxius, ſed Cantuarienſi ſoli. 615, 3. 1464, 45. 1467, 48. 1568, 48. Ejus locus in coronationibus Regum. 1587, 16. In ordinationibus & dedicationibus Eccleſiæ Cantuarienſis Vicarius eſt. 53[illegible], 51. 651, 46. Mortuo vel abſente Cantuarienſi, ejus vices gerit. 1362, 55. 1568, 1. Olim Cantuarienſis Eccleſiæ proprius erat Capellanus. 1382, 58. 1567, 65. Se Londinenſi priorem eſſe contendit. 1565, 64. 1585, 66. ¶ Epiſcopi: *Juſtus*; *Romanus*; *Paulinus*; *Ithamarus*; *Damianus*; *Putta*; *Chichelinus*, vel *Cuikelmus*; *Gilemundus*, vel *Gebmundus*; *Thobias*; *Aldulfus*; *Dun*; *Wermundus*; *Tatnothus*; *Burgricus*; *Godwinus*; *Siwardus*; *Hernoſtus*; *Gundulfus*, vel *Gumulfus*; *Radulfus de Turbine*; *Arnulfus*; *Johannes*; *Earnulfus*; *Aſcelinus*; *Gualerannus*; *Gilebertus*; *Ricardus de Wendover*; *Thomas*.

Rogerius, Comes Herefordenſis. 1359, 16. Henrico II rebellare cupiens, ab Herefordenſi Epiſcopo ad obedientiam & gratiam Regis reducitur. 1377, 63.

Rogerius, Epiſc. Coventrenſis. 256, 30.

Rogero, Epiſcopo Londinenſi, Miſſam celebrante, horrenda caligo & tonitru populum ex Eccleſia fugat. 2431, 9.

Rogerus, Abbas Beccenſis, eligitur Archiep. Cantuarienſis: 1423, 60. ſed honorem recuſat. 561, 41. 1423, 65.

Rogerus, Archidiaconus Cantuarienſis, fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 79, 42. 529, 6. 533, 22. 537, 26. 613, 1. 1042, 3. 1060, 60. 1376, 29. 1722, 56. Ejus vitia, & virtutes. 1142, 39. Eum futurum Archiepiſcopum Eboracenſem, fuit prædictum. 1722, 11. Ejus oratio in curia Rom. adverſus Cantuarienſem. 1395, 32. Henricum juniorem, patre jubente, ſed Papa prohibente, coronat. 552, 16 &c. 1722, 60. Papa eum ſuſpendit. 553, 18. Sacramento ſe purgans, reſtituitur. 558, 30. 1723, 9. Coronationi Margaretæ intereſſe prohibetur. 560, 60. Non intereſt Concilio Weſtmonaſterienſi, licet a Cantuarienſi vocatus. 585, 66. Chorum Eccleſiæ ſuæ & palatium archiepiſcopale ædificat. 1723, 12. & capellam S. Sepulcri; 1723, 15. ubi tredecim miniſtros inſtituit & dotat. 1723, 19. Canonicos S. Petri offenſos placat. 1723, 37. Juxta Gregorii M. decretum, ſe Ricardo Cantuarienſi ſuperiorem eſſe contendit. 588, 62. Lis inter ipſum & Cantuarienſem de Capella Oſwaldi, de cruce geſtanda, &c. 1101, 54. componitur. 1107, 30. Cantuarienſem ad dexteram Legati ſedentem ſummovere niſus, in ejus gremio ſe collocat: 1433, 28. Illinc ad terram dejectus, & baculis ac pugnis cæſus, ad Regem querelam defert. 589, 20. 1109, 2. 1433, 44, 1584, 63. 1674, 51. De Epiſcopo Elienſi conqueritur. 1109, 30. Privilegia a P. R. impetrat, quibus Rex poſtea in ipſum utitur. 614, 16. 1142, 52.

Rogerus de Beleſmo, vel Bellem, Comes Salopiæ. 214, 40. 218, 29. 222, 23. 984, 62. Willielmo II turbas movet. 2359, 24. Quieſcit. 2359, 32. Eccleſiam Quadfordiæ cur ipſe & conjux conſtruxerint. 988, 51. Tunica involutus monachali, moritur. 988, 45. 2365, 6. Vocatur Rogerus de Monte-Gomerico. 2359, 15.

Rogerus Bigot, Comes Norfolciæ, Mareſchallus Angliæ. 2523, 42. In Vaſconiam ire juſſus, ſe excuſat. 2493, 10. Rege ei minato, iratus diſcedit. 2493, 19. V. *Hugo de Boun.*

Rogerus, Comes de Andria, debellatur. 1188, 31.

Rogerus, Comes de Clara, homagium pro caſtello Tunbrigienſi Archiepiſcopo Cantuarienſi facere recuſat. 535, 67. Vocatur hic (ni fallor) Rogerus de Clare, Comes Herefordiæ. 1828, 28. Cervum ex foreſta Tunbrigienſi Auguſtinenſibus annuatim concedit. 1828, 31. 2256.

Rogerus, Comes Herefordenſis. 208, 28. 486, 41. Ejus ſuaſu Willielmus Conquæſtor monaſteria compilavit. 974, 23. 2350, 64. Incarceratur. 974, 43.

Rogerus, Comes Moritunenſis. 984, 51.

Rogerus, Comes Warwicenſis. 315, 8.

Rogerus, Epiſc. S. Andreæ. 2346, 45.

Rogerus, Epiſc. Herefordenſis. 228, 20. 499, 27.

Rogerus, Epiſc. Orcadum. 1710, 59.

Rogerus. Epiſc. Sariſburienſis. 227, 61. 500, 47. 502, 47. 1000, 28. Quam invite munus Juſticiarii ſuſceperit. 606, 26. 652, 44. Quanto in honore fuerit apud Henricum I. 266, 19. 1014, 66. Perjurii pœnas luit. 1023, 23. Stephanus ejus caſtra & theſauros capit; 1026, 48. 1346. 32. 2385, 47. & ipſum in carcerem conjicit. 1345, 31. Obit. 1027, 53. 2385, 50.

Rogerus, Epiſc. Wigornenſis. 536, 39. 595, 11. 604, 40. 631, 32. Quam caute ſuam de Thomæ Cantuarienſis negotio ſententiam protulerit. 1390 52. Alexandri III ad eum literæ. 1823, 30.

Rogerus de Londonia, primo Prior, poſt Abbas Selbienſis. 1161, 30. Benedictionem recipit. 1169, 30.

Rogerus, Magiſter domus Hoſpitalis Hieruſalem, 625, 52. 626, 12.

Rogerus de Mortuo-mari. 2437, 34, 2453, 8. Edwardo I equum velocem mittit, 2452, 3. quo conſcenſo, ex hoſtium manibus elabitur. 2452, 14.

Rogerus de Mortuo-mari junior, in turrim Londinenſem conjectus, 2539, 38. elabitur, 2543, 10. & in Franciam fugit. 2543, 17. Redit. 2544, 27. Nimia ejus cum Regina familiaritas, & in Regno autoritas, eum exoſum reddunt. 2553, 1. Bedfordiæ orbicularem menſam tenet. 2553, 54. Bellum movens contra Henricum Lancaſtrium, agrum Leiceſtrenſem deprædatur. 2554, 12. 2557, 16. Fit Comes Marchiæ. 2554, 15. 2557, 4. Plebs & proceres de ejus inſolentia conqueruntur. 2555, 47. Rex eum de improviſo comprehenſum in cuſtodiam dat. 2556, 1. Capita accuſationis ejus: 2556—2558. Condemnatio: 2558, 37. Supplicium: 2558, 49. Edwardus III ejus terras & honores filio concedit. 2607, 36.

Rogerus de Moubray vel Mulbray. 1028, 58. De pagano tyranno

ranno triumphat. 276, 3. Bello Standardii interfuit. 337, 45. Caſtellum Kinarferiæ firmat. 1090, 34. Ab Henrico II ad Henricum juniorem deficit. 1090, 46. Caſtella ejus capiuntur. 1093, 30.

Rogerus de Norreis. 1505, 38. 1506, 46. 1519, 27. Fit Prior S. Trinitatis. 1551, 30. Deponitur. 1559, 38. 1564, 22. Fit Abbas Eveſhamenſis. 1167, 30. 1564, 23.

Rogerus de Planes interficitur. 664, 38.

Rogerus, primus e genere Normannorum, Rex Siciliæ. 505, 2. 677, 44. In ſigillo quid habuerit ſculptum. 677, 47. Ejus liberi. 677, 49.

Rogerus, Prior Dunelmenſis. 271, 65. 272, 24.

Rogerus, Roberti Wiſcardi frater, Siciliam ſubjugat. 1010, 27.

Rogerus, Rogeri F. Dux Apuliæ, 1018, 57. & Rex Siciliæ. 1011, 38. Ejus poſteri. 1011, 52. A Lothario Imp. vincitur. 1343, 19. Ejus lancea & corona Imperatori delatæ. 1343, 23.

Rogerus I, ſeu de Surdinden, S. Auguſtini Abbas. 602, 53. 628, 21. 1819, 52. 2256. Litigat cum Archiepiſcopo, de profeſſione. 1444, 15. 1821—1826. Ab Archiepiſcopi juriſdictione eximitur. 1331, 26. 1444, 36. 1821, 49. Mitra, annulo, & ſandaliis ornatur. 1331, 37. 1444, 42. 1824, 62. A P. R. benedicitur, 1444, 65. 1824, 51. ſalvo tamen jure Archiepiſcopi. 1445, 64. 1825, 42. Papa mandante ut privilegia ſua Archiepiſcopo oſtendat, profert quædam, ſed quæ ficta videntur. 1458, 27. Quas contumelias & injurias Archiepiſcopo intulerit. 1462, 31. Dum Baldewinum ſuſcipit, mitram deponit. 1475, 12. Archiepiſcopus eum apud Regem diffamat. 1824, 24. Alexandri III ad eum literæ. 1822, 4. 1825, 11. Ejuſdem pro eo ad Regem literæ. 1825. 66.

Rogerus, Tancredi F. R. Siciliæ, moritur. 672, 44.

Rogerus II, vel de Ciceſtria, Abbas S. Auguſtini. 1899, 11. Ab Epiſcopo Londinenſi benedicitur. 1899, 33. 2268.

Rogerus Waldene, Thoma Arundel proſcripto, in cathedram Cantuarienſem intrudit. 2287.

Rokesburgh caſtellum datur Regibus Angliæ. 584, 56. Reſtituitur Scoto. 1167, 57.

Rollo, Dux Normannorum. 145, 55. 152, 38. Angliam invadens, fugatur. 810, 45. Ejus ſomnium, & de eo conjectura. 810, 50. Ab Epiſcopo Carnotenſi fugatur. 151, 47. 453, 3. Normanniam occupat. 810. 61. 856, 55. Baptizatur cum ſuis, 453, 27. 811. 1. & vocatur Robertus. 856, 54. Obit. 152, 38. 834, 15. Uxores ejus & liberi. 453, 31.

Romæ fundamenta dum ponerentur, vultur apparuit, rapacitatis omen. 591, 21. Ibi plurimum valet aura marſupii rubiginoſi. 506, 40. V. 1419, 38. 1433, 1. 1462, 51. 1532, 17. 1995, 10. 2184, 64. 2376, 57. 2506, 58. Roma, ob unum Cardinalem vulneratum, ſupponitur interdicto. 1047, 30. Ibi ſchola Saxonum ab omni tributo immunis conſtituitur. 130, 51. 148, 10. 355, 56. 469, 21. Romana Eccleſia ad reliquas, tanquam genus ad individua: 971, 52. 2349, 35. Caput eſt & magiſtra reliquarum. 1132, 6.

Romania deſcribitur. 1217, 24.

Romanus, Epiſcopus Roffenſis. 1634, 13. Mergitur. 1635, 16. 1689, 25.

Romanus, Imp. CP. a filiis in monaſterium truditur. 455, 10. 566, 3. Ejus filii ab Imp. CP. ad idem monaſterium tranſmittuntur. 455, 28. 566, 10.

Romanus, P. R. 452, 58.

Rome-ſcot, ſeu **Heord-peny**, ſeu **Peter-pence**, tributum Pontifici Romano domatim ſolutum. 450, 18. 912, 42. A quibus, & quomodo ſolvendum. 2356, 61. Qui illud non perſolverit, quomodo mulctandus. 871, 42. 920, 15.

Romipetas qui ſpoliant, excommunicandi. 249, 41.

Roſamundæ, Henrici II amaſiæ, labyrinthus, ſepulcrum, epitaphium, ciſta. 1151, 43. 2395, 64. Hugo, Epiſcopus Lincolnienſis, ejus corpus, utpote ſcorti, ex Eccleſia tolli, & in cœmeterio ſepeliri jubet. 1235, 54. V. *Godeſtowe.*

Rothericus, ultimus Monarcha Hiberniæ. 1078, 8. Conditiones pacis inter ipſum & Henricum II. 1106, 19.

Rothomagus a Francis & Flandrenſibus obſeſſa, viriliter defenditur. 578, 40. 1096 &c. 1428, 20. Henricus V, R. Angliæ, eam capit. 2292. Rothomagenſi Archiepiſcopo quatuor Primates ſuperponere conabantur RR. Angliæ & Franciæ. 686, 55. 692, 8. Ejus diœceſeos Epiſcopi, &c. fidejuſſione pro Rege Angliæ obligantur Regi Franciæ. 686, 32. Rex Franciæ eos abſolvit. 690, 34. V. *Walterus Rothomagenſis.*

Roucestria, ſeu *Roceſtria*, unde dicta. 734, 9. Ibi Eccleſia S. Andreæ exſtruitur. 734, 10. 1631, 47. V. *Roffa.*

Royton. 1905, 26

Ruanus quamdiu in Hibernia vixerit. 1073, 57.

Ruffinianus, Abbas S. Auguſtini. 1768, 44. 2230.

Ruffini Hiſtoria Eccleſiaſtica. 431, 54.

¶ Rumeſienſes Abbatiſſæ: *Merwinna*; *Maria.*

Runconere, ſeu Rancorna, conditur. 356, 21. 834, 40.

Ruthelan caſtrum fundatur. 1048, 37, 2394, 8. 2462, 18,

¶ Rutlandiæ Comes: *Edwardus.*

S.

SAbinianus, vel Savinianus, P. R. 437, 15. 1632, 15. 2229.

Sacerdotum officium. 360, 36. 1751, 30. 2708, 19. Monentur ut officio ſedulo fungantur. 922, 16. Præcipuum eorum munus eſt, verbum prædicare. 2660, 67. Hoc eis incumbit etiamſi licentiam ab Epiſcopo non obtinuerint; 2648, 57. 2661, 4. 2707. 43. imo etiamſi excommunicentur. 2648, 49. 2661, 18. 2670, 33. Qui mortali peccato tenetur, ſacramenta miniſtrare nequit, juxta Wiclivitas. 2650, 18. 2667, 26. 2670, 8 & 40. 2708, 4. Sacerdos fœmina Miſſam celebrans. 2738, 59. Sacerdotum verba, aut vera, aut ſacrilega. 1494, 22. 1609, 35. Si perjurii ſint rei, vel furti, deponantur. 919. 32. De habitu Sacerdotum. 1227, 16. An unquam iis liceat gladio cingi, & ſanguinem fundere. 2328, 23. Plures Eccleſias ſimul habere, iis interdicitur. V. *Plures.* In defuncti Sacerdotis locum alius ſtatim ſubrogandus. 1752, 1. Sacerdotum dignitas. 918. 57. 994, 53. Iis reverentiam exhibere, Regum dignitas: 352, 57. Quantam exhibuerit Conſtantinus M. 352, 63. Sacerdotis domus & atrium aſyli jus habent. 2355, 59. Sacerdotem a Chriſto converſum, non legimus. 2658, 44.

Sacramentorum efficacia non dependet a qualitate miniſtrorum. 486, 14. Aliter ſenſit Wiclifus. 2650, 18. V. *Sacerdotum.*

Sacrificia Anglis converſis cur non prorſus vetita, ſed tantum immutata. 731, 34.

Sacrilegium quam horrendum flagitium. 2208. 38. Sacrilegi anathematizantur. 22, 42. 25, 46. 29, 56. 33, 40. 37, 50. 75, 32. 148, 5. 382, 16. 1761, 57. 1763, 19. 1764. 2123, 39. 2125, 49. 2126, 33. 2127, 26 & 54, 2128, 35. 2129, 33 & 58. 2221, 33 & 56. 2224, 40. Sacrilegii pœnas dantium exempla. 12, 56. 21, 29. 22, 45. 24, 28. 34, 54. 37, 5. 40, 6. 52, 27. 70, 12 & 16 & 48. 74, 10 & 54. 113, 13. 147, 36. 168, 65. 170, 58. 260. 36. 291, 59. 317, 10. 445, 8. 447, 58. 980, 28. 996, 10 &c. 1033, 13. & 17 & 26. 1360, 17 &c. 1374, 27. 1499, 38. 1782, 12. 2003, 3. 2004. 65. 2618, 12.

¶ Sagienſis Abbas: *Radulfus.*

Sagittæ vocantur *muſcæ de cavernis pharetrarum ebullientes.* 345, 31. Sagitta emiſſa, Saracenis ſignum pacis. 668, 12. Servi jubentur diebus feſtis ſagittando ſe exercere. 2731, 51.

Saka, quid 957, 33. 2030, 49.

Saladinus a Chriſtianis vincitur. 600, 56. 648, 57. 1144, 14. Ejus literæ ad P. R. de captivis redimendis. 621, 14. Ejus potentia. 622, 20. 1143, 58. Nomina Principum ſub eo militantium. 654, 61. Imperator CP. ei favit. 642, 13 &c. 1164, 32. Plures civitates Chriſtianorum deſtruit. 623, 5. Tiberiadem capit. 1501, 52. Exercitum Chriſtianorum prope eam ſuperat, & regem Hieroſolymæ capit. 1502, 1. Aconem capit. 1502, 30. Hieroſolymam & omnes Judææ urbes ſubjugat: 640, 3. 646, 1. Quas niſi reſtituat, Fredericus Imp. ei bellum minatur. 640, 23. Laodiceam aliaſque urbes capit. 1146, 65. Ex ſucceſſibus ſuis religionem ſuam Deo gratam colligit. 1534, 28. Ejus exercitus confectus ante Antiochiam. 641, 46. 642, 25 & 48. Ejus filius ac frater occiduntur. 649, 5. 1163, 64. XM Chriſtianorum occidit. 1174, 6. Quoſdam Chriſtianorum Principes muneribus corrumpit. 675, 22. Pyra Damaſcena &c. Anglo & Gallo mittit. 1202, 57. Conditiones quaſdam illis proponit. 1204, 39. 1206, 29. Vineas & debiliores civitates deſtruit. 1205, 10 & 32. Munera iterum mittit, & recipit. 1206, 29 & 39. V. *Muſte.* Promiſſis non ſtat. 1212, 2 &c. Captivorum capita amputat. 1212, 59. Ad colloquium cum Anglo venire recuſat. 1212, 48. De pace loquitur, ſed ſubdole. 1241, 35. Mortem ſibi imminere, unde præſagierit. 1243, 3. Moritur. 668, 54. 1254, 48. Ejus imperium

inter

inter filios dividitur. 1272, 52. Plura de eo 641, & 642. V. *Crucigeri*.

Salef, fluvius ubi Fredericus Imp. ſubmerſus. 1165, 20. 1191, 50. 1215, 16.

Salſord-ſhire. 956, 64.

Salices pomiferæ in Hibernia. 1077, 44.

Salmanſton. 1963, 53.

Sal mirus in Sicilia. 1011, 13. V. *Simon F. Roberti*.

Salmonum ſaltus in Hibernia. 1078, 11.

Salomon, Prior Elienſis. 581, 60.

Salomon, R. Hungariæ, filios Edmundi Iron-ſide relegatos benigne nutrit. 906, 47.

Salomon Ripple, monachus S. Auguſtini. 2056, 41. 2064, 59. Decimæ & quindenæ receptor factus, ſtatera doloſa utens, populum gravat: 2068, 10. Sed ejus fraus in Abbatem ſuum redundat. 2068, 28. Benefacta ejus. 2068, 41.

Salopia, vel Salopesberia, vel Cyrebury, vel Scrobbesburia, vel Saropsberia. 1663, 20. Ibi cœnobium conſtruitur. 977, 56. 2351, 60. ¶ Abbates: *Radulſus*; *Herebertus*. ¶ Prior; *Reginaldus*. ¶ Salopiæ Comites: *Edricus Streone*; *Warinus*; *Rogerus de Beleſmo*; *Hugo*; *Robertus de Beleſmo*.

Salutem vix decimus quiſque conſequetur. 2658, 61.

1 Sam. ix. 17. *Vir dominabitur populo*, Henrico IV applicatur. 2758, 18.

Samſon, Abbas S. Edmundi. 1162, 54.

Samſon, Epiſc. Wigornenſis. 222, 47. 303, 32. 493, 9.

Sanchius, R. Navarræ. V. *Alſonſus* VIII.

Sanchius, R. Portugalliæ. 1176, 29. Angli opem ei ferunt adverſus Saracenos. 1176, 35.

Sanctimoniales electionem Abbatiſſæ penes ſeipſas eſſe volunt. 584, 1. Clerici earum monaſteria abſque cauſa neceſſaria non adeant. 1455, 54. Qui ſanctimonialem duxerit, vel conſtruprarit, quomodo puniendus. 823, 2. 859, 7. Sanctimonialibus luxus ſub anathemate interdicitur. 328, 26. 1348, 37. Coldingamenſium luxuria. 16, 28. De ſanctimoniali Wattunenſi mira hiſtoria. V. *Wattun*.

Sanctitatem nec præſtat paupertas, nec divitiæ adimunt. 371, 40.

Sanctos blaſphemare, haud tutum. 409, 13. Sanctorum catalogo quinam adſcribendi. 2551, 13. Wiclivitarum opinio de Sanctis. 2707, 33. 2708, 9.

Sandwici Prætor quam juriſdictionem exerceat in villa *Stonores*. 2144, 37. portoria & jura totius portus Eccleſiæ Chriſti in Cantuaria conceduntur. 2225, 21. Eccleſia S. Petri. 1880, 7.

Sanguis emanat de fonte; 225, 35. 995, 18. 2370, 16. de terra; 228, 56. 445, 34. de imagine Chriſti vulnerata. 444, 27. 1499, 51. Sanguine pluit. 445, 24. 703, 47. 1128, 52. 2461, 63. 2696, 39.

Sapientiam duo Scoti in Gallia venum exponunt. 817, 25. Quid pro ea petant. 817, 37.

Saraceni ex Africa venientes Hiſpaniam invadunt. 2418, 16. Vaſtant urbem Aquenſem; 443, 30. Galliam & Hiſpaniam. 768, 21. Chriſtiani in Hiſpania eos repellunt. 623, 61. Edwardi Confeſſoris de iis prophetia. 2337, 50. Qui arma &c. iis ſubminiſtrarint, vel aliqua re eos juverint, quomodo puniendi. 1452, 6. Signum pacis iis, ſagitta emiſſa. 668, 12.

Sardic, vel Cerdic, primus Rex occid. Saxonum. 755, 5. 1153, 11. Fidelitate Arthuro Regi jurata, duos Comitatus ab eo accipit. 1153, 34.

Sarisburia fit ſedes Epiſcopi Sherbornenſis. 482, 28. 975, 62. 1654, 40. Nova Eccleſia ibi fundatur. 796, 65. Ejus tectum turbo dejicit. 2364, 30. Liber Sarisburienſis Eccleſiæ conſuetudinarius a quo compoſitus. 2351, 30. ¶ Sariſburienſes, Sherbornenſes, & Wiltonienſes Epiſcopi: *Aldelinus*; *Forbere*; *Ealhaſtanus*; *Suithelmus*; *Weſtanus*; *Eluredus*; *Wolſinus*; *Odo*; *Syricius*; *Alfricus*; *Elmerus*, vel *Almarus*; *Stigandus*; *Alſwaldus*; *Brithwoldus*; *Hermannus*; *Aldredus*; *Oſmundus*; *Rogerus*; *Joſcelinus*; *Hubertus Walteri*; *Herebertus*; *Ricardus*; *Nicolaus*; *Simon de Gaunt*; *Radulſus Argum*; *Johannes Walton*. ¶ Comites Sarisburienſes: *Willielmus*; *Gerardus de Chanvilla*; *Willielmus Montagu*.

Sataliæ ſinus. 1215, 1216.

Saterus R. Scotiæ. 2484, 36.

Savaricus, Epiſc. Bathoniẽſis. 668, 17. 674, 57. 699, 48. 1681, 32.

Savoy, domus in Londino, a quo fundata. 2627, 14.

Saxulfus, Epiſc. Merciorum. 58, 40. 440, 36. 792, 55. 793, 8. 1638, 39. Sedem habuit Loegriæ. 1638, 59.

Scabies quando primum oves in Anglia invaſerit. 2461, 64.

Scandalum puſillorum vitandum magis quam aliorum. 1621, 50. Scandali vitandi cauſa quid faciendum. 1621, 35. Scandalum magnatum quomodo puniendum. 2733, 22.

Scardeburgh caſtrum fundatur. 1046, 56.

Sceftebyrig. V. *Shaſtesbury*.

Scepige inſula. 120, 6. 138, 38. Vocatur Scapeia. 1839, 16.

Scheawing, quid. 957, 24.

Schirarum diviſiones. 2358, 7. V. *Comitatus*.

Schitta. V. *Fluxus*.

Schola Saxonum. V. *Roma*. De Scholarum magiſtris canon. 1348, 46. 1454, 54. Licentiam docendi ſi quis idoneus petat, accipiat, idque gratis. 1454, 66 &c.

Sciremotus. 872, 14. 924, 26.

Sciſſa, R. Auſtralium Saxonum. 798, 17.

Scolandus. V. *Scotlandus*.

Scorgate. 153, 6. 356, 19. 834, 33.

Scotta in Eccleſiis non ſepelienda. 1236, 4.

Scot & *Scotale*, quid. 957, 42.

Scotia olim Albania vocata. 2484, 25. Scotorum origo. 626, 58. 627, 48. Hibernia proprie eorum patria. 626, 56. *Scotia* olim Hiberniæ nomen. 1072, 13. Scotorum inſtrumenta muſica. 1075, 45. Quam effero victu utantur. 332, 1. Seminudis natibus pugnant, 340, 10. & contemtu mortis magis quam viribus animantur. 340. 20. De obſervatione Paſchæ a P. R. literas accipiunt. 784, 15. Eorum Reges ubi & quomodo Angliæ Regibus rectitudinem facere conſueverint. 218, 24 989, 53. Eos olim Anglis dominaturos, prædicitur. 909, 35. 2476, 45. Eos Anglis jure ſubdi debere, miraculo oſtenditur. 838, 40. Scotica Eccleſia Anglicanæ ſubjecta. 584, 32. 1104, 16. 1719, 21. 1739, 11. Eboracenſis & Cantuarienſis contendunt, utri ipſorum Scoti debeant ſubjici. 1108, 50. Scotiæ Epiſcopi ſe Anglis ſubjectionem debere negant. 1108, 41. Scotica Eccleſia ſoli Romanæ ſubdita. 1196, 18. Scotorum Rex, clerus, populus, fidem Regi Angliæ præſtabunt in perpetuum. 584, 20 &c. 1103, 18. 1719, 33. 2396, 46. 2486, 20. In ſubjectionis ſignum Willielmus R. ſellam ſuam & capellum Eboraci relinquit. 2396, 50. Scoti Anglos fugitivos non recipient. 584, 44. 1104, 40. Caſtella Puellarum, Berwicenſe, Rokesburgenſe, Gedeworthe, & Strivilinæ dantur Regibus Angliæ. 584, 22. 1104, 59. Redduntur Scoto, ſed non gratis. 1167, 57. 2402, 4. Scoti a ſubjectionis Anglis præſtandæ vinculo redduntur liberi. 1167, 1168. 2553, 42. Edwardus I, R. Angliæ, jubet ut in Chronicis inquiratur quod dominium Anglus habeat in Scotos. 1962, 20. 2470, 9. Scotis poſt mortem Alexandri III de novo Rege creando diſſidentibus, Edwardus I arbiter litis factus Johannem de Balliolo Regem conſtituit. 2468, 2469. Scotiæ Reges ſe in Anglorum clientela eſſe profiteri tenentur. 2469, 15. Id pluribus exemplis oſtenditur: 2470, 5. 2484—2487. Id vero Scoti ægre concedunt. 2470, 64. Edwardus I jus ſuum gladio aſſerit, & ſtylo. V. *Edwardus I, R. Angliæ*. Objectiones contra jus Anglorum ad coronam Scotiæ. 2529, 5. Officium ab Archiepiſcopo Eboracenſi Regi Scotiæ præſtari ſolitum. 1167, 47. Scotorum immanis & barbara in Anglos ſævities. 30, 11. 201, 10. 260, 18. 316, 1. 318, 30. 341, 1. 966, 44. 1025, 47. 1090, 57. 1091, 30. 2488, 50. 2514, 54. 2734, 57. Anglos captivos abducunt. 260, 25. 318, 35. 341, 9. 966, 59. 2344, 61. Eccleſias cædibus & ſtupris fœdant. 341, 55. Lindisfarnenſe monaſterium depopulati, vivi a terra abſorbentur. 22, 45. Exercitus eorum apud Gaſkmore vel Gledeſmore a paucis Anglis profligatur. 2559, 4. 2560, 61. Ingenti clade funduntur apud Berwicum: 2563. Nomina captivorum. 2564. Fide Anglo data, rebellant. 2566, 34. 2567, 32. Angliam tempore peſtis invadentes, pœnas luunt. 2600, 1. Tres eorum naves piraticas ventus in portum Yarnmuthenſem impellit. 2617, 28. Induciæ ad decennium factæ. 2617, 43. Commercia cum Anglis eis conceſſa. 2619, 8. Angliam deprædantur. 2728, 39. Angli cum eis confligunt. 2728, 55. Prope Dunelmum exercitu eorum ſuperato, R. David Bruis capitur. 1732, 10. Olim quatuor tantum Epiſcopos habuerunt. 348, 37. Octo ſedes numerantur. 1196, 40. Sanctandreano Epiſcopo quidam pallium obtinere ſatagunt. 1719, 31. ¶ Scotiæ Reges: *Albanactus*; *Saterus*; *Brennius*; *Anſelmus*; *Conſtantinus*; *Iricius*; *Eadanus*; *Kinadius*; *Malcolmus*; *Machetbad*; *Macheotha*; *Malcolmus*; *Dufenaldus*, vel *Dunewaldus*; *Dunechanus*, vel *Duncanus*; *Eadgarus*; *Alexander* I; *David* I; *Malcolmus*, vel *Malcholſus*; *Willielmus*; *Alexander* II; *Alexander* III; *David* II; *Johannes de Baillol*; *Edwardus* I, Rex Angliæ; *Robertus Bruz*; *David Bruz*; *Edwardus le Baliol*.

Scotlandus, vel Scolãdus, Abbas S. Auguſtini. 213, 50. 1326, 22. 1787,

1787,56. Res ab eo geſtæ. 1788, &c. 2250. Corpus S. Mildredæ transfert. 1911,2. Moritur. 1792,50.
S. Scripturæ ſumma, DECLINA A MALO, ET FAC BONUM; ET INHABITA IN SECULUM SECULI. 1335, 29. Scripturæ verſio in linguam vernaculam improbatur. 2644, 49. Scripturam culpant inſipil. 2658,53.
Scrobbesburia. V. *Salopia*, & *Cyrebury*.
Sculæ. 23,61.
Scuta ex ovinis pellibus non conficienda. 843,38.
Scutagium. 1381,3.
Scylla. 1010,43. 1187,32.
Seapſcip, navis inſtitori 900,2.
Sebba, vel
Sebby, R. Orientalium Saxonum. 744, 64. Fit monachus. 440,40. 745,8.
Sebertus, R. Orient. Anglorum. V. *Sigebertus*.
Sebertus, R. Orient. Saxonum. 743,28. Ad fidem convertitur. 735,21. V. *Sigebertus, R. Or. Anglorum*. Monaſterium S. Petri ad Occidentem fundavit. 1633,30. Moritur. 738, 43. Ejus tres filii, Sexredus, Sewardus, & Sigebertus, ei ſuccedentes. 738,45. 743,46. Mellitum e Regno expellunt, quod panem Euchariſticum eis negaverat. 738,65. 743,50. 1633,32. Omnes in prælio cadunt. 739,9. 744.8.
Secularibus ejectis, introducuntur regulares. 598, 21. V. *Monachi*.
Securis uſum Hiberni unde didicerint. 1075,5. Securis acclamatrix potius eſt quam fur. 765,25.
Sedena, vel Sidnaceſter, ſedes Epiſcopalis. 1638,61. V. *Lincolnia*.
Seditio inter Londinenſes ob tallagium inæqualiter exactum. 691,4. 1265—1267. Seditio Kentenſium. V. *Johannes Straw*. Seditio in Norfolcia. 2638,35.
Sedulii locus. 119,49. 138,9.
Seggesfeld, manerium. 1162,32.
Seinfridus, Epiſcopus Ciceſtrenſis. 1457,67. V. *Gaufridus*.
Seirus de Quincy, vel Aquitania, Comes Wintonienſis. 2346, 64. 2429,31.
Seledritha, Abbatiſſa B. Mariæ in inſula Thaneto. 1908,37.
Selſheu, inſula vituli marini. 798,52.
Sellebienſe Monaſterium. 198,12. 1710,56. 1964,42. ¶ Prior: *Rogerus*. ¶ Abbas: *Rogerus*.
Selling. 1884,39. 1922,19. 1935,2. Appropriatio Eccleſiæ. 2096,19. Portio aſſignata Vicario. 2096,48.
Semiramis, Regina Aſſyriorum. 562,66.
Sem, Judæis Melchiſedech. 351,25.
Septem Epheſi dormientes ſe in ſiniſtrum latus vertentes Edwardus Confeſſor in ſpiritu videns, dirum id eſſe mortalibus omen dicit. 396, 31. 950, 4. 2337, 43. Quamdiu in dextero latere quieverant. 2337,45. Quamdiu in ſiniſtro ſint cubituri. 2337,47.
Septonia. V. *Shafteſbury*.
S. Sepulcri monialibus Cantuariæ datur Eccleſia S. Edmundi de Redingate. 1838,9. A quo & ubi cœnobium iſtud fuerit fundatum. 1893,45.
Sepulcrum Domini. V. *Fulco Nerra*.
Sergius I, P.R. 441,55. 2231. Ejus literæ ad Epiſcopos Britanniæ. 1640,60.
Sergius II, P.R. 450,26. 2239.
Sergius III, P.R. 453,2. 2241.
Sergius IV, P.R. 2245.
Serlo, Abbas Gloceſtrenſis. 225,2. 228,64.
Serpentes horrendi in Suthſaxia. 796,53.
Servituti nemo ſubditus ex conditione naturæ. 580,38. Servus fugitivus quomodo mulctandus. 764, 54. 828, 47. 2730,25. Statutum de Servis, eorumque ſtipendiis. 2730, 10. Quando iis arma geſtare liceat. 2731,44. Qui luſus & exercitia iis permittantur. 2731,52.
Seth. V. *Abel*.
Severinus, Abbas S. Mariæ, Eboraci. 206,26. 273,36.
Severinus, P.R. 438,35. 2229.
Sewallus, Archiepiſc. Eboracenſis. 1725,41. 2444,11. Miniſtrantium in capella S. Sepulcri numerum & ſtipendia auget. 1725,54. Moritur. 1726,30. 2444,34.
Sewardus. V. *Sebertus*.
Sexburc, Regina Occid. Saxonum. 756,49.
Sexburga, vel
Sexburgh, Regina Cantiæ. 740,42. Ejus genealogia. 1908,14. Monaſterium fundat in inſula Scapeia: 1908,10. Temporalia ejus ac ſpiritualia, eorumq; valor. 2168,43. Sexburga monaſterium ingreditur. 741,1. 775,10. 791, 18. Fit Abbatiſſa Elienſis. 441,13. 741,5.
Sexhelmum, Epiſcopum Lindisfarnenſem ſimoniacum S. Cuthbertus de terra ſua fugat. 26,21.
Sexredus. V. *Sebertus*.
Shafteſbury, vel Sheftebyrig, Latine *Septonia*, Britannice *Bladuw*, a Caſſibelauno fundata, 875,40. reparatur. 812, 9. Monaſterium virginum ibi exſtruitur, 132, 38. 812, 38. 355,45. & largis muneribus ditatur. 875,50. ¶ Abbatiſſa: *Ethelgifa*.
Sherborna, vel Scireburna, vocatur urbs Maidulfi. 1640, 37. Sherbornenſis Epiſcopatus. V. *Sariſburia*.
Shires. V. *Schirarum*.
Siberteſweld, vel Sybrytthyſweald, vel Suydbritheſweolde. 1778,29. 1789,52. 1881,37. 2126,13. 2244.
Sibertus, vel Sigbertus, R. Orient. Saxonum, convertitur. 744, 27. Baptizatur. 2,37. Cum excommunicato prandet. 744, 41. Ceadda ejus mortem prædicit. 744,47. Interficitur. 744,50.
Siccitas mira in Francia. 1019,38. Siccitas magna in Anglia. 2435,67. 2465,31. 2605,40.
Sicga, Dux, ſeipſum interimit. 112,14.
Sicilia deſcribitur. 1010,29. Unde dicta. 596,20. 1010,33. Prima ex omnibus terris aratro ſciſſa. 1010,49. Ibi inventa Comœdia. 1010,51. Quædam in ea miranda. 1010 & 1011. Quinam eam tenuerint ante & poſt Rogerum. 1011, 20. Ejus Regibus perſonaliter jurare, inſolitum. 594, 9. Epiſcopi Norwicenſis iter ad Siciliam. 595, 32. Mos Siculis Regibus cathedram auream Reginis dare. 1183, 52. Epiſcopi & Proceres Regni Siciliæ. 1114, 11. 1437, 4.
Sidricus, vel Sihiricus, vel Sihtricus, R. Northumbriæ. 835, 28. 857,50. Fratrem occidit. 133,63. 153,59. 835,38. Ethelſtani ſororem ducit. 154,25. 838,20.
Sifridus, Abbas Glaſtonienſis, fit Epiſc. Ciceſtrenſis. 1015, 18. 1663,4.
Sigebertus, Epiſc. Moguntinus, Epiſcopatum abdicatum repetere cogitur. 973, 3. Vocatur Sigefridus. 2350,18.
Sigebertus, frater Dagoberti Regis Francorum, dum baptizatur, *Amen* reſpondet. 438,46.
Sigebertus, F. Seberti. V. *Sebertus*.
Sigebertus Gemblacenſis, Chronographus. 431,48. 432,55. 498,52.
Sigebertus, vel Sebertus, R. Or. Anglorum. 745,49. Ad fidem converſus, ſcholas inſtituit. 745, 59. Fit monachus. 747,5. 1636,10. Occiditur. 747,11. D. Pauli Eccleſiam Londini conſtruit, 385, 9. & D. Petri monaſterium ad Occidentem: 385,17. Sed hæc potius Seberto Regi Orient. Saxonum ſunt tribuenda.
Sigebertus, vel Sigberht, R. Occid. Saxonum. 105,17. 448, 42. 769,66. Ob tyrannidem Regno pellitur. 770,16. 796, 9. A ſubulco interficitur. 770,26. 796,19.
Sigeburtha, Abbatiſſa S. Mariæ in Thaneto. 1908,31.
Sigehardus, R. Or. Saxonum. 745.10.
Sigericus, Abbas S. Auguſtini. 2244.
Sigfridus, Abbas Girvenſis. 94,4.
Sigga. V. *Johannes Beverlacenſis*.
Sighere, R. Or. Saxonum. 440,40. 744,64.
Sigiſmundus, Imp. in Angliam venit. 2292.
Sigiſmundus, R. Burgundiæ, filium ſuum perimit. 566, 40. Eum facti pœnitet. 566,43. Poſt mortem miraculis inclareſcit. 566,45.
Signa, pro *campanis*. 1700, 50 & 53. 1792,15.
Sigredus, Abbas Ripenſis. 110,59.
Sihtricus. V. *Sidricus*.
Silveſter II, P.R. 2245. V. *Gerbertus*.
Silveſter III, P.R. 2247. V. *Benedictus II*.
Silveſter, Prior S. Auguſtini. 1807, 61. Excommunicatur ob contemtum Archiepiſcopi. 1808, 1. Tandem abſolvitur. 1809. Eligitur Abbas S. Auguſtini. 1811, 5. 2254. Theobaldus ei infamiam objicit. 1811, 8. Coram Papa ſe purgat. 1811, 10. Papa pro eo ſcribit. 1811, 15. Prior S. Trinitatis ejus benedictionem impedit. 1811, 47. ex Abbatibus S. Auguſtini hic primus ſine profeſſione fuit benedictus. 1330, 36. 1370, 12. 1811, &c. Poſtea profiteri cogitur. 1330, 47. 1665, 65. Adriani IV ad eum literæ, de obedientia Archiepiſcopo præſtanda. 1378, 58. Literæ VII Epiſcoporum, eum Archiepiſcopo obedientiam profeſſum, teſtantes. 1379, 43. Profeſſionis forma. 1380, 10. Inſtitutio ejus de reficiendis pauperibus. 1814, 61. Moritur. 1815, 8.
Silvia, urbs in Hiſpania a Silvio Ænea condita. 646, 2. Paganis interemtis a Chriſtianis poſſidetur. 646, 27. 1166, 14. 1176, 10.

Simeon Dunelmensis Historiæ materiam unde collegerit, 1, 52.

Simon, Abbas S. Albani. 547, 41. 615, 35.

Simon de Burle, Comes Huntingdonensis. 2675, 59.

Simon Burley, castri Doverensis & Quinque portuum Custos, Angliam Gallo prodere conatur, 2181, 30. monasteria Cantuariæ spoliare, 2181, 48, Abbatem S. Augustini, inimicis fortiter resistentem, abducere, 2182, 52. & Augustinensium privilegia & commoda quovis modo imminuere. 2183, 1. Castrum Doverense & alia loca Gallo vendit. 2183, 29. Ejus divitiæ, & sumtus fastuosi. 2727, 20. In custodiam conjicitur. 2705, 17. Capite plectitur. 2183, 41. 2727, 14.

Simon, Episc. Cicestrensis. 1681, 36.

Simon, Episc. Wigornensis. 259, 19. 504, 26. 1015, 17.

Simon, F. Roberti Episcopi Lincolniensis, 1021, 19. Ejus mores & mors. 1021, 21. 2384, 10. Dixit se inter curiales id esse quod sal inter anguillas. 1021, 26. 2384, 17.

Simon de Gaunt, Episc. Sarisburiensis. 2004, 20. 2007, 67.

Simonia, prohibita. 205, 64. 240, 40. 248, 32, 253, 26. 486, 9. 973, 39. Simoniaci patroni, jure præsentandi in perpetuum privandi 1430, 51. Simoniacus Episcopus jussus dicere, *Gloria Patri*, &c. non potuit proferre, *Spiritui Sancto*. 973, 50. 2350, 35. Simonicus Imperator a dæmonibus torquetur. 933, 40.

Simon Islip, vel de Iscleph, Custos privati sigilli fit Archiep. Cantuariensis. 2118, 14. 2283, 2606, 60. Ejus literæ de quibusdam Ecclesiis Abbatiæ S. Augustini appropriatis. 2087—2090. Mors. 2142, 12.

Simon junior, Comes Northamtoniensis. 627, 9.

Simon de Langdon, vel Langton, Archidiaconus Cantuariensis. 1888, 19. 1891, 14. Hospitale pauperum Sacerdotum Cantuariæ fundavit. 1891, 61.

Simon Langham, vel Lanhum, Episc. Eliensis, Regis Thesaurarius. 2132, 41. Fit Archiep. Cantuariensis. 2142, 14. 2283. Ejus literæ de Ecclesiis conventui S. Augustini appropriatis. 2146, 30. Fit Cardinalis, 2285.

Simon de S. Licio, Comes Huntingdonensis. 975, 13.

Simon Mepeham, Archiep. Cantuariensis. 2554, 56. Consecratur. 2039, 33. 2279. Augustinenses citationibus & minis inquietat. 2039, 44. Ejus literæ ad Officialem, de iis citandis. 2039, 59. Conventu sedem Apostolicam appellante, 2040, 56. Icherius quidam judex controversiæ constituitur; 2041, 1. a quo citatus Archiepiscopus rationes reddit cur non comparuerit. 2042, 44. Icherium læsæ majestatis accusat, quia ipsum citaverat dum Parliamento intererat. 2043, 7. Augustinensium procurator de eo apud Papam queritur, 2043, 1. atque ejus objectionibus respondet. 2043, 44. Quosdam ad ipsum citandum missos ejus famuli vulneribus & tormentis excipiunt: 2044, 25. Quod Papa ægre ferente, juramento se purgat, 2045, 1. omnes facinoris istius reos familia sua exigit; 2045, 39. & literas Episcoporum commendatitias obtinet, 2045, 48. aliorumque testimonia. 2046, 9. Archiepiscopi Aquinensis contra eum literæ ad P. R. 2046, 29. Aquinensis eum excommunicat. 2047, 1. Icherii contra ipsum processus, 2047, 8. & sententia. 2048, 41. Gravis mulcta ei imponitur: 2051, 23. Alia. 2053, 16. Moritur. 2066, 30. Inhumatus jacet, donec Abbas S. Augustini eum absolvat. 2066, 37.

Simon de Monte-forti I, Comes Leicestriæ. 2346, 60. Proscribitur. 2347, 2.

Simon de Monte-forti II, Comes Leicestriæ. 2347, 6. Ejus uxor, & liberi. 2347, 12. 2417, 66. Roberti Lincolniensis de iis prophetia. 2416, 43. Bellum movet contra Henricum III. 2445, 1. 2448, 33. Simon ejus F. Northamtoniæ capitur. 2447, 19 & 45. Comitem Glocestriæ militaribus armis induit. 2449, 34. Regis copias superat apud Lewes. 2450. Edwardus Princeps ex ejus custodia elabitur. 2452, 1. Glocestrensis ab eo deficit. 2437, 40. 2451, 43. 2452, 31. In prælio Eveshamensi occiditur. 2453, 32. Caput ejus amputatum 2453, 67. ad Mortimeri uxorem mittitur. 2454, 11.

Simon Silvanectensis, Comes Northamtoniensis. 282, 46. Hic forsan is erat qui vocatur Simon Hamptoniensis. 2386, 27. Ejus character. 1030, 46. 2386, 27.

Simon Sudbury, Archiep. Cantuariensis. 2150, 14. 2285. Monasterium S. Augustini ingredi cupiens, non permittitur. 2155, 14. Literas Pontificis Rom. obtinet, ad recludendas fores. 2155, 23. Abbati minatur, Abbas ipsi. 2156, 37. Johannis Straw bipedum nequissimi jussu securi percutitur. 2157, 9.

Simon Walthef, Abbas Menrossensis. 975, 5.

Simon de Wanton, Episc. Norwicensis. 1912, 56. Ejus literæ ad Abbatem S. Augustini, de statutis Baronum in præjudicium Regis editis. 1918, 61.

Sempringamensis ordo. 1020, 56. Ejus auctor. 1149, 16.

Sinefredus, R. Orient. Saxonum. 745, 10.

Siricius, V. *Syricius.*

Siroes, R. Persarum, Chosroem patrem occidit. 437, 57. 564, 55.

Sisidin, R. Ægypti, scribit ad P. R. de captivis liberandis. 621, 54.

Sisinnius, P.R. 442, 19. 2233.

Siwardus Barn Comes Northumbriæ. 34, 15. 181, 21. 184, 52. 203. 26. 204, 44. 484, 30. 946, 14. 2332, 30. Pater ejus Bernus aures ursinas habuit. 945, 50. Draconem vincit. 945, 56. Alium draconem quærens, a sene quodam Londinum mittitur. 945, 58. Tostio caput aufert. 946, 4. Fit Comes Huntingdoniæ. 477, 23. 946, 20. Scotiam subigit. 187, 43. 946, 23. 2333, 4. Filium in anteriori corporis parte, quamvis lethaliter, vulneratum gaudet. 946, 28. 2333, 8. Ipse profluvio ventris periturus, se armari jubet, ut modo militis moriatur. 477, 23. 946, 25. 2333, 47.

Siwardus, Edsio Archiepiscopo Cantuariensi infirmo existente, ad supplendum ejus locum consecratur. 938, 44. Erat Episcopus Roffensis. 1653, 16. Abingdoniæ moritur. 941, 57. 1651, 34.

Slavius, & fratres ejus, de Græcia in Hiberniam quando venerint. 1073, 65.

Sledda, R. Or. Saxonum. 743, 28.

Snaves, villa. 1776, 45. Advocatio Ecclesiæ. 1871, 20. De fructibus ejusdem. 1917, 28.

Societas fortunæ, vel *la grande compaignie*. 2625, 37. Loca nonnulla deprædatur. 2629, 44.

Socna, quid. 957, 33.

Sodomitæ excommunicandi, 1000, 57. si laici sint; 1455, 53. si clerici, degradandi, vel in monasteria trudendi. 1455, 48. Lex de iis excommunicandis abrogatur, ne mentio sceleris animos hominum inficiat. 2377, 2. Sodomitæ complures naufragio intereunt. 1012, 67. 2381, 67.

Soka, quid. 957, 33. 2030, 52.

Soldani terræ in Cantia. 2029, 26 & 35. 2199, 46 & 55.

Solis mirum deliquium. 263, 23. Obtenebratur per dies septendecim. 447, 6. Tres circuli Solem ambientes; 2059, 14. 2394, 37. quatuor. 229, 1. 2377, 23. Stellæ circa Solem apparentes. 1349, 10. Soles duo visi. 219, 34. 1270, 63. 2394, 37. In *Solis* vocabulo facete luditur. 1156, 28.

Solivago dæmon vocatur. 1262, 52. 2429, 63.

Somniantis puerperium. 419, 52. Somniis fides non penitus deroganda. 391, 18.

S. Sophiæ corona, V. *Leo Imp. CP.*

Sortilegium damnatur. 254. 22. Ejus pœna. 831, 12. 842, 30.

Southamptonia, seu Hamonis portus, 576, 65. 1095, 7. a Gallis incenditur. 2573, 2.

Southwellenses Canonici Aldredo terras & refectorium debent; 1704, 38. 1713, 50. Thomæ II, libertates. 1713, 43.

Southwerk. Ibi hospitium Augustinenses habuerunt. 1878, 59. 1932, 17.

Spaldingæ Abbatia. 868, 53. Villa Episcopo Lincolniensi conceditur. 2378, 2.

Sparth, securis. 1075, 6.

Sperafocus, Abbas Abbingdonensis, fit Episc. Londinensis. 475, 57.

Spicæ septem e culmo uno prodeuntes. 606, 53.

Spiritum S. nominare non potuit Episcopus simoniacus. 973, 50. 2350, 35. Græcorum de ejus processione opinio ventilatur. 224, 11. V. *Dunstanus*, & *Johannes Beverlacensis.*

Sponsalia quomodo contrahenda. 861, 43.

Spurii ad Episcopatus non evehendi. 580, 18.

Staffordia. 153. 14. 834, 35. Vocatur Steaffordia. 152, 67.
¶ Staffordiæ Comes: *Radulfus.*

Stallage, quid. 957, 49.

Standard ab Anglis erigitur. 262, 4. 321, 57. Unde dicatur. 321, 62. Standardii bellum, inter Davidem R. Scotiæ & Barones Angliæ: 262, 2. 321, 57. 331, 2. 339, &c. 505, 50. 1026, 1. ubi, ut spes fugæ tolleretur, equi longius amoti. 322, 11. 342, 11. Ordo acierum. 322, 12. 342, 17. 1027, 7. Galwensium fiducia. 342, 27. Turstinus Eboracensis presbyteros cum cruce & Sanctorum reliquiis in prælium mittit. 320, 59. 337, 18. 343, 28. Conflictus descriptio. 345, 13. Angli absolutione & benedictione Episcopali animantur. 345, 16. 1026, 62. Stratagema. 345, 49. Victoria. 345, 52. Henricus Scotorum Princeps,

viribus victus, prudentia evadit. 346, 15.
Stanſord-bridge. 479,32.
Stanſordia. V. *Oxonium.*
Stapulæ Londini conſtitutæ. 1606,7.
Statua in campo Martio, cujus digito inſcriptum, HIC PERCUTE. 881, 50. Statua arcum tenens, ſecundum quoſdam, Edmundum Jron=ſide interficit. 906,28. 2316, 63. Mira hiſtoria de annulo ſtatuæ digito impoſito. V. *Annulus.* Alia ſtatua theſaurum ænigmatice indigitans. 2335, 54.
Statuitocenſis. V. *Taviſtokienſis.*
Statutum de *Mortmain.* 1941,26. 2274. 2462,65. 2738,16. Statutum vetans ne quo modo Religioſorum poſſeſſiones augeantur. 1961,35. Statuta Oxonii; 2445,44. de Merton; 2439,52. de Marleberg; 2455,30. Weſtmonaſterii. 2461,39. V. *Legem.*
Stellæ cadentes. 221,4. 492,20. 2366,11. Stella inſolita. 229, 47. 2377,24. Stella interdiu ſplendens. 1342,62. Stellæ circa ſolem viſæ. 1349,10. Stellæ lucernarum ſplendore obſcuratæ. 1113,1.
Stephani Cantuarienſis libellum De Ricardo I deflorat Ciſtrenſis. 2401,21.
D. Stephani caput Cadomum affertur. 2369,8.
Stephanus, Abbas S. Mariæ, Eboraci. 45,12. 206,25.
Stephanus, Comes Andegaviæ, & libertate & uxore a Ricardo I privatur. 1154,50.
Stephanus, Epiſc. Londinenſis: Ejus literæ de fama & motibus Simonis Mepham. 2045,62.
Stephanus de Hakendon. 2048, 17. Fit Prior S. Auguſtini. 2063,24.
Stephanus Herdingus, vel Herdingus Stomps, autor ordinis Ciſtercienſium. 2370—2372.
Stephanus de Langton, Archiepiſc. Cantuarienſis. 1624,29. 1865, 2. 2259. De ejus electione. 2415,20. 2417, 46. V. *Johannes, R.* In Angliam venit. 2418,41. Cum Abbate S. Auguſtini contendit de profeſſione obedientiæ. 1866,37. Literas Alexandri III, P.R. pro ſe profert, ſed falſi ſuſpectas. 1866,54. Cauſa cadit. 1867, 34. Quos ſumtus fecerit cum Th. Becketi corpus transferretur. 2430, 20. Ejus ſcripta. 2430, 67. S. Biblia in capitula diviſit. 2430, 66. Moritur. 1881, 30. Erat Cardinalis. 1879,45.
Stephanus II, P.R. 444,12. 2235.
Stephanus III, P.R. 444,44. 2235.
Stephanus IV, P.R. 449,8. 2237.
Stephanus V, P.R. 452,9. 2241.
Stephanus VI, P.R. 2241. Formoſi ordinationes irritas facit, digitos abſcindit, cadaver in Tiberim projicit. 452,49.
Stephanus VII, P.R. 452,32. 2241.
Stephanus VIII, P.R. 454,47. 2243.
Stephanus IX, P.R. 2247.
Stephanus, Procurator Andegaviæ, dæmonem conſulens, decipitur. 1254,50. 2408,66.
Stephanus, R. Angliæ. 2254. Ejus genealogia. 1022,57. Ejus jus ad Regnum. 340,32. 505,49. 1312,5. Quamvis fidem ſuam ſacramento obſtrinxerat Imperatrici, 504,40. ejuſq; hæredibus, 505,20. tamen Regnum invadit. 1023,12. 1340,7. 2384,52. Ab Innocentio P. R. confirmatur. 313,28. Conſecratur, 258,24. 505,44. 1340,23. ſed privatim. 1023,17. Quomodo fuerit coronatus. 1588,20. Omina iram Numinis & infelicitatem Regis ſignificantia. 1023,21. 1340,26. 1664,32. 2384,62. Ejus pacta & promiſſiones. 1024,20. 2385,4. Exceſtriam capit, 506,13. 1025,4. 1340,54. 2385, 17. Vectam inſulam, 1025,13. 1340,57. Bedfordiam, 1025, 36. 1343,62. 2385,42. aliaq; caſtra nonnulla; 2385,45. civitates inſuper complures in Normannia. 1343,3. Promiſſa exuit. 1025,17. Contra Scotos exercitum ducit: 258, 44. 260,46. 317,39. 2385,43. auſtrales Scotiæ partes vaſtat. 1025,57. Cauſa diſſenſionis inter ipſum & proceres ſuos. 62, 56. Angli offenduntur honoribus ab eo in Henricum Scotum collatis. 258,53. 313,9. Comitatum Northumbriæ ſcilicet illi promiſſum 312,64. conceſſerat. 265,32. Pacem cum Scoto init. 265, 29. 2391, 20. Lincolniæ coronatur. 508,46. 2387,57. Fœdus cum Gallo init. 506,17. Lincolniæ, quamvis fortiter dimicans, capitur, 269,28. 508, 17. 1031,21. 1353,1354. & incarceratur. 63,31. V. *Matildis, Imperatrix.* Portenta id inſortunium ſignificare viſa. 508,13. 1030.51. 1352,20. 2386,31. Liberatur. 63,61. 1357,10. Regno reſtituitur. 271,7. 2387,18. Imperatricem Oxonii obſidet. 1032,28. 2387,25. A Wiltonia fugatur. 1358, 51. Wallingfordiam obſidet, 1361,9. & Lincolniam, ſed fruſtra. 1033,44. Caſtrum Farendonæ capit. 1033, 64. Theobaldum Cantuarienſem rogat ut Euſtachium F. in Regem ungat, ſed repulſam patitur. 1371,45. Cantuarienſem bonis omnibus ſpoliat. 509, 57. 1364, 13. 1372,14. 1668, 8. Hilarius Ciceſtrenſis eum Papæ excuſat. 509,60. Johannis Beverlacenſis minis abſterretur, ne caſtrum Beverlaci conſtruat. 278,19. Caſtellum Neuburienſe capit. 1372,16. Johanni P.R. Legato conductum præſtare recuſat: 279,57. cujus repulſæ eum poſtea pœnitet. 280,12. Legatus ei fidelitatem jurat. 527,7. Oratio Comitis Arundeliani, ipſum ad pacem cum Duce Henrico ineundam hortantis. 1375,54. Cum Duce paciſcitur: 282,26. 527, 52. 1037, & 1038. 1374,14. atq; eum in filium adoptat. 527, 60. Moritur. 1043, 1. 1376, 41. 2389, 63. Qualis Angliæ ſtatus, eo regnante. 1036, 23. Juſtitiæ & quieti publicæ ſtuduit. 528, 1. Quantus numerus munitionum ejus temporibus fundatarum. 528,4. Mos ei erat multa incipere, pauca perficere. 1370,49. Quam hilari & conſtanti animo fuerit: 312,22. in largiendo quam profuſus. 505, 66. Ejus manſuetudo. 311,32. Charta ejus de donatione molendini de *Eaſtbrigge.* 1807,13. Leges quas Anglis conceſſit. 314,21. 528,1. 2391,31.
Stephanus de Sacro Cæſaris conſpirat cum Flandrenſi adverſus Gallum. 612,[illegible]. Subjugatur. 612,41.
Stigandus, Epiſc. Orient. Anglorum. 473.12. 475,14. 938, 50. Dicitur fuiſſe Sherbornenſis Epiſcopus. 2332,27. Fit Wintonienſis. 182,56. 476,40. 932,57. 939,6. Fit Cantuarienſis. 191,48. 195,37. 400, 51. 466,38. 476,42. 480,58. 944,31. 2247. Ejus character. 2332,28. Crucem argenteam monaſterio S. Auguſtini donat. 1785,64. Ejus aſtutia W. Conquæſtor cogitur Cantiæ ſua jura inviolata permittere. 1786, 6. Cur Conquæſtorem haud conſecrarit. 962,9. 1792,1. Degradatur. 201,53. 405,63. 482,50. 967.54. 1735, 36. Degradationis cauſæ. 2345, 5. In vinculis tenetur. 968,5. 1652,13. 1787,45. 2344,8. Ejus nequitia: 400,51. 1651,62. avaritia & parſimonia. 968,7. 1652,17. 2345,16. Dicitur Auſtralium Saxonum fuiſſe Epiſcopus; 1651,60. ſed falſo. Nam Stigandus Ciceſtrenſis erat ætate paulo poſterior, & Conquæſtoris Capellanus; hic vero, Confeſſoris.
Stigandus, primus Epiſc. Ciceſtrenſis. 202,35. 473,20. 483,9.
Stilgarus. V. *Ethelgarus.*
Stipendia certa operariis & ſervis ſtatuta. 2600, 37. 2731, 4. Qui majora vel dant vel exigunt, puniuntur. 2600,45.
Stodmerſh. 1770,13. 1892,57.
Stone, villæ, Eccleſia appropriatur. 2085,61. 2089,13.
Stonore, vel Stanores. 1794,30. 1889,38. 1933, 1934. 2130, 5. 2143, 2144. De mercatu ibi habendo. 2131, 16. V. *Sandwici.*
Stowe Eccleſia a quo fundata. 189, 43. 449, 8. Dicitur Marie=ſtowe. 477,40. Ornamentis a Leofrico Comite ditatur. 477,39.
Stratus=waye. 752,55.
Strecman, potentes, ſive fortes. 924,47.
Streneſhald, ſeu Whiteby, monaſterium. 45,8. 772,13. 790, 32. 793,58. 973,24. ¶ Abbates: *willielmus*; *Nicolaus*; *Benedictus*; *Ricardus*; *Ricardus*. ¶ Abbatiſſa: *Elfleda.*
¶ Striguill, vel
Strugoill, vel
Struguill, Comites: *Ricardus*; *Willielmus.*
Studia literarum in Anglia quo tempore quibuſq; locis floruerint: 814, 13 &c. 1695,36. quando in Ægypto; 815,13. in Græcia; 815,18. Romæ, & in Italia; 817,1. Pariſiis. 814, 47. 817,13. Studia & Arma ſimul florere ſolent. 815,4.
Sturrey. 1962, 1963. 2027, 50. Decanatui Sturreienſi quot Eccleſiæ ſubditæ. 1976,27. Appropriatio Eccleſiæ. 2102,19. Portio & onus Vicarii. 2103,58.
Sturton. 1781,52.
Stuteſberiæ caſtellum obſidetur. 577,62. Deſtruitur. 588,26. Ejus dominus, Robertus de Ferires. 578,21.
Suanes. 2021,50.
Suanum, Daciæ Regem, ſubmerſum Edwardus Confeſſor in viſione videt. 378,45. 949,55.
Suanus, Comes Barreccenſis, Oxonienſis, & Glovernenſis. 2331,33. Eggivam Abbatiſſam conſtuprat. 183,32. 939,35. 2330,65. Relegatur. 938,52. Beornum Comitem occidit. 183,64. 939,41. 2331,2. Iſtius facti eum pœnitet. 186,57. 944, 10. 2332,17. Regi reconciliatur. 941, 54. 1701,1. Hieroſolymam adit. 2332,18. Ejus uxor. 2331,56. Mors. 944,14.
Suanus, F. Canuti, R. Norreganorum. 179,3. 914,10. Auxilium ab Edwardo petit, ſed fruſtra. 182,57. 2330,26. Presbyteræ filius eſſe dicebatur. 470,5. 914,12. V. 2327,17.

Suanus, vel Swein, R. Dacorum. 162, 54. 1908, 44. 2315, 42. In Angliam venit. 880, 11. Ejus ſociæ tres. 886, 48. Complures civitates vaſtat. 165, &c. 885, 16. Fames cogit eum in Daciam redire. 885, 54. Multæ provinciæ ei ſe dedunt. 169 & 170. 891, 58. Rex ab omni pene Anglia appellatur. 170, 16. 465, 30. 892, 10. A S. Edmundo, cui minatus fuerat, confoſſus interit; 170, 62. 363, 8. 465, 44. 892, 17. uti Wolmarus moribundus mire narrat. 465, 60.

¶ Suffolciæ Comites: *Robertus de Dufforde*; *Michael de Pole*.

Superbiæ remedium. 1023, 50. 1339, 60. Superbia Templariorum. 1279, 8.

Surdus ſi peccat, pater puniatur. 823, 47.

¶ Surriæ, vel

Suthriæ, Duces: *Wada*; *Thomas*. ¶ Comites: *Johannes de Warenna*; *Ricardus*.

Suthſaxones converſi. 441, 10. 741, 36. 793, 31. V. *Auſtrales Saxones*.

Sutor quidam oculum ſcandalizantem eruit. 2361, 11. Idem, ad inſtantiam Regis Saracenorum, montem precibus levat. 2361, 14.

Swaleclive. 1778, 29. 1935, 2.

Swebardus. V. *Wedbardus*.

Swebriht, R. Orient. Saxonum. 100, 61.

Swithelinus, R. Or. Saxonum. 744, 53.

Swithelmus, Epiſc. Sherbornenſis. 451, 61. 812, 33.

Swithunus, Epiſc. Wintonienſis. 141, 2. Ejus reliquiæ tranſferuntur. 159, 3. Quam ob cauſam novem ei maneria dederit Emma Regina, totidemque Ailwinus Epiſcopus. 942, 26. 2329, 57. Ejus monaſterium, Wintoniæ. 1904, 14.

Swollingland quæ ſervitia præſtare teneatur. 2140.

Symbolum Apoſtolorum, ab omnibus addiſcendum. 921, 56.

Synodus. V. *Concilium*.

Syricius, vel Siricus, Abbas S. Auguſtini. 1780, 9. 2244. Fit Epiſcopus Wiltonienſis; 460, 63. 1780, 28. Archiepiſcopus Cantuarienſis. 162, 10. 879, 16. 1648, 15. 2315, 5. Poſt Alfricum collocatur. 2245.

T

TAcce. V. *Edelburga*.

Taileburgenſe caſtellum evertitur. 6-3, 56.

Taillage, quid. 957, 44.

Tailleferus, fortis Normannus. 480, 5. 960, 24. 2341, 32.

Tameſis, fluvius, aquis deficit. 236, 41. 1005, 40. 1380, 57.

Tancredus, Roberti Wiſcardi F. 1009, 60. 1011, 34.

Tancredus, Rogeri Regis nepos, Regnum Siciliæ uſurpat. 650, 22. 656, 35. 1012, 8. 1167, 19. Quadraginta millia unciarum auri Anglo dat. 656, 65. 1184, 7. Quæ & quanta ab eo Anglus popoſcerit. 1083, 48. V. *Ricardus* I, *R. Angliæ*. Moritur. 672. 44. 1269, 15.

Tantunenſe caſtrum a R. Ina conſtructum. 758, 62.

Tartarorum dominatus. 2416, 14. Hungariam & Pannoniam vaſtant. 2432, 21.

Tatnothus, Epiſc. Roffenſis. 2218, 32.

Tatwinus, presbyter in monaſterio Brindunenſi, fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 98, 50. 99, 60. 443, 2. 742, 41. 768, 27. 774, 13. 1640, 48. 1771, 66. 2235.

Taviſtokienſe, vel Statuitocenſe, monaſterium vaſtatur. 882, 45, Dicitur Lamſtokenſe. 1700, 65. ¶ Abbates: *Aldredus*; *Wimundus*.

ꞇeaȝe, ſcrinium. 930, 66.

Tegniones, Barones. 319, 41.

Telonium. V. *Vectigal*.

Templariorum ordo quando & quomodo inceperit. 1008, 53. 2382, 20. Eorum multi a Paganis occiſi. 635, 60. 1502. Eorum literæ afflictam terræ S. conditionem exponentes. 635, 45. 1502, 42. Eorum ſuperbia; 1279, 8. avaritia, & proditio. 1365, 14. Eorum privilegia: 1454. Illa excedentes, Epiſcoporum jura invadunt, &c. 1454. Templarii in Anglia incarcerantur: 1730, 1. 2494, 34. 2531, 52. & eorum bona in fiſcum rediguntur. 2531, 63. Eorum ordo in Concilio Viennenſi damnatus, 1008, 60. funditus ſubvertitur. 1730, 16. 2277. 2382, 26. Eorum poſſeſſiones Hoſpitalarii occupant. 1730, 33.

Tempus nullum ſe magis perdere dixit Bernardus quam id in quo dormiebat. 1042, 28.

Tened, vel Thanetus, inſula, Britannice *Ruim*. 120, 62. 2234; *Thanatos* vocatur. 728, 67. Edgarus eam deprædatur. 867, 58. Monaſterium de Menſtre ibi fundatur. 1770, 33. V. *B. Mariæ*. Quæ Swebardus R. ei dederit. 1770, 58. S. Mildredæ tranſlationem quam ægre tulerint Thanetenſes. 1910, 47. Eorum ſeditio contra Abbatem S. Auguſtini, 2034, 49. compeſcitur. 2035, 56.

Tentirdenn, vel Tanterden, vel Tentwarden. 1887, 65. 2080, 58. Eccleſiæ appropriatio. 2099, 38. Portio & onus Vicarii. 2100, 15.

Teodredus, Epiſc. Londinenſis. 2219, 17. 2220, 26.

Terræ motus. 159, 52. 183, 10. 215, 55. 232, 43, 238, 24. 240, 4. 263, 48. 268, 67. 628, 37. 709, 6. 939, 51. 1049, 61. 1380, 56. 1398, 23. 2157, 66. 2286. 2379, 15. 2461, 60. 2644, 23. Terræ motus horrendus in Sicilia; 628, 31. Veronæ; 1505, 42. Neapoli; 2598, 52. in Cypro. 2598, 49. Terræ motu grandis villa in Italia de ſua ſede longe transfertur. 238, 27. 1006, 44. 2380, 25. Terra in agro Dunelmenſi ſe in altum elevat; 1138, 64. qua poſt aliquot horas abſorpta, fit profundus puteus. 1139, 6.

Terricus, Magiſter Templariorum. 1502, 39.

Terror mali quanto latius diffundatur quam malum ipſum. 2639. 33.

Tertullianus. 431, 29.

Tertullus Ducis Burgundiæ filiam ducit. 450, 10.

Teſtamentariæ leges 311, 35. 314, 47. 658. 12. 2395, 5. Teſtamenta condendi mos quando in Hiberniam invectus. 1071, 51.

Teſtis falſus quomodo puniendus. 926, 58. De Teſtimonio lex. 896. 13.

Teulfus, Epiſc. Wigornenſis. 236, 14. 502, 28. Vocatur Tenulfus, 1015, 14. & Theowoltus. 1660, 59.

Thadioceus, Archiep. Eboracenſis. 725, 22.

Thameſis. V. *Tameſis*.

Thameworthe conditur. 153, 13. 356, 19. 834, 34.

Thanetus. V. *Tened*.

Thynus & Presbyter æquales judicantur. 846, 28.

Theam, vel

Thean, quid. 957, 35. 2030, 57.

Theobaldi Præfecti & Petri Leonis literæ ad P. R. de pugna ad Ptolemaidem. 648, 26.

Theobaldus, Archiep. Cantuarienſis. 264, 64. 275, 37. 281, 33. 328, 54. 507, 61. 1028, 1. 1348, 50. 1665, 1. 2253. Conſecratur. 1348, 65. Cum Henrico Wintonienſi contendit. 1665, 21. Wintonienſis opera in eas anguſtias adducitur, ut neceſſe habeat vel Regem vel Papam offendere. 1666, 7. Proſcribitur quod Remenſe Concilium, Rege invito, adierit. 509, 56. 1330, 3. 1363, 63. Naufragium in eo itinere fecit. 1329, 67. 1363, 11. 1666, 6. Terras Regis interdicto ferit. 1364, 13. 1666, 24. 1807, 57. Pax inter ipſum & Regem componitur. 1364, 38. 1666, 26. Regi Euſtachium F. coronari cupienti reſiſtit. 1371, 45. 1668, 1. Prioribus & conventui S. Trinitatis quam moleſtus fuerit. 1311, 50, 1367—1369. Conventus iſte, belli tempore, poſſeſsiones ſuas ejus curæ & cuſtodiæ committunt. 1312. 18. 1368, 35. 1666, 39. Duriter ab eo & inique tractati, res ſuas repetunt; 1312, 48. 1368, 22. 1667, 5. ſed fruſtra. 1312, 65. 1368. 42. 1667, 24. Monachis Papam appellantibus, ſævius incandeſcit. 1313, 5. 1368, 52. 1667, 33. Villas eis reſtituit, ſed Eccleſias retinet. 1313, 23. 1369. 11. 1667, 47. Walterum Priorem deponit. 1313, 28. 1369, 28. 1667, 54. Monachos S. Auguſtini excommunicat. 1364, 40. 1808, 2. Papa jubente, eos tandem abſolvit. 1808, 1809. Controverſia inter ipſos componitur. 1800, &c. Paparum ad eum literæ. 1809, 41. 1811, 15. 1812, 61. 1814, 25. Quod *Theobaldi* etymon Adrianus P. R. dederit. 1814, 36. Ejus literæ de Northburn & de Chiſtelet; 2113, 39. de Menſtre. 2117. 41. Alii ejus actus. 1665—1668. Corpus ejus ſepultum diu incorruptum manſit. 1301, 54. 1381, 57. 1668, 34. Ubi fuerit repoſitum. 1302, 5. Sanctus appellatur. 1301, 66.

Theobaldus, Comes Bleſenſis, contra Regem Angliæ ad Papam ſcribit. 1065, 31. Homagium Henrico juniori facit, & honores ab eo accipit. 1084, 52.

Theobaldus, Comes Palatinus, Stephani R. frater, moritur. 280, 34. Carmina in ejus laudem. 2385, 29.

Theobaldus. R. Angliæ. V. *Ethelbaldus*.

Theodericus, Epiſc. Londinenſis. 450. 30.

Theodericus, R. Northumbriæ. 90, 65.

Theodericus, vel

Theodoricus, Comes Flandriæ. 531, 9. Hieroſolymam una cum conjuge proficiſcitur. 531, 31. 1364, 66. Ejus filii. 579, 28 &c.

Theodorus, Epiſc. Orient. Anglorum, dolet ſententiam mortis in ſacrilegos fures a ſe fuiſſe prolatam, 806, 57.

Theodorus, Monachus Romanus, fit Archiep. Cantuarienſis. 789, 51. 2231. De eo lege 2, 26. 4, 2. 57, 35. 58, 38. 100, 35. 293, 62. 740, 35. 1769, 37. Ejus patria, doctrina, ordinatio. 439, 42. 1636, 21. Librum pœnitentialem ſcribit. 440, 5. 741, 39. Religione ſimul & liberalibus diſciplinis auditores ſuos imbuit. 1637, 46. Quam felicia, illo præſule, fuerint tempora. 1637, 57. 1740, 42. Primus erat cui omnes Britanniæ Epiſcopi ſubjici conſenſerunt. 237, 50. 439, 51. 1637, 50. 1740, 64. Concilia ab ipſo celebrata. 1639. Ceddam Eboracenſem deponit, 1741. 31. & Wilfridum. 1741, 40 &c. Moritur. 742, 10. 758, 13. 1640, 9. 1771, 1. Erat Legatus Apoſtolicus. 1769, 40.

Theodorus I, P. R. 438, 52. 2229.

Theodorus II, P. R. 2241. Contra Stephanum cum Formoſo ſentit. 452, 60 & 63.

Theodoſius ſeveritatem ſententiæ. contra reos quomodo mitigabat. 666, 15.

¶ Theokesburienſis Abbas: *Alanus*.

Theologildus, vel Feologildus, Abbas. 2212, 29. Fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. 449. 49. 742, 62. 1642, 64. 2239, 2.

Theonus, Archiepiſcopus Londinenſis. 725, 21.

Theotforda. 491, 60. Incenditur. 165, 45. V. *Orientalium Anglorum Epiſcopi*.

Theſauri ad Regem qui pertineant. 2358, 10. Theſauri a quocunque ad mortem repoſiti, Principis bona ſunt. 1142, 55. Theſaurum ab alio inventum Ricardus I dum petit, vitam perdit. 2413, 19.

Thilac accuſatio. 926, 46.

Thobias, Epiſc. Roffenſis. 742, 18. 1640, 28. 2208, 26.

Thomas, Abbas Boxleienſis. 1372, 27.

Thomas I, Archiep. Eboracenſis. 49, 14. 57, 12. 79, 41. 202, 25. 217, 48. 226, 23. 483, 7. 497, 43. 968, 35. 2345, 34. Ejus eruditio: 1705, 53. Honeſta oblectamenta. 1709, 10. Quomodo Cantuarienſi fecerit profeſſionem. 1706, 40. 2345, 43. Provinciam miſere vaſtatam invenit. 1708, 32. Quantam curam inſtaurandæ Eccleſiæ ſuæ impenderit. 1708, 57. Romam adit; 970, 20. Ubi, eo quod presbyteri fuerit filius, baculo & annulo deprivatur: 484, 1. ſed mox, intercedente apud Papam Lanfranco, eos recipit. 484, 10. 970. 33. 2348, 25. Cum Lanfranco de primatu contendit. 470. 41. 1744, 34. Cauſa cadit. 972, 11. Lanfrancus ei Lindisfarnenſem pro ſuffraganeo concedit, modo Cantuarienſis primatum agnoſcat. 1744, 47. V. *Lanfrancus*. Anſelmum in Primatem conſecrare renuit. 1707, 26. Haguſtaldenſem Eccleſiam in præbendam dat Eccleſiæ Eboracenſi. 303, 10. Epiſcopi Scotiæ obedientiam ei profitentur. 1709, 20. Lincolniam ad provinciam ſuam pertinere aſſerit, 1707, 61. ut & Lichfeldiam, & Wigorniam. 970, 42. 2348, 34. Ubi fuerit defunctus, & ſepultus. 1709, 43. Ejus Epitaphium. 1709. 50.

Thomas II, Archiep. Eboracenſis. 79, 41. 231, 18. 303, 24. 304, 34. 500, 52. 2377, 63. Erat Epiſcopi filius: 1712, 2. Beverlaci Præpoſitus. 1711, 21. Profeſſionem Cantuarienſi negat. 969, 10. 1711, 28. Anathema illi minatur Anſelmus, ni ſe ſubjecerit: 500, 60. Sed hoc dicitur monachorum figmentum. 1711, 54. Conſecratur. 501, 29. 1712, 16. Quomodo ſubjectionem Cantuarienſi profeſſus fuerit, 501, 29. 1712, 18. 1746, 18. Quam ægre ad id fuerit adductus. 1711, 57. Proclamatur, eum non ſponte ſua, ſed Regis juſſu, id feciſſe, &c. 1712, 21. Literæ Henrici I idem teſtantes. 1712, 40. Eum ob profeſſionem iſtam in curiam Rom. citat P. R. Legatus. 1713, 10. Canonicis Haguſtaldenſibus multa donat. 306, 24. Eximiæ ejus virtutes. 303, 47. Medicorum conſilium iratus rejicit, qui frequentem coitum ei ad ſanitatem recuperandam neceſſarium eſſe dicebant, 304, 2.

Thomas Arundell, Epiſc. Elienſis, 2681, 36. fit Regni Cancellarius. 2683, 45. Archiep. Eboracenſis. 2729, 5. Cancellariatu movetur. 2735, 26. Ad Cantuarienſem cathedram evehitur. 2194, 4. 2287. Proteſtatio ab eo facta, cum Eccleſiam Auguſtinenſium cruce prævia intraverit. 2198, 10. Rogatus, Miſſam ibi celebrat, & convivio excipitur. 2198, 59. Ejus literæ de privilegiis & immunitatibus iſtius monaſterii. 2199, 11. Accuſatur. 2754, 59. Regis verſutia impeditur quo minus cauſam ſuam agat. 2754, 65. Proſcribitur. 2753, 55. 2755, 18. Rex eum theſauris per fraudem ſpoliat. 2755, 52. Rex ſe eum mox revocaturum jurat. 2756, 1. Mala Regi eventura prædicit. 2755, 32. Poſt biennium reſtituitur. 2287. Henricum Lancaſtrium in ſolio collocat. 2758, 5. Concio ab eo tunc habita. 2758, 18.

Thomas Becketus. De ejus parentibus. 1052—1056. 1668, 43. Matris ſomnia, ejus famam ſignificantia. 1055, 1056. Ejus nativitas; 2251. indoles. 1056, 15. 1668, 47. In monaſterium traditur. 1056, 20. Pater ei ad pedes procidens, de ejus magnitudine vaticinatur. 1056, 23. Quænam a matre didicerit. 1056, 34. 1668, 54. Quomodo juventutem tranſegerit. 1056, 40. Accipitrem ex undis liberare cupiens, ipſe de vita periclitatur. 1056, 54. Ad curiales occupationes ſe transfert. 1057, 6. 1668, 59. Ejus providentiæ adſcribitur quod Euſtachius Stephani F. non fuerit coronatus. 1371, 65. 1668, 10. Theobaldus Archiep. eum inter familiares habet. 1057, 20. 1668, 64. Juri utrique operam dat. 1057, 44. 1669, 2. Fit Archidiaconus. Cantuarienſis. 1057, 55. 1377, 18. 1665, 55. 1668, 16. Erat Præpoſitus Beverlacenſis: 529, 51. Regni Cancellarius. 529, 53. 1046, 32. 1058. 16. 1669, 10. 2253. Cur Theobaldus eum ad Cancellariatum promoverit. 1057, 62. 1377, 5. Ejus character. 1377, 21. Vanæ gloriæ erat cupidus. 1668, 62. Aulicas artes quam calluerit. 1058, 18. Caſtitatem interea colebat. 1058, 29. 1668, 63. Adit Pariſios, accepturus Angli filio Galli filiam in uxorem. 531, 38. 1050, 51. Quanta fuerit ejus potentia. 1382, 2. Eligitur Archiep. Cantuarienſis. 533, 41. 712, 19. 1052, 21. 1382, 26. 1669, 11. 2255. Ordinatur presbyter. 533, 50. 1382, 37. A quo conſecraretur, contendunt Epiſcopi. 1382, 40. A Wintonienſi conſecratur. 533, 53. 1052, 26. 1383, 3. 1669, 25. Pallium accipit. 534, 2. 1383, 33. Cancellariatu ſe abdicat. 534, 9. 712, 55. Alios mores & habitum induit. 1383. 47. 1669, 35. Rex eum oſculo excipit. 534, 37. 713, 11. Concilio Turonenſi interfuit. 1384, 21. Privilegia & jura Eccleſiaſtica mordicus tenet. 1384, 32. 1669, 63. Ad inſtantiſſimam Regis petitionem Archidiaconatum Cantuarienſem Gaufrido Ridel concedit. 511, 61. 534, 41. Regni conſuetudines ſe obſervaturum promittit, *ſalvo ordine ſuo*, &c. 1383. 65. Tandem, ut Regis animum placet, & amicis ſatisfaciat, iſtam clauſulam omittit. 1385, 50. Mox a promiſſis reſilit. 1385, 65. Nec minis nec blanditiis diu flecti poteſt: 1386, 3. Denuo autem flectitur: 1386, 33. 1670, 56. ſed facti eum ſerio pœnitet. 1388, 39. Comes Clarenſis ei reſiſtit. 535, 65. 711, 24. 1384, 42. Rex eum ſtomachatur. 534, 16 & 38 & 45. 537, 13. 1058, 60. 1059, 2. Excommunicat Willielmum de Hemesford, Rege inconſulto. 536, 27. 711, 30. 713, 52. Actiones ejus malevoli obtrectatores apud Regem depravant. 1670, 29. De jure Eccleſiaſtico cum Rege ſermonem habet. 1670, 46. Mare adit, Rege inconſulto; ſed nautæ eum tranſportare non audent. 537, 11. 1389, 1. Quodam adverſus ipſum querelam deferente, contrariam reportat ſententiam. 537, 14. Rex, Concilio convocato, de multis eum accuſat; 1389, 29. & eorum quæ Cancellarius acceperat, rationem exigit; 1389, 52. Thoma ſe immunem a reddenda ratione, aſſerente, 1389, 61. Epiſcopos conſulit, quid facto opus. 1390, 1. Ejus oratio ad Epiſcopos, ut Regis arbitrio ſe committat, ſuadentes, 1391, 40. Crucem coram Rege portat. 1392, 2. Epiſcopi Papam appellant. 1392, 38. Proceribus & Epiſcopis de eo judicium laturis, e foro exit. 1392, 62. Ab iis condemnatur. 537, 22. Aliquamtiſper in Anglia clam moratus, in Galliam trajicit. 537, 50. 1393, 29. 1671, 4. Anglus a Gallo poſtulat, ne eum, utpote proditorem, recipiat: 1393, 65. Sed Gallus ejus votis nequaquam annuit. 1394, 29. Quid a Legatis Regiis contra Thomam fuerit dictum actumque in curia Pontificis R. 1394, &c. Eorum oratio contra ipſum. 537, 60. Thomæ pro ſeipſo oratio: 538, 41. Alia. 1396, 62. Rex Franciæ ei favorem exhibet. 1396, 50. Agnoſcit ſe haud canonice fuiſſe electum, & Papæ annulum Archiepiſcopalem tradit: 1397, 27. Quem Papa, colloquio cum Cardinalibus habito, ei reſtituit, 1397, 53. atque eum Abbati Pontiniacenſi commendat. 1398, 9. Avitarum Angliæ conſuetudinum obſervatores excommunicat. 539, 60. Ejus ad Regem literæ. 541, 3. Literæ ſuffraganeorum ab eo ad P. R. appellantium. 541, 59. De eorum appellatione. 1400, 37. Ejus reſponſio ad eam. 544, 50. Ejus ad Londinenſem literæ: 542, 59. Aliæ. 549, 29. Præcipit Londinenſi, ut bona Eccleſiæ Cantuarienſis reſtituat. 545, 40. Papæ ad eum literæ. 546, 53. Quam benignus Rex olim illi fuerit. 541, 29. Epiſcopi aiunt, ipſum exilem fuiſſe priuſquam Regius ei favor affulſerit: 542, 30. Quod ille neutiquam admittit. 543, 30. Bona ejus confiſcantur. 545, 38. 1398, 25. 1671, 18. Amici proſcribuntur. 545, 35. Regis erga eos crudelitas. 1398, 30. Rex vetat, ne quis eum donis vel ſcriptis viſitet, vel pro eo oret. 1398, 42. 1671, 25. Judiciũ ſubire recuſat donec ſibi ſuiſq; ablata reſtituantur. 547, 16. 711, 49.

Pontiniaci humaniter excipitur. 547, 27. Quomodo ſe ibi geſſerit. 1400, 9. Se martyrem futurum, ex nocturna viſione colligit. 1401, 34. 1671, 38. Idem interdiu ipſi oranti Chriſtus voce ſua prædicit. 1401, 55. Anglus Pontiniacenſibus minatur, ni Thomam favere deſinant. 1400, 55. 1671, 35. Gallus eum libentiſſime excipit, 1401, 12. & ſumptus per quadriennium ſuppeditat ei, 547, 29. 715, 54. in cœnobio S. Columbæ moranti. 1402, 3. Londinenſem Epiſcopum excommunicat, 549, 26. 716, 4. & Londinenſibus præcipit ut ab ejus communione abſtineant. 549, 50. Queritur quod Eboracenſis novum Regem coronarat, 1061, 60. 1065, 44. atque ipſum, cum Dunelmenſi, ſuſpendit, & duos alios excommunicat. 1062, 44. 1413, 29. 1672, 23. Papa Regem per literas & Legatos monet ut Thomam recipiat. 549, 1. 550, 9. 1400, 48. 1402, 21 & 46. Somnium ipſius pridie quam Legati eum convenerint. 1403, 1. Coram Rege Galliæ ſe Henrici pedibus advolvit, ejus ſe committens arbitrio, *ſalvo honore Dei*. 1405, 5. Hac clauſula Henricus ſupra modum offenſus, 1405, 34. tamen reſtitutionem & favorem ei offert. 1405, 53. Rex Galliæ & magnates adſtantes ei ſuadent ut *honorem Dei* reticeat; 1406, 3. ſed neutiquam perſuadent. 1406, 17. Eum igitur, ut arrogantem & obſtinatum, deſerunt. 1406, 21. Verum Rex Galliæ facti pœnitens, veniam & abſolutionem humillime orat, omnia ei offerens: 1406, 40. Thomæ prudentiam & conſtantiam prædicat. 1407, 2. Quæ Henrico retulerit, mirantur cur hoſpitium Thomæ adhuc præberet. 1407, 13. Legati alii (Gratianus ſcilicet & Vivianus) a Papa miſſi, 1407, 46. inter ſe diſcordant, & re infecta redeunt. 550, 40. 1407, 63. Rex Franciæ Thomam Henrico reconciliare nititur. 550, 61. 1062, 2. 1408, 11. 1671, 45. Petitio Thomæ 551, 18. 1408, 19. plenum Regis aſſenſum non obtinet. 551, 37. Rex oſculum illi abnegat. 551, 54. 552, 48. 711, 54. 1062, 30. 1408, 29. 1672, 13. Rex ei ſtapham tenet. 552, 60. 1412, 48. Rothomagenſis Archiepiſcopus pacem inter ipſos componit. 551, 61. 1412, 33. Thomas in Angliam redit. 553, 12. 1062, 37. Epiſcopi ſuſpenſi ei redituro inſidiantur. 1413, 22. Eorum ſatellites cum eo expoſtulant, 1413, 61. & Regis nomine poſtulant ut Epiſcopos ſuſpenſos & excommunicatos abſolvat: 554. 42. 1414, 3. ipſos tamen abſolvere non vult. 554, 50. 555, 26. 1414, 8. Ad Papam ſcribit. 554, 28. Tendens ad videndum novum Regem, jubetur reverti. 554, 61. 1414, 24. Sermonem habet ad populum. 555, 7. Duos excommunicat. 555, 11. Epiſcopi ſuſpenſi eum apud Regem accuſant. 1414, 32. Rege graviter commoto, quatuor aulici de Archiepiſcopo interficiendo conjurant. 1414, 40. Ad facinus patrandum in Angliam veniunt: 1414, 52. Eorum cum Thoma colloquium. 555, 23. 1415, 3. Invitus Eccleſiam adit: 1415, 56. 1672, 48. Sed eam ingreſſus, fores occludi non patitur. 1672. 54. Interficitur. 555, 18. 1064, 1. 1415, 51 &c. 1673. Populus eum quam fuerit veneratus. 1416, 60. Monachali habitu ſub pontificali utebatur. 1417, 10. Veſtes ejus ſingillatim recenſentur. 1673, 38. Sepelitur. 556, 24. 1296, 41. Quamdiu fuerit Archiepiſcopus. 717, 56. Quo anno & die mortuus fuerit. 1418, 38. Dies Martis ei ominoſus. 556, 14. 711, 60. Cauſa mortis ejus. 2400, 38. Carmina de ejus morte. 1064, 30. 2394, 53. Papa interfectores ejus excommunicat. 557, 17. Eorum Nomina diſticho comprehenſa. 1063, 34. Latent apud Knareſburgh. 557, 21. 1064, 50. Fragmenta ciborum quos comedebant, reſpuebant canes. 1064, 58. Archiepiſcopus Senonenſis Papam ad ejus cædem vindicandam incitat. 557, 53. 1066, 44. Idem facit Rex Franciæ, 1065, 5. & Comes Bleſenſis. 1065. 31. Henricus ejus mortem acerbiſſime deplorat. 1064, 61. Ejus encomium: 1416, 48. 1418, 15. 1668, &c. Mores, & virtutes. 1669, 37. Ejus verſiculus propheticus. 1545, 17. Ejus literæ ad Clarembaldum Abbatem. 1819, 7. Miracula. 557, 29. 569, 19. 1297, 15. 1417, 36. 1723, 7. Sanguis ejus mutis loquelam, ægrotis ſanitatem, vitam mortuis reddit. 1417, 58. Canonizatur. 569, 49. 712. 8. 718, 50. *Privilegium Martyrum* vocatur. 1296, 50. Cantuarienſis Eccleſia, luctu & ſolitudine diu obruta, 558, 46. 1417, 28. in ſtatum priſtinum reformatur. 558, 64. 1421, 8. Thomæ ſoror fit Abbatiſſa. V. *Maria*. Honores Archiepiſcopo ab Henrico Rege, exhibiti. V. *Henricus* II, R. Gallo apparet. V. *Ludovicus* VII. Anglis Hieroſolymam verſus navigantibus apparens, fauſta ipſis promittit. 1175, 61. Clerico cuidam Cantuarienſi apparet. 1297, 63. 1418, 21. Andreæ juveni monacho apparens, ei gladium D. Petri porrigit, quo Baldewini conatibus reſiſtatur. 1481, &c. Alius in ſomnis videt Baldewinum Thomæ caput amputare conantem. 1483, 35. Eccleſia in honorem ejus extruitur. 600, 14. Sepulcrum ejus viſitatur, 600, 24 & 27. 604, 40. 612, 10. 624, 8. 676, 6. 706, 1. 720, 1. 1126, 42. 1136, 14. 1140, 9. & donariis ornatur. 605, 7. 1140, 25. 1457, 12. 2255. Oblationes ibi oblatæ quomodo impendendæ. 631, 51. Auguſtinenſes cerebri ipſius & ſanguinis partem quomodo nacti. 1819, 63. Ejus tranſlatio: 1881, 28. 2259. 2428, 65. Sumtus ea occaſione facti. 2430, 20. Jubileus in ejus honorem obſervatur. 2036, 17. 2145, 44. Quinam de eo ſcripſerint. 1670, 11. 1673, 45.

Thomas de Bello-campo, Comes Warennæ. 2132, 42.

Thomas Bewchamp, Comes Warwicenſis, traditores a latere Regis avellere conatur. 2696, 61. 2702, 45. Eos proditionis inſimulat. 2713. 31. Ipſe perpetuo carceri damnatur. 2748, 2.

Thomas Bradwardyn, Archiep. Cantuarienſis. 2283. 2600, 15.

Thomas Brentingham, Epiſc. Exonienſis, unus e XIV Regni Præfectis. 2685, 61. 2687, 35.

Thomas Chillenden, Prior S. Trinitatis. 2199, 64.

Thomas de Cobham, Archiep. Cantuarienſis electus, Rege poſtulante, ad Wigorniam transfertur. 2533, 17.

Thomas Colwell, Abbas S. Auguſtini. 2117, 56. 2284. Ejus literæ ad monaſteria in diœceſi Cantuarienſi & Roffenſi. 2148, 55. Moritur. 2150, 17.

Thomas, Comes Gloceſtriæ. 2756, 51.

Thomas, Comes Lancaſtriæ. 2036, 67. 2055, 8. 2532, 51. Adam de Banaſtre ei bellum movet. 2533, 31. Tractatus inter ipſum & Clerum. 2535—2538. Cum Rege colloquitur. 2538, 62. Pax videtur inter ipſos redintegrata; 2534, 55. Sed Rex ſtatim eum bello proſequitur. 2539. 33. Obtruncatur. 2540, 6. 2541, 14. Quidam eum inter Divos numerant, 2540, 8. eumque peregrinationibus & donariis honorant: 2541, 39. Alii aliter de ejus meritis ſentiunt. 2540, 14. Ejus hoſtes infelicem exitum ſortiuntur. 2540. 13. 2542, 8. V. *Andreas de Harkeley.*

Thomas, Comes Nottingamiæ. 2702, 46. 2704, 46. Erat Comes Mareſchallus. 2713, 52. Eum, jam Ducem Norfolciæ, ad duellum provocat Lancaſtrius. 2749, 39.

Thomas de Corbtidge, capellæ S. Sepulcri cuſtos. 1729, 1. Fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 1728, 60. 2528, 35. Rex ei tres baronias aufert, quoniam notario ſuo capellam illam concedere noluerit. 1729, 28. Moritur. 1729, 44.

Thomas, Dux Surriæ. 2754, 24.

Thomas, Epiſc. Roffenſis. 2102, 13. Ejus literæ ad duos Abbates. 1975, 62.

Thomas Findone, Abbas S. Auguſtini. 1938, 18. 2274. Ejus literæ ad Robertum Archiepiſcopum Cantuarienſem. 1965. 9. Archiepiſcopum excommunicat. 1979, 10. Moritur. 2009, 31.

Thomas, F. Regis Edwardi I naſcitur. 2528, 46.

Thomas Hunden, Abbas S. Auguſtini, benedicitur. 2290.

Thomas de Lyle, Epiſc. Elienſis, ob injurias Dominæ Wake illatis graviter mulctatur. 2620, 18. Juſtitiarii, qui contra eum ſententiam tulerant, excommunicantur. 2620. 32. Abſolvuntur. 2620, 14 & 48.

Thomas Poncy, vel Poucy, vel Poucyn. 2052, 58. 2065, 20. Eligitur Abbas S. Auguſtini. 2067, 6. 2182. Avenione benedicitur. 2067, 10. 2182. Orthodoxam opinionem tuetur de beatifica viſione, quamvis Papam & Cardinales adverſarios habeat. 2067, 41. Decimæ & quindenæ collector conſtitutus, 2068, 5. ob ſervi ſui fraudem & πλεονεξίαν mulctatur. 2068, 9. Moritur. 2081, 27.

Thomas, Prior S. Trinitatis. 1923, 53. Prioratu cedit. 1944, 45.

Thomas, Prior S. Trinitatis alius. 1944, 26.

Thomas Ruſhook, Epiſc. Ciceſtrenſis, Confeſſor Regius. 2696, 4. Ab aula pellitur. 2705, 40.

Thomas Sprot de Abbatibus S. Auguſtini ſcripſit. 1758, 9. Ad quod tempus hiſtoriam deduxerit. 1881, 32.

Thomas Stubs, autor libri De Archiepiſcopis Eboracenſibus. 1685. Quid eum ad ſcribendum impulerit. 1685, 17. Ex Hugonis hiſtoria plurima excerpſit. 1705, 43.

Thomas de Turbevyle captus a Francis, 2500, 59. patriam ſuam Gallo prodere molitur. 2502, 62. Proditione patefacta, ſuſpendio necatur. 2504, 18.

Thomas de Veer, Comes Oxonienſis. 2132, 43.

Thomas Waleys de animabus ſeparatis opinionem tuetur, cui Papa & Cardinales contradicunt. 2067, 21.

Thomas de Woodſtoke, Edwardi III F. naſcitur. 2608, 32. Fit Dux Gloceſtriæ. 2608, 34. 2675, 54. Ejus uxor. 2608, 34. Erat Comes Bokinghamiæ. 2633, 1. Fit unus e XIV Regni Præfectis. 2685, 60. 2687, 33. Ipſe aliique magnates, armata multitudine ſtipati, Londinum veniunt. 2696, 61. Petunt a Rege ut ſeductores a latere ſuo amoveat. 2697, 36. Rex Londinenſes adverſus ipſos excitare conatur; ſed fruſtra eſt. 2698, 15. Literæ eorum ad Londinenſes, cauſam adventus exponentes, & conſilium & auxilium petentes. 2699, 24. Archiepiſcopus Cantuarienſis, Cancellarius, aliique, eorum ſocietati ſe adjungunt. 2700, 14. Rex eos humiliter accedentes amice excipit, 2700, 42. & diplomate ſuo eos excuſat. 2701, 5. Exercitum contra Ducem Hiberniæ congregant. 2702, 44. Quantum populus iis faverit. 2702, 48. Ducis Hiberniæ exercitu profligato, 2703. copias ſuas ad Urbem ducunt: 2704, 14. Regem conveniunt: 2704, 34. Ei copias ſuas oſtendunt. 2704, 63. Aulicos ſuſpectæ fidei in cuſtodiam conjiciendos curant. 2704, 58. 2705, 12. Adulatores Regis partim incarcerant, 2706, 11. partim proſcribunt. 2706, 44. Eos proditionis accuſant. 2713, 48. Forma & capita accuſationis. 2714—2726. Dux in Galliam mittitur ſemel, 2741, 16. atque iterum. 2741, 22. Parliamentum Regis nomine celebrat. 2742, 11. Per inſidias Regis captus, & Caletum miſſus, ſuffocatur. 2747, 51. Erat Conſtabularius Angliæ. 2714, 2. 2747, 53. Rex ei, tactis ſacramentis, veniam commiſſorum conceſſerat. 2754, 42.
Thornegienſis Abbatia ab Edgaro condita. 359, 58. 868, 29. ¶ Abbas: *Leoſſius.*
Thorney, id eſt, Spinarum inſula, ubi Weſtmonaſterium ſitum, 1768, 30. D. Petro dilectus locus. 382, 42.
Thorp. V. *Walterus Gray.*
Thunerleap, vel *Tunorſleap*, in Thaneto inſula, unde dicatur. 90, 6. 1907, 8.
Thunor Ethelbertum & Ethelredum, Regios pueros, occidit. 87, 58. 1906, 39. Hiatu terræ abſorbetur. 89, 67. 1907, 1.
Ticulus, R. Orient. Anglorum. 745, 33.
Tilbertus, Abbas S. Auguſtini. 1777, 39. 2242.
Tilbertus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 110, 11. 111, 35. 298. 46. 797, 12.
Tilferdus, Epiſc. Haguſtaldenſis. 300, 25 & 56.
Tilredus, Abbas Hexeſhamenſis. 73, 41.
Tilredus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 24, 48.
Tinæ fluvii mira inundatio. 103, 59.
Tinemuthenſis Eccleſia. V. *Dunelmum.*
Tithingæ. 818, 65.
Tituli quibus turgent Orientalium literæ. 509, 29. 596, 40. 621, 55.
Tocca. V. *Totca.*
Toll, quid. 2030, 54.
Toloſæ Comes. V. *Hæreſis.* Toloſæ ſuburbia incenduntur. 2601, 63.
Tonitrua magna. 559, 18. 708, 42. 716, 41. 1189, 28. 2397, 34. 2431, 10. 2460, 8. 2467, 65. 2624, 15.
Topclyve, caſtellum. 1093, 45.
Torneamenta per Angliam inſtituta: 676, 9. 1261, 9. apud Berwicum: 2597, 27. 2580, 60. inter Vaſcones & Francos: 2607, 17. inter quatuor Anglos & totidem Francos. 2706, 53. Hujuſmodi ſpectaculis quomodo laſcivæ fœminæ interfuerint. 2597, 43. Eorum uſus. 1261, 19. Quomodo Deus ſe ludis his offenſum oſtenderit. 2598, 1. Pontificum Rom. decretis prohibentur. 1261, 24. 1453, 29. 2408, 65.
Torquatius. 450, 13.
Toſtius Danus, Comes Huntingdonenſis, a Siwardo occiditur. 946, 4.
Toſtius, Godwini F. Comes Northumbriæ. 34, 46. 35, 62. 187, 61. 190, 26. 192, 62. 204, 44. 477, 23. Edwardi Confeſſoris de eo vaticinium. 394, 11. 948, 16. Ejus audax oratio pallium pro Aldredo Eboracenſi a Papa vel invito extorquet. 952, 22. 2336, 37. Miniſtris Haroldi fratris detruncatis, eorum membra in vaſa vini Regi parati injicit. 948, 23. 2337, 19. Northumbrenſes eum abigunt. 2337, 26. De Anglia expellitur. 193, 14. 948, 32. Vectam inſulam, aliaque loca, deprædatur. 193, 52. 958, 49. 2339, 40. Edwinum & Morkarum, Comites, ſuperat. 2339, 53. Eboracum capit. 194, 20. 958, 64. A fratre Haroldo vincitur & occiditur. 194, 41. 394, 37. 959, 5. 2339, 57.
Totca, vel Tocca, Epiſc. Merciorum. 100, 55. 106, 17.
Touceſtria condita. 834, 26.
Trajani Imp. anima ab inferis quomodo liberata. 436, 15.
Trailbaſton. 2494, 49. 2559, 64. 2606, 43. 2626, 36.
Tranſſubſtantiatio panis Euchariſtici oculis corporeis percipitur. 389, 7. 949, 29. 2651, 29. Tranſſubſtantiationis doctrina. 2654. 67. An ulla fuiſſet Tranſſubſtantiatio, ſi in triduo mortis Chriſti fuiſſet conſecratio. 2467, 29.
Tremerin, Epiſc. de S. David. 188, 44. 461, 7.
Trenta, fluvius, per aliquot horas exſiccatur. 232, 44. 1003, 63. 2379, 16.
Treſc, caſtellum Rogeri de Molbray, obſidetur. 578, 23. 588, 27.
Treugæ. V. *Induciæ.*
Tributum per capita collectum. 2632, 66. 2633, 9.
S. Trinitas, nulla figura repræſentanda. 2708, 16. Ejus myſteria curioſius non diſquirenda. 2360, 21. S. Trinitatis feſtum quando & a quo inſtitutum. 1383, 21.
S. Trinitatis Eccleſia, Cantuariæ, dedicatur. 504, 65. 1799, 11. Monachi primum, 1780, 67. Canonici poſtea illic vivebant. 1778, 55. Hi rurſus locum cedunt monachis. 1780, 62. Archiepiſcopus Cantuarienſis hujus cœnobii Abbas eſt. 1523, 54. Monachorum multitudo. 1520, 15. 1654, 63. Pene omnes tempore Ceolnothi mortalitate abſumti. 1643, 6. Monachi, luxui dediti. 1781, 29. 2362, 60. Quæ pro chriſmate ab Auguſtinenſibus extorſerint. 1797, 29. V. S. *Auguſtini Eccleſia.* Ludovicus VII, R. Franciæ, multa iis donat. 1140, 26. Valor hujus monaſterii. 2164, 52. Henricus II de Priore queritur quod vellet in Anglia eſſe alter Papa. 1468, 8. Johannes R. repulſam a monachis paſſus, eos clauſtro ejicit. 2415, 25. Ob ſubſidium Edwardo I negatum, ad mendicitatem rediguntur. 1965, 60. ¶ Priores: *Ceolnothus; Agilnothus; Odo; Alanus; Honorius; Rogerus de Norreis; Gaufridus; Benedictus; Oſbertus de Briſtol; Conradus; Elmerus; Jeremias; Walterus Durus-dens; Walterius; Wibertus; Herlewinus; Thomas; Thomas; Henricus; Ricardus Oxindenne; Ricardus; Thomas Chillenden.*
Tripolis terræ motu ſubruitur. 1049, 63.
Triſta. 367, 33.
Trogus Pompeius. 431, 5.
Trumbertus. V. *Tunbertus.*
Trumwinus, Epiſc. Pictorum. 58, 42. 441, 38. 792, 24. 793, 16. 1638. 64.
Trunhere, Epiſc. Merciorum. 772, 36.
Tuda, vel
Tudda, Epiſc. Lindisfarnenſis. 3, 40. 293, 26. 789, 11.
Tunbertus, Epiſcopus Haguſtaldenſis. 5, 5. 286, 23. 295, 23. 441, 37. 1638, 63. Vocatur Trumbertus. 793, 14.
Tunbertus, Epiſc. Wintonienſis. 811, 62.
Tunbrigienſe caſtrum a Willielmo II confringitur. 215, 10. 489. 21. 985, 54.
Tunetunenſis, vel Tumnutenſis. V. *Victor.*
Tunica Chriſti. V. *Chriſtus.*
Turbo ingens Londini; 217, 8. Weleſburnæ. 1355, 9. V. *Ventus.*
Turci imperium in Aſia adipiſcuntur. 962, 55. Prophetia de iis. 642, 40.
Turebrandus Uchtredum interimit. 81, 10. 172, 50. 204, 16. Ab Aldredo Uchtredi F. ipſe interimitur. 81, 26. 204, 32.
Turgeſius, Norwagenſium Dux, Hiberniam occupat. 1074, 37. Puellarum dolo occiditur. 1074, 56.
Turgoti monachi hiſtoria. 206, 50. Fit Prior Dunelmenſis, 53, 54. 207, 46. 1713, 1. Ipſi & ipſius ſucceſſoribus Archidiaconatus officium & prædicandi per totum Epiſcopatum munus imponitur. 54, 48. 986, 31. Fit Epiſcopus S. Andreæ. 207, 50. 232, 29. 1713, 2. Moritur. 237, 6.
Turkillus, Danus. 166, 64. 170, 7. Cantuariam obſidet, capit, vaſtat. 888, 38. Orientali Angliæ præficitur. 176, 40. 466, 59. 906, 52. 2317, 35. Anglia exigitur. 177, 45.
Turonenſis. V. *Gregorius.*
Turris Londinenſis, muro cincta. 995, 3. Turris lignea ad caſtellum oppugnandum erecta: 250, 46. 2404, 40. vocatur **Traumers**. 1361, 12.
Turſtinus, Abbas Glaſtonienſis, monachos ſuos trucidat. 212, 24. 758, 45. 978, 19. 2352, 6. Abbatia privatus, 212, 47. 978, 40. 2352, 25. eam argento redimit. 212, 52. 978, 43. 2352, 28.
Turſtinus, Abbas Perſcorenſis. 213, 1.
Turſtinus, vel Turſtanus, vel Thurſtinus, Archiepiſcopus Eboracenſis. 79, 41. 236, 32. 266, 36. 502, 24. 504, 8. 2379, 36. Ejus character. 1714, 1. Encomium. 306, 52. Se Cantuarienſi ſubjectionem debere, nequaquam concedit: 237, 30. 1005, 30. 1661, 5. Igitur a Cantuarienſi conſecrationem obtinere nequit. 502, 32. 1006, 8. 1714, 37. Rex illi graviter interminatur, ni profeſſionem faciat. 1714, 48. Epiſcopatum dimittit: 1661, 15. 1714, 56. 2379, 38. Sed mox eum facti pœnitet. 1661, 20. Paſchalis P. R. Regi & Cantuarienſi ſcribit, ut Turſtinus reſtituatur & conſecretur. 1714, 61. 2379, 43. A Calixto P. R. conſecratur.

240, 33. 503, 36. 1008, 8. 1661, 35. 1715, 39. 2379, 62. Quapropter Rex ei reditum in Angliam interdicit. 241, 50. 1008, 10. 1661, 39. 1715, 54. Papa & Cardinales eum ſummo cum amore complectuntur. 1716, 1. P. R. Regem pro eo interpellat, ſed fruſtra: 241, 63 &c. 1008, 18. Jubet Regem ut eum reſtituat, 242, 28. 1014, 10. 1716, 54. & ſacra per totam Angliam celebrari vetat, donec Turſtinus ſine profeſſionis exactione in ſuam Eccleſiam fuerit ad miſſus; 244, 36. Regique ipſi & Cantuarienſi interminatur. 2380, 1. Tandem igitur Turſtinus admittitur. 244, 46. 1014, 3. 1716, 57. Compoſitioni pacis inter Anglum & Gallum interfuit. 1716, 60. Glaſguenſem Epiſcopum, quoniam ſubjectionem ipſi nollet profiteri, ſuſpendit. 245, 30. De ipſo & reliquis Scotiæ Epiſcopis coram Papa queritur. 1719, 21. Subjectionem Sanct-andreani & omnium Scotiæ Epiſcoporum exigit. 251, 24. 1619, 29 & 64. De paritate cum Cantuarienſi contendit. 504, 33. 1016, 2. 1664, 1. V. *Willielmus de Curbellio.* Cruciger ejus extra capellam Regiam ejicitur. 504, 37. 1016, 5. 1664, 5. 1719, 57. Quam contumeliam ei factam, Rex & Papa ægre ferunt. 1720, 14. A Cantuatienſi ad concilium vocatus, venire recuſat. 1720, 9. Ejus literæ de Anſelmo Abbate S. Edmundi. 506, 66. Ejus præcipue opera Scoti profligantur. 262, 46. 320, &c. 337, 11. Qualiter Epiſcopatum geſſerit. 267, 10. Quos Epiſcopos ordinaverit. 1720, 21. Qualiter Canonicis ſuis providerit. 1720, 37. Canonicis Haguſtaldenſibus multa largitur. 307, 5. Cœnobia ab ipſo vel condita vel ditata. 267, 27. 2385, 57. Fontanenſe monaſterium fundat: 1028, 27. Quod factum ejus Rogerus pro gravi delicto reputat. 1142, 45. Radulfi Cantuarienſis contra ipſum epiſtola. 1735—1748. Nudus corporalem diſciplinam ſuſcipit. 267, 47. Monaſticum habitum ſumit. 267, 56. 1028, 19. 1720, 65. Moritur. 268, 1. 1721, 1. Poſt obitum Archidiacono ſuo apparet. 268, 4. Corpus ejus & veſtimenta per multos annos incorrupta durant. 268, 11. 1350, 26. 2385, 60.

Tuſciæ civitates. 1221, 47.

Tuſculana urbs diruitur. 659, 64. V. *Clemens* III.

Tuſſis totum orbem concutiens. 579, 46.

Tuthredus. V. *Cuthceardus.*

Twelfhindi juramentum æquale juramento ſex villanorum. 846, 24.

Tydfridus, Epiſcopus Dammocæ. 2212, 24.

Tyhtbyſig, accuſationibus infamatus. 894, 7.

Tyrannicæ Regum Angliæ conſuetudines. 1021, 49. 1024, 20.

Tyrus a Conrado ſtrenue defenditur. 643, 27. Saladinus ab ea diſcedit. 1146, 61.

V.

VAcarius, cauſidicus. 1665, 31.

Vaccæ candidæ indiciis Kenelni cædes innoteſcit. 777, 42.

Vadimonium. De ejus tranſgreſſione lex. 821, 61.

Vagi & mendici. 2732, 1 & 23.

Valentinus, P. R. 449, 34. 2237.

Valerius Maximus. 431, 9.

Valor cleri in provincia Eboracenſi, 2164, 33. Cantuarienſi. 2164, 27. V. *Cantuar. Archiep.*

Ubertas magna & inſperata. 606, 36.

Ucthredus. V. *Uthredus.*

Uctredus, Dux Galewenſium, cum fratre Gilberto, turbas movet in Scotia. 1092, 29. Gilbertus eum miſere trucidat. 1092, 50. Angliæ Rex licentiam ejus necem ulciſcendi Scoto concedit. 1105, 58. Gilbertus pacem cum Rege facit. 1116, 56.

Vecta, inſula. 138, 28. 1691, 37. Ultima e regionibus Britanniæ ad Chriſtum acceſſit. 799, 18. Ad Epiſcop. Wintonienſem pertinet. 774, 61. Datur Ethelwoldo, Regi Auſtralium Saxonum. 798, 29. Dacorum ſæpe fuit receptaculum. 163, 52. 164, 37. 166, 14. 167, 8. 882, 56. 886, 59. 887, 47.

de Vectigalibus leges. 897, 55. 898, 15. 2576, 40.

de Venandi libertate lex. 931, 30.

Vendendi extra patriam non ſunt Chriſtiani. 902, 48. 922, 57.

Veneficæ, finibus abigendæ. 922, 65.

Veneni expers Hibernia. 1072, 50. Ejus rei cauſa. 1073, 31.

Venetiam ſubigit Pipinus: 448, 15. reddit Carolus M. 448, 17.

Ventus ingens. 115, 43. 187, 16. 217, 8. 228, 58. 245, 29. 599, 28. 987, 44. 1444, 2. 2122, 15. 2364, 25. 2430, 30. 2444, 22. 2605, 44. 2607, 13. 2626, 10. V. 1355, 7.

Venus annulum ſponſalitium nacta, conjuges ab [illegible] prohibet. 471, 11. 950, 65. 2335, 19.

Vermes talpis ſimiles annonam in Hibernia abſumunt. 832, 64.

Veronicæ ſudarium effigiem Dominici vultus impreſſam habens. 1221, 26.

Veſtes, aut negligentis animi aut vani indices. 1042, 41. 2389, 36. Confuſio & luxuria in veſtitu, 2729, 33. lege prohibetur. 2729, 42.

Vetus, vel Senex, de Monte, cur ſic dictus. 1268, 38. Aſſiſini ejus ſubditi, et quam obedientes: 1243, 52. 1268, 61. Injurias quomodo ulciſcantur: 1253, 5. 1268, 49. Vocantur *genus Altæ nutricis.* 1243, 51. Ejus literæ ad Ducem Auſtriæ, de cæde Conradi Marchionis; 680, 42. 1252, 66. & ad Principes Europæ, de eadem, 1268, 46.

Vexilla duo, rubeum & cæruleum, concertantia in aere videntur. 2608, 57.

Uffa, R. Orientalium Anglorum. 745, 33.

Viæ quatuor principales in Anglia. 2357, 34. Lex de iis. 2356, 57.

Vicarii qui contra Perſonas, ſeu Rectores, ſe erigunt, quomodo puniendi. 1431, 6. Decimæ portioneſque Vicariis aſſignatæ. 2088, 39. 2089: 34. 2090, 18. 2092, 29. 2093, 51. 2096, 49. 2098, 1. 2101, 7. 2103, 59. 2104, 51. 2108, 48. 2109, 37. 2111, 56. 2115, 59. Onera a Vicariis ſubeunda. 2089, 1 & 59. 2090, 41. 2093, 22. 2094, 19. 2099, 21. 2105, 38. 2110, 1. 2112, 56, 2116, 23.

Vicecomites officia pecunia coguntur redimere. 1162, 21. De eorum electione. 2729, 61. 2749, 66. 2751, 8.

Vicetus, Imp. CP. 2337, 54.

Victor II, P. R. 477, 20. 2247.

Victor III, P. R. 2249. 2352, 38. Veneno perit. 978, 55.

Victor Tunetunenſis, vel Tumnutenſis, Hiſtoricus. 432. 20.

Viduæ intra annum non nubant. 930, 31. Nimis cito non velandæ. 930, 41.

Vigebertus. V. *Egebertus.*

Vigiliis quam deditus fuerit Bernardus. 1042, 27. 2389, 22. Cur in Normannia vigiliæ circa funera celebrentur. 857, 9.

¶ S. Vincentii Abbas: *Willielmus.*

Vindictæ Divinæ exempla. 176, 2. 177, 4. 218, 40. 225, 14 &c. 277, 1. 323, 12. 395, 10. 451, 10. 476, 45. 669, 3. 678, 23. 752, 23. 770, 26. 778, 18. 793, 39. 883, 57. 889, 28. 907, 16. 908, 15. 913, 39—61. 980, 27. 996, 28 & 49. 1002, 40. 1010, 25. 1012, 67. 1014, 43. 1092, 66. 1150, 36 & 47. 1261, 61 &c. 1278, 11. 1588, 64. 2400, 5. 2409, 43. V. *Parricidii*, & *Sacrilegium.*

Vinea juxta Cantuariam plantata. 2036, 25.

Virorum illuſtrium, qui Hiſtorias ſcripſerunt, Catalogus. 431.

Virtutis calcar, nobilitas. 350, 34. Animæ rationali naturaliter ineſt & virtutis amor, & vitiorum odium. 347, 10. Virtus in Principe laudanda magis quam in privato. 348, 13.

Viſitantibus parochias ſuas Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus, Archidiaconis, &c. quæ pompa permittatur. 1456, 1.

Vitalianus, P. R. 439, 16. 1637, 14. 1695, 35. 2231.

Vitam ſcelerato qui aufert, confert beneficium. 2328, 50.

Vitas illuſtrium virorum legere, utiliſſimum. 369, 32.

Vitium. V. *Virtus.*

Vitreæ feneſtræ. 1694, 43.

Vivianus, P. R. Legatus, ſine Regis licentia in Angliam applicat. 1110, 60. 1434, 5. Jurare cogitur, ſe nihil contra Regem Regnumve tentaturum. 1111, 5. Legatione fungitur in inſula *Man*, 1111, 14. in Hibernia; 1111, 17. & in Scotia. 1111, 50.

Ulf, Epiſc. Lincolnienſis. 187, 7. Exſulat. 944, 26.

Ulfketel, Dux Orientalium Anglorum fortiſſimus. 165, 40. A Dacis vincitur. 885, 42. Occiditur. 905, 21.

Ulfus, Haroldi Regis F. a Roberto Normanno liberatus armis militaribus ornatur. 214, 25. 488, 62.

Ulnas caſtigat Henricus I. 2375, 5. Ferreas fieri jubet Ricardus I. 1258, 35.

Ulricus, vel Olricus, Cardinalis, P. R. Legatus. 232, 37. 1711, 50.

Unfredus de Boon, Regis Conſtabularius Comitem Leiceſtriæ capit, ejuſque copias ſternit. 1489, 43. Berwicum combuſſit. 1989, 35.

Unfrithland, hoſtilis terra. 900, 11.

Unfrithmannus, pacem non habens, hoſtis. 900, 16.

Ungeld, inſolutus. 900, 20.

Univerſalis Epiſcopi titulus a nemine uſurpandus. 433, 48.

[illegible], Abbas S. Edmundi primus. 892, 36. 914, 3.

Unuſt, R. Pictorum. 105, 56.

Unwona, Epiſc. Merciorum. 2219, 47.

Volare conatur Oliverus quidam monachus. 2338, 10.

Vortiporius, R. Britonum. 1154, 32.

Vota occulta pueri vel puellæ, irrita. 1000, 56.

Urbani nomen Hieroſolymis fatale. 1146, 7.

Urbanus, Epiſc. Glamorgacenſis. 230. 51. 500, 48.

Urbanus II, P. R. 978, 59. 2249. 2353, 2. Clementem Antipapam paſſus. 490, 40. 982, 37. 2353, 31. Ejus literæ ad Thomam Eboracenſem. 1707, 1. Ab Anglis non agnoſcitur. 219, 57. 494, 54. 1658, 43. Concilia cogit. 222, 26. 224, 7 & 19. 492, 15. 1659, 32. Regem Franciæ excommunicat. 492. 16. Chriſtianos ad bellum ſacrum incitat. 222, 26. 992, 47. 2363, 60. Moritur. 224, 49. 994, 63.

Urbanus III, P. R. 629, 30. 1478, 11. 2257. 2398, 42. Gravis inter ipſum & Imp. diſcordia. 1475, 25. Pax inter eos fit. 1507, 20. Literæ ejus ad B. Cantuarienſem & ſuffraganeos: 628, 52. Aliæ ad Cantuarienſem 631, 37. 635, 6. V. *Baldewinus*. Literæ ejus ad Abbates quoſdam de injuriis quas Baldewinus monachis ſuis intulerat: 1492, 54. 1495, 33. 1839, 30. Aliæ ad duos Epiſcopos & duos Abbates. 1508, 44. Literæ Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Germaniæ de quibuſdam ab Urbano ad gravamen Imperii factis. 632, 30. Literæ ejus ad clerum Anglicanum, de Eccleſia Hakentonienſi: 1496, 46. ad Henricum II, ut Eccleſiam Cantuarienſem foveat, & Baldewinum ab injuriis ei inferendis revocet. 1509, 62. Privilegia ab eo Auguſtinenſibus conceſſa. 1838, 23. Moritur. 1147, 3. 1510, 49.

Urbanus IV, P. R. 1726, 41. 2279. 2436, 64. Ejus literæ ad Abbatem S. Auguſtini. 1904, 58. Mors. 2452, 28.

Urbanus V, P. R. 2283.

Urbanus VI, P. R. eligitur. 2631, 59. Epiſtola Cardinalium de ejus electione ad Imp. miſſa. 2632, 1. Poſt hunc neminem pro Papa habendum, dixit Wiclifus. 2650, 34. Antipapam habet Clementem: 2285. 2632, 59. contra quem concedit Cruciatam Epiſcopo Norwicenſi. 2660, 9. Clerus Angliæ & clerus Franciæ diſceptant, uter Papa potiori jure cathedram Petri occupet. 2742, 23. Angli Urbano favent. 2657, 31. Obſidetur. 2657, 51. Ejus literæ ad Epiſc. Wintonienſem. 2155, 33. Willielmo electo Abbati S. Auguſtini confirmationem impertiri negat niſi comparuerit. 2188, 4. Jubileum cur trigeſimo-tertio quoque anno repetendum decreverit. 2195, 49.

Uſura, clericis interdicta. 254, 19. 327, 66. V. *Clerici*.

Uthredus, Epiſc. Glamorgacenſis. 1803, 40.

Uthredus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 26, 7. Vocatur Getredus. 155, 39.

Uthredus, vel Ucthredus, Comes Eboracenſis, vel Northumbriæ. 28, 29. 80, 15. 204, 12. 891, 59. Alduni Epiſcopi filiam terris eccleſiaſticis dotatam ducit: 79, 60. Qua dimiſſa, 80, 16. Ethelredi R. filiam ducit. 80, 26. Scotos, Northumbriam vaſtantes, vincit. 80, 4. Cnuto adverſus Ethelredum auxilium negat. 80. 63. Obtruncatur. 893, 34. V. *Turebrandus*. Ejus poſteri & ſucceſſores. 80, 27. 81, 15. 204, 19.

Vulcaniæ inſulæ. 1011, 22. 1175, 18.

Vulcani ollæ, prope Siciliam, damnatorum locus. 461, 21.

Vulnus huic vel illi corporis parti qui inflixerit, qua mulcta feriendus. 827, 7.

Uxori major in lecto licentia quam concubinæ. 857, 22. Uxoribus viduari nolunt clerici. 209, 14. Uxoratos ſacerdotes ab officio removet Hildebrandus. 486, 10. Quantum inde ſchiſma in Eccleſia. 486, 21. V. *Clerici*.

W.

WAda, Dux Suthriæ. 140, 2.

Walchelinus, vel Walkelinus, Epiſc. Wintonienſis. 57, 13. 202, 26. 223, 30. 483, 8. 491, 28. 968, 33. Monachos extrudere & clericos introducere conatur. 2363, 18.

Walcherus, vel Walkerus, ex clericali ordine electus Epiſcopus Dunelmenſis. 41, 64. 203, 37. 969, 53. Monachos impenſe fovet. 43—46. Fit Comes Northumbriæ. 46, 34. 205, 15. 209, 50. Servos ſe inſolenter gerentes non coercens, populum irritat. 46, 39. Eum martyrem futurum, prædicitur. 569, 54. 2347, 43. Ejus cædem prædicit quidam de morte reviviſcens. 47, 26. Occiditur 48, 27. 204, 25. 210, 25. 977, 32. Rex ejus cædem ulciſcitur. 48, 52. 211, 59. 977, 49.

Walcſtoc, Epiſc. Herefordenſis. 774, 59.

Walerannus, Comes de Mellent. 209, 27. 1030, 41. Ejus character. 1030, 42. 1351, 66. 2386, 23.

S. Walarici corpus, venti obtinendi cauſa, profertur. 2340, 49.

Waletonæ caſtellum. 573, 48. Deſtruitur. 588, 26.

Walleſus, Prior Cirkamenſis. 271, 14.

Wallia olim Cambria dicta. 2484, 27. Flandrenſes e Northumbria illuc transferuntur. 234, 48.

Wallici, ſeu Wallenſes, ſeu Wallani, unde dicti. 725, 8. Antiquorum Britonum ſunt reliquiæ. 1047, 65. Poſt primam converſionem nunquam a fide totaliter defecerunt. 725, 16. Eorum Reges quando defecerint. 989, 35. Eorum inſtrumenta muſica. 1075, 46. Vetulæ inter eos leporinam formam induere ſolitæ. 1076, 13. Athelſtanus eos vectigales facit. 2321, 18. Regi Angliæ fidelitatem jurant. 192, 28. Haroldus eos domat. 2336, 61. Prope caſtellum Matildis ab Anglis vincuntur. 703, 61. Jugum Normannicum excutere conantur. 991, 35. Rebellant Willielmo II; 220, 34. 221, 66. 2366, 6. Henrico I; 1013, 58. Stephano; 1340, 59. Henricus II adverſus eos proficiſcens, multos e ſuis amittit. 1380, 24. Nonnulli ex iis miſere mutilantur. 223, 38. Ceſtrenſem Comitatum depopulantur. 245, 18. Rebellant Regi Johanni; 2420, 62. Henrico III; 2443, 37. Edwardo I. 2463, 15. V. *Edwardus* I. Angliæ leges iis imponuntur. 2463, 46. Anglorum ritu vivere incipiunt. 2471, 45. Pactum inter Lewlinum eorum Principem & Henricum III. 2436, 36. Primogeniti Regum Angliæ Principes Walliæ conſtituuntur. 2435, 66. 1977, 26. ¶ Walliæ Reges & Principes: *Camber*; *Cadvallo*; *Cadvaladrus*; *Cadvallanus*; *David*; *Griffinus*; *Owinus*; *Rees*; *Reſius*; *Numeneus*; *Griffinus*; *Lewlinus*. V. *Britones*.

Wallingfordiæ caſtrum fundatur. 1034, 7. A R. Stephano diu, ſed fruſtra, obſidetur: 1361, 9. Iterum. 1372, 17.

Walo, poeta. 1016, 53.

Walteri Giſbornenſis hiſtoria de morte Ricardi I. 1278, 19.

Walterius parvus, Prior S. Trinitatis. 1304, 45. 1367, 13. A quo & quare fuerit depoſitus. 1312, 1313. 1367, 51 &c. Silveſtri Abbatis S. Auguſtini benedictionem impedit. 1811, 44. Incarceratur. 1812. 48.

Walterus, Abbas Boxleienſis. 1665, 60.

Walterus, Abbas Eveſhamienſis. 228, 63. Eum futurum Abbatem, ex ſortilegio quodam prædictum fuerat. 2363, 33.

Walterus de Conſtantia, vel Conſtantiis, Sigillifer. 514, 34. 568, 3. 609, 66. 618, 48. 1050, 3. Fit Epiſc. Lincolnienſis. 615, 21. 1464, 9. Archiep. Rothomagenſis. 619, 2. 626, 1. In Angliam venit. 631, 61. Ipſi & collegis quatuor Regni cuſtodia, dum Rex redierit, committitur. 659, 23. 1194. 38. 2404, 19. Elienſis ei mandat, ne Cantuariam, ipſo inconſulto, adeat: 660, 56. 1223, 14. vocatque eum *Archipræpilatum*. 1231, 13. In Alemanniam tranſit. 671, 54. Ipſe cum aliis dantur obſides pro lytro Ricardi I ſolvendo. 672, 27. 1256, 60. Redit. 673, 37. 1261, 60. Literæ ejus ad Decanum Londinenſem, de redditibus Cleri Normannici reſtitutis. 677, 13. Ricardus I. eum illicitis fidejuſſionibus involvere conatur. 686, 30. Angli & Galli verſutias ut declinet, Cameracum venit. 687, 38. Ejus literæ ad Decanum Londinenſem, de toto negotio. 686, 19. R. Franciæ eum literis revocat. 688, 28. 689, 1. Anglus ei amice ſcribit. 688, 37. Gallus gratiam & ablatorum reſtitutionem pollicetur; 689, 1. eumque ſummo cum favore tractat. 689, 58. Ex adverſis quid fructus perceperit. 689, 30. Uterque Rex ipſi & ſuis plenam injuriarum compenſationem promittit. 691, 28. In Eccleſiam ſuam ſolenniter recipitur. 692, 43. Queritur de injuria Eccleſiæ Rothomagenſi ab Anglo illata. 694, 57. & de ſuperbia & inobedientia Lexovienſis Epiſcopi. 695, 34. Pro manerio Andeliano &c. Ricardus ei Diepam &c. concedit. 698, 13. 1275, 25. 1597, 45. Pax inter eos redintegratur. 697, 54. Permutatio manerii &c. a P. R. confirmatur. 701. 39. Sanguis depluit ſuper ædificantes turrim apud Andeladum, *Gaillard* vocatam. 703. 47. 1276, 4.

Walterus Durus-dens, Prior S. Trinitatis. 1367, 4. Fit Epiſc. Ceſtrenſis ſeu Lichfeldenſis. 1039, 55. 1311, 66. 1367, 6. 1665, 46.

Walterus, Epiſc. Norwicenſis. 2454, 42.

Walterus, Epiſc. Roffenſis. 532,43. 595,11. 614,46. 1039,56. 1362,27.
Walterus Eſpec quæ monaſteria condiderit. 338,13. 1028,47. 2371,38. Ejus virtutes, pietas, corporis habitus, &c. 337,55. Oratio ad milites. 339,4.
Walterus de Fontibus. V. *Philippus, C. Flandrenſis.*
Walterus de Gant. 337,30.
Walterus Giffard, Epiſc. Bathonienſis, ad Eboracenſem cathedram evehitur. 1726,59. Vocatur Willielmus, ſed falſo. 2454,48.
Walterus Gray, Epiſc. Wigornenſis, ad Eboracum transfertur. 1724,49. 2426,50. Thorp villam emit, & ſucceſſoribus relinquit. 1724,56. Eccleſiæ ſuæ XXXII capas donat. 1725,12. Certum numerum animalium ſucceſſori relinquit, & a Rege obtinet ut poſteri lege jubeantur id exemplum ſequi. 1725,17. Cantores & capellanos in diverſis locis inſtituit. 1725,3. Moritur. 2444,10.
Walterus de Lacio. 979,18.
Walterus de Langton, Epiſc. Ceſtrenſis, cur in carcerem conjectus. 2531,18.
Walterus Lotharingus, Epiſc. Herefordenſis. 190,23. 387,2. 478,12. 483,21. 952,21. Mulierem quandam ardenter amat: 969,60. 2347,61. quæ ipſum vim inſerentem lethaliter vulnerat. 970,3. 2348,4.
Walterus Map, Archidiaconus Oxonienſis. 695,62. 1271,3.
Walterus, Prior Wintonienſis. 581,6. Fit Abbas Weſtmonaſterienſis. 588,47. P.R. Legatus eum ab uſu mitræ ſuſpendit. 588,54.
Walterus Reinold, Regis Theſaurarius. 2533,20. A cathedra Wigornenſi ad Cantuarienſem transfertur. 2013,35. 2277. 2766,54. Minatur ſe jura Archiepiſcopalia intra Auguſtinenſium ſepta exerciturum: 2013,67. privilegiis vero eorum inſpectis, propoſitum mutat. 2014,18. Literæ ejus de illa Abbatia: 2028, 26 & 40. de Vicaria Sturreiæ. 2103. Moritur. 2039,31.
Walterus Skirlow, Epiſc. Lichfeldenſis, ad Bathoniam tranſfertur; 2679,61. inde ad Dunelmum. 2729,9. In Galliam mittitur, ut de pace tractet. 2739,64. 2741, 17 & 22.
Walterus Stapleton, Epiſc. Exonienſis, ſententiam excommunicationis promulgat in eos qui Angliam ſine Regis licentia intraverint. 2544,5. Capite plectitur. 2545, 20 & 41.
Walterus Tirell Willielmum Rufum ſagitta incautus perimit. 225,10. Evadit. 2372,58.
Walthamenſis Eccleſiæ ſecularibus amotis, Regulares XVI introducuntur. 598,21. 1118,53. 1434,50. 1674,56. 2397,12. ¶ Abbates: *Willielmus*; *Nicolaus.*
Walthefus, vel
Waltheofus I, Comes Northumbriæ. 204,11.
Waltheofus II, Siwardi ſcilicet F. Comes Northumbriæ. 205, 14 & 50. 208,35. Contra Willielmum Conquæſtorem conſpirat. 974,31. 2351,1. Peccatum confeſſus, veniam petit: 974,38. capite tamen plectitur. 209,32. 482,2. 974,47. 2351,7. Mors ejus & infernales cruciatus a redivivo quodam prædicuntur. 47,13. Sed Lanfrancus eum ſanctum & beatum judicat. 209,42. 974,50. 2351,10. Ejus uxor & poſteri. 974,56.
Wapentake, quid; & unde dicatur. 956,67. 957, 2 & 46. In Wapentakis ſingulis placita habenda. 896,23.
Wards. V. *Pupilli.*
Wardunenſe monaſterium. 338,31.
Wardewithe, quid. 957,38.
¶ Warenniæ Comes: *Willielmus.*
Warennia libera. 2134,10.
Warfridus, Epiſc. Wicciorum, ſeu Wigornenſis. 131,8. Vocatur Werefrethus, 814,24. & Werefridus. 2218,51. Dialogos Gregorii Saxonice vertit. 131,8. 145,11. Agrum ei donat R. Aluredus. 2218,55.
Warinus, Abbas S. Albani. V. *Guarinus.*
Warinus, Comes Salopiæ, duo monaſteria fundat. 977,54. 2351,59.
Warinus, Prior Doverenſis. 1429,4.
Warwellenſe, vel Werewellenſe, monaſterium. 876,57. Incenditur. 1356,51.
Warwic, oppidum, conditur. 153,21. 296,36. 356,20. Vocatur Wyrengewike. 834,37. ¶ Comites: *Guido*; *Rogerus*; *Henricus*; *Guido*; *Thomas Bewchamp.*
Waterfordia, civitas Hiberniæ, conditur. 1075,3.
Watte Tyler. V. *Johannes Straw.*
Wattum, id eſt, humida villa. 415,26. Ibi monaſterium virginum. 415,24. Earum devotio, crebra cum bonis ſpiritibus colloquia, & mutua dilectio. 415,34 &c. Una ex earum cœtu fornicata, 416,20. a reliquis ſpoliatur, flagellatur, ligatur, &c. 417,47. compellitur ſtupratoris virilia propriis manibus abſcindere. 418,41. Poſtea ei in ſomnis aſſiſtens Henricus Archiepiſcopus Eboracenſis præcipit ut peccata confiteatur, &c. 419,33. adducitq; duas mulieres, quæ ei obſtetricatæ, infantem abducunt. 419,51. Tandem a catenis, quibus erat vincta, per miraculum liberatur. 420,28. 421,10.
Wecthelinus, vel Wettelinus, Epiſc. Candidæ Caſæ. 99,13. 774,66.
Wedbardus, vel Swebardus, vel Suabertus, R. Cantiæ. 758,17. 2232. Quæ donaverit monaſterio de Menſtre. 1770,51.
Wednesday, vel **Wodnesday**, unde dicatur. 351,31.
Wel his the. 135,63.
Wellawenſis Abbatia fundatur. 2384,27.
Wellenſes Epiſcopi quamdiu ſedem Wellis habuerint. 478,20. V. *Bathonienſes.*
Wenceſlai Imp. filiam ducit Ricardus II, R. Angliæ. 2630,44. 2644,9.
Wenlocenſe cœnobium. 977,57. 2351,60. ¶ Prior: *Petrus.*
Wentani Epiſcopi. V. *Wintonia.*
Weothunus, Epiſcopus. 2219,51.
Wera, pretium ſolvendi hominem; 846,5. 2357.47. vel, pretium nativitatis. 926,24.
Werburga, Wolferi R. Merciorum filia. 773,1. Ejus corpus Ripendonia Ceſtriam transfertur. 810,39.
Werburgimland. 1778,12.
Werburgh, Regina Merciorum, fit Abbatiſſa. 110,18.
Werefrethus, vel
Werefridus. V. *Warfridus.*
Weregelthef, quid. 957,34.
Weregildum Regis, & ſubditorum cujuſvis ſtatus & ordinis. 845,58.
Weregrave. 1162,50.
Weremunda. V. *Wiramutha.*
Weremundus, Epiſc. Orient. Anglorum. 2219,50.
Werk, oppidum, Latine *Carrum*, a Scotis capitur. 259,52. 312,45. Iterum. 2478,62.
Wermundus, Epiſc. Roffenſis. 2212,28.
Wernardus, presbyter, multas terras Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ dedit. 2216,57.
Wernodus, Abbas S. Auguſtini. 1775,48. 2238.
Werubrihtus, Epiſc. Legorenſis. 2212,26.
Weſtanus, Epiſc. Sherbornenſis. 453,8.
Weſtderbyſhire. 956,64.
Weſtlond. 1839,47.
Weſtmonaſterienſis aula ædificatur. 995,3. Quid de magnitudine ejus cenſuerit Willielmus Rufus. 995,28. 2370,50. *Parva* dicitur. 1259,57.
Weſtmonaſterienſis Eccleſia Lucio Rege Britonum conſtructa. 725,12. Ab Edwardo Confeſſore inſtaurata, dedicatur. 193,32. 366,47. Idem ipſam reparare atque ditare jubetur & a Pontifice Rom. 381,42. & ab ipſo D. Petro. 382,27. A Seberto Rege olim conſtructa, 385,18. 1633,30. ab Apoſtolo Petro dedicatur. 385,27. Quidam aiunt hanc Eccleſiam a cive Londinenſi, hortatu R. Ethelberti, fuiſſe fundatam. 1768,27. Fit Regum conſecrandorum locus, & inſignium regalium repoſitorium. 388,24. 2427,31. Cœnobium. 4 6,51. Monachorum ampla privilegia. 388,27. Eo loci Mellitus D. Petro Eccleſiam dicitur feciſſe. 456,52. ¶ Abbates: *Wolſinus*; *Gilebertus Criſpin*; *Herbertus*; *Gervaſius*; *Laurentius*; *Walterus*; *Willielmus Poſtard*; *Radulfus de Arundel.*
¶ Weſtmorlandiæ Comes: *Radulfus.*
Weſtſaxenelega,
Weſtſaxia, &
Weſtſaxones. V. *Occidentales Saxones.*
Weſtwood Eccleſia conventualis fundatur. 600,14.
Weterlock. 1921,12.
Wetlingaſtrete Britanniam in duo Regna dividit. 134,43. Unde dicatur. 169,45.
Wetredus, Abbas Raculfenſis. 2211,25.
Wettelinus. V. *Wecthelinus.*
Whitbienſe, vel Witebienſe, monaſterium. 973,24. V. *Streneſhald.*
Whichamienſe, vel Wichamienſe, monaſterium. 2397,16. ¶ Prior: *Hugo.*
Wibba, R. Merciorum. 771,10.
Wibertus, Prior S. Trinitatis. 1313,55. 1381.62. 1667,58.
Wibertus, vel Guypertus, Ravennenſis, Antipapa. 484,39. 1009,33. V. *Henricus IV, Imp.*

Wicciorum Epiſcopi. V. *Wigorna.*

Wicham. 1921,24. V. *Whithamienſe.*

Wiclefus, & Wiclevitæ. V. *Johannes Wiclefus.*

Wido, Abbas Perſcorenſis. 228,11. 1660,5.

Wido de Cremo. V. *Guido.*

Wido, vel Guido, Abbas S. Auguſtini. 228,29. 2250. De ejus electione. 1327,33. 1792,52. Eccleſiam a Scotlando inchoatam perficit. 1790,44. 1793,52. Auguſtini corpus transfert. 1793,57. 1877,17 & 46.

Wiggemore, oppidum, conditur. 834,26.

Wigorna, vel

Wigornia, crematur. 236,6. 263,60. 1005,13. 2350,11. Precibus Wolſtani defenditur. 985,3. Eccleſia B. Mariæ ædificatur. 868,4. Ejus fundatores & patroni. 483,45. 976,56. Monaſterium ibi fundatur. 442,29. ¶ Prior: *Wolſtanus.* ¶ Wigornenſes, ſeu Wigornienſes, ſeu Wigoracenſes, (qui & Wicciorum dicuntur) Epiſcopi: *Boſel; Oſtorch,* vel *Oiſfor; Egwinus; Wilfridus; Hatberedus; Werfridus,* vel *Werefrethus; Athelbunus,* vel *Ethelbunus; Wilferthus; Ceonwaldus,* vel *Kinewaldus; Dunſtanus; Oſwaldus; Aldulfus; Wolſtanus; Leofſius; Brihtegus; Livingus, Aldredus; Wolſtanus; Samſon; Teulfus,* vel *Tenulfus; Simon; Johannes; Alwredus; Rogerus; Baldewinus; Willielmus de Norballa; Robertus; Henricus; Johannes; Malgerius; Walterus Gray; Godfridus Giffard; Walterus Reinold; Thomas de Cobbam; Adam de Orleton; Willielmus Wittleſey.*

Wigredus, Epiſc. Lindisfarnenſis. 25,25. 134,8. 154,28.

Wihardus, vel Wighardus, Archiepiſc. Cantuarienſis electus, ante conſecrationem moritur. 1637,13. 1740,28.

Wilaſus, R. Merciæ, fit Egberto tributarius. 778,52. Botewellam Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ donat. 2216,49.

Wilferthus, Epiſcopus Wicciorum. 154,5.

Wilſhere. V. *Wolferus.*

Wilfridus I, (Abbas Ripenſis, 439,27. 1636,28.) Archiep. Eboracenſis. 4,55. 77,67. 289,37. 293,32. 774,65. Monaſterium Lindisfarnenſe ingreditur. 788,46. 1690,21. Romam adiens, literis dat operam. 788,49. 1690,14. Per Gallias revertens, apud Dalfinum Archiepiſcopum Lugdunenſem moratur; 1690,30. &, cum Dalfinus ad mortem duceretur, una cum ipſo mori voluit. 1694,17. Rex Cedwalla Pagham, cum terris adjacentibus, ei donat. 2207,56. Benedicti regulam in Anglia obſervari facit. 2232. Cum Colemanno & Scotis de Paſchæ obſervatione diſputat. 1636,35. 1689,46. 1690,35. Monaſterium Ripon ei datur. 788,57. Ab Ailberto presbyter ordinatur, 788,58. 1690,34. & Epiſcopus. 789,24. 1636,40. 1690,50. 1740,19. Eccleſiam Haguſtaldenſem fundat. 290,30. D. Andreæ meritis quantum debuerit. 290,34. Eccleſias alias ædificat. 291,41. Quanta autoritate pollebat. 292,60. Quomodo electus & conſecratus Epiſcopus fuerit. 293,21. Cedda ejus cathedram per triennium præoccupat. 293,42. Fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 439,31. 1690,65. Quouſq; ejus juriſdictio extendebatur. 1638,18. Archiepiſcopatu pellitur. 4,59. 78,16. 294,34. 440,50. 792,63. 1691,5. 1741,40. Friſios convertit. 440,58. 1691,20. Romæ abſolvitur. 441,5. 793,23. 1691,22. Papa ſcribit ut recipiatur. 764,17. 1691,59. Ad Haguſtaldenſem Eccleſiam ſe recipit. 794,35. 798,64. 1691,63. Auſtrales Saxones convertit. 441,10. 793,31. 1691,28. 1741,54. Reſtituitur. 78,25. 295,66. 1741,57. Iterum pellitur. 296,21. 1691,54. 1741,63. Fit Epiſcopus mediterraneorum Anglorum, ſeu Ciceſtrenſis. 441,47. 1741,53. Auſtro-ſaxones docet artem piſcandi. 798,44. Seleſheu, inſulam, ei donat Ethelwoldus: 798,52. ubi templum fundat. 798,56. 1691,35. Pageham, villam, Cantuarienſi reſignat. 1638,50. Ad primam ſedem revertitur. 442,26. 1640,38. Mortem ei prædicit Michael Archangelus, 1742,1. Moritur. 296,36. 442,45. 794,41. 1692,8. Quoties, & quamdiu exſulaverit; & quamdiu ſederit. 1692,1. Fuit Epiſcopus Haguſtaldenſis. 286,22. 1690,14 & 60. Iterum. 78,28. 1691,50. De ejus reliquiis Eboracenſes & Cantuarienſes contendunt: 863,60. Cantuariam transferuntur. 455,8. 1291,42. 1645,7.

Wilfridus II, Archiep. Eboracenſis. 78,36. 104,33. 794,60. 1694,3. Fuerat Johannis Beverlacenſis diſcipulus & capellanus. 1693,19.

Wilfridus, Epiſc. de S. David: Omnes ejus prædeceſſores fuerunt Britones. 236,64.

Wilfridus, Epiſc. Merciorum. 440,33. 772,38. 1638,25. Deponitur. 1638,36. 1694,32. Vocatur Wolfridus, 792,53. & Winfridus. 1659,5. 1694,29.

Wilfridus, Epiſc. Wicciorum. 774,60. 1694,39.

Willegodus, primus Abbas S. Albani. 445,67.

Willielmus, Abbas Langdunenſis. 1681,41.

Willielmus, Abbas Rameſienſis. 533,31. 599,39.

Willielmus, Abbas Rievallenſis. 257,30. 261,25. 274,49. 305,62. 326,41.

Willielmus, Abbas Streneſhaldenſis. 206,30.

Willielmus, Abbas S. Vincentii, 49,8. vel Valerici, 977,35. vel Karelefi, 2351,43. fit Epiſcopus Dunelmenſis. 49,8. Quantæ ſcientiæ, probitatis, & gratiæ fuerit. 49,15. Clericis pulſis, monachos in Eccleſiam Dunelmenſem introducit: 49,57. Qualem ſe iis præbuerit. 52,51. Eos per literas officii monet. 53,4. Willielmo Ruſo ſe opponit. 2351,46. Exſulat. 54,4. 986,19. Revocatur. 54,27. 986,21. Fundamenta ponit novi monaſterii. 54,31. 989,40. Ejus mors prædicitur. 56,28. Moritur Windleſoræ, 58,9. vel (ut alii) Glovernæ. 986,29. 989,56. 2351,55. Ejus ambitio. 986,22. 2351,49. De eo plura. 211,66. 216,45. 977,35.

Willielmus, Abbas Walthamenſis. 1523,64. 1527,11.

Willielmus de Albamarla, Comes Eboracenſis. 262,66. 323,24. Eccleſiæ Dunelmenſis poſſeſſiones uſurpat. 276,28. Ejus character. 1030,44. 2386,25.

Willielmus Alvernenſis, Epiſc. Pariſienſis: Ejus ſcripta, & mors. 2431,3.

Willielmus de S. Amore. 2644,62. Ejus prophetiæ de adventu Antichriſti & conſummatione ſeculi. 2645,7.

Willielmus, Archiep. Montis Regalis. V. *Cantuaria.*

Willielmus, Archiep. Senonenſis. 1671,59. Henrici II terras in Francia interdicto ferit. 1066,19. Pont. Romanum literis urget ut cædem Cantuarienſis ulciſcatur. 557,53. 1066,46. Fit Archiepiſcopus Remenſis. 1434,40. Vota Thomæ Cantuarienſi perſolvit. 600,26. Vaſa pretioſa ab Henrico II oblata reſpuit. 600,32.

Willielmus de Aubigni, Comes Arundeliæ. 533,28. 595,3. 1089,50. 1349,20. Ejus oratio ad milites: 1086,26. ad R. Stephanum. 1375,54. Ejus modeſta & prudens oratio ad P.R. de Thoma Cantuarienſi. 1395,51.

Willielmus Ayerminus, Epiſc. Norwicenſis. 2057,39.

Willielmus de Bares. V. *Ricardus II, R.*

Willielmus de Berton, Cancellarius Oxonienſis. Ejus literæ contra negantes Tranſubſtantiationem. 2654,28.

Willielmus de Bewchamp, Caleti Præfectus. 2676,21. 2678,40. 2692,17. Literas Regis de villa reddenda ad Gloceſtrium mittit. 2698,3. Incarceratur. 2702,13.

Willielmus de Boun, Comes Northamtonienſis. 2568,63. 2571,15. 2581,57.

Willielmus de Braiuſa Wallenſes aſtu circumventos interficit. 587,5.

Willielmus de la Bruer, Comes de Ferrariis. 2133,48. 2429,18. Vocatur idem (ni fallor) Comes Darbiæ. 2431,32.

Willielmus, Capellanus Radulfi de Diceto, capellam Ptolemaide conſtruit. 654,35.

Willielmus de Clinton, Comes Huntingdonienſis. 2117,61. 2568,67.

Willielmus de Clown, Abbas Leiceſtrenſis. 2626,24. Quæ bona in ejus temporibus Abbatiæ contigerint. 2631,10. Lepores cur adeo frequenter fuerit venatus. 2631,51. Ejus virtutes. 2630,50. Mors. 2630,46. 2631,2.

Willielmus, Comes Gloceſtrenſis. 578,24. 650,5. 1039,59. Johannem, Henrici II F. hæredem conſtituit. 594,57. 1116,35. Ejus filiæ. 1116,44.

Willielmus, Comes Hollandiæ, Imp. electus, a Friſonibus occiditur. 2435,51. 2443,10.

Willielmus, Comes Moretonii, vel de Moretoil, exhæredatur. 229,5. 499,42. 1002,9. Vindictæ ſtudet. 229,35. Capitur. 230,12. 499,66. 1002,39. Excæcatur. 1021,12.

Willielmus, Comes de Owe, a Roberto deficit. 219,40. Willielmo rebellans, oculis & teſticulis privatur. 222,18. 492,40. 992,27.

Willielmus, Comes Pictaviæ, victus, Gaufrido Martello Sanctonicum Comitatum cedit. 473,64.

Willielmus, Comes Sariſburienſis. 1158,33.

Willielmus, Comes Warenniæ. 265,37. 369,5. 975,11. In bello Sacro perit. 275,65.

Willielmus Courtney a cathedra Londinenſi ad Cantuarienſem transfertur. 2157,29. 2285. Wiclefum citat; 2647,14. 2649,34. ejus opiniones damnat: 2650,55. Literæ ejus de illius aſſeclis excommunicandis: 2652,4. Eos excommunicat. 2736,26. Lincolnienſem diœceſin viſitat. 2736,17. Unus eſt e Quatuordecim-viris qui Regni negotiis præficiuntur,

ficiuntur. 2685, 58. 2687, 31. Abbatem S. Auguſtini, ipſum ſubmiſſiore forma quam in more erat compellare cogit. 2157,47. Ejus literæ ad Michaelem Abbatem S. Auguſtini, ipſum pecuniæ collectorem conſtituentes. 2158, 8. Ejus literæ ad Theſaurarium Regis. 2158,65. Monaſterium S. Auguſtini nudis pedibus, ſed cruce prævia, ingreditur. 2194,49. Literæ ejus, proteſtantes, eum ingreſſum Auguſtinenſibus præjudicium non allaturum. 2195,1. Ejus mors & ſepultura. 2197,65.

Willielmus Criſpinus cum Henrico I confligit. 503, 14. 1007, 36.

Willielmus Cumin, Regis Scotiæ Cancellarius, per triennium cathedram Dunelmenſem occupat. 63,14. 270,13. 271, 57 &c. Anathemate percutitur. 272,51. Tyrannice & crudeliter ſe gerit. 271,59. 272,54. 273,8. Cum Epiſcopo paciſcitur. 274.5. Abſolvitur. 274,18. 323,28.

Willielmus de Curbellio, vel de Curbvill, vel de Turbine. 315, 23. 504,2. 506,16. 1014.60. 1043,42. Erat Prior S. Oſithæ de Chic: 1662,57. Primus qui e clericali ordine ad cathedram Cantuarienſem fuit evectus. 247,62. 1663 58. 2251. A Turſtino Eboracenſi conſecrari non vult. 248,3. 1717,36. Cum eo de prioritate contendit. 250,5. 1664, 1. 1717,60, Privilegia Paparum oſtendit, ſed bullis carentia. 1717,61. Cauſa cadit. 1718,21. Convenit inter eos, ut Cantuarienſis Eboracenſi tres Epiſcopatus, Cantuarienſi Eboracenſis titulum Primatis concedat: 1718, 48. Sed Willielmus a promiſſis recedit. 1719,1. Pallium ægre obtinuit. 249, 57. 1328,50. 1717,45. Fit Rom. ſedis Legatus. 1328,41. 1663, 63. Juramentum Imperatrici datum violat; 1023,17. ſed non impune. 1023,21. Euchariſtia, quam Regi traditurus erat, e manibus ejus elapſa diſparet. 1023,39. 1664,36. Abbati Auguſtinenſi in Eccleſia ſua benedictionem impendere recuſat. 1798, 38. Eccleſiam Doveræ ædificat. 1664, 39. V. *Dovera*. Moritur. 1664, 57.

Willielmus, Davidis R Scotiæ nepos, Comes Northumbriæ, 280,30. 282,22. & Huntingdoniæ. 627,11. 975,22. Rex Scotiæ jam factus, Northumbriam ablatam ab Anglo repetit: 573, 14. Sed repulſam inveniens, Angliam depopulatur. 573,26. Ad ſua redire cogitur. 573,30. Angli totum Lodoneium diripiunt. 573, 35. Induciæ fiunt. 573, 37. 1090,30. Captus, 1092,5. 1427,58. apud Richemont cuſtoditur. 577,40. Anglus eum ſecum in Normanniam ducit. 578,31. Pacem cum eo certis conditionibus paciſcitur. 584,18. 1103 &c. 2396, 46. Obſidibus datis, liberatur. 585,19. 1105,2. Henrico juniori homagium facit, & honoribus augetur. 1084, 58. Northumbrenſes immaniſſime trucidat: 1090,57. caſtella capit. 1091, 5. Ricardo homagium facit, & XM marcarum numerat. 649, 61. 1167,63. Ricardus ei caſtella ſua reddit, ipſumq; & Scotos a ſubjectionis vinculo relaxat. 1167, 1168. P.R. ad eum literæ. 1196,20. Johanni R. Angliæ homagium facit. V. *Johannes, R.* De ſubjectione quam Regibus Angliæ fuerit profeſſus. 2486, 2487. Filiam Comiti Flandrenſi deſponſat. 2420,41.

Willielmus, Decanus Londinenſis. 5006,5.

Willielmus, Diabolus cognominatus, autor diſcordiæ inter Auguſtinenſes & Archiepiſcopum. 1329, 37. Abbas ei imprecatur. 1330,21. Archiepiſcopus eum excommunicat. 1330, 18. 1364, 46. 1808, 34. Horrendus ejus exitus. 1330,25.

Willielmus Drulege, vel Drulegh, Abbas S. Auguſtini. 2081, 25. 2282.

Willielmus Edindon, Epiſc. Wintonienſis, 2082,14. & Regni Cancellarius. 2132,41.

Willielmus, Epiſcopus Aſaphenſis. 630,60.

Willielmus, Epiſc. Dunelmenſis, ejus nominis ſecundus. 64, 8. 66,17. 272,33.

Willielmus, Epiſc. Exonienſis. 230, 51. 500, 47. Vocatur Oxonienſis. 2130,26.

Willielmus, Epiſc. Landavenſis. 1678,48.

Willielmus, Epiſc. Lexovienſis. V. *walterus de Conſtantia.*

Willielmus, Epiſc. Londinenſis. 187,6. 476.13. Exſulat. 944, 26. Revocatur. 944,37.

Willielmus, Epiſc. Londinenſis, alius, conſecratur. 705, 41.

Willielmus Facetus, Comes Pictaviæ. 502, 19. 567,27.

Willielmus, F. Dunechani, a Rege Scotorum in Northumbriam mittitur. 259,62. 315,47. Eboracenſes ſæviſſime trucidat. 318,25. Anglorum copias vincit. 261,10. Honorem de Sciptun & Crafna obtinet. 279,40.

Willielmus, F. Henrici I, cognomento *Longue-eſpée*, Comitis Andegavenſis filiam ducit. 242, 10. 1012, 21. 2380, 59. Nobiles ei fidelitatem jurant. 237,25. 2380,67. Homagio Regi Franciæ præſtito, Normanniæ principatum ſuſcipit. 242.17. 1012,27. 2380,62. Normanni proceres ei homagium præſtant; 242,33. 1005,24. & Angli. 1006,1. 2251. Naufragio perit. 242,44. 503, 61. 1012, 42. 2381, 47. Quæ Anglis fuerat minatus. 1013,2. 2382,1. Ejus ſocer filiæ ſuæ dotem ab Henrico repoſcit. 247,10.

Willielmus, F. Osberni, vel Osberti, Conquæſtoris Dapifer. 479,39. Qua aſtutia Normannorum proceres ad invadendam Angliam protraxerit. 479.40. 958,34. 2340, 34. Fit Comes Herefordiæ. 197,23. 482,8. A Roberto Friſone occiditur. 485,61.

Willielmus, F. Osberti. V. *willielmus cum longa barba.*

Willielmus, F. Radulfi, Seneſchallus Normanniæ, P.R. Legatos Normanniam adire non ſinit. 1238—1240.

Willielmus, F. Roberti Ducis Normanniæ, turbas Henrico I movet. 247, 16. 250,30. Fit Comes Flandriæ. 255, 3. Andegavenſis filiam ducit. 2382. 7. Moritur. 255, 38.

Willielmus, F. Rogeri, Rex Siciliæ. 528,35. 531, 11 & 23. 1011,60. Ejus literæ ad Henricum II, R. Angliæ. 1088, 6. Henrici filiam Johannam in uxorem petit. 590, 35. 1112,4. Scribit ad Henricum, de maturandis nuptiis. 593, 65. Duæ ejus triremes donis onuſtæ ſubmerguntur. 1112, 59. Johanna ejus nuntiis traditur. 595, 13. 1112, 27. Celebrantur nuptiæ. 596, 31. 1113,8. Quæ uxori in dotem conceſſerit. 1113,16. 1436,36. Exercitum ingentem mittit contra Andronicum Imp. CP. 628, 41. Conſtantiam, Rogeri filiam, hæredem conſtituit, 1167,10. & ſine prole moritur. 650, 20. 1167,7. Quæ Regi Angliæ legaverit. 1183,65.

Willielmus, F. Stephani Regis, Comes Bononiæ, Henrico Duci Normanniæ homagium facit. 1037, 55. Henrico mortem machinatus, tibiam frangit. 1040, 4. 1376, 13. Obit. 531.64.

Willielmus, F. Tancredi, Rex Siciliæ. 672,46. In caſtrum S. Johannis ſe recipit. 678,8.

Willielmus, F. Theobaldi Comitis, fit Epiſcopus Carnotenſis; 593,25. poſtea, Archiep. Senonenſis; 593,27. poſtremo, Remenſis. 593,32.

Willielmus Giffardus, Epiſc. Wintonienſis. 227,65. 228,33. 499,2. 500,46. 501,24. 997,51. E Regno eliminatur. 228, 38. 499,26. 999,30.

Willielmus de Greensfeld, vel Grenefyld, Cancellarius Regis, fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 1729, 54. 2530, 16. Concilio Viennenſi intereſt. 1730,28. Templariis oppreſſis ſubſidium præbet. 1730,35. Proteſtatio ejus quam apud Auguſtinenſes convivaturus fecit. 2005, 63. Moritur. 1730,39.

Willielmus Herbertus, cognomento *Loſinga*, id eſt, adulator, Abbas Rameſienſis, 491, 55. fit Epiſcopus Thetfordenſis. 213,15. 219,58. 487, 51. 501,25. 979,5. Ad civitatem Norwicenſem ſedem transfert. 491, 60. 991, 27. Ibi cœnobium fundat. 2370, 39. Simoniacus erat. 991, 28. 2370. 35. Agit pœnitentiam. 491, 56. 2370, 37. Baculum Papæ tradit, ſed mox recipit. 991, 31. Romam mittitur. 999,36. Thetfordiæ monachos Cluniacenſes inſtituit. 2370,41.

Willielmus de Kenington eligitur Abbas S. Auguſtini; 2081, 66. 2284. ſed P.R. ejus electionem caſſat. 2082,4. Rex ad P.R. pro eo ſcribit. 2082,132. Johannes de Deveniche, Abbas S. Auguſtini, eum Priorem conſtituit. 2084,45.

Willielmus de Langton eligitur Archiep. Eboracenſis, ſed P.R. ei aſſenſum negat. 1726,20. 2454,45.

Willielmus cum Longa-barba, F. Osberti, civis Londinenſis. 691,10. 1265,34. 2410,30. Ejus patria, & mores. 1265, 42. 2410,36. Erga fratrem quam fuerit ingratus. 691,12. 1265,49. 2410,44. Divites avaritiæ & inſolentiæ accuſans, plebem ad ſeditionem inflammat. 691,6. 1265,35. 1591,12. 2410,52. Se *Salvatorem pauperum* vocat, S. Scripturis ad id abutens. 1266, 13. 2411, 8. Judices eum accitum mitius tractant, ob metum vulgi. 1266,29. 2411,22. Civem trucidat, qui latebras ejus indicaverat. 1266, 33. 2411, 26. In Eccleſiam ſe recipiens, igne & fumo exire cogitur. 1266,38. 1591, 26. 2411,31. Ipſe, cum ſociis novem, ad furcas trahitur. 691,27. 1266,51. 1591,55. 2411,44. Populus Archiepiſcopum homicidam vocat; Willielmum, martyrem. 1266,54. 1591,60. 2411,46. Catena, & terra ejus ſanguine aſſperſa, pro ſacris pharmacis habentur. 1266, 60. 2411,51. Ad ſupplicii locum multitudo confluit, ibiq;

excubat

excubat, 1267,1. 2411,58. donec ab armatis cuſtodibus arceatur. 1267,25. 1591,63. 2412, 15. Willielmi blaſphemiæ, quas moriturus confitebatur. 1267,10. 2412,3. Fuit Sacerdos. 1267,24. 2412,14.

Willielmus Longa-ſpata, Comes Flandrenſis, cum Theodorico de Anſeis confligit: 504,51. 579,24. ubi victoria potitus, vitam perdit. 1016,40.

Willielmus Longa-ſpata, Comes Sariſburienſis, in Ægypto occiditur. 2435,61.

Willielmus Longa-ſpata, Dux Normanniæ. 152,39. 453,50. Comitis Flandrenſis nequitia occiditur, 454,49. & Regis Franciæ. 856,44.

Willielmus de Longa-villa, Prior Doverenſis. 1342,53. Fit Abbas Eveſhamenſis. 1367,15.

Willielmus de Longo-campo, Regis Cancellarius, fit Epiſcopus Elienſis, 648,17. 1161,24. Legatus P.R. per Angliam, Walliam & Hiberniam, 655,32. 1171, 21 & 33. & Angliæ ſummus Juſtitiarius. 655,48. 1170,13. 1171,7. Quam ſuperbe & tyrannice duplicem poteſtatem exercuerit. 1193,42. 2402,56. 2403,54. Qua arte ad continuandam potentiam utebatur. 1194,15. Ne Legati munus poſt Clementis P.R. obitum deponere cogatur, ſucceſſori pecunias dat. 1222,9. Judæorum mortem ulciſcitur: 1172,28. & Clericos Eboracenſes ſub interdicto ponit. 1172,37. Equos a civitatibus, & Abbatiis, &c. exigit. 1171,27. Turrim Londinenſem foſſa cingit. 1171,24. Concilium Weſtmonaſterii celebrat. 1566,33. 2403,4. Roffenſis cum eo expoſtulat de privilegiis Cantuarienſis Eccleſiæ. 1564, 64 &c. In collegam ſuum Epiſcopum Dunelmenſem imperium uſurpat. 1172, 50. Rex eum officio privat. 659,13. 1194,37. Mandat Rothomagenſi, ne Cantuariam adeat. 660,56. 1223,14. Ejus literæ ad Vicecomitem Suſſexiæ. 662,55. Gaufridi Eboracenſis poſſeſſiones invadit. 1224,33. Gaufridus ipſe ab ejus ſervis contumelioſiſſime tractatur. 663,10. 1224,51. V. *Gaufridus, Henrici II ſpurius.* Ab Eboracenſi excommunicatur. 1225,35. Caſtrum Lincolnienſe obſidet. 1223, 38. Johannis Comitis Moretonii minis fugatur. 1223,50. Pax inter ipſum & Johannem ad tempus facta. 1223,59. 1571,40. Johannem fugiens, in turrim Londinenſem ſe recipit. 664,28. 1225,50. 1577,59. 2404,4. Deponitur, & Rothomagenſis in ejus locum ſufficitur. 1226,10. Cum Johanne aliiſq; colloquitur, 665,3. & caſtella reddere promittit. 665,9. 1226,51. Fugam cogitans, muliebri habitu ſe induit. 665,33. 1227,1. 1578,1. 2404,10. Capitur, & in carcerem conjicitur. 665. 38. 1227, 24. Liberatus, Flandriam adit, 1228,18. & Normanniam: 665,42. ubi pro excommunicato habetur. 1228, 45. Regnum & Eccleſias Angliæ quantum exhauſerat. 1226, 44 & 63. Literæ ejus ad Epiſc. Lincolnienſem, de adverſariis ſuis excommunicationis fulmine feriendis. 1229, 62. Aliæ ad eundem, contra J. Archidiaconum Oxonienſem. 1231, 4. Aliis ſimiliter ſcribit; ſed nemo mandata ejus exſequitur, 1231, 20. Apud Papam de injuriis conqueſtus, literas ejus contra adverſarios ſuos obtinet. 1228,53. Papa, iſtas literas ſuas fuiſſe, hodie negat, 1234,37. cras affirmat. 1235,2. Willielmus in Angliam venit. 1231, 40. 2404, 22. Johannes & mater Elianora muneribus ducti pro ipſo intercedunt; ſed fruſtra. 1231,30. Ad Philippum R. Franciæ ſe recipiens, mala Ricardo & Angliæ machinatur. 1232, 10. Papa ejus cauſam tuetur. 1232,51. Papæ de ipſo & ipſius adverſariis ſententia. 1234,2. V. *Celeſtinus III.* Ricardum R. ab Imp. detentum adit. 1253, 55. 2407, 21. Ejus patria, & majores. 1228,51. Mors. 666,10, 1275, 19. 1597, 12.

Willielmus de Luda, Epiſc. Elienſis. 2492,9.

Willielmus de Magna-villa, Comes Eſſexiæ. 609, 20. 1158, 47. Idem (ni fallor) vocatur Comes de Mandevill. 586,46. 1086,22. Hieroſolymam proficiſcitur: 598,37. 1435,65. Redit. 602, 26. Hærede Comitis Albæ-marlæ ducta, fit Comes Albæ-marlæ. 609, 23. Ingramum de Tria capit. 1089, 10. Fit Juſtitiarius Angliæ. 1162, 47. Moritur. 650, 17.

Willielmus Malmeſburienſis citatur. 135 &c. 1780,65. 1781, 29. Vocatur W. de Manniſbyri. 2470,13.

Willielmus de Marchia, Epiſc. Bathonienſis, & Regis Cancellarius. 1962,10.

Willielmus Mareſchallus, fit Comes de Strugoill. 1155,17. 1158,3. Fit unus e Regni cuſtodibus. 1194, 45. Erat Comes Pembrokienſis. 2417,65. Ducit Iſabellam R. Johannis filiam. 2417,64. Ejus oratio de Henrico coronando, ejiciendoq; Ludovico. 2426,54.

Willielmus de S. Maria, Epiſc. Londinenſis. 705, 41. Ob Papalis decreti exſecutionem Rex eum in exſilium agit. 2415,49.

Willielmus de Melton, Præpoſitus Beverlacenſis, eligitur Archiepiſcopus Eboracenſis. 1730, 50. Biennio poſt conſecratur. 1730,62. Fuerat Regni Cancellarius, & Theſaurarius. 1731,40. 2132,19. Ejus vita, res geſtæ, mors, ſepultura. 1731.

Willielmus Montagu, Comes Sariſburienſis. 2568, 64. Criſta a Rege illi conceſſa. 2566, 12. Ejus uxor. 2626, 21.

Willielmus de Norhalla, Epiſc. Wigornenſis. 631, 22. 1480, 14. Ejus character. 1487,40.

Willielmus Peverell de Nottingamia ejicit omnes qui Imperatrici favent. 271,43. Exhæredatur. 531, 1. 1157, 31. Fertur veneno eum necaſſe Ranulfum Comitem Ceſtriæ. 531,1. 1374,45. Fit monachus: 1377, 45. Nec ſub cucullo ſe ab ira Regis ſatis tutum putans, aufugit. 1377,50.

Willielmus Poſtard eligitur Abbas Weſtmonaſterienſis. 664, 56. Inthronizatur. 664,60. Benedicitur. 665,27.

Willielmus, Prior Doverenſis. 1497,17.

Willielmus de Purcellis, ſe Ricardum eſſe ſimulans, a Turcis capitur, dum Rex evadit. 1241, 12. Ricardus decem ex nobilioribus Turcis liberos pro eo dimittit. 1250, 17.

Willielmus I, R. Angliæ, Baſtardus & Conquæſtor dictus. 179,23. Ejus mater, Arleta, 910,44. vel Arlec, 2318,60. vel Herleva. 468, 28. Matris jam prægnantis ſomnium. 910, 52. 2318,65. Recens natus, futuræ poteſtatis ſpecimen dat. 910, 54. Pater Hieroſolymam tendens eum Regi Francorum commendat. 910,58. 912, 30. 2319,8. Proceres Normanniæ eum recipere coguntur. 939,19. Ab Edwardo Confeſſore honorifice ſuſcipitur. 185, 44. 476, 9. 2332,12. Henrici R. Franciæ exercitum fundit fugatque. 477,2. 2319,19. 1330,34. Cur Angliam bello appetierit. 195,50. 367,1. 958,67. 2340, 26. Haroldus multa ipſi pollicitus, nihil præſtitit. 196. 481,31. 957,58. 2340,11. Proceres Angliæ eum invitant. 2339, 30. P.R. vexillo miſſo, eum ad Angliam capeſſendam animat. 958,28. Qua aſtutia optimates Normanniæ ad expeditionem iſtam ſuſcipiendam fuerint adducti. 479,40. 958,34. 2340,34. Exercitum parat. 194,5. 479,18. 958,27. Adverſis ventis diu protrahitur negotium. 2340,43. S. Wallerici corpore prolato, ventum obtinet. 2340,49. In Angliam venit. 194,50. 479,54. 2341,7. Quo omine ſe Regnum Angliæ adepturum conjecerit. 2341,12. 2342,30. Voce cœleſti de Regno obtinendo & de Eccleſia ædificanda admonetur. 2341, 20. Ejus ſomnium de ſuorum in Anglos dominatione. 960,62. Londinenſes & Eboracenſes deditionem faciunt. 2341,29. Exercitum a præda cur abſtinuerit. 2341, 18. Haroldus adverſus eum movet exercitum, inteſtinis diſſidiis & bello Norico exhauſtum. 479.59. 959,30. Quinam ex Anglis ſe huic certamini ſubtraxerint. 480,41. 961, 2. Quomodo Willielmus Haroldi ſpeculatores tractarit. 2341,49. Cur Angli ejus milites presbyteros fuiſſe judicarint. 2341,51. Legato miſſo, tria Haroldo proponit. 2341,65. Quomodo Angli noctem ante pugnam tranſegerint; 2342,18. quomodo Normanni. 2342,26. Dies & locus pugnæ. 959,35. 2342,14. Willielmi ad milites oratio. 959,45. Prælium committitur. 479,67. 2342, 37. Anglorum acie diu impenetrabili manente, 480,12. 960,32. 2342,20. Willielmus jubet ſuos fugam ſimulare, 480,16. 960,35. 2342,41. & ſagittas ſurſum emittere. 480, 24. 960, 42. Tandem hoſtium cuneo perrupto, ſignum regium obtinetur, 480,29. & mox victoria. 195,5. 480,38. 960,50. 2342,52. Willielmus militem exautorat, quod Haroldi jacentis femur gladio foderat. 2342,47. Corpus ejus matri id depoſcenti ſine pretio concedit. 2342, 53. Ejus vexillum Papæ mittit. 2342, 24. Daco homagium ab eo petenti dona mittit. 2343,48. Provincias Angliæ hoſtiliter devaſtat. 480,47. A Cantianis miro ſtratagemate circumventus, patria illis jura & conſuetudines permittit. 1786, 6. Proceres Regni ſe illi dedunt. 195,27. 480,41. 961,9. 2343,17. Eccleſiam & populum ſe defenſurum pollicitus, conſecratur. 195,42. 480,49. 962, 26. 1702,48. 1787, 16. 2248. 2343, 25. Cur Stigandus eum non conſecrarit. 962,9. 1792,1. Aldredum Eboracenſem cur & quantum ſit veneratus. 962,42. V. *Aldredus.* Normanniam repetit, 197, 16. 482,3. optimates Anglorum ſecum ducens. 962,58. 2343.60. Anglis tributum imponit. 197,41. 482, 14. 963,1. 2344,10. Exceſtriam capit. 197,44. 482,16. 963,3. 2344,11. Caſtella firmat. 197,65. 482, 10. 2344, 34. Morkarum & ſocios

ad

ad deditionem cogit. 203,22. 484,29. Cenomannos ſubdit. 205,45. 486,3. 972,62. Comites rebelles premit & punit. 208,28. 486,41. Wallenſes ſubjugat. 487,36. 977,59. Northumbrenſes ei rebellant: 38,17. Robertum Cumin eis præficit: 38,19. 198.14. 565,39. quo occiſo, exercitum ad ejus mortem ulciſcendam mittit; 38,53. qui re infecta redit. 38,63. Northumbriam vaſtat, 199,2. 966,10. 2344,51. & agrum Eboracenſem. 39,3. 965,52. 1708,33. Exploraturus an revera Cuthberti corpus Dunelmi quieſceret, qualiter punitus & fugatus fuerit. 42,21. 972,43. Jura eccleſiaſtica imminuit. 1327,3. Monaſteria pecuniis ſpoliat. 200,6. 482,21. 967,46. 1787,37. 2344,66. Præſulibus & Abbatibus nonnullis degradatis, 201, 53 &c. 482,59. 968,13. Normannos in eorum loca evehit. 202,34. 1787,20. 2345,21. Cur patruum ſuum Malgerum Epiſcopatu privarit. 2354, 30. Odonem fratrem in cuſtodiam conjicit. 487,37. Terras quas abſtulerat Eccleſiæ Dunelmenſi reſtituit. 43, 20. Abbatiam de Bello conſtruit. 482,12. 961,37. 982,7. 2354,41. Monaſteria ab eo fundata. 2354, 37. Auguſtinenſibus quæ donaverit. 1788, 1789. Ejus charta de Faverſham & Middleton; 2073,64. 2129,17. de Newington; 2128,67. de Plumſted. 2129,41. Terras Anglorum Normannis donat. 463,10. 2343,36. Oſberno Daco pecuniam dat, ut ab Anglia recedat. 199,6. 202,46. Malcolmum Scotum rebellantem ſubjugat, ejuſq; homagium capit. 203,57. 486,1. 972,33. 2347,56. Robertus F. ei moleſtiam faceſſit: 209,61. 487,10. 977,5. 2351,34. A quo vulneratus, & equo donatus, abire permittitur. 210,10. 487,25. 977,21. 2351,38. In fugam vertitur. 210,18. 487,32. Roberto maledicit. 487,33. 567,9. Pecunias exigit. 212, 62. 978, 48. Quantum quiſque poſſidet per totam Angliam deſcribi jubet. 213,19. 487,53. 979,33. 2353,18. Pecuniæ ſemper fuit avidus. 2354,27. Ejus aviditas excuſatur. 2362,24. Feras amabat tanquam pater ferarum. 488,24. 981,25. Villas & Eccleſias diruit, quo feræ liberius vagentur. 2354,13. Henricum F. armis militaribus honorat, 213,27. 487,62. 979,59. cogitq; omnes ipſi fidelitatem jurare. 213, 30. 487, 65. 979, 62. Regis Franciæ ſcomma acerbe ulciſcitur. 980,3. 2353,40. Oppidum in Francia, cum Eccleſiis & anachoretis, ſuccendit. 213, 54. 488, 10. 980, 17. 2353, 51. Mortem ſibi imminere ſentiens, omnes quos in cuſtodia tenuerat, laxat. 213,58. 488,15. 980,23. 2353,60. Ejus liberi. 977,65. 2354,48. Henricum Regem futurum, prædicit, 2374,47. & fratribus potentiorem: 980,43. quod poſtea evenit. 1002, 57. Terræ, quas vel hæreditate vel armis poſſederit. 488, 25. 981, 58. Roberto Ducatum, Willielmo Regnum, Henrico theſauros legat. 213,65. 488,33. 980,37. 2353,57. Moritur. 53,60. 214,4. 980,60. 2353.63. Lis circa ejus ſepulturam. 980,66. 2353,67. Ejus character: 488,20. 981,16. 2354,10. 2362,14. Corporis habitudo. 2354, 17. Leges. 982,46. 2355—2358. Pacis quantus autor in Anglia. 488,30. 981.66. De loco ubi cum Haroldo præliabatur, mirum. 982, 12. Feſta ſolenniora ubi celebrabat. 2354,24.

Willielmus II, R. Angliæ, Rufus vocatus, inauguratur. 214,12. 488,52. 983,6. 1655,40. 2250. 2358,51. Theſauros patris per Eccleſias & monaſteria dividit. 214,13. 488,55. 983,15. Robertum fratrem blandis verbis & promiſſis flectit: 2358,56. Magnates adverſus eum conſpirant. 214,33. 489,1. 984,8. Anglos largis pollicitationibus ad opem ferendam allicit; 215,1. 984,20. eorumque ſubſidio rebelles premit. 215,10. 2359,29. Normanniam fratri adimere tentat. 215,58. 490,11. 986,39. 2359,48. Conventio inter ipſos fit. 216,10. 490,25. 986,47. Henricus ipſum ſimul & Robertum oppugnat. 2359,55. Willielmus de vita periclitatur. 2359, 58. Se Regem eſſe vociferatus, evadit. 2359,64. Hoſtem qui eum dejecerat, ſe inter chariores habiturum jurat. 2359,67. Deridet Robertum, quod Henrico obſeſſo aquam conceſſerat: 2360, 3. Roberti reſponſum. 2360,11. Obſidionem ſolvit. 2360,14. In Scotiam profectionem parat. 216,43. 987,6. Pax inter ipſum & Scotum certis conditionibus componitur: 216, 56. 490, 30. 987,19. 2364,11. Sed Anglus fidem fallit. 217,21. 987,26. Morbo laborans, vitæ emendationem pollicetur: 218,1. 490,61. 988,15. at corpore convaleſcente, mens in vitia relabitur. 494,35. 988,30. Mille libras argenti ab Anſelmo pro promotione petit. 494, 39. Quinquies mille a Lincolnienſi accipit. 988,38. Epiſcopatus & Abbatias in manu ſua diu tenet. 218,5. 225, 59. 986,37. 996,38. 1656,3. 2373.2. In una tamen Abbatia conferenda, poſthabita pecunia, merita reſpicit. 2373, 12. Urbanum II, P.R. non agnoſcit: 494,54. Pacem cum eo init. 495,5. Anſelmo graviter ſuccenſet: 223,17. 494,54. eum proſcribit. 995,59. Populum exactionibus deglubit. 993,1. 995,5 & 16. 2369,14. Malcolmum R. Scotiæ videre recuſat, eumq; per Barones Anglos judicandum vult. 218,19. 989,43. 2365,18. A Roberto fratre perfidus & perjurus vocatur. 219,50. 990,50. Contra eum bellum gerit. 220,1. 991,1. Exercitum in Walliam ducit: 220,49. 223,4. 991,34. 2366,12. Illuc ſæpius profectus, ſemper cum ignominia rediit. 991,48. 992,31. 994,11. Robertum de Mulbreio & alios traditionis reos incarcerat. 221,221. 491,25. 991,60. Ab uxoratis Sacerdotibus tributum exigit. 2369,43. Robertus frater, VIM libris acceptis, (vel, ut quidam tradunt, XM. 2364.3. 2369,4.) illi Normanniam oppignerat. 222,64. 492,65. 992,49. Multa caſtra & palatia exſtruit. 2373,26. Aulam Weſtmonaſterienſem ædificat. 995,1. V. *Weſtmonaſterienſis aula.* Edgarum conſtituit Regem Scotiæ. 990,44. 995,9. Novam foreſtam, ubi plures villas deleverat, feris replet. 2373,37. V. *Foreſta nova.* Ferarum captores quam ſevere punierit. 2373, 46. Quam tyrannice ſe geſſerit. 2378,48. Ejus rapacitas & prodigalitas. 2379,9. Preces pro ſe fieri prohibuit. 2378,62. Quam profana reſponſione monita amicorum repulerit. 2379, 5. In tempeſtate navigationem diſſuadentibus reſpondit, *De Rege ſubmerſo non audivi.* 497,60. 995, 37. 2369,65. Cenomannos ſubigit. 223,32. 498,54. 995,39. 2370, 4. Quam magno animo hoſtem captum dimiſerit. 2370,5. Sagitta percuſſus, moritur. 225,10. 996,7. 2372,55. Facti ejus circumſtantiæ. 2373, 49. Prodigia ante ejus obitum varia. 225, 30 &c. 2372, 43. Ejus ſomnium pridie quam occideretur. 996,56. 2372,50. Hugonis Cluniacenſis de eo ſomnium. 2372,47. Monachi ſomnium, Regis & impietatem & infortunium ſignificans. 997,1. Mors ejus Anſelmo mire revelatur. 997, 31. Ejus ſepultura. 2372,61. Charta ejus de Stonore, villa, Auguſtinenſibus donata. 2129,67. Ejus character. 996,19. In operibus levis fuit, in verbis ſtabilis. 2373,9.

Willielmus de Ros in muneribus ſuſcipiendis Regem agnoſcit, non Archiepiſcopum. 536,15.

Willielmus le Scrop, Comes Wiltoniæ. 2754,26.

Willielmus Smith, Wiclevita: Ejus mores & vita. 2661,37. 2662,25. 2666, 55. Pœna ei impoſita. 2736, 57. Libros ſuos Archiepiſcopo tradit. 2736,64.

Willielmus la Souche, Archiep. Eboracenſis. 1685,50. 1731,65. Biennio poſt electionem conſecratur. 1732,8. 2582,32. Cuſtos partium Angliæ borealium factus, Scotorum exercitum fundit. 1732, 10. 2590, 8. Capellæ fabricam inchoat. 1732,30. Moritur. 1732,36.

Willielmus de Swindurby, Wiclifi diſcipulus. 2665,62. Ejus vita & doctrina. 2666, &c. Prohibitus in Eccleſiis concionari, 2667, 37. in plateis prædicat. 2667, 43. Citatur ab Epiſc. Lincolnienſi, 2667,57. & ad palinodiam adigitur. 2668,9. Eum de vita periclitantem eripit Lancaſtrius. 2667, 64. Ejus adverſarii. 2669,5. Lincolnienſis literæ de toto negotio. 2668,26. Coventriam adit. 2671,13. Inde pellitur. 2671,20.

Willielmus de Tancarvile, Camerarius, capit Galerannum Comitem de Mellent & Hugonem de Munfort. 504,18. Ab Henrico II deficit. 570,15.

Willielmus, Theſaurarius primum, dein Archiepiſcopus Eboracenſis. 79,41. 268,51. 508,11. 528,38. 1028,66. 1041,11. 1357,52. Ortus ejus & educatio. 1040, 64. Ejus parentes. 1721,25. Poſt electionem conſecratio ejus per quinque annos & amplius impeditur. 1721, 29. Simoniæ accuſatur. 271,11. 272, 10. Conſecratur. 273,38. 1665,37. Pallium ei deſtinatum in Angliam advehitur; 274, 38. ſed reportatur. 275,6. Bernardus Abbas Clarevallenſis contra eum ſcribit. 275,13. Eugenius P.R. electionem ejus caſſat. 276,4. 1029,15. 1041,19. 1721,42. In Concilio Remenſi accuſatur & deponitur. 1363,29. 1666,16. Secundo electus, Papalem benedictionem obtinet. 528,39. 1029,40. 1375,63. 1721,61. Ingens hominum multitudo, rupto ponte, in aquas decidens, ejus precibus ſervatur. 1029,48. 1722,20. Ejus de ſucceſſore ſuo prophetia. 1722,11. Diem obitus ſui prædicit. 1722,41. Inter Miſſæ ſolennia veneno infectus, moritur. 1041,61. 1376,25. Oleum ſalutiferum de ejus corpore fluit. 1722,50. Ejus oſſa ſolenniter transferuntur. 1727,13.

Willielmus Thorne. 1753. Operis ſui rationem & ſcopum oſtendit. 1757,1. Ad P.R. mittitur, ut Willielmi Abbatis confirmationem procuret. 2184,21. Ejus ad Papam oratio; 2184,40. ad Reinoldum Cardinalem, de calamitoſo mona-

monaſterii Auguſtinenſium ſtatu. 2186,33. Ejus literæ ad Willielmum Abbatem. 2188,39.

Willielmus Truſſell, Juſticiarius, cum Regina Iſabella in Angliam redit. 2544,29. Hugonem Spenſerium proditionis reum morti addicit. 2547,&c. Sententiam depoſitionis Edwardo II pronunciat. 2549,61. 2550, 6 & 61. Exſulat. 2554,66.

Willielmus Turbo, Epiſc. Norwicenſis. 533, 23. 561, 33. 1361,29. Obit. 1426,48.

Willielmus de Ver, Epiſc. Herefordenſis. 630,58. 1480,14. Ejus oratio ad monachos Cantuarienſes. 1524, 13. Obit. 1614,48.

Willielmus Waleys, Dux Scotorum. 2476, 35. Edwardo I rebellat. 2513, 54. De Anglis victoriam reportat. 2517, &c. Northumbriam cædibus & rapinis replet. 2519,66. *Conquæſtoris* ſibi titulum arrogat. 2520,21. Carleolenſes jubet ut urbem ei dedant: 2520, 18. Eorum reſponſum. 2520, 28. Cohibet milites ne Canonicis Haguſtaldenſibus injuriam inferant. 2521, 6. Literæ ejus Canonicis conceſſæ. 2521,33. Suſpenditur, & membratim diſcerpitur. 2494,8. 2530,19.

Willielmus de Watervilla, Abbas Burgenſis, deponitur. 587, 52. 1433,46. Cauſa cur depoſitus. 1108,1.

Willielmus Welde, Abbas S. Auguſtini. 2184,7. Quas moras ſuſtinuerit, antequam a P. R. ejus electio fuerit confirmata. 2184,10. Modus electionis, electiq; mores ſcrupuloſe examinantur. 2185,20. Tandem, coram Papa comparens, benedicitur. 2192,11. 2286.

Willielmus Wickham, Epiſc. Wintonienſis, Abbati S. Auguſtini benedicit. 2151, 41. Urbani VI ad eum literæ, eum judicem conſtituentes inter Archiepiſcopum & Abbatem S. Auguſtini. 2155, 33. Unus eſt e quatuordecim Regni Præfectis. 2685,61. 2687,34. Fit Regni Cancellarius. 2735,28.

Willielmus Wikwane, Archiep. Eboracenſis. 1727,8. Oſſa prædeceſſoris ſolenniter transfert. 1727,13. Pontificatu cedit. 1727.46. Apud Pontiniacenſes moritur. 1727,48. Miraculis inclareſcit. 1727,56.

Willielmus Wittleſey, Epiſc. Wigornenſis, fit Archiep. Cantuarienſis. 2145,41. 2285. Ejus literæ de Eccleſia Littleburnenſi. 2108,34. Mors. 2148,5.

Wilrington. 1784,18.

Wiltonia incenditur. 165,33. 1358,60. Monaſterium virginum ibi ab Edgaro conditum. 359,59. ¶ Epiſcopi Wiltonienſes, V. *Sariſburia.* ¶ Comites: *Ethelbelmus*; *Willielmus le Scrop.*

Wiltſhire, quondam provincia *Semerana.* 956,36.

Wimburnæ, vel Winburnæ, monaſterium virginum a S. Cuthbertha conſtruitur. 442,57. 773,61. Ibi ſepelitur R. Etheldredus. 809,24.

Wimundus, Abbas Taviſtokienſis, deponitur. 1660,5.

Wimundus, Archiep. Eboracenſis. 78,60. 1698,22.

Wimundus, vel Winemundus, quædam donat Abbatiæ S. Auguſtini. 1776,44. 1777,28.

Winceſtria. V. *Wintonia.*

Winchecombenſis, vel Wincelcumbenſis, Eccleſia fulmine percuſſa. 216,63. 987,36. 2364,18. ¶ Abbates: *Godwinus*; *Godricus.* ¶ Prior: *Aldwinus.*

Winchelſey: Franci illuc appellentes, repelluntur. 2622,61.

Windichindus, Hiſtoricus. 432,44. 458,39.

Wine, vel Wino, Epiſc. Wentanus. 293,46. 756,30. 789,39. 1635,64. Epiſcopatu pulſus, Londinenſem cathedram pretio acquirit. 439,33. 756,38. 1636,2.

Winfridus. V. *Wilſridus, Epiſc. Merciorum.*

Winherus, Abbas S. Auguſtini. 1777,20. 2240.

Wintonia, vel Winceſtria, olim Wenta, fit ſedes Epiſcopalis. 756,17. Monaſterium ſanctimonialium ab Ealſwitha Regina ibi conſtruitur. 152,30. Eccleſia cathedralis fundatur; 438,64. & duo monaſteria. 356,40. Monaſterium longius ab Epiſcopali ſede movetur. 864,45. Urbs cum cœnobiis Eccleſiiſq; Epiſcopi juſſu inceditur. 1356,6. ¶ Wintonienſis Prior: *Walterus.* Epiſcopus Wintonienſis in Eccleſia Cantuarienſi officio Cantoris olim fungebatur. 1382, 60. 1429,23. Ad ſiniſtram Legati ſedet; Londinenſis, ad dexteram. 656.61. 671,42. 1429,19. 1596,18. ¶ Wintonienſes, ſeu Wentani, vel Occidentalium Saxonum, ſeu Gewiſſeorum, Epiſcopi: *Birinus*; *Agilbertus*, vel *Ailbertus*; *Wino*, vel *Wine*; *Eleutherius*, vel *Leutherius*; *Hedde*; *Daniel*; *Adelardus*; *Ealmundus*; *Athelredus*, vel *Ethelredus*; *Edulſus*, vel *Ethelwolfus*; *Swithunus*; *Tunbertus*; *Dunewolfus*; *Fritheſtanus*; *Brinſtanus*; *Elfegus Calvus*; *Elfſinus*; *Brihtelmus*; *Ethelwoldus*, vel *Edelwaldus*; *Elfegus II*; *Brichtwaldus*; *Edſinus*; *Elſwinus*, vel *Ailwinus*; *Stigandus*; *Walthelinus*; *Willielmus Giffardus*; *Henricus*; *Ricardus*; *Godefridus de Lucy*; *Petrus de la Roche*; *Johannes Pontoyſe*; *Henricus Woodlok*; *Johannes Stratford*; *Johannes Deveniche*; *Willielmus Edindon*; *Willielmus Wickham.* ¶ Wintonienſes Comites: *Hugo le Deſpenſer*; *Scirus de Quincy*; *Robertus Quincy.*

Wiramuræ, vel Weremundæ, vel

Wiramuthæ, monaſterium conſtruitur. 4,4. 91,28. 92,18. 1695,1. Prædiis locupletatur. 45,57, 92, 16 & 31. A paganis deſtructum, inſtauratur. 45,47. Ibi Beda ab infantia habitabat. 45,45. Eccleſia concrematur. 200,46. 2344,59. V. *Girvenſe.* ¶ Abbates: *Benedictus*; *Eaſterwinus*; *Ceolfridus*; *Hwetbyrthus.*

Wiſcardi portus. 1218,35.

Wiſkebeith. 1896,19.

Wiſtanus occiditur. 778,56.

Witæ. 823,16.

Withburgæ corpus ad Elienſe monaſterium transfertur. 747,63.

Withertiblan, injuſta accuſatio. 836,7.

Withredus, R. Cantiæ. 742,22. 758,19. 2234. Regem Occid. Saxonum bellum ipſi inferentem prece & pretio placat. 742,26. 758,23. Terras largitur monaſterio in inſula Thaneto; 1771, 4 & 26. & monaſterio S. Auguſtini, Cantuariæ; 1771, 19. & Eccleſiæ B. Mariæ apud Liminges. 2208,12. Concilium apud Baccanceldam convocari jubet. 2208,20. Ejus lex de Sacrilegio; 2208, 35. de Electione Epiſcoporum & Abbatum; 2208,60. de Immunitate Eccleſiarum. 2209,10.

Wivelesburgh. 1777, 9 & 61. Appropriatio Eccleſiæ. 2085,61. 2090,6.

Wlfricus, Wlmarus, &c. V. *Wolfricus, Wolmarus*, &c.

Woderingborne. 1780,56.

Wodeſtoc, id eſt, Silvarum locus. 247,20. Henricus I ibi parcum ſeu vivarium facit. 2382,14.

Wolf, vel Mulo, vel Mulus, Cedwallæ frater, Cantiam deprædatus, comburitur. 741,51. 756,18. 1770,35. 2232.

Wolfelinus, vel

Wolfelmus, Epiſc. Wellenſis, fit Archiep. Cantuarienſis. 453, 64. 838,59. 840,63. 1644,31. 2241.

Wolferus, R. Merciorum. 744,66. 772,34. 789,64. 1636,4. Ermenildam ducit: 740,53. 772,44. Ejus ſuaſu, idola & paganiſmum delet. 772,60. Ethelwoldum, R. Auſtralium Saxonum, de ſacro fonte levat. 772,38. Vocatur Wolfarius, 293,54. & Wilſhere. 439,35.

Wolfheath, Abbas Beverlacenſis. 107,24.

Wolferus, vel Wilferus, Archiep. Eboracenſis. 78,62. 121,9. 145,14. Pellitur. 1698,46. Redit. 1698,49.

Wolfius, Anachoreta. 952,49. 2367,15.

Wolfredus, vel Wluredus, Archiep. Cantuarienſis. 447, 13. 742,60. 1775,66, 2237. Actus ejus. 1642,41. In Concilio Cloveſhoenſi queritur de injuriis a R. Kenewolfo ipſi illatis. 2213,36. Terras ablatas recuperat. 2214. Terræ ab eo emtæ. 2215,35. Terræ ab eo Eccleſiæ Chriſti donatæ. 2215—2217. Portiones pauperibus aſſignatæ. 2217,23.

Wolfretelus, Abbas Crowlandenſis, deponitur. 1654,34.

Wolfricus I, Abbas S. Auguſtini. 1780,37. 2246.

Wolfricus II, Abbas S. Auguſtini. 1784,32. 2248. Partem Oratorii B. Virginis demolitur, ſed non impune. 1785,19. 2248.

Wolfricus, Abbas S. Benedicti in Norfolcia. 913,33. Canutus R. mortem ipſi & ſociis minatus, mire conciliatur. 913,43.

Wolfricus, Abbas Hidenſis, deponitur. 1654,20.

Wolfricus, Anachoreta, ferream loricam, ac ſi linea eſſet, forcipe ſecat. 1361,35. Henrico Imperatricis F. adhuc puerulo Regnum prædicit. 1361,51.

Wolfrida, Edgari Regina, fit ſanctimonialis. 867,22. 875, 16.

Wolfridus. V. *Winfridus.*

Wolfus, R. Orient. Anglorum. 441,30.

Wolfwinus, oculis captus, 392,39. viſum recipit. 393, 10.

Wolmarus, vel Manni, Abbas Eveſhamienſis. 182,25.

Wolmarus. V. *Suanus, vel Swein.*

Wolnod, exſul, piraticam exercet. 887,30.

Wolnothus, Abbas S. Albani. 446.4.

Wolſigus, Abbas S. Albani. 446,4.

Wolſinus, Abbas S. Albani. 446,6.

Wolſinus, Abbas Weſtmonaſterienſis, 456,50. poſtea (ni fallor) Epiſcopus Wiltonienſis. 2223,49.

Wolſius, Archiep. Eboracenſis. 78,59. 1698,22.
Wolſius, Epiſc. Lichfeldenſis. 180,20. 2333,11.
Wolſtanus I, Archiep. Eboracenſis. 31,31. 79,28. 134,41. 1698, 65. In carcerem conjicitur. 1699, 8. Moritur. 1699,11.
Wolſtanus II, Archiep. Eboracenſis. 79,40. 461,57. 467,41. Epiſcopatum Wigornenſem una cum Archiepiſcopatu tenuit. 1700,5. Locum ſepulturæ in Eccleſia Elienſi mire prædicit. 467 60.
Wolſtanus, Epiſc. Wigornenſis. 190,34. 478,24. Ejus parentes; 190,36. patria, & educatio; 950,19. 2366,39. doctrina; 2367,8. vitæ auſteritas, & ſanctitas; 190,52. 950, 40. 2366,54. devotio. 2367,34. Horas canonicas quam ſtricte obſervarit. 2368,7. Carnes cur non comederit. 950, 25. 2366,45. Fit Prior Wigorniæ; 950,14. 1702, 27. 2335,44. Abbas Wigorniæ; 1701, 13. 1702, 28. Abbas Gloceſtriæ. 189,63. 477,46. Cum dæmone luctatur. 950, 43. 2366,62. Eligitur Epiſcopus Wigornenſis. 952, 38. 2367,6. Electioni ægre conſentit. 191,31. 952,47. 2367, 13. Ab Archiepiſcopo Eboracenſi conſecratur, ſalvo tamen jure Cantuarienſis. 478,25. 952,51. 1702,19. 2336, 51. 2367,18. Epiſcopatus ſui poſſeſſiones, ab Eboracenſi detentas, 1702,34. repetit, 202,9. 482,63. 968,18. 2345, 26. & recipit. 203,9. 483, 32. 976,33. 1709,2. Injuſte depoſitus, mire reſtituitur. V. *Edwardus Confeſſor*. Mori gentis ſe conformans, nunc potatoribus aſſidebat, 953, 3. 2367, 26. nunc militibus ſtipatus incedebat. 953, 10. 2367,32. Agninis pellibus cur ut plurimum uteretur. 953,25. 2367,47. A timore quam fuerit alienus. 2367,1. Verba ejus de Anglorum ſub Normannis ſervitute. 2366,30. Dolet quod pietate neglecta homines Eccleſiarum pompa adeo delectentur. 953,32. 2367,52. Prædicit, Sewolfum negotiatorem monachum futurum; 2468,19. &, calveſcenti cuidam crines, eo vivo, manſuros; mortuo, defluxuros. 2368, 25. Satanæ quendam tradit, quod noluerit fratris interfectori ignoſcere. 953,46. 2367,63. Ailwinum monet ne Hieroſolymam proficiſcatur. 953,59. 2368,13. Comitibus in Regem rebellibus reſiſtit. 208,47. 214,55. 486, 56. 489, 43. Quam efficax fuerit ejus maledictio. 489,58. Wigorniam precibus tutatur, & hoſtes profligat. 489,42. 985,3. 2359,25. Obit. 995,52. Moriens, Herefordenſi Epiſcopo apparet. 220,60. 492,1. 2366,20. Cum annulo pontificali ſepelitur. 220,64. 492,2. 2366, 26. Herefordenſi iterum apparet, & monet ut vitam corrigat. 221,16. 2366,23. Eccleſia tota conflagrante, flammæ ſepulcro Wolſtani & matta parcunt. 2368,33.
Wolwinus, Epiſc. Lincolnienſis. 475,47.
Woror, Epiſcopus. 2212,11.
Wexſtone. 1896,35.
Wrecks, id eſt, bona e naufragio ad littus appulſa, ſibi non amplius vendicare ſtatuit Ricardus I. 657,12. 1187,54.
Wuer, R. Wentorum. 154,37.
Wycherdus, R. Cantiæ. 758,17. Is forſan eſt qui vocatur Wygrodus. 1908,28.

Y.

YSe, puella, poſt mortem cum milite coit, & puerum parit, de cujus capite mira narrantur. 1216,25.

Z.

ZAcharias, P. R. 443, 60. 2235.

FINIS.

INDEX COGNOMINUM.

Amice Lector,

Baronum nomina aſteriſcis notavimus; nec tamen omnium, cum haud facile fuerit omnes internoſcere: Quin & ex his quos ſtellatos vides nonnulli forſan honore tantum equeſtri ornabantur. Reges, Duces, Comites, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, &c. in majori Indice invenies ſuo quemque loco repoſitos: Illuc ſcilicet hæ literæ, V. I. R. te mittunt. Vale, & operam noſtram æqui boni conſule.

A.

Edmundus de *Abingdon. V. Ind. Rerum.*
Willielmus de *Abrancis.* 1410, 20.
Willielmus *Abrenythy.* 2564, 24.
Thomas *Ackholte.* 1946, 21.
Radulfus de *Acre.* 2562, 38 & 67.
Willielmus F. *Adelmi.* 1575, 35.
Radulfus *Adrian.* 2295, 1.
Robertus *Agnylim.* 2134, 41.
Agulis. 963, 47.
Aguloun. 963, 47.
Aguntez. 964, 48.
Bartholomæus de *Aycheburnham,* 2541, 59. vel *Aſſheburne.* 2547, 61.
Willielmus de *Aynelfort.* 2131, 1. *Idem fortaſſis cum eo qui vocatur*
Guillielmus de *Aynesford.* 2133, 60.
Willielmus de *Albamarla.* 320, 13. 337, 25. *V. I. R.*
Willielmus de *Albania.* 315, 14.
Willielmus de *Albineio.* 1789, 26.
Willielmus F. *Aldelmi.* 1105, 56. 1128, 10.
Franciſcus de *Aldham.* 2541, 60. 2547, 62.
Johannes de *Aleton.* 1245; 19.
S. *Algar.* 2071, 66.
Johannes de *Alithewerl.* 2584, 7.
Virgilius de *Alkham.* 2095, 65.
Girardus de *Alſpaye.* 2543, 15.
Lucas *Alulph.* 1929, 2.
Reicius *Amaraduke.* 2465, 44.
S. *Amanns.* 964, 47.
Georgius *Amys.* 2295, 3.
Henricus de *Angeus.* 1060, 43.
Hugo de *Anſeley. V. I. R.*
Johannes *Antony.* 2294, 67.
Henricus de *Apoldrefeld.* 1966, 39. 1998, 52.
Willielmus de *Arches.* 2129, 9.
Arcy. 965, 10.
Johannes de *Ardena.* 2624, 35.
Radulfus de *Ardene.* 707, 51. *Idem forſan cum eo qui vocatur*
Radulfus de *Arderne.* 2452, 46.
Argenten. 963, 57.
Ricardus de *Argenteyn.* 2133, 61.
Ægidius de *Argenteyne.* 2533, 50.
Radulfus *Argum. V. I. R.*
Arras. 965, 12.
Ludovicus de *Arſeles.* 1191, 41.
Manaſſerus *Arſic.* 1796, 62. vel
Maneſterius *Arſit.* 2130, 34.
Jacobus de *Artyngfeld.* 2576, 20.
Artois. 965, 10.
Gaufridus *Artur. V. I. R.*
Thomas *Arundell. V. I. R.*
Aſſhburne. V. Aychburnham.
Ægidius de *Aſheleye.* 2533, 47.
Nicolaus de *Aſteleye.* 2533, 48.
Johannes *Aſton. V. I. R.*
Guernora *Ate baillie.* 2093, 41.
J. *Ate chirche.* 2071, 67.
Nicolaus *Ate crowche.* 2147, 29.
Henricus *Ate furſtall.* 2142, 36.
Johannes *Ate halke.* 2092, 57.
Petrus *Ate leſe.* 2093, 3.
Valentinus *Ate pathe.* 2139, 34.
Johannes *Ate ſole.* 2092, 52.
Lucas *Atte berne.* 2205, 61.
Gilbertus *Atte burgh.* 2033, 42.
Henricus *Atte gate.* 2205, 45.
Robertus *Atte gate.* 2205, 45.
Johannes *Atte lee.* 2132, 44.
Robertus *Atte walle.* 2022, 16.
Radulfus d' *Aubeney.* 1191, 55.
Aubevyle. 964, 47.
S. *Aubyn.* 963, 66.
Willielmus de *Auco,* vel *de Owe.* 492, 26.
Hugo de *Audeleye. V. I. R.*
Jakes de *Aveneis.* 1191, 62. vel
Jacobus de *Avennes. V. I. R.*
Simon de *Averenches.* 1230, 36.
Willielmus de *Augo.* 276, 39.
Avynel. 964, 8.
Auris. 963, 57.

B.

Nicolaus de *Baa.* 2147, 28.
Bartholomæus *Baddyſmere,* vel *Badeleſmere, Juſtitiarius.* 2035, 27. 2539, 13. 2541, 58.
J. de *Badele.* 2096, 55.
Guernora ate *Baillie.* 2093, 4.
Bernardus de *Baillolio.* 269, 24. 308, 53. *V.* Baiol.
Johannes de *Baillol.* 2447, 11. *V. I. R.*
Jocelinus de *Baylon.* 963, 44.
Bayloun. 963, 44.
Jocelinus de *Bailul.* 599, 62.
Willielmus *Baynard.* 1004, 6.
Bernardus de *Baiol. V. I. R.*
Thomas *Baker.* 2633, 45.
Rogerus *Bakeroun.* 2205, 51.
Robertus F. *Baldewini.* 489, 37.
Robertus de *Baldoc, Cancellarius.* 2544, 43. 2546, 55. 2763, 18.
Radulfus de *Baldok. V. I. R.*
Edmundus *Balergge,* 2740, 22.
J. *Balfire.* 2144, 19.
Johannes *Balle. V. I. R.*
Edwardus le *Baliol. V. I. R.*
Guido de *Balliof.* 2454, 5.

Alexander de *Balliolo*. 1934, 54.
Johannes de *Balliolo*. 967, 30. *V.* Baillol.
David *Banande*. 2590, 57.
Adam de *Banaſtre*. 2533, 32.
Willielmus *Bangor*. 2295, 5.
J. *Bank*. 2156, 53.
Stephanus *Barbour*. 2121, 29.
Bardelſe. 963, 54.
Hugo *Bardolf*, vel *Bardulfus*. 659, 13 & 28. 1170, 9. 1230, 33. *Vocatur* F. *Bardulf*. 1604, 32.
Willielmus de *Bares*. 1192, 47.
Siwardus *Barn*. *V. I. R.*
J. de *Barnevyle*. 1962, 7. *V.* Bernevyle
Ricardus de *Barowe*. 2709, 9.
Galfridus *Barown*. 2050, 36.
Ricardus *Barre*. 636, 53. 1068, 2. 1084, 6.
Baldwinus *Bartyn*. 2621, 39.
Petrus *Baſilii*. 705, 50.
Baskarvyle. 963, 37.
Baſſet. 964, 18.
Alanus *Baſſet*. 2131, 48.
Gilbertus *Baſſet*. 1158, 13. 1230, 38.
* Philippus *Baſſet*. 2447, 33. 2451, 54.
* Radulfus *Baſſet*. 2543, 42.
* Radulfus *Baſſet*. 2698, 33.
* Radulfus *Baſſet de Drayton*. 2437, 48. 2454, 3.
Ricardus de *Baſſet*. 2533, 49.
Thomas *Baſſet*. 1230, 39. 2131, 48.
Michael de *Baſtervyle*. 2280.
Johannes *Bate*. 1929, 19.
* Henricus de *Bealmont*. 2549, 27. 2554, 41 & 64. 2558, 62. 2560, 39. 2565, 23.
Daſcinus de *Bearne*. 2429, 65.
Beauchamp. 964, 11. *V.* Bewchamp, & Bello campo.
* Johannes de *Beauchamp*. 2454, 4.
Johannes de *Beauchamp*. 2602, 58.
Ricardus de *Beaufo*. 505, 24.
Ricardus de *Beaumeis*. 502, 46. *V.* Belmeis.
Beaumount. 964, 66. *V.* Bealmont, Bello monte, & Bewmont
Beaupel. 964, 11.
Beauvys. 964, 66.
Reginaldus de la *Beche*. 2561, 36.
Gilbertus *Becket*. *V. I. R.*
Thomas *Becket*. *V. I. R.*
Johannes de *Becles*. 1977, 58.
Antonius de *Beke*. *V. I. R.*
Robertus de *Beketune*. 1532, 44.
Rogerus *Beler*. 2544, 53.
Robertus de *Beleſmo*. 499, 9. 500, 1.
Johannes *Belham*. 1926, 32.
Robertus *Belkneph*, vel *Bealeknap*. 2141, 24. 2678, 58. *V. I. R.*
Rogerus de *Bellem*. *V. I. R.*
Robertus de *Bello*. *V. I. R.*
Simon de *Belloc*. 315, 12.
Hugo de *Bello campo*. 1112, 43. 1113, 10.
Radulfus de *Bello campo*. 664, 40.
Thomas de *Bello campo*. *V. I. R.*
Walterus de *Bello campo*. 2136, 30.
Radulfus de *Bello monte*. 1060, 44.
Ricardus de *Belmeis*. 506, 58. 507, 13.
Walterus de *Belmeis*. 507, 17.
Johannes *Beltoſter*. 2187, 52.
Baldewinus *Belvot*. 1112, 21.
Edwardus *Benet*. 2294, 57.
Adam *Bengekyn*. 2144, 17.
Walterus de *Benteleye*. 2605, 48.
Walterus de *Bercheſſley*. 1105, 13.
Ricardus de *Bere*. 2012, 7. 2278.
Johannes de *Berewych*, *Juſtitiarius*. 1962, 45. 2017, &c.
Rogerus de *Berfelde*. 2540, 65. 2547, 39.
Baldewinus *Berford*. 2705, 40.
Simon de *Berforde*. 2544, 31. 2556, 14. 2558, 34.
Bergos. 964, 16.
* Thomas de *Berkeley*. 2551, 34. 2756, 52.
* Thomas de *Berkeley*. 2743, 24.
Robertus F. *Bernardi*. 1079, 35. 1827, 45.
Lucas atte *Berne*. 2205, 61.
Berners. 964, 32.
Jacobus *Bernyrers*, vel *Bernerys*. 2705, 26. 2727, 27.
Bernevyle. 964, 32.
J. *Bernevyle*. 1964, 55. *V.* Barnevyle.
* Rogerus *Bertham*. 2448, 13.
Nicolaus de la *Berton*. 1916, 26.
Willielmus de *Berton*. *V. I. R.*
Bertram. 964, 36.
Jordanus *Bertram*. 2499, 12.
Willielmus *Bertram*. 319, 47.
Beſyle. 964, 55.
Johannes *Bewchamp*. 2705, 24. 2727, 27.
Thomas de *Bewchamp*. *V. I. R.*
Willielmus de *Bewchamp*. *V. I. R.*
* *Bewmont*. 2705, 37. 2706, 55.
Nicolaus *Bychet*. 2578, 14.
Egelricus *Bigge*. 1784, 17.
Bygod. 964, 36.
Hugo *Bigot*. 315, 11. *V. I. R.*
Hugo *Bigot*. 2450, 46.
Johannes *Bigot*. 2622, 57.
Rogerus *Bigot*. 214, 62. 230, 66. 312, 5. 489, 39.
Rogerus *Bigot*. 1283, 2. 2414, 35.
Willielmus *Bigot*. 242, 56.
Willielmus *Byholt*. 1974, 60. 2034, 64.
Oliverus de *Byngham*. 2556, 14.
Thomas de *Byrleye*. 2545, 60.
Biſet. 964, 18.
Manaſſe *Biſet*. 1039, 66.
Benedictus *Biſſop*. *V. I. R.*
Walterus de *Biwella*. 308, 52.
Thomas de *Blacſton*. 2669, 7.
Johannes *Blake*. 2696, 7. 2716, 63. 2721, 45. 2727, 9.
Benedictus de *Blakenham*. 2134, 42.
Robertus ou les *Blancs meins*. *V. I. R.*
Bernardus de *Bleynes*. 2429, 62.
Petrus *Bleſenſis*, *V. I. R.*
Stephanus *Blike*. 2023, 62.
Robertus *Bloet*. *V. I. R.*
Humfridus de *Bloys*. 2590, 61.
Johannes *Bloys*. 2725, 52.
Thomas de *Blount*. 2132, 23.
Radulfus *Blundus*. 1847, 13.
Bruern *Bocard*. *V. I. R.*
Thomas *Boyde*. 2591, 4.

Henricus

Henricus de	*Boyding*. 2500, 17.
Ricardus de	*Boyland, Juſtitiarius*. 2466, 6.
	Boys. 963, 54.
Humfredus de	*Boys*. 2563, 60.
Ricardus de	*Boys*. 2498, 40.
Rogerus	*Boyt*. 2564, 3.
Robertus	*Boyth*. 2564, 15.
Johannes de	*Bokingham*. *V. I. R.*
	Bolebeke. 964, 54.
Johannes de	*Bolton*. 2677, 60.
	Bolvyle. 963, 37.
Robertus de	*Bones*. 1191, 27.
Humfridus de	*Boon*, vel *Buhun*, vel *Boun*. 315, 11. 1089, 33. 1105, 55.
	Bonet. 964, 20.
	Bonevyle. 964, 20.
Johannes de	*Borne*, vel *Bourne*. 1938, 63. 1942, 12. 2057, 4.
Bartholomæus de	*Borogwas*. 2606, 59. 2622, 29. *V*. Burwais.
Henricus	*Borowaſch*. *V. I. R.*
Herbertus de	*Boſeham*. 1513, 49.
J.	*Boſynton*. 2144, 16.
Robertus	*Boſſu*. *V. I. R.*
	Boteler. 964, 3.
	Boterell. 964, 17.
Galfridus	*Botrell*. 270, 62.
	Botes. 963, 54.
	Botetour. 963, 58.
	Boteveleyn. 963, 58.
	Botevyle. 963, 41.
Edmundus	*Botoler*. *V. I. R.*
Johannes	*Botſweyn*. 1941, 17. 2280.
	Boun. 963, 43. *V*. Boon, Bown, & Buhun.
Edwardus de	*Boun*. 2565, 33.
* Humfridus de	*Boun*. *V. I. R.*
* Rogerus de	*Bourgh*. 2449, 42.
Georgius de	*Bourne*. 2056, 27.
Johannes de	*Bourne*. 2056, 5. *V*. Born.
Radulfus de	*Bourne*. *V. I. R.*
* Robertus	*Bountevylayn*. 2448, 18.
Willielmus de	*Bown*, vel *Boun*. *V. I. R.*
	Bowſers. 2678, 41.
	Bra. 964, 17.
Rogerus	*Brabazun*. 2136, 32.
Benedictus	*Braciator*. 1945, 47.
Henricus de	*Bradburn*, 2547, 60. vel *Wradburn*, 2541, 31.
Thomas	*Bradwardyn*. *V. I. R.*
Johannes de	*Bradwey*. 2080, 54.
Henricus de	*Braeley*. 1191, 44.
Rogerus de	*Brai*.
	Braybuſſe. 964, 53.
Willielmus de	*Brainſa*. 587, 5.
Johannes de	*Branceſtre*. 2131, 49.
Reginaldus de	*Brandon*. 1952, 39.
	Braunz. 963, 64.
* Willielmus de	*Breans*. 2420, 61. *V*. Brewes.
* Philippus de	*Breaus*. 1004, 5.
Nicolaus de	*Brembre*, vel *Brembulle*. *V. I. R.*
Falco de	*Brent*. 2429, 47.
Johannes de	*Bretayne*. 2438, 30. 2497, 63. 2510, 10.
Willielmus	*Breton*. 1944, 35.
	Breuis. *V*. Brus.

	Brewes. 464, 50.
* Willielmus de	*Brewes*, vel *Breans*. 2131, 47. 2431, 20. 2439, 9.
* Philippus de	*Briby*. 2448, 20.
Johannes de	*Brideport*. 1583, 50.
Thomas	*Bryghtwell*. 2709, 6.
Robertus de	*Brys*. 244, 11. 261, 61. 320, 14. 337, 38.
Osbernus de	*Briſto*. *V. I. R.*
* Johannes de	*Brittannia*. *V. I. R.*
Patricius de	*Brithine*. 2564, 57.
Ricardus	*Brito*. 555, 21. 1063, 35. 1414, 52.
Galfridus la	*Briure*. 1191, 26.
* Willielmus	*Briwer*, vel *Bruer*, vel *Bruner*. 659, 14 & 29. 1170, 9. 1230, 33. *V. I. R.*
Nicolaus	*Bryztwell*. 2705, 64.
Philippus de	*Broc*. 537, 5.
Ranulfus de	*Broc*. 554, 33. 1089, 24. vel
Randulfus del	*Broch*. 1314, 32. 1398, 46. 1400, 13, 19
Robertus de	*Broc*. 555, 13 & 64.
Andreas le	*Brode*. 1929, 11.
Johannes	*Brode*. 2121, 25.
Johannes	*Bromton*. 721, 2.
Willielmus	*Bronne*. 2147, 30.
	Bruer. *V*. Briwer.
Andreas de	*Brugge*. 2280.
Hugo	*Brun*. 699, 60. 707, 58. 1181, 44.
	Brus. 964, 3. *V*. Breuis, Brys, Bruſe, & Bruz.
Adam de	*Brus*. 273, 52. 337, 41.
Alexander de	*Brus*. 2561, 28.
David	*Brus*. *V. I. R.*
Gilo de	*Bruſe*. 707, 42.
Nele de	*Brus*. 2561, 28.
Petrus de	*Brus*. 2560, 21.
Robertus de	*Brus*. 967, 39. 2438, 32.
Robertus de	*Brus*. 2561, 27.
	Bruner. *V*. Briwer.
Robertus de	*Bruz*, vel *Breuis*. 2431, 63. 2447, 12. *V. I. R.*
	Buhun. *V*. Boon.
Osbernus	*Bulax*. 946, 17.
Willielmus	*Bulloc*. 2566, 37.
Johannes	*Burbache*. 2743, 27.
Jacobus de	*Burbon*. :604, 21.
Hubertus de	*Burch*. 707, 51. vel *de Burgo*. *V. I. R.*
	Burgenon. 964, 66.
Gilbertus atte	*Burgh*. 2033, 42.
Willielmus de	*Burgh, Juſtitiarius*. 2694, 38. 2706, 16. 2727, 55.
* Ricardus de	*Burle*. 2676, 65.
Simon de	*Burle*. *V. I. R.*
Simon	*Burley*. *V. I. R.*
	Burnell. 964, 16.
Hugo le	*Burnell*. 2705, 38. 2743, 23.
	Burs. 964, 69.
Bartholomæus de	*Burwais*. 2545, 61. *V*. Borogwas.
Johannes	*Buſh*. 1729, 30.
Jordanus de	*Buſſei*. 259, 56. *V*. 1039, 17.
Baldewinus de	*Buttore*. 2622, 30.

C.

Robertus de *Caldecote*. 2564, 10.
Calſeby. *V.* Caſſeby.
Johannes *Calward*. 2142, 36.
Ricardus de *Camavilla*. 1039. 66.
Ducanus *Cambell*. 2564, 21.
Edmundus de *Cambio*. 1921, 12.
Johannes de *Cambio*. 1955, 20.
Willielmus de *Cambowe*. 2564, 44.
Johannes de *Cambron*. 2564, 48.
Jacobus de *Camera*. 1921, 23.
Osbernus de *Camera*. 1828, 41. 1844, &c.
Robertus de *Camera*. 19 1, 29.
Cammois. 963, 53.
* Thomas *Camois*. 2705, 39.
Willielmus de *Camvill*. 1191, 61.
Gerardus de *Camvilla*, 1223, 29. *vel Canevile*, 2423, 35. *vel Chanvilla*. 1230, 37.
* Johannes *Camwe*. 2677, 2.
Johannes de *Candyche*, *Juſtitiarius*. 2638, 40.
Canevile. *V.* Camvilla.
Cantelou. 964, 52.
Cantemor. 964, 52.
Ricardus *Canterbury*. 2294, 60.
Ricardus de *Cantuaria*. 1998, 55. 2036, 14. 2051, 9.
Henricus de *Capella*. 2133, 62.
Johannes *Capell*. 1863, 43.
Walterus *Capell*. 2035, 11.
Willielmus *Capell*. 1863, 43.
Virgilius *Capellanus*. 1946, 21.
Johannes *Care*, *Juſtitiarius*. 2706, 15. 2727, 54.
Patricius *Careter*. 2564, 10.
Willielmus *Carlelyll*. 2563, 15.
Willielmus de *Carleton*, *Baro ſcaccarii*. 1962, 13.
Johannes de *Carlyl*. 2564, 9.
Caroun. 963, 51.
Jack *Carter*. 2637, 40.
Carvyle. 963, 40.
Robertus de *Caſnei*. *V. I. R.*
Willielmus *Caſſeby*. 2199, 3. vel *Calſeby*. 2288.
Hugo de *Caſtello*. 574, 14.
W. de *Caſtro*. 1977, 59.
Thomas *Catour*. 2051, 18.
Robertus de *Cava*. 537, 53.
Cavervyle. 963, 42.
* Gerardus de *Caunvill*. 1158, 13.
Petrus *Cauſton*. 2013, 12.
Johannes de *Caux*, *Juſtitiarius*. 2466, 10.
Robertus *Cenet*. 2295, 9.
Ceokesfot. *V.* Cocksfot.
Theobaldus *Chabot*. 590, 15.
Chalers. 964, 33.
Ricardus de *Chamvill*. 1173, 9. 1191, 55. 1200, 26. 1203, 13.
* Johannes *Chandos*. 2621, 56. 2628, 43. 2629, 7.
Willielmus de *Chanvill*. 1161, 37.
Chanvilla. *V.* Camvilla.
Chary. 964, 26.
Johannes de *Charleton*. 2546, 38.
Willielmus *Charnell*. 2547, 60. 2541, 30.
Eimerus de *Charnelles*. 2581, 43.
Galfridus *Charpis*. 2582, 7.
Chaudut. 964. 50.
Robertus *Chaumberleyn*. 2466, 53.
Chaumburleyn. 963, 48.
Chaumburſonn. 963, 48.
Willielmus *Chaunteler*. 2056, 18.
Chaward. 964, 26.
Cheyne. 964, 33.
Andreas de *Chenegin*. 1248, 2.
Robertus de *Chenebai*. *V. I. R.*
Adam de *Cherverna*. *V. I. R.*
Guido de *Cheſtelon*. 1191, 32.
Willielmus *Cheſulden*. 2709, 7.
Andreas de *Cheveigni*. 1249, 58.
Ricardus *Chyld*, 2092, 59.
Willielmus de *Childecroft*. 2205, 60.
Galfridus de *Chileham*. 1944, 49.
Thomas de *Chileham*. 2080, 49.
Walterus de *Chilindenne*. 1944, 41. 1945, 4.
Thomas *Chillinden*. *V. I. R.*
Rogerus de *Ciceſtria*. *V. I. R.*
Thomas de *Ciceſtria*. 1943, 9.
Johannes *Cymin*. 537, 62.
Hugo *Cyret*. 2578, 13.
Oſgodus *Clapa*. 181, 46. 934, 30.
Gilbertus de *Clara*. *V. I. R.*
Gilebertus de *Clara*. 278, 54.
Thomas de *Clara*. 2438. 31.
Adam de *Clare*. 1904, 48.
Gilbertus de *Clare*. *V. I. R.*
Ricardus de *Clare*. 1191, 32.
Ricardus de *Clare*. *V. I. R.*
Rogerus de *Clare*. *V. I. R.*
Thomas de *Clare*. 2134, 40.
Clarell. 964, 46.
Hugo de *S. Claro*. 315, 15.
Johannes de *S. Claro*. 1986, 17.
Johannes *Clavelle*. 2564, 33.
Bertramus de *Cleykyn*. 2628, 42.
Reginaldus *Clene*. 2564, 7.
S. Cler. 963, 65.
Matthæus de *Clera*. 671, 19. 1224, 66.
Willielmus *Clerfeith*. 269, 26.
Willielmus *Clericus*. 1881, 53. 2114, 16.
Johannes *Clermont*. 2604, 16.
Robertus *Clermont*. 2616, 52.
Clermount. 964, 65.
Clevyle. 963, 38.
Ludovicus *Clyfford*. 2661, 48.
* Robertus *Clyfford*. 2480, 29. 2522, 25. 2533, 46.
* Rogerus de *Clyfford*. 2438, 41. 2447, 13. 2464, 31.
* Rogerus de *Clyfford*. 2535, 9. 2541, 24.
Rogerus de *Clyfford*. 2545, 60.
Willielmus de *Clinton*. *V. I. R.*
Lambertus de *Clive*. 1944, 33.
Adam de *Cliveſbend*. 1894, 44.
Cornelius *Clonne*. 2651, 17.
Willielmus de *Clown*. *V. I. R.*
Robertus *Cnolles*. 2616, 57. 2618, 2619, 56.
Henricus de *Cobeham*. 1939, 49.
J. de *Cobeham*, *Juſtitiarius*. 2037, 3. 2140, 8. 2141, 24.

* Johannes

* Johannes *Cobham*. 2685, 63. 2687, 38. 2697, 38.
Reginaldus de *Cobham*. 2577, 57.
Thomas de *Cobham*. *V. I. R.*
Robertus de *Cockefelde*. 2500, 19.
Henricus de *Cockeryng*, vel *Kokeryng*. 1943, 10. 1944, 40.
Anfridus *Cockeſfot*, vel *Ceokeſfot*. 187, 2. 944, 22.
Johannes *Cocus*. 1946, 17.
Milo de *Cogham*. 1128, 1.
Ricardus *Coyn*. 1921, 60.
Coynale. 964, 22.
Rogerus de *Coinariis*, vel *Conigneriis*. 64, 29. 272, 59.
Thomas *Cok*. 2597, 38.
Willielmus *Cok*. 2036, 44.
Willielmus *Cockfeld*.
Johannes *Colman*. 1919, 15.
Colevyle. 963, 39.
Thomas *Colpeir*. 2541, 64. 2547, 66.
Robertus de *Colvyll*. 2562, 55.
Philippus de *Colvilla*. 1040, 40. 1105, 10.
Columber. 963, 54.
Thomas *Colwell*. 2052, 53. *V. I. R.*
Galfridus de *Combroke*. 2080, 57.
Johannes *Comyn*. 1126, 28.
Johannes *Comyn*. 2447, 10. 2478, 21. 2483, 25.
Johannes *Comyn*. 2480, 46. 2483, 25.
Ricardus *Comyn*. 1092, 11. 1105, 7.
Walterus *Comyne*. 2562, 36.
Ricardus *Compton*. 2294, 59.
Icherius de *Concoreto*, vel *Conkeretto*. *V. I. R.*
Robertus de *Condre*. 2564, 55.
Rogerus de *Conigneriis*. 280, 61. *V.* Coinariis.
Thomas *Conn*. 2139, 22.
Walterus de *Conſtantiis*. *V. I. R.*
Coonm. *V.* Croun.
Corbet. 964, 22.
Walterus *Corbet*. 1105, 7.
Robertus *Corby*, *Juſtitiarius*. 2141, 25. 2177, 32.
Thomas de *Corbridge*. *V. I. R.*
Adam de *Cordon*. 2564, 13.
Gervaſius de *Corenelle*. 554, 31. vel *Cornhell*, 1820, 23.
Henricus de *Cornhella*. 665, 26. 1590, 53.
Reginaldus de *Cornhelle*. 1842, 34. 1878, 13 & 61.
R. de *Cornhull filius*
G. de *Cornhull*. 1904, 54.
Willielmus *Cornwaille*. 2147, 28.
Laurentius de *Cornwaleis*. 2280.
Stephanus de *Coſynton*. 2629, 8.
Coudree. 964, 64.
Johannes *Coupeland*. 2591, 16. 2626, 39.
G. le *Couper*. 1945, 55.
W. *Couper*. 2144, 18.
Courcy. 965, 11.
Willielmus *Courteney*. *V. I. R.*
Petrus de *Courteney*. 2706, 58.
Reginaldus de *Courtenein*. 1107, 14.
Hugo de *Courteneye*. *V. I. R.*
Robertus *Courthaſe*. 2205, 46.
Courtnay. 965, 14.
Johannes *Crabbe*. 2561, 47.
Thomas *Crabbere*. 2143, 51.
Radulfus *Crane*. 2197, 60. 2288.
Johannes de *Cranforde*. 2590, 67.
Willielmus *Craſpeys*. 1932, 40.
Hugo de *Creſſingham*. *V. I. R.*
Ricardus de *Creſſevyle*. 2080, 53.
Creſſy. 965, 12.
Mauritius de *Creu*. 575, 52.
Crevequel. 964, 4.
Cryel. 963, 51.
Willielmus *Criel*. 1921, 58.
Gilebertus *Criſpyn*. 408, 25.
Jocelinus *Criſpin*. 570, 23.
Willielmus *Criſpinus*. 230, 14. 500, 1. 503, 14. 1004, 15. 1007, 36.
Johannes de *Crocforde*. 2080, 44.
Johannes de *Crombewell*. 2544, 30.
Mauritius de *Croun*, 1442, 58. vel *Coonm*. 1134. 38.
Nicholaus de *Crowche*. 2147, 29.
Crus. 965, 2.
Bernardus de *Cucleſcumbe*. 1928, 58.
Robertus *Cumin*. *V. I. R.*
Willielmus *Cumin*. 270, 50. *V. I. R.*
Johannes de *Cundy*. 2577, 58.
Radulfus de *Curba-ſpina*. 2129, 9.
Willielmus de *Curbellio*, vel *de Curbvill*. *V. I. R.*
Ricardus de *Curceio*. 262, 26. 269, 25. 320. 16.
Willielmus de *Curci*. 1184, 59.
Petrus de *Curtenai*. 1443, 59.
Johannes *Cuſynge*. 2121, 28.
Thomas *Cuſte*. 1968, &c.
Eadulfus *Cutel*. 204, 18.

D.

Nicholaus *DAgworth*. 2628, 58. 2705, 18.
Thomas de *Dagworth*. 2593, 48. 2596, 57. 2602, 42.
* Johannes *Daynell*. 2454, 16.
Dayvyle. 964, 57.
Maneſier de *Dammartin*. 1410, 20.
Rogerus *Dammeroy*. 2539, 15. 2541, 66.
Guido de *Danci*. 1191, 42.
* Hugo *Dandeleye*. 3539, 15. 2542, 1. 2554, 41. 2558, 62.
Nicolaus *Dandeleye*. 2480, 28.
Gychardus *Dangill*. 2629, 9.
Johannes *Daniel*. 2546, 49.
Thomas *Daniel*. 2200, 5.
Danvey. 963, 61.
Dapiſoun. 964, 40.
* Johannes *Darcy*. 2581, 61.
J. *Davy*. 2144, 18.
Willielmus *David*. 1863, 5.
Daundevyle. 963, 35.
Daundon. 964, 34.
Daungers. 964, 34.
Goffridus *Dedingtun*. 256, 31.
Deyncourte. 2590, 19. 2619, 32.
Gocelinus *Deyvile*. 2541, 24.
Radulfus de *Dene*. 1410, 24.

S. *Denis*. 963, 65.
Petrus de *Denne*. *V. I. R.*
Almarus *Derling*. 904, 21.
* *Derſy*. 2678, 52.
Deſevyle. 964, 57.
Hugo le *Deſpenſer*. *V. I. R.*
Hugo le *Deſpenſer*. 2137, 54. *V. I. R.*
Johannes *Devenech*, vel
Deveneſche, vel
Deveniſſe. *V. I. R.*
Johannes *Devereux*. *V. I. R.*
Deverois. 963, 56.
Deverouge. 964, 5.
Deverous. 963, 42.
Rogerus *Dexter*. 2737, 5.
Willielmus *Diabolus*. *V. I. R.*
Radulfus de *Diceto*, 425. vel *Dizeto*. 2470, 14. *V. I. R.*
Oliverus de *Dygham*. 2570, 8.
Johannes *Dygun*. 2295, 6.
Rogerus *Dik*, vel
Dyk, 2092, 67.
Johannes *Dingley*. 2627, 37.
Willielmus *Dipre*, 2070, 29. vel *Yprenſis*. 1346, 8. 1353, 41.
Hugo le *Dyſpenſer*. 2693, 15.
Johannes *Diſſere*. 1946, 19.
Dyveyn. 963, 61.
Hamo *Doge*. 1913, 30. 1917, 43. 1922, 1. 2095, 64.
Nicolaus *Doge*. 1927, 1.
Henricus *Doget*. 1847, 13.
Dommoun. 963, 52.
Baldewinus de *Donington*. 1039, 60.
Johannes de *Dovera*. 696, 23.
Archibaldus *Douglas*. 2561, 45. 2563, 66.
Archibaldus *Douglas*. 2564, 30.
Archibaldus *Douglas*. 2728, 51.
Henricus *Douglas*. 2674, 52.
Jacobus *Douglas*. 2552, 5. *V. I. R.*
Jacobus *Douglas*. 2564, 65.
Willielmus *Douglas*. 2480, 21. 2513, 59. 2516, 44.
Willielmus *Douglas*. 2563, 8.
Willielmus *Douglas*. 2564, 19. 2580, 55. 2590, 16. 2611, 34.
Downfrevyle. 963, 36.
Dragans. 964, 48.
Robertus *Draylond*. 2092, 59.
Simon de *Draython*. 2620, 40.
Elfgarus le *Dret*. 1590, 29.
Druell. 964, 13.
Willielmus *Drulege*, vel
Drulegh. *V. I. R.*
Hugo de *Dudintonia*. 1590, 50.
Robertus de *Dufford*, vel *de Vfford*. *V. I. R.*
Edmundus le *Dumbe*. 1945, 30.
Dummer. 963, 52.

E.

Rogerus de E*Bryzgtonne*. 2024, 3.
Willielmus *Edindone*. *V. I. R.*
Sinericus de S. *Edmundo*. 2500, 15.
Stephanus de *Edworth*. 2134, 42.
Willielmus de *Eleya*. 1944, 35.
Willielmus de *Elham*, 1977, 57.
Johannes *Elys*. 2121, 26.
Willielmus *Elman*. 2705, 18.
Rogerus de *Elmesbrigge*. 2541, 61. 2547, 64.
Thomas *Elmham*. 2290.
Johannes de *Eltham*. *V. I. R.*
Johannes de *Engan*. 2620, 44.
Robertus de *Englois*. 1929, 27.
J. *Enſynge*. 2144, 18.
Thomas de *Erdington*. 2696, 33.
Thomas de *Erpingham*. 2743, 27. 2756, 52.
Walterus *Eſpec*. 244, 12. 256, 24. 259, 27. 320, 15. 344, 10. 346, 49. *V. I. R.*
Johannes *Eſpelon*. 2139, 49.
Eſſeſſia. *V.* Eſtſexe.
Johannes *Eſſex*. *V. I. R.*
Johannes de *Eſtre*. 1944, 32.
Philippus de *Eſtrebi*. 1080, 15.
Henricus de *Eſtſexe*. 139, 67. vel *Eſſeſſia*. 1380, 29.
Gaufridus *Eſturmi*. 575, 2.
Petrus *Everard*. 2134, 43.
Thomas *Everard*. 1980, 35.
Thomas *Everard*. 2147, 30.
Evyle. 963, 38.
Nicholaus de *Exton*. 2681, 31. 2704, 26.

F.

Adam F*Aber*. 1929, 10.
Henricus *Faber*. 1916, 24.
Radulphus de *Faie*. 559, 23.
Hamo *Fayreport*. 1932, 49.
Stephanus de *Fanketon*. 2464, 49.
Johannes *Fawconer*. 2674, 51.
Robertus de *Fekenham*. 1970, 58. 1984, 26.
Bartholomæus de *Ferentino*. 1896, 6.
Ferers. 964, 31.
Robertus de *Ferers*. 262, 35. 315, 13.
Willielmus de *Feryby*. 2743, 28.
Fernz. 964, 31.
* Guillelmus de *Ferrariis*, *Comes Albemarla*. 2133, 59.
Johannes de *Ferrariis*. 2523, 46.
* Willielmus de *Ferrariis*. 2448, 10.
* Henricus de *Ferrerys*. 2560, 42.
S. *Fyens*. 963, 67.
S. *Fylbert*. 963, 67.
Thomas *Fyndone*. *V. I. R.*
David *Fyth-Roberd*. 2591, 7.
Walterus *Fitz-Gilbert*. 2564, 25.
Robertus *Fitz-Pain*. 2566, 19.
Ricardus *Fitz-Rauf*. *V. I. R.*
* *Fitz-Water*. 2677, 2.
Fiz de lou. 964, 51.
Fiz-owres. 964, 51.
Robertus * *Fiz-Walter*. 2429, 33.
Ranulfus *Flambart*. 220, 28.
Stephanus de *Flare*. 2080, 50.
Malcolmus *Flemyng*. 2599, 56.
Johannes de *Florence*. 2074, &c.
Hugo de *Floriaco*, vel
Florie. *V. I. R.*
Johannes de *Folburne*. 2500, 18.
Folyot. 964, 39.

Euſtachius

Euſtachius de *Polvyll*. 2544, 61. 2591, 28.
Johannes de *Polvyll*. 2617, 11.
Ricardus de *Polvyll*. 2560, 1.
Formens. 964, 44.
Formanns 964, 44.
Willielmus *Fort*. 1173, 9.
Willielmus *Foſſard*. 262, 27. 269, 25. 320, 17.
Johannes *Foſter*. 2280.
David *Franklyn*. 2294, 62.
Fryth. 964, 39.
Robertus de *Frembert*. 1105, 11.
Rogerus de *Fryſby*. 2669, 6.
Alexander *Fryſell*. 2564, 4.
Bernardus *Fryſell*. 2564, 38.
Jacobus *Fryſell*. 2564, 6.
Simon *Fryſell*. 2480, 20.
Simon *Fryſell*. 2464, 7.
Willielmus de *Fryſleye*. 2564. 38.
Willielmus *Frowe*. 2205, 3.
Hugo *F. Fulberti*. 1789, 54.
Benedictus de *Fulſham*.
Rogerus *Fulthorp, Juſtitiarius*. 2694, 37. 2706, 13. 2727, 55.
Willielmus *Furbator*. 1820, 24.
Girardus de *Furnyvall*. 1248, 3. 2131, 47.
Henricus ate *Turſtall*. 2142, 36.

G.

Willielmus de *Gaddeſby* 2581, 63.
Benedictus *Gayton*. 2526, 46.
Galeway. V. Glewy.
Gilbertus de *Gant*. 198, 66. 269, 49.
Johannes de *Gant*. *V. I. R.*
Robertus de *Gant*. 276, 32.
Walterus de *Gant*. 262, 24. 320, 14. 337, 30.
Thomas de *Gardewynton*. 2147, 55.
Willielmus *Gartyne*. 2564, 12.
R. *Garwenton*. 2144, 16.
Kobertus *Garwinton*. 2295, 11.
Henricus atte *Gate*. 2205, 45.
Robertus atte *Gate*. 2205. 45.
Radulphus de *Gatewych*. 1998, 55. 2039, 25.
Petrus de *Gaviſton*. *V. I. R.*
Geynevyle. 964, 24.
Ranulfus *Gernons*. 1043, 14. *V. I. R.*
Henricus *F. Geroldi*. 1394, 15.
Gyffard. 964, 24.
Hugo *Giffard*. 1105, 12.
Johannes *Giffard*. 2450, 55.
* Johannes *Gyffard*. 2499, 40. 2524. 19.
Walterus *Giffard*. *V. I. R.*
Walterus *Gyffard*. 2500, 22.
Willielmus *Gyffard*. *V. I. R.*
Johannes de *Gyffard le Rych*. 2539, 11. 2541, 61. 2547, 63.
Fulco de *Gilerval*. 1276, 54.
Odo de *Gines*. 1191, 42.
Johannes *Gyngelot*. 1928, 60.
* Gerardus de *Glanvill*. 1158, 12.
Gilbertus de *Glanvilla*. *V. I. R.*
Ranulfus de *Glanvilla*. *V. I. R.*
Willielmus de *Glanvilla*. 1503. 42 & 61.
Robertus *Glaſconbury*. 2295, 4.
Alanus de *Glewy*. 2431, 60. vel *Galeway*. 967, 29.
Walterus de *Glocestria*. 2006, 22.
Willielmus *Godwyne*. 2121, 20. 2284.
Laurentius *Goleſton*. 2294, 66.
Johannes *Golofre*. 2698, 6. 2705, 19.
Gomer. 963, 67.
Bertramus *Gordon*, vel *Gurdon*. *V. I. R.*
Gorges. 963, 67.
Radulfus de *Gorges*. 2499, 54.
Gornay. 965, 14.
Hugo de *Gornai*, vel *Gurnay*. 569, 6. 1206, 24.
Gaufridus de *Gorram*. 503, 59.
Johannes de *Gracii*. 2073, 45. vel *Tracy*. 2080, 5.
Johannes de *Graham*. 2563, 59.
* Patricius de *Graham*. 2480, 40.
Patrik de *Grahamſeneth*. 2564, 8.
Gray. 964, 35.
Alexander de *Gray*. 2564, 40.
Johannes de *Grai*. 707, 43.
Thomas *Gray*. 2743, 28. 2756, 53.
Walterus *Gray*. *V. I. R.*
Willielmus de *Grai*. 2033, 41.
Jacobus *Granegranche*. 2564, 14.
Johannes *Grant*. 2564, 9.
* Hugo *Grantmenyl*. 2346, 30. *V.* Grente Maſnilo.
* Otho de *Granſono*. 2438, 32. *V.* Gronſonn.
Graungers. 964, 35.
Alanus *Graunt*. 2564, 15.
Nicolaus *Grey*. 2543, 44.
* Reginaldus de *Grey*. 2510, 49. 2524, 20.
Ricardus *Grey de Codonoure*. 2543, 43.
Greyle. 965, 6.
Henricus *Grene, Juſtitiarius*. 2068, 28. 2620, 24. 2628, 53.
Willielmus de *Grenesfeld*. *V. I. R.*
* Hugo de *Grente Maſnilo*. 489, 38. *V. Grantmenyl*.
Johannes de *Greting*. 2500, 16.
Johannes de *Greitone*. 2564, 26.
Grevyle. 965, 11.
Johannes *Griel*. 2068, 35.
Edwardus *Grym*. 1064, 1.
* Otes de *Gronſonn*. 1940, 10. *V.* Granſono.
Robertus *Groſſeteſte*. *V. I. R.*
Johannes *Grove*. 2034, 32. 2052, 55. 2280.
* Hugo *Gubyon*. 2448, 17.
Hugo de *Gundevilla*. 1394, 14. vel *Gundevillis*. 537, 64. 555, 3.
Gurdon. *V.* Gordon.
* Johannes *Gurdon*. 2561, 35.
Gurnay. *V.* Gornay.

H.

* Radulfus de *Haia*. 574, 27. 575, 64. 578, 19.
Willielmus de *Haia*. 1105, 13.
David de la *Haye*. 2590, 66.
Johannnes de la *Haye*. 2437, 54.
Willielmus de la *Haye*. 2591, 3.
Johannes *Haylſam*. 2269, 2.
Johannes *Haytfelde*. 2199, 4.
Stephanus de *Hakendon*. *V. I. R.*
Euſtachius de *Hakinton*. 1946, 45.

Willielmus

Willielmus *Halden, Juſtitiarius*. 2141,25.
Willielmus de *Haleberghe*. 1952,39.
Edwardus *Hales*. 2296, 5.
Johannes *Hales*. 2156,53.
Willielmus de *Halyburton*. 2591, 9.
Robertus de *Halys*, *Theſaurarius Regis*. 2634,43.
Johannes ate *Halke*. 2092, 57.
Hugo *Halle*. 2152, 50.
Galfridus *Halſelin*. 262, 36.
I. de *Hammyngherſt*. 2071, 66.
Reginaldus F. *Hamonis*. 997, 13.
Radulfus de *Hanterne*. 1174, 13.
Thomas *Haplys*. 2296, 4.
Chriſtinus de *Harde*. 2564, 50.
Johannes de *Hardeſhill*. 2584, 3.
Harecourt. 964, 28.
Ludovicus de *Harecourt*. 2605,21. 2622, 56.
Robertus de *Harecourt*. 699, 63.
Johannes de *Harefeld*. 2092, 53.
Haroldus *Harefoot*. *V. I. R.*
Philippus de *Haryngton*. 2533, 42.
Andreas de *Harkeley*, vel *Harle*. *V. I. R.*
Haſtyng. 963, 53.
* Henricus de *Haſtyng*. *V. I. R.*
* Henricus de *Haſtyng*. 967, 44. 2437, 60. 2446, 47.
Johannes de *Haſtyng*. 967, 45.
Johannes de *Haſtyng*. 2138, 59.
Laurentius de *Haſtyng*. 2138, 58.
Ricardus de *Haſtinges*. 1386, 23.
Robertus de *Haſtinges*. *V. I. R.*
* Hugo *Haſtingys*. 2586, 44.
Laurentius *Haubark*. 2617, 12.
Rogerus le *Haule*. 1191, 14.
Haunſard. 964, 28.
* Gilbertus *Haunſard*. 2454, 23.
* Nicolaus de *Haureſtham*. 2448, 23.
Hauſtlaying. 965, 15.
Hauteyn. 963, 60.
Hautevyle. 963, 60.
Willielmus *Hawkherſt*. 2296. 1.
Willielmus F. *Helt*. 1410, 22.
Johannes de *Henand*. 2544, 31.
* Thomas de *Henſtelee*. 2454, 3.
Ricardus de *Heo*. 2147, 32.
Stephanus *Herdingus*. *V. I. R.*
Nicolaus *Herford*. *V. I. R.*
Hamo de *Herham*. 1933, 15.
Patonus *Heryng*. 2591, 10.
Robertus de *Herle*. 2617, 10.
Willielmus *Herle Juſtitiarius*. 2140, 13.
Willielmus le *Hert*. 1590, 35.
Robertus de *Hertford*. 2136, 31.
Galfridus de *Hertilpol*. 2022, 31. vel *Hertpol*. 2019, 37.
Willielmus de *Heton*. 2525, 63.
Thomas *Hicham*. 2121, 16.
Haſculfus de S. *Hilario*. 550, 24. 574, 27.
Hyldebrond. 964, 60.
Reginaldus de *Hylton*. 2661, 49.
Thomas de *Hyngylby*, *Juſtitiarius*. 2624, 55.
Philippus de *Hynkbrigge*. 1962, 7.
Johannes de *Hynkeley*. 2669, 6.
Hynoys. 964, 59.
Rogerus de *Hirham*, *Baro Scaccarii*. 2006, 21.
Johannes de *Hoghton*. 2088, 9.
Johannes de *Holande*. *V. I. R.*
* Robertus de *Holande*. *V. I. R.*
* Thomas de *Holande*. 2586, 16. 2626, 23.
Willielmus de *Holand*. 2533, 41.
Thurebrandus *Hold*. 204, 17.
David *Holiford*. 271, 1.
Willielmus *Holynghorne*. 2294, 63.
Holyon. 964, 60.
Johannes *Holt*, *Juſtitiarius*. 2694, 37. 2706, 15. 2727, 54.
Robertus de *Honyton*. 2091, 67.
Nicolaus de *Hopelonde*. 1898, 64.
Edmundus *Horn*. 2147, 32.
Nicolaus *Horn*. 2142, 35.
Willielmus *Horn*, *Juſtitiarius*. 2141, 25.
Willielmus *Horſemunde*. 2295, 2.
Radulfus de *Hoſpitali*. 1410, 23.
Willielmus de *Hothom*. 2505, 56.
Rogerus de *Houdeyn*. 2470, 13.
Huldbynſe. 964, 53.
Ricardus de *Humaz*. 533, 30. 1039, 65.
Ricardus *Humet*. 1105, 54.
Willielmus de *Humet*. 699, 59. 1158, 8.
Thomas *Hunden*. *V. I. R.*
Henricus de *Hundingdon*. 2470, 14.
Petrus de *Hundingfeld*. 1938, 50. 1939, 32.
Huſay. 965, 16.
Baldewinus de la *Huſe*. 2622, 58.
Huſee. 965, 16.

I.

J. *Jacob*. 2060, 12.
S. *Jay*. 965, 5.
Thomas *Icham*. 2196, 13.
S. *Jean*. 965, 5.
Thomas *Ilſton*. 2151, 54.
Willielmus *Inge*, *Juſtitiarius*. 2025, 3.
Ricardus de *Inghepenne*. 1998, 51.
Willielmus de *Inſula*. 1092, 12.
Philippus de *Inteberge*. 2278.
* Johannes de S. *Johanne*. 2497, 61. 2509, 52. 2543, 41.
Euſtachius F. *Johannis*. 261, 36. 319, 26.
* Johannes F. *Johannis*. 2446, 46. 2449, 45.
Paganus F. *Johannis*. 313, 18. 358, 61.
Johannes de *Joye*. 2581, 45.
J. *Iſaac*. 2144, 19.

K.

Willielmus de *Kabames*. 1354, 6.
Johannes de *Kardyf*. 1827, 44.
Johannes *Kemiel*. 2080, 51.
Willielmus de *Kemyſton*. 2590, 55.
Thomas *Kempe*. 2023, 63. 2139, 35.
Willielmus de *Kenington*. *V. I. R.*
Edwardus de *Keth*. 2564, 56. 2590, 67.
Robertus de *Keth*. 2564, 56.

Willielmus *Koeb.* 2564, 64.
Willielmus de *Killesby.* 1732, 5.
Robertus *Kilwarby.* *V. I. R.*
* Philippus de *Kima.* 1126, 7. 1162, 40.
Walterus de *Kyme.* 1191, 37.
Bartholomæus de *Kyngeſtonde.* 2092, 66.
J. de *Kyngeſtonde.* 2092, 61.
Ricardus de *Kyngeſtonde.* 2092, 65.
Walterius de *Kyngeſtonde.* 2092, 60.
Adam de *Kyngeſnoth.* 1915, 43.
Kyngham. 2651, 7.
Johannes de *Kynwelle.* *V. I. R.*
Johannes *Kyrkeby.* 1942, 61.
Walterus de *Kyrkeby.* 2564, 48.
Reginaldus *Kyrkepatrik.* 2591, 9.
Rogerus de *Kyrkepatrik.* 2564, 2.
Johannes de *Kyrketon.* 2563, 65.
Knevyle. 964, 64.
Henricus *Knighton,* vel
Knithon. *V. I. R.*
Robertus *Knollys.* 2637, 30. *V.* Cnolles.
Henricus de *Kok.* 1943, 11.
Henricus de *Kokeryng.* 1943, 10.
R. *Koter.* 2071, 66.

L.

Stephanus de L*Aburkin.* 2577, 58.
Hugo de *Laceio,* vel *Lacy.* 626, 48.
1127, 64. 2420, 60.
Rogerus de *Laceio.* 489, 41. 984, 60.
Walterus de *Laceio.* 208, 51. 486, 59.
Lacy. 965, 2. *V.* Laceio, & Leſceio.
Johannes de *Lacy.* 1938, 34.
* Robertus de *Lacy.* 1158, 6.
Rogerus de *Lacy.* 1248, 3.
Johannes de *Laiburne.* 1191, 38. *V.* Leyburne
* Rogerus de *Layburne.* 2447, 13. 2448, 48.
2500, 15.
Ricardus *Layton.* 2296, 8.
Johannes *Lancaſter.* 2723, 6.
Johannes *Lande.* 2637, 24.
Willielmus de *Land.* 2564, 43.
Johannes *Langdon.* 2294, 56.
Radulfus de *Langeford.* 506, 57.
Robertus *Langham.* 2709, 10.
Johannes *Langport.* 2295, 7.
Johannes de *Langtofte.* 2080, 48.
Simon de *Langton,* vel *Langdon.* } *V. I. R.*
Stephanus de *Langton.* } *V. I. R.*
Willielmus de *Langton.* } *V. I. R.*
Simon *Lanham.* } *V. I. R.*
Dioniſius *Lapham.* 2743, 29.
Johannes *Larence.* 2616, 62.
Laurentius *Larence.* 2616, 63.
Alexander *Larneys.* 2564, 31.
Thomas *Latymer.* 2661, 47.
Willielmus *Latymere.* 2497, 64.
Johannes atte *Lee.* 2132, 44.
Willielmus de *Lee.* 2533, 37.
Johannes *Leg.* 2633, 19.
S. *Leger.* 964, 6.
Willielmus de *Leyborne.* 1923, 64. *V.* Laiburne.
Juliana de *Leybourne.* *V. I. R.*
Petrus de *Leiceſtre, Baro Scaccarii.* 1962,
13.
Ilbertus de *Leſcio,* 262, 28. 309, 31. 315, 15.
320, 15. vel *de Laci.* 337, 34.
Robertus de *Leſceio.* 262, 29. 309, 31.
Petrus ate *Leſe.* 2093, 3.
Willielmus *Leverich.* 1929, 23.
Johannes de *Lenes.* 1952, 40.
Ricardus de *Lexeby.* 1191, 33.
Henricus de *Lexinton.* *V. I. R.*
Guido de *Lewiman.* 2134, 39.
Simon de S. *Licio.* *V. I. R.*
Lucia *Lile, alias Selokekaie.* 2092, 56.
Thomas de *Lyle.* *V. I. R.*
Warinus de *Lyle.* 2539, 16. 2547, 58.
Johannes de *Lymeſbeye.* 2591, 1.
Henricus *Lincolle.* 2147, 31.
J. *Lincoll.* 2057, 35.
Johannes *Lincoln.* 2705, 25.
Willielmus de *Lindeſeye.* 1105, 9.
* Willelmus de *Lindeſey.* 2464, 32.
David de *Lyndeſbey.* 2564, 20.
Alexander *Lyndeſleye.* 2564, 39.
Johannes de *Lyndeſleye.* 2564, 37.
Willielmus de *Lyndeſtede.* 2034, 34.
Willielmus de *Lyngiſton.* 2564, 36.
Willielmus de *Lynliſcon.* 2564, 1.
Jacobus de *Lynſey.* 2728, 66.
Ricardus *Lyonnes.* 2636, 27.
Elffinus *Lippe.* *V. I. R.*
Loges. 964, 61.
Goffridus de S. *Loith,* 2074, 17. vel S. *Loth.*
2129, 28.
Johannes de *Lokton.* 2694, 39. 2706, 16.
2727, 56.
Rogerus de *Londonia.* *V. I. R.*
Willielmus cum *Longa barba.* *V. I. R.*
Willielmus *Longa-ſpata.* *V. I. R.*
Willielmus de *Longa villa.* *V. I. R.*
Longeſpay. 965. 18.
Longevyle. 965, 18.
Willielmus *Longhmaban.* 2563, 3.
Willielmus de *Longo campo.* *V. I. R.*
Adam de *Lonn.* 1191, 28.
Johannes *Lord.* 2092, 63.
Robertus *Lord.* 2092, 63.
Euſtachius de *Loreyne.* 2566, 38.
Willielmus Herbertus *Loſenga.* *V. I. R.*
Loſwine. 1784, 19.
S. *Loth.* *V.* S. Loith.
Lou. 964, 12.
S. *Lou.* 964, 61.
Loveyn. 965, 9.
Lovell. 964, 12.
* Johannes *Lovell.* 2697, 38. 2705, 38.
Lucy. 965, 9.
Almericus de *Lucy.* 1927, 15. 2073, 44.
Antonius *Lucy.* 2563, 2.
* Galfridus de *Lucy.* 2446, 47.
Godefridus de *Lucy.* 648, 14. *Hic forſan eſt qui vocatur*
G. de *Lucy.* 1931, 18.
Reginaldus de *Lucy.* 1093, 50. 1158, 7.
* Ricardus de *Luci.* vel *Luceio.* *V. I. R.*
Godefridus de *Ludham.* *V. I. R.*
Matildis de *Lukedale.* 1879, 9.
Robertus de *Lund.* 108[illegible], 33.
Ricardus *Lundy.* 2516, 11. 2517, 47.
Ricardus de *Luvetot.* 274, 29.

M.

M.

M*Aap*. *V*. Map.
Galfridus de *Magna villa*, vel *Mandavilla*. 273, 15. 508, 32. 1033, 2.
Willielmus de *Magna villa*. 632, 20. *V*. *I*. *R*.
Willielmus *Maydeſtone*. 2121, 26.
Maydut. *V*. Manduth.
Reginaldus de *Maigni*. 1191, 42.
Maynard. 913, 39.
Robertus *Malduit*. 242, 55.
Ricardus *Malebiſe*. 1230, 34.
Malebouch. 963, 49.
Johannes *Malemayn*. 2022, 35.
Malemeyn. 963, 49.
Malerbe. 964, 49.
Malet. 964, 19.
Willielmus *Malet*. 198, 64. 1004, 5.
Johannes *Maletret*. 2677, 47.
Malevyle. 964, 19.
Robertus de *Mallyng*. *V*. *I*. *R*.
Willielmus *Malmesburienſis*. *V*. *I*. *R*.
Edmundus de *Malo lacu*. 2137, 55.
* Petrus de *Malo lacu*. *V*. *I*. *R*.
Radulfus de *Malo leone*. 1248, 2.
Anketillus *Malore*. 1093, 23.
S. *Malou*. 964, 62.
Malveſyn. 963, 62.
Malure. 963, 62.
Thomas *Mancell*. 2044, 29.
Mandavill. *V*. Magna villa, & Mandevyle.
Thomas *Manduth*, 2541, 28. vel *Maydut*. 2547, 59.
Willielmus *Mangott*. 1134, 49. 1442, 59.
Johannes *Mankael*. 2051, 4.
Johannes de *Manlay*. 2508, 14.
Robertus de *Manlay*. 2508, 13.
* Henricus de *Manle*. 2429, 20.
* Thomas *Mannſel*. 2448, 17.
Robertus *Manſel*. 2716, 63.
Robertus *Mantalent*. 2590, 62.
Mantravers. 964, 30.
* Johannes *Mantravers*. 2551, 34. 2566, 18. 2586, 45.
Walterus *Map*, vel *Maap*. *V*. *I*. *R*.
Willielmus de *Marchia*. *V*. *I*. *R*.
Rogerus de *Marci*. 1810, 47.
Mare. 964, 30.
Willielmus *Mareſchallus*. 659, 13 & 28.
Albericus de *Marines*. 663, 21. 664, 19.
Maris. 963, 46.
Ricardus de *Mariſco*. *V*. *I*. *R*.
R. *Mariſco*. 1942, 61.
Johannes *Markhã*, *Juſtitiarius*. 2743, 26.
* Johannes de *Marmyon*. 2676, 66.
Robertus *Marmion*. 1033, 16. 1360, 42.
* Philippus *Marmionn*. 2447, 13.
Marmyoun. 963, 46.
David de *Marre*. 2564, 50.
Willielmus *Martell*. 315, 11. 1032, 45. 1039, 64. 1359, 8.
Gaufridus *Martellus*. 464, 9. *V*. *I*. *R*.
Gaufridus *Martellus*. *V*. *I*. *R*.
S. *Martin*. 964, 5.
Willielmus F. *Martini*. 1410, 23.
R. de S. *Martino*. 2071, 67.
Radulfus de S. *Martino*. 1513, 38.
J. *Maſonn*. 2039, 26.
T. *Maſon*. 2088, 6.
Ricardus de *Maton*. 303, 14.
Maubank. 964, 62.
Maudut. 964, 49.
* Willielmus de *Maundeble*. 2454, 4.
Maundevyle. 963, 35. *V*. Mandavill.
Walterus de *Mawnee*. 2573, 61. 2582, 37. 2621, 7.
Ricardus *Medeforde*. 2705, 27.
Johannes le *Meyſter*. 2019, 41.
Patricius de *Meldrome*. 2564, 11.
Robertus de *Meleduno*. *V*. *I*. *R*.
Petrus de *Melidis*. 1831. 36.
Willielmus de *Melkſop*. 2205, 49.
Robertus *Mellent*. *V*. *I*. *R*.
Thomas *Mellere*. 2156, 54.
Willielmus de *Melton*. *V*. *I*. *R*.
Rogerus de *Memires*. 1789, 19.
Willielmus *Meneter*. 2012, 2. 2278.
Simon *Mepham*. *V*. *I*. *R*.
Wulfinus *Mercere*. 1816, 8.
Johannes de *Meryngham*. 2136, 31.
Ranulfus de *Merlai*. 265, 19. 307, 47. 316, 51.
Merle. 965, 13.
Willielmus de *Merlou*, vel *Merlan*. 697, 7. 1207, 35, 1273, 53.
Ranulfus de *Meſchenes*. *V*. *I*. *R*.
Johannes *Michel*. 2080, 55.
Galfridus de *Middeltone*. 1847, 14.
Willielmus de *Middleton*. 2034, 65.
Gilbertus de *Mydelton*. 2535, 9.
Johannes de *Mydelton*. 2535, 15.
Petrus de *Mildeſtede*. 1979, 61.
Philippus de *Mildron*. 2590, 61.
Jack *Mylner*. 2637, 40.
Willielmus *Milton*. 2294, 61.
Alexander de *Miners*. 2564, 54.
Robertus de *Myners*. 2564, 64.
Petrus *Minnot*. 1212, 66.
Willielmus de *Merfeld*. 2076, 36.
Johannes de *Modewyle*. 2500, 18.
Mohant. 965, 8.
Willielmus de *Moy*. 1191, 41.
Adam *Moygrave*. 2591, 7.
Johannes *Moleynes*. 2586, 45.
Moleton. 964, 55.
Thomas *Molineux*. 2702, 23. 2703, 47.
Molyns. 964, 54.
Hugo de *Monford*. 1777, 10. *V*. Mounford
Monne. 2705, 41.
Robertus de *Monſele*. 2023, 38.
Montagu. 964, 43.
Willielmus *Montagu*. *V*. *I*. *R*.
Adam de *Monte alto*. 2453, 55.
Guido de *Monte forti*. 2449, 41. 2455, 62. *V*. Monford.
* Henricus de *Monte forti*. 2449, 40. 2451, 41. 2453, 58. 2454, 1.
Henricus de *Monte forti*. 2539, 13. 2541, 63. 2547, 65.
* Petrus de *Monte forti*. 2437, 48. 2447, 45. 2448, 11.

Simon

Simon de *Monte forti*. *V. I. R.*
Rogerus de *Monte-Gomerico*. 2359, 15.
Hervæus de *Monte Mauricii*. 1419, 67.
Mattheus de *Monte Moretino*. 1276, 53.
* Willielmus de *Monteuſi*. 2449. 46.
Peurts de *Monte Rabel*. 1134, 49. 1442, 59.
Simon *Montfort junior*. 2437, 65. 2447, 19.
Maunn. 963, 43.
S. *Mar*. 964, 6.
Willielmus *Moreſtb*. 2564. 25.
Willielmus *Moreſtb*. 2564, 27.
Morevyle. 963, 39. *V.* Morvill.
Hugo de *Moreuilla*. 555, 21. 1064, 22. 1414, 52.
Hugo de *Morewic*. 1459, 46. *V.* Morwic.
Henricus *Morkoc*. 1929, 24.
Robertus de *Morle*, vel *Morleya*. 2569, 35. 2573, 15. 2574, 1. 2624, 12.
Johannes de la *Morre*. 2591, 4.
Mauritius de *Morreſ*. 2590, 65.
Thomas de *Morrens*. 2621, 48.
Rogerus de *Mortemer*. 2564, 43.
Morteu. 963, 63.
Mortimer. 963. 63.
Edmundus *Mortimer*. 2556, 13.
Galfridus *Mortimer*. 2556, 12.
Thomas *Mortimer*. 2703, 48.
Willielmus de *Mortymer*. 1092, 11. 1105, 14.
Brachius de *Mortuo mari*. 1248, 1.
Hugo de *Murtuo mari*. *V. I. R.*
Hugo de *Mortuo mari*. 1917, 42. 2095, 7. & 47 & 63.
Radulfus de *Mortno mari*. 489, 41. 984, 62.
* Rogerus de *Mortuo mari*. 2498, 39. 2539, 8. *V. I. R.*
Ricardus de *Morvill*. 1091, 19. *V.* Morevyle.
Johannes de *Morwic*. 1191, 15. *V.* Morewic.
Moubray. 965, 13. *V.* Mowbray, & Mulbrai.
Alexander *Moubray*. 2566, 36.
Galfridus *Moubray*. 2566, 36.
* Nigillus de *Moubray*. 1191, 60. 1158, 6.
Philippus de *Moubray*. 2534, 31. 2566, 30.
Willielmus *Moubray*. 2590, 58.
Willielmus *Moubray*. 2591, 8.
Walterus de *Moun*. 2581, 9.
Mounſychet. 964, 23.
Mounford. 964, 43.
Mouns. 964, 67.
Mountabours. 964, 14.
Mountayn. 964, 23.
Mountchampe. 964, 67.
Mountchenſy. 965, 8.
Johannes de *Mountford*. 2533, 46. *V.* Monte forti.
Mountſorell. 964, 14.
Radulfus de *Montermer*. *V. I. R.*
* Johannes de *Mowbray*. 2539, 10. 2541, 23.
Johannes *Mowbray*. 2562, 36.
Johannes de *Mowbray*, *Juſtitiarius*. 2624, 54.
* Rogerus de *Mulbrai*. 262, 25. 269, 24. 320, 15. 588, 36. 1126, 6. *V. I. R.*
Robertus de *Mulbreio*. 52, 18. 489, 34.
Rogerus de *Mulſay*. 1092, 17.
Robertus de *Mundavilla*. 274, 20.
Hugo de *Munfort*. 504, 19. *V.* Monte forti.
Robertus de *Mountford*, vel de *Monte forti*. 535, 25. 570, 23.
Gifardus de *Muntfort*. 312, 4.
Henricus *Murdac*. *V. I. R.*
Hugo *Murdac*. 1239, 26.
Muſard. 964, 29.
Thomas de *Muſcamp*. 1085, 32.
Muſegrave. 964, 29.

N.

W. *Naples*. 2012, 6.
Narbet. 964, 21.
Thomas de *Natindon*. 2040, 49. 2044, *&c.*
Nebors. 964. 58.
Alexander *Nequam*. 814, 65.
Nervyle. 964, 21.
Nevyle. 964, 58.
Hugo de *Nevilla*. 1248, 4.
* Jollanus de *Nevill*. 1158, 10.
* Willielmus de *Nevill*. 1158, 10.
Thomas de *Newenham*. 2076, 39.
Willielmus de *Newhenham*. 2076, 42.
Henricus de *Newenton*. 2035, 6.
Henricus de *Newerk*. *V. I. R.*
* Adam de *Newmerche*. 2448, 13.
* Robertus de *Newton*. 2448, 19.
Cicilia *Niele*. 2092, 54.
Willielmus F. *Nigelli*. 1191, 57. 1410, 21. 1516, 56.
Adam de *Nytſon*. 2591, 1.
Nonant. *V.* Nunant.
Rogerus de *Nordwod*. 1917, 62. 1933, 37.
Rogerus *Noreis*. *V. I. R.*
Willielmus de *Norhalla*. *V. I. R.*
Hugo *Norman*. 1888, 1.
Michael de *Nortberg*. 2606, 59.
Henricus de *Norwod*. 1998, 53.
Nouchampe. 965, 1.
Radulfus *Nouellus*. *V. I. R.*
Alanus de *Nouilla*. 539, 63. 548, 55.
Bernardus de *Novo mercato*. 489, 40. 984, 60.
Nowers. 965, 1.
Hugo de *Neunant*, vel *Nonant*, *V. I. R.*

O.

Johannes *Offorde* *V. I. R.*
Ogerius F. *Ogeri*. 1590. 49.
Hugo de *Oiri*. 1191, 41.
Johannes *Oldcaſtell*. *V. I. R.*
Walterus *Olifard*. 1105, 8.
Robertus de *Olli*. 315, 10. 1354, 61.
Edmundus de *Olneſtre*. 2584, 49.
S. *Omer*. 963, 66.
Johannes de *Orgaile*. 2581, 50.
Willielmus *Orneſby*, *Juſtitiarius*. 2513, 51.
Willielmus F. *Oſberni*, vel *Oſberti*. 479, 39. *V. I. R.*
Willielmus F. *Oſberti*. 1175, 64.
Willielmus F. *Oſberti*. 691, 10. *V. I. R.*

Johannes de	*Osprenge*. 1945, 50.
	Ounfravyle. 963, 36.
Willielmus de	*Owe*. 489, 37. *V*. Auco.
Johannes	*Oxeneford*. 537, 62. 1402, 8.
Ricardus	*Oxindenne*. *V*. *I*. *R*.

P.

Gervaſius	*Paganel*, vel *Paynel*. 588, 34. 1085, 34. 1158, 8.
	Payn de *Tybtoft*. 2533, 47.
	Paynell. 964, 8.
Radulfus	*Painellus*. 1350, 37.
Willielmus	*Painel*. 269, 58. 271, 33.
Willielmus	*Paynel*. 2288.
Simon	*Pakeman*. 2617, 11.
Thomas	*Palmer*. 2288.
	Panely. 965, 7.
	Parcell. *V*. Purcellis.
Philippus	*Parmentarius*. 1810, 30.
Edmundus de	*Paſſele*, *Juſtitiarius*. 2205, 44.
Valentinus ate	*Pathe*. 2139, 34.
Simon de	*Patiſbul*. 1843, 26.
Willielmus	*Patricius*. 570, 23. 574, 17.
Robertus	*Paulym*. 1979, 26.
Robertus	*Peccator* vel *Peche*. *V*. *I*. *R*.
Ricardus de	*Peccham*. 2461, 47.
Johannes	*Pecche*. 2661, 48.
Johannes	*Pecham*. *V*. *I*. *R*.
Johannes	*Pecham*. 2008, 45.
Johannes	*Pecham*. 2152, 50.
Michael	*Pecham*. *V*. *I*. *R*.
	Peche. 243, 7.
Willielmus	*Pecok*. 2020, 53.
	Peyns. 965, 19.
	Peyvere. 964, 9.
	Penbry. 964, 38.
Stephanus de	*Peneceſtre*. 1927, 33. 1933, 36. 1934, 53. 1938, 33. 1940, 10. 1941, 39.
Willielmus	*Penrel*. 1789, 38.
Oſbernus	*Pentecoſte*. 187, 11. 944, 40.
	S, *Per*. 964, 7.
Alanus de	*Perceio*. 244, 11. 342, 47.
Harnoldus de	*Perceio*. 244, 16.
	Percy. 965, 2.
* Henricus de	*Percy*. 2044, 59.
* Henricus	*Percy*. 2288. 2678, 33. *V*. *I*. *R*.
* Henricus de	*Percy*. 2447, 15. 2480, 29. 2515, 50. 2524, 19. 2530, 36.
* Thomas de	*Percy*. 2676, 67.
Willielmus de	*Perci*. 262, 26. 320. 16.
Galfridus de	*Pertico*. 1107, 14.
Gaufridus	F. *Petri*. *V*. *I*. *R*.
	Peverell. 964, 9.
Willielmus	*Peverell*. 220, 22. 262, 35. 269, 26 & 56. 315, 13. *V*. *I*. *R*.
Johannes	*Philipote*. 1637, 23.
* Willielmus	F. *Philippi*. 1191, 57.
Thomas	*Pycard*. 1979, 39.
Walterus	*Pycard*. 2051, 67. 2053, 3.
Hamo	*Picte de Romen*. 1926, 58.
Henricus	*Pigot*. 1191, 36.
J.	*Pylholte*. 2144, 18.
	Pillius. 1497, 65.
* Thomas de	*Pilneſdon*. 2449, 52.
Willielmus de	*Pymkeny*. 1191, 28.
	Pynkeny. 965, 7.
Gilbertus de	*Pinkeny*. 1410, 21.
	Pinſac. *V*. Puſat.
	Pypard. 964, 27.
Gilbertus	*Pipard*. 1191, 65. 1575, 37.
Jacobus de	*Pyp*. 2618, 24.
	Pypotte. 964, 38.
	Pyryton. 964, 27.
Rogerus de	*Planes*. 664, 38.
Gaufridus	*Plantegeneſt*. *V*. *I*. *R*.
Robertus de	*Pleſinton*. 2178, 33.
Eimerus de	*Plontplanttoit*. 2581, 44.
Ricardus de	*Podeo*. 1917, 35.
Johannes de	*Pole*. 2685, 9.
Johannes de	*Pole*. 2702, 8.
Michael de	*Pole*. *V*. *I*. *R*.
* Rogerus de	*Pole*. 1191, 29.
Willielmus de	*Pole*. 2573, 58.
	Pomeray. 965, 17.
	Poncy. *V*. Poucy.
Thomas	*Poncyn*. 2278.
Elverdus	*Porrere*. 1816, 11.
	* *Ponynges*. 2677, 3. 2705, 41.
* Michael de	*Ponynges*. 2081, 5.
Ricardus de	*Ponte*. 2073, 22.
Rogerius de	*Ponte Epiſcopi*. 1362, 64.
Petrus de	*Ponte fracto*. *V*. *I*. *R*.
Ricardus de	*Ponte fracto*. 1917, 62.
Willielmus	*Ponteſbury*. 2034, 32.
Johannes	*Pontoyſe*. *V*. *I*. *R*.
Hugo de	*Port*. 2074, 18. vel *Pott*. 2129, 39.
Johannes de	*Port*. 1039, 66.
Willielmus	*Poſtard*. 664, 56.
	Pott. *V*. Port.
Thomas	*Poucy*, vel *Poncy*, vel *Poucyn*. *V*. *I*. *R*.
	Pounchardon. 965, 17.
* Grimbaldus de	*Pountevolt*. 2448, 20.
	Pountlarge. 965, 19.
Robertus le	*Power*. 1128, 15.
Eimerus de	*Pownte*. 2581, 42.
Johannes de	*Pratellis*. 2131, 48.
Willielmus de	*Prendreſoit*. 2564, 54.
Tovius	*Prudan*. 181, 48.
Gerardus	*Pucella*, vel *Puella*, vel *Pulcella*. *V*. *I*. *R*.
Alexander	*Puintel*. 663, 21. 664, 19.
Thomas	*Pukel*. 1929, 15.
	Pulcella. *V*. Puella.
Robertus	*Pullanus*. 275, 49.
Jocelinus de la	*Pumeray*. 1128, 7.
Johannes	*Pund*. 2024, 3.
Willielmus de	*Purcellis*, vel de *Parcell*. *V*. *I*. *R*.
Johannes	*Purney*. *V*. *I*. *R*.
Hugo de	*Puſat*, vel *Pinſac*, vel *Putheacenſis*. *V*. *I*. *R*.
Bucardus de	*Puteaco*. 1161, 36. 1163, 6. 1169, 12 & 56.
Henricus de	*Puteaco*. 1158, 11.

Q.

Johannes	*Queinte*. 2076, 35.
Willielmus	*Queinte*. 2076, 34.
	Quincy. 965, 3.
Seirus de	*Quinci*. *V*. *I*. *R*.

Robertus *Quinci. V. I. R.*
S. *Quinteyn.* 964,5.

R.

Radulfus de R*Adeclyffe.* 2702,40.
Baldewinus de *Radyngton*, 2678,46. vel *Radynthon.* 2676,31.
Drago F. *Radulfi.* 1191,56.
Geroldus F. *Radulfi.* 1410,21.
Willielmus de *Rameſeye.* 2590,55.
Willielmus de *Rameſeye.* 2591,6.
Alexander de *Rameſheye.* 2564,63.
Goſſelinus F. *Ranfray.* 1230,40.
Rogerus F. *Ranfray*, 1230,36. vel *Reinfri*, 1459, 46. vel *Reinfridi.* 1864,17.
Fulco *Rechin.* 474,23. *V. I. R.*
Willielmus *Reculver.* 2056,42.
Johannes le *Rede.* 1928,56.
Baldewinus de *Redvers*, vel *Riveers.* 259,6. 506,15. *V.I.R. Hic forſan eſt qui vocatur B. de Ripariis.* 1931,19.
Ricardus de *Redvers.* 230,66.
Johannes de *Reygate.* 1930,28. 1932,45.
Osbertus F. *Reimberti.* 1847,14.
Ricardus F. *Reineri.* 664,38.
F. *Reinfrei*, vel *Reinfridi. V.* Ranfray.
Walterus *Reinold. V. I. R.*
Johannes *Renger.* 1930,61.
Willielmus *Renham.* 2060,15.
Gilebertus F. *Ricardi.* 489,22.
Richford. 964,56.
Willielmus *Rycold.* 1820,25.
Gaufridus *Ridell.* 1391,5. *V. I. R.*
Goffridus *Ridell.* 242,55.
Hugo *Ridell.* 1105,12.
Stephanus *Ridell.* 1230,40.
Adam de *Rydenne.* 1984,27.
B. de *Ripariis. V.* Redvers.
Johannes *Rypon.* 2696,7. 2721,37.
Salomon *Rippele. V. I. R.*
Rivel. 964,10.
Rivers. 964,10, *V.* Redvers.
Johannes *Ryvers.* 2294,65.
* Johannes F. *Roberd.* 2464,32.
G. *Roby.* 2143,56.
Petrus *Rodericus.* 1979,12.
Rodes. 563,56.
Petrus *Rogerii. V. I.R.*
Ricardus F. *Rogeri.* 258,60. 313,17.
Lora de *Rogers.* 1942,51.
Aimericus de *Rogeſio.* 2044,27.
Ricardus F. le *Rous.* 1881,40.
Ricardus *Rokeſle.* 1886,21.
Johannes *Romanus. V. I.R.*
Willielmus de *Romar.* 269,16.
Willielmus de *Romenal.* 1943,9. 1970,58.
Ricardus de *Ronclif.* 2076,36.
Willielmus *Ronsby.* 1981,17. *Idem forſan cum W. Rouceby.* 1977,58.
Galfridus de *Roos.* 2566,36.
Ros. 964,13.
Johannes de *Ros.* 1991,5.
Johannes de *Ros.* 2544,30. 2570,36.
Petrus de *Ros.* 1191,39. 1239,28.
Petrus de *Ros.* 1728,27.
Ricardus de *Ros.* 1942,65.
Robertus de *Ros.* 2452,18. 2478,62. 2480,5.
Walterus de *Ros.* 1191,38.
Willielmus de *Ros.* 536,16. 1384,44.
Willielmus de *Ros.* 2478,65.
Radulfus de *Roſemadek.* 2581,44.
Thomas *Roſſelyne.* 2544,28. 2554,42 & 65. 2558,62.
Willielmus de *Rouceby. V.* Ronsby.
* Rogerus de *Roule.* 2454,6.
Willielmus *Rufus. V. I. R.*
Willielmus *Rufus.* 1459,48.
Eadulfus *Rus.* 204,24.
Alanus de *Ruſci.* 1276,54.
Walterus *Ruſſell.* 2280.
Henricus *Ruſſi.* 1921,60.

S.

Robertus de S*Abloil.* 1173,8. 1177,24.
Nigellus de *Sacheville.* 555, 11.
Say. 964,24.
G. de *Sai.* 699,62.
Gilbertus de *Saye.* 2564,49.
Willielmus de *Say.* 2451,27.
Hugo de *Saintemore.* 559,23.
Johannes de *Salisbury.* 2705,25. 2723,6. 2727,34.
Robertus *Salle.* 2638,41.
Robertus *Saltwood.* 2295,12.
Sandford. V. Sanford.
Henricus *Sandre.* 2023,62.
Johannes *Sandwich.* 2294,58.
Radulfus de *Sandwico.* 1941,40. 2073,39. 2079,64.
Henricus de *Sanford*, 1847. vel *Sandford*, 1877,40. vel *Stanford.* 1857,44.
Sanzaver. 964,41.
Radulfus *Sanzaver.* 2092,50.
Humfredus de *Sardyne.* 2563,14.
* Ricardus de *Savill.* 1158,13.
Saunford. 964,41.
Sauvage. 965,20.
Scales. 964,65.
Willielmus de *Schardeſhull*, vel *Scharſhall, Juſtitiarius.* 2606,21. 2620,25.
Johannes *Scheldwych.* 2147,30.
Jocus de *Scherlynghong.* 2564,35.
Johannes de *Scherlynghowe.* 2564,1.
Gervaſius *Scherreve.* 2027,34. 2280.
Willielmus *Schypwith*, vel *Skipwith, Juſtitiarius.* 2628,53. 2678,59. 2694,7. 2696,26. 2706,13. 2728,33.
Willielmus de *Schobeſole.* 2093,1.
Johannes de *Schordich.* 2052,54.
Galfridus *Schorp, Juſticiarius.* 2571,16. *V.* Scrope.
Sclokekaie. V. Lile.
Robertus le *Scot.* 1945,54.
Willielmus *Scot, Juſtitiarius.* 2072,38.
Willielmus *Scot.* 2564,42.
Bricius *Scotard.* 2022,15.
Ricardus F. *Scrob.* 944,21.

Galfridus *Scrope, Justitiarius.* 2066, 19. *V.* Schorp.
Ricardus *Scrope. V. I.R.*
Ricardus le *Scrope. V. I.R.*
Robertus *Scrope.* 1191,35.
Walterus *Scrope.* 1191,37.
Willielmus le *Scrop. V. I.R.*
Degarius de *Sees.* 2678,42.
Gilbertus de *Segrave.* 1729,25.
* Johannes de *Segrave.* 2525,8. 2529, 51. 2530,9. 2543,45.
Johannes de *Segrave.* 2543,47.
* Nicolaus de *Segrave.* 2446,48. 2449,48.
Stephanus de *Segrave.* 2543, 16 & 46.
* Willielmus *Seinclere.* 2480,47.
Johannes *Seintclere.* 2590,57.
Oliverus de *Seintclere.* 2564,51.
Johannes *Seinthiller.* 2591,6.
Thomas de *Seleby.* 2080,46.
Thomas de *Sellyng.* 1962,6. 1964,45.
Johannes de *Selvynston.* 1958,36.
Johannes *Sepham.* 2288.
Willielmus *Sepham.* 2139,33.
Michael *Sergeur.* 2199,66.
Radulfus de *Serris.* 1497,45.
Robertus de *Setun.* 307,40.
Seward. 964,25.
Johannes *Shroynsbery.* 2296,3.
Robertus de *Sigillo.* 269,65.
Simon de *Silvanecti.* 315,14. *V. I.R.*
* Simon F. *Simonis.* 2448,14.
Stephanus *Syresham.* 2668,23.
Skipwith. V. Schypwith.
Radulfus de *Skyrlowe. V. I.R.*
Slake. 2705,21.
Willielmus *Smith. V. I.R.*
Henricus de *Sodingtone.* 2080,42.
Thomas de *Sointing.* 2080,47.
Solvyll. 2619,32.
Somery. 965,4.
Henricus *Somerset.* 2290.
Hugo *Sotevagina.* 321,60.
Elena de la *Souch.* 967,36.
Willielmus la *Souche. V. I.R.*
Johannes de *Soules,* vel *Sowles.* 2473, 14. 2534,32.
Nicolaus *Southwell.* 2722,29.
* *Sowche.* 2705,37.
Sowles. V. Soules.
Willielmus *Spakenot.* 1928,62.
Spenser. 964,2.
Henricus le *Spenser. V. I.R.*
* Hugo de *Spenser.* 2437,47. 2446, 49. 2454,2. *V. I.R.*
Hugo de *Spenser.* 2004, 21. 2480, 28. *V. I.R.*
Walterus le *Spenser.* 2012,5.
Radulfus *Spigurnel.* 2141,23.
Nicolaus de *Spina. V. I.R.*
Bartholomæus *Sprynget.* 2092,67.
Walterus *Springet.* 1929,7.
Thomas *Sprot. V. I.R.*
E. *Stablegate.* 2071,66.
Radulfus de *Stafforde. V. I.R.*
Willielmus de *Stagno.* 707,50. 1248,4.
Radulfus de *Standyche.* 2637,11.
Stanford. V. Sanford.
Robertus de *Stanyford.* 1158,9.
Hervicus de *Stanton, Justitiarius.* 2015,20. 2025,47. *Vocatur Henricus.* 2278.
Ricardus *Star.* 1929,22.
Radulfus F. *Stephani.* 1459,47.
Robertus F. *Stephani.* 1127,67.
Adam *Stywarde.* 2564,23.
Alanus *Stywarde.* 2590,63.
Jacobus *Stywarde.* 2564,5.
Jacobus *Stywarde.* 2564,22.
Johannes *Stywarde.* 2534,33.
Johannes *Stywarde.* 2590,62.
Walterus *Stywarde.* 2563,59.
Walterus *Stywarde.* 2564,7.
Stokes. 965,4.
Ricardus de *Stomok.* 1928,53.
Walterus de *Stonenay.* 2446,12.
Johannes *Story.* 2295,10.
Ricardus *Story.* 2661,49.
Stotevyle. 963,21. *V.* Stutavilla.
Thomas *Stow.* 2743,26.
David de *Strabulgy. V. I. R.*
Alexander *Stragy.* 2591,2.
Johannes *Stratford. V. I. R.*
Straunge. 965,20.
Johannes *Straw, V. I. R.*
Edricus *Streone. V. I.R.*
Adam de *Stretton, Justitiarius.* 2466,5.
Thomas *Strykynbow.* 2295,14.
Johannes de *Stryveline.* 2563,60.
Johannes de *Striveline.* 2582,46.
Thomas *Stubbs. V. I. R.*
Philippus de *Stureye.* 1921,17.
Robertus de *Sturrey.* 2280.
* Robertus de *Stutavilla,* vel *Stottevilla.* 230, 13. 262,27. 320, 17. 499, 67. 1091,48. 1126,6.
Osmundus de *Stutteville.* 1191,65.
Willielmus de *Stutteville.* 1093,45. 1230,60.
Simon *Sudbury. V. I. R.*
Reginaldus de *Sufflet.* 1191,58.
Sullee. V. Sutheleye.
Galfridus de *Sunderesse.* 1590,49.
Rogerus *Surdingden. V. I. R.*
Willielmus de *Sutheleye,* vel *Sullee.* 2540,66. 2547,38.
Alexander de *Swedlington.* 1928,45.
Robertus de *Swynarton.* 2677,58.
Willielmus de *Swyndurby. V. I. R.*
Catherina de *Swynforde.* 2642,41.

T.

Robertus *TAca.* 243,58.
Talbote. 964,40.
Girardus de *Talbot.* 1184,60.
* Ricardus de *Talbot.* 2560,43. 2565,21.
* Willielmus de *Tancarvile.* 504,19. 570,14.
Radulfus de *Tancarvilla.* 699,61.
* Lucas de *Tanneye.* 2464,33.
Johannes *Tavy.* 1998,10.
Willielmus *Tedy.* 2363,61.
J. *Terry.* 2029,54.
Radulfus *Tessun.* 699,62.
Robertus *Tesun.* 1249,56.
Radulfus *Teway.* 2500,13.

Johanne

Johannes *Thyece*. 2147, 31.
Willielmus *Thyrning, Juſtitiarius*. 2743, 25. 2756, 53.
Guillielmus *Thorn. V. I. R.*
Gilbertus de *Thornton*. 2136, 30.
Thrum. 1650, 32.
Johannes de *Thuresby. V. I. R.*
Robertus *Tybotot*. 2136, 30.
Henricus *Tyeys*. 2539, 14. 2541, 65. 2547, 62.
Watte *Tyler. V. I. R.*
Gilebertus de *Tylers*. 570, 22. 1087, 50. vel *Tillers*, vel *Tiveleres*. 1191, 22.
Radulfus de *Tilli*. 1190, 1.
Walterus *Tirellus*. 488, 56. *V. I. R.*
Petrus *Tyrioll*. 2728. 43.
Tiveleres, V. Tylers.
Willielmus *Tochet*. 2541, 28. 2547, 58.
Petrus de *Todyndon. V. I. R.*
Thomas *Toker*. 2564, 12.
Ranulfus de *Tonge*. 1191, 36.
Tornay. 965, 15.
Adam de *Tornover*. 1239, 27.
Johannes le *Tonte*. 2027, 62.
Tracy. 965, 3.
Johannes de *Tracy. V.* Gracii.
Willielmus de *Traci*. 555, 20. 1105, 56. 1116, 33. 1414, 52.
Tragod. 964, 37.
Traylliz. 964, 37.
Willielmus *Tranſverſus*. 262, 30. 309. 25.
Willielmus *Treie*. 2034, 43.
Willielmus *Trencheveil*. 557, 27. 1051, 41.
Robertus *Treſylyon. V. I. R.*
Jacke *Trewman*. 2637, 41.
Ingramus de *Tria*. 1089, 10.
L. de *Trykynham*. 2027, 27.
Hugo de *Tryplyngton*. 2534, 38. 2556, 16.
Thomas *Tryvet*. 2672, 11. 2705, 24.
Hugo de *Trotteſclive. V. I. R.*
Truſebot. 964, 15.
Truſſell. 964, 15.
Johannes *Truſſell*. 2661, 47.
Willielmus *Truſſell, Juſtitiarius. V. I. R.*
Robertus de *Turbelvill*. 1105, 11.
Turbevyle. 964, 1.
Thomas de *Turbeville. V. I. R.*
Radulfus de *Turbine*. 1004, 20.
Willielmus *Turbo. V. I. R.*
Galfridus *Turcople*. 268, 5.
Thomas de *Turnebu*. 555, 3.
Robertus de *Turneham*. 674, 57. 1199, 42.
Marmeducus de *Twenge. V. I. R.*
Johannes *Twyford*. 2580. 64.
Nicolaus *Twyford*. 2637, 24.

V.

Thomas le *Vader*. 2092, 54.
Vadu. 964, 42.
Robertus de la *Val*. 307, 49.
Henricus de *Valans*. 2058, 11. *Idem forſan cum eo qui vocatur*
Wericus de *Valans*. 2057, 3.
Valens. 964, 45.
Adomarus de *Valentia. V. I. R.*
Americus de *Valentia. V. I. R.*
Willielmus de *Valentia*. 2134, 40. 2136, 28. 2447, 16.
Reginaldus de S. *Valerico*. 1394, 14.
Bernardus de S. *Valerio*. 1191, 31.
* Robertus de *Vallibus*. 1090, 66. 1093, 5. 1126, 6.
Philippus de *Valions*. 1105, 10.
Johannes de *Vals*. 1105, 8.
Vatorte. 964, 42.
Aluredus de *Vavaci*. 575, 2.
Vaus. 964, 45.
* Johannes *Vaus*. 2429, 63. 2447, 14.
Johannes de *Vaws*. 2546, 3.
Veer. V. Ver.
Thomas de *Veer. V. I. R.*
Thomas de *Veys*. 2564, 44.
Robertus le *Venour*. 1191, 34.
Henricus de *Ver*, vel *Veer*. 632, 23. 664, 5. 1230, 39.
Hugo de *Ver*. 2499, 18. 2500, 27.
Robertus de *Ver*. 315, 9.
* Robertus de *Ver*. 2449, 35.
Willielmus de *Ver*. 630, 58.
Verdyers. 963, 50.
* Æmilius de *Verdon*. 2534, 36.
Bertramus de *Verdon*. 1126, 29. 1191, 64. 1575, 36.
Johannes *Verdonn*. 2139, 55.
* Johannes de *Verdon*. 2438, 33.
Theobaldus de *Verdon*. 2584, 47.
Verdoun. 963, 50.
Vere. 963, 49.
Radulfus *Vernon*. 2702, 40.
Vernoun. 963, 49.
* Euſtachius de *Veſcy. V. I. R.*
* Willielmus de *Veſcy*. 1126, 5.
* Willielmus de *Veſcy*. 2509, 11.
Willielmus de *Veſon*. 2564, 36.
* Robertus de *Veſpounte*. 2446, 49.
Veſſi. 964. 35.
* Johannes de *Veſſy*. 2429, 64. 2438, 31. 2446, 48. 2458, 36.
* Willielmus de *Veſſy*. 1091, 49.
Robertus de *Vfford. V. I. R.*
Martilettus de *Vynelef*. 2674, 54.
Vinoun. 963, 44.
Vipoun. 963, 44.
Ingramus de *Vmframvile*. 2473, 15.
Willielmus de *Vmfranwe*. 2564, 40.
Ricardus *Vpedonne*. 2023, 62.
Reginaldus F. *Vrſi*. 555, 20. 1414, 51.
Ricardus F. *Vrſi*. 1354, 14.
Thomas *Vske*. 2716, 64. 2721, 31. 2727, 8.

W.

* Baldewinus *Waac*. 1158, 8. 1162, 41.
Robertus *Wacelyn*. 1191, 59.
Wade. 1784, 19.
Walterus de *Wahelle*. 574, 14.
Ricardus *Wayteſtathe*. 2662, 24.
Wake. 964, 63.
* Baldewinus de *Wake*. 2437, 53. 2448, 12.

* Nicolaus de *Wake.* 2448, 18.
* Thomas *Wake* 2558, 61. 2560, 40.
Wakevyle. 964, 63.
Stephanus de *Walans.* 2068, 36.
Rogerus *Waldene. V. I. R.*
Simon de *Wale.* 1191, 61.
Thomas *Waleys. V. I. R.*
Willielmus *Waleys. V. I. R.*
Johannes *Walyffe.* 2674, 53.
Robertus atte *Walle.* 2022, 16.
S. *Walry.* 965, 6.
Hubertus *Walteri.*
Johannes de *Waltham. V. I. R.*
Simon *Walthef.*
Johannes *Walton.*
Johannes de *Walworth.* 2637, 7.
Rogerus de *Wanton.* 2134, 43.
Warbevyle. 963, 40.
Robertus le *Warde.* 2564, 3.
Willielmus *Warde.* 2563, 13.
Wardeboys. 963, 55.
Johannes de *Warenna. V. I. R.*
Reginaldus de *Warenna.* 554, 31. 1039, 65. 1413, 25.
Willielmus de *Warenna.* 2582, 47.
Warenne. 963, 55.
Aldulfus de *Warnevilla.* 567. 61.
Willielmus de *Warwaſt.* 495, 21.
Baldewinus *Watch.* 672, 38. *Idem forſan cum B. Waac.*
Watervyle. 964, 57.
* Hengeramus de *Watervyle.* 2448, 16.
Willielmus de *Watervilla. V. I. R.*
Robertus F. *Watſonis.* 2227, 28.
Willielmus de *Waver.* 2078, 23.
Thomas de *Weland, Juſtitiarius.* 2466, 5.
Willielmus *Welde. V. I. R.*
Walterus de *Wengham.* 1934, 56.
Johannes *Weſnam.* 2623, 15.
Elferdus F. *Weſton.* 302, 45.
Johannes de *Weſton.* 2078, 22.
Thomas de *Whacton.* 2024, 31.
Johannes *Wyarde.* 2556, 42.
Ricardus *Wyard.* 2480, 47.
Simon *Wibert.* 1919, 27.
Johannes *Wyclif. V. I. R.*
Willielmus *Wykwane. V. I. R.*
Wolſtanus Wilde-prieſt. 2225, 17.
Philippus de *Wyleby, Cancellarius Scaccarii.* 1962, 12.
Johannes de *Wylinger.* 2539, 12.
Willielmus F. *Willielmi.* 2541, 29.
Henricus de *Wyllington.* 2539, 11. 2541, 62. 2547, 64.
Matilda de *Wilminton.* 2066, 21.
Willielmus *Wilminton.* 1926, 31.
Ricardus de *Wiloughby, Juſtitiarius.* 2559, 66. 2560, 16. 2606, 20.
David de *Wymes.* 2564, 42.
Michael de *Wymes.* 2564, 4.
Robertus de *Winchelſey. V. I. R.*
Willielmus *Winchelſey.* 2295, 8.
Johannes le *Winere.* 1928, 50.
Walterus *Wynkeburne.* 2627, 35.
Willielmus de *Wyntreſhulle.* 2134, 41.
Johannes de *Wyrmyngton.* 2534, 37.
Robertus *Wiſcardus.* 222, 45. *V. I. R.*
Gilbertus *Wiſeman.* 2564, 13.
Thomas de *Wiſkeberg.* 1929, 17.
Adam de *Wiskebeth.* 1896, 18.
Willielmus de *Wiskebeth.* 1896, 19.
R. de *Witefeld.* 1575, 37.
Robertus le *Wyther.* 2464, 34.
Thomas *Wyther.* 2554, 10 & 66.
Willielmus *Wittleſey. V. I. R.*
Robertus de *Witvila.* 244, 12.
Thomas de *Wivelesburg.* 2027, 61. 2052, 53
Andreas *Wodhell.* 2144, 18.
Jacobus *Wodhelle.* 2144, 17.
Robertus de *Wodhulle.* 2024, 2.
Henricus de *Woghope.* 2205, 66.
Henricus *Wradburn. V.* Bradburn.
Petrus de *Wrotenham.* 2051, 14.

Y.

Laurentius de *YFord.* 2051, 57. 2052, 55.
Yle. 964, 45.
Warinus de *Yle.* 2541, 27.
Ylebon. 964, 60.
Patricius de *Yleward.* 2564, 41.
Willielmus *Yriskin.* 2564, 24.

Z.

* Willielmus la *ZOuche.* 2560, 41. *V.* Souche.

FINIS.

ERRATA.

In Præfatione Rogeri Twiſdeni *militis.* } *Pag* 1. *lin.* 12. amicorum, *lege* amicorum. *lin. ead.* ſollicitationibus, *leg.* ſolicitationibus. *p.* 2. *l.* 26. & ille de Eccleſia, *leg.* & Simeonis ille de Eccleſia Dunel. *p. penul. l.* 8. *ante finem.* Iſtiuſmodi, *leg.* Hujuſmodi.

Col. lin. lege
1, 9. reliq.
5, 19. agenda doc.
7, 20. quinq.
43. monaſt.
14. 29. extrinſecus
34, 37. Sexhelmi
47, 53. cædes
66, 46. Dunelmenſe.
80, 65. & ſocerum ſuum
86, 4. multorum
128, 56. muniti
133, 36. Cutheardus
182, 40. Notreganorum.
195, 17. Edmundi
337, 13. reſiſtere
341, 61. altaria
344, 18. proficiendi
367, 7. aſſenſa
377, 10. conſuluit
402, 45. auxit
404, 3. oculus
405, 7. aperiri
420, 40. una comp.
421, 9. illam
430, 13. ſatiſf.
438, 10. Nottanhimbr.
456, 57. gelu
471, 11. campum
474, 65. Eadſinus
485, 34. Inſularum
489, 56. contumaciter
494, 14. ſolicitiore
495, 23. manticis
506, 26. accipiens
519, 19. Ricardo Comiti
526, 16. Hiſtoriographis.
532, 3. Octav.
535, 37. Epiſcopos
541, 20. ejus
553, 49. Deo, tibi
555, 37. veſperas
559, 20. horribile,
561, 49. Robertum B.
562, 26. *Jepte dicitur a filiis fuiſſe ejectus: ſed fratres eum ejecerunt: nec filios habuit.*
563, 23. Evilmerodag
570, 14. impetravit,
588, 47. Prior Wint. electus in
607, 8. ſacroſanctis
613, 28. reges Angl.
616, 31. felicior,
624, 64. exhortamur
636, 44. Rothomag.
639, 9. diligentia & ſ.
650, 15. *Doveram*
652, 3. Joas
659, 58. Octav.
62. regem
661, 10. inhibentes
665, 5. —larius, Arch.
666, 25. inſtrumenti
677, 33. monial.
690, 34. vos, ſed
698, 16. Juſtitiariis,
59. præbendis
699, 66. M.C.xcvii. xvi.
704, 64. ratihabitionis
705, 63. Dominicæ
715, 26. prudentiæ
50. Munmirail,

Col. lin. lege
716, 58. Munmirail,
726, 43. Eſſe, quia
734, 23. lectis
44. detractione ſ.
736, 15. *pro* ut *lege* &
737, 60. Dominis
747, 43. laudabilis
749, 15. zelotypias
753, 30. *filicis*
755, 24. armamenta,
26. ſuccurritur.
775, 34. Cudredus
787, 26. Oſwinus
789, 6. Jacobo
792, 51. cœleſtis
802, 26 poſtea
64. mœſta
808, 3. ut paulo ſup.
810, 60. apes
815, 66. cap. xvii.
816, 55. Actuum xvii.
821, 4. homine quem
10. twihindo
831, 29. *pro* Ethelredo *l.* Plegmundo
30. xxiiii.
835, 4. virago vale.
838, 50 & 58. Wiltonienſis
51 & 63. Wintonienſis
845, 4. Wolfelmus
849, 58. & eos firm.
863, 53. amicior;
895, 43. wealreaf.
897, 35. robaverit
898, 65. monetariis,
908, 14. cepit.
909. 42. —cus ſecundus
911, 28. ligna
914, 66. De
917, 39. domini fug.
56. relevationis
932, 59. Ciceſtrenſem eſt
943, 67. ſocer ſuus
944, 50. ſocer ſuus
970, 1. cubiculariis
978, 27. lenocinando
1007, 36. *pro* glares *ſuſpicor legendum* gladio res
1015, 1. declinaverant
36. *pro* aſperima *forſan legendum apertiſſima*
1016, 30. Londonienſem
1026, 41. patria,
45. exercemini,
1032, 57. Henricus Wint.
1045, 40. quædam
1048, 35. facientes.
1055, 46. —rpret.
1056, 6. hæc tota
1058, 24. auræ
1059, 42. Siciliæ
1071, 8. Archifercenſis,
1074, 22. variis
1087, 7. ebriati,
1089, 21. irrupturus. *vel* irrepturus.
1125, 4. abſtuliſſe,
1132, 43. capere
1133, 5. Philippum Med.
14. errore enim vel tuorum [illegible]
1194, 34. inſolentiam

Col. lin. lege
1210, 24. ingreſſus
1222, 27. —ctam Baldewinus Cant.
1255, 39. —ter elegerunt,
1263, 13. *Eboracenſis dicitur mortuus, quem diu poſt illud tempus vixiſſe conſtat. V.* 1281, 54.
57. ſit reſtit.
1267, 18. inficiabantur
1268. 12. ineundum
1273, 20. baculo
1281, 50. inung.
1301, 30. geſta
1317, 48. vix ſola
1332, 37. juriſdictionem,
1333, 6. celebrare,
1339, 51. gaviſus
1356, 51. Warwellenſe
1360, 48. interfectus
1373. 48. aciebus
1374, 19. colloquii,
1414, 6. quærentes
1416, 20. *pro* his *l.* hic *vel* is
1420, 6. *ante* avunculum *deeſt* poſt, *vel* imitatus, *vel* ſequutus, *vel aliquod ſimile.*
1424, 60. *pro* Ric. *l.* Rob.
1447, 1. implere ſuſſ.
1448, 4. Dominici
1473, 5. Conventus
15. varios ſermones,
1481, 29. nec ſui
1505, 3. eundem
1510, 4. abundantius
1521, 51. triduum
60. appellationem
1544, 64. Cantuarienſis
1557, 17. cachinno
1558, 46. gaviſi
1565, 52. Cantuarienſem
1570, 64. Francia
1588, 9. oblationem.
1589, 61. monaſterii
1595, 12. reſarcire
1602, 29. cognoveris
43. differas
1617, 57. milliaria
1621, 8. inſufficientes
1630, 25. Eleutherio
1638, 46 & 47. Lundonia, mortuo Leutherio. Ord.
1640, 26. papa Sergio, qui
1651, 26. *pro* Alexandro *l.* Benedicto. *Tunc enim Romæ ſedit Benedictus IX.*
1656, 55. impenderet
1659, 13. *legendum forſan*, favebant Anſelmo,
1660, 38. laſſeſcente
45. Anno
47. —ſcopi
1671, 42. diſceſſit
1672, 52. lento
1686, 24. metropolitani
1697, 2. *legendum forſan*, illuſtrius,
1704, 32. *deeſt nonnihil.*

Col. lin. lege
1707, 20. Herveum Norwicenſem, *male illic poni ſuſpicor, cum nullibi mihi Herveius occurrat, qui Norvici ſederit.*
1708, 50. immoramur?
1711, 44. Cantuariæ
1713, 9. digrederentur,
1715, 4. papa Johannes Cajetæ natus,
58. ſiquidem
1716, 17. Auguſtoduni,
21. byzantios
25. acoluthum,
57. Canonem
58. reveſtiret
1728, 48. Bonifacio VIII.
1741, 13. quadringentorum
1749, 41. noſter Greg.
1751, 25. ſemina
1752, 39. inquietare
1757, 45. prodirent
1759, 16. Ethelberto,
1762, 56. ſellam
1768, 58. conjunctus.
1772, 3 & 4. & Baldwyno Licheſfeldenſi, & Ardulfo Roffenſi. *V.* 1640, 51 *&* 52.
28. —denſis epiſcopus
64. axe *quid ſit neſcio.*
65. ſimulatæ
1773, 36. inſperato
1779, 9. æſtimet
1781, 35 *&* 36. parſimon.
1783, 9. paropſide
1784, 2. monaſt.
1793, 26. archiep.
1795, 65. memoria
1798, 16. animabus
1802, 10. religioſis
1804, 50. aſſiſteremus,
52. —mationis
1806, 22. reatum
1815, 10. analogium
1824, 16. ſubornatus, multis
1825, 24. diſtricte
1837, 4. audiat
1840, 7. uſi
1864, 9. cujuſdam
1895, 38. dimiſſiones
1906, 57. veniam
1907, 46. confixionis
1914, 60. Papa iv.
1915, 41. vicariæ
63. dormitorium
1919, 19. homicidas
1924, 41. *pro* tempore *cenſeo* tepore *legendum, vel* torpore
1931, 54. optioni
1953, 39 ſanioris
1955, 36. velitis
1972, 52. xenodoch.
1979, 18. juxta
22. promovendum
48. adſtrinxit,
60. quidam cap.
1981, 67. præfixione
1987, 32. apoſtolica
1990, 10. iidem

Col. lin. lege
[illegible], 73. [illegible]
2002, 9. —[illegible]
2010, 37. pariſtare
2018, 44. unanimi
2023, 11. regis
2027, 29. perpetualiter
52. diſcordiæ
2037, 50. refectionem
58. parte
2050, 52. notariis
2067, 22. Papam Joh.
2081, 47. eminentia
2083, 9. ponderatis,
29. probroſa,
2087, 14. contingeret, *vel* contigerit
2092, 43. hamelette
2102, 54. impediri
2111, 34. arbitrum
2123, 34. omnium
2124, 23. fluminibus,
2150, 44. lenitiva,
51. intercludi,
2192, 10. Prioris S. Gregorii, & Archidiaconi Cant.
2198. 37 ambiguitatem
43. faciendam
2199, 38. diœceſis; de
2200, 28. poterant *vel* potuerunt
2216, 65. præfato
2218, 8. liberum
2220, 27. Wlſcimus
2231, 16. Vitalianus i.
46. *pro* Conus *l.* Donus
2241. Sergius iii.
2274, 50. reddituum
2290, 32. redditus
2293, 26 *&* 27. abbatiam noſtram, ac ſitum,
46. cantariarum
2313, 23. Edwardum re-
2320, 8. *pro* Britannia *l.* Bithynia

Col. lin. lege
2322, 10. *pro* pater *l.* frater
2342, 3. ventilarent, ſ.
13. terminandum;
2347, 46. *pro* ſuæ *forſan legendum* ſævæ
61. *pro* Willielmus *l.* Walterus
2348, 12. ſolitudinis
2352, 41. Abbas fuit montis Caſſini, venenoq;
2353, 10. duodenarium
2362, 5. archiepiſcopio, ſed ejus literaturæ
2366, 10. Dunwaldum
2369, 13. inveſtituras
2372, 30. *pro* Waltero *l.* Ranulfo
2373, 50. Xliii.
2383, 14. Siciliæ
2389, 1. Ricardo *videtur mendoſum.*
27. dormientes
2391, 44. Giraldus Cambr.
2393, 7. Andegaviæ
37. eunuchaverat,
2395, 42. *dele periodum.*
2401, 8. *pro* Oxonienſis, *l.* Saxonienſis,
2402, 30. proficiſcendum
2404, 38. inultum
2412, 10. iſta
38. Tydei
2424, 65. *pro* frater *l.* filius
2425, 5. *pro* xiii. *l.* iii.
2435, 22. *pro* ſecundus *l.* quartus
2439, 24. miſſis legatis
2440, 58. *pro* ii. *l.* ix.
2441, 66. præjudicium
2442, 14. Phariſ.
2443, 30. verſus. In dicto Conc. Lugdunenſi quidam epiſcopi,

Col. lin. lege
[illegible] & R. G. [illegible]
2458, 66. Siciliæ
2459, 1. *legendum forſan* Palermum (ut 1021, 8.) & Meſſanam, & ſic per medium Scyllæ
2460, 55. adiit,
2469, 9. *pro* Northamptoniam *l.* Norram, *vel* Norham, *ut* 2470, 58.
2472, 48. contra regem
Ibidem, *&* *in margine*, *pro* 1220. *legendum* (*ni fallor*) 1295.
2482, 49. le roy
2484, 43. Trojana
59. *&* }
2485, 15. *&* } Cumbrorum
48. }
2487, 29. mortem
2490, 4. *forſan legendum* ipſis ſuorum pr.
28. *pro* timore *forte leg.* tenore
2491, 22. *forſan leg.* Deo Domino univerſali duos alios dominos habeamus, ſpir.
31. poſſimus,
2497, 34. regem
2509, 1. ſtrenuitate
2510, 50. populo
2513, 37. Mccxcvi *& in margine*, 1296.
2714, 46. poterant
2526, 25. *pro* plenas rex *forſan leg.* plena pax
2531, 45. Comitem
2539, 22. Lancaſtriæ Th.
2545, 21 & 41. Exoniæ
2547, 42. tres honourable le

Col. lin. lege
Roy de
2581, 48. *pro* Radulfus [illegible] Walterus
2583, 40. *pro* 1328. *l.* 1344.
2586, 31. *pro* [illegible] *forſan leg.* [illegible]
2590, 38. Scotus
2611, 31. parte
2628, 28. [illegible]
66. *pro* Henrici *l.* Petri
67. *pro* Petrum *l.* Henricum
2632, 10. papa xi.
60. indictione
2635, 43. *pro* fuerunt *l.* furore
2646, 7. Appe. 2 & 3.
2661, 35. ſimoniacus
2666, 2. ſaltavit,
2675, 6. Comites,
2679, 61. *pro* Radulfus *leg.* Walterus
2694, 4 *&* 5. *pro* Robertus Br. *l.* Nicolaus Br.
15. *pro* Johannes *leg.* Robertus
2697, 58. conſuluerunt
2698, 41. Northumbriæ
2700, 15. —rienſis & Cancellarius Epiſc.
16. alii
27. prodere
34. conſuluerunt
37. melancholiâ
2702, 25. Molineux
2705, 33. *pro* Robertus *l.* Nicolaus
40. Ciceſtrenſis
2706, 5. [illegible]
2710, 16. —[illegible]
2729, 66. Viſcomte,
2746, 34. continentur
54. Sequuntur depoſitiones
2757, 6. mandato.

FINIS.
